




J·GAUDY


1 15 0

THESAURI
THEOLOGICO-PHILOLOGICI
PARS PRIMA
Continens
DISSERTATIONES
AD ILLUSTRIORA
VETERIS TESTAMENTI
LOCA.





THESAURUS
THEOLOGICO-PHILOLOGICUS,
SIVE
SYLLOGE
DISSERTATIONUM
ELEGANTIORUM
AD SELECTIORA ET ILLUSTRIORA
VETERIS ET NOVI
TESTAMENTI
LOCA;
A THEOLOGIS PROTESTANTIBUS

In Germania separatim diversis Temporibus conscriptarum.
Secundum Ordinem utriusque Testamenti Librorum digesta.



AMSTELÆDAMI
Excudunt Henricus & Vidua Theod. Boom, Joannes & Ægidius Janssonii à Waesberge, Gerhardus Borstius, Joannes Wolters;
Et Ultrajecti Guilielmus van de Water, & Guilielmus Broedelet. MDCCI.

PRÆFATIO
AD
CANDIDUM LECTOREM,
PHILOLOGIÆ SACRÆ STUDIOSUM.


NOn in minimis, quæ Deus T. O. M. nobis hoc ſeculo elargitus eſt, ponendum eſt beneficiis, quod ejus conceſſu & munere non tantum datum nobis eſt longe pretioſiſſimum ejus Verbum, ſed quod & ea præſidia, & adjumenta nobis cum maxime ſuppeditant, quorum ope haud difficulter Divina adjutrice gratia in ſenſus ejus innatos, atque inſitos penetrare, & mentem Sp. Sancti poſſumus adſequi.

Quamvis enim jam inde à peccati in mundum introitu, ex quo per primam promiſſionem Divinæ Conſilium Gratiæ palam factum eſt, nuncquam hoc ſaluberrimo converſionis, conſolationiſque ſuæ inſtrumento deſtituta fuerit Eccleſia, non idem tamen omnium temporum fatum, non eadem facies fuit.

Ut tacita prætereamus quæ Chriſtum natum anteceſſere ſecula, quorum quædam Gentibus, immane quantum à fœdere Dei remotis, noctem profundam; populo Dei licet noctem non plenam, diem tamen umbris opacam, noctique ſimilem adferebant: Et deſcendamus ad auſpicata illa Novi Teſtamenti tempora, ad illum Dei annum multo exoptatiſſimum, haud inficiari poſſumus, præclare ſane, & optime comparatum fuiſſe cum illa Eccleſia, cui datum eſſet fideli, ſuavique ductu, atque inſtitutione Doctorum ἀναμαρτήτων, illorumque, qui ſub eorum diſciplina ad ſacrum docendi munus formati, factique eſſent, uti atque frui; Deo promiſſi fidem, qua receperat, Eccleſiæ iſtius temporis proſpecturum de Paſtoribus fideliſſimis, ſibique acceptiſſimis ſecundum Jeremiæ c. 3. vaticinationem uberrime liberante ac ſolvente.

Quis tam ampla ac læta Eccleſiæ recens natæ, & ex tot diverſis Gentibus collectæ primordia contemplando, non præcepiſſet animo progreſſus & incrementa illis apta, & conſentanea. Longe autem aliter rem cecidiſſe, ſequentia tempora documento fuere. Poſtquam enim Sanctiſſimi illi Viri operi Domini ſui immortui triſte ſui deſiderium populo novello reliquiſſent; dona à Deo extra ordinem ad tempus data & conceſſa deſinerent, ceſſarentque; mirum quantum de donis σοφίας, γνώσεως, καὶ προφητεῖας, atque adeo Linguarum diminutum ſit: Inde

In pejus omnia ruere, &
Retro ſublapſa referri.

Quod non ita debet accipi, quaſi Deus gregem ſuum ſaluberrimo verbi ſui pabulo, aut fidis Doctoribus, Ducibuſque ſtatim penitus orbaverit: dederunt enim ſane ſecula aliquot ſequentia Viros eru-

 ditos,

ditos, & illuſtri probitatis laude celebratos, quorum operæ ſtudiique poſteros nunquam pœnitere debuit: Si tamen verum fatendum eſt, nihil illi ad ſuperiores: ut enim inter Davidis Heroas magnum quondam virtutis diſcrimen erat, qua alter alteri longe multumque præſtaret: ita comparatum cum Davidis noſtri ſpiritualis Adminiſtris; Apoſtolis, & eorum Συνέργοις merito primas deferimus; ſequentes, quo magis, aut minus parati ad impoſitum munus ſuſtinendum, tanto propius, aut longius ab illis abſuere. Id quod adſignandum cum aliis cauſſis, tum præcipue Linguarum, & in iis Hebraicæ, Rituumque, & Antiquitatum, atque adeo Linguæ Sp. S. ignorantiæ. Unde loco nativi Sacræ Scripturæ ſenſus ſæpe in ſcriptis illorum offendas ſententias, & interpretationes ridiculas, aut longe petitas, crebraſque, & non loco quæſitas, quæ apud Patrum pleroſque utramque paginam faciunt, Allegorias. Origenem enim, Epiphanium, quem Hieronymus in epiſtola ad Ruffinum Πεντάγλωττον appellat ipſumque Hieronymum paucoſque alios ſi eximios habeamus, quotuſquiſque illorum fuit, qui vel mediocrem in hiſce addiſcendis, ſibique acquirendis operam poſuerit; quamvis & Origenes in comminiſcendis Allegoriis ex Platonicorum ſectæ inſtituto nimius fuerit.

Et loquimur adhuc de illis temporibus, quibus unicuique integrum erat, exemplaria Codicis Sacri in proprium uſum deſcribere, & ſenſum ex eo perceptum publice promere: cum Verbum Dei unice pro certiſſima, & fallere neſcia fidei morumque norma haberetur.

Quod ſi delabimur ad inauſpicata illa Novi Teſtamenti tempora, quæ poſt tardos proceſſus, longaque molimina, ſtolidum illum Paſtorem, Ἄνομον illum, Anti-Chriſtum inquam excluſerunt, & produxerunt, in quanta rerum omnium ſcitu digniſſimarum, quæ ad bonæ mentis culturam pertinent, atque adeo Linguarum, & politioris Litteraturæ ignorantia jam inde ab illo tempore paſſim verſati ſunt homines, cum ludibrio haberetur, neque citra periculum eſſet, ſupra Vulgus ſapere, fatente etiam ingenue Claudio Eſpençæo, inter Pontificios ſuperiori ſeculo magni nominis Theologo: *Græcum aliquid noſſe, fuiſſe ſuſpectum, Hebraice autem, prope hæreticum.* Uſque dum tenebræ plus quam Cimmeriæ & Ægyptiacæ totum, qua pateret, Chriſtianum Orbem obſcurarunt, omniaque miſcuerunt. Et ni Deus Eccleſiæ ſuæ miſertus, promiſſique memor, aliam tanquam è machina rebus faciem induxiſſet, eadem adhuc caligine circumfuſi adflicti miſere vitam, luctuque traheremus. Ut breviter & abſolute omnia, quæ ad hoc argumentum ſpectant, complectamur, id conſtat, jam inde à quarto ſeculo, quo Hieronymus floruit, uſque ad decimum quintum, vix quemquam extitiſſe, qui vel leviter hiſce litteris fuerit imbutus, niſi forte Nicolaum Lyranum, qui ſeculo decimo tertio vixit, &, qui eum proxime ſubſequutus eſt decimo quarto, Paulum Burgenſem, quem Joh. Trithemius Paulum de Sancta Maria,

alii Cartagenam vocant, excipias. Qui ambo ex Judæis Chriſtiani facti ſunt; Et ille quidem non indocte interdum, neque absque judicio in S. Scr. commentatus eſt, quamvis in multis Rabbi Sal. Jarchii Commentarios compilaverit; hic autem Additiones, quas vocat, aut potius Animadverſiones in Lyranum, aliaque pauca nullius momenti edidit, ſi ſtandum eſt judicio celeberrimi Viri Joh. Henr. Maji. Quorum quidem virorum exempla pauci aut nulli illis ſeculis, æquales illorum aut poſteri ad imitandum ſibi propoſuere.

Aſt immortales Deo gratias nos agere par eſt, qui pro infinita ſua ſapientia, bonitate, & potentia præterito ſeculo, quod merito alteram Novi Teſtamenti pentecoſten appelles, divinitus excitaverit viros eruditos, vitæque integritate præſtantes, qui nulli labori, aut induſtriæ pepercere in comparandis ſibi omnibus ſubſidiis, quæ apta nata eſſent γνήσιον θεȣ̃ ἄνθρωπον efficere. In quibus familiam tantum non ducit Inſtitutorum & Antiquitatum variarum Gentium, præcipuè Judaicæ, nec non Linguarum, quibus V. & N. T. conſcripta ſunt Oracula, ſcientia. Quibus ſibi acquirendis mirum, quantum laboris, & tædii primi illi Heroës devoraverint; cum parandæ eruditionis adminicula eſſent ſane quam rara, neque temere obvia. Quanta contentione, quam exiguis adjutus opibus Conr. Pellicanus Linguam Hebræam, cujus poſt Capnionem in Germania communis præceptor merito ſuo cenſeri poteſt, proprio fere Marte addidicerit, prolixe in ejus vita referentem Melchiorem Adami legere operæ pretium eſt.

Inde certatim ſe accinxere ad ſpartam hanc exornandam homines elegantes, & politi, idoneis ſubſidiis inſtructi, qui cum viva voce, tum ſcriptis editis Eccleſiam novellam, ex Babylone Myſtica eductam, an expulſam haud parum confirmavere. Quorum plerorumque curæ, & labores præterquam quod multarum rerum, & Diſciplinarum ſcientiam referunt, ſpirant quoque, exceptis, quos cauſſa partium nimium quantum abſtulit, illum πραΰτητος, & ταπεινοφροσύνης, id eſt, Chriſto, & Euangelio convenientem Spiritum.

Horum opera in codice ſacro illuſtrando ita quidem fuit poſita, ut partem quam integram, aut librum more patrum ὁμιλετικῶς, aut nuda interpretatione explanarent, aut omnia ſtatim ad Locos Communes, quos vocant, referrent; qui difficiliora S. Scr. loca ſeorſum illuſtrarent, reperiuntur vel duo, vel nemo.

Quod ad noſtrum attinet, illud, quo poſt tot ſeculorum decurſum, & hominum memoriam nullum feracius Eruditorum Virorum, & bonæ frugis extitit ſeculum; Subſidiis jam longe uberioribus, ſtudio Linguarum, & Antiquitatum fervente; quot non dedit clariſſimos S. Scr. Interpretes, ab iis adjumentis & opibus, quæ in Germano ejus interprete requiruntur, abunde paratos, & inſtructos. Horum quidam operam ſumſere in partibus S. Scr. integris explanandis; aliorum autem induſtria deſudavit in his, aut illis S. Scr.

Locis difficilioribus, & ἀπόροις, in quibus plerumque legentibus aqua hærebat, expediendis. Longum esset inire numerum Protestantium, qui alterutro, aut utroque modo laudabilem Ecclesiæ operam navaverint. Quamvis autem negari nequeat, illis primas merito deberi, qui integram Scripturæ partem perpetuis Commentariis illustratum ivere; in quibus tamen hi, qui in id præcipue omnes ingenii nervos contulerunt, & in eo elaborarunt, ut sensa, & λογισμοὺς Sp. S. indagarent, liquidoque demonstrarent, longe cæteris sunt anteferendi; minime tamen sua laude fraudandi sunt, qui selecta quædam Verbi Divini Loca, ad quæ expedienda non eam, quæ quidem requirebatur, antecedentes Interpretes adhibuerant curam, sibi seorsum sumsere cum ex Linguis Originalibus, quas vocant, tum ex Antiquitatibus illustranda.

Licet autem in nostris Theologis hoc seculo non defuerint Buxtorfii, Spanhemii, Bocharti, Hottingeri, aliique multi, qui non sunt nullo numero, Viri Clarissimi, neque desint, qui cum maxime in hac palæstra ingenii sui vires alibi explicent, atque experiantur; dissimulare tamen non possumus, Theologos Augustanæ Confessionis, ut vocari amant, nostris hic fere palmam præripere, si Scriptorum numerum, aut ingentem Dissertationum sylvam contemplemur. Jam inde enim ab aliquot annis Clarissimi ex illa Familia & Disciplina Viri, omnis elegantioris Literaturæ notitia, & Πολυμαθεία non leviter tantum tincti, sed penitus imbuti, multis impeditis, nobisque hactenus obscuris locis qua ex Antiquitatibus, qua ex Linguis Originalibus lucem haud exiguam intulere. In quibus suo merito habentur Cll. Viri, Gerhardi, Glassii, Strauchii, Frischmuthi, Calovii, Schmidii, Carpzovii, Gejeri, Slevogti, Sauberti, Stolbergii, Pfeifferi, Danzii, ut taceamus cæteros, de quorum collecta ex tot præclaris ingenii sui monumentis existimatione, & fama nihil nostro silentio diminutum volumus. Hi viri sunt, qui in explanandis, expediendisque illustrioribus S. Codidis locis omnia plerumque in suis Commentariis uberiora habent, quam cæteri Interpretes, qui difficiliora aut reliquere intacta, aut levi brachio transiliere.

Ut harum Dissertationum, & Commentationum sylloge aliqua, & collectio ederetur, diu quidem Viris quibusdam Eruditis, quibus ex lectione earum, quas sibi comparaverant, saliva mota erat, in optatis fuit. Et dolendum certe erat, tot elaborata, utilissimaque opera, paucorum in manibus dispersa Reip. Literariæ hactenus fuere clausa. Id quod horum Collectaneorum Editores impulit, ut aliquot harum Dissertationum, à Doctissimis Philologis in Germania separatim, neque uno tempore editarum non exiguam vim & copiam typis simul descriptam cum Philologiæ Sacræ Studiosis communicarent. Ut autem in iis edendis aliqua ordinis haberetur ratio, quoniam vix aliter jungi, & aptari poterant, dispositæ eæ sunt secundum locorum utriusque Fœderis seriem; ad quam quisque etiam referre potest Dissertationes aut modo editas, aut in posterum edendas. Ex editis huc referri queunt Joh. Buxtorfii Fil. Exercitationes ad Historiam Arcæ Fœderis, Ignis

sacri

ſacri & cœleſtis, Urim & Thummim, Mannæ, petræ in Deſerto, & ſerpentis æ nei: & VI, VII, & VIII. ex ejus Diſſertationibus Philologico-Theologicis, in quibus de Cœnæ Dominicæ primæ Ritibus & Forma, & de Lotione Manuum Judaica ante & poſt cibum agit; Joh. Sauberti palæſtra Theologico-Philologica; D. Aug. Pfeifferi dubia Vexata, & eis ſubjuncta ſelecta decas Exercitationum Biblicarum: uti & illæ D. Seb. Schmidii, Joh. Bened. Carpzovii nuper conjunctim typis deſcriptæ, nec non illæ Stolbergii, Quenſtedii, & Caſp. Calvörii Gloria Moſis, ſive Diſſertationes ejus de Columna Nubis & ignis, de Manna deſerti, de Vultu Moſis radiante, de Veſtibus Iſraëlitarum non detritis, de ortu L. L., de ſtatua ſalis; accedunt duæ Diſſertationes, quarum altera eſt de Noë retecto, altera de Tentatore Domini; quibus addi queunt Scriptores, qui ſelecta quædam S. Scr. Loca illuſtrarunt, quorum indicem quendam exhibet Criticæ ſuæ Sacræ pag. 188, 189, 190, 191, 192, 193, 194, & 195. Landatus antea D. Aug. Pfeifferus &c.

Integra autem fere aliorum opera, & Syſtemata intacta reliquimus, exceptis quibusdam, quæ ad manus noſtras pervenere poſtea, quam ſeries noſtra jam diu confecta non tantum eſſet, ſed & operæ typographicæ modo hiſce excudendis exercerentur. Quo factum, ut Diſſertationum aliquæ ex Majoribus, aut minoribus Collectionibus, nuper editis, ſelectæ in hoc opere compareant. Non facturi, ſi ante molitionem hujus Συντάγματος id nobis notum fuiſſet. Data etiam opera prætermiſimus Diſſertationum illas, quæ proprie ad Antiquitates Judaicas, quæ propediem à Viro Cl. & in his in primis verſatiſſimo, ordine, quam maxime poterit concinno inter ſe aptæ & connexæ harum rerum curioſis impertientur, ſpectant.

Eodem conſilio reſecuimus & miſſa fecimus, quæ ad Controverſa, & Practica, quæ vocant, pertinent; non eam tantum ob cauſſam, uti ne præter modum operis hujus magnitudo creſceret, ſed & quod non convenirent noſtro inſtituto, quod erat ea modo ſeligere & jungere, quæ facerent ad S. Scr. faciliorem in difficilioribus enodationem. Quo noſtro conſilio eliminatos aut damnatos adeo non volumus uſus, quos vocant, practicos & Elenchticos, ut etiam adfirmare non gravemur, iis in loco, & modice uſurpatis ſuum eſſe poſſe non ſine maximo fructu locum.

Agmen harum Diſſertationum ducunt, quas *de Formali ſignificationis*, quod vocat, ſive potius de nativis & primigeniis, in omnia inde derivata diffuſis vocum ſignificationibus ex S. Scr. lectione eruendis conſcripſit Doctiſſimus Sam. Bohlius, in Academia Roſtochiana S. S. Th. olim Profeſſor; dictione quidem aſpera ſatis, & horrida, ſed quæ penſari facile queat utilitate inſigni ex iis percipienda ad inſtituendum & concinnandum Lexicon Biblicum, id quod in vulgaribus Lexicis, in multis certe hactenus deſiderabatur.

Non ea vero mente Doctiſſimorum Virorum labores in Commune Reip. Literariæ commodum edi curavimus, ac ſi in omnibus, &

ubique nos haberent ὁμοψήφους, & consentientes; quamvis enim de plurimis adsentiri iis non pigremur, erunt tamen fortasse de quibus adhuc dum ἐπέχομεν, aut salvo illorum judicio aliter statuimus. Satis officio nostro functi nobis videmur, si eruditas illorum Explicationes Linguarum & Antiquitatum amantibus impertiverimus, qui re ipsa comperient, quantæ in hisce Commentationibus ad indagandos S. Scr. in difficilioribus sensus opes sitæ sint. De quo si fidem nobis habere nolint, at habeant Magno illi Bocharto, qui haud obscure declaravit, quid harum beneficio profecisset. In hac quoque sententia fuit, ac perstitit Cl. Joh. Henr. Hottingerus, qui harum Dissertationum, aut Disputationum ingentem sibi undique Sylvam comparaverat, quam Doctiss. & Diligentissimus ille Vir insigne Bibliothecæ suæ Κειμήλιον appellare non dubitat, Biblioth. Quadripart. partis I^mæ^, quæ est de Bibliothecariis, & Bibliothecis, Cap. VI. p. 95. Id quod sibi etiam notavit Cl. Editor Fasciculi Disputationum Theolog. Selectarum D. Seb. Schmidii, anno hujus seculi 96. Francofurti typis descriptarum, in præfatione illis præmissa. Neque de nihilo Magni illi, summisque ingeniis præditi Viri ita censent: Tam enim est certum, quam quod maxime, majori studio & accuratione plerumque elaborari Commentationes breviores, easque publice excutiendas, defendendasque quales hæc Sylloge bene multas complectitur, quam grandiores libros, magnam diversarum rerum, & Argumentorum segetem continentes; in quorum compositione Scriptoribus illorum sæpe usu venit, quod dicitur:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Atque utinam de multis vere dici non posset, quod Græcorum proverbio fertur:

Μέγα βιβλίον, μέγα κακόν.

Magnus liber, magnum malum.

Id quod pro sua prudentia animadvertens Romanæ facundiæ parens Cicero, Luccejum, insignem Historiarum, & ab Eloquentia clarum Scriptorem inducturus, ut Vitæ suæ Historiam à perpetuis, Bellique Civilis Historiis secretam, segregatamque seorsum conscriberet, & conderet, his quoque verbis eum impellere conatus est lib. V. Ep. XII. ad Eundem exarata: *Et simul si uno in argumento, unaque in persona mens tua tota versabitur, cerno jam animo, quanto omnia uberiora, atque ornatiora futura sint.*

In harum Dissertationum dilectu adhibita fuit, quæ poterat cura: sunt enim ex ingenti earum Sylva Selectæ. Ut autem homo homini multum præstat, & in Eruditis alter alteri longe antecellit: sic comparatum forte erit cum hisce collectaneis: Alia aliis erunt doctiora, & solidiora; nulla autem, quin Lectori non stupido adminiculo sint futura ad accuratius inquirendum in S. Scr. sensus: reperiet certe materiam Lector, unde quid effici queat.

Quamvis autem Syntagma hoc nostrum non sit omnibus numeris perfectum absolutumque, quippe cui præter alios defectus, semper

quædam

quædam addi possint, quin tamen inde maxima ad attentos Lectores redundatura sit utilitas, adfirmare nulli dubitamus. Præterquam enim, quod hic multa reperiuntur, quæ frustra ab aliis Interpretibus requiras, possunt etiam hæc Collectanea instar Auctarii Bibliorum Criticorum haberi, præcipue autem Lectori non penitus oscitanti statim erit manifestum, quantum in Philologiæ cum Theologia conjunctione momenti sit, ad intelligentiam S. Scr. ulterius promovendam. Olim ea controversia Hieronymo videtur intercessisse cum Ruffino, utrum Sacrarum Literarum Interpreti integrum esset, in interpretationis subsidium advocare externas Disciplinas, & adventitias, & ex profanis Scriptoribus, quæ ad genium Linguarum, Rituumque cognitionem pertinerent; Hieronymo adfirmantis partes sustinente, ut colligere est ex illa Doctiss. Patris ad Magnum, Oratorem Romanum Epistola Responsoria Oper. Hieron. Tom. II. Edit. Frob. anni 15. pag. mihi 326. & seqq. Orator ille subornatus, ut videtur, à Ruffino, haud obscure Hieronymo vitio verterat: *Quod in Opusculis suis secularium Literarum interdum poneret exempla, & candorem Ecclesiæ Ethnicorum sordibus pollueret*; ut in capite istius Epistolæ videre est. Ad hoc quæsitum, sive ad hanc potius accusationem respondet in eruditissima hac epistola noster Stridonensis, ita quidem Adversarium confutando, ut se tueatur exemplo Mosis, Prophetarum, Salomonis, & Apostoli Paulli, qui in loco quædam ex Gentilium scriptis essent mutuati non ad inanem multæ lectionis, ut plerisque in more est, ostentationem, sed ad dictorum illustrationem, & confirmationem, imo interdum ad Adversariorum, cum quibus sibi res esset, convictionem. Paulum certè non puduit, cum sibi, Athenis in Areopago verba pro concione facienti, de rebus maximis controversia cum Philosophis Epicuræis, & Stoicis intercederet, ea ex Arato veteri Philosopho juxta, & Poeta adferre, quæ apta nata essent, homines, de Verbi Divini Auctoritate nondum edoctos, domestico testimonio convincere. Quemadmodum etiam aliis in locis commodum vett. Gentilium Poetarum, Epimenidis, Callimachi, & Menandri testimoniis utitur. Prophetis, & Apostolis subjungit, additque qui longo ordine sequuntur, Clarissimos Ecclesiæ Christianæ Antistites bene multos, quos ad testimonium citat, quorumque ad exemplar in Sacris tractandis se composuisse noster Hieronymus præfert, & profitetur.

Hieronymo suffragatur ejus æqualis B. Aurelius Augustinus in egregio, quem de Doctrina Christiana inscripsit, opere; præcipiens, futurum Theologum optimis Disciplinis, & litteris esse informandum ante, quam ad interiorem Sapientiam in S. S. literis comprehensam indagandum accedere debeat. Observatu digna, quæ in hanc rem disputat Libro II. de D. C. ponit ille Cap. VI. istius Libri: Obscuritatem Scripturæ non esse inutilem: *Id enim provisum Divinitus esse ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facile investigata vilescant.* Quod ne quis eo animo ab Augustino dictum existimet, ac si omnem penitus Verbo Divino abjudicaret perspicuitatem,

conferat

conferat cum dictis, quæ idem Pater in hanc materiam accurate, & cogitatè scribit in fine istius capitis: *Magnifice, & salubriter Sp. S. ita Scripturas sanctas modificavit ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret; nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè alibi dictum reperiatur.* Ex his tanquam concessis concludit, & efficit: Sacrarum Literarum Interpreti multa opus esse adminicula, & subsidia; in quibus non tantum collocat Græcæ, & Hebraicæ Linguæ, à qua tamen non ita paratus erat Hipponensis ille præsul, cognitionem Cap. XI. Sed & Animalium, Herbarum, Lapidum, similiumque notitiam Cap. ejusd. Libri XVI. Nunc in bardis, & stipitibus, & qui frumento reperto glandibus vesci malint, merito suo habetur, qui hic cum Ruffino in alia omnia ire sustineat. Et est sane, quod Deo T. O. M. debitam referamus gratiam, quod si non maxima, at melior tamen hominum pars ab hoc pernicioso errore revocata est, humanioribus Literis, atque adeo Linguarum & Antiquitatum studiis nullum esse debere in sacris tractandis locum. Non jam amplius Eruditis, & harum Literarum studiosis tam periculosa contentio concertatioque cum indoctis Barbarisque hominibus est subeunda, qualem initio præteriti seculi subeundam habebat Lumen & Ornamentum Germaniæ suæ illa tempestate unicum, Magnus ille Johannes Reuchlinus, sive Capnion, Phorcensis, qui fere solus in principio pro humanioribus & optimis Literis, & Studiis contra insulsos, indoctosque Monachos, ac Theologos, id est contra ipsam Barbariem propugnationem suscepit, & sustinuit. Cujus Nomen vel hoc solum nomine meretur, ut in perpetuum scriptis doctorum illustretur, æternisque monumentis memoriæ prodatur. Unde Cl. Vir Joh. Henr. Majus maximum quidem operæ pretium tulit, quod pietate laudabili optimi, & Doctissimi Civis sui intermortuam ab aliquo tempore, & evanescentem memoriam in Historiæ vitæ ejus, anno hujus seculi LXXXVII. Durlaci typis descripta, revocaverit, nomenque ejus, ac laudes ab oblivione, & injuria temporum vindicaverit.

Sed è diverticulo in viam. Infelix sit ille, necesse est S. S. Literarum Interpres, qui omni Linguarum, & Antiquitatum, omnisque politioris Literaturæ cognitione destitutus, Theologiæ autem Systematicæ, quam vocant, notitia tantummodo fretus sacra hæc aggredi audeat. Non enim S. Scr. ad Locos communes, sed hi ad illam totius nostri Sacerdotii, ut cum Chrysostomo loquamur, substantiam, sunt exigendi. Neque prodest lectio Scripturæ nisi intellectæ: Neque sensus ejus indagari, nedum percipi queunt, nisi Linguæ, qua conscribi Verbum suum sapientissimus voluit Deus, genius, ἰδίωμα & χαρακτὴρ probe intelligantur, id est, nisi voces, dictiones, phrasesque percipiantur. Quum autem Divina Scriptura conscripta sit Lingua, non tantum nobis non Vernacula, sed multum ab illa, uti & ab omnibus Linguis Europæ, dissidente, & abhorrente; quod non tantum de Hebræa, ejusque affinibus Linguis, sed & de Græca N. T. Lingua,

gua, quatenus ea frequentibus abundat Hebraiſmis, verum eſt; Nam quod ad ſententiam Pſochenii attinet, jam dudum ea à Viris harum rerum gnaris exploſa eſt: quis jam adeo ſtupidus, & hebes, ut ſperare autumet, ſe abſque his adminiculis in S. Codicis interpretatione feliciter eſſe proceſſurum. Ut enim quis judicio & induſtria abundet, & præter Syſtematicæ Theologiæ Scientiam Philoſophicis etiam Studiis penitus ſit imbutus, nihilominus ab hiſce ſubſidiis imparatus ſæpe à vero S. Scr. ſenſu aberrabit, Lectoribuſque Eruditis ludibrium debebit; Uti de Theologo quodam Hiſpano narrat Abr. Schultetus in Oratione inaugurali de Philologiæ cum Theologia conjunctione, Heidelbergæ quondam habita, curriculo vitæ ejus ſubjecta pag. 108. qui his ſubſidiis deſtitutus, commentaturus in Actorum caput VIII, tam turpiter ſe dederat, ut ex muliere Regionem, ex Regina Regnum, ex Candace Regina Regnum Candaciam efficeret, & pro arbitrio abſque populi ſuffragio conſtitueret. Contra autem iis uſu venit, qui hac προπαιδεία, quaſi commeatu quodam neceſſario inſtructi, multa nobis hactenus obſcura, ſaltem non intellecta Loca illuſtrarunt. Illuſtris certe Bochartus ante alios documento noſtris hominibus eſſe poteſt, quanta ſubſidia Sacrarum Literarum Interpreti ab harum rerum cognitione promta ſint atque parata, qui tot vocibus ſignificationes ſuas reddidit, & vindicavit in doctiſſimis, & ætatem laturis, quos de Geographia Sacra, ſive Phaleg, & Canaan, & de Animalibus Scripturæ inſcripſit, Libris. Abſque quo eſſet, ſexcenta Verbi Divini loca & vocabula nobis adhuc eſſent obſcura atque ignorata. Et quantum harum Literarum non tralatitia cognitio Theologi rationibus conducat ad inveſtigandos S. Scr. ſenſus, experiuntur quotidie, qui ex hoc fonte biberunt, & in his humanitatis, & politioris Literaturæ ſtudiis verſati ſunt.

Proinde omnes noſtri Ordinis & Loci homines, Theologos inquam, aut qui in illum ordinem aliquando adſcribi ſperant, maximopere oratos eſſe volo, ne ἀμούσως, & harum Literarum penitus expertes, animum ad Theologiæ ſtudium appellant. Ne per illos fiat, ut Barbariei & inſcitiæ probra & notæ noſtro Ordini, ut ſuperioribus ſeculis, ad maximam noſtram ignominiam, iterum inurantur, & inhæreant. Tot Graviſſimorum Virorum, & Præſtantiſſimorum Eccleſiæ Chriſtianæ Antiſtitum, qui hanc viam cum fructu, & non ſine laude inſtiterunt, poſteriſque præiverunt, exemplis commoveri ſe patiantur, ut hoc tam neceſſarium Philologiæ, præſertim Sacræ ſtudium amplectantur, & excolant: Ut in indagandis Sacri Codicis ſenſibus immunes ſe præſtent à graviſſimis illis erroribus, quos harum Literarum ignari & expertes paſſim commiſere: in eo pro virili enitantur, & contendant, ut illorum opera Verbi Divini Lux magis, ac magis ſplendeat, & tot noſtra culpa ignorata utriuſque Fœderis loca, quorum quædam fere pro derelictis habita, etiam non doctiſſimis pateant; ut diſcuſſis omnis ignorantiæ & errorum nebulis gratiſſimum illud veritatis jubar liquidius illuceſcat, & φώσφορος

ille

ille, cujus Apostolus Petrus in Ep. Cath. 2. cap. 1. commate 19. meminit, in cordibus nostris exoriatur. Quo fiet, ut luculentissima illa Danielis Prophetæ cap. 12. comm. 4. Vaticinatio magis ac magis exitum sit habitura, qua promissum Ecclesiæ N. T. sub seculorum finem: Multos indagaturos, & scientiam amplificatum iri. Hac via erigemur in spem, fore, uti Regnum Diaboli, & Antichristi, quod est tenebrarum, id est ignorantiæ, improbitatis, & omnis veræ consolationis expers, magis ac magis destruatur & concidat, Regnum autem Dei & ejus Christi, quod est Lucis, id est, Scientiæ, Sanctitatis, pacis, gaudii, & veræ Consolationis, longos in annos floreat, atque vigeat!

Prætermittere autem in fine hujus Præfationis non possumus locum obtestandi & obsecrandi per omnia Sacra, & commune commodum Augustanæ Confessionis Theologos, qui cum maxime se in hoc studiorum genere exercent, ex quorum doctissimis laboribus hæc nostra Sylloge, quanta, quanta est, fere adornata, concinnataque est, ut quemadmodum operas suas, quibus proficere nobis quotidie volupe est, contulerunt ad intelligentiam S. Scr. ulterius promovendam; itidem symbolas suas conferant in commune & impendant ad pacem Sionis procurandam, & propagandam. Discant melius de nobis, qui Reformati vocamur, & de nostris circa pleraque necessaria Religionis Christianæ capita sententiis, sentire. Comperient, si absque anticipatis opinionibus, & partium studio nostra velint exigere ad unum optimumque in his dijudicandis lapidem Lydium, sacram Scripturam, & fidei, sanctis semel traditæ, ἀναλογίαν, si minus ea assensu suo comprobare velint, attamen ab ἑτεροδοξίας crimine esse liberanda: Uti nos pro charitate Christiana, quæ nos meliora de proximo sperare jubet, existimamus, illos interdum melius sentire, quam loqui. Utinam utrinque ex concessis χαρίσμασι & donis tantum lucrifaceremus, ut omnia cederent ad amorem ἀνυπόκριτον, concordiæ vinculum, ἑνότητα spiritus. Sat perversis suspicionibus, sat controversiis, scriptisque eristicis & litigiosis datum, quibus sancti populi manus debilitatur, confringitur, & communibus hostibus via ad nostram maximam perniciem panditur. Abesset modo invidia, & Fraterna Bella silerent, non amplius ita ab Hostibus, eorum dolis & opibus laboraremus. Sed hanc Concordiam & pacem longe exoptatissimam Ecclesiarum nostrarum peccata multo gravissima hactenus impediunt, retardant, arcent. Ita placitum Deo, fidem & spem suorum explorare, usquedum lætissimus ille, & expectatissimus nobis illucescet dies, cum Ephraim non amplius invidebit Judæ, neque Juda Ephraimo, cum junctis fœdere mutuo dextris, unus & unicus erit pastor, ovile unum! γένοιτο, γένοιτο!

SYLLABUS DISSERTATIONUM,

Quæ in hoc primo Volumine continentur.

IN II. REGUM.

IN JOBUM.

IN PSALMOS.

IN PROVERBIA.

IN ECCLESIASTEN.

IN ESAIAM.

IN JEREMIAM.

IN EZECHIELEM.

IN DANIELEM.

IN HOSEAM.

IN JONAM.

IN HAGGAI.

IN ZACHARIAM.

IN MALACHIAM.

THESAURUS DISSERTATIONUM THEOLOGICO-PHILOLOGICARUM.

SAM. BOHLII DISSERTATIONES XIII

Pro formali significationis in S. Scripturæ explicatione eruendo.

DISSERTATIO PRIMA.

1. Um demum res recte tangi videtur, quando ejus media & causæ recte applicantur. Exemplum nobis suppeditat Scriptura sacra, in qua inprimis ea sunt præponenda, sine quibus circa veritatem multas etiam opiniones fovere necessum fuit. Illa autem dico esse. 1. Accentuationem, quam revocare nuper incepi. 2. Positum vocum, quem puto suppeditaturum accentuationem & concatenationem sensus. 3. Significationem veram.

2. Hanc nobis tradere dicuntur Lexicographi. At si hoc verum est, non video, quomodo vel unicum caput arduum in Prophetis recte explicari queat. Nam in nullo Lexico, quod ego vidi, deprehendi consignatas esse in totum significationes formales seu generales: Unde cum nudis explicationibus Lexicographorum insistere volumus, multis magistralibus distinctionibus necessum habuimus rem limitare, etiamsi principalia negotii sæpe non satis tetigerimus.

3. Tentabo ergo, numne remedium inveniri queat, ut significationes eruantur non ex Lexicis, sed ex Scriptura sacra, ut quorum officii & status ratio exigit, hoc permoti de veris Lexicis Academiis communicandis cogitare incipiant, & paulatim & pedetentim ab Opinionistis & odiosis illis multarum sententiarum allegationibus concionatoriis liberati Scripturam sicut diploma Principis nostri auxilio Spiritus Sancti intelligere incipiamus.

4. Pro proba assumam jam exercitii gratia aliquot voces, & 1. quidem קרש, de hac solet dici, quod significet Sanctus fuit. Verum quidem hoc est, at non tangitur ita significatio formalis. Dicitur significare separatus fuit ab usu communi ad sanctum: Verum & hoc est; at ita præteritur significatio generalis. Dico ergo ego קרש formaliter significat *separatus fuit ab usu communi ad usum quendam specialem.*

5. Hujus significationis veritas firmanda est ex tali axiomate: *Omnes voces quæ descendunt ex radice debent habere idem formale radicis.* Et antequam hæc latius deducam, incidit quod primo loco dici debebat effatum: *Semper in Scriptura sacra probanda est significatio generalis & formalis, & ab ea non est discedendum, nisi contextus ratio nos expresse moneat, ut amplectamur specialiorem.* Incidit etiam, necessarium esse, ut explicem, quid mihi sit formale seu generale, ne subjaceam judicio Aristotelis, ipsiusque discipulorum, quorum in formalitatibus lites plane effugiens, ne logomachiis pediculosis porta aperiatur, dico Formale mihi in hoc disputandi genere idem esse, quod Rabbinis *Massa*, i. e. illud, quod portat omnia sub se contenta. Dico autem illud Generale, quia omnes significationes communicant de eo quasi de genere. Sic ego sumo vocabulum.

6. Jam ad rem ipsam. Et dico omnia, quæ in Ebraica lingua descendunt à קרש, habent formam illam, quam proposui. Nam ut ab infimo exordium sumam, notum est, quod קרש & קרשה impura sint vocabula, quæ cum sanctitate, ut vulgo sumitur, male consistere possunt. Confugio ergo ad meam formam, & dico קרש puerum meritorium paratum ad concubitum, ut & ejus oppositum fœminam meritoriam habere formale *specialitatis*, eo quod puer contra naturam se abuti patiatur alios, sic & fœminam; separantur ergo ab usu communi ad usum specialem.

7. Fundamentum conspicitur extra alia etiam in Conjugatione secunda, ubi Heiliget eine Fasten/ idem est, certum & specialem diem constituite, in quo jejunetis. Adeo quidem valet usus significationis generalis, ut & linguæ vicinæ Chaldaica, Syriaca & Arabica se ejus legibus subjicere videantur; quæ omnia autem lubens prætereo, cum sibi soli sufficiat mater, hoc tantum unico allegato, quod קרש Rabbinis significat desponsavit, quod quomodo ab usu generali seu communi ad separatum & specialem applicatum esse dici queat, quivis videt.

8. Jam immediatè progrediendum erat ad alia vocabula, ut etiam in iis formale demonstraretur: At cum jam tantum exordium faciam, lubet propositam vocem diligentius excutere in unico loco Scripturæ, ut de reliquis postmodum idem sumatur judicium.

9. Placet autem assumere locum Esaiæ 6. ubi Seraphim canunt: SANCTUS SANCTUS SANCTUS JHOVA DEUS ZABAOTH. Hic dico, idem esse Sanctum, quod à reliquis entibus separatum & elevatum esse. 2. Verum DEUM esse, si significationem famosiorem & primam præsupponam. 3. Actus istius entis diversissimos ab actibus reliquorum, adeo, ut si probare queam, Filium & Spiritum sanctum in hoc loco Prophetico nominari, certissime & infallibiliter etiam concludere queam, Filium & Spiritum sanctum esse verum DEUM.

10. Obiter hic incidit, quod recte cognitis significationibus generalibus & formalibus accuratius judicium sumi queat de cohærentia non tantum versuum, roboris argumenti, sed & nexu totius Orationis. Probat hoc Caput sextum, de quo solet apud Judæos moveri controversia, cur illud Caput sit sextum & non primum: videtur enim ordinem tractationis & naturæ requirere, ut ipse actus vocationis exemplo Jeremiæ præ-

præcedat vocationis effectus & conciones post vocationem habitas? Res hæc agi solet distinctionibus multis. Ut ut autem sit; Ego dico, commodiorem locum non potuisse sortiri visionem Esaiæ, quam in capite sexto, ubi debebat concludi Oratio secunda Esaiana. Sicut enim prima Oratio primo capite absoluta generaliter docet genera absurditatis, quæ sequitur ex moribus Jhudæorum sub Uzzia statim post invasionem hostilem Israëliticam; Ita in Oratione secunda, quæ exordium habet in secundo, & finem in capite sexto inclusive opponit Esaias Regem Uzziah & Jotam Regi Messiæ, statum regni ipsorum statui regni Messiæ, mores terræ moribus Christianorum, & in hac oppositione monstrat excellentiam & majestatem Regni Messiæ, quo obtinet, ut populus non respiciat suos Reges felices, munimenta ipsorum specialia, egregios terræ viros, eoque ipso opus DEI sancti Israëlis contemnat seu postponat. Hoc aliquot argumentis evicerat, pro conclusione ergo tale argumentum inducit, quod & reliqua omnia in se contineat, & jus disputandi subditis cum Magistratu suo summo præscindat. Dicit ergo vidisse se Dominum sedentem in solio excelso & elevato. Ergo Rex iste *major erit* quam Uzzia & Jotam; elevatus erit præ Cedris in Libano altis & elevatis, præ quercubus Basan; elatus erit super omnes montes. 2. Vidisse se Seraphim adstantes: Ergo ministri ejus sunt præstantiores ministris Jotam & Uzzia, Fortium & Judicum, Oratorum & Consiliariorum terræ, &c. 3. Vidisse se, ait, Seraphim texisse faciem suam & pedes suos. Ergo cum tantus sit Dominus, ut & coram facie ejus Seraphim faciem suam obvelent, multò magis Judæi revereantur Dominum, neque cum ipso de prioritate certent, non dicant: Properet, acceleret Jhovah opus suum, ut videamus, appropinquet & veniat decretum Sancti Israëlis; si cum illi qui semper adstant necesse habent tegere faciem, quanto magis illi, qui peccatis inquinati sunt. Illi eant in petram, abscondant se in excisionibus petrarum à facie Domini, & à majestate gloriæ ejus, &c. Nam sane, nisi hoc audiant Judæi, cogentur tandem etiam tegere pedes & faciem, faciem, ut nec videant nec audiant; pedes, ut ducantur sine intellectu ad loca, quæ non exoptant. 4. Vidisse se Dominum, fimbria vestimenti sui implevisse templum. Ad orcum ergo, ô filiæ Zion cum vestris Sindonibus & ornamentis aliis: Maximus est DEus noster, cujus fimbria implet templum, qui ubique est, & ubique totus est, Reges vestri Uzzia & Jotam ne valent quidem adolere huic Regi magno. 5. Audivisse se dicit clamantes: *SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS* Dominus Deus Exercituum. Hic clamor comprehendebat & concludebat omnia: Sanctus est Dominus; Separatus est Deus in essentia sua ab essentia reliquarum creaturarum, actus ejus sunt separati ab actibus hominum, seorsim posita est majestas ejus à majestate ita dicta humana. Ergo etiam Mons ejus erit in fine dierum elevatus *specialiter* exaltatus super omnes montes, & specialiter ad ipsum confluent omnes gentes. Digna ergo è contrario Domus Jacob quod derelinquatur, quia non ad exemplum gentium Messiam pro suo speciali numine, quod reliquis omnibus præferat, habet, sed ut Philistæi & Orientales reliqui artibus & filiis alienis incumbant, &c. Sanctus & elevatus *specialiter* proximus eo, quod speciem excellentiæ in regno Jotam & Uzzia sortiri posset. Sed ut compendium verborum faciam, dico, omnia argumenta, quæ in Oratione secunda occurrunt, sub hoc nomine SANCTUS comprehenduntur, conclusionis enim est nervose vim argumentorum omnium uni intuitui exhibere.

11. Hæc erat causa, quare Caput sextum ponebatur in fine Orationis secundæ. Nam cum populum magis ad suos Reges, quàm ad Messiam respicientem arguere volebat, inspargebat etiam aliquot loca de Sanctitate, ut videmus. *Et erit, residuum in Zion & Jerusalem SANCTUM dicetur*, i.e. specialiter scriptum ad vitas Jerusalem erit Sanctum, erit separatum à reliquis Judæis homines respicientibus: Unde etiam in Oratione tertia Esaiana, quæ habet exordium in septimo, & finem in duodecimo capite, dicitur: *Dominus* erit *Sanctuarium & lapis offendiculi*, Sanctuarium, ut ex vi argumenti patet, iis, qui non cum populo dicunt קשר, sed qui *sanctificant* Dominum in corde suo, i.e. qui Deum pro speciali suo numine & adjutorio habent, nec patiuntur se adduci, ut confœderationem cum Regibus exteris ineant.

12. Recte ergo dicitur, Semper cum in Scriptura sacra vox SANCTI occurrit, ad hanc significationem generalem & formalem prius esse respiciendum. Quæ omnia late possent diduci in descendentibus ab hac radice vocibus, si id instituti ratio permitteret. Non dicam ego, quomodo SANCTUS dicatur Filius Dei ex hoc fundamento in Evangelista Johanne; non quomodo Spiritus Sanctus ab omnibus Spiritibus quasi abstractus, & in solium Sanctitatis collocatus; nam quomodo posset dici Sanctus Deus, nisi in Patre unus esset DEus? Nimis etiam excresceret, si in specialibus quibusdam dictis emphasin Sanctitatis vim argumenti recte exprimentis exponerem. Nam ea ratione dicendum foret de Jesu Nazareno, quod ille primus sit SANCTUS ex hominibus, Israël secundus, quia in Jeremia dicitur *principium proventus DEI esse sanctitatem Israëlis*; Quomodo hæc Sanctitas duplex sit, generalis & specialis: Generalis competat toti Israëli, specialis ex & in Generali adhuc alia quadam insigniat sanctitate, qua ratione Aharon Sanctus Domini diceretur. Sequeretur etiam tractandum esse, quomodo hæc sanctitas translata sit ad Gentiles; Conferri eam à solo DEO, qui hinc etiam Sanctificator, & quod per Spiritum suum nos sanctificet, dici solet; Præsupponendum etiam esset, necessario sanctuarium requiri ad sanctos, quale fuit apud Judæos, & hoc necessario debuisse aboleri, quando Messias cœlos occuparat; Disputandum esset de nexu, quod est fœdus, & quomodo sine hoc nexu nec Israël nec nos, quicquid agamus, Sancti dici queamus: Nam hæc Theologorum sunt; mihi sufficiat dicere, quicunque ille locus sit, ubi קרוש scriptum est, ibi formale sumitur à speciali separatione ad aliquid: Et dico, hac regula prænotata, multa loca & V. & N. Testamenti rectiùs explicari posse, imò multa dubia Legis solvi facillimè, quale ut unum suppeditem, occurrit Levit. 16. 24. ubi jubetur Aharon lavare se in loco sancto: Quis hoc credat factum esse? Ego dico, non erat locus sanctus, sed locus specialiter ad id determinatus, &c.

13. Jam devenio ad radicem שאל, de hac dico, quod in significatione sua generali significet *quæsivit*. Sequitur ergo omnes radices suum formale habere à quærendo. Ex multis placet sumere nomen שאול. Præsuppono autem *quærere*, ut & omnes significationes determinari per suum famosius: Famosius autem est quærere de jure, quam quærere ex gratia. Quæritur autem etiam ex gratia, quam jus quasi prius conciliavit. Gen. 43. v. 7. Joseph de jure quærebat; De jure quærere potuisset DEus Psal. 40. sacrificia. Sic alibi in Lege dicitur: Quid DEus שואל quærens i. e. postulans à te. Sic David ab Abner de jure postulabat Michal; 1 Sam. 2. v. 20. autem ex gratia quæsiverat Hanna; Psalm. 2. quærit ex gratia Nazarenus dari sibi gentes, quas jure antea acquisivisse videbatur. Si etiam hunc terminum prius purum faciam ex Epistola ad Philippenses, alias omnia significata debent habere formale suum in τῷ quærere. Unde sumi solet etiam pro *inquirere*, sicut scriptum est in Lege ודרשת וחקרת ושאלת, ubi vi auxeseos שאל plus inducit, quam חקר & דרש; *pro interrogare*, Jud. 13. v. 6. Non interrogavi ipsum, cujasnam esset; *pro consulere*, Jos. 9. v. 14. Et os Domini non consuluerunt, *pro quærere ut inveniat*, Esa. 65. v. 1. Inventus sum ab iis, qui me non quæsiverunt. In summa, quæcunque à שאל descendunt, formale habent τοῦ *quærere*. Nec obstat 1 Sam. 1. השאלתיו ego dedicavi seu mutuo dedi Domino. Nam literaliter explicatur ita: Ego Domino quæsivi, i. e. quæsivi puerum, quem possem Domino dare.

14. Jam ad nomen שאול, cujus emphasis & formale itidem à quærendo denominationem habet. Hoc exprimere videtur Salomo cum dicit שאול & אבדה non satiabuntur, i. e. semper plura quærunt, Et alibi confert שאול ארץ רחם עוצר, quid de illis dicatur, docet caput 30.

15. In specie autem dico, שאול significare *statum mortis*, & huc respexisse puto Davidem sub persona Christi ita loquentem: Non derelinques meipsum in statu mortis. Unde ad hunc statum mortis respiciens Spiritus Sanctus dicit in Actis cap. 2. v. 31. Προϊδὼν ἐλάλησε περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ, ὅτι οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου. Ad hanc significationem respexit Jacob, quando renuebat accipere consolationem, & in hæc verba tristis & lugens erumpebat: Ego descendam ad filium meum ad statum mortis. Ego sicuti filius meus jam est in statu mortis, etiam cupio esse in eodem. Nec obstat vox נפשי quæ per *me ipsum* explicari posse videtur: Nam Christus ibidem Deo gratias agit, non tantum quod redemerat ipsum Pater ex sepulchro, sed & ab omnibus plagis, quas ipse perferebat in cruce: Nam, ut statim dicetur, שאול significat formaliter *omnis generis plagas & afflictiones*. Vidit hoc ipsum, qui primi Commentatoris super Psalmos nomine venisse dicitur *Bugenhagius Pomeranus*, qui super hæc verba ita commentatur: *Animam meam* i. e. *vitam meam* in inferno i. e. *in morte*.

16. Et ita שאול significat etiam *omnis generis infortunia & calamitates*. Unde Esaias dicit: Propterea dilatavit os suum

suum omnis generis infortunium. Et David dicit, quod se circumdederint חבלי שאול.

17. Postmodum significat *depressionem & abjectionem*, quo in casu opponitur Cœlo, & notat statum abjectissimum, sicuti legimus in Oratione quarta Esaiana, ubi de Rege Babel agitur; Inde etiam Esaias alibi dicit: ותשפילי עד שאול.

18. Hinc significat etiam *inferiora terræ, & locum subterrestrem*, sicut dicitur de Core, Datan & Abiram, quod descenderint subter terram.

19. Tandem etiam significat *locum Damnatorum*, cui omnes superiores significationes ut specialissimæ in sua abstractione attribuuntur: Ibi enim est perpetua mors & status mortis æternus; ibi omnis generis calamitates & afflictiones; ibi ignominia & confusio ineffabilis. Ille recte comparatur cum inferioribus terræ, ubi tenebræ sunt, & non lux, caligo & non splendor.

20. Et aliquot gradus esse ꝗ שאול, colligi potest inter alia ex Psalmis, quando David dicit: *Eripuisti me ipsum ex School inferiori*, i.e. ex maximis periculis; vel si comparationem instituere allubescat, talis sensus inde fluit: Tu qui animam meam ab æternis cruciatibus redimere potuisti, potes etiam me eripere à malis temporalibus.

21. Si autem adhuc alia genera significationis vocis School sint, quæ hìc non notarim, dico de iis vi perpetuæ consequentiæ nomen suum etiam sortiri à quærendo.

22. At quænam est communio inter infernum & quærere? Respondeo, maxima est: Mors enim & omnis generis calamitates quærunt quos affligant necessario ob peccata, & illud vigore justitiæ divinæ. Nisi enim homo defecisset, extra Diabolum, School non fuisset datum. Est ergo subjacens quoddam divinæ justitiæ.

23. In mentem etiam jam venit vox עצם, de qua dico, quod in significatione sua formali significet *Fortis fuit*. Hujus fortitudinis multæ sunt species, quas persequi mei non est instituti: Sufficit quod & hic dicam & probare queam, omnia pro formali habere fortitudinem & vim. Placet tamen vocem עצם assumere, quæ solet verti per **Gebeine/** quod quidem verissimum est, sicut videmus in Exodi cap. 12. ubi de Agno dicitur, quod non sit ei confringendum os, quod ipsum in Novo Testamento ad Agnum nostrum Paschalem transfertur. Puto autem, si ad priorem significationem & formalem, quæ est roboris, respiciatur, fundamentum istius rei nobis proponi. Dum primo eidem non confringitur os, notatur, robur tanti victoris non esse sublatum, sed contra Satanam & mortem illud ipsum esse conservatum, adeo ut Diabolus ipsius ossibus seu potestati subjacere cogatur. עצם ergo in significatione formali significat *robur*. Hinc dicitur in Psalmo centesimo quadragesimo primo: Ossa nostra, i.e. robur nostrum est dispersum coram omnibus generis calamitatibus sicut terra coram dissecante & diffindente. Ita etiam alibi dicit David: Ut lætentur ossa, (robur) quæ contrivisti (imminuisti) q. d. Tua ira me plane terruit, adeo ut non valeam jam stare in gaudio, quare, &c. In Psalmo sexto dicit: Ossa mea terrore perculsa sunt, i.e. Robur meum debilitatum est. Nam cum de robore loquitur David in talibus casibus, considerat se ceu hominem internum, qui debilitetur ab ira Dei conscientiam & animam ejus tangente. Unde dicit in Psalmo 38. Nihil est sani in carne mea propter iram tuam, non est pax in ossibus meis propter peccatum meum. In ossibus meis, i.e. robore, q.d. Robur meum sibi non constat, cum peccatis dominum sentio iratum judicem.

24. Ex hac significatione deinde descendit significatio ossium, quæ, nisi urgeat contextus, nunquam erit admittenda. Si quis diceret in Psalmo 35. Omnia ossa mea dicent: Quis sicut tu, qui eripis afflictum, à se fortiori? Videt enim quivis: Quodcunque in me est roboris loquatur, i.e. Omne robur meum deficit, nisi tuum robur, ô Excelse Deus, accedat. Nam quodcunque alias robur est, hoc est crus vel os in hominibus, quibus mediantibus consolidantur corpora: Unde שוק in Psalmo 147. versu 10. proprie non significat crura sed robur: **Der HERR hat nicht Lust an der Stärcke des Rosses/ noch an jemandes Beinen/** i.e. **Kräfften/** quia omne forte coram Deo infirmum & abjectum est.

25. Optime autem quadrat cum significatione generali, cum dicitur in Scriptura עצם היום הזה articulus diei hujus: Nam tunc determinatione temporis restringitur, fortificatur in ipso die, unde etiam Substantia eo nomine indigitatur.

26. Devenire possem occasione עצם ad reliqua membra corporis, ad aures, oculos & alia, & demonstrare, Deum proprie habere aures, proprie habere oculos, eidem in significatione formali hæc omnia competere; nec à nobis esse fundamentum desumendum, cum corpora nobis visa æterna numini attribuuntur. At cum ea speciali disputationi cuidam reservem, jam progredior ad vocem היה.

27. Hujus significatio formalis ab omnibus recte traditur, quantum ego scio: Unde videtur mihi in eo non esse laborandum. Quod dum video, omisso isto transeo ad vocem יהוה venerandam illam & tremendam, & de ipsius formali significatu sollicitus invenio 1. notari hoc vocabulo *summum ens* in significatione famosiori. Hinc videmus etiam vim argumenti, quod nectitur in ablegatione Mosis ad Pharaonem. Nam dicit Moses: *Ecce si cum ego venio ad filios Israël, & dico eis: Deus Patrum vestrorum misit me ad vos, dixerint ad me; quodnam est nomen ejus? quid dicam eis?* Deus vero respondet: אהיה אשר אהיה id est, Nomen meum est אהיה אשר אהיה i.e. אהיה, *Tu ergo Moses dic:* יהיה misit me, *& ut habeant nomen meum in forma nominali dic:* יהוה אלהי אבותיכם *Jhovah Deus patrum vestrorum. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob misit me ad vos. Nam quod tibi Moses jam dico, Illud nomen* יהוה *erit nomen meum in seculum, & memoriale meum, quo poterunt mei recordari in generationem & generationem.*

28. Ex hac formula ablegationis discimus, Deum sibi nomen hoc יהוה ipsimet imposuisse, quia est Ens Entium, quod ex mirabili eductione suorum ex Ægypto omnibus gentibus notum facile poterat distinguere Deum verum à Diis fictitiis. At quomodo hoc moveret specialiter Judæos, qui Mose etiam tacente noverant Deum Patrum suorum esse Ens æternum & Deum Deorum, vel si hæc cognitio valde fuerit obscurata, non crediderim tamen, nisi expressus locus Scripturæ contradicat, ipsos alienos Deos pro Deo vero coluisse. Respondeo, poterat movere, si significatio generalis omnibus suis specialibus recte applicetur. Nam Tò esse non respicit tantum *esse absolutum*, sed etiam *esse respectivum*, quod inter alia fundatur etiam in *promissorum impletione & exhibitione*. Hinc dicitur in Exodo, *Deus recordatus* est fœderis sui, quod pepigit cum Abraham, Isaac & Jacob, quod fœdus in Genesi de danda terra Canaan latius describitur, & in specie in Capite 15. Genes. ita dicit Excelsus Deus: *Scito, quod peregrinum erit semen tuum in terra peregrina, serviet enim ei, & male tractabitur quadringentos annos. At ego judicium sumam de illo populo, cui serviet, & post hac exibit cum magna facultate.* Hæc præstans Deus noster recte dicitur ESSE ibi, i.e. facere ut SINT ea, quæ promisit. Sic dicit Deus ad Jacobum: Ego ibo tecum in Ægyptum. Quid hoc est, nisi quod ego ERO TECUM in Ægypto, ut quam gratiam tibi promisi, tibi exhibeam.

29. Cum ergo dicit Deus: אהיה אשר אהיה, idem est, si hic nominis sui radicem explicem, ac ERO quia SUM, vel ERO quia ERO, q.d. Quia perpetuo SUM, & ita DEus verus, ERO i.e. non abero à meis, sed promissum præstabo, meos conservabo. Et hoc puto suppeditari etiam à ratione Entis summi & primi, ut ea quæ τȣ̃ ESSE nomen induant, non hoc otioso existant.

30. Recte ergo hoc nomen memoriale & discretivum signum est, quo distinguitur æternum numen à Diis fictitiis qui nec ESSE perpetuo nec ADESSE valent suis cultoribus, quod Deo vero formale est. Unde etiam pergit DEus in constitutione fundamenti nominis sui, Dic: יהיה *Jihieh* misit me. Ille qui certo vobis aderit, certo suas promissiones complebit, Ille misit me ad vos. Hinc tandem DEus: יהוה Jhovah DEus Patrum vestrorum misit me. Quod nomen omnia præcedentia in se complectitur, cum ex præcedentibus sit natum, & ea repræsentet, quæ prius dixerat DEus. Quomodo autem hoc fiat, apodictice monstrare vix potero: Audivi quidem ab aliis, Jod schevatum notare ESSE futurum, He cholematum Participium, & Esse præsens, Vau camezzatum & Esse futurum, adeo ut ex Apocalypsi Græcis verbis ea legere queamus; accipio etiam ea, at non ut quæ specialiter defendam ex eo principio, quamvis res ipsa satis sit vera: Notum enim est formam Jhovah per Schevah, Cholem & Camez non esse inusitatam Scripturæ sacræ, non quidem ad formam יהורם vel יהורה, quæ plane sunt diversa, sed ad eandem rationem, ubi prima radicalis Cholem habet. Sed transeant hæc, sufficiat mihi demonstrare Tò ESSE generale comprehendere sub se ESSE speciale ad opus quoddam. Unde agnoscunt pii, quod DEus sit Jhovah, quando præsentissimo auxilio eos beat; Impii, quando ultricem ejus manum vident.

31. Et notandum est hoc ESSE speciale habere quandoque ante Descendere, quod Deo attribuitur, quatenus exorditur

esse vel vindex vel remunerator: Sed de hoc alibi, cum de significatione generali τοῦ ירד agendum erit.

32. Jam ad אהב, de quo dici solet significare *dilexit*; Verum hoc est, at ita præteritur significatio formalis, cum insuper vox, quæ propriè significet *diligere* sit רחם, & non אהב. Dico ergo, אהב in significatione sua generali significat *Præposuit*.

33. De hac significatione vigore Canonis generalis dico, quod debeat semper primo loco assumi, donec contextus non ableget nos ad specialiorem. Sic dicit Rebecca in Genesi: Parabo cibos quos diligit Pater tuus, i. e. quos præponit aliis. Quæ significatio formalis eo magis debet præponi, quia mundus alias *Tò* odisse proprie ita dictum ei solet sine ratione opponere: Nam si in hoc alios cibos opponas cibo illi, quo libenter utebatur Jacob, non potes dicere, eos odisse Jacobum. In libro Samuelis diligebat Elkana Hanna, dicasne hinc recte, quod odio habuerit Peninna. Quis etiam credat, Patriarcham Jacobum odisse Leam, quando diligebat Rahelem: Præponebat enim tantum eam. Sic legimus in Propheta Malachia: *Prophanavit* Jhudah sanctitatem Domini, quam dilexit. Sanctitas illa erit specialis separatio à reliquis gentibus, specialis cultus & Sacrificiorum oblatio. Quando autem Judæi offerebant claudum, cæcum, &c. tunc polluebant Sanctitatem Dei; quando ducebant uxores alienigenas, extra קודש ducebant, & ita polluebant קודש, quam tamen DEus præposuit omnibus specialiter separatis. Quo ipso tacitè innuitur, ingratum esse opus, quod Israël non attento quod specialiter in fœdus Dei sit assumptus, ducat & præponat uxores alienigenis Judaicis.

34. At cum Malachiam tetigerim, incidit ibidem locus in capite primo: *Ego dilexi Jacobum, & Esavum odio habui*: Sic solet verti. Puto autem ego, ita esse explicanda duo illa incisa: *Præposui Jacobum, Postposui autem Esavum*. Ejus enim significationis vis per totam Orationem extenditur, & probatur statim in ipso contextu, quando confert Jacobum cum Esavo, uterque fuit destructus, at Jacob redibat in terram suam: Esau non itidem. Hinc nectebatur propositio generalis: O Israëlitæ agite juxta morem istorum, quibus terra sancta fuit juramento divino promissa, & jam reipsa exhibita: Præpositi vos estis Esavo, quod ex vobis in illa terra sit nasciturus Messias, vos specialiter estis declarati Dei filii. Ergo præponite honorem & timorem Dei vestri omnibus aliis: Nolite sacrificare ineptas victimas, nam Messias præfiguratur; Nolite ducere uxores alienigenas, nam ex Judaica nascetur Messias uxore. Qui ut judex cito veniet ad templum suum. Sed quo devehor occasione vocis אהב, cujus oppositum שנא video magis necessarium esse ventilandum.

35. De hoc dico, quod in significatione formali non significet odio habuit, sed *postposuit*. Exemplum puto nobis suppeditari in Lege Mosis, quando dicitur: *Cum vir habuerit duas uxores, unam dilectam, alteram odio habitam*, i. e. unam quam præponat alteri, *& pepererint ei filios tam dilecta, quam odio habita, ita ut odio habita pariat primo: Et vero pater hæreditatem dividere voluerit; Tunc pater non potest constituere primogenitum filium dilectæ, &c.* Hic puto satis patescere, uxores duas illas non habere se ut dilectam & odio habitam, sed ut præpositam & postpositam: Puto enim non concumbere virum cum ea, quam odio habet, nisi velis recurrere ad temporis diversitatem, quando ceperit haberi odio: at textus noster dicit: si fuerint duæ uxores altera præposita, altera postposita; Et pepererint ei. Wo so wol die Hertzliebe als die Liebe ihm Kinder gebähren. At cum hic locus videatur posse pro & contra trahi, sumo excutiendum locum alium ex Gen. cap. 29. ubi dicitur Lea שנואה, quæritur num explicetur per *Odio habitam* vel per *postpositam*. Posterius ego sumo. Probo id 1. Quia non præsumitur, Jacobum odio habuisse suam Leam tali odio, quod nos ita vulgo vocamus. 2. Quia textus ipse posterius probat. Nam ita legimus: *Et veniebat etiam Jacob ad Rahel*, *Tò* etiam conjungit duplicem concubitum, *& diligebat etiam Rahel*, cujusque significatio specialis τοῦ diligere: At quando additur מלאה, Tunc ita verto, *Et præponebat Rahelem Leæ*. Ob hoc post pauca dicitur statim Lea *postposita* non odio habita: Nam si odio habuisset eam Jacob, procul omni dubio se ei non associasset in amore, quater enim peperit ante aliam. In primo actu dicebat: *Nunc diliget me vir meus*, i. e. Nunc præponet me meæ sorori, cum videat me parere. In secundo idem intendebat. In tertio dicebat: *Nunc vir associabitur mihi*, non quasi antea non associatus ei fuisset, unde enim peperisset, sed nunc postposita altera in specie mihi adhærebit: Hinc in quarto DEum pro benedictione laudabat. Miser Jacob, quid odio haberet, conveniunt Lea cum Rahel de viro in ea nocte amplectendo, & pretio dato assignatur maritus Leæ: Jacob venit de agro, occurrit Lea, non rogans sed expostulans, Rahelem enim cedere velle prætendit.

36. Sic sumi etiam videtur Proverb. 1. *Propterea quod odio habuerunt* postposuerunt *scientiam, nec elegerunt Domini timorem.* Ubi vi auxeseos eligere explicat prius odio habere per postponere. Sic in libro 2. Samuelis cap. 19. Joab dicit, quod David odio habeat se diligentes, & diligat se odio habentes: Quis credat, Joabum ausum fuisse hoc facinus malum Davidi adscribere sine fundamento veritatis? At res tota plana est, cum ad formale digredimur: Dicit enim, *propterea quod tu* præponas te odio habentes, & postponas te diligentes. Illa enim comparationis vis innuitur, cum dicitur: *Hodie palam fecisti*, quod nihil sint tibi Duces & Servi reduces victores. quia Absalom mortuus est, q. d. Majus tibi est malum, quod Absalom decubuerit, quam si omnes nos hosti terga dedissemus. Et alia loca satis superque, quod intendo, probant.

37. Speciales significationes hic proponere non exigit instituti mei ratio, cum ego in dandis formalibus unicè sim occupatus. Sic jam non dicam, quod שנא etiam significet vere odio habuit, &c. Sufficiat dicere, omnia quæcunque sint, quæ à שנא in hac significatione descendunt, habere formale postpositionis.

38. Pro Conclusione jam assumo vocem חול, cujus significationem generalem dico esse *resedit*, cum hoc enim communicant in formali omnes significationes *speciales, doloris*, fortitudinis, arenæ, & aliorum, quæ hinc descendunt, Nominum. Ex multis placet assumere ex Proverb. cap. 8. באין תהומות חוללתי, *quando nondum erant abyssus, ego sum genita.* Si jam juxta tritam sententiam חל significet cum dolore peperit, & formale doloris statuatur in חל, non video, quomodo id æterno Dei Filio queat adscribi: Nam ipse quomodo poterit dici genitus esse cum dolore. Confugio ergo ego ad meam formam τοῦ residere, & dico, quando scribitur חוללתי, idem est, quasi dictum esset: *Ita sum generatus, ut simul in generante resideam*: Si modo satis pure loquar, cum vocem *residere* applico; Nolo enim interea negare, ita esse generatum filium, ut sit ipse Deus, per quem Pater fecit secula: Respicio enim ad ineffabilem modum generationis. Nam cum gignere Deo proprie conveniat, hominibus autem non ita: sic eò perfectior est generatio, quo magis residet generatum in generante, quod etiam forsan in naturalibus demonstrari poterit. Plura in chartis subsequentibus.

DISSERTATIO II.

1. NUper cœpi ego pro formali significationis eruendo primum in explicatione Sacræ Scripturæ disputare. Pro Procemio allegaram Lexicographos, sensi autem id in sinistram partem accipi; quare antequam ad hanc disputationem secundam progrediar de illo exordio erunt quædam præmittenda.

2. Dico ergo, Omnia illa, quæ in priori disputatione de defectu in Lexicis dixi, me pro veris habere, & non aliter posse dicere, antequam videam opponentem cum rationibus.

3. Non autem hoc ipso carpo labores tantorum virorum, multominus eis aliquid affingo. sed omnia in eum finem propono, ut discamus nos quærere fontes, ex quibus isti refecti aliis viam quærendi aperuerunt.

4. In meis autem oculis stultus est, qui, dum à ductore viæ edoctus est de via, viam negligens occupatus est in meditatione barbæ vel elegantioris eloquii viæ ductoris, proximum enim est, ut etiam præmonstratam viam calcet, nec hæreat in vestibulo.

5. Deinde inculco & hunc terminum, quod dixerim, in nullo Lexico, quod ego vidi, consignatas esse IN TOTUM significationes formales. Hoc ipsum pro meo effato habeo, & non ad elegantiores dicendi formulas respiciens, provoco ad ocularem demonstrationem. Nam etiamsi sæpe posuerunt formales significationes, non tamen posuerunt eas ubique ut formales, sed sæpe ut secundarias. Et insuper peto mihi dari vel unicum Lexicographum, qui deficientibus radicibus verbalibus nomina in forma conjunxerit; etiamsi optime potuissent conjungi, quod scrutans aliqualiter demonstrare posset.

6. Insuper non hoc volui, quasi ego significationes tales dare præsumam simpliciter, quæ de aliis, si omnia colligentur,

tur, non occurrant (volo enim hic pro ſe loqui effectum) ſed intendi tantum ſegregare formale à materiali, quod ſi ante me factum eſſe ſcirem, ſanè hoc immenſo labore ſuperſederem.

7. Quanta enim moleſtia requiratur in ſcrutiniis ſatis experiri incepi, nec extemporanea iſta dici debent, etiamſi ſæpe ex tempore ſcribantur. Ut ergo Lector adhuc de mea intentione certus ſit, *claris & conceptis verbis dico, me velle ſegregare formale à ſuo materiali*, & hoc cum inæſtimabili commodo diſcentium eſſe conjunctum nemo ſanus negabit.

8. Et unice tantum in mentione Lexicographorum ſemper obſervavi, ut deducerem multos ad Lexicon, verum, ut non in iis ſubſiſtant, ſed ut his ceu viæ ductoribus conſultis ſtatim concordantias adeant & Scripturam ſacram. Iſta janua quæ iſtis viris magnis fuit aperta, nobis non eſt clauſa. Unde facti ſunt Lexicographi tanti viri? Ex Scripturæ Lectione. Gaudeamus ergo nos, quod & Lexicorum & Scripturæ opera uti queamus.

9. At etiamſi centum rationes adducerem, forſan mihi tamen non creditur, ſemper enim hæc reſonant, noſtros Majores (quod falſiſſimum eſt) omnia vidiſſe, nihil nobis filiis ipſorum eſſe relictum, &c. Quare adduco Excellentiſs. Theologum virum exercitatum & probatum Doct. Seniorem Franzium dico Wittebergenſem, qui in tractatu Theologico novo & perſpicuo, de Interpretatione ſacrarum literarum pag. 64. hanc quæſtionem & proponit & reſolvit. *Hic autem*, verba allego Franzii, *oboritur quæſtio; Qua ratione variæ ſignificationes unius vocabuli inveſtigari queant. Reſpondent quidam, conſulendos eſſe Lexicographos, qui in ſuis Lexicis eas varietates ſignificationum annotarunt. Et quod ad Lexica Hebræa attinet, maximopere commendo Lexicon Stancari, Pagnini, Forſteri, Avenarii, Schindleri & aliorum.* Ut autem de certitudine *Lexicorum Hebræorum magis reddaris ſecurus, & ſic ubi Lexica imperfecta ſunt ipſa, quod NEMO NEGARE POTEST & EXPERIENTIA nimium convincit, Imperfectionem illam videre & agnoſcere & corrigere queas, duos tibi commendo Lector libros, quorum utilitatem immenſam ſatis laudare non poſſum, videlicet Concordantias Hebræas ſuper Vetus Teſtamentum, & Concordantias Græcas ſuper Novum Teſt. Potius carebit pius & diligens Scrutator Scripturarum & quidem fontium V. T. aliis libris multis.* p. 65.

10. Vidit enim hic Vir multorum libros neminem facere fundamentaliter doctum, in ſe expertus eſt, cujus ponderis ſit dictum: *Qui ante nos vixerunt ſatis dilucide omnia propoſuerunt*, plus ſatis eſt in libris impreſſis, quibus Hæreticis os obturemus.

11. Quæ verba Franzii ideo allegare volui, ne ego videar infringere authoritatem Lexicographorum, nam agnoſco eos pro viæ ductoribus. His præmiſſis accingo me ad ea, quæ propoſita ſunt intentioni noſtræ, & pergo declarare formale, & illud ſegregare à ſuo materiali.

12. Aſſumo autem vocem חקק, cujus formale eſt *Impreſſit*, ſicuti imprimi ſolet forma, &c. Unde Deus dicit Ezech. 4. v. 1. *Imprimas lapidi civitatem Jeruſalem*, i. e. formam civitatis Jeruſalem imprimas lapidi. Obiter, dum hunc locum evolvo, incidit quod Gen. 4. v. 1. ſoleat diſputari, num Lutherus rectè verterit Den Mann den HErrn; Audivi eum & putavi, quod ſi ſimilis locus ejusdem poſitus ubi את non duplicaretur, dari non poſſet, vix probari poſſe rationem appoſitionis. At ſi in hoc verſetur cardo controverſiæ, ecce manifeſtiſſimum locum, ubi עיר את ירושלם non dicam concordat cum איש את יהוה ratione poſitus, ſed ratione etiam accentuationis, ut inſpicienti pateſcit ad oculum.

13. Non placet autem hanc formam demonſtrare in omnibus deſcendentibus, ſufficit enim hic ſimpliciter dixiſſe, quod detur in omnibus deſcendentibus. Inſtituti enim mei ratio hæc tantum eſt, ut ſegregem formam à materia & aliis adjacentibus. Interea tamen non poſſum præterire Pſalmum ſecundum, in quo dicitur & allegatur חק יהוה, cum talia legimus, אספרה אל חק יהוה. ubi non immerito quæritur, quidnam velint ſibi illa verba. Non ſane hoc quod Judæorum Magiſtri intendunt: *Ponam mihi Davidi in ſtatutum ſempiternum, quod Deus me ſuum fecerit filium & regem*; Sed reſponſio erit deſumenda ex concatenatione Pſalmi. Thema ejus erat hoc: Gentes tumultuantur contra Regnum Meſſiæ conatu irrito. Hic conatus irritus demonſtrandus erat aliquot argumentis. Inter alia etiam aſſumitur hoc: *Ego narrabo impreſſo Dei dicentis ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ich beruffe mich darauff/ daß ich Gottes Sohn bin. Unde tale argumentum fluit: Reges, Principes &c. decreverunt decretum contra regnum meum, at ego opponam ipſis impreſſum Dei, quod omnia decreta ſuperat. Impreſſum Dei eſt filius Dei, hic enim eſt character ejus. Hoc ipſo ſalvis aliorum ſententiis dico, quod vis argumenti principaliter in id terminetur. Ego cum ſim filius Dei, regnum meum ſartum & tectum conſervabo, & ridiculum eſt, alios tentare id deturbare.

14. Qui hæc voluerit infringere, neceſſe eſt primo infringat principia mea, quæ ſunt. *Semper generale niſi contextus aliud ſuadeat eſt præponendum. Forma quærenda eſt, & latet etiam in quolibet vocabulo ſpeciali*, etiamſi ubivis nondum forma cognita ſit nobis; laborioſum enim & hæc inveſtigatio requirit Scrutinium. *Etiamſi aſſumatur ſpecialior ſignificatio urgente id contextu, generalis tamen nondum exulare incipit. Vis argumenti qua ſignificatione*, niſi abſurda ſit alias, & inuſitata, *magis intenditur, ea magis venit.*

15. Hoc Chhok Jhovah eſt primum omnium impreſſionum & ſtatutorum, ſtatuta enim ab hoc ceu generaliori deſcendunt, quia etiam imprimunt voluntatem ſtatuentis. Ita ut Filius Dei recte dicere queat Prov. 8. 15. *Per me Reges regnant.* בִּי *in me vel per me*, & conſiliarii decernunt juſte. יחוקקו צדק. Per hunc filium creata ſunt omnia ea quæ ſunt in cœlo & in terra. Quo חוק recte applicato etiam quivis cordatus Chriſtianus ridet decreta & ſtatuta humana contra Dei gloriam & conſcientiam inſtituta, novit enim, quod ſedens in cœlis rideat, quod Adonai ſubſannet decernentes.

16. Cur Impreſſum Dei vocem ſi quæratur, reſpondeo, conjunctionem iſtam non tam docere me Hieronymum per Dei præceptum, niſi ille forſan contra principia linguæ Genitivum putet eſſe אל, Targum per קימא, Septuaginta per πρόσταγμα κυρίου, ſicuti ex Schindlero hæc exſcribo explicantes, quam ipſam accentuationem ſicuti doctis & peritis in hac arte notum eſt. Parum autem alias, cum de ſenſu conſtet, intereſt, ſi יהוה referam ad חוק expreſſe, ita ut per ellypſin referatur ad *dixit*, ſive referam ad dixit expreſſe quod fecit divus Lutherus, & ad חוק reducam per ellypſin.

17. Et aliud eſſe ספר חק aliud ספר אל חוק docet collatio Pſalm. 2. cum 50. nam notanter variatur ſignificatio cum variant particulæ mediantes, quod ex hoc unico exemplo ספר cum ל & ל cum ב, imo abſolutè ſumpto demonſtrari poſſet, niſi ſcirem mei tantum muneris eſſe dare formam, & quæ circa formam neceſſario mihi ſunt inſerenda. Quomodo autem hæc forma omnibus à חוק deſcendentibus poſſit & debeat appropriari, & quomodo in iis lateat dubitanti dabo in diſcurſu publico.

18. Aſſumo deinde vocem ברך. cujus formale eſt in dimiſſione, formam veram hic novi, vocabula ſatis apta mihi non ex tempore ſuggeruntur, explicabo ergo ſatis meam mentem, in demonſtratione derivatorum aliquot ex hac radice. 1. ſignificat *Benedicere*, forma ita quadrat, quando dico, quod Deus in benedicendo ſe quaſi demittat & inſinuet ad benedicendum hominem; Nam non putandum eſt Deum abſentem benedicere ſed præſentem imo præſentiſſimum; Hinc quando in lege dixerat ad populum ſuum, *Benedictus tu præ omnibus gentibus*, concluditur tacite tandem. *Noli terreri à facie hoſtium* כי יהוה אלהיך בקרבך *nam Jhovah Deus tuus eſt in medio tui, Deus inquam magnus & venerabilis ſeu terribilis.* Hinc recte concludebatur, ergo benedicti ſumus, quia Deus eſt nobiſcum; hinc recte infertur: Deus benedixit, ergo multiplicatur benedictus. 2. ſignificat *Laudare*, forma quadrat, cum ſe demittunt homines, & omnia Deo tribuunt, tunc flecti & incurvari dicuntur Deo omnium genua, at vetat inſtitutum prolixe his immorari; Progredior ergo ad 3. ſignificationem, quæ eſt *Maledicere*, forma ita quadrat, quando homines Deo quaſi ſe incurvant, & non recto corde nec recto ex plano pede incedere volunt, cui correſpondentes ſimiles phraſes ſine labore inventæ dari poſſent ſi allubeſceret, præſertim cum forma peccati עון cum forma hac etiam quandam ſimilitudinem habere videatur. At videamus jam vocem ברכה quæ ſignificat Piſcinam, de qua Schindlerus in Lexico. *Piſcina*, lavacrum, *ſtagnum, palus, lacus, lacuna*, ubi aqua *ex pluvia collecta, aut ex fonte derivata ſtare conſuevit, balneum cujus aquæ à Deo ſunt benedictæ à copia & multitudine aquarum vel quod aquis abundet.* Forſan formam hic vir magnus ponit in benedictone? Ego non credo, quamvis enim verba ſatis clara ſint, puto tamen ipſum locutum eſſe cum vulgo. Nam qui potuerit tanto viro ignotum eſſe ברכה dici piſcinam, à depreſſione terræ, quia lacus, & ſtagnum eſt depreſſio terræ & ejusdem quædam quaſi excavatio. Unde teſte hoc Schindlero Talmudiſtis בריכה ſignificat nidum

avium ברך nidificavit, nam nidi avium necesse est sint aliquando depressi in terra. Quomodo benedictio dicatur ברכה genu ברך supervacaneum est demonstrare, quare tantum propono, quomodo creaturæ & exercitus Dei Deo benedicant, videl:, quando omnia ei incurvantur, cedunt, & se usibus divinis non opponunt. Quid autem, quando homo benedicit homini, & pro ipso incurvatur, dictitat ipsa ratio. Et si alia sint ut revera sunt, omnia sane si deriventur à ברך in formali uno eodemque concurrant necesse est, quod formale consistit in *demissione*, modo satis purum adhibeam Latinum vocabulum.

19. Progredior ad aliam radicem, sed prius assumendum hoc idem vocabulum in tali positu: *Benedicere vel benedici in aliquo.* Scriptum enim in lege: Gen. c. 12. *Et benedicentur in te*, ô Abram, *omnes familiæ terræ.* Alibi c. 18. *In eo* Abrahamo benedicentur omnes *gentes* terræ. Cap. 28. *In te*, ô Jacob, *benedicentur omnes familiæ terræ & in semine tuo*, cui medium benedictionis statim subnectit cum inquit: *Et ecce ego sum tecum, & custodiam te ubicunque ambulaveris.* Ubi dico *in aliquo* benedici, esse etiam benedictum sicut ille in quo benedicimur, benedictus est, item per & propter illum in quo benedicimur, benedici. Sic Deus se demittit ad nos, & incurvatur quasi (impure loquor) per suum filium, in quo omnes gentes & nos benedicimur. Interim recte dicebat Jacob: *In te benedicet Israel in hunc modum. Ponat te Deus sicut Ephraim & Manasse*, i. e. sicut Deus benedixit Ephraim & Manasse, ita etiam benedicat tibi &c. Cum quo modo dicendi non simpliciter conferendum est, quod dicitur והתברכו *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, quæ verba cap 26. Gen: repetuntur de Isaaco, nam aliud est benedicere in aliquo, & aliud est benedici in aliquo, quamvis distinctio hæc nimis videatur subtilis & jejuna, aliud item est benedici in conjugat: 1. aliud benedici in conjugat: 2. reciproca. Nam mea quidem sententia recte dicunt gentes מתברכים seipsos benedicere & benedici, quando agnoscunt & expetunt benedictionem ejus in quo נברכו benedicuntur, unde non adeo dissimilis locus invenitur in Psalmis. Erit nomen ejus in seculum, coram sole propagabitur nomen ejus. ויתברכו & benedicant seipsos & benedicantur in ipso omnes gentes quæ beatum seu recte incedentem ipsum agnoscent & deprædicabunt. הברך autem seu benedici simpliciter est fundamentum התברך צ״ד, nisi enim נברכי benedictæ fuissent gentes in Messia, sane לא יתברכו non benedixissent tibi & benedictæ essent omnes gentes.

20. Non autem unum & idem est *benedici propter aliquem & benedici in aliquo*, quamvis ille qui in Christo benedicitur propter Christum benedicitur. Quando enim בגלל יעקוב propter Jacobum benedicebatur Laban, non dico, Laban est benedictus in Jacobo. Quando בגלל יוסף Deus benedicebat domum Ægyptiacam quandam, non in Josepho benedicebatur. Imo *benedici in aliquo*, recte distinguendum est ratione rei & ratione personæ. Ratione enim rei, significat tunc sæpe IN idem quod *respectu, quoad*, in ea parte. Sic de Abrahamo dicitur, quod benedictus fuerit in omni re, in omnibus quæ habebat &c. Ita tamen hæc sunt distinguenda, ut analogia non negligatur in significando, quæ mihi est similitudo consignificativa. Quemadmodum ergo aliquis benedicitur in filiis, quando multos filios Deus dedit ei; Ita benedicitur in filio Dei aliquis, quatenus eum habet; Et iste benedictus erat respectu filiorum, & hic benedictus est respectu filii; Non autem sicut benedicimur per & propter filium, ita per res in quibus benedicimur, benedicti sumus dicendi.

21. Stat ergo in medio benedici in persona seu in filio Dei, inter *benedici propter* & *benedici respectu*, quia istud de utroque participat. Imo cum ad Activa descendimus ut *benedicere seipsam*, & hoc suum habet consignificans: Rectissime enim in eo quæritur fundamentum benedictionis, in quo se demisit Deus ad nos homines, in quo creati sunt cœli & terra, in quo renovata sunt omnia. Et quamvis alias consequentia videatur satis esse firma; sicut aliquis benedicitur in aliquo, ita etiam benedicit in aliquo & econtra, tamen hæc consequentia non est fundata in Scriptura sacra, etiamsi in fundatis legitimari queat conclusio, nunquam tamen in fundandis.

22. Placet etiam tractare vocem, quæ non habet in Scriptura sacra Radicem verbalem, ut doceam, non me respicere tantum ad verba & eorum significationes; sed ad formam, quæ in verbis, si darentur, & Nominibus ex ipsis descendentibus attendi debet. Ea inter multas hoc in loco arridet שמים vox cœlos significans. Non allegabo jam sententias aliorum, idem enim mihi est, sive hæc ante me dixerint omnes sive pauci, sive nulli, ea enim ratione neminem carpo, ne chartam perdam. Dico ergo, Formale שמים est *Excelsum, elevatum* Ein hohes. Proba hujus formæ desumatur ex omnibus vocibus descendentibus à radice in Scriptura non usitata. Non hæc confirmabo ex lingua Arabica in qua vox سمو dicitur significare excelsus fuit, quia etiamsi res forsan vera sit, ego tamen ex authoribus probare nequeam. Et insuper mihi sufficiat Scriptura sacra in quo deprehendo שמים significare IPSUM DEUM VERUM, id quod non hausi ex Rabbinis, qui etiam hoc nomine Deum sæpe efferunt, Sed ex Daniele Chaldaico, qui Regum Nebucadnezar ita alloquitur מן די. תנדע די שליטין שמיא מלכותן לך קימא Pro hac significatione exscribam ex Schindlero hæc sequentia, ut videatur, quantum tribuam istis viris, etiamsi formale non expresse ubivis vel posuerint vel noverint, vel à materiali distinxerint, in quo supra eos allegandos non esse. Hic Vir in Lexico p. 1888. dicit; *Rabb.* שמים cœli, *Deus. Sic Maccabæorum* 21. v. 25. *Non est differentia coram cœlo, servare in multis an in paucis.* Matth. 11. *Minimus in regno cœlorum, Pro quo habetur* Luc. 7. Minor in regno Dei. Luc. 15, 18. *Pater peccavi in cœlum*, Deum.

23. Tantus mihi hic erit, ut supersedeam prolixiori Scrutinio, numne in V. T. alia loca occurrant, ubi שמים pro Deo sumatur. Occurrerent enim quædam proponenda, non facile dimittendus esset locus quidam legis, ubi Deus dicit: *Ego elevo manum meam ad cœlos*, disputandum foret, per quem juret Deus, & annon hoc ipso respiciat ad suam majestatem & seipsum. Quare multominus ex N. T. loca conquiro, cum non sint Ebraica, quamvis in multis communis forma forsan conspiciatur. Unde non dicam, Christum cum Nicodemo colloquentem & de τῷ esse filii hominis in cœlo agentem allusisse ad formale, dum dicit: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit, filius hominis qui cœlo est.* Quæ res cœlestis captum meum superat, unde nec dicam sensum esse talem. Nemo potest evehi ad dextram Dei, & ad sedendum ibidem visibiliter extolli, nisi qui Deus existens homo factus est. Ex quo modo dicendi colligendum datur, O Nicodeme, quod duæ naturæ sint in eo uno Jesu cum quo jam confers, ille enim filius hominis quem tuis oculis jam usurpas, revera est in Deo. Dicendum enim est mihi de formali cœlorum, quod est Excelsum, & Deum si dicatur שמים dici ideo, quia ipse vere est excelsus, sicuti אלה׳ צבאות dicitur, quia omnia in rerum natura ejus sunt exercitus, quibus uti potest.

24. At dum de voce שמים ago, incidit, quod fingenda sit radix verbalis, ut hac data proba fiat in omnibus descendentibus à radice. Hanc dico esse שמה, & addo *omnes voces descendentes* ab hac radice *pro formali habent*, excelsum esse, evectum esse. In שמים quæ vox discedit verificari formale nemo ambigere potest, nam in aliquot locis Scripturæ etiam nihil aliud fere præter formam inducit, sæpe in adjunctis phrasibus alluditur ad significationem materialem. Et applicari videtur quandoque ad viros magnos, significationem autem cœlorum taceo, nam notissima & frequentissima ea est, & dicuntur cœli שמים ob altitudinem, ex quo etiam usus dicendi invaluit, ut quod de cœlo venit descendere dicatur, quod vetus Ecclesia observavit, quando, *Utinam disrumperes cœlos & descenderes*, pro incarnatione allegarunt, super quem locum, nisi imperfectionis meæ in dandis perfectis & puris vocabulis in tanto mysterio mihi conscius essem, dicerem, optare ibidem loquentem, ut Deus ex solio gloriæ suæ quasi se demittat & fiat homo, tunc enim dici posset disruptum esse cœlum i. e. Majestatem se demisisse & inter homines ut hominem habitasse; Et hæc ex sententia Veteris Ecclesiæ.

25. Imo forma nostra probaretur etiam, si Schindlerus recte legerit שמים apud Syros significare palatum, ex vicinis linguis si id instituti ratio permitteret, quæ tantum quærit Biblia sacra V. T., nam optime palato competit hæc forma.

26. Alias significationes שמים dare non debeo, simpliciter autem dicere, omnia ea quæ à שמים derivantur eandem retinere formam, & vocem cœli Latinorum non exprimere שמים Hebræorum, unde hic effugio illas figuras Latinorum, ut: Clamor pervolavit ad cœlos &c. nam cœli vox in sua forma illud non suppeditat, quod שמים, unde necessum habuerunt authores Latini talia dicendi genera auxetica pro discentibus proponere. Sed quid his immoror, à שמה descendit etiam vox שם nomen, quomodo in hac dabitur forma? optime: nam שם significat

cat in formali etiam *excelſum*, *ſublime*, unde Schindlerus etiam inter ſignificationes vocis שם expreſſe numerat *dignitatem*, decus, notitiam, famam. Hinc dicitur in Eſaia: שם עולם אתן לו אשר לא יכרה **Jch wil ihm einen ewigen Namen geben** / i. e. **ewig einen guten Namen** / in quo & ſimilibus ad oculum patet, שם etiam pro forma habere *excellentiam*, *ſummum*, *magnum*; Unde Rabbini, ſicut Deum vocant שמים; ita etiam attribuunt ei nomen שם e. g. unde ה per viam abbreviaturæ pro השם collocant, ſicuti legimus in Commentario R. D. Kimchi ſuper Malachiam: מאמר אנשים שלא יבינו דרכי ה׳ ubi דרכי ה׳, idem eſt quod דרכי השם & conſequenter viæ Dei. Et ſane ſi allubeſceret excurrere ad alia, forſan invenirentur loca ſcripturæ, ubi שם pro Deo vero uſurpetur, ſed hæc non ad me.

27. Prævideo aliud quid, quod quæri queat, Quomodo nomen, quatenus impoſitum eſt perſonæ vel rei, poſſit ad hanc formam reduci? Reſpond. Res quamdiu non habet nomen videtur non eſſe, quo magis autem aliquid eſt, eo excellentius eſt, videtur ergo nomen inducere quandam τῶ alicujus ſummitatem, & contrahere aliquid quaſi ad τὸ eſſe, quamvis id, quantum ego video, non fiat effectivè ſed declarativè, niſi forſan adhuc majus hic lateat. At facile debilitatur reſpectus in tanta rerum varietate, pro ut quiſque vera explicare præſumit. Hæc autem à me non ita accipi volo, quaſi per nomen hic intelligerem tantum nomen impoſitum rei & perſonæ, nam & Ens eſt nomen ejus, quod eſt, unde vocabula Rabbinis שמות nomina vocantur, nam denotatur, deducta eſſe ea à non eſſe ad eſſe. Et quidni שמות nomina & vocabula non habeant ſuum formale in ſublimitate & ſummitate, cum per nomina ea videatur eſſe quæ non ſunt. Sic vox Purgatorii ut ſumitur in Papatu eſt שם, & introducit quaſi τὸ eſſe Purgatorij. etiamſi in reipſa nunquam fuerit, modo ſit in intellectu ſeu conceptu.

28. Concludo ergo ad hanc radicem, & dico, Omnia quæ deſcendunt à ratione שמה habent pro formali *ſummum*, *excelſum*, *notatum ſeu nobile*.

29. Commodum hic etiam procul omni dubio ſortiri potuiſſet locum vox שמים τῷ ארץ oppoſita, at differenda ea erit ad alias chartas, ubi ex ejus oppoſitione & formali, formale modo propoſiti שמים elucidari poterit, quare me jam accingo ad vocem אנף.

30. Cui אנף in ſua formali ſignificatione nihil video proprius eſſe quam ſuperintendere & aſpicere ſeu viſitare. Fateor quidem, difficilem hic prima fronte videri formæ rationem, at ſi penitius contemplemur omnia, res difficultate carebit. Neque enim exinde formæ falſitas demonſtrari poteſt, quia videatur idoneum exemplum non occurrere in ſcriptura, in quo reſpicienti ſignificatio jure merito locum habeat vel habere queat. Nam ea ratione non dari poſſet forma in iis, ubi plane deficiunt radices verbales in Scriptura ſacra. Hoc magis eſt attendendum, quod in omnibus deſcendentibus & derivatis eſſe deprehendatur, ex qua deprehendimus illud vere formam eſſe, ſi cætera ſint paria.

31. Illud ipſum autem ſatis feliciter poſſe nos demonſtrare arbitror in ſignificationibus ſpecialibus & ſuæ materiæ immerſis. Nam אנף ſignificat in ſpeciali ſignificatu iraſci, forma ita quadrat. Ira Dei quæ vocatur אף, nihil aliud eſt, quam ſpecialis & accurata inſpectio & viſitatio rerum humanarum. nam Deus non poteſt nos viſitare adeo ut non ſimul iraſcatur, ſicuti Deus ignis ardens eſt, ita non poteſt non ardere cum tangit homines, in quibus reperit ſtipulas; Unde Chriſtus factus Mediator recte dicitur nubes & tentorium noſtrum, per quam nos aſpiciat in gratia excelſus. Hoc eſt quod dicitur alibi: *Occulta faciem tuam à peccatis meis*, q. d. ſi tu faciem tuam vertas ad me miſerum peccatorem, delebor ego & exſcindar è medio vitæ, quare noli aſpicere me, non potes enim non iraſci.

32. Hæc inſpectio ſatis probè quadrat cum ratione. Nam ut exemplum ſumam ab homine audiente injurias, ſibi inferendas vel illatas audit primum, mox dum omnia ſecum reputat, & acta revolvit, & ita ſpecialius rem intuetur excandeſcit, quamvis cum hæreo in radice formali exemplum de homine allegatum videatur eſſe ſuperfluum, cum iraſci quatenus אנף Deo proprie in Scriptura attribuitur, non ita hominibus, qui inſpectione iſta poſſunt errare, ſæpe in ea oculos vertere, in quæ alia erunt vertenda & econtra, imo ſæpius re non inſpecta excandeſcere. Unde in quatuordecim locis Scripturæ in quibus verbalia τῷ אנף occurrere putantur tantum Deo illud attribuatur, non vero hominibus, quamvis non abſurdum foret etiam ipſis tribuere, nam forma maneret nihilominus perfecta, quatenus non immerſa eſt materiæ.

33. Ex hoc reſpectu puto non male etiam dici diem adventus Chriſti DIEM IRÆ, qui erat dies ſpecialiſſimæ viſitationis & inſpectionis, Chriſtus ſcrutator cordium noverat quid erat in homine, nec neceſſum habuit teſtimonium quærere. Et quidni ſit iſte dies, dies ſpecialis inſpectionis, cum ſit fundamentum extremi judicii, ubi ex hoc die ſententia promulgabitur; ideoque Prophetæ hos dies, ut ex contextu patet, ſæpè conjunxerunt, ſed Lectori de utroque explicandum commiſerunt, ut cum dicitur: *Ecce dies veniet ſicut furnus ardens, ubi omnes elati & facientes iniquitatem erunt ſtipula, & ſuccendet ipſos dies hic adveniens, dicit Jhovah Zabhaot, &c.* Ubi videntur omnino omnia dici de extremo judicio, at nemo negare poteſt, ſimul & primario proponi diem Meſſiæ, qui ut ſpecialius loquar fundatur in die paſſionis, de quo recte Deus dicere poteſt v. 4. *In die illo, quem ego facturus ſum.* Ad hunc enim puto reſpexiſſe Davidem, quando poſt tractationem lapidis reprobati, de die agebat, quem Dominus facit, cum quo die paſſionis conjungo diem reſurrectionis, & diem aſcenſionis, qui fundantur omnes in die paſſionis.

34. His prælibatis facilius credimus diem Chriſti ſine omni abſurditate dici poſſe diem iræ, præſertim ad ea videtur etiam reſpexiſſe Eſaias quando Meſſiam introducit in hunc modum loqui. *Torcular calcavi ſolus ego & nemo ex ammim mecum, quare calco eos in ira mea, & in incandeſcentia mea eos conculco*, q. d. Fundamentum conculcationis omnium hoſtium eſt dies *Aphpi* iræ & ſpecialis meæ, ex quo ad huc hodie vi iſtius inſpectionis accuratioris & iræ omnia pedibus meis calco. Et verſu 6. dicit, *Quare conculco populos ammim in ira mea, & confringo ipſos in excandeſcentia mea.*

35. Hæc autem omnia à me non ita accipi volo, quare IRAM hic negem, ſed tantum, ut id formale, quatenus latet in אנף proponam. Nam dies Meſſiæ eſt revera etiam dies excandeſcentiæ & iræ. Chriſtus enim patiens repræſentabat judicium ſumptum de peccatis mundi, portabat enim ea ille, & luebat ut auferret delicta, & ad ſe à nobis devolveret id quod eramus meriti.

36. Nec Contradictorium eſt cum dicit Chriſtus, quod dies ſit IRÆ SUÆ, nam ut taceam ex proprietate linguarum ſuum & paſſive & active ſumi, noto tantum competentem judicem qui erat Pater æternus, in cujus eſſentia reſidet filius, ut ab ea ſeparari nequeat, & addo formam iterum nos inſtruere in tollendo dubio, dum vere etiam ipſe Chriſtus ſuperintendebat & omnia quaſi ſcrutabatur, adeo ut jam in judicio extremo ex iſto judicio ſit inſtituendus proceſſus. Quorſum etiam puto reſpexiſſe Davidem, cum inquit: כי יבער כמעט אפו. Nam ira tunc recte excandeſcere dicitur in Deo, quando inſpectio inchoatur.

37. At dum hic diſcurro, & occupatus ſum in dando formali, videtur principium male eſſe formatum. Nam אף ira, non videtur formari ab אנף, rationibus chartam hic non perdam, diſcurſus publicus, ſi efflagitaverit neceſſitas, ſuppeditabit, ſufficiat hic breviſſimis demonſtrare; omnes voces ab אנף deſcendentes in hoc formali verſari. Et occurrit altera ſignificatio vocis אף quæ notat faciem, de hoc non ago, nam quivis videt, quomodo quadret forma. Nec altera ſignificatio, quæ eſt narium, abhorrebit ab hac forma, modo τὸ odorari in puriſſimo ſuo ſignificatu recte perpendamus, quod quomodo cum inſpectione, cognitione & animadverſione conveniat, forſan Scriptura non obſcure innuit, & demonſtrari poſſet, niſi metuerem, ne aliis diſputationibus novis intricarer, præſertim cum de formali odorari conjuncto formali narium Dei, ad quos homo etiam proportionabiliter in diſtantia gradus ineffabili & incomprehenſibili eſt naſu præditus. Quare ut has arduas diſputationes effugiam, confugiam ad rationem aliam at non tam accuratam, quæ conſiſtit in eminentia partis. Nam cum naſus ſit pars faciei eminentior pro ea etiam ſumi videmus, ſicut dorſum pro corpore. Ubi adderetur adhuc alia ratio, quia naſus eſt ornamentum faciei, & facit hominem conſpicuum. Unde dicitur in Scriptura. *Collum tuum eſt ſicuti turris eburnea, oculi tui ſicut piſcinæ in Cheſbon*, ecce à depreſſione in facie hic oculi dicuntur ſtagna. *Naſus tuus ſicut turris Libani.* At hæc dico, video autem alia niſi prolixitatem timerem. Nam ſanè nec Germanis non ſine cauſa hominem audire valentem graminis productionem, **Einen Weißnaſen** Latini Naſutulum, quia ſe omnia perſpicere imo odorari poſſe putat. Sed tranſeant hæc & concludamus Theoriam hujus radicis, in qua tantum dico partem ſeu portionem אפים idem eſſe, quod ſpectabilem **ein Anſehelicher** / אנפה זו דיה או עוף רוגזנית ונעלה מכט מכט.

38. Jam pro Concluſione aſſumo radicem ירא, cujus formale

male dico esse reveritus fuit. Magna sane in hac voce est perfectio, magna etiam eidem accidit imperfectio. Quoad formale hoc revereri nemini inter omnes homines tam proprie competit, quam Jesu Christo Dei filio, quia super ipsum quiescit Spiritus reverentiæ Jhovah. Nam hæc reverentia videtur eo magis imperfecta, quo magis imperfecte reverendum agnoscitur à reverente. Et cum filius propriissime cognoscat Patrem, ceu Patrem, eum etiam propriissime reveretur quatenus revereri deputatur ad formale יר״א. Et necesse est sit hæc reverentia intima cognitio, ineffabilis voluntatis unio, incomprehensibilis essentiæ communio; Unde quo magis & propius nos pervenimus ad reverentiam Dei ad εὐσέβειαν & εὐλάβειαν, eo magis propinquiores sumus imagini Dei, eo magis nos dicimur in Christo unum. Quæ omnia satis superque docere poterit nos Johannes Evangelista. Et non sine certa ratione factum est, quod in Malachia dies Christi dicatur dies הנורא venerabilis, nam in illo omnia erant instituta propter & ad יראת יהוה.

DISSERTATIO III.

1. PRogredior ad disputationem tertiam, ut sententia mea PRO FORMALI magis magisque innotescat, & non tantum huic sed & aliis Academiis RATIONIBUS FIRMIS examinanda prostet. Quamvis enim aliis æque ac forsan magis necessariis laboribus, in quibus neminem consulere possum, sed præviis precibus & labore Dei ductum sequor, jam distinear, tamen has disputationes jam pertexere ad tempus cogor, ut omnem MALI SPECIEM vitem. Videntur enim in prioribus disputationibus quædam esse dicta nimis dura, ubi mens laudatur, verba autem carpuntur: ideo ob imbecilles, qui nec mentem bonam recte perspiciunt, etiam hanc disputationem volui publicare, ut ex exemplis facilioribus sensa animi mei recte percipiantur. Non his quæro vanam gloriam, in oculis meis stultitiam & ruditatem, sed tantum veritatis inquisitionem, assecutionem & approbationem. Unde quando hanc disputationem tertiam publico examini subjicio, proclamo verissimas simul priores disputationes duas, in quibus nihil dixi temere, nihil ex incogitantiâ, nihil ex juvenili fervore, sed omnia præmeditato consilio; ET HOC IPSO EA OMNIA TAM DIU PRO FIRMIS ET VERIS HABEO QUAM NON VIDEO RATIONES CONTRA ME.

2. Placet primo loco vox זרע cujus formale dico esse *Seminavit*, *exseruit*. Hîc non audio opponentem, etiam hanc significationem Lexicographos habere. Nam ego hanc do ut FORMALEM, quam demonstro in omnibus descendentibus. Nec litem moveo Lexicographis, sed, de quo conqueruntur multi, allegavi, & illud dico, quod Franzius dixit. Et etiamsi hic non dixisset, tamen ego quæ dixi, dicere volui & debui. Videantur autem recte thes. 1. 2. 3. 4. & 5. disputationis primæ, & ibi recte legatur quid voluerim. Et etiam hîc superior dari posse videatur significatio, tamen hanc tenebo, cum descendentia ad hanc reducere queam.

3. Hîc sufficere potuisset simpliciter dicere, omnia descendentia à זרע habere formale זרע, exspectare enim me producentem contrarium: At ut in primis disputationibus recte omnia capiantur, non tædet adscribere derivata & demonstrare, quomodo in forma conveniant. Descendit autem primo זרע significans *semen*, de hac significatione & quomodo in eâ verificetur forma dubium nullum est. Deinde significat *filium*, *prosapiam*, *&c.* De his dico quod formale idem habeant, nempe Seminis communionem, propagationem &c. Hîc mihi nolo opponi Dasypodium, qui forsan prosapiam non à semine formet. Nam ego ago de FORMALIBUS HEBRÆARUM VOCUM non de LATINARUM. Quando ergo in præcedentibus dixi, & in futuris dicturus sum, *sanctus* pro formali habet *separatum esse*, *admonuit* pro formali habet *prælucere vel lucere* non hoc volo quasi vox illa Latina *sanctus* vel vox illa latina *admonuit* illud formale habeat, sed vox קדש vox זהר quod etiam me non monente non oscitans lector deprehendet. מזרע Sementis quomodo cum formali conveniat rusticus in pago videt. Quomodo זרועים, de quibus in Daniele agitur, sentit is, qui animadvertit, Danielem petere tales cibos, qui ex semine terræ facti sunt, **Zugemüse / nicht Fleisch und dergleichen Königliche tractament.** Et ego dico זרעים esse nomen ex conjugat. 2. formatum, & eandem manifestissime continere formam. De Chaldaico זרעית nihil dicam, cum sciam, reliquas linguas in puritate sua Hebraicæ non respondere, quamvis hîc etiam forma obtineat.

4. Placeat ergo זרוע quod vertitur per brachium, & Schindlerus addit, brachium hominis, quo semen spargitur. Quicquid sit de ista denominatione, formale ejus est robur, & applicatur deinde ad brachium hominis, quia in eo est fundamentum roboris & ita semen fructum ferens. Sic dicitur Psalmo 83. היו זרוע לבני לוט Fuerunt brachium, id est, robur & auxilium filiorum Loth. 1. Sam. 2. dicitur: Ego avellam brachium tuum & brachium domûs tuæ, i. e. robur & excellentiam. Nam Eli fuit sepultus cum suo brachio carnali, & ei abscissum esse, scriptura non testatur, ergo robur est & prævalentia. At hîc, ut prævideo, deducar ad Metaphoras, agnosco ego Metaphoras, & in Scriptura S. satis multas habeo, at hîc non opus est, sive Quintilianus sive alius Rhetor contradicat, isti homines Figuras suas formarunt ex lingua Latina & Græca, Hebraicam non intellexerunt, nec illi, nec interpretes ipsorum. זרוע in suo formali mihi est robur, brachium, & robur humanum etiam significare hanc vocem non nego, nam Hiskias distinguit illud robur à divino auxilio, cum dicit: *Cum ipsis est brachium humanum, nobiscum vero Jehovah Deus noster ad auxilium:* Ubi brachio humano opponit auxilium divinum. Et quid immoror hisce? multa loca suppeditat Scriptura sacra.

5. Memini autem, in disputatione prima mentionem me fecisse aurium & oculorum divinorum, eosque proprie eidem convenire asseveravi, & addidi, hæc Deo competere, *nec à nobis fundamentum esse desumendum*, *cum corpora nobis visa æterno Numini attribuuntur.* Promittebam ea proponenda in speciali disputatione, verum hac ipsa mentem meam recte explicare potero, cum videam facile, eum, qui non satis attente legit mea, posse de me alium conceptum formare. Dicta sunt illa à me in disputat. prim. thes. 26. dicta sunt & dicta manebunt, concessum autem erit mihi, hic rationem reddere eorum, quæ dicta sunt, ne offendantur rudes, & qui me quotidie non audiunt; alii enim his thesibus non opus habent, ne irritentur in sua sententia tolerabili confirmati, ne ansa detur calumniandi, vel si calumnientur nihilominus, ut ex his ipsis verbis refutentur.

6. Dico ergo ego claris & conceptis verbis, me Deo non attribuere aures & oculos ut & brachium corporale, me hoc numquam fecisse testatur thesis 26. disput. prim. cum dico, A nobis NON ESSE FUNDAMENTUM SUMENDUM.

7. Dico, Brachium (de זרוע enim jam ago, & de reliquis idem erit judicium) proprie Deus habet, illud brachium autem non est corporale, *sed æternum Dei robur*, *quod à nulla mente humanâ potest concipi.* Hinc descriptio *brachii*, ut & in priore disputatione, oculorum & aurium Dei, non est desumenda ex Medicina & Physica sed ex scriptura sacra, *brachium* enim, *oculos*, *aures*, *ego non tribuo Deo quatenus sunt brachium*, *oculi*, *aures*, sed quatenus sunt זרוע עינים & אזנים, de formali enim disputavi, quod non ex Latina sed ex Hebraica lingua desumo, nec enim consuevi agere de crepidis Salomonis, quando de tunica prima Adami sermo est, cum autem Latine loquor, ita cogor loqui.

8. Audiet ergo super hanc propositionem Lector scripturam, quam ego vel mille navibus onustis libris aliis præfero. In Jobo capite 40. dicitur: ואם זרוע כאל לך num est tibi brachium sicut Deus? Hic quæro, annon Deo attribuatur brachium, annon conferatur cum brachio humano? Luth. **Hastu einen Arm wie Gott.** i. e. Non potes comparari robore cum Deo. Hic habetne Deus brachium proprie vel improprie? Respondeo proprie, imo propriissime. Nam brachium in formali suo habet robur, quod Deo proprie imo propriissime competit. Sic dicitur alibi: **Wem wird der Arm des HErrn offenbaret.** Alibi: **Wol auff / wol auff / zeuch Macht an du Arm des HErren /** ubi Christus videtur vocari Brachium Domini, quia per illum etiam fortitudinem suam exeruit, quasi Deus omnipotens; imo brachium ob hanc formam dicitur robur Brachii in Daniele; brachium roboris in Esaia. Hinc confertur cum robore magno & manu forti, sicut in lege *manu forti & brachio extenso.* Alibi in lib. Reg. magno robore & brachio extenso, & ipse prævideo ego, quid de ἀνθρωποπαθείᾳ hic dici queat. Brachium enim extensum, utut juxta phrasin scripturæ denudatum desumptum esse ab hominibus. Esto hoc, quicquid sit, formale tamen non cessat, cum sumo vocem זרוע simpliciter, quamvis noverim, זרוע חשוף non desumi ab hominibus sed hominibus attribui propter Deum exerentem robur.

9. Videbor autem hic tollere omnem ἀνθρωποπάθειαν, non tollo, Doctores, qui ita consueverunt loqui, loquantur, & ego ita loquar, quando ago cum hominibus non Hebraice doctis.

doctis. At quando de formali disputo, tum aliter res est aggredienda. Nam hic scrupulus non tantus est, ut moram injiciat cognitioni formarum: Claris ergo & conceptis verbis repeto meam mentem. Ratione formæ אזנים עינים זרוע Deo propriè competit, & quando dico Brachium, aures & oculi Deo propriè competunt, dico hoc quatenus זרוע עינים & אזנים introducuntur, nam quivis videt, me non agere de auribus, oculis & brachio ex lingua Latina, sed ex Hebraica; & illud quidem coram Theologis & doctis, coram Studiosis eruditissimis. Inter octuaginta enim studiosos Theologiæ, quem numerum superant auditores mei super Jobum, ne minimus est, qui non capiat meam mentem, etiamsi hæc ipsa specialiter ipsis non proponantur.

10. De ἀνθρωποπαθείᾳ autem hæc sentiuntur, quod sæpe Deo tribuantur quædam, quæ hominibus competunt, tunc enim condescendit Deus. Duo autem sunt genera eorum, quæ Deo tribuuntur, alterum eorum, quæ important in homine perfectionem. Ea enim quæ perfectionis sunt in homine, ea sunt perfectissima in Deo, si Deo in Scriptura adscribantur. Juxta hoc genus in disputationibus pro formali, ad formas recurrere possum, si alterum genus detur, ita ut ea, quæ sunt in homine imperfectionis, tribuantur Deo, dicam esse ἀνθρωποπάθειαν. Interea pleno ore clamo, Doctores Latini & qui Biblia Latina tantùm legunt, commodè possunt dicere: Deo attribuitur brachium ex Metaphora desumta ab hominibus. At interea mihi, qui jam sum in eo totus, ut dem formas rerum, nihil præjudicat istud, nec meum aliis; quod dicam, propriè illud ratione FORMÆ DEO competit, quod dicitur in Scriptura זרוע עינים אזנים, *idem enim est*, quasi dicam, propriè audit, propriè videt, propriè robustus est; cùm, quidnam sit brachium in Deo, non nisi per distantiam gradûs ineffabilem à nostris brachiis, in quibus est ineffabilis ad robur Dei proportio & visa similitudo, concipiant multi.

11. Videtur autem hoc esse novum? Resp. Illud novum dici non debet, quod Scriptura exhibet. At vocem *proprie* Scriptura non habet? Quicquid sit, res ipsa tamen loquitur, quia primario Deo ea tribuuntur. Loquendum est cum Theologis. Ita est, quando Theologos agimus, ego hic ago Philologum, Theologus me non docet formale, vel si fecerint, illos libros mihi non aperuerunt. Audivi tamen Theologum insignem de Deo dixisse: PROPRIE IPSUM GENERARE. Ergo ego dico; Qua ratione Deus dicitur generare propriè, ea ratione eum etiam habere aures seu audire propriè. Quæcunque pro ratione diversitatis adduci posse videntur, ego prævideo, at nihil eorum me ferit: Ergo si hæc Theologo licuerint dicere, cur non etiam Philologo, qui, quæ natura vocum suppeditat, proponit, nec necessitatem Ecclesiæ infert sed doctis exhibet cum ratione ventilanda, cum ratione reprobanda, cum ratione approbanda.

12. Hæc ut animi mei sensa elucidarem. Nisi hæc rectè intelligantur, ego haut gravatim etiam majusculis literis in publica charta, si opus fuerit, adhuc dilucidius explicare incipiam, quamvis extra hæc ex titulis mearum disputationum hæc videri potuerint. Nec contra urgeri poterit, quod nemo hæc ante me dixerit, nam, si ante sint qui egerint ex professo pro FORMALI, hæc etiam dicere debuerunt. Et sufficit quod ego probem, nam *proprie* mihi illud est, quod primario & principaliter alicui competit, & quod opponitur τῷ *impropriè*. Philologica sunt hæc, in quibus alienæ opinionis mancipium esse nos non decet, ubi nostri præceptores finem fecerunt, ibi nos ipsorum discipuli in scribendo facere debemus initium. *EXSCRIBERE ENIM LIBROS ALIORUM ET ALIA LATINITATE DONARE ARTIS NON EST*, nec ut puto laboris. Juvenibus autem propriè competit labor, senioribus judicium. Et hæc omnia, ut etiam speciem mali fugerem, nolo enim audire introducere novitatem suspectam, qui indefesso studio laboro, ut veram antiquitatem in Scriptura contentam meo loco reducam, famæ ergo hisce tantum consulere volui, non aliud intendens, de quo protestor.

13. Jam recta progredior ad vocem זהר. Hanc dico pro formali habere *lucere*. Unde dicitur in Daniele והמשכילים יזהירו *Doctores fulgebunt*. Hinc זהר lux, dicitur enim in eodem textu יזהירו כזהר הרקיע; Sed de his dubium nullum esse potest, cum forma ubivis conspicua sit. Quomodo autem altera significatio, quæ est *monendi*, hic quadret, videndum est: deprehendimus autem, id fieri, cum exprimimus per *prælucere*; nam, quem admoneo, ei præfero lucem quasi, unde si ab opinionibus & præsumtionibus standum esset, possemus dicere, alludi ad hanc communionem in Daniele, cum dicitur Hammaschkilim jatshiru ki jatshiru. Talis allusio videtur etiam locum habere in Psalmo 19. גם עבדך נזהר בהם. Auch wird dein Knecht durch sie erinnert/ q. d. Auch wird deinem Knecht dadurch ein groß Liecht angezündet. Quomodo purificandi significatio cum hac forma quadret, esset etiam videndum, verùm non credo occurrere, unde Buxtorfius locum Lev. 15. v. 31. vertit per *monebitis*, quamvis ego id non facerem, sed retinerem significationem purificandi, radix autem ibidem occurrens non est à זהר sed à נזר. si & Biblia mea & Concordantiæ Buxtorfianæ rectè legantur. Unde etiam in Concordantiis allegavit hunc locum sub נזר & sub זהר, vitio, ut solet fieri, forsan typographi. Aliàs admonendi significatio, præsertim in Ezechiele ex זהר est valde usitata, ut lectori Scripturæ Sacræ notum est. Hic iterum incidit, quod monendum erit, me non hoc velle, quasi in versionibus pro *admonere* adhibere debeamus *prælucere*, nulla ratione, nec hoc unquam intendi, unde quando de voce קדוש agebam, majusculis literis scripseram SANCTUS, sed hoc tantùm volo, formale τῦ *admonere* in Hebraica lingua esse prælucere.

14. Jam assumam talem radicem, quam Schindlerus rectissimè & in forma & in reliquis expresserit, quamvis formam non nominaverit, sed aliam viam elegerit. Ea est נקב cujus formale est perfodit, & consistit inter alia im eingehen/ angehen/ und durchgehen. Sic Rabsace in Esaia dicit: ובא בכפו ונקבה Gehet er ihm in die Hand/ und durchbohret sie. Deinde significat nominare. De hoc Schindlerus (ecce jam lætus exscribo:) Per Metaphoram נקב fodit, perfodit aliquem dictis vel bonis vel malis. Bonis, *nominavit*, *nuncupavit*, *expressit*, *protulit*, *declaravit*, *exposuit*, *designavit*. Malis, maledixit, blasphemavit, convitiatus est. Huc usque Schindlerus. Forma ergo perforandi latet in istis significationibus. Ego ergo reduco formam ad significationes inferiores. 1. Significat nominare sicut scriptum est in lege אשר נקבו בשמות hi enim, qui nominati sunt, sind getroffen/ und ist sie angangen. Hinc Germani, Es gehet mich an/ es trifft mich. Sic loqui cogor, cum Latinis verbis non satis exprimere possum mentem: Dubius etiam hæreo, annon in Germanicâ linguâ einen anstechen/ significet aliquem nominare, quamvis nominatione duriori. Quæ omnia ideo propono, ut rideam cum ridentibus, quando imbecillas voces Latinas in his rebus adhiberi audiunt, parum enim interest, si Germanica vel Græca vel Latina, vel etiam alia, si nota esset, lingua, exprimam vel quasi formale. Nam facilius credo surrecturos esse, qui me reforment post aliquot annos in puritate vocabulorum formam exprimentium quàm in formali ipso eruendo, cujus rei gratia unicè ut Lexica in posterum ad normam talem proponerentur, ego disputare cœpi, placebit enim audire commodiora vocabula, quæ melius docti Latinè proponere poterunt. Contra formale eruendum surgentes non timeo, si enim Hebraica exactè non intelligant, decus eruditionis suæ prostituent. Levit. 24. v. 11. dicitur: ויקב בן האשה הישראלית את השם Et hic יקוב in formali primùm considero, perfodit, deinde video, num in bonum, num in malum, contextus suadet in malum. Hinc Lutherus: Es gieng aber aus eines Israelitischen Weibes Sohn/ der eines Egyptischen Mannes Kind war/ unter den Kindern Israel/ und zanckete sich im Lager mit einem Israelitischen Manne/ und lästerte den Nahmen und fluchte/ ecce supremum est & generalissimum, perfodere dictis, subalternum dictis bonis vel malis, mala his subintelligi indicat vox ויקלל. Unde ex hoc loco Judæi non possunt probare, non proferendum esse nomen יהוה, nam reus non ideo est lapidibus interemptus, quia pronunciavit nomen, sed quia maledixit, hinc Deus non dicit הוצא את הנוקב sed הוצא את המקלל & statim ex hoc exemplo promulgat legem איש איש כי יקלל לאלהיו. Nam quamvis immediatè sequatur ונוקב, satis tamen est determinata ejus significatio ex exemplo, quod dabat occasionem legis iterandæ. Et ut compendium verborum faciam, dico, omnia, quæ ab hac radice descendunt, habent idem formale radicis, quamvis in Latina lingua formale sit impurum.

15. Radicis אסף formale est, *colligere*. Hinc rectè significat, *retinere & auferre*, quæ aliàs videntur oppositæ esse significationes. Nam oppositæ in suo generali, quod ego formale vocavi, omnino convenire debent. Sic septem mulieres in Esaia dicunt אסף חרפתנו ubi auferendi significatio obtinet. Alibi autem אסף אאסף יעקב כלך ubi congregandi & colligendi vis se exserit, nam statim explicatur per קבץ אקבץ. In quem locum Michæ cum incidam forte fortuito, dico agi ibidem de Christo, nostro Servatore & perruptore, non de Zedekia vel alio quopiam, ut contextum rectè inspicienti ad oculum patet. Hinc Luth. Hie redet er vom Reich Christi/ der ist unser Heldt/ der für uns herdurch gebrochen hat/ und die Bahne machet durch Todt/ Sünde/ Teuffel/ und alles Ubel/ dein frisch nach/ &c.

16. Persequemur jam novam radicem, & ejus formale similiter demonstrabimus, videlicet ברא, hujus formale est, *producere aliquid*, & in significatione summa, novo, mirabili, imo captum humanum transcendente modo. Talis productio verè est primario creatio ex nihilo, quæ in summo gradu transcendit

dit omnem captum humanum. Iterum autem hic moneo, quod in omnibus radicibus vi hujus theseos repetitum volo, me non respicere *creare* sed ברא adeoque non vim Latinæ sed Hebraicæ linguæ. Aliud enim est (ex Chemnitio hæc exscripsi) quando Livius inquit: Duo Consules comitiis centuriatis creati sunt. Et Cæsar libro 7. belli Gallici: Creare alicui fraudem, commoditatem &c. Cicero pro Cornelio: Princeps ille creator hujus urbis Romulus. Ut Varinus explicat τὸ κτίζειν pro ἱδρῦσαι, οἰκοδομῆσαι. Item κτιστής, ποιητής, πλαστής. Quamvis etiam Latini per accidens forsan hoc formale in his phrasibus tetigerint. Hanc nostram formam probat Spiritus Sanctus in primo capite & primo versu Geneseos, ubi Scriptura בראשית ברא אלהים super quæ verba ita commentatur Aben Etsra: רובי המפרשים אמרו שהבריאה להוציא יש מאין וכן אם בריאה יברא והנה שכחו ויברא אלהים את התנינים &c.

Satis etiam mirabilis est illa productio, de qua dicit Esaias: וברא יהוה על כל מוכון הר ציון ועל כל מקראיה ענן יומם ועשן &c. Mira etiam & captum nostrum superans creatio est, de qua dicit David: Cor mundum crea in me Deus. Et si quæ alia sint loca. Hic dicendum statim erit, omnia descendentia ab hac radice idem possidere formale, exempli gratia unum atque alterum assumere possum, ut בריא significat obesum; quomodo pinguedo acquiratur, mirabilis etiam procul dubio erit modus, quamvis בריאה res insignis & clara magis nos ut ejus fœmininum deducat ad radicis cognitionem, sicut Num. 16. v. 30. dicit Moses ואם בריאה יברא verè erat res insignis & mirabilis, quòd terra aperiebat os suum & devorabat Core, Dathan & Abiram & omnia, quæ ipsis erant, & ille actus dicitur בריאה ex hac forma nostra. De Rabbinorum ברויא ficta opinione, quæ etiam sæpe solet ita esse comparata, ut captum doctorum transcendat, non agam. Purgandi vox, quæ etiam ex hac radice descendente voce exprimitur, etiam cum formali suo optimè quadrat, producitur enim semotis sordibus nova puritas, qua ratione apud Arabes etiam significat Sanavit, quia semoto morbo producitur nova sanitas. Sed quicquid sit, omnia ad certam formam & generalem significationem debent reduci.

17. Inserenda etiam erit vox, quæ caret radice verbali in Scriptura Sacra, nempe צלם quæ significat imaginem, hujus formale dico esse in umbra & adumbratione, quorsum, in consideratione tenebrarum non incommodè referri posset locus quidam ex Aben Etsra super Caput 3. Jobi, יום ולילה הם כנגד הארץ מפאת השמש בעבור היות הארץ באמצע הגלגלים וצבאות מעלה ואין להם חשך כלל גם קדרות הלבנה מן הארץ שהיא למטה אין אור אלא ממעל

Num sine medio opaco prout jam orbes cœlestes sunt constituti possint dari tenebræ, decernant Physici & Mathematici. Ego dico formam esse Adumbrationem. Sic in nobis est צלם adumbratio Dei, quia in nobis conspicitur, magis autem & propriè, quia ad ejus צלם nos sumus creati, ut Moses testatur. Ex quo sanè multa poterunt resolvi eorum, quæ in initio hujus disputationis proposui. At tentabo primum, num ea sufficiant; Si ita, bene, sin minus, alia via eligetur mea verificandi ex fundamentis primis. Omnia ergo quæ à צלם descendunt formam צלם necesse est habeant.

18. רכב pro formali habet vectus fuit. Hæc ergo cum sit significatio formalis & generalis, sub se habet speciales, ut equitare, vehi curru &c. Quam facilem radicem ideo pro conclusione posui, ut notem tale exemplum, in quo etiam rudissimus mei animi sensa percipere queat. Cum enim quæritur, quomodo equitans possit pergere, respondetur, provehendo; vehi ergo est in equitante & in curru eunte. Contradictio autem Latinorum quorundam, equitare super nubibus, equitare super asino, non ad me, videt enim quivis impuritatem vocabulorum. Plura in chartis subsequentibus.

DISSERTATIO IV.

1. AD disputationem quartam pro FORMALI accessum faciens, pro proœmio iterum quædam præmitto, quæ ad dilucidationem materiæ nostræ & intentionis meæ facere videntur. Ac primum quidem, cum in titulo dico: Pro formali eruendo *primum* in explicatione Scripturæ Sacræ, Vox *primum* mihi sumitur pro primum ordine.

2. Cum ergò explicator Scripturæ, qui non cum præconcepta opinione textum sacrum evolvit & elucidare annititur, qui venit ut non inferat sensum sed ut exportet, textum sumit ad manus, ille tenetur primum in Hebraicâ linguâ, cum textus videtur esse obscurus, respicere formale & tentare, num in eo ibi sumatur nec ne, idque eo magis, quo aptius hoc formali percepto rectè possit pro ratione materiæ commodum sensum haurire. e. g. cap. 5. Jobi, in oratione secunda, Eliphatz contra Jobum disputans, eumque convincere studens, meruisse eum tales ærumnas extraordinarias, variaque argumenta proponens & accumulans, inter alia ita dicit קרא נא היש עונך clama quæso, num sit עונך. Quid dicam lector? affligens te vel respondens tibi, nam ענה significat & respondere & affligere. Si jam primum sumenda sit specialis significatio, ego ignoro, quænam sit ipsarum prima. Videtur enim dici posse: Clama nunc, num erit affligens te, id est si tu modo invoces aliquem, & non bonitati tuæ causæ fidas, res erit salva. Vel: clama, num sit respondens: id est invoca, tamen non exaudieris.

3. Ego ergo cum sine præconcepta opinione hunc textum aspicio, primum considero formale, quod consistit in similitudine, & tento, num in tali passu procedat. Voca quæso: Quære vel nomina, num sit similis tibi, **Job nenne mir einen/ was gilts/ ob du einen findest/ der dir gleich sey und sihe dich umb nach einem Heiligen.** Id est, ne unicum exemplum dare poteris, ubi homo sanctus, qualem te somnias, ita sit afflictus & qui ita sicuti tu mala tam ægrè tulerit. Ergo tu non es sanctus, sed dignus, qui tam extraordinariè affligaris. Oppositionem קרא & ענה hic prævideo, eaque chartam non onerabo.

4. Sic, ut adhuc unum exemplum sumam, quod mihi jam fortè incidit ex Jobo פקדת נוך ולא תחטא e.r. פקדת & תחטא sic למס מרעהו חסר opprobrium est illi, qui liquefit & dissolvitur à proximo suo. Hic interpres primum necesse est contempletur vocem חסר, formale autem ejus jam præcognoscit consistere in **einem zu Gemüthe führen /** ne exprobrare, voce forsan imbecilliori utar. Hinc dicit liquefacto id est, recedenti à proximo suo est exprobratio. Quænam ista est exprobratio, estne vel in bonum vel in malum? consequentia verba, *nam timorem Domini derelinquit*, suadent, ut sit exprobratio in malum, id est, dedecus, opprobrium. Nam exprobratio, quatenus in lingua Hebraica purificatur, est alia in malum, & est dedecus, alia in bonum & est misericordia & decus, quæ in Deo propriè residet & consequenter à piis exercetur. Nam חסר ita Deo exprobratur quasi, quando ei gratiæ aguntur. Ubi tamen præmoneo, me non allegari velle ad Ciceronis Latinitatem elegantem, cum ego ex tempore vocabulum Latinum aptum invenire non semper queam, sufficit autem, quod satis multis verbis mentem explicem.

5. Hæc fusiùs scribere volui, ut occasionem haberem inserendi consensum doctissimi cujusdam Professoris Academici. Nam ut aliorum judicia, quæ cum Theologorum eorumque ex professo Hebraistarum sint, magnifacienda alias prætaream, & ex libro impresso, quod apud mundum majorem autoritatem conciliare, quædam huc referam, videatur, Idea boni interpretis & malitiosi calumniatoris, quæ obscuritate dispulsâ verum sensum à falso discernere in omnibus auctorum scriptis [forsan hic etiam cum aliis multis id in latinâ linguâ obtinere probare poterit] ac orationibus docet, & plenè respondet ad quæstionem *Unde scis* hunc esse sensum non alium? omnium facultatum studiosis perquam utilis, edita à M. JOHANNE CONRADO DANNHAWERO P. L. Cæs. & Eloqu. Profess. in Argentor. Acad. ordinario pag. 157. jam vero ibidem Theologo excellentissimo, ita autem ibidem lego: *Ipsa terminorum expositio duplex est* I. Materialis, *quam vox habet in statu restricto ad materiam, qualem ipsa subjecta materia admittit.* II. Formalis, *quam vox habet in statu absoluto, quem per se habet & quæ ejus est definitiva ratio abstracta ab omnibus materialibus* e. g. *Generatio in physicis appellatur & ea in qua idem specie gignit idem specie, ut equus equum, canis canem: & ea, qua (generatione æquivocâ) idem genere gignit idem genere, ut, cum Sol è putri viscere tauri florilegas excludit apes: in Theologicis autem ea quoque generatio dicitur, qua Deus Pater idem numero gignit Filium eundem numero. Triplex igitur Vocis generare est sensus materialis, quorum ratio Univoca generalis, in qua omnes hi tres sensus in genere conveniunt, dicitur* SENSUS FORMALIS, &c. e. g. Communicatio essentiæ productiva, hanc enim generalem definitionem & generatio univoca & æquivoca & divina agnoscit. Quando igitur quæritur absolutè, quid sit & significet *generatio?* non respondendum, quod sit communicatio essentiæ ejusdem numero, sicut, cum quæritur; *Quid est animal?* nemo respondere debet, est corpus rationale, hoc enim non est definire sed sophisticari. Sic post aliquot lineas describit Fidei formale **da man sich auff etwas/ das man weiß oder gehöret hat / verläst ꝛc.**

6. Ex

6. Ex quibus colligat Lector neceſſitatem ſcrutinii pro formali, & ſi ſciviſſem tantum virum hæc poſuiſſe, ego in prima diſputatione ea allegaſſem, cujus reliqua verba, ne nimis multa exſcribam prætereo, remittens Lectorem ad lectionem utiliſſimi illius libelli, quia præſertim etiam regulas conſequentiarum in hoc negotio ſuppeditat, quæ aliàs etiam ipſa ratio dictitare videtur. Et omnino placet, quod inſtituit reſponſionem ad quæſtionem; Quid eſt animal? Eſt corpus rationale, idem enim ac ſi ad quæſtionem, quid ſignificat חלף? reſponderetur, *perdidit*, nam ſcriptum eſt והאלילים כליל יחליף vel וחלף ביהודה alter autem magiſtraliter reſponderet, non ſignificat perdidit ſed renovavit, nam ſcriptum eſt וקוי יהוה יחליפי כוח die auff den HErrn hoffen / bekommen newe Krafft / Quare interpres aſſumit formalem ſignificationem *permutare*, & videt ex contextu num in bonum vel in malum &c.

7. Non hoc autem volo, quando dico Formale primo eſt aſſumendum in Scriptura Sacra; quaſi ego neceſſario cogar ſubſiſtere in formali, ſed hoc dico, quæ formali illi ſubſtrata materia certam induat veſtem ſic אסף ſignificat colligere in formali Eſa. 5. induitur ei veſtis auferendi collectim, alibi retinendi collectim.

8. Et ſicuti præſupponenda eſt ſemper ſignificatio generalis ſeu formalis, ut ſumma, ita etiam ſtatuo in materialibus ſeu ſpecialibus ſignificationibus tamdiu primariam eſſe retinendam, quamdiu contrarium non ſuadeat textus. Tunc enim omnibus ambiguitatibus via præciditur. E. G. In principio creavit Deus cœlum & terram. Ibi aſſumo primo illud Formale, mirabili & creaturis impoſſibili modo aliquid producere, illud formale ibidem vel ſimpliciter retineo, vel ſi, ut *Chemnitius* tom. 1. cap. 5. p. 135. Lyrani ſententiam cum approbatione Lutheri allegat, cœlum & terram ſumam ibidem pro rudi materiâ futuri operis, vocem eam velim reſtringere ad materialem & ſpecialem ſignificationem, tunc primaria erit aſſumenda; quæ ſi ſit *creare ex nihilo*, valebit.

9. Et hic forſan ex ratione probare poterunt alii, quod tales ſignificationes ex analogiâ ſtent per ſe pro ſignificatione principaliori, niſi forſan eas materia debilitet & ad inferiores deprimat. Sic אלהים cum de ſignificatione ſpecialiori ago, ſumo in famoſiori & prima, nempe pro vero Deo, niſi contextus expreſsè jubeat recedere, ut in loco cujuſdam Pſalmi.

10. Nec prætereundum eſſe arbitrarer hîc monere; quomodo ſignificationes ſpeciales ſeu materiales vel mediatè vel immediatè à ſuis deſcendant ſuperioribus, niſi conſtituiſſem loco proœmii de his in quinta diſputatione quædam dicere. Hic tantum lubet inſerere, quod, ſicut revera in radicibus quædam datur forma, quæ eſt eruenda à ſcrutante, ita etiam in materialibus deſcendentibus datur & generalis ſeu latior ſignificatio & ſtrictor: Id quamvis non ſimpliciter ad radicem alligem, tamen ab ea omnino ſeparandum non eſt. Sic לחם ſignificat omne illud, quo ſuſtentatur homo vel in civilibus vel in ſpiritualibus, vel in corporalibus: verum hoc ſatis cito ad radicem redigi poſſe prævideo, quamvis mediata ſit formæ in eſſentia, ergo aſſumo vocem, ישראל latior ſignificatio eſt, quod ſumatur pro eo, qui certat cum Deo, qui Deum fide & precibus vincere poteſt; Strictior eſt, quando hoc nomine notantur filii Jacob vel ſingularis aliquis filius, ſtrictiſſima quando Jacob ipſe.

11. Ex his duabus vocibus לחם & ישראל formo talem regulam: In Nominibus appellativis rerum præponitur generalis ſignificatio. In nominibus propriis ſpecialis & materialis, non quatenus ſpecialis ſed quatenus eſt propria & primaria & fundamentum ſuppeditat reliquis ſignificationibus, ſic, ſicut לחם *omnis generis ſuſtamentum*, præbet ſignificatione ſuſtamenta corporali, ſpirituali & civili pani, & corpori, quatenus illud devorandum deſcribitur. ישראל ſuppeditat ſignificationem certanti cum Deo ſive vincenti, filiis Iſraël, filio cuidam inſigni Iſraëlis, item ethnicis converſis, quia etiam in ſuo genere eſt generalis, quia eſt fundamentalis & formalis, ex qua reliquæ ſuam denominationem ſortiuntur, quamvis, ſi ישראל nomen proprium non eſſet & ita reſpectu noſtræ imbecillitatis magis cognoſcibile omnino alias præferendum eſſet, certans cum Deo & fide vincens.

12. Sic cum ego in Eſaia *Non me vocaſti Jacob nec in me laboraſti Iſraël*, primo cogor ſumere vocem Jacob & Iſraël in perſona filii Iſaaci, quia illa hic quaſi genus eſt & ſicuti ſupra formale deſcripſi, quod ſit, quod invenitur in omnibus deſcendentibus, ita etiam in quovis, qui Iſraël & Jacob dicitur, reſpectu iſtius juxta quem dicitur, video autem contextum ſignificationem hanc non admittere, nam videtur, omnino agere de præſentibus & nuper præteritis, aſſumo filios Jacobi, qui erant in terrâ Canaan, ſtatim contextus contradicit, quia video de novo Iſraële creando hic dici, de Iſraële agi, qui non obtulit ſacrificia &c. ergò tandem recurro ad gentiles, de quibus verificari textum deprehendo.

13. Quæ ideo fuſius deducere volui, ut in nominibus propriis alia via progrediendum eſſe demonſtrarem, non ut à regulâ exeuntia ſed ut à regulâ exire viſa; quia quod præſtant communiter formæ, hic nomina propria in ſuo genere præſtant ſimiliter. Sic מצרים proprium viri eſt forma quaſi filii Ægypti eſt materia & in ſignificatione accipiuntur ſpeciali. Sic Sodom & Gomorrha eſt formalis ſignificatio, in materialibus dicitur in Eſaia alia ita Jeruſalem & Jhudah.

14. Jam progredior in ordinario ſcrutinio ad vocem חרש quam dico in formali ſuo ſignificare *Evolvere*. Ego puto maxima parte ipſas formas in Scriptura eſſe conſpicuas, at cum prolixioris ea res ſit indaginis ob alios labores non ubivis eas habiturus ſum, ſperans, fore qui impoſterum ſatis feliciter eruent omnia. Cum autem jam incidat ſignificatio formalis ad literam in Scripturâ, eam merito hîc appono. Videatur Job cap. 6. הורוני ואני אחריש docete me & ego tacitè evolvam, id eſt, ego ſcrutabor num recte loquamini, ſequitur enim ſtatim מה נמרצו אמרי ישר q. d. placet omnino fidelis admonitio, modo ipſimet vos & ſitis fideles & intelligentes &c.

15. Hæc forma aliquot ſpecies veſtium induit, cum ad materias deſcendit, iiſque quaſi immergitur, ſignificat enim arare, forma quadrat, qui enim arat, evolvit terram, ut legimus de Eliſcha arante, ſic in lege vetitum erat arare ſimul bove & aſino & alibi ſæpe, in quo forma tam manifeſta eſt, ut nihil ſupra, unde Amos, ut rem impoſſibilem proponit, arare in petra, quia ibi evolutio terræ vix ſequetur. Hinc deſcendunt nomina arationis in Geneſi inſtrumenta arationis in lib. 1. Samuelis, ubi etiam ligonis fit mentio ceu inſtrumenti ſatis apti ad evolvendam terram.

16. Deinde ſignificat etiam ſcrutari, cogitare, quæ cum aratione magnum habet commercium adeo, ut ſæpè vix diſcerni queant, ſicuti in Jobo legimus de חרשי און & Simſon alluſit ad ſignificationem in mentione arationis vitulâ alienâ, quia illud arare cum cogitare & meditari in alieno cerebro erat unum & idem. Satis aliàs ſignificatio cogitandi & volvendi animo eſt clara in Scripturâ Sacrâ, ut cum v. g. Salomo dicit אל תחרש על רעך רעה ubi ſi non formale primum conſiderare deberem, ne ara contra proximum tuum malum: ſed utut ſit; quivis vidit & hic primùm ſumendum eſſe formale, quod eſt evolvit. *Ne evolvas*. De hinc quæritur, num illud evolvere debeat fieri vel aratu vel mente & cogitatione, & contextus ſuadet mente, id eſt: Ne cogites & ne machineris contra proximum tuum mala.

17. Poſtmodum ſignificat etiam hæc radix exarare, id eſt, ſignare, ſcribere, quam rationem etiam Latinos retinuiſſe ex voce exarare manifeſtum eſt. In hâc ſignificatione ſcriptum eſt in Jeremiâ cap. 17. Peccatum Jhudâ חרושה על לוח לבם quia exarare & exſculpere in hoc genere, conveniunt.

18. Quomodo autem ſignificatio tacendi cum formâ conveniat forſan dubium moveret, ſi loqui, meditari & tacere Latinorum opponeremus, ubi neceſſariò ad Antiphraſin recurrere neceſſe eſt, ſicuti in voce Bellum quaſi minimè bellum: Sed quicquid ſit, ego in linguâ Hebraicâ tam certè credo Antiphraſin obtinere, quam certo mihi perſuaſum habeo, autores Antiphraſeos iſtius, nunquam legiſſe, vel à legente audiviſſe Canonicam Scripturam. Puto ego *tacendi* ſignificationem cum evolvendi ratione optimè concordare, nam qui tacet perpetuò cogitur evolvere multa & perpetuò quaſi meditari, nam meditatio & taciturnitas optimè ſe excipiunt.

19. Ex communione harum ſignificationum reſultare arbitror vocem חרש quæ ſignificat artificem in rebus ſat multis, ut notum eſt. Vocem autem חרישית in Jonâ non ideò dici puto vehementem, ut flante eo fiant homines ſurdis ſimiles, ſed quia evolvit omnia, muros diruit, arbores de loco movet &c. Sic optimè cum formâ omnia quadrare puto.

20. Vox לחם ſignificat in formali ſuo, refecit & ſuſtentat ſe, ſic Prov. 9: verſ. 5. לחמי בלחמי reficite vos pane meo, ſpecialiter ſignificat edere ſicuti ſcriptum eſt Prov. 23: verſ. 1. cùm ſedes cum dominante ad edendum &c.

21. Hinc deſcendit vox לחם, quæ in ſupremâ ſignificatione non ſignificat panem, ſed omne quod ſuſtentat & reficit hominem tam in ſpiritualibus quàm in corporalibus, quàm etiam denique in civilibus: Unde in Eſa. 3. dicitur, Dominus Jhova Zabaoth auferet ex Jhudah & Jeruſalem fulcimentum & fulcimentum, omne fulcimentum panis & omne fulcimentum aquæ; tam clarè loquitur, quaſi digito monſtraret nobis

bis formam. Nam ibidem panis non eſt panis hordeaceus vel alius quidam, ſed omne id quod Jeruſalem & Jhudah poterat fulcire & ſuſtentare, quale erant, Fortis & Vir belli, Judex & Propheta &c. nam ibidem per notam figuram mihi dictam interpretationem poſteriores phraſes priores explicant, ſicuti videmus in cap. primo Eſa. A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo integrum, explicatur ſtatim: Terra veſtra deſolata eſt, terram veſtram peregrini edunt, civitates veſtræ igne combuſtæ ſunt &c.

22. At malè convenire videtur ſignificatio belligerandi, utut autem hæc videantur diſſona, optimè quadrabunt ſi conſideremus primò generaliter, quod in aliis multis etiam uſu venire videmus: Convenientiam mediatam aliam eſſe, aliam immediatam. Immediata eſt quando ſimpliciter ab ipſâ radice & ejus formâ fluit vox: Mediata, quando mediante aliâ ſignificatione ſub forma contenta ſignificatio eſſe cognoſcitur. De quo alibi.

23. Jam poſſum dicere bellum gerere cum formâ convenire mediante voce *edere* quod ut ſignificatio materialis continetur ſub formali, at hîc vix me eo uſque urgeri video, nam bellum eſt etiam aliquid quod pertinet ad ſuſtentationem alicujus. In textu orationis tertiæ Eſaianæ dicitur, quod Rex Syriæ & Rex Iſrael venerint Jeruſalem להלחם ad pugnandum, ad devorandum eos, juxta formam dico illud pugnare erat ad trahendum ad ſe civitatem & in ſuos uſus convertere. Unde dicunt illi belligerantes נבקיענה אלינו & addunt & faciamus Regem in medio ejus filium Tabeel.

24. Si autem hæc non arrideant, poterit dici eſſe rationem convenientiæ mediatæ, de quâ in futurâ diſputatione loco proœmii quædam dicturus ſum. Tunc tutò etiam recurrimus ad phraſeologias, devorari gladio, das Schwerdt friſt ꝛc. D. Luth. ſed ita tamen, ut notetur in quovis bello forma mea.

25. Bellum dicitur geri ob pacem, ergò מלחמה eſt res quæ facit pacem & ita inducit ſubſidium in rebus publicis, bello acquirimus poſſeſſiones ditionum, ergò מלחמה eſt medium augendi ſuſtentacula principum: Bellum eſt medium dividendi ſpolia, unde quando audio vocem נלחמים præliantes & conceptum formalem mihi imaginor, puto objectos mihi eſſe, qui laborent & certent de certo ſubſidio ſibi acquirendo.

26. Jam progredior ad radicem שר cujus formale eſt *intendit*, de voce ſignificat cecinit, de oculis ſignificat tueri, de pedibus ſignificat ambulavit in ſignificationibus materialibus. Quando ergò explicator Scripturæ Sacræ vocem שר legit, non ei eſt exordiendum à ſignificatione *canendi*, à ſignificatione *ambulandi* vel à ſignificatione *vivendi*, multo minus à ſignificatione huic radici mediatè competenti *inſidiandi*, ſed à ſignificatione *intendendi*. Sic in Pſalm. ſeptimo primum dico quod intendit vel direxit ad Dominum, deinde contextus me docet legendum eſſe, quod cecinit Domino. Sic Job. 7. לא תשורני אין ראי contextus docet, quod prævaleat ſignificatio videndi: In Eſaia alicubi concatenatur ſententia, & docet ותשרי ſignificare & ambulaſti, id eſt direxiſti curſum tuum, unde R. D. Kimchi refutat R. Saadiam, qui refert hanc vocem ad donum, & ſe explicaſſe dicit in libro radicum per ותלכי & iviſti.

27. Voces nominales hinc deſcendentes etiam facilè ad communem illam formam referuntur. E. G. תשורה ſignificat *munus*, quo cum venire ſolebant antiquitus ad Prophetam, quantum colligitur ex 1 Samuel. 9. v. 3. niſi forſan adhuc generaliori veniat ſignificatione apud Thalmudiſtas vel Rabbinos. Bos ſubjacet huic ſignificationi, quia dicitur שור forſan à ſuâ inſpectione quam quaſi habet ſupra reliqua armenta, vel à gradus directione, quod præeat, cum ad paſcua ducuntur vaccæ vel à vocis claritate, quod bene poſſit audiri, cum mugit &c.

28. שור murus cum formâ quadrat, quia vel, ut Schindlerus dicit, exinde proſpicitur, vel quia primo intuitui hoſtis objicitur & ita etiam incurſui, nam murum vel terminum dici à videndo notat etiam in alio genere vox מחזה à חזה vidit, adeo quidem ut & in Jobo juxta ſententiam R. Menachem allegante R. S. Jarchi, יחזה ſignificet *terminus ſit*, ut ita non tantum derivata à חזה ſed & ipſa radix aliqualiter in hoc nos confirmare poſſe videatur, ut alia taceam. Reliqua derivata omnia partim mediatè, partim immediatè optimè reſpondent.

29. Dehinc placet vox גאה cujus formale eſſe dico *eminuit*. Hæc forma manifeſtè conſpicitur in Jobo, cum dicit Bildad היגאה גומא בלא בצה ubi non recurrendum eſt ad ſignificationem ſpecialem ſed ad generalem. Nam eâ ratione dicendum eſſet, num ſuperbus eſt juncus, vel num magnificus eſt juncus ſine loco cœnoſo. Hinc conſequenter erit recurrendum ad metaphoras, cum, ſi dicas in formali ſuo; *Num eminebit*, res tota ſalva ſit, nam tunc lector videt, quod eminere junci ſit accreſcentia, ut ſuper terram conſpiciatur. Poſtmodum autem ſignificat vel in malum vel in bonum, in malum *faſtuoſus fuit*, in bonum *magnificus & præcellens fuit*, in quibus, quomodo forma verificetur, me etiam tacente quivis videt, reliqua deſcendentia facilè applicabuntur, mihi ſufficiat dediſſe formam. Ubi tamen non poſſum, quin iterum notem, quomodo oppoſitæ ſignificationes ſæpe ſub unâ forma contineantur, cujus rei exempla etiam ſuppeditârunt præcedentes diſputationes, ex quo colligitur, rectè à me dictum fuiſſe, Formale & generale mihi hic unum & idem eſſe.

30. Cum autem poſt גאה non propinquior litera ſit in cubo quam ל/ explicabo vocem גאל cujus formam puto eſſe *vicinitate tangere*, in paſſivo *vicinitate tangi*. Formam hanc quamvis ſufficiat demonſtrare in ſuis materialibus, libet tamen tentare, annon ex lib. Eſræ & Nehemiæ ea aſſeri queat. Legimus autem ibidem de filiis Chabajah, quod genealogiam ſuam non deducere valentes יגואלו מן הכהוהה ſint remoti à ſacerdotio, ubi non immerito quæritur cauſſà iſtius ſignificationis & ſcrutans deprehendo rudi minervâ talem latinitatem me primum delineare poſſe, vicinitate facti ſunt à ſacerdotio id eſt, exvicini facti ſunt ſacerdotii, nam ל & מ ſolent mutare ſignificationem e. g. יסר & adhortatus & dehortatus eſt, cum ל adhortatus eſt, cum מ dehortatus eſt. Si autem hæc nimis longè videantur eſſe petita, conſideretur modo vox גואל quàm arctè vicinitas cum eâ ſit conjuncta; unde Boaz dicit: Ego ſum גואל verum alius גואל qui magis eſt, ratio, quia vicinior eſt quam ego. Unde puto etiam David dixiſſe: *Appropinqua ad animam meam* & גאלה redime eam, quo ipſo procul omni dubio alluſit ad formale. Adeo autem vera hæc videtur forma, ut & in noſtrâ Pomeranicâ linguâ Germanorum kauffen quod aliquando per גאל exprimitur efferri ſolent per an ſick bringen / q. d. ſibi vicinum facere.

31. Sed quid prolixius his immoror, forma eſt juſta. Materiales ſignificationes ſunt, redimere, ſibi appropriare, vindicare, quæ ita reſtringuntur ad formam propinquitatis, ut ferè non videam, quomodo in conſideratione materialium ſignificationum ad aliam formam dilabi poſſibile ſit. Ex hâc ſignificatione toties in Lege legimus de גואל item de גואל הדם.

32. Quod ad hæc attinet, ut pauca ex multis hîc obiter inſeram, dicitur in Lege; Et is qui ex paupertate vendita amici redemit, ſicuti Levit. 25. Ex quo jure arbitror natum eſſe jus quoddam Germanis dictum Beyſpruch / ubi nemo poteſt ſua divendere peregrinis, niſi prius conſultis ſibi propinquis iiſque jus ſuum negligentibus. Item, qui pro amico propinquo accipiebat ea, quæ dabantur ab iis, qui proximum læſerant. Num. 5. Quem locum cum attentius evolvo, video magis explicari in *puro formali* pro *propinquo* quàm pro vindice. Ex quo jure natum eſſe arbitror, ſive cum eo convenire jus hæreditatis, quod in R. I. ſolet cedere proximo cum conſanguinitate junctis. Nam ſicuti in abſentiâ & defectu talis hæredis bona cedunt Principi vel ſummo vel intermedio pro ratione juris conſueti, ita in lege divinâ in abſentia talis גואל bona cedebant Domino & Sacerdotibus, idque ratione circumſtantiarum iſtarum de jure. Sumitur etiam in lege pro proximo quatenus ei licitum eſt occidere homicidam, qui interfecit aliquem ex conſanguinitate, unde dicitur: גואל הדם non ſolum, quia vindicat ſanguinem proximi, ſed etiam quia eſt propinquius ſanguinis, cujus vi poteſt occidere & ulciſci ſanguinem proximi.

33. Hic גואל ex lege ducebat uxorem demortui amici vel fratris, ex quo jure quidam quærebant ex Chriſto, cujusnam uxor futura ſit in vitâ æternâ, ea quæ ſeptem nupſerat fratribus. Hi enim ex lege defuncto altero ſe invicem in ducendâ unâ uxore excipiebant. Et ſi quæ ſunt alia.

34. Hoc nomen ſolet etiam attribui vero Deo, ubi puto ſalvâ formâ vix idem nomen tribui Patri & Spiritui ſancto, niſi quatenus in unâ eademque eſſentiâ divinâ conſiderati, qua ratione ego hodie invocare poſſum Deum cæleſtem & dicere: Tu *Joel* quippe qui carnis noſtræ particeps & factus & futurus rectè dicitur noſter גואל & vicinus, frater, vindicator. Hoc conſiderans Jacob dicebat: המלאך הגואל Angelus vindicans & liberans me ab omni malo benedicat pueris iſtis, quo procul omni dubio increatum illum & magnum Angelum invocavit. Alias & in Eſaiâ ſæpe membra ſolent, quantum ego video, dividi per גואל ita ut cognoſcere queam, quando loquatur יהוה de ſuo Filio, vel quando loquatur Filius de populo vel alio.

35. Quæ de pretio vel jure redemptionis hîc dici poſſent, item

item de vocabulis talia exprimentibus, ego prætereo, cùm nimis facile sit ea ad formam reducere. Hoc autem videtur magis necessarium declarare, quomodo significatio polluendi cum significatione liberandi sub unam formam cadant. Puto autem omnia salva fore, cum consideramus, quod pollutio, quæ voce גאל exprimitur à *propinquitate rei polluentis* in Scriptura dicatur.

36. Pollutiones Sacerdotum dicuntur, quia appropinquare sibi rem vetitam patiebantur, quocunque etiam modo id factum fuerit, quem hic explicare forsan esset supervacaneum. Alibi pollutio denominatur à propinquitate sanguinis, quia manus suas plenas habuerunt sanguine, qua ratione quamvis modo diverso vestis venientis ab Edom in Esaia dicitur polluta, id est, maculata sanguine. Alibi dicitur civitas polluta, quibus rebus ea tacta sit nimis propinqua docet Zephanias. In Malachia autem quomodo ibidem dicantur sacrificia polluta, docet contextus, propinqua enim habebant cæcitatem & hujus generis alia vitia: Ut ita ex his ad oculum patescat formæ veritas.

37. Alia incidit radix, nempe נשען cujus formale dico esse *innixus* est, cujus formæ expressa exempla continet Scriptura. Hinc dicitur inniti baculo arundineo, qui innitebatur Ægypto, qua phrasi mixtio quædam occurrit cum formali & materiali. Hìc enim dico esse *confidere*, qui enim confidit & sperat in aliquo, ille & innititur, quod formale דש confidere jure merito ego statuo. Exemplum formalis vide in Equite Samariæ, cujus יד innitebatur Rex, talis forsan hominis, qualis erat Naëman Syrus. Exemplum materialis Esa. 50. v. 10. ubi de fiduciâ in Deum agit Propheta. Descendit hinc משען quod significat baculum, item fiduciam, unde in Es. 2. quando dicitur de baculo panis, forsan lector sibi miras res imaginaretur, quomodo panis habeat baculum, cum non animadvertit ibidem notari illud, quo aliquis innititur & subsidium quærit, ut in allegato loco videre est.

38. Vox ארר pro forma habet *contradixit*, sicuti scriptum est in Malachiâ: Ego contradicam benedictionibus vestris, id est, ego benedictiones vestras faciam non benedictiones, in significatione materiali significat maledixit, cui enim Deus maledicit, illi sanè contradicit. Cui autem Deus contradicit, ei omnes creaturæ eo ipso contradicere necesse habent. Sic puto in Jobo intendi hoc: Maledicant ei maledicentes diei, id est, illi jam, qui alias callent amaro & miserabili luctu ejulare & contradicere diei ad id invitati ut diem certum malum præcentur non fuisse diem, obque id jam exercitati in tali ejulandi genere. Hi clament, Dies non fit dies, nox non fit nox, **wehe dem Tage daß er jemahls ist erschienen.** In lege dicitur: Maledictus tu in exitu tuo, maledictus in introitu. Id est, cum exis omnia cedant malè, omnia se tibi opponant tibique contradicant &c. Omnia quæ hinc descendunt, eadem gaudent formâ.

39. Radix כפר in formali significat *texit*, sicuti solet fieri cùm cavemus, ne aliquid videatur, unde Rabbi Mardochai in concordantiis כל שפיר כסוי. Deinde in materiali significat *expiare*, ex quo discimus, quod expiatio, & כפיר in V. T. non sustulerit propriè dicendo peccatum, ita ut homo peccator amplius non fuerit revera, sed quod tantùm texerit, quod eo sensu accipi volo, quo illud vulgatum Peccatum originis per Baptismum tollitur, non ut non amplius sit, sed ut non imputetur. Quod eo magis innotescit, quando consideramus vocem כופר quæ sumi solet in Scriptura Sacra pro pretio, quando enim in Lege mandatum erat: Nolite accipere כופר pro anima homicidæ, illud כופר non purgat homicidam à peccato, sed tantùm tegit peccatum, ne animadvertat postea judex vel alius, eadem ratione sicuti spurius legitimatur à summo principe, literæ ipsæ non absolvunt hunc, sed tegunt tantum, nam neque Albis, neque Danubius abluet spurio, id quod est, quod rudi simili volui explanare. Reliqua nomina itidem in formâ convenire comperiemus, sicut כפורת quod duplici ratione habet convenientiam, tegebat enim arcam & coram eo ceu ἱλαστηρίῳ invocabant Deum, ut peccatorum non amplius recordaretur. Repurgandi & removendi significationes mediatè ab hac formâ descendunt. Significatio pagi vel oppidi cum formâ quadrat, quatenus talia sunt obscura & tecta. Et si quæ sint, sicuti revera adhuc alia dantur derivata rectè ad hanc formam reducuntur.

40. חרף significat detexit. Quam vocem eo lubentius assumpsi, quo cum majori admiratione lego titulos in Concordantiis Judaïcis, & deprehendo illos homines in scrutinio significationis tam ignavos fuisse, quam in conquirendis scrupulis sedulos, nam ita super vocem כל לשון חירוף וכל הנגול שמנו הן שפיר ושו׳ חלף גלוי הדבר או המזמין או נסיגה multa dicit, at formam non intellexit, unde גלוי postponit חירוף Et sic in aliis multis, ut notem occasionaliter, non argumentandum esse in lingua sancta ab ignorantia Judæorum ad ignorantiam Christianorum. Forma hæc occurrit 2 Sam. 23. v. 9. ubi de Heroibus Davidis dicitur, quod se manifestaverint Philistæis **da sie sich dem Feind præsentieret**/ sic enim rectè cum Germanis suæ linguæ oblivisci studentibus loquor. Cum hac forma congruit significatio *prostituendi*, unde in lege uxor dicitur נחרפת quia prostabit detectioni viri, in quo casu scortationis non mors sed בקורת vox forsan quibus Germanis correspondet **ein Kackschilling** pro pœna erat determinata.

41. Cum hac forma optimè concordat significatio opprobrii, nam detegitur hinc ignominia vel ficta vel vera, unde חרף non tantum significat simpliciter provocavit i. e. ursit detectionem alterius, sed & probris affecit vel probrose provocavit, sicut apud Germanos **bistu besser als ein etc.** חרף dicitur hyems vel autumnus, qui detegit terram, omnia enim quæ ornatu suo terram tegebant in æstate sæva hyems aufert, de quo alibi קרח gelu à decalvando dicitur. Sed omnia non possunt hìc allegari. Jam enim reminiscor, in initio hujus disputationis dictum esse de ענה quod video omnino aliquâ indigere demonstratione, at cum hæ chartæ nimis excreverunt, differam ea ad disputationem immediatè subsequentem.

DISSERTATIO V.

1. DUo imprimis pro procemio in disputatione hac noto, quæ quamvis omnia collectim assignare potuissem disputationibus quibusdam Procemialibus, studio tam mixtim proponere volui, ne exemplorum defectus in re visâ non adeo perspicua totum propositum redderet suspectum.

2. Primum est de Significationibus mediatis, nam dixi in th. 22. disput. præced. quod convenientia alia sit mediata, alia immediata. Immediatam vocavi eam, quando simpliciter ab ipsa radice & ejus forma fluit vox & ejus significatio. e. g. à radice אבה voluit dicitur אב pater à propensa voluntate.

3. Mediatam autem vocavi, quando mediante alia significatione sub forma contenta vox cum forma quadrat. E. g. ut semel assumtum אב retineam. Significat vox ea authorem. Quæritur jam quomodo cum forma conveniat, respondetur optimè, quia qui rei author est eam rem cujus author & initium fuit, voluit esse eamque amavit. Quo quidem satisfacere potero quærenti, at ut tantum exemplum propositæ distinctionis, quæ non nisi in extrema necessitate, quam incultus in hoc negotio ager sæpe imperat, est assumenda, allegem, etiamsi cum hoc Vocabulo opus non sit, dico אב dicitur author mediante significatione אב pater, nam sicuti pater est causa natorum suorum, ita ille vel ille quasi pater est hujus vel istius operis.

4. Non hæc ideo adscribo, quasi revera hic dependentiam mediatam statuerem, sed ut notem, sæpe videri quasi præter mediationem talem res esse salva nequeat. Interea satis videt lector, quid intendam tali mediatione, sicuti si quæratur, quomodo גאולה queat concordare cum גאל i. e. pretium redemtionis cum propinquitate, confugio ad convenientiam mediatam, statuens גואל Liberatorem & vindicem dici à propinquitate, quod cum evictum est, pecuniam Vindictæ seu pretium vindicationis dici à גואל & sic cum cæteris.

5. Alterum quod hic proponendum putavi, est distinctio vel divisio Formæ. Sicut enim in Logicis genus aliud est generalissimum, aliud subalternum, quod respectu superioris species, respectu inferioris genus, ita in hoc scrutandi genere deprehendi, aliud esse formale purum, aliud impurum. Impurum nihil aliud est, quam materiale, dicitur autem Formale respectu inferiorum.

6. Absit enim aliàs statuere vocem duplicem habere formam, quod mihi idem esse videtur ac hominem duas habere animas, quod simile tamen latius nolo extendi, atqui ego jam allego. E. g. ברא est in summa & prima & unica forma deduxit, à non esse ad esse produxit. Materiale primarium est Mirabili modo produxit, hoc respectu superioris verè dicitur & est materiale, respectu autem inferiorum dicitur mihi formale, nam comprehendit sub se ex nihilo produxit, ut primarium, noviter produxit, ut secundarium, si quæ sunt, quavis etiam ratione dicantur, sub his continebuntur.

7. Hæc duo jam pro prooemio volui, quamvis enim plura essent, differre tamen ea volui ad subsequentes disputationes. Jam autem libet in continuatione ordinarii Scrutinii progredi ad radicem חלף cujus formale dico esse mutavit. Hanc formam expresse puto contineri Esai. 24. חלפו חק mutarunt statutum, quod eo avidius arripio, ut habeam occasionem, hic pro testimonio quasi pro prooemio explicandi, quod, quamvis generale & formale in hoc scrutandi genere mihi sit unum & idem, tamen hinc non sequatur, quod sicuti genus non est extra suas species ex parte rei, quamvis extra eas concipiatur, nam in hoc scrutinio genus & formale etiam sæpe extra suas species per se subsistunt, quod quamvis in hoc jam allegato exemplo ex asse non videatur probari, tamen verissimum est alibi, sicuti, ne longius recedam, assumere placet החליף ex hac radice descendens, qua voce utitur Jacob, quando dicit de Labane, quod decem vicibus mutaverit mercedem, quod mutare sane ibidem pro corrumpere simpliciter intelligi non poterit. Ut autem sit, cum occasionaliter sese exhibuerint alia exempla, fideliter illa allegabo. Hoc formale continet sub se materiales significationes. Mutatio enim hæc sumitur, quando in malum, & significat corrupit, quando in bonum, & significat renovavit, restituit, quando de loco, & significat, præteriit, vel si adhuc alia hujus rei dentur genera. Ecce tres significationes ex una radice, hæccine inducant merito ambiguitatem Scripturæ! Minime, nam unica est propria hujus radicis significatio, quam dixi esse *Permutavit*. Sic cum dicit Jacob ad familiam suam, החליפו שמלותיכם non sum sollicitus quam significationem assumam, prævalet enim proprie. **Ziehet andere Kleider an.** Cum lego 1. Sam. 10. in verbis Samuelis ad Saulem וחלפת non devolvor statim ad significationem perdendi, quasi novo Regi Saulo potestatem daret Samuel deprædandi & expilandi suos subditos, **Gehe hin und lege dem Städtlein so viel** Contribution **auff/** Minime, sed, Et mutato exinde; quid hoc mutare erat? mutato locum **Gehe von dannen weiter.** Esa. 41. dicitur ולאומים יחליפו/ כח ibi non laboro in scrutinio præferendæ significationis, nam assumo, *Et populi mutent robur* i. e. renovent robur, Cur non perdant robur? assumatur versus præcedens וקווי יקוה יחליפו כוח & sperantes in Dominum *renovent* robur. Sequitur enim יעלו אבר כנשרים ירוצו ולא ייגעו ילכו ולא ייעפו:

8. Descendentes Voces necesse est in hac forma conveniant, quarum primum exemplum jam placet evolvere חלף adverbialiter etiam sumtum, sicuti legimus in lege divina Num. 18. ולבני לוי הנה נתי כל מעשר בישראל לנחלה חלף עבודתם pro ministerio ipsorum i. e. in recompensationem vestri laboris, unde in versu 31. ejusd. cap. dicitur שכר pretium pro labore. Quæ particula magnum lumen infert in N. T. Syriaco, quando de pretio & satisfactione Christi pro peccatis nostris agitur, ubi Hæretici particulam Græcorum περὶ & ὑπὲρ possent ut ambiguam satis detorquere, at cum ad N. T. Syriacum descenditur, & legitur ibidem vox חלף statim cadit detorsio. Hinc legimus in Syrica Versione in Epistola ad Hebr. cap. 2. v. 9. הו גיר אלהא כטיבותה חלף כלנש טעם מות *Ipse enim DEUS* Pro i. e. Vice omnis hominis gustavit mortem i. e. **An statt aller Menschen hat er den Todt geschmecket/** Quæ quamvis apodictice non confundant Hæreticos, ceu ex versione desumta, tamen testantur eo tempore, quando ea versio est concinnata, eam fidem fuisse in Ecclesia.

9. Reliqua hinc descendentia non attingam, sufficit enim hic mihi dedisse formam, in discursu autem publico, quomodo derivata cum forma congruant, demonstrare.

10. ען pro forma habet *Habitavit*, sicuti scriptum est in Esa. וענה איים At dices hanc radicem non significare habitavit sed *cantavit*. Quamvis enim R. Sal. in comment. suo super Esaiam explicet per יגורו, A. E. dubius etiam in eam sententiam discedere videatur, cum dicit וענה איים לשון רכים מן איה יענה טעמו נגון או דירה מגורת מען prævalere tamen merito R. D. Kimchi qui per יצעק non tantum explicet, sed & loca parallela adducat, & præ his omnibus magnum Lutherum Rabbinum Christiani orbis famosissimum explicantem, **und Eulen in ihren Pallästen singen.** R. certent alii Grammaticaliter, mea parum interest, sive vox ענה significet Claudicavit, vel hæsitavit, vel aliud quid, in hoc negotio mihi una Vox non claudit viam, dico ergo, etiamsi ea vox verbalis in Scriptura Sacra nunquam adhibeatur, revera tamen formam esse *habitandi*, assumo enim מען quod significat habitaculum, sicut legimus in lege השקיפה ממעון קרשך *Respice ex habitaculo sanctitatis tuæ.* Satis multa loca hanc significationem confirmant.

11. Descendentia etiam necesse est in hac forma conveniant, utpote 1. עין *oculus.* Nam oculus in primaria & propria sua significatione Deo competit, quia oculus Dei עין יהוה nihil aliud est quam cohabitatio & adessentia divina suis Creaturis, & omnibus rebus, Hominibus autem tribuitur quatenus, quamvis modo imperfectiori, per oculos rebus dissitis satis sunt propinqui. Et cum hæc videantur indigere quadam explicatione operosiori, ecce subsequentem discursum. In Scriptura Sacra dicitur quod oculus Domini sit super timentes, i. e. Dominus ipse adest gratiose se timentibus ad eripiendum eos, & oculi Domini non tantum dicuntur in Sacris esse in omni loco, quia revera Deus omnia videt, sed quia omnibus creaturis suis simul est præsentissimus. Quorsum referri non absurde autumo locum quendam Zachariæ משא דבר יהוה בארץ חדרך ודמשק מנחתו כי ליהוה עין אדם וכל שבטי ישראל Nam ibidem datur ratio quomodo queat esse Verbum Domini in Hadrach & Damasco. Quia Dominus habet oculum hominis, & omnium tribuum Israelis. Nolo hic recurrere ad privatam quandam opinionem, & dicere sensum rationis esse hunc. Nam Jehovah ipse fiet homo, & oculum habebit sicut homo in genere & omnis Israelita, quod in J. Nazareno est adimpletum, nam quæ ibidem dicuntur, facta sunt post adventum Messiæ in carnem, sed dicam cum Luthero, **Denn der HERR schawet auff alle Menschen/ und auff die Stämme Israel.** Quæro autem, quomodo hoc **Schawen** fiat, sane per præsentiam in hoc loco. Verbum Domini promittitur, Dominus ergo non est excludendus qui per Prophetas loquitur. Et ita ratio satis esset congrua. Vidit hic procul dubio aliquid magni Lutherus cum dicit in notis ad hoc caput. 2. In Ebr. Dominus est oculus hominis, & omnium tribuum Israel, quid autem viderit certo dicere nequeo. Oculus hic divinus variam habet denominationem in S. S. sicuti variis beneficiis & poenis præsens solet esse Deus. Et ne descenderemus ad crassas & carnales cogitationes, quasi Deus corporeos & humanos haberet oculos, satis clare protestatur Scriptura, cum dicit Job: Num ô Deus tibi oculi carnis sunt, num tu vides, sicut homines videre solent, q. d. Tu nequaquam ita vides, nam homines, quod ex contextu istius loci depromo, vident quidem, at non accurate, necesse habent assumere Testes, qui de re visa Testimonium perhibeant, Deus autem ita videt, ut non egeat Testimonio cujusdam, unde de Messia dicitur in Esaia, quod non secundum visionem oculorum judicabit i. e. oculorum humanorum testibus ob fallibilitatem scientiæ indigentibus. Nam videt adessentia sua, quod Job non obscure innuit, cum dicit, Deum adfuisse ut causam formationi sui in utero materno, quæ ideo dixit sane, ut notaret contra Bildadum Deum non sicut homines debere convinci in disputatione de justitia vel de injustitia hominis, sed ipsum scire quid sit in homine, sicut recte inspicienti textum Jobi ibidem ad oculum patescit.

12. Præsupposita hac propria & primaria significatione עין quatenus Deo competit, suppono significationem oculorum, quatenus competunt hominibus, & secundario significatio ista hominibus competit, quia ad formam & imaginem oculorum Dei in ineffabili distantiæ gradu habent oculos, ut cuivis sano notum est. Nam hic non valent Declamationes Concionatoriæ, non allegationes Calepino-Daspodianæ vel aliorum Ludimagistrorum, qui à nobis desumendam esse Metaphoram docuerunt, nam ipsorum ars hic non probatur iis qui parum se ipsorum regulis Ludimagistralibus jutos esse deprehendunt, hic valeat ratio, in Latina lingua res est alia, ibidem sint Doctores.

13. Postmodum significat oculus etiam *statum* alicujus, ubi video commodum mihi exemplum exhiberi convenientiæ mediatæ. Nam non immerito hic dubitatur de convenientia, verum cum respicimus ad mediatam, res salva est, nam עין oculus solet sumi pro externo etiam respectu & aspectu, consequenter etiam pro interno. Hinc עין statum etiam externum signare potest 2. Sam. 16. ubi David dicit, *Dominus respiciet statum meum*, quamvis nec hic quidem ego ex toto corde statuam convenientiam mediatam, sed tantum, ut melius vocem Lectori explicem, hæc ita dicam, nam עין quando *Colorem* quasi significat magis cum hac forma mediate quadraret, quo magis cum *Viæ ductorem* notare videtur in lege.

14. At meum non est, hic omnia derivata excutere, sed simpliciter dicere, convenire quævis etiam illa sint cum forma. Unde non est ut prolixe disputetur à me de voce עונה, num significet certum tempus, idque determinatum & statutum, nam ego maneo in mea forma, & dico significare cohabitationem à Viro debitam conjugi, sive id in æstate sive in hyeme fiat. Et si quæ sint alia, ut revera sunt, ad hanc formam reduci ea perquam necessarium est.

15. Imprimis autem necessarium esse judico, ita continuare hoc Scrutinium ut omnibus constet, quomodo maxime vari-

variantes ſignificationes ſub unam formam redigi queant. Sic alias mirum videbitur Lectori Scripturæ Veteris Hebraicæ ejusque ſolius authenticæ, quomodo עש ſignificare queat & *tineam* & *Sydus* quoddam, nam in Jobo dicitur, Angelos etiamſi tam puri ſint, ut reſpectu puritatis hominum eos ceu impuros condemnare queant, & percutere eosdem *ante tineam* i. e. ante mortem, tamen reſpectu Dei impuros eſſe. Alibi dicitur in Jobo & à Jobo עושה עש faciens Sydus dictum עש, quæ hic convenientia? Hic nolo mihi opponi vocem Canis, quæ & cani cœleſti & terreſtri attribuitur, nam quamvis & ibidem habuerint rationem denominationis nominis talis impoſitores, nunquam tamen patiar alligari me ad humanos conceptus, ſed maneo in mea lingua ſancta, ubi Spiritus ſancti verba ſæpius audio, ibi jam dico, עש dici & tineam & Sydus à congregatione, nam radix eſt עש congregavit. Tineæ enim gregatim ſolent invadere devoranda. Sydus illud, teſte Aben Eſra שנעה כוכבים/ teſte autem Ralbag צירות בגלגלי הכוכבים In eo autem conveniunt, quod ſit collectio ſtellarum &c.

16. Radix גהה ſignificat in forma *tollere malum*, unde dicitur in Joſea, quod Rex Aſſur non potuerit *tollere* dolorem & vulnus, ita ut nos hodie pro medicari hac voce uti queamus. Deſcendens vox גהה ſignificat *Medicinam* ex quo fundamento Salomon dicit לב שמח ייטב גהה **Ein frölich Hertz hilfft zur Geſundheit / iſt halb Zehrung / iſt eine gute Artzney.**

17. גוע ſignificat *expiravit*, jam opus non eſt addere, *leniter mortuus fuit ſine morbo & dolore diuturniore*, quando *quis facile moritur, ita ut non diu decumbat.* Nam tunc nimis multa loca Scripturæ ſunt quæ contradicant.

18. Has duas faciles radices ideo volui hic injicere, ut occaſionaliter promittam, me, ſi Deus volet, velle omnium radicum dare formale, quod quamvis antea nunquam conſtitueram, video tamen ſummam id efflagitare neceſſitatem, cum noſtrum ſeculum quidem dicatur eruditiſſimum, at in multis tamen deprehendatur cæcutire, ex quibus *ſana doctrina* unice petenda eſt. Quare jam ad alias voces me accingo, & primo quidem vocem ענה

19. Quam radicem in ſuo formali dico ſignificare *Similis fuit*. Tetigeram hanc in præcedenti diſputatione, jam autem eam formam ex profeſſo defendam. Materiales ſignificationes ſunt. *Incepit loqui, reſpondit, exaudivit, cecinit, deteſtatus eſt, depreſſus, humiliatus eſt*, & ſi ſint aliæ, quas omnes ego dare non teneor, qui in danda prima & formali ſignificatione ſum occupatus. Incepit loqui, convenit cum forma, nam qui incipit loqui, ille ſuum ſermonem ſimilem facit conceptui ſuo. v. g. Cum Jobi 3. ſcriptum eſt, ויען איוב Et incepit Job & dixit, ibi Job maximam ſuam miſeriam, quam conceperat, exprimit, & ita ſua verba facit ſimilia cordi.

20. Ex his patet facile, quomodo reſpondit, cecinit, & teſtatus eſt, cum forma quadrent, quod ulteriori explicatione opus eſſe non judico. Unde etiam nomina hinc deſcendentia optime applicantur. Exempli gratia מענה *Reſponſum*, quia reſponſum debet ſimile eſſe & conceptui & quæſtioni, unde hodiernus mos in reſponſionibus ad quæſtionem non pertinentibus tantum improprie dicitur מענה/ nam in conceptu aliud habent, quod cum vident non infringere verba proximi, vel ſibi non eſſe appropriatum, occultant, & aliud dicunt, quod ratione aliqua dicitur reſponſum, quamvis altera ratio in convenientia ad quæſtionem conſiſtens plane exulet.

21. Adeo autem vera forma eſt, ut & particulæ יען & למען de ea participant, *propterea*, **Weilß an dem iſt /** ut Germanorum Oratores ſuperſtitioſi loquuntur, q. d. Cum hæc ſeſe ita habeant, neceſſe eſt hæc ſequi, Eſſe ſimilitudinem in forma.

22. Vox יענה ſignificat avem quandam in locis deſertis habitantem, & juxta Schindlerum à Voce & planctu ferali, quo ſibi invicem reſponſant, fame vel ſiti laborantes. Prius meum confirmat R. D. Kimchi in commentario ſuo ſuper cap. 13. Eſaiæ, cum dicit: ודרך היענים לשכון במדבר ובמק מות החרבים & addit hic Rabbi has aves derelinquere pullos ſuos, ad quod, ut poſterius probem, procul dubio Schindlerus reſpexit. Et hæc denominatio eſſet mediata.

23. Vox מענה *Sulcum* ſignificans, etiam cum forma quadrat, nam dicitur Sulcus מענה ideo, quia habet ſimilitudinem Vomeris, nam pro quantitate vomeris quantitas excreſcit Sulci, & dum hanc Vocem conſidero, imprimis in collatione Pſalmi cujuſdam ubi ſcriptum eſt, quod hoſtes protraxerint ſuos ſulcos, video dandam mihi eſſe rationem, quomodo, quod ſupra erat omiſſum, ſignificet *Oppreſſus fuit*, *afflictus fuit* cum forma ſimilitudinis conveniant; videlicet ita: Quia qui affligit, ille ſuis cogitationibus ſimilem reddere ſtudet affligendum, vomer facit ſulcum pro ratione potentiæ quantitatis ſuæ, homo affligit hominem pro ratione potentiæ ſuæ, & ita in afflictione eſt quædam correſpondentia, ſic quando de Chriſto dicitur in Eſaia נגש והוא נענה ולש ופתח פיו *Chriſtus eſt oppreſſus*, accentus magnus conſtituit comma, והוא נענה *nam ille ipſe eſt afflictus*, quid hic diſcriminis inter affligi & opprimi, reſpondeant Latini Critici. Ego hæc non intelligo, inter נגש autem & נענה hoc eſt diſcriminis, נענה formam habet in ſimilitudine נגש in urgere. Cum ergo Propheta dicit, Oppreſſus eſt, hoc vult, *Dolor ſuper dolorem Chriſto eſt immiſſus.* Ratio datur, quia נענה afflictus eſt, i. e. *quia ſimilitudo quadam mali ei eſt inflicta*, nam ſicuti omnia peccata tulit, ita etiam omnis generis mala eum oppreſſerunt ineffabili modo. Hinc de hac ſimilitudine agens Spiritus Sanctus, *ita eſt* נענה *ut non aperuerit os ſuum, ſicuti pecus, quod ad mactationem ducitur, ita eſt* נענה *ſicuti ovis, & quæ ad mactationem ducitur, & quæ coram tonſore ſuo obmuteſcit, ita ille non aperuit os ſuum.* Noli ergo ridere cum tibi primum videntur obſcura, nam omnino hic à conceptibus Latinæ linguæ mens eſt attollenda ad ſanctam. Dices *ſimile mali* eſt in omni afflictione. R. cum S. S. hac voce נענה utitur ex contextu ea ſimilitudine correſpondentia notatur præcipue, reliquæ voces oppreſſionem inducentes alias formas habent, quæ bene ſunt diſtinguendæ. Sic locus alius Eſajanus mentem meam dilucidiorem faciet. Cum enim Deus deſcribit & arguit quoſdam, quod Confoederationem in Eſaia Deo Exosissimam & præſidium in Ægypto quærebant, & interea Domini auxilium non reſpiciebant, inducit ſimile de Leone, ſumma autem & vis argumenti hæc eſt: Leo cum prædam habet, deſpicit totam multitudinem paſtorum clamore terrere direptorem ſtudentium מקולם לא יחת *à voce ipſorum non conſternabitur*, ומה מינם לא יענה & à tumultuoſo concurſu non affligetur, **Er wird darnach nicht fragen / er weiß / daß / was ſie dräwen / ihn nicht treffen kan /** novit, quod mali proclamati ſimile ſuo corpori numquam imprimendum ſit, ſic Canis Major Ruſticus לא יענה quando catelli delicatuli latrant. *Ergo* ענה *conſideratur in relatione* quam pluribus hic deſcribere, ſupervacaneum eſſe duco.

24. Unde ſimpliciter dico, omnia, quæ ab ענה deſcendunt, habere debent formam ענה vel mediate vel immediate, adeo ut & Arabis ענה ſignificet *ſignificat* ſicuti videmus in proverbiis Arabicis, ubi inter parabolam & explicationem ejus datur עני/ nam tertia eſt ex Hebræorum ה. Et apud Rabbinos videntur quaſi collectim eſſe omnia in voce ענין quæ ſignificat, *Significationem*, *Moleſtiam*, imo verba Schindleri ſunt, *Transfertur ad omne negotium, & occupationem imo & rem quamcunque ſignificandam*, ut taceam formam eam expreſſe etiam in Codice Hebraico dari. Sed quicquid ſit, ego omnium, nam multæ adhuc hic latent ſignificationes materiales, rationem dabo in diſcurſu publico.

25. Jam pergo ad ירה/ Cujus formale eſſe dico *dijecit*, Materiales, *ſortem jecit, jaculatus eſt, irrigavit, docuit.* Cum autem ego allego radices, parum curo, in qua ſint conjugatione, ſimpliciter enim dico, in talibus tribus literis talis eſt forma, quæ pro ratione Conjugationis & contextus certam induit materiam. *Irrigavit* cum forma quadrat, nam dejicitur pluvia ex cœlo. Dicas, *irrigare* fieri etiam ſine pluvia. R. Ergo tunc in Scriptura non adhibetur הורה/ ſed aliud quid. Hoc irrigare autem fit mediante pluvia, unde & מורה & יורה pluviam notant. *Docuit* convenit cum forma, nam dejicitur doctrina in aliquem, niſi magis placeat mediata convenientia ab *Irrigando*, nam hic haberet ea ratione etiam locum, diviſio generis & diſtinctio ejuſdem, adeo ut הורה in genere ſub alterno ſit forma τῦ docere, nam qui docetur, ille quaſi irrigatur, ut creſcat & producat fructus. Placet ſub hac radicis duplici ſignificatione aſſumere locum ex Hoſea, qui videtur eſſe intricatus & dubius.

26. Eſt autem locus Hoſ. 10. v. 13. ויורה צדק לכם quid jam dicam Lector, & *dimittat juſtitiam vobis*, vel & *doceat vos juſtitiam*, vel *pluere faciat vobis juſtitiam*, ſicut Luth. **Und regene über mich Gerechtigkeit.** Hæc videntur probari, nam oppoſitio eſt nimis craſſa. Metaphora enim deſumpta eſt à ſeminando &c. Verum ſi Hæreticus contradiceret, maneo in forma, & dico, *usque dum veniat Jhovah, & dimittat juſtitiam nobis*, hoc percepto, quæro qua ratione dimittat: per pluviam, vel per doctrinam, quid reſpondendum ſit, quivis videt, ubi tamen non poſſum, quin hic notem, quam eleganter in S. S. alludat Spiritus S. ad formam, ubi etiam ſæpe ipſa oppoſitio ceſſare debet, unde cum hic dicit

ויורה **Er wird euch regnen lassen** i. e. in copia dabit; i. e. de cœlo dabit. i. e. mirabiliter dabit. Hæc autem nihil præjudicant modo communi, qui est in docendo, **Er wird euch Gerechtigkeit lehren.** תורה & aliæ significationes optime quadrant, sed de his publice.

DISSERTATIO VI.

1. IN ordinario Scrutinio progrediens assumo primum vocem הלל, cujus formale dico esse *conspicuus fuit.* Num hæc forma expresse in Scriptura contineatur nec ne, parum curo, quamvis eam dare possem. Nam non respiciendum est in hoc scrutandi genere ad tertiam personam præteriti conjugationis primæ tantum, sed ad 3. literas, quæ formam non tantum in verbis, sed & in nominibus repræsentant.

2. Hæc forma verificatur in omnibus vocibus, quod ut probem semper præsuppono, & hic semel pro semper præmonere volui. Significat ergo *nituit*, *splenduit.* Unde Iob dicit בהלו נרו Luther. **Da seine leuchte über meinem Häupte schien/** quando conspicuum erat DEUM ducere me ex magnificentia in magnificentiam, quando principes & seniores me reverebantur. Rabbi Salomo /לשון אור ישמח Ralbag כאשר היה מאיר נרו Nihil enim magis est, per quod conspicuum reddi queat aliquid nisi Lux, unde Germani dicunt: **Ans liecht bringen.** Quid sit statuendum de loco alio in Jobo, ubi Bildad dicit הו עד ירח ולא יאהיל dicam publice.

3. Ex hoc fundamento & ex hac significatione dicitur in Esaia: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer? Nam Rex Babel, qui ibidem in oratione quarta Esaiana est objectum tractationis, maxime conspicuus rex erat seu Imperator præ reliquis omnibus terræ Dominis, dicitur autem cadere de Cœlo, cum deturbatur ex sua majestate, nam שמים pro formali suo habere *excelsum*, demonstravi in disputatione quadam præcedente.

4. Postmodum significat etiam *laudavit*, forma quadrat, quem enim laudo, eum conspicuum reddo, ex hoc vel illo fundamento, unde dicitur in Esaia בית קדשנו ותפארתנו אשר הללוך &c. Domus sanctitatis nostræ & decoris nostri, in quo te laudarunt majores nostri, laudarunt i. e. conspicuum reddiderunt. Nec opus esse duco multis locis Scripturæ idipsum confirmare, cum & in aliis linguis id certo suo respectu obtinere videatur. **Ein berühmter Mann/** vir clarus & conspicuus, omnibus quasi ob oculos versatur sive id fiat amore vel invidia, parum interest, forma quadrat. Placet tamen pro hac significationis ratione producere locum ex lege, cum ita scriptum est. ובשנה הרביעית והיה כל פריו קודש הלולים ליהוה Lutherus: **Im vierdten Jahr aber sollen alle ihre Früchte heilig und gepreiset seyn dem HErrn/** super quæ verba Rabbi Salomo ita commentatur מעשר אינו נאכל חוץ לחומת ירושלם אלא בפריון אף זה כן ודבר זה הלולים ליין היה שנושאו כם לשבח ולהלל לשמי A quo non dissentit etiam Aben Ezra in suo commentario super hunc locum קודש הלולים להלל שם וזהן יאכלנו. Nam ut ad formale meum redeam, solemniter laudabatur Dominus ob fructus novos, & ita conspicuus reddebatur, in hoc & ex hoc puncto, sive cum hos fructus in anno quarto tulerint in templum Domini juxta sententiam & Judæorum & meam, sive reliquerint eos in suo loco, tamen dicebantur esse קודש הלולים &c.

5. Multa sunt loca quæ hujus significationis robur confirmant, at placet descendere ad alia, & ut transiliam ea, quæ cum *laude* habere videntur commercium, transibo ad significationem visam maxime oppositam.

6. Dico ergo הלל significat etiam *insanus*, *stultus fuit*, *brutum fecit* & quæ his correspondent & ad indecorum vel vile nimis vergere videntur. Hinc in Jobo scriptum est: Et Iudices יהולל, ubi vox הולל sane non significat laudavit sed inglorium reddidit. Vere enim hoc opus divinum est, ut cum ii qui judicare debent, bruta publicant decreta, & contra justitiam mandata & leges promulgant, tandem inglorii redduntur, sicuti hodie in Germania exempla satis copiosa id testantur.

7. Quæris autem, qui hæc significatio materialis quadret cum forma. R. Optime, nam in Scriptura hæc significatio talibus applicatur, ubi recte dicere queam conspicuus est in stultitia, nam sicuti dico conspicuus est in decore, ita etiam vi oppositionis, cum de genere loquor, dicere possum, conspicuus est in stultitia. Sic dicitur in Psalmo אמרתי להוללים אל תהלו Dixi stultis, nolite stulti esse, ii qui erant jam noti in stultitia, ipsis dicebam nolite pergere &c. Ad similem formam dicit Jeremias: *Et bibent & cespitabunt & conspicuos se reddent in dedecore &c.*

8. Hinc in Esaia in oratione tertia arbores viles dicuntur etiam נהלולים in quibus consessuræ prædicuntur apes & muscæ, quas sibilo advocaverat Dominus, & si quæ alia sunt, omnino ad hanc formam reducantur, necesse est.

9. Radix היכל significat in formali suo *palatium.* Forma hæc nominis solitaria non est, nam similis est in voce איתן in materiali significatu significat templum Jerosolomitanum, quia illud dicebatur recte palatium DEI Israelis, qui ibidem habebat servos stantes in atriis.

10. Formalis significationis exemplum est in Proverbiis, ubi היכלו מלך palatia regis nominantur. Sic dicitur in libro primo Regum, quod Naboth habuerit vineam vicinam palatio Achab &c.

11. Materialis autem significationis exempla satis etiam sunt multa in Scriptura. Nam in Malachia dicitur, quod Dominus sit venturus ad היכלו ad templum suum, quod erat secundum, quod expresse reædificandum dicitur היכל. Hodie autem in N. T. potest etiam tota Ecclesia dici היכל postquam certus & uni regioni alligatus locus esse desiit. Sed hæc facilia sunt, nam in Jeremia expresse ter repetitur היכל יי' היכל יי' היכל יי'/

12. Radix עלם in formali suo significat *absconditus fuit*, forma hæc hinc inde in Scriptura Sacra est conspicua, sic in historia Reginæ Saba dicitur לא נעלם דבר משלמה & in aliis sat multis locis.

13. Num adhuc materiales significationes in verbo hoc occurrant, ut scrutemur, videtur esse supervacaneum, sufficit enim cum dantur, me posse formam hanc applicare, incidit autem jam locus ex Jobo הקודרים מני קרח עלימו יתעלם שלג. Qui tristes sunt seu qui timent gelu *aut pruinam super ipsos cadet nix*, Luther. **Doch welche sich für dem Reiffen schewen/über die wird der Schnee fallen.** Ergo יתעלם hic significat cadere. R. Optime omnia, ut forma quadrat, nam nix non ita cadit, sicut cum ebrius de scala deturbatur, sed & semper operiendo se & occultando cadat. Hinc elegantissimus modus iste dicendi est in Jobo, ubi simul res & modus rei describitur in una voce, quod & alias fieri posse alibi demonstravi. Tentet aliquis & contempletur nivem cadentem, stet per horam, quæ cecidit, occultatur, & sic in cæteris.

14. Hinc descendit עלם & עלמה *virgo & juvenis*, qui dicuntur tali nomine, quia adhuc sunt absconditi nec prodire debent, unde mos veterum solet allegari, ubi inprimis detentæ sunt domi virgines, ut possent dicere: casta virgo sum nec ὑπερέβην πατρικὸν οἶκον allegante hæc Schindlero, sicuti apud Germanos econtra etiam **eine weit und breit gewandert und versuchte Jungfraw/** Virgo caute dici solet. Potius autem puto denominationem hanc esse à latendo vel ab absconsione rerum, nam sicuti merito Cani loquuntur, ita juvenes ob imperitiam & rerum occultationem seu absconsionem taceant. Res autem sunt variæ, vel quæ pertinent ad scientiam divinam, vel politicam vel naturalem &c. Unde etiam העלמה virgo dicitur, quæ virum non cognovit, cui adhuc abscondita sunt ea, & quæ adhuc ipsa ab iis quasi est abscondita.

15. Talis עלמה recte dicitur virgo Maria, quæ ad Angelum dicebat, *Virum non agnosco* q. d. Virgo sum, ubi autem pariunt virgines? Talem virginem proponebat Deus Achazo, Nam Achaz in oratione tertia Esaiana dicebat, Quomodo ergo possum liberare meam Regiam videlicet Jerusalem, cogor mittere legatos ad Regem Assur, qui Israelitas & Syros occupantes totum meum regnum expellat. Respondet. Si virgo potest parere & manere virgo, quod alias est absurdum, etiam civitas tua manebit virgo & intacta &c.

16. Quod autem Judæi putant ex Proverbiis dari contrarium exemplum, valde dubium est, & contra optime virginitatis nomen urgeri potest à nobis, qui ex contextu & reipsa de re judicamus. Pono casum, Hyppolitus juvenis amat filiam Sebastiani, hic via Hyppoliti est in filia Sebastiani, veniat filia Sebastiani ad Fabianum vel alium quendam, nec hic nec iste nec alius quidam cognoscit viam Hyppoliti in virgine, eodem modo sicut viam serpentis in petra, navis in mari, aquilæ in cœlo, nullum enim relinquunt post se vestigium, nam in relictione vestigii hic conveniunt. Hiccine, Judæi, necessarium est, ut dicam העלמה significare juvenculam uxorem, nam ea esset vel propria vel aliena, aliena non est, sed propria, nam ea opponuntur. Si propria, an non via juvenis mariti est in juveni marita? Maxime, at non ita ut in hoc loco describitur via, cujus non relin-

relinquitur vestigium vel datur omnino. Nam filia Sebastiani ne novisse quidem potest Hyppolitum, & tamen ejus via in ea esse potest, quam nec ea nec alius quidam pervestigare potest. Ergo omnino, cum nullibi עַלְמָה sumatur extra talem significationem, in Esaia est virgo & non uxor juvencula pariens.

17. עולם etiam cum forma probè quadrat, est enim tempus vel quasi absconditum, unde aliquando sumitur pro seculo, ita ut dicam: Hoc seculum est in quo vixit iste vel iste. Longum tempus in quo facilè res occultantur, imò etiam Deo solet quandoque tribui. Sed quicquid sit, publicè omnium dabo rationem, quæ hinc descendunt, sive enim ego nominem sive non, cum forma debent convenire.

18. Radix כבד significat formaliter *gravis fuit*, Forma hæc satis est conspicua. Sic dicuntur graves oculi Jacobi &c. Et ut paucis me expediam, dico, materiales significationes benè posuit Schindlerus his verbis: *Quantitate* aut *qualitate*.

19. Hinc omnes significationes materiales sub hac forma כבד contentæ rectè applicari possunt, sive contineant ea *numerum* sive *divitias*, *honorem*, gloriam. Sic in significatione numeri dicit Job יכבדו בניו ולא ידע Mortuus nescit, num multiplicentur filii ejus vel num minuantur. Alia quæ hinc descendunt, omnia quadrant optimè.

20. Radix כהן in formali suo significat *administravit*, in materiali *administravit officium Ecclesiasticum* & ita significat *Sacerdos fuit*, vel administravit *officium politicum*, & significat *Dux, princeps fuit*. Dicas hìc, cur non significat etiam administravit officium sutorium, sartorium vel mercatorium, quia & illa politica sunt? respondeo, nunquam extendendæ sunt materiales significationes ultra præscriptum Scripturæ Sacræ, nam aliud habet formale ars sutoria & sartoria, aliud mercatoria, illud enim consistit in filo, hinc in Syriacâ lingua formatur nomen consuendi, ut in N. T. Syriaco legimus, & Rabbini חיט vocant sartorem & sutorem, sed hæc obiter.

21. Ad rem redeuntes dicimus ipsam formam cum sua materia in lege Mosis satis esse fundatam. Unde in Exod. 28. dicit Deus ad Mosen de Aharone & filiis ejus: *Et sanctè segregabis ipsos ut serviant mihi ut administrent mihi* officium, quale autem hoc fuerit, docet contextus nempe in administratione sacra.

22. De administratione politica nec est quod dubitemus cum filii Davidis expresè vocentur כוהנים, sic, etiam hoc nomine vocari arbitror Jethro socerum Mosis, qui dicitur כוהן מדין, num ipse Jethro fuerit Sacerdos vel princeps Midian, si Judæos consulere velis, dicent fuisse principem. Nam Targum explicat per רבא דמדין sic & in capite præcedenti secundo cum dicit textus Hebraicus ולכהן מדין Targum explicat per ולרבא דמדין / sic & Rabbi Salomo vertit per רב כהן Quicquid autem dicatur ab his Judæis, ego arbitror hunc non tantum ibidem fuisse ducem & Dominum Midian sed & sacerdotem. Nam antea in primis annis obtinebat jus primogenituræ & Regnum & Sacerdotium quod præsertim Jacob ante mortem distinguebat, quando Josepho primogenituram, Judæ Regnum, Levi autem Sacerdotium donabat, quod ipse habens de jure divino filiis suis concedere poterat.

23. Duplicem eam personam sustinuisse Melchisedechum, constat ex Genesi, qui erat Rex Salem & Sacerdos Dei excelsi, cum quo in Epistola ad Hebræos confertur Messias Dominus noster, sed hæc sunt clara, nec ulteriori opus habent indagine.

24. Unum autem adhuc antequam ab hac radice abeam, monebo. In Esaia dicitur כחתן יכהן פאר Lutherus: **Wie ein Bräutigamb mit Priesterlichem Schmuck gezieret.** Sicut Sponsus יכהן coronam. Quid hic dicendum Lector, nam juxta formam meam, versio ita erit formanda, sicut Sponsus qui administrat coronam. Sed omnis difficultas exulabit, cum consideraverimus vocis כהן genium accuratius, sacerdotum כהן erat ordinarium & necessarium, hinc desumitur modus dicendi & applicatur ad Coronam vel sertum Sponsi, quod necessario sponsus existens debebat sibi imponere, sicuti suum ornatum sacerdos necessario debuit sibi applicare in ministerio.

25. Et si quæ sint alia quæ hinc descendunt cum forma omnino debent quadrare, sicuti videmus in כהונה ex quibus & alia multa visa incommoda in Scripturæ explicatione salvari queunt.

26. Vox שחק attenuandi formam habet, unde Job dicit אבנים שחקו מים lapides attenuant aquæ, ubi tale argumentum vult formare, neminem qui mortuus est, posse revivisсere, & ut præcaveatur suspicio durioris nimis dicendi generis dicit: Sicut mons cadens nunquam fit iterum mons, sicuti petra ex loco suo semel remota nunquam pristinum locum occupat, sicut id, quod ex stillicidio est lapidi ademptum, nunquam eidem iterum superadditur, sicut pulvis terræ, qui ex inundatione aquarum est deportatus, nunquam in locum suum venit, ita & homo non in vitam reducitur, at quomodo? naturaliter, nam aliàs omnia exempla essent falsa, unde in prioribus verbis dicebat, *Non resurgent*, donec cœli, id est, Deus resuscitaverit.

27. Descendunt autem hinc diversæ visæ significationes *pulvis & Cœlum*, significatio pulveris occurrit Esaiæ 40. ubi dicitur de pulvere bilancium, cum quo conferuntur homines, significatio cœli vel aëris Esai. 45. At hæc quam etiam diversa esse videantur omnino convenire debent in forma, ex quibus judicent homines de felici successu hujus scrutinii, cum maximè visa diversa sub unam formam reduci posse deprehendunt, nec sesquipedalibus verbis apud alios potentiam suam impediendi hæc, quamvis autor eis ne id quidem cum ejus generis homuncionibus centum in unum mortarium contusis additis etiam pro succo materiam facilitante mille & viginti quinque monachis cappatis, tribuat, sed eorum tacitè, speciali solamine lætus commisereatur, deprædicent, conveniunt autem sub forma hæc diversa ita, pulvis dicitur ab attenuatione & comminutione, si comminuas lapidem, pulvis fit, si terram, pulvis fit, & sic in cæteris. Cœlum teste Schindlero à tenuissima substantia, quod ad oculum si instituti ratio permitteret, demonstrari posset. Nec enim opus est demonstrare quomodo etiam apud Chaldæos *Calvitium* sub hac forma ob tenuitatem crinium comprehendatur, toti enim sumus in dando formali Hebraico.

28. ספח in formali suo significat *congregavit, adjunxit*, unde autor Concordantiarum מה שהוא קבוץ ודיבוק Forma hæc expresè continetur in primo libro Samuëlis cum dicitur de prosapia Eli, quod venturum sit tempus, in quo cogatur venire & dicere ספחני נא אל אחת הכהנות adjunge me quæso uni officiolò. Substituire **mich doch / oder schieb mich mit ein / daß ich auch ein Ämptichen bekomme und Priester Brodt esse /** quod ibidem pro pœna habebatur, hodie est virtutis politicæ. Et alia loca satis sunt fortia, quæ hanc significationem confirmant.

29. Descendentia ab hac voce optimè cum forma quadrant utpote ספיח, quod duo in primis significata, ut notatur, habet (1.) Sponte renatum ex terra. (2.) decidua vel stillicidia aquæ. Puto omnino ad secundam significationem dedisse ansam locum quendam Jobi ותשטף ספיחיה עפר ארץ Lutherus: **und die Tropffen flötzen die Erde weg.** Forma ita quadrat, cum dico ספיח si de pluvia dicatur, notare id, quod pluviæ adjungitur, vel ex congregatione pluviæ manat, ut forte profluvium in viis & in montibus, quod sane tollit secum pulverem terræ. ספיח quatenus sponte renatum notat, ut videmus & in posteriori Regum & in Esaia, ita quadrat, ut notet adjunctionem prioris anni, ut videmus fieri in illis agris, qui hoc anno non exculti præcedentis anni culturæ præbent vestigia. Quod de scabie adhærente dicitur sub hac forma satis bene quadrat, dum ipsimet Doctores vocant eam adhærentem.

30. Memini jam, me in proximo præcedentis disputationis examine publico promisisse formam דבר hanc dico consistere in *ordinando*, unde expresè in Psalmo dicitur: Tu es sacerdos in æternum על דברתי מלכי צדק juxta ordinem Melchisedeck. Hæc forma etiam in ipso verbo occurrit in Scriptura Sacra, sicuti ex discursu publico patebit.

31. Descendamus ergo jam ad materiales significationes ubi inter alia significat *locutus est, dixit*. Forma quadrat, quia sermo est ordinatio certarum vocum ad constituendum sensum, vox *ordinatio* certarum consonantium & vocalium ut audiatur articulatus sensus. Id quod non tantum patet ex communi sensu, sed & ipsa ratione. Solet etiam hinc descendere דבר rem significans, verum quomodo res ipsa concordet, quivis videt. Et multa alia ex hac radice descendunt vocabula, quæ miram videntur habere cognationem, at utut videantur, ego enim Deo volente dabo rationem in discursu publico. Jam ut properem ad alia digrediens hoc tantum hic noto, quod ab hac radice descendens *pestis*, & *desertum* in cujus reductione aliquod mysterium latere arbitror, à formali hoc abhorreat, prævideo omnes difficultates, at ecce jamdum solvi.

32. ינק *Suxit, eduxit aliquid à spontaneo*, unde cum dicitur de Ecclesia, quod sugere debeat lac gentium, notantur gentes voluntarie ad regnum Messiæ venientes, omniaque sua secum portantes, omnia hic sunt facilia, surculus dicitur יונק vel ינקת quia ab arbore attrahit succum, ex quo nutritur, unde abscissum surculum improprie nomine hoc gaudere arbitror.

33. גלה *patuit*, *revelatus fuit*, materialis significatio est *in captivitatem ivit*, unde & גלות captivitatem notare videmus, Forma convenit, quia qui vi in captivitatem ducuntur, denudantur, ut pateant ipsorum res, aliquando corporis, aliquando bonorum, &c. Corporis ut in Esaia & aliis Prophetis, cum dicuntur vel virgines vel alios denudandos esse, *bonorum*, cum ipsa pro triumpho publicè geruntur ab hoste, ut in triumphis Romanis videmus. Transfertur etiam ad simplicem *abitionem ex loco in locum* &c. In Esaia גליונים dicuntur vestes tenues quæ fuerunt in usu apud Judaicas uxores, sicuti hodie die Flor &c. Et si quæ sint alia, omnia inquam cum hac nostra forma convenire necessum est.

34. גלח *rasit* significat in formali suo, & in summo, gantz und gar hinweg nehmen / unde dicitur in Esaia ביום ההוא השבי רה בעברי נהר במלך אשור אש הואש יגלח ארוני בתער &c. In quo radendi significatu multa notatu digna, verum postquam modo rectè data est forma, quivis ea sibi colligere potest.

35. נבל in Formali suo significat *vigore suo naturali destitutus fuit.* Unde legimus in Jobo ואולם הר נופל יבול. Et sane mons cadens, vigore *suo naturali destituitur*, nec naturaliter redit ad suum esse. Quid autem hoc erat in monte? R. *Montem esse.* Nam mons, cum cadit, terra manet, at non ita mons, qui aliud formale obtinet. Sic in Psalmo primo dicitur de foliis arboris quæ non destituuntur succo suo naturali, esse succus naturalis, vigor naturalis est in foliis, sic in Esaia נבל ציץ. Terra נבלה cum status ejus pristinus non conservatur, sed corrumpitur. Unde de nostra Pomerania & Megapoli rectè dicimus נבלו nam non crescunt & virent, sed flaccescunt, cum peregrini agricolæ modum excolendi male docti eas occupare cœperunt. Eodem modo dicitur de exercitu cœlorum יבול &c. Ex hoc fundamento dicitur diluvium מבול quia ibidem omnia suum vigorem naturalem perdebant vel potius amittebant. Qui moriebatur in aqua amittebat statum vitæ, & sic in cæteris. Cadaver etiam suam denominationem habet à נבל / quia quomodo id suum pristinum vigorem amiserit communis docet experientia. Instrumentum Musicum ex hac forma fluens quadrat, non tam ob id quia instrumentum dicitur rusticum à multis & ita cum significatione statim tradenda convenit, sed quia lignum materia ejus debuit esse arefactum, ut hodie videmus in nostris instrumentis Musicis & ita succo suo naturali destitutum.

36. Significat etiam hæc radix *stultus fuit*, quia stultus succo quasi naturali ingenii destitutus esse videtur. Unde Germani dicunt: Er hat kein Gehirn im Kopff. Imo stultus ille est, qui agit & meditatur sine ratione, quæ est succus rerum gerendarum. Quales ubivis in magna copia videmus, quibus solemne est hoc contradictorio axiomate, aures aliorum implere. Non intelligo quidem hæc, at nihilominus ego judicabo, & certè dico, hoc vel malum vel bonum esse. Risum teneatis amici: Ex hac significatione denominatur נבל unde forsan Latinorum nebulo, nam revera nebulo est in supremo gradu, qui contra conscientiam bona impedire & mala sine ratione promovere vult, qualis erat Nabal in deserto, qui noverat servos Davidis profuisse suo gregi. Et si quæ sint alia omnia ad nostram formam. Plura in subsequentibus.

DISSERTATIO VII.

1. Cum in Ducatu nostro Megapolitano ab illustrissimo Principe dies generalis jejunii sint indicti, in ordinario scrutinio pro formali progrediens primum tales voces assumo, quæ affinitatem quandam cum eo habere videntur.

2. Legimus in historia Ninivitica de Rege Ninivitarum, quod audito tremendo decreto divino, non se accinxerit ad aufugiendum ex eâ civitate, quæ post quadraginta dies erat exscindenda, sed deposita purpura sua, ex solio majestatis suæ descendens se sacco involverit, ubi non immerito quæritur, quid sit שק in Veteri Testamento.

3. Dico ego, propriè & formaliter שק non significat einen Sack / wie unsere Bawren und Kauffleute haben / da sie Korn oder etwas anders drin stecken / sed cilicium, ein grobes Laken. Nam saccum ut nos sumimus communiter, non fuisse usitatum apud lugentes tales in V. T., colligimus ex induendi mirabilitate & inconvenientia, ut cuivis rationem adhibenti patet. Sic enim legimus in libro Samuelis de Rizpha filia Ajah, quod super corpora, juxta postulatum Gibeonitarum trucidata posuerit saccum. Ubi sane saccus fuit ein grob Laken. Unde Job dicit שק תפרתי על גלדי / *ego consui saccum super cutem meam* i. e. Ich habe umb mich gegürtet / oder / mir angenehet ein grob Laken / da ich meine Schwären mit schewren kan.

4. Consuerunt autem super cutem suam, vel etiam se texerunt saccis, quando audiebant nova lugubria, *tunc enim testabantur tali applicatione saccorum de statu suo infelicissimo*, quos non deceat vestibus ordinariis ornari, sed saccis in cinere deprimi. Unde Jacob audiens feram dilaniasse suum Josephum, scidit vestimenta sua, & applicavit saccum super lumbos suos, & lugebat dies multos. Sic & Achab induebat saccum & jejunabat, quo ipso fassus est, se indignum esse, qui regiâ veste indutus pomposè incederet, & multa exempla alia.

5. Ergo *humilitatis signum fuit* etiam saccus; quod etiam docet Esaias, cum dicit: Dominus Jhovah *vocavit in illo die ad fletum & ad planctum, ad calvitium* & *ad accinctionem sacci.* Quibus ibidem opponitur gaudium & lætitia, vel absolute vel ad occidendum bovem & ad mactandum ovem, edere carnem & bibere vinum. Saccus rectè debet informari, si veri sacci nomine venire debet. Unde cum dicit hic de sacco, addit fletum & planctum. Unde autem fletus & planctus? sane ob mala, quæ precibus coram Deo se humiliantes avertere satagunt.

6. Ex quo colligitur & *planctus veri fuisse indicium*, unde cum Jeremias magnum planctum futurum vult describere, ita dicit: *Filia populi mei, accingere sacco, & voluta te in cinere, fac tibi luctum maximum, qualis super unigenitum esse solet* &c. *nam subito veniet devastator.*

7. Hinc non male applicatur *ad abjectionem*, ut cum Deus dicitur Saccum induere nobis, vel dare causam planctus, humilitatis, & status infelicis, adeo ut & de cœlo dicatur in Esaia; *Induam cœlum nigredine, & saccum ponam indumentum ejus*, quo ipso, prout ego illum textum intelligo, voluit significare Spiritus S., Deum velle Judæos, qui etiam in V. T. quandoque dicuntur cœlum humiliare, & à facie suâ abjicere, pristinumque ipsorum statum mutare.

8. Contradictio ergo est in adjecto, quando hodie præsertim in Papatu, & etiam alibi multa clamitantur de sacco, cum tamen nec humilitatis, nec doloris verus sensus, nec status infelicissimi compareat indicium. Idem est sive induantur purpura, sive sacco, nisi quæ ad saccum pertinent simul assumantur. Stultum est re neglecta in signo hærere.

9. Postmodum etiam significat שק einen Sack darin man etwas verwahret / sicuti legimus de saccis filiorum Jacobi, at paucissima loca sunt in quibus in ea significatione occurrit. Ubi notandum est, hanc significationem me non proponere ut formalem sed ut materialem, nam saccus habet pro materia schlecht grob Laken / si dicas, dari etiam saccos alios elegantiores, Respondetur, ergo apud Hebræos non dicuntur שק.

10. Cum autem jam dictum sit de sacco, lubet etiam audire quædam de vestibus seu בגד, vestis autem dicitur in lingua Sacra בגד mirum videtur, cum radix significet perfidiam, unde author Concordantiarum dicit כל לשון בגידה שענינו היתול או מרמה Quæritur ergò de formali בגד, dico ego eam esse. *Tectè perfide egit.* Hæc forma exprimitur in Jeremia, *mulier perfide egit tectè à socio suo*, quamvis enim id sæpè fiat palam, tamen tectum prætenditur, sicuti etiam eadem ratione domus Israël tectè perfide agebat. Sic etiam de Judah dicitur in Malachia.

11. Satis eleganter hæc forma exprimitur etiam in Jobo: *Fratres mei perfidè egerunt sicuti* נחל i. e. vallis. Sitiens si videat locum depressum accurrit, cum venit, videt esse tantum vallem aquis vacuum, *tectè quasi erat perfidia.* Si נחל etiam velis exprimere per fluvium, omnia etiam rectè quadrant. In fluvio aqua adveniens videtur ad nos secedere, at nos cum tetigit, statim abit, & hæc tecta diceretur perfidia. Si in tenebris ambules, recto pede incedas, accidat autem ut interveniat נחל, perfide tecum & quidem tectè agit, ut tu præceps detrudaris, & sic in cæteris. Nam Job rectè conferebat suos amicos, consolatores & oratores cum talibus hominibus, à quibus tectè decipiebatur, sub nomine enim amicorum latebat perfidia, quam etiam satis superque ipsis exprobrat Job patiens.

12. At quomodo vestis convenit cum forma? R. Optimè; Nam vestis tegit hominem. Dicas non integere, sed in perfide agere consistit forma: Bene; suprema autem est tegere. Nam forma

forma sæpe videtur eadem esse in aliquot radicibus, at nihil esse deprehendemus, cum materiales significationes rectè ponderaverimus. Sicuti de hac distinctione fusius alibi agam. Sed quicquid sit, ut pro meliori captu loquar, dico quod ad perfidiam omnia rectè referri possint, nam בגד est signum & nota perfidiæ. Unde cum in paradiso Adam se tegeret, argumentabatur Deus statim de perfidia: Num tu edisti de arbore vetita? Sic hodie dicerem des Rahts Marck auff der Backen/ est nota certi gradus infamiæ, quamvis in nostra impura lingua forma ita demonstrari nequeat, quantum ego sciam.

13. Atqui concordant illi versus, in quibus dicitur de vestibus sanctitatis. Recurro ad meum tegere, hæc forsan audire non vis, audi ergo & eas esse signum perfidiæ. Non dicam jam de formali significatione קודש/ quæ arguunt & vestes non semper sanctas esse, quæ de קודש denominantur, ut patescit ex disputatione prima; sed quæro tantum, cur vestes tales portabat summus sacerdos? ob perfidiam populi. Nisi enim homo prævaricatus fuisset, nec sacerdote summo in Veteri Testamento, nec Christo in N. T. qua tali opus habuissemus. Quo ipso Papistarum quidam suam produnt negligentiam (ne dicam ignorantiam) in considerando respectu summi sacerdotis, cum putant nihilominus sacerdotium fuisse, nisi forsan hodie alia sit doctorum sententia. Nec enim credere possum, homines alias ut in hoc seculo habuimus doctissimos id non vidisse.

14. Adhuc plura latent sub hoc בגד, ac ea ego reservabo discursui publico. Multa enim sub hac radice continentur discussione digna, quæ prævideo.

15. Nunc autem lubet accessum facere ad vocem צום, cujus formale non est propriè *jejunare* sed *abstinere*, *& ita quidem ut sit ab iis quæ delectant & reficiunt carnem eamque vel propriè vel impropriè dictam.* Propriè dictam carnem voco carnem humanam, quatenus ea fuit & ante statum lapsus & etiamnum hodie est. Impropriè dictam voco eam, quæ opponitur Spiritui. Ut Scriptum est: *caro concupiscit adversus Spiritum.*

16. Jejunium utrumque hic satis fundatur in Scriptura Sacra, & elegantissimam ad se invicem habent schesin, quæ tamen ita est comparata, ut jejunium corporale nihil sit sine spirituali, sicuti rideretur dicens speciem non simul includens etiam genus in prædicatione. Sicuti autem generale potest esse sine speciali, speciale autem non sine generali habitudinaliter, ita etiam corporale illud jejunium rectè informatum dici nequit, nisi spirituale accedat: Quamvis enim hæc sub eodem genere in uno gradu differre non videantur, tamen si rectius rem inspexeris proportionaliter vel quasi adhuc plus in hoc opponendi genere invenies. Qui fit enim quod (de vero jejunio & DEO placenti צום loquor) spirituale queat esse sine corporali, corporale autem non sine spirituali? R. quia arctior inter ea est quam in communi in genere oppositionis combinatio, quamvis ego nolim vocare ea speciem & genus.

17. Utrumque contineri videtur in Jona, quando publicatur mandatum de לא טעמה מאומק & quando additur præceptum de קריאה אל אלהים & de שובה איש מדרכו הרעה &c. Cui etiam Joël adstipulatur. Inprimis autem ad hoc negotium facit locus Esaianus quidam, quando clamant למה צמנו *cur jejunamus & tu non respexisti, affligimus animam nostram, nos ipsos, & non observasti*, respondet DEUS per negationem jejunii facti cum dicit: *Cum jejunatis invenitis delectationem*, Ergo jejunium in quo gaudet aliquis & quæ lubens facit, jejunium non est. Hinc addit לא תצומו כיום *non jejunantis sicuti in illo decet*, & addit illud jejunium sibi planè non placere, quo homo affligit seipsum, sed in hoc dicit consistere formale jejunii פתח הרציבות רשע SOLVERE VINCULA INIQUITATIS & התר אגדת מוטה solvere societatem lapsus, quando sese invicem ad mala agenda quasi ut funiculum colligarant. Hi sive jejunent sive non, unum & idem est. Cum quo eleganter convenit locus Esaianus, ubi etiam de aliis cultibus sermo est, & tandem respondetur. *Manus vestræ plenæ sunt sanguine*, i. e. opera vestra talia sunt, quæ sanguine debent expiari, retinetis sanguinem in manibus, peccatum in actionibus.

18. Ex quibus colligitur, jejunium planè non esse meritorium, tum quia ita nec in Scriptura Sacra describitur, tum etiam quia rectè rationi adversari videtur. Nec puto omnino rationem jejunii in eo consistere, ut præparentur homines ad orationes, quod sobrietate & temperantia magis efficitur, sed ut testentur de sua indignitate, miseria & calamitate, & pœnitentia, quod ex multis exemplis Scripturæ Sacræ, si instituti ratio permitteret probari possit. Quod idem de Judæorum jejuniis dicere hic vetat.

19. Et cum jejunium annexam requirat pœnitentiam, placet etiam discutere vocem pœnitentiæ ex V. T. ubi non à pœnitere sed à redire nomen habet ex voce שב, cujus formale est *rediit, reversus* est. Redire ego sumo quatenus se indifferens habet, & ad *venire ad locum*, & *venire de loco* nam cum venit de loco, tunc *Redit* id est iterum it ex loco vel quasi. Sicuti dicitur. Non יסור *redibit sceptrum è Jhudâ*; redibit, id est denuo ibit à Jhuda Sceptrum, quod semel ivit ad Jhudah. id quod manifesto distinguunt particulæ, quibus mediantibus nomina cum verbis construuntur. Hæc forma satis frequens in Scriptura Sacra expresse occurrit, quare digredior ad significationes materiales, ubi significat *reconciliationem*, quia cum Deus reconciliatur redit ab ira sua. Sic Moses orat, quando Deus minabatur exitium idololatricæ & perversæ multitudini Judæorum; qui in absentia Ducis erexerunt fusile: שוב מחרון אפך *revertere* ab excandescentia iræ tuæ, i. e. reconciliator huic populo, &c.

20. Et multæ sunt sub hac radice materiales significationes, ut *respondendi, retribuendi, cohibendi, repellendi, reponendi, considerandi*, quæ omnia cum materialia sunt, studio prætereo, & ex omnibus ejus assumo *pœnitentiam*, unde dicitur in Hosea שובה ישראל revertere Israël ad Jhovah DEUM tuum, nam pœnitentia tali voce expressa, est reditus à sua via ad viam Domini, à Diis peregrinis ad DEUM, verum. Ex quo sequitur, quod omnis peccans avertat se à DEO, unde toties etiam *Rebellis Israël* ex hac radice denominatur.

21. Hinc videmus quænam sit forma pœnitentiæ, nempe reditus ad DEUM, unde Jhudas etiamsi pœniteret ipsum facti, pœnitentiam pro ut in V. T. describitur non habuit, nam non conversus est ad DEUM, sed ad templum, in quod conjiciebat nummos, & ad laqueum, quo se ipsum interemit. Nec hodie sufficit, pœnitere, sed avertere sese à via mala ad viam bonam, alias *pœnitentia vestra* dici non meretur, sed tantum illusio quædam. Nam neque μετάνοια vera est, quia ea etiam debet ita informari, ut sit ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, quam vocem Syrus exprimit per לתיבותו מן עבדא מיתא i. e. conversione ab operibus mortuis, à quibus fide convertimus nos ad DEUM, ut gratiam consequamur. Num autem nominaliter etiam vox pœnitentiæ ab hac radice in Scriptura V. T. occurrat quæritur: Respondeo. Omnino puto fieri id in Esaia cum dicitur, *Sic dicit Dominus Jhovah, in pœnitentia & in quiete salvabimini, in silendo, in quiescendo, & in sperando, erit fortitudo vestra.* Quibus verbis media proponit, quibus mediantibus pax & florens status possit reduci in populum DEI. 1. Medium est *Pœnitentia*, ea autem, ut descripta est consistit in aversione ab operibus mortuis. 2. *Quiescere* i. e. non advocare in auxilium peregrinos Reges, & ipsorum tutelæ se committere. Unde alibi dicit hic Propheta ad Achazum: *Mane super facibus tuis & quiesce* i. e. noli advocare Regem Assur &c. 3. Hoc tertium est & dicitur השקט distinctum à præcedenti נחת / quod etiam quiescere significat ita, ut hoc notet continuandam quietem quiescentis, illud quietem parandam ex motu. Et refertur hoc ad constantiam in acquiescendo, unde 4. Medium consistit in fiducia ad Deum, qui omnia pro suo arbitrio disponere potest, ut felicissimum exitium sortiantur res infelicissimæ.

22. Quod de *habitandi* significatione sub hac radice dici posse videtur, satis cum cæteris dubiis publice explicari debet. Cum autem in Scriptura communiter nostrum שוב & converti excipere soleat Gottes gerewen / placet etiam de voce נחם quædam in medium proferre.

23. Vox נחם pro forma habet *mutare conceptum.* Quando antehac de Dei pœnitere actum est, piè & tuto etiam potuimus recurrere ad ἀνθρωποπάθειαν, quia Deus non est homo, quem pœniteat &c. Cum autem in forma danda sim sollicitus, respondeo: Deum dici pœnitere, quando dicitur conceptum mutare. Sic legimus in lege Mosis, quod Moses oraverit ad DEUM dicendo הנחם על הרעה laß dir gerewen das Ubel daß du deinem Volck hast zugedacht. Luther. Sey gnädig über die Boßheit deines Volcks. Quomodo hic Deum pœnitebat, quomodo hic erat gnädig? R. mutando conceptum. Conceptus erat, immittere excandescentem iram & totaliter perdere populum suum, cum autem dicitur in fine istius incisi, *Et pœnitebat Dominus* i. e. & mutabat conceptum de malo quod *loquutus fuerat* ad faciendum populo suo.

24. Dicas hoccine importat in Deo imperfectionem? Nam Deus Deus est & non mutatur, & cætera quæ pro hujus sententiæ exaggeratione adduci possent. Respond. Minime, conceptus est conditionatus, unde non tantum de Deo dicitur, daß ihm gerewe das Ubel/ sondern daß ihm auch gerewe das gute/

Domi-

Dominum pœnituit, quod unxisset Regem Saul. i. e. mutabat conceptum de uncto Saule; conceptus erat. Rex esto & Rex est, mutabatur. Non rex esto, non Rex sit. Sic dicit Jeremias. *Maledictus sit vir, qui annunciavit, patri meo dicens natus est tibi puer masculus, & Iste vir sit sicuti civitates, quas subvertit Dominus* & non *pœnituit*, i. e. & non mutavit conceptum. Ergo quando civitas desolata jacet, eamque subvertit Dominus, ut Sodom & Gomorrha, tunc dico Dominus subvertit, quando reædificatur civitas, ut Jerusalem, tunc dico Dominum pœnituit, nam nisi pœnituisset non mutasset conceptum de perpetua desolatione. Sic è contra non נחם, non mutavit conceptum de Sodom & Gomorrha quia in æternum non reædificabuntur. Sic pœnitebat Dominum conditi hominis. Assumant jam ἀνθρωποπάθειαν, quia subsequentia verba eam omnino suadere videntur. At forma mea etiam rem decidere potest. Mutabat Deus conceptum de homine, mutatio erat talis, qualis in Saulis imperio seu regno. Mutabatur utrinque objectum, regnum Saulis, & essentia vel vita hominum conditorum. Terminus ergo **des gerewens** non est quærendus in DEI essentia nec semper in rei prima productione, sed in objecti parte ut ita loquar præsentis pro tempore materiæ principali. Sic pœnitere Dei erat in Rege non Rege, non in constitutione Regis, sed in constituti depositione q. d. Mutabo conceptum de Saule, conceptus est: Saul est Rex, mutatur, Saul sit non Rex, sic mutavit conceptum de hominibus, conceptus erat talis: Homines sint, vivant in terra, *mutatur*, Homines sunt non homines seu non vivant amplius in terra. Sic studio in Psalmis dicit Spiritus Sanctus.

25. *Juravit Dominus & non pœnitebit. Tu es Sacerdos in æternum juxta ordinem Melchisedec.* q. d. Sanctè promisit & decrevit, & conceptus ipse non mutabitur quo Christi sacerdotium sit perpetuum, quod de Levitico dicere non potuisset æternus Deus. Nam si teleiosis per Leviticum pontificatum, super quo fuit Lex data fuisset, ad quid opus fuisset, ut juxta ordinem Melchisedeci exsurgeret alius. Ergo de Christo dicit לא ינחם / non autem ita de pontificatu Levitico.

26. Adeo vera hæc nostra forma est, ut etiam in Jeremia addatur quasi *conceptus* cum dicitur, זמותי ego cogitavi, concepi, ולא נחמתי & conceptum meum non mutavi.

27. Quid ergo dicendum est ad locum quendam ex libro Samuelis, cum Samuel ita alloquitur Saulem. *Robur Israëlis* i. e. *Deus Israëlis non mentitur, nec pœnitet eum, quia non est homo, ut pœnitere ipsum possit.* Respondeo, illud est ad hunc locum dicendum, quod dicit ipse contextus, quid autem dicat contextus, ne videar in hoc loco agnoscere obscuritatem, non dicam sed tacebo, quivis videt.

28. Descendentes hinc significationes materiales cum forma optime quadrant. Inter alias eminet significatio *consolandi*, quia ipse qui consolatur mutare nititur conceptum dolentis. Hinc dicit Esaias כי נחם *nam consolatus est Dominus populum suum*, &c. Sequitur *Dixit Zion dereliquit me Jhovah, dominus vero mei est oblitus.* Ubi conceptum illum satis mutat in Zion, quando docet Spiritus, quod Zion non sit mansurum in viduitate, sed ex omnibus partibus terræ visurum filios &c. Ita etiam Jizchhak consolationem admittebat, in dolore, quem conceperat ex obitu matris, quando novam sponsam ducebat in tabernaculum vel tentorium matris suæ, quia tunc *conceptus doloris* mutabatur in conceptum lætitiæ ob novam Rebeccam.

29. In summa quæcunque hinc descendunt, necessum, ut eandem habeant formam sive sint nomina, sive verba, sive activa, sive passiva.

30. Novimus autem quod in hac materia Dei consolari inprimis soleat elici per nostrum deprecari, placeat ergo adhuc radix ex hac materia, חלה. Hujus formale dico consistere *in dolendo, ægre ferendo.* Forma satis manifesta in multis locis Scripturæ Sacræ.

31. In materialibus significat *ægrotare*, quia qui ægrotant docent, sic dicitur de Hiskia quod חלה ægrotaverit, & in Esaia *ægrotavit ad mortem.* Et si quæ sint ad alia, ad hanc formam reduci possunt & debent. Ne autem nimis nota ut חלי dolorem &c. pro proba assumam, placet חלה quod notat deprecari aliquem, ibi quæritur quomodo deprecatio cum forma conveniat. R. חלה deprecari in forma significat dolorem alicui vel quasi immittere. Unde cum dicitur חלו פני יי *deprecemini faciem Domini* idem est ac si diceretur, ita orate, ut doleat tandem Deus ob mala vestra, eaque auferat, & non tantum hæc phrasis usurpatur de Deo, sed etiam de hominibus, ut in Jobo legimus, & convenire videtur cum Germanorum modo dicendi, **Einen zum Mitleyden bewegen** / fere non video, quomodo competenter in lingua Germanica hanc phrasin sanctam queam efferre.

32. Si quæ alia sunt, ut omina monilium & ornamentorum omnino ad hanc formam reduci possunt, ut in discursu publico patescet.

33. Merito autem defatigamus faciem Domini ob id quod desolata jacet terra nostra, unde placet assumere vocem חרב / cui, formale dico esse exaruit. Hoc dicitur in Psalmis de aquis maris, unde concretum descendit חרב significans siccum, & abstractum חרב vel חרבה siccitatem notans, quæ omnia luce meridiana clariora esse videntur.

34. Materiales significationes sunt *desolatus fuit, devastatus fuit*, & applicatur tam rebus quam personis. Personis ut in historia Josaphati & Johram contra Regem Moabhi. Scriptum est החרב נחרבו המלכים / nisi forsan quod probabilius est referatur hoc ad potentiam sitam in toto exercitu. De rebus frequentissima sunt loca, sicuti legimus in Esaia אחריב הרים &c. quod cum etiam de gentibus dicitur in eodem Propheta, ego puto magis referri ad ipsorum accidentia, quamvis non prætereundus sit insignis ille locus Esaianus; ubi ita scriptum est in fonte והגוים חרוב יחרבו gentes enim desolando desolabuntur, quem locum ita explicandum esse autumo. **Aber die Heyden** vel **denn die Heyden sollen nicht mehr Heyden bleiben / sondern Christen werden.**

35. Nomen *vasti* & *vastitatis* huic descendens ad formam facile potest reduci. Nomen *gladii* hinc derivatum convenit cum forma vel ratione substantiæ suæ vel ratione accidentium, ratione substantiæ *gladius* dicitur à *siccitate*, quia est ferrum in igne satis superque evaporatum, si ita modo loqui liceat, & ad formam gladii malleis compactum. Ratione accidentium dicitur à *devastando*, perdendo, submovendo, unde in Scriptura Sacra non usurpatur tantum pro gladio, quem nos hodie dicimus gladium, sed etiam pro instrumento ultionis divinæ perditionis & desolationis. Hinc turres in Ezechiele dicuntur destruendæ gladio, quod forsan igne vel securi factum esse sana docet ratio. Sic in lege Mosis Præfecti dicunt ad Mosen & Aharonem, *Fœtere fecistis odorem nostrum in oculis Pharaonis, & in oculis servorum ejus, in eo quod dedistis* gladium *in manum ipsorum ad occidendum nos.* Gladium his significat instrumentum perdendi Israëlitas, quale erat servitus illa & oppressio Ægyptiaca. Et alibi satis superque de his & similibus agi docet Scriptura. Quæ omnia jam studio relinquo, ut me conferam ad novam vocem in qua formale forsan videtur majori indigere indagine.

36. Eam esse volo jam vocem אמר / quæ materialiter significat dixit, Quæritur ergo quænam ejus sit formalis. Dico eam esse *Intendit.* Forma hæc expresse in Scriptura continetur. Legimus enim de Chisbi in Nobh, ex prosapia ut apparet gigantum, quod ויאמר להכות את דוד i. e. intenderit percutere Davidem, quod forsan etiam in actum fuisset deductum, nisi obstitisset Abisai filius Zerujah. Sic in lege Mosis vir Ebræus dicit ad Mosen הלהרגני אתה אמר id est, *num tu intendis me occidere sicuti occidisti virum Ægyptiacum.*

37. Intendere hoc varie in materialibus applicatur, unde significat *intendere sermonem*, loqui, *intendere præceptum*, mandare, sic etiam significat nominare &c. Omnia ea optime ad hanc formam reducuntur, modo recte primo percipiatur quid sit *intendere.* Hæc omnia lubens prætereo & accingo me ad locum in Genesi.

38. Dicitur enim ibidem ויאמר אלהים *Et dixit Deus* fiat Lux, & facta est Lux, ubi memini me in Scholis Theologorum nostrorum audivisse, quod per Verbum DIXIT non sit intelligendum verbum prophorikon, sed verbum essentiale. In quem finem allegare etiam solent Euangelistam Johannem, qui dicit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est* nihil, *quod factum est.* Hæc etiam, quamvis non tam expresse lego in Chemnitio qui illa dicit, *Psalm. 33. v. 9. Ipse dixit* ויהי *& fuit, & ipse mandavit, & extitit. Genes. 1. v. 3. Sit Lux & fuit lux. Quod expressisse videtur Johannes cap. 1. v. 3. Omnia per ipsum extiterunt.* Hucusque Chemnitius.

39. Ex quibus colligo præsertim ex Huttero Theologo Wittenbergensi quondam ויאמר ipsis esse Verbum essentiale, quod quomodo fieri possit, nunquam vidi satis. Jam autem quando in hanc formam incido video magnam probabilitatem. Nam cum dicitur ויאמר Et dixit Deus fiat Lux, dicitur formaliter: Et intendit Deus lucem, quæ etiam statim est subsequuta, nam dicitur, Et facta est Lux.

40. Dicis quid hæc ad filium? Ignoro sane si rationibus me urgere velis, video autem quid velit Spiritus Sanctus, etiamsi

etiamſi id exprimere non valeam. Dei intendere quid quæſo eſt, vel quidnam fuit primum intentum ſi ita loqui liceat, veri DEI! Verbum, λόγος, qui una cum vero Deo ab æterno extitit. Quid autem eſt אמר in ſupremo gradu, per λόγον aliquid effective producere, ad quod procul omni dubio reſpexit Johannes Euangeliſta. In principio erat λόγος & verbum erat apud Deum. Videtur etiam Targum ad hunc logon quandoque reſpexiſſe. Id quamvis alias difficulter tali authori tribuam, viderunt tamen quidam ſuper Pſalm. 110. Ubi Hebraica veritas habet: Dixit Jhovah ad Dominum meum, Targum poſuiſſe ״י למימריה. Quamvis ego id non viderim, nam meum Targum legit אמר ״י במימריה. Sed manum de tabula in tantis myſteriis.

41. Deſcendit hinc etiam אמיר ſignificans *ramum*, forma quadrat, nam ramus nihil aliud eſt, quàm intendentia arboris, quo arbor fit major & excelſior, unde etiam vox האמיר hinc deſcendit: Sed hæc omnia in diſcurſu.

42. יצא Pro formali habet *exivit*. De variis autem uſurpatur adeo ut fere ſupervacaneum ſit ea omnia hic notare: Sumitur quandoque pro *oriundum eſſe*, aliquando uſurpatur de Sole, aliquando de nativitate ex utero materno, aliquando de ſorte & ſignificat cecidit, aliquando de verbis oris, de aliis multis, quæ omnia optima ratione ad communem formam rediguntur. Ut pote de terræ naſcentibus, de frugibus, gramine &c.

43. In Conjugatione tertia occurrit ſignificatio producendi, educendi, vel exire faciendi. Unde legimus in Geneſi, quod Malchizedek Rex Salem eduxerit panem & vinum, quod procul omni dubio fecit in gratiam Abrahami, cui benedixit Malchizedek. Typus enim cum exiſteret Chriſti, hoc in actu demonſtravit majorem ſe eſſe Abrahamo, unde etiam Abraham dedit ei decimas ex omnibus quæ habebat.

44. Cum autem dicitur, quod הוציא Malchizedek panem & vinum, non hoc vult Spiritus, quaſi Malchizedek obtulerit. **Als wann er geopffert hätte.** Quamvis enim pulchra videatur eſſe alluſio ad panem & vinum ſui antitypi Jeſu Nazareni Servatoris & Domini noſtri, ſub quo benedicere tantum potuit Abrahamum, quod tolerabilius eſſet, tamen non ad ſacrificium quoddam hunc locum detorqueri poſſe expreſſe evincit lingua Sancta, in qua vox הוציא nunquam uſurpatur de oblatione ſacrificii offerendi. Sicuti enim in illo actu diverſa genera ſacrificiorum, ita etiam diverſi actus in ſacrificiis diverſa ſortiuntur nomina, ſed hæc clara ſunt, nec ulteriori opus habent Scrutinio. Si ita ludere liceret in vocabulis detorſis, poſſem etiam dicere, quod vidua Zorpatenſis obtulerit ſacrificium Eliæ. Dicas, atqui forma cum ſacrificando convenit. Nam qui offert, ille producit. R. Qui offert ille elevat manus. Qui offert ille habet bonam intentionem, ergo, bona intentio & elevatio manus eſt forma oblationis. Non ita. NUNQUAM MATERIALES SIGNIFICATIONES EXTENDENDÆ SUNT IN EXPLICATIONE SCRIPTURÆ ULTRA PRÆSCRIPTUM SCRIPTURÆ SACRÆ. Nam hæc vox NUNQUAM in Scriptura de ſacrificiis in illis libris ibi maximam partem de iis agitur, imo in toto Codice ſacro uſurpatur.

45. Deſcendit ex hac voce מוצא exitum ſignificans vel egreſſionem. Cujus ſignificationis exemplum præbet inſignis quidam locus Michæ, ubi de filio Davidis dicitur, quod מוצאתיו *egreſſiones ejus ſunt priores quam prius & poſterius erat, & prius quam dies ſeculi.* Quem locum etiam Targum, Rabbi Salomo Jarchi, David Kimchi. Unde Rabbi Salomo, cum devenit ad, *& egreſſiones ejus*, ſimpliciter loco commentarii allegat locum Pſalmi, *Ante ſolem filiabitur nomen ejus.* Quemnam ſenſum habuerit Rabbi, conjicere non poſſum, ſi לפני in Pſalmo explicet per *ante*. Sed valeat hic Judæus. Ego meæ explicationis dabo rationes, מקדם ſignificat, antequam eſſet prius, מ notat antequam & Judæis quibuſdam fatentibus בטרם exempl. gr. מעולם i. e. מטרם עולם. Hæc clara ſunt, deinde קדם in prima & formali ſua ſignificatione ſignificat prius, ergo מקדם eſt ANTEQUAM ERAT PRIUS, **da noch kein** relation **war unter dem was vorhergehet und folget.** Dicas autem quando hoc fuit: Reſpond. Propheta, מימי עולם *ante dies ſeculi* quod neceſſarium fuit ut adderetur, nam מקדם etiam multa alia ſignificat.

46. At cur dicit EGRESSIONES, & non EGRESSIONEM, puto fieri hoc, ob æternam generationem filii Dei à Patre, non ut multiplicetur ſed quia eſt excellentiſſima, non ut notetur tantum generatio ſed cum generatione efficaciſſima cum Patre operatio, plura in ſubſequentibus.

DISSERTATIO VIII.

1. AD diſputationem Octavam pro Formali acceſſum faciens, incidit ſæpe diſputari de Trinitate, num ea vox ad literam in Scriptura Sacra occurrat. Recte hoc negatur, cum & vox Scripturæ ſit Barbara & Sanctæ linguæ incognita. Cum autem quæritur de re, reſponderi ſolet ex concatenatione argumentorum & conſequentia dictorum, & hoc fieri puto ſatis commode. Si autem petatur una vox, forſan negaretur dari. Ego ergo exercitii gratia tentabo, num in formali meo verſans niſi apodictice ſaltem probabiliter & ſatis quidem probabiliter id demonſtrare queam. Antequam autem hoc fiat, præſuppono vocem פנים cujus fundamentum eſt in פנה.

2. Dico ergo vox פנה in formali ſuo ſignificat, *Vertit faciem*, Forma hæc quadrat in omnibus Specialioribus ſignificationibus, ſive ſint *præparandi* ſive *purgandi*, ſive evacuandi, & cujuſcunque ſint conditionis. His ergo omiſſis aſſumo tantum vocem פנים.

3. Hæc exprimitur in Latina lingua per *Faciem*, ſive ſit *DEI* ſive *hominis*, ſive *cœli* ſive *terræ*, ſive facies externa ſive interna, quæ omnia ſtudio omitto, ut tantum quod intendi unice jam me conferam ad reſolutionem quæſtionis ſupra formatæ; Num in Veteri Teſtamento occurrat unico vocabulo expreſſa vox correſpondens Trinitati: Ad quod reſpondeo. Ita me omnino ſentire, & do vocem PANIM, quæ *pluralitatem perſonarum* involvere videtur in quibuſdam locis Scripturæ Sacræ.

4. At primum quidem probo in genere ſumi hanc vocem pro Deo vero. Immediate deſcendere poſſem ad legem Moſis, verum tentabo num ne ex Jobo aliquid erui queat, ubi Job ita dicit, והציגני למשל עמים תפות לפנים אהיה quod ita explico. *Nam poſuit me in Proverbium populorum, cum Deo ſim infernus.* q. d. Amici mei habent me pro extremè impio & deſperato homine, qui ex Dei decreto jam ſit ſepultus in inferno, de quo omnium ora ſint diſerta.

5. Hic omnino puto ſumi vocem פנים pro vero Deo, ut non immerito hujus rei cauſa indagatur. Videtur ea eſſe hæc, quia Deus TOTUS FACIES EST, omnia enim ſunt in ipſius oculis & præſentia. Probabile hoc videtur, at puto adhuc plus hic involvi. Legatur enim caput 33. Exodi, ubi Dominus promittebat angelum, ad expellendum populos Orientales. His auditis populus lugebat, & in ſignum luctus pretioſas veſtes deponebant, quod procul omni dubio inde factum eſſe exiſtimo, quia audivit hunc Angelum creatum eſſe, & non id præſtiturum, quod ipſi optabant. Hinc Moſes alloquitur Deum, & rogat ut nominet, quem ſit miſſurus cum populo in Canaan. Reſpondet Deus פני ילכו *Facies mea ibit* **Jch wil ſelber mit ziehen.** Quænam autem eſt facies Dei? Reſpondeo reſpectus ille perſonarum ut ita loquar in DEO, nam DEum ut ſic & præciſe hic ſine illo reſpectu nominari probabile non eſt, cum dicat Moſes. אם אין פניך הולכים אל תעלנו מזה Noli nos hinc deducere, niſi tua facies eat nobiſcum.

6. Hunc reſpectum firmari autumo etiam exinde, quod Moſes dicit אמרת ידעתיך בשם item וגם מצאת חן בעיני id eſt: Dixiſti novi te de nomine, & inveniſti gratiam in oculis meis &c. ubi ego puto, rogare Moſen, ut non angelum creatum ſed alium quendam, cum quo Deus & ſpiritus ejus non poteſt non ire, ableget. Nam ſicuti ego textum illum explico, dico ידעתיך id eſt, EGO DILIGO TE, בשם propter vel in ſummo DEO, unde & ipſe DEUS hanc repetit infra, cum dicit: *Inveniſti* gratiam in oculis meis, *nam dilexi te* IN vel PROPTER SCHEM, i. e. Deum, à quo etiam tu denominaris.

7. Addo his etiam ea, quæ poſtmodum ſequuntur, Moſes orat, ut videat gloriam Domini, Reſpondet Dominus: Faciem meam videre non potes. Unde procul dubio facies & gloria hic convertuntur. Sed ut ut ſe hæc habeant, hoc manet פנים hic non ſumi, ſicuti ſupra in initio capitis ſed ut puto, pro facie veri Dei. Quænam autem eſt facies veri Dei? R. Iſtud eſt facies Dei in Deo quocognoſcitur & dignoſcitur. Et eſt in Deo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, in his ceu ex facie lego unam eſſentiam divinam, quæ & appellatur & eſt Deus æternus, incorporeus, impartibilis, immenſa potentia, Sapientia, bonitate, creator & conſervator omnium rerum, viſibilium & inviſibilium.

8. Hanc faciem voluit videre Moſes, quod ei eſt denegatum, cum nemo viventium eam videre queat. Unde nec hodie eam

eam videmus; niſi ceu in ſpeculo. Nemo enim poteſt ſcire, videre & demonſtrare, quomodo TRIA SINT UNUM ſimpliciſſime. Unde vanus labor eſt multa diſputare, quomodo in natura dentur TRIA UNUM, nam nihil eorum huic unitati correſpondebit.

9. Et hæc denominatio פנים/ quæ Deum notat, forſan fuit etiam cognita majoribus noſtris, quamvis, quando Scriptura incipiebat vileſcere, & deliria ſtultorum ſapientum introduci, venerit in deſuetudinem. Colligo id quamvis obſcura hæc ſint, ex eo quod adhibuerint in iſto myſterio *modos ſubſiſtendi*, id puto, ſive autem errem ſive non, parum intereſt, deſumptum fuit ex Rabbinis vetuſtiſſimis, qui פנים vocaverunt Deum, unde adhuc hodie apud Rabbinos פנים ſignificat, *modos*.

10. Hac ratione, ut applicem, dico, modus ſeu facies patris eſt generare, filii generari, Spiritus Sancti procedere. Sed hæc valeant, nec enim de his diſputo ex profeſſo magis, quam ut demonſtrem פָּנִים notare Deum & inveſtigem ſimul cauſam.

11. Cum autem jam aſcenderim ad contemplationem nominis Divini פנים placet etiam aſſumere aliud nomen, quod eſt שדי OMNIPOTENS, agam ergo etiam pauca quædam de hac omnipotentia. Ita tamen ut præfigam radicem שדר

12. Hujus formale conſiſtit in *Facere ut ſibi cedant omnia.* Legatur Ezechiel Propheta in propoſitione contra Mizraim, ubi dicit ושדדו אתגאון מצרים/ & facient ſibi cedere faſtum Ægypti. Progrediendum eſt, quare, ſimpliciter dico omnes materiales ſignificationes ſub hac formali continentur, cujuscunque etiam ſint ordinis & conditionis, ſicuti id in diſcurſu publico demonſtrabo.

13. Jam placet vox שדי quam dico ab hac radice deſcendere, & dicitur DEUS propriiſſime שדי quia ipſius potentiæ cedunt omnia. Unde cum dicitur in lege Moſis benedicturus, ſolet vocari שדי ut indicetur potentia illud præſtandi, quod promittit. Unde ibidem dicit, Deus שדי omnipotens dabit miſericordiam vobis in oculis &c. ut notaret Deo cedere omnia mala, ut ira, odium, potentia hoſtis.

14. Et pulchra eſt oppoſitionis ratio, quando Deus ad Moſen dicit in ablegatione ad Regem Ægypti. Apparui Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, ut Deus שדי/ verum nomen meum Jhovah, non manifeſtavi eis, quaſi diceret. Hoc experti ſunt patres veſtri, quod ego ſim שדי/ cui omnia cedunt, verum hoc nondum viderunt, quod יהוה ſim, qui, quæ poteſt, re ipſa præſtat, nam eductionem ex Ægypto noverunt in me ceu שדי ſed non ceu יהוה

15. Horum nominum etiam ſpecimen videmus in lege. Dicebat Dominus ad Moſen. Quid eſt quod habes in manu, Reſpondet Moſes, Baculus. Regerit Jhovah, Projice illum in terram, obſequitur Moſes, & ecce Baculus fiebat ſerpens. Ecce שדי faciebat, ut cederet ſerpenti baculus, iterum ut baculo ſerpens, & hoc ut יהוה. Quo ipſo juxta ſententiam meam alluſit ad opus ſuum, quod conceperat in Ægypto. Baculus Dei erat, quo affligebantur in Ægypto Iſraelitæ, degenerabat autem in ſerpentem quando nimis aggravabat onus Rex crudelis. Iterum convertebatur ſerpens in baculum, quando Deus educebat, & baculum convertebat in Ægyptios & Pharaonem, ſicuti ſemper ſigna illa plus inferebant, quam nos ab extra putamus.

16. Sicuti autem antehac multum diſputatum fuit de Potentia divina, num poſſit peccare, & num, ſi hæc non poſſit, queat dici impotens, ubi recte forſan reſponſum fuit per viam abnegationis ſui ipſius. Nam Deum eſſe & peccare poſſe, ſunt oppoſita. Ita cum ad hanc vocem perveni, putavi etiam aliqualiter ad eam quæſtionem reſponderi poſſe. Nam ſi omnipotentiam ſumo, ſicuti in Veteri Teſtamento deſcribitur, nihil aliud importat, quam, quod omnia ei cedere debeant, & revera cedant, aliquid, ut fiat nihil, nihil, ut fiat aliquid, ratione habitudinis obedientialis omnium creaturarum tam viſibilium quam inviſibilium, relatæ ad Deum omnipotentem.

17. Deſcendit etiam ab hac voce inſtrumentum Muſicum teſtante id Buxtorfio in Concordantiis. Sive autem ſignificet inſtrumentum Muſicum, ſive pulchras & honoratas in Eccleſiaſte, in hoc diſputandi genere parum intereſt. Cum pulcritudo ita conveniat cum forma, ut cedant reliqua, ut Germani dicunt, **das weicht jenem** i. e. **das iſt ſchöner denn jenes etc.** Sic etiam de inſtrumento Muſico, quod ſuo decore reliqua vincit, & cedere facit.

18. Incidit etiam, quod in libro Danielis Deus vocetur עתיק יומיא *antiquus dierum.* Quamvis quidem liber ille maximam partem Chaldaicus formas meas non concernere videatur, utpote qui in dandis Hebraicis formis ſim tantum occupatus, aſſumam vocem hanc, ita tamen, ut ex Hebraico & quatenus ex eo fonte queat decidi proponatur.

19. Radix ergo עתק Hebræorum in formali ſuo ſignificat *firmitatem & durabil itatem*, Sicuti Scriptum eſt in Propheta Eſaia לאכל לשבעה ולמכסה עתיק/ ubi forma hæc expreſſe continetur.

Cum ergo in Daniele dicitur Chaldaice עתיק יומיא antiquus dierum, vult innuere Spiritus Sanctus firmitatem & conſtantiam, quæ conſtantia in DEO ſolo reſidet, & includit non creatum eſſe, ſi ſummam & perfectiſſimam ſignificationem quod in Deo fieri debet aſſumam. Nam duratio, ut hic purificata ab omnibus imperfectionibus mihi ſumitur, omnino debet includere æternitatem ab ante & à poſt. Unde cum in hoc genere verſor, ſimul ſumo vocem DIERUM, quæ plane ex ſuo formali imperfectionem non important. Nam יום proprie Deo competit. Et dico ego *Antiquus dierum* idem eſt, quod FIRMUS ET STABILIS IN SUO ESSE. Si autem opponas, hic non dici de יום ſed יומיא id eſt diebus & non de die, ſcito illud fieri juxta noſtrum concipiendi modum, ſicuti alibi mille anni dies unus ſunt, ſine contradictione. Dies enim eſt reſpectu DEI, mille anni reſpectu modi concipiendi. Unde recte dicitur, Firmus & ſtabilis eſt in primo millenario, talis manet in ſecundo, talis in tertio &c. quamvis Deo nec millenarius nec centenarius competat. Sic ſemper loquendum eſt de DEO, ut ratio habeatur puritatis linguæ & modi concipiendi. Unde cum dicitur in Pſalmo ſecundo: Filius meus es tu, ego hodie genui te, non recurrere debeo ſimpliciter ad regulam concionatoriam, hodie, id eſt ab æterno, quia in Deo non differt præſens à Futuro & præterito, quamvis res ipſa vera ſit. Nam hodie nunquam in Scriptura Sacra ita ſumitur, ſed tutius eſt dicere in DIE DEI, i. e. meo te generavi. Quis eſt ille dies? Æternitas, vel ſi ſine diſtinctionibus nihil credere velis, dicito. Hodie id eſt: Hoc die quo tu hæc legis genui te, Nam actus generationis, ſi actus dici debeat eſt perpetuus, & conſiſtit perpetuo. Unde hoc ipſo die & hora & momento, quando ego hæc ſcribo, generatur filius Dei, nam niſi ita generaretur, ut perpetuo remaneret in eſſentia patris coeſſentialis & coæternus dici non poſſet, ſicut id alibi publice demonſtravi, præſertim in Explicatione vocis חיל gignere. Ergo dies qua talis non involvit imbecillitatem, quamvis illi, qui ad proportionem improprie dictam dicuntur DIES, id omnino faciunt.

Hinc devolvor ad alias meditationes, ut ſtatuam vocem *æterni* vix melius exprimi poſſe, quam per *Antiquum dierum.* Et ut obiter hæc inſeram jucundum eſt hinc colligere, quod vere antiquum & ſtabile reciprocentur, Unde adagium *Antiquiſſimum quodque veriſſimum eſt.*

20. Sub hac autem forma multa latent, cujuscunque autem ſunt conditionis, ego reducam omnia. Scio quod ſignificet *conſenuit*, *abolitus fuit*, optime ad formam omnia. Dicam convenientiam eam publice, & ex ſimilibus modis applicandi etiam ex reliquis linguis deſumptam declarabo. Significat etiam *tranſtulit ex loco in locum.* Omnia ſalva ſunt, nec ulla laborant difficultate, præviſa enim minus nocent. Forma data optima eſt.

21. Nondum placet digredi ex nominibus divinis, quare aſſumo etiam vocem *Adonai*, Hujus formale, quæritur in tribus literis ארן & dico eſſe formam in *Fundamento & ſuſtentaculo.* Unde in lege Moſis, aliquoties pro baſi & fundamento ſumitur, quorum locorum allegationem ſtudio prætereo, cum nimis clara ſint.

22. Hinc ſurgit nomen ארון *Domini*, & vocatur ita, quia inſtar baſis ſuſtentat & regit ſuos ſubditos. Eſt autem hoc commune & Deo & hominibus, unde arca fœderis dicitur arca ארון Domini omnis terræ. De hominibus uſurpatur in Pſalmis, Poſuit ipſum Dominum ארון domus ſuæ, explicatur, quid ſit, cum addit מושל Dominatorem, nam Dominari, eſt hic baſin eſſe rei. Unde in Geneſi de eodem Joſepho dicitur, quod ſit ארון totius Ægypti, quia erat totius terræ iſtius Dominus, ſed hæc clara ſunt.

23. Propono ergo vocem ארני, vox propria DEI eſt, & cum hominibus non communicatur. Et habet puncta eſſentialia eadem cum voce יהוה. Quod ideo non allego, quaſi ex identitate punctorum majeſtatem nominis divini præſumam, ſed tantum, ut per accidens ſicuti nos concipimus, eſſe identitatem punctorum in duobus nominibus Deo tantum competentibus notem, nam alias hæc forma etiam uſitata eſt in Scriptura Sacra, ut peritis in Codice S. notum eſt.

24. Dicitur autem Deus noſter ארני Formaliter ideo, quia

eſt

est basis & fundamentum omnium rerum cœli & terræ, ut supra est monstratum. Ad hanc formam videtur allusisse David, quando in Psalmo centesimo decimo dicit ארני à dextris tuis transfixit in die iræ suæ Reges. **Der HErr der zu deiner Rechten sitzet / der wird zerschmeissen / umbbringen / verwunden und tödten die Könige in seinem Zorn /** q. d. Ille qui tibi, æterne Deus, sedet ad dexteram, cum sit fundamentum & basis totius hujus operis magni, ille inquam reges occidet. Quod intelligendum de Regibus mundanis, quatenus illi coram hoc Adonai sunt Reges non Reges, ut & de regibus infernalibus, ad quos allusit vel proprie nominavit Spiritus Sanctus, cum in subsequenti versu dicit, *Transfixit caput in terra multorum*, i. e. **Er hat dem Fürsten und Herrn der Welt die Macht genommen /** ut ipse solus esset Dux & Princeps, & fundamentum omnium.

25. Aliud adhuc nomen est divinum, quo vocatur & est אל, hujus Formale consistit in *Robore*, unde literæ radicales אול expresse notant fortitudinem, non tantum divinam sed etiam humanam. Hinc dicit David, tu es robur meum. Et Laban ad Jacobum יֵשׁ לְאֵל יָדִי *manus mea est fortis* q. d. **Jch bin starck genug dir Böses zu thun.**

26. At cum nimis hæc sunt clara, omittam ea, & nomen divinum assumo, quod est אֵל, vocatur autem ita Deus, quia est robustissimus. Et juxta concipiendi modum, videtur אל esse fundamentum שרי, sicuti scriptum est in lege: Ego sum אל שרי Fortis, Omnipotens **der Allmächtige starcker /** id est, **der Allmächtige Gott.**

27. Conjungi solet etiam cum עולם, sicuti de Abrahamo legimus, quod plantaverit arborem in *Beersabah*, & invocaverit ibidem nomen אל עולם æterni i. e. **des Ewigen Starcken /** alibi אל עליון Deus excelsus i. e. **der Höchste Starcke.** Et alia satis multa epitheta cum hac voce copulata legimus.

28. Num sit substantivum vel adjectivum, non me tangit, cum ego in significatione formali jam sim occupatus. Unicum antequam hinc discedam movebo. Solet carpi Divus Lutherus, quod Esaiæ verba ita reddiderit: **Er heist Wunderbar / Rath / Krafft / Held /** ubi dicunt, pro **Krafft / Held /** esse ponendum **ein starcker Gott.** Solent, quod Schindlerus facit, adducere accentuationem, sic enim Schindlerus *accentus judicat cohærentiam*, *&* גבור *adjective usurpatur.* Miseret me hujus effati non Schindleriani, sed edentis. Schindlerus hæc melius intellexit. **Sudlers / last Luther zufrieden / wo ihrs nicht besser könnet.** Ad Grammaticam. Non enim Munach accentus conjungit ita, ut nomina non disjungantur, legite Danielem Prophetam, ita ibidem scriptum est: Et dicebat Daniel ad Melzar, quem præfecerat Princeps Eunuchorum Danieli Chananiæ, Misael & Azaniæ. Hic Danieli & Chananiæ copulantur per Munach & Zakephkaton, hinccine colligas, Daniel est Chanania. Qui non mediis interpretationis est instructus, taceat, & Lutherum tam diu in versione sequatur, quamdiu cum ratione non videat melius quid. Alia via hæc probatio contra Lutherum fuisset aggredienda, videlicet ex capite decimo Esaiæ v. 20. Residuum vel paucum convertetur, residuum inquam ad אל גבור i. e. ad Deum fortem. Sed hæc transeant.

29. Ut chartam & tempus redimam, reliquas significationes prætereo, simpliciter dicens, omnes in universum sub hac forma contineri.

30. Attribui etiam solent Deo in Scriptura anni, videndum est, quomodo & hæc quadrent. Assumo ergo radicem שנה cujus formale dico esse: *Iteratus fuit.* sub hac iteratione multa latent, quæ juxta concipiendi modum recte intelligi possunt. Nam quamvis iteratio in purissima significatione verbali vix inveniatur in Scriptura Sacra, tamen deducimur per eam ad satis aptam explicationem. In libris Regum legimus de Elia, quod dixerit שנו *iterate hoc.* Ergo iterationis significatio ut formalis in Scriptura Sacra occurrit. Hæc iteratio consideratur vel in Deo vel in creaturis. In Deo nihil aliud est, quam perpetua continuatio suæ essentiæ, quæ semper est & manet eadem, quo pacto ego vocabulum illud sumo. In creaturis importat etiam mutationem, sicuti id etiam ita in Codice Sacro explicatur. Unde cum contemplamur vocem שנה quatenus significat annum, eadem ratione est accipienda. Nam in creaturis annus tempus est, quod mutat aliquid in homine, sed ita tamen ut iteratio formale nostrum simul includatur, nam respectu formalitatis suæ perfectionis est, ratione materiæ imperfectionis. Hoc explicabit nobis etiam Spiritus Sanctus in Psalmo quodam, quando de Christo ut vero & æterno Deo dicit: *Tu principio terram fundas & opus manuum tuarum cœli sunt. Illi peribunt tu autem permanebis, omnes ceu vestimentum veterascent, nam ceu indumentum mutabis ipsos ut mutentur.* Verum TU es HUH i. e. IDEM, & anni tui non finem habent. ANNI TUI i. e. id quo perpetuo & quasi iterato manes, manet id quod est. Unde è contra de hominibus dico, anni nostri sunt umbra, quia non perpetuo manent. Hinc distinguit etiam Job inter annos Dei & annos viri.

31. Quando hæc de ANNIS DEI scribo, nolo tollere anthropopathian, juxta cujus amussim hic dicendum est: In Deo non dantur anni proprie, sed attribuuntur ei per ἀνθρωποπάθειαν. Nam omnia bene sonant, & melius, si adhuc unum Græcum Vocabulum talis desinentiæ per ἄρσιν & θέσιν adderetur. Modo enim distinctiones Rythmice proponantur, etiamsi non valeant, tamen bonæ sunt. Sed ut tentem, numne sub forma iterationis à me supra descriptæ queant omnia salvari, præmonens, ne illi hæc arripiant, qui fundamenta solida linguæ non jecerunt, sed permaneant in anthropopathia.

32. Reliqua quæ hinc descendunt vocabula optime cum *Iterandi* forma conveniunt, qualis est שני in Esaia, filium iterato tinctum, quo notantur simul peccata iterata. Vox *duo* iterationem includit, sub qua speciale aliquid fuisset notandum, nisi prævidissem, ab iis qui me non audiant, forsan illa in aliam partem accipi posse.

33. Hucusque occasionaliter quædam dixi de Dei nominibus & quæ ei attribuuntur. Alibi plura proponam. Jam lubet etiam de Christo aliquid ex veteri Testamento in medium proferre. Et inprimis dicitur ille quandoque מלאך angelus, sicuti Malachias id docet. Et Angelus fœderis, quem desiderasti &c.

34. Hujus occasione quæritur de forma vocis. Respondeo, sita ea est in *missione*, & ne cum שלח confundi videatur, addo *ad opus.* Nam omnino in hoc disputandi genere præcaveri debet, ne forma una & eadem in diversis radicibus occurrat, unde hoc mittere importat simul opus præcise & ex forma sua, non autem ita proprie שלח, de quo alibi.

35. Præcipuum autem vocabulum sub hac forma contentum est ANGELUS. Hæc vox indifferens est ad Angelum increatum, & angelum creatum, de creatis Angelis nihil propono, tantum de increato, sicuti legimus de eo, de quo dicit: *Ego mitto angelum ante faciem tuam, ad custodiendum te in via, & ad ducendum te ad locum, quem præparavi ego. Caveto* à facie & ejus &c. *nam* NOMEN MEUM *est in medio ejus.* Postmodum hunc angelum vocat מלאכי, Angelum meum. De hoc eodem Angelo dicit Esaias, quod sit Angelus פני faciei Dei.

36. Ex quo sequitur, quod hic talis sit Angelus, per quem Deus semper operatus sit. Quamvis enim Cabala Judaica hunc Angelum esse Michaelem doceat, nam מלאכי/ de quo modo dixi, habet easdem literas quas מיכאל Michael, tamen ea negantem non constringunt, etiamsi & Michael nomen Deo non sit indignum.

37. Fundamentum autem meum, ex quo puto hoc demonstrari posse, hoc est 1. Dicitur Angelus faciei, sed apodixin quærens dicet esse eum angelum, qui perpetuo adstat faciei Dei; Bene. Quis autem iste esse potest, præter filium? Omnis angelus videt faciem Dei. At illi nullibi dicuntur Angeli faciei, ergo plus involvitur in voce *Angelus faciei*, præsertim si conferatur, quod in initio hujus disputationis dixi. 2. Quia in hoc Angelo fuit nomen aut excellentia Dei à cujus facie timere debebant Judæi, cujus vocem debebant audire Israelitæ, quibus addatur alius locus, quod non propitius sit futuris transgressionibus &c. 3. Confero locum, quem præ manibus habeo, cum loco alio legis, ubi populus audiens agi de mittendo Angelo luget. Ergo angelus in cap. 23. erat alius ab hoc qui describitur in cap. 33. Dices alium esse constat, sed num increatus fuerit; Resp. alium esse & increatum, conspicitur ex attributis, ex consensu populi, qui scivit, hoc angelo eunte non posse simul etiam non ire Dominum, illo vero in cap. 33. posse ire, adeo ut Dominus non simul eat. Ergo ille, quo sine nec Deus it, nec sine DEO ille, est ipse DEUS. Novum Testamentum non allegabo, sed tantum dico, conferendum esse locum legis, ubi dicitur *Facies* mea ibit, cum loco Esaiæ, Angelus faciei.

38. Hic Angelus perpetuo denominatur à forma sua, & imperfectionem ex formali ratione non includit. Et ut dixi competit filio quia per ipsum facta sunt omnia. Unde dicitur Angelus fœderis. Quem locum Malachianum indocte explicant quidam Judæi de Elia, quia ipse zelatus est propter fœdus factum irritum, quod putant esse circumcisionis; Unde teste Rabbi David Kimchi paratur sella Eliæ, in qua in actu circumcisionis sedere putatur. Idem testatur liber Germanicus literis Hebrai-

Hebraicis Venetiis incusus, qui de duabus sellis agit &c. Refutantur inter alia etiam ex hoc quia הארון & מלאך הברית unus & idem, est cujus adventus diem &c. qui filios Levi &c.

39. Reliqua descendentia cum forma optime quadrant, nec ullis rem ipsam involvunt difficultatibus.

40. Filius autem cum dicatur Christus, placet etiam vox משיח cujus formale est eruendum. Dico ergo, formale est *delineavit*. Hæc forma expresse describitur, ut & nomen exinde formatum ejusdem significationis. Materialium significatio aliqua est *unxit*, quod & de Regibus & sacerdotibus, usurpatur in Veteri Testamento. Superior autem adhuc significatio est determinavit, *destinavit*, cujus significationis veritatem Scriptura etiam demonstrat. Sicuti legimus de Nimsi, quod destinaverit ipsum Dominus ad exscindendum domum Achabi. Ita legimus alibi, quod Elias משח destinaverit Elisam in Prophetam.

41. Omitto hic multa quæ dici possent, ut tantum de summo Messia loquar, cujus typi fuerunt Sacerdotes & Reges in Veteri Testamento. Unde expresse vocatur David *Messias Dei Jacob*. Vocatur autem ita Christus, quia destinatus ad opus redemtionis humanæ, & unctus est oleo lætitiæ præ consortibus, sicuti scriptum est in Psalmis. Propterea unxit te DEUS tuus.

42. Hic obiter noto contra Judæos, Psalmum illum in quo hæc leguntur non loqui de Salomone, sed de Christo. Quod enim dicitur de Salomone, quod sederit in solio Ihovah, verissimum & negari non debet, cum Scriptura id affirmet. Verum hinc concludere non licet, ergò in Psalmo quadragesimo quinto agitur de Salomone, ita ut dicam. Solium tuum Dei est solium, nam res ipsa, quamvis non negetur, constructionis tamen major debet haberi ratio. Antequam autem eam hic proponam, lubet regulam formare, cum sciam contra eam valde peccari; NULLUS NULLUS OMNINO EST SENSUS SCRIPTURÆ SACRÆ, QUI NON SIMUL SIT PURE GRAMMATICUS RESPECTU CONSTRUCTIONIS VERÆ. Et optarem, urgeri me contrariis exemplis. Nolite enim Studiosi Rostochienses credere, quod vel unus versus in Scriptura Sacra sit, qui non subjaceat Grammaticæ & veræ constructioni. Stultus est sensus qui non rectam habet constructionem. Spiritus Sanctus non barbarus est. Quæ ideo occasionaliter scribere volui, ut tolleretur effugium illud multorum, qui cum ad rem respondere nequeunt, dicunt, hoc est analogiæ fidei, quamvis Scriptura in constructione sua id non inferat, nam non ex Grammatica sed ex Theologia est respondendum. Quasi vero vel unicus locus Theologicus sit qui non simul audiat Grammaticus. Ad rem, כסאך *Solium tuum* אלהים ô Deus עולם ועד perpetuum est.

Hæc me docet Grammatica. Jam venite Judæi, & si ex vestro Kimchio Communi nostro Præceptore melius sitis instructi, date locum, ubi in positu tria substantia, quorum prius est substantiæ, reliqua accidentis, pro tribus adjectivis veniant, ut abstracta pro concretis. Hoc enim melius sonare vel Rusticus Judæus audit; O Deus, Solium tuum est æternitas & perpetuitas id est, æternum & perpetuum. Nam rectius dicitur in abstracto de DEO quam in concreto, totum illud, quod perfectionem inducit.

43. Notandum etiam est vocem UNCTI venire pro *insigni* ex sententia Rabbinorum, dabo hoc in hoc disputandi genere, nam formæ nihil derogatur. Insigne enim est, quod destinatum est talibus documentis & rebus, quæ insignire valent.

44. Hic Messias de quo modo dixi vocatur in Psalmo secundo בר filius. Hujus formale dico esse in seligendo.

45. Radix eum ברה hoc pro formali obtinet, sicuti in libro Samuelis scriptum est. Materialiter significat elegit cibum. Portio terræ sub hac forma etiam commode latet, nam ut exemplum sumam ex Genesi ubi pariebat Rahel erat electa portio certi campi. Sicuti hodie dicerem auff der Rostocker Feldscheyde / quæ est electa pars ad urbem nostram pertinens.

46. Præcipua autem vox, quæ hinc descendit est *Filius*, quæ vox denominationem suam habet ab eligendo. Unde Divus Lutherus de versione super versum 31 Proverb. Salom. Ach mein Außerwehlter / ubi in fonte ברי, quo respexit ad formam, cum autem repetitur, respexit ad materiam, unde ita vertit, Ach du Sohn meines Leibes. Sic in Psalmo de quo dixi secundo. Osculamini filium i. e. electum ipsum, qui jam satis superque descriptus est, quod sit Rex Regum, qui omnium Regum dissipaturus Regis nomen sibi soli vendicare de jure potest. Imo quem ut audivistis constitutus est Rex super Zion montem Sanctitatis meæ &c. At hanc formam respexisse etiam autumo Deum in Baptismo, cum dicit, hic est filius meus dilectus in quo complacui, ubi Syriaca lingua, quâ procul dubio usus fuit Deus, ut omnes intelligere possent, itidem habet vocem בר q. d. Hunc elegi, ut solus audiretur.

47. Descendit hinc etiam vox ברית fœdus notans, forma quadrat, nam qui fœdus pangunt, eligunt ex utraque parte quid de quo & in quo conveniant. De quo, quam multa dici queant, ipsa collatio Scripturæ docet.

48. Placet etiam pro Conclusione assumere faciles quasdam radices אות signum, cujus formale est in signando. Sicuti legimus de circumcisione, quod fuerit signum fœderis, & non fœdus ipsum proprie loquendo. Ex quo colligitur, Rationem fœderis aliud quid tunc temporis in formali suo involvisse, atque videtur.

49. Alia radix זעך tantum semel in Scriptura, & quidem in Jobo occurrit, & teste authore titulorum in Concordantiis Rabbi Mardoch. פירוש כריתות id est, exscindendi. Quod tamen non ita accipi debet, quasi una forma in duabus vocibus occurreret, sed quod videatur tantum occurrere, distinctionis autem rationem suppeditat ratio materialium. Quod rudi exemplo ex lingua Latina explanare possum. In ea enim dicere possum, rudera ædificiorum, verum non rudera aquæ vel cibi. Alias enim si externa significata respicere velis, convenirent in reliquiis.

50. Vox זעק, *clamavit*, significat, unde in Genesi usurpatur de rumore, cum Deus dicit: Clamor Sodom & Gomorrhæ pervenit ad me. Hic clamor dicitur pervenire ad Deum gravitate mali. Unde enim formale hujus radicis dare volo, omnino assumere debet, hanc quam adscribo, nempe *Signo aliquid indicare*. Signum aliud est apertum, aliud occultum. Sic recte dicitur gemens clamare ad Deum, quia signo declarat suam miseriam. Econtra in Ninive aperto signo indicebatur dies publici jejunii.

51. Cum hoc זעק convenire videtur etiam צעק, in quo sane rursum est convenientia, verum quomodo & hæc distinguantur, dicam in disputatione alia, ubi ex professo צעק cum זעק conferam.

52. Jam tandem concludo hanc Disputationem voce אלה/ quam merito, cum de aliis nominibus divinis egerim, etiam hic noto. Dico de hac primum, Non est nomen essentiæ sed formale ejus consistit in *judicando*, unde Targum etiam quandoque vocem אלהים per דין explicat. Hinc etiam judices dicuntur אלהים/ de quibus dicitur, quod eis non sit maledicendum. Plura in subsequentibus.

DISSERTATIO IX.

1. UT continuetur semel inceptum scrutinium formarum, assumo vocem אח significans fratrem, cujus formale dico esse *in conjungendo*, quod extra propriam & adæquatam veræ formæ probam, etiam conspicimus ex Rabbinica, Chaldaica & Syriaca lingua.

2. Hujus rationis est etiam אחות soror. Quod cùm satis clarum sit, hîc obiter explicabo locum legis, pertinentem ad gradus consanguinitatis.

3. Levitici capite decimo octavo confertur versus nonus cum versu undecimo. Eum vulgata versio sic explicat. *Turpitudinem sororis tuæ ex patre sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis.* Hunc autem ita; *Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non revelabis.* Ubi videtur quibusdam sine necessitate factam esse repetitionem rei unius ejusdemque.

Nam in versu undecimo describitur soror ex patre & non ex matre simul, Eine Stiefschwester / so mit dem Bruder einen Vater / aber 2. Müttere haben. In versu nono putant itidem describi sororem vel ex patre vel ex matre. Eine Stiefschwester so mit dem Bruder einen Vater habe / oder eine Stiefschwester so mit dem Bruder eine Mutter habe. Hinc concludunt, superfluum esse versum undecimum, cùm in versu nono idem modò erat descriptum. Metus hic est vanus, modò versus rectè legantur ex veritate Hebraica. Sic autem sonat versus nonus ערות אחותך בת אביך או בת אמך מולדת בית או מולדת חוץ

חוץ לא תגלה ערותן Versio mea super hunc versum talis est; *Nuditatem sororis tuæ, quæ est filiæ patris tui, aut filia matris tuæ, quæ genuit vel domi vel foris illarum inquam nuditatem non revelabis.* i. e. Tu non duces in uxorem sororem tuam, quod fit, cum ducis filiam patris tui. 2. Cum ducis filiam matris tuæ, sive eam genuerit in conjugio ex tuo patre, vel extra illud ex alio. Cum autem nominabam filiam patris, innuebam patris & non matris simul, describitur ergo primum **eine Stieffschwester / die mit ihrem Bruder einen Vater hat.** Secundo **eine rechte Schwester / die mit ihrem Bruder einen Vater und eine Mutter haben.** Tertio **eine Stieffschwester / die mit dem Bruder eine Mutter hat / es mag sie die Mutter von einem andern Vater echt oder unecht geboren haben.**

4. Jam conferatur alter versus qui est undecimus, quem ita exprimit Hebraica veritas. ערות בת אשת אביך מו לרת אביך אחותך היא לא תגלה ערותה Quem versum ego ita verto. *Nuditatem filiæ uxoris patris tui, quæ uxor parit tuo patri, hæc cum sit soror tua, noli revelare nuditatem ejus.* i. e. Tu non duces in uxorem eam filiam conjugis tui patris, quam extra conjugium tui patris peperit, si ea patri tuo conjuncta alia prole eum beaverit. Describuntur ergo hic **Zusammengebrachte Kinder / die 2. Väter und 2. Mütter haben / die können sich nicht eheligen / wo im Ehestand der New zusammentrettender Eheleute als Vaters und Mutters Kinder gezeuget werden.**

5. Pone casum, Constantinus ex conjuge Maxentia genuit Brundusium filium. Callicles ex conjuge Anna genuit Magdalenam. Callicles moritur, Maxentia diem suum obit. Constantinus ducit iterum Annam. Jam quæritur, num Brundusius ducere queat Magdalenam. Negatur id ex jure divino, si Anna ex Constantino fiat prolifica. Ratio *Quia est Soror ejus.* Formalis autem ejus de quo jam disputo est in conjungendo, conjungitur enim & frater fit Brundusius Magdalenæ per copulam Constantini & Annæ carnalem & prolificam.

5. His præmissis dubium legis, dubium non est, nec versus nonus dicit id quod versus undecimus. Nonus exhibet tres, undecimus unam sponsam non sponsam, hinc in nono versu affixum plurale, in undecimo singulare occurrit. Ergo quod dixit versus nonus, non dicit undecimus.

7. Cum autem videam hanc demonstrationem acceptari quidem ab iis, qui Hebraica non intelligunt, vix autem ab iis, qui Hebraistæ audiunt. Hi enim authoritate Doctissimorum interpretum fulti alia via rem aggrediuntur. Explicabo ergo ego jam obiter causas malæ interpretationis in hoc loco. Prima est sinistra acceptio vocis מולדת *Moledeth*, secunda forsan חוץ *Chuz.* Cum in versu nono dicitur: *Moledeth bait* non ut facit Vatablus, dicendum est *Domi genita.* Sed juxta meam explicationem, *Domi pariens.* Nam vox מולדה *Moledheth* est participum conjugationis tertiæ, & refertur non ad filiam sed ad matrem & est activum & non passivum. Hinc in versu undecimo *Moledeth abhicha*, non ut Vatablus putat, significat hoc in loco: *Quæ genita* est à patre tuo, sed *pariens patri tuo* **mit welcher Frawen dein Vater Kinder zeuget.** Nisi hoc, idem dicetur hic, quod in versu nono, & si passive sumam, cur non dicam: *Nuditatem filiæ uxoris patris tui à patre tuo genitæ, ut ad neptem referretur, confuso modo, quasi pater duxisset à se genitam filiam &c.* Non ita boni viri, מולדת activum est, & non Passivum. Nec Tremelliani cognatio hic locum habere potest. Quamvis enim מולדת sit quandoque nomen; hic tamen non ocularis evincit demonstratio, imo ipsa ratio. Nam ut taceam mirabilem detorsionem vocis cognationis, ipsa ratio suadet, gradum hunc esse prohibitum. Si enim verum est, quod cujus fratrem vel sororem ducere non possum, illum ipsum copulari mecum posse impossibile est. Nam Constantini & Annæ filius vel filia, Brundusius & Magdalena frater & soror, sunt) sequitur in gradu eos esse prohibito. Quæ autem אחים vel אחות vi mei formalis sunt, ut copulati antea per se, copulari de novo non possunt nec debent. Et cum Judæos super hac controversia consulo, non multum solaminis ex iis reporto, nam מולדת אביך à quibusdam explicatur, quod ideo dicatur, quia pater educaverit eam de qua dicitur puella.

8. Alteram causam puto esse in voce חוץ, quam oppositam videmus esse בית שַׁד / Aben Esra enim hanc vocem explicat ita בית ישראל אחר אילושין וקדושין שנולדה על משנט super voces autem מולדת חוץ / ita scribit חוץ מקמנהג & addit ויש אומרים פי פירוש מולדת כמו יולדו על ברכו יוסף sed quid immoror in allegandis Judæis, qui ab omnibus legi non possunt.

Allego ergo Tremellium, qui in omnium manibus est. Hic taliter exprimit versum nostrum. *Nuditatem sororis tuæ, filiæ patris tui, aut filiæ matris tuæ*, cognationis domesticæ aut externæ cognationis *harum ne retegito nuditatem.* Quam vocem חוץ ideo volui allegare, quia occasionem dedit interpretibus vitare tautologiam, quamvis rem tamen non tetigerint. Non ut ponam eam ut facientem multum ad rem vers. undecimi, sed tantum ut seduxisse visam. Nam omnino Tremellius sensum hic non est assecutus.

9. Satis superque veram explicationem me probasse autumo. Antequam autem hinc abeam, placet demonstrare, quomodo bona causa malè sit probata, imò non sufficienter sit explicata & intellecta. Talem probatorem dico esse Antonium Matthæum U. J. D. in collegio Institutionum Juris. Sic autem iste pag. 19. De matrimonio, quo de agitur in §. mariti 8. *nemo hucusque, quod ego quidem sciam, dubitavit, quin sit justum & legitimum. Ego illud primus in controversiam voco, justum non est: Nam Levitic. 18: v. 11. prohibetur. Secundum versionem nempe novam Latinam Tremellii & Junii, & Germanicam magni Germaniæ Theologi Joh. Piscatoris collegæ mei honorandi.* Addit statim versionem Tremellii & Junii: *Nuditatem filiæ tuæ natæ ex noverca tua, cognata patris tui, soror tua est: hujus ne retegito nuditatem.* Subjungit Piscatoris: **die Scham der Tochter des Weibes deines Vaters / welche deinem Vater verwandt worden ist (sie ist deine Schwester) derselben Scham soltu nicht auffdecken.** Postmodum carpit veterem versionem, quæ ita habet: **du solt der Tochter deines Vaters Weibs / die deinem Vater gebohren ist / und deine Schwester ist / Scham nicht blössen.** Subjungit: *Sed hanc versionem falsam esse facile* liquet ex vers. 9. *ejusd. cap. ubi jam ante idem matrimonium prohibitum est. Haut dubiè ergo, ut tautologia vitetur*, alia prohibitio sequitur in vs. 11. Respondeo ego, 1. Verum est, jus civile admittere nuptias, quas vetat Scriptura Sacra. Sic enim expresse legimus lib. primo titulo 10. pag. 8. Institutionum. *Mariti tamen filius ex alia uxore* & uxoris *filia ex alio marito* vel *contra, matrimonium rectè contrahunt: Licet habeant fratrem Sororemve ex matrimonio postea contracto natos.* Verùm num ex versione Tremellii & Junii refutari queat, valde ambigo. Verba in notis Tremellianis hæc sunt: *Appendix superiorum est ex hypothesi. Multi sunt, inquit Dominus, qui in Ægypto uxores duxerunt sanguini, sibi conjunctissimas, contra jus, sed recepto more, quamobrem horum liberos nolo inter se connubia jungere, ut documentum extet palam* hoc genus conjugii *comprobari mihi, ne jus naturæ sæpius oppugnetur. Hanc interpretationem, verba, exempla, naturaque videntur confirmare: & sequens ratio* Soror tua est q. d. *est sanguinis & cognationis tuæ, cujus auctoritatem, dignitatemque nova affinitate minuerunt parentes tui. Tu verò nequaquam id facito.* Plura etiam sequuntur, sed omnia allegare non possum. Non autem docent hi, suprà nominatum Juristam hunc casum, de quo ego ex lege loquor. Nam comprivigni possunt copulari. Ergo non satis rectè vidit iste Jurista, sed hanc limitationem debuisset addere, si comprivignis non adnascatur novus frater vel soror ex novo conjugio. Hoc ipsum non docuit ipsum Piscator, qui malè vertit locum **die Scham der Tochter des Weibs deines Vaters / welche deinem Vater verwand worden ist: (sie ist deine Schwester) derselben Scham soltu nicht auffdecken.** Falsissima hæc est explicatio & injuriam facit textui, proprietati linguæ imò ipsi rationi. Quod ergo viderit Jurista noster, quando ex Piscatore se primum hæc notasse putat, cùm Piscator & Tremellius veræ rei nihil habeant. Nam fundamentum ipsum est cognatio, quod falsissimum, nam vinculum cognationis deficit. Disputent de hoc Jureconsulti, qui plures rationes ex suo codice hìc valent allegare. Forsan, quod nulla cognatio intercedat inter privignos, ergo cognatio à Tremellio pro fundamento posita nihil est. Econtra per novum partum collocari in gradum primum comprivignos, & ita fœdum esse in oculis divinis conjugium.

11. Latius quam necesse est, hæc proposui, ut ansam darem hæc rectè examinandi, vel approbandi vel reprobandi. Præsertim ut etiam notarem Juristam suprà allegatum hæc vidisse, sed non rectè Piscatorem esse quidem viæ ducto-

rem, ſed cœcum, indignum, quem ſequatur Jureconſultus, nam cum dicit Piſcator *Verto* debuiſſet dicere *inverto*.

12. Reliqua quæ deſcendunt ab hac radice in forma conveniunt, de quibus publice agam notans tantum, ex hoc formali in Scriptura Sacra tam late ſumi vocem Fratris & Sororis, ſicut etiam in Zacharia fraternitatis, nam conjunctio vel mediata vel immediata in fratribus & ſororibus obtinet.

DISSERTATIO X.

1. IN diſputationibus pro Formali jam propono decimam, in qua incidit, quod multum ſoleat diſputari de primo Euangelio, quod factum eſt in Paradyſo poſt lapſum protoplaſtorum noſtrorum. Anne illud referatur ad ſerpentes naturales vel ad Diabolum. Hujus occaſione aſſumam jam primum vocem נשך & שף/ quæ de ſerpentibus ſolent uſurpari, & videbo, numne apodicticè queam ex vi vocabulorum obtinere & demonſtrare, in Geneſi expreſſe etiam Deum alloqui Sathanam.

2. Placet autem primum vox נשך, cujus formale dico eſſe *momordit*, quæ ſignificatio in Scriptura ſacra ſatis frequens eſt, & ſolet uſurpari de ſerpentibus, ſicuti in lege Moiſis legimus. Materialis ſignificatio eſt *fœneratus eſt*. Forma quadrat, nam qui pecuniam dat fœnori mordere ſolet illum cui dat, vel ipſa pecunia mordet & facultates ejus arrodit. Verum hæc ſatis clara ſunt. Nam ex hoc reſpectu dicitur in lege לא תשיך לאחיך Noli mordere fratrem tuum i. e. noli uſurare fratrem tuum, & ut generalitas quædam ſimul involveretur, dicit, דכר ושרישך וסף נשך נשך רכל נשך כל quo ipſo prohibetur omne illud, quo noſter proximus facit jacturam.

3. Hinc nomen נשך expreſſe ſignificans in Scriptura ſacra uſuram, unde in Pſalm 15. habitatio tabernaculorum Dei attribuitur ei, qui argento ſuo uſuram non exercet.

4. Et non adeo inconvenienter hic ex Politica quæreretur: Anne fas ſit pecuniam ſuam dare fœnori. In Scriptura ſacra prohibetur, ut ex præcedenti theſi audivimus. In Ezechielis capite 18. dura verba leguntur, recenſetur enim hoc opus inter peſſima vitia, adeo ut addat Spiritus ſanctus, Morte morietur, ſanguis ejus ſit ſuper ipſum, & è contra commendatur filius hæc patris atrocia non imitans. Et in capite 22. inter exprobrationes extremæ malitiæ dicitur: *Tu fœnus accepiſti*.

5. Videtur tamen ſimul quædam dari diſtinctio, nam Deut. 23. expreſſè ea nobis ob oculos ponitur. Et dicitur *Non mordebis fœnore fratrem, ſed peregrinum ita mordebis.* Ergo diſtinguunt Judæi in Pſalmo ſupra allegato intra objectum, quod ſi ſit frater, illicitum eſt opus, ſi ſit peregrinus, videtur eſſe licitum. Et ſicuti aliquoties frater reſtringitur ad determinationem caſus paupertatis, ita arbitror, nec de extraneo ſimpliciter omnia eſſe accipienda. Verum utut ſit non decidam hunc caſum, cum nimis multæ diſtinctiones de viduis, de templis, de Theologis, de Mercatoribus poſt legem Moſis hanc rem difficilem reddere cœperunt. Sed quod intendebam principaliter ex hac voce נשך demonſtrabo, quod in Geneſi in primo Euangelio ut vocatur non tantum notetur ſerpens naturalis. Negari non debet, quod revera ſerpens naturalis in Geneſi in actu fuerit interveniens. At hoc conſtanter nego, quod **Du wirſt ihn in die Verſen ſtechen. Du wirſt ihm den Kopff zutreten**/ intelligatur de ſerpente naturali. Dico ergo, agunt illa verba de Satana. Non deſumam ex Epiſtola ad Corinthios, ex Apocalypſi, ex Epiſtola ad Timotheum & aliis locis, quæ probationes ſapiunt Theologicas, ſed ex mea Philologia. Nam de ſerpentibus vel de נחש naturali uſurpatur vox נשך quam jam præ manibus habemus, nunquam autem שוף, quod non ſignificat **ſtechen**/ ſed aliud quid, quod ſtatim in radice ſecunda demonſtrabo.

6. Hæc enim radix *depreſſum tenere in tenebris* ſignificat formaliter. Hinc dicit Job: Ille audiet vocem meam, qui turbine me depreſſum tenere poteſt in tenebris, ut ita cogar tacere, nec ei contradicere. Ad hunc modum dicit David: *Dicebam* certe tenebræ me tenebunt depreſſum in ſe, ut Deus me non videat &c. at ecce fruſtra. Hinc demum recte devenimus ad dictum hoc egregium, ubi ego dico vi Philologiæ meæ: Ille conteret ei caput. i. e. Meſſias totum illud quod eſt in Satana principale & vim roboris habet, depreſſum tenebit in tenebris. Quorſum procul dubio reſpexit Spiritus ſanctus, quando de Diabolo affirmat quod ſit vinctus catenis tenebrarum: & alibi quamvis non tam evidenter, quod Chriſtus dicitur veniſſe, ut deſtruat opus Diaboli; Opus Diaboli fluit ex potentia & opere principis mundi.

7. Mirum autem videtur, quomodo queat dici de Satana, quod ipſe ſit conculcaturus calcaneum ejus. R. optime, modo ad formam recurramus. Calcaneum Chriſti quid ſit, libens audirem ab aliis, verum felicitas illa mihi ex lectione librorum nondum contigit. Si calcaneum Chriſti ſit pars corporis per Synecdochen ſtans pro corpore Chriſti, Satan depreſſum illud tenuit in tenebris, tunc temporis, quando clamare neceſſum habebat, *Eli eli lammah aſabhtani*. Et ratio eſſet diverſitatis, quod pars corporis ſit minus principalis, caput autem quod Satanæ eſt depreſſum pars principaliſſima, & dum occupatus erat Diabolus in conterendo, ut ita loquar, calcaneo Chriſtus ipſius caput æternis tenebris ſubjecit. Si autem calcaneus ſint pii ſive impii, certus reſpectus in tali alias non adeo neceſſario explicandi genere rem totam decidit. Quod autem ad meum inſtitutum, ſufficit dicere: Utrobique eſt *deprimere*, in Satana reſpectu capitis, in Chriſto reſpectu calcanei.

8. Et video ego, quænam ſub hoc calcaneo, ſi vocem עקב recte contempleris lateant, verum ea relinquo Theologis, repetens nunquam eſſe proprium ſerpentum, ideo huic ſerpenti non per ſe, ſed propter obſidentem antiquum Draconem competit denominatio, ita tamen, ut nec ego negem alia eſſe vocabula, quæ revera naturali illi ſerpenti attribui & poſſint & debeant.

9. Ut in materia hac adhuc aliquantulum permaneamus, aſſumo etiam vocem ſerpentis deſcendens à radice נחש, cujus formale eſt *petiit profunda*. Sic dicitur in Geneſi, de poculo Joſephi, quod ex illo & bibat, & ſcrutando ſcrutetur, **Damit er weiſſaget.** Ille locus videtur aliquantulum obſcurior, & videtur affingi Joſepho id, quod nec unquam in mentem venit, nec venire poterat. Ego cum in hunc locum jam inciderim, ex *regula ruſtica* modo explicandi Scripturam convenientiſſimo, ita dico, poculum illud eſt, quo accurate ſcrutatur abſcondita. **Mein Herr / der Joſeph probieret mit dem Becher die Redligkeit der Leute/ welche ein verborgenes ding iſt/ und verſuchet ob ſie auch Diebe ſind/ er läſſet ihnen raum/ und erfährt wie ſie mit dem Becher umbgehen/ ob ſie ihn ſtehlen oder nicht.** Et ſolet hoc ſcrutari etiam ſumi, pro modo quodam illicito, qui vulgo vocatur augurium. Ex hac forma fluit etiam nomen metalli ſeu æris, cum forma conveniunt propter naturam ſuam, quæ abſcondita eſt ſubter terram, & quæ quæritur ut latens. Imo notat etiam in Ezechiele pudendum mulieris, quod abſconſum manere debet. Ad quam formam reſpiciens Spiritus Sanctus ita dicit: *Sic dicit Dominus Jhovah, eo quod effundis tuum pudendum*, i. e. eo, quod tu illam partem corporis proſtituis, quæ debebat eſſe maximè abſcondita, *& quia tu detegis nuditatem tuam in ſcortationibus propter amatores tuos*, &c.

10. Reliqua ſunt mediate deſcendentia ab ære, quare illis omiſſis confero me ad vocem נחש, quæ ſignificat ſerpentem. Dicitur autem ſerpens ab hac radice, quia ut textus notat, fuit callidus præ omni beſtia, i. e. ſcrutans ſuo modo maximè profunda. Hic ſerpens dicitur inceſſiſſe erecto corpore, quod poſſum credere, dicitur etiam quod potuerit loqui, quod ego nego. Illud videmus ex determinatione pœnæ novæ, de hoc altum in Scriptura & ipſa ratione eſt ſilentium.

11. Et mira ibidem eſt convenientia & etiam alternatio in ſerpente naturali & antiquo illo dracone, qui etiam ob calliditatem merito נחש dicitur. Nam in Geneſi inter partes pœnæ etiam hoc erat: *Tu ſerpens edes terram.* In Eſaia dicitur: *Serpentis cibus erit pulvis ceu terra.* Ex quo colligo, quendam typicum ſermonem in Geneſi ſimul occurrere, ob convenientiam horum ſerpentum, ſerpens naturalis neminem lædit, cum ſe pulvere reficit. In Eſaia, Diabolus nemini nocet cum dicitur, quod debeat vorare terram. Nam ſicuti etiam ſerpens naturalis rectè dicitur נחש, eo quod profunda terra petere tenetur, ita etiam hic ſerpens antiquus ſemel detruſus de die in diem deſpectabiliores, ut ita loquar, ſuæ infamiæ & dedecoris gradus deſcendens in æternum fit abominatio. Quis enim hodie eſt, qui curet Satanam, ſervus noſter eſt, noſtris ſubjectus pedibus, ſuper cujus foramine noſtri pueri ludunt. Sic ſane formale optimè quadrat.

12. Et quamvis quandoque certet & ſanè adhuc certo certabit cum ſuis angelis, tamen audiemus lætam vocem: Ejectus

eſt

eſt draco ille magnus, ſerpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas. Quod tempus præciſe numerando, ſi non nos, certo tamen noſtri poſteri de novo experientur.

13. Et cum ſit de tempore, adhuc unum nomen Diaboli explicabo, quo vocatur Satan. Hujus radicis שטן formale eſt, in adverſando, quæ forma ſatis clare deſcribitur nobis in Scriptura Sacra, deſcendit hinc vox שטן ſignificans adverſarium, & attribuitur hominibus & Diabolo. Angelis tribuitur etiam, ſicut angelus, qui cum Bileam agebat, expreſſe fatebatur ſe exiviſſe לשטן. De hominibus, 1 Reg. 11. non ſemel dicitur, quod Salomoni שטן adverſarium hunc vel illum conſtituerit. De Diabolo res eſt manifeſtiſſima. Unde ut locum Jobi prætercam, aſſumam Zachariæ de ſummo ſacerdote Joſua ex quibus multæ narrantur fabulæ charta indignæ.

14. Conſiderandum autem eſt, quomodo Satan ſuam imaginem etiam imprimat hominibus. Nam ſicuti Spiritus Dei vix ſine operationibus ſuis in hominibus conſpicitur, ita hic Spiritus excitat in hominibus odia, adverſitates, invidiam, malevolentiam contra conſcientiam, & quod peſſimum eſt, cum שטן ſeu Diabolo hæc vox propriiſſime competat, quo magis tuto adverſatur, eo magis שטן dici meretur. Hunc Germanicè non male dixerim **Den heiligen Teuffel.** Partim enim ex ignorantia humana facit homines ſævire in alios ſub ſpecie recti, de quo Chriſtus **Sie meynen ſie thun Gott einen Dienſt daran/** ubi etiam pro fundamento ponit ignorantiam, partim facit ſimulare peſſimos nebulones & ardeliones magis quam pios ſanctitatem, ſub cujus prætextu ipſe adverſari valet. At increpet hunc Jhovah.

15. Ad alia digredientes videmus vocem Mannæ male capi à multis, quare etiam brevibus de hujus radice aliquid erit agendum. Formale ejus eſt *exhibuit*, materialis ſignificatio eſt *ad numerum exhibuit*. Omnia deſcendentia probe quadrant, aſſumam ergo hoc in loco tantum vocem מן. Hæc vox non eſt Syriaca, ſed pura puta Hebraica, non eſt pronomen ſed nomen. Syriaca non eſt, nam Syri cum de re quærunt non dicunt מן ſed מה/ non eſt Syriaca, nam quis credat Iſraelitas ex Ægypto egredientes calluiſſe linguam? Dicas præcedit in textu ipſos veniſſe ad deſertum Schur, quod fuit Syriacum. Reſpondeo veniat Turca ad Sylvam vel nemus Roſtochienſium, nunquam ibidem diſcet linguam noſtram, niſi habuerit ibidem homines, nam arbores & ſaxa non loquuntur. Et quæ eſt argumentatio, cum expreſſe dicatur, eos tres dies non inveniſſe aquam nedum homines. Et ſi ex ſimilitudinibus talibus loqui velis & præſumptionibus, cur non potius מן dicis eſſe Arabicum, cum & Arabibus hæc vox ſit nota, quamvis non in hoc caſu, quia etiam venerunt in Sinai &c.

16. Dico ergo, nomen eſt, quia forma probe quadrat, nam ſicuti ab אבה voluit, deſcendit אב pater; ita à מנה deſcendit מן. Nomen eſt, quia fœmininum ejus ejuſdem ſignificationis eſt uſitatiſſimum, à מן enim formatur מנה portio, donum. Nomen eſt, quia contextus id docet. *Et viderunt filii Iſrael, & dixit unus ad alterum, donum hoc eſt quia neſciebant quid erat.* E. g. Ego male novi piſces, ſi offeratur mihi aliquis piſcis ignotus. Tunc non dico cancer, anguilla, halec, lupus eſt, ſed piſcis eſt, quia ego ignoro, num ſit vel ichneumon vel alius ignotæ ſpeciei piſcis. Sic ſi offeratur ſuccinum ruſtico Perſico, non dicit, ſuccinum eſt, ſed donum, quia non intelligit, quid ſit. Sic in hoc loco Iſraelitæ, quia neſciebant nomen ſpeciei, dabant nomen generis. Unde & Moſes hoc acceptabat & dicebat: Hic eſt panis, quem dedit Jhovah vobis in cibum. Quibus verbis genus probat & ſpeciem ſubingerit. i. e. **Diß Brodt iſt eine Gabe von GOtt/** &c. Quare nolo magiſtraliter de hoc diſceptetur, ſed una ſimplex ſententia ponatur & retineatur. Sicut etiam non prolixe de hac re diſputavit Rabbi Salomo alius egregius vetularius, cum dicit breviter: מן היא הכנת מזין הוא כמו וימן לחם המלך. Alium autem quendam Rabbi Salomonem, quem Aben Ezra vocat Rabbenu forſan quia ante ipſius tempora vixit, audio מן habuiſſe pro pronomine. Sic enim Aben Eſra ſuper caput 16. Exodi. *Dicit Magiſter noſter Salomo, quod in lingua Iſmaelitica* Man huh *idem ſit quod* Mah huh. Verum refutatur ſtatim hic Salomo. In lingua Iſmaelitica i. e. Arabica hoc in loco רק מן הוא תרגימו מי הוא i. e. cum explico מן הוא/ in lingua Arabica per pronomen, hinc non ſignificat, *Quid hoc* ſed *quis iſte. Nam*, verba ſunt Aben Ezra, מן nunquam cadit niſi in hominem. Et tandem mecum unam ſententiam veram defendit. Quæ cum clara ſint ſtudio omitto.

17. Placet etiam radix שאר/ cujus formale dico eſſe *reliquus fuit*. Hæc forma in materialibus late patet & multis immergitur, adeo ut quod ex voce משארת patet, etiam mediatè aliquid alicujus queat eſſe reliquum, imo per aſperſionem ſicut de hac re infra latius dicetur.

18. Deſcendentes voces rectè quadrant cum forma שאר ſignificat reliquias ſic & שארית/ de quibus cum nulla ſi dubitandi anſa, non multa dicam. Sed aſſumam שאר quod explicari ſolet per carnem. Superior autem ſignificatio eſt, *in reliquiis* vel mediatis vel immediatis carnis. Unde in gradibus prohibitis ſæpius ejus ſit mentio, cum fundamentum ſit prohibitionis. Ad quos cum jam obiter devolvar eos hic ſubnecto. Dico ergo infra nominandæ perſonæ matrimonio jungi nequeunt. 1 Pater, mater, uxor patris ſeu noverca, ſoror vel germana, vel comprivigna, vel omopatria, vel uterina, filia filii, filia filiæ, ſoror patris, ſoror matris, frater patris, ipſius uxor, uxor filii, uxor fratris.

19. His annumeratur etiam aliud quod non tam firmo vinculo ex copulatis quam copulandis ſequitur, nempe *mulier cum filia ejus*, cum *filia filii* ejus, & *filia filii* ejus. item *ſoror ſuper uxorem*, uti notanter dicitur לצרר quæ ideo volui jam exprimere, quia in aliis libris juxta arborem, comprivigni etiam, ſi novus partus actu interceſſerit, copulari queunt, quod falſum eſt.

20. Hoc שאר eſt mediate & immediate in hominibus, quamvis mediatam illam cognationem Jure-Conſulti non videantur ſimpliciter admittere, tamen veriſſimam eam eſſe docet verſus undecimus capitis 18. Levitici, ubi comprivigna mea vocatur expreſſe ſoror eaque non civilis, quod quivis ibidem videt, cum ratio debeat eſſe illiciti matrimonii, ſed vera quæ cum comprivigno in eo caſu conjungi non poteſt matrimonio. Sed de his ſpecialem tractatum conſcribo in quo omnes difficultates ſolvam, tam ex lege divina, quam ex rationibus ex profeſſo theſin meam confirmabo, cum prima diſputatio, quæ erat nona, id pro ratione theſium non admittebat, quod alia examinarentur ex fundamento.

21. נדר radix ſignificat formaliter, *vovit* hinc נדר votum, quæ facilis radix facile pateretur, ut ad aliam tranſiremus, niſi primo, adhuc obſtaret dubium legis in Num. 30. Dixi nuper in Diſputatione publica in lege in eodem contextu unum & idem non repeti extra ratiocinationem, cauſam, & adjuncta connectenda, item genericam naturam. Verum jam videtur de votis venire contrarium, nam de conjuge dicitur v. 6. 7. quomodo votum ejus ſit ratum, quomodo etiam irritum in verſu. 11. & 12. & 13. videtur idem repeti. Nam ita dicitur in his, *Si in domo viri ejus voverit* &c. *& audiverit* vir ejus &c. ſupra de viro idem dicitur. Reſpondeo, dubium hoc non eſt dubium, nam infra agitur de vidua & expulſa, ſupra de actu maritata. Sic ſemper præcaveri debet tautologia in eodem contextu. Et hic obiter dico, multa adhuc alia ſunt notatu digna axiomata, quæ niſi rectè à legiſperitis cognoſcantur, lex nunquam rectè poteſt explicari. Talis generis eſt, in lege non eſt מאוחר מוקדם/ quod ſi verum ſit, mille errores video. DEUS promoveat ſtudium linguæ Sanctæ, ut lex rectè explicetur.

22. Et cum jam in lege verſer dum paginas aliquot retro numero, video & lego Pharaonis magos loqui de digito DEI. Antehac ego DEO proprie attribui manus, oculos & aures, non corporales ſed formales, ut me ſatis ſuperque explicavi. Jam tribuo eidem etiam propriè digitos & digitum. Hoc jam declarabo. Dico ego primum, Formale ejus eſt INFICERE. **In einem Dinge etwas thun und ſehen laſſen.** Hæc eſt vera forma, quam Germanicis verbis rectius explicare poſſum. Materiales ſignificationes variæ ſunt, ſed tales, quæ rectè ad hanc formam redigi poſſunt, ſignificat enim coloratum **ein gefärbetes/** nam res colorata in colore conſpicitur. **Einen Raben ſehe ich in ſeiner ſchwartzen Farbe/ kan ich das ſchwarz nicht ſehen/ ſo ſehe ich auch nicht den Raben.** De hoc legimus Jer. 12. v. 9. quod hæreditas alicujus vocetur עיט צבע avis colorata, quæ invaditur ab omnibus aliis, ſicuti videmus id fieri in upupis, & aliis avibus exoſis ululis &c.

23. Verum quæ de colore dici poſſunt, ea omnia rectiſſime, ut quivis videt ad communem formam rediguntur, unde & viperæ mali vermes ex colore ſuo צבעים dici legimus.

24. Tranſeant hæc & conferamus nos ad intentionis noſtræ directam executionem, digiti videlicet DEI explicationem. Primum dico, Revera in Scriptura ſacra tribuitur DEO digitus. Dicitur enim lex Moſis eſſe ſcripta digito DEI, & coram Pharaone nominant etiam digitum Dei. Hoc propriè & non impropriè fit. Tu enim cum hæc legis, non debes reſpicere tuos quinque curvos digitos, ſed formam ſignificationis & proprietatem linguæ, digitus Dei ergo eſt, illud in DEO, **damit er etwas thut und ſehen läſt.** Hinc in Pſalmo octavo dicitur de opere digitorum. Sicut enim, quod rudi exemplo ex humana conditione deſumpto declarabo, manus mea per digitos ſeſe exerit, ita manus Dei per digitos vel digitum creavit omnia. Et placet veneranda antiquitas, quæ Luthero occaſionem dedit ſic canendi de Spiritu ſancto: **Du biſt mit Gaben ſiebenfalt/der Fin-**

ger

ger an Gottes rechte Hand. Nam quando contemplamur opera Dei, ita videmus ea esse comparata, ut digiti Dei, quem jam ex antiquitate Spiritum sanctum vocabo, magna habeatur ratio. Ad Patrem nemo venire potest, nisi Filius traxerit ipsum, Filium nemo vocare potest Dominum nisi per Spiritum sanctum. So ist ja der Heilige Geist derselbige / in welchem oder durch welchen wir Gott ehren; Quæ omnia sana sunt, & ex visceribus linguæ desumpta, tum ipse Deus per hunc digitum multa facit. Et Christus Dæmonium ejici palam fatebatur per digitum Dei, i. e. per Spiritum sanctum, nisi mavis dicere per robur Dei, quod parum me impedit, quo minus tamen formæ meæ maneat integritas. Et quantum lateat in eo, quod lex scripta est digito Dei, vix à me concipi potest nedum exprimi. Quo respectu in ea consideratione lex vocetur litera & opponatur Spiritui, quæ omnia altioris sunt indaginis nec meum concernunt formale.

25. Quare & his omissis considero humanos digitos, quibus formale supra datum aptissime convenire deprehendimus. Per digitos manus nostra apprehendit, tenet, ope digitorum abjicit & projicit, & quid quæso manus mea facit sine digitis: Et ut digrediar ad digitos pedum, non credo, quod homo sine digitis istis recte queat uti pedibus, sic convenit formale à me supra datum, sic patet, linguam sanctam puram esse & omnia ad unum idemque ferre. Caveat autem sibi Lector, ne in hoc disputandi genere infimum & ultimum primo loco sumat, & ex conditione humanorum digitorum אצבעות Dei loqui præsumat. Ex quo puncto malevole, impudentissime, & contra conscientiam à quibusdam delatus sum apud rudes, & hæc audientes transverso pollice crucem fronti suo imprimentes.

26. Addam etiam pro conclusione hujus disputationis egregium aliquod nomen Messiæ, quo vocatur Zemach. Hujus formale est, *ortus est*. Materiale *crevit*, dicitur autem tam de nascentibus ex terra, quam de plumis & pennis avium. In specie autem egregia est significatio, quod sumatur quandoque pro *futurum esse*, & quidem ita, ut in hominum potestate id non situm esse simul determinetur. Ex quibus alia etiam deduci possunt, cum ad materiam resque eas Propheticas, in quibus hæc vox occurrit respicimus. Verum jam properamus ad nomen Messiæ Zemach.

27. Hoc nomen competit Messiæ & respectu humanæ naturæ, & respectu divinæ naturæ. Respectu naturæ humanæ dicitur Christus Servator noster Zemach, quia ex Davide ceu surculus ex radice est ortus, unde bis vocat eum Jeremias Zemach, quem simul in utroque loco vocat *Jhovah Zidkenu*, quia hoc germen justum vel justitiæ justitiam debebat facere in mundo, & salvare eos qui metu mortis servi erant per totam vitam &c. Respectu divinæ naturæ dicitur Zemach, quia à patre, ut ita loquar, est ortus. Unde dicitur in Esaia Zemach Jhovah, cui ibidem opponitur fructus terræ, quantum video relatus ad humanam naturam. Verum jam prohibet id fusius declarare angustia chartæ. Plura in subsequentibus.

DISSERTATIO XI.

1. UNa decas disputationum pro formali à me feliciter est absoluta, jam ad alteram me accingo. Sicuti autem pro conclusione primæ decadis ponebam regulam rusticam, ex qua omnia quæ proposueram me vidisse exponebam, ita in initio hujus decadis ejus merito iterum mentionem facio in hunc finem, ut me imposterum etiam eam pro medio habiturum doceam.

2. Placet jamprimo loco vox קשה/ cujus formale dico esse compactus fuit, materiales sunt variæ, durus, difficilis fuit &c. Sic Genes. 49. dicitur Maledictus sit fervor ipsorum compactus i. e. Der sich nicht hat lencken lassen wollen / und von ein ander bringen. Et in aliis locis plurimis hæc forma conspicitur in vocibus. Esa. 8. dicitur de illis, qui Achazo contra Esaiam adhærebant, & Prophetæ Torah utaadah nolebant admittere, adeoque Schachhar i. e. discretionem boni & mali præponere. Et transibit; ועבר בה נקשה ורעב vel peragrabit in ea compactus, induratus & famelicus compactus, id est, quia viam elabendi, viam boni videre nequit. Iste satis recte dicitur esse induratus vel compactus, quia etiam omnibus difficultatibus objicitur & objectus peragrat.

3. Cum autem dicitur in lege Mosis, quod Deus compegerit & induraverit cor Phaaonis vi hujus vocis, nemo potest concludere, quod Deus sit causa peccati, quia ipse Pharao se induravit, quem induratum Deus in eo statu reliquit. Sicut enim in Scriptura sacra *non audire* conjungi solet cum *indurare*, ita Pharao, cum pertinaciter non audiebat, se indurabat. Quem cum Deus non totaliter ex judicio auferens, sed stare sinens dicitur indurasse, sed de hoc in alia radice plura. Omnia quæ hinc descendunt, cum forma probe quadrant, ut cum Ezechielis secundo Ezechiel mittitur ad filios קשי פנים i. e. impudentes, qui duram habent faciem & quos non pudet. Nam cui non est pudor, ita frontem obduravit, ut rubor ille verecundiæ, cum in crimine deprehenditur, vel ejus fit reus, non penetrare queat. Durus spiritus in hoc dicendi genere dicitur tristis, quia cum non dilatatur quasi hominis cor constringit, & omnis generis perturbationes introducit.

4. Arcum à duritie & rigiditate dici magis quam notum est.

5. Inter alia autem ab hac radice descendit vox מקשה de qua non immerito quæritur, quomodo cum forma conveniat, cum explicetur per æquationem. Sic enim ibidem Spiritus sanctus ותחת מעשה מקשה קרחה ubi מעשה מקשה est pexus capillus ex dispositione & æquatione, & cum forma quadrat, quia compinguntur quasi in illo actu crines, ut ornamenta aurea vel pro loci ratione alia superimponi queant. Quæcunque hic de disposito vel æquato auro dici possent reservo discursui publico. Jam ad alia.

6. Radix כלב quamvis in verbis non sit in usu, tamen meo scrutinio subjacet, cum tres exhibeat radicales. Formam ejus dico ego consistere in *vilitate & obscuritate*, unde etiam apud Talmudistas כולב idiotam significare dicunt alii à vilitate & obscuritate.

7. Hinc descendit nomen כלב canem significans, ob vilitatem ita dictus, unde cum in magnalibus & miraculis Dei omnipotentis vult describere Spiritus sanctus nihil ne minimum quidem sensisse dolorem in tabernaculis Israel, dicit: Ne canis quidem movebat linguam. Proprie autem animal illud quod nobis est familiare significat in pugna Davidis cum Goliato: Num canis sum ego, quod baculo &c. ad me venias.

8. Transfertur deinde etiam mediate ad alia, à proprietatibus desumpta significata, quæ lubens omitto, cum nimis nota sint. Quare illis omissis formam meam aliquot exemplis probo evidentius, Abner Dux generalis increpatus à Domino suo: sic respondet הראשׁכלב אנכו Bin ich ein Hundeshäupt. Quæ responsio in textu recte ponderata non tantum est irati, sed & impuri animi indicium, cum כלב etiam aliud quid significet, sicuti apud Græcos κύων, quod non sumo in ea significatione qua vilitatem simpliciter & obscuritatem imo subjectionem notantes irati vel succensentes alium vocant: Einen Kyohn i. e. Einen Schlüngel der einem bellenden verjagten und speyenden Hund ehnlicher ist als einem Menschen. Sed in ea in qua sumitur in lege Mosis, cum scriptum est: *Non inferes mercedem meretricis, & pretium canis in domum Jhovah Dei tui* &c. quia ambo illa sunt abominatio Jhovah Deo tuo. Ubi ego dico, pretium canis esse pretium meritorii parati ad concubitum. Nam sicuti præcedebat in versu 17. Non erit prostibulum inter filias Israel, nec erit meritorius inter filios Israel, ita ego dico, pretium meretricis, est pretium prostibuli, merces canis est meritorii. Nec audiendum hic est Targum quod ita versum decimum septimum explicat: *Ne sit uxor ex filiabus Israel viro servo, nec ducat vir ex filiis Israel uxorem ancillam.* Quia rusticus contrarium videre potest, quamvis Rabbi Salomo aliqua ratione Targum excuset. At miserere nostri Deus, cum ab his hominibus Rabbinis & Targumista qui est etiam Rabbi, sapientiam haurire volumus. Ad ipsum textum recte ex regula rustica intellectum, in qua קרשה heist eine öffentliche Hure קרש einen öffentlichen und gemieteten Hurer / tales non debent esse inter filias Israel. In altero versu Judæi saniores sunt. Non dicam jam de similitudine canum cum talibus prostibulis & meritoriis, sed tantum de forma & significatione vocis כלב & κύων, hoc in loco; de quo Græce docti poterunt ex prophanis authoribus fusius agere.

9. Descendit etiam à radice, quam jam sub manibus habemus, vox significans caveam, item canistrum, sed sana sunt omnia; à vilitate enim ea dici plusquam notum est, unde Germani ein Kofen / Hünerflacke / &c.

10. Deinde assumo שפת cujus formale est *disposuit*, unde author titulorum in Concordantiis Rabbi Mardochai כל לשון עריכה ומערכה. Hac voce utitur Christus in Psalmo vigesimo secundo ולעפר מות תשפתני disponis me ad pulverem mortis q.d. Exaruit ceu testa robur meum & lingua mea palato meo adhæret, nam tu O Deus me disponis ut infimum gradum

gradum exinatitionis ſubire queam & debeam, ſicut id forma עפר צ̃ד/ de quo alibi, ſatis ſuperque teſtatur.

11. Quæ hinc deſcendunt cum forma modo data probè quadrant. Nam lapides focarii dicuntur שפתים/ quia ſunt diſpoſitoria ollarum, unde egregius ille locus in Pſalmo אם תשכבון בין שפתים כנפי יונה נחפה בכסף ubi etiam notandum eſt formam hanc ex ſe gignere terminos, limites, imo caſtra ſicuti ſcriptum eſt למה ישבה בין תמשפתים Quæ egregia loca omnia ſtudio prætereo, ut tantum properem ad alias res, ut in hac decade ſecunda plures proponere queam radices & formas, quam factum eſt in decade prima, & ita neceſſarium hoc ſcrutinium feliciter abſolvatur.

12. Placet ergo jam vox אמן cujus formale dico eſſe & conſiſtere in firmitate. Hinc ſignificat firmus fuit in rebus, & in ſermonibus, & in perſonis. Hinc dicitur in Eſaia in oratione tertia, in fine argumenti primi generalis אם לא תאמינו כי לא תאמנו ubi elegans eſt alluſio ad voces & ad res, dicitur enim *Im loh taaminu, ci loh teamenu*, hoc eſt, ſi firmi fueritis in credendo verbis meis, ſignum eſt, quod non firmi manebitis in rebus veſtris, ſcil. politia &c. Luther. **Glaubet ihr nicht / ſo bleibet ihr nicht.** Hanc formam quam modo expreſſi, agnoſcit etiam autor titulorum Concordant. Rabbi Mardochai cum inquit מה שפירושו קיום או ביון.

13. Si jam allubeſceret in materialibus & reſpectu rerum & reſpectu perſonarum & reſpectu vocum multa producere, plura ſe offerrent, quam anguſtia chartæ capit. Sed brevibus tantum de quibuſdam: Aquæ dicuntur נאמנים in Eſaia ob refectionis & ſuſtentationis infallibilitatem & indeſinentiam. Teſtes dicuntur נאמנים ob conſtantiam & veritatem. Unde cum incidit vox veritatis, non male fecero, ſi dicam uno verbo, veritas eſt firmitas in rebus, in perſonis, in verbis, & cum forma quadret, ſi quod fieri debet veritatem in materiali ſumas, quia veritas ſola eſt firma, unde quo magis aliquid verum eſt, eo magis etiam firmum & conſtans, quod ex exemplo Dei æterni colligitur. Quæ de fide hic dici poſſent, quomodo formaliter ſit adhæſio firma in aliquo, ideo taceo, quia ex præcedentibus facile colligi poſſe clarum eſt. Nam illud etiam extra ea deſumi poteſt ex loco Exodi quodam, ubi ita ſcriptum eſt ויאמינו ביי ובמושה עבדו Et adhærebant Domino & Moſi ſervo ejus.

14. Nomina alia quæ hinc deſcendunt facillime ad formam rediguntur, adeo quidem, ut & talia nomina deſcendant ex hac forma, quæ ſignificant *conſtitutionem* firmam, item *columnas*, ut peritis Scripturæ Sacræ notum eſt.

15. Inprimis autem conſideratione dignum eſt, quod ex hac deſcendat tale nomen quod ſignificat *artificem, opificem*, qui dicitur ideo hoc nomine, quia in ſua arte debet eſſe firmus & probatus. Sic contra non eſt artifex, qui de re interrogatus reſpondet ſe velle conſulere alium, ut reſpondere queat. Sutor non eſt ſutor, qui non ipſe calceos conſuere didicit. Scripturæ interpres non eſt interpres, niſi ipſe auxilio Dei ſpiritus jutus explicare queat Scripturam. Hinc nomine hoc indigni ſunt **Die Sudler in Künſten und Sprachen** / qui in quo ne umbra ſunt, trabes eſſe volunt authoritatis & aſinos ad lyram imitantur dulci ſpectatorum ſolamine.

16. Dehinc etiam legimus aliam vocem notantem curatorem & nutritorem, forma optime quadrat, quia alium in ſuam fidem & firmitatem bonæ promiſſionis ſuſcipit.

17. Et quæ alia ſunt, omnia rectiſſime ad ſupra indigitatam formam redigi poſſunt & debent ſive ſint ſex ſive plures ſignificationes viſæ diverſæ.

18. Jam ſumo vocem חפה cujus formale eſt in operiendo, ſicuti dicitur de Haman in libro Eſther. Inprimis autem elegans ſub hac forma eſt ſignificatio, quod notat etiam obduci auro vel argento, unde egregii cujuſdam loci in Pſalmis occurrentis cum obiter ut Philologus dabo verſionem אם תשכבון בין שפתים כנפי יונה נחפה בכסף *Si cubaveritis inter lapides focarios ſeu chytropodes, ſunt alæ columbæ obductæ argento.* i. e. Etiamſi mala maxima patiamini, malo tamen eruant non mala, ſicuti contradictio eſſe apparet, ſi homo, qui in purgandis furnis eſt occupatus, ne dicam qui in atrore ipſo ut olla ſedet, tamen dicatur manere albus ut argentum.

19. Ratio autem quomodo materialis hæc ſignificatio ad veſtam formam queat redigi hæc eſt, quia quod obducitur argento vel auro, illud occultatur ſub auro vel argento.

20. In libris Regum ſemel dicitur de filiis Iſrael quod יחפאו דבוים אשר לאכן i. e. quod occulte egerint res non bonas, vel ut recte ad ſenſum me conferam; Occultabant res, i. e. prætextum quendam faciebant. Sic prætextus pietatis poterat eſſe ædificare excelſa, & in iis ſacrificare Deo omnipotenti, hinc optime Divus Lutherus: **Und die Kinder Iſrael ſchmückten ihre Sachen wider den Herrn ihren GOtt / die doch nicht gut waren / nemlich daß ſie ihnen Höhen baweten in allen Städten / beyde in Schlöſſeren und feſten Städten / etc.**

21. Memini me ſupra propoſuiſſe ſub radice קשה/ impudentiæ vocabulum, huic oppono merito aliam vocem, ſub qua incidenter etiam in fine de pudore agam. Radix חפר pro formali ſignificatione habet quæſivit, ſicuti hæc forma expreſſe continetur in Job: cap. 3. ויתפרוהו ממשמונים qui mortem magis ſollicitè quam ipſos theſauros quærunt. Hinc in lege Moſis ſemel ſcriptum, ut perveſtigent nobis terram i. e. ut ſint nobis exploratores, & quærentes ſtatum terræ à nobis occupandæ. Sed hæc ſunt clara.

22. In ſignificationibus materialibus ſignificat fodere, quomodo forma quadret, quivis videat niſi qui modum reducendi & medium probandi volens vult obſcurare. In Geneſi ſcriptum eſt, *& foderunt ſervi Iſaac* &c. Fodere ergo convenit cum forma, quia qui fodit in Scriptura ſumitur quærit aquam, theſaurum &c. De loco quodam Jobi viſo intricato alibi dicam. Jam me confero ad ſignificationem erubeſcendi.

23. Hæc materialis ſignificatio optime cognoſcitur ex oppoſito ejus, חוקי מצח & קשי מצח in Scriptura notat tales homines, qui ſunt impudentes & perfrictam habent frontem, quæritur ibidem ratio, quare. Reſpondetur, innuitur fortitudo & craſſitudo frontis, quæ non patitur ut rubor permeare queat. Econtra חפר fodit, ſignificat etiam erubuit, nam qui erubeſcit, illi frons quaſi perfoditur ut rubor ſe exerat. Et ſicuti חרף de quo alibi ob revelationem & detectionem notabat etiam opprobrium, ita hic חרף ob transfoſſionem & inſpectionem facinorum malorum, qua id etiam fiat ratione ſignificat pudorem.

24. Multa eſſent de hoc pudore dicenda, verum progrediendum erit jam ad alia, ut modo eo citius hoc ſcrutinium abſolvatur.

25. Jam ad מלך cujus formale dico eſſe conſuluit. Forma hæc expreſſe continetur in Scriptura Sacra, ut cum Nehemias dicit וימלך לבי עלי & conſulebam mihi ipſi &c. Hinc cogitandi fluit ſignificatio, quæ ita ſignificationi conſulendi eſt agglutinata, ut vix ab ea ſeparari queat, ſicuti legimus in Jeremia.

26. Regnandi ſignificatio etiam ſub hac forma continetur, quia ſicuti in lingua Latina Conſul à conſulendo, ita מלך à conſulendo in Hebraiſmo dicitur. Ex quo promanant dulces meditationes, cum Deus noſter rex dicitur, ſicuti legimus in Pſalmo ſexageſimo octavo, nam procurator & conſulens ſubintroducitur. A regnando vel à regendo reges dici in Latina lingua verum eſſe credo, idem obtinere in Hebraica conſtanter nego. Unde cum Deus de filio ſuo dicit: Ego conſtitui regem meum ſuper montem ſanctum meum Zion, Regem ſuum vocat, quia vice Dei patris, ut ita loquar, conſulere debebat hominibus & docere ea, quæ ad politiam cœleſtem pertinere omnino debent. Hinc videmus etiam ex communi regula Philologorum verorum Hebræorum, quod cum epitheta Dei in Scriptura ſemper ita adhibeantur, ut ſemper reſpectus habeatur ad ipſum opus de quo agit pro tempore ſpiritus, etiam nomen Regis Deo non attribui, niſi in eo puncto, cum de conſulendo & procurando fit ſermo, quod, qui non credere vult, tantum probet & tentet in Scripturæ Sacræ ſcrutinio & explicatione.

27. Multa hic eſſent dicenda, ſed ut compendii rationem habeamus, ea omnia omittimus, & ſolido, contra noſtras theſes diſcurſui ab honeſtis Doctoribus & Studioſis reſervamus, tantum hoc unice aſſumentes, quod idolum aliquod Ammonitarum dicatur *Molech* ab hac radice deſcendente voce.

28. Hoc idolum neceſſe eſt habuiſſe denominationem ſuam à conſulendo & propitio aſpectu, vel ſub latente Regio. Si ergo, quod dicitur, fuerit Saturnus, ut Domino & Regi planetarum ſacra illi fecerunt. Et probabilius eſt, fuiſſe, ſi aſtrum fuit, ſolem, cujus cultus (quod exſcribo ego à meis majoribus) erat talis: Pater filium tradebat Sacerdotibus, qui faciebant duos rogos magnos, & inter hos puerum nudis pedibus traducebant. Et quidam moriebantur, quidam ſuperſtites manebant, ac putabant, ſi pater unum ex filiis traduceret, reliquos fore ſalvos, ac patrem in omnibus felicem. *Et additur* quod fuerit hujus idoli apud Ammonitas templum Gebal in eoque ſimulacrum lapideum auro obductum, & ſellæ inſidens. Utrinque autem duo fœminea ſimulacra, etiam ſedentia, ante ipſum ara, in qua ſacrificia & ſuffitus fiebant. Verum quale fuerit ſimulacrum, parum intereſt ſcire, hoc certum eſt, quod vocetur Molech, reliqua ut hariolamur ex aliis, ita etiam aliis obtrudere nolumus.

 30. Ab

29. Ab hac forma descendit etiam Melchisedek, qui sane major fuit Abrahamo, juxta cujus sacerdotium Christi munus sacrum fuisse ordinatum testatur epistola ad Hebræos & Psalmus 110. De quo Melchisedek plura essent dicenda, sed properandum est, tantum hoc notamus, quod מלך non semper in Scriptura sacra Rex, sed Consul, sicut Rex Sodom Consul vel præses fuit &c. etiamsi aliquando absoluti fuerint.

30. Aliam assumo radicem videlicet רגם cujus formale est *operuit multitudine*, hinc expresse cœtum & congregationem significat in Psalmis Davidis, cum ita dicitur in Psalmo sexagesimo octavo *Scham Binjamin zair rodem*, *sareh*, *Jhudah rigmatam*, *sareh Zabulon*, *sareh Naphtali*, h. e. Ib. videlicet in Ecclesia Novi Testamenti, dominator est parvus Binjamin, ibi congregatio est ducum Jhudah, congregatio inquam ducum Zabulon & ducum Naphtali. Id est ibi Paulus Apostolus cum reliquis Apostolis sunt duces, sicuti etiam alibi in Esaia Apostoli Messiæ nostri verè dicuntur duces Regis sui, ut doctis notum est. In quo loco רגמה congregationem notare deprehenditur, cum Apostoli totum orbem ceu magna multitudo impleverunt. Deinde in materialibus significat lapidibus obruere, & ita lapidare, quæ lapidatio solebat etiam fieri à tota congregatione & à toto cœtu, & quod alias colligitur, primus debebat lapidem primum tollere testis, in signum, si falsa fuisset testatus, sanguinem occisi non imputandum esse toti cœtui sed falso testi. Ex quo principio in crucifixione Christi Judæi clamabant: Sanguis ejus sit super nos & filios nostros, q. d. Nos recte testati sumus contra hunc quem vides judex maleficum. Sed hæc transeant, ut obiter assumam vocem Targum, quæ vox Rabbinica & Chaldaica existens forsan non ab omnibus recte intelligitur. Explicatur autem per *transtulit in aliam linguam*. Quamvis autem quidem ego non tenear Chaldaicarum vocum dare rationem, placet tamen idem hic ex superabundanti præstare. Dico ergo ego, quod תרגום significet opertionem multitudinis i. e. paraphrasin. Paraphrasis enim Chaldaica est nihil aliud, quam opertio, ut ita loquar, qua operuerunt textum Hebraicum, ut ejus loco legeretur. Nam si vera sunt quæ dicuntur, Paraphrasis illa est adornata in hunc finem, ut post Babilonicam captivitatem Judæi plebei textum sacrum legere non valentes, hoc subsidio juvarentur.

31. Quicquid autem sit hoc certum est, quod Targum vere sit Targum, cum ita sæpe obruat multitudine verborum textum sacrum, ut ejus vestigia vix compareant, quod multis in locis præsertim Propheticis demonstrari posset.

32. Radix באר hic locum habebit, formaliter autem significat *extulit*, ut ita loquar, exposuit. Außziehen/ außlegen. Sic cum dicitur de explicatione Scripturæ sacræ באר interpretatio nulla potest hoc nomine venire, nisi quæ ex textu est deprompta, unde באר respectum suum habet ad sensum, qui effertur, & extrahitur ex ipso textu & contextu. Unde ridiculum est in explicatione Scripturæ adire alios, cum linguam calles, tunc tu enim ex ipso textu trahes sensum & non ex aliis, ipsi non sunt in hoc puncto consulendi, nisi cum volumus tantum videre, quomodo & illi extulerint & traxerint & exposuerint textum. Hac ratione recte etiam dicitur quod respectus ejus sit ad ipsum textum, qui exponitur, cum alias videbatur latere, explicatur cum alias videbatur implicatus. Pessime ergo puto in Philologia allegari analogiam fidei, cum de sensu disceptatur, nam primum ex regula rustica debet videri, quemnam sensum exhibeant ipsa verba, si illa contra analogiam fidei sint, signum est, quod male explicentur, unde scrutari debet interpres, ut recte extrahat & explicet verba, tunc impossibile est, ea currere contra analogiam fidei, quæ tamen non pendet à Doctoribus Ecclesiæ, à Romano pontifice, sed ex Scriptura Sacra. Nec velum debet esse analogia ignorantiæ, dum, cum nescimus loci sensum, ad magistralem explicationem confugimus, salva putantes esse omnia, modo analogiæ fidei non repugnet. Non ita Philologi, quibus etiam in Theologia instrumentum quoddam proprium est. Quomodo ergo Moses explicavit legem? ut in lege de ipso legimus, fecit hoc באר clare & perspicue, ut qui me potuerit intelligere, nam rem suo nomine notavit, & ideo jussit etiam Deus hunc Mosen, ut scriberet super lapidibus omnia verba legis hujus באר *baer* bene exponendo ut Chaldaicus paraphrastes reddidit.

33. Ex quo, nisi metuerem ne alii trahant hæc in sinistram partem & serio me ea dicere putent, dicerem derivari Germanorum Bawr / litera vau & א Hebræorum permutata, quia ein Bawr vel ut Pomeranus melius ad radicem sese alligans dicit ein Bur / der kan nicht lang umbschweiff machen/ sondern ziehet bald auß was er will. Quod nomen nostris patribus fuit honorificum, quod ut puto exinde conspicitur, quod adhuc hodie habeamus die Burspráche in civitatibus vicinis, quia quos hodie dicimus die Bürger/ forsan antiquitus fuerunt dicti die Bawren / quia fuerunt homines simplices, redliche Leute die nach der schlechten und rechten Erbarkeit trachteten / denen das Ja und Nein lieb / aber das Quacksalberische umbschweiff machen / verhässig war. Quod & alii probarent ex voce Nachbawr / vicinum notante. Sed hæ sunt nostræ conjecturæ, pro quibus eas etiam tantum haberi volo.

34. Hoc באר requirit simplicem linguam quæ ab auditoribus „ intelligi potest. Unde hodie apud Germanos in Ecclesia con- „ cionatores recte loquuntur Germanice & non Latine vel Græ- „ ce vel Hebraice, quia cum Germanis conversantur auditori- „ bus. Ex hac radice descendit vox notans puteum, dicitur hic ideo באר ab extrahendo ex eo aquam, unde aliud est בור aliud באר ob diversos usus, quibus in Scriptura sacra insigniuntur.

35. Vox פתח claudat hanc disputationem. Hujus formale ego dico esse *aperuit*. Hinc in materialibus varia significat, quæ omnia cum hac forma probe conveniunt *incipere* &c. de gladio *evaginare*, de vinctis *solvere*, de metallo & lapidibus *sculpere*. Usurpatur etiam de floribus & aliis, quæ omnia transeant, ut modo ex Zachariæ 3. v. 9. הנני מפתח פתוחה Ecce ego aperio cælaturam ejus. Quid hoc est ad regulam rusticam? & docebit: *Aperiam*, ergo fuit clausa cælatura; quid est cælatura? Respondetur apertio lapidis, lapis aperitur, cum ea quæ in superficie erant tolluntur, i. e. sculpuntur. Hinc rusticus videt, hanc esse versionem. Ich will wiederumb lassen an dem Tempel bawen. Sic Rabbi Salomo Jarchi erudite explicat מתיר קושריה מפיר עצת האומנים אשר כתבו שטנה לבטל המלאכה.

Nam impediebatur structura templi satis diu, quæ tamen postmodum iterum feliciter incipiebatur & absolvebatur. Plura in subseq.

DISSERTATIO XII.

1. UT sine procemio nos ad disputationem 12. convertamus, ecce sese nobis offert vox עוה / cujus formale dico consistere *in obliquitate*, quod est, quando aliquis se flectit ab aliquo ad aliquid, & ita propriè deflexus fuit. Forma hæc expresse continetur in Psalmo quodam, cum David de se dicit נעויתי שחותי: Sic in Esaia ועוה &c.

2. Materialis significatio est iniquè, perversè egit, quomodo autem redigatur ad formam, satis notum est. Exemplum autem significationis nobis exhibet Mamucan: Non tantum, inquit, perversè egit Vasti Regina contra Regem, sed & contra Principes, & omnes populos. Ita Daniel dicit Cap. 9. עוינו perverse egimus, nam qui perverse agit, ille deflectit suas actiones à bono ad malum. 2. Nomina quæ hinc descendunt cum forma, optimè quadrant. Nam quæ docti ex ista voce formant, rectè ad formam applicare volo, ut cum in oratione nona Esaiana de errore dicitur, quod מסך רוח עועים miscuerit Spiritum perversitatum, Lutherus Schwindelgeist inter Principes Zoan & Noph, ut cum Ægypto errare faciant angulum tribuni ejus & Regem & populum, ubi sane Schwindelgeist denominationem suam habet à forma, quam modo proposui, quia tunc deflectuntur etiam sapientissimorum consilia, ut fiant bruta, prudentissimorum, ut fiant deliria, sicut id ex Ducibus Noph & Zoan & post illos in multis aliis consiliariis terræ est verificatum.

3. Si etiam עי acervus ex hac forma descendat, omnino etiam cum ea conveniat necesse est. Sic scriptum est in Psalmo 79. Posuerunt Jerusalem לעיים in acervos, quia ruina lapidum & acervus nihil aliud est, quam deflexio ædificiorum ex loco suo antiquo ad terram &c. Imprimis autem noto sub hac voce עון nomen significans perversitatem, & frequentissimè in Sacra Scriptura occurrit, de qua significatione & multis exemplis, cum nimis obvia sint, parum sum sollicitus.

4. Unicum autem me movet, quod plura de hac voce agam. Legi nuper in lege Moisis de Aharone quod debeat ferre עון iniquitatem Sanctuarii, ita & iniquitatem Sacerdotii: Hærebam primum, & non satis capiebam, quid sibi vellent verba illa inusitata, incidebat, phrasi notarent idem, quod sustentari de oblationibus factis pro peccato. Phrasis autem videbatur esse insolens, cum meminerim, quod cum עון vox נשא soleat sumi pro remissione ut Num. 13. Cui opponitur in Esaia נשוא עון populus cui peccata sunt remissa. Tentabam ergò sumere vocem עון in signifi-

in ſignificatione alia, quæ quamvis videatur nova, tamen hic proponam, ut Docti cenſeant, num queat conſiſtere. Puto Num. 14. *Ferre peccatum ſanctuarii idem eſſe, quod facere opera, quæ in ſanctuario ab hominibus perfici debent.* Ita liberor à multis difficultatibus, nam peccata ferre ſanctuarii, videtur inextricabile dictum, quamvis non negem, alios qui ad proprietatem ſermonis parum reſpiciunt, facile viam elabendi invenire. Probo autem meam ſententiam primo exinde, quia עון ut ſignificans opus, optime cum forma, cum quâ eaſdem habet radicales, convenit, nam עון dico notare opus ſpeciale, quia, qui operatur, debet deflectere ſeſe ab aliis rebus ad id, quod agere ſolitus eſt, vel alias agit. Et notandum ſimul eſt, quod, ſicuti magis in malam partem ſumi deprehendimus hanc radicem, ita etiam opus in ſanctuario & toto ſacerdotio ob malum humanum erat inſtitutum, adeò, ut ſi libere loquendum eſſet, עון rem pro peccato non immerito vocarem, ſicuti aliàs notum eſt, & alia vocabula & rem ipſam, & rem pro ipſa re notare, ut in אשם patet, deinde totus contextus ſuadet omnino vocem eam eſſe explicandam per opus ſpeciale.

5. Imo hæc ſignificatio expreſſe in Scriptura Sacra continetur. Nam Hoſeæ 12. conceptis verbis dicitur לא ימצאו לי עון אשר חטא ubi עון nihil aliud eſſe arbitror, quam rem &c. Ex quo conſectarium eſt, omnino non עון in Scriptura Sacra venire pro negotio, & in ſpecie, in loco ſupra allegato legis. Ne autem videar, opus habere, hinc inde congeſtis locis, cum unus idoneus ſufficiat, tantum allegabò Geneſin in quo de opere Hæmorræorum agitur. Quam explicationem etiam non repudiare videntur Judæi, quamvis in voce עון mecum non conveniant, dicunt enim, quod ita tulerint Aharon & filii ejus iniquitatem Sanctuarii, cum illi ut Sacerdotes, peregrinos facilè polluere valentes locum ſanctum, non monuerunt, nec arcuerunt, ſicut id patet ex commentario ſuper locum hunc, & Aben Ezræ & R. Salomonis. Verum modum illum procedendi vanum & irritum eſſe extra totum contextum probat etiam vox עון בהנה &c. Concludimus ergo, Ferre iniquitatem Sanctuarii in loco ſupra allegato nihil aliud eſſe, quam miniſtrare in Sanctuario.

6. Dehinc recta progredimur ad יעץ de quo dicimus quod ſignificet *ſcientem fecit vel erudivit.* Forma hæc vera eſſe notatur primò exinde, quia omnes deſcendentes voces optimè cum ea forma quadrant. Deinde etiam, quia ut generalis forma in Scriptuta Sacra occurrit Sic in Pſalm. איעצת *ego oculo meo te erudiam* ſeu ſcire faciam i. e. ſcire te faciam præſentia mea, præſentiſſimus ego tibi adero, & quibus habes opus te inſtruam. Hinc præcedit אשכילך ואורך prudentem te faciam & docebo te viam, quam ibis.

7. Ex hoc loco neſcio quis non palpet formæ meæ, quam modo dedi, veritatem. Et ſi aliis præter ſpem videtur ille locus dubius, aſſumo ex Pſalmis alium, cum ita dicit Meſſias אבכך יהוה אשר יעצני. Laudabo Dominum, qui me ſcientem fecit. Et quod hic locus agat de ſcientiæ communicatione, ſeu de ſcientia quam impertivit Dominus Jehovah ſuo Meſſiæ, inter alia docet etiam poſterius inciſum אף ללות יסרוני כליותי i. e. Nam & de nocte intimum meum me erudit. Quid eſt intimum in hoc Pſalmo decimo ſexto. Reſp. ipſa plenitudo divinitatis habitans in Chriſto ſervatore noſtro. Nam rectè illa dicitur כליות המשיח, quia per illam perficiebatur.

8. Ut ita dubium de hac forma nullum videam, quod jure ſuo remanere poſſet, cum expreſſe in Scriptura Sacra occurrat, præſertim ſi ultimo allegem verba Bileam, nam ita alloquitur Balak: Et nunc, ecce ego vado ad populum meum; veni איעצך i. e. ego ſcire te faciam, tibi annunciabo quid facturus eſt populus iſte populo tuo in poſtremitate dierum. Ubi ſane non aliud ſignificare poteſt commodè, quam ſcientem reddere, imò annunciare.

9. Magis autem illud corroboratur, cum in conſideratione ſignificationum materialium, deprehendemus, eas omnes cum modo data forma convenire. Nam ſignificat in materialibus decrevit, quia, qui decernit, & ſe ipſum ſcire facit rem futuram. Decretum enim poſt cernere antecedens, ut ita loquar, quomodo hæc vel illa res ſit inſtituenda, recte fit & dicitur decretum. Econtra decretum & decernere etiam dicitur reſpectu alterius, pro quo vel contra quem decernimus & ita doceretur, quia ſcire facimus ex effectu alium quid nos decreverimus, vel contra ipſum, vel pro ipſo ſciamus. Et hoc confirmant ſatis multa loca Scripturæ Sacræ: Ut cum dicitur Jhovah decrevit, quis faciet irritum, &c. Ideo, quia Syrus contra te decrevit malum &c. cum forma ſupra data recte concordant. Sic dicitur in Eſaia ונריב נריבות יעץ Spontaneus Spontaneitates decernit. **Hohe Leute / wie da die Chriſten ſeyn/ haben hohe Anſchläge und Gedancken und Schluß / darüber ſie auch halten.** Nam Chriſtianus יעץ cum ſe ſcire facit firmiter ſuam prærogativam, quâ gaudet præ diabolis & præ Regibus gentium. Et quamvis decernere hoc quandoque veniat pro ſtulto decreto, quod deſtituitur ſapientiâ, tamen rectè cum forma ſemel propoſita quadrat, ut ſano cuivis conſtat.

10. Significat etiam in materialibus conſultare & conſilium dare. Quia, qui conſilium dat, ſcire facit alium ſuos conceptus. Hinc Achitophel dicitur יעץ conſiliarius, quia ille ſuam ſententiam Regi debebat de caſibus occurrentibus, quæ etiam præſtitit Regi Abſolom, exponere.

11. Sedulo autem eſt diſpiciendum, quando יעץ ſignificat in materialibus decrevit, quando conſultavit & conſilium dedit. Contextus autem ſemper ita eſt affectus, ut facile diſtinguat has ſignificationes.

12. Et ſi quæ ſunt aliæ, ut revera ſunt, ſignificationes materiales, omnes illæ aptiſſime ad communem, quam propoſui formam, redigi & poſſunt & debent. In nominibus eadem eſt ratio formæ. Hoc tantum hic obiter noto, quod Conſiliarii terræ propriè non ſint Conſiliarii, prout nos ea voce in lingua Latina utimur, ſed ſæpe Duces & Reges terræ. Unde Job dicit עם מלכים ויעצי ארץ cum Regibus & Ducibus terræ. Quâ autem id fiat ratione, ſatis patet. Quare in hoc prolixior non ero, ſed pro concluſione hujus radicis dico, quod עצה vox ea quam exprimere ſolemus per conſilium, ſæpe ſoleat venire pro prudentia & ſcientia rerum.

13. Tertium locum in hac diſputatione occupet vox נגר/ cujus formale dico in ferendo ad quoddam, & ita ſignificabit tulit ad alium vel alii.

14. Forma hæc num expreſſe in Scriptura ſacra contineatur, non immeritò diſquiritur. Et puto maxime occurrere, & quidem in Pſalmo 19. ubi ſic ſcriptum legimus השמים מספרים כבוד אל ומעשה ידיו מגיד הרקיע i. e. Cœli enarrant gloriam Dei, & expanſum fert ad alios opus manuum ejus. Dicas, cur non vertam ita; Et expanſum annunciat opus manuum ejus. Reſp. Poſſem ita ſatis recte voces Hebraicas vertere, at quod hic idem non fecerim primo obſtat, quod incumbat interpreti, ut primo ſumat voces in ſignificatione ſuperiori, cum autem deprehendamus annunciare non eſſe primam, quia omnes ſub ea contentæ voces ad eam recte redigi nequeunt, hic meritò poſtpoſui. Secundò, cum vis auxeſeos aliàs recte conſiſtere non poſſet, ut ordinem phraſium, in Scriptura Sacra callentibus notum eſt. Et quia tantum importat vox נגיד ita non per modum conſequentis, ſed oppoſiti dicitur in Pſalmo alio: Cœli ferunt ad alium, id eſt, annunciarunt gloriam ejus, ut viderint omnes gentes gloriam ejus. Imò clariora ſunt quæ omitto.

15. In materialibus ſignificat annunciare, quia qui aliquid annunciat, ille, quod annunciat, fert ad alium. Sic Eſaias dicit חזות קשה הגדלי nisi potius & hunc locum ipſam formam rectius continere dicamus. Amos 4. dicitur Deus noſter. Formans montes, creans Spiritum, & מגיד id eſt annuncians homini cogitationes ſuas. Sed de hac ſignificatione, cum plena ſit ipſa tota Sacra Scriptura, parum ſumus ſolliciti, & ideo digredimur ad deſcendentia.

16. Quorum eſt primum נגיד ſignificans Principem, Ducem, & quæritur quomodo cum forma conveniat. Reſp. Quia נגיד eſt talis perſona, in quam collata eſt autoritas totius populi, & ita τὸ ferre in alium conſpicitur in voce נגיד/ econtra נגיד, qui & illa ſua fert ad populum, at hoc non dico ratione formæ. Nam reſpectu ejus dicitur Dux, Princeps, Rex, quia in eum eſt collata autoritas, ſive id fiat à Deo, ſive à populo.

17. Hoc nomine venit Meſſias noſter in Propheta Daniele. Et ſcito & perpende ab egreſſu verbi ſeu mandati ad reſtaurandum & ad reædificandum uſque ad Meſſiam DUCEM ſunt ſeptimanæ ſeptem. In cujus egregii vaticinii explicatione, qui non recte obſervat accentus, & particularum ſignificationes, facile labi poteſt. In eodem loco Romanus Imperator vel Dux ille, qui contra Jeruſalem veniebat, dicitur נגיד quia in illum tranſlata erat omnis poteſtas & authoritas à populo.

18. Parum autem intereſt reſpectu formæ ſive Princeps vel Dux ſit excellens vel non, nam in Proverbiis legimus נגיד חסר תבונות quia ita in indignum conferri poſſe donum intelligitur.

19. Arbitror autem, quod ſi voce Hebraica eleganter vellem exprimere *Rem excellentem*, commodiſſimum vocabulum ſumi ab hac radice, ſicuti legimus Proverb. 8. v. 6. Audite, quia loquar נגידים i. e. res excellentes & graviſſimas proferam, **Ich wil reden von Sachen / die was auff ſich haben**; Quia principale recte dicitur נגיד, quia res principaliſſima eſt ea,

in

in quam collata sunt omnia, & quia fert secum omnia. Unde non pro vili argumento haberi potest hoc vocabulum in Capite 8. pro astruenda sententia, filium Dei ibidem loqui, quamvis apodixeos & firmæ probationis nomen minime mereatur.

20. Difficillimum autem videri solet in hoc scrutinio, quomodo particulæ cum forma conveniant. Hinc etiam hic quomodo נגר particula significans coram è regione &c. cum supra à me data forma quadret. Dico ergo optimè convenire hanc particulam cum forma, nam coram quo sum, ad eum quasi sum latus. Sic dicitur in lege: Suspende ipsos Domino /נגר השמ coram sole i. e. ita suspende eos, ut facies ipsorum sit versa, & ita quasi lata ad solem i. e. publicè. In Exodo dicitur: Coram populo tuo faciam mirabilia i. e. Ita exeram robur meum, ut istius effectus feratur ad populum tuum. Ex quo exemplo satis perspicuè monstro meam sententiam & applicandi rationem. Imò eadem facilitate hæc capi possunt ex Esaiæ Capite sexagesimo primo כי כארץ תוציא צמחה וכגנה זרועיה תצמיח כן אדני יהוה יצמיח צדקה ita ut feratur id, de quo dicitur in textu ad gentes.

21. Ex quibus & similibus exemplis nemini potest obscurum esse, quam clara & manifesta sit in hac particula reductionis ratio. Unde ex hoc loco lubens abirem, cum plures voces ab hac radice non descendere noverim, nisi dum aliam radicem cogito subjungere, incidat caput nonum Zachariæ, in quo ימגיד clarissime à me propositam formam exhibet. Nam ita scriptum est גם את בדם בריתך שלחתי אסיריך מבי אין מים בו Etiam per ipsissimum sanguinem fœderis tui ego vinctos tuos solvo ex fovea, in qua non est aqua: statim sequitur Revertimini ergo ad munitionem אסירי התקוה etiam diem adducentem duplum ego reducam tibi &c.

22. His jam prælibatis accingo me ad radicem ראה cujus forma consistit in *experiendo*. Hinc in Psalmo decimo sexto dicitur לא תתן חסידך לראות שחת. Non dabis misericordiâ à te affectum experiri corruptionem. Hujus generis sunt verba Bileami לא הביט און ביעקב ולא ראה עמל בישראל. Imo similes phrases ut *experiri bonum* totam Scripturam implent quasi. Inter quas non ultimum locum occupat Psalmus, quæ quanta & quam ardua contineat videndi genera, doctis non potest esse ignotum, sicut etiam demonstravi illud in Disputatione publica Hebraica super prædictum Psalmum.

23. In materialibus significat videre, quia qui aliquid videt, oculis experitur, imò etiam transfertur ad alia, ut in lectione Scripturæ sacræ deprehendimus. Quæ omnia partim immediatè, partim mediate ad formam referuntur. Ita significat *prospicere* sibi, eligere, sicuti scriptum est: Prospiciat sibi Pharao de viro prudente. Ita dicit Abraham ad Isaacum אלהים יראה לו Dominus curabit sibi pecus: Super quæ verba Rabbi Salomo ita commentatur כלומר יראה ויביר לו השה ואם אין שה לעילה בני ואף על פי שהבין יצחק שהוא הולך להש יט ולכו שניהם יחדיו כל כשוה. AbenEzra autem contra hunc statuit, & putat Isaacum nescivisse patris intentionem ex verbis אלהים יראה Postquam enim quosdam refutarat, qui Isaaco adscribunt in tempore propositæ mactationis triginta septem, alios, qui quinque ei dant, & suam sententiam de tredecim annis adscripserat, dicit, quod pater ejus occultaverit hoc ab oculis ejus, rationem dans, quia si hoc scivisset Isaac, proculdubio aufugisset.

24. Significatio autem hæc, quæ est prospiciendi mediante τῷ videre, cum forma quadrat.

25. Et ut brevitati studeam, omnes difficultates, quas in materialibus verbalibus prævideo, reservo discursui publico, utpote *dijudicare*, *certare*, & quæ sunt alia, quæ mediantibus certis particulis in significatione variare solent. Sic etiam, quid sit *videre tonitrua* in Exodo. Pergo jam ad nomina, & de iis omnibus & singulis itidem dico, quod optimè cum forma quadrent e. g. ראה videns, Propheta dicitur ab hac radice, quia experitur Dei consilia hominibus manifestanda. De quo multa forent dicenda, sed ut chartam & tempus redimamus, ad alia, & quidem ad ea, quæ difficilius videntur posse applicari, nos accingimus. ראי significat stercus. Cum formâ quadrat, quia est *invisum*, & ita mediante *videre* concordat cum forma, quod, quomodo in hoc scrutinio sæpius fiat, in præcedentibus disputationibus apodicticè proposuimus. Hinc dicitur in Nahum: *Ego projiciam super te abominabiles res, ut te fœtere faciam, imo ponam te ut stercus*; i. e. ego reddam te invisum, ut quilibet te fugiat, sicuti solet aliquis, cum fœtidissimum stercus oculis objicitur: Hinc enim statim sequitur: *Et omnes* videntes te, fugient à te. Non dicam hic de alia ratione, quare stercus dicatur ראי quia illud nihil aliud est, quam discretum & dijudicatum, imò non expertum id, quod alimenta, à quibus in corpore animalis discernitur, experiuntur, quæ converti dicuntur ab aliis in carnem & sanguinem. Sed simpliciter, quod fieri debebat supra, dicam, ipsam etiam radicem significare in materialibus *despicere*, unde quid in hoc puncto dicendum sit, quivis videt. Nam in Canticorum Salomonis libro dicitur אל תראוני *Nolite despicere* me nigram, nam sol me aspiciendo ita denigravit. Sic Job. 41. v. 25. את כל גבה יראה Omne sublime despicit, quod non tantum ita juxta Rabbi David Kimchium, sed multo magis juxta ipsam veritatem explico. Psal. 22. v. 18. /המה יביטו יראו בי sed in illo loco magis significatio ejus juxta meam sententiam est *aspicere in voluptate*, quamvis idem Kimchius contrarium statuat. Et ex hac significatione *despiciendi* &c. non tantum stercus in prædicto libro, sed & לראוה in Ezechiele.

26. Vox רבץ formaliter significat *Incubuit, accubuit*. De variis rebus tam materialibus, quam præternaturalibus in Lege Moisis usurpatur. Quæ, ut ad alia pergam, omitto. Descendentes voces etiam facile ad datam formam reducuntur. Unum tantum videtur non carere difficultate: Quomodo vox *Quatuor* cum incubuit conveniat: Respondeo optimè. Nam numerus quaternarius est primus incumbens, ita ut par cubet supra pare. Primus enim numerus par est, binarius, super hoc incumbit quaternarius, & ita dicitur ab incumbendo, cujus ratione, quid aliàs in aliquot locis Scripturæ ex hoc principio dici debeat, hic taceo.

27. Vox פחז formaliter suum habet in *præcipitantia & levitate*. Sicuti solent aquæ, præsertim in locis præcipitibus, cum impetu dilabi. Forma hæc expresse continetur in Capite Gen. 49. ubi Jacob filium suum natu majorem ita alloquitur פחז כמים אל תותר *Tu levis & præcipitans* homo ut aqua, non eris supremus. Nam vocat hic pater filium suum פחז/ quia incogitanter & leviter quasi irruerat in stratum Jacobi, quando cum ipsius uxore concumbebat. Cujus rei gratia spoliabatur primogenitura, regno, & sacerdotio. Primogenitura dabatur Josepho, Regnum Ihudæ, Sacerdotium autem Levi.

28. Cum autem in hunc locum inciderim, obiter explico או חללת יצועי עלה in eodem versu occurrens, & dico Tunc tu, qui ascendis stratum meum, profanasti, id quod scio ex accentuatione vocis חללת/ quia tiphcha in alio sensu non debuisset occupare, nisi vocem יצועי/ quod cum jam non fiat, aliter fuit etiam loquendum. Modus autem iste dicendi alias frequentissimè occurrit, sicuti in Esaia de sterili, quæ ad gaudium invitatur, & alibi sæpe. Hic autem non statuas ellipsin, quamvis enim ea videatur esse ob reductionem sanctæ linguæ in Latinam, nullatenus tamen est in ipsa lingua sancta, quippe ex cujus positu אשר semper sese vel expresse vel latenter exhibet.

29. Reliqua, quæ sub hac radice continentur probè cum forma quadrant. In Propheta Zephania, Prophetæ dicuntur פחזים **Leichtfertige Lehrer / die da zuplatzen mit ihrem Urteln / da sie nichts verstehen / auch sie der HErr nicht gelehret hat.** In libro Judicum Abimelech mercede conduxit אנשים רקים ופחזים viros leves **Lose Buben / verwogene Schelm / die sich im bösen nicht lange bedencken.**

30. Et ita videmus, quomodo omnia, quæ descendunt rectè cum forma ipsa conveniant.

31. Sequatur jam radix חתת cujus formale est *cessavit esse ita vel ita*. Forma hæc exprimitur in oratione tertia Esaiana ובעוד ששים וחמש שנה יחת אפרים מעם Ephraim cessabit esse populus. Non gaudebit amplius in te populus, quod etiam factum esse tristis docuit eventus. Dubium Chronologicum, & quomodo pœna Syrorum & hic includatur, demonstravi alibi in commentario meo super orationem tertiam Esaiæ. In Malachia de Levi dicitur, hoc est de eo, qui primus ex mandato divino per Mosen Sacerdotio fungebatur, ut Aharon, Eleazer, Pinehas, quod נחת contritus fuerit à nomine Domini i. e. quod timuerit Deum, id est ratione formæ, cessavit esse, quem jubebat natura in consideratione authoritatis & præcepti Divini.

32. Hinc rectè intelligitur, quomodo *frangere, conterere* & aliæ significationes materiales, cum supra data forma conveniant. Et dulces sunt hujus formæ considerationes cum in materialibus ad res ipsas rectè applicantur, quod chartarum angustia, ut ego idem faciam, non permittit. Unicum ex Esaia pro conclusione subnecto: *Elevate oculos vestros in cœlum, & respicite deorsum in terram. Nam Cœli sicut fumus transibunt, & terra ceu vestimentum veteraneum, & habitatores ejus subito moriuntur. At salus mea in perpetuum manet, & justitia mea* לא יחת *non cessabit esse*. Ex qua oppositione non leve sententiæ meæ fulcrum supponitur, quamvis alias

alias etiam ipſa res pro ſe loquatur. Nam qui conſternatur, ceſſat quaſi eſſet ille qui erat & ipſo quo conſternatur, unde Germanorum: **Nicht bey ſich ſelbſten bleiben.**

33. כלא formaliter ſignificat *cohibuit*, & in multis Scripturæ locis expreſſe continetur. Eccleſiaſt. cap. 8. dicit אין אדם שליט ברוח לכלוא הרוח Materiales ſignificationes, utpote *prohibendi*, *continendi*, *metuendi* &c. rectiſſime cum ſemel data forma concordant. Hag. 1: 10. Propterea propter vos clauſum eſt cœlum, ut non roret, & terra ut non ferat proventum ſuum. Ubi cœlum clauſum dicitur, quia cohibet rorem. **Der Himmel hält den Taw an ſich.** Sic **Die Erde hält ihr gewöhnliches Vermögen an ſich.** In Eſaia dicitur: Dicens ad Septentrionem dato, & ad Meridiem nolito cohibere. **Halt meine Kinder nicht an dir / ſondern gib ſie hervor.** Et puto Græcorum ἐπέχω non male reſpondere Hebræorum בלא. Sicut enim inter alia vox ἐπέχω ſignificat obſto, quamvis non ſimpliciter niſi in reductione certa in linguam Latinam, ita *prohibere* etiam recte dicitur cohibere, quia ille qui interdicit, con-habet, ut ita loquar, ſimul & ſupra habet ſuum mandatum cum actione. Sic Joſua dicit: Domine Moſes prohibe illos i. e. obſta, fac ſtet apud ipſorum factum tuum interdictum. Et aliæ ſunt materiales ſignificationes, quarum applicationem ſtudio reticeo. Unum tantum ex Daniele aſſumo, ubi dicitur quod intra ſeptimanas ſeptuaginta certum quid debeat fieri. Inter alia dicitur לכלא פשע ad cohibendam prævaricationem vel rebellionem, de cujus ſenſu melius judicari non poterit, quam ſi auxeſin in Prophetis uſitatam recte præſupponamus.

34. Nomen hinc deſcendens כלא carcerem ſignificat, & ita quadrat cum forma, quia carcer cohibitorium eſt &c. Sed hæc ſunt facilia. Quare quæro, cur כלאים dicatur mixtum ex variis ſpeciebus; Et ita quomodo hoc cum forma cohibendi quadret. Dico ergo veſtis ex lana & lino ſemen diverſæ ſpeciei dicitur כלאים quia con-habetur lana cum lino in veſte illa Judæis interdicta, hordeum & ſiligo con-habent ſeſe in uno agro. Et ita ut vides rectiſſime cum forma ſupra data concordant omnia.

35. כלה ſenium eſt. כמה cum Mappik deſiderandi gaudet ſignificatione, להג piruſcho בטוי meditationem inducens ſemel tantum occurrit in Scriptura.

36. תוך formaliter ſignificat *medium*. Hæc ſignificatio centies & ultra occurrit in Scriptura Sacra, aliud autem eſt תוך quod dolum notat, quia illud à תכך deſcendit, quamvis ſi certum eſſet à תוך deſcendere ſignificationem doli, quod ſuadere videtur, expreſſum etiam non incommode ad formam reduci poſſet.

37. כתם Formale hujus conſiſtit in *inſigniendo*. **Inſonderheit außſetzen und mercken.** Sic dicitur Jeremiæ ſecundo נכתם עונך לפני Iniquitas tua ſignata eſt coram me. **Deine Sünde iſt ſo geſchrieben / daß man ſie nicht mit ander Materien mag außlöſchen.** Hinc deſcendit כתם quod ſignificat rem inſignitam, electam & pretioſam. Tali titulo venit Pſalmus decimus ſextus, qui vere continet res pretioſiſſimas. Cum in eo non tantum de unione naturarum, de cauſa, cur meritum Chriſti non ipſo actu omnes ad æternam vitam ducat; De eo quod Chriſtus in diebus carnis ſuæ non obtulerit Sacrificia expiatoria ſicut reliqui Judæi &c. Sed & de morte & reſurrectione & ſeſſione ad dexteram agatur. Unde merito dicitur מכתם / Deinde ſignificat Clinodium item aurum, quia hoc eſt metallum inſignitum & præ reliquis electum, quod omnes quærere ſolent. Ex quo fundamento in Eſaia dicitur: Ego cariorem faciam hominem quam Cetem Ophir, id eſt ſelectiſſimum & pretioſiſſimum aurum, & hoc dicit Spiritus S. cum raritatem vult notare in Babyloniis.

38. Continuet jam diſputationem hanc vox זמר / cujus formale dico eſſe in præſcindendo, ſicuti ſcriptum eſt Levitici 25: v. 3. & 4. Item Eſa. 5: v. 6. Ex hac ſignificatione formali deſcendit vox / מזמרות ſignificans falces amputatorias, ſicut ſcriptum eſt Eſaiæ ſecundo: indicabit &c. *ut contundant gladios* ſuos in vomeres, & haſtas ſuas למזמרות in falces amputatorias. Quod tum demum impletum eſſe intelligo, quando Gentiles fiebant Judæi. Hæc enim pax concernit oppoſitionem Judæorum & gentilium, quæ in novo Teſtamento terminis utrimque purificatis eſſe ceſſavit. Et alia cum hac forma recte quadrant.

39. In materialibus ſignificationibus ſignificat cecinit, quia cantus nihil aliud eſt, quam præciſio vocis, ubi aliquis non mugit vel grunnit vel rudit vel clamat vel vociferatur, ſed artificialiter canit, & verba in alterius laudem componit, ſicuti ſcriptum eſt Pſalm. 9: 18. 59: 6. & in aliis multis, ut inter alia in Pſalmo centeſimo trigeſimo octavo. *Laudabo te ex toto corde meo, coram magnatibus, te compoſitis verbis celebrabo*, tibi cantabo. Elohim autem in loco ſunt homines magni, qui à judicando dicuntur, ſicut forma אלהים id expreſſe innuit. Hinc deſcendens vox ſignificans rem laude dignam ut dicitur in Geneſi. Accipite זמרת הארץ de iis quæ in hac terra deprædicantur. Sic זמרת Canticum vel res laude & deprædicatione digna eſt in Germania robur Imperii, conſtantia Germana, cum propriè ita dictos Germanos ſumo. In ſumma omne illud, quo ſolet terra tam quoad fructus, quam quoad alias res præ reliquis excellere, dicitur מז מרת הארץ.

40. Duo loca videntur autem in Scriptura ſub hac voce dubia, alter in Ezechiele, alter in Eſaia, de quibus etiam pauciſſimis aliquid agam. Locus Eſaianus ita ſonat זמיר עריצים יענה Quæritur num hic זמיר ſit palmes ex ſignificatione formali, vel Canticum ex ſignificatione materiali. Reſpondetur ex regula ruſtica, propoſitum dicentis non eſt mutandum, legamus ergo contextum כחירב בציון שאון זרים תכניע הורב בצל עב זמיר עריצים ויענה Hæc verba ita verto: *Tu tumultum peregrinorum humiliabis totaliter, ſicut ſiccitas in terra arida.* Nam qui in terra arida ubi aqua multa eſt præ ſiti ſemel & depreſſus in terram, non aſſurget de novo, ſed ſuccumbet, jam audiatur ſubſequens inciſum חרב בצל עב זמיר עריצים יענה æſtus in umbra nubis palmitem Tyrannorum languefaciet. Quomodo hic & in præcedenti verſu diſtinguatur diabolus à gentibus, quomodo Chriſtiani deſcribantur, ut victores Satanæ & gentes ut convertendæ ad regnum Meſſiæ non ad me, mihi ſufficiat ſcire זמיר hic ſignificare palmitem; unde Lutherus **Den Reben der Tyrannen verderben.** Egregius ſane locus, ſed de eo agere, nondum eſt mihi integrum.

41. Alter locus in Ezechiele Cap. 8. v. 17. שלחים את הזמורה לאפי. Quid hic זמורה? R. Crepitus ventris, qui à præſcindendo dicitur. Scribæ hunc locum depravarunt, & pro אפי in textu poſuerunt אפם / adeo ut ſenſus ſit, ponunt crepitum ventris ad naſum ſuum, cum debebat ſcribi ad naſum meum. Nam Deus hic loquitur de ſe, & dicit, quod crepitum ventris mittant ad naſum ſuum i. e. Dei. Nam omnes abominationes communes nihil aliud ſunt, quam fœtor in naribus divinis, ut ita loquar. Num autem hæc mutatio ſcribarum ſit licite in textum illata, non dicam, ſed decuiſſet ipſos in margine notare; talem audaciam video etiam extra alia loca Scripturæ in Malachia. De his agunt & Kimchius & Rabb. Salomo, ille ut notet correctionem Scribarum, hic ut det rationem, quomodo crepitus ventris queat reduci ad formale. Ita autem extra ea dicit Kimchius / והנה הם מקטרים בביתי ושולחי לוה הקטרתם אל אל אפ / מלבד הבזיון שעושים לי שמחזירין אחוריהם אל היכלי: הזמולה / פירוש ריח רע והוא על דרך כנוי לקטרת שהיו מקטרין והוא עטוש מלמטה לפי כך ת"י מיתין בהתא לאפיהון ותרגם בטת בהתט והוא מקום הבשת: אפמ / רוצה לומר אפי אלא שכנה הכתוב והוא אתר משמונה עשרה שהם תקון סופרים Rabbi Salomo in commentario ſuo ſuper prædeſt: והנה שולחים אל חוטמם אתריח רע של זמירה זו שהם מזמרים ברוח היוצא מפו טבעת כלומר בושתם זה אל פיהם ישוב ומנחם פירש והנה שולחים את הזמורה אל אפם ענין רופי וקלון הוא לפירושו השוה ריח מקרת/ וכעס קרבנם וניחוחם לטלאכת רופי נקבים ואחוריהם אל היכל יהוה יורה על הענין:

42. In Maſora autem textuali ita legimus אל אפם חד מן י"ח מלין תיקון סופרים וסימ / נמסר בריש ספר במדבר סיני Quas cum in eas obiter occaſione hujus vocis inciderim his ſubnectam, ut lectori de iis conſtet. Sic Maſora י"ח מלין תיקון סופיים מוסי' ואברהם עודנו עומד לפני והוה / ואל אראה כרעתי ויאכל חצי בשרו / בעון אשר ידעתו כי מקללים להם בניו / אולי יראה יהוה בעוניו / איש לאהליו ישראלי והנם שולחים את הז מורה אל אפם / אלהי קדשי ולא נמות ואמדתם הנה מתלאה והפכתם אותי / כי הנוגע בהם כניגע בבבת עינו / ועמי המיר כבודו' ואהיה עלי למשא / כבורם בקלון אמורי וירשיעו את איוב ותשוח עלי נפשי / וימירו את בבודם בתכנית שורי אלו י"ח דברים תיקון סיפרוא והקרוקיהן משובהים.

43. At de his correctionibus ſcribarum, num ipſis licuerit corrigere textum, & num correxerint, & num recte correxerint, & numne vetuſtiſſima ſcriptio ſit optima, & ex quibus rationibus hæc illi Scribarum correctioni anteferenda, dicam Deo volente in Diſputatione ſpeciali alia, ubi ex profeſſo omnia loca illa examinabo.

44. Cum ergo jam de Maſora egerim, adjiciam etiam vocem מסר cujus formale eſt *tradidit*. Num. trigeſimo primo bis hæc forma expreſſa eſt. verſ. 5. וימסרו מאלפי ישראל vſ. 16. למסר מעל / De quo ultimo placet quædam dicere, quidnam ſit; Tradere prævaricationem contra Dominum, videlicet eſſe offendiculum aliis. Nam ut de tota hiſtoria, ut eo melius phraſis intelligatur quædam obiter ſpargam, notum eſt, Moſen ablegaſſe

Duces cum exercitu contra Midianitas, in qua expeditione quinque Reges Midianitarum, Evi, Rekem, Zur, Chur, Rhabah occiderunt. Item trucidarunt tunc Bileamum filium Boor. Duces autem hi captivas ducebant uxores; Quod cum Moſes videbat, graviter increpabat eos & dicebat: Vos ne in vita conſervaſtis uxores, illæ ipſæ fuerunt filiis Iſrael conſilio Bileami למסר מעל ביהוה על דבר פעור / quando ſubſequebatur magna plaga. Ubi obiter noto, quod Bileam, ſicuti id ex hoc loco colligitur, ſuaſor fuerit Regi Balak, ut: ad caſtra Iſraelitarum mitteret formoſiſſimas mulieres, quæ Judæos ad libidinem & Idololatriam incitarent, quod conſilium etiam ſatis proſpero eventu executus eſt Rex Moab, ut ex Num. 25. colligere licet. Imo idem docet nos Apocalypſis Johannis, ubi ita dicitur ἀλλ᾽ ἔχω κατὰ σου ὀλίγα ὅτι ἔχεις ἐκεῖ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Βαλαάμ, ὃς ἐδίδαξε τὸν Βαλὰκ βαλεῖν σκάνδαλον, ἐνώπιον τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, φαγεῖν εἰδωλόθυτα καὶ πορνεῦσαι. Adeo ut jam dubitandi nulla merito ſupereſſe queat anſa, aperte enim hic docetur למסר מעל idem eſſe quod tradere prævaricationem.

45. Talia conſilia ſolent eſſe optima, & tanti viri prudentia mundana digna, quibus etiam diabolus uti ſolet, ut & alii Duces exercitus quando ſuo hoſti inopinata bona objicientes maximè nocere poſſunt.

46. Ultimam radicem conſtituat nobis ישב / cujus formale dico eſſe manſit. Joſ. 20. dicitur de eo, qui caſu proximum ſuum occiderat, quod debeat fugere ad locum certum in quo debeat *manere* uſque ad mortem ſummi Sacerdotis. In libro Samuelis dicitur de Samuele, quod debeat manere in Siloh in perpetuum. Et alia clariora eandem formam verificant.

47. Materiales ſignificationes ut *habitare*, *ſedere* &c. quomodo cum forma conveniant nimis clarum eſt. Unde hic obiter de ſedere in ſolio brevibus quædam propono. Hoc ſedere in ſolio tribuitur inprimis cum de DEO dicitur filio Dei, ut cum dicitur in Pſalmo 47. Regnavit Deus ſuper gentes, Deus ille Judex ſedet ſuper ſolium ſanctitatis ſuæ. Qui locus ut ex contextu patet agit de Meſſia, cui ſolium æternum adſcribitur, & illud SEDERE nihil aliud eſſe autumo, quam permanere in occupato ſolio. Unde in Eſaia, cum de puero nato dicitur, quod abſolute dominetur, & ita imperium ejus non ſit in humero alieno ſed in ſuo, & nomina quibus & quorum effectu, gaudere conſtat illum puerum exponuntur, dicitur: Ut multiplicetur dominatus, & pax ejus non finem habeat, ſuper ſolio Davidis & ſuper regno ejus, ad conſtituendum illud, & ad ſtabiliendum in judicio & in juſtitia ex hoc & uſque in ſeculum. Ubi cum de ſolio agatur ſedere non tam habitare, quam permanere eſt. Nec obſtat quod hoc ſolium dicatur ſolium Davidis, quia quatenus filio Davidis, vi promiſſionis Chriſto illud ſolium occupandum competebat, & ideo non erubeſcat vocari Davidis filius, cujus erat Dominus imo ipſe David. Et cenſeo alternari in illo ſolio vocem Jhovah cum voce David. Nam ſicuti Deus dicitur ſedere in ſolio Davidis, ita homo è contra ex Davidis ſemine dicitur ſedere in ſolio Jhovah, ſicuti legimus 1. Chronic. 29: v. 23. *Et ſedebat Salomoh ſuper ſolio Jhovah, quia erat Rex loco Davidis patris ſui, & proſpere agebat.* Ubi ſolium Davidis puto vocari ſolium Jhovah, quia illi reges typi erant Meſſiæ ſedentis in ſolio, ut eſſet Rex ſuper Jhudah & Jeruſalem. Utut autem hic obtineat illa alternatio, contrarium tamen fieri multi dicerent, cum nullus Rex Jhudah & Jeruſalem dicatur Rex ſuper monte Zion, quod ſoli DEO competere deprehendimus, cum loca Scripturæ id probantia deficere videmus. Quod ſi verum ſit, clare diſtinguere voluit Spiritus Sanctus, inter regnum & regnum. Sicut enim Zion vox generalior eſt, quam Jeruſalem & Jhudah, & magis reſpicit Eccleſiam, ita meritò, cum Eccleſia præter Chriſtum, nullum Dominum & Regem agnoſcat, ſoli Deo Regnum & ſolium ſuper montem Zion tribuitur, ſicut id etiam ex accurata inſpectione Pſalmi ſecundi patet.

48. Et ex hoc formali permanendi, recte concludo, quod ſeſſio ad dexteram DEI nihil aliud ſit, quam qua Chriſtus manet perpetuo in Majeſtate omnipotentiſſimæ dignitatis, adeo, ut cum DEXTERA DEI magis tendat ad objectum, vi formæ, recte dicam quod illud ſedere ad dexteram ſit actuale Dominium ſuper omnes creaturas, quando præſentiſſime & potentiſſime omnia gubernat. Nec enim cum de ſeſſione ad dexteram Philologice diſputamus colligendæ ſunt ſimiles locutiones ex Scriptura ubi ſedere ad dexteram parum involvere videtur: Quia prius recte judicandum eſt de formali ſignificatione vocis *dexteræ*, deinde de formali ſignificatione vocis ſedere.

Et tum demum applicetur modus dicendi & diſtinguatur inter dexteram DEI & dexteram hominis, inter ſedere DEI & ſedere hominis & res erit manifeſte facilis.

DISSERTATIO XIII.

1. DAri Hebraicarum vocum formalem ſignificationem h. e. talem rationem ſignificandi, quæ primò à Sp. S. intenta eſt, & in qua ratione ſignificandi reliqua omnia derivata ſive materialia conveniunt, in XII. diſp. pro Formali à Rev. & Cl. Dn. M. Samuele Bohlio S.S. Theol. P. P. Præceptore meo æternum honorando ſatis evictum eſt: Suppeditat hujus aſſertionis fundamentum ipſa recta ratio, omnia enim derivata pura debent convenire in una aliqua communi ratione ſignificandi, non ſecus ac cognati in uno aliquo ſtipite communi conveniunt, & exinde ſuccum & ſanguinem trahunt, ita tamen ut à ſe invicem diſtinguantur, eodem modo res ſe habet in hac Majeſtaticâ linguâ, quod enim Græcis & Latinis ſunt derivata, hoc nobis in hac lingua Sanctâ ſunt materiales ſignificationes, deſtituuntur enim Hebræi ejuſmodi compoſitis, v. c. בא ſignificat form. ire, mater. abire, adire, concumbere: נתן dedit, reddidit, in Græcâ autem lingua non neceſſe eſt ut dicam, ſimplex venire pro compoſito v. c. Joh. 1: 1. mundus per ipſum factus eſt i. e. refectus eſt: Græci enim abundant compoſitis, compoſita autem in Hebraicâ linguâ ex materiâ diſcernuntur à ſimplicibus. Primitiva autem apud Hebræos exhibent formales ſignificationes, plura de hoc ſcrutinio addere, & hanc loquendi rationem non eſſe incongruam demonſtrare poſſem, ſed lubens omitto, & ſupplex veneror æternum Deum, ut Spiritu ſuo Sancto nobis adeſſe, & coeptis noſtris benignè favere velit. Quod igitur Deus ſibi glorioſum eſſe velit, apponam in hac diſp. nonnullas radices cum forma facili negotio congruentes, hoc autem à benigno L. obnixè contendo, ut hæc prolata non mihi accepta ferat, ſed primò Deo, proximè poſt eum Præceptori meo prænominato, mihi enim animus eſt hâc oblatâ occaſione Concordantias diligenter circumvolvere, ut de hac Sancta lingua eo certior fiam.

2. Sit ergo prima radix עבד / cujus formalem ſignificationem dicimus conſiſtere in *colendo*, quæ ubivis obviam eſt. Materiales ejus ſignificationes ſunt, ſervire, miniſtrare, operari quæ optimè cum formâ datâ conveniunt. Ut eò dilucidius materiales ſignificationes proponamus, lubet aſſumere particulas, cum quibus hæc radix conſtruatur, ut

1. Cum את abſolutè, ut Pſ. 2. עבדו את יי ביראה colite Dominum in reverentiâ, in quo loco cultus Deo acceptus deſcribitur, quod conſiſtat in reverentiâ Dei, & ut filius habet רוח יראה / ita & nos revereamur Deum in ſequendo ipſum & non alium, ſicuti hic cultus deſcribitur Prov. 1: 8. 9. &c.

2. Cum ב ſignificata duo obtinet 1. pro aliqua re ſive propter aliquid ſervire, ut Gen. XXIX: 18. אעבדך שבע שנים ברחל Serviam tibi pro Rachel ſeptem annos. Sic Ezech. XXIX: 20. פעלתו אשר־עבד בה pretium ibi promittitur Regi Babel Ægyptus pro obſidione Tyri, ſic Dominus loco mercedis dat militibus Germaniam opprimentibus bona ejus, ille enim conſcripſit contra nos ob peccata noſtra exercitum. Obiter pervenio ad inſignem locum Eſ. 43. לא העבדתיך במנחה ולא הוגעתיך בלבונה: וגומר אך העבדתני בחטאתיך Victimis tuis Iſraël non honoraſti me, non ſervire te feci in oblatione, verum tu me ſervire feciſti in peccatis tuis i. e. vos gentes, quæ victimas veſtras mihi non obtuliſtis, me ſervire feciſtis in peccatis tuis: duo hic notanda; gentes vocari hic nomine Iſraëlis, nam non adipe victimarum irrigarunt Deum, hinc in præced. verſ. ſcriptum: Beſtia agri glorificabit me h. e. Gentes, hunc populum mihi finxi ut laudem meam annuntiaret non q. me vocaſſes Jacob &c. dein quod in & propter noſtra peccata ſervus Deus ſit factus, & q. detruſus ex ſolio majeſtatis, pro ſervo, non vero pro ſummo Deo habitus ſit. 2. עבד cum ב ſignificat *ſerviliter & duriter aliquem tractare*: Sic lex Moſis dicit Lev. XXV: 39. וכי ימוך אחיך עמך ונמכר־לך לא־תעבד בו עבודת עבד ſi pauper factus fuerit frater tuus, & venditus tibi, non ſerviliter eum tractes

3. Cum ל conſtruitur, & ſignificat *commodum* ut 2 Sam. IX: 10. ועבדת לו את־האדמה אתה ובניך & tu coles ei terram i. e. in ejus commodum & עם & לבני extrà eſſentialiter conſtruitur, cum autem in hac radice omnia ſint clara, omittimus ea & conferimus nos ad alia.

Th. 2. ידע formaliter ſignificat intimè *complexus eſt*, & generaliſſimè refertur tam ad animum quam ad corpus, tam ad

bonum

bonum quam ad malum. Materialiter significat *dilexit*, *scivit*, *favit*, *concubuit*, *perdidit*, *destruxit* &c. Construitur cum את essentialiter, cum reliquis extrà essentialiter, cum autem antea fiebat mentio cultus divini, annotamus eum non posse esse sine vera veri Dei cognitione, & hanc esse non posse sine verâ pietate, sunt enim essentialiter connexa, ut Es. 11: 9. לא ירעו ולא ישחיתו בכל־הר קדשי כי מלאה הארץ דעת את יי Plena erit terra cognitione Dei sicut aquæ mare tegentes h. e. sicuti mare aquis semper impletum est, & non potest esse mare nisi sit coacervatio aquarum, sic nemo potest esse Christianus & Deum verè colens, & eum non cognoscens, est autem דעה ודעת *talis cognitio & talis scientia*, *quâ rem intimè complectimur*, *& de eâ certi sumus*, *ne hinc inde evagemur*, hujus fundamentum proponitur Prov. 1. יראת יהוה ראשית דעת Timor Domini, quo eum sequendo reveremur, est initium & fundamentum veræ scientiæ, Deo etiam tribuitur scientia quia ipsi præsentissima sunt omnia & futura, sic Deut. XXXI: 21. insignem habemus locum de Dei præscientia, quâ cognitum ei erat, quod vias Dei Israëlitæ in terra Canaan essent derelicturi. Significat & *diligere* Gen. XVIII: 19. כי ידעתיו למען אשר יצוה את בניו Diligo illum quia præcipiet filiis suis post se ut custodiant vias Domini, sic Amos. III: 2. רק אתכם ידעתי וגו Tantum vos dilexi præ omnibus familiis terræ h. e. magis vos dilexi quam omnes familias terræ, quare etiam visitaturus sum omnes iniquitates vestras: ea significatio occurrere videtur Hos. VIII: 2. לי יזעקו אלהי ידענוך ישראל ad me clamant, ô Deus mi, nos diligimus te quatenus Israëlitæ sumus, nam abundans nomen certam specificationem denotat. Significat & hæc radix, expertum esse aliquam rem, sic Es. LIII. איש מכאבות וידוע חלי וכמסתר פנים Vir erat plagarum & expertus ægritudines, usque dum occultaverimus ab ipso faciem, spretus erat, expertus plagarum is dicitur **der sich wol auff Schläge versstehet / und die selbe offt gefühlet / also daß er fast ein drinnen hat.** Ultimo cum reliqua omnia sint facilia, annotamus ירע cum את nota ablativi casus, significare, specialiter sibi aliquid retinere, ut Gen. XXXIX: 6. Dominus meus specialiter mihi retinuit cibum, ne à me tangeretur.

Th. 3. Tertia radix nobis sit בטח cujus formalis significatio est: *Securus fuit*, materialiter *speravit*, *confidit*. Formalis significatio facilitatem & fundamentum præbet constructioni. Construitur

1. Cum ב & significat in *aliquo securum esse*, i. e. confidere in aliquo. Sic Ps. 32: 10. dicitur והבוטח ביי חסד יסובבנו sperantem in Domino cinget misericordia, hoc vult dicere turbulentis qui nesciunt, quorsum se vertant, multæ sunt plagæ, at qui sperat & securus est in Domino, immobilis &c. ut Ps. 126. qui securus est in Domino, sicuti mons Zion non movetur, sed in æternum permanet, per hanc fiduciam possemus & nos in patria nostra pacem consequi, ut Es. 30. 15. testatur בהשקט ובבטחה תהיה גבורתכם

2. Cum על significat *propter rem aliquam* sive *de re securum esse*, ut Ezech. 33: 13. ובטח על צדקתו. Si justus securus erit, (sive confiderit) propter justitiam suam, & fecerit mala, universæ ejus justitiæ non recordabitur, in quo loco de verè justo agitur, & de amissione gratiæ. 2. qui stat videat ne cadat, hinc Paulus dicit Rom. 11. alioquin & tu excideris, ubi & loquitur de fidelibus gentibus in veram olivam insitis.

3. Cùm אל significat ad aliquem tanquam ad certum objectum spem suam dirigere, Prov. III. 5. בטח אל יי בכל לבך dirige ad Dominum fiduciam tuam in toto corde. Reliqua derivata ex his satis nota sunt.

Th. 4. Assumimus quarto vocem עמד cujus formalem rationem dicimus esse in *subsistendo*, *existendo*. Hinc & Scindlerus Hebraista excellens dicit 1. Paral. 21. 15. & Angelus Domini stabat juxta arcam Araunæ, pro eo loco habetur 2. Sam. 24. היה erat. Hic Stephanus Act. VII. vidit Christum stantem ad dexteram Dei, i. e. existentem, materialiter significat *stare*, *&c.* Cùm את constructio significat *coram aliquo stare*, ut Genes. 19: 27. אשר עמד שם את פני יי Abraham matutinè se contulit ad locum ubi steterat coram Domino. Obiter dicimus nullam rationem dari posse, quare locus Gen. 18. 22. sit correctus juxta Masorethas dicentes עודנו עמד לפני יי ערך לאמר אברהם cum sententia ibidem integra sit & concinna, & optimè concordet cum supra allegato loco.

2. Cùm ב significat *in* ut Psal. 106: 23. לולי משה בחירו עמד בפרץ nisi Moses dilectus ejus stetisset in ruptura, i. e. nisi intercessisset. E. stare in ruptura est impedire, ne aliquid malè fiat, sicuti enim in obsidione urbis videmus, quando mœnia tormentis dissipantur, tunc in hanc rupturam alia inseruntur, ne hosti pateat aditus.

3. Cùm על significat *juxta & supra aliquem stare*, *de mortuis inprimis* 2 Sam. 20: 11. & vir quidam stabat juxta eum ex pueris Joab. Sic Ps. 109: 6. &c. ושטן יעמד על ימינו *Adversarius stet juxta dextram ejus*, i. e. nihil prosperè succedat. Alias construitur absolutè ut Ps. 120: 27. המה יאבדו ואתה תעמד *Cœli* peribunt, tu autem *permanebis*, *tu persistes ipse*, *tu non mutaberis sicuti reliqua creata*, quæ verba de Christo intelligenda sunt. Sic Zach. III. 7. *Si ambulaveris in præceptis meis*, &c. ונתתי לך מהלכים בין העמדים האלה tunc dabo tibi gressus vel viam habebis inter angelos hic stantes. Ex quo constat beatos non tantum hic esse, sed & fore in altera vita Angelorum consortes & socios: reliqua derivata omnia benè cum forma conveniunt, ut עמוד columna, à subsistentia firma, quod faciat domum subsistere.

Th. 5. Lubet assumere vocem פתה cujus formalis significatio est *simplex fuit*, ut Proverb. 14: 15. explicatur פתי יאמין לכל־דבר Hinc Ephraim dicitur Hos. 7: 11. יונה פותה Columba simplex sine corde i. e. talis populus qui cuivis credit Spiritui, hinc facilè decipitur. Hoc verbum cum sit intransitivum, cum nullis particulis construitur essentialiter. Materialiter significat *docere aliquem* & consequenter *ducere aliquid in aliquem*, *seducere*. Qui enim aliquem docere vult, ille eum simplicem faciat necesse est, ac si hujus rei planè esset ignarus, deinde debet suam sententiam in ejus mentem inducere. Sic dicitur Proverb. 1: 9. בני אם יפתוך חטאים אל תבא Fili mi quando docere te volunt peccare facientes, ne sequaris, ne facias. Nam beatus est ille, qui non stat in via חטאים τῶν Ps. 1. qui non sequitur doctrinam falsorum Doctorum, nec permanet in ea neque profitetur eam in cathedra. Significat etiam materialiter aliquem *commovere*, *persuadere*, sic Jer. 20: 7. פתיתני יי ואפת tu me commovisti Domine & commotus fui; Deus enim neminem decipit; obiter pervenio ad locum Ezech. 14: 9. והנביא כי־יפתה ודבר דבר אני יי פתיתי את הנביא Et Propheta si persuadeatur & loquatur verbum, Ego Dominus hunc Prophetam stultum vel simplicem feci, conservavi in ista persuasione. Sicuti de obstetricibus dicitur Exod. 2: 18. Sensus ergo talis: Si Propheta extra verbum Dei aliquid proferat, eum stultum faciam, & demonstrabo eum deceptum esse. Hinc Lutherus: **Denselben wil ich wiederumb lassen betrogen werden.** Derivatur exinde nomen פתאם *subito* quando simpliciter sine ulla consideratione istius aliquid inducitur, sic dicitur Job. 9: 23. אם־שוט ימית רשע פתאם Si flagellare incipit, occidit impium subitò: Quo in loco exprimitur Jobi sententia, Deum sc. consumere impium, & perfectum sive rectum, at sub hac conditione impium cito contundit, ut statim ad infernum detrudatur, at liquefactionem piorum aliis risui exponit, i. e. rectos lenta morte mactat & perpetua calamitate, ex qua impii causam habent irridendi pios.

Th. 6. פרש formaliter *pandit*, *expandit*. Materialiter divisit, distribuit, explicavit: Hinc פרשה sectio magna in Bibliis, distinxit, concidit, pupugit. Tale autem pungere hic intelligitur quando aliquid expanditur. Hinc פרש *eques* qui pungit equum, descendit, & פרש stercus, excrementum, quia aliquid est distinctum & divisum ab eo, quod in succum, sanguinem, & carnem hominis vertitur, adducimus locum ex Mal. 2: 3. וזריתי פרש על פניכם פרש חגיכם ונשא אתכם אליו Ergo projiciam stercus super faciem vestram, stercus sacrificiorum vestrorum, quod trahet vos ô Sacerdotes ad se, gravissima indicitur pœna, qui nec legem Mosis intelligunt, nec juxta eam populum instruunt, quod eodem modo ut stercus sacrificiorum ejicitur è templo, & Sacerdotes è templo sint ejiciendi & omnibus contemptui exponendi. Construitur

1. Cum את Ezech. 12: 13. ופרשתי את־רשתי עליו Væ illi populo super quo Deus rete suum expandit, non enim potest non capi & non puniri.

2. Cùm אל significat *ad* ut Exod. 9: 33. ויפרש כפיו אל יי & expandit manus suas ad Dominum.

3. Cùm על significat *super aliqua re expandere* ut הן־פרש עליו אורו ושרשי הים כסה Ecce expandit super ipsas nubes lucem suam, & radices maris tegit luce sua, hoc vult Elihu dicere, Deus expandit sæpe super ipsas nubes lucem suam, etiamsi nos non videamus, imo vis solis penetrat radices maris. Sic, licet sæpe nos non videamus nobis bene fieri, quando calamitates immittit, tamen revera benè est nobis & Deus prope est. Extra hæc construitur absolutè, ut in insigni loco Es. 25. 11. ופרש ידיו בקרבו כאשר יפרש השחה לשחות והשפיל גאותו עם ארבות ידיו Et expandet manum suam in medio ejus, quemadmodum expandit natator ad natandum, & humiliabit superbiam Moab cum axillis manuum suarum. Caput hoc agit de N. T. nunc Moab dudum erat deletus E. de alio hoste quam Moab hæc verba erunt intelligenda; quemadmodum Moabitæ hostes infensissimi

mi erant Israëlitarum, ita Diaboli Ecclesiæ, quando ergo Christus Nazarenus expandit manus suas in cruce, tunc trituravit Moab, hoc est, Satanam sicuti stramen in sterquilinio, & insidiis manuum suarum humiliavit superbiam ejus.

Th. 7. מכר form: significat tradidit, mat. vendidit, nam inter emere & vendere est traditio quædam; formalis significatio sæpe occurrit in ES. L. 1. Cum ב significat in alicujus potestatem dare, ut Jud. 2: 14. ומכרם ביד איביהם & traditi estis in potestatem hostium vestrorum; Cum מ significat partem ex re tradere, ut Lev. xxv: 25. ומכר מאחוזתו si tradiderit aliquid ex hæreditate sua alteri vendendo; adducimus locum ex Joël III: 13. ומכרתי את בניכם ego vendam sc. dabo filios vestros ô Tyrii, & filias vestras in manus Judæorum, & illi vendent eos Judæis. Sensus hujus loci, quod Tyrii sint convertendi ad regnum Messiæ, qui vi suæ religionis sint ituri ad maxime dissitos populos, & propalaturi Evangelium. Allego ad corroborationem hujus explicationis duo alia loca Es. XIV: 2. XLV: 14.

Th. 8. אבד, ejus formalis significatio est non esse, esse cessare, item periit. Hæc ponitur aliquando absolutè ut Deut. XXVI: 5. ארמי אבד אבי Syro existente miser erat pater meus i. e. cum esset in Syria, pater meus miser erat, & paucis hominibus descendebat in Ægyptum, ubi factus est in magnum & robustum populum. Scindlerus existimat אבד positum esse pro מאבד at destituitur exemplis & ratione. Sic Num. XXIV: 24. וצים מיד כתים וענו אשור וענו עבר וגם הוא עדי אבד Naves ex Chittim venient & affligent Assur & Eber, & hic usque ad *pereuntem manebit*, videtur his verbis innui Romanos esse afflicturos & vexaturos Assur & Eber, Eber autem esse permansurum usque ad pereuntem Christum, qui periit pro peccatis nostris. Construitur cum ל & significat perditionem rei possessæ in damnum possidentis Es. XXVI: 14. ותאבד כל-זכר למו & tu perdes omnem memoriam (sc. honorabilem. Nomen enim per se stans habet significationem famosiorem) ipsis **ihnen zum schlimsten** Cum מ significat perditionem à re & ex caussa rei, ut Job 11: 20. ומנוס אבד מנהם רשעים Refugium peribit ab ipso i. e. non erit ei. Cum על significat perditionem rei in aliquo, ut Job XXX: 2. in ipsis cessavit esse senium, i. e. non digni sunt senio.

Th. 9. נקה cujus formalis significatio est, vacuus fuit, occurrit autem hæc forma Amos 4: 6. וגם אני נתתי לכם נקיון שנים בכל-עריכם וחסר לחם Et ego dedi insuper vobis vacuos dentes in omnibus civitatibus vestris. Si vox נקיון esset explicanda per innocentiam, sane me lateret quid esset innocentia dentium, verum si ad formam respicimus, omnia salva sunt. Hinc D. Lutherus reddidit: **Darumb habe ich euch in allen ewren Städten müssige zähne gegeben** / & ipse Sp. S. explicat per חסר לחם. Construitur autem cum particula מ sicut & natura ipsa hoc nos docet, ut Genes. 24: 8. ונקית משבעתי זאת hic non reddendum tu innocens eris à juramento hoc, ego ignoro quid hoc sit, sed ut, tu vacuus eris &c. hinc Luther. **Du wirst meines Eides quitt seyn.** Sic Ps. 19. etiam à superbis i. e. diabolo qui primum ebullire voluit, custodi servum tuum, ne dominentur super me fortes (diab:) sic vacuus sive purus factus sum à prævaricatione multa. Materialiter significat

1. Vacuus fuit ab habitatoribus i. e. desolatus est, sic forma & materia conspici potest in Es. 3: 26. ואנו ואבלו פתחיה ונקתה לארץ תשב & portæ ejus ejulabunt & lugebunt, & vacua Jerusalem habitatoribus (imprimis viris quorum in præced. mentio fiebat) in terrâ sedebit i. e. quia filiæ Zion (ut hodie אשכנז) fædissima superbia delectantur. Quare viros & juvenes ejus gladio interficiam ut portæ lugeant i. e. non jubilent de victoria, & ita mulieres & totam terram vacuam viris relinquam.

2. Vacuum esse à crimine & sic innocentem esse, ut Ps. XXVI: 6. ארחץ בנקיון כפי lavaturus in innocentiâ manus meas, & cincturus altare tuum ô Jehovah. Phraseologiæ hujus fundamentum desumtum est ex Lege, expiationis enim causa abluebant manus in hominum cædibus, res ipsa itidem. Habemus insuper in hoc Psalmo veram explicationem puritatis Davidis ita inquientis in vers. 3. והתהלכתי באמתך Ego ambulavi in veritate promissionis tuæ i. e. ego veram fidem habui in tuis promissionibus, quare purus sum, cingo enim altare tuum & adspicio Christum meum בטחות in typis (ut Ps. LI.) respicit etiam simul ad morem Sacrificantium, ubi solebant protestari se nullius criminis reos esse. V. Deutr. XXVI: 14. feci juxta omnia præcepta, quæ tu mihi præcepisti. Ita dicere debebant Sacrificantes, at hæc nemo Sacrificantium præstare poterat, E. in Christo omnem legem impleverunt.

3. Vacuum esse a pœnâ, impunitum esse relictum, ut Joël IV. vers. ult. ונקיתי דמם לא נקיתי Quamvis sanguinem ipsorum vacuum à pœna sive impunitum reliquerim, tamen non impunitum reliqui. Sensus talis, quamvis propter pœnam relictam sanguis ipsorum impunitus relictus videatur, tamen non reliqui impunitum sed acriter vindicabo. Hinc Lutherus **Jch wil ihr Blut nicht ungerochen lassen.**

Th. 10. אבה formalis significatio ejus consistit in *velle*, materialit. *desiderare* &c. Hanc formalem rationem hujus radicis esse testatur & Sp. S. in N. T. Rom. VIII: 15. οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας πάλιν εἰς φόβον ἀλλ' ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κράζομεν ἀββᾶ ὁ πατήρ. Hic non debeo fingere allusiones, quia vox ἀββᾶ retro eodem modo legitur, hæc non est intentio Sp. S. sed Syriacam hanc vocem אבא adhibuit, quia Græcum vocabulum ὁ πατήρ non totam ejus exhaurit significationem & formale ejus non exprimit, talis ergo sensus ejus loci, qui habent Spiritum filiationis, in illis nullus est timor, sed certi sunt de salute (totum hoc caput agit de certitudine salutis fidelium) quicquid ergo ipsis obtingit sive calamitates sive mors, ex hoc Spiritu clamare possunt tu es Abba, **Du bist mein lieber wolwollende Vater** E. bene mihi, hoc est **du wirst wol wissen daß mir es dienlich ist.** Tu non potes non esse Abba i. e. non bene velle tuis. Hæc significatio in V. T. satis cognita est, adducimus locum Es. 1: 19. אם תאבו ושמעתם טוב הארץ Si volueritis bonum terræ comederitis, velle explicatur in seq. v. per oppositum ejus, non renuere, resistere S. S. Audi cœlum q. d. Si populus meus mihi non resistet, Bona omnia largiter ei impertias. Cum ל significat consentire, ejusdem esse voluntatis; sic Ps. LXXXIII: 12. וישראל לא אבה לי Israël non voluit mihi **Jsrael hat kein Theil an mir und hat nicht gewolt wie ich.** Quare reliqui in malitia cordis, in pertinaci militia; ex quo loco conspicitur Deum non esse caussam peccati neque per se neque per accidens, ille enim nunquam vult peccata, sed semper nostram salutem, sicuti id abundè declarari possit Matth. XXIII. Hinc descendit אב pater à benevola voluntate erga liberos, sic Deus sæpe hoc titulo insignitur ut Prov. 1: 8. שמע בני מוסר אביך mi fili audi disciplinam patris tui, & noli relinquere legem matris tuæ; ubi ex cohærentiâ textus per disciplinam patris intelligitur Dei præceptum quo nos ligat & per legem matris verbum Ecclesiæ quod à Patre Deo accepit, ut aliis in locis Job XVII. 14. scriptum est לשחת קראתי אבי foveam vocavi patrem meum, & vermes matrem meam, sicuti pater generat filium, ita fovea ex me generabit alium filium, i. e. divinæ potentiæ mortuos resuscitandi me producendum dabit. Alia derivata coincidunt, ut אבה voluntas Job IX: 26. transierunt dies mei cum navibus אבה desiderii, naves enim desiderii sunt, quæ properant ad portum, sic ego semper properavi ad portum vitæ meæ, quod magis in seqq. declarat, ceu aquila invehitur in prædam suam, ut aquila non cessat quando videt prædam, sic anxie concupivi dissolutionem. Descendit & אביון egenus, & hæc vox significat omnem qui desiderat aliquid, egenorum pater fuit Job, hinc dicit cap. XXX: 25. אם-לא בכיתי לקשה יום עגמה נפשי לאביון Certe ego flevi propter hominem durum die i. e. afflictum **der einen harten standt hat** & discruciata est anima mea, hunc ô si sequeremur nostra ætate; ex 2 ad Corinth. nota est Ecclesiæ διάνοια, quod Corinthiaci certam pecuniæ summam collegerint, & egenis in Ecclesiâ succurrerint, hinc Christus sententiam publicam feret in extremo judicio secundum alteram tabulam legis, quamvis prioris opera excellentiora sint; ratio; est hæc, quia prioris tabulæ opera non sunt adeo perspicua, & ut testaretur illos per opera justos fuisse declaratos fidelibus: verum hoc obiter.

Th. 11. ערם formaliter significat duxit rem supra rem. Forma hæc videtur occurrere Prov. 1: 4. לתת לפתאים ערמה ut det simplicibus ductum rei supra rem i. e. Proverbia ducunt super simplices veram sapientiam i. e. introducunt in eos Ecclesiasticam & Politicam disciplinam: constructio enim testatur de formali significatione, hinc constr. mediante particula על ut Ps. 83: 47. על עמך יערימו super populum tuum ducunt consilium, hostes, vult dicere David, agunt fraudulenter cum tuis occultatis, E. adjuva. Material. significat callidus, astutus fuit, astutus enim actionem super actionem ducit, & ea quæ proximus vult habere obtecta, ea detigit. R. ut in latina lingua, exire, adire, redire, in ire conveniunt, sic nudum esse idem est ac eductum esse (quamvis hæc vox vix latina sit) i. e. non habere quid ductum super se. Unum & alterum exemplum materialis significationis producam. Exod XXI: 14. להרגו בערמה talis Dei lex est, qui occidit hominem in astutiâ, i. e. qui intendit occidere proximum, & in effectum producit, ille iterum interficietur, imo מעם מזבחי תקחנו E. lex Dei generalis est, quod nullus ex vindicta privata interficiat proximum, qui hoc facit secundum intentionem propriam, ille morte mulctetur: hanc legem nulla consuetudo evertere potest, sed pessima esse judicatur, Germania sentit pœnam duellorum à magistratibus permissorum. Experimur quod Esaias 26. vers. ult. dicit, revelabit terra sanguinem ipsorum, & non occultabit oculos eorum:

rum: Sic ex effectu videmus ſanguinem quem terra Germanorum abſorpſerit. Significatio nuditatis occurrit Job 22: 6. ובגדו ערומים הפשיט Si ita oppignoratus es, fratrem tuum & veſtes nudorum extraxeris, nonne impius ſis, nudi autem hic dicuntur, qui unicam tantum veſtem habent, quâ detractâ nudi conſpiciuntur. Incidit mihi locus Eſ. 20. 2. הלך ערם ויחף ambulabat nudus & diſcalceatus, nonnulli exiſtimant extimam tantum veſtem depoſuiſſe, at ſi ad eundem modum Propheta fuerit compoſitus, quo ſolent eſſe qui in captivitatem rapiuntur, nudus ſane ambulavit, vid. Eſ. 111. 17. pudenda eorum denudabit Dominus quod implebatur in captivitate, licet vox græca ἐπενδύτης aliam ſignificationem obtineat. Vox coacervandi occurrit Hagg. 11. 17. Deſcendit hinc nomen ערמין caſtaneam ſignificans, at quomodo cum formali congruat, natura docet.

Th. 12. שבח formaliter repreſſit, ſic Prov. 29. 11. dicitur וחכם באחור ישבחנו Sapiens tandem reprimit eam iram; materialiter compeſcere. Pſ. 89. 10. בשוא גליו אתה תשבחם Tu Deus imperium habes ſuper elationem fluctuum maris, quos tu compeſcis. E. nudus homo non poteſt eos compeſcere. Significat & *laudare*, quia laus eſt repreſſio egregiorum factorum, quando reiterando heroica facta exprimuntur, ut Pſ. 147. שבי ירושלים את־יהוה.

Th. 13. חר & חרר ſignificat acutum eſſe, verum diſtinguuntur objecto חר pro objecto habet *ſermones*. חרר vero pro objecto habet *res* v. g. ferrum, lignum, &c. חר E. ſignificat acute dixit, hinc חידה ænigma, acutum dictum, quod non facile ex loco cui innixum eſt, eruitur, item aciem rei firmiter impreſſam ſignificat Prov. 1. 6. ad intelligendum acumen Sapientum, ſic Pſ. 49. 5. אפתח בכנור חידתי Aperiam ſ. exordiar in cithara acutum meum dictum, quod in Chriſto nemo ſit timendus. Ultimo propono locum ex Ezech. 21. 14. qui mihi ſemper viſus eſt obſcurus. למען טבח טבח הוחדה רב והא מרטה לתת אתה ביד הרג/ Non nemo in Philologia S. hunc locum ita explicat ut mactet mactationem, exacutus eſt gladius, ut ſic ei coruſcatio, exterſus eſt (hactenus verba Dei inquit, divina parænеſis Prophetæ ſubjungitur) aut gaudeamus hoc eſt exultemus in tremore Pſ. 2. 11. Hoc ſi fiat bene eſt, ſin vero minus virga filii mei ſpernens omne lignum aderit, ferrea enim erit. Verum hæc allæoſis perſonarum ſine fundamento, & elipſis minime toleranda eſt: præterea non videmus qualem ſenſum inferunt hæc verba, *aut gaudeamus*. Proponimus ergo noſtri Præceptoris ſententiam, quæ hæc eſt. Gladius, gladius eſt acutus, imo factus eſt expolitus &c. או נשיש שבט Num ergo gaudebimus **Solten wir uns denn frewen**. Baculo exiſtente Filii mei; ſpernens eſt ille gladius omne lignum **Weil mein Sohn da iſt / ſo wil ihn hawen / und nicht die Bäume im Wald**. Cujus ſenſus quid gauderemus? gladius ille non ſcindit omnes arbores ſylvæ, ſed unicum baculum filii mei. Hinc in ſubſequentibus ſcriptum eſt, clama & ejula, quia gladius eſt contra filium meum Iſraël.

Th. 14. Ultima nobis radix ſit פסח cujus formalis ſignificatio eſt ſaliit, tranſiliit, conſtruitur mediante particulâ על ut Exod. 12. 27. פסח על־בתי בני־ישראל tranſiliit Angelus domos Iſraëlitarum. Hinc & Paſcha Sacrificium illud dictum, quia Angelus domos, quarum poſtes & ſuperliminaria ſanguine agni illinebantur, tranſilibat, ad hunc modum liberandi reſpicit & alludit Eſ. 31. 5. Dominus proteget Iſraëlem פסוח והמליט tranſiliendo & liberando, i. e. ſicuti tranſiliendo liberabatur Iſraël in Ægypto, ita & nunc. Cùm autem Paſchatis mentio fiebat, lubet aſſumere locum Exod. 12. 11. cùm in eo tropum quendam fingere nonnulli voluerunt, in quo deſcribitur modus comeſtionis agni Paſchalis, ואכלתם אותו בחפזון פסח הוא ליי׳/ Comedetis illum feſtinanter (in ſignum celerrimæ eductionis ex Ægypto) illud (quod hac ratione edetis) eſt Paſcha Domini i. e. tale ſacrificium Domini quod ipſe præcepit & juxta ejus inſtitutionem celebratur, hic nullus tropus.

Th. 15. Deſcendit etiam hinc פסח quod claudum denotat, ſubſultat enim claudus & q. ſalire videtur, optima autem eſt convenientia inter ſalientem & claudum, ſalire enim ſive **knickebenen** eſt nihil aliud quàm claudicare, & contra. Locus nobis ſit 33. verſus penultimus פסחים בזזו בז Claudi etiam ſpoliant ſpolium. Quando victoria eſt reportata de hoſtibus, tunc & claudi ſpolia ſumere poſſunt, ſi poſtquam Chriſtus de Satana triumphavit, etiam claudi i. e. gentes, quæ recto pede non incedebant, ſpoliant ſpolia ſive prædam de Satana accipiunt, eumque conculcant ſub pedibus ſuis, ratio additur in textu, כי נשא עון/ Tantum.

SAM. BOHLII

DISSERTATIO

De regula Ruſtica in S. Scr: explicatione reintroducenda.

1. 

Um in hac Academia multa vetuſta & antiqua eruditionis acquirendæ genera monſtraverim, ea verò ab imperitis dicantur nova, ego in hac diſputatione docebo fundamentum, ſuper quo totum meum ædificium & ſtruxi & quamdiu Deo viſum fuerit, ſtructurus ſum, illud dico Regulam Ruſticam.

2. De hac Regula ruſtica multa forent dicenda, verum jam placet tantum eam deſcribere in genere, & applicare eam deinde ad explicationem Scripturæ ſacræ.

3. Regula ruſtica eſt canon naturalis, verus, ſimplex & palpabilis cognoſcendi rem & ſenſum naturalem, verum, ſimplicem & palpabilem.

4. Requiritur ergo ad hanc regulam natura, veritas, ſimplicitas, & palpabilitas.

5. *Naturæ ordo hic eſt, ut res dicatur ea quæ eſt, nec contra eſſentiam rei aliquid ſtatuatur.* Bos ſive ſit in aula Principis ſive ſit in caula ruſtici, bos eſt, bos manet, bos debet dici. Adulter, homicida, perjurus, ſcortator eſt, & debet dici qui homines occidit, perjurio Deum irritat, ſive ſit Saul, ſive David, ſive Magiſtratus ſive ruſticus. Invito Domino aliquid ſurripere furari eſt, ſive id fiat à magno ſive parvo fure. Hac regula utebatur Johannes contra Herodem, Elias contra ſuos Reges.

6. *Veritatis ordo hic eſt, ut quod naturæ Dominus jubet & dicit, nobis maneat verum.*

 Nos

Nos dicimur justi & sancti; si opponat Diabolus & experientiam vocet testem, ex regula rustica respondemus. Nos sumus sancti, quia naturæ Dominus id dicit, quamvis nos id in nobis non experiamur. Hunc naturæ Dominum video imitari etiam Reges & Dominatores terrarum, quod spurios pronuncient legitimos. Si legitimatum spurium ego adirem, & nec Albim nec Rhenum ei eam maculam eluere posse, Respondet; Tace, Princeps dicit me legitimum, audiens hæc taceo & miror potentiam. Ex hoc principio omnia quæ Deus dicit vera sunt.

7. *Simplicitatis ordo hic est, ut Subjectum tractationis tantum respiciatur.*

Cum audimus Deum dicere Esaiæ primo: Totum caput languet, interpres non debet hoc caput componere, & dicere: Adam est nostrum caput, sicut autem ille peccato fuit infectus, ita virus illud in nos ceu membra ejus derivavit. Tu non interrogaris hic, quid caput significare queat, sed quid hic in Esaiæ capite primo notet. Si de capite habeas quæ dicas, postquam me docuisti, quid hic sit caput edissere. Quæro à rustico, ad quam civitatem ducit hæc via, respondere debet & nominare, Rostochium vel Cropelinum, vel Butzovium &c. non autem dicere: Via hæc fuit ante aliquot annos valdè infesta, nam milites obsidebant eam quasi, & multa hic patrata sunt latrocinia. Si enim hæc audire volo, quæro postmodum. Ex hac regula Jacobus carpit quosdam, qui roganti panem dicebant: sede ad ignem & calefac corpus.

8. *Palpabilitatis ordo consistit in evidentia approbationis, & fluit ex natura, veritate & simplicitate.*

Contra hunc ordinem insurgentem nullatenus est disputandum, sed tacendum.

9. Quando ego de his requisitis regulæ rusticæ loquor, facile prævideo, omnes dicturos, hæc se ante me novisse. Respondeo: Bene est, & rusticus ante me hæc vidit, sed fac periculum in temetipso, proba mores hujus seculi, in omnibus statibus contra has regulas peccatur, imo ut peccare queant commodiùs, magnis sumptibus multi peregrinas terras adeunt, sed hæc non ad me. Quare ego monstrabo brevibus, quomodo hac regula sit utendum in Scripturæ Sacræ versione & explicatione literali. Dico ergo primum vigore requisitorum supra datorum.

10. *Qui in Scripturæ explicatione vult uti regula rustica, necesse habet tenere & callere linguam Hebraicam, sicuti rusticus Megapolitanus Megapolitanam, Pomeranus Pomeranam.*

Suecus enim vel Croatus male linguam Germanicam edoctus, non potest de diplomate Imperatoris Romani & Germani dicere: Hoc vult Imperator, nec addere, cum jam nervus belli gerendi maximè sit respiciendus, jussit ut singula capita tot & tantum pendeant. Germanus respondet: Falsus es, nam non intelligis linguam, indixit enim conventum Imperii. Suecus vel alter ille, si non intelligat linguam, contradicere nequit. Sic in explicatione Scripturæ, nemo potest certus esse, Spiritum Sanctum hoc velle, quod enim voluisse hoc dicunt interpretes, fit beneficio *palpabilitatis* partis hujus regulæ.

11. *Qui uti vult regula rustica in Scriptura, non curet colores rem non constituentes, nec respiciat ea, quæ ad rem suam facere non videantur.*

Rusticus amisit vaccam, non curat autem cum eam quærens in via, videt equos pascentes, quærit enim vaccam, & non audit alium de suis vaccis multa disserentem, dicit enim meam vaccam quæro. Sic interpres non curet juxta hanc regulam varias commentationes, cum de veritate rei est sollicitus. e. g. Ego eo, ut quæram, num Abrahæ fides fuerit salvifica; ibi quæro id non in Thoma, Scoto, Gabriel de Biel, Occam, Vasquetz, Suarez vel alio, sed in Scriptura Sacra, sicuti rusticus vaccam non quærit in summitate arboris vel in cavernis vulpium aut murium latibulis, novit enim quod vacca ibi non inveniatur, sed in locis ei convenientibus. Quia autem video dici in Genesi, quod hoc sit reputatum ei in justitiam, & vero adsint interpretes contrarium dicentes, non audiendi sunt, nam ego non veni eos audire, sed Spiritum Sanctum, cui ex puncto *veritatis* & *simplicitatis* ego credere volo & debeo. Sicut rusticus autem cum suam vaccam videt & properat in domum, non attendit, quid alii de varii coloris vaccis statuant, ridet enim & dicit, ego rufam amisi, rufam quæsivi, rufam inveni. Deinde si lubet, poterit discursus de variis coloribus audire.

12. *Dignoscat autem colores rem discernentes.* Sic qui rufam amiserat non albam quærebat vaccam. Sic etiam in Scriptura Sacra. e. g. quando scriptum est, de actu quodam viri cum sorore sua ex matre vel ex patre quod sit חסד / *chesedh.* Si docti accesserint disputabunt, num significet misericordiam vel scelus. Et laudatur Osiander à Chemnitio pag. 254. cum dicit: Osiander erudite ita exponit, quod Moses hac vocula usus sit, ut ostenderet Adæ filios, non secundum rigorem juris naturæ, sed ex dispensatione divina suis sororibus copulatos fuisse, quam divinam dispensationem, si quis non habeat, & tamen illud factum imitari cupiat, occidatur. Juxta rusticam regulam tales colores postponuntur, & quæritur primum, quid hic sit חסד. natura jubet explicare per exprobrationem, color discernens per dedecus & flagitium, dicit enim rusticus, quomodo illi exscindendi sunt, qui misericordiam exercuerunt, erit ergo non misericordia, sed ut Osiander pag. 188. explicat res nefaria. Luth. Blutschande / deinde cum de sensu constat, si allubescat, agat de ratione.

13. *Qui vult uti regula rustica non debet credere, nisi quæ natura, veritas, simplicitas & palpabilitas dicunt. Hinc non patiatur sibi persuaderi ibi esse aliquid quod non videt, vel non esse quod videt.*

Contra hanc regulam valde etiam peccatur, & peccant quotidiè, qui credunt rem contineri in Scriptura, quam non vident. Sic Patres quidam crediderunt in Ps. 110. agi de æterna Christi ex patre generatione quando legebant: *Ex utero ante luciferum genui te.* Magna hæc fuit fides. Rustica regula autem dicit: Ego hæc non credo, quia ego ea non video. Respondet alter, maximè videntur in vulgata versione. Rusticus respondet, quis dixit hoc vulgatæ? R. textus Hebræus; conveniunt & adeunt illum, tunc ne litera una ejus rei facit mentionem, sed hoc legitur: Du Messias wirst mehr Christen zu Kinder haben / als die Mutter der Morgenröt Tropffen. Hac regula extirpat ellipses non necessarias, ut quando Tremellius Esaiæ 7. *Chemhah udbasch jocel* explicat butyrum & mel comedere faciet nos. Rusticus audiens hæc quæret, ubi scriptum sit *nos.* Quod cum non demonstret Tremellius, juxta hanc regulam dicimus *chemhah* butyrum, *Udbasch* & mel *jocel* ille edet, nam יאכל est activum & non passivum.

14. *Qui vult uti regula rustica, vi naturæ semper sumat vocem in primaria & suprema significatione tam diu, quam non veritas & color discernens aliud jubeat, & palpabilitas aliud doceat.*

Rusticus cum audit de aratro, dicit illud esse instrumentum quo proscinditur terra, sive autem Imperator, sive Rex, sive alius quidam ipsi diversum persuadere vult, manet tamen ille in suo conceptu, aratrum novi, hoc est aratrum, quo ego aro. Sic explicator Scripturæ Sacræ semper principalem & primam eamque formalem significationem retinere debet. Sic Photinianus dicat, quæ lubent de voce יהוה primaria & principalissima ejus significatio & quidem quod maximum est unica est, ut notet Deum absolutè æternum, independentem, qui solus, quæ promittit, præstare valet. Si ergo legam Christum dici Jhovah, sic etiam Spiritum esse Jhovah, dico rectè, Christus est absolutus æternus & independens Deus, Spiritus Sanctus est absolutus, æternus & independens Deus.

15. *Qui vult regula rustica uti, non remittat propositum dicentis, & intentionem jubentis non negligat.*

Si e. g. Esaiæ primo aliquis legat: Audite Principes Sodom, attende popule ex Gomorrha, utatur regula hac, si hoc fecerit, videt primum actum esse de Judæis, deinde agi de Sodomitis offerentibus, calendas, festa observantibus, ratio contradicit & ex via *simplicitatis* & naturæ videt, agi de Judæis, qui vocantur Sodomitæ. Sic, si cœtus rusticus propter furtum suspendi curasset duos fures Knepeling & Stricking. Postmodum audientes converti in se à superiori hæc verba: Ihr Bawren pflüget den Acker wol umb / und verwarloset mir nicht meine Saat / etc. Höret ihr Knepeling und Stricking wo ihrs nicht thut / etc. Ibi rusticus quivis audit, non verba fieri ad suspensos, sed ad se. Hæc ut dixi rusticus intelligit, ut cum Esaiæ 14. dicitur: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer,* non intelligunt multi, qui rusticorum debebant esse præceptores. Hinc multis Lucifer est Satan supremus diabolorum, modo non alii contradicerent, qui Beelzebub vel Beelzebul illud dominium adscribant.

16. *Qui vult rustica regula uti, Genus, numerum, personam, conjugationem quam Spiritus Sanctus proposuit retineat nec mutet.*

Ubi secundam legit, ibi non pronunciet primam, ubi activum est, ibi non ponat passivum & è contra. Si in Germanica lingua audiret rusticus, Sie nemlich die König David ward lüsteren / dicit, ergò David appetitu muliebri concupiscens, ut mulier describitur, Der Junckfer hat an seinen Füssen Stieffeln. Dicit, ergo virgo describitur ut vir,

Sie

Sie hat sich gestiefflet als ein Kerl. Quibus modis dicendi proprietates vel sexus mutati innuere voluit. Et alia possent ex conditione naturæ, veritatis, simplicitatis & palpabilitatis depromi, verum ad aliud tempus ista erunt reservanda. Jam ad modum procedendi.

17. *Qui vult resolvere textum sumat voces prout stant, & stantibus istis adhibeat rationem simplicitatis, veritatis, naturæ & palpabilitatis*, & sensus optimus elicietur. E. g. Sumam ex Job. 5. *Ci adam* nam homo *laamal yulladh* ad infortunium natus est, *ubhne rescheph* i. e. & filii rei natura sursum tendentis *jagbhiu* elevant *uph* volatum, Magistri ex arte dicent hic, particula vau quandoque significat *sicuti*, & adducent pro se, si legerint lexicon quoddam æque incertum & vacillantibus superstructum fundamentis. Regula rustica conjungit & disjungit has propositiones & dicit. Homo ad infortunium natus est; (semicolon) & id quod natura vel consuetudine urgetur sursum elevat volatum. Quærit jam, quomodo posterius incisum cum textu conveniat, cum Eliphaz versetur ibidem in tali argumento. Tu tui infortunii faber es, nam non ex terra malum crescit & ex pulvere iniquitas, sed ex homine, qui sui ipsius mali causa est, videt quod disjunctum cum textu non quadret. *Veritatis* autem ordo inculcat quadrare debere, ergo vi rusticæ regulæ cum nihil videat esse, sumit vocem *sicuti*, non per ellipsin amissam, sed ex sensu promanantem. Der Mensch ist zum Unglück geboren/ und was sich in die höhe bringen lässet kompt hoch/ i. e. Wie ein ding/ dessen Natur ist daß es hoch fleucht/ hoch fliegen kan / so ist des Menschen Natur die da sündiget/ daß sie viel sündigen kan und dadurch schwer gestraffet werde.

18. Sic disputari solet de loco Job. 13. v. 15. Ob mich der HErr schon tödtet/ will ich doch auff ihn harren/ Carpunt Luther. multi. Osiander, Ecce occidet me, non expectabo. Gloss. ejus sic ait: *Sic vetus Adam quando tumultuatur in electis, irritatus magnitudine tentationum, sed Dominus credentibus in Christum talia non imputat, non enim ipsi hæc faciunt, sed peccatum inhabitans*; hucusque Osiander. Ego dico ad regulam rusticam, Job hic verbis non peccavit. Ego enim vi regulæ istius ita dico: *Hen* si *jiktaleni* occiderit me *loh* non *ajachel* morabor. Wo Gott mich tödten will / so wil ich nicht lang säumen/ will gerne sterben.

19. Hæc est regula rustica, qua instructus Scripturam explicavi & perpetuo explicabo, ex qua accentus, formas & quæcunque habeo hausi. Hæc regula omnibus nota est, à paucis observatur, quod docet experientia.



M. JOH.

M. JOH. WILLEMERI

DE IMAGINE DEI

Ad Genesin I: 26.

א״ה

DE

IMAGINE DEI.


Dictum GENESES. I. 26. 27. 28.

26. Et dixit DEUS: faciamus
hominem ad imaginem nostram
& secundùm similitudinem nostram,
dominentur quoque piscibus
maris & volatilibus cœli
& bestiis & omni
terræ, & omni reptili
repenti super terram.
27. Et creavit & aptavit DEUS
hominem ad imaginem suam,
ad imaginem Dei aptavit
eum, masculum & fœminam,
aptavit illos.
28. Et benedixit illis DEUS,
& dixit illis DEUS: fructificate
& multiplicamini, & replete
terram, & habitate per generationem vestram
& dominamini piscibus
maris, & volatilibus concavi,
& universitati bestiarum
repenti super terram.

[illegible]

ואמר אלה נעבד
אדם בצורתן
וכתשביתן
וישלטון בנונית
ימה ובקמץ עללה
ובבהמאתה ובכל
ארעה ובכל רמסה
רומיסה על ארעה׃
וברא וכון אלה
ית האדם בצורת
בצורת אלה כון
יתה דכר ואנקבה
כן יתון׃
וברך יתון אלה
ואמר לון אלה פושו
וסגו ומלו ית
ארעה ועמרו גליה
ותשלטון בנונית
ימה ובר[illegible]ץ חללה
ובכלול עפיסירה
דרומיסת על ארעה׃

§. I.



DE hominis, ut totius etiam universi hujus, productione ab æterno vidit Deus atque decrevit. Hic tamen facto temporis atque rerum creatarum initio, de homine ad imaginem suam condendo sigillatim ordinasse memoratur, cum è limo terræ efformaret eum, præstantissimum hujus universi, quâ oculis subjicitur, artificium. Æterni igitur decreti, hic manifestati, rationem, & illi prorsus congruam executionem, cernere licet. Dixisse Deus perhibetur, ac intimos divinæ mentis voluntatisque conceptus communicâsse, & velut secum ipse deliberasse. Quæ Deus Trinus in æterno creationis consilio de homine constituit decrevitque, tunc adimplenda dixit atque voluit, actu purissimo, perfectissimo, simplicissimè uno, & ratione mere divinâ: quam cogitando satis assequi, aut verbis dignè eloqui nemo unquam potuit. Quapropter si ad penetrale arcanorum tantorum ingredi nobis placeat, extra nos ipsos egredi, mundoque hoc crasso relicto, per statum mentis, vitiorum omnium expertem, in paradisum quodammodo reverti, ac per puritatem Deo similes fieri decet: ut pie accurateque aliàs monet *D. Gregorius Nyssenus homil. 1. in Cantic.* Nam & hic infinita Dei majestas optime consulit imbecillitati intellectus nostri, quando per συγκατάβασιν humano more tanquam mutuum amicorum colloquium atque consilium edisserit æternum SS. Trinitatis de condendo homine decretum, præstantissimam simul creaturæ hujus naturam haud obscure innuit. Quò conferri meretur *D. Glassius Phil. S. L. V. tr. 1. cap. 7. p. 128.* Notat enim אמר hic λόγον ἐνδιάθετον sive mentis divinæ verbum ac voluntatis decretum, singulis tribus Deitatis personis ex æquo commune, uti & Gen. 2. 18. c. 3. 5. 22. c. 11. 6. &c. Ita אמר de hominibus usurpatum, frequenter designat cogitare, meditari, animo concipere, secum tacite expendere, deliberare, ratiocinari, consultare, apud animum suum statuere, decretum facere, aliquid sibi proponere, & generatim λόγον ἐνδιάθετον Genes. 26: 9. Ps. 30: 7. Ps. 39: 2. Ps. 91: 2 Ps. 94: 6. 18. Ps. 116: 11. Ps. 119: 82. Ps. 124: 1. Ps. 139: 11. Prov. 20: 22. Cohel. 6: 3. cap. 7: 23, c. 8: 14. Mich. 2: 7. Quod clarius exprimit integra phrasis אמר בלב varias cordis cogitationes inter se veluti confabulantes committere, consilium secum inire, rationes in utramque partem tacitâ mente secum ventilare,

lare; & ea animo concipere, quæ diſtincto verborum ſono, linguæ beneficio proferri facilè poterant. Geneſ. 17: 17. c. 27: 41. Eſth. 6: 6. Pſ. 10: 6. 11. 13. Pſ. 14: 1. Pſ. 35: 25. Pſ. 53: 2. Pſ. 74: 8. Cohel. 2: 1. 15. c. 3: 17. 18. Eſaiæ 47: 10. Obad. 1: 3. Sic & אמר בלבב Deut. 7. 17: c. 8: 17. c. 9: 4. c. 18: 21. Job. 22: 22. Pſalm. 4: 5. Eſaiæ 14: 13. c. 47: 8. c. 49: 21. Jerem. 5: 24. c. 13: 22. Zeph. 1: 12. c. 2: 15. ut etiam דבר בלב Pſal. 12: 3. Coh. 2: 15. בלבב Pſal. 15: 2. עם לב Coh. 1: 16. Quanquam non diffitendum, aliàs אמר à דבר ut generalius à ſpecialiori differre: de quo diſcrimine pluribus conferri meretur *D. Hannekenius de creat. th. 3.* Qua ratione *Clariſſimo Dn. Bohlio diſp. 7. pro formali eruendo primum th. 36. 37.* concedere licet, אמר nonnunquam ſignificare *intendere*, ſigillatim, *intendere ſermonem*, loqui, *intendere præceptum*, mandare. Eodem cogitandi ſenſu frequentiſſimè adhibentur λέγειν, εἰπεῖν καὶ διαλογίζεσθαι ἐν ἑαυτῷ, ἐν καρδίᾳ. In noſtro igitur loco Gen. 1: 26. ſermo DEI internus voce אמר indicatur, nequaquam externus, ad angelos aliaſve creaturas directus, atque literis & ſyllabis extrinſecus diſtinctè, vel aliâ quacunque ratione, prolatus: quod in explicandis ſimilibus Scripturæ locis πρῶτον ψεῦδος Rabbinorum eſt. Sic enim AbenEſra ad h. l. אמר השם למלאכים נעשה אדי׳ אנחנו נתעסק בו ולא המים והארץ *Loquitur DEUS ad angelos, faciamus hominem: nos laboremus in illo, non aquæ, non terra.* Verùm jure ſuo חסר לב hîc audit, totoque cœlo aberrat, μὴ εἰδὼς τὰς γραφὰς, μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ. Expreſsè Scripturæ S. contradicit Eſaiæ 50: 13: 14. Rom. 11: 34. 1. Cor. 2: 16. quæ ſolum filium DEI, æternam Patris ſapientiam in creationis opere agnoſcit אָמוֹן artificem Prov. 8: 30. ſolique DEO creationis potentiam & opus ubique tribuit. Sed ille magis ſecutus nugas R. Sal. Jarchi in h. l. ענותנותו של הק״בה למדנו מכאן לפי שהאדם בדמות המלאכים ויתקנאו בו לפיכך נמלך בהם וכשהוא דן את המלאכים הוא נמלך בפמלי׳ שלו שכן מצינו באחאב שאמר לו מיכה ראיתי וגו׳ וכי יש ימין ושמאל לפניו אלא אלו מימינים לזכות ואלו משמאילון לחובה וכו׳ נעשה אדם׳ אע״פ שלא סייעוהי ביתירתו ויש מקום לאפיקורו׳ לרדות לא נמנע הכתוב מללמד דרך ארץ ומדת ענוה שיהא הגדול נמלך ונוטל רשות מן הקטן ואם כתב אעשה אדם לא למדנו שיהא מדבר עם בית דינו אלא עם עצמו ותשובת האפיקו׳ כתב בצדו ויברא את האדם ולא כתב ויבראו׃ *Humilitatem Sancti Benedicti hinc diſcimus, quia homo (conditus eſt) ad ſimilitudinem angelorum. Et zelo hujus affecti ſunt: propterea conſilium inivit cum illis. Et quum judicat angelos, conſultat cum familia ſua. Quemadmodum invenimus de Achab, cui dicit Micha 1. Reg. 22: 19. Vidi Dominum ſedentem in throno ſuo, & omnem exercitum cœleſtem ſtantem coram illo à dextra & ſiniſtra ejus. Et quomodo eſt dextra atque ſiniſtra coram illo, niſi ſint conſtituti iſti à dextris ad juſtitiam, hi verò à ſiniſtris ad condemnationem? &c. Ad verba* נעשה אדם *Quamvis non adjuverint eum in formatione ejus. Et eſt ſive inſervit locus ad Epicureos* (ita Amſtelodamenſis; Baſileenſis & Veneta Editiones habent למיני׳ hæreticos) *convincendos: non prohibetur Scriptura, quò minùs doceat more vulgari & per modeſtiam: ut ſi princeps quiſpiam conſultaret & acciperet poteſtatem à minori. Et ſi ſcripſiſſet* אעשה אדם *non diſceremus, quòd loquutus eſſet cum domo judicii ſui, ſed cum ſeipſo. Et reſponſionem Epicureis* (alii hæreticis, dandam) *ſtatim adjunxit* (*dicendo*) *& creavit hominem, non verò ſcripſit, & creaverunt.* Infinitam DEI majeſtatem ex creatione rerum intelligimus Pſ. 19: 1. Rom. 1: 20. Eccleſ. 1: 7. & divinam imaginem homini impreſſam dicimus characterem infinitæ bonitatis, liberaliſſimè nobiſcum communicatæ Geneſ. 1: 31. Deuter. 32: 4. 6. Prov. 8: 31. Verùm *DEUM voluiſſe hominem ad angelorum imaginem condere*, repugnat æterno DEI decreto; factæque in tempore decreti executioni, imaginis divinæ, non angelicæ, amiſſioni, reparationi inchoatæ conſummatæque, omnique in univerſum ſaniori Theologiæ, atque claris Scripturæ textibus. Decretum æternum hîc manifeſtatur, adeoque DEI, ut disertè Moſes docet voce אלהים, quæ verum in eſſentia unum, perſoniſque trinum DEUM יהוה tantùm hîc denotat Job. 9: 8. Eſaiæ 44: 24. c. 45: 7. 18. nequaquam angelos: qui in deſcripto creationis opere nunquam hoc nomine veniunt, nedum hîc loquentes introducuntur. Solus DEUS, quod ab æterno decreverat, infinitâ potentiâ, nec ullâ mediante causâ inferiori uſus, in tempore univerſa iſta produxit, ſigillatimque hominem ad ſuam divinam imaginem condidit, ex αὐταρκείᾳ conſilii pariter atque miniſterii angelorum minimè indigus. Igitur ut nulla unquam voluntas DEI de homine ad imaginem angelorum condendo extitit, ita nec ulla *propterea inter angelos oborta æmulatio* in Scripturis S. deprehenditur. Atque ſic pro verò certoque aſſumit Raſchi, angelos in primo hexaëmero fuiſſe malos: vel ex lapſu, quod incertiſſimum; vel ex creatione, quod blaſphemum. Omnia manuum DEI opera erant valdè bona; ex invido Judæorum ingenio Raſchi fingit angelorum *æmulationem*, hancque *DEUM compeſcuiſſe* per συγκατάβασιν *inito cum ipſis conſilio.* Verùm מי תכן את רוח יהוה ואיש עצתו יודיענו את מי נועץ ויבינהו וילמדהו בארח משפט וילמדהו דעת ודרך תבונות יודיענו Eſ. 40: 13. 14. Cum judicio quidem Dominus operatus eſt ab initio Sirac. 16: 25. hominemque ad ſuam imaginem condidit c. 17: 1. 3. ſed non angelico; verùm propriâ ejus ſapientiâ cœli formati ſunt. Quid ſtipulæ ad ignem ardentem? quid ſuis circumſcripta limitibus notitia ad βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ, ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ; במלאכיו ישים תהלה. Angeli non cum DEO, tanquam inſcio conſiliique indigo, deliberare; ſed ἀνθρωποπαθῶς coram DEO עמד ſtare dicuntur 1. Reg. XXII. 19. ut & יצב Job. I. 6. II. 1. ſtare autem eſt miniſtrare: uti per ἐπεξήγησιν disertè per שרת exponitur Deut. 10: 8. Miniſtris Salomonis tribuitur 1. Reg. 10: 8. confer Ezech. 8. 11. Zach. 3. 1. Sed nec angeli coram Domino in creatione hominis ſtetiſſe uſpiam in Scriptura leguntur; multò minùs adjuviſſe. Optimo igitur jure ex integra orationis ſerie, totiuſque Scripturæ conſenſu adverſus quoſcunque Antitrinitarios colligimus, tres Deitatis perſonas velut inter ſe confabulantes atque de præſtantiſſimo creationis opere deliberantes hîc introduci; divinæ autem eſſentiæ atque creationis unitatem, ſingulis tribus perſonis ex æquo communem, verbo ſingulari ויברא indicari. DEI ergò אמר non ad angelos directum: ſed nec ad elementa, quæ in conſilium DEUS adhibuerit, ut הרי״קם ineptiſſimè contendit. De quo audiendus R. Sal. ben Melech ad h. l. נעשה אדם בא לשון רבים ליחיד לתפארת׃ והריקם כתב כי הוא מדבר כנגד ארבע יסודות כי אמר בשאר הבריאות תדשא הארץ ישרצו המים תוצא הארץ ובאדם רצה לתת בו רוח עליונה לפיכך אמר נעשה וכן בצלמנו הרוח בצלם עליונים והגוף בצלם תחתונים *Occurrit pluralis pro ſingulari, elegantiæ causâ. Et R. Moſes Kimchi ſcribit, quòd loquatur ad quatuor elementa: quia dicit de reliquis creaturis Gen. 1: 11. herbaſcat terra, vſ. 20. abundè producat aqua, vſ. 24. producat terra. Sed in homine voluit ponere ſpiritum ſuperiorem: propterea dicit* נעשה *faciamus, item* בצלמנו *ad imaginem noſtram: Spiritum ſive animam quidem ad imaginem ſuperiorum; corpus autem ad imaginem inferiorum.* Sic & Baſilii M. ætate quidam Chriſti nomen profeſſi contendebant, Deum ad terram ſermonem ſuum direxiſſe, è qua homo condendus fuit: quorum ſententiam refutat *Baſil. homil. 1. in Geneſ. p. 84. b.* Verùm per rationes jam dictas nullum DEI cum creaturis conſilium hîc admittere licet. Quid verò de diſcrepantia numeri in phraſibus ויאמר אלהים נעשה ברא atque ſimilibus habendum ſit ex uſu Scripturæ divinioris, contra Judæos atque judaizantes nonnullos, videri poterit apud Autores diſp. 1. de creatione mundi §. 3. pag. 11. fusè allegatos. In eam aliâs ſententiam libenter concedimus, ſæpiſſimè אמר in Scripturis idem eſſe quod animi ſenſa beneficiô linguæ articulatâ voce exteriùs efferre, loqui, alloqui, colloqui, interrogare, reſpondere, increpare, cum imperio & auctoritate dicere ſive mandare, denique quemcunque λόγον προφορικόν. Et præcipiendi quidem notionem potiſſimùm ap. Arabes أمر ſuſtinet, nec non in puriori, quem vocant, Chaldaiſmo. Ex multis huc conferri poterunt Daniel. 2: 12. 47. cap. 3: 13. 19. 20. cap. 6: 15. Hinc quoque Ebræorum מַאֲמַר Eſther. 1: 15. Chaldæorum מֵאמַר Daniel. 4: 14. ἐξηγητικῶς τῷ גְּזֵרָה junctum, atque æquipollens etiam Eſræ 6: 9. Syrorum [Syriac], potiſſimum tamen Arabum أمرٌ notat præceptum, mandatum, atque edictum. Quô ſenſu cum R. Elia hinc deducere licet Chaldaicum אֲמַרְכַּל quod Ducem, Principem, Præfectumque deſignat, qui aliis cum imperio præeſt atque אומר כל omnia mandata edicit. Eodem Turcicam Emir, Perſicam אמירא & Gallis primum uſurpatam vocem Amiral nonnulli referunt. Græcorum certè εἰπεῖν Matth. 4: 3. Luc. 10: 40. pariter atque λέγειν Rom. 12: 3. & aliâs frequenter ſignificat jubere, imperare. Samaritanus autem Interpres eodem, quo Moſes, ſenſu ·ࠀࠌࠓ· in noſtro textu adhibet: aliâs ſæpiùs etiam de λόγῳ, quem vocant, προφορικῷ. Ita ejuſdem *præt. 3. F. ſing. conjug. Peal.* uſurpat Gen. 16: 13. Hagar [Samaritan text] *dicebat* enim, num etiam hîc vidi poſt videntem me. *Futuri Peal. 1. ſing.* habetur Gen. 20: 13. [Samaritan text]

ut *dixerim* ei: 2. *perf. M.* Gen. 14: 23. ࠃࠋࠀ ࠕࠉࠌࠓ ࠀࠍࠀ ࠏࠕࠓࠉࠕ ࠉࠕ ࠀࠁࠓࠌ ne *dicas*, ego ditavi Abram; 3. *perf. sing. M.* cum *Infinitivo*, proprio finito non fine emphatica significandi vi, ut apud Ebræos, præposito Exod. 21: 5. ࠀࠌࠓ ࠉࠀࠌࠓ ࠏࠁࠃࠀ si *dicendo dixerit* servus, si spontaneo motu sæpe multumque apertè profitebitur, nullisque adductus pollicitationibus, territusve minis, palam edisseret servus, amore in herum propensissimus. Ubi simul quietem ࠉ ࠀ scheva muto ex analogia notandi, compensari animadvertimus per ࠄ pariter atque ࠀ, more etiam apud Chaldæos atque Syros receptô. Occurrit præterea ejusdem Peal *Particip.* præs. sing. Exod. 33: 12. ࠀࠕࠄ ࠀࠌࠓ ࠋࠉ, tu *dicens* mihi; plur. Genes. 37: 17. ࠔࠌࠏࠕ ࠀࠌࠓࠉࠍ audivi illos *dicentes*. Ex *Ethpeal* 3. F. M. habetur Genes. 10: 9. ࠏࠋ ࠊࠍ ࠉࠕࠀࠌࠓ ideò *dictum est*. Tertiam Præt. M. Sing. cum suffix. conj. *Aphel* exhibet locus inter Ebræos satis controversus Deut. 26: 18. ࠉࠄࠅࠄ ࠀࠌࠓࠊ ࠉࠅࠌࠀ Anglicana reddit: & Dominus *elegit* te hodie. Sed eligendi significatio verbo אמר non competit in Samaritano Pentateucho, multò minùs in Ebraica veritate usquam. B. Lutherus primam seu propriam & nativam significationem verbi אמר optimè secutus, Ebræa convertit: **Der HERR hat dir heute geredt / i.e. gelobet und versprochen / dich damit hoch und groß gemacht /** tanquam ramum pretiosæ vitis, magnâ curâ ex Ægypto eductæ, summoque inter Gentes loco constituendæ. Quam exaltandi significationem, vulgò receptam, ab אמיר ramo excelso optimè deducit, atque Buxtorfium, Rabbinos malè secutum, ex ipsis textûs visceribus rectè refutat *D. Glassius Phil. S. L. III. tr. 3. can. 30. p. 330.* A nostro ࠀࠌࠓ originem ducit ࠌࠉࠌࠓ dictio, verbum, Genes. 49: 21. ࠉࠄࠁ ࠌࠉࠌࠓࠉࠍ ࠐࠓࠒࠍ dans *eloquia* redemtionis Construct. plural. Masc. Vox ࠐࠓࠒࠍ notat redemtionem, liberationem, salutem, uti Syrorum ܦܘܪܩܢܐ à rad. פרק redimere, vindicare, liberare. Itaque ࠌࠉࠌࠓࠉ ࠐࠓࠒࠍ est dulcissimum pacis partæque salutis negotium, lætissimis ubique jubilis decantatum. Ebraica veritas habet אִמְרֵי־שָׁפֶר eloquia elegantissima, in ἐπινικίῳ Deboræ & Barak exaudita Judic. V. & ex ore Christi mirâ suavitate resonantia Psal. 45: 3. Matth. 7: 29. Joh. 7: 46. Sub forma fœm. etiam occurrit ࠀࠌࠓࠄ Hinc Genes. IV. 23. ࠀࠑࠕࠄ ࠌࠀࠌࠓࠉ auscultate *verba mea.*

§. II. De vocibus ࠀࠋࠄ & אלהים actum disp. 1. de Creat. p. 10. seq. Quidam hic accipiunt οὐσιωδῶς pro tota SS. Trinitate: alii ὑποστατικῶς pro sola Dei Patris persona, ad Filium & Spiritum Sanctum loquentis intra intimum Trinitatis complexum. Hoc magno zelo urget Synodus Syrmiensis: εἴ τις τὸ ποιήσωμεν ἄνθρωπον μὴ τὸν πατέρα πρὸς τὸν υἱὸν λέγει, ἀλλὰ αὐτὸν πρὸς ἑαυτὸν τὸν θεὸν εἰρηκέναι, ἀνάθεμα ἔστω, Socrates l. 2. hist. c. 30. Quod solidissimè confirmat ratio authentici textus: quam hîc accuratè sequitur Samaritanus verbo ࠍࠏࠁࠃ perfecto 1. pers. Masc. pl. Fut. Peal, radicis ࠏࠁࠃ quæ Ebraicè est servivit, servitutem exegit, servitute alicujus usus est, vel aliquem pressit. Infert enim proprie arctissimam ad servitia obligationem, & plenariam omnium temporum ac locorum quà corpus & animam, subjectionem eorum, qui durissimâ pariter ac vilissimâ conditione, sub alterius jugo degunt libertate destituti. Unde עֶבֶד contra distinguitur מְשָׁרֵת quæ vox eum designat, qui liberiori ratione fratribus, amicis, Principi officia præstat, atque digniora in Rep. munia obit, velut Consiliarii, vel honoratissimô defungitur ministeriô in cultu Dei publico. Quamvis id discrimen non sit perpetuum, & עבדים quoque vocentur Pharaonis Consiliarii Gen. 50: 7. Ex. 5: 21. c. 7: 10. Ps. 135: 9. Quo serviendi sensu, loco עֶבֶד cum Chaldæis, Syris atque Arabibus, Samaritani adhibent ࠔࠌࠔ in paël, vel etiam in peal ࠐࠋࠇ Sic Deut. 4: 19. ࠅࠕࠐࠋࠇ ࠋࠄࠅࠍ & servias eis. A speciali servitutis significatione transfertur Ebræorum עֲבַד ad designandam agrorum culturam: quâ ratione eidem respondet Aramæorum ࠐࠋࠇ. Hinc Genes. 4: 12. ࠀࠓࠉ ࠕࠐࠋࠇ ࠉࠕ ࠀࠓࠏࠀ cùm colueris terram. Tandem in genere quamcunque operationem, sacram atque civilem, cum aut sine molesto labore susceptam denotat, usu amplissimô, potissimùm apud Chaldæo-Syro-Samaritanos receptô. Sicque עֲבַד significat fecit, effecit, confecit, operatus est, egit, paravit, apparavit, gessit, v. g. bellum, fieri curavit. Ap. Samaritanos nonnunquam sigillatim subinfert, rem sacram fecit, sacrificavit: ut Ex. 10: 25. ࠅࠍࠏࠁࠃ ࠋࠉࠄࠅࠄ ࠀࠋࠄࠍࠀ ut sacrificemus Domino DEO nostro. Aliàs tamen frequentissimè generalem faciendi perficiendique notionem sustinet. Hinc *Præt.* Peal 3. sing. Masc. Genes. 2: 2. ࠌࠍ ࠊࠋ ࠏࠁࠃࠄ ࠃࠏࠁࠃ ab omni opere suo quod *fecerat*: Fœm. Deut. 22: 21. ࠀࠓࠉ ࠏࠁࠃࠕ ࠔࠌࠉࠕ ࠁࠉࠔࠓࠀࠋ quoniam stultitiam *fecit*: 2. Masc. sing. Genes. 3: 14. ࠀࠓࠉ ࠏࠁࠃࠕ ࠃࠀ *fecisti* hoc. *Futurum* adhibetur Genes. 2: 18. ࠀࠏࠁࠃ ࠋࠄ ࠎࠌࠊ ࠊࠒࠁࠋࠄ *faciam* ei adjutorium coram illo. Egregiè prorsus & עזר adjutorium & illud כנגדו sic exprimitur. Singula ferè verba exactè respondent optimæ Onkelosi conversioni: אַעְבֵּיד לֵיהּ סְמַךְ בְּקִבְלֵיהּ Cùm סמך atque ࠎࠌࠊ optimè & cum Ebræo עזר & inter se conveniant, significatione satis emphaticâ fulcimenti, sustentaculi, adjutorii, basis, cui tutâ cordis fiduciâ inniti licet Prov. 31: 11. Simili ratione כנגדו ritè exprimit utriusque קבל, indicans uxorem præsentissimum semper auxilium marito futuram esse, atque individuam vitæ sociam, arctissimo amoris nexu conjunctissimam, ejusdem naturæ, mentis & affectûs, fortunæ pariter atque habitationis. Secunda *Fut.* pers. sing. M. obvia est Exod. 5: 15. ࠋࠌࠄ ࠕࠏࠁࠃ ࠊࠃࠍ ࠋࠏࠁࠃࠉࠊ quare *fecisti* sic servis tuis; 3. pl. M. legitur Ex. 31: v. 11. ࠉࠏࠁࠃࠅࠍ *facient. Imper.* 2. M. sing. Gen. 6: 14. ࠏࠁࠃ ࠋࠊ ࠕࠉࠁࠄ *fac* tibi arcam, 2. M. plur. cap. 42: 18. ࠃࠀ ࠏࠁࠃࠅ ࠅࠇࠉࠅ hoc *facite* & vivetis. Eidem Josepho tribuitur *infinit.* Gen. 50: 20. ࠁࠃࠋ ࠋࠌࠏࠁࠃ ࠊࠉࠅࠌࠀ ut *faceret*, sicut hodie. *Particip.* sing. habetur Genes. 1: 12. ࠅࠀࠉࠋࠍ ࠏࠁࠃ ࠐࠉࠓࠍ & plantam *facientem* fructum: plural. Genes. 24: 49. ࠅࠏࠕࠄ ࠀࠌ ࠀࠉࠕࠊࠅࠍ ࠏࠁࠃࠉࠍ ࠇࠎࠃ si *facitis* misericordiam. In *Ethpeel* eandem significationem retinet; hinc 3. *fut.* M. sing. Genes. 18: 25. ࠋࠀ ࠉࠕࠏࠁࠃ ࠃࠉࠍࠀ non faciet judicium? & Exod. 2: 4. ࠌࠄ ࠉࠕࠏࠁࠃ ࠋࠄ quid fieret ei. *Partic.* Lev. 7: 9. ࠊࠋ ࠃࠌࠕࠏࠁࠃ quodcunque fiet. Quo sensu & *nomen* masc. inde deductum Exod. 18: 20. ࠏࠁࠃࠀ ࠃࠉࠏࠁࠃࠅࠍ *opus* quod facient; status *absolutus* hujus emphatici habetur Genes. 40. 17. ࠏࠁࠃ ࠀࠐࠉࠀ *operis* pistorii, *plural.* Gen. 20: 9. ࠏࠁࠃࠉࠍ ࠃࠋࠀ ࠉࠕࠏࠁࠃࠅࠍ ࠏࠁࠃࠕ ࠏࠌࠉ *opera* quæ nunquam fient, fecisti mihi. Descendit etiam inde vox ࠏࠁࠃࠍ quæ *creatorem*, & ࠏࠁࠃࠀ quæ *seculum* denotat. Quæ cum authentico textu collata confirmabunt, Samaritanorum ࠏࠁࠃ paria facere cum עָשָׂה quatenus id faciendi; efficiendi, sigillatim per creationem producendi, notionem sustinet. Siquidem significatio verbi עשה in Scriptura S. non uno modo variet. Usu generali ac proprio notat *facere*, ac quamcunque operationem DEI sive creaturarum. DEO tributum sæpissimè sigillatim *creationem* designat, sive omnium omninò rerum, ex nihilo tam puræ negationis, quàm naturalis indispositionis productarum Gen. 1: 31. c. 2: 2. &c. sive earum tantùm creaturarum, quæ ex primi diei materia indisposita, reliquis quinque diebus productæ exornatæque magis sunt. Atque ita עשה interdum contradistingui solet ברא & יצר, ita ut הבריאה הוציא מאין creatio ברא dicat productionem ἐκ τῶν μὴ ὄντων ὡς ὄντων Rom. 4: 17. עשה verò eo rundem ordinationem atque majorem exornationem, יצר denique admirandam artificiosæ figuræ impressionem, magna sapientia factam, quà formam hominis intrinsecam atque extrinsecam, quam vocat *D. Varenius in Gen. p. 209.* A vero tamen discrepat assertum malè hæc distinguentis R. Sal. ben Melech in מכלל יופי ad h. l.

בריאה זו על הנפש נאמרה כמו שאמר בצלמו לפיכך אמר ויברא להבדיל בין הגוף והנפש כי בספור יצירת הגוף אמר וייצר כי אין לשון יצירה נופל על הנפש כי איננה גוף אבל לשון בריאה וכן לשון מעשה נופל בין על מה שאיננו גוף בין על מה שהוא גוף:

Creatio hæc Genes. 1: 27. de anima intelligenda est, quemadmodum dicitur ad imaginem suam. Propterea dicit Moses ויברא *ut discrimen faciat inter corpus & animam. Quia in recensenda formatione corporis dicit Gen. 2: 7.* וייצר. *Nam vox* יצר FORMANDI *non dicitur de anima, quia non est corpus; sed vox* ברא CREANDI. *Similiter etiam vox* עשה FACIENDI *dicitur tam de eo quod non est corpus, quam de eo quod est corpus.* Quamvis posteriora verba de עשה cum veritate Ebraica congruant; manifestæ tamen falsitatis è Scripturæ S. contextu convincuntur, quæ primo loco attulit de solius animæ creatione hic intelligenda. Nam sexto mundi die DEUS הָאָדָם hominem integrum, corpore non minùs ac anima constantem, עָשָׂה facere instituit v. 26. quod verbum corporis pariter ac animæ productionem à Deo eo tempore factam innuit, quoniam de utroque rectè dicitur, ipsius Rabbini suffragio. Idem confirmat utriusque sexûs, non animæ ratione distincti, determinata productio, verbo ברא indicata: quod synonymum עשה grammaticum, nequaquam de solius animæ sed corporis etiam productione in Scriptura accipitur Gen. 5: 1. 2. aliisque in locis. Nec ullum pondus inest rationi, à R. Salomone adjectæ: quia creatio hæc facta memoratur ad imaginem DEI. Ergò solius animæ esse. Quoniam ad totum homi-

hominem, partesque ejus singulas imago DEI spectat, quamvis ad animam primariò; corpus tamen, tanti boni minimè expers, Dei immortalis nullisque affectuum perturbationibus aut passionibus obnoxii, vivam quoque imaginem retulit, divinitus sibi concessâ immortalitate atque passionis molestæ absentia. Et licèt corporis humani è limo terræ efformatio seorsim recenseatur verbô יצר Gen. 2: 7. ipsa tamen anima etiam, insufflando divinitùs communicata ibidem dicitur, & hac speciali creationis humanæ repetitione neutri hominis parti imago DEI denegatur. Ea autem ratio gratis subjicitur, & contra disertos Scripturæ textus, falsissimè asseritur, quod יצר non dicatur de animâ. Diversum testatur Zach. 12: 1. יהוה יצר רוח ארם בקרבו. Pro vero sumit R. Salom. ad Gen. 1: 1. לשון יצירה אינו נופל אלא על דבר שיש לו ממש וצורה vox יצר non occurrit nisi de re solida & figura. Sed fallit exclusiva: fallit R. Salomon à particulari ad universale, à κατά τι ἢ, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ colligendo ad ἁπλῶς dictum & semper verissimum. Lux nec solida res est nec figura, tamen לשון יצירה נופל עליו prædicatum formationis sustinet Es. 45: 7. Æstivi hybernique temporis nulla solida materia, utrumque tamen divinitus per יצירה fieri dicitur Ps. 74: 17. Nulla divinis cogitationibus, minis, justisve decretis materia, ut loquuntur, ex qua, יצירה tamen est tribuenda Jerem. 18: 11. Alias tamen sæpius יצר denotat inductionem formæ externæ, naturalis vel artificialis, in rem corpoream ac materialem; utpote efformationem hominis Genes. 2: 7. 8. 19. à manu Dei prodeuntis, quin & in utero artificiose elaborati Jerem. 1: 5. cordis etiam Psal. 33: 15. atque oculi Ps. 94: 9. inde balænæ Ps. 104: 26. montium Amos 4: 13. ipsiusque terræ Ps. 95: 5. Sic etiam verbo יצר significatur, quæ ope artis conciliatur idolo effigiatio Es. 44: 9. 10. 12. aut luteæ lagenæ à figulo figura Es. 64: 7. Jer. 19: 1. Multo minus ferenda est impientissima & in ipsum Deum, conditorem sanctissimum, injuriosa sententia בעל חטורים, qui propter geminum Jod Gen. 2: 7. in וייצר obvium, homini in integritatis statu divinâ manu atque gratiâ constituto, tribuit geminum cordis figmentum, bonum atque malum, inquiens וייצר בב״ יודין שיש לו שני יצרי׳ יצ׳ הט׳ ויצר הרע. Suavius nugatur, gemini hujus jod rationem redditurus, R. Sal. Jarchi in h. l. שתי יצירות יצירה לעולם הזה ויצירה לתחית המתים אבל בבהמה שאינה עומדת לדין לא נכתב ביצירתה שתי יוד״ן. *Duæ sunt sive indicantur creationes, una in hunc mundum, altera in resurrectione mortuorum. Verùm in bestia, quæ non surget ad judicium, creatione non scriptum est jod geminum.* Nos vicem jod ex analogia schevandi compensare Zere dicimus, hujusque locum, ut sæpe alias, tenere chireck M. explicite positum, sine ullius mysterii significatione. Alias præter יצר atque בנה Gen. 2: 22. etiam ברא c. 1: 27. & עשה vs. 26. c. 2. vs. 18. adeoque singula creandi verba, non sine emphatica significandi vi, de solius hominis creatione adhibentur, & nobis sigillatim memorandum עשה sæpius. Quò conferantur Job. 31: 15. c. 32: 22. c. 35: 10. cap. 40: 15. Ps. 95: 6. Ps. 100: 3. Ps. 139: 15. Prov. 14: 31. c. 17: 5. Jes. 22: 11. c. 27: 11. c. 44: 2. c. 51: 13. Transfertur porrò עשה à creatione ad alia *eximia Dei opera*, utpote gratiosam vocationem, sanctificationem ac electionem in peculium Deut. 32: 6. 15. 1. Sam. 12: 6. Ps. 100: 3. liberationem & redemtionem Ps. 37: 5. ac quæcunque miraculosa opera Ps. 72: 18. Ps. 86: 10. Ps. 135: 6. Attributum verò *hominibus* verbum עשה post primariam faciendi efficiendique significationem, subinde obviam, speciatim determinatur ad actionis initium, continuationem atque complementum. Et sic notat partim *parare*, apparare, præparare, aptare, instruere v. g. vitulum Gen. 18: 7. 8. sacrificium Exod. 10: 25. cibum cap. 12: 16. contusum Levit. 22: 24. oves 1. Sam. 25: 18. holocausta Psalm. 66: 15. Ezech. 46: 2. Inde tamen nimis liberaliter Eccio assensum testatur *Drusius in Judic. p. 295.* ποιεῖτε Luc. 22: 19. idem esse quod sacrificate: cum verbum עשה sit diversissimæ rationis, & non nisi ex diserte adjecto sacrificii nomine עולה שלם textusque συνεχείᾳ sacrificandi sensum obtinere deprehendatur: de quo argumento dignus est qui conferatur *D. Joh. Forsterus præf. Dictionar. Hebr.* Nec præparare tantum, sed *comparare* etiam sive primum acquirere notat verbum עשה, per metonymiam, quam vocant, causæ pro causato, seu actionis pro effecto, per actionem producto. Ita de acquisitis rei familiaris instrumentis, ἐμψύχοις & ἀψύχοις, servis atque opibus, adhibetur עשה significatione comparandi: ut Abram & Loth נפש עשו animas sive servos acquisiverunt Gen. 12: 5. atque Jacob familiæ suæ facere i. e. prospicere & ad rem familiarem necessaria acquirere volebat cap. 30: 30. confer de acquisitis viribus Deuter. 8: 17. Ezech. 28: 4. cantoribus Cohel. 2: 8. Accedit huc operosa industria, hoc verbo nonnunquam significata Daniel. 11: 39. cum omni studiô, labore ac opera rem penitus *perficere* ac absolvere conamur. Cætera seq. Disp., fortunante DEO! expedituri sumus.

DISSERTATIO II.

QUod nunc concernit vocem אָדָם, ea hîc totius humanæ speciei, ac utriusque sexûs, statim determinatè recensiti, denominativa est atque *appellativa*; ut luculenter ostendit ה, quod hîc & alias præfixum gerit, emphaticum, Gen. 1: 27. cap. 2: 7. 8. 15. &c. proprio hominum haud præfigi solitum. Quamvis & sine isto ut nomen appellativum ex textûs serie deprehendatur in loco, qui nostro prorsus parallelus Gen. 5: 1. 2. ubi etiam præcisè duo priora humani generis individua denotat, & utriusque sexûs generalitatem infert. Usu deinceps ampliori universum genus humanum, ac cum Protoplastis, omnes eorum posteros designat. Atque sic *collectivum* est, & in solo singulari numero sine suffixis, cum vel sine ה demonstrativo, totam hominum speciem ac quemlibet hominem γηγενῆ seu Adamigenam denotat. Videantur eò ex quàm plurimis 1. Reg. 8: 46. Job. 5: 7. c. 36: 25. Psal. 32: 2. Ps. 39: 6. 12. Ps. 58: 12. Psal. 68: 19. Ps. 118: 6. Cohel. 1: 4. Inde sumitur *distributivè*, notatque idem quod aliquis, quidam, quisquam, Ps. 105: 14. Coh. 2: 21. Et hactenus paria facit cum איש quatenus hoc ejusdem particularitatis nota est, seu citra sexûs significationem indefinitè positum pro aliquo, ut Genes. 11: 3. 7. cap. 31: 49. c. 37: 8. Exod. 2: 1. cap. 11: 2. Jud. 16: 19. 1 Reg. 20: 20. Ps. 1: 1. Ps. 12: 3. Ps. 31: 20. Ps. 39: 7. Ps. 62: 13. Prov. 6: 27. 28. Coh. 6: 3. Jes. 36: 16. Jer. 23: 36. c. 29: 32. Joël. 2: 7. Amos 5: 18. vel per epexegesin τῷ אדם subjungitur, ut Psalm. 140: 2. Quin & in significatione sexûs dignioris τῷ איש synecdochicè Græcum ἄνθρωπος homo respondet Matth. 19: 10. quod rectè assecutus est Syrus, Græca τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικὸς eleganter convertens: [Syriac text]

Specialius nomen אדם homines plebejos, viliores, non illustri quadam familiâ nobilitatos, sed velut humi repentes, obscure delitescentes, ad incitas redactos, Ps. 49: 3. mortales Ps. 82: 7. terrenosque denotat, ab אדמה terra: cùm homo sit עפר מן האדמה pulvis ex terra Gen. 2: 7. & reversurus אל־האדמה in terram c. 3: 19. Quo sensu contradistingui solet τῷ איש, quod in hac oppositione designat animi dotibus, corporis viribus, opibus ac autoritate præstantem, adeoque fortem, magnanimum atque excellentem, confer Psal. 4: 3. Ps. 49: 3. Ps. 62: 10. Jes. 2: 9. Prov. 8: 4. atque ab Aben Esra ibid. annotata. Quò magis facit radix הִתְאֹשֵׁשׁ virum se præbuit, אֻשִּׁישׁ fundamentum, ἰσχὺς vires, robur, potentia, [Arabic] vis, aut κατ' ἀντίφρασιν [Arabic] desperavit, mollis fuit; quàm אֵשׁ ignis, vel יֵשׁ est vel sunt. Tandem haud rarò nomen אָדָם ut *proprium* vendicatur primo humani generis individuo, à DEO immediatè producto: cui à materia DEUS istud nomen primùm imposuit, posteaque universo hominum generi concessit. Ut rectè asserat *R. Sal. ben Melech ad Gen.* 5: 2. אדם נקרא כן על שם האדמה אשר לוקח משם והמין נקרא על שמו אדם: *Adam dicitur propter terræ nomen, unde sumtus est. Genus humanum autem vocatur juxta nomen Adami.* Sensu hoc, soli primo homini propriô, exclusâ conjuge, occurrit Genes. 2: 7. 18. 19. seqq. ut & de Protoplastis solis Hos. 6: 7. uti adversùs contrasentientes & fluctuantem Coccejum, pluribus demonstravit *D. Quenstedt Exerc. XIX. de Script. S. th. 1. obs. 3.* Ab Hebræis communiter אדם הראשון (ut Job. 15: 7.) à Chaldæis אדם קדמאה vocari, annotavit *Castellus* Lexic. heptagl. pag. 40. id quomodo cum πρώτῳ Ἀδὰμ 1. Cor. 15: 45. 1. Timoth. 2: 13. conveniat, alii dispiciant.

§. IV. Nos ad vocem [Samaritan text] *ad imaginem nostram* progredimur, eamque *nomen* à [Samaritan text] formavit, figuram induxit, *derivatum* dicimus, atque [Samaritan] literâ heemanticâ *auctum.* Samaritana radix respondet Ebrææ צור, ita ut [Samaritan] locum ו teneat: quod, Samaritanis solenne, monstratum Disp. de creat. p. 9. Ebræorum autem צור nonnunquam eandem cum cognato יצר formandi significationem obtinere, sufficienter constare potest ex Exod. 32: 4. exemplo vituli ab Aarone artificiosè conflati, & 1. Reg. 7: 15. columnarum Salomonis. Hinc צוּרָה formam, exemplar, imaginem notat Ezech. 43: 11. & Ps.

& Pſ. 49: 15. ut quidem hic poſt R. Nathan in Concord. Vatablus, Junius, Piſcator atque Caſtellus opinantur. Chaldaicum certè צִוְרָא figuram notat, atque Syriacum ܨܘܪܬܐ ut ſatis emphaticè Syrus Roman. 8: 29. ܘܪܫܡ ܐܢܘܢ ܒܕܡܘܬ ܨܘܪܬܐ ܕܒܪܗ & obſignavit eos in ſimilitudine figuræ filii ſui. Eodem ſenſu adhibet noſter, ࠃࠌࠅࠕࠄ earundem literarum ac unius radicis, proindeque *ſimplex*, quâ formationem, ut fœmininum, *declinabile*, uſuque *perfectum*, nulli anomaliæ obnoxium. De *Fœminino* genere ex ࠕ ſervili conſtat: numerum *ſingularem* abſens tam pluralis terminatio, quam ࠄ ſuffixo debita determinat. *Appellativum* verò eſſe evidenter colligimus ex *Regimine*, quod habetur Gen. 9: 6. ࠁࠃࠌࠅࠕ ࠌࠋࠀࠊࠉࠀ ࠏࠁࠃ ࠉࠕ ࠀࠍࠔ quia in imagine angelorum fecit hominem. Falſiſſimè in locum אלהים ſubſtituit cum Judæis ࠌࠋࠀࠊࠉࠀ, quæ res à Theologis dudum profligata. Longe rectiùs in noſtro textu v. 27. reddidit ࠀࠋࠄࠉࠌ ࠁࠃࠌࠅࠕ ad imaginem Dei. *Suffixa* pariter confirmant ࠃࠌࠅࠕࠄ non eſſe proprium nomen: quale poſt noſtrum, occurrit Geneſ. 5: 3. ࠅࠀࠅࠋࠃ ࠁࠃࠌࠅࠕࠄ ࠊࠑࠋࠌࠄ & genuit in ſimilitudine ſuâ, ſecundum imaginem ſuam. Aliàs Samaritanis ab eadem radice dicitur ࠃࠌࠅࠕࠄ caſtellum, nec non ࠃࠌࠅࠕࠄ ࠊࠓࠅࠁࠉࠌ cherubim, imagines artificioſæ: & Chaldæis צִיּוּר צִיּוּרִין ſunt effigies, figurata, acu picta, opera phrygionica. Ipſam vocem צלם Samaritanus retinuit Numer. 33: 52. ࠑࠋࠌࠉ ࠌࠎࠊࠅࠕࠄࠌ ſimulacra idolorum ipſorum. Et vox צֶלֶם quidem de ejuſmodi ſimulacris, ſtatuis vel imaginibus, ad cultum idololatricum proſtantibus, in Scriptura S. frequenter adhibetur 2. Reg. 11: 18. 2. Par. 23: 17. Ezech. 7: 20. c. 16: 17. c. 23: 14. Amos 5: 26. etiam Chaldaice Dan. 3: 1. 2. 5, 7. 10. ſeqq. Ubi tamen & de alia figura quacunque, non idololatrica, adhibetur, utpote Coloſſi illius ingentis, Nebucadnezari in ſomnio ſub hominis figura viſi Dan. 2: 31. 32. 35. de immutata facie ſeu forma vultûs Nebucadnezaris, ira accenſi Dan. 3. 19. & de quacunque prototypi repræſentatione, coloribus, ligno, lapide, ſive etiam metallis facta, uti 1. Sam. 6: 5. 11. Hinc Syrus de moneta Cæſaris imaginem referente, adhibet Matt. 22. 20. ܕܡܢܘ ܨܠܡܐ ܗܢܐ ܘܟܬܒܐ cujus eſt imago hæc & inſcriptio? quæ elegans imaginis divinæ figura, haud abs re B. Hulſemanno laudata: præterea idem ܨܠܡ̈ܐ de imaginibus idololatricis Gentilium uſurpat Rom. 1. 23. Apud Ebræos nonnunquam umbratilem figuram exhibitamque in ſomno ſpeciem evanidam deſignat Pſ. 73: 20. Pſ. 39: 7. quin & parentis cum filio quà corpus & animam convenientiam, poſt lapſum reliquam Geneſ. 5: 3. & tandem, quod præcipuè nobis commemorandum, excellentem illam hominis in primævo integritatis concreatæ ſtatu, cum Deo archetypo conformitatem. Quæ poſterior acceptio noſtri loci eſt, & Geneſ. 9: 6. explicata ſatis atque vindicata à Theologis orthodoxis. Radicem reddit in Peal & Aphel Syriſmus ܨܠܡ ܐܨܠܡ imaginè expreſſit, Rabbinis, figuravit: quò conferendum Arabicum صلم radicitus excidit, صلم res gravis: atque Æthiopicum ጸለመ tenebris obductus fuit, ጽልመት tenebræ. Minùs rectè tamen ad obumbrationem tantum in צֶלֶם quærit *Cl. Bohlius diſp. 3. de formali eruendo primum th. 17.* Quid enim levis adumbratio ad imaginis divinæ characterem, firmiter Protoplaſtis impreſſum? Ipſa imago Dei eſſentialis longe perfectiſſima voce צלם effertur à Syro, quum Ebr. 1: 3. Filius Dei dicitur ܫܘܒܚܐ ܕܬܫܒܘܚܬܗ ܘܨܠܡܐ ܕܝܬܘܬܗ ſplendor gloriæ ejus, & imago eſſentiæ ejus: ut ita צלם reſpondeat χαρακτῆρι, *quam à* χαράττειν inſculpendo *dicere poſſis formam expreſſam ex alio, ſive notam rei alicui impreſſam. — Nihil autem propius exprimit archetypon, quam imago, impreſſa ſigillo, annotante hic Eraſmo. Vide tamen D. Glaſſium Phil. S. L. V. tr. 1. c. 7: p. 159. Omne* צלם *Hebraicum formam notat vel figuram firmiter impreſſam cum accurata ſimilitudine imaginis & exemplaris, vel typi & archetypi; nec unquam in totis Scripturis formaliter fundatur in natura ſubſtantiali ut ſic & preciſè: ſed in accidentali, ut accuratè docet D. Varenius in Geneſ. p. 121.* Eandem accidentalem qualitatem indicat ב primariam ſignificationem retinens, & quæ natura literarum בצלם eſt, adjectivi periphraſi inſerviens, ut innuatur homo futurus DEO quàm ſimillimus. Perinde uti יוֹעֵץ בְּשֵׂכֶל Conſiliarius prudentiſſimus 1. Paral. 26: 14. deſcribitur, aut Chriſtus Jeſ. 4: 2. tanquam germen Jehovæ לִצְבִי וּלְכָבוֹד decorum & glorioſum. Suffixum autem pronomen primæ perſ. plur. quod בצלמנו gerit, nequaquam ad angelos, multò minùs ad Moſen, minimè omnium ad alias creaturas; ſed ad loquentem ſolum DEUM Trinunum, hominis Conditorem, eſſe referendum, textus συνέχεια accentuumque ratio, adverſus Judæorum deliria, luculentiſſime evincit: in quam accuratâ diligentiâ inquiſivit *D. Varenius in Geneſ. p. 102 — 114.*

§. V. Quæ ratione ejuſdem rei energetice ſignificatæ, arctiſſimo nexu nomini צֶלֶם jungitur vox דְּמוּת, ἄνευ χαὶ μὲ̄ συμπλοκῆς, ἀλλὰ διὰ βραχέων, conſideranda nobis venit. Ea aliàs nec frequenter occurrit, nec unquam redit in S. Codice ſub iſta præ- & ſuffigendi ratione: quæ ipſa longè facillima, pronomine ſuffixo viciſſim ad DEUM, ut par eſt, relatô; Capli autem non in ſignificatione primaria ſimilitudinis ut כִּי הַדִּמְיוֹן multo minùs adæquationis, ut כִּי הַשְׁוָאָה expoſito, ſed ut normam ſive archetypum reſpiciat, & paria faciat cum Latinorum juxta, ſecundum, ad, atque Ebræorum ב in præſenti negotio, ubi ב & כ permiſceri eodem manente ſenſu, ex locis Exod. 25: 40. & Jeſ. 44: 13. rite inter ſe collatis, oſtendit *D. Glaſſius Phil. S. Lib. 4. tr. 1. obſ. 3. p. 652.* Adde noſtro verſ. Gen. 5: 1. Ipſum nomen דְּמוּת numero multitudinis in S. Scriptura deſtituitur: maſc. generis ex conſtructione deprehenditur Ezech: c. 1: 14. c. 10: 10. non obſtante terminali ת ſervili litera: cum omnium conſenſu deductum rite ſit à דָּמָה ſimilis vel aſſimilatus fuit. Inde de ſimilitudine DEI uſurpatur, ad quam conditi Protoplaſti ſunt Gen. 1. 26. c. 5: 1. & nos renovamur Coloſſ. 3: 10. de ſimilitudine Dei, quæ nuſquam inter mortales dari poteſt Jeſ. 40: 18. Ezech: 1: 28. de ſimilitudine Cherubim c. 10: 22. hominum c. 1: 5, 10. c. 10: 21. c. 23: 15. Daniel 10: 16. Geneſ. 5: 3. clamantium Jeſ. 13: 4. de ſimilitudine cœli Ezech. 1: 22: ignis c. 8: 2. throni c. 1: 26. c. 10: 1. altaris Iudic. 16: boum 2. Paral. 4: 3. animantium Ezechieli viſorum Ezech: 1: 5. 13. rotarum v. 16. c. 10: 10. denique veneni Pſ. 58: 5. Adeoque דמות in univerſum infert exactam cum exemplari convenientiam formæ non tantum exterioris quà colores, vultus aut corporis delineationem, ſed & interioris & operationum, ad ipſam animæ eſſentiam pertingentium, ut in rei veritate & materialiter, ut loquuntur, optime eidem cum צלם conveniat. Chaldaicè idem verbum occurrit de exteriori elegantiſſima figura, ab Angelo ad tempus aſſumta, qui DEO os humeroſque perquam ſimilis clara in luce ignis refulgere videbatur Nebucadnezari Dan. 3: 25. confer c. 7: 5. urſi figuram ac operationem, Monarchiæ II. aſſimilatam. Syrus idem ܕܨܠܡܗ de imagine DEI inchoativè nobis reſtituta Coloſſenſ. 3: verſ. 10. ܒܕܡܘܬ ܨܠܡܗ ܕܒܪܘܝܗ juxta imaginem ejus, qui creavit ipſum; quin & noſtri perfecta Deo aſſimilatione in futura gloria, adeoque plenaria imaginis divinæ reſtitutione adhibet 1 Joh. 3: 2. ܒܕܡܘܬܗ ܗܘ ܢܗܘܐ in ſimilitudine ejus, DEI, erimus. Quid, quòd DEI Filius, cum Patre eſſentia unus Joh. 10: 30. dicatur ܗܘ ܕܐܝܬܘܗܝ ܨܠܡܐ ܕܐܠܗܐ ܠܐ ܡܬܚܙܝܢܐ Col. 1: 15. imago DEI inviſibilis? hæc utique ipſam eſſentiam concernit, ejuſdemque ut & attributorum atque operum non ſimilitudinem, ſed identitatem infert, ut vere Chriſtus dicat: πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐστι Joh. 16: 15. ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ c. 5: v. 19. In noſtro igitur loco דמות non levem tantum aut externam, ſed exactè conformem ſimilitudinem dicit inter DEUM Conditorem, velut archetypum ſive normam, & inter relucentem in homine imaginem, typum ſive figuram firmiter impreſſam: eſtque vocis צלם Synonymum grammaticum, eidemque καθ' ἐπεξήγησιν, ἓν διὰ δυοῖν ἢ περίφρασιν adjectivi valdè emphaticam hic conjunctum, aut Gen. 5: 1. ſeorſim poſitum, deſignat imaginem DEO quàm ſimillimam, apprimè congruam, ſingulisque animæ facultatibus, impaſſibilis & immortalis corporis viribus aliiſque prærogativis, exactè reſpondentem. Quò conferantur *D. Gerhardus LL. CC. L. de imag. DEI. D. Balthaſar Meiſn. Anthrop. Decad. I. diſp. 1. quæſt. 4. p. m. 11. & Phil. Sobr. Part. 2. ſect. 2. c. 1: quæſt. 23. p. m. 190. D. Calovius Tom. IV. Syſt. Th. p. 618. ſeqq. D. Varenius Decad. Moſ. in Geneſ. p. 117-123. D. Glaſſius Phil. S. L. III. tr. 1. can. 6. p. 23. Nec non Jeſuitæ, Cornelius à Lapide, Sa, Tirinus, Del-Rio, Pererius, Petavius:* qui quoad id loquendi genus aſſenſum Orthodoxis teſtati ſunt. Samaritanus eodem ſenſu frequenter adhibet ࠃࠌࠅࠕ uno in loco quinquies Deut. 4: 15. 16. ubi & cum Ebræa exactè conveniens vox ࠃࠌࠅࠕ occurrit ࠃࠌࠅࠕ ࠊࠋ ࠎࠌࠋ ſimilitudinem cujuslibet ſimulacri, à rad. ࠃࠌࠄ imaginatus eſt. Hinc Num. 33: 56. ࠊࠀࠔࠓ ࠃࠌࠉࠕࠉ ࠋࠌࠏࠁࠃ quemadmodum cogitavi facere. In noſtro autem loco vocem ࠊࠃࠌࠅࠕࠍࠀ ſimilitudo, cum gemino præ- & uno ſuf-fixo adhibuit: id quod ex ſimili Chaldæorum uſu facilè dijudicatur. Ipſum ceteroquin

quin nomen, ut דמות *singulare* tantùm: ratione initialis atque finalis literæ [Samaritan] heemanticæ *auctum* simul & *fœmininum* est, ad analogiam תַּעֲנִית jejunium efformatum, à rad. [Samaritan] [Samaritan] posuit. Hinc Gen. 22, 9. [Samaritan] & posuit eum super altare: ipsumque nostrum nomen nonnunquam positionem denotat, ut Exod. 25, 27. [Samaritan] propè, ad positionem. Aliàs tamen assimilandi significatio radicis שבה in Arabismo occurrit, ut [Arabic] similis fuit, similitudine quadam retulit, & [Arabic] imitatus est, retulit similitudine. Conforme huic nostrum. [Samaritan] cujus status *Constructus* habetur, absoluto similis, Genes. 5: 1. [Samaritan] in similitudinem angelorum fecit illum. Malè nomen אלהים ipsamque rem exprimit. *Suffixum* 3. pers. M. sing. v. 3. [Samaritan] & genuit in similitudine sua. Similiter adhibetur in L.Dam. [Samaritan] qui sui corporis rationem perspectam non habet, quomodo putet comprehendere expressum characterem formæ illius (DEI:) Quibus posterioribus verbis & *emphaticus* eleganti characteris sinificatione exhibetur.

§. VI. Radix שלט citra controversiam apud Ebræos, Chaldæos, Syros, Samaritanos, Arabes, Persas ac Æthiopes dominandi sensu venit, atque politicam quamcunque potestatem, summam aut inferiorem, quocunque modo, legitimus sit sive illegitimus, acceptam atque usurpatam exprimit: originemque haud dubiè dedit Germanorum Schild/ quæ vox Ebræorum שְׁלָטִי umbonibus atque scutis 2. Sam. 8: 7. 1 Par. 18: 7. Cant. 4: 4. sensu literisque respondet. Eodem quidam referunt nomen Schultze; aliis tamen ab exigendis debitis velut Schuld-heiß ex vernacula originem ejus repetentibus. At de שׁוּלְטָן Chaldæo-Syrorum, cum Orientalium Sultan conveniente, nemo cum ratione dubitat. Affine huic est [Samaritan] quod de Josepho noster adhibuit Genes. 42: 6. [Samaritan] Joseph autem dominabatur, amicâ nimirum ac civili ratione; non hostili ac tyrannicâ, de qua tamen idem verbum usurpat Salomon Coh. 8. 9. Nehemias c. 5. 15. Esth. 9. 1. Et sic vice verbi רדה Levit. 26. 17. noster [Samaritan] & dominabuntur vobis, *3. pl. M. Fut. Peal*: quæ, ut & secunda persona, in nostro textu obvia, de perfecto dominio in animantia bruta divinitùs concesso Protoplastis, ipsorum naturæ ac conditioni non tantùm congruo (cùm rationem feras prudentissimè tractandi habuerint penitissimè cognitam, singulari divinâ ope adjuti) sed & illustri ejusdem ornamento ac decore: cùm istud Dei præceptum excellentem homini dignitatem conciliârit atque majestate plenam auctoritatem, omnibus simul brutis verendam tremendamque. Cujus vestigia nunc post lapsum supersunt quàm exigua, ac in cœlesti gloria futura prorsus nulla: argumento satis evidenti, dominium istud ad imaginis divinæ, tum perfectissimè restitutæ, rationem genuinam ac propriam formaliter &, ut loquuntur, constitutivè non pertinere, sed eam solùm insequi, atque ut ornamentum eidem hîc adjungi. Aliàs de hac dominii specie verbum [Samaritan] non recurrit: de dominio luminarium, temporum vicissitudini velut imperantium, cæterasque stellas quasi ducentium, virtutum operumque nobilitate superantium adhibetur *Infin. Peal.* Gen. 1: 18. [Samaritan] ut dominentur diei & nocti. Hinc descendit nomen [Samaritan] idem quod מֶמְשָׁלָה dominium, denotans, & in eadem re usurpatum Genes. 1. 16. ubi Samaritanus rationem solis, ad lunam relati, & propter quantitatem, lucem & efficaciam majorem המאור הגדול dicti, accuratè exprimit, inquiens: [Samaritan] & fecit Deus duo luminaria magna, *plenitudinem luminaris magni*, ut dominetur diei, *&* *luminare minus*, ut dominetur nocti, & stellas. Nec in מֶמְשָׁלָה tantùm, sed & מָשָׁל exprimendo, satisfacit radix nostra [Samaritan] adeoque non dominandi tantùm, sed & in parabolis sive proverbialiter loquendi sensum habet. Ita de prædominante ac recepta inter Gentes fabula, insultatione hostili, irrisione ironica & dira execratione nominis Judaici, divinitùs minata olim, nunc impleta, usurpat nomen [Samaritan] Deut. 28. 37. [Samaritan] eris quoque in nomen, in proverbium: alii, primam משל significationem retinentes, convertunt: in dominationem i. e. cui homines dominentur. Sed ita non responderet Ebraicæ veritati, ubi מָשָׁל nunquam dominationem denotat, cujus significata accuratè recenset *D. Glassius Phil. S. L. II. p. 1. tr. 2. p. 338.* Similiter de pervulgato inter Amorrhæos proverbio Ebraicum משל nostrumque [Samaritan] usu venit Num. 21: 27. [Samaritan] ideò dicebant proverbiò loquentes: vicissim alii malunt reddere Dominatores, quæ quidem aliâs vocis Chaldæo-Syriacæ שַׁלִּיטָא propria est significatio. Quam Samaritanus Levit. 25: 43. 46. [Samaritan] non dominaberis ei cum duritie, & aliâs verbo [Samaritan] etiam exprimit. Radix רדה cum Chaldæo-Syris, etiam Samaritanis sigillatim est erudire, castigare, à generali significatione moderandi, gubernandi, dominandi. Ita habetur *Infin. Peal. absol.* Lev. 26: 18. [Samaritan] addam castigare vos, *cum suffixo*, Deut. 4. 36. [Samaritan] audire fecit te vocem suam ad erudiendum te. *Futur.* Levit. 26: 28. [Samaritan] & castigabo. Hinc [Samaritan] erudiens, doctor, [Samaritan] doctrina, Levit. 11. 2. [Samaritan] Levit. 21. 28. incorrigibilis, improbus, diffluens. Inde ad agrum transfertur, singulisque Aramæis idem est quod arare, propriè quidem agrum, metaphoricè verò æquor, mare: prout primùm navigare, indeque generatim proficisci, progredi aut ambulare significat. Hinc aratio, sulcus sive striga, Chaldæis רְדִיָּא Exod. 34: 21. Samaritanis [Samaritan] dicitur. Huc etiam spectat רְדַן Rhedæ, currus ap. Targumistas, & [Arabic] iter. Ebraicum autem verbum רָדָה Divinissimus Scriptor, Moses, hîc adhibuit בענין ממשלה ושלטנות sensu dominandi, non לקיחה accipiendi, quem binis solùm vicibus Judic. 14: 9. atque semel Jer. 5: 31. in S. Literis reperimus. Designat verò istud verbum רדה dominium DEI vel hominum. De *Jehovæ* in homines *dominio* habetur Judic. 5. 13. de majestate Regis *Christi*, ex Jacob oriundi Num. 24: 19. medios inter hostes Ps. 110: 2. ad usque terræ fines Ps. 72. 8. gloriosè dominantis. *Hominibus* quum tribuitur, tam injustum, quàm justè acquisitum atque usurpatum dominium significat. Ita iniquum, quod Pseudoprophetæ in Ecclesiam Israëliticam sibi arrogabant, jus & dominium Jerem. 5: 31. Ezech. 34: 4. κατακυριεύοντες τῶν κλήρων τε καὶ λαῶν. Æquissimum contra atque optimum Episcopi munus 1. Tim. 3. 1. quod ex dignitate rei fideliter gessit juxta Ps. 68: 28. exponente Theodoreto, aliisque, D. Paulus Gentium Doctor, aliique Ecclesiæ Episcopi, προσέχοντες ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, Actor. 20: 28. ἐν κυρίῳ προϊστάμενοι 1. Thess. 5. 12. καὶ πρεσβύτεροι καλῶς προεστῶτες, διπλῆς τιμῆς ἄξιοι 1. Tim. 5: 17. Civilis vitæ rationem si habeamus, Abraham justam vindictam fratris nomine de Regibus sumsit Gen. 14. factus iisdem superior atque legitimus Dominus Jes. 41: 2. Idem juris in Cananæos Israëlitæ Jud. 5: 13. in Subditos Salomon 1. Reg. 4: 24. ejusque Præfecti c. 5: 16. cap. 9: 23. 2. Paral. 8: 10. legitimè usurparunt. Quale dominium in expugnatam urbem divinitùs concessum Deuter. 20: 20. quin & fidelibus aliâs promissum Ps. 49: 15. & Jes. 14: 2. Negatum contra severioris dominii in fratrem exercitium Lev. 25: 43. 46. 53. limites Ægyptiorum dominio positi Ezech. 29: 15. Nebucadnezaris verò dominatio ac tyrannis profligata prorsus atque severissimè punita Jes. 14: 6. Quale durum dominium immorigeris Israëlitis prædictum Levit. 26: 17. in iisdemque impletum, partim Thren. 1: 13. atque Nehem. 9: 28. legimus, partim hodienum experiendo cognoscimus. Præter quæ allegata loca, verbum רדה repetitâ vice in nostro textu Gen. 1: 26. 28. usurpatur de imaginis divinæ consequente axiomate seu separabili adjuncto, dominio nimirum in bruta terramque utili, Protoplastis à DEO benignissimè concesso, ut divina inde potestas ac majestas elucesceret.

§. VII. Diversa huic dominio subjecta, recensentur ordine quadruplici, in mari pisces, sub cœlo aves, cum terra bestiæ variique generis reptilia. Confer 1. Reg. 4: vers. 33. Ezech. 38: vers. 20. Pisces noster [Samaritan] inscribit, communi cum Chaldæo-Syris, ac Arabibus nomine, qui pariter נונא [Arabic] piscem dicunt, non sanè à [Arabic] literâ Nun affecit, nun vocali signavit, quod ad piscem nihil: sed factâ literarum, Ebræis immobilium, permutatione, à נין tribus tantùm vicibus Gen. 21: 23. Job. 18: 19. Jes. 14: 22. in S. Literis obvio בן שפירוש à radice ἅπαξ λεγομένῃ Ps. 72: 17. ינון sobolescet, propagabitur. Elegans omninò piscis denominatio, ejus prolem, magnoperè multiplicari solitam, Psalm. 104: 25. ritè exprimens, innumera piscium agmina & integros velut exercitus repræsentans, & quàm proximè ad Ebræum דָּג accedens. In *absoluto* sing. est [Samaritan] interdum & [Samaritan]. Hinc Deuter. 4: 18. [Samaritan] imaginem cujuslibet piscis, qui est in aquis. *Constructus* plur. Genes. 9. 2. [Samaritan] & in omnes pisces maris, Num. 11: 22. [Samaritan]

[Samaritan] si omnes pisces maris colligantur illis. *Emphaticus* est [Samaritan] vel [Samaritan] ut Exod. 7: 18. 21. [Samaritan] piscesque qui sunt in fluvio, & Num. 11: 5. [Samaritan] recordamur piscium. Vox Ebræa דָּגָה gerit præfixam literam ב ad verbum דוה pertinentem, cum qua frequentissimè reperitur. Regimen hujus vocis cùm ex substantivo statim subjecto, tùm etiam levi consonæ ה atque utriusque puncti vocalis immutatione, facilè colligitur. Id ipsum prius kamez purum & mutabile radicem ostendit דָּגָה multiplicatus, auctus fuit, nequaquam דיג piscatus est, ut vulgò contendunt, cum ` hic esset quieturum. Esse autem id nomen universæ piscium naturæ significativum, nec ullum, maximus sit vel minimus, excludi, usus Scripturæ S. luculenter docet. Ubi frequens mentio piscium maris i. e. marinorum, in quacunque aquarum collectione Gen. 1: 10. degentium, cujuscunque demum quantitatis sint Gen. 9: 2. Num. 11: 22. Job 12: 8. Ps. 8: 9. Ezech. 38: 20. Hos. 4: 3. Hab. 1: 14. Zeph. 1: 3. Quo fundamento neglecto Theodoretus ab isto Protoplastorum dominio excepit התנינים הגדולים cetos sive balænas, quòd non expressa earundem hic mentio fiat. Verùm sub piscibus maris generatim balænæ & Scripturâ & naturâ duce comprehenduntur, & disertè דג nominantur Jon. 2: 1. 11. seqq. Jobi 41: 20. 26. Nec alibi nisi in הַיָּם degunt, etiam strictè sumto vocabulo: quatenus mare reliquis aquarum collectionibus fluvii, lacûs, torrentis, rivi, fontis atque paludis contradistingui solet, atque oceanum proprie dictum notare in singulari potissimùm: quamvis & hic de alio aquarum receptaculo occurrat 1 Reg. 7: 23. 2 Reg. 25: 16. in plurali verò quascunque demum aquarum collectiones majores designet Num. 34: 11. Synecdochice frequenter pro mari magno sive mediterraneo sumitur, & cùm istud Palæstinæ incolis ad occasum sit, designat *Occidentem*, Gen. 12: 8. c. 15: 6. c. 28: 14. Exod. 10: 19. c. 26: 22. Num. 2: 18. Deut. 33: 23. Jos. 16: 3. Ps. 75: 7. Jes. 49: 12. Ezech. 42: 19. c. 48: 17. & binis vicibus *meridiem*, sive terræ Sanctæ australe rubrum & algosum mare Ps. 107: 3. Ps. 114: v. 3. collat: Exod. 14: 16. *Metonymicè* maris accolas notat Es. 60: 5. Ezech. 26: 17. Hag. 2: 7. *Metaphoricè* hostiles impetus, tumultus, calamitates & quæcunque profunditatem denotat, de quo *D. Glass. Phil. S. L. V. tr. 1. c. 20: p. 256.* In plurali vel aliâs crescens vox ים dagesch F. gerit compensativum tertiæ radicalis abjectæ: cùm sit à يم pro يمم prima pass. in mare projectus fuit, ceciditve. Hinc & Chaldæi יַמָּא & noster [Samaritan] ut Exod. 10: 19. [Samaritan] submersitque, eam in mare rubrum. *Plur. absol.* Deut. 33: 19. [Samaritan] quoniam fluctus maris suget, *Emphat.* Gen. 1: 10. [Samaritan] & congregationem aquarum vocavit maria, v. 20. [Samaritan] aquas maris. *Emphaticus* singularis bis in nostro textu habetur. Genes. 14: 3. vocem ים reddidit per [Samaritan] quod Angli convertunt mare, *Hottingerus* vero monumentum salis, in *Cipp. Hebr. pag.* 13. [Samaritan] quæ est mare salsum, ita proxime ad fontes [Samaritan] ad נפש pertinet, literis וסצש inter se permutatis.

§. VIII. Volatile Ebræus עוף Samaritanus [Samaritan] dicit. *Absolutus sing.* habetur Genes. 1: 20. [Samaritan] & volatile volet super terram, *Constructus* c. 2: 19. [Samaritan] & omne volatile cœli. *Emphaticus* Gen. 8: 17. 19. [Samaritan] ex omni carne volatilium. Convenit cum קַמְצָא quod locustam, bruchum denotat Chaldæis Prov. 30: 27. Jes. 40: 22. Nah. 3: 15. atque Syris, ut D. Johannes iis delitiis habuit [Syriac] Matth. 3: 4. Marc. 1: 6. Arabice قمص idem; sed قماص commotio, motus, agitatio, à rad. قمص quassavit, v. g. navem, [Samaritan] contraxit, clausit, Deut. 15: 17. [Samaritan] neque contrahes manum tuam à fratre tuo: alii pugillabis, qua ratione accedit ad Ebr. קָמַץ collegit in pugillum seu manipulum, Chaldaice congregavit, quod ad aves spectat. Alias etiam Rabbinis atque Chaldæis קמץ est clausit, hinc קמיץ clausus Cantic. 8: ult. [Samaritan] lignum denotat Gen. 32: 9. quod per metathesin volunt pro [Samaritan], aut cum קִיסָא lignum significante conferunt. Cœlum, quod alias [Samaritan], hic pariter ab altitudine vocat [Samaritan] à rad. [Samaritan] exaltavit, Ebr. עלה ascendit: à convexitate autem seu concavitate v. 28. [Samaritan] quæ vox paria facit cum חֲלִילָא Chaldæorum, חליל Rabbinorum, à חָלַל perforavit, quasi perforatum cælum dicas, ac oberrantibus inibi stellis facile pervium.

§. IX. Proprietatem vocis בְּהֵמָה Samaritanus retinuit *emphat. plur. fœm.* [Samaritan]. *Absolutus sing.* est Exod. 9: 25. c. 11: 5. c. 12: 29. [Samaritan] usque ad primogenitum omnis bestiæ, *Emphat.* Gen. 6: 7. c. 7: 23. [Samaritan] usque ad pecus. *Absol. plur.* Deut. 32: 24. [Samaritan] dentes quoque bestiarum immittam, *Construct.* Num. 3: 41. [Samaritan] bestias Levitarum pro omni primogenito bestiarum filiorum Israël. *Emph.* aliter Gen. 2: 20. [Samaritan] nominibus suis omnia jumenta. *Cum suffix. sing.* Levit. 19: 19. [Samaritan] *bestiam tuam* non facies coire cum diversis speciebus, Gen. 36: 6. [Samaritan] *bestia ejus*, *plur.* Num. 32: 26. [Samaritan] & omnia *jumenta nostra* erunt hic, Lev. 26: 22. [Samaritan] exterminabitque *animalia vestra*, Gen. 34: 23. [Samaritan] & omnia *jumenta eorum*, nonne nostra erunt? Radix בְּהֵמָה in Æthiopismo superat בהם conjug. 1. mutus fuit. Samaritanus interdum reddit [Samaritan] ut Exod. 13: 12. [Samaritan] & omne aperiens matricem bestiæ: quæ vox eliso ע pulchre convenit cum Ebr. בְּעִיר brutum בער bardus, brutus, Chald. Syr. בְּעִירָא jumentum, Æth. בְּעִי bos, & [Arabic] leo à בער exarsit, obbrutuit, depavit. Cetera faciliora & authentico textui exacte respondentia, proprio cujusque studio relinquimus difficilioribus meliori pertractandi occasioni reservatis. *Et, ut totum vitæ tempus oris obsequia occupent, laudes teneant, gratiarum actiones instituant, ac gloriosissimum Conditorem dignissimè celebrent, vovemus singuli.*

M. GEORG.

M. GEORG. DAV. ZIEGRA

De Arbore Scientiæ boni & mali. Ad Geneſin II: 17.

§. 1.



Uanta primi hominis ante miſerandum deplorandumque nobis omnibus lapſum fuerit felicitas, quanta dignitas, quantaque ſanctitas, ne ſenſu quidem comprehendere ſatis, nedum verbis exprimere poteſt quiſquam. Univerſus enim mundus Templum ipſi, Paradiſus Sacellum quaſi & Sanctum, arbor ſcientiæ boni & mali Sanctum Sanctorum erat. Ipſe antiſtes ſplendidiſſimè non ſecus ac כֹּהֵן גָּדוֹל, Aharon nempe, Exod. 28. & 29. ornatus; אֵפוֹד ſive *ſuperhumerale* imago ipſius DEI: in quo eminebat חֹשֶׁן מִשְׁפָּט *pectorale judicii*, cui inditæ erant הָאוּרִים וְהַתֻּמִּים *Illuminationes & Perfectiones*, plena Sapientia & Cognitio DEI creaturarumque in Intellectu, & perfecta Juſtitia & Sanctitas in Voluntate. מִצְנֶפֶת *Cidaris* cum צִיץ *flore* ſive *laminâ aureâ*, cui inſcriptum קֹדֶשׁ לַיהוָה *Sanctitas Domino*, vel, *Sanctitas ipſi Jehovæ*, gratia illa, qua Deus primum hominem complectebatur, erat. מִכְנְסַיִם *ſubligacula*, ſeu, ut alii reddunt, *feminalia*, moriger appetitus, מְעִיל *pallium* & כְּתֹנֶת *tunica*, reliquæ nimirum vires & potentiæ אַבְנֵט *baltheo* ſtringebantur, id eſt, amice inter ſe & cum ſuperioribus facultatibus conſpirabant, ita ut membra affectui, affectus voluntati, voluntas rationi, & ratio legi divinæ adhæreret.

§. 2. In qua quidem concreata ſibi propagandaque ad poſteros integritate ac felicitate ut perſiſteret homo, & ex ea ad perfecte beatam æternamque vitam aliquando, nulla interveniente morte, transferretur, æternum non modo volebat Numen, ſed & pro ineffabili ea bonitate & illis nullius unquam voce ſatis deprædicandis beneficiis, nihil expetebat aliud, quam ut collata ejus benefacta agnoſceret Adam, gratiaſque pura mente ageret. Quocirca, ut de eſſentia & voluntate Dei, colendique modo conſtaret ipſi, pro jure, quod ex creatione in creaturam habebat, de re quidem præſtitu facili & per ſe indifferente, videlicet, nec bona, nec mala, mandatum injunxit, ac præcepto ſolenni eundem obligavit, ne arboris ſcientiæ boni & mali comederet fructum.

§. 3. Hoc verò *Præceptum*, quod *Religionis* vocat B. Rungius *Prælect. in Geneſ. ad h. l.* Moſes, θεȣ̃ ἄνθρωπος, ὑπὸ πνεύματος ἁγίȣ φερόμενος, (2. *Pet.* 1: 20.) ita *Gen.* 2: 17. deſcribit: וּמֵעֵץ הַדַּעַת טוֹב וָרָע לֹא תֹאכַל מִמֶּנּוּ כִּי בְּיוֹם אֲכָלְךָ מִמֶּנּוּ מוֹת תָּמוּת׃ quod LXXII. Interpp. Græci ita reddunt: Ἀπὸ δὲ τȣ̃ ξύλȣ τȣ̃ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρὸν, ȣ̓ φάγεσθε ἀπ' αὐτȣ̃. ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ (Cyrillus Alexan. legit ἣν ἂν ἡμέραν) φάγητε ἀπ' αὐτȣ̃, θανάτῳ ἀποθανεῖσθε. *De lignô autem cognoſcendi bonum & malum, non edetis de illô. Quâ die autem ederitis ex eô, morte moriemini*; uti & Ant. Carafa Card. in edit. Sixti V. Romana habet: Symmachus verò ſcitè: θνητὸς ἔσῃ, *mortalis eris.* תרגום אונקלוס (Chaldaica Paraphraſis Onkeloſi) exponit: ומאילן דאכלין פירוהי חכמין בין טב לביש לא תיכול מניה ארי ביומא דתיכול מניה מימת תמות׃ quod Paulus Fagius ſic interpretatur: *Verùm de arbore cujus fructus qui edunt, intelligunt quid bonum & malum ſit, non comedas ex eâ, quoniam in die quô comederis ex eâ, moriendo morieris*: ferme ut תרגום יונתן בן עזיאל (Targ. ſive Verſio Chald. Jonathani Ben Uziel adſcripta:) ומאילן דאכלין פירוהי חכמין למידע בין טב לביש לא תיכול מניה ארי ביומא דתיכול תהי חייב קטול׃ i. e. *Sed ex arbore, cujus fructus qui comedunt, ſapientes ſunt ad cognoſcendum inter bonum & malum, non comedes ex eâ: quoniam die quô comederis, eris reus mortis.* Translatio Syriaca: ܘܡܢ ܐܝܠܢܐ ܕܝܕܥܬܐ ܕܛܒܬܐ ܘܕܒܝܫܬܐ ܠܐ ܬܐܟܘܠ ܡܢܗ ܒܝܘܡ ܓܝܪ ܕܬܐܟܘܠ ܡܢܗ ܡܘܬܐ ܬܡܘܬ. *At ex arbore ſcientiæ boni & mali ne comedas: nam quâ die comedes ex eâ, morte morieris.* Arabica Converſio: ومن شجرة معرفة الخير والشر لا تاكل فانك في يوم اكلك منها تستحق ان تموت * *At ex arbore ſcientiæ boni & mali ne comedas: nam in die comeſtionis tuæ ex eâ, mereberis mori.* Textus Ebræo Samaritanus, ࠅࠌࠏࠑ ࠄࠃࠏࠕ ࠈࠅࠁ ࠅࠓࠏ ࠋࠀ ࠕࠀࠊࠋ ࠌࠌࠍࠅ ࠊࠉ ࠁࠉࠅࠌ ࠀࠊࠋࠊ ࠌࠌࠍࠅ ࠌࠅࠕ ࠕࠌࠅࠕ. Verſio Samaritana, ࠅࠌࠍ ࠀࠉࠋࠍ ࠃࠇࠊࠌࠕ ࠈࠁ ࠅࠁࠀࠉࠔ ࠋࠀ ࠕࠉࠊࠋ ࠌࠍࠄ ࠃࠁࠉࠅࠌ ࠌࠉࠊࠋࠊ ࠌࠍࠄ ࠌࠅࠕ ࠕࠌࠅࠕ. *De arbore autem ſcientiæ boni & mali, non comedes ex eâ: quoniam in die quô comederis ex eâ, moriendo morieris.* Verſio Sam. *conſumendo conſumeris.* Verſio Perſica Jacobi Tuſenſis, vulgo Tavvoſi & Tuſii: وتر روختن ان انثو نيكي وبد ده خوري * لرو كه هرروزي خوري تو لنرو موون بميوي *De arbore verò ſcientiæ boni & mali, de iſtâ ne comedes; quô die enim de eâ comederis, morte morieris.* Franciſci Vatabli, Rob. Stephani, Latina Vulgata & antiqua Hieronymi: *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eô: morte morieris.* Santes Pagninus: *Et ex arbore ſcientiæ boni & mali, non comedes ex ea: quia in die, quô comederis* (Arias Montanus corrigit & reddit, *comedere te*) *ex eâ, moriendo morieris.* Sebaſt. Munſterus: *De arbore verò ſcientiæ boni & mali, nequaquam comedes ex illâ: alioquin quacunque die comederis ex eâ, moriendo morieris.* Immanuel Tremellius & Franciſc. Junius: *De fructu verò arboris ſcientiæ boni & mali, de iſtô ne comedas: nam quô die comederis de eô, utique moriturus es.* Sebaſt. Caſtalio: *Si pomarii arbore ſcientiæ boni & mali veſceris, &c.* B. Lutherus: Aber von dem Baum des Erkäntnis Gutes und Böſes ſoltu nicht eſſen / denn welches Tages du davon iſſeſt / wirſtu des Todes ſterben. Concordat Pontificius Translator Dietenbergius, Joh. Piſcator: Welches Tages du von dem Baum der Erkäntnis des guten und böſen eſſen wirſt / wirſtu gewißlich ſterben. (ita ſequentes, ut compendium faciamus verborum, Verſiones adducere lubet.) Belgica vetus: in wat Dage ghy van den Boom der Kenniſſe des Goets ende des Kwaets eet / ſult ghy den Doot ſterven. Belgica nova: ten Dage als ghy van den Boom der Kenniſſe des Goets ende des Quaets eet / ſult ghy den Doot ſterven. Germanica translatio antiqua MSc. an welchem Tag du von dem Holtz der Wiſſenheit des Guten und des Ubelen iſſeſt / du ſterbeſt des Todes. Anglica: *in the day that thou eateſt of the tree of the knowledge of good and evill, thou ſhalt ſurely die.* Gallica Genevenſis: *des le jour que tu mangeras de l'arbre de ſcience de bien & de mal, tu mourras de mort.* Italica Diodati: *al giorno che tu mangerai dell' albero della cognoſcenza de bene, e del male, per certo tu morrai, &c.*

§. 4. Placuit hoc Præceptum graviſſimas æternæ juſtitiæ ſpirans minas in variis repræſentare linguis, quia horribilem ejus efficaciam in gentibus omnium linguarum per tot ſecula miſer ſenſit orbis. Eſſe autem צִוָּה ſive *Præceptum* & quidem negativum, non modo ex voce textum noſtrum præcedentem וַיְצַו patet: nec enim ſimpliciter dicitur: Et præcepit homini: ſed ויצו יהוה אלהים על האדם über den Menſchen / quâ conſtructione verbi צוה cum particula על Interdictum denotare, prohibitionem aut מצוה לא תעשה ſeu præceptum negativum, obſervat R. AbenEſra, (vid. *Gen.* 2: 16. 1. *Reg.* 2: 43. *Jeſ.* 5: 6.) ſed & ex verbô תאכל in futurô poſitô. Notanda enim hîc regula, quam in genere de præceptis negativis poſuit R. Elias Levita *in Libr. Habachur*: Præcepta negativa non venire,

hire, niſi in forma futuri, ut לא תגנוב , לא תנא , לא תרצח, non occides, non mœchaberis, non furaberis. Nec poteris dicere לא גנוב, לא תנא, לא רצח non occide, non mœchare, non furare; quia nunquam venit imperativus poſt unam harum dictionum: אל, לא, פן כי, אם, אשר, א, למען, בנעור, Sunt autem hæc verba præceptiva, ac in numero eorum, quæ non ſolum actum, ſed & jus vel debitum agendi negant, de quibus prolixè B. Glaſſius *in Philol. S. Lib.* 3. *tract.* 3. *can.* 6. *p.* 556. Rem ſic ſe habere, ipſa ſuadet ratio. Finge enim in futuri narrantis ſenſu, vel narrativè hoc præceptum intelligi de ſolo actu, tum lex non erit, non obligabit. Dicet enim Deus, quid non futurum eſſet, non quid fieri non deberet. Imò falſum diceret, non manducabis fructum arboris ſcientiæ boni & mali, quia de factô comedit de arbore vetita. Unde non male hoc παραφράζει R. AbenEſra *Comm. in h. l.* עלפי שהתרתי לך פרי עץ הגן לא תאכל מפרי עץ הדעת טוב ורע וגו'.

§. 5. Continet autem id tum peccatum vetitum, tum pœnam imminentem. Peccatum vetitum eſt comeſtio ex עץ הדעת טוב ורע. Ita vocari lignum ſive arborem iſtam propter mendacia verba & fallacia promiſſa ſerpentis, docent Rupertus Tuitienſis *Lib.* 2. *de Trinit.* & *ejus operibus*, *cap.* 27. Alphonſus de Toſtato, Epiſcopus Abulenſis *in Gen.* 3. *q.* 154. 155. Benedictus Pererius *Comment. in h. l.* Antiquus enim, perſonatuſque ille Serpens & verè נחש עקלתון, qui *cap.* 3:5. Evam, & per hanc Adamum poſtea ſeduxit, ab efficientia vel efficacia aliqua divinitus indita explicuit, quando EAM *ſapientes facere*, *oculos aperire*, & *conferendo ſcientiam Boni & Mali*, *ſimiles DEO reddere poſſe*, perſuaſerat mulieri. Ita enim ad dubiam ejus reſponſionem, vel potius præcepti interpretationem פן תמתון *ne forte moriamini* vſ. 4. ſine mora reſpondet: לא מות תמתון כי יורע אלהים כי ביום אכלכם ממנו ונפקחו עיניכם והייתם כאלהים יודעי טוב ורע: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quacunque die comederitis ex eâ, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* Mulier ergo his à ſerpente perceptis, mente periculi ſecura, & læta effectus à Diabolo allegati, à Deo magis averſa, Diabolo perſuadenti, credula, maximè ubi libidinoſe vidit, quod arbor eſſet טוב למאכל ſive *jucundiſſimis fructibus egregia*, תאוה לעינים *ipſis oculis & aſpectui gratiſſima*, נחמד להשכיל i. e. *ob defectum excellentiſſimæ intellectionis deſiderabiliſſima*, ſeu, uti Arabs, *ſuavis ad eſcam, grata aſpectu, optabilis intellectu*, nil plura morata, fervente intus concupiſcentia, avidè rapuit de fructu arboris ejus & comedit.

§. 6. A pravo horum verborum intellectu non multùm recedit Joſephus, exiſtimans, fructus ejus virtutem ac vim habuiſſe augendi *acumen ingenii*, & *ſolertiam ac prudentiam cogitandi*, *multumque contuliſſe ad percipiendam ſcientiam*; *Mulier* enim inquit Lib. 1. Antiqu. Jud. cap. 2. p. 3. D. *guſtato arboris fructu*, *ciboque hoc delectata*, *etiam Adamo uſum ejus perſuaſit*, *jamque ſe nudos eſſe ſentiebant*, *atque de tegumento ſibi deſpiciebant.* Τὸ γὰρ φυτὸν ὀξύτητος καὶ Διανοίας ὑπήρχεν. *Arbor enim acuminis & intelligentiæ erat.* Vel ut Sig. Gelenius vertit: *arbori enim acuminis & cogitandi vis inerat.* Conſentiunt Rabbini, qui eam ſic denominari, referente Paulo Fagio *in Paraphr. Onkel. Chald. Gen.* 3: 7. dicunt, quod *vim habuiſſet accelerandi uſum rationis*, & *liberi arbitrii.* Nugantur enim *homines primos creatos fuiſſe ſine perfecto rationis uſu infantibus ſimiles*; quæ commenta etiam ſua fecit Socinus, aſſerens, *Adamum ignoraſſe vim arboris vitæ*, *priuſquam ex arbore ſcientiæ boni & mali comederet*, Lib. de ſtatu primi hominis p. 197. & Smalcius, *Adamum*, *quid eſſet*, *nudum eſſe*, *anteà ſcire non potuiſſe*, *adeoque inſtar infantis vel pueri fuiſſe*, Lib. de ver. & nat. DEI Fil. p. 61. Vel ut inter Ebræos *alios* ſentire dicit Johannes Mercerus, Ebraicarum literarum quondam Profeſſor Regius Pariſienſis, Reformatus; *prælectionibus ſuis in Geneſin p.* 50. huic arbori inditam eam *vim fuiſſe*, *ut mentem acueret*, & *excitaret ad bonum ſciendum*, & *ex adverſo malum*, ut etiam ſupra citata explicant Thargumim. (Unde Ophitarum quoque delirium, quod ſerpens homini autor fuerit ſcientiam adipiſcendi.) Rob. Bellarminus *Lib. de grat. primi hom. cap.* 17. tradit, Damaſcenum dicere, *Arborem ſcientiæ boni & mali vocatam*, *quod afferret cognitionem propriæ naturæ*, *adultis & perfectis utilem*, *rudibus autem*, *imperfectis & ad concupiſcentiam pronis inutilem & noxiam*, & *ideò Adamo adhuc imperfecto prohibitam fuiſſe.* Verba ex *Lib.* 2. *de O. F. cap.* 11. ita habent: ξύλον τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρὸν κέκληται, ἢ ὅτι δύναμιν ἐδίδου γνωστικὴν τοῖς μεταλαμβάνουσι τῆς οἰκείας φύσεως, ὅπερ καλὸν μὲν τοῖς τελείοις, κακὸν δὲ τοῖς ἀτελεστέροις ἔτι, καὶ τὸν ἔφεσιν λιχνοτέροις, ὥσπερ στερεὰ τροφὴ τοῖς ἁπαλοῖς ἔτι καὶ δεομένοις γάλακτος: ἢ διὰ ἀπόπειράν τινα καὶ δοκιμὴν καὶ γυμνάσιον τῆς τοῦ ἀνθρώπου ὑπακοῆς. *Quapropter & lignum ſcientiæ boni & mali dicitur*, *aut quia virtutem donabat cognoſcendæ propriæ naturæ*, *quod quidem bonum erat perfectis*, *ſed malum infirmioribus & adhuc ad concupiſcentiam pronioribus*, *quemadmodum ſolidus cibus adhuc debilibus & lacte indigentibus*: *aut propter experientiam quandam*, *probationem & exercitium obedientiæ hominis.* Quæ omnia ſi vera eſſent, ſapientiores omninò & prudentiores poſt lapſum Protoplaſti, quàm ante fuiſſent eundem.

§. 7. Verùm quam male & periculoſe verba iſta intellexerit Eva, etiamnum deplorat ac ſentit miſer orbis. Mentitus erat ὁ πλανώμενος ſerpens antiquus & vere ſophiſta, cum efficaciam illam ab arbore ſcientiæ boni & mali ſperare juſſerat, & ſub grandis boni ſpecie pollicitus erat Protoplaſtis, quod per eſum perventuri eſſent non ad quamcunque boni & mali ſcientiam, ſed omninò tantam, quâ eminerent *ſicut Deus.* Nihil enim ex eſu fructus vetiti eos accepiſſe, ſed potius omnia, quæ habuerant, ſuo & totius humani generis damno, non niſi θεανθρώπου λύτρῳ reparabili, perdidiſſe vox DEI docet, cum miſeratus eos *cap.* 3: 22. diceret: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt.* Nam *hoc machinabatur ſerpentis conſolatio, ut non ſolùm majora non conferret, ſed & acquiſitis nudaret*, & *deſtitutos ab his*, *quæ habebant*, *oſtenderet*, ait Chryſoſtomus *Hom.* 16. *in Geneſ.* Quorſum enim ſapientiſſimus rerum conditor hanc arbori indidiſſet vim, ſi hominibus tantæ virtutis, tantique beneficii fructu veſci ſub horribilis pœnæ incurſu periculoſo fuiſſet prohibitum? Ecquid ad Sapientiæ potentiæque divinæ declarationem attinebat, vim ſcientificam boni & mali fructui arboris alicujus inſerere, cum jam ante animis hoſpitum paradiſiacorum pulcherrima ſapientiæ ſufficientis lux efficienter abundanterque eſſet implantata & radiaret in eis excellentiſſima ſcientia, quæ & bonum quodvis ad perfectionem hominis requiſitum diſcernebat, & ex oppoſitô malum perfectioni adverſarium oſtendebat?

§. 8. Agnoſcunt id quoque Sapientiores Rabbini ipſi, Adamum excellenti præditum fuiſſe notitiâ, ut videre eſt *in Diſputatione cabaliſtica* Rabbini Iſraelis, *de anima*, *cap.* 26. אדם הראשון שהיה כלו שכלי יותל ממדרגת מלאכי עליונים ולא היה בו רעת בחיד מצד יצר הלי ואבי מי הביאו לעבור אה פי יינוש מן הדרך הראוי: i. e. *primus homo excellebat intelligentia ſuper Angelos*, *etiam ſupremi gradus*, *nec quicquam de fomite malo noverat*, *priuſquam præceptum Domini tranſgreſſus fuit*, *à via regia deflectens*: Et in ſchalſchelot: *Non eſt dubium*, *hominem primum*, *qui fuit plaſma manuum DEI benedicti*, *penitus fuiſſe imbutum omnibus ſapientiis naturalibus & divinis.* Nititur ergo Joſephi, cæterorumque ſententia falſa hypotheſi, *quod Adamus & Eva creati fuerint ſine perfecto rationis uſu infantium ſimiles*, ut eleganter obſervat B. Gerhardus *Comment. in Geneſ.* 2: 9. *Diſp. Iſagog.* 22: *cap.* 9: §. 20. & Mercerus *l. c.* inquit: *Conſentaneum non videtur*, *ut cum Arbor ſit materialis & corporea*, *rem incorpoream*, *vim hanc intelligendi præſtet.* Et paulo poſt: *præterea eventus oſtendit aliud homini eſum hujus attuliſſe*, *cum pro ſcientiſſimo etiam omnium reddiderit ignorantiſſimum.*

§. 9. Nec iſti quicquam favet ſententiæ, quod *cap.* 3. *Geneſ. v.* 7. dicitur: ותפקחנה עיני שניהם: וירעו כי עירמם ויתפרו עלה תאנה ויעשו להם חגרת: *Et aperti ſunt oculi amborum. Cumque cognoviſſent*, *ſe eſſe nudos*, *conſuerunt folia ficûs*, & *fecerunt ſibi perizomata.* Hæc enim *oculorum apertio & nuditatis agnitio* non Boni cujuſdam, & quidem majoris, quàm antea habuerint, erat acquiſitio, ceu vafrè ac malitioſè æquivocationum & mendaciorum pater, ſpiritus malignus, perſuaſerat Protoplaſtis, ſed *Boni amiſſi & mali commiſſi animadverſio*, ut rectè præviâ Scripturâ S. quæ *oculorum apertionem* τὴν μετὰ τὴν ἁμαρτίαν αἴσθησιν, *Senſum peccati* appellitat, noſtrates docent Theologi. *Quomodo aperti ſunt oculi Protoplaſtis*, inquit de Eccleſia noſtra Orthodoxa Theologus conſummatiſſimus, Magnus Calovius, Comment. in h. l. *niſi per peccati ſenſum*, & *conſcientiæ ſtimulum? Quid eſt*, *quod ſe jam viderint turpiter nudos*, *quibus antea nuditas nullatenus turpis erat*, (ſed *glorioſa*, ideo non *erubeſcebant* Gen. 2: 25. Targ. Hieroſ. ולא ידעין מה הוא בהתתא *ignorabant*, *quid eſſet erubeſcentia*,) *quàm agnoverint ſe originali juſtitia denudatos? Cur conſuerunt ſibi ſubligacula*, *niſi quia ſentiebant carnem ſtimulis pravæ libidinis agitari*, & *legem membrorum legi mentis reluctari? Et annon illa perſuaſio*, *quod ficus foliis crederent fœditatem illam tegi poſſe*, *indicium eſt deperditæ primævæ ſapientiæ contractæ cæcitatis ſtupendæ?* & B. Rungius l. c. p. 175. *Orbati Juſtitia originali*, & *corrupti mente & corpore vident ſe nudos eſſe*, & *quia corda peccato*

corrupta

corrupta ardent pravis affectibus, agnoſcunt fœditatem & miſeriam ſuam. Conf. & Eundem *p.* 182; ubi multiplicem oculorum apertionem è ſacris deſcribit literis.

§. 10. Docet id ipſum quoque Pater Patrum, Auguſtiſſimus Auguſtinus Tom. III. Edit. Plant. Lib. XI. de Geneſi ad literam, cap. 31. p. 271. *Aperti ſunt oculi amborum. Quomodo inquit, niſi ad invicem concupiſcendum ad peccati pœnam carnis ipſius morte conceptam, ut jam eſſet corpus mortis, in quo Lex membris repugnaret legi mentis. Neque enim clauſis oculis facti erant, & in Paradiſo deliciarum cœci palpantesque oberrabant, ut vetitum lignum etiam neſcientes attingerent, palpantesque fructus prohibitos ignorando decerperent. Sed Scriptura uſa videtur verbo translato, ut apertos diceret oculos, qui & antea patebant. Apertos utique ad aliquid intuendum & cogitandum, quod antea nunquam adverterant. Sicut Evangeliſta* Luc. 24. v. 31. *dicit: Aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum, quem per viam non cognoverant, non utique clauſis oculis ambulantes, ſed eum cognoſcere non valentibus. Mox ut ergo præceptum transgreſſi ſunt, intrinſecus gratia deſerente, omnino nudati in ſua membra oculos injecerunt, eaque motu, quem non noverant, concupiverunt. Ad hoc ergo aperti ſunt oculi, ad quod antea non patebant, quamvis ad alia paterent.* Et Chryſoſtomus Tom. I. Homil. XV. in Gen. p. 93. *Neque enim eſus ex eo ligno oculos illorum aperuit. Nam & ante eſum videbant. Sed quia guſtus ille inobedientiæ erat argumentum, & prævaricatio mandati à Deo traditi: ob quam cauſam poſtea ablata eſt gloria, quæ illos circundabat, quia ſe indignos tali honore fecerant: propterea Scriptura morem ſuum obſervans, inquit: Comederunt, & aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt, quod nudi eſſent. Nudati propter peccatum, ſuperna gratiæ amictu, & ſenſibilis ſuæ, ſpoliationis ſenſum acceperunt, ut per erubeſcentiam, quæ invadebat ipſos, certo ſcirent, in quantam ruinam ipſos adduxiſſet mandati Dominici prævaricatio. Antea fruebantur tanta fiducia, & neque ſibi conſcii erant, ſe nudos eſſe, nec nudi erant, quandoquidem ſuperna ipſos gloria quovis veſtimento honeſtior tegebat; poſt prævaricationem vero in tantam humilitatem redacti ſunt, ut ob intolerabilem tunc erubeſcentiam veſtem quærerent. Nam mandati prævaricatio, ut ſupervenit, veſtem illam novam & admirabilem, gloriæ, inquam, & ſupernæ benevolentiæ detraxit, & tam confuſione ineffabili eos circumdedit, quam nuditatis ſenſum præbuit.* Nec non Theodoretus, Epiſcopus Cyrenſis, Quæſt. 33. in Geneſ. p. 10. *Quod etiam ante eſum non habebant oculos clauſos, ſatis conſtat, iis, qui volent attendere. Quomodo enim mulier lignum vidiſſet, & cibo pulchrum, & oculis gratum atque formoſum (id enim licet intelligere) ſi non habuiſſent oculos apertos? Vocavit igitur divina ſcriptura ſic ſenſum illum peccati: Mox enim poſt admiſſum peccatum ſtimulatur conſcientia.*

§. 11. Alii igitur opinantur, arborem iſtam ſcientiæ boni & mali dictam fuiſſe per πρόληψιν, h. e. ut Cicero transtulit, *Anticipationem*, ab *eventu* aut *experientia*, quoniam homini acciderit, ut ex comeſtione fructus arboris vetitæ experiendo cognoſceret diſcrimen inter bonum, quo ante peccatum fruebatur, & malum, in quod peccando incideret. Ita Bellarminus, rejecta ſententia Joſephi & Damaſceni, *l. c.* ait: *lignum ſcientiæ boni & mali ſic appellatum, quod guſtatum, ob inobedientiæ culpam multa mala adferret, ac per hoc homines* experiendo *diſcerent diſcrimen boni & mali, quod antea ſola contemplatione didicerant*: citatque hanc in rem Theodoretum, Auguſtinum, aliosque, quorum ILLE *Quæſt. 26. in Geneſ.* ita diſſerit: *Quomodo fieri poterat, ut ii, qui colloquio divino dignati, & ad imaginem divinam creati erant: notitiam boni & mali non haberent: & quomodo Deus abyſſus juſtitiæ, dediſſe legem, illis, qui à natura notitiam non haberent nec intelligerent, bonum eſſe, ſervare præceptum: pernicioſum transgredi? Habebant igitur ſine dubio notitiam: ſed experimentum poſtea ceperunt*: addit idem exemplum *parvulorum, ſi nudentur, non erubeſcentium.* HIC *Tom. III. Lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 14. p. 248.* ſcribit: *Nec fieri poteſt, ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere ſuper hominem cadat, ſi eam voluntati ſuperioris præponat. Hoc expertus eſt homo contemnens præceptum DEI, & hoc* experimento *didicit, quid intereſt inter bonum & malum: Bonum obedientiæ. Malum autem inobedientiæ, id eſt ſuperbiæ & contumaciæ, perverſæ imitationis DEI & noxiæ libertatis. Hoc autem in quo ligno accidere potuit, ex ipſa re, ut jam ſupra dictum eſt, nomen accepit. Malum enim niſi experimento ſentiremus, quia nullum eſſet, ſi non feciſſemus. Neque enim ulla Natura mali eſt, ſed amiſſio boni hoc nomen accepit.* Et Tom. V. Lib. 14. de Civ. DEI cap. 17. p. 166 *Aperti ſunt oculi amborum, non ad videndum, nam & antea videbant; ſed ad diſcernendum inter bonum quod amiſerant, & malum in quod ceciderant: Unde & ipſum lignum, eo quod iſtam faceret dignoſcentiam, ſi ad veſcendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum ſcientiæ boni & mali.* Experta *enim morbi moleſtia, evidentior fit etiam jucunditas ſanitatis. Cognoverunt ergo, quia nudi erant: nudati ſcilicet ea gratia, qua fiebat, ut nuditas corporis, nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet. Hoc itaque cognoverunt, quod felicius ignorarent, ſi DEO credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent.* Item *Tom. VIII. in Pſ. LXX. p.* 314. quem locum & Aloyſius Novarinus allegat, in Moſe expenſo p. 62. n. 158. *Arbor illa appellata eſt ſcientia dignoſcendi boni & mali, non quia inde talia quaſi poma pendebant, ſed quicquid eſſet arbor illa, cujuslibet fructus eſſet: ideò ſic vocata eſt, quia homo, qui nollet bonum à malo diſcernere per præceptum, diſcreturus erat per* experimentum, *ut tangendo vetitum, inveniret ſupplicium.* Ut ita τὸ *Scire* & *Scientia* καταχρηστικῶς pro *experimento*, & *Senſu boni & mali ſumantur*, ſicut rurſus Mercerus *loc. cit.* obſervavit. Atque iſtam Auguſtini opinionem B. Lutherus quoque laudat Comment. in Geneſin f. 27. a. *Auguſtinus*, ſcribit, *& qui eum ſecuti ſunt, recte dicunt, ſic eſſe nominatam à futuro eventu*, & f. 28. a. *Habet autem nomen ſcientiæ boni & mali, ſicut Auguſtinus dicit, quia poſtquam in ea peccavit Adam, non ſolum vidit & expertus eſt, quid boni amiſerit, ſed etiam in quantam miſeriam per inobedientiam ſuam conjectus ſit.* Hunc etiam ſequuntur Oſiandri & Chytræus *in Geneſin.* Nec abludit Mercerus: *Ego*, ait l. c. *ab eventu per prolepſin putarim hanc arborem dictam, non ab effectis, ut præcedentem* (arborem vitæ) *quod hujus arboris guſtatu jam inceperit cognoſcere, quanta bona amiſiſſet, quanta felicitate excidiſſet, & in qua ſe & totam ſuam poſteritatem mala conjeciſſet, culpa ſua.*

§. 12. At DEus nunquam hunc definivit eventum, igitur nec per prolepſin ex parte hominis ab eo, ſive ſubſequenti triſti experientia, in quam homo ceciderat, id nominis conſequi potuit. Verum etiam ſic fuiſſet promiſſum ſerpentis de ſcientia experimentum & ex eadem ratione dici potuiſſet arbor apertionis oculorum. Sed, uti arborem vitæ, ita etiam hanc ſuo appellavit nomine ipſe Deus, priusquam homo à ſerpente ſeduceretur; & nomen illud habuiſſet, etiamſi ſeductus non eſſet: idque ideo, ut objectum eſſet Legis divinæ, & quaſi ara Dei, templum, & Schola Theologica, in qua contemplari, diſcere, & experiri poſſet, quid bonum eſſet, quid malum? Bonum in obedientia Dei & concreata integritate perſiſtere: Malum delabi ad inobedientiam & priſtinam integritatem amittere, ut loquitur B. Gerhardus *ll. cc.* Nam ſi Adam ab arbore vetita abſtinuiſſet, tum hoc externo publicoque velut ſymbolo, timorem, amorem, honorem atque obedientiam erga Deum declaraſſet: tota quoque ejus poſteritas ad hanc arborem, tanquam ad Eccleſiam, aut aram ac templum Domini, conveniſſet, ut Deo creatori ſuo cultum præſtitiſſet debitum & pro omnibus beneficiis in creatione & conſervatione toti generi humano conceſſis, gratias egiſſet.

§. 13. Et hanc veram eſſe cauſam, cur ſic appellata & interdicta Protoplaſtis ſit arbor ſcientiæ boni & mali, præclare teſtatur B. Lutherus, in aureo ſuo ſuper *Geneſeos* librum *Commentario*, *f.* 27. Poſtquam enim ſententiæ Auguſtinæ feciſſet mentionem, ait: *Conditur nova arbor, ad diſcrimen boni & mali, ut haberet Adam certum ſignum cultus & reverentiæ erga Deum. Nam cum omnia ei tradita eſſent, ut iis pro arbitrio frueretur, ſeu ad neceſſitatem, ſeu voluptatem vellet, requirit tandem Deus ab Adamo, ut in hac arbore ſcientiæ boni & mali, reverentiam & obedientiam præſtaret erga Deum, & hoc quaſi exercitium cultus Dei retineret, ne ex ea quicquam guſtaret.* Et fol. 30. *Inſtituitur igitur hic*, inquit, *Eccleſia, antequam Oeconomia eſſet, nam Dominus concionatur hic Adæ, & proponit ei verbum. Hæc enim concio, Adæ & omnibus nobis, ſi in innocentia perſtitiſſet, fuiſſet tanquam Biblia, nec opus habuiſſemus papyro, atramento, calamis, & illa infinita multitudine librorum, qua hodie indigemus, nec tamen milleſimam partem ejus ſapientiæ conſequimur, quam Adam habuit in Paradiſo. Totum ſtudium ſapientiæ hæc brevis concio abſolviſſet, ac oſtendiſſet nobis, tanquam in tabula pictam bonitatem Dei, qui ſine illis incommodis naturam hanc creaſſet, quæ poſtea per peccatum ſunt conſecuta.* Et paulo poſt: *Hæc igitur arbor ſcientiæ boni & mali fuiſſet Eccleſia, ad quam*

quam Adam cum posteritate sua, die Sabbato convenisset, & post refectionem ex arbore vitæ, prædicasset Deum, & laudasset eum pro tradito dominio omnium creaturarum super terram. Prædicasset Adam summum beneficium, quod esset cum posteritate sua conditus ad similitudinem DEI. Hortatus esset, ut sancte & sine peccato viverent posteri, ut operarentur fideliter in horto, ac custodirent eum diligenter, ut summo studio caverent sibi ab arbore scientiæ boni & mali. Hunc externum locum, ritum, verbum, cultum habuisset homo, postea rediisset ad operationem & custodiam, donec præfinitum tempus impletum esset, quo esset translatus in cœlum cum summa suavitate. Sed loquimur de his bonis, concludit tandem, *tanquam de thesauro perdito, & merito suspiramus ad eum diem, in quo restituentur omnia. Utile autem est, ut hoc quoque consideremus. Deum Adæ Verbum, cultum & religionem dedisse nudissimam, purissimam & simplicissimam, in qua nihil laboriosum, nihil sumptuosum fuit. Non enim præcepit mactationem taurorum, non fumum thuris, non vota, non jejunia, non alias afflictiones corporis. Hoc tantum vult, ut laudet Deum, ut gratias ei agat, ut lætetur in Domino & ei in hoc obediat, ne ex vetita arbore comedat.* Sic quoque Chytræus l. c. *Si Adam non fuisset lapsus, hæc arbor fuisset Templum, in quo coluisset Adam Deum, & suam obedientiam erga Deum, externo opere declarasset.* Conf. & Chrysost. *in Genes. cap. II. Hom. XV.*

§. 14. A Fine igitur seu Usu divinitus constituto, uti Arbor vitæ, ita etiam scientiæ boni & mali Arborem suum accepisse nomen, certum est. Unde & Johannes Calvinus recte *in h. l.* scribit: utrique arbori Epitheta seu nomina imposita fuisse ab *effectu*: neque *id hominum*, sed *Dei* placito. Quod si tamen quis cum B. Gesnero *Comm. in cap. II. Gen. quæst. XIII.* dicere velit: ante lapsum hanc arborem ita dictam fuisse à θείω ὅρω, à scopo & usu arboris divinitus constituto; Post lapsum autem hoc nomen retinuisse ab eventu; & hoc pacto verba Augustini, itemque B. Lutheri de Augustini sententia interpretari & conciliari voluerit: non adversabimur ei; id tantum observet, eventualem illam denominationem esse accidentalem, ac contingentem, hanc verò primariam, principalem, & primitus à Deo intentam. Favere enim nostræ quoque sententiæ Augustinum, & forsan magis, hæc docent verba ex cap. 15. loc. cit. de Gen. ad lit. *Frustra autem nonnulli acute obtusi sunt, cum requirunt, quomodo potuerit appellari lignum dignoscentiæ boni & mali, antequam in eo transgressus esset homo præceptum, atque ipsa experientia dignosceret, quid interesset inter bonum, quod amisit, & malum, quod admisit. Lignum enim tale nomen accepit, ut eo secundum prohibitionem non tacto caveretur, quod eo contra prohibitionem tacto sentiretur. Neque enim, quia inde contra præceptum manducaverunt ideo factum est illud lignum dignoscentiæ boni & mali, sed utique etiamsi obedientes essent, & nihil inde contra præceptum usurpassent id recte vocaretur, quod ibi iis accideret, si usurparent. Quemadmodum, si vocaretur arbor saturitatis, quod inde homines possent saturari, nunquid si nemo accessisset, ideo nomen illud esset incongruum, quandoquidem cum accederent & saturarentur, tunc probarent, quam hoc recte arbor illa vocaretur.* Quod ipsum & placet Jacobo Bonfrerio, Linguæ sanctæ in Academia Duacena olim Professori, idque tribuit Augustino. *Vocata est*, inquit in Pentateucho illustrato cap 2. p. 118. *hæc arbor Scientiæ boni & mali, vel ab eventu, ut plerique, qui nolunt hoc nomen illi ab initio inditum, statuunt: vel quod magis placet, à virtute ipsius arboris non physica, sed morali, quod scilicet futurum erat, ut ad ejus gustationem hæc pœna hominem sequeretur, qua ipse experimento disceret, quid inter bonum quo spoliaretur, & malum quod incurrisset, interesset: qua ratione optime defendi potest, etiam hanc arborem sic vocatam ante peccatum. Et hanc posteriorem rationem D. Augustinus Lib. 8. de Genesi ad lit. cap. 15. sequitur.*

§. 15. Quomodo vero in hoc *Religionis Præcepto* totus Decalogus sit comprehensus, pulchre docet Tertullianus Lib. advers. Jud. cap. 2. p. 92. *In principio*, inquit, *Mundi ipsi Adæ & Evæ Deus Legem dedit, ne de fructu Arboris plantatæ in medio Paradisi ederent, quod, si contra fecissent, morte morerentur. Quæ Lex eis sufficeret, si esset custodita. In hac enim Lege Adæ data, omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per Mosen, id est, Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & ex tota anima tua; & diliges proximum tibi, tanquam te, Et, Non occides: Non mœchaberis: Non fraudaberis: falsum testimonium non dices: Honora Patrem tuum & matrem: Et alienum non concupisces. Primordialis lex est enim data Adæ & Evæ in Paradiso, quasi matrix omnium præceptorum Dei. Denique si Dominum Deum suum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent: si proximum diligerent, id est, semetipsos, persuasioni serpentis non credidissent, atque ita in semetipso homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra Dei præceptum: à furto quoque abstinuissent, & de fructu arboris clam non degustassent, nec à conspectu Domini Dei nostri sub arbore delitescere gestiissent. Nec falsum asseveranti diabolo participes efficerentur, credendo ei, quod similes Deo essent futuri. Atque ita nec Deum offendissent, ut Patrem, qui eos de limo terræ, quasi ex utero matris, figuraverat. Si alienum non concupissent, de fructu illicito non gustassent. Igitur hac generali & primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observare Deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita germinaverunt.* Angustia pagellarum non permittit, pluribus hic demonstrare, quam grave peccatum fuerit, comedere de hac arbore, egerunt de eo jam Magnif. Dn. D. Præses, Patronus atque Præceptor meus omni observantiæ cultu æternum devenerandus, *in Disp. de Adami Pœnitentia*, B. Gesnerus *in cap. III. Genes. quæst.* 10. & B. Gerhardus *Disp. Isag. XXIII. cap.* 4. &c. Conferri etiam hic possunt notatu dignissima ea, quæ Hic *Tom.* 3. *Loc. Th de Lege Dei* §. 16. 24. solide & erudite adducit de *decem præceptorum vestigiis*, adeoque de praxi Legis Moralis ante Mosen *in Genesi* fundata.

§. 16. Qualis verò vel cujus speciei hæc arbor fuerit, quærunt hic nonnulli. Mahometani *in Alkorano suo* tradunt, fructum illum, in quo prævaricati sunt Protoplasti, non arboris cujusdam, sed *triticum* fuisse *septem spicarum*, quarum *unam* rapuerit Adam, *granorum quinque*, de quibus *duo* comederit ipse, *duo* dederit Evæ, *quintum* vero secum detulerit. Quod delirium recitasse est refutasse. Fuisse enim hoc lignum scientiæ boni & mali ex genere arborum, certum est. Nam *prorsus*, erudite ait Augustinus de Gen. ad lit. Lib. 8. cap. 6. *erat visibile ac corporale sicut arbores cæteræ. Quod ergo lignum esset non est dubitandum: Sed cur hoc nomen acceperit, requirendum. Mihi autem etiam atque etiam consideranti, dici non potest, quantum placeat illa sententia, non fuisse illam arborem cibo noxiam, neque enim qui fecerat omnia bona valde in Paradiso instituerat aliquid mali: sed malum fuisse homini transgressionem præcepti. Arbor itaque illa non erat mala.* Produxit enim יהוה אלהים omnium rerum Creator, *de humo* כל עץ נחמד למראה וטוב למאכל ועץ החיים בתוך הגן ועץ הדעת טוב ורע: *omne lignum, pulchrum visu & ad vescendum suave. Lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali*, cap. II. v. 9. (Conf. cap. 1: v. 11. וירא אלהים את כל אשר עשה והנה טוב מאד *Et vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, cap. 1: 31.

§. 17. Theodoretus, *Quæst.* 28. *in Gen. p.* 9. statuit fuisse *Ficum*, (quod & R. Moses Bar Cepha, Procopius, Isidorus Pelusiota, Gennadius, Hugo de S. Victore, docente Magnif. Dn. D. Calovio & B. Gerhardo, *Comm. in h. l.* volunt,) eundem videlicet, ex qua carptim Adam & Eva demsissent folia, cum non probabile admodum sit, ad aliam eos ad consuenda sibi Perizomata accessisse arborem, sed illico ubi comederunt, & se nudos conspexerunt, pudore suffusos, cooperuisse corpus, ex cap. 3: 7. *Consuerunt folia Ficus, & fecerunt sibi Perizomata.* Sed nullius hanc rationem esse ponderis, præclare docet B. Chemnitius *in Disp. de Arbore scient. b. & m.* §. 11. Nam si ex arbore scientiæ boni & mali Perizomata sibi fecissent Protoplasti, certe fuissent veriti, ne per hæc ipsa folia transgressio ipsorum quasi proderetur & manifestaretur. Cogitassent enim DOMINUM statim agniturum esse ista folia, & ex decerptis foliis eos de sua transgressione condemnaturum. Unde timor etiam adegit eos, ut ad auditam DOMINI vocem trepidarent, & inter arbusta se absconderent, *cap.* 3. 8. Neque etiam post esum de arbore vetita diu circa eam hæsit Eva, sed mox, ut credibile est, ad absentem maritum properavit, factum exponens, & ut ipse ederet, ei persuadens: *Tulit enim de fructu illius & comedit, deditque viro suo, qui comedit*, dicit Moses *cap.* 3. *v.* 6. *Genes.* Et ipse Adam *vers.* 12. respondebat DOMINO: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Quoniam igitur Adam absens fuerat, nec ipsemet de arbore vetita tulerat fructum, quod utique factum fuisset, si prope eam stetisset; sed mulier ei dederat, & comedebat: Ideo de alia potius, quam vetita arbore decerpserunt folia. Imo eos ipsos etiam postmodum ex metu abstinuisse ab ista arbore, nullum est dubium. Nam cum tam grave ex ea sensissent damnum, probabile est, ingentem illius arboris horrorem & odium eos cepisse.

Pulchrè id etiam ostendit Tostatus Tom. I. Oper in Genes. capitulo 13. q. 164. p. 96. *Unde de quacunque specie*, inquit, *arborum incerti sumus, an lignum scientiæ boni & mali esset in illa specie, nisi de arbore ficulneæ: quia certum est, quod non fuit ficulnea. Nam postquam viderunt se nudos, post peccatum consuerunt folia ficus & fecerunt sibi Perizomata. Sed certum est, quod non auderent jam post peccatum tangere illam arborem, ne majus malum inde eis accideret. Ergo cum acceperunt folia ficus, certum est, quod arbor ficus non erat lignum scientiæ boni & mali. Sic de aliis speciebus omnibus sumus incerti, quia in qualibet earum poterat esse istud lignum.* Itemque Bonfrerius, qui, citata prius Theodoreti sententia, ita l. c. concludit: *Sed hæc ratio exigui momenti est: quid enim si arbor illa exigua folia habebat, & minime ad contegendum apta, annon aliunde petendum fuit? quid si ficus illi arbori vicina erat? quid si Adamus non ad arborem ipsam pomum comedit, sed alibi accepto ab Eva pomo, ut Scripturæ verba sonant? quid si non statim erubuerunt, sed post aliquod tempus tantum, experti rebellionem carnis?* Hæc igitur & alia sequelam, si non enervant, saltem insigniter labefactant.

§. 18. Alii arborem istam *Malum* fuisse contendunt propter effatum Salomonis *Cantic.* 8: 5. תחת התפוח עוררתיך שמה חבלתך אמך שמה חבלה ילדתך: *Sub arbore malo suscitavi te: ibi enixa est mater tua, ibi peperit genetrix tua.* Quam sententiam ipse amplectitur Augustinus, ita *de Genes. ad lit. L.* 11. *c.* 31: *p.* 271. ajens: *Tale quippe pomum, credendum est fuisse in illa arbore, cujus generis poma jam in aliis arboribus innoxia senserat:* quo cum sentire videtur B. Lutherus *l. c. f.* 27. *b.* quando scribit: *Rationi valde videtur ridiculum, quomodo unum pomum sic potuerit esse noxium, ut totum genus humanum per infinitam quasi successionem perdiderit, idque æterna morte. Sed pomi hæc non fuit virtus: Adam quidem in pomum figit dentes, revera tamen figit dentes in auculeum, qui erat prohibitio DEI, & inobedientia erga Deum* &c. Conf. *fol.* 46. *a. b. f.* 47. *a. f.* 84. *b. &c.* Quidam *Vitem* fuisse malunt, quia Salvator noster ex Vitis fructu Sacrosanctam instituerit Eucharistiam, *Matth.* 26: 27. 29. Sed meræ hæc sunt conjecturæ: Moses enim vocat arborem, non vitem, nec firmum ex Cantico Salomonis, quum cuncta in eo fere sint parabolica, peti potest argumentum. Dicimus potius cum R. Abarbenele *Comm. in Legem f.* 26. עץ הדעת לא גלה הק״בה אות אילן לאדם ולא אתיר לותו זה אמת: *Arborem scientiæ non revelavit Deus ulli homini, neque etiam unquam revelabit; id quod est verissimum*: & B. Augustino Lib. 8. de Gen. ad terram cap. 5. *Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis.* Tacente enim Scriptura, quis loquetur?

§. 19. Ex quibus hactenus dictis satis, ut opinor, præcepti hujus videre est qualitas, & quam facile fuisset primis nostris parentibus ipsi, utpote haud gravi, obedire, summaque cum voluptate DEO inservire, & quam nullatenus in DEO quærenda sit Lapsus causa. Facillimum enim fuisset in tanta integritate Naturæ & magna ciborum copia ab unica arbore, reliquis omnibus & fortassis etiam ejusdem speciei, etsi in aliis individuis, concessis, in honorem DEI abstinere, veluti Rupertus monstrat *Lib.* 2. *in Gen. cap.* 30. & Augustinus *Lib.* 8. *de Gen. ad lit. c.* 13. Quia vero Legis proprium est obligare vel ad obedientiam, vel ad pœnam, ideo Legi suæ DEUS addidit comminationem, quando ait: *Quocunque die comederis ex arbore scientiæ boni & mali* מות תָּמוּת *morte*, seu, *moriendo morieris*; sive enim vocem מות nominaliter, sive gerundive exprimas, parum interest: nec erroris accusandi Græci sunt codices, quod plurali utantur moriendi vocabulo; dubium namque nullum, quin Eva interfuerit dato huic præcepto & pœnali interdicto. Nugæ autem, quod omnes animæ humanæ illico à primordio mundi ante corpora creatæ, huicque interfuerint mandato, ceu Judæi fabulantur. Sic enim Menasse ben Israel Lib. de Creat. p. 61. *Communis opinio est omnium Hebræorum, animas humanas præcessisse corpora.* Hinc ad Deut. 20: 14. *Neque vobiscum solis ego pango fœdus meum &c.* sic commentantur Rabbini כל הנשמות שהיו מן אדם הראשון ושהיו עד סוף העולם כלם נבראו בששת ימי בראשית וכלן בגן ארן וכלן במתן תורה שני כי את אשר ישנו פה עמנו עמד היום ואת אשר איננו פה עמנו היום: i. e. *Omnes animæ, quæ fuerunt ab Adamo, & quæ futuræ sunt usque ad consummationem mundi, omnes illæ fuerunt creatæ 6. diebus creationis, omnesque in horto Edenis fuerunt, & dono legis interfuerunt: sic enim dicitur*; cum eo qui astat nobiscum hodie, & cum eo qui non est nobiscum hodie. Idem quoque cum Menasse docet R. Abarbenel ad locum *Jerem. I. v.* 5. & docetur in Medrasch Tillim & Jalkut ad *Psal.* 139. nec non in Massech. Chagiga *cap.* 2. de eod. loco.

§. 20. Nonnulli Ebræorum, quos refert Paulus Fagius in suo פירוש, dicunt *hac reduplicatione* מות תמות *duplicem mortem, animæ & corporis, indicari*, sed ipse *argutias* esse opinatur, quum על דרך פשט *juxta simplicem sensum, linguam sanctam, hac proprietate loquendi*, significetur *certitudo, vehementia & acceleratio*, ut sensus sit: *omnino & certissime*, quin & *omni ratione horribili morieris*; perinde ut 1 *Reg.* 2: 37. יָדֹעַ תֵּדַע כִּי מוֹת תָּמוּת *indubie scias, te certo certius moriturum* & *Gen.* 37. 33. טָרֹף טֹרַף *discerpendo discerptus est Joseph*, h. e. crudeliter, vel omnino; certoque discerptus est. Vide etiam loca *Exod.* 19: 12. 13. *Num.* 11: 32. *c.* 26: 65. 1 *Sam.* 22: 16. 2 *Sam.* 12: 14. *c.* 14: 14. *&c.* & Conf. Varenium *l. c. p.* 165. Glassium *l. c. can.* 37. *p.* 350. Flacium *in Clave. Script. col.* 673. *&c.* Statuunt enim Ebræi, Adamum utraque *morte*, tam *spirituali*, quam *corporali*, à DEO punitum esse: אילו הבשר חוטא בלא רוח מרוע הנפש נענשת וכי זה חוטא וזה נאנש אלא כך הדבר שניהם חוטאים כאחר: *si*, ajunt, *caro peccat absque anima, cur anima punitur? num aliud est quod peccat, aliud quod punitur? quin potius sic se res habet, quod ambo una peccent.*

§. 21. Grotius *in h. l.* verba *morte morieris* interpretatur: *vires tuæ sustentatæ ante per arborem vitæ deficient: quæ via est ad mortem.* Sed glossa hæc si locum haberet, nil nisi *privationem arboris vitæ* Deus minaretur, quam ad virium sustentationem concedere nollet amplius, ut *natura* & sponte sequutura sit non tantum virium deficientia, sed ipsa etiam mors. Hausta hæc è *Pelagianorum* lacunis est expositio, qui, ut de iis Augustinus *Tom. VI. de Hæresibus, hær.* 88. *lit. D.* ait, *Ipsum quoque Adam dicunt, etiamsi non peccasset, fuisse corpore moriturum; neque mortuum merito culpæ, sed conditione naturæ*: Et *Tom. II. Epist.* 106. *p.* 185. *lit.* B. inquit: *Objectum est enim eum* nempe Pelagium, *dicere; quia Adam sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* Quos sequuntur *Sociniani*, ut videre est in Catechismo Racoviensi *p.* 21. quin addunt, *ne quidem sciri voluisse ab Adamo immortalitatis viam*, p. 26. præeunte INFAUSTO Magistro, cujus *in Lib. de statu primi hom. p.* 11. hæc est sententia: *Adamus, antequam peccaret, quod ad ipsius naturam attinet, erat mortalis, ut post peccatum. Sed post peccatum non modo natura martalis, sed etiam morti penitus obnoxius fuit.* Conf. *p.* 57. & *libellus ejus suasorius p.* 55. *Miscell. p.* 85. Ostorodus similiter *Instit. Germ. c.* 33. negat demonstrari posse *primum hominem conditum fuisse immortalem*, itemque Schmalzius *Disp.* 7. *cont. D.* Franzium & Joh. Crellius cont. Hug. Grotium. Quo errore & seductus Augustinus Eugubinus fuit, ut *in Annot. Genes.* 2. scriberet; *Ex Adami lapsu genus humanum non corporis, sed animæ mortem incurrisse, & fuisse homines morituros, etiam antequam peccassent.* Consentit Stephanus Curcellæus *Lib. de jure Dei cap.* 11. *p.* 130. Garassus Joh. Mercerus, aliique Pontif. & Anabaptistæ nonnonnulli, Arminiani, Novatoresque Calixtin. quorum singula verba adducere, jam non vacat.

§. 22. Hi omnes docent, Mortem esse consequens naturale, non minus in hominum, quàm in brutorum naturâ, propter quam causam etiam Adamum ante peccatum fuisse mortalem. Unde sequitur, quod homines in ipso integritatis statu morti subjecti & tandem actu ipso mortui fuissent, nisi per singularem & extraordinariam DEI gratiam à morte fuissent liberati. Quæ gratia quum per peccatum sit præcisa, hinc in Scripturis dici, mortem esse peccati pœnam, vel per peccatum intrasse in Mundum. Observandum vero & hoc apprime est, Socinum cum sociennis *per moriendi necessitatem* non intelligere necessitatem naturalem dissolutionis Animæ & Corporis, quam ille *mortalitatem* appellat, atque ita apud eum nihil interest inter mortalitatem & ipsam mortem naturalem, sed per moriendi necessitatem intelligit *mortem æternam*, quam Solam esse proprie peccati pœnam contendit, id est, talem Animæ & Corporis separationem, quæ sit perpetua. Ab hac sententia non excludendi sunt *Semipelagiani*, seu *Scholastici & Pontificii*, illi scriptitare non verentur, immortalitatem in homine primo ante lapsum donum fuisse supernaturale, non proprietatem naturalem, adeoque eum per & juxta naturam statuunt etiam mortalem. Videatur non solum Pererius *l.* 5. *in Gen. Disp. de tertia excell. hom.* & Torniellus *in Annal. fol.* 32. sed & Bellarminus *l. c. cap.* 9. Et hoc ideo, ut tueantur eo commodius illud suum πρῶτον ψεῦδος, *Naturalia post lapsum mansisse integra.*

§. 22. Vera & orthodoxa noſtra eſt ſententia: Ante peccatum hominem morti non ſubjectum fuiſſe per naturam: ſed immunem eſſe potuiſſe perpetuo à morte per conditricem gratiam, per quam accepit immortalem naturam, ſeu & poſſibilitatem non moriendi & impoſſibilitatem moriendi, per cauſam naturalem, quoad uſque non deficeret à DEO per peccatum: atque adeo immunitas hæc à morte non ſupernaturalis in ſenſu papiſticô: ſed naturalis fuit (non quidem quatenus naturale vel accidentali, vel gratiæ ut ſic opponitur, vel id quod naturam phyſicè ut principium conſtituit, vel ex principiis naturalibus phyſicè fluit, naturale dicitur: ſed quatenus adventitio extrinſecè opponitur, & quod ſive internum ſive externum à gratia conditrice ad melius eſſe homini in ipſa creatione eſt conceſſum) non abſoluta, qualis erit in altera vita: ſed hypothetica reſp. poſſibilis deflectibilitatis per lapſum, & conſervationis individui per eſum maximè arboris vitæ, nam עץ החיים לענין התרופו לשמו כבריאו *Lignum vitæ (pertinebat) ad ſanationem & conſervationem creaturarum*, inquit R. Abarbenel, *l. c.* (conf. Magnif. Dn. D. Calov. *in B. ill. ad Geneſ.* 2: 9. *& Comm. ad l. c.* Dannhawer. *Hodoſ. Chriſt. pag.* 1007. Varenium *Decad. Moſ. in Geneſ. Loc. VIII. concl.* 4. Gerhard. *Comm. in Geneſ.* 2: 9. item *Tom. II. Loc. Theol. de Imag. Dei in hom. ante lapſ. pag.* 112. *n.* 114. & *Diſp. Iſag. XXII. cap.* 9. §. 20.) omnis vero & mors & mortalitas, quippe quæ eſt ex δυσκρασίᾳ & relicta qualitatum pugnantia, externiſque contrariis in δυσκρασίαν illam agentibus, & tandem totum reſolventibus, ortum habuit à peccato, quod eſt omnis diſſonantiæ, convenientiæ, ut & externæ contrarietatis ac pugnæ omnis denique ἀταξίας & confuſionis cauſa in natura.

§. 24. Hunc enim ſtatum Theologiæ controverſæ dudum noſtri vendicarunt Theologi I. *ex hoc ipſo præcepto & interdicto pœnali*, in quo Deus expreſſe homini mortem, ut pœnam peccati comminatus fuerat, quicquid autem homini ceu pœna ob peccatum denunciatur, illi per naturam homo nulla ratione obnoxius erat ante & extra peccatum. II. *ex ejuſdem executione judiciali* Geneſ. 3: 15. Ubi dicitur hominem, qui de arbore vetita comederat, in pulverem convertendum eſſe. Pœna autem ἁμαρτίας ſeu culpæ & peccati non poteſt eſſe conditio τῆς ὀσίας ſeu *naturæ*. *Si* enim *Deus hominem à principio mortalem feciſſet, nequaquam peccantem morte condemnaſſet; Nam mortalem mortalitate nullatenus condemnat*, inquit Gregor. Nyſſenus *lib. de creat. hom. cap.* 11. III. *à concordanti Apoſtoli Pauli adſeveratione*, διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος *Rom.* 5: 12. ubi & mors dicitur εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον δι' ἁμαρτίας, & eadem διῆλθεν εἰς πάντας ἀνθρώπους, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Si ergo mors per peccatum in mundum invecta eſt, homo ante lapſum naturaliter non fuit morti obnoxius, ſed immunis prorſus ab ea extitit. Sic etiam *cap.* 6: *vſ.* 23. dicitur *Stipendium peccati mors*. Ubi in Fonte vox habetur emphatica ὀψώνια, cujus ſingulare ὀψώνιον propriè ſignificat edulium, cibum pani additum, condimentum epulas & præcipue piſces, *metaphorice* ſtipendium militare, olim enim militibus non dabantur nummi, ſed cibi, & ſic peccator comparatur militi, peccatum labori militis in expeditionibus bellicis, mors ſtipendio militari. Non ergo ante vel extra peccatum mors fuiſſet, velut non eſt ante & extra meritum ſtipendium, nec ante & extra culpam pœna locum habet. Pari modo *cap.* 5: *vſ.* 13. 14. 15. 17. 18. Adam & Chriſtus, peccatum & juſtitia, mors & vita æterna opponuntur, & *cap.* 8: 10. docetur, *corpus mortuum eſſe propter peccatum*, 1. Cor. 15: 12. *per hominem mors*, vſ. 22. *Sicut in Adamo omnes morimur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, vſ. 55. *Stimulus Mortis peccatum eſt.* IV. *à totius hominis ante lapſum perfectione & reſtitutione excellenti*, cum qua minime conſtabat δυσκρασία *corporis*, diſſolutio vel *ſeparabilitas animæ à corpore* præternaturalis *corruptibilitas & mutabilitas naturalis*, *vel etiam mors totius naturæ hoſtis*. 1. Corinth. 15: 26. Creatus quippe homo non modo erat טוב מאד *valde bonus* Geneſ. 1: 31. ישר εὐθὺς *rectus & integer anima ac corpore*, Eccleſ. 7: 31. ſed & ad ipſius DEI imaginem *Gen.* 1: 27. Hæc enim immortalitatem una includit, quia Deus immortalis eſt, cujus imago ſuum repræſentare debet exemplar, nam *incorruptibile non figuratur in corruptibili, & corruptibile non eſt imago ejus, quod eſt incorruptibile*, eleganter ſcribit Baſilius *in Hexaem. Homil.* 10. Et quum pars Imaginis divinæ in primo homine fuerit *immortalitas*, & verò Imago DEI in ipſo fuerit non ſupernaturale aliquod donum, ſed naturalis & intrinſeca ipſius proprietas, ex eo recte colligitur, etiam immortalitatem fuiſſe in ipſo non ſupernaturale aliquod donum, ſed proprietatem naturalem. Atque hinc Autor libri Sapientiæ (qui licet ſit Apocryphus, tamen quia quando nihil adverſum habet veritati canonicæ, uti argumentum, vel certè ut teſtimonium abundans recte admittitur,) *cap.* 2: *vſ.* 23. ait: ὁ θεὸς ἔκτισε τὸν Ἄνθρωπον non εἰς ἀφθαρσίαν, ſed ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, vel ut alii legunt ἐν ἀφθαρσίᾳ, & immediatè per quandam αἰτιολογίαν ſubjungit, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτὸν, *& ad imaginem propriæ ſuæ Naturæ fecit eum*: item *vſ.* 24. φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον. Ubi & excluditur *mortalitas* à prima creatione hominis, & *incorruptibilitas* concreata ceu pertinens quid ad *imaginem DEI*, in primo homine deſignatur, & *mortis origo* ad *invidiam Diaboli* refertur, à Deo vero creatore removetur. Plus enim eſt ἐν ἀφθαρσίᾳ, quam ἐν ἀθανασίᾳ, quia excludit non ſolum mortem, ſed etiam omnem mortalitatem; adeoque omnem φθαρτικὴν κακότητα, dicente B. Gerhardo *Loc. de Morte* §. 40. Indicat id ipſum quoque Sapiens cap. 1: 13. 14. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim Deus* εἰς τὸ εἶναι, *ut eſſent omnia, & ut ſalutares*, σωτήριοι, *ſint nationes mundi, & non eſt in illis* φάρμακον ὀλέθρου, quod reddendum *venenum perditionis*, vel *mortiferum*. Vox enim φαρμάκου mediæ eſt ſignificationis; hic vero accipitur in ſequiorem partem, uti cum addita vox ὀλέθρου, tum quæ antecedunt, luculenter edocent. Quid? quod in vita æterna erit reſtitutio ſtatus integritatis & ἀποκατάστασις πάντων Actor. 3: 10. jam vero in vita æterna *mors non erit* Apocal. 21: 4. E. nec in ſtatu integritatis fuit. V. *à negata cauſa mortalitatis* e. g. *materia ex qua*: falſum quippe *materiam ſemper meditari maleficium* i. e. corruptionem, item eſſe ob tranſmutationem primo & per ſe, cum ſit data *ad ſubſiſtentiam formæ corporeitatis in ſubſtantia*: unde ſi deſit forma cum qualitatibus contrariis, nulla erit tranſmutatio & corruptio: quin *nec à materia remota* ad corruptibilitatem valet conſequentia, *nec à materia, ut principio corruptionis remoto* ad naturalem corruptibilitatem, in materiato, exemplo cœli, terræ, materiæ primæ &c. *nec à materia propinqua*: quia potuit eſſe *elementorum miſtura* ſine δυσκρασίᾳ: nec uti vita eſt totius ſuppoſiti: ita mors & mortalitas fingenda eſt materiati; præciſa forma, cum potius per inſpiratam נשמת חיים non excluſa conditoris gratia, nec obſtante elementorum miſtura, immortalis potuerit primus homo conſervari: *nec cauſa mortalitatis locus*, quippe accidentalis, extrinſecus, nihil habens inditum corruptivi: quin ſi vel locus aliquid corruptivum naturæ humanæ habuiſſet, vel etiam mortalitas primo homini naturalis fuiſſet, ejus cauſa Deus Creator fuiſſet, quippe non hominis ſaltem: ſed & materiæ conditor, quod in Orthodoxorum ſcholis ἄτοπον eſt ἀτόπων ἀτοπώτατον.

§. 25. Prolixum foret, pluribus noſtram demonſtrare ſententiam, fecerunt id jam abunde noſtrates, ut modo dictum, Theologi, imprimis Magnif. Dn. D. Calov. *T.* 4. *Syſt. Th. Art.* 2. *c.* 1. *& qu.* 5. *p.* 548. *ſſ.* it. *Harm. Calixtino-Hæret. Sect.* 11. *c.* 11. *ſubſ.* 4. *p.* 251. *ſſ.* *Socinianiſm. profl. Sect.* 4. *Art.* 1. *contr.* 3. *p.* 236. *ſſ.* B. Walther. *in Spong. Moſ. ad h. l. p.* 235. *ſſ.* B. Gerh. *Diſp. Iſag. XXII. cap.* 9. §. 5. It. *T. II. Loc. Th. n.* 100. *p.* 109. *& T. VIII. n.* 40. *p.* 23. *&c.* Auguſtinus quoque *Tom. VII. de Peccatorum meritis & remiſſione, Lib.* 1. *c.* 2. *& ſeqq.* ex profeſſo contra illam diſputat opinionem, inter alia *cap.* 2. dicens: *Qui dicunt, Adam ſic creatum, ut etiam, ſine peccati merito moreretur, non pœna culpæ, ſed neceſſitate naturæ, profecto illud, quod in lege dictum eſt: Quâ die ederitis, morte moriemini; non ad mortem corporis, ſed ad mortem animæ, quæ in peccato fit, referre conantur. Qua morte mortuos ſignificavit Dominus infideles, de quibus ait: Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Quid ergo reſpondebunt, cum legitur hoc Deum primo homini etiam poſt peccatum increpando & damnando dixiſſe: Terra es & in terram ibis? Neque enim ſecundum animam, ſed quod manifeſtum eſt, ſecundum corpus terra erat, & morte ejuſdem corporis erat iturus in terram.* Quocirca etiam Sixtus Senenſis *Lib. V. Bibliothecæ Annot.* 36. reprehendit Auguſtinum Eugubinum; quamvis eandem ſententiam, quam ipſe tradit, habeant quoque Philo *in Lib.* 2. *Allegoriarum Legis*, Joſephus *Lib.* 1. *Antiq. c.* 1. & Eucherius *Lib.* 1. *Comment. in Geneſ.* Quod etiam in plenario Africano Concilio *Milevitano c.* 5. factum: *anathemate* dicto illi, qui *Adamum mortalem factum docuerit*: & ex eodem in Jur. Can. *diſt. IV. de Conſecratione c.* 42. Imò ante enatum Pelagium *hominem natura mortalem* fuiſſe, inficiati ſunt vetuſtiſſimi Eccleſiæ Doctores: Cyprianus *Serm. de patient.* In *illa*, inquit, *prima transgreſſione præcepti firmitas corporis cum* Immortalitate *diſceſſit, & cum morte infirmitas venit.* Tertullian. Lib. de anima c. 52. *Qui primordia hominis novimus, audenter*

ter determinamus, mortem non ex natura *secutam hominem, sed ex culpa ne ipsa quidem* naturali. *Denique si non deliquisset, nequaquam obiisset: Ita non erat* natura, *quod ex oblationis potestate accidit* per voluntatem, *non ex instituti auctoritate per necessitatem.*

§. 26. *Inter Christianos* igitur iterum ait Augustinus Lib. 13. de Civ. Dei c. 15. *qui veraciter Catholicam fidem tenent, constat etiam ipsam corporis mortem non contigisse nobis lege naturæ, sed merito inflictam esse peccati, quia peccatum vindicans Deus dixit primo homini, in quo tunc omnes eramus: Terra es & in terram ibis.* Et c. 1. *Non eo modo, quo angelos condiderat, ita condidit & homines, ut etiamsi peccassent, mori omninò non possent, sed ita ut perfunctos obedientiæ munere sine interventu mortis angelica immortalitas, & beata æternitas sequeretur. Inobedientes autem mors plecteret damnatione justissima.* Creatione prima *immortalitatem accepisse quidem hominem, sed eâ per lapsum deperditâ, opus fuisse restauratione, quæ secunda sit creatione: Qui erat ante peccatum immortalis, factus est per peccatum mortalis, atque ita successio mortalitatem habet*, dicit *Dydimus Alex.* contra Manich. Tom. 1. Biblioth. Patr. p. 269. *Postquam spoliavit Diabolus primos parentes immortalitate, incorruptibilitate & beatitudine, reipsa reviviscit hostis ille Dei & homicida, moxque hominem, qui transgressus erat, apud Deum accusat*, ait *Cæsarius* Dialog. 3. Bibl. Patr. Tom. IV. p. 669. *Theophylus* quoque *Antiochen.* l. 2. ad Autolyc. *Si mortalem*, inquiens, *hominem formasset initio, Deus sane posset autor hominum mortis videri.* Docent hoc itidem Tatianus *Orat. contra Græcos*, Irenæus *Lib.* 3. *cap.* 20. & alii plurimi, quos adduxit Magnif. Dn. D. Calov. *in Harmon.* citata.

§. 27. Agnoscunt id quoque Ebræi. Nam in ספר האמונות *Sepher haëmunoth* R. Schem Tof, Porta 6. cap. 9. fol. 68. Col. 2. אמרו המדרשים כי אם לא חטאו אדם וחוה היו תולדותם שלא באמצעות יצר הרע והיה חבורן בתכלית הגאות כדמיון חבור הצורות העליונות והקללות יוכיחו והיו חיים וקימים בעולם: h. e. *In Medraschim sive Commentariis Allegoricis dicunt Rabbini nostri; si Adam & Eva non peccassent, tum generationes ipsorum fuissent sine ulla mala concupiscentia, & copulatio ipsorum fuisset convenientissima, qualis scil. est conjunctio formarum superiorum, ut maledictiones arguere videntur, & vivi ac stabiles perpetuo mansissent in mundo.* Et fol. seq. ואלו היית משתמש בגוף הנברא לך כראוי על ידי המקום ההוא היית נצחי לעד אך כאשר חטאת ונהפכת לאיש אחר תדרוך להפסד וכו׳: *Si fuisses usus illo corpore, in quo creatus es, sicut conveniens erat, vi ac virtute loci illius* (Horti Edenis) *fuisses æternus in perpetuum: quandoquidem autem peccasti, & conversus es in virum alium, pertinges & vades ad corruptionem, &c.* Sic etiam *in Libro Schemoth Rabbas super Exod.* 21: 1. causam, *cur dictio* תולדות *generationes in universis Bibliis bis tantum cum pleno* ו *scribatur*, *hanc* reddunt, *quia scil. mors non fuerit ante peccatum Adami. Ea enim de caussa Gen.* 2: 4. *plene adhuc scribi volunt, & in cæteris defective post lapsus commemorationem, præterquam in Genealogia Messiæ Ruth.* 2: 4. *ubi rursus plene scribitur, quia tempore Messiæ mors abolenda sit Esa.* 25: 8.

§. 28. Prolixe R. Bechai *in Legem fol.* 12. 2. ad hæc verba *Gen.* 2: 17. *Morte morieris*, in hunc sensum hac de re scribit: אין הכונה שימות ביום אכלו אלא שיהיה בן מות כי דעת רז״ל לולי שחטא לא ימות לעולם אבל יהיה קיים נצחי כמלאכי השרת׳ ועל דעת חכמיה מחקר אלו לא חטא האדם היה מת מיתה טבעית לפי שכל מורכב סופו שיפרד וימות מיתה טבעית כי ענין מוכרח הוא בדרך הטבע לשוב כל מורכב לשרשו ולעקרו ולפי זה נונת הכתוב מות תמות זו מיתה מקרית שרוב בני אדם מתים בה׳ ודעתם לומר שאפילו לא חטא אדם היה מת מיתה טבעית וכאשר חטא השליט עליו חטאו מיתה מקרית שיכות קודם ומנו כדין מחוייב מיתה בידי שמים׳ וענין כפל המית׳ לפי שהמיתות המקריו׳ הם שתים כענין שכתו׳ כי אם ה׳ יגפנו או יומו יבא ומת או במלחמה ירד ונספה׳ ומה שאמר יומו יבא זו מיתה טבעית׳ וכיון ששלשה עליו בחטאו מיתה מקרות הוצרך למנוע ממנו עץ החיים הנצחיים הטבעיים על כן נקרא עץ החיים עץ שמגיעו אל החיי׳ רטבעית עד בא זמן פרוד הרכבתו ומצילו מן המית׳ המקרית׳ ולשון וחי לעולם אינו אל אל תכלית אלא זמן קצוב כלשון ועבדו לעולם׳ וישב שם עד עולם׳ ולפי דעת׳ זאת אלו מונע תחלה מעץ החיים וחטא בו לאכול ממנו הוא הדין שיהיה מונע מתנו גכ״ עץ הדע׳ כדי שלא תשלוט עליו מיתה מקרית שמר גיאל ממנה באכלו כבעץ החיים׳ ויש להם ראיות על מה שיסמכו לפי דעתם והייתי כותב שנים או שלשה מהם לולי שטעתם כנגד העקר והוא דעת רז״ל ואנו אין ראוי לנו להאמין ולקבוע מסמרות אלא מדברי רז״ל המקבלים מפי הנביאים שאמלא שחטא היה חי לעולם׳ וכן אמר הכתוב אני אמרתי אלהים אתם ובני עליון כלכם׳ ולא אמר אלהים וכבני עליון אלא אלהים ממש ובני עליון ממש ורבו הכתובים על זה: id est, *Intentio horum verborum non est, quod eo ipso die, quo comederit sit moriturus, sed quod Filius* (reus, obnoxius) *mortis sit futurus. Nam ex sententia Rabbinorum; nisi peccasset Adam, non fuisset mortuus in æternum, sed perpetuo mansisset vivus, sicut Angeli ministeriales. Secundum sententiam autem Physicorum, Adamus etsi non peccasset, tamen moriturus fuisset morte naturali; quia omne compositum tandem iterum est dissolvendum, & morte naturali destruendum. Necessarium enim est naturaliter, ut omne compositum in radicem suam, & fundamentum suum revertatur. Juxta illorum ergo mentem verba illa*, Morte morieris, *intelligenda sunt de morte accidentali, qua major hominum pars moriuntur; unde sententia illorum est; Etiamsi homo non peccasset, illum tamen morte naturali moriturum fuisse: posteaquam vero peccavit, peccatum causatum ipsi fuisse mortem accidentariam, qua scil. moritur ante tempus suum, ut is qui reus fit mortis per manum Cœli, id est, Dei. Quod autem vox* Moriendi *ingeminatur, ideo factum volunt, quod duplex sit Mors accidentaria, juxta id quod scriptum est,* 1 *Sam.* 26: 10. Sed Dominus plaga afficiet eum: aut dies ejus adveniet ut moriatur, aut in bellum descendet ut consumatur. *Quod enim dicitur*; Aut dies ejus adveniet ut moriatur; *intelligunt de morte naturali. Posteaquam vero per pecatum mors accidentaria in ipsum regnavit, subtrahenda ei fuit arbor vitæ æternæ naturalis, unde* Arbor vitæ *vocatur Arbor scil. quæ pervenire facit ad vitam naturalem, donec adveniat tempus separationis compositionis ejus, & quæ eripit eum à morte accidentaria. Verba illa*; Et vivat in sæculum, *non designant tempus infinitum, sed finitum & determinatum, juxta illud Exod.* 21: 6. Et serviet ei in seculum: *Item* 1. *Sam.* 1: 21. Maneat ibi usque in sæculum, &c. *Hujus suæ sententiæ varias proferunt rationes, quarum unam & alteram hic adduxissem, nisi sententia ipsorum repugnaret fundamentis fidei nostræ, sententiæ scil. Rabbinorum nostrorum b. m. Nobis enim nihil credendum, nec ullibi clavus figendus, nisi ex verbis Rabbinorum nostrorum, per Traditionem inde à Prophetis usque receptis: quod nisi peccasset Adam, vixisset in sæculum. Et sic dicit Scriptura Ps.* 82: 6. Ego dixi, Dii estis vos, & filii excelsi omnes vos: *Non dicit*; sicut dii, & sicut filii excelsi; sed Dii revera, & Filii excelsi revera. *Et plura sunt in hanc rem Scripturæ dicta, &c.* Prolixior adhuc est R. Moses Gerundensis, cujus tamen verba, ob pagellarum angustiam, adducere non licet.

§. 29. Certum itaque est, *primum hominem totum*, qua Animam corpusque simul, à *Deo immortalem esse creatum*, ita ut, si non sua sponte peccasset, ab omni non solum Morte, sed & morbosa μεταβολῇ, per naturam plane immunis fuisset futurus. Et nugatorium est, quod Photiniani distinguant inter mortem ipsam & moriendi necessitatem, dicentes; Moriendi quidem necessitatem esse effectum comminationis illius: non vero mortem ipsam, propterea, quod hæc Adamo fuerit naturalis. Quid enim obsecro est mors naturalis, quam moriendi necessitas? qui natura mortalis est, is necessario moritur per naturam. Et si mortalitas est consequens naturæ hominis, integræ & recens conditæ, fieri nequit, quin mors ipsa consequens naturale dicenda sit. Quid enim mors naturalis facit aliud, quam quod in actum deducit, id, ad quod antea natura est disposita & facta. Certe mortalitas eo ipso per comminationem divinam homini infligenda dicitur, quo indicatur, illum morte moriturum. Neque enim actus mortis factus est ad commissionem peccati, sed omnino divinitus præfinitus, post aliquot demum tempora subsecutus. Nec opus est, ut distinguamus inter mortem & mortalitatem. Fluit enim ex hac mors infallibiliter per naturam concreata immortalitate destitutam, ut omnino unde fluit mortalitas, inde etiam mors ipsa suas habeat radices.

§. 30. Quam vero Mortem primis nostris parentibus Deus comminatus fuerit, paucis adhuc proponam unde nec Adversariorum circa hanc rem errores proferre animus est, sed uno verbo mortis nomine in comminatione Protoplastis facta merito accipi dico, quicquid in sacris literis sub mortis nomine comprehenditur. *Mortem* enim *corporalem* vel *temporalem*, quæ dissolutio est animæ à corpore, divinitus destinato tempore obeundam hic intelligi patet, quia usitatissimum est in sacris literis, nomine mortis, literaliter & proprie sumto, interitum naturalem, vel separationem corporis & animæ,

adeoque mortem corporalem intelligere. Est quippe hæc propria mortis significatio, reliquæ vero acceptiones magis sunt translatæ & figuratæ. Accedit, quod *Gen.* 3: 19. mortem explicatam legamus per redactionem hominis in pulverem, ex qua conditus est primitus: qui ipse reditus solutionem animæ à corpore prærequirit. Et interpretatur id S. Paulus, cum *Rom.* 5: 12. ait, *per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem.* Solam autem spiritualem à D. Paulo intelligi, quod vult Socinus, nec proprietas verbi permittit, neque indefinita locutio cogit, nec ulla in Apostolico textu circumstantia evincit, & ipsa experientia refutat, quæ Adamum post & propter peccatum commissum mortuum esse, *Gen.* 5: 5. docet. Hinc ut mors corporalis diserte designetur, *Rom.* 8: 10. corpus dicitur mortuum propter peccatum. Unde mors resurrectioni ad unionem animæ & corporis comparatur 1. *Cor.* 15: 21. Præterea sub ambitu vocabuli mortis insuper etiam *mortis* intelliguntur *angores*, sive omnis generis calamitates, afflictiones & miseriæ, quibus homo in hac vita quotidie propter peccatum maceratur & ad mortem quasi, ceu per caduceatores invitatur & præparatur, de quibus *Exod.* 10: 17. 2. *Reg.* 4: 40. 1. *Cor.* 15: 31. 2. *Cor.* 1: 10. *cap.* 11: 23.

§. 31. *Mors* autem *æterna* & infernalis uti per peccatum invecta, ita omnino comminatione divina comprehensa fuit: estque perennis à gratia & visione Dei beata separatio & plenaria exclusio à consortio beatitudinis cœlestis sanctorum, conjuncta cum horribili pavore, cruciatuque intolerabili & nunquam finiendo; quæ *mors secunda* est *Apoc.* 2: 11. 20: 6. 14. nec male mors pœnalis dicitur. Qua de & Apostolus *Rom.* 5: 12. 18. 19. ex quo loco apparet, ut per vitam, quam Christus moriendo reparavit æternam vitam: ita *vi oppositionis*, æternam mortem designari, quam Adam peccando promeruit & invexit. Unde & *maledictio* eorum, qui non permanent in lege Dei *Deut.* 27: 26. de maledictione *sempiterna* explicatur *Gal.* 3: 13. *Mors spiritualis animæ* sive *gratiæ* (de qua *Matth.* 8: 22. *Joh.* 5: 25. *Luc.* 9: 60. *c.* 15: 24. *Rom.* 7: 24. 1. *Tim.* 5: 6. *Eph.* 2: 1. 5. *c.* 5: 5. *Col.* 2: 13. *Apoc.* 3: 1.) est, quæ *in privatione gratiæ Dei*, vel *separatione à spirituali vita, quæ in Deo est*, consistit, *Eph.* 4: 18. quam comminationem ita παραφράζει S. Augustinus: *Qua die me deserueritis per inobedientiam, deseram vos per justitiam*, neque de *morte gratiæ* ullum esse potest dubium; quia per aversionem à Deo privarunt se Protoplasti gratia & vita Dei. Hæc enim apostasiæ à Deo pœna erat. Nam *eo ipso* ut Greg. Nyssenus *lib.* 1. *cont. Eunom.* disserit, *quo alienatus est à vera vita, eadem die mortis in eum confirmata est sententia*; quæ etiam expositio est Irenæi *Lib.* 5. *c.* 23. eamque ita probat Gregor. M. L. VI. Epist 3. *si in anima mortuus non est, quod dici nefas est, falsam sententiam de illo protulit Deus, qui dixit, quia quo die comederis, morte morieris.* Quod contra *Petavium* notandum, qui negat, *mortem animæ* hic comprehendi. Mors certe *spiritualis* & mors *æterna*, si recte expendas, non nisi *gradibus* differunt, & *duratione*, quia utraque est *separatio à summo bono*: & mors *æterna* mortem *gratiæ* vel *spiritualem* indubitato sequitur, cum hæc proprie illius sit initium, illa hujus complementum, nec potest non sequi, nisi homo recipiatur vicissim in gratiam. Recte proinde hac de re disserit doctissimus Pater Augustinus Lib. 13. de C. D. cap. 12. p. 10. *Utrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illam, quæ secunda dicitur mortem comminatus est? respondendum est, Omnes. Prima enim constat ex duabus: Secunda ex omnibus tota: quoniam prima constat ex duabus: una animæ altera corporis, ut sit prima totius hominis mors, cum anima sine DEO; & sine corpore ad tempus pœnas luit: secunda vero, ubi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Dominus: Quacunque die ederitis ex illo, morte moriemini; non tantum primæ mortis partem priorem, ubi anima privatur DEO: nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima: nec solum ipsam totam primam, ubi anima & à DEO & à corpore separata punitur: sed quicquid mortis est usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, & qua est nulla posterior, comminatio illa complexa est.* Secundum *Augustinum* igitur DEUS Protoplastis comminatus est mortem, I. *Spiritualem*, quæ est mors animæ, quando anima est sine Deo. II. *Temporalem*, quando corporis & animæ unio dissolvitur. III. *Primam totam*, ubi anima & à Deo, & à corpore separata punitur. IV. *Æternam*, quando anima sine DEO cum corpore æternas pœnas luet. Atque sic recte dictum est hac phrasi: *Moriendo morieris*, notari rei *certitudinem, perfectionem & augmentum.* Est enim sensus, ut B. Rungius *l. c. p.* 124. loquitur: *Certissime & in totum morieris, ita ut nihil vitæ tibi sit reliquum futurum.*

§. 32. Cæterum & *Præmia* huic addita esse præcepto, si legem obtemperarit homo, non quidem expressis verbis promissa leguntur, per Antithesin tamen ex hac comminatione sunt colligenda, videlicet: *In quocunque die comederis de arbore scientiæ boni & mali, morte morieris. Si autem non comederis ex illa*, vivendo vives ceu præclare annotat B. Rungius *l. c.* & uberius exponit Mag. Dn. D. Calov. *T.* 4. *S. Th. art.* 2. *c.* 3. *p.* 714. In tanta vero felicitate non peccandi & utrinque, tam *pœna* quam *præmio* positus, secutus eheu! nihilominus est patrem mendacii, Diabolum, & fontem salutis dereliquit. Quo ipso non sibi modo, sed toti etiam generi humano conscivit mortem Rom. V. consentiunt Rabbini, hinc in libro *Zohar* in Genes. Col. 218. ad Gen. 11. אדם קדמאה מרד במאריה וגרם מותא לעלמא: h. e. *Adamus primus rebellavit domino suo, & causatus est* (sc. rebellione sua) *mortem mundo.* Sic etiam in *Targum Eccl.* 7: 29. גרמו לאסתקפא עלוהי יום כותא ולכל דירי ארעא: *Accersiverunt* (Protoplasti) *sibi mortem, & omnibus* (hominibus) *viventibus super terram.* Et *in Targum Ruth.* 4. *in fine*: יעל ההוא עיטא אתחיבו מותא כל דירי ארעא: *Et propter illud consilium* (quod serpens dedit Evæ) *rei facti sunt mortis omnes habitatores terræ.* Pari modo scribit R. Mair Ben Gabbay *in Afodat Haccodesch fol.* 52. *Col.* 9. ואדם הראשון בחטאו פתח המעין הנרפש והמקור המשחת צד הטומאה אשר נמשך אחריו ונתפשטה הזוהמה והטוהמה בעולם והיצר הרע הבא מהסבה ההיא אורב תמיד וצופה לצדיק להחטיאו ולהמיתו כי חטא ממית והמלחמה הזאת ערובה בכל ושמורה לדורות אין נקי ממנה: *Atque homo primus dum peccavit, aperuit fontem cœnosum & gurgitem perdentem ob immunditiem, unde secuta est & dimanavit in mundum impuritas ac immunditìes; & concupiscentia prava, quæ inde originem ducit, insidiatur jugiter, & attendit ad justum, ut eum inducat ad peccandum, & occidat eum, quoniam peccatum occidit, & illud bellum omnibus instat ac in generationes* (omnes) *durat, ut nemo ab eo excludatur.* Consentit R. Moyses de Trana *in Beth Elohim fol.* 105. *Col.* 1. *in fin.* וגם בחטא שחטא אדם הראשון הרי הוא כאלו חטאו בו כל העולם כי זה כל אדם אדם הראשון היה ככל האדם אשר בעולם בכל דור ודור כיון שלא היה אחר בעולם אלא הוא: *Præterea ecce peccatum illud, quod commisit homo primus, quasi commisit totus mundus, quoniam hic erat omnis homo;* (sive) *Homo primus erat instar omnium in mundo* (viventium) *per omnes generationes, quoniam non erat in mundo alius* (Homo) *præter illum.*

§. 33. Sed quomodo veritas sua divinæ constat comminationi, arbori isti additæ? Dixerat enim Deus: *quocunque die comederis de arbore scientiæ boni & mali, morte morieris*; Adam vero diu satis vixit & Annos Ætatis absolvit 930. *Gen.* 5: 5. Nonnulli existimant, Divinam hanc Comminationem accipiendam esse non de morte corporali, sed solum de spirituali, sive Amissione Gratiæ & Imaginis Divinæ, in qua spiritualis, Hominis Vita consistebat. Sed & hanc esse indictam ex supra dictis & jamjam dicendis apparet. Alii censent, illum προσδιορισμὸν, *quocunque die*, duntaxat ad verbum *comederis* esse referendum, non ad *morieris.* Justinus Martyr, *in Dial. cum Tryph.* ad Abacum & mensuram diei, Dei, cui *Mille Anni unicus est dies*, juxta *Ps.* 90: 4. & 2. *Pet.* 3: 8. confugit, & *secundum hanc mensuram*, dicit, *eadem die Adamum mortuum fuisse, qua comederit ex arbore scientiæ boni & mali. Nec ipsum enim nec quempiam alium Patriarcharum, millenarium numerum annorum supergressum esse.* Verum hæc sententia longius petita, & Allegorica potius, quam historica est, quoniam in tota Genesi diei nomen non accipitur aliter, quam in propria sua significatione, adeoque humanitus, non divinitus. Communissima, & optima opinio est, Protoplastos mortuos esse ipsissimo Transgressionis Die, tam *spiritualiter*, dum per transgressionem gratiam Dei & omnem spiritualem vitam amiserunt, quam *corporaliter*, quod reatum vel imperium, quod mors in eos post vetiti fructus comestionem obtinuit, sive moriendi necessitatem & inevitabile debitum, quod per peccatum sibi contraxerunt. Interim corpus, Immortalitatis dono spoliatum, statim Frigus sentire cœpit, Æstum, qualitatum δυσκρασίαν, Lassitudinem, Impetumque morbificum, quæ instrumenta sunt & adjumenta & prodromi mortis, eoque etiam nomine veniunt, *Exod.* 10: 17. 1. *Cor.* 15: 31. 2. *Cor.* 11: 23. Unde & Paulus inquit Rom. 8: 10. *Corpus per peccatum mortuum esse*, id est, moriendi necessitatem esse constrictum. Quod sic explicat Chrysostomus Hom. 17. in Gen. *Ut in humanis judiciis, postquam in reum pronunciata sententia est, ut ei caput amputetur, isque mox in carcerem abducitur, licet diu ibi maneat, nihilo melius jam in mortuis, extinctisque deget, utpote jam sententia ipsa mortuus. Eodem modo & illi* (primi parentes) *ab ea ipsa die, ex qua sententia in eos mortalitatis edita est, etsi longo tempori superstites fuerunt, sententia ipsa jam mortui sunt.*

§. 34. *Mors*

§. 34. *Mors* denique *æterna* ipſis quoque ſtatim eadem die inflicta eſt quoad reatum, quoniam ei propter transgreſſionem facti fuerunt obnoxii: adeoque quicquid mortis nomine uſpiam in S. Codice occurrit, Protoplaſtis metuendum fuit & ſubeundum, quod ſatis indefinita circa interdictum graviſſimum Dei innuit comminatio, quæ æquipollet univerſali & non permittit minas à ſumma Majeſtate circa rem graviſſimam dictatas in arctum ex arbitratu contrahere, præſertim ubi cauſa nulla eſt, ob quam hæc aut illa mortis ſpecies excludi debeat. Et ſucceſſiſſet etiam mors actualis, niſi Deus generi noſtro mitius conſuluiſſet. Miſeratio enim divina per & propter mortem ſatisfactoriam Meſſiæ, ſeminis Mulieris benedicti, interceſſit, quæ vi ejuſdem in vita conſervavit Protoplaſtos, quia jam divina deſtinatione ab æterno ordinatus erat Agnus ad tollendum & expiandum peccata noſtra, *Ap.* 13:8. *c.* 18:8. *Ebr.* 13:8. *Joh.* 1:29. ut auditu Prot-Evangelio pœnitere poſſit, ac per fidem in Chriſtum, morte licet corporali inflicta, vitam æternam conſequi, ſalva divina tum veritate, tum juſtitia. Et valet hic Philologorum regula: quod activa verba non ſemper καὶ' ἐνέργειαν, ſed καθ' ἕξιν ſæpe intelligenda ſint, ſeu non effectivè ſemper, ſed quandoque habitualiter, ut *Lev.* 2:3. *Matth.* 23:5. 2. *Pet.* 2:8. Conf. B. Glaſſ. *l.c. can.* 21. *pag.* 289. Quocirca Ambroſius *de paradiſo cap.* 5. quem Druſius quoque *ad fragmenta cap.* 8. hanc in rem citat, & Hieronymus *quæſtion.* ſive *Tradit. Ebraic. in Geneſ. Tom. IV. Op. fol.* 91. *b.* laudant Symmachum, illud מות תמות, *morte morieris* ſingulariter reddens, θνητὸς ἔσῃ *mortalis eris*, itemque Theodoretus Quæſt. 38. in Geneſ. *Hic*, inquit, *mortalitatis ſententiam mortem appellavit; ſic enim interpretatus eſt Symmachus, quacunque die comederis de ligno hoc, mortalis eris. Etenim poſt divinam ſententiam per ſingulos propemodum dies mortem expectabat.* Conf. Magnif. Dn. D. Calov. *Tom.* 4. *Syſt. Th. p.* 712. B. Walther. *in Harm. Bibl. Gen.* 2:17. B. Gerhard. *Comm. in Gen. ad h. l.*

TANTUM.

JOH. FRISCHMUTH

De ſeductione Serpentis Antiqui ad Gen. III: 1. 2. 3.

בה״שי

DE SEDUCTIONE ANTIQUI SERPENTIS,

Qui primum noſtrum Parentem ex Paradiſo exulare fecit,

DISSERTATIO.

הקדמה



Uam illuſtre εὐδαιμονίας & vitæ beatæ Protoplaſtorum teſtimonium Spiritus S. Gen. 2:27. perhibet, dum eos quamlibet nudos in ruborem datos eſſe negat, quod repugnantia facultatis concupiſcentis in ſtatu integritatis per donum juſtitiæ originalis, quam vocant, ita compreſſa & velut abolita erat, ut nihil in ſe pudendum adverterent, cum ut R. Abarbenel fol. 27. col. 2. com. in LEGEM ſcribit: אברי התולדה אצלם כידים וכרגלים ושאר האיברים הצריכים לתשמישות: *Genitalia membra apud ipſos eſſent inſtar manuum, pedum & reliquorum membrorum ad uſum neceſſariorum*: tam contra abjectæ ſortis, naturæ peccato corruptæ & amiſſæ imaginis divinæ flebile documentum exhibet c. 3:7. cum eos ſe nudos animadvertiſſe, & ex foliis ficus ad tegenda membra ſubligacula ſibi feciſſe aſſerit. Nempe legis divinæ, quam ex peculiari revelatione habuerunt, transgreſſio malorum Iliadem ſecum traxit, & cum antea eximia eorum eſſet perfectio & perfecta appetitus ſenſitivi & membrorum ei ſervientium ſubjectio, inſignitæ ex legis poſitivæ violatione oriundæ calamitatis non ultima portio erat rebellio carnis, & affectuum pravorum abundantia, quæ amiſſo dono, quo coercebantur, nuditatis pudorem attulit. Quin plura mala ſcaturire inde cœperunt, quæ cum R. Lipmannus lib. Nizzachon num. 10. p. 15. perpendiſſet, hunc in modum quiritatur: אוי לנו שחטא כי מאז בתאוות יצר הרע לדבוי תשמיש וביתר הגאות אנו מקצרים חיינו ובצרכי גופנו אנו מכלים ימינו אין אנו פנויים לעבור אלהינו ולתורתו: *Væ nobis! quod peccavit. Ex eo tempore enim vitam noſtram abbreviamus cupiditatibus figmenti mali, immodico veneris uſu & reliquis jucunditatibus dies noſtros conſumimus, ut Deo noſtro ſerviendi & legi operam dandi nullum ſit nobis otium.* Intellectus cumprimis obfuſcatio & voluntatis à DEO averſio, dominii hominis in bruta imminutio, vitæ brevitas, mors ipſa & plurima mortis imago παρεκβάσεις illi accepta ferenda ſunt. Etſi verò Eva tum ſerpenti fidem habitura, neque perpendit, neque perſpexit quid criminis deſignatura, & quam jacturam bonorum factura eſſet, ſi legem divinam violaret; ſenſit tamen id proh dolor! poſtmodum, ut ex tripode illud Menandri apud Johannem Stobæum, Tom. 2. tit. 4. dictum eſſe appareat:

ὐδεὶς ξύνοιδεν ἐξαμαρτάνων πόσον
ἁμαρτάνει τὸ μέγεθος, ὕστερον δ' ὁρᾷ.
Nemo ſatis dum peccat, quod facit, videt,
Scelere at peracto, atrocitatem perſpicit.

§. 2. Hujus triſtiſſimæ tragœdiæ architectum Serpentem, vel generis noſtri alaſtorem verius, Diabolum nempe, fuiſſe non modo fides Catholica docet; ſed & Judæi ex parte largiuntur. Quibus an R. Arama quoque accenſeri mereatur, in quæſtione eſt. Videri id poſſit ex verbis ejus, quæ in libro עקרת יצחק fol. 32. col. 2. leguntur: הנה רואה בעיניך שכל זה חויב מהיות היועץ הבליעל הנחש הקרמוני: *Ecce oculis tuis perſpicis,*

spicis, hoc omne inde factum esse, quod suasor nequissimus fuit serpens ille antiquus. Ubi veræ & realis persuasionis meminit, quæ contigerit in seducenda Eva, eamque Diabolo tribuere videtur. At in alia omnia concedit Don Abarbenel, qui cornicum oculos confixurus novum plane commentum erudito orbi obtrudere satagit contendendo, nihil omnino verborum inter Evam & serpentem commutatum esse, neque spiritui alicui interlocutori hîc locum fuisse, sed illam in arborem ascendentem, & de arboris illius vetitæ fructu citra ullam noxam comedentem serpentem æmulatam, exemplo duntaxat seductam esse. Quæ sententia haud ita pridem Simeoni de Muis, Regio apud Parisios Professori nominatissimo, adeò non displicuit, ut, quantumvis ei adstipulari se, negarit, pro acutissimo tamen interpretamento eam habuerit. Confer Cl. Viri *varia Sacra pag. 9.* Visum hinc est, famosæ seductionis historiam penitius expendere, & quid de ea habendum sit, ex verborum proprietate & analogia fidei uberius demonstratum ire, cum Academicæ dissertationis argumentum nobile præbeat & dignum, quod ex fonte potius quam Versionum rivulis evolvatur & ventiletur. Verba Ebraica, quæ Genes. 3: 1. seqq. habentur & nostro inserviunt instituto, habent ita:

והנחש היה ערום מכל חית השדה אשר עשה יהוה אלהים ויאמר אל־האשה אף כי־אמר אלהים לא תאכלו מכל עץ הגן׃ ותאמר האשה אל־הנחש מפרי עץ־הגן נאכל׃ ומפרי העץ אשר בתוך־הגן אמר אלהים לא תאכלו ממנו ולא תגעו בו פן־תמתון׃ ויאמר הנחש אל־האשה לא־מות תמתון׃ כי ידע אלהים כי ביום אכלכם ממנו ונפקחו עיניכם והייתם כאלהים ידעי טוב ורע׃ ותרא האשה כי טוב העץ למאכל וכי תאוה־הוא לעינים ונחמד העץ להשכיל ותקח מפריו ותאכל ותתן גם־לאישה עמה ויאכל׃ ותפקחנה עיני שניהם וידעו כי עירמם הם ויתפרו עלה תאנה ויעשו להם חגרת׃ וישמעו את־קול יהוה אלהים מתהלך בגן לרוח היום ויתחבא האדם ואשתו מפני יהוה אלהים בתוך עץ הגן׃ ויקרא יהוה אלהים אל־האדם ויאמר לו איכה׃ ויאמר את־קלך שמעתי בגן ואירא כי־עירם אנכי ואחבא׃ ויאמר מי הגיד לך כי עירם אתה המן־העץ אשר צויתיך לבלתי אכל־ממנו אכלת׃ ויאמר האדם האשה אשר נתתה עמדי הוא נתנה־לי מן־העץ ואכל׃ ויאמר יהוה אלהים לאשה מה־זאת עשית ותאמר האשה הנחש השיאני ואכל׃ ויאמר יהוה אלהים אל־הנחש כי עשית זאת ארור אתה מכל־הבהמה ומכל חית השדה על־גחנך תלך ועפר תאכל כל־ימי חייך׃ ואיבה אשית בינך ובין האשה ובין זרעך ובין זרעה הוא ישופך ראש ואתה תשופנו עקב׃

Vulgò vertitur hoc modo: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus & ne tangeremus illud: ne forte moriantur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum. Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Et cùm audissent vocem Domini Dei, deambulantis in paradiso, ad auram, post meridiem abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocavitque Dominus Deus Adam & dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam, Domine, audivi in paradiso, & timui, eò quod essem nudus & abscondi me. Cui dixit Dominus: Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti? Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et ait Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens me decepit, & comedi. Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ: super pectus tuum gradieris & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & semen tuum, & semen illius: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.*

CAPUT PRIMUM.

SUMMARIA.

Vox נחש *ab Eugubino, Pererio & Delrione de diversis serpentum speciebus explicata. Originatio ejus à Bocharto ex lingua Arabica arcessita. Alia ex Lingua Ebraica, ut probabilior, recepta. Cur* τὸ ערום *diversa significet, ab AbenEsra ostensum. Alia conjectura viri docti. LXX. Aquila & Theodotio laudati. Hieronymi versio à Drusio notata. Serpentis in malo præcavendo calliditas. Hesychius laudatus.* Πανεργία *mediæ significationis vox, in utramque partem accipi solita. An serpens* φρόνιμος*, quia se insinuet? Ebræorum sententia probata. Locus Matth. 10: 16. illustratus. Serpentinæ versutiæ exempla. R. Aramæ opinio de serpentis natura media inter hominem & bruta explosa. R. Alschech diabolum cum concupiscentia confundens notatur. Evam ab illo seductam, contra quàm alii recutiti volunt, largitur. Talmudistarum, Bechai aliorumque somnium perstringitur. R. Abarbenelis, AbenEsræ & Lipmanni* παρερμηνεία *explosa. Cajetanus à Vossio notatus. Cur serpentis solius mentio facta sit suppresso diaboli nomine? R. AbenEsræ rationes, cur nequeat intelligi diabolus, excussæ. An vs. 14. de serpente naturali, an verò diabolo intelligendus sit, disquiritur. Philo laudatus. Cur vs. 15. de Messia serpentini capitis contritore accipi debeat. AbenEsræ sententia de tergemina serpentis ante Adami lapsum prærogativa expenditur. Bocharti, Molinæi, Joh. de Mey, Abarbenelis assertum de serpentis eâdem ante & post lapsum forma corporis & habitudine probatum. Aristoteles laudatus.*

§. 1.

UT verò verborum sensum verum & genuinum rectiùs assequamur, scire licet, primum comma nobis duo consideranda suggerere, quorum unum subjectum, alterum prædicatum. Illud appellatur Ebræis נחש *serpens*, Græcis ὄφις. Qua voce alias, teste *Aristotele lib. 2. animalium*, intelligitur ζῶον ἑρπετὸν, ἔναιμον, φολιδωτὸν *reptile, sanguineum & cortice tectum.* Cum verò serpentum plures sint species, interpretes disquirunt, ecquisnam fuerit serpens, qui in tam funesto & humano generi exitiali negotio se ut organum gessit. An basiliscus, ut Eugubinus vult, an scytale, ut Pererius contendit, an vipera, ut Delrio persuasum habet. Sanè tacente Scriptura citra temeritatis notam aliquid definiri nihil posse censemus. Id nobis satis est novisse, animal reptile intelligi, & Ebraicè נחש appellari, cujus nominis originationem Bochartus ex Arabica lingua illustrandam arbitratur. Ut enim نحس *infaustum & mali ominis esse* significat, & نحسان appellantur *Saturnus* & *Mars*, quia infausti planetæ: ita Ebreis serpentem indidem dictum putat, quod ut ejus incursus primis parentibus infelix fuit, ita etiam à posteris pro ominoso & infausto habeatur. Unde Terentianum illud:

—— Monstra evenerunt mihi,
Anguis per impluviam decidit de tegula.

Et Horatii:

Rumpat & serpens institutum iter.

Sed cum in Ebræa voce non ס sit; sed ש & in lapsu demum Protoplastorum occursus ominosus esse cœperit, potius dicendum videtur, נחש à נחש *auguratus est*, *ingeniose conjectavit, curiosè observavit*, derivari. Atque ita serpens non ab aliquo accidente; sed sua ipsius natura & proprietate in lingua Ebraica nomen habet, quod is, antequam etiam Adamus laberetur, callidior esset reliquis animalibus. Facit huc, quod ipsemet Bochartus, *lib. 1. c. 19. Hieroz. p. 58.* fatetur, *nomina Ebræa animalium niti certa ratione ex natura rei petita.*

§. 2. Prædicatum, quod ei hic tribuitur, est עָרוּם *callidus.* Nempe cùm sub finem c. II. Genes. dictum esset, Adamum & Evam fuisse עֲרוּמִּים *nudos*, mox cap. 3: 1. de serpente affirmatur, quod fuerit עָרוּם. Quæ vox cum quinta vocali *callidum*, cum quarta verò *nudum* significat. Unde AbenEsra scribit: אל תתמה בעבור היות ערום אחרי ערומים והם שני טעמים כי באלה הצחות בלשון כמו באלה בלתי החמור חמור חמורתים וכן על שלשים עירים ושלשים עיירים׃ *Noli mirari, voci* ערומים *subjungi* ערום. *Sunt enim duo sensus, & in his linguæ elegantia consistit. Veluti* (Judic. 15: 16.) *cum dicitur, cum*

maxilla

maxilla asini acervum acervorum effeci, & (Judic. 10: 4.) *sedentes super triginta pullis, & triginta oppida eis*, ubi voces *asini & oppida* in Ebræo textu allusionis causa eadem voce scribuntur, & iisdem consonantibus solis vocalibus diversæ diversa significant. Nec desunt, qui עֲרוּמִּים astutos dici volunt quasi *nudos*, vel quia nudi sunt agiliores & minus præpediti, quam illi, qui vestibus sunt induti & quasi constricti, vel quia λαβὰς non præbent. Unde & γυμνοῦσθαι ἐν τῷ γυμνάζεσθαι, quod ad animum refertur.

§. 3. Id cumprimis observandum venit, LXX. τὸ ערום מכל reddidisse φρονιμώτατος. Aquilam vero & Theodotionem πανοῦργος. Unde & Theodoretus in h. l. interrogat. 31. φρόνιμον, inquit, τὸν ὄφιν ὠνόμασεν, ὡς πανοῦργον, οὕτω γὰρ καὶ ὁ Ἀκύλας ἡρμήνευσε, *vocat serpentem prudentem tanquam callidum. Sic enim & Aquila interpretatus est.* Et Hieronymus Quæst. in Gen. *pro sapiente*, inquit, *in Ebræo habet Arum, quod Aquila & Theodotio πανοῦργον interpretati sunt, h. e. nequam & versipellem: Magis igitur hoc verbo calliditas & versutia, quam sapientia demonstratur.* Ad quæ verba Drusius Frag. Vet. Interpp. Græc. p. 86. non male respondet: *Quid ais Hieronyme? ergo serpens erat nequam? Si nequam, quomodo verum illud: Vidit ille quæ fecerat, & omnia erant valde bona?* Equidem dupliciter serpens considerari potest: (1.) prout omnium animantium callidissimum, præ aliis natura inclinationem habet & dexteritatem ad evitandum malum, quam Stoici ἔγκλισιν τοῦ κακοῦ appellant. Ad eam Abar. fol. 152. Col. 2. respexit, dum scribit: הנחש מכניס זנבו באמצע גופו בדרך פן ינזבוהו עוברי דרכים ומגביה ראשו לראות אם יבוא מי שיזיקהו: *Serpens caudam suam in via medio corporis inserit, ne à viatoribus detruncetur, & caput suum erigit, ut videat, an quispiam veniat ei nociturus.* Et Cæsarius q. 190. dialog. 4. Κατευναζόμενος, inquit, καὶ καθεύδων (ὁ ὄφις) τροχίζων ἑαυτὸν μέσον ὅλου τοῦ σώματος κεφαλὴν ἀσφαλίζεται, οἱονεὶ τείχει τῷ ἐφεπομένῳ ὁλκῷ περιοχυρῶν αὐτήν. *Cum quieti se tradit, ut dormiat serpens, sese contorquens medium intra totum corpus caput communit consequente tractu ut muro, illud circumvallans.* (2.) Considerari potest ut organon diaboli. Etsi vero hoc posteriori modo serpens, cum per eum diabolus loqueretur, sine nequitia non fuit, scriptura tamen voce ערום illam h. l. minime significare videtur. Neque Græci interpretes alterutra voce φρονιμώτατος & πανοῦργος malitiam innuere voluisse videntur, quæ serpenti naturaliter competeret. Etsi etiam Hesychius in Lexico τὸ πανοῦργος explicaturus scribit: Πάντα μανθάνων, δόλιος, πάντα ἐν πονηρίᾳ ἐργαζόμενος; minime tamen arbitrari licet, calliditatem omnem malam esse, cum alia sit, quam Basilius καλὴν καὶ ἀγαθὴν πανουργίαν vocat. Quæ cum ita se habeant, non minus τὸ πανοῦργος quam ערום mediæ significationis vox erit, pro re nata in pejorem vel meliorem partem accipienda, veluti etiam ex Proverbiis Salomonis patescit, ubi & פתי nunc *stultum* denotat, nunc *simplicem*, quem Dominus servare dicitur, Psal. 116: 6.

§. 4. Laurentius Ramirez, Pentecentarchi sui cap. 1. serpentem ideo φρόνιμον vocari docet, quod nullum animal sit, quod se magis insinuet. Atque inde ortum esse ait, quod angues in Mercurii caduceo impliciti finguntur, quia summi oratoris, qualis Mercurius habetur, vel præcipuum munus sit insinuatio. Sed rectius Ebræi τὸ ערום explicant per התחבולות, quæ *solertiam* significat. Unde & in *Beer Mose* vertunt Judæi, listig / & suo suffragio comprobant, quod alias de serpentis versutia dicitur, quam naturalem sagacitatem Christus tum respexit, cum Matth. 10: 16. discipulos suos φρονίμους esse jubet ut serpentes, & simplices ut columbas. Ad quæ verba Bochartus Part. 2. lib. 1. cap. 4. Hieroz. bene monet, nec serpentis prudentiam neque simplicitatem columbæ solas laudari à Christo & ad invicem divulsas; sed tum demum laudari, cum simul junctæ sunt; ita ut una suppleat, quod deest in altera, aut corrigat, quod excedit. Quomodo è duobus pharmacis, quæ separatim noxia sunt, tertium componitur, quod utile est & salutare, quia se mutuo temperant.

§. 5. Sed hæc quæ de φρονήσει, ut hominibus tribuitur, intelligenda. Quod vero serpentis calliditatem attinet, licet ea vera sit versutia; non tamen alia intelligitur, quam quæ in brutum cadere potest, quod rationis expers est. Illud vero versutum dicitur, quod sensu imaginationis, quem phantasiam dicimus, admodum valeat, licet & ipsi desit ratio & oratio, quæ est sola mentis interpres, & unicum societatis inter homines vinculum. Ad calliditatem serpentis referunt, quod in via sub arenis, quibus concolor est, latitans ungulas equi mordet, Gen. 49: 17. quod solis exertis corniculis, quæ frumenti granis similia sunt, aviculas quasi ad escam advolantes intercipit, quod, ut Epiphanii Physiologus testatur, senium sentiens in rimam petræ se insinuat, pronusque per foramen nititur & senium exuit. Quod ab homine vestito fugiens nudum aggreditur. Quod ab homine appetitus caput, quod pars est longe potissima & qua illæsa rato succumbit, servare studens, reliquum corpus objicit, id quod Chrysostomus in Psal. 114. his verbis quoque testatur, ὁ ὄφις τὸ λοιπὸν σῶμα προΐεται, ὥστε τὴν κεφαλὴν διασῶσαι. *Serpens reliquum corpus exponit, ut caput conservet.*

§. 6. Quandoquidem verò serpentis calliditatem hic ita Moses exaggerat, ut omnium animalium versutiam anteivisse dicatur, non defuerunt ex Judæis, qui serpentem plus quam animal fuisse dicerent. Ita enim R. Arama, com. in Gen. 1: 31. Col. 1. scribit: הכתוב העיד כי זה בעל חי היה בטבעו ערום מכל שאר בעלי חיים וכאלו הוא אמצע ביניהם ובין המין האנושי בענין הידיעה ושכבר בא אל זה העסק מצד קנאה בחשבו נכלים וערמומיות לדחות פעמי האדם ואשתו בהיותם בתום לבבם: *Scriptura testatur, hoc animal sua natura fuisse callidum præ aliis animantibus, tanquam esset intermediæ naturæ inter illa & speciem humanam, quod cognitionem attinet. Et quod intervenerit hic quædam invidia, dum excogitavit machinas versute, quomodo impellere posset* (Psal. 140: 5.) *gressus Adami & conjugis ejus adhuc in cordis sui integritate existentium.* Ita Arama recte agnoscit quidem, verum & naturalem serpentem intelligendum hoc loco esse, non spectrum; quod verò eidem, ut animal est, invidiam & machinationes tribuit, quibus de circumvenienda Eva quasi consilia agitarit, id qua veritate asseratur, non apparet; ut enim fol. 30. Col. 2. ex c. 2. l. 9. Moralium ipsemet Arama Aristotelis sententiam probat his verbis: הוא מבאר כי חיות בעלי חי הוא בכח החוש אמנם באדם בחוש ובשכל: *Manifestum est, quod vita animantium definiatur potestate sensuum; at hominis, sensuum & intellectus.* Et iterum: אמנם חיות לפי החוש והשכל הנה חיות צוריי מוגבל כפי הפועל הנותן בו השלמות והוא המיוחד לאדם להרגיש מצד שהוא אדם או להשכיל: *Certe vita, quæ secundum sensum & intellectum est, formalis vita est, definita ab agente, quod dat in eo esse completum, & homini tribuitur, ut prout homo est, & sentiat & intelligat.* Cum igitur serpens sit ex animantium censu, quæ vitam sensuum habentia intellectu destituuntur, solus homo hac prærogativa præditus erit, ut Arama fatetur, adeoque serpens sibi relictus minime id præstare potuit, quod ille fecisse ab Arama perhibetur. Neque ita callidum dici serpentem putandum est, quasi is supra brutorum sortem evectus aliquod de intellectu & ratione participaverit.

§. 7. Causa itaque, cur calliditatis serpentinæ hoc loco Moses meminerit, non est, quod illa tanta fuerit, ut per eam homo sit seductus. Neque enim ei utpote bruto intellectus competebat. Sed cum reliqua animantia solertia anteiret, diabolo visum est, eum ut organum adhibere in seducenda omnium viventium matre Eva, ut sic fraudem suam eo magis tegeret & infelix fœmella eo minus persentisceret, ecquis colloquii auctor esset, quo circumveniretur. Ex Judæis R. Moses Alschech hoc ita contigisse haud diffitetur, nobiscum plane consentiens, nisi quod Judæorum errorem errans vulgarem, ipsam malam concupiscentiam cum diabolo confundat, cum tamen distinctissima sint, & hic in illam se insinuet. Sed ipsum Alschechum audire quid vetat? Ita verò ille fol. 13. differit: נודע כי שטן הוא יצר הרע הוא סמאל הוא מלאך המות וראה הנה אם האדם לא יחטא וחי לעולם יבולע הוא לנצח ע״כ השתדל בכל עוז ותעצומות להחטיאו כי לא יכול לו כי קדוש הוא לאלהיו ודבק בקונו וגם המרו זך מאד ולא יקל לטמאו ע״כ מה עשה הלך לו אל האשה אשר בטבעה קלה להתפתות מהאיש למען אחר ההפתתה היא תהיה לו מעיר לעזור לפתותו עד יפותה ויכלו לו ומה גם למש״ל כי בעלה לא היה עמה או בדבר לה הנחש כי הלך לשט בארץ לגזור יישוב במקומות הראוים כמאמרם על פסוק לא עבר בה איש ישב אדם שם ואף גם האשה ההיא לא כנשים אשר בכל דור היתה כי מעשה ידיו יתברך היתה ולא תקל להתפתות על ידי מחשבה ככל אדם שהיצר הרע יתן בלבו מחשבה ורע להרע על כן ראה והנה צריך סרסור יתלבש בו היצר הרע הוא שטן הוא סמאל ופה אל פה ידבר בה שיהיה במחשבה ודבור׳ ע״כ חרש חכם בקש לו לסרסור הוא הנחש כי הוא יהיה לפה וכל דבריו באים מסמאל המלובש בו וכל אשר הנחש עושה הוא היה עושה ומה מתקו בזה דברי פרקי ד״א וז״ל רכב סמאל על הנחש כרוכב על הסוס: *Constat Satanam esse figmentum malum, Samaëlem, angelum mortis. Ecce vero, si homo non peccasset, in æternum victurus fuisset, illo (Satana) in æternum absorpto. Idcirco omni-*

omnibus modis pro viribus studuit eum in peccatum adducere. Non enim hoc in se prævalere potuit, quia sanctus erat DEI & adhæsit creatori suo. Materia ejus erat pura, & facile contaminari nequibat. Ecquid verò ille fecit? Mulierem adiit, deceptu faciliorem viro, ut post seductionem illa adjutrix esset in seducendo marito, donec & ille seduceretur. Atque hoc est quod Dd. l. m. dixerunt: Maritum, cum serpens loqueretur cum illa, non fuisse præsentem. Iverat enim in locis commodis terram habitabilem definiturus, ut perhibent ad comma (Jer. 2: 6.) non terram transiit ibi vir neque habitavit ibi homo. Quid, quod mulier etiam illa non fuit ut fœmella cujusvis temporis. Extitit enim illa opus manuum DEI benedicti, neque facile cogitationibus seduci potuit, ut quivis homo, cui à concupiscentia malæ cogitationes suggeruntur ad male faciendum. Idcirco artifice perito opus habebat sibi, qui proxeneta esset, quo se indueret, figmento malo scil. quod Satan est & Samael & oretenus cum illa locutus est, ut cogitationibus & verbis ageret. Adeo perito artifice opus habuit, quo proxenetæ sive mediatoris vice uteretur, nempe serpente. Hic enim oris loco ei fuit, omnia verba verò promanabant è Samaele, qui indutus erat eo. Et quicquid serpens agebat, id ille peregit. Et quam concinna sunt verba in Pirke Rabbi Elejeseris, dum ait: insedit Samael serpenti veluti eques equo.

§. 8. Quod Alschech figmentum malum sive concupiscentiam, Satanam & angelum mortis pro iisdem habet, in eo secutus est Talmudistas, quos & R. Lipmannus sæpius sequitur, veluti Hackspanius ὁ μακαρίτης monuit præfat. ad Lectorem lib. Nizzachon. Clarissime verò idem significat, nulla circutione usus, R. Bechai fol. 13. col. 1. com. in Legem his verbis: סמך הנחש אל האשה שהשטן נברא עמה והיא גוף של יצר הרע והיא קלה להתפתות: *Jungit serpentem fœminæ, quia Satan cum muliere est creatus, & illa corpus est figmenti mali & facile seduci potest.* Et fol. eod. col. 4. כבר ידעת מאמי׳ ז״ל הוא שטן הוא יצר הרע הוא מלאך המות: *Jamdum nosti Dd. l. m. sententiam, Satan, figmentum malum & angelus mortis idem sunt.* Atque hinc manifesto patet, Judæos gravissimum errare errorem, dum malam concupiscentiam diabolum ipsum, seductorem, esse persuasum habent, & hunc cum Eva creatum esse somniant. Cui affine quid inter Christianos deprehendi, diffiteri non potuit Theologus doctissimus, Fridericus Balduinus, Cas. Conscient. lib. 3. cap. 2. cas. 1. *Hodie*, inquiens, *reperiuntur multi, qui concupiscentias carnis aut pravas cogitationes saltem diabolos appellari putent.* Sed quod Judæos attinet, quid mirum, eos adeo ineptire, & inter יצר הרע *figmentum malum*, vel concupiscentiam pravam, & שטן vel *diabolum* distinguere nescire. Cum ipsimet haud diffiteantur suam ἀβλεψίαν & cœcitatem. Ut enim Arama scribit fol. 24. col. 3. בעונותינו ובענות אבותינו אנחנו בעומק גלותינו חשכו עינינו אבדה חכמתינו וזה כמה נסתמו מעייני קבלתינו: *Ob peccata nostra & majorum nostrorum in profundo hoc exilio hæremus, oculi nostri caligarunt, sapientiæ nostræ jacturam fecimus & quot traditionis nostræ fontes hinc sunt obstructi?*

§. 9. Sed nunc Abarbenelis commentum expendamus, qui loc. cit. sic scribit: לכן דעתי בענין הנחש ותוכן הספור הזה ואגיד לך פה שהוא יסוד הפרשה הזאת ואמתתה והיא שהנחש לא דבר כלל אל האשה ולא האשה אליו כי לא איש דברים הוא ולזה לא אמר הכתוב בענינו ויפתח ה׳ את פי הנחש כמו שאמר באתון בלעם ששם בעבור שהיה דבור האתון כפשוטו ועל דרך פלא נאמר ויפתח ה׳ את פי האתון אבל בנחש לא אמר שפתח את פיו לפי שלא דבר כלל לא כדרך טבע ולא בדרך נס׳ אבל היה הענין שהיא ראתה את הנחש שהיה עולה בעץ הדעת ואוכל מפריותיו פעם אחר פעם ולא היה מת ולא ניזוק בדבר מה׳ והאשה חשבה בזה ותקרה בעצמה כאלו היתה מדברת עם הנחש וכי הוא בעלותו בעץ ובאכלו מפריו היה אומר אליה לא מות תמותון אף היא במחשבתה תשיב אמריה על זה וע״ד מלפנו בהמות ארץ ומעוף השמים שחכמנו כי היא עשתה התח כמותה וחקירתה ממעשה הנחש והם הם דברים שיחס הכתוב אליו: *Ideo ut meam opinionem in hac narratione intelligas, tibi hic indicabo fundamentum, in quo veritas sectionis hujus consistit. Nempe quod serpens nihil quicquam loquutus sit ad fœminam, neque hæc ad illum. Minime enim loqui potest, & idcirco Scriptura non ait in hoc negotio: & aperuit Dominus os serpentis, veluti dixit de asina Bileami, quia ibi eo, quod asina loqueretur, ut litera habet, & quidem miraculose, dictum est: & aperuit Dominus os asinæ, sed de serpente non dixit, quod Dominus os ejus aperuerit, quia nihil omnino est locutus neque naturaliter, neque supernaturaliter. Sed res ita habet; illa (fœmina) vidit serpentem ascendentem in arborem vitæ, & subinde de fructibus ejus comedentem, neque tamen inde mortem contrahentem vel damnum, & ipsa igitur fœmina hoc secum volvit & investigavit, tanquam cum serpente loqueretur, & hoc in arborem ascendente, diceret ad seipsam, non morte moriemini, & sic ad sua verba responderit cogitationibus suis, eum in modum, quo dicitur* (Job. 35: 11.) *doces nos ex jumentis terræ & de volatili cœli reddes nos sapientes. Illa enim ex serpente sapere & investigare cœpit, & isthæc verba Scriptura ad illum (serpentem) refert.*

§. 10. Hanc opinionem suam novam R. Abarbenel ut ingeniosam & alias haud ita notam lectori obtrudit, & ne forsan assensus illius aliquid obstaculi patiatur, omnibus modis illud amoliendum sibi arbitratur, addita responsione ad objectionem, quam quis ex textu movere queat. Illa ita habet: ואל תקשה עלי כ״מש הכתוב ויאמר אל האשה כי הנה האמירה ההיא ענינה הוראת פעולתו ומה שחשבה היא ממנו׳ והוא מלשון שאל נה בהמות ותורך ועוף השמים ויגיד לך או שיח לארץ ותורך ויספרו לך דגי הים׳ וכן אמר במקום אחר׳ שאול אמר לא בי היא וים אמר אין עמדי אבדון ומות אמרו באזנינו שמענו שמעה׳ ועוד אמר הללו את ה׳ מן הארץ תנינים וכל תהומות וידועה שהדברים האלו אינם בעלי שכל ולא ידברו ולא יאמרו ולא יספרו כאלו הדברים עצמם מספרים ומגידו להם אותם האמירות והלולים ולזה נאמר בתחלת הספור הנה והנחש היה ערום מכל חית השדה ולא היתה ערמתו ידיעה והשכל וטענות נצחיות אבל היה בעלותו בעץ לאכול לשבעה מפריו מה שלא היו עושים שאר חיות השדה ולכן לא זכר העוף כי אם חית השדה ומפני זה לא נאמר גם כן מן האדם לפי שלא היתה ערמתו בהשכל ובהדבור כמוהו כי אם בבקשת מזונו יותר מכל חית השדה: ואמר אשר עשה ה׳ אלהים להודיענו שעשה אלהים את הנחש בזה ערום מאד בהשגחה פרטית כדי לנשות בו את האשה והאדם כמו שיתבאר כי בעלותו שמה ואכלו מפרי העץ התבוננה האשה ונשאה ונתנה בעצמה כאלו הנחש אומר אליה זה׳ שנזכר הנה אם כן אמת היה שהנחש סבב כל הרעה הזאת ושבאה התקלה על ידו אבל לא שדבר בפועל כלל: *Noli mihi objicere, quod scriptum est* (Gen. 3: 1.) *& dixit ad mulierem. Ecce enim illius locutio nihil aliud est, quam actionis ejus demonstratio, & quod de eo cogitarit. Atque hoc ex illa significatione est, qua dicitur* (Jobi 12: 7.) *interroga quæso jumenta, & docebunt te, & volatile cœli, & indicabit tibi,* (v. 8.) *aut loquere terræ, & docebit te, & narrabunt tibi pisces maris,* (Job. 28: 14.) *vorago dixit, non in me ipsa, & mare dixit, non apud me.* (Job. 28: 22.) *Perditio & mors dixerunt: in auribus nostris audivimus factum ejus. Et David ait* (Ps. 148: 7.) *Laudent nomen Domini de terra dracones & omnes voragines. Notum autem est, hæc omnia intellectu destitui, neque loqui, neque dicere, neque narrare, neque laudare; sed propter illorum operationes, cum intelligunt illas homines, hos loqui, narrare & laudare, perinde ac si illæ ipsæ res narrarent & indicarent ejusmodi dicta & laudes. Et idcirco initio hujus historiæ dicitur, & serpens erat callidior omnibus bestiis agri, & non fuit calliditas ejus notitia & intellectus & rationes probabiles; sed constitit in ascensu in arborem ad comedendum ad saturitatem de fructu ejus, contra quam aliæ bestiæ agri faciebant. Et ideo non meminit avium, sed bestiarum agri, & idcirco etiam non ait: callidior hominibus, quia ejus calliditas non constitit in intellectu & loquela, sicut horum; sed in investigatione alimenti sui, præ reliquis bestiis, cum ait, quas fecit Deus, ut inde percipiamus, Deum serpentem hac calliditate fecisse insigni sua speciali providentia, ut eo Evam & Adamum tentaret, uti manifestum est. Eo enim ascendente, ibi & fructum arboris comedente, mulier intellexit, sibi ipsi objecit & respondit, quasi serpens ipsi locutus sit hæc omnia, quæ memorantur. Ecce cum res ita habeat, verum omnino est, omnis mali hujus causam habendum serpentem, & per ipsum hanc maledictionem adductam esse; sed minime ita, quasi quicquam reapse sit locutus.*

§. 11. Sed R. Abarbenel instat, fol. 30. col. 1. & rationem ex textu producere allaborat, cur non tam de colloquio inter Evam & serpentem habito, quam hujus exemplo duntaxat intelligenda sint verba Mosaica: בעבור שהיה הספור הזה עם היותו מיוחס לנחש הוא כלו כפי אמיתתו ׳מחשבת האשה וטענותיה לכן ביארו הכתוב באמרו ותרא האשה כי טוב העץ למאכל׳ כי הנה לא אמר ותשמע האשה לקול הנחש ולא שהאמינה לדבריה לפי שלא דבר אליה כלל׳ אבל שהיא ראתה בעצמה ובמחשבתה כל זה שזכר הפסוק הזה הוא בלי ספק עדות ברורה על מה שביארתי ר״ל שלא דבר הנחש אל האשה ולא האשה אליו אבל שהיה כל המשא ומתן הזה טענות האשה כפי מה שהתעוררה ממעשה הנחש ואכילתו מהעץ ההוא: *Quia hæc narratio, licet serpenti tribuatur, secundum*

ve-

veritatem tota in cogitatione fœminæ consistit & rationibus ejus, idcirco Scriptura explicat eam, dum ait: & vidit fœmina, quod bona esset arbor ad cibum. Ecce enim, non ait, & obtemperavit fœmina serpentis voci; neque eam credidisse verbis ipsius asserit, quia nihil quicquam ad illam est locutus; sed quia ipsa hoc omne vidit & in sua cogitatione, quod comma hoc commemorat, citra dubium clare testatur de veritate hujus, quod explicavit, h. e. quod serpens ad fœminam nihil sit locutus, neque vicissim fœmina ad eum; sed quicquid hic ultro citroque factum est, rationes fœminæ esse, prout illa ex facto serpentis & esu de arbore seipsam excitavit.

§. 12. Licet vero hoc R. Abarbenelis interpretamentum vir celeberrimus & Regius apud Parisios Ebraicarum literarum Professor, Simeon de Muis pag. 9. Var. Sacr. ut omnium acutissimum commemoret, & maximi faciat; adeo tamen à veritate alienum est, ut demirer, doctissimum cæteroquin virum illud tanti facere potuisse. Verba enim Scripturæ tam clara sunt, & contrarium ejus, quod Abarbenel contendit, tám aperte præ se ferunt, ut aliter, quam intellectus super iis fertur, ea exponere, fit, vim iis inferre. Neque Abarbenel crimen manifestæ detorsionis declinare potest, nisi valedixerit tam contortæ expositioni. R. Maimonidis super hac tentatione conjecturam his verbis ipse refert Abarbenel: דעת הרב המורה ומחזיקים בבריתו נפלאה ממני שפשט הכתוב אינו כלום אבל שהוא רמז מן החכמה הטבעית והאלהית: *Sententia Doctoris (perplexorum) & complicum ejus, mihi oppido paradoxa videtur, quum sensum literalem hic nullum, sed naturalis & divinæ sapientiæ indicium esse contendunt.* Non male vero ad eam, quamvis obscurius prolatam, hoc reponit: כבר הודעתיך שאין ראוי להכחיש ספור אחד בכללו שיעידו עליו פשוטי כתובי התורה: *Significavi tibi jamdum, non licere ullam historiam inficiari, quam sensus Scripturæ literalis comprobat.* Eccur ergo hic tantum דבר מושכל ומחשביי *rem intellectualem & in mera cogitatione consistentem agnoscens*, negat verba, prout jacent, accipienda, & de sermone inter serpentem & Evam ultro citroque habito intelligenda esse? Si literam ita pro libitu deserere, & quidvis comminisci liceat, actum erit de Scripturæ veritate, & nihil certi manebit in toto codice sacro.

§. 13. Atque hæc causa est, cur Vossius *lib. 3. cap. 48. de Idololatria*, Cajetanum reprehendat, & eum falli existimet, quod sibi persuadeat, verba, quibus Deus soporem Adamo immisisse & ex costa ejus Evam formasse dicitur, non historice debere intelligi de primæ fœminæ formatione; sed allegorice, de productione universi sexus muliebris. Cujusmodi errorem idem Cardinalis errat, dum internam duntaxat locutionem Evæ, nihil externum & sensibile intervenisse contendit, à quo haud absentire visus est Augustinus, lib. 1. de Genesi, c. 34. ubi per arcanas duntaxat suggestiones, non corporaliter, in serpente diabolum collocutum esse cum Eva docet. Contra omnes à litera recedentes militat argumentum Abarbenelis fol. 25. col. 1. אם היה כל מה שנכתב מתחלת התורה עד פה מהבריאה הראשונה ספור אמתי כפי פשוטו וכן אחרי הפרשה הזאת כל דברי הספר הזה הם ספורים אמתיים כפי פשוטם איך יתכן שנאמר שבאמצעיתם נכנסה פרשה גדולה כזאת שאין בה ספור כלל ואין פשוטה אמתי אבל היא חכמה עיונית מהטבע ואלהות: *Si omne id, quod ab initio legis huc usque scriptum est de creatione prima, vera est historia secundum sensum literalem, & post sectionem hanc omnia verba libri hujus vera sunt secundum sensum literalem, quam inconveniens erit, si dicamus, in medio illius sectionem haberi magnam, uti hæc est, in qua nulla prorsus sit historia, neque sensus literalis; sed tantum sapientia speculativa de natura & divinitate?*

§. 14. R. Aben Esra aliorum quoque meminit, qui in hanc opinionem inclinarint. Sic enim scribit: ויפרשו ויאמר הנחש ברמיזה: *& explicant quidam verba: & dixit serpens, de signo vel nutu.* Quidam etiam de צפצוף de *sibilo*. Quasi verò Eva bestiarum linguas vel idiotismos tunc intellexerit, quod nonnullos Ebræorum Doctorum asseruisse, Aben Esra autor est, sic loquutus: יש אומרי׳ כי האשה היתה מבינה ויודעת לשון החיות: *Sunt, qui dicant, Evam intellexisse & calluisse linguam animantium.* R. verò Lipmannus l. cit. ad verba serpentis: *eritis sicut Dii*, scribit: אפשר מכח חכמה רמיזה שני והנחש היה ערום וגו׳ וזה נקרא דבור כמו שאפרש בע״ה בתהלים סימן רע״ד: *Fieri potest, ut sapientiæ suæ virtute hoc innuerit, quia dictum est, & serpens erat callidus &c. & hoc notat idem ac locutus est, ut, Deo auxiliante, explicabo in Psalmis num. 274.* Sed licet cœli, de quibus Lipmann. scribit: לא שייך דבור אצלם *ad eos loquela non pertinet*, Dei gloriam enarrare dicantur Psl. 19: hoc tamen nonnisi objective & figurate intelligi potest, cum creaturæ sint inanimatæ, sensu juxta & vita destitutæ, adeoque Deum ita laudare dicantur per prosopopœiam, ut palam pulchritudine sua testentur, se opus Dei esse & ab eo originem suam traxisse. At enim hic non, ut in hymnis artificio poëtico & improprie aliquid recensetur; sed historicè & nude refertur, quid reapse contigerit. Et cum non modo serpentem ex Eva quæsivisse; sed etiam Evam illi respondisse, asseveret Moses, longe aliam rationem hujus capitis esse liquet, quàm illorum locorum, quæ R. Abarbenel in medium attulit. Quod verò Rabbi suæ interpretationis robur in eo ponit, quod non dicatur, verbis ejus Evam credidisse aut obtemperasse, id plane frivolum est. Ecquem enim latet, in historiis, iisque brevioribus, sæpenumero rem brevius narrari citra omnem circuitum? Neque exemplum asinæ Bileami hic adducere licet; quod plane dissimile esse, quivis animadvertit.

§. 15. Manet itaque fixum atque firmum, verba, ut sonant, accipienda esse de colloquio, quod inter Evam & serpentem fuerit habitum, licet olim aliter visum sit Juliano Apostatæ, qui spectrum, non verum hic serpentem fuisse, docuit. Intelligitur verò illud ex verbis אמר אל האשה, dixit ad mulierem, ubi utrique, & serpenti & Evæ, diserte sermo attribuitur. Quin & contextus militat pro hoc interpretamento, cum ad quæstionem & responsio ad illam ita data recenseatur, ut tandem esus fructus arboris vetitæ reapse sit subsequutus, & pœna pro delicto utrique inflicta. Hæc omnia, ut solis radiis scripta apparent, ita R. Abarbenelis παρεμβολείαν destruunt penitus. Is sane non expendit, neque præjudicio occupatus à se impetrare potuit, ut crederet, in verbis אמר אל האשה *& dixit ad mulierem*, ellipsin nominativi esse; nempe diabolus in serpente, dixit ad mulierem. Mentionem illius Moses omittit, & rem solum aspectabilem, ut Evæ videbatur, synecdochice nominat. Nempe, quia de lapsu Angelorum malorum Moses, in descriptione creaturarum visibilium occupatus, nihil dum expresse dixerat, ex abrupto quoque illorum mentionem facere noluit, ne tales à Deo conditi putarentur. In re itaque hac, cujus uberior explicatio N. T. & spiritui CHRISTI reservabatur, 1 Petr. 1: 11. involucro quasi usus est, & uti forinsecus apparebat, mulieri cum solo serpente sermonem esse, ita etiam non nisi naturalis serpentis Moses meminisse voluit, ut adeo nollem scripsisse Abarbenelem l. cit. דעת האומר שהנחש המדבר היה השטן שנראה לאדם בצורת הנחש כמו שכתב הגאון רב סעדיה וזולתו היא באמת מחשבות און שאין בה ממש: *Sententia illorum, qui perhibent, serpentem loquentem fuisse Satanam, qui homini apparuerit in forma serpentis, veluti scripsit Haggaon Rabbi Saadia & alii cum eo, revera nihil aliud continet, quam vanissimas cogitationes, quibus nihil inest solidi.*

§. 16. R. Aben Esra quidem com. in h. l. itidem dissentit, cum hunc in modum scribit: אמרו שהוא שטן ואיך לא יראו סוף הפרשה כי איך ילך השטן על גחון ואיך יאכל עפר ומה טעם לקללת הוא ישופך ראש: *Dicunt, quod fuerit Satan, & non inspiciunt sectionis finem. Ecquomodo enim Satanas eat super ventre, & quomodo vescatur pulvere? Et quis tandem sensus erit maledictionis? Ille conteret tibi caput.* Sed qui Satanam per serpentem locutum fuisse docent, & antecedentia & consequentia haud proletarie inspexerunt: quin alia quoque loca Scripturæ cum iisdem diligenter contulerunt. Quod Aben-Esræ rationes attinet, ejusmodi illæ non sunt, ut Diabolum nullo modo intelligi hic posse evincant. Id equidem diffiteri nolumus, *in ventrem serpere & pulvere vesci*, ejusmodi prædicata esse, quæ serpenti naturali competere queant. Unde על גחונך *super ventre tuo* Kimchi explicaturus, scribit: כלומר שהולך מושכב ארצה על בטנו: *quasi dicat, quod pronus ingrediatur in terram super ventre suo.* Et R. Elias, animadvers. in lib. radic. Kimchii ita notat: לא נקרא גחון רק בטנם של שרציים ולא שאר בעלי חיים: *non usurpatur nisi de reptilium ventre, de reliquorum animalium non item.* Similiter, pulvere vesci, in Scripturis serpenti alias attribui solet, ut Mich. 7: 17. Esa. 65: 25. Unde Abarbenel fol. 24. col. 3: ait: עפר מזון מיוחד להנחש *Pulvis est alimentum proprium serpentis.* Sed quia geminum illud prædicatum, *super ventre ire & pulvere vesci*, serpenti ante hominis lapsum etiam competebat, pœnæ loco eidem tribui posse non desunt, qui negent. Unde necessario diabolo, serpentis insessori, hæc, competere, Clarissimus quidam Vir hunc in modum probat: *De illo serpente verba (v. 14.) accipienda sunt, cui in pœnam inflictum est, ut maledictus esset præ omnibus bestiis terræ, ita ut super ventre suo graderetur, & pulverem comederet cunctis diebus vitæ suæ. Atque serpenti naturali hoc non poterat in pœnam infligi; sed serpentis naturalis insessori, diabolo. Ergo non*

de serpente naturali, sed insessore ejus diabolo verba accipienda sunt. Major per se clara est ex verbis. Minorem inde probamus, quia serpenti ex creatione divina naturale erat, ut graderetur super ventre & pulverem comederet.

§. 17. Sed cum sic tropico quodam modo diabolus super ventre ingredi dicatur, cum tamen, quæ in serpentem quadrant, per allegoriam ad Satanam trahenda haud sint, v. 14. de serpente naturali gemina illa prædicata verificari etiam interpretes complures docent, non obstante eo, quod etiam ante lapsum in ventrem serpere & pulvere vesci solitus fuerit. Petrus Molinæus l. cit. *Ut*, inquit, *Dei verbis fides constet, statuendum est, hic esse aliquam pœnam. Estque credibile ante hanc tentationem, serpentem, etsi se traheret in ventrem, id tamen fecisse majori facilitate & potuisse facilius attollere pectus à terra, sicut semierectus incederet, quod de basilisco prodit Plinius lib. 8. c. 21. Virg. Georg. III. de serpente*:

Arduus ad solem & linguis micat ore trisulcis.

Et Ovid. l. 3. Metamorph. describens pugnam Cadmi cum serpente,

Ac media plus parte leves erectus in auras.

Et paulo post:

—— Longa trabe erectior extat.

Neque multo aliter Bochartus respondet, dum *tantum, quod erat naturæ, in pœnam cessisse* ait, ut in homine nuditas & in muliere partus. Neque est, ut sic serpentis supplicium fictum propterea appellemus, ut nonnemo ausus est contendere, ceu ex tractatu D. Christophori Wolfii de lapsu Adami disp. 3. §. 5. refert Joh. Conrad. Dietericus, A. Bibl. fol. 92. cum revera deinceps gressus ille & esus serpentis, DEI nutu, pro pœna habendus fuerit.

§. 18. Versum 15. vero quod attinet, vetustissimi Ecclesiæ Christianæ Dd. & Nostrates, uno ore fatentur, de diabolo, qui in serpente erat, intelligendum esse, neque id fit nulla ratione. Rem enim dignam summa DEI sapientia & justitia esse, quilibet videt, ne intacto & illæso diabolo, sceleris autore, solus serpens luat pœnam. Oportet itaque hæc sit pœna diaboli, qui cum terreno illo serpente junctus, locutionis causa principalis existens unam quasi personam moraliter constituebat. Atque ita hæc verba dæmonem, principalem mali causam, omnino feriunt, cujus caput à semine mulieris contritum iri cum hic prædicitur, etiam modus, quo ejus regnum evertendum sit, hic significatur, nempe per mulieris semen, quod, ut diaboli opera destrueret, in mundum venturum erat 1. Joh. 3: 8. cujus etiam virtute futurum erat, ut sub pedibus nostris Satan conteratur. Rom. 16: 20.

§. 19. Quemadmodum vero hoc Protevangelium in Paradiso lapsis parentibus primis solatio jam tum fuit, ita subsecutis temporibus hujus serpentini capitis contritoris memoria aliis quoque grata fuit atque jucunda, qui ipsum aliis nominibus ornarunt. Jobus eum גֹּאֵל *redemptorem* suum vocat, c. 19: 25. In hoc semine mulieris Noachus factus est *hæres justitiæ secundum fidem*. Ebr. 11: 7. Illud semen Abrahamo & Isaaco promisum est, Gen. 22: 18. Ejus salutem expectavit Jacob & adventum prædixit, Gen. 49: 10. 20. Propter illud sacrificia fide offerenda DEO grata fuerunt & accepta. Et hoc tot Reges & Prophetæ gestierunt videre, Luc. 10: 24. in quo omnes DEI promissiones sunt Amen, veræ, constantes & certo adimplendæ, 2. Cor. 1: 20.

§. 20. Ex eo quoque relucet, v. 15. de solo naturali serpente minime agere, quia rationem in textu expressam illi præ aliis animalibus haud competere palam est. Ut enim R. Bechai fatetur, com. in Legem. fol. 13. Col. 4. אין לנו איבה עם הנחש יותר עם שאר שרצים: *Non est nobis inimicitia major cum serpente naturali, quam cum reliquis reptilibus.* Ergo talis intelligendus est serpens, inter quem & genus humanum maxima est inimicitia, eaque non nudi affectus; sed odium exercitum, h. e. infestissimum bellum infestissimis inimicitiæ affectibus gerendum. Ille vero ecquis alius sit, quam ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλούμενος διάβολος καὶ ὁ σατανᾶς, ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην, uti Johannes Evangelista graphice eum depingit Apoc. 12: 9. 20: 2. Hujus nempe invidia mors in mundum venit, Sap. 2: 24. & hic homicida & pater mendacii ab initio audit, Joh. 8: 44. cui, quicquid hic serpens locutus, tribuendum esse, vel res ipsa docet, & supra ex Judæis R. Alschech fassus est.

§. 21. Atque ita patescit, nihil causæ esse, quamobrem neget Aben Esra de diabolo sermonem hic esse, & sciscitetur, quomodo verba, *& conteret caput serpentis*, de illo verificari queant, & tanti momenti negotium soli naturali serpenti attribuat, qui uti rationis expers est; ita sibi relictus minime ea, quæ serpens dixisse perhibetur, potuit in medium attulisse. Huc accedit, quod nullo modo verisimile sit, serpentem naturalem qua talem, qui hominis dominio obnoxius erat, eum ad neglectum divini mandati pellexisse. Unde etiam Philo Judæus, de seductione illa ante Johannem scribens hunc in modum loquitur: οὕτω μὲν λεγόμενα φάσμασιν ἔοικεν, καὶ τέρασι, δράκων ἀνθρώπου προϊέμενος φωνὴν καὶ διασοφιζόμενος ἀκακωτάτοις ἤθεσι, καὶ πιθανότησιν οὐ προσηγόροις γυναῖκα ἀπατῶν. *Hæc quæ referuntur, spectris & portentis propiora videri queant: draco humana verba emittens & argutiis innocentissimos mores corrumpens & persuasionibus, quibus facile imponatur, mulierem decipiens.*

§. 22. Minime igitur applausum meretur R. Abraham Aben-Esra, cum ait: הישר בעיני שהם הדברים כמשמעם והנחש מדבר והיה הולך בקומה זקופה והשם דעת באדם שם בו והנה הפסוק מעיד כי היה ערום מכל חית השדה רק לא כאדם: *Mihi verba illa secundum sensum literalem intelligenda videntur. Serpens nempe loquebatur, erecta incessit forma, & qui scientiam posuit in homine, is & in illo posuit. Ecce vero scriptum testimonium hisce perhibet. Fuit enim (serpens) callidior omnibus animalibus agri, sed non ut homo.* Tria serpenti tribuit Aben-Esra. Arbitratur enim (1.) ei per se & in sua natura competivisse loquelam. (2.) erecta forma eum ingressum esse, & (3.) scientiam eum vel intellectum habuisse. Sed serpentem, qui natura sua, teste Aristotele, linguam ἄχρηστον πρὸς τὴν τῆς φωνῆς ἐργασίαν, *inutilem ad vocis officium* habet, tunc loqui potuisse, nondum dedit comprobatum. Alius fuit, qui per serpentem loquebatur, in gutture serpentis verba formans. Quod verò erectum eum ingressum esse perhibet, neque illud ei largientur omnes interpretes. Schindlerus quidem in Lexico fol. 1107. scribit: *Serpens loqui poterat & erectus incedebat, Deus ei vocem & pedes ademit.* Et ipsum B. Lutherum, asserentem instar cervi vel pavonis eum incessisse, cum D. Hunnio & Joh. Conrado Dieterico Antiq. Bibl. fol. 92. secuti complures statuerunt. Ipse Josephus lib. 1. c. 2. de A. Jud. de Deo loquitur ita: ἀφείλετο τὸν ὄφιν τῆς φωνῆς, *vocem serpenti ademit.* Et paulo post: ποδῶν τε αὐτὸν ἀφυστερήσας σύρεσθαι κατὰ τῆς γῆς ἐπισπώμενον ἐποίησε, *& pedibus eum privans fecit, ut per terram repens traheretur.* Et Basilius sermone de Paradiso: οὐ φρικτὸς, inquit, ὁ ὄφις τότε· ἀλλὰ προσηνὴς καὶ ἥμερος, οὐ φοβερὸν ἐπικυμαίνων τῇ γῇ καὶ ἐφέρπων. ἀλλ᾽ ὑψηλὸς ἐπὶ ποδῶν βεβηκώς, *Non erat formidabilis serpens; sed mitis & mansuetus, nec fluctuans terribili modo super terram & repens; sed sublimis incedens in pedes.* Nec absentit Barcepha lib. de Par. c. 27. & apud eum D. Ephrem. Ebræi quoque antiquissimi in Bereschit Rabba fol. 12. edit. Venetæ scriptum reliquerunt: דיקרטוס היה עומד כקנה ורגלים היו לו: *Erectus stabat* (serpens) *instar arundinis & pedibus erat præditus*, quod Aben Esram quoque supra asseverare vidimus. Et R. Salomo com. in Jer. 47: 22. ad verba: *Vox illius quasi serpentis*, scribit: למדנו מכאן שכשאמר הקב״ה לנחש על גחונך תלך קטע את רגליו והלך קולו בסוף העולם: *Discimus exinde, Deum benedictum cum ad serpentem diceret super ventrem tuum ibis, abscidisse pedes ejus, & clamorem ejus pertigisse ad extremitatem mundi.* Quod commentum Jonathan quoque ad c. 7: 9. Exodi suum fecit, & legitur in Pirke R. Eliezeris.

§. 23. Verum enim vero exinde, quod Deus post seductionem serpentem super ventrem incessurum ait, necessario sequi, eum ante pedibus præditum fuisse, minime dixerimus. Non sane id admisit Petrus Picherellus, qui novam syntaxin verborum dedit hoc modo: *quia hoc fecisti, maxime omnium animantium, etiam ferarum maledicte, per omne vitæ tempus humi serpture, & pulverem esure, ob id inimicitias inter te & mulierem excitabo.* Ubi אָרוּר אַתָּה vocandi casu vertit. Neque tum demum ob maledictionem pulvere vesci cœpisse licet colligere, quia, cum ante lapsum quoque humi repsit, fieri non poterat, quin pulverem cum aliis cibis in os ingereret. Veluti David, pronus in cinere jacens & pane in terram projecto vescens, in luctu suo conqueritur, se sicut panem cinerem comedisse. Et cum alias *pulverem lingere*, scripturæ phrasi extrema abjectio & opprobrium notetur Es. 49: 23. Ps. 72: 9. fieri potuit, ut Deus serpentem ut maledictum tam abjecta quoque phrasi notare voluerit, ut tamen sic nihil in serpentis natura fuerit immutatum. Unde Bochartus Hierozoici lib. 1. c. 4. p. 23. *Mihi*, inquit, *non fuit verisimile, propter peccatum hominis Deum in natura serpentis quicquam mutasse.* Petrus quoque Molinæus lib. 4. c. 2. *de Vate* ideo negat, serpentem nunc aliam formam vel figuram habere corporis, quam olim habuerit ante lapsum, quod Deus naturam propter peccatum ne in ipso quidem diabolo mutarit. Consimiliter Joh. de Mey, Ecclesiastes Medioburgensis, pag. 36. Physiologiæ S. negat, verisimile esse, post lapsum

lapſum quicquam in natura mutatum à Deo fuiſſe. Intellectum vero ſerpentem inde à creatione habuiſſe, recte negat Abarbenel: כי הכתוב הכנסו תחת סוגה בלתי מדבר באמרו והנחש היה ערום מכל חית השדה ולמתיחסים סוג אחד: *Quia Scriptum eum redigit ſub ſpeciem loquelæ expertem, dum ait: & ſerpens erat callidior beſtiis omnibus agri, & quæ uni ſpeciei accenſentur.* Memoratu quoque dignum eſt, quod R. Abarbenel fol. 29. contra R. Salomonem & AbenEſram hunc in modum diſſerit: שלשה המה מהדעות נפלאו ממני בענין ספר הנחש ודבור והלך בקומה זקופה ושבחטאו הוסר ממנו שכלו ודבור ונקצבו רגליו כי זהו כלו הכחשת טבעו דברים ומהויותיהם ולא נזכר זה בתוך קללותיו בהיותה עצומה מכלם: *Tres illæ ſententiæ mirabiliores ſunt, quam ut aſſequi eas poſſim, quæ de ſerpente traduntur, quod loquutus ſit, erecta ſtatura fuerit ingreſſus, & quod ab ipſo peccante intellectus & loquela ablata & pedes abſciſſi ſint. Hæc omnia enim ſunt nihil aliud, quàm ipſarum rerum naturam & eſſentiam negare, neque in maledictionibus ejus, utut omnium maximæ erant, hoc commemoratur.* Sanè cum Ariſtoteles obſervarit, neque duos vel tres pedes ſufficere ſerpenti ob longitudinem ejus, ἀποδίαν ſerpenti naturalem initio fuiſſe, adeoque illum nunquam non extitiſſe ζῶον ἑρπετὸν, vel inde haud obſcurè eſt colligere.

CAPUT SECUNDUM.

SUMMARIA.

Serpentini colloquii exordium ob particulam אף controverſum. Priſcorum Ebræorum ſuper illa obſervatio. R. Salomo & Albo perperam eam explicantes à R. Abarbenele notati. Auctoris libri Michlal Jophi ſententia, qua aliquid ſupplendum eſſe contendit, Abendanæ improbata. Abendanæ, Aramæ & Abarbenelis opinio, quâ ab Eva ſerpentis ſermonem interruptum eſſe volunt, excutitur. B. Lutheri verſio Chaldæi, Syri & Arabis ſuffragio ſtabilita. Cur Evæ reſponſum periculoſum fuerit, ab Arama oſtenſum. Fœmellæ majoris in ſapientia ſimilitudinis cum Deo deſiderium fons mali. Abarbenelis de utroque peccante ſanum judicium. Lapſus Protoplaſtorum & mali inde oriundi medela.

§. 1.

FActa ita mentione collocutorum, ipſum præterea Moſes dialogiſmum ita recenſet, ut qua maximè ratione Eva ad peccandum ſit inducta, & quibus verborum illecebris à ſerpente, magno & ſuo & poſterorum malo, decepta, fructum vetitæ arboris comederit, videre liceat. Sermonem verò ad eam hunc in modum ſerpens auſpicatus eſſe perhibetur: אַף כִּי־אָמַר אֱלֹהִים לֹא תֹאכְלוּ מִכֹּל עֵץ הַגָּן: / Ubi verbis dici haud poteſt, quantoperè cum Ebræi tum Chriſtiani in explicanda gemina particula אַף כִּי deſudent. Antequam verò ad illarum expoſitionem accedamus, obſervationis priſcorum Ebræorum meminiſſe juvat, quam ex Bereſchit Rabba R. Bechai fol. 13. col. 1. his verbis recenſet: תחלת דבורו של נחש היה אף ודרשו ר׳ז׳ל ארבע פתחו באף ואבדו מן העולם ואלו הם נחש שר האופים עדת קרח והמן׳ נחש אף כי אמר אלהים׳ שר האופים אף אני בחלומי׳ עדת קרח אף לא אל ארץ זבת חלב ודבש המן אף לא הביאה אסתר: *Serpens ſuum ſermonem inchoavit à voce* אף. *Hinc Dd. noſtri concionati ſunt: quatuor inceperunt à voce* אף *& perierunt de mundo, nempe ſerpens, princeps piſtorum, congregatio Korahi, & Haman. Serpens* (Gen. 3: 1.) *etiam quia dixit Deus. Princeps piſtorum* (Geneſ. 40: 16.) *etiam ego in ſomnio meo. Congregatio Korahi* (Numeror. 16: 14.) *etiam non in terram lacte & melle fluentem. Haman* (Eſther 5: 12.) *etiam non adduxit Eſther.*

§. 2. Sed ejuſmodi דרשים Judæis relinquamus, cum nobis non tam de ſitu vocis אף, quàm ejus, ubi ab initio periochæ cum כי copulatur, ſignificatione genuina ſermo ſit. R. Salomo idem atque שמא *forſan* eam ſonare contendit, invito ipſo Abarbenele, qui benè notat, יקשה לפירושו מלת כי *obſtat vox* כי *ejus explicationi.* Autor libri עקרים R. Albo idem eam ſignificare ait, ac חרון *ira, indignatio.* Sed hunc quoque R. Abarbenel refellit his verbis: הוא רחוק מכוונת הכתוב עם שחסר בו המלה הקושרת או הכנוי שהיה לומר אף יש לי כי אמר אלהים לא תאכלו: *Hoc à ſcripturæ ſcopo eſt alienum, quia deficit vox copulans aut pronomen. Dicendum erat* אף יש לי כי אמר *ira mihi eſt, quod Deus dixit.*

§. 3. In libro Michlal Jophi ejuſmodi explicatio legitur: פעמים יחסרו ה״א השאלה או התמיהה כשיובן הדבר מהענין ופירושו כל שכן ופירוש הפסוק אמר לאשה דברים אחרים ודומה שאמר לה כי המקום שונא אתכם א׳עפי שאתם גדולים משאר היצורים שלא עשה לכם מעלה כך וכך שכן שאמר לכם אל תאכלו לו מכל עץ הגן לזה תכירו ששונא אתכם ואל יקשה עליך התוספת הזה כי לא יתכן לפרשו לשום פירוש בעולם מבלי תוספת לפי שאמר אף ואף לעולם מוסיף על אשר אמר ועוד כי דרך הכתוב לאחוז תכלית הדברים ומתכליתם תבין ראשיתם והכתוב הניח ראשי הדברים ולקח סופם וכן הוא מנהג הכתוב במקומות כמו שאמרו המרגילים אל יהושע כי נתן ה׳ בידינו כל הארץ ואין מלת כי תחלת הדברים כי מלת כי נותנת טעם לאשר אמר אלא אחז הכתוב תכלית הדברים ומתכליתם תבין ראשיתם: *Deficit interdum He interrogationis vel admirationis, quando verba ex re ipſa intelliguntur. Explicatio verò ejus eſt, quanto minus, & ſenſus commatis in eo conſiſtit, quod adhuc aliis verbis uſus ſit ad fœminam, ferè hunc in modum: Certè vos Deus habet odio, licet reliquas creaturas anteeatis, quia aliis prærogativis vos non eſt dignatus, qui vobis interdixit, ne de omni fructu arboris in horto comedatis, inde judicare poteſtis, eum vos odiſſe. Nec tibi hæc additio paradoxa ſit: Abſque hac enim non licet eum ullo modo explicare. Dixit enim* אף. *Hæc verò vox ſemper aliquid adjungit ad id, quod jamdum dictum eſt. Huc accedit, quod ſcripturæ receptum eſt, verborum finem apprehendere, ex quo initium intelligas, relinquit enim initialia, arreptis finalibus. Atque hæc ſcripturæ conſuetudo obtinet quandoque, quemadmodum exploratores ad Joſuam* (Joſ. 2: 24.) *dixerunt, quia dedit Dominus totam regionem in manus noſtras, cum tamen dictio* כי *non ſit initium verborum. Rationem enim dedit illius, quod antea dixerat. Sed ſcriptura poſteriora verba apprehendit, ut ex illis priora intelligas.*

§. 4. Quod ſine ejuſmodi additamento textum explicari poſſe negat auctor libri, id verò impugnat Abendana, ſpicilegio ad lib. Michlal Jophi. Sic enim loquitur: יתכן לפרשו מבלי תוספת ושעורו אף כי אמר אלהים לא תאכלו מכל עץ הגן פן תמותון לא מות תמותון כי יודע אלהים והאשה נכנסה לתוך דבריו ואמרה לו כאשר שמעה שאמר לא תאכלו מכל עץ הגן אין הדבר כן כי מפרי עץ הגן נאכל אבל מפרי העץ אשר בתוך הגן אמר אלהים לא תאכלו ממנו ולא תגעו בו פן תמותון ואז גמר הנחש דבריו שהיה כוונתו לדבר לא מות תמתון: *Citra omnem additionem explicanda ſunt verba hunc in modum, ut recitatis verbis* (à ſerpente) *uſque ad* יודע אלהים *mulier interlocuta ſit, & auditis verbis, non comedetis de omni arbore horti, dixerit: res aliter ſe habet, quia de fructu arboris horti edimus; ſed de arbore in medio horti dixit Deus, ne comedetis de ea, & ne tangatis eam, ne moriamini, & tunc abſolvit ſerpens verba ſua, qui volebat dicere, non moriendo moriemini.* Hoc verò interpretamentum, quo Evam כמשפט הבנות כדרך הנשים הנמהרות *ſecundum morem filiarum* (Exod. 21: 9.) *ſecundum conſuetudinem mulierum feſtinantium*, (Gen. 31: 35.) & impotentis animi ſermonem ſerpentis interrupiſſe, Arama quoque & Abarbenel docent, ejuſmodi quid ſupponit, quod adhuc maximè controverſum eſt & incertum. Inde etiam, quod deſcriptionis perfectioni ſic aliquid decedit, & de vero ſenſu verborum certi eſſe haud poſſumus, D. Gerhardus quoque dubitavit Kimchii gloſſam acceptare. Etſi etiam alias τὸ אַף כִּי *quantò magis*, in affirmativa locutione, *quantò minùs* in negativa, pro ratione contextus ſignificare ſolet, ut ex Deuter. 31: 27. 1. Reg. 8: 27. liquet; hoc tamen loco, ut idem fieri dicamus, nulla dum ratio apparet vel neceſſitas. Neque quicquam cauſæ eſſe cenſemus, cur à D. Luthero divortium faciamus, qui interrogativè reddidit, Ja / ſolt Gott geſagt haben? Cui Chaldæus quoque favet, qui בקושטא *verene?* vertit, quem ſequitur Syrus ܫܪܝܪܐܝܬ, & Arabs أيقينا & ſic reddiderunt longè rectius, quam Latinus, qui *cur* verterat. Serpens enim non tam rationem mandati, quàm ipſum interdictum tollere voluiſſe viſus eſt, quod ut durum & iniquum elevare, & ad apoſtaſiam è verbo divino eam ſolicitare omni ſtudio eſt conatus.

§. 5. Eva verò quam ſe maſculè contra argutias ejus tutari cœpit verbo Dei inhærendo, idque ei opponendo, tam periculoſum tamen reſponſum dedit, cum vacillans quaſi dubitandi particula *ne forte* utitur, & præpoſtera ſua ſapientia de ſuo aliquid addendo, ne tangere eam arborem ſibi licere aſſeveravit.

veravit. Etſi enim Mercerus arbitratur, in mandato divino illud tanquam gradum quendam ad eſum tacitè fuiſſe expreſſum, minus tamen veriſimile id nobis fit ob verborum evidentiam, quæ de ſolo eſu agit. Unde non male R. Arama in h. l. ſcribit: באומרו ולא תגעו בו היה זה תחבולה גדולה לנצחה כי כשנתברר שהנגיעה אינה ממיתה יחשוב להם שכבר נתברר שהאכילה לא יזיק: *In verbis, & ne tangatis eam, ad vincendam eam plurimum momenti erat ſitum. Si enim tactus non lethifer erat, facilè quoque cogitare poterant, neque eſum fore nocivum.* R. Salomo docet plane eam id feciſſe, quod poſtmodum Deut. 4:2. Deus vetuit.

§. 6. Serpens verò non modo ipſi immunitatem à morte pollicetur, cum Deus tamen protoplaſtis mortem minatus erat, ſi legem violarent, Gen. 2:17. ſed etiam aliquam eamque inſignem excellentiam ſibi acquiſituram eo aſſeverat, dum eam fore ait כאלהים *ſicut Deus*, & in ſapientia majorem cum Deo ſimilitudinem inde deſpondet. Cum verò fructus arboris vetitæ arrideret, & Dei mandatum ita apud eam vileſceret, temperare ſibi non potuit, quin eſum appeteret, eoque fervidius, quo arctius lege poſitiva ad cavendum ab eo obligabatur. Accidit verò infelici fœmellæ, quod ſcripſit Arama: כשנאסר חלק הדבר הנכסף ותדמה לו כאלו נאסר על כל הדברים ולא יכול לסבול שום הגבולה כי העולם כלו אלנו כדאר לו בערך הדבר המעט שאינו יכול עליו כמאמר המן הרשע וכל וכל זה איננו שווה בכל עתוכו': *Cum aliqua rei portio interdicta eſt cuidam, cujus tamen deſiderio tenetur, tota res ipſi prohibita videtur, adeòque nullam limitationem ferre poteſt. Neque enim totus mundus ei ſufficit pro tantillo, cujus vult particeps fieri, juxta Hamanis impii dictum* (Eſther 5:13.) *& totum hoc mihi non eſt utile.* Nempe uti Haman omnibus bonis circumfluens ſe beatum eſſe poſſe negat, quamdiu Mardochajum ſuperſtitem eſſe videat: Ita Eva, tantoperè effectum & virtutem fructus arboris vitæ laudari audiens, vitam quaſi omnem acerbam ſibi putavit, donec eo veſceretur, qui tamen ſummum ipſi malum accerſivit, ut, Arama docente, in eam quadrarit illud Salomonis, Prov. 28:21. *ob buccellam panis prævaricabitur.*

§. 7. Nondum verò ſatis erat Evæ, ſevero Dei mandato inſuperhabito, de fructu illo comediſſe; ſed etiam maritus imprudens exitio involvendus erat, quem illa antè conſulere & ſerpentis machinas revelare debebat, quam comedendum fructum vetitum porrigeret. Optimè Abarbenel hic commentatur: יבא הספור הזה להודיע פשע האשה וחטאתה שעשתה טענות מחקריות על צווי האלדי להכחישו ולכן נתקללה וזה למור נאה להתפלספים החוקרים בעיונם על המצוות האלדיות ונוטים לחקירותהם ועוזבים תורת השם ומצותיו שהוא באמרת זמה ועון פלילי יוספר הכתוב שהאשה בגסות רוחה לא ספרה דבר מטענותיה לאדם אלא נתנה לאכול כאלו הוא כבוש תחתיה שיעשה מצותה והוא גם כן לסכלותו לא שאלה למה עברה את פי השם: *Hæc hiſtoria ideò recenſetur, ut prævaricatio & peccatum fœminæ manifeſtetur, quæ ſcrupuloſè rationes contra Dei præceptum confecit, ut illud falſitatis argueret, & idcirco maledicta eſt. Atque doctrina Philoſophis digna hic continetur, qui ſuis ſpeculationibus contra divina præcepta argumentantur, legemque Dei & mandata ejus relinquunt. Hoc vero inſigne & judiciale peccatum eſt* (Job. 31:28.) *Refert inſuper ſcriptura, fœminam pro faſtu ſuo Adamo non expoſuiſſe quidquam de ſuis rationibus; ſed comedendum præbuiſſe, perinde ac ſi illi eſſet ſubjectus & obedire teneretur, & illum ſecundum ſtultitiam ſuam non quæſiviſſe, cur Dei præceptum transgrederetur.*

§. 8. Atque ita concreatæ imaginis divinæ gloriam & immortalitatis excellentiam veterator ille diabolus protoplaſtis eripuit, dum eis verbum divinum, quo uno firmiſſimè niti debebant, ita dubium reddidit, ut planè contrarium illius, quod Deus præceperat, tandem patrarent. Primum enim ſerpens de veritate facti interdicti Evam aſtute & fraudulenter tentando, labaſcere eam & inclinare fecit. Deinde omne mortis periculum & metum ponere, certamque ſibi & Deo æqualem excellentiam pro morte ex manducatione promittere, ei perſuaſit. Atque hac ratione ſciens volensque mandatum Dei poſthabuit diabolo mariti conjux. Maritus verò, licet ipſe nec ſerpentem audiverit, neque fructum decerpſerit, quia tamen, haud ignarus Deum ſerio interdixiſſe illo fructu, in uxoris gratiam de eodem comedit, in extremam perniciem genus humanum eſt præcipitatum, nonniſi benedicto mulieris ſemine, Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, inde liberandum.

M. JOH. PASCHIUS
De Serpente ſeductore ad Gen. III: 1. 2. 3.

אנה יהוה הושיעה נא אנא יהוה הצליחה נא:

CAP. I. *Naturam Serpentis Paradiſiaci eruit.*

Theorema Remotivum I.

Hic הנחש ערום non fuit nudus Diabolus, nec Diabolicum ſpectrum, nec ſerpentinum cadaver à Diabolo motum.

Exeg.

§. I. 

Diabolus enim eſt 1. *Spiritus*, qui viſibilem aliquam ſpeciem κτ φύσιν à ſe diffundere & viſum hominum in ſe terminare nequit. 2. *Per naturam* ἄφωνος & ἄλαλος, non enim habet organa, quæ ex colliſione aeris ſonum edere vocemque articulatam formare valent. 3. *Horribilis & affatu auditque abominabilis*, ut hoc nomine ſe manifeſtare & colloquium attentare ſalva effectus obtinendi ſpe vix auſus fuerit; indiguit itaque aliqua ſpecie forinſecus accepta, qua conſpiceretur, aliqua locutione non analogica & pneumatica, ſed phyſica & articulata, qua extus audiretur & intelligeretur; alio nomine, quo ſe humano conceptui flexibili ſiſteret.

§. II. Nec phaſmate aut idolo Spectri circumvenire Evam voluit, quia id illi ſtatui atque diei minus competebat, itemque à ſcopo nimis abludere videbatur, potuiſſet enim Eva ſubodorari fraudem. Nec ſub forma ſerpentini corporis Diabolus apparere valuit, nullus enim ſerpens tam brevi temporis ſpatio naſci & denaſci potuit, unde itaque cadaver in Paradiſo? Nec crediderim Diabolum pro illo rerum ſtatu perfecte potuiſſe mentiri formam cujuſdam animalis, ſi vel maxime voluiſſet, cum ne nunc quidem omnium viſibilium ſpecierum imaginem præ ſe ferre ſufficiat.

§. III. Huic tamen ſententiæ refragantur (I) *Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus*, qui ſtatuit *hunc ſerpentem ipſum & ſolum fuiſſe Diabolum ſine corpore aut alio ſchemate aſſumpto.* Quod triplici potiſſimum ratione corroborat: (1) quia in Scriptura Sacra ſæpe occurrit vocabulum bruti, quod intelligentem creaturam deſignat, ſic Chriſtum vocari dicit Agnum Dei, Leonem de Tribu Judæ &c. Diabolum ipſum

ſæpius

ſæpius appellari Draconem, Behemoth & Leviathan, &c. Ad hoc reponimus ſtatim: *à delineatione Rhetorica ad deſcriptionem hiſtoricam N. eſſe Conſeq.* Moſes enim utitur Logica & hiſtorica terminorum veritate, licet h. l. per extrinſecam quandam prædicationem, (propriam tamen.) Et Diabolum Serpentem vocat, non συγκεχυκῶς, ſed συμβολικῶς, quia ſerpens Satanæ os erat. *Joh.* vero *Evangelizans* Rhetorica circumlocutione utitur, quando Chriſtum vocat Agnum, id enim fit 1) *impropriè* propter nonnulla comparationis membra. 2) *antitypice* propter agnum paſchalem. 3) cum appoſito: ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ. Sic etiam Johannes Apocalypticus Chriſtum Leonem de tribu Juda appellat, (1) per ἀνθρωποπάθειαν, pro Principe fortiſſimo ex Ebræorum uſu; Eſt enim Leo animal egregiæ fortitudinis & generoſitatis itemque Rex animalium, Vid. Flac. in *voce Leo.* (2) *cum adjecto*, dicitur enim Leo de tribu Juda, qualis non niſi unicus Meſſias erat. Par judicium eſto de allegoricis Diaboli epithetis, quando non ῥητῶς & κατηγορημένως dicitur Δράκων, בהמות & לויתן, ſed μυστικῶς & aſſimilatorie. De ſimilitudine Draconis & Diaboli lege ſis B. Botſaccum, *in Promp. Alleg.* §. 166. Hugonem Cardinalem, *in Pſalm.* 73. Tungerlarium *Prompt. Euangel. Part.* 1. *pag.* 632. &c. In propria τοῦ Behemoth & Leviathan ſignificatione aſſignanda dependemus ab ore Plurimum Rev. Dn. D. Pfeifferi, qui in D. V. ſtatuit per illum intelligi Elephantum, per hunc Crocodilum niloticum, quod lacuſtre animal eſſe dicit. Quod vero hæc improprie etiam de Diabolo dicantur, id nos non ferit, quibus de literali ſenſu & Moſaico ſtylo ſermo eſt.

Probat Cajetanus ſuam ſententiam (2) quia hic ſerpens Hiſtoriographo S. Moyſi dicitur fuiſſe ערום מכל חית השדה i. e. φρονιμώτατος πάντων τῶν θηρίων ἐπὶ τῆς γῆς, hoc vero de naturali ſerpente minus congrue dici opinatur. R. Serpens hic dicitur callidus præ reliquis animalibus (1) quatenus organon fuit callidiſſimi Satanæ, non ſecus, atque caput aſtutum, lingua callida, penna verſuta atque verſata dicitur non ratione ſui, ſed ratione operantis animi; Jam ſi de ſolo Diabolo hanc calliditatem intelligeret Cajetanus, idem foret, ac ſi Moſes dixiſſet: Diabolus fuit callidior omnibus terræ animalibus, cui æquipolleret ejuſmodi propoſitio: Homo eſt ſapientior omnibus aſinis; cum nemo hac de re dubitet. (2) in ſe, quatenus etiam naturali aliqua ſolertia in ſtatu integro eminenter gaviſus fuerat præ reliquis ἀλόγοις creaturis, maxime ſi per calliditatem ſubaudias ſimplicem Serpentis amabilitatem & ſinceram cum protoplaſtis converſationem; fraudulenta enim illa calliditas non erat Serpentis, ut talis, ſed Diaboli in Serpente operantis.

Probat ſuum aſſertum (3) quia hic Serpens de rebus divinis callide diſputare calluit, quod de Naturali iterum affirmari nequit. Reſp. Loquela illa fuit quidem latentis Spiritus ſignum, ſed non excludit ſerpentinum organon, ad quod immediate à Diabolo formata fuit locutio. Si dixeris: nullam hic injici mentionem Diaboli in Serpente loquentis. Reſp. Hoc pendet à libertate ſcribentis, qui ἔλειψιν hanc οὐκ ἀπειρήτως commiſit 1) propter συνέπειαν hiſtoriæ, nihil enim Moſes de lapſu angelorum dixerat, ideo non potuit eorum ex abrupto mentionem facere, ne tales à Deo putarentur conditi fuiſſe. 2) Propter συνεκδοχὴν, qua Moſes tantum rem aſpectabilem (ut Evæ videbatur) nominare voluit. Quin imò nullibi rerum inviſibilium in hiſtoria τοῦ ἑξαημέρου operis meminit Moſes.

§. IV. Reliquis theorematis membris adſtipulantur (II) *Cyrillus* qui refutaturus Jul. Apoſtatam, Moſis Maſtigen, dixit Serpentem quidem non fuiſſe locutum, ſed *Diabolicum ſpectrum apparuiſſe ſub forma ſerpentis, aſſumtoque ejus corpore ita ſermocinatum fuiſſe*; Sed nimis libere textum pervertit, & nulla inductus cauſa viſibile hoc animal in textu expreſſum tranſmutat in ſpectrum. III) *Eugubinus* itidem nec non IV) *Cabaliſtæ* communiter tradunt hoc unibile aſſumptum fuiſſe fallax corpus aut ex recenti cadavere, aut ex condenſato aere ad inſtar ſerpentis confectum, quod Satanas συμβεβηκότως movit, ſuamque per id fallaciam promovit; Sed hoc inventum, quia ſe ipſum refutat, (eſt enim ἄγραφον, ἀδύνατον pro illo rerum ſtatu, & φοβερὸν reſpectu fœminæ, quam hac facie technarum artifex deterruiſſet magis, quam pellexiſſet) noſtra diſcuſſione vix indiget.

Theor. Remotivum II.

Neque hic Serpens merè animalis fuit.

§. I. PEr Naturam enim fieri nequit, ut 1) animal brutum articulate citra aſſuefactionem loquatur. 2) multo minus de tam arduis colloquium inſtituere poſſit, quæ attingebant mandata Dei, imaginem divinam, cognitionem boni malique. 3) ut tam accurate quæſtionem formet, addubitationem ingeneret, contrariam concluſionem eliciat, & ſic per inverſionem ſive retorſionem vim argumenti dati eludat. 4) Neque præſumendum eſt creaturam aliquam bonam, qualis adhuc naturalis ſerpens erat, locuturam adverſus ſuum Creatorem tam mendaciter, doloſe atque blaſpheme. Subſit itaque neceſſe eſt rationalis quædam Natura, quæ Homo eſſe non potuit, nec Deus, nec intelligentia bona, ſed Satanica.

§. II. Huic opinioni reclamant *R. AbenEzra*, *Flavius Joſephus*, *Baſilius M. Bonfrerius*, & ſi qui ſunt alii, qui de vero ſerpente ad literam hæc accipienda cenſent, his potiſſimum argumentis inducti. 1) quod ſi Diabolus cauſa & pars actorum extitiſſet, perinde ipſi fuiſſet aſſumere aut ſtupidum aut aſtutum animal, æque enim per aſinum ac per ſerpentem circumvenire potuiſſet Evam. 2) Si à Diabolo tentatio fuiſſet, Deus tantam indignationem in Serpentem non prodidiſſet, ſed potius in Dæmonem, principalem authorem. 3) quia Deus in denuntiatione pœnæ Serpentem expreſſe æque ut primos parentes alloquitur & devovet. Accedit *Hiſpanus Abarbanel*, cui *Simeon de Muis* Pariſienſis ille Archidiaconus calculum ſuum addit arbitrantes huncce Serpentem ne ullo quidem facto verbulo, ſed ſolo in arborem vetitam adſcenſu deſcenſuque crebriori, nec non impuni fructuum guſtu decepiſſe Evam.

§. III. Cæterum ſuſpenſo hic pauliſper directo reſpondendi genere, quippe quod infra pro re nata oportunius adhibebitur, indirecte tantiſper & κατ᾽ ἀνθυποφορὰν *Rabbinis Rabbinos* opponimus, qui idem nobiſcum ſentiunt: *R. Saadia*, *Surienſis Scholæ præfectus*, agnoſcit Satanam ſerpentis ſpecie veſtitum pro Seductore. Idem & facit *R. Elieſer Pircke.* Nec non *R. Moſe Ægyptius*, magna Judæorum aquila (ceu *Fagio* teſte appellatur) in *More Nebhuchim*, qui ex *Medraſch* adducit Serpentem hunc fuiſſe equitatum, qui magnitudine Camelum ſuperaret, ſeſſorem ejus, qui deceperat Evam, fuiſſe *Samaelem*, quam nomenclaturam abſolute Satanæ tribuunt. Huc itidem facit illud *R. Bechai*, qui corpus callidi hujus ſerpentis ait fuiſſe vas aptatum לְדוֹר עֲנוֹת ad vindictam, ad accipiendum virtutem conjunctam cum eo &c. Deinde dicit eſſe myſterium, quod ſerpens vocetur *Seraph*, quo nomine etiam Angelus appelletur. *R. Abrah. Seba Hiſpanus* indicari hic dicit עִנְיָן, rem ſeu negotium ſerpentis antiqui, i. e. סַמָּאֵל, quod procul dubio depromſit ex *Targum Jonathanis*, qui ad illud verbum וַתֵּרֶא ſic ſcribit וחמת אתתאית סַמָּאֵל מלאך מוֹתָא וּדְחִילַת & vidit mulier Samaelem angelum mortis & timuit. Summatim Rabbini *in libro Caphthor. fol.* 115. פֶּה אֶחָד in hoc conſpirant Diabolum & Serpentem uno nomine appellari. Alia Rabbinorum Teſtimonia reticemus, enumerata nomina videbis apud B. Gerhard. in Comment. ſuper Gen.; alligata & explicata dicta habebis apud Helvicum in Explicatione Prot-Euangelii. *Bonfrerio* opponimus *Cornelium à Lapide*, qui tam verum Serpentem, quam Diabolum h. l. intelligit.

§. IV. Male iidem Ebræi hujus animalis naturam rationalem & humanis affectibus præditam fuiſſe dicunt, quaſi ex invidia hominem tentaviſſet. *Ut annotat Illuſtre noſtræ Acad. Decus D. Calovius in Bibl. Illuſtr. ad h. l.* Nec eſt quod iidem itemque *Platonici* & *Baſilius parvaque Geneſis* aniliter fabulentur, ac ſi etiam bruta olim loquendi facultate fuerint prædita, hæc enim præſupponit intellectivam animam, quæ in ἄλογον beſtiam non cadit &c. Parili modo id pro ἀκεφάλῳ μύθῳ habemus, quod ſuo more affert *Zenorenna* in h. l. *ex R. Salom. Jarchio*, ac ſi ſerpens illicito in Evam amore cogitaverit eſu pomi Adamum è medio tollere, atque ſic ſibi poſtea hanc conjugem ſociare, &c.

Cavilla etiam eſt, qua multi ex maligno in Judæos affectu Serpentem *Judæorum eſſe vitricum* autumant, quaſi aliquando cum Eva congreſſus fuerit, ex quo toties cum ipſa converſaretur; Ut *Talmudici* ſcribunt in Joma. *Conf. Othon. in Lex. Rabb-Phil. in voce SERPENS.*

§. V. Poſtremo *Calvinus*, *Pareus*, *Oecolampadius* & *Bellarminus* infulſe arbitrantur hunc collocutorem nihil aliud eſſe, quam hoſtile Serpentum cum humano genere diſſidium, aut naturalem antipathiam; Hos vero, ne actum agamus, accurate confutatos vide apud B. Hunnium; itemque (quoad ea, quæ poſt B. Hunnii obitum ſuperaddidit Pareus) apud Helvicum in Deſiderio Evæ. Reliqua relatu & refutatu digna non putamus.

Theorema Remot. III.

Nec allegorice Serpentis nomine intelligenda eſt Voluptas corporis.

TExtus enim eſt hiſtoricus, interpretatio itaque talis eſto, ut à verborum ſimplicitate & literali ſenſu non diſcedamus

mus ad mysticum, nisi Spiritus S. id ipse luculenter indigitet, vel alia ratio presse suadeat.

Hoc tamen faciunt illi famosi allegorici Doctores *Philo* & *Origenes*, qui per Serpentem intelligunt delectationem, quæ prius Evam i. e. *Appetitum sensitivum* titillavit, postea & Adamum i. e. *Rationem* corrupit. Nec non *R. Happeninus*, qui sigillatim hic subaudire audet, יצר הרע pravam concupiscentiam. Conf. *B. Gerhard. in Gen.* ut & *Maxime Rev. Dn. D. Pfeiff. Patronum & Conterraneum nostrum Colendissimum in Dub. V. ad h. l.* Ut & B. Dn. D. *Strauch. in Brev. Theol. p.* 157.

Theorema Remot. IV.

Nec hic incolubratus Spiritus melior Deo, nec Sapientia Dei, nec ipse Christus nuncupari meretur.

§. 1. MArcionitæ (teste *Theodoreto*) ausi fuerunt dicere Serpentem ipso Creatore meliorem & præstantiorem fuisse, eo quod Creator arboris Scientiæ participes esse vetuerit protoplastos, Serpens vero permiserit. Sed ficulnea hæc consequentia est, Deus enim prohibuit, ut juvaret, Gen. 2: 17. Serpens autem permisit, ut seduceret & perderet Gen. 3: 16. 17.

§. 2. *Ophitæ* itidem ad literam tantum accipiunt, quæ post alia hic de Serpente traduntur. Hi enim Serpenti tanquam benefactori maximas agunt gratias, quia per ipsum hominibus accessit *cibus*, per cibum *recuperatio visus*, per hanc *nuptiæ*, per has *mundi restitutio*, per hanc *hominum propagatio*, per hanc *peccatorum abominatio*, propter Hominem autem & peccatum Deum *Hominem* factum esse, hinc cœlorum regna & æterna bona, quorum Autor & Conciliator omnino serpens fuit. Hinc qq. sibi imaginati fuerunt Sapientiam Dei Serpentem illum fuisse, qui primorum hominum oculos aperuit, ut bonum malumque dignoscerent, idque fecisse in odium Creatoris, cui ipsa contraria erat, unde ei Dominum invidisse asserunt. Eundem errorem postea erravit *Manichæus*, qui Serpentem illum Christum esse volebat, idque propter etiam verum colubrum nutriebant & venerabantur, qui & incantante Sacerdote egrediebatur de Spelunca, & ascendebat subter altare speluncæ innixum, eorumque oblationes lambebat, seque circa eas involvebat, quo facto revertebatur ad Speluncam, & ita confringebant eucharistiam, quasi à Serpente Christo (ut illi delirabant) sanctificatas. Alias Augustinus putat hujus Serpentis cultum à *Nicolaitis* ad istos deductum fuisse.

Theor. Assert. unicum.

Nos dicimus: Serpentem ὁρατὸν fuisse veram & naturalem Dei creaturam Serpentinam; ἀκουσικὸν fuisse personatum Diabolum.

§. 1. DUo hic probanda veniunt, unum est, quod Serpens Seductor fuerit verus & naturalis; alterum, quod simul fuerit ἐνεργούμενος, & ut organum à Diabolo latente obsitum adhibitumque. Prius probatur 1) Ex imposito nomine, dicitur enim נָחָשׁ, à curiosa & callida sua observatione, cujus vocis notamus (α proprium etymon, est enim à נִחֵשׁ quod significat diligenter, circumspecte & accurate lustrare, observare, sicut id ordinaria significatio Piel (q. est ἐμφατικὴ & intensiva) efflagitat. (β Parallelum significatum, ubi eodem nomine naturalis tantum serpens insignitur, ut: Exod. 4: 3. ubi מַטֶּה mutatus fuit לְנָחָשׁ in serpentem. Deut. 8: 15. Deus dicitur ductor populi sui per solitudinem terribilem, in qua fuit נָחָשׁ שָׂרָף prester, serpens ignitus & summe venenatus. Jer. 8: 17. ubi Deus interminatur se missurum נְחָשִׁים צִפְעֹנִים אֲשֶׁר אֵין־לָהֶם לָחַשׁ id est, serpentes regulos, in quibus non est incantatio.

2) Ex præfixi ה emphatici determinatione, qua indicatur illum ipsum serpentem fuisse adhibitum, qui inter visibiles creaturas obambulabat, omnibusque notus erat. *Conf. D. D. Calov. in B. Ill. ad v. 1. huj. cap.*

3) Ex connotati nominis proprietate, dicitur enim fuisse ערום, quo nomine naturalis quædam solertia & serpentis calliditas innuitur, qua ex peculiari temperamenti dispositione reliquas bestias antecelluit, sicuti hoc Plinius attestatur, itemque Salvator ipse subinnuit. ערום est ex עָרַם id est, calliditate astuque usus est, sicuti hoc significatu etiam reperitur, 1. Sam. 23: 23. de Davide, quem Saul vocat עָרוּם astu utentem, item Job. 5: 12. ubi Deus dicitur מֵפֵר מַחְשְׁבוֹת עֲרוּמִים id est, dissipans cogitationes astutorum &c.

4) Ex συγκρίσει, qua Moses Serpentem cum cæteris animalibus agri die VI. conditis confert, iisque calliditate anteponit. Si itaque dicitur: Leo est fortissimus, Ursus ferocissimus, Elephas maximus animalium, utique hæc ex numero animalium esse debent; par esto judicium de nostrâ φύσει.

5) Ex supplicio Serpenti Paradisiaco illato, quo Deus eum post patratum scelus venenosum & hominibus odiosum esse voluit, cogitque ut super terram prono ventre gradiatur, ac terræ pulverem edat, quæ omnia deprehendimus fieri in nostris naturalibus serpentibus, non ex libera Dei creatione, nec eorundem naturali inclinatione, sed pœnali maledictione. Primus itaque serpens in tentationis actu visibilis fuit omnino naturalis.

§. 2. Posterius probatur 1) ex locutione & ratiocinatione, qua Tentator disputavit de Deo ejusque verbo ac cultu, nec non de præmiis ac pœnis, quod irrationali animali repugnat, oratio enim est ex ratione. Sicut itaque per asinam Bileami locutus est angelus monitor, sic per serpentem locutus est Angelus seductor. 2) ex gravissima animadversione, qua Serpens ille larvatus post naturalem etiam adfectus fuit. Ebr. 2: 14. Rom. 16: 20. 3) Ex Salvatoris Joh. 8: 44. & Johannis Theologi Apoc. 12: 9. omni exceptione majori testimonio. Ut recte scripserit Theodoretus qq. 32. in Gen.: ὄργανον ἦν ὄφις τοῦ τῆς ἀληθείας ἐχθροῦ. Notabile etiam est, quod alias Cabbalistæ tradunt הנחש & השטן in numeris æquipollere, quod uno dempto verum esse concedit Max. Rev. Pfeiff.

§. 3. Denique etiam nostrum foret determinare certam speciem hujus naturalis Serpentis, utrum aspis, an vipera (juxta Delrio & Bonfrerium) an cerastes, an hæmorrhous, an seps vel sepedon, an dipsas, an natrix, an amphisbæna, an Scytale (juxta Pererium ob magnitudinem colorumque pulchritudinem) an querculus vel chelydrus, an Cenchris vel Cenchrene, an Basiliscus (juxta Eugubinum) an Draco fuerit? sed textu nos deserente quis nova contexerit? Omnis tamen præsumptio in *vulgarem nostrum Serpentem cadit*, quia singula ferme pœnæ membra huic competunt? Quin nullum ferme genus serpentum est, quod non nunc magis nunc minus participet de hujus ἐνδιαβολισμένου Serpentis malo pœnæ.

Cap. II. Sutelam retegit.

Theor. I.

Satanas Dei permissione Serpentem eligit, suoque instinctu eum implet, ut specioso hoc velamine suum de Homine seducendo propositum tegere posset.

§. I. NOMEN, quo latitans hic Spiritus concipiendus est, sacer quidem textus supprimit, effectus tamen realis nominalem hunc conceptum satis exprimit, scilicet Spiritum hunc fuisse malum Angelum, qui sponte viribus L. A. divinitus concreatis abusus à Deo deflexit, sibique malitiam contraxit per peccatum non lasciviæ, nec luxuriæ spiritualis, sed superbiæ, cujus objectum erat non personalis unio prævisa suæque naturæ communicanda, nec beatitudo temere affectata, sed maxima ejusdem perfectio ipsi à Deo concessa, ejusque nimius amor, ut Deo ipsi amplius subesse renuerit; hinc prima rebellio turpissimaque defectio, quæ ἄσπονδον odium inter Deum Angelumque punitum peperit. Quo facto minus proprie Angeli nomen huic apostatæ ac perduelli tribuimus, Angelus enim nomen officii est, malorum vero Angelorum officio Deus amplius non utitur, nisi forte permittendo &c. Rectissime ergo huic primo Serpentis Motori imposueris aut nomen *Satanæ* à R. שָׂטַן, quod est resistere, odio habere, quia repugnat & resistit Deo omnibusque piis conatibus nunc homicidio nunc mendacio; aut nomen *Diaboli*, ἀπὸ τοῦ διαβάλλειν, quia 1) Deum apud homines 2) homines apud Deum insimulat & accusat 3) homines inter se committit & ad calumniam instigat, sic scapham scapham appellas; Nam hoc pacto verum est illud Rabbin. שְׁמוֹ נָאֶה לוֹ וְהוּא נָאֶה לִשְׁמוֹ.

§. II. Stante hoc principio: *Satanico sc. odio adversus Divinam gloriam*, & accedente *Diabolica invidia adversus humanam felicitatem* temperare sibi hic stygius Proteus vix potuit, quin illam in herbis supprimeret, hanc primis statim diebus dimoveret, nam juxta Eman & Buxtorf. הַשִּׂנְאָה שֶׁתָּבֹא קִנְאָה, *i. e. Odium ortum ex invidia* nullam admittit medicinam. Accipit itaque protinus non *agnum* nec *columbam*, has enim Creaturas, quarum altera *Salvator*, altera *Spiritus S.* aliquando adambrandus erat, nequissimus hic Spiritus nec æmulari potuit, nec debuit; sed occupat *quoddam Serpentis genus* pneumatica obsessione, quod in puris suis naturalibus erat 1) *Pulcherrimum corpore*, Serpens enim ante, quam lapsu suo deformaretur, incedebat bipes instar Galli, Anseris aut pavonis, quod patet α) *ex maledictionis conditione*, jubetur enim ingredi super pectus, quod antea pedibus suffulciebatur, qui nunc vel prorsus dempti, vel inter pectus

pectus absorpti, vel in substantiam totius transmutati sunt. β) *ex aperta Mosis assertione*, refert enim hunc Serpentem ad bestias terrarum, quas supra jumentis atque reptilibus contradistinxerat. γ) *ex aggressionis ratione*, non enim ut pictores fingunt flexuoso suo corpore & refugo caudæ tractu arborem ascendit, sed Evam elevato collo & blandiente cauda more hactenus inter ipsos consueto aggreditur. Male itaque P. Cotton. hoc ex Diabolo demum quæsivit in energumena puella. (II. *Ornatum excellentissimis donis internis: calliditate sc. æstimativo judicio, & naturali sensitivaque prudentia*, quæ omnia acceperat *partim* ad tuendam salutem suam, *partim* ad delectandum hominem, sicuti adhuc nostri hinnuli & catuli canum feliumque nobiscum suaviter vivunt, & humano cibo vescuntur, quo loco tunc temporis Serpens habebatur, ut ex opposito statu maledictionis claret. Hæc vero omnia priori de causa data etiam post lapsum manserunt in Serpente, ut πανουργίᾳ vulpium aut κακουργίᾳ aliorum animalium ipsi parum antecellat. V. B. *Walt.* in Har. Bib. & Pererium, *L. VI. in Gen. q.* I. Delectatio vero prorsus in contrarium usum abiit, ut nunc veneno prosequantur hominem, hic illum naturali odio. Ista vero Calliditas, qua primogeniæ Matri persuasisse dicitur usum vetiti fructus, hæc non à bona creatura, sed à pessima latente Natura profecta est.

III. *Spontaneum in actionibus*; Erant enim in bestiis simulacra quædam virtutum, inprimis vero obedientia & recognitio domini, quorum adminiculo poterant sponte agere & ἀναλόγως fideliter, quod vero hic infideliter egerit, id luit.

§. III. Sic itaque Satanas sine Jehovæ commodatione & commendatione de facto Serpentem ingreditur. Quod contra injurium & blasphemum *Calvinum* notamus, qui contrarium docet. Nos vero nostrum assertum probamus 1) *ex silentio Scripturæ*, 2) *ex competentia pœnæ* naturali serpenti infra dictitatæ. 3) *ex absurditate consequentiæ*, alias enim Deus causa lapsus foret ad minimum moralis, quod absit. 4.) *ex confessione Adversarii*, nam 4. interjectis lineis sic se corrigit: *At vero quicunque pie & reverenter de potentia Dei sentiunt, non nisi ejus permissu agnoscunt hoc factum esse.* Quæ etiam nostra mens est; aliud enim est voluntas Dei, quæ pro objecto non nisi bonum habet, aliud permissio, quæ & fertur in malum, & quamvis permissio Dei non sit sine voluntate, ista tamen proprie non includit τὸ velle, sed saltim τὸ non impedire, uti se ipse Deus explicat. Es. c. 65: 12. Imo etiam impedivit hoc (sicut omne) flagitium προαιρετικῶς, νουθετικῶς, ἡγεμονικῶς, sed non βιαίως, sic enim impedire nec debuerat, nec voluerat, quod nobis satisfacit.

Theor. II.

Aggreditur Evam ipso die Sabbathi non procul à vetita arbore Viro absente opera Paradisiaca perlustrantem.

§. I. D*Amascenus*, qui statuit *solum omnium animalium hominem in Paradiso fuisse* vel hoc exemplo rectissime confutatur ab *Excell. Dn. Kirchmajero Patrono nostro Colendissimo in Exercit. de Paradiso*, quod plura etiam animalia ibi victitaverint, quia Diabolus Serpentem hic deprehendit, quo Evam adoriretur. *Evam*, non *Adamum*, quod omnino deliberato consilio factum esse scias 1) *propter indolem naturæ fœmineæ*, præsciverat enim Diabolus pro sua, qua erat calliditate, Evam prius admissuram esse dolum, quam virum, quia videbatur facilior in colloquio admittendo, propensior in assensu præbendo, inferior scientia, tardior judicio, infirmior sexu esse. 2) *propter solitudinem Evæ*, ipsa enim sola obambulabat in Paradiso, admiratura creaturas Dei, & inter alios etiam arborem scientiæ boni & mali, quæ non procul ab arbore vitæ in medio Paradisi non *geometrico*, sed *optico* & *physico* stabat, quam arborem sibi prohibitam fuisse (quoad esum) sub pœna mortis recolebat. 3) *propter diversam legis prohibitæ promulgationem*; *Adamo* enim ἀπὸ τοῦ στόματος τοῦ Θεοῦ expresse *hæc* injuncta erat ante Evæ conditum, *Evæ* vero postea communicata fuit per repetitionem ab Adamo factam, & dubio procul per confirmationem divinitus singulari revelatione superadditam, hinc speciatim Adamo Deus exprobrat facinus, v. 17.

§. II. Dicimus cum *B. Luthero* hanc tentationem perpetratam fuisse *primo* statim *die* post creationem hominis, quo Deus ab omni opere cessando quieverat, quemque sanctificatum cultui divino destinaverat; Id suadere videtur 1) *ordo historiæ*, 2) *benedictio Dei* tam serio septimo diei facta, quasi nihil mali antegressum fuerit. 3) *Hominis conditio & Paradisiaca expeditio.* quæ non potuit esse momentanea, sed ad minimum diurna. 4) *Satanæ malitia*, qua suam maledictionem post omnium rerum benedictionem demum introducere, adeoque ipsi Sabbatho maledicere voluit. Salvum tamen aliorum relinquimus judicium, qui vel 13. die vel eodem, quo conditi fuerant homines, hoc factum fuisse suspicantur, certum tamen est diebus non ita multis hos homines vixisse in Paradiso. *Conf. B. Gerh. in Gen. ad h. l.*

Theor. III.

Exorditur de Lege Dei prohibita per modum Dialogi vocalis & sensibilis Ebrææ dialecto suam tentationem intentam.

§. I. S*Ermonem cædere infit non de operibus Dei mirandis, nec de felicitatis & pulcritudinis humanæ congratulatione* &c. sed *primævam legem* severe à Deo latam pessime impugnat. Noverat enim ab hoc Dei verbo *tanquam objecto fiducialis obedientiæ* dependere omnem hominis felicitatem, hac itaque lege & obedientia corrupta omnis peccati fons apertus foret. Deus enim hanc *legem* non tentationis ergo tulerat, sed 1) *ut homo sua sorte contentus* se non improba cupiditate altius efferret. 2) *ut argumentum esset supereminentis Dominii* divini & gymnasium obsequii humani, quo hominem, si perstitisset in eo, absque mortis aut doloris interventu statuto tempore ex terreno Paradiso in cœlestem evexisset, & in bono confirmasset. Hæc lex Diabolo sudes in oculis erat.

§. II. Sensibili etiam & corporali voce usum fuisse Serpentem probat (1) *verbum* אמר, quod quandoque quidem λόγον πνευματικὸν, quandoque etiam ἐνδιάθετον denotat, primario tamen (primitate sc. vocabuli, non rei) & plurimum proprie arguit λόγον προφορικὸν, quo respicit R. Aben Esra ad Ps. 19: 4. ubi dicit אומר הם הדבורים שיש להם טעם שלם h. e. אֹמֶר significat verba, quæ continent sensum perfectum. (2) *Natura colloquii cum homine habendi*, quod non nisi sonora voce feliciter institui potest, hinc Eva etiam respondisse fertur. (3) *Ratio instituti*, effectum enim realem moliebatur, qui non nisi per moralem persuasionem & sophisticum verborum fucum obtineri poterat. (4) *Comprobatio similium exemplorum*, ubi idem Dæmon nunc è statuis, nunc è lapidibus, nunc ex quercu & ulmo, nunc ex fluvio, nunc ex equo, nunc ex tauro apud Gentiles locutus fuisse perhibetur.

§. III. Itaque non per interiorem tentationem aut arcanam suggestionem, nec per glaucomata, nec per alias obliquas insinuationes hoc suum opus perfecit Satanas. Licet id ex parte Augustino, itemque aliis cordatis viris complaceat. Vid. Anthropol. B. Meisneri. Dec. 1. Dis. IV. q. II. Sect. 2. §. 35. Nam 1) *immutatio phantasiæ humanæ dicit subjectionem ad immutantem*, *itemque* perturbatio, defatigatio & seductio internorum sensuum magnam imperfectionem importat, quæ omnia ab illo statu aberant. 2) *Immediata actio in phantasiam hominis & quidem in malum ipsius directa nec ratione actus, nec ratione potentiæ possibilis erat, quia nullo errori positivo adhuc obnoxia erat.* 4) *Si interna fuisset tentatio, physica fuisset*, quod ἄλογον. Fuit itaque externa & moralis locutio licet intus venenatis spiculis animum Evæ vulneraverit, quod concedimus cum *B. Gerh. l. c.*

§. IV. *Idioma*, quo serpens usus fuerat, opinamur fuisse *Ebræum.* Nam ante immissam à Summo Numine γλωττοσυγχυσιν unam omnibus hominibus communem atque vernaculam adeoque antiquissimam & in ipso Paradiso usurpatam ac intellectam fuisse linguam docet nos Moses, Gen. 9: 1. Quæ verba Jonathan Paraphrastes sic reddidit: הוו ממללין שכלן לרשא i. e. *Lingua sancta erant loquentes, in qua creatus fuit mundus ab initio.* Deinde *R. Salomon* per Cabbalæ Geometriam Arithmeticam, שָׂפָה אֶחָד (*quibus verbis Moses in c. l. utitur*) idem valere dicit secundum numeros ac לְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ i. e. lingua sancta, nisi unitas excederet, dicunt tamen hunc excessum unitatis denotare unitatem Autoris Dei, Gematria namque illorum non semper Euclidea Arithmetica est.

Theor. IV.

Ordinem Disputandi fraudulentissimum observat.

§. 1. HÆc μεθοδεία σοφιστικὴ Satanæ est, 1) *fraudulenter per ἐρώτημα dubitationem Evæ conciliat*, quando vel veritatem præcepti vel prohibitum esum arboris ambiguum redditurus dicit: אף כי אמר. *Nunquid dixit Deus?* &c. ubi Moses uti videtur (α) παραλείψει, qua ex longiori Diaboli sermone id tantum commemorat, quod obtinere principaliter molitus fuerat. (β) *Enallage*, nam simplex אף etiam ponit pro composito האף *an etiam*, *itane est*, *verumne est?* ut sit vox admirantis, dubitantis, interrogantis: *Vid. Schindl. in h. V.* Singulis vero verbis hujus captiosæ quæstionis continetur argumentum certissimæ addubitationis: *Nun-*

quid dixit Deus? (benignissimus atque sapientissimus) *non comedetis* (lex de ventre & victu quid facit ad cultum Dei?) *de omni* (cur una arbor, cujus nomen, fructus atque efficacia omnibus præstat, prohiberetur reliquis admissis?) *arbore* (qui majus concessit universale sc. dominium in bestias, minus non denegabit, dominium in arbores) *hujus horti?* (cujus vos Domini, custodes, coloni & omnia in omnibus estis?)

§. II. Qua ratione Eva hoc à Satana objectum telum exceperit, longum foret hic pertexere, audiamus potius II) *audacem & mendacem Satanæ replicam Evæ obversam*: Ex opponente enim nunc fit respondens, quod quæsiverat ante, nunc decidere novit. Dicit enim לא מות תמתון quod LXX. interpretantur, οὐ θανάτῳ ἀποθανεῖσθε, quæ verba continent 1) *Ebraismum*, nam sicuti infinitivus cum suo verbo fortius affirmat, sic addita negatione vehementius negat, *Vid. Excell. Dn. Sennert. in Gram. univers. l. 2. c. 2.* ut sensus sit: nullo modo moriemini, sed vivetis. Male ergo *Piscator*, *Junii* hic ut & alias simius dubitative reddit: Es ist nicht gewiß/ daß ihr sterben werdet. γ) *Ironiam*, siquidem Diabolus contrarium ejus, quod dicebat, rectius intelligebat. δ) *Mimesin*, Moses enim hanc exsertam Diaboli negationem Divinæ affirmationi oppositam ἱστορικῶς tantum refert &c.

§. III. Sophisticæ itidem victoriæ argumentum est, quo III) *indirecte per retorsionem & inversionem Evæ responsum eludit*, & contrarium insigni quidem, sed falsa promissione Dei statuminat; *Scit enim*, inquit, *Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii &c.* Occurrit hic 1) *Ebraismus*, substantivum enim בְּיוֹם in die, post se habet verbum infinitum, tanquam nomen genitivi casus אֲכָלְכֶם comedere vos, q. d. in die comestionis, quo die comederitis vos. 2) Quot verba tot Satanicæ æquivocationes: *Et aperientur oculi* (scilic. ad probrosam nuditatem & prævaricationem intuendam, non ad accipiendum acumen mentis & intelligentiæ) *& eritis sicut* אלהים (qualis ego Diabolus sum) *& cognoscetis bonum & malum* (non positive, sed privative). Sic itaque serpens linguis micat ore trisulcis: 1) *Gula*, cibum enim ligni vetiti concedendum suasit. 2) *Vana gloria*; similitudinem Dei promisit. 3) *Avaritia*, scientiam boni malique subjunxit, avaritia enim non solum pecuniæ est, sed & altitudinis, ut habet Ansbertus. *l. 2. c. 8. in Apocal.*

Cap. III. *Sequelam subnectit.*

Theor. I.

Obtinet larvatus Satanas, ut Eva citra terrorem accessus atque Sermonis Serpentini fidem ipsi sponte habeat, arborem suspiciat, fructum decerpat, pomum cum suo Adamo superveniente integrum liguriat, atque sic gravissimo peccato se suosque posteros corrumpat.

§. 1. HÆc est tragica illa catastrophe, quam Moses describit vs. 6. ubi adhibet 1) *Ellipsin verbi*: *esset*, quod bona *esset* arbor. 2.) *Metonymiam subjecti pro adjuncto*, causæ pro effectu, arboris pro fructu. Qualis vero fructus fuerit, non liquet, quidam fuisse putant Adams-Aepffel/ in quibus imago crucifixi Christi apparet, *Conf. B. Rober. in Conc. Pasch. Lauremb. Acerr.* 3) *Enallagen abstracti pro concreto* in superlativo gradu exponendo: הוא תאוה i. e. desiderium ipsa, pro desideratissima, pulcherrima.

§. 2. *Eva* nec perterrita fuit ad accessum, erat enim præstanti figura conspicuum & Evæ domesticum animal; nec ad *loquelam*, quia (*salvo aliorum gravissimo judicio*) aliquid intellexisse videtur *de Angelis* adeoque admiserit *Spiritum* per Serpentem posse loqui, quod tamen cum grano salis accipere velis, ne nobis affingas, quod nos *Bonaventuræ*, ac si Eva *positive* judicaverit & crediderit Spiritum illum esse bonum; hoc nondum concedimus, ne deinceps concedamus *Arriagæ Pragiensi illi Cancellario*, Evam ex inconsideratia aut προπετείᾳ hoc quæsitum neglexisse, non enim debuerat hoc quærere; Ille quidem præsupponit *sed falso*, ac si prohibitum fuerit in statu integritatis loqui cum malo Spiritu, cum & ipsi Salvatori olim & nostris Theologis cum Diaboli squamis adhuc conflictandum sit. Distinguimus itaque (1) *inter suspensionem judicii* præcipitantiæ oppositam & *inconsiderationem* prudentiæ oppositam (2) *inter* ἄγνοιαν καὶ ἀπόφασιν & τὸ ἀμαθεῖν (3) *inter sapientiam approbationis* & *apprehensionis*; ubi tria priora cujuslibet divisi membra Evæ concedimus, non item posteriora. *Confer Præfulgidum illud nostri seculi sidus Dn. D. Calov. in Bibl. JU. ad h. l.*

§. 3. Ex hoc male commissorum actuum cumulo suboriebatur, *peccatum* tam *extensive*, quam intensive, non duntaxat *aliquo modo*, sed *absolute* peccatorum omnium longe maximum & gravissimum, quia (1) *Deum*, *proximum* atque *seipsos* prostituebant, (2) totum decalogum invertebant: (2) gravissimam pœnam luebant, mortem scilicet *naturæ*, *gratiæ* & *gloriæ*. Sentiebant enim illico (1) *Oculorum apertionem*, quæ denotat peccati sensum: (2) *tremorem & trepidationem* i. e. conscientiæ morsus &c. (3) *Excæcationem*, conficiunt enim sibi περιζώματα non ex *resipiscentia*, sed ex *insipientia*, ac si oculi Dei hoc velamine prohiberi possent: (4) *Extenuationem peccati* per culpæ translationem, (5) *Judicium.*

Theor. II.

Adamus quidem primum ad judicium citatur, sed ultimo loco punitur, Serpens vero ultimo loco vocatur, sed primo punitur.

§. 1. ADamus citatur: אַיֶּכָּה *i. e. ubi es?* & quidem partim *solus*, * quia constitutus erat *Dominus* quasi *feudi* (2) *Mulieris caput* (3) *legem immediate à Deo acceperat*, hinc quoque primus debebat rationem patrati facinoris reddere. Notetur vero ipsum non citari *nominetenus*, sed *indefinite*, quia ipse jam appellatione *hominis* indignus erat tantus apostata. Hinc dicitur, *ubi es?* Non in *quo loco*, sed in *quo statu*, ut nunc fugias Deum, quem antea quærebas. Quomodo vero *Manichæus* ex hac emphatica vocula *Dei providentiam* negare; *Socinus naturalem Dei notitiam* evertere; *Antropomorphitæ* Deo *membra* affingere; *Vorstius* Deo *infinitam scientiam* denegare; *Bellarminus auricularem confessionem* probare conentur, id *Venerandis Theologis* excutiendum relinquimus.

§. 2. In promulganda vero *sententia judiciaria* exorditur à SERPENTE, quia (1) *in eo culpæ initium erat*, æquum igitur fuit, ut pœnæ quoque initium inde fieret. (2) *quia Serpentinæ fraudis peccatum deliberato consilio susceptum erat* (3) quia *sententia* in Serpentem ferenda erat *absolute condemnatoria* citra spem veniæ & consolationis.

§. 3. *Deus* vero sic distribuit *pœnam*, ut (1) *organo suam denunciet vs. 14.* (4) *Motori Diabolo suam vs. 15.* Illi *analogicè* quidem competit *pœna*, non tamen *immerito*; debebat enim & poterat pro suo modulo officium *Diabolo* præstandum detrectare, & in debita *obedientia ac fidelitate* perseverare, non enim divina permissio cogebat eum, ut *Diabolo* pareret; nil itaque excusat eundem aut *rationis defectus*, aut *Diaboli vis atque impetus*, status enim *benedictionis*, non *maledictionis* erat. Deinde DEUS huic Serpenti etiam maledixit (1) *ad severitatem suam declarandum* (2) *ad peccati atrocitatem indicandam* (3) *ad suam erga hominem intimandam benignitatem* (4) *ad odium Diabolo declarandum.* Vid. *B. Waltherum in Harm. Bibl.* Quapropter *triplici pœna* affectus est (α) *Substantiæ fœditate*, quæ omnes ferme Serpentum species manet. (β) *Rependi necessitate*, cui non obstat adhuc aliquos reperiri, qui pedibus instructi sunt, non enim omne genus serpentum hoc malum promeruit. (γ) *Victus vilitate*, quæ arguit incommodam & velut coactam pulveris in os receptionem ob concitatum rependo pulverem, ut habet B. Waltherus l. c. Alias enim novimus serpentes quoque vesci ranis, piscibus & herbis &c.

§. 4. Vers. 15. Moses refert איבה i. e. *inimicitias* (1) *Separativas*, (2) *Vindicativas* (3) *Antipatheticas* inter τὸν ἀρχαῖον τὸν ὄφιν & *mulierem i. e. omne genus humanum*, Deum posuisse inter semen Serpentis i. e. *totam Diabolorum catervam*, & semen mulieris, quod h. l. *potest & debet* μονοπροσώπως *pro unico Mulieris filio, h. e. Messia* accipi. הוא *i. e. ipsum hoc semen* male corruptum est à *Guidone Fabricio* in הִיא, & pessime à *Pontificiis* applicatur ad suam *Mariam.* Nostrum potius perfugium sit *IPSE & UNICUS CHRISTUS* ὀφιόμαχος.

תל"ח אבן

*

CORNE-

CORNELII DE HASE

SS. Literarum in Ecclesia & Schola Bremensi Doctoris & Professoris,

D E

PROT-EUANGELIO PARADISIACO Diatribe.

Conspectus Diatribes generalior.

CAP. I.

De Auctore Verborum.

D*Issertationis* scopus *&* institutum. §. 1--3. Filium DEI *hoc Oraculum pronuntiasse ex* quatuor *probatur argumentorum classibus.* §. 4--31. *Classis eorum* prima, §. 5--9. Altera, §. 10. Tertia, §. 11--29. Quarta, §. 30, 31. Usus *hujus doctrinæ.* §. 32.

CAP. II.

De Serpente Seductore.

R*Eceptior vocis* נחש Serpens *derivatio ab Hebr.* נחש *contra* Bochartum *defenditur.* §. 1--3. *Quænam hîc notetur* species *Serpentum incertum, at probabile est* præ ceteris nobilem *intelligi.* §. 4. *Serpens fuit* verus, §. 5. *Sed nequaquam* solus. §. 6. *A* spiritu rationali *obsessum*, tribus *argumentis probatur.* §. 7, 8. *Loquela ejus non fuit vel* sibilus *serpentinus* §. 9. *vel* sermo *merè* allegoricus. §. 10. *Spiritum, quo regebatur*, malignum *fuisse*, quinque *asseritur argumentis.* §. 11--13. Duabusque *occurritur objectionibus.* §. 14--17. *Caussæ, ob quas Diabolus* serpente *maluit, quàm alio quocunque animali abuti.* §. 18. *Serpens corporeus* usum *verum* rationis *non habuit.* §. 19. *Ratio autem* calliditatis *ejus exponitur.* §. 20, 21. Pœnæ *hîc dictatæ neque* Serpentem *neque* Diabolum *solum, sed* utrumque *simul respiciunt.* § 22--25. Objectioni *de pœna serpentis corporei satisfit.* §. 26, 27. *Serpentem* Paradisiacum *priscis* gentilibus *incognitum non fuisse multifariam ostenditur.* §. 28.

CAP. III.

De Pœna & delicto Serpentis corporei.

A*Nalysis* Oraculi *ipsius, quinque complexi distinctas pœnas*, §. 1, 2. *Quo sensu Serpenti* maledictio *competat* major, *quam* animantibus *aliis post lapsum.* §. 3--5. *Serpens ante lapsum* pedes *habuisse non videtur.* §. 6--8. *Sed tamen corpore incessisse* semierecto. §. 9, 10. Duratio *cum pœna* tertia *conjuncta potest & ad priores referri.* §. 11, 12. Comestio pulveris *quid significet.* §. 13, 14. Antipathia *inter anguem & genus humanum*, sexum *inprimis* sequiorem, *mirifica est.* §. 15--17. *Maximè serpens hominem exhorrescere* nudum *legitur.* §. 18. *Cur* vires *præcipuas* in Capite *gerat.* §. 19, 20. Eique *tam solicitè* caveat. §. 21. *Quænam proprie cum* supplicii *tum* peccati *colubrini sit ratio.* §. 25--28.

CAP. IV.

De tribus Diaboli pœnis prioribus,

Maledictione præ bestiis terræ, reptatione super ventrem, & comestione pulveris per dies vitæ.

Q*Uatuor fere sunt rerum Capita, ob quas* maledictio *Diaboli illam* exsuperat *beluarum.* § 1--5. Duo *verò notantur* ambulatione *ejus* super ventrem. §. 6, 7. Vorare pulverem *aliud significat*, *quàm alias* pulverem lingere. §. 8. *adeoque supplicium notat à superiore* distinctum. §. 9. Pulveris *&* carnis *notiones conferuntur.* §. 10. *Diaboli pœna est* edere pulverem, *sive pulvis* corpus *notet*, §. 11, 12. *sive* animas *peccatorum* terrestres, carnalesve, §. 13--17. *sive* terrena *&* sordida *quæcunque.* §. 18. *Simulque* pessima, *quam capit ex his rebus, connotatur* voluptas. §. 19. *Quæ sit ejus* vita, *quamque diu* duratura. §. 20, 21.

CAP. V.

De Pœna Serpentis spiritualis quarta,

Positione inimicitiæ inter Serpentem Mulieremque ac semen utriusque.

V*Erborum* Analysis. §. 1. Seminis serpentini caput *quis.* § 2. Mulier illa, *nec Virgo* Maria, *nec* quævis *femina*, *nec* Ecclesia, *sed* Hevah *est.* §. 3--5. Semen Serpentis, *cum* Angeli mali, §. 6, 7. *tum* Homines reprobi. §. 8, 9. Semen mulieris

lieris πληθυντικῶς *accipiendum.* §. 10. *Neque tamen* universaliter, de singulis *hominibus.* §. 11. *Notat* piam *Hevæ* posteritatem. §. 12. *Quæ est semen vel* sanctificans, *vel* sanctificatum. §. 13. *Christus* semen mulieris *ob* duas *rationes.* §. 14, 15. *Cur ille* semen Adami *non dicatur.* §. 16. *Nec* fideles *Adami, sed* Hevæ semen. §. 17, 18. *Cur* Adami *in hoc oraculo* nulla mentio? §. 19--21. Mulieri *non cum Serpente solo, sed & ejus* semine, neque *semini mulieris duntaxat cum semine serpentis, sed &* serpente *ipso decertandum.* §. 22. *Quod* bellum *est* implacabile. §. 23. *Tam ab* una *parte, quàm ab* altera. §. 24, 25. Justificationemque *secum fert* §. 26. *&* sanctificationem *fidelium.* §. 27. Diaboli *verò tædium & cruciatum summum.* §. 28. Auctor *belli & Agonotheta non* Homo, *sed* Deus *unus & trinus est.* §. 29, 30. *Qui hîc non tam* legem *fert, quam Testamentum aperit suæ Gratiæ.* §. 31, 32.

CAP. VI.

Continens Vindicias Lectionis Ebrææ contra Vulgatam.

S*Umma supplicii quinti.* §. 1. *Vulgatæ quidam Codd. malè hîc legunt* היא *pro* הוא. §. 2. *Lectio Ebræa defenditur* (1) *ab* aliis Mscr. & antiquis *Vulgatæ Codd.* §. 3. (2) *ab* Itala Vetere, *ex* Cypriano §. 4. (3) *à LXX. interpretibus.* §. 5, 6. (4) *ex testimonio* Hieronymi, *qui pro Vulgatæ habetur Auctore.* §. 7. (5) *ab* Hebræorum *&* Chaldaicarum *Codd. consensu.* §. 8. (6) *à* Versionibus Orientalibus *aliis.* §. 9. (7) *argumentis* Grammaticis, §. 10. (8) *&* realibus *aliis.* §. 11. *Denique* (9) *ab* Auctoritatibus *cum* Patrum, §. 12. *tum* (10) *Scriptorum* Pontificiorum, *veterum & recentiorum.* §. 13. *H.* Grotius *& I.* Lipsius *perstringuntur.* §. 14. *Nec non* Franciscani, Jesuitæ *&* Mariolatræ *alii.* §. 15.

CAP. VII.

De Contritione Capitis Serpentini,
sive
Supplicio Diaboli quinto & ultimo.

A*Nalysis verborum, sine* ellipsi *mirè emphaticorum.* §. 1--3. Caput *Serpentis emblema est &* versutiæ *&* malitiæ *&* potestatis *Diabolicæ* §. 4-6. Hanc *quo pacto* acquisiverit, *ostenditur.* §. 7. *& esse* Regnum *cum* peccati, *tum* mortis. §. 8. *Quod tamen* perpetuum *&* universale *non est.* §. 9. *Vis vocis* שוף *vel* שפף *contra quosdam Vulgatæ &* τῶν ό *Codices.* §. 10. Phrasis tota *cum* aliis *confertur* gemellis. §. 11. Quænam *&* quanta *ad hoc opus planè* divinum *requirantur.* §. 12. *Tribuendum illud* semini cum *primario,* tum *secundario* mulieris, sensu *diverso.* §. 13, 14. *Christus* illud *perficit* octo *veluti* gradibus. §. 15--18. *Christiani* quinque. §. 19--23. *Cujus quidem potentiæ* specimen *insigne in* expulsione *Dæmonum è corporibus obsessorum datum, non solum à* Christo. §. 24 *Sed &* discipulis *ejus, longo pòst illum tempore.* §. 25, 26. Symbolum *autem ejusdem fuit in* dono *miraculoso* Serpentes exuendi veneno. §. 27. *quod aliquam diu in Ecclesia duravit.* §. 28.

CAP. VIII.

De Adflictionibus Seminis mulieris.

R*Eliquorum verborum cum superioribus* nexus. §. 1. *&* partitio. §. 2. *Usus vocis* עקב *cum* proprius, *tum* metaphoricus §. 3. *Non accipienda* adverbialiter, *quod ab* Onkeloso *factum.* §. 4. Ainsworthus *metonymicè pro* vestigiis *accepit, intelligens* vias *Christi* §. 5. *Vox hîc sensu* figurato *cum* corpus, §. 6. *tum* humanam naturam, §. 7. *at* literali *pedis* calcaneum *notat.* §. 8. *Quid ejus significet* contritio. §. 9. *Ea inferenda semini mulieris* utrique. §. 10. *In* Christo *notat* (*a*) quasvis adflictiones corporis. §. 11, 12. (*b*) dolores animæ. §. 13. (*c*) Mortem. §. 14. *At vel inprimis & sensu proprio* (*d*) supplicium crucis. §. 15, 16. *Quod hîc prædictum esse multifariam* confirmatur. §. 17, 18. Idem *de* Christi fidelibus *per* eadem *pæne* rerum genera *declaratur.* §. 19, 20. *Utcunque autem hæc plaga magna est,* tantam *non esse, ac* illam serpentis, *ex* triplici *discrimine, evincitur.* §. 21-23. *Imò eam ipsam subinnuere* victoriam ac resurrectionem, *non solum* Christi. §. 24. *Sed &* piorum *ipsi datorum.* §. 25. Caussa efficiens *plagæ* Serpens *est una cum suo* semine. §. 26. *Satanæ instinctu &* Christus *pleraque passus est,* §. 27. *inprimis in Horto* Getsemaneh. §. 28, 29. *& dira sua* Christiani *patiuntur.* §. 30. *Sunt autem verba* DEI *non* præcipientis, *vel* suadentis, *sed* judicantis, *&* denuntiantis, *quid semen* utrumque *Mulieris perpetiendum habeat.* §. 31--33. *Satanæ exitium nexu indissolubili cum* vulnere seminis *Mulieris conjunctum est* §. 34. *tam* Benedicentis. §. 35. *quàm* benedicti. §. 36. *Ex copulativa, qua hæ plagæ serpentis & seminis Mulieris junguntur, aliquid de* Tempore *quoque &* occasione *rei gerendæ potest conjici.* §. 37.

CAP. IX.

De Peccato Diaboli.

C*Aussa* meritoria *harum pœnarum, Diaboli* peccatum *est* §. 1, 2. Fraus, *qua circumvenit Mulierem.* §. 3, 4. *In qua quidam scelerum* confluxus *est.* §. 6--9. Æquissimum *ergo supplicium est, sive* generale maledictionis. §. 10, 11. *sive cætera* quatuor specialiora. §. 12. Unde *&* primus *sententiam audivit judicialem ante Adamum & Hevam.* §. 13. sine *prævio* examine. §. 14. *Nec hoc tamen peccatum ejus fuit* primum, *sed antecedentium* complementum. §. 15--17. *Primum omnium non fuit* impura *cum filiabus hominum* consuetudo. §. 18. *Sed in* particularibus, *quæ Scriptura angelis malis tribuit, mater videtur fuisse superbia.* §. 19. ex tribus *argumentis.* §. 20. Lapsus *illorum, qui omnino* boni *conditi, panditur* possibilitas. §. 21, 22. *& quædam veluti processus* Historicus. §. 23. nec non Occasio. §. 24. Tempus *incertum est, at certum* anticipasse *lapsum Hominis.* §. 25. Usus *totius Oraculi* practicus. §. 26.

CAPUT

CAPUT PRIMUM DE Auctore Verborum Christo.

SUMMARIUM.

Dissertationis ſcopus *&* inſtitutum. §. 1-3. Filium DEI *hoc Oraculum pronuntiaſſe ex* quatuor *probatur argumentorum claſſibus.* §. 4-31. *Claſſis eorum* prima, §. 5-9. Altera, §. 10. Tertia, §. 11-29. Quarta. §. 30, 31. Uſus *hujus doctrinæ.* §. 32.

§. I. NOn equidem via videtur ad adyta Prophetarum eſſe compendioſior, quam ſi id operam demus, ut divinum *Moſen* probe intelligamus, eorum omnium, quæ Vates ceteri ſecuturis ætatibus vel enarraturi copioſius vel apertius explanaturi erant, primas veluti lineas ducentem. *Moſes* enim certe, *Servus* ille *DEI*, *fidelis fuit in tota domo DEI*, Num. 12: 7. *ut famulus, in teſtimonium τῶν λαληθησομένων, eorum quæ poſtmodum dicenda erant.* Heb. 3: 2. 5. *Moſen* Dominus *Jeſus* citabat dictorum & factorum ſuorum teſtem, atque uti ab illo teſtimonium acceperat, ita ei reddebat viciſſim. *Moſes, quo vos confiditis*, ajebat Judæis, *eſt qui accuſat vos. Si enim crederetis Moſi, crederetis mihi. De me enim ille ſcripſit. Si vero literis illius non creditis*, quomodo *meis verbis credetis?* Joh. 5: 45. 46. 47. Hinc *à Moſe exordiebatur & omnibus Prophetis*, quum diſcipulis Emauntinis *interpretabatur in omnibus Scripturis τὰ περὶ ἑαυτοῦ, quæ de ſemetipſo erant.* Luc. 24: 27. Confer vſ. 44. cum cap. 16: 29. 31. & Joh. 1: 45. Neque proinde Apoſtolus *Paulus* volebat videri *quidquam tum parvis tum magnis eſſe teſtificatus, extra ea, quæ* ſicut *Prophetæ* reliqui, ita vel inprimis *Moſes futura prædixerat.* Act. 26: 22. Quodſi quis ergo in lectione Scripturarum, & Sermonis cum maxime Prophetici, feliciter & cum inſigni aliquo fructu verſari velit, ei nobiliora quæque in libris *Moſaicis* de Meſſia & Regno ejus vaticinia ſingulari quadam cum cura inſpicienda & expendenda eſſe omnino exiſtimamus.

§. II. Non poſſumus autem, opinor, ubi hoc nobis conſilium ſedet, non ab illo auſpicari Oraculo, quod, quia ceteris ceu Fons quidam ſuam dedit ſcaturiginem, eaque veluti Compendium quoddam in ſe complectitur, & ad quod denique ceu Normam ſuam reliqua omnia ſunt referenda, merito quis *Oraculum* dixerit *Oraculorum.* Illud puto omnium antiquiſſimum, quod audientibus & Satana, & primo hominum pare, ipſoque conſcio Paradiſo, Deum ipſum edidiſſe Moſes Gen. c. 3: vſ. 14. & 15. hiſce commemorat verbis:

Verſio Septuaginta viralis.

Vſ. 14. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים אֶל־הַנָּחָשׁ כִּי עָשִׂיתָ זֹּאת אָרוּר אַתָּה מִכָּל־הַבְּהֵמָה וּמִכֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה עַל־גְּחֹנְךָ תֵלֵךְ וְעָפָר תֹּאכַל כָּל־יְמֵי חַיֶּיךָ׃

Vſ. 15. וְאֵיבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין זַרְעֲךָ וּבֵין זַרְעָהּ הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב׃

Vſ. 14. Καὶ εἶπε Κύριος ὁ Θεὸς τῷ ὄφει, Ὅτι ἐποίησας τοῦτο, ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν θηρίων τῶν ἐπὶ τῆς γῆς. Ἐπὶ τῷ στήθει σου καὶ τῇ κοιλίᾳ πορεύσῃ· καὶ γῆν φαγῇ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου.

Vſ. 15. Καὶ ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σου καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς. Αὐτός σου τηρήσει (Codd. alii τειρήσει) κεφαλήν; καὶ σὺ τηρήσεις (aliæ Editiones; τειρήσεις) αὐτοῦ πτέρναν.

Junius & Tremellius:

Vſ. 14. *Quapropter dixit Jehovah Deus Serpenti illi, cum feceris iſtud, maledictus eſto præ omni jumento, & præ omni beſtia agri: ſuper ventrem tuum ito, & pulverem comedito omnibus diebus vitæ tuæ.*

Vſ. 15. *Præterea inimicitiam pono inter te & mulierem hanc, ſimiliterque inter ſemen tuum & ſemen hujus: hoc conteret tibi caput, tu autem conteres huic calcaneum.*

§. III. Tametſi vero hic fatendum certe in ipſo ſtatim limine ſit, hoc præſtitiſſe diligentiam magnorum quorundam noſtro ævo virorum καὶ δυνατῶν ἐν ταῖς γραφαῖς, ut ne quiſquam jam temere conqueri poſſit, quod queſtum quandoque ſua ætate B. *Lutherum* ferunt, neminem adhuc vaticinium hoc, uti dignum erat ejus majeſtate, explicatum dediſſe, nihilo tamen ſecius haut quaquam diffidimus, poſt meſſem ipſorum ſatis accuratam, ſpicilegium ſaltem aliquod & nobis relictum, & quibus poſt nos denique in eadem re vires periclitari ingenii ſui pariter adlubeſcet. *Duo* autem putamus non perfunctorie diſcutienda, antequam ad ipſam Oraculi medullam pertingamus. Nam *primo* quidem videndum, *Quis* hæc verba prolocutus ſit; & *deinde*, *cui* ea dicta ſint. Utrumque ex ipſo dabitur noviſſe loco.

§. IV. Orator horum verborum laudatur *Dominus Deus.* Atque hic quidem nos duas haſce voces, יְהוָה אלהים vi quoque ſignificationis ſuæ, *unum* illud *trinumque* denotare *Numen* cenſemus, quod paulo ante ſibimet dixerat ipſi; *FACIAMUS hominem in imagine NOSTRA, ſecundum ſimilitudinem NOSTRAM.* Gen. 1: 26. Adeoque quicquid hic orationis eſt, toti fatemur ac individuæ poſſe *Trinitati* tribui. Sed & illud non difficili largimur manu, ſi Oeconomiam ſpectes ſalutis noſtræ, *Patrem*, uti ordine *primus* eſt, ita in hoc quoque *primo* omnium verbo gratiæ principem ſibi locum vindicare, propterque ſponſionem Filii æternam, tum futurum ejus ſacrificium, tum ſuam porro peccatori gratiam & Spiritus ſancti adverſus Diabolum efficax auxilium promittere. Neque tamen interea minus hoc nobis perſuademus quoque, Scripturam ab illis ſtare, magnaque rationum momenta, quotquot electè *Filium Dei* coràm & voce in aëre formata hæc arbitrantur olim verba pronuntiaſſe.

§. V. *Principio* enim id clare perhibent ſacræ Literæ, *Filium loquutum* fuiſſe *ab initio.* Audiamus *Jeſaiam*: Apud cum cap. 48. vſ. 14. 15. non ſolum in genere *Ille, quem diligit Deus* (ita enim & *Chaldæus* τὸ אשר ſupplet ante verbum אהבו) de ſe adfirmat: *Ego, Ego loquutus ſum*, puta ab antiquo; ſed & Pſ. ſequente 16. diſertis ait verbis, ſeſe, *quem Dominus Deus* deinceps *miſit*, in carne nimirum, *una cum Spiritu ſuo*, מראש *à capite* ſive *inde ab initio non in occulto loquutum.* Quis eſt autem ille *Dei Dilectus*, ſi *Filius* non eſt? ὁ υἱὸς τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, *Filius amoris ipſius?* Col. 1: 13. ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησε. *Dilectus ille, in quo complacuit ſibi?* Joh. 3: 35. Matth. 3: 17. 17: 5. 2 Pet. 1: 17. ὁ ἐκλεκτὸς, ὃν προσεδέξατο ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, *Electus ille, quem acceptavit anima ipſius?* Jeſ. 42: 1. Non potes ambigere, quis ſit ille יְדִיד יְהוָה *Dilectus Domini*, ſive, ut LXX. reddunt, ἠγαπημένος Θεῷ, ubi duntaxat verba inſpicere Prophetæ noſtri cap. 5: vſ. 1. 2. & illa præterea, quæ *Moſes* habet Deuter. 33: 12. cum iis contendere volueris, quæ Deus apud *Jeremiam* cap. 11: vſ. 15. & *Malachias* denique cap. 2. vſ. 11. teſtantur. Ipſe *Nachmanides* coactus eſt agnoſcere, Salomoni *Nomen gloriæ Dei* datum eſſe, quum *Jedidiah* nuncupatus eſt. 2. Sam. 12: 25.

§. VI. Poteſne vero tu porro heic *initium* commodius, quam illud *rerum omnium* intelligere? Certe *Doctor* ille eorum, quæ *utilia* ſunt ad ſalutem מלמד להועיל uti vſ. 17. vocatur, (Conf. Hiob. 33: 23. & Joël. 2: 23.) vere ſtatuendus eſt & cum emphaſi *ab initio* locutus eſſe, ſi ſtatim à lapſu, ἀπ᾽ ἀρχῆς ab *initio* illo, *quo diabolus fuit homicida*, Joh. 8: 44.

cum parentibus nostris verba fecit gratiæ, adeoque בראש דורות sive, quod idem est, πρὸ χρόνων αἰωνίων, vel *antequam tempus seculare effluxisset, vitam æternam pollicitus est.* Tit. 1: 2. Ac ut ne mireris id fieri ab illo potuisse, statim vs. 16. addit, ac si manu projecta digitum indicem in omnem hanc rerum universitatem intenderet: מֵעֵת הֱיוֹתָהּ שָׁם אָנִי *A tempore, quo isthoc extitit*, quodcunque tu vides scilicet, *ego eram ibi.* Hæc enim omnia sensu pleno atque congruo de *Jesaia* Propheta posse accipi, quemadmodum ex illis quidam volunt, qui heic cæcum utriusque *Kimchii* ductum sequuntur, ego quidem post ardua virorum argumenta nunquam hodie adduci possum, ut credam. Vide, si lubet, *Coccejum* in Epist. ad Hebr. c. 1. §. 18. & *Heideggerum* in H. P. Tom. 1. Exerc. 3. §. 13. & confer Jes. 45: 21.

§. VII. Uti autem *Spiritus Christi*, qui non minus certe in *Jesaia* erat ac in cæteris omnibus vatibus sacris, hæc Christo verba dudum ante præformavit, disceptaturo aliquando cum adversariis suis, ita & usus ille iisdem est, huicque adeo, quam demonstratum imus, veritati luculentum dedit testimonium, cum in carne jam missus de se ac dignitate sua cum incredulis Judæis in harenam quandam disputationis descendisset. Rogatus enim, postquam adseverasset: *Si non credatis*, ὅτι ἐγώ εἰμι, *quod ego sum, moriemini in peccatis vestris!* Rogatus, inquam; σὺ τίς εἶ; *Tu igitur quis es* tandem? respondit; τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, subintellige εἰμί. *Sum id, quod & à principio loquor vobis.* Joh. 8: 24. 25. Quæ verba, aut multum fallor, aut primo quidem idem sonant, quod ipse apud *Esaiam* dixit: מראש דברתי *à principio locutus sum.* Deinde vero hoc notant præterea, id esse sese, quod se fore ipse dixerat, cum paullo ante, in hoc cum iis colloquio, scilicet *Lucem Mundi* sive Messiam, tum ab initio seculorum ipso, & deinceps semper, scilicet *Semen mulieris* illud, *quod caput Serpentis contriturum erat.*

§. VIII. Uti enim negare præfracte nolim, *initium* hoc referri quoque posse vel ad initium *sermonis illius*, quem heic cum Judæis miscebat, ut adeo idem nunc dicere putari queat, quod commate dixerat 12: ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου; *Ego sum lux illa mundi*; vel ad initium *prædicationis* ipsius *in terra*, ita tu rursus nunquam mihi caussam dices idoneam, cur non altius ire & *initium* cogitare debeamus *loquendi* ad Israëlem priscum, immo tempus illud, quo *omnium primo* de se tanquam Mediatore & futura salute mundi locutus est. Id quod certo tum fecit, quum primum illud primis parentibus nostris annuntiavit εὐαγγέλιον. Immo vero ego tibi caussam dixero, cur id cogitare initium omnino debeas. Nam hoc pacto mirifice probat & confirmat, quod vs. 23. dixerat: se ἐκ τῶν ἄνω esse, *ex iis quæ supra sunt, non vero ex mundo hoc esse*, adeoque *morituros* Judæos *in peccatis suis, nisi credant, quod ipse sit.* Quis enim dubitabit, eum hoc verum elocutum esse, qui noverit, eum qui jam loquebatur, id quod loquitur ab ipso jam rerum initio & deinceps semper locutum esse, nuncque se talem re ipsa ostendere, qualem se futurum ante quatuor pœne annorum millia prædixerat?

§. IX. Porro nemini cuiquam dubium esse debet, τὴν ἀρχὴν recte verti *ab initio.* Ita enim, ut τῶν ἔξω prætermittam testimonia, LXX. verterunt τὸ בראשנה Gen. 13: 4. & τὸ בתחלה, Gen. 41: 21. 43: 18. 20. Adstipulatur Nonnus Paraphrastes:

—— Ὅ,τιπερ ὑμῖν
Ἐξ ἀρχῆς ἀόριζον ——

Neque hoc dare possumus Lud. *de Dieu*, trajectionem hanc, secundum quam τὴν ἀρχὴν construimus cum verbo λαλῶ, in Johanne præsertim, qui abundat talibus, duriusculam esse; Multo sane nobis durior videtur explicatio Viri, qua locum hunc totum interrogative legi vult. Si vero Codicum antiquorum autoritas iis faveret, qui legunt: τὴν ἀρχὴν ὅς vel ὅστις καὶ λαλῶ ὑμῖν: *Is sum, qui ab initio loquor vobis*, tum clarius etiam id, quod volumus, nobis videremur probatum dedisse.

§. X. Sed ut jam *altero* pugnemus argumento, cui potius adscribamus prolocutionem horum verborum, quam ei, qui in V. T. הַדָּבָר *sermo ille* & in Targumim מֵימְרָא דַיָי *verbum Jehovæ*, ita in N. T. absolute ὁ λόγος, & ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ appellatur? Quis autem ille, nisi ὁ μονογενὴς παρὰ πατρός, *unigenitus ille à Patre*, qui *caro factus* est sive *esse incepit & habitavit in nobis*? Joh. 1: 14. Quis, nisi הדבר *sermo ille*, *super* quo & *cum* quo *Jehova Deus exercituum non minus quam cum spiritu ipsius erat in medio populi* Israëlis? Hagg. II: 5. Immo qui *cum Patre & Spiritu testatur in cœlo*, καὶ ἕν ἐστι *unum est* cum utroque? 1. Joh. 5: 8. Eccur autem ita eum putemus vocari, quam uti ob alias causas graves ac evidentes, quas Scriptura passim inculcat, ita vel præcipue ob hanc quoque non inidoneam, quod is est videlicet, qui inde ab omni ævo locutus est ad populum DEI, & in quo & per quem locutus est Pater, quicquid locutus est, & sine quo loquutus est nihil? Hinc sibi quoque nomen imponit inter alia ἀλφοφορώτερα, quibus cognosci à populo suo vult, quod audiat LOQUENS ILLE. Nam ejus sunt verba illa, quæ apud *Jesaiam* legis cap. 52: 6. *Quapropter cognoscet populus meus nomen meum: propterea in die illo*, כי אני הוא המדבר *quod ego is sim QUI LOQUITUR, ecce me!*

§. XI. Profecto, quod *tertio* loco observari velim, Filius Dei cum Patriarchis & ante & post diluvium locutus est, quotiescunque Deus cum iis collocutus est. De temporibus *ante-diluvianis* scrupulum nullum *D. Petrus* nobis superesse sinit. Christi enim, illo judice, fuit κήρυγμα illud, quod tunc temporis in mundo auditum est. *Christus, in diebus Noë, quum semel exspectaret Dei longanimitas & pararetur arca*, πορευθεὶς ἐκήρυξεν *prædicatum ivit spiritibus*, τοῖς ἐν φυλακῇ, *qui olim* quidem *immorigeri exstiterunt*, nunc autem *in carcere illo sunt*, in quo *puniendi servantur ad diem judicii* 1 Pet. 3: 19. 20. coll. cum 2 Petri 2: 9. *Grotii* enim indignam *Grotio* στρέβλωσιν heic loci nihil moramur. Tu confer præterea, si lubet, 1 Petr. 4: 6. Sique, quod idem affirmat Apostolus, *Spiritus ille, qui in Prophetis erat, qui de gratia, quæ nobis contingit, vaticinati sunt, Spiritus Christi* fuit; 1 Pet. 1: 10, 11. utique illum & in *septimo* illo *ab Adamo*, nimirum *Henocho* fuisse palam est, atque ad illum de se ista locutum, quæ Henochus de ipso nobis, referente *D. Juda* in epistola Catholica vs. 14, 15. prophetavisse legitur.

§. XII. De ætate vero *post-diluviana* idem etiam magis existimabimus, ubi edocti fuerimus, quid nobis de *Angelo illo Domini* cogitandum sit, qui toties deinde apparuit piis Patribus, totque cum iis pæne familiaria habuit colloquia. Esse enim quendam Angelum, qui non sit de choro & censu creatorum angelorum, sed ceterorum caput atque dux, cui proinde uni privo quodam jure celebre illud & nusquam inscriptum nisi numero singulari expressum *Archangeli* cognomen competat, 1 Thes. 4: 16. Jud. vs. 9. immo omnium angelorum Conditor, id vel sola illa θεῖα αὐχήματα persuadent nobis, quæ Jehovam ipsum Exod. 23: 20-23. liberali manu huic quidem Angelo largiri conspicimus.

§. XIII. *Primo* enim istic loci ei populi ducatum per desertum, & in itinere custodiam & in terram à Deo ipsi præparatam introductionem tribuit; *Deinde* ejus tanquam Legislatoris præceptis subjicit Israëlem, & omnimodam ei cum reverentiam, tum obedientiam præstari vult. *Porro* penes ipsum potestatem esse testatur vel ligandi vel remittendi. *Tum* plenissimo modo eum possidere, quicquid vel est Deus verus vel dicitur. Immo *denique* ipsius vocem Jehovæ esse vocem, idque Jehovam loqui, quodcunque ille loquitur. Nam ita sonant verba. *Ecce ego mitto Angelum ante faciem tuam, (a) qui custodiat te in via & introducat te in locum, quem præparavi tibi: (b) Cave tibi à facie ipsius & ausculta voci ejus, ne exacerba eum: nam (c) non condonaturus est defectiones vestras: nam (d)* שמי בקרבו *nomen meum est in medio ipsius. At (e) si auscultando auscultaveris* בקלו *voci EJUS, & feceris omnia* אשר אדבר *quæ EGO edicam, plane inimicabor cum inimicis tuis & hostiliter agam cum hostibus tuis.* Jam autem cum his omnibus & singulis taliter comparatum est, ut in neminem competere quemquam possint, præterquam in solum atque verum Deum Israëlis. Quod ut aliquanto accuratius ostendatur, fortassis operæ pretium est.

§. XIV. Quis itaque, ut à PRIMO horum attributorum ordiamur, Israëlem per eremum in terram promissionis deduxit? Audi *Mosen: Pars Jehovæ est populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus. Inveniebat ipsum in terra deserti & in vasto ejulabili solitudinis:* יהוה בדד ינחנו ואין עמו אל נכר *JEHOVAH SOLUS DUCEBAT ipsum, & non erat cum ipso Deus peregrinus*, Deut. 32: 9, 10, 12. Et cur putes alium Israëlitas deinde per desertum deduxisse, quam qui primitus eos ex Ægypto eduxit? Quis autem ille? Lege Exod. 13: 21, 22. *JEHOVAH verò antecedebat ante faciem ipsorum, interdiu in columna nubis, ad deducendum eos in via illa, & noctu in columna ignis.* &c. *Porro* idem procul dubio Angelus Dei illos deduxit, qui quum ad littora maris rubri pervenissent, retrogressus est post tergum illorum, sic ut medius staret inter castra Ægyptiorum persequentium illos & castra eorum. Exod. 14: 19. Quis autem ille? profecto *Jehovah.* Nam *in vigilia matutina* JEHOVAH *prospectavit ad castra Ægyptii in columna ignis & nubis, ut funderet ea.* v. 24. *Tandem* Angelum illum ductorem ipsum

ipsum Jehovam esse, obscurum deinceps nemini esse potest, qui caput Exodi inspexerit 33: & commata 2, 3, & 4. quæque dehinc sequuntur à vs. 12. usque ad 18. rite, quaque decet attentione apud animum suum perpenderit. Adde, si lubet, insuper Exod. 3. vs. 8, & 17.

§. XV. Sed neque *secundo* potestatem legislatoriam ei tribueret & *auscultandum voci ejus in omnibus* sciseeret *Jehovah*, *qui gloriam suam alteri non dat, nec gloriationem suam sculptilibus*, Jes. 42: 8. si de eodem hoc Angelo non loqueretur, qui quum in monte Sinai legem ferebat, hæc ipse loquebatur verba: *Ego sum Jehovah Deus tuus*, & quo loquente Moses testatur *Deum elocutum esse omnia hæc*: Exod. 20: 1, 2. *Angelum* enim sane fuisse, qui hæc locutus est *in deserto*, & à quo Moses λόγια ζῶντα, *viva eloquia, accepit*, sanctissimo credendum est protomartyri, hoc totidem verbis asserenti, Act. 7: 38. Et quidem, si eidem adsurgimus *Stephano*, idem fuerit ille Angelus, qui antea apparuit Mosi in rubo, vs. 35. Hic autem qualis fuerit demum, si quæras, legere te jubeo & expendere capita Exod. 3. & 4. Quæ tot undequaque scatent argumentis pro Angeli istius divinitate vera, ut iis lectis de ea dubitare velle tantundem sit, ac in ipsa cæcutire luce meridiana, & nihil quidquam credere velle, quanquam illud vel certissimum sit & apertissimum. Inspice cap. 3: vs. 2. 4. 6. 7. 10. 12. 14. 15. & seq. Rursus uti Jehovam legem tulisse testatur Moses Deut. 32: 10. 33: 2, 3, 4. ita *solum* quoque legem ferre posse Apostolus docet Jacobus: εἷς, inquiens, ἐστιν ὁ νομοθέτης, *Unus est legislator, qui potest servare & perdere*, cap. 4: 12. Conf. Ps. 68: 8, 9.

§. XVI. Qui autem *tertio* potestas ei competere posset vel remittendi peccata, vel retinendi, nisi verus Deus esset? Quis enim potest peccata remittere εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός, *nisi unus Deus?* Marc. 11: 7. Sed tamen hoc etiam quidam potest Angelus. Nam Angelus quidam Jehovæ non auferri solum à Josua sacerdote maximo jubet vestes sordidas, quibus amictus stabat coram illo, sed & ipse desemet ipso illi dicit: ראה העברתי מעליך עונך *Ecce amovi à te pravitatem tuam.* Zachar. 3: 3, 4, 5. Confer Hiob. 33: 24. Oportet ergo utique hunc nostrum Angelum eundem esse cum illo Zachariæ. Quis autem ille? videsis vs. 2. Et dixit *JEHOVAH ad Satanam*: *Increpet Jehovah te Satanas: increpet, inquam, Jehovah te, qui eligit Hierosolymam.* Quis rursum ille Jehovah qui hoc dixit Satanæ? Nemo equidem præterquam ὁ Μιχαὴλ ὁ Ἀρχάγγελος. Epist. *Judæ* vs. 9.

§. XVII. Jam si nihil quidquam probavissemus adhuc, hoc saltem unum sufficeret ad demonstrandum, quod Angelus hic omnibus angelis infinitis modis sublimior, immo id sit, quodcunque verus Deus vel est, vel dici potest, quum dicere *quarto* Jehovam audimus; *Nomen meum est in medio ipsius.* Sive enim in genere per nomen Dei intelligas, quicquid vel ex verbo, vel ex rebus creatis cognosci de Deo potest, atque adeo essentiam ipsius & attributa & decreta & opera denique, sive in specie nomen illud Dei proprium, quod absolute in Scriptura השם *nomen illud* & זכרו *memoriale ejus* Levit. 24: 16. Hos. 12. 6. à Judæis vero שם העצם & הם המפרש *nomen substantiæ* & *nomen separatum* appellatur; utrolibet modo hoc quam fortissime & liquidissime inde concluseris. Nam & nomen יהוה nemini citra blasphemiam, qui potentiam meræ creaturæ non excedat, tribui potest. Vide Psalm 83: 19. 135: 13. & conf. Esa. 42: 8. & essentiam certe & attributa cæterasque Dei prærogativas possidere nemo potest, nisi qui unus ille verusque sit Deus.

§. XVIII. Quibus *quinto* accedit, quod, ipsius vocem *suam* esse vocem, atque adeo quisquis illius auscultaverit voci, id omne facturum, quod JEHOVAH dixerit, uno quasi & eodem halitu Deus testetur. Aurea autem plane sunt, & scitu dignissima, quæque cum Judæis pervicacibus Socinianos quoque dare in ruborem possunt, quæ vis veritatis de Angelo hoc nostro Assertore *Mosi Gerundensi* extorsit, qui vulgo per abbreviaturam רמבן, hoc est R. Mosche Bar Nachman dicitur. Passim ea extant apud eruditos, ut exscribere jam non opus sit. Tu adi, si placet, *Joh. Coccejum* in Consid. Resp. Jud. c. 4. §. 204-207.

§. XIX. Sicut ergo constare jam arbitror, Angelum hunc verum Deum, atque adeo, ni plures statuere veros Deos velimus, unum ex tribus illis personis esse, quæ unius ac individuæ divinæ essentiæ participes sunt; ita neque abeundum nobis extra hunc locum puto, ut evincamus, illum electe *secundam ordine personam*, hoc est, Dei filium & humani generis Redemtorem esse.

§. XX. Præterquam enim, quod Patri nomenclatura *Angeli*, qui non mittitur, sed mittit, hautquaquam conveniat, *primo* quidem Filius ille est, qui eduxit Israëlem & custodivit in viis suis. Illum enim præeuntem sibi in columna & nubis & ignis tentarunt Israëlitæ in deserto. Ita namque Apostolus; *Neque tentemus* CHRISTUM, καθώς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν, *quemadmodum & quidam eorum tentarunt, & à serpentibus perierunt.* 1. Cor. 10: 9.

§. XXI. *Secundò*, Filius Legislator fuit in monte Sinai, atque illius voci auscultandum & obediendum est; *Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui in terra oracula loquebatur, multo magis nos non effugiemus*, τὸν ἀπ' οὐρανῶν ἀποστρεφόμενοι, *si illum aversemur, qui ex cœlis est*, *hoc est Christum*, οὗ ἡ φωνὴ τὴν γῆν ἐσάλευσε τότε. CUJUS *vox terram commovit hinc.* Hebr. 12: 25. 26. Confer Psalm. 68: 8. 9. 19. cum Eph. 4: 8. De hoc Pater sæpius: Αὐτοῦ ἀκούετε, HUNC AUDITE. Matth. 17: 5. & Act. 3: 22. 7: 37. ex Deut. 18: 15.

§. XXII. *Tertiò*, Filius hominis ἐξουσίαν ἔχει ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας, *potestatem habet in terra remittendi peccata.* Matth. 9: 6. Hinc etiam dicebat Paralytico illi: *Confide fili*, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, *remissa sunt tibi peccata tua* vers. 2. Luc. 5: 20.

§. XXIII. Rursus *quartò* Filius est sive Christus ἐν ᾧ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, *in quo omnis plenitudo habitat corporaliter.* Col. 2: 9. qui cum Patre ἕν ἐστι, *unum est*; Joh. 10: 30. Cuique adeo hoc nomen competit ἐν δυνάμει τῆς φωνῆς יהוה צדקנו *Jehova justitia nostra*: Jerem. cap. 23: 5, 6. 33: 16.

§. XXIV. Et quis *tandem quinto* τὰ ῥήματα locutus est τοῦ Θεοῦ, verba, quæ nemini loqui fas erat præterquam *Deo*, cujusque adeo vox, Θεοῦ φωνὴ καὶ οὐκ ἀνθρώπου ψιλοῦ *vox DEI & non nudi hominis* fuisset, quis si non ὃν ἀπέστειλεν ὁ Θεός, *quem misit Deus, qui* ἄνωθεν *desursum venit ex cœlo & supra omnes est?* Joh. 3: 31, 34. Conf. Deut. 18: 18, 19.

§. XXV. Concludimus ergo & habemus pro certo, Filium Dei Messiam esse Angelum illum, qui ita *Dei* dicitur & *Jehovæ Angelus*, Ps. 34: 8. & 35: 5, 6. ut simul Deus vivus & Jehovah ipse sit; idem qui alias vocatur המלאך הגאל *Angelus ille Goël* sive *Assertor*; Gen. 48: 16. שכני סנה *Habitans rubum.* Deut. 33: 16. שר צבא י"ה, *princeps exercitus Domini.* Jos. 5: 14. מלאך מליץ *Angelus Advocatus*, sive *Interpres*, *Unus ex mille.* Hiob. 33: 23. מלאך פניו *Angelus faciei ipsius*, puta Dei. Jes. 63: 9. מיכאל *Quis est sicut Deus fortis?* & השר הגדול sive אחד השרים הראשנים *magnus ille princeps sive unus principum primorum.* Dan. 10: 13. 21. 12: 1. Apoc. 12: 7. & הארון מלאך הברית *Angelus Fœderis* sive *Testamenti*, *Dominus ille.* Malach. 3: 1. à quo non multum abludere Apostolus videtur, quando eum vocat τὸν Ἀπόστολον τῆς ὁμολογίας ἡμῶν; *Ablegatum adstipulationis nostræ*, Hebr. 3: 1.

§. XXVI. Jam, si Angelus ille Dei κατ' ἐξοχὴν ita dictus, fuit *Filius Dei*, sponte inde consequitur, Filium cum Patribus locutum esse, quotiescunque Angelus ille cum iis locutus est. Revera ille Patrem *Abrahamum* inclamavit, quum jugulaturus erat filium suum, dixitque: *Nunc expertus sum timentem esse Dei te, cum non subtraxeris filium tuum A ME.* Genes. 22: 11, 12. & seq. Ille *Hagarem* invenit apud fontem in via Schur, eique rem pollicitus est divinæ omnipotentiæ, *multiplicationem seminis ejus, ut ne numeretur præ multitudine.* Quare & nomen Jehovæ illius, qui ad illam loquebatur, nominavit illa: אתה אל ראי *Tu es Deus visionis.* Gen. 16: 7. 10. 13. 14. Ille fuit *Angelus ille Dei*, qui *Jacobum*, cum Charane esset, per somnium allocutus est, simulque *Deus ille fortis*, *Deus Bethelis*, *ubi Jacobus unxit statuam & nuncupavit votum ipsi.* Gen. 31: 11. 13. coll. cum cap. 28: vs. 13. 18. 19. 20. & seq. Ille cum eo luctatus est & nomen *Jacobi* commutavit in illud *Israëlis.* Gen. 32: 24–30. coll. cum Hos. 12: 3, 4, 5. Ille *Mosi* sæpius apparuit, & *Josuæ* quoque tum præsentem se stitit cum gladio stricto in manu sua, quum apud Hierichuntem castra metatus esset. Jos. 5: 12, 13, 14. Ille *Bileamo*: Num. 22: 22. 28. 35. & Gideoni visus est Jud. 6: 11. 14. Neque alius ab eo fuit *Mirabilis* ille, qui cum *Manoah* & uxore ejus, parentibus Simsonis verba fecit, Jud. 13: 18. *Nam Pueri illius, qui natus est nobis, & Filii illius, qui datus est nobis, nomen idem est*, quod Angeli illius, פלא *Mirabilis* Jes. 9: 5. Quia hoc scilicet agit ille omnibus modis, ut possit ἐνδοξασθῆναι *glorificari in sanctis suis*, καὶ θαυμασθῆναι *& admirabilis fieri in omnibus credentibus.* 2. Thess. 1: 10.

§. XXVII. Si autem jam *Filius* tot repetitis vicibus cum cæteris Patriarchis locutus est & ante & post diluvium, obsecro te, quid est tandem caussæ cur dubitare debeamus, num & cum ipso Adamo, Patriarcharum omnium capite & principe, locutus fuerit? Si promissiones omnes & verba Fœderis, etiam illa locutus est, quæ in Monte Horeb audita sunt, non video,

video, quidni ergo & illa sanè verba pronunciasse censendus sit, ex quibus cætera deinceps omnia veluti rivuli quidam ex fonte suo promanarunt?

§. XXVIII. Neutiquam verò, dum in hac versamur materia, prætereundus nobis est celebris ille locus, qui apud *Johannem* occurrit cap. 5:37. Eum enim contortis quorundam interpretationibus valde vexatum & intricatum videmur nobis facili negotio expedire jam posse. Ait ibi Christus de Patre suo; *Et Pater, qui misit me, ipse testatus est de me.* οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε. *Neque vocem ejus audivistis unquam, neque speciem ejus vidistis.* Atqui, si hæc à Christo non de Judæis duntaxat illius ætatis, sed de omni omnino populo dicta existimamus, ut æquum esse videtur, negari certè non potest, Judæos unquam vel audivisse *Dei* vocem, vel vidisse speciem *Dei.* Contrarium enim docemur Deut. 4:12. & Exod. 24:9, 10, 11, 17. At neque hoc negat Christus. Quid igitur? Negat eos vidisse speciem *Patris* & audivisse vocem *Patris*: cujus ergo tandem audiverunt vocem, si non *Patris* & tamen *Dei*? Nimirum Filii, seu Angeli illius, de quo nobis nunc sermo est. Ejus in monte Sinai audiverunt vocem formatam ex aëre, in symbolum humanæ vocis, qua ex humano itidem corpore פנים אל פנים à *facie ad faciem* locuturus olim erat; Ezech. 20:35. Ejus viderunt εἶδος *speciem* sive כבוד *gloriam*, non solum Septuaginta seniores in apparitione illa peculiari, sed & populus universus, quotiescunque apparuit in nube supra tentorium, in symbolum mirificæ illius apparitionis, qua intuituri eramus *gloriam illius* δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός, gloriam ut unigeniti à Patre. Joh. 1:14.

§ XXIX. At inquies, nonne *Patris* propriè sunt verba illa, quæ Jehovam locutum de Angelo illo & magno Propheta ex Exod. c. 23. & Deuter. cap. 18. ante vidimus? Non nego. Immò Christus hîc asserit: Et Pater qui misit me, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ; *Ipse testatus est de me* videlicet in Scripturis illis, quos jubet eos ἐρευνᾶν, vs. 39; Quid ergo? Nempe non negat Christus eos audivisse *testimonium Patris*, sed audivisse τὴν φωνὴν *vocem Patris*; Quicquid enim testatus est Pater, voce testatus est τοῦ λόγου, *sermonis illius, qui erat à principio apud Deum,* immò *ipse Deus* Joh. 1:1. Quicquid locutus est, per vocem illius locutus est, *quem misit* ceu Ablegatum seu Angelum suum, cui *præceptum dedit, quid diceret & quid loqueretur*, & qui, *quæcunque locutus est, sic loquebatur,* καθὼς εἴρηκεν αὐτῷ ὁ Πατήρ, *quemadmodum dixit ipsi Pater.* Joh. 12:49, 50.

§. XXX. Sed neque alia desunt, quæ *quarti* argumenti quasi vicem præstare, iisque, quæ diximus, haut leve possunt pondus addere. Nam ut jam autoritates taceam tam priscorum, quam recentium, qui in Genes. cap. 3. vs. 8. commentantes aperte asserunt, Filium Dei Adamo Hevæque in humana forma apparuisse, atque ita beatissimum illud ἐνανθρωπήσεως suæ mysterium adumbrasse, quem potius statuamus Diabolo jam pro victore agenti ἄσπονδον illud bellum indixisse, quam qui ab illo jam tempore pugnaturus cum ipso & *vincturus hunc potentem & vasa sua ei direpturus erat?* Matth. 12:29.

§. XXXI. Quem potius adseramus prostratos hominum animos gratiosa illa, & tam plena solatii promissione erexisse, quam qui tam comiter *fatigatos omnes atque oneratos* ad sese invitaturus erat, ut *requiem invenirent animabus suis?* Matth. 11:28. 29. Quis potius universale illud ab initio mundi tam de Satana & hominibus, quanquam duobus solummodo, at omnibus tamen judicium egerit, *quàm cui Potestatem dedit pater* καὶ κρίσιν ποιεῖν, *judicium faciendi etiam?* Joh. 5:27. quique adeò ut unicus judex tam hominum omnium, quàm malorum angelorum in consummatione seculorum appariturus est? Neque sanè incommodè illi tribuas hanc de *positione inimicitiæ* pollicitationem, qui & à Prophetis *Sanctus ille* Israëlis & ab Apostolo tam pleno sensu ὁ ἁγιάζων, *Sanctificans ille*, appellatur. Hebr. 2:11.

§. XXXII. Cætera nec sterilis quoque hæc veritas vel ad pietatem parum utilis est. Quàm enim, ut alia taceam, tu hoc dulce piis animabus & jocundum putas accidere, quod Prophetam illum summum & unicum suum JESUM CHRISTUM, omnium quoque retrò fidelium & ipsorum tandem sciant protoplastorum nostrorum Doctorem fuisse? Nullum posthac unquam Præceptorem nobis cupimus, nos præsertim, quibus cana Antiquitas venerationi solet esse, ad cujus equidem vel pedes considere vel ab ore dependere; neminem magistrum, in cujus jurare verba malimus.

CAPUT SECUNDUM.

De Serpente Seductore.

SUMMARIUM.

Receptior vocis נחש Serpens *derivatio ab Hebr.* נִחֵשׁ *contra* Bochartum *defenditur.* §. 1---3. *Quænam hîc notetur* species *Serpentum incertum, at probabile est* præ ceteris nobilem *intelligi.* §. 4. *Serpens fuit* verus, §. 5. *Sed nequaquam* solus. §. 6. *A* spiritu rationali *obsessum*, tribus *argumentis probatur.* §. 7, 8. *Loquela ejus non fuit vel* sibilus *serpentinus* §. 9. *vel* sermo *merè* allegoricus. §. 10. *Spiritum, quo regebatur,* malignum *fuisse*, quinque *asseritur argumentis.* §. 11--13. Duabusque *occurritur objectionibus.* §. 14--17. *Caussæ, ob quas Diabolus* serpente *maluit, quàm alio quocunque animali abuti.* §. 18. *Serpens corporeus* usum *verum* rationis *non habuit.* §. 19. *Ratio autem* calliditatis *ejus exponitur.* §. 20, 21. Pœnæ *hîc dictatæ neque* Serpentem *neque* Diabolum *solum, sed* utrumque *simul respiciunt.* §. 22--25. Objectioni *de pœna serpentis corporei satisfit.* §. 26, 27. *Serpentem* Paradisiacum *priscis* gentilibus *incognitum non fuisse multifariam ostenditur.* §. 28.

§. I. NUnc ad *alterum* progredimur caput, non segnius inquisituri, *ecquemnam* vero Filius Dei hisce adfatus verbis sit. Eum vocat Moses הנחש *Serpentem illum*, Evæ scilicet seductorem, de quo egit in præcedentibus.

§. II. Quam quidem vocem alii putant *æneum* cupreumve pellis serpentinæ *colorem* respicere, at *Bochartus* ὁ πάνυ ab Arabico *nachasa* deducitur, quod *infaustum esse & mali ominis* significat. Nos magis receptiori favemus sententiæ, quæ illam ab Hebraïco נִחֵשׁ arcessit, quod non solum *augurandi & conjectandi*, sed & *scrutandi & explorandi* significatum habet. Confer Gen. 44:5. cum vs. 15. & c. 30:27. Equidem Serpentis occursus & primus parentibus infelix fuit, & à posteris etiam pro infausto habitus est, uti vel ex illo patet *Horatii*, Carm. lib. 3. Od. 27.

Rumpat & Serpens *iter institutum,*
Si per obliquum similis sagittæ
Terruit mannos.

Nec non ex eo, quod Geta apud *Terentium* ait in Phorm. Act. 4. sc. 4.

—— Monstra evenerunt *mihi*:
Introiit in ædes ater alienus canis;
Anguis *per impluvium decidit de tegulis.*

At enimvero cogitandum tamen erat, tum jam ante lapsum sua animantibus fuisse nomina imposita, tum post lapsum demum occursum serpentis cœpisse ominosum fieri. Quumque ipse *Bochartus* præterea sciscat, Hebræa animalium nomina pleraque certa niti ratione ex natura rei petita, nihil caussæ est, cur nostram repudiet originationem, quæ tam apte scilicet exprimit naturalem illam Serpentis *in abdita & profundum penetrandi* agilitatem, imo & ipsam illam adeo Mosi hic deprædicatam *calliditatem.* Ut jam taceam, quod alii quoque monuere, in voce נחש non ס occurrere sed ש.

§. III. Nec sufficit dicere, quod dicere Virum in *Indice* stupendi operis de *Animalibus sacris* reperio, *vel primi hominis animum in ipso statu beatitudinis, tanquam futuri mali aliqua ex parte præsagum, hoc serpenti nomen indidisse, vel etiam post lapsum demum imposuisse.* Nam quemadmodum hoc verisimile non fit, Adamum aut huic animali ex omnibus soli nomen post lapsum imposuisse, quod cæteris ante lapsum dederat, aut primitus datum deinde cum alio quopiam permutasse; ita plane videtur, si animus ipsius malum per serpentem inferendum præsagiisset, non ipsemet solum occursum ejus valde reformidaturus, sed & uxori, ut sibi caveret ab animante tam sinistri ominis, auctor futurus fuisse.

§. IV. Quum verò vox hæc generalior sit, neque Scriptura quidquam ultra definiat, haut temere dixeris, cujusnam speciei

ſpeciei potiſſimum hic Serpens fuerit. Hariolantur quidem nonnulli *Viperam* fuiſſe, quia *Semen Serpentis* alias quoque *progenies viperina* dicitur. Matth. 3:7. 23:33. id quod *Martinus Antonius del-Rio* contendit; alii *ſcytalen*, quod *Benedicto* collubitum *Pererio* eſt; alii *Draconem*, quia *Serpens antiquus in* Apocalypſi aliquotiens *Draco* dicitur; alii *Baſiliſcum*, ut ſibi poſt *Auguſtinum Steuchum* à patria *Eugubinum* dictum quidam perſuaſere. Sed fruſtra ſunt omnes, & hujus quidem ſententiam vel hoc videtur unum refellere, quod, cum Serpenti huic ex ſententia judicis deinde in ventrem reptandum fuerit, de *Baſiliſco* tradant Auctores, eum vel hodieque à medio erectum incedere. Melius fortaſſis in hanc rem *Joſephus Medus*, *De uno*, ait, *intelligo ſerpentum genere, eoque longe nobiliſſimo, quod & pulchritudine & ſagacitate non ſerpentes ſolum alios, ſed etiam reliqua omnia animantia ſuperavit, licet jam reliquis vilius factum ſit.*

§. V. *Corporeum* autem *verumque* ſerpentem hic præſentem fuiſſe, non vero vel *ſolum* Diabolum ſerpentis indigitari nomine; uti viſum quibusdam eſt, vel *larva* illum tantum quadam & *ſimulacro* ſerpentis Hevæ illuſiſſe, ut *Cajetanus* Cardinalis & alii crediderunt, nos quidem certe perſuaſiſſimi ſumus. Præterquam enim quod non Diabolo duntaxat, ſed ſerpenti quoque animali pœnam deinceps oſtendemus inflictam fuiſſe, quo ille tanquam inſtrumento impoſturarum ſuarum abuſus fuerat turpiter; prorſus huc nos cogit nuda illa ſimplexque Moſis de ſerpente tanquam *animali* & aſtutia ejus מכל חית השדה *præ omni beſtia agri*, commemoratio. Gen. 3: 1.

§. VI. Contrarium vero errorem, multoque etiam craſſiorem illi errant ex recentioribus Judæis, qui verum quidem & naturalem ſerpentem, ſed *ſolum*, ſpirituque omni rectore caſſum adfuiſſe nugantur. Atque ut hos confutemus, ſerpentem hunc primo *quidem* & in genere à Spiritu *rationali*, *deinde* vero ac ſpeciatim à Spiritu *maligno* obſeſſum fuiſſe ad oculum commonſtrabimus.

§. VII. Ad *primum* itaque, quod attinet horum, evidenter illud (a) vel ex eo pateſcit, quod ſerpens voce clara & articulata verba *locutus* intelligibilia legitur. Nemini enim loquendi facultas competit, cui non vis competit atque uſus rationis. Verba enim nihil ſunt aliud, quam ore expreſſæ mentis cogitationes. Rationis autem pollentiam ſerpens non habet, quem *Moſes* in cenſum retulit *beſtiarum agri*. Solus homo *Animal loquens* eſt, quia ſolus ratione verba ſua poteſt dirigere. Quare nec inepte Magiſtri hominem aliquando per ſermonem definiunt, eum ממלל, hoc eſt *loquentem* vocantes, quem alii *animal* vocant *rationale*.

§. VIII. Sed porro non verba duntaxat qualiacunque, verum (b) valde ſublimia & myſteriorum plena de *Deo* & *Verbo* ejus, de *Cognitione boni & mali*, *de Similitudine Dei*, *de Vita* denique & *Morte* locutus eſt. Immo vero (c) non nude tantum horum aſſeruit quædam, ſed etiam interrogavit & ad verba mulieris probe intellecta à ſe reſpondit, & inſtitit & ſcrupulos injecit, & amphibologiis luſit æquivocationibusque, & ſyllogiſmos nexuit, & omnibus denique exercitati ſophiſtæ partibus defunctus eſt. Quorum vel omnium vel ſingulorum nihil quidquam in quemquam præterquam in celſum & ratione præditum Spiritum cadere poteſt.

§. IX. Miſere ergo ineptiunt, qui loquelam hanc ſerpentis de צפצוף ſive ſerpentino accipiunt *ſibilo*, quem ſcilicet non minus Eva calluerit ac cæteros animantium idiotiſmos. Id quod *R. Abraham Aben Eſra* quibusdam ſuæ nationis Doctoribus tribuit. Pariter etiam ipſe hallucinatus, dum *ſermonem* ſerpenti *naturalem* eſſe ſtatuit. In qua tamen re ex ſuis *Joſephum* & *Philonem*, ex Chriſtianis *Baſilium* quondam & nuper *Valentinum Schindlerum* vel præeuntes habuit vel conſentientes.

§. X. Rectius *Abrabanel* contribulis ipſius ſententiam hanc unam ex tribus illis de ſerpente dixit, quæ *mirabiliores ſint*, *quam ut aſſequi eas queat*. Multum eo nomine laudandus, niſi & ipſemet mirabile quoddam commentus eſſet figmentum, quod mirum eſt *Simeoni de Muis*, regio apud Pariſios Profeſſori, tanquam acutum interpretamentum probari potuiſſe. Nempe, *Nihil*, ait, *vel ſerpentem ad fœminam locutum fuiſſe, vel hanc ad illum. Rem omnem ita geſtam. Fœminam vidiſſe Serpentem aſcendentem in arborem, & ſubinde de fructibus ejus comedentem, neque tamen mortem inde contrahentem vel damnum. Hinc igitur hoc ipſam ſecum volviſſe & inveſtigaſſe tanquam ſi cum ſerpente loqueretur, & hoc in arborem aſcendente, diceret ad ſe ipſam, non morte moriemini. Et ſic ad ſua verba reſponderet cogitationibus ſuis.* Conſule ſis, Joh. *Friſchmuthum* & Tilemannum Andr. *Rivinum*, hæc aliaque originalibus Auctorum verbis referentes & deinde una cum cæterorum παρερμηνείαις, qui à litera diſcedunt & temere omnia in allegorias convertunt, refutantes in perelegantibus *Diſſertationibus*, quas uterque de *ſeductione Serpentis Antiqui* conſcripſit.

§. XI. Spiritum autem hunc, qui locutus per Serpentem eſt, ſpiritum *malum* ſeu defectorem fuiſſe, ex iis quæ dixit ille & fecit, planiſſimum quoque eſt. Nam *primo* quidem mulierem *fefellit*. Ita enim illa ad Deum; הנחש השיאני *ſerpens iſte ſeduxit me* Gen. 3: 13. *Deinde* infenſo ore & hoſtili in Deum hominemque adfectu *mendacia* etiam & *blaſphemias* turpiſſimosque *errores* ac *hæreſes* locutus eſt, vſ. 4. 5. Joh. 8: 44. Neque videtur ratio dari poſſe, cur Sathanas totiens in ſcriptura non ſolum in genere ſub pictura & emblemate *ſerpentis* & *viperæ* ſive *Aſpidos* atque *Draconis*, ſed & ſpeciatim ſub nomine ac titulo *Serpentis illius antiqui*, הנחש הקדמוני, uti jam olim à Judæis appellatus eſt, exhibeatur, niſi ab memorabilem iſthanc Diaboli & ſerpentis conjunctionem & in homine perdendo conſpirationem. Vide Amos. 5: 19. Jeſ. 11: 8. 27: 1. 65: 25. Pſ. 91: 13. Luc. 10: 18, 19, 20. Apoc. 12: 9. 20: 2.

§. XII. Sed ut ne *quarto* vel minutiſſimus poſſit ſcrupulus hærere nobis; *Chriſtus* etiam & *Paulus* effecere. Quorum *ille* apud Johannem *Diabolum* ἀνθρωποκτόνον ἀπ' ἀρχῆς, *homicidam ab initio* dicit, *hic* verò non manifeſte ſolum ad ſerpentem hunc noſtrum pœnamque illi dictatam alludit; quum fidelibus promittit fore, ut *Deus Pacis* τὸν Σατανᾶν *brevi ſub pedes ipſorum* contriturus ſit, Rom. 16: 20. ſed & Corinthiis ſuis metuit, ne forte ὡς ὁ ὄφις Εὔαν ἐξηπάτησεν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, *quemadmodum ſerpens ille Evam ſeduxit in calliditate* ſua, ita idem ſcilicet *averteret cogitationes eorum* ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς τὸν Χριστὸν, à *ſimplicitate illa*, Fidei ſc. & Charitatis, *quæ in Chriſtum eſt*; 2 Cor. 11: 3. Uti verò jam poſterius hocce nullus efficere ſerpens poteſt, niſi *ille antiquus*, ὁ καλούμενος Διάβολος καὶ ὁ Σατανᾶς, ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην; *ille dictus Diabolus & Satanas, qui totam ſeducit habitabilem*; Ita & prius illud ergo facinus nemo patraſſe cenſendus eſt, niſi idem ille præſtigiator.

§. XIII. Accedit *tandem* magnus in hac re Synagogæ veteris conſenſus. Ita enim *R. Moſes Majemonides* in *Moreh Hanevochim* parte 2. cap. 30. p. 280, 281. ex verſione Buxtorffii: *At nec hoc prætereundum, quod in Medraſch adducunt ſapientes noſtri: ſerpentem equitatum fuiſſe, quantitatem ejus inſtar Cameli, & ſeſſorem ejus fuiſſe illum, qui decepit Evam, huncque ſeſſorem fuiſſe Sammaëlem: quod nomen abſolute uſurpant de ſatana.* Nimirum Diabolum ſive מלאך המות, *Angelum mortis*, uti eum alias vocant, videri poſſunt ita dixiſſe, quaſi tu סר מאל, hoc eſt, *defectorem à Deo* Spiritum dicas. Additque paulo poſt: *Dicunt etiam: cum veniret* (ſerpens) *ad decipiendum Evam, fuit Sammaël equitans ſuper illum, & Deus irridebat Camelum & ſeſſorem ejus.* Cum quibus conferenda ſunt, quæ dudum ante R. ſcripſit *Eliezer* in *Perakim* cap. 13. ex verſione *Vorſtiana*: *Figura ſerpentis erat veluti Cameli; aſcendit Sammaël & inequitavit illi.* Atque rurſum. *Quacunque ſerpens opera patrabat, & verba loquebatur, ea nonniſi ex ſuggeſtu Sammaëlis egit ac profatus eſt.* Quanquam enim hic rei veritati quaſdam videmus fabulas adſperſas, hoc tamen hinc verum quoque clare promicat, Veteres Judæos non nudum crediditſſe ſerpentem, ſed à *Spiritu*, eoque *impuro* obſeſſum atque agitatum Evam ſeduxiſſe. Id quod nec diffiteri *Iſaac Abrabanel* audet, qui etiam ita ſcripſiſſe *R. Haggaon Saadiam* fatetur, tametſi ipſe à ſuis in alia abeat omnia. Eandem ſententiam *Chriſtophorus Helvicus* non *Cabbaliſtis* ſolum in genere, ſed & tribus Rabbinis celebrioribus *Judah*, *Samuël*, & *Bechai* adſcribit. Quibus quoque tandem *Cl. Friſchmuthus* opinatur *R. Iſaac ben Aramah* accenſeri poſſe, ex verbis quibusdam ejus in libro עקדת יצחק hoc eſt *Ligatio Iſaaci* dicto. Quibus tamen num id *Rabbh* ſignificare voluerit, quod exiſtimat *Friſchmuthus*, jure quis dubitare poſſit.

§. XIV. Minime verò hic quenquam movere debet, quod in hiſtoria lapſus ſcriptor ſacer de occulto hoc tentatore & ſub ſerpentinis exuviis latitante nihil quidquam comperiatur mentionis feciſſe. Nam Moſi Hiſtorico & rem tantum prout geſta eſt narranti ſatis fuit, id quod mulier externis oculorum & aurium ſenſibus uſurparat, retuliſſe nobis, cætera verò Lectori attento ſubintelligenda relinquit, qui quidem ex circumſtantiis narrationis ipſius facile deligere perſonatum hunc veteratorem poteſt. Sed præterea hæc quoque ſilentii hujus non inepta à quibusdam affertur ratio, quod cum in deſcriptione viſibilium occupatus, nihil prorſus adhuc de Angelis ſive bonis ſive malis eorundemque peccato & lapſu dixiſſet

Moses, noluerit quoque nunc tanquam ex abrupto malorum Dæmonum meminisse, ne scil. hæc forte cuiquam insana obreperet cogitatio, tales illos à DEO O. M. fuisse conditos.

§. XV. Neque hoc cohibere adsensum tuum debet, quod mireris, qui per animal ratione destitutum, cujusque lingua, ut cum *Aristotele* loquamur, *ἄχρηστος ἦν πρὸς τὴν τῆς φωνῆς ἐργασίαν*, *inutilis erat ad vocis officium*, verba fundere rationalia potuerit. Uti enim *Juliano Apostatæ* ita quondam ludenti: *si locutus est serpens, qua lingua tandem & voce locutus est?* non inepte *Cyrillum* Alexandrium exprobrasse accepimus, quod prophanis scriptoribus suis longe etiam mirabiliora crederet, qualia sunt, quæ illi de *Causo* fluvio *Pythagoram* salvere jubente, & *Xantho* equo *Achilli* domino suo mortem suam prædicente, & arbore incantata ad *Apollonium Thyanæum* verba faciente, aliaque longe absurdiora fabulati sunt; ita tu quoque certe hic incredulus esse desines, quisquis es, qui multa credis alia, non ficta quidem temere, sed si non magis, at æque saltem, quam hoc est, mirabilia. Cur enim Mosi Serpentem, callidam quidem bestiam, à spiritu potente obsessam locutum esse non credas, qui tamen eidem credis brutam *Asinam* ad herum suum *Bileamum* domino adaperiente os ejus humana verba fuisse. Num. 22. 28. 2 Pet. 4: 16.

§. XVI. Quemque olim, quum *gentes* adhuc *ad simulacra muta, prout ducebantur, ita abducebantur*, 1 Cor. 12: 2. haud facile inficias ieris ex tripode, ex lauru, ex quercu Dodonæa, & Deorum Dearumque *Junonis* & *Fortunæ* statuis quandoque locutum esse, cur eum ex gutture & lingua serpentis dubitas vocem in aëre formare ac intelligibilia potuisse verba profundere? Lege ex multis, quæ *Valerius* M. habet lib. 1. c. 8. Quumque multorum seculorum experientia testata sit, Diabolum τῶν δαιμονιζομένων sive Energumenorum linguas ad peregrinos ignotosque sibi sonos flexisse, quale illud est, quod *Manlius* in Collectaneis ex ore *Philippi Melanchthonis* de *Lazaro Bonamico*, Professore Bononiensi refert, eum, quum puellam Italam à malo Dæmone obsessam, sed Linguæ Latinæ plane rudem, interrogasset, quem optimum in *Virgilio* censeret versum esse? hoc tulisse responsum:

Discite justitiam moniti & non temnere Divos!

Cur ergo minus existimabimus eum agilem ratione carentis animantis linguam ita fingere & flectere potuisse, ut humanas insuetasque sibi antea voces ederet?

§. XVII. Adde, quod his similia aut majora etiam portenta in Historia Romana à gravissimis auctoribus consignata legamus. Quale est, quod *T. Livius* tradit L. 35. cap. 21. *Et (quod maxime terrebat Cos. Cn. Domitium) Bovem locutum; ROMA CAVE TIBI. Cæterorum prodigiorum caussa supplicatum est. Bovem cum cura servari alique haruspices jusserant.* Consentit *Julius Obsequens* de *prodigiis* c. 53: 1. *Quintio Flaminio, Cn. Domitio Ænobarbo Coss. Bos locutus est: ROMA TIBI CAVE. Idem cap.* 38. testatur, *Q. Fabio Maximo Verrucoso V. & Q. Fulvio Flacco* 4. *Coss. Bovem Priverni locutum esse.* Nec hoc indignum notatu est, quod ex *Plinii* lib. 8. cap. 41. afferunt, *Serpentem, Tarquinio Rege ejecto, in morem canis latrasse.* Adde *Augustinum* de C. D. 3: 31.

§. XVIII. Si jam ex me quæras, cur Diabolo visum sit hujus potius animantis specie, quam cujusquam de cæteris viam adfectare ad mulierem, in promtu causa est. Quia & homini serpens perquam videtur acceptus fuisse, nec ulla erat bestia, quæ ingenium satanæ atque indolem exprimeret felicius. Utrumque unico vocabulo innuisse Mosen puto, quum tradit serpentem fuisse ערום *callidum* sive *astutum magis, quam ullum animans agri.* Nimirum, quum juxta veriverbium, similis gaudere simili soleat, vaferrimus spiritus & mille fraudum architectus vaferrimo gavisus animali est. Uti & postmodum à multis populis sub ejus specie adorari maluit, fusius id ostendente *Gerardo Joh. Vossio.* Saltem sub ejus pelle adrepere ad mulierem voluit, cujus accessum ei non ignorabat ob peculiarem illum, quo præ cæteris pollebat, prudentiæ characterem, gratissimum futurum.

§. XIX. Ita verò Judæi quidam in deprædicanda Serpentis solertia versantur, ut suum interea stuporem prodant, dum nempe vel cum R. *Arama* sentiunt, Serpentem hunc plusquam animal, *& inter ea & hominem, cognitionem quod attinet, intermediæ cujusdam naturæ fuisse*; vel cum *Aben-Esra* ei clarè quoque *intellectum & scientiam* tribuunt. Quibus tamen se alii ex Synagoga feliciter opposuere, R. *Saadias Gaon*, R. *Moses ben Jacob* & R. *Bechai*, ut & ipse nuper *Abrabanel*, rectè existimantes, quamquam eum Moses ratione astutiæ cujusdam reliquis animantibus anteposuerit, ex catalogo tamen & censu brutorum ratione carentium exemisse nunquam.

§. XX. Nulla scilicet hìc rationis, nulla verarum cogitationum vestigia quærenda sunt, sed quicquid ejus est, quod in Serpente vafritiei nomine venit, à solo sanguinis & spirituum animalium ad hæc vel illa objecta apto motu miraque corporis agilitate derivandum, aut saltem non aliter accipiendum est, quàm quatenus in brutum prudentia & calliditas cadere possunt. Quod genus sunt varia, quæ adferre Viri Docti de astu Serpentum solent, quum lucem iis fœnerari volunt, quæ à *Jacobo* Patriarcha, *Davide*, Christo, Gen. 49: 17. Ps. 58: 5. 6. Matth. 10: 16. in hanc rem dicta sunt. Quæque nos nunc transmittimus, quoniam ea fusius omnia & more suo, hoc est, eruditissimè exequutus est Vir incomparabilis *Samuel Bochartus* cum in *Hieroz.* part. 1. lib. 1. cap. 4. p. 27. & seq. tum in epistola ad Jac. *Cappellum* Lud. F. in *Posthumis* pag. 838. b.

§. XXI. Hoc tantum observamus ὡς ἐν παρόδῳ, Dominum *Jesum*, Præceptorem nostrum, quum nos felice connubio cum *Innocentia columbina Prudentiam* maritare jubet *Serpentinam*, illam Bestiæ respicere mirificam quandam occultandi sese & caput suum obnubendi, ne imminenti malo exponatur, peritiam, eoque veluti hieroglyphico discipulis commendare præclaram illam mali metuendi & prospiciundi, nec temere statim cum adversario congrediendi & quibusvis periculis caput suum objiciendi, sed vel latendo & humiliando se etiam, si nequeas aliter, impetum hostilem frangendi, noxamque omnem declinandi & amoliendi à se solertiam. Nempe, juxta illud Regis sapientissimi, ערום (LXX. hìc vertunt, πανοῦργος, quemadmodum & *Paulus* 1. Cor. 11: 3. Serpenti τὴν πανουργίαν vindicat. In loco verò *Mosis*, τὸν ὄφιν vocant πάντων τῶν θηρίων τῶν ἐπὶ τῆς γῆς φρονιμώτατον, quemadmodum & hìc *Christus* serpentibus tribuit τὴν φρονιμότητα) ראה רעה ויסתר *Astutus* sive *solers videt malum & occultatur.* ופתיים *At fatui* sive *simplices transeunt & mulctantur.* Prov. 22: 3. Atque iterum cap. 14: 8. *Sapientia* ערום *Astuti* est *animadvertere viam suam*; & *stultitia* כסילים *stolidorum fraus.* Vide etiam vers. 15. פתי *Fatuus credit omni verbo*; וערום *At callidus attendit ad gressum suum.*

§. XXII. Sed quum à duplici jam constet Hevam petitam Tentatore fuisse, *externo* altero & ipsius oculis exposito, altero *occulto* & serpentina pelle contecto, gravissima incidit quæstio, utrum pœna hoc Oraculo dictata, vel nudum *animal*, vel solum spectet *Diabolum*? An verò vs. quidem 14. ad serpentem corporeum, alter vero sive 15. ad spiritualem referendus sit? Vel an denique uterque versiculus pertineat *adutramque*, & eadem opera animanti suas, suasque Satanæ distinctissimas pœnas exhibeat?

§. XXIII. Atque hìc quidem Judæi recentiores plerique, ipsi cœci & cœcum ductorem suum *Abrahamum AbenEsram* secuti, miserrimo rursum lapsu in foveam erroris incidunt, *priorem* eligentes harum quatuor opinionum. Præterquam enim, quod nimis absurdum sit, Diabolum Serpentis *Agitatorem & Equitem*, ut vetus Judæorum Schola loquebatur, qui sponte peccavit & propria inductus malitia, totiusque Tragœdiæ Auctor atque Actor fuit, impunem abiisse; hac quoque ratione parentes nostri primi ex his verbis vel contra Dei judicis iram, vel contra Diaboli victoris Tyrannidem nihil quidquam solatii tulissent. Ut taceam, quàm hæc indigna DEO res sit, par scilicet tam malè compositum, Hominem & expers rationis animal in harenam ducere, & magna verborum pompa atque apparatu utrique quidem longam sine missione pugnam, huic verò cladem tandem, & isti non sine vulnere & sanguine victoriam promittere.

§. XXIV. His ergo rerum absurditatibus, alii nimium, ut fit, in diversum distracti sententiam adoptarunt è diametro cum hac pugnantem; *soli Diabolo* videlicet sub figura Serpentis hæc omnia dicta esse, quæcunque in genere Serpenti dicta legimus, autumantes. Christophoro *Helvico* in Dissert. *de Proteuangelio.* §. 64. mediam quandam inire viam, & vaticinio hoc in duas æquales partes scisso, *alteram*, quæ commate *priore* repræsentatur, *soli serpenti* animali, *alteram*, quam comma complectitur *posterius*, *soli Diabolo* obsessori quoad sensum literalem destinare complacitum fuit. Sed pariter, ut nobis quidem videtur, frustra. Nam palam est ad *eundem* planè *in utroque* commate totum sermonem dirigi, eidemque illi non interrupto verborum nexu & inimicitiam cum mulieris semine & capitis contritionem prædici, cui paullò ante maledictio & in ventrem reptatio & comestio pulveris denique intentatæ fuere.

§. XXV. Nos

§. XXV. Nos itaque rationibus omnibus subductis hanc facimus summam nostrarum cogitationum, rem acu tetigisse, quod ajunt, quotquot *utrumque* quidem versum *ad utrumque* seductorem spectare, sed ad *Animal* tanquam sceleris instrumentum, sensu quodam leviore & *literali*, ad *Satanam* verò, scelerum caput, quique Deo permittente, ad technas suas & machinationes pessimè abusus eo est, sensu *mystico*, eoque pleniore & efficaciore adplicandum arbitrantur.

§. XXVI. Nec est, quod quisquam *objiciat*, non justum videri Deum, & quod se dignum est facere, si animal puniat ἀπροαίρετον, & quod nec scientiam facinoris nec peccandi voluntatem habuerit. Nam sicut injustus nec parens dicendus est, qui sicam exurit, qua latro confodit filium suum, nec judex, qui falsarium damnat, una cum calamo suo, ita nec DEUS injustus erit, quod unicum omnis hujus mali organum, serpentem puniverit. Nisi velis eum hoc quoque nomine injustitiæ postulare, quod vel *sanguinem hominis* minatus est *ab omni bestia reposcere* velle, vel *Bovem cornupetam & viri mulierisve interfectorem lapidari* jussit, vel *jumentum* denique, cum *quo vel mas concubuit vel fœmina*, *pariter cum illis morte adfici* præcepit. Genes. 9: 5. Exod. 21: 28, 29. Lev. 20: 15, 16. Et quum porrò toti *terræ maledixerit* DEUS *propter hominem* Genes. 3: 17. adeò ut nunc etiam *Creatura omnis Vanitati & servituti corruptionis subjecta sit*, οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα, *non sponte sua, sed propter illum, qui subjecit eam*, Rom. 8: 20, 21. immo & tunc non *hominem* solum, sed *jumenta* quoque & *reptilia* & *volucres cœli de superficie terræ deleverit*, quum *videret malitiam hominis augescere in terra*, Gen. 6: 5. 7. 8: 21. non mirum certè cuiquam accidere debet, quod Serpentem etiam, qui τῆς κτίσεως quotacunque pars est, una cum illa, & quidem tanto magis, quanto infelicius humanæ perditionis instrumentum fuit, maledictum audiat.

§. XXVII. Accedit, quod Deus pro infinita sua sapientia hanc corporei serpentis pœnam extare videatur voluisse, *partim* ceu perpetuum quoddam monimentum, quo homo commonefieret de ira sua adversus peccatum severissimoque judicio, secundum quod non in *Spiritum* solum hominis peccatorem qualiter hic in Diabolum, sed & in *corpus* ejus cum *spiritu* conjunctum, eique famulans, qualiter hic in serpentem animadvertere decrevit, sicque fortiter ad fugam mali & Vindicis illius *metum* compelleretur, *qui & animam & corpus potest perdere in gehenna*; Matth. 10: 28. *partim* ceu vivum emblema aliquod, symbolumve, in quo miserrimam sibi repræsentatam videret illaqueatoris sui conditionem, ut deinceps tanto magis & consuetudinem cum eo omnem familiaritatemve exhorresceret; & in spem erigeretur vividam, vincere se illum aliquando posse & pedibus suis subjectum conculcare.

§. XXVIII. Unum superest, ut Serpentem hunc nostrum nec priscæ nec retentiori Gentilitati planè ignotum fuisse ex iis ostendamus quàm brevissime, quæ *L. Vives*, *Hugo Grotius*, *Thomas Gatakerus*, *Joh. Henr. Heideggerus*, Tob. *Pfannerus*, aliique tam veterum quam novorum promi condi in hanc rem observarunt. Qualia sunt, (1) quod *Moses* narrat *Ægyptius* in עבודה הנבטית, h. e. *Cultu Nabathæo*; Serpentem hunc jam olim *Indis* fuisse cognitum. (2) Quod *Græci* in antiquissimis suis *mysteriis* legantur *serpentem* ostentui habuisse. (3) Quod Orgia Bacchi perfecerint olim ὄφεσιν ἀνεστεμμένοι, *serpentibus coronati* & exclamaverint; Εὐὰν, Εὐὰν, signumque Orgiorum fuerit serpens. (4) Quod *Pherecydes* ille Syrus, qui, teste *Cicerone*, primus animum statuit sempiternum esse, *mali auctorem atque principem* fecerit quendam Ὀφιωνέα, [agnoscis Græcum serpentis nomen] *Dæmonum à Jove de cœlo deturbatorum ducem*. (5) Neque alium ab hoc nostro illustris *Huetius* Serpentem illum *malorum aureorum custodem* à Poëtis tantoperè decantatum fuisse, rectè suspicatur. (6) Vixque aliunde, quàm ab hoc serpentis cum Eva dialogo, illam veterum traditionem derivaveris, de mutua hominum & brutorum animantium, tum, quum Saturnus rerum potiretur, & aurea decurreret ætas, confabulatione. De qua ex *Platone* multa *Eusebius* de Præp. Euangelica Lib. XII. cap. 14. Confer denique (7) quæ *Pfannerus* in *Theologia Gentilium* de hodiernis *Peguensibus*, & Andr. *Mullerus* Greiffenhagius in *Historia Abdallæ Beidavæi de Sinensibus* memorant, digna quidem legi, sed quæ nunc nobis exscribere non lubet, ad ipsa Oraculi mysteria festinantibus.

CAPUT TERTIUM.

De Pœna & delicto Serpentis corporei.

SUMMARIUM.

Analysis *Oraculi ipsius*, *quinque complexi distinctas pœnas*, §. 1, 2. *Quo sensu Serpenti* maledictio *competat* major, *quam* animantibus *aliis post lapsum*. §. 3--5. *Serpens ante lapsum* pedes *habuisse non videtur*. §. 6--8. *Sed tamen corpore incessisse* semierecto. §. 9, 10. Duratio *cum pœna* tertia *conjuncta potest & ad priores referri*. §. 11, 12. Comestio pulveris *quid significet*. §. 13, 14. Antipathia *inter anguem & genus humanum*, sexum *inprimis* sequiorem, *mirifica est*. §. 15--17. *Maximè serpens hominem exhorrescere* nudum *legitur*. §. 18. *Cur* vires *præcipuas* in Capite *gerat*. §. 19, 20. Eique *tam solicitè* caveat. §. 21. *Quænam proprie cum* supplicii *tum* peccati *colubrini sit ratio*. §. 25--28.

§. I. POsteaquam igitur & eum, qui locutus est hæcce verba, *Dominum DEUM*, & eum, ad quem locutus ille est, *Serpentem illum*, peculiari quemque capite exhibuimus, nunc ipsa sequitur perlustranda Oratio. Inepto enim nimis *Abrabanel* illud ויאמר & *dixit*, de *simplici* intelligi vult DEI *decreto*. Quin immo Deus *decretoriam* heic in Serpentem malesuadum pronuntiavit sententiam. Quæ *duo* potissimum complectitur rerum genera: *Delictum* videlicet & *supplicium Serpentis*.

§. II. Hoc quintuplex est & in sese continet (1) *maledictionem ejus præ omni pecude & præ omni bestia agri*. (2) *Reptationem super ventrem*; (3) *Comestionem pulveris omnibus diebus vitæ suæ*; (4) *Inimicitiam* divinitus *ponendam*, tum *inter illum & fœminam hanc*, tum *inter semen ipsius & Mulieris semen*; (5) *Contritionem capitis*, qua in ipso Semen mulieris ulturum erat *contritionem calcanei* sui. Caussa autem malorum horum meritoria sive *Peccatum*, ob quod ipsi infliguntur à Deo judice, his exponitur verbis; *Quia fecisti hoc*. De quibus omnibus ita acturi sumus ordine, ut primo quidem qualiter in *serpentem* competant *corporeum*, tum vero qualiter in *Colubro* illo *spirituali*, Diabolo scilicet ipso, completa sint, dispiciamus.

§. III. In pœna omnium *prima* duo distinguenda sunt, cum *malum* ipsum tum *modus* quidem sive *gradus* mali, qui *duplex* est, quum maledictus esse jubeatur non tantum מכל הבהמה *præ omni pecude*, sed &, quod magis est, מכל חית השדה *præ omni animante agri*.

§. IV. Quod maledictionis præ cæteris animalibus augmentum atque pondus Judæi quidam, teste *Fagio*, in eo ponunt, quod *Serpens tardius pariturat* scilicet, & *septem annis uterum ferat*. Quibus non videtur id usu venisse, quod apud Comicum illi, qui, *Audivi*, ait, *sæpe hoc vulgo dictum dicier*, *solere Elephantem gravidam perpetuos DECEM esse annos*. Sed serio agamus. Nimirum uti πᾶσα ἡ κτίσις *Omnis hæc creatura*, secundum Apostolum Rom. 8: 20, 21. τῇ ματαιότητι καὶ τῇ δουλείᾳ τῆς φθορᾶς, *Vanitati & servituti corruptionis subjecta*, atque adeo hactenus non minus quam *Terra*, de qua id Moses Gen. 3: 17. adseverat, cum homine & *propter* hominem *maledicta est*; dum nempe, *non sponte sua* equidem, utpote ad Dei gloriam & hominis bonum condita, sed præter institutum quasi suum & *propter illum, qui subjecit eam*, partim peccatis hominis, in res Dei nihil amplius juris habentis, eisque pro lubidine abutentis sua, partim tormentis & vexationibus ejusdem, quas vel fert vel infert, servire cogitur; Ita licet præ aliis rebus conditis luculenta quædam harum rerum vestigia in animantibus quibuscunque ἀλόγοις καὶ φυσικοῖς, εἰς ἅλωσιν, uti Petrus ait, καὶ φθορὰν γεγενημένοις, 2. Petr. 2: 12. omnium vero maxime in feris belluis observare. Sed & præ his jam in hac parte serpentis conditionem longe deteriorem esse facile adducaris ut credas, si vel genera illa scelerum omnium cogites, ad quæ Idololatras, Excantatores, Magos, Veneficas, Marsosque Psyllosque inde ab omni ævo abusos eo accepimus, vel mala tristia perpendas, quæ vel patitur homo à venenata hac bestia, vel imminent illi ab homine vicissim.

§. V. Nisi forte malis, hanc pœnam generaliorem quodammodo esse, nihilque dicere aliud, quam serpentem, qui

pulcer fuerat initio & amabilis, magis etiam posthac, quam ullam tetram belluam in creaturarum omnium viventium oculis vilem fore & execrabilem; juxta illud *Alcimi Aviti*, Archiepiscopi Viennensis;

Omnibus invisus fies, gravis omnibus horror.

Quo & versione sua respicere LXX. videntur; ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν θηρίων τῶν ἐπὶ τῆς γῆς; *Maledictus tu ab omnibus pecoribus & ab omnibus bestiis, quæ sunt in terra*; cæteras vero, quæ sequuntur, pœnas specialiores esse, propiusque, in qua tandem re vis isthæc maledictionis istius sita sit, explicare nobis & ob oculos ponere.

§. VI. Pergit enim Deus diris devovere sacrum & detestabilem hunc anguem, humumque pectore verrere jubet, addens pœnæ *secundæ* loco; על גחנך תלך *super ventrem tuum*, aut *pectus tuum ibis.*

§. VII. Ex quo quidem genere supplicii antiquissimi statuerunt Hebræorum, serpentem *erectum antea stetisse velut arundinem & pedibus fuisse præditum*, immo *Cameli figuram habuisse*, ut ex *Bereschit rabba* aliisque vetustatis Judaïcæ monumentis docent viri harum rerum periti. Consentiunt Jonathan paraphrastes, *R. Elieser*, *Moses bar Cepha*, *Ephrem Syrus*, *Didymus*, *Basilius*, *Aben Esra*, *Salomon Jarchi.* Neque dissentit sane *Josephus*, qui Antiq. I. 2. ποδῶν τε, inquit, αὐτὸν ἀφυστερήσας σύρεσθαι κατὰ τῆς γῆς ἐπισπώμενον ἐποίησε. Accedunt è recentioribus *Schindlerus*, Henr. *Morus*, *Hunnius*, Joh. Conr. *Dietericus*, sique huic fides, plerique ex illa communione alii, postquam nempe ipse præivit *B. Lutherus*, fidenter adfirmans, erecto eum incessisse corpore, non quidem instar hominis, sed tamen ut *cervum* vel *pavonem.* His favere videtur, quod quidam è priscis de serpente bipede in *Papho* conspecto, *Plinius* de *pedibus* aliorum Serpentum *anserinis*, *Scaliger* exercitator de Anguibus *quadrupedibus* in *Malabar* & *Calicut* existentibus, & alii denique de *Draconibus bipedibus* in literas retulerunt.

§. VIII. At quoniam tamen ex his non satis omnia certa sunt, *Augustino* diserte negante quosquam Dracones extare pedibus instructos, & *Aristotele* docente, τὴν ἀποδίαν in genere Serpentum omnino esse necessariam, malunt alii cum *Bocharto* credere, nunquam quidem Serpentem non ζῶον fuisse ἑρπετὸν, at hoc tamen interea loci, quod antea naturale ipsi erat, videlicet in ventrem serpere, nunc ipsi post lapsum in pœnam cessisse, qualiter fere se res habeat cum nuditate in homine, & partitudine subque viro subjectione in muliere, & productione spinarum atque tribulorum in tellure. Nequaquam enim hoc vero simile esse, ut Deus aliquid in natura serpentis immutarit, quod nec in homine factum sit, nec in Diabolo. Si tamen pedibus amputatis statuendum est, ut in forma habituque corporis, ita & in natura Serpentis quidquam immutatum esse. Pedes enim ad essentiam ejus pertinere, negat *Josephus Medus.*

§. IX. Nos ita existimamus, de pedibus quidem rem haud temere probari posse, at ut his verbis plena constet fides, hoc saltem non diffitendum videri, accessisse omnino serpenti post patratum hoc scelus in gressu & incessu suo quidpiam magni mali & incommodi, quo antea caruerat. Adeoque non illubentes cum iis nos jungimus, qui versionem Vulgatam secuti ita legunt, *super pectus tuum gradieris.* Nimirum antea quidem sentientes serpentem ita incessisse, ut parte anteriore terram non contingeret, sed super solum ventrem provolutus magna agilitate pectus caputque in sublime attolleret, adeoque quasi semierectus obambularet. Quali fere situ eundem vel hodieque conspicimus, quum vel in aquis natat, vel hominem adoritur:

Qualiter ille malus Calabris in saltibus Anguis,
Squamea convolvens sublato pectore *terga,*
Atque notis longam maculosus grandibus alvum,

de quo *Virgilius* in Georgicis, aut ut apud *Ovidium* ille, Metam. l. 3. vs. 43.

Qui media plus parte *leves* erectus *in auras*
Despicit omne nemus.

Postmodum vero de hac sui incessus non solum facilitate, sed & decore, & quadam veluti majestate multum amisisse, quum vi hujus sententiæ non alvum solummodo suam, sed totum corpus, ipsumque adeo pectus trahere, & per cœnum ac pulverem volutare coactus est.

§. X. Hoc dicas plane in mente habuisse τοὺς ἑβδομήκοντα, ita utrumque conjungentes: Ἐπὶ τῷ στήθει σου καὶ τῇ κοιλίᾳ πορεύσῃ. *Super pectus tuum & super ventrem ambulabis.* Ac si subindicare voluissent, uti ante hac super solum ventrem ambulaverit, ita nunc deinceps simul & in ventrem & in pectus ambulandum ei esse. Potestque DEUS videri hujusce veritatis indicium aliquod & veluti firmamentum in Basilisco relinquere voluisse; quem à pectore sublimem incedere *Plinius* atque *Solinus* testantur. Nobis certe cogitata hæc tanto minus displicent, quanto magis ea *Paræo*, *Molinæo*, *Medo*, *Riveto*, *Grotio*, *Vorstio*, *Heideggero*, aliisque gravissimis & summo judicio viris placuisse videmus.

§. XI. Uti vero serpentem, qui hominem è statu beatitatis dejecit, heic rursum misere dejectum atque despicabilem videmus factum, ita pœna *proxima* eundem in *cibo* punitum nobis exhibet, qui per *cibum* mulierem inescaverat. Hoc enim est, quod porro Judex supremus edicit, ועפר תאכל כל ימי חייך *Et pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ.*

§. XII. In qua quidem sententia pœnam augeri quoque videas à *duratione* pœnæ. Quanquam nihil vetat, quo minus hæc & cum prioribus pœnis copulari commode possit. Ut intelligatur serpens in perpetuam quasi rei memoriam atque immortalem filiorum Adami omnium commonefactionem non solum *pulvere vesci*, sed & *maledictus esse* & in *pectus prorepere* debere, quam diu scilicet in genere vel *semine* suo in terris superfuturus esset.

§. XIII. Ipsam autem *comestionem pulveris* quod attinet, ad quam heic eum damnatum audimus, quamque aliis deinceps locis sive illi, sive sub emblemate ejus Diabolo legimus attributam, Jes. 65: 25. Mich. 7: 17. eam non ita accipiendam putem, ut *solo* statuamas *meroque* pulvere ipsi victitandum fuisse. Nec enim serpens vel poma fastidit herbasve, (quicquid de illo sit Indiæ, quem *Manuel Phile* testatur, ψιλὸν χοῦν ἐσθίειν) & quandoque:

Piscibus atram
Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet,

carnibusque & vino ac lacti ita insidiatur, ut merito & à Philosopho λιχνότατος τῶν ζώων appellatus, & abs aliis in censum τῶν παμφάγων *omnivororum* relatus esse videatur.

§. XIV. Sed duplex potissimum supplicii hujus videtur esse ratio. Ac *primo* quidem, quum ante hac facilem ubique sibi victum fundi videret ex omne genus esculentis, nunc tanta ipsi penuria victus & ciborum comparandorum difficultas imponitur, ut pulvere sæpe tanquam cibo suo vulgatiore ac communiore famelicum ventrem explere cogatur. Ita nempe *Chersydrus*, uti *Nicander* refert in *Theriacis*, ubi exsiccata defecit ipsum aqua, νέμεται διψήρεας ὄγμους; *sulcos depascit arentes.* *Deinde*, quum pectus antea sublime gerens, cibos mundos deglutire posset & à pulvere intactos, nunc quum pectus in humum depressum per pulverem trahat, non potest fieri, quin, dum aliis cibis in pulvere & ex pulvere vescitur, pulverem quoque ipsum magna copia in os suum ingerat. Atque adeo quicquid edit, pulverem quoque semper comedere recte dici possit. Quemadmodum & illud vere de se dixit, quisquis tandem העני *Inops ille* est, qui in cinere prostratus atque pulvere, & ex pulvere cibum capiens suum, hoc dixit: אפר כלחם אכלתי *Pulverem uti panem comedi*: Ps. 102: 10.

§. XV. Sequitur pœna *quarta*, secundum quam non minima felicitatis suæ parte, gratia & favore hominis, domini sui, excidit, eique bellum indicitur prorsus irreconciliabile, non cum fœmina solum, cui tam gratus fuerat antea, sed & cum omni ejus posteritate gerendum, donec illa fructus istius dememinerit inauspicati. Hoc enim sibi volunt verba illa: ואיבה אשית בינך ובין האשה ובין זרעך ובין זרעה. *Et inimicitias ponam inter te & mulierem isthanc & inter semen tuum & inter semen illius.*

§. XVI. Ubi omnino videtur sub Heva totus comprehendi quoque posse sexus sequior. Qui magis etiam quam masculum genus exhorrescere anguem comperitur. Ut forte paucæ exsistant, quæ de se adfirmare illud non possint, quod apud *Theocritum Praxinoë*, Idyll. 15. vs. 58.

— Τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα
Ἐκ παιδός.

Sique ex vero illud dictum sit, quod *Rupertum* ajunt *Abbatem Tuitiensem* sive *Tudensem* scribere, Serpentem quam certissimæ morti adplicitum esse, simul atque ei mulier pede nudo vel leviter tantum caput presserit, tum vicissim Serpens non minus caussæ habet ad mulierem extimescendam, quam mulier ad Serpentis fugiendum occursum.

§. XVII. Quidquid autem de hoc sexu sit, hoc certum saltem est, in genere & homini cum Serpente, & Serpenti cum homine capitalem quandam ac internecinam inimicitiam intercedere. Ut adeo res in proverbium abierit & apud *Flaccum* aliosque is rem hominemve dicatur *cane* (scil. rabiente) & *angue pejus odisse*, vel *sanguine vitare viperino cautius*, quisquis illam illumve Vatiniano, quod dicitur, odio prosequitur.

quitur. Sic *Lysimachus* ille apud *Plautum* dudum dixerat se *Doryppam* uxorem suam *æque odisse atque angues.* Sane ut fel serpentium atque viperarum homini mortiferum est, ita sputum quoque & salivam hominis serpenti pro veneno esse non *Plinii* solum, sed aliorum quoque traditio est. Atque hinc forte factum, ut veteres somniorum interpretes serpentem per quietem visum pro malo omine habuerint, *Inimicitias* portendente atque *corporis ægritudinem. Artemidorus* in *Oneirocriticis* lib. 2. cap. 13. περὶ ἑρπετῶν. Ὄφις ἢ νόσον σημαίνει καὶ ἔχθραν ἐπάγει· ὅπως δ' ἂν διαθῇ τινά, οὕτως ἢ ἡ νόσος ἢ ὁ ἐχθρὸς τὸν ἰδόντα διαθήσουσιν. *Serpens vero morbum portendit & inimicitiam conciliat. Quomodocunque igitur aliquem* (in somno, puto) *divexaverit, ita eum, qui vidit, morbus atque hostis divexabunt.*

§. XVIII. Mirabile porro illud est, quod ex *Eustathio*, *Hieronymo*, *Isidoro*, aliis *Bochartus* commemorat, sibique ipsi non raro in pueritia & adolescentia sua testatur accidisse *Olaus M.* quod serpens, quum in hominem vestitum intrepide quandoque impetum faciat, hominis *nudi* conspectum tolerare nullo modo possit, sed eo viso protinus aufugiat. Diceres Bestiæ per instinctum quendam naturalem in memoriam quasi revocari funestum illum diem, quo una cum homine utroque *nudo* coram Judice stabat, hancque excipiebat maledictionis suæ sententiam.

§. XIX. Quem autem utrinque exitum inimicitia hæc habitura sit, ex *quinto* tandem cognoscere licet pœnæ genere. Ea enim & quid serpens à genere humano, & homo vicissim à progenie serpentina metuendum sibi habeat, clare nobis exhibet.

§. XX. Serpens in capitis vitæque venit discrimen הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ *Illud* (semen scil. mulieris) *conteret te*, quoad *caput*. Nimirum in capite potissimam serpens virium suarum atque roboris circumfert partem, & uti capite illæso haud facile succumbit, ita illo sauciato & protrito nocere deinde amplius nil quidquam putatur posse. Quo procul dubio respexit fortissimus ille Thebanorum Imperator *Epaminondas*, quum, referente *Polyæno* in *strategematis*, suos ad invadendum recta Lacedæmoniorum agmen impulsurus, arreptum maximum quendam serpentem ostendebat iis, & capite ejus in oculis omnium obtrito, *Videtis*, inquiebat, *capite demto reliquum corpus nulli esse usui. Ita, si hostium capita, certe Laconicum hoc confregerimus, reliquum sociorum corpus inutile futurum est.* Quum enim in animantibus cæteris cor pectus sive mediam fere occupet corporis partem, serpens, si *Æliano* fides, suum in capitis vicinia, ἐπὶ τῷ φάρυγγι κεκλήρωται, *in gutture sortitus est.* Ut adeo capite contrito cor quoque ejus simul conteri necessum sit.

§. XXI. Certe in eo est serpens modis omnibus, ut caput suum imminenti eximat periculo, & hinc, quotiescunque cum homine congrediendum ei est, non multis solum spirarum voluminibus caput obvolvit, reliquo corpore ictibus exposito, quemadmodum id *Epiphanius*, *Chrysostomus*, *Isidorus* tam *Pelusiota*, quam *Hispalensis*, aliique testantur, quorum verba citat *Auctor Hierozoici*; sed & quum quieti se traditurus est, ut dormiat, τροχίζων ἑαυτόν, μέσην ὅλῳ τῷ σώματι κεφαλὴν ἀσφαλίζεται, οἱονεὶ τειχίῳ τῷ ἑπομένῳ ὁλκῷ περιοχυρῶν αὐτήν, *contorquens sese, medium caput intra totum corpus communit, consequente tractu, veluti muro quodam circumvallans illud*, tradente *Cæsario Gregorii Nazianzeni* fratre Dial. 4. quæst. 190. Diceres animal illud nunquam non apud memoriam suam qualemcunque recensere hanc sibi ultimum inflictam pœnam. Omnino autem hæc talia in mente habuisse videtur *Siracides*, quum scriberet Eccles. 25: 16. Οὐκ ἔστι κεφαλὴ ὑπὲρ κεφαλὴν ὄφεως. *Non est caput supra serpentis caput.* Nisi mavelis voculam ראש, qua sine dubio ille usus est, qui hunc librum primitus Hebraice conscripsit, de *veneno* accipere, ut significetur *non esse* ראש *venenum* על ראש הנחש *supra venenum serpentis.* Sed *Jonathanem* tamen non minus, quam Interpretem Græcum de *Capite* intellexisse, *Drusii* in hunc locum adnotatio est.

§. XXII. At verò non hoc erat homo semper impune laturus, ut plaga tam gravi serpentem ad necem daret, sed pro Capitis elisione vicissim triste quandoque in calcaneo suo vulnus accepturus. וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב *Et tu ipsum conteres* sive percuties, quoad *calcaneum.* Nihil enim sane proclivius videtur quam ut serpens proculcatus rursus suum, si possit, parti illi dentem quærat illidere, à qua læsus atque sauciatus prior est, eamque sibilis & morsibus venenatis ulciscatur. Præ cæteris autem *Ammodytes* sive *Cerastes* hoc fertur ingenio esse, ut, quemadmodum *Nicander* ait,

Ἐν δ' ἀμάθοισιν
Ἢ καὶ ἁματροχιῇσι παρὰ στίβον

In arenis (quibus concolor est) *aut orbitis rotarum prope viam* delitescat, viatorum calcibus insidians easque ex occulto admordens.

§. XXIV. Quæ quoque ratio est, cur Patriarcha *Jacobus* in verbis ultimis Daniticam tribum in bello astu magis ac ex insidiis, quam aperto Marte res suas gesturam cum hoc genere serpentum comparaverit. *Dan*, inquiens, *erit serpens in via*, שְׁפִיפֹן עֲלֵי אֹרַח הַנֹּשֵׁךְ עִקְּבֵי סוּס *Schephiphon*, hoc est, Cerastes aut Hæmorrhous *supra semitam* sive orbitam, *qui mordet calces equi, ut cadat sessor ejus retrorsum.* Gen. 49: 17. Ex hoc autem loco & qualicunque hujus nominis, schephiphon, cum verbo שוף adfinitate concludere velle, Hevam ab hoc quoque genere serpentum potissimum deceptum fuisse, non multum ab inepta abludit temeritate.

§. XXV. Vidimus pœnas τὰ τῆς ἁμαρτίας ὀψώνια; superest, ut tribus, quod ajunt, verbis *scelus* ipsum inspiciamus tam diro expiandum supplicio, quo nobis de jure & æquitate hujus judicii tanto constet luculentius. Dedignatur autem veluti judex rem ceu nimis enormem ac propudiosam suo insignire nomine, in genere duntaxat addens: כִּי עָשִׂיתָ זֹּאת *Quia fecisti hoc*: cujus scilicet jam nunc se hæcce coram me insimulavit fœmina. Ea enim commate proxime præcedente, *Serpens iste*, ajebat, *seduxit me & comedi.*

§. XXVI. Tametsi enim serpens neque peccare, neque adeo proprie puniri potuit, intererat tamen & justitiæ & sanctitatis divinæ, ut animal, quod ex omnibus unum Diabolo contra se res novas molienti & totum turbaturo rerum ordinem pro instrumento nequitiarum inserviverat, nulla amplius præ cæteris superbire prærogativa pateretur, sed infra omnes bestias immane quantum deprimeret, ut scilicet vel hac etiam ratione Creaturis ratione præditis tanto magis ac vividius declararetur immensum illud ipsius adversus peccata quævis & defectiones odium. Conf. quæ diximus c. 2: §. 26. 27.

§. XXVII. Nobis certe heic lubet illud divi Mosis exclamare: *Quis noscit vim iræ tuæ* וּכְיִרְאָתְךָ & *secundum timorem tui*, hoc est, ita ut quidem par atque æquum est ad te vere serioque colendum & metuendum, *excandescentiam tuam*? Psalm 90: 11. Quod si enim Deus operam Satanæ impostori præstitam tam acriter ultus est in bruto animali, quod ut *mulus & equus erat sine intellectu* Ps. 32: 9. facile hinc colligere possunt *filii* quivis *inobedientiæ*, *in quibus ille nunc* ἐνεργεῖ, quique ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, *capti ab eo ad ejus voluntatem*, hoc agunt modis omnibus, ut ceu præclara seductionis instrumenta ei, *quo totum seducit habitabilem*, ancillentur, famulentur, suamque probent industriam, *quam terribilis sese expectatio judicii* maneat, atque *ardor ignis*, *qui devoraturus est eos.* Eph. 2: 3. 2 Tim. 2: 26. Apoc. 12: 9. Hebr. 10: 27.

§. XXVIII. De cætero, uti præcipue Diabolus facinus hoc commisit, ita & præcipue illum cum isthæc spectat exprobratio, tum pœnæ omnes cum illa connexæ. Quod utrumque, ut quam fieri potest, clarissime demonstretur, id nobis solum credemus deinceps esse negotii datum.

CAPUT QUARTUM.

De tribus Diaboli pœnis prioribus.

SUMMARIUM.

Quatuor *fere sunt rerum Capita*, *ob quas* maledictio *Diaboli illam* exsuperat *beluarum.* §. 1--5. Duo *verò notantur* ambulatione *ejus* super ventrem. §. 6, 7. Vorare pulverem *aliud significat*, *quàm alias* pulverem lingere. §. 8. *adeoque supplicium notat à superiore* distinctum. §. 9. Pulveris *&* carnis *notiones conferuntur.* §. 10. *Diaboli pœna est* edere pulverem, *sive pulvis* corpus *notet*, §. 11, 12. *sive* animas *peccatorum* terrestres, carnalesve, §. 13--17. *sive* terrena *&* sordida *quæcunque.* §. 18. *Simulque* pessima, *quam capit ex his rebus*, *connotatur* voluptas. §. 19. *Quæ sit ejus* vita, *quamque diu* duratura. §. 20, 21.

§. I. Avertamus itaque jam oculos à proserpente hac bestia, & in illum conjiciamus antiquum draconem, qui

qui ſub ejus exuviis latitans tam protervè ludificatus parentes noſtros eſt. Plenam ſcilicet in hoc exactamque rerum omnium expreſſionem contemplaturi, quarum in iſto ceu ſimulacro quodam ſpectavimus adhuc qualemcunque adumbrationem. Ordinem autem eundem ſervabimus, quem antea nobiſmet ipſi præſcripſimus, ut generibus illis *pœnarum* perpenſis, quas Dominus DEUS in ipſum decernit, deinde in rationem peſſimi illius *facinoris* inquiramus, quo iſta omnia veluti jumento ſuo ſibi mala arceſſivit.

§. II. Ac *primo* quidem, juſtiſſima talione, non in genere ſolum in caput ejus telum vibrari *maledictionis* videmus, cujus culpa factum eſt, ut & homo & beſtiæ, ceu res hominis atque peculium, maledictionis vim ſenſerint, ſed & quanto ille beſtias omnes & ratione ſuperabat & dignitate, tanto eum infra triſtem earum ſortem deprimi, & *præ pecude quavis & beſtia agri maledictum*, hoc eſt, benedictionis omnis & gratiæ divinæ exſortem, imo verò malis omnibus dirisque devotum ac addictum futurum accipimus. Quum enim bruta animantia miſeriarum ſuarum cognitionem habeant nullam, vel ſenſum propriè dictum, mala ſua Spiritus ille malus tantò acrius perſentiſcit, quanto clarius ac vividius, ſe quondam beatum fuiſſe, & propria ſua culpa culmine illo felicitatis ſummæ excidiſſe reminiſcitur.

§. III. Quumque inſuper vel ipſæ *beſtiæ malæ*, חיה רעה brutalitatis ſuæ & qualiſcunque malitiæ ac erga hominem immanitatis finem faciant tandem, ſimul atque vitæ ſuæ finem faciunt, ille, uti mori planè non poteſt, ita nec ſapiens unquam vel bonus eſſe poteſt, ſed æternæ mancipatus & ſtultitiæ eſt & malitiæ. Hinc in impietate ſua obſtinato pergit animo, neque ſolum quibuſcunque modis hominum evertere ſalutem, περιπατῶν ὡς λέων ὠρυόμενος, ἢ ζητῶν τίνα καταπίῃ, *ambulans, uti Leo rugiens, atque quærens quem deglutiat*, 1. Pet. 5: 8. ſed & DEI convellere gloriam, eique agrè facere pro ſummo ſtudio habet, utpote qui non tantum ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς, *homicida erat ab initio.* Joh. 8: 44. ſed & ἁμαρτάνει ἀπ᾽ ἀρχῆς, etiamnum *peccat* & peccando ſemper pergit inde uſque *ab initio.* 1. Joh. 3: 8. Quid enim illæ ſignificant *catenæ tenebrarum & vincula æterna*, quibus *Deus Angelos, qui peccarunt*, neque τὴν ἀρχὴν ἑαυτῶν *principium* ſive *principatum ſuum retinuerunt*, ſed *reliquerunt proprium habitaculum, in tartaro adſtrictos tradidit*, & *ſub caligine ſervat*, quid ſignificant, quæſo, niſi ſummam quandam & adamantinam, quod ajunt, cum peccandi, tum ob peccata vapulandi & pœnas dandi neceſſitatem, qua juſta & irrevocabilis Dei ſententia eos ita adſtrinxit, ut eluctari ex ea & extricare ſeſe nunquam poſſint? 2. Pet. 2: 4. Jud. vſ. 6. Quæ quoque ratio eſt cur Diabolus in Scriptura toties ὁ πονηρὸς, *Malignus ille*, Matth. 6: 13. 13: 38. Joh. 17: 15. Eph. 6: 16. 2. Theſſ. 3: 3. 1. Joh. 3: 12. 5: 18. & בְּלִיַּעַל *Nequam* audiat. Pſalm. 18: 5. 2. Cor. 6: 15.

§. IV. Neque ſolum vincula illa tenebrarum rumpere & eripere ſemet ex poteſtate caliginis nequeunt infelices iſti Spiritus, gratia omni Dei in perpetuum ipſis denegata, qua ad ipſum amandum converterentur; ſed & cum jumenta, poſtquam ſemel halitum ex naribus exſufflarunt ſuum, perpetuo deinde perierint, neque judicium ullum exſpectatum poſthac habeant, illi contra catenis ſtygiis adligati & devincti *ſervantur* εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας *ad judicium magnæ* illius *diei.* Ep. Jud. vſ. 6. Nec enim nunc tantum *in abyſſo*, cujus aditum tam ſerio deprecabantur, Luc. 8: 31. amariſſimos patiuntur cruciatus, ſed & longè acriores experientur atque intenſiores, quando & ob hoc primum & cætera omnia ſua ſcelera, quibus nec modum nec terminum poſuere ullum, ad tremendum Dei tribunal citati, & denuo convicti, cumque *maledictis* omnibus de gente humana εἰς κόλασιν αἰώνιον, *ad ſupplicium æternum*, ἢ εἰς πῦρ τὸ αἰώνιον, *in ignem æternum illum, qui Diabolo præparatus eſt & Angelis ipſius, abire* juſſi, *in ſtagno ignis & ſulphuris* illo, *in quo & Beſtia eſt & pſeudopropheta, cruciabuntur die ac nocte*, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *in ſecula ſeculorum.* Matth. 25: 41. 46. Apoc. 20: 10. Id quod nec præterit ipſos. Hinc enim ſævi illi de Deo & ira ejus cogitantium æſtus ac horrores. Jacob. 2: 19. Hinc diri clamores illi: *Quid nobis tecum Jeſu, fili DEI? Veniſtin' huc, ut ante tempus conſtitutum excruciares nos?* Ut igne liquido liquidius ſit, maledictionem Diabolo incumbentem infinitis pæne modis illam prægravare, quantacumque demum ſit, quæ non belluas dicam quasvis & monſtra ferarum, ſed & ipſum adeo ſerpentem corporeum premit, infauſtum illud machinationis Diabolicæ inſtrumentum.

§. V. Adde quod, quum nuper monuerimus Serpentem vel in eo etiam præ cæteris animantibus maledictum videri, quod Homini præ cæteris valde exoſus factus ſit ac exſecrabilis, nec hac in parte ei quidquam concedat Diabolus, illud Cœlo Terræque longè inviſiſſimum nomen, quod uti Angelis Sanctis omnibus ſummæ abominationi eſt, ita vix mortalium quiſquam citra mentis horrorem vel ipſe proferre vel ab aliis prolatum audire poteſt. Hinc & ea namque certè, quibus in verbo Dei inſignitur,

Nomina, ſunt ipſo pæne timenda ſono.

§. VI. Sed per quod peccavit, per idem porro punitur *Tentator.* Quique ſorte ſublimi, quam ſibi DEUS dederat, non contentus ultra ire, divinosque honores & in homine imperium adfectare non erubuit, non propria ſolum exuitur dignitate, ſed & infra hominis, quem ille parem aut æmulum adſpernabatur, pedes abjicitur, adeoque ἕως ᾅδου, *ad inferos* uſque deprimitur, qui ἕως τοῦ οὐρανοῦ *ad cœlum uſque* fuerat exaltatus. Quum enim *in ventrem ambulare* aut *pectus ſuum* audimus juberi, *primo* quidem putandus eſt horum verborum vi, tanquam ictu quodam fulmineo, *ex cœlo* & ſummo illo faſtigio rerum, ad quod creaturæ pertingere fas eſt, *in terram & ima tartara deturbari*, ut qui antea cœli tanquam τοῦ ἰδίου οἰκητηρίου, *proprii domicilii ſui* incola, cum Angelis beatis glorioſo Dei conſpectu fruebatur, jam *foras protruſus* nullum amplius ibi locum reliquum habeat, ſed ſedem beatitatis cum infimo *perditionis barathro* commutare coactus ſit. Apoc. 12: 8. 9. Jud. vſ. 6. Joh. 12: 31. Luc. 10: 31.

§. VII. *Deinde* vero dubium non eſt, quin ſimul & tyrannica, quam in hominem uſurpat, poteſtas hic miris modis accidatur & coërceatur. Sicut enim ſerpens humi jacens & in alvum provolutus, jam inſilire in hominem ex alto, eumque voluminoſis implicare amplexibus ſuis non amplius poteſt, ſed verò magno expoſitus periculo eſt, ne pedibus ejus conculcetur & proteratur; Ita ὁ Σατανᾶς vi hujus ſententiæ non tantum à poſſeſſione hominis jam occupati excutitur, ut ne eum amplius ſeducere pro arbitrio ſuo & irretire poſſit, ſed imperio omni ſuo ſpoliatus, ita paullatim fidelibus ὑποτάσσεται, *ſubjicitur*, ut iis circa ullum noxæ metum ἐπάνω ὄφεων ἢ σκορπίων πατεῖν, *ſerpentes calcare & ſcorpiones, omnemque ſuperare vim inimici* liceat, donec tandem prorſus *à Deo pacis* ὑπὸ τοὺς πόδας, *ſub pedes eorum conteratur.* Rom. 16: 20. Luc. 10: 18, 19, 20.

§. VIII. Poſſit idem fortaſſis denotatum quoque videri conſequentibus verbis, quæ neceſſitatem Diabolo imponunt *pulvere veſcendi omnibus diebus vitæ ſuæ.* Sic enim ſumma hoſtium à Chriſto Rege devictorum & ad ejus tanquam Triumphatoris ſui pedes proſtratorum demiſſio innuitur, quum vaticinantem divum Pſaltem audimus; *Coram eo ſe incurvabunt deſerticolæ, & inimici ejus* עפר ילחכו *pulverem lingent.* Pſal. 72: 9. Quo ſenſu & apud Jeſaiam promittitur, fore ut *Reges* ceu *geruli* Zionis, & *principes fœminæ eorum ceu lactatrices* ejuſdem *vultu in terram converſo adorent* eam, & *pulverem pedum* ipſius *lingant.* cap. 49: 23. Quibus quidem locutionibus ad conſuetudinem Orientalium, corpore humi proſtrato, atque adeo tanquam ex pulvere magnificentiam ſuorum Regum adorantium videtur reſpici. Sed, quamquam & *ſerpens* dicatur לחך עפר *lingere pulverem*, Mich. 7: 17. hic tamen loci de eo hoc non dicitur, ſed quod majus quippiam eſt, dicitur אכלה עפר *vocare pulverem* aut *comedere* debere. Planè uti Jeſ. 65: 25. quoque legimus, הנחש לחם *panem* ſive *cibum ſerpentis*, ejuſdem ſcilicet antiqui, de quo & nunc agimus, *pulverem* futurum.

§. IX. Ut hic proprie de *alimento* pateat ſermonem eſſe, adeoque *comeſtionem pulveris* ceu novum quoddam ſupplicii genus ab *ambulatione ſuper ventrem* ita diſtingui debere, ut iſtic quidem Satanas & dignitatis & dominationis ſive in hominem jacturam feciſſe, hic vero, æquiſſimo jure, in cibo & victu ſuo puniri exiſtimandus ſit, qui nempe per cibum ceu δέλεαρ quoddam & illectamentum hominem primum ineſcaverat. Cujus quidem pœnæ ut vera nobis & germana conſtet ratio, ante omnia videndum, quidnam per *pulverem* illum *Terræ* intelligere fas ſit, quo Spiritus impurus ſuam explere famem debeat, qui, uti propriè in ventrem non repere, ita nec propriè cibo ullo aut pulvere terræ denique veſci poteſt.

§. X. Solet autem in Scripturis *pulvis* idem fere ſignificare, quod *Caro*, quæ ex pulvere originem traxit ſuam. Nam uti *primò* quidem ea ſæpe pro *corpore* venit *humano*, uti illud ab anima diſtinctum eſt rationali, ita eſt quoque ubi *pulvis* teſtaceum hoc mentis humanæ domicilium notat. Sic, antequam *Deus inſpirarat in nares hominis* נשמת חיים *ſpiraculum vitarum*, ipſeque adeo *factus eſſet in animam viventem*, dicitur eum ceu verus ille Prometheus, *finxiſſe* עפר מן האדמה *pulverem*

pulverem de terra. Gen. 2: 7. ratione scilicet corporis; quod in idoneum spiritui immortali habitaculum ex recente, mistaque fluvialibus undis tellure contemperaverat. Sic, quum *spiritus* per mortem ex hac sua sede commigrans ad *Deum revertitur, qui dedit eum*, tum Salomo adfirmat *pulverem*, hoc est, partem isthanc terream ac pulveream, quam mos est Latio vocare corpus, *rediturum ad terram, uti fuerat.* Eccl. 12:7.

§. XI. Quo sensu si heic pulverem accipimus, quemadmodum sanè illo jam olim quoque D. *Ambrosius* accepit, tum facilis equidem fundetur verborum sensus. Diabolum *pulverem*, hoc est, carnem sive corpora duntaxat fidelium *comesturum*, hoc est, mille modis ea admorsurum & laceraturum, immo etiam devoraturum quasi esse, dum ea variis excruciata miseriis atque doloribus ad mortem redigit tandem, & sub potestate ejus aliquandiu detinet, in animum vero eorum, nobilem ac generosum pulvereæ istius domus incolam, nullam porro vim ad nocendum habiturum. Qui nempe tum etiam liber & semet ipso major exit, ἐὰν ἡ ἐπίγειος αὐτοῦ οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, *quando terrestris illud domus suæ tabernaculum dissolutum fuerit* 2. Cor. 5: 1.

§. XII. Quæ sane res non potest non summam Diabolo ægritudinem adferre, in nulla re majores sibi delicias facienti, quam si grassari in animas hominum, easque *deglutire* possit, id cogitans apud animum suum, quod Rex ille Sodomæ ad Abrahamum dicebat: *Da mihi animas & res accipe tibi.* Gen. 14: 21. Et quam tu putas hoc rabiem ejus acuere, quod, quum maxime in corpora sævit piorum eaque exquisitissimis vexat cruciatibus, nihil tamen se videat efficere, quam ut *corpus* in iis destruat *peccati*, & à necessitate peccandi luctaque omni immunes in plenam tandem asserat libertatem? *Nam qui mortuus est*, δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας *justificatus est à peccato*: Rom. 7: 6, 7.

§. XIII. Sed uti *secundò Caro* etiam, quàm frequentissime *Spiritui* S. opponitur, ut hominem *sanctificanti*, adeoque *naturam* illius significat, prout *corrupta* & spiritu illo rectore destituta est, quia scilicet illa corruptio, tametsi totum hominem occupavit ac omnes ejus facultates infecit, in corpore tamen sive *carne* ejus præcipue stabulatur & vim suam exserit, ut *Lex illa peccati, quæ est in membris*; Rom. 7: 23. ita pulverem videre quoque est eodem quandoque significatu venire.

§. XIV. Quum enim Deus Gen. 3: 19. post peccatum admissum exprobrat Adamo, ipsum *pulverem* esse, non equidem putandus est, ejus de terra originem innuere velle, ac si inter illam & mortem hominis naturalis esset connexio, eoque homo mori deberet, quia ex pulvere conditus est. Nam de origine illic jam ante tam clare fuerat locutus, ut clarius quidquam dici non posset: *Ex terra sumtus est.* Nec moriendi necessitatem indicat. Hoc enim cum antecedentibus; *Donec in terram redeas*: tum consequentibus factum fuerat verbis: *Et in pulverem redibis.* Sed hujus rei causam adsignat, cur homo θνητὸς *mortalis* factus sit, qui potuisset non mori, quia nimirum factus est *pulvis*, hoc est, *caro* sive *carnalis*, & sub *carnis*, *in qua habitat peccatum*, Rom. 7: 18. potestatem redactus. Equidem *homo primus* jam ante lapsum quoque poterat vocari χοϊκὸς, *pulvereus*, 1. Cor. 15: 48, 49. quatenus scilicet tum ἐκ γῆς, *ex terra* fuerat oriundus, vs. 47. tum *corpus* necdum habebat πνευματικὸν, *spiritale*, quale nempe à Spiritu S. non vero à sola anima vivificatur, & τῇ ἀφθαρσίᾳ, plenaria illa *immortalitate*, quam *Augustinus majorem* vocat, præditum est, sed corpus habebat ψυχικὸν *animale*, quale etsi ex se non erat φθαρτὸν aut corruptioni & morti obnoxium, non tamen jam plane erat ἄφθαρτον, atque ita comparatum, ut *non posset mori*, quia homo non ita erat creatus, ut *non posset peccare*, vs. 44, 46, 50. At nihilominus homo ante lapsum non hoc sensu poterat vel *caro* dici vel *pulvis* quatenus illa Spiritui S.; non tantum *ut vivificanti* & plenam immortalitatem donanti, sed etiam ut *sanctificanti* opponuntur, ac *pulverem esse* non tantum aliquid habere significat, quod ex pulvere est, sed etiam ab eo, quod depromtum ex pulvere est, puta *carne* plane vinci & in servitutem ejus redigi. A lapsu vero nihil vetat, quo minus homo & hoc sensu *pulvis* dici possit, quemadmodum eodem quoque בשר *caro* dictus est. Gen. 6: 3.

§. XV. Sed non opus est, ut ex solo hoc loco illum hujus vocis significatum adstruamus. Quis enim dubitet patrem Abrahamum, uti tum, quum apud Dominum magnam animi sui confidentiam excusaturus, quod ad illum loqui ausus esset, se *cinerem* esse fatebatur, suam sibi mortalitatem & caducitatem ob oculos posuit, ita & in caussam ejus ac originem, peccatum puta & nativam illam labem, quæ sicut omnes omnino homines, ita & ipsum ab ortu corruperat, animum suum intendisse, quum simul se *pulverem* esse profiteretur? Gen. 18: 27. Quis neget Davidem, uti Ps. 103. vs. 15, 16. fragilitatem humanæ naturæ depingit, ita & vs. 14. quum, *Dominus*, inquit, *novit* יצרנו *figmentum nostrum*, (illud nimirum, cujus Deus ipse Gen. 8: 21. luculentam mentionem fecit, & quod inde Hebræi יצר הרע *figmentum malum* consueverunt appellare) *recordatur* כי עפר אנחנו *quod pulvis sumus nos*; *lubricitatem* ejusdem naturæ & ad malum quodvis pronitatem, cujus reliquiæ vel in ipsis regenitis supersunt, iisque multum quandoque negotii facessunt describsisse?

§. XVI. Satis itaque hinc constat, haud quaquam aberrare à janua, quod dicitur, quotquot vestigia prementes *D. Augustini*, per *pulverem* hic *peccatorem* intelligunt, κατ' ἐξοχὴν ita dictum, aut homines glebæ addictos, quosque cum Poëta voces *curvas in terram animas & cœlestium inanes*, ὧν ὁ Θεὸς ἡ κοιλία, καὶ ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, οἱ μὴ τὰ ἄνω φρονοῦντες, ἀλλὰ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς: *Quorum Deus venter, & gloria in turpitudine eorum, qui non ea, quæ sursum sunt, curant, sed ea, quæ sunt in terra.* Phil. 3: 19. Col. 3: 2. מתים מחלד *Homines de ævo*, Ps. 17: 14. ψυχικοὶ, *animales, qui Spiritum non habent.* Ep. Jud. vs. 19. οἱ ἐν σαρκὶ ὄντες, *qui in carne sunt*: Rom. 8: 1. Καὶ κατὰ σάρκα ζῶντες, *& secundum carnem vivunt.* vs. 13. Hos enim Deus solos Diabolo ceu portionem ejus & demensum, quasi cibum devorandos permittit & absorbendos, cæteris, *qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum, nec ea quæ carnis sunt, sentiunt*, sed *Spiritu Dei aguntur*, & *per Spiritum* τὰς πράξεις τοῦ σώματος, *negotia corporis mortificant*, Rom. 8: 1, 13, 14. faucibus ejus ereptis, nulloque in eos ei jure alio relicto, quam ut quicquid in eis de *carne* & vetusto homine superstitat, quibuscunque modis perdat & consumat, atque adeo hac quoque ratione in iis nihil nisi merum *pulverem* vocet.

§. XVII. Quæ sane res rursum ingens conciliat & Diabolo tormentum & regno ipsius detrimentum. Nam & hoc pacto *turbam multam, quam numerare nemo potest, ex omni gente*, potestati suæ videt subductam, & quum sævit in impios eosque è medio tollit, *destruit destructores terræ*, & *scandala* ex ecclesia tollit, propter quæ *justitia strigabat*, regnumque adeo cœlorum ipsemet auget promovetque suum imminuit ac pessumdat.

§. XVIII. Nolim autem, dum has nobis ostendimus explicationes placere, illorum videri cogitationes rejecisse, qui cum *Davide Paræo*, gravissimo Theologo, id omne in genere per *pulverem* intelligentes, quicquid *terrenum*, *vile* atque *sordidum* est, hanc sciscunt Diabolo heic esse pœnam dictatam, ut, quum olim nihil, quam quod divinum ac cœleste est, meditatus fuerit, nunc nihil quam quod terrestre & vanum est sapiat, & ad sordes quasvis & inquinamenta scelerum damnatus sit.

§. XIX. Hoc tantum velim præterea observari, quod, cum hæc omnia, quæ enarravimus, diabolo dicantur *pro cibo* futura, simul indicetur pravissima illa *voluptas* ejus, quam imposterum ex his rebus percepturus erat. Uti enim Servator noster, ἐμὸν, inquit, βρῶμά ἐστιν, *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, & consummem opus ipsius.* Joh. 4: 34. quoniam nulla re æque vel afficiebatur vel capiebatur, & illi è contrario, qui lubentes & cum delectatione peccant, dicuntur שתה כמים עולה *bibere instar aquæ injustitiam*; Hiob. 15: 16. ita hæ scilicet Satanæ cupediæ, hic cibus suavissimus futurus erat, piorum *corpora* adfligere, in *malorum* tam *animas*, quam corpora grassari, & *cœno* sordidissimarum quarumque *nequitiarum* cum semet tum alios immergere, inque eo, uti sus in volutabro, quod ajunt, volutari. Quæ quidem mens est plane diversa ab illa *Angelorum* Dei, qui sunt *Spiritus ministratorii, missi ad ministerium*, διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν, *propter eos, qui hæreditabunt salutem*, Heb. 1: 14. *& in quorum conspectu gaudium est vel super uno peccatore resipiscente*; Luc. 15: 7, 10.

§. XX. Sed neque hæc Diaboli prava delectatio & qualiscunque in *pulverem* potestas æternum duratura, sed ubi certum illud & determinatum temporis spatium, quo tanquam limite quodam circumscripta illa est, effluxerit, exspiratura est. *Pulverem* enim *comedere* ipsum juberi audimus *omnibus* quidem, at solis etiam *diebus vitæ suæ.* Finientur autem illi cum συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος, *consummatione seculi*, quando illa scilicet *dies magna* adfulgebit *judicii*, *ad quod angeli peccatores adservantur, constricti catenis æternæ caliginis.* Ep. Jud. vs. 6.

§. XXI. *Vivit*

§. XXI. *Vivit* enim sane hactenus Diabolus, & fruitur *pulvere*, deliciis suis, dum nec ipse jam cruciatus illos omnes *æterni ignis* sentit, *qui ipsi & angelis ejus præparatus* interea *est*, & *relaxatus* aliquando *è carcere suo*, æque DEO justissimo pro tortore & vindice iræ suæ adhibitus & fideles κολαφίζει, *pugnis cædit*, *& in filiis operatur inobedientiæ*: Matth. 25:41. Apoc. 20:7. 2. Cor. 12:7. Ephes. 2:2. At desinet ita vivere, simul atque fidelibus in plenam gloriam & libertatem adsertis, cum ipse in *stagnum* illud *ardens igne & sulphure conjicietur*, *ut torqueatur* ibi *die ac nocte in secula seculorum*, tum simul cum illo *Bestia* & *Pseudo-propheta*, & instrumenta illa omnia nequitiæ ipsius abolebuntur, quibus abusus est, ut ne in iis agere amplius & pios per illa adfligere possit. Apoc. 19:20. 20:10. *Quo die* enim DEUS *gladio suo duro & magno & valido super Leviathan* visitaverit, נחש ברח *serpentem illum impetuosum* & *super Leviathan* נחש עקלתון *serpentem tortuosum illum*, והרג את התנין אשר בים *tum occidet etiam* ipsum *Draconem illum*, *qui in mari* hujus mundi vel clam vel palam suam exercet tyrannidem Jes. 27:1. Uti enim deinceps ex vs. 15. percipiemus, *caput* ipsi *conteri* debere, ita & *David* testatur, *Jehovam dominum nostrum* sibi *robur fundasse* להשבית *ad cessare faciendum Inimicum & eum qui se vindicat*. Ps. 8:3. Neque dissentit D. *Paulus*, ideò adfirmans Christum *carnis & sanguinis participem factum*, *ut per mortem* καταργήσῃ *aboleret* sive è medio tolleret τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, *eum qui imperium habebat mortis*, *hoc est*, *Diabolum*. Hebr. 2:14.

CAPUT QUINTUM.

De Pœna Serpentis spiritualis quarta.

SUMMARIUM.

Verborum Analysis. §. 1. Seminis serpentini caput *quis*. §. 2. Mulier illa, *nec Virgo* Maria, *nec* quævis *femina*, *nec* Ecclesia, *sed* Hevah *est*. §. 3--5. Semen Serpentis, *cum* Angeli mali, §. 6, 7. *tum* Homines reprobi. §. 8, 9. Semen mulieris πληθυντικῶς *accipiendum*. §. 10. *Neque tamen* universaliter, de singulis *hominibus*. §. 11. *Notat* piam *Hevæ* posteritatem. §. 12. *Quæ est semen vel* sanctificans, *vel* sanctificatum. §. 13. *Christus* semen mulieris *ob* duas *rationes*. §. 14, 15. *Cur ille* semen Adami *non dicatur*. §. 16. *Nec* fideles *Adami*, *sed* Hevæ semen. §. 17, 18. *Cur* Adami *in hoc oraculo* nulla mentio? §. 19--21. Mulieri *non cum Serpente solo*, *sed & ejus* semine, neque *semini mulieris duntaxat cum semine serpentis*, *sed &* serpente *ipso decertandum*. §. 22. *Quod* bellum *est* implacabile. §. 23. *Tam ab* una *parte*, *quàm ab* altera. §. 24, 25. Justificationemque *secum fert* §. 26. *&* sanctificationem *fidelium*. §. 27. Diaboli *verò tædium & cruciatum summum*. §. 28. Auctor *belli & Agonotheta non* Homo, *sed* Deus *unus & trinus est*. §. 29, 30. *Qui hic non tam* legem *fert*, *quam Testamentum aperit suæ Gratiæ*. §. 31, 32.

§. I. SEd altius it divina indignatio, neque potestatem Diaboli ad pulverem restrinxisse contenta, Mulierem etiam ab ipso prostratam instaurat, atque una cum piis omnibus posteris suis contra illum in bellum exire jubet, non nisi cum seculo finiturum, quando *quarto* loco ait: *Et inimicitiam ponam inter Te*, ô personate Serpens, & *mulierem hanc*, *& inter semen tuum & semen illius*. Quibus quidem verbis *primò* videmus duo pugnantium paria inter se componi; *tum* quantumvis etiam illi inter se antea consueverint, deinceps tamen mutuo & capitali odio erga se invicem flagraturos; &, ne quid *denique* de rei veritate ac eventu dubites, Deum docemur semetipsum certaminis hujus Auctorem & Magistrum ferre, ac pro Agonotheta sessurum.

§. II. Primum hostium par ex mystico *Serpente* compositum est & *muliere isthac*, in quorum alteram Deus hic veluti digitum extendit suum, alterum conceptissimis hisce adfatus verbis. Qui quidem Serpens quum distinguatur à *semine suo*, æque uti *Draco ille magnus & Serpens antiquus* distinguitur ab *Angelis suis*, Apoc. 12:7, 9. non alius esse putandus est, quam ille omnium infelicium Spirituum Ductor atque caput, quem prisci Judæi, uti aliquando *Asmodæum & Sammaëlem & Angelum mortis*, ita etiam χλευαστικῶς & deridiculi causa Beelzebulem בעל זבול hoc est, *Dominum stercoris* aut *Jovem stercorarium* vocabant, Matth. 10: 25. Pro eo quod Accaronitæ Jovem aut Herculem suum Μυίαγρον sive Απόμυιον à muscis abigendis *Baalzebubum* בעל זבוב, *Dominum muscarum* aut Μυιόθεον sive *Deum muscarium* appellabant. 2. Reg. 1: 2. Idem scilicet ille, qui in scripturis N. T. non solum *Princeps potestatis aëris*, Eph. 2: 2. & *Princeps hujus mundi*, Joh. 12:31. 14:30. 16:11. sive, quod idem pæne est, *Deus hujus seculi*, 2. Cor. 4: 4. sed etiam ὁ Ἄρχων τῶν δαιμονίων *Princeps ille Dæmonum* dicitur. Matth. 9: 34. 12: 24. Sive jam illum Angeli defectores demum à lapsu suo sibi Regem crearint, sive, quod quibusdam vero videtur propius, statim ab ipso rerum conditu præsederit ordinibus eorum, & rebellionis in cœlo dux faxque, cæteros secum in eandem & impietatem & perniciem pertraxerit.

§. III. Mulier autem, quæ hic ex adverso cum Diabolo committitur, nec speciatim beata Virgo Maria est, uti post *Lyranum* etiam *Petro Picherello* & Pontificiis aliis visum, neque in genere fœmina quævis alia, uti aliis placet, sed unica atque sola Heva est, mulier prima mulierumque mater cæterarum, de qua pater Adamus, ut eam vidit, prædixerat illico, eam vocatum iri אשה *viram*, eo quod *à viro desumta esset*. Genes. 2:23. In hanc enim Deum veluti digitum conjecisse suum, quum hæc verba proloqueretur, cum ה demonstrativum evincit, quod hic occurrit, tum ex ipso contextu patescere facile cuivis potest. Non enim Deus dicit se inimicitiam positurum inter serpentem & mulierem quamvis aliam, sed *Ego*, inquit, *inimicitiam ponam inter Te*, ô Serpens, ובין האשה & *inter mulierem hanc*. Quam verò? Nempe hanc, quam tu coram vides, ô Serpens, quam tu fallaciis tuis adortus es nequiter, quæque à me interrogata, cur illud crimen admisisset, cujus eam insimulavit vir ejus, culpam omnem à se amolita in te est, adfirmans, à Te se deceptam atque illuc fuisse inductam, *ut de fructu vetito comederet*, vs. 12, 13.

§. IV. Nec sane vel divæ Virginis, vel cujusvis fœminæ alius semen omnes illos complectitur, quicunque ex genere humano cum semine Serpentis bellum gesturi erant, quemadmodum *fœminæ hujus*, hoc est, Hevæ semen illos omnes complectitur. Nec est, quod quispiam objiciat, beatam Mariam etiam Jes. 7: 14. cum ה demonstrativo vocari העלמה *virginem illam*. Nam alia ejus loci ratio est; quum Propheta Oraculum istud edente, nulla alia virgo præsens fuerit, de qua hoc dictum accipi potuisset, quemadmodum hic quidem certè Heva præsens fuit.

§. V. Non multo autem felicius hic alii quoque cum *H. Grotio* per *mulierem hanc* allegorice universam fidelium Ecclesiam intelligunt. Tametsi enim illa apud Scriptores sacros nomine *mulieris* non minus quam *sponsæ* atque *Matris* veniat, nihil tamen caussæ est, cur hic à simplicitate literæ ad parabolas & allegorias discedas, præsertim quum Ecclesia Electorum omnis quam commodissime sub *semine mulieris* comprehensa credatur, quod hic una cum *semine serpentis*, alterum illud par constituit, quod Deus in aciem produxit.

§. VI. *Semen serpentis* sunt omnes, qui *operam dant peccato*, *& opera faciunt Diaboli*, sive illi jam meri spiritus sint, sive spiritus cum corpore conjuncti. Ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, ἐκ τοῦ Διαβόλου ἐστιν. *Quicunque peccatum facit, ex Diabolo est*. 1 Joh. 3: 8. Quantum ergo ad *Angelos peccatores* attinet, negari certe non potest, quamquam scriptura longe majorem numerum bonorum exprimere soleat, quam malorum, illorum tamen quoque luculentam esse multitudinem. Neque enim solum de *septem*, hoc est, compluribus *dæmoniis*, quæ Christus ejecerat ex Maria Magdalena, Marc. 16: 9. neque de *immundo Spiritu uno* aliquo & *septem*, hoc est, multis *aliis ipso nequioribus* legimus, Matth. 12: 45. Sed & impurus spiritus, qui in Regione Gadarenorum hominem miserum misere divexabat, interroganti Domino, quid ipsi nominis esset? respondit: λεγεὼν ὄνομά μοι. ὅτι πολλοί ἐσμεν. *Legioni nomen est mihi. Sumus enim multi*. Marc. 5: 9. Nam *dæmones multi ingressi erant in illum*. Luc. 8: 30. Quod si vero hominem unum tota obsederat Legio, quidni ergo multæ aliæ præterea existant *nequitiarum spiritualium* myriades, quibus præsint & ex quibus formentur αἱ ἀρχαὶ καὶ αἱ ἐξουσίαι, καὶ οἱ κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, *principatus illi*, *& potestates illæ*, *& mundi principes illi*, *qui potestatem*

testatem tenebrarum hujus seculi obtinent, adversus quos nobis lucta est? Eph. 6: 12. Angeli illi & *Principatus* ϗ Δυνάμεις seu *potentiæ*, quæ *nos* nequidquam *separare* conantur *à Dilectione Dei, quæ est in D. N. I. C.* Rom. 8: 38, 39.

§. VII. Hi ergo omnes quum serpentis mystici, capitis atque Ducis sui apostasiam imitati videantur, certe eandem, quam ille, miserrimam juxta sceleratissimamque vitam vivant, atque adeo iisdem *æternæ caliginis catenis* ad idem *judicium magnæ diei serventur*, nihil mirum est, si, uti alias *Diaboli & magni Draconis ac Antiqui serpentis Angeli* vocantur; Matth. 25:41. Apoc. 12:7. 9. ita hic ejusdem *semen* sive *Filii* appellentur. Non equidem, quia vi seminis alicujus ex ipso progeniti sunt, sed quoniam ipsi ratione naturæ, malitiæ & fatorum persimiles sunt, & quidquid agant, quidquid patiantur, in eo mirifice semper Seductoris ceu patris sui instar quoddam ac imaginem exprimunt.

§. VIII. Ad idem verò *semen* quam maxime *homines* reprobos pertinere & *qui concupiscentias Satanæ volunt facere*, de eo res magis etiam in liquido est. Ejuscemodi enim Christus diserte dicit, *ex patre esse Diabolo*. Joh. 8: 44. Quemadmodum & Johannes non solum Cainum fuisse ἐκ τȣ̃ πονηρȣ̃ *ex Maligno illo, quoniam opera ipsius mala fuere ac fratrem occidit suum*, sed & quotquot *justitiæ operam non dant, neque fratrem suum diligunt, non ex Deo*, sed τέκνα τȣ̃ Διαβόλȣ, *Filios esse Diaboli* asserit, atque eo veluti gnorismate distinguit à *Filiis Dei*. 1 Joh. 3: 10. 12. Certe Paulus Elymam Magum, quem intus & in cute noverat *plenum omni dolo & ad scelus quodvis facilitate, hostemque omnis justitiæ esse*, in os compellat tanquam *Filium Diaboli*. *Ecquidnam cessabis*, inquiens, υἱὲ Διαβόλȣ, ô tu, *Fili Diaboli, pervertere vias Domini rectas?* Act. 13: 10. Quid denique clarius in hanc rem vel fingi potest illo Christi in parabolis? Τὰ δὲ ζιζάνιά εἰσιν οἱ υἱοὶ τȣ̃ πονηρȣ̃. *Zizania autem sunt Filii illius improbi. Inimicus autem* ὁ σπείρας αὐτὰ, *qui seminavit ea, est Diabolus.* Matth. 13: 38. 39. Viden', quotquot ex genere sunt *Zizaniorum*, quæ *semini bono*, hoc est, *Filiis regni* opponuntur, simul & *semen & Filios* dici *Diaboli?* Quare nec dubium esse potest, quin Christus & Johannes Baptistes ad hunc locum hancque phraseologiam, quam præ manibus habemus, respexerint, quoties in mores & ingenium Pharisæorum & Sadducæorum sui temporis invecti eos palam ὄφεις ϗ γεννήματα ἐχιδνῶν *serpentes & progeniem viperarum* appellarunt. Matth. 3: 7. 12: 34. 23: 33.

§. IX. Nempe sicut recte זרע מרעים *semen maleficorum* Es. 1: 4. & זרע מנאף *semen mœchantis* Es. 57: 3. non tam illi audiunt, qui talibus prognati sunt, quam qui tales æmulantur, ita aptissime quoque *viperina soboles* ac *semen* nuncupantur *serpentinum*, quotquot in factis & moribus suis τὴν πανȣργίαν τȣ̃ ὄφεως τȣ̃ ἀρχαίȣ referunt, *venenum habentes, quale est venenum serpentum; tanquam aspidis surdæ, quæ obturat aurem suam, ne audiat vocem mussitantium, incantatoris peritissimi.* Ps. 58: 5, 6. Rom. 3: 13. quanquam alias secundum naturam ex *sanguinibus* prognati, & à *muliere isthac* in mundum editi sint. Atque his quidem probe animadversis præteriri omnino nolim observationem *P. Fagii*, qui notans Chaldæum *Onkelosum* verba hæc ובין זרעך ובין זרעה ita convertisse: *Inter Filium tuum & Filium illius*; de suo addit: *Serpentis autem Filius est ipse* ANTICHRISTUS *cum omnibus membris suis.*

§. X. Semini huic ex adverso quasi agmine opponitur *semen mulieris*. Quod primo statim intuitu hic non ἑνικῶς sive singulariter pro uno aliquo eximio ex illo semine, uti quidem *Helvico* placet, sed πληθυντικῶς sive collective accipimus pro pluribus ex muliere isthac prodituris. Utut enim negari non debeat, vocem זרע *semen* sæpe in sacris notare *unum* quendam hominem filiumve, ut Gen. 4: 25. 1 Sam. 1: 11. 1 Chron. 17: 11. occurrunt tamen alia quoque loca, ubi eadem vox plures includit. Prout certè Deus promittens *semini Abrahami Terram peregrinationum ipsius*, non unum aliquem ex Abrahami posteris, sed magnam intelligit eorundem multitudinem. Gen. 17: 8. Et cur minus *semen mulieris* plures in se complecteretur, quàm semen serpentis, quod non unum aliquem, sed plures in se complecti vidimus? Nec etiam forte ad unum tantum aliquem, sed ad quam plurimos inimicitia illa spectat, quam se Deus edicit inter semen utrumque tum Mulieris tum Serpentis positurum.

§. XI. Cave tamen existimes *omnes* omnino significari homines, è muliere aliquando nascituros. Non enim omnes omnino homines cum serpente ac semine illius erant inimicitias exerciturì. Et plurimos ex hominibus, quanquam secundum carnem Hevæ debeant ortum suum, ad *semen* tamen *serpentis* pertinere, ejusque magnam absolvere partem, jam modo ostendimus.

§. XII. Reliquum igitur est, ut per *semen mulieris* piam Hevæ posteritatem *Filiosque promissionis* intelligamus. Οὐ γὰρ τὰ τέκνα τȣ̃ σαρκὸς, ἀλλὰ τὰ τέκνα τȣ̃ ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα. *Non enim Filii carnis, sed Filii promissionis reputantur pro semine.* Rom. 9: 8. Nimirum ergo iidem illi hic quoque putandi sunt innui, qui deinde vs. 20. vocantur כל חי *omne vivens*. Alias זרע אלהים *semen Dei*, Malach. 2: 15. זרע הקדש *semen* illud *sanctum*, זרע ברך י"ה *semen* cui *benedicit Jehova*, aut, quod tantundem fere est, זרע ברוכי יהוה *semen Benedictorum Jehovæ*. Jes. 6: 13. 61: 9. 65: 23.

§. XIII. Sicut autem Apostolus πάντας τȣ̀ς ἐξ ἑνὸς *omnes qui sunt ex uno*, ita à se invicem distinguit, ut alium ponat τȣ̀ ἁγιάζοντα *eum qui sanctificat*, & alios τȣ̀ς ἁγιαζομένȣς, *eos qui sanctificantur*, sive alios, *qui fratres vocantur* & rursus alium, ὃν δι᾽ ἣν αἰτίαν ȣ̓κ ἐπαισχύνεται ἀδελφȣ̀ς αὐτȣ̀ς καλεῖν, *quem ob eam causam*, quia sc. cum ipsis ex uno est, *non puduit eos fratres vocare*; Hebr. 2: 11. ita & hic hoc *mulieris semen* ita distingui debet, ut alius in eo sit semen *sanctificans*, *vivificans* atque *benedicens*, alii vero semen *vivificatum*, *sanctificatum* atque *benedictum*. Illud est ὁ ἀρχηγὸς τȣ̃ σωτηρίας ἡμῶν; *princeps salutis nostræ* vs. 10. Ad hoc pertinet *semen* illud *Abrahæ*, ȣ̃ ἐπιλαμβάνεται, *quod apprehendit ut Goël ipsius.* vs. 16. *pueri illi, quos dedit ipsi Deus* vs. 13. Jes. 8: 18. Illud est *unus Mediator Dei atque hominum homo Christus Jesus* 1 Tim. 2: 5. Ad hoc pertinent οἱ μετ᾽ αὐτȣ̃ *quicunque cum ipso sunt, vocati & electi & fideles.* Apoc. 17: 14. Plane uti *semen Abrahæ* etiam quandoque *fideles* de Abrahami posteritate notat, & quotquot in vestigiis fidei ipsius ambulaturi erant, utpote quum se Deus pollicetur ipsi & *semini ipsius post illum in Deum futurum*. Gen. 17: 7. Aliquando verò Messiam significat, eximium illum in semine Abrahamico, à quo tanquam fonte in cæteros omnes divinarum benedictionum rivuli promanaturi erant, utpote quum ait, *in semine ipsius benedictum iri gentes omnes terræ.* Gen. 22: 18. *Illud* enim *semen*, interprete Paulo, est *Christus* Gal. 3: 16.

§. XIV. Et Christus quidem arduis de causis *semen* dici *Mulieris* potuit. Est hæc enim hominis, apud Hiobum præsertim, valde usitata periphrasis, quod vocatur ילוד אשה *natus à muliere*, sive, quod idem est, *semen* aut *soboles mulieris*. Omnes enim, quotquot hic sol vidit homines, si ab uno discesseris Adamo Dei & Telluris Filio, à muliere editi in hunc mundum sunt. Sic c. 14: 1. *Homo*, ait, ילוד אשה *natus muliere brevis est vita & satur commotionis.* Et rursum c. 15: 14. Quid est אנוש *homo deploratus, aut jus illi sit & ut justus sit* ילוד אשה *natus muliere?* A quo loco haut multum abludit alter ille cap. 25: 4. *Et qui justus esset homo cum Deo, & qui mundus esset* ילוד אשה *natus muliere.* Quem quoque elegantem loquendi modum *Siracides* imitatus est, negans *creatam hominibus superbiam, vel iram excandescentiæ* γεννήμασι γυναικῶν; *progeniei mulierum*; c. 10: 20. Sed & ipse Dominus adoptavit eum, adfirmans ἐν γεννητοῖς γυναικῶν in *natis muliere*, hoc est, hominibus *non exstitisse quemquam prophetam majorem Johanne.* Matth. 11: 11. Luc. 7: 28. Quum ergo Christus *carnis & sanguinis, quem communem habent pueri qui ipsi dati sunt, ipse similiter particeps*, adeoque *fratribus suis per omnia similis*, hoc est, ex homine vero verus homo *futurus* erat, Heb. 2: 14. 17. quam rectissime *semen mulieris* vocatus est.

§. XV. Sed & præter hanc rationem, quæ ipsi communis est cum reliquis fratribus, aliud quid ille privum atque augustius habet, quamobrem istud nomen ferat. Nasci enim absque viri congressu ex *sola muliere* debebat. Nam *femina circumdatura erat virum* Jer. 31: 22. & *Virgo paritura Immanuelem* Jes. 7: 14. ut, quemadmodum κτ̀ πνεῦμα ἁγιωσύνης *secundum spiritum sanctitatis* ἀμήτωρ *sine matre* erat, ita κτ̀ σάρκα *secundum carnem* ἀπάτωρ *sine patre* fieret. Hebr. 7: 3. Quæ quoque ratio est, cur Apostolus eum cum emphasi dicat γενόμενον ἐκ γυναικὸς, *factum ex muliere* puta sola & absque concubitu maris. Gal. 4: 4.

§. XVI. Tametsi ergo Christus *Adami* quoque semen sit, neque sano sensu tale minus dici possit, quam aut *semen Abrahami* aut *Filius Davidis*, non tamen causa erat nulla, cur hic non *semen viri* sed *Mulieris* audiret. Non enim vi istius verbi, *Crescite & multiplicamini*, per naturalem conjunctionem maris atque feminæ ab Adamo descensurus, sed vi hujus promissionis & *virtute Altissimi* aliquando è puella virgine nasciturus erat. Quamobrem neque Adamo tanquam capiti fœderali totius gentis humanæ, *per quem mors & peccatum in mundum introiere*, ceu *Filius ejus* subordinari, sed ceu *secundus Adam* & novæ familiæ stirps atque auctor, cujus vel ipse Adamus quotacunque pars erat, hoc est, ceu *se-*

men istud mulieris, quod κυρίως καὶ κατ᾽ ἐξοχὴν tale est, eidem opponi debebat. Rom. 5: 12. 14.

§. XVII. Licet autem Christus, quem æquum est ἐν πᾶσι γίνεσθαι πρωτεύοντα, *in omnibus fieri primas tenentem*, Col. 1: 18. hanc hujus nomenclaturæ *præ fratribus suis multis, quorum ille primogenitus est.* Rom. 8: 29. veluti prærogativam teneat, quod ex sola muliere solus genitus est, non tamen de nihilo putandum, quod & illi una cum illo non *Viri* aut *Adami*, sed *Mulieris semen* appellantur. Hac nempe ratione informamur, non Hevam horum matrem, aut hos mulieris hujus filios censendos, quatenus illa matrimonio juncta cum Adamo ex connubiali congressu paritura eos erat. Hoc enim pacto illi non minus Adami quàm Hevæ filii sunt, & Heva non minus *seminis cujusdam serpentini* quam illorum mater est. Sed quatenus per gratuitam hanc Dei promissionem adversus Diabolum tanquam hostis & oppugnatrix ipsius in harenam educta & mater talium filiorum constituta est, qui in pio hoc odio sibi similes futuri essent; filiorum, inquam, οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo gignendorum*, Joh. 1: 13. non secundum legem matrimonialem naturæ, sed secundum divinam promissionem gratiæ.

§. XVIII. Id quod sane intellexisse Adamus videtur statim post auditum hoc verbum, nomen illud prius uxoris suæ אשה *Isschah* in illud חוה *Chavvah* sive *Hevah* commutans, quoniam jam mater esset facta non omnium mortalium (nam talis jam ante facta fuerat, & talium Adamus quoque stirps atque pater est) sed *omnium viventium*; Gen. 3: 20. Sed & ipsa, nisi fallor, Heva rem percepit, quum enixa Sethum; שת לי אלהים זרע אחר, *posuit mihi Deus*, inquit, *semen aliud loco Abelis, quem Cain occidit* Gen. 4: 25. His namque verbis manifestam indicat seminis sui differentiam, Habelem quidem à fratre occisum, Sethumque recens genitum pro *semine* reputans, Cainum verò fratricidam in eodem censu ponere non sustinens.

§. XIX. Cætera hoc mirum videri jure cuipiam possit, quod, *quum & mulieris & seminis ejus* hic tam expressa facta sit mentio, ne γρῦ interea de ipso audiverimus Adamo. Quid enim? Illumne dicemus à promissione hac salutis exclusum, qui tam insignem fidei suæ, quâ illam simul atque audivit apprehendit quoque, in commutatione nominis uxoris suæ, confessionem edidit, nec non posteris suis deinceps pietatis omnis ac religionis, quæ ex hoc verbo tanquam fonte profluxit, doctor atque præceptor extitit? Minimè verò gentium. Quin immo, uti illum nobis persuademus salutis vere fuisse participem factum, quidquid etiam hic olim delirarint Tatianus & Novatiani, ita ipsi quoque μερίδα καὶ κλῆρον ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ *partem atque sortem in hoc verbo* fuisse nullum dubium est.

§. XX. At tacitum nomen ipsius fuit, ne scilicet ab illo *vita* expectaretur, per quem *Mors* in mundum intravit, aut, qui radix atque pater vitiosæ omnis & depravatæ propaginis est, ille putaretur hic proponi tanquam stirpis melioris origo. Præterea facile quis aliquid reliquiis virtutis & prudentiæ tribuisset, quæ in Adamo supererant, quibusque conjugem superabat suam, si ille diserte nominatus & cum Diabolo commissus fuisset. At nunc nemo non videt in negotio nostræ salutis omnia in solidum uni Gratiæ deberi, quum mulier, σκεῦος ὁ ἀσθενέστερον, *vas illud infirmius*, à lapsu suo erigitur, & denuo Serpenti, veluti redintegrato certamine, tanquam certa ejus Inimica & debellatrix futura objicitur. *Neque sane Adam seductus fuerat*, scilicet prior & à serpente ipso. Ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα ἐν παραβάσει γέγονε. *Sed mulier seducta in transgressionem incidit*, 1. Tim. 2: 14. HEVAM enim *seduxit serpens in astutia sua* 2. Cor. 11: 3. Sicut neque Adamum videmus coram Deo serpentem reum agere, uti quidem mulier id facit, sed in conjugem, quam sibi dederat Deus, cujus nempe blanditiis & amori succubuisse videtur, culpam omnem rejicit. Gen. 3: 12. Quare nihil erat aptius & vel ad bonitatem vel ad potentiam Dei commendandam efficacius, quam ut non Adamus quoque nominatim, sed femina, cujus ille amicitia & familiaritate abusus antea flagitiose fuerat, adversus ipsum in bellum mitteretur.

§. XXI. Restat ergo, ut, quum exclusus certe Adamus non sit, vel sub muliere, vel, quia hoc minus congruum fortassis est ut vir sub muliere censeatur, sub *semine mulieris* comprehensus existimetur. Uti enim Christo ceu *Adamo* τῷ μέλλοντι *futuro illi* recte opponitur, quatenus fons atque radix est peccati atque coruptionis, ita eidem non male subordinatur & *semini mulieris* accensetur, cujus Christus princeps atque caput est; quatenus salvus factus & unus ex filiis istis est, qui Messiæ dati sunt. Quod mirum est ni Paulus in mente habuerit, quum *neque virum sine muliere, neque mulierem absque viro* IN DOMINO esse ait. *Sicut enim mulier est* ἐκ τοῦ ἀνδρὸς *ex viro*, naturaliter scil. & quoad primam originem ex costa viri efficta, *ita & virum* in Domino esse διὰ τῆς γυναικὸς per *mulierem*; quatenus nempe tum ad semen illud sanctificatum pertinet, tum in semen illud sanctificans fide sua fertur, quod non tam viro, quam Mulieri promissum primitus est. *Omnia vero hæc ex Deo* 1. Cor. 11: 11, 12.

§. XXII. Atque hæc sunt bina illa paria, quibus Deus bellum denuntiat, non ac si mulieri cum solo Serpente, non vero simul cum semine Serpentis, aut semini mulieris cum semine Serpentis duntaxat, non etiam cum Serpente ipso decertandum foret. Nam opponitur quidem Mulier uni Serpenti, quia ab uno & oppugnata & expugnata fuerat, at interea loci, uti abunde palam est, semen mulieris etiam cum ipso Serpente, utpote cujus *caput contriturum* erat, non cum solo semine ejus dimicaturum esse, ita futurum quoque erat, ut & mulier quandoque non tantum cum Serpente seductore suo, sed & cum reliquo ipsius semine, tum ex angelis tum ex hominibus malis & impœnitentibus, qualis certe Cain fuit, qui ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν *ex maligno illo erat*, manum consereret.

§. XXIII. Jam autem porro, quum Deum dicentem audimus איבה אשית *ponam inimicitiam* non solum inter te, ô serpens, & mulierem isthanc, sed *& inter semen tuum & semen illius*, facile unicuique intelligere datur, certamen hoc & implacabile futurum & interminabile. Quis enim de fine belli aut modo cogitet, ubi Deum illud, vel feræ utriusque posteritati indicere, neque indicere tantum utcunque, sed & *ponere* illud ac figere quasi & ut perpetuum sit, divina & potente auctoritate sua jubere velle intelligit? Quid illos credas in gratiam redituros unquam, inter quos non levis tantum simultas aliqua & fuga qualiscunque communionis ac consuetudinis, quod fortasse שנאה notet, sed איבה *inimicitia*, hoc est, summa animorum aversatio & conatus atque studium enixum aliquem lædendi & modis omnibus perdendi constituitur?

§. XXIV. Quemadmodum ergo Mulier vi horum verborum una cum sancto omni semine suo Diabolum non solum & opera ipsius osura, consuetudinemque cum eo omnem ac priscam familiaritatem abruptura, sed & regnum ipsius cum in se tum in aliis destructura, nihilque lubentius in posterum effectura erat, quam quod ipsi noverit quam ægerrime futurum; ita Diabolus vicissim una cum semine omni maledicto suo & illam & semen ipsius quam infensissime propterea persecuturus & qua vi, qua astu perdius & pernox in id quidem incubiturus erat, ut illis, si non mortem & πανωλεθρίαν adferre, saltem multas maximas molestias & ægritudines creare, ac quibuscunque modis incommodare posset. Hinc ille, uti in Scripturis V. T. aliquotiens non sine emphasi אויב ומתנקם *inimicus & Ultor sui*; Ps. 8: 3. 44: 17. ita in N. T. ὁ ἐχθρὸς, *Hostis ille*, Matth. 13: 25. 28. 39. & ὁ πειράζων, *Tentator ille*, Matth. 4: 3. & ὁ κατήγορος, *Accusator* ille, Apoc. 12: 10. & infinitis præterea locis ὁ πονηρὸς *Malus ille*, & ὁ Διάβολος, *calumniator ille*, & השטן ὁ Σατανᾶς, Sive, quod idem est, ὁ Ἀντίδικος, *Adversarius ille* dicitur.

§. XXV. Nimirum ille uti *leo rugiens ambulaturus, & quem deglutiret*, vel, uti *triticum cribraret, quæsiturus* erat; at & illi contra *vigilaturi & ipsi firmi in fide restituri*, eumque *in fugam conjecturi* ac *induti* τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ *omnem armaturam* DEI, *ignita omnia ipsius jacula extincturi erant.* Luc. 22: 31. 1 Pet. 5: 8. 9. Jac. 4: 7. Eph. 6: 11. 16. Præsertim autem *Michaël, Princeps ille magnus, qui stat pro filiis populi* DEI, hoc est; ille qui Semen mulieris peculari modo & reliquorum omnium, qui in Semine illo censentur, dux atque caput est, *cum Dracone & Angelis ejus præliaturus, eosque ex cœlo in terram erat projecturus.* Apoc. 12: 7, 9. Dan. 12: 1. sicut vicissim Diabolus id unice magno conatu erat acturus, ut vel imprimis illum turbaret, vexaret, & si pote עד־דכא *ad minutum* redigeret. Nam חפץ דכאו *ille volens enervare eum*, scil. Messiam, de quo Jesaias agit c. 53: vs. 10. nemo certe alius quam Diabolus est.

§. XXVI. Jam fieri vix potest, ut capias, quo pacto exerceri tales inimicitiæ contra Diabolum & Semen illius à Muliere & prole ipsius possint, nisi simul cogites hic eorundem à potestate Diaboli *redemtionem & justificationem*, sive peccatorum non imputationem, & cordis denique ipsorum ad sincerum DEI & proximi amorem renovationem promis-

promissam esse. Nam si unum excipias hominem Christum, *Sanctum* illum *Israëlis*, καὶ κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *separatum à peccatoribus*, Heb. 7: 26. cæteri omnes una cum muliere per lapsum amici Diaboli facti & in servitutem ipsius mancipati sunt. ᾧ γάρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται. *A quo enim quis victus est, illi & in servitutem addictus est.* 2. Pet. 2: 19. Jam qui, quæso, illi belligerare cum illo aut possent aut vellent, nisi prius valida manu *ex potestate tenebrarum erepti*, & in libertatem asserti sint? Qui vero eriperet DEUS, nisi prius ira sua posita, & postquam justitiæ suæ læsoque divinæ majestatis honori *satisfactum* quam plenissime videret, ut citra violationem legis aut sanctitatis suæ ipsos à reatu, quem contraxerant, absolvere pœnasque iis omnes, quas promeriti sunt, condonare posset?

§. XXVII. Et quomodo vero ipso facto cum Diabolo inimicitias gererent, hoc est, vere & ex animo odissent opera & concupiscentias ejus, mendacium scilicet & injustitiam, regnique ipsius cum in se tum in fratribus suis eversionem quærerent, nisi simul amor DEI & veritatis atque justitiæ per Spiritum S. infusus in corda ipsorum esset? Nam nihil hic medium est, sed, uti *amicitia mundi* certa quidem *inimicitia est DEI*, ut eo ipso, quo quis *vult amicus esse mundi, inimicus constituatur DEI.* Jac. 4: 4. ita ex adverso inimicitia cum Diabolo certam infert amicitiam DEI, eoque ipso, dum quis serio cupit inimicus esse Diaboli, amicus constituitur DEI. Sicut enim *diligentes Dominum odio habent malum* & תכלית *perfecto odio oderunt osores* DEI, *cumque illis, qui surgunt in illum, jungantur*: Ps. 97: 10. 139: 20. 21. ita vicissim, *qui desistunt male facere, discunt bene facere*, & ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρὸν προσκολληθήσονται τῷ ἀγαθῷ; *qui detestantur malum, adhærebunt* & veluti adglutinabuntur *bono*. Jes. 1: 16. 17. Ps. 34: 15. Rom. 12: 9. Et prout δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας *servi peccati* sunt ἐλεύθεροι τῇ δικαιοσύνῃ *liberi justitiæ*; ita contra ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας ἐδουλώθησαν τῇ δικαιοσύνῃ, *qui liberi sunt facti à peccato*, eo ipso *mancipati sunt justitiæ.* Rom. 6: 18. 20. Ut adeo DEUS, quum *positionem inimicitiæ* promisit, excercendæ cum Serpente & semine ejus, simul & sanctificationem regenerationemve & cætera omnia dona & χαρίσματα, quæ vel antecedunt vel consequuntur eam, mulieri & electæ soboli ejus promisisse censendus sit.

§. XXVIII. Quæ omnia uti rectè percepta non poterant non suaviter demulcere ægros sauciosque parentum nostrorum animos & magno complere gaudio; ita quoque nullum dubium est maximum Diabolo adtulisse ægrimoniam. Quod si enim Abimelecus, quum mulier quædam fragmine molæ ex arce super caput ejus dejecto cranium ejus fregerat, id nullo modo poterat pati, ut dicerent homines: A muliere Abimelecum esse interfectum; & propterea ediceret puero armigero suo, ut stricto gladio occideret ipsum. Judic. 9: 53, 54. quam tu putas superbissimum Spiritum insignem hanc contumeliam ægre potuisse concoquere, ubi se jam non tam Adamum, de quo hic altum silentium est, quàm Hevam videret pro Antagonista habiturum, & imbellis feminæ, quam ipse antea tam facile superaverat, inermi dextera casurum? Quum ille, quasi re bene gesta plauderet, nihilque nisi victorias cogitaret & triumphos, nova sibi bella parari audit & certamina, non jam cum muliere solum, sed cum pia quoque omni ipsius sobole, eaque implacabilia nec aliter quam cum totali tam sui ipsius quam seminis sui omnis clade atque strage finienda. Quumque nihil pejus urere ac rodere animum soleat invidorum, quam si res lætas eorum intueantur, quos mallent omnium nosse quàm miserrimos, parum sanè abest, quin invidissimus ille præ dolore quasi emarcuerit & contabuerit, quum innumeram piorum hominum multitudinem vi hujus sententiæ ex illo immenso miseriarum ineffabilium barathro, quibuscum ipsi conflictandum in omnem æternitatem est, ereptam & ad id culmen summæ felicitatis evectam cogebatur videre, unde ipse tam turpi & præcipiti lapsu exciderat.

§. XXIX. Sed, ut ne quisquam unquam homo *sacrificare* præsumeret *sagenæ suæ & everriculo suo suffitum facere*, ac si ipse sibi hujus fortunæ suæ faber factus & motu proprio adversus Diabolum in bellum progressus esset, DEUS ipse sibi uni ex asse vindicat omnia, semet ipsum hujus pugnæ auctorem præsidemque ac veluti ἀθλοθέτην laudans, dum ait: EGO PONAM. Nam sanè hominis, qui jam post lapsum φύσει τέκνον ὀργῆς *natura filius iræ* fuerat factus, & *in peccatis & lapsibus* jacebat *mortuus*, non erat semetipsum vivificare & *ex laqueo* illo expedire *Diaboli, quo captus erat ab illo ad illius voluntatem.* Eph. 2: 1. 3. 2. Tim. 2: 26.

§. XXX. Sed uti DEI unius atque trini peculiare hoc opus est, ita quoque illius solius hæc lingua est, qua opus isthoc pollicetur liberaliter, Patris nimirum, Filii & Spiritus Sancti. Nam, quanquam Filius certè, ceu os ac λόγος Patris, sono in aëre formato proloquutus hæc verba est, non tamen suo tantum, sed Patris quoque & Spiritus S. nomine, quibus cum ille unum est, & qui cum illo unum sunt, locutus est. Ut, sicut Filius tanquam hominum electorum sponsor atque vades, iis hic amorem suum & λύτρον sive satisfactionis pretium, & vi denique illius justitiam & vitam addicit, ita similiter *Pater* ob Filii, quem dare Mediatorem decrevit, consummatissimum meritum, gratiam suam, peccatorumque remissionem ac illorum ex regno tenebrarum in regnum filii dilectionis suæ transpositionem; *Spiritus S.* autem, qui una cum Patre & Filio satisfactionem Mediatoris decrevit, favorem quoque suum & assertorum à Christo regenerationem, cumque eo per fidem coadunationem, cordisque circumcisionem ac validam ad fortiter cum Satana depugnandum instigationem & exsuscitationem promittat.

§. XXXI. Neque enim DEUS hic legem aliquam præscribit, quid facere homo teneatur, sed æternum propositum suum, & quid ipse facere velit secundùm consilium voluntatis suæ, declarat. Ut adeo sententia hæc Testamenti sive voluntatis ultimæ cujusdam ac immutabilis rationem habeat, quæ à nulla prorsus incerta conditione suspensa est, sed secundùm quam ἀμεταμελήτως & efficacissimè, id quod spondet DEUS, præstiturus ac operaturus erat quoque.

§. XXXII. Lubentes ergo meritoque Jehovæ adplaudimus & *testimonium ejus accipientes obsignamus* ὅτι ἀληθής ἐστιν, *quod verax est*, quum ipsum audimus populo suo dicere: שחתך ישראל כי בי בעזרך *Corruptio tua est*, aut ex te est, *ô Israel! At in me, in auxilio tuo*, scil. salus omnis tua sita est! Hos. 13: 9. Nam *ne ad cogitandum quidem quicquam sumus idonei à nobis ipsis, ut ex nobis ipsis.* ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ. Sed *sufficientia* vel aptitudo *nostra* qualiscunque & quantacunque *ex* solo DEO *est.* 2. Cor. 3: 5.

CAPUT SEXTUM.

Continens Vindicias Lectionis Ebrææ contra Vulgatam.

SUMMARIUM.

Summa supplicii quinti. §. 1. *Vulgatæ quidam Codd. malè hic legunt* היא *pro* הוא. §. 2. *Lectio Ebrææ defenditur* (1) *ab* aliis Mscr. & antiquis *Vulgatæ Codd.* §. 3. (2) *ab* Itala Vetere, *ex* Cypriano §. 4. (3) *à LXX. interpretibus.* §. 5, 6. (4) *ex testimonio* Hieronymi, *qui pro Vulgatæ habetur Auctore.* §. 7. (5) *ab* Hebræorum *&* Chaldaïcarum *Codd. consensu.* §. 8. (6) *à* Versionibus Orientalibus *aliis.* §. 9. (7) *argumentis* Grammaticis. §. 10. (8) *&* realibus *aliis.* §. 11. *Denique* (9) *ab* Auctoritatibus *cum* Patrum, §. 12. *tum* (10) *Scriptorum* Pontificiorum, *veterum & recentiorum.* §. 13. *H.* Grotius *& I.* Lipsius *perstringuntur.* §. 14. *Nec non* Franciscani, Jesuitæ *&* Mariolatræ *alii.* §. 15.

§. I. Sequitur tandem pœna Serpentis antiqui uti *ultima* ita gravissima, quæ nobis finem atrocis hujus belli atque exitum commonstrat, prævividis depingens coloribus & vulnera, quæ Diabolus semini mulieris inflicturus erat, & necem cædemque, quam semen mulieris Diabolo erat illaturum. Hanc nempe, dum Deus ait הוא ישופך ראש, Hoc, scil. semen mulieris, *contereret Te*, ô Serpens, quoad *caput*; illa verò, dum pergit idem: ואתה תשופנו עקב, *Et tu*, ô Serpens, *conteres illud* scil. semen mulieris, quoad *calcem*.

§. II. Quæ ne nunc ilico enucleemus, efficit quorundam ex eo hominum genere, quoì periit pudor, insignis vecordia, qua Vulgatam, quam vocant, Codici Ebræo, hoc est, rivulum, qui valde fluit lutulentus, limpidissimis Israëlis fontibus præferentes & היא *illa* legendum sciscentes, ubi הוא *ille*, aut *illud*, si ad semen referatur, legendum est, ea non sine stupendo sacrilegio & magna certè ipsius D. Mariæ contumelia Mariæ Virgini adscribunt, quæ in emphasi sua sumta non nisi uni JESU CHRISTO, & Virginis beatissimæ & piorum

piorum omnium Servatori ter Optimo ter Maximo adscribi vel debent vel possunt. Cujus quidem vesanissimi facti ut eos pœniteat, saltem ut videant omnes, quibus mens non læva contigit, pœnitere eos & pudere jure maximo tandem aliquando debere, ea heic omnia in brevem aliquam summam contrahemus, quæ in spissis aliorum commentariis latius sparsa diffusaque repeiuntur.

§. III. Et *primò* quidem, quamquam inficias non eamus pervetustum esse hoc mendum Codicis vulgati, & vel ipso jam obtinuisse ævo *Augustini*, non tamen illud omnia potuit occupare exemplaria. Nam & *Jacobus Pamelius* fatetur *variare hic Codd. Latinos Vulgati Bibliorum interpretis*, & ipsi *Lovanienses* ajunt, *antiqua quædam & manuscripta vulgatæ editionis exemplaria prætulisse in textu* IPSE. Neque solum *Robertus Stephanus*, sed & ipse *Franc. Lucas Brugensis* idem de *duobus* testatur *Parisiensibus*, *Oblongo* scil. *S. Germani* illo & *Sorbonico correctorio.*

§. IV. Certè *Italam Veterem*, quæ ante tempora terebatur Augustini, non IPSA legisse, sed IPSE, luculentum testimonium apud S. *Cyprianum* est Lib. II. adversus Judæos, c. 8. ita citantem totum hunc locum: *Et ponam inimicitiam inter te & mulierem & inter semen tuum & semen ejus.* IPSE *tuum observabit caput, & tu observabis calcaneum ejus.* Ubi vel ipse commentator ejus *Pamelius* manifestis comprobat argumentis, hanc hujus loci apud Cyprianum lectionem genuinam esse.

§. V. Unde evidens quoque fit, versionem, cujuscunque tandem sit, quam secutus Cyprianus est, planè pleneque esse expressam ex illa τῶν LXX. juxta editiones, quæ legunt: αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. Alias enim, uti *Complutensem & Vaticanam*, notum est melius & cum textu originali conformius legere: αὐτός σου τειρήσει κεφαλὴν. IPSE tibi *conteret* caput. Quidquid autem sit de variatione hujus verbi τηρεῖν aut τειρεῖν, hoc saltem certum & in aprico est, in eo convenire exemplaria Græca, quod pronomen masculinum הוּ pariter convertant per pronomen masculinum αὐτὸς. Quod, nisi forte scripserint αὐτὸ, animadversione dignissimum est. Nam apud eos præcessit vox, non masculini generis, qualis σπόρος semen, sed neutrius, σπέρμα. Nempe secuti illi sunt κατὰ πόδας contextum Hebræum, & orationem suam adaptantes non juxta regulam συντάξεως, sed per constructionem, quam vocant πρὸς τὸ σημαινόμενον, id exposuerunt quod ἐν διανοίᾳ præcipuum est, non tam ad vocem proximè antegressam σπέρμα, quàm quidem ad ipsum Messiam respicientes, qui ἐν τῷ σπέρματι subintelligitur. Quod genus loquendi non tantum apud exteros quoque obvium est, ut quum ille ait apud *Terentium*, *Ubi est scelus*, QUI *me perdidit*? sed & alibi ipsis Scriptoribus sacris comperitur in usu esse. Sic nempe apud Matthæum, quum dixisset Dominus ad discipulos: πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, & jam ex canone & præscripto Grammaticæ subsequi deberet, βαπτίζοντες αὐτὰ, subsequitur, βαπτίζοντες αὐτοὺς. *Homines* enim in mente habebat, quos docere illi & baptizare jubebantur. c. 28: 19.

§. VI. Interea, utut in antiquissimis Latinorum Codicibus S. Scripturæ una cum LXX. legebatur, IPSE, facillime tamen potuit accidere, observante quoque *Melchiore Cano*, ut homines linguæ Ebrææ imperiti, nec videntes usquam nomen, ad quod pronomen masculinum αὐτὸς IPSE referri posset, quum præcedant duæ voces, quarum altera fœminina est, γυνὴ *mulier*, altera neutralis, σπέρμα semen, existimarent hoc vitium esse Scriptoris, ac propterea pro IPSE substituendum IPSA, idque ad mulierem esse referendum.

§. VII. At quum nunc hi homines Vulgatæ suæ, quam pessime, jussi à Conciliabulo Tridentino, pro authentica habent, auctorem *Hieronymum* credant, illi vero, qui cor ex iis atque nasum habent, eam palam fateantur lapsu temporis ita immutatam & depravatam, ut Hieronymi amplius appellari nequeat, quid æquius ab iis postulare possumus, quam ut eam nunc vel postliminio tandem ex ipso Hieronymo, ubi aberravit à mente Hieronymi, emendari patiantur? Ecquamnam autem tu putas hic D. Hieronymi mentem esse? Eadem scilicet, quæ nobis est. Nam postquam in *Quæstionibus Hebraïcis ad Genesin* citaverat verba hæc versionis Græcæ: *Ipse servavit caput tuum & tu servabis calcaneum ejus*, de suo addit: *Melius habet in Hebræo*: IPSE *conteret caput tuum & tu conteres ejus calcaneum*: *quia & nostri gressus præpediuntur à Colubro &* DOMINUS *conteret Satanam sub pedibus nostris velociter. Quibus verbis* ait ipse *Brugensis*, vi veritatis adactus, quum ea in medium protulisset in suis *ad sacra Biblia adnotationibus*, *etiam conspicitur*, *Hieronymum lectioni prædictæ* (Hebrææ & Græcæ) *conformiter*, IPSE, *vertere.*

§. VIII. Utcunque vero de Latinis sit voluminibus, *Hebræa* certe, *ad quæ*, si D. audimus *Augustinum*, lib. 2. de Doctr. Christ. c. 11. tanquam ad sacram anchoram *recurrendum est*, *si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita veritas*, *in eo perpetuo sibi ac ubique similia sunt*, *ut* legant הוּ IPSE, neutiquam vero הִיא ILLA. Ut, si *Bellarminus* in Codice aliquo uno legerit הִיא, non temere ei objectum sit ab *Helvico*, textum vel ab ipso vel ab alio falsario, contra omnium exemplarium MSS. quotquot unquam aut usquam visa sunt, manifestam fidem atque consensum esse corruptum. Nam & *Hebræi* omnes interpretes & *Targumin* sive *Chaldæi* Paraphrastæ constanter retinent τὸ הוּ. Nec *Masorethæ*, quorum nota est in eo genere valde superstitiosa curiositas, ullam unquam lectionis diversitatem adnotarunt.

§. IX. Et cum Hebræo antiquissimæ quæque faciunt Orientalium ex Hebræo expressæ versiones. Nam de LXX. vidimus. De textu *Samaritano* & versionibus *Syriaca*, *Arabica*, aliis, extant testimonia virorum in his linguis exercitatissimorum. *Onkelosus* autem παραφράζει. *Inimicitiam ponam inter te & mulierem inter filium tuum & filium illius* הוא יהי דכיר לך מה דעבדת ליה מלקדמין IPSE *memor erit tui quid à principio* EI *feceris* ואת תהי נטר ליה לסופא *Et tu observabis* EUM *in finem.*

§. X. Et qui quæso, poterat aliter fieri, quam ut pronomen hic reperiretur masculinum, quum & nomen substantivum, cum quo ipsi in eodem genere & numero convenire debet, & verbum personale, quod continuo sequitur, & pronomen relativum, quod verbo secundæ personæ adfixum est, masculina sint omnia? Nam antecessit vox זֶרַע *semen* in genere masculo, & subsequitur primo quidem non תְּשׁוּפְךָ, qualiter deberet, si de fœmina sermo esset, sed יְשׁוּפְךָ tanquam de mare: deinde offendimus scriptum, non quidem תְּשׁוּפֶנָּה *conteres* EAM, sed תְּשׁוּפֶנּוּ *conteres* ILLUM. Ut, quemadmodum verba non debent, ita quoque nec possint aliter converti, quam IPSUM *conteret*, si nomen substantivum Latinum, SEMEN, vel IPSE *conterit*, se ipsum respicias *Christum.* Nam si de muliere hic ageretur, hunc in modum legendum foret: הִיא תְּשׁוּפְךָ רֹאשׁ ILLA *te conteret* quoad *caput*, vel וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנָּה תְּשׁוּפֶה עָקֵב *Et tu conteres* ILLAM *quoad calcaneum.* Hæc autem legendi ratio quum nunc plane à codicibus omnibus Hebræis exulet, argumentum inde enascitur pro lectionis nostræ germanitate prorsus Achillæum, & cui nunquam quidquam Lojolitarum prævalebit industria, si vel nihil Lysiæ subtilitati cedant, nihil argutiis *Hyperidis*,

Anticipentque suo *Samii Lucumonis* acumen?

§. XI. Sed nec ipsa impudentia denique quod ogganniat habebit, si apud animum revocemus, & *contritionem capitis serpentini* rem esse, quæ infinitis modis vires B. Mariæ superet, &, uti nusquam in Scriptura Deiparæ Virgini, ita semper & ubique uni ac soli DEI ejusque Filio, IMMANUELI attribui solere. Audi Discipulum, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς! *In hoc*, *inquit*, DEI FILIUS *apparuit*, *ut* OPERA DISSOLVERET DIABOLI. 1. Joh. 3: 8. Audi *Paulum*! DEUS PACIS, ait, CONTERET SATANAM *sub pedibus vestris celeriter.* Rom. 16: 20. Et quid clarius illo ejusdem in Epistola ad Hebræos c. 2. vs. 14. Coll. cum vs. 9. *Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis*, IPSE JESUS *quoque consimiliter particeps factus est eorundem*, *ut per mortem* ABOLERET *eum*, *penes quem est mortis robur*, *hoc est*, DIABOLUM.

§. XII. Atque hæc quidem sufficere abunde iis possunt, qui aliquo veritatis tenentur studio, sed quoniam cum hominibus negotium nobis est, è re sua sæpissime ducentibus, ut magis hominum errori obnoxiorum, quam vel rationis vel DEI in verbo suo loquentis sequantur auctoritatem, age, jubeamus eos præterea, ut vel eos audiant. Audiant *Patres*, qui patres, patres clamitant semper, non *Cyprianum* solum & *Hieronymum*, quorum verba vidimus, sed *Irenæum* quoque & *Chrysostomum*, & *Procopium Gazæum*, & *Leonem* 1. Papam & alios!

§. XIII. Audiant candidiores & quibus neque pepo neque fungus pro corde fuit, de suo grege, Cardinalem *Cajetanum*, Augustinum *Steuchum*, Adamum *Sasboutum*, Franciscum *Vatablum*, Santem *Pagninum*, Isidorum *Clarium*, *Ariam* Montanum, Melchiorem *Canum*, *Andradium*, *Oleastrum*, *Malvendam*, *Riberam*, *Pererium*, *Picherellum*, alios magno numero, præsertim qui tempora non attigere *Sixti V.* & Cle-

& *Clementis VIII PP.* quorum juſſu vox IPSA authenticis etiam Editionibus inſerta eſt. Audiant denique magnum illud Galliæ decus, Petrum Danielem *Huetium* & memorabilia ipſius verba in animum admittant, quæ leguntur in *Demonſtratione* ejus *Euangelica*, Propos. VII. §. 7. *Vulgata quidem habet*, IPSA; *at Ebraicum exemplar*, & *ſeptuaginta Senum interpretatio* & *Samaritana editio habent* IPSE. *Ita & Onkelos & Jacobus Tawoſus Judæus, Perſicus interpres, & Syrus. Ita Irenæus, Cyprianus, Hieronymus. Nempe ſignificatur* CHRISTUS. *Quod quamvis Judæi recentiores alio flectere ſunt conati, contra it tamen vetuſtiorum fides, qui majori candore* CHRISTUM *hic agnoſcunt.* Confer plura ſi velis, quæ *Bellarmino* Sixtinus *Amama* oppoſuit in Cenſura Vulgatæ atque à Tridentinis Canonizatæ Verſionis V. librorum Moſis.

§. XIV. Uti ergo nollem illuſtri *Grotio* hanc vocem excidiſſe: *Vulgatus habet*, IPSA, *quaſi de muliere ageretur, ſenſu non male*; ita demiror Juſtum *Lipſium* eo etiam devenire ineptiarum potuiſſe, ut hos indignos Lipſio verſiculos pangeret:

Et quem non genium fuget,
Et quam non ſtriga, quam ſagam
Magni magna DEI *parens?*
De qua ſacra profantur,
HANC *fore, quæ ſerpentis*
Contereret caput improbi.

Apage impietatem hominis *inconſtantiſſimi!*

§. XV. Apage verò quoque ſacrilegas voces *Franciſcanorum* in Antiphona quadam ſua magna cum ſolemnitate canentium: HÆC *eſt mulier virtutis*, quæ CONTRIVIT CAPUT SERPENTIS! Deſinant homines maleferiati temulento impetu in cœleſte chirographum involare, quod Guido *Fabricius*, a. 1572. *in Hebraicis illis Bibliis regio operi adjunctis* fecit, *nixus*, uti ipſe Lucas *Brugenſis* ſcribit, *auctoritate Pici Mirandulani principis*, & revereantur vindicem vigilemque pro verbo ſuo DEI oculum, permittentis, ut pro היא nefariè ſuppoſito, per incuriam vel Typographi, vel correctoris, היה, quæ vox ne quidem Hebræa eſt, ſubſtitueretur. Faceſſant tandem longum hinc & in orcum remeent ad antiquum Draconem, qui eas inde eructavit, eorum & *Mariolatrarum* quorumcunque cæteræ blaſphemæ nugæ, quibus nihil equidem efficiunt aliud, quàm ut & veros *Benedictæ inter Mulieres* depretient honores, & ſe non ad Semen mulieris pertinere ſanctificatum, ſed progeniem eſſe vipernam, quæ Semini mulieris Sanctificanti CHRISTO quibuscunque modis ſtudet ægre facere, oſtendant.

CAPUT SEPTIMUM.

De Contritione Capitis Serpentini,
ſive
Supplicio Diaboli quinto & ultimo.

SUMMARIUM.

Analyſis *verborum*, *ſine* ellipſi *mirè emphaticorum*. §. 1--3. Caput *Serpentis emblema eſt* & verſutiæ & malitiæ & poteſtatis *Diabolicæ* §. 4-6. Hanc *quo pacto* acquiſiverit, *oſtenditur*. §. 7. & *eſſe* Regnum *cum* peccati, *tum* mortis. §. 8. *Quod tamen* perpetuum & univerſale *non eſt*. §. 9. *Vis vocis* שוף *vel* שפף *contra quoſdam Vulgatæ* & τῶν ό *Codices*. §. 10. Phraſis tota *cum* aliis *confertur* gemellis. §. 11. Quænam & quanta *ad hoc opus planè* divinum *requirantur*. §. 12. *Tribuendum illud* ſemini cum *primario*, tum *ſecundario* mulieris ſenſu *diverſo*. §. 13, 14. *Chriſtus* illud *perficit* octo *veluti* gradibus. §. 15--18. *Chriſtiani* quinque. §. 19--23. *Cujus quidem potentiæ* ſpecimen *inſigne in* expulſione *Dæmonum è corporibus obſeſſorum datum*, *non ſolum à* Chriſto. §. 24 *Sed* & diſcipulis *ejus*, *longo poſt illum tempore*. §. 25, 26 Symbolum *autem ejuſdem fuit in* dono *miraculoſo* Serpentes exuendi veneno. §. 27. *quod aliquam diu in Eccleſia duravit*. §. 28.

§. I. POſtquam itaque vindicias dedimus Codicis Hebræi, ac irrefragabilibus argumentis non היא legendum ſed הוא, adeoque nequaquam heic de *muliere*, ſive illam *Hevam* exiſtimes ſive *Mariam*, ſed verò de *Semine mulieris*, cui antea bellum indictum erat cum ſemine Serpentis, ſermonem eſſe contra *Vulgatæ* Patronos evicimus, nunc ad explicationem Verbi *ultimi*, quod, ſi dignitatem & rerum eo ſignificatarum momenta ſpectes, facile omnium princeps eſt, progredimur. In eo ceu tabula quadam adfabrè picta *primò* extremum Diaboli ſupplicium totalemque internecionem, *tum* cruentam benedicti Seminis pugnam & non ſine vulnere, victoriam viſuri. Non potuit enim certè Diabolus quidquam ſibi mitius, quàm internecinam ſtragem à Semine mulieris deinceps ominari, quum illud audiret ſibi *Caput* ſuum eſſe *contriturum*.

§. II. Ut enim in verbis illis הו ישופך ראש ellipſin ſtatuas ꝫ ב, ac ſi ſcriptum eſſet בראש, & illa vertas: *Illud conteret te in capite*, nulla nos ratio idonea cogit. Quin immò, uti hoc Græcis perfamiliare ac veluti proprium eſt, ut unum verbum duos regat accuſativos cum perſonæ tum rei, & vſ. 9. ejuſcemodi locutio, αὐτὸς τηρήσει σε τὴν κεφαλήν, *ille percutiet te caput*, idem valeat, quod κατὰ κεφαλήν, *ſecundùm caput*, quod rurſus tantundem eſt, ac ſi dicas: *Ille tuum percutiet caput*, aut *tibi percutiet caput*; ita idem neque raro neque gravatè fert ingenium linguæ Ebrææ. Ut adeo non partem duntaxat capitis Diabolici aliquam aut aliquid in capite ejus levi fortaſſis vulnere utcunque ſauciandum, ſed totum omnino caput ejus, quantum & qualecunque eſt, planè pleneque ſignificetur eſſe confringendum.

§. III. Cujus quidem rei ut conceptum habeamus diſtinctiorem, *primo* quid *caput* ergo hîc denotet *colubrinum*, *deinde* quid autem ejus *contritio*, & *tertio* denique quo illa pacto *Semini mulieris* utrique, tum *ſanctificanti* illi, tum *ſanctificato* quoque attribui poſſit, examinabimus.

§. IV. Nimirum uti Serpens ipſe ubique in iſthoc Oraculo non tam brutum Animal, quàm Seſſorem ejus ſignificabat Diabolum, ita *caput* quoque *Serpentinum* ad illum relatum, qui capite caret propriè dicto, nil niſi Symbolum quoddam eſt tum *verſutiæ* illius, tum *malitiæ*, tum *poteſtatis* denique in hominem acquiſitæ. Quum enim Serpens capite potiſſimum ſuam exerceat φρονιμότητα qualemcunque, quis neget illud quam aptiſſimè hac ratione illam repræſentare poſſe Diaboli πανουργίαν, *calliditatem*, qua *cogitationes* fidelium quorumcunque *avertere* ſatagit à *ſimplicitate*, *quæ eſt in Chriſto*? 2. Cor. 11: 3.

§. V. Quum porro in radicibus dentium & veſicula quadam ſub lingua, adeoque in capite venenum circumgeſtet ſuum, (circumgeſtare autem Serpentes ſuum virus in Capitibus non *Theocritus* ſolum ſenſit, quum in *Herculiſco* ſive Idyll. 24. vſ. 28. & 29. dicit Herculem etiamnum puerum duos angues *ore jugulove* corripuiſſe,

—— —— Τόθι φάρμακα λυγρὰ τέτυκτ᾽
Οὐλομένοις ὀφίεσσι, τὰ ϗ θεοὶ ἐχθαίρουσι:
—— —— *Ubi mala venena ſedem habent*
Perniciosis Serpentibus, quæ etiam dii oderunt;

Sed & *Tſophar* agnovit *Naamathæus*, quando Hiobi 20: 16. de *Veneno* loquens *aſpidum* & viperarum, *linguæ* earum vim adſcribit hominem *occidendi*:) cur dubitemus eo reſpectu illud elegantiſſimam exhibere figuram poſſe *malitiæ* illius virulentiſſimæ, qua ὁ Ἀνθρωποκτόνος ἀπ᾽ ἀρχῆς humanum genus ardet ſtudetque perdere?

§. VI. Neque tandem inficias iveris κράτος quoque ipſius ac *tyrannicum imperium* adumbrari pulcerrimo hoc emblemate, ubi duntaxat ad animum revocaveris, tantam vitæ viriumque facultatem angues circumferre in capite ſuo, ut, ſi *Plinio* fides & *Iſidoro Hiſpalenſi*, *illud vivat nihilominus, etiamſi cum duobus evaſerit digitis*.

§. VII. Nempe Diabolus non ſolum ſumma præditus eſt aut *calliditate*, qua *poſſit*, aut *malignitate*, qua *velit*, ſed *poteſtate* quoque ac auctoritate, qua *fas* ipſi licitumque eſt, hominem quemcunque peccatorem ſub jugum ſuum mittere. Tametſi enim ante lapſum nihil quidquam juris in hominem obtineret, integrumque per ſcelus ac injuſtè ſeduxerit, ſeductum tamen atque lapſum nunc jure in captivitatem ſuam mittit atque ſervitutem. Quæ ſanè ratio eſt, cur apud *Jeſaiam* c. 49. non ſolum *Robuſtus* ille & *violentus* ſive *Tyrannus*, ſed & *Juſtus* appellatur, Propheta Zionem vſ. 24. rogante: *An accipietur* מגבור *à Forti captura*, & *numquid Captivitas* צדיק *juſti*

justi evadet? & loco Ecclesiæ in nomine DEI vs. 25. respondente: *Immò sic ait Jehovah, simul captivitas Fortis accipietur & captura* עריץ *violenti evadet.* Nam & justum Dei Vindicis *judicium* hominem læsæ suæ majestatis reum Satanæ tanquam Lictoris & Δεσμοφύλακος sui vinculis & compedibus mancipat, & severæ *Legis* minæ eum diris omnibus devovent, & ipsa denique recta *Ratio* dictat, non iniquum esse, ut *à quo quis victus est, ei etiam in servitutem addicatur.* 2. Pet. 2: 19.

§. VIII. Est autem *Regnum* illud, quod Diabolus sibi per lapsum in Mulierem & Semen ejus naturale omne qua jure, qua injuria acquisivit, quodque hic sub schemate *Capitis* innuitur *Serpentini*, cum maximè duplex, *Peccati & Mortis.* Quamobrem & Lex, quæ illud ipsi vi sententiæ incommutabilis suæ in Transgressorem permittit traditque, non solum Δύναμις audit τῆς ἁμαρτίας, *potentia peccati.* 1. Cor. 15: 56. Sed & Rom. 8: 2. Νόμος τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου, *Lex Peccati atque Mortis* simul dicitur. Ratione dominatus *prioris* non solum homines quicunque ψυχικοὶ, *qui ambulant in lapsibus & peccatis, secundùm seculum hujus mundi, & conversantur in concupiscentiis carnis suæ, facientes voluntates carnis & cogitatuum,* dicuntur *ambulare* κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, *secundum Principem potestatis aëris*, sed & ipse ille dicitur ἐνεργεῖν *operari* quam efficacissimè in *Filiis* illis *inobedientiæ.* Ephes. 2: 1. 2. 3. immò *capti* dicuntur iidem *ab ipso laqueo ipsius ad voluntatem ipsius.* 2. Tim. 2: 26. & ποιεῖν τὰς ἐπιθυμίας αὐτοῦ, *concupiscentias ejus facere.* Joh. 8: 44. Ratione *posterioris* Apostolus cum expressissimis verbis vocat τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου *Illum imperium habentem Mortis.* Hebr. 2: 14. eadem fere ratione, qua & Judæi adsolent ipsum מלאך המות hoc est, *Angelum* nuncupare *Mortis. Utramque* vero ob rationem, quia & ob Lapsum per peccatum & ob peccatum per *Mortem* lugubrem illam atque tenebricosam in hominum genus exercet tyrannidem, hinc Regnum quidem ipsius vocatur ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους, *Potestas* illa *Tenebrarum*; Col. 1: 13. Actor. 26: 18. Ipse vero *abyssi* Rex ceterique ejus σύναρχοι ac satellites appellantur οἱ κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου *illi per totum mundum potestatem tenebrarum hujus seculi obtinentes.* Eph. 6: 12.

§. IX. Haud quaquam vero DEUS decreverat sinere, ut regnum hoc illius Usurpatoris perpetuum foret, ac in universum omnino humanum genus impune grassaretur, sed illum aliquando eo exuturus & ita porro enervaturus ac veluti ad minutum & nihilum redacturus erat, ut, quantacunque vel *astutia* polleat, vel *malitia* turgeat, vel *potestate* ferociat, electis tamen nihil deinceps quidquam magnopere esset nociturus.

§. X. *Caput* enim hocce illius immane à Semine mulieris *conterendum*, hoc est, si vim originariæ spectes vocis, שוף vel שפף, ita tundendum, frangendum & comminuendum erat, ac si fulminis ictu, quod dicitur, esset percussum adeoque dissipatum, ut nusquam quæquam pars ejus illæsa extet atque integra. Nam sane de *contritione* DEI tali, qualis illa propemodum est, quæ vi *turbinis* alicujus procellosi aut horrendæ tempestatis perficitur, Hiobus voce illa utitur, quum c. 9: 17. inquit: אשר בשערה ישופני *Qui in turbine attriturus esset me!* Et alias tam apud Hebræos quam Chaldæos, quibus familiarior etiam est, respondet vocabulis כתת, דכא aliisque ex hoc genere, quæ *atterendi & contundendi comminuendique* significatum habent. Ut mirum sit heic hallucinatos fuisse non *Vulgatum* tantum, sed *Onkelosum & Septuaginta* quoque, qui omnes eam *servandi* vel *observandi* notione acceperunt. Quamquam de posterioribus non improbabilis sit doctorum conjectura, eos pro τηρήσει fortassis olim scripsisse τειρήσει. Nam & codices quosdam ita legere nuper monuimus, & aliàs vocem שוף exprimunt vel per ἐκτρίβειν, *obterere*, qualiter loco Hiobi modo citato, pro quo Paulus habet συντρίβειν, *conterere* Rom. 16: 20. vel per καταπατεῖν, *conculcare*, uti Ps. 139: 11. ubi verba hæc, ואמר אך חשך ישופני, *At dixeram, certè Tenebræ comminuent me*, ita interpretati sunt; καὶ εἶπα, Ἄρα σκότος καταπατήσει με. *Et dixi: Forte caligo conculcabit me.*

§. XI. Cæterum vix dici potest, quam parum ipsa sibi Scriptura in exponenda vi atque emphasi horum verborum videatur satis facere posse, ita illa variis in hac re efficacibusque dicendi modis veluti luxuriat. Nam, ut è multis pauculos delibemus & maximè obvios, quod hic Mosi est, *Caput conterere Serpentis, Psaltes* jam vocat *inimicum abolere & ultorem sui* Ps. 8: 3. mox *prædam agere*, aut *captivam abducere captivitatem* Ps. 68: 19. rursus, *incedere super immani Leone & aspide, ac calcare juvenem Leonem & Draconem* Psal. 91: 13. nec non alio loco, *ponere inimicos* Messiæ, *sui Domini, scabellum pedum ipsius* Ps. 110: 1. *Jesaias* idem jam vocat *visitare gladio magno & duro validoque super ceto serpente impetuoso, & super ceto serpente tortuoso & occidere Draconem, qui est in mari*, cap. 27: 1. mox; *Captivitatem Fortis accipere*, & facere ut *Captivitas violenti evadat.* c. 49: 25. *alias* vero *infirmare vel ad impotentiam redigere* illum, *qui* Servum DEI justum *enervare volebat* c. 53: 10. Dominus *Jesus* eandem innuebat rem, quando jam de *ingressu cujusdam in domum Robusti* loquebatur, *qui vincturus esset illum & tum domum ejus atque vasa direpturus* Matth. 12: 29. Jam *Satanam instar fulguris è cælo cecidisse videbat*, Luc. 10: 18. jam verò *Principem hujus mundi judicatum & foras ejectum* testabatur. Joh. 12: 13. 16: 11. Neque *Johannes* aliud quidquam in mente habuit, quum vel *Filium* DEI eo *manifestum factum ut opera dissolveret Diaboli*, 1 Joh. 3: 8. vel *Draconem illum magnum, Serpentem illum antiquum, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem, in terram*, immo *in stagnum ignis atque sulphuris projectum, & Angelos ejus una cum illo projectos esse*, adfirmavit. Apoc. 12: 9. 20: 10. Atque *Paulus* tandem nulla plane circuitione usus rem omnem nude pleneque expressit, quando partim Romanis promittit, & quibusvis fidelibus, DEUM *pacis contriturum Satanam sub pedes ipsorum citò.* Rom. 16: 20. partim in epistola ad Hebræos auctor est, JESUM *illum carnis atque sanguinis participem factum, ut per mortem aboleret eum, penes quem est robur mortis, hoc est, Diabolum.* c. 2: 14. coll. cum vs. 9.

§. XII. Quidquid autem ejus est, quod his & similibus loquendi formulis portendere DEUS voluit, Serpentis equidem caput conterere & Diabolum jure omni ac potestate nocendi spoliare nemo potest, nisi qui & postulato Legis satisfaciat quàm plenissimè & majore polleat robore, quam quo ille superbit. Nam & jus omne imperii, quod per peccatum in Protoplastos filiosque eorum naturales omnes obtinuit, in Lege fundatum est operum, *maledictum* pronunciante, *quisquis non manserit in omnibus.* Deuter. 27: 26. Gal. 2: 10. & nimis improbum Diaboli est in retinendis *vasis* suis studium, nimis avida cupiditas, quam ut illa temerè, ac antequam à *Fortiore*, hoc est, ab Omnipotente quopiam constringatur & vi adigatur, sibi patiatur eripi. Luc. 11: 21. 22. Postulato porro legis satisfieri, & δικαίωμα ipsius, sive id *quod exigit illa ad justitiam*, jam post admissum peccatum, perfectè *impleri* non potest, nisi ab illo, qui DEUM in omni vita sua *amare* possit *ex toto corde*, ex *tota anima, omnibusque viribus suis & proximum sicut se ipsum*, & illa præterea pati omnia, quæ interminata violatori suo illa est. Quæ enim ab integro constantem quidem illam numerisque omnibus absolutam, at unicam tamen mandatorum suorum omnium stipulata fuit *obedientiam*, nunc illa non contenta à transgressore suo ejusve vade & sponsore *Mortem* præterea efflagitat & consummatissimam dirarum omnium ac ærumnarum, quas quidem complecti horrenda illa Legis *Execratio* potest, exantlationem. Gen. 2: 17. 3: 3.

§. XIII. Jam opus hoc longè maximum & augustissimum, ab uno soloque perficiendum prædicatur *Mulieris Semine*; eodem scilicet ipso, quod jam nunc & deinceps semper capitalem illam adversus Diabolum & Semen illius erat inimicitiam exerciturum. Quod quidem Semen Mulieri promissum quum magis addixerimus argumentis, non solum esse *primarium* illud Christum, sed & *secundarium* quoddam, puta electos Christo datos, utique & hoc ita accipiendum est, ut de *utroque*, licet cum magno discrimine rerum, pro diversissimo Seminis alterutrius ingenio atque indole, dictum esse intelligamus. Nempe, uti nec bellum illud adversus Serpentem & progeniem viperinam eodem modo à semine mulieris utroque geri videbamus, sed aliter à *Sanctificante* illo, à *Sanctificatis* aliter, sic multo magis *Contritio capitis Serpentini* diversimode fuerit adtribuenda utrique, ut, quod illi ἁπλῶς, vi *meriti* sui & *virtute* propria competit, his κατά τι & quatenus cum illo arctissime *per Fidem* conjuncti, unum cum illo corpus mysticum constituunt, quod, uti simul ex Capite constat & ex membris, Apostolus 1. Cor. 12: 12. τὸν Χριστὸν CHRISTUM illum vocare haut veretur, veniat adscribendum.

§. XIV. Neque enim Messiæ solum, sed & *Ecclesiæ* Psalmus primus post nonagesimum vs. 13. *conculcationem* promittit *Leonum Draconumque.* Nam & Discipuli Jesu aliquando cum gaudio erant dicturi: *Domine*, καὶ ἡμῖν τὰ δαιμόνια ὑποτάσσεται, ETIAM NOBIS *dæmones subjiciuntur in nomine tuo.* Luc. 10: 17. Domino nimirum potestatem illam suam liberaliter cum iis communicante, *calcandi serpentes & scorpio-*

scorpiones, & supra omnem vim inimici, ut nihil quidquam eos læsurum sit. vs. 19. Quare neque hoc id est omne, quo Paulus in calce Epistolæ animos erigit Romanorum, quod DEUS *pacis contriturus* esset *Satanam*, sed ceu præcipuum addit, quod cito *eum* esset *contriturus* ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτῶν *sub pedes illorum*, sic ut ab ipsorum quoque pedibus esset conculcandus. Atque hinc Johannes audivit factum, ut quem ὁ Μιχαὴλ *in terram projecit è Cœlo*, κατήγορον τῶν ἀδελφῶν, eundem *fratres devicerint* iidem etiam ipsi, *per sanguinem Agni & per sermonem testimonii sui.* Apoc. 12: 11.

§. XV. Et Christus quidem, magnus ille felixque monstrorum domitor infernalium, ad operis sui plusquam Herculei his veluti gradibus progressurus erat consummationem. (1) *Primò* enim exactissimam *Legis* præstiturus erat *Obedientiam*, non solum justitiam ejus omnem *adimplendo*, sed & *maledictionem* ferendo & *animam suam* ἀντίλυτρον *redemtionis pretium ponendo pro multis*, ὑπήκοος γενόμενος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ, *obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis.* Matth. 3: 15. 5: 17. 20: 28. 1. Timoth. 2: 6. Gal. 3: 13. Phil. 2: 8. Nam διὰ τοῦ θανάτου per MORTEM *aboliturus illum erat, qui potestatem habet mortis* & jure omni vel *accusandi electos* vel *condemnandi* excussurus. Rom. 8: 33, 34. Hebr. 2: 14. *Tum* (2) per *resurrectionem* è mortuis & *adscensionem* in cœlum magis etiam de eo triumphaturus; Tunc enim potissimum αἰχμαλωσίαν ἠχμαλώτευσε *captivitatem captivavit*, quando *in altum adscendit & dona distribuit hominibus.* Eph. 4: 8.

§. XVI. Porro (3) clara publicaque *Evangelii* de Regno gratiæ ac libertatis *prædicatione*, veluti buccina aliqua clangente classicum canturus, & in Castra *Violenti* illius irruptione facta *turbam captivam* ubique suam ei *ablaturus*, *aperiendo* paulatim *oculos gentium*, & *convertendo eas à tenebris ad lucem & à potestate Satanæ* ad DEUM Marc. 3: 27. Actor. 26: 18. *Cathedram* quoque (4) *Mosaicam* & Judaicam rempublicam, ex qua & per quam in Ecclesiam ille dominabatur, eversurus, *Draconemque è cœlo projecturus*, eaque omnia gesturus erat, quæ D. Johannes à se visa commemorat Apoc. 12: 7. & seqq.

§. XVII. Præterea (5) *Imperium Romanum* ad fidem Christianam *conversurus*, atque adeo, *Serpentem* illum *priscum prehensurus, magnaque catena vincturus & in abyssum conjecturus; ne seduceret amplius gentes, donec finirentur anni mille.* Apoc. 20: 1. 2. 3. (6) *Bestiam* etiam Apocalypticam, cui Draco solio decedens dederat potentiam suam, hoc est, *Regnum Antichristianum* cum *oppugnaturus* tum *destructurus.* Quo facto & *exercitibus Gogi & Magogi ab igne* à DEO *è cœlo descendente devoratis, Diabolus* nempe, *qui seducebat eos*, conjicietur in *stagnum ignis & sulphuris, ubi Bestia & Pseudopropheta, & cruciabuntur die ac nocte* vs. 9, 10.

§. XVIII. Nec non (7) tum populum veterem suum *Israël*, tum *regna mundi* omnia cum Ecclesia combinaturus sibique uni subjecturus; quo quidem temporis articulo, *destructis destructoribus terræ, serpentis cibus* merus solusque *erit pulvis*; neque ille vel per semetipsum, vel per semen suum *amplius nocere, nedum* quidquam *perdere* poterit *in omni monte Sancto Jehovæ.* Apoc. 11: 18. Jes. 65: 25. Tandem vero (8) in mortuorum *resurrectione*, tanquam absolutus hostium *omnium suorum*, etiam *Ultimi*, *Mortis*, *in scabellum pedum suorum positorum* Victor atque Triumphator אחרון על עפר יקום *postremus super pulverem stabit*, Ps. 110: 1. 1. Cor. 15: 25, 26. Hiob. 19: 24. & nihil Diabolo potestatis vel in reprobos reliquum faciet, sed eum una cum illis & maledictis omnibus *Angelis* suis in *ignem æternum* conjiciet, Matth. 25: 41. quam ab initio rerum verbis tam magnificis prædixerat, in fine earum opere longe magnificentiore exhibiturus & perfecturus, Capitis serpentini contritionem.

§. XIX. Sed Dominum JESUM, *fidei suæ Ducem & consummatorem*, quamquam non passibus æquis, sequitur quoque cetera cohors Christianorum, una cum ipso unum illud *mulieris semen* constituentium, idque circa *eversionem imperii Diabolici* suo, hoc est, aliquali modo agentium, quod ille suo, hoc est longe absolutissimo peregerat. Nempe *conterunt* illi *Diabolo caput* (a) conjungendo se cum Christo per Fidem & apprehendendo suamque faciendo justitiam ipsius consummatissimam, quo fit ut statim ille jure suo excidat eos & excusandi & condemnandi. Nam *nulla jam est condemnatio in iis qui in Christo Jesu sunt, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu eos liberavit à lege peccati & mortis;* DEO *Filium suum mittente* ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, καὶ περὶ ἁμαρτίας, *in similitudine carnis peccati*, & quidem *pro peccato, sicque condemnante peccatum in carne, ut legis jus atque postulatum*, τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου, *in iis impleretur.* Rom. 8: 1. 4. Quare quoque hoc fundamento nixi provocare audent *Accusatorem* suum, eique non sine gravi insultatione veluti exprobrare hanc impotentiam suam; Τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν Θεοῦ; τίς ὁ κατακρίνων; *Quis accusationem intentabit electis* DEI? *quis est, qui condemnet?* vs. 34, 35.

§. XX. (b) Non jam amplius *secundum principem, cui potestas est aëris, ambulando*, sed impotens Tyranni imperium detrectando, & peccata, hoc est, τὰ ἔργα τοῦ Διαβόλου *opera Diaboli* 1. Joh. 3: 8. in animis suis dissolvendo & destruendo, *purificantes semet ipsos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, sanctitatemque suam perficientes in timore* DEI. 2. Cor. 7. 1. *Quisquis enim ex* DEO *genitus est, præservat se ipsum*, καὶ ὁ πονηρὸς οὐχ ἅπτεται αὐτοῦ, *atque sic Improbus ille non attingit illum* 1 Joh. 5: 18.

§. XXI. (c) Quin etiam ipsam quandoque Violenti arcem invadendo, ceu decet subditos illius *regni*, quod cum ipsum βιάζεται, *vim facit*, tum à solis βιασταῖς *vim facientibus rapitur* Matth. 11: 12. Illiusque *vincti à potentiore* ac ita constricti, ut, quidquid frendeat, quidquid ringatur, ne impedire quidem illos possit, *vasa* atque supellectilem *diripiendo, induti* τὰ ὅπλα τοῦ φωτός *arma lucis.* Rom. 13: 12. & vi tum salutaris doctrinæ tum sanctæ & inculpatæ conversationis suæ multorum in tenebris sedentium oculos illuminantes, & *alios quidem disceptando redarguentes* (vel, *aliorum quidem commiserati, discrimine facto*, uti vulgo legitur), *alios autem in timore servantes, ac* veluti titiones semicombustos ex *igne rapientes.* Ep. Jud. vs. 22, 23.

§. XXII. (d) Credendo Vaticinia prophetica, quæ hæc Diabolo & Semini ejus fata præcecinerunt, eaque cum opere utcunque suo, tum precibus præsertim promovendo & maturando. Quemadmodum enim *cum vicerunt sermone testimonii sui*, ac ex imperio reipublicæ Judaicæ ejecerunt, *dicentes Monti isti; Tollitor & projicitor in mare, atque sic factum* fuit; Matth. 21: 21. ita non minus hisce modis dici poterunt, eum in *Dracone & Bestia* Apocalypticis confecisse, quem *Agnus* in iis partim adhuc confecit, partim confecturus porro est.

§. XXIII. (e) Resurgendo denique è pulvere mortis, & capita sua sublimia in cœlum inferendo, quando reliquiis quibusvis & peccati & mortis penitus abolitis plane pleneque implebitur ingens illud verbum: κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. *Absorpta est* MORS *in victoriam*; & ex ore piorum jam æthera calcantium, Satanamque & Mortem & omnes hostes suos sub pedibus videntium, quemadmodum Israëlitæ quondam ex litore pereuntes videbant Ægyptios, lætissima ἐπινίκια isthac atque jubila sempiterna audientur: *Ubi tuus ô* MORS *stimulus? Ubi tua*, ô INFERNE *victoria? At stimulus mortis* PECCATUM; *Et potentia peccati* Mors. *Gratia vero* DEO, *danti* NOBIS *victoriam per* DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM 1. Cor. 15: 54, 55, 56, 57.

§. XXIV. Et vero luculentissimum potentiæ istius cum à se tum à suis in Diabolum exercendæ specimen exhibebat Christus, quum & ipse unius imperio verbi, quotiescunque id animo adlubescebat suo, infensos spiritus miserorum corporibus exegit, quæ velut belli jure capta crudelis victor invaserat, & discipulis suis idem patrandi plenissimam concessit facultatem. Nam sapiente DEI permissu nunquam major videtur vexatorum à dæmonibus & atrocissimis modis habitorum in Israële fuisse copia, quam cum DEI Filius humanam subierat sortem, ut scilicet & populus disceret Sospitatorem suum votis expetere tanto calidioribus, & ipse copiam haberet prolixius demonstrandi, se esse *potentem* illum tantoque temporis intervallo *ab universo dodecaphylo nocte dieque* tanta cum ἐκτενείᾳ expectatum *capitis Serpentini Contritorem*, qui hominum advenisset animabus sanguinis sui ære atque libra liberandis, è quorum jam corporibus velut ex arce infessa hostem tam formidolosum solo jussu nutuque voluntatis suæ dejiciebat.

§. XXV. Quodque χάρισμα Apostolis fuerat impertitus, idem etiam compluribus post excessum eorum seculis viguit in Ecclesia & exercitum fuit, non tantum ab *Antoniis, Hilarionibus, Arsaciis, Macariis, Gregoriis Thaumaturgis* similibusque rei Christianæ viris proceribus, sed & *plebejis, thurariis, militibus* & παιδίοις denique ἐν Χριστῷ, uti ille loquitur, quisquis est, qui sub *Athanasii* nomine de *Passione & Cruce dominica* commentatus est. Cujus quidem rei & exempla memorabilia & testimonia idonea magno numero extant non solum in *Justini* M. cum Tryphone colloquio, *Tertul-*

Tertulliani Apologia, *Origenis* adversus Celsum & *Cypriani* contra Demetrianum scriptis, *Minutii Felicis* Octavio & *Lactantii* divinis institutionibus, sed & apud ætatis ulterioris Scriptores quam plurimos, haut ita pridem quoque citata & non sine delectu quodam velut in cumulum congesta à Viro Cl. *Tobia Pfannero*, in erudita de *Miraculosis Ecclesiæ antiquæ donis* Diatribe, Cap. 2. §. 8. & seq.

§. XXVI. Quam quoque in rem propterea viri quidam magni nominis verba illa Apostoli 1. Cor. 6: 2, 3. accipienda existimant, quum prædicit *futurum ut Sancti*, hoc est Christiani, non solum *Mundum*, quod scilicet tum factum est, quum Christiani sub Constantino M. rerum potiebantur, magistratus facti atque Judices, sed & *Angelos*, nempe malos, *judicaturi* sint, quod accidebat sane, quum precibus suis atque vigiliis dæmonas obsessorum corporibus expellebant, vi promissionis illius dominicæ: ἐν τῷ ὀνόματί μου δαιμόνια ἐκβαλοῦσι. *in nomine meo Dæmonas ejicient.* Marc. 16: 17.

§. XXVII. Atque uti hæc jam geniorum malorum è corporibus ejectio illustre fuit argumentum summæ potestatis circa expulsionem eorundem ex animis hominum usurpandæ, ita dubium mihi non est, ejusdem symbolum quoddam & pignus certissimum Discipulos in dono illo miraculoso *altero* possedisse, serpentes *veros* atque scorpios veneno suo exuendi & sine damno eorum capita confringendi, quod Dominus apud Marcum cum priore connectit, quando ait vs. 16. Ὄφεις ἀροῦσι *Tollent serpentes*, manibus scilicet suis & citra noxam ullam, uti *Arabs* addidit, quandoquidem & in altero consequitur membro: *Et si quid lethale biberint*, οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψει, *nequaquam id eis nocebit.* Cui loco plane videtur gemellus ille apud Lucam C. 10: 19. *Ecce do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, & supra omnem vim Inimici, & nihil vos lædet.* Quamquam enim hic veterum quidam solos intellexerint dæmonas, eosque *Theophylactus* ita distinguat, ut qui in eorum genere palam percutiunt, habeat pro *Serpentibus*, qui occultius pro *scorpiis*, malumus tamen cum *Tertulliano*, *figurate per colubros & scorpios* ita *spiritalia portendi malitiæ*, ut *salva* quoque *maneat sensus scripturæ simplicitas, quo ipsæ bestiæ intelliguntur.* Nec sine causa Christus Angues atque scorpiones, & si quæ alia sunt ex hoc genere, putandus est vocasse τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ, *Vim Inimici illius.* Quemadmodum enim carnifici instrumenta, quibus reos torquere solet, ita *Diabolo mortis imperium obtinenti* lethalia omnia aliquo modo inservire, rectissime vir summus observavit, *Samuël Bochartus.*

§. XXVIII. Et vero, quidquid hic Christus pollicitus suis est, ad literam quoque impletum fuisse, vel ex ipso Apostolo Paulo patet, *viperam, quæ se manui ipsius illigaverat* (ita enim rectius vertitur vox καθῆψεν, monente Stephano) *in ignem excussit, ut nihil plane* κακὸν ἢ ἄτοπον *pateretur*, mirantibus & stupentibus Barbaris Act. 28: 3-7. Neque virtutem hanc cum Apostolis extinctam fuisse, sed suo, hoc est, tertio etiam seculo etiamnum in Christianis viguisse, ita ut *Ethnicis ea etiam sæpe subvenerint*, *donati* à DEO *ea potestate, quam Apostolus dedicavit, quum morsum viperæ sprevit*, *Tertullianus* in Scorpiaco auctor est.

CAPUT OCTAVUM.

De Adflictionibus Seminis mulieris.

SUMMARIUM.

Reliquorum verborum cum superioribus nexus. §. 1. *&* partitio. §. 2. *Usus vocis* עקב *cum* proprius, *tum* metaphoricus §. 3. *Non accipienda* adverbialiter, *quod ab* Onkeloso *factum.* §. 4. Ainsworthus *metonymicè pro* vestigiis *accepit*, *intelligens* vias *Christi* §. 5. *Vox hîc sensu* figurato *cum* corpus, §. 6. *tum* humanam naturam, §. 7. *at* literali *pedis* calcaneum *notat.* §. 8. *Quid ejus significet* contritio. §. 9. *Ea inferenda semini mulieris* utrique. §. 10. *In* Christo *notat* (*a*) quasvis adflictiones corporis. §. 11, 12. (*b*) dolores animæ. §. 13. (*c*) Mortem. §. 14. *At vel inprimis & sensu proprio* (*d*) supplicium crucis. §. 15, 16. *Quod hîc prædictum esse multifariam* confirmatur. §. 17, 18. Idem *de* Christi fidelibus *per* eadem *pæne* rerum genera *declaratur.* §. 19, 20. *Utcunque autem hæc plaga magna est*, tantam *non esse*, *ac* illam serpentis, *ex* triplici *discrimine, evincitur.* §. 21-23. *Imò eam ipsam subinnuere* victoriam ac resurrectionem, *non solum* Christi, §. 24. *Sed &* piorum *ipsi datorum.* §. 25. Caussa efficiens *plagæ* Serpens *est una cum suo* semine. §. 26. *Satanæ instinctu &* Christus *pleraque passus est.* §. 27. *inprimis in Horto* Getsemaneh. §. 28, 29. *& dira sua* Christiani *patiuntur.* §. 30. *Sunt autem verba* DEI *non* præcipientis, *vel* suadentis, *sed* judicantis, *&* denuntiantis, *quid semen* utrumque *Mulieris perpetiendum habeat.* §. 31--33. *Satanæ exitium nexu indissolubili cum* vulnere seminis *Mulieris conjunctum est.* §. 34. *tam* Benedicentis. §. 35. *quàm* benedicti. §. 36. *Ex copulativa*, *qua hæ plagæ serpentis & seminis Mulieris junguntur*, *aliquid de* Tempore *quoque &* occasione *rei gerendæ potest conjici.* §. 37.

§. I. Atque sic quidem totale imperii Diabolici excidium, quantum nostri fert instituti ratio, in illa Capitis colubrini contritione contemplati sumus. Cave autem putes, inultum mori ac regno suo cedere vel voluisse illum, qui totiens in Scripturis *Ultor* audit *suimet ipsius*, vel potuisse, cui *peccatum*, quod κέντρον τοῦ θανάτου *stimulus* est *mortis*, & per peccatum *Lex*, quæ δύναμις τῆς ἁμαρτίας *vis peccati est*, 1. Cor. 15: 56. tantum in hominem juris contulerat atque potestatis. Immo vero, uti Serpens animal calcaneum sui calcatoris virulentis vexat morsibus, ita & antiquus Draco non ex lubidine tantum animi vindictæ cupidissimi, sed & justissima Judicis hoc decernentis sententia, contritori suo, si non letale prorsus, at grave saltem & non sine maximis doloribus coiturum vulnus inflicturus erat. Sic enim docemur à Moyse, Dominum DEUM porro fuisse locutum: ואתה תשופנו עקב *Atque tu*, ô serpens, *conteres illud*, mulieris semen, quoad *calcaneum.*

§. II. Quorum verborum vim ut rite capiamus, primo quidem *plagam* ipsam, tum personas, *quibus* ea destinatur, post hæc eum, *à quo* ea inferenda illis est, & quarto denique loco *nexum* contuebimur longe arctissimum, qui inter hanc læsionem calcanei & memoratam intercedit capitis serpentini conculcationem.

§. III. Plaga futura est non equidem *capitis*, ut in Serpente contigerat seductore, sed *plantæ* pedis sive *calcanei* duntaxat, hoc est, partis inferioris & posticæ in pede, cui homo erectus ac incedens potissimum innititur. Hanc enim primo atque proprie significat vox Hebraïca עקב. Unde nomen Patris XII. tribuum Israëliticarum dictum fuit יעקב *Jaacob*, quia scilicet jamjam nasciturus prehendebat manu בעקב *calcaneum* Esavi ex utero matris proditurі. Genes. 25: 26. Confer C. 49: 17, 19. Ps. 41: 10. Sed, quoniam Calcaneum pars non pedis solum, sed corporis totius humani postrema est, hinc usu venit, ut non minus apud Hebræos עקב, quam *Calx* apud Romanos, pro *fine* accipiatur vel rei *extremitate*, ut Jos. 8: 13. Ps. 40: 16. immo & adverbialiter interdum tantundem significet ac *in finem usque*, sive *extremo & semper.* Ut Ps. 119: 33, 112.

§. IV. Quo sane sensu metaphorico *Onkelosus* sumsisse videtur, ita exponens huncce locum: *Ipse*, filius mulieris, *memor tibi erit* (ac si Germanice dicas: **Er wird dir das gedencken**) *quod fecisti ei* מלקדמין *olim* sive à *principio*, *ab antiquo. Et tu*, O Serpens, *observabis eum* לסופא *ad finem.* Sive jam, quæ Pauli *Fagii* adnotatio est, hoc sibi voluerit Chaldæus, inimicitiam & persecutionem Satanæ adversus Christum & membra ipsius *perpetuam fore*, nec nisi *cum fine desituram seculi*, sive intellexerit de *fine* illo dierum, quo Christus in mundum venit, à Sathana & instrumentis ejus exagitandus & in crucem agendus. Quos quidem dies veteris Oeconomiæ jam exspirantis Apostolus quoque τὸ ἔσχατον τῶν ἡμερῶν τούτων, uti Jesaïas C. 2: 2. אחרית הימים *extremum dierum horum*, & τὰ τέλη τῶν αἰώνων *fines seculorum* nuncupat. Heb. 1: 1. 1. Cor. 10: 11. At vero, sicut vocula ראש in commate superiore, ubi pœna dictabatur Diaboli, non *temporis* aliquod *principium*, sed *caput* ipsum Serpentis denotabat, ita & nunc in denuntiatione ejus, quod Semen mulieris pati

à Ser-

à Serpente debet, vocem עקב, quæ *capiti* ex diametro opponitur, non *finem* aliquem temporis, aut adverbialiter *durationem* quantumvis longam, sed *calcem pedis* denotare manifestissimum est.

§. V. Est & ubi עקבים vel עקבות metonymice pro *vestigiis* sumuntur, quæ homines & animalia, quum ambulant, plantis pedum suis atque calcibus in arena vel nivibus exprimunt, & hinc porro ipsas quandoque *vias*, quibus itur, ac per has *consilia & acta* tam DEI quam hominum denotant, ceu ex Ps. 49: 6. 77: 20. Cant. 1: 8. aliisque constat locis. Quod quidem Henricus *Ainsworthus* in mente habuit, quando ait, *per calcaneum vel pedem contritum Dominum intelligere* VIAS *Christi, quas Satanas per adflictiones supprimere sit conaturus.* Qui quoque loca illa Scripturæ, quibus *calces*, hoc est, *vias* Christi & Ecclesiæ legimus hostili animo ab improbis cum *observatas* tum *blasphematas*; ut Psalm. 56: 7. & 89: 52. existimat peculiarem quendam ad hanc prophetiam nostram habuisse respectum. Recte vero habet, quod raræ vir eruditionis in hoc sibi sensu, quem neque nos plane spernimus, non putavit subsistendum, sed & *mortem Christi* scribit *pro nostris peccatis hic esse prædictam*, citans in hanc rem atque conferens Ps. 22: 17. 2. Cor. 13: 4. 1. Pet. 3: 8.

§. VI. Ut ergo verba sensum fundant quam plenissimum, nobis quidem *primò* videtur, calcaneum, qui bona corporis pars est, per Synecdochen quandam pro *corpore* toto sive *carne* poni. Sic sæpe videas Prophetas, quum illud ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον τῆς εὐσεβείας, *extra controversiam magnum Mysterium pietatis*, DEUM in CARNE *manifestatum* ejusque passiones pandunt, loco *corporis* totius præcipuos ei quosvis humanos *artus*, ut *pedem*, *linguam*, *dorsum*, *os*, *maxillam*, *faciem*, *cor* attribuere. Deut. 33: 3. Jes. 50: 4, 5, 6. 53: 7. Mich. 5: 1. Ps. 22: 15. Unde Paulus in epistola ad Hebr. cap. 10: 5. versionem secutus τῶν LXX. ex Ps. 40: 7. recte infert *DEUM CORPUS adaptasse Christo*, quum tamen AURIUM duntaxat, quas Jehovah esset *perforaturus*, facta ibi fuerit mentio.

§. VII. *Secundò*, quum jam porro isthoc loco Pauli *corpus* & aliis *caro* per novam Synecdochen pro tota accipiatur *natura humana*, uti Joh. 1: 14. 1. Tim. 3: 16. 1. Pet. 4: 1. Rom. 1: 3. 9: 5. hic quoque calcaneum sic arbitramur totum denotare *corpus*, ut simul integram complectatur *hominis naturam*, quæ ex corpore & *anima* constat rationali.

§. VIII. Sed neque *tertiò* à litera temere discedendum, sed potius eam premendam ac cum cura dispiciendum putamus, annon semini mulieris, prout in corpore & secundum naturam totam, ita vel in ipsis *plantis atque calcibus pedum* quidquam contigerit, quod nomine *contritionis calcanei* venire, & per eam adeo heic prædictum esse videri possit.

§. IX. Utitur autem Scriptor Sacer, quum *vulnus calcanei* indicat in semine mulieris, eadem plane voce, qua usus fuerat antea, ubi plagam indicavit *capitis* colubrini. Ejus vim atque potestatem Cap. VII. §. 10. expendimus. Quam si hoc quoque loco urgere libeat, uti sane, quantum rei & circumstantiarum natura permittit, urgenda illa est, nihil jam profecto levius, quam adflictio permagna & vulnus non grave tantum valdeque dolorificum, sed & suo quodam modo *letale* & cum vacillatione *lapsuque* corporis conjunctum, quale fere illud esse solet, quo serpens irritatus pedem violet sui colluctatoris, heic significabitur.

§. X. Vulnus vero illud, quantumcunque est, inferendum *universo* Semini mulieris est. Nam *Tu*, inquit Deus ad Serpentem, תשופנו *percuties* ILLUD *quoad calcem*, illud scilicet ipsummet Semen mulieris, quod tuo Semini jam nunc à me oppositum, tuumque aliquando caput plane contriturum est. Quod ceu *duplex* esse vidimus cum *primarium* tum *secundarium*, à quo pro conditione utriusque diversa diversimode Serpentis conteritur caput, ita hic quoque neutrum à nobis excludendum, sed quanta malorum & calamitatum ilias & *Christo*, qui est ὁ ἁγιάζων, *Sanctificans ille*, & *Ecclesiæ* τῶν ἁγιαζομένων *illorum qui sanctificantur*, ex hoc oraculo impendeat, ostendendum est.

§. XI. Atque in illo quidem, qui Seminis totius Dux & Ἄλφα est, hæc *contritio* sive contusio *calcanei primo passiones* quasvis *corporis*, *deinde dolores* atque cruciatus ipsius *animæ*, *tum* vero *mortem* ipsam corporis, mortem autem *quarto* non quamvis, sed horribilem illam & maledictam, τὸ θάνατον σταυροῦ *mortem crucis* significat.

§. XII. Quid enim? (a) Si constat, *calcem pedis* tropo commodo atque eleganti non id, quod veluti *caput* & summum in Sospitatore, divinitatem puta pati morique nesciam, sed id quod infimum est, nempe *corpus*, quod non ἄνωθεν *superne*, sed ἐκ τῆς γῆς *ex terra* est, & quo terram contingebat, quam proxime, denotare posse, quis negaverit, tum ergo certe *calcaneum ejus* vi hujus præsagii *contritum* fuisse, quum corpus ejus castissimum & tenerrimum vinculis pressum, stimulis compunctum, flagris scissum, fustibus contusum, alapis cæsum, lancea perfossum & mille modis aliis pollutum, violatum ac dilaceratum est?

§. XIII. (b) Si autem meminerimus, calcaneum porro hic non pro corpore cujusquam *bruti*, quod animo destitutum sit rectore, sed *hominis* venire, quod cum *mente* conjunctum est intelligente, quæ quidquid corpori ægre fit, id omne ob vinculum conjunctionis arctissimum quam intime ac vividissime persentiscit, quis non agnoverit, luctas quoque omnes huc pertinere & tentationes opprobriaque & pavores tristitiasque ineffabiles, quibus anima ejus & sapientissima & Sanctissima divexata & ἕως θανάτου *usque ad mortem* exagitata fuit?

§. XIV. (c) Jam, quam vix fieri soleat aliter, quam ut homo, cujus calcaneus ab angue percussus venenato est, mortiferum sentiat ictum, retroque lapsus *dejiciatur* humi, heic ergo etiam *mortem* Messiæ qua corpus ejus antea erectum *cecidit* & נבלה, πτῶμα, *cadaver* factum & in pulverem sepulcri abjectum est, consignificatam esse, nemo τῶν εἰδότων τὰς γραφὰς facile iverit inficias.

§. XV. Quemadmodum hæc vero omnia ex acceptione tropica vocis עקב sponte sua profluunt, ita & præterea, (d) si notionem nativam & literalem urgeas paulo pressius, *genus* ipsum *supplicii*, quod veteribus pro supremo habitum est, heic designatum esse, *crucifixionem* scilicet Messiæ, nullo quoquam jure videtur ambigi posse. Est enim hoc extremæ huic pœnæ veluti proprium, ut qui ea afficiuntur & ex infami pendent ligno, iis æque *pedes* ac manus tum restibus adstringantur, tum clavis transfigantur ferreis. Unde *Artemidorus* libro 2. Oneirocrit. c. 58. dixit, *crucem* ἐκ ξύλων καὶ ἥλων *ex linguis & clavis confectam esse*, & ipsa crucifixio Græcis passim προσήλωσις dicta est, quasi tu voces *clavifixionem.* Certe manuum pedumque perfossionem *Tertullianus* in libro adversus Judæos C. X. diserte vocat *propriam atrocitatem crucis.* Sive jam veteres infelicibus crucis Candidatis pedes ambos sibi mutuo impositos & complicatos clavo uno magno perterebraverint, sive per singulos pedes singulos quoque adegerint clavos. Quod quidem posterius plerumque factum vel ex illis *Plauti* colligas, quæ Tranio ait Mostell. Act. 2. sc. 1. vs. 12, 13.

Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit,
Sed ea lege, ut affigantur bis pedes, *bis brachia.*

Quamquam novam atque aliam horum verborum explicationem attulerit *Lipsius* Lib. 2. de Cruce. C. 9.

§. XVI. Quum ergo in crucifixione Christi ex more omnia vulgari peracta procul dubio sint, quis negabit plantas quoque pedum ejus clavis ferratis transverberatas esse? præsertim, quum & post resurrectionem Thomas *viderit in manibus ejus* τὸν τύπον τῶν ἥλων, *vestigium clavorum & immiserit digitum suum in vestigium clavorum*, teste Johanne Evangelista, C. 20: vs. 25, 27. De numero quidem clavorum Dominicorum Auctores dissident, aliis *ternos*, ut *Nonno*, & Scriptore *Christi patientis*, qui *Nazianzenus* vel *Apollinaris* esse creditur, *aliis quaternos* suggerentibus, ut præter binos in palmis, bini etiam fuerint in plantis, quod non tantum *Gregorio Turonensi*, sed & *Cypriano*, sive quisquis auctor est *sermonis de Passione* atque aliis visum est, quos *Cornelius Curtius* C. 4. *de clavis Domin.* citat. At in eo propemodum consentiunt, æque pedes Domini atque manus tam *ad actorum clavorum vulnera*, quod *Hilarius* ait, quam *colligantium funium violenta vincula* sensisse. Ut omnino, quod *Nonnus* cecinit, servator fuerit

Καὶ ποσὶ καὶ παλάμῃσι σιδήρεα κέντρα κομίζων.
Et pedibus manibusque ferens stimulos ferratos.

Quo & oraculum facit Apollinis Milesii, qui consultus, utrumne Deus fuerit Christus, an homo, non tantum hoc respondit:

Θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα, σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις.
Mortalis erat secundum carnem, sapiens portentosis operibus.

Sed & istuc addidit inter alia:

Γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν.

Quod est ex versione *Lipsii*: *CLAVISque & palis mortem exantlavit acerbam*, allegante *Lactantio Firmiano*, de vera Sapientia Lib. IV. cap. 13.

§. XVII. Quæ quum taliter se habeant, nec negari possit calca-

calcaneum alicujus tum vere *contritum* dici posse, quando clavi ingentes & præduri, quales erant cruciarii, per pedes adiguntur, cur ergo non fateamur *crucifixionem* Messiæ ibi prædictam evidenter, ubi *calcaneum conteri* debere *Seminis mulieris* audivimus? Certe, si recte interpretes eam in *transfixione*, de qua in genere *Zacharias* cap. 12: v. 10. & *perfossione manuum pedumque*, de qua speciatim *David* loquitur Ps. 22: vers. 18. sibi visi sunt reperisse, nihil video caussæ, cur non eam deinceps in hac quoque *contritione calcanei*, de qua vaticinatus *Moses* est, agnoscamus.

§. XVIII. Immo multum mihi videor videre caussæ, cur agnoscere omnino debeamus. Nam & verba Mosis non minus existunt apta ad eam significandam, quam vel Zachariæ vel Vatis regii, & verba horum talia sunt, ut ad illa Mosis, Magistri sui *in tota domo* DEI *fidelis* εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων *ad testificandam ea, quæ postmodum dicenda erant.* Heb. 3: 5. videantur respexisse. Neque non multum istuc quidem ad commendationem videtur facere cum bonitatis tum omniscientiæ Dei, ubi rem, in qua *Paulus* ad Galatas c. 3. 13. tantum monstrat esse situm momenti & solatii, quæque olim non auribus solum, sed & oculis fidelium in tot vaticiniis & simulacris figurarum objiciebatur, vel ipsis protoplastis inde à rerum exordio & quadraginta pene seculis ante, quam existeret, revelavisse comperiatur.

§. XIX. Sic de contritione calcanei, quatenus *Christum* concernit, qui Semen mulieris *primarium* est, egimus. Nunc de ea, quæ ad fideles Christoque datos spectat, qui Semen mulieris sunt *Secundarium*, videndum itidem est. Quum enim & illos ostenderimus pro virium suarum modulo in eo esse totos, ut caput Serpentis magis indies magisque comminuant, eos ille ex cruenta hac pugna liberos & calcaneo incolumi exire nequaquam sinet. Æquumque videtur, ut qui victoriam participant, laborum quoque & dolorum, quibus illa paratur, suo quodam modo fiant participes. Quare neque hic quidquam mitius cogitandum est, quam & eos, si non ex omni sui parte, saltem secundum ignobiliorem, qua humum calcant, hoc est secundum *carnem*, mille modis exagitandos & discruciandos esse.

§. XX. Nempe hic quoque *contritionem calcanei* percommode isthæc posse sequentia significare existimandum est. *Primo* quidem quasvis vitæ humanæ miserias & *corporis cruciatus*, afflictionesque & persecutiones, quas *in mundo habent*, & *per quas intrandum est in regnum cœlorum.* Joh. 16: 31. Act. 14: 22. *Tum* tentationes tribulationesque *animæ* ac πρὸς τὴν ἁμαρτίαν μέχρις αἵματος ἀνταγωνισμοὺς, *adversus peccatum usque ad sanguinem certamina.* Heb. 12: 4. *Tertio* vero *mortem* ipsam corporalem, qua ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους *terrestris nostra domus tabernaculi dissolvitur.* 2 Cor. 5: 1. Mortem autem *quarto* non quamvis, sed acerbam sæpenumero & *violentam* maximisque cum doloribus conjunctam, qualis plerorumque fuit Martyrum, qui, dum *vincerent Draconem illum magnum per sanguinem agni & per sermonem testimonii sui,* οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρι θανάτου *non dilexerunt vitam suam usque ad mortem,* Apoc. 12: 11. Ut adeo tum Ecclesia Christi universa, tum fidelis singulariter unusquisque, qui quidem semet sperat ad semen pertinere promissionis, in hisce sibi verbis tanquam in pictura quadam quam clarissime possit prædictum intueri, τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ *reliquias afflictionum Christi in carne sua implendas,* Col. 1: 24. &, si *regnare cum illo* aliquando velit, sibi etiam cum illo esse *tolerandum.* 2 Tim. 2: 12.

§. XXI. Qualis autem & quantacunque isthæc plaga est, qua universum Semen mulieris adfligi à Serpente debet, talis certe ac tanta per omnia non est, ac illam fuisse vidimus, qua Serpentem percussurum erat Semen benedictum mulieris. *Primo* enim non *caput* dicitur Semini mulieris conterendum esse, aut cor viscusve aliud è nobilioribus, in quo vitæ sit officina, sed *pes*, neque ille integer, sed *calcaneus*, qui tantum pars pedis infima & postrema est. Et, quanquam *secundo* hic vulnus calcanei eadem exprimatur voce, qua illic plaga capitis indicata est, eam tamen heic eadem omnino emphasi accipi non posse, qua accipiebamus antea, liquidum satis est. Nam, quum *Caput* devicti Serpentis & *pes* sive calx Seminis Victoris hic opponantur tanquam partes utrinque læsæ, vulnus ergo calcanei Semini mulieris æque à *Capite* Serpentis, ac plaga capitis Serpenti à pede sive *Calce* Seminis mulieris imminere intelligitur. Jam autem *pedis* quidem certe humani est, *Caput* Serpentis infra se in arena herbave latentis aut super ventrem reptantis calcare & conculcando obterere; at *Capitis* Serpentini non est nisi sibilos exsufflare venenatos & ferire, pungere, mordere, neque adeo tam conculcare & *conterere*, quam summùm *atterere*, hoc est lædere & violare *pedem* supra se erecti hominis.

§. XXII. Vidit hoc cum aliis beatus quoque *Lutherus*, quare verbum repetitum in textu Hebraico non eadem expressit voce vernacula, sed, quum comma prius, הוא ישופך ראש sensu reddidisset pleno atque efficaci: **Derselbe soll dir den Kopff zertretten:** hoc comma præsens, ואתה תשופנו עקב sensu quidem rei percongruo at leniori vertit: **Du wirst ihn in die Fersen stechen.** Neque hic quidquam, quod vel novum vel minus rectum sit, fecisse putandus est. Est enim hoc sane scriptoribus sacris perfamiliare, ut verbum eodem iteratum loco non in eadem perpetuo ἐνεργείᾳ significationis, sed sensu alio atque alio accipiant, qualiter ex Gen. 3: 19. 1 Sam. 17: 23. Matth. 8: 22. Joh. 4: 35. pluribusque id genus locis à Petro *Picherello* & aliis, collectis nemini non potest manifestum esse.

§. XXIII. Accedit *tertio*, quod neque *calcaneorum* sed *calcanei* tantum in numero *singulari* fiat mentio. Homo enim, si duntaxat ex altero pede ob vulnus acceptum claudicat, alteri utique porro insistere, ac non se solum ex sinuosis voluminum flexibus expedire, quibus eum serpens involvere conatur & implicare, sed & cœptam persequi victoriam & ultimos letaliter sauciati conatus opprimere potest.

§. XXIV. Haut itaque obscure subinnuitur, neque hasce passiones & mortes *perpetuas* fore vel *exitiabiles*, sed duraturas tantum מעט βραχύ τι *pauxillo tempore*, Ps. 8: 6. Heb. 2: 7. & Semen utrumque mulieris de suo veluti gradu dejiciendum & humi prosternendum non aliter esse, quam ut mox rursus instauratis *exsurgat* viribus & se consummatam de Serpente Victoriam reportasse coram toto mundo patefaciat. Sic (1) *Christi* sane *anima in sepulcro relinqui, & Sanctus ille Jehovæ, ut corruptionem videret, dari non potuit.* Psalm. 16: 10. Quia enim *Goël* est, non in ferali hoc prælio succumbere, sed אחרון *postremus supra pulverem*, tanquam debellator & triumphator ejus, *stare* debuit. Job. 19: 25. Nam *fieri non poterat, ut*, qui princeps est vitæ, *à doloribus retineretur mortis*; Act. 2: 24. Sed, prout morti *fuit traditus propter offensas nostras*, ita *exsuscitandus erat propter justificationem nostram.* Rom. 4: 25. Ut res secus ceciderit, ac osores ejus putarant, qui ex Ps. 41: 9. *una omnes contra eum susurrabant:* דבר בליעל יצוק בו: *Verbum* (sive res) *Belialis fixum est in eo: & postquam cubuit, non addet amplius surgere.*

§. XXV. Nec (2) de piis & *fidelibus*, qui cum Christo ceu capite tanquam corpus ejus mysticum conjuncti sunt, quum *calcem* tantum eorum, non pectus caputve audimus *contritum iri*, cogitandum aliter est, quam, quidquid etiam de *corpore* illorum mortali fiat, *animam* saltem eorum nec à crudelissimis nunquam tyrannis *trucidatum iri.* Matth. 10: 8. immo vero vel in ipsa *adflictione, & angustia, & persecutione, & fame, & nuditate, & periculo, & gladio* eos *plus* semper *quam victores futuros, per eum qui eos dilexit*, Rom. 8: 35, 37. &, *postquam vermes cutis suæ destrinxerint* HOC, *etiam ex carne sua visuros* DEUM. Hiob. 19: 26. Ut, quemadmodum *cum Christo passi sunt, ita & cum illo glorificentur.* Rom. 8: 17. &, quemadmodum σύμφυτοι *planta cum illo facti sunt in similitudine mortis, ita & cum eo* aliquando *planta fiant in similitudine resurrectionis ipsius.* Rom: 6: 5. Nam *certus est hic sermo, si cum eo mortui sumus, cum eo etiam vivemus.* 2 Tim. 2. 11.

§. XXVI. *Caussa efficiens* ingentis hujus plagæ, quam accepturum universum Semen mulieris erat, palam indicatur futurus *Satanas*. Illi enim sub exuviis semet occultanti colubrinis à Deo dicitur: ואתה תשופנו *Et TU*, ô Serpens, *conteres illud.* Ubi tamen in solo hominum primorum seductore subsistendum non est, sed de omnibus simul illius ac *inobedientiæ filiis* cogitandum, *in quibus* ille tanquam dedititiis suis *operatur efficaciter.* Eph. 2: 2. sive jam illi ex genere hominum sive dæmoniorum sint. Nec enim mulieri aut Semini ejus cum solo *Serpente* antiquo, sed & cum *Semine* Serpentis omni, pugna & inimicitia est. Neque minus est vero simile, illos, qui ad Semen pertinent Serpentis, suo modo atque ordine in vulneratione calcanei Seminis mulieris occupatum iri, ac eos qui ad Semen mulieris spectant, in contritione capitis Serpentini occupatos vidimus.

§. XXVII. Certè quidquam unquam (1) *Servatore* in vita triste atque acerbum accidit, id omne culpa potissimum & instinctu Diaboli accidisse credendum est. Ille enim est חָפֵץ דַּכְּאוֹ *ille, cujus voluptas est enervare ipsum*, scil. Messiam, de quo inde ab initio capitis fidelium sermo est. Jes. 53: 10. Ille *Draco rufus* est, qui *coram muliere constitit, quæ paritura erat, ut, simul atque peperisset, deglutiret filium ejus*;

Apocal.

Apocal. 12:4. Ille eum *tentavit*, simul ac *ex aquis adscendit* baptismi, ad munus dehinc publicum semet accincturus. Ille solum *in deserto* μετὰ τῶν θηρίων *inter belluas* versantem mille nequitiarum & technarum suarum fraudibus, veluti totidem βέλεσι πεπυρωμένοις *ignitis jaculis* ipsos 40. *dies & noctes* adortus est. Marc. 1:13. Luc. 4:2. Quum Dominus Jesus pridie ejus diei, quem ultimum habuit hujus vitæ, Bethaniâ Hierosolymam contenderet, tanquam ad palæstram suam, palam discipulis innuit, sibi jam non tam cum hominibus, quàm cum Satana, qui cum stygiis suis copiis omnibus in eum moturus erat, conflictum acerrimum fore, quando ait: *Venit ille hujus mundi Princeps; & in me nihil quidquam habet.* Joh. 14:30. Uti enim Satanas *in Judam Iscariotem ingressus* isthoc *in cor ejus injecit* nefandum consilium, *ut proderet magistrum*, Luc. 22:2. Joh. 13:2. 27. Ita non minus Pharisæis & senioribus populi, quam Herode & Pontio Pilato, militibusque Romanis ceu satellitibus suis ad lubitum suum in condemnatione ad mortem & crucifixione ejus abusurus erat.

§. XXVIII. Quare, quum & deinceps in horto Getsemaneh ita cœpit esse ἐν ἀγωνίᾳ, ut sudor ejus exsisteret ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος, καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν, *ut grumi sanguinis, descendentes in terram.* Luc. 22:44. hoc inde inprimis putabimus contigisse, quod à vipera illa compunctus infernali est, cui jam conterendi calcaneum ipsius cœlitus fuerat potestas facta. Æque uti sanguinem feruntur ex toto emittere corpore, qui ab hæmorrhoo sunt icti, de quo genere serpentis Libyci, ita à sanguinis fluxu dicti, consulendus M. Annæus *Lucanus* est, Libro IX. Pharsal. hoc memorans memorabile exemplum:

Impressit denteis hæmorrhois aspera Tullo,
Utque solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura croci; sic omnia membra
Emisere simul rutilum *pro sanguine* virus,
Sanguis erant Lachrymæ: quæcunque foramina novit
Humor, ab iis largus manat cruor; *ora redundant*
Et patulæ nares? sudor rubet: *omnia plenis*
Membra fluunt *venis.* ——

§. XXIX. Quod vel ipsemet Dominus Sacerdotibus primariis & præfectis Templo & Senioribus scite in mentem revocavit, quando exeuntibus adversus se uti latronem cum fustibus & gladiis; *Hæc*, ait, *est hora illa vestra*, καὶ ἐξουσία τοῦ σκότους, *potestas Tenebrarum.* Luc. 22:53. Diabolum enim inter cætera nomina quoque חשך *Tenebras* dictum Judæis & præsertim Allegoristis, (qui proinde *Angelum mortis*, QUI OBUMBRAT OCULOS HOMINUM, creatum esse die primo creationis eo tradiderunt, quod Genes. 1:2. legatur scriptum: וחשך על־פני תהום: Et *Tenebræ erant super faciem abyssi*) erudita Joh. *Lightfooti* observatio est.

§. XXX. Neque minus certum est (2) *Ecclesiam* cum luctas omnes & angustias spirituales, tum corporales miserias atque tribulationes suas *Serpenti* veteri, tanquam primario opifici, & *semini* ejus tanquam organis, quæ pro nutu suo agit ille movetque, acceptas debere referre: *Neque enim tam nobis pugna est adversus sanguinem & carnem*, hoc est, homines quosvis, quàm quidem *adversus principatus & potestates, adversus eos, qui in mundo imperium tenebrarum hujus seculi obtinent, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Ephes. 6:12. Ac uti Leopardum ferunt, μισάνθρωπον belluam, si homo absit, vel in cassam homine imaginem facere impetum, eamque sive sculptam sive pictam miseris dilacerare modis, ita hostis ille humani generis plusquam ἄσπονδος, quum ad Christum in cœlis absentem pertingere nunc amplius non possit, in Christi pios atque fideles involat, qui ejus viva in terris sunt imago, eosque modis omnibus insectatur ac infestat. *Filio* enim *mare*, *qui pasturus erat omnes virga ferrea, ad DEUM & thronum ejus rapto, Draco iratus factus est mulieri & abiit, ut faceret bellum* μετὰ τῶν λοιπῶν τοῦ σπέρματος αὐτῆς, *cum reliquis de semine ejus, qui servant præcepta DEI & habent testimonium Jesu.* Apoc. 12:5, 17. Neque solum singulos *appetit ventilare uti triticum, ut fides eorum deficiat*, Luc. 22:31, 32. *ambulans* circumquaque, *ut leo rugiens, quærensque quem* tandem illorum aliquem *deglutiat*, 1 Pet. 5:8. sed &, quum è *sua solutus custodia* est, *exit ad seducendum gentes in quatuor angulis terræ, Gogum & Magogum, ut congreget eos in bellum contra* universa *castra Sanctorum & Civitatem illam dilectam.* Apoc. 20:7, 8, 9.

§. XXXI. Porro isthæc verba non sunt DEI vel præcipientis vel consulentis, quibus scilicet Serpenti suum quoddam præscribat suadeatve officium. *DEUS* enim uti ἀπείραστός ἐστι κακῶν *tentari malis nequit, ita ipse tentat neminem.* Jac. 1: vs. 13. At vero sunt verba DEI, partim *indicantis*, summam in Diabolo ulciscendi suimet ipsius cupidinem, & quid nunquam non pro malitia sua & ἐπιχαιρεκακίᾳ insatiabili una cum instrumentis furoris sui contra Christum, & eos qui Christi sunt machinaturus sit, tum *referentis* pœnam peccato hominis debitam, & quid ex consilio sapientissimo decreti sui ferre Semen mulieris patique debeat, ut postulato Legis suæque satisfiat rigidissimæ Justitiæ.

§. XXXII. Adeoque, quantum, (א) ad *Messiam* attinet, tantum abest, ut semet hic Deus à contritione calcanei ejus penitus excludat, ac si tantum ejus aliquando futuræ otiosus è longinquo spectator sit, in qua sibi nihil quidquam vel seratur vel metatur, quod dicitur, ut potius ei ceu electorum sponsori illam tanquam *judex totius terræ, qui facit judicium* Genes. 18:25. voce clara & edicto irrevocabili denuntiet, *non parcens filio suo proprio, sed tradens eum pro nobis omnibus* in mortem ac dirissimas quasque passiones, ut nobis posset *gratificari cum eo omnia.* Rom. 8:32. Hic enim dum Jehovah DEUS verba proloquitur, utique הפגיע *fecit in eum incurrere*, veluti agmine facto, *pravitatem omnium nostrum.* Jes. 53:6. *eumque, qui peccatum non norat, pro nobis peccatum fecit, ut nos fieremus in eo justitia DEI.* 2 Cor. 5:21. *proponens illum ceu* ἱλαστήριον *propitiatorium, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, ad hoc, ut sit ipse justus & justificans eum, qui est ex fide JESU.* Rom. 3:25, 26.

§. XXXIII. Quantum (ב) ad *fideles*, Deus, quum Diabolo læsionem calcanei tribuit in semine mulieris perficiendam, non hoc sane existimandus est velle, cum se vel inscio vel invito eos malo quoquam unquam affecturum, sed *primo* quidem hisce verbis vel jam inde ab initio rerum *ostendit* suis, *quanta* deinceps omni ævo *perpetienda habeant*, Act. 9:16. *tum* vero etiam è contrario se manifeste afflictionum quarumcunque auctorem fert atque arbitrum, ut nihil sive Diabolus cum atris suis & infernalibus copiis, sive Mundus, qui *totus jacet* ἐν τῷ πονηρῷ *in maligno illo* 1 Joh. 5:19. vel clanculum molituri vel palam effecturi sint, nisi DEO juste permittente sancteque moderante ac potenter denique dirigente, sancti vero quæcunque patiuntur passuri sint omnia non solum κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ *ex Dei voluntate*, sed & εἰ θέλει τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, *tum quando vult voluntas DEI.* 1 Petr. 3:17. 4:19.

§. XXXIV. At vero Satanas non solum operam lusurus omnem, sed &, dum miser perniciem parat Semini mulieris, sui ipsius exitii faber futurus, &, dum illi ceu petræ cuidam solidæ dentes illidit & aculeum infigit suum, omnem mordendi & pungendi vim ipse amissurus erat. Sunt enim *attritio* calcanei Seminis mulieris & capitis serpentini *contritio* res duæ *nexu* tam arcto & necessario inter se colligatæ, ut ex altera non possit non emergere & consequi altera. Quod & heic DEUS significare videtur voluisse, quum duos hosce actus vocula copulativa immediate inter se connectit. *Illud tibi conteret caput*, ואתה *Et tu*, ô Serpens, *atteres illi calcaneum.* Id quod magis quoque fiet perspicuum, ubi copulativam libeat cum quibusdam per *caussalem* interpretari, hoc modo: *Semen mulieris te conteret quoad caput; Tu ENIM illud conteres quoad calcaneum.* Saltem nihil quidquam hac veritate est certius, semen mulieris contriturum caput Serpentis, EO QUOD serpens calcaneum attrivit semini mulieris.

§. XXXV. De semine mulieris (1) *Sanctificante* hoc clare testatur *Jesaias* cap. 53:10. *Et Jehovah volentem enervare ipsum* (hoc est, Diabolum, qui omnia conaturus & tartareos suos exercitus admoturus erat, ut exagitaret Christum, &, si fieri ullo modo posset, tandem plane oppimeret) הֶחֱלִי *infirmavit sive ad impotentiam redegit.* Quam hujus loci acceptionem lubens vidi venerabili quoque viro, Hermanno *Witsio* placuisse non minus ac olim placuit τῷ θαυμασίῳ Johanni *Coccejo*, qui quoque ab illo hoc nomine laudatur Exercit. XIX. in Symb. Apost. §. 35. Ad Jesaiam accedit *Paulus* & cum illo unum & ipsissimum illud testatur Hebr. 2:14. Christum *abolevisse* διὰ τοῦ θανάτου PER MORTEM *eum, qui imperium habebat mortis*, hoc est, *Diabolum.* Neque poterat aliter fieri vel per justitiam Dei, quam ut, quum per sponsoris passiones satisfactum ei quam plenissime foret, Satanas exueretur jure illo omni ac imperio, quod per peccatum in hominem fuerat consecutus, adeoque omnimodam experiretur sui *capitis* conculcationem. In qua quidem re, quantumvis seria sanctaque, ita quondam putabamus licere nobis ludere:

Dum mala, *Christe*, bono *tibi crux*, mala *morsque paratur*,
Crux *factus Morti es* pessima, Morsque *Cruci!*

§. XXXVI. Neque, quum in eo est Satanas, ut (2) homini mulieris *ſanctificato* calcem atterat & fideles quosvis miſerabilibus adfligat modis, quidquam proficit, quam ut ipſe ſibi magnum arceſſat malum & ſui magis magisque acceleret plenariam capitis contritionem. Nam & illorum promovet ſanctificationem, cum vetere homine ſuum ipſius in illis opus deſtruens, uti *Angelus* ſatanæ, ſuperbus utique faſtus & arrogantiæ Doctor, *colaphis* ſuis D. Paulum vel invitus erudire ad humilitatem cogebatur, *ut ne efferretur* τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων, *magnitudine illa eximia revelationum.* 2. Cor. 12:7. & ſuam valde aggravat condemnationem. Nam *qui* Sanctos Domini *tangit*, *tangit pupillam oculi ejus.* Zach. 2: 12. Sique Deos *ſanguinem ſervorum ſuorum ulciſci*, & ab ipſis exigere rerum Dominis, timendisque Tyrannis inter homines comperiatur, Deut. 32: 43. Diabolus certe, qui iis ad horribiles quasque perſecutiones fax atque inſtigator fuit, impunis non exibit, ſed & ob hæc nova ſcelera prioribus addita à divina Nemeſi in æternum dignis excipietur modis. Vide Apoc. 20: 10.

§. XXXVII. Sed & *tempus* nobis iſte nexus oſtendere videtur, quo potiſſimum Serpens feralis iſte cum ſemine ſuo ſemini utrique mulieris calcaneum attriturus eſt, omnimodamque gerundæ rei *occaſionem.* Nimirum hoc tum utique certo & ſingulari cum efficacia erat futurum, quum ſemen mulieris in eo conſpiceretur eſſe, ut ſerpenti peculiari quodam modo confringeret caput. Quibus autem rationibus ac veluti gradibus hoc à ſemine mulieris tum primario tum ſecundario fuerit perficiundum, id cap. VII. §. 15-23. explicare conati ſumus. Quotiescunque ergo vel ipſe Chriſtus, vel ex iis aliquis, qui ei donati ſunt, horumce talium quidquam, quæ ibi enarravimus, erat patraturus, tum nullum eſt dubium, Serpentem quoque ſemper novas iras ſumturum, ac id acturum unice, ut vulnera ſuo inflicta capiti, quantum pote, in ipſorum calcaneo ulciſceretur.

CAPUT NONUM.

De Peccato Diaboli.

SUMMARIUM.

Cauſſa meritoria *harum pœnarum*, *Diaboli* peccatum *eſt* §. 1, 2. Fraus, *qua circumvenit Mulierem.* §. 3, 4. *In qua quidam ſcelerum* confluxus *eſt.* §. 6--9. Æquiſſimum *ergo ſupplicium eſt*, *ſive* generale maledictionis. §. 10, 11. *ſive cætera* quatuor ſpecialiora. §. 12. Unde *&* primus *ſententiam audivit judicialem ante Adamum & Hevam.* §. 13. ſine *prævio* examine. §. 14. *Nec hoc tamen peccatum ejus fuit* primum, *ſed antecedentium* complementum. §. 15--17. *Primum omnium non fuit* impura *cum filiabus hominum* conſuetudo. §. 18. *Sed in* particularibus, *quæ Scriptura angelis malis tribuit*, *mater videtur fuiſſe ſuperbia.* §. 19. *ex* tribus *argumentis.* §. 20. Lapſus *illorum*, *qui omnino* boni *conditi*, *panditur* poſſibilitas. §. 21, 22. *& quædam veluti proceſſus* Hiſtoricus. §. 23. nec non Occaſio. §. 24. Tempus *incertum eſt*, *at certum* anticipaſſe *lapſum Hominis.* §. 25. Uſus *totius Oraculi* practicus. §. 26.

§. I. ATque ſic quidem partem *priorem*, eamque maximam hujus Oraculi, quæ eſt de *quintuplici* Serpentis antiqui *ſupplicio* rebusque illuc pertinentibus abſolvimus. Sequitur *altera*, eaque minor, de ejus *delicto*, ab quod id irrogatum illi eſt. Cujus mentionem Deus vſ. 14. pauculis hiſce præmiſit verbis. כי עשית זאת *Quoniam* Tu ô Serpens *feciſti hoc.* Hoc ſcilicet, cujus palam inſimulabatur ab Heva, quæ accuſata ab Adamo vſ. 12. quod *dederit ſibi comedendum de arbore illa*, omnem denique culpam à ſe amoliri in Serpentem cœpit, inquiens vſ. 13. הנחש השיאני ואכל *Serpens iſte decepit me & comedi.* Quamobrem hoc jam porro nobis videtur negotii relictum, ut in *rationem* hujus *peccati* inquiramus, & ex ejus deinde natura & magnitudine de *æquitate* divini *judicii* arbitremur, antequam manum liceat de hac tabula abducere.

§. II. Non enim ſolum culpam Deos allegat, cujus ſceleſtum caput ſuum alligaverit Diabolus, quando ait: *quoniam feciſti iſthoc*, ideo *maledictus eſto!* Sed & eadem opera pronuntiat ejus accuſationem à Muliere haut temere falſove eſſe factam, nec non inter pœnas ei dictatas & flagitium ab eo commiſſum nexum intercedere, qualis fere inter cauſſam & effecta eſt.

§. III. Nomen quidem facinoris non exprimit, vel quia tam ingens illud eſt, ut vel mentionem ejus quamcunque animus exhorreſcat æquiſſimi judicis, vel tam varium, ut una illud vox ſatis exhaurire & comprehendere non poſſit. At vero peſſimam certe quandam *fraudulentiam* fuiſſe, qua primis illuſerit hominibus neque omnino male illud Hevam ita nuncupaſſe, fatetur, quum declarat eum זאת, ISTHOC *feciſſe*, cujus ea ipſum reum egerat. Ea autem vſ. 13. dixerat; *Serpens iſte* הִשִּׁיאַנִי LXX. ἠπάτησέ με, *decepit* vel *abduxit me*, ab eo puta quod verum rectumque eſt. A qua quidem ita quoque fari Apoſtolus didicit, tum 2. Cor. 11: 3. *Serpens ille* ἐξηπάτησε SEDUXIT *Evam calliditate ſua*; tum 1. Tim. 2: 14. *Neque enim Adam eſt ſeductus*, nempe prior & immediate à Diabolo, *ſed Mulier* ἀπατηθεῖσα SEDUCTA *cauſa extitit transgreſſionis.*

§. IV. Quis enim negaverit eum titulum meruiſſe Seductoris, & ut talem in decipienda Heva omnes impoſtoris verſutiſſimi artes & technas explicuiſſe, qui verſatilem cogitet methodum, qua ad primum cum ea colloquium ſibi viam fecit, in angelum ſemet transformans lucis, & magnum edens miraculum, dum per beſtiam rationis expertem humana ſonuit verba? Adde inſidioſiſſimam orationem, qua in animum ejus paulatim illapſus, primo quidem vel Dei præceptum, vel feminæ de eo ſenſum in dubium vocare, tum comminationem elevare ac pœnam à peccato divellere, ac ſi eſum fructus prohibiti nulla unquam mors ſecutura eſſet, immo vero comeſturæ præſtantiſſima quæque & vel iis, quibus Numen beatum eſt, non minora bona polliceri, viamque ad ea conſequendum ſpecie quidem facilem & expeditam, at revera præcipitem ac non niſi exitus exitiales habentem commonſtrari adniſus eſt.

§. V. Non eſt autem, cur ſibi in hoc fallendi hominem vel artificio vel ſucceſſu placere unquam infelix iſte fraudum omnigenarum architectus debuerit. Hoc enim illud ejus magnum & principale crimen eſt, ex quo ceu fonte amariſſimo mala fluxerunt omnia, quibus vel jam premitur miſer, vel deinceps opprimendus in æternum eſt. QUIA *hoc feciſti*, inquit Deus, vel, quod tantundem eſt, quia vere femina hoc ſe à te clamavit eſſe deceptam, *maledictum eſto præ omni jumento & præ omni beſtia agri.*

§. VI. Quæ quidem judicis ſupremi ſententia, quantumvis horribilis & rigida, cujusquam tamen vel minimæ injuſtitiæ poſtulari tanto minus poteſt, quanto conſtat clarius, in iſthac ſeductione non tam unum aliquod peccatum inſigne, quam quidem quorumvis immanium ſcelerum & flagitiorum quendam veluti confluxum ac ſentinam fuiſſe.

§. VII. Quis enim, ut aliquid de paucis moneam extantioribus, non videt reatum *homicidii* ab illo contractum, ejusque tanto atrocioris, quanto cenſendus eſt peccare gravius, qui animam immortalem una cum corpore, quam qui mortale corpus ſolum, & qui genus hominum univerſum, tam quod tum præſens, quam quod deinceps naſciturum erat, præ illo, qui homuncionem duntaxat unicum occidit? Unde Servator: *Diabolus* ἀνθρωποκτόνος, *Occiſor hominum erat inde ab initio.* Joh. 8: 44. Accedit *Sacrilegium* execrabile, quo Deo aufert quæ Dei ſunt, dum non abuſus tantum eſt ſerpente naturali, tanquam adminiſtro abominabilium ſuarum nequitiarum, ſed & abalienare à Creatore ſuæque ſubjicere tyrannidi creaturam nobiliſſimam ſtuduit, qua cæterarum quaſi compendium & in qua ceu templo quodam auguſto Dei imago ſimillima dedicata eſt.

§. VIII. Turpem *nominis* divini *abuſum*, *verbique depravationem* & ſine fronte *mendacia* & *perjurii* grande ſcelus, dum Omniſcium non veretur teſtem compellare ſuorum falſiloquiorum, nemo non videt undequaque pellucere. Ut merito Dominus apud Johannem addiderit; *Et in veritate non ſtetit*, *quia non eſt veritas in ipſo. Quando loquitur mendacium*, ἐκ τῶν ἰδίων *ex ſuis loquitur*, *quia mendax eſt & pater ejus.* Prætereo *fallacias* omne genus præſtigiasque formidabiles & ſimulationes hypocriticas alias, dum ſe doctorem veritatis & juſtitiæ mentitur, qui cum Dei gloriam, tum hominis bonum quærat, quum tamen interea loci œſtro invidiæ

vidiæ percitus plusquam Stygiæ & homini Deum invidet, & Deo hominem. Quæ fecere, ut & Paulo non simpliciter *Hevam decepisse*, sed decepisse ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ *in illa sua*, decantata scilicet ab omnibus, *astutia*, dictus sit, 2. Cor. 11:3.

§. IX. Quibus cunctis magnum accedit culpæ incrementum, quod neque tentatus neque seductus à quoquam alio, uti vel Heva ab ipso, vel abs Heva Adamus, sed motu proprio tentator, seductorque cum sui tum aliorum fuit, nihil usquam quidquam habens extra se & voluntatis libidinem spontaneam, quo ad malum allectaretur. Ut merito & cum emphasi audiat ὁ πονηρὸς, *Malignus ille*, cujus hostiles insidias vaferrimasque *tentationes* suspiriis deprecari oportet cottidie repetitis, Matth. 6:13. cuique adeo illud exprobrare cum maxime licet, quod à Petro aliquando dictum cuidam ejus germano filio est; *Ego Te in felle amarissimo & connexu quodam video positum injustitiæ* Actor. 8:23.

§. X. Justissimum ergo utique & hoc fuit judicium, uti sunt omnia ejus, qui judicat universum mundum, neque Satanas supplicium delicto gravius, sed æquum verumque tulit stultissimæ suæ malitiæ pretium, dignisque exceptus est modis, sive generalem spectes *maledictionem*, cui devotus ille perpetuò est, sive in *pœnas speciales* & ex illa tanquam divite scaturigine uberrime promanantes oculos conjicias tuos.

§. XI. Quod si enim *homicida nullus habet vitam æternam manentem in se*: 1. Joh. 3:15. eumque, *qui Templum Dei violat, perditurus Deus est.* 1. Cor. 3:17. *si tanquam rea sacrilegii maledictione maledicenda fuit gens* Judæorum *universa, quod decimis* duntaxat *spoliaret Deum & oblationibus, quæ adferenda in domum Tesauri erant, ut cibus esset in Dei domo*: Mal. 3:10, 11, 12. *Si non impunem relicturus est Jehovah eum, qui assumserit nomen suum in vanum.* Exod. 20:7. *Si Pseudo-Propheta plectendus erat morte, qui suaserat apostasiam contra Jehovam Deum Israëlis.* Deut. 13:5. Si denique *perdit Jehovah loquentes mendacium & abominatur virum sanguinum & doli.* Ps. 5:7. Qui ergo id putes fieri potuisse, ut à fulmine *maledictionis* divinæ liberaret Diabolus sacerrimum caput suum, quod & horum & aliorum gravissimorum scelerum vinculis & nexibus implicuerat & obstrinxerat quam arctissime?

§. XII. Neque hoc sanè præter jus & fas esse dixeris, ut *præ omni pecude* miser esset & *præ omni fera agri*, qui tum ministerio bestiæ, *quæ prudens erat præ omni animanti terræ* contra Deum usus est, tum hoc egit modis omnibus, ut turbato rerum ordine, *vanitati* & τῇ δουλείᾳ τῆς φθορᾶς *servituti corruptionis subjiceret creaturam universam*: *Vel ambularet super pectus & ventrem*, qui cum ipse honores ei exambivit divinos, & stupendo ausu semet supra Deum extulit & quicquid vel est Deus vel dicitur, tum hominem ad similes stultissimi fastus ineptias inducere verecundatus non est: *Vel pulverem comederet omnibus diebus vitæ suæ*, qui & hominem objecto fascino inescavit cibi vetiti, & in eorum devoratione, qui DEI debebant deliciæ esse, perversissimam quæsivit voluptatem suam: *Vel inimicitiam & mulieris & seminis ejus* experiretur irreconciliabilem, qui & pacem solvit amabilem, quæ Cœlum cum Terra Deumque & Angelos ejus cum Homine colligaverat, & mulieris castum corrupit amorem, sibique pessimis adjunxit artibus: Vel denique illius plene planeque *contereretur caput*, qui neque DEUM passus fuit supremum sui ceterarumque creaturarum esse Dominum, & nefando molimine suis hominem subjicere pedibus conatus est.

§. XIII. Uti autem porro Adamus in culpa fuit postremus, utpote seductus abs Heva, quam jam antea fefellerat serpens; vs. 6. ita & nunc, ubi fulmina vibrabantur sententiæ judicialis, Adamus quidem *tertium* obtinet locum, vs. 17, 18, 19. at Mulier *secundum* mediumve vs. 16. omnium vero *primus* adsignatur serpenti, vs. 14, 15. qui mali scilicet omnis fons & totius fatalis Tragœdiæ auctor præcipuus atque structor fuit.

§. XIV. Quumque Deus cum Adamo longum legatur instituisse examen, ut eum paulatim ad se reduceret & officium suum, vs. 9, 10, 11. neque pœnam dictaverit Hevæ, antequam de causa cognovisset seducti abs illa viri, vs. 13. nihil plane temporis effugiis frivolis & excusationibus indulsit Diaboli, sed simul atque accusatio audita est feminæ, protinus eum absque prævio examine & sontem pronuntiavit & meritissimo addixit supplicio. *Et dixit mulier: Serpens decepit me & comedi: Et dixit Dominus Deus*, nulla interjecta mora, *ad Serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus esto*, vs. 13, 14. Cur enim patientia judicis in examinando eo occuparetur frustra, quem neminem sciebat nominare posse alium, in quem culpam transferret admissi flagitii, quemadmodum quidem illam in Hevam transferre Adamus, & in Serpentem Heva prætextu aliquo & specie veritatis potuerant, quique præterea apud se de veritate & magnitudine sui criminis adeo apparet convictus, ut ne hiscere quidem auderet contra? Tametsi enim & Adamus vs. 12. & Heva vs. 13. sciscitanti Deo quædam responsarent, serpens tamen ad accusationem mulieris ne legitur quidem mutivisse. Id quod animi αὐτοκατακρίτου evidentissimum fuit argumentum.

§. XV. At quum jam hæc nostri loci mentio de pœna Diaboli non solum omnium prima sit, quæ usquam in sacris literis extat, sed & Deus disertis verbis pro illius fundamento caussaque primam ponat hominis seductionem, inquiens; *Quia hoc fecisti, ideo maledictus esto*; id mirum sane videri cuiquam possit, cur jam demum, & ob hanc quidem culpam condemnetur, quum tamen nec sola nec prima sit, cui succubuerit. Nam &, quum primum ad Mulierem affectavit viam, pectus attulit fraudis & malitiæ plenum, testante Paulo eum Evam decepisse in *calliditate sua*, nec fieri potest, ut Angelus in peccatum hominem pertrahere voluerit, cui ipse necdum foret obnoxius. Præsertim, quum ex eo *Jacobus*, quod Deus talis est, nempe ἀπείραστος κακῶν, efficiat eum *neminem* quenquam ad malum *tentare*, cap. 1:13.

§. XVI. Sunt itaque, quibus hæc non prima Satanæ maledictio, sed nova & præcedentis cujusdam major aggravatio videatur. Uti enim jam antea certe peccaverat, ita jam tum quoque cœlo pulsum & à facie Dei rejectum fuisse. Quo faciant, quæ apud Petrum 2. epist. 2:4. & *Judam* vs. 6. leguntur. At vero docet ibi quidem Apostolus uterque Deum peccatum malorum Angelorum non impunitum dimisisse, neuter vero dicit, vel quando id factum sit, vel quod tum statim sic fuerint plexi, simul atque primum eumque vel minimum ediderint actum vitiosum. Immo vero quicquid isthic divinæ commemoratur ultionis, id ipsum est, quod hæc complectitur maledictio, quam expresse & ob hanc potissimum hominis primi seductionem, & tum demum denunciatam narrat Moyses, quum eam serpens absolvisset.

§. XVII. Quapropter nos quidem non videmur nobis à janua aberrare, si statuamus, hanc quidem primam omnino maledictionis fuisse promulgationem, quum præter eam alius cujusquam anterioris in Scriptura nec vola exstet nec vestigium, neque tamen deceptionem Hevæ primum plane unicumve Diaboli peccatum, sed totius lapsus atque κρίματος Diabolici velut ultimum fuisse complementum. Uti enim in ipsa Heva procul dubio ante gustum fructus illiciti neglectus præcessit verbi divini, & tepor in precibus, & securitas carnalis, & λογισμοὶ πολλοὶ & motus cum animi tum corporis vitiosi plures alii, neque tamen Deus ei ad tribunal citatæ pœnas dictavit pro meritis, priusquam ipsa seducta, in consortium ruinæ etiam virum perduxisset; ita & in Angelo mortis ante Hevæ seductionem utique plura præcessêre peccata, neque tamen vel mensura ipsorum completa vel reatus ipsius videtur fuisse consummatus, donec hunc quoque impietati suæ velut colophonem adjecisset. Quo facto nec Nemesis divina silendum amplius, sed pœnas condignas severissime ab eo exigendas duxit.

§. XVIII. A quonam verò præcipue actu peccandi fecerit initium, & quo demum ordine quibusve gradibus illuc devenerit, ut hominem corrumperet, id operæ pretium fuerit nunc parvis inquirere. Ubi merito statim *Tertulliani* & aliorum ex veteribus rejicienda opinio est, qui παρερμηνείᾳ loci Gen. 6:2.4. seducti, primum illud magnumque Diabolorum peccatum in eo posuere, quod forma speciosarum mulierum capti, stupri cum illis consuetudinem inierint. Quanquam enim Angelus quandoque nomine *Filiorum Dei* venire ex collatione Job. 1:6. 2:1. cum 38:4 7. negari non possit, eo tamen illi heic non veniunt. Quum enim meri sint Spiritus, qui *carnem & ossa non habent* Luc. 24:39. corporea quoque formositate moveri, & consuescere cum *filiabus hominum* non possunt. Neque fuerant antiquiores huc deventuri, nisi prava illis hypothesis de corporali, si non omnium angelorum, certè malorum dæmoniorum natura sedisset, qui tamen passim in scriptura πνεύματα, *Spiritus*, & ad distinctionem bonorum, πνεύματα ἀκάθαρτα, *Spiritus impuri*, & Ephes. 6:12. τὰ πνεύματα τῆς πονηρίας, *spirituas malitiæ*, quod tantumdem est ac πνεύματα πονηρὰ, *Spiritus mali* sive nequam, vocantur. Neque ergo illi, sed *Sethi posteri*, qui sub Enoscho cœperunt *semet* ipsos *vocare de nomine Jehovæ*, hacque veluti nota à profanis mundi incolis & filiis Terræ distinguere, (confer phrasin illam Gen. 4:26. קָרָא בְּשֵׁם י״ה cum

Joſ. 43: 7. & 44: 5.) ſunt *illi Filii Dei*, quorum paullatim corruptorum promiſcua, & non *in Domino*, quod 1. Cor. 7: 39. exigitur, ſed cupiditate carnis & ductu ſolorum oculorum conciliata connubia cum *filiabus hominum*, hoc eſt, *Kainitarum*, qui *nil niſi homines* erant, (ψυχικοὶ καὶ τὸ πνεῦμα μὴ ἔχοντες. 1. Cor. 2: 14. Ep. Jud. vſ. 19.) atro carbone notantur. Et, ſi vel Angelos intelligi daremus bonis patribus, hæc tamen eorum ſcortatio, quæ domum ab orbe dudum condito & annis duntaxat 120. ante diluvium, uti ex vſ. 3. conſtat, commiſſa foret, non poterat primum eorum peccatum eſſe, quum ſaltem ante illam abs iis jam Heva ſeducta eſſet, quam quidem ad inobedientiam & defectionem à Deo, adeoque ſpiritualem quandam fornicationem, non vero ad ſtuprum carnale ſollicitatam fuiſſe legimus.

§. XIX. Tametſi autem Scriptura non in genere ſolum dicat Angelos *peccaviſſe*, 2 Petr. 2: 4. aut, τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, *principium* ſive principatum *ſuum non retinuiſſe*, ſed *domicilium ſuum reliquiſſe*, Jud. vſ. 6. aut *in veritate non perſtitiſſe*, Joh. 8: 44. ſed & electe ſingularium quorundam vitiorum meminerit, ut *homicidii & mendacii*, ibid. τῆς πανουργίας ſive *calliditatis malitioſæ*, 2 Cor. 11: 3. *animi inflati* ſive *ſuperbiæ*, 1 Tim. 3: 6. Quo & illud facit, quod Auctor libri Sapientiæ dicat cap. 2: 24. *Invidentia Diaboli* mortem in mundum ingreſſam eſſe: nuſquam tamen, quodnam proprie ex illis primum & cæterorum initium ſit, clare ediſſerit. Ut non videamur niſi probabili quadam conjectura hujus rei cognitionem poſſe conſequi. Conjeciſſe autem præ cæteris dextre puto, qui pro matre peccatorum omnium, quæ Diabolo adtribuuntur, agnoſcunt SUPERBIAM.

§. XX. Hanc enim videtur Paulus pro *cauſſa* vera & germana judicii habere, in quod incidit ille, quando, cur nolit Νεόφυτον h. e. hominem in diſciplina fidei Chriſtianæ recens inſtitutum, quique adeo inſtar *novellæ plantæ* eſt nuper demum in vineam Eccleſiæ illatæ, quem *Syrus* טלא תלפורה *puerum in doctrina ſua*, *Chryſoſtomus* vero νεοκατήχητον vocat, ad munus epiſcopale admitti, 1 Tim. 3: 6. hanc dat rationem: ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ Διαβόλου. *Ne* INFLATUS in judicium incidat DIABOLI. Non enim tam *quemvis* hic *calumniatorem*, quam inſignem illum unum & cæterorum parentem, *Satanam* intelligendum, tum articulus præpoſitus videtur ſuadere, tum ex collatione vſ. ſeq. 7. cum 2 Tim. 2: 26. ſatis conſtare poteſt. Et ſane primum fuiſſe Diaboli peccatum vix dubites, quod ei velut proprium eſſe ac perpetuum cognoſcitur. Tale autem faſtum ſive ſuperbiam eſſe, tum ex tentationis genio, quam illaqueando homini & olim adhibuit & nunc adhibet, tum ex inſatiabili illo ſtudio atque ambitu, quo cultum honoreſque divinos nuſquam non gentium & olim adfectavit & etiamnum adfectat, ad oculum pateſcit. Quod quoque ſenſiſſe nobiſcum Jeſum *Siracidem* dicas, quum Eccleſ. 10: 14. *SUPERBIA*, ait, *initium eſt OMNIS peccati*; Si enim *omnis*, ergo & illorum, quorum præter ſuperbiam damnas apud DEUM Diabolus eſt.

§. XXI. Nimirum fuere quidem Angeli citra diſcrimen omnes a bono Deo boni creati; Neque enim minus in creatura ſpiritali, quam corporali, locum habet generalis illa operis divini commendatio; *Et vidit Deus* OMNE, *quod fecerat, & ecce fuit bonum valde.* Gen. 1: 31. Sique Diabolus, ex mente Domini, *in veritate non perſtitit*, utique antea in illa, & cum illa, hoc eſt, cum veritatis tum cognitione, tum amore fuit conditus. Neque poteſt illud ſaltem *Angelorum Principium, quod*, ſecundum Judam vſ. 6. *non retinuerunt*, ſed cum hac ſua, quam nunc habent, peſſima natura & indole commutarunt, non olim fuiſſe optimum. Poſſitque videri, hoc idem Pſ. 104: 4. indicatum, ubi Deus non tantum *Angelos ſuos* רוחות *ſpiritus*, ſed & *miniſtros ſuos* אֵשׁ לֹהֵט *ignem flammantem feciſſe*, dicitur, tanta ſcilicet luce ſapientiæ ipſorum intellectum colluſtrans, tantoque zelo & ardore veritatis ipſorum voluntatem incendens, ut inſtar ignis & flammarum & ſplenderent ſimul & arderent.

§. XXII. Hæc autem rectitudo eorum, quantacunque fuit, non certe *incommutabilis* vel ita ſtatim in bono confirmata fuit, ut nullo modo tentari, & ab illa ſua origine excidere quiverint. Poterant non labi, ſi nollent, ſed & poterant, ſi vellent. Poterant autem velle, quia creaturæ erant ex nihilo productæ, multumque de nihilo & οὐδενείας participantes. Æquum enim erat, ut inter perfectionem creaturæ & Dei, qui ſolus mutari non poteſt & ἀπείραστος κακῶν eſt, infinitum maneret diſcrimen. Neque eo nomine, quod creaturam rationalem ſtatim omnibus modis conſummatiſſimam non fecit, Dei bonitas magis culpari poteſt, quam quod eam ſibi non plane ſimilem adeoque Deum fecerit. Hinc Dominus *Jeſus*, Joh. 8: 44. quando Diabolum *in veritate non ſtetiſſe* ait, hanc, cur id quidem potuerit fieri, rationem dat: ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ, *Eo quod veritas non eſt IN IPSO.* Quæ quidem omnis IN DEO creatore eſt, à quo creatura tota eſt, & quoad eſſentiam, & quoad voluntatem, & quoad operationem ſuam. Quare & *ſervis ſuis non fidere*, ac ſi ſcilicet per ſe ſtaturi & abſque ſuo ſpeciali auxilio recte functuri officio ſuo eſſent, ſed *in ſanctis ſuis lucem & in ſublimibus ſuis pacem*, quæ in illis eſt, Deus poſuiſſe dicitur. Quibus ſcilicet ex mero voluntatis ſuæ beneplacito hoc dedit, quod nemini cuiquam debebat, ut non ſolum *poſſent, quod vellent*, ſed & reapſe *vellent, quod poterant.* Conf. Hiob. 4: 18. cum 15: 15. & 25: 2.

§. XXIII. Accidere itaque facile potuit, ut qui ex numero eorum non erant, quos *Paulus* 1 Tim. 5: 21. *Angelos electos* vocat, obtutu nimis defixo in contemplatione ſui & eximiorum ſuorum donorum hærentes, perverſum ſui amorem conceperint, eoque veluti ebrii ac ſtupentes à Deo ad ſemet ſe converterint, gradumque dignitatis celſiorem rati à ſe pendere quam ab alio, non jam illi porro, cui ſoli omnia accepta ferenda, ſed ſibi ſua debere concupiverint, *volentes ipſi ſibi eſſe principium*, ut id verbis *D. Auguſtini* exprimamus, & *habere ex ſe id ipſum, quaſi eſſent ſibi id ipſum.* In qua ſui averſione à Deo & converſione ad ſe voluntas eorum brevi ita obriguit, ut ſuis viribus, à Deo vindice in pœnam ſceleris jam ſibi relicta, ſe in priſtinum retorquere ſtatum nullo modo potuerit. Quum jam, eodem auctore, *invidia ſequatur ſuperbiam, non præcedat, quia amando quiſque excellentiam ſuam vel paribus invidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus, ne ei coæquentur, vel ſuperioribus, quod eis non coæquetur*, hæc quoque ſuperbia illorum, quæ *amor fuit excellentiæ propriæ*, ex ſe filiam edidit *Invidiam*, *quæ odium felicitatis eſt alienæ*, ut intueri æquis oculis ſtatum fortunatum, quem vel jam homo obtinebat, vel aliquando conſequi poſſe præſumebatur, non ſuſtinuerint. Invidia autem infauſtum illud *perdendi* hominem *conſilium*, & hoc *fraudes* illas omnes *verſutiaſque* & *mendacia* peperit, quibus tandem *ſeductio* perfecta & *Homicidium* illud ingens patratum eſt, ob quod, quia cæterorum omnium delictorum velut centrum & meta & conſummatio fuit, horribile hoc denique in Diabolum & Angelos ejus maledictionis carmen pronuntiatum eſt.

§. XXIV. Neque adeo tentatio quoque videtur alia explorandæ ipſorum obedientiæ adhibita, quam quod Deus ponens fundamenta Terræ, iis conſilium ſuum de condendo in ea ad imaginem ſuam & aliquando propius ad ſe & gloriam cœleſtem admittendo homine aperuerit, iſthoc quidem cum mandato, ut Filio Dei, tanquam principi ſuo perpetuo ſubjecti, humano quoque generi, in quo & per quod præcipue ſuas illuſtrare virtutes vellet, ſub ejus ductu & auſpiciis, ſuum læti exhiberent miniſterium. Quo quidem cognito *jubilarunt una ſtellæ matutinæ, & clanxerunt omnes filii Dei*; quod Deus ipſe affirmat Hiob. 38: 4-7. aliqui vero amore ſui nimium turgidi & famulitium hoc celſitate ſua indignum ducentes, fortaſſis ſub uno aliquo præcipuo rebellionis duce contra Deum conſpirarunt, regnum aliquod inter ſe novum erigentes, & id molientes unice, ut & ſe juſto eximerent Archangeli Michaëlis imperio, & injuſtiſſimo ſuo ſubjicerent hominem. De quo vix dicas ſupereſſe dubitandi locum, id ſi cogites ſerio, quanta cum contentione inde ab initio rerum id egerint, agantque, cum *Angeli tenebrarum*, ut quibuſcunque modis & Filio Dei & hominibus ægre faciant, eo ipſo comprobantes ſe *homicidas* & *à principio fuiſſe*, & eſſe etiamnum, tum *Angeli lucis*, ut & illius regnum & horum ſalutem promoveant, ſeque adeo vere oſtendant *miniſtratorios eſſe Spiritus, miſſos ad miniſterium propter eos, qui ſalutem hereditate ſunt accepturi.* Hebr. 1: 14.

§. XXV. Utut autem, quo potiſſimum *temporis* articulo lapſus contigerit angelorum, Scriptura nuſquam pandat, falli tamen certum eſt, qui eum opinantur ante creationem mundi hujus adſpectabilis accidiſſe, quum ante illam necdum extiterint, ſed uti, teſte *Moſe*, intra primum ἑξαήμερον *cœlum & terra abſoluta ſunt, ſic & omnis exercitus illorum*, Gen. 2: 1. Per *cœlorum* vero *exercitus*, potiſſimum Angelos, cœlorum incolas, intelligi ex Gen. 32: 1, 2. 1 Reg. 22. 19. Neh. 9: 6. Luc. 2: 13. aliiſque locis perſpicuum eſt. Et die quidem primo creatos valde fit veriſimile, tum quia tunc cœlum tertium, ipſorum domicilium creatum eſt, Gen. 1: 1. tum quia die ſecundo, quo *terra fundata* eſt, eos ſtatim audivimus jam *ſimul ceciniſſe & Deo jubilaſſe.* Neque liquet eos primo defeciſſe creationis ſuæ momento. Immo vero, quum Deus poſt abſolutam cœli Terræque & *omnis exercitus* illorum creationem

nem dicatur *quievisse ab omni opere suo, quod fecerat,* ut qui, secundum illud, Ps. 104: 31. *lætatus est in operibus suis,* & *diei septimo benedixisse,* ergo nec ante septimum diem videntur peccavisse. Non nimis tamen diu à condito mundo in integritate perseverasse, ex eo quod Christus dicit, *Diabolus homicida fuit ἀπ' ἀρχῆς à principio,* videlicet rerum conditarum: Joh. 8: 44. 1 Joh. 3: 8. potenter evincitur. Et hactenus lapsum eorum hominis lapsum anticipasse, ut tamen in illius seductione ipsorum apostasia demum plene consummata & ad finem perducta sit, vel ex nexu hoc denuo, quo Deus judicium antiqui Serpentis immediate cum deceptione primæ mulieris conjunxit, quando ait: *quia fecisti hoc, ideo maledictus eris;* verissime colligimus.

§. XXVI. Vidimus pœnas tanto debitas flagitio, vidimus scelus tanto dignum supplicio. Neque nunc superesse videtur quidquam, quam ut humillime & vultu prono adorata cum *bonitate* tum *severitate* Dei, illa erga Mulierem & Semen ejus, hac adversus Serpentem & semen ejus, sacro deinceps stupore defixi, *O altitudo,* exclamemus, *divitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei! Quam imperscrutabilia judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus!* Rom. 11: 32, 33. Tum vel ab hoc etiam serpentis judicio exemplum capiamus, nobis quod in usum siet, illud cogitantes D. *Petri*: *Quod si Deus Angelis, qui peccaverunt, non pepercit, sed catenis tenebrarum in tartaro adstrictos tradidit, qui ad judicium serventur, nunc etiam noverit ille injustos servare in diem judicii, ut pœnas dent.* 2 Epist. 2: 4, 9. adeoque Philautiam, superbiam, livorem, astutiam, hypocrisin, mendacia, perjuria, homicidium, ceteraque opera Diaboli tanto abominemur vehementius, quanto ea illum perdidisse constat luculentius, viamque insistamus viis illius prorsus contrariam, ut, quemadmodum ille periit, dum se quæsivit extra Deum in se, nos servemur, dum nos quæramus extra nos in Christo, &, prout ille cœlo excidit semet ipsum exultando, nos in cœlum recipiamur nosmet ipsos abnegando. Est enim, eritque semper verissimum καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον illud ab unico veroque capitis serpentini conculcatore suis totiens tantoque serio inculcatum verbum; QUISQUIS SE EXTOLLIT, DEPRIMETUR! ET QUI SE DEPRESSERIT, EXTOLLETUR! Matth. 23: 12. Luc. 14: 11. 18: 14.

INDEX

Præcipuorum Locorum S. Scripturæ, quibus in hac Diatribe aliqua Lux adspergitur.

SAM. ANDREÆ
DISSERTATIO
De Salute Adami ad Genesin III: 19.

בג״ה

DISQUISITIO THEOLOGICA
DE
SALUTE ADAMI.

I.



Um nil æque periculosum sit in rebus sacris quam ἐμβατεύειν ἃ μὴ ἑωράκαμεν, seu *pedem in ea quæ non vidimus inferre*, quippe cui plerumque conjunctum, & φυσιοῦσθαι ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς, *turgere sensu quodam carnis*, & μὴ κρατεῖν τὴν κεφαλὴν, *caput non tenere* h. e. à capite fidei & Ecclesiæ unico, quod Christus est, deflectere, atque sic alios, vel curiositate abreptos, vel specie quadam ταπεινοφροσύνης ad credulitatem inductos, καταβραβεύειν id est, autoritate quadam dictatoria præmio privare, prout hæc omnia Apostolus *Coloss.* 2: 18, 19. graviter inculcat: opera certè quibuscunque de istis quæ non adeo expresse relevata sunt disquirentibus est danda, ne vel asserendo nimis præfracte quod dubium, vel contradicendo temere illi quod receptum, inde pedem in ea quæ non viderunt inferre, hinc sensu quodam carnis in ipsa ταπεινοφροσύνῃ turgere videantur, & sic notam illam Apostolicam incurrant.

II. Huc ergo etiam respiciendum in argumento de quo nunc disquirere animus, nempe quidnam *de salute Adami*, primi hominum omnium Parentis, sit sentiendum? utrum peccato gravissimo, ipsam mortem & æternam damnationem an vero reatum solum mortis æternæ, incurrisse sit putandus? Nam quia nusquam, vel salvatum, vel damnatum, diserte legimus in Scripturis, non vacat hæc quæstio cautela, ne supra id quod scriptum est sapiamus, & in re dubia plus quam quod secundum Scripturas recipi potest asseramus, sive etiam contradicendi studio, adversus leges Charitatis Christianæ peccemus. Quorum utrumque cum à moribus meis sit alienum per Dei gratiam, conabor eo magis limites præscriptos studiose observare, atque ita pretiosum à vili, id quod fundamento solido innititur ab eo quod à traditione humana pendet, separare, ut nec veritati, nec charitati, arctissimo semper vinculo connectendis, quicquam decedat.

III. Est autem hæc quæstio non nunc demum nata, sed jam olim celebris fuit in ecclesia inde à primis Christianismi seculis, sic ventilata, ut ab affirmativa starent *Ecclesiastici Doctores omnes*, ut *Vossius* diserte *disp.* 2. *de peccato primi Adami quæst.* 5. negativam autem fere nonnisi *Tatianus* hæreticus ejusque asseclæ *Encratitæ* defenderent, quibus inter alias hæreseos sententias & hoc tributum, quod salutem Adami negarent. Ut sane si hæc quæstio suffragiis humanis sit determinanda, ipso aditu causæ vicerint affirmantes, non numero solum sed & autoritate testium, qua antiquiorum, qua recentiorum, negantes vero vix notam hæreseos effugerint.

IV. Sed quoniam memores sumus, utut torrenti contra nitentium obluctari difficile sit, id tamen fieri posse non absque justa ratione, cum veritas ad judicium multitudinis haud sit alligata, quæ sæpe ducitur opinione magis quam judicio, & propter autoritatem aut præjudicia non satis diligenter dijudicatis assentitur: dum affirmativam defendendam suscipimus, non urgebimus negantes, Doctorum numero & autoritate, nisi solum ut inde constet, sententiam quæ Adamum salvatum asserit, communem hactenus Doctorum Ecclesiæ Reformatæ fuisse, adeoque negativam citra aliquem charitatis defectum vix posse defendi.

V. Ut vero disquisitio hæc aliquod lumen à methodo accipiat, conabor primum eos qui mihi in utramque partem hactenus occurrerunt testes in aciem producere, & qua occasione, quo modo, quousque Adami salutem negarint, vel asseruerint, explicare. Tum certamen rationum fiet & armorum lustratio, ex qua contentione tandem patescet, cur affirmantium causa potior sit, nec facile in negantium castra concedendum.

VI. Primus ergo qui, quantum constat, salutem Adami negavit *Tatianus* est Syrus, (qui mendose apud *Augustin. de hæres. c.* 25. *Tacius* nominatur) ex Philosopho Platonico Christianus & *Justini Martyris* discipulus, (non *Juliani*, uti *Philastrius de hæresibus* scribit, in quo illud æque emendandum ac alterum quod *Baron. an* 174. *n.* 1. post *Pamelium ad Tertull. de præscript. n.* 326. notat, *Tatianum hunc post Decii tempora vixisse*) clarus imprimis temporibus Antonini Pii Imperatoris *oratione adversus Græcos*, quæ laudata *Euseb. Hist. Eccl. l.* 4. *c.* 29. edit. Valesii, etiamnum extat, in qua probat, *quod nihil eorum quibus Græci gloriantur, studiorum apud ipsos natum sed omnia à Barbaris inventa*: sed post mortem Justini, cum ad Valentinianos se applicuisset & Gnosticorum colluviem, in hæresin lapsus, hoc quoque adinvenit, ut salutem Adami negaret. Quamvis enim *Epiphan. hær.* 46. quæ *Tatianorum* est, id dogma videatur hæreticis quoque antiquioribus tribuere, dum ait; *Eadem porro quæ veteres hæreses, etiam hic* (nempe *Tatianus*) *docet. Et primum quidem asserit, non salvari ipsum Adam*; tamen plus hic deferendum antiquioribus & qui eodem tempore quo Tatianus vixerunt, atque hunc autorem istius dogmatis dicunt. Sic *Tertullianus de præscript. c.* 52. de eodem: *Totus secundum Valentinum sapit, adjiciens illud, Adam nec salutem consequi posse.* Et evidentius ac pluribus *Irenæus lib.* 1. *cap.* 30. & 31. de *Encratitis* seu *Continentibus* agens: *Contradicunt quoque* [inquit] *ejus saluti, qui primus plasmatus erat, & hoc nunc adinventum est apud eos, Tatiano quodam primo hanc introducente blasphemiam.* Et paulo post: Adæ *autem saluti ex se contradictionem faciens.*

VII. Quæ verba cum in excerpto apud *Euseb. l. c.* ita legerentur Græcè: τῇ δὲ τοῦ Ἀδὰμ σωτηρίᾳ παρ' ἑαυτοῦ τὴν ἀντιλογίαν ποιησάμενος, miror, cur doctissimus *Valesius*, nulla urgente necessitate, (præter mentem *Irenæi*, & in verbis proxime præcedentibus: Τατιανοῦ τινος πρώτως ταύτην εἰσενέγκαντος τὴν βλασφημίαν, & loco mox citando,) reddiderit: *Nova præterea argumenta ad subvertendam Adami salutem excogitans.* Quasi Tatianus non esset primus hujus dogmatis inventor. Nam utique idem *Irenæus lib.* 3. *cap.* 39. in conclusione disputationis de salute Adami: *Mendax ergo is* (inquit) *qui prior hanc sententiam, imo hanc ignorantiam & cæcitatem, induxit, Tatianus. Connexio quidem factus omnium hæreticorum quemadmodum ostendimus; hoc autem à semetipso adinvenit, uti novum aliquod præter reliquos inferens, vacuum loquens, vacuos a fide auditores sibi præpararet,* affectans

affectans magister haberi. Nec obstat quod Encratitis idem dogma tribuat *Irenæus*; addit enim, id inter eos à Tatiano inventum ceu primo autore. Et si hi *Encratitæ* seu *continentes* (sic dicti secundum *Theodoretum lib.* 1. *hær. fab. cap.* 20. quod a vino & animatis ac nuptiis abstinerent) schismatici Tatiani fuerunt, (uti ex *Epiphanio Augustinus* notat *l. c.*) fuerint quoque illo posteriores, adeoque non potuerunt ante illum id asserere. Adde *Nicephori* in eundem sensum verba *lib.* 4. *Hist. Ecclesf. c.* 4. παρ' αὐτοῦ δὲ, αἰτίαν ξένην τῇ τοῦ Ἀδὰμ σωτηρίᾳ ἐπινοήσας, quibus illa *Irenai*, τῇ δὲ τοῦ Ἀδὰμ σωτηρίᾳ παρ' ἑαυτοῦ τὴν αἰτιολογίαν ποιησάμενος, æquipollent. Ut ita utrobique per αἰτιολογίαν & αἰτίαν ξένην, nova quædam & insolens dica, quæ saluti Adami à Tatiano, jam ad hæresin declinante, fuerit scripta, veniat intelligenda.

VIII. Post *Tatianum*, successor ejus (teste *Nicephoro l. c.* post *Theodoretum lib.* 1. *hæretic. fabul. c.* 21.) *Severus*, idem sensisse videtur, à quo Encratitæ *Severiani* dicti. Nam *Epiphanius*, qui *hær.* 45. hos *Severianos* Tatianis præmittit, ipse initio indicat, sibi de tempore non satis constare. *Nicephorus* vero scribens *Severum* hunc magis adauxisse hæresin Tatiani eidemque successisse, innuit quoque, illum à novo illo dogmate, qui character quasi Tatiani erat, non deflexisse. Sed quandoquidem constanter huic contradictum fuit a Doctoribus Ecclesiasticis, neminem horum reperio ante *Rupertum Tuitiensem*, qui Adami salutem in dubium vocarit. Hic enim sub initium seculi XII. primus fuit qui causam Tatiani conclamatam aliquo elogio commendavit, non tamen ausus defensionem ejus ex professo suscipere, *lib.* 3. *comment. in Genes. cap.* 31. De quo commentario dubium, anne sit hujus *Ruperti*, quoniam non comparet in Catalogo operum ejus, quem inseruit epistolæ nuncupatoriæ librorum *de divinis officiis* scripta ad *Cunonem Episcopum Ratisbonensem*, præsertim si hic *Cuno* idem sit cum *Cunone Abbate Sigebergensi*, cui commentarius ille in Genesin inscriptus, uti *Baron. ann.* 1111. *n.* 49. existimat. Hinc enim sequitur, libros de divinis officiis post illum commentarium editos, quem procul dubio in catalogum retulisset, si eundem pro suo agnovisset.

IX. Verum quicquid de eo sit, verba *Ruperti l. c. Comment. in Genes.* ita habent: (*Ejecitque Adam*) *De quo utrum aliquando per Christum misericordiam consecutus sit, per quem salvati & liberati sumus, hodieque nonnulli dissertant, pro eo, quia videlicet nusquam Canonica scriptura testatur, illum egisse pœnitentiam. In eo duntaxat qui inscribitur liber Sapientiæ, de illo sic scriptum est. Hæc* (*subauditur sapientia*) *illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, eduxit illum à delicto suo & dedit ei virtutem continendi omnia. Verum hæc Scriptura, neque de canone est, neque de canonica Scriptura sumpta est sententia hæc, quomodo cætera, quæ de patribus in eodem libro, cum laude sapientiæ commemorantur: Verbi gratia: Hæc venditum justum, subaudit Josepho, non dereliquit &c. Quod ergo illic dictum est, Eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia, majore libertate parvi penditur quam suscipitur, quia quando vel ubi peccatum suum agnoverit, aut pœnitentiæ satisfactionem attulerit, non ostenditur. Amplius autem quod dictum est, Et dedit illi virtutem continendi omnia, nullum certum sensum præsentat, quia perfecto præter unicum hominem Jesum Christum, nullus est homo, habens virtutem continendi omnia. Itaque quia de illo vetere Adam nihil usquam boni operis invenitur, & novus Adam isti est oppositus: Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur, salvatio ejus & à multis libere negatur, & à nullo satis firmiter defenditur. Ne quis tamen temere definiat, constat & hoc* (*ut Ecclesiastica refert historia*) *ab Encratitis hæreticis inventum esse, quibus Tatianus author exstitit.*

X. Rupertum secutus est qui eodem seculo floruit *Bernardus*, si modo ejus est liber *de modo beate vivendi*, cum nec stylum habeat ejusdem, nec ad sororem ejus potuerit scribi, quibus rationibus *Bellarm. de Script. Ecclesf.* eum inter dubios Bernardi tractatus refert. In eo autem *serm.* 19. sic legimus: *Adam in infernum cecidit, quia inobediens fuit.* Quod tamen ambigue dictum, etiam ad reatum solum potest spectare. Vel saltem ex hypothesi descensus Christi ad inferos ut Patres inde liberaret, (quam plurimi Veterum secuti sunt) non tollit Adami salutem per Christum obtentam. Eandem ambiguitatem in duobus aliis observo, qui pro negativa mihi inter recentiores occurrerunt. Horum primus Magnus est *Calvinus in comment. in Genes.* ad verba cap. III: 22. *Ne forte* &c. *His verbis* (ait) *monetur Adam, non unius momenti vel paucorum dierum fore pœnam cui addictus est: sed à beata vita semper fore extorrem.* Alter est famosi nominis *Hobbesius*, *Leviathan cap.* 35. *Privavit illum vita æterna quam habere potuit per arborem vitæ.* Nam uterque de illa vita loqui videtur, qua Adamus, si in statu integritatis mansisset, in paradyso terrestri fuisset perpetuo fruiturus.

XI. Quo pauciores vero sunt, qui salutem Adami, vel diserte negarunt, vel saltem in dubium vocarunt, eo major est affirmantium numerus, qui certatim quasi & olim, & nunc, eandem asseruerunt. Et quidem Veterum testimonia prolixe citarunt in hanc rem, ex Pontificiis *Pererius lib.* 7. *comment. in Genes. pag.* 776. edit. in 4. ubi disputat, utrum Adam sit salvus, *Bellarm. lib.* 3. *de amissione gratiæ cap.* 12. *Torniell. in Annal. ad ann.* 930. *num.* 9. ex nostris (saltem hactenus) *Vossius* loco supra §. *III.* citato, ita tamen ut post illorum messes etiam spicilegium sit relictum, additis nonnullis quorum illi haud mentionem fecerunt. Quos ideo eundo per secula, ordine ad testimonium dicendum suis locis citabo, ut eo melius de ratione traditionis constet etiam in hoc dogmate ecclesiastico, in quo res magno consensu tradita, modus non absque dissensu determinatus.

XII. Itaque *Seculo II.* primus occurrit σύγχρονος & antagonista Tatiani *Irenæus* Lugdunensis Episcopus, locis supra §. *VI.* & *VII.* citatis, quo nemo vehementius & pluribus, & ex professo, pro salute Adami pugnavit. Excipit hunc *Seculo III. Tertullianus* Afer, loco jam supra §. *VI.* citato, ubi de Tatiano: *Totus secundum Valentinum sapit*, adjiciens illud, *Adam nec salutem consequi posse, quasi non si rami salvi sunt, & radix salva sit.* Cum quo alia similia conveniunt. Sic *libr. de pœnitentia, in fin. cap. ult. Peccator enim omnium notarum cum sim* (ita de seipso loquitur) *nec ulli rei nisi pœnitentiæ natus, non facile possum super illa tacere, quam ipse quoque & stirpis humanæ & offensæ in Dominum princeps Adam, exomologesi restitutus in paradisum suum, non tacet.* Quod clarius explicat *lib.* 2. *adversus Marcion. cap.* 25. ubi de verbis, *Adam ubi es?* agit: *Interrogabat* (inquit) *Deus quasi incertus, & hinc liberi arbitrii probans hominem in causa aut negationis aut confessionis, ut daret ei locum sponte confitendi delictum & hoc nomine relevandi.* Et paulo post. *Ideoque nec maledixit ipsum Adam nec Evam, ut restitutionis candidatos, ut confessione revelatos.* Et jam antea dixerat *cap.* 10. *Certamini enim dedit spatium, ut & homo eadem arbitrii libertate elideret inimicum qua succiderat illi, probans suam non Dei culpam: & ita salutem dignè per victoriam recuperaret, & diabolus amarius puniretur, ab eo quem eliserat ante devictus, & Deus tanto magis bonus inveniretur, sustinens hominem gloriosiorem in paradisum ad licentiam decerpendæ arboris vitæ jam de vita regressurum.* Quibus adde quæ in libris *adversus Marcionem* carmine conscriptis *lib.* 2. habet.

Golgotha locus est, capitis calvaria quondam:
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit:
Hic medium terra est, hic est victoria signum.
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum.
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.
Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
Pulvis Adæ ut possit veteris cum sanguine Christi
Commixtus, stillantis aquæ virtute levari.
Hæc ovis est una, quam se per Sabbatha vivam
Inferni è puteo statuit subducere pastor.

XIII. In eandem sententiam eodem seculo tertio *Origenes tractatu* 35. *in Matth.* scribit: *Venit ad me traditio quædam talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est ubi crucifixus est Christus: ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur: ut in loco illo qui dicitur Calvariæ locus, id est locus capitis, caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi passus est & resurrexit. Inconveniens enim erat ut cum multi ex eo nati remissionem acciperent peccatorum & beneficium resurrectionis consequerentur, non magis ipse pater omnium hominum hujusmodi gratiam consequeretur.* Cui jugendus autor libri *de Cardinalibus operibus Christi*, qui inter opera *Cypriani* occurrit, & si non illius est, saltem ad ista tempora pertinet. Ibi enim *in serm. de resurrect.* hæc legimus: *Ita nos ad Christum pertinentes, cujus sanguine conspersa creditur Adam calvaria, qui sub loco quo crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis: ejusdem sanguinis sanctificati elapsu lætemur & delectemur in Domino.*

XIV. Lubens his addo *Lactantium* qui sub ejusdem seculi exitum floruit, quoniam testimonium ejus in hanc rem non ita obvium, obiter illum legenti, atque exinde aliis neglectum, non minus tamen evidens, si modo mens ipsius ex con-

contextu rite eruatur. Nam *lib. 7. Instit.* qui de *divino præmio* inscribitur, *cap. 5.* de hominis creatione agens, postquam probasset, mundum propter hominem atque hominem propter Deum conditum esse, & sic ingressus esset disputationem de summo bono & origine mali, ostendens, necessario malum cum bono fuisse conjungendum ad exercitationem virtutis, ut certamini, adeoque & præmio, locus esset, objectionem quandam proponit his verbis: *Non me præterit, quid hoc loco à peritioribus possit opponi. Si bonum sine malo esse non potest, quomodo primum hominem dicis ante offensum Deum in solo bono fuisse, aut postea in solo bono futurum?* Ad cujus membrum posterius quibusdam interjectis ita respondet: *At enim postea hominem necesse est & sapientem esse & sine ullo modo beatum. Sed id fieri non potest, quamdiu anima domicilio corporis induta est. Quum vero factum fuerit corporis animæque dissidium, tunc malum à bono separabitur. Et sicut corpus interit, anima manet, ita malum interibit & bonum permanebit. Tunc homo accepto immortalitatis indumento, erit sapiens, expers mali, sicut Deus.* Quamvis enim hæc in genere & in futuro per schematismum quendam oratorium à Lactantio Scriptore eloquentissimo proponantur, tamen ad primum hominem potissimum referenda, & ipsa objectio atque responsionis ad eandem ratio, & immediatè præcedens *principis generis humani* mentio, apertissimè evincunt.

XV. Porro *Seculo IV.* idem sensit Scriptor historiæ Ecclesiasticæ *Eusebius*, dum verba Irenæi de Tatiano sua fecit loco supra §. *VI.* citato. Evidentius autem *Athanasius* aliquot locis. Nam *in expositione fidei* non procul ab initio de Christo loquens, ita scribit: *Cum in terris versaretur, ex tenebris, lucem; ex errore, salutem; ex mortuis vitam ingressumque in paradisum demonstravit*, ἐξ οὗ ἐκβέβληται Ἀδὰμ, εἰς ὃν πάλιν εἰσῆλθε διὰ τοῦ λῃστοῦ, ὡς εἶπεν κύριος, σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ, id est, *ex quo Adam ejectus fuit, in quem rursus intravit per latronem, ut inquit Dominus, hodie mecum eris in paradiso.* Ubi cum ænigmati simile sit, quomodo Adam dici possit per latronem rursus in paradisum intrasse, evolutio petenda videtur ex *quæst. 19. ad Antiochum*, ibi enim sic earum autor loquitur: *Justorum animæ post Christi adventum & mortem, id quod de latrone in cruce discimus, in paradiso sunt. Non enim propter solam latronis animam Christus Deus noster paradisum aperuit, sed etiam ob reliquas omnes Sanctorum animas.* Et *quæst. 44.* agens de locis sanctis passionum Christi, etiam inter ea recenset *Jordanem*, ἔνθα τὸν Ἀδὰμ ἀνεκαίνισεν, *ubi Adamum renovavit.* Quod ad baptismum Christi in Jordane respicit, sane *quæstiones* illæ *ad Antiochum* multa habent singularia, de quibus constat quod non sint *Athanasii.* Non quidem ob tres *Bellarmini* rationes, quæ totidem errores exhibent, cum nec *quæst. 23.* Athanasius, nec *quæst. 129.* S. Gregorius Theologus citetur, nec denique *quæst. 108.* Romani Francorum genus dicantur; sed ob elogium *Epiphanii* tanquam defuncti, qui multis annis post Athanasium vixit, & ad annum 14. Theodosii pervenit, cum Athanasius sub Valente sit mortuus, prout utrumque ex *Hieron. de Script. Eccles.* evidens. Legitur autem illud *quæst. 3.* ὁ δὲ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν καὶ θαυματουργὸς Ἐπιφάνιος ὁ Ἀρχιεπίσκοπος Κύπρου, εἰς τὸν λόγον αὐτοῦ τὸν κατὰ Παύλου τοῦ Σαμοσατέως &c. Etsi vero quæstiones illæ non sint Athanasii, sunt tamen scriptoris eruditi ejusdem ætatis: uti colligo ex *quæst. 136.* ubi à Daniele propheta ad suum tempus, annos dicit esse amplius octingentos.

XVI. Clarissimum vero pro salute Adami testimonium in *Athanasii libro de passione & cruce Domini* extat, quod *Oper. Tom. 1. pag. m. 1003.* habetur: ὅθεν οὐδὲ ἀλλαχοῦ πάσχει, οὐδὲ εἰς ἄλλον τόπον σταυροῦται, ἢ εἰς τὸν κρανίου τόπον, ὃν Ἑβραίων οἱ διδάσκαλοι φασὶ τοῦ Ἀδὰμ εἶναι τάφον. ἐκεῖ γὰρ αὐτὸν μετὰ τὴν κατάραν τετάφθαι διαβεβαιοῦνται. ὅπερ εἰ οὕτως ἔχει, θαυμάζω τοῦ τόπου τὴν οἰκειότητα. ἔδει γὰρ τὸν Κύριον, ἀνανεῶσαι θέλοντα τὸν πρῶτον Ἀδὰμ ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ παθεῖν. ἵνα ἐκείνου λύων τὴν ἁμαρτίαν, ἀπὸ παντὸς αὐτὴν ἄρῃ τοῦ γένους. καὶ ἐπειδὴ ἤκουσεν ὁ Ἀδάμ. γῆ εἶ καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ διὰ τοῦτο πάλιν ἐκεῖ τέθειται: ἵνα τὸν Ἀδὰμ εὑρὼν ἐκεῖ λύσῃ μὲν τὴν κατάραν, ἀντὶ δὲ τοῦ γῆ εἶ καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ, λοιπὸν εἴπῃ ἔγειρε ὁ καθεύδων, καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστὸς καὶ πάλιν. ἀνάστα καὶ δεῦρο ἀκολούθει, ἵνα μηκέτι τεθῇς ἐπὶ γῆς ἀλλ' ἐν οὐρανοῖς ἀνέλθῃς. h. e. *Unde etiam est quod alibi patitur, neque in alio loco cruci igitur quam in calvariæ loco, quem magistri Hebræorum dicunt esse Adami sepulchrum. Ibi enim post maledictionem eum humatum esse asseverant. Quod si ita se res habet, miror ejus loci genium & proprietatem. Oportebat enim Dominum, cum vellet renovare primum Adam, in eo loco pati, ut illius abolito peccato, ab universo ejus generi illud profligaret. Jam vero quia audierat Adam:* terra es & in terram reverteris; *ideo illic denuo positus est, ut Adamum inibi inventum à maledictione liberaret: & pro istis verbis,* terra es & in terram reverteris; *eidem diceret:* Excitare qui dormis, & surge ex mortuis, & illuminabit te Christus: *& rursus,* surge age, & sequere me: *ut non ulterius in terra consistas, sed ad cœlos ascendas.*

XVII. Æque clarum est illud *Hilarii in comment. in Matthæum, canone 8.* ubi de paralytico *Matth. 9.* agens, ad Adamum allegorice transfert quæ de ipso narrantur. *Non dicitur* (inquit) *paralytico: Sanus esto, non dicitur: surge & ambula, sed dicitur:* Constans esto fili, remissa sunt tibi peccata tua.) *In Adam uno peccata universis gentibus remittuntur. Hic itaque Angelis ministrantibus curandus offertur, hic filius nuncupatur, qui primum Dei opus est: huic remittuntur animæ peccata, & indulgentia primæ transgressionis ex venia est.* Et paulo post. *Satis fuerat dixisse,* surge: *Sed quia omnis erat perficiendi operis ratio explicanda; adjecit:* (Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.) *Primum remissionem tribuit peccati, dehinc virtutem resurrectionis ostendit, tum sublatione lectuli, infirmitatem ac dolorem corporibus docuit abfuturum: postremo reditum in domum propriam, iter in paradisum credentibus esse redhibendum, ex quo Adam parens universorum peccati labe dissolutus excesserat.*

XVIII. Idem quoque pluribus locis *Gregorius Nazianzenus* affirmat. *Orat. I.* de beneficio passionum Christi præcipue in cruce, sepultura & resurrectione agens, subjicit: ταῦτα πάντα παιδαγωγία τις ἦν περὶ ἡμᾶς τοῦ θεοῦ, καὶ τῆς ἀσθενείας ἰατρεία τῆς ἡμετέρας, τὸν παλαιὸν Ἀδὰμ ὅθεν ἐξέπεσεν, ἐπανάγουσα, id est, *Hæc omnia divinæ cujusdam disciplinæ erga nos loco erant, infirmitatisque nostræ velut medicina quædam, veterem Adamum eo, unde exciderat, reducens.* Et clarius *Orat. 18.* quæ in laudem Cypriani scripta. *Cum* (inquit) *multa nos ad melioris vitæ studium ducant, atque ad virtutem erudiant, ratio, lex, Prophetæ, Apostoli, ipsique adeo Christi, primi martyris, cruciatus, qui crucem conscendit meque secum ducit, ut peccatum meum affigeret, & de serpente triumpharet, & lignum sanctificaret, & voluptatem vinceret,* καὶ τὸν Ἀδὰμ ἀνασώσῃ, *& Adamum salute afficeret.* Clarissime autem *Orat. 31.* quæ est in illud Matth. 19. *Cum consummasset Jesus hos sermones &c. Si* (ait) *deteriora expendis, peccavit mulier: eodem quoque modo Adam peccavit. Utrumque serpens decepit atque in fraudem impulit: non altera infirmior inventa est, alter fortior. At meliora consideras.* Ἀμφοτέρους σώζει Χριστὸς τοῖς πάθεσιν, ὑπὲρ ἀνδρὸς σὰρξ ἐγένετο, τοῦτο καὶ ὑπὲρ γυναικός. ὑπὲρ ἀνδρὸς ἀπέθανε; καὶ ἡ γυνὴ τῷ θανάτῳ σώζεται. h. e. *Utrumque Christus passionibus suis salute donat. Pro viro caro factus? Pro muliere item. Pro viro mortem subiit? Ipsius item morte mulieri salus parta est.*

XIX. Eodem seculo occurrunt hæresiologiarum Scriptores *Epiphanius & Philastrius*, quorum uterque id inter errores *Tatiani* refert, quod dixerit, Adamum non salvari, ut supra §. *VI.* indicatum. Occurrit etiam *Ambrosius*, ex cujus nonnullis locis satis apparet, eundem salutem Adami credidisse. Scrupulum quidem injicere possent hæc ejus verbis *in Psal. 36.* qui nobis 37. est. *Adam autem quoniam non exspectavit Dominum (quomodo enim exspectavit qui refugit) & offerre se timuit: ideo nec Dominus eum videre dignatus est.* Oculi enim Domini super justos. *Hunc autem eo usque videre nolebat, ut quæreret dicens:* Adam, ubi es? *Qui quæritur, pro absente habetur. &c. Ergo Adam quasi peccator locum suum servare non potuit. De paradiso ejectus, in castellum est relegatus, ut ageret pœnitentiam. Accepit dilationem, ne continuo penitus interiret, ut salva fieret Eva per generationem filiorum, fidem Sancti Abel, prophetarum gratiam, Ecclesiæ posteritatem. Sed quia per hæc redimi noluerit & in peccato perseverandum duxerit, de eo dicit Propheta:* Et adhuc pusillum & non erit peccator &c. Videtur enim hic salutem soli Evæ, excluso Adamo, adscribere, qui, non continuo quidem, penitus tamen interierit, redimi noluerit, in peccato perseverandum duxerit. Sed aliud sensisse patebit, si conferatur locus *in Psal. 39.* qui nobis 40. ubi eadem verba *Adam, ubi es?* considerat. *Non dixerat Adæ: mecum eris: quia sciebat esse casurum, ut redimeretur à Christo. Felix ruina, quæ reparatur in melius: ideo jam pius pastor, bonus negotiator gregem suum & mercem propriam non reliquit.* Et paulo post. *Vis scire quia cum Christo Adam non erat. Dixit ei Dominus:* Adam ubi es? *Quem utique quasi absentem requirit; non autem diceret:* Ubi es; *si eum in se*

mane-

manere cognosceret. Sed quis eum absentem fecerit, audiamus. Absconderunt se, *inquit*, ambo à facie Domini. *Omnes videt Christus: Sed qui se abscondit, abscondetur: quoniam qui ignorat, ignorabitur. Cognoscit enim eos Dominus qui sunt ipsius. Ille omnes suos vult esse, quos condidit & creavit. Utinam tu homo non fugias & te ipse à Christo abscondas. Ille etiam fugientes requirit, & absconditos non vult perire, sed clamat dicens:* Adam, ubi es? *hoc est, homo ubi es? Ego te in lumine posui, tu tenebras requisisti. Denique in paradiso, ubi semper matutinus erat dies, vesper est factus: quoniam omnia peccata tenebrosa sunt. Ideoque habes, quia audierunt vocem Domini Dei deambulantis ad vesperam in paradiso. Simul cognosce mysterium. Mane errasti: ad vesperam liberaberis.*

XX. Eodem pertinet quod *sub init. comment.* in eundem *Psal.* 39. ait, quod Adamus Christum exspectarit. *Exspectavit eum Adam de paradiso ejectus ut longo liberaretur exilio.* Et *in Psal.* 42. qui nobis 43. ad verba: *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Pulchre dixit* (inquit) *&* introibo, *quasi Adam. Ejecti eramus de paradiso Domini, ex quo Adam peccati sui conscius vultum Domini declinavit*, &c. *Venit Dominus Jesus, ut resuscitaret Adam.* Eo ipso enim agnoscit Adam in Christum credidisse, & resuscitatum ad salutem pervenisse.

XXI. Addamus denique *Hieronymum Epist.* 17. quæ sub nomine Paulæ & Eustochii ad Marcellam scripta. *In hac urbe* (de Hierosolyma loquitur) *imo in hoc tunc loco, & habitasse dicitur, & mortuus esse Adam. Unde & locus in quo crucifixus est Dominus noster calvaria appellatur, scilicet quod ibi sit antiqui hominis calvaria condita: ut Secundi Adami i.e. Christi sanguis de cruce stillans, primi Adam & jacentis protoplasti peccata dilueret: & tunc sermo ille Apostoli compleretur:* Excitare qui dormis & exurge à mortuis & illuminabit te Christus.

XXII. *Seculo V.* autem primus se offert *Augustinus*, non solum ubi de hæresi Tatianorum agit supra §. *VI.* sed alibi quoque satis aperte. Illustris imprimis locus est *Epist.* 99. *ad Evodium. Et de illo quidem* (inquit) *primo homine, patre generis humani quod eum ibidem* (nempe in descensu suo ad inferos) *solverit ecclesia fere tota consentit; quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit, etiamsi canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur autoritas: quanquam illud quod in libro Sapientiæ scriptum est: Hæc illum qui primus factus est patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia: magis pro hac sententia quam pro ullo alio intellectu facere videatur.* Facit eodem alius *in lib. de natura & gratia cap.* 21. ubi ad objectionem Pelagii. *Quæritur ergo parvulis tantus medicus opitulator. Et iste* (sc. Pelagius) *dicit. Quid quæritis? Sani sunt propter quos medicum quæritis. Nec ipse primus homo ideo morte damnatus est, nam postea non peccavit*; ita respondet: *Quasi aliquid postea de perfectione justitiæ ejus audierit, nisi quod commendat Ecclesiæ & ipsum domini Christi misericordia liberatum.* Adde geminum locum ex *sermonibus de tempore*, quamvis non omnes sint Augustini. *Serm.* 71. sic loquitur: *Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipso loco ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideo calvariæ locum dictum esse, quia caput humani generis, ibi dicitur esse sepultum. Et vere fratres non incongrue creditur, quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus. Et dignum erat, ut ubi ociderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia, Et sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.* Et *serm.* 104. *Denique Adam quia interroganti Domino confessus est peccatum quod commisit, veniæ redditus est.*

XXIII. Sequitur *Cyrillus Alexandrinus*, ex cujus aliquot locis haud obscure colligas, eum de salute Adami non dubitasse. Licet enim *lib.* 1. *Glaphyrorum in Genes.* dicat de Adamo agens: ὁ μὲν εἰς σάρκα μίαν ἐδέχετο τὴν γυναῖκα καὶ διόλωλε δι' αὐτῆς. *Ille quidem in unam carnem suscepit mulierem & per illam interiit*: tamen id de reatu solo, vel saltem interitu qui restaurationem non excluderet, intelligendum, patet ex eo quod paulo post, ubi *de Cain & Abel* agit, sequitur: *Divinæ potentiæ & virtuti præclarum hoc opus tribuerim, cum ea quæ non sunt ad esse traducere, tum ea quæ à recto inculpatoque statu deflexerunt ad bene esse revocare.* δέδεικται μὲν οὖν ἐν Ἀδὰμ ὁ ἐπὶ τῶδε τύπος. *Ostensus itaque est in Adam hujus rei typus.* Quod quomodo diceret, nisi credidisset, etiam Adamum qui deflexerat, per Christum ad bene esse fuisse revocatum. Id quod satis evidenter affirmat *lib.* 3. *comment. in Esaiam tom.* 5. ἅμα γὰρ πέπτωκεν ὁ Ἀδὰμ, μᾶλλον δὲ πρὶν εἰς τοῦτο καταλισθεῖν αὐτὸν ὁ προενόησεν ὁ δημιουργὸς καὶ τῆς ἐσομένης αὐτῷ κατὰ καιροὺς θεραπείας δῆλον δὲ ὅτι διὰ Χριστοῦ. *Simul enim atque cecidit Adam, imo priusquam in hoc laberetur, præcognovit conditor quæ illi suo tempore futura erat, medelam, nempe illam quæ per Christum.* Nec aliud fundamentum quam hanc Adami salutem substernit, ubi Juliano apostatæ respondet, qui ex verbis, *Gen.* 3: 22. *ne forte extendat manum &c.* Deum invidiæ alicujus coarguere voluerat. Ait enim *lib.* 3. *contra Julian.* id admirabili quadam providentia factum. *Nec enim decebat qui semel divinam etiam legem temerassent, & ventris voluptatibus victi essent, eoque miseriæ devoluti, ut & in ipsa natura corporis infirma esset lex peccati, eoque ituri in omne probrum, sempiternum in mundo hoc malum retineri, & æque ac immundos spiritus, longam & sanctissimo Deo exosam vitam pervivere. Præstabat nimirum, dixerit aliquis, iis qui in officium peccassent, non in perpetuum sempiterneque malos videri*, καταλῆξαι δὲ ὥσπερ καὶ διελάσαι πρὸς πέρας τοῦ κακοῦ, κατασωρεύοντας ἑαυτοῖς, κἂν γοῦν ἐλέου τινὸς ἐλπίδα διὰ τοῦ καθάπαξ ἐν τάξει δίκης ὑποστῆναι τὸν θάνατον. i.e. *desinere autem & veluti ad mali metam pervenire, misericordiæ certe alicujus sibi spem coacervantes, eo quod semel pœnæ loco mortem incurrissent.* Quomodo enim pervenissent ad metam mali, si finis hujus vitæ fuisset æternæ mortis initium? quomodo non fuissent immundis spiritibus similes, si citra spem restaurationis fuissent prolapsi? Et quomodo spes hæc misericordiæ consequendæ fuisset frustranea, τῆς ἐπ' αὐτῇ γαληνότητος καὶ φιλανθρωπίας τὸν ἐοικότα καιρὸν οὐκ ἠγνοηκότος Θεοῦ. *Deo clementiæ in ipsam* (sc. carnem quæ morti subjecta) *Atque humanitatis idoneum tempus non ignorante?* uti idem *Cyrillus* paulo post loquitur.

XXIV. Jungere huic licet tanquam æqualem, cui alias vehemens cum eodem Cyrillo super anathematismis ejusdem contentio intercessit, *Theodoretum* Cyri Episcopum. Is salvatum Adamum haud obscure indicat, quando *quæst.* 24. *in Genes.* ideo expulsum paradiso dicit, ut peccatum odio haberet. Γνῶναι αὐτὸν τὰς θείας δωρεὰς ἠβουλήθη ἵνα τούτων στερηθεὶς, μισήσῃ τὴν ἁμαρτίαν, ὡς τοσούτων αὐτὸν γυμνώσασαν ἀγαθῶν. *Voluit* (inquit) *illum cognoscere beneficia divina, ut iis privatus odio prosequeretur peccatum per quod tantis bonis careret.* Evidentius autem *quæst* 40. *in Genes.* ubi prohibitum, vult, arbore vitæ, non quod Deus ipsi vitam æternam invideret, sed ut ipsi mors esset medicina & pœnitentiam ageret. Μεταλαβεῖν δὲ αὐτὸν τοῦ καρποῦ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς διεκώλυσεν, οὐ φθονῶν αὐτῷ τῆς ἀθανάτου ζωῆς, ἀλλὰ τῆς ἁμαρτίας ἐπέχων τὸν δρόμον. ἰατρεία τοίνυν ὁ θάνατος, οὐ τιμωρία ἐστὶν ἐπέχει γὰρ τῆς ἁμαρτίας τὴν ὁρμήν. ὁ γὰρ ἀποθανὼν φησὶ δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας καταντικρὺ δὲ τοῦ παραδείσου διάγειν αὐτὸν προσέταξεν ἵνα τῆς ἀλύπου βιοτῆς εἰς μνήμην ἐρχόμενος, μισῇ τὴν ἁμαρτίαν, ὡς πρόξενον τῆς ἐπιπόνου ζωῆς. h.e. *Prohibuerat autem Deus, ne acciperet de ligno vitæ, non quod invideret homini vitam æternam: Sed ut peccati cursum cohiberet. Medicina igitur mors est, non pœna. Reprimit enim peccati impetum: Nam mortuus justificatus est, ait, à peccato. Jussit autem Deus Adam è regione paradisi agere, ut pristinam vitam dolore carentem revocans in memoriam, odio prosequeretur peccatum, tanquam autorem laboriosæ & ærumnosæ vitæ.*

XXV. Excipit hunc qui eodem seculo quinto medio floruit *Sidonius Apollinaris* Arvernorum Episcopus, Vir nobilissimus juxta & eruditissimus. Is *Carmine* 16. in eucharistico ad Faustum Rhegiensem Episcopum, Christum alloquens, sic inter alia canit:

Expers peccati pro peccatoribus amplum
Fis pretium, veteremque novus vice fœnoris Adam
Dum moreris de morte rapis.

Quo ipso, sive ad traditionem de Adamo in monte Calvariæ sepulto & resuscitato, sive ad alteram illam de descensu ad inferos, respexerit, salvatum credidisse, haud dubitandum videtur.

XXVI. Dehinc occurrit *Laurentius Episcopus Novariensis* primum, post Archiepiscopus Mediolanensis vigesimus quintus, qui sub initium Seculi VI. floruisse putatur, atque *in homilia de pœnitentia Bibl. Patr. Tom.* 2. *col.* 127. comparationem inter Adamum & Davidem in expositione verborum Psalmi 51. instituens, sic fatur: *Primum tempus posuit, ubi per Christum loquitur in persona Adam. Et quid dicit?* Incerta, *inquit*, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, *Et quæ sunt ista? Incertum fuit salvari Adam lapsum in mortem; sed manifesta facta est & redemptio ejus in carne, & remissio ejus in aqua. Vidi in spiritu quomodo clementia tua missa per unigenitum, & pa-*

& patrem recepit de crimine, & filium donavit saluti. Ecce incerta Sapientiæ Tuæ, quæ mihi tua dignatio revelavit! Quid ergo Adam? Ipse est qui per Christum exultat in David dicens: Domine, asperges me hyssopo, & mundabor. *Culpa enim mea me obruit, imo crimen prævaricationis fœdavit.* Sed adsperges me hyssopo: *id est aqua viva*, & mundabor. Asperges me *aqua filii Tui sacro sanguine mixta*, & mundabor, &c.

XXVII. Post hunc Seculo VII. se offert *Gregorius Magnus* Papa Romanus, qui *lib.6. Regist. Epist. 31.* scripta ad *Eulogium* Alexandriæ & *Anastasium* Antiochiæ Episcopos, pro monachis Isauriæ disputans, & negans sententiam quæ asserit animam Adæ in peccatis mortuam, in Synodo Ephesina damnatam fuisse, ita denique concludit: *Sic autem & prædictis responsalibus diximus: Adæ animam in peccato mortuam dicimus, non à substantia vivendi, sed à qualitate vivendi. Quia enim aliud est substantia, atque aliud qualitas, non est ejus anima ita mortua, ut non esset: Sed ita mortua, ut beata non esset.* Qui tamen Adam postmodum per pœnitentiam ad vitam rediit.

XXVIII. Eodem Seculo VII. adest *Isidorus Hispalensis* Episcopus, Vir eruditus & multis scriptis clarus, qui *in comment. in Genesin* (si modo est illius, & non Hildephonsi, Episcopi Toletani qui tamen & ipse eadem ætate floruit) *cap.17.* satis indicat Adamum per pœnitentiam ad vitam æternam vocatum. *Vocavit Deus Adam, ubi es? Hic ostendit, quod si qui à fide vel bonis operibus ad mendacia sua desidia labantur, non despicit illos Deus, sed adhuc ut redeant per pœnitentiam vocat: quia non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Et paulo post. *Sic tamen dimittitur à paradiso beatitudinis, ut operetur terram i. e. ut in corpore isto laboret & collocet sibi meritum redeundi ad vitam beatam, quæ paradisi nomine significatur, possitque aliquando manum porrigere ad arborem vitæ & vivere in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem vel cruciatum pœnitentiæ, per quem vita æterna recuperatur.*

XXIX. Addamus Seculo VIII. Venerabilem *Bedam in exposit. in Genes. cap. 3. Operum Tom. 4. col. 25. & 26.* propemodnm totidem verbis insistentem ſtis quæ modo ex *Isidoro* allata. *Vocavit autem* (inquit) *Deus Adam & dixit: ubi es? Ergo non desperandum est quibuslibet peccatoribus, dum & ipsi impii ad spem indulgentiæ provocantur.* Et quibusdam interjectis. *Sic autem dimittitur à paradiso beatitudinis* &c. plane ut apud *Isidorum*. Solenne enim fuit *Bedæ* flores hinc inde decerpere atque aliorum verba sua facere. Quod in ista *expositione* in *Genesin* evidens inprimis est, quæ tota videtur ex aliorum commentariis desumta.

XXX. Ex antiquioribus etiam qui nunc occurrunt, est *Moses Bar Cepha*, Syrus, Episcopus in Beth ramam & Bethteno & Curator rerum sacrarum in Mozal i. e. Seleucia Parthorum, qui seculo decimo floruisse putatur, & *in Commentario de Paradiso*, (qui ab *Andrea Masio* ex Syro idiomate in Latinum translatus. & *Bibliotheca Patr. Tom. 1.* insertus,) varia habet quæ salutem Adami ab ipso creditam demonstrant. Nam *Part. 1. c. ult.* causam afferens quare Adami commoratio in Paradiso brevis admodum fuerit: *Credibile est* (ait) *Deum, quem paradiso pulsurus erat, eum haud longo tempore tanta felicitate frui sivisse ne nimium excruciaretur: Sed mollius minusque ægre ferret, se tantis deliciis spoliari. Solet enim Deus clementer castigationem exercere.* Et *Part. 3. cap. 1.* rationes adducens, cur damnatus morte Adamus post peccatum; *merito* (inter alia dicit) *extrusus est paradiso & morte etiam damnatus, propter admissum peccatum scilicet; & simul ne ipsius pravitas foret immortalis, qualis est Diaboli. Accedit huc, ut metu mortis cujus per sententiam reus erat, causam mortis peccatum vitaret, & huic contrariæ justitiæ operam daret.* Quæ gemina sunt illis quæ supra §. 23. & 24. ex *Cyrillo* & *Theodoreto* allata. At *Part. 3. cap. 4.* diserte. *Huc addimus etiam illud, Deum, ut præscivit peccaturum Adamum lapsurumque prius quam conderet; ita præscivisse quoque se olim venturum redempturumque illum à peccato in quod incidisset, ipsiusque vetustatem instauraturum atque collapsum sublevaturum.*

XXXI. Superest ex doctoribus Ecclesiasticis antiquis qui salutem Adami asseruerunt Seculo XI. *Anselmus* Archiepiscopus Cantuariensis, qui *libro 2. cur Deus homo cap. 16.* se cum Bosone quodam colloquentem introducens, hæc habet. *Adam & Evam ad illam pertinuisse redemptionem, disputandum non est, quamvis hoc auctoritas divina aperte non pronunciet.* Ans. *Incredibile quoque videtur, quando Deus illos fecit & proposuit immutabiliter de illis facere omnes homines, quos ad cœlestem civitatem assumpturus erat, quod illos duos ab hoc excluserit proposito.* Bos. *Imo illos maxime ad hoc fecisse credi debet, ut essent de illis, propter quos facti sunt.* Ans. *Bene consideras. Nulla tamen anima ante mortem Christi, paradisum cœlestem ingredi potuit, sicut supra dixi de regis palatio.* Bos. *sic tenemus.*

XXXII. Venio nunc ad recentiores, & præcipue Theologos Reformatos, qui magno numero Adami salutem vel asseruerunt, vel saltem, ut magis probabilem admiserunt. Nam *Eutychium* seu *Patricidem* Patriarcham Alexandrinum, (qui etiam Seculo X. floruit & de quo videndus *Hotting. Bibl. Orient. pag. 71. & Hist. Eccl. Sec. X. pag. 34.*) mitto, apud eundem *Hottingerum Smegm. Orient. pag. 216.* mentionem injicientem testamenti Adami, quo præceperit cadaver suum conditum collocari in meditullio terræ, לאן מן הנאך יכונא כלצי וכלאץ כל אולאד id est, *Inde enim erit Salus mea salusque omnium meorum posterorum.* Quoniam & ipse solum hanc traditionem commemorat, & eadem quoque nulla plane nititur probabilitate, accensenda similibus, quales de *Testamento XII. Patriarcharum* feruntur, quod tamen *Bibl. Patrum Tom. V.* habetur.

XXXIII. Mitto etiam Doctores communionis Romanæ, quales, præter supra §. XI. indicatos, plures alii, & nominatim *Salianus in anal. ad ann. 930.* qui multis argumentis contra Rupertum Tuitiensem disputat; *Alphons. à Castro lib. 2. advers. hæres. fol. 34.* ubi fuse de hoc argumento agit; *Bolducus lib. 1. de eccl. ante legem cap. 7. pag. 42.* qui Adamum præservatum dicit, ne post pœnitentiam deinceps in æternum periret. Verbo, omnes, qui cum dogma hoc de salute Adami tanto consensu à Patribus sit traditum, hic quoque consensum eorundem sequuntur.

XXXIV. Protestantium Doctores idem magno numero sensisse potius demonstrare aggredior, & quidem Reformatos, de quorum consensu maxime agitur. Nam alias etiam ipse *Lutherus in cap. 3. Genes.* promissionem illam de semine mulieris Adamo & Evæ in solatium datam esse ait. Et magni nominis *Gerhardus in Locis Communibus, de imagine Dei in homine n. 93.* asserit, Adamum in filium Dei per naturam & per gratiam fuisse: & *de ecclesia n. 87.* primos parentes per veram pœnitentiam ad Deum conversos, existimat. Quæ qui dicit, salvatum fuisse Adamum simul supponit.

XXXV. Primo autem loco ex Doctoribus Reformatis produco *Theologos Leydenses in synopsi purioris Theologiæ*, quoniam liber quasi symbolicus est, & *Polyander*, *Rivetus*, *Walæus* & *Thysius* viri magni nominis fuerunt. In illa ergo *Disp. 14. de lapsu Adami thesi ultima* hæc legimus. UTRUMQUE *interim parentem per fidem in Jesum semen mulieris promissum, Deo fuisse reconciliatum ac participem factum salutis æternæ*, ASSEVERARE *non dubitamus.*

XXXVI. Sequitur *Zuinglius*, qui *operum Part. 2. in declarat. de peccato Originali ad Urbanum Rhegium fol. 119.* sic scribit. *Promittit ex fœmina nasciturum, qui publici hostis caput conterat, hujus enim insidiis imprudentes perierunt. Quod parum fideliter promisisset Deus, si ejus victoriæ fructus nihil ad Adamum rediturum fuisset. Quid enim quàm dolorem augere viro potuisset, scire venturum esse liberatorem, sese autem non fruiturum? Intellexit ergo Adam, semen hoc, non posteritati tantum,* SED SIBI QUOQUE SALUTARE FUTURUM, *attamen temporis articulum, quo venturum erat, ignorabat.*

XXXVII. Hunc excipit *Zanchius*, qui *Oper. Tom. 7. de perseverantia sanctorum*, disputans, ad exemplum Adami pro apostasia Sanctorum allatum, inter alia sic *p. 119.* respondet. *Adamum à gratia Dei prorsus excidisse, neque probari potest, neque concedendum est. Angeli qui in veritate non steterunt, ii à gratia prorsus excidisse proprie dicuntur: at non ita Adamus. Mox enim post peccatum resipuit: Nam quod Doctor quidam istud probare conatur à pœna quæ illius peccatum consecuta est, nihil agit. Probat quidem illum peccasse, & quidem gravissime, propter quod peccatum reus fuit factus æternæ mortis & iræ Dei. Sed illum à gratia prorsus excidisse, minime probat.*

XXXVIII. Huic addo *Andream Willetum*, doctissimum Theologum Anglum & multis scriptis editis clarum. Is enim *in Hexaplis in Gen. cap. 2. quæst. 28.* exponens, quod genus mortis Adamo Deus interminatus sit: *Adam primo mortuus est* (inquit) *anima, innocentiam perdens, mortuus etiam corpore, in pulverem rediens, subjectus quoque morti æternæ tam corpore quam anima, but from that he was redeemed by Christ*, i. e. sed ab hac per Christum redemptus. *Ibid. conf. 5.* Bellarmino respondens, exemplum Adami opponenti, quo probet non omnia peccata esse venialia electis & fidelibus; sic loquitur: *Dicimus*,

mus, quod etiamsi peccatum Adami natura sua fuerit damnabile, yet by Gods grace through Christ it was made veniall & pardonable to Adam, unlesse Bellarmine say with the heretické Tatiane, that Adam was damned, i. e. Gratia tamen Dei per Christum factum id est Adamo veniale & remissibile, nisi Bellarminus cum hæretico Tatiano dicere velit, Adamum fuisse damnatum.

XXXIX. Inter primos vero recensendus *Pareus* Theologus Archipalatinus clarissimus *in explicat. & castigatione librorum Bellarmini de amiss. grat. & statu peccati.* Nam ad *lib. 3. cap. 12.* quod est *de pœnitentia & salute primorum parentum*, ita fuse & ex professo: *Etiam hoc caput nihil ad nos: Non igitur de eo laboramus*: Sententiam, quam tuetur contra Tatianos approbamus, Quia canone charitatis confidimus ac pie tenemus, primos parentes non periisse in peccato: sed audita promissione Evangelii resipuisse, & fide servatos esse: nec solum ob traditionem Patrum, qua nititur *adversarius ex Augustino, sed firmioribus Scripturæ & charitatis argumentis. PRIMO. Parentes audiverunt promissionem Evangelii de Christo semine mulieris contrituro caput serpentis. Ergo fide ejus servati sunt. Quia non leguntur eam respuisse infidelitate. SECUNDO, charitas non cogitat malum* 1 *Cor.* 13. *& in obscuris inclinat in meliorem partem. At parentibus primis nos debemus summam charitatem post Deum. Ergo tenemur eorum pœnitentiam & salutem præsumere. TERTIO, ex fine hominis idem conficitur. Non erant conditi homines ad interitum, sed ad salutem: Etsi autem quantum ad se eo fine exciderant per peccatum, tamen Deus pro sua misericordia ex massa perdita Adami elegit servandos in Christo. In electione vero Adamum præteritum fuisse, nec scriptura docet nec charitas statuere permittit. QUARTO Christus dicitur secundus Adam: quia primum Adamum & posteros ejus servare debuit, quorum numero excludere parentes nullo jure possumus.* ZWINGLIUS Tom. 2. decl. de pecc. orig. pag. 119. *erudite & pie de hoc respondet in hunc modum*: Promittit Deus ex fœmina nasciturum &c. (Vid. supra §. *XXXVI.*)

XL. *Argumenta Irenæi* (sic pergit *Pareus l. c.*) *quædam probabilia sunt, quædam infirma ad Tatianos refutandos. PRIMO: Sententia Tatiani nova est*: adde, *in parentes impia & charitati contraria. SECUNDO, Deus non maledixit Adamo & Hevæ, sicut serpenti*: Adde huic: *non modo non maledixit, sed ad resipiscentiam invitavit & veniæ atque salutis spem fecit, data promissione de Christo redemtore. TERTIO; In signum pœnitentiæ induerunt se asperis perizomatis. Hoc infirmum. Perizomata enim induerunt ad tegendam carnis nuditatem. QUARTO: Secus bonus pastor non videretur invenisse ovem perditam centesimam. Hoc etiam parum firmum. Parabola enim Evangelii ad quosvis peccatores resipiscentes pertinet. QUINTO Diabolus posset gloriari, se à Christo victum non esse, si primi parentes ab ejus servitute non fuissent liberati: Hæc ratio probabilis. SEXTO. Epiphanius hær. 46. addit, ideo Christum fuisse crucifixum eo loco, quo fuerat sepulchrum Adami, ut & ipse sanguine Christi servaretur. Quæ conjectura ab* (a) *Hieronymo in dubium vocatur. Nos eam suo loco relinquimus.*

XLI. Huic subjungo *Wollebium*, Theologum & Antistitem Basileensem, orthodoxiæ studiosissimum, qui *Compend. Theolog. lib. 1. cap. 9.* hanc thesin ultimam ponit: *Primos parentes à Deo in gratiam receptos esse, pie credimus.*

XLII. Addo isti *Franciscum Gomarum*, orthodoxiæ in Belgio temporibus Arminianis vindicem acerrimum, qui *Operum Tom. 2. pag. 106.* ubi disputat, an Christus pro omnibus & singulis hominibus sit mortuus, ita quoque de conditione protoplastorum nervose ut solet. *Priorem autem* (inquit) *ad fœdus gratiæ vocationem* (sc. efficacem) *primis parentibus factam esse, communi sententia conceditur. Ac de Eva quidem verum ac credendum, Scripturæ indicio Gen. cap. 3. vs. 15. inimicitiam ponam inter te & mulierem hanc; quibus verbis illius mulieris h. e. Evæ cum Deo amicitia futura* (*quæ sine Christo & fide esse non potuit Rom.* 5: 1. & *Hebr.* 11: 5.) *indicatur*, De Adamo vero verisimile ac credibile existit: *partim ob reconciliationis Evæ exemplum: quæ prior tamen peccavit & Adamo peccati causa fuit. Gen.* 3: 6. & 1 *Tim.* 2: 14. *Partim quia contrarium in Sacris Literis minime traditur*, ideoque vel hac ratione ex charitatis lege, in re ancipiti in meliorem partem judicandum.

(a) *Comment. in Matth. c.* 27. & *Ephes.* 5.

XLIII. Succedit *Ludovicus Crocius*, Theologus Bremensis non minus clarus, qui *Syntagmatis Theologiæ lib. 3. c. 38. pag.* 911. hanc quoque quæstionem attigit & determinavit: *Distinctissimæ* (inquit) *quæstiones sunt*, quid Adamus peccando sit promeritus, &, num pœnas istas, quas merebatur, fuerit perpessus. *Etsi enim non tantum temporalem, sed & æternam mortem meritus est, tamen æternis suppliciis non est damnatus, sed sanatus est passione Secundi Adami, ut ex consensu orthodoxæ antiquitatis docet Vossius disput. de pecc. primi Adami quæst. 5. pag. 51. & seq.*

XLIV. Sit ergo ex Doctoribus Reformatis pro affirmativa stantibus hic quoque *Ger. Joh Vossius*, literator & antiquarius facile primi nominis, à cujus calamo, in tam multis scriptis nihil prodiit, quod non profundam eruditionem cum studio indefesso & acri judicio conjunctam præ se feret, tum Collegii Theologici in Acad. Leydensi Regens cum istas Disputationes Theologicas ederet multa eruditione refertas, sed partibus Arminianis addictior, quarum patrocinium in *Historia Pelagiana* suscepit. Is loco quem *Crocius* citat has duas theses proponit & explicat. *th. I. Quincta quæstio erat, utrum Adamus propter peccatum luat pœnas æternas. Sane certum est, non tantum temporalem mortem meritum esse, sed etiam vitæ æternæ & regni cœlestis privationem: cujus rei, ejectio e paradiso typus fuit: nec tantum privationem tanti boni: verum etiam Gehennæ cruciatus. Quæ omnia Dominus complexus fuit comminatione illa Gen.* 2: 17. *Quacunque die comederis, morte morieris. th. II.* Nec tamen Adamus idcirco æternis suppliciis damnatus fuit, qui Tatiani error erat: Sed, ut communis Scriptorum Ecclesiasticorum sententia est, sanatus est passione Secundi Adami, Jesu Christi.

XLV. Jungo huic eruditum Theologum Anglum *Edoartum Kelletum* S. Th. D. & Ecclesiæ Cathedralis Exoniensis Canonicum: qui *Miscellaneorum Theol. lib.* 1. *cap.* 5. §. 6. multis argumentis pro salute Adami disputat. 1. Ex loco Sap. 10: 1. 2. Ex traditione de pœnitentia Adami, quam confirmet *spelunca Adami*, quæ hodienum non procul ab agro Damasceno spectetur in qua rupes & in ea geminus lectus lapideus Adami & Evæ, ubi toto seculo fleverint. 3. Ex eo quod typus fuerit Christi Rom. 5: 15. Nullum autem eminentiorem typum Christi periisse. 4. Quod cadaver ejus in monte Calvariæ situm conspersum sanguine Christi morientis, & ipse una cum aliis Sanctis V. T. tum resurrexerit. Si tanta cura corporis, quanto magis animæ fuit. 5. Quod si rami salvi & radix salva, quod Tertulliani argumentum. 6. Quod Deus terræ quidem & serpenti, protoplastis vero non maledixerit. 7. Quod promissione Messiæ Gen. 3: 15. eosdem fuerit solatus. 8. Quod Adamus filius Dei vocetur Luc. 3: 38. 9. Quod gloriosum fuerit Christo primam servare ovem perditam & alias Diabolus gloriatus fuerit. 10. Quod præcinctoriis ex foliis ficus pungentibus pœnitentiam ostenderit. 11. Quod absurdum sit primum regem sacerdotem & prophetam orbis condemnatum. Et quæ similia *Saliani* vestigiis insistens profert.

XLVI. Porro inter illos qui Adami salutem pie credendam existimarunt *Maresius* quoque est, Theologus Groninganus celeberrimus, & qui quoad in vivis fuit præ cæteris orthodoxiæ vindex & assertor voluit haberi. Nam *System. Loc. 6. de peccato & pœna peccati* §. 35. ubi recensuisset quæ protoplastis Gen. 2: 16, 17, 18, 19. denunciata, ita concludit: *Hæc tamen omnia sic consideramus tanquam peccati ipsius consequentia respectu primorum nostrorum parentum, ut nihilominus utriusque reconciliationem cum Deo per fidem in semen promissum, & ex illa salutem æternam, pie credamus.*

XLVII. In eandem sententiam propendit Clarissimus Theologus Ultrajectinus *Andreas Essenius*, *System. Part.* 1. *Disp.* 3. *ad tit. X. de peccato* §. 33. ubi effecta peccati primi protoplastis communia recenset. Eorum septimum ipsi est, *mors ipsa temporalis atque æterna: & in hac cruciatus primum in anima separata perferendi, deinde toto supposito in æternum*, nisi per fidem Christi gratiæ Evangelicæ facti sint participes (quod quidem ut ad admodum probabile amplectimur faciles) Gen. 2: 17. &c.

XLVIII. Quibus in Domino jam pie defunctis Theologis addo duos, qui hodie dum fama eruditionis, laboris indefessi, & studio bene merendi de publico florent, atque Adami salutem una cum cæteris defendunt. Quorum prior *Joh. Henricus Heideggerus*, in illustri Lyceo Tigurino Theologus magnorum meritorum, imprimis in tuenda adversus Romanenses per Helvetiam orthodoxia, *in Exercit. Selectis de Historia Sacra Patriarcharum Exerc. IV.* quæ de *Adamo & Eva* inseri-

ſcribitur. §. LXXII. hæc habet. *De Adami in triſti exilio ſtudiis nihil traditum ab Moſe.* „Hoc ipſum & Evam inſa- „tiabiliter egiſſe, pie, contra quàm quondam hæretici ſenſe- „runt, credimus, ut in gratiam cum ſuo creatore redirent. *Invitaverat ipſum illuſtris promiſſio de ſemine mulieris, à qua Evam dictam matrem viventium, ſupra animadvertimus. Sacrificaſſe videtur Deo atque hac* σωματικῆ γυμνασίᾳ *ſuam in Soſpitatorem Jeſum, qui pretioſum aliquando ſanguinem pro noxio erat reatu interpoſiturus, fiduciam teſtatiſſimam edidiſſe. Pererio hæc una ratio, quod ſalvatus Adamus fuerit, validiſſime placet*, quia ſepultus in monte Calvariæ, ut qui primus peccati fuerat author, primus etiam vim crucis Chriſti experiretur. *Hoc accepiſſe ſe dicit ex Origene, Athanaſio, Cypriano, Ambroſio, Auguſtino, Theophylacto. Jam olim ob hanc Sententiam Origenem deriſit Hieronymus in cap.* 27. *Matth. quia Adamus in Hebron fuerit ſepultus, & latro alter Chriſto à latere pendens vim crucis Chriſti nullam ſenſerit. Pœnitentiam autem egiſſe Adamum apud R. Eliezer cap.* 20. *Judæi agnoſcunt. Imo Cabbaliſtæ in Jetzira ſcribunt*: Deum miſiſſe Angelum Razielem Adami præceptorem, qui ipſum ſolaretur.

XLIX. Alter eſt *Franciſcus Burmannus*, Theologus Ultrajectinus, qui *in Synopſi Theol. lib.* 2. *c.* 8. §. *XXVI.* hanc quoque quæſtionem attigit & accurate, ut ſolet, decidit. *Cum autem* (inquit) *omnes has pœnas commeritus ſit homo, ac partim pertulerit, dubium hinc oritur, an primi parentes damnati ſint? Quod temere nimis inter veteres quidam affirmarunt, præſertim Novatiani, id in hæreſeos ſuæ firmamentum rapientes: alii autem addubitarunt, quia in fidelium catalogo Hebr.* 11. *quem ab Habele Apoſtolus demum exorditur, non comparent. Sed falſo. Mox enim poſt lapſum in gratiam recepti leguntur: & primæ promiſſionis auditores fuerunt, cui procul dubio fidem habuerunt, cum ſecuturo mundo ejus veluti obſides, & divinæ gratiæ amplectendæ poſteris ſuis auctores ac exemplar fuerint. Unde & Eva, poſt lapſum* nomen matris viventium *ſortita eſt, quod ab Abele & Caino certe, quos infauſto partu ediderat, vel univerſa poſteritate quam in mortem omneſque calamitates genitura erat, accipere non potuit, ſed à longe meliore ſemine, cujus mater exiſtere non potuiſſet, ſi divinam promiſſionem non ante fide acceptaſſet. Sed & nomina quæ liberis deinde impoſuit, præſertim illuſtre illud Caini, quem tanquam maximum Dei donum amplexa, & in infante iſto vel ipſum ſemen promiſſum, vel ejus ſaltem venturi pignus ſeſe tenere exiſtimans, ea ipſa à re denominavit, ut & Sethi, ac alia, quæ teſtabantur ipſam de progenie & poſteritate ſua non deſperare; ut & ſacrificiorum oblatio, quam ex ſpeciali fiducia factam in Habele ipſorum filio conſtat*, cum fide potius ſacrificium præ Caino obtulit Deo *Hebr.* 11: 4. *quid niſi fidei ipſorum manifeſta profeſſio fuerunt?*

L. Sed propemodum omiſeram qui primo loco ad teſtimonium dicendum fuiſſet producendus Theologorum Reformatorum Principem *Calvinum*, quem, quoniam ſupra §. *X.* in ſuſpicionem denegatæ Adamo ſalutis immerito vocavi, nunc à calumnia quam hoc nomine ſuſtinuit vindicabo, & Adamo ſalutem ab eodem adſcriptam diſerte fuiſſe, evidenter demonſtrabo. Dixerat is objectioni per occupationem occurrens *Inſtit. lib.* 3. *cap.* 23. §. 7. *Diſertis verbis hoc extare negant, decretum fuiſſe à Deo ut ſua defectione periret Adam.* Id in argumentum calumniæ arripuit *Dominicus Gravina*, Neap. Ordinis Prædicatorum, congregationis S. Mariæ ſanitatis, Provinciæ Regni Provincialis, & in Univerſitate Neapolitana Theologicæ Cathedræ Primarius Profeſſor, in (a) *Præſcriptionibus catholicis adverſus omnes Veteres & noſtri temporis hæreticos*; quando *lib.* 4. parallelismum inſtituens inter Veteres hæreticos & Novatores, ut vocat, cum Tatiano hæretico, Adæ ſaluti contradictionem facienti, confert *pag.* 637. Calvinum. *Non longe* (inquit) *eſt Calvinus à Tatiano dum dixit lib.* 3. *cap.* 23. §. 7. & 8. *decretum fuiſſe à Deo, ut ſua defectione periret Adam.* Verum de reatu ſolo loqui *Calvinum* totus contextus docet. Atque idipſum agnoviſſe videtur Jeſuita *Romæus* qui *in Effigie Calvini*, voluminoſo opere quod mater peperit calumnia, *Calvinum* torturæ ſubjiciens, nihil tamen hic reperit quod notaret nullumve colorem quo *Spectaculum VI.* exornaret.

LI. Quid autem *Calvinus* de ſalute Adami ſenſerit, ſatis planum evadit ex variis ejus locis, quæ relegenti *commentarium* ejuſdem *in Geneſin* occurrunt. *In cap. III.* 14. *Poterat* (inquit) *etiam jure ſuo de illis ferre ſententiam, licet inauditis: de Adam dico & Heva.* Cur ergo ad diſquiſitionem vocat, niſi quod curæ habet eorum ſalutem? *Doctrina hæc in uſum noſtrum applicanda eſt, Nulla cauſæ actione, aut ſolemni judicii forma opus eſſet ad nos damnandos. Quare dum in hoc Deus incumbit ut confeſſionem à nobis extorqueat, medicum potius agit quam judicem. Eadem ratio eſt cur Dominus antequam hominibus pœnam irroget initium faciat à ſerpente. Alia enim pœnæ (ut videbimus) caſtigatoriæ ſunt; ac eo conſilio inflictæ ut ad reſipiſcentiam adducantur: in hac nihil tale.* Et *in cap. III.* 19. *Reſtat una quæſtio expedienda: cum prius, data ſpe veniæ, Deus ſe Adæ & uxori propitium oſtenderit, cur de integro pœnam ab illis expetere incipiat.* "In illa certe ſententia, ſemen mulieris percutiet caput ſerpentis, continebatur peccatorum remiſſio" & æternæ ſalutis gratia." Et imprimis *ad verſ.* 22. paulo poſt verba quæ ſupra §. *X.* relata. *Ut ſe priore vita privatum eſſe intelligat, ſolennis excommunicatio additur*, non" quod illi Dominus ſpem omnem ſalutis præcidere voluerit:" *Sed tantum auferre quod dederat, ut nova alibi ſubſidia quæreret. Reſtabat autem in ſacrificiis expiatio*, quæ illum re-" ſtitueret in vitam quam perdiderat." *Prius communicatio cum Deo, Adæ vivifica erat: ex quo inde alienatus eſt*, vitam recuperare oportuit in Chriſti morte, cujus vita" tunc vivebat. Et *ad verſ.* 23. Tenendum eſt memoria" quod diximus, non ita dejectum fuiſſe Adam, quin ſpes" veniæ illi relicta fuerit." *Exulabat ab illo regio palatio, cujus Dominus fuerat, ſed alibi locum adeptus eſt quem inhabitaret* &c. Denique *ad cap. IV.* 2. *Porro memoria hic repetere convenit quod prius diximus*, primos homines" ſic privatos fuiſſe divini amoris ſacramento, quum à vitæ ar-" bore fuerunt prohibiti, ut ſpes illis ſalutis relicta fuerit, cujus" in ſacrificiis teſſeras habebant."

LII. Ex horum vero omnium teſtimoniis jam conſtat, mitius circa hanc rem ſenſiſſe præcipui nominis Theologos Reformatos, quotquot fere ex profeſſo hanc quæſtionem attigerunt, eoſdemque exiſtimaſſe, etiamſi nihil haberetur in Scripturis, unde hæc quæſtio poſſet decidi, in re tamen dubia in meliorem & benigniorem partem inclinandum. Sed non tres hæc adeo penitus obſcura eſt, quin adſint fundamenta, quibus, ex ipſa S. Scriptura petitis ſalus Adami innitatur, quorum pleraque in teſtimoniis veterum & recentiorum antea relatis occurrunt, ſed cum delectu accipiendo, quoniam non omnibus idem robur ineſt, & quædam levia ac falſis hypotheſibus inædificata. Unde operæ pretium puto, eruderare firmiora, & rejectis inanibus allegoriis & figmentis, *ſalutem Adami* in ſolido locare.

LIII. Infirmum ante omnia eſt quod ex libro Sapientiæ profertur ab *Auguſtino* ſupra §. *XXII.* & *Melieto* §. *XLV.* Liber enim apocryphus eſt, nec canonicæ auctoritatis, etiam ipſi *Auguſtino*, uti evidens conferenti locum *lib.* 2. *de doctrina Chriſtian. c.* 8. cum *lib.* 2. *retract. c* 4. Ut ſane (quod obiter noto) *Bellarminus* iſtius *incredibilis impudentiæ* ſit ipſemet reus quam *lib.* 1. *de Verbo Dei cap.* 13. §. *Et quoniam*, his verbis *Kemnitio* affingit. *Et quoniam Kemnitius incredibili impudentia hunc locum Auguſtini truncate citat & aſſerit, aperte ex hoc loco colligi, hunc librum non fuiſſe Auguſtino divinum & infallibilis veritatis: totum locum audiamus* &c. Imo totum locum *Kemnitii* audiamus, & calumnia patebit. Sic ergo ille *in examin. Conc. Trident. tit. de ſcriptura Canonica. Extat* (inquit) *præterea alius locus apud Auguſtinum, unde adhuc manifeſtius colligitur, tempore Auguſtini iſtorum librorum de quibus controverſia eſt non fuiſſe parem authoritatem ſicut aliorum vere canonicorum. Nam de prædeſtinatione ſanctorum lib.* 1. *c.* 14. *D. Auguſtinus dicit ſe uſum teſtimonio ex libro Sapientiæ: Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus. Et addit. Quod teſtimonium à me poſitum fratres iſtos ita reſpuiſſe dixiſtis tanquam non de libro Canonici adhibitum. Quid vero Auguſtinus? Non defendit librum iſtum vere eſſe Canonicum, ſed, inquit, quaſi excepta hujus libri atteſtatione, res ipſa non ſit clara quam volumus hinc doceri: & adhibita ſententia ex Ezechiele dicit, Hæc eſt tota cauſa, cur dictum ſit, à quocunque ſit dictum, raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.*

LIV. Nec plus ponderis ineſſe videtur argumento *Tertulliani* ſupra §. *XII. Quaſi non ſi rami ſalvi ſunt, & radix ſalva ſit.* Cum quo convenit illud *Origenis* §. *XIII. Inconveniens erat ut cum multi ex eo nati remiſſionem acciperent peccatorum & beneficium reſurrectionis conſequerentur, non magis ipſe pater omnium hominum hujuſmodi gratiam conſequeretur.* Procederet enim hoc argumentum, ſi omnes rami eſſent ſalvi, ſi omnes ex eo nati remiſſionem acciperent peccatorum. Jam verò cum omnes in illo, ſecundum Apoſtolum, moriantur & reatum ſubeant condemnationis, atque horum plures ſint quam eorum qui ſalvantur, quæ ratio, cur potius

(a) *Neapoli Anno* 1619. *editis.*

potius ab illis qui salvantur, salus, quam ab illis qui pereunt, damnatio, ad eundem debeat pervenire? Præsertim cum salus ramorum qui salvi sunt, non ab hac radice mortifera, sed ab alia, nempe secundi Adami, derivetur.

LV. Tantundem defero isti quod idem *Tertullianus* §. *XII.* à traditione desumit, quasi Adamus in monte Calvariæ sepultus loco ubi crux fixa, sanguine Christi qui de latere fluxit, fuerit relevatus. Licet enim huic *Origines*, *author de cardinalibus operibus Christi*, *Athanasius*, *Epiphanius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, aliique veterum insistant, (uti ex superioribus patuit) tanta persuasione, ut hinc pictorum fluxerit consuetudo sub cruce Christi calvariam humanam cum osse gemino appingendi: tamen id leve ac frivolum esse nulloque niti teste fide digno, alias D. V. *in dissertatione de sepulcro Adami* ostendam. Adde, quod si vel res ita se habuisset, minime admittenda sit ista vivificandi vis physica quæ sanguini Christi tribuitur, ut si quem contigisset mortuum, is ideo, vel vita, vel salute, fuerit donandus. Nam si, secundum Johannem, purgat à peccatis, id minimè vi quadam physica fit (uti homines superstitiosi crediderunt, exinde in multiplicem idololatriam prolapsi) sed potius spirituali quadam efficacia sese in justificatione & sanctificatione hominis peccatoris mediante verbo & sacramentis atque imprimis operatione Sp. Sancti intrinseca exserente.

LVI. Minus adhuc roboris est in variis istis allegoriis quæ Patrum nonnullis placuerunt, dum à sensu literali & genuino longius evagantur. v. g. de ove perdita centesima Luc. 15. cui & institit *Irenæus* merito exinde notatus *Pareo* §. *XL.* & *Tertullianus*, §. *XII.* eo allusit verbis

Hæc ovis est una, quam se per Sabbatha vivam
Inferni è puteo statuit subducere pastor.

De paralytico Matth. 9. cujus historiam Adamo applicat *Hilarius* §. *XVII.* De verbis Psalm. 37. 40. 43. 51. quæ Adamo supra *Ambrosius* §. *XIX & XX.* ac *Laurentius Novariensis* §. *XXVI.* accommodarunt. Obtinet enim & hic illud antiquum: Theologia allegorica non est argumentativa.

LVII. Idem pondus inest argumento quod hypothesi de descensu Christi locali ad inferos innititur, cujusmodi illud *Augustini* supra §. *XXII.* Nam neque patres V. T. in nescio quo limbo usque ad mortem Christi detenti fuerunt, neque Christus illos descensu suo liberare potuit, cum non descenderit ad inferos eo sensu ut vel triumpharet, vel vinctos carcere educeret, sed descensus ejus ad inferos statum & conditionem mortuorum notet eamque in Christo durante triduo mortis talem, ut videretur à morte absorptus & plane excisus Dan. 9: 26. qui infimus exinanitionis gradus. Quæ explicatio istius articuli præ cæteris commodissima videtur, ut ostensum à *Tileno*, Theologo inter primos nominando si à fermento Arminianismi sibi cavisset, *Disp Theol. Part. 2. Disp. 6. §. 36. & seq.* Quam ideo etiam secutus videtur *Cregutus* in suis *Biurim. pag. 563.*

LVIII. Claudicat quoque *Tertulliani* ratiocinatio de salute ab Adamo per victoriam liberi arbitrii recuperata & Diabolo ab eodem quem ante eliserat devicto supra §. *XII.* Miserè enim actum fuisset cum Adamo, si victoria ipsi ex viribus liberi arbitrii fuisset obtinenda, cum id esset à lapsu servum, peccato & ipsi Diabolo obnoxium, quem per se devincere haud poterat ipse captivus, nisi à semine mulieris contrituro caput serpentis esset elisus. Unde nulla Adami primi ex hac victoria gloriatio, cum triumphus Adamo secundo in solidum debeatur.

LIX. Tantumdem tribuo quinto Irenæi argumento, Diabolum potuisse gloriari se à Christo victum non esse, si primi parentes ab ejus servitute non fuissent liberati, quamvis *Pareus* supra §. *XL. rationem probabilem* dicat. Nam 1. Cum de Adamo proprie quæstio sit, salvata Eva, quam directe seduxerat serpens antiquus, quæ fuisset Diaboli gloriatio, etiamsi Adamus periisset? 2. Tot millibus à Christo ereptis & à potestate Diaboli liberatis, sane evidens erat Christi regnum Satanæ destruentis victoria, neque major Diabolo victoriam hanc negandi occasio, non erepto principe generis humani, quam ex tot millium quos ad lubitum vinctos tenet interitu.

LX. Neque etiam procedit argumentum cui plurimum insistit *Salianus* & ex illo *Kelletus* supra §. *XLV.* quod Adamus fuerit typus Christi Rom. 5: 14. Nullus autem eminentior typus ejus damnatus. Nam posito id de cæteris typis verum esse, prout nonnulli hinc quoque argumentum pro salute Salomonis petunt, certè Adamus non tam typus fuit Christi qui similitudine aliqua ipsum repræsentaret, quam antitypus, magis dissimilitudine ipsi oppositus quam similitudine collatus. Unde quamvis Christus nomen Adami secundi gerat, non nisi generaliter cum Adamo convenit, præcipuè quatenus perinde caput est suorum ac ille generis humani, effectibus licet diversissimis, cum uti ab illo salus, sic ab hoc mors & interitus ad omnes perveniat. Hinc *Parei* quartum argumentum supra §. *XXXIX.* petit τῷ ἐν ἐλέγχῳ. *Christus* (inquit) *dicitur secundus Adam; quia primum Adamum & posteros ejus servare debuit, quorum numero excludere parentes nullo jure possumus.* Nam neque hæc appellationis vera ratio esse videtur, & an primum Adamum Christus servare debuerit, vel servandorum numero excludi possint parentes, id ipsum est quod in quæstione versatur.

LXI. Nec satis firmum est argumentum *Irenæi* secundum §. *XL.* ab observatione petitum, quod Deus Adamo & Evæ non perinde atque serpenti maledixerit. Nam etiamsi maledictio Adamo & Evæ non fuit denunciata, subjectos tamen fuisse maledictioni testabatur satis quod terra maledicta esset propter Adamum. ארורה האדמה בעבורך *Genes* 3: 17. Saltem si vulgatus canon obtineat: propter quod unumquodque tale est, illud ipsum magis tale est. Imo transgressio ipsa reatum mortis æternæ inducens, eosdem quoque protoplastos maledictioni subjiciebat secundum clausulam illam fœderis operum *Deut.* 27: 26. ארור אשר לא יקים וגו *Maledictus qui non præstiterit verba legis hujus faciendo ea.*

LXII. Verum alia sunt quibus Adami salus non solum reddi probabilis, sed plane extra controversiam videtur posse locari. Nam 1. Si vel nihil haberetur in Scripturis unde aliquid certi de salute ejus posset colligi, in dubio tamen ex præscripto charitatis in benigniorem partem esset inclinandum. Hæc ratio *Parei* supra §. *XXXIX. canone charitatis confidimus ac pie tenemus, primos parentes non periisse in peccato.* Et *Wollebii* §. *XLI. Primos parentes à Deo in gratiam receptos esse*, piè credimus. Et *Gomari* §. *XLII. Ex charitatis lege, in re ancipiti in meliorem partem judicandum.* Et *Maresii* §. *XLVI.* Nam etiamsi nolim cum *Pareo* dicere, *nos parentibus primis summam charitatem post Deum debere*, cum parentes proximos credam esse, interim haud negavero, quoad jus hujus charitatis quæ non cogitat malum, teneri nos eorum pœnitentiam & salutem præsumere.

LXIII. Dehinc 2. placet etiam *Gomari* argumentum supra §. *XLII.* ab *exemplo reconciliationis Evæ* desumptum, *præsertim cum prior peccaverit & Adamo peccati causa fuerit. Gen.* 3: 6. & 1. *Tim.* 2: 14. Video enim illos qui Adami salutem negant, Evæ salutem concedere, prout certè etiam illa nequit in dubium vocari. De *Eva* (ut benè *Gomarus l. c.*) *verum ac credendum Scripturæ indicio Genes.* 3: 15. *inimicitiam ponam inter te & mulierem hanc*; *quibus verbis illius mulieris h. e. Evæ cum Deo amicitia futura* (*quæ sine Christo & fide esse non potuit Rom.* 5: 1. & *Hebr.* 11: 5.) *indicatur.* Quæ jam differentiæ ratio? Fuerit Adami culpa gravior, uti *Ambrosio* visum *in lib. de institutione virginis cap.* 4. Num Eva ideo non minus reatum damnationis incurrit? Salvata tamen creditur per fidem in Christum semen mulieris promissum. Cur non idem de Adamo credendum?

LXIV. Nec spernendum 3. videtur argumentum *Kelleti* quod l. c. §. *XLV.* ex *Luc.* 3: 38. petit, ubi Adamus terminans genealogiam Christi, dicitur ὁ Θεοῦ seu *filius Dei* fuisse. Quantumcunque enim hæc solum essent ad creationem referenda, neque ad gratiam æque ac naturam extendenda, uti à *Gerhardo* factum supra §. *XXXIV.* tamen aliquem dici *esse Dei* modo adeo singulari & tanquam *filium Dei* recenseri, non videtur posse cum ejus damnatione consistere. Saltem ego cum *Kelleto l. c. Miscell. Theol. pag.* 86. lubens fatebor: *I thinck he is too severe a judge, who saith a sonne of God is damned.* Existimo judicem hunc esse nimis severum, qui Filium Dei damnatum esse dicit.

LXV. Sed imprimis si pœnitentia Adami queat ostendi, neminem credo futurum, qui de salute ejus ausit dubitare. Unde verò hanc eruemus, cum *Rupertus Tutiensis* supra §. *IX.* asseruerit, *de illo Adam nihil usquam boni operis inveniri?* Certè non opus est ut confugiamus ad librum apocryphum *de pœnitentia Adæ* rejectum merito à Gelasio in *decreto Gratiani in c. Sancta Dist.* 15. Vel ad Judæorum commenta in *Pirke Eliezer cap.* 20. ex versione *Vorstii*. *Quodam Sabbatho ingressus est Adam aquas Gihon superioris, donec pertingerent aquæ ad collum ejus, & supplicavit septem diebus hebdomadis usque dum factum fuit corpus ejus instar cribri. Dixit Adam coram sancto benedicto.* Domine universi mundi, transeat quæso peccatum meum à me & recipe pœnitentiam meam; ut discant omnes ætates, quod sit resipiscentia, & quod suscipias resipiscentiam convertentium se. *Quid fecit sanctus benedictus?*

dictus? Extendit dextram suam; atque removit ab illo peccatum ejus & recepit conversionem ejus, juxta illud: Peccatum meum tibi notum feci & iniquitatem meam te non celavi (Psal. 32: 5.) Selah, *in hoc seculo*, Selah *in futuro seculo.* Vel ad Patrum conjecturas, quod in signum pœnitentiæ protoplasti se asperis perizomatis induerint, quando folia ficus contexebant, uti supra *Irenæus*, merito exinde à *Pareo* notatus §. *XL.* Perizomata enim illa ad tegendam nuditatem faciebant. Vel ad traditionem *de spelunca Adami*, cui ex *Adrichomio* insistit *Kelletus* supra §. *XLV.* Sic ut quod de luctu propter cædem Abelis traditio habet, ipse ad luctum ob lapsum extendat. Nam hujusmodi traditiones fabulis simillimæ sunt. Vel ad *Theodoreti* observationem supra §. *XXIV.* relatam, quod Deus *Adamum jusserit è regione paradysi agere, ut pristinam vitam dolore carentem revocans in memoriam, odio prosequeretur peccatum.* Tota enim ex versione vitiosa pendet, eo quod Græci interpretes verba *Genes.* 3: 24. וישכן מקדם לגן ערן quæ ad sequentia & Cherubinos in aditu paradysi locatos pertinent, ad præcedentia & expulsionem protoplastorum retulerint, vertentes. ϗ ἐξέβαλε τὸν ἀδὰμ ϗ κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντι τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς, ϗ ἔταξε τὰ χερουβεὶμ &c. forte quod non assequerentur, quomodo שכינה & commoratio posset ad angelos referri. Vel denique ad *Isidori Hispalensis & Bedæ*, de porrectione manus cruciatum pœnitentiæ significante supra §. *XXVIII.* & *XXIX.* ridicula & textui contraria somnia.

LXVI. Alia sunt unde pœnitentia Adami potest evinci, quam ipsi *Zanchius* supra §. *XXXVII.* tribuit. Et quidem primo huc spectare videtur quod de oculis post lapsum apertis & agnita nuditate *Gen.* 3: 7. dicitur. Potuitne igitur hæc esse sine conscientia evigilante, sine sensu status nimium quantum mutati, adeoque sine aliquo dolore jacturæ tanti boni quo antea erant ornati, & sic quoque gradu aliquo pœnitentiæ? *Ista quidem oculorum apertio* (ait *Calvinus*) *in primis hominibus, ad cernendam suam turpitudinem, clare demonstrat suo quoque judicio fuisse damnatos. Nondum vocati sunt ad Dei tribunal, nullus est qui eos urgeat: quæ sponte subit verecundia, annon certum culpæ indicium est?* Deinde illa ipsa præcinctoria quibus nuditatem tegere conantur, pudorem & solicitudinem arguunt cum magna quadam consternatione conjunctam. Accessit, quod audiverunt vocem Domini in horto ambulantis ut ad agnitionem peccati eos adduceret. Cujus faciei quod se fugam capessendo subducere conati sint ex terrore & metu ob agnitam nuditatem, denuo magni quidem stuporis sed & animi cum pudore lactantis indicium est, in quo qui non agnoscit vestigia pœnitentiæ, næ is parum cernere videtur. Atqui non fatetur delictum, sed culpam in uxorem rejicit? ℞. Nec negat, sed excusando factum, factum fatetur. Confessio tacita est ipsa excusatio. 2. Nec Eva fatetur, sed culpam in serpentem derivat. Num tamen propterea hanc, de cujus salute constat, verè pœnituisse negabimus? Verè itaque pœnituit Adamus, ipsa Dei voce transgressionem objiciente & condemnante ad pœnitentiam adductus.

LXVII. Restat quintum argumentum, à fide Adami desumtum adhibuisse promissioni de Semine mulieris contrituro caput serpentis, *Leydenses in Synopsi, Zuinglius, Pareus, Maresius, Essenius, Heideggerus, Burmannus*, certatim asserunt. Hanc vero ante omnia confirmat ipsa promissio illustris quæ Gen. 3: 15. habetur. Quamvis enim hæc inserta sit denunciationi, quæ serpenti fuit facta, homines tamen spectasse, evidens cum audientibus protoplastis fuerit promulgata, eodem tempore quo iisdem indicatum, qualem castigationem & ipsi & eorundem posteri dehinc ob transgressionem essentiam perpetuum subituri. *Observare primò operæ pretium est* (sic benè *Calvinus in h. l.*) *non serpentis sed hominum causa locutum esse Dominum. Nam quorsum attinebat contra serpentem vocibus non intellectis tonare? Quare habita fuit hominum ratio ut majori peccati horrore tangerentur, videntes quantopere Deo displiceat: ut inde miseriæ suæ solatium caperent, quia sentirent Deum sibi adhuc esse propitium.* Jam quis credat, promulgatam esse eum in finem, ad erigendos homines lapsos, promissionem adeo illustrem, quæ recte πρωτευαγγέλιον vocatur, nec tamen protoplastis datum, ut vera fide eandem amplecterentur?

LXVIII. Aliud accedit insuper unde fides Adami potest probari, nempe nomen *Evæ* quod uxori imposuit, quia mater est omnium viventium. Gen. 3: 20. ויקרא הארם שם אשתו חוה כי הוא היתה אם כל חי: Facile quidem largiar, verba hæc: כי הוא היתה אם כל חי *quoniam ipsa fuit mater omnis viventis*, esse verba Mosis rationem reddentis, quare Adamus id nominis uxori imposuerit, neque etiam כל חי præcise Messiam futurum notare. Interim tamen non minus certum, nomen hoc sortitam esse à longe meliori semine, cujus mater existere non potuisset, si divinam promissionem non ante fide acceptasset, ut recte *Burmann.* Id quod pridem *Fagio* & *Piscatori* quoque notatum, dictam fuisse Evam חוה h. e. *vivificatricem*, respiciendo ad semen promissum, quod mortuum genus hominum per ipsius partum vivificandum foret. *Nimis enim exile est* (ut verba Cl. *Heideggeri Exerc. III. in hist. Patriarch.* §. *XXVIII.* mea faciam.) *si de vita naturali explicetur. Cur enim, si ob principium animalis vitæ Eva dicta est, non ante lapsum hoc ei nomen inditum? Cur statim post promissionem, per quam & ipsa Eva vivificata, & revera facta est mater omnis viventis, in spiritu, cum ante ipsum etiam Adamum videatur promissionem amplexa, ac ita ut ex promissione captatum occasionem nomenclaturæ appareat? Eva igitur facta mater seminis viventis, quod duplex est, vivificans & vivificatum, sanctificans & sanctificatum. Vivificans & sanctificans est Christus, vivificatum & sanctificatum fideles, utrique ex uno Hebr.* 2: 11. Unde non capio scrupulum quem hic injicit doctissimus *Willetus Hexapl. in Gen. cap. III. quæst.* 28. *Neither need we referre it to the birth of Christ* &c. *Non opus* (inquit) *ut ad nativitatem Christi referatur, qui veram vitam in mundum intulit: mulier non potest vere dici mater vitæ spiritualis: mater fuit illius qui erat author vitæ spiritualis.* Utique enim hoc sufficit, cum Eva non *mater vitæ*, sed *mater omnis viventis* dicatur.

LXIX. Eodem denique, nempe ad fidem Adami comprobandam, pertinet, *quod sacrificasse videtur Deo, atque hac σωματικῇ γυμνασίᾳ suam in sospitatorem Jesum, qui pretiosum aliquando sanguinem pro noxio erat reatu interpositurus fiduciam testatissimam edidisse*, quod pariter supra sæpius laudati *Heideggeri* argumentum est. Unde autem hoc confici potest, cum nusquam diserte in Scripturis legatur? 1. Ex *tunicis pelliceis*, quibus Deus induit protoplastos. *Ex nihilo creatas* (verba sunt ejusdem *Heideggeri Exerc. IV.* §. *LXIX.*) *existimat Procopius. Fortasse verius Angelis ministrantibus vel ipsis protoplastis, occisis animantibus detractas pelles. Quod posterius si reciperetur, haud absurdè, quod præstantes etiam Theologi faciunt, Adamum omnium primum statueremus sacerdotem, qui pecudes mactatas sacrificavit ad ἱλασμὸν pro peccatis. Videretur etiam hæc prima origo legis illius, quæ extat Lev.* 8: 8. Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit ejus pellem. *Fuisse autem Adamo nudo datum illud propitiationis, qua teguntur peccata symbolum, ex Apoc.* 3: 18. *colligi utcunque potest.* 2. Ex sacrificio Habelis quod per fidem obtulit *Hebr.* 11: 4. Fuit autem de ratione fidei, ut id non fieret nisi prævio Dei mandato, quoniam alias ἐθελοθρησκεία fuisset. Jam si id dicamus revelatione extraordinaria datam Habeli, quid de Caino fiet, cujus sacrificium præcessit? Potius dixero, rursum præeunte Cl. *Heideggero Exerc. V.* §. *XXII. Cognovit à Parente edoctus, sacrificandum esse.* Vid. eundem *Exerc. III.* §. *LII.*

LXX. Postquam sic ergo rationibus variis asserta *Adami salus*, superest ut ad argumenta negantium respondeatur. Verum cum neminem sciam qui ex professo illorum publico scripto susceperit causam, quædam solum obiter attingam, & solutionem accuratiorem in conflictum & occasionem differam. Itaque 1. Falsum est quod supra §. *IX. Rupertus, de illo vetere Adam nihil usquam boni operis inveniri.* Contrarium enim ostensum. 2. Infirmum admodum quod ex 1. *Cor.* 15: 22. urgetur, *novum Adamum veteri oppositum esse: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes divificabuntur.* Nam primo oppositio hæc talis est, ut Adamus nihilominus τύπος τοῦ μέλλοντος dicatur. *Rom.* 5: 15. Deinde textus non agit de morte æterna sed temporali & resuscitatione ex eadem in die novissima, id quod totius capitis contextus docet. Quid ergo hinc contra salutem Adami: si omnibus in Adamo, & per Adamum, & cum Adamo, morte temporali sit moriendum? Denique si vel ad mortem quoque æternam simul spectaret, ad reatum solum necessario esset referendum. Unde nihil pro damnatione Adami sequeretur. Nec 3. obstat, Adamum in fidelium catalogo *Hebr.* 11: non comparere, quem Apostolus ab Abele demum exorditur. Causam enim omissionis hanc quoque esse non male observat *Kelletus l. c.* §. 45. quod eidem propositum fuerit de ejusmodi solum fidelibus tractare, qui in fide & propter fidem plurimum adversitatis passi. Cujusmodi nihil de Adamo legitur.

LXXI. Concludamus itaque, cum nequidem Michaël Archangelus cum Diabolo super corpore Mosis disceptans ausus sit impingere illi notam maledicti *Judæ vers.* 9. non temere ab hominibus esse sententiam condemnationis in quenquam

quam defunctum, multo minus in Principem generis humani, ferendam, ne notam apostolicam incurrant. *Rom.* 14: 4. Σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην; τῷ ἰδίῳ κυρίῳ στήκει ἢ πίπτει. σταθήσεται δέ. δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς στῆσαι αὐτόν. *Tu quis es qui condemnas alienum famulum? proprio Domino perstat aut cadit, stabilietur autem: potest enim Deus eum stabilire.* Gentilium vox erat, *de mortuis nil nisi bene.* Quidni ergo Christiani ea simus moderatione, ut secundùm charitatem quæ non cogitat malum, uti benigniorem partem semper, quoties dubium de statu vita functorum incidit, propendeamus, cum huc etiam spectet gravis illa Servatoris à judicio temerario dehortantis denunciatio *Luc.* 6: 37. Καὶ μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε. μὴ καταδικάζετε καὶ οὐ μὴ καταδικασθῆτε. In qua finio.

M. JOH. HELV. WILLEMERI
DISSERTATIO
De Tunica Adami Pellicea ad Gen. III: 21.

Ὠφέλιμον, Θεός, ἐκτέλει ἔργον!

Tam liberalis semper in humanum genus divina bonitas fuit, ut ne sensu quidem comprehendi satis, nedum verbis exprimi possit. Generis nostri auctoribus amœnitatem omnium beatissimam concedebat, ubi molesto opere & curis vacui vere auream illam ætatem degebant. Cum ambitione cœci religionem Creatoris in animis delerent, eoque crimine gravissimas longe atque tristissimas mererentur pœnas: paradiso equidem ejiciebat, sanctissimo vero Redemtionis Nostræ Sacramento conclamatis rebus mox consulebat. Prospiciebat ipsis de cibo & potu, quibus lassa labore membra solarentur. Nec minorem vestium curam in se suscipiebat; quinimo ipse primum pellificem agebat, atque tunicas, quibus tegenda tegerent, consuebat, ut ita vestitus ipsummet Deum habeat auctorem & actorem, indeque dignissimum sui æstimium. Sive enim cum utilitate conjunctam dignitatem, sive antiquitatem ejusdem intuearis, utrinque eximia se offert æstimandi occasio. Dignitatem à Deo, antiquitatem à longo seculorum decursu accepit. Non ita diu colebat homo paradisum, lapsus vesteque indutus confestim ejiciebatur. Et ex eo tempore vestes usurpavimus atque usurpabimus, quoad alteram, quam speramus, vitam stola Justitiæ Christi byssina induti ingrediemur. Neque enim vestes ipsi sumsimus, nec sponte deponere nobis est integrum. Quandoquidem eam in rem Scripturæ libro ista inserere jussit Numen venerandum, ac certis legibus vestiendi modum præfinivit, cum apud Mosen intonat: Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea. Abominabilis est apud me, qui facit hoc. Quamobrem in eam sumus perducti sententiam, natalibus vestitûs inhærere, atque tunicam Adami ex fontibus Scripturæ Sacræ limpidissimis paulo diligentius pensitare, esse argumentum haud quaquam opera hac indignum. DEUS, vestitus autor gravissimus, cœpta nostra, scrutinio verbi sui divinioris subnixa, secundet!

§. I.



Conatus autem noster in id potissimum se feret, primum, ut textus Hebræorum authenticus cum celebrioribus suis versionibus adducatur; tum ut singula ejus verba ritè expendantur, iisque simul variæ & Judæorum & Christianorum de vestitu Adami opiniones decidantur. Ita igitur habent *verba Mosis authentica*:

וַיַּעַשׂ יְהוָה אֱלֹהִים לְאָדָם וּלְאִשְׁתּוֹ כָּתְנוֹת עוֹר וַיַּלְבִּשֵׁם׃

Targum Onkelosi:

וַעֲבַד יְיָ אֱלֹהִים לְאָדָם וּלְאִתְּתֵיהּ לְבוּשִׁין דִּיקָר עַל מְשַׁךְ בִּשְׂרֵיהוֹן וְאַלְבְּשִׁינוּן׃

Et fecit Dominus Deus Adæ & uxori ejus vestimenta honoris super cutem carnis suæ, & induit eos.

Syriaca Translatio:

[illegible]

Et fecit Dominus DEUS Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.

Eodem prorsus sensu *Samaritanus interpres*:

[illegible]

Arabs:

* وصنع الله لادم وزوجته ثياب بدن والبسهما *

Fecitque DEUS Adæ & uxori ejus indumenta corii, & vestivit ambos.

LXX. Interpp. Græci:

Καὶ ἐποίησε Κύριος ὁ Θεὸς τῷ Ἀδὰμ, καὶ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ χιτῶνας δερματίνους, καὶ ἐνέδυσεν αὐτούς. Et fecit Dominus Deus Adamo & Mulieri ejus tunicas pelliceas, & induit eos.

Vulgatus, Vatablus, Leo Judæ, aliique:

Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.

Junius & Tremellius.

Fecitque Jehova Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, quibus vestivit eos.

B. Lutherus in utraque superioris Saxoniæ:

Und GOtt der HERR machte Adam und seinem Weibe Röcke von Fellen/ und zog sie an.

In versione inferioris Saxoniæ A. 1564.

Ende Godt de HEERE maeckte Adam ende zijnen Wijbe Rocken van Vellen / ende trockse hen aen.

§. 2. In elucidandis his divinis & in magnam controversiarum aleam conjectis verbis multi omni doctrinarum genere instructi Viri fortem strenuamque locarunt operam, multi & obscuriores qualemcunque. Multi proinde cumulatissimas merentur

rentur laudes, multi dignam incurrunt reprehensionem. Fortem vero strenuamque eam demum appellamus operam, quam navarunt, qui literæ Scripturæ adhæserunt, ab eaque ne latum quidem unguem discesserunt; qualemcunque illam, quæ fabulis rupta, nugacissimosque homines Rabbinos partim, partim alios etiam sibi vendicat auctores. Utramque producemus, ne ulli in aliqua re defuisse videamur. Ipsa textus authentici verba sic sonant: וַיַּעַשׂ יְהוָה אֱלֹהִים כָּתְנוֹת עוֹר, quæ, quantis onerentur limitationibus, dici non potest. *Origenes*, *Theodoretus*, *Rupertus* & *Calvinus*, unanimi consensu statuunt, homines instinctu divino tunicas has fecisse. In quorum sententiam *Rivetus* Exerc. XXXIX. in Genes. concedere videtur, cum inquit: *Dubium non esse patitur Moses, an Deus illius instituti fuerit auctor, nec ne? Quæritur tantum, an immediate Deus ex pellibus vestes fecerit hominibus; an tantum fecisse dicatur, quia, ut facerent, jussit, & industriam ipsis contulit, quod existimavit doctissimus interpres, (Calvinum intelligit) ita ut rudi Minerva & populariter id Moses repræsentaverit, & quod suggerente eorum mentibus Domino fecerant, in autorem Deum transtulerit.* Addit præter hæc alios sentire, Deum ipsum parasse illas primas vestes immediate, & jussisse, ut induerent; quibus favere Mosis textum dicit. Quanquam vero illud maxime etiam dubium, neque nos concedamus, quod in posteriori sententia asseritur, Deum nimirum non ipsum induisse hominibus vestes, sed jussisse, ut induerent, de quo inferius; firmiter tamen illam ipsam, quoad cætera quoque à Riveto improbatam sententiam, tueri nulli veremur. Unde nec illius apud *Polum* in Synops. Crit. aliorumque Comm. Vol. I. auguria comprobare possumus, qui statuit, Deum vestes istas vel ministerio Angelorum confecisse, vel Adamum detraxisse animantibus. Falsi sunt, quin atrocia faciunt facinora, qui sanctissima Spiritus S. verba in dubium vocare satagunt, & juxta versiculum torquent, contorquent, detorquent atque retorquent. Nec enim rudi Minerva, aut ingenio minus felici, operaque leviori ad rudioris tantum populi captum, consignavit ista Moses Vir θεόληπτος, ac in scribendo peculiari θεοπνευσίας munere instructus προφήτης, οἷος οὐκ ἄλλος, ὥστε ὅτι ἂν φθέγξατο δοκεῖν αὐτοῦ λέγοντος ἀκροᾶσθαι τοῦ θεοῦ, θαυμαστὸς τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς ὑπὲρ ἄνθρωπον ἰσχύος καὶ δυνάμεως, Joseph. Lib. III. & IV. A. J. Propheta quidem N. T. est, omnes tamen Chaldæorum antiquitates & astronomicas observationes, historiæ profunda vetustate longissime transcendens, omnibus Græcorum Heroibus, diis, mysteriis antiquior. Thesaurarius est totius Judaici & Christiani Sacramenti, ac malleus omnium mundi Sapientum, in ipsa exili voce & tardiori lingua potentissimus, quo ipse Dei Spiritus peculiari robore est operatus. Litigiis ergo nil opus erit, eo quod expressis textus Mosaici verbis quæque decidantur. Sane si Deus non fuisset auctor, Spiritus S. augustissimum illud Essentiatoris Triunius יהוה אלהים elogium minime, sed alia adhibuisset verba; quandoquidem addita una vel altera adhuc voce totum dissensionis globum disjicere potuisset. Sed non erat cur adjiceret, veritati consentientibus. Neque aliter se gessit Moses, cum ipsorum hominum operam, construendis subligaculis navatam, describeret, quam tamen nemo in dubium vocare hactenus est ausus. Et quid decessisse eo putas auctoritati divinæ, si dicatur, ipsummet Deum mactasse animalia, atque ex eorum pellibus confecisse homini tegumentum? אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה: Multa profecto prostant exempla, parcius, brevitatis studio, adducenda, in quibus omnibus similiter Numen benignissimum se exhibuit. Contenti erimus unico Mosis exemplo, quem, cum servum fidelissimum habuerit, ipse composuit, ne cognito forte ejus sepulchro pertinax satis populus vetita inibi faceret mysteria. Si vero quis acquiescere nolit in ista probatione, atque inferat, obscuram eam admodum esse, cum in magna controversiæ alea positus adhuc sit modus sepulturæ Mosaicæ: respondemus, in utroque Mosis textu proprietati literæ tamdiu inhærendum, donec ut mittamus eam, ratio ex textu, cum diviniori Scriptura collato, evidens suadeat, aut emergens inde absurditas urgeat. Sigillatim qua nostram vocem ויעש monemus, ab omnibus celebrioribus Philologis, qui locum suum egregie implevere, asseri, Conjugationem primam, quæ Kal. in communi appellitari suevit, simplicem habere significationem, secundam, Piel dictam, intensivam, tertiam, sub nomine Hiphil venientem, effectivam, sive physice, sive moraliter, quartam denique per Hithpaël efferendam, reciprocam, quem rem B. *Glassius* Libr. III. Tract. III. à pag. 320-327. (600-612.) prolixe prosequutus est, atque Canonibus accuratissimis comprehendit. Quod vero simplicem obtinet significatum, illud, in quantum tale, in eadem significandi classe, eodemque Scripturæ textu manet, effectivam habere significationem nequit, pro quo absurdo neminem militaturum confidimus. Dum Deus ipse fecit, aliorum ministerio vestes istæ confici non debuerunt. Aut enim Deus causa physica, aut moralis; si physica, quid litigiis opus? si moralis esset, ubi textus authentici auctoritas, quæ isti asserto directe contradicit? Utraque autem fuisse omnino non potuit, quod nec omnipotentiæ ejus quicquam detrahit. Taceo, quod Radicem עשה in Conjugatione tertia Scriptura atque Lingua Sancta plane non possideat, adeoque significationem moraliter effectivam inde non arcessat. In hanc etiam sententiam optimæ translationes consentiunt, quæ ipsummet Deum fecisse has vestes testantur, quo facit Onkelosi: וַעֲבַד יְיָ אֱלֹהִים Similiter Syri: ܘܥܒܕ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ ܠܐܕܡ ܘܠܐܢܬܬܗ Loco עשה adhibet ܥܒܕ, quod עבד Hebræis sigillatim est servire, agrum colere aut servilia facere; Aramæis vero in communi aliquid operari, producere, sive ex nihilo, sive, ut frequentissime, ex prævia materia. Loco nominis divini essentialis יהוה more suo ܡܪܝܐ adhibet, quod proprie dominum denotat, Deumque ab essentia & attributis quibusdam, juxta piam quorundam cabalam denominat, ut, ܡܪ designet ܡܪܘܬܐ dominium; litera ܝ vero ܝܩܪܐ magnificentiam, ܐ denique ܐܝܬܘܬܐ essentiam divinam. Ita enim per מרית nomen ܡܪܝܐ universi hujus dominium, summam Numinis reverentiam æternamque ejus essentiam, aliarum omnium causam, fideli in memoriam vocare potest. Ipsum מָרָן מָרֵא מָר apud Chaldæo-Syro-Samaritanos, Æthiopes & مار apud Arabes descendit à Radice Hebr. הִמְרִיא extulit sese, unde Syris est ܡܪܝ imitatus est, Arabibus مرى profecit, juvit, ut dominus adeo vi originis sit, qui egregiis Remp. meritis juvit, ob virtutem ad majorem præ aliis dignitatem elatus, ac imitatione dignissimus est. A vero igitur abludunt, qui מָר ex Hebræo מוֹרֶה doctor à Radice יָרָה deducunt: cum Holem Hebræorum quidem in Kamez Chaldaice mutare, non tamen eadem facilitate ה Radicale abjicere & מ servile statuere liceat, præsente convenientiori Radice in ipsa Hebræorum lingua cognatisque filiabus. Longius autem aberrat Vir cætera summus, dum in Psal. 12. commentans asserit. *Syriacum Maram præposita litera heemantica ab Aram descendere, Syrisque Deum & Dominum dici Maram.* Verum vocem Maram penitus ignorant Orientis Linguæ: מָרָן Chaldæi pariter atque Syri agnoscunt, nec à Gentis suæ conditore deducere, salva Grammaticæ Analogia, historiæque veritate possunt aut volunt. Chaldæi מָרֵא non tantum de Deo Dan. 2: 46. cap. 5: 23. sed etiam de Rege Dan. 4: 16, 21. imo מָר Targumistæ de Doctore, sapiente, Magistro, & promiscue de quovis domino minoris, Sacræ aut civilis, dignitatis adhibent: מָרָן vero ad constitutum in majori dignitate, Doctorem summum, reliquis sapientibus præfectum, transferunt, de quo *R. Elias in Thisbi.* Et quanquam Syri in N. T. per excellentiam Christum nominent ܡܪܢ aut ܡܪܝܐ, ista tamen nomina nec Christo, nec Deo apud Syros propria sunt, ut contendebat *Angelus Caninius* disquis. Loc. N. T. Frequenter enim aliis etiam dominis tribuuntur, vereque æquipollent Hebræorum בַּעַל & אָדוֹן Græcorum δεσπότης, atque κύριος. Samaritanus qua ࠏࠏࠏ cum Chaldæo-Syro, qua ࠏࠏࠏ ࠏࠏࠏ optime cum authentico textu convenit, nisi quod ࠏࠏࠏ in singulari numero adhibeat, cujus loco per peculiarem significandi vim in numero multitudinis Moses אלהים adeoque tres indivisæ Deitatis personas de homine vestiendo ornandoque sollicitas introduxit. Arabs vero עשה convenienter per صنع expressit, quod curavit, fecit, ipsi significat, & ut alias شان. Verum male vocem יהוה penitus omisit. *Franciscus Georgius* Tom. I. Problem. 59. allegoriam loco huic affingit, *Deus*, inquiens, *non fuit lanius, ut occideret oves vel agnos, quia cum animalia fecerit bina & bina, si duo vel quatuor occidit ad perficiendas tunicas, ergo deinde creavit alia, quod falsum est: quia quievit Deus die septima: sed hæc sunt per allegoriam dicta, ut intelligantur hæ tunicæ facta ex pelle illius agni, de quo scribitur: Agnus occisus est ab origine mundi, ut ipsius meritis omnia peccata tegantur &c.* Optime quidem monstrat, nudam adami turpitudinem coram sanctissimis DEI oculis non nisi veste justitiæ Christi tegi potuisse, eamque justitiam jam tum agnitam, fidelique apprehensione rite applicatam fuisse. Cæteroquin tamen minime reprehenden-

hendenda reprehendit, & multis absurdis rem clarissimam in omnes versat partes. Quis quæso unquam in consignanda temporum historia allegoriis usus? Nemo hominum doctiorum equidem id fecit hactenus, multo minus ipse DEI Spiritus, à quo omnis sapientia nostra. Historiam non allegoricum, sed lene & sponte natum dicendi genus decet, alioquin omnis gratia perit. Neque ullum in Scripturis fundamentum habet illud, quo asseruit bina & bina animalia tantum esse creata, ne verbo quidem commenti hujus fit mentio. Dicitur tantum, Deum omnis generis animalia creasse & benedixisse illis; jam ex his eliciat assertum suum Franciscus, planissimè hallucinatur, quicquid etiam asserat. *Justinus* equidem in Explicatione quæst. 49. pro partibus ejus stare videtur, cum inquit: *Si in omni genere sunt generis principia, & generis principia Dei opera sunt, quæ autem subjecta sunt generis principiis, opera sunt naturæ semine atque ortu extantia, perspicuum est, Deum uniuscujusque generis non fecisse nisi par unum maris & fœminæ.* Quæ vero consequutio? Probare satagit Justinus ex generis uniuscujusque principiis animalia bina & bina solum esse creata; ast edoceat optimus Vir, non nisi unum par unius generis fuisse principium, quod nunquam poterit. Adeoque satis firma stat sententia nostra, qua cum Mose Genes. 3:21. B. *Gerhardo* Tom. IV. de Sacr. §. 2. nec non Tom. VII. de Conjug. §. 207. Dn. D. *Calovio* Comm. in Genes. p. 434. B. *Ursino* Libr. VI. Analect. S. Vol. I. p. 333. & *Piscatore* asserimus, Deum vestium istarum fuisse auctorem, ac ea de caussa, juxta citatum Ursinum, primum pellificem.

§. 3. Fecit autem Deus, modo memoratas vestes, non creavit, quod cum *Justino* in quæst. & respons. qu. 49. *Procopius Gazæus* in Commentariis Geneseos contendit, cum Theodoreti diluit rationes. Quippe putat *tunicas istas absque occisione animalium bifariam confici potuisse: vel ex conversione præexistentis materiæ in pelles, (sicut enim aquas Nili convertit in sanguines; sic materiam elementorum in pelles mutare potuit,) vel ex creatione de nihilo. Nam cum homo diei sextæ initio conditus; hora sexta ejusdem diei peccaverit, & de paradiso ejectus fuerit: nihil prohibet Deum eadem die sexta pelles creasse de nihilo, cum nondum septima advenisset dies, in qua quievit ab omni creationis opere.* A vero autem aberrat doctissimus cæteroquin Vir, & dum alios sub examen censuramque suam vocare sustinet, ipse Aristarchi virgulam incurrit. Nam quod in Theodoreto taxat, id in se taxandum etiam reperit, neuter nimirum fundamentum habet, quo nitatur. Unde neque conversionem præexistentis materiæ in pelles, neque creationem de nihilo, solido quodam argumento roborare poterit Procopius. Et quod in confirmationem prioris sententiæ adducit exemplum, parum ad stabiliendum ejus assertum facit, cum dispar longe inter collata sit ratio. Nilus tanquam liquidum in aliud liquidum opere baculi Mosis, quo feriebantur aquæ, converti facile divina virtute poterat, id quod ambabus largimur manibus; aderat enim materia subjectiva, quæ actum istum recipiebat. Ast evincat exinde Procopius præextitisse materiam convertendam in pelles. Quoad vero existentiam ejus non confirmabit, exanime illius hac de re judicium jacebit. Dicat quis, de nihilo igitur fortasse Deus creavit eas, quod innuit posterior sententia. Regerimus, neque hoc esse verum, & probatum id dabimus multis certissimis documentis. Sententiæ suæ his robur addi putat sæpius citatus Procopius, hominem sextæ diei initio conditum, hora sexta diei lapsum, & pardiso ejectum, concludit ex iis, nihil prohibere, Deum reliquo diei spatio pelles istas creasse. Concedimus equidem productionem hominis sexta die factam, nec negamus plura animalia eadem die condi potuisse; id vero omnino repudiamus, hominem die creationis suæ lapsum, ac primo statim die paradiso expulsum. Quanquam non fugiat nos, quamplurimos e celebrioribus Patribus, S. Irenæum, Cyrillum, Epiphanium Sarugensem, Ephremum, Philoxenum, Barcepham & Diodorum apud Pererium in universum tradere hanc sententiam; adversas tamen hic tueri partes multæ gravesque jubent causæ. Nitemur solum Scripturæ testimoniis, quæ ante ejectionem Adami sequentia refert: Die sexto conditus extra hortum homo; in hortum deducitur; arbor vitæ & scientiæ ipsi indicatur; Lex datur; animalia coram eo sistuntur, ut de singulis seorsim dispiceret, & pro speciei cujusque natura nomen imponeret; homo in somnum incidit, eique dormienti costa eximitur; mulier effigiatur, ad maritum deducitur, ab eoque agnoscitur. Hæc omnia sexta die. Ab his novo quasi sumto exordio narrantur, quæ ad hominem destruendum pertinent. Mulierem adoritur Satanas; disceptationes variæ habentur inter mulierem & Satanam, nec non inter mulierem & virum. Adjiciantur, quæ sequuta sunt; subligacula confecta; latibula quæsita, tristissimum istud אַיֶּכָּה auditum, quæstio & censura judiciaria instituta, amictus novitius utrique collatus, utriusque denique expulsio facta. Hæc nos ita movent, ut non possimus non, quin a recepta sententia abeamus, & paulo aliter statuamus. Expendat quæso quis unius diecuIæ angustias, & factorum recensitorum multitudinem, confidimus ipsum sententiæ nostræ accessurum. Sufficiet tamen nobis interea evicisse, Deum vestium istarum fuisse auctorem, evicisse etiam, Deum fecisse eas, non creasse, in ipsas tunicas potius nunc cogitationes nostras dirigemus.

§. 4. Ingredimur apertissimum controversiarum campum, ubi varia scribendi materia nobis præbetur. Si enim ullibi Hebræorum Doctores in historia Adami, certe hic in cultu corporis nimium sibi indulgent, neglecta præjudicata Scripturæ auctoritate. Namque in una veste non acquiescunt, sed aliam quoque ipsi affingunt, & ne quid forte mendacissimis illorum nugis desit, ac ritibus suis, quibus tunicam Adami natales dedisse ferunt, quicquam decedat, tam ante, quam post designatum læsæ Majestatis crimen, vestem protoplastis tribuunt. Ita enim *R. Bechai* in Deuter. cap. 21. cum disceptat de lege propter captivas lata, num jubeat ungues alere, nec ne? prius membrum approbat, ac paulo penitius rem pensitans in recordationem lapsus humani factum putat שיחשוב במעלתו של אדם הראשון קודם שחטא שהיה מלבושו צפורן: *ut cogitet de præstantia primi hominis, cujus vestis antequam peccasset, erat instar unguis,* colore corneolum referens: unde adhuc ineunte Sabbatho Judæi ungues ad candelam contemplari solent, admurmurata precula, de quo vid. Cl. Dn. Buxtorfius Synagog. Jud. cap. 16. p. 347. seqq. edit. noviss. Id ipsum cognoscamus ex Minhagim ubi f. 3. col. 1. hæc verba habentur: Man thut die besamim aus der Hand/ und nemt den Becher wieder in die rechte Hand/ und besicht die Någel von der lincken Hand bey der habhdala Kertz. Man beigt die Finger in die Hand/ daß sie einen Schatten geben in die Hand. Und streckt die Finger dar noch aus/ und besicht die Någel/ daß man kan derkennen bei dem Licht/ daß sie weißer seyn als die Finger. Und sagt ברוך אתה יי׳ אלהינו מלך העולם בורא מאורי האש: Und nemt den Becher in die lincke Hand/ und besicht auch also die Någel von der rechten Hand. Man besicht drum die Någel/ da weil das Kleid das haschem jitbarech gemacht hat Adam harischon, da Er nacket is gewesen/ das ist wie Någel gewesen. Und da Schabbath is ausgangen gewesen/ und is finster gewesen/ so hot Adam genommen zwey Stein/ und hot sie wieder an ander geschlagen/ so is Fewer heraus gangen. Drum besicht man bey dem Licht die Någel. Consentit cum *R. Bechai* alius χρυσοχυτεολήρων R. *Eliesér in Pirke* Cap. XIV. fol. IX. col. 4. cujus hæc sunt verba: מה היה לבושו של אדם הראשון עור של צפורן וענן כבוד מכוסה עליו כוין שאכל מפירות האילן נפשט עור צפורן מעליו וראה עצמו ערום ונסתלק ענן הכבור מעליו: *Qualis erat vestis Adami hominis primi? erat pellis onychina* (& instar unguis pellucida, nam צפורן utrumque & onycha & unguem manuum atque pedum notat) *quam nubes gloriæ circumdabat. Cum vero comedisset de fructibus arboris vetitæ, exuebatur ei pellis illa unguem referens videbatque se eße nudum, atque recedebat ab eo nubes gloriæ.* Hæc illa vestis, qua in innocentissimo vitæ statu ornatus fertur. Sed unde fidem fœnerabimini dictis vestris, homines nugacissimi? Scriptura expresse adstruit Genes. 2. vs. ult. ambos fuisse nudos, nec tamen erubuisse. Præferamus igitur θεοπνεύστου Scripturæ ἀξιοπιστίαν istorum περιττολογίαις, ut malas παραδόσεως caussas ornent, confictis. Neque enim alia de causa illud ipsum de primi hominis vestitu chartis illitum, quam ut fabulæ ex Minhagim superius adductæ aliquam apud suos, cum penes cordatos nequeant, fidem conciliarent; certe Scripturæ sacrosanctæ auctoritate prorsus destituuntur. Suis igitur auctoribus relinquimus, ac de protoplastorum post lapsum vestitu, ad prævium Scripturæ ductum despiciemus. Quanquam vero nullus hactenus sibi id sumserit negandum, post lapsum accepisse hominem vestem, nihilominus tamen nonnihil dubii moveri hic solet. Omnis autem disceptationis æstus in materia hujus vestis consistit, quæ variis variorum judiciis impedita & dubia. Namque de ea non convenit inter auctores, qui memoriæ hac de re aliquid prodiderunt, inprimis inter Rabbinos, de quorum sapientissimis verè scripsit *Ant. Hulsius* Præf. Theol. Jud. *Ut in palude maxima ranarum copia, simul quasi contendere, & altiori sono alia alterius inconditum sonum corrigere videtur, & sic omnes certa-*

tim coaxant, ut à ſe invicem diſcerni nequeant: ubi vero aliquem tranſeuntem animadverterint, ilico omnes ſilent, niſi quod una vel altera ſit, quæ dimidiam & abruptam vocem emittat. Pari ratione Talmudici Doctores confuſis vocibus altercantur, alter alterum antequam dimidium ſenſum expreſſerit, excipit, quaſi magis appoſite rem dicturus, ſed multo ineptior eſt, tandemque tota diſputatione ad finem perducta, nil niſi inanis coaxatio eſt, ridiculis fabulis conferta, omnique ratione deſtituta. Ubi verò in re alicujus momenti eos conſulueris, quaſi impoſito ſilentio nihil dicent. Et ſi quid fortè ab aliquo appoſite dictum ſit, quod valde rarum, ejus ſenſus plerumque uſque adeo obſcurus eſt & abruptus, ut explicatione indigeat. Quod quam vere dictum ſit, ea quæ ſequuntur, luculenter confirmare poterunt. Proferamus primum ea, quæ in rem præſentem in פרקי Capitulis, ſive hiſtoria mundi ad tempora Gamalielis II. libro inter Judæos celeberrimo, afferre voluit *R. Elieſer* Cap. XX. fol. XII. col. 4. רבי אליעזר אומר מן העור שהפשיט הנחש עשה הק"בה כתונת כבוד לאדם ולעזרו שנאמר ויעש יי" אלהים לאדם ולאשתו כתנות עור וילבישם: *R. Elieſer ait, ex pelle, quam exuerat ſerpens, feciſſe Deum tunicam honorabilem Adamo ejuſque adjutorio, ſicuti dicitur* Gen. 3: vſ. 21. *Et fecit Dominus Deus Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas & veſtivit eos.* Ab hujus aſſerto longiſſimè abit *Raſchi fol. VI. col.* 1. ad hunc locum: יש דברי אגדה אומרים חלקים כצפורן היו מדובקים על עורן ויש אומרים דבר הבא מן העור כגון צמר ארנבים שהוא רך וחם ועשה להם כתונת ממנו: *In lepida quadam narratione dicitur, particulas inſtar unguis adhæſiſſe cuti illorum. Alii verò aſſerunt, fuiſſe rem de quadam pelle provenientem, v. g. pilos leporinos, uſum lanæ molliſſimæ præbentes, & ex iis feciſſe Deum ipſis tunicas.* Aſt ſapiens *R. AbenEſra* ibidem in medio relinquit, neque quicquam verum aſſerit, aut vanum arguit, quod ex ejuſdem verbis ſatis liquet: יש אומרים כי בתחלה היו עצם ובשר ועתה קרם עליהם עור׃ ויש אומרים כתנות לעורם ואחרים׃ אומרים כי יש בהמה בדמות אדם והשם צוה ונפשט עורה׃ ואין לנו לבקש בזארת רק נאמין שהשם עשה לאדם גם לאשתו כתנות עור ומי ימלל גבורותיו ומי יספר מעשיו ונפלאותיו ואין חקר לגדולתו: *Quidam ajunt Adamum & Evam initio tantum ex oſſibus & carne compoſitos fuiſſe, jam vero Deum iis obduxiſſe cutem, (& hanc tunicam pelliceam vocari,) Alii vero dicunt, novas tunicas ad cutem illorum jam acceſſiſſe; & hinc denuò alii putant, fuiſſe beſtiam quandam, homini ſtatura & forma ſimilem, quam Deus pellem ſuam exuere juſſerit. Verum noſtrum non eſt, in hac curioſius inquirere. Sufficiat credere, Deum ipſum Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas feciſſe. Quis enim eloquetur potentiam ejus?* (*Pſ.* 106: 2.) *aut quis enarrabit opera & mirabilia ejus, non eſt perveſtigatio magnificentiæ ejus* (Pſal. 145: 3.) Quivis horum in eadem ſorte cum altero vixit, quivis etiam in Scriptura rite enucleanda ſuum ſe officium præſtitiſſe autumat. Si tamen judicium de eorum opera ferendum, atque decidendum, quis princeps ponendus, quiſque partes ſuas optime impleverit, AbenEſræ plurimum deferimus. Priorum uterque fabulis delectatur; hic etſi varias opiniones in medium profert, nullam tamen defendendam ſibi ſuſcipit, ſed modum ſervat, atque contentus ſe cum Scriptura ſentire. Atque eam ob cauſam multos Chriſtianorum in ruborem dat, qui negligentius Scripturas non tractant, ſed conſpurcant, violant, aut ad minimum in ſenſum allegoricum perverſe detorquent. Abraham AbenEſra autem hic loci non tantum eſt naris inter Rabbinos emunctioris, majorum fabuloſa & falſa vel corrigens, vel refutans & explodens, digniſſimo Excell. *Dn. Clodii de Cherub.* pag. 10. judicio, ſed & longe ſuperat *Theodoretum*, Cyri Epiſcopum, qui *quæſt.* 39. *in Geneſ.* eundem locum diſcutiens, duriſſima hæc verba inter alia effudit: *Non oportet adhærere nudæ literæ Scripturæ Sanctæ, tanquam veræ, ſed theſaurum in litera latentem quærere: eo quod ipſa litera divinæ Scripturæ interdum falſum dicat.* Equidem *F. Sixtus Senenſis Bibl. Sanct. Libr. V. Annot. LV.* pro ipſo contendit, verba hæc non eſſe ita intelligenda, ut putemus divinæ Scripturæ literam, quæ ipſa veritas eſt; falſum aliquid pronunciare: ſed quod nobis, nudum tantum literæ ſonum conſiderantibus & latentem in ea ſenſum non introſpicientibus, falſum dicere videatur. Suſtinemus autem de hac excuſatione judicium, & ſenatorium illud uſurpamus N. L. Id unum dicimus, omnium votis non ſatisfacturum, eorum præſertim, qui & Origenem cum *Methodio & Epiphanio* ſuſpectum habent, atque in Tomis Geneſ. locum noſtrum explanantem ſtatuiſſe dicunt, quod tunicæ pelliceæ, quibus DEUS primos Parentes induit, non fuerint vere tunicæ pelliceæ, ſed carnalia & mortalia corpora, quibus poſt offenſam & ejectionem è paradiſo Adam & Eva induti ſunt. Addit Epiphanius, ideo ipſum ita ſenſiſſe, quia exiſtimaret, rem admodum ridiculam eſſe, quod Deus decoriatis mortuis animantibus pelles pararet, & pelliceas tunicas conſueret, ac ſi eſſet coriarius vel pellium ſutor. Citatus tamen *F. Sixt. Senenſ.* Bibl. Sanct. Libr. V. Annot. LIII. acriter eum defendit, atque culpam in Origenis æmulos transfert, quos corrupiſſe locum ait. Vero enim ſimile haud eſſe, Origenem talia ſcripſiſſe, pugnantem adverſus hoc hom. 6. in Leviticum, ubi his verbis mentem ſuam aperiat. *Fecit Deus tunicas pelliceas, & induit Adam & mulierem ejus: Illæ ergo tunicæ de pellibus erant ex animalibus deſumtæ. Talibus enim indui oportebat peccatorem, pelliceis, inquam, tunicis, quæ eſſent mortalitatis, quam pro peccato acceperat, & fragilitatis ejus, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium.* Et nos fatemur, Origenem equidem hic aſſerere, tunicas iſtas vere fuiſſe pelliceas, nihil tamen prohibet ſtatuere, ſuo ſe gladio jugulaſſe, ac primo αὐτοκαταкρίτε indicio, ſententiam priori ſuæ contrariam tuliſſe Origenem. Ea enim veritatis vis eſt, ut & nonnunquam eorum ſenſum feriat, qui vel maxime eidem reluctabantur. In exemplum producemus *Theodoretum*, qui paulo ante contendebat nudæ Scripturæ literæ non eſſe adhærendum, ſed allegorias, quas theſaurum in litera latentem dicit, eliciendas; aſt à ſe ipſo diverſus *quæſt.* 30. *in Geneſ.* cum Theodorum Heracleæ & Gennadium Conſtantinopoleos Epiſcopos carpit, confirmantes, pelliceas tunicas h. l. ſignificare arborum cortices: Nam ſicut animalium corium pelles dicantur, ita & arborum cortices pelles appellentur, ergo ex arborum corticibus aptis ad veſtium compoſitionem primi parentes divina ſuggerente pietate tunicas ſibi feciſſe, ſicut & ante ſibi ipſis præcinctoria feciſſent ex foliis ficus ad velandam genitalium turpitudinem, talem in modum loquitur: *Ex his, qui allegorias perſequuntur, quidam pelles ajunt fuiſſe carnem mortalem: quidam vero è corticibus arborum eas comparatas fuiſſe aſſerunt. Ego vero neutrum horum approbo, hoc enim nimis curioſum, illud vero valde fabuloſum. Cum enim divina Scriptura dixerit, corpus formatum eſſe ante animam: quomodo fabuloſum non eſt dicere, Deum illis dediſſe carnem mortalem poſt tranſgreſſionem mandati. Verum curioſe inquirere, unde Deus pelles habuerit, & ob id novam amictus ſpeciem ex arborum corticibus excogitare, ſuperfluum mihi eſſe videtur, cum omnium Creatori non deeſſet, unde tunicas iſtas pararet.* Optima in rem præſentem verba ſunt, humanæ imbecillitatis veſtigia in Theodoreto ipſo opere deprehenſa eſſe, & in Origene forſitan haud uno in loco deprehendi poſſe demonſtrantia. His tamen multiſque aliis controverſiis ſatisfacere haud poterimus, niſi textum authenticum hic etiam conſulamus.

§. 5. Accuratius proinde vocularum כְּתְנוֹת עוֹר habebimus rationem, quod maximum momentum afferet operæ noſtræ. Quinque in univerſum Scripturæ loca notarunt Maſorethæ atque R. *Nathan* in Concordantiis, ubi vocis כָּתְנוֹת mentio fit. Unus noſter eſt, Geneſ. 3: 21. alter exſtat Exod. 39: 27. inibi fecerunt Aaroni & filiis ejus כָּתְנוֹת שֵׁשׁ tunicas byſſi. Tertius habetur Eſr. 2: 69. qui refert oblationem populi Domino, quod dederint magna auri argentique pondera & כָּתְנוֹת כֹּהֲנִים tunicas ſacerdotum. Quartus reperitur Nehem. 7: 70. in quo idem legitur, quod in præcedenti. Poſtremus denique verſ. 72. ejuſdem Capitis, qui à duobus prioribus nihil diverſus. Circa primum ſolum occupabimur, quanquam meditatione, quam huic impendimus, cæteri etiam explanari queant. Ante omnia de vocis hujus origine ſolliciti erimus, quam dedit ipſi, Hebræis & Chaldæis inuſitata, Radix כתן, cujus reliqua derivata evolvere operæ pretium videtur, ut major noſtro lux accedat. Potiſſima inde adhuc manantia ſunt כְּתוֹנֶת & כֻּתֹּנֶת, quorum utrumque tunicam notat, utrumque etiam ita reperitur Geneſ. 37: 23. ubi exuerunt Joſepho fratres אֶת כֻּתָּנְתּוֹ אֶת כְּתֹנֶת הַפַּסִּים tunicam talarem & polymitam, ut Vulgatus vertit, nec male. Conf. eo Excell. Dn. D. *Pfeifferus Dub. vexat. Cent.* 1. *p.* 196. Videtur enim id diſcriminis hic intercedere inter כְּתוֹנֶת & כֻּתֹּנֶת, quod illud ſignificationem ἀναβολαίε ſive amiculi, Vulgato talaris dicti, quia ad talos uſque ſe porrigit, innuat, hoc ὑποβαλαίε habeat rationem, quia ſub talari latebat, ad quem ferme modum hac tempeſtate alicubi verbi divini Miniſtri incedunt. Ab his duabus formis nonnulli noſtram deducere ſatagunt, formando ex iiſdem pluralem, quo deſtituitur כְּתוֹנֶת ſed non כֻּתֹּנֶת, ut huic aſſerto, qua כֻּתֹּנֶת vix locus eſſe poſſit. De כְּתוֹנֶת vero ſi quis talia ſtatuere velit, non adeo repugnabimus, quandoquidem tranſpoſitio vocalium in verbis, & ortis inde nominibus, cæteroquin facile conceſſa, omnem difficultatem tollat. Peculiarem tamen no-

mini

mini כְּתֹנֶת formam, solo plurali numero in Scriptura S. obviam, si quis tribuere malit cum Philologorum primariis, ob tantam ἀκλίτων pluralium in lingua & Scriptura sacra copiam, nostrum facile testabimur assensum. Eadem Hebræorum Radix multas dedit peregrinis voces: inde Græca Lingua suum χιτὼν sub tunicæ significatione accepit, quo & LXX. Interpretes Græci in sua translatione usi. Linguæ Gallicæ suum hocheton, quasi ὁ χιτὼν, reliquit: Vernacula autem suum **Kutte**: quæ Latinis tunica dicitur, inde habet. Sunt, qui & Cathun, linteum istud Belgicum, deductum exinde volunt, quod tamen in incerto. Defendent, qui poterunt. Nos contenti eo, adduxisse istas voces, quas prisca illa ætas nobis reliquit, quasque posteritas dudum approbavit. Onkelos nostrum כתנות generali voce לבושין vestimentorum non satis convenienter expressit: quem tamen hic & Arabs sequitur, vocabulo ثياب quod vestimentum, & frequentissime quidem interius, togæ רוחה contradistinctum, denotat Matth. 5:40. c. 9, 1. c. 14, 36. Actor. 11: 5. à radice ثاب quæ, ut Syriacum ܬܵܒ & Chaldaicum תוב, per usitatam hic literarum שרש וזסצרש cum דטת μεϑαβολὴν, ab Hebr. שׁוּב, sub eodem revertendi & convertendi significatu, descendit. Convenientius Arabs à كتن conspurcatus fuit, sub tunicæ sensu suum كتان Chaldæus autem כִּתּוּנָא retinuisset, quod, post Samaritanum Interpretem, Syrus egregie hic præstitit: qui per ܟܘܬܝܢܐ pl. ܟܘܬܝܢܐ non tantum vestimenta interiora, utpote illam σινδόνα καθαρὰν Matth. 27: 59. καὶ τὰ ὀθόνια Luc. 24: 12. sed etiam exteriora, nimirum ipsum χιτῶνα Matth. 5: 40. designare solet. In Latina lingua כתנת optime per tunicam videtur exprimi, alii tamen pallii vocem præferunt. Verum utut כתנת interdum per מעיל explicetur, eidem tamen sæpius, potissimum in sacerdotali habitu, contradistinguitur: quod recte observatum traditumque est à Kimchio lib. rad. fol. 63. Col. 2. פסים יקראו הכתנת והמעיל כאחת שרומה כי שניהם ענין 2. Sam. 13: 26. אחר כאשר כתוב ועליה כתנת פסים כי כן תלבשן בנות המלך הבתולות מעילים אבל הכתנת הכתוב בבגדי כהונה אינו המעיל כי כל אחד ואחד בגד בפני עצמו׃

§. 6. Prius vero quam ad alia progrediamur voculam עוֹר, quæ nervum totius hujus negotii exhibet, sedulo nobiscum expendemus, & multa de materia hujus vestis somnia ruent. Cum describatur ferme Adam, ut ille apud Poëtam:

Horridus in jaculis & pelle lybissidos ursæ.

Ideo ut singula magis pateant suæque luci sistantur, à prima origine vocis עור significationem genuinam arcessemus. Descendit autem ab עָרָה, quæ Radix non semper unum eundemque obtinet significatum. Namque juxta *R. Dav. Kimchi* in ספר השרשים fol. 98. Col. 3. edit. Venet. ענין גלוי ויציקה שפיכה nudandi, evacuandi atque effundendi sensum habet. Prior ille frequentissime occurrit, alter vero cum tertio aliquanto rariores. Quanquam si rem paulo diligentius consideremus, omni labore supersedere, & in una illa nudandi significatione acquiescere possimus, cum harum vocum significatio & usus ordine sibi subjiciantur, ac certa materiæ ratione in eodem conveniant; quod rudi quodam exemplo demonstratum dabimus: Sit vas aqua repletum, sane si effundas vel evacues, nudabitur. Verum enim vero pro ea sententia, quæ omnium ferme Philologorum, militare atque dicere malumus, verbum ערה in communi esse nudare, sigillatim replere, Gen. 24: 20. וַתְּעַר כַּדָּהּ & replevit hydriam, dein etiam diffundere sese, ut virescens planta Ps. 37: 35. Vidi impium fortem וּמִתְעָרֶה & virescentem juxta Vatablum, Pagninus rectissime vertit, instar lauri viridis. Est enim מתערה non tantum nudans alios, diffundens se, sed etiam idem quod מתלחלה revirescens, humectans, juxta רד"ק. Optime ὁ πάνυ *Dn. D. Geier* t. 1. Ps. p. 690. *Late se diffundentem, aliis juxta se succum, vires omnes præripientem, integris adhuc viribus, facultatibus, honore ac autoritate præditum, instar arboris succiplenæ, ramisque, late diffusis ac luxuriantibus supra cæteras conspicuæ.* Apud Rabbinos interdum adhærere, nec non auferre, apud Chaldæos excitare, monere, admonere notat; plerumque tamen in nudandi significatione reperitur. De usu autem Grammatico hujus verbi nonnihil adhuc inter doctos controverti solet. Sunt enim qui Conjugationem primam activam ei denegent atque passivam solum tribuant, quorum numero *Edmundus Castellus* γλωσσαναπολικώτατ☉ continetur. Contrarium autem evincit locus Es. 32: 11. Contremiscite, tranquillæ, commovemini, confidentes, exuimini וְעֹרָה & nudamini & accingimini super lumbos. Nam עֹרָה secundum רד"ק in ס"ש fol. 91. Col. 3. הוא עקור & plerorumque doctiorum judicio Infinitivum primæ Conjugationis activæ loquitur, qui loco Imperativi hic ponitur, quod sæpe numero fieri assolet, licet ita qua formationem grammaticam transpositionem vocalium עֲרֵה pro עָרֵה qua significationem, pariter ut in רְגָזָה pro רְגַזְנָה atque פְּשֹׁטָה pro פְּשֹׁטְנָה enallagen concedere cogamur. Ab isto עָרֵה nunc facili negotio nostrum עור deducere poterimus, quicquid etiam in contrarium afferant, qui à Radice עור formatum malunt, idque duobus potissimum modis, vel revocando עָרָה ad radicem præsentem suffixo ה heemantico, quod vocant, vel statuendo ipsum עור dedisse ei originem. Quippe verbum עור omni nudandi significatu destituitur, ne igitur adducta sententia pro absurda venditaretur, colorem quendam illi superinducere sunt annisi, reducendo עָרָה ad עור; ast ceu vanum multis merito ridetur. Nihilominus multi missa probatione illa ad solam hanc Radicem descenderunt, atque inde vocem istam eruerunt, rationem eam suppeditantes, quod sic dicatur, quia si pilis excitata sit, frigeat, quæ ratio satis frivola, & plerisque non satisfecit. In hoc articulo positis non videmus quid obstet, cur non cum Castello, Aria-Montano aliisque hac in re sit faciendum, qui statuunt עור dici ab ערה ideo, quod nudetur. Nec Origenistarum assertum moramur, qui ex eo, quod vox hæc à nudando dicitur, arguerunt, tunicas has pelliceas fuisse carnalia & mortalia hominum corpora. Sed quam primum Adamum Creatoris manus formarat, atque vitam eidem inspiraverat, nihil ad summam amplius restabat. Sociam quoque ipsi paulo post adjunctam, carnem de carne sua, & os de ossibus suis dicebat; ac ita ex Origenistarum mente vestitus erat. Ast, Scriptura teste, Deus post lapsum fecit ipsis tunicas pelliceas, id quod expressis verbis asseritur. Quid sequeretur inde? Deum duabus vicibus vestivisse hominem, ut Judæi fabulantur, quod tamen nemo unquam obtinebit. Plurimorum proinde doctissimorum virorum immota stat sententia, vocem עור neque cutem carnis πρωτοπλάσων, neque cortices arborum, sed solummodo externas animalium pelles denotare. Nam nec Origenis asseclæ, nec etiam Gennadius & Theodorus Heracleotus aliique fundamentum satis firmum suppeditare possunt, quo assertionibus suis addant robur. E contrario nostras partes Scriptura cum celebrioribus suis versionibus agit, unde vanissimæ adversariorum illationes facillime diluuntur. Si enim, ut par est, usum Scripturæ divinioris consulamus, vocem עור sub duplici significatione deprehendemus, primum ut denotet materiam, ut quidam loqui amant, in qua seu subjectum, vestium, cutem, ut sub exemplo agamus, hominum, cui vestes aptantur Exod. 22: 26. C. 34. 36. 35. Threnor. 5: 10. Jobi 2: 4. Quem postremum locum עור בעד עור Chaldæus reddit אברא אמטול אברא membrum pro membro: quem sequitur רש"י inquiens: אבר בפני אבר כן דרך בני אדם כשרואה החרב באה על ראשו מגין בזרועו לפניו׃ *Membrum pro membro: hic enim est mos hominum, ut animadvertens gladium capiti imminentem, vultum suum brachio suo protegat.* Non membrum tantum, sed integrum corpus per עור intelligit *Abrah. Aben Esra* בעד גוף ויש אומר כי מנהג האדם להסתיר עינו בירו אם יפחד מהכה בעבור היותה נכבד׃ *Corpus pro corpore. Est qui ita interpretetur, receptum hominibus morem esse, oculum tegere manu, si à percussione sibi metuat, quia oculus est membrum præstantissimum.* Assurgit huic רמב"ם. Verum sine συνεκδοχῆς tropo per עור sensu literali ipsa tantum cutis, præcipuum tactus organum, intelligitur, eo sensu; Aliena cutis pro Jobi cute verbera accipiat, id Jobus nec sentiet, nec dolebit. Accedit, quod עור cutis, tanquam pars minus solida, extima, decoreque tegens partes subjectas, contradistinguatur sæpius carni, licet parti minus solidæ Levit. 9: 1. 1. C. 26. Ezech. 37: 7, 8. Job. 10: 11. ergo multo magis עור erit distinctum à nervis, ossibus, integro membro ipsoque corpore, tanquam solidioribus. Gemina Raschi & Aben Esræ similia rem satis confirmatam illustrare possent; præsenti autem negotio rite declarando vix conveniunt. Cum Jobus membrum corporis sui ignobilius pro conservando nobiliori neque tunc, neque postea dederit; vera tamen tum proverbiali loquutione protulerit Spiritus mendax. Maneat igitur veritati consentaneum, illud עור tantum hominis aut bruti animantis cutem pellemve notare: proinde non subjective tantum, sed objective etiam interdum sumi, potissimum de cute brutorum adhibitum; tum enim designat materiam, ut loquuntur, ex qua vestes aliaque utensilia parantur, si nimirum cutis iis, quas tegebat, partibus corporis detracta consideretur, Lev. 11: 32. Hoc sensu in Scriptura memorantur עורות sive pelles hædorum Gen. 27: 16. arietum & taxorum Exod. 26: 14. &c. ut

&c. ut & כלי עור varia utenſilia ex cute confecta Levit. 13: 49, 53, 57, 59. Num. 31: 20. Nunc circa locum noſtrum Gen. 13: 21. diſquiritur, quo ſenſu hic עור veniat, an materiam in qua veſtes nunc reperiuntur; id eſt, ſubjectum, cui veſtes erant aptandæ deſignet? an vero materiam, ex qua ſunt confectæ? Quidam priori; nos poſteriori ſententiæ ſubſcribimus, cum *R. Jac. Abendana*, qui utrique ſententiæ, ſcite ac nervoſe adductæ, noſtram præponit inquiens: כתנות עור *pellis* ſive ex pelle *fuerunt*, עור של עור היו׳ וימ׳ כתנות לעורם *ſunt tamen qui interpretentur, tunicas cuti eorum*, ſive propter cutem illorum, protoplaſtorum ſcilicet tegendam. Equidem nemo linguæ Sanctæ gnarus ibit inficias nomen rectum ſive duorum ſubſtantivorum poſterius nonnunquam cauſam propter quam, ſeu ſubjectum, cui aliquid confertur, exprimere, commodeque apud Latinos tertio caſu reddi, ut Pſal. 44: 23. צאן טבחה oves mactationi, ſcilicet deſtinatæ, adjudicatæ, vel propter mactationem adductæ. Noſtrum autem עור cauſam materialem ex qua deſignat, eſtque in ſecundo caſu efferendum, qui uti alias commodiſſime in lingua ſancta puriori, ita & hic ex regimine cognoſcitur. Poſſe autem hujuſmodi Genitivum materiam ex qua ſignificare, pluribus Scripturæ exemplis adſtruit *Dn. D. Glaſſius Phil. S. p.* 452. ut extra controverſiæ aleam id debeat eſſe poſitum. Debere autem ſigillatim hic Genitivum עורי de materia ex qua exponi, univerſa textus ſeries evincit. Tradit enim Moſes plene & perfecte protoplaſtorum veſtitum: Cauſa princeps & efficiens eſt יהוה אלהים ipſe Deus: forma exprimitur per ויעש כתנות: ſubjectum cui ſive finis propter quem ſunt Protoplaſti אדם ואשתו; inſequens fructus ſive effectus eſt in וילבשם. Cui igitur cauſarum generi עור commodius adſignabimus, quam materiæ ex qua? Idem evincit proprietas verbi עשה, quod, ſi τῷ ברא contradiſtinguatur, refertur ad creationem, quam vocant Scholaſtici, mediatam, ſive ſpecierum diſtinctarum ex materia primi diei productionem, atque infert eorum, quæ primo die condita ſunt, ordinationem ac majorem exornationem, ut tempeſtive monuit *Dn. M. Præſes* diſp. de imagine DEI ex Gen. 1: 26. p. 13. Veſtium igitur productio verbo עשה ſignificata, facta eſt ex præexiſtente materia: aſt materia commodior nulla oſtendi poterit, quam quæ diſerta textus voce עור exprimitur: ea autem perpetuo Scripturæ uſu pellem ſeu cutem animalium denotat, reliquis corporis partibus conjunctam aut detractam, cum vel ſine pilis, ut *Cornelius à Lapide* ad locum noſtrum aſſeruit. Mirum adeo videri debet, qui ad abſurdam illam, omni textus litera omnique Tranſlatione genuina deſtitutam ſententiam delapſi ſint *Genadius & Theodorus Heracleotus*, ut ex arborum corticibus veſtes protoplaſtorum confectas fingerent, omni animantium genere repudiato, ad arbores converſi. Certe vocis עור in Scriptura uſus eo illos non deduxit; ſed merus ingenii luſus: qualis & ille eſt, ſed forte tolerabilior, Judæorum apud R. *Menaſſe ben Iſraël: Adamo* עור *poſt lapſum erat, cui ante* אור: *qui unius (id* א*) Dei ſubditus dominio, nunc ſeptuaginta (id* ע*) ſubeſt Principibus.* Tot videlicet ſunt linguæ, populi, Regiones & regionum angeli tutelares, juxta Judæos. Nos potiorem merito curam gerimus celebriorum tranſlationum, ubi in Oriente offert ſe Onkeloſus Chaldæus Paraphraſtes: qui voces כתנות עור pluribus [illegible] לְבוּשִׁין דִיקָר עַל מְשַׁךְ בִּשְׂרֵיהוֹן veſtes honoris ſuper cutem carnis ſuæ. Veſtes honoris dixit, indicaturus finem, propter quem veſtimenta homini collata, nempe non ſuperbiæ cauſa, quæ opinio pleroſque dementat homines, ſed honoris ergo, ne nuditas tum temporis jam probroſa poſterorum incurreret oculos. Refricat memoriam lapſus noſtri adjecta hac vocula honoris, atque exprobrat nobis fœditatem, quam peccato ſumus conſequuti. Oſtendit bruti pellem ipſius Regis animantium cuti honorem conciliaſſe. Turpem hanc, illam honeſtam pronunciat. At quando addit עַל מְשַׁךְ בִּשְׂרֵיהוֹן ſuper cutem carnis ſuæ, refellit quidem Origeniſtarum aſſertum; male tamen עור explicat de ipſa protoplaſtorum cute: cum ſubjectum totale vocibus אדם ואשתו, immediatum vero non per עור, ſed materia ex qua exprimatur. LXX. Interpretes Græci, ſi vera quidem ſit, quæ nomine eorum circumfertur tranſlatio, debitam textus authentici rationem ſæpe non habent, hic tamen digniſſimo interpretandi officio legitime ſunt defuncti, quando reddunt Χιτῶνας δερματίνους. Deſcendit δερμάτινος ἀπὸ τοῦ δέρματος, quod pellem notat, & contradiſtinguitur τῷ σκύτει corio, unde ſcutum dictum, quod antiquitus inde parabatur. Corium enim eſt durius & majorum animalium, ut boum, equorum, aſinorum: Pellis eſt tenuior & minorum animalium, ut hominis, leonis, ovis, canis; adhæc corium eſt crudum, pellis eſt corium maceratum & emollitum, uti cenſet *Varro de Ling. Latin. l.* 6. Derivatur autem τὸ δέρμα ἀπὸ τοῦ δέρειν proprie pellem detrahere, præterea verberare, cædere. Utrumque & δέρμα & δερμάτινος nonniſi ſemel in Novo Fœdere reperitur, Matth. 3: 4. ubi D. Johannes Baptiſta habuiſſe indumentum dicitur è pilis camelorum, & Zonam δερματίνην circa lumbos ſuos. *Vulgatus, Eraſmus* atque *Beza* converterunt pelliceam Zonam, B. Lutherus **einen ledernen Gürtel.** Id ne mireris, tenendum, Luthero vernaculæ peritiſſimo, eoque nomine vel Scaligero impenſe laudato, aliter reddere non licuiſſe propter genium Linguæ. Nam ſi reddidiſſet **einen pelzernen oder fellenen Gürtel /** non omnino boni Interpretis laudem eſſet conſequutus. Heb. 11: 37. ubi Paulus martyrum Sanctorum longum texit ordinem, atque multos eorum refert oberraſſe ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασι in ovillis & caprinis pellibus. Δερμάτινος itaque in Scriptura ſolum pelliceus vertitur, quanquam non repugnemus, apud profanos Scriptores corium interdum deſignare. Perinde ut Chaldæo-Syriacum מְשַׁךְ utplurimum quidem pellem corpori detractam à משך denotat; ſæpius tamen etiam ad corium transfertur. Sigillatim Syri, quibus ܡܫܟ ſignificat tenuis fuit, ܡܫܟܐ de tenui pelle adhibent, qualis ovium & caprarum, ut Hebr. 11: 37. ܠܒܝܫܝܢ ܡܫ̈ܟܐ ܕܐܡܪ̈ܐ ܘܕܥܙ̈ܐ *Edmundus Caſtellus Lex.* ἑπταγλ. *col.* 2161. obſervat ܡܫܟܐ *peculiariter adhiberi de pelle coloris fuſci ſive rubri, ad nigredinem vergentis.* Nobis ad præſens inſtitutum ſufficit ܡܫܟܐ convenienter de ovilla pelle adhiberi à Syro. Ab eodem themate Arabs habet مَسْكٌ pl. مُسُوكٌ ſub eadem pellis atque corii ſignificatione: verum cum مَسَكَ Arabibus proprie tenere apprehenſum ſit, unde مُسُكَةٌ avarus, quaſi dicas tenax, **bey dem das Geld hart hält / der nichts gern auß den Händen läſt /** maluit *R. Saadias Gaon*, Tranſlationis Arabicæ in Pentateucho auctor, adhibere vocem بدن pl. أبدان quæ in communi quidem corpus Gen. 2: 24. peculiariter tamen corpus examine, ut Abyſſini cum בדן ejuſque partem exteriorem, corium atque pellem deſignat, à بدن evaſit corpulentus. Unde nos pellis, ſed tenuioris &, ut vocis Syriacæ uſus admittit, ovillæ ſignificationem hic retinemus.

§. 7. De eo enim vel maxime nunc diſquirendum, cujus animalis fuerint iſtæ pelles? Quendam Chriſti typum in veſtitu Adami abſconditum latere, omnium Theologorum mens eſt, atque abunde etiam probari poteſt. Nam cum homo atroci & ſingulari illo maleficio divinam gratiam atque clementiam amiſiſſet, ac ea de cauſa pœnas longe triſtiſſimas daturus, adeo ut deſperatio lymphatura ejus animum eſſet, coævus Patri Filius negotium componebat, atque beatiſſimo nuntio confuſos luctu erigebat, mactatorum quoque animalium pellibus veſtiebat. Ideoque ejuſmodi animalis ſpecies eligenda, quæ Chriſto quam ſimillima. Serpenti tantum cum R. Elieſere tribuere, permiſſum nobis non arbitramur. Serpens eſt animal venenoſum, illiberale, perfidum, callidum, inſidioſum, & Nobis inprimis inimicum. Nec nobis tantum hominibus, verum cæteris animantibus ſingulis, ita ut videatur gerere bellum cum univerſa natura, *Franz. Hiſt. Animal. Sacr. Part. IV. C.* 1. Applicentur autem hæc Chriſto, & videatur, quæ par conditio inter collata intercedat. Niſi forte implacabile odium, & quo nullum diuturnius fuit in terris, amicam conſpirationem dicere liceret. Is enim ille ipſe eſt, qui contriturus & jamdum contrivit veterano ſerpenti non caudam, non corpus, cum parum iſtud moraturus fuiſſet, ſed caput, quod maxime ſerpentibus curæ eſſe ſolet, & quo contrito nulla ſpes ad ſalutem ſupereſt. *Leporem* vero cum Raſchi eo attollere non convenit. Infert quidem modo memoratus Raſchi, pilos leporinos uſum lanæ nobiliſſimæ præbere, & inde evictum iri autumat, ejuſcemodi materiam veſtimento huic non adverſari. Verum enim vero lepus eſt animalculum impurum, in ſacrificium nequaquam offerri ſolitum, præterea timidiſſimum, ſolitudini deditum, infirmum oculis, libidinoſiſſimum & qualicunque calliditate præditum; Quæ omnia Chriſto competere nequeunt. Qui leo de tribu Juda, Apoc. 5: 5. num expaveſceret. Qui nobiſcum eſt omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi, Matth. 28. verſ. ult. num ſolitudinem coleret? Cujus oculi tanquam flamma ignis, Apocal. 1: 14. num

num acutissime non cerneret? Qui nullius peccati sibi conscius, num libidine delectaretur? Qui denique omnes sapientiæ thesauros in se absconditos gerit, Col. 2: 3. num calliditatem affectaret? Itaque Eliesér cum serpente suo, & Raschi cum lepore hic nullum inveniunt locum. Aben Esra nihil certi statuit, sed mentem tantum quorundam esse dicit, fuisse *bestiam homini forma & statura* similem, quam Deus exuere jusserit pellem suam. Ipse tamen sententiam vanam arguit; nec id præter meritum: talem enim Scriptura pariter ac natura ignorat. Nos *ovem* hic præferimus, atque μηλωτὴν Adamum gestasse, conjicimus cum B. Ursino Vol. 1. Analect. Lib. VI. p. 333. Suppeditabimus quoque haud temnenda hujus asserti documenta. Agni naturam initio penitius intuebimur, & inde ad alia faciemus progressum. 1. Animal istud non est callidum aut astutum, sicut vulpes, leones, pardi, sed omnino simplex, quod facillime potest errare, & sæpe solet prorepere in loca deserta, etiamsi nulla imminente urgeatur vi. Ad eundem modum Christus calliditatem atque astutiam vulpinam Pharisæorum omni odio prosequutus, & ovinæ simpliciati, quæ longe tamen supra illam, studuit; sponte sua in desertum hoc venit, satisfacturus Patri pro peccatis nostris. 2. Ovis non habet fortitudinem leonis, aut generositatem equi, aut impudentiam canum, nec etiam novit insidias, sed est ingenio & moribus mansueta, caret felle, est placidissima inter omnes quadrupedes bestias. Præterea insigni prædita est patientia, non boat, non ululat, imo neque os aperit, sive tondeatur, sive mactetur, cum ex adverso alia animalia non tantum vehementer renitantur, verum etiam exclament, ut clamor vix tolerari possit. Pariter vetus paschalis ille agnus Christus mansuetudinem elegit. Impatientiæ aliorum, & inprimis latronum, admirandam patientiam, qua agno simillimus, opposuit, non minatus, cum virgis cæderetur, non reluctatus, cum cruci affigeretur. Calumniatores, qui ad impudentium canum instar crucem circumcursitabant, & atrocissimis convitiis in eum intonabant, nil moratus, maledicentibus non maledixit. 3. Ovis à natura factum est animal admodum inerme; non valet unguibus, non dentibus, non calcibus, & licet arietes sint cornuti, (sicut in quibusdam locis omnes oves sunt cornutæ) tamen ferocia destituuntur, & omnes sunt timidissimæ, non crudeles, sed misericordes; cum fœtum etiam suscipiunt, non sæviunt, sed omnino sese præbent prædam hominibus & bestiis. Simili modo Christus etsi multis angelorum legionibus stipatus foret, nullum animi rancorem, sed ne quidem ullum impatientis animi signum præbuit, affectum potius misericordissimum in omni vita testatus est. 4. Nullum æque reperitur animal, quod pluribus obnoxium sit morbis, atque homo, equus & ovis. Inprimis ovis infirma est capite, & scabie mirum in modum afflicta: Nimiis itineribus & laboribus maciem contrahit, ac emicante fulgure, quod tonitru comitatur, in tanto est timore, ut trepidatione circumacta atque vehementer vexata, obortum sæpius, sive fœtum præmaturum, edat. Christus, ne in ullo aliquo ovi cederet, instigatus amore, quo ferebatur erga nos, languores nostros ipse tulit, & dolores portavit, Esa. 53: 4. Tanta nostri causa toleravit, quibus nemo alius sufficere potuisset. Cum Deus esset, factus vermis & non-Vir, opprobrium hominum & contemtus plebis, Ps. 22. Imposita humeris cruce eo se conferre coactus, quo malefici deducuntur. Ibi infixus cruci, quam peccatorum patratorum & patrandorum subiit molem, pressit illa, non tamen oppressit. Sed cum fulmina ejaculari divina cœpit justitia, ardentemque suam iram his miscuit doloribus, terrore confusus eo adactus, ut exclamaret: אֵלִי אֵלִי לָמָּה עֲזַבְתָּנִי Confer pias atque elegantes de Christo, agno DEI, omnium humani generis peccatorum bajulatore, meditationes S. *Irenæi* Lib. IV. advers. Valent. cap. 23. *Origenis* homil. 23. in Numer. D. *Ambrosii* in Psal. 118. B. *Augustini* Lib. XVI. de Civ. Dei cap. 42. *Gregorii Nazianzeni* orat. 42. *B. Chemnitii* Harm. Evang. cap. 22. pag. 205. D. *Gerhardi* Harm. Evang. cap. 166. pag. 927. b. 945. a. 948. b. 1005. b. 1938. a. ac inprimis acutissimi D. *Dorschei* Pentadecad. Disp. XI. p. 370. seqq. Contulimus itaque Christum cum agno, probaturi ea συμβολῇ ovinam pellem quam optimi vestitui Adami convenire, eo quod animalia ista mactata typum exhibere debuerint. Jam Christus tum in Vetere, tum Novo Fœdere subinde ovi comparatur, Es. 53. & 1 Cor. 5. Eum induunt ceu verissimam atque unicam justitiæ tunicam omnes baptizati, Gal. 3: 27. quin omnes omnium temporum fideles, vera in Christum fide conspicui, viva fide in Christo constituti, Rom. 8: 1. Addemus sententiæ huic roborandæ alia etiam argumenta. Primi homines innocentes & justi conditi erant, ac in simplicissimo vitæ genere degebant. Cum autem diabolico serpenti auscultarent & obsequerentur, justitiæ & innocentiæ vestem exuebant, ac asperas satis daturi fuissent pœnas, nisi æternus Dei Filius sponsorem se ac mediatorem obtulisset. In pignus ergo recuperatæ gratiæ divinæ vestivit ipsos non purpura, non panno, sed pellibus ovinis, quasi cilicio, ut doceret, simplicem nobis deberi vestitum. Ovinas vero fuisse pelles vel inde auguramur, quod illæ commodissime respondent simplicitati primævæ, quæ purpuram & pannum prorsus ignorabat; sed & ea ex agrorum cultura pecorumque cura, vivendi ratio, quam postmodum sunt ingressi, ovinam vellem jubet præferre, boum, ursorum leonumque cuti, aut ipsis etiam pellibus caprinis, vestiendo, tegendo ornandoque corpori, in ista συγκείσει, minus aptis. Facit & id non parum ad sententiam nostram stabiliendam, in sacrificiis nullam sive pecudem, sive aliud animantis genus tam crebro Numini oblatum esse, ut quidem oves. Solebant etiam vituli, capræ, boves, vaccæ, hirci, hœdi ex gressilibus, turtures atque columbæ, aliaque ex volucribus adduci; præ omnibus autem maxime quotidiana erant sacrificia ex ovibus. Accedit huic, quod in confessionibus & purgationibus peccatorum Deus agnos vel oves immolare jusserit, ut vero absimile haud sit, rationem expiandi primum & universale peccatum per sacrificium agni immaculati primis parentibus omnino adumbratam fuisse. Ipse etiam Abel pastoritiæ vitæ auctor primum munus oblaturus DEO, aderat cum primogenitis צאנו, non bobus, sed agnis; unde in proclivi est colligere, Adamum ritum hunc ab ipso DEO adhuc in paradiso accepisse, & postmodum filios de eo erudivisse. Gravissime enim monet in nostram rem B. *Gerhardus* Tom. IV. de Sacram. §. 2. p. 120. *Quando Deus ex pellibus occisorum animalium vestes primis parentibus paravit, Gen. 3: 21. eo ipso ritum mactandi & immolandi animalia ipsos docuisse statuendum.* Tandem ovina pellis arctissime cum vestitu Prophetarum Symbolico, qui naturam, non artem præ se ferebat, connectitur 2 Reg. 1: 18. Elias Thesbita à nuntiis Ahasiæ depingitur Vir pilosus, seu Dominus pilorum, & cingulo cinctus pelliceo: quo modo D. J. Bapt. factis & vita Eliæ simillimus etiam incessit Matth. 3: 4. Quinimo plurimi Sanctorum orbe impio exulantium, uti Paulus docet Heb. 11: 37, 38. aliis tamen non exclusis. Nam, ut in summa dicamus, vetustissimi quique mortales, teste *Platone in Protagora*, animalia cædebant, & eorum pellibus tegebantur. Ac eundem animalium usum enumerat *Cicero Lib. I. Quæst. Tusc. Festus* lugentes etiam apud antiquos in pellibus fuisse tradit: *Pellem*, inquit, *habere Hercules fingitur, ut homines cultus antiqui admoneantur. Lugentes quoque in diebus luctus in pellibus sunt. Lipsius* vero Comment. ad Lib. 2. Annal. Taciti idipsum de lineis vittis, quas mulieres in luctu sumsisse, ex variis locis certum, accipere mavult. Post inventam insuper contexendi artem, quamplurimi usum ejus negligebant, & qui simplicitatem vitæ inter Philosophos profitebantur, in pellibus adhuc latebant. Nec primi Romanæ urbis Senatores erubescebant, ejusmodi vestimentis uti, & hucusque simplicitas viguit, unde Propertius canit:

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.

§. 8. Acquiescere nunc possemus & finem meditari, nisi figura colorque tunicæ hujus curas nostras nonnihil adhuc retardaret. Qui Rabbi titulum vehementer ambiunt, non satis bene autem merentur, nugis suis historiæ Adami finem imponere omnibus modis annituntur. R. *Eliesér* in Pirke C. 24. Zennorenna fol. 113. & Jalkut satis ridicule tradunt, omnium bestiarum figuras in tunica Adami fuisse depictas, indeque ad Nimrodum, eadem ex donatione Noachi (qui in arca eam conservaverat) indutum sponte venisse bestias & aves, seseque ipsi submisisse; unde haud gravatim etiam homines ejus ætatis, dominum Nimrodi in se legitimum agnoverint atque admiserint; tunicam vero, tanquam tyrannici domini tesseram, à Nimrodo ultimo ad Esavum pervenisse. Quæ singula prorsus conficta esse, vel ipsi fabularum architecti confiteri coguntur, quocunque etiam sensu ista accipiant, qui ipsorum fidei se committunt. Eorum certe nugacissimorum hominum patroni, auctoritatis apud quosdam gravissimæ, reconditam inde sapientiam ac miranda quædam mysteria per sensus allegorici expositionem elicere, aut subtili potius ingenio afferre conantur. Ast ejusmodi non excusare tantum, sed vestire etiam, & ornare, & illustrare novis commentationibus, & quidvis dicere potius, quam pati dignitatem nugatorum imminui, quæso cujus hoc est impudentiæ, ne quid gravius dicam? Longe meliores de hoc argumento cogi-

cogitationes, dignas, quas breviſſime nobis aliiſque in memoriam revocemus, habuit B. *Urſinus* loco ſæpius citato, qui ſe aliquando luſiſſe, ait, ſed pie; roganti cujus coloris fuerit veſtis illa prima? reſpondit, purpurei videri; quod aſſertum variis & egregiis probat documentis. 1. Paradiſi felicitate, cui nihil defuiſſe putat, quod mundus univerſus uſpiam habeat venuſtatis. Ut *Tzezes* quoque Chil. 1. hiſt. 18. doceat,

Oves χρυσόχροα alicubi ferre lanam
Rheginus Heſigonum inducit ſcribentem.

Et tale fuiſſe confirmat illud Atrei χρυσομάλλον ἄρνιον, quod Simonides purpureum appellavit: Aſiam vero rutili coloris oves educare, Geſnerus de quadrupedibus tradat. 2. Veſtis fine. Jam prius de foliis ficus conſuiſſe ſibi perizomata infelices protoplaſtos dicit.

Quoſque aluit miſero fallax inſania pomo
Veſtivit folio; ſæva quos arbore nudos
Reddidit, hos gravius tenui de cortice texit.

Alcimi Aviti lib. 3. v. 16. verba ſunt. Inepta veſtis quæ non celabat pudorem, ſed ſtimulabat, ut loquatur *P. Chryſologus* ſerm. 106. Quia folia fici aſperitate ſua feruntur pruriginem excitare, ut doceat *Ramirez. Spicileg.* C. 5. Decuiſſe autem talem veſtem mortis reos, quia ficus ſepulchris aliquando innaſcuntur, ut & alia τῶν ἀναιδεστέρων δένδρων, ſtatuat Clemens Alexand. L. I. Strom. Indumento tam inutili, ficulneo, ſubſtituiſſe Deum pellificium ſuum. Quo fine? eo vel maxime, ut peccata tegi non poſſe, niſi ſanguine agni ſui jam tum intimaret, idque ipſo novæ veſtis colore ſanguineo, quem & in ornatu tabernaculi & templi præ cæteris probarit, cauſam ob eandem Exod. 25: 4. & 26: 1. & 27: 16. &c. Voluiſſe deinde, veſtem hanc eſſe pignus paternæ ſuæ benevolentiæ, redditi protoplaſtis regalis ſacerdotii & novæ per fidem deſponſationis. Conveniens igitur fuiſſe, ut eſſet purpurea, aut cocco dibapho nativo tincta, quo colore Sacerdotum, Regum & Principum, quos ideo purpuratos legamus, conſtiterint. Docet id experimentis illuſtribus deſumtis ex hiſtoria ſacra & civili, quæ hic in medium proferre noſtrum non eſt. 3. Teſtimonio. Teſtem ſe producere inquit, non arenarium, ſed dignum, qui cum micet in tenebris, Poëtarum Platonem; qui aureo ſeculo oves nativa purpura floridas fuiſſe, ex Sibyllinis carminibus his exſinuet verſibus:

Nec varios diſcet mentiri lana colores,
Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto:
Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.

§. 9. Eam igitur ſententia noſtra certitudinem habet, quam exoptavimus, ut facillime, quæ reſtant, decidere poſſimus. Agitari a nonnullis hic ſolet quæſtio, cur Deus occiſorum animalium pellibus, ſive quod jam evictum, Μηλωτῇ induerit hominem? Varia judicia pro varietate ingeniorum feruntur. *Rivetus* cum aliis Calvinianorum judicat, meliorem non ſuppetiiſſe. *Calvinus* hanc rationem ſuppeditat, quia ex pellibus confectæ belluinum quoddam magis ſaperent, quam lineæ vel laneæ. Cornelius à Lap. Com. in Geneſ. quatuor recenſet rationes. Primo, ut hæ veſtes tam hieme quam æſtate, ſola inverſione Adamo & Evæ ſervirent. Secundo, quia non ad ornatum datæ ſunt, ſed ad neceſſitatem, ut nimirum nuditatem tegerent, & aëris injurias arcerent. Tertio, quia hæ veſtes ſymbolum erant non tantum verecundiæ, ſed & frugalitatis, continentiæ ac pœnitentiæ. Quarto hæ veſtes è mortuorum pellibus factæ monerent Adamum, eum mortis fuiſſe reum. Optime Urſinus noſter totam rem diſcuſſit, cum inquit: *Admonebat μηλωτῇ eos divinæ dignitatis, de qua Irenæus Lib. 3. cap. 37. & ſuæ fragilitatis, de qua Origenes hom. 6. in Levit. & futuræ Redemptionis, per occiſionem agni Dei, qui molli vellere, ut ait Ambroſius, cunctorum operit vulnera populorum, & cujus tecti juſtitia ſic effugimus mortis illos παμφάγους ὀδόντας, quomodo Polyphemi Ulyſſes & ſocii ovillis pellibus tecti.* Clementiſſime hactenus Deus hominem acceperat, receptum in gratiam erexerat atque de veſtitu proſpexerat, ne quicquam igitur clementiæ ejus deeſſet, non tædebat ipſum induere eundem: וַיַּלְבִּשֵׁם Moſes inquit. Quippe videbat Deus hominem, qui ſatis inepte perizomata ſibi confecerat, prorſus imparem eſſe operæ huic ſuſtinendæ, quapropter tanquam benignus Pater his etiam neceſſitatibus conſulebat. Ipſe paraverat veſtem, quidni indueret quoque ipſe homini, id quod Hebraicum וַיַּלְבִּשֵׁם, Chaldaicum אַלְבֵּשִׁינּוּן, Syriacum ܘܐܠܒܫ ܐܢܘܢ & Græcum ἐνέδυσεν αὐτούς innuunt. Nam לבש in prima Conjugatione Levi ſignificat veſtivit ſe, induit, in tertia ſignificandi claſſe induere fecit, veſtivit alium; pari modo Chaldaicum לבש & Syriacum ܠܒܫ ſeſe habent. Græcum vero ἐνδύω induendi ſignificatu apud optimos quoſque auctores venit, niſi quod apud Platonem in princip. de Leg. pro δύω, quod ſubire notat, ſemel ponatur. Nullam hic diſceptationum aleam jaciemus, ſed cum omnia ex ſupra dictis in facili confutari poſſint, lampada trademus. Dum autem in terris moramur, & veſtimentis abſtinere omnino nequimus, ſimplicitati ſtudeamus, atque cogitemus, veſtimenta in memoriam primæ iſtius culpæ data. Si incurrat in oculos ſuperbiens veſtibus, miſeram ejus vicem doleamus, meliorem ei mentem à DEO ſerio petamus: Stoliditatem vero ejus rideamus, eo quod ipſe ignominiæ adhibeat memoriam. Nam ſi Rex aut Princeps Miniſtro partibus ſuis male fungenti funem mittit; quem, ne noxæ obliviſcatur, per omne vitæ tempus collo adigat, ille vero ſuperbo funem vultu animique inſolentia gereret, turpem ſe daret ac ridendum omnibus propinaret. Nec diverſa apparet ratio veſanæ mentis, inſolenti veſtium luxuria, evidenti θεομαχίας τεκμήριον, ſuperbientis. Nos potius deſiderio glorioſiſſimæ veſtis illius tenemur, qua divina Patris gratia, immaculata Chriſti fratris juſtitia, optatiſſimaque Spiritus S. arrhabonis χαρίσματα nos, perſeveranti in Chriſtum fide beate defunctos, velut pura ſplendidaque byſſo ornabunt, ac in æterna decoris luce collocabunt. Hic nemo ſua induſtria meritiſque ſpiritualem nuditatem teget, ficulnea tantum ſubligacula inveniet: Quapropter ſtola juſtitiæ Chriſti unice delectamur, cumque è vita migrandum, atque Chriſto duce transiendum ad Chriſtum, illos XL. Milites à præfecto, ut nudi mare biberent, atque ita diem obirent, coactus imitemur, & exclamemus cum illis apud Baſilium M. *Non amictum exuimus, ſed hominem veterem, concupiſcentiæ deceptione corruptum; gratias agimus Tibi, Domine, quod cum iſto amictu, ſimul & peccatum exuere licet: quoniam ob ſerpentem eum induimus, ob CHRISTUM vero exuimus.*

SOLI DEO GLORIA!

M. JOH.

M. JOH. NUCHTERLEIN DISSERTATIO De Tunicis Pelliceis Protoplastorum ad Gen. III: 21.

כל מעשיך יהיו לשם שמים:

DE VESTIMENTIS PROTOPLASTORUM PELLICEIS.

Ex Genes. cap. III: vs. 21.



REtum eventus, oculum Prudentum nequaquam decepit, quando, vestium mutationes Rebuspublicis, fatale quid minari, vidit. Vix Darius Persarum Rex in principio Imperii sui, acinacem Persicum mutari jusserat in eam formam, qua Græci utebantur, & protinus Chaldæorum Sapientes interpretabantur, Imperium Persarum ad eos transiturum, quorum formam armorum esset imitatus. Nec fefellit interpretationem eventus. Hinc, naufragia è littore conspicientes populi quidam, legibus caverunt, ne sui formam originalium vestium mutarent unquam. Sic Helvetios constat, sancivisse aliquando, si quis vestitum suum mutaret, omnibus honoribus publicis exueretur: id propter primam vestitus formam, eos hodienum constanter retinere, videmus: nec minus à Venetis hoc fieri laudabiliter, certum est. Nullus dicam in præsentiarum, quod Prudens, tam Theologorum quam Politicorum turba, jam diu timuerit, ne Germania, frequenti vestium suarum mutatione, & contra novarum è Gallia, impensis pœnitendis accersione, malum tandem sanguine Germanico luendum, sibi una accerseret. Et utinam timor vanus fuisset! Omnis autem funestæ hujus mutationis pœna, facile à nobis abfuisset, nisi ipsi quoque Protoplasti nostri vestimenta sua mutassent; nam, dum sanctissimæ innocentiæ vestem, consilio Diaboli, (qui & ipse serpentis vestem induerat) proh dolor! exuerunt, & contra horridum peccati tegumentum, induerunt: malum universo humano generi, nunquam satis plorandum intulerunt. Egregia scilicet mutatio! vestis felicissima exuitur: nuditas infelix conspicitur; in qua dubio procul primus homo misere periisset, nisi incredibilis benignitas DEI, nuditatem ejus alia veste occultasset. Age, B. L. has vestes primi Parentis nostri, sequentes pagellæ tibi exhibent: oculos ergo tuos iisdem denegare noli, cum primis, quoniam sanctissimus codex ipse earundem facere mentionem voluerit.

I. De indumentis ergo Protoplastorum pelliceis, sacer Codex ita loquitur (a): ויעש יהוה אלהים לאדם ולאשתו כתנות עור: *Et fecit Dominus Deus Adamo & uxori ejus, tunicas pellis,* id est, pelliceas; Ebræorum more scil. quibus nomen rectum genitivi casus, ratione usus & significationis, causam materialem, denotat. (b) Nec aliter fere Syrus, Arabs, Samaritanus & LXX. textum sacrum interpretantur. Targum legit: לבושין דיקר על משך בסריהון *vestes gloriæ super cutem carnis eorum*: quibus nimirum cutem nudam tegerent. Sententiæ, quas hic cum Judæi, tum Christiani Doctores fovent, tam variæ sunt, ut obscurare verius, quam illustrare verba textus, dicas. Cathedra, è qua DEUS ad nos loquutus est, (c) & circumstantiarum præcipuarum series, hodogeta noster erit fidelis.

II. Equidem, Misericordia DEI, post latam justæ condemnationis sententiam, cum videret Protoplastos, propter peccatum obnoxios morti factos esse, corruptibiles admodumque passibiles ac debiles, ad resistendum frigori, æstui aliisque aëris injuriis, (d) præsertim, cum posthac extra paradisum degendum foret, ubi non amplius ea, qua in ipso horto, aëris clementia temperieve, erant fruituri: miseros illos non gymnosophistas aut impudentes cynicos, sed velatos esse voluit, idque propter כתנות עור, *tunicas pelliceas* fecit.

III. Cujus amictus quidem *occasio & causa remota*, fuit lapsus Adami & uxoris ejus: *proxima* vero rebellio membrorum, pudorque ex prava concupiscentia ortus. (e) Nam cum oculi Protoplastorum aperti fuissent, nuditatemque suam intellexissent, *folium ficus*, materiam ipsis, vestis dedit, (f) juxta illud: ויתפרו עלה תאנה ויעשו להם חגרת: *& consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi præcinctoria. Consuerunt* autem *folia ficus, utendo, ut ait Cajetanus, pedunculis frondium pro acu & filo, aut si mavis cum Oleastro & Eugubino spinis, & confecerunt cincticulos, operientes corpus ab umbilico, circumcirca ad media crura. Del Rio mavult ramusculos, teneriores circum latera plexuisse, ut foliis pendulis verenda utriusque occultarentur.* Sunt verba Saliani. (g) Videantur etiam Irenæus (h) & Ambrosius (i) qui autumant, *ficulnea* propterea fuisse, quod essent instar cilicii, quoniam ficuum folia pungunt.

IV. Hæc autem folia, si R. S. Jarchi fides habenda est, arboris istius fuerunt, cujus vetitus fructus fuerat, sic enim R. loquitur: (k) הוא העץ שאכלו ממני בדבר שנרת קלק קלקלו בו נתקנו אבל שאר העצים מנעום מליטול עליהם ומפני: i. e. *hæc est arbor, ex qua comederunt: eadem re qua transgressi sunt, eadem quoque iterum tecti sunt: reliquæ vero arbores prohibuerunt eos tegi foliis suis.* Sed R. Josua filius Jarcha, contra R. insurgens dicit: *Ex arbore, quæ ibi abscondita erat infra illum (locum) desumserunt folia & consuerunt.* Ad quam arborem (si conjecturæ quidem locus est) respexisse videtur, Autor Libri Cosri, (l) qui ex mente Sabæorum, de Adamo refert, quod cum ex climate h. e. ex terra השאם, quæ Indiæ vicina est, egressus & terram Babel ingressus fuit, multa mirabilia secum asportaverit, interque illa arborem, flores, folia tulerit, è quorum unoquoque duo homines, contegere vel vestire se potuerint. Fides sit penes Autorem: cui nos arborem suam relinquimus, & è contrario Foliis, è quibus Protoplastos, cingula lumbaria sibi fecisse, divinus Historicus

(a) *Gen.* 3:21. (b) *Glass. l.* 3. *Phil. sacr. Tr.* 1. *cap.* 30.

(c) *Ebr.* 1:1. (d) *Torniell. in ann. sacr. ad h. l.* (e) *D. Bebelius in Eccles. Antediluv.* (f) *Gen.* 3:7. (g) *Annal. d. XIII.* §. 34. (h) *lib.* 3. *cap.* 37. (i) *lib. de Parad. c.* 13. (k) *Comment. in Genes. h. l.* (l) *R. Jehuda Levita Hispan.*

ſtoricus teſtatur, adquieſcentes, animum inſtituto noſtro reddimus.

V. Nimirum, cum Sapientia DEI, inventum hoc tegendi corporis humani, minus ſufficiens videret, *pelliceæ veſtes* ipſi videbantur commodiores: in quas nunc oculos noſtros, quoad earundem circumſtantias, paulo altius, & primum quidem ad *materiam ex qua*, admovebimus, quæ in textu עור dicitur. Quæ vox, utut nuſquam alia ſignificatione, (veluti haud pridem ipſe Judæus non vulgatæ eruditionis mihi eſt faſſus) quam pro externa animalium pelle, uſurpata legatur; tot tamen opiniones peperit, ut iis tegendis, vix pellis bovina ſufficiat. Nunc enim quidam à litera plane abeunt, veſteſque phantaſticas conſarcinant: quidam vero ſibi ipſis δίκην ſcribunt. Igitur, quorum litibus, ne infeliciter ſuffocemur aut certe turbemur, ſententias eorum ordinabimus, quo eo felicius ad veritatis portum, adpellere liceat.

VI. Literam qui temere negligunt, & ſic veritatem è manibus amittunt, partim è Chriſtianorum, partim vero Judæorum Schola prodierunt: Hujus claſſis nonnulli Protoplaſtorum veſtes non è *pellibus*, ſed ex *linteo*, factas fuiſſe volunt; ſcribunt ergo ad verba præſentia, ſequentia: (m) מלמד שעשה לו הק״בה בגדי כהונה כענין שנאמר והנה איש לבוש הבדים וכתיב כתנת בד קודש ילבש מכאן אתה למד שכהן גדול דומה למלאך כי מלאך יי צבאות הוא: להד למלך שראה קרתי אחד והלבישו כבני פלטין אמרו לו נני פלטין למלך אפילו אותו שהיא קרתני הוא כמונו כך אמרו המלאכים לפני הק״בה אפילו אדם שהוא יציר עפר הרי הוא לבוש למונו הן האדם היה כאחד ממנו: משל למלך שחיבב עבדו ועשה לו מונייק של זהב סרח נטלו ממנו ונתן עליו כבלין כך עשהלו הק״בה בגדי כהונה וכשחטא העבירו ממנו: i. e. *Verſus hic* (Cap. 3. ſcil. verſ. 21.) *docet me, quod Sanctus Ben. Adamo fecerit veſtes, veſtibus Sacerdotum ſimiles, prout dicitur: Et iſte Vir* (Angelus Gabriël) *linteis indutus. Et iterum legitur de Sacerdotibus ſcil. tunicis linteis ſanctis induti ſint. Ex quo intelligere potes, quod hic Sacerdos* (Adam) *magnus, Angelo ſimilis ſit factus: nam hic à Deo Zebaoth, Angelus ſuper omnes Angelorum exercitus eſt conſtitutus. Cuinam rei hoc adſimilatur? Regi, poſtquam civem pauperem quendam vidit, veſtivit ipſum haut aliter, ac ſi è numero primariorum ſuorum aulicorum unus eſſet. Hinc aulici Regi dicunt: Illene, qui civis eſt, nobis ſimilis ſit? iſte homo, qui è terra creatus eſt? Sic Angeli coram Deo ſancto loquuti ſunt. Profecto* (dixerunt porro) *ſicut nos veſtitus eſt.* (*ea propter Scriptura dicit*) *Ecce, hic homo factus eſt, ſicut unus ex &c. Eſt exemplum Regis alicujus, miniſtrum ſuum admodum diligentis, propterea ipſius collum vinculo aureo ornantis: quem vero, poſtquam minus obſequentem habet, eo rurſus privat, collumque laqueo onerat; Sic etiam S. B. ipſum* (*primum hominem*) *veſtiit inſtar Sacerdotis: poſtquam autem peccavit, veſtibus eum iterum privavit.* Non male loquitur Judæus, quando ab homine primo, veſtem ſanctam, per peccatum ablatam, dicit: utique enim à DEO veſtem innocentiæ ſanctiſſimam, auro contra non caram, acceperat; ſed dum Apella à litera recedit, & præterea Scripturæ falſum ſenſum adfingit, audiendus non eſt.

VII. Sicuti nec illi, qui per כתנות עור non veras & naturales *tunicas pelliceas*, ſed allegoriam fingentes, ut Franciſcus Georgius, (n) *carnalia & mortalia corpora*, intelligi volunt, quibus poſt offenſam, Adam & Eva induti fuerint: cujus opinionis *Caſſianus* & alii à Græcis perhibentur fuiſſe, (o) ſicuti & *Gregorius Nyſſaeus* ſcribit, (p) *tunicas eas fuiſſe libidinem, coitum, conceptum, partum, educationem, qua minutatim augeſcimus, alimentum, morbum, iracundiam, mortem denique: his enim omnibus malis illos indutos eſſe, ſimulatque donis Spiritus S. exſpoliati ſunt.* A cujus ſententia nihil quicquam abit Philoxenus Mabugenſis, quando dicit (q) *tunicas eas fuiſſe curas, corruptionem, morbos, dolores, anxietates, metum: & in ſumma, quæcunque primis Parentibus poſt violatam legem, acciderunt, cum ante iis non fuiſſent obnoxii, & à quibus nos quoque poſt reſurrectionem, erimus immunes: quippe per has tunicas ſignificari maximam illam mutationem, quæ illorum evenit corporibus, poſt admiſſum peccatum.* Præcipue ingeritur Origenes à Methodio (r) & Epiphanio (s) inquiente, ideo ipſum per *pelliceas veſtes, mortalia corpora*, intellexiſſe, quia exiſtimaret, rem admodum ridiculam eſſe, quod DEUS decoriatis mortuis animantibus, pelles pararet, pelliceaſque tunicas conſueret, ac ſi eſſet coriarius vel pellium ſutor. Quamvis hunc locum, *Sixtus Senenſis* (t) ab æmulis Origenis corruptum fuiſſe, ſuſpicetur, cum is ſuper hanc rem mentem ſuam catholice alibi (u) aperuerit; dum ſcribit: *Fecit DEUS tunicas pelliceas & induit Adam & mulierem ejus: illæ ergo tunicæ de pellibus, erant ex animalibus ſumtæ; talibus enim oportebat indui peccatorem, pelliceis, inquam, tunicis, quæ eſſent mortalitatis, quam pro peccato acceperat, & fragilitatis ejus, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium.*

VIII. Ex quibus conjicere licet, Origeni aut æmulos errorem hunc adfinxiſſe, aut ipſum mentem ſuam correxiſſe: cum ſine dubio viderit, hoc dicere, eſſe auribus fabulam inſerere velle; quomodo enim, cum Scriptura dixerit: (x) corpus formatum eſſe ante animam, hoc non fabulam ſapiat, adfirmare, DEUM primo homini dediſſe carnem mortalem, poſt mandati tranſgreſſionem?

IX. Hinc opinio hæcce, ſicuti merito diſplicebat multis: ita eidem occurrere etiam voluerunt, in aliis, *Sixto Senenſe* monente (y) *Theodorus* Heracleæ & *Gennadius*, Conſtantinopoleos Epiſcopi; verum infeliciter; dum enim non per S. Scripturæ, ſed erronei ſui judicii, portam elabantur, in ſcyllam inciderunt, qui charybdim vitare volebant, explicando nimirum כתנות עור per *arborum cortices*, ratione ſua quippe ſic moniti: Sicut animalium coria pelles dicuntur, ita & arborum cortices pelles adpellari. Ergo ex arborum corticibus aptis ad veſtium compoſitionem, primi Parentes, tunicas ſibi fecerunt, ſicut & prius ſibi ipſis præcinctoria fecerant ex foliis fici, ad protegendam genitalium turpitudinem. *Gregorius Theologus*, uti notat *Moſes Bar cepha*, Syrus Epiſcopus (z) loquitur etiam pro *corticibus*, licet alia ratione motus, qui ait, *quodam loco fuiſſe cortices arborum, quos ipſis DEUS in mentem miſerit, ceu idoneos, ex quibus ſibi veſtis quandam formam aptarent ſeque ea amicirent, ſicut ante ex foliis ficulneis fecerant ſubligacula.* Idem porro Gregorius Theologus & alii, qui arborum cortices volunt, *arbores deglubiiſſe Adamum & Evam dicunt; ceterum, Moſen ideo factas eſſe à Deo, dicere, quia hic illis in mentem immiſit, ut arborum corticibus ſeſe veſtirent.*

X. Quanquam igitur fatemur, non inuſitatum genus loquendi eſſe, *veſtes* dici *cortices*: nam ex judicio Barthii (aa) ſat limitato, Plinius medicus, *cortices herbarum*, ſcire veſtes adpellavit. cum dixit: (bb) *Allium cum ſua veſte comburitur, & cinis ejus ex oleo imponitur.* Quanquam etiam non diffitemur, fuiſſe, qui veſtes ſibi ex corticibus arborum, confecerint: referente enim Beyerling, (cc) ex Herodoto, Maſſagetæ ex arborum corticibus, amictus intexebant; & Seneca infit: (dd) *Non corticibus arborum pleraque Gentes corpora tegunt*; tamen, protoplaſtos corpora etiam ſua, arborum corticibus texiſſe, hoc non ſolum modicam probabilitatem habet, ſed etiam juxta *Theodoretum* (ee) nimis curioſum quiddam, imo, quod prius dixiſſe referebat, verbis textus noſtri maxime contrarium eſt; hujus enim literali, propriæque ſignificationi inhærendum eſt arctiſſime, nec niſi graviſſima de cauſa ad impropriam confugiendum. Hoc principium ratione graviſſima nititur, quod vel ipſe Bellarminus fatetur, quando inquit: (ff) *Non licet, præſertim in hiſtoriis, tropos fingere pro arbitrio: alioqui nihil certum eſſet in Scriptura.* Nec eſt, quod adverſarius petat, cur proprio verborum ſenſui innitamur? perinde enim eſſet, ac ſi quis quæreret ex me: Cur per portam ingrederer, non vero per feneſtram? Et, ſi laudatus Gregorius Theologus, ſuam de *corticibus* ſententiam veram eſſe ſcivit, cur quæſo ſtilum mutavit & dein ita ſcripſit: (gg) *Tunicas eas* (Protoplaſtorum) *fuiſſe carnem craſſiorem ignavioremque qua ſumus contecti?* quanquam nec ſic rem acu tetigit.

XI. Miſſis igitur *corticibus* aliiſque allegoricis, neſcio quibus veſtibus, ſimpliciter ac pie Scripturæ fidem habentes, pro *pellibus veris ac proprie talibus*, pugnamus; quia autem, cujus animalis pelles fuerint, Moſes non notavit: ideo hic novæ litis materia adſurgit; & autumant inprimis Judæi, libertatem quidvis fingendi, tacite quaſi ſibi datam eſſe, variiſque opinionibus aures titillare quærunt, quamvis nimium quantum ipſimet à ſe invicem abeant. Nunc enim quidam ex iis adſerunt, quod Deus Adamum & uxorem ejus, plane *abſque cute* creaverit, ita, ut caro nuda tantum prominuerit:

(m) רבות פ״יא (n) *Tom. I. Problem.* (o) *P. Martyr. Comment. in Gen.* (p) *Tom. I. Bibl. SS. patr.* (q) *Zod. Tom. I. Jarnc.* (r) *In Aglaophonte.* (s) *In lib. Anchorat.*

(t) *V. annot. 53. ad Cap. 3. Gen.* (u) *Homil. VI. in Lev.* (x) *Gen. 2. vſ. 7.* (y) *l. c. lib. ſc. V. B.* (z) *Part. 1. Comment. de parad.* (aa) *Adverſ. lib. 1. cap. 14.* (bb) *Lib. 1. cap. 5.* (cc) *Tom. VII. Theatr. magn.* (dd) *Lib. 1. ep. 90. ad Lucil.* (ee) *Quæſt. 39. in Gen.* (ff) *Lib. I. de Sacram. Bapt. c. 12. 22. & 4.* (gg) *De Natalibus Chriſti.*

rit: post lapsum vero demum pelle vestiverit. Sic R. *Jehoschia* Ben Chennanja, (hh) ויעש יי אלהים לאדם כתנות עור מלמד שאין הקב"ה עושה עור לאדם אלא א"כ נוצר תחלה. R. *Eliezer* dicit (ii) eas confectas ex *pelle serpentis*, Evæ familiari. ועשה כתנות עור מן העור שהפשיט הנחש לקח הקב"ה ועשה לו כתנות כבוד לאדם ולעזרו: *Et Tunicas pelliceas fecit* (S. B.). (qualis pellis?) *ex pelle, quam serpens exuerat, confecit S. B. Adamo & adjutorio ejus tunicam gloriæ.* Cum enim inter pœnas contra serpentem pronunciatas, R. etiam numeret, ut quolibet septennio pellem exuat, inde tunicæ (si rapsodis fides hic habenda est) sunt factæ. Nam sententia in serpentem sive Sammaëlem sonat ita: (kk) *Statuit autem* Deus *die illo, ut semel septimo anno pellem exueret suam, magno cum dolore, & serperet intestinis suis super terram.* Verum, ut septimo quolibet anno exueret pellem serpens, nihil meminit historia. Cur autem pellis deponenda erat anno septimo? forsan, inquit Vorstius (ll) annus sabbathicus vim suam hic exerit, juxta Rabbini mentem? at constat, in senili ætate pellem à serpentibus exui. Placet interim nonnullis hanc senectam exui, ob siccitatem. Hoc autem serpentinum pellis genus, à Deo adhibitum fuisse hic, valde displicet: utut vestimenta consuta ex serpentum aut piscium corio, Mauris olim & Trogloditis non displicuerint. (mm)

XII. *Gemara* stat pro *vellere seu lana*, quando dicit (nn) עור דבר הבא מן העור וחד אמר שהעור בהנה ממנו: i. e. *Pellis est res quædam à pelle orta i. e. à velleribus: & alius inquit: e re, unde pellis utilitatem capit h. e. è lino.* Nec defuerunt, qui *lanam leporinam* commendarent, teste R. Salomon Jarchi cum inquit: (oo) יש דברי אלרדה אומרים חלקים בצפורן היו מדובקים על עורן וי"א דבר הבא מן העור כגון צמר הארנבים שהוא רך וחם ועשה להם כתנות ממנו: i. e. *Mysticæ expositiones dicunt, quod glabræ sicut unguis, & adglutinatæ pelli eorum* (Protoplastorum) *fuerint. Quidam dicunt, fuisse tale quid, quod desumitur ex pellibus, qualis est lana leporina, quia illa est mollis & calefaciens, ex qua fecerit ipsis femoralia:* In *Zenna Renna* vero sunt, qui pro cervi exuviis pugnant. Abenesra quoque notat, (pp) nonnullos dicere, יש בהמה בדמות אדם והשם צוה ונפשט עורה: *fuisse quoddam animal, homini valde simile, atque hoc jussu divino pellem hanc suam exuisse.* In רבות (qq) leguntur sequentia: ויעש לו עשר חופות *& fecit* (Deus) *ipsi* (Adamo) *decem umbracula pellicea:* בתורתו של רבי מאיר מצאו כתוב כתנות אור: (rr) i. e. *In lege R. Meir invenerunt scriptum* (annotatum in ora) *vestes lucis* (pro כתנות עור *vestibus pelliceis.*)

XIII. Agmen opinionum harum Judaicarum, claudat *R. Samuel Bar Nachman*, qui symbolum suum adjecturus dicit, erant מצמר גמלים, *de pilis camelorum* referente *Othone.* (ss) Quod quidem de asperis & vulgaribus illis camelorum pilis, omnino intelligendum vult Judæus, ex quibus Judæi olim, indumentum conficere, eoque modo corpus suum deformare solebant, in impetrando aliquid divinitus; quæ deformandi corporis ratio apud Christianos quoque Principes, dein invaluit; de quo videri potest *Victor Tunnunens.* (tt) quem pœnitendi modum, *Radulphus Ardens*, ab illis pelliceis Protoplastorum vestibus derivare videtur, quando ait. (uu) *Pili camelorum & cilicium sunt signa pœnitentiæ, tum propter asperitatem & punctionem, tum, quia signa sunt tunicarum pellicearum, quibus induti primi Parentes, paradiso exclusi sunt.* (xx.) Ubi juxta occasione data, monemus, non frustra dictum supra fuisse, interpretationem hanc Judæi, intelligendam venire de asperis ac vulgaribus illis camelorum pilis, siquidem pœnitentiæ signa esse debuerint; quales etiam illi fuisse, non sine ratione creduntur, quibus Johannes Baptista fuit amictus, (yy) ad differentiam scil. *pilorum illorum camelorum* quorum usus in Caspiis & Tartaria esse solet insignis. Tantum enim abest ut illorum villi, corpori asperitatem aliquam inducant, ut potius mollitiem, nec adeo frigus penetrabile arceant: quippe qui mollissimi fuerint, & ex iis confectæ vestes ad delicias pertinuerint. Ælianus narrationem hujus rei prolixiorem dabit, qui audiatur: (zz) Κάμηλοι, inquit, δ' ἀριθμοῦνται πλεῖσ, αἱ μέγισαι κ̀ τοῖς ὕπποις τοῖς μεγίσοις, ἐντυχεῖς ἄγαν· ἁπαλαὶ γάρ εἰσι σφόδρα αἱ τούτων τρίχες· ὡς κ̀ τοῖς Μιλησίοις ἐρίοις ἀντικρίνεσθαι τὴν μαλακότητα. Ουκ ἐξ ἐκ τούτων οἱ ἱερεῖς ἐσθῆτα ἀμφιέννυν‘ καὶ οἱ τ̃ Κασπίων πλουσιώτατοί τε, κ̀ δυνατώτατοι· *Cameli etiam* (apud Caspios) *plures numerantur, quorum maximi maximis equis sunt magnitudine pares, pilis magni pretii: isti enim ita molles sunt, ut eum Milesiis lanis mollitie comparari possint. Ex illis porro Sacerdotes induuntur & Caspiorum ditissimi quique & opulentissimi.*

XIV. Quod illum accepisse ex Ctesia, vel hæc Apollonii docere videntur: (a) Κτησίας ἐν τῇ δεκάτῃ Περσικῶν, καμήλους, τινάς ἐν τῇ χώρᾳ γίγνεσθαι, ἃς ἔχειν τρίχας πρὸς Μιλήσια ἔρια τῇ μαλακότητι· ἐκ τῶν τούτων τοὺς ἱέρους (lege ἱερεῖς) κ̀ τοὺς ἄλλους δυνάσας τὰς ἐσθῆτας φέρειν. Sic in Imperio magni Cham in urbe Calacia Metropoli Provinciæ Tanguth, panni inveniuntur quos *Zambilotte* vocant, de lana alba & camelorum pilis, contexti, quibus vix pulcriores in mundo inveniri putantur. Hæc fuerunt *Pauli Veneti.* (b) Et rursus, ubi de *Gog. & Magog. fiunt ibi Zambilotti optimi, de pilis camelorum*; cujusmodi pannos proprie significat vox Gallica, *Camelot*, Germ. Schamlot oder Schamelot / quamvis hodie latius sumatur. Ex hujusmodi camelorum pilis pretiosis indumentum Johannis Baptistæ, confectum non fuit, sed saltim ex vulgaribus illis & asperis rudi opere contextis; (c) ut ita pictores & idolorum fictores quidam videant, qua facundia stoliditatem penicilli sui defendant, dum divino illi viro, vestem non ex pilis camelorum factam, sed cameli pellem ipsam, aptant, cauda etiam pendente, quomodo Hercules quoque cum leonis exuviis, formari solet; qui caudatus vestitus dein longius serpendo, in abusus etiam erupit, adeo, ut scriptis publicis vituperari & damnari iste sit cœptus. Equidem *Bernardinus Senensis* de caudis, quæ in mulierum vestibus suo ævo, non infrequenter videbantur, ita scribit: (d) *Quid etiam dicemus de fastidioso opprobrio caudarum, quas tantum dilatavit Diabolus per Italiam tempore meo, ut neque vilissima muliercula jam sit, quæ non erubescat, si absque cauda incedat. De quo tempore Merlinus dixit: Mulieres serpentes vivent, & omnis gressus earum superbia replebitur. Renovabuntur castra Veneris, nec cessabunt sagittæ cupidinis.* Idem abusum prædictum perstringit his verbis: (e) *Jam tota Italia caudatis mulieribus plena est: nihil jam restat aliud, ut animalia completa videantur. Caudas & cornua habent: jam enim in quibusdam partibus, ad binarium numerum in mulieribus cornua devenerunt.* Hæc Bernardinus citante *Webero in Arte Discurrendi.* (f)

XV. Ad hæc inserenda ansam dabat Judæus, qui *camelorum pilos* pro *pellibus*, obtrudere volebat: quos autem una cum reliquis opinionibus circa hanc rem, quia potius lusus ingeniorum, quam ingenuum Scripturæ S. interpretamentum sunt, ipsi reliquisque suis contribulibus remittimus. Nam, quod *Gemara* pro *vellere* seu *lana* stat, interpretatio quidem adeo mala non esset, nisi literam negligeret: nimirum, quia usus lanæ præcipuus in vestibus esse solet. Hinc Salomon inquit: (g) כבשים ללבושך *agni in vestitum tuum.* Neque enim ibi *agnorum* nomine intelliguntur λώδια vel ἀρνακίδες i. e. agninæ pelles: Ut cum in Chaldæa paraphrasi, (h) oleum ex vertice Aaronis defluere dicitur על אמרא דלבושי *super agnum vestis ejus* i. e. super oram vestis ejus, agnina pelle suffultam. Nam אמרא Chaldæis, non solum *agnum*, sed & *limbum vestis* significat, cui adsuebatur ἀρνακίς; ubi Græci habent: ἐπὶ τὴν ὤαν ἐνδύματος, quod fere idem est; ὦα ὤα, ὄα vel οἶα enim, primo μηλωτὴν, *vellus*, significavit, seu *ovis pellem cum lana.* Hesychius: ὦα ἡ προβάτου, ἡ μηλωτή. Suidas: Ὦα μηλωτή. Pollux: τὴν ἢ ὤαν, ἣν ὄαν λέγουσιν: ὄα ἢ καλεῖται κ̀ ἡ ἢ προβάτου δορὰ ἡ σὺν τῷ ἐρίῳ. Secundo, sic dicta est *ora vestis cum hujusmodi pelle adsuta.* Καὶ γ̀ οἱ ἀρχαῖοι προβάτων δέρματα ἔβαλον ἐν τοῖς κρασπέδοις τ̃ ἱματίων. Ita Etymologus & Cyrilli Lexicon, (i) & Eustathius: (k) οἱ παλαιοὶ ἢ ταύταις οἷος δέρμα προσέρραπτον, ἵνα ἥκιστα τρίβοιντο τὰ κάτω τ̃ ἱματίων. Hinc igitur *ora vestis inferior* ὦα vel ὄα dicta est: neque inferior solum, sed & superior, quam aliter περιστόμιον & περιτραχήλιον vocant. *Pollux*: Ὦα ἢ τὸ ἐξωτάτω ἢ χιτῶνος ἑκατέρωθεν. *Hesychius*: Ὦαι ἢ τῶν ἱματίων κ̀ τολῶμα ἢ ἐνδύματος, κ̀ τὸ περιστόμιον ἢ ἱματίου. Quod à Psalte intelligi, palam est. Recte igitur *Suidas* post Theodoretum: τὸ περιστόμιον ὤαν ἐκάλεσεν ὁ Δαβίδ, ὁ καλοῦμεν περιτραχήλιον.

 XVI. Ve-

(hh) נגה *in* פ"ה (ii) *in Pirk.* פ"כ (kk) ב"פ יה (ll) *Animad.* פ"ב (mm) *Beyerling, ex Alex. ab Alex. l. 5. c. 18. in Theat. M. Tom. VII.* (nn) בסוטה פ"א (oo) *Comment. in Genes.* (pp) *Ad Cap. 3. Gen. vs. 21.* (qq) פ"א (rr) פנ"ל (ss) *In Lex. Rab. phil.* (tt) *In Chr.* (uu) *Homil. I. & II. Advent.* (xx) *Barth. Adv. lib. IV. c. 7.* (yy) *Matth. 3:4. Marc. 1:6.* (zz) *Hist. lib. 17. c. 34.*

(a) *Mirabil. c. 20.* (b) *Lib. 1. c. 63. seq.* (c) *Bochart. Hieroz. & Rivetus Exerc. XXXIX. Gen. c. 3.* (d) *Serm. 44. contra mund. vanit. art. 1. c. 2.* (e) *Serm. 47. contr. fucat. art. 3. c. 3.* (f) *Font. 39. exem. 1. pag. 357.* (g) *Prov. 27: 26.* (h) *Psalm. 133: 2.* (i) *In voce ὦα.* (k) *In Iliad.*

XVI. Verum hujusmodi κώδια vel ἀρνακίδες, Salomon d. l. intelligi non vult: hæc enim mens ejus si fuisset, dubio procul *agnos hircis*, non opposuisset, uti recte colligit *Bochartus*, sicuti his verbis opponit: *Agni in vestitum tuum, & hirci sunt pretium agri.* Pelles enim caprinæ æque ac ovillæ, in usum vestium adhibentur, & utrisque commune nomen melotæ. *Agni* igitur *in vestitum tuum* i. e. agnorum lana, vel, quod idem est, ovilla; quamvis enim alicubi etiam, è pilis caprinis panni texantur, tamen id est infrequentius, neque in Judæa receptum fuit. Et veteres quidem in Lycia & Cilicia, capras memorant fuisse longissimis villis, & ut oves tonderi solitas: sed ex iis nihil contextum legitur, præter cilicia & rudentes in usum nauticum aut funes ad tormenta bellica: At *lanei panni* usus, ubique receptus est, & ab omni ævo. Proinde hujus meminit *Moses*, cui linum misceri vetuit; (l) & *Jobus*, (m) ומגז כבשי יתחמם *vellere seu tonsione ovium calefieri*, i. e. panno ex lana detonsa confecto. Confer Ezechiël (n) de Sacerdotibus dictum etiam: *Lana non ascendet super eos* i. e. lana non induentur.

XVII. Insuper *lanæ primitias* DEUS sibi solvendas, imperavit. Ita Deuteron. (o) *Ne tondeas primogenitum ovium tuarum.* Quam legem *Maimonides* prolixe explicat (p) Paragraphis sexdecim: quorum primo observat, primitias velleris in Lege non æstimari, sed in Scribarum verbis, qui vetant, ne minores sint מאחר מששים *quam unum ex sexaginta.* Addit etiam, alibi non solvi, quam in Judæa, sive templum stet, sive non stet, ut segetum primitias, nec solvi de Sacris, sed de profanis. Consimiliter de *lanis ad commercia*, locus est insignis Ezechielis (q) quando Tyrus ita compellatur: *Damascus est negotiatrix tua*, ביין חלבון וצמר צחר *vino Chelbon & lana candida*, vel *rutila*, si mavis: Nam Ebræo צחר color subruber significatur, qui fortassis Græcis, rutilus & erythræus. Ubi inprimis notari meretur, quod *Damascena lana*, Chaldæo dicatur עמר מילת כבינא *lana Melat circumligata*; Nam sciendum, מילת *melat*, non ἀπὸ τῦ μηλώτης, ut à pluribus creditur, sed à *Melito* nominari, ubi genus lanæ excellentissimum fuit. Itaque Græci etiam hic habent ἔριον σίλβον ἐκ Μιλήτυ, non quod Damascenos hanc lanam è Mileto adtulisse crediderint, sed quia Milesiam lanam, puritate & mollitie æquabat eique non cedebat.

XVIII. Atque ob id ipsum erat כבינא *circumligata*, veluti in Thalmudico Tractatu habetur, (r) מכבנין אותו למילת *circumligant eum* (agnum) *ut sit melath.* Et glossa ibi לעשות מצמרו בלי מילת *ut ex lana ejus fiant Milesiæ vestes.* Et *Selomo* (s) ביום שנולד הטלה וטיהרתו אמו בלחכתה עושין כסות ומכבנין אותו סביביו בקרסין כדי שיהא צמרו נקי: *quo die natus est agnus, & mater illum lambendo expurgavit, parant ei integumentum, quod fibulis circumquaque adnectunt ut pura sit lana ipsius.* Oves hujusmodi a Varrone vocantur *pellitæ*; (t) *Similiter*, inquit, *faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem (ut sunt Tarentinæ & Altinates) pellibus integuntur, ne lana inquinetur.* Unde jocus Diogenis Cynici etiam ortum suum traxisse videtur, (u) qui cum Megaris videret τὰ μὲν πρόβατα τοῖς δέρμασιν ἐσκεπασμένα, τὰς δὲ παῖδας αὐτῶν γυμνὰς, *oves quidem pellibus tectas, eorum autem liberos nudos, præstare dixit, Megarensis arietem esse, quam filium.* Hujus vero lanæ famam, sericum & gossipium, quorum hodie Damasci proventus maximus est, obscuraverunt.

XIX. Quemadmodum igitur *lanæ agninæ* laus sua stat: ita etiam sententia, qua Judæus loco *pellium*, *lanam* ex his provenientem commendavit, stare poterat, si ῥήσεως sacræ quidem obliti esse, ab eaque sine causa urgente, recedere vellemus: quod autem dum non facimus, eo ipso quoque cum hac, simul *lanam leporinam* rejicimus, tanquam minus commodum amiciendi sese inventum; nec enim Protoplasti nostri, nodosa podagra laborabant, ut pellibus leporinis, pedes involvere opus habuissent. Consimiliter, meras ineptias agunt, qui dicunt; *animal similitudine sua hominem referens, pellem, DEO sic jubente, suam exuisse, ex hacque dein vestes, homini primo factas fuisse.* Nec rationem ullam urgentem video, quare ex *cervi exuviis* præcise, indumentum hoc Protoplastorum fieri oportuerit? sicuti & minus usitate loquuntur, qui *Umbraculum* adpellare volunt vestem, quidpe cui descriptio vestis plane non conveniat. Ut nihil jam dicam de reliquorum sententiis, nil quicquam sane probabilitatis, nedum fidei in sese continentibus. Atque merito proinde hic Judæis Judæum oppono, Aben Esram, utpote recte animadvertentem, frigidiores suorum explicationes has esse, quam ut adplausum mereantur: Unde nulla circuitione usus, contribulium opiniones ita reprobat: (x) ואין לנו לבקש בזאת רק נאמין שהשם עשה לאדם גם לאשתו כתונות עור ומי ימלל לבורותיו ומי יספר מעשיו ונפלאותיו ואין חקר לגדולתו: h. e. *Non est nobis in hoc inquirendum: tantum credamus, Deum parasse Adamo ejusque uxori tunicas pellis. Quis enim eloquetur virtutes ejus? quis enarrabit opera atque mirabilia ejus? neque est investigatio magnitudinis ejus?*

XX. Et hactenus de *Materia vestium pellicearum*, prout quidem ea à Judæis, & qui illis pollicem premunt, circumfertur, egimus, eamque minus ingenuam & credibilem esse, quantum opus videbatur dicique poterat, ostendimus. Antequam autem dicamus etiam, quid nos circa præsens hoc negotium modeste statuamus (id quod sequens Caput palam faciet) prius, & quidem tribus saltem, *Tunicarum pellicearum formam*, quam ex Judæorum quidem Magistrorum, mente, istæ habuerunt, etiam producemus. De hac *Raschi ad Pesachim*, suggerente, Lumine, Illustris & Almæ Altdorffinæ Hujus, VIRO Nobilissimo, Amplissimo & Excellentissimo, Domino D. Wagenseilio, Domino Patrono & Præceptore meo, Colendissimo &c. (y) tradit, שהיו חקוקות בהן כל מין חיה ועוף ובהמה: i. e. *quod in iis expressæ fuerint figuræ animantium omnes, volucrum & bestiarum.* Ubi sane nescio, an quidam ex hisce, materiam fingendi sumserint & dicendi, quod tunicæ Protoplastorum *plumatiles* fuerint: Sicuti revera fuerunt & hodienum sunt, qui avium plumas in vestis usum, texere solent: cujus texturæ alias princeps inventor traditur esse *Philoctetes*, qui in insula Lemno diu versatus, in summa rerum omnium inopia, avium quas configebat, carnibus vescebatur, plumisque induebatur; Cujus rei vestigium habemus apud Q. Smyrnæum: (z)

—— ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ
Οἰωνῶν πτερὰ πολλὰ περὶ λεχέεσσι κέχυντο.
Ἄλλα δ' οἱ συνέερτο περὶ χροῒ, χείματος ἄλκαρ
Λευγαλέυ.

—— *Plurima circum*
Pluma avium strata in thalamis hinc inde jacebat:
Pars consuta grave à pallenti corpore frigus
Arcebat.

Accius Poëta Tragicus: (aa)

Pro veste pennis membra textis contegit.

Qui Accii locus à Cicerone allegatur, (bb) *Philoctetes*, inquit, *ut apud Accium est, pennarum contextu, corpori tegumenta faciebat.* Quam industriam aucupes dein imitati teste *Plutarcho.* (cc) πτερωτοῖς ἀμπίσχονται χιτωνίσκοις ἄγραις ἐπιχειρῦντες ὀρνίθων, *plumeis integuntur vestibus, cum avium venationes adgrediuntur*, ut aves scil. hac arte delusæ accedant incautius. Idem referunt *Diodorus*, (dd) & *Strabo*, (ee) Quæ res temporis successu in luxum cessit, quo collimat *Prudentius*: (ff)

—— *Hunc videas lascivas præpete cursu*
Venantem tunicas avium quoque versicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis.

Et hoc mirabile artificium, multis abhinc seculis intermortuum, Americanorum opera revixit, ceu multis probat *Fullerus* ex Cortesio & aliis, (gg) qualem incredibilem solertiam in ejusmodi veste plumatili adhibitam, Legatus ille barbarus, ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem, missus, superiori anno exhibuit.

XXI. Et antequam materiam hanc, incidenter datam, è manibus mittam, scopo nostro fortassis nullas pœnas daturi, sed à veritate gratias accepturi sumus, si hic occasione sic ferente, inquiratur, an ad harum *vestium plumatilium* artifices, Interpres vulgatus, digitum intenderit, quoties *plumariorum* aut *plumarii operis* in Exodo meminit? Ita revera definiunt *Fullerus & Scaliger*; (hh) Sed *Bochartus* (ii) doctissime censet, *plumarii* vocem latius sumi, & nititur ratione hac, quod respondeat Ebræis חושב & רקם quarum prior *acupictorem* proprie significet: posterior *polymitarium*, neutra vero *plumarum textorem.* Itaque alibi vulgatus חושב *polymitarium* explicat, & רקמה *polymitaria, scutulata, discoloria, multicoloria, nusquam plumea aut ex plumis contexta*

(l) *Deut.* 22: 11. (m) *Cap.* 31. 20. (n) *Cap.* 34. 3. (o) *Cap.* 15. 19. (p) *In Biccurim c.* 10. (q) *Cap.* 27. 18. (r) *De Sabbath. c.* 5. (s) *In Ezechiël.* (t) *De re rustic. l.* 2. *c.* 2. (u) *Apud Laertium lib.* 6. *Bochart. Hier. lib.* 2.

(x) *Comment. ad Gen.* 3: 21. (y) כסוטה *Cap.* 1. *Pag.* 339. (z) *Lib.* 9. *vers.* 356. (aa) *In Philoctete.* (bb) *Epist.* 33. *lib.* 7. *& l.* 5. *de finibus.* (cc) *Lib.* 1. *de fortitud.* (dd) *Lib.* 3. (ee) *Lib.* 16. (ff) *Hamar. tig. vs.* 358. (gg) *Miscel. lib.* 1. *cap.* 20. (hh) *In Varronem.* (ii) *Hier. lib.* 1. *cap.* 3.

texta veſtimenta. Et ſi *plumarius* is ſit, qui aulæa aut veſtes texit ex plumis, cur Exodi (kk) *opera plumarii texi dicuntur*, non de pluma, ſed de *hyacintho, purpura, cocco & byſſo?* quod etiam juvat, in eodem libro (ll) Aaroni cingulum fieri de *byſſo retorta, purpura ac vermiculo bis tincto arte plumaria.* Ut ita artem plumariam verſari palam ſit in textura *byſſi, purpuræ &c.* non vero plumarum.

XXII. Si ergo Vulgata non invenit, quod quærebat, cur ergo *plumaria* dicta? ℞. quia, monente *Turnebo*, (mm) quædam ſpecies eſt, ſolertter acupingendi, cum clavi aut patagia aut ſegmenta aut ſcutulæ aut teſſellæ, ſic aliæ aliis in veſte ſuper adſuuntur, ut plumam avium referant. Unde Nonnus: *Veſtis plumatilis eſt clavata aut clavis facta.* Et Vopiſcus in Carino: (nn) *Quid lineas petitas Ægypto loquar? quid Tyro & Sydone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles?* Et in Gloſſario, *plumarius* eſt ποικιλτης, qua voce Ebræum רקם Seniores ubique reddunt. Et apud *Theodoretum* (oo) כתנות פסים ὁ μὲν Ἀκύλας χιτῶνα καρπωτὸν ἡρμήνευσεν ἀντὶ τοῦ καρπὲς ἐνυφασμένους ἔχοντα, οἱ νῦν ἢ αὐτὸν καλοῦσι πλουμαρικόν. *Aquilas quidem tunicam carpotam, interpretatus eſt, tanquam fructus habentem intertextos, quod hodie plumaricum vocant.* Quin bracteolis aureis, quibus arma vel veſtes interſperſere, *plumarum* nomen inditum eſt, propter ſimilitudinem. Græci recentiores vocant πλουμία. unde forſitan Gallorum *Plumage*, German. Plumaſche. Videri poſſunt, cui lubet *Statio*, (pp) *Barthius*, (qq) *Wowerius*, *Nic. Fullerus*, (rr) *Seneca.* (ss) Et Conſtantini Imperatoris locum (tt) recte ex interpretatione Græcorum, emaculavit, reddita *plumarii* voce *Cujacius*, notante eodem Barthio. (uu)

XXIII. Redimus ad *formam tunicarum pellicearum*, à quia *plumatiles* nos paulo abduxerant, viſuri, quid de eadem Judæorum Schola, porro dicat? Dicit autem R. Eliſer. (xx) בתורתו של רבי מאיר מצאו כתוב שהיו החבין מלמטה וצרין מלמעלה: i.e. *In Lege R. Meier invenerunt ſcriptum, quod veſtes primi hominis, quoad partes inferiores, fuerint latæ, & quoad ſuperiores anguſtæ.* Et quoniam DEUS ipſe præceptum dedit, ne ſcilicet vir veſtes mulieris, neve mulier viri veſtes induat; (yy) procul dubio, inter tunicas Adami & uxoris, quoad formam, diverſitas aliqua fuit. Licet autem Codex ſacer, hujus rei ne unico quidem vocabulo, mentionem faciat, haud ſecus tamen de eadem loquuntur Judæi, ac ſi propriis oculis uſurpaſſent: hinc viginti quatuor ornamenta producere ſciunt, quibus DEUS uxorem Adami ornaverit, & ſunt ſequentia: (zz) ואלן הן כ״ד הכשיטין של אשה שני מנע מנעליה ושתי מטלותיה של מנעליה ושתי אנפילאותיה ושתי מטלות של ברכיה כתונתה ומעילה לבושה הרת התחמון ולבושה העליון וסינורה וחגורה בתי נפשה נזמה עגולים וכומז ושתי צמידים על ידיה וטבעתה וענקה הרי כ״ד תכשיטים: i. e. *Et hæc ſunt viginti quatuor uxoris Adami ornamenta: Duo calcei totidemque ligulæ: Duo tibialia cum totidem genualibus: induſium ejus & manicæ: tunica ipſius inferior & ſuperior: amictorium cum cingulo: mammillare & pectorale: frontale faciei: inaures cum ſera: armillae in manibus ejus: annulus atque monile. Hæc ſunt ornamenta Uxoris viginti quatuor.* Sed quis non videt, talia melius adcommodari poſſe Eccleſiæ Judaicæ, quam DEUS (a) ſub figura ſponſæ ornavit, quam uxori primi hominis, Adami? Scriptura enim tantum memorat hic *pelliceas tunicas*, nullius armillæ, annuli nullius, nullius inauris &c. mentionem faciendo. Formam potius *tunicarum pellicearum* ſimplicem valde fuiſſe, extra controverſiam poni debet videlicet non ad ornatum, vel oculos, ſed ad neceſſitatem factarum. Moſes adpellat כתנות unde Græcorum χιτῶν & Gallicum *Hoqueton*, German. Hemd oder Küttel. Nobis ergo hæc ſufficiant, quos omnino decet, ignorantiam hancce, quam de forma tunicarum pellicearum DEUS tacite quaſi imperavit, ſilentio pio venerari.

CAPUT II.

§. I.

RESTAT nunc, ut, quid in ejuſmodi ſententiarum divortio hactenus ſat prolixe productarum, à nobis modeſte ſtatuendum ſit, paucis etiam eloquamur. Ubi quidem primum cordate & ſine ulla dentium colliſione, formiter quidpe verbis textus inhærentes, dicimus, fuiſſe כתנות עור veſtes pelliceas, & quidem vere & proprie tales, paratu ſcilicet faciles, cum villis & pilis: hoc enim innuere videtúr vox עור, quæ nuſquam alia ſignificatione, quam pro externa animalium pelle uſurpata legitúr, adeo, ut omnes frivole & ſine fundamento loquuti ſint, qui textum ſine ratione torquere ac retorquere auſi fuerunt. Hinc, licet ſuppeterent Deo aliæ veſtiendi rationes, tamen has *pelliceas* voluit præferre, ut tam hyeme, quam æſtate, ſola inverſione Protoplaſtis ſervirent. *Pelliceas* prætulit DEUS, quia non ad ornatum datæ ſunt, ſed ad neceſſitatem, ut nimirum nuditatem tegerent, aërisque injurias arcerent. *Pelliceas* prætulit, quia non tantum ſymbolum verecundiæ, ſed & frugalitatis, continentiæ, imo & pœnitentiæ fuerunt. (b) Non purpura, non panno, ſed pellibus quaſi cilicio, DEUS poſt peccatum homines veſtivit, quo doceret, ſimilem ſimplicem nobis debere eſſe veſtitum.

II. Unde dubio procul etiam mos deinde inolevit apud vetuſtiſſimos mortalium, teſte *Platone*, (c) ut animalia cæderent, pellibuſque eorum tegerentur. Siquidem Eruditos non latet, in Teſtamento (ſive vero, ſive falſo, nam litem hanc meam non facio) quod Noachus, clam filio ſuo Schemo injunxiſſe dicitur, inter alia etiam legi, (d) *Veſtimentum ejus eſſet de tergoribus ferarum*, notante *Hottingero.* (e) Quem animalium uſum, cum reliquis *Cicero* enumerat. (f) Et licet *pelliceæ veſtes* aliquando contemtim fuerint nominatæ, ut inter alia videre eſt apud *Eugippium*, (g) ubi de *Odoacro*, poſtmodum Rege Italiæ, inquit: *Vade ad Italiam, vade, viliſſimis nunc pellibus coopertus, ſed multis cito plurima largiturus*; & Laurentium, (h) *Malis*, ait, *quibus carni in ipſis relapſus contaminor, Evangelicam tunicam rurſus in pellicea commutavi*, h. e. ad barbariem & ſordes meas redii; Quin, neque coriariis domicilium in urbe conceſſum ſit, deque arte coriaria ſomniari, conjectoribus præſagium malum viſum fuerit: quod ſpectat illud Artemidori: (i) Τὸ ἢ βυρσοδεψεῖν πᾶσι πονηρόν· Νεκρῶν γὰρ ἅπτεται σωμάτων ὁ βυρσοδέψης, καὶ τῆς πόλεως ἀπῴκισται· *Coriariam exercere, malum omnibus: quidpe Coriarius mortua tractat corpora, ideoque ab urbe ſecluditur.* Quo non incommode etiam referri poteſt, quod legitur: (k) אי איפשר לעולם בלא בסם ובלא בורסי מי שאומנותו בסם אוי למי שאומנותו בורסי שארי i. e. *non poteſt mundus eſſe ſine aromatariis & coriariis: beatus eſt autem ille, cujus opificium eſt aromatarium, & væ illi, cujus opificium eſt coriarium.*

III. Verum, hoc ex ſtulta ſuperſtitione & alia de cauſa fiebat, quam cordatiores riſu excipiunt: & longe honeſtius de coriariis ſenſit *Petrus Apoſtolus* DEI, quem apud Simonem coriarium Joppenſem, divertiſſe, legimus. (l) Primos Romanæ Urbis, certe, Senatores, quo tempore adhuc ſimplicitas vigebat, *pellitos Patres & ruſtica corda, Propertius*, adpellavit:

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu
Pellitos habuit ruſtica corda Patres.

Pii etiam Viri olim, *quibus indignus erat mundus*, in deſertis errantes, & montibus ac ſpeluncis caverniſque terræ oberrantes ἐν μηλωταῖς ἐν αἰγείοις δέρμασιν *ovillis & caprinis pellibus amicti leguntur*: non quidem, quod habitus pelliceus in populo DEI quondam, ſanctæ adeo venerationis fuerit, ut Adverſarii nugantur; ſed quia deſtitutis, maleque habitis aliæ veſtes non ſuppetebant, quibus ſe tegerent. (m) Nec ævo *Caroli M.* pelliceæ veſtes contemtim nominatæ ſunt, cum ipſis rerum Dominis in uſu eſſent, (n) qui pellem vervicinam etiam diebus feſtis adhibuiſſe, memorantur, notante Barthio. (o) Reſpice ad noſtra tempora, & omnem contemtum pellicearum veſtium abeſſe videbis.

IV. Vera igitur ſententia ſtet, Protoplaſtorum veſtes revera *pelliceas* fuiſſe. At, quorum animalium pelles? Certe, tam credulus nolim eſſe, ut *Procopio Gazæo* (p) fidem adhibeam, qui ait, *abſque occiſione animalium, tunicas illas bifariam confici potuiſſe h. e. vel ex converſione præexiſtentis*

ma-

(kk) *Cap. XXXV. 35.* (ll) *Cap. XXXIX. 23.* (mm) *Adv. lib. II. cap. 25.* (nn) *Vopiſcus in Car.* (oo) *In ll. quæſt. 28.* (pp) *Lib. IV. Theb. v. 268. & Lib. II. v. 543.* (qq) *Adv. Lib. 30. cap. 17. Lib. XI. c. 18.* (rr) *Lib. I. Miſcell. c. 20.* (ss) *Lib. 1. Ep. 90. ad Lucil.* (tt) *L. 1. C. de Exc. Artif.* (uu) *Lib. XII. cap. 1. Adverſ.* (xx) פ״ג״ל (yy) *Deut. 22. v. 3.* (zz) ב״ר פ׳ י״ה (a) *Ezech. 16.*

(b) *Alcuinus. Rivetus in Gen. III. Exerc. 39. Auguſt. lib. II. de Gen. contr. Manich. cap. 21.* (c) *In Protagora.* (d) *Autore Arabe Patricid.* (e) *Smegma l. 1. d. uſu L L. Oriental.* (f) *Tuſcul. I.* (g) *In Severin. cap. 7.* (h) *Hom. I.* (i) *Lib. 1. c. 53.* (k) *Bava baſra fol. 16. col. 2. Sanhedr. fol. 100. Buxtorf. Floril.* (l) *Actor. 10: 10. Voſſ. d. Orig. & Progr. Idol. lib. III. c. 10.* (m) *Ebr. XI. 37. Rivet. Gen. III. Exerc. 39. Lucret. lib. 5. verſ. 951.* (n) *Commentar. Sangal. Mon.* (o) *Adverſ. l. 25. c. 12.* (p) *Comment. in Gen.*

materiæ in pelles; (*ſicut enim aquas Nili convertit in ſanguinem: ſic materiam elementorum in pelles mutare potuit*) *vel ex creatione de nihilo*; cui poſteriori ſententiæ etiam *Jacobus Sarugenſis* adhæret. (q) Tam credulus, inquam, nolim eſſe, ut Autoribus hiſce, miraculum præter neceſſitatem ſtatuentibus, & petitionem principii committentibus, fidem adhibeam: potius nihil impedit, modeſte & abſque ullius præjudicio dicere, pelles fuiſſe eorum animalium, quæ ab homine primo, juſſu divino, cæſa & ſacrificii materia fuerunt. Nam, abſit, ut credamus, Abelem primum fuiſſe, qui ſacrificium DEO gratum obtulerit: imo potius ritum ſacrificandi, cum fratre Caino, à Parente Adamo didicit, cui DEUS illum monſtravit eo tempore, quo poſt promiſſionem, pelliceas veſtes Protoplaſtis, parabat: ut enim pellis haberi poſſet, animal occidi debuit, mactatum & excoriatum, confirmandæ promiſſionis ergo, ſtatim DEUS in victimam comburi curavit. Nequaquam vero ex lumine naturæ atque inſtinctu didicit, ut ita ſit primum quoddam principium à DEO nobis ingenitum; quod ipſum ſcire maxime intereſt vel propter Adverſarios, qui ut ſuum Miſſæ ſacrificium, tueantur, & ſacrificulis Miſſaticis ementitum ordinem Sacerdotii adſerant, ita diſputant pro veri nominis ſacrificio externo & viſibili, tam in N. quam in V. T. tanquam neceſſario etiam ad religionem & cultum Chriſtianorum, ut, ſi valerent argumenta, quibus munire ſatagunt ſuam adſertionem, credere cogeremur, in ſtatu innocentiæ, futurum etiam fuiſſe uſum veri nominis ſacrificiorum: adeoque cultum horum acceptum ferendum eſſe ipſi lumini naturæ, & inſtinctui divinitus ingenito; (r) Quidni paulo altius, inquit, *Cloppenburg* (s) quam Pontificii, arceſſamus ſacrificiorum hiſtoriam? Nimirum, (veluti ſupra paucis jam tum dictum eſt) ut cum prima Fœderis inſtauratione, per promiſſionem (t) factam, ſimul inſtituta ſit, atque Adamo imperata ſacrificiorum religio, quæ in ſe haberet etiam fœderis ſacramentum. Habemus certe, inquit, veſtigium τῶν σφαγίων ſeu mactatarum pecudum ad ἱλασμὸν pro peccatis in pelliceis tunicis, quibus Adamum & Uxorem ejus veſtiit. Deinde videtur hic eſſe prima origo legis illius, quæ extat in Levitico (u) *Sacerdos qui offert holocauſti victimam, pellem habebit*: Fuiſſe autem Adamo nudo datum iſtud propitiationis ſymbolum, qua teguntur peccata; quod autem tunicis iſtis DEUS hominem veſtire voluerit tegendæ nuditati, diſcitur ex verbis Chriſti ad Laodicenſes: (x) *Conſulo tibi, ut emas à me veſtimenta alba, ut induearis, ne adpareat dedecus nuditatis tuæ.* **Vor dem Fall** (inquit Fulgentiſſimum illud Noricum Sydus, Nobiliſſimus Patricius & Senator, Dominus, Philippus Harsdorfferus &c.) (y) **kunte unſere erſte Eltern/ noch die Natur/ noch die Kunſt-Arbeit bekleiden. Nicht jene/ weil ſie noch Hitz noch Froſt unterworffen/ wie die unvernünfftigen Thiere. Nicht die Kunſt/ weil ſolche ohne Mühe und Arbeit/ nicht ſeyn kan/ welcherley ihre Glückſeeligkeit nicht zulieſſe; Sie waren denen Engeln gleich bekleidet mit denen Gnaden des Höchſten.** Et quibuſdam interjectis: **Sie (Adam und Eva) wurden nach der böſen That gewahr/ daß ſie entblöſſet und unbekleidet waren Sie fühleten ſo bald ihre böſe Lüſte/ nach dem ihnen der Satan das Kleid der Heiligkeit/ liſtig außgezogen.** Dein: **GOtt hat Adam und Eva/ mit Röcken und Fellen bekleidet/ ſie zu erinnern des Kleides der Gerechtigkeit/ welches ihnen der Meſſias anziehen ſolte/ und zugleich vor der Kälte des Landes/ auſſer dem Paradieß zu ſchützen.**

V. Nec eſt, quod objicias, hujus ſacrificii Adamitici tempore, nullum animal adhuc jugulari potuiſſe, ſi quidem e ſingulis generibus par unicum conditum fuerit, eoque ſine generis unius interitu, nullum animal mactatum ſit; Nam non adſurgimus hic *Theodoreto* & *Franciſco Georgio*, (z) dicentibus, quod DEUS initio bina tantum creaverit in unaquaque animalium ſpecie, maſculum unum & alteram feminam; cum hoc ſacris literis proditum non ſit, imo potius contrarium ex iſtis detur, cum cœlum & terra cum exercitu eorum creata dicatur.

VI. Quod autem animalia mactata & ſacrificata à Protoplaſtis, ipſa concernit, de iis quæri non immerito poſſet, *num Agni vel Oves, vel alia quæpiam animalis ſpecies, fuerint? Jarchius* ſtat à partibus *bovis*, conjecturam amplexus ad verba Pſalmi 69: 33. *quæ melior videbitur Jehovæ bove &c.* & dicit: הוא שור שהקריב אדם ראשון *bos hic eſt, quem obtulit Adam primus &c.* Valde probabile eſt, inquit Pl. Rev. Ampliſſ. & Excell. Dn. D. Bebelius, &c. Dn. Præceptor & Hoſpes meus, Argentorati cum degerem, optimus, (aa) *fuiſſe agnos vel oves, utpote præfigurantes Agnum occiſum ab origine mundi*, Chriſtum: hic enim finis eſt præcipuus, in quem digitum DEUS intendit. (bb) Et quia porro DEUS in V. T. ſibi pelles arietum rubras, obferri juſſit, (cc) **röthliche Widerfelle**: quis quæſo quæſitum iſtud ſtatim ineptum dixerit noſtrum, an ſcilicet *ovium vel agnorum rubrorum pelles* fuerint, ſi quæſiverimus? Equidem, in nativis pecudum coloribus, *rubrum* cenſere & *purpureum*, Poëta ineptum forſan judicaverit, dum non aliter fieri poſſe cenſuit, quam in converſione rerum, (dd)

—— Omnis feret omnia tellus.
Non raſtros patietur humus, non vinea falcem.
Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator.
Nec varios diſcet mentiri lana colores.
Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.

Sic Tertullianus: (ee) *Non placet DEO, quod non ipſe produxit, niſi ſi non potuit purpureas & carinas oves naſci jubere.* Et rurſus: (ff) *Exciderat illi, cum univerſa naſci juberet, purpureas & coccineas mandare oves.* Ac Cyprianus: (gg) *Neque enim DEUS purpureas aut coccineas oves facit.*

VII. Hi forſan, inquam, quæſitum noſtrum ineptum pronunciarent; interim tamen cauſam noſtram agit experientia: res enim in Oriente non ſine exemplo eſt, oves non ſolum rubras, ſed & purpureas naſci; Et rubras quidem tam notum eſt, ut probatione ferre nulla indigeat. Adeſt Columella: (hh) *ſunt*, inquit, *ſuapte natura pretio commendabiles, pullus atque fuſcus, quos præbent in Italia Pollentia, in Boëtia Corduba: Nec minus Aſia rutilos, quos vocat* ἐρυθρὸς, *erythræos.* Et interjectis quibuſdam: *Quoniam ex albo ſæpe fuſcus editur partus, ex erythræo, vel pullo, nunquam generatur albus.* Et Plinius: (ii) *Colorum plura genera: quidpe cum deſint etiam nomina eis, quas nativas adpellant aliquot modis. Hiſpania nigri velleris præcipuas habet: Pollentia juxta Alpes cani, Aſia rutili*, &c. Inſuper *rubrarum ovium* paſſim Arabes meminerunt; *Alcamus: Species ovium, quæ rubræ ſunt, & parvis auribus.* Item: *De ove, quæ ſinceræ eſt rubedinis.* Si non diſplicet, etiam audire *oves purpureas*, audiatur *Oppianus*: (kk)

Εἰσὶ δ' ὄϊς ξανθοὶ, πυμάτης ἐνὶ πέρμασι Κρήτης,
Ἐν χθαμαλῇ γαίῃ, Γορτηνίδι, τετρακέρωτες·
Λάχνῃ πορφυρόεσσα δ' ἐπὶ &c.

Sunt autem oves rufæ in extremæ Cretæ finibus, in humili terra Gortynide, quadricornes. Lana autem purpurea pelle circumdata eſt. Audi *Lampridium*: (ll) *In agro Patris ejus oves purpureas duodecim ferunt natas, quarum una tantum varia fuerit.* Adjungemus Conſtantinum Porphyrogennetam, (mm) qui agit de munere, quod Juſtino Juſtiniano Patruo obtulit Thomas Lycandi Procœcus: Munus illud erat ovium decem mille, quarum ſingulæ colorem ſingularem habebant. Et in his fuerunt πρόβατα φοινικότριχα χίλια, *oves purpurei coloris mille.*

VIII. Ex his jam eligas, quid velis de pellium, quæ Parenti primo tunicas dedere, colore: ego interea objicienti cuidam obviam ibo, oggerenti, Adamum pluſquam giganteum fuiſſe ſcribi, ita, ut non tantum ab una extremitate terræ ad alteram pertingeret, ſed etiam malleolus calcanei ipſius, totam ſphæram Solis obfuſcaret, veluti legatur in *Breſch. Rabb.* (nn) & alibi: Sicuti & adducitur illud antiquorum dictum, cujus mentionem facit Ben. Iſr. (oo) תפוח עקבו של אדם הראשון היה מכבה גלגל החמה: i. e. *malleolus Adami obſcurabat ſphæram Solis*; Ergo, pellem ovinam non ſuffeciſſe ad veſtem homini primo conſuendam. Verum, ſi primus homo tantæ

(q) *Com. I. Bibl. SS. Patr. Sixt. lib. V. an.* 53. (r) *Gregor. de Valent. de Miſſ. Sacrif. lib.* 1. *cap.* 4. *Bellarmin. de Miſſ. l.* 1. *cap.* 20. *Lyſer. ad Gen.* 3: 21. *B. Hackſp. Syllog. Diſp. Circul. VI. Heinr. Otho. Lexic. Rab. Ph. l. c.* (s) *Probl.* 1. *de Sacrif.* (t) *Gen.* 3: 15. (u) *Cap.* 8: 8. (x) *Apoc.* 3: 18. (y) **In ſeinen Geſpräch Spielen.** (z) *Tom. I. Probl.* 59. *Sixt. Senens. lib. V. ann.* 54.

(aa) *Eccleſ. Anted.* §. 31. (bb) *Chryſ. Hom. XVII. Gen. f.* 40. *Theod. q.* 39. *Gen.* (cc) *Exod.* 26: 14. & *cap.* 39: 34. (dd) *Prædicta Cumæo Carmine.* (ee) *De hab. mul. cap.* 8. (ff) *De cult. fem. cap.* 10. (gg) *De Diſcipl. & habit. Virg.* (hh) *De Ovium colorib. agens lib.* 8. *c.* 2. *Boc. Hier. l.* 31. *c.* 30. (ii) *De Lanar. generib. lib.* 8. *cap.* 48. (kk) *Venaticor. lib.* 2. (ll) *In Antonio Diadumen.* (mm) *Themat. duod.* (nn) *Paraſch. XII. Akedas Zizchak. port. X.* (oo) *De fragil. hum. fol.* 35.

tantæ molis fuiſſet, quantæ fuiſſe verba adducta velle videntur, ne centum aliquot mille quidem elephantinæ pelles ſuffeciſſent. Ergo hæc non de quadam molis magnitudine, ſed virtutis & perfectionis, capienda ſunt: atque notatur Adami ſapientia magna, & quod intellectu, non corpore ab uno extremo mundi ad alterum pertigerit, interpretantibus hoc modo vel ipſis Judæorum ſapientibus. Sic אמר ר׳ יהודה בר סימון אותה האורה שנברא בה העולם אדם הראשון עמד והביט בה מסוף העולם ועד סופה: i. e. *dicit R. Juda Bar Simon: Adam ſtetit & adſpexit illam lucem, qua creatus eſt mundus, ab uno extremo ad aliud.* Breſch. Rabb. (pp) ſcilicet, intellectus, non corporis oculis, cum ſtatim à creatione fuerit חכם גדול *ſapiens magnus.* שנברא שלם בשכלו לא כמו קטן בן יומו *quia creatus eſt perfectus intellectu non inſtar infantis unius diei. Quo tendunt ſapientes noſtri, quando dixerunt: Statura Adami fuit à terra uſque ad cœlum*, inquit R. Schem. Tof. (qq) Malleoli vero Adamitici magnitudinem, declaret nobis R. *Eliſer Aſchkenas in maaſe Brechis*, quod Rabbini propoſuerint ænigma mirabile dicendo: *Adami antequam peccaſſet, malleolum obſcuraſſe ſphæram Solis, quorum intentio fuerit, Adamum tantum gradum habuiſſe, in quanto eſſe poſſet Propheta tempore viſionis Propheticæ, ſcil. abſque diſcretione inter uſitatum & inuſitatum, ſicuti à Propheta, dum eſt in viſione Prophetica, in illo raptu, ablata eſt facultas iſta diſcretiva.*

IX. Reſtat, ut videamus, an immeditate DEUS ex pellibus veſtes fecerit primo homini, an tantum feciſſe dicatur, quia ut faceret, juſſit, & induſtriam ipſis contulit, ita, ut rudi Minerva & populariter id Moſes repræſentarit, & quod ſuggerente eorum mentibus Domino, fecerunt, in Autorem DEUM transtulerit? *Torniellum* ſi conſulimus, (rr) is indignum DEO & Angelis ſanctiſſimis, eſſe id officii, putat, contra credibilius, dictas tunicas ab ipſiſmet, Adamo & Eva fuiſſe fabrefactas, neceſſitate nimirum eos impellente, & DEO intus pariter inſpirante ac docente. *Cornel. à Lap. cenſet*, hoc Angelorum miniſterio utique factum eſſe. Alii indignum putant, recedere à litera, & ea propter dicunt, DEUM immediate paraſſe primas illas veſtes; alioquin (ratiocinantur) ſi docere voluiſſet Moſes, ipſos homines ſibi veſtes feciſſe, id ipſum verbis expreſſiſſet, ſicut in præcedentibus dixerat, illos ſibi feciſſe ſubligacula. Nec tamen propterea DEUM fingendum eſſe lanionem, cruore & pingui lardo delibutum, perfeciſſe enim opus iſtud, modo Majeſtati Ejus conveniente, ſolo ſcilicet nutu vel juſſu, ut propterea literam deſerere neceſſe non ſit.

X. Ut dicamus, quid res eſt, plurimi videntur in eam ſententiam inclinare, *qui feciſſe DEUM dici putant, quia homini primo indicavit, ut faceret.* Nec Rivetus moveri ſe ſinit Piſcatoris argumento, (ss) inde deducto, quod in ſubligaculorum inventione, Moſes directe ad homines retulit, quod ab ipſis factum fuerat. *Non enim*, inquit, *par ratio eſt: quia tunc Moſes ipſis tribuebat, quod tumultuarie fecerant & propria induſtria; nunc vero DEO quod fecerant inſtigante, quando non ſufficiebat prius inventum.* Rivetum etiam juvare poteſt, quod procul dubio Adam deinde ſimilia, poſteros ſuos facere docuerit, uti Judæi quoque fatentur, cum dicitur: (tt) כל אומניות אדם הראשון למדם *omnia opificia docuit Adamus primus*, ſicut dicitur: וחרשים המה מאדם *& artifices ſunt ab Adamo.* Quæ ſimul ad unum omnia, maxime Præ-Adamitæ opponimus (uu) qui ut obtineat obtrudatque, homines ante Adamum fuiſſe, dicit: *Quis non inde* (dum nimirum Protoplaſti pelliceas veſtes accepere) *colligat, fuiſſe tempore eo coriarios, alutarios & pelliones*, qui ſcilicet tales pelles præpararint? Sed male colligit: & Præ-Adamitæ reſpondere ea, quæ jam dicta ſunt, eſt ipſum refutaſſe; Ac ſaltem ex abundanti dicimus, ſi artificium, pelles in uſum veſtium conſuendi, eo tempore cognitum & in uſu fuiſſet, cur quæſo primus homo nuditatem ſuam, foliis tegere quæſiviſſet? Delirat Præ-Adamita!

XI. Coronidis locus reſervavit ſibi *Tempus & Locum*, quando nimirum veſtes pelliceæ conſarcinatæ fuerint, & ubi? de hoc nulla eſt controverſia: conſutæ enim ſunt ante ejectionem è paradiſo; ſed *tempus* præciſe, tacente Scriptura, determinari non poteſt: conjecturis igitur ſanis ſaltem indulgendum hic. In *Peſachim* (xx) dicitur Deus illas paraſſe בע״ש בין השמשות i. e. *pridie* (primi) *Sabbathi circa crepuſculum.* Eo ſcilicet *temporis* puncto, quo juxta Judæorum Magiſtrorum ſententiam Fontem etiam, qui Iſraëlitis aquam in deſerto miniſtrabat, Mannam, Iridem, Sepulcrum Moſis, Baculum Aaronis, Dæmones, apertionem oris aſinæ Bileami, & apertionem oris terræ ad abſorbendos impios, creavit. Quæ, ſi conferantur cum ſententia Patrum, Irenæi, Cyrilli, Epiphanii, Saragenſis, Ephrem, Philoxoni, Bar-Cephæ & Diodori apud Pererium, factæ ſunt tunicæ pelliceæ eo die, quo primus homo creatus, quo lapſus & paradiſo ejectus eſt, ſcil. feria ſexta, die veneris. Cui ſententiæ etiam pollicem premit Scripturæ ſeries: Nam ex verſ. 8. videre eſt, contigiſſe hæc poſt meridiem, æſtu ſe remittente, lenique aura adflante.

XII. Quo vero tunicæ hæ pelliceæ tandem venerint, & quis eaſdem tanquam ex teſtamento hereditate acceperit, maxime obſcurum eſt. Quidam ex Judæis docent, Deum eaſdem ab Adamo, admiſſo peccato, rurſus abſtuliſſe. ה״קבה לקח הלבוש מאדם וטורדו מגן עדן *S. B. abſtulit pelles ab Adamo, & miſit eum paradiſo* (yy) *R. Elieſer* autem dicit, *Noachum has veſtes ſecum in arcam tuliſſe, cum inquit:* (zz) *Tunica, quam confecerat Deus Adamo & Evæ, fuit cum* (Noacho) *in arca, & ubi egreſſi ſunt arca, accepit eam Cham filius Noachi, ſecumque extulit, atque Nimrodo in hereditatem reliquit. Illa cum* (Nimrodus) *indutus eſſet, omnes beſtiæ venerunt ac aves, coramque ipſo conciderunt, quaſi cogitantes, ipſum pollere robore, & conſtituerunt eum ſuper ſe Regem.* Sed quis fabulam non ſapit. In Jalkut habentur ſequentia (a) ד׳מ אמר עשו ראה תא הכתונת על נקרוד וחמד אותו בלבו והרגו ולקחו ממנו וכשלבש אותם נעשה גם הוא גבור שנאמר ויהי עשו יודע צוד אמר יעקב אין הרשע ראוי ללבוש בגדים הללו מה עשה חפר בארץ ושמנם שנאמר שמן בארץ חבלו: i. e. *R. Meir inquit: Eſau* (*ſcil. frater Jacobi*) *videns tunicam hanc in Nimrod deſideravit illam in animo ſuo, & poſtquam eum* (Nimrodum) *interfecerat, eam ab illo abſtulit. Hacque indutus, etiam robuſtus factus eſt, ſecundum illud:* (b) *Et erat Eſau ſciens venationis. Jacob* (vero) *dicebat ſecum: hic improbus non dignus eſt, ut induat has veſtes. Quid fecit Jacob? ſepelivit illas & in terra abſcondidit, veluti dicitur: Abdidit* (Jacob) *in terra bonum theſaurum*, (Eſavi.) Quærit autem R. Elieſer hic: *unde probas, quod tunica hæc fuerit deſideratiſſima in oculis ejus ſcil. Jacobi, quia dicitur, reſpondet: Accepit Rebecca veſtes Eſavi filii ſui majoris deſideratiſſimas.* *

XIII. Igitur, quantum ex dictis RR. Meir & Elieſeris verbis colligi licet, veſtes Adami, à Jacobo in terra reconditæ & abſconditæ fuerunt; quoniam autem filii Eſau veſtibus iiſdem deinde Romæ ſpectaculum exhibuiſſe dicuntur, inde ſequi oportet, tunicam hominis primi terra rurſus effoſſam fuiſſe. Juvat verba hac de re ipſa producere: (c) עשו פני עשו שהיו ברומי וקנאו והטילו שנאה על ישראל שהם בני יעקב שרימה אביהם עשו לפיכך עשו צחוק בלבושו של א״ה כי יעקב נטלן מעשו וט וטמנם והם מצאו אותו לפיכך אמרי מאי אהני ליה רמאה ברמאותיה: i. e. *Filii Eſavi, qui in urbe Romæ fuerunt, invidia odioque proſequuti ſunt Iſraël, filios Jacobi, quod pater Eſavus ab eo deceptus fuit. Eapropter veſtimenta hominis primi in ſpectaculum produxerunt; Nam Jacob illas abſtulerat à fatre Eſavo eaſque abſcondiderat. Et illi* (Romani) *invenerunt eaſdem, propterea dixerunt:* (in ſpectaculis ſuis.) *Quid juvavit deceptorem ſua deceptio?*

XIV. Rem hanc plenius expreſſam & declaratam videre licet in laudatiſſimo ſupra Tractatu, *Sota*, Excell. Dn. D. WAGENSEILII, Cujus verbis (memor quidem illius: *Omnia tunc bona ſunt, clauſula quando bona eſt*,) exiguis his pagellis, ſplendorem & bonitatem, conciliare conor: IS autem locum è Gemara alium protulit, (d) quem Ipſe perobſcurum cenſet; hunc impetrata venia bona hic adpono: אמר רב יהודה אמר שמואל עוד אחרת יש להם ברומי אחת לשבעים שנה מביאין אדם שלם ומרכיבין אותו על אדם חיגר ומלבישין אותו בלבושו של אדם הראשון ומניחין לו קרקפלו של ר׳ ישמעאל בראשו ותלו ליה בצואריה מתקלי ארבעה זוזי פיזא ומחפין את השוקין באינך ומכריזין וקירין לפניו סך קירי פלסתר אחיה דמרנא זייפנא דחמא חמא ודלא חמא לא חמא מאי אהני ליה רמאה ברמאותיה ולזייפנא בזייפרתיה ומסיימין בה הכי ווי לנוין כר יקום דין i. e. *R. Judas, nomine R. Samuelis, dixit: Etiam aliud quid habent Romæ: Septuageſimo enim quoquo anno, ſelecto homine integri corporis, illum claudi cujuſdam ſcapulis inequitare faciunt, induentes ei prius tunicam Adami Protoplaſti & aptantes capiti ejus, exuvias vultus R. Iſmaelis* (filii Eliſæ qui ſummo ſacerdotio functus

(pp) *Sect. XII. fol. 13. col. 3.* (qq) *Apud Buxtorff. ad P. 1. Coſr. §. 95. Cap. XVI. fol. 35.* (rr) *Annal. 1. §. 19. fol. 56. ſeq.* (ss) *Exercit. 39. Cap. III. Geneſ.* (tt) *Breſchith. Rabb. ſect. 24.* (uu) *Ant. Præ-Adamit. c. 4.* (xx) *Fol. 54.*

(yy) ברבות (zz) *In Pirk. c. 24.* (a) *Fol. 33.* (b) *Geneſ. 25:27.* * *Geneſ. 27:15.* (c) הנזכר בע״ז (d) *In Excerpt. Gemar. C. I. p. 340.*

functus est, & tanta erat pulchritudine, ut Cæsaris filia illius interfecti caput, pelle nudaret, eam aromatibus conditam, in κειμηλιαρχεῖον æternum ibi adservandam reponeret.) *Amplius collo ejus adpendunt nummos quatuor, auri purissimi, crura vero obtegunt gemmis.* (Iste cum sic ornatus vehitur) *ante eum divulgant voce, inclamantque: Supputatio* ȣ κυρίȣ (Jacobi scil. qui moriturus, multa de liberatione Judæorum, ex ea captivitate, in qua à nobis detinentur, prædicere satagebat) *mendax est. Frater Domini nostri* (Esavi, à quo Esavo nos Romani, genus trahimus) *fuit impostor*: (Fratrem enim decipere moliebatur, atque ejus Imperium sibi suisque parare) *Quibus* (hanc panegyrin) *spectare licet, spectatum adsunto. Nam, qui* (nunc) *eam non videt, haut* (unquam) *eam visurus est*: (quidpe quæ non nisi post annos LXX. iterum celebrabitur, quo tempore nemo eorum, qui nunc inter adultos vivunt, amplius erit superstes.) *Quid juvat deceptorem* (Jacobum) *deceptio? & impostorem* (hunc) *impostura?* Tandem vero cantilenæ hujus exodium est: *Væ huic* (i.e. nobis Esavi posteris) *quando iste* (Jacobi progenies) *resurget.* Hæc ex Gemara nunquam satis laudandi à me, Excell. Dn. D. Wagenseill.

XV. Verum non ultimæ notæ quidam Judæus, ipse mihi narrabat haud pridem, se nunquam sibi posse persuadere, vestes pelliceas hominis primi unquam Romam venisse. Nec ego mihi persuadere hoc possum: nam credo, si tales unquam Roma vidisset, propter id sane Pontificios, supercilia valde sublaturos esse, quidpe qui rebus aliis, quas tamen mundus amplius nescit, triumphare alias solent. Nos beatius ac tutius triumphamus, Veste Justitiæ Christi, quam Bonitate Dei in sacro baptismatis fonte, accepimus: Hujus ô Christiane, memor esto, & אל תלבש בגדיך בלא ברכה *ne indue vestimenta tua sine benedictione.* (e)

(e) *Lib. Orchath. Chajim.*

DEO CREATORI NOSTO GLORIA SOLI!

M. JOH. FROMME
DISSERTATIO
De Cherubim, & Gladio Flammante ad Gen. III: 24.

PRODROMUS.

Nos peccato primum infecti homines, justa DEI ita Patria pulsi, & Paradisi exules, hodie neque locum illum amœnissimum, neque cognitionem ejus satis tenemus. Utinam mansisset Adam obediens DEO, jam ineffabilis voluptatis hortum incoleremus: jam fructibus ejus dulcissimis frueremur, & ipsam vitæ arborem gustaremus: jam situm horti, amœnitatem & contenta omnia coram oculis lustrare, & jucunda speculatione perfecte cognoscere possemus. Nunc postquam expulsi inde recentes incolæ fuimus, nec memoria nobis superest, nec cognitio horti & tantæ voluptatis, nisi quam DEUS nobis in sacra Historia revelat. Hinc tot de Paradiso dubia, tot controversiæ ab Eruditis agitatæ. Disquiritur, ubinam fuerit Paradisus: an in altissimis montibus? An in Cœlorum inferiorum sphæra? An in aëre supremo? An sub æquatore exacte? An in Palæstina? Disquiritur de qualitate & situ ejus, quibus item fluminibus fuerit irrigatus? Quale sit flumen Phison, quale Gihon? Disquiritur de incolis ejusdem: quamdiu homo fuerit in Paradiso, & de similibus. Quod si dolendum omnino est, nos ista non posse satis cognoscere; tum vel maxime calidissimis lachrymis deplorandum erit, quod nullus amplius aditus nobis patet ad illum voluptatis hortum, sed ipsis etiam primis nostris Parentibus, validissimis excubiis est præclusus. Memorat enim Divinus Historicus *DEUM, cum hominem immorigerum ex Edenis pomario abegisset, ut humum, unde ortus erat, coleret; collocasse ad orientalem partem horti* Cherubim, *ast quantum custodem? & quidem cum armis, iisque terribilissimis, nempe cum ense flammeo vibrante, ad arboris vitalis aditum custodiendum. De quibus Paradisi excubiis, juvante DEO, breviter hac vice disquiremus.*

§ I.



Prima autem controversia hic est: Utrum, quæ hoc loco narrantur de *Cherubim & Gladio Flammante*, sint historicè intelligenda, prout narrantur; an verò allegoricè sint accipienda, quod nonnullis placuit. Non enim desunt, qui ut alias plures Historias cum *Origene* in sensum merè figuratum ac tropologicum rapiunt: ita & hanc de *Cherubim* ac *gladio flammante* exponunt, sive potius detorquent, atque id quidem variis modis. Nonnulli figuram hic depromunt ex *Philosophia*, alii ex *Theologia*. Ex *Philosophia* 1. Illi, qui ex *Geographia* intelligunt per Gladium flammantem *zonam torridam*, ubi Paradisum situm fuisse statuunt, quæ sententia adscribitur *Tertulliano*, quem hac in parte secutus est ex Scholasticis *Thomas* & alii. Istorum itaque sententia Paradisus fuit inaccessibilis, quia zona torrida undiquaque circumdabatur. Sed ut omittamus illud, quod constet ex descriptione Mosis, Paradisum non fuisse in locis illis, quos ambit zona torrida, certum est etiam ex nostri temporis navigationibus, regiones, quæ sub zona illa sunt, plerasque esse temperatissimas, ab aliis causis calorem illum moderantibus, & sub ea esse loca pascua & irrigua, multis ostendit *Josephus à Costa* l. 11. Hist. Nat. Ind. cap. 6. 2. Illi, qui ex *Physica* intelligunt tropologicè ignes subterraneos, ex montibus altissimis, quibus superstructus Paradisus fuerit, erumpentes, eundemque ad modum muri, vel coronæ circumdantes, quæ sententia est *Nicolai Lyrani*, itemque fere *Tostati*. Sed hoc planè contra rationem excogitatum est. Neque enim situs Paradisi cacumini montis conveniens est: neque talis ambitus ignis competere potest loco adeo temperato & amœno. Ex *Theologia* figuram desumunt 1. Illi, qui tum *Cherubim*, tum etiam *gladium flammantem* explicant tantum de omnimoda facultate, homini in Paradisum revertendi, adempta. Itaque

toto

toto hoc verborum apparatu nihil aliud significari putant, quam DEUM impedimenta talia homini objecisse, ut nullam spem reliquerit, ipsi viam ad arborem vitæ iterum repetendi, quæ impedimenta etiam potuerint esse invisibilia. Sed *Textus* contra hanc Sententiam manifestè pugnat, qui meminit *visibilium figurarum*, *& gladii versatilis.* 2. Illi, qui *ignem purgatorium* his verbis indicatum somniant, quæ sententia ridenda magis est, quam refutanda. Et ipse *Pererius* Tom. 1. *in Genes.* hanc explicationem videtur rejicere: adhæc Pontificii non ponunt talem ignem, ut excludat homines Paradiso; sed ut juvet & promoveat ad tempus exclusos.

II. Rejectis his falsis Opinionibus, statuimus, verba Mosis de *Cherubim & gladio flammante*, *in se verè Historica* esse, & ita etiam exponi debere: ideoque Cherubim fuerunt Angeli, & quidem *boni.* Nam 1. Cherubim alibi in malum usurpari non legimus. 2. Custodire viam ad Paradisum non lictores malitiosos, sed ministros gratiosos requirere videtur. 3. Congruit hæc expositio cum analogia & nominis impositione. Quod enim *Moses* hos Angelos appellat *Cherubim*, id ideo fit, quod se accommodabat ad captum populi, cui noti erant Cherubim aurei in tabernaculo. Hi autem bonos, non malos Genios adumbrabant. 4. DEUS etiam bonorum Spirituum Ministerio, in malis pœnæ inferendis, utitur. V. D. *Gerhardum Comment. in Genes. p.* 124. Porrò intelliguntur Angeli visibiles, qui non per suam naturam tales sunt, sed per singularem modum apparentiæ, ita, ut hac ratione ad hortum Edenis constitutæ fuerint potentes quædam & terribiles visiones, quæ metum primis hominibus incuterent, ne Paradisum, pristinam sedem, repeterent. Hoc modo Historicè interpretantur verba Mosis *B. Lutherus*, *D. Gerhardus*, *Mercerus*, *Rivetus* & alii. Neque hoc ita ad literam intellectum crassius videri debet. Inveniuntur enim in S. literis passim exempla Angelorum, qui humana specie apparuerunt cum districto gladio, præsertim ubi de judiciis DEI exequendis agitur. Talis fuit Angelus, quem primo vidit Asina Balaam, & postea ipse herus, postquam ipsi fuerunt oculi reserati, Num. 22: 22, 23. Et Ezech. 6: 2. Sex Angeli forma hominum apparent, destructuri Jerusalem, habentes singuli in manibus instrumentum lethiferum. Itaque alienum videri non debet, Cherubos à DEO fuisse dispositos in aliena & visibili forma, qui ad Paradisi viam custodiendam aliquandiu ibi apparuerunt.

III. Fuerunt ergo *Cherubim* horti Paradisiaci custodes, cujus nominis variæ afferuntur rationes. *Fagius* ex Ebræis notat, Cherubim sic dictos, quod formam puerorum, seu, adolescentium præ se ferrent. Literam enim כ notam esse similitudinis, & רביא Chaldaice puerum seu adolescentem significare. Ita etiam *Aben Ezra*, *Kimchi & Drusius*, quam derivationem non improbamus. Deinde nomen *Cherubim* à *sapientiæ* vel *scientiæ multitudine* Angelis datum esse, vetus fuit in Ecclesia persuasio. Ita *Philo*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Athanasius*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, *Anastasius*, *Gregorius*, *Philastrius*, *Sophronius*, *Theodoretus*, alii. *Hieronymum* etiam in hanc sententiam citant Autorem, in *Epist.* ad *Paulinum.* *Cherubim*, inquit, *quod exponitur scientiæ multitudo*, *per omne corpus oculati sunt.* Sed non video quomodo vox כרוב à multitudine scientiæ derivari possit. Inveniuntur equidem, qui derivationem hoc modo instituere velint, & inter alios *Marinus Marsennus*, qui deducit à נכר *cognoscere*, & רב *multitudo*; Sed hæc nimis violenta, & Hebraismo insolita compositio est, cujus nullum apud Ebræos potest dari exemplum, nec analogia ulla potest inter talia institui. Sunt præterea alii, qui hoc nomen deducunt à רב vel רבי Magister vel Rabbi, cui præfigunt כף הדמיון sive Caph similitudinis, ut sit *quasi Magister*, *sapiens*, *gloriosus & honoratus*, *qui alios exquisitæ scientiæ* copia illustrat. Verum ut Rab vel Rabbi Magistrum significet, impositio est non veteris & puri Hebraismi, sed illius, qui temporum tractu corruptelam aut mixturam passus est. Porrò *Delrius in cap.* 3. *Genes.* & alii dicunt כרוב appellari quasi רכוב *currum*, *vehiculum*, *sedile*, *thronus*, quod Angeli sint instar vehiculi, sedilis & throni, quem Majestas divina sanctissimo imperio complet. Sed *Lorinus* in Psalm. 18. rectè monet: si hæc detur licentia, posse quoque ex ככר derivari, unde est כביר fortis, magnus. Sunt denique qui Cherub à קרב, immutatione unius literæ, Hebraismo sæpe usurpatæ, deducunt. Id vero verbum notat *appropinquavit*, sive, quia Angeli proximi sunt DEO, sive quia missi ad utilitatem beandorum, sese verè piis sociant. Sed hæc derivatio ex eadem licentia facta est, qua antecedens.

IV. Obiter hic notamus, quod nomen Masculinum *Cherubim* LXX. *Interpres*, itemque *Aquila* & alii Interpretes Græci genere neutro τὰ χερουβὶμ transtulerint, quod & *Augustinus Eugubinus*, insignis Autor, miratur. De qua re *Drusius lib. X. observat. cap.* 21. talia commentatur, *Ego arbitror*, τὰ χερουβὶμ *compendio dici*, *pro eo*, *quod est*, τὰ πνεύματα χερουβὶμ, *id est Spiritus*, *qui Cherubim nuncupantur. Quippe Cherubim*, *quod indeclinabile Ebræis nomen*, *Græci declinant*, *addito articulo* τὰ χερουβὶμ, τῶν χερουβὶμ, τοῖς χερουβὶμ *&c.* Et hoc rectè mea sententia.

V. Metaphoricè nomen *Cherub* tribuitur Regi Tyriorum Ezech. 28: 14. *Tu Cherub unctus protegens*: sive ut *Junius & Tremellius* vertunt, illud כְּמִשַׁח הַסּוֹכֵךְ *ex quo unxi te protectorem.* Quod D. *Glassius Rhet. Sacr. Tract. I. cap.* 10. secundum opinionem ipsius Regis dictum putat, ac si dixisset DEUS: Quemadmodum inter res creatas Angeli natura ministerioque præstant, ablegati à DEO ad hominum protectionem: Ita etiam Tu, Rex Tyriorum, fuisti judicio & opinione tua. Hunc locum autem Ezechielis eo etiam lubentius adduximus, quod posita hic Metaphora procul dubio ad præsentem nostrum locum Gen. 3: 24. alluditur, uti id observant *Junius & Tremellius* in notis. *Elegantissima est Regiæ illius Majestatis descriptio*, *per comparationem Cherubi illius*, *qui in horto Edenis à DEO dispositus est. Gen.* 3: 24. *Quemadmodum*, (inquit,) *Angelus præpositus est ei horto*, *ad protegendum eum*, *& gladio illo versatili armatus*, *omnibus est terrori: Ita etiam tu*, *ex quo regnum tibi est traditum*, *visus es tibi æquare gloriam Angelorum DEI.*

VI. De *Forma* autem istorum *Cherubim*, qua apparuerunt, ut nihil obstinate asserimus, ita citra ullius præjudicium putamus, Angelos ad hortum Paradisi positos, apparuisse specie humana, ut solebant Angeli apparere, attamen cum terrore, præsertim ob gladium flammantem. Rejicimus etiam sequiores sententias, quas ex denominatione Cherubim, & usu hujus vocis perperam quidam probare satagunt. Ita *Musculus in Commentario* male ait: *Quod attinet Cherubim*, *quoniam Psal.* 18: 11. *sic legimus*: *Et ascendit super Cherubim*, *& volavit super pennas ventorum*: *arbitror*, *manifestum relinqui*, *Cherubim esse volucres*, *unde & figuræ illæ propitiatorii*, *quas Scriptura Cherubim vocat*, *alatæ fuerunt. Quare simplicius esse arbitror*, *ut grandes & terribiles volucres à DEO ad custodiam Paradisi deputatas esse credamus*: *Et quod flammam gladii concernit*, *cum illis sentiamus*, *qui flammas è sinu telluris*, *ad Paradisi ingressum excitatas*; *& hic numerum singularem pro plurali positum esse*, *arbitrantur. Nec necesse est*, *ut cogitemus*, *volucres illas horribiles*, *& flammas ignis uno fuisse & eodem loco constitutas*, *sed sic positas*, *ut locis diversis omnem Paradisi aditum prohiberent.* Porro *Theodoretus* Cyrensis Episcopus, (cujus sententiam adducunt *Bellarminus* cap. XVI. de gratia primi hominis, & *Sixtus Senensis Biblioth.* Sanctæ L. V. annot. 58.) *quæst.* 40. *in Genes.* inquirens quid sit τὰ χερουβὶμ sive Cherubim, positi ad custodiendam arborem vitæ, duo respondet: *Primum* non esse credendum Cherubinos, Paradisi custodes, esse Spirituales & invisibiles virtutes, ceu quidam existimant; sed potentes ac terribiles quasdam visiones, ac formas animalium, quæ Adamum ab ingressu Paradisi arcerent. *Secundo*, quod Cherubini, de quibus sæpe in Divinis Scripturis fit mentio, neque animalia sint, neque ulla invisibilis naturæ substantia; Sed Cherubim vocari in Divina Scriptura illud omne, quod magna præditum est potentia. Sic dici in Psalm. 79: 2. *Qui sedes super Cherubim*, id est, qui potenter regnas. Et in alio Psalmo (17: 11.) *Ascendit super Cherubim & volavit*, id est, cum multa & magna advenit potentia & virtute. Tandem *Jacobus Chyus*, novus è Græcia hæreticus, quem itidem *Sixtus Senensis* memorat, talem errorem proposuit: *Cherubim in S. literis non significat aliquam Spiritualem Substantiam*, *vel incorporeum aliquod animal*; *sed statuam*, *ad similitudinem pueri formatam*: *quales erant pueriles illæ statuæ aureæ*, *super arcam collocatæ*, *& statua illa cum igneo gladio*, *ad custodiam Paradisi posita*, *quam Moses Cherubim appellavit. Hæc enim non erat Angelicus Spiritus*, *sed virile quoddam simulachrum*, *horribili forma larvaque circumtectum*, *quod DEUS ad incutiendum terrorem primis Parentibus præ foribus Paradisi collocaverat*, *juxta morem agricolarum*, *qui in satis & hortis ligneos palos defigunt*, *laceris humanarum vestium pannis indutos*, *ut eo terriculamenti genere*, *aves à seminum atque frugum pastu deterreant.* Quibus erroneis opinionibus, quanquam per se satis absurdis, tum communem Theologorum sententiam, tum inprimis *Chrysostomi* opponimus, qui hunc locum exponens ait: *Præcepit DEUS*, *ut virtutes illæ Cherubim*, *custodirent viam.* Et in sermone de *Ascensione* inquit:

quit: *Angeli & Archangeli nostris dolebant suppliciis: & quando puniebamur, ipsi quoque nimia tristitia tenebantur. Et Cherubim, licet Paradisum custodiebant, tamen nostris suppliciis tristabantur.* Et miramur non immerito, quo spectro Græcorum quidam seducti fuerint, ut Cherubinorum visionem *μορμολύκεια*, spectra & terriculamenta mera fuisse crederent. Quorsum enim DEUS Opt. Max. locum nobilissimum spectris & ludibriis infamem redderet? Et Cherubinos *μορμολύκεια* ejusmodi vocare, pietas vetat.

VII. De reliquorum Cherubinorum formis variæ etiam inveniuntur sententiæ: quam controversiam ut paucis attingamus, statuimus *Primo*, nomen *Cherubim* non accipi simpliciter pro Angelis; sed pro Angelis quatenus vel apparebant, vel figurabantur aliqua externa forma, vel hominis, vel alterius animalis. Ideoque Angelorum figuræ & formæ externæ vel erant *assumtæ*, ut in apparitionibus; vel erant *effictæ*, ut in arca & tabernaculo. *Deinde* ex visionibus Prophetæ Ezechielis constat, Cherubinos non humanis tantum, sed etiam brutis formis exprimi, & in specie forma bovina, quam Ezechiel cap. 1. vs. 10. viderat, nomine *Cherub* insignitur cap. 10. vs. 14. Vidit enim Ezechiel quatuor animalia, quæ frequenter universa Cherubim appellat cap. 10. & nihilominus distincte notat, quatuor in singulis fuisse facies, humanam, leoninam, aquilinam, bovinam. Itaque tum universæ istæ formæ ab Ezechiele vocantur Cherubim: tum in specie forma bovina, ut modo notavimus. Neque putandum est, quod per *faciem*, apud Ezechielem, totus corporis habitus intelligatur, ut pro diversis ejus partibus diversorum animalium habitus apparuerit: nempe hominis species in ore, manibus, cruribus, corporisque erecti habitu: species leonina in cervicibus, armis atque pectore jubatis: aquilina facies in alis: vitulina in ungulis pedum. Nam Propheta diserte facies ab alis, pedibus & reliquo corporis habitu distinguit. Præter hos Ezechielis Cherubinos describuntur in S. literis tum Cherubini tabernaculi Mosaici, tum Cherubini templi Salomonici, quorum amborum non est eadem ratio & conditio. Cherubini Mosaici toti fuerunt aurei: alter erat in uno latere operculi arcæ, quod propitiatorium vocatur, alter in altero, mutuo sese aspicientes, & alis undique tegentes propitiatorium: à meridie quidem & septentrione tegebant illud crassitudine corporum; ab oriente vero & septentrione alis extensis, ita ut dextera ala unius, tangeret sinistram alterius. Illi vero Cherubini, quos Salomon fecit, & in medio oraculi posuit in Templo à se exstructo, *Primo* multo majores erant, & decem cubitorum altitudinem in sanctuario æquabant. *Deinde* toti aurei non fuerunt, sed ex olivarum lignis, quibus nec tempestas, nec caries, nec vetustas nocere poterat, confecti erant & aureis laminis operti. *Porro* non respiciebant se mutuo; sed facies habebant ad Orientem & exteriorem domum versas: terga ad occidentem; alas vero singulas quinque cubitorum contra meridiem & septentrionem protensas. Contegebant in templo arcam, propitiatorium, & ipsos duos Cherubinos Mosaicos, quos Salomon religionis studio dubio procul integros inviolatosque asservavit.

VIII. Restat nunc ut de *gladio flammeo* etiam nonnulla moneamus. Moses illum ita describit: ואת להט החרב המתהפכת *Et flammeum gladium versatilem.* Junius & Tremellius: *Flammamque gladii sese vibrantis.* Sebast. Castalio: *Et flammeum ensem vibrantem.* Lutherus: **Mit einem blossen hauenden Schwerdt.** Vocabulum להט significat & flammam, & laminam politam, instar flammæ fulgentem. Unde & B. *Gerhardo* incertum est, an per להט החרב intelligatur flamma, habens formam & speciem gladii: an vero gladius ipse candens igne, fulgurans & quasi flammas vomens. *Mercerus* tamen notat: quod להט juxta Hebræos, magis sit accidens ipsius gladii, quam gladii pars, cum proprie sit ipse gladii fulgur & splendor, qui in lamina apparet, flammam ignis referens. Ideo Hebræi illud ואת להט החרב exponunt, gladium cui erat להט splendor, gladium fulgore & splendore præditum. Huc accedit *Rivetus* Exerc. XLI. in Genesin, qui ait: *Rutilans gladius flammeus dici potest, quia ferrum politum & fulgens flammas videtur emittere.* Junius & Tremellius in Notis exponunt: *mucronem gladii*; sed tamen præferunt alteram expositionem, per *flammeum gladium*, quia vox Ebræa semper pro flamma accipitur. Nihilominus nos ad mentem LUTHERI, intelligimus igneam flammam & fulgur, formam gladii quandam exhibens. Ita enim Lutherus: *Cherubim isti in via habuerunt non ferrum, quo arcerent accessuros, sed lahat gladii versatilis, hoc est, fulgetrum seu flammam, qualis est fulguris, quæ incerta est, & perstringit oculos. Habuit autem ista flamma, seu fulgur hoc, formam gladii, qui movetur assiduo, seu vibratur. Angeli isti semper emiserunt flammas, quæ in omnes partes agerentur, ne quis accedere posset.* Ita etiam *Pelargus*, *Glassius*, *Lutkemanus*, alii. Præterea observandum, singularem hic esse positum pro plurali: *& flammam gladii*, id est, & *flammeos gladios*, sive *flammam gladiorum.* Ut ita quisque Angelorum gladium flammeum præ manibus tenuerit, ad terrendos ingressuros: plures enim *Cherubim* dicuntur ante Paradisum collocati. Quod attinet illud הַמִּתְהַפֶּכֶת, Aben-Ezra & quidam alii Ebræi exponunt שיש לה שתי פיות gemina acie, ancipitem bipennem. Sed præferenda hic est genuina hujus vocis significatio, quam etiam LXX. Interpretes exprimunt, qui vertunt στρεφομένην *versatilem*, quod in omnem partem versaretur & agitaretur, ad majorem terrorem injiciendum.



M. JOH. ANDR. DANZII
DISSERTATIO
De Caini Nomine ad Gen. IV: 1.

בע״ה

P*osteaquam* B. Lutherus *orationem Evæ* קניתי איש את ה׳ *circa nativitatem primogeniti hominum habitam reddidisset:* Ich hab den Mann den Herrn; *plurimi statim ex Calvinianis potissimum se obtulerunt, qui optimam hanc versionem partim pro* subtili nimis, *partim pro* dura & coacta, *quin imo pro* ridicula *traducerent. Iisdem fere singuli dimicarunt machinis. Quibus dudum Magni Ecclesiæ nostræ Propugnatores, inter quos brevitatis causa hic saltem nomino* B. Ægid. Hunnium, Gerhardum, Wellerum, Helvicum, Schmidium, Varenium, Pfeifferum &c. *sese opposuerunt, nec infra suam dignitatem fore existimarunt, si arma ipsorum repellerent, & omnem ad expugnandum illis adimerent efficaciam. Atque sic Versio illa ab isto tempore inter Nostrates semper viguit, nec ab ullo nostratium manifestis refutata fuit argumentis: Donec non ita pridem* Nonnemo Celeberrimi nominis, *eandem cum majori ad labefactandum impetu, quam ab ullo Calvinianorum hactenus factum deprehendimus, est adortus. Cumque novis prorsus utatur telis, quæ* Drusio, Sixtino ab Amama, Pareo, Riveto *aliisque diversim hic sentientibus inaudita; ausus sum eadem pro exiguis ingenioli mei viribus repellere, ut quantum in me situm est, B. Lutheri versio tecta maneat, atque incolumis. Cæterum quia pluribus numero pugnat rationibus, quam ut simul & semel repelli possint: elegi in præsentiarum eas saltem experiri, quibus in* Quadriverbio *isto, (ut ipse loqui amat,) nomen filii contineri, atque* Isch *fore, non* Cain, *satagit probare. Faxit ille, in quem Eva speravit, ut cedat feliciter!*

§. 1.



Ox קין, à temporibus Mundi primordio admodum vicinis ad nostram hanc ætatem per tot retro secula fuit, ac, quantum mihi constat, semper habita est pro Nomine proprio τῷ πρωτοτόκῳ ἀνθρώπῳ. (a) Nec pro solo proprio Logico, sive illi soli appropriato; sed etiam pro Grammatico, quatenus Appellativo solet contradistingui. Sed (uti dictum) paucos ante annos indicatus Vir ob prædictam rationem, primus in dubium id vocare ausus fuit; contendens vocem קין appellative esse reddendam per *deplorandæ malitiæ nequam*: quæ Proprio *Ischo* tantum ut Epitheton aliquod ob malitiosum ejus ingenium ab Historico Mose, ac demum post homicidium perpetratum à matre Eva fuerit attributa.

§. 2. Enimvero esse קין nomen hominis Grammatice proprium, probatur (1) quia eidem omnes notæ ac characteres, quibus Proprium hominis ab Appellativo discriminatur ac dignoscitur, competunt. Quales autem istæ notæ sint, ab Ebræis operose traditur. *Aben Esra* (b) quatuor refert (1) quod non formet à se verbum, nec (2) numerum pluralem, nec (3) assumat articulum, nec (4) ponatur in statu Constructo. Quæ quidem non omnia tam firmo consistunt talo, ut non unum atque alterum adversario rigoroso incurrente incipiat nutare. Et quidem, quod primo recenset loco, id, nisi totus fallor, ex sententia Ebræorum non tam constituit differentiam Proprii ab Appellativo, quam Substantivi ab Adjectivo; quod sub appellatione שם התאר comprehenditur, ut illud sub שם העצם vocum alioquin latius patentium. Certe ita intelligo *Eliam Germanum*, quando requisitis nominis proprii (quod ipse cum aliis rectius quam Aben Esra vocat שם העצם הפרטי *nomen substantiæ particularis* sive *individualis*) recensitis, subjicit (c): ועוד נבדל שם התואר מאלו שמות העצמות בדבר אחר והוא הפעולה ר״ל שמן חכם תוכל לעשות פעולה ולומר חכמת חכמתי ולא תאמר מן ראובן ראובנת ולא מן סוס סוסת Quæ vertenda existimo: *Præterea vero differt nomen Adjectivum ab istiusmodi nominibus Substantivis in re alia, quæ est formatio verbi: quo ipso innuere volo, quod* (ab Adjectivo v. g.) *à* חכם *sapiens verbum possis derivare, atque dicere: Sapis, Sapio &c. At à* (proprio v. g.) *Ruben, haut dices:* ראובנת (q. d. tu es Ruben) *neque à* סוס (equus) סוסת (q. d. tu es equus). Quæ cum prima nota Aben Esræ oppido conspirant facile. At si characterem existimaverit Proprii ab Appellativo, non video (a) cur seorsim ab aliis notis recensuerit; (b) appellationes mutaverit, substituendo שם התאר pro שאר שמות העצם; atque (c) commemoraverit *Equum*, quod nemo sanus pro proprio habebit individuali.

§. 3. Cæterum tria requisita Reliqua citatus *Elias Germanus* retinet, eisque superaddit quartum, quando in hunc modum l. c. loquitur: נבדל שם העצם הפרטי בד׳ דברים משאר שמות העצם וסימנם סר״כי סמיכות רבוי כנוי ידיעה׳ סמיכות פי׳ שלא יסמך כמו שתאמר איש ירושלים לא תוכל לומר ראובן ירושלים׳ רבוי פי׳ שלא יתרבה כמו שתאמר מן סוס סוסים לא תאמר מן ראובן ראובנים׳ כנוי פירוש שלא יבא בהן כנוי כמו שתאמר סוסו לא תוכל לומר ראובנו׳ ידיעה פי׳ שלא יובא בהם ה״א הידיעה כמו שתאמר הסוס לא תאמר הראובן: i. e. *Quatuor modis discriminatur nomen substantiæ individualis à cæteris nominibus substantivis, quorum signum esse potest vox* סרכי (Princeps meus); *cujus prima litera denotat* סמיכות *Regimen, altera* רבוי *Pluralitatem, tertia* כנוי *suffixionem, ac quarta* ידיעה *Notificationem.* (a) *Regimen indicat, quod proprium non regat alterum in Genitivo,* sive quod non poni possit in Statu Constructo; *quemadmodum dicere potes: Vir Hierosolymæ; non integrum tibi est dicere Ruben Hierosolymæ.* (b) *Pluralitas innuit, quod nequeat formari in numerum pluralem, ut, sicut dicis à nomine* סוס *Equus, plural.* סוסים *equi; ita dicere velis ex* ראובן *in plural.* ראובנים. (c) *Suffixio indigitat, nullum ipsis addi posse Pronomen suffixum; ne ad imitationem* סוסו *equus ejus, ausis dicere:* ראובנו *Ruben ejus.* (d) *Notificatio importat, ipsis non præponi posse* ה *notificativum,* sive demonstrativum aut articulare: *ne pro more* הסוס *hic equus, dicas* הראובן *hic Ruben.*

§. 4. Atque in hunc modum concepta Requisita Nominis proprii passim quoque videas à Nostratibus, magnis Ecclesiæ Luminibus citata, in re quoque maximi momenti, ubi in Sacro cum Anti-Trinitariis bello sunt constituti. Unicum tamen, Articulum concernens, aliquo modo mihi est suspectum. Nam si vel maxime *Kimchi* scribat (d) לא תבוא ה״א הידיעה על שם האדם לפי שהשם הוא הידיעה ואין צריך ידיעה אחרת i. e. *Quod articulus Nomini proprio hominis*

(a) *Qua Cainum appellatione nuncupat Cyrillus Hierosolymit. Catechef. 2. fol. 8. C. Edit. Parif. An. 1640.* (b) *Comment. ad Exod. 3: vs. 15. B. B fol. 59. a. in fin. item pag. b.* (c) מהלך שבילי הדעת R. Mosis Kimchi *p. 88. Edit. L'Emper.*

(d) ספר מכלול *Fol. 15. c. 1. l. 4. seqq.*

nis non adjiciatur; *quia solum nomen notum reddat subjectum, adeo ut alia restrictione* (cujusmodi sunt: articulus, appositus Genitivus & suffixum) *non opus habeat.* Quæ ejus ratio non videtur esse de nihilo. Cum enim usitatius Articuli officium sit, ut vocem, quæ absque eo vage & indeterminate rem sub sola specie, non numero, exprimit, restringat ac determinet ad eandem numero rem, ab omnibus aliis rebus ejusdem quoque speciei separatam; unde quoque ab Ebræis vocatur הא הדעת vel הא הידיעה *He notificationis sive notificativum*, לפי שתשמש לידיעת הדבר *quod serviat ad rei notificationem.* Et vero nomen proprium substantiæ intelligentis ex sua natura certum aliquod ac determinatum Individuum signet, ab omnibus aliis ejusdem speciei distinctum. Omnino nequaquam videbatur necessarium, ut alia indicaretur restrictione superveniente extrinsecus. Nihilominus tamen non minus notum est, quod ex *Kimchio* nos docuit Excellentiss. Præcept. noster DN. *Joh. Frischmuthius* (e): שיש הא שלא תודיע דבר מיוחד אלא יהיה מי שיהיה (1) *extare* ה *quod non notificet rem determinatam, sed in significatione sua indefinita eam relinquat.* Exempla prostant ubivis, quorum aliquot adduxit *Kimchi* (f); plura autem suppeditabit vel unius capitis evolutio. Confer vel solum caput primum Geneseos, & pronuncia, si potes, à quo *cœlo*, *terra*, *aqua*, *expanso*, *agro*, *luce*, *caligine*, *ariditate*, *die*, *nocte*, item *Sole* & *luna* &c. distinguat Articulus, vocibus השמים הארץ המים הרקיע השדה האור החושך היבשה היום הלילה והשמש הירח adjectus? fateberis, spero, ex mera linguæ indole absque insigniori aliqua Emphasi esse adhibitum, haud secus ac si quis in vernacula nostra **der Mensch** vocem priorem contemtim ac celeriter absque acuto pronunciet. Atque sic litera ה nullam novam voci superadderet restrictionem. Et si vel maxime illud fieret, (2) *restrictio apud Ebræos sæpe duplicatur* לרוב ההודעה *ad majorem certitudinem*; ita ut Articulus nominibus constructis, vel suffixa gerentibus, quæ vel per illud appositum Substantivum aliud, vel per pronomen affixum jam antea determinata erant, apponatur tanquam restrictio altera. De quibus singulis exempla vide apud *Kimchium* l. c. Quod si in cæteris jam olim restrictis id procedit, quid obstat, quo minus in nominibus propriis duplicetur לרוב ההודעה ad subjectum magis determinandum? Etenim (3) *sæpe nomina occurrunt, pluribus individuis attributa*, ex quibus, solo nomine audito, nondum indubitate cognoscimus, an de hoc sumatur, an vero de alio; nisi novus determinandi modus superveniat, cujusmodi inter alios etiam est Articulus. Qui (4) *non tantum in lingua Græca, aliisque usitatissime nominibus Propriis adjicitur*; *sed & nonnunquam in ipsa, de qua hic agimus, Ebræa.* Confer præter Genes. 1. vs. 27. c. 2. 7. 8. 15. 16. 18. 19. 21. 22. 23. 25. cap. 3. 8. 9. 20. 34. cap. 4. 1. quæ ארם cum articulo exhibent; Deut. 3. 13. Jos. 1. 12. ubi המנשה Num. 13. vs. 22. 28. 33. Jos. 15. 13. 14. Jud. 1. 20. ubi הענק item 1. Chron. 24. 10. 15. 2. Sam. 24. 5. 16. Ezech. 38. 2. Nehem. 11. vs. 25. & verum me dixisse deprehendes. Quanquam enim in quibusdam valeant responsiones *Aben Esræ*, *Kimchi*, *Abarbanelis*, *Buxtorfii* aliorumque, quod scilicet non sumantur ut propria, sed vel ut nomen speciei, vel ut cognomen, aut patronimicum: in singulis tamen neutiquam locum inveniunt, quod ll. cc. inspicienti patebit. Atque sic in Scriptura Sacra Chaldaica, in qua Articulus locum non habet, exprimitur nonnunquam per æquipollens Pronomen Demonstrativum דנה, quod unico cap. 6. Danielis Proprio דניאל ter scil. vs. 4. 6. & 29. invenitur adjectum. Quo ipso tamen nequaquam negavero, quod usitatius Articulus in Nominibus propriis hominum soleat omitti.

§. 5. Verum tria requisita reliqua, *respuere* scil. *Numerum Pluralem*, *Regimen*, atque *pronomina affixa*, Genuina sunt, nec ullum exemplum ex Scriptura S. petitum afferri potest in contrarium, in quo non commoda conciliandi suppeteret responsio. Cum igitur in hac parte קין sequatur naturam Propriorum, in qua potissimum ab Appellativis differunt; ultro patet, ad ista spectare, non ad hæc. Præterea sententia antiqua probatur (2) *ex inductione aliorum sacræ scripturæ locorum*, in quibus nomen verbo *peperit* postpositum, nisi numerum vel sexum exprimat, ubivis proprium esse solet infantis recens geniti (g). Hinc etiam *R. Moses f. Nachman* ad קין scribit: ענינו ותלד בן ותקרא את שמו קין כי והוהר ותלד את קין אמרה קניתי איש את יהוה ובן ותלד את חנוך ורבים בפרשה ובמקומות אחרים: *idem est ac si dixisset, & peperit filium, ac vocavit nomen ejus Cain, quia dixerat: acquisivi virum Domino; & h. m. intelligendum est quando inferius dicitur vs. 17. & peperit Henochum. Cujusmodi exempla in hac sectione, & in locis aliis occurrunt plurima.* (3) *Ex collatione cum Habel*, quod nomen hic & sæpe alibi Caino opponitur; item ex collatione cum Seth vs. 25. hujus capitis, ac Genealogia c. 5. contenta. Ut enim illa in tali collatione vel recensione propria sunt Virorum, ita & hoc. (4) *Quia aliàs genuinum ejus nomen prorsus perierit*, servato tantum cognomine. (5) *Si* קין *appellativum foret*, & juxta sententiam Viri istius Concretum, *demonstrativum aliquod eidem adjici debuerat*, dicendo: הקין vel קין אותו aut קין הזה; quo constanter omisso, nunquam quis eum elicere poterit sensum, quem Ille efflagitat. Ut non urgeam (6) commodius fortè juxta ipsum adhibitam fuisse aliam formam scil. קָיָן, analogiæ דַּיָּן & צַיָּד; cum ista, si nomina bestiarum excipias, lubentius exprimere soleat Abstracta, v. g. צַיִד venatio, venatore per צַיָּד indicato. Quo ipso tamen, utpote infirmo, nemini movebo litem. (7) Pro nostra stant sententia *omnes* quotquot unquam visæ sunt *versiones*, *omnesque eruditi*, qui, unico N. N. excepto, vocem קין vel audiverunt unquam, vel in eam quicquam dixerunt aut consignarunt literis; à qua nisi urgentibus rationibus nos haud quaquam patiemur avelli. At vero (8) *rationes sententiæ contrariæ leves admodum sunt, ac vacillantes.*

§. 6. Percurram singulas quæ ad rem præsentem faciunt, propriis Ipsius verbis recensitis, utut ordine nonnihil immutato. (1) Tertia in ordine ratio, qua *B. Lutheri* impugnat Versionem, his verbis exprimitur: *Ibi necessario filio dat nomen, ubi ipsa mater loquitur: At loquitur hac quatuor verba* קניתי איש את יהוה. *E. in his verbis comprehenditur nomen filii primogeniti.* Nimis procax est hoc assertum; & si eidem stricte inhærendum, actum est de Nominibus plerorumque in Scriptura extantium Virorum. Quippe in paucissimis Nominum impositores introducuntur loquentes: & inter ea exempla, ubi adducuntur, sæpe Pater verba facit, vel obstetrix, aut alia persona, quæ mater non est. Sed (2) utut condescendam cum ipso, sententiam ejus trahendo ad ea tantum loca, in quibus post partum circa impositionem Nominis mater loquens introducitur: falsa tamen nihilominus est ejus propositio, scripturæque sacræ contraria. Possem quamplurima accumulare loca, & ad oculum asserti istius nullitatem demonstrare, si necessitas postulet. Quis unquam dubitat, verba Genes. 29: 32. *Quia* ראה *vidit Dominus afflictionem meam, certè nunc diliget me maritus meus*, esse verba ipsius Matris Leæ, quibus circa appellationem filii sui Ruben utitur? neque tamen nomen filii termino terminante exprimunt. Sic cap. 30: 18. אסף *collegit Dominus opprobrium meum*, verba sunt Rahelis matris Josephi, 1. Sam. 1: 20. *quia* מיהוה שאלתיו *à Domino exoravi eum*, Hannæ matris Samuelis, atque 1. Chron. 4: 9. *quia peperi* בעצב *in dolore*, matris Jabez &c. in quæ unaquæque in ὀνοματοθεσίᾳ prolis suæ erumpebat; nec tamen ullibi ipsum filii nomen deprehenditur. Par quoque judicium est, cum pater introducitur loquens v. g. *Joseph* Genes. 41: 51, 52. qui circa appellationem Manassis dixisse fertur נשני *oblivionem causavit mihi Deus omnis mei laboris, ac omnis domus patris mei*; circa Ephraimi v. *quia* הפרני *fructiferum me reddit Deus in regione calamitatis meæ.* It. Moses Exod. 18: 3. 4. cujus in appellatione *Gersonis* verba sunt: גר *peregrinus fui in regione aliena*; atque in *Eleasaris*: *quia Deus patris mei* בעזרי *auxilio mihi &c.* Ubi nullibi nomen ipsum literis suis determinatum occurrit; Ubivis verò tantum ratio vel ansa nominis ab historico jam expressi, vel exprimendi subito (h). Id quod præter infinitas alias rationes, vel solæ particulæ כי *quia*, & אל כן *propterea* plerisque in locis verbis in prima persona citatis præpositæ comprobant efficacissimè (i). Scilicet Matres post prolem recens in lucem editam certo aliquo affectu ducebantur, aut certi quid in memoriam sibi revocabant; quod concepta exprimebant oratione integrum sensum absolvente, in qua una interdum vox sive nomen fuerit sive verbum, apta est, ut ejus recordatione rem oratione integra tum temporis habita propositam in memoriam sibi quis revocare possit. Eam vocem vel mater, aut Pater, vel personæ aliæ assumsere; & si opus fuit, immutarunt ita, atque certis quibusdam immunitatibus donarunt, ut vicem nominis proprii subiret commode. Nequaquam vero opus est, ut nomen ipsum suis

constans

(e) *Disp. de Elia venturo in Mal. 4. cap. 1. §. 26.* (f) *l. c. fol. 14. col. 4.* (g) *Vid. hoc ipso c. vs. 17. 20. 22. c. 22. 24. c. 25. 2. c. 36. 4. 5. 12. 14. Ex. 6. 20. 23. 25. Num. 26. 59. 1. Chron. 2. 17. 18. 19. 21. 24. 29. 35. 49. 2. Chron. 11. 20.*

(h) *Confer Genes. 27. vs. 5. cap. 29. 33. 34. 35. cap. 30: vs. 6. 8. 13. 18. 20. c. 5. 29.* (i) *Confer Gen. 4. vs. 25. cap. 17. 5. c. 29. 32. 33. cap. 41. 52. Exod. 2. 22. c. 18. 3. 4. 5. Sam. 1. vs. 20. 1. Chr. 4. 9. item Gen. 29. 34. cap. 30. 6.*

constans literis ac syllabis, in oratione parentum quæ nominis impositione subjungitur, formaliter contineatur. Id qui quærit, næ ille (3) cum Judæis nugantibus rationem appellationis genuinam ab ipso Spiritu S. indicatam sæpe necesse habebit immutare in aliam: quod ut alibi, ita ex. gr. in ראובן *Ruben* factum est. Hujus appellationis rationem Spiritus S. offert, quod dixerit mater: ראה יהוה בעניי *Dominus vidit afflictionem meam.* At cum viderent Judæi totidem literas ac vocales in oratione matris non contineri, ut in voce ראובן se consequuntur, eo processerunt audaciæ, ut ipsum Spiritum S. corrigerent, asserentes in *Rabboth* quidem (k) dixisse matrem רְאוּ בֵן בין הבנים *videte filium inter filios*: in *Thalmud* vero *Babylonico* (l) אמר ר׳ אלעזר אמרה לאה ראו מה בין בני לבן חמי דאלו בן חמי אף על גב דמדעתיה זבניה לבכירותיה דכתיב וימכור את בכורתו ליעקב חזו מה כתיב ביה וישטום עשו את יעקב דכתיב ויאמר הכי קרא שמו יעקב ויעקבני זה פעמים וגו׳ ואלו בני אף על גב דעל כרחיה שקלירה יוסף לבכירותיה מיניה דכתיב ובחללו יצועי אביו נתנה בכורתו ליוסף אפילו הכי לא אקני ביה דכתיב וישמע ראובן ויצלהו מידם: i. e. *Docuit R. El-asar, dixisse Leam* רְאוּ (*videte*, quid) בֵּין *inter filium meum, ac filium soceri mei! Ecce de illo, utut deliberato consilio suam vendiderit primigenituram, quemadmodum scriptum est* (Gen. 25: 33.) *& vendidit primigenituram suam Jacobo; scriptum tamen extat*, (Gen. 27: 41.) *& odio prosecutus est Esau Jacobum; & alibi* (l. c. v. 36.) *Vere vocatum est nomen ejus* יעקב *Jacob*, ויעקבני *nam supplantavit me jam his duabus vicibus* &c. *At ecce filius meus quamvis eo renitente Joseph ejus ceperit primogenituram, ut ex* 1. Chron. 5. vs. 1. *patet; hoc non obstante eidem nequaquam invidebat: sed cum* (consilia fratrum de ipso perdendo) *audiret, conatus est eum eripere è manibus ipsorum, ut legitur* Gen. 37. vs. 21. (4). Si ibi nomen imponeretur & contineatur formaliter, ubi Mater, Pater, Obstetrix &c. loquerentur ipsi, sequeretur eos semper imposuisse nomina, qui introducuntur loquentes. At quod hoc universaliter verum non sit, luculentissime patet ex Genes. 29: 34. ubi postquam sub Matris nomine hæc adducta fuerant verba: *Profecto hac vice* ילוה *associabitur mihi maritus meus, quia tres ipsi peperi filios*, statim subjicitur: על כן קרא שמו לוי *propterea vocavit nomen ejus Levi.* Verbum Ebræum, quod *vocavit* reddidi, in genere masculino effertur; atque ideo nequaquam aptum, ut ad Leam referatur: cum qua si construeretur, dicendum fuisset וקראה, verbo cum suo nomine in genere cohærente. Atque id jam olim observavit *R. Sal. Jarchi*, & dudum ante ipsum Autores *Rabboth*, quanquam solutio eorum suboleat fabulam. Siquidem ille ita scribit תמהתי שבכולן כתיב ותקרא וזה כתיב בו קרא ויש מדרש אגדה באלה הדברים רבה ששלח הקב״ה גבריאל והביאו לפניו וקרא לו שם זה ונתן לו כ״ד מתנות כהונה ועל שם שלוהו במתנות קראו לוי: i. e. *Admiratus sum, quod cum in omnibus istis scriptum sit, & vocavit in genere fœminino, de hoc dicatur: vocavit* (in masculino); *Extat de hoc in Glossa Magna Deuteronomii Medrasch Aggada quod miserit Deus Benedictus Gabrielem, feceritque, ut ante illum veniret; qui id illi imposuisset nominis, eidemque donasset 24. dona sacerdotii: ac quia muneribus eum comitatus esset, vocasset illum Levi.* Non multum à fabula recedit *Bechai* (m), quando ait, quod verbum קרא masculini generis חוזר להק״בה ולכן לא אמר קראה כי הוא יתברך הקורא והמחברו לעבודתו כי הוא העשירי בבנים והעשירי קדש ליהוה *referatur ad Deum benedicendum, & propterea non dicat* קראה *vocavit* (in fœminino), *quia Deus* εὐλογητὸς *sit Vocans, & adjungens ipsum cultui suo: cum decimus fuerit inter filios, decimus autem quisque sanctus sit Domino.* Quibus omnibus saniora affert *Abarbanel* (n), & qui in tantum cum ipso facit *R. Levi Ben Gerson* (o), ad patrem referentes. Illius hæc sunt verba: והנה אמר על כן קרא שמו לוי להגיד שראובן שמעון לאה קראה שמם אבל לוי קרא שמו יעקב כי הוא בשמחתה חסכים עמה שילוה אליה: *Ecce autem propterea vocavit* (in genere masculino) *nomen ejus Levi, ut indicaret, quod nomina Rubenis ac Simeonis Lea indiderit, sed nomen Levi imposuerit Jacob; quia ipse in lætitiam ejus consensit cum ipsa, ut eidem associaretur.* Quamcunque harum expositionem quis eligat, fateatur necesse est, personam nomen imponentem aliam fuisse à matre, quæ ibi loquens introducitur. Atque idem quoque patet ex Gen. 38: 29. ubi vel mater vel obstetrix (est enim verbum ותאמר fœmininum) his verbis allegatur loquens: *quid perrupisti? super te sit ruptura*: at tunc demum ansa denominationis jam expressa, subjicitur ויקרא שמו פרץ *& vocavit nomen ejus Perez*: quod nec ad matrem, neque ad obstetricem referri potest, cum verbum ויקרא *& vocavit* efferatur in genere masculino.

§. 7. Præterea si nomen in verbis parentum formaliter contineatur, vel (5) Duplex ex eadem ansa proveniret Nomen, quorum unum ab altero forma externa ordinarie esset distinctum: vel (6) Historicus contra intentionem ὀνοματέτων Nomen genuinum mutasset in aliud. Illud confusionem pareret non exiguam; hoc ipsum Spiritum Sanctum blaspheme fidei argueret non adeo bonæ: utpote qui aliter nomen filii fuisse recenseat, quam à parentibus ipsi fuerat impositum. (7) Formæ nominum propriorum contra ipsorum requisita supra §. 5. 6. indicata subirent accidentia Appellativorum. v. g. Proprium respuit & *statum constructum*, & *numerum pluralem*, itemque *Suffixa*; ac secundum *Aben-Esram* (p) non assumit *afformativas Verborum.* At v. g. Genes. 30: 8. נפתולי אלהים נפתלתי *luctationibus Dei luctata sum.* item l. c. vers. 18. נתן אלהים שכרי אשר נתתי שפחתי לאישי *reddidit Deus mercedem meam, quod dedi ancillam meam marito meo*, &c. orationes sunt sub matris nomine adductæ. Item cap. 17: 5. אב המו גוים נתתיך *Patrem multitudinis Gentium posui te*, similiter verba sunt ὀνοματέτου: in quibus si nomina propria formaliter continentur, quamcunque istarum ad ea exprimenda vocem assumseris, peccabitur ea contra proprii requisita. Cum omnes omnino Orationum istarum voces ita sint comparatæ, ut vel in statu constructo ponantur, vel in plurali, vel cum suffixis, aut afformativis Verborum. (8) *Nomen confunderetur cum Verbo.* Percurre loca Scripturæ, in quibus impositores nominum loquentes introducuntur; certe deprehendes, in quamplurimis (non aberrem, si dixero in plerisque) vocem è qua nomen personæ denominandæ formandum, & è cujus notatione illius deprehendet significatio, in Verbo esse exhibitam. Sic Gen. 29: 32. *Ruben* formatum est ex ראה, v. 35. *Simeon* ex שמע, v. 34. *Levi* ex ילוה, v. 35. *Juda* ex אודה, cap. 30: 6. *Dan* ex דנני, v. 20. *Sebulon ex* יזבלני, cap. 41: 51. *Manasse* ex נשני, vers. 52. *Ephraim* ex הפרני, 1 Sam. 1. vs. 20. *Samuel* ex שאלתיו, Gen. 5: 29. *Noah* ex ינחמני, atque cap. 4: 25. ipsum *Sethi*, ad quod frustra provocat, ex שָׁת. Quod si formaliter nomen Viri exprimerent, forma nominis non differret à forma verbali: id quod absque confusione insigni vix potest statui. (9) *Sermo* in plerisque locis Scripturæ *aliter fuisset adornandus, quam à Sacro Scriptore factum*: & quidem ita, ut vel expressis verbis innuatur, hoc vel istud illi nomen futurum, ad ideam v. g. Orationis sub nomine Dei, Gen. 35: 10. *non vocabitur nomen tuum amplius Jacob, sed* ישראל יהיה שמך *Israël esto nomen tuum*; item verbis matris conceptæ Luc. 1: 60. κληθήσεται Ἰωάννης *vocator Johannes*: quo etiam trahi posset sermo Genes. 38: 29. Sive matris sit, sive obstetricis, aut alius cujusdam mulieris adstantis: מה פרצת עלין פרץ si vertere liceat: *quid perrupisti? tibi imponatur nomen Parez.* Vel etiam ut priora aliquot verba, quæ ex Stylo Scripturæ historici sunt, simul sub nomine matrum concipiantur, in hunc forte modum: *Et concepi & peperi filium, & vocavi nomen ejus N. N. quia dixi* &c. (10) *Ratio & ansa denominationis aliunde tradi debuerat*, quia Scriptura S. V. T. eum constantissime servat morem, ut, si circa impositionem nominum post verba historici, mater vel alia persona adstans loquens introducitur, præter nominis claram expressionem, ejus quoque appellationis adjecta sit caussa & incitamentum. Si igitur Matris verba nomen ipsum exhibent, ejus ratio aliunde petenda; nisi statuere velimus, idem rei ejusdem & caussam esse posse, atque etiam caussatum. (11) *Non appareret idonea ratio cur verbo* קניתי *alluderetur ad nomen* קין, quam tamen allusionem h. l. ipse admittit. (12) Quin imo in plerisque Scripturæ locis *verba matrum recitantur, postquam jam ante nomen filii ab historico tam plane ac plene erat enarratum*, ut nullum de se relinqueret dubium. Quid igitur opus, ut rei planæ subjiciantur involucra? talia nunquam in sacris literis occurrunt exempla, ubi sententiæ obscuræ clarior adjungitur valoris ejusdem, illius non æque facile.

§. 8. Cæterum sententiam suam amplius probat N. N. II. *à pari*, (quæ ipsius sunt verba loco rationis quintæ contra B. Lutheri versionem allatæ): *ut infra Gen. 4: 21. filio suo tertio Setho Eva nomen imponit*, UBI ITIDEM IPSA LOQUITUR. Miror ad hunc provocasse locum: qui si ullus alius, certe hic ipsi contrariatur. Id ut rectius pateat, totum adscribam versum, quo omnes judicent, quæ verba sint historici, & quæ matris.

(k) *Sect. 71.* ב״ר *fol. 76. col. 1. l. 16. Edit. Venet.* (l) *Cod.* ברכות *fol. 7. b, l. 14. seqq. Edit. Amstel.* (m) ביאור התורה *fol. 40. col. 1. l. 5. fin. Edit. Venet.* (n) פירוש התורה *fol. 91. col. 1. l. 16. f. Edit. Venet.* (o) פי׳ רוש על התורה *fol. 38. col. 1. l. 25.*

(p) *L. supra §. 2. citato.*

matris. Ita autem sonant: *Et agnovit Adamus ulterius uxorem suam, quæ concepit & peperit filium, & vocavit nomen ejus Seth, quia substituit mihi Deus semen aliud in locum Habelis, nam interfecerat illum Cain.* Provoco ad omnium judicium, annon totum hemistichion prius usque ad vocem שֵׁת cum *Athnach* notatum verba exhibeat historici, actum referentis? post eam mater incipit loqui: *quia* שָׁת *substituit mihi semen aliud in locum Habelis*; quibus rursus verba historici, rationem sermonis materni continentia subjiciuntur, ac versu clauso in sequentibus nova inchoatur historia. Nullum hic deprehendo in oratione matris nomen proprium, sed meram nominis imponendi rationem; Id quod Sanctus Scriptor manifesto indicare voluit per particulam Causalem כִּי, ejus sermoni præpositam. Quanquam enim universale *Kimchi* pronunciatum: והנכון כי הוא לעולם מלת טעם *Certum est vocem* כי *perpetuo causalem esse*, meum non fecero: non tamen video, quomodo in præsenti contextu ullo modo reddi possit melius. At vero si causam nominis tantum continet, eodem respectu manente, non potest exprimere nomen ipsum. Deinceps fingamus, non dari talem particulam causalem, neque comma orationem matris præcedens ac clare nimis Nomen exhibens; sed eruendum illud omnino esse ex verbis matris: nonne tunc foret nomen ejus שָׁת, vel rectius, ni contextum penitus velimus occlusum, זרע *Sera*, aut אחר *Acher*? cui certe sententiæ toties Spiritus Sanctus contradicit, quoties filii hic nati aliquam facit mentionem. Dixisset forte aliquid Prælaudatus Vir si pro sua sententia probanda ad ll. superius §. 7. cc. ex Gen. 35: 10. cap. 38: 29. Luc. 1: 60. provocasset, itemque ad Gen. 30: 11. *& dixit Lea* (Mater) בְּגָד, quod secundum Observationem Masoreticam disjunctum legitur בָּא גד quod qui istius defendere velit sententiam, reddere: *Venit Gad.* atque ad l. c. v. 24. ubi inter verba *Rahel* habetur יֹסֵף *addat mihi Dominus filium alium*; & ad 1 Sam. 4. vs. 21. *& nominavit puerum istum* אי כבוד *Icabod, dicendo migravit* (כבוד Cabod) *gloria de Israël*, &c. in quibus videtur nomen proprium omnibus literis ac vocalibus suis descriptum ac determinatum contineri in verbis matrum, aut qui earum vicem sustinent. Verum, tria priora loca si excipias, ad quæ responsionem vid. §. 7. in tribus posterioribus primo saltem intuitu ita videtur, quod penitius re examinata, longè apparebit aliter. Et quidem ut à faciliori incipiam, in loco ex Samuele citato in oratione matris non integrum habetur filii nomen, sed aliqua duntaxat ejus pars. Unde & sua sponte corruit. Nomen vero Josephi rectius ex אסף prima sermonis primi voce formatur, quam ex יסף exclamationis posterioris. Erat enim Joseph neque addens matri filium alium, nec ipse additus: bene vero collecturus, h. e. *ademturus* vel *ablaturus* à matre opprobrium, quo ipsa hactenus ob sterilitatem erat onerata, & undiquaque quasi *conspersa* & *diffusa*. Atque sic Gen. 30: 11. Dictio ista unica, matris absolvens epiphonema, plures continet literas, quam in nomine proprio filii ibi denominati extant. Supervacanea est nota Masoretharum, quibus quanquam merito multum tribuam; non tamen hactenus à me obtinere potui, ut ipsorum lectione satis sæpius inconvenienti assumpta, textum Biblicum deseram; donec urgens & inevitabilis me cogat necessitas. Quæ hic prorsus non datur. Quod enim *Drusius* (q) asserit, *in* בגד *literam* ב *pro præpositione haberi non posse, quia alias legendum fuisset cum* (:) בְּגָד, *vel* (-) בַּגָּד: id tanti non est, ut propterea à litera textus recedamus. quandoquidem (a) ipse *Drusius* (r) fatetur, Veteres legisse בְּגָד. (b) Non infrequenter Ebraice Dagesch præter necessitatem ex litera maxime dageschabili excidit, facta ejus compensatione, haud secus ac si ex indageschabili excidere debuerit, in vocali literæ præcedentis, elevando eandem in longam. Nam ita v. g. pro יִתַּהֵלוּ dicitur Jer. 9: 5. יִתְהָלוּ (s), pro הִתְפַּקְּדוּ Jud. 20: 15, 17. הִתְפָּקְדוּ, & sic ab hoc verbo per totum Hithpaël (t) pro קַבֹּה radicis קבב occurrit Num. 32: 11. קָבָה, pro וַיְחַיֶּה Exod. 1: 16. וְחָיָה, pro אַשָּׁפִים quod prostat Dan. 1: 20. cap. 2. vs. 2. apud eundem Autorem legitur capite eodem vs. 10. אָשָׁף, vs. 27. אָשְׁפִין (u) Ut taceam post alias vocales quando id factum deprehendatur; quo de conferantur Grammatici. (c) Ne quidem opus est his omnibus; cum usitate literæ ובלב ante vicinum tonum cum (ָ) nonnunquam notentur. v. g. Genes. 1: 2. בֹּהוּ Jud. 8: 8. כזאת (x) 1 Sam. 25: 21. לָזֶה & sic quoque Gen. 38: 21. בָּזֶה, cap. 34: 23. בָּזֹאת, Mal. 3: 10. Ester. 2: 13. בָּהֶם, Lev. 19: 28. בָּכֶם Exod. 12: 7. בָּהֵן Gen. 30: 37. בָּהֵן Gen. 19. vs. 29. &c. (d) pro unica voce habent non tantum *LXX. Interpretes*, *Versio Samaritana*, *Lutherus*, sed & ipse *Textus Ebræo-Samaritanus*. Quin imo ex Judæis quoque pro unica agnovisse videntur illi Antiquorum, qui citante *Bechai*, (y), ita dictum volunt שנולד מהול *quod natus fuerit circumcisus*: quasi cum admiratione dixerit: *in* vel *cum incisione*; voce procul dubio formata ex גדד Dan. 4: vs. 11, 20. Deuter. 14: 1. 1 Reg. 18: 25. Jer. 16: 6. cap. 41: 5. cap. 47: 5. Neque aliter statuere potest *Abarbanel*, quamdiu defendit (z), Leam hac sua oratione respexisse ad *perfidiam* & fraudes Labanis, qui ad facilius fallendum Jacobum hac inter alia usus esset ancilla. Quod occultum hactenus Lea nunc indicare voluerit, dicens בגד *perfide egit*, scilicet Pater meus. Qua stante hypothesi, quam tamen meam nunquam fecero, cum plus placeat Versio *Vulgata*, atque LXX. Interpretum, litera prima radicalis facta prorsus indivisibilis est à sequentibus. (e) quod si nullum horum foret, id tamen in confesso est, ac totus urget Contextus quod in tribus his locis voces istæ non pro propriis usurpentur, sed Appellative vel verbaliter. Solam nominis imponendi rationem continere; atque sic non nomen ipsum, quod casu saltem propius accedit ad aliquam vocum causam ejus exprimentium: & proinde etiam seorsim indicari debuit, tali restrictione addita, ex qua pro proprio agnoscatur.

§. 9. Dicit III. ratione octavâ Lutheri Versionem impugnante: *Quia verba antecedentia: peperit aliquem sceleratum Cainum non sunt hoc versu 1. Matris, sed Historici Mosis, è sequenti Evæ confessione desumta. Ast demum v. 26. post occisum fratrem Habelem illum mali ominis titulum reddit, quem Lamecus vs. 24. post. 1036. annos repetit, & Moses ex utriusque quasi ore hoc versu primo.* Plura hic præsupponit falsa, alia vero incerta; & quod maximum, argumentum ejus laborat vitio malæ consequentiæ. *Falsum* est quod præsupponit, *Cain* esse nomen mali ominis, & deplorandum & sceleratum nequam denotare, quo de mox uberius. *Falsum* verba vers. 24. כי הרגו קין Matris esse; ad historicum spectant, qui rationem reddit postremarum orationis maternæ vocum *loco Habelis*; ne quis hæc legens, si rem gestam non satis habeat perspectam ac cognitam, miretur, unum pro altero substitui: cum matri illud factum non facile excidere potuerit è memoria, idque potissimum etiam, quia admodum probabile est, inter homicidium Caini & nativitatem Sethi non multum intercessisse temporis. *Incertum*, (si non penitus falsum), Mosen, cum c. 4. v. 1. primogenitum hominum *Cain* appellitet, ad verba Lamechi respexisse. Rem ab Eva gestam simpliciter narrat, impositionisque ansam, quam Eva, non ipse habuerat, subjungit; ac procul dubio ita vocasset, si vel nunquam Lamech fuisset in rerum natura. Non minus etiam *incertum*, quod tam memorabilem Caino tribuit ætatem, quam nemo unquam mortalium è sanctissimis etiam hominibus est assecutus. Longævitas est specialis Dei gratia, quam legis suæ observatoribus passim in Scriptura promittit. Eam tamen hic pedibus quasi suis proculcaverat.

§. 10. Sed ut levioribus dimissis, quod tanquam palmarium hic urget, attingam, nimirum *non contineri posse nomen hominis proprium ibi ubi loquatur Historicus, sed ubi mater*: est illud ipsum virtute ac sensu idem cum superiori, nec ab eo nisi verbis differt. Igitur illo superius jam prolixè refutato, hic ero brevior. Fateor verba ותהר ותלד קין non esse matris, sed historici. Verum id non obstat, quo minus exprimant nomen Proprium. Imo ut sciam ubi proprium lateat, quam maxime opus est, ut verba efferantur sub nomine historici. Siquidem (1) ejusdem est nomina personarum exprimere, cujus est res personarum gestas recensere, nisi eas subjecto vago velis tribuere: Atqui historici illud est, non matrum. E. (2) ibi nomen est expositum ubi (a) usitatius verba *& vocavit nomen ejus*, præponuntur. (b) tale nomen exprimitur, cujus forma deinceps in tota istius personæ historia constanter servatur. (c) talis datur vox, quæ & requisita habeat nominis proprii superius indicata, & cujus significationis ratio uberius subjicienda est. At hoc in verbis historici contingit, non parentum; quorum verba, ut ex tot locis superius §. 6. citatis evidentissimè patet, tantum ansam continent & rationem ab Historico dictorum.

§. 11. Pergit vero IV. *Quia ut* אדם *denotans hominem vel genus humanum, κατ᾽ ἐξοχὴν est nomen proprium factum primi mariti, licet sua natura sit appellativum: Sic* איש *sua natura appellativum nomen proprium fieri potuit.* Verum (1) Quid

(r) *Quæst. Epist.* 100. (s) *Conf. Job.* 13: 9. *Jes.* 44. 20.
(t) *Vid. Num.* 1: 47. *cap.* 2: 33. *cap.* 26: 62. 1 *Reg.* 20: 27.
(u) *Vid. cap.* 5: 7, 11, 15. *cap.* 4: 4. (x) *Conf. Gen.* 45: 23.

(y) *L. c. fol.* 20. *col.* 2. *l.* 15. *f.* (z) *L. c. fol.* 91. *col.* 3. *l.* 15. *seqq.*

Quid si negarem, τῷ אדם primo ac proprie denotare genus humanum, esseque sua natura Appellativum? Certè (a) omnia requisita nominis proprii supra tradita eidem competunt. Nunquam invenies in pluralem flexum, quanquam res sæpe videatur id exigere. Ita nec occurrit in statu constructo, neque cum ullo suffixo: cum tamen ad utrumque exprimendum ubivis sese obtulerit occasio. (b) Solus *Adam* est, cui, si ad originationem vocis, & corporis sui, à Deo ipso Genes. 2: 7. cap. 3: 19. traditam, uti decet, attendamus, in strictissima acceptione id nominis competit. Siquidem præter ipsum nemo hominum immediate מאדמה *ex terra* est formatus, sed omnes ex parentum semine geniti. (c) Quod autem commune deinceps factum sit omnibus ejusdem cum primo homine speciei, fit locutione tropica, qua per metonymiam causæ usitatissimè *Nomina stirpium pro Patronymicis usurpantur.* Cujus locutionis exempla fere sunt infinita; quorum quam plurima coacervata vide sis apud B. Dn. D. Glassium (aa). Atque hinc est quod אדם (de alio præter primum hominem usurpatum) atque בן אדם passim ut ἰσοδυναμοῦντα sint adhibita; cujus locutionis nulla commodior reddi potest ratio, quam quæ modo à me fuit indicata.

§. 12. Sed ut ex concessis disputem, (2) dispar tamen est ratio & nominum אדם ac איש, itemque Personarum Adami atque Caini. cum illud (ex recepta loquor sententia) sit nomen speciei, בכלל כולל לזכר ולנקבה *in ambitu suo & masculum complectens & fœmellam*; hoc nomen sexus, fœminas ex complexu suo excludens. Sic Adam primus hominum erat, qui tum temporis quo id nominis cepit, totum genus humanum repræsentavit; nec aliud quicquam in tota rerum natura existebat, cui hoc nomen æque ac ipsi tribui potuit. Cum etiam genitis deinceps aliis ejusdem cum ipso speciei, nihilominus ab ipso tanquam communi stirpe *esse* hominis acciperent; nihil mirum, si id nominis, posito etiam ex natura sua fuisse Appellativum, eidem tanquam proprium mansit. At Cain nec primus, nec solus Vir fuit, neque ipsorum Autor. Dudum ante ipsum hoc nomine insignitur Adam, Genes. 2: 23. cap. 3: 7. 16. qui id & aliis jam ante attribuerat, uti cap. 2: 24. videre licet. Præterea parum in ipso apparet Viro dignum: nisi hoc masculum putes, alteri insidiari, amicitiam simulare, cædere per fraudes, frontem perfricare, mentiri strenue, folia exhorrescere arboris agitatæ, maximam spem ponere in pedibus, atque Deo reniti fortiter. Cum igitur nulla rationum istarum, quæ in Adamo caussari poterant, ut κατ' ἐξοχὴν ipsi tribueretur tanquam proprium, quod commune videbatur toti generi humano, militet, aut in ipso deprehendatur; facile patet, eandem prærogativam ipsi cum Adamo non competere. cum caussa negata, etiam ejus negetur effectus.

§. 13. Verum enim vero (3). Poteram salvo meo jure totam prout ipse formaverat, conclusionem concedere, *quod* איש *proprium fieri potuerit*; cum de sola potentia loquatur, à qua ad esse non illico valet consequentia. Nil igitur juvaret ipsum, nisi prius ostenderit, actu factum esse. Ego vero licet aliàs ambabus largiar manibus, posse nonnunquam Appellativum in tali orationis ambitu coarctari ac restringi, ut proprium fiat certo cuidam Individuo: pro quo confirmando, non equidem provocarem ad אדם, sed ad longe certiora v. g. הבל Gen. 4: 2. שֵׁת vs. 25. אנוש vs. 26. נח cap. 5: 29. שם & חם vs. 32. עבר cap. 10: 24. משך vs. 2. גמר vs. 3. חרן vs. 15. חמתי vs. 18. שלח vs. 24. פלג vs. 25. פרץ cap. 38: 29. זרח vs. 30. item נעמה cap. 4: 22. שרי cap. 11: 31. תמר cap. 38: 6. atque alia hujus farinæ plurima. *Hic tamen nego, ac pernego, vocem* איש *adhiberi pro Proprio.* Id quod probo (1) *ex defectu adjiciendæ rationis appellandi.* Ad cujuscunque Nominis impositionem Mater in V. T. introducta fuit loquens, ibi & nomen conjungitur, & simul nominis imponendi ratio. Atqui ad formationem nominis primogenito hominum imponendi, introducitur Mater loquens, quod ipse lubens sponteque fatetur. E. cum nomine simul ejus imponendi ratio compareat, necesse est. At vero si איש *Ischus* Heroëm denotans vel Virum strenuum, ejus foret nomen proprium, nulla ejus hic haberetur ratio. Si vel maxime concesserim sperasse Evam, vel voluisse, hunc suum filium, talem aliquando futurum, atque ea spe vel voto inductam istiusmodi ipsi tribuisse appellationem, ex qua accrescentibus annis calcar caperet atque incitamentum ad studium virtutis, quo se talem præstet, qualem futurum Mater exoptaverat: id tamen h. l. nullo verbulo aut apice indicavit. Quandoquidem (2) Ratio denominationis semper cum Nomine in significatione coincidit, atque talem constituit orationem, in qua ad minimum una vox, quam præ reliquis cum insigniori emphasi ac fervore Mater protulit, contineatur, ex qua nomen, utplurimum etiam quoad formam suam, ac literas externas fluat, & derivari possit. Sic *Seth* coincidit cum שַׁת, *Simon* cum שמע, *Levi* cum ילוה, *Juda* cum אודה, *Ascher* cum אשרי, *Naphtali* cum נפתלי & נפתלתי, *Sebulon* cum יזבלני, *Ischaschar* cum שכרי, *Jacob* cum עקב, *Noach* cum ינח מנו, *Jabez* cum בעצב, & *Kain* cum קניתי &c. At nulla in toto isto versu vox apparet, cum qua vel minimam convenientiam sive significationis sive formæ habeat איש; multo minus ut ex ea possit derivari, quanquam & ipsum pro Ebræo recte venditet. (3) Ubicunque in nominis impositione introducuntur loquentes & historicus & Mater, ibi semper occurrit Nomen proprium pro proprio usurpatum in verbis historici, non matris. Atqui vox איש non in verbis historici, sed matris occurrit; E. nomen proprium h. l. exprimere non potest. Aut si elevari debeat in Proprium, aliter suum Moses concinnare debuisset sermonem, dicendo v. g. vel ad modum Gen. 29: 33. c. 30: 8. 18. cap. 38: 29. *& concepit & peperit deplorandum nequam, quamvis diceret acquisivi Virum strenuum à Domino*, ותקרא שמו איש: (aut secundum cap. 30: 11. 13. 20. cum nota accusativi præposita: ותקרה את שמו איש) *& vocavit nomen ejus Isch*: vel ad conformitatem Genes. 29: 34, 35. cap. 30: 6. (bb), *Et dixit acquisivi Virum Strenuum*, על כן קראה שמו איש *propterea vocavit nomen ejus Ischum*: vel si quem alium in Scriptura Sacra Spiritus S. observavit morem, cum quo quandiu non conformetur, tandiu etiam pro nomine Proprio haberi non potest. (4) in Scriptura S. frequentius τῷ אדם איש, גבר, atque אלהים ita contradistinguitur, ut sicut per hæc *Magnates*, *præstantiores*, vel *Nobiles* aut *Senatores* intelliguntur; ita illa significet *plebem promiscuam*, *humiles*, *viles*, *ignobiles*, *minus religiosos*. ψ. 49: 3. extat גם בני אדם גם בני איש יחד עשיר ואבון verba Kimchi (cc): בני אדם הם הפחותים במעלה ובני איש: הגדולים *per filios* אדם *hominis*, inquit, *intelliguntur imminuti dignitate*; *per filios autem* איש *Viri*, *Magnates*. R. *Sal. Jarchi* (dd) ad Jes. 2: 9. annotat: וישח אדם הקטנים וישפל איש השרים והגבורים אנשי החיל *& deprimatur* אדם *homo* i. e. *Plebeji*; *& humiliabitur* איש *Vir* i. e. *Principes & Heroës*, *Viri Fortes* (ee). Jam vero Spiritus S. Gen. 6: 2. 4. posteros Caini non vocat *filios* איש *Herois*, sed אדם *filios Hominis*, minus strenui, minus religiosi; & quidem in oppositione ad אלהים, quod & ipsum in tantum cum איש concurrit & coincidit, in quantum idem denotat ac רברביא *Magnates*; qua nonnunquam voce id reddiderunt Paraphrastæ Chaldæi (ff). Quod enim ibidem Viles ac impios imprimis ex Caini posteritate per בנות אדם *filias Hominis* intelligat Scriptor Sacer, plerorumque valde probabilis est sententia (gg). Cum quibus etiam illi facile conciliantur, qui per *filios Dei* vel optimates intelligunt & Judices (hh), vel sanctiores (ii). quia tales optimates vel sancti erant potissimum ex posteris Seth, ut expresse addit *Kimchi*; quemadmodum illi plebeji & minus religiosi ex Caini posteris. Cum igitur Cain אדם vocetur, idque in oppositione ad vocem אלהים cum איש æquipollentem: eo ipso indicatur, quod איש ipsi proprium non fuerit. quia uno oppositorum admisso, alterum de eodem negatur. Neque (5) Eva præsumi potest, si pro nudo homine eum habuit, tale nomen filio suo imposuisse, quo aliquem erga maritum declararet contemtum; quasi ille non satis mascule hactenus sese gesserit, ut ipsum hic filius animositate sit superaturus.

§. 14. Verum videamus, quid pro sua probanda sententia afferat in medium. Ita enim capio, quæ inferius sub titulo *diversarum* rationum B. Lutheri Versionem impugnantium quinque distinctis profert argumentis: quorum summa tamen unice eo redit, *ut adstruatur, quod sicut* איש *potuit proprium fieri, ita etiam actu ipso tale fuerit factum.* Tota ista confir-

(aa) *Philol. Sacr. Part. II. tract. 1. cap. 1. p. 1049. vel p. 6. Edit. antiqu.*

(bb) *Vid.* Abarbanel *l. c. col. 3. 4. fol. 29. col. 1.* (cc) פירוש תהלים *fol. 37. a.* (dd) *B. B. fol. 444. b.* (ee) *Vid. Ps. 62: 10. Job. 14: 10. Ps. 4: 3. Gen. 6: 2. 4. cap. 11: 5. ac conf.* Bochartum *Phaleg. lib. 1. cap. 10. pag. m. 43.* (ff) *Vid.* Onkelos *Gen. 3: 5. c. 6: 2. 4. Exod. 4: 16. c. 7: 15.* (gg) *Conf. Abarb. in l. c. f. 40. col. 4. post med.* AbenEsr. *Comm. in l. c.* Abendana *ad* מכלל יופי *&c.* (hh) R. Sim. *f.* Jochaj. *in* ב״ר *sect. 26. fol. 16. col. 4.* R. S. Jarchi, Ramban, Bechaj, *in commentariis suis ad l. c.* R. Dav. Kimchi *in* ספר שרשים *radice* אלה *& בנה col. 30. l. 32. 33. col. 69. l. 17. Edit. Bomb. sed Justin. col. 29. & col. 66.* R. Sal. f. Melech *in* מכלל יופי (ii) *Vid. omnino* Kimchi *l. c. in radic.* בנה *col. 69. lin. 15. Bomb. vel col. 66. l. 10. Justin.*

confirmatio in duas redigi poteſt rationes; unam, *quod Lamech ita Cainum vocaverit*; alteram, quod איש (in ſenſu Herois) *boni ſit ominis* etiam cum evaderet proprium. Primam, quam his verbis propoſuit: *Trinepos ejus Lamechus Gen. 4: 23. eum Autorem ſui Generis Heroicum vocat* איש, ſtabilivit tribus fundamentis, quorum fortius (a) *in ſeptima generatione occidi debuit Cain* Geneſ. 4: 15. *occiſus autem eſt Iſch, E. Iſch per epitheton dictus eſt Cain.* Omnia hic falſa ſunt, & ex illegitima Scripturæ interpretatione promanarunt, quam fabulæ ſuppeditarunt Judaicæ. Falſum quippe eſt, in cap. 4. 15. contineri, Cainum in ſeptima generatione occidendum. Non ibi de pœna Caino infligenda agitur, ſed de vindicta propter ipſum inſtituenda contra trucidaturum illum: nec verbo generationis ſeptimæ fit mentio. Quod cum alibi in peculiari Diſputatione in iſtum locum habita §. 9. ejuſdem prolixe ſit demonſtratum, nolo hic appoſita crambe recocta faſtidium excitare & nauſeam. Nec adeo certum eſt, vſ. 23. affirmative recenſeri, occiſum eſſe איש. Profecto ridicula fuiſſet argumentatio Lamechi, ſi perſuaſurus uxoribus ſuis de nece marito inferenda mœſtis ac trepidis, eum nequaquam iri occiſum, tali uſus eſſet ratiocinio. Si Cain, qui unicum hominem, cum lex poſitiva de non occidendo nondum diſſertis verbis eſſet tradita, interemit, morte mulctatus non eſt, quanto minus ego, qui non unum tantum, ſed duos eoſque & Atavum & filium interemi, etiam poſt prohibitionem jam à Deo factam, morte ero plectendus. Perinde ac ſi, ſtudioſo quodam in Academia nuper fundata, in qua prohibitio duelli nondum publicata fuerit, primum in iſto crimine deprehenſo, à pœna relegationis liberato, alius deinceps poſt publicatam jam verbis ſeveriſſimis prohibitionem, ſub comminatione relegationis factam, ſemel iterumque in transgreſſione legis iſtius deprehenſus, ideo impunitatem ſibi vellet promittere, quia non ſemel tantum, uti iſte peccarit, ſed vice iterata. Non putaverim, quempiam tam inconcinna uſurum argumentatione; aut ſi ſuſcipiat, veniæ inventurum locum. Deinde poſito, ibi contineri hiſtoriam cædis factæ; non tamen cauſæ Illius afferret patrocinium: cum (a) איש vage ac indefinite ſumatur pro Viro quopiam, comprobante id vel ſola altera ejuſdem verſus voce ילד: Quod enim & hanc Appellativam eſſe pernegat, in eo ſibi ipſi contradicit; utpote qui per eum intellexerat *Thubal Cainum*, atque eo ipſo aliud huic puero jam dum adſcripſerat Proprium. Præterea (b) non ſimpliciter quemcumque denotat Virum, ſed robuſtum, ſtrenuum, ac corpore florente præditum; cujuſmodi tum temporis Cain fingi non poteſt, ſi vel maxime, abſque ulla tamen probabilitate, quis eundem tum temporis adhuc ſuperſtitem comminiſcatur. Quin imo (c) plures uno occidi potuerunt in iſta ſeptima generatione; ut exinde nondum ſequatur, occiſionem, quæ hic fruſtra aſſeritur, præciſe reſtringendam eſſe ad Caini necem eodem peragendam ſeculo. Etiam pueri hujus cædes imaginaria prædicta non fuit, & tamen eandem cum tot aliis defendit. Sicut hæc (ſecundum illos) peragi potuit, nulla in Scripturis expreſſa prædictione; ita illius mors prædici potuiſſet, quanquam ejus executio non recenſeatur. Plura in Scripturis ſunt prædicta, quorum executio diſertis verbis non exprimitur.

§. 15. Alterum cui priorem ſuperſtruxit rationem fundamentum continetur in argumento contra Lutherum 16. atque his proponitur verbis: *Lamech ejus* (Caini) *Trinepos* (imo v. Atnepos) *poſt occiſum autorem ſui generis* ISCHUM, *fatetur, illum fuiſſe Cainum*, v. 24. Hujus argumentationis nexum ac conſequentiam non capio. nullam enim video rationem, cur idem ſit intelligendum ſubjectum per איש v. 23. atque per קין in ſequenti verſu. (a) Si de unica perſona ipſi ſermo, unicam etiam procul dubio retinuiſſet denominationem, dixiſſetque: *ſi ſeptuplum vindicandus* ISCHUS &c. Præſertim, ſi קין (ut ipſe vult) nudum eſt Epitheton à deploranda ejus malitia ipſi impoſitum. (b) Nequaquam enim probabile eſt, Lamechum generis ſui Autorem, quem viventem tam pie coluerat, poſt inopinatam ejus necem ignominioſe voluiſſe traducere, ac notam inurere nequitiæ. Quinimo (c) unde ipſi conſtitit, tale Atavo ſuo cognomen deteſtandum (ſiquidem nudum fuiſſet cognomen) obtigiſſe? num adfuit ipſe nativitati Sethi, illudque ex ore Evæ hauſit? an ipſe Cain cum magno ſui dedecore illud in poſteris ſuis propagavit, quod (ſi illius mentem reſpicio) & ipſe potuit ignoraſſe? utrumque certe aberrat nimium. (d) Neque in contextu veſtigium apparet, ex quo inferri liceat, Cainum pro Nequam ſive homine malitioſo à Lamecho unquam habitum. (e) Potiſſimum ſi (ſecundum N. N.) verba ejus leſſum continent, facinus imprudenter peractum deplorantis. Quo certe non opus fuerat, ſi in homine impio jam dudum morti ad illud tempus adjudicato, etiam neſcius divinam executus eſſet voluntatem. (2) Lamech ſi idem intelligeret ſubjectum, ſeipſum refutaſſet, vocando eum, quem modo inſignem dixerat *Heroa*, turpiſſimum Nequam, ac hominem ingenii deplorandi. (3) Dubium, an uxores intellexerint, de quo loquatur; potiſſimum cum nullam reſtringendi notam adjiceret, dicendo vel אותו קין vel הקין aut קין הזה. (4) Si vel maxime idem intelligeret ſubjectum, exinde tamen nondum ſequeretur, איש pro Proprio ſumi. Potuiſſet appellativum adhibuiſſe honorificum, tum (a) ad reverentiam erga Atavum ſuum indicandum, tum (b) etiam dolorem ſibi leniendum, atque (c) orationem aptius ornandam, utpote in qua Appellativum ſequitur, alteri Appellativo accommodatum. Quinimo (d) ne uxores ſuas clara patris ſui ac filii mentione ſubito expreſſa percelleret nimium, ac conturbaret; quæ nomine communi audito in tantum conſternatæ non ſunt, in quantum ſi percepiſſent ſubito, in iis paractum facinus, qui intima eos attingerent conſanguinitate. Quæ tamen ob receptam hypotheſin aſſero: cum alias ſecundum propriam ſententiam, qua neminem ibi recenſeri à Lamecho interfectum, ſtatuo, his omnibus nequaquam opus ſit.

§. 16. Tertiam aſſerti ſui probationem ſumit ex eo, quod *verba Evæ* קניתי איש *& verba Lamechi* הרגתי איש *v. 23. mutuo ſibi reſpondeant.* Optaſſem clarius modum ac rationem connexionis expreſſiſſet, ut aptior ad eam fieret reſponſio. Siquidem (1) plane non video, quomodo hæc duo ſibi invicem reſpondeant, niſi factum id exiſtimet, quia utrinque איש cum verbo præterito primæ perſonæ conſtruitur. At ſi exinde aliquid ſequatur, meliori jure, ordine nim. utrinque ſervato, dici poſſet, verba Evæ קניתי איש, & verba *Huram Regis Tyri* 2. Chron. 2: 12. שלחתי איש ſibi mutuo reſpondere. Quo facto, nova, ſed ridicula naſceretur difficultas, qua ſtatuendum, *Hiram* iſtum nec ex matre vidua ortum fuiſſe, ut 1. Reg. 7: 14. traditur, nec à Patre Tyrio, quod ll. cc. conſtanter aſſeritur; ſed ab Adamo & Eva: neque ex tribu *Naphtali*, ut 1. Reg. 7: 14. legitur, nec etiam à *Dan*, ſecundum verba 2. Chron. 2: 13. Quinimo nec *Hiram* aut *Hirom* appellatum fuiſſe, juxta 1. Reg. 7. v. 13. 40. 45. ſed *Iſchum* cognominatum *Cain*. Quæ omnia valde ſunt abſurda. (2) Poſito reſpondere ſibi invicem, nondum tamen evinceretur, איש in oratione Lamechi fore proprium. Si enim hanc obtinere conatur ſententiam ex collatione v. 1. tunc petit id, quod eſt in principio; atque eo ipſo laborat in vanum.

§. 17. Non majoris eſt momenti, quod ulterius ratione ipſi in ordine ſexta ideo Proprium fore tradit: *quia Appellativum Viri aut Herois ſenſu vox* איש *eſt boni ominis, & proprium evadens mali ominis non fit, ſed boni ominis manet. E. tale proprium filio Eva dare voluit.* Siquidem ſi omnia nomina, quæ boni ſunt ominis, matres ſtatim filiis ſuis imponerent, ſæpe filii obruerentur Nominibus, & multitudo gratulationum pareret confuſionem. Id vero omnino aliquod pondus habet, quod (V.) aſſerit, *Matrem præſumi non poſſe, mali ominis & tituli nomen filio ſuo voluiſſe imponere, & impoſuiſſe actu ipſo.* Subſumit de קין Cain, eidemque ſignificationem tribuit peſſimam. Verum deceptus procul dubio eſt Vir doctiſſimus forma externa vocis קין, qua magis Radicem קון videtur exigere, quam קנה, qua mater uſus eſt. Cum vero illa uſitatius ſignificationem *lamentandi* habeat, vel *deplorandi*; exiſtimavit ipſe, (num Celeberrimi *Dieu*, qui *Lamentatorem* expoſuit, vel *lamentationem*, autoritate præfaſcinatus, meum non eſt declarare) hanc ſignificationem omnino retinendam eſſe. Equidem ſi ſolus *deplorandi* ſenſus retineatur, forte non alienum fuiſſet à Matre, hoc nomine ſuum ornaſſe filium. Certe habuiſſet multas hujus rationes. Ejecti erant, innocentia concreata turpiter deperdita, è Paradiſo; terra propter ipſos erat maledicta, ut ejus proventu non niſi in perpetuo ſudore frui illis licuerit; recens erat parturientis dolor; futura inter ſerpentem & ejus ſemen inimicitia indelebilis prædicta; aliaque plurima jam experta erat, unde in aprico fuit colligere nil niſi concatenatam hanc vitam fore miſeriam. Cujus ut perpetuo recordetur, filium ſuum, eandem & ipſi cum die per hoc nomen ſuum in memoriam revocatura, *lamentatorem* nuncupaſſet, h. e. qui nil niſi lamentandi cauſam in hac vita, in quam jam editus erat, ſit habiturus. Ob quod ipſum etiam natu ſecundo haud multo auſpicatius imponit nomen. At cum ipſe longius progreſſus paſſim reddiderit *deplorandum Nequam*, vel *hominem ingenii deplorandi*: id omnino durum videtur, matri velle attribuere, tam deteſtandum filio impoſuiſſe nomen.

§. 18. Quod

§. 18. Quod vero neutra prædictarum expositionum adhiberi probat, obstat vocis קניתי, ad quam, consentiente etiam Viro cæteroquin dissentiente, nomen קַיִן alludit, significatio: quæ certe vox & ipsi קַיִן inde formatæ suam communicat notationem; comprobantibus id tot exemplis, quot in Scriptura Sacra monumenta prostant nominis cum adjecta ejus ratione impositi. Nullus poterit produci locus in contrarium, ubi significatio Nominis proprii toto genere discrepet à significatione vocum, quæ illius continent rationem (kk). Nec aliter natura rei permittit. His enim inter se discrepantibus, nullum alterius existeret origo, vel causa. Idcirco, cum manifestum sit, verbum קניתי *acquirendi*, vel *possidendi* ibi retinere significatum; idem etiam attribui debet voci קין ex illo formatæ. Quam propterea *plerique Ebræorum* per קנין exprimunt (ll). *Philo* per κτῆμα & κτῆσιν (mm), *Hieronymus* (nn), quem *Leusdenius* (oo) atque *Gregorius Gregorii Francus* (pp) sequuntur, per *Possessionem* vel *Acquisitionem*, *Munsterus* (qq) per *Thesaurum*, significatione parum vel nihil mutata; Index vero Versioni B. Lutheri præpositus überkommen / erlanget. Significatio, ut apparet, ab his omnibus, eadem retinetur, quanquam in applicatione nonnihil inter se varient. Siquidem alii active intelligunt, passive alii; id quod ex locis inprimis *Philonis*, *Abarbanelis* ac *Rambani* citatis, quæ brevitatis studio hic una cum ipsorum examine omittimus, liquido patet. Ex illis omnibus notationem *Possessionis*, in sensu passivo, quatenus sc. ipse *Cain* à matre possidetur approbo, eandemque cæteris nunc dimissis retinendum censeo, tanquam à Spiritu S., scopo matris, verborum nexu, ac reipsa sufficienter approbatam.

§. 19. Neque vero quemquam offendat, quod קין quoad formam suam externam cum verbo קניתי non usque quaque videatur convenire. Quandoquidem 1. ipsis Ebræis (rr) testibus, העברים ישמרו חטעמים ולא המלות *Ebræi sensus vocum observent, non voces ipsas.* (2) Antea probatum fuit, esse nomen Viri proprium. In his autem, quum omnibus accidentibus Grammaticis, quibus Appellativa, subjecta non sint, liberior datur formatio; nec religiose nimis literæ insistunt, ut ex quam plurimis probari possit exemplis. *R. Levi f. Gerson* (ss) de nuncupatione Samuelis scribit: ואם אמר אומר שה׳ה ראוי אם כן שתקרא שמו שאול אמרנו לו כי לא ידקדקו קוראי השמות כל כן הלא תראה לאה שקראה שם בנה ראובן כי ראה ה׳ בעניה ונקרא שם נח לאמר זה ינחמנו ממעשינו והיה ראוי אם כן שהיה שמו מנחם *Quod si quis objiciat, conveniens fuisse, ut, si* שמואל *Samuel ex* שאלתיהו מי״י *formaretur, vocaret nomen ejus* שאול *Saul; eidem respondemus, non usque adeo scrupulose* παρονομάζοντας *inquisivisse in minutias Grammaticas. Nonne vides, Leam vocare nomen filii sui* ראובן *Ruben, quod Dominus* ראה בעניה *viderit afflictionem ejus? atque etiam* נח *Noam dictum fuisse ex* ינחמני*? quum* (si ad Grammaticam attendere voluissent) *nomen ejus futurum fuisset Menachem.* Ipse Deus nomen Abrahami immutans in אברהם *Abraham* &c. non curiose nimis observavit formam externam; nemo tamen tam audax futurus est, qui absque insigni crimine negaret, significare illud secundum divinam expositionem *Patrem multitudinis.*

§. 20. Inter cæteras vero Varietates, quæ in formis nominum propriorum observantur, facile eminet *literarum Transpositio.* Hanc obtinere puto in nomine filii Mosis *Elieser*, cujus nomen, si rationi denominationis à Patre Exod. 18: 4. expressæ tenaciter insistere velimus, forma nonnihil immutata fuisset אלעזרי *El-esri*, non *Elieser*? Eadem quoque invenitur in nomine *Samuel*. in quo non solum מ ex voce מיהוה, reliquis, si ordinem à sacro Scriptore observatum retinere velis, præmittendum literis, cum prima vocis alterius est transpositum; sed & ejusdem radicis literæ א & ו ordine occurrunt inverso. Verum ut propius accedam ad institutum, adducens exemplum nominis, in quo perinde ut in קין transpositio est duarum posteriorum literarum, ac immediate se invicem contingentium; consideremus vel solum nomen יעבץ *Jabez*, cujus 1 Chron. 4. vs. 9. facta fuit mentio. Clare textus subjicit, quod mater ipsius id ei nominis imposuerit, quod pepererit eum בעצב *in dolore.* Profecto nemo negabit, nomen illud significationem *doloris* vel *dolorifici* retinere, utut ultimæ literæ sint transpositæ. Cum apprime hoc ad nostrum קין quadret non dubito verba *Kimchi* ad istum locum notata huc transcribere, qui ita commentatur: יעבץ הוא הפוך אל הענין כי היה לו לומר יעצב אינם מפקירים העברים על זה כמו נח מן ינחמנו קין מן קניתי שמואל מן מיהוה שאלתיהו h. e. *In Jabez literæ significatione vocis reservata sunt transpositæ, quum alioquin dicendum fuisset Jazeb. Non attendunt ad hoc Ebræi; quod videre est in voce* נח*, formata ex* ינחמנו*, item in* קין *deducto ex* קניתי*, atque in Samuel, facto ex* שאלתיהו מיהוה. Nec mirum, hanc literarum transpositionem in Nominibus propriis deprehendi; cum in ipsis etiam Appellativis, in quibus tamen major Grammaticæ cura alioquin adhiberi solet, locum interdum inveniat, sensu haudquaquam variato. ita כשב & כבש denotat *agnum* (tt), חלש & חשל *imbecillem* (uu), צאן & צנא *gregem* (xx), חלד ac חדל *mundum* (yy), יעף & עיף *defessum* (zz), שמלה & שלמה *vestimentum* (a), כסל ac סכל *stultitiam* (b), אלמגים & אלגומים *speciem cedri* (c): & si quæ sunt alia hujus generis nomina. Ut taceam, quam sæpe modo aliquo extraordinario, ac proinde etiam à Masorethis peculiariter annotato, quiescentes י & ו cum aliis occurrant transpositæ literis.

§. 21. Quod si dicas in illis quæ hactenus recensita sunt, transpositionem esse indifferentem, ut quamcunque velim formam, tuto possim adhibere: hic vero mihi integrum non esse, aut saltem nuspiam occurrere, ut pro primogenito Adami קין dicatur קני; quum hæc forma denotaret alium. Resp. (1) non obstante, quod indifferenter dicere non possim, salva tamen maneret verbi significatio etiam in tali nomine, quod semel transpositas radicis literas, nunquam amplius pro ordine thematis sui referret. Sic enim יעבץ supra citatum constantissime retinetur, nec unquam occurrit, literis pro ordine radicis suæ dispositis. ita quoque פרר Levit. 1: 8. quod juxta Targum *Jonathanis* פריסותא דתרבא denotat, h. e. *adipem à carne sejunctum*, à radice פרר *separare*, literas semel transpositas constanter retinet, vid. l. c. v. 12. c. 8. 20. atque sic quoque, duo si excipias loca, vox citata צאן, radicis צנא, item Syro-Chaldæum חקל ܚܩܠ pro Ebræo חלק, תרע pro שער, פשר pro פרש, & si quæ sunt alia (d). (b). Utut de primogenito Adami hæc nominis variatio per literas transpositas non occurrat; idem tamen nomen legitur de iisdem, tam in forma קין, quam in altera, trajectis literis, קני. Vid. Num. 24. vers. 21, 22. Jud. 4: 11. Conf. c. 1. 16. 1 Sam. 15: 16. 1 Chron. 2: 55. proinde & Aben-Ezra ad locum ex Num. citatum adjicit: קין הוא הקני; cum quo & *Junius* facit, *Oleaster*, aliique, qui conferantur.

§. 22. Quin imo si fides Codicibus habenda, (4) non occurrit קין tantum in significatione *lamentandi*; sed etiam *possidendi.* Recordor, me à Præside aliquando cognovisse, quod, cum ad pedes Celeberrimi istius Gamalielis, Viri Incomparabilis Dn. *Esdræ Ezardi* sederit, occasio ipsi fuerit oblata disserendi de cap. 32. Deuteronomii. Ubi cum ad versus sexti perventum esset vocem קָנֶךָ, eandem tanquam Participium exposuerit in Kal. verbi quiescentis secunda, quod ejusdem sit cum quiescente tertia significationis. Cujus sententiæ confirmandæ non tantum ad Editiones Bibliorum Correctiores provocaverit, quæ קנֵיךָ legerent, י pluralitatis expresso; sed etiam ad similia alia verba, quæ sub diversa forma unum retinerent significatum; cujusmodi attulerit בום & במה, a quo foret Jes. 53: 9. בְּמֹתָיו juxta *Aben-Esram.* Usum vero radicis קין exemplo קַיִן illustraverit, quod sub manu volvimus. Liceat mihi pace tanti Viri, quem ex grato Ejus Auditore cognitum sancto pietatis obsequio veneror, ordinem nunc invertere, & ubi de hoc mihi sermo est, provocare ad illud. Profecto (a) Multæ *Celebriores Editiones* exhibent קֹנֵיךָ signo pluritatis ad-

(kk) *De nomine* נח *Vid.* Buxt. *Differt. de Nomin. Dei Ebraicis* §. 38. R. Levi f. Gerson *Comment. ad* 1 *Sam.* 1. *vers.* 19. Aben-Ezra *ad Gen.* 5: 29. *B. B. fol.* 7. *b. l.* 26. (ll) *Vid.* רמ״בן *atque* Abarbanel *Comm. in h. l.* (mm) *Libro de* Cherubim *fol.* 129. de sacrificiis Abelis & Caini *fol.* 130. *itemque lib.* quod deterius potiori insidiari soleat *fol.* 161. (nn) *Tom. III. Operum lib.* de Vocibus Ebraicis *fol.* 429. *D.* (oo) *Onomastic. sacro.* (pp) *Lexico sancto.* (qq) *Comment. in h. l.* (rr) Aben-Ezra *ad Gen.* 5: 29. *Bibl. Buxt. fol.* 7. *b. l.* 26. (ss) *Comm. ad* 1 *Sam.* 1: 19. *Bibl. Buxt. fol.* 291.

(tt) *Vid. Gen.* 30. *vers.* 32, 33, 35, 40. *Lev.* 3: 7. *item c.* 4: 32. *cap.* 12: 6. *cap.* 4: 21, 24, 25. (uu) *Vid. Job.* 14: 10. *item Deut.* 25: 18. (xx) *Vid. Gen.* 4: 2. *passim*; *item Num.* 32: 24. *Psal.* 8: 7. *ex quo etiam Celeb.* Bochartus *Hier. P.* 1. *col.* 432. *l.* 29. *colligit, radicem* צאן & צנא *esse* Arab. ضنا vel ضنى, *ubi adhuc hodie* sobolescere *sign.* fœcundum esse. (yy) *Job.* 11: 17. *Psal.* 17: 14. *item Jes.* 38: 11. (zz) *Cap.* 40. *vers.* 29. *cap.* 50: 4. &c. *item Gen.* 25: 29. *Deut.* 25: 18. *passim.* (a) *Vid. Jes.* 3: 6. *cap.* 9: 4. &c. *item Exod.* 22: 8. 1 *Reg.* 10: 25. *cap.* 11: 29, 30. &c. (b) *Psal.* 49: 14. *Eccles.* 7: 25. &c. *item cap.* 10: 1, 6. (12) 13. (c) *Vid.* 1 *Reg.* 10: 11. *item* 2 *Chron.* 2: 7. *Conf. Cl.* Wasmuth. *H. R. p.* 124. (d) *Conf. Bochart. Hier. P.* 1. *col.* 472. *l.* 20. *seqq.*

adjecto. Ita *Biblia Rabbinica Bombergiana*, item *Basiliensia*, ac *Commentarius R. Sal. Jarchi*; *Tres Editiones Menasse Ben Israël*, quarum duæ in charta quadruplicata, altera nude Ebraica, altera cum Targum Onkelos, atque tertia in charta octuplicata absque punctis; item Plantiniana Antwerp. A. M. 326. punctata ac non punctata, atque *alia punctis destituta Leidæ impressa* A. M. 370. לפ"ק in forma minori, ac *quæ Genuæ* prodierunt. Quæ omnia edita sunt opera Judæorum: qui non facile præsumuntur, pluralitatis notam contra hypotheses domesticas adjecisse, ni in correctissimis M. S. expressam offendissent, ut sine crimine corruptionis illam non ausi fuerint omittere. Præterea id exhibent *Biblia Regia Hispanica*, *Anglicana*, *Vatabli* ac *Nisselii*. Nec dubito, quin plura alia, ad quæ, quum à me ob temporis ac librorum penuriam, conferri non potuerunt, non integrum fuit provocare. Jam vero י pluralitatis adjecto, omnino ut participium exponi debet verbi Quiescentis secunda, ad formam קָמֶיךָ (e), צָרֶיךָ (f), atque עָרֶיךָ (g) Nam si quiescens tertia foret, loco (ֵ) sub ק adhiberi debebat ו formæ רֹעֶיךָ (h), רֹאֶיךָ (i), קֹוֶיךָ (k); quemadmodum in קֹנֵהוּ (l), ac קֹנֵיהֶן (m). Sin vero Præteritum ex quiescenti ל"ה, ut LXX, Syrus qui ܕܩܢܝܬ, aliique reddunt, י post נ debebat exulare, ac præterea præponi pronomen relativum אשר, ut à Syro factum videmus: de quibus singulis textus habet contrarium. (b) *Multæ Versiones*, ac inter has etiam, quæ pro antiquissimo venditatur, *Samaritana*, pro Participio habuerunt, utut pro natura participiorum, quæ sæpe in Nomina degenerant (n), interpretati sint nominaliter, & in numero singulari, ne plures videantur statuisse Deos. Inter hos *Arias Mont. Anglic.* ac *Vatabl.* in marg. *Acquisitor tui*; *Ainsworthus* citante Polo (o), *Possessor*, *Dominus*. *Samarita* vero Versio ࠌࠋࠗࠋࠉࠊ *Consiliarius tuus*. Quo id factum sit consilio, nulla investigare possum consultatione. Illi vero qui apud *Malvendam* reddunt *Nidificator tuus*, quocunque tandem id exponant modo, decepti sunt voce קֵן *nidum* notante, & conformitante, quam alioquin inter se verba quiescentia, & Geminantia ע fovere, notum est. Verum in Participio toto differunt cælo: Geminantia hic ordinarie sunt perfecta, ac secundam retinent. quod si vel maxime eandem præter morem abjicerent, ejus compensatio fieri debebat per Dagesch F., quod & in nomine קֵן voce crescente obtinent. Quibus hic omnia contraria. Accedit, quod verbum in sensu *nidificandi*, tantum in Piel sit usitatum; ad cujus ductum non קֹנֶיךָ (uti verba scripta habent) fuisset dicendum, sed מְקוֹנְנֶיךָ, quod multum ab illo differt. Ast quicquid sit de Versionibus, (c) *συνάφεια textus valde commendat lectionem Participialem.* Præcedit pronomen Personale, quod ex natura linguæ inclusam in se continet significationem verbi substantivi: cui, Nomine aliquo Concreto interjecto, statim vox קניך adjungitur. Quæ verbaliter exponi non potest, nisi velimus vel duo verba finita absque copula inconvenienter construere, vel nulla urgente necessitate aut copulam aut Relativum supplere; quorum neutrum temere suscipiendum: inter alia etiam, quia vox præcedens אביך nostræ cohæret per accentum ministrum, ac ideo ægre aliquid interpositum, quo ab eadem divellatur, admittat. Et ne cui ejusmodi formæ Varietas eodem sensu manente, inusitata videatur, perpendat (d) *tot ejus in Sacra Scriptura occurrentia exempla.* בּוּז & בוז in oculis omnium Ebraice aliquo modo intelligentium posita sunt (p). Jam dudum vero ad oculum demonstravit *Venerabilis Academiæ nostræ Senior*, *Excellent. Dn. Joh. Frischmuth*, *Dominus ac Patronus noster Maximus*, idem procedere in כרה atque כור (q). Quod דגה in usu sit, nec וְיִדְגּוּ (r) dubitare sinit, nec toties occurrens דְּגֵי & דְּגַת (s); quanquam Concordantiæ forte dicant diversum: quod vero in eodem sensu etiam quiescens secunda detur, abunde probant וְדִיגוּם (t), & דַיָּגִים vel דַוָּגִים (u), ut nil dicamus de דָאג formæ שָׁאט & רָאשׁ (x). Præter quæ & multa alia prostant, v. g. רכה & רוך (y), ספה & סוף (z), ררה & רור (aa); שטה & שוט unde שָׂטֵי (bb). Quo referunt Alii שרה & שור, ערה ac עור, זרה unde זרון, & זור, רמה & רום, המה & הום, קוא & קאה, & si quæ sunt fortassis alia. Ad quorum formam nil obstat, quo minus dicamus & קנה & קין unum significare atque idem. Ex quibus omnibus manifesto licet concludere, formam in קין nequaquam impedire, ut ne, significatione cum קניתי conveniente, reddatur *Possessio*, *Acquisitio*.

§. 23. Atque (ut obiter moneam) hoc ipso pro modulo ingenii nostri qualitercunque hactenus probato, sponte etiam corruit sententia *Georgii Cedreni*, scribentis (cc): τὸ πρωτότοκον ὠνόμασε, Κάϊν, ὅ ἐστι ζῆλος. ὁ καὶ ζηλώσας ἀνεῖλε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ἄβελ. i. e. *Primogenitum appellavit Cain, quod est invidia: invidens enim interemit fratrem suum Habelem.* Nam (1) non præsumitur Mater (quod argumentum fuit Celeberrimi N. N. supra §. 17. consideratum) tam inauspicati tituli nomen filio imposuisse. (2) קניתי hanc significationem respuit; quippe quod est ex ל"ה non ל"א; & quanquam hæ duæ imperfectorum species frequentissime formas suas permutent invicem, ut tertiam י non usque adeo hic curemus: accedit tamen quod קנא in significatione *invidendi* in Piel tantum ac Hiphil sit usitatum; non in Kal, quo nostrum קניתי effertur. (3) forma ægre eam admittit significationem, cum קָנָא dici debuisset, non קין; siquidem derivata sequuntur utplurimum naturam, ac Conjugationem suæ originis. (4) contrariatur contextus, qui sensum, si isthoc modo vertas, pareret aut ridiculum, aut blasphemum. Quomodo enim misera muliercula unico prognato filio Deo supremo invideret, vel bellum æmulando indiceret; & quæ hujus ratio ex præcedentibus? aut qui persuadere sibi poterat, Deum suam approbare invidiam? (5) nomen hoc Caino erat impositum, antequam se exsereret ea cum fratre simultas: Evam vero absque solido fundamento Prophetissam velle constituere, quæ ista omnia jam olim præviderit, videtur temerarium. *Abarbanel* scribit contra *Ralbag* (dd), ולא ידעתי מי שם לחוה אשה נביאה האם מפני רעתה זכתה לנבא *Profecto non novi, quis Evam constituerit mulierem Prophetissam; num forte ob malitiam suam digna habita fuerit, cui contingat Prophetia?* cui non immerito hactenus acquiescimus.

(e) *Exod.* 15:7. *Ps.* 74:23. (f) *Gen.* 14:20. *Es.* 64:1. *&c.* (g) *Ps.* 139:20. *Mich.* 5:14. *Dan.* 4:17. (h) *Gen.* 13:8. *Nah.* 3:18. (i) *Jes.* 14:16. *Ez.* 20:18. (k) *Psal.* 25:3. *&* 69:7. (l) *Lev.* 25:50. *Jes.* 1:3. (m) *Zach.* 11:5. (n) *Vid. B. D. Glassius Phil. Sacr. Part.* 1. *l.* 3. *tract.* 4. *Can.* 2. *p.* 672. *Conf. Gen.* 4. *vs.* 2, 9. *Exod.* 15:6, 9. *Jes.* 47:4. (o) *Synops. Critic. in h. l.*

(p) *Vid. Num.* 15:31. *Ez.* 16:59. *cap.* 17. 18. *item Zach.* 4. *vs.* 10. *Prov.* 23:9, 22. *&c.* (q) *Vid. ejus Disp. in Psal.* 22:17. *cap.* 2. §. 5. *item* Pocokius *Port. Mosis cap.* 4. *p.* 59. *atque Dn. D.* Pfeifferus *Exercitat. Bibl. p.* 121. (r) *Gen.* 48:16. (s) *Gen.* 9:2. *Num.* 11:22. *&c. item Gen.* 1:26. 28. *Ebr.* 29. 4. 5. *&c.* (t) *Jer.* 16:16. (u) *L. c. Jes.* 19:8. *Ez.* 47. 10. (x) *Vid. Neh.* 13:16. *Ezech.* 25:6. *Prov.* 10:4. (y) *Psal.* 51:19. *Num.* 11:8. (z) *Gen.* 18:23, 24. *cap.* 19:15:17. *item Jes.* 66:17. *Zeph.* 1. 2. 3. *&c.* (aa) *Genes.* 1:26, 28. *item Jerem.* 2:31. *Hos.* 12:1. (bb) *Num.* 5:12, 19, 20, 29. *Psal.* 40:5. *Conf.* Kimch. *Comm. in h. l. fol.* 31. *b. l.* 17. *seqq. Edit. Isn. in fol.* (cc) *Compend. Historiarum fol.* 209. *A. Edit. Paris. An.* 1647. (dd) פירוש התורה *fol.* 35. *col.* 1. *quæst.* 2. *l. penult.*

M. ZACH. HENSEL
GENTIUM DESIDERIUM ex CONFESSIONE EVÆ, ad Gen. IV: 1.

ביהוה:

PROOEMIUM.

Justissimæ sunt Querelæ, quibus Megalander noster Lutherus & B. Franzius usi olim sunt adversus illos, qui juxta Prophetam Scaturigine Aquarum limpidissimarum neglecta Paludes sibi fœtidas & rimosas fodiunt Cisternas. Nam eo redacta res est in Orbe Terrarum, ut omnes aliæ Linguæ plus curentur, quam EBRÆA*: & aliorum Populorum Historiæ aut Res investigentur accuratius, quàm Populi istius, ex cujus Sanguine prodiit* Redemptor Generis Humani. *Apertè hic dicendum mihi quod Animus est. Valde oscitanter & perversè vivimus. Gallorum, Italorum, Anglorum, Polonorum verba studiosè satis discimus & avidè captamus. Ac licet sæpenumero Psittacorum more Sonum tantum non Sensum simul & Mentem referas, loquendum tamen gallicè est, si Heros esse velis aut Phyllida solus habere. Ubi autem ad Sacro-Sanctam eamque primævam Linguam deventum fuerit, ô bone Deus! quàm tacere plerosque jubet Plato. Sed Surdo narramus Fabulam. Quod* UNUM *erat* NECESSARIUM *somnolenter mittimus. Quod* MINUS *erat* NECESSARIUM *fervide sectamur. Sic aliud agendo senescimus. Hic omnes certè nimium, quàm par est, ad rem attenti sumus. Quotusquisque enim vel* δύο λεπτὰ *impendit comparandis Bibliis E.? cum tamen in aliis ditissimus quisque haberi cupiat. Ast pœnitere suum quanti emant hujus Mundi Filii, non opus est, opinor, Perspicillo aliquo aut oculo armato, si velis rectè cernere. In propatulo res posita est. Et præterea experiuntur idipsum Parentes omnium optimè, qui Natorum Vota & Vitia ex conclusa Olla coguntur alere. Hinc communes Lacrumæ: quod hi omnes in re ferventissima frigeant; in frigidissima ferveant. Non aliter ac delicatula Juventus; quæ rectam, qua per Vestigia Veterum ad solidam Eruditionem itur, instare recusat, & passim sequitur Corvos Saxoque Lutoque, (ut loquitur Venerandus Præceptor Cl. M.* Johannes *Fechnerus, Vir de me & tota Silesia optimè meritus.) Mirandum itaque non amplius est, si ex impio Sacrarum Literarum neglectu aut minus devota earundem Consideratione in quorundam Cerebello tremendæ & insulsæ Textuum interpretationes natæ olim sint & hodiè nascantur, quas, credo, nisi ipsa Sibylla legerit, rectè exponere neminem posse alium.* CONFESSIO MATRIS EVÆ *fidem faciet uberrimè. Hic certè, si ullibi:* לא כל אצבעות חכמים שוות *sed sicut Lernæa Hydra innumerabilibus fuisse Capitibus fingitur, quorum uno succiso, alterum statim repullulavit: ita fœcunda hæc Opinionum Monstra sunt: si unum deviceris, non deficit alterum, cum quo tibi congrediendum imposterum sit. Eamus ergo Bono cum Deo, quo Rerum nos sublimitas & magnitudo vocat. Dignus hic expendendi Locus est. Sententias equidem aliorum non scrupulose rimabimur; sed palmarias saltem eligemus. Si enim cum Sixt. Amama in Scenam vellemus producere omnes ad unum Sacrificulos, qui Bibliis remotis ad Batavos suos & Versiones provocant, quot, malum! Theatris haberemus opus? Sudabimus itaque cum primis in eo, ut Megalandri Nostri Versionem, ceu omnium optimam ab erronea aliorum Sententia pro virili vindicemus. Hac tamen lege posita, ne Illorum Honori (quoad fieri poterit) detrahamus quicquam, quos pridem sua Eruditio & sentiens Hominum Opinio in excelso collocavit.*

יהי נועם יהוה אלהינו ומעשה ידינו
כוננה עלינו אמן:

§. 1.



ILlustrissima ac summè Emphatica possemus hic congregare Elogia, quibus exquisitum hocce Dictum ornarunt pii & gravissimi Viri. Verum cum id instituti nostri Ratio impræsens non permittat, rectius facere videmur, si certa quædam Capita selegerimus, quibus rem omnem comprehendamus. Erit itaque I. Criticum. II. Porismaticum.

CAPUT I. CRITICUM.

Exhibet (1) ipsos Fontes cum quibusdam Versionibus (ob defectum Typorum Latinis, partim Ebraicis literis excusis) (2) Brevem Vocum (ubi quidem opus est) Analysin & Syncrisin Grammaticam.

§. 2. Membr. I. (1) *Fontes* ita fluunt: וְהָאָדָם יָדַע אֶת־חַוָּה אִשְׁתּוֹ וַתַּהַר וַתֵּלֶד אֶת־קַיִן וַתֹּאמֶר קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה׃

(2) Targum *Jonathanis*: קניתי גבכא מן קדם ײ Acquisivi Virum à Conspectu *Jehovah*. Non abludit

(3) Versio *Arabica*, nisi quod voculam (jam) apponat, h. m. Jam accepi Virum *à Deo* vel à Præsentia *Dei*. Neque (Teste Dieu)

(4) Versio *Persica*. Acquisivi Virum à Præsentia vel Majestate *Dei*.

(5) Targum *Onkelosi*. קניתי גברא ית מלאכא דײ Acquisivi Virum τὸν Angelum *Jehovah* (ut Ramban & alii explicant)

(6) Versio *Syriaca* כניתי גברא למריא Acquisivi Virum *Dominum*.

(7) Versio LXX. *Græca*: Ἐκτησάμην ἄνθρωπον διὰ τοῦ θεοῦ. Acquisivi Hominem *per Deum*.

(8) Hos *Vulgatus* & *Lyranus* seqq. Possedi Virum *per Deum*.

(9) *B. Lutheri* Versio: Ich habe den Mann den HErrn.

(10) *Munsteri*, *Pagnini* & *Junii*: Acquisivi Virum *à Jehovah*.

(11) Versiones aliæ ut & *Montani* & *Stephani* (anonyma vulgo) Acquisivi seu Possedi Virum CUM DOMINO.

(12) *Polonica* & *Bohemica*: Otrzymatem Mezá od Páná álbo z Pánem. Nacta sum Virum *A Domino* seu CUM DOMINO.

§. 3. M. II. וְהָאָדָם & Homo] Literam Vau plerique otiosam proclamant; quæ tamen, si officia ejus attente observes, est occupatissima. Famulus quasi aliarum Vocum & alter Proteus est, jam isto, mox alio comparens habitu. Nam tot ista Particula Significationes habet, ut vix certum inire numerum liceat. Hinc alii plures; pauciores alii condunt Regulas. Insignis quidam Philologus 12. vocabula, uti vocat, Symbolica Tyronum memoriæ destinavit, quæ, cum à me vidisset nuper doctus Judæus, numero multiplicato remisit mihi 16. Rabbinica. Hoc loco statuimus ויו תחלת הדברים idque Significativum. *R. Sal. B. Melech* f. 9. c. 1. & fol. 13. c. 2. nullum aliud assignat eidem officium, nisi quod serviat ab Initio librorum & vocum: ויו נוספת לא תשמש כלום אלא שהיא תחלת המלה vid. etiam fol. 49. col. 2. fol. 51. col. 1. Eidem assentiri videtur ר״ד ק f. 234. מנהג הלשון לכתוב במקומות ויו שלא להוסק ולחבר דבר אל דבר: mos est S. Sacræ adhibere Vau, quod nil quicquam facit ad augendum Sensum aut res inter se connectendas. sed mutato statim Consilio pergit וכבר כתבנו במכלול אשר חברנו כי יש לפרשם לתוספתעם חסרון מעט לפי ענין כל אחד מהם Scripsimus in Michlol nostro quod (Vau) possimus (per Et) exprimere copulative, prout sc. ratio sensus postulat. Plerique Grammaticorum sentiunt, illud esse mere expletivum & h. m. pleonasticum, ut ejus nulla sit significatio. Verum, cum adsint in Contrarium Rationes & aliæ viæ, quibus expedire nos possumus, vetitum esto, ad Asylum Ignorantiæ præter Necessitatem confugere. Objiciunt οἱ ἐξ ἐναντίας Vau Conversivum & quod poni solitum est (1) ab Initiis librorum Exodi, Levitici, Josuæ &c. (2) Capitum. (3) Versuum (4) certarum Vocum. Sed hoc rugosum piper nostras nares nondum contrahit. Nihil dicam de vetustissimis Rabbinorum Interpretibus *R. S. Jarchio*, *R. Saadia*, qui hoc Vau ab Initiis Librorum respondere perhibent particulis his: על כן / כן / אז. Neque accersam Judæos hodie per Germaniam & Poloniam sparsos, qui, quantum observare licuit, in Ebræo-Polonico-Germanicis libellis pro isto Vau his circiter utuntur vocibus, záczym, poniewàż, zátym, odtad: unter dem (unterdessen) in der Zeit / mittel (mitler) Weile / so / darnach; sed illos tantum allegabo, qui cum *R. Joseph Kimchio*, *R. Chiug*, *R. AbenEsra*, *R. Juda* perhibent כי כל ו׳ נוספת היא רמז על מלה חסרה כדמותה שמענינה תבין חסרונה שבא על מלין לאמרה הדבר: Quod Vau postheticum (ab illis allegatum) innuat, desiderari (deesse) vocem aliquam (proximè ante se) affinem, sive quod idem est: facile in L. cc. concipies vocabulum aliquod idoneum seu Synonymum, quod cum sequenti bene connectatur, & suo modo explicet posterius. E. g. 2. Sam. 13: 20. Et consedit Tamar וְשֹׁמֵמָה desolata i. e. אֲבֵלָה וְשֹׁמֵמָה lugens & (aut) desolata. Memini etiam me legisse in Comment. רש״י / hanc literam Vau ab Initiis librorum positum idem denotare ac הִנֵּה aut emphaticum aliquod NB. Ex eo sine dubio hausit *Adm. Rever. Dn. L. Pfeiffer*, *Præceptor Honoratissimus*. Ita enim dicit in Obs. Gramm. *Non est difficile respondere ad Exempla Pleonasmorum ab Autoribus hinc inde allegata, sed nimis operosum.* Ec. *quod ab Initiis librorum ponitur, ipsis est otiosum, nobis maximè emphaticum, significans ἰδὲ ecce. Tales enim pleonasmos particularum aut vocum, quas siccis plerumque pedibus prætereunt Interpretes, absit, ut in Stylo Sp. S. concedamus.* Hactenus Pfeifferus. In Sententiam eunt manibus pedibusque *Cl. Hottingerus* & *Joan. Barclay* Anglus, qui insuper multis Exemplis probant confirmari hac ratione tritissimum & utilissimum Ebræorum Canonem כפל הענון במלות שונות Observ. Sacris. p. 31–37. M. I. fol. 9. c. 1. fol. 13. cap. 2. operose de hac particula scripserunt *B. Glassius*. p. 873–880. *Buxt. Thes. Synt. Hakspan. N. Ph.* Part. I. pag. 168. 549. 495. 750. Part. II. pag. 481. 926. 431. Part. III. pag. 20. 319.

§. 4. אָדָם homo.] Reddimus homo; non Adam. Rationem dat *Kimchi* Michlol. f. 15. לא תבוא הא הידיעה על שם האדם לפי שאין צריך ידיעה אחרת *Non præponitur He Emphaticum Nomini Proprio, quia non opus habet ulteriori determinatione aut Notificatione*: Nisi forte id fiat לרוב ההודעה majoris Emphaseos ergo, & quidem in Propriis locorum, Fluviorum, Gentilibus item & Patronymicis. M. I. f. 56. col. 2. fol. 30. c. 2. fol. 50. c. 1. fol. 152. c. 4. *Kimchi* ad Hos. 6. vers. 8. *Haksp.* N. P. P. 1. p. 231. & *Cabb.* 161. *Buxt.* Thes. 385. Qui Etymon in Horto ארן quærunt, frustra sunt. Non enim in quolibet gurgite latet gobius. Rectius deducitur ab אדם rubuit, uti patet ex Gen. 2. vers. 7. Et formavit DEUS את האדם עפר מן האדמה Hominem pulverem ex Terra; vel ut *Schindlerus* explicat על דרך ההפוך ex pulvere Terræ. *Ben Melech* f. 4. col. 2. נקרא בן על שם האדמה אשר לוקח משם: Vocatur (אדם) ita, propter Terram, ex qua desumptus est. Cæterum *de ejus Creatione* Doctores Talmudici multas & ridiculas nugas serunt: notati idcirco à *Buxt.* L. T. p. 29. 97. 133. & *Dissertat. Philol.* 1. *De eo Androgyno* & *instar Jani creato J. Judæos* & *Platonem* v. *Slevogt.* Volum. Dis. f. 488. *Excell. Sennertus Præceptor* & *Patronus colendus* h. l. *Michlal Jophi* fol. 4. c. 2. *Buxt. L. T.* p. 133. 506. 1360. *Jalkut* L. Reg. f. 38. col. 4. *Schalschelet Hakkabbala* f. 19. 1. *De Nomine ejus Cabbalistice explicato*, *Baal Turim. Glass.* Phil. p. 308. *Sennert. h. l. Buxt.* L. T. R. ארם. *De* Μετεμψύχωσι sive גלגול נפשות, quod ipsius (א) Adami Anima volutata sit per corpus (ד) Davidis, & inde remigratura sit in Corpus (מ) Messiæ v. *Drusius* ad Matth. 16. vers. 14. *Buxt.* Syn. f. m. 165. *Lempereur Not. Abarben. ad* 53. *cap. Es. Pfeifferus*, *Præceptor Laudatissimus Not. ad Obad. p.* 9. Scholastici quidam ineptiunt, dum ex Græco Ἀδάμ probare conantur: *Adam creatum esse ex quatuor Mundi Partibus*, & quod (A) ἀνατολὴν (Δ) δύσιν, (A) ἄρκτον (M) μεσημβρίαν notent, hinc *Magnif. D. Scherz.* p. 91. Trifol. miratur, quod *Ariaga* non potuerit hunc Errorem refutare in tanta Linguarum luce.

§. 5. ידע Cognovit] Ita *V. Tremell. Stephanus*, *alii*. Verecunde pro concubuit. *B. Dn. D. Gerh. h. l. scribit*: *Verba Notitiæ ap. Hebræos intelliguntur cum Affectu* & *Effectu*; *quod* itidem agnoscit *Paræus* Comment. Gen. h. l. *Glass.* Phil. S. & *Schindlerus* Lex. R. ידע. *R. Menachem* aliam exsculpit rationem, quare ידע de ipso Concubitu usurpetur. *Semen virile, inquit, descendit à Capitis Cerebro per venulas, quæ se ramificant per Dorsum Hominis: hinc Coitus vocatur Cognitio, quia Semen à loco Cognitionis propagatur.* פרוש יונתן (liber recusus haut ita pridem Pragæ in 4°.) blaspheme commentatur: *Cainum conceptum ex Adulterino Coitu cum Spiritibus*; *Abelem autem ex Adæ Consortio*; *atque hinc esse quod Chaldæus ait* מלאכא דיי, & *quod in Fontibus* ידע *de Adamo dictum, id eo respicere, quod cognoverit illam esse gravidam* לאמן התחתונים אלא מן האליונים, *non ex hisce Inferioribus sed superioribus sc. Spiritibus.* Miser Adam! *Jalkut* 2. *Sam. c.* 7. *vers.* 14. כל מאה ושלשים שנה שפירשה חוה מאדם וחיות זכרות היו מתחממין ממנה והיא יולדת מהם ורוחות נקבות היו יולדות ממנו *Omnibus centum* & *triginta annis, quibus Eva ab Adamo segregata vixit, rem habuit cum Spiritibus masculis, ex quibus etiam, quod conceptum, peperit;* & *Spiritus, qui fœmellæ sunt, rem habuere cum Adamo,* & *fœcundi fuere ex eo*: Egregium vero Conjugium J. Judæos! *Reuchlin.* Cabb. fol. 626. *Raschi* ad voces זאת הפעם. *Buxt.* L. T. 2153. & 152. Aliter AbenEsra ad h. l. כאשר ראה שלא יחיה בגופו בעצמו לעולם הוצרך להחיות המין על כן אמרה קניתי את איש *cum videret* (Adam) *se suo ipsius Corpore non victurum in perpetuum, opus habuit propagare Speciem suam: propterea dicit* (Eva) *Acquisivi Hominem.* Alias variant significata hujus Radicis. Jam tribuitur Intellectui; mox ad Sensus quoque extenditur. Hinc etiam adhibetur passim de Brutis & metaphorice de inanimatis *B. Well.* Ps. 1. *Pagninus* Lex. Varias & Elegantes loquendi modos in Vulgus non adeo notos suppeditant *B. Lutherus* ad Deut. 2. p. 7. *Well. l. c. Haksp.* 1. Reg. 17. vers. 24. *Flacius* p. m. 141.

§. 6. חַוָּה Eva] Multas hujus Appellationis Rationes cumulant nugacissimi Verpæ. *Baul Turim* fol. m. 6. scribit ויקרא את שמה חוה על שם שמחוה והו שאמרו / קבין שיחה ירדו לעולם תשעה נטלו נשים *Et vocavit* (Adam) *Nomen ejus* (*Evæ*) חוה / *quia* (*multum*) *garrit. Hoc est, quod dicunt: Decem Cabi Confabulationum descenderunt in mundum; sed novem abstulerunt mulieres.* Non melioris Commatis est Sententia Petri Comestoris, qui asserit, *quod Adam deplorans Posteritatis suæ miseriam vocaverit Uxorem suam Eva, quasi alludens Ejulatui Parvulorum. Masculus enim creatus dicit A; Fœmina vero E.* Perperam etiam statuunt quidam, quod Eva dicta sit על דרך לעג per Ironiam & κατ᾽ ἀντίφρασιν. Pejus adhuc *Rupertus Tuitiensis*, quod ex Animi superbia Deum contemnens ferociter hoc Nominis Evæ imposuerit. De quibus

Majeris

Majeris Phil. L. II. Sixt. Amama Antib. Sed satis nugarum. Pia & gravis est hæc Explicatio, quod חַוָּה deducatur à חיה / ut notet active viventem vel Effective Vivificatricem; quia speravit Adam eam fore mulierem illam, quæ paritura esset Semen conculcaturum caput Serpentis. v. *Luth. Comm. in Gen. h. l. Waltherum Expl. Gen. 3. vers. 20. Magnif. D. D. Calovium Disp. de Inimicitia inter Serpentem & Mulierem c. 3. par. 29. Magnif. Dn. D. Joh.* Deutschmann / *Patronus, Præceptor atque Hospes ætatem colendus Disp. super h. l. Dn. Sennert. l. c.* Moses (ut Sixt. *Amama* vult *Antib.* p. 369.) vocat eam אם כלחי voce generali ad speciem humanam restricta, ut Onkelos & Uzielides reddunt כל בני נשא *Raschi* h. l. חוה נופל על לשון חיה שמחיה את ולדותיה i. e. חוה *derivatur à* חיה *quoniam vivificat fœtus suos.* Sed quærit idem ר"ש / quare Jod in Vau transierit? Respondet ipsi *Aben Esra Comment.* חוו והיוד מתחלפים וכן הנה יד יהוה הויה ואתה הוה להם למלך ולא קראה ביוד כי הפרש יש בין שמה ובין שם החיות i. e. *Vau & Jod permutantur & sic Exod. 3: 3. Neh. 6: 6. Non autem vocat eam* (חַיָּה) *cum Jod, nam quæ tunc fuisset differentia inter Nomen ejus & Nomen Animalium?* Michl. Jophi תאר בהתחלף חיוד לויו כדי שלא יתערב עם זאת החיה אשר וגו׳ : *Est Adjectivum pro* (חַיָּה) *commutato Jod in Vau, ne confunderetur cum eo: hoc est animal* quod &c. Lev. 2: 2.

§. 7. אִשְׁתּוֹ Uxorem suam] J. *Raschium* אשה & אשת formantur ex איש. Rationem suggerit textus כי מאיש לוקחה זאת quia ex Costa viri desumta est. Quare autem ex Costa; non ex alio membro, exponit *Rabbi Josua in Rabbos Seder*: Consentit *R. Sal. Ben Melech.* pag. 88. *Buxt. L. T.* 1542. *Raschi* ut obtineat Adamum Androgynum creatum fuisse, costam explicat per latus sed fabulatur. Quod dages f. habeat vox אִשָּׁה fit docentibus *Kimchio & Schindlero*, quia Chirec magnum in parvum & dages f. resolvitur. Monendum quoque duxit *Excell. Dn. Sennertus*, in Statu constructo extraordinarie induere formam 5. punctorum. Alii tamen Grammaticorum statuunt, duplicem dari formam אִשָּׁה Sc. & אֵשֶׁת; hoc saltem cum discrimine, quod prior in statu absoluto & sine Affixis; posterior in Constructo & cum Affixis ponatur. Vid. *Disp. de Vulpibus Samsonis Præcellentiss. Dn. M. Hilliger c. 1. voce* אשתו. R. S. B. M. f. 2. col. 4. ad vocem מלאכתו. Differentia אִשָּׁה & אֵשֶׁת è Lexicis petenda. vid. tamen *B. Haksp.* N. P. P. III. pag. 402. & c. 1. *Matth. Flac.* P. 2. p. m. 112. *Buxt.* L. E. *Glass.* l. c.

§. 8. וַתַּהַר & concepit Est Fut. Kal cum ו Conversivo. R. הָרָה. v. *Schindl.*

§. 9. וַתֵּלֶד & concepit] Est itidem Fut. Kal. R. יָלַד. Significat duo (1) gignere & Substantiæ Materiem suppeditare (2) parere vel τίκτειν. Nam Objectionem Judæorum apud *Lipmann. Niz.* §. רסט fol. 148. quasi ילד respiciat tantum Mulierem refutat 4. c. Gen. vers. 18. vid. *Dorsch. Pentad. Disp. 2. fol. 97.* Qui tradunt, quod cum Caino Soror & postea Uxor ipsius nata sit, nimis, quam par est, Judaizant. *Zennorenna, ut* solet, ligulas vendit. *Raschi*: *Tria* אתין *sunt multiplicativa, ut doceatur ipsam peperisse Gemellos*: sc. *cum Cain atque Abel duo sunt nati; propterea dicit*: וַתֹּסֶף *& addidit*: deceptus est Judæus vocibus וַתֹּסֶף לָלֶדֶת / quasi denotarent continuum pariendi Actum. *Baal Turim* ex ipsis vocibus Liberos supputat. fol. m. 56. col. 2. ad Exod. 1. *Saidus Patriarcha Alexandrinus* adhuc felicius mentitur. *Eva*, inquit, *cum concepisset, peperit Puerum & Puellam simul: Puerum appellavit Cain; puellam* אצרון; *rursus concepit, & puerum vocavit Abel, Puellam* אוין. *alia mittimus.*

§. 10. קַיִן / *Raschi & Michl. Jophi* קין על שם קניתי. Cain à Rad. קנה descendit. Dicebat enim Mater quum peperisset eum קניתי, indicans quod per Generationem acquisiverit Virum, qui recuperaturus erat τὸ λαὸν περιούσιον. Tit. 2: 14. pia est sententia *B. Gerhardi*, *de* qua in Comment. v. *B. Lutherus Tom. 4. fol. 33. & Magnif. D. D.* Deutschmann *l. c.*

§. 11. וַתֹּאמֶר & dixit] Fut. Kal. *Maimon. M. N.* P. 1. c. 65. ostendit אמר usitate sumi (1) de Sermone qui fit Lingua: adstipulatur *Aben Esra.* Ps. 19. & Ps. 33. (2) de re formata in Intellectu sed ore non prolata. vid. *Abendana* Amos. 5. vers. 14. (3) de Voluntate, ut Exod. 2. vers. 14. vid. M. I. h. l. Saadias in eandem Sententiam concedit & אמר per רצה exponit. *R. Isaac Karo* quærit Locum parallelum in vers. 4. 1. Sam. 20. Sed plerique ab eo faciunt divortium. v. R. D. C. Comment. f. m. 355. M. I. fol. 72. col. 4.

§. 12. קָנִיתִי V. Act. Pr. Kal. R. קָנָה / possedit, acquisivit, possedit acquirendo quocunque modo, pretio, præmio, hæreditate, vel etiam Generatione. De quo *Castellus* Lex. Angl. p. 3374. subscribit R. S. B. M. h. l. ut & fol. 7. c. 1. fol. 41. c. 4. f. 87. c. 1. Juxta *Mas. magnam* & Concord. quinquies tantum h. m. legitur. vid. *Exc. Sennert. & Pagnin.* plura hic ex *Raschio, Saadia & R. S. B. M.* possemus apponere, sed Chartarum angustia prohibet.

§. 13. אִישׁ Virum] Pro diverso positu diversimode accipitur. *Absolute* denotat Marem, Virum, clarum, strenuum; Unde J. quosdam Græcorum ἰσχύειν. *B. Luther. Tom. 8.* fol. 157. Imprimis vero est Cognomen Christi κατ' ἐξοχὴν ita dicti, qui humeris suis portat א, י, ש, i. e. ארץ, ים, שמים. Hic est איש ille א, אֲדֹנָי, יְשׁוּעַ, & ש, שַׁדַּי, sine quo יֵשׁוּעַ nil remanet nisi Ignis & æterna damnatio. *Comparate* autem multis subjacet Significationibus, de quibus *Glassius* Philol. S. p. 122. & *Excell. Dn. Sennert. l. c.*

§. 14. אֶת Nota Acc. C. quia Activum V. præcedit. *vid. B. Well. Spicil. h. l. Haberkorn. Syntagm.* 11. *Dn. L. Pfeiffer* Introduct. p. 104. Ante Makkef Sægol accipit, tribus exceptis locis J. Mas. p. vid. *D. Wasmuth.* Ebr. Restit. p. 36. *Vir quidam doctissimus* aliquoties in suis Scriptis asserit se ex Lectione *Baal Turim* observasse voculam hanc non tribus; sed מג 43. vicibus occurrere. Sed deceptus est, opinor, Vir magnus literis istis abbreviatis sive abbreviaturis. Nam nihil frequentius est huic Autori, quam ita ludere, uti vel ex Frontispicio Commentarii ipsius patet. Et sic מ sine dubio præpositionem ex denotat; ג autem ipsum numerum repræsentat. Præterea plus tribuendum puto ipsis Masorethis & multis oculis, quam duobus.

CAPUT II. PORISMATICUM.

PORISMA I.

Num Eva suam Confessionem de Messiæ & Seminis Promissi Nativitate ediderit?

AFfirm. Quia (1) Humanitatem Ejus voce אִישׁ, (2) Divinitatem Nomine יְהוָה profitetur, atque vinculo אֶת adhibito posterius priori per Appositionem unit, (3) Unitatem Personæ clarissime nobis exponens. Hoc revera ita esse manifeste patet (α) ex Textus Circumstantiis (β) ex divinis Promissionibus (γ) ex Protoplastorum Desideriis (δ) ex convenientibus Nominibus. Imprimis aut Moses totius fere Controversiæ in genuina particulæ את Explicatione recumbit. Nam cum octies mille centum & triginta numerentur Testimonia Hebraicorum Voluminum, in quibus את cum Compositis exstare deprehenditur, multisque insuper gaudeat Significationibus, factum inde est, ut etiam præsens locus Gen. 4. vers. 1. diversimode ab illis fuerit interpretatus. Hinc alii contendunt Part. את h. l. esse Notam *Genitivi*: alii *Dativi*; alii *Ablativi*; ut vix à *Nominativo & Vocativo* sibi temperent, modo ut *Accusativum* non admittant. Sunt etiam, qui את יהוה per *Præpositiones A, DE, EX, CORAM, CUM, PER*, exponunt; alii in Scirpo nodum, h. e. *Ellipsin* quærunt part. מ vel מן; quidam את pro אל ponunt. Et quid non? quot Capita, tot fere Sententiarum divortia. Respondebimus ad singula breviter (1) Part. את h. l. *non est nota Nominativi*; quia hoc tantum valet, quando vel cum Verbo Passivo, vel, J. *B. Helvicum & L. Dieu*, cum Verbo Intransitivo construitur (quamvis ultima hæc Assertio cum grano Salis accipienda sit) v. *B. D. Wellerus & B. Glassius* h. l. Neque est (2) Nota *Genitivi*; hinc *Amama* confidenter quærit A. B. p. 233. *ubi auditum vel lectum* את *Genitivi Casus Articulum esse?* Fatemur equidem, *Lutherum* etiam olim ita vertisse; verum postea re penitius examinata mutasse eandem Versionem & constanter retinuisse, quam adhuc cernimus in Bibliis nostris. Neque (3) locum reperit *Calvini, Parei & aliorum* Sententia, quibus *Dativus* arridet: *ac si Mater Eva sibi gratulata sit de nato filio, eumque Deo, tanquam Generis sui Primitias offerat.* Hæc enim Explicatio est nova, torta & Textui contraria. Nam quis, quæso, *Calvino* part. את vendidit pro Nota Dativi, maxime si Verbum Activum præcedat? Et præterea, licet quandoque ab Interpretibus adhibeatur in Dativo; Indoles tamen E. Linguæ non æstimanda venit ex *Frischlini* aut alterius Syntaxi Latina. Neque (4) illorum Sententia vera est, qui *pro Ablativo* tanquam pro Aris & Focis dimicant, ut exponatur per *Cum.* Potest illa dupliciter considerari, (α) ut Causa aliqua Socia inferatur Ablativo illo. Sic R. S. B. Melech בו קניתי עם השם כי הוא שם חלקו ונפח נשמה בו: i. e. acquisivi *cum* Domino: *nam ipse etiam partem suam addidit inspirando eidem Halitum.* Consentit *R. Sal. Jarchi* את השם כמו עם השם כשברא אותי ואישי לבדו בר אנו אבל בזה שותפים אני עמו q. d. *CUM* Domino; *Cum-*

Cum enim me & maritum meum crearet, solus creabat nos; at in hoc cooperati sumus ei: Resp. Societatem proprie dictam non esse, nisi inter pares gradu, ætate vel ordine &c. Quod ipsum de Deo & Eva non possumus asserere. (β) *Comparate*, quando intelligi volunt Causæ supremæ principalem influxum, quam Sententiam *Rivetus*, *Sixtinus*, alii fovent, q. d. favore atque Auxilio Dei, σὺν θεῷ. Resp. (α) Insolens est hæc Phrasis in Sacro Codice; nam E. L. hanc formulam σὺν θεῷ effert: ביהוה / עם אלהים ׳ באלהים. (β) part. את non denotat *Cum*, nisi quando construitur vel cum Verbo Substantivo vel Intransitivo vel etiam quandoque Hitpaël, aut quando affixa eidem accedunt, idque communiter, cum Tsere mutatur in Chirec seq. dages f. (γ) dandum ab Adversario vel unicum Exemplum, ubi in tali, qualis hic est, Vocum Positu, particula את CUM, A, DE, E, EX, PER, CORAM, reddi necessario debeat, maxime in Conjunctione cum Nomine glorioso, *id quod nunquam futurum est*, ut ait *B. Helvicus*. Neque (5) *Ellipsis* statuenda est cum *Junio*, *Tremellio*, *Piscatore*, ut את dicatur positum pro מאת, A Domino, sicut fiat Gen. 44: 4. & Deut. 34: 1. Resp. (α) Negando, in locis adductis esse Ellipsin. (β) Quamvis idipsum concederemus, *planissima tamen & perpetua penes Activum significatio in Accusativo Casu retinenda est*; *non torquenda ad aliorum Locorum Ellipticam*. *V. Helvicus* h. l. Multo minus (6) את pro EX positum esse concedimus; quis enim sensus esset: Acquisivi Virum ad Dominum? Relinquitur ergo, את h. l. *esse Notam Accusativi* Casus. Probamus id (1) *Ex Grammaticarum Regularum Conditione*. Nam quando Verbum præcedit; vel (uti Excell. Varenius Comment. in Gen. p. 393. loquitur) *quando inter duo substantiva ponitur ut h. l. Accusativi semper est Nota*. (2) *Ex L. E. Consuetudine*, quæ Appositionem in Accusativo solet exprimere per את inter duo Nomina positum. E. G. Jer. 17: 4. (3) *ex ipsa αὐτοψίᾳ & Exemplorum multitudine*. (4) *Ex ipsius Protevangelii Explicatione*. (5) *Ex Chaldaicæ Paraphraseos & antiquissimorum Rabbinorum Interpretatione*. (6) *Ex nostræ Explicationis Simplicitate & Certitudine*. (7) *Ex sententiæ hujus præ aliis Prærogativa*. Nam *etiamsi posset*, inquit B. Helvicus h. l. *locum habere talis Explicatio*, *qualem Adversarii asserunt*, *tamen quia hæc ex Constructionis Tenore pro divinitate Messiæ contra Judæos tam pulchre fluit*, *indignum est Christiano*, *Judaicum potius sensum amplecti*, *quam eum*, QUI GLORIAM CHRISTI ILLUSTRAT. Non possum, quin Coronidis loco apponam insulsas Judæi cujusdam sententias, qui, cum paucis abhinc Annis in disputatione quadam Vratislaviæ habita, hunc Nodum Ore non posset; Cultro adhibito & vocibus Textus misere lancinatis h. m. solvit: קנ׳תי, per generationem possideo ״ את א׳ non (a.) איש Adonai. (asserebat enim Nebulo se in MSS. antiquissimo invenisse א׳ pro א׳ש) Cum autem ad datam ipsi responsionem ne gry quidem posset excipere, missa hac Opinione aliam protulit: קנ׳תי habeo, א׳ש, Puellum aliquem, ״ את signum Dei. q. d. post anxiam Expectationem tandem aliquando in lucem edidi lepidum Puellum, quod est Signum divini Favoris. Verum; cum & hac via non procederet, & ne magis mutus quam piscis haberetur, mutata illico Sententia, ex Puello faciebat Gigantem inaudita metamorphosi; dum vocem איש explicaret de viro aliquo strenuo & longurione; ac si Eva gratulata sibi esset, quod magnæ & inusitatæ Staturæ Virum in Lucem edidisset à paterna Adami non abludentem, de quo Judæi tradunt; quod Statura ejus fuerit à Terra ad Cœlum usque. Sed mittimus has nugas.

PAULI STOKMANNI

CAIN CONTRA NECEM PRÆMUNITUS, ad Gen. IV: 15.

יהוה עמנו

§ 1.



Aino de morte violenta trepidanti securitatem Deus promisit tam verbo, quam opere. Quæ verbis facta fuit, præter constructionem difficiliorem, tres voces continet ambiguas, de quibus in sequentibus ordine. Istarum primæ scil. לכן duas (a) *Kimchi* significationes adscribit: *Revera*, atque *Propterea*. Sed his non acquiescunt eruditi, aliis subinde alias adjicientibus. Speciatim Celeberrimus *Noldius*, in præclaro isto Concordantiarum opusculo, præter has duas quatuor adhuc addit alias: (1) *Nam*, (2) *quantum ad hoc*, (3) *quia*, *quandoquidem* &c. (4) *Tamen*, *nihilominus tamen*. Quas omnes exemplis uberius comprobatas vid. sis apud celebratum Dn. Noldium l. c. p. 506. 507.

§. 2. In præsenti non vacat examinare singulas, an & quomodo לכן conveniant, & qua ratione inter se differant. Dimissis aliis, satis erit, eas saltem perlustrare, quas hujus loci esse Interpretes existimarunt. Utraque Kimchii adhibita à diversis fuit: ex reliquis vero *Noldianis* placuit quibusdam significatio: *quantum ad hoc*. Sed præter paragrapho præcedenti recensitas, à quamplurimis hic redditur: *Non sic*, *minimè vero*; à nonnemine: *Atqui*; ab aliis: *Imò*, *quin imò*. Ut vero rectius judicetur, quænam harum, cæteris neglectis, sit eligenda, haud parum conducet, in ipsas vocis natales introspicere. Compositam esse ex כן & ל, inter rectè sentientes positum extra controversiam est. Neque negari poterit, כן vi suæ originis, quam debet radici כון, primum ac propriè notare: *Verum*, *certum*, *firmum*, *rectum*. Conf. Exod. 10: 29. Num. 27: 7. c. 36: 5. Proverb. 15: 7. Eccl. 8: 10. Jer. 23: 10. c. 8: 6. Litera vero ל כן ab initio apposita, varias alioquin significationes sustinet, quarum 43. jam laudatus *Noldius*, l. c. pag. 441–463. orbi exposuit erudito. Sepositis quæ huc spectare non videntur, præ cæteris sese offert significatio præpositionis *In* cum ablativo constructæ, ut Hos. 7: 2. ובל יאמרו ללבבם quod recte *Kimchi* אינם חושבים בלבהם *non dicunt*, h. e. *non cogitant in corde suo*. Conf. Ps. 10: 11. 13. Ps. 14: 1. Ps. 53: 2. Genes. 17: 17. c. 27: 41. 1. Reg. 12: 46. proinde & *Abarbanel* locum superius citatum recensens, simpliciter pro ל substituit ב. Vid. omnino Prov. 16: 4. Neh. 9: 20. Gen. 3: 8. cap. 6: 16. (b) Deinde huc trahi solet notatio *propter*, cujus ubivis exempla prostant, quæ vid. Lev. 19: 28. 1. Reg. 22: 49. Jes. 10: 3. Psal. 84: 3. Job. 30: 25. &c. Sic quoque huc relatum videas significatum: *quantum ad*, seu *quod attinet*; in quo sensu prostare videtur Jes. 32: 1. loco alioquin quoad literam ל satis intricato. it. Judic. 21: 7. Ezech. 10: 13. 1. Chron. 24: 1. Prov. 25: 3. Præter has tres non dabitur fortassis alia, quæ literæ ל in compositione cum כן ritè queat applicari: quin imo etiam de ultima merito dubitatur, ut uberius in sequentibus

(a) ספר שרשים *Rad.* כן *col.* 231. *l.* 31. *seqq. Edit. Bomberg. at Justin. col.* 222. *l.* 10. *seqq.*

(b) *Vid. de sign. literæ* ל *præter Cl. Nold. l. c. pag.* 452. *Excell.* DN. JOH. FRISCHM. *Patr. ac studiorum nostrorum Promot. observanter colendus*, *Diss. I.* de Ligat. Isaaci, §. 13. *cap.* 1.

tibus patescet. Nunc generali vocis ἀναλύσῃ peracta, intra contextum eadem erit consideranda.

§. 3. Profecto qui ad solam συνάφειαν, cæteris requisitis susque deque habitis, respicit, gravitateque ac numero Autorum movetur, is facile illi sententiæ præbebit assensum, qua לכן redditur: *Non sic*, vel *minime vero.* Non enim cum contextu solum sufficienter conspirat; in quo, quæ vocem hanc sequuntur, clare evincunt, Deum, cognito Caini metu ejusque causa, negasse futurum ut occidatur: sed etiam tot tamque graves Viros habet à partibus suis constitutos, quot quantosque vix ulla alia. Sive enim versiones desideres, sive Interpretes; tanta utrinque nomina deprehendes, quibus resistere vix quisquam ausit. Illic se offerunt τῶν LXX. quæ (c) per οὐχ οὕτω exponit, sibique citante *Hieronymo*, exque eo *Drusio*, consentientes habet versiones *Symmachi ac Theodotionis*, græcas; item *Vulgatam*, *Syri*, (d) *atque ipsius B. Lutheri*. Hic deprehendimus *Philonem Judæum*, (e) *Basilium Magnum*, (f) *Chrysostomum*, (g) *Augustinum*, (h) aliosque primitivæ Ecclesiæ, inter quos & ipse *Hieronymus* nomen suum profitetur (i).

§. 4. Hi etenim omnes, LXX. versionem sunt secuti. Ejus vero Autores in hanc adducti videntur sententiam, quod vel magis ex auditu reddiderint, quam inspectione, pronunciante fortassis ἀναγνώσῃ sonum vocalis (ד) nimium ad (ס) inclinantem, haud secus, ac si diceretur לא כן: vel contractionem statuerint duarum vocum in unam, ut Exod. 4: 2. מזה pro מה זה, Jes. 3: 15. מלכם pro מה לכם, Genes. 30: 11. בגד pro בא גד, Ezech. 8: 6. מהם pro מה הם. Cujusmodi voces 15. extare in Scriptura, Masora Autor est, ex eaque *Kimchi* (k) cum Compilatore suo *R. Sal. B. Melech.* Utrum horum videatur probabilius, penes lectorem esto. Certe Judæi Germani maximopere pronunciationem suam propugnant, nec dubitant, antiquissimis eam temporibus adscribere. Judicent alii, an quicquam certi elici possit ex vocibus דיוטגמא, קוריטי (l) קוריוטא vel קפודקיא (m) פונדק פונדקי vel פונדקית (n) (o) vel quæ ponuntur, pro: διάταγμα, Caryota, Cappadocia, πάνδοξ vel πανδοχεῖς; aut ex Samaritanis: [Samaritan] vel [Samaritan] &c. pro יָמִים atque שָׁמַיִם quanquam Waltonus tantam Samaritanæ versioni antiquitatem adscribat, ut cum ipsa τῷ ὁ concertare possit. Profecto nisi evidens olim discrimen inter (ד) & י fuerit, non video, quomodo Gen. 30: 30. דִישַׁן vocato, non potuerit accedere דִישֹׁן. Sed quicquid tandem sit, ex לא particula Ebræa negandi, nemo unquam א abjecto, contractionem cum voce sequenti poterit ostendere: & si vel maxime id fieret, retineri debebat vocalis י; aut rectius, litera א abjecta compensata in sequenti ל, certe non indageschabili, per dagesch forte, transire in (ֵ) vel (ֶ) catuph. Quorum cum nullum hic factum deprehendatur, quis in expositione eorum posset acquiescere?

§. 5. In refutandis versionibus (p): *Atqui, attamen, imo, quin imo*, adversativis vel correctivis, non opus est, diu multumque desudemus; quippe eadem facilitate, qua afferuntur, etiam rejiciuntur. Si enim vel maxime contextus illas admitteret, attamen ne etymologice quidem demonstrari possunt; cum *nullam*, ut *Dieu* (q) loquitur, *neque cum* ל, *neque cum* כן *habeant convenientiam*: neque ullus prostat locus parallelus extra controversiam talis, unde evidenter comprobentur. Quo duplici jure altera illa gaudet, quæ *conclusive* seu *illative* exponit *Propterea*, *quapropter*, vel *idcirco.* Supra enim §. 2. demonstratum fuit, literam ל significare *ob* vel *propter*; כן vero idem nonnunquam esse ac *hoc* vel *istud*, videntur probare: Jer. 5: 31. 1. Sam. 23: 17. Genes. 2: 24. Coll. Matth. 19: 5. Ephes. 5: 31. Quum igitur לכן ex his componatur, recte alias à *Kimchi* redditur: בעבור זה *propter hoc*, vel *propterea*, ut superius fuit indicatum. Vid. Jes. 5: 24. c. 7: 14. c. 8: 7. c. 30: 7. Jud. 10: 13. 1. Sam. 3: 14. 1. Reg. 14: 10. Et hinc quoque *Drusius*, Græcorum interpretatione recensita,

adjecit, quod melius quam *LXX Symmachus & Theodotion*, reddat *Aquila*: διὰ τοῦτο *propterea*. Hanc etiam sententiam quam plurimi amplectuntur Autores gravissimi. Ita *Arabs* suum adhibet لذلك *propter hoc*; ita *Onkelos* & *Jonathan f. Usiel* Chaldæi. item Versio *Samaritana*, R. *Nissim*, R. Isaac *Abarbanel*, R. *Eliezer*, R. *Moses Nachman*, ac *Versio Judæorum Germanica*. Præter eos vero *Belgi*, *Angli*, *Genevenses*, *B. Gerhardus*, *Pagninus*, *Junius*, *Fagius*, *Oleaster*, *Arias Montanus*, *Piscator*, *Ainsworthus*, aliique. Sed utut longus in hanc sententiam Catalogus sit Autorum; Contextus tamen eandem respuit: cum, ut recte monet *Ludov. de Dieu*, nulla antecedat causa, ex qua tale quid inferri queat. Et quanquam magno conatu mentis hujus propugnatores eam supplere satagant, alio subinde aliud subintelligente; id omne tamen coactum est, atque textui illatum extrinsecus. ut taceam, quosdam attrahere incerta; alios prorsus falsa ac nugatoria: quod citatos Judæos conferenti patebit.

§. 6. Repudiatis prioribus, novam cudit *Ludovicus de Dieu*, (r) & qui eum secutus est, Celeberrimus *Noldius* (s), literam ל reddentes *de*, vel *quantum ad*; כן vero *hoc* vel *illud.* Verum (1.) fundamenta quibus *Dieu* sententiam hanc superstruit, infirma sunt, minusque valida, quam ut istam sustinere queant. Duo, quantum conjicere licuit, posuit. Quorum primum, præfixam ab initio literam ל, in tali compositione frequentius idem esse ac *propter*: voces vero quæ Ebraice proprie denotant *propter*, idem quoque significare ac DE; id quod probat exemplo על, בעבור, & למען. Secundum, quod litera ל, quia alibi idem significet ac *de* vel *quantum ad*, idem etiam hic possit notare. At vero prius, si על exceperis, oppido falsum est. Nam nec בעבור nec למען ullibi idem denotant ac *de.* Exemplum quod adducit ex Gen. 18: 19. non probat id, cujus causa erat allegatum. Tota ejus expositio coacta est; cum genuina significatione fideliter eruta, sponte in h. m. fluat oratio: *Nam intime ac sollicite diligo ipsum, eo quod præcipiet filiis suis* (t). Neque etiam de בעבור id evinci poterit. Probatio ejus ex collatione ל Scripturæ, cum בעבור Rabbinico, impertinens non modo est, sed & valde claudicat; ex Scripturis enim, non ex profanis probare debebat. Præterea hi ipsi בעבור adhibent, ll. cc. non ad DE exprimendum, sed *propter*, *causa*, *gratia*, v. g. Gen. 20: 13. *Dic mei causa, propter me, in gratiam & utilitatem meam.* De Psal. 91: 11. par esto judicium. Nec etiam secundum fundamentum solidius priori est. Haud quaquam enim sequitur, ut litera quædam eam significationem, quam alibi in diversa constructione obtinet, in tali vel tali etiam compositione ab illa distincta, retineat; v. g. ut in hac ipsa litera persistamus, concedit procul dubio Celeberrimus *Dieu*, ل *Arabum* latinorum *de* nonnunquam exprimere; v. g. Gen. 21: 6. كل من سمع فرح لي *quicunque audiverit, lætabitur de me*: فبقي هو وحده لامه *& relictus est ipse solus de matre sua* (jamdudum mortua.) Conf. Levit. 14: 54. ubi vice plus simplici occurrit. Non tamen exinde ausus fuit inferre, eandem literam etiam istam obtinere significationem cum لذلك; alias Arabem quoque pro sententia sua citasset, neque illum, ut fecit, inter eos recensuisset, qui reddunt: *Propterea.* Idem censendum est de altera significatione *quantum ad.* Nullo etiam (2.) evidenti loco parallelo potest probari. (3.) Oratio nihilominus esset elliptica, h. m. complenda; *quod attinet hoc, pronuncio*, quod omnis occisurus Cainum &c. (4.) *Hoc* vel *illud* totam complectitur querelam Caini; subjuncta vero Dei oratio tantum verba ultima. (5.) Verba in hunc modum intellecta sedato competunt animo, nec evidenter satis vehementem Dei affectum exhibent, qui omnino hic exprimendus. (6) Ipsa novitate sua sententia hæc suspecta est. (7.) Admodum fluctuat *Dieu*, & sententiæ huic expositæ, non modo aliam statim subnectit, observans coactam prioris duritiem; sed & Animadversionibus in V. T. ubi ex instituto locum nostrum pertractat, ne verbulo quidem mentione superioris facta, aliam proponit.

§. 7. Quum proinde nec hæc sententia satis tuto adhiberi posse videatur, restat, ut nunc tandem exponatur, quid rectum

(c) *H. l. item c.* 30: 15. 1. *Reg.* 22: 19. *Jer.* 2: 33. *Job.* 20: *vs.* 2. 2. *Chron.* 18: 18. (d) *Qui* ܡܛܠ ܗܢܐ (e) *Libr. quod det. pot. insidiari soleat fol.* 143. *circa fin. Edit. Col. Allobr.* (f) *T. III. Op. Epist.* 317. *f.* 506. *circa fin. Edit. Paris. an.* 1638. (g) *Hom.* 19. *Tom.* 1. *fol.* 133. *Edit. Eton.* 1612. (h) *Tom. IV. f.* 407. *C.* (i) *Tom. III. Epist.* 125. *quæ est ad Damasum.* (k) *Comment. ad ll. cc. posteriora.* (l) ר׳ שי *ad Deut.* 6: 6. (m) *Talm. Bal. Cod.* Berachoth. *fol.* 50. *b. l.* 20. *Cod.* ע״ז *fol.* 14. *b. l.* 24. 26. 28. (n) *Cod.* ברכות *fol.* 56. *b. l.* 16. 17. (o) *Cod.* יבמות *fol.* 122. *a. l.* 3. 2. 1. *fin.* דמאי *cap.* 3. §. 5. *Vid.* Lightf. *in Luc.* 10: 31. *p.* 799. (p) *Glass. Phil. sacr. lib.* 3. *Tract.* 7. *Can.* 12. *pag.* 815. Castalio, Versio Gallica, Munst. Fagius *ad Onkelos. &c.* (q) *Comment. ad Joh.* 7: 22.

(r) *Comment. in Joh.* 7: 22. *ad vocem Syr.* ܡܛܠ ܗܢܐ (s) *Concord. Part. p.* 507. 1014. *a. l.* 3. *f.* (t) *Vid. B.* Glass. *l. c. Part. II. tr.* 1. *c.* 1. *p.* 1054. Flacius *Clav. Scr. Part.* 1. *col.* 143. *l.* 27. *sqq.* Abarban. *in h. l. fol.* 67. *c.* 4. *l.* 39. *seqq. qui per* ידע *intelligit* רבקות ההשגחה *idque confirmat ex Exod.* 33: 12. *Amos* 3. *vs.* 2. *Psalm.* 1. 6. R. Sal. Jarchi *ad l. c. qui conf. Ruth.* 2: 1. *c.* 3: 2. *Exod.* 33: 17. *rationemque hujus significationis non contemnendam reddit.*

rectum præ cæteris existimem. Admodum placet significatio *asseverandi*, quam latine reddas: *in rei veritate*, *revera*, *profecto*, *certe*, *omnino* &c. quippe in hac omnia bonæ interpretationis requisita conveniunt. (1.) *Contextus* ultro eam elicit. Detexerat Deus Caini malitiam, eique pœnam perpetui exilii imposuerat; quo ipso læsa ejus ac sauciata conscientia tangebatur, ut non modo pœnam sibi denuntiatam exaggerare, sed quævis etiam mala, inque eis ipsam necem violenta manu sibi inferendam, exhorrescere inciperet. Tacite forsan ipsius pœnæ inconvenientiam accusans, quasi ea non cohibeantur homicidia, sed promoveantur magis; dum semper unus alterum ex inquiete cognitum sit trucidaturus. Qua agitatione graviter commotus Deus, cum insigni aliqua vehementia cœptam ejus orationem interrumpit, ac subito infit: *Profecto, quam certe vivo*, qui id ausus fuerit, & sic novum commiserit homicidium, is ingentes daturus pœnas est, me ab illo necem tibi illatam gravissime vindicante. Deinceps, quod hic contextum suasisse patet, id ipsum (2.) *Parallelismus* in quamplurimis aliis scripturæ locis corroborat. Quatuor in hanc sententiam loca citat celeberrimus *Dieu*, nimirum Jer. 2. 32. c. 5, 2. Hos. 2. 16. Zach. 11. 7. Sed præter hæc & alibi sæpius extat, v. g. Num. 16. 11. לכן *Profecto tu & totus cœtus tuus contra Dominum congregati estis*, non contra Aaronem. Certe hoc in loco, quamcunque velis assumere ex significationibus לָכֵן alioquin ascriptis, nullam tamen magis textui convenientem deprehendes, quam *asseverantem*. Sic Gen. 30: 15. לכן *Profecto tecum concumbet hac nocte*. Conf. Job. 20. 2. Jes. 52. 6. Neque etiam est, ut quis constructionis diversitatem obvertere jure possit: Nam (3.) eædem h. l. sunt textus circumstantiæ, quæ alibi, in quantum scil. ad sensum eruendum necessariæ. Confer, & deprehendes, utrinque vel ab initio orationis (quod ad sensum asseverantem particulæ huic adscribendum *Kimchi* postulat) occurrere, vel in sermone, cum vehementiori aliquo affectu loquentis; vel etiam utramque concurrisse conditionem. Præterea (4.) quam belle *proprietati & originationi vocis* hæc significatio competit! Non urgebo nunc significationem vocum אכן, בכן & על כן cum לכן ejusdem originis; quarum tamen singulas sensum *asseverandi* importare, notum est. (u) Vid. Gen. 25: 15. Exod. 2: 14. 1. Sam. 15: 32. Jes. 40: 6. c. 45. 15. c. 53. 4. It. Eccles. 8: 10. atque Gen. 33: 10. c. 38. 26. quod certe & ipsum, si solidiori destitueremur argumento, non contemnendum sententiæ nostræ robur adderet, cum particulæ ab initio appositæ etiam alias alternent invicem. Conf. Ps. 9: 5. & Ps. 132: 12. cum 1. Reg. 2: 12. 24. c. 8. 20. 25. it. 1. Sam. 18: 14. cum Dan. 1: 4. it. Neh. 3: 4. 7. seqq. cum Jer. 31: 32. Jes. 45: 1. (x) it. Buxtorf. Gramm. chald. p. 319. Sufficit, antea demonstrasse, literam ל ab initio vocis לכן idem esse ac ב *in*; כן autem proprie *veritatem* denotare, *æquitatem*, *rectitudinem* (y); ut adeo ad literam secundum verba *Kimchi* supra cit. sonet: באמת *in veritate*. Jam vero ex pervulgata linguæ consuetudine substantiva potissimum cum ל vel ב constructa, frequenter degenerant in naturam adverbiorum, quod vid. Eccl. 4: 12. Gen. 34. 13. Ps. 9: 9. Jes. 32: 1. Exod. 1: 13. Gen. 37: 4. c. 26. 27. 31. Lev. 25: 18. 19. (z). ut vi hujus לכן nihil aliud significet, quam *revera*, *certe*, *profecto*, *utique*, *omnino*, & si quæ aliæ sunt firmioris asseverationis particulæ. His poteram adjicere (5.) *Similem* per alias voces *in Scriptura loquendi modum*. Quam crebro Deus orationem suam asseveratione etiam in formula juramenti proposita incipit? quoties illud חי אני *quam certe vivo ego* in Veteri, ac ἀμὴν in N. T. vides initium fuisse sermonis cum vehementia aliqua prolati? Cum loca ubivis sint obvia, enumeratione non erit opus. Accedit (6.) quod, quanquam numero exigui, eruditione tamen *gravissimi*, ac linguarum peritissimi *autores nobiscum consentiant*. Sic versio *Hispanica* (a), *Vatablus* (b), & acutissimus *Ludovicus de Dieu* (c), nec non *Cl. Ravius* (d). Ex Ebræis *R. Levi f. Gerson* (e), qui in locum לכן vocem באמת substituit. Nec dubitare licet de *Kimchi*, nisi sententiam suam universaliter propositam (f) immutasse dixeris: conditio enim, quam ibi ponit, hoc in loco est impleta. Subobscure vero nostram amplectitur sententiam *R. Moses Alschech*, ואני אחשב במה שידענו מ״רזל כי לכן הוא שבועה וכזה אפשר יהשביע הוא י״ת את ברואיו בל יהרגהו וכו quando *Ego*, inquit (g), *in quantum cognovimus ex Doctoribus nostris felicis memoriæ, existimo*, לכן ש׳ *h. l. esse juramentum*, (seu asseverationem in modum juramenti propositam) *quo probabiliter adjuravit Deus creaturas suas, ne illum occiderent*. Quibus verbis procul dubio digitum intendit ad illud *Bereschith Rabba* (h): *R. Jehuda & R. Nehemias conferebant invicem de significatione verborum* לכן כל הורג קין. *Ille ajebat: congregatis contra Cainum jumento, bestia, ac volucri, ad quærendum sanguinem Habelis fusum, Deus dicebat illis*: לכן אני אומר *Profecto quam certe vivo, ego edissero, quod, quicunque Cainum est occisurus, occidendus sit. R. Levi dicebat: accedente illo serpente antiquo ad exsequendum judicium Habelis, increpabat ipsum Sanctus ille benedictus, dicens*: לכן אני אומר *Profecto ego edissero, ullum occisurum Cainum, denuo iri occisum*; & quæ ibi ex sententia R. Nehemiæ sequuntur amplius.

§. 8. Sufficienter nunc proposita voculæ לכן significatione, statim nos conferimus ad voces reliquas difficiliores, obiter saltem de interjectis כל atque קין monentes, id substantivum esse; in hoc vero formam externam, ob literas transpositas, non obstare, quo minus in significatione cum קניתי conveniat, ac reddatur: *Possessio*; neutiquam vero juxta *Dieu*: (i) *Lamentatio, vel Lamentator*; aut cum *Ravio*: *deplorandus nequam*, vel *homo deplorandæ naturæ*. De quibus singulis alibi prolixius. Sequitur vero inter difficiliora hic in ordine שבעתים, de quo dicturis primum sese offert forma ejus externa, quam dualem esse liquido patet. Quum vero præter versionem *Persicam Jacobi Tavvusi*, quæ دو هفت بارها h. e. *bis septem vicibus*, item *Samaritanam*, [Samaritan] *bis septies*, habent; ex Interpretibus celebrioribus, si eos excipias, quibus aures vellicat *Aben-Esra* & *Ramban* in h. l. Nemo externam formam hic urgeat nimium, in aliud tempus prolixam eorum refutationem differimus. Sententia vero Patrum, *Basilii* (k), *Athanasii* (l), *Chrysostomi* (m), ac *Hieronymi* (n), de præciso numero septenario, sive peccatorum Caini puniendorum, sive pœnarum ei inferendarum; item *Philonis* (o) *allegoria* de Septenario, quem quinque sensibus, item facultate loquendi & gignendi complet; promanavit ex Versione LXX. virali, minime vero è textu Ebræo; atque ideo in præsentiarum, ubi unice de sensu textus authentici sumus soliciti, nos parum moratur.

§. 9. Interim vero illam sententiam sicco pede præterire non possumus, quæ per שבעתים *septimam* intelligit à Caino *Progeniem*, in qua sceleris sui daturus pœnas sit, insurgente contra ipsum in carecto latitantem cœco Venatore Lamecho, qui eum pelle ferina indutum pro bestia agnitum inscius transfixerit sagitta, ejusque h. m. fatum accersiverit. Suam hæc fabula originem Judæis debet (p); multos tamen ex Christianis, usque quaque in literatura Ebraica non informatos, incautos Propugnatores invenit, quorum verbis juxta ac nominibus hic, ob alia in Ecclesiam merita, honoris causa abstinemus. Ex Judæis etiam brevitatis studio nunc solum adducimus *R. Sal. Jarchi*, qui ad hanc vocem ita commentatur: *Nolo nunc à Cain vindicari; post finem 7. generationum, ego meam ab ipso vindicaturus sum vindictam; surrecturus quippe est Lamech ex posteris istius, qui eum interficiet*.

§. 10. Verum enim vero hæc opinio (1.) nihil prorsus in textu invenit, quod ipsi favere queat. (2.) Nulla urgente necessitate ellipsin statuit literæ ל à fronte vocis שבעתים (3). Ultro vocem דורות, ausu vere temerario in textum ingerit; cujus nec in antecedentibus, nec in consequentibus mentio facta fuit, nec ejus defectus alias usitatus, nec ullum totius textus verbum sensum talismodi exigit. (4) Falso superstructa fundamento est, quod fatentibus ipsis (q) in Versione Chaldaica On-

(u) *Conf. R. Dav.* Kimchi ספר שרשים *col. 27. Edit. Bomb. at Just. col. 25. item l. c. c. 231. l. 15. f. Bomb. c. 222. l. 14. Just.* (x) *Vid. R. Dav.* Kimchi ספר מכלול *f. 15. 4. l. 32. seqq. Ed. Ven. in fol. item* ספר שרשים *c. 374. l. 5. f. Bomberg. c. 360. l. 5. seqq. Just. item* Comment. ad *Jesaiam Bibl. Bux. f. 458. b. l. 27. seqq. R.* Sal. f. Melech. in מכלל יופי *ad Jes. 14: 12. fol. 92. c. 2. l. 8. f.* (y) *Vid. Nold. Concord. Part. Annot. p. 922. b.* (z) *Conf. B. D. Glassius l. c. Can. 1. pag. 688, 689.* (a) Ciertò. (b) In Veritate, certe. (c) *Animad. in V. T.* profecto, utique. (d) *Paraphr. in Genes. M. S. in qua reddit*: Imo pro certo habeto. (e) פירוש על התורה *fol. 17. c. 3. l. 10. f.*

(f) ספר שרשי׳ *c. 131. l. 32. Bomb.* (g) *Comment. in Pentateuch. f. 18. c. 2. l. 21. seqq.* (h) *Sect. 22. f. 15. 2. l. 12. f. Ed. Ven. Conf.* R. Simeon. *in* ילקוט *fol. 11. cap. 2. Edit. Crac.* (i) *Genes. 4: 1.* (k) *L. c. fol. 306. C.* (l) *Tom. II. Oper. qu. 62. fol. 336. seqq.* (m) *In Gen. λογ. ιθ. fol. 134. l. 5. seqq.* (n) *Tom. III. Oper. Epist. 125. fol. 295.* (o) *L. c. f. 143.* (p) *Vid. Hieron. l. c. item* ספר תנחומא *Ed. Ver. f. 3. c. 3. l. 11. fin.* R. Moses Alschech. *Comment. in Pentat. fol. 18. 2. l. 8. f. Edit. Ven. A. M. 360.* לפ״ק. R. Gedalia. in שלשלת הקבלה *p. 92. 6.* Abarbanel *l. c. fol. 37. col. 2. l. ult. col. 3.* (q) *Vid. R.* Moses Gerundensis *fol. 11. a. Edit. Venet. Bomb. A. M. 308.* לפ״ק.

Onkeloſi ponunt. Sed ejus verba כל דיקטול קין לשבעא דרין יתפרע מיניה multo alium ſenſum exigunt. (a) Non dicit: בתר שבעא דרין, neque etiam בררא שביעאה; ſed לשבעא דרין quæ cenſente *Dieu* exponi debent: *per ſeptem generationes*. (b.) Non loquitur h. l. *Onkelos* de pœna Caino infligenda, ſed ejus interfectori. Ita enim (noſtro quidem pertenui judicio) reddi debet: *Ab omni trucidaturo Cainum per ſeptem generationes vindicabitur*. Ex quibus optime patet, nihil hic Judæos, eorumque hac in parte Patronos, in Onkeloſo invenire præſidii, ſi vel maxime לשבעה דרין expoſuerint *poſt ſeptem generationes*. Ad hæc non quæritur quid *Onkelos* ſentiat, ſed quomodo textus Ebraicus debeat intelligi; potuit ille errare, ac erravit in quamplurimis. Præterea (5.) falſum eſt, dilatam fuiſſe pœnam Caino infligendam ad ſeptimam uſque generationem; textus in antecedentibus & conſequentibus contrarium monſtrat. *Baſilius* (r) ſeptem recenſet; *Rab. Moſes Gerundenſis*, *&* *Bechai* tres, reſpectu trium, quæ ex ipſorum ſententia commiſerat, peccatorum, quarum tertia *Exilium perpetuum*; quod ipſi ordinariam homicidarum pœnam exiſtimant (s). Quidquid horum ſit, illud certum eſt, quod ſtatim poſt latam ſententiam ſubſecuta ſit ejus executio; id quod haud obſcure verſ. 16. indigitat. (6.) Sententia hæc falſitate ſua ſeipſam deſtruit. Statuunt enim Cainum in ſeptima generatione fratricidii pœnam eſſe laturum, ejuſque executorem fore Lamechum. Jam vero Lamechus non ſeptimus à Caino, ſed ſextus fuit, ut patet ex verſ. 17. & 18. (t). (7.) Vix credibile eſt, Cainum tam longævum fuiſſe, ut, qui jam ultra centum ac aliquot viginti annos fuerat progreſſus, in ſeptima progenie adhuc ſupereſſet; quo ab eo per hominem jam ſenio confectum atque ob id ipſum oculorum acie deſtitutum, pœna ſumatur. Hic valde fluctuant Ebræi. (8) Quod ſi cum *Joſepho* (u), *Aben-Eſra* (x) *&* *Ralbag* (y) ad id dubii declinandum de illius ſemine intelligas, delendo per diluvium: Tunc ſcrupulum moveret: (a.) quod nec poſterorum expreſſa hic fiat mentio; nec filius debeat ferre iniquitatem à Patre commiſſam; & quidem in ſeptima demum generatione, cum Deus non ultra quartam ſe vindictam ſumturum dixerit, etiam ab eis, qui patrum ſuorum exemplo ipſum oderint. (b.) Quod non ſit probabile, à Caino uſque ad diluvium ſeptem tantum fuiſſe generationes. *Siquidem* (ut bene monet Abarbanel l. c.) *à Setho aliquot annis poſt Cainum nato uſque ad diluvium novem generationes interceſſerunt, quæ ſunt: Seth, Enos, Kenan, Mahalalel, Jared, Enoch, Methuſala, Lamech & Noah* (qui jam annum agebat ſexcenteſimum Gen. 7: 6.): *quomodo ergo ſimul etiam in ſeptima generatione vindicta iſta per diluvium ſtabiliri potuit?* Neque enim veriſimile eſt poſteros Caini diutius piis vixiſſe, vel ſerius iſtis procreandæ ſoboli ſtuduiſſe; Unde factum ſit, ut pauciores horum generationes illud ævum attigerint. De utroque probabilius videtur contrarium. (c) Diluvium univerſalem ruinam intulit; non enim ſolum poſteri Caini, ſed etiam Sethi extirpati fuerunt. quid? quod longe aliam Deus diluvio cauſam, quam fratricidium Caini adſcribit. Et licet de jam dictis res ſalva eſſet, (9.) tamen contextus hujus ipſius commatis nequaquam expoſitionem illam admittit. Cum enim verbum יקם de Caino hic prædicatum, de tali ſemper perſona ſumatur, ob quam alter punitur, non de ea, quæ ipſa pœnam ſuſtinet; oppido liquet, non de pœna Caino aut poſteris ejus infligenda hic agi, ſed de ea, qua is affici deberet, qui Cainum interficeret. Id quod inferius pluribus probabitur. Quod ſi quis contra uſum hujus vocis, ejus ſubjectum conſtituat perſonam puniendam, (10.) *contrariaretur* (expoſitio quæ שבעתי exponit *in ſeptima generatione*) *intentioni divinæ*, quæ eſt Cainum à metu liberare. Nam is hoc modo magis fuiſſet conſternatus, cum cognoſceret, ejus interfectorem poſt tot demum ſecula ſceleris ſui daturum pœnas. Proinde (11.) Judæi ſaniores ipſi ſententiam hanc, a nobis jam rejectam, pro falſa agnoſcunt, *R. Moſes bar Nachman*, ea ex mente aliorum recenſita, ſubjicit: ולפי דעתי אין טעם שבעתים לשבעה דורות כי לא תאמר חמלה הזאת על השבעה הנפרדים וקעל הכפל דבר אחר שבעה פעמים כמו מזוקק שבעתים ישלם שבעתים ואור החמה יהיה שבעתים כפול ומכופל שבעה חלקים *Sed meo judicio non ſignificat poſt ſeptem generationes; quia non legitur* השבעה *in numero ſingulari, ſed in numero Duali.* (Proinde exponas) *alio modo, ſeptem vicibus, quemadmodum* Pſ. 12:7. *defæcatum* שבעתים i. e. *ſepties*, Prov. 6: 31. *reddet ſepties*, Jeſ. 30: 26. *&* *lux ſolis erit ſeptupla; h. e. iterum iterumque duplicatum ſeptem vicibus.* Quo omnes alii referri videntur, qui receptam à ſuis ſententiam deſerunt, aliam in ejus locum ſubſtituentes (z).

§. 11. Sententiis igitur hactenus recenſitis ſuo relictis loco, videtur nobis שבעתים (a) idem eſſe ac שבע vel שבעה. (b) Adverbialiter reddi debere ἑπτάκις, *ſeptempliciter*, *ſepties*, aut *ſeptuplum*. Non tamen (c) numerum determinatum notare, ut præciſe ſepties, non plus vel minus fuerit vindicandus; ſed ſynechdochice, numero certo pro incerto poſito, idem valere *ac multipliciter*, *perfecte*, *plenarie*, & reſpectu h. l. ad verbum cum quo conſtruitur habito, *duriſſime*, *graviſſime*. Quam ſententiam probamus (1.) *Ex diverſarum opinionum remotione*. Numerum ſeptenarium in hac voce includi certum eſt: interim rejectis ſententiis eorum qui ob formam dualem *bis ſepties* reddunt, item Judæorum & judaizantium, qui *ſeptimam generationem* intelligunt; nec non illorum, qui LXX. interpretum verſione ſeducti, acriter *ſeptenarium definitum* propugnant: nihil amplius reſtat, quod ulla veritatis ſpecie שבעתים ſignificare poſſe videatur, quam *ſepties* vel *ſeptuplum* indefinite pro *multoties* &c. ſumtum. Quæ ſignificatio ſua ſponte fluit (2.) *ex Contextu*; Cain ob necem propediem ſibi inferendam maxime timidus erat, quo igitur horrorem iſtum Deus eidem adimeret, pronunciabat, ipſum ab eo qui tale quid auſurus eſſet *graviter iri vindicatum*. utque omnibus hoc innoteſceret, conſpicuo ſigno illud declaravit. Quæ ſane omnia libere procedunt, nec quicquam coacti apparet. (3.) *ex inductione omnium locorum*, in quibus שבעתים legitur, eamque, quæ à nobis prolata eſt, ſignificationem obtinet. v. g. Pſal. 12: 8. *argentum defæcatum* שבעתים *ſepties* h. e. *multoties*. Septima enim depuratio, ut fatentur aurifabri nihil præ cæteris ſingulare efficit; imo ne quidem illa opus eſt. Sic etiam Pſal. 79. 12. *&* *redde vicinis noſtris* שבעתים *ſeptuplum*, (i. e. plenarie, perfectiſſime). Prov. 6: 31. *Non deſpiciunt furem, ſi furatus ſit ut impleat animam ſuam, cum eſurierit. Nam deprehenſus reddet* שבעתים *ſeptuplum*. i. e. Plenarie, perfecte, quomodocunque lex divina præſcribit. Hic textus nimis clarus eſt, ac mirifice ex eo locus noſter poterit illuſtrari. Lex enim divina, quam etiam Salomon, ut debuit, obſervavit, in fures non aliam decernit pœnam, quam ut v. g. pro animalibus ſurreptis, adhuc præſentibus ac vivis *duplum*; pro mactatis vero vel venditis ſi minus fuerit, *quadruplum*, ſin majus *quintuplum* (aa) reddat. De reſtitutione vero per *ſeptuplum* nihil habetur. Hinc Salomon hic voce שבעתים nihil aliud notare voluit, quam rei ablatæ Domino immiti exiſtente, ad ſummum reſtitutionem *plenariam ac perfectam* deberi, quæ pro qualitate furti quintuplum excedere nunquam poteſt. Alia exempla vid. Gen. 4: 24. Jeſ. 30: 26. extra quæ שבעתים amplius non occurrit. (4.) *à Pari*. Superius dictum eſt, שבעתים idem eſſe ac שבע vel שבעה. Atqui hoc ipſum ſæpius indefinite ſumitur, *pro multoties*, *bis*, *ter*, *quater* *&c.* plus minuſve v. g. Prov. 24: 16. Salomon Patris veſtigiis inſiſtens inquit: שבע *ſepties cadit juſtus ac ſurgit*, i. e. aliquoties, ter, quater &c. in malum incidit juſtus, ac toties etiam ex illo à Deo eripitur. Hoc ipſum enim eſt, quod David indefinite dixerat Pſal. 34: 20. Plus certe David liberatus erat quam ſepties. Imo quotidiana experientia teſtatur Deum multoties ſuos liberare, vicibus ſeptenarium longe excedentibus. Quod ſi definite ſumas, tuto ad illud in calamitatibus conſtituti provocare non poſſent. Conf. v. in eadem ſignificatione Lev. 26. vſ. 18. Pſal. 119. v. 164. Prov. 26: 25. (5.) *A natura rei ſubſtratæ*: agit h. l. Deus de ſupplicio homicidii, quod capitale eſt, Gen. 9: 6. ſive *de pœna talionis*, ut *Lud. de Dieu* loquitur, *quia cædes cæde punitur*. Sed nemo ſepties poteſt interfici: at unica cædes tam crudeliter perfici poterat, ut gravitate ſua vel ſeptem alias exſuperaret. (6) *Ab æquitate rei*; inter pœnam & peccatum juſta intercedere proportio debet. Et Deus, qui ſemel ſcelus aliquod plene ac ſufficienter punivit, pœnam non repetit ſepties, neque in eadem perſona, quod fieri repugnat, neque in ejus poſteris, qui innocentes non portant iniquitatem Patrum. (7) *Ab Autorum nobiſcum ſentientium gravitate*; ita *B. Lutherus*, *Gerhardus*, *Calovius*, *Vatablus*, *Fagius*, *Junius*, *Piſcator*, *Menochius*, *Belgæ*, *Ainsworthus*; *Rab. Dav. Kimchi l. c. ac infiniti alii.*

(r) *Epiſt. ad* Optimum *Epiſcopum*, *quæ eſt* 317. *T. III. Op. fol.* 307. *D.* (s) *Qua de Conf.* Euripid. *ac* Thucidid. *ap. Grot. de Jur. B. ac Pac. c. lib. I. cap.* 2. §. 5. *nr.* 3. *p.* 23. Edit. Gronov. (t) *Conf.* Abarban. *Quæſt.* 9. *in h. l. fol.* 35. *col.* 2. *poſt med.* (u) *Antiq. lib.* 1. *c.* 2. (x) *Comment. in h. l. B. B. fol.* 6. *b. l.* 38. (y) פירוש על התורה *fol.* 17. *c.* 1. *l.* 27, 28. *Edit. Venet. A. M.* 307. לפ״ק.

(z) *Vid. R.* Dav. Kimchi *in* ס׳ שרשים *rad.* שבע *col.* 504. *l.* 4. *f. Bomb. col.* 486. *l.* 5. *f. Juſt. item* Comment. *in Jeſ.* 30: 26. *in Pſal.* 12: 7. *R.* Bechai *l. c.* (aa) *Vid. Exod.* 21: 37. *cap.* 22: 3.

alii (b). Huc referri etiam possunt *Aquila*, qui Hieronymo l. c. allegante, reddit *semptempliciter*; item *Syrus*, dum effert: [illegible] *Septuplum*: atque inprimis *Arabs* qui accuratissime ad sensum magis quam verba respiciens, vertit: كثيرا *abundatissime.* (8) *A propria partis contrariæ confessione.* Multi enim non ita septenarium numerum propugnant, ut nostram sententiam penitus velint exclusam. *Chrysostomus* (c) qui magno molimine septem peccatorum species adducit, antequam eas recenset, ait: πρῶτον μὲν, ὁ τῶν ἑπτὰ ἀριθμὸς ἐπὶ πλήθους λαμβάνεται ἐν θείᾳ γραφῇ· καὶ τοῦτο πολλαχοῦ εὕροι τις ἂν οὕτως εἰρημένον, ὡς τὸ στεῖρα ἔτεκεν ἑπτὰ καὶ ὅσα τοιαῦτα. Sic quoque *S. Basilius* l. c. (d). ἡ μὲν, φησι, ἀπλουστέρα, καὶ παντὶ δυναμένη ἐκ τοῦ προχείρου παραστῆναι διάνοια, αὕτη ἐστίν· ὅτι δεῖ τὸν Κάϊν ἑπταπλασίονα δοῦναι τὴν τιμωρίαν ὑπὲρ ὧν ἥμαρτεν. &c. Neque negari potest, *Philonem* numerum, *septenarium* habere pro perfecto; id quod prolixe deducit fol. 15. seqq. fol. 20. Operum. LXX. quoque infra vs. 24. ubi Lamech ad phrasin hanc provocat, vocem שבעתים adverbialiter reddunt: ἑπτάκις. In quo loco etiam *Samaritanus* suum ࠔࠁࠏࠕࠉࠌ omittit, ac simpliciter reddit: [illegible] *septies extorquebitur Cain, & Lamech multo magis.* in quibus eum penitus, (quoad hanc vocem) nobiscum consentire, ipsæ literæ loquuntur. (9) Num vero *ex originatione vocis* hæc significatio fluat, non adeo certum est. Legitur enim alicubi, שֶׁבַע perfectum denotare ideo quod à themate descendat, quod *jurandi* significationem habet: *juramentum vero sit complementum litis, ac consummatio causæ*, Deo ipso Autore. Verum etiam profanis hic numerus sacer fuit, ut videre est apud *Varronem*, *Gellium*, l. 3. cap. 10. *Philonem*, atque alios; qui tamen ob Ebrææ linguæ notitiam nunquam inclaruerunt.

§. 12. Servato ordine nunc dilabimur ad explicationem vocis יֻקַּם, in qua tantus quantus in præcedentibus dissensus non reperitur. *Ravius* Judaizans in MS. Paraphrasi in Genesin ex singulari quadam sententia verba nostra reddit: *futurus autor cædis tuæ in septima demum generatione obiter oborietur.* Ut apparet vocem non ex נקם formavit, sed ex קום. Huic vero obstat (1.) *Punctatio.* Omnia Exemplaria unanimi consensu impressum hic literæ ק habent Dagesch compensativum primæ radicalis נ abjectæ. Si vero ex קום formaretur, Dagesch omisso, litera præformativa cum וּ esset notanda, ut Exod. 40: 17. atque Jer. 35: 14. Et licet resolvi possit apud Ebræos, nulla vel exigua urgente necessitate, vocalis longa in brevem & dagesch forte; id tamen non procedit, nisi ubi omne periculum confusionis, quod exinde oriri poterat, exulat. Quin imo in multis resolutio illa unice ideo facta est, ut declinetur, quæ alioquin apparebat, significationis confusio, v. g. cum עָרוּם in singulari & *sagacem* denotet, & *nudum*; ad hanc evitandam ambiguitatem voce per terminationem pluralem crescente, toties, dicente Masora (e), dagesch assumitur, quoties *nudos* significare debet. Quod si vero idem & hic obtinere dicatur, non tolleretur, sed inferretur ambiguitas. (3.) *Parallelismus.* Extra dubium est, v. 24. Lamechum in oratione ad uxores suas, verbis: כי שבעתים יקם קין ad hæc nostra verba respexisse, inque eodem, quo hic stant, sumsisse sensu. At vero absurdus ibi sensus proveniret, si & illic dicere velis: *in septima generatione suscitabitur Cain, Lamech demum in septuagesima atque septima.* Suscitatus uterque jam olim erat; resuscitationis vero sensus est ridiculus. (3.) *Contextus & dicentis scopus*; liberaturus erat Deus Cainum à metu mortis, quod patet ex verbis sequentibus: *nec occidat eum ullus in illum incidens.* Occidi autem, in quacunque tandem fiat generatione, & plane non occidi, sunt contradictoria, quorum uno posito, alterum destruitur. (4.) *significatio vocis* שבעתים. superius enim, rejectis omnibus aliis sententiis, probatum fuit, eam idem significare ac *septies*, *multoties* &c. Quo præsupposito, perpendat quis, quam securitatem Deus Caino promiserit his verbis: *Interfecturus Cainum septies vel sæpissime suscitabitur!* item, quam egregie hæc cum sequentibus conveniant. Ut taceam absurdum, unum hominem occidi posse multoties. (5.) *Vox* כל *expressa*; cui, si *Ravii* valeret opinio, nullus daretur locus.

(6.) *Usus verbi* נקם. Non denotat hoc suscitationem fortuitam, sive impetum inopinatum, ut ille voluit; sed ex destinato consilio, omnibus tam corporis quam animi viribus adhibitis. Reliqua quæ ex *Raviana* sententia absurda elici possent, brevitatis causa hic omittimus.

§. 13. Præter hunc, quantum nobis cognoscere licuit, unanimi consensu eruditi significationem vocis יקם derivant ex themate נקם. In eo vero plerique à nobis dissentiunt, quod putant, verbum נקם *tam de eo dici, in cujus gratiam*, ut Piscator loquitur, *alius punitur*; *quam de eo qui in alterius gratiam punitur.* Hinc etiam multi qui in Versione sua exhibent *Vindicabitur*, in notis exponunt tanquam idem sit ac *punietur*; quorum si Catalogum conscribere velis, pagina hæc illos non caperet. Certum interim est, *verbum* נקם, *de persona usurpatum*, *talem ubivis notare*, *in cujus gratiam alius punitur*, *nunquam qua ipsa pœnam substinet.* sive: *pro qua*, non vero *de qua sumitur ultio.* Id quod universalis omnium locorum inductio probat. Assumamus primum conjugationes passivas, persona de qua verbum prædicatur in nominativo collocata. Et licet *Hophal* quod hic habetur, præter hunc locum bis tantummodo extet: cum tamen ejus significatio cum ea quam in Niphal obtinet, conveniat, conf. Exod. 21. vers. 20. ad eumque *Aben-Esra*, frequentia exemplorum ex hac Conjugatione abunde defectum istum compensabit. Multoties in Niphal occurrit; attamen ne semel quidem deprehendes, quod indubitato subjectum verbi persona sit, quæ puniatur, v. g. Jud. 15: 7. אם נקמתי בכם *si vindicatus fuero à vobis, certe deinceps cessabo.* vers. sequens Philistæos ait percussos: hinc Pronomen primæ personæ *Ego*, Simsonem referens tale notat subjectum, propter quod Philistæi puniendi erant; non quod ipsum mulcta afficiatur. Atque sic Ezech. 25. vs. 12, 15. Esth. 8: 13. Conf. Jer. 46: 10. Jud. 16: 28. Jes. 1: 14. 1 Sam. 14: 24. cap. 18: 25. Jer. 15: 15. cap. 50: 15. præter quæ loca non amplius extat in Scriptura, ex Niphal formatum. Ex *Hophal* vero ubi in significatione cum isto convenit, præter comma præsens, legitur: Gen. 4: 24. *si septuplum* יקם *vindicandus erat Cain*; atque Exod. 21: 21. *Veruntamen subsistente eo diem unum vel biduum*, לא יוקם *non vindicabitur.* Ubi denuo subjectum verbi יוקם ibi Cain, hic servus à Domino percussus, (ut rectissime exponunt *Abarbanel* (f) *Rab. Sal. Ben Melech* (g), *ac R. Levi Ben Gerson*) eam denotat personam, ob quam tertius quis, illic trucidaturus Cainum (Conf. Gen. 4: 15.), hic Dominus servum vel ancillam percutiens, punitur; non vero quæ ipsa pœnam subeat. Justitia enim sic exigit, ut damnum inferens, non vero is, qui damnum jam tum sensit, pœnas luat. Atque eadem prorsus verbi hujus ratio est, si in activa voce cum Accusativo construatur, v. g. 1 Sam. 24: 13. *Judicabit Dominus inter me ac inter te*, ונקמני *& vindicabit me à te.* item Num. 31: 2. sic 2 Reg. 9: 7. Conf. Deut. 32: 43. Levit. 26: 25. Personæ autem puniendæ notantur ordinarie cum præfixis מ (h), ב (i), atque ל (k). Quod novum porrigit argumentum, ex quo sententia nostra posset probari. Si enim variatio constructionis varias gignit significationes, & in confesso ex citatis exemplis positum est, personam pœnam patientem construi cum uno memoratorum præfixorum: altera persona, quæ tale præfixum appositum non habet, sed vel in *Nominativo* effertur cum verbo passivo, vel in *Accusativo* cum verbo activo, non potest non ea esse, propter quam illa punitur, quæ tale præfixum habet appositum.

§. 14. His quæ dicta sunt, unicus contrariari videtur locus, à *Piscatore* quoque observatus, scil. Jos. 10: 13. ubi dicitur; וידם השמש וירח עמד עד יקם גוי איביו quod ipse reddidit: *Et siluit sol, & luna stetit, donec vindicaret gens inimicos suos.* Atque ad ejus mentem vertit etiam *Arias Montanus*, & cum eo Versio interlinearis operis Anglicani. Etiam *Drusius*, posteaquam veriorem versionem attulisset, subjicit: *Quid si donec ulcisceretur gens inimicos suos? Valde placet. Nam est* יקם *non* ינקם; *tunc nihil subaudiendum.* Verum non erat, cur tantopere sibi gratuletur de hac sententia Vir alioquin de Philologia S. optime meritus, *tantummodo nihil subaudiatur.* Dum enim vitare voluit locutionem ellipticam, in Scriptura quoad hanc etiam particulam מ, quæ in l. c. voci איביו præponi debebat, usitatissimam, & quam hic Oratio vocibus ac syllabis suis ligata necessario instituendam suadebat: in

(b) *Conf. B.* Franz. *de Interpr. Script. p.* 515. *B.* Glass. *l. c. Part. II. Tract.* 1. *c:* 15. *p.* 1371. *B.* Geierus *Comment. in Prov. cap.* 6: 31. *pag.* 297. *Celeber.* Bochartus *Hieroz. Part. I. lib.* 2. *c.* 40. *col.* 395. (c) *L. c. fol.* 133. *l. ult. item fol.* 134. (d) *Fol.* 305. *C.* (e) Finali *fol.* 51. *a. c.* 3. *l.* 7. *seqq.* Textuali *ad Job.* 15: 5. *Unde citat. Rab.* Dav. Kimchi ספר שרשים *col.* 393. *l.* 17. 18. *Bomb. atque ex eo* R. Sal. B. Melech. *in* מכלל יופי *ad Gen.* 3: 1.

(f) *Comment. in l. c. fol.* 179. *c.* 4. *l.* 4. *f. fol.* 180. *c.* 1. *l.* 2. (g) *In* מכלל יופי *fol.* 22. *col.* 1. *l.* 26. (h) *Num.* 31: 2. *Jud.* 26: 28. 1 *Sam.* 14: 24. *cap.* 24: 13. 1 *Reg.* 9: 7. *Jes.* 1: 24. *Jer.* 15: 15. *c.* 46: 10. *Esth.* 8: 13. (i) *Jud.* 15: 7. 1 *Sam.* 18: 25. *Jer.* 50: 15. *Ezech.* 25: 12. (k) *Ezech.* 25: 12, 15. *Nah.* 1: 2. *Deut.* 32: 43.

in longe deterius incidit, significationem & constructionem Voci tribuens, quam nunquam habuit, & quam omnes omnino libri Biblici respuunt. Proferat quis vel unicum exemplum extra controversiam tale, ubi verbum נקם active usurpatum construatur cum accusativo personæ pœnam in se recipientis! ut taceam, notam accusativi את voci איביו non esse præpositam, ex cujus præsentia fortius fuisset argumentatus.

§. 15. Neque magni est momenti alterum quod affert dubium. *Non extare* ינקם *sed* יקם h. e. quia in conjugatione Niphal verbum expressum non sit, sed in Kal. intransitive vel passive reddi non posse. Notum enim est, quod Kimchi ait (l) בנין הקל פעמים הוא עומד בעצמו ופעמים הוא יוצא לזולתו (1.) *Conjugationem Kal modo intransitive sumi, modo transitive.* Et ne id de diversis capias verbis, (2.) *plurima deprehendi*, quæ in hac ipsa Conjugatione pro varietate contextus modo active seu transitive sumantur, modo passive seu intransitive. *Kimchi* l. c. adducit verbum צמח ex collatione Exod. 10: 5. cum Eccles. 2: 6. atque הלם coll. Judic. 5: 22. & Prov. 23: 35. Quibus adde שרץ (m). item שוב (n). חלש (o). מוש (p). אוץ (q). עצב (r). הפך (s). נזל (t). יצק (u). מלא (x). אור (y). דקק (z). Alia studio brevitatis nunc omittimus. (3.) *Ipsum nostrum* נקם *in Kal non minus intransitive sumitur, quam transitive.* Id quod infallibiter evincunt loca Levit. 19: 18. Nah. 1: 2. Ezech. 25: 12. Quin imo in hoc ultimo loco, item Exod. 21: 21. cum Niphal significationis passivæ permutatur; atque eandem obtinere videtur Ezech. 24: 8. Quid igitur obstat, quo minus & hic idiotismo linguæ ac Parallelismo vocis convenienter reddatur intransitive? Certe ita (4.) *Gravissimi Interpretes* vertunt: *Lutherus*, *Vulgat. Munsterus*, *Pagninus*, *Tigurini*, *Junius*.

§. 16. Cæterum ut fateamur, quid de loco isto sentiamus; scrupulum movet, quod (1.) majus hic opus describi videatur, quam ut humanis tribuatur viribus. (2.) Contextus id verbis expressis Deo appropriet, vers. 10. seqq. (3.) Qui Autor vindictæ suscipiendæ vers. 8. idem & consummator. (4.) & alias ut plurimum Deo adscribatur vindicta, tanquam opus ipsi proprium. Vid. Syrach. 46: 1. (5.) *LXX. Interpretes* & *Arabs* vocem *Dei* exprimant, illi reddentes: ἕως ἠμύνατο ὁ Θεὸς τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν; hic dum vertit: الي ان انتقم الرب *donec vindictam caperet Dominus &c.* (6.) Frequens in Scriptura occurrat locutio, ut subjecto verbi non expresso, vel ex antecedentibus, vel aliunde id accersatur (a); v. g. Gen. 48: 2. *& dixit Josepho*, sc. dicens; *& annunciavit Jacobo*, scil. annuncians &c. h. l. *donec vindicaret*, scil. vindicans (7). In ejusmodi locutionibus verbum activum degeneret in significationem passivi, e. g. sensu nequaquam variato in ll. cc. dici potest: *& dictum est Josepho*, *& annunciatum est Jacobo*, item Gen. 16: 14. *propterea vocavit puteum* scil. vocans; sive *propterea vocatus fuit puteus* (b). Ut proinde hic quoque sensu eodem manente dici possit: *donec vindicaretur gens.* Præsertim cum verbum hoc quandoque in Kal idem significare videatur ac in Niphal, Exod. 21: 20. Ezech. 25: 12. c. 24: 8. Atque ab antiquissimis quibusdam Interpretibus passive redditum sit; v. g. *à Jonathane*, qui עד דיתפרע עמא ישראל *Syro*, qui ܥܕܡܐ ܕܐܬܬܒܥ ܥܡܐ *donec vindicaretur populus.* Cujusmodi versio includit quasi duas reliquas citatas. Quamprimum enim quis audit passivum: *donec vindicaretur populus*, statim suboritur quæstio: per quem? evoluto contextu deprehendes, quod per Deum principaliter, secundario per Josuam, ac manuum populi fortitudinem.

§. 17. Quocunque nunc modo vertas, sive: *donec vindicaret se populus*, sive: *donec vindicaretur populus*, sive: *donec* Deus *vindicaret populum*, ubivis sponte sua aperietur ellipsis particulæ cujusdam, voci איביו præponendæ. Indicatæ eæ sunt superius §. 13. Assumamus hic frequentiorem מ, quam (1.) συνάφεια, ut jam vidimus, *exigit.* (2.) *Constructiones verbi* נקם plenariæ *approbant.* (3.) *Plurima loca*, in quibus מ illud deficit, *defendunt* (c) (4.) *Maxima pars Interpretum* exhibet; *Jonathan* מבעלי רבבוהון, *Syrus* ܡܢ ܒܥܠܕܒܒܘܗܝ Arabs, من اعدايه *ab hostibus suis.* *R. Dav. Kimchi* (d), *R. Sal. B. Melech* (e) & ex Christianis tantum non omnes. Atque (5) *Qualitas Orationis illustrat.* Facile enim ex genere dicendi patet, esse hic carmen aliquod. Cum autem in carmine omnes numerentur Syllabæ; & hic Syllaba aliqua abundaret, ea fuit resecanda, in cujus defectu minus periculi sit de errore exinde resultante. Quoniam igitur totus hic versus nullam literam servilem præfixam habet, quæ sensu manente abjici potuisset, præter solum hoc מ; ideo illud fuit recisum, defectu ejus in tota oratione, atque tot exemplis, quot locis נקם cum persona pœnam subeunte expressa occurrit, clarissime indicato.

§. 18. Cum proinde nec hic locus veritati sententiæ nostræ quicquam detrahat, & universale maneat: Nominativum cum verbo נקם in passiva, & Accusativum in activa voce positos, personales, nuspiam esse subjectum pœnam sustinens, sed in cujus gratiam tertius punitur; difficile amplius non erit, verum verbi subjectum indagare. Illud vero trucidator Caini esse nequit. Id quod prohibet (1.) *Scopus ac intentio loquentis Dei*: Deus enim hoc ipso metum Caino ob necem imminentem trepidanti adimere volebat, qui tamen auctus fuisset, si trucidatori promisisset impunitatem. (2.) *Dei Judicis justitia.* De privata occisione hic sermo est, cui justitia divina prœmium promittere non potuit, nisi homicidia promovere voluisset. Quod de Deo cogitare impium est. (3) Subjectum verbi genuinum nempe קין ab ipso Spiritu S. exprimitur vs. 24. hujus cap. (4.) Et id ipsum pro vero agnovit *Junius*, Celeberrimus *Ludov. de Dieu*, ac plerique Ebræorum.

§. 19. Sed inquies: h. m. nova oritur Difficultas; evadit enim nexus Constructionis interruptus, & male verba invicem cohærent. quia Nominativus כל הורג קין non habebit verbum cum quo construatur. Equidem hoc non offenduntur *R. Sal. Jarchi*, *Ralbag*, *R. Moses Alschech*, *Lyranus*, *Abulensis*, *Pererius* atque alii. Statuunt enim Aposiopesin, post *Omnis interficiens Cainum* subaudientes, vel *gravissime in hunc vel istum modum punietur*; vel verbis כל הורג קין in Vocativo conceptis; heus omnes Occisores Caini! *audite decretum mecum*, post septem demum generationes ultio à Caino sumetur, non ipso adhuc vivente (f). Et profecto non est necesse, ut semper omnes voces ad sensum integrum pertinentes exprimantur. Potest in orationibus, præsertim patheticis, qualis hæc est, sæpe illud omitti quod præ reliquis videbatur necessarium, ad affectum eo clarius exprimendum, hominesque commovendos. Ita enim non solum profani Autores loquuntur, v. g. *Virgilius*; *Quos ego: sed præstat motos componere fluctus.* Verum ipse etiam Spiritus S. in Scriptura S. multoties. *Raschi* h. l. provocat ad 2. Sam. 5: 8. coll. 1. Chron. 11: 6. cui conjungit *Bechai* orationem Jabez 1. Chron. 4: 10. descriptam. Sed longe plura desideranti dabit *B. Glas.* (g). Cum vero præter urgentem necessitatem hoc inferant, malo cum *B. Luthero* (h) eandem tanquam à judæis suæ inservientibus hypothesi profectam rejicere, quam prolixius defendere.

§. 20. *Ludovicus de Dieu* nodum istum novo modo solvit, dum statuit, *quod Latini per Ablativos, & Græci per Genitivos absolutos efferunt, id elegantissime Ebræos, Syros atque Arabes enunciare per absolutos Nominativos.* Vi cujus ita locus noster verti poterat: *Ullo interficiente Cainum, hic septuplum vindicabitur.* Quæ versio satis bene cohæret, ac verbo יקם suam tribuit nativam significationem. Verum enim vero de Canone isto valde dubitamus. Apud nullum enim sive Christianum sive Ebræum Criticum ullum ejus vestigium invenitur: particularis est, nec potest ad omnia latinorum exempla applicari, nisi sermonem velis ambiguum efficere atque obscurissimum. Participia apud Ebræos nomi-

na-

(l) *In* ס' מכלול *fol. 7. c. 4. l. 16. seqq. Ed. Venet. in fol. Conf.* Glass. *l. c. Part. I. l. 3. tr. 3. C. 25. p. 600.* (m) *Coll. Gen.* 1: 20. *cum cap.* 9: 7. *vel Exod.* 1: 7. (n) *Conf. Deut.* 30: 3. (o) *Coll. Exod.* 17: 13. *& Job.* 14: 10. (p) *Coll. Jes.* 54: 10. *cum Zach.* 3: 9. (q) *Coll. Exod.* 5: 13. *cum Jos.* 10: 3. (r) *Coll.* 1 *Reg.* 1: 6. *cum* 1 *Chron.* 4: 10. (s) *Coll. Judic.* 20: 41. *cum Jer.* 20: 16. (t) *Coll. Deut.* 32: 2. *Psal.* 147. 18. *cum Jes.* 45: 8. *Jer.* 9: 14. (u) *Coll. Lev.* 8: 15. *cum* 1 *Reg.* 22: 35. (x) *Coll. Gen.* 1. 22, 28. *cum cap.* 6: 13. *vers.* 27, 29. (y) *Coll. Prov.* 4: 18. *Jes.* 60: 1. *cum* 1 *Sam.* 14: 27, 29. (z) *Col. Deut.* 9: 21. *cum Jes.* 41: 15.

(a) *Quod ad mentem Ebræorum recte expressit Nob. atque Clariss. Dn.* Christoff. Cellarius, *Fautor noster Magnus Tract. de Stylo scripturæ Ebr. Can.* 32. Verba finita absolute sine Nominativo posita subaudiunt suum Participium. *Conf. R.* Sal. B. Melech. *ad ll. cc.* Kimchi *&* Abarb. *ad Jes.* 2: 4. Aben-Esra *ad Mich.* 1: 7. *B.* Glass. *l. c. pag.* 594. *seqq. p.* 897. *seqq.* (b) *Conf. Exod.* 10: 21. 1 *Sam.* 23: 21. *Esth.* 2: 2. *Neh.* 2: 7. Glass. *l. c. pag.* 594.

(c) *Vid. Exod.* 19: 12. *c.* 36: 8, 19, 34, 35. 2 *Sam.* 23: 17, 24. *c.* 7: 23. 2 *Reg.* 17: 24. *Ezech.* 2: 10. *Conf.* Nold. *Conc. Part. p.* 568. Bochart. *Hieroz. Part.* 1. *lib.* 2. *c.* 36. *col.* 370. *l.* 33. *seqq.* (d) *Tam in Comment. h. l. quam* מכלול *fol.* 17. *col.* 2. *l.* 14. *f.* (e) מכלל יופי *in h. l. fol.* 52. *c.* 3. *l.* 18. *f.* (f) *Vid.* Abarbanel *l. c. fol.* 37. *c.* 1. *l.* 19. *seqq.* (g) *Phil. S. part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *p.* 1437. *seqq.* (h) *Comment. in Genesin.*

nascunt (f), ut respectu hujus nil impediat, quo minus pro eo veniat nomen ex natura sua substantivum (g): at nomine expresso, v. g. Jes. 3: 12. עמי נגשיו מעולל Jon. 2: 7. הארץ בריחיה Eccles. 2: 14. החכם עיניו בראשו cessat istius regula, nec ullam vocibus ejusmodi lucem affert. Praeterea exempla ex 1. Sam. 2: 13. 2. Sam. 19: 8. 2. Reg. 7: 2. à *Dieu* adducta neutiquam id probant, cujus causa ab ipso sunt allata. In illis enim significatio latinae particulae *si* vel *cum* non virtualiter, sed formaliter adest. In ultimo quanquam aliquam pariat difficultatem transpositio constructionis naturalis. Cum tamen haec & alibi (h) sit usitata; verbum quoque hic in conjugatione gravi legatur, in qua, comprobantibus reliquis exemplis biblicis in quibus extat, activam significationem habet: Non dubitamus, quin locus iste, secundum naturalem Constructionis ordinem sit reddendus: *Juxta coquere cujuslibet Viri sacrificantis sacrificium, tunc venit puer* &c. quod infinitivo nominascente in verbum finitum resoluto, idem est (i), ac si dicerem; *Cum illus Vir sacrificans sacrificium, carnem ejus coqueret, tum venit puer* &c. (k) Quod in his omnibus, salvo sensu, geminum possis adhibere Ablativum, significatione particulae omissa, non repugno: Ratio vero ejus non à nudo Nominativo, qui hic nullibi datur, dependet, sed à particula: quae cum in loco Geneseos deficiat, non causari potest, ut propter eam dicamus: *ullo Cainum occidente* &c.

§. 21. Neque etiam duo reliqua exempla à *Dieu* adducta, plus faciunt ad sententiam ejus corroborandam. Locus enim ex Ps. 141: 7. praeterquam quod particulam habet expressam, quae secundum illius mentem exulare debebat, facilem sensum hunc parit: *ac si quis sulcaret terram, dispersa sunt ossa nostra ad hiatum sepulchri*, i. e. ossa nostra coacervata circa sepulchrum in tantum excreverunt tumulum, ac si quis circa idem findendo ac proscindendo terram cumulasset. Alter vero ex Evangelio Matthaei Ebraeo, c. 13. vs. 19. nec non versione ejusdem Syriaca, ܟܠ ܕܫܡܥ ܡܠܬܐ ܕܡܠܟܘܬܐ ܘܠܐ ܡܣܬܟܠ ܒܗ ܐܬܐ ܒܝܫܐ ܘܚܛܦ ܡܠܬܐ ܕܙܪܝܥܐ ܒܠܒܗ cum qua Arabica coincidit, longe alium in se continet idiotismum.

§. 22. Scilicet non statim in Nominativo vox Ebraea reddenda est, cui nota casus obliqui non est praefixa. Contextum consulamus, qui multoties indicat diversum. Vocis enim hujusmodi Casus obliquus saepissime per suffixum indicatur, quod in genere & numero cum ista conveniens, alteri cuidam voci, quae causa erat, ut prior in obliquo poneretur, adjectum est. In quocunque enim casu istiusmodi suffixum videtur reddendum, in eodem, significatione suffixi latine omissa, efferatur nomen illud vel Pronomen absque nota casus positum. Sic v. g. quia in l. c. ex Eccl. 2: 14. vox עיניו suffixum gerit cum praecedente החכם in genere & numero conveniens, quod latine in Genitivo efferri debebat: *oculi ejus* sc. sapientis. Proinde omissa significatione suffixi, Genitivo reddamus antecedens nomen החכם, absque nota casus positum: *Sapientis oculi* sunt *in capite ejus*. Ita in duobus reliquis ibi citatis. Bis in eodem commate idem Idiotismus occurrit, Gen. 20: 13. הארץ אשר אתה שוכב עליה לך אתננה; tam nomen הארץ, quam Pronomen אשר nude posita sunt. utriusque tamen casus obliquus per suffixum indicatur, ei voci adjectum, quae casus obliqui causa est. τò הארץ regitur ab אתננה, cujus suffixum in Accusativo reddi debebat; אשר vero à particula על, cujus suffixum in ablativo efferretur. Suffixis igitur utrinque omissis, & particula, more perpetuo ei voci quam regit praeposita, ita latine reddimus: *Terram, super qua cubas, tibi dabo.* Nonnunquam tamen ejusmodi suffixum omittitur, inprimis si particulae casum obliquum causanti adjici debebat, quae tunc simul deficit, reliquis verbis non obscure defectum ejus indicantibus. v. g. Gen. 6: 15. אשר תעשה אתה [(l.) השיעור sc.] וזה nude hic ponitur אשר absque nota alicujus casus, qui ne in suffixo quidem est expressus. Cum אתה construi non potest, ob generis diversitatem; זה enim, cum quo in genere ac numero relativum, cumque eo suffixum ejus casum indicans, coincidere debet, est masculinum, אתה vero foemininum. Nec regulam jussus est conficere, sed arcam. Caeterum in אשר contextu ita exigente, commoda quaedam particula suppleri debet, quae aut ipsi praeponatur באשר, aut elegantius secundum Idiotismum jam expressum solitarie scribatur cum suffixo ejusdem cum אשר h. l. generis ac numeri. וזה אשר תעשה אתה בו sive etiam: וזה אשר בו תעשה אתה & *haec est* (mensura) *qua* vel *juxta quam facies eam* (m).

§. 20. Atque ex hoc ipso Idiotismo non tantum locus Matthaei à *Dieu* adductus, in quo casus nominis כל per suffixum voci כלבו adjectum indicatur, exponi potest: *Verbum quod seminatum est in corde cujusvis, qui audit verbum Regni & non intelligit, Malus adventans surripit.* Sed & nostra verba Geneseos, in quibus tamen casus ne quidem per suffixum, aut particulam, sed per solum contextum innuitur. Notum enim jam fecimus, verbum נקם personae de qua ultio sumitur, cohaerere per particulas מ, ל atque ב, & per priorem quidem usitatissime. Persona ista hic est: כל הורג קין Si igitur plenarie scriberetur, dici poterat: מכל הורג קין שבעתים יקם, vel elegantius: כל הורג קין שבעתים יקם ממנו sensu utrinque eodem: *Ab unoquoque occisuro Cainum septies* [Cain] *vindicabitur.* Neque aliter, quantum ad hoc, intelligendum putamus *Onkelosum*, & *Jonathanem f. Usielis* Chaldaeos, utut omnes eorum latini Interpretes aliter sentiant. Hi enim una cum *versione Arabica* casum vocis כל clare indicarunt per suffixum particulae nomen כל regenti adjectum. Illorum verba haec sunt: כל דיקטול (י״בע דקטל) קין לשבעה דרין יתפרע מניה quae, nostro quidem judicio, reddi debent: *Ab unoquoque qui interfecturus est Cainum, per septem generationes vindicabitur.* Hujus vero: كل من قتل قايين يقاد به كثيرا quae utut interpres latinus reddiderit: *Omnis qui occiderit Cain, punitur valde*, nos vertenda duximus: *In quocunque interfecturo Cainum jus talionis exercebitur abundatissime.*

§. 21. Hoc quippe modo verba intellecta comprobat (1.) *contextus* (2.) *proprietas vocum*, potissimum verbi יקם (3.) *Idiotismus* linguae supra demonstratus (4.) *Parallelismus*, Jos. 10: 13. qui conf. in §. 17. cum multitudine exemplorum, in quibus & alibi מ desideratur. (5.) *Probatissimorum Autorum consensus*; inter quos eminent praeter versiones praecedenti §. citatas, *R. Nissim* (n), *R. Moses Nachman* (o), *R. David Kimchi* (p), *atque Abarbanel* (q). Ex quibus hic: ומפני זה כל הורג קין להיות סותר ומנגד לכוונה האלהית שבעתים יקם דם קין ממנו *Propterea*, inquit, *ab unoquoque interfecturo Cainum, quandoquidem infringit intentionem divinam, eique contrariatur, septuplum vindicandus est sanguis Caini.* *R. Nachmanides* vero eodem prorsus ordine verba recenset, quo à nobis posita sunt, dum scribit: כל אשר יהרוג קין שבעתים יקם ממנו כי אעניש ההורג אותו שבע על חטאתו כי אני הבטחתי את קין שלא יהרגהו וכו׳ *Ab omni qui interficiet Cainum septuplum vindicabitur. Nam puniam interfecturum ipsum septies ob peccatum suum; quandoquidem ego promiseram Caino, quod non sit occidendus.*

(f) *Conf. B. Glass. l. c. lib. 3. tr. 4. can. 2. p. 672.* (g) *Conf. ipse Dieu Comment. in Matth.* 13: 19. (h) *Vid. Deut.* 32: 5. *Jes.* 26: 11. *Ezech.* 39: 11. *Hos.* 14: 3. *Psal.* 74: 3. *Esth.* 2: 13. *Conf.* Glass. *l. c. p.* 922. (i) *Vid. Esth.* 5: 2. *Judic.* 2: 4. *Jos.* 3. *vs.* 3, 13. *cap.* 5: 1. *c.* 6: 20. *Gen.* 27: 34. *cap.* 29: 13. *cap.* 39. 18. *Deut.* 5: 20. (k) *Conf. tn. LXX. qui* העם & כל *per appositionem construentes, reddunt:* [illegible] τοῦ λαοῦ παντὸς τοῦ θεοῦ. *cum quibus in hoc consentit* Syrus, Arabs, Vatabl. Arias Montanus, *aliique.*

(l) *Vid.* Aben-Esra *ac Rab.* Sal. B. Melech. *in l. c.* (m) *Conf. Gen.* 8: 17. *c.* 9: 2, 4. *c.* 23: 11. *c.* 27: 41. *c.* 33: 8. *c.* 39: 20. *Jes.* 2: 18. *cap.* 7. 16. *c.* 42: 1. *c.* 47: 15. *Vid. c.* 6: 13. *cap.* 42: 3, 16. *cap.* 43: 14. *c.* 9: 8. *Gen.* 17: 5, 15. *c.* 23: 11, 17. *c.* 24: 3, 14, 27. 37, 42. *&c. passim.* (n) *Apud* Abarbanelem *in h. l. fol.* 37. *c.* 1. *l.* 26, 27. (o) *Comm. in h. l. fol.* 12. *a Venet. Bomb. An.* 308. (p) ספר שרשים *col.* 504. *l.* 3. *f. Bomberg.* (q) פירוש התורה *fol.* 37. *col.* 1. *l.* 32, 33.

M. JOH.

M. JOH. WILH. HILLIGERI

HOMICIDIUM & VINDICTA LAMECHI, ad Gen. IV: 23, 24.

הקדמה:



Rave suscipimus negotium. Grave autem? Negotium nostris impar humeris. Dum enim LAMECHI HOMICIDIUM & VINDICTAM scrutamur, & argumenti gravitatem invenimus, & intricatas multorum disputationes. Consumsit in eo interpretando, teste Hieronymo *Epist.* 125. *ad Damas.* duodecimum & decimum tertium Librum *Commentariorum* suorum *in Genesin* Origenes. Catharinus apud Pererium *Comment. in Genes. lib.* 7. *num.* 78. *p.* 244. *b.* prorsus inexplicabilem hunc locum censet. Tanquam obscurissimum proclamant Calvinus *Comment. in Gen. p.*45. & Martyr. *Comment. in Gen. p.* 23. *b.* Nec dissentiunt Pererius *l. c.* Pelargus *Comm. in Genes. p.* 125. Lud. de Dieu *Animadv. in V. T. p.* 16. & quantumcunque ferme est interpretum. An ego igitur solverem, quem tot Alexandri non potuerunt, nodum? Sane hic meum facio, quod B. Lutherus aureis suis *in Genesin Enarrationibus* præmisit: *Non ego is sum, de quo dici possit: FECI. Neque is, de quo dicere possis: FACIEBAT. In ultimo consisto ordine, qui vix dicere audet: VOLUI FACERE. Et utinam essem dignus in hoc ordine ultimo ultimus esse.* Recipiam tamen animum, & sequar, quos dudum habui, præcursores. Si minus recte ambulavero, erigat me Lecturosque Rhythmus Arabum:

قيل لن الانسان
هو البن النقصان

quem Salomon 1. Reg. 8: 46. 2. Paral. 6: 36. Eccles. 7: 21. exprimit: אין אדם אשר לא יחטא *Errare humanum est.* Tu autem, summe DEUS,

—— salebras inter & tenebras iter
Ostende rectum, & erutum sequacibus
Erroris undis, prævio lucis tuæ
Splendore deduc veritatis in viam.
Te nempe ab uno pendeo spe, te DEUM
Unum & salutis columen agnosco mea!

בא"י ש"ת:

THESIS I.



E LAMECHI HOMICIDIO & POENA acturis Capitis quarti Geneseos Comma vigesimum tertium ac sequens evolvendum est. Evolvendum, inquam, non in Pontibus tantum; sed vero Versionibus etiam. Imprimis cum harum varietas varietatem sententiarum pepererit. Cave interim, omnes à nobis expectes. Præcipuis iisque notioribus contenti sumus.

TEXTUS AUTHENTICUS.

Vs. 23. ויאמר למך לנשיו עדה וצלה שמען קולי נשי למך האזנה אמרתי כי איש הרגתי לפצעי וילד לחברתי:
Vs. 24. כי שבעתים יקם־קין ולמך שבעים ושבעה:

VERSIONES.

CHALDAICA ONKELOSI.

Vs. 23. ואמר למך לנשוהי עדה וצלה שמען קלי נשי למך אציתא למימרי לא־גברא קטלית דבדיליה אנא סבל חובין יאף־לא־עולימא חבלית דבדיליה ישתיצי־זרעי:

Et dixit Lamech uxoribus suis, Ada & Sella, audite vocem meam; Uxores Lamech auscultate sermonem meum: Non occidi Virum, ut propter eum ego portem peccatum; neque Adolescentulum disperdidi, ut propter eum consumatur semen meum.

Vs. 24. ארי־שבעה דרין אתליאו לקין הלא־ללמך בריה שבעין ושבעה:

Quoniam septem generationes suspensæ sunt Caino: Nonne Lamech filio ejus septuaginta & septem?

CHALDAICA JONATHANIS.

Vs. 23. ואמר למך לנשוי עדה וצלה קבילן קלי נשי למך אציתן למימרי ארום לא גברא קטלית דנתקטלא תחותוהי ואוף לא עולימא חבילית דבגניה יהובדון זרעי:

Et dixit Lamech uxoribus suis Adæ & Tsillæ; Audite vocem meam, Uxores Lamech, auscultate sermoni meo: Quoniam non Virum interfeci, ut interficiamur pro eo; Et etiam juvenem non perdidi, ut propter eum pereat semen meum.

Vs. 24. ארום קין דחב ורב בתיובתא עד שיבעה דרין אתליו ליה ולמך בר בריה דלא חב דינא הוא דיתלי ליה עד שובעין ושבעה:

Quoniam Cain, qui peccavit & conversus est per pœnitentiam, usque ad septem generationes dilata est ipsi (pœna): Lamecho ipsius nepoti, qui non peccavit, æquum est, ut differatur illi usque ad septuaginta septem.

SAMARITANA.

Vs. 23. ࠅࠀࠌࠓ ࠋࠌࠊ ࠋࠍࠔࠉࠅ ࠏࠃࠄ ࠅࠑࠋࠄ ࠔࠌࠏࠍ ࠒࠋࠉ ࠍࠔࠉ ࠋࠌࠊ ࠀࠑࠉࠕࠍ ࠋࠌࠌࠋࠉ ࠀࠓࠅࠌ ࠂࠁࠓ ࠒࠈࠋࠕ ࠁࠓࠃࠐࠉ ࠅࠏࠋࠌ ࠁࠏࠒࠉ:

Et dixit Lamech uxoribus suis, Adæ & Sellæ; Audite vocem meam, Uxores Lamech, auscultate verba mea: Quia Virum occidi in insectatione mea, & Adolescentulum in molestia mea.

Vs. 24. ࠀࠓࠅࠌ ࠔࠁࠏࠕࠉࠍ ࠉࠕࠐࠓࠏ ࠒࠉࠍ ࠅࠋࠌࠊ ࠔࠁࠏࠉࠍ ࠅࠔࠁࠏࠄ:

Septies enim vindicabitur Cain, Lamech autem multò magis.

SYRIACA.

Vs. 23. ܘܐܡܪ ܠܡܟ ܠܢܫܘܗܝ ܠܥܕܐ ܘܨܠܐ ܫܡܥܝܢ ܩܠܝ ܢܫܘܗܝ ܕܠܡܟ ܨܘܬܝܢ ܠܡܐܡܪܝ. ܡܛܠ ܕܓܒܪܐ ܩܛܠܬ ܒܡܚܘܬܝ ܘܛܠܝܐ ܒܡܩܦܣܘܬܝ.

Dixitque Lamech uxoribus suis. Adæ & Sellæ; Audite vocem meam, Uxores Lamech, auscultate sermonem meum: Quoniam Virum occidi vulneribus meis, & Puerum allisionibus meis.

ܡܛܠ ܕܫܒܥܐ ܡܬܬܒܥ ܩܐܝܢ ܘܠܡܟ ܫܒܥܝܢ ܘܫܒܥܐ ܀

Vs. 24. *Nam septulum rependetur Caino, Lamech verò septuagies septies.*

ARABICA.

Vſ. 23. فقال لامخ لامرتيه يا عادا ويا صلا اسمعا قولي ❊ ويا امرأتي لامخ انصتا لمقالي ❊ لاني قتلت رجلا بشجتي او صبيا بجرح: لحدثي ❊

Dixit autem Lamech duabus uxoribus ſuis: O Adha & ô Sella, audite ſermonem meum; Et ô duæ uxores Lamech, attendite dictum meum. Nunquid ego interfeci Virum per fractionem capitis, aut Puerum per vulnus meum?

Vſ. 24. لن كان كثير لتقان بقاين فلامخ لكثير ولكثير ❊

Si multum animadverſum eſt in Cain, in Lamech etiam magis ac magis.

PERSICA TAVVUSI.

Vſ. 23. گفت لمک بزنان خود عده وصلا بشنوید آواز من زنان لمک گوش کنید گفتار من که مردی کشتم بزخم تن من وکودکی بنشان تن من ❊

Dixit Lamech uxoribus ſuis, Adah & Sillah; Audite vocem meam, Uxores Lamech, aurem præbete ſermoni meo: Quod Virum occidero in vulnere meo, & Puerum in vibice mea.

که بهفت هفتها بباز توخته شود قاین ولمک هفتاد وهفت ❊

Vſ. 24. *Quia pro ſeptem bis ſepties rependetur* (ipſi) *Cain, & Lamech ſeptuagies ſepties.*

GRÆCA LXX.

Vſ. 23. Εἶπε δὲ Λάμεχ ταῖς ἑαυτοῦ γυναιξὶν, Ἀδὰ καὶ Σελλὰ, ἀκούσατέ μου τῆς φωνῆς, γυναῖκες, Λάμεχ, ἐνωτίσασθέ μου τοὺς λόγους. Ὅτι ἄνδρα ἀπέκτεινα εἰς τραῦμα ἐμοὶ, καὶ νεανίσκον εἰς μώλωπα ἐμοί.

Dixit autem Lamech uxoribus ſuis, Ada & Sella; Audite vocem meam, uxores Lamech, auribus percipite verba mea: Quoniam Virum occidi in vulnus mihi, & Adoleſcentulum in livorem mihi.

Vſ. 24. Ὅτι ἑπτάκις ἐκδεδίκηται ἐκ Κάϊν, ἐκ δὲ Λάμεχ ἑβδομηκοντάκις ἑπτά.

Quoniam ſepties vindicatum eſt de Caino; de Lamech autem ſeptuagies ſepties.

VULGATA & OSIANDRI.

Vſ. 23. *Dixitque Lamech uxoribus ſuis Adæ & Sellæ; Audite vocem meam, uxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: Quoniam occidi Virum in vulnus meum, & Adoleſcentulum in livorem meum.*

Vſ. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech verò ſeptuagies ſepties.*

VATABLI.

Vſ. 23. *Et dixit Lamech ad uxores ſuas Adam & Sillam; Audite vocem meam, uxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: Quoniam Virum occidi in vulnus meum, & puerum in livorem meum.*

Vſ. 24. *Si ſeptuplo vindicabitur Cain, certè Lamech ſeptuagies ſepties.*

PAGNINI & MONTANI.

Vſ. 23. *Et dixit Lemech uxoribus ſuis Hadah & Sillah; Audite vocem meam, uxores Lemech, auſcultate eloquium meum. Si* (Mont. *Quod*) *Virum occidero in meo vulnere* (Mont. *occidi in vulnus meum*), *& Puerum in meo livore* (Mont. *in livorem meum*).

Vſ. 24. *Quia ſeptempliciter vindicabitur Cain & Lemech ſeptuageſies & ſepties.*

CASTELLIONIS.

Vſ. 23. *Lamechus autem Adam & Sillam uxores ſuas ſic aliquando commonuit: Audite meam orationem, uxores Lamechi, & quæ dicam attendite. Si quem ego hominem plagis, ſi quem mortalem vulneribus interficerem;*

Vſ. 24. *Cum in Caino ſeptupli pœna ſit, profecto in Lamecho eſſet ſeptuagecupli ſeptupli.*

TREMELLII & JUNII.

Vſ. 23. *Tum dixit Lemec ſuis uxoribus, ô Hada & Tzilla, audite vocem meam, uxores Lemeci auribus percipite ſermonem meum: Nam Virum interfecero ad vulnus meum, etiam Adoleſcentem ad tumicem meum.*

Vſ. 24. *Cum ſeptuplo ſit vindicandus Cain, utique Lemec ſeptuagies ſepties* tanto.

LUTHERI & DIETENBERGII.

Vſ. 23 Und Lamech ſprach zu ſeinen Weibern / Ada und Zilla; Ihr Weiber Lamech höret meine Rede (Dietenb mein Stimm / und mercket / was ich ſage (Dietenb. laſt meine Reden zu euren Ohren kommen). Ich (Dietenb. dieweil ich) habe einen Mann erſchlagen mir zur Wunden / und einen Jüngling mir zur Beulen.

Vſ 24. Cain ſol ſiebenmal gerochen werden / aber Lamech ſieben und ſiebentzig mal.

BELGICA NOVA.

Vſ. 23. Ende Lamech ſeyde tot ſijne Wijven / Ada ende Zilla; hoort mijne Stemme / ghy Wijven Lamechs / neemt ter Ooren mijn Reden: Voorwaer ick ſloege wel eenen Man doot om mijne Wonde / ende eenen Jongelingh / om mijne Buyle.

Vſ. 24. Want Kain ſal ſevenvoudigh gewroocken worden; maer Lamech tſeventigh mael ſevenmael.

THESIS II.

Patet exinde aſſerti veritas. Nempe diverſimode tam Nomen Lamechi, quam rem Ipſam proponi. Quod ad NOMEN, Ebræum למך *Lemech* retinuere Onkelos, Jonathan, Samaritanus, Perſa, Calvinus, Martyr &c. & aſpiratione ſublata *Lemec* Tremellius, Junius, Piſcator &c. Reliqui ad pauſam reſpicientes ſcribunt *Lamech*: Syrus ex Linguæ genio ܠܡܟ *Lomoch* &c.

THESIS III.

Rationem Etymologias ignorare ſe fatetur Paſor *Etym. Nom. Propr.* 45. A מכך vero vel מוך *depauperari, attenuari* deducunt Lebæus *Onomaſt. Nom. Prop. pag* 360. Alcuinus apud Cornel. à Lap. *Comment. in Geneſ. pag* 90. *b.* Gloſſa Ordin. *h. l.* B. Lutherus *Indice Nom. Prop.* Selneccer. *Annotat. in Geneſ. pag.* 253. *&* 279. Rungius *Prælect. in Geneſ. Moſ. pag.* 253. Chytræus *Prælect. in Geneſ. pag.* 181. Sim. Muſæus *Conc.* 36. *in Geneſ. p.* 113. *a.* Pelargus *Comm. in Gen p.* 121. Becman. *Origin. Lat. Ling. p.* 1169. Glaſſius *Chriſtol. Moſ. diſſert.* 5. *ſect.* 3. §. 57. *p.* 181. Magnif. Dn. D. Calovius א״י *Comm. in Gen. p.* 623. Baumann. *Anal. Sacr. Art.* 5. §. 30. *p.* 445. Gregor. Gregorii *Lex. ſanct. num.* 204. *p.* 254. Caſtellus *T.* 6. *Bibl. Angl.* multoque agmine alii. Quanquam in hoc diſſentiant, ſitne ſignificatio activa *ſuppreſſor, humilians*, quod tum ita creverit poſteritas Cain, ut ab iis vera Eccleſia fuerit oppreſſa, an paſſiva, *humiliatus, depreſſus, depauperatus, attenuatus*, quod Deus humiliarit & attenuarit Cainitas, ac de iis ſupplicium iſto tempore cœperit: an denique utraque ſimul. In priorem ſententiam inclinant Selneccerus, Pelargus & Dn. D. Calovius. In mediam ante citati, & maxime Gregor. Gregorii, למך טו conferens cum Lat. *macies, macidus*, Græc. *μικκὸς*, Germ. mager. In poſteriorem Lutherus apud Calov. *l. c. p.* 561.

THESIS IV.

Nobis aliter viſum eſt. Lamed enim, quod ægrè omitti poteſt, ad radices ducit vel למך vel מלך. Illam obtinuiſſe olim, Paſor indicat: *Fuit olim*, inquiens *l. c. radix* למך *cujus ſignificatio & uſus jam nullus.* Puta penes Ebræos. Arabicè in Conjug. 5. تلمك perinde ac تلمج & تلمظ notat *deguſtavit, edit jentaculi quid.* Unde تلمك *juvenis validus & robuſtus*: quod non inepte ad Lamechum quadrat. Vid. Golius *Lex. Arab. pag.* 2163. *ſeq.* & Caſtellus

Lex.

Lex. Polygl. pag. 1934. Hæc ingenium Lamechi regnandi cupidum depingit. At transpositione primæ & secundæ radicalis, utp. tam intra quam extra codicem sacrum frequentissima, concessa. Sic ראב & אבר est *contabuit*, דחף & חדף *impulit*, חלש & חשל *lassus fuit &c.* Ita *Sciathus* Macedoniorum insula Bocharto *in Canaan l.* 1. *cap.* 12. *pag.* 432. *E.* dicitur à קשייתא q. d. dura & aspera. Et Cycladum *Seriphus* ex Pœnicio צריף, quod lapidibus stratum sonabat. Vide Eundem *l. c. c.* 14. *p.* 149. *A.* & adducentem *p.* 433. *A.* hæc Senecæ *de Consol. ad Helviam cap.* 6. *Deserta loca & asperrimas insulas Sciathum & Seriphum, Gyarum & Cosuram pete.* Simili μεταστοιχειώσει Persæ delectantur, formantes e. g. ex Arab. قدر *virtus* Cardaces militum genus: ex אדיר Ebræo ارد *ard* (unde اردشير *Ardschir* Artaxerxes, اردوان *Ardwan* Artabanus, Ἀρταῖοι veterum heroum titulus apud Hesych. & Stephan.) *illustris*: & ex פרס־גד *Persius exercitus* Pasargadas vel Passargadas. Conf. Anaximenem Alexandri Comitem, & ex eo Diotimum ap. Stephan. itemque Strabon. apud Bochart. *in Phaleg. l.* 4. *c.* 9. *p.* 253. *A. C. D.*

THESIS V.

Id vix memorandum videtur, Scripturam duorum Lamechorum mentionem facere. Alterius Gen. 5: 25. 28. 1. Paral. 1: 3. Luc. 3: 36. qui penultimus Patriarcharum ante-diluvianorum, primus morte naturali Patrem μακροβιώτατον prævenit. Nostri Gen. 4: 18, 19, 24. qui primus duabus maritatus tres in unam carnem effecit. Loquor verbis Tertulliani *Exhort. ad Castit. c.* 5. Hinc frustra Ochinus *in Dialog. pro Polyg.* negat Lamechum autorem bigamiæ fuisse, refutatus à Prucknero *Vindic. ad h. l. p.* 53. *a.* Quo cum gemina ferme habet, aliis quibusdam commixtus, Zennorenna *fol.* 7. *col.* 2. Der סדר ist gewesen in denselbigen Zeiten/ da jeglicher hat gehabt zween Weiber. Eine zu Kinder haben/ und die ander hat er geben zu trincken/ daß sie solt kein Kind haben. Denn es seyn viel Kräuter/ daß man daraus macht ein Tranck/ daß man nicht Kinder gewint. Und sie thäten das darumb/ daß dieselbige Frau solt hübsch bleiben. Denn er zirt dieselbige Frau as ein כלה, und die andere Frau war gegen as ein אלמנה. Denn asobald as sie tragen war/ da war er sich abscheiden von ihr/ und liegt alls bey der hübsche Frau. Rectius, & ad Judæorum mentem R. Gedalias Schalschel. Hakkab. pag. 7. הוא היה ראשון להחזיק ב׳ נשים אי לפריה ורביה והיתה יושבת גופה ואבלה שלמנה ואי ליופי והיה משקה אותה כוס של עקרין שלא תלד ומקשטה ככלה ומאכילה מעדנים: *Primus ille duas duxit uxores, alteram quidem* παιδοποιΐας ἕνεκα, *quæ tamen contemta sedebat viduæ instar; alteram vero ad ornatum, quam potu sterilem fecerat, ne pareret. Hanc variis ornamentis, instar sponsæ, instruxit, & delicate habuit.* Conf. Menoch. apud Joh. de la Haye *Bibl. Magn. T.* 1. *p.* 17. Cornel. à Lap. *l. c. p.* 89. *b.* B. Lyserus *in Adam p.* 438. Calov. *l. c. p.* 561.

THESIS VI.

Alia Nomina, quibus Lamechus insigniatur, haud invenimus. Nam quod Arabibus ملك *Malec* vocatur, ex μεταθέσει est. Eodem plane modo, quo pro يسوع *Jesus*, quod in Alcorano لسم أعجمي *nomen barbarum* dicitur, una cum Persis atque Turcis, efformant عيسى *Isa.* Cujus rei non ignari Kessæus Histor. p. 69. itemque autores Versionum Arab. & Pers. Orthographice لامك vel لامك *Lamec* retinuerunt. Vid. Lev. Warner. *Compend. Histor. eorum, quæ Muhammedani de Christo &c. tradiderunt,* Hottinger. *Histor. Orient. l.* 1. *c.* 3. *p.* 33. & 157. Dn. Pfeiffer. *Fascic. Diss. Phil.* 9. *th.* 3. *p.* 178. Cur autem Kessæo *l. c. p.* 60. Lamechus credatur fuisse ملك من الملوك وجبار عاصيا *Rex ex Regibus & Gigas refractarius,* Hottingerus docebit *l. c. p.* 34.

THESIS VII.

Hactenus de Nomine. Nunc FACTUM & VINDICTA Lamechi sequitur. De quorum priori cum aliqui dubitent, ne dicam illud prorsus negent, age, falsissimas eorum mentes explorabimus. Ac primo quidem Rabbi Bar Nachmanidæ, qui *in Bereschit Rabba* putat, loqui Lamechum sub Caini persona de Abele interfecto. Ad quæstionem enim: Quo instrumento Cain Abelem interfecerit? Resp. *Rabban Schimeon Gamalielis filius ait: Arundine eum interfecit, quia dictum est: Adolescentulum occidi in tumorem liventem meum. Id quod locutus est, quia tumorem liventem induxerat. Doctores autem nostri ajunt, quod lapide occiderit eum, quia dictum est: Virum occidi in vulnus meum. Indicans, quod vulnera induxerit.* Verum, quis non videt, duo distincta homicidia confundi? Quis non fatetur, dicendum hoc modo fuisse *Occidit* pro *Occidi.* Ut omittam, quæ ipse autor, sui oblitus, in sequentibus exponit. Quadrat huc adeo Talmudis illud *Succa fol.* 26. *col.* 1. צריך ערבך אברא *fidejussor tuus fidejussore indiget.*

THESIS VIII.

Expresse Lamechi cædem negari ab Onkeloso Bellarminus *l.* 2. *de V. D. c.* 3. & Bonfrerius *Comment. in Pentat. h. l. pag.* 138. *b.* conjiciunt. Sed conjiciunt. Dum enim ita παραφράζει: לא־גברא קטלית דבדיליה אנא סבל חובין ואף־לא־עולימא חבלית דבדיליה ישתיצי־זרעי, verba ejus ἐρωτηματικῶς intelligi possunt, hoc sensu: *Num Virum occidi, ut propter eum ego portem peccatum; aut num adolescentulum disperdidi, ut propter eum consumatur semen meum?* Quem licet Gretserus *Defens. Bellarm.* 461. contra Junium inficietur, tantum tamen abest, ut nos consentientes inveniat, ut potius Gretserum calumnias spirare dicamus. *Junius*, scribit *l. c. hoc* ἐρωτήσεως *commentum non affirmare, sed probare debebat. Certe interpretibus Caldaicæ paraphraseos non incidit, ut patet ex Bibliis Regiis & aliis. Et quare non incidit, nisi quia nec dum in cerebro Junii satum, & inde in lucem prolatum fuerat?* Ast, quid probare debuit Junius? An, quod לא interdum sumatur interrogative pro הלא? Id vero certissimum est, producitque hujus acceptionis exempla Schindlerus *Lex. Pentagl. f.* 929. Aut an demonstrandum ipsi fuit, לא hic necessario capiendum interrogative? Sed nec Gretserus demonstrare potuit, non debere ita accipi. Nam quod autoribus Versionis Latinæ in Chaldaic. Paraphrasin non inciderit, nimis frivolum est. Præjudicatne Versio Junio Viro in talibus versatissimo? ח״ו וכ״מ. Imo quin ponamus, particulam לא hic ex nativa sua vi negare: Nihilominus Onkelos respective loquitur. Scilicet Lamechum non ita occidisse, ut vel sibi vel suæ posteritati damno id futurum sit & exitio. Potuisset homo Pontificius allegare quoque Jonathanem, nisi spurius esset, cætera simili more intelligendus Palmaria ejus repetemus. לא גברא קטלית דנתקטלא תחותוי ואוף לא עולימא חבלית דבגיניה יהובדון זרעי: *An Virum interfecit, ut interficiamur pro eo, aut an Juvenem perdidi, ut propter eum pereat semen meum.* Conf. Ludov. de Dieu *l. c. p.* 16. *sq.* Walther *Offic. Bibl.* §. 313. *p.* 268. Varen. *Dec.* 5. *in Genes. Loc.* 1. *Concl.* 1. *p.* 408. Korthol. *Tract. Theol. Philol. de Variis S. S. Edit. c.* 3. §. 4. *p.* 34. *sq.*

THESIS IX.

Interrogativam eamque absolutam expositionem amplectitur Arabs vertens: إني قتلت رجلا بشجتي او صبيا بجرحي *Nunquid ego interfeci Virum per fractionem capitis, aut Puerum per vulnus meum?* Consentiunt Malvenda apud Matth. Polum *Vol.* 1. *Synops. Criticor. & Interpret. p.* 65. *Nec Virum vulnere, nec puerum contusione unquam occidi.* Quidam, adducentibus Martyre *l. c.* & B. Gerhardo *Comment. in Genes. p.* 154. *Nunquid hominem occidi, ut propterea timere debeatis.* Lud. de Dieu *l. c. Ulliusne ego cædis reus sum, sive Viri sive Pueri, quo & mihi de vulnere aut cicatrice, jure talionis, sit metuendum?* Ita Mercerus *Comment. in Genes. p.* 223. *b.* כי *interrogative vel admirative sumo, ut sæpe in hac lingua: Quid, vel anne, an vero, nunquid occidi Virum &c.* Interim, cum rarior sit hic significatus voculæ כי, Cornelio à Lap. favemus, *perperam* per interrogationem verti dicenti *l. c. p.* 90. *a.* Quo accedit, quod varie se macerent varii. Quippe Eman. Sa: *Audivi,* inquit apud Haye *p.* 16. *a. doctum sane & pium virum ita interpretantem: Cum male audiret Lamach, quod duas uxores duxisset, & illæ timerent, ne ei mali aliquid ea causa accideret, dixit: Nunquid hominem aliquem occidi, ut vitæ meæ timere debeatis?* Et Lightfootus apud Polum *p.* 66. *Deus illi horrorem incussit ob peccatum polygamiæ, voluitque eum testem fore adversus peccatum, quod introduxerat, q. d. Cain unum tantum interfecit, & quidem corpore; Ego innumeros, & quiden eorum animos pessimo exemplo, quod jam adeo in universum sequebantur, ut ruinam mundi accelerarent.* Haud aliter Lyra *ibid. p.* 64. *Qui bigamiam introduxerat, in uxoribus fuit punitus, ab iis male tractatus, quia per quæ quis peccat,*

peccat, per hæc & torquetur. Conf. Perer. *num.* 85. *p.* 245. Existimarunt scilicet, Lamecho seni ab uxoribus, in pœnam polygamiæ, mala plurima illata fuisse. Quorum amoliendorum, simulque uxores placandi gratia, sic ipse loquatur: Quid est, quod me male tractatis? Interfecine aliquem, quod vobis timendum sit? Parcite seni, & mihi bene facite. Quasi vero simile putemus, *duas mulieres ita affligere unum virum, ut ipse rogaret eas, ne affligerent, & timeret mortem sibi inferri ab eis. cum posset eas occidere*, responsio est Tostati *Oper. T.* 1. *quæst.* 16. *in cap.* 4. *Genes. p.* III. C. Concordant rare unius Viri uxores inter se, ceu liquet ex Rahel & Lea Gen. 30: 1. item ex Xantippe & Myro, Socratis uxoribus. Rationem suppeditat Bereschit Rabba *sect.* 45. ארבע מדות נאמרו בנשים הן גרגרניות צייתניות עצלניות קנאניות: *Quatuor proprietates dicuntur de mulieribus: Sunt Gulosæ, Auscultatrices, Pigræ, Zelotypæ.* Alii addunt ex Deuter. Rabba *sect.* כי תצא adhuc אסטטניות *Inconstantes* vel *Contentiosæ &* פטטות *Garrulæ.* Imo cum Lamech multos genuerit filios, quis crederet, hos permisisse, parentem affligi ab uxoribus? Apage!

THESIS X.

Nonnulli Ebræorum censent, Uxores Lamechi à thoro abstinuisse. Ad quem ut maritus reduceret, interrogative loquentem introducunt: Egone homicida sum, quod meam consuetudinem devitatis? Consuescite, quæso, mecum, & more ante solio impregnamini. Scinduntur autem in duas cumprimis partes. Aliqui ad arma à filiis inventa confugiunt. Ad arma, quæ in cædes hominum adhibuerint. Timuisse igitur uxores, ne vel ipsæ, vel ipsarum liberi interimantur, adeoque à Lamecho abstinuisse. Audiamus quodammodo huc facientem R. Bechai: *Lamech gladium & homicidium in mundum introduxit, atque opus Patrum* (Caini & Lamechi) *imitati sunt filii. Uxores vero ejus timebant ipsius causa, ne moreretur pœna peccati sui, quod homicidium in mundum introduxisset. Ea de causa dixerat ipsis: Et quia virum occidi in vulnus meum, aut puerum in tumorem meum, quia feci, quemadmodum fecit Cain? Hoc vero intendit dicere: quod homo occidere possit sine gladio, & quod gladius non sit homicidii causa. Et quamvis ipse opificium suum intro duxisset, non ideo sibi pœna incumbat, quod duriori nece occidere quis possit, quam quæ gladio posset inferri.* Dixi quodammodo. Nam (1) Scriptura non Lamecho; sed filio ejus Tubalkain inventionem armorum tribuit. Verba Gen. 4: 22. clarissima sunt: וצלה גם־היא ילדה את־תובל קין לטש כל־חרש נחשת וברזל: *Zilla autem & ipsa peperit Tubalkain, qui erudivit omnem fabrum ærarium & ferrarium.* Conf. Zennoren. *fol.* 7. *c.* 2. **Und sie** (צלה) **gewann einen Sohn/ der hieß** תובל קין **/ das ist deutsch: Er hat verricht die** מלאכה **von** קין**/ Er macht Schwerdter in der Welt/ daß mann derschlagen die Leut/ gleich aso as** קין**/ der war auch ein** רוצח. Quo argumento Bechai refutat Muis apud Polum *l. c.* & vapulat Munsterus ac Fagius *ibid.* (2) Esto. Non tamen probari poterit, Patrem imitatos esse filios. Potius (3) gratulatæ sibi fuissent uxores, non timuissent, utpote quæ tantarum artium filiis gauderent. In genere autem *irrationabilem & fabulosam* hanc de timore armorum inventorum *glossam* vocat Varenius *l. c. concl.* 2. *p.* 409.

THESIS XI.

Aliis diluvium causam dat, quo minus uxores Lamechi maritum suum admittere voluerint. Fingunt enim, illas audivisse mox futurum esse diluvium, ideoque dixisse: Quid gignimus filios, diluvio perdendos? Lamechum contra reposuisse: Egone aliquem occidi, ut genus meum deletum iri putetis? Annon, si Caino dilata est pœna ad septimam generationem, mihi differetur ad septuagesimam septimam? Congredimini modo mecum, & nihil timete. Adducit hoc commentum Beresch. Rabb. *h. l.* his verbis: *Invitabat Lamech uxores ad procreandum ex conjugio liberos, quæ respondebant: Cras diluvium ingruet, quemadmodum audivisti. An ergo fructum feremus, & multiplicabimur, ut diminuamur? Regerebat uxoribus Lamech: Quia Virum occidi in vulnus meum, ut super me vulnera veniant propter ipsum, & Adolescentem in tumorem liventem meum, ut super me tumores liventes veniant propter ipsum. Cainum miror, qui homicidium patravit, ac protensa sunt ipsi septem generationes; mihi vero, qui neminem occidi, nullum est judicium, protendi mihi possint septuaginta septem.* Hausisse id videtur ex Targum Onkelosi vel Jonathanis, ה'נל. Verum enim vero si ante sciverunt, venturum brevi diluvium, cur Viro nupserunt? Nisi dicas, post aliquot susceptos liberos inaudivisse. *Sed hoc est divinare,* ait Mercerus *p.* 125. *a.* Fuerunt, sine dubio, mulieres ex Caini progenie, quas non puto credidisse, etiamsi percepissent, diluvium. Certum me reddit Salvator de ante-diluvianis Luc. 17: 27. concionans: ἤσθιον, ἔπινον, ἐγάμουν, ἐξεγαμίζοντο, ἄχρι ἧς ἡμέρας εἰσῆλθε Νῶε εἰς τὴν κιβωτὸν, καὶ ἦλθεν ὁ κατακλυσμὸς, καὶ ἀπώλεσεν ἅπαντας. *Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptum, ad eum usque diem, quo introiit Noë in arcam; Venitque diluvium, & perdidit omnes.* Deinde contradicit hæc sibi sententia. Debet puniri posteritas Lamech in 77. generationem, & tamen perdenda est diluvio, antequam eo pertingat. עליצה עסה שתחנתום מעיד עליה שהיא רעה: *Pessimam oportet esse massam, de qua pistor ipse testatur, quod sit mala,* R. Jehuda Muscatus *Comment. in lib. Cosri.* Porro inepta quoque fuisset Lamechi responsio. Uxores etenim propter cataclysmum sollicitæ, nullam homicidii purgationem exigebant. Utor hic judicio Tostati *l. c. D.* Cui addatur, quod Lamech se adeo excusando homicidii quam maxime reum faciat. Conf. Varen. *non unius assis æstimandam* hanc glossam appellantem *l. c.*

THESIS XII.

Hypothetice Lamechi verba, de nuda quadam roboris jactantia, accipiunt perquam plurimi. Perinde ac si Moses intendat exhibere, aliquo velut specimine, ingenium eorum, de quibus acturus est capite VI. 4. Sensum formant talem: Si quis vel leviter me tetigerit, sive Vir sive Juvenis, sane occidero ipsum, etiamsi ipsemet vulnerarer. Quapropter, ô uxores, nolite timere. In vestrum confidite virum, qui se strenue geret. Atque hoc modo interpretantur non solum Persa suo بكشتم ex كشتن *occidere* (vid. Grav. *Element. Pers. Ling. p.* 50. & Lud. de Dieu *Rudim. Ling. Pers. l.* 2. *cap.* 2 *p.* 12.), Pagninus, Tremellius, Junius, Castalio atque Belgæ in Versionibus suis supra thesi prima allegatis; sed & Calvinus *l. c.* Piscator *Quæst. in Genes.* 07. *pag.* 50. & *Schol. in h. l. p.* 128. Tremellius *Not. pag.* 10. Vatablus *Not. p.* 16. Belgæ *Not. h. l.* Mercerus *l. c.* Rivetus *Exerc.* 46. *in Genes. p.* 231. *a. b.* Polus *p.* 65. & hoc allegante Ainsworthus, Fagius, Lyra, Munsterus *h. l.* Isidor. Clarius *h. l.* &c. In eundem sensum scribit Aben-Esra אם יפצעני אדם שהוא גדול או ילד יעשי לי חבורי או הרגתיו ומלת הרגתי תמורת אהרג: *Si quis, seu major seu minor, vulnus mihi vel livorem inflixerit, statim occidam eum: Positum enim est OCCIDI pro OCCIDAM.* Conspirant Galli *in Not. ad vers.* 23. *Il veut dire, qu'il n'y a homme si fort, fust il en fleur de son âge, qui luy peust resister, & qu'il ne despeschast incontinent.* Sic Jacob Capellus *Hist. Sacr. & Exot. ad A. M.* 129. Lamechum Poëtices autorem venditans ejusmodi hymnum thrasonicum composuit!

O Tsilla & Ada, audite sermonem meum,
Vocem meam attendite Lamechi conjuges:
Pugni vel uno vulnere occidam virum,
Meoque juvenem tumice confossum dabo.
Si vindicetur septuplo Cain, Lamech
Se vindicabit septies septuagies.

Ad quem, miror, cur Rivetus *l. c. p.* 232. *a.* adjiciat: *Certe non caret probabilitate ejus* (Cappelli) *sententia; ut Moses hac recitat. cantiuncula, qua cum uxoribus se oblectabat, vanitatem & profanitatem hominis voluerit traducere, & dignum Caini tritavi successorem exprimere.* Miror, inquam, cum sacer codex altum sileat. Quin miror etiam, cur simplicissima à tam multis nominetur indicata constructio. Siquidem ægre כי per *si* vel *certe* reddimus; ægrius Præteritum in Futurum δυνητικῶς convertimus. Convertimus tantum, quando συνάφεια Textus & reliqua media hermeneutica requirunt. Maxime tandem miror, cur ab Accentuatione præsidium quærat Dn. D. Varenius שלי טא *l. c. pag.* 410. Munach enim in vocula כי conspicuum æque aliorum ac ipsius favet sententiæ. Positus est vicarius servus pro Gerescho Barone ac Domino suo, subdistinctivo ֥ Pasta. Vid. χειραγωγ. *ad Doctr. Accent. Ebr.* Dn. Pfeifferi *cap.* 3. *observ. sing.* 7. *p.* 20. *seq.* Quapropter concludo mentem verbis Reverendissimi Dn. D. Calovii *l. c. p.* 564. *Meram esse jactantiam Lamechi de robore suo, ut Præteritum pro Futuro ponatur, q. d. Sane hominem interficerem, quicunque etiam ille fuerit, sive Vir sive adolescens, si vultus ab eo acciperem, vel si conaretur solum mihi vulnus infligere, neque verbis satis congruit & à Textu alienum videtur esse. Mosen enim jactantiam illam nudam hominis vani recensere voluisse, cum nulla offerat se occasio, neque finem ullum ea*

relatio

relatio habere videatur, non ſit veriſimile. Conf. Gerhard. *l. c. p.* 153. Chr. Chemnit. *Colleg. Theol. in Geneſ. Diſp.* 3. *qu.* 5. §. 2. Geſner. *Diſp.* 4. *in Geneſ. q.* 12. *pag.* 129. Cornel. à Lap. *p.* 90. *a.* Cæterum ἐκ περιουσίας refero, quod Leonardus Marius apud Rivet. *l. c. p.* 231. *a.* commentatur. *Hæretici*, inquit, *ita h. l. pervertunt, ut ex Lamech faciant peſſimum & deliberatum homicidam, dum præteritum Occidi vertunt per Futurum Occidam vel Occidero, eumque introducunt contemtorem divinæ comminationis, poſitæ ſupra adverſus Cain.* Videat hic Autor, quomodo Iſid. Clarium, Pagninum aliosque complices conciliet: quandoquidem & ipſi per Enallag. *Occidam* aut *Occidero* verterunt. Suntne & illi Mario hæretici? Concedam. Ita ſuo ſæpe indicio perit ſorex. Aut, ut Ebræorum habet Proverbium: סניגור יעשה קטיגור *Procurator quandoque fit accuſator.* ואוי לו שנעשה סניגורו קטיגורו *Væ autem ei, cujus procurator fit accuſator ipſius*, Vajik. Rab. *ſect.* 30.

THESIS XIII.

Pleraſque prædictarum ſententiarum convaſat Martyr. *l. c.* Lamechum non interfeciſſe, ſed vel uxores à malo, quod ipſi ſtruxerant, retraxiſſe, vel eas ad conſuetudinem conjugalem invitaſſe, vel inanem diluvii metum illis excuſſiſſe. Ipſiſſima ejus verba ſic habent: *In Summa: Vel pœnitens deplorat peccatum; vel uxores deterret à machinando aliquod malum contra ſe; vel ſe purgat, eas ſibi conciliando, ut rurſus ei conjungantur; aut propter hoc idem eximit illis diluvii terrorem.* Horum ſi quis diſcuſſionem deſiderat, ante tacta & acta intueatur. Ego crambem bis coctam apponere nolo, ne forte obvertant Suidæ illud: Δὶς κράμβη θάνατος.

THESIS XIV.

Ultimus, qui Lamechum ab Homicidio excuſare allaborat, Joſephus audit. Is enim *lib.* 1. *antiqu. cap.* 3. Lamechum pœnas prædicere uxoribus, ob cædem à Caino factam, exiſtimans, ita infit: *Porro Lamechus divini juris non imperitus, videns pœnas ſe exſoluturum parricidii à Caino perpetrati, uxoribus ſuis hoc indicavit.* Ubi notamus, in jure divino nuſpiam dicit, aut Lamech aut alium quempiam daturum pœnas propter crimen Caini niſi cædis ejuſdem reum. Quod item dictitare poterat naturæ lumen, Lamecho maniſeſtiſſimum. Adeoque ſi quid luere debuiſſet, luiſſet proprium, non alienum peccatum.

THESIS XV.

Vidimus *Negantes* Lamechi Homicidium. Jam illud *Affirmantibus* attendemus. Affirmantibus vel *Unicum* fuiſſe, vel *geminum*; Utrumque modo *ſuppreſſo*, modo *expreſſo nomine.* Qui Lamechum *ſimplex idque indeterminatum* commiſiſſe *Homicidium* ſtatuunt, ſunt Theodoretus *Qu. in Gen.* 44. & Rupertus Tuitienſis *l.* 4. *Comment. in Gen. c.* 9. Prior cum apud Pererium *num.* 83. *p.* 245. & Janſen. *Comment. in Pentat. pag.* 50. poſuiſſet hanc quæſtionem: Quosnam interfecit Lamech? Reſpondet: *Non duos, ut quidam putaverunt, nec ipſum Cain, ut alii fabulati ſunt; ſed unum, & hunc juvenem. Virum*, inquit, *occidi in vulnus meum, adoleſcentulum in livorem meum, hoc eſt Virum agentem juvenilem ætatem.* Poſterior apud Cornel. Cornelii à Lap. *l. c. Virum* occiſum dicit *per ætatem, adoleſcentulum per ejus ſtabilitatem.* Seu, ut R. Jochanan loquitur in Bereſch. Rabb. *h. l. Virum reſpectu membrorum, adoleſcentem reſpectu annorum.* Paucis, Virum Juvenem. Intellexerunt nempe vocabula איש & ילד de uno eodemque ſubjecto. Qua in parte ſequuntur Calvinus *l. c. p.* 44. Caſtalio in Verſione & *Annot. p.* 10. ac Mercerus *pag.* 124. *a.* Et ne fruſtra hoc dixiſſe videantur, ad repetitionem auxeticam confugiunt, qua prius hemiſtichium, præcipue in carminibus, poſterius enodare ſolet. Probationem petunt à vocibus לפצעי & לחבורתי, quas volunt ejuſdem rei ſignificatum obtinere. Conf. Cornel. à Lap. *l. c.* Sed vero איש & ילד omnino differunt, maxime vero conjunctim poſita. Vide Th. XVII. & Magnif. Dn. D. Geier. *Part.* 1. *Prælect. in Pſalm. p.* 965. & *Comment. in Cohel. pag.* 146. Hinc Magnificus Dn. D. Calovius *l. c. p.* 566. *Nec Theodoreto ac Ruperto accedendum, quod unus tantum occiſus ſit, quia* ילד *PUER unus dicitur, alter* איש *VIR, quæ non ſunt unum ſuppoſitum, ſed duo.* Πάθος & auxeſis, quam ſubminiſtrare præſumitur כפל הענין במלות שונות *identitas ſignificationis in repetitis vocibus*, temere opponitur. Probandum eſſet, Lamechi ſermonem Carmen ſive Rhythmum continere. Quo

negato, negamus itidem, nomina פצע & חבורה *vulnus & livorem* ſignificatione convenire. Vide Lexicographos & Th. XXII.

THESIS XVI.

Interfecti à Lamecho *nomen* hinc inde *exprimitur.* Nimirum CAIN, ſeu, ut falſo, ſaltem ὁμοιοπτώσεως ἕνεκα, efformat Muhammed in Alcorano, KABEL: More ſimili, quo Gogum appellat *Jagogum*, & Saulem *Taluthum*; prius propter Abel, medium propter Magog, tertium propter Galuth ſ. Goliath. Vid. Hotting. *Hiſtor. Orient. l.* 1. *c.* 13. *p.* 28. Æthiopes, Nun in Lavvi converſo, ſcribunt ቃየል: Vid. Ludolf. *Lex. Æthiop. pag.* 171. Cum autem ſacer Textus duos necatos referat, provehimur ulterius, reſponſione petenda ex Theſi præcedenti. Quanquam id tantummodo adjiciamus: Cainum non poſſe juvenem appellari, quem probabile eſt, tum temporis non amplius extitiſſe. Conf. Rungius *Prælect. in Geneſ. Moſ. p.* 254.

THESIS XVII.

Duorum ergo, ſed *nomine ſuppreſſo*, mentionem facit Moyſes. Primum appellat איש & corpore & animo valentem virum, ex התאושש *viriliter ſe geſſit*: Alterum ילד Puerum non multis à nativitate diſtantem annis, ex ילד *genuit.* Imitantur idem ſaniores interpretes. Chaldæi nominantes גברא Virum robuſtum, à גבר *robuſtum eſſe*, in Paël *virilem* efficere; & עולימא ſeu עלימא Puerulum, adoleſcentem: ab עלם *roborari*, in Niphal *latere*, propterea quod domi in cura parentum latitet. Samaritanus diſtractè uſurpans ࠂࠁࠓ Virum; ac ࠏࠋࠌ Adoleſcentulum. Syrus ܓܒܪܐ Virum; & ܛܠܝܐ Puerum, ex ܛܠܠ parvulum fecit. Arabs رجل Virum, ex رجل, media dammata, *virili animo fuit*; صبي Puerum, ex صبا νήπιος *fuit, luſit cum pueris.* Perſa مرد Virum; & كودكى Puerum &c. Vid. Buxtorf. *Lex. Bibl. pag.* 23. 311. 99. 559. Avenarius *Dict. Ebr. pag.* 25. 294. Schindler. *Lex. Pentagl. pag.* 43. 758. 274. 1329. 702. 1694. 1513. Buxt. *Lex. Talmud. pag.* 382. 1617. Troſt. *Lex. Syr. p.* 137. 283. Golius *Lex. Arab. p.* 953. 1328. Hotting. *Lex. Harmon. p.* 12. 46. 344. 155. 399. Caſtell. *Lex. Polygl.* 105. 1610. 477. 2775. 3516. 311. 4 & *Lex. Perſ. p.* 505. & 477. Similiter duos quoque, ſed incertos, interemtos Chryſoſtomus exiſtimat: *Non tantum*, inquiens *Homil.* 20. *in Geneſ.* ſub perſona Lamechi, *nocui illis, quos occidi, quantum mihi ipſi.* Et Chron. Alexandr. *Aliud vulnus, & aliud livor; & aliud vir, & aliud adoleſcens.* Quorſum referri poteſt Schindlerus *l. c. p.* 518. *Si quis puer livorem mihi inferebat, eum occidebam.* Atque in hanc ſententiam deſcenderemus, niſi forent, qui *expreſſius* occiſorum *nomina* recitarent. Petis eos? En brevibus communicabo.

THESIS XVIII.

CAINUM equidem & TUBALCAINUM illum tritavum, hunc filium Lamechi cæſos aſſerunt præter Judæos Hieronymus *Epiſt.* 125. *ad Damaſ.* & *ibid.* Origenes, Iſidor. Hiſpalenſis *lib.* 7. *Orig. c.* 6. Julianus, vulgo Pomerius *lib.* 2. *contra Jud. T.* 4. *Biblioth. Patr.* Beda *Quæſt. ſuper Gen.* Alcuinus *Interrog.* 91. *in Geneſ.* Anshelmus, Rabanus, Strabus, Gloſſa Ordin. Rupertus *l.* 4. *Comm. in Gen. c.* 8. it. *Comment. in Malach. c.* 1. Lyranus, Abulenſis, Comeſtor, Lipomanus, Toſtatus *l. c. E.* & *quæſt.* 8. *p.* 109. *A.* Eſtius apud Haye *l. c.* Menochius *ibid. p.* 17. *a. b.* Cajetanus *h. l.* Pererius *num.* 79. *uſque ad* 85. *p.* 245. *ſq.* Bonfrerius *l. c.* & *p.* 139. *a.* Delrio *h. l.* & *Adag. Sacr.* 10. *P.* 1. *p.* 15. *a.* Genebrard. *l.* 1. *Chron. ad A. M.* 620. Auguſt. Torniellus *ad A. M.* 875. Jac. Salianus *T.* 1. *Annal. ad A. M.* 688. Bruno *Expoſit. in Pentat. h. l.* Leonardus Marius *h. l.* Lutherus *T.* 4. *Altenb. f.* 45. *a.* & *T.* 9. *f.* 145. *a.* Werner. Weſtphalus apud Friedlieb. *Tom.* 1. *Theol. Exeg. cl.* 7. *qu.* 110. *p.* 36. Cartwrigth. *Elect. Targum. Rabbin. in Geneſ. p.* 52. Eman. Theſaurus *Genealog. Silvat. in Epitaphio Caini*, B. Urſinus *Exerc. famil.* 2. *ſect.* 4. *p.* 103. &c. Hiſtoriam, aut ſi mavis fabellam, talem enarrant. Fuiſſe Lamechum venationi deditum uſque ad extremam ſenectutem. Oculis caligantibus armigerum ſibi aſſociaſſe Tubal Cain. Quo cum ſtipatus venatum aliquando iret, Cainum in ſilvis, ferarum more, oberrantem offendiſſe. Offenſum,

juſſu incauti Rectoris, pro fera eum habentis, ſagitta confixiſſe. A confixum dolente Lamecho ita percuſſum eſſe puerum, ut brevi etiam exſpiraret. Tandem totum negotium narratum mulierculis. Audiamus hac de re duos ex Judæis, ac totidem ex Arabibus. Ex Judæis teſtetur primum R. Gedalias *l. c.* apud Hottinger. *Smegm. Orient. l.* 1. *c.* 8. *pag.* 223. & *Hiſtor. Orient. l.* 1. *cap.* 3. *pag.* 34. h. m. אומרים שבהיות קין זקן מאד ועיין נתיישב בין אילנית וקוצים והיה סגי נהור והנער שהיה הולך עם למך לצוד ציד ראהו מרחוק נדמה לו היה איזו היה ותכף אמר של למך שידרוך קשתו נגד החיה ההיא וכן עשה המיתו וכשנת קרב אליו הכיר שהיה קין זקנו וחמתו בערה בו והמירת ארת נערו: *Dicunt, quod cum Cain ætate; defeſſus eſſet, ſederit inter arbores & dumeta, cæcus. Abiiſſe autem puerum eum Lamecho venatum, qui viderit Cainum, tanquam feram aliquam. Juſſiſſe igitur Lamechum intendere arcum, feramque illam noxiam petere: quod fecit, eumque ſic occidit. Cum vero propius accederet, obſervavit avum ſuum eſſe Cainum. Quapropter ira accenſus occidit puerum ſuum.* Gedaliæ ſubjungimus Zennorennam, qui ſimul aliam ſeparationis uxorum à thoro cauſam proferens, in hæc erumpit *f.* 7. *col.* 2. *ſq.* Es ſagt למך zu ſeine Weiber: hört mir zu ihr lieben Weiber/ und thut euch zu mir beheffken/ denn die Weiber die haben nit gewolt bey Ihm liegen. Nebich darum/ weil er hat derſchlagen תובל קין. Denn למך war geweſen blind/ und תובל der hat ihn geführt/ und תובל hat geſehen קין von weiten gehen auf dem Feld. Er ſagt zu למך: Es geht von weiten ein חיה/ nem deinen Bogen und ſchüß. Er nam ſeinen Bogen und ſchüſt auf קין ſeinen älter Vater/ und hat ihn derſchoſſen zu tod. Da למך hat das gewar worden/ er war ſehr derſchrocken/ und ſchlug ſeine Hände zu annander/ und hat derſchlagen ſeinen Sohn תובל קין zwiſchen ſeine Hände zu tod. Da haben die Weiber ſich nit gewolt beheffken zu Ihm/ und er hat ſie ſehr gebeten/ und ſie wolten Ihm nit folgen. Und er wolt ſich verantworten und ſagt: hab ich den muthwillig gern derſchlagen die Leut? Denn mein älter Vater קין der hat muthwillig gern derſchagen/ da hat ihm הקבה ſieben דורות laſſen leben; und ich hab nit gern derſchlagen מכל שכן, werd mir הקדוש ברוך הוא länger warten. Da gieng למך nebich klagen zu אדם הראשון und ſagt: Seine Weiber ſcheiden ſich ab von ihme. Da ſagt אדם zu den Weibern. Ihr ſolt niſcht reden auf die גזירה von הקדוש ברוך הוא Ihr ſolt das eure thun/ und ſeyd euch beheffken und nicht abſcheiden von ihm. Da ſagten die Weiber zu אדם: was wilſtu uns ſtraffen/ und warum wilſtu dich nit beheffken zu deinem Weib? Es iſt en hundert und dreyſig Jahr/ daß du dich haſt abgeſcheiden von deinem Weib/ von dem malt an/ as du haſt geſſen von dem Apffel. Alſobald hat אדם einen יצר bekommen/ und war beſchlaffen ſein Weib/ und gewan einen Sohn/ der hieß שת Conf. Raſchi *in Bibl. Rabbin.* Buxtorf. Ex Arabum ſcriptoribus prodeat Elmacinus *Hiſtor. Saracen. pag.* 7. ita mortis genere invariato, diſſerens, ופי תלתמאנה סנה מן עמרה קתל קאין עמה ודלך לאן לאמך כאן מן נסלה וכאן אעמי פכרג אלי אלגאבה וצבי מן אולאדה יקודה וכאן קאין פי אלגאבה פסמע לאמך חס פי אלגאבה פטן אנה סנע מן בעץ אלכבאע פרמי בחגר פוקע פי קאין פקתלה גלטא פקאל לה אלצבי אלדי מעה יקודה מא דא צנעת קד קתלת קאין פחז וצרב נידית בעצהא בעצא כעאדה מן ינדם וכאן אלצבי קדאמה פאצטכתא ידאה עלי ראס אלצבי פקתלה מן גיר קצד פגא לאמך ולי אמר אתיה עדא יצלא וקאלהמא אסמעא כלאמי אן קאתל האביל יגאזי בסבעה מן אלקם ולאמך בסבעה וסבעין מן אגל אנה קתל רגל ברמיה חגרא וצביא בעצפק (בתצפיק) ידי וכאנת ופאה קאין וקה כמל עמרה סבע מאיה ותלא תין סנה: *Anno vitæ ejus trigeſimo occiſus eſt Kain patruus ejus, hoc modo, Lamechus, qui de poſteritate ejus erat, cæcus egreſſus fuit in ſylvam comite puero de filiis ejus. Erat autem Kain in ſylva; cumque ſonitum in ea Lamechus audiviſſet, opinioneque ductus eſſet, feram eſſe quandam, lapidem projecit, qui in Cainum decidit atque ſic per errorem eum occidit. Puer autem, qui duxerat eum, dixit: Quid feciſti? Utique occidiſti Kainum. Triſtatus ergo, eorum more, qui pœnitentia ducuntur, manus comploſit; & quia puer ante eum ſtetit, manibus capiti ejus impactis, incaute occidit. Veniens autem Lamechus ad uxores ſuas Adam & Zellam, dixit illis:* Audite verbum meum; Qui occidit Habelem, ſepties vindicabitur; at Lamechus ſeptuagies ſepties, *qui virum occidit jactu lapidis, & puerum comploſione manuum.* Addatur Autor *Notar. marginal. Pentateuchi Arab. MSS.* qui ſimiliter: لامك كان اعمى يقوده صبي فسمع حس في الغابة ظن انه وحش فرماه بحجر فقتله فقال له الصبي قتلت قاين انسانا فضرب بيديه على راس الصبي فقتله ايضا *Lamech cæcus fuit, proinde à puero duci neceſſe habuit. Audito autem aliquando in ſylva ſtrepitu, feram eſſe exiſtimavit. At ubi lapide vitam ei ademiſſet, cognovit ex puero, hominem ſe occidiſſe: unde* (ne videlicet facinus hoc ejus in vulgus dimanaret) *ipſius etiam pueri caput ita contudit, ut fuerit mortuus.* Conf. Patricides *Hiſuæ p.* 6. apud Hotting. *Smegm. l. c. pag.* 224. Aliqui, ut majorem Hiſtoriæ ſpeciem concilient, Locum, ubi facta contigere, adjiciunt, Caymoth dictum. Quo de Barthol. Saligniaco *Deſcript. Terræ ſanct. contra Nothum c.* 7. §. 2. ſic inquit: *A loco interfectionis ſacerdotum Baal, tribus locis contra Auſtrum ſituatur Caymoth caſtrum, in pede montis extra Veremum Carmeli, ubi Lamech fertur ſagitta Cain interfeciſſe. Dicitur enim in Libro Geneſeos c.* 4. *Occidi Virum in vulnus meum.*

THESIS XIX.

Urgent Traditionis recenſitæ Patroni, præcipue autem Cajetanus, Pererius & Bonfrerius *lll. ccc.* Moſen per totum caput quartum Geneſeos agere de Caini nativitate, vitæ progreſſu & rebus geſtis. Nunc ſi mortem ejus omitteret, male fungi officio Hiſtorici. Urgent comparationem pœnæ Caini cum pœna Lamechi. Urgent Hypotheſes Ebræorum, quas temere in rebus hiſtoricis rejicere extreme temerarii eſt. Urgent ultimo tantorum Patrum conſenſum. Hiſce tamen ſuper habitis, fabulam olere narrationem pronunciamus cum Athanaſio *in Geneſ. qu.* 61. Theodoreto *qu.* 44. Auguſtino *qu.* 6. Catharino, Oleaſtro, Cornel. à Lap. *l. c.* Mercero *p.* 125. *a.* Riveto *p.* 231. *a. ſq.* Malvenda apud Polum *p.* 65. Luthero *Comment. Lat. in Geneſ. p.* 72. *b.* Gerhardo *Comm. in Geneſ. p.* 153. Dn. D. Calovio *p.* 565. Micræl. *Syntagm. Hiſtor. l.* 1. *qu.* 13. *pag.* 14. Verenio *l. c.* Dn. Pfeiffero *Colleg. Bibl. MSS. Pent.* 4. *Loc.* 1. &c. Fundamentum nobis ponat axioma Pauli ex Judæo Chriſtiani & Burgenſis Epiſcopi, quod nectit, quando Lyrani commentum examinat: *In h. l. & ſimilibus, ubi Scriptura prætermittit totalem narrationem facti, illam expoſitionem videri magis literalem, quæ minus præſupponit de facto in litera non expreſſo; eo, quod juxta ſententiam Hieronymi: quæ autoritate Scripturæ non habentur, eadem facilitate condemnantur, qua approbantur.* Ad hujus ductum conſideraturi Fabellam de Caino & Tubal-Caino interemto, deprehendemus אין טעם וריח בה *ineſſe ei neque ſaporem, neque odorem*, ut phraſi Ab. Eſræ hic utar. Nam ſupponitur (1) Lamechum indulſiſſe venatui. (2) Feciſſe id cœcutientem etiam, ac ſenem. (3) Habuiſſe propterea famulum, qui obſervaret motum inter arbuſta. (4) Hunc fuiſſe TubalCain, juvenem tum temporis. (5) Cainum adhuc in vita extitiſſe. (6) Eundem, relicta Henochia ſua, ſylvas introiviſſe. (7) Oberrantem ibidem à ductore Lamechi pro fera agnitum eſſe. (8) Lamechum intendiſſe in illum arcum. (9) Confodiſſe quoque, cæcitate non obſtante. (10) Errore deprehenſo trucidaſſe rectorem, cum tantum caſtigare vellet. (11) Lamechi uxores ob duplex homicidium timuiſſe. (12) Has nihilo minus recitatione facti animoſa erectas ad maritum rediiſſe &c. Quis unquam ejuſmodi gobium ſub tam parvo lapide quæſiviſſet? Profecto, ſi *licentia* (loquor Riveti verbis) *ita nugandi in ſacris permittatur, nihil obeſſe poterit, quo minus Scripturæ affingamus, quicquid libuerit.* Quod ad objectiones contradicentium: Moſes ſummo ſtudio prætermittit, quod nuſquam evenit, parricidium. Dixerat vſ. 15. וישם יהוה לקין אות לבלתי הכות־אתו כל־מצאו *Et impoſuit Jehova Caino ſignum ne cum cæderet ullus, qui inveniret.* Quomodo igitur occiſum traderet, cui Deus & verbo & ſigno ſecuritatem fecerat? Fungitur hoc ipſo officio ſuo ut qui cum maxime. Comparationem pœnæ Caini cum pœna Lamechi infra diluemus. Traditiones Ebræorum in tantum rejicimus, in quantum veritati Biblicæ vim inferunt. הרי הם כהרים התלויין בשערה *Sunt ac ſi magni montes dependerent à pilo*, Chagig. *c.* 4. *in Miſchna*, Talmud. Hieroſ. *Schab. c.* 5. 1. Patribus opponimus Patres, aliis alios. Conf. Chytræus *Enarrat. in Geneſ. p.* 179. Janſen. *Comment. in Pentat. p.* 50. Philo *lib. quod deterius potiori inſidiari ſoleat.*

THESIS XX.

Novam plane ſententiam fovet Suidas. De duobus quippe Lamechus ſcripturus, alterum eorum Fratres Enochi duos trucidaſſe *Tom.* 2. *Lex. pag.* 7. aſſeverat his verbis: Λάμεχ δύο ἡ γραφὴ μέμνηται. Ἑνὸς μὲν τοῦ Καΐν, ἑτέρου δὲ τοῦ πατρὸς Ἐνώχ. Γεγέννηται δὲ Νῶε διὰ Λάμεχ, οὐκ ἐκ τοῦ ἀπὸ Καΐν τοῦ πεφονευκότος ἄνδρα τε καὶ νεανίσκον εἰς μώλωπα, καὶ ὡς δύο φόνους πεποιηκότος, καὶ τοῦ δύο τὰς γυναῖκας εἰληφότος Ἔλδαν καὶ Σελλάν.

Ὃς

Ὃς ἑαυτὸν καταμέμφεται, καὶ ἑβδομηκοντάκις ἑπτά φησιν ἄξιον εἶτε κολάσεως. Ἐκ μὲν τοῦ Κάϊν, φησὶν, ἐκδεδίκηται ἑπτάκις, ἐκ δὲ Λάμεχ ἑβδομηκοντάκις ἑπτά. Κολάζεται οὖν μειζόνως, διότι τῇ πτώσει τοῦ προημαρτηκότος οὐκ ἐσωφρονίσθη. Τοῦ δικαίου γὰρ Ἐνὼχ ἀδελφοὺς ἀνεῖλε, οὗ πίστει διὰ τοῦτο προσευξαμένου μὴ ἰδεῖν τοιοῦτον θάνατον, καὶ ἀκουσθεὶς, μετετέθη. *Duorum Lamechorum Scriptura meminit. Unius quidem, qui genus à Caino ducit; alterius vero, qui fuit Enochi pater. Noë autem natus est ex Lamecho, non priori, qui interfecit & virum & adolescentem in vibicem, & qui duas cædes fecit, & duos uxores cepit, Eldam & Sellam. Qui seipsum incusat & pœna septuagies septula dignum esse pronunciat. De Caino quidem, inquit, pœnæ sumtæ sunt septies; de Lamecho vero septuagies septies. Gravius igitur punitur, quod casu illius, qui peccarat, non sit factus sapientior. Nam Enochi justi fratres sustulit, qui propterea fide* (Deum) *oravit, ne talem mortem videret, & exauditus,* (in cœlum) *translatus est.* Conspirat Georg. Cedrenus *in Breviar.* pro se adducens parvam Genesin. Cujus vero cum parvum sit pretium, respondeo per ὕστερον πρότερον ex Dn. D. Calovii *Comment. l. c. Quod Cedrenus dicit, duos Enochi filios trucidatos, cujus rei atrocitate motus ipse à Deo continuis precibus impetravit, ut vivus in cælos transferretur, ne tale quid unquam amplius spectaret, autoritate caret. Parvæ enim Genesos Rabbinicæ parva aut nulla est autoritas.* Ibi sibi repositum Suidas habeat, hoc additamento: Scripturam de Henocho nil pronunciare, nisi quod in ejus laudem *Gen. 5. vs.* 24. memoratur: ויתהלך חנוך את־האלהים ואיננו כי־לקח אתו אלהים: *Et ambulavit Enoch cum DEO, & non fuit amplius, quia assumsit cum Deus.* Quanquam denique utriusque assertio, judice Dn. Pfeiffero *Dissert. de Henocho c. 2. §. 10. pie æstimari queat, non pro certa venditari historia.* Conf. Ebr. XI. 5. Pelarg. *Comment. in Gen. p.* 126. & Perer. *num.* 84. *p.* 245.

THESIS XXI.

Tempus monet, ut, qui nobis à Lamecho interfecti statuantur, exponamus. Exponeremus autem, modo certos in Scriptura haberemus. Quibus cum destituamur, Theologorum nostrorum vestigia legemus. Nominatim B. Lutheri *Comm. Lat. in Gen. p. 73, a.* Ægid. Hunnii *Prælect. in Genes. p.* 133. Rungii *Prælect. in Gen. Mos. p.* 254. Selnecceri *Annot. in Gen. p.* 255. & 282. Sim. Musæi *Conc. 36. in Gen. p. 113. a.* Osiandri *h. l.* Gesneri *Disput. 4. in Gen. qu. 2. pag.* 129. Lyseri *in Adam. p.* 447. Gerhardi *Comment. in Gen. p.* 154. Calovii *Comm. in Gen. p.* 565. Friedlibii *T. 1. Theol. Exeg. cl. 6. p. 22. & cl. 7. qu. 11. p.* 37. Chr. Chemnitii *Colleg. Theol. in Genes. disp. 3. qu. 5. §. 3.* &c. Hi enim illustraturi difficillimum Genes. IV. versum 23tium, in sequentem commentantur sensum: Summus Deus fratricidam Cainum in vivis reliquit, ut eo absterrerentur homines à cædibus. Deterriti aliquandiu, mox timorem & signum Numinis contemserunt. Primipilus inter rebelles fuit Lamech. Hujus cum forte vitam & mores taxarent Prophetæ duo Senior & Juvenis, Pastor & Diaconus Ecclesiæ veræ, utrumque vita privavit. Contristantur super re gesta Uxores, bene gnaræ, quod occisurus Cainum septuplo sit puniendus. Quare metuunt, ne Dei pœna in universam familiam desæviret. Lamech ferox & truculentus, tristitia uxorum animadversa, mensam instruit, easque, fortitudinem crepans & animositatem, sic thrasonice alloquitur: Audite orationem meam, uxores dilectæ, & quæ prolaturus sum, probe percipite. Interfeci Virum in vulnus meum, & juvenem in livorem meum. Id est: Nullas curo minas, nullas metuo pœnas.

Non mihi sit servus, Medicus, Propheta, Sacerdos.

Strenuus sum & potens. Præbui meam fortitudinem Prophetis istis cognoscendam & experiendam. Timeo neminem. Hic est brachium meum, hic pectus, hic caput, hic collum meum. Quod si quis vult, vulneret sane, habebit & experietur Virum. Pungat me modo leviter, ego confodiam eum. Attingat mihi summam saltem cutem, ego discerpam eum. Ne itaque animum abjiciatis. Edite, bibite, lætamini. Meo periculo interemi castigatores. Ego plectar: ego vindicabo. Was ists denn mehr / daß ich einen alten und jungen Propheten aus dem Geschlecht des Seths erschlagen habe / darumb daß er meines thuns halben mich viel reformiren und hoffmeistern wollen? was habt ihr Weiber euch deswegen viel zu bekümmern und zu befürchten / daß vermöge göttlicher Dräuung (v. 15) dieser meiner Thaten halber unser gantzes Geschlecht möchte gestrafft werden? Ich hab es auf mein Ebentheuer und Verantwortung gethan. Schlägt einer mir eine Wunde oder Beule / er soll gewißlich zehen dafür von mir bekommen / Vinarienss. conf. huc facientes Onkelosum & Jonathanem.

THESIS XXII.

Robur assertioni nostræ damus *Primo* ex *PROOEMIO*, quo ad uxores Lamech utitur: שמען קולי נשי למך האזנה אמרתי *Audite vocem meam, uxores Lamech, auribus percipite sermonem meum* q. d. Plus satis aliorum sermones auditis, qui nobis turbas excitant. Sed nolite id facere. Præbete mihi aures, charissimæ conjuges, & vestro marito attendite. Ponit נשי למך *uxores Lamech* perquam eleganter pro נשיו *uxoribus suis.* Siquidem usitatum est in Scriptura sacra, ut, Kimchi probante *in Michl. fol. 9. col.* 1. יביא השם במקום הכנוי *loco Pronominis repetatur Substantivum antecedens.* Vid. Fink. *Cent. 1. Theol. Can. 93. pag.* 193. Glass. *Philol. Sacr. l. 3. tr. 2. Can. 8. p. 512.* & *Can. 13. p. 520.* Venerandus Almæ Leucoreæ Senior Dn. Andr. Sennertus, Patronus, Hospes atque Promotor noster summopere colendus, שיני, *Gramm. Ebr. l. 2. c. 2. p. 167.* & *de Idiotism. Lingg. Orr. Can. 52. p. 40.* & Havemann. Wegel. *P. II. c. 7. p.* 510. sic etiam, concinne admodum in Synonymo repetit, de quo ante uxores monuerat: האזנה *audite* & שמען *auscultate.* In quam locutionem Ribera *ad Hos. 6. Non* βαττολογία *est, quando Spiritus S. rem eandem repetit; sed solet verbis facta, quæ narrat, imitari, & ponere nobis ob oculos contentionem animi fervoremque eorum, de quibus loquitur.* Et August. *T. 8. in Psalm.* 104. *Hoc pertinet ad elocutionis varietatem, medentem fastidio, non ad diversitatem sententiarum.* Conf. Kimchi *l. c. f* 21. *c.* 1. & *f.* 24. *c.* 4. Glass. *Philol. Sacr. l. 4. tr. 2. obs.* 14. *p.* 709. & Excellent. Dn. Sennert. *Idiotism. Can. 4. p. 7.* Ejusmodi autem emphaticum exordium Orationi suæ nunquam permisisset, nisi magni quid momenti recensere instituisset. Quale omnino fuit, duos à se Prophetas è medio sublatos esse. ذطعم تطعم *Gusta, cibaberis.* *Secunda* Probatio desumi potest à PROPRIETATE VOCUM TEXTUS, utpote quæ tam diu urgenda, quamdiu commode licet. Sic Particula כי significatum *nam quia, quoniam* retinet, omissum quidem à Luthero, sed expressum à Samaritano per ࠁࠃࠋࠕ, à Syro per ܡܛܠ ܕ, à Persa per كه, à Dietenbergio per dieweil &c. Sic Præteritum הרגתי notatione Pæteriti manet: quam iterum habent Samaritanus in ࠒࠈࠋࠕ, Onkelos in קטלית, Johannem in קטלית, Syrus in ܩܛܠܬ, Arabs in قتلت, Vulgatus, Osiander, Vatablus & Montanus in *Occidi*, Lutherus & Dietenberg. in ich hab erschlagen. Sic voculæ איש & ילד duo distincta Subjecta denotant, ceu ostensum Thesi XV. & XVII. Sic inter se differunt voces פצע *vulnus* & חבורה *livor, vibex, tumex*, quas distinxerunt Syrus per ܠܡܚܘܬܝ, seu, ut Usserius & Pokokius apud Herbert. Thorndic. *T. 6. Bibl. Anglic.* legunt ܠܡܚܘܦܬܝ, & ܒܚܘܒܘܪܝ Persa per جر لخته (voce proprie Arabica ob تن Videant. *Rudim. Ling. Pers.* Ludov. de Dieu *lib. 3. cap. 1. pag. 42.*) & نشان, LXX. per τραῦμα & μώλωψ, & Lutherus, Dietenberg. ac Belgæ per Wunde (Wonde) & Beule (Buyle): confudit Castalio: aliter plane, de diversis tamen actibus, intellexere Samaritanus vertens: ࠂࠁࠓ ࠒࠈࠋࠕ ࠁࠓࠃࠐࠉ ࠅࠉࠋࠃ ࠁࠏࠒࠁࠕࠉ *Virum occidi in insectatione mea, & adolescentulum in molestia mea*, & Arabs reddens: أترى انني قتلت رجلا بشجتي او صبيا بجراحتي *Nunquid ego interfeci Virum per fractionem capitis, aut puerum per vulnus meum?* Adeoque mens Lamechi talis est: Præbete mihi aures, ô Conjuges, & perpendite vobiscum, quæ dicturus sum. Nam Virum (*Prophetam quendam Seniorem*) occidi in vulnus meum (*vulnere à me ipsi inflicto, ac propterea in me retundante si quod inde incommodum orietur*), & adolescentem (*Prophetæ discipulum*) in livorem meum (*verbere livorem, ex quo mortuus, causante, & idcirco à me excipiendo, si quis cædem vindicabit.* At quid tum? *Tertium* argumentum nobis nascitur ex SCOPO SACRI HISORICI, quo de Thesi præcedenti. *Quartum* ex REMOTIONE INTERPRETATIONUM RELIQUARUM, quam repetita opera instituerem, nisi vererer, ne Rabbinorum illud è Sanhedr. *fol. 96. 2.* mihi opponatur: עמא קטילא קטלת היכלא קליא קלית קמחא טחינא טחינת: *Populum occisum occidisti, templum combustum combussisti, farinam molitam molis.* Plurium libens desino. Vid. Thess. VII. seqq. & Dn. Pfeiffer. *l. c.*

THESIS XXIII.

Satis, ut opinor, de Homicidio Lamechi egimus. Superat unice, ut breviter in ejus VINDICTAM inquiramus, modo Ephremi Syri *in Catena Zephyrim* apud Ursin. *l. c. p.* 103. conjecturam exploserimus, Lamechum potiundarum mulierum causa geminum homicidium perpetrasse. Explodimus vero statim, ratione ibi non inventa, & fidem liberamus. Ubi initio ab iis discedimus, qui vel verba Versus vigesimi quarti Deo adscribunt, vel de sensu eorundem rogati ἐπέχειν sustinent. Quod enim illud concernit, Textus nimis clare fluit. Quod hoc, ingenium nonnunquam exercendum, & Scriptura per Scripturam explicanda est. Utrumque excerpemus ex B. Luthero *T.* 4. *Altenb. f.* 45. *b.* Daß dis GOtt geredt habe / sagt der Text nicht. Jch halt auch nicht dafür / daß es war sey. Darumb ists vergebens / daß wir uns damit bekümmern / wie er sieben und siebentzig mahl gerochen sey. Et post pauca: Das ist das allersicherste / weils die Schrifft nicht meldet / daß wirs lassen Gott befohlen seyn. Er hätte es wohl können offenbahren / wenn etwas dran gelegen wäre. Dabis veniam Beatissima Anima, ut quorundam ἀστοχίαν, στοχίαν & εὐστοχίαν accersamus!

THESIS XXIV.

Ἀστοχεῖ, consensu omnium, Rupertus, cui *l.* 3. *Comm. in Gen. c.* 8. puniri septies insolubilem & æternam; septuagies septies solubilem & temporariam pœnam denotat. Rationem nescio an risu an commiseratione dignam hanc excogitavit: *Videtur quidem secundum quantitatem numeri plus esse septuagies septies ultio dabitur, quam septuplum punietur; sed profecto minus est. Non enim quantitas utriusque numeri, sed natura hic attendenda est. Et quidem tam septenarius, quam septuagenarius numerus impar est. Sed non omnium imparium numerorum eadem natura est. Imparium namque simplices vel compositi, alii compositi, alii sunt medii. De compositis & incompositis tantum nunc ad rem pertinet. Incompositus impar numerus dicitur is, cujus nulla pars præter unitatem invenitur. Compositus autem numerus dicitur is, quem alius præter unitatem numerus metitur, ut sunt novenarius, quindenarius, & communitate vicenarius. Nam ter terni novem; quinquies terni seu ter quinque quindecim; septies tres seu ter septem viginti unus. Hoc ergo septenarius & septuagesimus septimus differunt, quod septenarius incompositus, ac per hoc insolubilis; septuagesimus septimus vero compositus, ac per hoc magis solubilis habetur. Nam septenarium præter unitatem nullus metitur numerus: septuagesimi septimi vero & septenarius & undenarius mensores sunt. Nam undecies septem, vel septies undecim septuaginta septem perficiunt. Cum igitur dicit Deus: Sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur, insolubilis pœna debet intelligi, & subaudiri oportet, nisi præcedens pœnitentia solubile, id est remissibile peccatum fecerit. Cum autem dicit Lamech: Septies ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies, insolubilis vindicta Cain, & solubilis vindicta Lamech debet intelligi. Et recte videlicet, quia Cain pœnitentiam non egit, ipse vero Lamech pœnitentiam egit, quia peccatum suum confitetur.* Addit mox: *Ad hunc locum spectat illud, quod cum Petrus diceret Domino: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei; usque septies? ille, qui omnia secundum Scripturas loquitur, respondit: Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies. Usque septies namque peccare est incessanter & insolubiliter, hoc est absque pœnitentia peccare, sicut Cain; septuagies septies vero peccare est peccatum quidem admittere; sed per pœnitentiam illud solvere, quod fecit Lamech.* Apparet inde juste vel risu vel commiseratione dignum esse Rupertum. Quapropter sententiam ejus attulisse, est refutasse. Quanquam forte non pœniteat, si Riveto vellemus auscultare scribenti *Exerc.* 46. *in Genes. p.* 233. *a. Ruperti Tuitiensis interpretationem, quam merito Pererius* sane novam & miram *appellat, non commemorarem, nisi aliquando expediret perpendere, quantum licentiæ sibi sumserint boni illi viri, & quantum indulserint genio aut ingenio suo in Scripturis versandis. Quis enim hoc ferret, septenarium numerum in pœna Caini designare æternitatem supplicii ejus; in pœna autem Lamechi septies septuagies significare temporalem pœnam, non perpetuo duraturam, & indicem esse ejus pœnitentiæ? Taceo, quod in numeris illis neque de Caini, neque de Lamechi pœna agitur; sed de pœna eorum, qui in vitam eorum attentarent. Sed quod ille de numeris imparibus, simplicibus, compositis & mediis philosophatur, plane contra Scripturæ simplicitatem impingit.* Exemplum, quod à dicto Christi Matth. 18: 22. petit, dilutum est *ibidem.* Conf. Thes. 30. & Perer. *num.* 58. *p.* 241. & *num.* 92. *p.* 247. Corn. à Lap. *p.* 90. *b.* & Dn. D. Calov. *p.* 567.

THESIS XXV.

Haud feliciori telo jaculatur Alcazar *in Apoc. XI.* 2. *not.* 1. qui τὸ septuagies septies idem esse vult ac 490. Multiplicatis scilicet 70. per 7. quæ illum numerum exhibet. Veluti ter quater dant duodecim, cum alias diceremus ter & quater. Verum subtilior est & hic sensus, quam ut amplecti possimus. Emergit numerus plus æquo grandior. Et ut dicimus vigesies ter pro viginti tribus; sic septuagies septies pro 77. vicibus. Speciem haberet, si, censente Bonfrerio *p.* 139. *a.* interposita esset copulativa particula *septuagies & septies.* Vid. Corn. à Lapide *p.* 91. *a.*

THESIS XXVI.

Ejusdem furfuris est interpretatio Hieronymi *l. c.* & Alcuini apud Jansen. *p.* 50. *seq.* significari per septuagies septies 77. sive liberos sive posteros Lamechi, quos omnes diluvio amiserit. Nam ante omnia probandum est, tot habuisse Lamechum vel liberos vel posteros. Autoritas Josephi *lib.* 1. *antiqu.* non sufficit. Neque particularis, sed generalis hæc pœna fuisset. Confer. Perer. *num.* 90. *p.* 246. Rivet. *l. c.* Bonfrer. *p.* 139. *a.* & Luth. *T.* 9. *Altenb. f.* 45. *b.* cujus verba non pigrabor adducere: Daß sie (Rabbini) auch weiter sagen / Lamechs Straffe sey gewesen die Sündfluth / das widerlegt Lyra recht und saget / daß die Sündfluth eine gemeine Straffe aller Gottlosen gewest sey.

THESIS XXVII.

Annexum explosæ conjecturæ est, quod denuo Hieronymus, atque ex eo Procopius & Nicolaus Papa *ad Lotharium Polygamum* apud Cornel. à Lap. *p.* 90. *b.* effinxere. Ac si nempe peccatum Caini deletum sit in generatione septima per universalem terrarum inundationem; Lamechi autem, qui typum gesserit generis humani, in septuagesima septima, per Christi accessum. Allegant posterioris membri ergo Luc. 3: 23. ubi tot generationes ab Adamo usque ad Christum recensentur. Potuissent, loco prioris, pro se citare Versionem Onkelosi: ארי שבעה דרין אתליאו לקין הלא ללמך בריה שבעין ושבעה: *Quoniam 7. generationes suspensæ sunt Caino, nonne Lamech filio ejus septuaginta & septem?* aut, ut Sam. Clericus *T.* 6. *Bibl. Angl.* ex Regiis legit: ארי לשבעה דרין יתפרעון לקין הלא למלך שבעין ושבעה: *Si in septem generationes vindicta dabitur de Cain, nonne de Lamech in septuaginta & septem?* Potuisset item adducere Zennorennam *fol.* 7. *col.* 2. Es sol werden ein נקמה gethan an קין nach sieben דורות / da werd kommen למך / und werd derschlagen קין. Sed vero res grata esset, modo leviter ostendi posset, Lamechum habuisse 77. generationes. Periit ipse cum tota posteritate in diluvio. Unde ergo posteri? Chaldæus & Zennorenna οὐδὲν πρὸς ἔπος. Ex fontibus dimicandum est. Conf. Cornel. à Lap. *l. c.* Bonfrer. *l. c.* Rivet. *p.* 232. *b.* Delrio *P.* 1. *Adag. Sacra.* 10. *p.* 14. *b.*

THESIS XXVIII.

Collimant ad metam, quibus septies puniri est *graviter*, & septuagies septies *longe gravius* reprehendi. Sic Samaritanus Ebræum שבעה ושבעים immutavit in [illegible] *multo magis*, Arabs in اكثر واكثر *magis ac magis*, Arabs Samarit. apud Castell. *Animad. Samarit. T.* 6. *Bibl. Anglic.* in على الكمال يعاقب *complete punietur.* Alii in *multiplicius gravissime* &c. In hoc tamen adhuc discinduntur, sitne hæc expositio ad Lamechum pœnitentem, an vero jactabundum applicanda. Doluisse scelus à se commissum, & id supra peccatum Cain exaggerasse, Chrysostomi *Hom.* 20. *in Gen.* Theodoreti *h. l.* Cajetani *h. l.* Tirini, Cornelii à Lap. *h. l.* multorumque mens est. Sensum communicant ejusmodi: Si Cain, qui unum occidit, septuplum, id est multipliciter punitus est, Ego, qui duos interfeci, pœna Caini, quam scivi futuram, posthabita, septuagies septies, id est longe multiplicius puniendus sum. Ne plures, unum, qui instar omnium est, Chrysostomum audiemus. Ita ille *l. c. In pœnam, quam effugere non possum, me ipsum conjeci,*

peccata

peccata operatus tanta, quæ veniam non merentur. Nam si ille pro una cæde septem pœnis obnoxius factus est, ego dignus fuerim septuagies septies pœnam luere. Cujus gratia, & quare? Nam licet cædem ille operatus sit, & fratris; attamen nullo unquam antea conspecto, qui hoc fecerat, neque alio viso, qui pœnam dederat ejusmodi facinoris, & à tanta ira tentato: quæ utraque mihi pœnas augent. Quia & ante oculos habens, quod ab illo perpetratum & pœnam videns sic immedicabilem esse, cautior factus non sum. Propterea licet septuagies septies magis, quam ille punirer, attamen neque sic dignam luerem pœnam. Interim tamen, cum ab ingenio sceleratissimi hominis longe alienum sit, de facinore dolere; igitur suis hanc sententiam autoribus relinquimus. Ne tangam, quæ de septem pœnis, forsan propter septem peccata, deque prolixioribus generationibus insparsa sunt. Vid. Persa, Perer. *num.* 59. *p.* 241. & *num.* 86. & 89. *p.* 246. Gesner. *l. c.* & Varen. *l. c. concl.* 2. *p.* 408.

THESIS XXIX.

Adducendi tandem εὐστοχοῦντες. Quales nobis sunt; qui uti præcedentis, sic & hujus Versus verba pro mere thrasonicis & jactantibus agnoscunt. Quique præterea oculum ad occisos veræ Ecclesiæ Ministros reflectentes, h. m. integrum Lamechi sermonem παραφθέγξειν: Audite meam vocem, uxores Lamech. (*meæ dilectissimæ*), auscultate (*etiam atque etiam attendite*) eloquium meum. Quoniam Virum (*senem quendam Prophetam*) occidi in vulnus meum (*me rationem vulneris, si accusabor, redditurо*), & puerum (*filium quendam Prophetarum*) in livorem meum (*etiam hoc à me defendendo*). Quoniam septuplo (*graviter & vehementer*) vindicandus est Cain, & Lamech septuagies septies (*longe gravius & vehementius.*) ר״ל Quid ad nos Ecclesia aut posteritas Adæ? Cain noster tritavus etiam occidit aliquem ex illa. Quid ei accidit? Fuit equidem excommunicatus, sed quid tum postea? Crevit, ædificavit urbem, potens factus est, & nobis magna regna multasque divitias reliquit. Nos jam sumus potentes: Isti vero quid habent? qua autoritate eminent? qua sapientia clarent? jactant se esse Ecclesiam, & possidere verbum Dei. Concionantur quoque de Sabbatho, de pœnis, de ultimo judicio &c. quæ tamen singula vana sunt. Cain non curavit istas nænias; multo minus ego. Si ille septies vindicabitur, ut ipsi deblaterant, ego vindicabor septuagies septies. Mittamus ergo has fabulas. Edamus potius, bibamus, simus hilares & animosi! Quid ad nos isti sacrifici? Conf. Theologi citati Thesi XXI.

THESIS XXX.

Atque hunc εὐστοχασμὸν juvant (1) ARGUMENTA THESI XXII. DIDUCTA. Juvat (2) AXIOMA KIMCHII *Comment. in Es. XLI. Mos est Scripturæ septenarium numerum pro multis usurpare.* Hoc si procedit, procedet multo magis in septuplicatione. Exempla petantur ex illis capitibus, quæ inter voces בראשית & חרם (Malach. 3: 24.) interjecta sunt. Juvant (3) LOCA PARALLELA Gen. 4: vers. 15. & Matth. 18: 22. Juvat (4) CONNEXIO VERSUUM 23tii & 24ti, quam bonam facit B. Lyserus *loc. citat. pag.* 447. *seq.* hisce verbis: *DEUS primum fratricidam & latronem Cainum non sustulit, sed in mundo reliquit: signum tamen ipsi addidit, ut agnosceretur ab omnibus, qui eum intuerentur. Hoc vero fecit in eum finem, ut sic homines à cædibus absterrerentur. Et hoc quidem duravit per aliquot ætates: sed postquam homines sunt aucti, potentes & divites facti, facile obliti sunt illius timoris, & contempserunt signum. Inter quos Lamech primas obtinuit. Nam cum audiret Prophetas Dei, qui vitam & mores ipsius taxarent, irritatus senem quendam & juvenem Prophetam, Pastorem & Diaconum, Patrem cum filio, occidit. Et cum Conjuges ipsius hoc nomine contristarentur, metuentes, ne pœna Dei in universam familiam desæviret, quia de Caino dictum erat, quod qui occisurus esset eum, septuplum sit puniendus: Ipse Lamech ferox & truculentus, tanquam magnus Dominus & potens dicit:* Ego mihi in vulnus & livorem occidi istum Virum & adolescentulum, *q. d. Si ob hanc cædem sum puniendus, mihi certe, non vobis aut aliis pœnæ sunt metuendæ. Sed nunquam fiet, ut propterea plectar, aut mali quid mihi eveniat, quicquid sane alii dicant. Nam quod Cain punitus, non est mirum. Is fratrem interfecit, cum adhuc ejusdem essent religionis. Ego justiorem habeo causam. Illi à nobis in religione dissentiunt, nos excommunicant, turbant nostrum pacificum & tranquillum statum, semper condemnationibus & increpationibus suis nobis molesti sunt. Ideo merito occidi. Cainus noster ob illam cædem excommunicatus est. Quid quæso posteritati damni inde emersit? Certe nos præ aliis eminemus, & abundamus omnibus bonis, dum isti fortiter egent, & vix se sustentare possunt. Et si de Caino ultio sumetur septuplum, profecto, qui se mihi opponet, septuagies septies ultionem sentiet. q. d. Religiosuli isti semper septem crepant, & nugantur, post decursum septem dierum hujus mundi venturum universale judicium, quo Cainus & alii sunt puniendi. Hosce dies septuagies septies elabi vidi, nec ullum sequitur judicium. Vanum itaque & falsum est, quicquid isti de judicio novissimo deblaterant: nec mihi hujus facinoris causa ulla pœna metuenda est.* עכר. Juvarent fortassis plura, si tempus & otium suppeteret. Quibus destituti, vela contrahimus, & partim ad Lectorem, partim ad Deum revolvimur. Ad Lectorem, quem rogamus, velit amicus esse nostri laboris censor. Si non ubivis assecuti sumus, quod voluimus, videat factum, quod potuimus. Solatur nos Abarbanel *f.* 123. *col.* 2. *in Dan.* לא וחויב המורה בחצים שיביא באמצע המטרה בריוק כל בני אשפתי די לו כשיתקרב אל המטרה: *Non necesse est, ut sagittarius omnes suas sagittas jaculetur exacte in medium scopi propositi; sufficit ei, si utcunque ad scopum appropinquet.* Ad DEUM vero, cui pro concepta gratia grates persolvimus toto pectore.

ስብሐት ፡ ለአብ ፡ ወወልድ ፡
ወመንፈስ ፡ ቅዱስ ።

M. JOH. BUSCH
DISSERTATIO
De Odore quietis sacrificii Noachici, ad Gen. VIII: 21.

בהניא

INvertendum esse merito impium atque blasphemum illud Talmudicorum quod habetur in codice בבא מציעא fol. 33. Qui operam dant lectioni biblicæ, virtus aliqua est, aut potius nulla virtus, qui vero operam dant legi secundariæ Patrum, virtus est propter quam accipitur præmium, studio Talmudico denique incumbere, Virtus est, qua nulla præstantior, uti hæc verba recenset Buxt. in Synag. Judaica. *c.* 3. *pag.* 67. Invertendum esse, inquam, quilibet, qui pio corde animoque sancto sanctissimum codicem legit, atque lac æternarum & cœlestium margaritarum ope Spiritus Sancti gustavit, confitebitur, omneque studium humanum ac sapientiam mundanam nullius momenti faciet; sed potius Scripturæ divinæ lectionem & meditationem pro præstantissima virtute habebit, præsertim cum Talmud seu integrum doctrinæ Judæorum systema compilatum sit, ex impiis, blasphemis, absurdis & maximè superstitiosis dogmatibus, uti ostendit D. Pfeifferus in Critica S. p. 503. Sacer vero codex divinam veritatem in omnibus partibus conformem, maximeque salutarem tradat. Et quoniam Historia de primo sacrificio, quo primus post diluvium Patriarcha Annum & orbem novum consecravit, non postrema ejus pars est, haud infrugiferum esse putamus, si hanc Scripturæ partem aliquanto penitius perscrutemur, quia vero totius Historiæ evolutio paucis his pagellis comprehendi nequit, divinam saltem εὐωδίας ὀσμὴν s. ריח הניחח evoluturi sumus, concedat Autor scripturæ, ut labor iste in Domino sit benedictus!

Textus orig. ita fluit.

וַיָּרַח יְהוָה אֶת־רֵיחַ הַנִּיחֹחַ

Quem Chald. vertit:

וְקַבֵּיל יְיָ בְּרַעֲוָא יַת קֻרְבָּנֵיהּ

Et accepit Dominus oblationem ejus.

Syrus reddit:

ܘܐܪܝܚ ܡܪܝܐ ܪܝܚܐ ܕܒܣܡܐ

Odoratusque est Dominus odorem suffitus.

Samaritanus transponit.

ࠅࠀࠓࠉࠇ ࠉࠄࠅࠄ ࠉࠕ ࠓࠉࠇ ࠓࠏࠅࠄ

Et odoratus est Dominus odorem suavitatis.

Latin. Et odoratus est Jehova odorem suavitatis.

Luth. Germ. Und der HERR roch den lieblichen Geruch.

§. 1. Quem Textum ita B. C. D. sumus evoluturi, ut post Analysin grammaticam & Rhetoricam, genuinum cujuslibet vocis usum & significationem ponamus. Quod igitur primam vocem וירח attinet, tonum habet in penultima quia ex ultima ob Vau conversivum in penultimam syllabam migravit, de quo vid. Grammat. Trostianam, venerandi totius Academiæ Senioris Excellentissimi Dn. Sennerti, h. t. Fac. Phil. Decani Spectatissimi. pag. 25. n. x. Ratione resolutionis est 3. persona sing. n. masc. futuri Hiph. Radicis investigatio institui potest juxta appendicem Grammat. Schick. nimirum abjiciendæ sunt præf. Vau & litera præformat. fut. איתן & sic remanent duæ tantum Radicales, addendum itaque h. l. in medio ו, quia ex longa vocali litteræ איתן intelligimus verbum vel esse ex gemin. ע l. ex עו seu עי. Evolventes autem Lexica deprehendimus ריח sed in Kal. inusitatum bene tamen in Hiphil. uti ex Buxtorfii Lexico & Bibl. Concord. patet. Formatur itaque juxta morem verborum עו l. עי uti addit Schick. p. 96. Secundum verba perfecta flecterem יַרְיִחַ ultima Patach. Genubha notata juxta Gr. Tr. Sennert. p. 9. n. XII. Sed media radic. Jodh. uti & Vau abjicitur juxta c. 8. r. 3. p. 92. una cum præced. Vocali conf. Schick. r. 77. membr. II. & sic esset יָרִחַ sed loco ׳ Characteristicæ Hiphil. adhibetur Patach. Secundum Gr. Trost. Sennert. p. 61. n. 2. Ubi eandem cum R. Abra ad h. l. habet sententiam, dicit enim ׳ propter ח Gutturalem secundum morem linguæ sanctæ patachatur. Præformativa Jodh. nota 3. pers. futuri loco parvæ vocalis longam accipit juxta membr. 3. cit. reg. Schick. Deinde in fine Patach. Genubha ob præcedentem homogeneam perit juxta p. 9. n. 12. cit. Gram. Tr. Sennert. sic se sistit יָרַח Nunc additur Vau copulativum, quod communiter per Scheva præfigitur, sed quoniam h. l. simul significationem futuri in significationem Præteriti convertit, præfigitur per Patach. sequente dages Sennert. c. Gr. p. 84. de Vau Conv. & sic per justam compositionem iterum apparet וַיָּרַח.

§. 2. Ratione significationis agendum erit (α) de præfixo Vau, cujus celeberrimus Noldius in Concordantiis Particularum 74. significationes ex Codice Biblico recenset. Idque à p. 268. ad p. 314. Sequitur vero hujus Particulæ significatio variam ejus indolem, hinc & ea prætereunda non est. Atque hujus ratione duplex est חִבּוּר Copulativum & הִפּוּךְ Conversivum. Copulativum interdum decurtare secundum solam vocalem scribitur omissa consonante e. g. Es. 55: 3. dicitur תְּחִי pro וּתְחִי hoc modo etiam legitur Thren. 2: 2. it. c. 5. vs. 3. 5. 7. Prov. 23: 24. Job. 2: 7. In quibus tamen locis Autores notarum Marginalium omissam consonantem ubique addunt. Quandoque hoc Vau plane deficit ut colligere possumus ex Cantic. 8: 6. Esth. 3: 4. Quæ omissio apud Rhetores Asyndeton dici consuevit. Plura loca sedulus Scripturæ Lector ipsemet observabit, & juxta adducta judicabit; plerumque vero integre cum suo puncto legitur & sic inter alia notat (1) Conjunctionem συμπλεκτικήν. Et, ut Gen. 1: 1. c. 14. 18. Exod. 25: 4. 5. &c. (2) Conjunctionem disjunctivam & simul adverbium temporis sc. quum autem, ut Gen. 1: 22. 31. c. 2: 2. 7. Ut reliquas à Noldio adductas significationes prætereamus. Quod conversivum concernit, notum est, quod mutet vel significationem præteriti in significationem futuri & sic ordinarium suum retinet Scheva, vel significationem futuri in significationem Præteriti & sic præfigitur per (-) & dages, si vero sequens litera est indagesabilis mediante (ᴛ) præponitur vid. Gr. cit. p. 120. in annot. n. 11. Atque hac ratione interdum copulat, simulque convertit, uti in præsenti nostro Textu, ut & Gen. 30: 37. Neh. 6: 10. interdum vero copulat & non convertit. Huc referri etiam potest ויהי (cujus substantivi verbi ו Kimchius in Michlol. p. 15. col. 1. vocat, התחלה המלה principium vocum.) initiale librorum Ruth, Esther, Josuæ, Judicum, utriusque Samuelis, Ezechielis &c. multorumque Versuum præsertim cunctorum Libri Ruth, si octo excipies: vide prolixius hæc pertractantem cit. Nold. p. 316. seqq. it. Glass. Philol. L. 4. Tr. 2. p. 685. (β) de Verbo, cui hoc Vau adpositum est, notamus, illud tantum reperiri

periri undecies in quarta Conjugatione & quidem ter in Infinitivo, ut Exod. 30:38. Jes. 11:3. Judic. 16:9. & octies in futuro. Significat autem, odorari, olfacere, sentire ut ex evolut. Bibl. Concord. Buxtorfii patet. Nobiliss. Philol. Leigh de hoc verbo dicit, magnam habere cognationem cum רוח quod ventum significat, odorari enim nos spirando, seu ventum vel aërem attrahendo. Deinde quando Nomen à Radice ריח descendens molam significat, putat ideo dualis numeri esse, quod molam superiorem & inferiorem seu lapidem superiorem & inferiorem notet, ubi simul aliorum Philol. ἐπίκρισιν de hoc nomine adducit, inquiens: quidam conjectant à vento molam רחים esse dictam, quam veloci cursu excitat, vel quod velut vento rapiatur, vel quod gratum odorem spiret, dum molitur farina vid. Crit. S. ad hanc vocem p. 225. ut & Buxtorf. Lexic. p. 734. Ab hac Radice descendit etiam nomen Jericho denotans urbem & ipsam Regionem dictam ab odore & fragrantia balsami felicissime in ea provenientis, de quo vid. Schindl. in Lexico, ut & Passor. in Lex. Nom. propr. Quapropter Antiqui eam urbem odoriferam, seu עיר ריח vocarunt. De fructibus odoriferis ibi crescentibus, ut sunt opobalsamum & similia, quo de videndus Drusius obs. S. L. 13. c. 3. it. Josephus & alii. Vid. Critic. cit. l. d. Quod nostrum Textum concernit in eo significat וירח & odoratus est. Syriaca & Samaritana Versio eandem retinent radicem in Conjug. 3. Aphel. illa enim habet ܘܐܪܝܚ Hæc ࠅࠀࠓࠉࠇ Chaldaica vero Onkelosi versio habet וקביל Et accepit, assumpsit, ratum habuit. Verbum enim odorari de DEO Spiritu simplicissimo omni mole corporea omnibusque corporis organis destituto in significatione propria dici non potest vid. Thes L. S. Pagn. in R. ריח atque adeo odorari per vocem ירח insinuatum est metaphoricum, desumta similitudine ab animali sentiente, naribus odorem sive gratum sive ingratum attrahente. Quando itaque DEO tribuitur, dicitur fieri per Anthropopathiam de qua Glass. L. 5. Tr. l. c. 7. p. 99. ut adeo recte annotaverit ad hæc verba R. Sal. ben. Mel. quando dicit דברה תורה כלשון בני אדם ודרך משל הוא i. e. loquitur scriptura more humano vel more proverbiali. DEUS enim quia Spiritus est, nec ex fragrantia suaveolentium voluptatem capit neque ex graveolentia rerum fœtidarum tædium concipit. Interim per odorem non intelligitur hic is odor, quem emittebant mactatæ & jam incensæ victimæ, siquidem odor ex incensis corporibus animalium ortus minime alias gratus est. Sed erat odor ille fragrans ac DEO acceptus cultus Noæ ex fide præstitus, quo & obsequium suum approbabat DEO & gratitudinem declarabat pro exhibito beneficio Conservationis in aquis, uti id explicat B. Ægid. Hunn. in prælect. ad cap. 21. Gen. p. 190. it. Magnific. Dn. D. Calov. Comm. in Gen. p. 701. A qua Expositione aliena non videtur ea quam Calvinus ponit, dicit enim Mosen hic suo more Deum humana persona induere, ut se ad rudis populi captum accommodet. Vid. ejus Comm. in h. l. Intelligitur itaque per hoc odorari secundum Rivetum nihil aliud quam placuisse Deo sacrificium, sicuti solent homines delectare suaves odores eosque recreare vid. exercit. 6. in Gen. Loqui vero Scripturam de DEO more humano propter nos asserit Vatablus in Annot. ad h. l. Atque sic Scriptura vel potius Spiritus S. per scripturam nostram imbecillitatem in spiritualibus adjuvat, & se accommodat ad captum nostrum, ideo per ירח intelligitur Beneplacitum DEI, quod contestatus est, quando victimas fide in Christum, quem eminus ostendebant, per ignem miraculose cœlitus delapsum vel per exeuntem flammam ex ipso Altari ut Judic. 13: 10. incendebat, quod etiam hic factum esse asserit Magnif. Dn. D. Calov. in Gen. p. 701. Et hic ignis oblata munera, qualia in antecedenti versiculo describuntur, consumebat; tunc enim sacrificia dicebatur DEUS odorari, cum divinitus incendebantur, vid. Dn. D. Calov. in Bibl. illustr. ad h. l. ubi simul probat sententiam Strigelii ad 1. Reg. 18. conferri etiam potest B. D. Gerh. Comm. in Gen. p. 224. Hinc Autor L. Cosri p. 3. §. 53. עד שכאשר ישלם כראוי תראה האש היורד מלמעלה לקבל הקרבן ברצון h. e. donec omnibus rite confectis vides ignem desuper descendentem, ad accipiendam oblationem cum Benevolentia. De fine hujus Ignis Buxtorfius dicit: Aderat ille ignis divinus ideo miraculose & agebat, ut Israelitæ per eum ceu signum & sacramentum certi essent de favore, Gratia & benevolentia Dei, quod sacrificia ipsorum ei sint grata, quamdiu hic ignis adesset & ageret, quod si opera humana hic intervenisset, non parum huic certitudini decessurum fuisse videtur conf. ejus Histor. Ignis p. 244. Quod symboli hujus divini mysticam significationem concernit, scribit de eo Paulus Fagius ita: Referunt quidam ex Ebræorum Traditionibus in illo igne, sacrificia absumente, Leonis faciem conspectam fuisse. Id quod si verum, quis dubitat, ea re adumbratum fuisse Leonem illum de Tribu Juda, qui est Christus Jesus Dominus & salvator noster, cujus omnia sacrificia typus fuerunt, in quo solo omnia sacrificia nostra Deo placent & grata sunt, quique & se ipsum, veram & unicam hostiam pro peccatis nostris in ara crucis obtulit.

§. 3. Textus nostri vocabulum secundum est יהוה. Circa quod notetur, esse ratione originis vocem derivatam non quidem ab הוה quod ærumnam seu Pravitatem, item perniciem notat uti vult Hieronymus ab Oleastro, dicit enim ad cap. II. Gen. Ego video in Rad. הוה Esse & הוה quod juxta Ebræos est accidens eventusque malus. Et cum הוה plus similitudinis habeat cum יהוה quam הוה puto melius derivari ab הוה quam ab הוה sed hoc negantes, dicimus melius derivari à Rad. הוה vel היה Jodh enim & Vau sunt literæ אהוי & sic מתחלפות seu inter se permutabiles, vid. Vener. Dn. Sennert. Exercit. Philol. p. 106. auctum præterea ab initio per Jodh Hæemanticum. Nominibus propriis familiare de quo vide r. 34. Schick. & in annot. n. 4. conf. etiam Sennertum nostrum ad Gr. Trost. p. 31. de Nominibus Derivatis. Ratione Figuræ est Vox simplex, quia in alias voces dividi nequit ibid. p. 33. n. X. Quoad formam est Nomen Substantivum singularis numeri declinabile per particulas casus denotantes juxta Gr. cit. p. 34. n. 12. it. Schik. r. 46. ubi de casibus eorumque formatione agit. Quoad statum est nomen absolutum, quia est è numero Nominum propriorum, quæ non ponuntur in regimine vel statu constructo, ita ut regant sequens quamvis tamen possint regi à præcedente. Apud Syros vocatur ܡܪܝܐ quæ vox coincidit cum Græco κύριος, & sicuti hoc sic & illud inter nomina Dei propria, absolute & sine termino alienante posita, refertur. Vid. Magnif. Dn. D. Calov. in Syst. Theol. T. 2. de Nominib. Dei p. 128. it. Excellentiss. Dn. Waltheri Annot. M. S. C. in Theol. posit. Konigii ad §. 30. Versio Samaritana retinet vocem ࠉࠄࠅࠄ Jehova atque hac ratione propius ad Textum autentic. accedit, idque rectissime, cum Nomina propria invariata in quolibet idiomate manere debeant ut ex collatione aliorum nominum propriorum patet.

§. 4. Quoniam significatio Vocum derivatarum optime peti potest ex ipso themate vocis, non possumus non in significationem verbi הוה inquirere quod significat esse, & quidem tale quod omnibus Entibus, exponentibus id Metaphysicis, Essentiam veram, realem, positivam per se ac actualem habentibus, competit, atque sic ejusdem cum Ente quod ab Independenti & dependenti præscindit, amplitudinis est. Quando vero de creaturis tantum usurpatur præter significationem essendi etiam significationem fiendi habet, uti explicat laudatus Waltherus noster in Coll. Theol. Polem. MSC. Controv. de Nomine יהוה. Quam itaque significationem nomen יהוה inde deductum habeat, ex his facile dispalescit. Quoniam autem integrum non est in exponendis Textibus sacris pro suo arbitrio novas easque ex decempeda rationis deductas significationes affingere vocibus, hinc plagium literarium facturi non opinamur, si ea quæ clariss. & nobiliss. Leigh ex aliis clarissimis Philol. collegit, de verbo ad verbum exscribamus. יהוה dicit (1) indigitat Dei æternitatem, comprehendit quippe omne tempus, futurum, præsens & præteritum. Tres enim illius Syllabæ comprehendunt, in se signa & distributionem totius temporis: prima (י) tempus futurum, secunda (הו) tempus præsens, tertia (וה) tempus præteritum. Atque hic titulus datus Christo, qui est & qui fuit, & qui futurus est, quæ descriptio satis clare nomen יהוה interpretatur, quam sententiam etiam adducit supra laudatus spectab. Dn. Decanus Excell. Sennertus in exercitationibus Philologicis p. 106. (2) indigitat Dei Existentiam æternam, descendit enim à verbo, quod significat esse, existere, esse autem dicitur DEUS, quia per se est, quia semper est, semper vivit, semper idem est, quia incommunicabilis est *Drus. tetrag. c. 24. Walth. Spicil. contr. 4. Leigh. pag.* 48. Ab hoc nomine Gentiles per famam ansam sumsisse fictum suum Numen appellare Jovem, respicientes ad nomen Jehovah *vid. cit. Leigh. p. 49.* Atque hac ratione hoc nomen notum fuit & Israëlitis & ipsis Gentilibus, qui per famam citra dubium etiam pronunciatum, audiverunt Insignem proinde Spir. S. injuriam facit R. Hakkadosch, quando ita de hoc nomine in S. L. sat clare & perspicue revelato, loquitur אני מוריע לך אותם היות חסודות אלהים אשר ראוי היותם נסתרות מכל איש: i. e. notum tibi facio hæc esse arcana divina quæ omnibus hominibus clam esse debent. Nec in his tantum acquiescit, sed ulterius Spiritui S. mentitur, inquiens: אוריעך שאין לאל שם אשר להשיג הכרה לפי שעצמותו הוא שמו

שמו ושמו עצמותו שמעצמותו לא נוכל להשיג שום הכרה לפי שעם אותה הידיעה היינו דומים לו כן משמו לא נוכל: h. e. Notum tibi facio Deum non habere nomen, cujus nos cognitionem habere possumus; quandoquidem ejus substantia est nomen ipsius & è contra. Et quemadmodum ejus substantiæ notitiam nullam habere possumus, quoniam ea cognita ei similes efficeremur, ita nominis ipsius cognitionem habere nequimus, uti id recenset Galatinus L. 2. de Arcanis. Multa equidem hujus sententiæ Patroni quærunt κρησφύγετα; Inter alia enim dicunt esse hoc Nomen inpronunciabile, seu ἀνεκφώνητον quam sententiam etiam Buxtorf. F. dissert. 5. p. 251. Sixtin. Amama dissert. de Nomine יהוה th. 73. Ludovic. Capell. Orat. de Nomine יהוה p. 144. Drusius de Tetragr. ex professo defendere cum ipsis Judæis sunt conati, quorum vestigia legere videtur Schickard in not. II. ad reg. 15. Ἄρρητον dici posse ut Fuller. in Misc. L. 2. c. 6. exponit, concedimus sc. quod Græca Lingua commoda voce exprimi non possit. Alias contra citatos, magni de cætero nominis Philologos probamus esse omnino pronunciabile, idque ex mandato divino, quod habetur Exod. 3: 15. זה שמי לעלם וזה זכרי לדר דר hoc est nomen meum in æternum & hoc memoriale meum in Generationem & Generationem. Quod autem per nomen illud essentiale nomen Dei τετραγράμματον sit intelligendum Textum inspicientem satis clare σαφήνεια docebit. Quod si itaque Numinis divini memoria per Nomen יהוה est conservanda, & ad posteros per expressum Verbum Orale propaganda sua sponte fluit. Nomen Jehovah esse pronunciabile vel ad minimum literis propagabile. Quicquid autem literis potest exprimi, id quoque voce pronunciari potest, quia Scriptio & pronunciatio sunt modi exponendi rem, modi autem rem non variant. Nec quicquam roboris habet expositio R. Salomonis quando in Textu citato circa vocem לעלם ita sentit: deficit Vau in hac voce, ideo ita exponenda: ad abscondendum aut ad occultandum Nomen Jehovah; propterea quod non legitur, sicut scribitur. Non equidem diffitemur originem ducere vocabulum עלם à Rad. עלם in prima Conjug. inusitata, attamen negamus & pernegamus ullibi locorum in toto codice legi Infinitivum cum Præfixo ל uti in Bibl. Concord. Buxt. quilibet videre potest. Et si vel maxime concedamus esse intelligendum infinitivum ubi hæc vox præfixum ל habet & sine Vau scribitur nec non hunc ita exponi posse, tunc sensus talis emerget: Hoc est nomen meum abscondendum (non pronunciandum) & hoc est memoriale meum in Generationem & Generationem, nonne hinc sequetur memoriale non memorandum, quod apertam involvit contradictionem. Sic & ἀπροσδιονύσως in suam sententiam allegant Judæi Levit. 24: 16. נקב enim quod habetur in Textu hic non in bonam partem accipi potest, prout significat, cum honore aliquem adpellare, sed prout significat blasphemare, & hanc vocis significationem ex contextu satis clare demonstravit Franz. l. de Interpr. Scr. S. p. 629. eaque de causa optime B. Lutherus reddidit: **Welcher des HErrn Nahmen lästert der soll des Todes sterben.** Nec ab omni Impietate liberat Judæos illud, quando tradunt esse Nomen Tetragramm. exponendum per alia nomina sc. vel per אדני vel per אלהים, quod præter citatos Philologos approbare non erubescunt Jos. Scalig. Th. Erpenius, Arias Mont. Joh. Mercerus. Val. Schindlerus. Alstedius in Lexico Theol. & alii. R. Nachman Filius Jizchak asserit in Codice Pesachim cap. 3. fol. 50. In Mundo hoc scribitur Nomen ejus per Jodh He nempe יהוה & legitur per Aleph Daleth nempe אדני. Dixisse enim Deum ad Mosen, non sicut scribor, ita pronuncior, scribor per Jodh He Vau He, sed pronuncior per Aleph Daleth i. e. אדני idque quia dixerit Exod. 3. vs. 15. Hoc est nomen meum לעלם quasi לְעַלֵּם ad abscondendum, quod absconditum manere debuerit. Hinc R. Abhina asseruit, duo esse Nomina, quorum alterum esset Nomen DEI, alterum vero memoriale Dei, sive illud à quo vellet nominari vid. Buxt. Lexic. min. pag. 162. & 163. Adhibent autem אדני quando puncta consueta habet non immediate & sine interjecto Accentu distinguente, præcedente voce אדני, quando vero immediate אדני præcedit, tunc legunt per אֱלֹהִים, dicuntque puncta Vocalia אֱלֹהִים esse subjecta quando scribitur יֱהֹוִה, alioquin enim bis legendum esset Adonai, Adonai, idque patere ex eo, quod nimirum אלהים sit substituendum, quia alias ' non recipiat usitate ֱ scheva enim compositum, locum habere tantum sub Gutturalibus. Loca in quibus יהוה inusitata illa puncta habet, sunt inter alia Deut. 3: 24. Psal. 71. vers. 16. & 73: 28. Es. 40: 10. Ezech. 21: 18. Respondemus יהוה nequaquam habere puncta אדני sed gaudere propriis punctis, licet eadem non perpetua sint. Nam si puncta literis sunt coæva, Sequitur etiam consonantes vocis יהוה ab initio scriptionis, vel prædicationis habuisse puncta, si hoc, sequitur ea adhuc habere vel esse immutata, quod tamen asseri non potest, nisi quis concedere vellet, aliarum etiam vocum puncta immutata esse; Neque concedimus legi debere אלהים, siquidem multa in codice deprehenduntur Vocabula, quæ hinc inde aliam atque aliam habent punctationem.

§. 5. Circa voces אֶת־רֵיחַ quæ juxta textus nostri seriem, resolvendæ & explicandæ sunt, sequentia annotasse sufficiet. Virgula transversa, quæ inter præsentes duas voces monosyllabicas ponitur, nunc Makkeph dicitur, cujus officium est copulare voces ad continuam prolationem, tono ab antecedentibus ablato vid. Gr. Tr. Sennert. c. 2. n. XI. Annot. 1. & 2. Quid de Patach Genubha s. furtivo habendum sit, an scilicet vera vocalis & quomodo legendum? vide sis Gr. c. 1. n. XII. Wasm. Ebr. Rest. reg. 11. p. 7. Est autem רֵיחַ Nomen substantivum sing. num. masc. Status constructi, quia conjunguntur duo substantiva rei diversæ de quo Sennert. L. 2. c. 3. p. 135. Accusat. casus, quod indicat particula את de qua dicitur quod vicibus 8130. reperiatur in S. Codice quod ex MSC. Concordant. probat Bangius Cœl. Orient. p. 140. Estque plerumque nota quarti casus vid. Gr. Tr. Sennert. p. 165. & 175. Schick. p. 52. de casibus. Buxt. Th. Gr. p. 76. & L. 2. c. XII. r. l. p. 457. W. Ebr. R. p. 68. usus hujus particulæ varius est, præterquam enim quod Nota accusativi est, simul nominativum notat, scilicet post verba passiva, ubi tamen pleonastice poni dicitur, si ad Latinam Linguam aliquis revocare voluerit, attamen satis emphatice, notare enim tunc את idem ac עצם substantiam seu ipsummet subjectum ut Aben-Esra docet in Gen. 1. vers. 1. Verba ejus hæc sunt: טעם את כמו עצם הדבר והוא טימן עם הפעול h. est, Vocula את notat substantiam rei, & sic exponitur quando de facto usurpatur. Similiter Kimchius: המלה הזאת תורה על עצם הדבר הפעול h. e. Vocula hæc Legis ipsam substantiam rei factæ significat. Sepher Haschoralch. p. 48. item Paul. Fag. in Genes. 1: 1. Exempla vid. Gen. 17: 5. cap. 21. Num. 26: 35. Deut. 20: 8. Sic etiam ponitur post verba Neutra 2 Sam. 11: 25. Notat etiam præterea Genitivum Num. 10: 2. Dativum Ruth. 2: 15. Ablativum Exod. 1: 17. Et præter notationem casuum etiam Præpositionis induit Naturam, tum multas easque variarum Præpositionum significationes habeat & quidem A, ad, apud, contra, cum, &c. vid. Weller. spicil. quæst. disp. I. qu. 2. Nold. Concord. Partic. à pag. 114. ad pag. 138. Forster. Dictionar. Ebr. pag. 65. ad Radic. אתה.

§. 6. Quod insuper Nomen ריח concernit asserimus Natales suos debere Rad. ריח atque sic etiam cum ea ejusdem esse significationis, hinc quæ superius de ea diximus, ea h. l. possunt repeti. Id tamen adhuc probe circa hunc Textum tenendum, locum in eo habere haut infrequentem regulam, qua verbum eleganter regit nomen conjugatum & cognatum quo vel significati emphasis intenditur vel effectus & objectum actionis innuitur. Glass. Philol. L. 3. Tr. 3. p. 335. Loquitur autem Spiritus S. tam emphatice, ut Benevolentia divina eo magis declaretur, quam ex Holocausto Noachi clementissimum Numen concepit seque placatum iterum esse Mundo contestari voluit. Sicut enim fragrans odor animum ante turbatum & mœstum exhilarat & recreat, ita nervose satis humano more de DEO scriptura loquitur, non tamen opinandum in DEUM odoratum aut alios sensus cadere, ut superius jam tum demonstratum, sed DEO per Tropum adscribuntur ut mens nostra, ea potissimum quæ humi serpunt considerans per humana & magis obvia, magis magisque ducatur ad intelligenda divina. Hinc etiam hic regula valet, quam Rab. Menass. ben Israël habet. Sciendum est, inquit, scripturam semper secundum literam intelligendam & explicandam esse, nisi explicatio contineat aliquid quod implicat Contradictionem: Exempli gratia cum DEO attribuuntur caput, pedes & affectus seu Passiones humanæ L. 1. de Resurr. p. 38. Magna alias vis odoris est, tam boni quam mali. Nam ריח dicit Martin. Borrhai à Spiritu ducitur, quod odor per nares ductus maxime aëreus & affinis Spiritui sit, abominabilis est odor malus & plane intolerabilis, adeo ut non raro ex odore nimis fœtido homines venenum attrahant & penitus mortem sibi consciscant. Contra vix acceptius est & jucundius quid odore bono & suavi. Quare & Apostolus cum exprimere vellet, quam gratum sit Deo Ministerium Evangelii, per quod notitia gratiæ ipsius in Christo Jesu manifestatur Mundo, usus est hac boni odoris Metaphora: DEO autem Gratia, quod semper triumphat nos in Christo Jesu & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. ὅτι Χριςῦ εὐωδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ 2 Cor. 2: 14, 15. Ubi idem quod in nostro textu habetur, Syriaca translatio Vocabulum adhibuit, quando v. 15. loci

loci citati habet ܪܝܚܐ ܒܣܝܡܐ bona fragrantia nos sumus conf. Ephes. 5: 2. Philip. 4: 18. Vid. inprimis Magnif. Dn. D. Calov. in Gen. c. 1. ut & Merceri, Musculi, Riveti, Martini Borrhai Commentarii in h. l. Metaphorice quoque hoc vocabulum usurpatur, quando odorem moralem denotat seu fragrantiam famæ, & hoc sensu dicunt Moderatores & Præfecti filiorum Israël ad Mosen & Aaronem. Videat dominus super vos & judicet אשר הבאשתם את ריחנו בעיני פרעה quod fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone Exod. 5: 21. Plura quæ habeat hoc vocabulum significata docebunt sedulum Lectorem Lexica, inter alia dictionarium Forsteri ad Rad. רוח pag. 771.

§. 7. Quod ad vocem Commatis nostri ultimam attinet, habet ea ratione pronunciationis tonum in ultima, quia ultima Syllaba composita est ex vocali longa vid. Gr. Tr. p. 21. 22. Hilligeri summarium L. S. §. 24. p. 21. Si Radicem quæris, est ea abjectis abjiciendis נוח. A qua Radice descendit nomen auctum per literam Jodh tertia radicali geminata ניחח ubi cholem vel cum vel sine fulcro scribitur juxta Sennertum ad Gr. Tr. n. 3. p. 5. De Patach Genubha vide autores citatos ad §. 5. Quod præfixum ה concernit, de eo nonnulla adjiciemus, vocatur id à Rabb. ה׳ הידיעה notificativum, demonstrativum & Emphaticum, ubi tamen id addendum vocari ita quia εἰς τὸ πολὺ vel ut plurimum Emphasin denotat, invenitur enim utroque modo in Sacro Codice. Cum Emphasi legitur Deut. 3: 25. Sine Emphasi Deut. 8: 3. Et hoc contra eos notandum, qui plus justo tribuunt Articulis. Est autem ejus significatio primaria quod Articulum præpositivum ὁ ἡ τὸ notat, interdum omittitur tum quoad consonam decies ter, tum quoad Vocalem & quidem octies. Quando vero poni soleat, de eo traduntur sequentes observationes, sc. (1) poni posse ante Nomina appellativa Lev. 18: 19. (2) ante Patronymica Deut. 3: 13. (3) ante Nomina propria Locorum Gen. 12: 18. (4) ante Pronomina personalia & demonstrativa tertiæ personæ ut Gen. 24: 65. c. 37: 19. (5) ante verborum Præterita, ubi reperitur octies tantum & significat qui, quæ, quod 1. Chron. 29: 17. &c. Cæterum in Appellativis absolutis Articulus ante alterutrum vel utrumque potest locari ut Levit. 26: 4. Judic. 15: 18. Deut. 3: 25. Sed in Constructis tantum ante posterius 1. Reg. 12: 8. Ezech. 18: 20. Non vero ponitur Articulus ה ante Nomina propria Viventium neque ante Pronomina primæ vel secundæ personæ aut ante Indeclinabilia. Quando hoc dicimus, per Nomina propria Viventium intellecta minime volumus bruta animantia, sed Nomina propria DEI, Angelorum & Hominum. Hinc ארון אל אלהים & ארני Quia Articulum assumunt Es. 19: 4. Mal. 1: 6. Ps. 114: 7. ideo Nomina Dei propria non sunt. Ut proinde Kimchius in suo Michlol recte scribat לא תבוא הא הידיעה על שם האדם לפי שהשם הידיעה ואין הידיעה אחרת: Hoc est: Non ponitur ה׳ Notificativum ante Nomen hominis quia tale Nomen per se satis notificatum est, ut non opus habeat ulteriori demonstratione. p. 13. col. I. Quando autem præfigitur, fit illud mediante Patach & dages forti, quod indicat esse voculam decurtatam, הוא cujus abjectam literam Dages compensat, ut nonnulli volunt, Ebræos enim nihil abjicere, ubi compensationem, si fieri potest, non instituant, notum est. Nonnunquam loco Patach & dages habere ˇ vel ˇ ubi scilicet dages locum non invenit quam plurima exempla docent. Consulantur hic pluribus Gr. Tr. Sennert. p. 78. Glass. l. 4. Tr. 1. Obs. 1. Nold. in Concord. Partic. p. 946. Wasm. r. 18. m. 3. p. 52. Buxtorf. Th. Gramm. p. 89. & 382. Schick. r. 89.

§. 8. Ut vero & hujus Nominis genuinam significationem exhibere possimus, prius ipsam Radicem, à qua pendet tum ratione constitutionis, tum ratione significationis vox inde deducta, perpendemus. Forsterus in Dictionario dicit, significatione congruere videtur Radix נוח cum verbis חנן הנה ינח נחת נחם nisi quod ut forma, ita modo significandi inter se differant. LXX. Interpretes adhibent Verbum παύσομαι à quo Latini suum pausare derivant, quoniam pausare præsertim apud Musicos idem est atque à Cantionis actu cessare & ad tempus quiescere. Ut itaque verbum נוח latine idem sit ac quiescere, pausare ab opere, negotiis, laboribus & afflictionibus cessare atque desinere, ut Job. 3: 26. Esth. 9. vs. 22. In hac significatione reperitur etiam de Arca Nohæ Gen. 8: 4. quando dicitur: ותנח התבה על הרי אררט h. e. Et consedit arca super montanis Ararat, ubi etiam adhuc hodie ipsius arcæ vestigia conspici posse affirmare audet ex Josepho. Elmac. p. 12. Schalsch. dicens ואומר יוסיפון כי עדיין ראשם יש ממנה על הרי אררט היא ארמיניא ובמי הקרמונים היו מתרפאים כמו היום הטוריאקה: h. e. dicit Josephus, adhuc extare vestigia arcæ in montibus Ararat, quæ est Armenia & quod olim Medicinæ adhibuerint, ut nunc Theriacum Joseph. L. 1. c. 4. Antiq. Resedisse quidem in Monte Ararat Arcam, Oraculum divinum satis firmiter edocet, sed etiamnum vestigia ejus post tot temporum discriminumque Intervalla conspici posse nobis vix ac ne vix quidem persuadere possumus. Descendit inter alia à Rad. נוח Nomen ניחח quod quietem significat, ut igitur sensus sit: Et Jehovah odoratus est odorem quietis, pro quo alii dicunt odorem suavitatis, quia nil suavius quiete esse potest. Ut adeo optime Textuique Ebræo convenientissime hæc explicuerit B. Lutherus, quando inquit: Vocem hanc non significare odorem suavitatis, sed quietis, quievisse enim iratum Numen ab ira de contumaci Mundo concepta, vel: **Er sey mit Noah und seinem Opffer wieder zu frieden gewesen.** vid. aureum ejus commentar. in Gen. & quidem in h. l. Intelligitur autem per odorem quietis metonymice ipsum sacrificium Noachi vel potius fumus ex incenso sacrificio exhalans. Hinc Syrus Interpres adhibuit vocabulum ܬܘܕܐ pure Syriacum, Sevum, adipem holocausti, & ipsum suffitum holocausti notans, qui fuit Deo odor gratus & acceptus quo delectatus est, & in eo acquievit, cum antea maxime esset iratus. Quod autem hunc odorem quietis dicitur DEUS odoratus, κατὰ συγκατάβασιν id iterum intelligendum. Ut enim homini grati sunt suaves odores, sic DEO gratum fuit hoc Noachi sacrificium, utpote ex fide in Christum omnibus V. T. sacrificiis præfiguratum à Noacho oblatum ut intelligitur ex Ebr. 11. vs. 7. Quod hujus intuitu bonum suavemque odorem coram Deo spiravit quemadmodum habetur Ps. 116: 12. Nec opinandum Noachum antequam sacrificium hoc de pecoribus mundis ex arca egressus obtulisset Deo O. M. non placuisse cum conservatio miraculosa tempore diluvii mediante lignea navicula contrarium satis dilucide probet & tamen tum demum dicitur odorem illius odoratus esse Deus cum sacrificium hoc externum offerret. Cogitemus igitur fidem ac pietatem instar Aromatis alicujus in Cordibus esse Piorum reconditam & odorem bonæ fragrantiæ tum potissimum exhalare; quando opere aliquo quasi exercetur perinde atque aromata nunquam fortius olent, quam ubi teruntur ac veluti reserantur, ut latens in illis virtus exeratur. Vid. Musculus in h. l. & reliqui hactenus citati Commentatores, quibus etiam adhuc superaddi potest Magnus nostri seculi Philologus Dn D. Varenius in Decad. Mos. super h. l. Hoc docturus suo Exemplo Noah Deo suo pro liberatione ex malis & ærumnis quas ipsi Undæ, quibus undique quasi cingebatur, minitabantur, victimam & hostiam laudis ac gratiarum actionis offerebat. Faxit supremum Numen ut ejusmodi verum Eucharisticum sacrificium pro omnibus Beneficiis omni tempore ipsi sancte & pie offeramus!

בשכ״מלו:

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIONES II.
De Septem Noachi Præceptis ad Gen. IX.

בג״ה

THESIS I.



Etuſtiſſima & multis retro ſeculis recutitis inculcata Traditio in Pandecte Talmudico his omnino verbis legitur: (a) ששת אלפים שנה הוי עלמא שני אלפים תהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח: *Sex millibus annorum ſubſiſtet mundus, duobus INANE, duobus Lex, & duobus DIES MESSIÆ.* Atque ſic priſci Judæi mundi durationem invitis modernis in tres ætates diſpeſcunt. Hinc quemadmodum ultimis diebus vitam exlegem vivere mortales haud debent, quippe, ubi לִמּוּדֵי יְהֹוָה *docti à DEO* futuri dicuntur, neque ex quo Moſes legem promulgavit: ita cœptum diſquiri: ecquidnam toto illo tempore, quod תהו Ebræi; Scholaſtici tempus Naturæ vocare amant, rerumque adeo conditum & Legis dationem intervenit, obtinuerit; quæ item illa maxime præcepta, atque unde oriunda fuerint, quibus tum homines tenebantur.

II. Indagarunt ea cum Chriſtiani, tum maxime ſolicite Judæi. Promiſſiones ſpirituales & præcepta, quæ vocant, ſupernaturalia ibidem locum obtinuiſſe, Noſtrates Theologi contra Photinianos alioſque maſcule defendunt: Neque enim exiſtimari oportet, id temporis homines ad terreſtrem duntaxat vitam fuiſſe ſaginatos grundilis inſtar pecoris. Videantur quæ de Geneſ. 3: 15. cap. 12: 3. ſcripſere feliciſſimi ſcripturæ interpretes *Dn. D. Glaſſius* (b) & *Dn. Theod. Hackſpan.* Relictis illis utpote quæ ad Theologiam pertinent, in præſens Judæos intueri placet, qui præter legem illam de vetito fructu, alia præcepta Adamo primum impoſita, poſtmodum Noacho, omnibuſque adeo poſteris ejus data affirmant, ab illo ita denominata, ut καὶ ἐξοχὴν מִצְוֹת בְּנֵי נֹחַ *Præcepta filiorum Noachi* (c) dici conſueverint, atque ceu vel ex ipſo Nizzachon R. Lipmanni patet, peculiare jus Ebræorum Civili contradiſtinctum conſtituerint.

III. Franciſcus quidem Suarez inter alia hæc ponit verba: (d) *Ante legem Moſis probabile eſt DEUM dediſſe hominibus unum vel aliud præceptum pro illo tempore juxta conſilium voluntatis ſuæ.* Verum quæ dediſſe autumet, non addidit, nec ceu ex illo opere & aliunde conſtat, vel illi Jeſuitæ vel ſuperiorum temporum Scholaſticis innotuere, quæ Rabbini tradunt. Cum enim literatura ſancta ita exilio puniretur, vix ut ſcripturæ veritatem Ebraicam intelligere quirent Vulgatæ Verſionis mancipia, quid mirum, ſi talia quoque eos latebant, non niſi ex Talmudiſtarum & Rabbinorum ſcriptis ipſis imperviis & inacceſſis haurienda.

IV. Cæterum ex quo ſtudia Linguarum ſpiritum & ſanguinem receperunt, Chriſtiani quoque ſubinde ad ea provocarunt. Sane H. Grotius non ſolum in libris de jure Belli & Pacis de iis diſſerit, verum etiam noviter in Annot. ad Quatuor Evang. illorum præceptorum iterum ac ſæpius meminit. (e) In ſpecie de Tyriis ac Sidoniis affirmat, eos longa conſuetudine & ignorantia veterem Noaidarum traditionem obliteraſſe; ut nunc ſilentio involvam viros ſummos, Munſterum, Cunæum, Schindlerum, Schickardum, Buxtorfios, Seldenum, quorum quidam vel eo nomine talia non ſuſque deque habenda opinantur, quod aliquam multa in Decalogum relata ſint, eorumque veſtigia in Jobo, qui haud dubie ipſum Moſen antevertit, occurrant.

V. Quamvis autem legantur in Jalkut & Rab. Bechai libris Judæis tantum non authenticis; præſtat tamen hic R. Maimonidem diſſerentem audire, qui eruditorum diverbio ineptire deſiit. Sic vero ille: (f) על ששה דברים נצטווה ארם הראשון על עבודה זרה ועל ברכת השם ועל שפיכות רמים ועל הגלוי עריות ועל הגזל ועל הדינים הוסף נח אבר מן החי שני בשר בנפשו לא תאכלו: *Sex res ſunt impoſitæ homini primo, Idololatriæ vitatio, Numinis benedictio, fuga homicidii, illiciti concubitus, rapinæ, & Judiciorum adminiſtratio. Addidit Noachus abſtemium à carne cruda. Dictum enim eſt*, Geneſ. 9: 3. *Carnem cum ſanguine non comedetis.* Accenſent hiſce nonnulli (g) אבורייהו *appendices eorum*, ſive: כל מידי שייך לאותן ז׳ מצות *quicquid præceptis 7. neceſſario cohæret*, שבת *ſabbatum*, כיבוד אבואם *honor Parentum.* Alii tamen aliter ſentiunt: ſic enim lego in Jalkut p. 73. col. 3. ab initio: עשר מצות נצטווה ישראל במרה שבעה שקבלו עליהן בני נח והוסיפו עליהן דינין רכתיב שם שם לו חק ומשפט שבת וכיבור אבואם *Decem præcepta Iſraelitis ſunt tradita* in Mara, *quorum ſeptem imperata Noachidis fuere. Adjecerunt tunc temporis Judicia, dictum enim ibi eſt Exod.* 13: 25. *Poſuit ei Statutum & Judicium ſc. Sabbatum & Honorem Parentum.* (h) Verum hi poſteriores probationis loco Deut. 5: 16. adferunt, ac verbis כאשר צוה יהוה אלהיך *ſicut præcepit Dominus Deus tuus*, non tam ad ipſam ſolennem Legiſdationem quam Maram ibi omiſſam adeoque hic ſupplendam reſpectum haberi volunt. Quod ſane μέγα λίαν αἴτημα, ac eadem facilitate, qua aſſeritur, rejicitur.

VI. Diſtinguunt Judæi hæc præcepta æque ac Chriſtiani alias ſolent ex parte Perſonarum, ad quas quaſi objective ordinantur: alia enim verſantur בין ארם למקום *inter Deum & hominem*; alia בין ארם לחברו *inter hominem & proximum.* Quædam ſunt עשה *affirmativa*, quædam לא תעשה *negativa.* Neque tamen quenquam movere debet, Rabbinum §. anteced. de omnibus ut affirmativis eſſe locutum, v. gr. נצטוה על עבורה זרה Facile enim perſpicitur aliquid ſubaudiendum reticeri, id quod ſacris quoque ſcriptoribus inſolens non eſt. e. c. 1. Cor. 7: 2. Propter fornicationem (vitandam) quilibet habeat uxorem ſuam & 1. Timoth. 4: 3. prohibentium nubere & abſtinere à cibo (jubentium.)

VII. Obſervationem quoque meretur, alterum præceptum ברכת השם non uno & eodem modo verti. Quidam enim ex Chriſtianis ſenſu maledicendi, quidam benedicendi accipiunt. Et ſane fatendum omnino eſt, radicem ברך eſſe ex illarum numero, quæ per antiphraſin contrarias habent ſignificationes. Hinc בלשון הקרש *in ſacro Sermone* cum occurrit, ex rei natura & verborum concomitantium diſcrimine judicari debet, quo ſenſu accipienda ſit. Job. 1. cap. 5. maledictionem ſonare ipſe textus oſtendit, nondum tamen conveniunt Interpretes, quomodo vſ. 9. c. 2. reddi debeat: Qui enim ægre ferunt blaſphemum ſarcaſmum fœminæ tribui, ſtatuunt monitum ab uxore fuiſſe Jobum ut Deo gloriam tribueret, quos inter eſt Beza & Amama. Alii vero ex textu probant eam adhortatam virum fuiſſe ut Deo malediceret, quippe quæ idcirco ſtulta vocata à viro eſt, cujus tamen reſponſionem Sp. S. haud improbavit. Hoc modo accipit Præceptor Honoratiſſimus Dn. Theod. Hackſp. (i) Item Kimchi (*) dum ait כנוי קללה *per antiphraſin maledictionem ſonat.* Similiter Græci qui reddidere εἰπόν τι ῥῆμα πρὸς κύριον καὶ τελεύτα, vel ut alia exemplaria habent, κατάρασον *Execrare Deum.* Utra vero ſignificatio ibi obtineat, nobis perinde eſt: Judæi enim non cultum modo

(a) *Maſſechet Sanhedrin cap. XI.* (b) *Chriſtolog. Moſaic.* (c) *Num.* 32. (d) *De legibus lib.* 9. *c.* 1. (e) *Lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. & *l.* 2. *c.* 5. *n.* 13. *ad Luc.* 16: 31.

(f) *Hilk.* מלכים *c.* 9. (g) *Baal Aruch. in* אבור (h) *Ade Maimonid. More. part.* 3. *c.* 32. *pag.* 436. (i) *De recta ſcripturas interpretandi ratione* (*) *lib. Rad.* ברך.

do divinum mandatum, sed omnem quoque blasphemiam hoc præcepto interdictam volunt.

VIII. Possunt autem verba Maimonidis dupliciter intelligi. 1. voce divina Adamo hæc præcepta esse tradita, quæ postmodum per Traditionem ad posteros manarint. 2. In ipsa creatione Deum homini ea inseviſse ac indidisse, ut unicuique nisi honestatis notitiam plane decoxerit, constare possit, isthæc mortales vi rationalis obligare. Priori modo Talmudistæ accipiunt, & quos fere videre licuit, Rabbini. (k) Quidam horum numerum septenarium ex abundanti quasi probaturi Genes. 2. vs. 16. producunt, ubi singula verba singula præcepta suppeditare persuasum habent: Verum uti vel mediocriter attendenti minus verisimile illud apparet: Ita quomodo ipsi inter recutitos cordatiores hoc intellectum velint, his maxime verbis edisserit R. Jehuda Ben Samuel (l) כמה רחוק בין אלו הענין ובין פסוק הזה אך אצל העם קבלה שבע המצות האלה כומכין אותו בפסוק הזה בסימן שמיקל עליהם זכרם: *Multum versus hic à rebus illis discrepat. Verum traditio vulgo habetur de septem præceptis, perinde ac si ipsa hoc versu fulcirentur, quod in faciliorem memoriam ut signum adhiberi solet.*

IX. Quanto rectius, silente Scriptura, posterior sensus admitti debere videtur, quem Rabbinorum Coryphæum Maimonidem perspexisse haud obscure ex eo colligere est, dum ait: הדעת נוטה לזה *Naturalis ratio illuc inclinat*, Item, הכריע הדעת *Naturalis ratio suadet.* Etiamsi igitur à sociennis recedere ipsi alioquin non sit integrum, ac ipsemet cabalam sive traditionem, more Judæis recepto crepet, dicendum tamen est, eum studiis Philosophicis innutritum, raro inter recutitos exemplo, acutius vidisse quam cæteros. Multum ætatis in Aristotele ejusque interpretibus versatum esse, vel solus liber מורה נבוכים *Doctor perplexorum* (m) satis superque testatur, ac præclarum elogium, quod Aristoteli impertitus est, merito hic apponendum censetur, דעת ארסטו היא תכלית דעת האדם מלבד מי שנשפע עליהם השפע האלהי עד שישגו על מערת הנבואה אשר אין מעלה ממנה: *Aristotelis eruditio terminus est humanæ doctrinæ, excepto tantum influxu divino, qui nonnullis contingit, ut gradum Prophetiæ consequantur, quo superior datur nullus.*

X. Maimonidi itaque applausum merenti adstipulantes, dicimus, commemorata præcepta maximam partem esse de Jure Naturæ. Quod ut intelligatur, recolendum est, jus Naturæ secundum Philosophum (n) *esse illud, quod ubique eandem vim habet, & non quia ita videtur vel non videtur.* Sunt autem ea quæ Jus Naturale dictat, non unius & ejusdem ordinis. Quædam enim sunt universalissima & prima principia morum, quorum veritas & rectitudo eadem est apud omnes, ut S. Thomas loquitur, & è mente hominis deleri non possunt, qualia sunt: *Bonum est faciendum, malum est fugiendum.* Vocantur quoque propositiones per se notæ; tametsi enim alii ejusmodi propositionis requisitum fecerint, ut prædicatum sit de intrinseca ratione subjecti, & ingrediatur definitionem ejus; sciendum tamen in principiis theoreticis potius id obtinere quam practicis; faciendum enim neque boni definitionem ingreditur, neque fugiendum mali, sed tantum ad illud necessario consequitur. Hinc Greg. de Valentia (o) latius patere rationem propositionis per se notæ affirmat, quam illius, cujus prædicatum est de intrinseca ratione subjecti. Quædam vero sunt conclusiones, eæque vel propinquiores certis & necessariis consequentiis innixæ ex principio universalissimo deductæ & elicitæ: vel remotiores, quæ ob qualemcunque inevidentiam ulteriori adhuc discursu opus habent.

XI. Utut etiam Impedimenta morum & ignorantia efficere possint, ut de Conclusionibus non omnes idem sentiant, secundum Vasquez (p) aliosque commentatores, dicendum nihilominus est, eas itidem esse de jure Naturæ. Ad id enim ut quid juris Naturalis esse dicatur, sufficit, ut ratio naturalis per se spectata dictet aliquid esse necessarium ad morum honestatem, sive id dictet absque discursu, sive cum illo, nec refert, uno duntaxat aut pluribus inferatur, dummodo semper sit necessaria illatio. Sane præcepta isthæc dici merentur conclusiones propinquiores, jubentes actionem ejuscemodi, quæ hominem ex se & ratione sui decet; ac vetantes talem actum, qui inordinationem moralem sive malitiam continet intrinsecam atque ut ipse Aristoteles ait, (q) εὐθὺς ὠνόμασται συνειλημμένα μετὰ τῆς φαυλότητος *statim ut nominantur cum pravitate implicantur.*

XII. Dixi maximam partem esse de jure Naturæ: Nullum enim superat dubium, cultum Deo, & parentibus præstandum ipsius Naturæ dictamine præcipi: גלוי עריות, homicidium, rapinam eodem prohiberi; quin datur quidam Idololatriæ error itidem legi naturæ contrarius, quemadmodum ex Rom. 1:21. probat Greg. de Valent. De reliquis vero uti non una apud omnes est sententia, ita quid nobis videatur dicemus alibi. In præsens scire licet, recutitos ea absolute vocare מצות ut distinguantur à חקים. (r) R. Bechai sic loquitur: מצות שהן גזירת המלך ואין לנו בהם טעם והם נקראים חקים: *præcepta ex nudo regis decreto profecta sunt ea, in quorum rationem curiose inquirere nobis haud licet, vocanturque statuta.* Nempe arbitrantur hæc pro Magistratus arbitrio aboleri posse; non vero illa, quæ indigitantur מצות הדעת *præcepta naturalia, intellectiva* & שכליות שנת פרסמו בכל אומות *omnibus gentibus notoria & publicata.* (s) Respexit huc forsan Josephus, dum Jus aliud vocat τὰ ἔθη consuetudinem: aliud τὸ δίκαιον πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμοίως λυσιτελέστατον καὶ πρὸς καλοκἀγαθίαν κοινὸν ἅπασι *omnibus omnino hominibus ex æquo utile & universis ad quietem necessarium & commune.* Quibus gemella docet Justinus, Tryphoni Judæo demonstraturus, sacrificia aliosque ritus Judaicos præceptorum latitudinem non exhaurire. Vocat enim quædam φύσει καὶ αἰώνια καλὰ *suapte natura & semper bona*; quædam vero πρὸς σκληροκαρδίαν τοῦ λαοῦ διαταχθέντα ob *duritiem populi* (temporum & loci occasionem) *tantum data.*

XIII. Supponimus hic Christianos pariter ac Judæos bruta juris ac pœnæ proprie dictæ incapacia statuere. Quo pertinent verba insignis Theologi Domini D. Hofnei. (t) Bos cornupeta non lapidabatur ideo, quod injuriam fecisset, nec jumentum, quicum homo consuesset, occidebatur, quod ipsum etiam peccasset, sed horum alterum fiebat, ut eo magis constaret, non leve peccatum esse homicidium, quippe cum sanguis hominis etiam à bruto repeteretur, quod se facturum expresse Dominus dixerat Genes. 9: 5. alterum vero sancitum fuit in detestationem criminis & abolendam omnem memoriam rei tam nefandæ. Succinit hisce fere Maimonides in More part. 3. cap. 40. היות הבהמה נהרג כשרהתוג אדם אינו לקחת דין ממנה כמו שיחשיקו עלינו הצדוקים אבל הוא לקחת הדין מבעל יה ומפני זה נאסר לינות בבשרה מפני שיפל יגבעל הבהמה לשמרה: Quæ verba ita reddidit Buxtorfius Junior: *quod bestia occidi debuit, quando hominem interficiebat, id non fiebat ad pœnam sumendam de illa, quemadmodum contra nos cavillantur Sadducæi, sed ad puniendum dominum. Hinc enim prohibitus erat usus & esus carnium ipsius, ut diligentiam adhibeat Dominus in custodienda ea.* Similiter loquuntur de jumento, quicum homo concubuit: (u) מפני מה אמרה התורה להרוג את הבהמה שלא תהא בהמה עוברת בשוק ויאמרו בהמה זו נסקל פלוני על ידיה: *Quamobrem præcipitur in lege, bestiam occidendam esse? ne ea obviam alicui eunte dicant homines: hæc est illa bestia cujus causa lapidatus hic vel ille est. Adde* R. Salomonem ad Lev. 20: 15. Sed hæc obiter & ὡς ἐν παρόδῳ.

XIV. Redeamus ad præcepta, quæ Judæi (neque enim eos porro, ceu olim consuevi, Appellas nuncupare sustineo, motus rationibus, quas Heinsio aliisque opposuit non nemo. (x) Is enim ut asseruit, Horatii ætate Romæ notum fuisse Judæum, cui Apellæ nomen erat, statim pernegavit appellativum hinc nomen formari, quasi dicas, sine pelle. Primum enim dici oportuisset *impellis*, ut *imberbis* &c. inde *a* particula privativa longa est, non brevis; demum in compositione non nuda ponitur, sed *ab* pro ea substituitur, ut *absimilis, abnormis*) dum sui adhuc erant Juris, ob summam evidentiam illis competentem devictis gentibus imposuere. Notum ex Ebræorum monumentis est, citra immanitatis & barbariei efferatæ notam quin & omnimodam deletionem ea violasse neminem. Sic enim loquitur iterum Maimonides: (y) כל גוי שלא קבל מצות שנצטוו בני נח הורגין אותו אם ישנו תחת ידינו: *Omnis gentilis nobis subjectus & præcepta Noachi servare detrectans, occidi solet.* Pergit Ebræorum doctissimus: המקבל הוא הנקרא גר תושב זה מחסידי עולם יש לו חלק לעולם הבא: *Qui illorum observationem in se recepit, vocatur incola, est ex piis hujus mundi & habet partem in seculo futuro.*

XV. Nempe duum sic erant generum, qui in Palæstina tanquam solo non natali degebant. Quidam relicto idolorum cultu, ac receptis Noachi præceptis, uni Deo se addixerunt, quos tamen lex Mosaica qua talis non spectabat, nec iisdem ac Judæi gaudebant privilegiis. Præterquam enim quod extra Hierosoly-

(k) *Jalkut & R. Bechai ad Gen. 2: 16.* (l) ספר כוזרי *part. 3. §. 73.* (m) *Epist. ad R. Samuelem Aben Typpon. p. 381. Buxt.* (n) *5 Ethic. c. 10.* (o) *Tom. 2. disp. 7. q. 4. punct. 2.* (p) *In l. 2. Thom. q. 94. art. 4.* (q) *20 Ethic. c. 6.*

(r) *Vid. Lud. de Dieu ad Luc. 1: vs. 6. Biur fol. 35. col. 3. Maim. more p. 3. c. 26.* (s) *Orig. l. 16. c. 10.* (t) *Doctrin. Civil. lib. 4. c. 3. p. 590.* (u) *Peſikta fol. 26. col. 2.* (x) *Ossileg. Ling. Hellenist. p. 384.* (y) *Hilk.* מלכים *c. 8.*

rosolyma habitabant secundum Maimonidem (z) אין נותנין בתוכה מקום *In urbe sancta sedem fixam non dabant*; seorsim quoque in atrio gentilium sacra peragebant, ac tantum עולות *holocausta* ex avibus offerebant, quæ קדשי הגוים *sancta gentilium* vocabantur (aa). Quin jubebantur (bb) להושיב דיינין ושופטים בכל פלג ופלג לדון בשש מצות ולהזהיר את העם: *constituere Judices & præfectos pagatim, qui judicarent de illis præceptis & populum ad illorum observationem instigarent.* Rabbinis dicitur (cc) גר תושב Proselytus domicilii, Chaldæo ערל תותב inquilinus præputiatus, Hellenistis γεώρας.

XVI. Aliis vero gentilibus Jus civitatis Judaicæ indepturis incumbebat per circumcisionem toti legi Mosaicæ se obstringere, atque interventu tergeminæ ceremoniæ arbori Judaicæ inoculari; sic enim loquuntur (dd): לא באו ישראל לברית אלא בשלשה דברים במילה ובטבילה ובהרצאת הקרבן אף גרים כיוצא בהם: *Israëlitæ non ingrediuntur in fœdus nisi tribus rebus: Circumcisione & baptismo & placamento oblationis. Similiter se res habet cum Proselytis.* Tam etsi vero dicantur tales collecti תחת כנפי השכינה *sub alas Majestatis*, ac ingressi in לקהל ישראל *in Ecclesiam Israëlis*, omnia tamen jura τῶν αὐτοχθόνων necdum habebant, uti idem fatetur & ex Ebræis hausit vir sui nominis Hugo Grotius (ee), mediumque tantum genus fuere inter Judæos & gentiles, gente extranei, religione inquilini. An eruditorum suffragium ferre possit conjectura, qua statuunt Paulum natales suos commendaturum, se vocando Ebræum ex Ebræis, eo respexisse, aliorum esto judicium. Hoc tamen, utpote certum, asserimus, ritum istum ἀκμὴν suam attigisse, cum in terris ageret Servator noster, qui Grotii (ff) Judicio reprehendit in Pharisæis, non quod Proselytos faciant, sed quod factos corrumpant aut cogant, ceu placet Schickardo. Rabbini (gg) talem גֵּר צֶדֶק Proselytum Justitiæ vocant, Philo ἐπηλύτην. Conferri potest Schulch Aruch. part. 2. n. 268.

XVII. In Pentateucho & alibi sæpissime fit mentio τῶν גרים *peregrinorum* qui Kimchio arbitrante (hh) היו מתגיירין מן האומות בכל מסעיהם מפני הנפלאות אשר היו שומעים ורואים: *Proselyti sunt facti, in itineribus suis moti miraculis, quæ partim fama acceperant, partim ipsimet viderant.* At enim nondum probatum dedit quisquam Judæorum, ubi ubi τὸ גֵּר occurrit, proselytum esse intelligendum, nec præcise sequitur גֵּר notat phrasi Rabbinorum *proselytum fieri*, ergo גֵּר est *proselytus*. Quemadmodum ritus istius originem ab ultima usque antiquitate arcessentibus itidem absentimus. Equidem male id à Judæis fieri, cum nuper Halberstadiensis Synagogæ Rabbino, Cl. Trostii olim, si verpis fides habetur, Apollini objicerem, ex sacris se id demonstraturum magno hiatu est pollicitus. Tandem arrepto codice verba Gen. 12. vs. 5. adduxit: *Et cepit Abram* Sarai *uxorem suam & Loth filium fratris sui, & omnem substantiam, quam acquisiverant,* וְאֶת־הַנֶּפֶשׁ אֲשֶׁר עָשׂוּ בְחָרָן & animam *quam fecerant in Charan.* quo dicto nimium quantum tripudiabat, visus sibi reperisse, non quod pueri in faba.

XVIII. Animadverti autem alios jam pridem huic sententiæ adstruendæ eadem adhibuisse verba. Liber enim Ialkut qui Cl. Schindleri (ii) judicio complectitur, quicquid bonarum explicationum V. T. Talmud. habet, *ad loc. Gen. cit.* ex Bereschit Rabba (kk) seqq. verba suggerit: והנפש אשר עשו בחרן אלו הגרים שגיירים ואם כן שגיירו למה אמר שעשו אלא ללמדך שכל מי שמקרב את הגוי מעלה הכתוב כאלו עשאו ולימא אשר עשה למה אמר אשר עשו אמר רב הונא אברהם היה מגייר את האנשים ושרה מגיירת הנשים *Et animam quam fecerunt in Charan, illæ sunt proselyti, quos fecerunt: Cur autem dicit* אשר עשו *quos fecerunt? ad docendum te, quisquis gentilem adducit vel convertit, de eo loqui scripturam, ac si eundem genuisset. At dicendum videtur* אשר עשה *qui fecit, cur itaque in plurali* עשו? Dixit *Raf Huna. Abram proselytos fecit mares, Sara proselytas fecit fœmellas.* Tantundem habet c. XI. Massechet Sanhedrin R. Salomo, & quod amplius est, uterque Targumista.

XIX. Verum enim vero cur cum Talmudistis & eorum sequacibus eo dilabamur, causæ nil video, maxime cum R. Bechai pulchre ad illa verba Geneseos hunc in modum commentetur: על דרך הפשט העבדים שהיו לו ונפשות ילידי ביתו שקנו בחרן: *juxta sensum literalem intelliguntur servi quos habebat, &* נפשות *animas, notat natos domus suæ* (Gen. 14: 14.) *quos nacti sunt in Charan.* Subjicit quidem paulo post: ועל דרך המדרש ואת הנפש אלו הגרים שהכניסן תחת כנפי השכינה: *juxta sensum mysticum* נֶפֶשׁ *notat proselytos qui sub alas Majestatis congregati sunt.* Verum hic sensus non tam ex ipsis verbis sequitur, quam à Judæis illis imponitur. Nec integrum nobis est, communi omnes autores interpretandi medio neglecto, absque cogente necessitate à sensu literali recedere; quin potius memores moniti Præceptoris meritissimi, (ll) literæ, spreta sensuum, quos Judæi jactitant, multiplicitate, quoad ejus fieri potest, unice insistendum judicamus.

XX. Neque tamen si hunc locum pro Judæis nil facere ostendimus, idcirco ipsi sententiæ de duplici Proselytorum genere, quicquam detractum cupimus, quam ex Christianis quoque ceu Thes. 15. 16. recensuimus, Doctissimi tenent viri. Sane Joh. Drusius aliique complures ad Deut. 14: vs. 21. agnoscunt. Summus quoque JCtus dicam, an Philologus, Johannes Seldenus (mm) Grotii elogio Angliæ decus, multa præclara in eam sententiam congessit, quæ huc referre instituti mei non est. Hoc tamen dissimulare non possum, Judæos, dum de illis disputant, sibi usque quaque non constare, & quo loco eos habeant qui Legi Mosaicæ nomen non dederunt, haud obscurè tradere. Prodeat è multis R. Mose Bar Nachman, celebris inter suos commentator. Ita vero ille: (nn) על דרך הפשט גר שער לעולם הוא גר תושב שבא גור בשערי עיר נו וקבל עליו שבע מצות בני נח והוא הנקרא גר אוכל הנבלות שאמר בו הכתוב לגר אשר בשעריך תתנה ואכלה: *Simpliciter loquendo, advena portæ semper de domicilii proselyto intelligitur, qui venit habitatum in portis urbium nostrarum & in se recepit observationem septem præceptorum Noachidarum. Atque idem dicitur comedens carnem morticinam, de quo loquitur scriptura, Deut. 14: 21. Proselyto qui est in portis tuis dabis ut comedat.* Verum veterum dissidium diffiteri non potuit: paulo enim post subjungit: מצאנו לרבו תינו שדרשו בהפך אמרו כי וגרך אשר בשעריך על דרך הפשט גר צדק *Reperimus Doctores nostros diverso prorsus modo interpretatos esse, dixerunt enim, proselytum intra portas tuas; simpliciter Proselytum Justitiæ notare.*

XXI. Quemadmodum vero juxta hos ex ipsa phrasi, nota, qua discerni à se invicem utriusque generis Proselyti debeant, desumi haud potest, sed *proselytus intra portas* pro materiæ, circa quam versatur, diversitate, nunc pro domicilii, nunc pro justitiæ proselyto sumi debet, ita R. David Kimchi suam ipsius mentem hisce exponit verbis: (oo) כל גר שהזכירו תורה שהוא גר בארץ ישראל הוא שקבל עליו שלוא לעבוד ע"ז ויש מהם שנתגייר מכל ונתיהד והוא הגר שהזכירה תורה על ענין המצות כמו האזרח והגר: *Omnis* גֵּר *de quo pronunciat scriptura, quod commoratus sit in terra Israelis, is est, qui pollicitus est, se non culturum idola. Et hic est* גר תושב *Proselytus domicilii. Est autem alius, qui prorsus Judaismo nomen dedit, ille scilicet, cujus lex in præceptis meminit, quando ea* לגרים *quoque observanda præcipit.*

XXII. Verum enim vero perpetuum hoc esse & infallibile signum, Kimchio haud quaquam concessero. Quin hoc ipsum indicio est, Judæos seculis demum sequioribus Domicilii proselytis parum fuisse æquos, nec ad Numinis præscriptum Exod. 22. vs. 10. cum iis egisse. Decretum enim divinum peremptorium tale legitur, Lev. 24: 22. מכה אדם יומת משפט אחד יהיה לכם כגר כאזרח כי אני ה' אלהיכם: *Percutiens hominem moriatur, Judicium unum erit vobis sive peregrinus sive indigena, quia ego sum Deus vester.* Habentur quidem hic verba כגר כאזרח queis Justitiæ proselytum ab illo, qui domicilii dicitur, sequestrare se posse Kimchi sperabat. Lyranus quoque hac in parte majores suos secutus gentilem ad Judaismum conversum intelligit. At frustra omnino & irrito conatu: Qui enim hactenus deterioris conditionis sit Jus inquilinatus habens, quam Originarius? cum Deus præcisa ratione vel indigenæ vel extranei homicidium se ulturum fuerit comminatus, ac cætera quæ in textu consequuntur, æque faveant domicilii ac justitiæ proselyto, quæ non male R. Aben-Esra sic explicat (pp) טעם אלהיכם אלהי האזרח ואלהי הגר sensus τοῦ אלהיכם est, *quia sum Deus tam peregrini quam indigenæ.* Neque negare possunt Judæi, Noachidæ illa competere, utpote, qui ad *preces, laudes, adorationem*, sacrificia & vota Deo persolvenda ipsis fatentibus tenetur.

XXIII. Hinc mirari subit, tam abjecte de hisce sensisse Judæos

(z) *Hilk.* מלכים *c. 7. Jalkut. p. 295. Grot. ad Matth. 21. & Luc. 18.* (aa) *Hilk.* קרבנות (bb) *Hilk. c. 3.* (cc) מלכים *c. 9.* (dd) *Masschet* יבמות *c. 4.* (ee) *Annotat. ad Matth. 23. vs. 15. Cl. Salm. Comment. de Ling. Hellenist. pag. 233. D. Glass. Phil. sacr. l. 3. pag. 536.* (ff) *Annot. ad Matth. 8: 9.* (gg) משפט *p. 126.* (hh) *Comment. in Jos. 8. c. 35.* (ii) *Lex. rad.* לקט (kk) *Pag. 17. col. 4.*

(ll) *Interp. Ertab. p. 179.* (mm) *L. 2. c. 2. de I. N. & G.* (nn) פירוש תורה *fol. 125.* (oo) *Lib. radicum rad.* גור (pp) *Commenta. 1. locum Lev. cit. adde Mas. Sanhed. c. 7. Lipm. n. 31.*

dæos. Hæc enim sunt Rabbi Maimonidis verba (qq) ישראל שהרג גר תושב אינו נהרג עליו בית דין שני וכי יזיד איש על רעהו: *Si Israëlita interemerat proselytum domicilii, neutiquam propterea puniendus erat ex sententia forensi, dictum enim est, Exod. cap. 21. vs. 14. Si homo machinetur in proximum suum.* Alibi fere paria docet. (rr) בן נח שהרג נפש אפילו במעי אמו נהרג עליו שאין בן ישראל *Noachi filius si quempiam occiderit, etiamsi fœtum in utero matris, supplicio plectendus erat, non item Israëlita.* At enim quod vocem רע ad Israëlitas restringit, & ad ἀλλοφύλους eam se non porrigere contendit, arrogantiam sapit Judaicam, Servatori quoque nostro pridem improbatam, Luc. 10. vers. 33. Multo profecto rectius R. David Kimchi vocum Ebraicarum censor, ut qui maxime accuratus, extra æstum disputationis constitutus, vim ejus explicat. Ita vero ille (tt): רעהו וקרבו הוא יש לו משא ומתן עמוו שכנו: *socius sive proximus is est, quicum aliquid negotii & conversationis intercedit alicui, aut est vicinus ejus.* Mox subdit רעך dici לפי שמשאו או מתנו ועסקיו עמו *quia commercium & conversatio alicujus & negotia ejusdem cum ipso habentur.* Non abludit ab hisce quod perscriptum reliquit Grotius: (uu) *Certum est,* inquit, *neminem voce רע excipi. Nempe רע & Chaldæum* חבר *socium quidem significat, sed ut ea comi appellatione hominem quemvis designet, quomodo & Græci τὸ πλησίον usurpant.* Adde Virum Cl. Const. L'Empereur ad Bava kama. p. 303.

XXIV. Ejusdem farinæ est, quod Domicilii proselytum à cultu Numinis quandoque exemptum R. Moses (xx) asseverat: בן נח שאנסו אנס לעבור על אחת ממצותיו מותר לו לעבור אפילו נאנס לעבור ע"ז עובד לפי שאינן מצווין על קדשת השם *Sicubi Noachi filius vi in transgressionem præcepti adactus fuerit, ipsa transgressio licita ei est, tametsi idololatriam committere cogatur: Neque enim sanctificatio Numinis ipsis præcepta est.* Maimonidi respondit D. Joh. Coch. (yy) cui addatur Vir Doctissimus Wilhelmus Vorstius. (zz) Observo autem Judæos binis fere modis induci, ut hæc talia statuant. Primum enim amore nimio sui abrepti, uti sunt homines natura sibi Suffeni, cultum Deo exhibendum, qui humanæ naturæ intrinsecum debitum vel Ethnicorum suffragio statuitur, Judæos cum primis spectare, atque adeo personarum & locorum cancellis terminari volunt. Sic enim iterum loquuntur: (a) ואפילו נצטווה בן נח על קדשת השם לא נצטווה לקדש בתוך גוים אלא בתוך ישראל: *Etiamsi præcepto sanctificationis tenetur Noachides, ad sanctificationem illam nihilominus non tenetur inter gentiles, sed tantum inter Israëlitas.* Deinde dummodo scenæ serviant, cognitissima etiam pernegant. Rabbi enim Abrabanel contra Christianos perpetuitatem & prærogativam Legis Mosaicæ demonstraturus, temperare sibi non potuit, quin eadem opera Noachi præcepta & leges elevaret, quo ipso sane non Maimonidi solum, sed & aliis, qui ab eorundem observatione & intermissione præmium & pœnam, quin ipsam vitam æternam cuilibet expectandam censent, aperte contradixit, verba ejus hæc sunt: (b) תורת אדם ובני נח אינם תורו ישלמו הנפש האנושית ואמנם הם בלבד סדורים: לשמירת הקיבוץ האנושי כפי טבע הזמנים אשר היו מסודרות בם והם במדרגת הנמוסים: *Lex Adami & filiorum Noachi non perfecerunt animam hominis, sed fuerunt tantum ordinatæ ad conservandum cœtum humanum; pro ratione temporis, in quo fuerunt constitutæ, seque instar civilium duntaxat legum habuere.*

XXV. Nec injuria quis ex Judæis quæreret, qua fronte honorem parentum in numerum præceptorum naturalium retulerint, quem tamen binis derogationibus detestandum in modum minuere haud erubuere. Loquatur iterum ex mente contribulium Maimonides: (c) אביו ורבו נשואים במשא מניח את של רבו ואחר כך של אביו אביו ורבו שבוים בשביה פורה את רבו ואחר כך פורה את אביו כשם שאדם מצווה בכבוד אביו וביראתו כך הוא חייב בכיבוד הרב ויראתו ותר מאביו אין לך כבוד מכיבוד הרב ולא מורא ממורא הרב *Si cujuspiam pater & præceptor portent una onus, tollat discipulus primo præceptoris, deinde parentis. Si pater & præceptor captivitate detineantur, prius redimat præceptorem, deinde parentem. Quemadmodum enim incumbit homini honorare & timere parentem, ita multo magis tenetur honorare & timere præceptorem. Non enim est major honor aut timor illo, qui debetur præceptori.* Meminisse vero debuisset Maim. non diffitente Kimchio, Deum ab Israëlitis non tam ex Jure quodam positivo, quam naturali & מדרך השכל המפורסם honorem parentis, utpote omnibus notorium postulasse, Malach. 1. v. 6. Quin tantæ hoc evidentiæ est, ut aliunde non edoctus, solius naturæ instinctu Plutarchus γονεῦσι τιμὴν μετὰ θεοὺς πρώτην καὶ μεγίστην *parentibus secundum Deum primum maximumque honorem* deferendum censuerit.

XXVI. Deinde parentum honori & obsequio itidem detraxere voto. Satis quidem pia illorum est regula כופין את הבן לזון את אב *Cogitur filius alere parentem.* Nec male Salomo loquitur ad Lev. 19. vs. 3. איזהו מורא לא ישב במקומו ולא ידבר במקומו ולא יסתר דבריו ואיזהו כיבוד מאכיל ומשקה מלביש ומנעיל מכנים ומוציא: *Quinam est ille timor filii parentibus debitus? Non sedeat in loco ejus, non loquatur in ejus loco, non contradicat ejus verbis. Quinam honor? suppeditet ipsi cibum & potum, vestiat eum, calceos induat, introducat, atque educat.* At parum pensi hæc talia habuere, qui legibus πατροπαραδότοις indulgentes, inopiam parentum cassa adulatione frustrati sunt: *fiebat enim ut egentibus patre & matre sacrificium offerrent filii, quod sacerdotes scribæque consumerent,* ceu ab Ebræis edoctus S. Hieronymus (d) fatetur.

XXVII. Improperavit hoc jam tum suæ ætatis Judæis Servator noster, non falso profecto, ceu alibi eum impuri homines insimulare haud verentur, *ultra,* inquiens, (e) non *permittitis quicquam facere patri suo aut matri suæ.* Nempe persuaserunt Sacerdotes plebi, futurum ut refrigerium accipiant parentes ex opibus, quas sacrificiis destinarunt filii. Hinc talem formulam concepere, qua quilibet Parentis petitionem aversans uteretur, quæ hodieque in eorum libris reperitur, קונם מהאני עושה לפי אבא כקונם *Quodcunque paro, esto patri meo velut oblatio sacra.* Constituerunt etiam pro ea, qua pollebant autoritate שאינו יכול להפר *ne quis sibi polliceretur potestatem vocum rescindendi,* eo quod הנודר אוסר הדבר הנדור על עצמו: vovens *rem in votum venientem sibi illicitam reddiderit,* atque ejus naturam sic immutarit. Videatur Patronus meus filiali observantia colend. Rev. pl. atque Excell. Dn. Dilherrus. Eclog. p. 412. (f)

XXVIII. Reliquum nunc est, ut videamus utrum Judæi in cæteris præceptis, maxime cum ad particularia descendunt, felicius versentur nec ne. Verum cum latissimus se hic aperiat campus, ac talis se sistat materiæ amplitudo, quæ paucis pagellis exhiberi nequit; operæ pretium nos facturos omnino censemus, si reliquis in alium diem reservatis, unicum tantum inpræsens subjiciamus. Exorsuri vero ab illo quo illicitum concubitum sub initium statim rerum prohibitum fuisse contendunt, id cumprimis dabimus operam, ne alienos fines ingressi dicamur; quin potius Judæos aliis exagitandos relinquentes, placita illorum sic recensebimus, ut quæ ex ipsis fere Rabbinis opponi queunt, annectamus. Scire itaque licet, constantem illorum esse sententiam, primitus nefas fuisse concumbere cum *matre sua,* 2. cum *uxore patris vel noverca.* 3. cum alterius uxore. 4. *cum sorore uterina* 5. cum *masculo* 6. *cum bestia.* Occasionem sic sentiendi dedit vs. 24. c. 2. Gen. *Propterea relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt in carne una.* Ad quæ verba sic commentatur R. Salomo רוח הקדש אומר כן לאסור על בני נח עריות: *Sp. S. ita loquitur, ut Noachidis illicito concubitu interdiceret.*

XXIX. Respexit haud dubie ad illa, quæ tradunt tam Targumistæ, quam Talmudistæ. Onkelos enim illa verba ex parte sic reddidit: ישבוק גבר בית משכבי אבוהי ואמיה: Jonathas Uzielides similiter: ישבוק גבר בית מדמכה אבוי ואמיה: quæ utrobique sonant: *relinquet vir cubile patris sui & matris suæ.* Talmudistæ in Jalkut multa de iis verbis disputant, ex quibus R. Akiba sic infit אביו אשת אביו אמו ממש ודבק ולא בזכור באשתו ולא באשת חברו והיו לבשר אחד מי שנעשים לבשר אחד יצאו בהמה וחיה שאין נעשין לבשר אחד (Patrem suum) *notat uxorem patris sui* (matrem suam) *simpliciter matrem significat.* (Et adhærebit) *masculum excludit* (uxori suæ) *alterius interdicit conjuge.* (Et erunt in carnem unam) sc. *quia sunt facti in unam carnem, indidem excipiuntur jumenta & feræ, quæ nequaquam fiunt una caro.* Quæ verba dum perpendo, in mentem venit verborum Const. L'Empereur: (g) *Mira,* inquientis, est *Judæorum indoles & ingenium. Aliquando enim scripturam ita extendunt, & late accipiunt & interpretantur, ut à mente scripturæ alienissima ex ipsius verbis eruere non erubescant.* Id quod abunde monstrabunt Theologi, verba Geneseos de maritali conjunctione & monogamia interpretantes.

XXX. Ceu vero Deum ob inevitabilem necessitatem cavisse

(qq) *Hilk.* רוצח *cap. 2.* (rr) *Hilk.* מלכים *cap. 9. Adde Jalkut. p. 175. col. 2.* (tt) *Ad Ps. 15:3.* (uu) *Annot. ad Matth. 22: 39.* (xx) מלכים *cap. 10.* (yy) *Excerpt. Gemar. Sanhed. p. 272.* (zz) *Not. ad Maim. de Fund. Leg. p. 54.* (a) *Massechet. Sanhed. 10.* (b) ראש אמנה *p. 17. Edit. Venet.* (c) *Hilk.* תלמוד תורה *c. 5.*

(d) *Epist. II. ad Ageruch.* (e) *Marc. 7.* (f) *I. Coch. Excerpt. ex Gem. Sanh. p. 273. Dieu ad Matth. 15.* (g) *Ad Bavakama p. 157.*

se volunt, dum fratri Caino nupsit soror uterina, ne antea vim suam exererent leges, quam utcunque multiplicatum esset genus humanum, secundum R. Sal. (h) מדרשו אם תאמר קין נשא אחותו חסד עשה המקום לבנות עולמו ממנו *Si objicitur, Cain duxit sororem suam, respondetur, factum id est ex Numinis indulgentia, ut sic ex illo exædificaret mundum*: ita sororem consanguineam rite fratrem ducere potuisse persuasum habent. Audiamus ea de re R. Lipmannum: (i) איך נשא יעקב שתי אחיות שואלים הטועים הרי מותרות היו לו מדין בני נח ומן התורה דהא לא נאסר לבני נח אלא עריות מצדהאם שני וגם אחותי בת אבי לא בת אמי ולא נמצא שהיו אחיות מן האם גם מן התורה מותרות דאמרו רבותינו זכורנם לברכה גר שנתגייר כקטון שנולד דמי: *Quærunt errantes, ecquomodo duxit Jacobus duas sorores. Ecce licuit hoc ipsi ex lege Noachidarum & nostra. Illa, quia id ætatis revelatio turpitudinum non erat, nisi ex patre matris, dictum enim est, Genes. 20:12. est filia patris mei, at non filia matris meæ. Nec legitur, quod duæ fuerint sorores ex una matre. Hac, quia dixere Dd. nostri b.m. Peregrinus dum fit proselytus similis est infanti recens nato.*

XXXI. Sic R. Lipmannus, Sadducæorum juxta & Christianorum hostis acerrimus, Abrahamum non modo rite sororem consanguineam duxisse asseverat, sed etiam Jacobi conjugium cum duabus sororibus inde excusare nititur. Obtinent sane & hic antiquum recutiti, & ex unico exemplo, quod tantum facti rationem habet, legem ac regulam fabricantes, tale axioma eliciunt: (k) בת אב מותרת לבן נח שאין אבות לגוי *Licitum est Noachidæ ducere filiam patris, paternæ enim consanguinitatis ratio apud gentes non attenditur.* Nituntur vero fundamento nequidem sociis approbato. Rabbi enim Salomo (l) & Targum Uzielidis non tam consanguineam sororem intelligunt, quam neptem ex fratre, quibus omnino idiotismo Ebræo haud repugnante favet, quod utraque vox בת & אב ampliari atque adeo in latiori significatu accipi possit, ut ceu אח nepotem notat, ita בת neptem & אב avum significet. R. Bechai ad illum locum similiter scribit: (m) בני בנים הרי זה כבנים ומזה אמר בת אבי כלומר בת בן אבי: *Nepotes reputantur pro liberis, & ideo dixit, filia patris mei, q. d. filia filii patris mei.* In Jalkut. (n) itidem sic lego: אחותי הואי בת אחוי הואי וכיון דהכי קאמר לי קורבה דאחוה אית לי בהדם מן אבא ולא מאימא (Soror mea) *idem est ac filia fratris mei, & hoc vult dicere, sanguinis necessitudine mihi juncta est propter patrem, non vero propter matrem.* Atque hac ratione non tam fuit ἀδελφή, quam ἀδελφιδῆ, vel propinqua consanguinea, quam Abrahamus matrimonium dissimulans, usitato modo loquendi sororem appellavit. Nec si per morem gentis id temporis licuisset ducere sororem consanguineam, Abrahamum Saram vocando sororem conjugium tegere potuisse, verisimile est, qui tamen uti ex contextu patet, ea voce pronunciata hominibus omnem omnino suspicionem conjugii ademit.

XXXII. Quod si vero Rabbi Lipmannus Jacobum itidem excusaturus, *non*, inquiens, *reperitur, quod fuerint duæ sorores ex una matre*, colligere vult eas tantum consanguineas fuisse, consequentiam prorsus negamus, cum silentium scripturæ extra fidei capita argumenti vicem supplere haud possit. Longe etiam alio sed itidem ridiculo effugio usus est R. Nachman עיקר עשיית המצות בארץ היה ויעקב נשא שתי אחיות inquiens בחוצה *Fundamentum observationis præceptorum consistit in eo, ut fiat in terra sancta, at Jacobus extra illam duxit duas sorores.* Quod sane vix responsionem meretur. Neque enim præceptum de non ducendis duabus sororibus בחייהן *in vita ipsarum*, ejusmodi est, cujus observationem à loci natura suspendi oporteat.

XXXIII. At aliud suppetit Lipmanno argumentum, מן התורה *quod ex lege* se depromere jactitat, non illa quidem Mosaica scripta, sed שבעל פה *oretenus tradita.* Reperitur illud in Talmud *Massechet Sanhedrin* & repetitur, uti fieri amat, à Maimonide his verbis: (o) גוי שנת גייר הרי זה כקטון שנולד וכל שאר בשר שהיו לו כשהוא גוי אינן שאר בשר ואם: נתגייר הוא והם אינו חייב על אחת מהם משום ערוה כלל: *Gentilis factus proselytus instar infantis recens nati habetur, omnisque propinquitas carnis, quæ ante ipsi erat adhuc gentili, expirat. Nec ille & qui sanguinis necessitudine ipsi erant juncti præcepto de vitando incestu tenentur.* Atque sic Lipmanni judicio utriusque sororis consanguinitas evanuit, ex quo proselytæ sunt factæ, ut Jacobus neutri sorori affinis ratione alterius amplius fuerit, quo faciunt verba Maimonidis גרים שנת גיירו אין להם אחות כלל הרי הן כזרים זה לזה *Inter recens factos proselytos nulla est fraternitas, sed sunt ad invicem velut alieni.* (p)

(h) *Ad Lev.* 20:17. (i) *Nizzachon. num.* 24. (k) *Jalkut. p.* 8. *col.* 2. (l) *Ad Gen.* 11:29. (m) *Comment. in leg. p.* 29. *col.* 2. (n) *Pag.* 8. *col.* 2. (o) *Cap.* 4. *Hilk. Issuri Bia. c.* 14. (p) *Hilk.* יבום וחליצה *d.* 1.

XXXIV. Audent hæc talia Judæi scripturis explicandis sæpissime adhibere v. g. de 2. Sam. 13: vs. 13. acriter dimicatum est, quomodo dixerit Thamar fratri suo: *loquere ad regem & non me tibi negabit.* Christianorum nonnulli verba illa serio locutam esse puellam voluere; Placuit tamen aliis (q) contra asserere, illam omni auxilio destitutam arripuisse, quicquid injuriæ avertendæ conducibile videbatur, nec argumentum inde peti posse. Audiamus quam feliciter difficultatem recutiti tollere conentur: Sic vero ad illum vers. Rabbi Levi Ben Gerson. לא היתה תמר אחותו על דרך האמת ולזה אמרו רבותינו זכרונם לברכה שתמר היתה בת יפת תואר שנבעלה בגיותה ונתעברה מדוד אחר כן נת גיירה ונשאה דוד ולפי שאמה לא היתה גיורת בעת שנעברה ממנה חזה לא היתה הבת בת דוד כי אין הבן הבא לישראל מן השפחה או מן הגויה קרוי בן לישראל Thamar *non erat verè soror Amnonis; Et ideo dixere Dd. nostri b. m. fuisse Thamarem filiam fæminæ venustæ formæ* (Sic captivam ex Deut. 21:20. denotant) *cum qua adhuc gentili rem habuit David, postmodum autem ex quo proselyta est facta, eam in uxorem duxit. Quia itaque mater ejus tempore conceptionis proselyta non erat, ideo nec Davidis filia habebatur: quisquis enim vel ex ancilla vel ex gentili nascitur Israelitis non annumeratur.* Nec solus Gersomides hoc inculcat, sed etiam Kimchi, Jarchi, Bechai & ipse Maimonides, qui melioris intellectus gratia adjicit (r) בן הבא מן העבד או מן הגוי או מן השפחה או מן הגויה הרי הוא כאמו ואין משגיחן על האב: *Soboles sive è servo, sive è pagano, sive ex ancilla sive è pagana nata ejusdem est cum matre conditionis, nec patris ratio omnino habetur.*

XXXV. Obstat vero Judæis non tantum in exemplo Jacobi, quod Genes. 30:1. Rahel, pridem maritata & ex sententia recutitorum proselyta, Leæ soror vocatur, sed etiam loc. Samuel cit. complura è textu fluunt, quæ Judæorum cœcitatem demonstrant. Præterquam enim quod vers. 5.6.7.8.12. fratris & sororis nomina mutua extant & vs. 18. Thamar inter filias regum numeratur; 1. Paral. 3:9. ubi fratres germani & proprie dicti recensentur, itidem Thamar, soror utique proprie dicta subjungitur. Mera quoque conjectura est, Thamarem à Davide ex Maacha filia regis Gesur bello capta, & nec dum regia uxore fuisse prognatam.

XXXVI. Nihil itaque amplius restat, quam ut dicamus, has constitutiones Judaicas annumerandas esse iis, quas nec lege Dei, nec æqua ratione subnixas Grotius (s) alicubi affirmat. Jura enim sanguinis, quæ, utpote à natura pendentia immutabilia habentur, ausu prorsus temerario tollunt, abolent. Facile etiam adducor, ut credam, has juxta cum aliis sanctionibus in causa fuisse, cur Cardinales Inquisitores Codicem Talmudicum igni damnarint. Indignantur enim summopere, quod ea inibi concedantur *adversus Naturæ & Honestatis leges, quæ humanæ aures audire perhorrescunt.* Quale est illud Bechai: (t) בן נח מותר בבתו *Noachidæ licet filiam suam ducere.*

XXXVII. Eant nunc Judæi & glorientur de Reuchlino הער השם רוח חכם נוצרי אחד שעמד בפני השרים והעמים ולמד זכותעל הספר הקדש הזה *Excitavit Deus spiritum prudentem cujusdam Christiani, qui stetit in principum & populorum conspectu, & docuit puritatem sancti hujus libri*; cum tantum absit, ut sanctitatis intuitu Talmud comburendum negaverit, ut potius partim in testimonium contra ipsos, partim, ut alia inde hauriantur, asservandum censuerit qua de re videnda omnino præf. in Lex. Talm. Rabb. Joh. Buxtorfii & alia. Sed de hac materia alias plura.

(q) *Bell. c.* 29. *è Matrim. Heinriquez l. l.* 12. *Theol. mor. c.* 9. (r) *Issuri Bia. c.* 14. (s) *Annot. ad Joh.* 4:9. (t) *Pag.* 28. *in leg.*

DISSERTATIO II.

בע״ה

THESIS I.

Illustris & judiciosissimi Josephi Scaligeri de usu scriptorum Ebræorum verba sunt: (a) *Qui Judæorum scita legunt tanquam πεσμὲς quosdam, æque delirare puto, ac eos, qui nihil bonæ frugis ex illis excerpi posse contendunt, utrique καρυβδιλῶσι.* Nec abjectius de iisdem sensit Isaacus Casaubonus; (b) *equidem*, inquiens, *non dubito multa in sacris literis ex*

(a) *Epist. Scal.* 93. *p.* 237. (b) *Epist. Casaub.* 471. *p.* 568.

ex Judæorum scriptis posse, atque adeo debere illustrari. Quin ipsemet, qui & quantus vir! suam in has literas ὁρμὴν non obscure profitetur, dum ait: (c) *Si studiorum socium haberem, non leviter me in libros Rabbinorum immergerem, quos aliquando cœperam diligenter evolvere, sed me aliæ curæ inde revocarunt.* Equidem, cui aliquid operæ in Rabbinis collocare volup' est, vera istos Duumviros dixisse comperiet. Tametsi enim vel nascendi sorte, vel alio quodam fato, deploratæ sortis mortales, sæpenumero impingant: experimento tamen didicimus, eos non omnimode aberrare à scopo, sed ipsis Christianorum placitis quandoque docere gemella, ac veritati testimonium perhibere longe gratissimum.

II. Nobis sane senio haudquaquam fuit, dieculis quibusdam subsecivis & tranquillioribus aliquot eorum lectioni horulas impendere, atque adeo jucundo prorsus studio alternis Christianorum & Ebræorum lucubrationes evolvere. Lubet igitur telam superiore disputatione exorsam pertexere, & quæ occasione præcepti de vitando illicito concubitu dici queant, annectere. Prius vero, quam id fiat, recolendum est, rejecta, saltem quodammodo reprobata Judæorum sententia, qua septem Noachi præcepta Cabalæ vel orali traditioni accepta referunt, nos censuisse rectius à Maimonide asseri, etiam ea nobis natura innotescere. Cui cum assensum præbeat Rabbi Bechai, locum ejus lectu dignissimum juvat huc referre. Ita vero ille: (d) תר״יג מצות נחלקו לשני חלקים מושכלות ומקובלות המצות המושכלות הן אותן מצות שהשכל מעיר עליהן ומבחין בהן שאלו לא נכתבו היה המשכיל מוצא אותן בשכלו כמצות אב ואם והרציחה והנאוף והגנבה ועדות שקר והגזל והצדקה וכיוצא בהם׳ המקובלות הן אותן מצות שלא ישיגם האדם לעולם ולא ימצאם בשכלו כלל אבל הוא צריך בהן אל הקבלה כמצות השופר והסכה והלולב מצות היבום והחליצה ומצות השמטה והיובל והקו בגות והכלאים ושור הנסקל ועגלה ערופה ופטר חמור ובשר בחלב ושעיר המשתלח והן מכלל החוקים: Sensus verborum hic est: *Sexcenta & tredecim præcepta* (tot enim numerant in universum Judæi) *dividuntur in duas classes, intellectualia videlicet seu naturalia, & positiva. Illa sunt, de quibus testatur intellectus & ea comprobat. Quin si vel maxime non fuissent scripta, nihilominus intelligens ea invenisset in intellectu suo, qualia sunt: honor parentum, homicidii vitatio, adulterii, furti, testimonii falsi, rapinæ, elargitio eleemosynæ & similia. Positiva sunt ea, quorum rationem homo suopte ingenio penetrare haud potest, nec invenit quicquam de iis in suo intellectu; sed ut ad eorum notitiam perveniat, necesse est ut ab aliis eam accipiat. v. gr. Præceptum de tuba, scenopegiis, Leviratione & exuitione calcei, emissione & jubilæo, sacrificiis, non miscendis diversis speciebus, lapidando bove cornupeta, vacca rufa, redimendo asino, carne cum adipe non comedenda, hirco emissario, & hæc sunt è censu Statutorum.*

III. Quæ verba opponi possunt Rabbi Abravaneli, (e) qui æstu disputationis adversus Christianos abreptus præcepta quæ vocant Noachi, tantum סדורים *Constitutiones* pro tempore datas indigitat. Deinde omnibus omnino Judæis, quotquot vel cum R. Lipmanno ægre nobis facturi, subinde occinere solent. (f) תורתינו עומדת לעד ולא תתחלף *Lex nostra subsistit in æternum, & nunquam mutationi est obnoxia.* Vel clamitant, itum esse à Christo & Apostolis contra professionem Matth. 5. vs. 17. *non veni legem solvere sed implere.* Neque enim vel unicum prioris classis est abrogatum præceptum, sed potius posteriora, quæ intrinsecam bonitatem non præcipiebant, & nihil sui natura honestum continebant, ultro evanuere. Id quod vel sola sacrificia demonstrant, quæ hodie recutitis בחוצה לארץ *extra terram sanctam* non amplius ulli sunt usui: Illa vero quæ, uti est apud R. Davidem Kimchi (g) האל הפקיר ונתנם בלב והשכל מורה עליהם: *Deus cordi humano insevit, & intellectus eorum observationem suadet,* tantum abest, ut Christus everterit, ut ea etiam de integro quasi tradiderit, & à falso sensu liberando, ipsos filios Levi, aliorum purgatores purgarit, uti ex Malach. 3. vs. 3. præclare loquitur παμμέγας Grotius, Annotationibus ad Matth. 5. vs. 20.

IV. Consimiliter sequentia quoque ejusdem R. Bechai verba huc referenda sunt: (h) הגזל מן המצות המושכלות שאלולי לא נתנה תורה היה אדם מוצא אותן בשכלו ומושכל ראשון הוא שאין לו אדם כלום בממונו של חברו: h. e. *Præceptum de fugienda rapina est ex numero Naturalium, etsi enim nunquam lex* (Mosaica) *fuisset lata, tamen isthæc homo reperisset in intellectu suo. Primum enim hujus dictatum est, nihil cuiquam juris vel potestatis est in opes proximi sui.* Quæ itidem non negaturi sumus Christiani, affirmantes cum Apostolo Gal. 3. vs. 19. προσέθαστων ἕνεκα latam esse legem Mosaicam, decalogumque esse ipsissimam legem naturæ, quæ primitus hominum mentibus indita, longa peccandi consuetudine fuit obliterata, nec tam novam esse legem moralem, quam recordativam naturalis, uti alicubi loquitur Fr. Suarius de Legibus.

V. Hæc præfati, in rem præsentem veniemus, & quæ materiæ, quam diximus, affinia sunt persequemur. Offert autem se primum locus vexatissimus Gen. 1. vs. 28. פרו ורבו *crescite & multiplicamini.* Quemadmodum enim necdum inter Christianos convenit, an tradux animarum inde probari possit, nec ne? (quam litem hic nostram non facimus) ita Judæi juxta & Christiani diversimode illa verba accipiunt; quidam enim præceptum, nonnulli benedictionem, non pauci utrumque continere perhibent. R. Bechai de iis sic sermocinatur (i) ברכה היא שברך הכח הממיר אשר בגוף האדם כדי שיהיה חי לעולם בגוף ובנפש ושיהיה מאכלו ומזונו מבורך ממלא החסרון החולף על גופו בכל יום עד שלא היה תגיע לא חולשה ולא זקנה: *Illa benedictio respexit corpus hominis, qua facultati ejus transmutandi Deus benedixit, ut homo, qua corpus, qua animam superstes esset & vivus: cibus item ejus esset benedictus, supplens cotidie defectum transmutantis, ut ne ei superveniret vel morbus vel senectus.* Mox ad חכמי הרפואה *Medicos* provocat, utpote qui magno consensu asserant, hominem in hac vita opus habere aliquo quod reproducat הלחות שאבדה ממנו בשתי סבות האחת בסבת החום הטבעי שיש בגופו מבפנים והשנית בסבת תאויר המקיף אותו מבחוץ המיבש רטיבתו: *humidum deperditum duabus de causis, quarum prior calor naturalis intus latitans in homine, altera, aër extrinsecus ambiens corpus & exiccans balsamum radicalem.*

VI. Sane quidem ex Christianis S. Basilius, autore Davide Pareo (k) hæc verba refert ad definitam staturam hominis, quasi dictum sit: *nutrimini parvi generati, magni evadite, terminus vero sit augmenti.* At enim cum verbis פרה & רבה fœcundatio atque adeo multiplicatio insinuetur, beato Patri & Judæis hactenus adstipulari haud quimus, qui censent Deum hoc ipso homini primo קודם שחטא *ante peccatum* benedixisse, ut ne fieret calidum innatum & humidum radicale פחות *deficiens*, aut יתר *abundans nimium*, quo pacto לא היה בא אדם לעולם לידי חולשה וזקנה ולא היה אדם מת לעולם *nunquam homo consenuisset, nec morbo laborasset, nec mortem subiisset.* Hæc enim majori probabilitate arbori vitæ adscribi solent, de qua post alios sic scribit Simon Episcopius: (l) *constat arborem vitæ in paradiso positam fuisse, ut fructus ejus vitalis humidum à calore naturali absumtum & paulatim deficiens ac fatiscens restauraret.*

VII. Minime igitur vim benedictionis exhauserunt, uti paulo post ostendetur; an vero feliciori successu præceptum proprie dictum inde extruant, videamus licet. R. Bechai pergit (m) מצות פריה ורביה שאמר להם ויאמר אלהים פרו ורבו *præceptum multiplicationis & fructificationis perspicitur, quia dictum est:* Et dixit Deus *crescite & multiplicamini.* Sepher quoque Hachinnuch non tantum diserte inter 613. præcepta refert, sed etiam liber Judæorum juridicus שלח ערוך indidem hoc decretum inculcat; (n) חייב כל אדם לישא אשה כדי לפרות ולרבות וכל מי שאינו עוסק בפריה ורביה כאלו שופך דמים וממעט את הדמות וגורם לשכינה שתסתלק מישראל: *Quilibet tenetur ducere uxorem, ut multiplicet & fructificet, & qui hoc negligit, perinde est, ac si homicidium committat, diminuit imaginem divinam, & facit, ut divinitas recedat ab Israële.*

VIII. Pergit ejusdem libri compilator R. Joseph Karo אין מוכרין ספר תורה אלא כדי ללמוד תורה ולישא אשה מצוה על כל אדם שישא בן י״ח והמקדים לישא בן י״ג מצות מן המובחר ובשום ענין לא יעבור מ״כ שנה בלא אשה ומי שעברו עליו עשרים שנה ואינו רוצה לישא בית דין כופין אותו לישא כדי לקיים מצות פריה ורביה׳ ומיהו אם עוסק בתורה וטרודבה ומתירא לישא אשה כדי שלא יטרח במזונות ויתבטל מן התורה מותר להתאחר׳ ומי שחשקה נפשו בתורה תמיד׳ ונדבק בה כל ימין ולא נשא אשה אין בידו עון והוא שלא יהא יצרו מתגבר עליו: Quæ verba sic accipio: Non *licet vendere codicem Sacrum, nisi legem discendi caussa & ut queat ducere uxorem. Præceptum unicuique impositum est, ut duo de viginti annos natus ducat uxorem, si vero tantisper expectare nolit, decimo & tertio ætatis anno licitum est.*

(c) *Pag.* 732. (d) *Comment. in Legem fol.* 2. *col.* 3. *fol.* 215. *col.* 2. (e) ראש אמנה *pag.* 17. *Edit. Venet.* (f) *Nizzachon. p.* 93. (g) *Comment. in Psal.* 19:7. (h) *Comment. in Leg. fol.* 17. *col.* 4.

(i) *Lib. cit. fol.* 8. *col.* 4. (k) *Comment. in Gen. ad l. cit.* (l) *Epist. ad B. pag.* 51. *adde Dn. D. Gerh. tom.* 8. *p.* 73. *LL. Theol.* (m) *L. cit.* (n) *Part.* 3. *pag.* 2.

est. Quod si quarto lustro finito nec dum animum inducat conjugium inire, cogit eum synedrium, ut præceptum de fructificatione *stabiliatur. Quisquis vero legi dat operam, & ea occupatus veretur conjugio se mancipare ne forsan in alimento conquirendo laborans, cessare à studio legis cogatur, ei integrum est procrastinare. Quin etiam, qui lege delectatur quoad vivit, ei inhæret, is si vel maxime Venerem foribus proscribat, non peccat, & hoc ideo, quia concupiscentiæ dominatur.*

IX. Quin etiam Scholastici inde probant, *Matrimonium cadere sub præcepto*, uti videre est apud Lombardum (o), Thomam, Dionysium Carthusianum, aliosque Sententionarios; ne tamen concedere cogantur, nemini hodie integrum esse cœlebem agere vitam, in quo continentia, peculiare donum & communem naturam superans non reperiatur (id quod modernis Pontificiis ex data hypothesi persuasum volunt Theologi nostri) ad totam speciem restringunt, & *confuse* sive *suppositione* Logicis *confusa* dicta explicant hoc modo: ut dictum quidem sit generi humano; crescite & multiplicamini, ita tamen, ut satis sit, si per aliquos species humana propagetur & non cogantur omnes operam dare liberis procreandis, uti eorum mentem interpretatur Bellarminus de Eucharist. cap. 25.

X. Durandus quoque de sancto Portiano idipsum his conceptis verbis statuminare conatur (p): *Melius est bonum speciei, quam bonum individui: sed actus qui est necessarius ad conservationem individui puta comedere, cadit sub præcepto juris naturalis, quod expressit Dominus Gen. 2. quando dicit, de omni ligno paradisi comedes: ergo actus speciei cadit sub præcepto, quod etiam Dominus expressit Gen. 1. quando dixit crescite & multiplicamini.* Verum enim vero præterquam quod non videantur dari ejusmodi præcepta, quæ toti speciei imposita, singula tamen individua non obligent; male verba Gen. 2. asserit cadere sub præcepto, cum concessionem potius redoleant, qua Deus excepta arbore vetita, optionem dedit protoplastis comedendi de quacunque arbore. Nec satis proprie loquitur, cum comedere, quod *naturale* est & à natura descendit, *juris naturalis* esse affirmat. Hoc posterius enim uti citra peccatum omitti nequit, ita prius illud moraliter nec bonum nec malum, sed ab utroque præscindens, non nisi improprie juris Naturalis esse dici debet. Ratio si poscitur eam hanc damus, quia in inclinatione appetitus sensitivi (multo minus in appetitu mere naturali) nulla lex naturalis proprie ac immediate fundatur, sed in appetitu naturali voluntatis, quatenus conformis est rectæ rationi, uti loquitur Adamus Tannerus Tom. 2. Theol. Scholast. disp. 5. quæst. 2. Dub. 2.

XI. Gabriel itaque Biel (q) non dissimulavit, esse nonnullos, qui dicant, verba illa (quæ Gen. 1. vs. 28. per anticipationem enarrantur) fuisse quandam benedictionem matrimonii, quod Gen. 2. vs. 24. institutum est (r). Et ab hac sententia propius abesse videtur S. Augustinus, (s) *Nos*, inquiens, *nullo modo dubitamus secundum benedictionem Dei crescere & multiplicari & implere terram donum esse nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit: creando masculum & feminam, qui sexus evidens utique est in carne. Huic quippe operi Dei benedictio ipsa subjuncta est. Nam cum scriptura dixisset masculum & feminam fecit eos: continuo subdidit, & benedixit eis Deus dicens: crescite & multiplicamini.* In eandem concessere Cornelius à Lapide & Jacobus Bonfrerius, qui Chrysostomum & Rupertum allegantes dictitant, Deum istis verbis usum matrimonii inter homines probasse, eisque virtutem & fœcunditatem indidisse, ut per maris & feminæ conjunctionem, ut cætera animalia, sibi simile procreent, atque se suamque speciem conservent atque propagent; conf. etiam Dn. D. Rungium. (t)

XII. Atque huic favere videtur illud, quod eadem verba hic iterantur, quibus supra v. 22. piscibus Deus benedixit. Quin etiam Gen. 9. v. 1. & 7. postquam Deus Noacho, omnibusque adeo posteris ejus de ulteriori exitio cavisset, & ut ne quisquam vel homo vel bestia hominem occideret, prohibuisset, eosdem quasi consolaturus, verba illa semel atque iterum repetens subjungit, שִׁרְצוּ *abunde progignite more reptilium*, quibus & voluntatem suam benevolam erga matrimonium & promptitudinem genus humanum conservandi innuit. Nec verpi quicquam solidi possident, quo constitutiones suas novantiquas tueantur. Explodendi potius sunt, dum præceptum continere contendunt, quo mas quidem obligetur, femella vero non irem, quippe quæ jubeatur tantum compesci, à Viro, ne sit יצאנית *vagabunda*, id quod ex unica litera Vau deficiente in וְכִבְשֻׁהָ probare satagunt, acumine, si Dis placet, Chrysippeo ceu ex sequentibus verbis R. Salomonis perspicuum est (u): חסר ו״ו ללמדך שהזכר כובש את הנקבה שלא תהי יצאנית ועוד ללמדך שהאיש שדרכו לכבוש מצווה על פריה ורביה ולא האשה:

XIII. Duas præterea quæstiones haud ignobiles à Judæis moveri deprehendo. I. Quandoquidem Deus אחד עשה לאדם וחוה תחילה *unum fecit hominem, Adamum & Evam ab initio*, uti Rabbi Salomo Jarchi ad Malach. 2. vs. 11. loquitur; annon polygamia præceptum quo גלוי עריות *illiciti concubitus* prohibiti creduntur, fuerit violatum, atque adeo in ipsum jus Naturæ multinubi peccarint? II. Utrum Polygamiam Moses postmodum diserte prohibuerit? Priorem æque ac posteriorem recutiti ad unum omnes negant his verbis (x): שאמר שתי נשים בעלמא איסורות בידוע שאין להם לא דת לא חוק שהרי כמה צדיקים נשאו שתי נשים כגון אלקנה ודוד ובדברי הימים כמה כשתי נשים: *Qui dicit duæ uxores in mundo sunt prohibitæ, notum sit, ei nec legem esse nec statutum. Nam ecce multi justi acceperunt duas uxores, veluti Elkanan, David, & in libris Paralipomenon multi memorantur justi cum duabus uxoribus.* Notant vero alias Autores, polygamiam sumi dupliciter, I. pro pluralitate virorum respectu unius uxoris, II. pro pluralitate uxorum ratione unius viri. De priori affirmat Bellarminus (y), apud omnes certum esse quod ea prorsus repugnet juri Naturæ, quia omnes omnino matrimonii fines tollat & impediat.

XIV. Non tamen defuere, qui assererent, quanquam ejusmodi matrimonium sit contra primævam institutionem, deinde spectata natura ac fine matrimonii majorem etiam deformitatem præ se ferat, pluraque incommoda connexa habeat, quam altera species, Deum nihilominus absoluta potestate id concedere posse. Cum enim quædam actiones ita ab objecto suo malitiam accipiant, ut separabilis nullatenus sit v. c. *Deum odisse, blasphemare*: quædam vero sint naturæ quidem repugnantes, quæ tamen cohonestari possunt, si talium actionum exercendarum jus conferatur ab eo, qui potestatem habet, censuerunt posteriori classi ejusmodi polygamiam unius uxoris cum pluribus viris annumerandam esse. Hanc sententiam suam fecere Major in 4. dist. 33. q. 1. Petrus Ledesma q. 65. a. 2. dub. 2. concl. 2. Sanchetz disp. 80. n. 15. Ægid. Coninck disp. 26. dub. 2. quos recenset & sequitur Casista recentior Paulus Laymannus (z). Eam opinionem invito Bellarmino non improbabilem statuit Adamus Tannerus Tom. 4. Th. Schol. q. 4. dub. 6.

XV. At enim vero haud scimus, an ejusmodi conjugium repugnantiam objectivam ex se & natura sua habeat; & cum nullum exemplum, quo femina pia pluribus nupserit, in sacris occurrere ipse Bell. fateatur, eo misso, in præsens de ea πολυγαμίᾳ nobis sermo est, quam Patriarchas aliosque vitæ sanctimonia conspicuos viros frequentasse sacræ literæ loquuntur. Minime vero controvertitur, an etiamnum sit licita, id quod ab Ochino assertum veri nominis Christiani negatum eunt, utpote quibus longe persuasissimum est, à Christo conjugium *Matth. c. 19.* ad primævam institutionem esse revocatum, cui etiam ob id gratias cum Cl. Schickardo (aa) esse agendas censent. Sed in eo controversiæ cardo vertitur: *An seposita & seclusa revelatione & lege divina positiva, conjugium quo uni viro plures femellæ junguntur, ipso jure Naturæ sit irritum & nullum?*

XVI. Quandoquidem igitur hæc quæstio non concernit aliquem articulum fidei, nec dissensio in illius explicatione unitatem fidei tollit, uti loquitur beatiss. Dn. D. Gerhardus (bb); Christianorum argumenta, quibus utrinque Martem invadunt, adferemus, cum Judæi, quibuscum hic nobis res est, nudis exemplis pugnent (cc). Complures πολυγαμίαν juri Naturæ repugnare probant I. inde, quia impediat finem conjugii, non illum quidem primarium, procreationem & educationem sobolis, sed tamen secundarium, socialem cohabitationem & gubernationem domus, dum συνεργία conjugum turbatur, & rixæ oriuntur. II. Quia hoc pacto uxor incipiat esse deterioris conditionis, quam Vir, quippe quæ uni marito fide data alteri corporis sui copiam facere prohibetur, cum tamen natura æquales esse debeant, ipso Apostolo non diffitente 1 Cor. 7. vers. 4. III. Si ille qui ob quascunque causas,

(o) *Lib. 4. sent. dist. 26.* (p) *Lib. 4. sent. dist. 26.* (q) *Suppl. in 4. Sent. dist. 26. q. 1.* (r) *D. Glass. Phil. Sac. lib. 4. tr. 2. observ. 28.* (s) *De C. D. l. 14. c. 22.* (t) *Comment. in h. l.*

(u) *Comment. ad l. cit.* (x) *Pesikta fol. 20.* (y) *Lib. 1. de Matrim. cap. 10.* (z) *Theol. Moral. lib. 5. tr. 10. part. 3. cap. 1.* (aa) משפט *pag. 72.* (bb) *Tom. 7. LL. Theol. 324. pag. 338.* (cc) *Bellarm. l. 1. de matrim. cap. 10. & 11.*

ſas, excepta fornicatione, uxorem dimittit, mœchatur: multo magis ille hujus vitii reus poſtulandus erit, qui eadem retenta adhuc aliam ſuperinducit. At verum eſt prius, ergo etiam poſterius.

XVII. IV. Argumentatur Bellarminus: ſi ſolo jure poſitivo, non naturali prohibita eſſet polygamia, liceret gentilibus hodieque plures habere: at non licitum eſſe, inde conſtat, quia gentilis qui Chriſto nomen dedit omnes uxores præter primam cogitur dimittere uti vult Innocentius Tertius cap. *Gaudemus* de divortiis. V. Colligit Cardinalis hoc modo: Si polygamia naturæ conformis eſſet, haud dubie Deus eam inſtituiſſet, at Deus monogamiam inſtituit, ergo non eſt ſecundum naturam. Quid? quod originem traxit à Lamecho homine profligatæ vitæ. Quibus ſtantibus, *ajunt* (dd), relinquitur, eam juri Naturæ repugnare, non quidem ipſis communiſſimis præceptis, veluti principiis primis, quæ indiſpenſabilia ſunt, ſed illis, quæ tanquam concluſiones ex illis derivantur, mutatiſque circumſtantiis mutari poſſunt. *vel ut alii loquuntur*, non ut intrinſece malam, utpote quæ à Deo concedi nunquam poſſunt (ee): ſed duntaxat ex adjunctis incommodis, quæ ſupervenientibus majoribus commodis à Deo naturæ Conditore compenſari poſſunt; id quod reapſe Deus præſtitit, dum propter multiplicationem fidelium, adferendo conditionem per quam illicita eſſe deſiit, diſpenſabit. Confer Tannerum & Laymannum (ff) qui catalogo ſatis longo Thomæ Sectatores recenſent.

XVIII. Hiſce ſe oppoſuit Durandus (gg) cum paucis aliis, quibus ægre, imo minime perſuaderi poteſt, ejuſmodi polygamiam juri Naturæ contravenire, eo quod nec debitum finem conjugii tollat, neque *per ſe* impediat. Hinc reſpondens ad primum argumentum, negat polygamiæ *per ſe* adhærere rixas, quin potius, uti non obſtante, quod finis ſecundarius quadantenus impeditur, licitum eſt, impenſe litigioſam ducere; ita, *inquit*, licitum eſſe videtur, quantum eſt de jure naturæ, cum pluribus inire conjugium, etiamſi finis ſecundarius, qui propter principalem negligi ſolet, non tam uxorum pluralitate, quam earum protervitate ſufflaminetur. Ad 2. R. Gabriel Biel (hh), Durando ſubſcribens, negando omnimodam inter virum & uxorem natura eſſe æqualitatem, id quod de fine principali, qui eſt *officium naturæ* ipſe Doctor Angelicus (ii) fatetur. Utut etiam de fine ſecundario, qui eſt *remedium concupiſcentiæ*, hodie verificetur, ceu dictum Paulinum evincit; olim tamen ob voluntatem ſuperioris & finem principalem, illum nonnihil fuiſſe neglectum.

XIX. Ad 3. R. ex mente Durandi (kk), conſequentiam eſſe nullam ob utriuſque diſparem rationem. In divortio enim, quo de primario Matth. 19. ſermo eſt, Judæi leviſſima de cauſa, rupto prorſus vinculo, uxorem invitam, quin lamentantem repudiarunt, ducta ſæpiuſcule alienigena Malach. 2: 11. Secus accidit in Polygamia, ubi primæ *uxoris gratiis & conſenſu expreſſo*, uti in Abrahami exemplo, Gen. 16. vel ſaltim ejuſdem *tacita voluntate & expreſſa conſuetudine plures habendi* alia ſuperinducta eſt. Hac reſponſione uſus videtur Patrum Latinorum acutiſſimus S. Auguſtinus (ll), Jacobum contra Manichæos hunc in modum excuſans: *Jacobo pro ingenti crimine quatuor objiciuntur uxores. Quando mos erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra* naturam, *alia contra* mores, *alia contra* præcepta. Quæ cum ita ſint, *quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur Sancto viro Jacob. Si naturam conſulas, non laſciviendi ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur. Si* morem, *illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si* Præceptum, *nulla lege prohibebatur.*

XX. Ad quartum regeritur, non ideo præcepiſſe Pontificem, ut recens converſus πολύγαμος uxores noviſſime ductas dimitteret, quia ſit contra jus Naturæ, ſed ut ad evitandum ſcandalum æque ac cæteri Chriſtiani, in quorum conſortium eſt admiſſus, legi poſitivæ morem gereret. Quod tamen tanquam abſolute & ſimpliciter neceſſarium in Comite a Gleichen non fuit requiſitum ut ex Dreſſeri Rhetorica recenſet Dn. D. Meiſnerus (mm). Ad 5. dicitur: Neque quia Deus polygamiam non inſtituit, neque quia Lamechus eam princeps induxit ſequi, eam eſſe contra jus Naturæ, utpote ad quod plus requiritur, nec ipſum Bell. conceſſurum Cœnam ſacram, quam ſub ſpeciebus duabus Chriſtus inſtituit, ſub una eſſe contra naturam, quam itidem non inſtituit. Atque hæc ab eruditis ultro citroque diſputantur, ex quibus, qui acu rem tetigerint, ediſſerere, hoc vero opus hic labor eſt. Utriuſque ſententiæ argumentorum examen nobis ne arrogamus quidem, ſed illis, qui ingenioſiſſimi numerantur, lubentes relinquimus. Ingenue tamen confitemur maximopere probari nobis Dn. D. Meiſneri modeſtiam, qui priori ſuo loco relicta, poſteriorem non improbabilem ſtatuit. Cui ſuffragatur Dn. D. Thummius, in Decalogum.

XXI. Nunc videamus, utrum Dei indultu plures uxores olim fuerint ductæ, id quod omni aſſeveratione affirmant Judæi. Sane, uti horum odium in Sadducæos (quorum etiamnum in Turcia & Polonia non pauci tolerantur, & à quibuſdam כראים Karæi vocantur) ſubinde fuit acerbiſſimum; ita cum iiſdem altercandi uberrimam ſunt indepti materiam. Hæreſeos accuſati Sadducæi, quod affirmarent, Polygamos peccaſſe, locum Lev. 18: 18. allegarunt, certo ſibi perſuadentes, omnem omnino ibi polygamiam prohiberi, ubi Moſes ait אִשָּׁה אֶל־אֲחוֹתָהּ לֹא תִקַּח לִצְרוֹר לְגַלּוֹת עֶרְוָתָהּ עָלֶיהָ בְּחַיֶּיהָ quæ verba ſic per Ebraiſmum reddidere: *Mulierem unam ad* alteram *ne aſſumito, anguſtia affecturus hanc, retegendo turpitudinem illius, ductæ ſuper hanc in vita ipſius.* At maſcule ſe hiſce oppoſuere Judæi, qui arcte literæ textus inhærentes & conſuetudini, optimo, ut Grotio viſum, legis interpreti, aliam verſionem dedere: *Mulierem ad* ſororem *ſuam ne aſſumito.*

XXII. Nulli igitur dubitant aſſerere Judæi, ſimplicem ibi polygamiam non prohiberi, ſed illam qua uni viro binæ ſorores בחייהן *in vita ipſarum* vel *ſimul* nubunt, reſpicique ad ſuperiora tempora Jacobi, qui indice quaſi digito hic notetur. Quanquam enim quidam ſint, qui Jacobum excuſare præſumant uti R. Lipmannus magno niſu molitur: aliis tamen aliter viſum eſt. Poſt illum enim, qui in Talmud (nn) Patriarchiam peccantem introducit, (cujus auctoritatem Halberſtadienſis Synagogæ Præfectum repudiaſſe memini, eo quod non ſit הלכה כמותו *deciſio juxta ipſum*) ſic ſcribit R. Bechai, (oo) בקש המלאך למצוא לו עון אשר יתגבר בו עליו ולא היה לו יכולת להתגבר עליו מצד שום עון רק מצד עון שתי אחיות שנשא בחייהן וזהו ויגע בכף ירכו והיה העונש במקום החטא: *Quæſivit angelus peccatum in Jacobo, cujus interventu ei poſſet prævalere, & non potuit ullius peccati ratione id obtinere, niſi quod duxit duas ſorores in vita ipſarum, & hoc eſt, quod dicitur*, Gen. 32. vſ. 25. & tetigit curvaturam femorum, *& hæc pœna erat propter peccatum.*

XXIII. Complures inde ex Chriſtianis, iique eruditiſſimi viri, textum penitus perpendentes, valere juſſa Sadducæorum ſententia, Judæis adſtipulari malunt, eo quod illi textum torqueant, & contra quam ab interpretibus fieri amat, ſine urgentiori cauſa à litera recedant, cui alias tantiſper inhærendum ſit, donec impropriæ acceptionis ratio adferatur, quæ omnem elabendi rimam præcludat. J. Druſius (pp) velut indignabundus, *Locum*, ait, *illum Levit.* 18. *verſ.* 18. *de duabus ſororibus exponunt ad noſtram uſque ætatem omnes Doctores Catholici, in qua Karæorum ſententiam renovarunt Junius & Tremellius, ſi recte, cur tot ſancti viri & legis ſtudioſiſſimi contra fecerunt?* cur *non eo nomine ſunt reprehenſi?* Quanquam etiam magni nominis viri ex noſtris Dn. D. Tarnovius, ex Reformatis Th. Beza & Daniel Chamier verſionem Junio Tremellianam fuerint amplexati, magis tamen Judæorum opinio arriſit & recentioribus & antiquioribus Dd. Johannes enim Brentius (cujus ſcripta omnibus Philologiæ & Theol. Studioſis à Rev. pl. & Excell. Dn. D. Glaſſio (qq), Patrono obſequioſe colendo, commendata, non poſſum non venerari) ſic ſcribit (rr). *Et ſi in lege Moſaica conceſſa fuit polygamia, tamen non licuit duabus ſimul ſororibus jungi, ne videlicet altera alteram perpetuo affligeret, quod in conjugio Jacobi factum eſt.* Similem plane in modum D. Polycarpus Lyſerus, (ss) & P. Cunæus. (*) Valentinus item Schindlerus (tt) ait: *Non de digamia, ſed de conſanguinitate ibi agitur, neque præcedit aliquid de duabus, uti in reliquis exemplis.* Nec abſentit H. Grotius annot. ad l. c. Adde C. à Lapide P. Fagium, J. Bonfrerium, Dionyſium Carthuſianum, alioſque in Pentateuchum commentatores.

XXIV. Nec

(dd) *Thomas ſupplem. 3. part. q. 65. artic. 1. Bell. cap. 11. de matrim.* (ee) *Layman. Theol. moral. l. cit. pag. 990.* (ff) *Et l. cit.* (gg) *Lib. 4. ſent. diſt. 33. q. 1.* (hh) *Suppl. in 4. ſent. diſt. 33. q. 1.* (ii) *Suppl. 3. part. q. 65. art. 1. ad 7.* (kk) *L. cit.* (ll) *L. 22. contra Fauſtum cap. 47.* (mm) *Phil. ſob. part. 1. c. 5. q. 1.*

(nn) *Maſſechet* פסחים *cap. 10. Jalk. ad Pſal. 116.* (oo) פירוש *in legem fol. 43. col. 3.* (pp) *Loc. difficil. in Lev. cap. 61.* (qq) *Phil. Sac. lib. 4. tr. 1. pag. 671.* (rr) *Comment. ad l. cit.* (ss) *Ad cap. 29. Gen. pag. 73.* (*) *de R. Ebræorum.* (tt) *Lex Pentaglot. rad.* אח.

XXIV. Nec isti modo Scripturæ interpretes, sed Græcus quoque & Chaldæus absentire sententiæ adversæ videntur; Versio enim LXX. univiralis, cum facili negotio reddere potuisset ἑτέραν πρὸς ἑτέραν aut simili modo: Chaldæus חרא עם חד vel חד לקביל חד uterque tamen in speciali concordi suffragio perstitit, remoto ejusmodi generali sensu, quasi nulla lis esset. Nec verisimile est, Mosen legislatorem in re maximi momenti usurum fuisse voce impropria, quæ non æque facile mentem autoris aperit ac propria, cujus tamen tergemina formula occurrit, qua polygamiam prohibere potuisset, nempe *vel* verbo הִרְבָּה adhibito Deut. 17. vs. 17. *vel* phrasi אִשָּׁה אֶל־רְעוּתָהּ Exod. 1. vs. 2. vel denique particulis אַחַת אֶל־אַחַת adhibitis Exod. 36. vs. 10. 12. 13. uti observavit vir Præclarissimus, Dn. Th. Hackspan, Præceptor colendissimus disp. I. de Locutionibus sacris Th. 14. & seqq.

XXV. Tantum igitur abest, ut hic polygamia prohibita gravissimis autoribus videatur, ut etiam alibi ejusdem concessæ vestigia haud obscura deprehendi perhibeant. Hugo Grotius (tt), aureo libello de veritate Religionis Christianæ, annotationibus aucto, sic loquitur: *Lex Ebræa omnem quidem spurcitiem inhibet, sed & plures uni concedit uxores. Apparet id*, Deut. 17. vs. 16. 17 cap. 21. vs. 15. 2. Sam. 12. vs. 8. Quæ scripturæ dicta si penitius perpendamus, operæ pretium facturi videmur. Deut. 17. vs. 6. 17. hæc verba leguntur: *Non multiplicabit sibi* (Rex *equos* וְלֹא יַרְבֶּה לּוֹ נָשִׁים *& non multiplicabit sibi uxores, quæ alliciant animum ejus*, & argentum & aurum לֹא יַרְבֶּה לּוֹ מְאֹד *non multiplicabit sibi valde*. Hic, si dictio מְאֹד *valde* ex sequentibus ad anteriora revocetur, ceu alias quoque ex antecedentibus ad posteriora ἀπὸ κοινοῦ fieri solet, e. gr. Prov. 13: 1. ad præcedentia verbum שמע Malach. 1. vs. 10. particula חִנָּם & τὸ μόνον Matth. 4: 10. sensus exsurget ejuscemodi: Rex non coacervet *nimias* opes, nec alat *superfluos* equos, nec *numerosiore* uxorum excedat collectione.

XXVI. Et hunc sensum amplexus est Lyranus, qui censet Deum regi hic interdixisse polygamia sub numero duntaxat excessivo, ne videlicet rex mulieribus pluribus, maxime alienigenis velificans seducatur, id quod maximo damno suo expertus est Salomo post homines natos mulierosissimus, quo de sic Augustinus, allegante Magistro sententiarum (uu): *Manifestum est, Salomonem hoc præceptum transiisse; David autem plures habuit uxores, neque tamen hoc præceptum præteriit.* Cui suffragatur Dionysius Carthusianus, (*) *quia*, inquiens, *hic additur*, quæ alliciant, *præsertim prohibetur pluralitas alienigenarum uxorum, quæ animum regis fidelis poterant ad idololatriam trahere, secundum quod cor Salomonis in senio depravatum est multitudine talium mulierum. Non autem prohibebatur regibus Israël quæcunque uxorum pluralitas, dummodo amore prolis, non voluptatis acciperentur.* Hisce paria docent Cornelius à Lapide & Jacobus Bonfrerius.

XXVII. Citra dissensum quoque ullum hic conveniunt Judæi, dictitantes neque Davidem neque alios quantum vis plurium uxorum maritos hanc legem violasse, quibus non illa effrenis sed mediocris polygamia placuit, nec Gideonem reprehendi, Judic. 8. vs. 30. qui septuaginta filios habuisse dicitur כִּי נָשִׁים רַבּוֹת הָיוּ לוֹ *eo quod multas haberet uxores*, nec Rehabeamum octodecim habentem, 2. Paral. 11. vs. 21. Alibi etiam absque ullius reprehensionis nota scripturam memorare, ideo quosdam πολυτέκνους fuisse, כִּי הִרְבּוּ נָשִׁים *quia multas duxere uxores* (xx). Numerus vero regibus concessus, uti diserte non exprimitur, qui quorundam judicio in latitudine morali consistere videtur; ita Ebræorum Magistri per consequentiam eundem indagare tentarunt, quorum, juxta & Chaldæi verba diligenter collegit Vir de studiis Ebraicis meritissimus Wilhelmus Schickardus, de jure regio Ebræorum. (yy)

XXVIII. Porro Scholastici plerique omnes & Drusius probaturi, divina concessione polygamiam in usu fuisse, alterum dictum Deut. 21. vs. 15. producunt. Audiamus de eo Thomam (zz), *ad Galatas*, inquientem, *tertio dicitur, quod lex propter prævaricationem posita est, ut scilicet eos prohiberet: sed lex vetus facit mentionem de pluralitate uxorum sine aliqua ejus prohibitione, ut patet in Deuteron. c. 21. vs. 15.* Si homo habuerit duas uxores &c. *Ergo habendo duas non erat prævaricatio, & ita erat licitum.* Cæterum cum patiatur suas difficultates illud oraculum, quemlibet suo sensu abundare permittentes; veremur, ut adversario pertinaci satisfaciat. Objicere enim quidam hic solent I. exosam, cujus in textu fit mentio, potuisse esse vel repudiatam, vel etiam mortuam, qua ratione maritus non fuerit polygamus simultaneus: *deinde*, leges ferri de iis non solum, quæ approbantur, sed etiam quæ reprobantur: *porro* axioma, qui disponit de consequente, vult etiam antecedens, non esse universaliter verum; cum Deus Deut. 23. vs. 18. prohibeat mercedem prostibuli inferri ærario templi, nec tamen meretricium quæstum approbet.

XXIX. Quicquid ejus sit, duobus locis fortior videtur tertius 2. Samuel. 12. vs. 8. ubi vates Davidem tum πολύγαμον, Dei verbis ob raptam Uriæ uxorem sic alloquitur: *Dedi tibi domum Domini tui* וְאֶת־נְשֵׁי אֲדֹנֶיךָ בְּחֵיקֶךָ *& uxores Domini tui in sinum tuum*, q. d. Nihil causæ erat, cur alteri uxorem eriperes, atque adeo adulterio te collutulares; potuisses enim ex Saulis femellis aliquam matrimonio tibi jungere. Contra hæc duo objiciuntur, I. Phrasin (a) *dari in sinum* sæpe improprie sumi Luc. 6. vs. 38. & verbum נתן *dedit* non raro *permissionem* potius, quam *concessionem* proprie dictam notare. 2. Saulem fuisse Socerum Davidis, adeoque per legem Mosaicam ejus uxoribus jungi non potuisse, quo ipso non æque sit certum, matrimonium hic innui.

XXX. Cæterum resp. distinguendum esse inter vocem simpliciter positam & cum adjectione. *Fieri enim potest* (verba sunt Dn. D. Kesleri. b. m.) (b) *ut vox simpliciter posita certam ac planam habeat significationem, cum adjectione vero aliam accipiat.* Non prior, sed posterior, utpote tota φράσις *dare feminam in sinum alicujus*, attendenda est. Quemadmodum enim אֵשֶׁת חֵיקֶךָ *femina sinus tui*, uxorem proprie dictam denotat Deut. 13. vs. 6. & c. 28. vs. 54. 56. ita Sara dicitur Gen. 16. vs. 3. Abrahamo ancillam dedisse לְאִשָּׁה *in uxorem*, quam vers. 5. ipsi בְּחֵיקֶךָ *in sinum* se dedisse affirmat. Ex quo perspicuum utique evadit, matrimonium ea formula innui. Nec altera ratio obstat; minime enim sequitur, Davidem omnibus Saulis uxoribus jungi oportuisse, sed illis quibus vellet; id quod Dn. Doctoris Franzii verbis, quam meis explicare malo: Ita vero ille (c): *Quod attinet ad istud, ubi Deus dicitur tradidisse Davidi inter alia etiam uxores Domini sui in sinu suo, hoc intelligatur, quod post occisum Saulem divina benignitate in potestatem Davidis cesserit aula & totum Gynæceum Saulis regis: ita ut juxta licentiam apud gentes passim & simul tunc temporis patribus usitatam, inde potuerit uxores sibi deligere pro suo libitu.* Addatur Petrus Cunæus de Rep. Ebræorum cap. 23. lib. 2. Dn. D. Thummius l. cit.

XXXI. Tandem non infimi subsellii viri asseverant jus levirandi, quo de lex habetur Deut. 25. vs. 5. ipsam πολυγαμίαν admisisse, adeoque dum leviram frater superstes ducere jubebatur, id æque ad uxoratum ac cœlibem spectasse. B. Lutherus disp. de Digamia Sacerd. th. 65. (d) *Nota*, inquit, *sunt jura Mosaica de fratris defuncti uxore, quæ cogunt plurium esse uxorum virum.* Illum sequitur Dn. D. Meisnerus, dum ait (e): *Non putandum est, legem istam ad cœlibes duntaxat spectasse, imo communis fuit & uxoratos obligavit.* Idem affirmat Lumen olim Univ. Lipsiensis, Dn. D. Hopfnerus his verbis (f): *omnis polygamia, nisi accedat divina dispensatio, cujus vestigium videtur* Deut. 25. vs. 5. *illicita fit & culpabilis.* Et hoc ipsum latius jam diduceremus, nisi peculiari dissertatione de היבום וחליצה *leviratione & exutione Calcei* alio die ventilandum exhibere nobis esset decretum.

XXXII. Quæritur etiam, cum Judæis, teste Josepho πάτριον ἐν ταὐτῷ πλείοσιν συνοικεῖν, *mos patrius fuerit eodem tempore plures habere uxores*; id quod in Oriente passim adhuc obtinet, nisi ubi à Christianismo abolitum est, ecquando cœperit apud eosdem polygamia abrogari? Bellarmino (h) sane cum aliis hic non convenit, qui Christo in terris agente jam tum nec apud Judæos nec apud Romanos nisi paucissimos in usu fuisse tradit. Verum huic adversari videtur Justinus altero etiam seculo post Christum natum de Rabbinis conquerens, (i) καὶ μέχρι νῦν καὶ τέσσαρας καὶ πέντε ἔχειν ὑμᾶς γυναῖκας ἕκαστον συγχωροῦσι *etiam ad hunc usque diem quatuor & quinque uxores quemque vestrum habere permittunt.* Quin etiam eosdem

(tt) *Pag.* 47. (uu) *Lib.* 4. *sent. dist.* 33. (*) *Comm. ad l. cit.* (xx) 1 *Paral.* 7. *vs.* 3. 4. (yy) *pag.* 70. (zz) *Supplem.* 3. *part.* 4. *q.* 65. *art.* 2.

(a) *Wendelinus Theol. Christ. lib.* 1. *cap.* 30. (b) *Exam. Log. Phot. pag.* 375. (c) *De interp. Scriptur. orac.* 16. (d) *Tom.* 1. *Latin. Jen. pag.* 498. (e) *Phil. sobr. part.* 1. *l. cit. p.* 640. (f) *Disp. de Matrim. th.* 23. *anno* 1623. *habita Lipsiæ.* (h) *c.* 11. *de Matrim. Ames. Bell. Enerv. t.* 2. *pag.* 131. (i) *Dn. D. Calixt de Conjug. Cler. pag.* 42.

dem reprehendit quod ubicunque agerent & quocunque proficiſcerentur, mulieres matrimonii titulo ſibi copularent. Qua licentia uſque adeò abuſi ſunt, ut Theodoſius M. quarto ſeculo peculiari reſcripto interdicere fuerit compulſus, *ne in diverſa ſub uno tempore conjugia convenirent.* Atque huic mandato morem gerere coacti Archiſynagogi (k) docent, במקום שנהגו שלא לישא אלא אשה אחת אינו רשאי לישא אחרת על אשתו *ubi mos unicam ducendi uxorem obtinuit, non licet priori aliam ſuperinducere.* Quanquam alias non inficientur, ſecluſo illo ipſis integrum eſſe ducere כמה נשים *complures uxores:* ſubjungunt vero מ״מ נתנו חכמים עצה טובה שלא ישא אדם יותר מד׳ *Nihilominus ſapientes conſilium dedere bonum, ut ne quiſquam plures ſibi jungeret quam quatuor.*

XXXIII. Sed redeamus ad illud tempus, unde in ſequiora ſecula ſumus dilapſi. Maritum & uxorem etiam à ſponſalibus dici ſecundum Ebræorum & aliarum gentium inſtituta, recte ab autoribus obſervatum eſſe, Grotius (l) affirmat. Largiuntur hoc & Talmudiſtæ de tempore Moſen ſubſecuto, de antecedente non item, quippe quo non tam ex קרושין *ſponſalibus*, quam ביאה *concubitu* denominati fuerint. Verba quibus inducti hoc ſtatuunt Geneſ. 20:3. hæc ſunt: *Ecce tu morieris propter hanc feminam* וְהִוא בְּעֻלַת בָּעַל *& ipſa maritata viro.* Ad illa ſic Talmudiſtæ: (m) לא כתיב אשת איש אלמא הנך מת משום בעילתו של בעל ולא מפני קרושין: *Non ſcriptum eſt: uxor Viri eſt. Quare autem dicitur, ecce tu morieris? propter concubitum mariti, non propter ſponſalia.*

XXXIV. At enim vero immane quantum errant, & nihil minus quam hoc inde ſequitur. Dicunt quidem illi בני נח אין להן קרושין אין להן גירושין *Noachidis nec ſponſalia ſunt, nec repudia.* Sed citatum textum huic rei favere negamus. Quemadmodum enim vera uxor *vel* à nomine proprio mariti denominatur, ut אשת אברם *uxor Abrahami* Geneſ. 11:29.31. *vel* à familiaritate mariti cum aliis, ut אשת רעהו *uxor ſocii ſui*, Prov. 6:24. *vel* ab ætate, qua nuptiæ ſunt celebratæ vel contractæ, ut אשת נערים *uxor adoleſcentiæ*, Malach. 2:14. ita ab actu matrimonii legitimo vocatur בְּעֻלַת בַּעַל notaturque perinde ac ibi האישות *matrimonium*, præciſo eo, an ſponſalia præceſſerint nec ne? adeoque opponitur nunc נערה בתולה מארסה *puella virgo deſponſata* cap. 22. Deut. vſ. 33. nunc אשת זנונים *ſcortatrix* Hoſ. 1:2. ipſe quoque Syrus ex Eſai. 54:1. hanc vocem Gal. 4:27. retinuit dum habet ܒܥܠܐ. Nec Kimchi aut Abeneſra tale quid, qui tamen ſacræ phraſeos callentiſſimi ſunt, animadverterunt. Similiter Chaldæus איתת גבר. Græcus συνωκηκῦα ἀνδρὶ, Arabs زوجة رجل *uxor viri.*

XXXV. Uti igitur fruſtra ſunt in eliciendo illo ritu, ita nihil cauſæ eſt, cur eis credamus id temporis locum non habuiſſe Chriſtianorum regulam: *Conſanguinitatis eadem eſt ratio, ſive ex paterna ſive ex materna linea deſcendat*, quam inculcat Præceptor venerandus Dn. D. G. Konig. (n) Urgent quidem recutiti, ceu ſuperiori diſſertatione diximus, verba Abrahami, *verè eſt ſoror mea, ſed filia patris mei, non matris meæ*, ſed præter illa quæ tum regeſſimus, non gravabimur apponere verba Bonfrerii: (o) *Neque obſtat quod alii valde urgent, quod Abraham hic dicat: verè eſſe ſororem ſuam, quaſi dicat proprie & ſtricte hanc appellationem ſumendo, illud enim verè non habet illam vim ſed ut idem ſit, quod abſque mendacio, ut ſenſus ſit, aliàs & abſque mendacio dicere potui ipſam eſſe ſororem meam.*

XXXVI. Sanctum Hieronymum aliquando à Judæorum ſententia non admodum alienum fuiſſe, ex Quæſtionibus ejus Ebraicis conſtat, quem alii quoque ſunt ſecuti. Iiſdem an H. Grotium (p) accenſere debeam, haud ſcio. Hic enim, cum ex profanis autoribus quædam exempla attuliſſet, ubi gentes genus maternum ut certius magis attenderint, ſubjungit: *vide Deut. 13:6. ubi frater ex matre ponitur, ut conjunctior.* Verum hoc Judæos nihil juvat, jus Noachidarum ex Geneſi extruentes. Neque ſtatim ex eo, quod omiſſo fratre ex parente, mentio fit uterini, ſequitur hunc eſſe conjunctiorem illo: pari enim pacto colligerem: alicubi ſororum ex parente fit mentio, e. gr. Ezech. 22:11. Levit. 18:9. c. 20:17. Ergo & hæ conjunctiores ſunt uterinis. Ut taceam, ipſum R. Salomonem aliam, & Grotio adverſantem expoſitionem moliri, cujus, uti & Rabbi Levi B. Gerſonis Commentarii omnino videantur.

XXXVII. Sed & aliud ſupereſt, in quo majorem in modum hallucinantur Judæi. Audiamus tantum Rabbinum celeberrimum Maimonidem (q) ſic loquentem: קודם מתן תורה היה אדם פוגע בשוק אם רצה הוא והיא נותן לה שכרה ובועל אותה על אם הדרך והולך וזו היא הנקראת קדשה משנתנה תורה נאסרה הקדשה שנאמר לא תהיה קדשה מבנות ישראל לפיכך כל הבועל אשה לשם זנות בלא קדושין לוקה מן התורה לפי שבעל קדשה: h. e. *Ante promulgationem legis, ſicubi mari & femellæ ſibi invicem in via obviantibus viſum erat congredi, dabat ille mercedem & concumbebat cum hac & abibat, & hæc vocabatur meretrix. Ex quo verbo lex erat lata, ſcortatio quoque prohibebatur, dictum enim eſt*, Deuter. 23:17. Et non erit meretrix è filiabus Iſrael. *Idcirco quiſquis rem cum quadam habet ut ſcortetur, vapulat juxta legem, quia cum ſcorto congreditur.* Idem denuo egregio libro מורה נבוכים (r) tradit, vocans *ſcortationem id temporis opus licitum quod* homo nullo pacto fugerit.

XXXVIII. Dupliciter vero intelligi poteſt ſcorti uſum ante legem fuiſſe permiſſum, 1. *quoad impunitatem* 2. *quoad turpitudinem*, ſine qua fieri potuerit: quicquid ſit de priori, quæ forſan concedi poſſet, cum lege humana non coërceretur, poſterius utique negandum eſt: Cum enim Deus nuptias liberûm quærendûm & honeſte educandûm gratia inſtituiſſet, non poterat non cum eo inſtituto pugnare concubitus, adeoque facti turpitudo apparere. (s) Juda quoque ipſe innuere videtur, eam infamem fuiſſe dum ait: פֶּן נִהְיֶה לָבוּז *ne ſimus contemtui.* Deum id etiam conceſſiſſe, quod, omni lege poſitiva ſecluſa, de ſui ratione eſt peccatum mortale & per evidentem illationem ex principiis naturalibus licet remotius infertur, intrinſece malum eſſe, id vero credat Judæus Apella, non ego. Ex Scholaſticis quidem nonnulli negant, ſcortationem ſimplicem eſſe contra legem naturæ, ſed tantum prohibere lege poſitiva divina & humana. Verum eos falli ab aliis demonſtratur, qui dicunt, punitam eam fuiſſe nondum lege poſitiva exiſtente, ipſumque Apoſtolum ejus atrocitatem depingere, cum πόρνους æque ac adulteros manere exitium æternum teſtatur Ebr. 13. vſ. 4. ac ſtragem illam tot millium, cujus mentio eſt Num. 25. eveniſſe refert ob crimen πορνείας 1 Cor. 10. verſ. 8. quod vel ſolum, etſi falſorum cultus non acceſſiſſet, ſatis dignum eo ſupplicio exiſtimat. Nempe igitur præpoſtere conſuetudo introducitur ex unico exemplo, *quod* ut Thomas ait (t), *non cogit.* Cum neceſſe non ſit filios Jacobi à peccato mortali excuſari, qui alias venditione fratris & aliis criminibus ſe ἀναμαρτησίᾳ deſtitui oſtenderunt.

(k) *Schulchan Aruch. part. 3. pag. 2.* (l) *Annotat. in cap. 1. Matth. 16.* (m) *Talmud. Maſſechet Sanhedrin fol. 57.* (n) *Caſ. Conſc. dec. 3. Caſ. 5.* (o) *Com. ad l. cit.*

(p) *Annot. in V. T. l. cit.* (q) *Hilkot.* אישות *cap. 1.* (r) *Part. 3. c. 49. p. 500.* (s) *Dn. D. Glaſſius Phil. ſac. l. 3. tr. 5. p. 495. Suarius l. 2. de Legibus c. 7.* (t) *Supplem. 3. part. q. 65. art. 5.*

JOH. FRID. MAYERI DISSERTATIO De Peccatis & Pœnis Brutorum, ad Gen. IX: 5.

I. N. J.

DE PECCATIS ET POENIS BRUTORUM

Dissertatio Theologico-Moralis ad Genes. IX: 5. comma prius.

CAP. I.

SUMMARIA.

Occasio effati. De sanguine vetito Thomæ Bartholini & Curcellæi sententia. Ordo dissertationis. אך *particula non hoc loco causalis contra Pererium, & Bonfrerium, nec adversativa contra Burgensem. Explicatur è Kimchio. Coccejus notatur. Duplex Synecdoche animadvertitur. Authoritas Bezæ & Budæi. Gatakerus in subsidium vocatur,* דרש *verbum forense è Seldeno.** חיה *ad bestias restringitur. Samaritanus Codex notatur.* מיד *quodvis instrumentum designat è Glassio. Disceditur à Bocharto.* כל *explicatur è Noldio.*

§. 1.



Magnum certe ac memorabile bonitatis divinæ specimen extitit, quod fatali diluvio genere humano deleto, tantum unius mortalis pietati ac integri moris rectitudini dederit, ut ipsi parcens, pœnæ modum fecerit, & ex ingenti prope totius mundi naufragio incolumem ipsum cum suis servaverit. Etenim cum paulatim aquæ recessissent, rediissentque in priora litora maria, & priores ripas repetiissent flumina, emergentibus terris, reductaque priori serenitate ac commoda cœli temperie, prodierunt jussu Numinis ex arca, exsoluti metu ac liberi homines fatentes divina tantum ope ex internecione & deploranda strage sese servatos. Antequam vero ad terræ cultum se verterent, victumque & legumina, quæ vitæ sufficerent, agricultura & dura opera quærerent, promisso & fœdere divino confirmabantur. Benignissimum nempe numen consulturum necessitati humanæ & indigentiæ, liberali mandato usum omnium, quæ terrarum pariter ac aquarum tractus possident, animalium concessit, utque horum carnibus, fame pressi, pellibus in tegumenta corporis & arcendas frigoris injurias, fruerentur benigne permisit. Ut vero societas humana sanctiori vinculo constaret, neve alter in alterum, quod pessimo exemplo in anteacti mundi primordiis acciderat, violenter grassaretur, ac fratris sanguine manus pollueret, severa lege ac gravissimarum pœnarum minis prohibuit ac interdixit. Neve animus ad deteriora pronus alias ac proclivis externis quoque irritamentis incitaretur, ac efferis truculentisque motibus agitaretur subinde, sanguinem animalium in cibis noluit, & stillantes recenti cruore artus, ne ori admoveant, prohibuit. Quo quidem ego illud inficiari nolo, quod *Thomas Bartholinus* & *Stephanus Curcellæus* autumant, Numen, ut sapientissimum auctorem naturæ, voluisse & sanitati humanæ prospicere, & cavisse lege, ne pascerentur sanguine, ne graves ac difficiles morbos, cum quibus luctandum diu, fœda sanguinis esca contraherent & in corpus sensim quoque à priori vigore recedens derivarent. De eo vero amplius dubium esse non poterit, humanas cædes & profusum temere ac privato ausu mortalium sanguinem detestari numen, adeo ut à brutis, quibus rationis usus non est, quæque nec in jus vocari propterea possunt id impune fieri nolit Geneseos 9: 5. ואך את־דמכם לנפשתכם אדרש מיד כל־חיה אדרשנו

Versio vulgata: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum &c.*

Quod dictum cum in illustri positum monumento sit, & eo securitati mortalium ac saluti provisum ac prospectum, visum mihi non sine ratione fuit, eo ingenium animumque dirigere immersusque utilissimis cogitationibus, quæ mens ac sententia in eo lateat, idoneis argumentis explorare. Mihi vero antea limites ponam, describamque orbitam, ex qua vagari non possim si vel maxime velim, & de quibusdam vocibus postquam nonnulla cap. I. docuero, sententiam quæ maxime ad veritatem accedere videbitur c. II. amplectar, & quam inique nonnulli ac perperam inde ineptæ an injustæ causæ de peccatis Brutorum præsidium quærere velint c. III. ostendam. Quod institutum lubricum ac perdifficile ut feliciter exequar, implorato precibus numine auspicabor.

§. 2. Primo quidem in eo Interpretes hærent, quam significationem particula אך hic sibi adsciscat, cujus fluctuationis ratio ulla alia haud est, quam latè patens ac varia acceptio. Equidem ii, quibus vulgata versio in pretio est, (cui calculum h. l. addunt LXX. senes, qui per γὰρ exprimunt,) quo vim ejus tueantur, causalem faciunt, ac si hoc commate prioris interdicti ratio ac causa pateat: quorum agmina ducunt *Bonfrerius*, & *Pererius*, qui eodem instituto, prolixiorem sensum intelligi debere audacius asserit, qui cum per præteritionem quandam omissus sit, nescio an pia ratione, id quod deficit, hunc in modum supplet: Nolo autem vos sanguinem humanum fundere, aut cibi, aut vindictæ, aut voluptatis, aut cujuscunque rei causa. Nam sanguinem vestrum requiram de manu omnis bestiæ. Verum si ea licentia mox inserendo, mox delendo aliquid, interpretatio foret, nescio quid demum effingere liceret. Ultra virtutem certe Interpretis sacri egit, apud quem & verborum ordo mysterium esse debet; quod & *Bonfrerius* tempestive agnovit, ac propterea quoque nec in ipsius opinionem transiit. *Paulus vero Burgensis & Cajetanus* hanc particulam adversativam esse volunt, quibus & *Mathias*

thias Thoringus accedit, quamvis diverso modo mentem suam exponant. Sed hæ explicationes apud nos valere haud plus possunt, quam Vulgatæ authoritas, cum ab eo proculdubio processit qui vix tenui Hebrææ linguæ aura afflatus fuit. Itaque cum ad gravissimam & nunquam labefactandam legem à temporaria & N. T. abrogata fiat progressus, sanctionis fundamentum ea vocula Spiritus S. voluit, ut summa, quæ inest, certitudo liquido appareat. Quapropter & nos *Pagnino*, *Junio & Tremellio & Piscatori* non habemus contradicere, qui perprofecto reddunt, proculdubio à *Kimchio* edocti, qui *Seph Haschor* p. 26. hoc in negotio vocat אך לאמרה דבר ach veritatis rei. Nulla ratione itaque in sententiam *Cocceji*, Lexico p. 31. ire possumus, qui per forsitan reddi maluit, cum alias sensus constare non possit, aut dubius oriatur, quod tamen & gravitas negotii vix permittere potest.

§. 3. Nunc exponendum venit quid per reposcere sanguinem intelligatur. Sanguinem per schema Hebræorum consuetudini usitatissimum cædem notare *Beza* ad Matth. 27: 25. observavit, quod dicendi genus & apud Græcos occurrere ex lectione probatorum auctorum satis patet. ἐκζητεῖν τὸ αἷμα, ut LXX. exprimunt, idem est ac phrasis qua utitur *Johannes* Apocalyps. 6: 10. ἐκδικεῖν τὸ αἷμα, quod idem est cædem alicujus vindicare, & cum ἀεκδικεῖν incidit, quod pari significatione sæpius in Pandectis Græcis legi asserit *Guil. Budæus* Comment. Græc. linguæ p. m. 124. Et Hebræum, quod in fontibus reperitur דרש de inquisitione quæ in forensi judicio fit pari modo explicat *Joh. Seldenus* l. IV. de J. Nat. & Gent. c. I. p. 475. Paria facit verbum בקש 1 Reg. 20. vs. 16. quod est cum conatu & studio quærere, ut observat *Joh. Lorinus* ad Psalm. 9: 13. & 37. 13. Nec inficior factam h. l. translationem ab ea consuetudine, qua proximus consanguineus & necessarius occisi prosequebatur occisorem, atque supplicium de eo sumebat, qui in sacra lege גואל הדם vocabatur, cuique integrum erat, citra cognitionem forensem mortem inferre reo, & manibus occisi propinqui cæde percussoris parentari *Selden.* l. c. Animæ vero hic totum hominem, per tropum quem synecdochen Rhetores vocant, notant. Quod frequens est & sæpius apud Hebræos occurrit ut Gen. 47. v. 26. Levit. 2. vers. 1. Psalm. 16. vs. 10. Vid. *Drusius* Præterit. lib. II. p. 74. LXX. non inquinate aut quod abhorreret à Græcæ linguæ integritate expresserunt per αἷμα τῶ ψυχῶν ἡμῶν. Nam & profani authores hoc dicendi modo usi sunt ut Theocritus Idyll. 16. v. 24.

Ἀλλὰ τοῦ μὲν ψυχῇ τοῦ ἢ καί τινι δῶναι ἀοιδῶν.

Et Euripides in Helena & Homerus Iliad. α. ψυχὰς πολλὰς i. e. homines occubuisse tradit. Ut Latinos præter Ciceronem prætercam, qui l. 14. Epist. fam. 14. dicit: Vos meæ charissimæ animæ quam sæpissime ad me scribite. Vid. *Thom. Gatakerus*, de stylo N. T. c. 10. p. 103. Quod si nunc sine troporum colore rem expendere, & simplicem sensus indolem referre velimus, erit: & certe cædem hominum vestrorum vindicabo.

§. 4. Id vero præterea ambiguum est, an per חיה, omne vivens, ut *Samaritanus* Interpres reddidit intelligendum adeoque idem valeat ac Græcum ζῶον aut ἐμψυχόν, cum animali vita sit propria, & jam homines pariter ac bestiæ in censum veniant. Etenim Hebræorum sapientes animalium genus Græcorum more dividunt in λογικὸν & vocant חיה מדברת, animal loquens, quale quidem præter hominem nullum est, & ἄλογον quod חיה בעיר animal Brutum dicunt, quodque in sacro codice Psalm. 36. בהמה vocatur. Vid. *Bochartus Hierozoic.* l. I. c. I. Nos quidem jam LXX. senibus calculum addimus, qui per τῶ θηρίων explicant, ut adeo homini opponatur, quoniam in hoc ipso versu sequenti commate hominis mentio fit, qui si per חיה quoque intelligeretur, proculdubio battologia foret, & cum tædio conjuncta inanis repetitio.

§. 5. Consultatio nunc est an מיד, proprie exponendum sit, an ut redundans negligendum, ut tantum præpositio à vel ab intelligatur. Si Cl. *Bochartus* hunc locum exponendum suscepisset, haud dubito quin verbum verbo reddendum censuisset, utpote qui c. 1 Sam. 17. vs. 37. Dominus qui me eripuit è manu leonis & è manu Ursi. & Dan. 6. vs. 27. liberavit Danielem è manu מן יד leonum omnem redundantiam excludit, & propriissime sumi cupit, contenditque anteriores leonis pedes, quibus potissimum discerpit, dum posterioribus nititur, vere & proprie dici manus, quod & ex Arabum monumentis comprobat, eque Græcorum scriptis magno ardore animi evincere nititur. Adducit quod Oppianus l. III. Cynegeticῶν leonem Δεξιτερῶ ὑπὸ χειρὸς gestare promptam torpedinem, qua omnia solvat ferarum genera, hyenam vero pari virtute præditam ἐν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ ex Æliano l. VI. Hist. Animal. cap. 14. Aristotelem vero pedes leonis πενταδακτύλους vocare in eo libro quo animalium, quorum indagationem Alexander M. jussit & impensis juvit, naturas certius & perspectius commentatus est. Hierozoic. lib. III. de Natura Leonum. Multo magis manus tribuit ursis, cum præter Aristot. l. 2. c. I. Oppianum l. III. v. 144. l. IV. Plutarchum de causis naturalibus qu. 22. Alcazuinum Arabem Pliniumque in censum vocat, qui l. VIII. c. 36. dicit: Ursos urgente vi, sese præcipitaturos ex aliqua rupe manibus caput operire. Temeritatis foret cum tanto viro miscere pugnas, cujus notitiam exterarum linguarum & amplissimas doctrinarum opes orbis admiratur; liceat tamen vel ideo in contrarias abire partes quod à poëtis plerumque per abusum à cæteris per similitudinem ac metaphoram dicantur, partim quod pleræque bestiæ, non adeo extensis unguibus præditæ sint, quæ digitorum loco esse possint. Accedit, quod eo vocabulo Hebræi libentius utantur, ut quodvis instrumentum, per quod aliquid perpetratum est, innuant. Vid. *Glassius* Philolog. lib. III. Tract. I. can. 38. Quod nemini dubium ambiguumque videri potest, si expenderit, & è manu sepulchri, i. e. à sepulchro Deum suos redemturum Hos. 13: 14. capreas è manu laquei effugere Prov. 6. vs. 5. Et Messiam ardentissimis precibus supplicare numen, ut è manu canis i. e. à cane liberet unicam i. e. dilectissimam. Psalm. 22. vs. 21. At canes non pedibus anterioribus discerpunt, in quo tamen ratio Bocharti est, quod manus ideo tribui debeant.

§. 6. Id demum nunc addam vocem כל hoc loco non distributive sumi, sed secundum substratam materiam intelligendam esse, adeo ut jam ab omnibus bestiis Deus sanguinem requirere velit, iis nempe qui cæde humana victum quæritant ut:

Armeniæ tigres, iracundique leones.

Ut Psalmo 145: 14. sustentat Jehova, omnes cadentes. Puta omnes, quorum oculi fide ad Deum sunt intenti, alias etiam impios præcipitatos sustentaret. Multa exempla suppeditabit *Noldius* Concord. Partic. Hebr. p. 419. Qui usum hujus particulæ justis interpretandi mediis accersitis exposuit.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Sententiæ de sensu dicti. Bereschit Rabba de quatuor bestiis Danielis & Abarbanel refutatur. Ludovicus de Dieu notatur. B. Salomo accommodatur. Qui populi homines bestiis objecerint, Faber Jurisconsultus laudatur. Patrum Theodoreti & Irenæi sententiæ minus commodæ. Piscator rejicitur. Præcepta Noachidarum sex obligant homines, non bestias. Pœna an sine culpa esse possit disquiritur. Grotius & Soarius notatur. Præmium & pœna non cadit in bruta, contra Kimchium. Exceptio de quasi delicto & quasi pœna. Damnum hoc loco unice spectatur.

§. 1. DIffusum vero & involutum multorum auctorum sententiis hoc argumentum est, quod nunc juvat aggredi, & ex diversitate opinionem, verior quæ videbitur, eligere. Videamus autem quænam mens super hac re veterum Judæorum fuerit. Nonnulli, dum cum difficultatibus, quæ se postea objicient nobis, colluctandum habent, figuratum sensum eligunt, atque bestias de די מלכות seu quatuor Imperiis in Daniele designatis capiunt, perinde ac si Numen ibi vindictam cædibus etiam ab Imperatoribus per tyrannidem postmodum patrandis tum minitaretur. In *Bereschit Rabba Parasch.* 34. fol. 38. Sed cum hæc verba ad eam legem referantur, quæ mortalibus id, quo à cæde humana abstineant, ingerere debet, vix verisimile est, locum hic rei multis temporum spatiis post futuræ esse. Et multo minus audiendi, qui bestiam per vivens exponunt, ut tantum per restrictionem vivens rationale intelligatur, quod connexio textus non admittit, ut priori capite §. 4. diximus.

§. 2. Acuta porro est expositio *Isaaci Abarbanelis in Piruscb Tora.* fol. 46. cujus mens ut intelligatur liceat verba ipsius exponere ex *Seldeni* versione; Et si forte putaveritis (sic Numen, ad loci explicationem loqui fingit) hominem deesse posse, nec in orbe terrarum repertum iri, qui in homicidam sententiam ferat, scitote plurimis modis posse me vindictam sumere. Ideoque si desit homo qui occisi sangui-

nem

nem ulciscatur, à manu omnis bestiæ, seu ab omni bestia requiram eam, veluti à bestia, quæ dilaceraret homicidium. Et sic in eum sententiam exequar. Ubi vero fuerit homo, requiram ab ejus manu sanguinem occisi, seu vindictam tanti sceleris. Nititur itaque ejus sententia in expositione particulæ ביר quam per significare vult, ut sensus sit vindicabo cædem ita ut bestiæ instrumenta vindictæ sint. Sed veniam procul dubio dabit nobis, si dixerimus nullibi in SS. literis hoc sensu particulam reperiri, quod enim apud *Esaiam* 50. *v.* 11. occurrit, commode exponi potest, à me factum hoc vobis, ut adeo præter necessitatem non novus usus cum *Ludovico de Dieu* excogitandus sit, ut serio interpretes præcipiunt. Vid. Franz. de interpret.

§. 3. *R. Salomo* vero eum sensum, qui felicissime ex verbis elici potest sequitur, cujus glossa ea est: Id quod legitur à manu omnis bestiæ (seu ab omni bestia sanguinem hominis requiram) ideo adjicitur, quia apud homines, qui ante diluvium vixerunt, per impietatem mos invaluerat bestias nocentissimas nutriendi, ut scilicet earum auxilio commodius dominarentur. Eam ob causam necessarium erat, ut de animalibus (in usum ejusmodi nutritis) moneretur. Atque illud amplectitur quoque *Grotius* in Notis ad hunc locum. Nec foret, ut illud adeo rejiceremus, nisi adhuc valde dubium esset, probationeque egeret, quæ quidem difficillima videtur, ante diluvium quosdam homines in cæteros dominatum & imperium quæsivisse, utque adipiscerentur, bestias carnivoras inter dominatus instrumenta aluisse. Neque enim omnium Gentium monumenta si pervolvimus, tantæ crudelitatis vestigia in antiquitate deprehendere possumus, nisi quod apud Persas Daniel, leonibus objectus, & inaudito prodigio illæsus ab illorum faucibus servatus *Dan. 6. vs.* 22. Et credo Romanorum civilem Gentem cruentis istis spectaculis non voluptatem oculorum capturam, nisi cædem suorum pæna talionis vindicare, justum visum fuisset, siquidem Amilcar Carthaginensium Dux captivos ad se adductos ὑπέβαλε τοῖς θηρίοις, ut *Polyp. l.* 1. auctor est. Inde Africanus alter everso inviso Pœnorum imperio, exterarum gentium transfugas editis populo spectaculis, bestiis objiciebat, quod & L. Paulus Persiæ Rege victo faciebat. Ac id Genus mortis pro summo ac ignominioso supplicio habitum. Multum exactus in his edisserendis est *Petrus Faber Semestrium* l. 1. c. 18. l. 11. c. 7.

§. 4. In diversas longe partes abeunt veteres Ecclesiæ Doctores, qui argumentum sumunt inde futuræ resurrectionis, & restaurandorum integre hominum auspicium capiunt, adeoque sibi persuasum habent, Deum ideo cædes interdicere, quod aliquando omnes homines pristino Spiritu animatos resuscitare, & à bestiis terrestribus sive marinis devoratos requirere è visceribus & medullis veluti eorum revocare velit. Neque enim alia ratione intelligere *Theodoretum* possumus, qui ut *Johannes Picus* interpretatur T. I. Opr. Edit. *Sirmondi* quæst. in *Genesin* quæst. LIV. inquit. *Propterea & hoc loco dicit, veruntamen carnem cum sanguine non comedetis &c. Hic insinuat Resurrectionem non quod bestias vocaturus sit in judicium, & de his supplicium sumturus, eo quod homines devoraverunt, sed ut congregaturus corpora ab ipsis consumta, & illa resuscitaturus. In manu enim ejus sunt omnes fines terræ Psalm.* 94. *vers.* 2. *& est illi facile undecunque corpus nostrum congregare, & hic quidem istud indicat subobscure &c.* Et quamvis hæc satis pie meditatus sit sacer Antistes, non tamen credo id à Deo innui, propterea quoque recte *à Gerhardo* Comment. in h. l. repudiatur. *Irenæus* vero lib. 5. adversus Hæreses cap. 14. postquam multa disseruit, quemadmodum sanguis Abelis clamaverit Gen. 4: 10. quod Numen sanguinem animarum de manu bestiarum requirere velit, quod sanguis justi ab Abele usque ad sanguinem Zachariæ Matth. 23: 35. vindicari debeat, concludit: Non autem exquireretur hoc, nisi & salvare haberet &c. ut adeo ipsius sententia sit, hoc loco de salute hominum, cujus particeps corpus quoque humanum debeat esse, testimonium exhiberi. Non quidem inficiandi locus est, magno pretio esse hominis sanguinem, ut qui imago quondam Dei, & portio Ecclesiæ, inde tamen certo certius concludi posse hominem salvari id minime concedendum puto, quia alias omnes, quorum sanguinem Deus requirere vult, fierent vitæ æternæ compotes.

§. 5. Nos eam sententiam amplectimur quam *Rabbi Salomon* & alii Hebræorum magistri suam faciunt, & plerique Christianæ doctrinæ Interpretes sequuntur, nempe Deum omnem bestiam, quæ sanguinem humanum effuderunt, hominem nempe occidendo, puniturum, seu ordinarie per magistratum, de quo legem tulit in Levitico, seu extraordinarie aliis modis, prout Hebræi de pœna cœlitus infligenda locum capiunt. *R. Bechai Bereschit* fol. 20. quod cum nostrum facimus, amolimur statim *Piscatoris* h. l. commentationem, qui hic locutionem catachresticam statuit. Quod quam hic non conveniat, cum omnis Metaphora absit, adeoque nec durior adesse possit, ex Rhetorum libellis patet. Præterea, nefas quodammodo est insolenti huic tropo ac mendacio simillimo in sacris literis, inque materia gravi locum facere.

§. 6. Id vero est, quod jam nos exercet, cur nempe brutum rationis expers ob commissum homicidium puniendum veniat, quod antequam expediamus edisserendum prius, numne ea verba, quæ nobis exponenda injunximus, partem legis faciant, & quem obligationis vinculo obstringant, quod à præsenti negotio, & ad indagandam eo expeditius veritatem, nemini videri potest alienum. Illud itaque observandum, quod quando hominis conditio non ferret ut sine lege viveret, actionesque suas vago velut impetu, & citra respectum ad aliquam normam ederet Deum communissima regula, ad quam quilibet homo se componere teneat, prospexisse. Atque illa generalis regula, Lex Noachidarum, seu mandatum filiorum Noæ vocatur, & septem capitibus absolvitur, ubi vero septima non omnes obstringit. Nempe (1) de cultu extraneo sive Idololatria. (2) de benedictione nominis divini (3) de judicibus (4) de effusione sanguinis (5) de incestu (6) de rapina (7) de membro animalis vivi non comedendo. Quæ omnia fundantur in Talmudis Babylonici *Gemara Massech Sanhedrin.* fol. 56. col. 1. unde *Maimonides* quoque excerpsit, & videri possunt in *Cocceji Excerptis Gemaræ* p. 268. & *Schikkardum* de Jur. Reg. cap. 5. Theor. 17. quanquam & ante Talmudis consarcinationem *R. Jose ben Chilpeta Præceptor Jehudæ sancti, authoris Mischnæ*, ea recensuerit in *Seder. Holam rabba* cap. 5. fol. 6. col. 2. Pertinet itaque ad præceptum quartum secundum recensionem *R. Bechai*, vid. Max. Rev. Dn. D. *Carpzov.* Not. ad *Schikkard.* p. 335. Secundum *Seldenum* vero I. N. & Gent. l. 1. c. 10. ad tertium. Etsi ullum ex his Noachidarum præceptis firmissimo fundamento nititur, altissimo eductum est quartum illud, nempe verbis isti, in quibus explicandis, occupati sumus.

§. 7. Hæc itaque lex obligationem suam in animis hominum debet exercere, si & cognitionem legislatoris & ipsius legis habent, quæ cognitio, per promulgationem à legislatore factam acquiritur. Nam, promulgatio, ut *Molina* de Just. & Jur. tom. VI. tract. V. disp. 70. scribit, non est solum conditio, sine qua lex non obligat, sicut applicatio ignis ad stupam est conditio, sine qua vis ignis naturalis, quam jam ante ignis ante eam applicationem integram in se habet, stupam non inflammabit, sed est quidpiam legis completivum, atque adeo completivum vis seu virtutis legis ad subditos obligandum. Et Noachidis eam cognitionem ambiguam facere, nemo in animum inducere potest, siquidem per ipsum Deum visibili specie, & humanæ vocis sonitu assimulato v. I. innotuit, Judæis vero pari modo, solemni promulgatione in monte Sinai, Exod. 20. & per sanctissimos viros diviniori instinctu animatos; Cæteris gentibus vero non ignota esse potuit, quod per naturalem rationem principio connato patuit & ex contemplatione mortalis conditionis erui potuit, Rom. 1: 20. sive jam voces illud signum significativum, cum *Biele* & *Gersone* de potestate Eccles. consid. XIII. evadet fuisse Noachidis vocale, Judæis vocale & scriptum, seu prolatum literis, cæteris gentibus mentale, quod fugiendum h. l. repræsentat, nempe cædem humanam, & inde illicitum innotescit. Cum vero bruta nullum habeant intellectum, cui signum illud imprimi possit (nec enim omnibus imprimi adaptatum est, sed soli creaturæ rationali) apparet, solos & omnes homines ad hanc legem obligari. Et hoc habet peculiare rationale creatum, quod ita subjaceat divinæ providentiæ, ut subjectum legis divinæ & æternæ velit esse *S. Thomas* 1. 2. quæst. 51. art. 2. *Vasquez* h. l. Nec possunt ideo bruta obligari, quia ratione carent, Lex autem est opus rationis. Neque dicitur lex naturalis in homine, quod per eam homo quodam naturæ impetu ad actiones naturales feratur, ut bruta, sed quia per naturæ lumen ipsius menti impressum, movetur ad honeste agendum *Petrus à S. Joseph.* Theol. moral. cap. 11. resolut. 2. Atque omne illud accommodandum, quod de Subjecto legis moralis Doctores orthodoxi professi sunt, quod nempe ad istud sola Creatura rationalis pertineat, ne Angelis quidem à *Philippo Melanchtone* exclusis, quoniam ad imaginem Dei conditis, per creationem lex quædam inscripta Dn.

D. Quen-

D. *Quenstedt Syst. Theol.* P. III. de lege morali. Et propterea ad continuationem obedientiæ & dilectionis præstandæ obligantur. Id vero patet, quod Dæmones appetitu excellentiæ sibi non debitæ, contra legem supernaturalem peccarunt, & quotidie contra legem naturalem peccant *Vasquez* in 1. 2. *Thom.* disp. 231. n. 21. sed de præsenti lege illud quidem non valet, ad quam solus & omnis homo obligatur quippe Noachides tunc erant Genus humanum repræsentativum, ut adeo omnes omnino homines suffragium tacitum quoad obligationem eorum, quæ statuebantur, tulisse censeri debeant, quod suffragium, & consensum implicitum vocare possis, quatenus qui in alicujus imperium consentiunt, eo ipso in omnes actus ejus imperii consensisse intelliguntur.

§. 8. Est porro hæc pars legis pœnalis siquidem DEUS homicidium punire & in bestiis vult, quod ex Exod. 21: 28. intelligi potest. Jam vero cum bruta lege obligari non possint, & propterea nec declinent à regula, proptereaque nulla nec imputativitas nec imputatio locum habeat, nec pœna promulgari jure potest, nec si promulgata bestiæ ad eam obligari possunt. Videndum itaque numne pœna accurate possit dici, supplicium à bestia homicidia sumtum, inquirendumque quid pœna sit. Hugo *Grotius* l. II. de jure B. & P. cap. XX. n. I. pœnam dicit esse malum passionis, quod infligitur ob malum actionis, & quidem pœnam generali significatu sumtum quod & amplectitur Dn. *Pufendorff* J. N. & Gentium l. 8. c. 3. n. 4. Est autem quod de eo dubitare possemus. Non omnem enim pœnam esse malum passionis, si hac voce physica passio intelligatur, experientia edocemur. quandoquidem multis in pœnam injungi videmus actiones, tum boni unius vel plurium privationem, nullam cum physica passione conjunctam. Atque hinc malo passionis accedunt insuper duo, quæ pœnæ esse possunt, malum actionis, & malum privationis. Dein vero in Vulgus constat pœnas etiam irrogari ob malum omissionis, quod appellamus, cum quis non agit, quod lex jubet. Nam & ejusmodi omissio, quia legi aversatur, haud dubie delictum est, & pœnam promeretur, sed quicquid sit, satis constat, inde nobis præsidium non esse, quippe cum bruti, quod hominem occidit, cædes pœna non possit esse, quia culpa abest. *Soarius* quidem lib. V. de legibus c. IV. aliud quid suppeditat, quod coloris instar esse possit. dicit enim pœnam esse omnem afflictionem, quæ fit per modum coactionis, ut lex aliqua servetur. Congruunt hic omnia membra; cædes bruti est afflictio quæ fit per modum coactionis, quia & bruta renuunt mori.

— — — Fugit nam saucius aras
Taurus, & incertam excussit cervice securim.

Fit, ut lex non inviolandæ vitæ humanæ servetur. Sed cuivis patet, sumi hæc, non probari. Neque desunt instantiæ, quibus id infringi possit. Multa enim naturæ incommoda, multæque afflictiones præter voluntatem alicui obtingunt, & vi, seu coactu alterius sufferendæ incumbunt, quibus pœnæ rationem & appellationem, si culpa absit, nemo facile tribuerit. Valeat itaque quoque *Soarius*, si enim in arcem rei penetramus, duo in formali conceptu pœnæ includi videmus, materiale unum, alterum formale: materiale si spectes, est malum aliquod, ex quo qui punitur molestiam capit, sive quia bono uno vel pluribus privatur, quam pœnam damni appellant, sive quia doloribus afficitur, coactus aliquid agere vel pati, quod sensibus ingratum, quam pœnam sensus vocant, sive qua utrumque patitur. Formale autem, propter quod ejusmodi malum pœnæ rationem & appellationem sibi vendicat, est meritum admissa culpa contractum: quo non dato, nihil pœnæ rationem habet, ut ut alias malum sit, & valde molestum ei, qui sustinet. Jam pœna erit malum, quod qui culpam admisit, propter culpam incurrit. Id vero non ad bruta accommodari potest, nisi cum stolidissimis Judæis quibusdam facere quis velit, cum clarus inter ipsas Interpres *Kimchius* ad 1 Reg. 13. vs. 24. cum asino consortium faciat dum dicit: *Asino quoque sua fuit in hoc mundo retributio, in honorem Prophetæ, qui illi inequitaverat: prout reliquis animalibus in hac vita vel merces, vel pœna rependitur iis, quæ hominem respiciunt.* Quod idem pluribus ita explicat in Psalm. 145. vs. 17. *Alii dicunt, præmia & pœnas ad nullum animal pertinere, præterquam ad hominem solum. At nos dicimus, etiam reliquis animalibus rependi præmia & pœnas in negotio hominum. Huc facit quod reperimus Gen. 9. vs. 5. de sanguine hominis etiam è manu omnis animalis requiram illum dicitur quoque Habacuc 2. vs. 17. Et vastitas bestiarum terrebit eos. Et ad mercedem pertinet, quod habetur 1 Reg. 13. vs. 28. Et leo non laceravit Asinum* &c. Itaque certum est pœna stricte dicta bestias non affici.

§. 9. Excipiunt quidem quod de formali pœnæ diximus, id presse agi illo jure, quod homo in hominem exercet, neque extendi posse ad processum & velut formulam tribunalis divini, adeo, si bestiam ob homicidium occidamus, sive cœlitus puniatur, pœna vel quasi dici possit, cum admissum veluti delictum videri possit, contra illud, quod DEUS dixit vs. 2. terror vester sit super cuncta animalia, quo aliquale dominium homini restituitur, debeatque vereri hominem animalia timore industriæ expresso, speciosa quidem ea ratio est, & videretur hæc quasi pœna ad exemplarem posse referri, quæ moneret, crimen esse longe gravissimum eos, qui libertatem arbitrii habent & iræ suæ dominari possunt & artissimo quodam vinculo inter se conjuncti sunt (quorum nullum in brutum cadit) mutuis cædibus sese conficere. Namque id afferunt, qui triplex argumentum, quo ab homicidio Noachides absterreantur, hic exsculpunt. Sed hæc multis difficultatibus obsepta sunt, quapropter non in eam sententiam transire possumus.

§. 10. Dum itaque denique accurate distinguendum inter peccatum, delictum qua tale, & injuriam, quam quis infert civitatis socio, & damnum, quatenus læsionem denotat, quod solummodo de bestiis dici potest; non dubitamus jam asserere jure cædi bestiam, quoniam naturalis juris est, omne quod damno esse potest, amoliri. Cædendo vero animal, qui hominem lethaliter percusserat, & poterat imposterum alios pari ratione cædere, vitæ & securitati hominum consulebatur. Fatentur propterea uno ore saniores interpretes, Tostatus, Bonfrerius, & Pererius instrumenti rationem hic haberi. Non adducam jam quæ Seldenus lib. 1. Jur. N. & Gent. c. 5. Puffendoff. l. 2. c. ex Atheniensium & Romanorum sententiis annotarunt, id tamen addam, quod in atrocioribus delictis, quale homicidium est, instrumenta, & quasi adjuncta in detestationem Supplicio quasi affici videantur. Novimus ex historia Belgica Albanum jussisse funditus excindi Calemburgii Comitis ædes, Gheusii quondam nominis natalem domum: excitataque ibi marmorea columna inscribi in basi quatuor linguarum monumentum. Ea in area ædes Florentii Pallantii solo æquatas esse, ob execrandam memoriam repetitæ in illa conjurationis adversus religionem, Ecclesiam catholicam Romanam, Regiam Majestatem, ac patrias Regiones, Famian. Strada Decad. 1. l. 7. Sic curiæ Parisiensis placito lata in Ravillarum sententia, ut æquetur solo domus, in qua ipse natus, nunquam posthac superinducendo areæ ædificio Grammond. l. 1. p. 8. Petrus Matthæus de chorte Henrici IV. p. 172. Nec ex sacris Exempla desunt Gen. 3. vs. 14, 17. & cap. 4. vs. 12. Num. 16. vs. 32. Deut. 13. vs. 13, 17. Joh. 6. vs. 17. 1 Reg. 15. vs. 3. Accedit, quod Deus plenum jus dominii in omnes creaturas exercet, & in bestias obtinet, quo jure, non præcedente noxa ob homicidium puniri cupit, nec enim omnis vindicta aut damnum statim pœna est, quod ex doctrina morali patet.

CAPUT III.

SUMMARIA.

Peccata brutorum statuere videntur Ulpianus, Philosophi quidam veteres, non hodierni. Rorarius, Darmanson. Socini, Crellii, Vorstii doctrina. Origenis peccata Stellarum. Huetius contra Sixtum Senensem. Origenes non sequitur Pythagoram in μετεμψύχωσι. Serpentis maledictio ficta. Calixtus notatus Gen. 6. vers. 12. exponitur. Quorundam falsa interpretatio. Animalia munda & immunda. Hackspan laudatur.

§. 1. Pugnandum jam demum, sed brevi velitatione, cum iis, qui Subjectum quoque peccati brutum faciunt, quoniam ex præsenti etiam loco, sed intempestive, præsidium sibi futurum sperant. Non vero jam res nobis erit cum Ulpiani Juris definitione quam Corasius & Tholosanus operose defendunt, cum & alii diversum sentiant, atque integro libro J. F. Horn absona in apricum deduxerit.

§. 2. Contendunt porro inter se veteres sapientiæ Doctores, cum qui facultatem æstimativam in brutis, respondere cogitativæ in homine, perhibent, tum qui animam brutis inesse, ad ostentandam ingenii vim affirmant, in quibus non ultimus est Hieronymus Rorarius, qui animalia bruta ratione melius uti homine asserit. Id vero inconveniens cordatis Phi-

Philoſophis videtur, qui anima deſtituta bruta idoneis documentis & è natura ipſorum depromtis evincunt; nempe Le Grand, Williſius, Borelius, aliique, præſertim J. Darmanſon in tractatu *la Beſte transformée en machine*, quem approbavit quoque Facultas Theologica, Academiæ Franeckeranæ anno 1684.

§. 3. Sociniani vero hic claſſicum canunt, quorum anteſignanus lib. de ſtatu primi hominis cap. 6. p. 157. ſequ. inquit: Non ſolus homo, ſed cætera quoque animalia à recta via deflexerunt. Addit quidem beſtias, non tam graviter, nec in iiſdem pleriſque rebus delinquere; in quibus homo delinquit, ſed tamen vere delinquere poſſe, non negandum eſſe exiſtimat. Infauſtæ itaque Socini ſectæ, ut pœnæ proprie dictæ, ita quoque legis obligantis capacia videntur bruta animalia. Ita *Dn. D. Quenſtedt* Syſtem. l. c. Crellius contra Grotium p. 64. Vorſtius beſtias etiam ſuo quodam modo peccare, & pœnam ſibi analogam promereri dicunt: affirmant præterea, quod ipſis naturæ lex à Deo ſit indita, cujus proinde violatio aliquam peccati analogiam habeat: quod ideo diſputant, ut peccatum & defectionem protoplaſtorum purgare & extenuare poſſint, quod & facit Iſaacus Peyrerius Syſt. Theol. & Præadamitas ſuos deſcribit, qui brutorum referentes indolem defecerunt materiæ vitio, principio eorundem cum creaturis irrationalibus communi: Hinc monſtroſi horum termini: Peccatum naturale, materiale, carnale emergunt, talia quoque adſcribit Lyrano Lutherus h. l. & ipſi egregie reſpondet.

§. 4. Antequam vero reſponſum damus ipſorum objectis, videndum numne ex antiquitate aliquem accerſere poſſint, quo tueri ſententiam ſuam queant. Notum eſt Origenem ſenſiſſe ſtellas peccatis eſſe obnoxias, nec aſtra modo, ſed elementa etiam, ac proinde judicium Dei olim ſubitura fore, quæ ſententia conſignata eſt, Homil. 4. in Ezech. cujus, licet ſæpius agere cauſam ac diluere objecta, & emollire opiniones velit, hoc tamen crimen purgare non poteſt Petrus Daniel Huetius Origenianorum l. 2. quæſt. 8. propterea quoque & Sixtum Senenſem ibi valide refellit. Origenes vero ut adſertum eo melius adſtruat, ſtellas probat eſſe animalia, quod mandata à Deo dicantur accipere, mandare autem ipſis Deum, ut ſtatis moveantur temporibus, motus vero illos neque abſolvi poſſe ſine anima, neque ſine motu eſſe poſſe quæ anima prædita ſint: nec anima ſolum, ſed & ratione pollere, ac proinde incrementa capere ſine dubio virtutis, vel decrementa: adhæc animas antiquiores recentioribus Syderum corporibus extrinſecus inſeri probat aliquot rationibus. Illud certum foret, ſi in omnibus ſecutus fuiſſet Origenes Pythagoram, cujus veſtigia ſedulo legit, ſtatuiſſe peccata brutorum neceſſum foret, ſed cum magnum interſit diſcrimen inter μετεμψύχωσιν Pythagoricam, & μετενσωμάτωσιν Origenis, quod egregie commonſtrat Huetius p. 102. non tribuenda eſt vecors & inſana ea mens ſumma eruditione & ingenio florenti Origeni.

§. 5. Ideoque revertamur ad Socinianos, qui pro adſtruenda ſua ſententia maledictionem Serpentis, quamvis forte poſſent Gen. 3:14. non adducunt, utpote qui exiſtimant Deum in ſerpente de priori inceſſu nihil mutaſſe, ſed naturam convertiſſe in pœnam, quia non veriſimile, Deum poſt lapſum mutaſſe animalium naturam. vid. D. Stegmannus Photinianiſmo Diſput. 9. quæſt. 7. Et hoc ſtatuendo accedunt iis, qui ſupplicium fictum ſerpentis ſtatuunt, apud Joh. Conrad Ditrich. Antiqu. Bibl. fol. 92. atque adeo propriæ ſententiæ fraudem faciunt, eamque infringunt. Videat vero Georgius Calixtus numne in eadem caſtra incidat, dum in Lucubrationibus ad cap. 3. Geneſ. dicit: Eſt quidem naturalis ἀντιπάθεια inter hominem & ſerpentem, hæc autem in felici illo ſtatu divina providentia & potentia cohibebatur, ne in actum prodiret, nunc quando non amplius reprimitur, ſupplicium & pœna eſt ſerpenti, ab homine, utpote præſtantiſſimo animalium, eorumque naturali Domino, inutilem, imo noxium famulum cenſeri, & quaſi maleficum, cui aqua & igni interdictum ſit proſcribi. Optime vero hæc enodavit venerand. Dn. D. Calov. Bibl. Illuſtrat. h. l.

§. 6. Validiſſimum quod obtendunt eſt Gen. 6. vſ. 12. Et quidem corruptionis iſtius rationem eſſe, quod animalia quædam inceperint carnibus veſci, adeoque diſceſſiſſe à priori ſua integritate quod egregie tuetur Grotius ad Gen. 1. vſ. 30. Non, inquit, ab initio animantia animantibus veſcebantur, ſed tum demum id ceptum fieri, cum non homines tantum, ſed & alia animantia viam ſuam corruperunt. Et ex ipſius Gloſſa ad Gen. 6. vſ. 2. patet, ipſum diſtinguere inter immunditiem ex lege Moſaica & naturalem. Quid inde concludendum videant alii. Sed quod immunditiem & munditiem animalium attinet, reſpondemus cum Pererio, illud non dici ſecundum naturam, ſed vel opinione ut inſtitutis hominum vel alicujus excultæ ſignificationis & myſterii cauſa. Per corruptionem vero omnis carnis, non omnia animalia adeoque bruta intelligi patet (1) quia omnis caro ad vſ. 3. reſpiciunt, ubi homo dictus erat caro (2) Joël. 3. vſ. 1. dicitur etiam ſpiritus effundendus ſuper omnem carnem, & Marc. 16. vſ. 15. omni creaturæ prædicari Euangelium. (3) Tale eſt prædicatum hic via, quam corrupiſſe dicitur omnis caro, quod per metaphoram de actionibus legem reſpicientibus, deque intellectu & voluntate proprie dicta orientibus non de analogicis, aut umbra quadam intellectus, ſenſibus internis atque appetitu ſenſitivo relucentibus dicitur. (4) Periere animantia quævis in diluvio, exceptis iis, quæ arca ſervabat, non quod diluvii fuerint cauſa, adeoque pœnam etiam perſolverint corruptæ viæ analogam, quam tamen non ſuſtinuiſſent beſtiæ reliquæ arcæ incluſæ, cum tamen ſecundum hypotheſin immundæ ſuſtinere debuiſſent, ſed quod ſpectarent hominem, qui cum omnibus, quæ poſſidebat, delendus erat, cum parvulis adeo, & beſtiæ, ut major damnum videretur, & augeretur afflictio, ut recte cenſet Theodor. Hackſpan in difficil. locis S. Script. P. 1. Quando quis itaque dicta jam recta lance penſitaverit, videbit peccata beſtiarum & pœnas proprio & morali ſenſu ſumtas, figmenta & ludibria ingenii eſſe, & dudum exploſa à B. Nicolao Hunnio Exam. Error. Photin. Sect. 2. c. 3. Theſ. 2. D. Schmid. Diſput. de lege morali Theſ. 37. D. Calov. ad Gen. 7. vſ. 2. D. Quenſtedt Syſt. Theolog. P. III. de lege morali. D. Strauch Breviar. Theol. loc. VIII. defin. LIII. Jo. Henrico Heidegger. Diſſert. Selectis Theolog. XXI. de lege p. 603. Bocharto Hierozoic. l. 2. cap. 40. Quibus annotatis, Deo laudes & gratias agentes huic labori terminum conſtituimus &

FINEM.

M. G.

M. G. DAV. ZIEGRÆ
DISSERTATIO
De Confusione L L. Babylonica ad Gen. XI.

Ἄνευ προοιμίε.

§. 1.



Ntequam de Confusione ipsa dicamus, necessarium videtur esse, ut inquiramus, *quænam illa prima fuerit Lingua, quam Deus ab initio mundi primo homini indidit, & quæ sola ante Confusionem Babylonicam viguit?* Unam enim tantum fuisse Linguam, testatur ipsa Scriptura Genes. 11: 1. *Joh. Goropius Becanus Linguam Cimbricam* pro antiquissima & Protoplastorum in Paradiso vernacula venditare voluit, cujus postmodum Hyperaspisten egit *Levinus Torrentius. Rationes*, quas adducit, nullius ferme momenti sunt. Dicit enim; voces aliarum Linguarum ad hanc reduci posse, e. gr. בהמות ipsi est quasi Been-hot / i. e. pecudum & inimicitiæ caput, Noach Not-acht / i.e. curans necessitatem, Nimrod Nimts Brod i. e. raptor panis, &c. ergo hanc esse primævam. Verum, omnes aliarum linguarum voces ad hanc commode referri, falsum esse, quis non videt? Quasdam quidem eam voces communes habere cum aliis, non negamus, sed non statim concludendum, omnes habere & per consequens, eam esse antiquissimam. Ejus farinæ est, quod urget de simplicitate, quod radices ejus linguæ constent ex una syllaba. Nam non statim, quod simplicissimum, antiquissimum est. Et si id procederet, Chinaica vel Tschinaica lingua esset primæva, quæ omnia ferme vocabula habet monosyllabica. Vide plura de hac quæst. apud *Pfeiff. Disp. de Lingua Protopl. Assert. 5. & Barth. Mayerum Philol. Sacr. P. II. p.* 351.

§. 2. Volunt & suam *Phryges*, suam, teste Mar. Victorio Procem. Gramm. Æthiop. *Abyssini*, suam Chinenses, suam *Arabes*, & qui non? in πρωτογονίας thronum collocare, ex inani jactantia, & quia sua cuique pulchra Phyllis est. Maxime tamen *Theodoretus* natione Syrus & Cyri in Syria Episcopus, *quæst. 12. in Genes.* Linguæ *Syro-Chaldeæ* istam vindicare gloriam conatus est; in cujus sententiam iverunt & alii, nempe *Maronitæ de monte Libano*, eosque inter *Georgius Amira, Præfat. Gramm. Syr.* & præter hos *Joh. Caspar Myricæus in Præfat. Gramm. suæ Syro-Chaldææ.* Sed prolixe satis illum refutavit D. Brianus Waltonus Apparat. ad Biblia Polyglotta Anglica Proleg. 3. n. 7. & hunc Barth. Mayerus Phil. Sacr. Part. I. p. 5. seqq. & Part. II. pag. 3. quapropter his non inhærebimus. *Conf. etiam Pfeiff. l. c. & quæst. 3. Disp. proœm. Synops. nobil. & select. è Philol. S. Qu.*

§. 3. Nos vero dicimus, primam & antiquissimam Mundi linguam, qua Deus cum primis nostris parentibus in Paradiso, illi vicissim cum Deo, & inter se sunt locuti, fuisse eam, quæ longe post hominum & linguarum distinctionem, *Ebræa*, consequentibus etiam temporibus, *Sancta* dicta fuit, & etiamnum hodie dicitur. Quæ sicuti communis & recepta, ita verissima est sententia. Apparet id namque ex summa hujus linguæ perfectione. Nam nulla alia est lingua, quæ tanta efficacia naturam & proprietatem rerum efferat, quam hæc Ebræa. Præcipue autem id videre est ex Nominibus divinis, & inprimis Tetragrammato יהוה, cujus tam divina est significatio ad essentiam Dei denotandam, ut nulla alia Lingua æque explicare, nedum exprimere & imitari possit. Ita ciconia vocatur חסידה à benignitate, quam erga se invicem exercent. Similiter columba appellatur יונה, quia oppressioni & prædæ exposita est, à R. ינה oppressit vi vel fraude. Et similia exempla centena proferre possem.

§. 4. Maxime tamen id monstrat Notatio vel Etymologia Nominum propriorum primorum hominum & Patrum antediluvianorum. Hæc enim nomina, quæ in principio creationis, & sequentibus temporibus hominibus data sunt, vere sunt Ebraica, & derivantur à radicibus Ebraicis; ergo illa lingua eo tempore usitata fuit, & per consequens antiquissima est. Ut res clarior fiat, addamus duo vel tria exempla, v. g. אדם Adam, dicitur ab אדמה Adamah, à terra, quia ex terra conditus est. שת Scheth vel Seth, quasi Positivus vel Repositivus, quod à matre Eva, sublato è vivis Habele in ejus locum repositus esset. פלג Peleg, quasi Divisio, à Verbo פלג Palag dividere, quia sub eo Divisio terræ & Linguarum confusio accidit. Huc pertinet etiam nomen אשה Ischa mulier, quæ sic dicebatur, quia desumta erat ex איש Isch, viro, Gen. 2: 23.

§. 5. Nec est, quod dicas, Mosen illa nomina propria mutasse, & ex alia lingua in suam transtulisse. Nam rerum gestarum Scriptores & interpretes nomina propria illibata & invariata prorsus relinquunt, ut personæ illæ, de quibus agitur vel tractatur, ipsissimis suis nominibus ab omnibus cognoscantur: unde etiam ipsi Scriptores Sacri retinent nomina Syriaca, Ægyptiaca, Persica &c. Et si nomina illa vel maxime invariata non relinquantur, sed parumper tantum ad linguæ suæ flexionem accommodata mutentur, tamen suam originem primam minime negant. Nostræ etiam sententiæ adstipulantur fere omnes Doctores tam Ebræorum, quam Christianorum, quorum longus Catalogus videri potest in *Dissert. 1. Dissert. Philologico-Theol. Buxtorf. Conf. etiam Magnif. Dn. D. Calov. in Critico S. Diatr. 3. p. 75. & in Bibl. illustr. ad Gen. 11. p. 270. seqq. Venerandum Seniorem nostrum Dn. Sennertum in Dissert. de Ling. Ebr. p. 14. & Pfeiff. in Dissert. de Lingua Protopl. nec non Quæst. 3. Diss. 1. Synops. nob. atque sel. e Phil. S. Quæst.*

§. 6. Cum itaque constet, linguam primam & antiquissimam, quæ sola ante confusionem Babylonicam viguit, Ebraicam esse, porro dispiciendum, *an etiam, & ubi illa in & post confusionem linguarum manserit?* Quod enim certo Dei consilio, & sapienti ejus providentia, alicubi & inter quosdam salva & superstes manserit, de eo cum experientia ipsa testetur, & testata sit, nullus dubitationi locus restat.

§. 7. Putant nonnulli, Linguam Ebræam in multis familiis & locis, ut *in Syria, Assyria & terra Chanaan ac in posteris Chami* incorruptam mansisse. Et hujus sententiæ sunt Gilb. Genebrardus in Chronol. sua Lib. 1. p. 33. Joseph. Scaliger in Epistola quadam ad Richardum Thomsonum, & in alia ad Stephanum Ubertum. Thomas Erpenius in Oratione de Lingua Ebræa, & alii, qui tamen ipsi non concordant inter se, sed maxime variant. Quia verò prolixe hac de re egit & ei satisfecit *Cl. Buxtorf. in Diss. 3. Dissert. Philologico-Theol.* actum agere nolumus.

§. 8. Sed nos dicimus, Linguam hanc Ebræam *in una tantum certa familia* in & post confusionem esse conservatam, quæ juxta communem Doctorum tam Ebræorum quam Christianorum sententiam *Eberi* fuit, Schemi pronepotis. Hæc namque familia non consensit in impium & flagitiosum fabrorum Babylonicorum consilium, ut infra videbimus: quapropter probabile non est, illam pœnam illorum expertam esse, quorum culpæ se non reddidit participem. Neque etiam tempore confusionis fuit dispersa more aliarum familiarum per terras, sed inconcussa tunc in suis sedibus permansit, donec Abrahamus speciali vocatione inde evocatus fuit. Cum itaque dispersionem non subierit, probabile est, illam nec linguæ confusionem esse passam.

§. 9. Imprimis autem nostram hanc stabiliunt sententiam tum nomina propria Patriarcharum, ut Abrahæ, Isaaci, Jacobi, omniumque ipsius filiorum; tum quoque nomina locorum, ut Zoar, Beerzeba &c. quæ omnia pure Ebraica sunt. Hinc necessario sequitur, illos, qui hæc nomina imposuerunt, Ebraice locutos, & per consequens linguam istam in

in iis conservatam fuisse. Jam vero posteros Schemi, per lineam Eberi descendentes, illos fuisse, ex Scripturis notum est. Accedit & hoc, quod ab hoc Ebero posteri ipsius Filii Eber, Genes. 10: 21. & Ebræi nominati sint, de quo paulo post.

§. 10. Tandem Schemi etiam familia per Eberum descendens in vera pietate & sincero Dei cultu perstitit; è contrario Chami familia à Deo & vera religione discessit: ideo illam singulari Deus favore, gratia ac benedictione est prosecutus, cum hæc contra, ex qua Canaan prognatus, à Deo fuerit maledicta, ut patet è Genes. 9: 25. Probabile itaque est, Deum in familia sancta & benedicta maluisse linguam sanctam conservare, per quam Religionem & Legem suam propagare voluit, quam in familia prophana & maledicta.

§. 11. Rabbinos, & quosdam è Christianis, qui nobiscum sentiunt, vide citatos apud *Buxt. l. c. Diss. 3. & apud Pfeiff. l. c. quæst. 5.* His adde *Magn. Dn. D. Calov. in Critico S. Diatr. 3. p. 73. & in Bibliis illustr. ad Gen. 11. p. 271. 272. Gerhard. Comm. in Genes. p. 271. Corn. à Lap. Comment. ad Genes. c. 10: 24. Barth. Mayer. Phil. S. part. I. pag. 21. Nic. Fuller. Misc. Sac. L. 4. c. 4.* Huc etiam faciunt illorum testimonia, qui docent, Linguam Ebræam sic dictam ab Ebero. Cur enim, & quæ ratio, quod velint illam ab Ebero appellationem derivare? quia ap. ipsum, & in ipsius familia, fuit tempore confusionis Linguarum conservata, & postmodum quoque propagata ad posteros.

§. 12. Acceperunt vero & *Ebræi ipsi & Lingua Ebræa omnino nomen suum ab Ebero*, ut Ebræi dicantur, quasi Eberæi. Et hæc derivatio confirmatur ex Gen. 10: 21. ubi Schem dicitur pater omnium filiorum Eber. Appellantur ergo hic Ebræi filii Eber: sicut simili loquendi modo Israëlitæ, filii Israël, Judæi, filii Judæ, Moabitæ, filii Moab, &c. dicuntur. Similis fere locus est Numer. 24: 24. In Prophetia Bileami: Et affligent Assur, & affligent quoque Eber. Ubi velut per Assur intelliguntur Assyrii, ita & per Eber intelligi Ebræos nemo forsan negabit. Quapropter & LXX. Interpretes Eber per Ἑβραίους Ebræos explicant: & Paraphrasis, quæ Jonathani adscribitur, exponit vocem Eber per filios Eberi. Notum etiam est, Nomina gentilia & patronymica in י desinentia denominari vel à populo aut autore, vel à terra, vel à loco. At vero nomen עברי Ebræus non à terra deductum esse, jamjam demonstrabimus, multo minus à loco speciali, cum talis in Scripturis non occurrat; ergo probabile sane est, ab autore vel progenitore aliquo sic dictos esse Ebræos, qui nullus alius quam iste Eber esse potest.

§. 13. Statuunt quidem nonnulli, *Ebræos derivari ab Abraham*, quia Gen. 14: 13. Abraham primus vocatur Ebræus, & sic Ebræi dicti essent quasi Abraæi. Quam sententiam olim defenderunt Eusebius in Lib. 9. cap. ult. de Præparat. Evangel. D. Ambrosius in Epistola ad Philippenses cap. 3. D. Augustinus in Quæstionibus in Genesin, quæst. 24. & L. 1. de consensu Evangelistarum, cap. 14. Nicolaus Lyra, qui ambigue hac de re scribit in Matth. 21. & alii nonnulli. Verum hæc sententia in ipsa prima principia Linguæ Ebrææ impingit. אברם Abram enim incipit ab א, estque vox composita ex אב pater, & רם excelsus; sed עברי Ebræus in principio habet ע literam radicalem, estque vox simplex. Abraham quoque tum à se vel ex se ipso fuisset denominatus, quod absurdum, quia nihil à se vel ex se ipso denominationem accipit. Non enim dicimus, Jonas Jonæus, Moses Mosæus, vel Euphrates Euphratæus, fluvius fluvialis, aut Sapientia sapiens, Justitia justa &c. Proinde & Augustinus hanc revocavit sententiam in Libro Retractationum 2. cap. 16.

§. 14. Multi etiam arbitrantur, *nomen hoc derivari à Verbo* עבר transivit, ut sic Abraham vocatus esset עברי h. e. transitor, quia trajecit fluvium aliquem: quem alii Euphratem, alii Jordanem, alii Tigrim fuisse statuunt. Occasionem hujus expositionis præbuisse videtur Græca LXX. virorum versio, qui Gen. 14. hoc vocabulum reddunt περάτης, & Aquila περάτης, sic & Vulgatus transitorem interpretatur. Sententiæ huic qui favent, citati sunt apud Buxtorf. l. c. Diss. 3. & apud Pfeiff. l. c. quæst. 1. nec non apud Magn. Dn. D. Calov. in Critico S. Diatr. 3. p. 72. seq.

§. 15. Sed merito rejicitur & hæc opinio. Nam nomen desumtum ab actione aliqua non est Patronymicum aut Gentile. Jam vero nomina populorum in י. desinentia sunt Patronymica vel Gentilia, ut יהודי Judæus, עמלקי Amalekita: ergo nomen Ebræus non est desumtum à transitu alicujus fluvii. Et si עברי à transitu fluvii derivaretur, tum non haberet hanc formam; sed Abraham potius vocatus fuisset עֹבֵר vel עָבָר Transiens vel Transitor. Imo & Lotus, qui una cum Abrahamo transiit, tunc Transitor ejusque posteri, Ammonitæ & Moabitæ, Ebræi appellati fuissent. Neque ullo etiam modo verisimile videtur, populum tam sanctum, & ita semper in V. T. à Deo dilectum, nomen accepisse à transitu alicujus fluvii, cum talis res non sit tanti momenti, ut inde tota illa gens & tam longo tempore denominaretur. Equidem vocem עברי derivari à Rad. עבר transivit, non negamus, sed remote & mediate: nobis quæstio est, unde hoc nomen proxime & immediate derivetur?

§. 16. Superest adhuc alia quædam sententia nonnullorum tam Ebræorum, quam Christianorum doctorum, qui volunt, *nomen Ebræi desumtum esse ab* עבר *trans* per compendium עבר הנהר trans fluvium, h. e. trans fluvialis. Quæ etymologia majorem speciem veritatis habet, quam duæ præcedentes. Nam hominem vel populum nominare à terra, in qua natus vel educatus est, non est præter morem. Et tales etymologiæ frequentes sunt in aliis linguis: sic quidam denominantur Transmarini, Transalpini, Transylvani, &c. ita etiam dicerentur illi Transfluviales, Transfluviani, Transeuphratæi, &c. In hanc non pauci propendent sententiam, quos vide apud Magn. Dn. D. Calov. Buxtorf. & Pfeiff. loc. jam citt.

§. 17. Attamen & hi à veritatis aberrant tramite. Nondum enim ullus produci locus è Scripturis potuit, ubi regio עבר הנהר dicatur עבר simpliciter. Neque etiam legitur ullibi, quod Moses Abrahami patriam vocaverit עבר הנהר trans fluvium. Et si hoc nomen desumtum esset à terra, omnibus certe filiis Eberi conveniret; quia omnes ex regionibus, trans fluvium Euphratem sitis, nati sunt: sed hoc nomen ulli, præter eos, qui ex Abrahami linea ascenderunt, ejusque fidem & professionem sequuti sunt, etiamsi etiam trans fluvium habitaverint, datum esse, nuspiam in Scripturis extat.

§. 18. Relinquitur itaque hoc, quod §. 12. diximus: idque ex testimoniis declaramus ac confirmamus illustribus Ebræorum & Christianorum, quæ allegata vide apud *Buxt. & Pfeiff. loc. jam cit. Conf. quoque Magn. Dn. D. Calov. in Crit. S. Diatr. 3. p. 73. & in Bibl. illustr. ad Gen. c. 11. p. 271. nec non eorum testimonia, quæ in §. 11. adduximus.*

§. 19. His igitur sic prælibatis *ipsam considerabimus Confusionem Linguarum*, & primo quidem ejus *causam efficientem*, quæ non fuit aër Borsippæ, neque ipsa natura, aut ipse homo, ut alii volunt, sed *Deus Ter Opt. Max.* fuit autor & causa efficiens hujus confusionis. Sic enim ejus Cancellarius Moses hac de re scribit Genes. 9: 6, 7, 8, 9. Dixit יהוה Dominus: En populus unus &c. Age descendamus & confundamus labium eorum &c. Dispersit itaque Dominus &c. Propterea vocavit nomen ejus Babel, quod illic confudisset labium universæ terræ. Quibus verbis diserte Deo hujus rei causa adscribitur.

§. 20. Sunt tamen nonnulli, qui dicunt, Deum in Linguarum confusione *usum fuisse hominibus, tanquam causis instrumentalibus* Physice concurrentibus ad confusionem linguarum. Qui vero hoc defendunt, sententiam suam non eodem, sed variis admodum explicant modis, quos prolixe enarrat Buxtorf. in Dissert. 2. & postmodum etiam refutat, quapropter ea nolumus repetere. Alii Deo socios seu causas Medias intervenientes adjungunt, dicentes, Deum 70. Angelos adhibuisse, & cum eis confusionem effecisse 70. linguarum, postea unicuique populo horum unum præfecisse. Et fundamentum, ut apparet, hujus suæ sententiæ ponunt in eo, quod Deus unicus, in plurali numero, veluti colloquens & consultans cum aliis, dicit: Descendamus & confundamus labium eorum. Inter quos præprimis est Paraphrastes Jonathan, in translatione vs. 7. & 8. cap. 11. Gen. & R. Elieser in Pirke, c. 24. Quam interpretationem etiam ex Patribus Christianis arripuit Origenes Homil. 11. super Num. nec non Augustinus Lib. 16. de C. D. cap. 6. qui tamen dubitanter & hæsitanter omnia profert.

§. 21. Verum nulla hic Angelorum, tam in Decreti divini, quam in ejus Exequutionis expositione, sed solius יהוה Dei fit mentio. Neque opus hoc Linguarum Confusionis est opus Angelorum, sed opus Dei, & quidem tale, in quo nullo modo videtur ministeriali Angelorum opera esse usus. Ita etiam, cum simile ferme opus, dum linguarum donum infundebat hominibus Deus in die Pentecostes olim in Apostolis operatus esset, non legimus, Angelorum opera id effectum dedisse Deum, sed in momento & miraculose plane, atque adeo immediate Spiritum S. esse operatum. Deinde si Angelos alloquutus fuisset, tum quasi æquales Deo hic introducerentur, & Deus quasi unus ex illis esset constitutus quodammodo cum illis in eodem dignitatis & potentiæ gradu: sed nullibi in tota Scriptura S. aliquis invenitur locus, in quo

quo prima persona pluralis numeri Deus ita Angelos allocutus est. Quod vero Deus unicus hoc loco in plurali numero dicit: Descendamus & Confundamus, duobus explicari potest modis. Nam nomen divinum יהוה sumitur vel οὐσιωδῶς, & tunc, Deum hic, ex consuetudine linguæ, de Seipso loqui in plurali numero honoris & magnificentiæ causa, à quibusdam dicitur, ad imitationem Regum & Principum terrenorum, qui in decretis suis scribere solent: Nos Carolus, nos Ludovicus &c. sic decrevimus: vel ὑποστατικῶς, & tunc Deus Pater, tanquam prima Deitatis persona, dicit, non quidem ad alterum quempiam Deum, ut objiciebat Julianus Apostata, sed ad cæteras duas personas, Filium nempe & Spiritum S. Descendamus & Confundamus; quemadmodum & fecit c. 1. vs. 26. & cap. 2. vs. 18. quando dixit: Faciamus. Quæ ultima explicatio fere omnibus Theologis orthodoxis arridet. Vide plura apud Buxt. l. c. Leusden. Diss. 18. Philolog. Ebr. nec non Magn. Dn. D. Meisn. Disp. de Confusione Linguarum Babylonica, assert. 4. §. 3.

§. 22. E quibus videmus, Deum fuisse autorem, qui Linguam primævam in ædificatoribus turris Babylonicæ confudit: *Sed quomodo id factum sit*, nobis porro inquirendum est. Nonnulli putant, referente Jul. Cæs. Scalig. Exerc. 259. sect. 1. quod Linguæ sint confusæ non per variarum linguarum multiplicationem, sed *per unius vocis variam significationem*, e. g. quod vox מים aqua in quorundam auribus significasset lapidem, in aliorum vero auribus perpendiculum, lignum, vel aliquid aliud. Sed hoc absque ulla specie veritatis asseritur: nam sic ipsæ linguæ non essent confusæ, sed tantummodo vocum Ebraic. diversa significatio fuisset per Deum introducta.

§. 23. Casaubonus negat se cum iis consentire posse, qui linguas toto genere diversas repente in Babel extitisse putant. Cum quo etiam facit Heideggerus in Hist. Patriarch. Exerc. 21. p. 651. Cluverus L. 1. Germ. Antiq. cap. 8. existimat in turris constructione *Deum unam illam linguam primum dissipasse per multa Idiomata, quæ inde in orbe obtinuerint, matre extincta.*

§. 24. Pererius vult, *Deum omnes illos homines, qui ædificationi interfuerunt, oblivisci primæ linguæ, quæ antea fuerat hominum communis, fecisse, vel potius delevisse ex animis eorum hominum habitum illum, quo significationes omnium vocum illius linguæ cognitas habuerant, iisque quotiescunque volebant, ad loquendum uti promtissimum & facillimum illis fuerat. Hac itaque inducta oblivione vel deletione, tantam illis contigisse ignorationem, & cum ea loquentes audirent, ipsum Eber & Phaleg, quasi nihil de ea unquam vel novissent, vel etiam audivissent, nullo modo eos intelligerent.*

§. 25. *Postmodum vero ne mutos & elingues eos fecisset, iterum pro diversitate gentium, quæ ad ædificationem hanc civitatis & turris concurrerant, diversos habitus variarum linguarum mentibus eorum inseruisse. Quo factum fuisse, ut unaquæque illarum gentium ejus linguæ, quæ divina compensatione ei contigerat, non modo cognitionem, quantum ad verba, phrases, proverbia, aliaque id genus propria cujuslibet linguæ; verum etiam ad loquendum facilem & promtum haberet usum.*

§. 26. Alii aliter describunt modum, ut in cujusvis fere cerebello nova de eo enascatur opinio. Quicunque autem is fuerit, fuit plane arcanus & miraculosus, unde forte haud inepte cum Mercero dicendum: Non est, quod subtilius & curiosius quæramus, quomodo hæc linguarum confusio facta sit? Ego repente, ait, id factum Dei arcana ratione putarim, & nobis ignota, sicut & pleraque alia in superioribus à Deo facta, quæ facta quidem scimus, sed quo modo ignoramus.

§. 27. Attamen, ut etiam quid nobis videatur exponamus, quamvis in sententia Pererii plurima putemus recte esse dicta, censemus tamen Buxtorf. sæpe citatum adhuc accuratius modum expressisse, dum ait: *Videtur ergo indigitari, Multiplicationem hanc linguarum factam esse non simpliciter per novarum linguarum creationem, sed per admistionem & confusionem aliorum, seu novorum, sive ex Ebræa corruptorum, aut potius ratione aliqua deductorum vocabulorum, tanquam aliarum & novarum quasi specierum linguarum, cum Ebræa: apud plerasque scil. gentes, quia Ebræa pura in una duntaxat permansit familia, cujus respectu, & apud quam nulla erat confusio. Unde etiam adhuc in omnibus linguis, maxime cardinalibus, ut vulgo vocant, aut matricibus, reliquiæ & vestigia Labii illius universalis totius terræ deprehenduntur.* Hinc sunt, qui putant, Babylonicam istam Confusionem nihil aliud fuisse, quam Literarum radicalium linguæ Ebrææ, vel etiam vocalium, permutationem, transpositionem, inversionem, literæve alicujus additionem, ablationem, &c. Nam, ut hoc etiam probem, in textu Ebræo Gen. 11. non scribitur פלג Divisit, aut הבדיל Distinxit; sed נבלה confundamus, & in vs. 9. בלל confudit. Hoc enim verbum proprie non significat pudefacere, ut vult Pererius; quia ibi pudore confusi sunt ædificantes Babel, cum se invicem amplius non intelligerent, sed miscere, permiscere, confundere, qualis confusio seu permistio est, cum diversæ res seu species inter se permiscentur, e. g. sicca cum humidis. Sic Exod. 29: 2. placentæ, absque fermento, confusæ in oleo. Levit. 2: 5. & c. 23. 13. simila confusa in oleo. Siccum cum sicco, v. g. Jud. 19: 21. & pabulum præbuit asinis. Pabulum enim, quod præbetur animantibus brutis, ut plurimum est mistum, advertente R. D. Kimchio ad hoc verbum. Hinc etiam בליל Farrago, Pabulum, Jes. 30: 24. Job. 6: 5. & 24. 6.

§. 28. Et hoc quoque ostendit nomen Babel, huic civitati & turri, à re divinitus ibi facta, impositum, quod deducitur à בלל, ut sit בבל Babel quasi בלבל Balbel, altero L extrito, cujus syncopes aliud exemplum extat in Græca voce γολγοθᾶ Matth. 27: 33. pro Golgoltha, & in Syriaca גוגלתא Gogoltha pro Golgoltha, & in Chaldaica קיקלתא Kikaltha pro Kilkaltha, & שושילתא Sosiltha pro Solsiltha. Hinc Onkelos Gen. 10: 9. habet: Ideo vocavit nomen ejus Babel, quia ibi בלבל Bilbel, i. e. confudit Dominus sermonem totius terræ. Et LXX. vocis illius energiam Græce exprimentes, prout in aliis quoque nominibus propriis sæpe fecerunt, σύγχυσιν confusionem, verterunt, quia ibi συνέχεε confudit Deus labia universæ terræ.

§. 29. Plura & autores, qui huic sententiæ favent, vide apud *Gerhard. Comment. in Genes. c. 11. Dorschæum in Admirandis Glossarchiæ Domini Jesu p. 630. Buxt. l. c. Diss. 2. Bochart. Geograph. S. part. 1. Hotting. in Smegm. Orient. L. 1. p. 61. &c.*

§. 30. In quot vero *linguas ista divisio seu confusio* tempore ædificationis turris Babylonicæ facta sit, Scriptura quidem diserte non exprimit, Interpretes tamen conati sunt, hoc ex illa elicere. Confusio enim linguarum quia divisionem ac dispersionem gentium antecessit, ejusque causa fuit, statuerunt, probabile esse, secundum diversitatem familiarum, unde gentes natæ, diversitatem quoque linguarum factam esse.

§. 31. Quia autem de diversitate familiarum inter Ebræos & Græcos codices aliqua est discrepantia; hinc quoque alia est Ebræorum, alia Græcorum & Latinorum de numero Linguarum sententia. Nam Ebræi statuunt, divisionem esse factam in 70. linguas, hancque suam sententiam imprimis probare conantur ex 70. nepotibus, qui ex Noacho descenderunt. Scriptura enim Gen. 10. ex Japheto 14. ex Chamo 30. & ex Schemo 26. colligit filios & nepotes. Hi simul collecti 70 constituunt filios & nepotes, & totidem familiarum capita. Quod etiam deducere volunt è loco illo Deut. 32: 8. ubi dicitur: Quando hæreditates distribuit Excelsus gentibus, quando divisit filios Adam, statuit terminos populorum secundum numerum filiorum Israëlis. Jam vero numerum filiorum Israëlis, qui ingressi sunt in Ægyptum, dici 70. ex Gen. 46: 27. & Deut. 10: 22. constare ajunt. *Quia igitur fuerunt 70 populi, ergo ex sententia Judæorum etiam fuerunt 70 linguæ*; quia divisio linguarum est causa divisionis populorum, uti dicitur Gen. 10: 5.

§. 32. Et horum 70 populorum harumque 70 linguarum crebra in scriptis Rabbinorum fit mentio: de quibus vide Buxtorf. l. c. diss. 2. Cum his nonnulli ex Christianis faciunt, qui numerum septuagenarium populorum & linguarum etiam probant ex 70 discipulis, quos Christus Luc. 10. vs. 1. vocavit, & in mundum emisit, ut unaquæque gens haberet proprium suum Doctorem.

§. 33. *Græci* vero & *Latini* statuunt, hanc confusionem esse factam *in 72 linguas*, quam sententiam quoque ex numero familiarum stabiliunt. Desumserunt autem eum ex Bibliis Græcis, in quibus Gen. 10. duo adduntur Kainan, unus Schemi filius, vs. 22. alter Arphachsadi filius, Schelachi pater, vs. 24. qui in textu Ebræo non leguntur, nec in textu Chaldæo, aut ullo alio Scriptore Ebræo, quapropter is binario auctus est. Hanc defendunt Eusebius in Chronico Lib. 1. Hieron. in cap. 26. Matth. Origen. Homil. 11. in Libr. Num. Augustinus Lib. 16. de C. D. c. 3. & c. 7. item in Libro de mirabilibus S. Scripturæ cap. 9. Epiphanius contra hæreses Lib. 1. tom. 1. & 3. Prosper Lib. 2. de vocatione gentium cap. 4. Arnobius Comment. in Psalmos, Psal. 104. aliique quam plurimi.

 §. 34. Con-

§. 34. Contra vero *Euphorus in 75. linguas* factam putat confusionem, quia totidem animæ cum Josepho in Ægyptum descenderint. vid. Actor. 7: 14. *Pacianus*, Episc. Barcinonensis, in opusculo contra Novatianos, cujus meminit Hieronymus, *in 120. linguas* confusionem esse factam vult.

§. 35. Ex quibus videmus, numerum familiarum admodum incertum esse, ut adeo vix etiam quicquam de numero linguarum statui possit, cumprimis cum de his taceat Scriptura. Plurima, quæ jam adducta sunt, absque ullo fundamento & ratione dicuntur, & propterea eadem facilitate, qua asseruntur, à nobis rejiciuntur. Quod autem numerum nepotum Noachi concernit, ubi Ebræi 70, Græci & Latini 72 statuunt, nemo inde bona consequentia probabit, quod etiam totidem populi sive gentes fuerint. Nam nemo potest efficere familiam, gentem, vel posteritatem à se denominatam & propagatam nisi per generationem alicujus sui filii. Jam vero quomodo pater hanc, & filius aliam effecisset gentem, aut pater potuisset constituere peculiarem familiam? Et hoc pacto decem patres ex 70 vel 72 numero auferendi essent, ubi tum 60 vel 62 familiæ tantum supererunt.

§. 36. Adde, si divisio Linguarum in annum nativitatis Peleg incidit, (quod infra probabimus) sane hic, qui major & ætate prior fratre suo Joctan fuit, cum fratre ejusque XV. filiis fuerit eximendus. Alia non adducimus, plura videri possunt apud Rivetum Comment. in cap. 11. Genes. Exerc. 68. & Pererium Lib. 15. & 16. qui fuse & erudite de his omnibus egerunt. Conf. etiam Buxt. l. c. diss. 2. Bochart. Geograph. S. Part. 1. Hotting. Lib. 1. Smegm. Orient. cap. 4. Leusden. Philol. Ebr. diss. 19.

§. 37. *Occasionem* confusioni Linguarum dedit *turris Babylonicæ ædificatio*, qua Deus, ob summam eorum superbiam, provocatus, gravissima & justissima hac pœna ipsos punivit. Equidem in ipsa fabricatione non consistebat peccatum, sed in eo, quod non legitimum intenderint finem. Quapropter hi fabricatores ab omni peccato in hoc opere absolvendi non sunt, ut quidam volunt, inter quos è Christianis præprimis est Alphonsus Tostatus, ex Ebræis Aben Ezra & ex parte R. Levi Gerson. Nam non ædificabant templum, prout illi contendunt, ut Deum illic colerent, multo minus altare, super quo sacrificia & preces offerrent, aut ut in turri illa tuti essent contra vim aquarum, si forte novum diluvium iterum terram inundaret, sicut sentit Josephus; notum enim iis erat fœdus, quod Deus pepigerat cum Noacho ejusque posteris: nec ædificabant aliis de causis, quas illi adducunt, qui eos ab omni peccato immunes esse volunt, quæ videri possunt in Tanchuma, sectione נח, apud Abarbanelem, R. Bechai & alios: sed ut nomen sibi compararent & ne dispergerentur, ut Sacer inquit Codex.

§. 38. Quod autem in hoc ipso gravissime peccarint, apparet quoque ex processu Dei Judiciali, contra ipsos instituto, qui Gen. 11. describitur, & ex pœnis singularibus extraordinariis, linguarum scil. confusione & populorum subitanea dispersione. Primum itaque peccatum fuit, ut præcedenti §. diximus, quod voluerint sibi comparare nomen. Nomen quidem & famam quærere & ambire per se non est malum aut illicitum, sed debito illud fieri debet modo. Honor namque & gloria Dei ante omnia, & primo omnium nobis debet esse proposita. Hi vero filii hominum propriam quærebant gloriam, & tantummodo ad pompam turrim illam ædificabant, ut posteris suis essent admirationi. Negligebant cœlum & immortalitatem quærebant in terris.

§. 39. Alterum consistebat in eo, quod voluerint stabilire suam conjunctionem, & præcavere dispersionem. Quæ voluntas horum fabrorum voluntati Dei & eorum prudentia Dei sapientiæ & ordinationi repugnabat. Deus enim volebat eos dispergi per terram, eosque eandem implere, sicut in ipso statim rerum primordio dixerat: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam &c. Gen. 1: 28. quod ipsum etiam post diluvium repetit atque renovat. Huic Numinis præpotentis fato & decreto reluctabantur Babylonicæ molis conditores suis rationibus, consiliis & voluntatibus: è quibus proinde varia emergebant peccata, quibus se homines isti contaminarunt, & Deum offenderunt, Superbia nim. Ambitio, Dei neglectus & contemtus, Labor irritus & inutilis, aliaque.

§. 40. *Quinam* autem *autores & architecti famosi hujus operis fuerint*, Scriptura tantum implicite commemorat, quando dicit: civitatem & turrim ædificasse *Filios hominum.* Ubi per eos intelliguntur impii, profani, qui terrena tantum sapiunt; sic ut contra cap. 6. vs. 2. filii Dei, pii seu filii sanctorum Patriarcharum, qui ad veram & non Cainicam Ecclesiam pertinebant, appellantur. Et hi præcipue fuerunt posteri Cham, quorum ἐργοδιώκτης & Antesignanus fuit Nimrod; ita tamen, ut ex cæteris Japheti & Schemi familiis non paucos quoque ad se forte contra ipsorum voluntatem pertraxerit. Colligi hoc posse videtur ex eo, quod Gen. 10: 9. 10. dicitur, eum potentem venatorem fuisse coram Domino: principiumque regni ejus fuisse Babel, Erech & Achad &c.

§. 41. Cajetano tamen contrarium allubescit, qui Nimrodum non condendæ Babylonis, sed ejus jam conditæ primum regnatorem fuisse asserit, quem tamen refutatum vide apud Pererium. Volunt & Abulensis, Myricæus, Cornelius à Lapide & quamplurimi alii, Noachum quoque & Eberum pares suscepisse operas, sed pro nobis respondet Mayerus Philol. S. Part. 2. p. 338. seqq. Absurdum namque est Viris Deo dilectis hanc inobedientiæ maculam inurere, citra evidens aliquod Scripturæ testimonium. Et conservata etiam est lingua Ebræa in Noacho familiaque Eberi, cum lingua omnium aliorum confunderetur. Si vero communes operis fuissent socii, quid obstitisset, quo minus inflictæ aliis pœnæ socii fuissent? Socii enim in opere, socii in pœna. Et in hoc nobiscum sentiunt non tam ex Ebræis autores præstantissimi, quos citavit *Buxt. l. c. diss.* 2. sed etiam è Christianis clariss. viri. *Conf. Joseph. L. 1. antiq. c. 5. Aug. L. 16. de C. D. B. Luther. in Comm. sup. hæc verba. Magn. Dn. D. Calov. in Bibl. Illustr. Leusden. Philol. S. diss.* 18. *& jam modo nominatum Mayerum l. c. aliosque.*

§. 42. *Locus*, in quo Architecti hi convenerunt, quis fuerit, satis aperte docet Historicus S. Gen. 10: 10. appellans eundem שנער (*Sinear.*) Græcus vertit Βαβυλὼν Zach. 5: 11. & Βαβυλωνία Es. 11: 11. Chaldæus ad discrimen ejus à Babylone Ægypti, quam hodie Cairum vocant, addit: in terra Babylonis. Nomen autem hoc huic campo post factam demum confusionem, à qua שנער dictus est iste locus, obvenit, ut D. Gerhardus in Genesin & Corn à Lap. in h. l. existimant, conf. etiam Bochart. Geogr. S. L. 1. c. 5. qs. diceres campum qui excutit, à R. נער excussit, quia sc. Incolæ ejus loci justo Dei judicio in omnes terras excussi & dispersi fuerunt. Quo verbo etiam Deus utitur, cum dicit Job. 38: 13. impios è terra excuti.

§. 43. Restat adhuc, ut videamus *Tempus* seu Quando hoc omne contigerit. Illud Moses, etsi obscure nonnihil, designat, quando dicit Gen. 10. vs. 25. Ebero natos esse duos filios, quorum uni nomen Peleg (i. e. divisio); eo quod in diebus ejus (נפלגה) divisa fuit terra. Quod idem est ac si diceret, terram fuisse divisam, quo tempore Phaleg natus est.

§. 44. Quæ sententia videtur verisimilior illis, ubi dicunt divisionem vel ultimo anno Phalegi, vel tempore mediæ ætatis ejus contigisse. Nam Phaleg nomen accepit ab hac divisione; ergo circa nativitatem ejus confusio videtur introducta: nam infantibus, non vero viris circa mediam ætatem, vel circa mortem, nisi ob specialem aliquam causam, nomina imponuntur. Et posito, non concesso, divisionem factam fuisse post nativitatem, vel tempore mediæ vitæ, vel ultimo anno, Phalegi, cur, quæso, hoc nomen non potius Jactani fratri jam nascenti, aut etiam jam adulto inditum est? nulla sane ratio est.

§. 45. In hac sententia fuit primo Ebræus *Aben Ezra in princ. cap. 11. Gen. & vs. 9. ejusd. cap.* Huc quoque inclinat *Joseph. Antiq. Jud. L. 1. c. 7. S. Aug. de C. D. L. 16. c. 11. Mercerus in Comm. suis in Gen. Wolfg. Musculus in Com. suis in Gen. Postellus de Orig. c. 20. Edward Simson in Chron. Cath. part. 1. p. 9.* In eandem sententiam eunt *Matth. Beroaldus, Guiliel. Perkinsius, Hugo Broughtonus, David Pareus, Perer. & complures alii Theologi & Historici.*

M. CHRIST. WAGNERI
ET
JOH. GOTLIEB ABESSER
DISSERTATIO
De Ur Chaldæorum ad Gen. XI: 23.

בע"ה

CAPUT I.

docens:

Quidnam fuerit אור כשדים seu Ur Chaldæorum.

SECT. I.



Quum vox אור (*Ur*) communiter *Ignem* (uti Es. 50: 11. Ezech. 5: 2.) item *focum* seu *furnum* (ut Esai. 31: 9. 47: 14.) notet, non obscuri nominis Rabbini, quidam etiam è Christianis vocem אור in Ur Chaldæorum, per *Ignem*, seu *furnum*, explicarunt, addita lepida isthac fabella: Abrahamum aliquando Patris idolorum cultu obruti icunculas confregisse; Reprehensum ergo à Parente; sed magnanimiter respondisse: Idola vana stultorum figmenta esse. Deum Creatorem cœli & terræ solum religioso venerandum esse cultu. Terachum rem Regi exposuisse; hunc accersisse Abrahamum, exprobrasse ipsi in Deos audaciam; jussisse, ut ventum, Solem aut aliud quoddam numen adoraret. Idem vero ab Abrahamo responsi tulisse Regem, quod Terachum. Ira ergo concitum Nimrodum jussisse, satellites Regii mitterent Abrahamum in *fornacem* multo instructam rogo, quo elucesceret, num Abrahami Deus iis instructus esset viribus, ut ab igne illæsum præstare posset cultorem. Mandata Regis statim exequutos esse scelerum regiorum ministros: Abrahamum vero nullatenus ab igne tactum, tandem à Nimrodo dimissum, alias petiisse terras. Eo enim intendere digitum Deum, cum dicit Genes. 15:7. *Ego sum DOMINUS, qui eduxi te* מאור כשדים q. d. *è fornace Chaldæorum.* Historia isthæc in omnibus fere Rabbinorum commentariis in Genesin aut Nehemiam obviam fit. *E Schalscheleth Hakkabala* f. 8. recenset eam *Hottingerus* Smegm. Orient. Lib. 1. p. 291. *E Bereschith Rabba* Sect. XXXVIII. *Dionysius Vossius* notis ad Maimonidis הל' עכו"ם vel Dissert. de Idololatr. p. 14. s. *E Pseudo-Jonathanis* Targ. ad Gen. 11. *Henningius Henningii* in Muhamedano precante p. 277. s. Ex aliis alii. Nobis R. *Bechai* ad Pars. Lech-Lechá f. XXV. 3. & [omnium optime] *Baal Sepher Haijaschár* pag. ג, col. 2 — pag. ד, 1. col. 2. verba ministrare possent, qui videlicet elegantissimo dicendi genere fabulam enarrarunt istam, nimis tamen prolixe; audiamus ergo alios. E Targumistis prodeat *Jonathan*, qui Hebraica (Gen. 15:7.) אשר הוצאתיך מאור כשדים (*qui eduxit te ex Ur Chasdim*) Chaldaice reddit hunc in modum: דאפיקתך מאתון נורא דכשדאי *Qui eduxi te è fornace ignis Chaldæorum.* Sic *Targum Hierosolymitanum*: דאפיקית יתך מאתון נוריהון מאור דכשראי In *Talmude* non rara traditionis istius reperies vestigia. In Mass. *Peſachim* fol. CXVIII. 1. dicunt:

בשעה שהפיל נמרוד הרשע את אברהם אבינו לתוך כבשן האש אמר גבריאל לפני הקב"ה רבונו של עולם ארד ואצנן ואציל את הצדיק מכבשן האש אמר לו הקב"ה אני יחיד בעולמי והוא יחיד בעולמו נאה ליחיד להציל את היחיד:

Hora, qua impius ille Nimrod misit Abrahamum Patrem nostrum in fornacem succensam, dixit Gabriel coram Deo S. B. Domine mundi! descendam & frigefaciam (ignem,) & liberabo justum illum è fornace. Respondit Deus: Ego sum unicus in mundo meo; Et ille est unicus in mundo suo. Decet unicum, ut (alterum) unicum liberet.

Huc pertinent dicta in Pirke Elieser cap. XXVI. & commentatorum ad Genes. 11. & 15. & Nehem. 4. E Judæis, Arabico Idiomate qui sua exararunt Scripta, produco R. *Saadiam Gaon*, qui in versione Genes. 11. & 15. verba מאור כשדים reddit: من اتون الكسدانيين *è fornace Chaldæorum.* Hinc Muhammedani traditionem isthanc pro genuina receperunt. Testimonia cupis? Adi *Bochart.* Hieroz. Part. II. Lib. V. cap. IV. col. 673. *Hackspan.* ad Nizzachon p. 491. *Mullerum* Excerpt. ex Azizo Neseph. not. 26. Et quod mireris maxime, Christiani dantur, qui Judæorum vestigia legentes nugis istis patrocinium egerunt: *Vulgatus Interpres*, (cui Tridentini Patres αὐθεντίαν asseruere, loc. Nehem. 9:7. ita μεταφράζει: *Et dixit Esdras: Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abraham & eduxisti eum de Igne Chaldæorum.* Sic *Gratianus* Can. Cum igitur. Vs. hac itaque consuetudine Caus. 35. quæst. 1. *Unde Abraham à Chaldæis cum fratre suo Aram in ignem, quem adorare noluit, projectus est, ut numen suæ divinitatis exurendo sentiret, quem venerando colere contemsit.* Ibique *Glossa*, cum eadem narrasset, addit: *Aram, qui dubitavit, dicitur quod sit combustus.* Sic *Augustinus* de C. D. Lib. XVI. cap. XV. *Soluta autem est quæstio illa & aliter, ut septuaginta quinque anni Abrahæ, quando egressus est de Charra ex illo computarentur, ex quo DE IGNE Chaldæorum liberatus est. Hieronymus*, etsi traditionem hanc prius dixisset fabulam, mox tamen in omnia alia abit, & necessario veram esse, pronunciat. (Vid. in fine hujus Sectionis dicenda.) Sic, (quando *Ruffinus* lib. II. Histor. Eccles. c. XXVI. inquit: Ferunt aliquando Chaldæos Ignem Deum suum circumferentes cum omnium provinciarum Diis habuisse conflictum ———. Hæc cum audisset Canopi Sacerdos, callidum quiddam excogitavit. Hydriæ fieri solent in Ægypti partibus fictiles, undique crebris & minutis admodum foraminibus patulæ, ———. Harum ille unam cera foraminibus obturatis, ——— aqua repletam statuit in Deum. Et excisum veteris Simulacri ——— caput desuper positum diligenter aptavit. Adsunt posthac Chaldæi; circa hydriam ignis accenditur: cera, qua foramina fuerant obturata, resolvitur: Sudante hydria ignis extinguitur.) *Autor Lemmatum marginalium*, (quem *Grynæum* esse puto,) in edit. Script.

 Ecclesiast.

Ecclesiast. Henric-Petrina in fol. hæc annotat: *UR CHALDÆORUM devicit alios Deos, devictus autem est à Canopo.* Huc pertinent verba *precationis* Pontificiis familiaris, quorum copiam Lectori faciet *Corn. à Lapide* Comment. in Gen. 11. Similem his nugis refert fabulam *Philo* Judæus Antiquit. Bibl. fol. VI. f. cujus summa huc redit: Mortales turris Babylonicæ extructione æternam sui memoriam posteris transmittere tentasse. Dixisse ergo inter se invicem: *Accipiamus lapides & scribamus singuli nomina nostra in iis, & incendamus eos igne, & erit, quod perustum fuerit in luto & latere* Sed nomina quoque sua dare, renuerunt XII. DEI VERI cultores, Abraham, Nachor, Loth, Ruge, Tenute, Zaba, Armodath, Jobab, Esar, Abimahel, Saba, Auphin. Plebs ergo ipsos laterariæ fornaci destinat. Sed Jectamo (clandestino DEI cultore, & Principe Populi) intercedente, populus ipsis septiduum indulget spatium ad deliberandum, num nomina dare velint. Interea Jectam clam captivos dimittit in montana fugam capessentes, solo Abrahamo fugam aspernante. Effluxo ergo septiduo plebs Abrahamum è carcere raptum Principum (inter quos & Nebrod, seu Nimrod,) judicio subjicit. Hi, illum nil mutatum deprehendentes, ad caminum ipsum condemnant; Jectam etiam confusus mente egensque consilii, invitus licet, consentit. E. Abraham in fornacem præceps datur. Excitat vero Deus terræ motum, flammaque circumstantes 83. devorat viros. Abraham autem illæsus fornacem relinquit & suos in montibus offendit & magno cum gaudio ab ipsis recipitur. Nil tamen hoc miraculum commovit pertinaciam plebis, ut potius turris extructionem iterum aggrederetur. Sed γλωττοσύγχυσις omnes ipsorum suppressit destruxitque conatus.

Sed satis, (nimisque, vereor,) in istis de Igne Chaldæorum nugis occupatus fui. Nostrum nunc erit, ἐπίκοισιν subnectere nostram. Non consideramus, an præclarissimi Authores hoc vel illud statuant, sed saltem, quid statuant, num ad veritatis sanæque rationis trutinam expensum illud verum an vero erroneum deprehendatur? Non paucis vero nobis argumentis subvertere licet traditionem de Abrahamo à Nimrodo in fornacem conjecto. Ne vero cæco pugnemus impetu, dispiciendum nobis primo est, quibuscum nos pugnemus, num contraria nobis illi sentiant, num vero non? Sane, quod Vulgatum Interpretem attinet Pontificiis res adhuc dubia videtur esse. Negant constare, an fornacem & ignem revera & proprie talem intellexerit, an Metaphorice dictum, varia nempe afflictionum genera. Ita enim *Menochius* Jesuita ad Genes. 11:31. *Vulgatus noster ita vertit 2. Esdr. 9:7. de igne Chaldæorum, scil. vel ex igne proprie dicto, vel ex igne tribulationum.* Sic & *Corn. à Lapide* Comment. in Genes. 11. fol. 143. Ubi dicit, Vulgatum intellexisse ignem vel tribulationum vel etiam proprie dictum; quod posterius ipsi non absurdum esse videtur. Probe deinceps scio, Rabbinos sæpe על דרך גוזמא ומליצה metaphorice & allegorice quid narrare, quod nequaquam proprie intelligendum esse velint. (Vid. *Maim.* in More Nevochim Part. III. Cap. XLIII. fol. 170. col. 2. edit. Ebr. & p. 773. edit. Latin. Buxtorfii.) Ast Vulgatum & Targumistas metaphoram in mente habuisse, mihi non videtur probabile. Verba eorum sibi relicta sunt nimis manifesta. Non est E. ut alium sensum iis inferamus, quem illos intendisse nullo probari potest argumento. Probabilius autem est, illum, qui primus inter Rabbinos traditionis illius parens est, allegorice forsan dictum, quicquid dixit, voluisse. Qui vero ipsum in successione exceperunt, rem literaliter intelligere maluerunt, uti etiam Augustinus, Hieronymus, Gratianus. Atque cum his nobis res est. Thesis ergo illorum est:

Abrahamus à Nimrodo mediantibus satellitibus in revera & proprie talem in fornace ardentem ignem conjectus fuit.

Atque sequentibus argumentis Thesin istam infringimus:

I. *Si Abraham in fornacem succensam conjectus ignis vim illæsus evasit, factum id est vel medio naturali, vel præternaturali, vel supernaturali. Posterius falsum. E. & prius. Minor probanda.* Constat vero tribus membris. De singulis itaque seorsim. (Præsuppono, Doctores sanioris Philosophiæ distinguere inter rem, quæ contingit naturaliter, præternaturaliter & supernaturaliter. Naturaliter-factum dicitur, quod juxta communem naturæ cursum contingit. Præternaturaliter-factum vocant, quod à malo Dæmone (aliisve causis creatis spiritualibus) in naturæ subjectis effectum datur. Quod vulgo audit actio magica. Supernaturaliter fit, quod extraordinario causæ primæ concursu fit, nec à creaturis (qua talibus,) vicissim effici potest. Prioris è membris dividentibus exemplum exhibet fluminis continuus cursus. Secundi equitatio sagarum per aërem. Tertii resuscitatio defuncti Lazari. Sed hæc suppo-nimus. Nunc ad rem ipsam.) (1.) Dantur res, quæ ab igne per naturam suam non consumantur, dantur etiam naturæ media, quibus quid reddi possit incombustibile. Quis ignorat decantatissimum animal Salamandram? *Huic* (inquit *Plinius* lib. X. N. H. cap. 67.) *tantus rigor, ut ignem tactum extinguat non alio modo, quam glacies.* (Vide quæ de Salamandra congesserunt *Buxtorfius* Lex. Talm. col. 1484. seqq. & *Bochartus* Hierozoici Part. II. Lib. VI. cap. VI. col. 823. f.) *In Cypri ærariis fornacibus ex medio igne majoris muscæ magnitudinis volat pennatum quadrupes* (verba sunt iterum *Plinii* Lib. VIII. cap. 36. : *Appellatur Pyralis, à quibusdam Pyrausta. Quamdiu est in igne, vivit: cum evasit longiore paulo volatu, emoritur.* Vid. *Scalig.* Exerc. XXIII. & CXCIV. §. 4. De vestibus ex Amianto lapide textis & lino vivo, quæ igne non corrumpuntur sed mundantur, vide *Henr. Salmuthum* not. ad Panciroll. libb. rer. deperd. l. 1. cap. 4. Carystiorum carbasorum, quæ inter ignes valent, memoriam ab interitu vindicavit *Solinus* Polyhist. cap. XVII. Sic in naturæ gremio deprehendas res, quæ aliquid incombustibile reddere possunt. *Plinio* teste lib. XXIX cap. 3. *tanta vis ovorum est, ut ovo perfusum lignum non ardeat, ac ne vestis quidem contacta aduratur.* In Talmud. Mass. *Chagiga* f. 27. in fin. dicitur: היכי סלמנדרא מתולדת אש היא הסך מדמה אין אור שולטת בו *Quomodo se res habet cum Salamandra, quæ generatur ex igne? Si inungat quis se ejus sanguine, non potest ignis in illum suas exercere vires.* Hinc in Mass. *Sanhedrin* f. 63. 2. dicitur, Hiskiam a matre inunctum fuisse sanguine Salamandræ, cum Achas illius Pater Sepharphæorum more ipsum comburere vellet; ignemque ideo ipsum lædere non potuisse. Sed hoc fictitium (vel saltem periculosissimum) esse arguunt illa *Plinii* Lib. X. cap. LXVII. *Ejusdem* (Salamandræ) *sanie, quæ lactea ore vomitur, quacunque parte corporis humani tacta, toti defluunt pili, idque, quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat.* Num vero credas sanguinem Salamandræ adeo à sanie & veneno depurari posse, ut eo impune humanum corpus illini possit? Quicquid vero sit, dantur alia adhuc, quæ natura ministrat, media, quæ incombustibilitatem rei alicui conferre possunt, de quibus Physici & in specie *Ath. Kircherus* Tom. II. Mund. Subterr. lib. VIII. Sect. III. fol. 99. seqq. Atque hujus generis medium in Syllogismo voco naturale. Tali vero non usum Abrahamum in confesso est. Nil tale enim suspicatus Abraham rapitur in judicium, (sic ipsi ajunt,) condemnatur, in fornacem mittitur. Unde tantum temporis ipsi non relictum est, quo, priusquam in ignem daretur præceps, se perfundere posset medicamine, quod ipso etiam igne potentiores vires traheret. Sua mole ruit fabella Arabum, (de qua vide *Bochart.* Hieroz. P. II. Lib. V. cap. IV. col. 673.) ranas ore haustas aquas attulisse, Abrahamumque conspersisse. Hæc de membro primo Minoris propositionis. (2.) Largior facile, Dæmonis ope hunc vel illum magum ignis injuriis non læsum esse. Quid enim quæso aliud redolet ceremonia illa in invocatione *Apollinis*, (vel, juxta *Strabonem* lib. V. fol. 152. edit. Basil. Lat. 1539. & fol. 99. edit. Græc. Aldinæ anno 1516. impressæ, *Feroniæ*,) adhiberi solita ab *Hirpiis familiis*. Rem narrat *Plinius* lib. VII. cap. 2. 290. edit. Dalech. *Haud procul urbe Roma,* (inquit,) in *Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soracten Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur.* Parallela tradit *Solinus* Polyh. c. VIII. Hinc *Virgilius* Æneid. lib. XI. vers. 785. seqq.

Summe Deûm, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, & medium FRETI PIETATE *per ignem*
Cultores multa premimus vestigia pruna.

Corruptissimæ oportet esse mentis hominem, qui negare ausit, hæc ope mali Dæmonis perpetrata esse, qui, ut fœdissimum idolorum cultum stabiliret, mirabilibus istis actionibus, (æmulatus γνησίως-beatificæ doctrinæ Doctores) ceu glaucomate densissimo debilitavit Ethnicorum oculos, ne Euangelii lucem viderent. *In angelum* quippe *lucis se convertere potest*, teste Apostolo; & magna perpetraturum esse per suos facinora, prædixit Salvator. Quod si tamen *Varroni* fidem habebimus, aliter statuere necesse erit. De eo enim ita *Servius* ad loc. cit. Virgilii: *Sed Varro ubique expugnator religionis ait, cum quoddam medicamentum describeret: Eo uti solent Hirpini ambulaturi per ignem, medicamenta plantas ungunt.* Sed cum cæteri, (*Virgilius* scilicet *Strabo, Plinius, Solinus*,) θεῖόν τι hic subesse rentur, Varronemque ubique religioni intentasse ruinam, tradat Servius, forte Apollinis (i. e. Diaboli) solius ope, rogo adurendi vis adempta fuit. Quo referri meretur probatio

probatio virginitatis ab Ethnicis adhuc Teutonibus, Britannis, Gallis institui solita. Sed hujusmodi etiam medio sanctissimum Patriarcham usum esse, homo Christianus vel Judæus cogitare vix audebit. Bonis Angelis vero nullatenus liberationem Abrahami imputandam esse, ipsimet Adversarii volunt in Mass. *Pesachim* (verba vide supra pag. 4. allegata,) & *Bereschith Rabba* Sect. XLIV. fol. XXVII. col. 4. Sequitur Ergo (3.) ultimi membri Minoris nostræ probatio. Nemo abnuet divinitus & miraculose Abrahamum à combustione servari potuisse. Qui servare potuit Chananjam, Misaëlem & Asarjam, potuisset & Abrahamum. Sed non est quæstio de potentia, sed de actu. Atqui (inquis,) expresse statuunt Rabbini, actu Abrahami gratia miraculum editum esse. Sic enim post cæteros *Maimonides* in Hilc. Afodath Cochasim umassaloth cap. I. §. VIII. ככל שנבר עליהם בראיותיו בקש המלך להרגו ונעשה לו נס ויצא לחרן: *Cum autem* (Abraham) *vinceret illos argumentis suis, quæsivit Rex occidere illum; sed miraculum ipsi factum est & profectus est in Carrhas.* Istud vero miraculum constitisse liberatione è fornace, testatur *Targumista* in Cohel. IV. cujus verba mox producemus. Resp. Atqui hic nullo argumento rem probari video quam per תנו רבנן ת"ר *Tradunt Rabbini.* Ergo totius rei veritas ultimato resolvitur in authoritatem & fidem Rabbinorum. Sed hæc nimis sublesta est. Rabbini enim in suis Medraschim miracula infinita enumerant, quæ nunquam facta esse, Scriptura S. sanaque ratio evincit. E. g. In Mass. Babylonica *Schabbath* fol. 104. col. 1. dicitur, Legis tabulas penitus scriptione perfossas fuisse, ut ab utraque parte literæ legi potuerint, (**durchbrochene Arbeit wärs gewesen!**) adeo, ut vacuum in tabulis literas exhibuerit. Quum vero propter ם & ס id absurdum esse videretur; (particulæ enim lapideæ, quæ intra ם & ס debuissent consistere, non potuissent non tabulis excidere, cum nullo fulcimine nixæ fuerint.) Ad hoc dubium *loc. cit.* & in Mass. *Megilla* fol. II. col. 2. lin. ult. respondet Raf Chasda: מ"ם וסמ"ך שבלוחות בנס היו עומדים: Mem & Samech *per* Miraculum *in tabulis steterunt*, (vel potius, in aëre pependerunt). Sic in Mass. *Joma* fol. XXI. 1. & *Pirke Afoth* cap. IV. fol. XXIX. 4. decem recensentur miracula quæ in templo Hierosolymitano contigerint. Inter alia dicitur: Nunquam computruisse carnem sanctam; nunquam muscam conspectam fuisse in macello sancto; Israëlitas stetisse in atrio coarctatos atque condensatos, sed in prostratione in terram satis cuique spatii suppetiisse; Item, quod nullum unquam læserit Serpens aut Scorpius Hierosolymis. Confer quæ in Mass. *Megilla* fol. X. col. 2. de arca fœderis dicuntur, per miraculum nempe locum ipsi in templo Salomonæo concessum fuisse. Taceo Elisam columbinis ornatum alis, in quas Phylacteria conversa fuerant. Mass. *Schabbath* fol. XLIX. 1. Medr. *Schocher tof* Psal. 103. fol. LI. 4. Nasone digna μεταμόρφωσις! De R. Simeone Ben Jochai traditur in Mass. *Schabbath* fol. XXXIII. 2. quod ejus gratia איתרחיש ניסא factum sit miraculum & in specu creata fuerit scaturigo aquæ atque arbor-siliqua. (Verba etiam *Buxtorfius* allegat in de Abbreviatur. Hebr. p. 190. ubi nota pro להסיב בו סומריס legi in Amstelod. editione: להסיב בקן זונות). His, inquam, in locis ubique veritati litasse traditionum Patres, quis credat? Et quis non potius miretur, tantam hominibus suppetiisse audaciam, ut pro re nata quid fingere atque refingere ausi sint. Eodem se donatos forte putarunt privilegio, quo Poëtæ atque Pictores, quibus fingendi semper fuit æqua potestas. Coronidis loco addam, quod in Mass. *Berachoth* fol. LVII. 1. (ubi Onirocritica tractantur,) legi: הרואה הונא בחלום נס נעשה לו חנינא חנניה יוחנן נסי נסים נעשו לו: i.e. *Qui in somnio videt* (scriptum hoc): HUNA, *miraculum ipsius gratia edetur; Si:* CHANINA, CHANANIA, (aut) JOCHANAN, *miracula miraculorum ipsius edentur gratia.* Risum teneas, Lector. Fundamentum tam immanis (verius dixerim, inanis) promissi si quæris, cape id ex R. *Salomonis Jarchi* Commentatoris Talmudici sequent. נס נעשה לו נו"ן כנגד נו"ן וכגון שלשה הסם כתוב: חנינא נו"ן הרבה נסים רבים: Miraculum edetur ejus gratia.] *Nun compensatur alia litera Nun.* (Nam in נס Nes, miraculum, est Nun, seu N. & in הונא similiter;) *quandoquidem videt Nomen illud scriptum. Contra in* חנינא *Chanina sunt plura Nun, ergo & plura* Nissim, *miracula.* Hæcque hactenus ἐνστάσεως ἕνεκα protuli, ut pateat, non statim temere habendam fidem esse narrationi Rabbinorum de Miraculis; adeoque si quis argumentetur: *Quicquid Rabbini narrant, id verum est. Rabbini narrant, Abrahamum, &c. E. verum est*; nego majorem per instantias datas. Quum ergo nullo argumento alio, quam magistrorum authoritate stabiliri possit assertio de Abrahamo in ignem conjecto & divino miraculo ipsi facto, & ἄπερ γραφῆς non habendum sit quid pro indubitato miraculo, sequitur nec etiam supernaturaliter Abrahamum à rogo ereptum fuisse. Hinc: *Si Abrahamus nec naturaliter, nec præternaturaliter, nec supernaturaliter combustionem evasit illæsus, sequitur quod penitus non evaserit. Atqui prius est verum. Ergo & posterius.*

II. *Ex quo non Teraeh, Loth cæteraque Terachi familia exierunt, illud non est Ur Chaldæorum. Atqui ex succenso fornace non exierunt Teraeh, Loth, &c. Ergo fornax non est Ur* (Chasdim seu) *Chaldæorum.* Majorem probo ex Genes. 11:31. ויקח תרח את אברם בנו ואת לוט בן הרן בן בנו ואת שרי כלתו אשת אברם בנו ויצאו אתם מאור כשדים וגו׳ *Assumsit vero Terach Abrahamum filium suum & Lotum filium Haranis nepotem suum, & Sarai nurum suam uxorem Abrami filii sui & egressi sunt una ex Ur Chaldæorum, &c.* Vides, plurali וַיֵּצְאוּ *& egressi sunt* uti Spiritum Sanctum, non singulari וַיֵּצֵא *& exiit.* Unde patet, personas illas omnes enumeratas (1.) una cum Teracho exiisse, & (2.) quidem ex Ur Chaldæorum. Hinc sequitur, (3.) falsum esse, Terachum & Abrahamum mutuis jurgiis semet invicem ob idolorum cultum exagitasse. Nam si Terach Abrahamum odio habuisset, cur assumsisset ipsum, ut una iter susciperent? Cur fugisset Terach, si idolorum cultor, Nimrodque ipsum favore haud vulgari amplexus fuisset? Et si Abraham non tam iter pacatum, quam præcipitatam fugam adornasset, vix dubium mihi est, Spiritum S. usum fuisse voce וַיִּבְרַח vel וַיִּבְרְחוּ quæ proprie *fugam* infert; non וַיֵּצְאוּ *& exierunt*; hæc enim iter notat, ubi nulla periculi suspicio adest, & tranquillo animo suum ingrediuntur viatores iter. (2.) Cum ex Ur Chaldæorum omnes egressi dicantur, sequitur Ur Chaldæorum notare ejusmodi locum, in quo non tantum Abram, sed & Terach & Loth, & Sarai degerint. Ast in fornacem Saram, Terachum, Lotum præcipites datos fuisse, nemo adversariorum asserit. Ergo nec fornax est, cujus in Scriptura mentio fit, אור כשדים seu Ur Chaldæorum. Respondet hic R. *Moses Nachmanides* apud R. *Elieserem Askenasi* in Maase Afoth cap. II. fol. LX. col. 1. h. 1. m.

ואומרו ויצאו אתם מאור כשדים ותרח לא יצא מן הכבשן אבל אברם הוא עיקר או המקום נקרא כן בעבור הנס כמו ובתבערה ובמסה ובקברות התאו׳ וזולת׳ וכו׳:

Dicit vero scriptura: Et egressi sunt una ex Ur Chaldæorum. Atqui Terach non exiit è clibano. (*Resp.*) Abram tamen fuit causa primaria illius egressus, (*ideoque quia Abram inde egressus est auctorque fugæ fuit, dicitur omnes inde exiisse*); aut locus iste nomen ignis Chaldæorum accepit ex isto miraculo, quemadmodum (*factum vides*) in Tabhera (*incendium infert vox illa*) Num. 11: 3. Massa *q. d. tentationem*) Exod. 17. vs. 7. Kibhroth Hattaavá (*Lutherus*: **in den Lustgräbern**) Num. 11:34. &c.

Sed Resp. prima conjectura est absurda, uti cuivis patet. Secunda esset probabilis, nisi ego cæteris meis argumentis totius traditionis molem subverterem.

III. Adde, quod cap. 11. Genes. vers. 28. dicatur: וימת הרן על פני תרח אביו בארץ מולדתו באור כשדים: *Et mortuus est Haran coram Teracho patre suo, in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum.* Si est terra, fornax aut ignis esse nequit.

IV. Chronologi certant & adhuc sub judice lis est, quo præcise anno *Nimrod* prima Babylonicæ jecerit fundamenta Monarchiæ. *B. Lutherus*, &, qui ejus vestigia terunt, *Dresserus* Millen. II. p. 108. *M. Zuerius Buxhornius* Chronolog. fol. 2. *Bucholz.* in Chronolog. p. 3. annum mundi 1788. natalem Babylonicæ Monarchiæ esse, asseverant. Annum sequentem *Reusnerus* in Chron. p. 181. Annum vero 1718. *Sethus Calvisius.* Alii alium. Optima mihi videtur sententia *Christiani Matthiæ* Theatr. Histor. p. 9. qui anno 1717. originem Monarchiam illam debere, duabus lectione dignissimis probavit rationibus. Sic etiam de anno genitali Abrahami nondum consentiunt omnes. Plerique anno XLII. Nini in lucem ipsum editum esse affirmant. Sic præter Christianos *Eusebium* in Chronico, *Engelhusium* in Chronica (quem librum primus edidit *Maderus*,) pag. 12. aliosque quam plures, è Judæis etiam *R. David Ganz* in suo Zemach David, qui lib. II. p. 162. A. M. 1788. meminit Nimrodi, anno 1844. Beli, anno 1906. Nini, atque postremi temporibus natum esse ait Abrahamum. Contra *Joh. Lud. Gottfrid.* **in der Historischen Chronica** fol. 25. inquit: **Sein** (Abrahami) **Geburts-Tag fällt ins Jahr der Welt 1949. in die Regierung Belochi des Königs der Assyrier.** Quæ sententia nobis probabilissima videtur. Etenim, si expendatur, quot inter Noachum & Abrahamum, & vicissim inter Noachum & Nimrodum intercesserint generationes, Gothofredi sententia non poterit non arridere, id quod sequens Schema ὀφθαλμοφανερῶς demonstrabit:

NOACH.

NOACH.

1. Sem.
2. Arphacsad.
3. Sala vel Selach.
4. Eber.
5. Peleg, vel Phaleg.
6. Regu, vel Reu.
7. Serug.
8. Nahor, vel Nachor.
9. Thara vel Terach.
10. Abraham.

1. Cham.
2. Chus.
3. Nimrod.

Quicquid tandem sit in eo sane omnes amice conspirant, qui accuratum noverunt ducere calculum, Nimrodum prius ad Inferos abiisse, quam Abrahamus primum momentum vitæ ordiretur. Anne ergo non absurdissimum est, statuere, Nimrodum, audita Abrahami declamatione de Idolorum Gentilium vanitate, declamatorem Patriarcham tunc jam 50. ad minimum natum annos in fornacem succensam præcipitem dedisse. Duo fere integra secula Abrahami nativitatem & Nimrodi mortem disterminant. Et sanæ mentis homo credat, Nimrodum & Abrahamum συγχρόνους fuisse? Apage cum istis nugis, quæ, quo magis examini subjiciuntur, eo magis absurditatem suam judicibus produnt. Sed hic nobis obstant *Isaaci Abarbenelis* dicta in Com. ad Pars. Lech-Lechá fol. 53. col. 3. circ. fin. & col. seq.

ואפשר שלזה כוונו חז"ל באמרם אברהם בן שלש שנים הכיר את בוראו שנא' עקב אשר שמע אברהם בקולי ומנין עקב כשתסירהו מן קע"ה שחיה נשאר שלש׳ ובמקום אחר אמרו שהיה בן מ"ח שנה כשהכיר את בוראו וראוי לתת ביור וטעם לשני המאמר' האלה׃

Videtur mihi, huc respexisse Sapientes nostros p. m. dum dixerunt, (*in Mass. Nedarim fol.* 32. 1.) Abrahamum tres annos natum agnovisse Creatorem suum, q. d. *Gen.* 26: 5. עקב, ideo, quia obedivit Abraham voci meæ. (*Vox* עקב *in numeris continet* 172. *Nam* ע *valet* 70. ק, 00. ב, 2.) Hunc numerum, quem vox עקב exhibet, si subtraxeris à 175. quot annos Abraham vixit, supererit 3. Et alibi dicunt, quod XLVIII. annos fuerit natus, cum Creatorem suum agnosceret. Et operæ pretium est, ut illa duo effata explicemus.

Explicato priori sapientum suorum oraculo, de altero ita disserit col. 4.

האמנם כפי דיוק השנים אמרו שבן מ"ח שנים הכיר בוראו שבן היו שנותיו בפלגה וכאלו אמר שמאז שראה אברהם שקרה שם הכיר שיש אלהים שופטים בארץ׃

Nonne juxta accuratam temporum supputationem dicunt, quod 48. natus annos (*Abraham*) Creatorem suum agnoverit? Nam sic incidunt illi ejus anni in dispersionem populorum; quasi dicerent, quod ex eo, quod vidisset Abraham id, quod (*tum temporis*) contigit, cognovisset, quod esset Deus judicium exercens in terra.

Statuit hoc loco *Abarbenel*, anno XLVIII. Abrahami contigisse confusionem linguarum & dispersionem populorum, (id quod pridem etiam in *Seder Olam Rabba* cap. 1. assertum est.) Adeoque cum Nimrod, vel saltem Ninus, turrim condiderit, sequitur Abrahamum Nimrodo σύγχρονον fuisse, vel ut virum XLVIII. annos natum, vel saltem, ut juvenem. Sed utrumque falsum est. Cum enim expresse *Gen.* 10: 25. dicatur, à dispersione linguarum nomen accepisse Phalegum, (qui A. M. 1757. natus est,) sequitur turrim circa A. 1757. conditam & linguas confusas fuisse, id quod fusius probatum dederunt *Sam. Bochartus* Geogr. S. lib. 1. cap. 10. lib. 2. cap. 14. *Usserius* Chronolog. cap. 5. pag. 79. it. *Constantinus l'Empereur* notis ad *Bertrami* lib. de Republ. Hebr. pag. 358. seqq. Adeoque cum turris Babylonicæ ædificationi non interfuerit Abraham, sequitur, quod nec Nimrodum videre, ipsi contigerit, quum hic, vel Ninus Successor illius, (de cujus stirpe vid. omn. *Christ. Matthiæ* Theatr. Historic. pag. 24.) ædificii illius primus Patens fuerit. Ideoque calculum accuratius debuissent ducere Rabbini, priusquam supponerent, turrim anno XLVIII. Abrahami extructam fuisse. Imo ipse *Abarbenel* paulo ante, fol. scil. 49. col. 3. inquit:

סרוג בימיו התחילו למלוך אנשי סוריי"א כפי יוסיפו' ובימיו מת נמרוד ומלך אחריו נינו בנו ולפי שנתעצב על מות אביו עשה לכבודו צלם בדמותו וצלמו והיה משתחוי לפניו:

Serugi (*Proavi Abrahami*) temporibus cœperunt regnare Syri, secundum Josephum; Ejusdem temporibus mortuus est Nimrod, & successit ipsi Ninus filius; & quia hic mortem patris ægre tulit, fecit in honorem ejus statuam similem patri, & adoravit ipsam.

Ecce! quæ hic è veteribus Chronologis allegat Abarbenel, ipsum docere potuissent, traditionem Sapientum (juxta *Jes.* 29. vs. 14.) falsam, suoque assensu indignam esse. In Massecheth quidem *Erubhin* legitur fol. 23: 3.

ויהי בימי אמרפל רב ושמואל חד אמר נמרוד שמו ולמה נקרא שמו אמרפל שאמר והפיל לאברהם אבינו בתוך כבשן האש וחד אמר אמרפל שמו ולמה נקרא שמו נמרוד שהמריד את כל העולם כולו עליו במלכותו׃

Gen. 14: 1. Fuit autem temporibus Amraphelis. (*De hoc dicto disputant*) Raf & Samuël. Unus dicit: Nimrod fuit nomen (*proprium Regis illius*,) cur ergo vocatur Amraphel? Quia (*amar vehippil*) dixit, atque conjecit Abrahamum patrem nostrum in fornacem succensam. Alter vero dicit: Amraphel (*proprie*) vocatur; cur vero appellatur (*Genes.* 10.) Nimrod? Quia (*Himrid*) ad rebellionem totum mundum impulit, dum regnaret.

Non dissentiunt hic duo illi Doctores, num idem sit Nimrod, qui Amraphel, (hoc enim certum & exploratum pridem esse putant,) sed tantum quodnam proprium illius personæ nomen fuerit, num Nimrod, num vero Amraphel. Atqui Abraham cum Amraphele una vixit, eumque cum confœderatis Regibus devicit, ut ex Genes. 14. notum est. Consequenter Nimrod & Abraham σύγχρονοι fuerunt, cum hic illum, alio saltem nomine appellatum, victum cum copiis in fugam conjecerit. Sed Resp. E Chronologiæ principiis constat, Amraphelem & Nimrodum nullatenus unicam saltem constituere personam. Certum enim est, ex supra dictis, Nimrodum jam defunctum fuisse pridem, quum nasceretur Abraham. Hic vero jam plures quam 70. annos natus cum Amraphele manus conseruit. Immanis ergo est ἀναχρονισμός, Amraphelem cum Nimrodo confundere. Sed ad alia nunc pergendum.

V. *Saniores è Rabbinis* (præcipue vero recentioribus) fabulam de Abrahamo in ignem conjecto ipsimet explodunt. Sane, (ut verbis *Abarbenelis* utar com. ad Pars. Lech-Lecha f. 53. col. 2.)

הרא"בע מאן ימאן להאמינו באומרו שאם היה הדבר כן היה הכתוב מספר אותו אם להגיד צדקת אברהם שמסר עצמו להשרף על קדושת ה' והוא יותר מגדיל ממעשה עקדה ואם להודיע מעשה יי' כי נורא הוא שהציל את אברהם אוהבו מתוך האש ובגדיו לא נשרפו׃

R. *Abraham Aben Esra* omnino renuit credere rem istam, dum dicit, si res se ita habuisset, Scripturam narraturam fuisse illud, partim ut exponeret justitiam Abrahami, qui tradidisset seipsum in mortem propter sanctitatem Dei. Et hoc magis in admirationem rapturum fuisse animos, quam factum Isaaci collum cultro paterno submittentis: partim etiam ut enarraret factum divinum, quod stupendum fuisset, dum liberasset Abrahamum cultorem suum ex igne, & vestes ejus non fuissent adustæ.

Egregie sane ita Aben Esra, qui & hic demonstrat, non abs re se κατ' ἐξοχὴν החכם SAPIENTEM à suis vocari. Sed & alii hic enarrandi veniunt. *Kimchi*, *Aben Melech* atque *Menachem*, (de quibus *Sect. III.* hujus capitis,) dum אור כשדים exponunt *VALLEM Chaldæorum*; *Elieser Askenasi*, dum אור (vid. *Sect. II.* h. c.) illic notare asserit terminum; *Bechai*, dum vocem illam (vid. *sect. IV.*) per *MONTIS* vocabulum exponi posse credit; *Onkelos* denique, dum *proprium Nomen* אור esse censuit, (uti infra *sect. VI.* patebit,) omnes atque singuli veterum destruunt de igne Chaldæorum deliria. Eundem in modum Pontificii nonnulli Vulgatam deserunt, cujus tamen autoritas sacrosancta ipsis debuisset esse. Sic *Torniellus* Annalium Scriptor (comment. ad Ann. 2108.) sibi ab his non temperat: *Oportet igitur locum 2. Esdr. cap. 9. vers. 7. ubi editio Vulgata habet, Abrahamum eductum esse, à Deo, de igne Chaldæorum, vel ab aliquo INSCIENTER fuisse VITIATAM, vel ibi ignem figurate usurpari.*

Alii è Rabbinis, quibus pectus sapit, cum nec Majorum traditionem subvertere ipsis sit integrum, nec tamen contra conscientiam quid statuere velint, mirum in modum in conciliatione traditionis cum Scriptura laborant, atque desudant. *Don Isaac Abarbenel*, qui, cum probe vidisset, אור כשדים non posse, absque injuria veritati inferenda, explicari per For-

fornacem Chaldæorum, ideoque etiam Comment. ad Parſch. Noach fol. LI. col. 3. ſ. non infeliciter de Ur Caſdim conjectaſſet, (uti infra cap. II. ſect. II. videbimus,) tamen ad Parſ. Lech-Lecha delatus, (ubi expoſuiſſet, *Raſchi*, R. *Nachmanidem* & R. *Niſſim* putare, fugam ſuſceptam fuiſſe ideo, quod metueret Terach, ne Rex iterata vice Abrahamum in fornacem præcipitem dare juberet, item, Aben Eſram, rem iſtam penitus confictam eſſe, ſtatuere,) ita pergit:

ואנחנו לא נוכל להכחיש הדבר הזה בכללו אם מפני קבלת ז"ל שקיימו וקבלו אותו בכמה מקומות וידוע שאמת יהגה חכם ועולה לא נמצא בשפתם ואם מפני שהתורה מעידה עליו כנגד מה במאמר אני יי' אשר הוצאתיך מאור כשדים עם היותו מאמר סובל הפירוש׃

Nos vero non poſſumus mendacii arguere rem iſtam penitus, partim ob traditionem Sapientum p. m. qui comprobarunt & receperunt iſtam tot in locis; notum vero eſt, (*ex Mal.* 2:7.) Sapientem meditari veritatem, nec iniquitatem inveniri in labiis ipſorum. Partim etiam ideo, quod Lex, ſaltem ex parte, rei illius mentionem injiciat in iſto *Gen.* 15: 7. dicto: Ego ſum Dominus quid eduxi te מאור è fornace Chaldæorum; nam dictum iſtud hanc expoſitionem ferre poteſt.

Sic Rab. *Elieſer Askenaſi* in Maaſe Afoth cap. II. fol. XL. col. 1. ſeq. dicta Scripturæ cum Sapientum effatis componere atque conciliare tentat. Verba ejus excerpta videas in *hujus capitis Sect. II.* Scilicet id, quod conſcientia verum eſſe judicat, effari verentur, quia illud majorum ſubverteret placita, territi *Maimonides* exemplo, qui, cum quædam in ſuo More Nevochim & Jad Chaſaka ſcripſiſſet, quæ adverſa viderentur fronte cum Majorum traditionibus concurrere, à Synagogis nonnullis Galliæ excommunicationis fulmine percuſſus fuit. Vide *Epiſtolas*, quas Inſtitutioni ſuæ Epiſtolicæ annexit *Buxtorfius*, præcipue VIIam.

VI. *Unicum ſimplexque eſſe verum, falſum vero* πολυσχιδὲς, proverbio πολυθρυλλήτῳ dicitur. Verum eſſe iſtud effatum demonſtrant ſuo exemplo propugnatores fornacis Chaldæorum. Dum enim circumſtantias facti deſcribere volunt, in varias abeunt partes. Communiter dicunt, Abrahamum revera in fornacem conjectum fuiſſe, à Deo vero inde liberatum. Sed alii, (uti in *Bereſchith Rabba* Sect. XLIV. fol. XXVII. 4. memoriæ proditum eſt,) immediatam fuiſſe DEI liberationem contendunt, alii mediatam, mediante Michaële. Pro Michaële alii nominant Gabrielem. Alii addunt, Abrahamum multo annorum tractu in carceris delituiſſe tenebris. Vid. quæ ex libro Sabæorum *Afodath Nefatija* adducit *Maimonides* in More Nevochim P. III. cap. XXXIX. indeque *Abarbenel* Comment. ad Parſ. Lech-Lecha fol. 53. col. 2. ſ. Verba excerpere non vacat, cum Liber More Nevochim à *Joh. Buxtorfio* Latine redditus cujuſvis teratur manibus. *Abarbenel* vero ipſe, etiamſi non deſtructor receptæ traditionis videri velit, tamen negat, Abrahamum revera in fornacem miſſum fuiſſe; ſed ſaltem igni deſtinatum prius, poſtea vero illæſum à Rege dimiſſum fuiſſe, perſuadere lectori nititur. En tibi ipſius verba, quæ fol. LIII. col. 3. leguntur:

ולהיותו חולק בפרסום על אמונת דורו הושם בבית הכלא וגם שם היה טוען טענותיו לקיים אמתת אמונתו כי היה בלבו כאש בוערת ואין ספק שהיה דינו בשריפה כי היה יסוד האש ממשלת השמש אבל המלך מפחדו שיפסיד אמונתו שלחו לנפשו ולא היה זה באמת ממלך כי אם מאת אלהי' שהעיר את רוחו לעשות כן כי לב מלך ביד יי' לכל אשר יחפוץ יטנו ועל זה נאמר אני יי' אשר הוצאתיך מאור כשדים כלומר ממני היתה יציאתך לא מאת המלך׃

Et cum diſputaret palam contra Religionem ſui ſeculi, in carcerem conjectus eſt. Sed illic etiam argumentabatur pro ſtabilienda veritate Religionis ſuæ; erat enim in corde ejus res iſthæc inſtar ignis ardentis. Nec dubium eſt, quod in ignem conjectus fuiſſet; elementum enim ignis eſt (*ſub*) regimine Solis, (*quem adorare recuſarat Abraham*). Sed Rex timens, ne deſtrueret ipſius Religionem, (*ſi forte periculum evaſiſſet,*) dimiſit ipſum illæſum. Nec res iſta à Rege revera orta eſt, ſed à Deo, qui excitavit ſpiritum ejus, ut ita ageret. *Cor enim Regis eſt in manu Domini, pro lubitu dirigit illud*, Proverb. 21: 1. Atque hinc dicitur Geneſ. 15: 7. *Ego ſum Dominus, qui eduxi te ex Igne Chaldæorum*; quaſi dicat: à me (*orta eſt*) egreſſio tua, non à Rege. Et col. ſeq. l. 14. dicit: שהעיר השם את רוח המלך לפוטרו מעונש השריפה׳ *quod excitaverit Deus Spiritum Regis, ut abſolveret ipſum à ſupplicio combuſtionis. Pſeudo-Philonis* commentum δὶς διὰ πασῶν à communi traditione abludit. Ut vero illud omnibus eſſet abſolutum numeris, Baal Sepher Hajjaſchar curam atque operam impendit, multiſque fabellam exornavit circumſtantiis, quarum ne vola quidem in Talmude Veterumque Medraſchim comparet, ſolis

traditionis (certæ atque indubitatæ ſcilicet, quæ vel è Sinai natales repetat,) fontibus. Unde ille aut mentiri atque imperito imponere lectori piam cenſuit fraudem eſſe, aut nova revelatione atque extraordinaria mactatus inclaruit. Sed prior Sanioribus arridet conjectura. Adde quæ *pag.* 9. de ranis è *Bocharto* annotavimus, quas opem Abrahamo in ſummo vitæ diſcrimine conſtituto tuliſſe, ajunt Arabes. Sic in *Bereſchith Rabba* dicitur, Abramum ſecuri idola patris feriiſſe. *Leo* vero *Breſch*, (cujus verba vid. *ſect. VI.*) ignem illis ſubdidiſſe illum, autor eſt.

Quid vero reſpondent Judæi ad argumenta, quæ Abrahamum nunquam in fornacem conjectum fuiſſe, evincunt? Rabbini, (inquiunt,) tamen noſtri rem iſtam ſuo comprobant calculo. Reſp. Hunc nos parvi facimus, ſupraque probavimus, fidem eorum in miraculorum hiſtoria valde ſublestam eſſe, niſi forte αὐτοψίαν allegent. (Sic fateor in deſcriptione rituum ſacrorum & civilium, in delineatione Templi ſecundi, ejuſque vaſtati hiſtoria, talibuſque autoritatem illorum non temere rejiciendam, præſertim ſi certiora non aliunde dentur.) Verum in hiſtoria ſacra, præprimis illa, quæ ante μετοικεσίαν Βαβυλῶνος accidit, parum certi ab illis expectabis. Uti hic in hiſtoria Abrahami factum vides. Hanc tot fabulis, totque commentis fœdatam eſſe cernis, ut credas; Judæos laudi ſibi duxiſſe & pro grandi beneficio piis Patris ſui Abrahami manibus conferendo reputaſſe, ſi plura de ipſo comminiſcerentur, modo gloriæ atque honori Patriarchæ bene ita conſuluiſſent. *Atqui*, inquit Abarbenel ad Parſ. Lech-Lecha fol. 23. col. 2.

ידוע שאמת יהגה חכם ועולה לא נמצא בשפתם׃

Notum eſt, (ex Malach. 2: 7.) Sapientem meditari veritatem, nec iniquitatem inveniri in labiis ipſorum.

Sed Reſp. Idea hæc quidem eſt Sapientis vere ſic dicti. Sed grandiſſima movetur controverſia, num Rabbini ſint Ideata illius Ideæ. Et nonne David Pſalm. 116: 11. quosvis errare poſſe, dicit? כל האדם כזב *Omnis homo mentitur.* Hæc ſunt Davidis verba. Quidni ergo etiam Sapientes illos Judæos mendacium quandoque meditatos fuiſſe, inque eorum labiis veritatem non inventam eſſe, credam? Nonne vero ipſimet Talmudiſtæ fatentur in Maſſ. *Schabbath* fol. 112. col. 2. אם ראשונים בני מלאכים אנו בני אנשים ואם ראשונים בני אנשים אנו כחמורים וכו' Si veteres fuerunt filii Angelorum, nos tantum ſumus filii hominum; & ſi primi fuerunt filii hominum, nos ſumus ſaltem tanquam Aſini. (Vid. Exc. *Dn. D. Carpzovius* Patronus atque Præceptor de me non ſolum, ſed omnibus fere bonis immortaliter meritus Diſſ. II. de Vacca Rufa cap. I. §. 3. pag. 5. ſ.) Egregiam vero laudem! Ergone ex his veritatem quæris, Abarbenel! Quid, quod ipſemet ſæpiſſime Majorum ſubvertis placita? Infinita è tuis ſcriptis producere loca liceret; Sed ſufficiat *Præfatio* tua in Jeſaiam. In Maſſ. *Baſa Bathra* fol. XIV. 2. Talmudiſtæ Jeſaiam Jeremiæ atque Ezechielis vaticiniis poſtponunt, adeo ut hic illis Prophetarum poſteriorum ordo probetur: *Jeremias, Ezechiel, Jeſaias, 12. minorum Prophetarum* volumen. Sed tu *dicta Præf.* erroris convincis majores & quinque probas argumentis, Jeſaiam & ordine temporis & eminentiæ præcedere Jeremiam atque Ezechielem. In Maſſ. *Peſachim* fol. LXXXVII. 1. & *Baſa Bathra* c. l. traditio eſt, Deum prius Hoſeæ, quam Jeſaiæ propheticum indulſiſſe Spiritum. Contrarium tu *cit. l.* defendis. In *Bereſchith Rabba* dicitur (vi loci Jeſ. 21: 2. חזות קשה הגד לי *Viſio aſpera nota facta fuit mihi*), *Chaſon* (*viſionem*) notare prophetiam aſperam, gravem comminationibuſque refertam. Sed & hic diſceſſum facis, & Majores tuos falſitatis, vel hallucinationis ſaltem, arguis. Taceo alia loca, quæ magno afferre numero non difficile foret. Sed diutius his immorari neceſſe non eſt. Id addam ſaltem: *Antiquitates Biblicas*, quæ ſub ſplendido *Philonis* nomine Lectori obtruduntur, & fabulam illam etiam continent, partum ſuppoſitium, atque cum cæteris *Annii Viterbienſis* excrementis rejiciendas eſſe, dudum evicerunt Viri eruditi *Melchior Canus* lib. XI. Loc. Comment. (cit. *Voſſio* de Hiſt. Græcis lib. II. cap. VII.) *G[illegible] Varrerius* in Cenſura Beroſi, alii. Miſſis ergo his Sapientibus, (modo hoc in illos quadrat nomen,) ad veram Sapientiam nos convertimus, cujus theſauri in verbo divino ſcripto, non oraliter-propagato,) reconditi ſunt, & ex hac ut adverſarii teſtimonium afferant, poſtulamus, & tunc cauſa nos cecidiſſe libenter fatebimur. Reſpondent: Illud præſto eſt. Dixit Dominus Geneſ. 15: 7. *Ego ſum Dominus, qui eduxi te è* fornace *Chaldæorum.* Hujus dicti alium ſenſum eſſe, nec אור hic notare vel ignem vel focum, ex hactenus dictis

non obscure patet, & certissimum esse, infra *sect.* VII. probatum dabo. Ergo cedo aliud. Peti illud potest, (inquiunt,) ex *Cohel.* IV. 13. ubi dicitur: טוב ילד מסכן וחכם ממלך זקן וכסיל וגו' *Melior est puer pauper & sapiens, quam Rex Senex & stultus, &c.* Illic Targumista sensum dicti ita תרגם:

טב הוא אברהם די הוא רביא מסכן והות ביה רוח נבואה מן קדם יי ואשתמודע ליה מריה במהויה בר תלת שנין ולא צבי למפלח לטעותא יתיר מן נמרוד רשיעא דהוה מלכא סיב טפש ומן בגלל דלא צבי אברה' למפלח לטעותא רמוהי לגו אתון נורא יקדתא ואתרחיש ליה ניסא מן רבוני עלמא ושזביה מתמן ואפילו מן בתר הכי לא הות מנרעא בנמרוד לאזדהרא עוד בדיל דלא למפלח לטעותא דהוא פלח מן לקדמין:

Melior est (Abraham, qui fuit) *puer pauper*, (& fuit in ipso Spiritus prophetiæ a Domino & manifestatus est ipsi Dominus tres annos nato, & non voluit adorare idola,) *quam* (impius ille Nimrod, qui fuit) *Rex Senex stultus*, (ideoque quia Abraham noluit idola venerari, miserunt ipsum in fornacem ignis ardentis. Et factum ipsi est miraculum à Domino mundi, & liberavit ille eum isthinc, & tamen postea) *non fuit prudentia* (in Nimrodo,) *quo moneretur*, (ne amplius veneraretur idola, quæ antea veneratus fuerat.)

Confer *Medrasch Koheleth* fol. 321. 1. Sed invita Diana, (quod ajunt,) venatur Targumista. Etenim quis non videt in textu illo ne minimam quidem Nimrodi Abrahamum in clibanum mittentis mentionem fieri? Sic alii Judæi variis modis sensum illius dicti invenire satagunt. Sic *Samuel Cohen de Pisa* in Zophnath Pahneach cap. II. fol. VIII. 2. de Mose & Pharaone, *Raschi* de concupiscentia bona & prava, alii de Josepho & Potiphare Salomoni sermonem esse, contendunt. Sed æque inepte. Dicemus בע"ה de hoc dicto nonnulla in *Dissert. nostra de autoritate Canonica libri Coheleth seu Ecclesiastis* propediem proditura *cap.* II. *in fin.* Hac vice sufficere potest *Noldius* notis ad Concord. Partic. Ebraic. p. 942. b. quem vide.

Ad Argumentum nostrum, (quod & *Aben-Esra* suum fecit,) à silentio Script. Sacræ desumtum respondet *Abarbenel* in Perusch Tora ad Pars. Lech-Lecha fol. LIII. col. 3.

ואם כן נגלה שהושלך בכבשן ויצא משם האמנם לא נתפרסם בתורה שהיא קושית הראב"ע סבתו אצלי שאברהם לא התעורר בראשונה לפרסם ולקיים דעתו בדבר השם ולא מפאת מעלת נבואיית אלא מכח התפלספותו ואצטגנינותו וכמה מקדמוני הפלוסופים היו מקיימים דעותיהם וטוענים טענות לקיימם ובטולים לדעת הסותר ולא נחשב להם לצדקה ולא נכתבו עניניהם בתורה אלא דברי נביאי ה' וחסידיו הדבקים בו ממה שעשו בעבודת האל ובמאמרו לא מעיונם ושכלם·

Quod si fuit miraculum manifestum, ut nimirum conjectus fuerit in fornacem & inde etiam (*illæsus*) egressus sit, cur, quæso, res ista non exposita est in Scriptura Sacra? quæ Aben-Esræ est objectio. Resp. Causam illius rei esse puto, quod Abraham primitus non voluerit manifestare aut confirmare sententiam suam è verbo divino nec præcellentia prophetica, (*quæ postea demum ipsi concessa fuit*,) sed viribus Philosophiæ & Astrologiæ. Ast quot ex priscis philosophis probaverunt opiniones suas & argumenta protulerunt, ut stabilirent eas, refutationes item sententiæ contrariæ? nec tamen res ista illis in justitiam reputata fuit, aut facta ipsorum scripta sunt in S. Scriptura, sed tantum acta Prophetarum Dei ejusque sanctorum adhærentium ipsi, quatenus quid peregerunt in ministerio Dei ejusque mandato, non vero è speculatione ipsorum aut intelligentia.

Et col. 4. pergit h. m.

האמנם כפי דיוק השנים אמרו שבן מח שנים הכיר בוראו שכן היו שנותיו בפלגה וכאלו אמר שממה שראה אברהם מקרה שם הכיר שיש אלהים שופטים בארץ אבל היה זה כולו משכלו ודעתו לא מכח הנבואה· הן אמת שליושר שכלו של אברהם ושלמות חכמתו נעשה מוכן לחול עליו שפע האל הנבואיי ואחרי שקבלו זכרה התורה המעשים המשובחים שעשה אחר שנראה אליו האלהים ודבר אתו לא מה שהיה קודם לזה· וכן לא זכרה התורה הנס שנעשה לו בהצלתו לפי שלא היה נס נגלה כי אם נס נסתר שהעיר ה' את רוח המלך לפטרו מעונש השריפה והנה אנשי דורו כי היו אומרים שלא היה בזה נס כלל אלא שהמלך מפחדו שיפסיד אמונתו שלחו לנפשו· לכן לא נכתב זה בתורה כי אין דרכה לכתוב הנסים הנסתרים כי אם המפורסמים והנגלים (*) כי אין הכחשה בהם· הנה התבאר מזה כלו שאין ראוי להכחיש קבלת חז"ל בזה שאין טענה עליו מפאת קושית הראב"ע:

Nonne juxta accuratam supputationem temporum dicunt, quod XLVIII. natus annos (*Abraham*) Creatorem suum agnoverit? Nam sic incidunt illi ejus anni in dispersionem populorum; quasi dicerent, quod ex eo, quod vidisset Abraham id, quod illic (*tum temporis*) contigit, cognovisset, quod esset Deus judicium exercens in terra. Sed illud omne innotuerat ipsi ex ratione & scientia sua, non ex viribus prophetiæ. Certissimum sane est, quod propter rectitudinem intellectus & perfectam sapientiam aptus fuerit, ut influeret in ipsum influxus Divinus propheticus. Ex quo vero ipsum recepit, exinde memorat Scriptura facta laudabilia, quæ peregit; i. e. ex quo apparuit ipsi Deus & locutus est cum ipso; non vero illud *recenset*), quod antea contigit. Sic & Lex non meminit miraculi illius, quod factum est ipsi in liberatione ejus, ideo quia non miraculum manifestum fuit sed occultum dum Deus excitavit spiritum Regis, ut absolveret ipsum à pœna combustionis. Et quia seculi illius homines dicebant, quod ista in re nihil miraculi quærendum sit; sed Regem metuentem ne destrueret ejus fidem, (*si forte ignis nullas in ipsum exerere posset vires*,) dimisisse eum liberum. Ideo non scriptum est illud in Lege, cum hæc non soleat describere miracula occulta sed saltem manifesta atque aperta; sic enim non poterit quis ipsam mendacii arguere. Inde elucescit, immerito mendacii accusari traditionem Rabbinorum Nostrorum p. m. de re ista, quia ex objectione Aben-Esræ nequit contra illam formari argumentum. Sed *Abarbenel* plus in conclusione ponit, quam erat in Præmissis. Etenim si fuit liberatio Abrahami è fornace miraculum occultum, unde resciverunt id sapientes? Et quid, quæso, favorem Ægyptiorum conciliavit Israëlitis, ut illi mancipiis suis vasa aurea argenteaque mutuo darent? Sane id non vulgare quid fuit, sed *miraculum*, (ut *Abarbenel* loqui amat,) *occultum.* Sic enim Moses: *Et dedit Deus gratiam Israëlitis apud Ægyptios*, Exod. 12. vers. 36. Et tamen meminit facti illius Scriptura S. Taceo alia, quæ innumera suppeditant Divinæ literæ. Quot, quæso, miraculis exilium Davidicum conspicuum est? Regem & tot satellitum millia tam alte stertere, ut David & Abisai impune usque ad lectum regium penetrare potuerint; tam incurium esse Saulem, ut non attenderet, vestes suas à Davide clam discindi; videntur esse fortuito facta, sunt tamen revera occulta miracula, & nihilominus hodienum in Sacris leguntur. Ergo impossibile fuisset aut insolitum Scripturæ, ut pericula Abrahami memoriæ proderet? Et unde quæso probabit Abarbenel, Abrahamo, antequam exiisset ex Ur Chaldæorum, non apparuisse Deum? Nos contrarium pro vero agnoscimus ex Actor. 7: 2. Ὁ Θεὸς τῆς δόξης ὤφθη τῷ πατρὶ ἡμῶν Ἀβραὰμ ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαῤῥὰν, καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν κλ. vers. 4. Τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς Χαλδαίων, κατῴκησεν ἐν Χαῤῥάν. i. e. *Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abraham cum esset in Mesopotamia*, (hanc vero dici Ur Chaldæorum cap. II. probatum dabo,) *priusquam habitaret in Carrhis, & dixit ei: Exi è terra tua & è cognatione tua & veni in terram, quam ostendam tibi. Tunc exiit è terra Chaldæorum & habitavit Carrhis.* Et τὸ הוצאתיך *eduxi te.* (Genes. 15: 7.) *ex Ur Chaldæorum*, satis arguit Deum notum fuisse Abrahamo, antequam Carrhas devenisset. Quod si denique traditio *Sapientum*, (sic vocat illos Abarbenel,) non pugnaret cum Scripturis canonicis, Historia S. & profana, (quod supra, satis certum esse, sic spero, ostendi,) per nos vera esset, cum plura revera contigerint Clarorum Virorum facinora quorum in Scripturis ne minimum quidem comparet vestigium, sed vel ex Ethnicorum, vel Rabbinorum, vel Christianorum scriptis haurienda sunt. Adde tandem, quod Abarbenel contrarietur majorum effatis, (quæ alias falsi arguere religioni sibi ducere videri vult,) dum negat Abrahamum in ignem actu conjectum esse, quod tamen Veteres affirmant. Sed avocat nos Abraham Menachem Bar Jaacob Haccohen. Hic enim ex voce הוצאתיך eduxi te Genes. 15: 7. argumentum elicit, quo ruenti majorum causæ subvenire conatur. Verba ejus, uti in Minchá Belulá fol. XX. 2. leguntur, sequentia sunt: מאור כשדים· מארץ כשדים· כמו חמותי ראיתי אור ולא שהמקום שמו אור כשדים ומלת הוצאתיך מורה על זה הפירוש כמו אשר הוצאתיך מארץ מצרים מבית עבדים· Loco versionis afferam additionem *Burgensis* ad Lyranum in Genes. 11. *Quantumvis ea, quæ dicuntur ab Hebræis de morte Aram fabulosa videantur, cum non habeant fundamentum in litera: tamen quod Abram fuisset divina virtute liberatus ab igne vel aliquo magno periculo in Chaldæa seu in Hur Chaldæorum, quæ quidem verba sonant aliquam liberationem divinitus factam, eo modo, quo dicitur Exod. XX. a.* Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Eodem argumento utitur etiam *R. Nachmanides.* Sed Respondeo. Verbum הוציא non

(*) Lege הנגלים.

non per ſe notat liberationem miraculis conſpicuam, (quamvis fatear, id verbi non ſemel de eductione Iſraëlitarum è ſervitute Ægyptiaca adhiberi, quæ ſane ſtupendis illuſtris fuit miraculis, verum ut & hoc Lector mente concipiat, Spiritus Sanct. plerumque addit: ביד חזקה *manu forti*, vel: בכל כח aut tale quid,) ſed eductionem in genere atque ſæpius evocationem. Sic 1 Paral. 19: 15. ויוציאו את ארם אשר מעבר הנהר *Et* (eduxerunt, vel) *evocarunt Syros trans-Euphratenſes.* Conf. 2 Sam. 10: 16. Sic 2 Paral. 13: 11. ויוציאו את בן המלך *Et produxerunt filium Regis, &c.* Taceo alia quam plurima, quæ è Concordantiis conqueri poſſunt. Inſtar omnium eſto, quod in hac ipſa de Abrahamo hiſtoria Geneſ. 15: 5. legitur: ויוצא אתו החוצה *Et* eduxit *eum foras.* Qualis hæc fuit eductio, talis & fuit eductio ex Ur Chaſdim. Atqui illa è juſſu divino conſtat tantum. E. & eductio ex Ur Chaſdim conſtat è juſſu divino. Adeo ut hic verſ. 7. ſenſus ſit: Ego ſum Dominus, qui (evocavi vel,) juſſi te egredi ex Ur Chaldæorum in terram Canaan, in qua benedicam tibi, ut poſteri tui hæreditario jure terram illam poſſideant. *Cornelius à Lapide* in Geneſ. 11. fol. 143. hanc affert Inſtantiam: *Quid habes*, inquit, *in Geneſi de actis Adæ, Seth, Enos & aliorum ante diluvium per 1656. annos. Compendio ergo ſolum res illas perſtringit.* Reſp. Ita eſt: Ideoque huc nonnulla pertinent, quæ *pag. præc.* contra Abarbenelem monuimus. Sed unde probabitur, rem ita ſe habere, ut Traditionum patres volunt. Sane hi non ſunt αὐτόπιστοι, nec θεόπνευστοι, unde ergo res iſthæc illis innotuit? Imo ipſe *Cornelius à Lapide* in iſta traditione fabuloſa quædam contineri fatetur, ut (1.) Aranem in fornacem miſſum & quidem (2.) à Nimrodo. Sed uti ex ungue de leone, ſic ex iſtis traditionis particulis de tota judicium inſtitui poteſt. Et quum mendacii convicti ſint Autores illius in duabus, fatente Cornelio, circumſtantiis, nec in cæteris temere illis fides adhibenda eſt, juxta illud Rabbinorum: כך עונש של בדאי אפילו אומר אמת ודאי אינו כדאי *Hæc eſt mendacis pœna: Licet dicat certiſſime verum, illud nemini ſufficit.*

Sed quid *Hieronymus Auguſtinusve* probationis habent, quo forte fabulam de fornace Chaldæorum ruinam minitantem aliquantiſper ſuffulciant? Ab *Utili & Neceſſario* argumentantur. Quia traditio iſthæc multum lucis obſcuris Scripturæ dictis affundat, ideo illam non deſpectui habendam ſed tanquam è tripode profectam venerandam eſſe dictitant. Scilicet *Geneſ.* 12: 4. dicitur Abrahamum, cum Carrhas linqueret, ſeptuaginta quinque fuiſſe annos natum. Pater ejus Terach annorum erat 70. cum Abraham partu ederetur, quia dicitur *Geneſ.* 11: 25. *Et vixerat Terach annos 70. & genuit Abrahamum, Nachorem & Haranem.* Cap. vero 11. verſ. 32. additur: *Et mortuus eſt Terach Carrhis.* Inde ſequitur, Terachum habuiſſe annos 245. diſcedente Abrahamo è Carrhis. Atqui tunc jam mortuus debebat eſſe Terach; quomodo ergo 205. annos vivere potuit, quod tamen eodem verſ. 32. aſſeritur. Hæc loca ut amico nexu conjungerent atque conciliarent, multam dedere operam Interpretes. Videatur *Matth. Polus* Vol. IV. Synopſ. Critic. ad Act. 7: 3. & præcipue Præceptor noſter ſummo honoris cultu ætatem venerandus, *Dn. D. Pfeifferus* in Dubiis Vexatis Biblicis Centur. I. Loc. XXXV. Sane magnus ille Scaliger in Elench. Orat. 2. Chron. Par. Eliam expectat, qui nodum ſolvat. B. vero Hieronymus quæſt. in Geneſ. & Auguſtinus de C. D. lib. XVI. cap. XV. vocant quæſtionem illam indiſſolubilem. Ambo tamen adhuc conjecturis uti malunt, quam de ſolutione nodi illius Gordii penitus conclamare. Inter cæteras & hanc affert Hieronymus: *Vera eſt igitur illa Hebræorum traditio, quam ſupra diximus, quod egreſſus ſit Thare cum filiis ſuis de igne Chaldæorum, & quod Abraham Babylonico vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, DEI auxilio ſit liberatus & ex illo tempore ei dies vitæ & tempus reputetur ætatis, ex quo confeſſus eſt Dominum, ſpernens idola Chaldæorum.* Hæc ille. Et Auguſtinus: *Soluta eſt autem quæſtio illa & aliter, ut ſeptuaginta quinque anni, ex illo computarentur, ex quo de igne Chaldæorum liberatus eſt, non ex quo natus eſt, tanquam tunc potius natus habendus ſit.* Sic Burgenſis in additionibus ad Lyranum Geneſ. 11. inquit: *Quæ quidem Hiſtorialia etſi ab infidelibus tradantur: quia tamen in favorem fidei ſonant, non ſunt repellenda.* Sed uti non facienda ſunt mala, ut eveniant bona: ita nec fabulæ mendaciave recipienda ſunt, quo veritas Scripturæ Sacræ aſſeri queat. Aſt ſupra probatum dedimus, debili iſtam traditionem, imo nullo, ſuſtineri fundamento. Num ergo illi innitemur, in exponendis & conciliandis ἐναντιοφανομένοις Scripturæ Sacræ? Ergone adeo deſperata eſt Scripturæ cauſa, ut mendaciis probare neceſſe ſit, veritatem Divinam veram eſſe? Abſit! Abſit! Egregie Syracides 34: 8. Sine mendacio perficitur Lex. (Conf. Lud. Coqueum annot. ad loc. cit. Auguſtini.) Satis vero commodam, (imo neceſſariam,) dubii illius ſolutionem ſuppeditabit Exc. Dn. D. Pfeifferus c. l. quem vidiſſe non pœnitebit. Plura vero de re iſta in medium proferre non eſt hujus loci.

CAPITIS I.

SECT. II.

HActenus illos vidimus, eorumque ſententiam juxta veritatis trutinam expendimus, qui Ur Chaldæorum notare ſtatuunt IGNEM, vel *fornacem* CHALDÆORUM. Nunc alios audiamus, & diſpiciamus, num ſanius veriuſque quid afferant. Sectionem ergo hanc occupant illi, qui אור כשדים (*Ur Chaldæorum*,) explicant per גבול כשדים, *Terminum Chaldæorum*, Die Grentze der Chaldäer. Mentionem illorum facit *Aben-Eſra* Comment. ad *Jeſ.* 24: 5. ſequentibus: יש אומרים גבולות וכמוהו מאור כשדים ויש אומר בבקעים והראשון הוא הנכון *Sunt, qui dicant, vocem* אורים *exponendam eſſe* (in) terminis, *atque ſic dici me ur Caſdim* (i. e. è termino Chaldæorum.) *Eſt vero, qui dicat, exponendam eſſe* in vallibus. *Sed prior ſententia vera eſt.* Lectori hic judicandum relinquo, num Aben-Eſra priorem eatenus probet ſententiam, quatenus vocem באורים Jeſ. 24: 15. exponit: *in terminis*, an quatenus etiam אור *Ur Caſdim* notare dicit *terminum Chaldæorum.* Iſtud ſane Aben-Eſræ dictum *R. Elieſeri Askenaſi* anſam dedit, ut & ille אור per *terminum* explicaret. Ejus verba promiſi ſupra pag. 177. Extant ea vero in *Maaſe Afoth* cap. II. fol. LX. col. 2. Diſcurſum ergo ejus integrum, utut prolixiorem paulo, hic Tibi, B. L. ſiſtere placet:

אמנם אני חלקי אמרה נפשי לבאור בהבנת הכתוב כפשוטו וכאשר ראיתי את הראב"ע שהביא בפירוש באורים כבדו ה' שכתב יש אומרים שפירושו גבולות וכן אור כשדים אכן אמרתי למצא מנוח ולצאת ידי חובת כל הספקות שלפי דעתנו כל הכתובים מתיישבים בזה על מכונם אין כושל בהם והיה כן שאין ספק שתרח וכל משפחותיו היו מעולם בארם נהרים ולא זז משם כלל עד שהכתוב סיפר שהלך לחרן ובארם נהרים התחיל אברם טענותיו נגד האמונות הכוזבות ההם והנה ארם נהרים היה תחת גבול וממשלת נמרוד ואמונתם היה אמונת כשדים ושם השליכוהו בכבשן ואם תרצה לקיים מה שאמרו ר"ל שנחבש בכותא אמור מעתה שמשם תפסו את אברהם והוליכוהו בכותא ונחבש שם ושם נעשה לו הנס ושם ניצול מן הכבשן או הניחוהו ללכת כאשר לב המלך ביד יי' כמו שכתב הרמב"ן ושב לעיר מולדתו לארם נהרים ושם הסכימו לצאת מארם נהרים להיותו תחת גבול הכשדים ולכך נאמר ויצאו מאור כשדים ר"ל מגבול כשדים ולא נאמר ויצאו מארם נהרים עם היות יציאתם משם בהיות סיבת היציאה להיותה גבול כשדים וכן הטיב לומר שמת הרן באור כשדים ר"ל בגבול כשדים שרצה הכתוב לגלות שנשרף דאל"כ כבר היה מספיק אומרו שמת בעיר מולדתו אבל אמר באור כשדים כלו בגבול כשדים מת שרפו אותו וזה היה ארם נהרים ואמר בעיר מולדתו לשלול שלא בא עמהם בחרן כי גם חרן גבול כשדים היה ואומרו באור כשדים ולא אמר בפירוש שמת בארם נהרים כבר אמרנו שאמר כן לפי שע"י היות' תחת ממשלת הכשדים שרפוהו ולכך הלכו משם והתיישבו בחרן עם היותו גבול כשדים שלא היו מאמינים בחרן באמונת השמש כמו שכתבו סופרי הככבים שהיה טוען נגד עובדי השמש שהביא הרמב"ן (*) והעד גם כן מה שנאמר שלבן היה בחרן והיו לו

Mihi vero placet, intelligere textum juxta literalem ejus ſenſum. Et cum vidiſſem Aben-Eſram adducere in commentario ad Jeſ. 24: 15. idhæc: Sunt, qui dicant, vocem ūrim exponendam eſſe (*in*) *terminis*, atque ſic dici Ur Chaldæorum, (q. d. *terminum Chaldæorum*,) tunc dixi, quo tandem invenirem quietem, & omnibus elaberer dubiis, quæ alias à nobis receptam ſententiam premunt: Omnia illa dicta hoc poſito, (אור *notare terminum*,) probe fundata ſunt, nullo excepto. Atque ita omnino eſt. Nec enim dubium eſt, Terachum omnemque illius cognationem ab initio habitaſſe in Aram Naharajim, & quod non inde diſceſſerit, donec, narrante Scriptura, iter ſuſciperet in Carrhas. Et in Aram Naharajim argumentari cœpit Abraham contra religiones illas falſas. Et ecce Aram Naharajim ſita fuit intra terminum & juriſdictionem Nimrodi, & religio ipſis communis cum Chaldæis fuit, & illic miſerunt Chaldæi eum in clibanum. Quod ſi etiam ſtabilire velis, id quod Rabb. p. m. dicunt, Cuthæ ipſum in vincula conjectum fuiſſe, tunc dic, quod illic (*in Aram Naharajim*) ipſum ceperint, & in Cutham duxerint. Ibique in vincula conjectus eſt, ibidemque illius gratia editum eſt miraculum illud, ibidemque ereptus eſt è fornace, aut abire (*ſaltem*) ipſum permiſerunt, quandoquidem cor Regis in manu

(*) Lege הרמב"ם.

לו תרפים ולא היה עובד השמש כי
התרפים קרא אלה כמו שנאמר למה
גנבת את אלהי ובזה יתיישב גם כן
מה שנאמר אני יי' אשר הוצאתיך מאור
כשדים שפירושו מארם ומחרן שהיה
תחת גבולם וממשלתם של כשדים
ומפני היותו גבולם נתנם בידם ותרח
לפי שראה ששרפו את הרן הנה
כבורח יצא משם וכלם הלכו אתו ולפי
זה הסמיך מיתת הרן ללקיחת תרח
שאר בניו משם לפי שמיתתו בשריפה
היתה סבה לזה:

manu Domini est, prout etiam R. Moses Gerund. tradit; atque sic reversus est in Urbem patriam in Aram Naharajim. Et ibi consentierunt, ut egrederentur unà ex Aram Naharajim, quia hæc intra terminum Chaldæorum sita erat; hinc dicitur Gen. 11: 31. Et exierunt ex Ur Chaldæorum, i. e. è termino Chaldæorum; Et non dicitur: Et exierunt ex Aram Naharajim, licet isthinc (*revera*) exiverint; quia causa itineris fuit, esse illam intra terminum Chaldæorum sitam. Ideoque bene dicitur, quod Haram mortuus sit in Ur Chaldæorum, quia Scriptura manifestare voluit, quod concrematus fuerit. Quod si enim hoc non ita se haberet, suffecisset id, quod dixerat: in urbe nativitatis suæ. Ast inquit, in Ur Chaldæorum i. e. intra terminum Chaldæorum mortuus est, dum videlicet ipsum combusserunt; & illa fuit Aram Naharajim. Dicit vero: *in patria sua*, ut negaret, Haranem unà cum illis Carrhas devenisse; Nam & Carrhæ fuerunt intra terminum Chaldæorum. Cur vero dicit: in Ur (*seu termino*) Chaldæorum, & non dicit expresse, quod mortuus sit in Aram Naharajim? Jam diximus loqui eum ita, quia, cum illa (*Aram Naharajim*) esset sub termino atque jurisdictione Chaldæorum, combusserunt Haranem illic, quare & isthinc exierunt & habitarunt in Carrhis, etiamsi hæ etiam intra terminum Chaldæorum computarentur, quia non addicti erant in Carrhis cultui Solis, quemadmodum scribunt Historici Gentilium, quos adducit Rambam (*in More Nevochim*, eum argumentatum esse contra cultores solis. Et confirmat hoc quoque illud, quod dicitur, Labanem fuisse in Carrhis & habuisse Teraphim. Ergo non adoravit Solem. Teraphim enim suos vocat Deum, prout dicitur Gen. 31: 30. Cur furatus es DEOS meos? Atque huic etiam innititur dictum Gen. 15: 7. Ego sum Dominus, qui eduxi te ex Ur Chaldæorum; quod explicandum est: ex Aram (*Naharajim*) & Carrhis, quæ fuerunt intra terminum & sub regimine Chaldæorum; & quia locus ille erat intra terminum Chaldæorum, (*impune*) ipsum in vincula conjecerunt. Et Terach videns eos combussisse Haranem, ecce instar fugitivi iter suscepit inde & tota ejus familia unà cum ipso profecta fuit. Atque hinc conjungit (Scriptura) mortem Haranis (narrationi) de Teracho reliquias filiorum suorum isthinc transferente; Mors enim ejus, quæ in combustione constitit, causa illius fugæ fuit.

Hactenus R. Elieser Askenasi. Pauca circa hanc Elieseris dissertationem animadvertenda nobis veniunt. (1.) Videtur esse instar instrumenti Musici, ubi chordæ justa sonorum harmonia non concordant, quod sane si vel peritissimus tractaret Musicus, miserum tamen disperderet sonum. Sic Elieser, dum sensum literalem Scripturæ cum fabulis majorum, imo & ethnicorum conciliare laborat, risum Lectori non potest non excitare. Quod tamen omne ex falsa illorum hypothesi sequitur: Majorum traditiones Deum habere autorem & Mosi à Deo in Monte Sinai concreditas esse. (Vide *Buxtorf.* Recens. oper. Talmud.) Sed hac de re vide quæ supra diximus p. 10. seqq. & 21. s. (2.) *Elieser* putat, nomen ארם נהריים (Aram Naharajim), quod communiter & recte vi vocis redditur Mesopotamia, esse nomen civitatis à Carrhis distinctæ, cum tamen Mesopotamia & Carrhas tanquam partem sui sub se comprehendat. Videtur sic statuisse male intellecto loco *Gen.* 24: 10. וילך אל ארם נהרים אל עיר נחור: *Et abiit in Aram Naharajim, in civitatem Nachoris.* Videtur hic posterius explicare prius, atque sic unum idemque esse Aram Naharajim cum civitate Nachoris. Sed cuivis patet, hic Aram Naharajim esse provinciæ nomen; civitatem vero Nachoris, (quam ex *Genes.* 28: 10. certum est, esse Carrhas) provinciæ illius partem. Nequaquam vero illud per hoc ita explicatur, ut idem sit Aram Naharajim, quod Urbs Nachoris. Nam si hoc intendisset Spiritus S. vix dubium, ipsum dixisse potius: וילך אל עיר נחור אל ארם נהרים *Et ivit ad urbem Nachoris, ad Aram Naharajim.* Illud enim quod explicatius est, Scriptura subjungere suevit illi, quod dubiis adhuc obnoxium aut nimis generaliter dictum est. Atque sic, (quod *Noldius* observat Concord. Partic. Ebr. p. 55.) posterius אל idem est quod nempe e. g. *Gen.* 32: 7. באנו אל אחיך אל עשו *Venimus ad fratrem tuum, nempe Esavum.* Sic 2 Sam. 7: 5. לך ואמרת אל עבדי אל דוד *Abi & alloquere servum meum, nempe Davidem.* Vid. 1 Sam. 2: 34. 1 Reg. 8. vers. 30. Esa. 66: 2. Ezech. 3: 11. Ast hic contrarium factum videmus. Adde, quod tunc non Tsir, sed Sakephkaton vocem וילך occupaturus fuisset. Aram vero Naharajim fuisse regionem; præter Eliam Hammisrachi fol. XXIII. col. 1. (verba ejus dabimus cap. II. Sect. II. initio.) & alios recentiores Judæos, vetustissimum Medrasch Tillim Rabbetha, (quod unà cum Medrasch Mischle & Schemuel Rabbetha sub titulo: Medrasch Schocher Tof, [non: Schochad Tof, ut allegat illud Buxtorfius in Rabbin. Biblioth. p. 412.] Pragæ in fol. recusum est,) fol. XXXVI. 4. ad Psal. LX. inquiens: וארם צובה בארם נהרים: *Et Aram Zoba sita est in Aram Naharajim.* Non vero ad hunc scopulum primus allisit *Elieser*, sed dudum ante ipsum etiam *Nicol. de Lyra* ad Gen. 24. cujus hæc sunt verba: *Profectusque perrexit Mesopotamiam. Istud nomen tractum est de Græco. Meso enim est, quod medium: potamos fluvius; quia civitas illa sita est inter duo flumina. Et in Hebræo habetur: In Aram fluviorum. Aram enim erat nomen civitatis, in qua remanserat Nachor: & unde Abram exierat de mandato Domini.* Hæc ille. (Hac evitata Charybdi, in Scyllam incidit *Abarbenel*, quando Comm. ad Pars. Lech-Lechâ inquit: לארם נהרים שהוא חרן *in Aram Naharajim* i. e. *Carrhas.* Quem errorem in *Nachmanide* etiam perstringit *Elia Hammisrachi* c. l. Aram enim Naharajim seu Mesopotamia est regio. Carrhæ vero urbs illa contenta.) (3.) Quia Laban suos Teraphim vocet DEOS, concludit Elieser, eum non coluisse Solem. Quasi vero non etiam Idola & quidem à cultoribus suis vocentur Elohim, Deus, vel Dii. Et unde rescivit *Elieser*, Teraphim non Soli sacratos fuisse? Sed de Teraphim ex professo agit Vir de nobis optimè meritus, Excellentissimus *Dn. D. Pfeifferus* Exercit. Bibl. I. & in Dubiis Vexatis Biblicis Loc. LX. Centur. I. (4.) Tandem prima facie non improbabilis videtur conjectura Elieseris, Ur Chaldæorum notare *TERMINUM Chaldæorum.* (Et sane sic sensisse videntur *LXX. Interpretes*; Ab his enim אור כשדים redditur ἡ χώρα τῶν Χαλδαίων, Regio Chaldæorum. Vid. tamen hac de re Nic. Fullerum lib. I. Miscell. cap. X. pag. 230. Conf. Sulpitium Severum lib. I. Histor. Eccles. cap. VIII.) Sed unde probatum dabit Elieser, quod אור terminum notet? Objicit locum Esa. 24. vers. 15. Sed illic אורים non esse terminos, Sect. VII. hujus capitis ostendam. Et Elieser fateri cogitur Carrhas sub ditione atque intra terminos Chaldææ sitas fuisse. Quanam ergo ratione dici potest *Gen.* 11: 31. ויצאו מאור כשדים *Et exierunt ex Ur Chaldæorum* i. e. ex hypothesi Elieseris, è termino Chaldæorum, cum eodem versu addatur: ויבאו עד חרן וישבו שם *Et venerunt usque ad Carrhas, & habitarunt ibi?* Si excesserunt terminum Chaldæorum, qui potuere venire Carrhas, cum Carrhæ, teste Eliesere, intra terminum Chaldææ computentur. Qua de re, dicta Sect. plura dicturi sumus.

CAPITIS I.

SECT. III.

SUnt, qui Ur Chaldæorum *Vallem Chaldæorum* sonare censent. Inter hos eminet *Menachem*, cujus hisce mentionem facit *R. Sal. Jarchi* (sive, ut in fronte libri Elia Hammiraschi legitur, *Rab. Salomo Jizchaki*,) Commentar. ad Gen. 11: 28.

ומנחם פירש אור בקעה וכן באורים
כבדו יי' וכן מאורת צפעוני כל חור
ובקע עמוק קרוי אור:

Menachem vero explicat Ur vallem; atque sic dici Esa. 24. vers. 15. (Ba-ürim) in Vallibus glorificate Dominum; & Esa. 11: 8. (Mëurath) caverna basilisci. Omne enim excavatum aut insigniter diffissum, (*quale quid est vallis*,) vocari אור.

Et Comment. ad Jes. 24; 15.

ומנחם אמר אורים לשון נקעים וסעיפים
שהיו בורחים שם וכן אור כשדים בקעת
כשדים וכן מאורת צפעוני נקע חור
מעונתו:

Menachem vero dicit: Urim notant valles aut petras, quo fugam susceperant. Sic dicitur Gen. 11: 31. Ur Chaldæorum, i. e. vallis Chaldæorum. Sic Jes. 11: 8. Meurath Basilisci, i. e. vallis, caverna, habitaculum ejus. (NB. *Pro* נקעים & נקע, *quæ in Bibl. Basil. leguntur, quisque videt scribendum esse* בקעים & בקע. *Voces enim nihili sunt* נקעים & נקע. *Et Nun cum Beth facili negotio confunditur.*)

Menachemum excipit *Rab. David Kimchi*, qui tam in Comment. ad Jes. 24. vers. 15. quam in Sepher Hasschoraschim col. 15. Ur Chaldæorum per Vallem Chaldæorum exponit. Unde non mirabere, *R. Salomonem Aben Melech* idem in suo Michlal Jophi asserere, quum in præfatione ipsemet fateatur, se in Kimchii verba atque dicta jurasse illiusque semper venerari placita. Hinc in Genes. 11: 31. hæc commentatur:

אור כשדים פירושו בקעה או עמק וכו׳ *Ur Chaldæorum: Explicandum est per vallem, &c.* Parallela vide Comment. 15: 7. & Jes. 24: 15. Confer *Bechai* verba sequenti Sectione alleganda. Mihi hæc sententia primo intuitu non spernenda videbatur ob duplicem præcipue rationem: (1.) Cum non tantum Jacobi soboles, sed & omnes ipsius majores rei pecuariæ operam à pueris statim navarint, (unde fratres Josephi dicunt Pharaoni Gen. 47. רעי צאן עבדיך גם אנחנו גם אבותינו *Pastores gregis sunt servi tui, tam nos, quam majores nostri;*) probabilissimum est, ipsos rustico apparatu contentos in mapalipus consenuisse, atque cum grex soleat magis in vallibus quam præruptis montium jugis pasci, illos quoque planitiem aut vallem elegisse, ubi sedem figerent, vixque pedem è caulis retulisse, quo eo melior gregis cura ipsis esset. (2.) Refert ipse *Apostolus* Ebr. 11. quod Abraham fuerit ἐν σκηναῖς κατοικήσας μετὰ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ, *cum Isaaco & Jacobo in tentoriis habitans.* (Confer. *Bochart.* Hierozoc. P. I. lib. 2. cap. 44. fol. 465.) Cur vero eas devorasset molestias, ut sub dio vel levi saltem tentoriolo pernoctans se cœli ferarumque injuriis ipsemet exponeret, nisi quia re pascuaria occupatus esset? Greges vero potius in vallibus quam montibus collocari notum est, & jamjam monuimus. Accedit (3.) *praxis Patriarcharum*: Sic ipse Abraham habiravit באלני ממרא Gen. 18. in *planitie* Mamræ, juxta Jun. Tremell. Sic Isaac בנחל גרר in *valle* Geraris, (Luth. im Grunde Gerar) Gen. 26: 17. Sic Jacobus in *Succoth* (i. e. *tentoriis*) Gen. 33: 17. & in עמק חברון *valle* Hebronis Gen. 37: 14. Eadem ratione videbatur, Abrahamum in terra adhuc patria commoratum *planitiem* sive vallem occupasse, ibique cum gregibus sedem fixisse. Ergo juxta Menachemum & asseclas Ur Chaldæorum idem est, ac si dicas: *VALLIS Chaldæorum.* Hoc posito Ur Chaldæorum locus erit talis forsan, qualis עמק עכור *Vallis* Achor Jos. 7: 24. עמק רפאים *Vallis* gigantum, Jos. 15: 8. עמק סכות *vallis* Succoth sive tentoriorum Psal. 60: 8. עמק אילון *Vallis* Aijalon Jos. 10: 12. בקעת מגדו *Vallis* Megiddo, בקעת אונו *Vallis* Ono (Luth. die Flache Ono) Nah. 6: 2. &c. Sed de hac quoque sententia nostram nunc non subjungimus ἐπίκρισιν, daturi eam Sect. hujus Capitis ultima, quo B. L. remissum volumus.

CAPITIS I.

SECT. IV.

MOntem Chaldæorum; אור כשדים *Ur Chaldæorum* notare posse, asserit notissimi nominis Judæorum Doctor Bechai, qui de hoc nomine ita disserit Comm. in Legem fol. XXII. 2.

דע כי לשון אור כולל שלשה ענינים בקעה והר ואש׳ בקעה מלשון מאורת צפעוני כי הכתוב יקרא חורו של צפעוני והבקעה הוא העמוק מאורה והוא כאלו אמר בבקעת כשדים׳ הר מלשון באורים כבדו ה׳ וקרא ההרים הגבוהי׳ אורים על שם שמדליקין שם ומשיאין שם משאות מהר אל הר כדי להודיע החידושים במרחק ביום אחד וזהו שאמר באיי הים שם ה׳ אלהי ישראל שיודיעו בכל העולם הנס והפלא הנעשה להם לכבוד הש״י והוא כאלו אמר הר הכשדי׳ אש מלשון חמותי ראיתי אור והוא דעת רבותינו ז״ל והקבלה האמיתית שהשליכוהו לכבשן האש׳

Scias vocem אור (Ur) tria complecti significata, *vallis, montis & ignis. Vallis*, ex significatione vocis Mëurath *caverna* Basilisci. Scriptura enim vocat cavernam Basilisci & vallem profundam *Mëura.* Atque sic idem est, ac si diceret: *In Valle Chaldæorum. Montis*, ex significatione dicti Jes. 24: 15. *In Urim glorificate Dominum.* Vocat vero montes altos *Urim* (q. d. *ignes*,) quia incendunt in illis atque elevant fasciculos (lignorum pinguium incensorum, atque sic ignes illos propagant quasi) à monte in montem, ad indicandas res novas locis dissitis die uno, ideoque addit: Et in insulis maris nomen Domini Dei Israëlis; ut sciant toto in mundo miraculum ipsis factum in honorem Domini. Atque sic idem est ac si dixisset: *MONS Chaldæorum. Ignis*, uti in illo Jes. 44: 16. *Incalui, vidi ignem.* Et hæc est sententia *Rabbinorum nostr.* p. m. & traditio vera est, (*Chaldæos*) misisse (*Abrahamum*) in fornacem succensam.

CAPITIS I.

SECT. V.

MUlto monstrosior est illa Rabbinorum de Ur Chaldæorum sententia, cujus indicium mihi fecit *Abraham Menachem Ben-Jaakof Haccohen* in Minchá Belulá fol. XX. col. 2. hisce verbis: וחו״ל אמרו עברא זעירא דכופא (*) וזהו אור כשדים פי״ גשר קטן שבכותא׳ Et sapientes nostri p. m. dicunt: *Pons parvus, qui in Cutha est, dicitur Ur Chaldæorum.* Ingenue fateor, me non satis hujus traditionis sensum assequi. *Abraham Menachem* etiam fontem non nominat; unde has hausit aquas, nisi quod in genere dicat: *Sapientes nostri p. m. dicunt.* Nec ullus præter ipsum è commentatoribus hujus rei vel minimam mentionem injicit. *Rabboth & Talmud Babylonicum* traditionem istam non continere, asserere ausim. Ergo conjecturis uti necesse est. Cuthæ Abramum in vincula conjectum fuisse, Sabæorum Historici autores sunt. Horum verba *Maimonidi* debentur, qui ea in More Nevochim c. l. allegat. (Cutham vero hanc sex dierum itinere à Babylone distare, tradit *R. Mose Nachmanides*; intra Mesopotamiæ fines computari, testis est *Elia Hammisrachi* fol. XXII. 3.) Num ergo Abraham in Ponte parvo, qui in Cutha est, vinculis constrictus jacuit, cujusvis ludibriis expositus? Num vero carcer fuit non procul à ponticulo illo dissitus, adeo ut hinc ille nomen pontis sortitus fuerit? Sed res non est tanti, ut multum in illa laboremus. Nam (1.) incertissima est Sabæorum traditio de carcere, cui idolorum mancipia inclusissent Abrahamum, ejusdemque furfuris cum illa, quam *Sect.* I. in fabularum ordinem asseruimus. (2.) Nunquam, quod *Sect.* VII. patebit, אור sive apud Scriptores Sacros sive Rabbinos notat pontem. Cur ergo hoc loco ipsam exponeremus ita? (3.) Et cur *ponticulus* IN CUTHA? Cognominatur Ur à *Chaldæis.* Et cognomen illud evincit, si non fuerit in *Chaldæa* stricte sic dicta sita, (qua de re *cap.* II. agendum erit,) tamen aliquando *Chaldæorum* paruisse *imperio.* Cur vero Ur in Cutha quæritur? In Mesopotamia quidem collocat Cutham hanc *Elia Hammisrachi.* Sed ex conjectura saltem, quam nullo penitus firmat argumento. Cutham vero, unde coloniam Assyriorum Rex transtulit in Samariam, 2, *Reg.* 17: 24. 30. alii in Media, alii in Perside, alii in Arabia deserta se invenisse credunt. (Vide *Polum* Synops. Critic. Tom. 1. col. 1768. &, quos ille allegat, Autores.) Nemo, qui non temere quid statuit, nullasque allegat suæ opinionis rationes,) in Mesopotamia, (in qua nostram Uram sitam esse, capitis II. Sect. II. evincemus,) vel etiam Chaldæa. Ex hisce omnibus patet, absurdam etiam atque Falsam esse illam sententiam, quæ *Ur Chaldæorum, ponticulum, qui in Cutha est, esse*, censet.

(*) Lege דכותא

CAPITIS I.

SECT. VI.

TAndem illi prodeant, qui Ur אור *nomen proprium* esse, autumant. Uti inter Christianos non paucos sententiæ hujus patronos reperias, ita inter Judæos paucissimos. Talis est *Onkelos* Chaldæus Pentateuchi Paraphrastes, (qui vel paulo ante vel paulo post Christi incarnationem inclaruit.) Reddit ille enim verba: מאור כשרים Chaldaice מאורא דכסדאי Ex Ur Chaldæorum. Vox אורא in fine additum habet Aleph Emphaticum, quod quidem Hebræis est insolens, imo vitiosum, (solent enim suum He Emphaticum nunquam Proprio præfigere Nomini); Sed Chaldæis tamen quandoque id usu venire deprehendas, uti pro Ebræo דומה dicitur in Targum דומא Es. 21: 11. Hujus vestigia legit *Leo Bresch* Judæus, qui versionem Germanicam Paraschartum & Haphtararum (sive Mosis & Prophetarum,) edidit, sed literis Ebraicis. Si seria joco temperare licet, non incongruum erit ejus produxisse verba, in queis styli elegantiam sermonisque patrii puritatem vix dubium, quin summe admiraberis. Ita vero vers. 24-28. cap. XI. Genes. fol. VI. 2. reddit: **Und er lebt Nachor neun und zwenzig Jar/ und er gewan Terach. Und er lebt Nachor nach seines gewinnen** (postquam genuit) **neunzehen Jar und hundert Jar und er gewan söhn und töchter. Und er lebt Terach siebenzig Jar und er gewan Abram und Nachor und Haran. Und diß gebürde Terach** [Et hæ generationes Terachi (sunt,)], **Terach gewan Abram/ Nachor und Haran/ und Haran gewan Loth. Und er starb Haran auch vor Terach sein Vater im Lande sein gebürde** (id est, in terra suæ nativitatis) **in Ur Chaßdim.** Hactenus ille, qui dum idiotismos Ebraicos ad verbum Germanicè reddere tentat, ita obscurum se reddit, ut vix Germana etiam gente satus ipsius assequatur argutias. Retinet vero in versione sua nomen *Ur Chasdim*, quemadmodum etiam alii, qui

Ur Nomen Proprium esse censent, facere sueverunt; ideoque cum pene in illorum collocassem classe, qui Ur nomen Proprium esse asserunt. Sed glossa ejus marginalis meliora me de eo docuit. Sic enim infit: Und er starb Haran vor sein Vater: Wie kam das? aso (i. e. also) kam es / daß er starb: Terach hat den Bilder gedient / da haben müssen Terach söhne alle nacht in dem Hauß hüten. Da war Abraham frölich / daß er hüten solt. Da gieng Abraham hin und verbrant sie all. Zu morgends da gieng Terach und sagt Nimrod / wie Abraham hat die abgötter verbrant. Da sprach Nimrod: weil er sie hat verbrant / da soll man ihn auch verbrennen. Da ließ er ein Kalchoffen heitzen 8. tage aunander. Da hat man Haran gefroogt / nach wem hälstu? da hat er mit sich selber gedacht / ich halt mit den / der da gewinnt. Wird Terach gewinnen / da will ich mit mein Vater Terach halten. Wird Abraham gewinnen / da will ich mit Abraham halten. Da gieng hin Nimrod und warff Abraham in Kalckofen. Da kam der Mal-ach (Engel) Michael für Hakkadosch Baruch Hu (d. i. Gott) und sprach: Laß mich derlösen (erlösen) Abraham. Da sprach Gott Jisbarech (Benedictus): Ich will das Kind selbert derlösen. Ich bin ein Jachid (unicus) in Olam (mundo) und er is auch ein Iachid in Olam; es hat niemz (niemand) mehr gekennt Gott / as (als Abraham allein: und da er aus dem Kalckofen wieder heraus kam / da fragt man Haran mit wem hälstu nun / da sprach er mit Abraham / weil er sach / (sahe) daß Abraham war gantz heraus kommen / und war ihm nischt (nichts) geschaden. Da nam man ihn / warff ihn in Kalckofen / da verbran er. Ajo kam es / daß er starb für sein Vater. Vides, B. L. *Leoni Bresch* hac in sectione non posse concedi locum, sed ad primam ille etiam relegandus erit. Potiori jure huc pertinebit autenticus ille Doctor Hebræorum *Manahen*, (vel ut alia Lyrani editio vitiose legit *Manathen*, Judæis vocatur *Menachem*,) cujus meminit *Lyranus* sequentibus: *Tulit itaque Thare Abram filium suum & Loth filium Aram, &c. Et eduxit eos de Hur Chaldæorum, non autem eduxit eos de incendio: maxime cum secundum istam expositionem dictum sit, quod per ejus accusationem filii ejus projecti sint intra ignem: & ideo melius videtur dicendum, quod Hur sit hic nomen terræ vel villæ, in qua manebant: ita quod Hur nomen commune est & proprium, prout significat villam determinatam, vel ignem, & hoc idem dicit quidam Doctor Hebræus authenticus nomine Manahen.* Verum errat Lyranus. *Manahen* enim (vel *Menachem*) aliud sentit, ut ex *Raschi* audivimus Sect. III. pag. 33. Non hic prætereundus est *Flavius Josephus* celebris ille Judaicæ historiæ parens, qui lib. I. Ἀρχαιολογίας cap. VII. *Aranes*, inquit, *relicto filio Lotho & filiabus Sara & Melcha in regione Chaldæorum mortuus est, in Urbe, quæ Ura Chaldæorum vocatur, & sepulcrum ejus nunc usque ostenditur.* In hac vero sectione locum obtinere merentur versiones illæ Biblicæ, quæ nomen proprium Ur retinent, nec appellative explicant. Sic *Samaritana* habet: [Samaritan] *Syriaca*: [Syriac]: *Junius & Tremellius*: *Ure Chaldæorum oppido*. *B. Lutherus*: Ur in Chaldäa. *Vulgata* in *Genesi* retinet τὸ *Ur*. In *Nehemia* reddit illa מאור כשדים *Ex igne Chaldæorum*, ut vel hinc pateat, totam Vulgatam versionem non unum agnoscere Parentem. Illius vestigia trivisse videtur *Rab. Mordechai Nathan*, (qui aliis *Isaac Nathan* audit, vid. *Buxt.* Præfat. in Concord. Hebraic.) Ebraicarum Concordantiarum autor. Has enim ad exemplum Latinarum è Versione Vulgata concinnatarum, (ut ipsemet in Præf. Ebr. profitetur,) composuit. Habet ille in more positum voces solum flexiles recensere, omissis nominibus propriis & inflexibilibus particulis. Loca vero Geneseos, ubi Ur Chaldæorum reperis, ab ipso recensita esse in Rad. אור, non videas. Unde certum mihi est, istis in locis R. Nathanem τὸ אור non accepisse appellative pro igne, sed proprie pro Nomine loci alicujus. Locum vero Nehemiæ allegat, adeoque ibi appellative τὸ אור pro igne accepit, plane ut Vulgata. Cæterum Ur Chaldæorum nomen esse proprium, pervulgatissima inter Christianos sententia est. Et vix invenias versionem Latinam, (excipias modo Vulgatam,) quæ non τὸ Ur retineat ceu nomen proprium.

CAPITIS I.

SECT. VII.

Nostram tandem tuo, B. L. judicio subjicere tenemur *sententiam*. Sed omnino necessarium est, exponere prius, quid vox אור *ûr* notet, quotque significationibus obnoxia sit. Descendit illa è rad. אור, *lucere*, *item illuminari*. Ex hac radice originem ducunt (1.) אור & אורה *Lux*, item מאור *luminare*. (2.) אורות *Olera*. 2 Reg. 4: 39. & Jes. 26: 16. (3.) מאורה *Specus*, Jes. 11: 8. & 4.) si *Bechajo* in Leg. fol. CI. col. 3. (Verba vide in *Buxtorfii* dissert. de Arc. Fœder. p. 2.) fidem habemus, ארון אור *arca*. (5.) אור *imber*; tandemque nostrum אור. Quoties quodlibet ex his in Bibliis legatur, Concordantiæ Hebraicæ docent, quas R. Mordechai Nathan primus conscripsit, Buxtorfius vero in meliorem digessit ordinem. (Nota tamen ὡς ἐν παρόδῳ, Buxtorfium locos Jes. 31: 9. 44: 16. 47: 14. voci אור lux subjecisse, cum sub vocem אור *ignis*, vel *focus* referendi fuissent.) Vocem vero אור ûr valde esse homonymam, adeoque in non pauca dispescendam significata, quis neget? (1.) & communiter notat *ignem*, uti Esa. 50. vers. 2. Ezech. 5: 2. (2.) *Focum* Jes. 31: 9. cap. 47: 14. (3.) Plurali אורים *Urim* (Exod. 28: 30. Lev. 8: 8. Num. 27. vers. 21. Deut. 33: 8. 1 Sam. 28: 6. Esr. 2: 63. Nehem. 7: 65.) insigniuntur *gemmæ pectorali Aaronis insertæ*, unde Oraculum Sacerdos petere sueverat. (De Urim & Thummim vide *Dn. D. Pfeifferum* D. V. B. Loc. C. Cent. I. &, quos ille allegat p. 279. Autores. Deinde quidam אור notare dicunt *cavernam*, alii *montem*, alii *vallem*, & quidem omnes suæ stabiliendæ opinionis causa, adducunt *Loc. Jesa.* 24: 15. qui locus, ceu fundamentum II[æ]. III[æ]. & IV[æ]. de Ur Chaldæorum sententiæ nunc penitiori est ventilandus examine. Verba Ebraica sunt hæc: עַל־כֵּן בָּאֻרִים כַּבְּדוּ יְהוָה Idcirco *ba-ûrim* laudate Dominum. Quid ista vox באורים in Urim notet, inter Philologos lis est, hoc illam sic exponente, alio aliter. Audiamus singulos:

I. Syrus loco τοῦ Baürim ponit τὸ [Syriac] idest, *laude*, inquiens: [Syriac] *Idcirco laude laudate Dominum.*

II. Vulgata reddit τὸ Baürim *in doctrinis*, i. e. (exponente Mariana (*Sapienter*, *quia Urim* אורים *sæpe illuminationes notent.* Sed tale in Sacris exemplum reperiri, Mariana si demonstrasset, grande edidisset facinus. Pluralis enim Urim octies saltem in Bibliis occurrit. Et omnium consensu in septem locis monile Sacerdotis significat. Octavus noster est, de cujus sensu ambigimus.

III. Septuaginta interpretes malunt Urim per ἀλήθειαν explicare.

IV. *Jonathan Usielides* Targumista sic locum [Hebrew]: על כן במיתי נהורא לצדיקיא יקרון קדם יי: *Ideo cum venerit lux justis clamabunt coram Domino.* Quid hisce velit Jonathan ostendit Raschi, inquiens: יונתן תרגם במיתי נהורא לצדיקיא על שתי אורו׳ של גאולת בבל ושל אדום i. e. *Jonathan vertit*: cum venerit lux justis, &c. *Dicitur hoc de duabus lucibus liberationis è captivitate Babylonica & Edomi* (i. e. Romanorum.) Sic & Autor libri *Lekach Tof*, (quæ paraphrasis est Germanica characteribus Rabbinicis excusa vocum difficiliorum Scripturæ) vocem baürim [Hebrew]: Auf die derleichtung (Erleichtung) von den zween Geolos Basel uleathid laso, [*Liberationibus*, (ex exilio) *Babylonico nimirum & quæ adhuc futura est.*] Scias, B. L. Judæos hodienum vana illa se oblectare spe, fore, ut Messias ipsorum, (φιλάνθρωπος, sed divino agitatus spiritu) venturus ipsos in pristinum libertatis statum asserat Romanosque ipsorum substernat imperio. Lege in hanc rem Rab. *Saadiæ* Sepher Haëmunoth Serm. VII. qui totus de futura liberatione è captivitate agit, aliosque qui articulos fidei exposuere. Liberationem vocant אורה lucem, (vel illuminationem,) reflexos forte oculos habentes ad *Esth.* 8: 16. ubi, cum dixisset Spiritus S. fracto Hamanis jugulo Judæos suæ libertati restitutos, ideoque immani perfusos fuisse gaudio, pergit: ליהודים היתה אורה ושמחה וששן ויקר *Judæis extitit LUX & lætitia, & gaudium & honor.* Vel ad Jes. 60: 1. ubi de liberatione futura è captivitate Babylonica juxta Rabbinos agitur, (vid. *Abarben.* Perusch Nefiim Acharonim fol. LXXXVIII. col. 3.) diciturque: כי בא אורך *Quia venit Lux tua.* Eodem modo dicit Jonathan: במיתי נהורא לצדיקיא *cum venerit lux justis*, i. e. liberatio è captivitate, &c.

V. *Aben-Esra* & *Eliesèr Askenasi* אורים volunt esse *terminos*, quorum verba Sect. II. videas adducta.

VI. *Menachem*, *Kimchi*, *Aben Melech*, ut Sect. III. monuimus, explicant per *valles*. Sic è Christianis *Lutherus*, *Munsterus*, *Pagninus*, *Tigurina*, *Arias Montanus*, *Oecolampadius*, *Piscator*, *Italus* item *Diodatus*. Adde *Bochart.* Phal. lib. II. cap. IV. pag. 83.

VII. Alii

VII. Alii è cognata voce מאורה caverna Es. 11: 8. ut & המנהרות specus Jud. 6: 2. nostro אורים significationem petunt, adeo ut textum reddant: *Idcirco in* cavernis *laudate Dominum.* (Vid. *Bochart.* Part. II. Hierozoic. lib. III. cap. X. fol. 404.) Sic è Christianis *Forerius*, *Sanctius* in comm. *Forsterus* in dictionar. &c.

VIII. *Bechai montes* in hoc dicto se reperisse credit. Vid. supra Sect. IV. hujus cap.

IX. *Vir* quidam *Clarissimus* deque Ecclesia nostra opere quodam multo labore & studio elaborato optime meritus, νῦν ἐν ἁγίοις, אורים decurtatum esse putat ex יאורים Jeorim, id est, *fluviis.* Et hæc quidem Apocope in sacris locum habere posset. Nam & Amos. 8: 8. dicitur העל זאת לא תרגז הארץ ואבל כל יושב בה ועלתה כאר כלה *Numquid super isto contremisceret terra, & lugeret omnis in ista habitans & ascenderet,* (vel, evanesceret,) *illa ceu* fluvius, *tota?* hic כָּאֹר vertendum: *ceu fluvius* omnium pene interpretum suffragiis. Omnesque illud ex jeor i. e. fluvius apocopatum esse clamant, & recte. Sicque alibi pro יבול dicitur בול Job. 40: 15. (al. 20.) pro יעבור, עבור Es. 28: 15. Sic etiam B. ille Vir pro jeorim, (quod fluvios sonat,) Urim positum esse putavit. Sed (1.) posita Apocope, non diceretur Urim, sed Orim, quale quid tamen hic non comparet. (2.) Quis sensus esset: *Idcirco in fluminibus laudate Dominum?* Quinam isti fluminum incolæ, quos ad laudes DEO solvendas excitat Propheta? Præter pisces enim quis in fluminibus figat sedem, nisi semihumana monstra? Si de insulis sermo est Prophetæ, dicendum ipsi potius est בים vel בימים in mari. In hoc enim sparsas offendas insulas, & qui illic colant, rarius in fluminibus. Adde, quod verbis proxime sequentibus de insulis loquatur. Unde hic de alio, quicquid id tandem sit, sermonem institui patet. Idem valet de iis, qui vitam credere ligno solent atque æquora ratibus secare audent. Sed quid plura? Res nulla luce indiget.

X. *Junius & Tremellius* reddunt: *In ipsis ignibus.* Sic & *Angl.* (citante *Matth. Polo* Synops. Tom. III. h. l.) hoc sensu: *Vos, qui adhuc versamini in mediis tribulationibus, exemplo nostro securi de liberatione vestra, gaudentes, &c. Ne despondeatis, sed patientia vestra glorificate Deum, & ab illo liberationem sperate.*

XI. Teste R. Jacobo Abendana in Leket Schechecha ad Michlal Jophi h. l.

ויש מפרשים באורים מענין אש כמו לכו באור אשכם והטעם כי היה המנהג בהתחדש בארץ חדוש גדול יעשו כל הלילה אורים גדולים להודיעו למרחוק׃

Sunt etiam, qui τὸ ba-urim exponant per ignem, quemadmodum usurpatur Es. 50. vers. 11. *Ite in* (ur) *flammam ignis vestri.* Sensus ergo dicti est, si quando aliquid novi in terra contingat, facturos illos esse pro more tota nocte ignes, ut, qui è longinquo habitant, de eo certiores fiant.

Clarius *Don Jizchak Abarbenel*, qui comment. in Jes. fol. XLII. col. 3. hæc tradit:

ואומרו על כן באורים כבדו ה' הוא אצלי מלשון אש כי היה המנהג בימים הקדמונים וגם בימים האלה בהתחדש בארץ חדוש גדול יעשו כל הלילה אורים גדולים להודיעו למרחוק מעיר לעיר וממלכה אל עם אחר וכן אמרו במסכת ר"ה פרק שני שבראשונה היו משיאין משאות להודיע לכל ישראל יום קביעות ראש חודש ועל זה אמר כאן על כן באורים כבדו ה' וגם באיי הים יכבדו שם אלקי ישראל לפי שבזמן הגאולה תתפשט האמונה האלהית בכל מרחקי ארץ ואפשר לפרש צהלו מים מלשון ים ממש יאמר המה ישאו קולם ירונו בגאון ה' ותהיה רנתם בהמיית קול כדי שישמע קולם אל יושבי הים ויצהלו משם וירונו גם כן ולפי שהקול איננו כל כך נשמע למרחוק לכן ראוי שבאורים שהם משאות של אש יכבדו ה' באופן שמתוך אותו אש שיראו אותם למרחוק גם באיי הים יכבדו שם אלהי ישראל׃

Atque dictum: Idcirco bauirim laudate Dominum, per *ignem* explico. Invaluit enim mos olim, (& hoc etiam tempore,) ut cum aliquid insolens contigisset, tota nocte excitarent ignes magnos, ut significarent illis, qui longius colerent, de urbe in aliam, & de regno ad alium populum. Sic enim dicunt in Mass. *Rosch Hasschana* cap. 2. olim illos ignes excitasse (*Israëlitas*,) ut innotesceret toti Israëli dies præcise novilunii. Atque hinc dicit h. l. *Ideo ignibus laudate Dominum*; item: *in insulis maris laudabunt nomen Dei Israëlis*, quia nimirum tempore liberationis late disseminabitur divina religio in omnibus dissitis terræ finibus. Hinc potest explicari vers. 14. *Clara voce jubilabunt à mari*, ita ut vox *A MARI* simpliciter κατὰ ῥητὸν intelligatur, (*paulo enim ante aliter explicarat Abarb.*). Dicere vult: *Illi levabunt vocem, cantabunt de magnitudine Domini.* Et cantio ipsorum consistet è sonora vociferatione, quo vox ipsorum audiatur ab habitatoribus maris, ut & hi jubilent isthinc atque cantitent. Et quandoquidem vox non ubique locis dissitis possit percipi, necesse est ut per Urim, id est, ignes in loco edito excitatos, laudent Dominum, ideo, ut, mediante illo igne, quum illi eum viderint eminus, etiam in insulis maris, laudent nomen Dei Israëlis.

Sic ante *Abarbenelem R. Moses Ben Nachman* ad Pars. Lech-Lecha, cujus verba etiam exhibent *Eliah Hamisrachi*, & *R. Elieser Askenasi* in Maase Afoth fol. LX. col. 2.

XII. Agmen claudat *Castalio*, qui ad *monile summi Sacerdotis* Urim *& Thummim dictum* respectum haberi, asserit. Nec dissentit Buxtorfius in Concordantiis, dum sub titulo: *per Urim*, ponit tam loc. 1. Sam. 28: 6. (ubi extra dubium intelligitur monile,) quam nostrum. Hunc tamen refutare poterit *Masora magna textualis*, quæ hæc annotat: באורים ב' בתרי לישני וסימ' גם בחלומו' גם באורי' על כן בארים כבדו יי' בתראה חסר i. e. באורים *bis occurrit diversis significationibus, & exempla ista sunt:* 1. Sam. 28: 6. *Etiam per somnia, etiam per Urim.* Esa. 24: 15. *Ideo* בארים *in Urim*, (de cujus vocis significatione nunc nobis lis est,) *glorificate Dominum. Et posterius* (בארים) *defective* absque Vau) *scriptum est.*

Nostram sententiam explicamus ægre, cum tam varia atque contraria Authores de hac voce sentiant,

Nec nostrum, inter eos tantas componere lites.

Ne tamen ἀσύμβολοι simus, dicimus votum I. II. III. atque IV. nobis non arridere, quia non literalem exprimunt sensum. V. & VIII. nihil pro sua opinione adducere possunt probationis. Nec Autoribus illorum αὐθεντίαν concedimus. Ergo valeant. Nono loco positam sententiam nobis probari non posse, jam monuimus. Decimam, undecimam atque duodecimam ideo repudiamus, quia συνάφεια repugnat, & Urim τοῖς איי הים *Insulis maris* opponuntur, ubi ad communem Bibliorum consuetudinem appello. Equidem prius cum posteriori connectere videtur Abarbenel (quo ad undecimam sententiam,) verum mihi per omnia satis non facit. Nam (1.) Ignibus illis si vel maxime credas totum orbem instrui posse, quid inde commodi illis, qui בכל מרחקי ארץ *in omnibus terræ dissitis finibus* habitant? Num illos, visis istis flammis, pristina fœda dogmata deserturos atque fidem divinam amplexuros esse, probabile est? Absque auditu nulla animis instillatur vera de Deo notitia. Ergo hisce flammis nequaquam admoneri poterunt de Vera religione mortales. Equidem per faces quid significare non insolens antiquitati fuit. (Ut *Æneam* Tacticorum scriptorem, *Cæsarem*, *Apulejum* taceam, *Polybius* Lib. X. c. 39. seqq. ex instituto universam Pyrsiæ rationem explicare aggressus est.) Semper tamen inter illum, qui alteri quid significabat, illumque, quem hæc scire volebat alter, prius conventum esse, necesse erat. Ast tale quid hoc in loco suspicari vix potest. Si enim Barbari extremarumque orbis orarum incolæ divinæ religionis habent notitiam, cur per faces admonendi? Et qui probabile est, totum orbem de facum harum significatione instrui posse? Quave ratione totus harum facum fulgore illustrari possit orbis, præsertim si mare has ab illis distinguat terris? hoc enim ubique fere tam latum est, ut Horizon sensibilis litoris marini citerioris non attingat litora ulteriora? Sed desino plura, cum ex dictis id satis evincatur, quod volumus. Restant ergo VI. & VII. Sententiæ, de quibus pauca dicenda erunt. Illa Urim *valles* esse, contendit; Hæc, *cavernas.* Hæc allegat primo vocem מאורה Esa. 11: 8. quæ *cavernam* aut *speluncam* notat, & ex eadem cum nostro Urim descendit radice, quæ vi analogiæ Grammaticæ ubique est Verbum Ajin Vau אור *lucere.* (2.) Cum quæritur, cur cavernæ dicantur אורים duplici respondent modo: (α) Dici sic, inquiunt, propter fenestram aut foramen patulum, per quam אור *lux* in speluncam admittitur, quemadmodum Jud. 6: 2. cavernæ dicuntur המנהרות, quia per fenestram eas ingreditur נהרה *lux.* Adde vocem חורים, quæ aliquoties in scripturis obviam fit & *cavernas* notat; dicere posses, אורים Urim, fluxisse è חורים, quæ vox cum præfixo ב Esa. 42: 22. scribitur בחורים ba-churim, mutato scil. Cheth, ceu litera ejusdem Organi in Aleph, uti alias dicitur לשכה & נשכה cubile; אנה & ענה afflictus fuit; עלז & עלם & עלץ exultavit. Alii vero, (β) ex quibus nomino Sanctium atque Forerium,) καὶ ἀντίφρασιν dici malunt cavernas Urim אורים, q. d. quæ אור luce carent. Sic quidam hic autumant, Prophetam ad captivos, vel etiam fugitivos in cavernarum tenebris salutem vitamque quærentes verba facere. Alii, de Troglodytis sermonem esse, (qui ἀπὸ τῶν τρωγλῶν i. e. specu-

ſpecubus illud accepere nominis, quia nempe in his duram fallebant vitam,) & per Synecdochen omnibus feris Gentibus, quæ in tenebris ſine luce Evangelii palant & ferarum more vivunt. Alterius ſententiæ patroni hæc in medium proferunt: Valles (inquiunt,) dicuntur אורים vel per Antiphraſin, uti Latinis *lucus*, quia minus habent *lucis*; vel ab אורות *oleribus*, *herbis* (Eſa. 18: 4. 26. 4.) Obj. Sed cur potius valles nominaret Propheta, quam montes horumque incolas? Reſpondet R. *Sal. Aben Melech* in Michlal Jophi h. l. & cauſam eſſe dicit: כי רוב הערים הם בעמק ולא בהרים *Quod plures civitates in valle*, (ſive loco plano,) *quam montibus ſitæ ſint.* Sic & *Mariana* & *Gatakerus* Anglicanarum in Jeſ. Notarum Autor. Vel, (quæ *Calvini* obſervatio eſt) *ſignificat regiones abſconditas & quaſi ſegregatas ab aliis. Quæ enim cinguntur montibus, disjunctæ natura atque ſeparatæ ſunt.* Si vero ex his quæro, num aliquo alio etiam loco אור notet vallem, reſpondent: Imo vero. E. g. Gen. 11. & 15. אור כשדים Ur id eſt, *Vallis Chaldæorum.* Vid. ſupr. p. 41. ſeq. ſed illud eſt κεκνόμενον. Ergo nihil probat. Alii vocem illam illic per *terminum*, alii per *ignem*, per *montem* alii, alii tandem ut *Nomen proprium* explicant. Ergo res non tam clara eſt, ut ex illa argumentari poſſimus, aut illa principii vicem ſupplere queat. Et ſane, ſi mentis noſtræ ſenſa exponere tenemur, potius VII. quam VI. accederem partibus. Poſtulat id vox מאורת atque חורים. Accedit non inepta derivationis ratio, & quod potiſſimum erat, συνάφεια textus. Nam ubi dixiſſet Propheta, terram Judaicam propter crimina in Deum commiſſa (vſ. 5.) deſolaturam iri, (vſ. 1-12.) Remanſuras tamen fidelium exiguas reliquias, (vſ. 13.) quæ laudaturæ Deum fuerint à mari id eſt, locis diſſitis (vſ. 14.) Et ideo, qui in cavernis aut inſulis latitant, exhortatur Propheta, ut illis ſe jungant & concordi voce laudent Deum, (vſ. 15.) Et hinc (vſ. 16.) quaſi præſens eſſet ſpectator, ſe jam audire profitetur cantiones honori juſti (i. e. Meſſiæ) dicatas atque ſacratas. [Quæ vero tempora reſpiciant Prophetæ verba, dicere hujus loci quidem non eſt. Nota tamen *Abarbenelem* tandem concludere fol. XLII. col. 4. ad reſurrectionem mortuorum reſpici. Taceo alias ſententias. Non incongruè tamen dici puto tempora κατοικεσίων Βαβυλῶνος excipientia indigitari, quando nim. Meſſias noſter venit, & in omnem mundi plagam ſonus verbi ipſius, miniſterio Apoſtolorum, exiit, Chriſtus etiam populi acclamatione exceptus eſt *Matth.* 21. Et HOSIANNA ubique perſonuit. Sed paucis interjectis diebus illud in CRUCIFIGE mutatum fuit. Unde Jeſaias vſ. 16. *Ab ora terræ Pſalmos audiveramus, decorem fuiſſe juſto, jam autem dico, macies eſt mihi, macies eſt mihi: Hei mihi! perfidi perfidè agunt, & perfidia quidem perfidiſſima perfidè agunt.* Sed hæc obiter.] Dictorum brevem ἀνακεφαλαίωσιν inſtituamus.

Radix אור notat *lucere*; hinc
I. אור & אורה *lux* & מאור *luminare.*
II. אור, *imber.*
III. אור, *herba* (Eſa. 18: 4) plur. אורות 2. Reg. 4: 39. Jeſ. 26: 19.
IV. אור notans. (1.) *Ignem.*
(2.) *Focum.*
(3.) *Cavernam.* Eſa. 24: 15. (ſicut & מאורה Eſa. 11: 8.) non vero, juxta quoſdam, *laudem*, *doctrinam*, *fluvium*, *terminum*, *vallem*, *montem*, *&c.*
(4) Pluralis אורים dicitur de *monili ſummi Sacerdotis.*

Et hinc refello ſententiam II. III. IV. atque V. de Ur Chaldæorum. Nego enim אור notare in ſacris literis (aut etiam Rabbinorum ſcriptis) *terminum*, *vallem*, *montem* aut *pontem*. Eſſe ergo nec rationem, cur voces אור כשדים reddantur Vallis Chaldæorum, Terminus Chaldæorum, Mons Chaldæorum, pons denique parvus, qui in Cutha eſt. Equidem in *Bereſchith Rabba* Sect. L. (fol. LVI. 1. edit. Amſtelod.) vox reperitur פורין, quam commentator Baal *Mattanoth Kehunna* authoritate *Aruch* exponit מדינ׳ וממשלת *Provinciam, atque Juriſdictionem, Caſtellus terminum.* Quo caſu *Élieſer* è ſua haberet parte ſtantem dialecti Ebraicæ & Rabbinicæ concordiam. Sed bene *Caſtellus* Lex. Hept. rad. פור obſervat, vocem barbaræ eſſe originis, nec aliam quam Græc. ὅρον. Unde patet, verum eſſe, quod פור nunquam notet vallem. Nec obſtant, quas ſupra Sect. III. nobis finximus, objectiones: Joſephi fratres *ſe ſuosque majores* רעי צאן Paſtores pecoris, aut Apoſtolum Ebr. 11. aſſerere, *Abrahamum cum poſteris in* (σκηναῖς) *tentoriis habitaſſe.* Id enim ſolum evincunt, Abrahamum cum majoribus gregi paſcendo navaſſe operam. Facile tamen do, gregem ipſum non eduxiſſe in montium prærupta, inculta paſtuque carentia juga. Sed cur ſaltem elegiſſet vallem, (i. e. locum duobus interjectum montibus,) ubi mapalia collocaret? Ergone planities, ſi non circumſepta montibus ſit, ad paſtum inepta eſt? Vallem definio planitiem montibus duobus ad ſummum quinque milliaribus à ſe invicem diſtantibus interjacentem. Sed ubinam quæſo in Meſopotamia (quam Abrahami patriam eſſe cap. ſeqq. evictum dabo,) montium par, quod non pluribus quam quinque milliaribus à ſe invicem diſtinguatur? Non Nicatorius, non Singaras vicinum agnoſcunt montem. Et Taurus à Maſio 20. dierum circiter itinere diſtat. Unde ergo vallis? Sed & Ur Chaldæorum, cum ſex dierum itinere ſeparatum ſit à Tigri, (ut infra dicemus cap. ſeq.) à Maſio diſtabit itinere ad minimum 12. dierum. Sed eſto vallem in Meſopotamia inveniri; quis vero hanc præciſe Abrahami gregibus paſtum miniſtraſſe probabit. Et deſtructo fundamento, אור notare vallem ſua mole ruit, quicquid ſuperſtructum eſt, nempe Abrahamum in valle penates collocaſſe atque Ur Chaſdim ſignificare vallem Chaldæorum. Quid, quod dicta illa de tempore peregrinationis Patriarchalis commode exponi poſſunt? Illo ſane Abraham cum poſteris tentoria incoluit & gregis curam habuit. Sed cum patria Ura ipſum teneret, vix dubium, illis moleſtiis nequaquam corpus expoſuiſſe Abrahamum. Quum vero divinæ promiſſioni fidem habens peregrinas incoleret terras, neceſſe fuit, gregis habere curam, &, cum palatia Regia deficerent, tentoriis contentum vivere. Cum ergo omnes de Ur Chaldæorum opiniones præter eam, quæ Ur proprium eſſe nomen aſſerit, innumera premant incommoda atque objectiones, nos illi etiam nomen dabimus, quæ Proprium eſſe Nomen aſſeverat. Ubinam vero terrarum Ur illa ſita fuerit, pluribus nunc dicendum eſt. Sequitur ergo

CAPUT II.

explicans,

UBI UR CHALDÆORUM SITA FUERIT?

SECT. I.

Hac de re Autores valde diſſident. *Chytræus* in Onomaſtico ait, quod eadem Urbs ſit *Orchoë Ptolomai.* Similia tradit *Malvenda* (cit. *Polo* Tom. I. Synopſ. ad Gen. 11.) Ponitur hæc Orchoë à Cl. *Ptolomæo* lib. V. Geograph. cap. XX. fol. 107. 1. ſub fluvio per Babylonem fluente & Maaſare fluvio circaque paludes & deſertam Arabiam. Hinc nomen Secta Aſtronomorum Chaldaicorum traxit, ut *Orcheni* vocarentur; ſicut alteri illorum ſectæ Borſippenis nomen dedit Borſippa urbs Dianæ & Apollini ſacra (in qua maximum linificium fuit & maxima veſpertilionum copia, qui aliis in terris captos multum magnitudine exceſſerunt, & capti ſaleque conditi in cibum adhiberi ſueverunt,) teſte *Strabone* lib. XVI. Geogr. fol. 489. edit. Lat. Vid. & *Plin.* H. N. lib. VI. cap. 26. p. m. 266. Hanc Orchoën *Gatakerus* (ap. *Polum* Synopſ. Vol. I. ad Gen. 10: 10.) ארך vocari Ebraice autumat, quando Gen. 10: 10. dicitur: ותהי ראשית ממלכתו בבל וארך ואכד וכלנה בארץ שנער: *Et principium regni ejus* (Nimrodi ſcilicet) *fuit Babel & Erech & Accad & Calne, in terra Sinear.* Ex hac Erech deducit Ὀρχηνός. *Hi alia*, (inquit) *terminatione eſſent* Ὀρχαῖοι —— *Illi à loco* ארך *indubitato dicti. Sed Chaldæis videtur fuiſſe* אַרְךְ (Orech) *unde* אַרְכָּיֵא; *non* אֶרֶךְ (Erech), *unde* אַרְכָּיֵא *dicendum fuerit*, Ἀρχαῖοι *quin &* Ὀρχόη *non* Ἀρχόη, *dicitur Ptolomæo.* Sed fallitur Vir ille celeberrimus. Hebr. enim Erech eſſe *Areccam* vel *Arecham* Suſianæ ad Tigrim urbem, probat non uno argumento *Samuël Bochartus* in Phaleg. Lib. IV. cap. 16. Orchoën vero alii illum dicunt eſſe locum, quem S. literæ Ur Chaldæorum appellitant. Hinc *Michaël Villanovanus* Scholiaſtes Ptolomæi: ORCHOE, *Urchoa dicitur apud alios, ipſa eſt* Hur Chaldæorum *Abrahæ patria.* Ita præter alios *Phil. Cluverius* lib. V. Introd. Geogr. cap. XXIII. p. 908. dum Babyloniæ deſcriptioni intentus eſt: *Secunda*, (inquit,) *ab hac* (Babylone) *eſt Urchoa, quæ* Ur Chaldæorum *in Sacris Scriptis. Joh. Buno* not. in Cluver. c. l. inquit: Urchoa *ſive* Ur *Abrahami patria in Chaldæa erat.* Atque hi

Ur Chald. Orchoën esse contendunt. Nunc alios audiamus.

Eupolemus, qui res Judaicas scripto consignavit, & à *Josepho* & *Clemente Alexandrino* sæpe testis vocatur, (Conf. *Vossium* lib. III. de Histor. Græc. p. 367.) *Camarinam* substituit, *Urien* olim dictam & hinc natales Abrahami petit, citante *Eusebio* lib. IX. Præp. Evangel. fol. 245. (edit. Græc. Lutet. 1544.) qui ex eo hæc tradit: Ἐν πόλει τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ ἥν τινας λέγειν πόλιν Οὐρίην· εἶναι δὲ μεθερμηνευομένην χαλδαίων πόλιν. *In civitate Babylonica Camarina, quam nonnulli vocent Urien. Esse vero hoc idem, ac, Urbem Chaldæorum.* Atque sic (conjectante *Malvenda* ad Genes. 11:31.) *Camarine dicta est* כמר (camar), *quasi Ustrina, Focus, forsan, quod in ea æditui seu Sacerdotes* (Hebræis & Chaldæis Camarim) *ignem perpetuum servarent & colerent. Chaldæi & Persæ cum vidissent olim, igne cœlitus delapso, Patriarcharum sacrificia consumi, putarunt esse Deum. Vid. Amm. Marcell. lib. XXIII. c. 8. Philippus Codurcus* ad Job. 3: 5. annotat, *Camarim* dictos fuisse Chaldæos ab Urbe *Camarine* apud *Euseb.* lib. IX. Quænam vero illa *Eupolemi* Camarine sit, certo dicere nequeo. Mihi saltem apud alium scriptorem probatæ fidei Camarinæ nomen reperire non licuit. *Camari* Insula, cujus ab oblivione nomen vindicavit *Plinius* lib. VI. cap. XXVIII. locum hic obtinere nequit. (Camarinam Siciliæ cum Eupolemi *Camarina* contendere summæ esset imperitiæ.) Nec huc pertinet Camaritarum natio, de qua *Dionysius Periegeta* cap. 93.

Καὶ Καμαριτάων φῦλον μέγα, τοί ποτε Βάκχον
Ἰνδῶν ἐκ πολέμοιο δεδεγμένοι ἐξείνισσαν
Καὶ μετὰ ληναίων ἱερὸν χορὸν ἐστήσαντο
Ζώματα καὶ νεβρίδας ἐπὶ στήθεσσι βάλοντες
Εὐοῖ Βάκχε λέγοντες, κλ.

(Quæ ita in Latinos convertimus versus non tamen eum spirantes decorem, quem Græci fundunt:

Gens Camaritarum, quæ victo oriente recepit
Hospitio Bacchum redeuntem, cumque Dearum
Sublimi cœtu lætas duxere choreas.
Succinctique sinus velant pia pectora pelle,
Evohe Bacche! ululant, &c.)

Hos enim *Dionysius* cum Hircaniis ad Isthmum maris Caspii atque Euxini relegat. Eupolemi vero Camarina in Babylonia sita esse dicitur. Quod si vero Eupolemo fidem habebimus, *Ur Chaldæorum* (verbis loquor *Bocharti* in Phaleg. lib. II. cap. VI. p. 87.) *erit Ura, de qua Plinius lib. V. cap. XXIV. Ita fertur* (Euphrates) *usque ad Uram locum, in quo conversus ad Orientem relinquit Syriæ Palmyrenas solitudines. Quod putaverim Chaldæos* אורן *scripsisse, id est, Uram vel Auran. Unde apud Ptolomæum in Babyloniæ descriptione:* Παράκειται δὲ τῷ μὲν Εὐφράτῃ ἡ Αὐρανῖτις χώρα, *adjacet autem Euphrati Auranitis regio. Interpretes male Auchanitis. Saltem Auranitis ibi sita est, ubi Ura Plinii, nempe in divertigio Euphratis versus Orientem.* Hactenus *Bochartus*. Et eadem conjectura dicere possum, Plinii *Uram* esse Ptolomæi *Auranam*, (nisi & hæc cum Auranitide, quam mox memorat idem, eadem, vel saltem Auranitis regio, Aurana vero locus vel Urbs pars illius sit). Libro enim V. cap. XIX. fol. 106. in Arabiæ desertæ descriptione, inquit: *Juxta Mesopotamiam civitates hæ: Barathena, Sabe, Choce, Gabara, AURANA, &c.* Verum si *Junio* consentiremus facilem inire possemus viam, qua hanc conjecturam falsam esse demonstrare possemus. *Junius* enim ad Gen. II. mendum irrepsisse Ptolomæo contendit, & pro Αὐρανῖτις legit Αὐδανῖτις. Sed *Carverus* Anglus dissert. Anglic. de Paradiso huic suffecit, cujus excerpta exhibet Matth. *Polus* T. I. Synops. Critic. col. 19. Ast & Αὐρανῖτις Ebræis non dicitur Ur אור, sed חַוְרָן Chauran, (vel, ut veteres pronunciarunt, Hauran,) ut ex Ezech. 47: 26. 18. patet, ubi LXX. *Interpretes* τὰ אשר אל גבול חורן reddunt: ἐπάνω τῶν ὁρίων Αὐρανίτιδος, *super fines Auranitidis.* Confer *Grotium* comment. in Ezech. c. l. Sed pergo.

Nonnulli, dum situm specialem non determinant, dicunt saltem, *Ur* in *Chaldæa* situm fuisse; Hinc vulgo dicitur *Ur in Chaldæa.* Quomodo fere omnes Interpretes atque Commentatores Latinos statuere videas. E Patribus Ecclesiæ adduxisse sufficiat *Eusebium* in Chronico, cujus verba è versione Beati *Hieronymi* hæc sunt: *Ann. X. Nini Abraham natione Chaldæus primam ætatem ap. Chaldæos agebat A. M. 3191.*

CAPITIS II.

SECT. II.

NUnc meæ aperiam mentis sensa, & *Chaldæam* non esse patrium Abrahami solum, sed potius *Mesopotamiam*, invincibilibus argumentis probatum dabo. Ne tamen φιλονεικίας insimuler, scias B. L. hanc sententiam Viris quibusdam eruditissimis, tam inter Judæos quam Christianos placuisse. Ex illorum numero est *Bechai*, cujus hæc sunt comm. ad Pars. Noach fol. XXII. 2. verba: אבל באמת ארץ מולדתו ארץ ארם היא מעבר הנהר׃ *Verum revera patria Abrahami fuit Aramæa* (seu Syria), *quæ* (respectu Judææ) *trans Euphratem est sita,* (i. e. Mesopotamia). Omnem tamen erroris scopulum evitare nequiit. Negat enim Ur Chaldæorum esse patriam Abrahami, sed solum Haranis. Scilicet epitheton: *CHALDÆORUM*, videbatur ipsi, Uram in Chaldæa locare. Chaldæam vero cum Mesopotamia confundere, magnæ esse imperitiæ censuit & recte quidem. Sed hac de re infra. Addatur Bechajo *R. Mose Ben Nachman* apud *Eliam Hammisrachi* in Pars. Lech-Lechá fol. XXI. 3. 4. & *R. Eliesерem Askenasi* in Maasé Afoth cap. II. fol. 59. col. 4. ואני מבאר אותו אברהם אבינו לא נולד בארץ כשדים׃ *Et ego probabo, quod Abraham Pater noster non natus sit in terra Chaldæorum, &c.* Sed ad eundem impingit lapidem cum Bechajo. Unde his eum castigat verbis *Elia Hammisrachi* fol. XXIII. 1.

אבל מה שאמר אבל באמת ארץ מולדתם היא ארץ ארם בעבר הנהר כו' זה אמת אין ספק בו אך לא כמו שיבינהו כי הוא חושב שארץ ארם היא חרן לבדה ואני חושב שגם כשדים נכללת בתוך ארם נהרים׃

Verum, quod dicit: *Sed revera patria ipsorum est Mesopotamia, &c.* absque dubio verum est, sed non quomodo ille illud intelligit. Putat enim ille, quod Mesopotamia solas complectatur Carras; ego vero statuo, UR CHALDÆORUM etiam sub MESOPOTAMIA comprehendi.

(*Nachmanidem* vero & *Bechajum* eadem sentire, Argum. VIII. patebit.) *Eliam Hammisrachi* hic sibi quoque vindicare locum, verba ejus citata arguunt, & ex sequentibus magis illud certum fiet, in queis & R. Salomon. Jarchi nobis consentientem fuisse, docet:

וכן נראה גם מדברי רשי שגם ארם נהרים כולל גם אור כשדים שהרי במלהי פר' קמא דברכות גבי בתחילה נעשה אב לארם פירש לאנשי מדינתו שמארץ ארם היה שנא' בעבר הנהר ישבו אבותיכם ואומר אל ארם נהרים אל עיר נחור ואם ארם נהרים אינו הכולל גם אור כשדים הנה הוא סותר דבריו שאמר פה שארצו ומולדתו היא אור כשדים אלא על כרחנו לומר שארם נהרים שם כלל כולל אור כשדים וכותה וחרן׃

Sic etiam patet ex verbis *Raschi* quod Mesopotamia sub se quoque complectatur Ur Chaldæorum. Nam in fine cap. I. Mass. *Berachoth* (fol. XIII. 1.) verba: *Initio fuit Princeps Syriæ*, explicat: *Virorum patriæ suæ: e Syria enim* (trans-Euphratensi) *oriundus fuit, q. d. Jos. 24: 2. Trans Fluvium habitarunt patres vestri;* & Gen. 24: 10. *dicitur: In Mesopotamiam, ad urbem Nachoris.* Si vero Mesopotamia non complecteretur etiam Uram Chaldæorum, sibi ipsi (*Script.*) contradiceret, quia alibi dicit, terram atque patriam Abrahami esse Ur Chaldæorum. Verum necesse est dicere, Mesopotamiam sub se complecti Uram Chaldæorum & Cutham & Carrhas, &c. Coronam hanc claudat *Abarbenel* comment. in Legem quæst. I. in Pars. Noach fol. LI. 3. & ipso comment. c. l. col. 4. lin. 47. seqq. Posterior locus, ita habet:

היות' מתישב בעניני אור כשדים שאינו ארץ כשדי' אלא שם מקום בעבר הנהר וממלכות ארם וממחוז עבר הנהר הוא וכו'׃

Cum (*ex supra dictis*) certum sit, quod Ur Chaldæorum non sit regio Chaldæorum, sed nomen loci regionis trans-Euphratensis, ex regno Syriæ & intra terminum trans-Euphratensis regionis, &c.

E Christianis nominare solum *Bochartum* lib. II. Phaleg. c. VI. p. 88. edit. Ffurt. possum, cui res hæc suboluerit. Sed & *H. Grotius* in Act. 7: 2. non adeo ab hac abhorret sententia. Argumenta vero meam stabilientia sententiam sequentia sunt:

I. Gen. 24. dicit Abraham Elieseri servo: *Pone manum subter femur meum, vers. 2. & jurare te faciam in Domino Deo Cœli atque Deo terræ, vers. 3. Ut abeas* אל ארצי ואל

מולדתי *ad terram meam & cognationem meam, & sumas filio meo Isaaco uxorem, v. 4. Et posuit servus manum suam subter femur Abrahami Domini sui & juravit ipsi de re ista, v. 9. Et assumsit servus decem camelos è camelis Domini sui, & ivit, & pretiosa quæque Domini sui in manu ipsius, & surrexit & ivit in* Mesopotamiam *ad civitatem Nachoris.* (Conf. omnia supr. Cap. I. sect. II. dicta). Vides Elieserem juramento se obstrinxisse, in patriam se profecturum Abrahami & tamen in *Aram Naharajim* (i. e. Mesopotamiam, ut recte vertit Vulgatus, Latin. Medamnam, Interamnam,) iter suscepit, atque inde ortum duxit Rebecca quam in Isaaci thoro collocavit Elieser. Ergo si patria Abrahami fuisset Chaldæa, Elieser perjurii reus esset, quod absurdum est. Excipiunt Bonfrerius & Hier. ab Oleastro: *Vocat Mesopotamiam Abraham terram suam, non quod ejus patria esset, (hæc enim est Chaldæa, sed quod multos annos in illa commoratus fuerit.* Resp. Vox ארץ *terra* cum suffixo pronomine, (in specie, suffixo primæ Personæ) semper notat vel imperio loquentis subditam terram, (e. g. Dei, Jerem. 2: 7. & 16: 18. Ezech. 36: 5. & 38: 16. Joël. 1: 6. vel Principum atque Regum Genes. 20: 15. Judic. 11: 12, 13. 1 Reg. 10. 6. & 11: 21. 2 Paral. 9: 5.) vel natalem terram, uti Num. 10: 29. Dixit autem Mose Chobabo filio Rehuëlis Midjanitæ: Profecturi sumus ad locum, de quo dixit Dominus: Illum dabo vobis. Veni nobiscum & benefaciemus tibi, quia Dominus promisit bona Israëli. v. 30. ויאמר אליו לא אלך כי אם אל ארצי ואל מולדתי אלך *Et respondit ille illi: Non veniam; Sed ad* terram meam *& cognationem meam ibo.* Sic Genes. 30: vers. 22. ויאמר יעקב אל לבן שלחני ואלכה אל מקומי ולארצי: *Et dixit Jacob Labani: Mitte me & ibo ad locum meum & in* terram meam. (Sic cum affixo I. Plural. accipitur Jos. 9. vers. 11. Judic. 16: 24. &c. cum affixo II. Sing. Masc. Jonæ 1: 8. &c. cum affixo III. Masc. Exod. 18: 27. &c. &c.) Eodem modo Abraham hic Mesopotamiam terram vocat suam, quia primum illic aspexerat lucem. Cum enim apud Ebræos voce, ארץ terra, cum suffixo pronomine nemo uti queat, nisi vel ejus imperio subjecta sit, aut actu t. t. ab ipso incolatur, vel ejus patria tellus sit, (uti ex inductione exemplorum patet): Primum vero & secundum (tempore hujus legationis) de Abrahamo & Mesopotamia dici non potuerunt: Ergo necesse est, Mesopotamiam fuisse patriam Abrahami; nam alias ipsam non potuisset terram vocare suam; aut Elieserem perjurii esse reum, quod absurdum esse quis neget? Egregie ergo Elias Hammisrachi ad Pars. Lech-Lechá fol. XXII. 3. ופירוש וילך אל ארם נהרים אל עיר נחור שהלך אל האקלים הכולל אור כשדים וכותא וחרן וכו' *Explicandum vero est dictum:* Et ivit in Aram Naharajim, (*sive Mesopotamiam*) in civitatem Nachoris: *In Regionem complectentem sub se Ur Chaldæorum & Cutham & Carrhas, &c.* (Carrhas vero in Mesopotamia sitas esse, nemo negare ausit.)

II. Argumentum palmarium suppeditat *Jos.* 24. vers. 2, 3. בעבר הנהר ישבו אבותיכם מעולם תרח אבי אברהם ואבי נחור ויעבדו אלהים אחרים: ואקח את אביכם את אברהם מעבר הנהר וגו' (In regione, quæ est) *trans fluvium habitarunt majores vestri ab initio*, (interque hos) *Terach pater Abrahami atque Nachoris, & coluerunt deos alienos. Et assumpsi patrem vestrum Abrahamum è regione transfluviali, &c.* Chaldæa vero & in specie Orchoë respectu Judææ non trans, sed citra fluvium Euphratem sita est. Quod si ergo Abraham cum majoribus illic habitasset non dici potuisset, trans vel ultra fluvium, i. e. Euphratem, habitasse ipsos, quod tamen Spiritus S. expressis testatur verbis. Dicis: Ubinam vero in textu dicitur בעבר נהר פרת ultra fluvium Euphratem? Annon saltem dicitur: בעבר הנהר trans fluvium? Nec exprimitur, num Euphrates, aliusve sit? Quid, si Jordanes fuerit? Ultra enim Jordanem, respectu Urbis sanctæ, sita est Chaldæorum regio. Resp. Ad perpetuam Scripturarum consuetudinem appello, qua Euphratem ἁπλῶς הנהר fluvium appellitat. Hinc *Grotius* ad Jes. 27: 12. recte: Flumen κατ' ἐξοχὴν in his libris ubique Euphrates. Vid. eundem ad Jes. 8. vers. 8. & 11: 15. Sic dicitur Gen. 31. fugam suscepisse Jacobum cum familia è Carrhis, (in Mesopotamia sitis,) sequentibus: *Et fugit ipse & quicquid ipsi proprium erat, & surrexit,* ויעבור את הנהר *& trajecit* flumen, *vers.* 21. Quodnam flumen? Euphratem. Hic enim à Canaanæa distinguit Mesopotamiam. Vid. illic *Vatablum*, *Menochium*, *Piscatorem*, *Junium*. Sic Exod. 23: 31. dicit Deus: *Et ponam terminum tuum à mari Suph* (sive algoso) *usque ad mare Philisthæorum, & à deserto* עד הנהר *usque ad* flumen. Quale *flumen* intelligatur, explicatius tradit Moses in Deut. 11: 24. *Omnis locus, quem calcaverit planta pedis vestri, vester erit; à deserto ad Libanum usque, à flumine, flumine scilicet* Euphratis *usque ad mare posterum erit terminus vester.* Clariusque Josua 1: 4. *A deserto & Libano usque ad flumen magnum, flumen scilicet* Euphratis, &c. *erit terminus vester.* Huc pertinent loca 2 Par. 9: 26. & Es. 7: 20. (ubi vide *Notas Anglicanas*, *Piscatorem*, *Vatablum*, *Menochium*;) Esa. 8: 8. (ubi vide *Grotium*;) 11: 15. (conf. *Forerium*, *Notas Anglicanas*, *Vatablum*, *Grotium*;) 27: 12. (ibique videas Comment. *Piscatorem*, *Forerium*, *Grotium*;) Jerem. 2: 18. (collat. *Jonathane Chaldæo*, *Castalione*, *Vatablo*, *Grotio*.) Mich. 7: 12. (ubi vid. *Grotium*, *Piscatorem*, *Vatablum*, *Drusium*, *L. de Dieu*, *&c.*) Zach. 9: 10. (collat. *Vatablo*, *Drusio*, *&c.*) Psalm. 72: 8. (coll. *Sim. de Muis*, *Piscatore*, *Ainsworthο &c.*) Alias Sacræ literæ Euphratem appellant נהר הגדול *flumen illud magnum*, ut patet ex Genes. 15: 18. Deut. 1: 7. & Josuæ 1: 4. quemadmodum *Lucanus* lib. III.

——— ——— ——— cum Tigride magnus
Euphrates.

Et inde nomen adeptus est suum, si Talmudistis fidem habemus, qui sic in Mass. Bechoroth fol. LV. col. 2. ולמה נקרא שמו פרת שמימיו פרים ורבים· i. e. *Et quare vocatur nomen ejus Perath*, (Græcè Euphrates)? *Quia aquæ ejus multæ atque copiosæ sunt.* Cum ergo dicitur: עבר הנהר *ultra fluvium*, idem est, ac si diceretur: *Ultra* (vel, trans) *Euphratem.* Atque hac Phrasi innuitur regio ultra Euphratem fluvium respectu Judææ sita, quæ communiter est Mesopotamia. Sic 2 Sam. 10: 16. dicitur, cum David Syros Zoba & Rechob & Ischtob & Maacha, auxilia Ammonitarum, in fugam conjecisset, Regem Zobæ Hadar Esarem Syros trans flumen degentes eduxisse adversus Davidem. Verba ita fluunt: וישלח הדרעזר ויוצא את ארם אשר מעבר הנהר וגו' *Et misit Hadareser & eduxit Syros, qui* (degunt) *trans fluvium.* Quæ sic exprimuntur 1 Paral 19: 16. וירא ארם כי נגפו לפני ישראל וישלחו מלאכים ויוציאו את ארם אשר מעבר הנהר ושופך שר צבא הדרעזר לפניהם: *Cum viderent Syri, se cæsos esse ab Israële, ablegarunt legatos & eduxerunt Syros è regione transfluviali, & Schophach Dux militiæ Hadareseris ipsis præerat.* Hic נהר *fluvius* est Euphrates. Atque sic *Targumista Paralipomenon* (cujus nuper Augustæ Vindelicorum Clar. *Matt. Frid. Beckius* Eruditis copiam fecit,): וחמון אנש ארם ארום אתבריו קדם ישראל ושדרו עזגדין ואפיקו ית ארם די בעבר פרחוונו' *Beckius* vertit: *Videns vero miles Syrus, se fractos* & debilitatos *ab Israële esse, missis nunciis adduxerunt militem Syrum* Trans-Euphratensem, &c. Conf. è Christianis *Vatablum* in lib. Samuel. & *Piscatorem* atque *Marianam* in Paralipomena. Syros veros trans Euphratem degentes esse Mesopotamienses, quis dubitet? Et hi cladem, quam ipsis intulerat David, nunc vindicare conantur. Etsi enim 2 Sam. 8: 3. solius Syriæ Zobæ mentio fiat, Psalmo tamen 60: 2. disertis verbis legitur: בהצותו את ארם נהרים ואת ארם צובה *Cum pugnaret* (David) *cum* Mesopotamia *& cum Syria Zobæ.* Conf. 1 Paral. 18: 3. Imo Syria trans Euphratem non potest alia esse, quam Mesopotamia. Nam quicquid præter illam Syriæ (Hebr. Aram) nomine venit, [ut *Aram Zoba*, *Aram Dammesek* seu Damascena, *Aram Maacha*, & *Aram Beth Rechob*,] citra Euphratem situm fuit, ut probatum videbis à *Bocharto* in Phaleg. lib. II. cap. VI. (*Paddam Aram* vero non fuit distincta à Mesopotamiæ regione, sed saltem fertilis cultaque ejus pars, qua de re laudatus adeatur Bochartus.) Porro quater in Scripturis nimirum Esr. 8. vers. 36. Nehem. 2: 7. & 9. cap. 3: 7. mentio fit פחוות עבר הנהר & Chald. Esr. 5: 3, 6, 13. עבר נהרה *Ducum regionis transfluvialis*, (sive trans-Euphratensis.) Sed id dicitur respectu Susianæ, ubi tunc Regum Persiæ regia sedes erat. Fueruntque Duces illi ministri Persici Syriæ præpositi; & ad hos datæ sunt Nehemiæ à Rege literæ, אשר יעבירוהו עד אשר יבוא אל יהודה *ut ipsi eum transmittere sinant* (Euphratem) *donec venerit in Judæam.* Vid. comment. cc. ll. Contra 1 Reg. 14: 15. עבר הנהר dicitur ratione Palæstinæ. Verba sunt Achijæ Jeroboamo peccata exprobrantis, pœnasque indicentis meritas, ubi post cætera infit: והכה יי את ישראל כאשר ינוד הקנה במים ונתש את ישראל מעל האדמה הטובה הזאת אשר נתן לאבותיהם וזרם מעבר לנהר וגו' i. e *Et percutiet Dominus Israëlem, ut agitetur sicut arundo in aqua, & convellens Israëlem à terra hac optima, quam majoribus ipsorum dedit, disperget eos* ultra flumen, &c. Flumen, i. e. *Euphratem.* (*V. P. Martyrem* in loc. aliosque) Factum id est per Salmanassarem 2 Reg. 17: 6. qui decem tribus, trajecto Euphrate, in Media Assyriaque (vid. *Bochart*. Geogr. Sacr. pag. 220. 290. 292.) collocavit. Quod 1 Reg. 4: 24. dicitur כי הוא רודה בכל עבר הנהר מתפסח ועד עזה בכל מלכי עבר הנהר

Regna-

Regnabat enim Salomo in tota regione transfluviali (ſeu Trans Euphratenſi), *à Thapſaco* (conf. *Plin.* lib. V. H. N. cap. XXIV.) *uſque ad Gazam ſuper omnes Reges regionis Transfluvialis*, multum interpretibus faceſſit negotii. Ego vero puto, Reges iſtos eſſe Regulos Meſopotamiæ. Hæc enim in ſex olim diſtincta fuit regiones, quarum hæc ſunt nomina: *Anthemuſia*, *Chalcitis*, *Gauzanitis*, *Acabene*, *Ingine*, & *Ancobarites*. (Longitudo Meſopotamiæ eſt inter Niphatem montem, qua Comagenæ jungitur & Seleuciam Parthorum ad Tigrim mill. 165. Latitudo ſumma inter Euphratem & Tigrim Mill. LXX.) Quid? ſi quæque regio proprio dicatur recta Rege, aut, ſi mavis, Regulo? quod tunc temporis non inſolens factu erat. Etenim Canaan quot alebat Reges? Vid. Joſ. 12: 9-24. ubi 31. Canaanæorum Reguli recenſentur, quos Joſua morti dedit, ipſorumque ditionem armata occupavit manu. Taceo Reges Zobæ, Damaſci, Ninives, hujuſque ſortis alios, qui, ambitioſo Regis titulo præditi exiguo terræ ſubjectæ tractui leges imperiaque dederunt. Qui ergo mirum, Meſopotamiam, pro more ſeculi, pluribus paruiſſe Rectoribus, qui omnes regium affectarunt honorem? Hæreditario vero jure Meſopotamia paruit Salomoni, quippe cujus pater Meſopotamiæ incolas (teſte Pſalm. 60: 2.) ſub jugum redegerat. Sed ad nauſeam, vereor, de Phraſi ULTRA FLUVIUM egi. Ex dictis patet; *Ultra fluvium* ſi dicatur ab Iſraëlitis, indigitari Euphratem & plerumque Meſopotamiam, quam Euphrates à Judæa diſterminat. Ergo: Quum dicitur *Joſ.* 24. Trans fluvium *habitarunt patres veſtri ab initio, &c.* patet, Abrahami patriam non eſſe Chaldæam, quippe quæ citra, non ultra Euphratem reſpectu Terræ S. ſita eſt, ſed Meſopotamiam. (Equidem *Abarbenel* in Ezech. Prophet. VI. [i. e. *cap.* XVI.] Quæſt. IV. pro certo atque conceſſo habet Terræ S. atque Chaldææ interjectum fuiſſe Euphratem:

כי הנה כשדים היא בבל וכל ארץ כשדים Nam ecce, (*inquit*,) כשדים והיא נבדלת מארץ כנען וגבול idem eſt, ac Babel totaque פרת הוא המבדיל בין ארץ כשדים: Chaldæa; hæc vero ſeparata eſt à Canaanæa; nam Euphrates diſtinguit hanc à Chaldæa.

Hæc ille. Sed contra omnium Geographorum fidem. Unde non neceſſe eſt, pluribus hanc Abarbenelis conjecturam deſtruere. האמת יעשה דרכו) Plus in receſſu habebit hæc objectio, quam nobis fingimus: *Cur vero* עבר *h. l. redditur ultra? quin* citra? עבר *enim*; & *cum præfixis*, בעבר, מעבר, *non ſemel* cis (*non vero* ultra) *notat, quod dudum obſervarunt Eruditi*; (*vid. Glaſſ. Phil. S. lib. III. tract. VI. canon. X. pag.* 768. *al.* 541. *ſ. Nold. Concord. Partic. Ebr. pag.* 204, 630, 660.) & *exempla* ὀφθαλμοφανερῶς *demonſtrant. Deut.* 1: 1. Hæc ſunt verba, אשר דבר משה אל כל ישראל בעבר הירדן quæ locutus eſt Moſes [be-efer i. e. *non ultra*, (*Moſes enim nunquam tranſivit Jordanem*,) *Sed*] citra Jordanem. *Joſuæ* 1: 13. *Gaditas*, *Reubenitas* & *dimidiam Manaſſis tribum ita affatur Joſua*: Recordamini rei illius, quam præcepit vobis Moſes ſervus Domini, dicendo: Dominus Deus veſter quietem largitus eſt vobis, quod dedit vobis terram hanc. Fœminæ veſtræ, parvuli veſtri, pecoraque veſtra manebunt in hac terra, quam dedit vobis Moſes בעבר הירדן cis (*non ultra*; *Joſua enim dum hæc proferret*, *in illorum adhuc hærebat regionibus*,) Jordanem. *Conf. Deut.* 3: 8. & 4: 41. *Num.* 22: 1. *Joſ.* 5: 1. 9: 1. 12: 7. 1 *Paral.* 26: 30. &c. Reſpondeo: Diffiteri nolo, עבר non una in Sacris vice notare *tractum citra fluvialem*. Et hinc, meo judicio עבר eſt illis in locis idem quod בעברי & vertendum *circa tranſitum*. Verum tamen eſt, communiorem vocis notionem eſſe, qua *tractum* ulteriorem indicat. Quid? quod omnes Interpretes, quos aut *Biblia Regia* exhibent, aut *Matth. Polus* vir ſtupendæ lectionis vidit, aut meis denique uſurpare licuit oculis, vocem עבר non *citra*, ſed *trans* hoc in noſtro loco reddunt? Qui ſane conſenſus, uti rariſſimus, ita revera non contemnendus eſt. Omnino tamen in hoc noſtro dicto עבר non poteſt notare citra, ſed ultra, quia

III. dicitur: מעולם ἀπ' ἀρχῆς, ab initio *habitarunt patres veſtri* בעבר i. e. *ultra fluvium* (*Euphratem*). עבר hic reddi nequit *cis*, vel *citra*, quia *AB INITIO* in tractu citra-fluviano habitare non potuerunt cum Majoribus Terach & Abraham. Scilicet Chaldæa atque Babylonia ceſſit Chami poſteris, ut ex Geneſ. 10. apparet, ubi ipſa Babylon, (*caput Chaldææ Gentis*, juxta *Solinum* Polyh. cap. LXX.) à Nimrodo extructa dicitur. Abraham vero ex Semi pia ſtirpe vitam atque ſanguinem traxit. Qui ergo ab initio dici poſſit Abrahami majores illas poſſediſſe terras? Contra Aram Naharajim, (Gr. *Meſopotamia*,) quam nos in Chaldææ ſubſtituimus locum, à Semi filio *Aram* nomen ſortita, & Semigenis in hæreditatem conceſſa eſt. *Nachmanides* id etiam per ג"ש *Arg. à ſimili* (quale à Judæis pro ſtringentiſſimo habetur) deducere conatur. Geneſ. enim 10. verſ. antepen. dicitur: ויהי מושבם ממשא באכה ספרה הר הקדם: *Et habitatio illorum* (Semigenarum, quod *Nachmanides* ſupplet) *fuit à Meſa*, *donec venias ad Sephar montem Orientis.* En tibi *montem Orientis!* Confer hunc cum *montibus Orientis*, de queis Bileam ſe veniſſe teſtatur Num. 23. verſ. 11. מן ארם ינחני בלק מלך מואב מהררי קדם *Ex* (Aram, nempe Naharajim, id eſt) *Meſopotamia eduxit me Balak*, *Rex Moab* (eduxit me) *è* montibus Orientis. Quinam vero ſunt montes Orientis, unde Bileam eductus fuit? Meſopotamiæ, id quod non tantum primum hemiſtichium, ſed & expreſſis verbis Moſes arguit Deuter. 23: 4. *Et quia mercede conduxit contra te Bileamum filium Beoris* מפתור ארם נהרים *è Pethore* Meſopotamiæ. (Conf. Excell. *Dn. D. Mœbium* diſſ. 2. de Bileamo.) Sicut ergo Numer. 23. *Montes Orientis* ſunt montes Meſopotamiæ, (vel Maſius vel juga Tauri:) Sic & Geneſ. 10. per *montem Orientis* mons Meſopotamiæ intelligitur, adeoque ipſam hæreditario jure patet tenuiſſe Semigenas, inter quos cum Teracho Abraham. (Quo caſu oppidum Meſopotamiæ, cui nomen σιπφαρα, cum *Sephar* contendere poſſes.) Sed vehementer vereor, ne Moſes de ſola Joctani ſtirpe illic agat, ejuſque hæreditatem definiat, uti verſ. 19. ex omnibus Chami poſteris ſolius Canaanis ſortem ſibi deſcribendam eſſe cenſuit. Adde, quod *Bochartus* in Phal. lib. 1. cap. XXX. evidentiſſime demonſtrarit, *Meſam* atque *Montem Orientis* in Arabia Aromatifera quærendos eſſe. Ex nomine tamen *Aram Naharajim* ſatis nobis certum eſſe videtur, Meſopotamiam Semigenas ἀπ' ἀρχῆς incoluiſſe. Chaldæam vero Chamigenas tenuiſſe ſupra evicimus. Argumentum equidem hoc enervare nititur *Elias Hammiſrachi* & plurima dicit, queis tamen exiguum, aut potius nullum ineſſe pondus, patet. Ergo ea retuliſſe, ipſa erit refutaſſe. Illa vero huc redeunt: Alterum (*Nachmanidis*) Argumentum [*Abraham non natus eſt in terra Chaldæorum*; *majores enim ejus Semigenæ fuerunt. Chaldæa vero & omnis terra Sinear fuere Terra Chamigenarum*,] nihil probat. Quis enim dixit ipſi, Chaldæos eſſe Chamigenas, non Semigenas? Nonne vero Chaſed fuit è Semigenæ Nachoris ſtirpe oriundus? Et probabile eſt, ab ipſo nomen traxiſſe Chaldæam: Quia vero tum temporis nondum natus fuit, יש לומר שנקרא כן על שם סופו dicendum eſt, appellari illam ita per prolepſin uti dicitur Geneſ. 2. *Nomenque tertii fluvii fuit Chiddekel qui ititat ad ortum Aſſyriæ*; Aſſur vero, unde Aſſyria nomen traxit, tum nondum in orbem editus erat. Quod ſi tamen poſſis dicere, Chaldæos eſſe Chamigenas, quis illi revelavit, quod Ur Chaldæorum ſitum fuerit in Chaldæa? Nonne vero ex ſententia Rabb. p. m. Ur Caſdim non eſt vertendum: *terra Chaldæorum*, ſed *ignis Chaldæorum?* Dicereque poſſumus, ignem illud cognomen inde accepiſſe, quod Nimrod Chamigena fuerit ſummus Sacerdos omnium idolorum, & quicunque illa contempſiſſet, illius ad Nimrodum detulerint cauſam. Nam ſi hæc non ita eſſent, cur accuſaſſet Terach filium coram Nimrodo Chamigena? quin coram Melchiſedeco Semigena? Quia ergo Chaldæi, qui de gente Nimrodi fuerunt, operam dedere, ut Regis ſui mandata contra rebelles exequerentur, ignis ille ab ipſis accepit nomen, etſi locus, in quo ignem illum excitarunt, fuerit in terra Semi. Hactenus ille. De his vero Eliæ verbis infra *cap.* III. nonnulla dicenda, quo Lectorem remiſſum volumus.

IV. Aliud *Abarbeneli* atque *Nachmanidi* ſuppeditat Argumentum cognomen Abrahami העברי quod deducunt ab עבר *ultra*. Nachmanidis verba iſta ſunt: והכתוב אמר ויגד לאברהם בעברי ולא השדי *Et ſcriptura Gen.* 14: 13. *inquit*: Et indicavit (*aliquis*) Abramo (*Haïfri*, *q. d.*) Transfluviali, (*vel Trans Euphratenſi*,) *non vero dicit*: *Chaldæo.* עברי ergo his (ut & Bechajo, R. Salomoni Jarchio, aliiſque,) eſt, *qui è regione* עבר *ultra Euphratem ſita originem ducit.* Sed non à particula, ſed nomine proprio עבר *Eber* denominatum Abrahamum עברי q. d. *Eberinum*, Eruditi non temnendis probarunt Argumentis. Vid. Exc. *D. D. Pfeifferum* D. V. Bibl. Cent. I. loc. XXXVI. &, quos longa recenſet ſerie, Philologos atque Interpretes. Conf. *Eliam Hammiſrachi* fol. XXII. 4. lin. 29. ſeqq. Et hac de cauſa hoc uti argumento nolumus.

V. Sed multo majore robore instructum est argumentum, quod nobis B. *Stephanus* Act. 7: 2. hisce suppeditat: Ὁ θεὸς τῆς δόξης ὤφθη τῷ πατρὶ ὑμῶν ἀβραὰμ ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν χαρράν· i. e. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahamo, cum esset in* Mesopotamia, *priusquam habitaret Carrhis.* Vides Stephanum collocare Abrahamum in Mesopotamia, antequam Carrhas pervenisset. Atqui Moses docet, ex urbe genitali Ur Abrahamum Carrhas transtulisse familiam. Ergo Ur Chaldæorum, (non Chaldææ,) non differt à Mesopotamia Stephani, nisi ut totum & pars, ita ut Stephanus regionem, Moses urbis ipsius nomen indicarit. Quo argumento victus *Grotius* comment. in h. l. fassus est, forte Ur Chaldæorum situm esse in Mesopotamia. Dubia tamen hic movent Interpretes *Camerarius*, *Corn. à Lapide*, *Lightfoot*, hocque nos defraudare conantur Achillæo argumento, & vocem Mesopotamiæ tam late accipiendam esse contendunt, ut Babyloniam & Chaldæam sub se comprehendat. Varia hinc adducunt Authorum testimonia, qui Mesopotamiam ad sinum usque Persicum extendere videntur, adeo ut sic & Chaldæa & Babylonia Mesopotamiæ vocabulo includantur. Qualia sunt illa Plinii lib. VI. cap. XXVI. *Mesopotamia tota Assyriorum fuit vicatim dispersa præter Babylona & Ninum.* Et paulo post: *Reliqua pars Mesopotamiæ Assyriæque Babylonia appellata est.* Verum esto, *improprie* sic quandoque Mesopotamiæ nomen sumi. Geographi tamen *communiter* Mesopotamiam à Babylone atque Chaldæa distinguunt, & omnium optime interfluens Euphrates. Sed & semper pro diversis & distinctis reputatæ sunt provinciis. Ut *Ptolomæum* aliosque Geographos mittam, *Justinus* lib. XIII. cap. IV. §. 23. satis evidenter à Mesopotamia distinguit Babyloniam. Et multo ante distinctæ fuerunt. Babylonia enim Chamigenis cesserat, ut ex Gen. 10. modo probavimus. Ast Syria (Ebr. *Aram*) ab Aramo Semigena nomen & incolas nacta est. Hujus autem pars est Aram Naharajim sive Mesopotamia, id quod & nomen Aram Naharajim arguit, & *Plinius* confirmat lib. V. H. N. cap. XII. & XXIV. Et cætera nostra argumenta satis arguunt, patriam Abrahami non esse Chaldæam, sed stricte sic dictam Mesopotamiam. Ergo & de hoc idem esto judicium. Et quamvis se explicare videatur, Stephanus, dum vers. 4. inquit: Τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς χαλδαίων κατῴκησεν ἐν χαρράν· tamen Abrahami Patriam in Chaldæa sitam fuisse nequaquam statuit, uti infra *in fin. cap.* III. videbimus.

VI. *Bochartus* in Phaleg. lib. VI. cap. VI. p. 88. nostræ sententiæ patrocinium suscipit hisque nervosissimis verbis illius perorat causam: *Tamen est, cur natale solum Abrahæ videatur esse potius Ura Ammiani inter Nisibin & Tigrim amnem. Primo inde in Judæam via recta est per Carrhas seu Charan, è Babylone non item. Itaque si Abraham in terram Canaan iturus, è Babylonia profectus est, quæretur non immerito, cur per Mesopotamiam & Carrhas iter fecerit, cum via esset multo compendiosior per Arabiæ deserta. Si Abrahamum dixeris ipsa hæc deserta vitasse, regeri potest, iter per Mesopotamiæ solitudines non minus fuisse incommodum, quod palam constat ex Xenophonte. Maxime cum illac euntibus Euphrates vastus amnis tam numerosæ familiæ multisque armentis & gregibus gravi bis fuerit trajiciendus.* Hæc ille. Ex *Xenophonte* lib. 1. ἀναβάσ. certum est, partem Mesopotamiæ, quæ inter Chaboram atque Babyloniæ terminum media jacet, adeo vastam atque incultam esse, ut si quis illic iter facere tentet, supremum famis periculum subire teneatur. Vid. omn. *Bochart.* c. l. pag. præced. Ast, inquies, aliis Mesopotamia longe est fertilissima. Sic enim *Dionysius Periegeta* cap. 109.

Οἵαση δ' Εὐφρήτου καὶ Τίγρητος ἔνδοθι γαῖα,
Τὴν δὲ περικλίονες μέσσην ποταμῶν ἐνέπουσιν·
Οὐ μὲν τοι κείνης γε νομὰς ὠνόσσατο βούτης
Οὐ δ' ὅς τις σύριγγι κερώνυχα Πᾶνα γεραίρων
Μήλοις ἀγραύλοισιν ἐφέσπεται· οὐδὲ μὲν ὕλην
Παντοίην φυτοεργὸς ἀνὴρ ἀθερίσατο καρπῶν.
Τοίη ἐπὶ κείνης αἶης ἄροσις πέλει, ἐν μὲν ἀέξειν
Ποίην, ἐν δὲ νομοὺς εὐανθέας, κλ.

i. e. *Prisciano*, celebri illo Grammatico, interprete:

Hoc tamen omne solum, fluvius quod cingit uterque,
Indigenæ populi pro re dixere Medamnam,
Quod medias amnes has terras flumine cingunt,
Agricolis pariter pastoribus atque feracem
Ubere: nam læto florenti semina cuncta
Herbarumque thoris & gramina læta virescunt,
Et variis rami complentur fructibus alti.

Resp. Duas esse Mesopotamiæ partes, cultam alteram, alteram incultam, ex probatis demonstravit Autoribus *Bochartus.* Illa dicitur פדן *Paddan* i. e. ager, & Ebr. apud Hos. 12: 13. שדה ארם *Ager Syriæ*, (transfluvialis, scilicet); estque teste *Strabone* lib. XVI. εὐδαίμων ἱκανῶς, καὶ εὔβοτος καὶ εὐερνής, *felix satis pascuisque & germinibus læta.* Contra de altera *Curtius* lib. X. cap. X. §. 10. 11. *Et non aliis, quam Mesopotamiæ regioni fervidior æstus existit, adeo, ut pleraque animalia, quæ in nudo solo deprehendit, extinguat. Tantus est vapor solis & cæli, quo cuncta velut igne torrentur. Fontes aquarum & rari, & incolentium fraude celantur. Ipsis usus patet, ignotus est advenis.* Depingit hisce ceu vivis coloribus (conf. *Strab.* c. l. *Xenoph.* c. l. *Polyb.* lib. V. &c.) alteram Mesopotamiæ partem, quam hinc Chaboras (al. Aboras) fluvius, illinc Babylonia terminat. Hanc Arabes Scenitæ incoluerunt, è rapto quærentes victum. Quis ergo dixerit, Abrahamum hæc deserta emensum esse itinere cum tanta familiæ atque armentorum copia, cum solum nudis incedens pedibus animal illæsum non pati, testetur Curtius? Et tamen si ex Babylonia per Carrhas in Canaanis regionem suscipiatur iter, ista vix poterit vitari via. Contra si Ur patria Abrahami in parte παρορίῳ ponatur, facilis erit per Carrhas in Canaanæam abitus, tam insuperabilibus saltem non obnoxius difficultatibus.

VII. Probabile item est, non procul recessisse Semigenas à Gordyæis montibus, in quorum cacumine resedisse Arcam Noæ, suo testimonio confirmant, quos *Bochartus* lib. I. Phaleg. cap. III. & *D. D. Pfeifferus* D. V. B. Loc. XXVI. Cent. I. testes vocant, Authores Latini, Græci, Arabes. *Sibylla* quidem montem Ararat in Phrygia ad fontes Marsyæ collocat. Sed ejus quæ nostris vulgo teruntur manibus, scripta supposititia esse, dudum contra *Baronium*, *Rosweydum*, *Postellum* & quosdam alios *Casaubonus*, *Capellus*, *Obsopæus*, (qui Sibyllina edidit,) *Richardus Montacutius* Exerc. IV. Analect. Eccles. alii evicerunt. Cum E. Eberina domus, (quod ipsius pietas atque non corrupta mutataque arguit lingua,) in turris ædificationem non consenserit, ideo nec illi sedes linquere pristinas coacti fuere, sed ubi, relicta arca primum fixerant pedem, illic etiam γλωττοσυγχύσεως tempore inturbati remanserunt. Ast Babylonia & Chaldæa nimis à Gordyæis sunt separatæ montibus. Contra Mesopotamia παρόρειος vicina est Corduenæ, imo montibus terminatur Tauro atque Gordyæis, ut paulo post dicetur.

VIII. Hoc denique huc facere argumentum putat *Nachmanides* ap. *Eliam Hammisrachi* & *R. Elieserem Askenasi* in Maase Afoth cap. II. fol. LIX. col. 4.

והכתוב סיפר כי בצאתו מאור כשדים לא לקח אתו רק אברם בנו ולוט בן הרן בן בנו ושרי כלתו אם כן היה נחור נשאר בארץ כשדים אבל באמת ארץ מולדתם ארץ ארם היא בעבר הנהר וכו׳	Et Scriptura narrat, quod cum exiret ex Ur Chaldæorum (*Terach*), non simul abduxerit, nisi Abramum filium suum, & Lotum filium Haranis nepotem suum. Ergo

Nachor relictus est in terra Chaldæorum. Ast revera patria ipsorum est Mesopotamia, &c.

Nervus argumenti est: Nachor relictus est vel in Chaldæa, (ubi Uram sitam esse contendunt adversarii,) vel in Mesopotamia. Non prius. Nam civitas ejus, ubi habitavit, Gen. 24: 10. in Mesopotamia ponitur. Ergo posterius. Sed vehementer vereor, ut hoc argumentum, quem præfixum habet, consequatur finem. Etenim civitatem Nachoris certum est è collat. cap. XI. & XXIV. seqq. non esse patriam Nachoris, sed civitatem quam vel ipse extruxit, vel, quod malim, ab aliis extructam incoluit. Civitas enim illa cap. XXVII. seqq. dicitur חרן Charan, seu Carrhæ, quas cum Ur patria Abrahami confundere summæ esset imperitiæ. Patet E. Nachorem & ipsum patriam mutasse terram, sive id factum fuerit una, cum pater cum familia Carrhas peteret, adeo ut illic, patre defuncto, remanserit, iterque detrectarit Canaaniticum, sive alio quovis tempore, quod Spiritus Sanctus ideo reticuit, quia Abrahami potissimum fata atque posterorum describere voluit, quo de Messiæ ortu ac natalibus certa ad posteros transmitteretur notitia. Vid. *Rabbi Levi Ben Gerson* Commentar. in Legem fol. XXII. 2. Huic vero nodo optimum se invenisse cuneum sibi videtur *Rabbi Moses Ben Nachman*, cujus sententiam *Don Jizchak Abarbenel* ad Pars. Noach fol. LI. colum. 3. hanc esse dicit:

שתרח היה מחרן ושהוא בא עם אברם
בנו קודם לידת הרן לגור בארץ כשדים
ושם נולד הרן ומת שם וזה טעם
בארץ מולדתו שחוזר להרן לא לתרח׃
ושאחרי כן יצאו תרח ואברם בנו
מאור כשדים ללכת ארצה כנען וחזרו
לחרן ארץ מולדתם והתעכבו שם ובהיותם
שמה בא הדבור אל אברהם לך לך
וגו׳ ושלא הזכיר הכתוב דבר מנחור
לפי שהוא היה תמיד בחרן ולא בא
עם אביו ואחיו לאור כשדים׃

Terachum oriundum fuisse è Carrhis, venisseque una cum filio Abram, antequam nasceretur Haran, ut peregrinaretur in terra Chaldæorum, hicque natum atque denatum esse Haranem, atque sic intelligenda esse τὰ *in patria ejus*, ut restringatur ad Haranem, non Terachum. Et postea (*denato Harane*) abiisse Terachum atque Abrahamum filium ex Ur Chaldæorum, ut venirent in terram Canaan, rediisseque in patrias Carrhas ibique aliquantisper moratos fuisse. Dumque illic degerent, effatum istud venisse ad Abrahamum: *I è patria tua, &c.* Causam vero, quod ne verbulo quidem Scriptura illic Nachoris mentionem faciat, esse, quod ille semper Carrhis manserit, nec cum patre atque fratre petierit Ur Chaldæorum.

Nachmanidem sequitur *Rabbenu Bechai* ad Pars. נח f. XXI. 2. Nota *Nachmanidem* statuere, (1.) Abrahami patriam non esse Ur Chaldæorum, argumentis scil. motus, queis probavimus, patriam Abrahami trans Euphratem sitam fuisse. (2.) Ur Chaldæorum esse in Chaldæa situm, ex præconcepta opinione. (3.) Nachorem nunquam Uram devenisse. Quæ tria absurda facili refellere possemus negotio. Placet tamen hac vice aures commodare *Abarbeneli*, (& ipsi Judæo), qui pro more eleganter nec absque acumine contra Nachmanidem disserit, inquiens:

ואינו נכון בעיני מפנים הא׳ שהוא
יניח הכתוב ברצונו שאין לנו זכר
בכתוב כלל ר״ל שבא תרח לבדו עם
אברהם לחרן (*) לגור בארץ כשדים
ושמה נולד הרן ונקבר שם ואין רמז
בדבר מזה בכתוב׃ הב׳ שהיה ראוי
שיאמר הכתוב ששבו תרח ואברהם
לחרן כי כן ראוי שיאמר בשוב
לארצו שאבותיו היו שם מעולם׃ הג׳
כי הנה הכתוב אומר ויקח אברם
ונחור להם נשים וזה יורה שהיו יחד
במקום אחד ונשאו נשים כאחד ואיך
יתכן זה אם היה נחור בחרן ואברם
באור כשדים׃ הד׳ שעכ״פ יצטרך
הרב הנחמני להודות כי תרח עמד זמן
רב באור כשדים עד שהוליד את הרן
ועד שהרן הוליד את לוט כי הנה
בצאת תרח משם הוליך את לוט עמו
וזה יהיה אם כן יותר משלשים או מ׳
שנה ואיך יצדק אם כן אומרו בעבר
הנהר ישבו אבותיכם מעולם כי באור
כשדים היו זמן רב׃ והה׳ כי הכתוב
אומר אני יי׳ אשר הוצאתיך מאור
כשדים וכתוב אחר אומר ואקח את
אביכם את אברהם מעבר הנהר׃ והרב
אומר כי הוצאתיך אינו כמו לקחתיך
ושהוצאתיך מאור כשדים היה על הצלת
אברהם מכבשן האש שהשליכו בו נמרוד
כמו שזכרו חז״ל אבל אם היה זה כן
לא יקשר עם זה אומרו לתת לך את
הארץ הזאת כי לא היה כל ההצלה
בעבור זה כ״א מפני שלמותו וצדקתו
ולמען אשר יצוה את בניו ושמרו דרך
יי׳ וכל זה ממה שיורה שגם דעת
הרב הנחמני בלתי נכון ולא מתישב
בדבר הזה׃

Sed hæc (*Nachmanidis sententia*) mihi non probatur ob sequentes rationes: (1.) quia pro lubitu asserit, de quo ne verbulum in Scripturis invenias, venisse nimirum Terachum solum comite Abrahamo in Ur Chaldæorum, ut peregrinaretur in Chaldæa, natumque ibi Haranem, atque sepultum esse, quorum omnium nullam Scriptura facit mentionem. (2.) Dignum memoratu fuisset, ut ejus mentionem injiceret Scriptura, REVERSOS esse Terachum & Abrahamum in Carrhas, ut memoratu dignum æstimavit, ut diceret de Subjecto, quod patriam repetiisset, ubi ἀπ' ἀρχῆς majores ipsius habitarant, Jos. 24:3. (3.) Quia Scriptura dicit Gen. 11:29. *Et duxit* (NB.) *Abram & Nachor sibi uxores.* Hocque docet ambos in uno constitutos fuisse loco, & instar unius viri, (*nam in Hebr. dicitur* ויקח & duxit *in singulari*,) duxisse uxores. Hoc vero quomodo consistet, si (*juxta Nachm.*) Nachor in Carrhis degit, Abram vero in Ur Chaldæorum. (4.) Quia necesse habet, ut concedat Nachmanides, Terachum multo tempore commoratum fuisse in Ura Chaldæorum, usque dum gigneret Haranem, Haranque rursus Lotum; nam cum Terach exiret, abduxit simul Lotum, atque hoc posito peregrinatus esset Terach plus quam 30. aut 40. annis. Quod si verum esset, quomodo dici posset Jos. 24. 3. מעולם *semper* habitarunt patres vestri in regione trans-Euphratensi, quum in Ur Chaldæorum (*in Chaldæa sita juxta Nachman.*) multum transegerint temporis. (5.) Quia dicitur Gen. 15:7. *Ego sum Dominus, qui* הוצאתיך *eduxi te ex Ur Chaldæorum*, atque Jos. 24: 4. dicitur: ואקח *Et assumsi patrem vestrum Abrahamum è regione transfluviali; (utroque quippe in loco eadem res significatur).* Nachmanides equidem putat, הוצאתיך *eduxi te* (Genes. 15:7.) differre à τῷ לקחתיך *assumsi te*, (*quale quid legitur Jos.* 24: 4.) & quod τὸ *Eduxi te* ex אור (*q. d. igne*) Chaldæorum, dicantur de liberatione Abrahami è fornace succensa, in quem eum misisset Nimrod, quod & Sapientes p. m. tradunt. Si tamen ita statuas, non poterit connecti illud cum sequentibus: *Ut darem tibi terram hanc, &c.* Nec enim miraculum liberationis editum fuit ob hanc causam, sed propter integritatem ejus atque justitiam, & quod præcepisset filiis suis, ut custodirent viam Domini. Atque hæc omnia docent, R. Nachmanidis sententiam minus firmam esse, nec hoc in argumento consistere posse. Hactenus *Abarbenel*, cujus quidem dicta alicubi ferulam merentur, ut, quod rat. V. nimis statutis patrum addictus est, qua de re supra. Abarbeneli jungatur *Elia Hammisrachi* ad Pars. Lech-Lechá fol. XXII. col. 4. lin. 49. seqq. & fol. seq. col. 1.

Alia adhuc argumenta è patrum traditionibus elicit *Ramban*, quibus evinci posse statuit, patriam Abrahami esse Chaldæam. Sed quum illa tam debili innitantur fundamento, ideo illis nostram firmare sententiam nolumus. Adversariorum vero objectiones plerasque atque contra nostra argumenta exceptiones jamjam diluimus. Restat testimonium lib. Judith 5:6. ubi Achior Moabita Israëlitas *Chaldæorum* χαλδαίων vocat. Sed non tantum liber iste est apocryphus, sed & tot Parachronismis (Vid. omnino B. D. *Gerhardum* Exeges. Loc. I. §. 191--197.) & contradictionibus scatet, ut merito ejus testimonium nihili faciamus, nec illo audito statim nostram sententiam deseramus, quæ scripturæ divinæ sanæque rationi innititur.

Hæc in genere de situ Uræ Chaldæorum, ubi firmissimis, (sic spero,) argumentis evicimus, Uram Chaldæorum nec esse Orchoën, nec Camarinam, nec Auranitidem, nec in Chaldæa sitam, sed in Mesopotamia. Nunc in specie docendum erit, in qua Mesopotamiæ parte illa sita fuerit. Et hic probabilissimum est, quod & *Bocharto* arrisit lib. I. Phaleg. cap. X. circa Nisibin fuisse, Tigri propiorem & Corduenæ. Hæc ex *Ammiani Marcellini* hausimus lib. XXV. cap. XI. Ille, ubi exposuisset interitum Apostatæ Juliani, hinc inter belli duces exorta dissidia, Joviani electionem pacemque probrosam Imperio Romano cum Persis initam; exercitum Romanum narrat vasa collegisse, atque castris centesimo lapide à Corduena disparatis, ubi pax pacta fuisset, relictis, Tigrique transjecto, atque sex dierum via emensa venisse ad Persicum castellum UR nomine, unde Thisalphata atque Nisibin iter erat. Verba sunt, prout illa editio Lugdun. ap. Franc. le Preux. 1591. in 8. excuso exhibet:

Et via sex dierum emensa, quum ne gramina quidem invenirentur solatia necessitatis extremæ

Nil miror, exercitum tam atroci fame contabuisse, cum paulo ante vivis Constantio & Juliano, Persæ totum illum tractum devastarint. Rem refert Zosimus Histor. lib. III. Κωνσταντίε τοίνυν ἐν τούτοις ὄντος, οἱ Πέρσαι Σαπώρην ἔχοντες βασιλέα, τὰ περὶ τὴν μέσην ἐληΐζοντο τῶν ποταμῶν· καὶ τὰ περὶ τὴν Νίσιβιν, ἅπαντα κατασρεψάμενοι, καὶ αὐτὴν ἤδη πάσῃ δυνάμει τὴν πόλιν ἐπολιόρκουν. Jo. Leunclavius vertit: *Quum igitur in his occupatus esset Constantius, Persæ, qui Saporem habebant Regem, Mesopotamiam infestis grassationibus vexabant, & vastatis omnibus ad Nisibin*, (hanc NB. Romanus exercitus repetit ap. Amm. Marcell.) *urbem ipsam totis viribus obsidebant.* His vero imminentibus malis Lucillianus Nisibin eripuit. (Sed hæc obiter.)

dux Mesopotamiæ Cassianus & tribunus Mauricius pridem ob hoc missus, ad UR nomine Persicum

(magnam enim adhuc partem Persæ tenebant Mesopotamiæ. *Et constat*, teste Ammiano paulo post, *orbem Eoum in ditionem transire potuisse Persidis, nisi hæc civitas* (Nisibin intelligit) *habili situ & mœnium magnitudine restitisset.*)

venere castellum, cibos ferentes ex his, quos relictos cum Procopio & Sebastiano exercitus parcius victitans conservarat.

Ita, ut dixi, verba in edit. Lugdunensi sese habent, sensu facili atque benè cohærente. Contra, quam *Mariangelus Accursius* mendis 5000. (ut in fronte libri editor gloriatur,) purgatam Augustæ Vindelicor. 1533. fol. procuravit, Ammiani editio fol. 197. ita locum conspiciendum præbet: *Et via sex dierum emensa, cum ne gramina quidem invenirentur, solatia necessitatis extremæ, dux Mesopotamiæ Cassianus & Tribunus Mauricius pridem ob hoc missus adivit nomine Persicum venire castellum, cibos ferentes ex his*, &c. Vitiose! nulloque sensu! Erit ergo hoc quinquies millesimum primum mendum, quod Accursii merebatur virgulam atque censuram, quæ tamen dimisit corvos vexavitque columbas.

Cæterum ab hac Ur iter porrigebatur in Thiſalphata atque Niſibin. Ammianus cap. ſeq. *Profecti exinde Thiſalphata venimus*, ———. *Poſt quæ itinere feſtinato, Niſibi cupide viſa, extra urbem ſtativa caſtra poſuit Princeps.* Conf. *Zoſimum* III. 33. 3. Hanc ergo Uram, quæ poſtea Perſarum ditioni ceſſit, patriam Abrahami eſſe putamus. Et, ni fallor, haud abs re; cum omnia patriæ Abrahami κριτήρια amice hic conſpirent, atque in illa Ura inveniantur. Atque quæ in genere de ſitu illius loci diſſeruimus, certiſſima eſſe, nullus dubito. Quæ ſpecialem ſitum attinent, pro infallibilibus equidem non vendito, probabilia tamen eſſe, nemo negabit jure, niſi certiora afferat, quæ tamen vix dari puto, ſilente Spiritu S. atque profanis Autoribus, è quibus duobus fontibus ſolum, Geographiæ veteris exactam notitiam nobis haurire licet.

CAPUT III.

Cur vocata fuerit Patria Abrahami

UR CHALDÆORUM.

Illud nominis accepiſſe eam cenſent *Forſterus* in Dictionario, *Sixtus Amama* Antibarb. lib. III. aliique quam plures, ab igne illo ſacro, quem in ipſa foverint perpetuo rogo ſacrificuli, divinoque affecerint cultu. Nec enim Perſa tantum ſuum Orimaſdem, Græcus Ἑστίαν, Latinus Veſtam (vid. *Socrates* lib. VII. Hiſt. Eccleſ. cap. VIII. *Tyrius Maximus* Serm. XXXVIII. *Seldenus* de DIs Syris Synt. II. cap. VIII. p. 317. ſeqq.) pro DEO habuit; ſed & Chaldæa gens ignis cultui ſe manciparat, uti ex *Ruffini* (ſupra cap. I. Sect. I. adductis) apparet verbis. Conf. *Suidam* in Κανωβος, *Autoremque Chronici Alexandrini* pag. 64. Sic *Gloſſa* ad *Canon. cum igitur Quæſt. I. Cauſ. XXXV.* ad vocem: *Chaldæis*, (quæ in ipſo Decreto legitur,) annotat ſequentia: *Hi ignem pro Deo colebant; quia ſicut Deus dicitur eſſe ubique: ita ignis in omni loco, etiam in lapidibus invenitur: ideo Deum vocabant ignem.* *Bochartus* vero in Phaleg. lib. II. cap. IV. pag. 83. inquit: *Ur vallem ſignificat. Hinc Eſai.* 24: 15. באורים שבחו יהוה *In vallibus celebrate Dominum. Itaque Ur regio vel Urbs videtur in valle fuiſſe.* Non abſimilia tradit Corn. à Lapide in Nehem. IX. *Dicta videtur*, (inquit,) *à cultu* agri, (*hunc enim Hebr. ſignificat Ur*,) *quem teſte S. Hieronymo quæſt. in Geneſin, ut Deum coluerunt Chaldæi; Sicut Heliopolis in Ægypto dicta eſt à cultu ſolis.* Sed hæc *Bocharti* & *Cornelii* conjectura ſua ſponte corruit, cum אור non notare vallem probaverimus ſupra. Magis ergo illa placet, quæ à ſervato igne æterno atque ſacro nomen Uram traxiſſe, putat. Majora dubia moventur de altera voce componente CHALDÆORUM, Ebr. כשדים Caſdim. Hi enim non dicuntur quaſi כְּשֵׁדִים i. e. *tanquam dæmones*, vel *vaſtatores*, vel *filii Diaboli*, juxta *Hieronymum* cit. *Chriſt. Matth.* Theatr. Hiſt. pag. 13. Sic enim כְּשֵׁדִים non haberet שׂ Sin, ſed שׁ Schin; nec Tſere in שֵׁדִים mutari poteſt in Scheva, quia compenſativum eſt. Ergo hanc ſuavem eſſe alluſionem, non veram Etymologiæ notationem, patet. *Philo* (cit. *Matth.* pag. 23.) ſtatuit, *Chaldæos nomen trahere à* כלדים Chaldim, *quæ vox ÆQUABILITATEM ſonet. Hancque notationem ſpectare cultam à Chaldæis ſideralem ſcientiam & æquabilem orbium cœleſtium motum.* Sed hæc falſi arguere non dubito. Nec enim apud Ebræos aut Chaldæos Chaldim æquabilitatem notat, quantum ego quidem ſcio. Unde & hæc faceſſat Etymologia! Certum habemus & exploratum, Chasdim (vel Chaldæos) nomen accepiſſe à כשד Cheſed, (vel Keſed, vel, ut Græci efferunt, Chaſed) filio Nachoris ex Milca Gen. 22: 21. Hieronymus traditionibus in Geneſin: *Chaſed quoque quartus eſt, à quo Chaſdim i. e. Chaldæi vocati ſunt.* Sic & *Elia Hammiſrachi*, de quo ſupra pag. 64. (Nec enim Chaldæi ab Arphaxad, juxta *Joſephum*, nomen traxerunt, ut Arphaxadæi nominarentur. Etſi non valde diſſentiat *R. Abraham Sachuth* in Sepher Juchaſin fol. 135. in genealogia Filiorum Semi: והג׳ ארפכשד נקרא כעת כלדיי׃ i. e. *Tertius eſt Arphachſad, à quo, qui nunc Chaldæi vocantur.* Sic & *Abarbenel* ad Parſ. Noach fol. 49. col. 3. lin. 17. ſeq. Conf. *Bochart.* in Phaleg. lib. II. cap. IV. qui recte hanc ſententiam *merum* vocat *ſomnium.* Dicitur vero כשדי *Casdi* à Ceſed, ſicut עברי (*Ifri*) ab Eber עבר, aſſumpto Jod Gentilitio. Latinis atque Græcis dicti ſunt Chaldæi, mutato Sin in l, ut alias in Ἀννίβας & Annibal, Ἀσδρούβας & Asdrubal factum vides. Atque hinc dicitur אור כשדים Ur Chaldæorum, quam nempe Chaldæi tenuerunt. Sed, inquis, tempore, quo Abraham ex Ura Chaldæorum exiiſſe dicitur, nondum aſpexerat Chaſed has oras, à quo tamen Chaldæos nomen traxiſſe, aſſeris. Reſpondeo verbis *R. Abrahami Aben Eſræ* ad Gen. XI.

שהיה לו שם אחר כי כשדים מבני נחור אחי אברהם׃ רק משה כתב השם הנודע בימיו והעד כי שם נולד אברהם ששם מת הרן אחיו וכו׳

Fuiſſe loco illi (*tempore Abrahami*) nomen aliud; nam Chasdim (*ſeu Chaldæi*) è Nachoris fratris Abrahami, (*patriſque Chaſedi*) poſteris (*ortum ducunt*). Verum Moſes indicavit ſaltem nomen loci ſuis temporibus uſitatum, teſtaturque illic loci natum eſſe Abrahamum, ibidemque mortuum ejus fratrem Haranem.

Figura illa *Prolepſis* vocatur & in Sacris Scripturis frequentiſſima eſt. Sic Geneſ. 12: 5. dicitur: *Poſtea reſigens inde ad montana profectus eſt, verſus orientalem tractum Bethelis: Bethel ab Occidente & Hai ab oriente erat ipſi*, (juxta verſ. Tremellio-Junianam). Abrahamus hic deveniſſe dicitur Bethelem, cum locus illud nominis à nepote demum Abrahami Jacobo acceperit Gen. 28: 19. Ratio: Quia tempore ſcriptoris ſacri ita vocabatur, ut vel ex Joſ. 8: 9. patet. Sic Gen. 14: 7. (Kedor Laomer & confœderati Reges) *percuſſerunt totum agrum Amalekitarum.* (Nota obiter verba R. Salomonis Aben-Melech in Michlal Jophi fol. VI. col. 4. מישור גדול שערים בנויות בו נקרא שדה׃ וכן שדה אדום׃ שדה מואב׃ *Planities ampla, in qua urbes ædificatæ ſunt, vocatur Ager, e. g. Ager Edom, Ager Moab.*) Aſt tum temporis nondum erat editus Amalek Nepos Eſavi, à quo origines ſuas repetierunt Amalekitæ. Scilicet tempore, quo hæc ſcribebat Moſes, ita vocabatur regio inter terram Canaan & Ægyptum ſita. Parallela exempla alia coacervavit *Sal. Glaſſius* Philolog. Sacr. lib. IV. Tract. III. Obſ. X. membr. 2. pag. 958. ſive quem vide. Eadem ratione Ur Chaldæorum patria Abrahami dicitur, non quod ſic vocata fuerit, quum Abraham illic degeret, ſed quod ſic temporibus Moſis, qui geſta Abrahami ſcripto conſignavit, appellaretur, hocque nomen συγχρόνοις Hiſtorici ſacri eſſet notum, antiquum atque obſoletum non item. Cur vero vocatur Ur Chaldæorum, cum in Meſopotamia ipſam ſitam fuiſſe dixerimus? Non unam etymi rationem allegat Abarbenel ad Parſ. Noach fol. LI. col. 4. ſequentibus verbis:

והנה נקרא כן אור כשדים אם מפני שבהיותו מולך בבבל משם יצא לאשור שהיה מפני שם כמ״ש מן הארץ ההיא יצא אשור כפי פירוש המפרשים וכבש מקומות בארץ ארם ומכללם היה זה שנקרא אור כשדים בעבור שכבשוהו כשדיי׳ כמו שכתב הר״ן וכבר כתב הראב״ע שפי׳ אור בקעה וכמוהו על כן באורים כבדו יי׳ ויהיה ענין השם בקעת הכשדים שנתפשטו עליו לשלול שלל ולבוז בז׳ ואם לסבת האש שנושה בו אברהם במצות מלך כשדים והיותר נכון הוא מה שכתבו חכמי האומות שהיו הכשדים במקום ההוא עובדים את האש ואת השמש המולך עליו ולכן קראוהו אור כשדים׃

Et ecce vocatur Ur Chald. vel ideo, quod ille (*Nimrod*) quum regnaret in Babel, inde egreſſus ſit in (*regionem*) Aſſur Semigenæ, ſicut dicitur Gen. 10: 11. *Ex terra iſta exiit* אשור i. e. in *Aſſur* (ſeu Aſſyriam,) uti Interpretes quidam exponunt, & ſubegerit oca quædam regionis Aramææ, inter quæ & iſte fuit locus, qui Ur Chaldæorum vocatur, ideo, quia ſubegerunt ipſum Chaldæi, uti ſcribit ה״רן (*forte hæc abbreviatura notat hæc* ה״רב ר״בינו נ״סים *Magnus Rabbi Niſſim*, qui דרשות i. e. *conciones*, *item* מעשה נסים i. e. *commentarium in Pentateuchum compoſuit; vel exponenda erit* ה״רב ר״בי נ״חמני *Magnus R. Nachmanides: Abbreviaturam iſtam in Buxtorfio fruſtra requires; In Abarbenele vero ſæpiſſime occurrit, e. g. fol. 78. col. 1. lin. 24. 27. &c.*) Pridem vero ſcripſit *R. Aben Eſra*, אור (Ur) notare *vallem*, atque ſic uſurpari Jeſ. 24: 15. *Ideo* באורים i. e. *in* vallibus *glorificate Dominum*; atque ſic nomen illud ſignificabit *VALLEM CHALDÆORUM*, quam nimirum Chaldæi occuparunt prædandi atque ſpoliandi cauſa. Aut (*ſic dictus fuit locus ille*) propter ignem, in quem juſſu Regis Chaldæorum projectus fuit Abraham. Verius eſt, quod tradunt Sapientes gentium, (*ſic Chriſtianos vulgo vocant Judæi,*) Chaldæos illic loci coluiſſe ignem hujusque Dominum Solem, ideoque iſtum vocaſſe locum Ur, id eſt, *ignem Chaldæorum.*

Triplicem, vides, profert reſponſionem Abarbenel. Media mole ruit ſua, quum fundamentum ipſius (nempe traditionem, quæ Abrahamum in ignem à Chaldæis projectum eſſe, teſtatur,) ſubruerimus. Prima nititur loco Gen. 10: 11.

E. de

E. de illo pauca. In fontibus ita legitur מן הארץ ההיא יצא אשור ויבן את נינוה וגו' Triplicem potissimum hujus dicti expositionem reperio. Prima est R. Mosis Ben Nachman, cujus hanc esse sententiam testatur Abarbenel ad Pars. Noach fol. XLIX. 1.

שהוא כמו מן הארץ ההיא יצא נמרוד למשול בארץ אשור ושם בנה את נינוה ושאר המלכיות הגדולו' אשר זכר ויהיה אמרו יצא אשור כאמרו יצא לאשור וכמוהו למלחמה אדרעי שר"ל למלחמה לאדרעי׃

Esse idem, ac si dicat: E terra illa exiit Nimrod, (*quippe de quo vers. praced. agitur,*) ut regnaret in terra Assur, illicque ædificavit Niniven, cæteraque loca illa magna, quæ commemorat Scriptura, atque sic τὸ *ivit ASSUR*, idem est, ac si diceret: Exiit IN ASSUR (sive *Assyriam.*) Ita dicitur Num. 21: 34. *in pugnam Edrei*, i. e. in pugnam, in Edrei.

Scilicet deficere putant He locale vel particulam אל i. e. ad, in, versus. Hinc Junius atque Tremellius locum reddunt: *E terra hac processit in Assyriam, ubi ædificavit Niniven, &c.* Hæc præter cæteros sententia propugnatorem nacta est *Bochartum*, qui Lib. IV. Phal. cap. XII. sex ipsam rationibus suffulcire conatur. Et sane ellipsis illa He localis in Scripturis Sacris nequaquam insolita est, id quod optime te docebit Cl. *Christianus Noldius* Concord. Partic. Ebr. p. 244. lin. antep. s. & p. seq.

Secunda est eorum, qui τὸ Asschur προσωπικῶς accipiunt, ita tamen ut Assurem filium Semi intelligant h. m. *E terra illa Babylonia egressus est Assur* (Filius Semi, vel Nimrodi metu, vel idololatriæ odio, vel ne turris ædificationi operam simul navare cogeretur, vid. Abarben. proxime cit. loc.) *& ædificavit Niniven.* Sic præter alios è Judæis *Bechai* in Legem f. XXI. 3. è Christianis *Chr. Matthiæ* Theat. Hist. p. 11, 12, 24.

Tertia, Assurem intelligit Filium Nimrodi (cujus quidem in Script. S. nomen alibi non traditur, alias Ninum dictum. Hanc post *Hieronymum*, *Torniellum*, *Bonfrerium*, *Varenium*, defendendam suscepit D. D. *Pfeifferus* D. V. B. Cent. I. Loc. XXXI. pag. 95. qui locum ita παραφράζει: *Ex terra illa*, (quam scilicet tum tenebat Nimrod sive Belus,) *egressus est* (movit se, sive expeditionem bellicam facturus, sive novas sedes quæsiturus,) *Assur* (qui alias Ninus) *& ædificavit* (vel certe ædificando complevit,) *Niniven*, (urbem illam magnam, &c.

Quocunque vero tandem modo dictum illud exposueris, plane tamen non quadrabit ad Ur Chaldæorum. Sive enim vocem Asschur accipias προσωπικῶς s. γεογραφικῶς, terminus ad quem sive Nimrodi, sive Assuris non erit Mesopotamia, (in qua Ur Chaldæorum situm esse, vidimus supra,) sed potius Assyria, in qua Ninive. Assyriam vero atque Mesopotamiam interfluens dividit Tigris, qui Dan. 10: 4. נהר גדול flumen magnum appellatur. Tertiam Abarbenelis conjecturam, quæ ipsi יותר נכון i. e. *magis firma* audit, quam & supra pro vera habuimus, iterum pro optima recipimus. Uti vero superius monuimus, Ur Chaldæorum est, illud nomen loci, quod tempore Mosis in ore vulgi versabatur. Scilicet Chaldæi tum Monarchæ Mesopotamiam, (uti & aliis gentibus fecerant,) sub jugum suum redegerant, & religione sua incolis, pro more victorum, obtrusa, Uram forte elegerant, ubi sacrum ignem sacrificuli æterno foverent rogo. Hinc nomen UR CHALDÆORUM. Atque Mosis adhuc temporibus Mesopotamia sub illo gemebat imperio. Nam tum temporis Amyntas aut Ascatades vel saltem Belochus II. summo fruebatur Monarchiæ apice atque fastigio.

Quo vero jure Moses addidit vocem כשדים CHALDÆORUM, eodem jure Stephanus Uram appellat γῆν Χαλδαίων· Utiturque ita Prolepsi, non aliter ac Moses fecit, uti id supra pag. 76. declaravimus. Atque hic, id, quod in more Scriptores N. T. positum habent, etiam LXX. Interpretum versionem exprimere voluit Stephanus. Illi enim τὰ אור כשדים reddunt per χώραν τῶν Χαλδαίων. Sicut ergo, (quod Beza ad Marc. 15: 33. observat,) quandoque γῆ pro χώρα dicitur uti Matth. 9: 26. Luc. 4: 25. sic & pro χώρα, quod apud τοὺς ο' legitur, substituit B. Stephanus vocabulum γῆς. Atque hæc de Etymo nominis Ur Chaldæorum. Sequitur

CAPUT IV.

DE

GENIO URÆ CHALDÆORUM.

DE genio hujus loci quædam sed breviter monere, haud ἀπροσδιόνυσον erit. Abarbeneli si fidem habemus, Terach illum noxium atque pernitiosum deprehendit, ideoque alias quoque petiit terras. Ille enim primo hanc proponit quæstionem fol. LI. 4.

השאלה הה' למה לא זכר הכתוב סבת יציאתם מאור כשדים ללכת ארצה כנען ועם היות שהשאלה הזאת קלה. אין ספק שסבה מה היתה שם כי איש זקן עם רוב בנים לא יעתק מארצו רק לסבה ידועה׃

Quæstio V. Quare Scriptura non indicarit causam abitus illorum ex Ur Chaldæorum in terram Canaan. Et licet quæstio levis esse videatur, nullum tamen dubium est, prægnantem illic adfuisse causam. Senex enim multa prægravatus familia, vix mutat solum, nisi ob prægnantem causam.

Responsio ad præpositam quæstionem nimis pene prolixa est. Truncare tamen eam vix sustineo. Ergo totam cum versione nostra subjungam, prout fol. seq. col. 1. lin. 3. seqq. legitur:

והנה כוונת כל הספור הזה איננו להגיד קורות תרח ומאורעותיו כמו שכתב הרמב"ן אלא להודיע איך סבב הקב"ה שיצא אברהם אל ארץ כנען כי היא הארץ אשר בחר יי' בה לנחלה לעבדיו וחושבי שמו וזהו אמרו אני יי' אשר הוצאתיך מאור כשדים ר"ל שסבבתי יציאתך משם לא שצוהו לצאת מאור כשדים בדבור לך לך מארצך כמו שחשב הראב"ע כי אם היה הדבר כן היה הכתוב מפרש שיצא משם במצות השם לא במצות אביו והנהגתו׃ והנה הגיד הכתוב איך נתגלגלו הדברים שיצאו מאור כשדים והוא עם היות שכל בני שם היו מולידים בהיותם בן ל' שנה או קרוב לזה הנה תרח לא הוליד עד ע' שנה והיה זה רע בעיניו׃ עוד ראה שאבותיו הרבו התולדו' כמו שנא' בכל אחד מהם ויולד בנים ובנות אבל תרח עצרהו יי' מלדת ולא הוליד כי אם שלשה בנים את אברם ואת נחור ואת הרן ולכן לא נאמר בו ויולד בנים ובנות כמ"ש בכל אבותיו ונתחדש על כל זה שהרן בבחורתו אחרי שהוליד את לוט מת על פני תרח אביו ר"ל בפניו כי נעצב אל בנו עצבון רב׃ לפי שמת בחייו ולא הניח רק לוט ילד קטן ואמר שמת בארץ מולדתו לפי שלהיות דבר זר וכנגד הטבע מות האדם בבחורתו ובעוצם כחו היה אפשר שיחשב כי אולי מת הרן מהעתיקו מארצו אל ארץ אחרת כי הנעתק מארץ אחת אל אחרת מנגדת אליה בטבעה יחלה או ימות כמו שזכר אב"ס לכן אמר שמת בארץ מולדתו והוא יותר מתמיה וכירם ואמר באור כשדים לפי שתרח חשב שהמקום ההוא גרם כל הרעות האלה ושהיה מזלו של אור כשדים רע ומנגד אליו׃

Finis omnis illius narrationis non est, ut fata atque casus Terachi exponeret (*Scriptura*), quæ sententia Nachmanidis est; sed ut doceret, quomodo causa fuerit DEUS, quod exierit Abraham in terram Canaan; Hæc enim est illa terra, quam Deus elegerat servis suis nominisque sui cultoribus in hæreditatem. Hinc dicit Gen. 15: 7. *Ego sum Dominus, qui eduxi te ex Ur Chaldæorum*, q. d. qui causa fui tui egressus. Non, quod mandarit ipsi ut exiret ex Ur Chaldæorum dicto illo Genes. 12: 1. *I tibi è terra tua*, uti putat R. Aben-Esra. Si enim sic se res habuisset, Scriptura expresse dixisset, exiisse illum jussu Divino, non paterno jussu aut ductu. Et ecce! Scriptura explicat, quomodo evenerint res, ut exirent ex Ur Chaldæorum. Scilicet cum filii Semi liberos procrearent, cum 30. circiter annorum essent, Terach non genuit, nisi septuagenarius, id quod ipsi valde displicuit. Porro vidit, majores suos multam procreasse sobolem, prout de singulis dicitur Genes. 5. & 11. *Et genuit filios filiasque.* Ast Terachum vetabat DEUS gignere, nec genuit, nisi tres solum filios, Abrahamum, Nachorem & Haranem, ideoque non dicitur de eo: *Et genuit filios atque filias*, uti de omnibus ipsius majoribus dictum reperitur. Accessit, quod Haran juvenis, genito Loto, decessisset super facie patris sui Terachi i. e. coram ipso; gravi quippe est affectus dolore, quod filius, se vivo, mortuus esset, nec nisi Lotum parvulum reliquisset. Addit vero: *In patria sua*, quia, quum mors hominis juvenis robustique quiddam esset insolens & contra naturæ cursum, potuisset quis opinari, Haranem forte mortuum esse, cum suam cum alia permutaret terra; qui enim suam terram permutat cum alia huic è natura sua (*sive temperamento* contraria aut æger erit, vel etiam morietur, teste *Avicenna.*

Hinc

Hinc dicit, quod mortuus fuerit in patria sua, id quod majorem excitat admirationem. Et diserte dicit: *IN UR CHALDÆORUM*, quia Terach cogitavit, locum istum omnium istorum sibi causam esse malorum, & quod *PLANETA*, *cui subjecta Ur Chaldæorum noxius sibique adversus esset.*

Et paucis interjectis pergit *Abarbenel*:

ועוד זכרה התורה התעור רות אחר שבא לתרח והוא שבהיות שאברהם ונחור לקחו להם נשים שם אשת אברם שרי ושם אשת נחור מלכה בת הרן ויאמר הכתוב מיד שלא היה אותו הרן בן תרח ואחי אברהם כי הוא לא הוליד רק לוט אבל היה הרן אחר אבי מלכה ואבי יסכה הנה היה שרי עקרה אין לה ולד וגם זו רעה רבה היא בעיני תרח שמשלשה בניו שלו האחד איכלו הרן שמת בחייו בחור וטוב והבן השני אין לו ולד ובזה היתה משפחתו קרובה להכרת ואין רעה גדולה ממנה אבל הגיבורים אשר מעולם אנשי השם ואין ספק שאברהם לא נשא אשה בבחורתו כי תמיד הלך בה מרעה אל רעה עם מלך הארץ וגם העם שהיו אומרים נגדו שהיה אפיקורוס לאלהיהם אבל כמעט אומר שלקח את שרה בהיותו בן מ' שנה והוא היה בן ע"ה שנה כשיצא מחרן ברצון השם ולכן חרה לתרח כי ארכו ימים לאברהם שהיה נשוי ולא הוליד וחשב תרח שמקום מושבו אור כשדים היה גורם לו כל אלו הרעות על כן התעורר לצאת משם ולעשות שנוי מקום וללכת אל ארץ כנען שאוירה טוב להיותה ארץ הרים וגבעות עד שלטוב מזגה היו שם בני הענק ולכן כשראה הרן מת ושרי עקרה לקח תרח את אברם בנו ואת שרי כלתו לא מאהבתו אותה אלא להיותה אשת אברם בנו גם שלא היה יודע אם היה אברהם העקר או אשתו היתה עקרה וכדי לשנות מזלם הוציאם ממקום הרע ההוא אור כשדי' והוציא גם כן את לוט בן בנו בחמלתו עליו פן ימות גם הוא כאביו כי רוב הבנים ידמו לאביהם במזגם והיתה מחשבתו שמזג אור כשדים ומזלו ימיתהו גם כן:

Aliam porro exponit Scriptura causam, quæ Teracho persuasit, ut iter ingrederetur, quæ hæc est: Abram & Nachor duxerant uxores. Uxori Abrahami nomen erat Sarai, & uxori Nachoris Milca Filia Haranis. Statim vero docet Scriptura, quod ille Haran non fuerit filius Terachi Abrahamique frater; hic enim non nisi Lotum genuit. Sed alius fuit Haran, pater Milcæ & Jiscæ. Ecce Sarai fuit sterilis, nulla ipsi erat proles, id quod valde affligebat Terachum, quia è tribus, quos habebat, filiis unus mortuus esset, Haran scilicet ipso vivente mortuus juvenis atque probus, secundusque nondum pater esset factus, atque sic familia sua in perniciem ruere videretur, id quod olim pro summo reputarunt infortunio viri magni, utpote qui ab initio viri celebres fuerant. Nec dubium mihi est, non duxisse Abrahamum uxorem, dum juvenis adhuc esset, quia semper ejus causa variæ ipsi subeundæ fuissent adversitates propter Regem terræ (*forte amore uxoris capiendum*), ut & populum, qui ipsum Deorum suorum contemptorem vocabat. Sed ad minimum, meo judicio, Abraham 40. annos habuit, quum in uxorem duceret Saram. Annos autem 75. habuit, cum è Carrhis exiret jussu Divino. Et hinc indignatus est Terach, quod Abrahamo ita prolongarentur dies, ut uxoratus esset, nec tamen gigneret. Et putavit Terach, locum, ubi sedem fixerat, *Uram Chaldæorum istas sibi parere molestias*. Ideoque statuit illinc discedere, locumque mutare, atque terram Canaan petere, quia illic aër purus, dum montibus atque collibus obsita esset, adeo ut, ob bonum ipsius temperamentum, filii Enak, (*seu gigantes*,) illic essent. Ideoque videns Haranem esse mortuum, Saraique sterilem, assumsit Terach Abramum filium, nurumque Sarai, non quod hanc adeo diligeret, sed, quia filii sui esset uxor, nec ipsi constaret, num Abraham esset frigidus, aut uxor ejus sterilis. Et ut mutarent *PLANETAM*, eduxit illos è *loco illo noxio Ur Chaldæorum* & eduxit simul Lotum nepotem suum, ipsius misertus, ne, uti pater ipsius, moreretur & ipse; ut plurimum nempe filii parentibus similes sunt, quoad temperamentum; Veritus quippe est, ne *temperamentum planetaque Uræ Chaldæorum* ipsum quoque perimeret.

Hæc Abarbenelis dicta, ut eo faciliori ipsorum sensum deprehendas negotio, B. L. pauca dicenda erunt, de מזל (quam vocem *planetam* reddimus, cui Uram subjectam fuisse, dicit Abarbenel. מזל massal in Sacris Literis in Singul. non est obvium. Pluralis *Massaloth* est è numero τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις γραφαῖς ἅπαξ λεγομένων. Reperitur vero 2 Reg. 23. vers. 5. והשבית את הכמרים וגו' ואת המקטרים לבעל לשמש ולירח ולמזלות ולכל צבא השמים· id est, *Et sustulit Camarim*, &c. & *suffitum facientes Baali*, *Soli*, & *Lunæ*, & Massaloth (i. e. planetis, sic *Lutherus*, vel, signis Zodiaci, sic *Vulgata versio*,) & *omni exercitui cœlesti*. Varias hujus vocis versiones congessit *Matth. Polus* Synops. Crit. Tom. I. col. 1792. Parallelam huic vocem deprehendimus Job. 28. vers. 32. Est ea מזרות *Massaroth*. Verba sunt Omnipotentis cum Jobo litigantis: התוציא מזרות בעתו *Numquid producis Massaroth tempore suo*. Quid *Massaroth* sint, disquirunt Interpretes. LXX. Ebræam retinuerunt vocem, dum Μαζουρὼθ reddunt. (*Suidas* vero Μαζουρὼθ reddit *signa Zodiaci* aut *sidereum canem*.) *Pagninus signa cœlestia*, alii *signa Zodiaci*; *Luciferum* alii; alii *constellationes Planetarum*. Vid. omn. Synops. *Poli* Tom. II. col. 413. *Kimchi* in Sepher Haschoraschim eandem esse vult cum מזלות *Massaloth*. Cæterum *Massaloth* Rabbinis dupliciter sumitur, tum pro heptade Planetarum, tum pro dodecade signorum Zodiaci. Sic גלגל המזלות est ipsis Zodiacus. Hinc

טלה·		Arietis
שור·		Tauri
תאומים·	מזל est Signum	Geminorum
סרטן		Cancri
אריה·	Confer *Targum*	Leonis
וכיוצא בו·	Cant. 5:14.	&c.

De planetis usurpat *Raschi* ad Mass. Schabbath fol. CLVI. col. 1. ז' מזלות הן המשמשין את השעו' חכנ"ל שצ"ם· i. e. *VII. Massaloth* (Planetæ) *horis inserviunt*, (seu ipsas constituunt,) *suntque*: חכנ"ל שצ"ם. Abbreviatura isthæc resolvitur in 7. Planetarum nomina h. m. ח"מה נ"וגה כ"וכב ל"בנה ש"בתי צ"דק מ"אדים· i. e. *Sol*, *Venus*, *Mercurius*, *Luna*, *Saturnus*, *Jupiter*, *Mars*. Tali *Massal*, (seu signo cœlesti, subjectam Mesopotamiam fuisse, dixit Abarbenel. Scilicet Judæi cuilibet regioni suum præposuerunt *Angelum Tutelarem atque Planetam*, seu signum Zodiaci). Moti loco Deut. 4: 19. *Neve attollas oculos tuos cælum versus*, *aspiciasque Solem* & *Lunam* & *stellas*, *omnem exercitum cœlestem*, & *impellaris atque adores atque servias ipsis*, *quæ* partitus est (חלק) *Deus Dominus tuus omnibus populis sub omni cœlo*. Ex hoc & Deut. 32: 8. 9. probant Judæi omnes cæteras nationes subjacere Planetarum regimini, aut, (ut alii,) signorum Zodiaci, Deum autem specialem Judæorum curam in se suscepisse. De Planetis vid. Mass. Schabb. c. l. De signis Zodiaci audi *Eliesérem Askenasi* in Maasé Thorá cap. XLI. fol. 172. col. 1.

והנה אחר זאת שהנחיל לגוים י"ב מזלות והציב גבולם אחר שלישראל אחר שכל הישוב שהוא תחת ממשלת המזלות וכו'·

Et eccce posteaquam distribuisset Deus gentibus *XII. signa Zodiaci* (Massaloth) illarumque constituisset terminos, dicit, quod Israëli, toto orbe regimini illorum signorum subjecto, &c. &c.

Alias dicunt, cuique genti esse suum Angelum atque *Massal*, (Planetam, vel signum Zodiaci). Testis *Aben-Esra* ap. *Abarbenel* ad Pars. Vajjischlach fol. XCVI. col. 3. אבל דעתם כדברי הראב"ע שיש לכל עם ועם שר ומזל בשמים· i. e. *Sed mens ipsorum*, *uti* Aben-Esra *dicit*, *est*, *quod cuique nationi sit Tutelaris Angelus* & מזל *Planeta*, (*vel signum Zodiaci*,) *in cœlo*. Conf. *Ant. Hulsium* Theolog. Jud. part. I. pag. 437. *Const. l'Empereur* in Abrabanielis Prophet. XXX. pag. 61. seqq. Sive vero hoc in dicto מזל interpreteris Planetam, sive signum Zodiaci, monstrosa prodibit tamen propositio. Etenim, (ex principiis Judaicis concludam,) si LXX. vel accuratius LXXII. Gentes orbem hunc inhabitant, (quæ sententia passim in Rabbinorum scriptis obviam cernitur, [Conf. ex innumeris *Jonathanem* Targumistam Gen. 11: 7. 8. *Targ.* Cant. 5: 10. Beresch. Rabba fol. XLIII. 2. Vid. omn. Sam. *Bochartum* l. I. Phaleg. c. XV. pag. 60. seqq.] unde LXXII. linguæ celebres, quas Synedrii Assessorem addiscere jubent *Talmudistæ* in Mass. *Sanhedrin*, easdemque calluisse quendam è magnis Senatoribus, Mordechæum nomine, testantur iidem in Mass. *Megilla* fol. XIII. 2. & in *Schekalim* cap. V. Misch. I. &c.) qui illis VII. aut XII. sufficiunt cœlestia corpora, ut quælibet proprium nanciscatur? Videtur ergo his in dictis Judæos nec signa Zodiaci nec Planetas indigitare voluisse; Sed in genere astra. Quippe מזל (quia à נזל *fluxit*, *influxit*, propter influxum in Sublunaria, nomen habet,) astrum quodlibet notare potest, quod nim. in sublunaria suas vires exerat. Tali ergo signo cœlesti subjectam fuisse Uram ratus est, (ex sententia Abarbenelis,) Terach Abrahami genitor. Et illud quidem sibi noxium, & suorum liberorum mortem atque frigiditatem illi imputandam esse censuit.

Terra

Terra ergo ista insalubri relicta in terram Sanctam ingressus est iter, vel quod illam mitiori regi astro putaret; vel plane nullo subjacere astrorum influxui, crederet, uti alias μετὰ πολλῆς φαντασίας crepant Judæi illud, quod in *Schabbath* fol. 156. col. 1. *Succa* fol. 29. 1. legitur: אין מזל לישראל *Nullo astro regitur Israël.*

Sed à sterilitate Saræ morteve Haranis N. V. C. ad totius regionis aut urbis patriæ indolem. Nec enim culta Mesopotamiæ pars (*Ebr. Paddan Aram*), in qua Uram sitam esse, & Abarbenel agnovit, naturæ suæ malignitate parentibus liberos invidit, aut insalubri temerata fuit aëre. Sane, quod ipse Abarb. agnoscit, omnes Abrahami majores fuerunt חכמי השם שהרבו התולדות *Viri celebres, qui multam procrearunt sobolem.* Atqui hi omnes Uram incolebant, qua de re è Jos. 24: 2. superius monuimus. Sed & contraria ratione Palæstina multa sæpius juvenum adspexit funera. Jeroboamo natus Abia vix ephebos excesserat, cum ex his etiam oris excedendum illi esset. Exemplorum aliorum dives in sacris literis seges est. Non est ergo, ut Ura Palæstina insalubrior esse statuatur. Et etsi hanc montibus atque collibus obsitam fuisse non negem, certum tamen est etiam, Mesopotamiam altissimis montium jugis circumseptam fuisse, Tauro nempe Niphaticisque jugis. Subjacere tamen noxii syderis tyrannidi Uram, dicit Abarbenel. Verum dicit, non probat. Vix enim puto alium præter vel ante ipsum Uræ insalubritatem affingere ausum esse, (nisi huc trahere velis *Fl. Josephi* verba lib. 1. ἀρχαιολ. cap. 8. *Cæterum cum Tharrus exosus esset Chaldæam propter luctum Aranis, omnes simul migraverunt Carrhas Mesopotamiæ*). Astrorum in sublunaria influxus omnino negare, vix ausim. Sed communes esse omnibus, non certo subjecto destinatos, putem. Sic Hyades & nimbosus Orion non hanc vel istam solum urbem imbribus & fluvialibus perfundunt undis. Sic Sirius ubique fere terrarum nimia caloris vi mortalibus molestus est. Sed certis locorum vel hominum individuis certa præesse sidera, altioris paulo est indaginis. Astrologiæ vero Judiciariæ vanitatem riserunt non immerito prudentiores. Digna lectu est dissertatio *Nicopompi seu J. Barclaji* in Argen. lib. 2. cap. 11. & *Maimonidis* epistola, quam p. 444. seqq. *Buxtorfius* Epistolicæ suæ institutioni subjunxit. Notatu etiam dignissimum est Jeremiæ dictum cap. 10: 2. *A signis cœlorum ne consternimini &c.* Et quibus argumentis *Abarbenel* in Merkebeth Hammischne (seu comment. in Deut.) fol. 17. 18. 19. 20. probare nititur, *Israëlitas nullius astri subjacere imperio*, eadem in ipsum convertimus, & inde probamus, eodem privilegio & cæteros orbis incolas frui. E Deut. 4: 19. rem evinci non posse, patet. Non quod חלק ה׳ cum Talmud. in Mass. *Afoda Sara* fol. 55. 1. *Grotio*, *Hackspanio* in Not. Bibl. explicare velim: *colenda permisit.* Hæc enim glossa sanæ doctrinæ Christianæ asseclis vix probari potest, quod Magnif. D. D. *Calovius* h. l. p. 561. aliique pii Theologi evicerunt dudum. Sed acquiescere placet παραφράσει D. D. *Pfeifferi* in D. V. B. cujus hæc sunt verba: *Ne tollas oculos tuos versus cœlum, ut aspicias, &c. & servias ipsis, quæ quippe DEUS partitus est inter omnes gentes* seu ex æquo communes esse voluit omnibus; Facit solem suum oriri, &c. Tibi autem præterea non paucas concessit ἐξοχὰς, unde tanto magis movearis, nec prolabaris ad cultum istarum rerum, quæ tibi & omnibus gentibus ex æquo communes sunt, &c. Vana ergo sunt, quæ de temperamento geniove nostræ Uræ disserit Abarbenel. Nec enim aëris malignitatem causam fuisse itineris, sed jussum divinum è Gen. 15: 7. Act. 7: 3. patet. Vid. supr. p. 24. Certiora quidem silentium Historicorum & Geographorum negat. Et nisi è toto ad partem concludere velimus atque è Mesopotamiæ cultæ (sive Paddan-Aram,) indole de parte ipsius Ura judicium faciamus, vix meliora, quam Abarbenel propinavit, proferemus. Paddan igitur Aram, ut supra pag. 67. seq. monuimus, fertilitate incredibili soli inclaruit. Non pejori pressam sorte Uram fuisse, putamus. Etsi enim Ammianus c. l. vicina suæ Uræ loca vix à fertilitate aut proventuum nimia abundantia commendare videatur, supra tamen pag. 73. ex Zosimi Hist. III. monuimus Persas beatas illas terras igni atque ferro pristina felicitatis facie penitus exuisse. Imo Mesopotamia æternorum bellorum inter Romanos atque Parthos Persasque theatrum fuit. Illic Crassi maculatas sanguine Carrhas, notum est. Hinc, (teste *Tacito* Annal. 6. cap. 36. 37.) Tiberii legatus L. Vitellius Euphratem transgressus, rumorem in vulgus sparsit, Mesopotamiam Parthis se incepturum. Sed victricia ostentasse arma satis esse ratus, re infecta, remeavit. Meliori successu Trajanus Nisibi potitus est potiori Mesopotamiæ urbe, Edessam funditus evertit, atque illas sub ditionem recepit terras. (Vid. *Dio Cassius* in Trajano.) Adrianus vero (teste *Æ. Spartiano* in ejus vita) *omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, exemplo, ut dicebat Catonis, qui Macedonas liberos pronunciavit, quia teneri non poterant. Tandem Severus terras interamnanas Mesopotamiæ recepit*, verba sunt *Æl. Lampridii* in Alex. Sever. p. 281. Hinc Persæ, qui, victo Artabano, summum orientis imperium armis sibi vindicarant, Mesopotamiam suo subdidere jugo. Gordianus autem junior frequentibus præliis Saporem victum submovit. Et post Artaxerxem Antiochiam recepit, Carrhas & Nisibin, quæ omnia sub Persarum imperio erant. *J. Capitolinus* autor est. Continuis hisce quassata malis ac bellorum tumultibus Mesopotamia nunc Persarum, nunc Romanorum patens raptibus, igni atque ferro, si de pristina felicitate multum remiserit, nihil miror. Uti enim Sodoma, antequam in maleolentem Asphaltitidis lacum abiret, erat כגן ה׳ *sicut hortus Dei* Gen. 13: 10. Sic Mesopotamia bonitate soli celebris primum fuit; Beatum vero illud interamne tempe hostium sive ferocia sive fugientium invidia totum perdidit, vastavit, depopulata est. Uram, suadente situ loci, castellum fecerant Persæ. Sed vestigia ipsius nunc penitus sepulta sunt, atque evanuerunt. Et memoria hominum omnino excidisset Ura, nisi Abrahamum edidisset, & Ammianum nacta esset, qui ejus memoriam seris transmitteret posteris. Quo fato aliæ etiam clarissimæ tum Mesopotamiæ, tum reliquarum orbis partium multatæ sunt urbes. Omnia destruxit tempus insatiabili voracitate cunctis inhians rebus. Scilicet

Tabida consumit ferrum lapidesque vetustas
Nullaque res majus tempore robur habet.

תושלב״ע

M. HENR. BAUMANNI
DISSERTATIO
De Statua Salis ad Gen. XIX: 26.
I. N. J.

§. 1.



Orrendum & omnium seculorum memoria dignum est illud documentorum iræ divinæ, cœlitus revelatæ super impietatem hominum, non ultimum excidium Sodomæ & vicinarum, quod suo sibi accersere jumento homines, nefandis immersi sceleribus, ipsamque naturam oppugnantes, Deo & omnibus bonis exosi. In alia omnia ab ipsis Lothi ejusque uxoris & filiarum abibat pietas, quam supremus scelerum Sodomitarum Vindex, & istius pietatis Remunerator mirabili ipsorum liberatione remunerari voluit, & mundo commendare. Sed se ipsam tanto Dei beneficio indignam reddidit Lothi uxor, quæ, posthabito divino mandato, oculos suos miraculosæ istius eversionis contemplatione forte malebat pascere, quam tantilla vesani desiderii coërcitione suæ consulere vitæ. Hæc enim miraculi istius contemplatrix è vestigio obriguit, & in statuam salis conversa inauditam inobedientiæ suæ pœnam dedit. Hujus singularis pœnæ, vel castigationis generis memores nos esse jubet Christus Luc. 17: 62. quia salem prudentiæ mundo suppeditat, ut Patres de hac salis statua loquuntur. Nos memoriam historiæ hujus recolentes ea delibabimus, quæ non nullam historiæ huic & textui lucem conciliare poterunt. Hos autem huic dissertationi præfigimus cancellos, ut quantum licet, & curta permittit librorum suppellex, expendamus miraculosæ hujus metamorphoseos (1) Causam efficientem (2) Causam meritoriam (3) Materiam (4) Formam (5) Figuram externam (6) Tempus (7) Locum (8) Durationem (9) Finem & (10) quædam adjiciamus cognata.

§. 2. Causa efficiens principalis hujus conversionis procul dubio DEUS est, qui urbes istas sulphureo imbre obruit cœlitus & evertit; qui Lothum ejusque comites respicere versus Sodomam prohibuit. Et cum opus ad extra sit illa metamorphosis, commune est omnibus tribus personis. Quo facit, quod Dominus à Domino pluisse dicatur vs. 24. quam phrasin hic personarum pluralitatem & numericam actionis identitatem inferre alibi probant Theologi. An vero Deus causæ cujusdam secundæ vel mediæ ministerio usus sit non æque patet. Rivetus fol. 379. in h. l. *non improbabile* censet *Deum id effecisse vi sulphuris & ignis* (cui salem admixtum fuisse putat) *quo misera illa fœmina, quasi fulmine tacta, obriguerit.* Sed si in statuam salis proprie conversa est, quod Rivetus asserit, medium conversionis nec ignis, nec sulphur, nec Sal extrinsecus adveniens & adhærens, dici potest: alias eodem jure statua sulphuris dici posset; & omnia flammis istis consumta (si in horum numerum Lothi uxor referenda est) in salem ad minimum conversa essent. Sed cum modus conversionis nos lateat, & in textu nullum instrumenti vel medii cujusdam, à Deo adhibiti, vestigium appareat, relinquimus hujus farinæ conjecturas suis Autoribus, & miraculosam Dei miramur actionem. An vero irati Dei fulmen hoc subitaneæ mortis genus dici possit, definiant Theologi.

§. 3. Causa meritoria fuit omnium consensu ipsius inobedientia seu transgressio mandati Dei, quod Lotho & in persona ejus, uxori & filiabus ipsius (alias impune retro respexisset uxor ejus) interprete Angelo, de non retro respiciendo dederat; cujus rationes exponere solent Interpretes in hunc locum. Videatur Gerh. Rivetus, Pererius. Quam primum ergo mandatum divinum violavit, hanc incurrit pœnam, vel castigationem. Notatio enim culpæ pœnæ hic proxime præmittitur. *Et respiciens uxor ejus versa est in statuam salis:* quia scil. respexit, de post illum, ut nonnulli compositæ vocis מאחריו emphasin exprimere volunt; restringentes relativum ad Lothum, non ad uxorem ejus, ad quam referunt illud, qui cum vulgata vertunt, post se respexit. Affixum enim masculinum est, quod merito urgent, & optime hic, citra torturam textus & rei gestæ, Lothus respicitur. *Respexit de post ipsum*, inquit Mercerus in h. l. *à tergo Lothi versus Sodomam, relicta à tergo, cum eum pone sequeretur: Ipsius autem habetur, præcipua ratio, propter quem uxor ejus, & filiæ servatæ fuissent, & qui dux itineris illis præibat.* ita & Fagius in Chald. paraphr. Rivetus utrumque conjungit. *Respexit*, inquit, *post maritum i. e. ad ea, quæ erant post maritum, aut cum illa esset post maritum, respexit post se Sodomam versus.* Bene! si rem ipsam spectes, non præcise vim affixi. Gualtperius in h. l. *nihil interpretes periclitari existimat* (quocunque modo vertant, *quia vox ambigua sit nec adeo magni momenti res.* Propter ambiguitatem vocis autem non amamus ἐποχήν. Tremellius arbitratur Lothum mulieres secutum ut illas urgeret, nulla motus ratione. Illud autem mandatum Dei proprie accipiendum fuisse, itaque à Lotho & domesticis acceptum esse, ex eventu probat B. Gerh. in h. l. negans proverbialem hanc locutionem esse; ut Luc. 9: 62. usurpatur. Rivetus v. f. 372. hic proprie vocum significationi figuratam subordinat; *quod in sacris literis retro respicere indicet; cum ipso corporis motu, pœnitentiam animi & desiderium redeundi ad id, à quo quis recesserit.* & provocat ad Luc. 9: 62. Psalm. 44: 19. Sed in illis locis sensus literalis figuratus est. Hic vero proprius vel unice spectandus; vel tamen immediate; ut prohibitio carnalis pœnitentiæ & desiderii saltim connotetur. Placet nobis Flacii observatio, quæ fol. 1064. Clavis exstat; *hoc mandato & facto* (Genes. 19. vs. 17. 26.) *adumbratum videtur esse illud, quod Christus Luc. 9. vs. 62. dicit, eos, qui manu ad aratrum admota retro respiciunt, non esse idoneos ad regnum Cœlorum.* Sed displicet Riveti hypothesis l. c. *Hujus loci sensus moralis in literali & historico ita includitur, ut à DEO præcipue intentum fuisse, non sit, quod dubitemus.* Soliciti etiam sunt Interpretes de causa impellente uxorem Lothi ad istam mandati divini transgressionem. Alii misericordiam (præposteram) erga patriam, alii levitatem, curiositatem & petulantiam muliebrem, alii meticulositatem, strepitu ingruentis tempestatis excitatam, in ea notant. Autor Commentarii Ebræo-Germanici in Pentateuchum, qui vulgo vocatur Zennorenna fol. 23. ita de hac re nugatur: **Das Weib von Loth hat sich erbarmet über ihre Töchter/ die zween/ die da seyn gewesen bey ihren Männern in der Stadt** (quatuor enim filias Lothum habuisse opinatur) **und hat sich ümgesehen/ ob die Töchter nicht hernach kämen aus der Stadt.** Potuisset illa multiplicatione filiarum Lothi supersedere, si affectum erga generos prætexisset. Alii vel bonorum relictorum cupiditatis ex Luc. 9. vs. 62. vel malitiæ & incredulitatis notam ipsi inurunt ex Sap. 10: 7. *Incredulæ animæ stans figmentum salis.* Ex hac diversa causæ impulsivæ expositione sententiarum de peccati hujus qualitate, an imbecillitatis, an vero contra conscientiam & mortale fuerit, enata sunt divortia, quorum examen à foro nostro alienum est. Et quid hic etiam certitudinis tibi promittas ab homine, quem de salute proximi bene sperare potius, quam dubitare Christiana jubet charitas? Gravitas peccati non parum augeretur, *si vel omnino in itinere substitisset, & marito cum filiabus abeunte igneam expectasset tempestatem, vel oppidulo Zoar vicissim egressa esset,* (quod plane improbabile censent alii) *ut videret eventum rei.* Quæ nonnullorum conjecturæ

jecturæ sunt. Vid. B. Rungius, Mercerus, Pererius in h. l. Mercerus hac ratiuncula priori conjecturæ nonnihil roboris conciliare vult: *alioqui*, inquit, *si prope maritum fuisset, mirum, ni & ille eadem plaga correptus fuisset.* Pererius magis exaggerat illud peccatum: *punita est*, ait, *mulier propter incredulitatem, ex qua nata est inobedientia; non enim credidit quicquam referre ad incolumitatem & salutem ipsorum, si respicerent, nec ne.* Adjicit: *non simplicem nudumque fuisse respectum; sed acerbo cum animi sensu & dolore conjunctum, quo utebatur illa propter cognatos & amicos pereuntes, amissaque bona omnia, & propter excidium natalis soli. Ex quo fiebat, ut illa Dei vindicta videretur ei præter modum & supra delicti meritum atrox; Ideoque non solum ei non probaretur, sed etiam valde displiceret.* Molliora habet B. Lutherus; ejusque pietatem inde colligit, tum quia virum secuta in hoc casu, tum quia ab Angelis erepta & educta est. Cui censuræ alii ex Nostratibus suum addunt calculum.

§. 4. Conversionis Materia fuit Lothi uxor, cujus nominis scrutinium Rabbinis committimus, inter quos R. Jacob Baal Turim ex voce אשתו per Gamatriam colligit vocatam esse עירית Erit vel Arit (Aretiam) quem, suppresso licet nomine, refutat Mercerus. Zennorenna vero l. c. eam appellat עירות Irot: עדית Adit dicitur in Pircke Elieser cap. 25. Per nos licet, voces etiam Titean (quod nomen alii adducunt) & conjunctim vel divisim ipsi ista tribuas nomina. Corpus conversum esse; non animam, oppido liquet. Quamvis enim Deus alias ex quolibet possit facere quodlibet, quod non implicat contradictionem, adeoque substantiæ incorporeæ transmutatio omnino inter illa, quæ rationem factibilitatis habent, ut loquuntur, referri debeat; plusquam Rabbinica tamen foret ἀδολεσχία, si hic exemplum possibilis istius mutationis quærere, & immortalitatem animæ uxoris Lothi negare velles. Cornelius tamen à Lapide geminam dubitandi ansam præbet (1) quia *absolute miro & inaudito modo uxor dicitur conversa in statuam. Uxor autem constat tum, imo magis, anima quam corpore.* (2) *quia* Sap. 10: vs. 7. *incredula anima punita dicitur*, quas leviculas rationes ipse discussit, ne suo deesset officio. Animam vero salvatam esse censent omnes, qui imbecillitatis peccatum fuisse autumant. Alii malunt eandem judicio DEI relinquere cum B. Gesnero. Rationes eam damnantium refutat Dn. D. Chemnitius in Colleg. super Genes. in cap. 19. quæst. 2.

§. 5. Conversionis forma s. modus non quidem scrupulose scrutandus est, cum hic etiam erudita inscitia sit, nescire velle, quæ magister optimus docere non voluit; Sed certum tamen est, hanc metamorphosin (1) vere contigisse, quam veritatem, ex verbo Dei haustam, soli gentiles, qui suam Nioben cum uxore Lothi confundere dicuntur, labefactare audent; notati eo nomine à nonnullis. vid. B. Rungius in h. l. & Joh. Weizius in Notis ad Prudentium p. 674. qui Autores pro prædicta confusione laudat. (2) fuisse proprie dictam & substantialem. id quod probamus ex propria & nativa vocabulorum, quibus Spiritus S. hic utitur, significatione, à qua nulla hic nos jubet recedere necessitas. ותהי נציב מלח Et facta est statua salis. Vocem נציב idem significare, quod מצבה h. e. statuam (quam etiam vox קמא à Targum adhibita & vox στήλη, quæ ap. LXX. & in lib. Sap. c. 10. vs. 7. occurrit, signant) observat Aben Esra in h. l., cui omnes, quotquot literæ insistunt, subscribunt; nisi quod nonnulli acervum s. cumulum cum R. Kimchi malint substituere, quem tamen, si figuratum, nec prorsus informem dicerent, Bonfrerio judice, ab illis non discreparent. Non negamus alias vocem hanc in locis Biblicis notare stationem & militem stationarium (præsidium.) Sed illa significatio non quadrat ad hunc contextum; etsi analogica quædam accommodatio admitti possit: merito ergo synonymum dicitur vocis מצבת vel מצבה. quæ vox Genes. 35: 14. de statua Racheli à Jacobo erecta, & de statuis idolis dedicatis 2. Reg. 10: 27. cap. 17: 10. & alibi passim usurpatur. Nec pugnaret hæc vocis נציב acceptio cum significatione radicis נצב; si hæc hodie apud Ebræos in usu esset. Colligitur illud (1) ex collatione significationis, quam τὸ נצב obtinet in lingua Chaldæa, Arabica & Samaritana. In illa enim notat plantavit; in ista inter alia significata fixit, extulit; in hac sedit. Quas vero vocum significationes illæ linguæ à matre Ebræa acceperunt, vel subordinantur matris loquendi consuetudini, vel cum eadem paria faciunt; quamvis inusitata sit. (2) ex cognatione ejus cum vocabulo, quod hic urgent, יצב stetit erectus, constitit; quod de statua commodissime dicitur. Vox מלח proprie salem significat. Conf. Genes. c. 14: 3. Judic. 9: 45. à מלח sale condivit. Et quia sale conspergebant olim loca vastata Judic. 9: 45. de corruptione & vastatione quandoque adhibetur, ut Es. 51: 6. quæ significatio nonnullis videtur imposuisse, ut verterint: Conversa est in *statuam demolitionis, confusionis*; sed cum hæc significatio impropria sit, (posito signo pro signato, vel consequente pro antecedente) propriam hic merito retinemus. Nec in alia significatione nomen מלח in sacris literis sumitur. Qualis salis species fuerit, vix certo definiri potest. Fuisse durabilem salem, quem nullæ pluviæ ullæ tempestates liquefacere aut disturbare potuerint, asseruisse sufficit. Vid. omnino Bonfrerius; qui Autores pro sale isto durabili & metallico, quem vocant, laudat. His præsuppositis, ruminamus thesin nostram cui plerique Interpretes favent nobiscum asserentes: uxorem Lothi proprie & substantialiter in statuam salis conversam esse, quicquid sit de conversionis modo. (de quo vid. Augustinus Tom. 3. fol. 509. lib. 1. de mirabil. Sacræ Scripturæ Cap. 11. miraculosam salis in corpore coagulationem hic urgens.) Nec enim כ similitudinis hic voci נציב additum est; nec aliud quicquam nos claram cogit deserere literam. Accedunt his testimonia, Autoris libri Sap. c. 10. vs. 7. & αὐτόπτων. ut nullius autoritas tenacem sensus literalis proprii excœcare possit.

§. 6. Qui pro impropria conversione militant, non ex eodem capite proprietatem literæ evertunt. Quidam censent, mulierem periisse igneo illo imbre cœlitus misso, qui admixtum habuerit sulphur & sal, cujus sententiæ Aben Esra autor est, qui ita scribit in h. l. כי נשרפו עצמיה בגפרית ומלח. Nam exusta sunt ossa ejus sulphure & sale. Quam interpretationem suam firmat testimonio Mosis (quod etiam Grotius respicit) ex Deut. 29: 23. ubi Sal & sulphur junguntur tanquam arma iræ divinæ, quibus non aliter, ac Sodomam & Gomorrham evertere Deus comminatur impiorum sedes. Addit Rivetus (qui tamen alias nobiscum facit) ad l. c. *Certe vel admixtum fuisse salem, vel ex combustione terram salsuginosam fuisse redditam vix negari potest, ut ad eam etiam referatur, quod dicit Psaltes Psal.* 107: 37. redegit terram fructuosam in salsuginem. Mercerus in h. l. paulo plenius hanc sententiam explicat: *Comprehensa est sulphure & igne cœlitus depluente. quo aër erat refertus, ut ita cœlitus percussa nihil mirum si obriguerit in statuam salis, ejus ossium compage abeunte, qui cum sulphure, ut dixi, conjunctus erat, & ad sulphuris naturam accedit, non quod forsan totum ejus corpus in sal abierit, sed quod salis speciem extrinsecus habuerit, ita obrigens vi tempestatis. Nec debet hoc alienum profanis hominibus videri. An non videmus ita eorum qui fulmine tacti sunt, corpora obrigescere?* B. Lutherus in h. l. statuam salis dici posse autumat, non quod *revera sal fuerit, sed quod similitudinem salis habuerit.* B. Rungio *verisimile etiam videtur, fuisse statuam lapideam, quæ salis speciem referret.* Alii de statua admiratione digna intelligunt, referente Johanne Sauberto c. 24. de Sacrificiis pag. 631. forte quia Sal splendidum fuit, ut nonnulli existimant. Alios patronos istius sententiæ, qui directe eandem exosculentur, vix nominabit. Alii durabilitatem salis respiciunt & statuam salis interpretantur monumentum quoddam ejus rei incorruptibile & perpetuo mansurum, quæ Bodini l. 5. de Rep. cap. ult. & Vatabli seu Tugirinorum opinio est, uti vox illa sumitur Numer. 18: 19. de pacto salis i. e. inviolabili & sempiterno. ut & 2. Paral. c. 13: 5. Sed quantum ad primam sententiam, ficulneo illa nititur fundamento. Si enim vel maxime illam salis cum sulphure mixturam concederemus, evidenter tamen probare non potuerunt, uxorem Lothi in ista sulphurea tempestate periisse. Et si etiam hac ratione, fulmine forte tacta, exanimata esset, quomodo negari poterit substantialis ejusdem in salem conversio? Sin cum hac ista conjungatur sententia, nobis eadem, uti à Riveto explicatur, non erit adeo adversa; dummodo ista conversio non comparetur illi terræ in salsuginem transmutationi metaphoricæ, quatenus nuda ejus notatur sterilitas; de qua Psalmus à Riveto citatus loquitur. Alia huc facientia supra §. 3. notata sunt. Secundæ sententiæ Patroni, B. Lutherus & Rungius dubitative loquuntur, nec simpliciter substantialem conversionem negant. Tertia sententia tantum abest ut mereatur admirationem, ut admiratione potius digna sit illa à clara textus litera divaricatio. Quarta sententia plane principium petit, quia citra urgentem necessitatem impropriam vocis מלח acceptionem propriæ præfert. Diversæ res sunt pactum & hæc statua, ut de hac non æque improprie, ac de illo Sal prædicetur. Actio fœderatis sale sanciri potest, non converti in salem, ut corpus, de quo noster textus loquitur. Corruptionem textus R. Levi, qui hanc conversionem non de uxore Lothi, sed de tota ea terra exponit, quod in salis statuam præ vi sulphuris & ignis è cœlo decidentis conversa fuerit, recensuisse est refutasse.

§. 7. Non perdemus operam, si de figura externa statuæ salis non nihil annectamus. Qui terminum ad quem conversionis hujus indigestam molem esse volunt, figuram ejus nullam forte agnoscunt; adeoque in defectu peccare videntur. Sed in excessu peccant, qui ex carmine Tertulliani, quod cum aliis de hoc argumento versiculis exhibet Fabricius in opere Christ. Poët. fabulam de menstruis hujus statuæ arripiunt. Monet hic Rivetus: *à viris antiquitate Reverendis parum verecunde id prolatum esse. Viri boni*, subjicit, *faciles præbebant fabulis aures, ubi probabilis allegoria suppeteret occasio.* Cornel. à Lapid. *muliebri effigie fuisse* dicit; *quia statua uxoris Lothi fuit, cujus formam ipsa statua retinuit.* Si αὐτοψίας accederet fides, quam multi desiderant, hanc etiam illi rationi præponeremus.

§. 8. Tempus, quo hæc res gesta est, aliud generale, aliud speciale dici potest. *Generale* vocamus annum mundi, quo conversio illa facta est, qui cum aliis epochis, tum temporis præcipue receptis, facili negotio connecti potest. Ut illum vero paulo accuratius designemus, annum nativitatis Abrahami præsupponimus, esse annum Per. Jul. (cujus usus facillimum tempora computandi & connectendi rationem Chronologis suppeditat) 2712. Id quod etiam Plur. Rev. & Excell. Dn. D. Strauchius in suo compendio Chronologiæ demonstrat. Jam cum certum sit 99. ætatis Abrahæ anno istam Sodomæ eversionem contigisse (quod ex collatione cap. XVIII. Gen. cum XX. ad oculum patet; quia anno 100. ætatis Abrahami dicitur esse natus Isaacus, qui anno præcedente 99. promissus ipsi erat à Filio Dei instans excidium Sodomæ cap. XVIII. Abrahamo juxta annunciante) connectatur ille cum anno mundi, prædicto anno Per. Jul. respondente, qui est 1948. tertius mensis. Nam 763. annis & 9. mens. (quo intervallo, per πρόληψιν quandam Mathematicam, primus annus Per. Jul. à primo anno M. distat) à 2712. subtractis, totidem relinquuntur. Annis vero 99. illis 1948. & 3. mens. additis, emergit summa 2047. ann. completorum & 3. mensium. Ad quem annum etiam completum, vel currentem 48. Chronologi communiter illam Sodomæ ruinam referunt. Torniellus tamen f. 194. Annal. illam cum anno mundi 2138. connectit; ut alios hic à nobis discrepantes taceamus. Sed illius calculus nostros circulos nihil turbat. *Speciale* tempus liceat cum Pererio vocare illud, de quo Interpretes inter se digladiantur; an nempe conversio illa ante evenerit, quam intraverit uxor Lothi urbem Segor; an vero interea, dum inibi fuit; an potius, cum egressa inde pergeret ad montem. Horum quidem nullum ῥητῶς in textu S. asseritur; sed præ reliquis probabilis est prima sententia, quam cum Cajetano Pererius tuetur. Et probare eandem possumus (I) ex serie narrationis. Ingressus Lothi in urbem Segor ponitur ante delapsum pluviæ sulphureæ vs. 23. Transformatio autem uxoris Loth in statuam salis post eundem & subversionem istius regionis commemoratur. Transformatio ergo illa post ingressum Lothi in istam urbem facta est. Si dicas dispositionem & seriem narrationis non semper congruere cum ordine temporis & rerum gestarum: Respond. (1) Convenientiam tamen illam hic tamdiu retineri, donec monstretur ex textu vel aliunde aliqua disconvenientia (2) Lothum ante istius tempestatis ortum intrasse urbem Segor certo certius est. *Non enim poterat Dominus facere quicquam, donec illuc ingrederetur* v. 22. Uxorem autem una cum Lotho & filiabus eandem subiisse, unde probabitur? Potius sententia illa confirmatur. (II) Ex remotione reliquarum opinionum. Altera vix inveniet basiatorem. Quis enim in ipsa urbe Segor, asylo divinitus concesso, eam punitam dicat? & quodnam asserti istius in textu præsidium? forte quia timuit Loth manere in Segor? levis conjectura est, quæ varia secum trahit incommoda. Tertia vero repugnat textui: Adscendit enim Loth de Segor cum duabus filiabus tantum, quæ cum illo manserunt in spelunca v. 30. (III.) Ex voce מאחריו, post illum, præeuntem scil. virum suum, & jam urbe Segor receptum (quod prima ratio evicit) conversa est in statuam salis. (IV.) Ex relatione Borchardi in descriptione terræ sanctæ part. 1. c. VII. n. 24. qui inter oppidum Segor sub monte Engaddi & mare mortuum statuam salis collocat. quod etiam alii sanctæ terræ descriptores confirmant.

§. 9. Atque ex hac specialis temporis definitione patet locus specialis, in quo uxor Lothi substitit, &, ut Pererio videtur morose curioseque respectavit ac in statuam salis conversa est. Est ille confinium Segor, seu spatium inter Segor & Sodomam, quæ ibi antea fuit, ubi hodie mare mortuum est, interceptum. Loci generalis, seu regionis istius situm Geographorum more delineare prohibet nostri instituti ratio.

§. 10. Durabilem fuisse statuam salis vix quisquam in dubium vocabit; præsertim si in salem metallicum, qui pluviæ resistere, ædificiis soliditate sua utilis esse dicitur à Plin. lib. 31. c. 7. conversa est. Sed B. Lutherus tamen eam *non diu stetisse* putat, quod *una cum civitate Segor* (post discessum Lothi ex eadem) *concussa & fulmine contrita sit. Et multi Europæi hoc tempore statuam quæsiverunt, nec reperierunt*, scribit Angelus Monachus, cui Nicolaus Princeps Radzivil in itinerario subscribit. Sed Josephus tamen lib. 1. Antiquit. Judaic. cap. XII. testatur suo tempore adhuc eandem extitisse. Et Borchardi testimonium, autoritate aliorum, Adrichomii, Salignacii, in theat. terræ S. Bredenbachii, Antonii Martyris, Anselmi Monachi, & Epiphanii Monachi, in itinerariis, quorum nonnulli eandem viderunt suis temporibus, stipatum album meretur calculum. Documenta judicii sui Deus conservare solet. Et Asphaltites hodienum Sodomæ combustionem loquitur. Conciliationi Autorum existentiam statuæ salis affirmantium & negantium inservire possunt hæc Anselmi Monachi verba. *Sæpe ut dicunt, mare crescit tantum ex tumefactione, quod operitur tota statua, & non videtur; aliquando tamen decrescit, quod videtur ad pectus & genua.* An vero usque ad resurrectionem mortuorum, quod Targum Hierosolymitanum asserit, durare debeat; an tam altas radices egerit, ut evelli non possit; an semper renascatur, si quid pecora delambant, vel homines defringant, asserant, qui Rabbinorum & Poëtarum fidem majoris æstimant.

§. 11. In finem conversionis istius, cur in statuam salis & non aliam materiam conversa sit uxor Lothi, inquirunt Interpretes, Pontificii præcipue, ex quibus Bonfrerius & Pererius multi sunt in recensendis Patrum, Philonis & aliorum allegoriis; quas, brevitatis studio, silentio præterimus. Raschi proportionem inter culpam & pœnam hic spectat: במלח חטאה ובמלח לקתה אמר לה הני מלח לאורים הללו אמרה לו אף המנהג הרע הזה אתה בא להנהיג במקום הזה: *Sale peccarat, & sale vapulavit* (punita est) *nam dixerat ipsi*, [Lothus] *Da modicum Salis viatoribus istis* [sive quibusvis, sive in specie Angelis,] *respondit ipsi: etiam hunc* [inter alios] *pessimum morem introduces* [venis ad adsuefaciendum] *hoc loco.* Pererius hoc de Sale ab isto dictum in probabiliorem trahit sententiam &, duce Plinio, *interpretatur salem metaphorice affabilitatem, hilaritatem, jucunditatem morum & sermonis in hospitalitate & sodalitate*; quam quia uxor Lothi hospitibus non approbaret, eam salem non dedisse hospitibus dixerint *Rabbini.* forte quia, quod Targum Hierosolymitanum tradit, *è filiis filiorum* [hominum nullius frontis & durissimæ cervicis] *populi Sodom*, ut loquitur, *fuit.* Sed pellucet Rabbinici commenti vanitas, sive corticem, sive nucleum [si quem habet] fabulæ istius spectes. Nobis sufficit illud Glossæ ordinariæ glossema (quod non immerito multarum allegoriarum scaturiginem dixeris.) AD CONDIMENTUM FIDELIUM [conversa est in statuam salis;] quo ipso. Christus Luc. 17:28. fideles condit: *Memores estote uxoris Lothi, tanquam propterea* [verba sunt Pererii fol. 612.] *id potissimum esset factum, ut quasi perpetuum quoddam posteris foret monumentum, ne qui serio, judicatoque elegerunt viam Domini, atque eum ingressi sunt, retro unquam adspicere ac redire concupiscant, sed si salvi esse velint, perpetuo ulterius procedentes, ad extremum usque pertendant.* Facit huc fundamentum metaphoræ [quam sectantur, qui verba textus improprie accipiunt] à B. Rungio observatum: facta est statua salis, *vel quia perpetua, vel quia habebat aliquid notabile, quod viatores admoneret, seu ipsorum condiret corda.*

§. 12. Cognata hujus conversionis varia cumulari possent. Talia Mercero sunt corpora fulmine tactorum, quæ obriguerunt. Exempla hominum in lapidis conversorum Historici & physici passim annotarunt. B. Sperlingius in tract. de format. hominis in utero cap. 9. quæst. 5. infantem in utero matris in lapidem induratum adducit. Athanasius Kircherus in mundo subterraneo Tom. 2. lib. 8. sect. 2. c. 2. dicit: *nihil est fere sive plantarum sive fructuum; piscium, conchiliarum aut animantium, quod non insaxum conversum in diversis Muscis observamus, dactylos, nuces, pruna, olivas, poma, pyra, fungos, fruges omnis generis, imo caseum & panem.* Sed de his exemplis Physico judicium ferre licet; non æque de nostra statua salis. Plura hac vice non colligimus. Coronidis loco subnectimus illud de statua salis ænigma:

Cadaver, nec habet suum sepulchrum,
Sepulchrum, nec habet suum Cadaver,
Sepulchrum tamen & cadaver intus.

JOH.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIONES V.
De Ligatione Isaaci ad Gen. XXII.

באלהים:

DE
LIGATIONE ISAACI
ET DECIMA, QUAM EBRÆI VOCANT, ABRAHAMI TENTATIONE.

DISSERTATIO I.

§. 1.



Uod Apostolus, singularem Dei in tentandis hominibus bonitatem & συγκατάβασιν commendaturus, monet, πιστὸς, inquiens, ὁ Θεὸς, ὃς οὐκ ἐάσει ὑμᾶς πειρασθῆναι ὑπὲρ ὃ δύνασθε, ἀλλὰ ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν τοῦ δύνασθαι ὑπενεγκεῖν. 1. Corinth. 10: 13. id Ebræi prisci parabolico, nostroque in terris agenti Salvatori non inusitato, loquendi genere confirmant. In antiquissimo enim libro, *Bereschith Rabba*, fol. XXXV. col. 1. edit. Venet. hanc perelegantem similitudinem legimus: לבעל הבית שהיה לו שתי פרות אחת כוחה יפה ואחת כוחה רע על מי הוא נותן את העול לא על אותה שכוחה יפה כן אין הק"בה מנסה אלא הצדיקים שנ׳ ה׳ הצדיקים יבחן: *Paterfamilias, cui duæ sunt vaccæ, una robustior, altera imbecillior, eccui jugum imponit? annon illi, quæ est robustior? consimilem in modum Deus benedictus non tentat hominem, nisi justum, quia dictum est:* (Ps. 11: 5.) *Deus justum probat.*

§. 2. Nempe Ebræorum quoque sententia Deus rationem illius habet, quem tentare constituit. Uti enim pius paterfamilias, qui jumentorum suorum curam gerit, Prov. 14: 10. bovem vel vaccam viribus minimè pollentem jugo minimè onerat, nec ad terram vomere subigendam, eam adhibet, ita neque cœlestis οἰκοδεσπότης benignissimus quoslibet homines quibuslibet tentationibus invisit. Quod impios attinet, eos tanquam fructus hujus explorationis incapaces, vitiis suis relinquit, ut Apostolus loquitur, Rom. 1: 24. παρέδωκεν αὐτοὺς ἐν ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν. quo iterum pertinet, quod prisci Ebræi l. cit. tradunt. היוצר כשהוא בודק את הכבשן אינו בודק את הכלים המרועעים למה שאינו מספיק להקיש עליו אחת עד שהוא שוברו ומה הוא בודק בקנקנים ברורים שאפילו הוא מקיש עליו כמה פעמים אינו שוברו כך אין הב"ה מנסה את הרשעי׳ אלא הצדיקים השם צדיקים יבחן: *Figulus fornacem probaturus, non vasis fractis utitur, eo, quod nullum eorum possit probare, nisi eadem confringat. Optimos igitur urceos adhibet, quos quamvis iterum ac sæpius probando minimè confringit. Eundem in modum Deus benedictus non probat impios, sed justos. Deus enim justos probat.*

§. 3. Secundum eosdem igitur piorum hæc sors est, ut his δοκιμασίαις & tentamenta Deus decernat; quæ ut sustineant, vel ad eas vires, quos Deus eis subministravit, explorationem illam clementer temperat, vel arcanis & ineffabilibus auxiliis illas auget, ut adversum casum nihil veriti, impetus ejus fortiter excipere, & animo æquissimo ferre queant. Qui tandem in pietatis studio robustiores facti, fidei & in Deum amoris documenta præbentes, velut in theatrum producantur, ut & alii habeant, quod imitentur, & postquam recto, quod dicitur, talo steterunt, remunerationis & coronationis, quam ἀπείραστος κακῶν intendit, fiant participes.

§. 4. Ejusmodi ἔκβασιν Ebræi in omnium credentium parente Abrahamo dudum observarunt. Unde *R. Abarbenel*, comment. in נחלת אבות cap. 5. הנסיון בכלל אפשר שיובן באחת מג׳ בחינות׳ והבחינה הראשונה היא כי פעמים שהוא לתועלת המנסה אם אינו יודע תכלית המנוסה ודעתו ינסה אותו לדעת אם יעמוד בנסיונו׳ וזה המין מהנסיון אי אפשר שיפול בשית׳ כי הוא צופה ומביט כל הענינים העתידים וחוקר לב ובוחן כליות אבל ישארו שני מינים אחרים מהנסיון אם שיהיה לתועלת המנוסה כי בהיות מחשבה טובה והוא חזק ביראת השם יביאהו לידי נסיון כדי שיצרף מחשבתו הטובה ויוציאה לידי מעשה וכמו שאמר ה׳ צדיק יבחן ואמרו במדרש היוצר הזה אינו בודק בקנקנים הרועעים ר"ל כי לא ינוסה כי אם הצדיק העומד מנסיונו ופעמים שיהיה הנסיון לתועלת הרואים אותו כדי שיקח ממנו משל ודוגמא ולמען ילמדו ליראה את השם ומאלה השני מינים האחרונים היו הנסיונות שנסה הקב"ה את אברהם אם לתועלתו כדי שיוסיף בזכותו ואם לתועלת הרואים שילמדו לעשות כמותו: *Tentatio in universum tribus modis considerari potest. Primum ut fiat in commodum tentantis, cum ignorat perfectionem ejus, qui tentatur, adeoque eâ fini tentat, ut sciat, an in tentatione sit staturus. Sed hæc species tentationis in Deum benedictum non cadit. Ille enim speculatur & intuetur omnes res futuras, probat cor & scrutatur renes* (Jerem. 17: 10.) *supersunt vero adhuc duæ tentationis species, quarum una cedit in emolumentum tentati. Cum enim cogitatio bona in quopiam est, & pietas insignis, ducit eum in tentationem, ut probetur bona cogitatio, & in actum deducatur. Sicut dicitur, Deus justum probat* (Psal. 11: 5.) *Et quemadmodum in Medrasch dicunt; Figulus hic non probat vasa confracta, q. dicat, nonnisi justum probat. Cedit vero tentatio in commodum illorum, qui vident illam, ut nempe inde sibi capto exemplo, Deum itidem timere discant. Atque ad has duas postremas, referendæ sunt illæ tentationes, quibus Deus benedictus Abrahamum probavit, ad commodum nempe illius, ut ejus justitia augeretur, & aliorum emolumentum, ut, qui eam vident, similiter agere discant.*

§. 5. De tentationibus Abrahami, quibus obedientiam ejus exploratam fuisse Judæi docent, in פרקי אבות cap. V. hæc legimus: עשרה נסיונות נתנסה אברהם אבינו ועמד בכלם להודיע חבתו של אברהם אבינו: *Decem tentationibus Abrahamus, pater noster est tentatus, & omnes illas sustinuit, ut amor ejusdem patris nostri innotesceret.* Singulas ordine ad dictum locum commentans *R. Moses Maimonides* recenset hunc in modum עשרה נסיונות שנתנסה אברהם אבינו כלם דבר הכתוב הראשון הגרות באמור ית׳ לך לך מארצך וגו השני הרעב אשר נמצא בארץ כנען בבואו שם והוא יעדו ואעשך לגוי גדול הזה הנסיון גדול והוא אומרו ויהי רעב בארץ השלישי חמס המצריים עליו בהלקחו שרה לפרעו הרביעי הלחמו בד׳ מלכים ה׳ לקוחו הגר אישה אחר שנאש

שנאש מהוליד משרה הוי היא המילה אשר צוה. בימי הזקנים הז׳ חמס מלך גרר עליו בהלקחו שרה גם כן׳ הח׳ גרש הגר אחרי הבנותו ממנו׳ הט׳ הרחקת בנו ישמעאל והוא אומרו ית׳ אל ירע בעיניך אל הנער וגו׳ וכבר העיר הכתוב איך היה קשה בעיניו הדבר הזה באמרו וירע הדבר מאד בעיני אברהם אלא ששמר מצות השם ית׳ ונרשם הי׳ עקרת ייצחק: *Omnes decem tentationes, quas Abrahamus ſuſtinuit, Scriptura recenſet. 1. eſt peregrinitas, cum Deus ait:* (Geneſ. 12: 1.) *egredere ex terra tua. 2. fames, quæ graſſata eſt in terra Canaan, cum eò veniſſet, & à Deo accepiſſet promiſſionem* (vſ. 2.) *faciam te gentem magnam. Atque hæc inſignis erat tentatio. 3. Raptus, quo Ægyptii ei uxorem abſtulerunt. 4. Bellum, quod geſſit cum 4. Regibus. 5. Cum extraneam in uxorem duceret, poſtquam ſpem prolis ex Sara ſuſcipiendæ jamdum abjeciſſet. 6. Circumciſio, quæ ipſi provectæ ætatis homini imperata. 7. Raptus Regis Gerar, qui itidem uxorem Saram ei rapuit.* (Geneſ. 20: 2.) *8. Ejectio Hagaris, poſtquam ex ipſa prolem ſuſcepiſſet. 9. Expulſio Iſmaëlis, cum dixerat Deus* (Geneſ. 21: 12.) *ne aſperum videatur ſuper puero & ſuper ancilla tua: ubi etſi Scriptura teſtatur, durum ei hoc viſum eſſe,* (vſ. 11.) *nihilominus dictoaudiens fuit. 10. Ligatio Iſaaci.*

§. 6. Hanc ultimam tentationem, quam in *Bereſchith Rabba*, fol. 57. col. 2. שקול כנגד הכל *reliquas omnes* (ſimul ſumptas) *æquare* Ebræi pronunciant, graviſſimam, & Abrahami in ea ſuſtinenda conſtantiam omnium omnino operum, quæ unquam edidit, præſtantiſſimum fuiſſe, recte inculcat *R. Abarbenel* his verbis: כל המעשים אשר עשה אברהם במצות השם ותכלית עבודתו ויראתו לא היו נחשבים לכלום בערך פעל העקרה אשר עשה להסכים בלבו לשחוט בידיו את בנו יחידו מבלי הרהור אל מצות השם ולא תפלה אליו להשיבו מדרכיו: *Omnia opera, quæ Abrahamus juſſu divino fecit, cultum etiam ipſius divinum & pietatem, longo intervallo poſt ſe reliquit ligatio, in quam ita conſenſit, ut ſuis ipſius manibus filium ſuum unicum mactaret abſque ulla ſiniſtra cogitatione vel oratione, qua Deum ab hoc propoſito retrahere ſit conatus.* Sane ſi exacte rem perpendimus, excellentiſſimum Abrahami obſequium tentatione adeo gravi, adeo ardua probatum eſſe deprehendimus, ut cæteræ omnes, quas Ebræi vocant tentationes, cum hac ne in computum quidem venire queant. Etſi enim tunc quoque, cum dulce patriæ ſolum relinqueret, & peregre variis adverſitatibus exerceretur, fidei & amoris divini documenta exhibuit non vulgaria; tanto tamen hæc ligatio reliqua omnia magis ſuperat, quanto magis eſt ſingularis, quippe cujus ſimilem, qua unus homo nominatim à Deo tentatus legatur, ab orbe condito non eſt reperire; & quo pluribus iiſque gravioribus circumſtantiis naturali inclinationi & στοργῇ repugnans mandatum aggravatur, ut infra videbimus. *R. Bechai* fol. 30. col. 2. ſic ſcribit: פעולה זו לא היתה כשאר הפעולות והנסיון הזה לא היה כשאר הנסיונות אין הטבע יכול לסובלו ואין הכוח המדמה לחשבו: *Hæc actio reliquis plane diſſimilis, & hæc tentatio à reliquis multum diverſa fuit. Natura enim non eſt par ei ferendo, neque imaginativa facultas ſatis æſtimare poteſt. Nempe*, ut reliqua ejus verba habent, *hominem provectæ ætatis, eumque divitiis, opibus & gloria circumfluentem filio ſuo unico, eique dilectiſſimo, manus violentas inferre, & ſolius Dei amore, eum diſcerptum offerre paratum eſſe. R. Joſeph. Albo* ſerm. 14. cap. 13. itidem his verbis Patriarchæ pietatem dilaudat: יודע השם שאין בעולם עובד יותר גדול מהיותו שוחט בנו יחידו זה אות גדול מורה על היותו עובד מאהבה גמורה ולזה תארו הכתוב באוהב נאמן ואמר זרע אברהם אהבי: *Non ignorabat Deus, non eſſe in mundo religioſiorem illo, qui ſuum filium mactet. Ideoque hoc inſigne documentum erat, Abrahamum Dei amore maximo flagrare, idcirco ipſa Scriptura dignatur ipſum conſtantiſſimi amatoris nomine, & ait* (Eſai. 41: 8.) *ſemen Abrahami amantis me.*

§. 7. Evidens quoque diſcrimen inter hanc poſtremam tentationem, & illas priores novem oſtendit *R. Abarbenel* f. 75. col. 2. ſic ſcribens: לפי שאותם לא נצטוו לתכלית נסיון אלא כדי שיעשה אותם הדברים המצווה והנסיון נמשך מהם והוא כמי שישאל את חברו שילוה לו מעות שהוא צריך אליו אל פרנסתו כי הנה אף כי השואל לא ישאל כדי לנסות הזה הנשאל בהכרח הוא מנוסה שאם ילוהו מה שהוא שאל לו יורה שהוא נדיב לב וההפך בהפך והוא א״ך מניסה והשואל אינו מנסה כי לא כיון לנסיון: *Tentandi cauſa ea non imperavit, ſed duntaxat, ſi ea faciat, qui juſſus eſt, tentatio ex illis ſequitur. Nempe perinde ſe hic res habet, ac ſi à proximo ſuo quiſpiam pecuniam ſumat mutuò, qua ad vitam ſuſtentandam opus habet. Etſi is, qui pecuniam petit, non ea fini poſtulet, ut tentet eum: is nihilominus, à quo petitur, neceſſario tentatur, & ſi annuit petenti, demonſtrat ſe eſſe animo voluntarium, vel liberalem. Sin, contrarium eo ipſo teſtatur. Quæ cum ita ſe habeant, tentatur utique, licet ille tentationem minime intenderit.* Apparet ex hiſce, vel ipſius *R. Abarbenelis* ſententia, ideo tantum novem illas tentationes vocari, quod ex eventu conſtiterit, quam dicto audiens fuiſſet Deo Abrahamus. Quandoquidem vero tentatio formaliter intentionem includit experimentum ſumendi de aliquo, ut hoc vel illud aut ipſi ſciamus, aliiſve prodamus, liquido patet, id nominis *ligationi* competere, reliquis non item; quippe in quibus ejuſmodi intentionis nihil deprehenditur. Miſſis igitur iſtis, in præſenti ultimam diligentius conſideraturi totam hiſtoriam ad tria potiſſimum capita revocandam cenſemus, quibus verborum ſenſus genuinus ex textu authentico demonſtretur.

CAPUT I.

Uſus præfixi Vau apud Ebræos. R. Salomo Aben Melech *laudatus. Ebræorum conſtructio, Latinis Græciſque ignota, at Helleniſtis & N. Teſt. Scriptoribus recepta.* Beza *laudatus. Veterum* Ebræorum *ridicula explicatio vocis* דברים *ex* Jalkut *&* R. Salomone *allata, exploſa.* דבר *&* ῥῆμα *etiam rem geſtam ſignificant.* Pfochenii *hallucinatio.* Gatakerus *laudatus.* R. Abarbenelis *de* ῥήσει אחר הדברים האלה, *& voce* והאלהים *non contemnenda obſervatio. Particula* נא *quid veteribus Ebræis notet.* Abarbenel *gemino modo eam interpretatur. Refellitur.* R. Moſes Alſchech *laudatus.* נא *tempus aptum minimè notat, ut Abarbenel nugatur, ſed vim habet particulæ exhortandi.* Græci, Arabis, Syri *&* Latini *conſenſus. Ratio, quamobrem mandati verba cumulentur, à* R. Bechai *allata. Unde mandati gravitas arceſſenda. Cur Iſaacus dicatur* יחיד. Merceri *conjectura aſſerentis, LXX. legiſſe* ידיד, *rejicitur. Vox* יחיד *quomodo h. l. transferenda. An* יחיד *&* ἀγαπητὸς *ſint* ἰσοδυναμικά. Syrus *&* Arabs *rectiùs verterunt quam LXX. Utriuſque vocis differentia, ad quam in Controverſiis provocant Theologi, oſtenditur.* R. Levi Ben Gerſon *præfixum* ל *in* לעולה *pro* בעבור *poſitum eſſe ait. Improbat ejus explicationem Abarb. R. Jonas pro* תחת *poſitum contendit.* R. Abarbenel *pro* כ. *Vera ſignificatio allata.* B. D. Glaſſius *laudatus.* R. Bechai *cauſam aperit, cur ita illud præfixum explicent Judæi.* R. Abarbenelem *textum torquere, & Judæos fruſtra unam vocem uno eodemque loco diverſimodè explicare, oſtenditur.* Thomas *laudatus.* R. Jonas *exemplum ad illuſtrandum affert. An Jerem. 7: 31. de oblatione Iſaaci ſermo ſit. Veteres Ebræi ſic delirantes refelluntur. An* τεκνοθυσία *huic exemplo natales ſuos debeat, ut* Seldenus *vult &* Buxtorfius. Riveti *diverſa opinio.* R. Aben Eſræ *gloſſa laudata, Calvinianis quoque obſervanda.* BB. DD. Gerh. *&* Meiſnerus *laudati. Originationes variæ* τῦ המוריה *adductæ à* R. Bechai. *Arabis, Syri, LXX. Interpp. & Aquilæ Verſiones rejectæ. Symmachi verſio præfertur. Vera & genuina originatio oſtenſa.* N. Fullerus *laudatus. An in textu ſit prolepſis & anticip. hiſtorica.* Maimon. *laudatus. Cur in hunc montem Abrahamus ablegatus. Geminæ, eæque haud improbabiles conjecturæ allatæ.* R. Abarbenelis *una, altera Chriſtianorum. D. Aug. &* B. D. Glaſſii.

§. I. COmma I. ſic habet, וַיְהִי אַחַר הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה וְהָאֱלֹהִים נִסָּה אֶת־אַבְרָהָם וַיֹּאמֶר אֵלָיו אַבְרָהָם וַיֹּאמֶר הִנֵּנִי׃ Verba hæc à nonnullis ſic accipi ſolent: *Et fuit poſt verba iſta & tentavit Deus Abrahamum, & dixit ad eum, Abraham, & dixit ecce ego.* Litera ſervilis ו in verbo ויהי, uti alias non parum ſæpe, ita & hic præfigitur להוסיף דבר אל דבר *ad connectendas*

das res diversas, ut Grammatici loquuntur. Etsi enim quandoque plane redundet, cujusmodi exemplum vers. 4. in verbo וישא occurrere, *R. Salomo Aben Melech* in Michlal Jophi monet, הו"ו נוספת ולא תשמש כלום אלא שהוא התחלה המלה כמו ואלה בני צבעון ואיה וענה: *Vau est addititium, neque ullatenus servit, nisi quod vocis est initium, ut cum dicitur* (Gen. 36: 24.) ואלה בני צבעון ואיה וענה, hanc tamen historiam non inchoat tantum, sed antecedentia quoque cum sequentibus omnino copulat. Atque hoc *Ebraicum* dicendi genus frequentissime occurrit, quo narrationes suas connectere solent Ebræi, idque subjecto indicandi modo. Cujusmodi constructio cum *Græcis*, tum *Latinis* est inusitata. LXX. tamen interpretes Ebræos itidem sunt æmulati, quos postmodum N. Test. scriptores sunt secuti. Matthæus enim verbo ἐγένετο quinquies sic est usus, Marcus ter, Lucas tricies semel; Johannes nunquam, Lucas denique in altero libro sæpius, sed cum infinitivo modo, ut semel in Euangelio, nempe cap. XVI: 22. quemadmodum observavit *Theod. Beza* ad Matth. 7: 28.

§. 2. Quænam vero illa sint, quæ hic respiciat textus, disputare videmus Ebræos priscos, uti patescit ex *Jalkut*, f. 28. col. 1. *R. Salomo Jarchi* duas sententias, seu fabulas verius, in medium producit. אחר הדברים האלה יש מרבותינו אומר אחר דבריו של שטן שהיה מקטרג ואומר מכל סעודה שעשה אברהם לא הקריב לפניך פר אחד או איל אחד אמר לו כלום עשה אלא בשביל בנו אלו הייתי אומר לו זבח אותו לפני לא היה מעכב: *Nonnemo Dd. nostrorum ait, verbis* אחר הדברים האלה *respici ad Diaboli sermonem, qui accusaturus Abrahamum dixerit: ex omni convivio, quod Abrahamus instituit, ne bovem quidem vel arietem obtulit. Huic Deus respondit, obtulit, inquiens, aliquid, sed filii causa. Si dixero: offer eundem coram me, hoc facere non detrectabit.* Pergit idem *R. Salomo*: י"א אחר דבריו של ישמעל שהיה מתפאר על יצחק שמל בן שלש עשרה שנה ולא מיחה אמר לו יצחק באבר אחד אתה מיראני אלו אמר לי הקב"ה זבח עצמך לפני לא הייתי מעכב: *Est qui dicat*, ש' אלה הדברי' *notare Ismaëlis jactantiam, qua se Isaaco prætulerit, eo quod tredecim annos natus circumcidi se siverit. Cui Isaacus respondit: tu quidem, quod circumcisionem attinet, uno membro admissam, me superas. At ego Dei jussu me ipsum mactare non dubitabo.*

§. 3. Ita Judæi, hanc insignem historiam suis fabulis conspurcantes, varia comminiscuntur, & vocem דברים de *sermone* ultro citroque habito intelligunt; cum tamen neque contextus poscat, nec præcise *sermonem* vox significet, sed etiam *rem gestam*. Adeo enim hæc significatio Ebræis ignota non est, ut Græca dictio ῥῆμα, quæ in vulgari lingua Græca *verbum* denotat, in Hellenistica ad similitudinem Ebrææ vocis, דבר, cui respondet, itidem *rem gestam* significare sit jussa. Sane LXX. hoc loco, *Judic.* 8: 1. & alibi, eam sic usurparunt, quos N. T. scriptores secuti, similem in modum adhibuerunt. Confer Luc. 2: 15. Act. 5: 32. 10: 37. Etsi vero *Seb. Pfochenius*, Diatribe de ling. Græcæ puritate §. 54. negat, contineri Ebraismum: frustra tamen est, ceu recte ostendit *Thomas Gatakerus*, cap. XIV. pag. 145. Dissert. de Stylo Novi Testamenti.

§. 4. Prorsus igitur nihil causæ est, quamobrem Judæi colloquia fingant, quæ, in scripturis non memorata, antecesserint, cum res gestæ, de quibus cap. anteced. agitur, designari commode queant, & ejusmodi connexio alias adhibito verbo ויהי significari soleat. Hinc *R. Abarbenel*, comment. in Jos. 1. ait: ויהי אחרי מות משה עבד ה' וגו' הנה התחיל הספור הזה בו"ו לא להיותו כן מנהג הלשון כמו שכתבו המפשרים כי אם להוסיף ולחבר עם מה שהשלימה התורה האלהית בו: *Cum dicitur* ויהי אחרי מות משה, *narrationem suam orditur* (autor) *litera Vau, non quod sit ex consuetudine linguæ, ut interpretes scribunt, sed ut conjungantur seq. cum iis, in quibus lex divina desiit.* Merito igitur & hic ejusmodi connexionem rerum ab historico indicari, est existimandum.

§. 5. Quod vero additur אַחַר הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה id itidem non de nihilo est. Etsi enim alias quoque Moses hunc in modum loqui solet, ut Genes. 15: 1. 39: 7. 48: 1. hic tamen peculiarem ob causam additur, ut R. Abarbenel seq. verbis docet: מפני שקדם לספור הזה שצוה האל ית' לאברהם על מצות המילה ושנוי שמו ושם אשתו שהם כלם הכנתת אל הבן אשר יולד לו ושילדה שרה בהיות אברהם בן מאה שנה והיא בת תשעים שנה ושאחרי שנולד יצחק כדבר ה' גרש את ישמעל ונאמר לאברהם עליו כי ביצחק יקרא לך זרע ושאחרי כן שאל אבימלך מאברהם שישבע לו שלא יקח את ארצו ביראתו ממנו שמא הוא או בניו יקחו את ארצו לכן בערך ההקדמות האלה אמר ויהי אחר הדברים האלה והאלהים נסה את אברהם שהיה הנסיון בבחינת הדברי' האלה והאלהי' נסה את אברהם שהיה הנסיון בבחינת הדברי' האלה שקדמו ובהצטרף אליהם היה מצות העקדה זר וקשה מאד: *Quia huic narrationi præmittitur, quod Deus Abrahamo præceperit circumcisionem, & immutationem nominis, cum sui ipsius, tum Saræ: quæ omnia filium ipsi postmodum natum respiciebant. Item quod enixa sit Sara filium, cum ageret annum centesimum Abrahamus, illa vero nonagesimum, & quod Isaaco jam nato, Ismaël sit ejectus & Abrahamo promissio facta, futurum, ut semen ei in illo vocaretur. Quod item post hæc Abimelech ab Abrahamo jurejurando stipulatus sit, ne ipse eriperet regiones ejus vel posteri ipsius. Idcirco intuitu horum præmissorum ait,* ויהי אחרי הדברים האלה *& Deus tentavit Abrahamum, quod tentatio hæc respiciat antecedentia, cum quibus quia copulatur, præceptum de ligando Isaaco oppido paradoxum est & grave,* quippe quod omnium eorum, quæ promissa ipsi erant, non solum arrham, sed etiam fundamentum destruere videbatur.

§. 6. Dicis: Sed quid alterum præfixum in והאלהים sibi vult? neque enim illud frustra positum esse videtur, licet ab interpretibus ferè negligatur. *R. Abarbenel*, l. cit. sic de eo commentatur: אין לאומר שיאמר שהו"ו יבוא עם האמירות כמו וידבר ה' אל משה ויקרא אל משה ואמר אל משה שהו"ו באותם המקומות כפה רפה בלשון ישמעל כמו שא"ע כי זה אמת הוא כשיבוא הו"ו סמוכה לדבור אמירה או קריאה אבל כשאינה סמוכה לו הוא מיותר' וראוי לבקש הענין בכתוב: *Non est, quod quis dicat, Vau respicere verbum* אמר, *quemadmodum alibi, cum dicitur. Et locutus est Dominus ad Mosen. Et vocavit Mosen. Et dixit ad Mosen. Et Vau locis hisce esse instar Pe Raphati in lingua Ismaëlitica, ut Aben Esra scribit. Hoc enim tunc verum est, cum Vau verbis* דבר, קרא *vel* אמר *additur. Atenim ubi eis haud adhæret, plus significat, & tunc significatio in scripturis est quærenda.* Recte monuit Judæus, literam illam quoque aliquo respicere, & acu rem tetigisse videtur, sic scribens: כבר נסה את אברהם ונודע לו יושר לבבו ותום שכלו ונקיון כפיו הנה אחר זה כלו קרא שאמר לו ית' קח נא את בנך וזה טעם וא"ו ואלהים שהוא מוסף על ענין ראשון אחר דברים האלה נסה את אברהם: *tentaverat jam Abrahamum, & quam mundo corde, integro intellectu, & impollutis manibus esset, cognitum habebat. Ecce vero posthac quoque contigit, ut Deus ad eum diceret: sume filium tuum. Atque hic sensus est* ש' *Vau in voce* ואלהים, *nempe ut antecedentibus addatur, quod Abrahamum post illa tentavit.*

§. 7. His ita præmissis ipsa verba, quibus tentatio continetur, accuratius considerabimus, quæ sic habent: קַח־נָא אֶת־בִּנְךָ אֶת־יְחִידְךָ אֲשֶׁר־אָהַבְתָּ אֶת־יִצְחָק וְלֶךְ־לְךָ אֶל־אֶרֶץ הַמֹּרִיָּה וְהַעֲלֵהוּ שָׁם לְעֹלָה עַל אַחַד הֶהָרִים אֲשֶׁר אֹמַר אֵלֶיךָ: Latinus sic vertit: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offer eum in holocaustum, super unum montium, quem monstravero tibi.* Nullam rationem habuisse videtur particulæ נא in fonte extantis, de qua Veteres in Bereschith Rabba fol. 25. & exinde liber *Jalkut*, & *R. Salomo* ad hunc locum: אין נא אלא לשון בקשה *particula* נא *nonnisi petendi significationem habet. R. Abarbenel* vero geminam eidem tribuit significationem, dum ait: אפשר לפרש מלת נא מלשון עתה ואפשר לפרשה מלשון בקשה ותחנה: ש' נא *explicari potest illa significatione, qua notat idem ac nunc, neque repugnat, quo minus petendi & precandi significationem habeat.* Posteriori modo יהיה ענינו שלא גזר זה עליו בגזרה הכרחית שלא היה משורת הדין שיצוה בכך אחרי שיצוה הבטיחו כי ביצחק יקרא לך זרע אבל היה מבקש ממנו דרך תחנה: *Sensus erit, quod non per modum imperii & decreti ab eo postularit, tanquam necessario fieri oporteat, quia non videbatur conveniens, tale quid Deum poscere ab illo, postquam eum jusserat confidere, in Isaaco semen ei vocatum iri* (Gen. 21: 12.) *Per modum igitur rogandi ab eo requisivit.* Quidni vero Deus facta quamlibet promissione potuerit ab Abrahamo υἱοθυσίαν postulare, qui pro absoluto suo, quod in omnes homines habet, imperio, creaturis pro lubitu uti poterat, & vel ex mortuis suscitato Isaaco, promissionem adimplere. Quanto rectius Abarbenele sensit *R. Moses Alscheeh*, qui fol. 47. col. 1. libri תורת משה hunc in modum scribit: מה שאמר לשון בקשה לא יצדק להיות נאם יהוה: *Quod ajunt*, ש' נא *habere significationem rogandi, falsum est, quandoquidem Deus loquitur.* q. d. qui non tam rogare, quam imperare solet. Neque si pro עתה accipitur, ideo tempus aptum notari, sequitur, quod contendit *R. Abarbenel*, qui nugatur, sensum esse hunc: הגיע העת הראוי להתרצות אל ה' כרי כיחד יצחק וזרעו להנהגתו העליונה *appetit tempus, quo Deo placet, Isaaco, posterisque ipsius propriam facere providentiam divinam*, quasi tentatio hæc ea de causa sit facta, שיהיו זרע קדש ויצאו מתחת ממשלת הכחות השמימיות ויהיו מושגחים מהש"י לבדו: *ut essent semen sanctum* (Judæi) *& influxui cœlestium siderum haud obnoxii, Dei providentia speciali regerentur.* Iterum enim *R. Alschech* rectius

ואם

ואם הוא כאומרו עתה היא מיות. *si idem est ac* עתה, *tunc abundat.* Sane *Græcus*, *Arabs*, *Syrus* & *Latinus* cum nihil in versionibus exhibeant, quod huic voci respondeat, eam pro exhortandi particula, cujus vis in ipso imperativo contineretur, habuisse, non immerito videri possint.

§. 8. Quod ipsum præceptum de immolando Isaaco attinet, *R. Bechai*, fol. 30. col. 2. ait: האריך הכתוב בלשון הצואה כדי להגדיל המצוה *Scriptura in mandato describendo prolixa est, ut illud exaggeret.* Sane plura verba cumulantur, quæ singula fere ejusmodi erant, ut animum Abrahami vehementer perturbare possent, & ut *Abarbenel* loquitur: להעירו על הסבות אשר בעבורן היה ראוי שיערער בדבר או יתפלל עליו להיותו בנו שמפני זה היה ראוי שירבה התפלה והתחנה יותר ממה שהתפלל על אנשי סדום: *causas suggerere, quamobrem verba commutaret cum Deo aut intercederet. Eo enim, quod filius ipsius esset, plures preces eum fundere conveniebat, quam tunc, cum Deum rogabat, ut Sodomitis parceret.* Erat enim filius, quem pater grandævus genuerat, cujus amoris magnitudinem explicaturus *R. Abarbenel* ait: אם לאהבתו אותו והיה נפשו קשורה בנפשו: *Quod amorem attinet, erat anima ejus ligata in anima illius*, ut Jacobi amor summus describitur, quo in Josephum ferebatur (Genes. 44: 30.) Merito itaque ei durum videri poterat hoc mandatum, ut Abarbenelis verbis iterum utamur מפאת עצמו יצחק שהיתה לידתו בדרך צחוק ונס והיה יפה תאר ויפה מראה ומינו נאה לאדנות ושעליו נאמר לו כי ביצחק יקרא לך זרע: *respectu ipsius Isaaci, cujus generatio risus & gaudii occasionem præbens, miraculosa erat. Quin formæ elegantissimæ fuit, aspectu jucundus, & talis, qui dominium aliquando gereret. Et de quo dictum* (Genes. 21: 12.) *in Isaaco tibi semen vocabitur.*

§. 9. Vocat præterea Isaacum Deus יחיד *unicum*, nempe ratione Saræ & Abrahami. Etsi enim & Ismaëlem Abrahamus genuisset; ille tamen non erat ex carissima, quam in matrimonio habebat, Sara, sed ancilla. Neque enim promissiones huic erant destinatæ, Rom. 9: 7. Quid, quod Ismaël jam tum ab hæreditate exclusus & relegatus exulabat, atque ut Abarbenel loquitur: הרי הוא כאלו לא היה ונשאר יצחק יחיד לאביו ואמו: *perinde erat, ac si Ismael plane non existeret, supererat itaque Isaacus unicus patri suo & matri suæ* (Prov. 4: 3.) LXX. τὸ יחיד, (quod pro ידיד eos legisse; Mercerus frustra censet) reddiderunt ἀγαπητὸν, rectius facturi, si vocem illam, quæ teste Kimchio in libro Radicum, מענין אחד, idem ac *unicum* significat, hic transtulissent μονογενῆ, quomodo autor epistolæ Ebr. 11: 17. Isaacum appellat. Etsi enim H. Grotio ultro largimur, significatus alias misceri, & *Hesychium*, *Pollucem*, *Suidam*, aliosque τὸ ἀγαπητὸν, μονογενῆ, κεχαρισμένον pro ἰσοδυναμοῦσιν habere, quemadmodum Christus, qui Joh. 1: 14. dicitur μονογενὴς, Matth. 3: 17. Luc. 9: 35. ἀγαπητὸς appellatur; quandoquidem tamen hic statim subjicitur, אשר אהבת, ὃν ἠγάπησας, adeoque ipsa Scriptura generationem unigeniti ab actu vel habitu dilectionis distinguit, minus recte per ἀγαπητὸν LXX. reddiderunt, & rectius Syrus ܝܚܝܕܝܐ & Arabs, qui alias Græcum fere sequitur واحدك. Huc accedit, quod generalius nomen sit τὸ ἀγαπητὸν, quam ut vim & emphasin τοῦ יחיד exhauriat. Cum enim, ut ipse *R. Abarbenel*, l. cit. loquitur, כבר פלסוף זכר שאהבה ליחיד תתחזק מאד *Philosopho teste, amor in re unica defixus maximopere intendatur*, fit, ut aliis etiam rebus, ad significandum amoris magnitudinem, usurpetur, & Aristoteles in Rhetoricis oculum Monoculi ἀγαπητὸν appellet, *quia eo magis eget & amat*, ut *Heinsius* p. 136. Aristarchi loquitur. Unde liquido patet, non simpliciter pro æquipollentibus voces illas esse habendas. Sive enim vocum originem spectes, sive communem usum earundem in sacris consideres, adhuc inter utramque non leve discrimen occurrit, τὸ יחיד, ut etiam R. Nathan in Concordantiis Ebraicis monet, habet לשון יחוד significationem *unitatis*; & quemadmodum Psal. 22: 21. 25: 16. *solitarium* significat, ita, ubi cum בן expresse construitur, vel hæc vox etiam tacitè, (id quod ex textu patescit,) subintelligitur, ut Jer. 6: 26. Amos. 8: 10. Zach. 12: 10. ibi vel eum notat, quem solum parens genuit, & dicitur μονογενὴς, *unigenitus*; vel illum, qui solus liberorum patri superest, & est *unicus*, quemadmodum ipse Hieronymus cap. 5. ad Helvidium Latinas voces explicat. Atque ita tam Ebræa vox יחיד, quam Græca μονογενὴς, nonnisi de unico usurpantur, & à connotatione generationis nunquam absolvuntur; è contrario vero ἀγαπητὸς *dilectum* tantum significat, & pluribus tribuitur, Rom. 1: 7. 1. Cor. 4: 14. etiam ubi nulla vel metaphorica tantum filiatio intelligitur. Hæc licet primo intuitu levia, neque ita magni momenti esse videantur, sæpius tamen contingit, ut in gravissimis controversiis usui sint disputantibus. Confer *Paulum Tarnovium* Exam. Respons. Socin. ad class. I. arg. 111. *Alb. Grauerum*, Exam. Sophistic. Photin. pag. 32. *B. Meisnerum*, Brev. Considerat. Theol. Photin. cap. 4. Sed hæc obiter tantum, καὶ ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 10. Cum in tam caro capite, ut Nasonis verba huc accommodemus,

Omnis in Isaaco cari stat cura parentis,

divinitus is accipit mandatum, ut filium, ut unicum, ut dilectum, discerptum offerat לעולה *in holocaustum*, hoc est, ejusmodi hostiam, quæ jugulata & in partes scissa, tota, quantaquanta erat, in cineres redigeretur. Ita enim Abrahamum verba Dei intellexisse & Deum, ut tale quid, iis auditis, mente is conciperet, voluisse, ex textu liquido apparet. Nodum igitur in scirpo quærit *R. Levi Ben. Gersom.*, cujus sententiam R. Abarbenel his verbis recenset: ולב"ג כתב שלמ"ד לעולה תשמש במקום בעבור ושהיתה הכוונה האלהית שיקח את בנו ויוליכהו עמו שמה להתחנן בעבודת האלהית ולראות העלת העולה ועל זה אמר והעלהו שם לעו"ה ר"ל שיעלה ראותו הב בעבור העולה ועל זה אמר והעלה ושם לעולה כדי שילמד לעשותם כ׳ ואברהם הבין שמצוה שיעשה ממנו העולה וזה היה הנסיון אם יבינהו כפשוטו ראשון או אם יבקש עליו פירוש וכאשר אברהם לקח מאכלת לשחוט את בנו הודיעו המלאך שלא הבין כוונתו האלהית ולא היתה זאת לעשות עולה מיצחק כי אם לחנכו בעבודת השם ית׳ ואז צפה אברהם ויקח האיל ויעלהו תחת בנו: *Ralbag scripsit, lamed positum esse loco* בעבור, propter, *& Dei intentionem fuisse, ut Abrahamus duceret filium suum cultus divini causa & ad videndum oblationem holocausti. Ideo enim dici: & ascendere fac* לעולה, *q. d. ut in eum montem duceret propter holocaustum ibi offerendum. Nempe ut disceret modum sacrificandi. At Abrahamum sic intellexisse, q. Deus præciperet, ut ipse filius fieret holocaustum. Atque hæc erat tentatio, sive verba intelligeret secundum primum sensum literalem, sive explicationem ejus posceret. Postquam vero arripuit Abrahamus cultrum, ad mactandum filium, certiorem eum fecit Angelus, Deum nolle, ut ex ipso fieret holocaustum, sed ut in cultu divino eum erudiret. Et tunc respexit Abrahamus, & visum arietem loco filii obtulit.*

§. 12. Hanc opinionem, quam non obscurè textus ipse falsitatis arguit, *R. Abarbenel* impugnat & his verbis rejicit: אין דבריו נכונים בעיני וקרוב לדברי הרי׳ יונה הוא מה שנראה לי בזה הענין שהכוונה האלהית היתה שאברהם יחשוב בלבו שהיה רצון ה׳ שהוא יעשה את יצחק עולה כליל לפניו כדי שאברהם יסכים על זה בכל לבבו ובכל נפשו מיראתו מלעבור על מצות אלהיו ובזה יעקוד את יצחק לשחוטו ברצוי מופלג ובזה אע"ף שבפועל לא תעבור השחיטה בעבור הפועל ההוא ירצה לפניו יהברך כאלו נקרב עולה וגופה כליל להשם: *Mihi hæc minus solida videntur. Mea vero sententia non multum à R. Jonæ sententia abludit, nempe divinam omnino intentionem fuisse, ut Abrahamus sibi persuaderet, velle Deum, ut Isaacum faceret holocaustum, & toto corde & tota anima sua consentiret in hoc, metu videlicet, ne violaret præceptum divinum. Atque idcirco ligavit filium super altari & misit manum suam ad mactandum eum maxima promptitudine. Ac licet illud in actum non deduxerit, perinde tamen Deo placuit, ac si holocaustum reapse fuisset oblatum.*

§. 12. *R. Jonæ* sententia, à qua suam opinionem non procul abesse, *R. Abarbenel* ait, sic habet: הלמ"ד תשמש מקום תחת כמו ותהי להם הלבנה לאבן והחומר היהלהם לחומ׳ והייתה כוונת יתברך שיע"ה על אחת ההרים תחת העולה כי יהיה חשוב לפניו כקרבן ורצה השם שיבין אברהם והעלה ושם לעולה לפניו כקרבן עולה: *Litera Lamed posita est loco præpositionis* תחת, *eum in modum, quo dicitur* (Genes. 11: 3.) *& fuit eis later* לאבן in lapidem, *& lutum* לחומה in cæmentum. *Voluit igitur Deus, ut eum in monte offerret loco holocausti. Hoc enim instar holocausti habitum iri. Voluitque Deus, ut sic intelligeret verba, & eum ibi instar holocausti offerret.* At ab hac *R. Jonæ* sententia multum discrepare videtur *R. Abarbenelis* explicatio, quæ sic habet: כדי שאברהם לא ידע כוונתו האמתית דבר לו דברים סובלים שני פירושים ואברהם יבין האחד והקב"ה יכוין באחר והנה מאמר והעלהו שם לעולה אפשר שיובן למד לעולה שיהיה מורה על הפעול כדברי הרי׳ יונה וכן הבינו אברהם אבל הקב"ה שלא היתה כוונתו אלא שהלמד היא תשמש במקום כ"ף כמו לעלות עולות על המזבח ה׳ תמיד לבקר ולערב ולכל הכתוב בתורת השם: *Ne Abrahamus ipsam Dei intentionem persentisceret, usus ad eum est verbis, quæ duobus modis explicari poterant, quorum unum Abrahamus, alterum Deus respiciebat. Ecce enim locutio* והעלה שם לעולה *potest ita explicari, ut τὸ* ל *referatur ad subjectum patiens, ceu R. Jonas autumat. Atque ita intellexit Abrahamus. At enim Dei benedicti alia fuit intentio, nempe ut* ל *idem significet ac caph, quemadmodum dicitur*

dicitur (1. Paral. 16: 40.) *ut offerrent Domino super altari Domini jugiter holocaustum* לבקר ולערב *mane & vesperi, juxta scriptum in lege Domini.*

§. 13. Ita Judæi seipsos defatigare solent in explicanda litera ל vocis לעולה, quorum tamen omnium explicationes assensum merentur nullum. Equidem præfixum ל neque pro בעבור esse positum, neque idem significare ac תחת, neque vice ב & כ usurpari, haud obscure patet. Primaria præfixi ל significatio est *ad*, vel *in*, & inter alia quoque significat *statum* vel *conditionem*, ut observat B. D. Glassius, Phil. Sacr. lib. IV, tr. 1. observ. 6. qui monet, tunc idem significare ac Græcam dictionem εἰς, quam etiam hoc loco exhibent Græci interpretes. Quo significatu illud hic accipiendum esse satis ex contextu patescit, & vers. 7. 8. & 13. Confer Lev. 1: 10. 5: 7. &c. Ab hoc, uti nullam causam videmus, cur recedamus, ita Judæi, ut uni eidemque literæ simul hic geminam significationem tribuerent, eo tantum adducti videntur, quod vererentur, ne alias in Deo locum haberet שנוי מאמרו *mutatio sententiæ suæ.* Satis id patescit ex *R. Bechai* verbis, fol. cit. sic scribentis: על דרך הפשט הלמד הזאת באורה במקום כלומר שתעלה אותו שם במקום עולה ממש איך יצוה הקב"ה ואחר כך יחזור מצווין ואברהם מתוך תוקף אהברה הבין עולה ממש והקב"ה שבא לנסות לא כיון אלא במקום עולה וזהו אשר לא צויתי ולא דברתי ולא עלתה על לבי: *Litera* ל *idem significat ac* במקום q. d. *ut eum loco holocausti offerret, sicut* (Genes. 11: 2.) *& fuit eis lateri* לאבן *in lapidem. At enim si explicare velis* לעולה *absolute per* עולה, *ecquomodo Deus benedictus id mandaverit & postmodum retraxerit? Abrahamus quidem simpliciter holocaustum ob amoris magnitudinem intellexit, Deus benedictus vero, Abrahamum tentaturus, nihil intendit, nisi significationem* מקום, *loco holocausti. Atque hoc est, quod dicitur* (Jerem. 7: 31.) *non præcepi, neque dixi, neque ascendit super cor meum.*

§. 14. Atque, nisi prorsus fallimur, idem quoque sibi persuasit *R. Abarbenel*, quem eadem hypothesis ad alias absurdas explicationes deduxit. Sic enim fol. 77. col. 1. commentatur: יהיה כח המאמר שיעלה יצחק כעולה לא ישחטהו ויהרגהו כלל או יהיה פירושו שאמר לו ראשונה והעלהו שם לעולה על אחד ההרים וביאר למי יעלה לאולה במאמר אשר אומר אליך רומז אל האיל והוא כמו ותפתח ותראהו את הילד ולפי זה לא יחזור אשר אומר אליך למה שאמר אל אחד ההרים אלא כנוי והעלהו וכבר יורה שהש"י לא הודיעו לאברהם באיזה הר יעלה עולתו לפי שהיה בידו להעלות עולתו באחד ההרים שבארץ המוריה כרצונו הנה אם כן לא צוה השם את אברהם שישחוט את בנו ולכן לא שנה את דברו באומרו אל תעש לו מאומה כי נצח ישראל לא ישקר ולא ינחם ולכן צדקו חז"ל באמרם ולא עלתה על לבי זה יצחק בן אברהם ואין להקשות איך טעה אברהם ולא הבין דבר השם כי מאת ה' היתה זאת וכמאמר הנביא וה' העלים ממני ולא הגיד לי: *Sensus sermonis erit iste: ut Isaacum instar holocausti ascendere faciat, non mactet eum & occidat prorsus, aut erit sensus: initio eum dixisse,* והעלהו שם לעולה על אחד ההרים *& explicare, quid offerre debeat Abrahamus; verbis sequentibus,* אשר אומר אליך *respicere eum ad arietem. Perinde hic se res habet, ac cum* (Exod. 2: 6.) *dicitur: & aperuit & vidit ipsum puerum. Et ideo verba* אשר אומר אליך *non sunt ad montem referenda, sed suffixum in verbo* והעלהו. *Quin hoc ipso docetur, Deum benedictum non monstrasse, quo monte offerre debeat, quia ipsius arbitrio relictum erat, quo monte terræ Moria offerre vellet. Quæ cum ita se habeant, Deus in mandatis Abrahamo non dedit, ut filium suum mactaret, adeoque sic neque mutavit sententiam suam, dum dixit, ne facias ei quicquam* (vs. 12.) *Triumphator enim in Israële* (1. Sam. 15: 29.) *non mentietur, neque pœnitudine ducetur. Ideo Dd. nostri l. m. verba* (Jer. 7: 31.) *& non ascendit in cor meum de Isaaco filio Abrahami recte explicant. Neque est, quod quis objiciat; ecquomodo igitur Abrahamus erravit, & non intellexit verbum Domini? Quia hoc fuit à Domino, & quemadmodum ait Propheta:* (2. Reg. 4: 27.) *Dominus celavit à me, & non indicavit mihi.*

§. 15. Quod R. Abarbenel verba אשר אומר אליך referre conatur ad suffixum Vau in verbo והעלהו, & textum hunc in modum explicari posse existimat, id, uti novum est, & à nullo unquam interprete tentatum, ita omni omnino caret probabilitate, recens hoc interpretamentum. Ecquomodo enim illud suffixum referendum esse dicamus ad vocem remotiorem, neglecta propinqua? Cuilibet sane textum inspicienti patescit, textus esse detorsionem & depravationem, ortam ex præpostero illo metu, quem in *Bechai* quoque notavimus supra, nempe alias futurum, ut Deo mutabilitas aliqua tribuatur, quæ tamen 1. Sam. 15: 29. à Deo longissimè removetur. Ast vanus ille est metus, neque vers. 12. Deum alicujus mutabilitatis vel inconstantiæ arguit; etsi לעולה כי eodem sensu Deum accepisse dicamus, quo Abrahamus. Sciendum enim hic est, quod *Thomas* parte I. q. XIX. artic. 7. inculcat, *aliud esse, mutare voluntatem, & aliud esse, velle aliquarum rerum mutationem. Potest* (pergit Doctor Angelicus) *enim aliquis, eadem voluntate immobiliter permanente, velle, ut nunc fiat hoc & postea contrarium. Sed tunc voluntas mutaretur, si aliquis inciperet nolle, quod prius voluit, vel desineret velle, quod voluit.* Quandoquidem vero, non tunc demum, cum Abrahamum Angelus acclamavit, Deus incepit nolle, ut præceptum executioni penitus mandaretur, sed, ut ipse *R. Abarbenel* l. c. loquitur: בעת העקרה תמיד היה רצון האל שלא ישחט אברהם את יצחק: *Subinde tempore ligationis noluit, ut Isaacum Abrahamus mactaret*, adeoque non omni ex parte, sed voluntate signi duntaxat, voluit immolationem, & quam verbo autore jusserat, initio secum decreverat actu proprio impedire, consequens inde fit, citra omnem mutabilitatis notam eum Abrahamum ab executione mandati abstraxisse. Atque hoc ex Judæis *R. Jonam* vidisse. *Abarbenel* diffiteri nequit. Sic enim ille l. cit. כתב הרי יונה המדקדק בס' הרקמה שהתחכם הש"י לנסות את אברהם מבלי מבלי שישנה את מאמרו מצד הצווי של פעמים יבוא שיתגולל עליו העשיה לא שיעשה עכ"פ והוא כמו והשקית את בית הרכבים יין ויהיה לפי זה אמרו והעלהו שם לעולה להתגולל והתעסק בהעלותו לעולה לא שיעשה בפועל כי זה היה הנסיון שרצה השם לעשות לא מה שהבין ממנו אברהם: *Scripsit R. Jonas, Grammaticus, in libro* הרקמה *Deum benedictum citra suæ sententiæ mutationem prudenter Abrahamum tentasse ejusmodi mandato, quo fieri aliquid ab eo postulavit, quod tamen ut omnino fieret, minime voluit. Simile exemplum hoc est illi, quod continetur verbis* (Jerem. 35: 2.) *& potum præbebis domui Rechabitarum. Atque ita dum ait: offer eum in holocaustum, id intendit, ut Abrahamus operi mactationis se accingeret, neque tamen id reapse perficeret. Hac enim tentatione Deus illud voluit, hoc postremum non item, quod tamen Abrahamus sibi persuaserat.*

§. 16. Non inepte exemplo Rechabitarum R. Jonas illustrat assertionem suam. Sane ut ibi Deus nihil aliud intendit, quam ut Propheta posteris Rechabi vinum propinando, deprehenderet, tam arcte parentis sui mandato illos adhærere, ut Israëlitas in ruborem dare possent; qui Dei mandata non perinde ac illi parentis sui monita observarent; ita h. l. non ipsam oblationem voluit, sed hoc unum, ceu in libro Ikkarim serm. 4. cap. 13. loquitur *R. Albo*: שהכוונה הטובה שהיתה בלב אברהם תצא אל הפעל: *ut bona intentio vel cogitatio in Abrahami corde latitans in actum deduceretur*, atque sic palam constaret, quanto Dei amore flagret Abrahamus, ut qui ne filio quidem sibi carissimo parcere voluerit. Qua [illegible] & in plena voluntate posita obedientia Deus ita acquievit, ut actualem oblationem, cui se jam Abrahamus accinxerat, fieri prohibuerit.

§. 17. Quod vero *Bechai* juxta & *Abarbenel* veteres Ebræos secuti censent, Jerem. 7: 31. Deum loqui de oblatione Isaaci, & testari ibidem, se nunquam eam præcepisse, in eo falluntur, ceu ipse contextus docet. Sane *R. Abarbenel* comm. ad Jerem. 7. non audet eam explicationem suam facere, dum sic scribit: יש לחכמים ז"ל בזה דרך אחרת שדרשו אשר לא צויתי ולא עלתה על לבי על יצחק בן אברהם ויהיה פירוש הכתוב לפי דרכם שאין להם שיאמרו וישרפהו בניהם ובנותיהם באש מפני שכך צויתי אנכי לאברהם להעלות את יצחק בנו לעולה כי הנה עם היות שאמרתי לו והעלהו שם לעולה לא צויתי אותו שירפהו אלא היתה כונתי באומרו לעולה לשרוף אותו באש אלא שיעלו על גבי המזבח במקום עולה וזה ולא עלתה על לבי כלומר לא היתה כוונתי בצווי ההוא אלא מה שנעשה לא שישרף יצחק ולכן אין לכם לקחת מזה דוגמה: *Est Doctoribus l. m. hic alius modus explicandi, dum verba* אשר לא צויתי ולא עלתה על לבי *de Isaaco filio Abrahami mystice accipiunt, ut secundum eos talis sit instituenda explicatio: Non est, quod dicant, se liberos suos comburere igne, eo quod Abrahamo præceperim, ut Isaacum filium offerat holocaustum. Ecce enim licet dixerim ad eum* והעלהו שם לעולה, *minime tamen mandavi, ut comburat igne, sed ut super altare eum ponat loco holocausti: atque huc respicit, quando ait, & non ascendit in cor meum, q. d. minime hoc intendebam illo mandato, sed tantum, quod factum est, non vero ut combureretur: Propterea non est, quod inde exemplum petatis.*

§. 18. Hanc explicationem, quæ non על דרך הפשט sive sensu *literali* sed דרש *mystico* nititur, mirum est non aperte rejici ab Abarbenele, qui tamen paulo ante de simili commento dixerat, זה דרש אינו מתיישב בפסוקים *hæc allegorica explicatio non fundatur in textibus.* Sane eodem aut majore jure idem

idem de Doctorum ſuorum allata explicatione aſſerere licet. Prorſus enim inibi nullum veſtigium apparet, cum ſenſus ſit, judice ipſo Abarbenele: שלא צוה השם בתורתו לעשות לשכו בעבודות האל: *Lege ſua Deum non præcepiſſe, ut hunc in modum eum colant.* Neque eis exprobrat, quod Abrahamum æmulaturi, hoc modo Deum coli, ſibi perſuaſerint. Alias tamen negare nolumus, non deeſſe, qui putent, huic Abrahami exemplo originem ſuam debere feralem illum cultum, qui puerorum mactatione præſtabatur. Ita *Johannes Seldenus*, lib. I. Syntag. de DIs Syris cap. 6. *Horrendi illius* (inquit) *ſacrificii puerorum nempe mactationis, ſi fides Phœnicum annalibus, non latet origo. Tradidit ex iis Porphyrius* (*apud Euſebium, Præparat. Euang. I. & IX.*) *Saturnum, quem Phœnices Iſraël nuncupabant, regem Phœniciæ vetuſtiſſimum, ut regnum ſuum à ſummo imminentis belli periculo liberaret, ſuperoſque propitios haberet, unicum* (μονογενῆ) *quem ex Anobreta ſuſceperat filium, regio ornatum faſtu, constructam ſuper aram immolaſſe, quod exemplum nefaria poſteritas non intellectum ſecuta eſt. Mirum niſi ad Abrahamum & Iſaacum filium reſpiciat commentum illud. Nam* μονογενής, *id eſt, unicus filius ille appellatur à Porphyrio Jeoud & à Philone. Verum in Geneſ. 22. com. 2. Iſaac dicitur* בנך את יחידך *id eſt, filius tuus, unicus tuus, ubi in Jehid ipſum Jeoud fere integrum legimus.* Adde *Buxtorfium*, patrem, Lexic. Ebraic. fol. 108. rad. גיא, ubi expreſſe ſcribit, *Idolo Molech liberos hominum oblatos fuiſſe, propterea, quod Deus Abrahamo dixerat: Sume filium tuum unicum Iſaacum, & offer eum in holocauſtum, Geneſ. 22:2. Hinc religio facta & immanibus exemplis comprobata. Jer. 7:31. 19:2.* *Andreas* tamen *Rivetus* comment. ad h. l. arbitratur, ortum id eſſe, non tam ex Abrahami exemplo, & κακοζηλίᾳ, quam Diaboli inſtinctu, qui, cum non ignoraret vaticinia de Chriſto pro ſalute hominum immolando, fidem, reverentiam fructumque illius elevare, & penitus tollere hac ratione anniſus ſit. Sed hic ubi idoneis ad probandum fundamentis deſtituimur, & conjecturis tantum locus eſt relictus, ecquis pro certo quid aſſeverare ſuſtinebit?

§. 19. Antequam hinc abeamus, *R. AbenEſræ* quoque verba digna nobis videntur, quæ hic exhibeantur: אחר שהכתוב אמר בתחלה והאלהים נסה את אברהם סרו כל הטענות: *Quandoquidem Scriptura initio affirmavit, Deum tentaſſe Abrahamum, ceſſant omnes cavilli.* Qui ſane itidem vidit, nihil cauſæ eſſe, quamobrem aliter Deum verba illa intellexiſſe dicamus, quam Abrahamus. Utinam vero non contribules modo ipſius idem perpenderent, qui more Apollinis loxiæ Deum tam ambiguo oraculo ludere finxerunt, ſed etiam ex Chriſtianis illi, qui in ſalutis negotio præter revelatam in verbo voluntatem, aliam, eamque arcanam comminiſcentes ad hoc exemplum provocant. Sane cum Scriptura hoc mandatum tentationis nomine inſigniat, & eo ipſo peculiare quid hic contigiſſe commemoret, committendum haud eſt, ut ad alia, eaque ſeria & de ſalute hominum agentia præcepta extendatur. Sed de his videantur Theologi. B. D. *Gerhardus*, tom. 2. LL. Theol. de Provid. §. 116. *B. Meiſnerus*, Anthrop. Decad. 2. diſp. XII. p. 64.

§. 20. Nunc locum quoque, ad quem divinitus Abrahamus eſt ablegatus, conſideraturi, de nomenclatura המוריה diſſeremus. Hic verbis dici nequit, quantopere in hujus nominis originatione diſſideant interpretes. Rabbi *Bechai* comm. ad h. l. fol. 30. col. 2. ſic ſcribit: הר המוריה הוא ירושלם וקרא הק"בה לכל הארץ המוריה על שם הר המוריה שבתוכו ומה שנקראת ירושלם הר לפי שהוא מלשון אלך לי אל הר המור וקנמון והבשם הטוב היה גדל שם וכן דרשו רבותינו ז"ל קנמון היה גדל בארץ ישראל והעזים וצבאים אוכלים ממנו ואנקלוס תרגם ארע פולחנא עשה מן מורא כי שם עתידין לירוא מלפני ה' ית' ולעבוד לפניו ובמדרש הר המוריה שמשם יצאה הוראה לעולם: *Mons Moriah Hieroſolymam denotat. Vocat vero Deus ſanctus benedictus totam terram hoc nomine, quia mons Moriah in ejus medio erat ſitus. Quod vero Hieroſolyma mons vocatur, id fit illa ſignificatione, qua dicitur* (Cantic. 4:6.) *ibo ad montem* המור *myrrhæ. Cinnamomum & aromata bona ibi naſcebantur. Atque ita Dd. l. m. homiletice explicant: cinnamomum ibi capreæ & capreoli edunt. Onkelos tranſtulit: in terram cultus, & ex* מורא *timore derivavit, eo quod futurum eſſet, ut homines ibi Deum benedictum colerent. In Medraſch ajunt, ſic dici, quod* הוראה *doctrina in totum mundum ſit egreſſura.*

§. 21. Etſi quædam derivationes non inconcinnæ & incommodæ videri queant, æque tamen incertæ ſunt, ac illa Kimchiana, qua à רוה *irrigavit*, deducit, & dictam terram putat, שהיתה ארץ רויה אחר שׁשכן בה הכבוד יהוה: *quod illa eſſet irrigua, vel quod omnibus abundaret, poſtquam in ea habitavit gloria Dei.* Ubi præterquam, quod ex Exod. 13:5. aperte conſtat, ante exſtructum templum terram jamdum illam melle & lacte affluentem, hoc eſt, ſumma ubertate præditam fuiſſe, nulla ex textu ratio pro hac originatione afferri poteſt. Quod enim *R. Bechai* primam attinet, approbavit eam ante *R. Moſes Ben Nachman* com. ad h. l. הנכון על הפשט שהוא כמו אל הר המור ואל גבעת הלבונה כי ימצאון שם בהר ההוא מור ואוהלי' וקנמון: *Literali ſenſu convenit, ut ſic accipiamus, quemadmodum ibi, cum dicitur* (Cantic. 4: 6.) *ad montem* מור *myrrhæ & ad collem thuris. In monte enim illo inveniebantur* (verſ. 14.) *myrrha, ſantali & cinnamomum.* At hic minime ſatis cauſæ videmus, cur à מור deduci dicamus, quandoquidem ſermo in toto libro parabolicus eſt, non hiſtoricus, ut etiam *N. Fullerus* monet lib. II. Miſcell. cap. 14. Neque Chaldæi derivatio applauſum meretur. Etſi enim eum & Arabs eſt ſecutus, qui tranſtulit: إلى بلد العبادة *in terram adorationis*, quod, ut *R. Moſes Maimonides*, More Nebochim part. 3. cap. 46. aſſerit, Abrahamus tunc facie ſua occidenti, tergo vero orienti obverſis, manifeſtarit plagam, verſus quam ſit *orandum*, ut ſic ſecundum eos omine quodam dictus ſit mons, quod is aliquando deſtinandus eſſet cultui divino, ex textu tamen tantundem pro firmando hoc afferri poteſt, quantum pro ea ſententia, qua locum ſic dictum ajunt, quod exinde doctrina in totum mundum ſit egreſſa.

§. 22. Adhuc longius à textu Ebræo receſſiſſe videtur *Syrus* interpres, qui reddidit: ܠܐܪܥܐ ܕܐܡܘܪܝܐ *in terram Amorrhæorum.* Et alius interpres *Arabs*, qui أرض المؤابيين *terram Moabitarum* vertit. *LXX.* itidem non ſatis vocem aſſecuti videntur verbis: εἰς τὴν γῆν τὴν ὑψηλήν, *in terram excelſam.* Neque *Aquila*, καταφανῆ *lucidam.* Propius à veritate eſſe videntur *Latinus*, qui vertit *terram viſionis*; & *Symmachus*, qui γῆν τῆς ὀπτασίας habet. Sane id ex textu haud obſcure patet, thema vocis eſſe ראה *vidit*, de qua doctiſſimum *Fullerum* l. cit. diſſerentem audiemus. *In participio*, inquit, מראה *mutatur primum Kametz Katuph per Ectaſin, in affine punctum holem. Tum per contractionem quandam eliditur* א, *& traductum ipſius punctum Segol præcedenti* ר *ſubjectum intelligitur. Deinde* (*more quieſcentium Lamed He*) *migrante He in Vau, Segol item in Hireck vertitur. Poſtremo* יה *nomen divinum fini annectitur. Idcirco vi dageſch fortis duplicatur Jod, ut utriuſque vicem præſtare queat. Quare vocabulum Moriah perinde valet, ac* מראה יה *vocibus, ſeparatim & diſtincte ſcriptis, hoc eſt* φανερωθεὶς θεός *vel* κύριος. *Inſigne monumentum & teſtimonium non templi ibi extruendi, ut volunt nonnulli,* (*neque enim templum eſt* καταφανὴς θεός) *ſed Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui templo major eſt, in carne illic potiſſimum patefaciendi.*

§. 23. In eo nos facile ὁμόψηφος habet Fullerus, quod à rad. ראה *vidit*, & nomine יה *Deus*, vocabulum מוריה deduci, affirmat. Id enim ut credamus, omnino ſuadet verſ. 14. Dubium tamen ſic emergit, quomodo vſ. 2. terra hoc nomine appelletur, cum verſu demum 14. ratio impoſiti nominis contineatur. Sane ob hanc rationem *Mercerus* prolepſin hic timidiuſcule admittere, quin judice *Riveto*, infitiari videtur. Cæterum etſi & *Rivetus* idcirco ſciri poſſe negat, qua occaſione & quando mons ille ſic ſit vocatus, quandoquidem tamen ratio nominis hoc ipſo capite contineri, & ipſi *Riveto* tandem derivatum videtur à vocibus יהוה יראה; præterea inſolens in ſacris non eſt, ut ſcriptores θεόπνευστοι poſteriores quædam addant & intexant libris ante ſe conſcriptis, nullam cauſam videmus, cur ad anticipatæ mentionis exempla hoc quoque referentes, ab eo tempore, quo Abrahamus filium ſuum mactare juſſu divino voluit, id nominis loco fuiſſe negemus. Confer B. D. *Glaſſium*, Phil. Sacr. lib. IV. tract. III. pag. 793. & 802. ubi complura exempla referuntur, quæ prolepſin continent, quibus hoc ipſum quoque ibi accenſetur.

§. 24. Neque quo minus ita ſtatuamus, obſtat, quod terra vel regio illa, tanquam jam ante Abrahamo non ignota, hoc nomine inſigniatur, ut *R. Moſes Nachmanides* quoque ſcribit: נכאן קורא שם הארץ ארץ המוריה ושם נראה כי הר הבית לבדו יקרא הר המוריה ואולי נקרא' העיר על שם ההר ההוא אשר בתוכה הארץ אשר בהר המוריה וההר לבדו הוא הנקרא מוריה ואברהם ידע את הארץ ולא ידע את ההר ולכן אמר לו שילך אל ארץ המוריה והוא יראינו אחד ההרים ששם נקרא ככה: *Hic vocat terram nomine Moriah, & ibi* (videtur 2. Paralip. 3: 2. reſpicere) *apparet, ſolum montem vocari montem Moriah. Forſan urbs venit nomine montis, qui ſitus eſt in medio iſtius regionis, in qua eſt mons Moriah. Solus vero mons vocatur Moriah,*

Moriah, *& Abrahamus terram quidem noverat*, *montem non item. Ideo enim jussit eum in terram illam se conferre, in qua montem*, *sic appellari solitum*, *ostensurus erat.* Fieri enim omnino potest, id quod ipse B. D. *Glassius* l. c. etiam docet, ut regionem quoque ita per prolepsin scriptor sacer vocarit, & quidem propter montem in ea situm, quo postmodum templum, extra quod sacrificium offerre nefas erat, est exstructum. De illo *R. Moses Maimonides*, cap. 1. Hilkot Beth Habbechira: כיון שנבנה המקדש בירושלים נאסרו כל המקומות כולן לבנות בהן בית לה׳ ולהקריב בהן קרבן ואין שם בית לדורי הדורות אלא בירושלים בלבד ובהר המוריה שבה נאמר דוד זה הוא בית ה׳ האלהים וזה זבח לעולה לישראל ואומר זאת מנוחתי עדי עדה: *Postquam sanctuarium Hierosolymis exstructum est*, *nullo alio loco licuit ædificare templum*, *& in eo offerre sacrificium. Neque fuit templum omnibus generationibus agnoscendum*, *nisi Hierosolymitanum*, *& in monte Moriah. De illo enim David ait* (1. Paralip. 22: 1.) *hæc est domus Dei*, *& hoc altare in ascensionem Domino. Et* (Psal. 132: 1.) *hæc requies mea in perpetuum.*

§. 24. Sed nunc *R. Abarbenelem* quoque hic audiemus, quamobrem divino jussu hunc montem conscenderit Abrahamus cum Isaaco. Sic enim ille fol. 75. col. 3. commentatur: צוה לו שילך אל הר המוריה ושיעלהו שם לעולה על אחד ההרים אשר יאמר אליו לפי שרצה ית׳ שתהיה העקדה בהר המוריה באותו מקום עצמו שהיה עתיד להבנות המזבח בבית עולמים וכבר סופר בדברי הימים שנבנה המקדש בהר המוריה גם מפני שאדם הראשון נברא מאותו מקום ושם ישב כשגורש מג״ע וגם נח שם בנה מזבחו ומפני זה היה ראוי שבאותו מקום שנברא אדם וחטא וגורש מפני חטאו שם יהיה יצחק נקרב לעולה תמימה גם שמפני שלא היה בזה הפועל שישחט יצחק אלא שיגיעהו עד שערי מות: *Mandavit ei*, *ut se conferret ad montem Moriah*, *& ibi in holocaustum super aliquo monte*, *ipsi ostendendo*, *eum offerret. Voluit enim Deus*, *ut Isaacus ligaretur eo ipso loco*, *quo exstruendum erat altare in domo seculorum. Pridem etiam in libro dierum* (2 Paral. 3: 1.) *dictum est*, *Sanctuarium in monte Moriah esse ædificatum. Præterea quia Adamus ex illo loco est creatus & ibi habitavit*, *cum designato peccato est ejectus. Quin etiam Noë ibi altare suum ædificavit. Quandoquidem igitur Adamus ibi creatus est*, *& peccato commisso inde ejectus*; *conveniens erat*, *ut Isaacus ibi ligaretur & in holocaustum offerretur*, *quanquam Deus*, *ut mactaretur*, *minime intendit*, *sed saltim ut ad limina mortis perveniret.*

§. 25. Quod *R. Abarbenel* Noachum altare suum in monte Moriah ædificasse perhibet, id vero commentum esse anile & Judaicum, inde haud obscure patet, quod cessante diluvio arca requievisse dicitur super montem Ararat. Genes. 8: vs. 4. Quam longe vero mons ille à monte Moriah sit dissitus, neminem ignorare sinunt tabulæ Chorographicæ. Æque vero illud certum est, Adamum ibi peccasse. Quod vero Isaacum ibi, ut hostiam, ligatum fuisse docet, quo postmodum sacrificia erant offerenda, id licet & *P. Cunæo* lib. 2. de R. E. cap. 12. tanquam fabulosum rejiciatur, nonnullis tamen non omni carere probabilitate videtur. Quin *Rivetus* mysterium sapere asseverat, quod tam insigni actu antea sit nobilitatus locus, quam ad cultum suum in populo Israëlitico Deus cum elegerit. Rabbi Gerundensis quoque verba יהוה יראה sic explicat: פשוטו כתרגומו יי׳ יבחר ויראה לו את המקום הזה להשרות בו שכינתו ולהקריב כאן קרבנות: *Sensus literalis ejus est*, *ut exponit Targum*: *Dominus eliget*, *& videbit sibi locum hunc*, *ut divinitas ejus ibi habitet*, *& sacrificia ei offerantur.* Quam sententiam amplecti longe præstabilius est, quam cum *Rabbi Gerundensi* typo tribuere, quod est antitypi, adeoque affirmare, ideo id factum esse שתהיה זכות העקידה בקרבנות לעולם: *ut ligationis illius meritum subinde sacrificiis competeret.*

§. 26. Diximus, nonnullis videri, non omni carere probabilitate. Quandoquidem enim non ille tantum locus, quo templum exstructum erat, hoc nomine insigniebatur, sed tota quoque illa montosa regio & vicini colles, quos inter & mons Calvariæ refertur, sic vocari solebant; liquido patet, non omnino certum esse quam montem Abrahamus conscenderit. Quin non desunt hic, quibus hæc altera sententia magis probetur, nempe illum ipsum montem Abrahamum petivisse, quem Dominus noster passione sua & morte nobilitavit. Ita enim S. Augustinus sermone de tempore 71. *Audite*, inquit, *sacramentum*, *fratres carissimi*, *Hieronymus presbiter scripsit*, *se ab antiquis & senioribus Judæis certissime cognovisse*, *quod ibi immolatus sit Isaacus*, *ubi Christus postea crucifixus est.* B. quoque Dn. D. *Glassius*, Phil. Sacr. lib. IV. tract. III. in hanc concedit sententiam his verbis: *Si Grammatice resolvatur*, *fit ex eo* מַרְאֶה יָהּ i. e. φανερωθεὶς θεὸς, *Deus manifestatus seu conspicuus factus est. Is est filius Dei in carne manifestatus*, 1 *Timoth.* 3: 16. *qui in loco illo & monte crucifixus & in sacrificium pro peccatis nostris Deo oblatus fuit*, *cujus typica repræsentatio in Isaaco præmonstrata*, *& loco illustri hoc nomen mnemonicum inditum fuit.*

§. 27. Diversa loca fuisse, ubi sacrificia à Sacerdotibus quondam oblata fuere, & ubi Dominus noster crucifixus παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν, ut Apostolus Eph. 5: 2. loquitur, dubitandum non est. In alterutrum montem vero Isaacum mactandum à parente ductum fuisse, uti non negabimus, ita silente Scriptura, illum minime determinantes, suo unumquemque sensu abundare permittemus. Maxime cum uno eodemque nomine, & regio ipsa, & in eo siti sive montes sive colliculi, vocari consueverint, id quod ipsemet *Fullerus* diffiteri nequit, *Merito*, inquiens, *mons ille*, *ubi templum est ædificatum*, *deinde urbs quoque Hierusalem totaque regio finitima mons & terra Moriah vocatur propria quadam ratione*, *utpote ubi filius Dei Jesus Christus*, *verus Jah sive Jehovah*, *tot modis se conspicuum ac manifestum*, *vel ipsis oculis sensibusque corporeis exhibuit*, *nascendo*, *docendo*, *miracula edendo*, *patiendo*, *moriendo*, *resurgendo*, *in cœlum denique assurgendo.* Sed de his plura infra ad vers. 14.

בח:

DE LIGATIONE ISAACI ET DECIMA, QUAM EBRÆI VOCANT, ABRAHAMI TENTATIONE.

DISSERTATIO II.

Postquam superiore disputatione divini mandati, quo Abrahamus filium suum mactare & holocausti vicem offerre jussus est, gravitatem, & insigniores utrinque circumstantias, unde tentationis vel explorationis magnitudo æstimanda est, perpendimus; consequens est, ut quam promptus fuerit Patriarcha ad exsequendum divinum mandatum, nunc videamus. Elucescit illud non tantum ex responso viri rarissimæ pietatis, quod vs. 1. habetur: הִנֵּנִי *Ecce ego*; quod *R. Abarnenel* idem esse ait ac si dixisset: אני מזומן לכל מה שתאמר *Ego sum paratus ad omne id*, *quod imperaveris.* Et *R. Salomo* non male: כך היא עניתם של חסידים לשון ענוה ולשון זמון: *Sic pii humiliter promptitudinem comprobare solent.* Sed vel maxime inde, quod nihil omnino ad hoc exceperit, cum regere posset, ut *R. Alschech ad h. l.* notat. גם שאני אחפוץ לעשותו אולי לא יאבה יצחק כי מי נער במיטב ימיו יאמרו לו לשחוטו ולא יתאמץ לבבו ולפחות לסרב מעט: *Licet ego velim*, *tamen forsan Isaacus abnuet. Ecquis enim Juvenum est*, *qui ipso ætatis flore*, *ubi inaudiverit se mactatum iri*, *non refragabitur?* Vel ut *R. Abarbe-*

Abarbenel loquitur: למה ישכם השם שהאב הרחמן יהרוג את בנו בידו אחרי שבזה מהאכזריות שעור רב משני צדדים מצד היות האדם נברא בצלם אלהים וכ"ש הנולד בדרך נס שישחט וישפך דמו כמים ואם מצד ההורג שיהיה אביו אשר הולידו למאה שנה ואמו בת צ' שנה: *Eccur Deus poscat, ut misericors pater filium suum occidat, cum tamen hoc insignitæ sit crudelitatis opus duplici de causa. primum enim ad imaginem Dei homo creatus est, quanto minus vero, ut ejus sanguis, qui miraculose genitus est, instar aquæ effundatur, par est. Deinde ex parte occidentis, qui sit pater ipsius, vir centum annos natus, matre nonagesimum annum agente.* Atenim nihil hujusmodi meminit, sed qua ratione potuit, rem dissimulans, id effectum omnibus modis dare conatus est, quod Deus præceperat, & ut *R. Abarbenel* fol. 76. col. 2. recte loquitur: השכים לעשות זה הפועל המצווה אליו עם כל זרותו ולא הרהר אחר מעות השם לחקור ולידע למה זה ועל מה זה לפי שמדרך העובד האמתי שלא יבקש טעם למצות אדניו זולת רצונו שהוא רוצה בכך: *Consensit in opus mandatum, quantumvis paradoxum, neque quicquam sciscitatus est de mandato divino, cur, & in quem finem id fiat. Quia ministri fidelis est, nullam rationem herilis mandati requirere, & sola voluntate illius, qui sic faciundum præceperat, acquiescere.* Atque hæc ex relatione Scripturæ uberiore, in cujus sensum jam inquisituri sumus, clarius patescent.

CAPUT II.

Verbi שכם *significatio, adductis Versionibus illustrata. Theodoretus laudatus. Certitudo Prophetica quanta sit, ex Abrahami alacritate Thomas & Ebræi recte colligunt.* חבש *quid denotet. Kimchi, Arabs, Syrus, LXX. laudati. Prodigiosam Ebræorum Veterum de asino Abrahami sententiam Abarbenel frustra excusat.* נער *quid. Rivetus notatus. Quomodo Abrahamus montem viderit. Duplex Ebræorum sententia. Vau in* וישא *notat Josepho Kimchio ellipsin. Gatakerus trajectionem statuit verisimilius. Quomodo Abrahamus reditum Isaaci mactandi potuerit promittere? Cajetani, Riveti, Augustini, Cani, Pererii & Ebræorum sententiæ recensentur. Elegans Ebræorum assertum de Isaaco ligna bajulante Salvatori nostro applicandum.* מאכלת *quid. Autor Michlal Jophi notatus. Chaldæus Syrus Arabs consentiunt.* Μάχαιρα *crucem fixit Heinsio, non citra Salmasii cachinnum. Dialogus Abrahami & Isaaci, R. Alschech laudatus. Bachai, Abarbenel &, Targum Hierosolymitanum perperam verba* וילכו יחדיו *explicant. R. Salomo locutionis vim assecutus. An Isaaco quicquam de intentione patris sui in via innotuerit. Cur Abrahamo potius quam Isaaco laudi detur hæc tentatio.*

§. 1. Verba Commatis III. sic habent: וַיַּשְׁכֵּם אַבְרָהָם בַּבֹּקֶר וַיַּחֲבֹשׁ אֶת־חֲמֹרוֹ וַיִּקַּח אֶת־שְׁנֵי נְעָרָיו אִתּוֹ וְאֵת יִצְחָק בְּנוֹ וַיְבַקַּע עֲצֵי עֹלָה וַיָּקָם וַיֵּלֶךְ אֶל־הַמָּקוֹם אֲשֶׁר אָמַר לוֹ הָאֱלֹהִים: Quæ Vulgatæ Versionis autor hunc in modum transtulit: *Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum, sumpsitque duos servos & Isaacum, cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum, quem præceperat ei Deus.* In textu quidem Ebræo nulla fit noctis expressa mentio, visione tamen noctu Abrahamum divinitus mandatum accepisse, quidam etiam inde conjiciunt, quod summo mane (id enim intelligi solet, ubi בבקר cum verbo שכם conjungitur) itineri se accinxit, unde transtulit Arabs غلس *sub finem noctis iter fecit.* Syrus ܩܕܡ ܒܨܦܪܐ *antevertit diluculo.* LXX. ἀνέστη τὸ πρωΐ, qui alias verbi שכם significatum exprimere solent adhibere verbum ὀρθρίζω, de quo Theodoretus ait, Διὰ τὸ ὀρθρίζειν τὸ ἐπιμελὲς δεδήλωκεν, *verbo* ὀρθρίζειν *sedulitatem innuit.*

§. 2. Hoc ipsum, quod Abrahamus filium offerre jussus tam promptus fuit, propheticæ certitudinis est argumentum. Ex hoc facto sane id depromit *Thomas 22. quæst. 171. art. 5.* & *R. Abarbenel* ex More Nebochim *R. Maimonidis cap. 23. part. 3.* idem inculcat. למור היא איך האמינו הנביאים במה שיבואם מה"שי בנבואה שלא יחשוב אדם שהיו מסופקים כלל בדבר אשר יראו אבל היה דינו אצלם כדין הענינים המשוגים לחושים והראיה על זה היות אברהם מסכים לשחוט את בנו יחידו אשר אהבת נפשו אהבו כאשר יצוה עליו ואף על פי שבאה המצוה ההיא בחלום או במראה הנבואה אלו היו הנביאים מסופקים בדבר שישיגו במראה הנבואה לא היו מסכימים לעשות מה שמאנהו הטבע כמראה הגדולה הזה מספק: *Discimus inde, quomodo Prophetæ crediderint ea, quæ ipsis divinitus per Prophetiam innotuerunt. Neque enim est, ut quispiam existimet, eos quicquam dubitasse de re visa. Perinde erat, ac si rem sensibus percepissent. Confirmatur hoc inde, quia Abrahamus in unici sui filii, quem non minus ac se ipsum amabat, mactationem consensit, postquam ei demandata est. Etiamsi vero in somnio id obtigit, aut visione prophetica, tamen si Prophetæ quicquam de ea dubitassent, non consensissent in rem, à qua natura abhorret, cujusmodi est hæc insignis & dubia visio.* Sane revelationem hanc divinam, sive fuerit voce expressa, sive instincto quodam occultissimo facta sit, Abrahamo clarissimam & certissimam fuisse, à posteriori, & singulari illa alacritate in exequendo mandato recte probat Judæus. Causa hujus certitudinis erat lumen Propheticum, cujus virtute Patriarcha multo certior erat de Dei voluntate, quam de primorum principiorum veritate is, qui lumen rationis habet. Et ut vocem articulatam Isaaci vel Saræ audiens evidenter cognoscebat, quis loqueretur: ita lumine Prophetico longe evidentius cognovit dictum revelantis Dei, intellectui impressum, esse revera Dei voluntatem, non illusionem aliquam Dæmonis. Atque ita Jeremias cap. 26: 15. certissimus erat, se quicquid dixerat, Dei jussu, ובאמת protulisse.

§. 3. Persuasissimum igitur sibi habens Abrahamus, Numen supremum ita velle, ut mactet filium & in holocaustum offerat, nihil cunctatus se itineri accinxit, & ut Ebræa verba habent וַיַּחֲבֹשׁ אֶת־חֲמֹרוֹ *& stravit asinum suum*, ceu Latinus vertit. *R. David Kimchi*, & ex eo autor libri Michlal Jophi docent, verbum חבש habere ענין קשור הבהמה באזור *significationem ligandi jumentum cingulo. Arabs* reddidit وأسرج *ephippio instruxit. Syrus* ܘܐܣܪ ܠܚܡܪܗ. LXX. ἐπέσαξε τὸ ὄνον. An id operis ipsemet perfecerit, an vero alios id facere jusserit, disquirunt autores. Prisci Ebræi in *Bereschith Rabba* sic loquuntur: אמר רבי שמעון בן יוסי וכילא היו כמה עבדים לחבשו אלא אהבה מקלקלת השורה: *Dixit R. Simeon filius Josi, annon multos habuit servos, qui asinum sternerent? Nempe amor lineam transilit sive pervertit.* Sane licet communi usu loquendi & ille aliquid adornare dicatur, qui moraliter agit, & aliorum opera utitur, maximo tamen exequendi mandati desiderio flagrantem Patriarcham ipsum manus admovisse, non est improbabile, quippe qui adeo amore & fide in Deum ejusque promissiones ferebatur ut nihil prius haberet, quam ut divinæ voluntati faceret satis. Atque huc collimant verba Abarbenelis: לזה נאמר וישכם אברהם בבקר כאיש מהיר במלאכתו ולחפצו לעבודתו הוא עצמו חבש חמורו: *Ideo dicitur mane surrexisse Abrahamus, velut is, qui lætabundus festinat ad opus suum perficiendum, ipse cinxit asinum.*

§. 4. Antequam ad alia progrediamur exemplum prodigiosæ credulitatis & asinini deliramenti proferemus Veterum Ebræorum. In *Pirke R. Elieseris* & libro *Jalkut* ad h. l. hæc legimus oppido ridicula: הוא החמור שרכב עליו משה שנ' ויקח משה את אשתו ואת בניו וירכיבם על החמור הוא החמור שעתיד בן דוד לרכוב עליו שנ' עני ורוכב על החמור: *Est ipse asinus cui insedit Moses, quia dictum est,* (Exod 4: 20.) *& sumpsit Moses uxorem suam & filios suos & imposuit eos* על החמור. *Est ille ipse asinus, cui insessurus est filius Davidis, quia dictum est,* (Zach. 9: 9.) *mansuetus & equitat super asino. R. Abarbenel* fol. 74.) sic de hoc figmento loquitur: והוא מאמר צריך אל ביאור כי רחוק וקרוב הוא לנמנע לשיפורש כפי פשוטו: *assertum hoc opus habet explicatione. Prorsus enim explicari nequit secundum sensum literalem.* Audiamus igitur, quomodo monstrosam illam assertionem excusare nitatur Judæus: לפי שהיה אברהם בזה כובש את יצרו ומבטל טבע החמר ראו חכמים ז"ל על דרך המליצה לדרוש ויחבוש את חמורו שחבש והכניע את החמר והיצר שלו כי בזה יוכל ללכת אל המקום אשר אמר לו האלהים ולפי שהיה אברהם להתחה בשלמות אומתנו ומשה רבינו בנתינת התורה שנתנה ע"י משלי אמתי לפסוק מהם זוהמה של נחש ומלך המשיח יהיה תכלית כל הטיב המיוחד לכן אר"ז"ל במליצתם שזה החמור בעצמו שחבש אברהם הוא אשר רכב עליו משה הוא אשר ירכב עליו מלך המשיח' ר"ל שאותו החמור שהכניע אברהם תחת שכלו הכניע ג"כ משה רבי' בקבול התורה והכניע ג"כ מלך המשיח לתתנו שלמים בתכלית השלמות וזכרו אלה הג' אברהם ומשה ומשיח להיותם ראש ואמצעי ותכלית לשלמות

לשלמות אומתנו: *Quia Abrahamus suam concupiscentiam in hoc subegit & materiæ naturam cessare fecit, idcirco Dd. l. m. mystice exponenda duxerunt verba* ויחבוש את חמורו *quod materiam depresserit, & inde emergentem concupiscentiam subegerit, ut sic ad locum divinitus monstratum posset pertingere. Et quia Abrahamus erat initium ad gentis nostræ perfectionem, & Moses Doctor noster, super quem sit pax, legem dando vere perfecit & serpentis inquinamenta cessare fecit, Messias vero omnis nostræ propriæ felicitatis finis est; inde Dd. nostri l. m. in expositione sua dixerunt, hunc asinum esse ipsum, quem Abrahamus straverit, cui Moses insederit, & super quem Messias sit equitaturus, q. d. eandem materiam quam suo intellectui subjecit Abraham, Moses depressit dum legem accepit. Rex Messias quoque prostravit, ut daret felicitatem absolutissimam. Meminerunt illorum trium virorum, Abrahami, Mosis & Messiæ, initii, medii & finis perfectionis nostræ gentis.* Ita insulsam sententiam Veterum ab absurditate vindicare conatus est Abarbenel, dum mysticum sensum eos intendisse, & sub paradoxa & lepida narratione reconditiorem sensum abscondisse, comminiscitur. At literaliter stupidos homines dictum intellexisse, ex eo liquido patet, quod cap. 31. libri פרקי רבי אליעזר asinum esse dicunt בן האתון שנברא בין השמשות *filium asinæ, creatæ crepusculo Sabbathi*, nempe illius, quæ cum Bileamo est locuta, Num. 22:28. Sane R. Salomoni ad Exod. 4:20. hujus effugii non venit in mentem, quod Abarbenel urget. Sed hæc obiter, & ὡς ἐν παρεκδρομῇ.

§. 5. Quandoquidem non quævis ligna ad holocaustum apta erant, non nodosa & recens è viridi arbore amputata, sed arida & sicca, de illis quoque antea sollicitus fuit, quam pedem ædibus efferret. Quibus paratis, præter Isaacum duos secum ire jussit נערים. Quo nomine Ismaëlem & Eliesерem venire, censet *R. Salomo*. At enim Ismaël jam dum erat ejectus. Sciendum est, נער esse 1. nomen *ætatis*, quod significat infantem, Psal. 22:10. Exod. 2:6. & filium familias, cum minorennem, tum natu grandiorem. Unde Rivetus commentar. ad h. l. *hoc*, inquiens, *nomen de filiis familias non videtur dici, nisi de iis, qui nondum sunt in ætate virili*, fallitur. Redarguunt enim ipsum loca, Gen. 34:19. 2. Sam. 18:5. & idcirco merito iis accensendus est, qui insuper habuisse perhibentur *Cl. Hackspanio* b. m. lib. 1. Miscell. sacr. cap. 9. *Cauto opus esse, nequid facile universaliter in sacra Philologia asseramus.* 2. nomen est *status* vel servitii, & famulum denotat, 2. Sam. 9:4. Qui enim 2 Sam. 16:1. נער dicitur, 2. Sam. 9:2. vocatur עבד Minister Regis, ut ex vs. 10. liquet, quindecim filios & viginti servos habens. Atque posteriore hoc significatu intelligendam esse vocem, Philo agnoscit, libro de Abrahamo sic loquutus: ἐκ πολυανθρώπου θεραπείας οἰκετῶν, δύο τοὺς πρεσβυτάτους καὶ μάλιστα φιλοδεσπότους, παραλαβών. quod judice Abarbenele contigit, partim שלא ירגיש יצחק בדבר למה חוה מוליכו עמו *ne Isaacus persentisceret, cur eum pater secum ire jusserit*; partim, כדי שינהיגו את החמור טען העצים *ut asinum ligno onustum ducerent.*

§. 6. Tridui iter emensus Abrahamus locum eminus conspicit. Sic enim vs. 4. pergit Moses בַּיּוֹם הַשְּׁלִישִׁי וַיִּשָּׂא אַבְרָהָם אֶת־עֵינָיו וַיַּרְא אֶת־הַמָּקוֹם מֵרָחֹק: *Die tertio elevatis oculis vidit locum procul.* Hic iterum prisci Ebræi aliquid videntur finxisse. In Pirke *R. Elieseris* cap. 31. hæc verba legimus: מה ראה ראה עמוד של אש מן הארץ עד לשמים: *Ecquid vidit? vidit columnam igneam ex terra cœlum versus ascendentem.* Quam sententiam, licet nec *Pererius* neque alii commentatores expresse rejiciant, commentitiam tamen eam esse, suspicamur, maxime cum sacra Scriptura hoc taceat, & Ebræi alia adjiciant, quæ fabulam potius redolent, quam veram historiam. Sic enim ibi pergunt: אמר ליצחק בנו בני אתה רואה כלום באחד מן ההרים הללו אמר לו הן אמר לו מה אתה רואה אמר לו אני רואה עמוד של אש עומד מן הארץ ועד לשמים והבין אברהם כי נרצה לעולה: *Dixit ad Isaacum filium suum. Mi fili, videsne quidpiam in montibus illis? respondit ipsi; ita. Interroganti, ecquid vides? respondit, columnam igneam de terra ad cœlum usque se porrigentem. Et intellexit Abraham, quod in holocaustum esset electus.* (Quod Vorstius vertit: *voluntarium*, id vereor ut sit ad mentem Ebræorum, qui, ut ex seq. §. patet, aliter vocem נרצה accipiunt.)

§. 7. Cum certum istud sit, indicio quodam divino innotuisse Abrahamo locum, quem Deus se monstraturum ei est pollicitus, vers. 2. probabilior est sententia altera, quam *Abarbenel* ipse videtur priori præferre, vidisse Abrahamum montem בעין שכלו ונפשו אמרה לו שהוא הנרצה לפניו הר דרך נבואה *oculo intellectus, animamque suam ipsi dictasse, locum illum à Deo ipso electum esse, idque contigisse more prophetico.* Nempe interiori monitu sic ipsi mons innotuit, quem juxta viderat oculis suis, perinde ac Deum Samueli indicasse legimus, quem filiorum Isai in Regem ungi vellet. 1 Sam. 16:12.

§. 8. De Vau conversivo in verbo וישא peculiaris observatio *R. Josephi Kimchi* adducitur ab autore Michlal Jophi his verbis: היא רמז על מלה חסרה כדמותה ופירושו והשכים ביום השלישי וראה את המקום מרחוק: *Indicat illud ellipsin similis verbi; ut hæc sit explicatio ejus: surrexit mane die tertio & vidit locum è longinquo.* Sed cum nullum exemplum proferat, quo patescat, alias Vau ita ellipsin verbi subindicare, malim hoc exemplum ad trajectionem scripturæ alias usitatissimam referre, cujus plura collegit exempla *Cl. Gatakerus*, Dissert. de Stilo N. T. cap. 3.

§. 9. Non frustra sane sacra Scriptura omnes circumstantias historiæ recenset, cujusmodi est hæc, tertio demum die post locum sacrificio destinatum ab Abrahamo visum esse. Ut enim iterum *R. Abarbenel* recte monet fol. 75. col. 1. זכר הכתוב כל הפרטים האלה ממעשיו להודיע שלא היה מעשהו בפתאומי כאדם שהורג את עצמו אבל במתן ובנחת גדול שלשה ימים בלא חרטה: *Scriptura omnia particularia isthæc commemorat, ut demonstret, factum ipsius non fuisse repentinum, instar hominis αὐτόχειρος, sed lentum, & cum magna mora, trium videlicet dierum absque ulla pœnitentia.* Et col. 3. בזה יהיה לו יותר זמן להתיעץ ולהתחרט אם לא יחפוץ בדבר: *Hoc ipso, tanto plus temporis ei erat ad deliberandum & pœnitendum, si nollet rem peragere.*

§. 10. At Patriarcha, loco mactationi insolitæ destinato jam viso, patria caritate reverentiam, quam noverat Deo deberi, & fiduciam, quam in illo collocabat, adeo non passus est superari, ut etiam mandatum, quantumvis rationi repugnans exequi fuerit conatus. Atque ut eo minus sentiret impedimenti, utrumque servum hunc in modum alloquitur: שְׁבוּ לָכֶם פֹּה עִם הַחֲמוֹר וַאֲנִי וְהַנַּעַר נֵלְכָה וְנִשְׁתַּחֲוֶה וְנָשׁוּבָה אֲלֵיכֶם *Sedete hic cum asino, ego & puer ibimus, & postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Nempe Servos, quibus clam sacrificium oblaturus erat, asinum, cui forsan locus ob altitudinem & præcipitium impervius erat & inaccessus, custodire jubet, donec peracto divino cultu redirent. Ubi illud interpretes torquere videmus, quomodo Abrahamus & suiipsius & filii, quem jussu divino in holocaustum offerre constituerat, reditum polliceri potuerit? *Cajetanus* in cap. 22. Genes. distinctione metaphysica difficultatem tollere conatur, *Potius*, inquit, *Abrahamus sic locutus est, secundum ordinem causarum secundarum. Immolatio namque Isaac non erat futura secundum ordinem causarum secundarum sed secundum miraculosum ordinem supremæ causæ. Verum itaque locutus est, dicens, quod futurum erat secundum ordinem communem causarum, tacito ordine supernaturali.* Sed hanc explicationem, ut subtiliorem & huic loco minus convenientem merito rejicimus, quam nemo interpretum reliquorum recipit. Videtur etiam illud Maldonati in cap. 1. 14. Johannis huc quadrare, *non dissimulo*, inquientis *odio mihi esse illam in tractandis literis tam argutam, tam curiosam, tam audacem subtilitatem; nihil enim periculosius, quam indulgere intemperanter ingenio.*

§. 11. Alii igitur Syllepsin hic agnoscunt, qua & alias Scriptura id, quod in uno impletum est, pluribus tribuere solet Marc. 14:3. Luc. 23:39. atque hic textum explicandum censet A. Rivetus. Quidam, & nominatim S. Augustinus, Abrahamum ita locutum ajunt, quod crederet, filium suum statim resuscitatum iri. Cæterum quandoquidem Abrahami gloria non parum minui videtur, si eum scivisse dicamus post immolationem statim eum ad vitam esse revocandum, fit ut hæc sententia paucis probetur. Non desunt, qui existiment, necessum haud esse, ut sanctos à mendacio officioso excusemus, cum in multo graviora peccata incidisse eos legamus. Hinc Melchior Canus, lib. I. Locor. cap. 4. *Sunt*, inquit, *quibus ego vehementer assentior, qui admittunt quidem, Abrahamum ea ratione mentitum fuisse, quod contra mentem dissimulandi causa loquutus est; prophetasse autem, quia dixit verum, quod tunc sc. ignorabat. Benedictus* tamen *Pererius*, qui libenter à mendacio Patriarcham tantum se vendicaturum profitetur, cum id commode fieri possit, tandem lectori rem totam relinquit judicandam. Ebræi quoque vaticinium agnoscunt, unde *R. Salomo* נתנבא שישובו שניהם *vaticinatus est, utrumque rediturum.* Et *R. Abarbenel*: הודיעו הכתוב בזה שאפילו שיחה קלה של אותו צדיק נתקיימה: *Scriptura indicat, etiam minutissimum verbum justi viri* adim-

adimpletum fuiſſe. Cæterum in tanta ſententiarum varietate, illud nobis maxime probatur, nempe ſic Abrahamum *captioſe eſſe locutum cum ſervis, ne cognito negocio, aut impediret aliquis, aut gemitu obſtreperet, aut fletu*, ceu Ambroſius lib. 1. de Abrahamo cap. 8. loquitur. Vide Menaſſem Ben Iſraël, q. 37. Conciliat. in Gen. p. 19.

§. 12. Juſſis ita ſervis ſubſiſtere & heri ſui reditum præſtolari, Abrahamus cum filio pergit; Ita enim habet verſus 6. וַיִּקַּח אַבְרָהָם אֶת־עֲצֵי הָעֹלָה וַיָּשֶׂם עַל יִצְחָק בְּנוֹ וַיִּקַּח בְּיָדוֹ אֶת־הָאֵשׁ וְאֶת־הַמַּאֲכֶלֶת וַיֵּלְכוּ שְׁנֵיהֶם יַחְדָּו׃ *& accepit Abraham ligna holocauſti, & impoſuit Iſaaco filio ſuo, & accepit in manu ſua ignem & gladium, & iverunt ſimul.* Ad quem Verſum, in libro Jalkut fol. 28. col. 3. & Bereſchit Rabba f. 35. hæc notatu digniſſima verba invenimus. הוא טוען צלובו בכתפו *ille crucem ſuam ſuismet humeris tulit.* Utinam quam apte hoc in Iſaacum, ligna quibus patris opinione cremandus erat, humeris ſuis geſtantem quadrant, & concinne de typo à Judæis dicta ſunt, tam prompto animo nobiſcum antitypum, cujus præfigurandi gratia hæc facta ſunt, agnoſcerent, in quo, reapſe hoc adimpletum, cum Joh. 19: 17. dicitur; βαςάζων τ̃ ςαυρὸν αὐτοῦ! Dolendum ſane eſt, Judæos tam alieno à noſtro Salvatore eſſe animo, ut quæ olim contigiſſe, infitias ire nequeunt, & ipſimet typo tribuunt, nolint agnoſcere in veri nominis Meſſia, cujus merito & paſſioni omnia illa longe rectius adſcripſerint, quæ magno conſenſu, ut infra cap. 3. videbimus, illi tribuunt *Ligationi Iſaaci*, nonniſi umbræ & figuræ.

§. 13. Iſaaco ligna humeris bajulante, Abrahamus igne & cultro, necis inſtrumentis, inſtructus incedit. Vox מַאֲכֶלֶת proprie *cultrum cibarium*, qui cædundis cibis geritur, notat. Vocari eum ita, על שם שהוא אוכל ומכלה *quia devorat & conſumit*, autor libri Michlal Jophi ex Kimchio docet. At quia alias nomina Ebraica ſuarum conjugationum, unde deſcendunt, ſignificationem redolent, & nomen illud non primæ vel ſecundæ ſed tertiæ conjugationi, quæ actionem duplicem includit, qua quis efficit, ut alius agat, originem ſuam fert acceptam, clariſſime inde patet, falli eos qui ſic ſentiunt, & מאכלת dici non tam quod edat vel conſumat, quam quod efficiat, ut quis comedere poſſit. Unde etiam liquet minus recte Latinum tranſtuliſſe per gladium, quippe qui חרב dicitur, & voce מאכלת in ſcripturis nunquam notatur. Chaldæus, Syrus & Arabs conveniunt, quippe quorum iſte סכין, ille ܣܟܝܢܐ, hic سكين tranſtulit. LXX. Μάχαιραν verterunt, quæ vox, ut Gloſſarium habet, *cultrum* denotat, & crucem aliquando fixit Danieli Heinſio. Cum enim Domini noſtri latus λόγχῃ transfodiſſe milites, Johannes referat, c. 19. verſ. 34. quem Nonnus ita reddidit

Ἀλλὰ θορὼν ἀκίχητος ἀνὴρ ἀνεμώδεϊ λόγχῃ
Πλευρὴν πᾶσι μέλουσαν ἀφειδέϊ νύξε μαχαίρῃ.

Heinſius ita infit ad l. c. *Certe nunquam ſatis admirari lector poterit quomodo quod λόγχῃ factum eſt, idem μαχαίρᾳ factum dicatur.* Sane nemo jure hic mirabitur, qui cogitaverit, Nonnum non id dixiſſe, ſimul λόγχῃ & μαχαίρᾳ tanquam diverſis inſtrumentis Dominum transfixum eſſe, ſed λόγχῃ *ferro lanceæ*, quod Poëtica licentia Nonnus μάχαιραν vocavit, quæ tamen alias *cultrum* ſignificat. Quod cum minime advertiſſet Heinſius, pro deridiculo habitus eſt Epiſt. ad Th. Bartholinum de Cruce p. 336. & ſeqq. à Cl. Salmaſio, qui tamen p. 295. ubi eum iterum exagitat, ſe ἀγέλαςον eſſe affirmat.

§. 14. Dum pater progreditur, filius incipit ſciſcitari. Sic enim verſ. 7. וַיֹּאמֶר יִצְחָק אֶל אַבְרָהָם אָבִיו וַיֹּאמֶר אָבִי וַיֹּאמֶר הִנֶּנִּי בְנִי וַיֹּאמֶר הִנֵּה הָאֵשׁ וְהָעֵצִים וְאַיֵּה הַשֶּׂה לְעֹלָה׃ *Et locutus Iſaac ad Abrahamum patrem ſuum, & dixit, mi Pater, & reſpondit: Ecce ego, mi fili. Et dixit: Ecce ignis & ligna, ubi autem ovis ad holocauſtum.* Patrem ſuum allocuturus voce אָבִי utitur, ex qua, ut Abarbenel docet, pateſcit, Iſaacum fuiſſe בן מוסר *filium optime moratum.* Cui cum Abrahamus reſpondet: הִנֶּנִּי בְנִי flagrantiſſimum in filium amorem ſuum teſtatur parens, & perinde eſt ac ſi dixiſſet: דבר מה שתרצה כי אתה בני ואהבת אולם אהבתיך׃ *loquere pro lubitu, qui filius meus es, quem nunquam amare ceſſabo.* Quo reſponſo patris audito, quæſtionem ceu audivimus, movet, de ove, utpote re non minus neceſſaria ad ſacrificium, quam ignis & lignum.

§. 15. Occaſionem quærendi dediſſe filio ligna, quæ humero geſtanda impoſuerat pater. *R. Moſes Alſchech* cenſet, אפשר שעשה לשום העצים על יצחק למען יתעורר כי אליו נוגע הדבר לראות מה בפיו ושיבוא לו הדבר לאט לאט ולא פתאם רמז רגע וגם שיבין מעצמו ולא יצטרך לאמור אליו הדבר בפירוש׃ *Fieri poteſt, ut ligna Iſaaco impoſuerit, ut ſentiret, in ſe iſthanc fabam, ut dicitur, cuſum iri. Et ita eliceret, quid eſſet dicturus. Item ut ſenſim rem perficeret, non derepente & uno momento, ut ita ſe ipſum præpararet filius, ne opus haberet clare rem exponere.* Cæterum vix eſt, ut credamus ideo ligna filio impoſita fuiſſe, cum liquido ex textu conſtet, ita patrem reſpondiſſe, ut filius inde nihil conjectare potuerit, ſe ipſum victimam offerendam fore. Audivimus enim, patrem reſpondiſſe אֱלֹהִים יִרְאֶה לּוֹ הַשֶּׂה לְעֹלָה *Deus ſibi providebit agnum ad holocauſtum*, q. d. *quod attinet ovem*, אין ענין השה מוטל עלינו *noſtrum non eſt de illa ſollicitum eſſe*, ut *R. Abarbenel* iterum docet. Quo audito reſponſo וַיֵּלְכוּ יַחְדָּו *perrexerunt ambo.* Ad quæ verba *R. Bechai* ſic commentatur: אז הבין יצחק כי הוא העולה ואע״פכ וילכו שניהם יחדיו ומפני זה הזכיר שנית ויל כו שניהם יחדיו כי בראשון לא ידע יצחק כו הוא העולה ועתה שידע למדך הכתוב שנתרצה כדבר והלכו שניהם יחדיו בכוונה אחת וזה לשחוט וזה לישחט׃ *Tunc intellexit Iſaacus, ſe holocauſtum fore. Quod licet ita eſſet, nihilominus ſimul profecti ſunt. Ideo ait ſecunda vice* וילכו יחדיו, *quia primum ignoravit Iſaacus, ſe immolatum iri. Jam vero Scriptura revelat, ipſum conſenſiſſe in hanc rem. Iverunt ergo ſimul, nempe unum idemque ſentientes. Hic ut mactet, ille ut mactaretur.* Conſimilem in modum verba וילכו יחדיו accipit *R. Abarbenel.* Sic enim l. cit. ſcribit: בזה העירו שהוא יהיה העולה כאומר אל תתמה בני ממה שאנו רוצה לעשות אותך עולה ואתה תהיה השה ואל נא תשת עלי חטאת ולא תהיה לי לכבלות או לאכזריות כי הדבר הזה אין אני עושה אותו מדעתי אלא במצות השם והבורא ואינו הבוחר בפועל הזה כי האלהים וספר הכתוב שעם היות שידע יצחק שהוא השה אחרי שידע מאביו כי בו בחר ה׳ לא נמנע ללכת דרכיו ולא ברח לא נתאחר ולא נסוג אחור לבו והוא אומרו וילכו יחדיו׃ *Hoc ipſo eum certum facere voluit, quod holocauſtum ſit futurus, q. d. noli mirari mi fili, quod ego te in holocauſtum velim offerre, tanquam ovem. Neque eſt quod ideo vel me peccati ſtultitiæ, & crudelitatis inſimules. Hoc enim ego non facio mea ſponte, ſed juſſu divino. Nequaquam ego hoc facere inſtitui ſed Deus ita poſcit. Teſtatur etiam ſacra Scriptura, Iſaacum, licet non ignoraret, ſe holocauſtum fore loco ovis, non detrectaſſe ire, neque aufugiſſe, neque cunctatum eſſe, aut animum ipſius retrorſum eſſe actum. Hoc enim pateſcit ex verbis* וילכו יחדיו.

§. 16. Atenim nondum id pateſcit ex verbis adductis, quod Bechai & Abarbenel perſuaſum habent, videnturque uterque ſeducti eſſe inde, quod τὸ יחד alias conſenſum notat, Pſ. 133. vſ. 1. Quod tamen h. l. ubi cum verbo ילכו conſtruitur, minime ſignificat, conſimiliter neque Targum Hieroſolymitanum recte tranſtulit בְּלֵב שָׁפֵי *corde fracto.* Longe rectius locutionis Ebraicæ vim & ſignificationem penetravit *R. Salomo*, qui eam ſic explicat: אברהם הולך ברצון ושמחה כיצחק שלא היה מרגיש הדבר׃ *Abrahamus lubens & lætabundus ivit non minus ac Iſaacus, qui rem plane non ſentiebat.* Potius igitur illud indicatur iterato uſurpata phraſi, etiam hac audita reſponſione, eos patrem & filium, qui ſumma ſuavitate condito dialogo colloquebantur, nihilo ſegniores montem divinitus oſtenſum petiviſſe, quæ Rabbi Abarbenel in ſacris commemorari ait, להודיע שאברהם לא נתפעל בדברי בנו בהיותם דברים נכחיים להעיר אהבת האב לבן אבל היא כרוב אונים ואמיץ כח לא נרתע לאחור׃ *Ut doceret Abrahamum, filii ſui verbis quantumvis ad amorem paternum in filium excitandum aptiſſimis, non potuiſſe adduci, ut retro pedem referret.*

§. 17. Nihil itaque Abrahamus filio de ſuo inſtituto revelavit in itinere, neque eo animo cum patre filius eſt profectus, ut ſe mactandum præberet. Notatu digna ſunt verba *R. Abarbenelis*, fol. 376. col. 2. אם יצחק היה יודע מאביו כי הוא יהיה העול׳ היה הכתוב משבחו ומגדיל ענינו כי עם היות שהיה צער אברהם מתמיד המשך מזמן יותר מצערו של יצחק הנה היה כפי איכות והצער יותר גדול לאין שיעור צער יצחק המוסר עצמו למות מצער אביו המביאו אליה ולכן אליו היה ראוי ליחס הפועל הזה׃ *Si Iſaacus à patre ſuo edoctus fuiſſet, ſe holocauſtum fore, Scriptura utique eum laudaſſet, & rem exaggeraſſet. Licet enim Abrahami dolor duraſſet diutius quam Iſaaci, tamen ratione qualitatis multis modis major fuiſſet Iſaaci ſeipſum in mortem tradentis, dolor, quam Abrahami, qui filium eo perduxerat, adeoque ad filium fuiſſet referendum hoc opus.*

ב״ה:

DE LIGATIONE ISAACI ET DECIMA, QUAM EBRÆI VOCANT, ABRAHAMI TENTATIONE.

DISSERTATIO III.



Ec domi, nec in itinere quicquam de paterno instituto distincte innotuisse Isaaco, ex textu omnino patescere, satis, nisi me omnia fallunt, sic constat. Verba וילכו יחדיו id, quod Judæi nonnulli contendunt, minime suggerere, Philo quoque videtur agnovisse, libro de Abrahamo, *βαδίζοντες*, inquiens, *δι' ἴσα ταχέως, ὃ τοῖς σώμασι μᾶλλον, ἢ ταῖς διανοίαις ὁδὸν τὴν ἐπίτομον, euntes pari gradu, unoque consensu celeriter, qua proximum erat, itinere.* Qui enim omnibus domesticis clam rem habere voluit, ne suo instituto aliqua minus commoda remora objiceretur, ecquomodo ipsum filium, de cujus tamen voluntate parenti subinde dubitandum erat; certiorem anteà fecisse, dixerimus?

CAPUT III.

An Sara oraculi conscia fuerit, ceu traditio Orientalis habet. Negativa testimoniis Josephi, Philonis & Alschechi probatur. Cl. Hottingeri sententia expenditur. Cur uxorem Abrahamus υἱοθυσίαν celaverit. Isaacus an olfecerit Parentis institutum. Præfixum ה an altare Noachi notet, ut cum Veteribus Abarbenel sentit. Significatio verbi בנה duplex. Philo & Lutherus laudati. Aramæ sententia probata. Servius & Ovidius laudati עקד & כפת quomodo Ebræis distinguantur, ex Talmud & R. Bartenora ostensum. Jarchi & Patricides de ligatione Isaaci. R. Abarbenelis sententia nova de Isaaci persuasione impugnata. De ætate Isaaci diversæ opiniones allatæ. De promptitudine Isaaci quid prisci Ebræi. Chaldæus & Mohammedistæ in Alcorano sentiant. An Consentientem Isaacum ligaverit Abrahamus. Chrysostomus laudatus & Philo. Major Abrahami animositas quam Agamemnonis. Euripides laudatus. Abrahami in superanda tentatione constantia. Ebræorum fabula de colloquio Dæmonis cum Abrahamo & Isaaco quomodo intelligenda. Abarbenel plus vidit quam Arminius. Isaaci fides. Ejusdem, mansueti Juvenis *elogium nacti, festum quotannis Mohammedistis observari solitum. Quantum Judæi tribuant ligationi Isaaci, ex Abarbenele, Bechai, Rabboth & libro Ebraicarum precum ostenditur; voto, idem ut antitypo potius adscribant concluditur.*

§. 1. DUm omnibus domesticis clam Abrahamum habuisse diximus, ne ipsam quidem Saram excipimus. Quod enim Cl. Hottingerus *Dis. de Δοκιμασίᾳ* Abrahami, p. 41. ait: *Traditio Orientalis habet & communicatum hoc cum Sara de offerendo filio institutum fuisse, & propterea mortuam*, id oppido subleſtæ fidei esse videtur. Ecquis illud veræ traditionis Orientalis nomine venire dixerit, quod ipse textus sacer haud obscure impugnat; Ebræi vero aperte negant. Josephus enim l. 1. de A. J. cap. 14. diserte: *ἀποκρυψάμενος πρὸς τὴν γυναῖκα τήν τε τοῦ Θεοῦ πρόρρησιν καὶ ἣν εἶχεν αὐτὸς γνώμην περὶ τῆς τοῦ παιδὸς σφαγῆς. ἀλλὰ μηδὲ τῶν οἰκετῶν δηλώσας, celans uxorem tam Dei mandatum, quam suam de pueri cæde sententiam, ac ne famulorum quidem ulli rem indicans.* Neque aliter Philo, libro de Abrahamo, *μηδενὶ τῶν ἔνδον ἐξειπὼν τὸ λόγιον, cum nemine domesticorum oraculum communicavit.* Et R. Moses Alschech idem ex voce וישכם, *& surrexit mane*, colligit, sic commentans: לשלא ירגישו כדבר וגיע לאזני שרה ולבלתי לה מקום לשאול אנה פניכם מועדות: *Ne rem subolfacerent, & ne Sara audiens, occasionem quærendi nancisceretur, quo tenditis?*

§. 2. Quod igitur Vir celeberrimus ait: *Non dubitamus, quin commune hoc utrique fuerit vulnus, commune examen, cur enim illam, cujus mandati observantiam Deus Abrahamo Gen. 21. cum ageretur de expellendo Ismaële & Hagare præcepit, negotii jam illius, quod propius eam attigit, ignaram fuisse existimemus?* de eo nos maxime dubitandum existimamus. Neque hic ullam consequentiam videmus: Deus Gen. 21. Saræ mandati observantiam præcepit, ergo & hujus negotii eam minime ignaram fuisse oportet. Si utriusque fuisset vulnus & examen, vel consensisset Sara, & tunc haud dubie Sp. S. id omni silentio nequaquam præterivisset, neque Apostolus ubi in Abrahami laudes se effundit, tantæ viraginis fuisset oblitus, Ebr. 11: 17. ubi Abrahamus dicitur πειραζόμενος: vel fuisset refragata, & divinum mandatum planctu & ejulatu si non sufflaminasset, saltim ægritudinem & dolorem marito attulisset, quem si itidem superasset Abrahamus, sacræ literæ nequaquam tacuissent. Potius igitur dicendum, Abrahamum uxorem suam, quod, ut Comici verbis utamur, *matres filiis in paterna injuria auxilio esse soleant*, omnibus modis celare voluisse.

§. 3. Etsi vero Abrahamus institutum suum dissimulavit, vix tamen ita se gerere potuit, quin Isaaco aliquid suboleret; id quod ex interrogatione ipsius satis liquet, quam R. Abarbenel fol. 76. col. 1. hunc in modum explicat: היתה שאלתו הנה האש והעצים ר״ל בידך דברים מורים שהם להקריב קרבן ואיה אם כן השה לעולה כי ידע יצחק שהיו עצים ההם עצי עולה ממה שראה פעמים אחרות שהיה אביו בוחר ומכין עצים כמו אלה להקריב קרבן עולה ליהוה ומפני זה שאל הנה האש והעצים ואיה השה לעולה וההבונן הרחבת שכל יצחק ופלפול שאלתו וזה שהוא עשה חלוקה הכרחית לא ימנע מחלוקה או אנחנו נעבור בישוב בני אדם ומשם נקח השה או אין אנחנו הולכים לישוב כלל ואם אנחנו הולכין לישוב מה הטורח המשא כבר מהולכת העצים הכבדים והולכת האש ג׳ ימים בידי אבי כי שם נכל מקום שימצא נמצא עצים והאש ולא יתהפך שבכל מקום שנמצא עצים ואש מצא שיה ואם אין אנו הולכין לישוב ומפני זה יתכן הולכת האש והעצים יקשה אם כן למה לא נוליך השה ולכן שאל כנגד שני צדדי החלוקה הנה האש והעצים ואיה השה לעולה כלומר בהכרת אין אנחנו הולכים לישוב כרון שהנה האש והעצים אנחנו מוליין עמנו ולכן יקשה כיון שאבי רוצה להעלות עולה איך יתרשל מהעקר שהוא השה וישתדל במה שאינו עקר מהם העצים: *Habes in manibus ejusmodi res, quæ suopte indicio ad sacrificium pertinent. Ubi ergo est agnus ad holocaustum? Noverat enim Isaac ligna illa sacrificio destinari, ideo quod alias quoque vidisset, ligna patrem suum parasse his similia ad sacrificium offerendum Domino. Hinc quærit: ecce ignis & ligna, ubi vero est agnus ad holocaustum? Elucescit inde ingenii Isaaci præstantia & quæstionis ipsius subtilitas, nempe dum disjunctivam orationem conficit, qua necessario contineretur id, quod intendit. Aut nos migrabimus, in locum habitatum*

bitatum ab hominibus, ut inde ovem capiamus, aut in nullam ab hominibus habitatam regionem sumus profecturi. Si illud, ecquid opus est tam gravi onere lignorum, & igne in tertium diem alendo in manibus patris mei? cum ubique & ignem & ligna invenire liceat, non contra, ubi ignis & ligna inveniuntur, etiam ovis possit haberi. Sin vero in locum habitatum non sumus venturi, & ideo nobiscum sumimus ligna & ignem, illud objicitur, cur ovem nobisum non ducamus. Idcirco quærit intuitu utriusque divisionis. Ecce ignis & ligna, ubi ovis ad holocaustum? q. d. fieri nequit, quin in locum inhabitatum eamus, quia nobiscum sumimus ignem & ligna, ideoque dubium oritur, cur parens meus holocaustum oblaturus in illo, quod præcipuum sacrificii, parando tam negligens sit, cum contra in hoc, quod minus principale est, tam sit operosus, nempe in lignis.

§. 4. Cæterum licet inde sciscitandi occasionem sit nactus Isaacus, filius non hebes vel stupidus, necdum tamen de paterno instituto quicquam distincte & certo cognoscere potuit. Unde responso etiam patrio acquiescens progredi cum parente nullus cessavit, donec venissent אֶל הַמָּקוֹם *ad locum*, nempe divinitus destinatum. De quo fabulantur Ebræi in Pirke R. Elieseris cap. XXXI. כיון שהגיעו לאותו מקום הראהו הק"בה באצבע לאברהם ואמר לו זה הוא המזבח: *Postquam ad illum locum pertigerunt, Deus S. B. digito intento eum ostendit, dicendo: Hoc ipsum est altare.* Præstat ipsum scriptorem sacrum audire, qui vers. 9. & 10. sic scribit: וַיִּבֶן שָׁם אַבְרָהָם אֶת־הַמִּזְבֵּחַ וַיַּעֲרֹךְ אֶת־הָעֵצִים וַיַּעֲקֹד אֶת־יִצְחָק בְּנוֹ וַיָּשֶׂם אֹתוֹ עַל־הַמִּזְבֵּחַ מִמַּעַל לָעֵצִים׃ וַיִּשְׁלַח אַבְרָהָם אֶת־יָדוֹ וַיִּקַּח אֶת־הַמַּאֲכֶלֶת לִשְׁחֹט אֶת־בְּנוֹ׃ *Et ædificavit ibi Abrahamus altare & ordinavit ligna, & ligavit Isaacum filium suum, & posuit eum super altare super ligna, & misit Abraham manum suam & accepit gladium ad jugulandum filium suum.*

§. 5. Operi, παντὸς λόγου μείζονι, ut Philo hic iterum loquitur, se accingens Abrahamus, primum omnium ædificat הַמִּזְבֵּחַ altare. De qua voce R. Abarbenel ita: כתב המזבח בה"ה הידועה ארז"ל שהוא היה המזבח שהקרב בו נח את עולותיו ושלהיותו מקודש לגבוה רצה השם שבו יעשה אברהם הפעל הזפלא הזה ולהיותו הרוס מכמה שנים הוצרך לבנותו וזה ויבן אברהם את המזבח: *Scripsit* המזבח *cum He notificativo. Dixerunt Dd. nostri b. m. illud ipsum fuisse altare, super quo Noah sacrificia sua obtulerit. Et quandoquidem ob altitudinem suam erat sanctificatum, placuit Deo, ut Abrahamus hoc mirandum opus ibi perficeret. Cum vero multis retro annis corruisset, necesse erat, ut illud reædificaret: atque hoc ipsum innuitur, cum dicitur & ædificavit Abrahamus* המזבח *altare.*

§. 6. Equidem infitias haud imus, verbum בנה etiam tum usurpari, cum aliquid non tam de novo exstruitur, quam dirutum vel collapsum reficitur & redintegratur, ceu Psalm. 102: 17. accipitur: sed quo minus illa priore, eaque magis usitata significatione accipiamus, nihil omnino causæ videmus. Quomodo & Philo intellexisse videtur, ὁ μὲν, inquiens, πατὴρ συνεκόμιζε λίθους, ἵνα δείμαιτο βωμόν. *Ipse pater lapides congerit, ut altare extruat.* Nec ratio alterius interpretationis alicujus est momenti. Etsi enim ה Ebræorum, א Chaldæorum & Syrorum, articulus item ال Arabum emphasim significare solent, inde tamen nondum evincitur, altare illud Noachi denotari. Fatetur quidem Lutherus com. ad h. l. fol. 299. b. verum esse, *quod Judæi affirmant, in illo loco Adamum Noë sacrificasse*, fundamentum tamen suæ assertioni non substernit literam servilem, voci מזבח præfixam, sed *quod Sem ibi sedem habuerit, à quo verus Dei cultus in mundum propagatus fuerit.* Sane R. Atama priscos ipsemet refellit Ebræos com. ad h. loc. אז"ל המזבח הידוע אשר העלה עליו אדם הראשון ולפי דרכינו אינו צורך כי בהפלגת שבחו הכתוב מדבר ואמר כי בתוקפו ובגבורתו בא מעצמו אל המקום ובאומץ לבו בנה את המזבח אשר יעלה עליו את בנו ולא סר הכתוב באומרו גבורות לבבו באומרו ויערוך את העצים ויעקוד את יצחק בנו וישם אותו על המזבח ולא השיב אתידו עד שהחזיק במאכלת לשוחטו לולי מלאך השם: *Dixerunt* (Doctores) *l. m. notari altare notum quo Adamus fuerit usus. Sed non est necessarium, ut sic explicemus. Scriptura enim laudes Abrahami exaggeratura sic loquitur, quod nempe ipsemet ad locum illum se contulerit & animositate quadam altare illud ipsum ædificaverit, super quo filium suum offerre decreverat. Nec his laudibus desinit, sed cordis ipsius fortitudinem porro describit: Et disposuit ligna, & ligavit filium suum Isaacum, & altari eum imposuit, nec manum retraxit, ut cultro illum jugulare intenderet, absque angelo Domini fuisset.* Nempe nihil aliud innuitur, quam quod Abrahamus ipsemet illud altare extruxerit, ut Abarbenel loquitur: באופן נוארת וראוי כאלו היה לב מיושב עליו: *eo modo, quo fieri conveniebat, ac si composito & parato animo id faceret*, quia ut Philonis verba habent, ἔρωτι θείῳ δεδαμασμένος, ἀνακρατῶς ἐνίκα πάντα ὅσα συγγενείας ὀνόματα καὶ φίλτρα, *amore Dei subactus fortiter vincebat omnes cognationis affectus & omnia nomina.*

§. 7. Lignis tergo filii demtis & in altari dispositis, nihil aliud reliquum erat, quam ut victima ligaretur. More enim antiquissimo ligari eæ solebant, id quod *Servius* ad illud Æneidos;

—— & vincula rupi,

annotat, & Ovidius III. de Ponto Eleg. II. de Oreste & Pylade in Tauris

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram
Evincti geminas ad sua terga manus.

Idem in offerendo Isaaco Abrahamum observasse Moses refert, qui usurpat verbum עקר, quod Kimchi per קשר explicat, & Ebræorum sententia non qualemcunque ligationem, sed certam, & cujusmodi solet esse ovium, cum tondentur aut mactantur, significat. In Talmud enim, Massechet תמיד cap. 4. hunc in modum loquuntur: לא היו כופתין את הטלה אלא מעקדין אותו: Quæ verba Mischnæ interpres, R. Obadias de Bartenora, sic explicat in commentario: לא היו כופתין אותו את התמיד בשתי ידיו לעצמן או בשתי רגליו לעצמן כדי שלא לעשות כחוקות הע"א שכן היו עושים כששוחטין לע"א אלא מעקדין אותו היד עם הרגל כעקידת יצחק: *Non vinciebant sacrificium simul duobus anterioribus pedibus & duobus posterioribus, ne scilicet more idololatrarum sacrificarent, qui sic agere solebant, cum idolis offerebant; sed anteriorem posteriori alligabant, quemadmodum Isaacus est ligatus.* R. Salomo יעקוד ידיו ורגליו מאחריו הידים ורגלים ביחד היא עקדה והוא לשון עקידים שהיו קרסוליהם לבנים מקום שהיו עוקדים: *Et ligavit: nempe manus & pedes post tergum manus & pedes simul. Ea enim ligatio venit voce* עקר. *Atque hujus significati est vox* עקודים (Genes. 30. vs. 35.) *qua notantur tali albi circa loca, quibus eas ligabant.* Quæ explicatio magis convenire videtur cum Bartenoræ, quam illa, quæ in historia Arabica traditur, وشد كتافا *Et constrinxit humeris tenus.*

§. 8. Ligatum filium strui tandem superimponit. Sed qua ratione? an invitum, an vero volentem & prævia oratione adductum? Novam plane & nefando quidem auditam sententiam R. Abarbenel tradit, nempe Isaacum sibi persuasisse, parentem suum serio minime agere, sed imaginarium duntaxat sacrificium parare, adeoque filium vitæ suæ securum, haud invitum se patris voluntati submisisse. Sic enim fol. 76. col. 2. comment. ואמרו ויעקד את יצחק בנו וישם אותו על המזבח ממעל לעצים זה מורה בביאור אמתת דעתי שיצחק לא היה יודע שהיתה כוונת אביו לשחטו כי אם לעשותו סימן ודוגמת עולה בעקדו אותו ושומו על המזבח כאלו הוא נקרב שמה אבל לא עלה על לבו שישחטהו כי איך יצייר בנפשו שיצוה האל ותברך על זה ושאברהם יעשהו בזריזות כ"כ גדול ויורה על זה שלא זכר הכתוב ששם אברהם אש על המזבח כתורת העולה כמו שנ' בפרשת העולה ונתנו בני אהרן הכהנים אש על המזבח וערכו עצים על האש אכנם אברהם לא עשה כן כי לא נשן אש על המזבח כדי שיצחק לא יחשוב בשחיטתו אבל בנה את המזבח וערך את העצים ועקד את יצחק בנו וכל זה מבלי אש והיה דעתו לשום אש אחר שישחטהו אע"פ שלא היה כן מן הדין אבל היה מפני שבזה היה חושב יצחק שהיה פועל דמיוני לעשות אותו דוגמת עולה לשישאר עבד מוחלט אל האלדים אבל כאשר שלח אברהם את ידו אל המאכלת לשחוט את בנו ר"ל ששם ידו השמאלית על צואר יצחק להכין הסימנים לשחיטה כדרך שוחטי הבהמות וישלח ידו הימנית לקחת את המאכלת לשוחטו אז הרגיש יצחק בכוונת אביו באמרת ומפני נתיחס פעל העקדה כלו לאברהם לא ליצחק ולהורות זה דעת חז"ל תקנו בתפלת דעני לעניי לומר דעני ליצחק על גבי מדבחא לפי שבהיותו שמה ע"ג המזבח הרגיש בסכנתו ובצרתו ואז קרא אלא לוה ויענהו כי להיותו נעקד לא יוכל לברוח ולא להשמט ולכן קרא לאלהיו שיצילהו: *Quando dicitur: & ligavit Isaacum filium suum, & posuit eum super altare, supra ligna, clare ostenditur sententiæ meæ veritas, quod Isaacus plane ignoraverit, à patre se mactatum iri, sed potius sibi persuaserit, illum decrevisse signum & imaginem holocausti facere, dum ligat ipsum & altari imponit, velut ibi immolandum. De hoc vero non cogitavit, quod sit à patre mactandus. Ecquomodo enim à se impetrare potuisset,*

ut

ut crederet, Deum S. benedictum tale quid præcepisse, & Abrahamum effectum daturum, opus adeo alienum. Probatur hoc inde, quia Scriptura non meminit ignis, quem Abrahamus altari imposuerit secundum morem holocaustorum, sicut dictum est in sectione holocaustorum: (Lev. 1:7.) *& dabunt filii Aaronis sacerdotes ignem super altare & ordinabunt ligna, quæ super ignem. Cæterum Abrahamus hæc minime fecit. Neque enim ignem altari imposuit, ne videlicet sentiret Isaacus mactationem, sed ædificavit altare & ordinavit ligna, ligavitque Isaacum filium suum absque omni igne. Intendit itaque mactato demum filio lignis ignem subjicere, licet id non esset more receptum. Ideo enim hoc fiebat ut Isaacus autumaret, fore hoc opus imaginarium, seque holocausti esse exemplum, ut servus Dei esset superstes simpliciter. Postquam vero Abrahamus cultro manum admovit ad mactandum filium suum, hoc est, postquam sinistra manu apprehendit Isaaci collum, ut more mactantium animalia signum præ se ferret, & dextra cultrum teneret, tunc demum vere sensit intentionem patris sui. Atque idcirco totum opus ligationis tribuitur Abrahamo, Isaaco non item. Et cum ita Dd. l. m. sentirent, ordinarunt, ut in Oratione, quæ incipit* דעני לעני *diceretur, qui exaudit Isaacum super altare. Quia, cum ibi erat supra altare positus, sensit periculum suum & afflictionem. Et tunc clamavit ad Deum, ut ipsum exaudiret.*

§. 9. Cæterum ea persuasione Isaacum se ligari & altari imponi sivisse, quod non tam veri nominis sacrificium quam holocausti simulachrum esset futurus, id ex sacris nequaquam probatur. Quod enim ex præscripto legis Mosaicæ de hoc sacrificio judicare conatus, ideo Abarbenel negat, Abrahamum ignem primum altari imposuisse, ut filium in ea persuasione confirmaret, id vero frivolum est. Ecquis omnes circumstantias & ceremonias Leviticas, eodem ordine, quo Moses eas præscripsit, Patriarchis in usu fuisse dixerit? Nec sequitur: Veteres Ebræi sanxerunt, ut in precibus diceretur: *qui exaudivit Isaacum super altari &c.* ergo & illi, Isaacum super altari demum se mactatum iri, sensisse, & illud antea eum ignorasse, judicarunt.

§. 10. Philo, Judæus longe aliter de hoc facto sentiens sic scribit l. cit. ταῦθ' ἅμα λέγων, ἢ τάχιστα τ' υἱὸν ἐξαρπάσας, ἐπιτίθησι τῷ βωμῷ, καὶ σπασάμενος τῇ δεξιᾷ τὸ ξίφος, ἐπέφερεν ὡς ἀναιρήσων. *Et cum dicto celeriter filium aræ imponit, simul strictum librat gladium.* Ex quibus verbis id colligere est, Philonis sententiâ Abrahamum derepente & si non invitum, saltim nihil dum tale quid suspicantem filium constrinxisse. Cæterum alii ex ætate, qua tunc fuit, indicium promere satagunt. Benedictus enim Pererius, disp. VII. in c. XXII. Gen. *Isaacum*, inquit, *ligatum non invitum, sed patri assentientem volentemque certam fidem facit ætas, qua tunc præditus erat Isaac agens nempe trigesimum septimum, aut certe vigesimum quintum annum.* Atenim, num certam fidem faciet ætas, quæ oppido incerta est? Etsi enim Ebræi complures senserint, eum cum ligaretur, 37. annos natum fuisse, ut ex libris Ebræorum, Juchasin Schalscheleth, R. Jarchi & aliis patet; nullo tamen ea assertio fundamento certo nititur, ceu ex Historia Arabica, quam Patricides reliquit, discimus. Sic enim ibi pag. 19. legitur: *Anno CXXXVII. ætatis Abrahami jussit eum Deus sacrificare filium suum Isaacum, eundemque tanquam holocaustum in cineres redigere. Habebat autem tum Isaacus annos 37. Quod si quis dicat, quo indicio constat, Isaacum habuisse annos 37. cum parens ejus sollicitaretur de eo mactando? Respondetur; Sara Mater ejus ipsum genuit anno ætatis 90. cumque audiret Abrahamum accepisse filium suum Isaacum, atque in montem, ut offerret eum deduxisse, valde tristata est, adeo ut præ mærore, morbo correpta fuerit mortua, cum nata esset annos 127. Sequitur ergo tunc Isaacum habuisse annos 37.* Sed hoc μέγα λίαν αἴτημα est, an Sara, quæ annos 127. vixit, statim post nuncium abducti filii sit mortua. Id quod in sacris non est expressum. Unde autor libri צמח דוד aliam ætatem Saræ assignat, Aben Esra vero plane Veterum sententiam rejicit, comment. ad h. l. רבותינו ז"ל אמרו שהיה יצחק כאשר נעקד בן שלשים ושבע שנים ואם דברי הקבלה נקבל ומדרך סברא אין זה נכון שהיה ראוי שתהיה צדקת יצחק גלויה ויהיה שכר כפול משכר אביו שמסר עצמו ברצונו לשחיטתו ואין בכתוב מאומה על יצחק ואחרים אמרו שהיה בן חמש שנים גם זה לא יתכן בעבור שנשא עצי העולה והקרוב על הדעת שהיה קרוב לי"ג שנים: *Dn. nostri l. m. dixerunt Isaacum septem & triginta annos natum fuisse, cum ligaretur, sed si traditioni locum relinquimus, & id, quod probabile est, sequimur, minus recte hoc asseritur. Consequitur enim exinde,*

Isaaci justitiam fuisse manifestam, & mercedem duplam, præ parentis merito, quandoquidem is sponte sua se ad mactandum tradiderit, cum tamen scripturæ de Isaaco altum sit silentium. Alii dixerunt lustrum annorum eum tunc habuisse Sed hoc itidem applausum haud meretur, eo quod ligna ferre potuit ad holocaustum. Verisimilior est sententia, tredecim circiter annos eum natum tunc fuisse.

§. 11. In eo facile astipulamur Aben Esræ, quod Isaacum tot annos, quot ei prisci Ebræi tribuunt, negat habuisse. Virilis sane ætatis eum nequaquam fuisse, haud obscure patet. Media vero inter virilem & infantiæ ætatem, cujusmodi ad portandum onus lignorum requiritur, statuenda omnino videtur. Quod vero R. Aben Esra porro ait: והכריחו אביו ועקדו שלא ברצונו והעד שאביו הסתיר הסוד ממנו ואמר והאלהים יראה לו השה כי אלו אמר לו אתה העולה יתכן שיברח: *Et pater ejus cum coëgit & invitum ligavit, quod inde constat, quia eum celavit hoc arcanum, dicendo: Deus sibi providebit agnum. Si enim ei dixisset: Tu eris holocaustum, aufugiturus fuisset*, ei merito absentimus. Fieri potest, ut ei ita responderit, ne eum antea quam ad rem ipsam esset deventum, cogitatione ejusmodi torqueret. Postquam vero jam ulterius non posset clam haberi, juvenem, ab incunabilis ad pietatem & obedientiam filialem assuefactum, certiorem factum de divina voluntate minime repugnasse, plane persuasum habemus.

§. 12. Ex Pirke R. Elieseris cap. XXXII. hæc Liber Jalkut refert: אמר יצחק לאברהם אביו אבי קשרני וקשור שתי ידי רגלי בשביל פשיעותא ואמצא מחלל ככד את אביך ושתי קשר שתי ידיו ושתי רגליו ועקדו על גבי המזבח והאריך את האש ואת העצים והאריך אותו עליהם ונתן רגלו עליו כדרך שאדם עושה בשעה ששוחט את הבהמה כדי שלא תבעט ואמץ את זרועו ואת שתי ארכובותיו עליו: *Dixit Isaacus Abrahamo patri suo: mi pater liga me & vinci geminas meas manus & utrumque pedem meum, eo quod prævaricatus violavi verba: honora patrem tuum. Ligavit igitur ambas manus & geminos pedes ejus, atque constrinxit super altari, & ordinavit ligna ignemque, ac super illis locavit eum, cui pedem suum imposuit, sicut solet jumentum mactans, ne illud recalcitret. Brachio & genubus illum detinuit.* Targum Hierosolymitanum Isaacum introducit sic loquutum: אבא כפות ידי יאות דלא בשערת צערי אפרכס ואערבבה יתך וישתכח קורבנך פסיל ואדחו לגובא דחבלא לעלמא: *Pater! convenit, ut manus meæ ligentur, ne tempore doloris mei commovear, & perturbem te, & reperiatur oblatio tua profana, & expellar in foveam corruptionis seculi futuri.* In Alcorano quoque, Surata 37. vel ut alii numerant, 47. ubi Abrahamus dixisse fertur: *O fili, vidi te secundum quietem sacrificari, tu vero quid videris observa*, Isaacum promptum fuisse perhibet Mohammed: قال يا ابت افعل ما تومر ستجدني ان شا الله من الصابرين *Dixit, O pater, fac quod jussus es, me enim, ubi Deus voluerit, invenies paratum.*

§. 13. Hæc Arabum Ebræorumque commenta licet quanti sint facienda haud ignoremus, minime tamen à veritate illud arbitramur alienum, Isaacum animo sedato & promissionum divinarum memori consensisse. Quod Scriptura quidem hîc magno verborum apparatu & splendore, tragice haud revelavit, quia tamen nec oraculum in dubium vocasse, nec patri reluctatus, vinculis se expedire voluisse refertur, sed ex eventu nobis judicandum reliquit; eo promptiores nos esse convenit ad credendum, quo typi quoque cum antitypo major sit convenientia. Agnum enim illum mundi peccata bajulantem Joh. I: 29. repræsentavit. Hanc insignem Isaaci mansuetudinem & Abrahami omnem affectum superantis fortitudinem considerans Chrysostomus, homil. in Genes. XLVIII. in hæc verba erumpit: *O religiosam animam, ô fortem mentem, ô ingens animi robur, omnem humanæ naturæ affectum vincentem. Utrum admirer & obstupescam justius, fortemne spiritum Patriarchæ, an tam constantem pueri obedientiam: quod neque reluctatus est, neque factum ægre tulit, sed cessit & obtemperavit iis, quæ à patre fiebant, & sicut agnus, cum silentio super altari decubuit, expectans patris dextram.*

§. 14. Longe sane major laus debetur Abrahamo, quam aliis, quicunque tandem illi sint. Nam ut Philo l. cit. iterum recte scribit: οἱ ἄλλοι κἂν ὑπὲρ σωτηρίας πατρίδων καὶ στρατευμάτων ἐπιδιδῶσι σφαγιασθησομένους τοὺς αὑτῶν ἢ οἴκοι καταμένουσιν, ἢ μακρὰν ἀφίστανται τῶν βωμῶν ἢ κἂν παρατύχωσι τὰς ὄψεις ἀποστρέφονται θεάσασθαι μὴ ὑπομένοντες ἄλλων ἀναιρούντων. *Alii tametsi pro patriarum aut exercituum salute concedunt suos mactandos, tamen aut domi manent interea, aut procul*

 absistunt

abſiſtunt ab altaribus, aut ſi contingat eos ſacris intereſſe, avertunt oculos me ſpectare quidem ſuſtinentes vel alienum necis miniſterium. Evidens exemplum profert Euripides in Iphigenia, ubi de Agamemnone loquitur hunc in modum:

—— ὡς δ' εἰσεῖδεν Ἀγαμέμνων ἄναξ,
ἐπὶ σφαγὰς στείχουσαν εἰς ἄλσος κόρην,
ἀνεστέναξε. κἄμπαλιν στρέψας κάρα
δάκρυα προῆγεν ὀμμάτων πέπλον προθείς.

—— *Simul autem Agamemnon videt,*
Ad victimam euntem in nemus virginem,
Ingemiſcit, & vultum retro flectendo
Lachrymas profundit: ora veſte contegens.

Quibus verbis Poëta Tragicus cum Parentis ingemiſcentis triſtitiam ſatis digne exprimere nequiret, finxit velo eum caput obvelaſſe. Cujuſmodi triſtitiæ ſigna adeo non præ ſe tulit Abrahamus, ut ipſemet, ne totius quidem tridui cogitationibus defatigatus, filium, ut in Jalkut, fol. 28. loquuntur, בכל לב *toto corde*, & animoſe ligaverit, eumque ſua ipſius manu jugulandum in ſacrificium offerre paratus fuerit, λογισάμενος, ὅτι καὶ ἐκ νεκρῶν ἐγείρειν δυνατὸς ὁ θεός. Ebr. 9: 19.

§. 15. Referunt Ebræi in Jalkut l. cit. & Bereſchith Rabba fol. 565. Diabolum Abrahamum ab ejuſmodi propoſito abſtrahere voluiſſe. Verba illorum hæc ſunt: בא לו סמאל אצל אבינו א"ל סבא סבא אובדת ליבך בן שניתן לך' שנה הולך לשחטו אמר לו על מנת כן אמר לו ואם מנסה אותך יותר מיכן את יכול לעמוד הנסה דבר אליך תלאה אמר ליה ויותר על דון למחר אומר לך שופך דמים את חייב ששפכת דמו של בנך אמר לו על מנת כן: *Venit Sammaël* (Diabolus) *ad patrem noſtrum & dixit: Senex Senex, corculo tuo tu paras exitium Filium, tibi centeſimo anno natum mactatum exiviſti. Reſpondit ei Abrahamus. Id recte fit. Tum ille* (Diabolus) *Si vero graviore te tentatione aggredietur, an eam ſuſtinebis? an ſi* (Job. 4: 2.) *verbis tentemus, laſſaberis? Reſpondit ei Abrahamus. Omnino, etiamſi præter morem agat. Tandem ille* (Diabolus) *cras dicet tibi. Tu homicidii reus es. Filium enim occidiſti. Cui Abrahamus. Cum conditione rectum eſt.* Ubi fruſtra Dæmonem Abrahamum adortum eſſe, dixerant, eundem & Iſaacum ad inobedientiam inſtigaſſe, his verbis aſſeverant: כיון שלא תועיל ממנו כלום בא לו אצל יצחק אמר לו ברא דעלובתא הולך הוא לשחוטך אמר לו על מנת כן אמר אם כן כל אותן הפגזירות שעשה אמך לישמעל שנאיה דביתא ירותא ואתה אינך מכנים בלבך כד לא תיעול מילא תיעול פלגא: *Poſtquam nihil omnino apud eum profecit, Iſaacum eſt aggreſſus, & hunc in modum eſt locutus: O afflictæ illius* (Saræ) *fili! Ille ad mactandum te eſt egreſſus. Reſpondit,* (Iſaacus), *Ideo hoc recte fit. Ille porro inſtat: tum omnia ornamenta, quæ mater tibi paravit, cedent Iſmaëli.* Reliqua verba quibus hæreditatem amplam eidem in memoriam revocare & à propoſito abſtrahere conatus fingitur, in libro Jalkut aliter ſe habent, nempe ita: סניאה דביתא ויהתירה כד לא תיעול מילה כולה תיעול פלגא:

§. 16. Etſi vero haud ignoremus, hoc figmentum de Diabolo forma viſibili Abrahamo apparente eſſe Judaicum, neminem tamen infitias iturum reor, animum Patriarchæ totius tridui intervallo ejuſmodi diabolicis & carnis ſuggeſtionibus fuiſſe obnoxium, quas fidei conſtantia feliciſſime ſuperavit. Nec de nihilo eſt, quod R. Abarbenel inde elicit: ראוי להוסיף עוד למוד עליו ענין עקידה והוא אמונת השארית הנפש ושברה רוחני שאלו לא הוה אברהם מאמין אמונה קיימת בשכר רוחני לא היה מסכים לשחוט את בני יחיד כי אין ספק כי הוא לא עשה את הדבר הגדול הזה כפחד השם שיהרגהו או ירושהו כי מה חפצ בחייו ועשרו אחרי שבנו היורש אותו יהרגהו בידיו אבל היתה תקותו בלבד שכר נפשו שיגיע אליו אחרי מותו בשכר שעלה בנו עולה כי בעבורו יזכה באור חיים הנצחיים שהוא טוב מכנים ומבנות: *Illud adhuc addendum eſt, quod ex ligatione diſcimus, nempe animam poſt mortem eſſe ſuperſtitem & ſpiritualem ejus mercedem. Niſi enim Abrahamus firmiſſime crediſſet, eſſe ſpiritualem mercedem, nequaquam in unigeniti ſui filii necem conſenſurus fuiſſet. Dubium quippe nullum eſt, non ideo tantam rem ab eodem eſſe factam, quod metueret, ne occideretur, aut ad incitas redigeretur. Ecquid enim vel ex divitiis vel vita voluptatis percepiſſet, filio manu extincto? Potius igitur ſpes ejus erat unica ſita in ſpirituali mercede, quam poſt filium oblatum eſſet accepturus. Ideo enim dignus erat vita æterna, quæ præſtat filiis & filiabus.* Non omnia quidem quæ ab Abarbenele prolata ſunt, probari debent, illud tamen notatu cum primis dignum eſt, quod Judæus acutius vidiſſe videtur, quam alias Jacobus Arminius, qui docuiſſe perhibetur, *Abrahamum non aliter promiſſiones intellexiſſe, quam ſe futurum hæredem mundi.* quam ſententiam Photinianorum quoque vide impugnatam à B. Theodorico Hackſpanio, §. XXI. diſp. *de Accommodatione.*

§. 17. Quod Iſaacum attinet, & ejus animoſitas eluceſcit, major ſane, quam Iphigeniæ apud Euripidem. Etſi enim illa ſatis animoſe

—— ὦ πάτερ πάρειμί σοι,
Τοὐμὸν δὲ σῶμα τῆς ἐμῆς ὑπὲρ πάτρας
Καὶ τῆς ἁπάσης Ἑλλάδος γαίας ὕπερ
Θῦσαι δίδωμ' ἑκοῦσα πρὸς βωμὸν θεᾶς
Ἄγοντας.

—— *O parens, adſum tibi*
Et hoc meum corpus mea pro patria
Proque univerſa Graciæ terra
Immolandum trado volens ad aram Deæ
Ut ducatis.

Eadem tamen antea ut abhorrens à morte, hanc ita deprecans introducitur à Poëta,

Ἱκετηρίαν δὲ γόνασιν ἐξάπτω σέθεν,
Τὸ σῶμα τοὐμὸν ὅπερ ἔτικτεν ἥδε σοι
Μή μ' ἀπολέσῃς ἄωρον. ἡδὺ γὰρ τὸ φῶς
βλέπειν.

Supplex tuis advolvo genubus
Meum corpus, quod hæc progenuit tibi,
Ne me immaturum perdas. Dulce enim hoc jubar
Intueri.

§. 18. Nihil ejuſmodi Iſaacus ingeminavit, ſed ſi Judæis fides eſt habenda, libro Jalkut, fol. 28. col. 3. ידע יצחק שכך עתידים המתים לחיות ופתח ואמר ברוך דתה מחייה המתים: *Scivit Iſaacus, quod ita mortui reſurrecturi eſſent, & dixit: Benedictus es, Domine, qui mortuos in vitam revocas!* adeoque inſigni manſuetudine totum ſe parentis voluntati ſubjecit. Unde quoque elogium علم حليم *Juvenis manſueti*, Alcor. Surat. 47. ſortitus eſt. Quin Mohammediſtæ tanti eum faciunt, ut etiamnum feſto anniverſario, Judæorum Paſchali haud abſimili, eum celebrare ſoleant, arbitrantes, ut Cl. Hottingerus, Hiſt. Orient. fol. 36. loquitur, ſe Abrahami exemplum imitari. Unde apud Keſſæum fol. 85. hæc leguntur: קד געל אללה לך הדא אליום עידא ולאולאדך ולבני אלהמה מחמד: *Utique poſuit tibi Deus hunc diem feſtum, & filiis tuis, & filiis populi Mohammed.*

§. 19. Parum vero hoc eſt, prout Ebræi ligationem Iſaaci æſtimant, eidemque ſingularem virtutem & efficaciam tribuunt. R. Abarbenel enim fol. 74. col. 4. non tantum ſcribit: להיות יצחק אבי היחס היה ראוי שבו יפדה אלקים את זרעו מן יצר לב אדם: *Cum Iſaacus ſit familiæ caput & origo, conveniebat, ut in eo Deus ſemen ſuum liberaret concupiſcentia cordis humani.* Sed & fol. 75. col. 1. ait: לזה יתחייב שבהיות יצחק עולה תמימה כבר נתרצה לה' ותוסר ממשלת הכחות השממיות מעליו ומעל זרעו כאלו נקרבו כלם שמה אחרי שכלם היו בו בכח בעת הקרבן וכבר העיר רב חסדאי ז"ל במאמרו שעשה בו ויכוח שזה היה באמת תכלית העקדה וצרכה ומפני זה היה ראוי שיזכור לנו השם ית' בעת צרותינו עקידת יצחק שבהקרבתו נקרבנו כלנו במציאות כחנו וראוי שנזכה גם אנחנו בשכר אותו הפועל הנכבר אף שלא נגמר הפועל: *Exinde, quod Iſaacus holocauſtum perfectum eſt factus, conſequitur, Deum voluiſſe, ut cœleſtium corporum influxui nec ipſe, neque poſteri ejus eſſent obnoxii. Perinde eſt, ac ſi ibidem omnes ſint immolati, quia omnes tempore ſacrificii in eo erant potentia. Atque hoc R. Chaſdai. l. m. in ſermone ſuo, quo diſputat, oſtendit, revera finem hujus ligationis hunc fuiſſe, & conveniens eſſe, ut tempore noſtrarum calamitatum Deus recordetur ligationis Iſaaci, quia in ipſo oblato omnes nos ſumus immolati virtualiter. Et ideo æquum eſt, ut illius glorioſi meriti ſimus participes, licet non penitus ſit peractum.* Et iterum idem Abarbenel in eundem ſenſum: הפרשה הזאת היא כל קרן ישראל וזכותם לפני אביהם שבשמים ולכן היא שגורה בפינו בתפלתנו כל היום: *Sectio hæc eſt totum cornu Iſraëlis & juſtitia ejus coram patre illorum, qui eſt in cœlis. Atque ideo in ore eam ſubinde habemus & ſingulis diebus precibus noſtris ejus mentionem facimus.*

§. 20. R. Bechai fol. 30. col. 1. comm. in c. XXII. Gen. ישראל בטוחים להיות זכות העקדה מגן עליהם: *Confidit Iſraël,*

Iſraël, ligationis meritum ſibi inſtar clypei fore. Ne vero recentiores tantum ligationem illam æſtimare, quis autumet. Veterum ſententiam audiemus, quam reperimus in Bereſchith Rabba fol. 36. paraſc. 57. ubi Abrahamum ſic Deum alloquentem inducunt: כבשתי רחמי לע שות רצונך יהי רצון מלפניך השם אלהינו בשעה שיהיו בניו של יצחק באים לידי עבירות ומעשים רעים תהי נזכו אותו העקדה ומתמלא עליהם רחמים: *Ut voluntati tuæ facerem ſatis, miſericordia me frangi non ſum paſſus. Sit voluntas tua, Domine Deus noſter, ut quotieſcunque Iſaaci poſteri peccaverint, & prævaricati fuerint, eis in mentem veniat hujus ligationis, & miſericordiam abunde inveniant!* Quin, ut ex libro precum Ebraicarum antiquiſſimarum apparet, non ſolum orant: מי שענה ליצחק כשנעקד על גבי המזבח הוא יעננו: *Qui exaudivit Iſaacum ſuper altare, is nos exaudiat.* Sed & pag. 42. edit. Venetæ has preces fundunt: חסד חנם לנו תעשה ובזכות הנעקד כשה: *Gratis benignitate nos affice, & propter illius meritum, qui inſtar ovis eſt ligatus.* Et pag. 24.: תראה לפניך עקידת יחיד: *Reſpice quæſo ligationem unigenti!* Quanto rectius nobiſcum ingeminarent, תראה לפניך עקדת חקיפת ומיתת היחיד אדנינו ישוע הנוצוי: *Adſpice ligationem, crucifixionem & mortem Domini noſtri Jeſu Nazareni*, qui eſt μονογενὴς παρὰ πατρὸς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, Joh. 1: 14. ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων. Rom. 3: 28. Cujus ligatione & paſſione factum eſt, ut non tantum primo anni die uſque ad decimum, (quem יום הכפור *expiationis* Judæi vocant, & quo in memoriam ligationis Iſaaci cornu arietino olim clangebant,) ſed identidem *pateant portæ penitentiæ.* Utinam, quam virtutem illi mere umbratili actioni & typo tribuunt in expiandis peccatis, eam ipſi veritati, & antitypo, tot olim ſacrificiis præfigurato ne denegarent. Et cum Iſaaci ligationem ſibi neceſſariam eſſe doceant, cujus memoria in adverſis ſe ſolari, cujus intuitu ſe coram Deo juſtos eſſe & gratiam ejus conſequi poſſint, utinam potius illum, qui verus eſt ἱλασμὸς, 1. Joh. 2: 2. & ἀπὸ τοῦ θεοῦ δικαιοσύνη ἐγενήθη, 1. Cor. 1: 30. reciperent! Quem cum reſpuunt, quid aliud cœci mortales agunt, quam quod dicente Apoſtolo, ἀγνοοῦντες τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην, καὶ τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην ζητοῦντες στῆσαι, τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν. Rom. 10: 3.

§. 21. Neque enim nuda illa ligatio, hominis minime ἀναμαρτήτου id præſtare poteſt, quod miſeri illi mortales ſibi perſuadent, cum valorem ejuſmodi nullibi in ſacris ei tributum legamus, neque promiſſio divina ejuſmodi fructum ex hoc opere, eos eſſe percepturos uſpiam legant. Scribit quidem autor נוה שלום lib. IX. cap. 5. צוהו ית' שיתקן את אשר עותו אדם הראשון בהקריבו לפניו בנו יחידו הכולל הזרע הנבחר כדי שיתק בשני חלקיו גוף ונפש והיוצאים ממנו יהיו שלמי כמוהו ולזה נתנה להם התורה המשלמת הגוף ונפש א"כ הקרבן בנו יחידו תקן וחסרון שחסר חטא אדם הראשון ומלא את ידיו לכהן אותו השירות האלהי שהיה עושה אדם הראשון בהיותו בגנ עדן שאז היה קרבן עולה לה': *Præcepit Deus benedictus, ut* (Abrahamus) *repararet, quod primus homo corruperat, offerendo nempe filium ſuum unigenitum, complectentem ſemen electum, & ita ſecundum utramque ſui partem, corpus & animam, repararetur, & poſteri ejus eſſent perfecti, ſicut ille; ideoque dedit illis legem, quæ perficit corpus & animam. Sic ſacrificium filii ejus unigeniti reparavit defectum peccati primi hominis, & conſtituit eum ſacerdotem ad illud miniſterium divinum, quod Adamus in horto Eden obibat, ubi Domino erat holocauſtum.* Sed quomodo id Iſaaco tribuunt, qui tamen reapſe non eſt oblatus, ſed ſaltim aries ipſius loco? Quid quod ipſi Judæi, cum Abrahamum, tum Iſaacum peccatis collutulatos eſſe, pronunciant. In Midraſch enim Schir Haſchirim, ad c. 2. hæc verba legimus: אר' מאיר בשעה שעמדו ישראל על הר סיני לקבל את התורה אמר להן הק"בה איני נותן לכם את תורתי אם לא תתנו לי ערבים שתקיימו אותה ואני נותנה לכם אמרו לפניו רשל"ע אבותינו ערבים לנו אמר להם ה"נה אבותיכם צריכים ערבים וגו' אברהם מחויב לי על שאמר יהוה אלהים במה אדע כי אירשנה יצחק מחויב לי על שאהב עשו שנאי שנ' ואת עשו שנאתי יעקב מחויב לי על שאמר נסתרה דרכי מיהוה אמרו לפניו הרי נביאנו ערבים אותנו אמר להם ה"נה אף הם מחויבים לי שנ' והרעים פשעו בי וכתיב כשועלים בחרבות נביאך ישראל היו: *Dixit R. Meir ea hora, qua Iſraël in monte Sinai ſtetit ad legem recipiendam, dixit Deus benedictus: non dabo vobis legem meam, niſi dederitis mihi fidejuſſores, quod eam velitis implere. Reſponderunt Deo benedicto: Domine mundi, patres noſtri erunt fidejuſſores noſtri. Dixit illis Deus benedictus, Patres veſtri indigent fidejuſſoribus &c. Abrahamus reus eſt mihi, quia dixit,* (Gen. 16: 8.) *in quo cognoſcam, quod hæreditabo eam? Iſaacus reus eſt mihi, quia dilexit Eſau, quem oderam, juxta illud,* (Mal. 1: 3.) *Eſau odio habui. Jacob reus eſt, quia dixit,* (Eſai. 40: 27.) *Latet via mea Dominum. Reſponderunt illi Deo: Ecce Prophetæ noſtri fidejuſſores erunt. Dixit illis Deus benedictus: Ecce illi rei ſunt mihi, juxta illud* (Jer. 1: 8.) *& paſtores prævaricati ſunt in me, & ſcriptum eſt* (Ezech. 13: 4.) *tanquam vulpes in deſertis Prophetæ tui fuerunt.* Quibus verbis cum id teſtentur, neminem majorum ſuorum abſque macula fuiſſe, ſed ipſos etiam ſingularis pietatis laude celebres Patriarchas & Prophetas peccatis fuiſſe contaminatos, ecquomodo Abrahamus id quod primus homo corruperat, reparare poſſit? Qua ratione illorum merito gloriari, & fiduciam in illis remiſſione peccatorum indigentibus ponere poſſunt?

§. 22. Solent Judæi alias, ceu ex libro ראשית חכמה conſtat, diſtinguere inter ſacrificia oblata במדת רחמים, & במדת הדין, ſive ea, quæ ex mera Dei *miſericordia* acceptantur, & ea, quæ ipſa *Juſtitia divina* exigit. De illis ajunt agi, cum Dominus juſſit, שיביא נפש בהמה תחת נפשו: *ut afferat animam jumenti, loco ſuæ ipſius animæ.* De his vero quod Ezech. 18: 4.: הנפש החוטאת היא תמות *anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Priori modo peccata tolli penitus potuiſſe, negant ipſimet Judæi, cum ut l. cit. cap. 4. loquuntur: הזהירה התורה שלא יקריבו בעל מום ושיהיה הכהן המקריב שלם: *Vetat lex offerri quicquam vitioſum, jubetque ſacerdotem ſacrificantem perfectum eſſe.* Cum vero Iſaacus non fuerit victima בלא מום *immaculata*, ceu ante audivimus, neque in ipſo ſacrificium peractum, & Abrahamus, peccato non caruerit, longe aliud ſacrificium requiri, quod omnibus numeris perfectum ſit, & Sacerdotem multo perfectiorem, quam olim vel Abrahamus fuit, vel alius ordinis Aaronici, patet. Judæos ſane id quandoque agnoſcere, & Meſſiam ab ipſis peccatorum omnium expiatorem haberi, læti deprehendimus.

§. 23. Neque enim diffiteri poſſum, me, cum verba lib. 9. נוה שלום cap. 5. legiſſem, ubi tam pie de Meſſia & ejus officio ſentiunt, ex animo lætatum, & ut ſubinde Judæis adhuc majorem lucem impertiri velit, obnixe Deum precatum eſſe. Vix enim inter recentiores Judæos quiſquam melius de Meſſia, locutus fuerit, quam ille Abraham Schalom, his verbis: מלך המשיח זכה מכלם לבע' הרע הכולל וגו' ירום מאברהם ונשא ממשה אמנם וגבה ממלאכי השרת הוא הנצחית באיש וגו ונשלמה הכוונה האלהית במלך המשיח ההפכי לאדם הראשון: *Rex Meſſias præ omnibus dignus eſt, ut omne peccatum removeat. Erit ſupra Abrahamum, ſupra Moſem & vere etiam ajunt, ſupra angelos adminiſtratorios, eritque immortalis in individuo. Sic intentio divina completa eſt in Meſſia, contra quam Adamo eſt factum.*

§. 24. Quod Meſſiæ ſummam ſanctitatem tribuit, eumque aliis piis hominibus, ipſiſque adeo angelis præfert, plane nobiſcum ſentit & cum autore Epiſt. Ebr. 1: 5. c. VII: 20. Nec in eo hallucinatur, quod eidem in individuo immortalitatem tribuit, ille enim ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν, οὐκ ἔτι ἀποθνήσκει, Rom. 6: 9: quo ipſo rectius ſentit quam Aben Eſra, qui com. ad Pſal. XXII. eidem filios longa ſerie ſuccedentes tribuit, eumque inſtar vulgaris alicujus Regis, filiis ſuis regnum relinquentis, diem ſuum obiturum arbitratur: veterem tamen Judæorum errorem errat inſignem, qui ipſi, & toti populo Joh. 12: 34. eſt communis, ἡμεῖς, inquienti, ἠκούσαμεν, ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ πῶς σὺ λέγεις, ὅτι δεῖ ὑψωθῆναι, τὸν υἱὸν ἀνθρώπου. Nempe ea minime invicem conciliare queunt, quod is immortalis ſit, & nihilominus multa pati, ipſamque adeo mortem ſubire dicatur, Quid mirum igitur eſt, eos modum illum peccata auferendi ignorare. Dicitur Meſſias *exſcindendus* Dan. 9: 26. & ſeipſum ponere אשם, *ſacrificium pro delicto.* Eſai. 53: 10. נגזר מארץ חיים vſ. 8. & nihilominus *vitam ejus nemo poteſt enarrare.* vſ. 10. Quæ & ſimilia loca complura V. T. cum Judæi non recte interpretentur de ipſo Meſſia, ſed ſuam ipſius potius ſententiam præconceptam ſecuti, diverſiſſima de eodem ejuſque beneficiis concipiant, fieri nequit, quin toto cœlo, quod dicitur, à vero aberrent, & quod Meſſiæ acceptum ferendum erat, ab Iſaaci ligatione expectent.

§. 25. Quanto aliter Judæi priſci, evidentia capitis LIII. Eſai. convicti ſenſerunt, nempe inibi contineri myſterium de Meſſiæ paſſione, qua ſimus redimendi & ſalvandi. Licet vero fabuloſa quædam addiderint, perſpicue tamen inde pateſcit, Meſſiam habitum ipſis fuiſſe pro illo, qui populum ſit ſalvaturus. Sic enim in antiquiſſimo libro Peſikta, intel-

intellexerunt, ceu autor libri אבקת רוכל, quem A. Hulsius, Vir clarissimus edidit, part. 2. de tempore Messiæ בריש פסיקתא אמרינן כשברא ה"בה עולמו ירו תחת כסא הכבוד והוציא נשמת המשיח וכת שלו פשט אמר לו רוצה אתה להבראות ולגאול את בני אחר ששת אלפים אמר לו הין אמר לו א"כ תסבול יסורין למרק עונם ההוא דכתיב אכן חליינו נשא אמר לו אסבול אותם בשמחה: *In principio Pesikta legimus quando Deus creavit mundum suum, extendit manum suam sub solio gloriæ & produxit animam Messiæ, ejusque catervam, dixitque ipsi, vis ne tu sanare & redimere filios meos post sex millia annorum? Respondit ipsi, volo. Dixit ipsi, an etiam sustinebis castigationes ad abstergendum iniquitates eorum, juxta illud quod scriptum est*: (Esai. 53:8.) *certe morbos nostros tulit. Respondit, sustinebo illas cum gaudio.* Sane à Messia non tantum peccata ablatum iri, sed & ipsum Diabolum omnium malorum autorem superandum esse; prisci Judæi aliquando agnoverunt. In Jalkut enim fol. 56. col. 4. num. 359. hæc legimus: אמר שטן לפני הקב"ה רבינו של עולם אור שנגנז תחת כסא הכבוד שלך למי א"ל למי שהוא עתיד להחזירך ולהכלימך בבושת פנים אמר ליה רבונו של עולם הראהו לי א"ל בוא וראה אותו וכיון שראה אותו נזדעזע ונפל על פניו אמר בודאי זהוא משיח שעתיד להפיל לי ולכל אומות בגיהנם שנ בלע המות לנצח: *Diabolo quærenti ex Sancto Benedicto, Domine mundi, lux sub throno gloriæ tuæ absconsa eccujus est? Respondit Deus, illius, qui te pudore ac ignominia opplebit. Eum sibi demonstrari petenti diabolo, Deus dixit, Veni & vide ipsum. Quem ubi vidit, expavescens in terram procidit, vere, inquiens, est hic Messias, qui me olim & gentes in infernum præcipitabit, sicut dictum est* (Esai. 25: 8.) *absorbebit mortem in perpetuum.* Eccur igitur hodie non idem à Messia præstandum sentiunt? Id omnino facturi essent, si V. T. cum N. Testamento conferrent, & quod Dominus noster discipulos suos, haud absimili errore imbutos, docuit, cognoscerent, ὅτι ἔδει παθεῖν τὸν χριστὸν, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ. Luc. 24: 26. nempe postquam factus erat ἁμαρτία. 2. Cor. 5:21. hoc est, expiatio vel *sacrificium pro peccato.* Cujus passione ea quæ variis typis & figuris olim involuta erant, jam sunt facta manifesta, & ita clarissime demonstratum, *Vaccam rufam, hircum emissarium, agnum paschalem*, omniaque sacrificia typos duntaxat umbrasque fuisse sacrificii excellentioris, quod non minus ac alia sacrificia ligatum, & in ara crucis oblatum fuit. Cujus oblationis in N. T. descriptæ fuse historiam antiqui hoc rythmo, non illo quidem compto, pio tamen & multa paucis complexo enarrant.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis. Dat causam *tertia* mortis.
Sexta cruci nectit. Latus ejus *Nona* bipertit.
Vespera deponit. Tumulo *Completa* reponit.

בה:

DE
LIGATIONE ISAACI
ET DECIMA, QUAM EBRÆI VOCANT, ABRAHAMI TENTATIONE.

DISSERTATIO IV.



Uam virtutem ligationi Isaaci tribuant Judæi, & quantopere in istius, quod fingunt, merito confidant, ex supra dictis abunde patet. Præter illa, quæ supra adduximus, duo adhuc in medium afferenda sunt testimonia, ex quibus itidem vana illorum persuasio patescit. In libro precum, edit. Venet. p. 117. ubi orationes illorum, novi anni initio recitari solitæ, habentur, Deum ita alloquuntur: תראה לפניך עקדה שעקד אברהם אבינו את יצחק בנו על גבי המזבח: *respice ligationem, qua Abrahamus ligavit filium suum super altare!* Et in libro Jalkut, fol. 29. col. I. ubi ex Pesickta quædam adducuntur, Abrahamus ita Deum precatus fingitur: אף אתה כשיהיו בניו של יצחק חוטאין לפניך זכור להם עקידת יצחק אביהם ופדה אותם מצרתן *Tu quoque, cum posteri Isaaci peccaverint, memento ligationis Isaaci, & ex adversitatibus eos libera!* Quam male hoc de figura intelligunt, tam bene de eo, cujus typum Isaacus tunc gessit, asseruissent, magni mysterii adumbrandi causa, id quod ipsum Christum duobus discipulis, in vicum Emaus euntibus, exposuisse, H. Grotius hariolatur, annot. ad Luc. 24:26. *ubi quædam*, ait, *expressa fuisse vaticinia in Prophetis, ut apud Esaiam ac Danielem, quædam ἐν τύποις καὶ συμβόλοις, ut serpens erectus, sacrificium piaculare, quod pro populo peragebatur, res Davidis, quarum explicationem Christus Apostolis, Apostoli nobis tradiderunt.* Tandem in hæc verba desinit: *credibile est, aliorum quoque oraculorum similem explicationem mysticam à Christo aut ejus spiritu traditam & per manus quasi conservatam in Ecclesia: neque enim omnia scribi potuerunt, quale illud est de oblatione Isaaci, in quo arcanum ingens latere, veteres etiam Judæi crediderunt. Sed & nunc per id sacrificium Deum obtestantur, ut Deus ipsis velit esse propitius. Quin & Isaacus illis dicitur crucem suam bajulasse, & ex mortuis recuperatus.* De quibus cum partim supra actum, partim infra quoque agendum sit, nunc ad commatis 11. & 12. explicationem sumus progressuri.

CAPUT IV.

Quidam Ebræorum R. Maimonidis de Angelo clamante sententiam non satis assequuti ab Abarbenele confutantur. An angelus visione prophetica ut vult Maimonides, an vero in aëre formata voce Abrahamum à mactatione filii abstraxerit, ut R. Abarbenel vult, disquiritur. Vocis geminatæ vis. Num Isaacum post interdictum vulnerare Abrahamus voluerit, ut R. Salomo & Abarbenel ex textu probare satagunt. Photiniani verbis Dei, nunc scio te Deum timere, *abutuntur ad negandam omniscientiam divinam. Episcopii nova sententia adducta. R. Abarbenelis alterum glossema vocem ממני torquentis refellitur. Grotius, & Cappellus de Ebræi textus integritate ex versionibus judicare conantur irrito labore. Syriacæ & Samaritanæ Versionis, contra quam Grotius censuit, cum Ebræo textu consensus.* מלאך יהוה *varia in sacris significatio. B. D. Gerh. Dn. D. Varenius laudati. Augustini & Aramæ de angelo sententia. Episcopii sententia rejicitur.*

verbe-

verborum, nunc ſcio, *explicatio diverſa allata. Auguſtini, Gregorii, Chryſoſtomi, Marci Marini, Syri & Arabis, interpretum, Maimonidis. Cur R. Abarbenel eam rejiciat & Epiſcopius. Gerundenſis explicatio, item Abarbenelis. Quid in ea deſideretur. R. Lipmanni & R. Albi interpretamentis alia expoſitio præfertur, quam P. Burgenſis, Cajetanus, Mercerus & B. D. Gerhardus amplexi ſunt. Judæos & Turcas rectius, quam Photinianos, de Dei ſcientia ſentire, Rabbinorum, Bechai, Aramæ, Albi, & Mohammediſtæ teſtimoniis oſtenditur.*

§. 1. VErba textus authentici ita habent: וַיִּקְרָא אֵלָיו מַלְאַךְ יְהוָה מִן הַשָּׁמַיִם וַיֹּאמֶר אַבְרָהָם אַבְרָהָם וַיֹּאמֶר הִנֵּנִי וַיֹּאמֶר אַל־תִּשְׁלַח יָדְךָ אֶל הַנַּעַר וְאַל תַּעַשׂ לוֹ מְאוּמָה כִּי עַתָּה יָדַעְתִּי כִּי יְרֵא אֱלֹהִים אַתָּה וְלֹא חָשַׂכְתָּ אֶת־בִּנְךָ אֶת־יְחִידְךָ מִמֶּנִּי׃ Vulgatus vertit hunc in modum: *Et ecce angelus domini de cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit, Adſum, dixitque ei, non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam, nunc cognovi quod timeas Dominum, & non pepercisti unigenito fili otuo propter me.*

§. 2. Cum Abrahamum, jam in collum Iſaaci cultrum ſtringentem, Angelus de cœlo acclamaſſe refertur, quomodo id factum ſit, interpretes diſquirunt. R. Moſes Maimonides viſione quadam Prophetica Angeli mentem Abrahamum percepiſſe ait, quod cum ex Ebræis quidam minus intelligerent, ſibi perſuaſerunt, *Doctorem perplexorum* docuiſſe, totam hiſtoriam ligationis Iſaaci non niſi in viſione conſiſtere. Unde R. Abarbenel comment. in h. l. indignabundus contra illos ita ſcribit: ואנשים מבני עמנו כתבו על זה שכיון הרב בו לענין עקרת יצחק שכיון שנזכר שם שמיעת דברי המלאך הכל היה המעשה הזה מתחלתו ועד סופו במראה הנבואה ושלא עבר דבר ממנו בהקיץ נעויתי משמוע נבהלתי מראות אנשים מבני ישראל יכתבו על ספר האפיקורסות הזה ויחסו לרב הדעת המגונה ההוא כ״כ רחוק מכוונתו׃ *Quidam de noſtratibus ſcripſerunt, Doctorem collineare ad ligationem Iſaaci, & poſtquam verba Angeli audita dicuntur, omnia ab initio ad finem uſque intelligenda eſſe de viſione Prophetica, neque quicquam vigilante ipſo factum eſſe. Incurvavi me audiendo, territus ſum videndo,* (Eſai. 21: 3.) *viros de noſtro populo literis mandaſſe hanc hæreſin, & tribuere illi hanc abſurdam ſententiam, quæ tantopere ab intentione ejus diſcrepat.*

§. 3. Sane Maimonidem longe aliter ſenſiſſe, ex ipſius verbis Rabbi Abarbenel bene oſtendit, ut ex ſeq. patet, הדעת נותן שהרב לא כן יחשוב בלבבו לא כן ידמה אבל שדעתו באמרת הוא שראיית המלאך או שמיעתו והמעשים שנזכרו שעשה המלאך בעצמו הם במראה הנבואה אבל הספורים והמעשים שלא נתיחסו אל המלאך כי אם לאיש מן האנשים לא יאמר הרב חלילה לו שהיו במראה הנבואה עם היות שבאו בתוך הספור נבואות ודברי מלאך כיון שפעולות ההן שנזכרו בספור אינן מהמלאך כי אם מבני אדם וכן הענין בעקדה לדעתו שהשם אמר לאברהם בחלום הלילה קח נא את בנך את יחידך וגו׳ וישכם אברהם בבקר ובעבור אותו נבואה עשה כל המעשים שנזכרו בספור בפעל ובהקיץ וכאשר שלח את ידו ויקח את המאכלת לשחוט את בנו אז בא אליו דבור המלאך שהיא נבואה לדעתו לאמר אל תשלח ידך אל הנער ובהקיץ מאותה נבואה ראה את האיל ואחר זה אמר נבואה אחרת שנית לאמור כי נשבעתי וגו׳ והיו אם כן הספורים והפעלות מעשה אברהם בהקיץ ודבורו המלאך בנבואה לדעת הרב ובזה האופן ישכימו דבריו באותם שני פרקים אשר זכרתי אין בהם נפתל ועקש וגם יורה על שזה דעתו מה שכתב פמ״ה ח״ב במדרגות הנבואה וז״ל המדרגה הא׳ שיראה המלאך מדבר במראה כאברהם בשעת העקדה ע״כ מה נמרצו דברי הרב באומרו בשעת העקדה שגלה דעתו בזה שבאותה שעה שעקד את בנו ושמע דברי המלאך אותם דברים היו בנבואה לא מהמעשה קודם זה ולא מה שעשה אחר זה׃ *Ipſa ratio ſuadet, hanc Doctoris non eſſe ſententiam, ſed illum revera ſenſiſſe, viſionem angeli aut auditionem ejus, & opera quæ ipſemet angelus fecit, in viſione Prophetica contigiſſe. at illæ recenſiones & opera, quæ Angelo non tribuuntur, ſed homini cuidam, abſit, ut Doctor pro viſione Prophetica habeat, licet inter narrationem & verba Angeli ipſorum fiat mentio: illa enim opera, quæ recenſentur, non ſunt angeli, ſed alicujus hominis. Atque ita ſe res habet in ligatione juxta ipſius ſententiam, dum nempe Deus in ſomnio noctu Abrahamo dixit: cape filium tuum unigenitum &c. & ſurrexit mane Abrahamus, & propter illam prophetiam omnia illa quæ referuntur fecit, vigilans. Poſtquam autem extendit manum ſuam, & arripuit cultrum ad mactandum filium, tunc angelus ad ipſum locutus eſt, nempe Prophetia ut is arbitratur, ne mittas manum tuam in puerum. Et cum illa prophetia deſineret, vidit arietem. Dehinc altera prophetia dictum ei eſt: juravi &c. Illa igitur quæ referuntur facta Abrahami, ipſo vigilante contigerunt; Angeli vero verba per prophetiam accepit ſecundum Maimonidem. Atque hunc ſenſum quoque præ ſe ferunt illa, duobus citatis capitibus memorata, in quibus nihil eſt perverſum aut contortum. Eſſe hanc ipſius mentem, conſtat etiam ex cap. 45. parte. 2. ubi ait: hic Prophetiæ gradus primus eſt, cum apparet angelus in Viſione loquens, ut Abrahamo, ipſa hora ligationis. Quam acres ſunt ſermones Doctoris, dum ait in hora ligationis. Quibus docet, ipſo momento, quo filium ligavit, & angeli verba audivit, illa verba prophetia percepta fuiſſe, non id vero, quod poſtea fecit.*

§. 4. Has vindicias pro R. Maimonide & ejus ſententia licet Rab. Abarbenel ita ſcripſerit, ab eodem tamen recedit, quod modum illius perceptionis attinet. Maimonides enim ut audivimus, viſione quadam Prophetica Abrahamum angelum intellexiſſe cenſet, Rabbi Abarbenel vero voce in aëre formata. Sic enim commentatur loc. cit. לפי דעתי הנבואה הזאת לאברהם בשמעו את דברי המלאך נבואה מוחשת שהוא מין ממיני נבואה כמו שזכרתי למעלה כ״ל שהגיע לאזניו קול מוחש מאת יי׳ מן השמים ולא היתה זו נבואה דמיונית ולכן לא נצטרכה אל בטול החושים כי בהשתמשות חושיו שמע והבין אותו קול׃ *Mea ſententia hæc prophetia, quæ Abrahamo contigit, audiendo verba angeli fuit ſenſibilis, quæ una ſpecies eſt Prophetiarum, ceu ſupra indicavi. Nempe vox ſenſibilis ad aures ejus cœlitus delapſa eſt. Hæc Prophetia non fuit imaginativa, adeoque neque ſenſuum ceſſatione opus erat. Beneficio enim ſenſuum ſuorum audivit vocem & intellexit.* Equidem in aëre formata voce Angelum Abrahamo id indicaſſe, multo probabilius eſt, quam phantaſmate aut viſione prophetiam hanc peractam eſſe. Expreſſe enim dicitur Angelus clamaſſe מן השמים *de cœlo*; unde & ex Peſickta in libro Jalkut fol. 29. hæc citantur verba מיר, הב״ה פתח הרקיע *exemplo Deus benedictus aperuit expanſum.*

§. 5. Cum bis nomine ſuo Abrahamum compellavit angelus, factum id eſt, ut in Michlal Jophi legimus, לזרז הנקרא *ad monendum vocatum*: vel ut R. Abarbenel docet, נכפל השם לפי שהיה כפשע בין יצחק ומות ולנחץ הדבר ולמהר ממניעת השחיטה אמר אברהם אל תשלח ידך׃ *geminatur nomen, quia inter Iſaacum & mortem erat greſſus* (1 Sam. 20: 3.) *ad celerius igitur ſuggerendum ei interdictum de mactatione, clamat, Abraham, Abraham! ne mittas manum tuam!* Atque hæc ſatis recte recutitus ſcripſit. in ipſo enim inſtanti executionis, potenti geminatione Abrahamum angelus inclamavit. Quod vero ſubdit, id non perinde applauſum meretur: הנה הוסיף לו׳ ואל תעש לו מאומה לפי שבראשונה צוהו אל תשלח ידך אל הנער לשחטו ולפי שאולי ירצה אברהם לעשות שום רושם בגוף יצחק לסימן הדבר כדברי חז״ל לכן הוצרך לצווס עוד ואל תעש לו מאומה כי להיות יצחק עול׳ תמימה לא רצה יתברך בו מום כלל ולא פצע וחברה ומכה טריה׃ *Ecce addit etiam: & ne ei quicquam facias. Quia initio dixerat, ne mittas manum in juvenem, & forſan Abrahamus corpori Iſaac ſignum imprimere intendebat, ut Dd. l. m. volunt, ideo neceſſum erat inſuper adjicere: & ne facias ei quicquam. Cum enim Iſaacus integrum eſſet ſacrificium, noluit Deus benedictus, ut in eo macula ulla, vulnus vel plaga humida fieret.* Abrahamum tale quid, niſi divinitus abſtraheretur altera illa locutione, moliturum fuiſſe, commentum eſt Judaicum, neque ex verbis iſtis colligere licet. R. Salomo quidem ex mente priſcorum Ebræorum aſſerit, eum dixiſſe ad Deum: אם כן לחנם באתי לכאן אעשה לו חבלה ואוציא ממנו מעט דם אמר לו אל תעש מאומה אל תעשנו מום׃ *Atque hoc pacto fruſtra huc veni? Faciam in eo læſionem, & pauxillulum ſanguinis ex eo eliciam; Reſpondit ei Deus, noli ipſi quicquam facere, aut maculam inferre.* Sed hoc in Judæorum cerebro natum eſt commentum, ſcripturæ ignotum, utpote quæ hoc tantum ſignificat, Deum Iſaaco quicquam mali, nedum cædem, inferri, haud quaquam intendiſſe, adeoque ſola illa Abrahami obſequendi voluntate jam penitus acquieſcere.

§. 6. Atque hæc nihil habent difficultatis. Illud vero eſt, quod Interpretes multum defatigavit, an angelus creatus hic intelligatur, an vero increatus, & ſi de hoc textus agat, quomodo is aſſerat, *jam ſcio, te Dei timentem eſſe.*

Num enim ante eum latuit, Abrahamum tam pium Deique amantem esse, ut ne filio suo sit parsurus? Ergo futura contingentia Deo sunt incognita, & in eum cadit rei novæ & antea non perceptæ cognitio? Ita colligere ex hoc loco haud verentur Photiniani. Faustus enim Socinus Prælect. cap. 11. fol. 39. ita scribit: *Quod ad sacra testimonia rationesque inde sumtas attinet, illud tantum monuisse volumus, plurimos esse locos, qui nullo pacto intelligi aut explicari queant, ista præscientia admissa. Imo si ea admittatur, multa quæ in sacris literis Deo tribuuntur, vel falso tribui, vel ipsum Deum imprudentiæ, quæ ne in hominem quidem cadere, nisi plane dementem potest, omnino coarguere. Quis enim unquam id intelliget, aut explicabit, quod scriptum est Genes. 6. vers. 6. 7. Deum propter hominum iniquitatem, quæ in terra abundaverat, contristatum esse? Quis illud, quod ipse Dominus ait eodem libro*, cap. XXII. 12. *se demum vere cognovisse, Abrahamum Dei timore esse præditum cum filium suum carissimum sibi immolare non recusavit.* Et Valentinus Smalcius refut. thes. Franzii, disp. XII. pag. 436. *Hoc*, inquit, *quanti momenti sit ad ostendendam falsitatem dogmatis istius* (*de Dei præscientia*) *quis non videt?* & p. 437. *Si Deus antea scivit necessario, Abrahamum ipsi ita obediturum, ut obedivit, quomodo dicere potuit, se tunc demum id cognovisse, cum ad filium rogo impositum mactandum manum & cultrum jam porrexisset. Si tunc demum cognovit, quomodo antea cognovisse dici potest.*

§. 7. Ita illi, qui se Christianorum nomine indignos haberi, ægre ferunt, de Deo sentiunt, & scripturam ipsis Judæis pejus torquent & interpretantur, ut infra patebit. Id nobis aliunde est certissimum, Deo nullo modo novam ullius rei posse contingere cognitionem. Obstat enim ejus cum infinita omnium rerum scientia, tum perfectissima simplicitas & æternitas, ut jam Sacræ Scripturæ clarissima dicta haud afferamus. Unde nec hic locus aliud quippiam de Deo credendi nobis necessitatem imponit. Operæ vero pretium facturi videmur, si recensitis variis explicationibus, quæ omnium maxime veritati consentanea videatur, demonstremus.

§. 8. Sunt, qui verba hæc non Dei, sed angeli saltim alicujus creati fuisse perhibeant. Unde Simon Episcopius, Institut. Theolog. lib. II. cap. 9. sic scribit: *Quid ergo, inquies, de hac re sentiendum? Ego, ne quid divinæ majestati detraham, & claris ejusmodi locis tenebras non suffundam, salva aliorum sententia sic statuo: Deum ab hoc toto negotio secludendum esse, & quæcunque hic adeoque passim leguntur de tentationibus hisce, tanquam à Deo ipso factis, non nisi ad Angelum istum, qui Dei vicem gessit, & nomine Dei cum Abrahamo & populo Dei egit, referenda esse. Arbitror enim cum nonnullis, imprimis cum doctissimo Gabriele Vasques, disp. 85. cap. 2. tom. 1. Deum nihil immediate egisse nec agere voluisse, sed Angelo suo tanquam legato & vicario suo provinciam hanc universam demandasse, & sic quæcunque ille egit, ea tanquam si ab ipso Deo factæ essent, recenseri: Angelum autem istum, speciali divino jussu accedente, vel suopte proprio motu tentasse tum Abrahamum, tum populum, aliosque, ut quo animo erga Deum suum essent, intelligeret, atque ita fidelem Deo suo populum redderet. Angelum autem hunc ignorasse, quid futurum esset, & experiundo cognovisse, nihil habet repugnans veritati.*

§. 9. R. Abarbenel geminam explicationem horum verborum in medium affert, quarum posterior huic Episcopii sententiæ haud multum est absimilis. ita enim fol. 77. col. 2. commentatur האופן השני הוא. שהדברים האלה היו מהמלאך שדבר אל אברהם בשם האל יתברך אל תשלח ידך אל הנער ואל תעש לו מאומה ואמנם אמרו עוד כי עתה ידעתי וגו׳ הם דברי המלאך שהוא מעצמו אמרם לא בשם האל ולכן לא אמר נאם ה׳ כמו בדבור השני ולפי שיש במלאכים חרוש ידיעה כמו שיקבלו מהשפע מפאת סבתם לכן צדק באמרו עתה ידעתי כי ירא אלהים אתה בהפלגה עצומה בהיות כי עתה היית בכח ולכן לא חשכת את בנך תת יחידך מלעלותו עולה ואמרו ממני חוזר ליראה יאמר כי עתה ידעתי כי ירא אלהים ממני כלו׳ יותר ממני אחרי אשר לא חשכת את בנך את יחידך ואמר זה לפי שהמלאכים יקראו יראי אלהים כמו שאמר אל נערץ בסוד קדושים רבה ונורא על כל סביביו והראיה על פירוש ממני ושאינה חוזרת ללא חשכת כי הנה למטה אמר במאמר השני יען אשר עשית את הדבר הנה ולא חשכת את בנך את יחידך ולא אמר שם ממני לפי שפירושו הוא כמו שפי׳ והיה נאות לאומר כן אצל היראה ולא בדבור השני: *Alter explicandi modus est, quo ista ad Abrahamum prolata verba de Angelo intelliguntur, qui nomine benedicti dixit, ne mittas manum tuam in puerum, & ne facias ei quicquam. Cæterum reliqua verba*: nunc scivi &c. *hoc modo ipsius angeli sunt propria, neque Deo tribuenda, & idcirco non sunt adjecta verba* נאם יהוה, *ut in altero sermone. Et quia in Angelis est scientiæ innovatio, prout nempe ex influxu accipiunt, respectu illorum causæ, ideo recte dixit. Nunc scivi, te maximopere timere Deum. Hactenus enim potentia tantum fuisti timens, & ideo non pepercisti filio tuo unico, ut etiam eum offerres in holocaustum. Vox vero*, ממני *respicit ad timorem. q. d. magis Deum times, quam ego, quandoquidem filio non pepercisti. Atque sic loquitur, quia angeli vocantur timentes Dei, quemadmodum ait* (Psalm. 89: vers. 8.) *Deus formidandus in secreto sanctorum multo, & terribilis super omnes circuitus ejus. Ratio autem, ob quam* τὸ ממני *non referri debeat ad verbum* חשך, *est hæc, quia infra* (vers. 16.) *altero sermone simpliciter ait*: ולא חשכת את בנך את יחידך, *neque* τὸ ממני *repetit.*

§. 10. Cæterum quod hanc R. Abarbenelis attinet explicationem, qua quædam in uno eodemque textu verba de solo Deo, nonnulla vero de angelo intelligenda docet, prorsus illa est contorta, & ab omni probabilitate aliena. Sane vocem ממני non esse referendam ad verbum ירא sed חשך ipse contextus arguit, & scripturæ mos loquendi, quo verbum illud cum præfixo מ alias construi solet, maxime cum idem notat ac τὸ מנע, quod septies fieri, Masora parva notavit ad Genes. 39: 9. confer Psalm. 78: 50. Esdr. 9: 13. Præter omnem itaque necessitatem, & invito textu, quem ita divellit, R. Abarbenel, τὸ ממני ad remotiorem refert vocem, neglecta propinquiore. Neque alicujus momenti ratio est, quam subdit: infra ממני omitti. Cum enim τὸ חשך, quod idem significat ac *subtrahere, cohibere*, cum præfixo & absque illo occurrere soleat, quid mirum, si illa particula deinde sit omissa, sensu minime variante. Arabs, qui vertit قصت عني *subduxisti à me*, ultimam vocem itidem omisit altero sermone, quem Dei nomine angelus pertexit. Græci vero sensum potius, quam verba respicientes, reddiderunt: οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σοῦ τοῦ ἀγαπητοῦ δι᾽ ἐμέ. Ubi illud silentio haud est prætereundum, Apostolum Rom. 8: 32. idem verbum ἐφείσατο de Deo patre, Christo, quem Isaacus repræsentavit, non parcenti, usurpasse.

§. 11. Dum vero Græci τὴν διάνοιαν totius phraseos לא חשכת ממני reddiderunt, οὐκ ἐφείσω δι᾽ ἐμέ, &, qui hos est secutus, Latinus interpres, *non pepercisti propter me*, facere non possumus, quin illud, quod ad voces, *propter me*, magnus ille, dum viveret, literator, H. Grotius scriptum reliquit, expendamus, *additum hoc*, inquit, *ex Græco, Samaritano & Syriaco, qui consensus ostendit, in Ebrais codicibus id olim fuisse.* Ergone olim in Ebræo textu aliter fuit lectum; quam hodie, & ex Versionibus colligendum est, quæ lectio Ebraica convenientior sit veriorque? Nisi me omnia fallunt, Ludovici Cappelli vestigiis insistere voluit, qui in Critica sacra sibi decretum esse ait, ostendere, *ex Samaritano & Græcis τῶν septuaginta codicibus varias Ebraici textus lectiones non minus veras & certas posse colligi, quam quæ hodie in nostris Ebraicis leguntur Bibliis.* Conjectura, hæc confirmatur exinde, quod encomium, quod Grotius Criticæ sacræ impertitus est, Cappellus gloriabundus non dubitavit è dissentientibus opponere, *pudeat*, inquiens *Bootium, vel homini tam docto* (Grotio) *non credere, vel, si credit, de Critica & ejus autore tam male sentire.* At quo successu ex versionibus Ebraica emendare Grotius conetur, vel hoc unicum exemplum docet. Ex Syriaco id additum esse, somniat Grotius, qui ipsum textum non videtur inspexisse, sed aliquam ex eo male adornatam versionem. Habetur enim inibi dictio ܡܛܠܬܝ, quæ Ebrææ voci ממני respondet: apparet ibidem verbum ܚܣܟ, quod est ipsissima Ebræorum radix חשך. Neque Samaritana Versio aliud quid hic agnoscit, quam quod in Ebræo textu legitur, nisi quod vocis יחידך, *unigenitum tuum*, emphasin voce [Samaritan] *corculum tuum*, & pro חשכת adhibuit verbum [Samaritan], quod Ebræorum est מנעת *subtraxisti.* Pro voce autem ממני occurrit [Samaritan], una litera servili omissa, perinde ac apud Syros. plane igitur hic Grotius dormitasse videtur, dum Ebræum textum de mendo habet suspectum, & versiones ab illo dissentire sibi persuadet. Fac autem in Syriaca & Samaritana Versione reperiri, quod *propter me* sonet, num ideo dicendum erit, in Ebræo textu olim aliter lectum fuisse, & ex consensu illo novam lectionem procudendam esse? Id nemo dixerit, nisi qui ignorat, admissa illa libera conjecturandi licentia, & voces Ebraicas examinandi facultate, textum Ebræum, cujus autoritas merito

rito nobis magni facienda est, indignis modis vexatum iri & deformatum, nihilque, cui innitamur, reliquum fore.

§. 12. Ut vero eo, unde delapsi sumus, revertamur, qui dicitur clamasse, vocatur מלאך יהוה, *Angelus Domini.* Quo nomine alias Propheta insignitur Hagg. 1: 13. qualem hoc loco minime intelligi, ex eo satis patet, quod præter naturæ ordinem cœlitus clamasse dicitur. Deinde ita vocantur מלאכי השרת ut Ebræi loquuntur, vel ut Apostolus Ebr. 1: 14. id effert, πνεύματα λειτȣργικά, quorum ministerio Deus in V. T. sæpenumero usus legitur. Vocatur denique hoc nomine filius Dei ἀντονομαστικῶς, qui Mosi apparuit in rubo. Exod. 3: 2. Deuter. 32: 16. qui est *angelus faciei* Esai. 63: 9. qui Jacobo dixit: Ego sum *Deus Bethel.* angelus הגואל *assertor*, Genes. 48. *angelus fœderis*, Malach. cap. 3: 1. Atque hunc intelligunt hic post Origenem Theologi complures. Conf. B. D. Gerhardus comment. in h. l. & Tom. 1. LL. Theol. pag. 445. & Dn. D. Varenius, Decad. Mosaic. in Gen. pag. 500. *angelus* יהוה, inquit, *hic in secunda oratione recenset* נאם יהוה *Dei sc. patris, cui specialiter procuratio & dispensatio tribuitur nostræ salutis.* Augustinum tamen, Tom. IV. pag. 97. verba, נאם יהוה, quibus cum Prophetæ, tum angeli Dei mandata hominibus revelando, alias usi sunt, moverunt, ut creatum angelum intelligeret, & quod *non facile Christus patrem Dominum dixerit, tanquam suum Dominum, illo præsertim tempore, antequam assumeret carnem.* Judæi vero ideo creatum angelum, cujus opera Deus sit usus, intelligunt, quia Abrahamus hoc ab eo vigilans percepit, non in somnio. Atque hunc supremum, sive ut R. Maimonides, More part. 2. cap. 45. numerat, undecimum Prophetiæ gradum esse perhibent. Unde Arama, fol. 64. comment. in h. l. ita loquitur: היות זאת הקריאה ע"י מלאך ה' הנה נתבארה הסבה היטב ממדרגת הנבואה אשר זכרם הרב המורה פרק מ"ה חלק שני שכמו שהיה זה דדבור והסמוך אליו בהקיץ אי אפשר שיוחיב הדבורת אליו יתברך כי זה לא נמצא רק לרבן של נביאים: *Cum per angelum hæc acclamatio sit facta, ecce eo ipso bene causa graduum Prophetiæ declaratur, cujus meminit Doctor cap. 45. part. 2. quod hæc locutio, & quæ ad eum pertinent, ipso vigilante* (Abrahamo) *contigerunt, non possint Deo benedictio tribui. Hoc enim non nisi in Prophetarum principe,* (Mose) *super quem sit pax, reperitur.* Respicit ad locum Num. 12. vers. 6. ubi colloquium, quod cum Mose Deus habuisse dicitur, ut peculiare, & nulli Prophetarum commune, recensetur, dum פה אל פה *oretenus*, cum illo egit, non in *somnio* vel *visione.*

§. 13. Si autem vel maxime creatum angelum intelligas, manet nihilominus difficultas de verbis עתה ידעתי, cum angelus hæc verba non suo ipsius, sed Dei nomine, quem loquentem introduxit, protulerit, qui per se ipsum juravit & religioso sacrificii cultu afficiendus semen Abrahami se multiplicaturum promisit. Quod igitur Episcopius, Deum ab hoc negotio seclusurus, angelum proprio & suopte motu Abrahamum tentasse, & tamen Dei vicarium & legatum fuisse ait, id nequit consistere, & falsitatis ex eo convincitur, quod diserte Deus Abrahamum tentasse & jussisse dicitur ut filium in holocaustum offerret. Dispiciendum igitur nobis est, quomodo interpretes, verba illa divina, ne aliquid antea sibi ignotum experiundo didicisse Deus videatur, explicent. S. Augustinus q. LVIII. in Genesin, *nunc cognovi*, dictum esse ait *pro cognoscere feci. Ut positum sit efficiens pro effectu, sicut dicitur frigus pigrum, & dies læta, quod faciat homines lætos & pigros.* Hunc sequitur Gregorius, lib. XXIII. Moralium & Chrysostomus, homil. XXII. in Genesin. Marcus Marinus in Arca Noë punctorum mutatione facile rem confici posse putat, si nempe in conjugatione Pihel dicatur יִדַּעְתִּי. Arabs quoque interpres verbum transitive accepit, & in secunda conjugatione reddidit hunc in modum: فاني الان عرفت للناس *quia nunc notum feci hominibus*, quod sis timens Deum. Consimiliter Syrus, qui tamen in tertia conjugatione mutavit primam personam in secundam ܡܛܠ ܕܗܫܐ ܚܘܝܬ ܕܕܚܠ *quia nunc indicasti*, nempe *te timentem Dei esse.*

§. 14. Cæterum licet etiam R. Maimonides in More, part. III. cap. 24. verbum Ebræum ידעתי per הודעתי explicuerit: parum tamen tribuit huic sententiæ R. Abarbenel, quod illa, utpote minus solida, nodum minime solvat. Unde ille fol. 74. col. 2. ita scribit: באומרו כי עתה ידעתי כי איך יתכן חדוש ידיעה בו ית' וכבר ביארתי שימשך ממנו שנוי בחקו ית' בחסרון במה שלא ידע והשתלמו בידיעתי גם כי להיות ידיעתו היא עצמותו יתחייב שישתנה עצמותו חלילה והרב המורה כתב התר זה כי מלת ידעתי כמו הודעתי וזה יספיק אלו היה מסדר התורה וכותבה בלתי יודע דרכי הלשון אבל איך יכתב משה רבינו עליו השלום נביא האל במקום הודעתי שהוא פואל יוצא לשלישי מבנין הפעיל ידעתי שהוא פואל עומר מבנין הקל והוא דוחק גדול: *Dum ait* עתה ידעתי, *ecquomodo in Deo benedicto locum habet scientiæ novitas? Jam ante docui, quod exinde sequatur mutatio in benedicto cum defectu, dum aliquid ignorat, & in sua scientia perficitur. Præterea, cum scientia Dei sit ipsa ejus essentia, inde consequitur essentiam quoque mutari, quod absit! Autor libri More in solutione hujus scripsit, vocem* ידעתי *idem sonare ac* הודעתי. *Atque hoc sufficeret, nisi is qui legem disposuit ac scripsit, linguæ rationes habuisset cognitas. Ecquomodo igitur Moses, Doctor noster, super quo sit pax, Propheta Dei, loco* הודעתי, *quod est verbum transitivum in tertium subjectum ex conjugatione hiphil, dixerit* ידעתי *quod est verbum intransitivum conjugationis Kal? Quæ ratio sane non est de nihilo.*

§. 15. Sane Photiniani, idiomatis Ebræi haud ignari hanc explicationem simpliciter rejiciunt, & Episcopius l. cit. ait, qui *verbum hoc activum legunt in Pihel per* יִדַּעְתִּי, *vel in Hiphil,* הוֹדַעְתִּי, *ii sine ullo auctore id faciunt, & contra ipsam rei veritatem.* Aliam igitur explicationem quæramus oportet. uti R. Abarbenel docet, הר"מבן והנמשכים אחריו אמרו שהיה אברהם עד עתה ירא אלהים בכח ועתה עם המעשה ירא: *Ramban, & qui cum eo faciunt, dixerunt, Abrahamum hactenus potentia tantum Deum timuisse, nunc vero opere ipso demonstrasse*, sed quomodo ita verbum Ebræum explicet, non additur. Ipse Abarbenel, qui supra θ. 9. invito textu verba soli angelo ministro vendicare conatus est, aliam adhuc explicationem adducit, quæ ita habet: עתה חושב שתכלית זה הפעל הוא לנסותך אם אתה יראה האלהים יראה אמיתית ר"ל שתעשה דבר זר לשכל מצד יראה ולכן אתה רוצה להשלים הפועל לשיתברר היותך ירא אלהים לא תעשה כן ולא לגמור הפעול כי אין הכוונה בו הנסיון ההוא כי כבר ידעתי ועתה אני יודע בכל הזמנים שוה כי ירא אלהים אתה ולזה אמר מלת עתה שמורה על ההוה וידעתי שמורה על העבר כלו' בכל עת אני יודע וידעתי כי ירא אלהים אתה ולכן אין צריך שתעשה דבר זה לשכל לצד יראתי וזהו לא חשכת את בנך את יחידך ר"ל ידעתי שלא מנעת בלבך בנך עם היותו יחידך לצר שאני מצוה: *Tu existimas, hujus actionis finem esse, tentare, num DEUM vero timeas, nempe ut rem à qua intellectus abhorret, facias ob timorem, & ideo decrevisti eam perficere, ut innotescat, te timere DEUM. Sed noli tu id quod decrevisti, dare effectum. Neque enim ego hoc tentatione intendo, quia pridem cognovi, etiamnum tempore, te pium esse. Idcirco usurpat vocem* עתה, *quæ notat præsens, & verbum* ידעתי, *quod præteritum significat. quasi dicat, & omni tempore cognovi, te timere DEUM, ideo ne opus quidem est, ut facias hoc, quod ab intellectu tam alienum est. Atque hoc volunt verba: & non prohibuisti filium tuum unigenitum tuum: quasi dicat, non me latet, te non prohibuisse in animo tuo filium tuum, quamvis unigenitum, eo quod ego præceperam.*

§. 16. Cæterum ut Abarbenel supra thesi 9. dum quædam verba soli DEO, quædam soli angelo tribuit, textui insigni audacia manifestam vim intulit, ita hic similiter verba torquet, cum duas illas immediate conjunctas voces ita de diversis interpretatur temporibus, quæ, si vel maxime significationes earum admittant, ipsa tamen constructio ita repudiat, ut iterum explicationem esse violentam clamaturi haud dubie sint adversarii. Quibus ut obviam eatur, alii distinguunt inter *cognitionem simplicem, absolutam & ignorantiæ contrariam; & cognitionem dilectionis, approbationis, dignationis*, qua singulariter ea nosse quis dicitur, quæ sibi grata & dilecta sunt. Confer Psalm. 1. ult. Matth. 7: 23. Sed hanc metonymicam explicationem, qua & Hilarius usus est, minus ad hunc locum quadrare, satis ex ipso contextu patet, unde eam paucissimos sequi videmus, perinde ac illos Ebræos, qui ידעתי per *misertus sum*, reddiderunt, cæteri plerique omnes deseruerunt, licet ex Exod. 2: 25. & Gen. 18: 19. Aben-Ezra & Alschech eam significationem stabiliminare velint.

§. 17. R. Lipmannus, num. 27. libri Nizzachon, aliam & plane diversam viam insistit, ne DEI omniscientia periclitetur. Nempe vocem עתה non tam pro adverbio temporis, quam excitandi particula, quæ interjectioni הנה *ecce* respondeat, habet. Verba ejus hæc sunt: אין להתהל על לשון עתה לאפוקי מקידם לכן כי הכל מאד גלוי וידוע לפניו אלא ויעתה

ועתה ידעתי כמו ועתה ישראל מה השם שואל מעמך כי אם ליראה וגו׳ שאי אפשר לפרש עתה ולא קידם לכן גם לשון עתה אינו קאי למעלה על דבר אחר שהרי הוא תחלת הפרשה ועל כן תצטרך לפרשו ועתה ישראל כלומר הנה ישראל מה השם אלהיך דורש מעמך כי אם ליראה וגו׳ וכן הבא גם כן פירשו והנה ידעתי מאז קודם הנסיון כי ירא אלהים אתה ולא חשכת וגו׳ כלומר גם עמדת בנסיון וידוע לבריות צדקתך: *Non est putandum, vocem* עתה *tempus antecedens excludere, omnia enim ipsi* (DEO) *longe cognitissima sunt, sed* עתה ידעתי *perinde se habent, ac illa* (Deut. 10: 12.) ועתה ישראל, *quid DEUS abs te poscit, nisi ut eum timeas. Fieri enim ibi non potest, ut* τὸ עתה *explicemus ad excludendum tempus elapsum. Præterea* τὸ עתה *non potest loco adducto aliter explicari, cum sit sectionis initium, atque ideo hunc in modum est explicandum: Ecce Israël, quid Dominus DEUS tuus abs te petit, nisi ut timeas, &c. Et sic hoc loco explicanda est: Ecce cognovi ego jam pridem, antequam tentabaris, te DEUM timere, & filio tuo non parcere, &c. quasi dicat, etiam stetisti in tentatione, & tua justitia creaturis innotuit.*

§. 18. Rab. Joseph Albo, sermone 4. cap. 13. libri Ikkarim adhuc aliter difficultati mederi conatur his verbis: רצה השם יתברך שהכוונה הטובה בלב אברהם תצא אל הפועל ויהיה לו שכר מעשה הטוב עם המחשבה הטובה ולא שכר כוונה בלבד ובעבור שהידיעה הנופלת בדבר אחר שיצא אל הפועל היא מתחלפת בהכרח על הידיעה בדבר קודם שיצא אל הפועל יאמר הכתוב כי עתה ידעתי וגו׳ אף על פי שלא נתחדשה בו הידיעה כמו הנה ידעתי כי אשה וגו׳ שלא נתחדשה לאברהם הידיעה בזה אלא הפיעל שמורה שידיעה הקודמת היתה אמיתית כלו׳ הגיע הפועל המורה שאתה השם ירא אלהים עובד מאהבה גמורת: *Voluit DEUS benedictus, ut bona intentio, quæ in Abrahami corde latebat, in actum deduceretur, & ille cum intentionis, tum ipsius operis mercedem acciperet. Et quandoquidem cognitio, quæ cadit in rem postquam in actum deducta est, necessario mutatur cum cognitione rei, antequam in actum egrederetur, (nempe per habitudinem objecti ex præscientia fit scientia) ideo scriptura ait* עתה ידעתי, *&c. licet in illo non innovetur cognitio, quemadmodum, cum dicitur* (Gen. 12: 1.) *Ecce cognovi, quod sis mulier pulchra aspectu. Ubi cognitio Abrahami non est renovata circa hanc rem, sed res ipsa docebat, cognitionem, quæ antecedebat, veram fuisse, quasi dicat: Res facta est, quæ te Deum timere, & ex amore omnibus numeris absoluto colere ostendit.*

§. 19. Utut vero hæc gemina eaque diversa ratio explicandi, quam R. Lipmannus & R. Albo attulerunt, prioribus expositionibus præferenda videatur, omnium tamen optima, & veritati maxime consentanea sententia est, qua verba illa DEUM ἀνθρωποπαθῶς locutum esse docent, vel, ut Judæi sæpius loqui amant, כלשון בני אדם. Si DEUS, qui ipse *cœlum & terram implet*, Jerem. 23: 24. & *cujus sedes cœlum, & scabellum pedum terra est*, Esai. 66. vers. 1. citra ullam imperfectionis notam dixit Genes. 18: 20. *descendam & videbo, an secundum clamorem ejus, qui venit ad me, ut sciam*: Si ille, *qui non est ut filius hominis, ut eum pœniteat*, Numer. 23: 19. absque omni mutatione dixit; *pœnitet me hominem fecisse*, Genes. 6: 7. quid ni eundem, qui, ut Esai. 46: 10. legimus, *annunciat ab exordio novissimum & ab initio, quæ necdum facta sunt, & cujus est futura annunciare*, Esai. 41: 23. eadem συγκαταβάσει se Abrahami captui accommodare voluisse dicamus, cum ait, *nunc scio te DEUM timere?* cum & alias scripturam DEO *oculos*, *aures*, *manus*, *brachia* aliaque membra humana, affectus item humanos, quales sunt, *tristari*, *gaudere*, *odorari*, *quiescere*, tribuere videamus. Recte igitur R. Joseph Albo loco citato scripsit: ויאמר הכתוב עתה ידעתי על דרך לשון בני אדם שלא נתנה תורה למלאכי השרת וראוי שתדבר בדברים מובנים אלינו ובעבור זה יזכיר הכתוב לשון נסיון בכל מקום נאמר עתה ידעתי לפי שאז נעשה המעשה בפועל מורה על מה שהיה יודע שאבוהם ירא אלהים ועובד מאהבה ולא ליראת העונש שאין בעולם עוכד יותר גדול מהיותו שוחט בנו יחידו: *Ait scriptura* עתה ידעתי, *more loquendi hominibus recepto. Quia scriptura non est data angelis ministerii, idcirco conveniens erat, ut loqueretur verbis, quæ à nobis intelligerentur. Atque ideo scriptura ubique meminit tentationis. Dicitur* עתה ידעתי, *eo quod tunc illud opus fiebat, quod docebat, Abrahamum revera Deum timere & colere ex amore, & non pœnæ metu, neque in mundo esse, qui Deum magis colat, quam qui filium eumque unicum mactat.*

§. 20. Atque huc supra respexisse cum Arabs, tum Syrus videntur, quorum ille uti Cl. Hottingerus, dissert. 2. de Heptaplis Parisiensibus, th. 8. observavit, quoties occurrunt formulæ ἀνθρωποπαθῶς scriptæ, θεοπρεπῶς intelligendæ, toties fere emolliendi viam inire solet. Hinc etiam ex Christianis præter Paulum Burgensem, Cajetano Mercero B. Gerhardo aliisque hæc sententia probatur, nec quicquam apparet, quod contra eam excipiant Photiniani, ipsis Judæis juxta & Mohammedistis hac in parte multo impudentiores.

§. 21. Quod enim illi hac locutione & verbo נסה abusi, DEO futurorum præscientiam denegant; ab ipsis Judæis damnantur, qui multo saniora effata de illa reliquerunt. R. Abarbenel fol. 85. bene ait: זה הנסיון אין ענינו הבחינה כדי שידע האל מה שלא היה יודע כי כל הדברים גלוים לפניו תמיד *hæc tentatio non significat ejusmodi probationem, quâ aliquid rescíscat Deus, quod antea ignoraverit. omnia enim subinde sunt ipsi cognitissima.* Quam similia hæc sunt verbis Apostolicis, Actor. 15: 18. ubi Jacobus ait: ἅ ἐστι γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος αὐτῷ! Rab. Bechai fol. 30. הידיעה בהשם יתברך בכל זמן אבל פי׳ הדבר יודע מעתה כי יצא מן הכח אל הפועל *in Deo benedicto nunquam, non est scientia, sed sensus est: ex hoc tempore res est cognita, cum è potentia in actum est deducta.*

§. 22. Cumprimis observari merentur Aramæ verba, quibus ille tentationis vocabulum evolvit, & à Deo omnem removet imperfectionem. Ita vero ille fol. 62. col. 4. ענין הנסיון יאמר בג׳ בחינות האחד בבחינת המנסה עצמו ולצורך השלמתו כמו שלא ידע את צמח מרפא הכפיה והיה מנסה והולך עד שפגע בפיאוניאה או ששמע מסגולתה ויבוא לנסותא ומזה המין ויאל ללכת כי לא נסה אנסה נא בגזה ותבא לנסותו והדומים והשני בבחינת המנוסה כגון שזה יודע שזה הפיא וניאה היא טובה והוא מוציא לפועלו מרפא בה כדי להחשיבה וליקרה לפי ששלמות כל דבר הוא בפעולתו כי אז נקרא הדבר שלם כשנשלם פעולתו ומזה המין כי לבעבור נסות אתכם וגו׳ למען ענותך והג׳ כשיעשה זה בפני רבים להודיע להם פליאת הטבע כי אין הכונה במעשה ההוא רק לעשות אותם פעלי נסיון בידיעת הדבר ההוא ומזה המין שם שם לו חוק ומשפט ושם נסהו כי מנסה ה׳ אלה׳כם וכו׳ כמו שפי׳ הרב המורה שהוא כמו להודיע וכו לנסותך לדעת את אשר בלבבך וכו׳: *Tentatio tribus maxime modis considerari potest, 1. ex parte tentantis se ipsum, & ad perficiendum se. v. gr. est, qui ignoret, esse herbam sanantem epilepsiam, tantisper itaque tentat, & progreditur, donec incidat in pæoniam. Aut qui de proprietate ejus aliquid inaudivit ideoque periculum facere instituit. De hujusmodi tentatione intelligenda sunt verba* (1 Sam. 17: 39.) *voluit ire, quia non tentavit, &* (Judic. 7: 39.) *tentabo quæso in vellere. Item* (1 Reg. 10: 1.) *& venit ad tentandum eum. 2. ex parte illius, quod tentatur. ex. gr. quidam non ignorat, pæoniam extare & utilem esse, & ideo ea utitur in medicina, ut quanti facienda sit, ostendat, quia omnis perfectio rei in operatione ejus consistit, & tunc perfecta est, cum operatio ejus est perfecta. de hac tentatione loquuntur dicta* (Exod. 20: 20.) *ut tentaret vos, &* (Deut. 7: 16.) *ut affligeret & tentaret te. 3. cum quis hoc facit multis præsentibus, ut eis monstret naturæ admiranda. quia alio fine hoc non facit, nisi ut eos tentet re cognoscenda. Et huc pertinet quod dicitur* (Exod. 13: 3.) *quia tentavit vos Deus vester. Atque ita Doctor perplexorum lib. II. cap. 23. explicat per* הוריע *ut cum dicitur* (Deut. 8: 2.) *ad tentandum te, ut sciret, quæ in corde tuo.*

§. 23. His ita recensitis, R. Arama pergit: הנסיון זה אינו ממין הראשון כי הוא לא נעלם ממנו דבר מה עתיד לצאת אל המציאות: *tentatio hæc non est de prima specie, quia nulla res eum latet, quæ adhuc producetur.* & cum tertium modum itidem locum hic obtinere negasset, sic concludit: ישאר שהוא מהמין השני והוא כדי שיוציא המנוסה שלמותו אל הפועל וישלם בו שכלו ודעתו: *relinquitur ergo, referendam hanc tentationem ad secundum modum, nempe ut tentati perfectio in actum deducatur & ita intellectus ejus & scientia perficiatur.* Atque hac explicatione Simonis Episcopii cavillum eliditur, *Cui*, inquientis, *cognoscere tunc fecit Deus, sive cui manifestavit Abrahamum Dei timentem esse? Nulli certe tum id manifestatum fuit, nisi dicas, Deum ipsi Abrahamo aut Isaaco id manifestum fecisse: quod profecto colorem non habet.*

§. 24. Neque reticenda sunt illa, quæ de divina scientia post R. Maimonidem præclare monuit Rabbi Joseph Albo, libro Ikkarim serm. IV. cap. 3. pag. 111. ידיעת האל היא עצמית בו ואיננה נוסף על העצמות וכמו שעצמות נעלם כן איכות ידיעתו נעלמת וכמו שאין להקיש בין עצמותו לעצמותינו כן אין להקיש ידיעתו לידיעתזולתו: *Scientia Dei identificatur cum ipso, neque essentiæ ipsius superadditur. Et quemadmodum,* qua-

qualis sit essentia, occultum est; ita & scientia ejus quomodo se habeat, nos latet. Uti enim inter essentiam ipsius & alias extra eum nulla est proportio & similitudo, ita inter ipsius scientiam & alias præter illam nulla est proportio. Maxime vero notandum est, quod idem Judæus de infinita illa scientia Dei docet his verbis: אין הדבר נופל במקרה מבלי ידיעה קודמת *nihil accidit, quod ille non antea sciverit, futurum esse*, ita tamen, שטבע האפשר נשאר קיים ואין ידיעת השם מבטלה אותו *ut nihilominus possibile maneat, neque Dei essentia illud destruat*, vel rebus necessitatem imponat.

§. 24. Consimiliter R. Isaacus Arama fol. 61. col. 3. & seqq. libro Akedath Jizchak operose disputat cum contra Gersomidem, tum alios, qui Deum omnium rerum prænotionem habere infitias iverunt. unde cap. 21. titulum hunc præfixit: יבאר בעניני הידיעה האלהית ואיך תהיה ידיעתו בעבר והווה ועתיד מבלי שיגיע חדוש ושנוי וחלוף בידיעתו ית׳: *explicat rationem scientiæ divinæ, & ostendit quomodo illa præterita præsentia & futura cognoscat citra omnem tamen innovationem scientiæ divinæ.* Ubi inter alia quoque id fuse demonstrat, argumenta Philosophorum nonnullorum id minime concludere, cujus gratia in medium sunt allata. Verba ejus habent ita: טענתם זו אינה טענה רק לשלא ישיג השי״ אלו השגות בדרך השגתנו אבל חויב שישיגם הוא יתברך באופן יותר שלם ובהשגה משובחת אשר אין ערוך אליה כלל וזהו ולא זולתו טעם ח״זל בכל מה שאמרו על זה דברה תורה כלשון בני אדם: *illorum probatio nihil aliud evincit, nisi Deum benedictum non apprehendere ad modum nostræ cognitionis, sed multo perfectiore & excellentiore ratione, quæ illi nostræ plane dissimilis & minime æquiparanda est. Atque hæc ita etiam est illa ratio Doctorum nostrorum quum ajunt, scriptura loqui solet, juxta consuetudinem hominum.* Atque ita evidenter patet, Judæos multo rectius, quam Photinianos de Dei sentire scientia, quam ut hi negent, manifestam vim illustrissimis locis scripturæ inferre nulli dubitant; cum contra recutiti, maximopere caveant, ne aliquid Deo statuant indignum, quod præ aliis cumprimis R. Moses Maimonides libro More Nebochim cap. 52. & 53. præclare præstitit. *Quin & Mohammedistam, libro כתאב אלרסאלה itidem de DEO fassum esse deprehendimus, quod עלם כל שיקבל כנוה *omnem rem sciat antequam eveniat*. Unde judicium fieri potest, de Photinianorum religione, quæ ejusmodi dogmata complectitur, quæ ne Judæis quidem & Mohammedis cultoribus probari queant.

§. 26. Antequam vero huic dissertationi colophonem imponamus, de timore divino; quem in Abrahamo esse Deus asseruit, quædam annectamus oportet. Nempe cum alias timor duplex sit, servilis unus, qui, ut R. Maimonidis scholiastes ad c. 2 יסודי תורה loquitur, reperitur בעמי הארץ והנשים וקטני השכל שיראו השם ויעדו אותו שמא ימית אותם או ישרוג את בניהם או יחסרם ממון או שלא ינחילם גן עדן: *in fece populi, mulierculis & judicio minus valentibus, qui timent Deum & colunt, ne ipsi interficiantur aut filii illorum, ne divitiarum faciant jacturam & possessione horti Eden excidant*; alter filialis: non de illo sed hoc sermonem, esse R. Albo, cap. 32. serm. 3. recte docet his verbis: שאינו מקיים המצות ליראת העונש ואהבת השכר אלא מאשר בלבבו רוממות השם ומעלתו ובעבור זה הוא נכנע לעשות רצונו שהוא היראה על הדרך השני שאמרנו והיא היראה אמיתית שנשתבח בו אברהם אבינו ע״ה שנ׳ עתה ידעתי כי ירא אלהים אתה והיא התכונה האחרונה שאדם מגיע אליה באמצעות מצות התורה כי כשיתבונן האדם וישכיל וידע שהשם יתרתך משקיף על נסתרו ועל נגלהו ויבחין פחיתותו ודלות שכלו וגודל רוממות השם ומעלתו יחרד מפניו חרדה גדולה ויבוש מלעבור על מצותיו ושלא לעשות רצונו כמו שיתבייש אדם מעשות דבר בלתי הגון לפני ישר ונכבד זקן ונשא פנים וחכם חרשים מושפם בשלמות בחכמה והמדות והמעלה: *Qui Dei mandata non metu pœnæ vel mercedis amore observat, sed quia animo suo Deum facit maximi, ideo humilis ejus voluntati satisfacere conatur. Atque hic timor pertinet ad alteram speciem, cujus meminimus, nempe verum illum timorem, quo Abrahamus Pater noster laudatur; quia dicitur, nunc scio, quod timeas Deum. Atque hæc posterior dispositio in homine acquiritur per præcepta legis. Cum enim homo intelligit, & novit Deum benedictum respicere quoque ad occulta æque ac manifesta, & intellectu suo quantumvis exiguo Dei magnitudinem & excellentiam scrutatur, maximopere eum extimescit, & præcepta ipsius violare erubescit, quemadmodum aliquem pudet rem turpem facere coram viro pio eodem sene, perito, virtuoso & in dignitate constituto.* Atque ita totus Abrahami cultus sincerus, obsequium & virtutum, quæ Deo placent, officia voce timoris describuntur. Græci Θεοσεβής reddunt, cui Joh. 9:31. per epexegesin additur: καὶ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῇ.

DE LIGATIONE ISAACI ET DECIMA, QUAM EBRÆI VOCANT, ABRAHAMI TENTATIONE.

DISSERTATIO V.



CUjusmodi timorem in Abrahamo DEUS verbis ירא אלהים אתה significaverit, supra diximus; nempe non illum naturalem, irascentis facultatis affectum, qui החיונית appellatus Aristoteli, 2. Rhetor. cap. 5. dicitur esse λύπη τις ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ, ἢ φθαρτικοῦ, ἢ λυπηροῦ. Hic enim, ut Arama iterum loquitur, מיוחדת אל הרשעים ואל פעולותיהם הרעות שכל מתפחדים מהם גם הם לא ישתתפו בגלתה כמו שאמר מגורת רשע היא תבואנו: *tribuitur* (fere) *impiis & malis operibus illorum, quia omnes ob illa timent, neque aliud quid eis adjungitur, ceu dicitur* (Prov. 10. 24.) *formido impii illi supervenit*: Non inquam hunc servilem, sed longe alium, quem filialem dicunt. Eum, quem Arama פעולת הנפש הדברית vocat, R. Albo oriri ait in homine, cum is יצייר בלבבו רוממות השם ומעלתו ובעבור זה הוא נכנע לעשות רצונו: *Dei majestatem & celsitudinem secum ponderans voluntati ejus satisfacere studet.* Nempe cum ex peculiari reverentia & amore, quo in Deum fertur, nihil eorum, quæ ei grata esse intelligit, omittit, sed maxima animi promptitudine omnibus ipsius mandatis pro virili obtemperat. Unde Thomas utriusque timoris diversam habitudinem ostensurus, 22. q. XIX. artic. XI. servilem timorem Deum respicere ait, ut *principium inflictivum pœnarum*, filialem vero, Deum, ut *terminum*, *à quo per culpam separari refugit*. Qui timor actus caritatis est, vel ut Arama loquitur, fol. 298. col. 1. עצם האהבה *ipsa substantia amoris*. adde R. Abarb. fol. 350. col. 3.

§. 2. Diximus, eum maxima animi promptitudine obtemperare, vel ut R. Albo loquitur, c. 33. בשמחה *lætitia*. Nam teste eodem: השמחה נותנת גמר שלמות אל הדבר הנפעל עד שהפעל האחד בעצמו כשיעשה בשמחה ובטוב לבב יקרא מעלה וכאשר יעשה בעצבון יקרא פחיתות וזה דבר נתבאר במאמר השני מספר המדות לארסטו כי הנדיב כשיעשה הפעל הנדיבות והוא שמח בפעל ההוא יקרא מעלה ואם יפעלהו בעצבון יקרא פחיתות:

lætitia operi suam perfectionem largitur; ita ut etiam unicum opus, si animo læto fiat, vocetur exuperatio; si vero molesto, defectus. Atque hoc ex libro 2. Ethicor. Aristotelis clarum est. Actus enim illius, qui aliquid elargitur, & eo opere lætatur, vocatur exuperatio, si vero animo molesto id facit, defectus. Atque hunc timorem non sine lætitia in Abrahamo fuisse idem Judæus affirmat, & quærenti quomodo עבודת השם יתברך מושגת בעצבון ושמחה ביחד עם היותם הפכיים: *cultus divinus simul dolore & lætitia, utpote contrariis, constare queat,* hunc in modum ostendit: התר זה הספק הוא על זה הדרך כי כל כח מכחות האדם כשיעשה פעולתו כראוי יורה זה על שלמות הכח ההוא ושלא יעשה פעולתו כפי מה שראוי יורו זה על חסרון הכח ההוא או על חסרון בריאותו וכאשר היא שלמות באדם שלא יפחד ממה שאין ראוי לפחד ממנו כן הוא שלמות אליו שיפחד ממה שראוי לפחד ממנו ואם לא יפחד ממה שראוי שיפחד ממנו הוא חסרון אליו כי מי שלא יפחד בהכנים ידו באש יורה זה על ערבוב שכלו ואם על בטל חוש ידו כפי שאמר אפקרט במאמר השני מפרקיו כי שיכאב דבר מגופו ולא ירגיש בכאבו כרוב עניניו הנה שכלו מעורבב וכן הנפש בהיותה יראה וחרדה ממה שראוי שתחרד ממנו יורה זה על בראותו ושלמות שכלה וכאשר תגדל מעלת הנפש ושלמות שכלה כן תשער יותר התנשאות השם ית׳ ורוממותו ותחרד ממנו יותר ותירא מלעבור על דבריו וכשימצא האדם בנפשו המדרגה הזאת מן היראה ראוי שיהיה שש ושמח ביראה ההיא לפי שזה יורה על בריאות נפשו ושלימות שכלו ולהעיר על זה ביאר דוד במקום אחר כי מה שאמר עבדו את ה׳ בשמחה לא שתהיה העבודה בשחוק וקלות ראש ודרך הדיוטות אבל ראוי שתהיה העבודה ביראה אמר עבדו את יהוה ביראה וגילו ברעדה כלו׳ שעקר עבודת השם יתברך ראוי שתהיה ביראה ורעדה כשתשער הנפש רוממות ה׳ והתנשאותו ותירא ממנו בהיותה מבחנרת שפלות עצמה וגודל מעלתו ותגיל ותשמח באותה היראה ורעדה בעבור ששערה הדבר הנורא שראוי לירא ממנו שזה יורה על שלמות ובריאות שכלה: *Hoc dubium ita solvitur: omnis facultas hominis, cum convenienter is agit, suam perfectionem ostendit: cum vero non operatur, prout debebat, defectum arguit. Quemadmodum igitur in homine perfectionem notat, si ad rem non metuendam is non exhorrescat: ita non minus ipsius perfectionem comprobat, si eum metuat, qui metuendus est. Si vero eum haud metuit, quem tamen timere debet, tunc defectum arguit. Qui enim non timet, cum manum suam in ignem mittit, ostendit suum intellectum esse corruptum, & manum sensu destitui, quemadmodum Hippocrates, 2. Aphoris. 6. ait: qui ab aliqua corporis parte dolentes dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat. Perinde se habet anima, quæ cum timet & trepidat ob illud, quod timorem injicere debet, recte se habere ostendit, & intellectum valere arguit. Quum igitur anima excellentiam & intellectus perfectionem magnifecit, Dei benedicti majestatem & excellentiam magis æstimabit, & mandatum ejus violare verebitur. Et cum in se homo hunc timorem deprehendit, eo lætari debet, eo quod animæ & intellectus perfectionem arguit. Atque ad hanc excitandam David alibi ait* (Ps. 100: 2.) *servite Domino in lætitia. Non quod cultus in risu & capitis levatione, more vulgi consistat: sed quia convenit, ut in timore eum colamus. Ideo ait* (Ps. 2: 11.) *servite ei in timore, & lætamini in tremore, q. d. in cultu divino præcipuum est, ut fiat in timore & tremore. Nempe cum Dei celsitudinem & majestatem expendit, suamque humilem conditionem cum Dei excellentia confert, eopse timore lætatur, quia aliquid tremendum ponderavit, id quod intellectum se bene habere, ostendit.* Vide etiam B. Hackspannium, Not. Phil. in Psal. 2: 11.

§. 3. Ejusmodi timorem, non levem aliquam & facile mobilem dispositionem, sed firmum & constantem habitum in Patriarcha fuisse, exinde non male Judæus collegit, quod בסוף נסיונותיו *sub finem tentationum ejus* demum sit dictum, eum *Deum timere*; hoc est dicto ipsius esse audientem omnibusque aliis rebus præponere. Quod laudatus Albo porro ait: אף על פי שהוא מצוה פרטי׳ הנה היא כלל כולל כל מצות התורה והיא התכונה היותר משובחת שישיג האדם ולא תושג כי אם אחר לעמ׳ והשתדלות גדול: *Licet sit præceptum singulare, nihilominus in se complectitur omnia præcepta legis. Estque dispositio maximi facienda, & non nisi labore & studio comparabilis,* id itidem infitias imus. Solet sane Scriptura timorem præmittere, cum de præceptorum divinorum observatione agit. Hinc Eccles. 12: 15. *finis verbi* esse dicitur; *Deum time & mandata ejus observa.* Ubi timoris nomenclatura, totum Dei cultum intelligi ajunt, quo à Deo pendemus, eo nitimur, & in eum spectamus, omnia ab eo expectantes. Qualem Abrahami fuisse timorem, ex ipso contextu satis patet, ut eum, המעלה, vel ut Aristoteles appellat, ὑπεροχὴν fuisse, neutiquam dubitare liceat.

CAPUT V.

R. Aramæ super textus difficultate querela. Cur vox אחר *à Græcis per εἰς reddita sit, diversæ conjecturæ, Cappelli, Buxtorfii & Helvici. Isaaci Vossii de LXX. Interpp. judicium. In Chaldaica paraphrasi adornanda Ebræum & Græcum Codicem simul adhibitum fuisse, Capello asseveranti exemplum hoc favet. Varia Rabbinorum interpretamenta adducta. Ex Accentus Sakeph gadol variante officio, quod Rabbini urgent, & lectori perpendendum Buxtorfius relinquit, haud ita certum quid colligitur. Græca Versio, quæ Eusebio Procopio, Ambrosio & Athanasio quædam fingendi occasionem præbuit à Cl. Vossio propugnatur. τὸ* סבך *non plantam sed ramorum perplexitatem notare ex Ebræi, Syri, Arabis interpr. consensu, quin & Scripturæ usu ostenditur. B. Lutherus & Cl. Ursinus laudati.* תחת בנו *quid. Abrahami in offerendo ariete preces secundum Ebræos. Eorundem ridicula de arietis creatione opinio. Priscos ita sentientes Abarbenel & Bartenora nequicquam excusat. Judæorum vocem* אחר *ad suam liberationem applicantium somnium. Locus Ebr. 11: 19. illustratus. Jacobus Capellus laudatus. Mahummedistarum in arietis oblati festum celebrantium ἀνιερησία. Cur nomen loco imposuerit Abrahamus. B. Lutheri de vocis mutatione conjectura. Versionum Syriacæ, Arabicæ & Græcæ in reddendis verbis* יהוה יראה *dissensus. Cur* יהוה *in casu obliquo vertendum. Proverbii sensum Arabs interpres minime est assecutus. Tergeminum Abarbenelis Verborum* יהוה יראה *interpretamentum explosum. Aben Esræ super jurejurando divino glossa. Cur id magnum sit, & quid eo promissum. Abarbenelis frigida explicatio confutata. Diversa Verborum* נברכו *&* יתברכו *significatio à Kimchio allata & Crellio opposita. τὸ* יתברכו *non formulam benedictionis sed ipsam benedictionem denotat. Semen non collective sed μονοτρόπως de Messia intelligendum. Jer. 4: 2. à Judæi glossa vindicatus. Quid quartæ conjugationis verbum hic significet B. Luthero & Flacio. Non necessario esse reciproce explicandum, Interpretum & Apostolorum testimoniis ex Scriptura probatur. Meritum Abrahami Pontificii cum Judæis inepte ex* עקב אשר *colligunt. Vocis illius & ἀνθ' ὧν usus in Scriptura geminus. Cur alter hic locum obtineat. Quamobrem in domuitione Abrahami, nulla Isaaci fiat mentio. R. Abarbenelis ratio ut frivola rejecta & Aben Esræ probata.*

§. 1. CUm, ut supra vidimus, Patriarcha cœlitus, ne quod decreverat, effectum daret, vetaretur, derepente se obtutui illius aries divina providentia sistit, veluti comma 13. his verbis ostendit: וַיִּשָּׂא אַבְרָהָם אֶת־עֵינָיו וַיַּרְא וְהִנֵּה אַיִל אַחַר נֶאֱחַז בַּסְּבַךְ בְּקַרְנָיו וַיֵּלֶךְ אַבְרָהָם וַיִּקַּח אֶת־הָאַיִל וַיַּעֲלֵהוּ לְעֹלָה תַּחַת בְּנוֹ׃ *Et levavit Abrahamus oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio,* uti Vetus interpres reddidit. Licet vero hæc verba oppido facilia esse videantur, ipsorum tamen interpretum dissentientium explicationes textum difficultate laborare, satis comprobant. Unde Arama, fol. 73. comm. in h. l. scribit: הוא קשה ההבנה ותרגום גם שאר הפירושים יוכיחו *Textus intellectu difficilis est, ipsa Chaldaica paraphrasi, reliquisque interpretationibus id arguentibus.* Maxime vero disceptari solet, ecquid vox אחר significet, quam εἰς reddiderunt Septuaginta interpretes. Qui an codicem habuerint, in

quo

quo אחר scriptum esset, ut Ludovicus Cappellus, Critic. Sacr. lib. IV. c. 5. auguratur; an vero *ἀβλεψίᾳ* quadam & proclivi lapsu literam ד cum litera ר confuderint, veluti Joh. Buxtorfius, Anticrit. part. 2. c. 8. contendit, haud ita facile est dictu. Posteriorem sententiam complures amplectuntur, quod Græcos similem errorem sæpius errasse, persuasum habent. *Certum est*, inquit B. Helvicus, Vind. loc. V. T. ad Amos 5: 25. *Græcos ab Ebræa veritate sæpe discessisse, cujus rei plerumque causa est, tum defectus punctorum, quibus destituti aliter legerunt, quam authentica exemplaria requirebant, tum deceptio in literis, quando unam pro altera legerunt.* Quod assertum tamen Cl. Vossio neutiquam probatur, neganti illos publica autoritate, & ad rem maximi momenti ablegatos interpretes minus emendato exemplari fuisse instructos, aut facile omnes simul decipi potuisse; in quorum uno aliquo major Ebraicæ linguæ scientia fuerit, quam nunc sit in omnibus Rabbinis, omnibus totius orbis Synagogis, additis etiam in cumulum, quicquid uspiam est Christianorum Rabbinizantium.

§. 2. Illud præterea merito mireris, quomodo Chaldæus interpres, tanquam geminam illam lectionem in suo codice habuisset, verba hunc in modum transtulerit: וזקף אברהם ית עינוהי בתר אילין וחזא והא דכרא חדא: *Et sustulit Abrahamus oculos suos post hæc, & vidit, & ecce aries unus*, cum tamen in Ebræo codice constanter nonnisi אחר legatur, & ad eam Masorethæ, utpote in omnibus exemplaribus nullam variationem observantes, nihil omnino monuerint. Unde itaque in Chaldaicam quoque Paraphrasin τὸ חדא *unus* irrepsit? An Targumistæ, (quorum translationem nullam esse ait Vossius, quæ non sex septem minimum seculis Evangelio recentior sit,) & Ebræo & Græco codice simul usi sunt in adornanda sua paraphrasi? Sane Lud. Cappellus, lib. VI. cap. 10. Critic. Sacræ hoc asserere nullus dubitat, qui illud etiam addit, Onkelosum non minus atque *Jonathanem ex Veteris illius Græcæ Versionis cum Ebræo contextu collatione atque contentione suam Ebraicæ linguæ cognitionem hausisse atque confirmasse.* Quod assertum statuminare, vel ex loco nostro illi qui Capellum sectantur, quomodo possunt.

§. 3. Quod vero attinet vocem אחר R. Salomo eam idem esse ait, ac אחרי & in subsidium vocat Chaldæum, qui בתר אילין *posthæc* transtulit. R. Aben Esra tamen, cujus sententiam probat Dn. D. Varenius, exponenda verba docet per אחר שנאחז *postquam esset detentus*, vel אחר היותו נאחז ut Moses indicet, detento jam ariete, Abrahamum circumspexisse, quæ explicatio autori Michlal Jovi haud improbatur. R. Levi vero, teste Arama docet, שהוא ראה ב"ח רץ ואחר שנאחז בסבך בקרניו הכיר שהוא איל: *Vidisse eum animal currens, quod, ubi vepribus cornua implicuisset, arietem illud esse animadvertit.* Sed hoc recte rejicit Arama: ואיני מרגיש מעם שיאמר הכתוב זה: *Ego vero non video rationem, quamobrem hoc Scriptura dixerit.*

§. 4. Aliud igitur interpretamentum, idque novum R. Abarbenel his verbis adducit: ידע אברהם שהאיל שראה שם היה להעלות עולה לפי שראה בתחלה בלתי נאחז ומיד אחר זה פתאם ראהו נאחז בסבך בקרניו או נאחז אחר המזכח ולזה באה מלת אחר בזקף גדול שלא יאמר שפי' הפסוק אחרי שנאחז בקרניו אבל פי' הפסוק אחרי שנאחז בסבך בקרניו. אבל פירושו שראשונה ראה את האיל ואחר כך לאהו נאחז בסבך והוא כמו אחר תעבורו שאינו סמוך אלא מוכרת ולכן האמין אברהם שלא בא שם האיל במקרה ולא שנפטר מן העדר שאם כן איך ראהו בלתי נאחז ונאחז בשעה הדא: *Scivit Abrahamus, arietem, quem ibi viderat, in holocaustum esse offerendum, quia initio eum non implicitum vidit, derepente autem vidit eum detentum cornibus in vepreto, aut post altare. ideo dictio* אחר *accentu Sakeph gadol insignita est, ne quis dicat, sensum esse, postquam detentus est cornibus in vepreto. Sensus igitur potius est, initio cum vidisse arietem, postmodum vero in vepribus hærentem conspexisse. Atque ita* τὸ אחר *accipitur Gen. 18: 5. Neque enim est formæ constructæ sed absolutæ. Idcirco credidit Abrahamus, arietem non venisse forte fortuna, aut ex grege evasisse. Ecquomodo enim una hora eum liberum & detentum vidisset?* Quæ explicatio aliquid verisimile habere, viderì queat, cum Sakeph gadol sit טעם מפסיק *accentus distinguens*, qui alias orationem suo modo sistens, aliquid dignum observatu esse, & seorsim legendum ostendit. vide Gen. 6: 7. & Ezech. 1: 11. & ibi R. Salomonem. Præter R. Abarbenelem, Chaskuni hoc amplectitur, & R. Arama, qui ita docet: המליץ זה פי' בעל הטעמים בהטעים איל בזקף קטון אחר בזקף גדול: *Hanc explicationem autor accentuum expressit dum voci* איל *Sakeph katon, dictioni* אחר *vero Sakeph gadol addidit.* Eam etiam Clariss. Buxtorfius, cap. 8. lib. II. Anticritic. eruditis, ut non omni probabilitate destitutam, perpendendam relinquit. Sed cum *Sakeph gadol* etiam in sermone continuato adhibeatur, & interdum ab ipsis ministris parum differat, ut vel exempla 2. Reg. 1: 6. 2. Paral. 33: 3. docent, an ei multum tribui debeat, judicent eruditi.

§. 5. Adhuc magis viros doctos illud torquet, quomodo Græci interpretes verba Ebraica supra allata reddiderint: Καὶ ἰδοὺ κριὸς εἷς κατεχόμενος ἐν φυτῷ σαβὲκ τῶν κεράτων. *Et ecce aries unus, qui detinebatur in virgulto Sabec cornibus suis.* Sane cur Ebræam vocem סבך, quam alii ei loci, alii animalis nomenclaturam esse volunt, transtulerint φυτῷ, eamque nihilo minus, quasi plantæ nomen proprium esset, retinuerint, causæ nihil se posse comminisci, complures dicunt. Horum quidam LXX. Interpretes ignorantiæ postulant, nonnulli vero eos *latentem aliquam fabulam innuere voluisse* contendunt. Factum sane inde est, ut varie inde interpretati sint viri doctissimi. Eusebius enim Emisenus τὸ σαβὲκ hircum esse docuit, qui *rectis cornibus & ad carpendas arboris frondes sublimis attollitur.* In Scholiis, quæ LXX. Versioni, Francofurti ad Mœnum anno superioris seculi nonagesimo septimo excusæ, inserta sunt, hæc verba leguntur: Τὸ σαβὲκ ἄφεσίν τινες ἐκδεδώκασιν. οἱ δὲ, ὄρθιος ὡς εἶναι αὐτῷ λεγόμενον τράγος ὀρθὸς ἐπαναβεβηκὼς φυτῷ. Ἐνταῦθα δὲ, ὀρθὸς τῶν κεράτων κατεχόμενος, ὡς εἶναι φανερὸν τύπον σταυροῦ. Διὰ τοῦτο δὲ οὐχ ἑρμηνεύεται, ὅτι ἡ Ἑβραϊκὴ μία οὖσα λέξις πολλὰ σημαίνει ἑρμηνευομένη. Πρὸς δὲ τοὺς πυνθανομένους δεῖ ἀποκρίνεσθαι καὶ λέγειν, ὅτι, τὸ σαβὲκ ἐπηρμένος ἑρμηνεύει. *Quidam* τὸ σαβὲκ *verterunt* ἄφεσιν, *dimissionem, liberationem: quidam vero* ὄρθιος, *erectus, ut idem valeat, ac si diceretur, hircus erectus cornibus detentus, ut sit manifestus typus crucis. Propter hanc vero causam in aliam linguam non convertitur, quoniam dictio Ebræa, cum una sit, multa significat. Interrogantibus respondendum est & dicendum,* τὸ σαβὲκ SUBLATUM *vertendum esse.*

§. 6. Dum erroneam istam Versionem patres velut normam sequuntur, factum est, ut inde ea colligerent, quæ, utpote in fonte minime fundata, Ebraici idiomatis gnaris parum probarentur. Ita enim Procopius: *Sabec species fruticis est, ex quo pendebat aries. Nam cum fruticetum anterioribus pedibus conscendisset fruticeto implicitus crucis formam pendens præferebat extensione pedum.* Et Ambrosii illud de Abrahamo c. 8. *Hoc est, quod apparuerit Abrahæ revelans, futuram sui corporis passionem, qua mundum redemit, demonstrans etiam genus passionis, cum suspensum ostendit cornibus arietem, virgultum illud patibulum crucis.* Quin Athanasius, at quantus vir! quæst. 98. ad Antiochum, *planta*, inquit, *Sabec est veneranda crux. Juxta Ebræos videtur esse remissio & condonatio. Aries vero, qui in Sabec hærebat, ad plantam figuravit, Christum pro nobis in cruce oblatum.* Atqui τὸ סבך Ebræis neque remissionem denotat, neque plantam, ut ex Kimchii libro radicum autor Michlal Jophi inculcat, sed ענינו הסתבכות והסתעפות ועקר הלשון שנקרא כן הענף והסעיף לפי שהענפים והסעיפים נאחזים ונקשרים ומעורבים זה בזה: *Significat ramorum intricationem perplexitatemque. Significationis fundamentum est, quod ita vocetur ramus, quia rami implicati invicem permiscentur.* Syrus Ebraico textui arcte insistens (nisi quod cum Græcis אחד legit pro אחר), reddidit ܘܗܐ ܕܟܪܐ ܚܕ ܐܚܝܕ ܒܣܘܟܐ ܒܩܪܢܬܗ *aries unus detentus ramis cornibus suis.* Arabs vero ut ut alias Græcos sequatur sæpius, hic tamen ab eodem longissime recedens vertit: *aries unus* في شعب الشجر غدولي *bifurco arboris cornibus suis.* Sane τὸ شعبة *ramum arboris* notat, & peculiariter *interstitium inter duos ramos*, ab Ebræo textu haud ita multum discrepare videtur, cum vox Ebræa, ut B. Luth. monet, *ramos erraticos* significet, diffusos, sine certo ordine crescentes. Id quod etiam Cl. Dn. Ursinus, in Arboreto Biblico observavit, ubi ad Esai. 9: 18. & Ps. 74: 5. provocat.

§. 7. Cæterum sunt, qui Græcos omnino excusent, & erroris eos arguentibus dicam scribant. Inter quos ultimum locum minime obtinet Viri celeberrimi doctissimus filius, Joan. Isaacus Vossius pag. 38. c. 12. de Translatione LXX. Interpp. *Miror quoque*, inquiens, *hic illorum judicium, qui reprehendunt Sanctos interpretes, quod Ebraicum reliquerint vocabulum. Nam inquiunt, si intellexissent, utique & hoc Græce reddidissent. Si censores isti expedire nobis possent, quidnam tandem hic significet Sabec, ferenda quodammodo esset ipsorum reprehensio. Sed vero cum ipsi nesciant & discrepantes promant sententias, quare veteres carpunt interpretes? An quia Sabbathi retinuere vocabulum, ideo quoque nescivere,*

vere, quidnam esset Sabbathum? Desinant itaque hodierni interpretes Veteribus inscitiam affingere, quin potius existiment, eos complura vocabula Ebraica suæ versioni inseruisse, quod illa Græce exprimi commode non possent. Sabec spinosæ alicujus plantæ nomen esse, minime dubitamus. Sed vero cum præter rubos, vepres & rhamnos multa præterea alia spinosarum arborum genera in montibus Israëliticis proveniant, quæ Græcum nomen non habeant, recte omnino fecere interpretes, quod Ebraicam vocem retinuerint.

§. 8. Videntur autem quidam antagonistarum, quorum complures in hac controversia nactus est, viro doctissimo probasse, quæ vocis סבך propria & genuina esset in codice sacro, significatio. pag. enim 429. hæc quæ recitabimus verba subdit: *Sabech significare id quod perplexum, & intricatum, non me fugit, verum non propterea sequitur, vocem hanc non etiam spinosam aut implicatam aliquam notare plantam. An quia ἄκανθα omnibus spinis convenit, negari debet vocabulum hoc non etiam de peculiari spina accipi? vel ipse Hieronymus, quantumvis libenter recedat à LXX. Interpp. hic tamen probat illorum Versionem, explosa illa Aquilæ, qui pro σαφὴκ reddiderat συχνεῶν: verbo prorsus ridiculo, eademque factum ratione ac si quis ex opaco formaret opacetum. Ex eo vero, quod hoc Geneseos loco vocabulum Sabech per* ס *scribitur, non per* ש *recte colligit Hieronymus, manifestum esse non interpretationem stirpium condensorum & in modum retis inter se virgulta contexta verbum Sabech, sed nomen sonare virgulti, quod ita Ebraice dicitur. Caterum si divinare liceat, quænam fuerit hæc planta, non deerunt rationes, quibus verisimiliter effici possit, fuisse eam non vepris aut sentis genus, uti Hieronymus & nos prius existimabamus, sed Gelsominum seu Jasminum. Frequens est hic frutex in Ægypto & Syria, passimque eo vestiuntur sepes, pergulæ & umbracula. Hederæ instar surgit & late admodum se explicat, amplectiturque pedamenta & hastilia, quæcunque contingit. Sarmenta fert longissima & lenta, & erigit sese etiam ad octo vel decem cubitos. Conjecturam hanc vel ipsum videtur nomen confirmare, Sambach enim aut etiam Zabach hæc planta appellatur ab Arabibus, Syris & Ægyptiis, ut non tantum ex Serapione sed Prospero Alpino omnibusque, ni fallor, Botanicis constat.*

§. 9. Meminit sane Alpinus, lib. de Plantis Ægypti, cap. 19. plantæ *Sambac*, vel *Gelmisini* Arabici, sed illam dici סבך & h. l. intelligi, unde tandem Vir doctus fidem fecerit? Neque enim ex voce Ebraica id est colligere, quæ alias Græcis δρυμὸς translata, nihil cum nomine Sambac affinitatis habet. Quod itaque Cl. Voss. Epist. ad Christianum Schotanum, Græcos τὸ φυτὸν addidisse interpretamenti loco ait, ut constaret, quid sit h. l. סבך, id ei probandum relinquitur. Sed de hoc aliisque similibusque controversis locis uberius agendi dabitur occasio, ubi disp. de LXX. Versione prælo iterum submiserimus.

§. 10. Hunc divinitus sibi monstratum, & ne aufugeret, densis vepribus implicitum arietem Abrahamus arripuit, oblaturus eum Deo תחת בנו *pro filio.* ut Vulgatus reddidit. Quæ verba tribus modis intelligi posse, Benedictus Pererius docet. 1. *eo affectu*, quo filium offerre voluit. 2. *in locum filii.* 3. *pro liberatione filii gratias agendo.* At solum secundum modum textum velle, satis patet. Unde & Arama in comment. ויבוא זה תחתי ולהשלים חובתו והיה הוא תמורתו: *Et adduxit eum loco filii ad officium suum complendum, & ita aries fuit loco filii ipsius*, perinde ac Cervam in locum Iphigeniæ fuisse Euripides docet his verbis:

Βοᾷ δ' ἱερεὺς ἅπας τ' ἐπήχησε στρατὸς
ἄελπτον εἰσιδόντες ἐκ Θεῶν τινος
φάσμ' οὗ γε μηδ' ὁρωμένου πίστις παρῆν
Ἔλαφος γὰρ ἀσπαίρουσ' ἔκειτο ἐπὶ χθονί.
Ἰδεῖν μεγίστη, διαπρεπής τε τὴν Θέαν
ἧς αἵματι βωμὸς ἐῤῥαίνετ' ἄρδην τοῦ Θεοῦ.

Tollit vocem Sacerdos, acclamat atque omnis exercitus
Subitum intuens objectum à Deo quopiam
Ostentum, quod licet cerneretur, vix credi poterat,
Siquidem jacebat cerva palpitans humi,
Visenda magnitudine & forma egregia spectabilis
Cujus sanguine undabat ara affatim Deo.

Quod commentum ejusmodi est, ut dæmonem Abrahami historiam imitari voluisse, neque tamen simplicis veritatis historiam æquare potuisse, A. Rivetus, exercit. 107. in Gen. scripserit.

§. 11. R. Salomo traditionum Judaicarum tenacissimus; veteres nonnullos, ut apparet, secutus Ebræos, precum ad immolationem arietis fusarum se conscium esse, asseverat. Ita enim ille: יהי רצון שתהא זו כאלו היא עשויה בבני כאלו בני שחוט כאלו דמו זרוק כאלו בני מושפט כאלו הוא נקטר ועשוי דשן: *Accipe quæso hoc, perinde ac si meus filius esset oblatus, tanquam is mactatus, ac sanguis ejus sparsus fuisset. quasi filius meus excoriatus, in suffitum oblatus & pinguedinem.* Confer & R. Bechai, fol. 31. col. 31. Sane intimo cordis affectu Abrahamum, antequam abiret, Deo gratias egisse neutiquam dubitare licet; quicquid sit de precum formula, tradita ab Ebræis, qui sæpenumero fingendo risum potius quam fidem obtinent. Unde Pererius, *rideat*, inquit, *lector hoc loco fabulam Ebræorum, ajentium illum arietem fuisse creatum à Deo in mundi exordio una cum cæteris animalibus, quæ natali die sexto mundi condita sunt.* Leguntur ea, quæ Jesuita respicit, cap. XIX. Pirck. R. Elieseris & ita habent: עשרה דברים נבראו בערב שבת בין השמשות ואלו הן פי הארץ פי הבאר פי האתון והקשת והמן והמטה והשמיר והכתוב והמכתב הלוחות ויש אומרים אף מזיקין וקבורתו של משה ואיל ושל יצחק: *Decem res sunt creatæ in vespera Sabbathi inter crepusculum: nempe istæ: os terræ, os putei, os asini, iris, manna, virga, Schamir, lex scripta & tabularum scriptura. Sunt qui dicant; angeli noxii, sepulchrum Mosis & aries Isaaci.* Quæ proprie Ebræos intellexisse, satis exinde patet, quod R. Salomo com. in Gen. XXII. diserte ait: מוכן היה לכך מששת ימי בראשית *inde usque à sex creationis diebus erat paratus.* à quo & R. Moses Alschech non dissentit comm. in h. l. Sed alios emunctiorum narium Ebræos, credo, hujus asserti pœnituit. R. Abarbenel enim cap. V. נחלת אבות, lectori persuadere satagit: שאין ראוי שיובנו כפי פשוטם: *non esse verba literaliter intelligenda.* Ecquis igitur sensus erit asserti? Eum comm. l. cit. & comm. in Gen. XXII. his verbis exponit: מ״ש ז״ל במשנה דאבות שזה היה אחד מן הדברים שנבראו ע״ש בין השמשות ר״ל שעלתה אז במחשבה לעשות אותו הנס בעת הצורך וכבר ביארתי אותו במאמר לפירושו במסכת אבות: *Cum Doctores nostri, l. m. in Mischna Aboth dixerunt, hunc arietem esse è numero illorum, quæ inter duo crepuscula sint creata, id voluerunt innuere, tunc eum decrevisse aliquando, nempe cum opus fuerit, hoc miraculum facere, ceu exposui comment. in Massechet* אבות. Quo etiam Bartenorius collineat, qui comm. ad c. V. אבות, num. 6. ita scripsit: אילו של אברהם אבינו נגזר עליו בין השמשות שהיה נאחז בסבך בקרניו בשעת העקדה: *Super ariete Abrahami patris nostri, vespera* (creationis) *decretum est, ut ejus cornua vepribus implicarentur.*

§. 12. At quam hæc priscorum menti parum conveniant, cum ex supra adductis verbis R. Salomonis, tum iis, quæ in libro Jalkut fol. 29. patet. Ibi enim ita legimus: רבי אליעזר אומר מן ההרים בא שהיה רועה שם רבי יהושע אמר מלאך הביאו מגן עדן ותחת עץ החיים היה רועה ושותה מן המים שעוברים תחתיו והיה ריח של איל נודף בכל העולם ואימתי נתן בגן עדן בין השמשות שלששת ימי בראשית: *R. Eliesér ait: Venit* (aries) *de montibus in quibus pascebat: R. Josua ait, angelus ipsum ex horto Eden adduxit, ubi sub arbore vitæ pascebat, & de aquis præterlabentibus bibit. Arietis odor totum mundum pervasit. Ecquando vero in hortum Eden est translatus? Sub vesperam sex dierum creationis.* Nisi hæc aperte docerent, Rabbinorum glossam à priscorum sententia discrepare, & eos alia adhuc supra recensita arieti addidisse, videri queat, aliquid dandum esse expositioni Judaicæ, ad quam B. Lutherus fol. 308. com. in Gen. respexisse videtur; *neque*, inquiens, *temere prolata videtur vox illa à patribus, quod aries fuerit ab initio mundi præparatus. Habuerunt enim notitiam de semine mulieris, cujus figuram intellexerunt esse arietem istum.*

§. 13. Antequam autem progrediamur, non possumus hoc loco silentio præterire מדרש, sive illud commentum Judæorum, quod ex particula אחר in Bereschith Rabba & Jalkut, Judæi pro sua liberatione extruxerunt. Ita enim illi: מה אחר אמר רבי יודן אחר כל המעשים ישראל נאחזים בעבירות ומסתבכין בצרות וסופן ליגאל בקרניו של איל שנ׳ והי אלהים בשופר יתקע וגו׳ רבי לוי אמר לפי שהיה אברהם אבינו רואה את האיל ניתוש מן החורש הזה הולך ומסתבך בחורש אחר אמר לו הב״ה כך עתידין בניך להסתבך למלכיות מבבל למדי ממדי ליון מיון לאדום וסוף ליגאל בקרניו של איל הה״ד וה׳ אלהים בשופר יתקע: *Ecquid significat* τὸ אחר? *Dixit R. Judan, post omnia opera Israël in peccatis est detentus, in iniquitatibus & calamitatibus implicitus, ex quibus tandem arietis cornu redimetur, quia dictum est* (Zach. 9: 14.) *Dominus Deus tuba clanget. R. Levi ait: quia pater noster Abrahamus vidit arietem ex uno virgulto evulsum, alio captum, ait Deus ad ipsum,* ita

ita posteri tui regnis implicabuntur. Ex Babylonico, Medorum, ex hoc, Græcorum, & inde Edomi (Romano.) *Tandem vero liberabuntur cornibus arietis. hoc enim est, quod dicitur* (l. Zach. cit.) *Deus tuba clanget.* Ita Judæi, qui, ut Abarbenel in cap. V. אבות scribit, docent: בזכות אברהם ועקידת יצחק נצולו מכמה רעות; *Abrahami justitia & Isaaci ligatione multis se calamitatibus liberari*, eopse quoque cornu, quo aries præditus erat, se liberatum iri, delirant. unde iterum eos, quæ de creato ariete asseruere, proprie intellexisse, haud obscure liquet.

§. 14. Sed his missis deliramentis Judæorum, quos de arietis illius ortu disputantes ejusdem stultitiæ damnat B. Lutherus, ac Scotum, percontantem, *unde Deus sumpturus sit ignem in die judicii ad conflagrationem mundi*, rectius facturi sumus, si illa, quæ Apostolus de Isaaci oblatione docet, Ebr. 11: 17. expenderimus. Ibi de Abrahamo locutus, καὶ, inquit, τὸν μονογενῆ προσέφερεν, quod Græcum verbum Syrus interpres bene reddidit, ܐܣܩܗ ܠܡܕܒܚܐ *ascendere fecit in altare.* Deus enim voluntatem Abrahami pro facto & sacrificio reali æstimans, vetuit id eum effectum dare, quod jussus erat. Cum, ut R. Abarbenel fol. 75. col. 4. scribit, היתה הכוונה האלהית שיגיע יצחק עד שערי מות ויחשב כאלו מת ובטל מן העולם: *Dei voluntas esset, ut Isaacus ad limina mortis perveniens instar mortui & ex hoc mundo abeuntis haberetur.* licet vero actu haud fuerit mortuus, nihilominus αὐτὸν ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο, *illum in similitudine recepit.* hoc est, perinde ac si è mortuis surrexisset, adeoque fuit hæc ab imminenti morte liberatio, quasi species aliqua resurrectionis, non quidem proprie, sed parabolice, vel figurate dictæ. Digna sunt lectu verba Jacobi Cappelli in h. l. *ut Ebræi*, inquientis, *vocem* משל *sic Instrumenti veteris interpretes Græci vocem* παραβολὴ *sumunt pro quovis tropo vel schemate sive dictionis, sive sententiæ, quod propriam vocum, sive singularum sive conjunctarum significationem cum venustate quadam immutat, ut hic à mortuis excitare, pro mortis, ut ita dicam, faucibus eripere. Ut enim Abraham quodammodo jam obtulerat filium: sic Isaacus quodammodo jam mortuus erat: eoque subsidium, quod illi præbuit ὡς ἀπὸ μηχανῆς Deus, fuit illi resurrectionis instar.*

§. 15. Redemtus igitur est filius Abrahami, & quidem animali ad sacrificium idoneo substituto, quod Alcoranus كبش عظيم *magnum arietem* appellat. In cujus memoriam Muhammedani observant decimum diem ultimi mensis ذو الحجة, quem diem يوم الاضحى *diem sacrificiorum*, vel *festum sacrificiorum* appellant, quia tunc magno numero oves, arietes & capræ mactantur, pauperibusque distribuuntur. Solennis & magni gaudii dies est, quia præcedenti eum terminatur حج *peregrinatio*, cujus luctum severamque vivendi rationem excipit decimi diei festivitas & hilaritas, ut Cl. Dieu loquitur.

§. 16. Cum scriptura tam clare Isaacum fuisse asserat, quem Abrahamus in sacrificium offerre jussus est, mirum, Turcas ductu Alcorani Ismaëlem substituere, eumque ذبيح *sacrificio destinatum* appellare. Sane ut hoc summam ἀνιστορησίαν redolet, ita ejusdem insaniæ est, hoc asserere, ac Ismaëlem in Prophetarum numerum referre, ceu itidem non erubescunt Muhamedis asseclæ. confer Surat. XXXVI.

§. 17. Atque ita Abrahamo de integro quasi donato filio & in ejus locum ariete substituto. ה' הקים את דבר עבדו אשר דבר אלהים יראה לו השה: *Deus verbum servi sui adimplevit, cum dixit: Dominus sibi providebit*, ut Arama loquitur. Unde factum ut Abrahamus in perpetuam hujus rei memoriam nomen loco indiderit. ut enim R. Abarbenel commentatur: כתבו המפרשים שלפי שלא גמר אברהם המעשה ההוא כאשר עם לבבו קרא שם המקום ההוא על שם מה שהיה בלבבו לעשות כי היה מנהג בנביאים ועובדים האל לקרא למקומות שנעשו בהם דברים רשומים נסיים שמות מורים עליהם וכמו שקרא משה שם המזבח השם נסי מפנו הנס שנעשה שם במלחמת עמלק ויעקב קרא למזבח אל אלדי ישראל להורות שה"שי הוא אלדיו וקרא למקום בית אל כי שם נגלו אליו אלהים: *Interpretes scribunt, Abrahamum eo, quod non id perfecisset, quod in animo habebat, locum illum ita appellasse nomine isto, quia facere decreverat. Prophetis enim & servis Dei receptum fuit, loca illa, in quibus miracula facta sunt, ejusmodi appellare nominibus, quæ de illis testarentur, quemadmodum Moses altare appellavit* (Exod. 17: 15.) השם נסי, *propter miraculum in bello Amaleki. & Jacobus vocavit altare* אל אלהי ישראל (Genes. 30: 20.) *ad indicandum, quod Deus benedictus sit ipsi Deus. Præterea locum illum appellavit Bethel* (Genes. 28: 18.) *quia ibi Deus ipsi apparuerat.*

§. 18. Hoc modo ante ipsos Patriarcha locum יהוה יראה appellavit, temporis vero progressu, בהר יהוה יראה eundem, tanquam communi proverbio, dictum fuisse, Moses attestatur. Quin, ut Rabbi Salomo ex Midrasch refert: עקדה זו לסלח לישראל בכל שנה ולהצילם מן הפורענות כדי שיאמר היום הזה בכל דורות הבאים בהר יהוה יראה: *Hæc ligatio singulis annis conducit ad remissionem & liberationem ex calamitatibus, ita ut hodie & omnibus venturis secalis dicatur, in monte Domini videbitur*, adeoque ut recutitus fatetur, hoc adagio in rebus perplexis constituti utuntur, indicaturi, se Abrahamum imitantes Dei auxiliatricem manum sperare. Id quod multo ante R. Salomonem, S. Hieronymus in quæstionibus Ebraicis monuit, *Hoc*, inquiens, *apud Ebræos exivit in proverbium, ut si quando in angustia constituti sunt, & Domini auxilio optant sublevari, dicant: in monte Dominus videbit, hoc est, sicut Abrahami misertus est, ita miserebitur nostri.*

§. 19. Dum verba בהר יהוה יראה Hieronymum, *in monte Dominus videbit*, vertisse legimus, B. Lutherus Tom. VI. Witteb. Lat. fol. 308. *scioli* cujusdam aut *notarii* vitio ita mutatum textum esse contendit, arbitratus, Hieronymum initio passive reddidisse, & communi interpretum sententia voce passiva retenta, legendum esse: *in monte Dominus videbitur.* Sane ipsa puncta substrata docent, verbum passivum esse, & Græci quoque Interpretes id suo suffragio satis comprobarunt, dum reddiderunt: ἐν τῷ ὄρει κύριος ὤφθη. Quantumvis Syrus quoque interpres active reddiderit illud, ܢܚܙܐ & Arabs يلحظ Sed passivam vocem præferendam esse patet. יהוה in casu recto male transferri, inde quidam colligunt, quod *Tipcha* non sit in בהר neque *Merca* in יהוה, adeoque ipse accentus arguat, rectius verti: *in monte domini prospicietur.* Cujus dicti sensum illo Euripidis illustrari posse, Grotius censet: Τῶν ἀπορήτων πόρον εὗρε θεός. Quæ ad sensum textus multo propius accedunt, quam Versio Arabis interpretis: في جبل الله يجب ان يتراءى الناس *in monte hoc oportet, ut homines appareant.* perinde ac antecedentia verba: *vocavit locum* יְהוָה יִרְאֶה, idem Arabs haud satis commode, non sane juxta veritatem Ebraicam, transtulit يرحم الله فيه *misereatur Deus visitantis eum (locum).*

§. 20. Etsi vero verba Ebraica hunc, quem supra diximus, sensum gignere, plures Ebræi agnoscunt, nihilominus illorum quidam in nodo scirpum quærunt, dum suæ originis dignitate tumidi Judaici populi prærogativam inde eliciunt. Teste enim R. Abarbenele: מהם אמרו שקרא אברהם שם המקום ההוא שם יראה לפרסם התועלת המגיע מהפועל ההוא שמכאן והלאה השי ביחיד יהיה המשגיח ביצחק וזרעו ונראה לי לסייע לפי' הזה לפרש אשר יאמר היום בהר השם יראה שהוא רמז לשכר דנפשיי שזוכים אליו כל זרעו כמו שאמרו במשנה כל ישראל יש להם חלק לעולם הבא והשכר ההוא נקרא הר ה' כמו שאמר מי יעלה בהר ה' וכמו שזכר הרב במורה בספר המדע: *Sunt eo illi, qui dicant, Abrahamum locum illum vocasse,* יהוה יראה, *ad indicandam utilitatem ex ipso opere ortam. Ab eo enim tempore Deus benedictus in specie Isaaci & posterorum ejus curam gesturus erat. Videtur etiam, hæc explicatio juvari posse, si dicatur verba* אשר יאמר היום בהר ה' יראה, *indicari mercedem spiritualem, qua omnes posteri ejus sint digni, quemadmodum in Mischna dixerunt, Toti Israëli in futuro seculo pars erit. Atque illa merces vocatur mons Domini, uti ait* (Psalm. 15: 1.) *Quis ascendet in montem Domini, & quemadmodum Raf in libro* המדע *docet.*

§. 21. Hæc ita Abarbenel, nimium iterum sibi indulgens & prorsus textu invito scripsit, id secum haud perpendens Mosi, historico, & facta recensenti, metaphora sibi insolita de spirituali ab mercede nequaquam sermonem esse. Neque alius quisquam illud, quod Judæus comminiscitur, ex verbis illis elicuerit. Vix alius locus est, ubi sagax alioquin ille Abarbenel minus sibi constet, vel desultoria quadam levitate plura interpretamenta eaque tam diversa recipiat. pergit enim; אפשר לפרש שמלת יראה ויאמר היום שבהר אלהים יראה הם כלם עתידים במקום עבר כמו ככה יעשה איוב כל הימים כי כאשר אברהם ראה את האיל את הדברים שאמרתי היום ברוך לעג ודחיה ליצחק בני אלדים יראה לו השה לעולה נראה שהשם הנכבד ראה את המאמר שאמרתי אני וקיימו באיל הזה שנתן לפנינו וזהו השם יראה אשר יאמר היום ר"ל ראה מה שנאמר היום שאמרתי אני ליצחק בהר השם יראה השה לעולה וקיים דבר עבדו וזהו בהר השם יראה שהראה לי עתה: *Potest etiam explicari ita, ut dictio* יראה *& verba* ויאמר היום שבהר אלדיי יראה *omnia*

omnia simul sint futura, loco præteriti: uti (Job. 1: 5.) *sic* יעשה *fecit Job. omnibus diebus. Quia cum Abrahamus vidit arietem, illa est locutus: Quæ ego in via dixi ad Isaacum eludendum & avertendum: Deus, mi fili, prospiciet sibi de holocausto, illud videtur Deus implere per arietem hunc, quem ante nos dedit. Atque hoc est, quod verbis* ה׳ יראה יאמר היום *significatur, q. d. vidit, quod hodie dictum est. Quod ego ad Isaacum dixi, in monte, Dominus prospiciet sibi de holocausto, & servi sui verbum adimplevit. Atque hoc est, quod innuitur verbis* ה׳ יראה*, nempe, quod nunc mihi ostendit.* adde edit. auctam libri Michlal Jophi, ubi eadem habentur.

§. 22. Cæterum enallagen futuri pro præterito hic recipere, haud ita textui conveniens esse videtur, quod & alii Ebræorum interpretes agnoscunt. Rabbi Levi Ben Gerson, comm. in h. l. itidem verba prout jacent, accipit, & ipso R. Abarbenele teste, sentit, שקרא אברהם שם המקום ההוא ה׳ יראה להורות על מעלת המקום ושהוא מוכן לשידבק בו השפע האלהי הר המוריה אשר שם בית המקדש: *vocasse Abrahamum nomen loci illius* יהוה יראה*, ad indicandam illius loci eminentiam, & quod paratus sit ad recipiendum influxum divinum. atque hic locus est mons Moriah, in quo domus sanctuarii erat. Et quod Moses idcirco dixerit* בהר ה׳ יראה*, q. d. illo tempore, quo lex dabatur, illum montem vocarunt* בהר ה׳ יֵרָאֶה*, non vero* השם יִרְאֶה *uti Abrahamus eum vocarat.*

§. 23. Sed hæc minime arrident Abarbeneli, qui l. cit. iterum aliquid est commentus, quod pro interpretamento obtruderet, sic scribens: זה איננו שוה לי כי לא מצינו שנקרא המקום ההוא בשום זמן לא השם יראה ולא בהר ה׳ יראה ומפני זה נ״ל לפרש ויקרא אברהם שם המקום ההוא שאינו קריאת שם אבל הוא כתרגומו תפלה וצעקה שקרא וצעק אברהם אל אלהיו כי הוא השם הנכבד המשגיח והמשפיע במקום ההוא ר״ל שהיה עתיד להרת שכינתו במקום ההוא והיתה תפלתו וצעקתו אחרי שהעלה את האיל השם יראה אשר יאמר היום בהר ה׳ יראה ר״ל ה׳ אלהים יהי נא הסכך להורות מה שיאמרו היום הזה כל בני אדם והוא שלא עקדתי את בני ושכל כוונתי היתה שוא ודבר כזב ויביאו על זה ראיה באמרו בהר השם יראה כי לא נמצא שם נעקד כי אם איל אחר לא יצחק והיה הכלית תפלתו ותחנתו שלא ימנעו מהעלות את יצחק גם אחר האיל כי לולי זה לא תאמן כוונתו ורצונו בעבודתו ומפני זה בא לו דבור שני מהמלאך ואמר לו יען אשר עשית את הדבר הזה ולא חשכת את בנך את יחידך שאתה פוצר ומבקש תמיד להעלותו לעולה לכן בשכר זה נשבע ה׳ כי ברך אברכך: *Ecce mihi hæc minime probantur. Neque enim invenimus, locum illum uspiam* יְהוָה יִרְאֶה *aut* בְּהַר יְהוָה יֵרָאֶה *fuisse appellatum. Atque ideo possumus explicare ita, ut non sit impositio nominis, sed veluti & Targum interpretatur, invocatio & oratio, qua Abrahamus ad Deum suum clamavit. Is enim gloriosus curam ejus habuit & locum illum suo beavit influxu, hoc est gratiosa sua præsentia illum donaturus erat. Preces autem ejus erant, postquam arietem obtulerat.* השם יראה אשר יאמר היום יהוה יראה hoc est, *Ostende quæso, quid hodie homines sint dicturi, nempe quod filium meum non ligarim & quod mea intentio fefellerit, & idcirco hoc probabunt inde, quod dicatur* בהר ה׳ יראה *Neque enim ibi ligatus est nisi aries, non Isaacus, & finis precum ejus erat, nequis eum impediret in offerendo Isaaco, etiam post oblatum arietem. Nisi enim hoc ita haberet, ipsius voluntatem esse, minime credidisset. Idcirco angelus altera vice eum est allocutus, eo, inquiens, quod hoc fecisti & unico tuo filio non pepercisti, instans etiam subinde, ut ipsum offerre in holocaustum liceat, Ideo ad remunerandum Dominus juravit, quia benedicendo benedicam.*

§. 24. Quod Targumistæ verbotenus textum minime exponentis, sed more suo paraphrastice interpretantis sententiam ideo præferendam docet Abarbenel, quod nusquam locum illum ita appellatum fuisse legamus, id minus recte ab eo fit, neque satis causæ erat, quamobrem valere jussa communi, eaque haud improbabili explicatione, aliam reciperet. Neque enim sequitur, in sacris hoc nomine appellari locum minime legimus, ergo nec hic nominis impositio est intelligenda. Præferenda igitur huic explicandi modo est vetus sententia, qua dicitur, à temporibus Abrahami ad scriptoris tempora nomen loci illius nonnihil fuisse mutatum, ut, cum antea diceretur: *Dominus providebit*, postmodum dictum sit, proverbii vicem. *In monte Domini providebitur.* Neque quicquam Judæi solidi adducunt, quamobrem aliter verba explicanda veniant, quam hactenus ab interpretibus est factum.

§. 25. Sed nunc reliqua Historiæ hujus verba expendemus, quæ vers. 15, 16, 17, & 18. continentur & ita habent. וַיִּקְרָא מַלְאַךְ יְהוָה אֶל־אַבְרָהָם שֵׁנִית מִן־הַשָּׁמָיִם וַיֹּאמֶר בִּי נִשְׁבַּעְתִּי נְאֻם־יְהוָה כִּי יַעַן אֲשֶׁר עָשִׂיתָ אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה וְלֹא חָשַׂכְתָּ אֶת־בִּנְךָ אֶת־יְחִידֶךָ׃ כִּי־בָרֵךְ אֲבָרֶכְךָ וְהַרְבָּה אַרְבֶּה אֶת־זַרְעֲךָ כְּכוֹכְבֵי הַשָּׁמַיִם וְכַחוֹל אֲשֶׁר עַל־שְׂפַת הַיָּם וְיִרַשׁ זַרְעֲךָ אֵת שַׁעַר אֹיְבָיו׃ וְהִתְבָּרְכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ עֵקֶב אֲשֶׁר שָׁמַעְתָּ בְּקֹלִי׃ *vocavit autem angelus Domini Abrahamum secundo de cœlo dicens: per memetipsum juravi dicit, Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portum inmicorum suorum & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

§. 26. Ad hunc textum non male Aben-Esra scripsit: זו היא השבועה הגדולה עומדת לעד: *Hoc est illud juramentum magnum, quod in æternum subsistit.* Ita sane res habet, Juramentum magnum est, cum illius intuitu, qui juravit, quippe se majorem non habens, Ebr. 6: vers. 13. tum ratione rerum quæ eo ipso Patriarchæ promissæ ad plurimos se porrigunt. Nempe non duntaxat felicitatem terrenam posterorum Abrahami concernunt, cujusmodi sunt *insignis multiplicatio seminis*, quam innuunt verba: הרבה ארבה *multiplicando multiplicabo*, (quæ R. Salomo ridicule divellit: אחת לאב ואחת לבן *unum patrem, alterum filium respicit*) & *portarum hostium possessio*; Sed longe aliam quoque, spiritualem nempe benedictionem significant, per semen impetrandam & conferendam tam gentibus quam Abrahami semini carnali. id enim sibi volunt verba והתברכו בזרעך כל גוי הארץ: & *benedicent in semine tuo omnes gentes terræ*, ut vulgo verti solent.

§. 27. Quantopere vero à nucleo hujus promissionis aberrent Judæi, in solo cortice verborum hærentes, suo exemplo satis prodit Abarbenel, qui fol. 53. col. 1. quæst. 9. ad verba Genes. 12 vers. 3. ubi primum Abrahamo, adhuc idololatræ spes benedictionis facta legitur, sic scribit: האומרו ונברכו בך כל משפחות האדמה לפי שאין ראוי לפרש שיתברכו בו לאמור ישימך אלהי׳ כאברהם שאם כן היה ראוי לומר והתברכו לא ונברכו ואם יהיה פירוש שיהיו כלם מבורכים בעבורו יתחייב שכל בני עולם יהיו מבורכים וזה שקר כי הכתוב אומר כי לא יחדל אביון מקרב הארץ: *Cum ait: & benedicentur in te omnes familiæ terræ, non est hoc ita explicandum, quod seipsas sint benedicturæ, dicendo, ponat te Deus*, (Genes. 48: vers. 20.) *ut Abrahamum. Alias enim dicendum ei fuisset,* והתברכו *non vero* ונברכו. *Si vero dixeris, omnes benedictum iri propter illum, consequetur, omnes omnino homines benedicendos esse, quod falsum est. Scriptura enim ait*, (Deuter. 15: 11.) *egenos non esse à terra cessaturos.*

§. 28. Cujusmodi benedictionem Judæus animo suo concipiat, clare ex verbis ipsius liquet, & magis nobis de ejus sententia constabit, si quomodo quæstionem solvat, viderimus: וכר שימשך מזה תועלת גדול לבני אדם והוא שיהיו מבורכים מושגחים ומושפעים בשבילו כל משפחות האדמה כי יתפרסם האלהות בעולם באמצעותו ובאמצעות זרעו ועל זה אמר ונברכו בך כל משפחות האדמה ובזרעך ואין הכוונה שכל אנשי העולם יהיו נברכים אלא שכל משפחה איזו תהיה בעולם שתקרב למשמעתו ואמונתו תדבק בה הברכה והשגחה ומה נאוו דברי הרב המורה שזכר בפכ״ט ח״ג שזכרתי ז״ל ואין ספק אצלי שאברהם כאשר חלק על דעת אותו בני אדם כלם שהיו מגנים ומקללים ומבזים התועים וכאשר חבל חבל בעבור השם וכן ראוי לעשותו לכבודו ולכן נאמר ואברכה מברכיך ומקללך אאור והיה אחרית ענינו מה שנראהו היום מהסכים רוב אנשי העולם להגדיל ולהתברך בו עד שיתיחס אליו מה שאינו מזרעו ואין חולק עליו וכמו שאמר ונברכו בך כל משפחות האדמה ובזרעך: *Magnum in filios hominum commodum redundaturum inde esse innuit, dum benedicendos & peculiari cura & influxu beandos ait omnes familias terræ. Deitas enim in mundo revelabitur per ipsum & ejus posteros. Et ideo ait: & benedicentur in te omnes familiæ terræ, & in semine tuo. Ubi non est sensus, omnes omnino homines benedictum iri, sed omnes familias, quæcunque tandem ad illum accesserint & ei obtemperarint, esse benedicendas à Deo curandas. Et quam decora sunt verba Doctoris, cap. 29. part. 3. ubi ita loquitur: Nullum mihi dubium est, Abrahamum à filiis hominum errantibus, cum ei contradicerent, fuisse convitiis exceptum, maledictum & contemtum. Quia autem hæc omnia propter Deum ferebat, prout æquum est facere: ideo ait benedicentibus tibi benedicam & maledicentibus maledicam.*

Cujus rei complementum hodieque videmus, dum omnes homines unanimiter ipsum admirantur, & in ipso benedicuntur, etiam illi, qui non sunt ex semine ejus, quemadmodum ait: & benedicentur in te omnes familiæ terræ.

§. 29. Cæterum tam insignis promissionis tam ineptum ac jejunum interpretamentum Judæos nobis obtrudere, eo minus mirum videri debet, quo majori illi laborant ignorantia illius redemtionis, ex qua benedictio illa fluit. Non sane ita causa redditur, cur Abrahamum mortales admirentur? An ideo quod ejus opera Dei est acquisita notitia & propagatus cultus divinus, in eo omnes gentes benedicendæ dicuntur? At hoc ab aliis Prophetis non minus præstitum est, quam ab Abrahamo, quibus tamen hoc prædicatum nunquam tribuitur. Num benedictio illa Abrahamo primum Genes. 12: 3. promissa, Genes. 18: 18. repetita & tanta ἐνεργείᾳ Genes. 22: 18. declarata & ad semen Abrahami restricta, in Abrahamo, eoque solo adimpletur? Ecquis hic non majus aliquid indicari sentiat, ubi toties promissio iteratur. Ipse Abarbenel scribit: מה צורך בכל כך יעודים מהברכה *Ecquid opus erat, promissiones de benedictione cumulari?* Nempe haud vulgare quid iis promitti, verborum emphasi adductum se credere, ne quidem Judæus potuit dissimulare, cum semel iterum ac tertium ejus spem Deus Abrahamo fecerit.

§. 30. Ultimo vero loco, ubi seminis Abrahami mentio fit, cur verbum quartæ conjugationis adhibeat, & quid eo significetur, Judæi juxta & Christiani quærunt. R. David Kimchi pag. 8. col. 4. Gram. Ebr. quam דקדוק vocat, naturam & significationem quartæ conjugationis explicaturus hunc in modum scribit: והתברכו בזרעך הם יסבבו הברכה לעצמם בתפלתם שיאמרו יברכנו כמו שברך זרע אברהם: *Cum dicitur* והתברכו *sensus est, in seipsos precibus suis benedictionem derivabunt, cum dicent: benedicat nobis, quemadmodum benedixit semini Abrahami.* Hoc exemplo, unde significatio conjugationis clare cognoscatur, allato, seq. subdit: ונברכו אינו כן כי פירושו שאני אברכם ויברכו בזכותך לא בכבתם: *sed verbum* ונברכו (Genes. 12: 3.) *alium sensum gignit, nempe hunc: benedicam illis & benedicentur tua justitia, non propter seipsos.* Ubi verbum passivum conjugationis Niphal reciprocam significationem habere recte negat, quod Crellius, Photinianus, comment. in cap. 3. Gal. ut crederet, à se impetrare nequibat; Quod vero Abrahami justitia gentes benedicendas esse ait, id Judaicum est commentum, perinde ac illud, dum in verbo והתברכו nudam formulam benedictionis exemplaris, vel voti ac desiderii fingit. Benedictio sane realis & efficax ex illo semine reapse percipienda promittitur, quam verbo ונברכו significari, ne ipse quidem diffiteri supra Abarbenel ponit. Neque sensum verbi autor Michlal Jophi est assecutus, dum ait: כל כך יהיה זרעך מבורך עד שכל גוי הארץ יתלו ברכתם בזרעך: *Tam affatim semen tuum benedicetur, ut omnium gentium benedictio è semine tuo suspendatur.* Ipsum enim semen promissum hic minime benedicendum dicitur, sed μονοτρόπως intellectum de se benedictionem fundere perhibetur. Sane quod de semine Abrahami collective accepto sermo nullus sit inde patet, quod benedictionem Judæis, ut populo ipso, in mundum venisse nulla ratione potest ostendi, adeoque eventus vaticinio sic nullus respondet. Quin Judæorum natio uti alias gentes diu odio habuit & abominata est, ita vicissim reliquæ gentes illam sunt aversatæ, tantum abest, ut similem felicitatem sæpe haud ita optandam, sibi vovendo expetiverint.

§. 31. Relinquitur igitur, unum aliquod & certum individuum ex Abrahamo oriundum intelligi, veluti & Onkelos exposuit בדיל בנך, & propter filium tuum Jonathan בגין זכות בנך *propter filii tui justitiam.* Qui uterque Targumista populum neutiquam intellexit, à quo sive toto, sive parte aliqua, benedictio neutiquam erat exspectanda. Nempe ejusmodi semen hoc loco intelligitur, in quo, tanquam benedictionis autore, sint gloriaturæ gentes, & eidem suam benedictionem acceptam laturæ, quod fidei sit objectum; & ipsi Deo æquiparetur Esai. 45: vers. 25. & cap. 65: 16. quod sit יהוה צדקינו, Jerem. 23: 6. קדש הקדשים Dan. 9: 24. filius Regis, uti Psalm. 72. vocatur Messias, de quo ibidem sermo est, & vers. 17. *idem* vaticinium verbo conjugationis quartæ intelligendum haud obscure indicatur.

§. 32. Ad quod illustrandum solet afferri locus Jerem. 4: vers. 2. jurabis per vitam Domini in veritate & judicio והתברכו בו גוים ובו יתהללו: *& benedicent sibi in eo omnes gentes, & in eo gloriabuntur.* Ubi R. David Kimchi commentatur: עוד יבוא זמן שאפילו שאר הגוים יתברכו בו ויתהללו בו ולא באלילים: *quia tempus veniet, quo reliquæ etiam gentes sibi sint in eo* (Deo) *benedicturæ & gloriaturæ, non in idolis.* Verum Deum Rabbi intelligit, qui ille sit futurus, à quo benedictionem suam gentes & gloriam expectent. Subdit quidem idem Rabbi: ויתכן לפרש כנוי בו שם לישראל כלו׳ אם תעשה כל זה יתברכו הגוים בך כמו שכתוב והתברכו בך כל גוי הארץ: *Convenit, ut etiam pronomen* בו *de Israële explicemus, q. d. Si hæc omnia feceris, omnes gentes sibi in te benedicent, quemadmodum scriptum est,* (Genes. 22: 18.) *& benedicent sibi in te omnes gentes.* Cæterum licet & Abarbenel, & cum Vatablo Christianorum complures votum inde extruant: faciat mihi Deus ut Israëli, prior tamen expositio Kimchii, quam Theodoretus & Thomas amplectuntur, longe convenientior est textui, cum בו vox propiorem vocem יהוה respicere, multo sit probabilius, quam remotiorem.

§. 33. Adhuc alium locum B. Lutherus in medium affert, ex quo de significatione של התברכו judicium feratur, nempe Deuter. 29: vers. 19. והתברך בלבבו לאמור שלום יהיה לי: & inde cum Flacio censet ad proprietatem linguæ Ebraicæ & significationem conjugationis recte verti, *benedicent sibi in eo*, ut ita significetur, gentes fide accepturas & applicaturas esse benedictionem illam è semine illo oriundam. Neque desunt, qui id addant, certis de causis Deum, qui alias verbo conjugationis primæ passivæ usus erat, hic aliud nempe quartæ conjugationis adhibuisse, ut significaret, semen illud non ejusdem sortis aut benedictionis indignum fore cum reliquis hominibus, sed prorsus singulare ac ejusmodi, cui, ceu unico Salvatori, hanc gloriam sint reddituri homines, ut ei salutem suam acceptam ferant. Quod consequens uti haud inviti fatemur & ultro admittimus, utpote cum Psalm. 2: ult. & Actor. 4: 12. exacte conveniens, ita tamen, an ex quartæ conjugationis natura id deduci possit, quam paucissimi interpretes videntur attendisse. Arabs enim passive duntaxat reddidit ويتبرك Nec aliter intelligendus est Syrus, dum vertit, ܢܬܒܪܟܘܢ, Chald. יתברכון, Samaritanus [illegible], Græci ἐνευλογηθήσονται, quos Apostoli Petrus, Actor. 3: 21. & Paulus, Galat. 3: 8. sunt secuti. Neque hoc mirum videri debet, cum & passivam significationem hujus Conjugationis verba sæpe habere, exemplis probet B. D. Glassius, nempe Eccles. 8: 10. Ezech. 19: 12. conf. P. S. pag. 326. lib. 3.

§. 34. Cum Deus hanc prærogativam Abrahamo addicit, & ipsum beandum affirmat, עקב אשר שמעת, *eo quod obtemperarit*, Pererius comment. ad h. l. *hic*, inquit, *declaratur, Deum id promisisse ob fidei meritum & obedientiæ Abrahami.* Non ovum ovo tam simile est, quam Judæi sunt Pontificiis. R. Abarbenel enim fol. 77. col. 4. ita scribit: לא היה השכר הזה בעבור מצוה המילה עם היות שנזכרה במצות אלא עקב אשר שמעת בקולי בענין העקדה שמפני שמיעה והכנעה אשר ראיתי בך קודם המעשה היית ראוי לכל השכר הזה כאשר יעדתי אותך: *Non dedit hanc mercedem propter circumcisionem, licet ibi sit facta mentio, sed ideo, quod voci meæ in ligationis negotio obtemperasti. Propter illam obedientiam & humilitatem, quam in te animadverti ante ipsum opus, dignus fuisti tota hac mercede, quemadmodum tibi promisi.* Similiter Aben-Esra של עקב notare ait שכר באחרית *mercedem, quæ in fine exhibetur.* Cæterum licet & Arabs reddiderit: جزاء ما قبلت قولي *in retributionem pro eo, quod acceptaveris sermonem meum.* & Ebræis dictionis כי & עקב אשר, Hellenistis item familiare loquendi genus, ἀνθ' ὧν sæpius in reddenda causa & meriti sensu adhiberi soleant, nullum tamen hic merito locum esse, exinde evidenter patet, quod benedictio hæc multo ante est Abrahamo promissa. ecquomodo igitur obedientia hæc demum illius sit causa meritoria? Potius igitur ordinem duntaxat significat, & consequentiam rei, perinde atque ea Genes. 2: 24. per על־כן, Eph. 5: 31. per ἀνθ' ὧν significatur, adeoque hæc retributio gratuita esse minime idcirco desinit, quæ post tam raræ obedientiæ fideique specimen Abrahamo de integro & quidem jurejurando est confirmata & stabilita.

§. 35. Hac promissione accepta & confirmata Abrahamus lætabundus lares repetit. Sic enim comm. I. 9. וַיָּשָׁב אַבְרָהָם אֶל־נְעָרָיו וַיָּקֻמוּ וַיֵּלְכוּ יַחְדָּו אֶל־בְּאֵר שָׁבַע וַיֵּשֶׁב אַבְרָהָם בִּבְאֵר שָׁבַע: *& reversus est Abrahamus ad pueros suos, & resurrexerunt & iverunt pariter ad Beersebam, & habitavit Abrahamus in Beerseba.* Ergone Isaacus alia via ad matrem missus cum Parente minime reliquum itineris est emensus? Ita R. Abarbenel ex textu colligit, eo quod Isaaci nulla fiat mentio.

Ita enim ille fol. 77. col. 4. לא ספר ששב יצחק עמו אחר
שהזכיר אותו גם כן בהליכה כמו שאמר וילכו שניהם יחדיו
ויבואו אל המקום הוא לפי שהסברה נותבת ששרה שמעה באותם
ג׳ ימים שהלכו בהר המוריה ושאברהם הוליך עמו אש ועצי
עולה ומאכלת ושעזב את הנערים והחמור והלך הוא ויצחק בנו
עם האש והמאכלת והעצים ואין ספק שתצטער על זה מאד
ושיעבור בלבה אולי היה רוצה אבלהם לעשות עולה מיצחק ולכן
אברהם כשראה תכלית הענין הזה והתיעלת הנמשך לו ממנו שמחו
שמחה גדולה יותר מהיום שנולד בו יצחק אחר שהיה עתה יותר
שלם ויעודיו יותר קיימים וכדי לשמח את שרה ולהסיר צערה
מעליה שלח את יצק ממקו׳ המזבח שילך לחברון בדרך אחר כדי
להגיד לאמו את מעשה ה׳ כי נורא הוא ולשמחה בכל הטוב
שהיטיב ויצחק הלך משם לחברון בדרך ישר ואברהם שב למקומו
שהלכו בהר המוריה מהר אל הר ונתארך מפני זה הדרך ולכן
הלך אברהם עם נעריו אל באר שבע המקום הנכבד אשר הכין
לחיות חיים אלדיים ויצחק הלך לחברון אל אמו ויש על זה
קצת ראיה מאשר כשמתה שרה בחברון אמר הכתוב ויבוא אברהם
לספוד לשרה ולא זכר שבא יצחק וראוי היה שיזכרהו לעשות
רושם ממנו ומביאתו לספוד לאמו הצדקת אבל הוא היה עם
אמו בחברון וא ברהם בלבד הוא היה שבא מבאר שבע מקום
מושבו: *Non meminit Scriptura reditus Isaaci, cujus tamen fecerat mentionem, dum eos ivisse ait, quemadmodum dixit* (verſ. 8.) *& perrexerunt ambo, & venerunt ad locum. Probabile vero illud eſt, Saram tribus illis diebus audiviſſe, eos in montem Moria iviſſe, & Abrahamum ſecum ſumpſiſſe ignem, ligna holocauſti & gladium & ſervis relictis ſecum Iſaacum cultro, igne & lignis. Neque dubitare licet, eam idcirco vehementer eſſe triſtatam, & ſecum ita ratiocinatam eſſe; forſan Abraham Iſaacum holocauſti vicem offerre decrevit. Atque idcirco Abrahamus, exitu negotii & commodo, quod inde percipiebat, viſo gaudium ſolidum, idque majus, quam die ipſius nativitatis Iſaaci eſt gaviſus, quandoquidem nunc multo eſſet perfectior, & promiſſiones ipſi magis confirmatæ. Ut igitur Saram lætitia afficeret, & afflictionem omnem ipſi abſtergeret, miſit Iſaacum è loco altaris, ut Ebronem iret alia via, ut matri ſuæ opus Domini annunciaret. Quia illud venerabile eſt, & omni bono exhilararet, quo divinitus erat affectus. Atque ita via recta Ebronem ſe Iſaacus contulit, Abrahamus vero migravit ad locum ſuum ab uno monte ad alterum, itinere illo retentus. Idcirco Abrahamus cum ſervis ſuis in Beerſeba abiit, locum inſignem, ut ibi vitam divinam ageret. Iſaacus autem ivit Ebronem, ad matrem ſuam. Atque hoc quodammodo inde probatur, quod mortua Sara Ebroni, Scriptura dicat. Et venit Abrahamus ad plangendam Saram, nulla facta mentione Iſaaci, qui tamen itidem fuiſſet commemorandus, quod matrem ſuam piam luxerit, niſi jam tum fuiſſet apud matrem ſuam. Abrahamus tamen ſolus venit ex Beerſeba loco ſuæ habitationis.* Cæterum hæ conjecturæ ſunt frivolæ nulloque fundamento nituntur. Longe rectius vero Aben-Eſra ſcripſit: לא זכר יצחק כי הוא ברשותו: *non meminit Iſaaci, quia ille erat in ejus poteſtate,* adeoque ſic tacite innuitur, filium ſine parente nequaquam inde abiiſſe.

M. MICH. LIEBENTANTZ

DISSERTATIO

De Rachelis Dudaim ad Gen. XXX: 14.

DE

DUDAIM.

§. I.



Binis modo vicibus in Ebræo Codice hanc offendere vocem eſt: Primum Geneſ. 30: 14. ſeqq. ubi ludicra & puerilia Conceptionis Iſſcharæ Auſpicia, DUDAIM Mercede coëmta à Lea communi Marito, memorat Sacer Hiſtoricus. Poſt Cant. 7: 13. ubi ad Verni Temporis Amœnitatem avehendam adducitur; DUDAIM dederunt Odorem ſuum. Quanto igitur Vox rarior, tanto majora ſuſcepta ejus gratia litigia ſunt, ut Pars deſperarint Expoſitionem certam, ac τὸ ἐπέχλω propterea ſuſtinuerint; Pars ſententiam, quam ſibi convenientiſſimam fore erant perſuaſi, haud ſine Contentionis cum aliis reciprocata ſerra defenſam iverint. Nos ea, quæ decet mediocre Ingenium, graſſabimur via, ἐποχλὼ quorundam doctorum imitaturi. Neque id in re undiquaque dubia à quopiam nobis vertetur vitio; aut ſi tales fortean pati Manes oporteret, pro nobis ſalſe ludens alicubi Druſius regeret: *Sacræ Philologiæ addicti placentæ non ſumus, ut omnibus placere queamus, nec vero eſſe debemus, cum nec omnes nobis placeant, & in noſtro foro ſimus Judices.*

§. II. Genus proinde ac commune quid ponimus: *DUDAIM fuiſſe Flores vel fructus certos, agreſtes, Orientalibus in Locis Menſe Majo quaſi extremo matureſcentes, coloris, vel odoris, vel ſaporis gratiſſimi, eoque Nomine amabiles.* A Nomine autem, tanquam ab Ovo, ordiemur, primum Etymologiam viſuri. Speciem refert vox דּוּדָאִים aut Numeri pluralis Chaldaico-Ebræi, τῷ Jod in minus uſitato ſingulari דּוּדַי mutato in א & τῷ (ַ) in (ָ) uti ex כַּשְׂדַּי factum כַּשְׂדָּאִין vel Ebraice כַּשְׂדָּאִים, Aut forma Normaque Nominis eſt ſicut פְּתָאִים Proverb. 9: 8. *Confer. Ampliſſ. Dn. Andreas Sennertus in Chaldaiſm. p. 56. ann. 1.* צְבָאִים 1 Par. 12: 8. חֲלָאִים Cant. 7: 1. *V. Cl. Buxtorf. Theſaur. Gr. p. 82. edit. IV.* Committantur quoque jam laudati *D. Sennerti Ebraiſm. p. 70, ann. 3. & p. 102. lin. 11.* Poſterius tamen non facile adſeveraverim, cum Radix non ſit ל״ה noſtræ voci. Quomodo autem forma Nominis comparata ſit, θέμα eſt דוד, uſurpatum de Adfectu Amoris, dilectumque ac charum notat. Horſum reducit vocem דַּד *Forſterus*, mammam quæ indigitat, illamque noſtram cum hac convenire ex Phil. Melanchthone *Dn. D. Geierus in Proverb. Salomon. p. 250.* obſervat, *eo quod Ubera propter pectus & complexum ſignificent Amorem & tantum in Genere humano pectori addita ſint, ut lac nimio calore & Spiritu Cordis melius coquatur, & ut Spiritus transfundat ςοργὴν & Amorem in Natos.*

§. III. Quod ad Homonymiam; Nonniſi ſemel ſub hac Scriptione in Satu conſtructo Jerem. 24: verſ. 1. occurrit דּוּדָאֵי Sportas ſive Calathos notans. D. Forſterus ad eandem radicem cum noſtra voce reducens, ſignificare ait, Vaſa ad figuram Uberum formata. Cui ſimile Talmudicum דַּד quod,

Expo-

Expositore *Buxtorfio Lexico Chald. Talmud. Rabbinico pag.* 503. Epistomium Labri signat, vel alterius Vasis, aquam continentis, quod instar mammæ muliebris factum erat & aquas effundebat. Synonyma reputantur, יַבְרוּחִין / סִיגְלִין / יַסְמִין μῆλα μανδραγόρων *Mandragoræ Poma*, quibusdam *Mandragoras herba, Violæ, Lilia, Morion*, &c. Et quis omnium inire Numerum potest, cum una quævis Planta suis iisque haut paucis gaudeat Synonymis. Hæc vero Propria vocis DUDAIM ἰσοδυναμοῦντα esse, ne Demosthenes quidem nobis persuaserit. Hinc postliminio pluribus sigillatim Virgulam censoriam probabimus.

§. IV. Nomine expedito ad rem paramus transitum. Disjunctive Flores vel Fructus certæ speciei fuisse DUDAIM adserimus, quod & liquet facile, & nemini Interpretum in mente fuit hactenus, Fruticem vel Arborem defendere. Nec radicem quiquam intellexerunt, nisi qui Mandragoram esse, sibi aliisque, persuadere non sine applausu gavisi sunt. At hoc post negabimus. Agrestes esse seu natos in Agro h. e. parte Terræ ejusmodi, quæ neque mons, neque campestris, neque deserta, sed quæ culta vel arvis est vel pascuis & pratis, docet vox שָׂדֶה utrinque exstans, cujus notationem ita explicuit *B. Forster, in Dictionario Ebr. p. 826.* Sic ex Textu elucet etiam, tempore Messis triticeæ, Messem hordei fere intra sex Hebdomadarum spatium insequentis ac Junias Calendas attingentis, maturuisse fructum vel quicquid ejus fuerit. Postremo addimus, amabiles illos vel Colore vel Odore vel Sapore gratissimo & ideo à populo illius Regionis magni æstimatos fuisse.

§. V. Ad corroborandum hanc Sententiam principio non parum facit ὁμοψήφους quosdam è Theologorum & Philologorum erudito Senatu nobis esse. Megalotheander enim noster *Lutherus Tom. XI. Witteb. f.* 187. ita ait: **Es scheinet/ daß irgend eine schöne Frucht gewesen sey/ da er (Ruben) an der Farbe Lust gehabt hat/ waßerley Blum oder Frucht es gewest/ kan man nicht wissen.** Idem quamvis per speciem noti nobis floris odorem gratum reddentis Cant. VII. exposuerit; In loco tamen Mosaico retinuit in Versione sua Nomen DUDAIM: quia hic interat specialis designatio, illic vero sufficiebat grati & odoriferi floris Nomen, monente *Plur. Rever. Dn. D. Calovio Annotatis ad c. VII. Cantic. Anti-Grotianis.* Lutherum sequuntur *Osiander. B. Gesnerus disp. 24. in Genes. p.* 587. addens ex Augustini Ep. 78. potius esse cautam ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri. Sequitur *B. Helvicus inde Chaldaic. Paraphras.* qui, quod parum referat, fatetur, scire, quænam species Plantæ fuerit, quodque satis sit nosse, delectabilem aliquam Plantam fuisse. Unde & Vinarienses: **Sonder Zweiffel ist es eine wohlriechende Blume oder wohlschmeckende Frucht gewesen.** *Immanuel Tremellius* (ipse baptizatus Judæus) & *Fr. Junius*: Amabiles flores. Interpretes Belgæ vocem Ebraicam in versione ipsa retinuerunt.

§. VI. Deinde Robur Etymologia dictionis aliquod subministrat. Dudaim etenim vi Etymi flores vel fructus sunt amabiles gratique ac jucundi, uti Lexicographorum, addo & Interpretum fere nullus iturus est inficias. Quod vero *Forsterus in Dictionario Ebr. pag.* 164. *Certum est*, inquit, *habere appellationem à figura Uberum*, incertum nobis est. In confesso quidem ab Amando convenienter dici, cum avide id, quicquid fuerit, expetierit Rachel: At in concesso nondum, figuram Uberum habuisse. A radice Ubera denotante formari posse largiremur, utut fortean contra *Clar. Buxtorfium in Lexico Ebr. pag.* 134. diversas Radices דד / דו & דוד constituentem; veruntamen, non quod figuram eorum repræsentarint DUDAIM; id quippe prorsum nos fugit, sed quod delectabilem Amabilitatem spiraverint. Et alias qui determinatam Plantam h. l. tuentur, bene subordinare noverunt hæcce duo significata, proinde nec hic opponant, quæ cum se invicem stare possunt.

§. VII. Acute etiam hoc (Etymon) urgeri à Junio & Tremellio, *Celebris Drusius in Tractatu* de Deliciis Rachelinis *adfixo Commentario in Ruth. p.* 125. fatetur, sed quod minus persuadeant, nonnulla obstare dicit. Nam, *non persuadent*, inquit, *primum, quod nullam certam Herbam explanant.* Verum, tantum abest, ut hi Duumviri reprehendendi valde sint, ut potius eorum mirifice sit laudanda modestia, qua nullum ingredi iter maluerunt, quam in abruptum præcipitati in vado hærere. Pergit: *Ab Etymo non recte colligunt, ut siquis dicat Malluchim significare Herbas, quaslibet salsas, quod ejus radix Malach.* Sed vero, quidni recte colligant, cum Argumentum secundarium faciant tantum Etymi convenientiam? Ajunt enim: *Nos Rubenis pueritiam spectantes (quam non virtute sed specie motam fuisse constat) & odorem gratum eis attributum Cant. VII. (qui nihil ad Mandragoram pertinet, contra enim Jabrochin Arabibus à hirquino odore appellantur) postremo tempus præcox (quo neque gelseminum neque mandragoræ maturæ sunt) eo adducimur, ut amabiles omnes flores elegantia & odore, eosque humiles hac voce intelligamus.* Deinde addunt: *Quibus optime convenit Hebræa vox ab amando ducta.* Quidni recte colligant, cum, qui pro Mandragora aut alio quopiam decertant, eodem aut simili utantur ratiocinio à figura Uberum vel notione Amandi desumto?

§. VIII. Hoc vero videtur maxime carpere Drusius, quod illi Generale constituant Vocabulum, DUDAIM, applicandum omnibus grati odoris floribus. Et in ipso hoc faciles quidem eos possemus deserere, quia omnino Gen. XXX. specialior interest designatio. Attamen nec hoc absurdum, generalem vocem sæpenumero pro specialiori, latiorem pro angustiori accipi, ut סַמִּים Aromata Exod. 30: 34. pro Nardo, Creaturam pro homine Marc. 16: 15. Οἴκημα, habitaculum pro Carcere Actor. 12: 7. *Vid. B. Glass. Rhetor. Sacr. Tr. 1. cap. 14. p.* 440. Sicuti nec absurdum, מַלּוּחַ esse vocem latiorem, etsi usu Biblico notare videatur tantum Salsilaginosæ herbæ speciem; unde & idcirco litibus Grammaticorum substat. Obvertit porro: *Quid? cum ollas Dudaim dicimus, nomine quidem utimur ab eadem radice: sed ecquem tam amentem esse putemus: ut id Nomen dicat ab Amoribus appellatum, significareque Vasa qualibet amabilia?* Bene! Etymologiis ridiculis & longe accersitis indulgendum haud est. Neque etiam Auctores illi id ausi sunt. Et hoc cavendum, ne spurium arripiatur formale, uti loquuntur quidam, sed id quod genuinum est omniaque derivata ambitu suo complectitur. Hinc non ab Amoris seu Uberum notatione דוּדָאִים dici, jam ex Forstero adnotatum. Porro dicit & Drusius: *Quid, an ignorarunt, Etymologiam testem fallacem esse?* Ajimus nos. Cum vox alias obscura est, nonnihil lucis juxta alia argumenta ad significationem ejus expiscandam adferre potest Etymologia; & id eo magis, quia in sancto hoc Idiomate utplurimum significantiora rebus imposita sunt vocabula.

§. IX. Post Etymon favet nostro adserto Contextus Mosaicus, ex quo redditur palam, quod DUDAIM Racheli placuerint. Manet vero clam, qua de causa placuerint. Simplicissimum adsertu relinquitur, vel voluptatis gratia ex odoris vel coloris suavitate hauriendæ, vel utilitatis & valetudinis ergo tantopere expetivisse. Ab Odore prædicari, Salomonis Canticum evincit, & dubio procul, jucundissimo. *Janus* quidem *Drusius l. c. p.* 122. videtur iterum adversum nobis tueri, quando, *Salomon*, inquit, *non dicit exhalare odorem suavem. Verba sunt Cant. 7. Mandragoræ dederunt Odorem suum. Utrum me animus fallit, an aliud est dare odorem simpliciter? aliud dare odorem suavem?* Attamen vel indocta plebs agnoscunt, descripturo florentissimam veris tempestatem, & commendaturo ejus oblectationem, non petenda argumenta esse ab olentibus male Germinibus, sed à talismodi, quæ & mentem pariter & omnes sensus mulceant. His adjice, Vocem רֵיחַ sæpius usurpari de bene odoratis ac suaveolentibus. Cant. 4: 11. Odor vestimentorum tuorum, sicut Odor Libani. Conf. c. VII. 8. Josephus δι' ἐπιθυμίας τοῦ βρώματος alias Rachelem appetivisse narrat. Si hoc, jucunditate Saporis merito amabiles fuisse, dicendum est.

§. X. Demum, DUDAIM haud insuaves fuisse, ex consensu eorum optime adstruitur, qui speciale quid nominare annisi sunt. Dum enim Jasminum, dum alba lilia, dum violas intelligi fuere arbitrati, quid aliud nisi odore suavissimo fragrantia Germina fuisse dixerunt? Et quid agunt aliud, quibus Mandragora arridet, quique testimonia hinc inde pro nobilitate & suavitate ejusdem convasant operose, quam ut odorata & amabilia fuisse DUDAIM ostendant? Cæteroquin quando amabiles illos vel flores vel fructus fuisse, plus satis certi sumus, non tamen active sed passive cum Mercero illud exponi volumus. Id propter vix concedimus in Verba Doctissimi Angli *Nicolai Fullerii L. VI. Miscell. Sacr. cap. VI. pag.* 707. Nomen Hebræum perinde sonare dicentis, ac si dicas φίλτρα vel Amatoria: Unde Mandragoras & cupidissime appetivisse Rachelem & ægerrime eidem concessisse Leam. Illam, ne quid Sorori suppeteret, quo Mariti, à se amor ad eam transferretur, hanc, ne qua re careret, cujus beneficio conciliari possit idem Amor atque confirmari.

Ad eum fere ſenſum loquitur & *Levinus Lemnius c. II. de Herbis Bibl. p. 15. 18.*

§. XI. Immo *Guilielm. Stuckius Antiquit. Conv. lib. 3. c. 8. p. 333.* quem de Mandragora eleganter & docte ex ſententia ſacrarum literarum, ita ut nihil fere in hoc genere deſiderari queat, diſſerere dicit *Dominicus Chabræus Tom. III. Hiſtor. Plantar. lib. XXXIV. p. 615.* minus nobis elegans eſt, dum non veretur ipſam Rachelem Philtri Ethnico modo rituque uſurpati inſimulare. Primum enim, etſi conceſſerimus, Rachelem primitus gentilitiis fuiſſe innutritam ritibus ac moribus, adſociatam autem Viro ſancto tot Annis ſanctiſſimam fœminam, pagano ritu DUDAIM philtri gratia adfectaſſe, dicere nefas duxerimus. Deinde, Rachelem Philtro indiguiſſe, quam impenſe alias amore proſequebatur Jacobus, abſonum dictu eſt. Leæ uſus erat Philtro, quippe quam averſabatur Maritus. Poſtea, ſatis craſſe diſſerit, qui quod in vulgus alias familiare eſt, Philtra Amorem mutuum conciliare adſerit, ita, ut qui amantem non redamat, pharmacis cogi poſſit, ut repugnans & invitus etiam amantem redamet. Legatur *Celeberr. Dn. Sennertus b. m. Lib. I. Practic. Part. II. cap. 10. p. 133.* Quod ex vulgi Sententia ſupponitur præterea hic, actutum diluemus, aut incertum reddemus ad minimum.

§. XII. Genere monſtrato & demonſtrato, ſpecialiora an dari queant, diſpiciendum eſt. Id quod an fieri poſſit, valde ambigimus, cum omnia, quæ adferuntur, infirmiori nitantur fundamento, eoque minori Virtute, ut diruantur, egeant. VIOLAS eſſe DUDAIM communis inter Judæos opinio eſt. Ita enim Chaldaicum יַבְרוּחִין reddunt. At vero, etiamſi fragrantiſſimi ſint odoris Violæ, inque Regionibus fortaſſe calidioribus frequentes oppido, tamen defectus rationum probabilium & diverſitas ſententiarum hic litem auget. *Rab. Salomo Jarchi* enim in Lingua Iſmaëlitica יַסְמִין, *R. Levi* סיגלין vocatas vult. Sic nimirum in *Sanhedr. fol. 99.* de DUDAIM diſceptant Talmudici. Quæritur, quid DUDAIM? Dixit Rabh, יַבְרוּחֵי Mandragoræ: Levii dixit סיגלי Rab. Jonathan dixit סבים. Adeo in nomine ſtatim non conveniunt, multo minus in re. Jaſminum enim communiter, uti vidimus, conſtat ſex foliis, verum de סיגלי ita *Schabbas fol. 50. 2. citante Buxtorfio in Lexico Chald. Talmud. Rabbinico. 1443.* סיגלי עשב שקורין ויול בו שלושה עלין: *Siglin. Herba eſt, quam vocat Violam, & ſunt ipſi triafolia.* Taceo, non Arabice, ſed ex Græcorum Imitatione potius ab ἴασμα, medicato Odore Jeſemin dici. Arabes enim Jambach & Sambach dicunt, ut ex Serapione refert *Baubinus in Pinace lib. XI. ſect. 2. p. 397.* vel Sampſuchum, uti notat *Jacob. Gojus in Lexico Arabico p. 1213.*

§. XIII. LILIA notari Franciſcus Georgius Venetus apud *Sixt. Senenſem. l. 5. Annot. 109.* itemque *Oleaſter in Gen. 30.* autumant, nixi his rationibus. 1. quod DUDAIM ſint à דַד mammam ſignificante, Bulbus autem Lilii Mammæ ſpeciem gerat. 2. quod alba Lilia Majo Menſe proveniant. 3. quod Lilia iſta, utpote calida multum, proſint fœcunditati. Verumtamen reponimus. Talem argumentationem meros parere Syllogiſmos in ſecunda figura adfirmantes, adeoque vitioſiſſimam eſſe. Quærimus: לְמַאי נָפְקָא מִינָּה Quomodo id ſequatur? DUDAIM Mammæ ſpeciem repræſentant, Menſe Majo proveniunt, fœcunditatem juvant. Et Lilia Mammæ ſpeciem in bulbo repræſentant &c. Ergo Lilia ſunt DUDAIM. Sic enim plura longe ejuſdem figuræ, quam forte vi Phantaſiæ fingeret quiſpiam, plura eodem tempore florentia aut fructum maturantia, iiſdem Viribus pollentia Germina ex Botanicis Voluminibus conſtipari, opinor, poſſent, nec tamen Rachelis Delicias reputaremus. Deinde, *quis tam Hoſpes eſt in hac Lingua, ut neſciat Lilia Soſanim appellari?* quærit Druſius d. l. Speciatim, ſi Buxtorfio, at quanto Viro! habenda fides non à דַד DUDAIM vox natales habet, uti ex Lexico pariter & Concordantiis liquet. *Jacobus Bonfrerius Societat. Jeſu Theolog. Comment. in Geneſ. p. 252.* reddit; id quod illi Radici Lilii tribuunt, ſcil. quod Mammæ ſpeciem gerat, poſſe nos dicere de Pomo Mandragoræ. Sic odor, quem Liliis tribuunt, æque in Jaſminis Violis vehemens, & prope vehementior eſt; Illas tamen DUDAIM fuiſſe, pauci credunt.

§. XIV. Ad id, quod vim fœcundandi in Liliis urgent adeo *Bonfrerius d. l.* regerit: *Supponunt*, inquit, *de quo nihil conſtat, nec ſcriptura quidquam innuit, nec verum cenſet Auguſtinus Rachelem ad fæcunditatem ſibi conciliandam tantopere has Mandragoras expetiiſſe, quandoquidem nec tunc Rahel conceperit, ſed annis aliquot poſtea, non Mandragorarum beneficio, ſed divino Munere.* Hiſce gemina ſunt, quæ habet *R. Moſes Nachmanides*, qui & Gerundenſis audit, citatque *Dominicus Chabræus Hiſtor. Plantar. Lib. 34. p. 614. extr. Videtur mihi*, inquit Rabbi *Leam* DUDAIM *propter bonum Odorem delectatam, nec conceptionem medicinali Herba ſed precibus à Deo impetraſſe.* Hæc illi non male. Quod autem Rachelem non ante, ſed annis aliquot poſt Altercationem tranſactam prole donatam eſſe perſuaſi ſunt cum Auguſtiſſimo Patrum, in eo hallucinatos eſſe eos temur. Idque ob Narrationis hiſtoricæ ὑστερολογίαν, quam in nativitate Joſephi deſcribenda obſervavit Moſes. Enimvero (*uti D. Glaſſius* ז"ל *Grammat. Sacr. Lib. IV. Tract. II. obſerv. 29. pag. 754. & in Marginalibus Notis ad Tremellii verſionem circa Gen. cap. 29. Junius* monent) ſecundo ſeptenario ineunte gignere Jacobus cœpit Gen. 29: 20. hiſque ſeptem Annis ſex liberos, Ruben, Simeon, Levi, Judam, Dan, Napthali ſuſtulit; ſub exodium vero ἑπταετίας hujus ab opprobrio ſterilitatis liberata propitio Numine, Rahel Joſephum enixa eſt cap. 30. verſ. 22. Interim Lea effœta reddita in principio ſexennii ſequentis ex Zilpa binos natos, Gad & Aſſer, rurſum ſuſtulit Jacobus. Ab hoc tempore per occaſionem Rubenis DUDAIM afferentis, Lea quæ aliquamdiu deſtiterat eniti, Sorore conſentiente, denuo partum fecit, ut adeo conſentaneum vero ſit, non eo fine atque conſilio Rachelem à Sorore DUDAIM eblanditam eſſe, ut Eſu illorum Conceptui effici poſſit idonea. Jam enim una prole ferax facta erat. Tametſi autem daremus, DUDAIM fuiſſe Lilia, nondum evictum eſt. Eo enim jure Gelſeminum dici poſſet, quippe cui uſum, quem intendunt & Vires, adſignari, *Johannes Schroderus Pharmacopæja Medico-Chym. lib. IV. pag. 85.* auctor eſt.

§. XV. MANDRAGORAS eſſe DUDAIM volunt non pauci, quin ad unum omnes propemodum Authenticæ Verſionis Latinæ Patroni. Cumque ſpecioſis adjuti Argumentis rem agant, facillime perſuadent, at non convincunt. Nam vox Chaldæa יַבְרוּחִין ab Oncelo & Jonathane adhibita, quam Mandragoras ſignificare ex Arabica Lingua & Rabbinorum teſtimoniis liquere ajunt, ambigua eſt, & per Violas & Lilia reddi ſolita. Videtur etiam generale quoddam Nomen, ſicut דוּדָאִים eſſe, vi Radicis Arabicæ, quæ inter alia *Cl. Golio* notante *in Lexic. p. 249. placuit, arriſit, in ſui admirationem & magnam de ſe Opinionem conjecit*, notat, adhibitamque male adeo ad deſignationem certæ Plantæ. Quanquam Junius ab Hircino odore derivatum vult, quia בַּרְחָא Targumicis Hircus, Caper eſt. Et concedamus, Vovem יַבְרוּחַ Mandragoram notare Arabibus; ſic enim *Camuſus* in Opere ſuo, Oceani nomine inſcripto, ipſe plurimos in Arabia verſatus Annos, ſcribit, tamen utrum à Chaldæo recte fuerit, adſumtum Interprete, haud injuria ambigitur. Uterque ſane poſt Verſionem à LXX. Græcis exaratam vixit, ſcripſit, indeque petere, quod ſategit, potuit. Et de Jonathane, qui Pentateuchum interpretatus eſt, hactenus expolari Juris eſt, eum Græcam verſionem bona fide & pede preſſiſſe. Reddunt autem LXX. μῆλα μανδραγορῶν. Quis vero fidem faciet nobis, Interpretes illos, nam falſo θεοπνευστίαν eis adſcribunt Papicolæ. Ebræam vocem rite eſſe adſecutos. Certe *Auguſtinus Steuchus, Epiſcopus Xiſamenſis, citante Amama in A. B. pag. 9.* pronunciare non erubuit, eos non adeo exquiſite Grammaticam Ebræam calluiſſe.

§. XVI. Deinde oblectamenta illa Rachelina vix Mandragoras fuiſſe, hæremus ideo: Aut enim Mandragora intelligitur falſa aut vera. Falſam dico, cujus fraudem detexit *Matthiolus in Diſcorid. lib. IV. cap. 71.* ita ſcribens: *Vanum ac fabuloſum eſt, quod Mandragoræ Radices ferant, quæ humanam effigiem repræſentent, ut ignarum Vulgus & ſimplices mulierculæ certo credunt & adfirmant, quibus etiam perſuaſum eſt, eas effodi haut quaquam poſſe, niſi cum magno vitæ periculo, cane qui effodiat radicibus adalligato & auribus pice obturatis, ne radicis clamorem audiant effodientes, quod audita voce periclitentur pereantque foſſores; Quippe Radices illæ, quæ humanam formam referunt, quas impoſtores ac nebulones quidam venales circumferunt, infœcundas mulieres decepturi, factitiæ ſunt ex harundinum, Bryoniæ aliarumque plantarum radicibus. Sculpunt enim in his adhuc virentibus tam virorum quam mulierum formas &c.* Sexus hujus differentias nativas quidem *R. David. Kimchi*, & *R. Gerundenſis* crediderunt, non radicem tamen, quæ effigiem capitis & manum habet, ſed ramulos aut fructus ejus, qui ſunt ſicut mala, & bene odorati, Leæ Rubenum attuliſſe, R. Gerundenſis arbitratus eſt. Credat recutitus Appella, non Ego.

§. XVII. Ve-

§. XVII. Veram quod concernit, uti ex insignioribus Botanicis addidicimus, tres sunt. Mandragoras mas vel albus fructu rotundo, Mandragoras niger seu fœmina fructu pyri, & ille Theophrasti, quem Solanum somniferum, Morion alii, alii Bella donnam appellitant. Et ultimam hanc speciem à quibusdam pro DUDAIM habitam esse, B. Lutherus refert: Von Solano verstehens auch der andern viel / des Frucht eine sehr schöne Farbe hat / und darzu auch einen guten Schmack / und man brauchts viel in der Artzeney. At apage illa Bellaria, quæ in recessu venenum habent, in fronte Pharmacum promittunt. *Solanum illud soporiferum est, mentem conturbat, insaniam facit, si pauciores baccæ sumantur: plures vero etiam interficiunt, etiam festinamque mortem inferentes* ait *R. Dodonaus Hist. Stirpium Pemptad. III. Lib. IV. cap. 28. p. 457.*

§. XVIII. Neque in aliqua Mandragorarum Dioscoridis excellentiam & suavitatem invenire licet, ut idcirco pro DUDAIM venditentur. Fœminam *Carolus Clusius l. 5. rariorum Plantarum cap. 3. p. 86.* αὐτόπτης ipse supra Gades, non procul ab Urbe Xerez de frontera dicta ad arvorum margines initio Febr. Anno 1565. florentem describit, *folia cujus sint angustiora, minora & nigriora quam maris, magis & rugosa, crispaque virosa & graveolentia, & humi expansa: inter quæ longi pediculi exsiliant per terram strati, quibus insident flores, Melopeponum floribus forma fere similes, coloris ex cœruleo purpurascentis: quibus succedant fructus, non turbinati instar pyri,* (Dodonæus contra turbinatos vult, Sorbi aut pyri effigie) *sed rotundi, Vesicariæ fructu triplo majores, initio virides, maturitate pallescentem ex luteo colorem adquirentes, odorati* (male, haud dubie. Dioscorides enim l. 4. c. 71. admodum gravem & injucundum odorem fœminæ tribuit) *succi pleni, semine abundantes plano &c.* Quid hic nobilitatis aut suavitatis majoris præ Lilio aut Jasmino? Graveolentia singula esse audimus, folia, flores, fructus, cum tamen sacra pagina ab odore amabili commendet DUDAIM. Proinde hujus intuitu *Ambrosius Serm. 19. in Ps. 118. n. 4.* distinctionem inter Mandragoram masculam & fœmellam excogitavit, quam gravis, illam odoris suavis esse adserit.

§. XIX. Et verum est Marem aliter quadantenus, & quidem quoad Mala rotunda, lutei coloris, relucentis lævoris, soporifero odore suaveolentia à *Dodonao pag. 457.* depingi. Verum est, *Augustinum* etiam, ipsomet fatente *lib. XX. contra Faust. cap. 56.* oblatum aliquando Mandragoram se comperisse odore grato, gustu insipido. Contra tamen Dioscorides, eam, odorem cum gravitate spirare, *Chabræus sæpe laudatus p. 617.* folia fœtida, florem odore fœtido esse adfirmat. Haut disparis conditionis esse fructus, facile quis dixerit.

§. XX. Quod denique ob vim ὑπνωτικὴν, Veneri alias gratam ac amicam desiderasse ἀνθρωπόμορφον juxta Pythagoram, & semihominem Herbam, juxta Columellam, Rachelem defendunt quidam, ut defectum somni hactenus passa, soporem sibi conciliaret, quæ Bonfrerii quidem, & à Scriptura alienissima mens est, velut facultatis Pomorum ante conscia purgato utero aptior ad concipiendum redderetur, quæ Chabræi sententia est, illud petere principium nobis dicitur, supraque in dubium vocatum est. Et vocatur adhuc ab iis, qui somnifera facultate præditas plantas ex frigiditate impensa saporem inducere existimant, in quo operosus est admodum *Lemnius d. l. pag. 16.* Aliud Magnus SENNERTUS *Lib. VI. Practic. Part. VII. cap. 10. pag. 1095.* docet; ubi: *Vulgo,* inquit, *Mandragoram refrigerando nocere creditur: tamen sapor amarus, odor gravis, pruritus & ardor intolerabilis, qui totam Corporis superficiem adurit, Linguæ & Oris Ariditas contrarium docent. Ita nimirum irrito & infelici conatu omnia ad manifestas qualitates reducere nonnulli laborant. Rectius omnes illi effectus, quibus nocet Mandragora, ad vim venenatam & occultam proprietatem reducuntur.*

§. XXI. Nocumento itaque est Mandragora, quia viribus pollet narcoticis, non quoad Radicem modo, sed & ipsa Poma, quæ malignitate non carent, immo solo halitu soporifera sunt. Id autem in seipso expertum testatur *Levin. Lemnius l. c. pag. 17. Quum æstivis mensibus (nam eo tempore poma Mandragoræ se proferunt) semel atque iterum in museo nostro amabilem ac speciosum ejus stirpis fructum negligentius collocassem, ita somnolentus sum effectus, ut ægre sopor excuti possit. Quum autem obnixe obluctarer somnolentiæ, illamque excussisse conarer, ægre id obtinui, nec rationem tanti veterni inire potui, tandem quum quaquaversum dimovissem oculos, obtulit se à tergo pomum Mandragoræ, quo amoto atque in alium locum translato factus sum alacrior atque torporem depuli.* Majora adhuc incommoda de succo è pomis presso excitari *B. Sennertus d. l.* immo largiori potu sumto, vitam prorsus adimi laudatus *Dn. Chabræus p. 617.* experientia freti censent. Valeant Ergo, qui tantæ malignitatis poma, tanquam Delicias ad esum, vel usum quemcunque alium expetita à Rachele haut tantum, sed communiter in calidiori Regione à Pastoribus esse, adseverare satagunt. Insignis Experientissimi Bauhini Labor quidem faceret, ut suffragari eidem deberemus: Statuit enim is, DUDAIM esse speciem Palmæ humilem, longis latisque foliis, *Musam* dictam Tabernæ mont. Matthiol. *Palam* Clusio, cujus fructus suavissimus sit, formam Cynosbatorum, etsi majorum q. referens. At, quis eruditorum hactenus in ejus iverit sententiam, aut, an acriter tutari eam, sit conveniens, nondum vidimus. Quid plura? Quid DUDAIM fuerint in specie, certo NON LIQUET. De aliis Sacræ Botanicæ Plantis, quemadmodum sedebat Animo, pluscula proferre, chartæ Angustia prohibet.



AUG. KNERICHT
DISSERTATIO
De Fœtura Jacobi Artificioſa ad Gen. XXX: 27. &c.

PRÆFATIO.

Magna orationis virtus eſt, res, quas exponere inſtituimus, clare, & ut cerni videantur, enunciare. Quare eorum, qui ea præſtiterunt, eloquentia tanto præſtantior ſemper habita fuit, quam reliquorum, qui affectata obſcuritate dicendi facultatem, ſæpe non ineptam nec vulgarem, corruperunt. Hæc labes eloquentiam afflixit, ex quo tempore cum bonis moribus rectarum & pulchrarum rerum judicium amiſſum eſt, & dictorum factorumque lenocinia ſucceſſerunt. Cum enim ſermo index animi eſt, iiſdem corruptelis utrumque obnoxium eſſe contingit. In antiquis ſcripturis ſimplex & naturalis verborum & ſententiarum cultus exſplendeſcit, ſtetitque hæc rectioris facundiæ regula, quamdiu nuda virtus placuit. Nihil hic inordinatum aut indiſtinctum, ſed dilucida omnia & negligenter quoque audientibus aperta. Ea laus ſacrorum ſcriptorum propria eſt: qui enim aliter decuiſſet majeſtatem loquentis? nec ferebat aliter legentium conditio. Auſim affirmare in ſacris literis nihil obſcurum, nihil ad percipiendum difficile fuiſſe iis, quibus lingua fuit vernacula & intelligibilis, & non prorſus ignorata temporum ratio; tam diſerta rerum narratio, tam dilucidus verborum ordo ubique elucet. Nobis vero, etſi clariorem & diſertiorem ad eas res intelligendas, quæ ad fidem pertinent, ſacrarum ſcripturarum dictionem non valde requirimus, ſi quis non tam ſuis opinionibus incruſtandis & pertinaciter tuendis, quam recto ſenſu indagando, idoneis inſtructus præſidiis, ad eas tractandas acceſſerit, non ubique tamen obvia & facilis interpretatio eſt in multis aliis rebus, quæ temporum, moris antiqui, veſtium, lapidum, plantarum, animalium accuratiore notitia continentur. Quæ enim veterum ſcriptorum ſenſus vulgo reddunt obſcuros, manca nempe & imperfecta linguæ dudum intermortuæ cognitio, mores obſoleti, & paſſim interjecta & delibata philoſophemata, quæ ſine pleniore artium ſcientia intelligi non poſſunt, ea omnia ſacrarum literarum intelligentiam remorantur. Sermo Hebræus bis mille annos vernaculus eſſe deſiit, inſtituta plurima cum templo interciderunt, quorum plerorumque ea eſt indoles, ut, niſi coram inſpecta, difficulter percipiantur, ſi vel diſertiſſimus ea memoriæ prodidiſſet. Accedit quod ſecretiores patriarcharum literas in hunc uſque diem ignoramus, unde ſi Græca inventa illuſtrandis eorum dictis factiſque accommodare velimus, dubitare licet, an ubique verum rerum ingenium exprimamus? Atque adeo fit, ut non perfunctoria cura, & tantum non ſolicitudo, ponenda ſit in luculentis, & ad ævi ſui captum ſatis perſpicuis, antiquorum ſcriptis interpretandis, quorum intellectum non tam impotentia ſcriptorum, quam vetuſtas intercepit. Qui ut eadem via reſtitueretur, qua amiſſus eſt, ſeculi noſtri intererat: nec immerito hoc negotium palmarium ſibi dari crediderunt eruditi, quorum opera effectum eſt, ut vetuſta omnia, quæ alicujus momenti ſunt, eruderata ſint. Quanto magis laudanda eſt eorum induſtria, qui præſtantiſſimorum eccleſiæ doctorum exemplo in ſacris literis illuſtrandis operam ſuam collocarunt. Ea noſtri temporis felicitas eſt, ut in iſto genere nihil intentatum manſerit, quod vel ad linguæ, vel ad moris antiqui cognitionem pleniorem pertineret. Inſtauratæ ex ruderibus linguæ Orientis pene omnes, excuſſa ſacra Judæorum, & gentilium monumenta. Loquuntur id opera regia & commentariorum moles, qui noſtro & patrum memoria lucem viderunt. Supererat, ut ex humanis diſciplinis lux affunderetur iis ſcripturæ locis, quorum rationes uberiores iſtæ continebant. Dudum id ab induſtria ſua non paſſi ſunt deſiderari eccleſiæ doctores, imprimis in iis, quæ ad naturalem ſcientiam pertinent. Talia tractarunt Theodoretus, Hieronymus & Auguſtinus paſſim, ſed obiter; ex inſtituto vero Hexaëmeri ſcriptores, Baſilius & Ambroſius, nec non Epiphanius de XII gemmis, in veſte Aaronis, luculenter commentatus: ad quem etiam refertur libellus, qui Phyſiologi titulo circumfertur. Laudat Sixtus Senenſis phyſicæ ſacræ ſcriptores quatuor viros, Bedam de natura rerum, Anshelmum & Honorium de Imagine mundi, & Vincentium Speculi naturalis autorem. Sed hi ad noſtrum inſtitutum non multum conferunt. Taceo nuperos ſimilium ſcriptionum autores, qui vel integram & continuam (a) encyclopædiam, vel ſingulares diſciplinas ex ſacra ſcriptura concinnarunt. Habemus (b) phyſicam, (c) ethicam, (d) politicam Chriſtianam, quæ tamen vel nihil, vel parum juvant divinarum ſcripturarum intelligentiam. Earum enim autores ſuæ hypotheſi inſervientes loca obſcura non tam explanare, quam ad propoſitæ diſciplinæ ingenium invita ſæpe Minerva accommodare ſtudent. Non defuerunt, qui leges Moſaicas (e) cum Romanis conferre,

(*a*) Iſtius generis ſunt Alſtedii Triumphus Biblicus: Zach. Roſenbachii Moſes omniſcius: Aug. Pfeifferi Philoſophia Moſaica: Meiſneri Philoſophia ſobria: Valleſii Philoſophia ſacra. (*b*) Lamberti Danæi & Conr. Aſlaci Phyſica Chriſtiana. (*c*) Eorundem Ethica Chriſtiana. (*d*) Stephani Menochii Hieropolitica. Reinkingii Politia biblica. (*e*) P. Pithæi Collatio legum Moſaicarum cum Roman. Seldenus de Jure naturæ & gentium juxta diſciplinam Hebræorum: Heresbachii Epitome juris Chriſtiani. Zepperus de legibus Judæorum forenſibus.

re, & ex humana jurisprudentia divinis legibus lucem fænerari conati sunt. Longe utilior vero & curiosior eorum opera est, qui selectiores materias, quæ à naturali aut medica scientia lucem accipere poterant, illustrandas sumserunt. Quid præclarius est luculentis istis commentationibus de (f) *gemmis*, (g) *de plantis*, (h) *de animalibus*, (i) *de morbis in sacra scriptura commemoratis? Hujus generis sunt elegantissimæ* Exercitationes, *quas VIR SUMMUS, WEDELIUS noster paucis abhinc annis publicare cœpit, quas ut imposterum continuet, optant omnes, quibus sacrarum literarum incrementa cordi sunt. Universa persequi instituerat Joh. Majus in expositione locorum scripturæ sacræ, in quibus agitur de rebus naturalibus, quam* sacram Physiologiam, (k) *inscripsit. Sed industriam suam non approbavit Valentino Henrico Voglero, qui in suo commentario posthumo de eodem argumento censet*, Majum non tam suam scientiam declarasse, quam alienas sententias exscripsisse, idque nullo fere delectu, novitate præcipue opinionum pellectum. *Quod judicium inclementius aliquanto videri poterat, cum in ejusmodi scriptionibus aliter fieri vix oportebat, quibus non tam industriæ gloria, quam legentium utilitas spectatur, nisi id reprehensione dignum est, quod Majus ex eo hominum genere esse videtur, qui supprimendis autorum nominibus, unde sua exscripserunt, nescio quam ingenii laudem affectant. Hac eruditorum contentione in ornando & illustrando Dei verbo ex humanarum artium disciplinis effectum est, ut obscura plurima enodata, ignorata antiquis seculis in lucem posita, & sic posteris faciliora & amœniora reddita sint sacrarum literarum studia. Verum istorum industria quanta quanta fuit, non omne negotium adeo perfecisse putanda est, ut non cœpti operis reliquias aliis persequendas relinquere voluerint. Sane scripturarum amplitudo delibari, sed exhauriri non potest: subinde enim divinæ sapientiæ aperit abyssos, ante quas omnis humanus conatus subsidit; nec quicquam adeo vile est, quod non summa ingenia exercere possit. Accedit, quod per continua artium & subsidiorum interpretationis incrementa paulo aliter & copiosius multa tractari possint, quam à majoribus factum est. Quare, Augustini præcepto, utile est, de eadem materia plures scribi libros à pluribus. Idem consilium ad academicæ exercitationis argumentum ex Mosaica historia deligendum dux & autor nobis fuit. Quod etsi à pluribus doctissimis viris explicatum est, nobis tamen relictum esse credidimus, in quo ingenium exerceamus, si vel ea in lucem proferamus, quæ ab aliis negligentius tractata sunt, vel industriam eorum prorsus effugerunt. Quod dum facimus, omnem tractationem tribus capitibus definimus, quorum primum continebit enarrationem textus, alterum causas naturales explicabit, tertium de justitia facti disputabit.*

(*f*) Ruei & Baccii. (*g*) Lev. Lemnii. Andr. Cocquii. Ursini in Arbor. Herbar. & Hortul. aromat. bibl. (*h*) Joh. Bustamantii de animalib. S. Scripturæ. Franzii Historia animalium. Bocharti Hierozoic. (*i*) Bartholini de morbis biblicis. Grossii de iisdem. Vincentii Molis in Pathalogia sacra. (*k*) Medioburgi 1661.

TEXTUS
ex Geneseos Cap. XXX.
secundum editionem vulgatam.

Vf. XXXVII. *Tollens ergo Jacob virgas populeas virides & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas: detractisque corticibus in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa vero quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius.*

Vf. XXXVIII. *Posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua: ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent.*

Vf. XXXIX. *Factumque est, ut in calore coitus oves intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diverso colore respersa.*

Paraphrasis uberior.



Jacob odio fratris natu majoris paternis sedibus pulsus, à parentibus ad avunculum suum Labanem concedere, & uxorem ibi quærere jussus est, ne iracundia recens tristius quid pararet. A Labane in familiam receptus Rahelem consobrinam suam vehementissime amare cœpit, quam parentum vota sibi destinaverant uxorem; sed interim non otio tempus transigendum, sed exulis vitæ incommoda utili opere lenienda statuit: quare obeundis domesticis, rusticis & pastoralibus ministeriis se industrium probat. Unde avunculo, ad rem plus quam par erat attento, tanto charior erat, qui etiam hominis solertis & gnavi operam, quam rei suæ familiari utilem futuram sentiebat, paciscendam ratus, mercedem offert pro servitute, non quod commoda servientis spectaret, sed ut qualicunque pretio proposito officium verteret in obsequium. Placet conditio, qua Rahele sua potiundi spes ostendebatur. Quapropter, re non diu deliberata, pro Rahele septem annorum servitia pollicetur, nec ultra quicquam rogat, cum tamen honeste petenti filiam vix denegare potuisset avunculus, etiamsi extra tam duras serviendi conditiones fuisset. Laban tam subitis incrementis rem familiarem, tenuem hactenus, insigniter auctam animadvertens, de retinendo servo tam frugi, gratia vel fraude, cogitavit. Cum autem nimium nuptiarum cum Rahele desiderium fidem faceret, nulla difficultate objecta Jacobum se à Rahele dimoveri passurum, nec recusaturum, quicquid amplius ejus gratia post durissimam servitutem ferendum esset, Laban torum promissum, non sine piaculo, supposita Lea adulteravit, Rahele denuo proposita in servitutis per alterum septennium tolerandæ præmium. Circumventus Jacob fraude soceri quidvis pati, quam fidem promissi implorare & lege decernere maluit. Injuriæ sensum vicit amor, nec adeo inique secum agi arbitratur, dum præsentem videt spei copiam. Elapso altero septennio, socer nihil humanior factus, generum, rebus suis nunc prospecturum, utpote jam tum copiosa familia oneratum, nondum dimittere decrevit, sed dum nec vi nec fraude servitia ejus extorquere se posse ab invito animadvertit, precibus cœpit rogare vehementissimis, mercedem offerre, & nihil non facere, quo redimi possent pastoralia generi auspicia, gregibus suis hactenus adeo salutaria. Annuit tandem Jacob, & mercedem poposcit exiguam, quicquid ex pecude unius coloris imposterum nasceretur variegatum. Subdolus scilicet & rapax soceri animus, multis experimentis per quatuordecim annos perspectus, non spondebat pacti fidem, nec mercedis acceptæ securitatem, nisi notabili coloris discrimine, & loci intervallo, peculium suum à reliquo grege secerneret. Quare segregavit oves & capras discolores, sibique uno colore imbutas pascendas servavit, ne, si res suas socer præter opinionem auctas videret, furta & rapinas clamaret. Aderat tempus, quo Deus injuriam & damna Jacobi illata, qui fiduciam suam nunquam non in remuneratione divina collocaverat, sarcire constituit. Monetur oblata divinitus somni specie de artificio, quo contra naturam pugnare, & præmia toleratis laboribus digna consequi debebat. Ipse vel ex majorum institutis, vel ingenii solertia, naturalis scientiæ secreta edoctus, stropham ad adulterandam fœturam promte exsequebatur. Non ignorabat, quanta vis esset imaginationis in fœtu variando, & quam facile ea moveretur ab errore externo, speciatim in bestiis, quarum sensio cum speciebus cor-

poreis arctius connexa est. Quales ergo fœtus nasci optabat, tales species oculis concipientium objiciendas arbitrabatur. Nec visa commodior ad id perficiendum via, quam si virgulta ex arboribus, quarum color artificium adjuvabat, recens resecta, cortice alternis intervallis detracto variegata, in conchas vel alveos aqua limpida plenos ponerentur, ut ita qua aviditate potum faucibus, ea species objectas oculis haurirent bestiæ, quas forte, cum imaginibus marium lascivientium & adhærentium commixtas, ex aqua, tanquam speculo naturali, oculus, alias vagus & instinctu potius quam consilio in objecta quæque raptus, ut solet esse bestiarum, inter bibendum vero ad hoc unum intentus, facilius reciperet, & firmius imaginationi imprimeret, unde insignita & impressa conformatio fœtum eodem tempore conceptum imbueret. Non defuit successus, quoties artificio isto usus est: ita jusserat ærumnarum ultrix numinis providentia, & ita ordinaverat naturales causas, ut quod per se effecturæ fuissent, nisi impedimenta obstarent, id perpetuo & constanter efficiant, nec unquam effectu frustrentur. Hoc stratagemate Jacob omnes soceri fraudulentas molitiones, pacta decies mutantis, eludit, & meliorem gregis partem brevi tempore in suum convertit peculium. Hactenus series narrationis & facti species: nunc potiora causæ momenta, quæ legentibus obscura videbuntur, expendenda sunt. Textus ex se difficilis, ut solent esse omnes rarioris argumenti, in quibus mentio est vocum, in cæteris scripturis vel nunquam, vel raro commemoratarum, sententiarum & interpretationum varietate obscuratur. Ipsius facti ratio naturalis scientiæ studiosos exercet, & tantum non solicitos habet occultam imaginationis virtutem nosse cupientes. Nec liquet, quo jure Jacob contra pacti fidem, si ex communi paciscentium sententia spectetur, in fraudem soceri mercedem suam artificio auxerit. Quæ omnia copiosius & plenius exponenda sunt.

ENARRATIO TEXTUS.

I. VUlgatus hanc historiæ sacræ partem ita expressit, ut paraphrasin potius, quam versionem texere videatur. Quare à multis, qui alias in sententias ejus jurare solent, Latina translatio *ut mutila & confusa, atque adeo mendosa* traducitur. Cajetanus in Vulgatum iniquior est, quam ut ferre possit (a) Pererius, dum *nesciri* ait, *quo spiritu antiquus interpres* ista scripserit. Græci verbis pressius inhærent, nec Chaldæi, Syrus & Arabs longius abeunt. Samaritanus codex & versio in referendis verbis à reliquis non multum discedunt, nisi quod, quæ paulo post de somno Jacobi commemorantur, quo artificium ab angelo accepisse creditur, accersita & hic inserta leguntur. Purgare factum à doli suspicione voluisse videntur, ne quis amplius dubitaret, Jacobum potius divino jussu, quam suo ratu fœturam adulterasse.

II. Reliqui omnes Hebraici codicis ordinem secuti, post segregationem pecudis versicoloris factum ipsum subjiciunt, quod Hebræus per ויקח orditur. Ubi nemo mirabitur, facta diversa per literam copulandi virtute præditam connecti. Hæc est linguæ Hebrææ simplicitas, ut magnam conjunctionum & adverbiorum partem unico hoc elemento exprimat, significationem autem ex ipsius sermonis habitu dijudicandam lectoribus relinquat, quam linguæ occidentis peculiaribus vocibus distinguunt. Imo sæpe vel novam orationem, vel novam sententiam, sine ulla connectendi vi, inchoat, juxta tritum illud Judæorum, quod Judaicarum glossarum compilator Salomo ben Melech toties, ubi occasio est, inculcat: ו"ו נוספת לא תשמש כלום אלא שהוא התחלת המלה: *Vau nullatenus servit, nisi quod dictionis initium largitur.* Hic tamen pro אחר positum videtur, quod confirmat Arabs, qui ثم *deinde* reddidit: quanquam Samaritani, dum, quæ infra de visione commemorantur, hic, ut paulo ante dictum est, interponunt, non possunt non suum ࠅ, quod & codex & interpres retinuit, cum illatione accipere, quod etiam fecit Vulgatus, qui hic *ergo* habet. Reliqui Hebræum sequuntur. Usus vero vocis לקח hic est, qui in præscribendis formulis medicamentorum, vel aliorum ἀποτελεσμάτων esse solet: quando in sacris literis, imprimis inter rituum leges, vel vestimenta, vel instrumenta, vel suffitus, vel alia ad sanctam supellectilem pertinentia, confici jubentur. Artis vocabulo Latino dixeris *recipe.* Exempli loco esto descriptio olei (b) sancti, quæ formulæ in scholis medicis usitatæ non est dissimilis. Eum vocis usum comprobant interpretes: cum enim in isto textu קח־לך Onckelos reddidisset per סב־לך, ita hic ויקח cum Samaritano & Syro ונסב effert.

III. Accepit autem virgulta, quæ Hebræus forma singulari מקל appellat. Abenesra ad hanc vocem: בפתח הקוף בעבור שהוא סמוך: *Litera* ק *habet patach, quia in regimine est.* Id ex genuinis linguæ Hebrææ fundamentis fluit, & natura regiminis, quod, dum duas vel plures aliquando voces in unam structuram compingit, accentus valore suo exuit, & plerumque ex dominis servos facit, qui proinde non amplius vocali longæ tutam sedem in syllaba composita, aut collisione duarum consonantium præstare possunt. Singularem loco pluralis apud Hebræos sæpe usurpari, de vocibus imprimis collectam multitudinem aut totam speciem exprimentibus, tralatitium est. Græci LXX. Hebraismum, ut alias plerumque, retinuerunt, dum מקל ῥάβδον vertunt. Iisdem vestigiis insistit Samaritanus interpres, qui hic ࠇࠈࠓ habet, ex Chaldæorum חוטר, facta permutatione ח cum ࠇ, linguis orientalibus solenni. Onkelos, Syrus & Arabs forma plurali utuntur, quos sequuntur recentiores fere omnes, Lutherus, Belgæ, Angli & Hispanus. Chaldæus quidem hic voce חוטרין utitur, cujus usus latius patet, cum modo de herba, quam dipsacum appellamus, modo de caulis ovium, ex virgultis pluribus contextis, usurpatur. Nullus vero hic alius vocis sensus est, quam in isto Judæorum proverbio: (c) זרוק חוטרא לאוירא אעיקריה קאים: *projice virgultum in aërem, in radicem suam consistet;* quod scite in eos convenit, quorum actiones ingenium consequuntur. Scilicet de virgultis, ab arboribus recens resectis, capiendus est locus iste, & quæ non dissimilia fuere iis, ex quibus caulæ texi solent. Arabs hic عصي habet, generale lignorum cujuslibet generis nomen: Syrus vero speciatim figuram indicare voluisse videtur, dum ܘܡܩ̈ܠܐ reddidit, quod virgam in aculeum effigiatam denotat, & pro Hebræo דרבן à Chaldæis interpretibus usurpatur. Subtilia scilicet virgulta esse oportebat, nec crassiora, quam pro indole negotii par erat. Quæ de virgis istis in Cabbalistarum (d) scriptis memorantur, similia sunt iis, quæ de baculo Jacobi ex iisdem nugatur Franc. Georg. Venetus in (e) problematibus suis in Genesin. In libro, qui *Porta lucis* inscribitur, memoriæ proditum, baculum istum Jacobi fontem esse Berseba, qui eum postea Isaaco tradiderit, à quo eum Jacob acceperit, quo solo instructus Jordanem transiverit, & omnes divitias sibi comparaverit. De hoc sermonem esse, quando Jacobus ad Esavum dicit, *de toto vel de omnibus mihi dedit Dominus.* Mirum, si non eidem ovium variegandarum virtutem tribuant. Sed mittimus nugas, & vestigiis textus insistimus, qui, cujus generis virgulta ista fuerint, diserte exponit.

IV. Tres arborum species nominat, quarum frondibus Jacob in adulteranda fœtura usus est, quæ tamen non æque facilem explicationem habent. Multi olim & nunc spem suam in exponendis locis, quæ ad rem herbariam, aut plantarum arborumque notitiam pertinent, adeo abjiciunt, ut, sacros scriptores non semper propriis nominibus exprimere ejus generis materias voluisse, putent, sed generalibus appellationibus non raro plures species designasse. Mihi vero nunquam probata est istorum sententia, qui ita de sacris scriptoribus sciscunt, quibus nec facundiam ad exprimendum, quod vellent, nec voluntatem defuisse arbitror, sed nobis potius subsidia intelligendi, non tam nostra culpa, quam temporum injuria amissa. Quid enim mirum, nomina, quæ tam ingenti seculorum intervallo in usu non fuerunt, obscura esse? Mihi semper persuasum fuit, antiquissimos interpretes, quanto ad tempora ista, eo ad veritatem istarum rerum accessisse propius. Originationes peregrinæ, Arabicæ & similes, sæpe non tam tutæ, quam eruditæ sunt, cum in ista linguæ amplitudine vix fieri possit, quin similes origines inveniantur; sed an semper sacræ voces, quæ aliquid obscuritatis præ se ferunt, ad eas exigendæ sint, valde dubito. Fallor an à pluribus recentiorum interpretum in eo genere peccatum est?

V. Speciatim singulas illustrare operæ pretium est. Primo loco divinus scriptor nominat לבנה addito epitheto לח, quod tamen potius ad מקל spectare videtur, quo etiam Onkelos (f) retulit, dum eodem casu construxit חוטרין רטיבין, nisi potiorem accentus & formæ rationem habere velis, cum utplurimum accentus conjunctivus & forma regiminis arctiorem nexum significent. Quænam autem arboris species hic intelligatur, non convenit inter interpretes. Vulgatus *virgas populeas*

(a) *Pererius quæst. in Genes. XXX.* (b) *Exod. 30: 24. seqq.*

(c) *R. Salomo Genes. 21.* (d) *Cabb. Denud. P. 1. p. 552.* (e) *Mersenn. Quæst. in Gen. annexis probl. CCXVIII.* (f) *Ben Melech Michl. Jophi ad h. l.*

puleas virides interpretatur: Græci ῥάϐδον συρακίνην χλωρὰν, *virgam recentem arboris styracifluæ*: Samaritanus ... *virgam populi viridis sive recentis*. Iisdem verbis expressit Chaldæus solo numero variato; Syrus vero paulo aliter, ac si non agnosceret distinctam arboris speciem, ... *virgas albas & humidas sive recentes* reddidit. Arabs autem Græcos ante oculos habuisse videtur, quando ῥάϐδον συρακίνην χλωρὰν, ... *ligna arboris styracis humidæ sive viridis* interpretatus est. Nam ... ut Golius ex antiquissimo Arabum lexico Gieuharis, & Ibn Beithar libro de *medicamentis simplicibus* observavit, arborem notat, quæ lac instar mellis emittit, ex quo suffitus fiunt: quæ sine dubio styracis arbor est. Dudum R. Jonæ visum est Hebræorum לבנה recte ab Arabibus expressum per ... Sententiam ejus laudat compilator ad vocem istam: לבנה הוא עץ שנגזרתו לבן וכתב ר' יונה כי הוא הנקרא בלשון ערבי לובני: *est vero* לבנה *nomen arboris, derivatum ex* לבן: *scribit autem R. Jonas, quod apud Arabes arbor ista appelletur* לובני, *sive arbor styracis*. R. Salomo alibi descripserat: עץ שקליפתו לבנה *arborem, cujus cortex albus est*; hic vero expressius speciem nominat. עץ הוא ושמו לבנה כמה דתימר תחת אלון ולבנה ואומר אני הוא שקורין (בלע') טרנ"בלה שהוא לבן: *arbor est, cujus nomen est* לבנה, *sicut dictum* (*Hos.* 4.) *sub quercu & populo; existimaverim, ipsam arborem intelligi, quæ* (*Gallice*) *vocatur tremble, est enim alba.* Judæos Germanos *Espen* interpretari Munsterus testis est. Hos sequuntur interpretes Christiani plerique, Lutherus, Belgæ, Angli; Hispanus *alamo* reddit, quod commune ulmi & populi nomen est.

VI. Hactenus interpretum sententiæ, ex quibus, quæ ad veritatem propius accedat, non ita pronum est dijudicare, in re sua natura obscura, & ubi partium, inter æqualia pene rationum & autoritatis momenta, certamen est. Ad tria tamen capita revoces autorum scita. Communissima, & tantum non antiquorum & recentiorum omnium autoritate firmata sententia est eorum, qui *populum* hic intelligunt. Altera probabilior Græcorum & Arabis, qui *arborem styracinam* interpretantur, quam rationibus non vanis tueri facile est. Tertia prorsus negat hic peculiarem arborum speciem commemorari, & ad virgarum colorem & virorem refert, quicquid alii de arbore peculiari accipiunt. Sed eam, nulla probabili ratione nixam, Syro ejus autori, sed sine pedaneo, relinquimus, nisi forte idem volunt Bereschit Rabba & Jalkut, in quibus verba ista מקל לבנה לח ולוז וערמון exprimuntur sequentem in modum: חוטר רטיב דלוז וד דלוב *virga recens coryli & castaneæ*. Cur vero Græcorum & Arabis sententiam vulgari præferendam duxerim, causis addicam necessariis. Nondum convenit inter eos, qui populum intellectam volunt, de qua specie hic sermo sit. Constat enim experientia teste, plures earum esse: Plinius albam, nigram, & Libycam nominat. Hinc Chaldæi Onkelos & Jonathan cum Samaritano Hebraicum recte se expressisse arbitrati sunt, si לבן quod *populum albam* vertunt, servata eadem originatione redderent. Judæi recentiores *nigram* malunt hic intelligi; & forte Libyca Plinii est genus illud, quod vernaculo vocabulo *Espen* appellamus, & teste Munstero à Judæis Germanis hic pro לבנה accipitur. Verum enim vero dum singularum descriptiones accuratius expendimus, nullam neque cum eis, quæ alias de arbore ista in sacris literis commemorantur, nec præsenti negotio convenire, deprehendimus. Nam etsi apud divinos scriptores rara vocis לבנה mentio est, nec præter hunc locum alibi, quam apud Hoseam semel occurrit, quod ipsum difficilem reddere interpretationem solet, vel hinc tamen accuratius de arboris conditione judicare licet. Dum enim (g) illic inter arbores ponitur, quæ copiosa sua umbra lucum facere possunt, in usum cultus nefarii, nullo modo populus intelligi potest, cui Plinius (h) umbram denegat. Nec facile ulla populi species isti negotio apta fuit; quæ in hoc conveniunt omnes, quod constent foliis raris, exiguis & trepidantibus, cum tamen illa claris verbis describatur כי טוב צלה, quod Chaldæus recte vertit, ארי מפני טוליה *quia densa umbra ejus.* Umbra vero populo nulla, ludentibus foliis, pediculo tremulo perpetuo inter se crepitantibus, quamvis nulla, vel leviore aura, cœlo sereno impulsis. Quare cum vitibus instar ulmorum in Italia conseruntur. Observavit id Lutherus, qui in Hoseæ loco interpretando quidvis aliud, quam populum reddere, maluit. Videntur autem potissimum originationem secuti, qui primi ad populum albam retulerunt, ob albicantem arboris corticem & pallorem foliorum, quamobrem non injuria לבנה dici contigerit, sicut Græcis λεύκη. Verum id demum valeret, si res aliunde certa esset, & nisi repugnaret instituto operis præsentis. Sane virgulta ex populo alba vel ideo non satis ad artificium istud idonea fuerunt, quod propter album colorem, qui naturalis & congenitus ipsis est, vix notabili discrimine corticem ab alburno in remoti corticis spatiis discernerent, cum tamen vel maxime necesse esset, insigniori colorum differentia brutorum animantium sensus percellere, ad alia omnia vago impetu alias raptos, quam ad hoc unum, quod sensum nec movere, nec retinere ex sua natura posset. Si vero vis originationis perit, in qua tamen fundamentum interpretationis suæ constituerunt autores, nihil causæ superest, cur ad populum nigram aut Libycam referre malimus, quam ad albam. Accedit, quod obscurum, an in Orientis regionibus istud arboris genus tam frequens fuerit, sicut in nostris, cum, teste (i) Plinio, vix alia ligna ibi in usu sint, quam odorata. Tutius ἔτυμον, si originationi omnino inhærendum esset, nobis suppeditant materiæ medicæ scriptores Arabes, paulo ante in testimonium citati: consentiunt interpres Arabs & Græci LXX; nec repugnat historia naturalis arborum in istis regionibus. Non enim ἐτυμολογία vocis לבנה ex cortice petenda videtur, sed potius ex succo albo, quem arbor ista fundit, qui antequam concrescit, & postquam iterum liquescit, colorem lactis præ se fert, ut testantur laudati Arabum scriptores; vel etiam ex foliis albicantibus, qualia styraci tribuunt rei herbariæ scriptores. (k) Quare recte Arabs interpres sacræ scripturæ לבנה ... vertit, quod ejusmodi arborem significat, cujus descriptio styraci apprime convenit. Unde tanto evidentius ad asserendam Græcorum interpretationem documentum suppetit, qui hic ῥάϐδους συρακίνας legunt, quorum autoritas imprimis valere debet, cum externorum scriptorum de styrace, & terra ejus natali testimoniis comprobatur. Plinius (l) affirmat, styracem in Syria vulgo nasci, ut etiam inter alia ligna odorata in usu promiscuo sit: eo suffire tecta, abigere fastidium aliorum odorum ex thuris & myrrhæ, quarum lignis cibos coquunt Sabæi, fumo & nidore. Ex styrace in Syria oleum styracinum componi (m) Dioscorides testis est. In Syria, Cilicia & Pamphilia crescere, & inde in Italiam & Galliam propagatam, Matthiolus (n) refert. Qui vero antiquis fabulis fidem habendam duxerit, quibus vulgatum est, ex populi lachrymis in Padum defluentibus (o) succinum coire ac indurari, is non difficulter adduci poterat, ut crederet, styracinas LXX. interpretum virgas à populeis non esse diversas, quod perperam à nonnullis factum est. Verum quicquam resinæ, præter oculos primo vere, populum fundere, nullis hucusque experimentis cognitum est; succinum vero non arboris sed terræ, imprimis Borussicæ, succum esse, & in propriis venis, reliquorum metallorum instar, gigni, quis post (p) inspectionem ocularem & certissimas demonstrationes amplius dubitet? Cum itaque & nominis ratio, & indoles negotii, cui inservire debebant, & lignorum ejus generis in istis regionibus copia, & interpretum autoritas pro styrace pugnent, merito sententia de populo, istis rationibus destituta, rejicitur. Superest epitheton לח, quod adeo faciliorem habet interpretationem, quia plerique interpretes idem sentiunt, & viride sive recens exponunt, nisi quod numero varient nonnulli, qui מקל in plurali efferunt, cum quo servato numero construunt epitheton, ut significent, לח non solum ad לבנה, sed ad omnes arborum species, in textu memoratas, pertinere. Verum ob causas alibi allatas relinqui potest voci לבנה, ut tamen exponatur secundum vulgatam Judæorum regulam: מושך עצמו ואחר עמו *quod cum sequentibus repeti debeat.* Ita postulat artificium, quo præparari debebant virgulta ista ad finem consequendum. Ut enim facilius & expeditius cortex removeri posset, succi plenas oportebat esse arbores, quod contingit vere novo, antequam liquor se in folia, frondes & germina effundit, quo tempore fœturam institutam fuisse probabile est. Inclinata vero sub autumnum tempestate exarescit succus nutritius, arctiusque cortex fibris implexis ligno adhærescit, ut non tam facile removeri possit.

VII. Quæ sequuntur virgultorum nomina, non minori urgentur difficultate. Sunt enim ex iis, quorum interpretatio ob raram in scripturis mentionem aliunde arcessenda est. Hebræus codex לוז habet, quod retinuere Samaritani, Chaldæus & Sy-

(g) *Cap.* 4. (h) *Plin. Hist. nat. l. XVII. c.* 12.

(i) *Hist. nat. l. XII. c. XVII.* (k) *Matthiol. Herb. lib. I. cap. XIX.* (l) *Hist. nat. lib. XII. c. XVII.* (m) *Schrœter. Pharm. l. IV. c. I. II. n.* 405. (n) *Herbar. l. I. c. XIX.* (o) *Remb. Dodonæus Pempt. VI. l. IV. cap.* 14. (p) *Vid. Hartmanni Succini Prussici Historiam phys. & civil. Francof.* 1678

& Syrus, apud quos *amygdalum* ſignificat. Ex quo virgas ſuas etiam Vulgata Latina amygdalinas appellat. Generali voce nucis Græci & Arabs utuntur. Recentiores interpretes plerique, præter Hiſpanum, qui *almendro* amygdalum reddidit, *corylum* hic intelligunt, ſecuti fortaſſe Judæorum interpretamenta, vel quia in re dubia, quod non raro contingit, familiaria quam peregrina nomina ſectari malunt. Compilator: (q) הוא שקורין לו בלעז אוילײנו: *Hæc eſt arbor, quam barbare* (*Latine*) *avellanam vocant.* R. Salomo: ועוד לקח מקל לוז עץ לוז שגדלין בו אגוזים דקים קולדרי בלעז: *Accepit etiam virgam* לוז, *arborem, quæ nuces minores profert: corylus lingua barbara.* Rectius R. Saadias, quem Aben (r) Eſra in teſtimonium citat, amygdalum explicat, & ſuæ interpretationis rationem ex lingua Arabica accerſit: והגאון אמר כי לוז שקדים בעבור שנקרא כן בלשון ישמאל כי השי לשונות והארמית ממשפחה אחת הוא: *Excellens* (R. Saadias) *dixit, quod* לוז *ſignificet* שקדים *amygdala* (ſ. arborem amygdalorum) *ideo quia Arabice ita vocatur. Nam hæ duæ linguæ, Hebræa & Arabica, cum Chaldaica unam habent originem.* Magna eſt utriuſque autoritas inter ſuos, ſed nolim tamen cum iis ad linguam peregrinam provocare, ſi de genuino vocis ſignificatu ex domeſticis documentis conſtaret. Nemo itaque nobis vitio vertet, quod, ad aſſerendam Vulgatæ lectionem, vocem in ſacris literis ſemel duntaxat appellativo nomine memoratam, ad Arabicas origines revocemus. Siquidem in iſta literatura non ſolum frequentatur لوز *amygdalum*, ſed etiam مَلوزة *terra amygdalis abundans* & ملوز amygdalis infarſit. Quæ etymologia Chaldaicarum paraphraſeon autoritate comprobatur, quæ, ubi apud Hebræos שקדים occurrit, quod ſine dubio amygdala ſignificat, לוזין reddunt. Taceo quod Druſius, in notis ſuis ad lectionem LXX. καρυΐνην, ſcholion citat ἀμυγδαλίνην, & ex Gloſſario Philonis in nomine Jeſu Nave, ut etiam ex Quæſtionibus Hieronymi, Luz per amygdalum explicatum. Nec obſtat duplex nomen: etſi enim in pleriſque linguis contingit, ut eadem & arboris & fructus appellatio ſit, hic tamen nihil impedit שקד pro fructu; לוז pro arbore accipere. Fuiſſe vero (s) amygdalarum copiam in iſtis regionibus, teſtatur nomen loci, Jacobi (t) viſione nobilitati, qui priſtinum ejus nomen לוז in בית־אל commutavit. Equidem inficiari non poſſumus, vocem iſtam pluribus patere ſignificationibus. Nota ſunt, quæ de oſſiculo iſtius nominis Judæi nugantur, & ductu eorum fanatici quidam, qui illud incorruptibile affirmant, & ejus beneficio totius corporis reſurrectionem futuram. Invenias nugamenta iſta in Zohar, Baal Aruch & Rabboth, quæ loca curioſe annotavit (u) Buxtorfius. Neque etiam negari poteſt, in vetuſtis Judæorum ſcriptis pro corylo uſurpari, vel alio quodam nucis genere, cujus fructus intra trium ſeptimanarum ſpatium ad maturitatem pervenit, ſecundum illud Talmudicum: תרנגולות בכ״א יום וכנגדן באילן לוז: *Gallinæ excludunt ova XXI. diebus, quibus reſpondet inter arbores* לוז. Quod dum de amygdala affirmari non poteſt, ad aliud fructuum genus referendum eſt, quod citius matureſcit. Verum licet admittamus, ſub לוז corylum aliquando intelligi, hic tamen vel ideo locum habere non poteſt ea interpretatio, quia ejuſmodi virgulta ob corticem albicantem ad uſum deſtinatum inepta fuiſſent; neque enim cortice per intervalla amoto tam enormi diverſitate variegari potuiſſent, quam ad excitandos brutorum animantium ſenſus opus erat. Franc. Georg. Venetus (x) virgas avellanas, ſive de corylo, ideo mavult, quia præſtigioſæ ſint, & ad inſtitutum Jacobi tanto fuerint aptiores, quibus non perperam, ſed ſapienter uſus divinum influxum excitaverit. Sed commentum iſtud non placet (y) Merſenno, qui id inter nugamenta Veneti putat: indignatur enim, ſanctiſſimo patriarchæ per calumniam magica & ſuperſtitioſa artificia tribui. Verum de eo ſuo loco copioſius agendum erit.

VIII. Nondum deſerimus Vulgatam Latinam, quam ſicut in explicanda voce לוז, ita etiam in ערמון defendemus. Secuta videtur LXX. qui ῥάβδον πλατάνου tranſtulerunt. Neque hic diſcedunt à verbis ipſis Samaritani. Chaldæi, Syrus & Arabs דלוב reddunt, cujus diverſa interpretatio diverſas ſententias peperit. Populum intellexit interpres Syriacæ & Arabicæ verſionis; caſtaneum vero recentiores vernacularum verſionum authores, Lutherus, Belga, Anglus, Hiſpanus, ſecuti autoritatem Judæorum, Kimchi & Salomonis. Ille ad (z) Ezechielem, ubi ערמונים occurrit: הוא אילן שקורין קשט״ניר בלעז: *Illa eſt arbor, quam Latini caſtaneam vocant*; compilator ubique: ערמון & ערמונים קשטניר בלעז: *Armon & Armonim caſtanea in lingua barbara.* LXX, vel quicunque illorum nomine prophetarum monumenta Græcis intelligibilia reddidit, ערמונים apud Ezechielem ἐλάτην interpretatus eſt, quæ vox apud Græcos abietem ſignificat. Lutherus in ſcholio ad marginem de acere ſciſcit, forte eos ſecutus, qui acerem majorem platanum noſtratem eſſe putarunt, decepti appellatione Gallica *plaſne*, & foliorum quadam ſimilitudine. Quo ipſo tamen ad rectam præſentis loci interpretationem propius accedunt. Omnino enim verior Druſii ſententia de platano videtur, qui דלוב, vel Rabbinorum דולפי ex Arabico دلب explicat, quod apud Stephanum, Arabicarum vocum collectorem, & in Pandectis Medicinæ platanum ſignificat.

IX. Hucuſque materia & inſtrumenta artificii, nunc quomodo ea effinxerit patriarcha, aptaveritque ad uſum deſtinatum, operæ pretium eſt conſiderare. Illud in hanc fere ſententiam Hebræus exponit: Incidit Jacob in illis inciſuras albas amoto cortice, ut album appareret in virgultis. Vulgatus πελφέζς: *ex parte decorticavit eas, detractiſque corticibus, in his quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit: illa vero, quæ integra fuerunt, viridia permanſerunt: atque in hunc modum color effectus eſt varius.* Lucem fœneratura expoſitio iſta loco per ſe non adeo obſcuro, tenebras affundit. Habent, cur conquerantur Cajetanus & Pererius de interpretatione Vulgati, & perturbato dictionis ordine. Quis interpretum negotium iſtud non ita expoſuit, ut virgas amoto per intervalla cortice verſicolores redditas fuiſſe exiſtimaverit? Sed Latinus alias omni cortice denudatas, alias integras manſiſſe, non obſcure affirmat. Græci Hebraici ſermonis brevitatem felicius explanant; nec diſcedunt à vero ſenſu: καὶ ἐλέπισεν αὐτὰς Ἰακὼβ λεπίσματα λευκά· καὶ περισύρων τὸ χλωρὸν, ἐφαίνετο ἐπὶ ταῖς ῥάβδοις τὸ λευκὸν, ὃ ἐλέπισε, ποικίλον. Orientales verſiones Chaldaica, Samaritana, Syriaca & Arabica veſtigiis Hebraici textus preſſius inſiſtunt; communis enim illis linguis eſt diſerta illa in eloquendo ſimplicitas, quam non aſſequuntur, etſi omnes intendant nervos, occidentis linguæ. Quare vitio illis, imprimis vernaculis, verti non debet, ſi à verbis aliquantum diſcedunt, ut intelligentiam legentium juvent, & peregrinam linguam ad popularis idiomatis captum accommodent. Speciatim autem ſingula nunc curioſius perſequenda ſunt. Abeneſra ad vocem פצל ſcribit: הטעם כרת כריתות קטנות: *ſignificat incidere inciſuras parvas.* Compilator: ענינו חסרות הקרף מעל העץ בעודו לח: *ſignificat detractionem corticis de ligno adhuc viridi.* In ſacris literis vox iſta, præterquam hoc loco, non occurrit; frequentatur vero in antiquis Judæorum ſcriptis ſignificatione findendi. Loca annotavit (a) Buxtorfius, ex quibus ille ſuper inſcriptione Pſalmi 22. על אילת השחר ex Ioma notatu dignus: מה אילת זו קרניים מפצילות לכאן ולכאן אף שחר זה מפציל לכאן ולכאן: *Quid eſt cerva? habet cornua diviſa huc & illuc; etiam aurora diviſa eſt huc & illuc.* Hinc apud eoſdem eſt nomen פצולין *filamenta, cortices.* Chaldæus vero expreſſius rem deſcribit, uſus verbo ſpecifico, derivato à קלף cortice, quem ſequuntur Samaritanus & Syrus. Arabs uſurpat قشر quod idem eſt ac *excoriare.* In eandem ſententiam tranſtulerunt in linguas ſuas vernaculas interpretes recentiores. LXX. λεπίζειν adeo non diſcrepat à פצל ſignificatione, ut etiam, ſi originationes ex iiſdem vel ſimilibus elementis peregrinæ linguæ ſectari velis, alterum alterius natalibus præfuiſſe, tuto affirmare poſſis. Quod etſi in linguis ſua natura diverſis non raro ineptum eſt, non prorſus tamen vanum & ſine omine eſt, ſi in eadem lingua vel cognatis ſine enormi mutatione fieri poſſit. Quis enim reprehendet פצל ex פסל explicantem, quorum media litera levi diſcrimine à ſe invicem diſſidet? Sicut vero פסל ſignificat exſculpere & effingere aliquid ad imaginem hominis vel bruti, ita פצל incidere vel radere ſuperficiem aut corticem virgultorum.

X. Pergit ſacer ſcriptor in deſcribenda virgarum figura, quam patriarcha effinxit. Inciſas, ait, פצלות לבנות inciſuras ſeu ſtricturas albas. Mos eſt loquendi apud Hebræos verbis conjungere nomina ejuſdem (b) originis, dum addere ſenſibus pondus inſtituunt, vel actionibus proprios effectus aut objecta aſſignant. Poſterius hic uſu venit, quando ויפצל cum פצלות conſtruitur. Eodem modo expreſſerunt Chaldæus, Samaritanus, Syrus & Arabs, quibus ille mos loquendi communis eſt, quem etiam Græci LXX, retinendi Hebraiſmi ſtudio, ſectati ſunt. Vulgata Latina hujus elegantiæ nullam rationem habuiſſe videtur, dum novo & alieno interpretamento, paulo ante indicato, locum iſtum interpolavit. At vernacula-

(q) *R. B. Melech ad h. l.* (r) *In Not. ad h. l.* (s) *Buxtorf. Lex. Talmud. pag.* 1129. (t) *Geneſ.* 28:19. (u) *Buxtorf. l. c.* (x) *Probl. CCXX.* (y) *Comment. in Geneſ. Append.* (z) *Cap.* 31. *vſ.* 8.

(a) *Lexico Talmud. pag.* 1784. (b) *Glaſſius Gr. S. p. m.* 335. (617.)

naculárum versionum per Europam autores eandem deserunt, quia eos vel ista felicitas destituit, vel copia linguarum voces sufficit aptiores, vel auribus aliquid dare coguntur: quæ familiari dictione magis ducuntur, quam ad peregrinæ linguæ habitum composita. Anglum & Hispanum laudasse satis est, reliqui plurimorum usui patent. Ille: *and pilled white strakes in them*; hic: *Y descortezo en ellas unas mondaduras blancas.* Uterque ita exprimunt textum, ut, etsi non assequuntur linguæ sanctæ proprietatem, scite tamen variatarum virgarum rationem indicent. Imo, dum voce non licet, sensu Hebræam dictionem æmulatur Hispanus, apud quem *mondaduras* idem est, ac putamina & cortices fructuum recentium. Cui dum *unas* addit, satis aperte significat, certa duntaxat intervalla amoti corticis esse intelligenda, & stricturas candidas, per virgultorum nigricantem superficiem sparsas, nullatenus vero omnimodam corticis detractionem. Idem est sensus Anglicanæ interpretationis. Recte in hanc sententiam R. Salomo ad vocem פצלות: קילופים קילופים שהיה עושהו מנומר: *detractis hinc & inde corticibus, ut redderet variegata.* R. Levi ben Gersom vero & Abarbanel videntur novos variegandorum virgultorum modos comminisci, tot scilicet, quot ovium versicolorum species inveniuntur. Ille ad hunc locum: הוא עשה מקלות שפצל בהם פצלות ומקום הפצלות היה לבן והקליפה היה שחורה: הנה היו אלו המקלות נקדים וטלואים לפי מה שהיה רוצה יעקב: *Ipse fecit virgas & incidit in illis incisuras, locus vero amoti corticis fuit candidus, cortex vero ipse nigricans. Fuerunt autem baculi isti punctis & maculis insigniti, quales esse volebat Jacob (pecudes suas.)* Eadem fere sunt verba Abarbanelis, ut alter alterum exscripsisse verosimile sit. Verum ista curiositas nobis non placet: satis erat, objecisse bestiis variegatam speciem; natura, quod reliquum erat negotium, suo instinctu & ductu erat curatura, quæ etsi ab objecto externo excitari facile potest, sui tamen in operando juris est, nec facile à rationibus ordinariis discedit. Quid si adeo accurate fœtus ad exemplar imaginationi objectum conformari oportuisset, an etiam viridem virgultorum colorem referre debuissent, contra naturæ leges? Sacer scriptor incisuras virgarum *candidas* fuisse, nec ultra quicquam affirmat, neque quisquam antiquiorum interpretum rem aliter exponit. Cum autem vox פצל paulo generalior sit, ut non modo de incisura, sed etiam de rasura qualicunque accipi potuisset, expressius describere negotium pergit, & incisuram, cum remotione corticis usque ad lignum, hic intelligi, apertis verbis docet: מחשוף הלבן אשר על המקלות: *nudatione albi, quod in virgultis est*, quod in ligno cortice detracto exsplendescit. Sic enim recte מחשוף R. Salomo explicavit: גלוי לובן של מקל כשהיה קולפו היה נראה ונגלה לובן שלו במקום הקילוף: *nudationem albedinis virgulti: quando enim cortices amovit, statim apparuit & retectus est candor, qui antea sub cortice latebat.* Eundem sensum exprimunt versiones orientales: Chaldæus dictione figurata, qua effectus pro causa adhibetur, קלוף חור *detractatione albi*, quod idem est quam *amovendo corticem, ut album appareat.* LXX. diserta paraphrasi rationem facti exponunt: καὶ περισύρων τὸ χλωρὸν ἐφαίνετο ἐπὶ τοῖς ῥάβδοις τὸ λευκὸν ὃ ἐλέπισε ποικίλον. In qua exprimenda desudavit Vulgatus; sed in diversam sententiam abreptus est, ut rationem varietatis non tam in virgis per intervalla incisis, quam diversis quæreret, quarum aliæ omni cortice nudatæ, aliæ integræ fuerint. Quod interpretamentum dum ideo repudiandum esse dicimus, quod non satis conveniat operis instituto, noluimus tamen cum R. Levi ben Gersom & Abarbanele curiosius inquirere in variegationum species, quibus virgas insigniverit patriarcha. Sententiam integram autorum verbis paulo ante exposuimus, nunc fundamenta causæ afferenda, quæ iis istam subtilitatem objecit. Jacob in eadem historia conqueritur de mala soceri fide in pactis servandis, quam in mercedis conditione vel decies mutata expertus erat. Ubi R. Levi modos excogitavit, quibus ista mutatio contigerit: התנאי האחד שיהיו הנקדים ליעקב והשני היה הפך זה והוא שיהיו לו הברדים והשלישי היה שיהיו לו הטלואים והם שהטלאי בהם שחור והרביעי היה הפך זה והוא שיהין ליעקב הטלואים שהיה הטלאי לבן והחמישי היה שהיו לו העקדים והם אשר עקדיהם שחורים והששי היה הפך זה והוא שיהיו עקדים לבנים: *conditio prima pollicebatur Jacobo pecudes punctis notatas, secunda contrario modo affectas: tertia maculosas & quidem maculis nigris signatas: quarta maculis albis: quinta fasciatas, sive quarum pedibus nævi nigri inspersi erant: sexta, quarum pedes nævis albis variegati erant, promittebat.* Ut enim Jacob parata haberet eludendæ fraudis subsidia, & strophis Labanis strophas opponere posset, tot variandorum virgultorum, & adulterandæ fœturæ modos præsto esse oportere, quot vicibus ille mercedem variaret, ne ars sua redderetur inanis, & artificium per dolum Labanis effectu careret. Dum ergo Laban, ut sciscit Judæus, modo punctis, modo parvis, modo magnis maculis iisque modo candidis, modo fuscis insignitas oves in mercedem promittebat, opus sane fuisse, tot modis variare virgas, ut in sua commoda, quæcunque à Labane offerretur conditio, cederet, neque enim aliter sex annorum intervallo decies mutari mercedem à Labane potuisse. Verum nulla alia ratione nititur sententia ista, quam sensu proprio & finito vocum istarum, (c) עשרת מונים, quas tamen sine finitione sumserunt interpretes plurimi. Hoc fundamento sublato non amplius necesse est, confugere ad interpretamentum obscurum, ubi apertus & obvius orationis sensus est.

XI. Virgulta ita præparata objicienda erant bestiis, sed loco, tempore & occasione commoda, qua vagus alias brutorum sensus ad hoc unum intentus esse poterat. Locus erat deligendus, quo fœmellæ maribus mixtæ ad bibendum conveniebant, tempus, quo æstus diurnus sitim excitaverat acriorem, ut avidius faucibus lympham, oculis species versicolores haurirent, occasio, qua mares ad fœmellas admittebantur, ut fœturam recentem imbuerent variegatarum virgarum species. Ista divinus scriptor ita exponit: *Immisit virgulta, quæ cortice nudaverat, in aquæductus, ex quibus bibitur, quo convenire solebant pecudes ad potandum coram pecudibus, ut conciperent, cum ad bibendum venirent.* Ordinem dictionis servant versiones orientales, nec à verbis Hebræi codicis multum discedunt; LXX. vero & eos sectatus Latinus non tam versionem, quam paraphrasin hic texere videntur, non modo verbis, sed etiam sensu ab Hebræo textu paulo alieniorem. Recentiores plerique ordinem mutant, & hyperbata hic statuunt: imprimis verba ista לנוכח הצאן alii statim post אשר פצל, alii paulo post textui inserunt. Speciatim singula cum reliquis obscuris textus momentis expendemus.

XII. Hebræum ויצג generali sensu ponere, locare, constituere, à Græcis & Samaritano retinetur, à Chaldæis vero & Syro præsenti negotio convenienter exprimitur. Onckelos (d) ודעיץ Jonathan נעץ, Syrus ܣܟܨ reddunt, quod significat figere, infigere, inserere. Hunc significatum exemplis Talmudicis illustrat R. Salomo: ויצג תרגום ודעיץ לשון תחיבה ונעיצה הוא בלשון ארמית והרבה יש בתלמוד דצה ושלפה דץ ביה מידי דצה כמו דעצה אלא שמקצר אתל שונו: *Paraphrasis Chaldaica* (Onckelosi) ויצג *reddit* ודעיץ, *sensu infigendi aut inserendi apud Chaldæos. Occurrunt plura hujus generis in Talmud* (Schab. fol. 50. column. 2.) *infigit & extrahit*: (Cholin f. 93. 2.) *figit in eo*: מידי דצה *pro* דעצה, *sed per syncopen excidit media radicalis* y. Hoc vero דעיץ usitata permutatione literarum, unius organi à Jonathane in נעץ mutatur, sensu eodem. Græci & Samaritanus generalius expresserunt ad mentem Hebræi. Nescio autem, quid secutus sit Bochartus, (e) quando *circumposuit* interpretatur. Chaldæi ad modum applicandi virgas respexisse videntur, qui sine infixione virgultorum in alveos vix fieri potuit. Addit, quid infixerit? *virgulta, quæ per intervalla cortice nudaverat*, quod etsi relativa particula significati potuit, cum paulo ante virgæ istæ satis descriptæ essent, ea tamen est sacræ linguæ perspicuitas, ut in minimis aliquando rebus spectatores magis, quam lectores reddere satagat sacrarum literarum studiosos. Iisdem vestigiis institerunt interpretes fere omnes præter Vulgatum, qui relativa voce hic utitur, forte ne obesset paulo ante memoratæ hypothesi virgarum versicolorum expressio.

XIII. Locus non est prætermittendus, quo inserta sunt virgulta. Hebræus רהטים & שקתות nominat; quorum illud vi originationis alveos, in quibus decurrit aqua; hoc conchas aut similia vasa, ex quibus bibunt bestiæ, denotat. Aben Esra: מקום חבור המים שישתו הצאן שם *locus collectionis aquæ, unde bibunt pecudes.* R. Salomo: מרוצות המים בריכות העשויות בארץ להשקות שם הצאן: *aquæ ductus seu lacunas ex terra effossas, ut haustum præbeant bestiis.* Onckelos ברית רהטיא אתר שקיא דמיא: *alvei, locus irrigationis aquarum*, paraphrasi eleganti, quam etiam exprimere conatus est Syrus interpres. Jonathan רהטים exponit מורכיתא, pro quo sub forma singulari Hierosolymitanus habet מרכיותא à מורכא, quod *canalem* vel *aqualiculum* denotat. Græci LXX. Hebræi textus verbis verba appendunt: ἐν τοῖς ληνοῖς τῶν ποτιστηρίων τοῦ ὕδατος. Ληνὸς lacum seu alveos significat, in pratis ad coercendas aquas effossos, ne nimia irrigatio noceat germini. Eo sensu occurrit apud Homerum in hymno ad Mercurium: Καὶ ληνοὺς προπάροιθεν ἀειπετέος λειμῶνος. Ποτιστήριον autem in externis scripto-

(c) *Genes. c. 31. vs. 7.* (d) *In Not. ad h. l.* (e) *Hieroz. P. I. L. 2. c. 49.*

scriptoribus vix invenias. LXX. nonnunquam propria habent, ad exprimendas Hebraici sermonis veneres excogitata. Pro eo tamen externi habent ποτίσεως, sensu eodem, de locis *adaquationis* & irrigationis. An apparatus iste naturalis fuerit, an vero ad aquandas pecudes instauratus, difficulter ex sacri scriptoris verbis cognoscas. Naturalem aquæductum poscere videbatur grex copiosior, qui libero haustu potius gaudet, quam aquis, in vasa non sine molesta opera effusis. Pro altera tamen parte pugnant fontium cœlo sicciore raritas, nec non accurata eorum custodia in historia eadem memorata, ut & controversiæ de puteis effossis, etsi in terris à Labanis ditione paulo remotis. Superest paucis Grammaticæ in voce שִׁקְתוֹת rationem habere. Compilator R. B. Melech בבא מאריך עם החירק אף על פי שאין נקוד פתח עם השוא אותה קורא חטוא כמו פתח ושוא: *Quando occurrit accentus euphonicus eum chireck, & tamen non sequitur chateph patach, tunc legas licet pro scheva simplici chatephpatach.* Putes Judæorum magistros omnes secretas linguæ sanctæ rationes callere, à quibus tamen non raro quam maxime remoti inveniuntur. An suppetit, dices, melior ratio, quam ista compilatoris? Quidni suppetat? Autorem enim genuinam insolentium punctorum causam in ista voce vel ignorasse vel occultasse, adducta solidiore ratione apparebit. Solent apud Hebræos elementa consona, quæ ab organo, quod in eorum pronunciatione afficitur, gutturales literæ appellatæ sunt, repudiare nexum syllabarum ordinarium, scilicet scheva simplex, tam mobile, quod nectit literam *initialem*, quam quiescens, quod nectit literam *finalem*: & loco eorum assumere *chatephatam*, quam vocant, tum quia ob spiritum crassiorem non admittunt exilitatem scheva mobilis, tum quia vel non, vel difficulter cum aliis consonis ad constituendam syllabam compositum, collidi possunt, quo casu nec scheva quiescens locum habet. Hoc non raro imitantur aliæ literæ extra classem gutturalium, quæ tamen ad naturam earum propius accedunt, quales sunt ר & quæ aspirationem in se includunt, ut literæ *bghadhkephath*: nec non ubi ob duritiem collisionis difficilis & impedita foret pronunciatio. Id accidit in voce שקתות quod facilius & expeditius leges שֵׁקְתוֹת quam שְׁקְתוֹת: testem præsentem habes aurium judicium. Fallor an ideo codex Samaritanus, qui tamen raro discedere solet ab Hebræo, hanc vocem alia forma, pronunciatu faciliore, [illegible] permutavit: quamvis hic Moriniani & Capelliani emendationem codicis Hebræi ex Samaritano suasuri essent. Destructa hoc modo collisione, quia nullum scheva compositum quiescentis rationem habere, & ideo nec syllabam finire potest, ש cum chirek brevi constituit syllabam simplicem, quod tamen fieri non potest absque subsidio accentus, cum syllabæ simplici vocalis longa debeatur. Quare accedit methegh, sive accentus euphonicus, & tutam vocali brevi sedem præstat in syllaba aliena. Non itaque ideo sequitur chatephpatach, qui præcessit methegh, ut putat R. B. Melech, sed quia illud sequitur, hoc præmittendum erat: quod fuit demonstrandum.

XIV. Pergit sacer scriptor in describendo loco & occasione: אשר תבאן הצאן לשתות: *quo venire solebant pecudes ad bibendum.* Ita exponendum esse, nimirum per adverbium loci, contextus suadet: ita Onckelos: אתר דאתין ענה *locus, quo veniebant greges.* Eum sequitur Hispanus interpres: *Donde las oveyas venian à bever.* Sed pro adverbio temporis accipi mavult R. B. Melech: אשר פירוש כאשר כלומר בשעה שבא להשקות הצאן: *hoc loco* אשר *idem significat ac quando, ut sensus sit, in ea hora, qua grex venit ad bibendum.* Idem faciunt LXX. & Vulgatus: ex recentioribus Anglus: *when the flocks came to drinck.* Lutherus dum id operam dedit, ut Germanis auribus inserviret expositio, (solet enim ingrata esse in Germanica lingua ejusdem vocis in eadem sententia repetitio) hyperbaton hic admittit, & verba sequentia לנוכח הצאן præmittit, unde non est mirum cur אשר apud eum *relativi pronominis* significationem retineat. Nihil addo de constructione *verbi pluralis* cum nomine singulari: id enim de nominibus, quæ vocant, *collectivis*, seu plura significantibus, tralatitium est.

XV. Quod autem quidam interpretes vernaculi sibi libertatem permiserunt ab ordine textus Hebræi discedendi, factum est magis, ut perspicuitati versionum suarum velificarentur, quam quod series dictorum in Hebræo codice esset perturbata. Eo consilio Angli לנוכח הצאן statim subjiciunt אשר פצל: Lutherus vero, ut paulo ante indicatum est, sententiæ proxime præcedenti anteponit. Videntur tamen id ipsum debere glossæ R. Salomonis, qui ad verba אשר תבאן scribit: ברהטים אשר תבאן הצאן לשתות שם הציג המקלות לנוכח הצאן: *In aquæductus, ad quos conveniebat grex ad bibendum, illic posuit virgulta coram grege.* Si tamen ex accentuum ratione & genio linguæ ordinem textus æstimare velimus, nihil immutandum erat. Tolerabilior vero est quæcunque mutatio ordinis, quam LXX. interpretamentum, qui seriem quidem retinent, sed in alienam prorsus sententiam mutant, dum לנוכח הצאן per ἐνώπιον τῶν ῥάβδων reddunt. Ab angulo seu *agno* ad *baculum.* Vulgata Latina suppressis tantisper verbis sensum eundem expressit. Verum cum neque antiquiorum neque recentiorum interpretum quisquam eorum vestigiis insistat, non necesse est verbum in confutanda ea interpretatione consumere.

XVI. Occasio nunc clarius describenda erat: ויחמנה בבאן לשתות *ut conciperent, cum venirent ad bibendum.* Onckelos in *participio* ex eadem tamen radice ומתיחמן: Samaritanus cum reliquis versionibus orientalibus omnibus idem ἔτυμον sequuntur. Id moris est in sacris literis, à calore aut igne venerearum rerum petere descriptiones. (f) Testes appello loca alia, ubi incalescere idem est ac concipere, & uri idem, ac cupiditate vehementi & inordinata prosequi res venereas. Inusitata hic est forma vocis ויחמנה duorum generum notione insignis, non tamen sine exemplo. Simile AbenEsra observavit ad hunc locum: התחברו פה לשון זכרים ונקבות כמו וישרנה הפרות: *conjunguntur hic masculinum & femininum genus sicut* (1. Sam. 6: 12.) וישרנה הפרות *& recta iverunt vaccæ.* Mysterium subesse putavit R. Hoschaja, quem in testimonium citant compilatores Jalkut & Bereschit Rabba. Id diserte exponit R. Salomo in glossa ad hunc locum: ר׳ הושעיא אומר המים נעשין זרע במעיהן ולא היו צריכות לזכר וזהו ויחמנה: *R. Hoschaja dixit: aquæ factæ sunt semen in visceribus earum, nec opus fuit maribus. Hæc vero est causa, cur dictum sit* ויחמנה, *confusa generis notione.* Egregium philosophema, & Judæo dignum! quid à Judæo expectes in re seria, & ubi ultra Grammaticam sapere vult, nisi vitrea fracta & somniorum interpretamenta? nihil enim à ratione tam alienum est, quod Judæus affirmare non audeat. Rectius AbenEsra, qui domestico testimonio primus inter suos nugari desiit, ad paulo post sequentem vocem ויחמו scribit: אל תתמה בעבור שאמר על הצאן לשון זכרים כי משפט הלשון להפריש בין זכרים לנקבות בלשון יחיד רק בלשון רבים לא יחושו: Noli mirari, quod vox הצאן hic cum verbo masculino construitur. Mos enim linguæ est, tantum in singulari numero differentiam inter masculos & fœmellas curiose observare; in plurali non semper id attendunt.

XVII. Ultimo loco effectus expendendus est. Scriptor divinus: ויחמו אל המקלות *& conceperunt super baculis*: quod idem est, quam admiserunt mares fixo obtutu in virgulta variegata. Ita R. Salomo: אל מראית המקלות *ad aspectum virgarum.* AbenEsra vero מן המקלות *ex virgis* reddit. Samaritanus habet ࠏࠋ ex Ebræo על *super*; sic & Syrus: Græci LXX. εἰς, Lutherus über/ Angli, *before the rods*, & Hispanus *delante de las varas*: quorum utrumque *ante* vertitur. Omnes pro linguæ suæ genio id dicunt, quod in conspectu virgultorum conceperint pecudes; nec percipio mentem antiquæ interpretationis, quæ in Bereschit Rabba, Jalkut & R. Salomonis glossis invenitur. הבהמה רואה את המקלות והיא נרתעת לאחוריה והזכר רובעה: *bestia aspiciens virgas acta est retro, & tunc masculus ei incubuit.* Ut, quasi terrore novæ speciei perculsa, virgultorum aspectum fugere videretur, contra naturam & institutum operis: fixo enim & constanti obtutu erat opus, ut effectus speratus posset consequi. Hæc de usu particulæ: ipsum negotium AbenEsra ad miraculum referre mavult: ורבים יתמהו ויאמרו כי זה פלא ואמת שהוא מפלאות התולדות וכן המשפט אפי׳ האישה שנבראת בצלם המלאכים: *multi mirantur & miraculum hic statuunt. Et sane fœtura hæc est ex mirabilibus generationibus, qualis fuit etiam creatio mulieris, quæ ad imaginem angelorum condita est.* Verum ex naturalibus causis rationem accersunt R. Levi ben Gersom & Abarbenel. Ille in commentario ita philosophatur: כי הצבעים פועלים בלחות *quod colores agant in humores*: idque probat observatione medica: הלא תראה כי ההבטה בדברים האדמים תעורר הדם ותגבירהו וההבטה בדברים השחורים תעורר השחורה ותגבירה: *Nonne vides, quod aspectus rerum rubicundarum sanguinem excitat & sedat, nigrarum vero bilem vel movet vel placat?* Verum de istis in parte physica tractandi erit occasio, hic immorari aliis, quam quæ ad enarrandum textum pertinent, nihil attinet.

XVIII. Successus tandem artificii strictis verbis enarratur. ותלדנה הצאן עקדים נקדים וטלואים *Et pepererunt pecudes fasciatos, punctis & maculis variegatos.* Distincta prorsus colorum genera intelligit R. L. ben Gersom, ut etiam distinctis

(f) *Flacius Cl. v. incalescere.*

ſtinctis conditionibus mercedis conſtituendis deſtinata fuiſſe affirmet: כאשר היה רוצה שילדו עקדים היה משים תיאר המקלות עקדים וכאשר היה רוצה שילדו נקדים היה משים תואר המקלות נקדים כי לבן החליף את משכרתי פעמים רבות: *Quando voluit featuram faſciatorum, appoſuit exemplar virgultorum faſciatorum, quando voluit, ut fœtus nævis minutis inſignitos proferrent, virgulta ſimilia objicit. Laban enim variavit mercedem ejus multis vicibus.* Verum fundamenta iſtius ſententiæ paulo ante labefactavimus. Diſtincta nomina ſunt colorum, non ovium, quas nihil impedit, eaſdem miſtura omnium imbutas fuiſſe. Sigillatim vero expoſiturum characteres iſtos expreſſos obruit materia dicendorum, in quibus excutiendis alii jam tum operam ſuam poſuerunt. Quorum induſtria factum eſt, ut ſuccincta eſſe poſſit noſtra tractatio. Primum עקדים ab עקר *ligavit*, vi vocis variegata punctis ſignificat ex veſtigiis ligationis circa pedes relictis. Ita R. Salomo: משונים במקום עקידתם הם קרסלי ידיהן ורגליהן: *Variati in loco ligationis ſuæ, circa crura nempe anteriorum & poſteriorum pedum.* Aben Eſra: עקדים ברגל והטעם שומו שעקדה הרגל: *faſciati circa pedes: & ſignificat nævum, ubi pes ligatur.* Ritum ligandi ſacrificia ſimul expreſſit R. ben Melech in Michlal Jophi: פירושו שהכתמים שלהם במקום שקושרין אותו היד והרגל שכופפין היד על הרגל וקושרין ובאותו מקום היו כתמיהם לכך קראם עקדים: *Senſus eſt, quod maculæ fuerint eo loco, quo ligare ſolent pedes anteriores & poſteriores, quo ſcilicet anteriorem poſteriori adſtringunt. Sub ea ligatura erant nævi: quare vocavit* עקדים *ſive faſciatos.* Talem fuiſſe ritum in mactandis ſacrificiis, teſtis eſt Friſchmuthius noſter, quem honoris & piæ memoriæ cauſa nomino. Ab horum Judæorum etymologia non multum abludunt antiquiores interpretes. Onckelos רגולין ſenſu eodem, Samaritanus [illegible], quod, ſi vim vocis ſpectes, *laceratos* reddas, ſi uſum præſentem, nævis minutis quaſi ex inciſuris varium. Syrus longius abit. LXX. generalius expreſſerunt. Cætera habes apud Bochartum, quæ exſcribere noſtrum non eſt. Recentiorum interpretum plerique iſtam colorum ſubtilem differentiam non aſſequuntur.

XIX. Altera pecudum ſignatura eſt in voce נקדים, quod punctis inſignitas notat. Aben Eſra: שיש בו נקודות נקודות: *in quo ſunt plurima puncta.* R. ben Melech נקוד רושם הכתמים הקטנים: *ſignificat* נקוד *maculis parvis ſignatum.* Et paulo poſt: נקראו כן הבהמות הלבנות שיש בהם כתמים שחורים או השחורות שיש בהם כתמים לבנים דומות לנקודות: *Vocantur ita beſtiæ vel albæ, quæ maculis nigris ſignatæ, vel nigræ, quæ maculas albas punctis ſimiles habent.* Chaldæi interpretatio non diſcrepat à mente horum Judæorum. Sed diverſa ratio eſt vocis טלואים Judæi omnes magnis maculis notatum explicant. R. Salomo ben Melech: טלוא הוא שכתמיו רחבים כמו מטלאות וכן בדברי רז״ל טלאי על גבי טלאי: *Eſt autem* טלוא *maculis largioribus ſparſum, ſicut* (Joſ. 9: 5. de veſtimentis Gibeonitarum ex pittaciis conſutis) מטולאות *ex laciniis conſuta, & in ſcriptis magiſtrorum p. m. lacinia ſuper lacinia, eadem voce dicitur.* Quandoquidem autem doctiſſimus Bochartus, quæ ad vocum iſtarum נקודים & טלואים etymologiam pertinent, excuſſit & perſecutus eſt omnia, rariſſimiſque obſervationibus ex ſecretiori literatura Orientali illuſtravit, nemo nobis vitio vertet, ſi rebus in æternis illis monumentis obviis hic denuo pertractandis ſuperſedemus, & lectorem curioſum inde repetere jubemus, quæ à nobis non ſine faſtidio erat accepturus: quale ſi forte inter philologicas diſquiſitiones, obſcuras nonnunquam & inficetas, ſubnatum eſt, phyſicæ ἀκροάσεις paulo poſt ſecuturæ illi diſpellendo, & animo à ſeverioribus curis reficiendo operam pollicentur.

M. MICH. BOCCII
DISSERTATIO
De Titulo Joſephi Honorario ad Gen. XLI: 43.

אַבְרֵךְ:

PROOEMIUM.

Dicendum apertè eſt. Valde ſupine atque oſcitanter vivimus. Hiſpanorum Gallorumque & Italorum verba atque voces diſcimus: & poſtquam Claſſes noſtræ alium orbem petivere, etiam cum Indis loquimur barbare. Tam ingenioſi cum ſimus, unam illam non intelligimus linguam, quam profecto unam didiciſſe operæ erat pretium. Quod ſi qui ſint, qui animum ſuum ad pulcherrimum hoc applicant ſtudium, admodum id fit plerumque perfunctoriè. Major enim pars ad fores Ebraiſmi accedit, quod facillimum. Interiora autem ſacraria, Syriaſmum atque Rabbiniſmum, ne voto quidem penetrant. Atqui in Hebraiſmo, quod & quanti ſint theſauri, non eſt eorum judicare, qui ſola verba contextus Biblici ſcire contenti, ſatis ſeſe doctos putant, uti etiam alios docere velint. Errant illi, meo quidem animo. Pergendum ultra eſt, diſpiciendumque, quid Judæi, vernaculi Bibliorum Interpretes, jam olim aut rectè, aut ſecus dixerint. Hoc qui facit, ei jus faſque eſt de iis rebus libere diſſertare, quarum notitia non aliunde erui, niſi ex Sacro Codice poteſt. *Meritò hiſce melle dulcioribus, Magni Philologi & JCTI,* PETRI CUNÆI, *prolegom. in Lib. III. de Rep. Hebr.* (a) *præſentes auſpicor pagellas. Hi etenim noſtratis ſunt ſeculi mores, ut, quæcunque de Vocibus Sanctæ Linguæ difficilioribus tractatio ſuſcipitur, meram judicent logomachiam, non dignam artium Studioſis. Imò multi tantæ ſunt ruſticitatis, ut palam dicere non vereantur:* futuro Theologo haud eſſe neceſſarium, ut in addiſcendis Linguis OO. ſuum maceret ingenium, ſufficere ſaltem, ſi verba legere eaque pronunciare poſſet, in locis verò abſtruſioribus confugiendum eſſe ad Interpretes & Exegetas. *Sed jure meritoque tales cum Perſis Aſinos cum Teſdid vocares.* (b) *Nonne miſerrimè, ſi uni ſeſe interpreti mancipaverit, fidem ſuam in unius reſolvit peritiam & autoritatem, cujus poſſet deberetque eſſe non mancipium, ſed judex atque arbiter? ſi vero multis, infinitis ſeſe immergit dubiis. Hoc*

 igitur

(a) Pag. 336. & 337. (b) Confer. Lev. Warnerus Proverb. Perſ. 29.

igitur mecum pensitato, mentem prius notitia Linguarum OO. imbuere, antequam ad spaciosum Theologiæ campum adscenderem, pertæsus non sum. (c) *Cujus rei quoque hactenus non prorsus infelici usus sum, successu, ut ad fiduciam, publicè quædam cum Commilitonibus conferendi, elatus sim. Præ aliis verò ventilatione dignis arridet non parum illud vexatissimum, quo Josephus in Ægypto jussu Pharaonis acclamatione honoratus, nempe Vocabulum* אַבְרֵךְ. Quale sit, quidve significet, *brevibus præmisso textus authentici commate, ostensurus sum. Tu verò æterne ac Cœlestis Abrech, largire nobis vires, ut rectè intelligamus, quæ percipienda voluisti!*

(c) Vid. Dn. Pfeiffer. in præfat. Comment. in Gramm. Ebr.

Text. Orig. Ebr. Vers. 43. Genes. XLI.

וַיַּרְכֵּב אֹתוֹ בְּמִרְכֶּבֶת הַמִּשְׁנֶה אֲשֶׁר־לוֹ וַיִּקְרְאוּ לְפָנָיו אַבְרֵךְ וְנָתוֹן אֹתוֹ עַל כָּל־אֶרֶץ מִצְרָיִם׃

EXEGESIS.

§. I.



IN miram Josephi Catastrophen! Premebatur antea fratrum odio: nunc ipsi subito offertur Regis favor. Versabatur Patria destitutus in exilio: nunc evadit Dominus terræ, quæ patrem patriamque conservare debet. In locum Pallii, quod detraxit adultera, cedit stola bysso contexta. Manus continuis operibus lassa, aureo nunc condecoratur annulo. Squalidis antea compedibus oneratus, nunc pretiosis ornatur torquibus. Qui antea ministrabat captivis, imperium jam accipit in homines liberos. Qui paulo antea sordibus Carceris includebatur, currui jam regio imponitur. Cujus nomen & fratribus & Ægyptiis erat exosum, jam publice honorariis titulis per præcones cohonestatur. Primus, quem legimus, אַבְרֵךְ est.

§. II. Genuinam Vocis hujus significationem ex Concordantiis desumi non posse, atque sic non exiguam Interpretibus figere crucem, vel ex eo patet, quod לתורה מ"ג eam litera ל, h. e. לית notaverit; De qua nota, quid sentiat celebris Scripturæ Commentator ר"אע è Comm. ad ש"הש cap. VIII: 11. videre licet, quando hæc leguntur: על כן כל מלה שלא נמצא לה חבר במקרא ויש לה דומה בלשון ישמעאל נאמר אולי פי׳ רושה כן א"עפ שהדבר בספק: i. e. *Propterea omnem dictionem, cui non invenitur socius in Scriptura, estque ei similis in Lingua Ismaëlitica, dicemus fortasse ita interpretandam, propterea quod Verbum in ambiguo.* Vult Doctissimus Rabbi, interdum hisce in casibus ad L. Arabicam confugiendum esse. Hinc miris se modis torquent, in vero dictionis אברך sensu inquirendo. Versio, quæ LXXII. Interpret. nomine gaudet, prorsus vocem hanc omisit, forsan ideo, quod dubia ac incerta ejus esset origo. Benedictus Arias Montanus in versione sua Nomen *Abrech* retinuit, ut liberum esset Lectori, exponere, quomodocunque vellet. Sunt enim de Origine & significatione hujus Vocis tot diversæ fere sententiæ, quot Interpres, & tot dividiæ, quot sententiæ. Nos in præsens præcipuas distinctè commemoraturi, tandemque nostram adducturi sumus, citra tamen præjudicium Doctissimorum φιλολογούντων, hac de re aliter sentientium.

§. III. Primum quidem circa hanc Vocem occurrit sententia, quæ risu potius ac sibilo, quam prolixa refutatione digna videtur; scil. JOHANNIS GOROPI, qui, cum Linguæ Cymbricæ antiquitatem inculcare vult, inter alias dictiones, quibus Cymbricam Ebraicæ priorem esse, ostendere audet, hanc quoque vocem אברך in medium producit, quæ apud Germanos inferiores **Obrecht** Summatem significet. Videantur, quæ de ea facetissime disserit Vir incomparabilis Josephus Scaliger. (a)

§. IV. Accuratiore indiget consideratione, altera sententia, quæ plures, & nobilioris nominis sortita est Patronos, qui vocabulum compositum esse contendunt ex אָב & רַךְ. Horum agmen ducunt omnes Targumim, quos propter venerandam antiquitatem cæteris omnibus præponendos esse, merito consultum habemus. Targum Jonathanis, qui omnium hodie extantium antiquissimus est, ante Targum Onkelosi, & ante tempora manifestati Salvatoris conscriptus, sic vertit: וְהָוּוֹ מְקַלְסִין לְקֳדָמוֹי דֵּין אַבָּא לְמַלְכָּא׳ Id est: *Clamarunt ante eum: Hic Pater Regni, vel Regis.* (b) Qui explicationis gratia sequentia quoque annectit: רַב בְּחָכְמְתָא וְרַכִּיךְ בְּשָׁנַיָּא i. e. *Magnus in sapientia, & tener in annis.* Onkelos (Jonathani Prophetarum Paraphrastæ σύγχρον☉, qui ante Salvatoris nativitatem, versionem suam in legem adornavit, quod frustra G. H. Vorstius Not. ad Chronol. Ganz. p. 290. propterea in dubium vocat, quod nec Origenes, nec Hieronymus ambo versatissimi in Lingua Ebræa & Chaldæa, neque ullus Veterum, hujus Onkelosi meminerit, cujus tamen non exiguus poterat esse usus, in redarguendo quoscunque Judæos) דֵּין אַבָּא לְמַלְכָּא וְאַכְרִיזוּ קֳדָמוֹהִי׃ i. e. *Et clamarunt s. præconiarunt ante eum: Hic est Pater Regis s. Regni.* (c) Utrumque enim teste Buxtorfio מַלְכָּא significat. Quo B. Lutherus respexit, quando reddidit: **Der ist des Landes Vater.** Non dissentit tandem ab hac interpretatione Targum, quod nomine Hierosolymitani venit, (quod ita vocatur, quia ex Hierosolymitana Academia prodiit, & in usum vulgi se insinuavit, uti Helvicus; vel à Dialecto Hierosolymitana, qua conscriptum est, uti Maygerus P. 2. p. 59. existimat) quando ita reddit: וַהֲווֹ מְקַלְּסִין קֳדָמוֹי וְאָמְרִין יְחִי אַבְרִי דְּמַלְכָּא דְּרַב בְּחוּכְמָא וְרַכִּיךְ בְּשָׁנַיָּא׃ *Et clamaverunt ante eum, dicentes: Vivat Pater Regis, qui magnus sapientia & tener annis.* Hæ sunt antiquissimæ hujus loci versiones. Quibus tamen mihi nondum persuadere possum, eos autores ad dictiones רֵךְ s. רִיכָא quæ Rabbinis & Talmudistis Regem notant, respexisse. Nam ipse Jonathan & autor Hierosolymitani, mentem suam uberius declarantes subjiciunt; Josephum אב seu Patrem vel Doctorem fuisse dictum sapientiæ scil. respectu & רַךְ tenerum, annis scil. ut אברך idem sit, quod Pater tener. Et huic expositioni favet locus Genes. 45: 8. ubi Joseph ipse gloriatur, se Pharaonis Patrem factum, ut proinde Joseph Pater Ægypti hac voce sit promulgatus eo sensu, quo adhuc Viri Principes & optime de Republica meriti Patres Patriæ vocantur. Ne quis autem miretur, cur addita sit Vox רַךְ i. e. tener, dicunt: hoc ideo factum, cum Joseph tunc temporis, cum hic honor ei exhibitus fuit, juvenis & tenera ætate fuerit.

§. V. Cujus expositionis fautor eximius esse videtur Patrum doctissimus, Linguarumque Peritissimus D. HIERONYMUS, quæst. in Genes. Tom. III. pag. 223. quem secutus B. LUTHERUS in versione, & R. JUDAS, qui JOSEPHUM Patrem vel Senem sapientiâ, tenerum autem annis fuisse notat. Et commode etiam talis compositio statui potest, quia utrumque reperitur vocabulum connexum cum dictionibus aliis, sic רַךְ conjunctum offenditur Zachar. 9: 1. quando legitur חַדְרָךְ, sic Dan. 1: 7. שַׁדְרַךְ. Vox אב frequens quoque est in copulatione cum aliis, ut ex nominibus אביתר אביה אבימלך אברהם, apertum est. Nec cuilibet Sacris literis aliquatenus imbuto obscurum esse potest, vocabulum אבימלך quibusdam Orientalibus cognomentum fuisse. De Philistinis vid. Gerhard. Comm. in Genes. pag. 516. Simon de Muis ad Psalm. 34: 1. p. 153. Lorinus ad eund. locum p. 473. Sic Ægyptii *Pharaones* & postea *Ptolemæi*, Turcæ *Sultanos*, *Sophos* & *Cosroes* Persæ, Romani *Cæsares* &c. suos Reges vocant. Ad hunc ferme modum apud Romanos cognomen in usu est, quando quosdam vocarunt *Patres Patriæ*. Sic Henricum post Ungaricam Victoriam & Ottonem ab exercitu Patres Patriæ vocatos fuisse, testis est Witikindus. (d)

§. VI. Verum enim vero, uti nec huic, ita nec illi, (quatenus אַבְרֵךְ pro Patre Regis exponendum) accedere possumus opinioni. Non isti, licet enim Patroni ejusdem pro se adducant Targum Jonathan & Hierosolym. notum tamen omnibus est, insignem adhuc litem esse, de ejus auctoritate; Ac insuper hæ Paraphrases allegoricam tantum intendunt expositionem, cui immerito literalis præferenda. (e) Deinde concedamus, quoque Josephum adhuc juvenem, hancce ad dignitatem pervenisse, non tamen sequitur, eo etiam respexisse præco-

(a) *Justus Lipsius, Christ. Becmann.*

(b) *Vid. Pfeiffer. Dissertat. de Targ. Th. 3. c. 5.* (c) *Vid. Clariss. Pfeiffer, diss. in h. l. Th. 5. c. IV.* (d) *Casp. Barthius advers. lib. 25. c. 13.* (e) *Vid. Franz. de Interpret.*

præconem vel ex mandato Pharaonis respicere debuisse. Falsum insuper est, Voculam רך inveniri in S. Scriptura, cum alia copulatam. Quod attinet Zach. 9: 1. evictum est, non esse ex רך & חד, sed ex חדר & suffixo ך. Confer. Excell. Phil. B. Joh. Tarnov. in h. l. De altero etiam inter Interpretes valdè controvertitur. Multi enim à Sole derivant, qui Assyriace רך dicatur. Cornelius à Lapide & Jacobus Tirinus à R. Chald. שְׁדַר misit, emisit. Sic Biblia Ernestina exponunt, **Gesandter.** Præterea nomen רך in Sadrach secundum Gesnerum & Orellium luxuriei & mollitiei est nomen, cum tamen nomen Abrech honoris insignis nomen fuerit, ultro ergo sequitur, non eandem esse. Ultimo quoque L. Ebraicæ Tyronibus notum satis, Ebræum sermonem abhorrere valde à nominibus compositis, si quædam Propria excipiuntur. Hoc vero proprium esse, nemo ullus Adversariorum etiam unquam asseruit. (f) *Confer. hic* Clarissimus Pfeifferus *egregiè hac de re diss. qu. XVI. Dissert. V. Quæst. Synopt. p.* 100.

§. VII. Postquam jam satis evictum est, Targum ad רך quatenus *tenerum* significat, respexisse, idque locum non habere posse in textu nostro Geneseos; reliquum jam est, ut quoque ostendamus rationibus, cur non Targumim statuamus explicasse per רִיךְ seu רִיכָא quod significat *Regem.* Hoc quidem vult חמאור הגדול, uti à suis appellatur רש״י: nam dum recenset verba Onkelos, ita exponit versionem ejus ex Talmuth רך בלשון ארמי מלך רך בהשותפין לא ריכא ולאבר ריכא: In lingua *Aramæa* מֶלֶךְ *in Hischótphin non Rex fuit* (de Herode scil. dicitur) *nec filius Regis.* (g) Quo referendi quoque merito sunt Judæi Germani, qui inclinasse eo dicunt Targum, quando glossator ad Germanicam versionem typis Rabbinicis Constantiæ anno שד excusam: יא מיישטר דיש קוניגא: יא איך וויל קניאן אודר דו וולט קניאן אברך מקום הברך: Interpret. Germ. **Meister des Königs.** it. **ich wil knien / oder du solt knien** Abrech loco Habrech. Sic B. Joh. Ern. Gerhardus, (h) allegat quoque versionem aliquam Germ. à Judæo adornatam nostri commatis, quæ sic se habet: אנ׳ זי רופטן פויר אים אויז אברך דז מיינט דער איז איין אוברשטר הויזוואטר צום קוניג או צו זעצן אין איבר אל די לנשפט פון מצרים: **Und sie rufften für ihm aus** אברך, **das meinet / der ist ein Obrister Haußvater zum König / und zu setzen ihn über alle die Landschafft von Mizraim.**

§. VIII. Longe tamen aliter sentire, quam רש״י, non levis nos jubet ratio. Etsi enim concedamus, quod dictio רך & רִיכָא fuerit usitata apud Rabbinos, aliquot annis post Christum natum, inde tamen nondum sequitur, Targumistas huc respexisse: multo minus præcones vel populum Ægyptiacum. Doctissimis enim Viris jam olim haud indoctum ortum est dubium, num Vocab. אברכא vel Chaldæis vel Syris vel Arabibus, vel aliis Orientalibus unquam fuerit in usu. Nemini unquam quamvis solicite evolventi Alcoranum & versionem Arabicam S. Scripturæ, sive alia Arabum monumenta, hanc vocem in significatione Regis occurrisse, omnium fere unus est consensus. Sequentia quidem Lectori sæpe se offerunt, nempe [Arabic], (i) Nec quenquam in Syriacis scriptis, quorum copia hodie nobis concessa est, hocce nominis genus reperturum arbitror, sed potius [Syriac] & [Syriac]. Sic apud Turcas سلطان Tartari خاقان Persæ شاه, quod ultimum quoque Indis atque Arabibus & Turcis commune sit, ac Imperatorem *Regem & Dominum* significet, tradente incomparabili Reinesio. (k) Sic ad oculum patet nostram præsentem cum nulla voce Linguæ OO. convenire, ut inde non immerito & admodum convenienter Abraham de Palmis locum רשי ita referat. *Indicium rei est, quod dixerunt Magistri nostri in Nedarim: & tulit illud R. Salomon in ejus expos. supra legem versu: & vocaverunt apud ipsum* אברך *Abrech,* אב למלך שכן כלשון רומי קוראים למלך רך: i. e. Pater Regis, qui sic in lingua Romana (α) vocant *Regem* רך. Nam multa vocabula origine Græca & Latina, imo Arabica & Persica in Rabbinorum stylo hodie reperiuntur. Unde Joh. Camero (β) scribit: *Varios Barbarismos in Judæorum linguam, postquam inter gentes dispersi fuerunt, irrepsisse, quos admiserint.* Confer quoque, si placet, Barthol. Mayeri Prodr. Phil. S. p. 245. & seq. Hinc Veritati admodum consentaneum est, Vocem hanc רך origine esse Latinam, immiscuisse vero se, una cum infinitis aliis sermoni Ebræo s. Aramæo ac Rabbinico, dum Romani Judæos sibi subjecerunt. Quæ sententia & Schindlero & Martino non omnino displicet.

§. IX. Evolutis jam sententiis eorum, qui Ægyptiorum אברך *compositum* esse statuunt, ordo jam jubet, ut & eorum consideremus mentem, qui vocem hancce pro *simplici* venditant, & non ab אב, sed à ברך derivant. Hic iterum Interpretes in multiplici reperiuntur differentia. Alii enim, quorum agmen ducit Mercerus (γ), putant, idem fuisse, quod Ebræorum בָּרִיךְ *benedictus.* Ideoque censent simili modo, quo populus Salvatori urbem intranti acclamavit: *Hosianna Filio David! benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosianna in altissimis;* Simili, inquam, modo, fuisse Josepho acclamatum: אברך! h. e. *Benedictus sit novus hic Princeps.* Nec diffiteor, vocem בָּרִיךְ apud Ebræos hoc sensu acceptam. Refert enim hoc Hieronymus in vita Hilarionis, *cui quodam tempore Syriam prætereunti, gregatim cum uxoribus & liberis, obviam processisse Saracenos, submittentes colla, & voce Barach, i. e. benedic,* inclamantes. Sed hac in expositione hæc desiderarem, quod frustra & propter nullam causam א sit abjiciendum. Hinc accedimus ad commodiorem translationem.

§. X. Quod Germanicam sive B. Lutheri attinet versionem, notum est, quod pro fausta populi adclamatione hanc dictionem acceperit. Quamvis enim B. Vir aliter senserit, in priori vers. utpote edit. Witteb. anno 1524. reddidit: **Und ließ für ihm ausruffen / daß man die Knie für ihm beugen solt / als den Er gesetzt hatte über gantz Egypten-Land.** Quam versionem suam ita posuit, ut aliorum interpretationes non plane rejecerit, quod tum ex glossis ejus marginalibus hujus loci, tum in commentario ejus in Genesin sufficientissime patet. In posteriori vero Bibl. editione Onkelosum secutus, cujus translationi alias quoque inhærebat, imprimis in locis difficilioribus; sic enim reddidit: **Und ließ ihn auf seinem andern Wagen fahren / und ließ vor ihm her ausruffen: Der ist des Landes Vater. Und setzet ihn über gantz Egypten-Land.**

§. XI. Admodum concinne reddidit *Latina Versio*, quæ alias Hieronymo adscribitur: *Ut omnes coram eo genu flecterent.* Nempe deducit ab eadem radice, sed Conjug. Hiphil, in qua Verbum hoc significat *genu flectere*, & quidem *Imperat.* Nam notum est & deinceps in sententia Buxtorffii dicetur א sæpissime pro ה *Characteristico* adhiberi. Quod etiam vult par eruditissimorum Ebræorum R. Jonathan, & R. David Kimchi pro הַבְרֵךְ dictum esse אַבְרֵךְ. Sic eodem modo cum vulgata, Versio Bibliorum *Gallica*, revisa & cum Textu originali collata per Pastores & Doctores Ecclesiæ Genevensis, excusa Ambstelrodami anno 1635. sic enim ibi legitur: *Et on crioit devant lui, Qu' on s'agenouille. Et il l' est ablit sur tout le pays d'Egypte.* Et omnium maxime perspicue Belgica, quæ de Synodi Dordrechtanæ consilio prodiit: **Ende sy riepen voor sijn Aengesichte / knielt.** Quam probat quoque Junius Lib. 11. Gram. c. 8. Piscator qu. 48. in Genes. & B. Joh. Gerhard. Paræus quoque dicit in Comm. ad h. l. suos vertere, flecte genu. Hinc Aquila per γοναλισμὸν reddidit asserente Hieronymo; Ut proinde frustra Hugo Grotius asseruerit: Vulgatam, cujus alias tenax, parum probabiliter derivasse à ברך, ut observavit Magnif. Dn. D. Calovius, *nostris temporibus* φιλολογώτατος *ac Theologus de Ecclesia meritissimus*, in aureo libro, quem inscripsit *Biblia illustrata* pag. 304. Notum enim omnibus, quod in Oriente crebra fuerit Principum Virorum adoratio, quæ vel erat genuflexio, vel totius corporis ad terram usque incurvatio. Ita ipse Abraham empturus sepulchrum hæreditarium in Heth, legitur incolas *adorasse*, h. e. coram eis se incurvasse, Gen. 23: 7. ita Jacob Gen. 33: 4. Moses *Socerum*, David *Jonathan.* Communiter autem adoraturi adeo se incurvabant, ut fronte terram contingeret. Hunc γοναλισμὸν vel *adgeniculationem* Regibus olim exhibitum docent illi Nebulones, qui tempore passionis coram Salvatore, tanquam novo Rege genua flexerunt Matth. 27: vs. 29. Quæ genuflexio militum, quamvis irrisoria fuerit, docet tamen quis honor olim Regibus fuerit exhibitus. Aben Esra in prima Persona Futuri accipit quasi quisque è turba clamarit: *genua flectam.* (Ita enim de hac voce in Genes. 41. commentatur: אברך כל אדם בר קורא לפניו אברך ואשתחוה ו׳ו׳ המלה מבנין הכבד הנוסף ויברך על ברכיו מהקל וכלם מגזרת ברכים: Sic ejusdem

(f) *Inde discrimen inter Gentilium & populi DEI nomina. Nam 4. istorum juvenum vocabula à vero DEO Isr. nuncup. Assyriaca vero ab Idolorum simulacris.* (g) *H. e. cap. 1. part. IV. tr. 3. Talmuth. Babyl.* (h) *Dissert. posteriori in h. l.* (i) *Unde German.* **Ammiral** *deducit Fabricius Dantisc. Spec. Arab. pag.* 48. (k) *Variarum lect. l. 1. pag.* 119. *Gramm. Ebr. lit. d. 4. b.* (α) *Quæ Lingua in Scholiis* רש״י *edit. Venet.* עֲרמִי *Aramæa legitur, hic à Balmes allegari ex eodem* רש״י רומי *Romana seu Latina.* (β) *Prælect. l. 1.*

(γ) *Apud Pagnin. collation.* 329.

dem opinionis quoque fuit Radak). Qui ergo Abrech h. m. exponunt: *ego in genua procumbam*, volunt, *Pharaonem imperaſſe, ut Joſephus regio cultu adoraretur ab Ægyptiis.*

§. XII. Non ſupervacuum erit, ſi quoque illam, quæ LXXII. Senioribus, autoritate conſpicuis, tribuitur, *verſionem*, ante oculos ponamus. An vero hæc vocem hanc expreſſerit, an vero ſilentii velo involverit, αὐτοψία docebit. Sic enim ſeſe habet illa: Καὶ ἐκήρυξεν ἔμπροσθεν αὐτοῦ κήρυξ. καὶ κατέστησεν αὐτὸν ἐφ' ὅλης γῆς Αἰγύπτου: *Et prædicavit ante eum Præco, & conſtituit eum ſuper omnem terram Ægypti.* Recte de hac verſione cum Leonhardo Mario, & Davide Paræo, ſentit Magnificus Dn. D. Calovius, (l) quando ſic loquitur: *Ideoque peregrinam vocem non intelligentes LXX. Seniores, aut Lingua Græca reddere neſcientes, maluere illam voculam omittere, quam inconvenientem aut falſam adhibere.* Sententia nempe eſt Viri, optime de Eccleſia meriti, Septuaginta vocem hanc non expreſſiſſe. Quamvis enim B. Joh. Erneſtus Gerhard. diſſ. poſter. in h. l. ſumma nitatur ope, quo oſtendere valeat, prædictos Autores vocem Abrech *vertiſſe & appoſuiſſe, eos tamen corrupte, tum quoad conſonantes, tum quoad pauca vocalia legiſſe. Nimirum pro litera ב legiſſe כ; omiſiſſe inſuper א initiale, ceu ocioſum ipſis viſum vel tranſpoſuiſſe. Nam probabile etiam eſſe autores illos uſos fuiſſe Codice Ebræo non punctato, & ſic per puncta alia, ac hodie in Bibliis reperitur, nimirum* כֵּרֵךְ *vel* כֵּאֵרֵךְ, *ac poſtmodum addita terminatione Græca σ, cui, cum כ conjuncto, reſpondet ξ Græcum, ut inde verterint* Κήρυξ. Porro dicit idem B. Vir, *ſi hæc conjectura minus alicui arrideret, ſe aliam allaturum, dicturumve. LXX. ipſam dictionem* אַבְרֵךְ *forſan integram retinuiſſe, ac addita tantum terminatione Græca Σ tranſtuliſſe* ΑΒΡΕΓΣ. *Hanc cum Scriptores, utpote peregrinam, non intelligerent, cognationem vero quandam cum* ΚΗΡΥΓΣ *habere viderent (facta enim modo μεταθέσει literæ A, eademque in H. mutata, nec non pro B ſcrib. K, quæ literæ in majori Scriptura Græca non exiguam habent convenientiam, itemque loco* Ε *ſubſtituendo* Υ, *quod ipſis vocis ſignificatio requirere videbatur, reſultat* ΚΗΡΥΓΣ) *quæ ipſa vox cum textui non adeo refragaretur, probabile eſt, ipſos lateri ſeu margini textus eandem addidiſſe. Creſcente poſtmodum Lectorum ſeu Librariorum ſciolorum, ſeu imperitia, ſeu credulitate nimia, ſeu etiam religioſitate præpoſtera pro Voce* ΑΒΡΕΓΣ *ex* אברך *à LXX. formata, in textum Græcum, marginalem illam dictionem* ΚΗΡΥΓΣ *irrepſiſſe, quam deinde librarios, utpote ſignificationis ratione ipſis magis notam, nec textui reclamantem prompte arripuiſſe, non eſt incredibile. Hæc eſt ſententia B. noſtri Gerhardi.* Sed ſi rem accuratius perpendamus, dicendumque eſt, quid ſentiamus, diceremus, ſalva tamen Celeberrimi Viri autoritate, ea nimis procul petita eſſe. Quod enim primam *Conjecturam* attinet, non mihi perſuadere ullo modo poſſum, hos eruditione excellentes Viros omnes ſimul legiſſe pro ב, כ. Et quod promiſcui & pro lubitu abjicere potuerint א. Exempla, è Lingua Syriaca petita, minus rem ſufficienter probare videntur. Ut jam de poſteriori nil dicam, cum conſtet in textu Græco, non majuſculas eſſe adhibitas literas, ſed minores; hæ vero ex Ebraicis produci vix poterunt. Acceſſum jam faciemus ad ſententiam Buxtorffii, de qua ſit

§. XIII. Supra diximus aliquid de ℞. בָּרַךְ, quæ omnibus fere Orientalibus, pro illis actionibus, in quibus genua flectuntur, vel, quæ tali geſtu fiunt, venit. Putat igitur Philologiæ decus, Joh. Buxtorffius, *eſſe ab hac rad. & quidem Infinit. Hiph.* Quæ ſententia etiam omnium mihi firmiſſima videtur, ac non levibus ſtabilita rationibus. Infinitivum eſſe, patet ex ſubſequenti verbo, quod etiam in Infin. poſitum, atque inter ſe conjuncta per conjunctionem ו, ut וְנָתוֹן אַבְרֵךְ Genua flectenda eſſe; ac dediſſe, ſeu conſtituiſſe eum ſuper omnem terram Ægypti: nempe proclamatum fuit ante Joſephum per præcones regios: *Regem Pharaonem eum conſtituiſſe præfectum Ægypti, ideoque genua coram ipſo flectenda; ac debito honore afficiendum eum eſſe.* Deinde Principes Rabbinorum fere ambabus hanc amplectuntur ſententiam, nempe ר"דק & רש"י, uti de illis teſtatur ר"אע ad Cap. XLI. Gen. vſ. 43. Imo non inuſitatum eſt in S. Script. ut א pro ה *Characteriſtico* ponatur. (m) exempla ſunt in promptu: Jer. 25: 3. ubi אַשְׁכֵּים legitur pro הַשְׁכֵּים *mane ſurgendo.* Eſaiæ 63: 3. אֶגְאָלְתִּי *inquinavi*, pro הִגְאַלְתִּי. It. אֶתְחַבַּר pro הִתְחַבַּר *junxit ſe.* 2. Par. 20: 33. Sic multi etiam in Philologia Orientali Viri excellentes explicarunt: Angelus Caninius, Inſtit. Syr. Aſſ. Talmud. p. 43. Sixtinus ab Amama Gramm. Martinio-Buxt. lib. 1. c. 12. §. 16. Zacharias Roſenbachius (n) Moſe Omniſcio & alii multi. Quam igitur merito noſtram etiam facimus, cum Ægyptiaca Lingua, cui quidam præſens vocabulum accenſent, fere prorſus interciderit, ut non plures quam 20. voces adhuc integræ Ægyptiacæ ſuperſtites ſint, referente Clariſſimo Pfeiffero, hinc nobis magis volupe eſt, certo adhærere, quam in rem amiſſam ſuam reſolvere fidem. (o)

§. XIV. Interpres Arabs vocem אברך quomodo intellexerit, paucis cognoſcendum eſt. Animadvertimus editionem Excellentiſſimi Erpenii dictionem אברך pro Imperativo ſumſiſſe, ut quilibet ipſe videre poteſt, quando ſic vertit: ونادوا قدامه اركعوا والذي اقامه على كنيسة بلاد مصر *Et clamarunt ante eum: genua flectite, qui conſtituit eum ſuper congregationem Regni Ægypti ſive univerſum Ægypti regnum.* Adhibet Verbum Imper. اركعوا, quod eſt à ℞. ركع, quæ in Alcorano quoque Turcarum bibliis occurrit, & genuflexionis ſeu incurvationis & adorationis ſignificationem habet. Sic legimus in Alcorano Cap. 2. واركعي. *O Maria venerare Dominum, & adora & genua flecte cum genuflectentibus.* Quod vocabulum ortum eſt per tranſpoſitionem literarum ex Ebr. כרע, de quo Kimchius in Pſal. 95: 6. ſcribit, quod denotet כריעת הראש עם קצת הגוף *Curvationem Capitis cum corporis quadam parte.* Sic Marcus Marinus de hac voce ſentit, quando ſic de ea loquitur: *Veriſimile eſt, ut ſit ex Hiphil* הברך *Imperativus, Aleph vel errore librariorum, vel etiam debita opera ſcriptum fuerit loco He, ad declarandum honorem maximum, qui habitus eſt Joſepho.* Sed nobis non facile aliquis perſuadere poſſet, א vitio & incuria Typographorum eſſe expreſſum, cum omnes Codices unanimiter conſentiant, & nullo modo ſcripturam corruptam eſſe, ſaniores doceant. Quandoquidem igitur ex hactenus dictis ſatis clare patet, vocem illam אברך convenientiam habere cum omnibus fere Linguis OO. ſi derivetur à ℞ ברך, quæ cultum aliquem civilem importat, quæ Regibus exhibendus erat, perſpicuum etiam erit, habuiſſe etiam analogiam quandam cum aliquo vocabulo Ægyptiaco, licet illo jam deſtituamur. Concludimus illo ex Bava Kama fol. 80. col. 2.

דלת הננעלת לא במהרה
תפתח.

(l) *Bibl. illuſtr. p. 304.*

(m) *Conf. Excellentiſſ. Dn. Sennertus, Præc. Gram. p. 40.* (n) *Medicin. Doct. Prof. Herborn.* (o) *Convenientes cum Ebr. Ling. vid. Diſſert. de Targ. Cap. 2. §. IX.*

WOLFG.

WOLFG. BALTH. RAUNER
DISSERTATIO
De Josepho non ex Scypho divinante ad Gen. XLIV: 5. 15.

PRÆLOQUIUM.

Immensam plane atque admirandam styli Scripturæ Sacræ profunditatem ut & reverenter à nobis adorandam majestatem esse, ejusdem peculiaria tum locutionis, tum dictionis genera, loca difficiliora atque obscuriora reliquis magis perspicuis amœna quadam mixtura, ne fastidium aut nausea cuiquam suboriatur, interspersa; plena item brevitas & brevis plenitudo, apta, atque conglutinata quasi rerum connexio, & simplex non minus veritas, quam vera simplicitas abunde testatum faciunt. Ut profunditas, quantum quidem humana patitur imbecillitas à nobis exhauriatur, doctrinam mediis hermeneuticis, philologico puta, historico & philosophico suffultam, Theologi ac Philologi saniores quique requirunt; majestatem vero irreverentia ne minima quidem lædendam, omnium optimè conservari posse iidem advertebant, si pium, humile ac non profanum accedat studium. Num autem ab interpretibus, commentatoribus atque criticis, qui vel ex professo vel incidenter locum aliquem Biblicum imprimis difficiliorem pertractare animum induxerunt, conditionibus hisce ex asse sit satisfactum, experientiæ equidem rerum omnium magistræ, ac virorum solide doctorum judicio decidendum relinquo. Vereor tamen ne quoad priorem in iis defectus occurrat longe maximus, qui vel ætatem suam in aliis ac ad S. Literarum interpretationem parum facientibus studiis triverunt vel labris tantum supremis genuina & huc quam maximè spectantia degustarunt. Quis enim ex hoc fonte profluxisse non videt interpretum longe plurimorum morem nunquam satis deploratum, quod alii tanquam cœci de coloribus judicent; alii oculos flavo opinionum præconceptarum colore offusos habentes, eodem objectum quoque tinctum putent, atque sic sensum non è Scriptura S. efferre, sed in eam violenter inferre sæpius laborent; alii autem non Spiritum S. ipsum consulere, sed interpretum jam exstantium scruta compilare, & quæ ibidem repererunt, variis modis exornare ac interpolare studeant, ut alia plura quæ afferri possent, taceam. Quod autem vel Epicuri de grege porci vitiorum ac peccatorum; Athei vero vel Atheis viam sternentes pernitiosorum suorum dogmatum probationes atque fulcra inde petere; Critici nimis profani è profanis sacra corrigere, hæcque illis accommodare contra mentem Spiritus Sancti satagunt, ejus, quæ in genuino Scripturæ Sacræ interprete exigitur, pietatis absentiam declarat. Novaturientes, qui veterum pariter ac recentiorum tanquam simpliciorum fastidio ducti, cum alias commode nequeant, è sanctuarii hujus divini destructione cum Herostrato famam quærunt, consulto prætermitto. Quod autem Scriptura S. in genere experta est fatum, idem & locum præsentem, quem accuratius paulo considerandum mihi sumsi, mansisse, neminem facile, qui quidem ea, quæ cap. II. & III. adducta fuere, ὡς ἐν παρόδῳ saltim perlustraverit, inficias iturum confido. Sane è mira sententiarum illarum varietate ipsa luce meridiana clarius elucescit, nonnullos genuinum quidem dicti hujus sensum & indagare & tradere voluisse; media autem, quibus intervenientibus inquirendus is erat, vel contemsisse, vel, quæcunque demum rei illius causa fuerit, non debito modo ad rem præsentem applicasse; Alios è præsenti loco elicere voluisse, quæ Scriptori S. ne per somnium quidem in mentem venere; Alios ad alia dilapsos esse. Fateri equidem necessum habeo, viros doctrina & meritis longe celeberrimos dicti hujus explicationem ita instituisse, ut non tam à scopo Spiritus S. propius abfuisse, quam eundem propemodum feriisse sint dicendi: Spicilegium tamen quoddam idque haud contemnendum mihi, profectuum in studiis specimen Dnn. Patronis atque Mæcenatibus meis exhibituro, in quo ingenii vires tentarem, relictum esse, nullus dubito. Quo autem eo accuratius atque distinctius B. L. oculis cuncta exhibeantur, conspicienda, totam hanc tractationem in quatuor dispescam capita. Horum primum *loci hujus versiones cum facti enarratione*; alterum, *variantes Doctorum Judaicorum sententias*; tertium, *varias Christianorum opiniones*; & quartum *verum atque genuinum ejusdem sensum sistet. Jubeat conatus Deus esse felices!*

CAP. I.
Versiones & Historiam exhibens.

Textus Authenticus.

Genes. XLIV. vers. 5.

הֲלוֹא זֶה אֲשֶׁר יִשְׁתֶּה אֲדֹנִי בּוֹ וְהוּא נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ בּוֹ

Nonne hic, quo bibet Dominus meus in eo? Et ipse augurando augurabitur in eo:

Vers. 15:

הֲלוֹא יְדַעְתֶּם כִּי־נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ אִישׁ אֲשֶׁר כָּמֹנִי׃

Nonne novistis, quod augurando augurabitur vir, qui sicut ego?

Paraph. Chald.

Vers. 5.

הֲלָא דֵין דְּשָׁתֵי רִבּוֹנִי בֵּיהּ וְהוּא בַּדָּקָא מְבַדֵּק בֵּיהּ

Nonne hic calix erat, quo bibebat dominus meus? & ipse quærens quæsivit eum:

Vers. 15.

Verſ. 15.

הֲלָא יְדַעְתּוּן אֲרֵי־בַדָּקָא מְבַדֵּק גַּבְרָא דִּי כְוָתִי:

Neſciebatis, quod inveſtigans inveſtigaret vir ſicut ego?

Verſio Syriaca.

Verſ. 5.

ܘܓܢܒܬܘܢ ܗܢܐ ܐܓܢܐ ܕܫܬܐ ܒܗ ܡܪܝ:
ܐܦ ܡܢܚܫܘ ܡܢܚܫ ܒܗ.

Et furati eſtis hunc craterem, in quo bibit Dominus meus, & per quem augurando auguratur.

Verſ. 15.

ܠܐ ܝܕܥܬܘܢ ܐܝܠܘܢ: ܕܡܢܚܫܘ ܡܢܚܫ ܓܒܪܐ
ܕܐܟܘܬܝ: ܀

Annon ſcitis, quod augurando auguratur vir qualis ego?

Verſ. Græc. LXX. Interpp.

Verſ. 5.

οὐ τοῦτό ἐςιν, ἐν ᾧ πίνει ὁ κύριός μου; αὐτὸς δὲ οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ἐν αὐτῷ.

Nonne hoc eſt, in quo bibit Dominus meus? Ipſe autem augurio auguratur in eo.

Verſ. 15.

οὐκ οἴδατε ὅτι οἰωνισμῷ οἰωνιεῖται ὁ ἄνθρωπος, οἷος ἐγώ;

Neſciebatis, quia augurio augurabitur homo qualis ego?

Verſio Vulgata.

Verſ. 5.

Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.

Verſ. 15.

An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?

Verſio Lutheri Germ.

Verſ. 5.

Iſts nicht das/ da mein Herr aus trincket/ und damit er weiſſaget?

Verſ. 15.

Wiſſet ihr nicht/ daß ein ſolcher Mann wie ich bin errathen könte?

CUm ubertatis ſeptennium, à Joſepho, ſomnii, Regi divinitus immiſſi, interprete feliciſſimo prædictum, elapſum eſſet, fames in Ægypto eſt exorta, quæ uſque creſcens & procedens intra ejuſdem terminos ſe non continuit, ſed diffuſa per omnes ac ſingulas deinceps civitates, regioneſque ad plurimos in circuitu ſitos penetravit populos. Joſephus tum temporis Pro-rex ut frumenta, fertilitatis ſeptennio collecta, dividendo ſervatorem populi ſe demonſtraret, non ſolum regionis illius hominibus forum aperuit, ſed etiam aliorum hinc inde adventantium neceſſitatibus ſuccurrit. Cum autem Juvenis præfecti providentiam, è commeatu in futurum uſum reſervato elucеſcentem fama ubique vulgaſſet: Jacobus illius Parens, qui in Cananæa calamitate communi itidem preſſa tum temporis ſubſiſtebat, deficientibus paulatim neceſſariis vivendi præſidiis, felicitatis Joſephi admodum raræ ignarus, filios ſuos, ſolo Benjamin Pro-regis fratre uterino, domi retento, in Ægyptum frumentatum mittit. Illi iter, quod ingreſſi erant, emenſi, fratrem adeunt, tanquam alienum ſalutant, majeſtate ejus ſtupefacti genua priſco more flectunt, ab eoque, cujus ex ſententia geri videbant omnia, mercatum ſibi permitti rogant. Ipſe fratres venditores ſuos conſpicatus, mox omnes agnoſcit, ſeque lineamentorum corporis mutatione, & ea, qua conſpicuus erat, dignitate obſtantibus, de facie illis ignotum eſſe, haud obſcure animadvertit. Somnii itaque, cui eventum jam reſpondiſſe cernebat, & animorum fraternorum ſibi olim infenſiſſimorum memor, quamvis de rebus ſuis, utpote in vado jam conſtitutis, ſecurus eſſet, de Patre tamen ac fratre uterino varias tacito ſub pectore cogitationes volvere incipit. Ut autem de horum quoque ſtatu certior redderetur, non juvenili vindictæ cupiditate abreptus, ſed magno conſilio perſonam infenſi aſſumit, torvo aſpectu, voceque objurgatoria miſeros territat, atque non frumenti ſolum emendi poteſtatem illis negat, ſed & tanquam ſpeculatores ſe eos comprehenſurum minitatur. Fratres crimen intentatum ea, qua decebat, modeſtia ac humilitate à ſe depulſuri, ajunt, mirari ſe, quod culpæ hujus inſimulentur, cum nec è terra hoſtili advenerint, nec ipſi ullis ſubdoli vel hoſtilis animi indiciis ſuſpectos ſeſe reddiderint. Præterea ab iſtiuſmodi facinoribus plane ſe abhorrere, edoctos id informatione, quæ ſibi contigerit ſub Patre viro ſancto, atque 12. filiorum Parente, quorum tamen unus jam perierit, duodecimus autem domi manſerit. Ille vero hiſce ſe fidem habere non poſſe oſtendit, niſi frater natu minimus adducatur, in cujus rei fidem ſe unum ex ipſis vinctum retenturum. Illi hac ſententia perterriti, ratique jam extremam calamitatem inſtare, lamentabantur fortunam ſuam, crebro gementes, adeſſe diras ultrices fratris per ſummam immanitatem oppreſſi. Hæc & ejuſmodi alia triſtitiæ atque anxietatis ſigna Joſeph obſervans, lacrymas cohibere non potuit; ne autem fratres id ſentientes dolum ſubolefacerent, è medio ſeſe ſubducit. Dolore autem paulum levato, abſterſaque facie reverſus, Simeonem obſidem futurum illis intuentibus, vinciri jubet; Ipſis autem una cum frumento & pecunia clam reſtituta abeundi licentiam concedit. Illi juſto vincti fratris deſiderio capti, nec minus de Patre filii abſentiam ægre laturo ſoliciti, iter domum verſus ingrediuntur, eoque abſoluto, Patri, quæcunque ipſis in Ægypto acciderant, renunciant, poſtulantes, ſi quidem Simeonem vinculis exſolutum, ſibique ac familiis tum ſuæ tum ipſorum de neceſſariis vivendi adminiculis in poſterum proſpectum velit, ut Benjaminum ſecum in Ægyptum proficiſci, ejuſque terræ Dominum adire, patiatur. Jacobus, licet diu tergiverſaretur, tandem tamen precibus ſæpius repetitis, atque neceſſitate legem neſciente victus, Benjaminum providentiæ divinæ commiſſum, dimittit. Fratres voti compotes facti cum eo, duplici pretio, atque varii generis donis eadem in Ægyptum via revertuntur. Hos ubi Joſephus una cum Benjamino introgreſſus conſpicatur, ſupra modum gaviſus, mox diſpenſatorem ſuum opiparum parare convivium jubet, quo omnes cum viro captivo ſint excipiendi. Inter menſam reliquorum erga fratrem Benjaminum animum expiſcaturus, duplices ſemper illi apponi juſſit portiones, reliquis autem ſimplices. Quo ipſo cum fratres gauderent, neque eas Benjamino inviderent, remotis epulis, ad intimos animorum fraternorum receſſus expugnandos atque aperiendos ultimam admovere machinam conſtituit. Diſpenſatori igitur ſuo in mandatis dedit, ut in eorum, jamjam abiturorum ſaccos pretium, in Benjaminis vero ſarcinam inſimul argenteum, ex quo ipſe amabat bibere, ſcyphum reconderet. Illi, ſarcinis convaſatis, harum ignari rerum atque ſucceſſibus inſperatis læti diſcedunt. Cum autem vix paulum progreſſi eſſent, ecce diſpenſator à Joſepho inſtructus & cohorte domeſtica ſtipatus, ipſis imminet, utque ſubſiſtant manu ſignificat; ubi eos aſſequitur, furti ac ſimul ingratitudinis illos incuſat, addens, facti hujus pœnam, quam hactenus effugerint, ipſos daturos eſſe. Illi licet terrore perculſi, atque initio præ ſtupore ne mutire quidem auſi, ne tamen forſan, quod jam incurrerant periculum, ſilentio ſuo augerent, facinus illud ſibi imputatum, additis rationibus, plane negant, nec inquiſitionem ſe, vel facinoris deprehenſi pœnam ſubterfugere ajunt. Diſpenſator ne fraus ipſis ſuboleret, in inquiſitionem, quæ initio à natu maximo facto ad minimum pergebat, conſentit. Jamque ſaccis perveſtigatis, ſola Benjaminis reſtabat ſarcina, & fratres ſeſe extra omnem non culpæ tantum, ſed & ſuſpicionis aleam eſſe poſitos, putantes, lætitiam inde conceptam, vix ac ne vix quidem celare poterant; Cum autem aperto ejus ſacco poculum appareret, aſpectu illius omnes in maximam derepente conjecti ſunt mœſtitiam, non tam de ſua, quam de ea, quæ fratri & Parenti grandævo, atque jam tum ſic ſatis afflicto impendebat, calamitate ſoliciti. Diſpenſator interim, equites, miſſis factis reliquis, Benjaminum comprehenſum ad Joſephum abducere ex pacto jubet, ſequentibus & reliquis fratribus:

tribus: Poſtquam ad Joſephum eſt perventum, univerſi illius genubus advolvuntur, & ſervitiis ejuſdem infimis ſeſe ipſos addicentes, culpam, quam faſſi erant, deprecantur. Joſephus vultu ad ſeveritatem compoſito, iiſdem fere, quibus diſpenſator uſus fuerat, verbis eos ad tempus increpat, nunc fures & ingratos vocitans, nunc ſtultitiæ & inſaniæ, quod ſc. divina conjectandi arte pollentem ſe latituros putaſſent, eos inſimulans, nunc ſupplicium, quod meriti eſſent, à ſe tamen mitigandum minitans. Ad extremum tamen pia atque conſtanti Judæ oratione expugnatus, cum irati perſonam ipſe non minus pius ſuſtinere diutius nequiret, ablegatis, quos intereſſe huic actui nolebat, fratribus, quiſnam ſit, aperit eorundemque demum fidem atque pietatem ſatis ſuperque cognitam præmio condigno coronat. Conf. Joſephus Antiq. Jud. l. 2. c. 3. & Philo Judæus libr. de Joſepho p. m. 411. ſeqq.

CAP. II.

De Variantibus ſententiis.

CUm circa genuinam Spiritus Sancti mentem eruendam atque determinandam, quot capita, tot fere Interpretum occurrant ſenſus, confuſionis vitandæ ergo Doctores Judæorum à Chriſtianis ſecernemus, utriſque *claſſem* peculiarem aſſignando. Sit itaque.

CLASSIS PRIMA.

De Sententiis Hebræorum.

§. I. UBi quidem nonnulli in pejorem, alii in meliorem hæc verba interpretantur partem. Qui *priorem* inſiſtunt *viam*, non eodem modo mentem ſuam explicant. *Pars* putat, Joſephum ipſum tanquam ſcientiæ augurandi non ignarum, auguria per ſcyphum præprimis inſtituere ſolitum fuiſſe. Autores ſententiæ huic ſubſcribentes, licet non per omnia ſibi conſentientes, citant *Aben Eſra in annotat. ad verſ.* 15. *Geneſ.* Verba illius ex Autorum iſtorum mente loquentis ſunt ſequentia: ויא כי הגביע היה מצוייר ובו היה מסתכל לפני אחיו ואומר זה הוא הגדול וזה נולד אחריו: *Sunt, qui aſſerunt: Scyphum iſtum fuiſſe figuratum, eoque coram fratribus attente inſpecto, Joſephum dixiſſe: Hic eſt natu maximus; Ille autem poſt eum demum hanc in lucem editus.* Alii Joſephum ab augurandi actu abſolvunt, atque aſſerunt ſimulaſſe eum, quaſi ob poculi furto ſublati recuperationem augures conſuluerit. Referenda huc eſt ſententia R. Jonæ Grammatici haud incelebris, quam *Aben Eſra* ad verſ. 5. hoc modo effert: ויאמר ר׳ יונה כי פי׳ בו בעבורו וכן הוא טעמו והוא ישאל למנחשים בעבורו: *R. Jona putat particulam* בו *idem h. l. ſignificare, quod* בעבורו propter eum, *ut ſenſus ſit: ipſe augures propter illum conſulet.* Ex parte item *Aben Eſra* ipſe ad verſ. 15. ſcribens: כי איש כמוני יש לו מנחשי׳ *Viro (honorato) cujuſmodi ego ſum, ſunt (eſſe vel adeſſe ſolent) augures.* Nec non R. *Schelomo Ben Melech* ad eundem verſiculum hæc tradens: פירוש ישאל למנחשים בעבורו מי לקחו: *ſenſus eſt: Conſulet propter illum (ſcyphum) augures, quiſnam eum abſtulerit.*

Qui de Joſepho viro ſancto atque pio *mitius* pronunciare amant, diverſo itidem modo procedunt. Quidam enim ad tentationem confugiunt, ſtatuentes, Joſephum ceu præ ſe ferebat, ejuſque juſſu Oeconomum poculo appoſito fratrum fidem atque ab alieno abſtinentiam tentare voluiſſe. Huc tendit explicatio *Aben Eſræ* quam ad verſ. 5ti verba affert: הוא נסה אתכם בו לדעת אם אתם גנבים כמו נחשתי וכן כי נחש ינחש וטעמו למה לא פחדתם כי לנסותכם שמתי גביע הכסף לפניכם והעלמתי עיני עד שתקחוה: *Ipſe (Joſephus ſeu Dominus meus) vos per eum tentavit, ut certo cognoſceret, an fures ſitis (vel furari ſoliti ſitis.) Eo ſenſu vox hæc accipitur, Gen. cap. XXX. verſ. 27. Item hoc ipſo in Cap. (44.) verſ. 15. Hoc itaque verbis hiſce innuere vult: Quare (fraudem latentem) non timuiſtis; ut enim vos tentarem, ſcyphum iſtum argenteum vobis appoſui, & hinc tam diu me ſubtraxi, uſque dum eum abſtuliſſetis.* *R. Schelomo Jarchi* autem ad verſ. 15. de prudenti conjectatione hæc verba accipit. Mentem ſuam ſatis clare prodit, ſequentem in modum commentando: הלא ידעתם כי איש חשוב כמוני יודע לנחש ולדעת מדעת ומסברא ובינה כי אתם גנבתם הגביע: *Annon noviſtis (colligere potuiſtis) magnæ æſtimationis virum, cujuſmodi ego ſum, vi ſcientiæ, conjectandi facultatis, atque prudentiæ nullo negotio conjectare atque ſcire (cognoſcere) poſſe, vos furto ſcyphum abſtuliſſe.*

§. II. Sententias haſce ſub examen vocaturi *partim Abarbenelis* ad verſ. 5. & 15. ductum ſequemur; *partim*, qui in lima, quam adhibuit, defectus occurrunt, notatos paucis ſupplere conabimur. Quod igitur ejus ſententiam attinet, is pro more ſuo primo dubia è Rabbinorum reliquorum ſententiis oborta ſub quæſtionis forma proponit, ſententiaſque examinatas, vel rejicit, vel approbat. Videamus propria ipſius verba, è Comm. in תורה f. קיר col I. ab initio ad verb. Gen. 44. verſ. 5. & 15. (וְהוּא נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ בּוֹ) מהו הניחוש הזה ור״ל אמרו שהיה מנחש בגביע מכה בו ואומר זהו הבכור וזהו השני לו והם היו חושבים שהיה מגיע בו בדרך נחוש אבל כפי הפשט יקשה מאד על הדעת הזה הלא ידעתם כי נחש ינחש איש אשר כמוני כי למה ינחש ואין הניחוש מעלה לשרים ולא אמר שינחש בגביע גם כי אין זה פעל הניחוש כי אם הקסם לפי שענין הניחוש הוא כפי דבריהם ז״ל פתו נפלה מפיו צבי הפסיקו בדרך ודומיהם שלוקח האדם לסימן שלא יצלח בדרך ההוא והם אמרו אף על פי שאין נחש יש סימן והראבע פירש נחש ינחש נסה אתכם בו אם אתם גנבים ולזה העלים עינו מהגביע מאשר לקחתם אותו ואינו נכון כי נחש אינו נסיון ועוד שהיה לו לומר נחש ינחש אתכם בו וגם לפירושו יקשה הלא ידעתם כי נחש ינחש איש אשר כמני והפי׳ היותר מתישב הוא מה שכתב בו הראבע בשם הר׳ יונה והוא: נחש ינחש בו שישאל למנחשים עליו ובזה הדרך ידע שגנבתם אותו אבל על כל פנים יקשה גם לזה הפירוש אמרו הלא ידעתם כי נחש ינחש איש אשר כמני ועוד כי מנחש לא יודע הנסתרות כי הוא מלאכת הקסם לא הניחוש כמו שאמרתי ואין יגדל רוע המעשה מפני זה באמרו הרעותם אשר עשיתם; [*Quid quæſo ſibi vult vox* נחש? Reſp. *Rabbinorum piæ memoriæ nonnulli ajunt, augurium ipſum (Joſephum) inſtituiſſe per Scyphum, quippe quem percutiendo dixerit: iſte eſt primogenitus, ille autem ſecundo genitus (proximus ab illo:) hinc in eam illos (fratres) deveniſſe ſententiam ſeu opinionem, quaſi ſcyphum more auguribus recepto attigiſſet. Verum ſi literæ preſſe inhærere velis, ſententiæ huic obſtant verba illa:* Annon noviſtis virum cujuſmodi ego ſum augurio uti potuiſſe. *Quare enim augurio uteretur, cum illud non ſit excellentia principibus adeo competens. Propterea non aſſerit per ſcyphum ſe augurium inſtituturum. Porro, & quidem præprimis urgeri poteſt, quod hic (Joſephi) actus non ad auguria, ſed ad divinationes ſpectet; ſecundum Rabbinos enim piæ memoriæ in hoc conſiſtit augurium, ſi quis ex eo quod buccella ex ore ceciderit, caprea occurrens iter facienti impedimentum objecerit & hiſce ſimilibus aliis colligat, iter non proſpere ceſſurum. Hæc illi ita aſſerunt, etiamſi* נחש *non ſit* סימן *vel ſignum. Aben Eſra autem voces* נחש ינחש *ſic exponit: tentavit vos per eum (ſcyphum) an fures ſitis, & propterea oculos ſuos quaſi clauſos à ſcypho avertit, quum vos eum auferretis. Verum nec hæc ſententia admitti poteſt. Primum enim vox* נחש *non denotat tentationem. Deinde dicendum ei fuiſſet:* נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ אֶתְכֶם tentando tentavit vos per eum. *Præterea ſententia hæc alia premitur difficultate, quæ latet in hiſce verſ. 15. verbis:* Annon noviſtis virum cujuſmodi ego ſum, augurari poſſe. *Firmiori paululum & ſolidiori nititur fundamento ſententia illa, quam nomine R. Jonæ idem Aben Eſra attulit. Eas voces:* נחש ינחש בו *h. m. explicat: Augures ejus (ablati) cauſa conſuluit, & hoc medio interveniente cognovit, vos eum ſubduxiſſe. Verum & huic ipſi opponi poſſunt tum verba:* nonne noſtis &c. *tum quod auguris non ſit abdita atque occulta expiſcari; hoc enim divinantibus competit, non augurantibus, quemadmodum ſuperius expoſui. Addi poteſt, quod hæc propter (quod ſcilicet augures de facto illo conſulti) malitia facti exaggerari nequeat; cum tamen œconomus dicat:* [male egiſtis, quod hoc feciſtis.]

§. III. In hiſce verbotenus adductis, *Abarbenel* (I.) confutat ac rejicit ſententias: (α) *Primam* in ordine, idque ex hiſce rationibus, [1.] quod Joſephus ſententia hac ſtante plane ἀλόγως argumentatus fuiſſet in verſ. 15. cum partim augurium excellentiæ principum non ſit indicium, partim & alii claſſis inferioris homines auguria inſtituere potuerint. [2.] Quod in Textu expreſſum non ſit, Joſephum per ſcyphum auguria exercere voluiſſe. [3.] Quod hic in fures inquirendi actus non ad auguriorum ſed divinationum cenſum ſit referendus. (β) *Tertiam* (*Aben Eſræ,*) idque ſequentibus argumentis: (1.) è vocis ſignificatione ac uſu vulgatiſſimo, vi cujus ne unico quidem Sacræ Scripturæ loco tentationem, ſed alia potius omnia inferat. (2.) E vocum harum, quæ hypotheſi hac conceſſa requireretur, conſtructione

ne cum v. אתכם quæ h. l. non appareat. (3.) quod hac ratione Josepho viro divino absurdum plane tribuatur, ratiocinium, cum & vilissimæ conditionis homines tentare alios & quidem variis modis valeant. (γ) *Secundam* (*R. Jonæ.*) ex iisdem fere fundamentis: (1.) quod adversus primam num. 1. & adversus tertiam num. 3. adductum fuit. (2.) eo, quod contra primam num. 3. urserat (3.) quod ex eo, quod augures consulti, facti absurditas & malitia non evasisset evidentior, quod tamen œconomus versu 5. asserat. (δ) Sententiam autem R. Schel. Jarchi nec probat, nec improbat, sed sicco eam pede transit; Unde probabile sit, ipsum, quæ contra illam afferret, non habuisse. Nos, quid de ea sentiamus, cap. III. circa finem, & cap. IV. §. 5. indicabimus.

§. IV. Hinc (II.) Col. III. post medium suam subjungit, tribusque argumentis è verbis œconomi desumtis conficti hujus facti absurditatem probat. Horum PRIMUM extremam erga benefactorem summum animi ingratitudinem; ALTERUM possibilitatem latendi sistit negatam, ex hoc capite, quod res ablata usu quotidiano teri sit solita. Verba ipsa tanquam huc non facientia omittimus. TERTIO de verbis ipsis mentem suam aperit: והבחינה הג׳ מהחטא במה שעשו לפי שגנבו דבר שהאדון מנחש בו ומפני זה ישתדל בעבורו יותר מכדי שויו והוא אמרו כי נחש ינחש בו ולכן חתם הדברים הרעתם אשר עשיתם רוצה לומר בגנבה הזאת אשר עשיתם לא עשיתם אותה כראוי אבל כהפך בעשיתה הרעותם רוצה לומר שלא ידעתם לעשות אותה כתקנה וענין נחש ינחש בו הוא אצלי כפשוטו שיוסף נחש ונחש ויקח סימן בו כמו שהוא ענין הנחוש: PROBATIONEM TERTIAM *petit* (*œconomus*) *ab alia quadam peccati hujus qualitate, quod scilicet ejusmodi rem averterint, quam Dominus in auguriis adhibere sit solitus, & hinc de ea* (*ablata*) *magis, quam forte pretium ejus alias requireret, sollicitum ipsum esse. Hoc innuit, dum ait, quod ex eo* נחש ינחש: *Et propterea quoque dictis hanc subjungit clausulam. Male egistis, quod fecistis. Quibus sequentia indigitare cupit: Hoc, quod commisistis furtum non eo, quo conveniebat modo, patrastis quin potius hoc facinus male admisistis, i. e. non modo atque ordine decenti illud peragere novistis* (Ihr seyd noch nicht recht darzu abgericht gewesen.) *Voces autem* נחש ינחש בו *secundum sensum literalem ex mente mea hoc volunt, quod Josephus augurium instituerit, & omen ex eo ceperit, prout subjectum* (*materia vel objectum*) *augurii erat.* Significatu hoc è Doctoribus Talmudicis probato, A. N. concludit: על זה הדרך היה נחוש יוסף הלזה שהיה דעתו שמזום ששתה בגביע ההוא גדלה מעלתו ושררתו ואמר זה להגדיל הטאם ולהתנצל על עשותו כל זה ההשתדלות על גביע אחד של כסף שאין זה לשווי אלא לפי שהיה שותה בו ויחשב לנחש שבהיותו שותה בו תגדל מעלתו הנה בלקיחת אדם הגביע הזה ירמת לו בנחושו שיקח לו מעלתו וגדולתו: *Hoc sensu accipiendum est illud quod Josepho* (*ab Oeconomo*) *tribuitur* נחוש; *Huc enim mens ejus tendit, quod, ex quo è poculo isto bibere cœperit* (*Dominus*), *ejus excellentia atque dignitas principalis incrementa sumserint longe maxima. Utitur autem verbis hisce, tum ut peccati ipsorum gravitatem exaggeret, tum uti suspicionem illam, ac si ob scyphum argenteum unicum tot turbas non necessarias excitaret, à se removeat; cum pro eo recuperando tantum laboris susceperit, non, quod adeo magni sit pretii, sed quia* (*Dominus*) *ex eo bibere sit solitus, & quod ejus ablati causa auguria adhibere jam animum induxerit. Cum enim, dum ex illo bibebat, magnificentia ipsius indies aucta fuerit, non posse non illum, scypho isto per hominem quendam sublato, hoc sibi prognosticon statuere, insignem celsitudinis suæ splendorem & ipsum imminutum iri.* Reliqua, quæ de exemplo genuino è Dan. 5: 2. seq. Autor subnectit, apud ipsum videantur.

§. V. Ex hisce, quantum quidem colligere licet, apparet, Abarbenelem ad ominandi actum, v. נחש h. l. indigitatum, inclinare, ac si scyphus ille ablatus non potuerit non ex mente Josephi mala portendere. Consentiunt vel potius præluserunt ei Autores, à R. Schel. B. Melech. annot. ad vers. 15. verbis sequentibus allegati: ויש מפרשים שהוא עצמו ינחש בו כלומר יחשוב אבדת הגביע לנחש רע לעצמו שאבד ממנו הכלי שהיה שותה בו: *Sunt tamen, qui* (*V.* נחש ינחש) *sic exponere malunt, quasi* (*Josephus*) *ipse per illum* (*Scyphum*) נחוש *exerciturus esset. Sic* (*Oeconomi*) *verba hunc funderent sensum: Tanti Scyphi hujus æstimabit amissionem, ut sibi ipsi malum ominaturus sit, idque propterea, quod poculum illud, è quo bibere solitus erat, perierit* (*furtim sublatum fuerit.*) Fatemur equidem, haberi & in historia recentiori de cornubus, poculorum vices subeuntibus, exempla huic nostro haud plane dissimilia. Sic Olaus Wormius Monument. Danicorum pag. 395, 396. ex Hamelmanni Chronico Oldenburgico memorat, Ottoni I. Comiti Oldenburgico, venationibus impensè dedito, quadam vice, cum in monte Osenberg dicto labore fessus & sitibundus consedisset, à virgine quadam formosissima, quæ è montis illius altioris crepidinibus ruptis prodierat, cornu argenteum deauratum variis signis, characteribus & emblematibus decorum & liquore turbulento refertum fuisse oblatum; cum autem Comes sub melle hoc fel lethiferum sibi propinari suspicatus, bibere recusaret, illam sequentia velut incitamentum quoddam adjecisse: Bibe intrepide mea fide, haud oberit haustus, sed potius tibi tuisque magno erit emolumento. Si enim, quod offero, biberis, familia Oldenburgica perpetuum florebit, tibi tuæque posteritati bene erit: si secus, discordiæ, lites & dissensiones domum tuam turbabunt, totaque familia pessum ibit. His tamen dictis ille adhuc magis absterritus, venenato liquore effuso, cornu in thesauris asservandum, virgine invita, secum asportavit. Putare sane quis posset, prædictioni eventum exacte respondisse, cum familia Comitum illorum hoc seculo emortua, ditiones ejus ad Daniæ Regem transierint. Similia fere de alio apud Nobiles quosdam Danos latente cornu narrari, laudatus Wormius ibidem tradit. Conferri quoque poterit Trogillus Arnkiel / Præpositus Holsatus in Tract. Germ. Vom güldenen Horn. Verum, quod Wormius de posteriori; Alii, de priori observarunt, narrationem sc. de hisce apud paucos fidem obtinere, licet cornua illa in rerum natura dentur: Idem & nos in præsenti materia pronunciamus, argenteum sc. Josephi poculum ejusque existentiam Spir. S. testimonio suffultam non negando; Cum tamen de eodem adhuc probanda (hunc sc. Josephum de poculo isto sibi formasse conceptum) tanquam certa Abarbenel supponat, & significatio h. l. convenientior dari possit, haud immerito hanc ejus sententiam eodem loco, quo ipse præcedentes habuit, & nos habemus.

CAP. III.

sive

CLASSIS SECUNDA sistens

Variantes Christianorum sententias.

Hic sane tot sententiarum à se invicem longe abeuntium dantur divortia, ut earum non dicam valorem trutinasse, sed numerum saltem iniisse, sit Augiæ stabulum repurgare. Quamvis autem sententias & opiniones variantes recensuisse virum solide doctum nec reddat, nec indicet; cum tamen earum nulla (paucas si exceperis,) tam fuerit devia, tam inanis, quæ non viderit aliquid ex vero; cum item in veritatem ulterius inquirendi ansam præbeant; nec nos operam, quod ajunt, & oleum perdituros existimamus, si hæc virorum clare doctorum, in loco præsenti enucleando vestigia premamus. Ne vero nimia ac otiosa prolixitate B. L. nauseam excitemus, nullo plane nixis fundamento rejectis, eas, quæ aliquam mereri considerationem videntur, seligemus, & ut eo magis distincte procedamus, *tribus* cunctas *Sectionibus* includemus. Harum *Prima* illos sistet, qui Josephum divinationem magicam vel re ipsa exercuisse, vel præ se tulisse volunt; *Altera* eos, qui illi indagationem, variis modis quæ fieri potest, bonam atque indifferentem tribuunt; *Tertia* denique eos, qui à scopo propius absunt, exhibebit.

SECTIO PRIMA.

§. I. Inter illos, qui Josephum crimine aliquo se commaculasse putant, primum tenent locum, qui *Josephum divinatione magica* (Ægyptiorum inter quos degebat more,) *usum fuisse*, & quidem ea divinationis illius specie, quæ interveniente, vel pelvi, vel cyatho figuris prominentibus exornato, aut literis hieroglyphicis inscripto peragi solita fuit, eundem vel percutiendo, vel aqua replendo, hunc in finem ut de re amissa vel alia certus redderetur. *Autores* sententiæ huic vel ex toto vel ex parte subscribentes sunt: Marius citatus à *Riveto* Oper. Theol. T. I. (excus. Roterod. An. 1621.) p. 629. Casaubonus ad Spartiani Julianum; alii à Balduino in Cas. Consc. (Edit. Witt. ab Anno 1635. in IVto.) Lib. III. cap. IV. Casu V. pag. 798. allegati. *Rationes* afferuntur & afferri speciose

ciose queunt sequentes (I.) Usus vocis נחש in Scriptura S. hinc inde qui reperitur, vi cujus divinationem non licitam, sed magicam, diabolicam & consequenter à DEO prohibitam notat. Vid. loca Lev. 19:26. Deut. 18: vs. 10. Num. 23: vers. 23. cap. 24: vers. 1. 2 Reg. 17: vers. 17. 2 Par. 33: vers. 6. (II.) Vulgatissimus Ægyptiorum studiis ac artibus tum superstitiosis, tum magicis deditorum hanc artem exercendi mos; jam autem & hic obtinuisse vulgatum illud; si fueris Romæ, Romano vivito more. Huc accedit opinio tum Pharaonis, tum populi de Josepho concepta. (III.) Non infrequentes virorum etiam pietate quam maxime conspicuorum in peccata gravissima lapsus. Publice in sacris literis prostant exempla Noachi, Aaronis (Idololatria commaculati,) Davidis aliorumque. Magnam equidem sententia hæc præ se fert speciem: verum in recessu minus ac promittit, habet. *Quod* enim *rationes* ejus *concernit*, regerimus ad (α) concedendo, hanc vocis significationem passim reperiri; verum cum & alia in bonam partem accepta occurrat, patet, à significatis hisce materialibus sive concretivis (sic loqui amant Philosophi) abstrahendam esse formalem, eamque pro textus exigentia restringendam. De ea conf. cap. ult. §. V. Ad (β) negando consequentiam, cum Josephi pietas admodum insignis imitationis hujus ne quidem suspicionem admittat. Vid. l. c. Ad (γ) ab exemplis quibusdam singularibus ad alia (nisi cætera sint paria,) concludere non licere. Sumus homines in peccata etiam atrocissima labiles; verum quod non omnes actu ipso labimur, gratiæ Numinis supremi unicè est adscribendum. Conf. Junius ad Gen. 44: vers. 5.

§. II. Alii ad decantatissimum illud confugiunt medium, quo Doctorum modernorum præprimis haud pauci, ut dubiis stringentibus in Scriptura S. hinc inde occurrentibus se exsolvant, uti frequenter solent, *accommodationem scilicet ad vulgi captum aut opinionem.* Asserunt nimirum, nec dispensatorem, nec Josephum ipsum ex animi sententia hæc protulisse; sed cum plebs Ægyptiaca augurandi scientiam, uti aliis sapientibus, tribuere ei communiter soleret, locutos eos cum plurimis, cum paucis iisque prudentioribus sensisse. *Autores*, qui sententiam hanc adduxit, Dn. D. Joh. Ad. *Osiander* in Comm. suo in Gen. super h. l. p. 624. nominatim non expressit. conf. vero Wolfg. Musculus in Gen. (Edit. Genev. Anno 1660.) p. 794. *Argumenta*, quibus plebem hunc de Josepho conceptum sibi formasse, probari videtur, huc forsan redeunt: quod cum omnes Ægypti Sacerdotes atque sapientes hanc divinandi artem calluerint, probabile fuerit, Josephum velut omnium principem in ea, quam sapientiæ genuinæ partem haud infimam ducebant, quam maxime excellere. *Verum* cum ruinoso opinio hæc incumbat fundamento, (è conversatione enim & vita Josephi hæc talia colligere debuissent; ast non potuere Ægyptii,) & præterea, si vel maxime hanc vulgi opinionem obtinuisse concedamus, inde tamen nondum sequatur, Josephum cum œconomo ad eam se accommodasse, quodnam de ea sit judicium ferendum, obscurum esse nequit.

§. III. Alii itaque speciosiora afferentes putant, Josephum, cum à fratribus pro Ægyptio haberi vellet, *augurandi scientiam*, iisdem omnium maxime familiarem, *præ se tulisse*, & ut œconomus eandem ipsi adscriberet, ei injunxisse Sententiam hanc *propugnant* Andr. Osiander in not. marg. Bibl. Tubing. (edit. ab an. 1606. p. 18. Calvinus in h. l. (in Edit. Genev. ab an. 1563.) p. 298. Joh. Mercerus in Comm. in Gen. (Edit. Genev. 1588.) p. 686. f. Munsterus & Vatablus in h. l. item Joh. El. Terserus Annot. in Genesin (edit. Upsal. anno 1657.) p. 107. & alii. *Fulcrum* sententiæ suæ substernunt præprimis sequens, omnia, quæ Josepho cum fratribus intercessere negotia, hunc ob finem fuisse simulata, quod è notitia Linguæ Ebrææ dissimulata, (Genes. 42: 22.) irati habitu assumto, aliisque appareat. *Verum* nec hæc sententia examen sustinere potest, cum distinguere Autores debuissent inter simulationem indifferentem & non peccaminosam atque peccato coinquinatam; Illa licita, hæc illicita est. Conf. cap. IV. §. 5.

§. IV. Adhuc alii (citante sæpius laudato J. A. Osiandro pag. 624.) *hæc verba* non à Josepho prolata, *sed ex proprio ingenio à ministro conficta* atque *addita fuisse*, putant. Opinionem hanc, Autorum nomina licet ignoremus, brevibus tamen adducere voluimus. *Nituntur* autem (1.) communi populi Ægyptiaci opinione, & (2.) eo, quod, ut fictum istud furtum eo magis ipsis exprobraret, hæc talia attulerit. Sententiam hanc eodem, quo præcedentem, loco habemus, & rationum adductarum, mirum quantum infirmarum probationem petimus.

SECTIO SECUNDA.

§. I. Eorum, qui ad classem hanc relati à nobis fuere nonnulli hic reperisse sibi videntur *frequens illud Aulæ artificium*, quo arcana à legatis Principum, aliisque veluti fiduciis quibusdam expressuri ac extorturi ministri aulici, scyphum vicibus sæpe repetitis iisdem propinant, ut ea, quæ mens sobria premit, ebria quasi dilatata propalet. Spectat huc *Bonosus ille Hispaniensis, origine Britannus, qui* (ut ex Aventino Philipp. Camerarius in Hor. Subcis. Cent. prim. [edit. Francof. 1658.] p. 441. refert) *apud Aurelium Imperatorem summo in honore fuit. Is si quando legati Germanorum venissent, ipsis propinabat, ut hosce inebriaret, atque ab his per vinum cuncta secreta cognosceret. Ipse quantumlibet bibisset, semper securus & sobrius, & adhuc in vino prudentior erat.* Hæc ille. *Autores* huic sententiæ faventes sunt Cornelius à Lapide & Jansenius, in h. l. aliique citante Joh. Henr. Ursino Analect. Sacr. Lib. VI. (Edit. Francofurt. ab Anno 1658. in VIII.) p. 392. *Opinio* hæc, cum nec vocis significatio, nec personæ qualitas, nec ulla contextus circumstantia ei faveat, per se ruit.

§. II. Alii (sunt verba Joh. Ad. Osiandri, l. c.) *Josephum in usu hujus poculi precatum fuisse*, & omnia fausta Regi exoptasse somniant; hincque derivatum morem bibendi in salutem Magnatum. *De qua* expositione idem, quod de præcedente judicium est ferendum.

§. III. Porro alii, ex parte *Aben-Esram*, ejusque interpretationem capite præcedente adductam secuti, verba hæc *de experimento*, vel singulari atque hoc unico, vel alias etiam interveniente hoc scypho, quo advenarum animum probaverit, *capi solito*, exponunt. Hinc Dn. Joh. Ad. Osiander in v. 15. p. 624. ita verba hæc ὠεὐφεξ(ς: An ignorabatis virum, cujusmodi ego sum, certo posse experimento discere, vel istiusmodi advenarum fidem probare solere, num scilicet ingenui & probi; an vero aliqua fuligine aliena appetendi & apprehendendi aspersi. Expositioni huic *adstipulantur* Junius & Piscator in h. l. Petr. Ravanella Th. Bibl. Sacr. (edit. Genev. Anno 1654.) Part. I. de Divinat. p. 479. Joh. Ad. Osiander l. c. & alii. *Adducunt* pro sententia sua stabilienda, *partim* similia significationis exempla, cujusmodi v. g. occurrat Prov. 16: vers. 10. *partim* contextus cohærentiam ac Josephi de sagacitate, viro honorato ac sapienti quæ convenit, responsionem. *Quamvis* autem sententiæ huic nihil insit absurdi; cum tamen ille vocis hujus significatus ex loco citato probari nequeat (ne quidem enim vox hæc inibi habetur, sed alia ipsi aliquo tantummodo affinis,) & cohærentia textus verior dari possit, ab ea recedere cogimur.

§. IV. Adhuc alii V. נחש *explorandi, indagandi* atque *investigandi* sensu accipiunt, ut sensus verborum illorum sit sequens: Non esse, quod furtum commissum adeo pertinaciter negent; tamdiu enim à Josepho, viro non minoris prudentiæ, in autores inquisitum iri, donec illud sese prodat. *Inter eos*, qui expositionem hanc aliis tanquam simpliciorem atque solidiorem anteponunt, *nomen* quoque *suum profitentur* B. Joh. Conr. Dannhauerus in Colleg. Decal. (ed. Argentor. ab an. 1669. p. 325.) B. Abr. Calovius in Comment. in Gen. (ed. Witt. anno 1671.) p. 1289. *Afferunt* pro sententia sua stabilienda: (1.) variam particulæ inseparabilis ב significationem addentes: h. l. commodissime exponi posse vel objective vel terminative per *usque ad* (2.) Evitationem παρεξηγήσεως (3.) συνάφειαν textus v. supr. (4.) Chaldæi interpretis consensum. vid. B. Calov. l. c. *Verum* ut & ab hisce aliis de Ecclesia Christi optime meritis Autoribus abeamus, rationes solidiores pro sententia nostra infra cap. ultim. adducendæ nos urgent. Quod argumenta ante allata spectat, putamus responderi posse ad (α) significationem objectivam utraque manu largiendo, (terminativa tamen negata;) verum exinde alteram illam v. נחש inferri posse, negando. Ad (β) id alio quoque Interpretationis adminiculo adhibito fieri posse. Ad (γ) distinguendo inter cohærentiam textus, quæ est, & quæ videtur concinna & genuina. Ad (δ) eam (vers. Chald.) nos eodem loco, quo reliquas claram textus literam deserentes versiones, habere.

§. V. Aliam tandem iniit viam Joh. Henric. Ursinus Analect. Sacror. p. 392. ss. qui vocibus hisce indigitari putat *quoddam divinationis genus ad tempus in Populo DEI permissum*, & crebro in indagandis occultorum scelerum reis usitatum quod per sortes consultatorias aut divinatorias fieri consueverit. *Argumentis* evincere hoc conatur sequentibus: (1.) Josephum id, quod similes sui exercuerunt, ope divina eventu non frustrati,

ne cum v. אתכם quæ h. l. non appareat. (3.) quod hac ratione Josepho viro divino absurdum plane tribuatur, ratiocinium, cum & vilissimæ conditionis homines tentare alios & quidem variis modis valeant. (γ) *Secundam* (*R. Jonæ.*) ex iisdem fere fundamentis: (1.) quod adversus primam num. 1. & adversus tertiam num. 3. adductum fuit. (2.) eo, quod contra primam num. 3. urserat (3.) quod ex eo, quod augures consulti, facti absurditas & malitia non evasisset evidentior, quod tamen œconomus versu 5. asserat. (δ) Sententiam autem R. Schel. Jarchi nec probat, nec improbat, sed sicco eam pede transit; Unde probabile fit, ipsum, quæ contra illam afferret, non habuisse. Nos, quid de ea sentiamus, cap. III. circa finem, & cap. IV. §. 5. indicabimus.

§. IV. Hinc (II.) Col. III. post medium suam subjungit, tribusque argumentis è verbis œconomi desumtis confecti hujus facti absurditatem probat. Horum PRIMUM extremam erga benefactorem summum animi ingratitudinem; ALTERUM possibilitatem latendi sistit negatam, ex hoc capite, quod res ablata usu quotidiano teri sit solita. Verba ipsa tanquam huc non facientia omittimus. TERTIO de verbis ipsis mentem suam aperit: והבחינה הג׳ מההטא במה שעשו לפי שגנבו דבר שהאדון מנחש בו ומפני זה ישתדל בעבורו יותר מכדי שויו והוא אמרו כי נחש ינחש בו ולכן חתם הדברים הרעתם אשר עשיתם רוצה לומר בגנבה הזאת אשר עשיתם לא עשיתם אותה כראוי אבל בהפך בעשיתה הרעותם רוצה לומר שלא ידעתם לעשות אותה כתקנה וענין נחש ינחש בו הוא אצלי כפשוטו שיוסף נחש ונחש ויקח סימן בו כמו שהוא ענין הנחוש: PROBATIONEM TERTIAM *petit (œconomus) ab alia quadam peccati hujus qualitate, quod scilicet ejusmodi rem averterint, quam Dominus in auguriis adhibere sit solitus, & hinc de ea (ablata) magis, quam forte pretium ejus alias requireret, sollicitum ipsum esse. Hoc innuit, dum ait, quod ex eo* נחש ינחש: *Et propterea quoque dictis hanc subjungit clausulam. Male egistis, quod fecistis. Quibus sequentia indigitare cupit: Hoc, quod commisistis furtum non eo, quo conveniebat modo, patrastis quin potius hoc facinus male admisistis, i. e. non modo atque ordine decenti illud peragere novistis* (Ihr seyd noch nicht recht darzu abgericht gewesen.) *Voces autem* נחש ינחש בו *secundum sensum literalem ex mente mea hoc volunt, quod Josephus augurium instituerit, & omen ex eo ceperit, prout subjectum (materia vel objectum) augurii erat.* Significatu hoc è Doctoribus Talmudicis probato, A. N. concludit: על זה הדרך היה נחוש יוסף הלזה שהיה דעתו שמיום ששתה בגביע ההוא גדלה מעלתו ושררתו ואמר זה להגדיל הטאם ולהתנצל על עשותו כל זה ההשתדלות על גביע אחד של כסף שאין זה לשווין אלא לפי שהיה שותה בו ויחשב לנחש שבהיותו שותה בו תגדל מעלתו הנה בלקיחת אדם הגביע הזה ירמות לו בנחושו שיקח לו מעלתו וגדולתו: *Hoc sensu accipiendum est illud quod Josepho (ab Oeconomo) tribuitur* נחוש; *Huc enim mens ejus tendit, quod, ex quo è poculo isto bibere cœperit (Dominus), ejus excellentia atque dignitas principalis incrementa sumserint longe maxima. Utitur autem verbis hisce, tum ut peccati ipsorum gravitatem exaggeret, tum uti suspicionem illam, ac si ob scyphum argenteum unicum tot turbas non necessarias excitaret, à se removeat; cum pro eo recuperando tantum laboris susceperit, non, quod adeo magni sit pretii, sed quia (Dominus) ex eo bibere sit solitus, & quod ejus ablati causa auguria adhibere jam animum induxerit. Cum enim, dum ex illo bibebat, magnificentia ipsius indies aucta fuerit, non posse non illum, scypho isto per hominem quendam sublato, hoc sibi prognosticon statuere, insignem celsitudinis suæ splendorem & ipsum imminutum iri.* Reliqua, quæ de exemplo genuino è Dan. 5: 2. seq. Autor subnectit, apud ipsum videantur.

§. V. Ex hisce, quantum quidem colligere licet, apparet, Abarbenelem ad ominandi actum, v. נחש h. l. indigitatum, inclinare, ac si scyphus ille ablatus non potuerit non ex mente Josephi mala portendere. Consentiunt vel potius præluserunt ei Autores, à R. Schel. B. Melech. annot. ad vers. 15. verbis sequentibus allegati: ויש מפרשים שהוא עצמו ינחש בו כלומר יחשוב אבדת הגביע לנחש רע לעצמו שאבד ממנו הכלי שהיה שותה בו: *Sunt tamen, qui (V.* נחש ינחש*) sic exponere malunt, quasi (Josephus) ipse per illum (Scyphum)* נחוש *exercitaturus esset. Sic (Oeconomi) verba hunc funderent sensum: Tanti Scyphi hujus æstimabit amissionem, ut sibi ipsi malum ominaturus sit, idque propterea, quod poculum illud, è quo bibere solitus erat, perierit (furtim sublatum fuerit.)* Fatemur equidem, haberi & in historia recentiori de cornubus, poculorum vices subeuntibus, exempla huic nostro haud plane dissimilia. Sic Olaus Wormius Monument. Danicorum pag. 395, 396. ex Hamelmanni Chronico Oldenburgico memorat, Ottoni I. Comiti Oldenburgico, venationibus impensè dedito, quadam vice, cum in monte Osenberg dicto labore fessus & sitibundus consedisset, à virgine quadam formosissima, quæ è montis illius altioris crepidinibus ruptis prodierat, cornu argenteum deauratum variis signis, characteribus & emblematibus decorum & liquore turbulento refertum fuisse oblatum; cum autem Comes sub melle hoc fel lethiferum sibi propinari suspicatus, bibere recusaret, illam sequentia velut incitamentum quoddam adjecisse: Bibe intrepide mea fide, haud oberit haustus, sed potius tibi tuisque magno erit emolumento. Si enim, quod offero, biberis, familia Oldenburgica perpetuum florebit, tibi tuæque posteritati bene erit: si secus, discordiæ, lites & dissensiones domum tuam turbabunt, totaque familia pessum ibit. His tamen dictis ille adhuc magis absterritus, veneno liquore effuso, cornu in thesauris asservandum, virgine invita, secum asportavit. Putare sane quis posset, prædictioni eventum exacte respondisse, cum familia Comitum illorum hoc seculo emortua, ditiones ejus ad Daniæ Regem transierint. Similia fere de alio apud Nobiles quosdam Danos latente cornu narrari, laudatus Wormius ibidem tradit. Conferri quoque poterit Trogillus Arnkiel/ Præpositus Holsatus in Tract. Germ. Vom güldenen Horn. Verum, quod Wormius de posteriori; Alii, de priori observarunt, narrationem sc. de hisce apud paucos fidem obtinere, licet cornua illa in rerum natura dentur: Idem & nos in præsenti materia pronunciamus, argenteum sc. Josephi poculum ejusque existentiam Spir. S. testimonio suffultam non negando; Cum tamen de eodem adhuc probanda (hunc sc. Josephum de poculo isto sibi formasse conceptum) tanquam certa Abarbenel supponat, & significatio h. l. convenientior dari possit, haud immerito hanc ejus sententiam eodem loco, quo ipse præcedentes habuit, & nos habemus.

CAP. III.

sive

CLASSIS SECUNDA sistens

Variantes Christianorum sententias.

Hic sane tot sententiarum à se invicem longe abeuntium dantur divortia, ut earum non dicam valorem trutinasse, sed numerum saltem iniisse, sit Augiæ stabulum repurgare. Quamvis autem sententias & opiniones variantes recensuisse virum solide doctum nec reddat, nec indicet; cum tamen earum nulla (paucas si exceperis,) tam fuerit devia, tam inanis, quæ non viderit aliquid ex vero; cum item in veritatem ulterius inquirendi ansam præbeant; nec nos operam, quod ajunt, & oleum perdituros existimamus, si hæc virorum clare doctorum, in loco præsenti enucleando vestigia premamus. Ne vero nimia ac otiosa prolixitate B. L. nauseam excitemus, nullo plane nixis fundamento rejectis, eas, quæ aliquam mereri considerationem videntur, seligemus, & ut eo magis distincte procedamus, *tribus* cunctas *Sectionibus* includemus. Harum *Prima* illos sistet, qui Josephum divinationem magicam vel re ipsa exercuisse, vel præ se tulisse volunt; *Altera* eos, qui illi indagationem, variis modis quæ fieri potest, bonam atque indifferentem tribuunt; *Tertia* denique eos, qui à scopo propius absunt, exhibebit.

SECTIO PRIMA.

§. I. Inter illos, qui Josephum crimine aliquo se commaculasse putant, primum tenent locum, qui *Josephum divinatione magica* (Ægyptiorum inter quos degebat more,) *usum fuisse*, & quidem ea divinationis illius specie, quæ interveniente, vel pelvi, vel cyatho figuris prominentibus exornato, aut literis hieroglyphicis inscripto peragi solita fuit, eundem vel percutiendo, vel aqua replendo, hunc in finem ut de re amissa vel alia certus redderetur. *Autores* sententiæ huic vel ex toto vel ex parte subscribentes sunt: Marius citatus à *Riveto* Oper. Theol. T. I. (excus. Roterod. An. 1621.) p. 629. Casaubonus ad Spartiani Julianum; alii à Balduino in Cas. Consc. (Edit. Witt. ab Anno 1635. in IVto.) Lib. III. cap. IV. Casu V. pag. 798. allegati. *Rationes* afferuntur & afferri speciose

ciose queunt sequentes (I.) Usus vocis נחש in Scriptura S. hinc inde qui reperitur, vi cujus divinationem non licitam, sed magicam, diabolicam & consequenter à DEO prohibitam notat. Vid. loca Lev. 19: 26. Deut. 18: vs. 10. Num. 23: vers. 23. cap. 24: vers. 1. 2 Reg. 17: vers. 17. 2 Par. 33: vers. 6. (II.) Vulgatissimus Ægyptiorum studiis ac artibus tum superstitiosis, tum magicis deditorum hanc artem exercendi mos; jam autem & hic obtinuisse vulgatum illud; si fueris Romæ, Romano vivito more. Huc accedit opinio tum Pharaonis, tum populi de Josepho concepta. (III.) Non infrequentes virorum etiam pietate quam maxime conspicuorum in peccata gravissima lapsus. Publice in sacris literis prostant exempla Noachi, Aaronis (Idololatria commaculati,) Davidis aliorumque. Magnam equidem sententia hæc præ se fert speciem: verum in recessu minus ac promittit, habet. *Quod* enim *rationes* ejus *concernit*, regerimus ad (α) concedendo, hanc vocis significationem passim reperiri; verum cum & alia in bonam partem accepta occurrat, patet, à significatis hisce materialibus sive concretivis (sic loqui amant Philosophi abstrahendam esse formalem, eamque pro textus exigentia restringendam. De ea conf. cap. ult. §. V. Ad (β) negando consequentiam, cum Josephi pietas admodum insignis imitationis hujus ne quidem suspicionem admittat. Vid. l. c. Ad (γ) ab exemplis quibusdam singularibus ad alia (nisi cætera sint paria,) concludere non licere. Sumus homines in peccata etiam atrocissima labiles; verum quod non omnes actu ipso labimur, gratiæ Numinis supremi unicè est adscribendum. Conf. Junius ad Gen. 44: vers. 5.

§. II. Alii ad decantatissimum illud confugiunt medium, quo Doctorum modernorum præprimis haud pauci, ut dubiis stringentibus in Scriptura S. hinc inde occurrentibus se exsolvant, uti frequenter solent, *accommodationem scilicet ad vulgi captum aut opinionem.* Asserunt nimirum, nec dispensatorem, nec Josephum ipsum ex animi sententia hæc protulisse; sed cum plebs Ægyptiaca augurandi scientiam, uti aliis sapientibus, tribuere ei communiter soleret, locutos eos cum plurimis, cum paucis iisque prudentioribus sensisse. *Autores*, qui sententiam hanc adduxit, Dn. D. Joh. Ad. *Osiander* in Comm. suo in Gen. super h. l. p. 624. nominatim non expressit. conf. vero Wolfg. Musculus in Gen. (Edit. Genev. Anno 1660.) p. 794. *Argumenta*, quibus plebem hunc de Josepho conceptum sibi formasse, probari videtur, huc forsan redeunt: quod cum omnes Ægypti Sacerdotes atque sapientes hanc divinandi artem calluerint, probabile fuerit, Josephum velut omnium principem in ea, quam sapientiæ genuinæ partem haud infimam ducebant, quam maxime excellere. *Verum* cum ruinoso opinio hæc incumbat fundamento, (è conversatione enim & vita Josephi hæc talia colligere debuissent; ast non potuere Ægyptii,) & præterea, si vel maxime hanc vulgi opinionem obtinuisse concedamus, inde tamen nondum sequatur, Josephum cum œconomo ad eam se accommodasse, quodnam de ea sit judicium ferendum, obscurum esse nequit.

§. III. Alii itaque speciosiora afferentes putant, Josephum, cum à fratribus pro Ægyptio haberi vellet, *augurandi scientiam*, iisdem omnium maxime familiarem, *præ se tulisse*, & ut œconomus eandem ipsi adscriberet, ei injunxisse Sententiam hanc *propugnant* Andr. Osiander in not. marg. Bibl. Tubing. (edit. ab an. 1606. p. 18. Calvinus in h. l. (in Edit. Genev. ab an. 1563.) p. 298. Joh. Mercerus in Comm. in Gen. (Edit. Genev. 1588.) p. 686. s. Munsterus & Vatablus in h. l. item Joh. El. Terserus Annot. in Genesin (edit. Upsal. anno 1657.) p. 107. & alii. *Fulcrum* sententiæ suæ substernunt præprimis sequens, omnia, quæ Josepho cum fratribus intercessere negotia, hunc ob finem fuisse simulata, quod è notitia Linguæ Ebrææ dissimulata, (Genes. 42: 22.) irati habitu assumto, aliisque appareat. *Verum* nec hæc sententia examen sustinere potest, cum distinguere Autores debuissent inter simulationem indifferentem & non peccaminosam atque peccato coinquinatam; Illa licita, hæc illicita est. Conf. cap. IV. §. 5.

§. IV. Adhuc alii (citante sæpius laudato J. A. Osiandro pag. 624.) *hæc verba* non à Josepho prolata, *sed ex proprio ingenio à ministro conficta* atque *addita fuisse*, putant. Opinionem hanc, Autorum nomina licet ignoremus, brevibus tamen adducere voluimus. *Nituntur* autem (1.) communi populi Ægyptiaci opinione, & (2.) eo, quod, ut fictum istud furtum eo magis ipsis exprobraret, hæc talia attulerit. Sententiam hanc eodem, quo præcedentem, loco habemus, & rationum adductarum, mirum quantum infirmarum probationem petimus.

SECTIO SECUNDA.

§. I. Eorum, qui ad classem hanc relati à nobis fuere nonnulli hic reperisse sibi videntur *frequens illud Aulæ artificium*, quo arcana à legatis Principum, aliisque veluti fidiculis quibusdam expressuri ac extorturi ministri aulici, scyphum vicibus sæpe repetitis iisdem propinant, ut ea, quæ mens sobria premit, ebria quasi dilatata propalet. Spectat huc *Bonosus ille Hispaniensis, origine Britannus, qui* (ut ex Aventino Philipp. Camerarius in Hor. Subcis. Cent. prim. [edit. Francof. 1658.] p. 441. refert) *apud Aurelium Imperatorem summo in honore fuit. Is si quando legati Germanorum venissent, ipsis propinabat, ut hosce inebriaret, atque ab his per vinum cuncta secreta cognosceret. Ipse quantumlibet bibisset, semper securus & sobrius, & adhuc in vino prudentior erat.* Hæc ille. *Autores* huic sententiæ faventes sunt Cornelius à Lapide & Jansenius, in h. l. aliique citante Joh. Henr. Ursino Analect. Sacr. Lib. VI. Edit. Francofurt. ab Anno 1658. in VIII.) p. 392. *Opinio* hæc, cum nec vocis significatio, nec personæ qualitas, nec ulla contextus circumstantia ei faveat, per se ruit.

§. II. Alii (sunt verba Joh. Ad. Osiandri, l. c.) *Josephum in usu hujus poculi precatum fuisse*, & omnia fausta Regi exoptasse somniant; hincque derivatum morem bibendi in salutem Magnatum. *De qua* expositione idem, quod de præcedente judicium est ferendum.

§. III. Porro alii, ex parte *Aben-Esram*, ejusque interpretationem capite præcedente adductam secuti, verba hæc *de experimento*, vel singulari atque hoc unico, vel alias etiam interveniente hoc scypho, quo advenarum animum probaverit, *capi solito*, exponunt. Hinc Dn. Joh. Ad. Osiander in v. 15. p. 624. ita verba hæc παραφράζει: An ignorabatis virum, cujusmodi ego sum, certo posse experimento discere, vel istiusmodi advenarum fidem probare solere, num scilicet ingenui & probi; an vero aliqua fuligine aliena appetendi & apprehendendi aspersi. Expositioni huic *adstipulantur* Junius & Piscator in h. l. Petr. Ravanella Th. Bibl. Sacr. (edit. Genev. Anno 1654.) Part. I. de Divinat. p. 479. Joh. Ad. Osiander l. c. & alii. *Adducunt* pro sententia sua stabilienda, *partim* similia significationis exempla, cujusmodi v. g. occurrat Prov. 16: vers. 10. *partim* contextus cohærentiam ac Josephi de sagacitate, viro honorato ac sapienti quæ convenit, responsionem. *Quamvis* autem sententiæ huic nihil insit absurdi; cum tamen ille vocis hujus significatus ex loco citato probari nequeat (ne quidem enim vox hæc inibi habetur, sed alia ipsi aliquo tantummodo affinis,) & cohærentia textus verior dari possit, ab ea recedere cogimur.

§. IV. Adhuc alii V. נחש *explorandi, indagandi* atque *investigandi* sensu accipiunt, ut sensus verborum illorum sit sequens: Non esse, quod furtum commissum adeo pertinaciter negent; tamdiu enim à Josepho, viro non minoris prudentiæ, in autores inquisitum iri, donec illud sese prodat. *Inter eos*, qui expositionem hanc aliis tanquam simpliciorem atque solidiorem anteponunt, *nomen* quoque *suum profitentur* B. Joh. Conr. Dannhauerus in Colleg. Decal. (ed. Argentor. ab an. 1669. p. 325.) B. Abr. Calovius in Comment. in Gen. (ed. Witt. anno 1671.) p. 1289. *Afferunt* pro sententia sua stabilienda: (1.) variam particulæ inseparabilis ב significationem addentes: h. l. commodissime exponi posse vel objective vel terminative per *usque ad* (2.) Evitationem παρερμηνειῶν. (3.) συνάφειαν textus v. supr. (4.) Chaldæi interpretis consensum. vid. B. Calov. l. c. *Verum* ut & ab hisce alias de Ecclesia Christi optime meritis Autoribus abeamus, rationes solidiores pro sententia nostra infra cap. ultim. adducendæ nos urgent. Quod argumenta ante allata spectat, putamus responderi posse ad (α) significationem objectivam utraque manu largiendo, (terminativa tamen negata;) verum exinde alteram illam v. נחש inferri posse, negando. Ad (β) id alio quoque Interpretationis adminiculo adhibito fieri posse. Ad (γ) distinguendo inter cohærentiam textus, quæ est, & quæ videtur concinna & genuina. Ad (δ) eam (vers. Chald.) nos eodem loco, quo reliquas claram textus literam deferentes versiones, habere.

§. V. Aliam tandem iniit viam Joh. Henric. Ursinus Analect. Sacror. p. 392. ss. qui vocibus hisce indigitari putat *quoddam divinationis genus ad tempus in Populo DEI permissum*, & crebro in indagandis occultorum scelerum reis usitatum quod per sortes consultatorias aut divinatorias fieri consueverit. *Argumentis* evincere hoc conatur sequentibus: (1.) Josephum id, quod similes sui exercuerunt, ope divina eventu non frustrati,

ſtrati, profiteri licite potuiſſe. (2.) Furti deprehenſionem eo divinationis genere fieri & potuiſſe & conſueviſſe, id quod exempla Achanis, Jonathanis & Jonæ probent. (3.) ad actum ipſum cumprimis adhibitum fuiſſe calicem ſive ſcyphum, quod teſtimoniis tum profanis, gentilium partim, partim & Francorum Chriſtianorum, tum ſacris è Pſal. 16: verſ. 5. & Prov. 16: verſ. 33. deſumtis probare ſatagit. Subnectit (4.) eam fratrum de ipſo fuiſſe ſuſpicionem, quam calicis ipſius forma, magnitudo, ornamentum foverint, *Sententiam* hanc pro more, id eſt, ingenioſe atque erudite à viro illo doctiſſimo excogitatam, ac, quantum per materiæ ipſius conditionem fieri potuit, defenſam eſſe nemo non fatebitur. *Interim* cum non tam, quod ingenioſe propoſitum, quam quod veritati omnium maxime eſt conforme, quæramus, non poſſumus non modeſte ab eo diſſentiri, & cum, ruente fundamento, quicquid ſuperſtructum eſt, ſimul corruat, ad rationes, ſpecioſas illas quidem, verum non adeo firmas nonnulla regerere, *reſpondendo* ad (1.) vulgato illo, à poſſe ad eſſe N. V. C. niſi ῥῆσιν ipſam, temporum illorum morem & textus circumſtantias id inferre & concedere probatum dederit, quod ne vix & ne vix quidem fieri poterit. Ad (2.) non quæri quid alibi, (in terra Iſraëlitica v. g.) aliiſque temporibus, ſed quid hoc in loco ſive in Ægypto, illo, tempore, uſu receptum fuerit; & num Joſephus priori poſito, actu ipſo huic mori ſeſe accommodaverit. Ad (3.) uti id nec in totum, nec præfracte negare audemus, (quamvis, quomodo ex adductis Scripturæ S. locis id adſtrui firmiter queat, non videamus,) ita actum illum h. l. eſſe adhibitum, nondum probatum. Ad (4.) cum Scriptura S. utriusque mentionem injiciat plane nullam, nos tam prius, quam poſterius eadem, qua adducta fuêre, facilitate rejicimus.

SECTIO TERTIA.

§. I. **R**Eſtant duæ, quæ à genuino loci hujus ſenſu quàm proximè abſunt ſententiæ. Harum altera, quæ voces haſce de *devinatione* non diabolica, atque illicita, ſed *ſana, divina prophetica, licita* atque Joſepho cœlitus infuſa intelligere mavult. Ad *Autores* eam defendentes referri poſſunt Rupertus Tuitienſis in h. l. Rivetus Oper. Theol. (Roterod. edit. anno 1621.) Tom. I. p. 629. ſeq. Grotius, qui tamen cum grano ſalis legendus) in h. l. Calovius in Bibl. illuſtrat p. m. 206. quamvis alibi (in Comm. ad h. l. p. 1289.) aliter mentem ſuam explicet, inclinando ad eam ſententiam, quæ de ſcyphi indagatione locum hunc exponere amat. vid. ſupr. Sect. II. §. 4. Sententiam hanc *comprobant* partim tot ſcientiæ hujus planè divinæ experimenta, in quatuor ſomniorum interpretatione, & futuræ tum fertilitatis, tum ſterilitatis prædictione edita, quæ Gen. XXXIX. atque ſequentibus deſcribuntur; Hinc Joſephum virum plane divinum eſſe, res in Ægypto erat notiſſima: partim titulus צָפְנַת פַּעְנֵחַ Gen. 41: verſ. 45. à Pharaone ipſe aſſignatus, de quo poſt alios videri poteſt Dn. D. Auguſt. Pfeifferus in Dub. vex. p. m. 186. ſeq. & in Exercit. Sacr. (quæ dubiis vex. in Edit. ab anno 1685. ſubjunctæ exhibentur,) Exercit. V. p. 99-120.

§. II. Altera pariter ad divinationem inclinat non malam; interim tamen extraordinariam divinitus ſpeciatim collatam admittere renuit. Indigitari autem hoc loco vocibus illis putat *ſagacitatem naturalem, prudentem conjectationem, ſolertem obſervationem*: & ſic Joſephum, vi quadam natura ipſi inſita rem quamvis facile aſſequi, circumſtantias ejus latentes invenire, deque illa (in ſpecie de hoc facto,) accurate conjectare atque pronunciare potuiſſe. In *hanc ſententiam* poſt רש״י propendent eamque *defendunt*: Ben. Pererius in Comm. & diſpp. in Gen. (Edit. Colon. Agripp. 1601.) Tom. IV. p. 1274. ſeq. & 1304. ſſ. Balduinus loco ſupr. cit. Dn. D. Pfefferus in Dub. Vex. p. 194, 195. & alii Pricknero in Comm. in V. T. (Edit. Franc. ad Moën. 1663.) p. 170. citati. *Rationibus* ſuperſtructa eſt ſatis momentoſis. Præ aliis autem urget (1.) genuinam atque nativam vocis נחש ſignificationem, de qua cap. ſeq. (2.) Pharaonis de eo (Joſepho) conceptam opinionem, quæ Gen. 40: verſ. 15. 38. ſeqq. conſignata reperitur. (3.) Famam, quæ de ſcientia ipſius non ad Ægyptios tantum, ſed & per hoſce ad gentes tum vicinas, tum procul diſſitas permanavit, quod Pererius è Juſtino Trogi Pomp. abbreviatore, ejuſque lib. 36. cap. 2. probat. (4.) Textus συνάφειαν: Annon hic eſt (ſcyphus iſte) è quo bibere ſolet Dominus meus, & nonne conjectaret de eo (ablato ejuſque furti autore) vir iſtiuſmodi prudens, ſagax &c. vid. Dn. D. Pfeiff. l. c.

§. III. Sententias haſce earumque valorem *ſi penitius conſideres*, fateri neceſſe habebis, utramque iis niti fundamentis, in quibus quis tuto fere acquieſcere poteſt. Minus autem à ſcopo aberraturum putamus, qui utramque ſuo modo conjunctam in unam conflaverit, quod & à nobis capite ſequenti fiet.

CAP. IV. ſiſtens

Sententiam Veram.

ANtequam, in hoc Autorum inter ſe invicem digladiantium diſſenſu, quæ noſtra mens ſit, aperiamus, pauca melioris intelligentiæ ergò in anteceſſum præmiſſa vel concedemus, vel ſupponemus. *PRIMO* itaque in confeſſo fere eſſe putamus *Ægyptum*, uti *omnis* propemodum *Idolomaniæ* atque *ſuperſtitionum*, ita & *magiæ* atque *divinationum multiplicium caput*, fontem atque ſcaturiginem fuiſſe, unde illæ ad Græcos, Romanos, alios, quin & ad Indos, Japonenſes, Chinenſes, ipſoſque Americanos dimanarunt; ſi quidem Kirchero aliiſque, qui inter Gentium diverſarum ritus collationem inſtituerunt, fidem abrogare nolis. Magiæ ac divinationum apud Ægyptios ortum, progreſſum ac ad alios propagationem Kircherus in Oedip. Ægypt. ſequenti modo tradit: Chamus ille ob ſummam in Parentem Noachum irreverentiam ac impietatem (Gen. IX.) à Spir. S. ipſo notatus, cum ab impiis ac ſuperſtitioſis Caini poſteris, qui poſtea diluvio ſubmerſi perierunt, infectus, magiam arteſque divinatorias imbibiſſet, eaſdem, qui impiorum mos eſſe ſolet, & aliis communicare maximopere ſtuduit. Cum itaque poſt terrarum diviſionem à DEO factam ſecutamque gentium diſperſionem ipſi Ægyptus una cum reliquis Africæ, multiſque Aſiæ regionibus obtigiſſet, ſummo ſtudio artes iſtas ibidem excolere, exornare ac propagare anniſus fuit, qua fini filiis ſuis, quibus regiones ſibi attributas diſtribuerat, eas inſtillavit; hinc primus ſuperſtitionis hujus Autor, & inventor, radix ac fundamentum non nullis audit. Succeſſit ut in Imperii, ita & in artium harum execrandarum poſſeſſione hæreditaria è filiis haud infimus Miſraimus, κακοῦ κόρακος, κακὸν ᾠὸν, qui fundamentis à Patre jactis alia longe pejora ſtudioſe ceu edoctus ab eo erat, ſuperſtruxit, characteres magicos ut & amuletorum conficiendorum rationem tradendo, ſideraque incantationibus ſuis de cœlo trahendo; quibus omnibus divinos apud populares, ſuos meritum eum eſſe honores aſſerit. Idem (ſi Meſram antediluvianum cum hoc poſt-diluviano eundem fuiſſe ſtatuas) inter varia quæ erexit opera magica, & ſtatuam quandam æream excitandam curavit cum hac inſcriptione: EGO MESRAM ILLE GYGAS FORTIS, ET POTENS, REVELANS SECRETA, FECI TALISMATA VARIA, ET IMAGINES LOQUENTES CONSTITUI, ERIGENDARUM IMAGINUM PERITUS &c. Moriturus ſcientiam illam Regi ſucceſſori, hic ſequentibus traditam reliquit. Eum quoque qui tempore Joſephi ad regni gubernacula ſedit, non plane ab eadem immunem fuiſſe, è Gen. XLI. clarum videtur. Uti autem literaturæ hieroglyphicæ puta, atque ſcientiarum à Mercurio Triſmegiſto inventarum, ita & artium magicarum ac divinatoriarum cuſtodia collegio Sacerdotali præprimis eſt demandata; à quo Græcorum ſapientes temporibus diverſis haud pauca hauſerunt. Videri de hiſce ac pluribus, aliis prolixius poteſt: Kircherus l. c. ſparſim, præprimis Tom. I. p. 72. f. p. 73. med. 74. init. 77. 80. 81. 84. tota; 85. init. 96. c. fin. &c. it. in Obeliſco Pamphylio hinc inde, & alii. Quamvis autem hiſce per omnia cœcum præbere aſſenſum atque in Kircheri verba jurare nolimus, multas tamen ſub iſtiuſmodi favillis, ex Arabum aliarumque Gentium ſcriptis, quæ collegit, veritatis ſcintillas latere, nullum eſt dubium.

§. II. Quod porro *Divinandi modos* concernit, varii à variis, iiſque diverſimode diviſi ac ſubdiviſi traduntur. Videri poſſunt hanc in rem Wierus de præſtigiis dæmonum: D. Caſp. Peucerus de præcipuis generibus divinationum aliique. Qui in præſenti materia vocem נחש aliquam divinandi rationem denotare volunt, inclinant vel ad κατοπτρομαντείαν, quæ ope ſpeculorum nitidiſſimorum, in quibus rerum propoſitarum imagines à diabolo effictæ apparebant, peragi ſolebat: vel ad λεκανομαντείαν, qua in pelvim aqua repletam laminæ, tum argenteæ, tum aureæ lapideſque pretioſi characteribus certis inſigniti immittebantur; & hinc obſervatis obſervandis adventum ſuum ſibilo tenui, reſponſionem autem voce exili ex aqua prodeunte, aut literas, nomina, figuras in

in aquarum ſuperficie exhibendo, Diabolus conſulenti indicabat: vel ad ὑδρομαντείαν ſeu κονδυμαντείαν, qua in aqua, cyatho infuſa, annulus filo, ex digito pendente ſuſpenſus librabatur, iſque ubi rei quæſitæ declaratio vel confirmatio modo præſcripto petita erat, non impulſus, verum aut agendum motu, ſive cyathum ictibus determinatis feriendo; falſum aut omittendum quiete ſua indigitabat. Rabbini hunc arcana cognoſcendi modum è ſono per impulſum elicito factum autumant. Cum ultimus hic modus præ aliis ſub conſiderationem noſtram materia ita poſcente, cadat; *duo* adhuc, circa eam notanda quæ veniunt, excutiemus, & quidem (α) *qualitatem inſtrumenti ſeu ſcyphi.* Deſcribitur hic Ægyptiis aliiſque uſitatus ab auctoribus ſupra citatis tanquam argenteus (non aureus) idque partim ob materiæ hujus magnatibus & ſacerdotibus illorum temporum præ auro charæ pretium; partim ob gratum ſaporem, partim ob artificium aliamve rationem. *Qui formam notant*; effigiatum eum fuiſſe ad modum vel collis (quod innuat V. Ebr. גביע) vel amygdalæ dimidiatæ aut ſignis prominentibus quaſi colliculis quibuſdam aſperiorem; aut literatum ſeu literis myſticis & hieroglyphicis inſcriptum. Addunt *magnitudinem*, quâ præ reliquis poculorum generibus eminuerit. *Æſtimium* ejus ſec. coſdem fuit tantum, ut non ſolum inter vaſa Principum argentea atque aurea facile primas tenuerit; verum & in ſacrificiis atque auſpiciis frequens ejus uſus fuerit. An autem (β) quod *alterum* erat hic conſiderandum) hæc per ſcyphum ita comparatum divinandi ratio apud Ægyptios & quidem illorum, quibus Joſephum principatum inter ipſos obtinebat, nec non antiquiorum temporum uſu recepta fuerit, non extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur. Exempla ſane, quæ ab Autoribus afferri & exſcribi è Veteribus communiter ſolent, id non niſi de aliis fere gentibus probant; Et ſi quædam eos quoque concernentia adducantur, ea non tam veteribus, quam mediæ ætatis atque poſteriorum ſeculorum Ægyptiis competere videntur. Nos uſum illum nec aſſerimus, nec præfracte negamus, ſed rem in medio relictam doctiorum arbitrio permittimus.

§. III. Ab hac autem uti & aliis divinationum ac magiæ ſpeciebus Patriarchas, viros fide, religione ac pietate, qua in Deum ſuum ferebantur, quam maxime conſpicuos, lege etiam Moſaica nondum lata plane abhortuiſſe, omnis plane cum diabolo ejuſque inſtrumentis commercii fuga à pietate inſigni profecta ſuadet. Huc accedit, quod è Decalogo cordibus ipſorum jam tum inſcripto, cum à DEO promulgatus publice nondum eſſet, iis non potuerit non conſtare directe contra præcepta primum ac ſecundum iſtiuſmodi ferri, Deumque vel totum, vel nihil deſiderare. Lege autem Moſaica *eaſdem ſpecies ſevere prohibitas à DEO* Legiſlatore ſummo fuiſſe clarum fit p. è Lev. 19: verſ. 26. & Deut. 18: verſ. 10. p. è locis illis, in quibus catalogo pœnarum longe graviſſimarum cauſſas comprehendenti inſeritur & hæc, quod abominanda hac divinatione ſe commacularint. Vid. 2. Reg. 17: 17. & 2. Par. 33: 6.

§. IV. Tandem tanquam radiis ſolaribus ſcriptum atque Scriptura S. id conſtanter aſſerente, ab omnibus conceſſum ſupponimus, Joſephum ſcientiæ ac prudentiæ non mere naturalis vulgariſque, ſed undiquaque perfectiſſimæ atque plane divinæ ſpecimina diverſis temporibus ediđiſſe maxime inſignia. Evinci id nullo negotio poteſt ex actis ejus (α) *circa Sacra* Gen. 37: verſ. 5. ſſ. cap. XL. cap. XLI. 14. ſeq. cap. XL, 22. &c. deſcriptis. quæ non tam ipſe, quam ſpiritus ſcientiæ atque prudentiæ à DEO ipſi conceſſus per eum exſequebatur. Conſtat id è confeſſione tum propria ipſius, tum Regis à vera licet veri DEI cognitione alieniſſimi; vid. Gen. 41: verſ. 16. 25. 38. 39. (β) *Politicis*, cujuſmodi conſiliorum prudentium atque utiliſſimorum ſuppeditatio Gen. 41: 33. ſſ. eorundem non minus prompta in actum deductio ibid. verſ. 46. ſſ. prudenter inſtituta & principe digna diſſimulatio, Gen. 42. & ſſ. cap. ſumma in ſtatu illo admodnm illuſtri moderatio atque humiliatio, principibus ad imitandum propoſita, cap. 47. 29. ſſ. verſ. 31. cap. 50. verſ. 17. ſſ. munificentia familiæ ſuæ admodum numeroſæ exhibita, cap. 47. verſ. 11. ſſ. mirabilis plane totius terræ Ægyptiacæ (aliis tamen non excluſis) temporibus calamitoſiſſimis facta conſervatio. c. 47. verſ. 13. ſſ. commodorum, gloriæ atque magnificentiæ Regis promotio hoc tamen modo facta, ne ſubditorum calamitatum varietate preſſorum commodis nimium detraheret, ibid. verſ. 20. ſſ. opera fidelis, commodis etiam privatis neglectis Regi ſuo præſtita, ibid. verſ. 14. prudens famulitii ſeu aulæ Regiæ gubernatio. Pſal. 105, 22. (γ) *Oeconomicis*, quibus œconomum atque diſpenſatorem ea fide & rei œconomicæ ſcientia exornatum ſe demonſtravit, ut non privatæ tantum tum ſuæ tum alienæ, verum & publicæ rei præfici mereretur. Vid. Gen. cap. 39. & ſeqq. paſſim Conf. 1. Tim. 3. 5.

§. V. Hiſce hunc in modum præmiſſis, ad genuinum loci hujus ſenſum declarandum pergimus. Putamus autem eum ſequenti modo optime exprimi poſſe. Cum Joſephus non egregiis tantum & aliorum captum ſuperantibus animi dotibus, quibus majores in opificio ſuo natura intendere non potuiſſet, inſtructus atque exornatus; verum & ſpeciali quadam Spiritus S. inhabitatione atque aſſiſtentia condecoratus eſſet: hinc non potuit non rerum atque factorum cauſſas & circumſtantias primo ſtatim intuitu ſeſe offerentes penetrare, accurate cuncta examinare, deque iiſdem recte pronunciare, judicare atque ratiocinari, ſomnia interpretari, futura prædicere. Uterque igitur Oeconomus quidem v. 5. Joſephus autem vſ. 15. hoc voluit innuere, male eos ſibi proſpexiſſe, quod viri illius, qui à ſcientia non humana ſolum eaque ſumma, verum & divina inſtructus non poſſit non expiſcari cuncta atque reſcire, ſcyphum abſtulerint; non enim eos latitaturos, quia ſcientia ejus, qua polleat, omnia ſcrutetur & ex omnibus accurate conſideratis, colligere haud difficulter queat, furtum hoc ipſos non alios commiſiſſe; ubicunque enim ſcientia humana deficiat, divinam defectus ſupplere.

§. VI. Probari hoc poteſt. (α) ex ipſa V. נפש ſignificatione, quippe qua obſervationem & conjectationem non tantum malam ſed & bonam imo & indifferentem inferri apparet, (1.) ex ipſa radice, quæ licet in ſenſu ſequiori nonnunquam accipiatur Lev. 19: 26. Deut. 18: 10. 2 Reg. 17: 17. 2 Paral. 33: 6. (add. Num. 23: 23. cap. 24.) Aliis tamen in locis (Gen. 30: 27. & 1 Reg. 20: 33.) meliorem in partem eandem adhiberi itidem conſtat. Ab hiſce ſi, uti convenit ſignificationem materiæ nondum immerſam abſtrahamus, obſervationem ſeu conjectationem in genere denotabit; Quod ſi autem ad hanc vel illam materiam applicetur, obſervationem aut divinationem vel bonam (ſive naturalis ea ſit, ſive divina) vel malam exprimet. (2.) Idem non minus clarum fit è voce derivata נָחָשׁ ſerpens, cui à callida ac curioſa obſervatione equidem non mala hoc nomen ab Adamo ſecund. Gen. 2: verſ. 19, 20. impoſitum fuiſſe, quis eſt qui dubitet. Conf. & Matth. 10: verſ. 16. Adſtipulatur (β) veritas hiſtorica §. præcedente deſcripta & ſpeciminibus longe plurimis comprobata. Quod autem (γ) & contextus hanc non aliam expoſitionem admittat, partim è ſententiarum reliquarum remotione cap. II. & III. facta, vel ex toto, vel ex parte partim è §. præced. elucet. Denique (δ) accedit quod in Sacris literis non tantum peccata ipſa committere, ſed & in ea ullo modo conſentire prohibeamur (Rom. 1: verſ. 32.) quin & id, quod vel minimam mali præ ſe fert ſpeciem, vitare jubeamur. (vid. 1 Theſſ. 5: vſ. 22.) Jam autem cum è cauta Joſephi converſatione conſtet, eum, quantum quidem in ipſo fuit, uti veræ religionis ita & veræ atque infucatæ pietatis fuiſſe ſtudioſiſſimum, hæcque omnia neglectis obſtaculis atque incommodis longe maximis obſervaſſe, quis quæſo illi, deficientibus rationibus, contrarium tribuere auderet? Conf. Capitis præcedentis Sect. ultima.

§. VII. Reſtarent equidem nonnulla, quæ in contrarium objici poſſent, ſolvenda atque diſcutienda: Verum, cum partim in præcedentibus ea jam fuerint adducta, & ceu ſperamus, non abſque rationibus prægnantibus rejecta, partim etiam reliqua nullius fere ſint momenti atque ponderis; Diſſertationi huic noſtræ manum ultimam imponimus.

S. A. D. S. L. H. E. G.

SEB. SCHMIDII
DISSERTATIO
De Numero Familiæ Jacobeæ ad Gen. XLVI: vſ. 26, 27. coll. cum Act. VII: 14.

BENEVOLO LECTORI
S. P.

JAm tempore Apoſtoli Pauli fuerunt in Eccleſia quoque Chriſtiana homines, qui plurimum *Genealogiis* tribuebant, & circa eas curioſi valde erant. Quorum ſtudium adeo Apoſtolus non approbabat, ut ab eo etiam ſeriò diſcipulos ſuos dehortaretur. Ita namque ſcripſit ad Germanum filium ſuum, quem vocat, Timotheum, in Eccleſia Epheſina tum verſatum; *Ut præciperes nonnullis non aliud quid docere*, μηδὲ προσέχειν μύθοις καὶ γενεαλογίαις, *neque attendere fabulis & Genealogiis interminabilibus*, 1 Tim. 1: 4. Similiter quoque ad Titum ſcripſit Tit. 3: 9. μωρὰς δὲ ζητήσεις, καὶ γενεαλογίας, καὶ ἔρεις, καὶ μάχας νομικὰς περιΐστασο. Hoc eſt: *Stultas autem quæſtiones, & Genealogias, & contentiones, & pugnas devita.* Sed & rationes habuit Apoſtolus graviſſimas & momentoſas. Quando nimirum ad Timotheum mandato ſuo ſubjicit; αἵτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον ἢ οἰκοδομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει: *quæ quæſtiones potius ſubminiſtrant, quam ædificationem Dei, quæ in fide ſit.* Et ad Titum de talibus Genealogiis dicit idem: εἰσὶ γὰρ ἀνωφελεῖς καὶ μάταιοι: *Sunt namque inutiles & vanæ.* Quid ergo? num Apoſtolus omne ſtudium, omnem laborem, qui Genealogiis quibuſcunque impenditur, improbat, rejicit, & ab eo dehortatur? Abſit per omnem modum; ſed aliquod tantum. Id quodnam ſit, exponit ita *Theophylactus* in 1. Tim. 1: *Avos, inquit, & proavos enumerabant, ut hiſtoriæ gloriam ſibi vindicarent.* Εἰκὸς δὲ καὶ ἕλληνας αὐτὸν ἐνταῦθα αἰνίττεσθαι: *Veriſimile autem eſt, etiam Græcos ipſum hic notare. Illorum enim fabulæ, & Genealogiæ ſunt, quibus deos ſuos recenſent.* Et in Tit. 3. *Per ſtultas* (quæſtiones) *dicit eas, quæ inutiles ſunt*, οἵας οἱ Ἰουδαῖοι ἐπάγουσι τοῖς πιστοῖς, *quales Judæi fidelibus inferunt.* Γενεαλογίας δὲ, ἃς οἱ αὐτοὶ ποιοῦνται, τοὺς πατριάρχας γενεαλογοῦντες προγόνους αὐτῶν, καὶ τούτοις ἐγκαυχώμενοι: *Genealogias autem, quas iidem conficiunt, ſuam ad Patriarchas genealogiam referentes, & majoribus illis gloriantes.* Hæc *Theophylactus.* Qui recte Genealogiarum tum Judaicarum tum Ethnicarum meminit. Gloriabantur namque Judæi contra Ethnicos inprimis de avis & proavis ſuis, quorum Genealogias ad Patriarchas uſque deducebant. Gloriabantur contrà Ethnici contra Judæos, Genealogias ſuas in ipſos, qui credebantur, Deos terminantes. Ejuſmodi Genealogiæ inutiles prorſus erant, & ſtulta de iis gloriatio. Quid namque fidei refert, à quibus natus ſis? Hoc eſt, quod Apoſtolus dicit, *ejuſmodi Genealogias magis quæſtiones ſubminiſtrare, quam ædificationem Dei, quæ in fide ſit; inutiles* adeoque, *& vanas.* Similis vanitas erat, qua Judæi de circumciſione ſua gloriabantur: gentiles præputium ſuum jactabant. Cum tamen *in Chriſto Jeſu neque circumciſio quicquam valeat, neque præputium; ſed fides, quæ per dilectionem operoſa eſt.* Gal. 5: 6. Ab harum itaque Genealogiarum ſtudio merito Apoſtolus Chriſtianos dehortatur. Commendandus contra valde eſt labor ille, qui Genealogiis, quas ipſi Scripturæ ſacræ inſerere placuit Spiritui ſancto, impenditur. Qualis eſt labor, quem *Præcellens Juvenis Dn. M. Joh. Michael Cellarius, S. Theolog. Studioſus eximius*, Genealogiæ Patriarchæ Jacobi cum laude egregia per Diſputationis hujus elaborationem impendit, in qua erudite inprimis conciliat, in quibus à doctis multum laboratum eſt, Locos Scripturæ difficiles Geneſ. 46. & Act. 7. Commendabit vero etiam ipſe labor *Autorem* ſuum potius, quam ut prolixa noſtra commendatione opus ſit. Quare hoc tantum ſupereſt, ut *Dn. Autori* de laudabili labore gratulemur, & ulteriorem illi in ſtudio benedictionem ex animo apprecemur.

Perſcriptum Argentinæ d. 17. Febr. St. N. 1688.

SEBASTIANUS SCHMIDT, D.

PRÆLOQUIUM.

SI ullo ſeculo admiranda cum totius SS. Scripturæ conſonantia, tum præcipue V. T. cum N. harmonia ab impiis hominibus in diſcrimen fuit vocata, profecto de noſtro præſenti hocce ſeculo id fateri habemus: Ubi multiplicatis & auctis Fanaticorum catervis multiplicantur & augentur quoque calumniæ & obtrectationes verbi divini adeo, ut non ſolum Atheorum, ſed etiam, quod dolendum, Chriſti nomen profitentium ſcripta iis pateant paſſim. Chriſtiani quibus argumentis perſuaſi ſint, Scripturam corruptam ut ſtatuant & depravatam, videri poteſt apud *B. Glaſſium Philol. S. l.* 1. *Tract. I. p.* 27. *ſſ. & Tract. II. p.* 144. *ſſ.* ubi eoſdem doctiſſime & maſcule refellit. Ex Fanaticis nominamus unicum *Matthiam Knuzen*, qui nomen ſuum apertò inter hodiernos profeſſus eſt Atheos, minimè dubitantem, univerſa Biblia Belluarum (h. e. Chriſtianorum rationem captivantium,) bellas appellare fabellas, totas confuſas & commixtas, &, quicquid ibi eſt, totum eſſe ſine connexione, ſine compoſitione, abſque omni verborum ordine & colore, abſque omni ſenſu & ratione poſitum; ipſas potius ſecum pugnare & diſſonis ſonare fidibus, h. e. veras, non tantum apparentes, fovere contradictiones. Id quod præ ceteris etiam ex S. Stephani ad Judæos Apologia, quæ habetur Act. 7. colligere voluit. Sic enim referente *B. Joh. Muſæo Introduct. in Theol. P. II. c. V.* §. 17. *p* 347. *in Epiſtola Romæ edita, bipedum ille nequiſſimus nebulo ſcribere audet: Poſſem id, ſc. Chriſtianorum Canonem & fundamentum, quod Biblia nuncupant, ſecum penitus diſſonare & vacillare, vel ſexcentis per omnes, qua V. qua N. T. libros ſtatuminatum ire exemplis. Quorum etiam quædam ſubjicit, quibus partim in rebus fidei, partim in aliis levioribus, numeris ſcil. & genealogiis, Scripturam contradictionibus ſcatere jactat: jactat inquam, non demonſtrat. Conferenti enim ea inter ſe in ſuo contextu & genuino ſenſu, & collata ad leges contradictionis expendenti patebit oppido, nullam contradictionem veram, pugnam veram nullam in illis contineri.* Uti ſingula l. c. ὁ πάνυ *Muſæus* pro more ſolidiſſime diſſerit, & objecta feliciter ſolvit. Abſit autem à nobis quam longiſſimè, cum taliſmodi farinæ hominibus in Dei verbum injurii ut ſimus! Abſit & ab aliis γνησίως Chriſtianis, omniſcii Numinis verbum corruptum ut fingant ſibique adverſum! Potius, ne juxta *Origenem Adamantium* imperitis Muſicæ ſimiles pulſando chordas, quæ alias perito plectente gratiſſima harmonia conſonant, peritorum aures diſſono circumſonare faciamus ſono; potius, inquam, cum Noſtratibus pro certo ſcimus, Scripturam ſibi per omnia conſtare, nos ipſi modo nobis conſtemus. Id quod etiam diligentiſſime obſervavit *Juſtinus Martyr*, quando in Dialogo cum Tryphone, vertente *Joh. Langio*, ſe ita loquentem introducit: *Nunquam audebo vel hoc in animum inducere vel eloqui, ut dicam, adverſari ſibi invicem Scripturas SS. verum ſi quæ Scriptura hujuſmodi eſſe videatur, in medium proponatur, & obtentum eum, quaſi ſit adverſaria alteri, habeat, omnibus modis perſuaſum habens, nullam Scripturam ab aliis diverſam eſſe, ipſe me potius, quæ dicta ſunt, non intelligere fatebor. Atque ut illi, qui Scripturas non inter ſe convenire ſuſpicantur, idem mecum ſentiant, perſuadere contendam.* Ex quibus facile colligere eſt; quod & nos ipſi diffiteri non poſſumus, ſcil. in S. literis plura haberi loca difficiliora, in quibus S. Scriptores fronte quidem ſibi invicem contrarii viſi, ſi mentem eorum curatius paulo inſpexeris, amiciſſime conſpirant. Aſſentitur his *Sixtus Senenſis Biblioth. S.* lib. 8. Hær. 1. p. 622. Colon. Edit. 1586. fol. *Fatemur,* inquit, *multa in Sacris literis inveniri, quorum cum eadem ſit ſententia, verba tamen apparenter diſcrepant, ita divina Sapientia diſponente ad exercitium fidei noſtræ, ut, dum eas ad concordiam reducere neſcimus, oremus eum, qui fecit utraque unum, ut aperiat nobis apparentis contradictionis conciliationem.* Probatum id dederunt per Dei gratiam Scripturarum Interpretes non pauci, ut adeo laudabili ipſorum ſtudio hodie ferme omnia plana reddita ſint, niſi quod paucis difficultatibus quorundam conciliationes adhuc premantur. Atque eo inter alios referuntur etiam loci Scripturæ, qui ſua ἐναντιοφανείᾳ Interpretes tam veteres quam moderniores admodum exercuerunt; nempe de numero familiæ Jacobeæ deſcendentis in Ægyptum, qui aliter à Moſe Gen. 46: vſ. 26, 27. aliter à Luca Actor. 7: 14. adducitur. Prior enim non ſolum per ſe & ſeorſim ſpectatus, ſed & in reſpectu ad alterum; Poſterior ſaltem reſpectu habito ad priorem difficiles videri poſſunt, adeoque non indigni conciliatione. Conciliationes horum ſi numerare velis, numera Commentatores, qui ferme innumeri, & difficultates ipſis adnatas in numerato habebis. Ego dum adhuc in Academiis verſor, totque inter doctos viros, quibuſcum conferre licet meditata, ſalvis Venerandorum Majorum conciliationibus tentabo in præſenti horum locorum conciliationem aliquam, de hac perſuaſus quod à multis, quæ aliis adhærent, immunis ſit difficultatibus. Res vero tota decenti ut fiat ordine; traditis prius textibus conciliandis, tribus Capitibus abſolvetur, quorum I. Diverſitatem numerorum apud diverſos Scriptores Sacros; II. Conciliationes variorum cum ſuis difficultatibus; III. Noſtram conciliationem ejuſque infirmationem exhibebunt. Deus annuat cœptis!

Textus conciliandi originales cum Verſionibus.

Geneſ. XLVI: 26, 27.

כל־הנפש הבאה ליעקב מצרימה יצאי ירכו מלבד נשי בני־יעקב
כל־נפש ששים ושש׃ ובני יוסף אשר־ילד לו במצרים נפש שנים
כל־הנפש לבית־יעקב הבאה מצרימה שבעים׃

Verſio Xantis Pagnini.

Omnes animæ, quæ venerunt cum Jacob in Miſraim, quæ egreſſæ ſunt de femore ejus, præter uxores filiorum Jacob; omnes, inquam, animæ erant ſexaginta ſex. Porro filii Joſeph, qui nati ſunt ei in Miſraim, animæ duæ. Omnes igitur animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Miſraim, fuerunt ſeptuaginta.

Græca

Græca LXX. Interpretum Versio.

Πᾶσαι δὲ αἱ ψυχαὶ αἱ εἰσελθοῦσαι μετὰ Ἰακὼβ εἰς Αἴγυπτον, οἱ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, χωρὶς τῶν γυναικῶν τῶν υἱῶν Ἰακὼβ, πᾶσαι αἱ ψυχαὶ ἑξήκοντα ἕξ. Υἱοὶ δὲ Ἰωσὴφ, οἱ γενόμενοι αὐτῷ ἐν Αἰγύπτῳ, ψυχαὶ ἐννέα. Πᾶσαι αἱ ψυχαὶ οἴκου Ἰακὼβ αἱ εἰσελθοῦσαι εἰς Αἴγυπτον ἑβδομήκοντα πέντε.

Actor. VII: 14.

Ἀποστείλας δὲ Ἰωσὴφ μετεκαλέσατο τὸν πατέρα αὐτοῦ Ἰακὼβ, καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτοῦ ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε.

Versio Erasmi.

Misso autem nuncio Joseph accersivit Jacob Patrem suum, omnemque cognationem suam in animabus septuaginta quinque.

CAP. I.

DE DIVERSITATE NUMERORUM

Apud Scriptores diversos.

§. I.



Portet circa numeros occupatos non fugitivo saltim oculo illos adspicere, vel cuilibet numeranti statim fidem habere, quia praxis edocet clare, quam sæpe fallant tales fallanturque. Sed certitudinem rei numeris involutam, numerosque ipsos & horum summam certo certius cogniturus numerorum Catalogum ipse inspicere, diligenter hunc legere atque perlegere, numerosque iterum atque iterum numerare debet. Sic non solum videbit, ubi diligenter alii vel indiligenter numerarint, sed ipse quoque cognoscere potest, quid numeretur à Scriptoribus, quid non; utrum summa ex singularibus recte collecta, annon? Quomodo singulares, quomodo summarii habeant numeri? Utrum sibi constent, & vel in speciem vel revera pugnent? Et quanquam à nobis de viris θεοπνεύστοις omnis suspicio fallendi sibique invicem contradicendi merito abesse debeat, & omnino absit, utile tamen, imo necessarium est propter contrarium sentientes in id diligentius inquirere, & examinare Mosis de numero familiæ Jacobeæ, descendentis in Ægyptum, Catalogum totum ex ipso Mose; visuris, an ipse sibi constet in his Catalogi numeris, & cum aliis quoque viris Dei Spiritu ductis conveniat, quo obloquentes veritati tandem obloqui desinant. Jam si Catalogum ipsum inspiciamus, vel in ipso Geneseos loco, statim numerorum occurret diversitas. Reperimus enim vs. 26. alium, alium vs. 27. Et si singulorum nomina, quæ in hoc capite recensentur, connumeres, non solum summarium ab his abludere, sed & in particularibus non parum difficultatis latere, videri posset. Vel, quod magis est, si cum Mosis summario conferas numerum, à S. Stephano in Actis per Lucam adductum, non minorem in numeris latere discrepantiam primo patebit intuenti. Quorum consonantia eo facilius ut intelligatur, singulatim hanc numerorum diversitatem paulo curatius cogrituri, Mosis prius, & dehinc Lucæ consulamus contextum, quam ipsos textus conferamus.

§. II. Prænotandum autem hic inprimis, triplicem in hoc Catalogo Mosen habuisse respectum, quem res quoque ipsa clarissime evincit. *Unum*, quo etsi non singulos nominatim, omnes tamen Israëlitas ante discessum in Ægyptum natos tradit, sive apud Judæos in Genealogiis recenseri consueverint, sive non. Atque hinc est, quod mentionem fecerit Moses Israëlis Parentis sive Jacobi, quem inter alias distinguunt Judæi tanquam Caput, cujus est familia, & familiam ejus. Deinde meminit etiam uxorum Jacobi, ejus filiorum, filiæ, nuruum, nepotum, horumque uxorum & neptis; adeo ut si omnes hos Israëlitas connumeres, nempe ex Leæ familia 45. ex Zilpæ 20. ex Rahel 17. ex Bilhæ 10. numero habebis XCII. Hæc primi modi summa à Scriptore primo subindicata, ab eodem vero quod non collecta atque expressa sit, minimè h. l. in controversiam venit. *Alter respectus*, quem Moses in hoc Catalogo texendo habet, est totius familiæ Jacobeæ, duodecim constantis tribubus, accuratissima & perfecta Genealogia, in qua proinde omnes personæ, eæque nec pauciores nec plures, quam quæ Jacobo usque ad articulum descensus in Ægyptum natæ sunt, atque more Hebræorum in Genealogiis recenseri solent, & nominantur & numerantur. Numerum ipsum summarium hujus perfectæ Genealogiæ diligenter vs. 27. expressit Moses LXX. numero, quem iterum Exod. 1: 5. iterumque Deut. 10: 22. eodem prorsus modo repetiit. *Tertius* est, quo eas solummodo nominat pariter numeratque personas ex contexto Genealogiæ Catalogo, quæ non modo ex femore Jacobi, sed etiam cum ipso ex terra Canaan actu in Ægyptum descenderant. Harum numerus est LXVI. uti vers. 26. studio singulari testatur Moses.

§. III. Totius Genealogiæ familiæ Jacobeæ summa, vs. 27. contenta, ex particularibus collecta est numeris, quorum prior constat XXXIII. vers. 15. alter XVI. vers. 18. tertius XIV. vers. 22. & quartus VII. vs. 25. ut adeo summa totius Genealogiæ sint LXX. animæ. De primo numero particulari magna lis semper fuit inter Interpretes, quippe si connumeres nomina ibi expressa, major evadit numerus quam XXXIII. Si Er & Onan in terra Canaan mortui omittantur, minor apparet, quam par est. Igitur varii varie rem expedire tentarunt, sed nescio an extricarint magis, an intricarint? Audiamus aliquos: Martinus Del-Rio Comment. in h. l. scribit: *Sunt XXXIII. exclusis Er & Onan, inclusa Dina. Sed tum adhuc tantum invenias XXXII. Quare quidam Ebræorum annumerant Jochebed, filiam Levi, matrem Mosis, diu post in Ægypto natam.* *Isidorus Clarius Brixianus Bibliis SS.* quæ sub censura Deputatorum Concilii Tridentini prodierunt: *Sunt XXXIII. si annumeretur illis adhuc una persona in Ægypto nata, nempe Jochebed, filia Levi, mater Mosis, alioqui erunt solum XXXII.* Verum observatum jam est ex toto contextu, non computari hoc in Catalogo nisi ante descensus articulum natos. Hinc non inepte *Musculus* Comment. in h. l. *quod Jochebed filiam Levi contexerit, non video, quare debeat illa ad implendum numerum hunc XXXIII. assumi, cum à Mose non sit nominata in hoc Catalogo; Deinde non descenderit cum Jacobo in Ægyptum, sed postea sit nata in Ægypto, sicut videre est Num. 26: 59. Nec satisfacere potest, quod R. Salomo comminiscitur: Etsi sit nata in Ægypto, conceptam tamen fuisse in terra Canaan, atque ita in utero matris descendisse cum Jacobo in Ægyptum. Etenim si illa in utero Matris descendisset in Ægyptum, nimis n a ctum contraheretur tempus illud, quo Israël egit in Ægypto. Fuit namque ista Jochebed mater Mirjam, Aaronis & Mosis Numeror. 26. Exod. 6. qui Moses Israëlem ex Ægypto duxit, cum annos 80. natus esset. Quare vero similius est, fuisse Jochebed diu post descensum hunc in Ægypto natam. Deinde si numerandi hic sunt, qui etsi non nominantur à Mose, in utero tamen materno delati sunt, & illic post descensum nati, erunt procul dubio adhuc alii quidam ex nepotibus vel pronepotibus Jacobi numerandi, qui & ipsi in terra Canaan concepti, post descensum in Ægypto sunt nati, atque ita reddetur numerus summarius multo auctior, quam hic positum esse videmus. Quare arbitror, non esse Jochebed, filiam Levi, in hunc numerum assumendam.*

§. IV. Videntes alii, quod solum numerentur ante descensum nati, putant, salvari posse numerum particularem primum, si excludant eodem Hezron & Hamul, Peresi filios, Judæ nepotes, quippe quos in Ægypto demum natos censent post descensum, id quod ex Gen. 38. evincere conantur. Ibi cum dicatur vers. 1. בעת ההיא tempore illo, vel circa tempus fere idem, quo vendebatur Josephus, Judam cum filia Suhæ contraxisse matrimonium, atque ex ea genuisse primogenitum Er, secundo natum Onam, & tertio natum Selam, qui duo priores, postquam à Patre præterlapsis annis necessariis, Thamari juncti à Deo occidebantur, reliquere viduam Thamarem, ex qua ipse Judas postmodum per incestum procreavit Perez & Serah, quorum prior demum interjectis maturitatis annis Hezronis & Hamul parens factus est. Jam ad talismodi actiones, nonnisi insigni successu temporis contingentes, plus requiri temporis dicunt, quam 22. annorum. Tam diu autem Josephi ante adventum Patris in Ægypto fuit. Credibile ergo ipsis non est, hos in terra Canaan adhuc esse natos. Hic ut res fiat clara, missis in Scriptura usitatis ὑστερολογίαις, qualem etiam h. l. Selneccerus Comm. in Gen. observat, missis inquam his, observo, quod Moses mentionem primi Judæ matrimonii post commemoratam historiam de Josephi venditione faciat, non involvere aliquam necessariam connexionem vel subsecutionem, quasi illud primum matrimonium non ante hanc venditionem contractum esse potuisset. Videntur enim verba illa: *tempore illo*; respectum potius habere ad ætatem Jacobi, sive tempus, quo Jacob terram Canaan incolebat, in qua Patres ipsius peregrini fuerant, quod cap. 37: 1. innuitur, uti ad eundem locum rectis-

rectissime *Autores Bibliorum Vinariensium* glossantur; quam ad ipsam proxime præcedentem Josephi venditionem. Posito autem, eo non spectare verba illa; sufficeret tamen, si aliqua insit præcedenti capite factæ narrationi actio vel circumstantia quædam, cujus occasione totam de matrimonio Judæ ejusque progenie historiam ab ovo repeteret Moses, quæ omnino in promtu. Quemadmodum enim ex cap. 37. facile colligi potest, propositum Mosi esse una serie & contextu Josephi historiam scribere; cum facta impletæ promissionis divinæ mentione, quæ Abrahamo de posteritate ejus Canaan incultura facta erat, ad genus incolentis Jacobi tradendum procedens, misso ordine & nativitatis & dignitatis, à Josepho incipiat, & ejus historiam continuet; Ita dum de hac, omissis aut dilatis, quæ vel ante vel post gesta essent, pluribus disseruisset atque vers. 27. etiam Judæ, tanquam primi venditionis hujus suasoris, dissuasorisque primarii interemtionis meminisset, jam ad autorem hujus venditionis, qui & autor spiritualis redemtionis fieri debebat, matrimonium, ex eoque natam progeniem accedit, de quibus illucescente hac opportuna occasione ἐμβολικῶς atque παρέργως vel propterea singularia quædam & notatu dignissima, quæ latere non debebant, ante proferre debuit, quam ad ipsam Josephi historiam porro contexendam pergere. Neque vero potuit Moses hanc historiam de Judæ progenie, cum propter natum Perez, majorem Salvatoris nostri avum, inprimis referatur, ante Josephi visitationem fraternam collocare, quippe tum nondum factam; neque post venditionis mentionem, quoniam tam opportuna in sequentibus non illuxit occasio, qua sine interruptione historiæ insigniori inserere potuisset. *Bene itaque jungit Scriptor venditionem Josephi & peccata Judæ, ut ostenderet, quomodo is, qui naturam exuerat adversus fratrem, numeretur in liberis, ut videas Judæ peccatum cum nuru & Josephi abstinentiam ab Heri uxore*: ceu annotat *Matth. Polus Synops. Crit. Angl. ad h. l.*

§. V. Nec contemnendæ plane sunt aliorum rationes, quibus pro hac inserta historia de Judæ progenie militant Autores. Refert non improbabilem *Alphonsus Tostatus Comm. ad h. l. p. 651. Doctores*, inquit, *Hebræi & Latini dicunt, quod Josepho vendito, & Jacob persistente in fletu quotidiano inconsolabiliter dolente, omnes fratres molesti erant Judæ, dicentes, quod ipse impulerat eos ad vendendum Joseph, & si ipse non dixisset, nunquam vendidissent; Imo si mandasset, quod nullum malum ei irrogaretur, nullum fuerat irrogatum, quia ei tanquam digniori omnes assentiebantur. Judas autem non potens sustinere quotidianas molestias, recessit ab aliis fratribus & declinavit ad accipiendam uxorem.* Addit his alia *Raupius Bibliothec. Portat. ad Gen. 38: 1. Causa præcipua, cur hæc historia à Mose inserta, est, ut Genealogia Christi constaret. Quidam addunt, ideo id fieri, ut Judæorum fastus reprimeretur, utque doceret Moses, etiam sanctos non esse ἀναμαρτήτους.* Magni nostri Lutheri Chronicon si inspiciamus, quod dictum est, ab ipso quoque comprobatum invenimus: Ibi octavo ante Josephi venditionem anno ponit nuptias Judæ primas, nimirum in A. M. 2208. quem elapsis integris annis 30. secutus demum est descensus Jacobi ejusque familiæ in Ægyptum.

§. VI. Hic nihilominus post Augustinum cum Capello, Mercero & Pareo, Pererius in ea perstat sententia, quasi ne sic quidem Hezron & Hamul ante descensum dici possint nati & cum Patre ingressi, quia 30. annos censet breviores, quam ut sufficere possint ad generandos pronepotes. Verum uti *Gesnerus Comm. in Gen.* scribit, *nituntur hi nulla alia ratione, quam ista, quod ante annum 16. vel etiam 20. mares conjugio & generationi non sint habiles*; quam tamen multis modis infirmam rerum non solum magistra, experientia, sed & ipsa S. Scriptura reddit. Subtilis *Scaliger* sua memoria in Lactoratensi Novempopulana civitate accidisse perhibet, quod puer minor annorum 12. ex puella consobrina sua, quæ decimum annum nondum expleverat, genuerit; Quam historiam etiam se legisse testatur *Rivetus in Laurentii Jouberti Erroribus popularibus.* Sic inter alia exempla *Caspar Barthius*, quæ *Adversar. l. 7. c. 5. p. 318. & lib. 44. c. 26. p. 2042.* refert, etiam puellæ cujusdam Thuringæ meminit, quæ sua memoria puerum peperisse dicitur, annum ætatis agens nonum. Quo cum numero si comparationem annorum masculorum instituas, probabile fit, anno ætatis 12. generationem non esse impossibilem. Quoto ætatis anno cum apud Judæos, tum apud Christianos matrimonium contrahere liceat, erudite tradidit *Wagenseilius Confutatione Carminis R. Lipmanni p. 392. ss. quæ habetur in Telis Igneis Satanæ.* Si itaque hoc in natura effœta &, ut hodie est, debilitata contigit, multo magis contingere id potuit illo tempore Patriarcharum, ubi natura longe firmior viresque solidiores erant; & Patriarchæ propter futurum Messiam de amplificando genere maxime soliciti fuerunt; ut adeo recte cum Megalandro nostro colligere possimus, *naturam tunc longe firmiorem & validiorem fuisse tum in masculis tum in femellis, quam nunc est, ita ut conjuges potuerint generare liberos duodecimo aut tredecimo anno.* Id quod etiam colligimus ex 2. Reg. 23. de Josia Rege in Juda, qui anno ætatis 13. liberis procreandis operam dedit. Si enim mortuus est annorum 39. postque se reliquit filium Joahas successorem annorum 23. cui eodem anno successit frater Joachim annorum 25. sequitur, Patrem Josiam 13. anno Joachimum cœpisse generare. Itaque non sine ratione & exemplo *B. Lutherus in Chronico suo* rem ita expedire conatur; Judam, anno 42. ante descensum in Ægyptum natum, anno 30. ante eundem duxisse uxorem, ex qua annis proxime sequentibus Ger, Onan & Selah genuerit. Hi duo priores anno ante descensum 16. à Domino occisi reliquerunt viduam Thamarem; ex hac porro anno 15. nati sunt Perez & Serah. Inde ad annum descensus restant 14. anni, quibus Hezron & Hamul absque difficultate nasci potuerunt.

§. VII. Alii ad salvandum hunc particularem numerum 33. eximi debere putant Saulem Cananææ filium, quem non censent à Simeone genitum, sed Simeonem, ubi ex priore conjuge quinque filios suscepisset, superinduxisse volunt Cananæam, quæ ex alio marito hunc filium susceperat. Hic *Rasi* comminiscitur, *Saulem fuisse filium Dinæ, quæ marita fuerat Cananæo propterea que h. l. Cananæa dicta. Cum enim interficerent Sichem, insit, noluit Dina prodire, donec ipsi juraret Simeon, quod eam esset ducturus, in Beresith Rabba.* His videtur adstipulare ipse *Lutherus*, quanquam suam opinionem circa hanc rem tali cum modestia proferat, qualem vix ac ne vix quidem in aliis inveneris. Commentario autem in Gen. ita: *Si quæ persona hic segreganda est, Saulem potius excludendum puto, quanquam nihil adfirmo. Non est enim locus in tota Genesi tam varie tortus ab Interpretibus quam hic, in quo omnes vehementer sudarunt Lyra, Augustinus, Burgensis, Hieronymus.* Digna sunt ad h. l. erudite notata *B. Gesneri*, verbotenus ut adjiciantur: *In re manifesta*, inquit, *non est opus conjecturis. Si Moses non voluisset Saulem numero præsente comprehendi, quorsum quæso hic & Exod. 6: 15. Num. 26: 13. nominasset, familiamque Saulitarum ab eo deduxisset? Et cur non exceptionem adjecisset similem illi vs. 12. qua Er & Onan excluduntur eo, quod in terra Canaan sint mortui, & item alteri vs. 26. absque uxoribus filiorum ejus? Saul itaque omnino in Catalogo est relinquendus. Quod autem matris injicitur mentio, exprobratio delicti Simeonis dicitur in causa, qui ausus est contra Dei prohibitionem, quæ gentis Cananææ detestationi Gen. 15. inest, & contra Patris Avique institutum Gen. 28: 2. Cananæam ducere, & ex maledicta gente sobolem producere.* Vix namque credibile est, Mosen numerare Saulem inter filios Simeonis, ex ipso si non natus esset, non enim nisi filios ejus recensere volebat.

§. VIII. Alii cum Josepho & D. Hieronymo Jacobum ipsum annumerant, eo, quod summa sit colligenda à vs. 8. ubi Jacob ponitur simul cum filiis, quod placet *Martino Del-Rio*; qui *Rupertum Tuitiensem Comm. in Gen. Piscatorem quæst. in Gen. B. Georgium Calixtum in historia Josephi*, aliosque plures sibi habet consentientes, inter quos eminet *B. Gerhardus Comm. in h. l.* qui ita disserit: *Hic dicendum, quod omittendi sint Er & Onan, utpote extincti in terra Canaan, antequam Jacob cum familia sua in Ægyptum descenderit Gen. 38: 7. 10. qua ratione filii & nepotes ex Lea suscepti relinquuntur 32. quibus si addatur Jacobus, caput familiæ, fient 33. Duo enim hic Mosi fuerunt proposita, primum quidem numerare personas ad familiam Jacobi spectantes, quæ tum temporis adhuc in vivis fuerunt, cum in Ægyptum descenderet: Deinde posteritatem à Jacobo ortam, quæ, demto Josepho cum liberis, in Ægyptum cum eo descendit. Prius membrum incipit vs. 8. ubi Jacobum tanquam communem stipitem disertis verbis exprimit; ac proinde in summa ipsum connumerandum innuit. De Er & Onan diserte addit vs. 12. quod fuerint mortui in terra Canaan, quo ipso in collectione summæ eos prætermittendos esse significat, ut sit sensus: Eorum, qui in Ægyptum descenderunt, primus fuit Jacob, totius familiæ caput, & filii & nepotes Leæ ac filia ejus Dina, qui omnes una cum stipite constituunt personas 33.* Brevibus similia habet *Junius in Bibliis Lat.* ubi *vers. 15. ita vertit: Omnes animæ, ipse, filii ejus filiæque ejus 33.* Et statim in notis addit: *perspicuitatis causa ipsum addimus, quia numerus 33. non compleretur nisi adnumerato Jacobo.*

§. IX. Hic inprimis ad fontes ipsos recurrendum nobis est, ut, quinam hoc numero comprehendantur, quinam non, perspicue videamus, idque ex *vers.* 15. ubi dicitur, אלה בני לאה אשר ילדה ליעקב: *Hi sunt filii Leæ, quos peperit Jacobo*; Atque denuo: כל־נפש בניו ובנותיו שלשים ושלש *Omnis anima filiorum ejus & filiarum ejus triginta & tres.* Quomodo quæso hic Jacobum connumerare licet iis, quos Jacob ipse ex Lea suscepit filios? Sane nisi dicere velimus, quod nec contrarium sentientes dicere possunt, Leam, Jacobi uxorem, Jacobo in Mesopotamia ipsum Jacobum peperisse, stare ipsorum sententia non potest. Ostendit itaque hic versus, quod summa sit colligenda quidem à *versu* 8. sed non ab initio versus, ita, ut Jacob sit primus in hoc numero, quem deinde filii ejus & filiæ complerent. Neque dicitur in collectione summæ, uti *Junius* perspicuitatis gratia, sed tamen contra contextum addit: *Omnes animæ, ipse, filii ejus & filiæ ejus sunt* 33. Sed solum, *omnis anima filiorum ejus filiarumque sunt* 33. Colligere ergo incipit Moses summam à primo Jacobi filio Ruben, uti ex collectione numeri clarum est. Quod autem *vers.* 8. dicitur: *Hæc sunt nomina filiorum Israëlis, qui in Ægyptum descenderunt, Jacob & filii ejus*; nihil aliud involvit, quam Jacobum h. l. nominatum cum filiis descendisse, quod nisi totus fallor, nemo negat, indeque recte colligitur, minime vero quod inter filios numeratus quoque sit, maxime cum collectio numeri eum aperte excludat. Nominatur enim hic tanquam caput Israëlis & parens, cujus familia, ipso præciso considerata, cum ipso tamen descendit. Ad Er & Onan vero quod attinet, illi etsi mortui, nihilominus excludendi non sunt, quippe ad perfectam omnibusque numeris absolutam familiæ Jacobeæ genealogiam pertinentes, cujus summam Moses inter alios & ex hoc particulari numero colligere incipit. Neque hic solum numerat personas ad familiam Jacobi spectantes, quæ tum temporis adhuc in vivis fuerunt, cum in Ægyptum descenderet, quod quidem ex inscriptione Genealogiæ hujus colligere malunt, quia mortui cum Patre non descendisse dici possunt; Si enim ad descendentes solum respexisset Moses, cur infra numerat filios Josephi? Si tantum descendentium, qui adhuc in vivis fuerunt, h. l. ponuntur nomina, cujus gratia mortuorum apparent? Omitti h. m. debuissent nomina Er & Onan, tanquam mortuorum, quorum ob graviora peccata adscitam mortem jamtum supra cap. 38. pluribus inculcaverat atque exaggeraverat. Uti vero ex inscriptione generali hujus Genealogiæ hoc non sequitur, ita nec jure probatio inde petitur; sed ex ipsa collectione hujus numeri particularis, quinam eo comprehendantur, perspici debet: Nimirum omnes, quos Lea genuit Jacobo, ad ejus familiam, quæ in Ægyptum descendit, pertinentes, includit. Cur non etiam Er & Onan?

§. X. Rectius hinc alii, Er & Onan hoc particulari numero comprehendentes, Dinam excludunt; qua in sententia sunt *Lyranus Comm. in Gen. Estius Annotat. in L L. difficil. Scripturæ. Alphonsus Tostatus Comment. in Gen. Rivetus Comm. ad Exod.* 1. *Joh. Mariana in Scholiis ad V. & N. T. Pelargus in Gen. & Pelicanus in Gen.* qui posterior ita: *Numerantur ex ordine matrum ex Lea filii & nepotes* 33. *connumeratis etiam Er & Onan mortuis, & Dina numero non inclusa.* Neque res aliter se habere potest juxta præmonitum secundum, cum Moses ex hoc numero totius Genealogiæ familiæ Jacobeæ primum incipiat colligere summam, quæ omnes easque solas personas familiæ ejus in genealogiis recenseri solitas à capite ad calcem complectitur, adeoque etiam Er & Onan, licet jam ante mortuos. Solent enim omnes masculi in Genealogiis recenseri numerarique mortui pariter & vivi. E. g. si quis hodie vellet scribere Genealogiam domus Austriacæ, quæ imperante Leopoldo contra Turcas variis victoriis potita est, atque solum recensere personas, quæ hodie in vivis sunt, non item quæ obierunt, qualis quæso illa esset Genealogia? Nonne si non plane nulla, imperfecta tamen admodum? Sic & cum hac Jacobi Genealogia, quæ perfectissima esse debet, si Er & Onan omittantur, comparatum esset. Quare recte *Alphonsus Tostatus l. c. Dicendum ergo, quod non computandi hic Er & Onan, tanquam ingredientes in Ægyptum, sed tanquam filii Judæ.*

§. XI. Porro quod Dinam pauci hi Autores omittant, plures, eosque magnæ alias autoritatis pariter nominisque Theologos offendunt, quorum unicus *Musculus* omnium ad instar in præsenti audiatur: *Si hanc non numeres*, inquit, *remanet numerus* 33. *sine dubio; si vero numeres, non modo hoc loco erunt* 34. *sed & numerus summarius* 71. *Quomodo autem stabit, quod non simpliciter dicit Moses: Omnes animæ filiorum ejus, sed addit, & filiarum ejus sunt* 33. *si Dinam excluserimus.* Hic varie respondent Autores. Primum cum ex his Leæ filiis nominatis nemo sit, qui salva Genealogia possit excludi, Dina vero tanquam in parenthesi solum nominata sit, putant eam excludendam jubere numeros & particularem 33. & summarium LXX. Si enim hanc annumeres, particularis numerus erit 34. summarius LXXI. uterque justo major numeris à Mose expressis. Excipiet quidem *Musculus*, numerum particularem Scriptorum vitio esse corruptum. *Hoc incommodi enim*, inquit, *malim dare Scriptoribus, quam ipsius rei veritatem numeri hujus gratia negare. Et aliquo manifestum est, in assignandis numeris vel personarum vel annorum aliquoties in Scripturis erratum esse à Scriptoribus.* Verum hunc numerum non solum semper concordans omnium exemplarium, ævo omni visorum, lectio, sed numerus quoque summarius stabilit, qui à Mose LXX. expressus est, collectusque ex particularibus VII. vers. 25. XIV. vers. 22. XVI. vers. 18. & tandem neque minori neque majori numero XXXIII. v. 15. Instat idem, numerum summarium quoque corruptum statuens, collectum quippe ex numero corrupto partiali: Hic præterquam ad principium quod recurrat, numerum summarium incorruptum sistere possumus eo, quod iterum Exod. 1: 5. atque iterum Deuter. 10: 22. eodem prorsus modo repetatur. Atque jure merito hic dicere possumus cum *Scotano Tom. I. Bibliothec. Histor. S. de peregrinatione Israëlitarum pag.* 95. *Non decet ob difficultatem, quam nobis imaginamur, apertis & repetitis testimoniis contradicere.*

§. XII. Alii Dinam quod non pertineat ad XII. tribus Israëlis à XII. Patriarchis nominatas, quippe soror tantum illorum, non membrum tribuum fuerit, h. l. excludi censent: Dicunt enim inter alia Mosen in hoc Catalogo velle ostendere miram paucitatem animarum domus Jacobi, cum descenderet in Ægyptum, quæ tamen brevi in tantam excreverat gentem, à Deo XII. tribubus ideo distinctam, ut paucos fontes, nempe XII. Patriarchas, ex quibus orta, & à quibus denominationem acceperat hæc sancta generatio, eo clarius cognoscamus. Quo respexisse præter Stephanum Actor. 7: 8. etiam Moses videtur Exodi 1: 1. ubi præter Patrem solum filiorum XII. meminit, quorum quilibet, tempore descensus familiam qui habuit, cum universa sua domo descendisse dicitur. Quid autem his XII. domibus cum Dina, ad quarum nullam pertinebat? Quapropter *Onkelos* ad vers. cit. *Singuli cum viris domus suæ introierunt.* Hanc in rem eleganter *Musculus l. c. Descensus hujus memoriam in eo voluit Israëli refricare Deus, quod cum eos ex Ægypto liberatos duxisset in desertum, inter ceteras mansiones in eam quoque duxit, in qua erant XII. fontes & LXX. palmæ; in Helin videlicet, sicuti videre est Exod.* 16. *LXX. vero palmæ numerum animarum rememorabant, quæ cum Jacobo in Ægyptum descenderunt,* (sive potius, quot tempore descensus in Genealogia Jacobi numerabat Moses natas) *quas recte comparat palmitibus, propter multiplicandæ gentis fertilitatem. Salvator noster cum XII. Apostolos & LXXI.* (vel tutius ex Luc. 10: 1. LXX. secundum B. Bebelium Antiquit. Euangel. & Judaic. pag. 185. ss.) *eligeret discipulos, qui tanquam primitiæ essent propagandæ N. T. Ecclesiæ, dubio procul ad hasce Israëlis in Ægypto multiplicandi primitias respexit.* vid. *Polycarpus Lyserus in Josepho.* Item *B. Brentius in Act.* 1.

§. XIII. Neque ignotum esse potest, apud Hebræos ad Genealogias non pertinere uxores & feminas, nisi prægnantes causæ id postulent. Quarum cum nullam h. l. inveniamus, non est, quod de omissione Dinæ in hoc numero ulterius dubitemus; Quam ob causam etiam uxores Jacobi & filiorum ejus excludi censemus. Et uti *vers.* 26. expressis additur verbis: *demtis uxoribus filiorum ejus*; ita h. l. ne lapsum memoriæ quis Scriptori S. affingat, quasi Dinam, Jacobi filiam vel ignorasse, vel in scribendo non meminisse videri possit, eam nominat quidem, sed non numerat. Id quod observarunt etiam accuratiores Commentatores in h. l. *Bonfrerius Comm. in Pentateuch: Nullo modo includo ad hunc numerum conficiendum Jacob & Dinam.* Et post pauca: *Dina hic non dicitur ingressa, sed nata fuisse in Mesopotamia Syriæ, sive id fiat vel quia mortua, vel quia extraneo seu Idumæo seu alteri nuptum esset data, vel quia forte, ut dixi, multarum feminarum & puellarum hic non est habita ratio.* Similiter *Rivetus ad Exod.* 1. *Communissimus ordo vel est nativitatis vel Parentum dignitatis, ut h. l. ubi omittitur Dina, quia inrecensione Genealogiarum non solet haberi feminarum ratio.* *Zwinglius* quoque ad h. l. observat: *Notandum, quod Judæi in generationum Catalogis feminas non recensent.* Lucem egregiam, imo confirmationem id, quod dictum est, ab Hebraica accipit veritate, si adjiciamus quæ *Isaacus Causabonus*

Exer-

Exercitationibus de rebus Sacris & Ecclesiasticis ad Baronii Annales Exercit. 1. *p.* 11. *Edit. Lond.* refert: *Judaici juris regula est, quæ in Talmude, Juchasin, & aliis Rabbinorum libris frequenter occurrit:* משפחת אם אינה קרויה משפחה *Familia matris non vocatur familia, h. e. genus maternum habetur pro nullo. Quam etiam ob causam frequens est in Talmude & libris Talmudicis illa locutio de eo, qui masculam prolem nullam habuit, etsi filias habuerit plurimas:* בן נגמר היחס *In eo genus est consummatum, sive extinctum. Vide Juchasin, pag. 6. de Josua.* Hæc ille. Eandem regulam repetit *Joh. Seldenus in de Successſ. in Bon. Defunct. cap.* 12. *p.* 43. Ubi cum *Casaubono* intelligit cognationes civiles, quæ in successionibus effectum non habent. *Matribus enim*, ait, *passim ajunt minime esse* משפחה *seu cognationem civilem, sed in paterna eam demergi; ideoque neque ex sanguine materno heredem admittendum aut quærendum, veluti per matrem, nec materteram, nec avunculum, nec avum seu aviam maternam, neque ex his prolem.* Atque omnino mos hic aliquando obtinuit apud Judæos sine discrimine, nimirum ante distributionem terræ Canaan in 12. tribus, ceu videre est in filiabus Zelaphehad Num. 27: 4. quas propter hanc consuetudinem primum derogavit Deus, dum primas ex familia materna, deficiente paterna, heredes Patris constituit; cum antea indiscriminatim valeret regula à Seldeno l. c. ex Autore libri Siphri citata: משפחות הלכות אחרי אבות Familiæ seu cognationes sequuntur Patres. Sic ergo hereditas ad filias ante non pervenit. Quæris causam? Nulla hæc est alia, quam quod tum temporis materna familia, & in hac filiæ, non numeratæ sint in familia, nec familia dictæ. Si enim Zelaphehadi filiæ numeratæ fuissent in familia, nunquam earum Moses, tam justus Judex, in distributione hereditatis oblitus esset. Sed in familia non numeratas nec heredibus annumerare licebat. Sic quoque non numeratam videbis unicam ex familia materna in tribu Levi, cum tamen ex Paterna omnes masculi, vel primum ætate agentes mensem, numero 23000. adnotentur Num. 26. Neque enim sine ratione omnium fere Judæorum ex ore sonabat: אשרי מי שבניו זכרים אוי לו למי שבניו נקבות Bene illi, cujus liberi masculi; væ illi, cujus liberi femellæ; quod *ex Sanhdr. fol.* 100. *Ludov. Capellus Lex. Pentaglott.* allegat. Proinde non injuria Scriptura genus maternum seu mulieres נשים obliviosas vocat, non solum quod minus memoria & judicio valeant quam mares, aut quod in illis oblivioni detur & extinguatur paterna familia, juxta Clar. Buxtorfium; Vel, quod oblivioni tradantur, dum in familia paterna demerguntur, juxta Seldenum; Sed etiam quod in genealogiis seu numero familiæ paternæ & consequenter in ipsa distributione paternæ hereditatis totæ implicentur oblivioni.

§. XIV. Quod autem dicitur in textu, בניו ובנותיו *filii ejus & filiæ ejus*; sciendum probe est, nullius momenti esse, si quis conjicere vellet ו in ובנותיו adjectitium esse, cum omnes Codices, etiam Hebræi, constanter sic legerint. Dicendum potius est, locutionem hanc linguæ Hebrææ adscribendam esse genio, quæ ob allatam rationem in Scripturis jam nominat quidem filias, sed non nisi propter sonticas causas: vel propter celebres ex ipsis natos filios, ut *Jochebed Num.* 26: 59. *It. Zeruja & Abigail* 1 *Chron.* 2: 16. Vel propter donum prophetandi, uti *Mirjam soror Mosis & Aaronis Exod.* 15: 20, 21. & *Mich.* 6: 4. Vel propter alias res memorabiles expressas partim, partim occultas. Jam nominat, sed non numerat, ceu videre est in Zelaphehadi filiabus Num. 26: 46. Jam ne nominat quidem, uti ipsam *Dinam* in Catalogo filiorum Jacobi ne nomine quidem invenire licet 1 *Chron.* 2. & *Num.* 26. Quemadmodum etiam *Act.* 7: 8. Lucas generationem Jacobi numerans ait: *Isaac genuit Jacob, Jacob genuit duodecim Patriarchas*, nulla facta Dinæ mentione. Jam generaliter saltem nomine filiarum indicat, nominibus tamen earum non expressis, ceu claret in *Sesani* filiabus, quæ tamen propter celebriores filios nominari poterant. *l. Chron. c.* Jam simul una cum filiis etiam filias generaliter innuit, quarum tamen nomina postea reticet, solum filiorum apponens nomina. Sic 1 *Chron.* 14: 4. *ss.* & 2 *Sam.* 5: 3. dicitur: *Genuit David adhuc filios & filias; atque hæc sunt nomina eorum, &c.* Ubi tamen non unicam filiam, sed solum filios nominat. Vide quoque sis 2 *Chron.* 24: 3. quo in loco similiter dicitur *Joasum genuisse filios & filias; verſ.* 27. vero solum filiorum nomina scripta feruntur, non filiarum. Sic probabile valde est, in hac nostra Genealogia Jacobea Dinam vel propterea esse nominatam, quod ex scortatione sanguinolenta Sichemitica esset famosa, sive, quod facilius crediderim, quoniam Moses, totam Leæ posteritatem, juxta præmonitum primum traditurus, indicare voluit, se non oblivioni tradidisse Dinam, dum filios Leæ recenseret. Dum vero summam Genealogicam particularem primam colligit, Dinam, licet generaliter filiarum nomine cum filiis indicatam, more Hebræorum tamen ad Genealogiam nequaquam pertinentem, non injuria excludit. Dicis: Si hæc valet ratio de *Dina*, cur non etiam locum habet in secundo numero partiali de *Serah*, quæ itidem femina est, hocque non obstante tamen numeratur? Hic oportuit omnino aliquam extraordinariam subesse rationem, cur numeretur *Serah, filia Aser*, quæ non indicata est. Alias enim nisi prægnans suadeat ratio, id apud Hebræos insolens est. Contentus ergo esse deberes, quod à *Mose* sit nominata & numerata, quia non decet nimis curiose inquirere in rationes, quas Deus reticuit, teque latere voluit; quod utilissimum monitum sæpius grato animo memini me audivisse ex erudito ore *Doctoris Joh. Guilielmi Bajeri*, Jenæ quondam Præceptoris mei maxime venerandi. Multo minus cum *Claudio Galeno* Medicorum Coryphæo eo abire licet, ut cum ipso scribas, *Mosen dicere multa, sed pauca probare.* Nihilominus tamen rationes annumeratæ Seræ si desideras, adi sis *Estium h. l.* qui probabiliter satis conjicit, eam fuisse vel Prophetissam, vel alia quapiam re excelluisse, quod nobis sufficit. Auget hanc probabilitatem notabile æstimium Seræ apud Judæos, vel inde collectum, quod *fabulentur, Seram Jacobo avo suo primum annunciasse, filium Joseph adhuc in vivis esse, atque ob id meruisse, ut viva; sine morte translata sit in Paradisum. Apud Munsterum Annot. Rabbin. ad cap.* 46. *Genes.* Nec frustra nominatur *Num.* 26: *verſ.* 46.

§. XV. Primus & secundus partiales numeri cum hoc modo sibi constent quam rectissime; quartus etiam nihil, tertius vero parum difficultatis habeat, eum videbimus paucis. *Beza*, ad principium rationis omnia emetiri volens, contra clarissima Mosis verba non veretur scribere: *Vix ac ne vix quidem possibile est, Jacobum tot nepotibus cinctum descendisse, si annos Patriarcharum numeres, præsertim cum* 10. *filii Benjamino tribuantur, tanquam minimo natu. Itaque hæc descensio Jacobi in Ægyptum ad ejus usque obitum porrigi debet, ad Act.* 7. Jam igitur ex superioribus repetendum, quo anno tum ad maturitatis annos pervenire masculi potuerint, ut generarent? Nimirum anno 13. jam quis pro impossibili habebit, virum annorum 23. tot enim Benjamin tempore descensus habebat annos, non posse vel ex unica uxore 10. filiorum parentem fuisse? Cum præterea valde probabile sit, Patrem præ cæteris maturasse nuptias Benjamini, quia ipsi solus ex Rahel superesse videbatur. Et improbabile non est, in solatium Jacobi Benjamino adeo benedixisse Deum, ut brevi atque adhuc 23. annorum puer vel plurium quam 10. filiorum parens esse potuerit. Ut propterea non opus sit, descensum Jacobi tam late extendere. Idem *Scotanus in Riveti Disp.* 70. *Gen.* improbat. *Quasi*, inquit, *phrasi illa: Cum Jacob venire in Ægyptum; tanta latitudo notetur, ut, qui ante Jacobi mortem nati fuerunt, ea comprehendantur. Non negamus, aliquando phrasin Scripturæ late extendendam esse, at in quolibet loco scopum observandum dicimus: Mosis scopus est, accurate annotare in quot personis numerus familiæ Jacobeæ constiterit, cum ipse è Canaan in Ægyptum commigraret. Hoc diligenter inculcat Spiritus S. & per partes prius expressum summatim colligit: Omnes animæ domus Jacob, quæ in Ægyptum veniebat, erant LXX.* Igitur terminum Genealogiæ hujus dicimus esse omnes animas familiæ Jacobeæ, quæ cum Jacob descenderet, natæ, aque Mose in Genealogia hac numeratæ dicuntur, sive immigrarint ex Canaan in Ægyptum, sive in Canaan mortuæ, sive jam ante descensum in Ægypto fuerint. Neque præterea est, quod metuamus Critici cujusdam expositionem *verſ.* 26. à mente Scriptoris longe alienam, ex quo probare vult, non solum descendentes, sed in Ægypto quoque post descensum natos hic numerari. Quando enim dicitur: כל־הנפש הבאה ליעקב מצרימה ita exponit, *omnis anima, quæ Jacobo in Ægypto venit, sive nata est, sunt LXVI.* non vero omnis anima, quæ cum ipso ex Canaan in Ægyptum descendit. Enim vero quod particula ל plures una significationes sustinens, h. l. non Dativum notet, facile cognosci licuisset ex ה locali, quod non actionem in loco peractam, sed ad locum tendentem indicat.

§. XVI. Sic igitur ex 4. particularibus numeris incorruptis, nempe XXXIII. XVI. XIV. & VII. colligitur totius Genealogiæ summarius, rectissime à Mose *verſ.* 27. numero LXX. expressus; quem etiam habent Vulgata, Syriaca, Arabica, &, quod magis est, Samaritana. Colligitur autem his verbis: כל־הנפש לבית יעקב הבאה מצרימה שבעים *Omnes animæ familiæ Jacobi, quæ venit in Ægyptum, sunt septuaginta*; ex versione *Junii.* Sive ut *B. Georgius Calixtus in expositione literali h. l.* reddit: *Omnis anima domus*

mus Jacobi, quæ Ægyptum ingressa, septuaginta. Sic rectè dicitur, subjicit statim, *ad hanc enim demum utique pertinebat Joseph, licet ipse una cum Patre suo in Ægyptum non venisset, filiique ejus Ægyptum non ingressi, sed in ea nati essent.* Vel ut *Alphonsus Tostatus Comm. in h. l.* loquitur: *Ingressæ sunt in Ægyptum LXX. animæ vel cum Jacob, vel ante Jacob, vel genitæ erant ante descensum Jacob.* Clarius rem exprimit *Lucas Osiander in Explic. cap. 46. Gen. Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, quæ ad familiam Jacob pertinebant, etiamsi ex iis duæ natæ erant in Ægypto, sed tamen ex Patre Joseph, qui & ipse, licet citius quam Jacob, in Ægyptum descenderat, fuerunt septuaginta. Hæc fuit tum tota familia Jacobi, ut testatur idem Moses Deut.* 10. Idem *in Exod. 1. Omnes si computes, qui ad Patrem Jacobum pertinebant, venerantque in Ægyptum vel una cum ipso, vel aliquando ante ipsum, erant LXX. homines: Joseph autem in Ægypto erat jam ante, cum Pater ejus una cum familia eo descenderet, & jam ibi genuerat duos filios. Is cum duobus filiis pertinebat ad familiam Jacob, & inter LXX. illas animas est numerandus cum suis, quia de Jacobi sanguine prognatus erat.* Denique *Deut. 10:22. In LXX. animabus descenderunt Patres tui in Ægyptum, i. e. cum Jacob descenderet in Ægyptum tota ipsius progenies, etiam ipsius persona annumerata, non excedebat LXX. homines.* Includimus itaque hic Er & Onan in Canaan licet mortuos, quoniam hoc versu non dicitur, quod LXX. animæ Ægyptum sint ingressæ, sed quod domus Jacobi ingressa sit, quæ tempore descensus in LXX. animabus constitit, non habito præcise respectu ad earum ingressum. Hinc non sine causa in *Pelargo* miramur, quod, cum supra in numeris particularibus, inque iis contentis personis explicandis & enarrandis rectissime processit, jam ad numerum summarium perveniens à scopo Mosis abludere videatur, dum eum non ex particularibus collegit. Numerans enim in tota Genealogia LXX. animas, ut actu cum Jacobo descendentes eruat, bene adhuc subtrahit à LXX. hoc numero Er & Onan mortuos, porro Ephraim & Manasse in Ægypto natos, ut LXVI. remaneant animæ vers. 26. expressæ. Dum autem ad numerum LXX. vers. 27. expressum pergit, atque eundem conficit ex numero LXVI. additis Ephraim & Manasse, Jacobo & Dina, Mosen relinquit; persuasus, ut videtur, verbis, quibus hæc summa colligitur, quasi nimirum contineat omnes easque solas animas domus Jacobi, quæ cum Patre incluso descenderunt in Ægyptum, quod contra alterum indicatum & prænotatum Mosis scopum est, quo omnes animas in domo Jacobi ante descensum natas, quæ in Genealogiis ab Hebræis recensebantur, sive verbo, totam Genealogiam Jacobi numerare vult. Si enim solum descendentes numeret, neque Ephraim & Manasse connumerandi sunt. Quare non injuria excludimus etiam hoc numero Patrem Jacobum, cujus hæc familia dicitur; Et Dinam, quæ ad Genealogiam non pertinet, ideoque ab ipso Mose exclusa est. Hic ne Textum plura dixisse putes, quam reipsa verum est, dum totam domum venientem in Ægyptum scribat Moses, ex LXX. constantem animabus, quæ tamen non omnes ingressæ sunt, notandum adhuc duxi, quod *T. Man, Anglus*, quoque annotavit *in the Conciler of the Bibel inlarged, Wherein above three thousand seeming contradictions trough out oft he Old and Nevv Testament are fully and planly reconciled*; quod *Londini in Fol.* 1662. prodiit. *Jam dictum*, inquit, *septuaginta esse animas sc. ingressæ familiæ; Quæ summa à potiori & majori parte sua est denominata, adeoque sine omni suspicione falsitatis: Enim vero historia exprimit clare, quinam descenderint cum Jacob, quinam non.*

§. XVII. Hinc tertius respectus, quem Moses vers. 26. innuit, cognitu est facilior. Ibi enim solum numerat egressos ex femore Jacob & præter eum ex Canaan in Ægyptum ingressos hoc modo: כל־הנפש הבאה ליעקב מצרימה יצאי ירכו מלבד נשי בני־יעקב כל־נפש ששים ושש׃ *Omnis anima veniens cum Jacobo, (vel præter Jacobum) in Ægyptum, egressa ex femore ejus, demtis uxoribus filiorum Jacobi, sunt sexaginta sex*; qui numerus rectissime se habet atque in omnibus Codicibus constanter eodem modo semper lectus est, ut adeo *Bulingeri* conjecturam de hujus corruptione non morari habeamus. Continet autem ex *Leæ* filiis XXXI. ex *Silpæ* XVI. ex *Rahel* XII. ex Bilhæ VII. Jacobum ipsum his annumerare non licet, suis quippe non egressum femoribus. Si ergo à numero summario totius Genealogiæ LXX. demas *Er & Onan*, è femoribus quidem Jacobi egressos, neque tamen Ægyptum ingressos, sed in Canaan mortuos; Deinde *Ephraim & Manasse*, Josephi filios, qui in Ægypto nati & cum Jacobo ex Canaan Ægyptum non ingressi sunt, habes numerum animarum, quæ & ex Jacobi femoribus, & cum ipso in Ægyptum descenderunt. Videtur tamen huic sententiæ obstaculo adhuc esse, quod nec *Joseph* hoc numero contentus cum Patre descenderit, qui ante Patrem in Ægypto fuit, & paternum descensum causavit. Neque id requiritur, ut, licet annumeretur, eodem præcise tempore cum Patre descendisse dici debeat. Sufficit, quod ex terra Canaan, tanquam descendentis familiæ revera descendens & in ipsa Genealogia numeratum membrum, ליעקב *cum Jacobo*, vel clarius, *præter Jacobum* in Ægyptum venerit. Quemadmodnm etiam hanc particulam ל in hac significatione invenimus *Deut. 34:11.* ubi dicitur, Mosen fuisse Prophetam, qui Parem non habuit, quem cognoverit Jehova in os, sive qui vidit Deum à facie ad faciem; & statim subjicitur, לכל־האתת *præter omnia signa*, ad quæ coram Pharaone facienda ipso usu erat Deus, &c. quasi dicere velit, præterea quod in signis non habuerit parem, id propter inprimis maximus dicendus, quod à nemine, præter eum, Deus à facie ad faciem visus sit. Sic etiam *Es. 56:8.* legitur: עוד אקבץ עליו לנקבציו *Amplius aggregabo ad eum præter aggregatos.* Vid. *Noldius in Concordant. Partic. Hebr. Chald. p. 455.* Tandem natos quidem in Canaan à natis in Ægypto distinguit Moses, vel eos, qui venerunt sive ingressi sunt, ab iis, quibus Ægyptus fuit natale solum, non vero qui ex eadem familia in Canaan nati ante paulo quam Jacob descenderunt, ab iis, qui eodem tempore cum Patre venerunt. *Quod Adamantius* quoque circa nostram controversiam perspicue satis observavit *Homil. 1. ad Exod. 1.* talia scribens: *Descendit Ruben cum tota domo sua, sed & cæteri omnes: Joseph autem erat in Ægypto, inquit Moses, & uxorem de Ægypto accepit, & licet ibi positus, tamen in Patriarcharum* (intellige descendentium) *numero habetur.* Clarum itaque est, hunc locum agere tantum de descendentibus in Ægyptum ex Canaan, illum vero *vs. 27.* de tota familia Jacobi, quæ descendisse dicitur.

§. XVIII. Pergimus ad locum alterum, qui habetur *Act. 7: vs. 14.* quo Apostolus affert familiæ Jacobeæ descendentis in Ægyptum summam, non à Mosis solum numero LXX. sed etiam LXVI. primo intuitu longe diversissimam. Adducuntur enim ibi LXXV. Quare Interpretum de hoc numero non una datur opinio. *Cum certum sit*, inquit Beza, *in talismodi controversiis ad fontem esse recurrendum i. e. ad textum Hebræum; h. l. autem abludatur ab illo, necessum est, textum Lucæ fuisse corruptum & depravatum.* Modum corruptionis hunc tradit: *Quod si quis rogat, quinam hic locus jam olim fuerit depravatus, perplacet mihi Bertrami Cornelii, mei in hac Ecclesia Genevensi collegæ conjunctissimi conjectura, qui Lucam putat non* πεντε, *sed* παντες *scripsisse, quam particulam ut maximè necessariam expressit etiam Moses:* כל *Omnis anima domus Jacob, quæ ingressa est in Ægyptum LXX. ut adeo* ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πάντες *Latine vertendum sit, qui omnes i. e. simul conjuncti, erant animæ seu capita LXX.* Hæc sententia pluribus Nostratium valde videtur probabilis. In his *B. Glassius Philol. S. lib. 1. Tract. 2. p. 168.* huic Bezæ sententiæ ita subscribit: *Etsi tot Scripturæ N. T. errata, quot in Annotationibus suis super N. T. passim producit, haut quaquam admittimus, (in plerisque enim vanas & fundamento certo destitutas esse Bezæ suspiciones, & in præcedentibus ostendi, & porro Deo volente ostendemus) tamen ubi res videtur adeo aperta, & correctio ex fonte V. T. Hebræo adeo plana, ecquis tam superstitiose incautus esset, ut ex unico vel altero etiam mendo in voce numerali vel puritatem vel autoritatem totius N. T. Scripturæ convelli existimaret.* Similiter scribit *B. Georgius Calixtus in Historia Josephi: Adigit nos vel invitos locus iste in Actis, cujus alii nonnulli non multum sunt dissimiles, ut fateri necessum habeamus, in numerorum notis, ut & in nominibus propriis sacrarum literarum errata committi potuisse, non quidem ipsorum Autorum, quorum mentem & calamum Spiritus S. gubernavit, culpa, sed exscriptorum & librariorum vel oscitantia, vel inscitia, vel audacia. Qualia tamen* παροράματα *nec doctrinæ Christianæ quicquam derogant, cum ipsa dogmata & capita religionis non concernant, nec fidem historiæ labefactent, cum ab eruditis & aliorum locorum collatione animadverti & emendari possint.*

§. XIX. Verum enim vero, ipsius B. Glassii subscriptio non est nisi hypothetica, sc. si res adeo sit aperta & correctio ex fonte V. T. Hebræo plana; quod valde quidem sibi probabile videri dicit, nullibi vero certum. Id quod ex sequentibus patet, quando pag. seq. cum aliis Doctoribus hanc Bezæ opinionem subinde improbat atque 4. argumentis destruxit. Posito autem, certum esse, tamen inde non posse salva consequentia Scripturam inferri corruptam; quartum enim non nisi summa compellente necessitate ad corruptionis in Scriptura S.

ra S. factæ suspicionem desilire concedit. Censente vero *Riveto Comm. in Gen. levissimum etiam erratum in Scriptura admittere perniciosissimum est.* Quare talis necessitas cum nos non premat, locum hunc incorruptum credentes, ut infra Θεȣ̃ διδόντος in nostra locorum conciliatione ostendetur, σφάλμα γραφικὸν admittere non debemus. Multo minus cum iis facere possumus, qui eo audaciæ progressi sunt, ut σφάλμα μνημονικὸν in hoc numero statuant, nisi cum Matthia Knuzen hanc totam orationem Stephani plane sine sensu & veritate prolatam dicere velimus, quod impium, imo Atheum & abhorrendum omni, qui verum novit Deum. Nihilominus Atheo huic κατ' ἐξοχὴν tali sese associat alius Atheus Judæus, nempe *R. Isaac*, qui se Abrahami vocat filium, reipsa Satanæ se præstans prolem. Hic in *Munimine fidei Part. 2. c. 63. p. 450.* uti apud *Clariss. Wagenseilium in Telis Satanæ Igneis* refertur, in hanc S. Stephani orationem plura tela ignea dubio procul à Satana accepta conjicit, quæ tamen uti eam nec attingunt, ita nec lædunt, uti non urunt, ita nec comburunt. Huc faciens ita habet: ex vers. *Wagenseilii: Act. 7: 14. Et misit Josephus vocavitque Patrem suum Jacobum omnemque illius familiam in Ægyptum LXXV. animas. Hæc ibi. Ecce vides, hunc quoque locum manifesto laborare vitio in Cracoviensi & Briscavensi editionibus. At in editione Nischwicensi legitur LXX. animas; Atque Interpres Simon Budni verba ex suo ingenio emendavit, quod idem in locis quoque aliis fuit ausus. Atque hic error unus est, proditum enim Gen. 46. omnes animas domus Jacobi, quæ in Ægyptum descenderunt fuisse LXX. Atque hoc septuagenario numero comprehenditur quoque Josephus cum ambobus filiis; Sic quoque Deut. 10. legas.* Caput tandem ita claudit: *Totum hoc docet summam ruditatem Discipulorum & Apostolorum Jesu circa verba legis & Prophetarum.* His nihil aliud probat Judæus, quam suam ruditatem in conferendis scriptis eruditis Apostolorum cum Lege & Prophetis: Nihil magis in apricum fert, quam animum suum malum adversus Dei boni servos, quam mentem inimicam adversus Christi amicos fidos, ab ipso Deo doctos & proinde errare nescios. Novimus enim certo, quod S. Stephanus plenus Spiritu S. errare non potuerit; quod orationem ejus optima fide non sine gubernatione divina in Acta inseruerit Lucas, quodque semper & in omnibus probatis exemplaribus LXXV. lectum fuerit, non diffitente hoc ipso *Beza*, quando de h. l. ita: *Sic legitur in omnibus Codicibus, quos inspeximus, & jam pridem ita scriptum fuisse apparet ex Syra & Arabica editione, itemque Hieronymo & Augustino.*

§. XX. Videamus igitur quosnam Lucas in oratione Stephani numeret, idque ex verbis propriis, quæ vers. 14. ita habent: *Misso autem nuncio Joseph accersivit Patrem Jacob*, καὶ πᾶσαν τ̀ συγένειαν αὐτȣ̃ ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, *& omnem cognationem ejus in animabus LXXV.* Ex quibus patet, Lucam solum numerare eas animas, quas cum Patre Jacobo Joseph accersivit, ut in Ægyptum veniant, quæque actu præter Patrem vocatæ intrarunt. Audivimus autem supra §. 11. duplicem in duplici numero summario expresso Mosen habere respectum, alium numero LXX. alium numero LXVI. Illo comprehendit Moses omnes animas ante ingressum in Ægyptum Jacobo natas, atque in Genealogia numeratas, sive tempore ingressus mortuæ sint, sive jam ante ingressum in Ægypto fuerint; Cum quo si conferas numerum Lucæ LXXV. non solum videbis insignem discrepantiam, sed etiam de conciliatione res erit acta. Complexa quippe hisce numeris sicut toto cœlo sunt diversa, ita non possunt non, sine contradictione tamen, numeri ipsi & diversi esse, & tales in æternum manere. Alter vero numerus vers. 26. à Mose adductus, complectitur non universam Jacobi familiam; sed eas solummodo animas seu personas in Genealogia nominatas, quæ actu præter Jacobum in Ægyptum venerunt. Hic demum claret, in subjecto numerorum Mosen *Gen.* 46: 26. & Lucam *Act.* 7: 14. convenire; Loquitur enim uterque de animarum familiæ Jacobeæ actu descendentium numero. In numero vero ipso, dum ille LXVI. hic LXXV. colligit; atque circumstantiis ita invicem dissentiunt, ut de horum conciliatione plana, simplici & perspicua non amplius dubitare possimus, quam cap. 3. auditis prius aliorum conciliationibus, hisque annatis difficultatibus, cum Deo tentabimus.

CAPUT II.

De Variorum Conciliationibus earumque Difficultatibus.

§. I. De his numeris fronte invicem contrariis nescio, annon etiam contrariæ & infinitæ dentur Scriptorum opiniones. Quot enim Commentarios evolveris, tot ferme invenies conciliationes, totque profecto, si non plures, harum conciliationum difficultates, rem omnem hac via expediundam dubiamque reddunt atque ambiguam. Nos in præsenti aliquorum saltem eorumque præcipuorum producere volumus sententias, quarum examen simul brevi subjiciemus singulis sententiis. Agmen itaque ducat maxima pars Interpretum Christianorum, qui putant, Lucam numerum LXXV. ex LXX. Interpretum versione Græca hausisse, non ex fonte Ebræo; Prout alias etiam ipsis hoc in more positum fuisse dicit *B. Franzius in Tract. de Interpretatione Scripturæ* differens: *Omnino apparet ex collatione locorum N. T. cum locis V. T. versionem LXX. Interpretum temporibus Apostolorum fuisse in manibus Judæorum & gentilium, & tritiorem familiarioremque quam fontes Hebræos; Et quia Apostoli citare tunc temporis non ex fontibus Hebræis, sed ex versione Græca LXX. sententias & alia voluerunt suis de causis, idcirco quandoque retinent versionem LXX. utut repererant non correctam.* Hæc ille. Sic & in Act. 7: 14. factum censent *Martinus Del-Rio Comment. in Gen. Johannes Benedictus Parisiensis in notis ad Gen. Cornelius à Lapide Comment. ad Pentateuch. Wolfgangus Musculus Comment. in Gen. Hugo de Sancto Caro Cardinalis, Hugo de Prato, Noldius in Vindiciis ad Concord. particularum, Isaacus Vossius in Appendice libri de LXX. Interpretibus, Epistola ad Christianum Scotanum p. 152. Piscator quæst. in Pentateuch. Rupertus Tuitiensis Comment. in Gen. Hieronymus, Augustinus*, & cum his plurimi alii. Quod enim in Hebræo Gen. 46: 27. שבעים septuaginta esset, LXX. Interpretes verterunt ἑβδομήκοντα πέντε septuaginta & quinque. Neque vero vertere potuerunt h. l. LXX. aliter, cum præterea, quæ in textu Hebræo extant vers. 20. sequentia adjecerint: Ἐγένετο δὲ υἱοὶ Μανάσση, οὓς ἔτεκεν αὐτῷ ἡ παλλακὴ ἡ Σύρα τ̀ Μαχὶρ. Μαχὶρ δὲ ἐγέννησε τ̀ Γαλαάδ. Υἱοὶ δὲ Ἐφραὶμ ἀδελφȣ̃ Μανασσῆ Σȣταλαὰμ καὶ Ταάμ. Υἱοὶ δὲ Σȣταλαὰμ Ἐδέμ. *Fuerunt autem filii Manasse, quos peperit ei concubina Syra, Machir. Machir autem genuit Galaad. Filii autem Ephraim fratris Manasse Sutalaam & Taam. Filii autem Sutalaam Edem.* Sed quomodo hæc conveniunt cum eo, quod *Aristeus, Ptolomæi Regis Hyperaspistes* de his testatur, *reddita esse in hac versione LXX. propria propriis nominibus Græcis ad Hebræa exacte respondentibus, eamque interpretationem à plurimis discussam, consideratam, examinatam, antequam in Regis Bibliotheca poneretur, & ab omnibus acclamatum, sancte & fideliter singula esse translata, ut nihil addi, nihil demi possit.* Quod etiam testatur *Philo Judæus*, fontibus scil. fuisse convenientissima, apud *Amandum Polanum in Syntagmate Theol. Christianæ.*

§. II. Hic quæri posset quibus rationibus inducti LXX. Interpretes hæcce talia adjecerint, de quibus textus Hebræus neque μὴ neque γρῦ habet? *Augustinus quæst. 152. in Gen.* respondet: *Mihi in hoc numero LXX. Interpretes non videntur errasse, qui propter aliquam mysticam significationem quadam velut Prophetica libertate horum numerum complere voluerunt.* Sed notante elegantissime *B. Glassio, Augustinus, quale sit hoc in numero mysterium, hactenus non explicuit, & in numeris ejusmodi, qui non sunt Prophetici, quique in fonte Scripturarum non extant, mysteria quærere, inconveniens est. D. Gesnerus in cap. 46. Res magni momenti*, inquit, *non est, neque instituto Mosis hæc additio quicquam adversatur. Certum enim est inter alias causas enumerationis hujus Genealogiæ etiam hanc esse non postremam, quod Moses ostendere vult, quomodo Deus è mira paucitate populum Israëliticum in incredibilem multitudinem adauxerit. Sive proinde LXXV. sive LXX. pro seminario tanti exercitus, quantus ex Ægypto egreditur, constituatur, comparationi nihil prorsus adimit. Ideoque etiam LXX. Interpretes utrumque numerum usurparunt, nempe LXXV. Gen. 46: 27. & LXX. Deut. 10: 22. tanquam rem ἀδιαφόρως se habentem, & sententiæ Scripturarum nihil detrahentem.* Verum quidem est, rei probandæ id nihil detrahere sive LXX. sive LXXV. posuerint,

rint, utrinque enim Dei benedictio manifesto elucet, cum ex tam parvo numero intra ducentos quindecimque annos sexcenties millia hominum, exceptis parvulis & mulieribus, orta Ægyptoque egressa sint. Exod. 12:37. Adversatur tamen numerus eorum Mosis numero, quem semel iterumque repetit, quemque ἀδιαφόρως & pro lubitu contra contextum Hebræum mutare non boni est Interpretis. Porro *Cornelius à Lapide c. l.* propterea hos à LXX. Interpretibus adnumeratos statuit, quod vivente adhuc Josepho, avo, fuerint nati, ut patet ex Gen. 50: 22. Extendens quippe descensum & ingressum Jacobi in Ægyptum usque ad mortem Jacobi, imo ipsius Josephi, quod in superioribus jamtum rejectum. Si enim eo usque extendendus esset descensus, profecto longe major Catalogus natorum fuisset texendus, & aliorum quoque filiorum Jacobi adjiciendi essent posteri præter hos quinque. Probabile enim admodum est, numerum domus Jacob, cum ipse moreretur, longe ampliorem fuisse numero LXXV. & apud quosdam certum, oculis suis usurpasse Jacobum initium implementi divinæ promissionis de multiplicatione sui seminis futura in Ægypto.

§. III. Dicunt quidem sonticis de causis factum esse, quod solum posteri Josephi, non item aliorum fratrum à LXX. Interpretibus annumerentur; partim quod Joseph princeps fuerit fratrum, imo totius Ægypti; ita *Cornelius à Lapide*: partim quod filios Josephi Jacob in suos filios adoptarit, ut apud Eund. videre est *Gen.* 48. partim quod sicut à Mose computati fuere nepotes Judæ, eo, quod in illis mansit regnum duarum tribuum, sic etiam LXX. Interpret. & Lucas numerarint nepotes Joseph, quia ex illis oriturum regnum decem tribuum in Jeroboam; & quia primogenituræ privilegium, Rubeno ademptum, in Judam & Joseph divisum fuit, ita *Martinus Del-Rio.* Addimus quæ *Sanctius in cap.* 7. *Act. num.* 37. hac de re tradit: LXX. *Interpretes*, inquit, *ideo videri possunt addidisse plures ex Josephi familia, quo magis Ptolemæo, Ægyptiorum Regi, Judæorum genus commendarent, cujus rogatu operam tum dabant S. Bibliis in Græcum convertendis. Videbant enim Regi Ægyptiisque futurum esse gratum, quicquid de Josepho tam utili quondam Ægyptiorum rationibus afferri posset. Multas ergo nominat ex Josephi familia, ut ex ea plures esse inter Judæos, suspicaretur Rex, & ideo majori studio atque benevolentia res complecteretur Judaicas.* Verum hæc singula traduntur, inquam, traduntur, non probantur. Traditiones sunt & suspiciones nullo omnino fundamento nixæ, quibus si locus esset, crescet licentia ex quolibet quidlibet eruendi, cuilibet quodlibet inserendi & infarciandi, quod corruptorum magis quam bonorum est Interpretum. Hoc enim Deus inprimis de verbo suo non sine comminatione interdixit, *Prov.* 30: 5. *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se: Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris inveniarisque mendax.*

§. IV. Ut cognoscamus initium atque finem versionis Interpret. LXX. quidque doctissimi quidam Angli de ea sentiant, non piget eruditissimum Ipsorum discursum, quanquam paulo prolixiorem, Latine huc apponere. Habetur autem in Præfatione novæ versionis Bibliorum Anglicanæ, ad mandatum speciale Regis cum eruditissimis notis, quæ prodiere Londini in Fol. Anno 1672. Ibi ita: *Cum Deus unice notus esse vellet in Jacob, atque hoc magnum nomen in Israël haberet, non alibi; Cecidit enim ros in Gideonis vellus solum, ut adeo omnis terra circumcirca fuerit sicca. Tum pro unico hoc populo non alium, quam sermonem Canaan, h. e. Ebræum loquente, unica illa lingua Orientalis Ebræa sufficiebat. Sed cum plenitudo temporis appropinquaret, quo Sol justitiæ, Dei filius, venire debuit in mundum, quem Deus ordinaverat per fidem in suo sanguine reconciliationem Judæorum non solum, sed & Græcorum, aliorumque omnium, qui per orbem passim erant dispersi: Ecce tunc placebat Domino movere spiritum Principis Græci, (Græcus enim lingua & progenie erat;) jam Regis in Ægypto, Ptolemæi Philadelphi, ut procuraret translationem libri Dei ex Hebræo in Græcum. Hæc est translatio LXX. Interpretum vulgo sic dicta, quæ præparabat viam nostro Salvatori inter gentes prædicatione scripta, quemadmodum S. Johannes Baptista inter Judæos orali faciebat. Apud Græcos autem, qui discendi erant cupidi, pati, moris non erat, libri pretiosi sub scamno ut jacerent, aut in Regis Bibliothecis mucescerent; habebat enim multos ministros, quos Scribas appellitabant, qui libros sæpius describendo disperserunt & divulgarunt. Dein Græca lingua probe erat nota & maxime familiaris pluribus Asiæ incolis, propter victorias à Græcis tum temporis frequenter repetitas, eoque à Græcis missas colonias. Eadem de causa etiam bene intelligebatur in multis Europæ, imo & Africæ locis. Sic verbum Dei propagabatur per Græcos, non simile magis Candelæ super candelabrum positæ, quæ lumen dat omni, quod est in domo; quam edicto in foro sonanti, quod plures simul possunt cognoscere. Idcirco hæc lingua, per universum terrarum sonans orbem, Scripturas ut contineat, aptissima erat, adque quam primi Evangelici Scriptores provocent tanquam ad testes. Certum est, hanc interpretationem non esse solidam & perfectam, sed egere in multis locis correctione; Et quis tam perfectus, quam Apostoli aut Apostolici viri? Adhuc tamen bonum videbatur Spiritui S. & Apostolis, quam illi LXX. fecere interpretationem, ceu maximam partem veram & sufficientem recipere potius, quam versionem novam novo quasi mundo & viridi Ecclesiæ ætati, seque ipsos simul multis exceptionibus & cavillationibus exponere; quod solet contingere iis, qui novam translationem ad sui ipsius conversionem promovendam ediderunt, atque horum testimonia non respexerunt. Hæc potest videri causa aliqua cur versio LXX. Interpret. probata atque passim pro probata recepta fuerit. Non obstante autem hoc, licet ubique esset commendata, doctis tamen non satisfaciebat, multo minus Judæis. Nam non multum post Christum aggressus est novam translationem Aquila, post hunc Theodotion, postque hunc Symmachus; Porro prodibant, quinta & sexta, editiones Anonymæ, quæ cum LXX. magno studio collectæ, ab Origene in Hexaplare. latæ sunt. Editio tamen LXX. Interpr. præ ceteris æstimata non solum propterea ab ipso Origene reliquis præposita, (quippe pretium ejus & excellentia super ceteras, ut Epiphanius colligit) sed etiam apud Græcos Patres ipsis præ fontibus & multorum Commentatorum fundamento receptissima erat. Sane Epiphanius vix nominatus eidem tale dat attributum, quod Autores ejus non tanquam Interpretes solum, sed etiam tanquam Prophetæ honorandi sint. Et Justinianus Imperator Judæis sibi subditis mandans, ut LXX. Interpretum versione speciàliter utantur, hanc subnectit rationem, quod certo prophetica illuminati sint gratia. At de omnibus illis sicut Ægyptii à Propheta dicuntur homo, non Deus, & equi illorum caro, non spiritus; sic clarum est, ut etiam S. Hieronymus affirmat, quod LXX. sint Interpretes, non Prophetæ. Illi agebant multas res bene tanquam viri docti, sed tamen sicut impegerunt hominum adinstar, & jam ex errore, jam ex ignorantia lapsi sunt; ita aliquando possunt esse notati, quod addant Originali, & aliquando auferant ex Originali. Quare etiam Apostoli sæpe illos prætereunt, quando scilicet relinquunt textum Hebræum, sensum eorum tradentes secundum veritatem verbi, prout Spiritus S. dabat eloqui.*

§. V. Quid ergo? Dicemusne cum *Baronio*, cui totus velificatur *Isaacus Vossius l. c. & Johannes Morinus in Exercitat. Biblicis*, majorem talismodi in numeris esse autoritatem versionis LXX. Interp. quam fontis ipsius? Præterquam quod ipsos in fontes SS. injuria sit hæc sententia: Non enim quemadmodum de fontium, ita & de LXX. versionis θεοπνευσία certi quid constat; Etiam Pontificiorum vulgo saltem receptæ opinioni, de summa Vulgatæ autoritate, quam αὐθεντίαν vocant, detrahere videtur. Enim vero doctiores Pontificiorum, uti erudite observat *Clar. Wagenseilius in Telis Igneis Satanæ p.* 523. *seq.* hanc summam Vulgatæ autoritatem solum ad Versiones Latinas restringunt, Græcam & Hebraicam non excludentes, atque ejus αὐθεντίαν non amplius extendentes, quam Jure Consulti, quibus id dicitur authenticum, quod fidem facit in judiciis, & certam publicamque autoritatem habet, si non ubique, saltem ubi leges illæ receptæ sunt. Ex re *B. Schröderus in de principio Theologiæ p.* 112. *Non*, inquit, *Interpretatio Græca vel nunc vel olim autoritate authentica polluit; Idque non solum ideo, quod de Prophetico Spiritu LXX. istorum Seniorum, quos Eleasarus Pontifex post tempora Prophetarum & Malachiæ ultimi Ptolomæo misit, nihil certi compertum esset, sed etiam & quidem maxime ob id, quod à fontibus Hebræis passim abhorreret. Siquidem inde nata est v. g. enormis illa perturbatio,* (nescio annon h. l. etiam tam varia & difficilis conciliatio) *quæ in supputatione temporum deprehenditur apud Eusebium, Nicephorum & Augustinum, qui secuti LXX. Interpretes à condito orbe usque ad Cataclysmum Noachi numerant annos* 2242. *cum non plures quam* 1656. *elapsos fuisse ex Hebræo planum sit. Unde in Ecclesia Latina post editam versionem Hieronymi cœpit in secundis haberi; indignantibus quidem sanctis & doctis viris, quod id fieret contra Ecclesiæ inveteratum usum, sed prævalescente autoritate Hebraicæ veritatis, postquam patuit, quantum ab ea discrepent LXX. Interpretes. Teste Sigeberto Gemblacensi in Chronico de anno* 395. Hucusque Schrö-

Schröderus. Possumus itaque & hic cum aliis dicere, Autores, hujus versionis in talibus sibi magis, quam par fuisset, indulsisse, in Chronologia nempe & Genealogiis, quorum placita omnia cum Hebræo conciliaturus, si sibi, non aliis, vel quod magis credibile, neque sibi neque aliis satisfaciet unquam. Hinc non immerito dissuadet *Rivetus, multum laborandum esse in omnibus nodis, qui ex LXX. Interpretum versione necti possunt, imprimis quando in fontibus habere licet consentientem ubique enumerationem, quam ipsi LXX. Interpretes alibi retinent.*

§. VI. Consentit hic *Scotanus l. c. Biblioth. Histor. S. pag.* 101. *Scimus*, inquit, *LXX. Interpretes sæpe* ὑπὲρ τὸ σκάμμα πηδῆσαι, *fines transiliisse, permittentes sibi, ut consultum videbatur. Ut videas, quanti æstimanda sit versio illa Græca, notabis audacissimam immutationem, quam fecit in stirpe Benjamin: Ipsi enim tantum tres filios attribuit Bala, Becher & Asbel. Inde Balæ attribuit filios quinque Gera, Neëman, Achis, Ros, Mamphin; Tum Geræ dat Arad. Hanc immutationem depromsit* 1. *Chron.* 8: 1.5. *Depromsit ex parte, quia plures filii Balæ ibi recensentur, & alii dantur Benjamino. De Geræ, filii Balæ, generatione nullo in loco invenio.* Quæ res movit Scotanum, ut conjiciat, LXX. Interpretes non Mosis Catalogum, sed aliam quandam genealogicam secutos esse tabulam, quam certo judicio elegerunt. Quodsi hæc conjectura locum habet, versio illorum multum apud multos suæ autoritatis amittet. Observavit id dudum *B. noster Lutherus Comm. in Gen.* scribens: *Textus clare dicit* (addere mihi liceat: & versio illorum;) *de animabus ingressis in Ægyptum, & ut maxime Ephraim natus sit secundo anno fertilitatis, Jacob vero migrarit ad filium secundo anno famis, tamen impossibile est, puerum octo annorum uxorem aut nepotes habere, ad quos ipsi respexerunt. Videntur igitur LXX. audaciores fuisse in transferendo, vel nebulo aliquis librum ipsorum corrupit. Non enim dissimulandus hic error est. Et sunt alii quoque, in quibus aut inscitia aut improbitate hallucinati sunt; Ideo autoritas eorum apud me parum valet.*

§. VII. In numeris quanta huic versioni fides habenda, ne longum abeamus, videbimus in ipso hoc Mosis Catalogo *vs.* 22. ubi numerus animarum ex Rahele procreatarum extat, nempe XIV. qui non solum quinque, à LXX. insertos, excludit, sed horum numero propterea præferendus, quod sibi minime constet. Græci enim mendum mendo cumulantes addentesque ad XIV. adhuc V. legunt XVIII. cum XIX. legere debuissent. Rursus *vers.* 27. filii Joseph, qui nati sunt ei in Ægypto ψυχαὶ ἐννέα *animæ novem.* At si maxime duabus expressis animabus quinque istos nepotes & pronepotes adjicias, non sunt novem, sed tantum septem. Ab his & supra §. V. à B. Schrödero incidenter adducto aliud adducit *Eduardus ab Leigh in Body of divinity, seu Systemate Theologico, Loco de Scriptura p.* 75. *LXX.* inquit, *Interpretes manifesto relinquunt Hebræam veritatem in assignandis annis. Nam Gen.* 5: *vers.* 25. *dicunt, quod Mathusala, cum annum* 167. *excessisset, genuerit Lamech; Ita ut necessario ipsius vitam extendat ad usque annum* 14. *post diluvium, quod falsum est. Alias enim novem animæ servatæ fuissent in Arca, quod contrariatur Gen.* 7. *vid. Capelli Crit. S. l.* 4. *c.* 14. Sic passim in versione Græca, ut hodie extat, errores in numeris occurrunt, juxta *B. Calixti Historiam Josephi.* Plura talismodi exempla adduxit *Amandus Polanus à Polansdorff in Syntagm. Theol. Christianæ l.* 1. *c.* 41. *p.* 83.

§. VIII. Excipis pro LXX. Interpret. versione, locos Geneseos & Exodi vitio scribarum esse corruptos. In qua sententia sunt *Calvinus & Beza*, cui fidem conciliare videri potest, quod *Hieronymus* tradit, suo tempore similiter locum Deut. 10: 22. in versione LXX. Interpretum quorundam ausu fuisse corruptum, atque cum antea LXX. constanter lectum fuisset, nunc in quibusdam exemplaribus legi quoque LXXV. uti testes quoque sunt *Musculus Comm. in Gen. & Flacius in Glossa ad N. T. Act.* 7. Maxime cum Josephus, qui etiam versione LXX. usus dicitur, non LXXV. sed LXX. tantum numeret. Digna notatu sunt, quæ circa hanc controversiam observat *Drusius in Veterum Interpretum Græcorum Fragmentis ad Genes.* 46: 27. *Numerus LXXV. qui hic extat, etiam Act.* 7. *habetur. Et tamen adversatur* (1.) *Veritas Hebræa.* (2.) *Consensus aliorum omnium Interpretum.* (3.) *Res ipsa, siquidem omnes, qui ingressi sunt cum Jacobo in Ægyptum, egressi de femore ejus, absque uxoribus filiorum ejus, sunt LXVI. vers.* 26. *Adde Josephum cum duobus filiis, & ipsum Jacobum; En numerum, qui in Hebræo, & quem Hieronymus expressit!* (4.) *Ei repugnat Josephus.* (5.) *Ipsimet LXX. contra hanc lectionem testimonium dicunt Deut.* 10: 22. *Unde sequitur, si hæc proba & germana, priorem illam Scripturam adulterinam esse;* πέντε *forsan culpa librariorum ad LXX. accessit.* Causam modumque indicare nobis vult *Samuel Petitus Variarum Lect. lib.* 2. *cap.* 1. *p.* 96. his verbis: *Quando in pretio habuerunt veteres illi Christiani, de Judæis facti, editionem Græcorum Interpretum, quam solam privatim legere licebat ex Hadriani edicto, tanto contra eam odio sunt prosecuti ejusdem ætatis Hebræorum Magistri, qui cum ægre ferrent sibi non licere, nisi publice in Synagogis Sabbathis, Ebraice S. Scripturam legere, omnia quæque sunt, tum primum commenti adversus LXX. Interpretum versionem, ut è suorum manibus excuterent, ne tandem è jugi sacrarum literarum lectione hujus editionis à religione Judaica ad fidem Christianam desciscerent, dediscerentque pravas illas & noxias Magistrorum suorum* τῶν *LXX. editiones. Itaque passim discedebant Judæi ab eorum interpretatione, ut è B. Justino Martyre constat, & calumniabantur* τὴν ἐξήγησιν ἣν ἐξηγήσαντο οἱ ἑβδομήκοντα παρὰ Πτολεμαίῳ τῷ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεῖ γενόμενοι μὴ εἶναι ἔν τισιν ἀληθῆ *interpretationem, quam interpretati sunt LXX. cum apud Ptolemæum Ægypti Regem essent, in quibusdam locis minus esse veram, Dialogo cum Tryphone p.* 229. *Atque etiam adulterabant. Hoc enim fecisse observat Justinus Hebræorum Magistros* παραγράφειν τὰς ἐξηγήσεις, ἃς ἐξηγήσαντο οἱ πρεσβύτεροι παρὰ τῷ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεῖ γενόμενοι *adulterare Interpretationes Seniorum, apud Ptolemæum Ægyptiorum Regem qui fuerunt. Ibid. pag.* 242. *Rursum multa abstulerunt,* ὅτι πολλὰς γραφὰς τέλεον περιεῖλον ἀπὸ τῶν γεγενημένων ὑπὸ τῶν παρὰ τῷ Πτολεμαίῳ γεγενημένων πρεσβυτέρων, *multos & integros prorsus locos illarum ex translatione eorum, qui cum Ptolemæo fuerunt, Seniorum sustulerint. Ibid. p.* 231. [*Et pag.* 273. ὧν καὶ ἀνιστόρησα ἀπὸ λόγων Ἰερεμίου τοῦ Προφήτου, καὶ Ἔσδρα καὶ Δαβὶδ, *ex scriptis Jeremiæ Prophetæ cap.* 11. *Esdræ cap.* 6. *& Davidis Psalm.* 95. *reciderunt:*] *Quæ omnia paulo ante Justini tempora à Judæis fuisse perpetrata liquet ex Justino,* περὶ γὰρ ὀλίγου χρόνου ταῦτα ἐξέκοψεν, *reciderunt enim hæc ante breve tempus, Ibid. pag.* 232. *Quare etiam ea quæ immutarant aut eraserant, invenire erat Justini temporibus,* ἐγγεγραμμένη ἔν τισιν ἀντιγράφοις τῶν ἐν συναγωγαῖς Ἰουδαίων, *scriptum adhuc est in quibusdam exemplaribus, quæ in Judæorum asservantur Synagogis. Ibid. Floruit autem proxime post debellatos ab Hadriano Judæos Justinus. Inde liquet ea, quam diximus, de causa Hebræorum Magistros LXX. Interp. editionem corrupisse.* Hæc ex Justino maximam partem Petitus.

§. IX. De his sit quicquid sit. Nos interim locos citatos Genes. & Exodi per Scribas esse corruptos, nondum videre possumus; quia vix ac ne vix quidem cogitari potest, tot personas nominetenus adjicere ausos fuisse Scribas, atque simul in colligendis superadditis falsos collegisse numeros. Profecto si hoc observassent in suis mercenariis scribis ii, qui describi fecerunt, mercedem eorum non meam fecissem. Posito deinde, Judæos, qui corruptores potius quam scriptores dicendi, ausos id fuisse, quemadmodum Hieronymus in Deut. 10: 22. suo tempore ausum indicavit, & adhuc Aldina habet Deuter. 10: 22. Ἐν ἑβδομήκοντα καὶ πέντε κατέβησαν οἱ πατέρες σου εἰς Αἴγυπτον, *in septuaginta & quinque descenderunt Patres tui in Ægyptum;* Credibile tamen non est, non æque in his locis, tanquam notabilius corruptis, à tot Patribus Græcis hoc deprehensum fuisse, qui codicibus à credentibus, primo seculo, imo Christi tempore qui vixerunt, sibi relictis utebantur incorruptis, eosdemque incorruptis conservare studiosissimi erant. Quemadmodum *Origeni* id laudi ducitur, qui suum in emendandis Bibliis studium *Tract.* 8. *in Matth.* 19. ita exponit: *Multam differentiam inter exemplaria invenimus sive per negligentiam scribentium, sive ex temeritate quorundam, sive propter eos, qui negligunt emendare Scripturas, vel propter eos, qui quod ipsis videtur in emendationibus vel adjiciunt, vel subducunt. Et in Exemplariis quidem V. T. quæcunque fuerunt inconsonantia, Deo præstante, coaptare potuimus, utentes judicio ceterarum editionum. Ea enim, quæ videbantur apud LXX. dubia esse propter consonantiam exemplariorum, facientes judicium ex editionibus ceteris, convenientia servavimus: Et quædam quidem notavimus, quasi non posita in Hebræo, & non audentes ea omnino auferre: quædam autem cum asteriscis addidimus, ut sit manifestum, quoniam quæ non fuerunt posita apud LXX. ex editionibus ceteris addidimus convenienter Hebræo.* Idem quoque à Christo nato ad nostra usque tempora à multis piis & doctis Christianis quin factum sit, nemo Christianus dubitat. Neque enim Origenes, cujus studium & opera in colligendis, emendandis & conservandis Bibliis Græcis terrarum celebratur ubique, jam

sua ætate in tanta exemplarium antiquissimorum copia aliter legisse videtur, dum *Homil.* 1. *ad Exod.* 1. scribit: *Erant autem omnes animæ de Jacobo LXXV.* Et paulo post iterum: *Descenderunt in Ægyptum Patres Ruben, Simeon, Levi, &c. unusquisque cum domo sua; & omnes animæ quæ introiverunt cum Jacob LXXV.* Unde talia? Non ex Hebræo: quia tot ibi non exprimuntur. Ergo procul dubio ex genuina LXX. Interpretum versione, quam ipse in Ἑξαπλᾶ retulit, quamque postea, dum adhuc pro incorrupta haberet, in Latinum vertit Hieronymus, probe eam distinguens à communi LXX. Interpretum versione, quam egregie depravatam invenit. Si vero quis ex *Hieronymo Præfat. quæst. in Gen.* objiciat, Origenem, cujus nomen suo nomine invidiosius credidit Hieronymus, in Homiliis κοινῇ usum esse LXX. versione, non correctiori, quam in Ἑξαπλᾶ retulit; Ex ipso Hieronymo respondebimus, qui correctiore in Ἑξαπλᾶ relata versione usus tamen dicit *Quæst. Ebr. addidisse LXX. Interpretes supra* §. 1. *nominatas, de quibus fontes Hebræi nihil*; Cum quo etiam sentit *Augustinus quæst.* 152. *in Gen.* Et quanquam *Marianus Victorius Reatinus in Scholiis ad Hieron. Epistolas* dicat, Hieronymum quoque vulgatam LXX. Interpret. versionem secutum esse; Tamen quia ipse de hac vulgata sæpe numero contemtim loquitur, & meliorem habuit, quis crediderit, minimum in scriptis suis exquisitioribus, quo & quæstiones in Genes. pertinent, ipsum Vulgata fuisse usum. Cum itaque neque aliorum doctorum, neque SS. Patrum quisquam aliam horum locorum lectionem annotarit, atque ipse Josephus insuper procul dubio genuinam legens LXX. Interpret. versionem, nihilominus ab ipsis, vel veritatem Hebræam his præferens, vel, quod magis probabile, aliam Genealogicam secutus tabulam, cum in assignandis Josephi nepotibus & pronepotibus, tum in referendo numero summario recedat; videtur jam extra dubitationis positum aleam, quod versionis LXX. Interpretum corruptio ab ipsis autoribus potius, quam descriptoribus nata sit, quam proinde S. Lucas sequi nec potuit nec debuit. Atque hoc ipsum est, quod *Divus Hieronymus* cum alibi passim, tum præcipue in *Proœm. Tradit. Hebr. Gen.* indicat; *Ipsos nempe LXX. Interpretes, Ptolomæo, Regi Alexandriæ, mystica quæque in Scripturis S. prodere noluisse, & maxime ea, quæ Christi adventum pollicebantur, ne viderentur Judæi & alterum Deum colere, quos ipse Platonis sectator magni idcirco faciebat, quia unum Deum colere dicerentur. Et libr.* 2. *Apol. adversus Ruffinum cap.* 7. *Ubicunque Scriptura S. aliquid testatur de Patre & Filio & Spiritu S. aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt, ut Regi satisfacerent, & arcanum fidei non divulgarent.* Caussas plures hujus à LXX. ipsis corruptæ versionis accurate & prolixius annotavit *B. Polycarpus Lyserus in Josepho ad cap.* 46. *Genes. p.* 395.

§. X. Hinc dicimus S. Stephanum non ex versione corrupta LXX. Interpretum suum Catalogum sumsisse, sed ex ipsis fontibus Hebræis incorruptis. Accusatus quippe quod loquatur verba contumeliosa in Mosen & Deum, repetit ex ipso Mose totam veterum Patrum historiam, huncque numerum ipsum, cui tamen pro diversitate circumstantiarum annumeravit quosdam alios, apud Mosen licet non nominatos, tamen indicatos. Præterea Chronologia & Genealogia antiquitatum veteris Ecclesiæ peti debuit ex sua sede, nempe libris historicis V. T. neque ex aliis nisi exactè cum fontibus convenientibus. *Non enim veterum librorum fides nisi de Hebræis voluminibus examinanda est, quemadmodum novorum Græci sermonis normam desiderat*; observante *Hieronymo Epist.* 28. *p.* 83. *Edit. Antverp. fol.* Cumque S. Stephanus non ad populum, sed in Concilio ad Sacerdotes & Sapientes sermonem habuerit, probabile valde est, fuisse eum Hebraicè locutum, & Hebraicis quoque Bibliis usum. Neque enim licebat coram Senatu magno aliena à fontibus proferre, quos tunc temporis minimum ad manus ipsis & curæ non postremæ fuisse credibile est, quando à fontibus aliena docentem damnare, & è medio tollere volebant; quando disputabant cum eo, qui in legem injurius fingebatur, nec tamen quicquam ex lege contra eum efficiebant. In qua sententia est quoque *Eduardus ab Leigh in Annotations upon all the Nevv Testament Philologicall & Theologicall. ad Act.* 7. *Quidam*, inquit, *perhibent Lucam hic secutum esse Hellenistas, qui etiam* 75. *posuerunt. Sed impium est cogitare, quod Lucas rem aliter, quam facta erat, referat. Quod alii urgent, Apostolos Græce scribentes etiam usos esse Græca versione, semper verum non est. Has res S. Stephanus nequaquam ex Græcis citavit; Nam disputans coram Sanhedrim procul omni dubio Hebraicè populari dialecto locutus est, ubi decebat sequi aut Hebræum textum, aut Paraphrasin Chaldaicam.* Deinde etiam S. Stephanus forsan ideo tum locutus est Hebraice, ut in tam splendido & populoso consessu, ubi de vita sua agebatur, majori cum studio & desiderio & à Judicantibus & ab accusantibus nudeque rem spectantibus audiretur, opinionem in illis generaturus, quod, dum Hebraice loqueretur, non à fontibus Hebræis aliena proferret. Quemadmodum etiam S. Paulus Hebraicè ad populum locutus dicitur, ut eo attentius audiretur. Act. 22: 2. Dicis: Stephanus Hellenista fuit, neque forte Hebraicè noverat; Nam electus fuit inter 7. Diaconos, qui ministrarent Ecclesiæ Hierosolymitanæ Græcè S. Literas legentes. Cum enim jam ante Diaconi essent, qui tantum nossent Hebraicè, crescente Ecclesia multisque ad eam additis, qui Græcè loquebantur, opus fuit aliis Diaconis, qui eorum usui ministrarent. Quibus nihil aliud evincitur, quam Stephanum Græca calluisse, non tantum Hebraica.

§. XI. Regeri quidem potest, quod *D. Hieronymus* ait *Quæst. Hebraicis in Gen. pag.* 468. *Non debuit Lucas, qui ipsius Historiæ scriptor est, in gentes Actuum Apostolorum volumen emittens contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam, nempe LXX. Interpretum versionem, quæ jam gentibus erat divulgata. Et utique majoris opinionis illo duntaxat tempore LXX. Interpretum habebatur autoritas, quam Lucæ, qui ignotus & vilis & non magnæ fidei in nationibus ducebatur.* Et statim subjicit: *Hoc generaliter observandum, quod ubicunque Apostoli aut Apostolici viri loquantur ad populos, iis plerumque testimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata.* Ab hoc non multum recedit *Drusius in Parallelis S.* post primum hunc ponens Canonem: *Quandoque Hebraicam veritatem referunt aliquando editionem LXX. Interpretum, ubi satis oscitanter Ebræa converterunt. Caussa hujus, ut credibile est, quod editio illa in omnium manibus tum versaretur, vulgoque lecta in Synagogis usque recepta esset.* Egregie hanc in rem disserit *Flacius Parte* 11. *Clavis p.* 103. *In Græca LXX. Interpret. versione citanda observandum est, Apostolos in N. T. non immeritò aliquid dedisse imbecillitati Christianorum & communi consuetudini, quod non aliter aliquoties dicta Scripturæ citaverint, quam sicut jam dudum apud vulgus ex illa versione innotuerant. Sic enim illi pusillis Christi lac præbentes, ac ad eorum captum se accommodantes loqui non sunt dedignati.* Subjicit vero statim pag. 104. *Refert non parum, an Hebraica veritas proferatur in medium, an LXX. Interpretum auctoritas. Certum namque est, illam semper anteponendam, nec non momenti plurimum adferre.* Ubi itaque LXX. in versione sua vel verba, vel paraphrasticè mutatis verbis emphasin & proprietatem sententiæ ex fontibus haurirent, graviter notante *B. Joh. Schrödero*, sæpius in N. T. à Scriptoribus S. citatam esse horum versionem, non negamus. Ubi verò hæc versio corrupta & depravata, ibi omnino Apostoli potius fontes citarunt, non obstante quod versio hæc vulgatissima & gentibus pariter ac Judæis nota. Nec enim decebat propter Judæos aliena à fontibus scribere, nec propter gentiles corruptam versionem stabilire & confirmare, quippe illic Judæis fuissent scandalo, hic gentibus non Dei purum, sed corruptum prædicassent verbum. *Si enim*, inquit *Calovius Crit. S. p.* 518. *& erronea credatur Græca enumeratio, & nihilo secius Lucas statuatur eandem retinuisse ob majus evitandum malum, non video, quomodo infallibilis Spiritus S. directio & autoritas, perfectio, certitudo, veritas Scripturæ divinitus inspiratæ non periclitentur.* Ubi etiam *Pareum Comm. in Gen.* 46. *& Rivetum* sibi consentientes videre licet citatos.

§. XII. Præterea ipsis nunquam fuit imposita necessitas, quanquam ad gentes scriberent, ut semper ex LXX. Interpretum versione citarent, quod ad oculum patet ex collatione locorum *Matth.* 2: 6. *cum Mich.* 5: 1. *&* 1. *Corinth.* 14: 21. *cum Es.* 28: 12. Ubi non LXX. sed fontes, saltem quoad rem, secuti. Versio LXX. Interpretum, uti in Bibliis Regiis est, Mich. 5: 1. habet ita: Καὶ σὺ οἶκον τοῦ Βηθλεὲμ τοῦ Ἐφραθὰ ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα, *&c. Et tu domus Bethlehem Ephratha minima es, ut sis in millibus Judæ.* Sic quoque habent Hebræa. Ecce jam quomodo hunc locum citet *Matthæus* 2: 6. Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα. *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es inter principes Juda, &c.* Similiter cum Ebræo *Es.* 28: 12. LXX. habent: Διὰ φαυλισμὸν χειλέων διὰ γλώσσης ἑτέρας ὅτι λαλήσουσι τῷ λαῷ τούτῳ λέγοντες αὐτῷ· Τοῦτο τὸ ἀνάπαυμα τῷ πεινῶντι καὶ τοῦτο τὸ σύντριμμα καὶ οὐκ ἠθέλησαν ἀκούειν. *Propter irrisionem labiorum, propter linguam alteram quia loquitur populo huic, dicentes ei, hæc requies esurienti, hæc contritio, & non voluerunt audire.* Hæc refert *Paulus* 1 *Cor.* 14: 21. hoc modo: Ὅτι ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις

ἑτέροις λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ, καὶ οὐδ' οὕτως εἰσακούσονταί μου, λέγει Κύριος. *Variis linguis & labiis variis loquar populo huic, & ne sic quidem audient me, dicit Dominus.* Sæpius sic Apostoli, etiam cum ad amussim LXX. cum Hebræo consonant, tamen ipsos non sequuntur, sed aliis verbis, quæ liberrima Dei inspiratio ipsis suggessit, Propheticum sensum suo sermone Hebræa vertentes exprimunt, ceu fusius probavit *Calovius Comment. in Aug. Confess. Tom. 1. Tract. 2. Memb. 8. p. 771. ss.* Imo *Hieronymus lib. 9. Comment. in Es. c. 28. & Proœm. ad 15. lib. Comment. in Es.* scribit, se ostendisse multa Evangelistas & Apostolos posuisse ex Hebræo, quæ in LXX. non habentur. Habemus hic consentientem *D. Keslerum in Disput. Inaugur. sub præsidio Joh. Majoris anno 1627. Jenæ habita.* Ibi cap. 4. quod est de formalibus verbis, quibus loca V. T. in N. repetuntur, §. 30. cum in præced. de accommodatione Apostolorum ad captum Græcorum egisset, *notandum*, inquit, *non semper & ex necessitate Autores N. T. ex versione LXX. Interpretum locutos esse, sed libere hac in parte egisse, ita quidem, ut vel sine superstitione sententiarum veritatem respexerint, nihil curantes syllabas; quo allegatur Hieronymi Judicium Comment. in Malach. vel certo consilio nonnulla mutarint.* Certum hoc est, si scriptores N. T. ex LXX. citarunt quædam, ipsis constitisse, quod citata non fuerint corrupta fontibusque contraria; Si ex fontibus quædam citarunt, eaque mutarunt, quoad verba id factum censemus. Jam vero LXX. Interpret. versionem in nostro Geneseos loco, non solum qua verba, sed etiam qua sensum corruptam fontibusque contrariam cum ostendimus, credibile non est Lucam eam fuisse secutum. Quemadmodum non abs re *Cyrillus Alexandrinus Comment. in Joh. 12: vers. 40.* ubi *ex Es. 6: 10.* citata leguntur, observat, ὅτι ὁ Εὐαγγελιστὴς τῇ Ἑβραίων ἐκδόσει ἀκολουθήσας ἑτέρως ἐχούσῃ παρὰ τῶν ἑβδομήκοντα, *quod Evangelista Hebræorum editionem à versione LXX. diversam, secutus sit.* Cum quo facit etiam *Calovius in Critico S. p. 537. Nullum itaque*, inquit, *locum afferri posse concludimus, in quo Scriptores S. N. T. sequantur interpretationem LXX. qua eadem aberrat à veritate Hebraica, eidemque contradicit. Ubi postremo loco id adjiciendum, non pauca ex adverso reperiri loca, in quibus S. Scriptores N. T. sequuntur potius Ebraicam veritatem, quam Græcam interpretationem ab eadem deflectentem.* Talismodi locorum Catalogum prolixiorem exhibet idem Calovius l. c.

§. XIII. Noli hic mirari, si ipsum Hieronymum, controversiam nobis qui movit, atque paulo ante contrarium à nobis sentiebat, jam pro nobis adducam. Erat enim uti à puero, ita dum illa scriberet adhuc nimis addictus Græcæ versioni, quam etiam Latinè reddiderat. Nam quod hæc versio semel aures hominum occupaverat, & nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, justum censuit, etiam suo silentio comprobari. Interjecto vero tempore cum hanc cum Hebræo commisisset textu, atque vidisset, eam sæpius tam manifeste ab Hebræo recedere, tam multis in locis jam textui addere, jam eidem detrahere, hincque inde esse corruptam; maluit redire ad fontes limpidissimos ipsos, quam ex turbidis rivulis turbidam amplius aquam & bibere & bibendam aliis propinare. Quare etiam satis prudenti atque sæpius deliberato consilio, modeste relicta LXX. Interpretum versione, ad novam Editionem ex Hebræo textu formandam se accinxit, in quo tuto confidere potuit, quod ab omni corruptione universali sit immunis. *Jam vero*, ait ipse, *cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata, nostri arbitrii putas aut ex pluribus judicare quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere, illudentibusque Judæis cornicum, ut dicitur, oculos confodere?* Contra hæc Eusebius & præter hunc, cum non uni testi, ne Catoni quidem fidem haberet Hieronymus, plures ejus fide digni Amici quod scripserunt, vidisse se apud Afros Episcopos, qui propter Ecclesiasticas causas ad comitatum venerant, Epistolam Hieronymi nomine scriptam, in qua ageret pœnitentiam & ab Hebræis in adolescentia inductum esse testaretur, ut Hebræa volumina in Latinum verteret, in quibus nulla sit veritas; Hoc inquam noli morari; cum ipse Hieronymus id audiens obstupuerit, ajens, *qui hoc ausus est facere, quid aliud non audeat? Bene quod malitia non habeat tantas vires quantos conatus.* Modestam pariter justamque hujus operæ causam, documenta corruptæ versionis LXX. Interpretum, fontium Hebræorum præ versionibus præstantiam suamque per obtrectatores læsam, repurgatam tamen, famam videre licet longioribus logis *lib. 2. Apologiæ adversus Ruffinum cap. 7, 8, 9.* Hunc porro de nostra controversia paulo aliter quam ante audi sis loquentem *Tom. 1. Epist. 151. quæ est ad Algasiam quæst. 2. p. 425. Ubicunque* scribit, *de V. Instrumento Evangelistæ & Apostoli testimonia protulerunt, diligentius observandum est, non eos verba secutos esse, sed sensum, & ubi LXX. ab Hebræo discrepant, Hebræum sensum suis expressisse sermonibus.* Atque *Proœm. in 15. lib. Comment. Es.* addit: *Ubicunque de V. Instrumento ponunt testimonia, si inter Hebraicum & LXX. nulla diversitas sit, vel suis vel LXX. Interpretum verbis uti solitos novi; Sin autem aliter in veteri editione sensus est, Hebraicum magis quam LXX. sequi.* Sic Apologia adversus Ruffinum l. c. *Apostolici viri Scripturis utuntur Hebraicis: Ipsos Apostolos & Evangelistas hoc fecisse perspicuum est. Dominus atque Salvator ubicunque veteris Scripturæ meminit, de Hebraicis voluminibus ponit exempla, ut est illud: Qui credit in me, sicut Scriptura dicit Joh. 7. flumina de ventre ejus fluent. Et in ipsa cruce* Matth. 27. אלי אלי למה עובתני quod interpretatur, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti, non ut à LXX. positum est, Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti. Et multa his similia. Nec hoc dicimus quod LXX. Interpretes sugillemus, sed quod Apostolorum & Christi major sit autoritas. Et ubicunque LXX. ab Hebræo non discordant, ibi Apostolos de interpretatione eorum exempla sumsisse, ubi vero discrepant, id posuisse in Græco, quod apud Hebræos didicerant.* Nec dissentit *Augustinus* in regula ~~quam~~ ponit lib. 15. de Civit. D. cap. 3. *Si translatio ab originali dissentit, ei linguæ potius credendum est, unde in aliam per interpretationem facta est translatio*, ut adeo rectissime idem Augustinus concludat: *Decet unde ad nos venit salutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio.* Atque hæc de Versionis LXX. Interpretum autoritate ferme nimis prolixe adducta, propter majorem Interpretum partem, qui Stephanum vel Lucam ex horum versione numerum suum allegasse volunt, producta necessaria visa, in præsens sufficiant.

§. XIV. Alii quidem rejecta in librarios culpa, rem solvere volentes suspicantur, quasi exscriptores, *Act.* 7: 14. ex ἑβδομήκοντα πάντες fecerint ἑβδομήκοντα πέντε. Sic ex Bertramo *Beza*, cui rectissime respondet *Eduardus ab Leigh. Annot. in N. T. tale quid non facile debet concedi.* Nobis quid de hac re videatur, dictum est cap. 1. §. 19. ubi circa finem ipsius *Bezæ* testimonium de harum vocum antiquissima & constantissima lectione recitavimus. Quidam alio modo numerum Stephani corruptum asserunt, quos inter etiam *Rivetus, qui Exercit. 170. in cap. 46. Gen.* plane singularem mentem suam, non tamen nisi sub probabilitate, his exponit: *Tutior est sententia, ut agnoscamus Stephanum & Lucam eandem habuisse cum Mose supputationem, quæ tamen paulo post Lucam à Græcis exscriptoribus mutata fuerit, quia cum Græce tantum intelligentes conferrent concordantias locorum citatorum ex V. T. in N. utentes Bibliis Græcis, putarunt aliquem esse defectum in numero 70. animarum.* Quibus nihil aliud tradit, quam Beza, nimirum meram suspicionem, cujus fundamentum quoque ideo suspicandum venit, quod divina providentia nunquam concessisse credi potest, ut verbum Dei purum ita corrumpatur à scriba vel sciolo quodam, quod non observari fecisset tot seculorum decursu, maxime in primitiva Ecclesia, vel ab uno piorum & sanctorum Doctorum, qui itidem Græcis usi sunt Bibliis, quæ forsan fictus scriba nec viderat, nec ex LXX. correxerat.

§. XV. Ceterum ipse *Rivetus* quoque tutam censet conciliationem, quam relicta LXX. versione ex *Epiphanio Junius habet in Parall. S. lib. 1. paral. 92.* cum quo etiam facit *Joh. Thaddæus in Conciliatorio Biblico*, ubi statuit, connumerandas esse 4. uxores Jacobi & duos filios Judæ Er & Onan, qui superadditi numero LXX. conficient LXXVI. à quibus iterum demendus Jacob, tanquam communis stipes, ut sic remaneant LXXV. animæ. Rationes hujus conciliationis ut cognoscamus, annotabimus verba ipsius *Junii in Annotat. Biblicis ad Genes. 46: 27. Generalis summa Jacobum, Josephum & duos filios comprehendens est LXX. Quod autem Act. 7: 14. numerantur LXXV. præter Jacobum, fit, quia Stephanus non eos, qui reipsa cum Jacobo descenderunt, sed & matres eorum, quatuor uxores Jacobi, & duos filios Judæ, licet ante defunctos, comprehendit, i. e. quotquot hic personæ de nomine recensentur, ut doceat, ad quantum in summa numerum familia Jacobi, antequam descenderet in Ægyptum, pervenisset. Sive, ut dicamus brevius, non refert Stephanus numerum proficiscentium, sed summam eorum, quos hic nominatim Moses enarravit. Sic enim legerunt exposueruntque orthodoxi Patres per ellipsin articuli in Græco sermone*

ſermone frequentiſſimam, ut in Parallelis ſacris amplius docuimus. Quare planior eſſet locus, ſi hoc modo legeretur, τὴν ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, *nimirum* συνισταμένην ἢ συγγεγραμμένην, *conſtantem aut conſcriptam ex animabus LXXV. quod hic diſerte excepto Jacobo nominantur.* Verum præterquam quod B. Calovius cenſeat, Epiphanium non annumeraſſe uxores Jacobi, ſed filiorum ejus uxores; colligens id ex ipſis D. Patris verbis, quæ ex *lib.* 1. *Hæreſ.* 8. *Critico ſuo S. inſeruit atque pag.* 524. ita vertit: ὁ Ἰακὼβ καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ υἱοὶ καὶ γυναῖκες καὶ ἔκγονοι ἐν ἑβδομήκοντα πέντε ψυχαῖς ἀριθμηθέντες εἰς Αἴγυπτον. *Jacob & filii ejus & uxores, ſcilicet filiorum, & prognati ex illis vel nepotes in LXXV. animabus numerati in Ægyptum venerunt.* Etiam ab his peccatum eſſe non abs re exiſtimat *Beza* in Notis ad Act. 7. quod ineptum ſit, jam mortuos inter illos, qui accerſiti deſcenderunt, recenſeri. Legimus autem *Rahel* mortuam longe ante ingreſſum in Ægyptum, imo ſtatim poſt ingreſſum in terram Canaan Geneſ. 35: 19. *Lea* quoque non videtur ingreſſa in Ægyptum, ſed ante fuiſſe mortua, ſepulta quippe à Jacobo adhuc in Hebron, ut patet ex Gen. 49: 31. Tandem quod ad *Zilpa & Bilha* attinet, nullum veſtigium habetur in textu Moſis pariter & Lucæ, quod deſcenderint. Enim vero nominatas in Moſis Catalogo crediderim ex eadem ratione, qua Lea & Rahel ſunt nominatæ, nimirum ut dignitas & ordo parentum ſervetur, quibus ſingulis accurato ordine nominetenus liberi ſubjiciuntur ſui. Potius, quod neque in generali inſcriptione deſcendentium Gen. 46: 5, 6, 7. neque in exceptione earum, quæ non ex femoribus Jacob ortæ deſcenderunt, neque in Actis ipſis ulla earum fit mentio, valde fit probabile, eas ante deſcenſum Jacobi eſſe mortuas atque in Canaan ſepultas. Idem conſtat de Er & Onan, filiis Judæ, non ſolum ex Gen. 46: 12. ſed etiam 38: 6. & 10. ubi ſimul legere poſſumus cauſas, propter quas ante ingreſſum à Deo extincti ſunt. Omnia hæc procul dubio conſtitere Joſepho. Abſonum autem eſſet, perſonas, quas ſcivit mortuas, nihilominus accerſiviſſe Joſephum. De ipſo & filiis duobus in Ægypto tum viventibus non impar eſt ratio. Deinde ſi Stephanus non proficiſcentes, ſed omnes eaſque ſolas in Catalogo Moſis nominatas animas numerat, colligit ſummam hoc modo, nimirum ex familia Leæ excepto Jacobo XXXV. ex Zilpæ XVII. ex Bilhæ VIII. ex Rahel. XVI. Sic numerus ſummarius erit LXXVI. major certe Stephani numero. Taceo hic nominatum Potipharum, ad familiam Jacobi non pertinentem, cum quo eſſent LXXVII. Ergo aut Stephanus non diligenter ſatis numeravit perſonas, aut illi, qui Stephanum ita numeratum fingunt. Non ille, quia Spiritus S. per eum numerabat; Culpa ergo devenit ad poſteriores, qui omnes apud Moſen nominatas animas, etiam uxorum, numerantes in numero colligendo ſummario fallunt & falluntur. Falluntur, dum Joſephi uxorem, Aſnath, notabiliter ſatis expreſſam & nominatam, atque ideo ex ipſorum hypotheſi numerandam, neſcio quo fato omiſerint; Dum vero numero LXXV. omnes nominatas in Catalogo Moſis, excepto Jacobo, comprehendi perhibent animas, certe fallunt.

§. XVI. *Lyranus in Comment.* ſuo hanc init conciliationem: quod Moſes à ſuo numero LXX. excludat Er & Onam, item Joſephum cum filiis duobus, Ephraim ſcil. & Manaſſe. Illos, quia fuerunt mortui in terra Canaan: Hos, quod ante ingreſſum Jacobi jam tum fuerint in Ægypto. Hos quinque putat Stephanum & LXX. Interpretes annumerare reliquis, ut LXXV. fiant. Quorſum autem hæc? Si excludas à numero LXX. Joſephum & filios duos, item Er & Onan, unde complebis numerum Moſis per LXX. expreſſum? Sic eſſent ſolum LXV. non LXX. Quibus ſi addas à Lyrano nominatas V. perſonas erunt LXX. non LXXV. quot tamen ſecundum Stephanum eſſe deberent. Forſan tamen Lyra ſeptuagenarium numerum Moſis ſummarium complet, annumeratis Patre Jacobo & Matribus; ita ut in Leæ familia numeratis XXXIII. in Zilpæ XVII. in Rahelis XII. in Bilhæ VIII. numerus LXX. conſtet. Jam ante excluſit Er & Onan, quippe mortuos. Quo ergo nomine apparent in ipſius collectione Jacobi uxores? Si non omnes ſaltem Lea & Rahel, vel minimum Rahel deberet eximi, de qua quod ante ingreſſum mortua, certo eſt certius. Deinde non licet includere hoc ſummario Moſis numero perſonas, quæ cuilibet ingenio videntur excludi poſſe, numerumque colligere ex particularibus arbitrariis. Sed oportet Autoris Θεοπνεύστου ordinem ſequi, atque quos ipſe nobis expreſſe præſcripſit numeros particulares, ad colligendam ſummam aſſumere. Ceterum ipſi cum LXX. Interpretibus res eſt, quorum contra mentem apertiſſimam hos quinque indicatos ab ipſis annumerari dicit, cum tamen, quos annumerarunt, nominetenus adjecerint ipſi, hoc ipſo Lyrani expoſitionem à ſua mente alieniſſimam declarantes.

§. XVII. Propius pervenit ad mentem Scripturæ *Ludovicus de Dieu* in eo, quod locum Gen. 46: 27. non eſſe cum hoc noſtro Apoſtolico Actor. 7: 14. parallelum, ſentit. *Moſes enim,* inquit, *Catalogum texit, in quo una cum Jacobo ſoli ejus poſteri, & quidem ex femore ejus egreſſi, exceptis filiorum uxoribus, comprehenduntur, ipſe etiam Joſeph cum duobus filiis. Sed h. l. non Genealogia Jacobi inſtituitur, ſed quoſnam Joſephus è terra Canaan in Ægyptum vocaverit, docetur. Scilicet plures accerſivit, quam è femore Jacobi ortos, nec tamen omnes ex femore ortos accerſivit. Excluduntur enim duo nepotes Judæ, item Joſeph cum duobus filiis. Separatis iſtis V. & ipſo etiam Jacobo, reſtant ex LXX. Moſis numero LXIV. nempe fratres XII. una ſoror Dina & LII. fratrum filii; quibus ſi adjungas XII. fratrum, XII. ſorores, habes* πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτοῦ ἐν ἑβδομήκοντα πέντε ψυχαῖς. Hactenus ille. Convenit cum dictis à Lud. de Dieu in ſingulis *B. Scherzerus in ſuis ad N. T. notis MSS. uti vulgo venditantur,* niſi quod in collectione numeri LXXV. à Stephano annotati ſolum ex Moſis Catalogo Genealogico nepotum Jacobi faciat mentionem in genere. Unde colligi quidem poteſt præter mortuos eum excludere duos poſterorum Jacobi, quoſnam vero inter ſingulos nominatos velit excluſos, incertum relinquit. Forſan tamen ex *Calovii Critico ſac. p.* 321. probabiliter id colligere poſſumus, ubi cum Scherzero ipſe quoque totus Ludovicum de Dieu ſecutus Perezi filios poſtquam excluſiſſet numero LXXV. Stephani, eum ſic colligit. *Per generationem intelligendi veniunt fratres XII. cum ſorore Dina & fratrum filii LI. cum filia unica Serah, annumeratis ſimul fratrum uxoribus XI. ut compleatur numerus LXXV. animarum, quæ cum Jacobo ad Joſephum venerunt.* Bene hic obſervant Autores nominati ſubjecti pariter & circumſtantiarum diverſitatem, quod pauci præter eos fecere. Aliud enim illic ſubjectum, aliud hic eſt, quod variantes circumſtantiæ multum variant. Porro pro ratione circumſtantiarum diverſa recte quidem auferuntur mortui in Canaan, caput accerſitæ familiæ, accerſens & hujus in Ægypto nati filii duo. Sed numerum Stephani LXXV. complere volentes duas perſonas à Moſe nominatas & numeratas, præter VI. jam indicatas, omittunt; quænam hæc ſint, primus cum poſtremo expreſſit, non æque alter. Ludovicus enim de Dieu indicat duos Judæ nepotes expreſſe: Calovius Perezi filios. Scherzerus ſolum Jacobi nepotum meminit, forte generali hoc nomine etiam pronepotes complectens, quorum duos procul dubio cum aliis propter annum nativitatis adhuc apud ipſos incertum, à Stephano h. l. non numeratos cenſere videri poſſunt. Verum *B. Gerhardus* jam tum negavit in *Comment. Gen.* pronepotes eſſe eximendos hoc numero, quaſi non deſcenderint actu, ſed potentia, ſcil. in lumbis Parentum, cum ipſi potius conſtet, hos jam tum in terra Canaan ante deſcenſum eſſe natos. Si pronepotes eſſent ejiciendi, vel ex progenie Leæ, Hezron & Hamul, vel ex Zilpæ, Heber & Malchiel exterminari deberent. De prioribus oſtendimus contrarium cap. 1. §. 6. quod etiam de his poſterioribus eodem prorſus valet modo. Si enim poſſibile fuit, uti certe fuit, Judam annorum cum deſcenderet XLIII. vidiſſe pronepotes, certe magis credibile eſt, tales etiam ab Aſſere eſſe viſos, in cujus familia tantæ remoræ, difficultates tantæ nunquam ſunt auditæ. De filiis undecim Jacobi in Stephani numero numeratis ſalva res eſt, non item de undecim horum uxoribus. Conſtat enim ex Gen. 38: 12. Judæ uxorem jam ante deſcenſum in Ægyptum in Canaan eſſe mortuam, neque proinde à Joſepho accerſitam. Multo minus Joſephi uxor, in Ægypto quippe nata, educata & nupta, nunquam in Canaan ante deſcenſum cum fuerit, inde accerſeri potuit. Oportuit autem alterutram harum annumerari ſi numerus undecim uxorum completus eſſe debet, quod non procedit.

§. XVIII. Proxime tandem ad cardinem quæſtionis ejusque ſolutionem inter omnes pervenit *Nobiliſſ. Eduardus ab Leigh. in Annot. Theologico-Philog. ad N. T.* Hic ſuperius à nobis laudatus Anglus cum vidiſſet diverſiſſimum eſſe ſubjectum numeri apud Moſen verſ. 27. contentum, & numeri à Stephano in Actis adducti, rectiſſime ab illo receſſit ad proxime præcedentem Moſis verſum, numerum ibi eligens, qui idem quidem ſubjectum quoad rem cum noſtro Actor. numero, non vero quoad amplitudinem idem continebat. Inſpiciens autem diligentius textum, quo ille numerus erat expreſſus l. c. ſcribit: *Expreſſe diſtinguit Moſes inter illos, qui egreſſi ex femoribus Jacobi, ex quibus proprie domus & familia*

milia Israëlis constitit, atque inter uxores filiorum ejus; *quam in rem etiam citat Wilhelmum Langium de annis Christi lib. 2. cap. 4. & Dr. Halls Paraphrasin h. l.* Quibus non abs re colligit, quasnam personas huic numero LXVI. Stephanus addiderit ad complendum numerum LXXV. nimirum uxores filiorum ejus, quas proprie ad familiam Jacobi non pertinere censebat, quippe ex femoribus Jacobi non natæ, ideoque nec numeratæ sunt. Quando autem addit ibi, uxores filiorum Jacobi, quæ descenderunt cum ipso in Ægyptum, tantum IX. fuisse, quæ numero Mosis LXVI. si addantur, completum esse Stephani numerum LXXV. putat; Tunc colligit à posteriori quidem plures non fuisse, quia alias numerus Stephani justo major evaderet, sed hoc dubium probare ex Mosis historia, quænamque illæ IX. si non nominetenus à maritis saltim denominatas adducere debuisset. E contrario potius colligitur ex historia antiqua, tempore descensus filiorum uxores adhuc undecim vixisse, quia sola Judæ uxor tum mortua legitur, de aliis silet textus. Oportet itaque hoc modo excludat & Judæ uxorem, quæ mortua & non accersita; & Josephi uxorem, quæ cum ante descensum non fuerit in Canaan, accersitis inde non possit annumerari, & aliam tertiam, de qua nec Mosi aliquid constitit. Deinde ex superioribus clarum est, numerum LXVI. complecti inter alia etiam Josephum, qui tamen ex Stephani numero tanquam accersens omnino eximendus est. Addat jam ad LXV. uxores IX. nonne numerus Stephani erit justo minor? Unde dubium non est, si hoc observasset vir magnus, quod pro lubitu X. pro IX. adjecisset uxores.

§. XIX. Restat ut cognoscamus paucis fontes, ex quibus tot difficultates in recensitas conciliationes promanarint. Hos docte nobis aperit *B. Joh. Conradi Dannhaweri* ἀλεξιφάρμακον *generale in conciliandis contradictionibus, quod in Idea Boni Interpretis & malit. Calumn. Part. 1. Art. 4. pag. 134.* his verbis tradit. *In quo Autore occurrit textuum contradictio supposita tum sufficienti terminorum ac circumstantiarum notitia, tum nulla elenchi ignoratione commissa, in eo est contradictio vera, quam frustra sis, si conciliare labores. Contra: In quo Autore occurrit textuum contradictio ejusmodi, in qua vel ignorantia elenchi sit commissa, vel non adhibita sufficiens terminorum ac circumstantiarum notitia, in eo apparens solum contradictio, adeoque conciliatione digna.* Hæc ille. Jam recensitas conciliationes animi lance rependimus, patebit ad oculum partim oriri difficultates ex circumstantiarum superfunctoria consideratione, partim ex terminorum insufficienti cognitione, partim ex ipsa ignorantia elenchi scil. ἑτεροζητήσεως. Itaque noli mirari, unde tot obscuritates, unde tot difficultates ortæ, quæ licet variæ & difficiles, nos tamen ab alia conciliatione adeo deterrere non debent, ut pedem hic figamus atque in his dubiis persistamus. *Quid igitur? Damnamus veteres? Minime. Sed post priorum studia in domo Domini, quod possumus, laboramus.* Hæc cum *S. Hieronymo Præf. in Pentateuch.* reponimus. Nunc ad ultimum caput in quo σὺν Θεῷ nostram conciliationem tradituri sumus, progredientes excitamur adhuc sententia *Prosperi* his versiculis expressa:

Quamvis in Sacris Libris, quos nosse laboras,
Plura insint, Lector, clausa & opaca tibi:
Invigilare tamen studio ne desine sancto:
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior est fructus, quem spes productior edit:
Ultro objectorum vilius est pretium.
Oblectant adoptata etiam mysteria mentem;
Qui dedit ut quæras, addet ut invenias.

CAPUT III.

De conciliatione nostra ejusque confirmatione.

§. I. QUemadmodum Princeps Philosophorum *lib. 5. Polit.* cognitis causis mutationis & corruptionis Rerumpublicarum, facilem existimat remediorum cognitionem, ita & nos arbitramur, omnes hactenus obscuritatis causas facile evitari posse, si, qui alios offenderunt, scopulos eo diligentius evitemus. Atque ideo in præcedenti Capite aliorum traditimus sententias hisque difficultates annatas, jam demum nostram tradituri, non alia fini, nisi ut, præcognitis illarum difficultatibus, nostræ sententiæ facilitatem facilemque simplicitatem eo melius cognoscere liceat. Videbimus autem tam multos propter insufficientem terminorum & circumstantiarum cognitionem tam dubias tradidisse conciliationes; Plures ex ignorantia fallaciæ παρὰ τὸ ζητούμενον intricasse rem magis, quam expedivisse. Plurimi vero hoc in argumento versati ideo in tam amplum difficultatum progressi sunt labyrinthum, quod pluris fecerint autoritatem LXX. Interpretum, quam ipsorum SS. Scriptorum, quod rivulos potius turbidos, quam purissimos dulcissimosque adire voluerint fontes, ex quibus non possunt non dubia & obscura haurire, haustaque effundere. Quare nos tutius procedere amantes fontes sequemur præ omnibus, ex quibus solis rem omnem absolvi posse persuasi sumus. Uti vero Cap. 1. textum Mosis pro virili evolventes & Catalogum genealogicum Jacobi numerantes atque pernumerantes, à subjecto, quæ glaucoma objicere poterant, removimus; quæ vero lucem afferre solent, probe perpendentes rependentesque simul ex limpidissimis fontibus circumstantias attulimus, ut nostra mens hoc capite eo felicius & brevius absolvatur, quam in præsenti succincte traditurì & probaturi sumus.

§. II. Ut vero cardinem quæstionis certum sciamus, monemus iterum, conferri inter se non debere numeros Act. 7: 14. & Gen. 46: 27. quippe in quibus plane nulla est pugna, etsi diversitas insignis. Nam *vs.* 27. dicit Moses: *Omnes animæ domus Jacob, quæ in Ægyptum venit* (licet harum quædam in Ægypto natæ, ut Ephraim & Manasse, licet quædam in Canaan mortuæ, ut Er & Onan; adeoque licet quædam tunc temporis non ingressæ sint cum Jacob; modo natæ fuerint domui Jacob, quæ ingressa dicitur in Ægyptum, dum ingrederetur) *sunt LXX.* De his nullo modo loquitur Stephanus, qui solum numerat animas tum temporis ex familia Jacobea superstites & in terra Canaan degentes, unde accersitæ sunt: Uti patet ex oratione Stephani: *Misso autem nuncio Joseph accersivit Jacob Patrem suum, omnemque cognationem suam in animabus LXXV.* Quomodo autem in Canaan mortuos accersere potuit Joseph in Ægyptum? Quomodo in Ægypto natos, qui nunquam in Canaan fuerant, ex Canaan in Ægyptum potuit vocare? Hinc de iis solum animabus familiæ Jacobeæ Stephanum loqui necessum est, quæ actu cum Jacobo vel præter Jacobum ex Canaan in Ægyptum venerunt accersitæ, quarum Moses non *vers.* 27. sed præcedente *vs.* 26. numerat LXVI. Ut adeo h. l. quæstio sit: Cur Moses vs. 26. animarum, quæ præter Jacobum ex Canaan in Ægyptum venerunt, numeret solum LXVI. Stephanus vero augeat numerum IX. animabus, dum Actor. 7: vs. 14. non LXVI. sed LXXV. ponat? His ita cognitis res ipsa cognitu erit facillima, & responsio quoque plana.

§. III. Patet autem ex superioribus, Mosen non potuisse plures numerare, qui ex familia Jacobi in Genealogia numerata, ex Canaan in Ægyptum cum Jacobo, exceptis uxoribus filiorum ejus, venerunt, quam LXVI. quia, si à numero totius familiæ Jacobeæ septuagenario demas duos Judæ filios Er & Onan, mortuos in Canaan, neque adeo descendentes ex ea, & duos filios Josephi in Ægypto natos & educatos, imo & mortuos, non vero ex Canaan tanquam accersitos in Ægyptum cum Avo descendentes, remanent tantum LXVI. Nomina horum, quæ Moses numerat *Genes.* 46. *à vs.* 8. *ad* 26. ita habent: (Vers. 8.) *Primogenitus Jacobi* 1. *Ruben.* (Vers. 9.) *Filii Ruben* 2. *Hanoch.* 3. *Pallu.* 4. *Hezron.* 5. *Charmi.* (Vers. 10.) *Filii* 6. *Simeon.* 7. *Jemuel.* 8. *Jamin.* 9. *Ohad.* 10. *Jachin.* 11. *Zohar.* & 12. *Saul, filius Cananææ.* (Vers. 11.) *Filii* 13. *Levi.* 14. *Gerson.* 15. *Kahath.* & 16. *Merari.* (Vers. 12.) *Filii* 17. *Juda Er, Onan.* 18. *Sela.* 19. *Perez.* & 20. *Selah. Er & Onan enim mortui erant in terra Canaan. Filii Perez* 21. *Hezron* & 22. *Hamul.* (Vs. 13.) *Filii* 23. *Isaschar.* 24. *Tholah.* 25. *Puva.* 26. *Job.* & 27. *Simron.* (Vers. 14.) *Filii* 28. *Sebulon.* 29. *Gered.* 30. *Elon* & 31. *Jaleel.* (Vers. 15.) *Hi sunt filii Leæ, quos peperit Jacobo in Mesopotamia Syriæ & filiam Dinam. Omnes animæ filiorum ejus & filiarum ejus XXXIII.* (Vers. 16.) *Filii* 32. *Gad.* 33. *Ziphion.* 34. *Haggi.* 35. *Suni.* 36. *Etzbon.* 37. *Eri.* 38. *Arodi.* & 39. *Areeli.* (Vers. 17.) *Filii* 40. *Asser.* 41. *Jimna.* 42. *Jischua.* 43. *Jischui.* 44. *Bria.* & 45. *Serah soror horum. Sed filii Bria* 46. *Heber.* & 47. *Malchiel.* (Vers. 18.) *Hi sunt filii de Zilpa, quam Laban dederat Leæ filiæ suæ, & peperit Jacobo has XVI. animas.* (Vs. 19.) *Filii Rahel uxoris Jacobi* 48. *Joseph.* & 49. *Benjamin.* (Vers. 20.) *Et Josepho nascebantur in Ægypto Manasse & Ephraim, quos ipsi peperit Asnath filia Potipharæ sacerdotis in On.* (Vs. 21.) *Filii Benjamin vero erant* 50. *Bela.* 51. *Bezer.* 52. *Asbel.* 53. *Gera.* 54. *Naaman.* 55. *Ehi.* 56. *Roschi.* 57. *Muppim.* 58. *Huppim.* & 59. *Ard.* (Vers. 22.) *Hi sunt*

filii de Rahel, qui Jacobo nati ſunt, omnes animæ XIV. (Verſ. 23.) *Filii 60. Dan. 61. Huſim.* (Verſ. 24.) *Filii 62. Naphtali. 63. Jazeel. 64. Guni. 65. Jezer. & 66. Sillem.* (Verſ. 25.) *Hi ſunt filii de Bilha, quam Laban dederat filiæ ſuæ Rahel, & peperit Jacobo VII. animas.* (Vſ. 26.) *Omnes animæ, quæ cum Jacobo venerunt in Ægyptum, egreſſæ de femore ejus, demtis uxoribus filiorum ejus, ſunt LXVI.*

§. IV. Hinc facile colligere poſſumus, quas S. Stephanus numerum condeſcendentium augens annumerare voluerit. Nimirum uxores filiorum Jacobi, quas *Moſes l. c. verſ. 26.* expreſſis verbis excepit. Nec enim exceptione tam notabili opus fuiſſet, niſi ſimul condeſcendiſſent cum ſuis maritis, qui ſoli in genealogiis apud Hebræos, cum filiis nominari ſoliti, tanquam è femoribus Jacobi deſcendentes numerati ſunt. Uti etiam *Matthiæ Flacio in gloſſa N. T. ad Act. 7: 14.* videtur probabile, hoc modo ſcribenti: *Forte autem Stephanus annumeravit uxores filiorum Jacobi, quas Moſes expreſſe excipit Gen. 46: 26. numerans tantum eos, qui erant ex Jacobo nati. Sed hic dicitur, totam cognationem ſuam, non ſolos ex Jacobo genitos, ideo plures annumerantur.* Confirmatur hoc clare ex *Gen. 46: 5.* ubi dicitur: *Profectus eſt Jacob ex Berſeba, & filii Iſrael Jacobum Patrem ſuum cum filiis & uxoribus ſuis plauſtris deportaverunt, quæ miſerat Pharao ad deportandum eum.* Conf. cap. 45: 18, 19. Quibus exprimit Moſes omnes perſonas tanquam in inſcriptione præliminari & ſummaria textus Stephani, quæ ex familia Jacobea in Catalogo Moſis partim nomine, partim abſque nomine indicatæ deſcenderunt revera in Ægyptum. Nimirum את־ בני ישראל *filios Iſraël*, undecim illos Joſephi fratres, frumenta petentes, quibus Pharao per Joſephum *cap. 45: 18, 19. Gen.* mandavit, ut Patrem ſuum, uxores ſuas & domos ſuas deducant ואת־ נשיהם *& horum uxores* ſcil. fratrum undecim, cum quibus conſeruntur: ואת־ טפם *& familias ſuas* ſive cœtum parvulorum, multitudinem puerorum & puellarum in familiis ſuis natorum. Vid. *F. Marius de Calaſio Concordant. Bibl. Hebr.* in voce טפף & *Lud. Capellus in Lex. Pentagl.* Ubi nulla mentio fit ſororum vel ſororis, quæ ſimul condeſcenderit: Neque uxorum Jacobi, quæ à quibuſdam deſcendiſſe finguntur: Neque uxorum Jacobi nepotum, Perezi nimirum & Briæ; quæ forſan brevi ante deſcenſum vel in puerperio vel alio morbo extinctæ; vel etiam Juvenculæ adhuc cum viris Juvenibus à Parentibus in peregrinam terram non dimiſſæ, h. l. in deductis non indicantur. Neque fratrum mortuorum, quos quippe ſepultos non deduxere: Neque ipſius Joſephi & ejus filiorum duorum, qui jamtum erant in Ægypto, adque quos reliqui accerſiti tendebant. Expreſſe verò præter Patrem Jacobum, filios ejus, & horum liberos, nominantur etiam uxores filiorum, quas ſimul deduxerunt in Ægyptum.

§. V. *Idem*, *paulo tamen* ſpecialius repetitur *verſ. 7. Jacob & omne ſemen ejus venit in Ægyptum, filii ejus & nepotes, filiæ ejus & neptes.* Hic non ſine ratione quidam per filias ejus intelligi volunt uxores filiorum, quas ſæpe in Scripturis hoc nomine venire probant. Ita *Frater Hieronymus ab Oleaſtro Comm. in h. l. Filiæ ejus ſcilicet Jacobi. Vocat nurus filias. Non enim legimus eum habuiſſe niſi Dinam.* Idem *Joh. Mariana Scholiis ad V. & N. T. Filias vocat fortaſſis nurus. Junius* quidem *in notis Biblicis ad h. l.* ſcribit: *Quando dicit filias ſuas,* καθόλου *dictum eſt, ut Gen. 21: 7. & 46: 23. quaſi dicat, quotquot filias, nurus & neptes habuit, ſecum abduxit. Nam unam tantum filiam unamque neptem habuiſſe legitur.* Et licet cetera *Toſtatus* aliter paulo ſentiat, tamen qua neptes convenit cum Junio. Sic enim *in Comm. ad h. l. pag. 708. a. Filiæ; Sic Dina vocatur pluraliter. Vel vocantur hic filiæ Jacobi filiæ filiorum ſuorum, quia ſic eſt conſuetudo S. Scripturæ omnes ſuperiores vocare Patres & omnes deſcendentes vocare filios.* Verum quis non videt, Junium hic ſuæ ὑποθέσει δουλεύειν, quaſi Dina numero XXXIII. *verſ. 15.* incluſa ſit, & ſimul condeſcenderit in Ægyptum. Præterea quod *verſ. 5.* in quo omnes accerſiti deſcendentes indicabantur, plane ſit omiſſa Dina & ex numero deſcendentium excluſa, hic quoque verſus de filia naturali non poteſt exponi, quia hic de filiabus loquitur, quarum Jacob unam tantum habuit, nempe Dinam, quæ, quod deſcenderit, nunquam dicitur, nec probari firmiter poteſt. Quod enim in Catalogo familiæ Jacobeæ nominatur, nihil evincit aliud, quam quod in domo Jacobi ante deſcenſum nata fuerit, non quod condeſcenderit; Alias enim *Er & Onan, Ephraim & Manaſſe, Lea & Rahel*, quæ in Catalogo nominantur, ex Canaan cum Jacobo deſcendiſſent, quod abſonum. Deinde ſi ſub hac voce: filiabus, comprehendant filiam, nurus, & neptes, vel ſolum filias filiorum Jacobi; nonne actum ageret Moſes, dum voce filiabus comprehenderet poſt alias neptes, & tamen ſcribat, *veniſſe in Ægyptum cum Jacobo filias ſuas* (id eſt, ut volunt, filiorum filias) *& filiorum ſuorum filias?* Sic etiam non eſſet Enallage numeri prout *verſ. 23.* quem citavit Junius, niſi in unica voce filiabus & Enallagen numeri & ſimul Synechdochen fingere velit, quod nulla ſuadet neceſſitas. Quare abſque metu filiorum Jacobi naturalium uxores per has filias intelligimus, haſque annumerari à Stephano credimus, quoniam condeſcendiſſe & cum Jacobo in Ægyptum veniſſe ex clariſſimis Moſis liquet verbis.

§. VI. Ceterum mos apud Hebræos qui invaluerat, non item apud Græcos obtinuit. Enim verò Judæi in Genealogiis ſuis niſi ſonticis de cauſis feminini generis cum nullam habuerint rationem, Græci contra in tradendis & enarrandis generibus ſuis æque filiorum ac filiarum nomina poſuerunt, ſæpius filiarum nomina præ maſculis referentes. Id quod ex pluribus Scriproribus Græcis dare poſſem demonſtratum, ſi opus foret: Sufficiat inpræſentiarum unum vel alterum exemplum ex *Apollodori, Athenienſis, Bibliothecis* ſubjeciſſe, ne falſum protuliſſe videar. Ille *lib. 1. p. 27. Edit. Salmur. in* 8. cum notis & verſione *Fabri* quæ prodiit, ita: Αἴολος δὲ, βασιλεύων τῶν περὶ τὴν Θεσσαλίαν τόπων, τοὺς ἐνοικοῦντας Αἰολεῖς προσηγόρευσε. Καὶ γήμας Ἐναρέτην, τὴν Δηϊμάχου, παῖδας μὲν ἐγέννησεν ἑπτὰ, Κρηθέα, Σίσυφον, Ἀθάμαντα, Σαλμωνέα, Δηϊόνα, Μάγνητα, Περιήρην. Θυγατέρας δὲ πέντε, Κανάκην, Ἀλκυόνην, Πεισιδίκην, Καλύκην, Περιμήδην. *Æolus vero locis, quæ circa Theſſaliam ſunt, imperans populis Æolenſibus nomen impoſuit. Qui ducta Enarete Deimachi filia, ſeptem ex ea filios procreavit: Critheum, Siſyphum, Athamantem, Salmoneum, Deionem, Magnetem & Perierem. Sed & filias quinque, Canachen, Halcyonen, Piſidicen, Calycen ac Perimeden.* Idem pag. 30. Θεστίῳ ἐξ Εὐρυθέμιδος τῆς Κλεοβοίας, ἐγένοντο θυγατέρες μὲν, Ἀλθαία, Ὑπερμνήστρα· Ἄρρενες δὲ Ἴφικλος, Εὔιππος, Πλήξιππος, Εὐρύπυλος. *Theſtius ex Erythemide Cleobææ filia feminei ſexus quidem Althæam & Hypermneſtram ſuſtulit: Mares autem Iphiclum, Euippum, Plexippum Eurypylumque creavit.* Sic etiam *pag.* 44. filias duas Neſtoris Piſidicen & Polycaſten ſeptem præponit filiis. Porrò *Beli filiis, Ægypto quidem, à quo terra Ægyptiaca, antea Melampodos dicta, nomen accepit, 50. tribuit filios; Fratri verò Danao totidem filias, ad quarum numerum navim* πεντηκόντορον, *quam quinquagintriremem Latinè dixeris, primus fabricavit, in qua Minervæ conſilio filiabus impoſitis aufugit, p. 78.* & alibi paſſim. Vide ſis etiam *Homerum & Heſiodum.* Facile hic vel conjiciendo divinare poſſum, aliquos mihi improbare, quod teſtimonia ex Scriptoribus petierim talibus, qui meras fabulas ſcripſerunt; Quemadmodum ipſe acutus *Scaliger*, totam Bibliothecam Apollodori, opus alias ingenioſiſſimum & elegantiſſimum, fabuloſam dicit, nervoſe tamen addens, non utique ſi homines, ſed ſi hominum attributa conſiderentur. Negat nemo, involucra hujus hiſtoriæ eſſe fabuloſa; Rem autem ipſam hiſtoriamque involutam veram eſſe, doctus nemo negat; Ceu clariſſimus quidam Anglus nomine Clerke, utinam brevi, demonſtrare promiſit, veram evoluturus κατὰ γενεὰς hiſtoriam, in taliſmodi Scriptoribus hactenus latentem. Ponamus interim, rem ipſam quoque nullius eſſe fidei, tamen inde nobis certo colligere licet morem Græcanicum, in eo à Judaico diverſum, quod etiam filias in Genealogiis recenſeant.

§. VII. Objicere tamen quis poſſet: Dato, annumeratas fuiſſe uxores filiorum Jacobi, nihilominus tamen numerum Stephani à numero Moſis adhuc manere diverſum, & non unis unitatibus illum ſuperare. Habuit enim Jacob XII. filios, ex Lea VI. Ruben, Simeon, Levi, Juda, Iſaſchar, Sebulon: E Rahel duos Joſeph & Benjamin: è Bilha, ancilla Rahelis duos Dan & Naphthali: è Zilpa Leæ ancilla duos Gad & Aſſer. Hi ſunt filii duodecim Jacobi, quos ſingulos tempore deſcenſus uxores in matrimonio habuiſſe inde patet, quod ſingulorum liberi cum Jacobo in Ægyptum deſcendiſſe ex textu appareat *Gen. 46.* Horum XII. filiorum Jacobi uxores XII. numero LXVI. ſi annumeres, emergit numerus LXXVIII. omnino major à Stephano adducto numero, qui erat ſolum LXXV. Verum planam reddere debet rem totam hiſtoria Sacra in ipſiſſimis ſanctis contenta fontibus; Ea cum attentione ſi inſpiciatur ab hoc numero LXXVIII. jubet primo eximere uxorem Judæ: Sic enim Hiſtoricus ſacer primus iſque infallibilis *Gen. 38: 12. Multis præterlapſis diebus mortua eſt filia Suah, uxor Judæ, & poſt tempora luctus publici ad tondendas oves ſuas Juda adſcendit Thimnath,* ubi in via cum nuru Thamnare ſcortatus eſt. Ex quibus claret, hæc omnis

adhuc

adhuc ante descensum Jacobi in Ægyptum facta, mortuamque esse uxorem Judæ in terra Canaan, quæ propterea non potest à Stephano in numero *Act.* 7. comprehendi, ut adeo excepta hac remaneant LXXVII. Deinde etiam aliter fieri non potest, quam ut ipsius Josephi uxorem numero Stephani excludamus. Ipsa, quippe Potiphari sacerdotis Ægyptiaci in On filia, terram Canaan, minimum ante descensum non viderat, multominus dici potest, quod in ea nata & educata fuerit, cumque familia Jacobea descenderit ex Canaan in Ægyptum. Excepta itaque & hac Josephi uxore decem uxores annumerandæ restant; Ipsa vero summa conficit h. m. LXXVI.

§. VIII. Igitur ut rem amplius faciamus planam, numerumque consonum, ipsam Stephani ex Tremellii versione audiamus orationem: *Missis autem nunciis Josephus accersivit Patrem suum Jacobum, omnemque cognationem suam capitum LXXV.* Adeoque ipse Josephus inter accersitos numerari non debet, nisi dicere velimus, Josephum accersivisse seipsum ex terra Canaan in Ægyptum, ubi jam tum tempore vocationis erat, quod absurdum. Sic ipse Josephus à numero residuo, qui, annumeratis ad LXVI. etiam X. uxoribus filiorum Jacobi, LXXVI. conficiebat, propter circumstantiam accersitionis si eximatur, uti secundum Lucam dicta de causa, omnino eximendus est, remanet numerus Stephani; prout scriptus est, verus nempe LXXV. Summatim: Numerus familiæ Jacobeæ actu præter Jacobum descendentis in Ægyptum atque ex femoribus ejus natæ, demtis uxoribus filiorum, quæ descenderunt quidem, sed non ex ejus femoribus, est LXVI. Genes. 46: 26. Numerus vero familiæ Jacobeæ à Josepho accersitæ, accersente ex mente Stephani à LXVI. demto ut LXV. remaneant; additis vero X. uxoribus filiorum accersitis simul & condescendentibus, nec plus, nec minus efficit quam LXXV. qui numerus à Stephano Act. 7: 14. est quoque expressus.

§. IX. Adhuc posset alicui dubium nasci: Annon Pater Jacob, qui præ ceteris hic accersitus, nominatus & vocatus est, huic numero annumerari debeat? Sed sciendum, praeterea quod Moses jamtum *Gen.* 46: 26. & 27. distinxerit inter Principem familiæ & familiam ipsam sive inter ædificatorem domus & ipsam domum, eumque utroque suo numero summario propterea excluserit. Conf. Gen. 50: 21. Eundem multo clarius Stephanum distinguere à domo ejus hoc ex loco patet, quando dicit, μετεκαλέσατο τ̃ πατέρα αὐτοῦ Ἰακώβ, καὶ πᾶσαν τ̃ συγγένειαν αὐτοῦ ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε. Quis vel fugitivo oculo non videt differentiam inter πατέρα Ἰακώβ, & inter συγγένειαν αὐτοῦ. Illum accersitum innuit textus, quodque descenderit cum sua domo. Hujus autem domum seu familiam descendentem, non Jacobum cum hac facere numerum LXXV. animarum. Non aliter *Calovius Crit. Sac. pag.* 521. *Jacobum patrem quoque non annumerari vel comprehendi hoc numero à Stephano expresso, inde manifestum est, quod Jacob seorsim nominetur, quodque soli cognationi cum Jacobo accersitæ assignetur iste numerus LXXV. animarum.* Quo nomine non possum probare, pergit, *Æthiopicam versionem quæ licet recte Josephum cum liberis excludat, minus recte tamen includit Jacobum, quippe præter Græcam veritatem, dum ita reddit: Et Joseph postquam cognovisset illum, jussit, ut vocarent Patrem suum & totam cognationem suam, & venerunt ad eum LXXV. animæ.* Quemadmodum etiam erudite h. l. observarunt docti ellipsin articuli ad vocem συγγένειαν pertinentem, apud Græcos frequentissimam, vel quod articulus, qui ante præcessit, ad hoc membrum accommodari debeat, ac si scriptum esset, πατέρα Ἰακώβ, καὶ πᾶσαν συγγένειαν αὐτοῦ τ̃ ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε; Jacobum & familiam ejus, quæ familia, excepto Patre, constitit LXXV. animabus. Igitur non est, cur hic amplius hæreamus, atque inde S. Scriptoribus ἀντιλογίαν imputemus. Stat potius sententia, prima quidem fronte numeros horum autorum sibi invicem videri contrarios, mente vero ipsa amicissime esse conjunctos. Si enim apud Mosen descensum non præcise habito respectu ad vocationem consideres; apud Lucam vero accersionem indigitatam respicias, fateri necessum habebis, utrumque Autorem Dei Spiritu actum loqui vera.

Impossibile autem est contradictoria esse simul vera.

GOTHOFR. VALANDI

PRÆTOR E MEDIO CIVIUM JUD. ANTE MESSIÆ IMPERIUM UNIVERSALE NON ABSCESSURUS ad Gen. XLIX: 10.

I. N. D. N. J. C.



AUctoritatum Sacrarum è Veteri Fœdere vix ulla Christum seu Messiam luculentius, exserto velut digito, designat, eum Jesum Nazarenum esse demonstrans, atque inde & Christianorum fidem solidius firmat, & Judæorum pervicaciam validius confutat & confundit, quam Vaticinium Patriarchæ Jacobi *Gen.* 49: 10. לא־יסור שבט מיהודה ומחוקק מבין רגליו עד־כי־יבא שילה ולו יקהת עמים׃ Quod cum Eruditissimi Viri adversus Judæorum perversitatem egregie quidem, quantum ad rei summam, ita tamen adhuc asseruerint, ut quod exquiratur non prorsus nihil, præsertim in voce רגליו reliquerint: Nequid ad evidentiam sensus in tam egregio ad Salutis Doctrinam Dicto desiderari queat allaborare, quod Divinæ Gratiæ fiducia nunc instituo, operam erit non inutiliter collocare. Quo vero res evidentior fiat, cæteras præcipui momenti & dubitationi obnoxias partes, veluti mutuo nexu mutuum lumen fœnerantes, & nec eodem prorsus modo omnibus, nec omnes ea aliis ratione explicatas, ut nihil utiliter addi possit, non omnino intactas præteribimus; sed videbimus, quid 1. יסור. 2. שבט. 3. מחוקק. 4. מבין רגליו. 5. עד כי. 6. יבא. 7. שילה. 8. ולו. 9. יקהת. 10. עמים. Quorum universorum mutuum, quem dixi, nexum, secundum genuinam interpretationem aptissimum, cum in ipso limine animo repræsentari ad evidentiam item singulorum explicationis pertineat: Propositi Textus has præmitto Versiones: *Non abscedet Imperium à Juda, & Prætor (vel Magistratus) è medio Civium ejus, donec venerit Conditor Pacis & ejus Imperium universale:* Es wird die Regirungs-Gewalt nicht von Juda scheiden/ und der Regent aus dem Mittel seiner Bürger/ biß der Friedenstiffter und dessen allgemeine Herrschafft wird gekommen seyn.

MEMBRUM I.

Quid יסור.

§. 1. VErbo סור, unde יסור formatur, duas significationes tribuit Judæorum non nemo, cujus interpretationem referunt *Aben Esra*, *R. D. K. R. Bechai* & *R. Menasseh Ben Israël*, easque contrarias, *auferendi & appropinquandi*; posteriorem esse statuentes *Exod.* 3: 3. *Ruth.* 4: 1. Non refragari videtur *Schindl. Lex. h. v.* non tantum *recedendi* etl. sed etiam *perveniendi & attingendi* significationem ei attribuens: Quanquam *Exod.* 3. 3. divertendi notionem agnoscit; alium vero dissimilem locum affert nullum. Magis, quantum ad utrumque locum, citatis Rabbinis consonat *Lutherus*, *Exod.* 3: 3. אסורה vertens, Ich will dahin/ *Ruth.* 4: 1. סורה komm. Sed Judæi hic primum adversus veritatem effugium quærunt, & colorem suæ de Davide Rege Israëlitarum Interpretationi: Quare caute hoc loco agendum à Christianis, neque Judæorum auctoritati in significationibus verborum assignandis quicquam temere tribuendum est. Nimirum סור hic non ablationem notare volunt, sed accessionem Sceptri, seu mutationem qualiscunque potestatis familiæ Judæ in Regiam, quæ Davidi, ubi urbs Schilo interierit, danda sit.

§. 2. Adversus hanc παρερμηνείαν notandum 1. סור in omni motu, & locali & alterativo, directe, ut melioris doctrinæ causa loqui solent, notare Terminum à Quo; Terminum ad Quem non nisi ut Correlatum, & sic oblique seu indirecte. Atque ita etiam *Exod.* 3: 3. propria verbi אסורה vis est ich will weg/ *abibo*; *Ruth.* 4: 1. סורה weich ab/ *deflecte*, scilicet à via tua: Uti sæpe loquimur, quamvis Termini ad Quem in loquentis intentione potior respectus sit, à Termino à Quo tamen incipientes; quia ipsius motus naturæ id convenit. 2. Accessionis sive appropinquationis notio etiamsi alibi huic verbo conveniret; hoc tamen loco non posset convenire ob manifestam & perpetuam notam Termini à Quo & recessus in מיהודה & מבין. Nec dicere cum *Kimchio* licet, utramque significationem hic conjungendam; cum in motu alterativo, qui hic intelligatur, ita recedatur à priore gradu ut perfectior addatur. Nam è genere motus alterativi סור directe tantum notat deficientem seu corrumpentem, qua talis est, nunquam qua perficit & novum quid producit, quod ipsum cum accessionem dicat, hoc loco per notam recessus מ excluditur. Ne dicam, contrarium supponendo principium peti, & contradictorium esse, utrumque oppositum eodem loco uno verbo directe notari.

§. 3. Nihil igitur aliud סור notat, agnoscente denique ipso *Kimchio*, verbis ab *Altingio Schil. l.* 1. *c.* 7. *p.* 23. relatis, quam recessum & ablationem, eamque talem, qua res penitus sine spe recuperationis aufertur, vel sine spe reditus recedit; quam vim verbi esse recte observavit *Lipmannus* apud *Alting. c. l. cap.* 14. *p.* 60. *pr.* Atque ita *Zachar.* 10: 11. etiam capitur de Subjecto, saltem si nomen spectemus, eodem, de quo hic, שבט scilicet; quod quid hoc loco sit, jam videndum, ubi prius monuerimus, è modo dicta verbi Emphasi intelligi, nihil hic opus esse iis, quæ de Æchmalotarchis Babyloniis & Posteris Hillelis è *cap.* 1. *Sanhedrin* affert *Abarbanel* apud *Alting. c. l. cap.* 9. ex professo ea confutantem *c.* 13. totoque illo *Abarbanelis* & nonnullorum aliorum conatu, שבט perpetuo Judæ adfuisse demonstrandi.

MEMBRUM II.

Quid שבט.

§. 1. VOcis שבט à שבט *extendit*, quæ apud Syros reliqua radix est, ortæ, Sex significata, populari, ut videtur, sermone recepta, observare licet; quorum primum *Virga, baculus, scipio.* Sic capitur *Exod.* 21: 20. *Cum percusserit quispiam servum suum aut ancillam suam* בשבט *virga vel baculo.* Item *Proverb.* 23: 13. *Cum percusseris eum* (puerum) בשבט *virga, non morietur.* Et *Jes.* 28: 27. *Baculo excutitur melanthium, & cuminum* בשבט *virga* vel *scipione.* Alterum specialius *Hasta, scipio ferrea cuspide munitus.* Ita 2. *Sam.* 18: 14. *Et accepit* (Joab) *tres* שבטים *hastas manu sua, & infixit illas cordi Absalonis.* Tertium, magis etiam restrictum usu Morali, *Sceptrum, Scipio* vel *hasta* vel *hastile Imperii insigne. Amos.* 1: 8. *Exscindam sedentem ex Asdod & tenentem* שבט *Sceptrum ex Ascalon.* Eadem significatione è Syrorum Dialecto *Esth.* 4: 11. *c.* 5. 2. *c.* 8. 4. est שרביט. Conf. *Bochart. Can. l.* 1. *c.* 31. *p. m.* 632. *b. c.* Atque ab hac origine ipsum Latinorum *Sceptrum*, & prius Græcorum Σκῆπτρον, quos etiam ρ extrivisse patet ex Σκηπτοῦχος, id est Σκηπτροφόρος. Quartum, per Metonymiam Signi ortum, est *Imperium*, *Zachar.* 10: 11. *Dejicietur altitudo Assyriæ, & cessabit* שבט *Imperium Ægypti.* Unde nascitur Quintum *Magistratus, Moderator, Imperans.* Sic 2. *Sam.* 7: 7. *Num locutus sum quicquam ulli* שבטי ישראל *Moderatorum Israëlis, quibus præceperam, ut pascerent populum meum Israëlem.* Pro quo 1. *Chron.* 17: 6. שופטי ישראל *Judicum Israëlis.* Similiter capi videtur *Jerem.* 51: 19. *Nam formator omnium ipse* & שבט *Moderator possessionis suæ.* Quomodo etiam Latinis *Potestas* & *Magistratus* pro hominibus Potestatem vel Magistratum tenentibus usurpatur. Sextum est *Tribus.* Quod à Quarto item derivandum videri possit, quasi spectetur separata Jurisdictio & regimen, quo quæque definiatur; Sed verisimilius est, per Metaphoram hoc à primo proxime oriri, ut spectetur similitudo omnibus notissima, & loquendi ac docendi usu nunc tritissima, quam Cognatio cum Arbore habet, & in ea Progenitor cum Stipite, Descendentes cum Ramis seu Virgis è Stipite prodeuntibus; sicut observat *Schindl. Lex. Pentagl. col.* 1789. Quod etiam firmari videtur *Gen.* 49: 28. ubi duodecim שבטי ישראל *Tribus Israëlis*, vel potius *Rami*, vel *Virgæ* vocantur duodecim filii ejus; eo item, quod idem ac שבט significante Radice נטה ortum מטה primo *Virgam, scipionem, baculum*, inde *Tribum* similiter notet. Atque huc è pertinet multis locis etiam *Jud.* 20: 2. & vel hujus argumento *Jes.* 19: 13. Conf. quæ ex *Lud. de Dieu* affert *Polus ad Jud* 18: 1. Addendum etiam ex aliorum sententia foret Septimum, *Fulcrum, sustentaculum*, qui non infrequens scipionum usus est, quæque significatio esse creditur *Ps.* 23: 4. & Octavum, per Metonymiam Efficientis pro Effecto natum, *Plaga* scilicet, *percussio, pœna, castigatio*, ex *Job.* 9: 34. *c.* 21. 9. 2. *Sam.* 7: 14. Nonum item *Calamus*, quasi ita dictus, quod ex baculo factus, vel baculo similis, ex *Jud.* 5: 14. Vid. *Schindlerus c. l.* & *Alting. Schil. lib.* 3. *c.* 2. *p.* 143. Verum prima duo illam significandi vim usu populari non habere videntur; sed Metaphoram Oratoriam: Qua in primo auxilium sive subsidium scipioni comparetur, quo infirmus se sustentat, nisi potius significetur regimen, ductus & defensio Divina, uti alii valde verisimiliter explicant; in altero afflictiones comparentur virgæ, ut percussionis instrumento, qualis Metaphora ejusdem fere sensus est *Ps.* 2: 9. & *Jes.* 10: 5. Postremum Interpretatione nititur minus firma: Et Imperium potius *c. l.* intelligendum esse mox constabit.

§. 2. Ex recensitis significatis quod Dicto nostro conveniat, inter Primum & Tertium ac sequentia præcipue ambigitur. Illud è recentioribus Judæis aliqui, in quibus *Lipmannus* apud *Alting. Schil. l.* 1. *c.* 14. propugnant, in rem suam vertentes minus cautam Christianorum versionem, nominatim *Santis Pagnini*, observante *Drusio ad Loca difficil. Gen. c.* 129. Verba ejus sunt: *Gen.* 49: 10. *ubi vulgata nostra habet non auferetur Sceptrum de Juda, ibi Santes reposuit, non recedet virga ex Jehuda: quæ interpretatio multis errandi causam præbuit, ac præsertim Judæis quibusdam neotericis, qui hic per virgam intelligunt castigationes gentis suæ, quas duraturas credunt ex hoc loco, donec venerit ὁ ἠλειμμένος αὐτῶν.* Sed bene *Drusius*, quantum ad hujus *Membri* institutum, paucis intersertis, addit: *Certum est, vocem Ebræam ambiguam esse, & tam virgam castigationis, quam sceptrum denotare: sed castigationem, virgam significare hoc in loco non potest cum ob alias causas, tum quia sequitur, neque Legislator de inter pedes ejus. Quid enim Legislatori cum virga ejusmodi.* Nimirum prospera, ac præcipue civilem Potestatem ac Libertatem, hic promitti, quæ ἐξηγήσεως causa, more Scripturæ usitatissimo, adduntur, ostendunt; uti ex *Membro* 4. & 5. magis constabit. Absurda vero est, qua vim hujus argumenti evitare satagit, *R. Joëlis ben Sueb* vel *Schuib* interpretatio à *R. Menasse Ben Israël* allata apud *Hoornb. pro Convinc. & Convert. Jud. l.* 2. *p.* 136. prædici scilicet, semper fore quasi in portis Israëlitarum inimicos, qui leges iis præscribant, donec veniat Messias. Quis enim crediderit, vocem rei natura sua optimæ significativam, neque aliter alio loco ullo acceptam, qualis מחוקק, accidentale illius rei vitium hic notare, ubi nihil additum, quo id ipsum indicetur, sed totus contextus alia omnia suadet, meram scilicet Judæ felicitatem loquens? Aliter conciliare illa nititur *ibidem Ishac in glossis supra Samuelem* ita exponens, *quamvis castigatio à Jehuda non auferatur, fore tamen, ut legis non obliviscantur,*

tur, sed in medio pedum ejus sint legislatores; quomodo ait Psalmographus, tractans de persecutionibus Israelis: Totum hoc evenit nobis, nec tamen obliviscimur tui. Neque movere debet, quod nonnulli dicunt, Jacobum in benedictione nihil infausti dicturum fuisse; etenim tanquam Propheta, & bona & mala prædixit. Sic sane de Simeone & Levi dixisse eum videmus: Maledicta ira eorum, quia vehemens. Adde quod simul bona hic prædicit, eosque cohortatur & confirmat ad ferendas fortiter ærumnas, quia non futuræ sint perpetuæ, sed tantum duraturæ usque ad Messiæ adventum; quo tempore omnes mundi nationes, etiam illæ, à quibus ante vexati fuissent, eorum sub imperium venturæ essent. Sed nec hæc multo melior est antecedente interpretatio, nec, quæ ad argumentum in contrarium allatum respondentur, rem expediunt. Nimirum Legislator cum promittitur Judæis usque ad tempora Messiæ, minime idem dicitur, ac Legis oblivione non capiendos: Cum Legislator Potestatis & dignitatis nomen sit in superiore, non Virtutis in subditis vel populo, ac sæpe ille sit sine ista, nec nunquam ista sine illo. Et cum שבט vel Imperium vel afflictionem spectare possit; non ad posteriorem, sed ad prius referri oportere per adjectum istud fit manifestissimum. Posse bonis etiam parum prospera misceri, non negatur; sed mista intelligi, ubi non aliud ejus rei indicium, quam vox una & de infelicitate & de prosperitate capi apta, quæ, in medio merorum prosperorum per plures versus prædictorum posita, per proximum membrum & ipsa in prosperitatis significandæ sensum aperte trahitur. Ne dicam, eodem modo שבט & מחוקק Messiæ adventum respicere, eoque cum prius tunc cessaturum sit, etiam posteriori tunc finem fore, hoc est, ex doctrina Judæi illius Legem tempore Messiæ oblivioni datum iri; quod tamen ita universe non admissurum puto. Plura adversus illam Judæorum interpretationem ex *Drusio*, *Helvico*, *Grotio*, *Riveto* affert *Polus ad h. l.* Addatur *Alting. c. l. c.* 16.

§. 3. Multo verisimilior *Tremellii* sententia est in *Versione & notis primæ editionis*; quem sequitur Celeberrimus *Altingius Schil. l.* 3. *c.* 1, 2. & haud dubie etiam *Ainsworthus* apud *Polum ad h. l.* Tribum significari, sensúmque Vaticinii esse: *non prius Jehudæ genus confundetur & distincta tribus nomen amittet, neque prius regnum Dei ab ea ad alias gentes derivabitur, quam ex se promissum humani generis servatorem, qui lux est gentium, genuerit.* Certe neque eventus huic interpretationi refragatur; cum ad Jesu Christi tempora usque tribus Judæ aliis impermixta steterit certis Genealogiis, veluti sepimentis, distincta, cum quarum usu postea distinctio tribuum, quantum ad notitiam nostram, omnino sublata est; neque abludit sequens comma, cum suum Tribui cuique מחוקק, imo & מחוקקים fuisse pateat ex *Jud.* 5: 4. & iis, quæ de Principibus Tribuum, Familiarum & Civitatum in Scriptura passim leguntur, de quibus item videndus *Sigonius de Rep. Hebr. lib.* 7. *c.* 5, 6, 7. Et Tribus illam distinctionem ad Christi usque tempora, neque ultra, conservari necesse fuit, quo etiam Genealogiarum documento verus Messias, è Tribu Judæ & Familia Davidis nasciturus, dignosci posset. Neque hæc tamen sententia sequenda videtur. Nam secundum eam שבט Abstracte capiendum, pro tribuli ratione, quod vidit *Junius in notis* ita diserte loquens, eaque constituenda in nota hominibus conjunctione plurium familiarum inter se & divisione ab aliis per originem ab uno Patriarcha, vel, verbis *Altingii* ex *Schil. l.* 3. *c.* 3. *p.* 147. nota serie plurium familiarum ab eadem stirpe descendentium. Atqui שבט vix usquam ita Abstracte sumitur, sed, cum Tribus significationem habet, Concrete capitur, vel Materialiter pro hominum Tribum constituentium cœtu. Nec dubio caret, an hominum notitia ad Tribus rationem requiratur, nec vere dici queat, Tribum Judæ etiamnum superesse, etiamsi homines, qui ad eam qui ad alias Tribus pertineant, definire amplius nequeant, nedum seriem majorum cujusque sciant. Connubia certe diversarum Tribuum earum distinctionem nihil turbant: Quia, uti familia mulieris non est familia, secundum Regulam Hebræorum, ita nec Tribus mulieris Tribus habetur, sed hæc per viros tantum propagatur; neque ad eandem Tribum connubia, nisi propter hereditates fundorum, restricta, qui usus nunc prorsus cessat. Vid. *Polus ad Num.* 36: 8. & *Selden. de Success. in Bona defunct. c.* 18. Et, si Levitæ & Benjaminitæ omnesque cæterarum Tribuum reliquiæ cum Tribubus his abducti fuissent, solique Judæ posteri superessent atque una habitantes peculiarem Remp. vel Civitatem constituerent, series tamen, qua hi à communi stirpe descendunt, æque ut nunc ignoraretur; an Tribus etiam sic esse desiissent Judæi? Minime puto. Præterea minus cohæret Tribus illa ratio cum reliquis Membris, uti sequentia manifestum facient.

§. 4. Sed neque eorum probanda sententia videtur, qui nomine שבט Civitatem vel Remp. directe notari existimant. Quanquam enim id sequentibus & scopo totius Dicti non pessime convenit: Dubitare tamen licet, an ullum vocis שבט ita acceptæ exemplum exstet; idque nec hoc loco agnoscendi ullam necessitatem esse, è mox dicendis intelligetur.

§. 5. Neque illis denique assentiendum, qui Sceptrum Regium præcise, vel Regiam Potestatem, designari putant. Nam etsi eam explicationem eventus fortasse non infringit, eoque nec convellunt quæ *Altingius c. l. lib.* 2. *c.* 5, 6. disputat; uti è collatis invicem *Membris* 1, 5. & 6. intelligitur: Non tamen pati videtur sequentis vocis מחוקק usus, uti *Membro* 4. manifestum fiet; neque exigit ꝫ שבט conditio. Qualibus vocabulis ideo Spiritus Sanctus usus videtur, quo magis significaret, de πανολεθρίᾳ Reip. vel Civitatis Judaicæ, quatenus ad hujus interitum prædicendum pertinet, vaticinium hoc capiendum esse, nec alia ulla quantacunque formæ ejus mutatione impletum iri. Neque dicendum videtur cum Celeberrimo *Wagenseilio Dissert.* de hoc Dicto *p.* 35. ו τῷ מחוקק præfixum pro *aut* accipi. Nam שבט minime potestati summæ proprium esse, quod ita supponitur, mox clarius fiet, magisque verisimile est, per מחוקק explicari, quam ei opponi: & hoc posteriore sensu vocem מלך potius quam שבט adhibitam fore. Atque ita una submoventur, qui de Regni Jure capiendum esse volunt: ut non opus fit de ea sententia prolixius agere.

§. 6. Nimirum שבט Sceptrum, scipio, hasta sive hastile non tantum Regii seu summi, sed etiam Prætorii & cujusvis Imperii insigne habetur; atque inde שבט imperium in genere, nisi imperantem ipsum, etiam *h. l.* notat. Sic apud Romanos post Reges Scipionem eburneum inter insignia Consules habuere. Vid. *Rupert. Animadvers. in Enchir. Pomponii JCti lib.* 2. *c.* 2. *p. m.* 183. *seqq.* atque ibi citati *Lipsius de Magistratib. Pop. Rom. c.* 8. & *Petr. Faber ad tit. ff. de Orig. Juris & omnium Magistrat. p.* 784. *seqq.* Prætoribus item, qui primum absentiæ Consulum causa creati, atque hinc Collegæ Consulum dicti, pro signo Imperii & Jurisdictionis data hasta, seu hastile, id est oblongus scipio. Hinc hasta sive hastile, quo die litigabatur, ante subsellia erigebatur, symbolon cognitionis futuræ; & Judicium ipsum Prætorium, seu Centumvirale, cui Prætor præerat, hasta per Metonymiam vocatum. Vid. *Polletus Hist. Fori Rom. Lib.* 3. *cap.* 14. Atque eadem vis videtur esse phrasium *sub hasta vendere, emere, locare*, hoc est in Judicio seu proclamante Prætore. Similiter apud Judæos in medio splendidi Conclavis, in quo cogebatur Synedrium Magnum, perhibetur Sceptrum pependisse; de quo vid. *Galatin. L.* 4. *de Arcan. Cathol. Verit. c.* 5. & conf. *c.* 4. Non Regium scilicet, quod in signum supremæ potestatis seu Majestatis in curia asservatum sentit *Grotius ad Matth.* 5: 22. & *Cunæus de Rep. Hebr. lib.* 1. *c.* 9. *p.* 82; sed Imperii & Jurisdictionis insigne. Atque eo sensu שבט משפט *Sceptrum Judiciale* dixisse videtur *Abarbanel ad Esa.* 53: 8. *in expositione priore* apud *Constant. L'Empereur Dissert. ad Lect. præfixa Itiner. Benjam.* Neque ab usu id sive aliorum Populorum sive recentiorum temporum abhorret: Uti, præter alia exempla, testantur Sceptra, quæ Academicis Rectoribus Imperii & Jurisdictionis significandæ causa præferuntur. Eodem pertinet pervulgatus, in Judiciis Capitalibus baculi sententia dicta à Judice frangendi, ritus. Hujus enim rei non alia, quanquam alia minus gravitati negotii conveniens afferri solet, significatio esse videtur, quam postrema sententia dicta finiri Imperium Civile & Jurisdictionem in damnatum, ut jamjam violentiæ Carnificis permittendum & per hunc supplicio ultimo subjiciendum: Quod ipsum recepta etiam in locis quibusdam sellarum eversio confirmat; cum Jurisdictio à sedentibus exerceri soleat. Quod vero alibi non baculum, sed strictum gladium Judex manu gestat, uti est in *Const. Crim. art.* 82. id ad Jurisdictionis & Quæstionis Differentiam indicandam pertinere videtur. Conf. *Rosin. Antiquit. Rom. L.* 7. *c.* 8. Atque ita magis patet, quam non officiatur Vaticinio Jacobæo, sive statuamus, Judæis omnino ademtum Gladii seu judiciorum Capitalium jus ante Christi adventum & in Cœlum ascensionem, sive negemus; Ut proinde necesse non sit, eam litem nunc nostram facere. Utrumvis enim dicamus; Imperium, quod voce שבט h. l. significatur, Judæis salvum: Ne alia, quæ *Membr.* 1. & 5. suggerunt, nunc urgeam. Quod vero *Abarbenel* apud *Alting. c. l. p.* 39. vocem שבט ad quamvis auctoritatem, etiam sui temporis Archisynagogorum in Gallia & Hispania, extendit, frivolum

volum est & à genuina vi vocabuli & eorum, quæ sequuntur, alienissimum. Quam item inanis & aliorum Rabbinorum Confessioni contraria jactantia sit *Benjaminis in Itinerario* in Oriente, & *Lipmanni* apud *Alting. c. l. p.* 59. in Ægypto Judæorum Regna & Principatus ad elidendam vim Vaticinii hujus fingentium, vid. *Constant. L'Emper. Dissert. ad Lector. Itinerario Benjam. præmissa non procul ab initio, & in notis ad Itinerar. p. m.* 195. *seq. p.* 200. 202. 207. *Idem in Refutat. Abarben. comment. in Esaiæ Prophet.* 30. *p.* 69. *seq. Georg. Calixt. Histor. Josephi p.* 76. *seqq. Alting. c. l. cap.* 15. *p.* 62. *seq.* Nec magis illud in *Lipmanno* & *Abarbenele* probandum, quod qualecunque Judæ imperium relatè capi volunt ad fratres ejus horumque posteros; quasi in eos Judæ Imperium vel auctoritatem semper valituram hic dicatur. Nam illum sensum non esse hujus Vaticinii. atque adeo nequidem Judæum semper gesturum Imperium, sed inter Cives Judæos seu in Republica Judæorum gerendum hic affirmari, verborum מבי רגליו, quibus τὸ מיהודה exponitur, interpretatio perspicuum reddet.

MEMBRUM III.

Quid מיהודה.

§. 1. Cum Nomina Propria Virorum varie usurpentur, pro hominibus scil. non tantum illis, quibus designandis primum imposita, sed etiam pro posteris ipsorum, pro regione item, quam hi incolunt: De Judæ etiam nomine hoc loco dubitandi ansa arrepta est. *Abarbenel* apud *Alting. c. l. p.* 36. *seqq. Judæ* nomine & *Judam Jacob filium* & *posteros ejus* notari existimat, illumque pariter reliquis fratribus, atque hos eorum posteris præfuturos dici, gubernatione sive Regia sive alia inferiore. Sed Judæ posteros tantum intelligi demonstrat addita explicatio, qua pro יהודה mox reponitur רגליו; cujus argumenti vis infra, ubi ad hanc Vaticinii partem pervenerimus, magis intelligetur. Ad hæc Judæ Jacobi filio מחוקק בין רגליו aut מבין רגליו, neque *Abarbenelis* neque alio quovis modo explicatus, congruit, uti *sequens membrum* conferre volenti deprehendere licet. Quæ *Abarbanel* affert ad asserendam Judæ super reliquos fratres præfecturam, satis confutata sunt ab *Alting. cit. lib.* 1. *c.* 12. *p. m.* 52.

§. 2. In *Berescith Rabba* & *Jelammedenu* apud eundem *Abarbanelem*, si *Altingium c. l. p.* 48. *seq.* audiamus, *Judæ* nomine hic intelligitur *Messias*, & Dicti sensus hic esse statuitur, non recessurum Regnum *Ps.* 45:7. descriptum à Juda, hoc est Messia ex Davide oriundo, cui Sceptrum domantis dominii tribuatur *Ps.* 2:9. neque Legislatorem pedibus conculcantem, secundum *Esa.* 28:3. postquam vel quando venerit cujus est Regnum, & ipsi futuram hebetationem populorum, de qua *Mich.* 7:15. Verum ita capere quæ ex *Abarbanele. p.* 33. *seq.* afferuntur, nulla necessitas cogit. Sensus potius esse videtur, non desiturum Regnum Judæ hic prædici, non illud quod Messiæ tempora antecedit, sed quod ipse Messias habiturus: ut hoc statim designetur primis Vaticinii verbis, & Judæ esse dicatur, quia à Juda utique per Davidem Messias descendit; non quia Judæ nomine Messias demonstretur. Cujus sententiæ falsitas ex *Membro* 5. & 6. præcipue intelligenda.

§. 3. *R. Joël ben Sueb*, referente *Menasse Ben Israël* apud *Hoornb. c. l. p.* 136. *n.* 8. Israëlitas intelligendos putat. *A Jehuda*, ait, *i. e. ab Israëlitis, qui vocantur* יהודים. Verum quanquam nec exemplo nec ratione caret, Israëlem pro Judâ seu Judæis, veluti ab ipso descendentibus, poni, Judæorum etiam nomine post Captivitatem Babylonicam, nisi statim post Deportationem Decem Tribuum, omnes Israëlitas, qui se Reip. Judaicæ adjunxissent, comprehendi, uti *Esth.* 2:5. Attamen Judæ nomen pro Israëlitis jam tunc ab ipso Patriarcha Jacobo adhibitum minime consentaneum; præsertim cum de singulis tribubus seorsim agat, & sic Judam reliquis opponat.

MEMBRUM IV.

Quid מחוקק.

§. 1. Vocem מחוקק hoc loco nonnulli capiunt de *Doctore Legis*: Quæ nostri temporis Judæis inprimis grata & familiaris interpretatio est; eique *Lutheri Versio Num.* 21: *vs.* 18. *Deut.* 33:21. probabilitatem addit. Eandem amplexus *Altingius* rationem sententiæ *c. l. lib.* 3. *c.* 4. *in fine pag.* 153. his verbis reddit: *Audiendos autem hac in parte censemus, Hebræorum Magistros, non tam moti ipsorum autoritate, quam persuasi à scopo Patriarchæ, quem Tremellius scitè expressit: Neque prius regnum Dei ab ea ad alias gentes derivabitur; & paucis interjectis: Lege & exercitamentis ejus spoliata tribus. Significatur igitur per* מחוקק *ordo Doctorum Ecclesiæ, quorum opera cognitio veri Dei & voluntatis ejus conservaretur. Nam Patriarcha morti proximus, & salutem animæ spiritualem ac perennaturam unicè anhelans vs.* 18. *quum de Messia vaticinaturus esset, non tam temporalia, quam spiritualia attendit. Quo sane potissimum facit conservatio Ministerii Ecclesiastici, quod cognitionem Dei veri, atque inprimis memoriam promissionum ejus redderet perpetuam.* Sed præterquam quod neque ipsi Judæi negaturi sunt, Rabbinos etiam post adventum Messiæ usque ad finem seculi non defecturos, uti monet. *J. L. Duc. Jud. subl. c.* 1. §. 10. ne usquam quidem מחוקק merum Legis Doctorem notare statuendum videtur, & quamvis talem subinde notaret, hoc tamen loco notare non posse, per antecedentia & consequentia manifestum fit. Prius confirmatur tum inductione omnium locorum, quibus ea vox usurpatur, tum origine, quam ducit à verbo חקק, quod significat *decrevit, jubendi auctoritate statuit* &c. Neque convellitur id auctoritate *Paraphrastarum Chaldæorum*, qui modo *Scribam*, modo *Doctorem*, interdum *Scribam docentem Legem*, nonnunquam *Doctorem Academiæ* reddiderunt; uti est apud *Wagenseil. dissert. de h. l. p.* 25. Nam nec *Paraphrastarum* auctoritas omni exceptione major, eoque nec tanta est, ut rationibus modo allatis præferenda sit; & qui auctoritatem eorum tueri velit, dicere queat, spectasse eos quod tales ad Magistratum gerendum ferè adhiberentur. Posterius intelligitur ex collatione eorum, quæ de recessu Imperii præcesserunt, & de successione multo nobilioris Imperii sequuntur: Quorum utroque etiam hic de Imperio sermonem esse indicatur. Nec Scopus Patriarchæ, quem *Altingius* causatur, diversum evincit. Scopus enim Patriarchæ huic versui proprius fuit, ita prædicere futurum generis humani Servatorem & Principem Spiritualem, ut simul illustre κειμήλιον statueretur, quo is natus certo agnosci posset: Quo magis, certe non minus, faciunt interpretationes Imperii civilis significationem in voce מחוקק agnoscentes, quam quæ Legis Doctorem ea notari existimat. *Tremellius* non de mero Legis Doctore, sed de tota Ecclesiastica seu Sacrorum rituum administrandorum & exigendorum, hoc est, Sacerdotali potestate loquitur, eoque *Capello* & *Petavio*, de quibus §. 5. prævivit, non Judæos illos secutus est: Quorum sententias *Altingius* minus distinguere videtur.

§. 2. *Abenezræ* videtur, *Scribam Politicum* vel *Secretarium* voce מחוקק h. l. significari. Cui assentitur *Kimchi* in *Radicibus*, ibidem affirmans, cum septem Scripturæ locis מחוקק usurpatum reperiatur, omnes illos habere significationem scribendi. Vid. *Alting. c. l. lib.* 2. *c.* 7. *lib.* 3. *c.* 4. Sed quam hæc interpretatio sequentibus non conveniat, ex dicendis *Membr. seq.* §. 2. intellectum iri spero. *Kimchi* si de Etymo sentiret, verum scripsisse dicendus esset secundum communem sententiam Lexicographorum, primo sculpendi & scribendi, inde statuendi & decernendi significationem verbo חקק competere statuentium. At nihil tamen sic probatum fuerit; cum derivata non tantum ad aliam sæpe significationem transferri constet, sed ipsum primitivum per usum aliam significationem nactum esse agnoscatur. De usu prorsus contrarium ostendetur §. 6. Veriusque videtur, Scribas Politicos pariter & Ecclesiasticos סופרים semper fuisse vocatos. Quod vero scribere pro statuere vel decernere positum apud Hebræos, id eam rationem habere videtur, quam frequentissimus apud veteres Græcos & Romanos verbi γράφειν & *scribere* de Legibus promulgatis seu jure expressa superiorum voluntate condito usus, ob quem pridem cœptum necdum desitum quæri, an Scriptura sit de essentia Legis.

§. 3. *Lipmannus* quo magis stabiliat interpretationem τοῦ שבט de *Virga castigationum*, מחוקק *stimulum* notare affirmat, eundem in sensum rapiens *Numer.* 21:18. apud *Alting. c. l. cap.* 14. *Stimulum* dico; non *Castigatorem*, uti accipit *Alting. c.* 16. Nam illud verbis & menti Judæi magis convenire videtur: Cum *Numer.* 21:18. ita sensu proprio במחוקק & במשענות Synonyma esse velit, uti sensu Tropico שבט & מחוקק *Genes.* 49:10. Sed מחוקק stimulum notare *Lipmanni* figmentum est. *Num.* 21:18. non alia ejus vocabuli significatio est, quam aliis locis, quibus cum infra dictum locum conferemus.

§. 4. De

§. 4. De Imperii significatu suam sibi sententiam Eruditis proposuit Eruditissimus Vir *J. L.* modo laudato Tractatu; intelligendum scilicet *Ducem militum* vel Imperatorem bellicum. Rationes ejus sunt ex *cap.* 5. §. 3. *seqq.* Quia (1.) *Radix ipsa non tantum describendi vel insculpendi, sed & in Pihel fere tantum jubendi, imperandi & statuendi significationem habet, ut Prov.* 8: 15. (2.) *Ipse Kimchi in lib. Radicum agnoscit, quod hoc loco accipi possit non tantum de Scriba, sed etiam de* מושל *h. e. Dominatore seu Præfecto.* (3.) *In aliis Scripturæ locis Ducem, Præfectum militum, aut, secundum Personæ conditionem, Imperatorem denotat, ut Psalm.* 60: 9. *&* 108: 9. *Es.* 33: 22. *Deuter.* 33: 21. *& Judic.* 5: 9, 14. (4.) *Vocem* מחוקק *LXX. Interpretes hic reddunt* ἡγέμϐνον, *Samaritanus translator* מנגר *quod convenit cum Hebræo* נגיד *Dux militum, Præfectus, vulgo Capitaneus vel Officialis. Vulgata Dux. Æth. Ducis potestas.* (5.) *Sequentia verba pristinæ lectioni restituta, huic vocabulo nullam aliam significationem, quam Ducis, permittunt.* (6.) *Cum vis omnis* αὐτοκρατορίας *in jure armorum consistat, quod velut alter cardo est Reip. administrandæ, oppido verisimile est, Prophetam voluisse id hoc loco significare; scilicet: Non tantum civile, sed & militare Regimen usque ad adventum Christi duraturum.* Quibus ex §. 14. accedit (7.) quod *hanc expositionem antecedentibus verbis, adeoque toti contextui maxime consentaneam esse liquet. Quippe Patriarcha in præcedentibus versibus duo potissimum prædixit tribui Judæ,* 1. *Principatum nimirum & Majestatem in sua gente his verbis: Celebrabunt te fratres tui. Item Prosternent se tibi filii Patris tui.* 2. *Virtutem & potestatem militarem, simili à leone desumto, & his verbis in specie: manus tua in cervice hostium tuorum. Igitur maxime consequens, & plane par erat, ut etiam prædiceret id, quod cuilibet poterat venire in mentem, quam diu utique duratura essent in tribu Juda hæc duo summa jura, Principatus & armorum, nempe donec venerit Messias.* Accedit porro ex *cap.* 1. §. 10. quod (8.) *Politica legum ferendarum facultas ad potestatem civilem, de qua jam tum primo membro actum, referenda.* Sed minus probabilem Viri Nobilissimi sententiam reddi necesse est, ipsum contextus & vocum in eo habitum attentius animo reputantibus: Qui non diversa diversis membris proponentis, sed posteriore prius explicantis esse videtur; quod cum שבט & יהודה exigant, uti ex ante dictis constat, tum מחוקק & רגליו egregie præstant, ut sequentia perspicuum facient. Quo item pertinet, quod מחוקק neque alibi pro belli Duce capitur, uti postea ostendetur, neque alia satis nota Ducis bellici appellatio Hebræos deficit. Neque argumentis Viri Clarissimi, quantumvis bene multis, roboris multum inesse deprehenditur (1.) Vis verbi, unde מחוקק formatur, & (2.) confessio *Kimchii*, iis quidem officit, qui aliud quam Scribam hic intelligi posse negant; sed Civile Imperium adeo non excludunt, ut vel maxime contineant, veluti magis ordinarii usus & bellico potius. (3.) In locis citatis belli Ducem ob rei, de qua agitur, conditionem intelligendum esse etiamsi concedatur, idem tamen etiam hoc loco fieri consequens non est. Sed neque ullo istorum locorum belli Ducem notari facile probabitur. *Psalm.* 60: 9. & 108: 9. Judæ imperium sine ulla distinctione totum designatur; quod quis dixerit non nisi militare fuisse? *Es.* 33: 22. tota item Dei in populum suum potestas, cui hic salutem acceptam refert, exprimitur: Quod Regis & Judicis nomina, inter quæ nomen מחוקק medio loco ponitur, confirmant; neque ulla ratio est, qua istud ad solam militarem potestatem pertinere intelligatur. *Deut.* 33: 21. nomine מחוקק tota Mosis potestas designatur: Et quod per eam gessisse indicatur, divisio scilicet & assignatio Provinciarum bello partarum, non militaris, sed civilis imperii est. *Jud.* 5: 9, 14. nihil est, quod ad Magistratus Civiles Populi Israëlitici non pertineat. (4.) Græcorum ἡγέμϐν@, pariterque Hebræorum נגיד & Latinorum *Dux* multo latius patent imperio bellico. Ἡγέμϐν@ est, qui quovis modo aliis præit: Unde *Act.* 14: 12. ἡγέμϐν@ τȣ͂ λόγȣ pro eo, qui primas tenet in sermone, der das Wort führet / uti simillime Germani loquimur. *Act.* 7: 10. Josepho tribuitur, isque ἡγέμϐν ἐπ' Αἴγυπτον κ̀ ὅλον τ̄ οἶκον αὐτȣ͂ à Pharaone constitutus esse dicitur: Sed neque hic, neque *Genes.* 41: 46. *seqq.* alioque ullo in Scripturæ dicto quicquam est, quod non civilem magis, quam militarem, Josephi potestatem in Ægypto fuisse loquatur. *Matth.* 2: 6. Deus Messiam vocat ἡγέμϐνον, ὅστις ποιμανεῖ τ̄ λαόν μȣ τ̄ Ἰσραήλ: At pascere populum est civilis potestatis; militaris defendere. Neque aliter res se habet in Hebræo נגיד; quod ipsi inde Synedrii Præsidii tribui, testis est *Helvic.* apud *Polum ad h. l. col. m.* 279. *lin.* 23. Latinorum Dux ejusdem prorsus conditionis est, cujus Græcorum ἡγέμϐν@; quod etiam eo exprimere *Vulgatam* velle dubitandum non est. Ex quibus una constat, nec *Æthiopicam*, nec *Samaritanam Versionem* probare id, cui probando afferuntur. (5.) In sequentibus verbis σφάλμα nullum, eoque nec emendationi ulli locum esse, sequente membro, spero, in aprico ponetur. Nec retenta & à רגלים pro רגליו formata vox רגלים de belli Duce, quantumvis id argumentum valde sit speciosum, agi probat; quod ipsum etiam sequens membrum explanabit. (6.) Cum αὐτοκρατορίαν proprie dictam, hoc est supremum neque aliunde pendens imperium, ante Christi nativitatem amiserint Judæi; qua de re videre licet *Bœcl. in Tacit.* 5. *Hist.* 8, 9. Tanto minus probabile est, ad partes αὐτοκρατορίας præcipuas ac veluti cardines, & in his armorum jus, illius causa Prophetam respexisse. (7.) Etiamsi non repugnet ea expositio antecedentibus; at neque ab iis tamen exigitur. Nec scopus esse videtur *vs.* 8, 9. distinguere potestatem militarem à civili, & utramque seorsum Judæ tribuere; sed Gloriam ex bellis & in fratres Imperium. Ab illa incipitur, quia tempore antecessit; uti ex *Jud.* 1. constat: Et quia commodissimam ad nomen Judæ allusionem, qua quæ ad Judam pertinent apposite orditur Patriarcha, præbebant. Ubi notandum, quod in Textu Hebræo est יהודה אתה nec vertendum videri Juda du bists / uti *Lutherus* vertit, nec *Jehuda*, *te*, uti *Junius & Tremellius*, nec *Juda*, uti *Vulgata*; sed *Tu es Juda*: Prorsus eodem modo, quo Christus Petro, ad nomen Petri allusurus, ait, *Tu es Petrus.* Post Imperium promissum reditur *vers.* 9. ad bellicam Virtutem & Gloriam, quippe quæ tunc non imminuenda, sed maxime augenda foret: Inde *vers.* 10. iterum ad Imperium pergitur, ut universale Imperium, &, donec illud ortum fuerit, Remp. Judaicam duraturam, promittatur. Quibus de Potentia & Potestate promissis adduntur quæ ad soli, in quo Resp. constituenda erat, felicitatem pertinent. (8.) Etiamsi denique priore membro actum de potestate civili, id tamen non obstat, quo minus de eadem iterum dicatur: Cum Synonymiis talibus uti Scripturæ sit usitatissimum, quod aliis etiam observatum videre licet apud *Hotting. Thes. Philol. p.* 247. & sensui clarius efficaciusque exprimendo accommodatissimum, quod etiam de hoc loco mox, uti spero, patebit.

§. 5. Atque idem etiam dici possit *Lud. Capello Exerc. in librum Zohar*, teste *Polo ad h. l.* significari putanti per שבט potestatem Civilem, per מחוקק Ecclesiasticam & Legalem, ritus puta & ceremonias חוקים: Cui accedit *Petavius Rationar. Tem. P.* 2. *l.* 3. *c.* 16. *p.* 207. præivit *Tremellius.* Conf. §. 1. *f.* Equidem interpretatio hæc ingeniosa & speciosa, reique Christianæ primo intuitu non exiguum sui usum promittens adversus Judæos; præsertim si ipsi per חוקים ceremonias intelligant, uti quidem putat *Drus. ad difficil. Loc. Numer. comment. c.* 70. *& ad Deut. comment. c.* 41. atque inde *Hotting. Thes. Philol. L.* 2. *c.* 3. *sect.* 2. *n. V. p.* 539. *seq.* Nam ita Ceremonias etiam adventu Messiæ sublatum iri, quarum perpetuum usum promissum vel sancitum esse Judæi urgent, hic prædictum fore videtur. Verum Judæos ita sentire vix probant, quæ *Drusius & Hottingerus cc. ll.* afferunt. Neque enim aliud dicunt, quam חוקים notare ea præcepta, quæ causam non habent, manifestam scilicet atque ipsis conspicuam. Quod an Ceremoniis, Ecclesiasticis puta, vel ex ipsorum mente adæquatum sit, non immerito dubites. Sane, ut alia prætergam, exemplis annumerant morem calcei in Fratriæ renunicatione exuendi: Uti videre licet apud *Seldenum de J. N. & G. L.* 1. *c.* 10. *p. m.* 119. *seq.* Hic vero mere forensis est; licet ritus seu solennitas aliqua sit. Accedit, quod *Seldenus c. l.* משפטים ex mente Judæorum dicat notare Jura naturalia universo generi humano præscripta, חוקים Israëlitis propria, quibus utique etiam civilia & forensia comprehenduntur; idque ductu ipsius Textus Thalmudici, quem affert: A quo nec *Maimonides*, qua adæquatum τ̄ משפטים & חוקים oppositionem, apud *Hotting. c. l.* abit, minus proinde commodans ei sententiæ, pro qua citatus fuit. Qua ratione dicendum videtur, מצות esse nomen generale *Præcepta, jussa*; Specialia משפטים *Mores, jura naturalia*, & חוקים *Leges, jura scripta seu positiva.* Et fac, tria illa, מצות, חוקים & משפטים ita distingui, cum una referuntur, ut illud notet Legem Moralem, istud Ceremonialem, hoc Forensem; quæ multorum Christianorum sententia est: Singula tamen sine cæterorum conjunctione memorata latius patere, & omnia jura vel præcepta comprehendere, negari, & מחוקק eandem significationis restrictionem pati exemplo ullo probari nequit. Satis denique est, Remp. ipsam, cui & cujus Metropoli Ecclesiastica alligata erant, Typicam, hoc est vere Ceremonia-lem,

lem, hic declarari eique pro termino durationis præfiniri adventum Antitypi, & in Rep. illa atque ista ejus conditione proprie Judæ prærogativum situm fuisse; cum Ceremonialis Cultus ad Levitas pertineret, unde & Leviticum dici obtinuit.

§. 6. Nihil denique aliud מחוקק notat, quam *Magistratum* seu *Prætorem* jure dando & dicendo præeuntem & in hoc genere latius dictum, non juris tantum privati custodem, idque non hoc tantum loco, sed ubicunque usurpatum invenitur. *Deut.* 33:21. Mosi tribuitur, primo illi Israëlitarum ex servitute Ægyptiaca vindicatorum Rectori seu Magistratui. Conf. *Marc.* 10:5. Sensus est: Gadem sibi elegisse primitias occupatæ terræ, quod sciret ibidem abscondendum seu sepeliendum Mosem quem debitis Magistratui amore & observantia prosequebatur. *Num.* 21:28. iterum Mosem designat. Nisi dicendum sit, hic & illic etiam Aaronem comprehendi, & Enallagen esse Numeri Singularis pro Plurali: Quod hic confirmant, quæ de bacillis ipsorum sequuntur; illic res ipsa non dissuadet, cum uterque in eodem Jardenis latere sint sepulti. *Jud.* 5:14. מחוקקים per Synonymiam vel Periphrasin mox vocantur משכים בשבט ספר, quæ Magistratus descriptionem habent, qualis apud Israëlitas is erat. Nimirum משכים בשבט סופר vertendum videtur, *trahentes per imperium Literati*, vel *Sapientis*, vel *Jurisperiti*. Imperio trahere seu movere, subditos scilicet, propria Magistratus actio est. Ea potestas apud Judæos deferebatur Eruditis seu Jurisperitis; qui cum à scribendo, uti putatur, סופרים vocarentur, Græce γραμματεῖς, hoc est Scribæ, appellati, alioque nomine Νομικοὶ, quod Legis maxime periti essent. Conf. *Matth.* 20:18. Quomodo clarissime intelligitur, Magistratum civilem designari, non militarem. Neque aliud evincitur, si dicatur, ostendi in מחוקק imperium esse, quod scribendo exerceatur: Unde jura à Magistratibus condita *scripta* vocantur pro positivis. Quæ ipsa nominis מחוקק ratio & Radici חקק *scripsit* & rei naturæ convenientissima videtur: Cum Imper. Civile tum in jure condendo seu Edictis & Constitutionibus, tum in Mandatis, Rescriptis seu Responsis, Edictis temporariis & Decretis scribendo exerceatur. *Ps.* 60:9. *Ps.* 108:9. non alius item sensus est, quam è Tribu Juda Magistratus legi Regi proximos & sub eo constitutos. *Jes.* 33:22. à minoribus ascenditur ad majora, ut ostendatur, Deum Ecclesiæ Auxiliatorem & Senatorem sufficientissimum esse. Nimirum minus est Judicem esse quam Magistratum, minus Magistratum esse quam Regem. Manifeste igitur & hic מחוקק Magistratum notat. Conf. *Rabbini*, quorum verba cit. *Dissert.* affert *Wagenseilius* p. 33. *seq.* Eodemque tendere videntur *Lutherus* *Gen.* 49:10. & *Jes.* 33:22. vertens **Meister** / *Jud.* 5:14. **Regenten** / *Ps.* 60:9. *Ps.* 108:9. **Fürst** / & qui Legislatorem notari putant: Quanquam primum justo latius est, nec apud omnes Germanicè loquentes ea latitudine capitur, ut Magistratum comprehendat; tertium, si voce מחוקק notetur, saltem strictius est; quod ipsum fere etiam de quarto tenendum, cum חקק & universe jubere seu edicere, & singulis præcipere seu imperare notet, nisi per κατάχρησιν Legislator Magistratus Synonymum statuatur, quia Legis nomine interdum etiam singularia imperia simili vocis usu designantur. Quanquam probabilitate non caret, cum חקק *insculpendi* significationem habeat, juris condendi potestatem verbo מחוקק potissimum respici; quia recens condita jura tabulis insculpta proponebantur & custodiebantur. Vid. *Exod.* 32:16. 1. *Maccab.* 14:48. *Rosin. Antiq. Rom. l.* 8. *c.* 2. *f.*

§. 7. Atque ex his porro intelligitur, non promitti Regnum sive Reges Judæ usque ad Christi & Imperii ejus universalis adventum, sed Magistratum, neque aliud nomine שבט, quam Imperium Magistratui conveniens esse intelligendum; quod ipsum exactissime impletum esse Historia confirmat. Nimirum ita Gloria & imperium Judæ hic describitur, ut & adolescentia designetur, & ἀκμή, & decrescens ætas ac durationis finis, quo ipso tamen in melius quasi mutanda vel Typi instar Antitypo loco sit cessura.

MEMBRUM V.

Quid מבין רגליו

§. 1. Vexatissima est, quam nunc aggredimur, Vaticinii Jacobæi pars, quæ omnium difficillima visa plurimasque interpretationes passa est. Earum prima nunc esto illa Judæorum palato maxime accommodata, Christianis tamen etiam nonnullis placens, verba מבין רגליו pertinere ad morem è Cathedra editiore docendi, auditoribus humi vel in humilioribus subselliis, & sic ad pedes docentium, sedentibus. Hinc enim ad pedes Gamalielis educatum se ait Paulus *Act.* 22:3. & Maria dicitur assedisse ad pedes Jesu *Luc.* 10:39. idem de ἐνεργουμένῳ post ejectum dæmonem perhibetur *Luc.* 8:35. Ante laudatus Vir raræ & Clarissimæ eruditionis, *Wagenseilius*, huic sententiæ illud etiam officere *cit. dissert.* p. 8. putat, aliis à *J. L.* allatis succenturiatum, *quod in Commentario ad Sotam p.* 993. *seqq. idoneis veterum Thalmudistarum testimoniis sibi ostensum, inde à Mosis temporibus, ad ætatem usque R. Gamalielis, atque sic ad Messiam usque exhibitum & amplius, stantes in pedibus discipulos à sedentibus Præceptoribus suis fuisse edoctos, & incongrue accepisse plerosque interpretum verba Pauli Act.* 22:3. Quæ ipsa etiam observatio est *Lightfooti Hor. Rabb. ad Luc.* 4:20. Verum non alienum fuisse ab auscultantibus sedendi morem, duo postremi citatorum locorum, maxime vero medius, ubi sedendi facultas privilegio muliebri sine ratione tribuitur ab *Altingio p.* 160. ostendunt. Addatur *Luc.* 4:28, 29. *c.* 6:8. Nec male à *Grotio* distingui videtur ad *Act.* 22:3. stetisse scilicet omnes, dum ipsa Legis verba legebantur, reliquo autem tempore consedisse; atque ita interpretandum, quod in *Thalmude* dicitur, ad tempora Gamalielis stantes didicisse Legem. Quod etiamnum in Ecclesia Christiana, inde derivatum, observari cernimus. Atque ita ipsos consuevisse, ex *Luc.* 4:16, 20. apparet. Conf. *Altingius*, qui idem observavit, *Schil. l.* 3. *c.* 5. *p.* 157. *f. seq.* Ne vero dicere liceat, vel sedendi facultatem fuisse Docentium propriam, vel aliam Synagogæ, aliam Scholarum Theologicarum rationem fuisse, præitat locus *Luc.* 2:42. ubi Christus duodecennis in medio Docentium, utique pro Discente, auscultans atque interrogans sedisse memoratur. Nam id factum, ut docentis honor communicaretur Salvatori, quem docendi peritiam jam acquisivisse agnoscerent Doctores, quæ *Altingii c. l. p.* 159. conjectura est, propter teneram Salvatoris ætatem parum verisimile fit: Neque ea vis est verborum *vs.* 47. *Percellebantur autem omnes eum audientes super intelligentia & responsis ejus*; sed divinam ingenii vim, ob quam in discentibus primum animadversam hi non illico inter docentes quasi de plano cooptantur, omnibus admirationi fuisse. Sed quicquid sit hac de re; sederint an steterint discentes, ad summam hujus interpretationis nihil refert: Cum satis sit, ad pedes docentium fuisse; quod & *Act.* 22:3. & 2. *Reg.* 2:3, 5. confirmatur. Nam uti illic Discens ad pedes Docentis; ita hic Docens collocatur ad caput Discentis: Quorum unum altero infertur. Observandum igitur potius 1. supponi ab ita sentientibus, מחוקק Doctorem Legis notare; quod non ita esse ex §. 1. & *ult. membr.* 4. constat. 2. Ita plane ἀσύστατα statui; cum sic Docens ex Vaticinio Jacobæo sit ad pedes collocandus discentium, quos ad pedes illius ex recepta consuetudine collocari agnoscitur. 3. Hic non *ad pedes* solum est, sed *inter pedes* seu in *medio pedum*; siquidem & hic pedes notari statuatur. Sed discentes tantum ad pedes לרגלים παρὰ τοὺς πόδας docentium, nunquam inter pedes eorum esse dicuntur. Quo ipso etiam evertitur, quod per se satis violentum esse apparet, Doctorem hic intelligi de Doctore Legis futuro, seu eo, qui etiamnum discipulus sit & erudiatur, ut Doctor ipse postmodum evadat. Neque juvatur hæc sententia eo, quod *Altingius* causatur, Doctorem cinctum undique à consistentibus discipulis medium quoque fuisse inter pedes ipsorum. Nam parum conveniens apparet, eum in medio pedum esse dici aliorum, qui in medio capitum potius ipsorum erat, atque inde ad caput eorum, ipsique vicissim ad pedes ejus esse dicebantur. Certe ad hoc, ut in medio pedum auditorii Docentes esse dicantur, nihil facit, quod illud fuit ad pedes Docentium: Quæ tamen ita conjungit *Altingius l.* 3. *c.* 7. quasi uno alterum inferatur.

§. 2. *Aben-Ezra* eo potissimum motus, quod de uno מחוקק hic agitur, cum Legem discentes & docentes plurimi semper sint, de pedibus Regis vel Principis interpretatur, inter quos, uti ipse, vel ad quos, uti *Kimchi* loquitur, Scriba publicus vel Secretarius sedeat. Sed inter pedes Principum sedere Scribas non minus, nisi magis, à consuetudine & ratione abhorret, quam discentes inter pedes locari docentium. Ad pedes & inferiore loco esse non idem esse, quod inter pedes seu in medio pedum esse, jam ante monitum.

§. 3. In *Bereschith Rabba* & *Jelammedenu*, uti ex *Abarbanele* refert *Alting. c. l. p.* 33. & 48. verba מבין רגליו accipiuntur de *conculcatione* pedibus â מחוקק facienda. Quæ sententia ne minimam quidem veri speciem habet. Facenim, רגליו

רגליו *pedes ejus* heic significare; negari tamen sine absurditate nequit, ad conculcationem significandam plus requiri quam solam pedum mentionem, cujus in Textu nihil, sed alia potius omnia inveniuntur. Conf. *Alting. p.* 49. *Esa.* 28. 3. qui locus in eam sententiam citatur, ne quidem sermo est de Messia; sed de Salmanassare Assyriæ Rege, Regnum Samariæ destructuro.

§. 4. Plerisque Christianorum Interpretum placuisse videtur sententia, plures explicandi modos complexa, designari originem, sive Legislatorum sive Doctorum, à Juda verbis מבין רגליו *De inter pedes ejus*, sive quod educantur liberi ad pedes Parentum, sicut ad genua *Gen.* 50: 23. sive quod gignuntur è semine, quod egreditur inter pedes, quorum nomine præter crura etiam ipsa femora comprehenduntur; ut sic ad situm pudendorum respiciatur: Nisi hæc ipsa רגלים vocentur, quomodo Scripturam sæpe loqui observatur. Vid. *Polus in Synopsi ad h. l.* & *J. L. Dux Jud. sublat. c.* 3. & 4. Huic sententiæ potissimum obstat, quod, uti שבט & מחוקק *ἐξήγησιν* habet, quemadmodum modo ostensum, ita בין רגליו eundem ad יהודה respectum habeat, & hinc eodem modo & sensu cum verbis לא יסור per præfixum מ connectatur. Sed nec commodum sensum ullum parit hæc interpretatio, quamcunque ex ante memoratis viam insistas. Nam ne dicam, phrasin Scripturæ incognitam esse ad pedes Parentum educari liberos, longe item aliud *Gen.* 50: 23. notati, & aliud esse *ad pedes* aliud *inter pedes*; pueros Magistratus non fieri constat: Cum Magistratus maxime virum & requirat & ostendat. Violentæ vero Ellipses similesque Figuræ merito suspectæ sunt, ubi manifesta necessitas eas non exigit. In reliquis duabus multo inconcinnior fit sensus, agnito, quod modo posuimus, fundamento, verborumque proprietate retenta. Quare in his omnino vel Metonymia statuenda Materiati pro Materia, vel, negato fundamento ante jacto, simul Ellipsis & אשר יצא *qui egressus est*, quam insinuare videtur *Schindlerus in Lex. Pentagl. V.* חקק; eandemque, vel similem, in usum suum fortassis etiam primæ viæ fautores vertere juvat. Sed Metonymia hic valde violenta & ambagiosa, nisi contradictoria, videtur; Magistratum scilicet poni pro semine ex quo Magistratus oritur, idque ibi ubi de Magistratu ex professo & proprie sermo est. Ellipsis Metonymiæ quidem duritiem in posterioribus viis minuit, cum eam non in ipso מחוקק expresse posito, sed omisso Relativo אשר incluso statuat; ambages vero auget, & ejusmodi Periphrases liberorum supponit, quibus Scriptura nusquam expresse utitur, quasque proinde subaudiendas esse, ubi expressæ non sunt, minus probabile est. Liberi dicuntur quidem de corpore & ex lumbis Patris: Sed è medio pedum Patris egressi nusquam dicuntur, neque educationis neque generationis respectu habito; licet posteriore sensu de Matre simile quid legatur *Deut.* 28: 57. Conf. *Alting. Schil. l.* 2. *c.* 8. ubi simul ostendit, quam falso à nonnullis hujus interpretationis auctoribus statuatur, Synedrium Summum non alios Assessores habuisse, quam familia Davidis aut saltem tribu Juda oriundos.

§. 5. Succedit jam sententia *J. L.* quæ eadem *Samaritani interpretis* atque ex eo hausta est, scilicet pro רגליו rescribendum esse דגליו; ut similitudine elementorum mutatum ד in ר, & sensus sit, non ablatum iri *Ducem* è medio Vexillorum, hoc est cohortium militarium. Nimirum *Codex Hebræus Samaritanis literis descriptus* illud ipsum דגליו expressum habet: *Interpres* vero *Samaritanus*, quo minus dubitare queamus omnes Samaritanos Codices ita legere, vertit סדריו *Ordinibus*, hoc est cohortibus, *ejus*. Nam pro his vexilla per Metonymiam ponuntur. *Quam lectionem*, ait modo citatus Vir Eruditissimus *c.* 5. *n.* 12. *seqq. quandoquidem commodissimum atque efficacissimum sensum sine tropis ac sine Ellipsi pariat, in quo etiam animus lectoris optime acquiescere possit, non dubitamus pro nativa, genuina & vere antiqua agnoscere, præsertim cum emendatio unius literæ tam modica nullaque alia sit, quam rotunditatis in angulum, scilicet* ר *in* ד. *Adhæc exempla talis alterationis in ipso textu Sacro frequentissime occurrunt, ut paullo post dicemus. Integra igitur textus nostri sententia verbotenus talis est*: Non decedet (*auferetur*) Sceptrum (*principatus*) de Juda, neque Dux belli de (*inter, è medio*) vexillis ejus, *inter quæ scilicet versari solet*, donec venerit Schiloh. *Hoc est*: Tribus Judæ tam diu habebit suos Principes ac Duces, *sive* jura pacis & belli, donec venerit Messias. *Hanc expositionem antecedentibus verbis, adeoque toti contextui maxime consentaneam esse liquet. Quippe Patriarcha in præcedentibus versibus duo potissimum prædixit tribui Judæ*, (1) *Principatum nimirum & Majestatem in sua gente his verbis*: יודוך אחיך Celebrabunt te fratres tui. *Item*: ישתחוו לך בני אביך prosternent se tibi filii Patris tui. (2) *Virtutem & potestatem militarem, simili à leone desumto, & his verbis in specie* ידך בערף איביך manus tua in cervice hostium tuorum. *Igitur maxime consequens, & plane par erat, ut etiam prædiceret id, quod cuilibet poterat venire in mentem, quam diu utique duratura essent in tribu Juda hæc duo summa jura, principatus & armorum; nempe* עד כי יבא שילה donec venerit Messias. Quanquam huic causæ vix commodiorem Patronum dari potuisse videtur, præsertim *caput sequens* conferenti: Attamen Eruditis nondum persuadere potuit Vir Eruditissimus, eo rem huic tanti ponderis Dicto rediisse, ut remedium ipsi à varia, & Samaritani Codicis diversa, lectione petendum sit. Non levia sunt, quæ hic monuit Altorfinæ suæ Decus, Clarissimus *Wagenseilius*, *Dissertationis suæ p.* 12. *seq. & p.* 121. *seqq.* è quibus illa præcipue huc transferenda videntur. *Sed esto*, ait, *fuerit in Antiquorum libris discrepantia, neutiquam tamen à trita usitata totque suffragatoribus confirmata lectione discedo, nisi me hinc abigat, & ad Samaritanum fugere compellat ultima necessitas, quali nos nondum urgeri, ex dicendis patebit. Addo illud quoque, quod, si maxime in alio Scripturæ loco facilis essem ad acumini critico quid indulgendum, non id tamen in hoc præsenti facturus eram, quando ad Judæos confutandos illo mihi summopere opus est. Hi vero si receptam lectionem me solicitare deprehendant, Dei hominumque fidem continuo inclamabunt, & tam desperatam causam nostram esse criminabuntur, ut necesse sit à Scripturæ depravatione remedium petere. Ne igitur Classicum dictum, quo veritas Christianæ religionis adversus infideles Judæos quam maxime confirmatur, nobis fiat inutile, & offendiculo iis simus, retinenda est vetus lectio, & potius de commoda ejus interpretatione dispiciendum.* Notandum præterea videtur, supponi huic interpretationi, vel certe ea inferri, מחוקק notare Ducem bellicum, quod quam non probetur iis, quæ pro eo allata sunt, *Membro præcedente* visum. Quæ de totius contextus conspiratione dicuntur, *Membr.* 4. §. 4. *n.* 7. jam vidimus. Quæ ibi monui, iis hic adjungo, hoc *vs.* 10. imperium non ita spectari, uti *vs.* 8., qua scilicet in fratres valiturum erat, sed qua Remp. Judaicam constituturum, uti mox apparebit. Eadem mutatio arridet *Grotio Exod.* 11: 8; sed quam sine ratione §. 7. manifestum fiet.

§. 6. Ad sententiam modo memoratam proxime, sed majore veri specie, accedunt, qui lectionem Hebræorum Codicum retinentes, רגליו accipiunt de *exercitu pedestri*, sensumque esse volunt, non ablatum iri Ducem de exercitu ejus, hoc est Judæ. Quos ex *Fagii Translationum præcipuarum V. T. collatione* memorat *Polus ad h. l.* & accessione sua auxit *Anonymus Auctor Dissertationis* non multo post illam, cum qua §. *præc.* nobis res fuit, editæ, de qua *Wagenseil. c. l. p.* 14. *Sane* רַגְלֵי à רַגְלִים *pedes* formari & pro רַגְלִים poni constat. Vid. *Jer.* 12: 5. Ex רַגְלָיו vero æque fit רַגְלָיו atque ex רַגְלִים. Verum cum hæc sententia à præcedente eo solum discrepet, quod ex lectione *Hebræi Codicis* eundem sensum promendum putat, quem altera ex *Samaritano* petendum statuit: Eadem adversus hanc etiam militant, quæ priori opposuimus; exceptis solum, quæ de Loci hujus lectione non temere solicitanda sunt monita.

§. 7. Alius sensus est, quem *Arabica Versio* insinuat apud *Polum c. l.* reddens מבין רגליו *de sub imperio ejus*. Respexit haud dubie Interpres hic illa Scripturæ Dicta, quæ imperium vel dominium & subjectionem pedum mentione circumscribunt; uti sine dubio fit verbis *Psalm.* 8: 7. *Omnia posuisti sub pedibus ejus*, & *Psalm.* 110: 2. *donec disposuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum* vel *pedibus tuis* לרגליך. Ubi quare *I. Tr.* in margine *ad lit. b.* notent, in Hebræo esse *scabellum ad pedum tuorum*, per Anastrophen, quasi scilicet ל ratione sensus ad הדום, non ad רגליך referatur, ratio nulla apparet. Sensus enim est, hostes pro scabello pedibus Christi subjiciendos, non tantum juxta scabellum prosternendos esse. Conf. 1 *Cor.* 15: 25. *Hebr.* 1: 13. *cap.* 10: 13. Idem sensus esse noscitur illorum *Psalm.* 60: 10. & 108: 10. *Moab pollubrum meum, supra Edomæum projiciam calceum meum*: Nam & pollubrum pedibus, cum lavantur, subjicitur; & calcei per Metonymiam pro pedibus positi videntur. Sed nec alium sensum in iis esse probabile est, quibus qui subditi alicui sunt ברגליו esse dicuntur: Ut *Exod.* 11: 8. *Judic.* 4: 10. *cap.* 8: 5. 1 *Reg.* 20: 10. Quem in primo loco *Vulgatus*, verbis qui *subjectus est tibi*; in primo, tertio & quarto *Lutherus*, verbis das unter dier ist / das unter mier ist / (alles Volck) unter mier / expressit. Nimirum pes etiam potestatis acquirendæ & exercendæ instrumentum, uti manus. Nam uti rerum mobilium apprehensione dominium primum con-

constituitur, contrectatione exercetur; ut invito domino nec sine furto contrectari possint: Ita fundi seu res immobiles ingrediendo occupantur & subjiciuntur, eorumque dominium libero ingressu maxime exercetur; ut invito domino intrans injuriarum teneatur. Hinc etiam pes pariter ac manus potestati circumscribendæ adhibentur, atque, uti in talibus fieri solet, non observato rerum mobilium & immobilium discrimine, invicem permutantur. Sed, ne dicam, duriorem & violentam hic iterum Ellipsin statuendam, ut *de sub imperio ejus* ponatur pro *de iis qui sub imperio ejus*, minus item commodum sensum evadere, cum loco Judæ ponuntur illi qui sunt sub imperio Judæ; in Textu non est מתחת רגליו, quod requirunt verba *de sub Imperio ejus*, sed מבין רגליו. Sane בין notare *Sub* incompertum Sanctæ Linguæ gnaris: Cum tantum notet *inter*, *intra*, *in*, & ubi præponuntur præpositiones אל, מ & ב, *medium*. Vid. *Schindl. Lex. col.* 173. *seq.*

§. 8. Novam expositionem attulit merito suo jam sæpius laudatus Celeberrimus *Wagenseilius cit. dissert. pag.* 36. *seqq. Succedit in textu*, ait, *vox* מבין *quam, quia commodius Latine non licet, uti vulgo receptum est*, à, ex, *interpretamur, sunt cæteroquin non contemnenda, quæ circa hoc vocabulum Bellici Ducis defensor nobilis, observat. Jam offert se vexatissimum illud verbum* רגליו *quod non admodum torquebimus.* Pedes *enim nobis significat & per translationem plerisque gentibus familiarem, id quod est in re quaque ultimum, quod est rei finis, quod postremum post aliud consequitur.* Aristophanes in Pluto: Ἄκουε τοίνυν ὡς ἐγὼ τὰ πράγματα ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλὴν σοι πάντ' ἐρῶ. Audi igitur, quomodo ego negotium, a pedibus usque ad caput totum tibi enarro. *Apud Latinos Scriptores*, à capite usque ad calcem, à summo capillo ad imum usque calcaneum, calcem operis, extremum literarum calcem, ad calcem venire, *atque id genus alias loquendi formulas, passim legimus. Sed magis est, ut has Scriptura notemus; uti cum Exod.* 11: 8. *de Mose adhibetur phrasis* צא אתה וכל העם אשר ברגליך Exi tu, & omnis populus, qui est in pedibus tuis. *Item cum* 2 *Reg.* 3: *vers.* 9. dicitur: וילך מלך ישראל ומלך יהודה ומלך ארום ויסבו דרך שבעת ימים ולא היה מים למחנה ולבהמה אשר ברגליהם׃ Profecto itaque Rege Israelis cum Rege Jehudæ & Rege Edomæorum circumiverunt itinere septidui: deinde non erat aqua pro agmine & pro jumentis, quæ erant in pedibus eorum. *Ergo hi, qui Duces suos sequuntur, qui novissimi incedunt, qui agmen claudunt, qui pedissequi sunt, eos Scriptura ait* in pedibus *aut* inter pedes esse. *Insuper, illud quoque sedulo observandum, statum futurum Reip. Judaicæ, in vaticinio Jacobi quasi personam quandam induere, quæ manu Sceptrum gestat, quæ pedibus consistit, & juxta eos Duces & ἄρχοντας habet. Ergo, ut* pedes *non minus hic, quam in illa Nabuchodonosoris apud Danielem cap.* 2. *celebri statua, de ultimis & postremis temporibus, rei ad quam institutum pertinet, accipiamus aut valde fallor, aut omnis cogit ratio: ut proinde* à pedibus *aut* ex pedibus *Judæ, ii auferendi dicantur, quibus seri illius nepotes carituri erant, quos ultima Reipublicæ ætas amissos luxit desideravitque.* Insignis sane Viri Eruditissimi pariter ac disertissimi conjectura, & quæ verisimilitudine sua antea relatis plerisque palmam præripit: Neque ipsa tamen Textui nostro ejusque phrasi & scopo omnino convenire videtur. Ac fortassis verbi רגליו explicatio ne illis quidem, quæ propositæ explicationi stabiliendæ allata sunt, multum juvatur. Nam, ut inde ordiar, יהודה per רגליו, uti שבט per מחוקק, explicari videtur, idque ita, ut simul respectus habeatur ad מחוקק veluti correlatum, & ad יקהת עמים veluti Antitypum vel id quod in locum esset successurum: Id quod illa interpretandi ratio nondum exprimit. Accedit, quod Novissimos Judæorum vocari minus probabile est, quibus posteritas superfutura satis numerosa & serior seu longius remota, quam ipsi à Genearcha Juda. Quod *Aristophanes* dixit ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλὴν, eo rem prorsus totam circumlocutus est; Cui simillimum est, quod in Hebraismo dicitur מכף רגל ועד קדקד *à planta pedis usque ad verticem Deuter.* 28: 35. 2 *Sam.* 14: 25. *Job.* 2: 7. vel מכף רגל ועד ראש *à planta pedis usque ad caput Jes.* 1: 6. & in vernacula nostra ordine inverso von Haupt biß zu Fuß: nisi quod ea de homine solum dici ac vix ad alia transferri soleant. Pedum autem nomine postremum hic non notari argumento est, quod inde etiam incipitur. Pro ultimo vero seu postremo acceptorum pedum exemplum afferendum erat; ac fortassis sine capitis mentione, uti hoc loco fieri putatur. Quod nec præstant Latina, quæ sequuntur. Iis enim *calx* vel *calcaneus* pro postremo ponitur; uti etiam Hebræis עקב *Jos.* 8: 13. Sed de pede exemplum desiderabatur; neque hic à calcaneo ad pedem argumentum valere videtur, quod in pede aliud anterius, aliud posterius, quod calx, & pedum alii anteriores alii posteriores in quadrupedibus, neque in omni pede proprie calx sit. Qui alium Ducem sequuntur, dicuntur esse ברגליו; non quasi postremi aut novissimi, quanquam citatis duobus locis is sensus, licet genuinus non sit, minus tamen quam aliis repugnat, quæ ipsa fortassis ratio est, quare ipsi potissimum allati; sed quia ita in potestate Ducis sunt, ut, quocunque ipse pedibus præit, hi sequantur: Quare etiam ea phrasi comprehenditur totum agmen sequentium Ducem; quod pedum nomine complecti velle esset totum animal, à quo similitudo hic petenda, in caput & pedes dividere, & pedum nomine, quicquid in eo præter caput est, complecti. Aliud porro est *Ducem sequi & pedissequum esse*, aliud *novissimum incedere & agmen claudere*: Aliud item רגלים *pedes*, aliud ברגלים *in pedibus*, aliud בין רגלים *inter pedes* esse. Sequentes alium ducem ita constanter & ea exemplorum copia, uti apud *Alting. Schil. l.* 3. *cap.* 7. videre licet, per ברגליו esse circumscribuntur, ut nativam illi phrasi vim & formam constare, neque ב pro ל poni, uti nonnulli interpretantur, aut בין in unico hoc dubii sensus Dicto in locum suum admittere manifestum aut valde verisimile sit. In Statua Nabuchodonosori per insomnium visa varia imperia majora, quorum aliud alii successurum erat, ita humana forma repræsentata esse, ut postremum pedibus designaretur, Divinitus inspirata Danielis interpretatione cognoscimus; quæ interpretatio rei ipsi adeo congruit, ut inde sponte sua fluere, non aliunde inferri videri queat. Sed statum futurum Reip. Judaicæ in Vaticinio Jacobi quasi personam quandam induere, quæ manu Sceptrum gestat, quæ pedibus consistit & juxta eos Duces & ἄρχοντα habet, id neque ex verbis ipsius hujus Vaticinii, neque aliis Scripturæ dictis intelligitur, & rei ipsi minus congruum apparet. Sane Duces seu ἄρχοντες non tenentur pedibus, ne Imperantis quidem, uti Sceptrum manu. Nec Ducem, cujus potestate Respubl. continetur, stare juxta pedes personæ Remp. repræsentantis, & sic extra eam, satis appositum. Neque à Sceptro hic argumentum petere licet; cum id, veluti instrumentum & insigne imperii, ita personæ conjungi, uti natura ejus patitur, satis sit. Neque inter pedes esse, qui ad pedes est, jam ante est dictum. Et cum huic discrimini tollendo aut obscurando versio ב מבין per à vel *ex*, quam in principio commendatam in fine Vir Eruditissimus repetit, comparata videatur: Satius est, *è medio* vertere; etiamsi id cum dispendio purioris Latinitatis, quod tamen hic fore non puto, faciendum esset. Quantumvis enim puritas sermonis observanti decora sit: Reip. tamen præ ea negligere salutem cum absurdum putetur; quanto magis doctrinæ de Religione Divinitus traditæ usum! Præterea manus hic nulla mentio: Illamque ut priorem opponi pedibus tanquam posterioribus, quod hic admittendum foret, admodum item insolitum apparet. Denique Sceptro Regiam potestatem hoc loco non notari, ex eo satis intelligitur, quod *Membr.* 2. §. 5, 6. est dictum.

§. 9. Ut denique, quid mihi videatur, exponam; non dubito quin correlatum ב מחוקק hic designetur, quæ est multitudo Civium: Quod ex ipsa vocabuli ratione confirmandi cum variæ se offerrent viæ; genuina denique visa est, quam nunc explicabo. Igitur רַגְלָיו hoc loco à רַגְלִים quidem pro רַגְלִיִּים *pedites*, non à רַגְלַיִם *pedes* esse puto; illud tamen hic non ad militiam referri, sed *Cives* notare, vel viros justa ætate præditos & civilium numerum ac jurium jam capaces. Nimirum tranquillitatis ac securitatis singulorum causa Civitates primum constitutæ: Illus autem turbandæ metus non tantum ab iis, qui uni Imperio civili subsunt, sed vel maxime ab iis etiam, qui diverso vel nulli subsunt. Neque, ab his qui est, metus Civitatis constitutione aliter minuitur, quam per bellicam vim & mutuam civium defensionem, pacto civilem societatem coëuntium comprehensam. Quo fit, ut Cives præter pacis munia Reip. Sequelam etiam debeant & operas militares. Quibus cum multæ ob varias rationes, nisi summa necessitate urgente, non utantur, tributis fere contentæ, quibus miles conductitius alatur: Aliis tamen, priscis præsertim, Rebuspublicis diversum institutum magisque lecti è Civibus milites placuere. Quo factum, ut in his iidem eadem ætate Cives & Milites, atque ideo milites quia cives, adoptarentur, qui militiæ inepti neque inter cives reciperentur, militesque vel, ubi pedestris militia sola in usu erat, Pedites pro civibus dicerentur. Quæ antequam de Republ. Hebræorum ex Sacris monumentis demonstrem; quam eadem Atheniensium & Romanorum institutis consona sint non ab re fuerit exponere. De Atheniensibus rem in compendio exhibemus verbis *Ubb. Emmii* ex *Descript. Reip. Athen. tit. qui cives Attici fuerint habiti.*

Triennio

Triennio post, ait, *sequebatur professio altera* (quæ de priore professione anno 15. facienda præmittuntur, brevitatis studio, & quia minus ad institutum nostrum necessaria sunt, omittimus) *& probatio apud populares anno ætatis profitentium decimo octavo, ut eidem placet Sigonio verosimili ratione nixo: ac tum nomina eorum referebantur in album, quod* ληξιαρχικὸν λεύκωμα *vocabant. Ea enim inscriptione, ut omnis reliqui juris civium & civilium munerum, ita & adeundarum ac pro arbitrio administrandarum hereditatum, quas* λήξεις *nuncupare veteres Athenienses solebant, reddebantur capaces, & simul ex ephebis exibant inscripti, suique juris ac arbitrii censebantur, &, si lubebat, conciones obibant, atque adeo communium rerum fiebant participes. Eademque relatio in tabulas has lexiarchicas fores militiæ iis aperiebat: Tunc enim ætatem militarem etiam ingrediebantur obstringebantque se sacramento ad arma pro patria gerenda, cum res posceret; & autoritate publica scuto ac hasta instruebantur: Durabatque ætas ista militaris in annos XLII. ab anno scilicet vitæ XVIII. ad annum LX. Atque ideo, ut certius de annis militaribus singulorum constare semper posset, in inscriptione hac nomen archontis eponymi, qui annum signabat, etiam apponebatur. Jurisjurandi, quo se singuli obligabant, hæc fuit sententia: Non dedecoraturos se arma, nec ordinem deserturos, patriamve reddituros deteriorem, sed pro viribus eam defensuros; pugnaturosque pro sacris & republica tum solos, tum cum aliis: navigaturos etiam in terram quamvis sibi assignatam; legibus jam latis, & deinceps legitime ferendis obedientiam præstituros: non permissuros, ut quisquam eas tollat; sacra denique patria culturos. Hoc autem dato juramento, & scuto hastaque accepta, prima militiæ tyrocinia, si esset opus, deponebant in obeundo agro Attico, & eum contra vim tuendo, vocabanturque ex eo* περίπολοι, *quasi circuitores: Domi vero & suis rebus ipsi præerant sine tutore, & in conciones ventitabant, & spectandis ludis theatra inibant, donec ad munera alia pacis & belli maturescerent.* Videntur hic de initio ætatis militaris & civilis non nihil discrepare *Pollux l. 8. Suidas*, & *Demosthenis interpres Ulpianus*, civium Atheniensium filios in numerum civium scriptos fuisse ætatis anno vigesimo docentes, teste *Piccarto Comment. in Polit. Aristot. lib. 3. c. 1. p. 337.* Quam dissensus speciem tollendi ratio discitur ex illis *Lipsii de Milit. Rom. lib. 1. dial. 2.* quibus militiæ simul terminus designatur: *in Demosthene lego, jussos omnes conscendere triremes, usque ad eos, qui quadraginta quinque annorum essent. In quem tamen locum Ulpianus Scholiastes notat, Novum hoc fuisse. Quia Lex apud Athenienses ad annum quadragesimum duntaxat jubet militare, exorsos à decimo octavo. Idque his gradibus, ut ad vigesimum circa urbem militent & castella custodiant, tutiori scilicet militia; à vigesimo autem, ad longinqua & extra limites etiam eant. Ita fere Ulpianus.* Atque hactenus *Lipsius.* Sed quæ de militiæ termino allata sunt, majore difficultate dubia ex *Arpocratione* reddit *Sigonius de Rep. Athen. lib. 4. c. 5.* docens, eo, quod modo retulimus, adactos sacramento inde per annos quadraginta duos militare coactos, à decimo octavo scilicet ætatis ad sexagesimum: Quod ipsum etiam *Emmii* paulo ante recitata confirmant. Quæ ita, ut *Demosthenes* & *Ulpianus* de Navali tantum militia, *Arpocratio* de Terrestri intelligendus dicatur, an alio modo v. g. ita, ut *Ulpianus* Legem de annis militiæ, iisque ab anno ætatis vigesimo numeratis, loquentem, de annis ætatis & initio militiæ domesticæ per errorem cepisse statuatur, in gratiam redigenda sint, nunc in medio relinquo *Plutarchi*, quæ *Sigonius* eodem capite affert, ista; *Phocio, Prætor electus, edici per præconem jussit, ut omnes, qui intra pubertatis, & septuaginta annorum ætatem essent, extemplo dimissa concione adessent, sumtoque quinque dierum commeatu se statim in Bœotiam sequerentur*; extraordinarium aliquid notare, de ordinario tamen militiæ fine *Arpocrationi* magis quam *Ulpiano* suffragari videntur. Etiam à civilibus vacationem ætatis provectioris causa datam apud Athenienses, ex *Aristot. 3. Polit. 1.* conjicere licet. Cum enim in explicanda civis natura liberam Atheniensium præcipue Remp. intueretur; inter eos, qui revera cives non sunt, refert τοὺς γέροντας τοὺς ἀφειμένους, hoc est senes dimissos & solutos à muneribus civilibus. Quo autem ætatis anno dimissi fuerint, proditum aut observatum non invenio. Sane sexaginta annos nati non solum concionibus intererant, sed & soli in iis gravissimi negotii, Ostracismi, causa suffragium ferebant. Vid. *Sigon. de Rep. Athen. lib. 2. c. 4. f.* Romanorum huc pertinentia instituta paucis complexus est *Gellius Noct. Att. lib. 10. c. 28. C. Tubero*, ait, *historiarum primo scripsit, Servium Tullium, regem populi Romani, cum illas quinque classes juniorum, census faciendi gratia, institueret, pueros esse existimasse, qui minores essent annis septendecim: atque inde ab anno septimo decimo, quod idoneos jam esse reipublicæ arbitraretur, milites scripsisse: eosque ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellasse.* De censu a Servio instituto rem omnem, præter ætatem, plenius exponit *Livius Histor. lib. 1. c. 43.* ubi ex tota narratione constat, per censum una militem eundem & civem designatum esse; quod & illa, quibus *cap. 42. Livius* claudit, satis ostendunt: *Censum enim*, ait, *instituit rem saluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. Tum classes, centuriasque, & hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum, vel bello.* Neque aliud loquuntur illa quibus *cap. 44.* orditur: *Censu*, inquit, *perfecto, quem maturaverat metu legis de incensis latæ, cum vinculorum minis mortisque edixit, ut omnes cives Romani, equites peditesque, in suis quisque centuriis in campo Martio prima luce adessent. Ibi instructum exercitum omnem suovetaurilibus lustravit. Idque conditum lustrum appellatum, quia is censendo finis factus est. Millia LXXX. eo lustro civium censa dicuntur. Adjicit scriptorum antiquissimus Fabius Pictor, eorum qui ferre arma possent, eum numerum fuisse.* Erat autem civi Romano à pedestri militia vacatio post vicena stipendia annua intra annum ætatis quadragesimum sextum, aut summum quinquagesimum, facta; qua de re vid. *Lipsius de Milit. Rom. lib. 1. dial. 2.* & *Dempster. Paralipom. ad Rosin. Antiquit. Rom. Lib. 10. in princip. p. m. 730.* A civilibus muneribus aliquanto serius, &c, si *Nonium* audimus, anno sexagesimo. Senes enim depontani quare Romæ vocarentur sexagenarii, rationem hanc reddit, non quod de ponte in Tiberim quondam præcipitati, quod aliis placuit, sed quod, qui sexaginta attigerant annos, liberi essent à publicis oneribus & suffragio quod ferebatur per pontem, hoc est, explicante *Laurenbergio Antiquar. V. Depontanus*, mensam angustam, altioribus pedibus, in comitio aut foro ad tempus positam, cui suffragiorum cista imponebatur. Quanquam verba *Suetonii in Julio c. 8.* probabiliorem reddunt explicationem *Berneggeri ibid. p. m. 123. n. 10.* allatam: *In campo Martio*, inquit, *pons tabulatus fuit exstructus, in quem ascendebant singulæ per vicem tribus aut centuriæ, datisque suffragiis in aliam campi partem transibant, qui locus mons citatorum vocabatur. Hinc parœmia, sexagenarios de ponte dejiciendos esse, hoc est, ob illius ætatis imbecillitatem, à suffragiis & omni tractatione civilium negotiorum in otium rejiciendos.* Conf. *n. 9.* Addatur inter illos quasi medius *Rosinus Antiquit. Rom. Lib. 8. c. 2. p. m. 572.* Apud Israëlitas quid huc pertinens jussu Divino obtinuerit, intelligitur ex sequentibus Dictis è *Versione Junii & Tremellii* exhibitis. *Exod. 30. 12, 13, 14, 15. Quum recensebis summam filiorum Israëlis per numerandos eorum, tum dabunt quisque redemturam vitæ suæ Jehovæ, numerando eos: ut non sit in eis plaga quum numerabis eos. Hoc danto quisquis transit in numeratos, dimidium sicli prout est siclus sacer, (viginti obolorum* est *hic siclus) dimidium sicli oblationem Jehovæ. Quisquis transit in numeratos à nato viginti annos & supra; dato oblationem Jehovæ. Qui dives est, ne augeto, & qui tenuis est, ne diminuito de dimidio sicli; dando oblationem Jehovæ, ad expiandum animas vestras. Exod. 38: 25, 26. Item argentum numeratorum è cœtu, centum talenta; cum mille septingentis septuaginta quinque siclis, prout* est *siclus sacer. Didrachma in singula capita, dimidium sicli prout* est *siclus sacer; in quemque transeuntem ad numeratos à nato viginti annos & deinceps, in sexcentos ter mille quingentos quinquaginta. Levit. 27: 2, 3, 4, 5, 6, 7. Quum quis nuncupaverit votum; pro æstimatione tua personæ* sunto *Jehovæ. Erit autem æstimatio tua maris, à nato viginti annos usque ad sexagenarium, erit inquam æstimatio tua quinquaginta sicli argentei, prout* est *siclus sacer. Quod si fœmina erit, tunc erit tua æstimatio triginta sicli. Sin autem à nato quinque annos usque ad natum viginti annos, tunc erit æstimatio tua* in *marem viginti sicli, in fœminam autem decem sicli. Quod si erit à nato uno mense usque ad natum quinque annos, tunc erit æstimatio tua* in *marem quinque sicli argentei: in fœminam vero erit æstimatio tua tres sicli argentei. Quum autem à sexagenario & deinceps, si erit mas, tunc erit æstimatio tua quindecim sicli: in fœminam vero decem sicli. Num. 1: 2, 3.* (addatur *vs. 18: 20, 22, 24, 26, 28, 30, 32, 34, 36, 38, 40, 42, 45.*) *Recensete capita universi cœtus filiorum Israëlis per familias ipsorum secundum domos paternas eorum; per enumerationem nominum, omnem marem in singula capita eorum: A nato viginti*

viginti annos & deinceps, omneis aptos ad egrediendum in militiam in Israële, recensebitis eos per exercitus ipsorum, tu & Aharon. Num. 4: 2, 3. (addatur *vs.* 22, 23, 29, 30, 34, 35, 38, 39, 42, 43, 46, 47.) *Recenseto capita filiorum Kohathi inter filios Levi; secundum familias eorum per domum majorum ipsorum, à nato triginta annos & deinceps usque ad natum quinquaginta annos; omnem aptum ad obeundum hanc militiam, ad faciendum opus in tentorio conventus. Num.* 8: 24, 25, 26. *A nato viginti quinque annos & deinceps, venito* Levita *ad militandum militiam in ministerio tentorii conventus: Ex quo vero natus fuerit quinquaginta annos, revertetur à militia hujus ministerii; ut non ministret amplius. Attamen servito fratribus suis* obeuntibus militiam *in tentorio conventus observando observationem, quamvis ministerium ipsi non exerceant. Num.* 14: 29. (addatur *c.* 32: 11.) Nisi *in deserto hoc ceciderint cadavera vestra, & omnes numerati vestri in toto numero vestro, à nato viginti annos & deinceps; qui murmurastis adversum me. Num.* 26: 2, 3, 4. *Recensete capita totius cœtus filiorum Israëlis à nato viginti annos & deinceps, per familias paternas eorum; omnem aptum ad egrediendum in militiam inter Israëlitas. Itaque alloquutus est eos Mosche & Elhazar Sacerdos in campestribus Moabitarum; secundum Jardenem* ex adverso *Jerichuntis, dicendo*, Recensete *à nato viginti annos & deinceps: quemadmodum præceperat Jehova Moschi & filiis Israëlis, qui egressi fuerant è terra Ægypti.* Gemina his videri possunt *Jud.* 20: 1. *seqq.* 2. *Sam.* 24: 9. 1. *Chron.* 5: 18. *c.* 7. 4, 11. *c.* 8. 40. *c.* 23. 23, 26. 2. *Chron.* 20: 5. *c.* 31. 17. *Esr.* 3: 8. Quæ de Israëlitarum institutis modo allata sunt si cum iis conferantur, quæ de Græcorum & Romanorum moribus paulo ante referebantur; manifestissimum evadit, Populos illos, cum milite uterentur lecto, in civibus adoptandis militiæ usus in primis rationem habuisse, nec admisisse ad civitatem & civium concionem, quos per ætatem militiæ nondum aptos censebant, & simul ac in civitatem quenquam ascripsissent, in militum etiam certa centuria ei locum assignasse, eoque militem hactenus & civem eundem habuisse, quod apud Lacedæmonios æque obtinuisse, discere licet ex *Ubb. Emmii descr. Reip. Lac. p. m.* 293. 313. 321. Quanquam, belli tempore ingruente, cum delectu novum militiæ sacramentum intervenisse, nisi subitaneum periculum præsens auxilium & confuse rapi militem posceret, de Romanis à *Lipsio* est demonstratum. Quæ militiæ primum apta ætas esset, non eadem omnes sensere: Quanquam exiguus inter Hebræos & Athenienses nec tantus dissensus est, quantus inter utrosque & Lacedæmonios, qui non nisi tricenarios cives militesque scribebant; uti est apud *Emmium cc. ll.* Neque absurdum sit sentire, etiam apud Hebræos tirocinii annos vigesimum antecessisse: Cum simile quid ex collatis *Num.* 4: 2, 3. & *Num.* 8: 24, 25, 26. de Levitis intelligatur. Vid. *Selden. de Success. in Pontif. L.* 2. *c.* 4. *p. m.* 440. Sed quicquid hic dissensus est, idem etiam in aliis ætatibus, v. g. puberum, definiendis deprehenditur; sive quod, ob soli cœlique variam qualitatem, apud alios tardior apud alios celerior corporum animorumque maturitas sit, sive quod alii aliis verius judicent: Et satis nunc est, omnes eadem ætate ad concionem civium, qua ad militiam, aptos juniores censuisse. Illud magis jam considerandum, continuandæ vel finiendæ militiæ non parem ei, qui inchoandæ, cum civium pleno jure apud Athenienses & Romanos nexum fuisse; quod ingravescens ætas diutius civilibus, quam militaribus, muneribus sufficere videretur. Intercedebant enim inter militiæ & civilium munerum finem apud Romanos anni minimum decem à quinquagesimo ad sexagesimum; nec fortassis pauciores apud Athenienses à sexagesimo ad septagesimum, unde ad hunc usque militandi etiam necessitatem Phocio, uti ante dictum, aliquando extendit. Apud Israëlitas vero aliquanto etiam magis conjuncta militia civitatis juri videtur: Cum semper cives à vigesimo anno & deinceps dicantur, quousque ad militiam, ad egrediendum in militiam, ad educendum gladium apti & s. cui quidem rei certus annus, quo terminetur, statutus non memoratur. Quare miror, *Casp. Waserum de Antiqu. Num. Hebr. lib.* 2. *c.* 6. *p.* 74. quasi de re comperta scribere non dubitasse: *Porro non omnes cujusvis ætatis vel sexus Judæi ad recensionem illam admittebantur, ac proinde capitationem præstare debebant: sed* mares *tantum; & quidem* vicenarii, ac majores viginti annis, usque ad annum quinquagesimum; *quia videlicet, ejus ætatis beneficio, validi militiæ, ad hanc communiter egrediebantur, ac tum demum à nece se liberare poterant.* Fortasse, quod de Levitarum anno quinquagesimo vacatione locis supra citatis legerat, sive memoriæ lapsu, sive judicio parum firmo ad omnium Israëlitarum militiæ vacationem traxit. *Deut.* 20: 5, 6, 7, 8. vacatio à militia conceditur ei, qui vel domum recens ædificatam nondum initiavisset; vel vineam à se plantatam nondum à sacris liberasset, vel uxorem, quam sibi sponsam habebat, nondum duxisset, vel timidus seu meticulosus esset: Ætatis, quæ à militia immunem præstet, mentio fit nulla. *Schickard. de Jure Reg. cap.* 5. *theor.* 17. *p. m.* 320. *edit. pr. p.* 125. refert, esse, qui, quod de timido dictum, ad ætatem referant, & natu grandiores, quibus una cum juvenili calore militaris ardor jam deferbuit, militia hic exemtos statuant, atque exhibet verba *R. Mosch. Mikozi*, quibus testatur, in vetusto libro *Siphri* exstare traditionem *R. Jose Galilæi*, qua vox Timidus explicetur de Quadragenario, qui jam sit defectus viribus. Verum, hunc locum ætatem spectare, nullo indicio fit verisimile: Certus sane ætatis annus, militiæ vacationem tribuens, elici hinc minime potest; & quod quadragesimus is fuisse dicitur, firmiore argumento probandum fuerit, quam quod allatum est. Equidem, apud Athenienses eo anno militiæ munera finita secundum legem esse, ex *Ulpiano* ante audivimus. Nec multum abludit, quod vicena stipendia annua apud Romanos militi merenda fuere. Inprimis vero id probabilitatis aliquid affert, quod in ipsa Rep. Hebræorum Levitis viginti tantum militiæ anni statuti; uti ex *Num.* 4: 2, 3. ante percepimus. Sed quæ ab *Ulpiano* traduntur ita accepta ab aliis refelli, Romanos vicena sua stipendia ad quinquagesimum ætatis annum extendisse, & neque Romanis cum Israëlitis, neque Levitis cum reliquis Israëlitis paria hic omnia fuisse, ex ante dictis constat: Tum alia omnia suadere videtur constans illa in recensionibus Israëlitarum, licet ad civilem etiam usum factis, terminum ætatis posteriorem diserte non exprimendi, sed robore & dignitate militari cives definiendi ratio; ingens item numerus Israëlitarum, vel solorum Judæorum, sæpius exhibitus, quem tantum inter vigesimum & quadragesimum ætatis annum constitutorum fuisse haud probabile est; quodque iidem concionis civilis participes & militiæ muneribus obnoxii, uti ex *Jud.* 20: 2, 17. qua ipsum usum, intelligitur, à concionibus vero civilibus obeundis jam immunes fuisse, qui quadragesimum ætatis annum excessissent, ratio vix patitur; quod denique idem precium statuitur viro à vigesimo anno usque ad sexagesimum *Levit.* 27: 3. uti supra vidimus. Atque ex hoc loco justam civilem, eandemque militarem ætatem, apud Israëlitas à vigesimo ad sexagesimum ætatis annum pertinuisse, & sic quadraginta annorum spatium complexam fuisse, verisimile fit. Tanto igitur minus mirum, siquidem ita idem utrinque militaris & civilis ætatis apud Hebræos terminus fuerit, militis vel, quod solum illis militiæ genus initio usitatum videtur, peditis nomine designatum civem; cujus nisi hoc nomen sit, nullum ex Hebraismo supererit. Nam יֹשֵׁב, quod *Civis* nonnulli vertunt, habitatorem notat, nec ad civitatem, sed locum, urbem vel regionem, refertur. Atque hinc רגלים vel רגלי videmus non tantum opponi equitibus & curribus, ut 2. *Sam.* 8: 4. 2. *Reg.* 13: 7. 1. *Chron.* 18: 4. *c.* 19. 18. sed & pueris *Exod.* 12: 37. Et רגלי æque constituit concionem civili more deliberantem atque exercitum *Jud.* 20: 2, 17. militiaque pro functione etiam civili, imo & Sacra capitur *Num.* 4: 3, 23, 30, 35, 39, 43, 47. *c.* 8. 24, 25. prorsus uti supra apud *Tuberonem*, teste *Gellio*, miles puero opponebatur & pro membro Reip. seu cive capiebatur, & militia pro civili munere ac dignitate apud Latinos Scriptores passim dicitur. Vid. *Jun. ad Num.* 4: 3. *n.* 1. *Calvin. Lex. Jurid.* & Lexica alia. Quod vero sola Israëlitis pedestris militia initio in usu fuit, ejus non solum paupertas, & quod equos alere sumtuosius nec nisi divitum sit, quam rationem hujus militiæ veterum differentiæ universe tradit *Aristot.* 4. *Polit.* 3. sed vel præcipua causa fuisse videtur præceptum Divinum; quo magis ab Ægyptiorum moribus & commerciis abducerentur. Vid. *Deuter.* 17: 16. & ibi *Poli Synopsis.*

MEMBRUM VI.

Quid עד כי.

§. 1. De hoc Vaticinii membro inter Christianos dissensus, cujus ego recorder, apparet nullus, si versionem ipsam spectes; omnes enim reddunt *Donec, usque dum & s.* Sed si de sensu loquentes audias, quatenus ab hoc ipso membro is pendet; non omnino eadem, sed quosdam ipsi versioni suæ prorsus contraria sentire deprehendas. Nimirum genuina vis

vis illius vocis utique ea eſt, prius venturum Meſſiam, quam Civile imperium auferatur à Juda; quæ à multis etiam agnoſcitur. Sed nonnulli urgent, auferendum fuiſſe Sceptrum à Juda antequam naſceretur Meſſias, eoque debuiſſe Judæos tempus nativitatis Meſſiæ agnoſcere, cum Chriſtus naſceretur; cujus rei exempla cum paſſim occurrant, tum videre licet apud *Polum ad Matth.* 2: 1. *col.m.* 44. *lin.* 66. *ſeqq. col.* 45. *lin.* 8. *ſeqq. ad Luc.* 2: 2. *col.* 834. *l.* 18. *ſeqq.* Verum, præter jam allegatam nativam vocum vim, ita argumentum prorſus tollitur ex hoc loco, pro deſignando vero tempore Nativitatis Meſſiæ, petendum, cum eum ad finem mundi uſque exſpectare Judæis per hoc Vaticinium liceat, & ſupponuntur ꝗ שבט & מחוקק interpretationes ſupra confutatæ.

§. 2. Alia hic lis eſt, quam *Rabbini*, in his *Bechai* & *Lipmannus*, movent, nihil ſcilicet intentatum relinquentes, quo acerrimum hoc veritatis Chriſtianæ telum nobis extorqueant. Disjungunt illi vocem עד à כי & *in æternum* vel *æternum* vertunt: Vocem vero כי *Bechai* vertit *poſtquam*, ſenſum hunc faciens, non ablatum iri à Juda Sceptrum in æternum, poſtquam venerit Meſſias; *Lipmannus* reddit *quia*, quaſi ſenſus ſit, quamvis ad tempus ceſſaturum, non tamen æternum ablatum iri Sceptrum à Juda, quia venturus denique Meſſias, cujus Regnum æternum non abolebitur. Sed de hac lite contenti eſſe poſſumus iis, quæ ex *Helvico* habet *Polus ad h. l. Rabbini*, ait, *malitioſe diſcerpunt illa*, עד *&* כי (*de qua ſubtilitate tripudiat R. Bechai, eamque R. Salomoni tribuit*) *& ſic exponunt; Non auferetur Sceptrum* עד *i.e. in æternum* (æternum) *ut hic ſit comma: Alterum*, כי, *referunt ad ſequentia, & vertunt, poſtquam*, (quia) *in æternum, poſtquam venerit* (quia veniet) *Meſſias. Sed* 1. *hoc commentum refellit doctrina accentuum, prout Elias proponit. Nam Athnachta* (*qui poſt Silluk omnium accentuum eſt maximus, & colon facit, ſicut Silluk periodum*) *immediate antegreditur voculam* עד, *quia habet Jethibh, accentum longe minoris virtutis.* 2. עד *conſtructum cum* כי *nunquam ſeorſum ſignificat, ſed ambæ conjunctim donec, uſque*; ut *Geneſ.* 26: 13. *& cap.* 41: 49. *Pro quibus alias* עד אשר. 3. *Et alibi* עד *Jethibh affecta poſt Athnach non poteſt niſi ad alterum verſus colon referri; ut Jud.* 4: 24. 4. עד כי *conjungunt, & vertunt, donec, uſque dum, &c. Onk. & Jon. & Jeroſ. item AE. & RS. & K. Et ipſe R. Bechai hanc expoſitionem adduxit* עד אשר *uſque dum deſtruatur arca Silo.* Non abs re erit conferre, quæ habet *Alting. c. l. cap.* 8. *f. pag.* 28. *ſeq. cap.* 15. *f. pag.* 63. *ſeq. cap.* item 16. *pag.* 65. *m.* Ubi quæ confutatur opinio, videtur eſſe ipſa illa vel è *R. Bechai* vel ex alio *Lipmanni* loco, ante relata: Niſi עד *amplius*, כי *poſtquam* vel *quando* ſignificare ſtatuat; quod tamen æque per allata evertitur, nec qua rem ipſam à *R. Bechai* mente abit.

§. 3. *Aben-Eſra* apud *Polum ad h.l. col. m.* 275. *f. ſeq. pr.* & *Altingium c.l. lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 10. tradit, עד hic notare non *ablationem* ſceptri, ſed *continuationem*: ut in illis locutionibus, *Illi non deerit victus, donec habuerit agros & vineas*; & *Gen.* 18: 15. *Non deſeram te, donec fecero omnia quæ dixi tibi.* Ubi notandum, apud *Alting. c. l.* verba, *Non vero ſenſus eſt: donec veniat Schilo; quod receſſurum ſit ab ipſo ſceptrum poſtquam occiderit Schilo*, minus apte exprimere mentem *Aben-Eſræ*, eique tribuere ſermonem male cohærentem, quaſi & de adventu perſonæ & de interitu Urbis eadem verba capienda ſint, & hæ interpretationes qua ſenſum literalem nihil differant. Vertendum potius videtur, *Non vero ſenſus eſt: donec veniat Schilo; quod receſſurum ſit ab ipſo Sceptrum poſtquam venerit Schilo.* Nam quanquam Hebræa verba ex ſententia aliorum, quibus, veluti in negotio communi adverſus Chriſtianos gerendo via ſibi proxima tendentibus, non repugnat in antecedentibus *Aben-Eſra*, ambigua ſunt: Unum tamen ſenſum tantum habere debent in verbis illis *Aben-Eſræ* & ex ſententia, quam veriorem putat, quæ eſt de adventu Davidis ibidem propoſita. Apud *Hoornb. c. l. Except.* 4. *pag.* 134. prius exemplum, qui ordo ibi inverſus eſt, pro *donec* habet *quamdiu*; quem ſenſum admittit quidem Latinum *donec*, ſed nec Hebræorum עד כי vel עד אשר, nec *Gen.* 18: 15. Ea autem verſio eſt alieniſſima à mente Aben-Eſræ & verbis, quæ ita apud *Alting. c. l.* non male vertuntur, *non deerit τῷ δεῖνα panis, donec veniat tempus ut habeat agros & vineas multas*: Quorum evidentia neminem dubitare ſinit, eodem modo ibi capi τὸ *donec*, quo in exemplo altero; in quo omnino verum eſt, terminum excluſivum non eſſe. Quamobrem nec h. l. præciſe vi vocum עד כי termini excluſivi ſenſus infertur, ac proinde nec hoc Vaticinii membro ſententia evertitur de Davidis Regno hic prædicto, cujus cauſa עד כי *Aben-Eſra* ita explicat. Evertitur tamen eadem aliis Vaticinii membris; ut ſuis locis oſtenditur. De Meſſiæ autem adventu ſi Vaticinium capiatur; nec noſtri repugnant explicationi illi, continuationem ſcilicet ſignificari; ſed qualis Typi in Antitypo eſſe ſolet: Quæ quia proprie dicta non eſt; agnoſcendum, ablationem utique prædici poſt Meſſiæ adventum futuram, quo in locum Typi corporei vel mundani res Spiritualis, quale negotium omne Meſſiæ eſſe agnoſcunt Judæi apud *Mart. Helvic. Sceptr. Jud. th.* 12. *f.* & *Mater. Colloqu. Hebr. Part.* 1. *n.* 11. & *Alting. Schil. lib.* 4. *cap.* 15. *ſeqq.* ſit ſucceſſura.

MEMBRUM VII.

Quid יבא.

§. 1. Etiam hic Judæi primum repellendi: Nam & in hoc verbo aliqui rimam quærunt, qua elabantur, ſtatuentes בוא idem eſſe quod *interire, deſtrui*; cujus ſententiæ exemplum habuimus in verbis *R. Bechai* è *Polo* vel *Helvico* paulo ante adductis, neque eam *Aben-Eſræ* apud *Alting. c. l.* magnopere improbari modo vidimus. Qua quidem re manifeſtum faciunt, quam deſperata cauſa ſit, cui à talibus figmentis præſidia petenda ducunt. Nam בוא contrarium potius ſignificat, *fieri, evenire, incipere eſſe, incipere exiſtere*, atque ita etiam *incipere adeſſe. Deut.* 13: 2. *cap.* 18: 22. *Jud.* 13: 12. 1 *Sam.* 9: 6. & pluribus locis aliis. Quanquam nullo, quod ſciam, de Perſona vel alia re per ſe ſubſiſtente ita capitur, eoque veriſimile ſit, nec hoc loco de Subjecto, niſi ſecundum certum attributum, capi; quod *membris ſeqq.* manifeſtius redditum iri ſpero. Alterum oppoſitum item verbum בוא notare, nullo exemplo probari poteſt, nec plus ſpeciei habet, quam quod de verbo סור ſimiliter tradi ante vidimus. Si illud allegetur, quod Sol dicitur בוא, hoc eſt, *occidere, Gen.* 28: 11. *Amos.* 8: 9. Tenendum, id minime fieri ſimilitudine à rebus intereuntibus petita, ſed à viatoribus vel hominibus, negotiorum cauſa mane domo exeuntibus & per diem extra eam agentibus, veſperi vero tecto ſuccedentibus, unde poſtero die egreſſuri, vel initio illius ipſius egreſſi ſunt; quare & verbum יצא *exivit* de ortu Solis adhibetur, & locus, in quo tempore inter occaſum & ortum medio commoratur, thalamo comparatur. Vid. *Pſalm.* 19: 6. Præterea hæc interpretatio aliis etiam Vaticinii hujus vocibus, præſertim proxime ſequenti שילה, alienas ſignificationes tribuit; quibus, ſuo quaque loco, confutatis & ipſam exſpirare neceſſe eſt.

§. 2. Igitur hoc loco בוא nihil aliud notat, quam *incipere eſſe, incipere exiſtere*, & ſic *adeſſe incipere* vel *præſentem eſſe incipere*; יבא autem Futurum Præterito mixtum, ut ſcilicet Futurum ſit reſpectu temporis quo prædicebatur, Præteritum reſpectu rei in antecedentibus prædictæ, *eſſe vel adeſſe cœperit*, **er wird gekommen ſeyn**/ quod communi cum ſimplici Futuro vocis forma Lingua Sancta eloquitur. Conf. *Abarbenel* apud *Alting. c. l. pag.* 40. *pr.* Atque hujus intuitu verbi hic & alibi, ubi Meſſias futurus prædicitur, adhibiti, ὁ ἐρχόμενος pro ipſo Meſſia poſitum *Matth.* 11: 3. *cap.* 21: 9. *Luc.* 7: 19, 20. *cap.* 13: 35. *Joh.* 12: 13. Conf. quæ habet *Polus primis duobus locis.*

MEMBRUM VIII.

Quid שילה.

§. 1. Maximus hic iterum in vertendo Interpretum diſſenſus eſt: Sed ut minus difficilis veri delectus ſit membra antecedentia recte conſtituta habentibus, & ad ſcopum Textus probe attendentibus. Nonnullis שילה idem eſt quod שלה, ut *Samaritanus Codex* habet, vel שֶׁלּוֹ; ה pro ו adhibito: Atque hoc cum ambigui ſenſus ſit, variæ inde interpretationes ſunt ortæ. Nam ob hanc hypotheſin creduntur LXX. reddidiſſe ᾧ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, vel ἀποκείμενα αὐτῷ, vel ᾧ ἀπόκειται: Nam varie hic legitur. Vid. *Sixt. Amama Antibarb. Bibl. ad h. l. p. m.* 450. *Polus ibid.* & *Hotting. c. l. pag.* 161. *ſeq.* Priora reddi ſolent; *cui repoſita ſunt*: Poſterius; *cui repoſitum eſt*, vel, *cui ſervantur*, nempe πάντα, *omnia. Epiphanius* apud *Petavium c. l.* poſt verba, *cui repoſitum eſt*, ſubaudit, *ut ſit Chriſtus. Hoornbeek pro convincendis & convertendis Judæis l.* 2. *c.* 1. *pag.* 128. iiſdem verbis, *cui repoſitum eſt*, addit, *judicium*; haud dubie ſecutus *Oſiandrum*, qui apud *Polum ad h. l.* eo refert *Ezech.* 20. vel potius *c.* 21: 27. *donec veniat cui eſt judicium*, & quod *Joh.* 5: 22. judicium

Chriſto

Christo datum esse dicitur. Quorum tamen priorem locum, *Ezech.* scil. 21:27. aliter alii capiunt; in his *Lutherus* & *J. Tr.* in *Versionibus*, *Alting. Schil. l.* 3. *c.* 8. *pag.* 172. *Scaliger in Eusebium animadv.* teste *Hotting. c. l.* istud ᾧ ἀπόκει) exponit, *in quo res abstrusæ & reconditæ sunt*; eo, uti videtur, motus, quod *Justinus Apol.* 1. *Silo*, inquit, σελέχ ἀγνώστων σημασιῶν, id est, *continet significationem rerum absconditarum. Onkelos in Paraphr.*, sunt *Hotting. c. l.* verba, & *Auctor libri Tanchuma*, *Haretus item Ibn-Sina* (*quorum quisque sua lingua*, *LXX. interpretum exemplo*, *vocem* שלו *agnoscit compositum ex* ש *pronomine præfixo*, & לו *affixo*) *ad regnum referunt.* Quod etiam de *RS.* & *Jerosolymitano*, vertere eos scilicet, *cujus est Regni jus*, perhibet apud *Polum ad h. l. Grotius*: Sed *R. S.* vertere *cujus est Regnum* testis est *Alting. cit. p.* 172. Nec aliter Jerosolymitanum reddere, ac proinde nec, uti *Alting. ibid.* tradit, *cujus est*, videre licet apud *Buxtorf. Gramm. Chald. & Syr. lib.* 3. *p. m.* 360. Ex *Hottingero c. l.* etiam discitur, *Interpretem Arabicum*, quo usus *Ahmed Ibn-Idris*, ad universale omnium rerum imperium referre, hic habentem, *cujus sunt omnia*; *R. Saadiam* vero vertere ᾧ ἐστιν. αὐτῷ ἀπόκει). Verum enim vero שֶׁלוֹ vel שֶׁלָּה in שילה verti, ratione & exemplo caret, minimeque proinde fit verisimile. Conf. *Alting. c. p.* 172. *Samaritani* vero lectio si præferatur; idem etiam repetimus, quod supra *Membr.* 5. §. 5. est monitum. Præterea ea interpretandi ac legendi ratio sensui hujus Vaticinii claritatis atque efficaciæ, & connexioni concinnitatis multum detrahit; uti sequentia manifestabunt.

§. 2. Vulgata reddit *Qui mittendus est*: Idque præter Pontificios, *Vulgatæ* αὐθεντίαν post Concilium Tridentinum credentes, probat *Flaccius in Clave Scripturæ* & *Grotius ad h. l.* Et *Flaccius* quidem cum *Steucho* & *Huntlæo* locum à Judæis corruptum censet, luculento huic de Messia testimonio obscurando, atque olim lectum fuisse שלוח vel שליח *mittendus*. Vid. *Hotting. Thesaur. Philol. p. m.* 160. *seqq.* Mentem *Grotii* & verba exhibet *Polus*. *Mihi*, ait, *hæc Versio maxime probatur. Est ergo Siloh*, ἀπεσταλμένος, *nomen maxime Messiæ proprium*, *qui summa cum potestate à Deo missus est. Vide Matth.* 9: 38. & 10: 16, 40. *Joh.* 3: 17, 34. & 5: 36. & 6: 57. & 7: 29. & 10: 36. & 11: 42. & 17: 3, 8, 18. &c. *Actor.* 9: 17. 1 *Joh.* 4: 9, 10, 14. *Hebr.* 3: 1. Item *Joh.* 4: 34. & 5: 23, 24. 30, 37. & 6: 38, 40, 44. & 7: 16, 18, 28, 33. & 8: 16, 18, 26, 29. & 9: 4. & 12: 44, 45, 49. & 13: 20. & 14: 24. & 15: 21. & 16: 5. & *Rom.* 8: 3. Quæ omnia loca, *sed maxime illud de Siloah*, *Joh.* 9: 7. *hoc vaticinium respicere videntur. Quid autem facilius quam*, *aut variante dialecto*, *aut scriptura aberrante*, *mutari inter se literas tam vicinas & soni & figuræ*, (*nempe* ה & ח). Sed Versionem illam rectius alii vel Codicis, quo *Vulgatæ Versionis* auctor est usus, vitio, vel auctoris ipsius oscitantiæ tribuunt. Sane *LXX. Interpretes* non legisse שלוח, versio ipsorum, de qua §. 1. satis demonstrat. Quam omni veritatis specie criminatio eorum careat, qui Judæos studio corrupti Sancti Codicis reos agunt, prolixe prosequitur etiam *Hotting. c. l. L.* 1. *c.* 2. *q.* 4. Et quam ab omni ratione abhorret, Judæos eo consensu, quem nunc recepta lectio requireret, corrumpere voluisse testimonium de Messia, quo ipsum Messiam designari tum veteres tum ex recentioribus plurimi agnoscunt, idque ita voluisse, ut vocem significantiorem, Messiæ, maxime etiam ex contextu & scopo hujus Dicti, designando multo aptiorem, qualem revera vocem שילה esse deinde apparituram spero, substituerent. Conf. *Hotting. cit. p.* 160. *seqq.* atque ibi allegati. Nomen ἀπεσταλμένος absolute positum Messiæ proprium esse, loca allegata non magis probant, quam id proprium fuisse Apostolis, de quibus nonnulla illorum loquuntur. Vid. *Matth.* 9: 38. *cap.* 10: 16. *Joh.* 17: 18. *Actor.* 9: 17. Quod *Joh.* 9: 7. Græca versio nominis Hebræi inseritur, in quo *Grotium* argumenti ex hoc loco petiti præcipuam vim statuere ex notatis ad eum intelligitur, id non hoc tantum loco, sed etiam aliis, sine ulla specie talis respectus, neque alia causa factum, quam quia Græcis scribebatur, nominum Hebræorum vim nescientibus, scire tamen desiderantibus. Dialectus ita varians quæ sit ostendendum. Scriptura aberrante locum hac parte corruptum nihilo verius est, quam de רגליו. Neque ulla necessitas cogit, ad hoc vel illud remedium, quasi urendo secandoque confugere. Quod Judæorum nonnulli, quos *Julianus Apostata* secutus, *Mittendi* notionem hic admiserunt, *Nebuchadnezarem*, qui propter peccata Populi à Deo mittendus erat, ut Regnum & Populum auferret, ita designari statuentes, id nihil amplius quam vertiginem horum hominum, ingenti malitiæ ac pervicaciæ junctam, arguit, quasvis παρεμβολάς admittentium, modo iis Jesum Nazarenum Messiam non designari, quantumvis absurdissimis effugiis, ostendere in proclivi sibi positum credant. Cæterum de hac Judæorum interpretatione conf. *Polus ad h. l. p. m.* 276.

§. 3. Sunt qui שילה componunt, uti ex *Fagio Polus* refert, ex שי *munera* vel *munus*, & לו *ei*, scilicet afferent, secundum *Psalm.* 72: 10. Atque ita, teste *R. Salomone Jarchi* apud *Alting. l.* 1. *c.* 3. & *R. Bechai ibid. cap.* 5. *p.* 17. *pr. Medrasch Agada*; verum ad *Psalm.* 76: 12. ubi ipsa vox שי adhibetur, respiciens: Sed hoc nec formæ vocis satis congruit, & eodem nævo laborat, quem in LXX. & qui cum iis sentiunt, explicatione in fine §. 1. notavimus. Conf. *Alting. lib.* 3. *c.* 8. *p.* 17. *pr.*

§. 4. Non pauci vertunt שילה *filius ejus*, scilicet Judæ: Ut ה idem sit quod affixum ו *ejus*, & שיל idem quod שִׁלְיָה, *secundina*, & per Metonymiam, *fœtus*, *filius*. Ita *Kimchi* apud *Schindlerum Lex. Pentagl. h. v.* item *Jun. Trem. Galatinus*, *Piscator*, *Ainsworthus*, *Helvicus*, *Malvenda* & *R. Bechai* apud *Polum ad h. l.* Neque alia *Jonathanis Chaldæi* sententia videtur *Calixto Histor. Josephi p.* 74. vertentis, זעיר בנוי *parvus filius ejus.* Sed quendam ex nuperis Rabbinis id interpretari, *Rex Messias*, *qui venit ex David*, *qui fuit minimus inter filios Iischai patris sui*, 1 *Sam.* 16: 11. testis est *Buxtorf. Gramm. Chald. & Syr. L.* 3. *p. m.* 364. addens: *Minimus natu est*, *post quem partus cessavit. At* שלה *inter alia etiam est Cessare*, *Desinere*, *Finiri*, *teste Elia in Methurgeman. Sic paraphrastes vocem Hebræam* שילה *videtur voluisse interpretari.* Verisimilius tamen fit, *Jonathanem* cum ante memoratis sensisse, שילה è suffixo ה, pro ו posito, & nomine שיל componi: Nam suffixum paraphrasi sua utique exprimit; & שיל *secundinam* per Metonymiam pro filio, eoque parvo, quod non nisi parvuli ea continentur, poni significat. Nisi ad שליל *embryo*, *Thalmudi* notam vocem respexerit; quæ conjectura est *Altingii l.* 1. *c.* 2. *p.* 5. & interpretatio Judæi cujusdam memorata *Aben-Esra ad h. l.* apud *Alting. c. l. p.* 10. *Aben-Esra* apud *Alting. cit. p.* 10. sine Tropo nativam secundinæ significationem ante se requirente שיל pro filio capi posse ait, *ex significatu* (2 *Reg.* 4. *vs.* 28.) *non* תשלה *me*, *cujus expositio est*, *ne facias parere me.* Hæc interpretatio quam generalissimo vocis sensu vim Vaticinii hujus infringat atque aciem quasi hebetet, quod *Medum* sensisse puto, cum eam nimis ambiguam esse causatur apud *Polum c. l.* intelligitur ex eo, quod tum *Kimchi* id æque Davidi ac Messiæ accommodat, tum *R. Bechai* ita super eo commentatur: *Et ratio est*, quod non dixit בנו sed שילה, *quia voluit emphatice subinnuere filium*, *qui nascitur è secundina mulieris*, *more omnium*, *qui nascuntur è muliere.* Equidem cum *Galatino* alii Christiani Interpretes putant, designari nasciturum Messiam de Matre sine Patre seu ex Virgine; quod forma vocis ἀνώμαλος atque inusitata fit: Nam ה affixum ex usu Linguæ fœmineum esse ajunt, & dicendum fuisse *Schilah*; sed punctatione masculeum esse, ut significetur, sive eum & ex Juda futurum, & ex Maria Virgine, sive eum existimandum filium Joseph, sed revera filium fore duntaxat Virginis. Quæ ex *Piscatore*, *Ainsworthо* & *Malvenda Polus ad h. l.* exhibet. Sed quantumvis hæc primo intuitu se pro veris probent, penitius tamen introspecta multo alia deprehenduntur. שיל ne pro *secundis* quidem seu *secundina* uspiam in Sacris Literis invenitur; nedum pro *filio* positum reperiatur. Quare nec est, cur de ejus derivatione sive à שלה, sive à שליל, quæ ipsa vox Scripturæ item ignota est, soliciti simus. Quanquam & illud falsissimum, 2 *Reg.* 4: 28. שלה significationem habere *pariendi* aut *parere faciendi*; cum potius *fallendi*, *errare faciendi* notio ibi ei conveniat, uti interpretes nostri vertunt. Et quamvis שיל pro secundis positum inveniretur, non tamen respectu Patris ita denominari posset filius; uti crude admodum *Kimchi* & *Bechai* cum *Jonathane* sentiunt: ה pro suffixo ו ἀνωμάλως quidem, pluribus tamen locis adhibetur, neque eorum ullo fœminini simul & masculini generis nota esse deprehenditur. Vid. *Gen.* 13: 3. *Levit.* 23: 13. *Num.* 10: 36. *Psal.* 42: 9. *Ezech.* 12: 14.

§. 5. Neque melior *Lud. de Dieu* opinio est. *Malim*, ait apud *Polum c. l.* (radicem) *ex Arabica lingua petere*, *ubi* שיל *est profluvium sanguinis*; & שילה *cum affixo* (*solent enim Arabes* ה *adhibere pro Heb.* ו, *quod Hebraismus sæpe imitatur*) *sic verto*, *Donec veniat fluxus*, *vel profluvium ejus*, *i. e. semen quod ex eo fluxerit.* Præter notas, quas cum præcedente communes hæc explicatio incurrit, eo magis se suspectam reddit, quod aliunde, ex Arabismo scilicet, petere instituit, quod domi, in ipso Ebraismo, facilius invenitur: Cum ne illic quidem invenire potuerit, quod multum probabilitatis ac vel illam significationem, quam ipse desiderabat, haberet. Nam profluvium sanguinis minime est semen virile.

§. 6. Sunt ex Judæis, qui nomine שילה *Mosem* intelligunt, cujus nomen atque illud numero Hebræo tantundem valent; שילה 345. & משה 345. Hanc sententiam primo loco ponit *R. Bechai* apud *Altingium p.*13. ejusdem causa citatus à *R. Menasse Ben-Israël* apud *Hoornb. c. l. p.* 135. ubi *R. Menasse* de eo inquit: *Itaque ait, Jacobum vaticinatum de prima liberatione filiorum suorum ex Ægypto. Ut S. Verba exponenda sint: Non auferetur virga, sive imperium, à Jehuda &c. donec venerit Siloh, sive Moses: tunc enim ereptum Jehudæ imperium, tradetur Moisi, ex tribu Levi. De quo etiam dicitur, Fuit enim in Jesurune Rex; ad Mosen, ergo inquit, congregabuntur populi, videlicet Israëlitæ: qui eodem nomine nuncupantur in Deut. Etiam amans populos. Certe valde verisimile est Patriarcham de proxima redemtione filiorum suorum locutum.* Quibus addenda ipsius *R. Bechai* ista: *Quomodo enim, ait, rectum erit, ut nunc incipiat captivitas in Jacobo & semine ejus, & nullam faciat mentionem Redemtoris primi & proximi, neque vaticinetur de eo; neque evangelizet ipsis de eo; mentionem vero faciat futuræ remotissimæ, per redemtorem postremum, qui in extremo dierum erit.* Non satis liquet, utrum hi homines nomen שילה mere Cabbalisticum esse velint, nihil aliter significans, quam per hanc numerorum convenientiam; an, id *Redemptorem* ratione originis suæ notare, sed hoc loco non nisi eum, cum cujus nomine id numerorum valore convenit, & an hoc ipsum ideo tam obscure proponant, ne id in rem suam Christiani vertant. Sed utrumvis horum sit; falsum est Mosem hoc loco designari. Nam quantillum est, quodcunque Judæ competiit Imperii ante ætatem Mosis, præ illo, quod post ejus tempora est consecutus & per plura secula tenuit: Ut ab omni ratione abhorreat, illud hic curatum, neglecto isto; præsertim cum Mosi potestas non nisi ad vitam ipsius, Davidi in totum item Israëlem Regnum hereditarium datum sit. Præterea non fert Emphasis vocis יסור, id intelligi tempus, post quod imperium iterum tenuit Juda. Nec denique Imperium Judæ intelligitur in alias tribus, sed quod tenet מחוקק בין רגליו *Prætor inter cives ipsius.* Cabbalæ nulla revera probandi vis est; cum contraria per eam inferantur. Vid. *Hoornb. c. l. p.* 141. *Alting. c. l. p.*21. & *Schickard. Bechin. Happerusch. disp.* 4. *n.*2. *seqq. disp.* 5. *n.*10. *disp.* 6. Argumentum de proxima redemtione aliter præterita rejicit & solvit ipse *R. Bechai ad initium Gen.*49. dicens, eam jam prædictam *c.*48.21. eoque non præteritam esse; cujus verba prolixiora refert *Alting. c. l.* Addendum, neque eam illius loci esse, quo agitur de Judæ prærogativis: Cum in ea nihil præcipuum Judæ ejusque posteris datum sit.

§. 7. Judæorum nonnulli apud *Æ.* & *R. Bechai* שִׁלֹה pro loco seu urbe capiunt, ejus interitum vel finem hic significari statuentes, eaque causa vel verbo יבא intereundi notionem tribuentes, uti paulo ante vidimus, vel Ellipsin vocis קֵץ hic esse putantes, ut integra oratio sit עד כי יבא קץ שילה *donec venerit finis Schilo.* Id evenisse ajunt Arca à Philistæis reducta: Tunc enim *deseruisse* Deum *Schilo & tribum Ephraim, & elegisse Juda,* ut dicitur *Ps.* 78: 60. tunc item Davidem, qui primus Regiam dignitatem tribui Judæ intulit, inauguratum esse. Hæc opinio quia סור appropinquandi significationem tribuere necesse habet; jam eversa est iis, quæ *Membro primo* sunt dicta: Ac præterea *Membro sexto* allatis: si verbum בוא *Interire* vel *destrui* notare sentiat. Eidem porro officit, quod יבא scriptum est: Cum de Urbe תבא fuisset scribendum. Pariter utrique obstat, quod ילי scriptum; cum Urbi fœmininum לָהּ conveniat: Quod item Urbs Schilo diu post illa tempora superfuit; uti ex *Jer.* 41: 5. intelligitur. Quanquam, pro posteriore præsertim, dici potest, intelligi finem non simpliciter, sed celebritatis & gloriæ è Sacris publicis totius gentis Israëliticæ, quibus Urbs Schilo destinata fuerat, ortæ, vel Tabernaculi, de quo accipit *Schindl. Lex. h. v.* Sed præter ante allata posteriori seorsum officit durities & insolentia Ellipsios, quæ hic creditur: Cui similem in Scriptura vix inveniri puto.

§. 8. *Lipmannus* apud *Alting. c. l. c.* 14. שילה ita de Urbe capit, ut non destructionem ejus notari existimet, sed adventum in illam, Saulis Regis constituendi causa. Nimirum & hic varias Rabbinorum interpretationes probat, omnes Divinæ auctoritatis cum aliis Judæis statuens; modo ne vera, quæ Christianorum est, admittatur. Verum ea explicatio requirit, Sceptrum vel Imperium hic relate ad reliquas tribus capi; quod non ita esse non semel est monitum: Præterea Schilo non numeratur inter eas urbes, in quibus Saul Rex declaratus; quæ sunt Rama, Mizpa & Gilgal. Conf. *Alting. c. l. c.*16. *f.* Posito etiam, ibi unctionem Saulis factam, eamque publicam, præsente tribu Juda; non tamen tum primum hanc eo venisse credibile est.

§. 9. *R. Hizquiah autor Hizquuni*, ait *Menasse Ben Israël* apud *Hoornb. c. l. p.* 137. *per Silo Ahiam Silonitem intelligens explicat, Non auferetur virga à Jehuda, hoc est; dominium, & scriba è medio pedum ejus, ut moris est, donec veniat Silo, id est, donec Ahia Silonites vestem Jeroboami in XII. partes rumpat: tum enim aliæ tribus habebunt partem imperii, soli antea Jehudæ possessi. Quod accidisse certum est, cum Jeroboamus imperium acciperet. Unde ad illum se congregaturas gentes, videlicet XI. tribus, S. Scriptura ait.* Sed etiam hic imperium Judæ in alias tribus intelligi putat: quod ante confutatum. Nec, si hic sensus esse debuisset, dictum fuisset עד כי יבא שילה, sed עד כי יבא שילני. Conf. 1. *Reg.* 11: 29. Et sic imperium X. tribuum ipsi Ahiæ tribuetur per ultima vaticinii verba, non Jeroboamo. Conf. *Hoornb. c. l. p.* 144. & *Alting. c.* 18. *p.* 72. *seq.*

§. 10. Neque magis expedita res est, si Jeroboamum intelligi dicatur; uti fieri ex *Helvico* refert *Polus ad h. l. p. m.* 276. Ut Jeroboam Silo vocetur, h. e. in Silo coronandus. Nam præter primum obstaculum præcedentis sententiæ, & quod non magis Silo pro eo dicatur, qui in Silo coronatus, quam qui ibi natus est; huic explicationi etiam illud obstat vel maxime; quod ne quidem in Silo, sed in urbe Sichem Jeroboam coronatus fuit. Vid. 1. *Reg.* 12: 1.

§. 11. *Abarbenel* apud *Altingium c. l. p.* 35. שילה exponit *peccatum ejus*; ut intelligatur *transgressio Salomonis: quia post istam, ait, recedet sceptrum regni, quod habuit super omnem Israël: nihilominus tamen ipsi congregatio populorum: vult dicere, quod cum ipso manebunt duæ tribus, videlicet Juda & Benjamin, quas indigitat nomine populorum.* Verum nec שיל usquam pro peccato capitur; & sic de imperio Judæ in alias tribus agi statuendum, quod non pati verba ומחוקק מבין רגליו ex antecedentibus constat.

§. 12. Eorum denique vera sententia esse deprehenditur, qui שִׁלֹה à שלה derivantes, nomen esse ajunt formæ קִיטוֹר & קִימוֹשׁ. Quibus exemplis satis eliditur *Ludovici de Dieu* exceptio, qua respicit י in prima syllaba. *Ipsa vocis forma,* ait apud *Polum ad h. l. & consonantes evincunt, non tam commode ex quiescentibus ultima, quam ex quiescentibus secundæ radicem peti. Omnes fatentur insolitum hoc esse in Lingua Hebræa.* Quatenus vero ה finale respicit; cogitandum, minime insolitum esse in Lingua Hebræa, Verba Imperfecta, indeque derivata Nomina, Perfectorum formam retinere vel imitari: Neque amplius hic morandum existimo. De genuina significatione videndum; in qua dissensûs aliquid cernitur. שָׁלָה significat *quietus, tranquillus fuit*; item *salvus, felix, fortunatus fuit, prospere & feliciter egit.* Hinc alii שִׁילֹה ajunt notare *pacificum, quietum,* uti *Sa* & *Osiander* apud *Polum h. l.* addens, *talem Messiam futurum* esse constat ex *Zach.* 9: 9. *Alii felicem,* eumque maxime talem, quod nomine *Herois,* Held vel *Herois felicis* indicare videntur; quæ sententia *Lutheri* apud *Calixtum c. l.* & *Helvici* apud *Polum.* Alii *felicitatem,* vel *Auctorem felicitatis & abundantiæ rerum omnium* reddunt: Ut *Vatablus* apud *Polum.* Nec abit *Castalio*, vertens *Sospitator. Medus ibidem* vertendum censet *Pacificator, Salvator,* ista subjungens: *Senior Judæ filius dictus est* שֵׁלָה. *Annon Spiritus Sanctus, sive Jacobus, hoc nomen elegerit respectu allusionis ad eum, expendendum relinquo.* Ex his *Pacificatoris* nomen maxime Spiritus Sancti menti & secundum eam vertendo Vaticinio Jacobæo convenire videtur. Nimirum Spiritualis Fœderis, Typus Resp. Judaica, cum innexo invicem cultu Levitico, & simul illius promulgandi certo loco alligatum præsidium, qua ad locum & gentem certam astricta erat, ad instar aliarum Rerumpublicarum, sepimentum quasi quoddam ac paries intergerinus erat, uti ab *Apostolo* diserte vocatur *Ephes.* 2: 14. inter Gentem Judaicam & reliquas, ac proinde cum divisione vel separatione, societatis solutione, inimicitiis & bello conjuncta. Quamdiu igitur Civitatis seu Reip. Judaicæ, &, qui tuendus ei commissus erat, Cultus Levitici, usus erat, qui erat usque ad Messiæ adventum; tamdiu status erat belli in terris. At simul Messias exhibitus passione & morte in gloriosam resurrectionem desinente, consecutaque gloriosissima in Cœlum ascensione, Typis ac Cerimoniis, eoque Typicæ Reip. pariter ac Cultui Religioso, finem imposuisset, jussa ante ascensionem universali per Apostolos Evangelii annunciatione: Unus jam Pastor & Unum Ovile, hoc est, unus Princeps, & unus Populus, erat Judæorum & Gentium, ac Monarchia vere Universalis, quam ipsa sequentia in Vaticinio nostro verba exprimunt, aliaque multa Scripturæ loca luculente lo-

quuntur, unicum scilicet vinculum universalis pacis, ab Angelis nato Messia proclamatæ *Luc.* 2: 14. Atque id est, quod hic prædicitur, tum demum Regiminis & Reipubl. Judaicæ usum cessaturum, cum Pacificator ἐξόχως dictus, seu Pacis & Summæ, quæ Spiritualis est, & Universalis, per summum & Universale Imperium Conditor venisset, ac proinde nec Rempubl. ipsam prius cessaturam. Quod quam sequentibus etiam convenientissimum sit, jam videbimus.

MEMBRUM IX.

Quid וְלוֹ.

§. 1. NEque hic deest, quod observari mereatur; quamvis expers omnis dubitationis pars hæc videri queat. Vulgo ita accipiunt, quasi ante finiretur tota sententia, & hic nova constitueretur. Nam sensum esse volunt: Non ablatum iri Sceptrum à Juda donec venerit Messias; Messiæ autem fore populorum obedientiam vel aggregationem.

§. 2. Oculatior hic, uti & alibi in hoc ipso Dicto, ducem haud dubie *Tremellium*, hujus Versionem exhibet *Alting. c. l. lib.* 3. *c.* 1. *p. m.* 14. secutus, *Medus dissert.* 8. apud *Polum h. l. p. m.* 279. connexionem hujus membri agnoscens cum עד כי eoque locum hunc sic vertens: *Sceptrum non recedet à Juda &c. donec Schilo venerit & ei sit aggregatio, vel obedientia populorum, sive Gentilium. Ita*, addit *Polus*, עד כי *construit* ἀπὸ κοινοῦ, *quasi commune utriusque sententiæ, Donec Schilo venerit, & donec Gentes ad eum aggregentur.* Pergit *Polus*: *Ita prædictio hæc impleta nec sub Pompejo (tunc Silo nondum venerat; nec sub Herode; neque Archelao filio, (tunc gentes nondum aggregatæ ad eum;) sed sub Tito, in excidio Reip. Judaicæ. Hanc veram esse applicationem hujus prædictionis non solum ostendit eventus, sed docet Christus in prædictione ruinæ Judaicæ Reipublicæ, Matth.* 24: 14. *ubi inter signa antecedentia hoc recenset, Euangelium prædicabitur toto mundo, (& Gentes prædicatione Apostolorum convertentur,) & tunc erit finis, nempe Reip. & Politiæ Judæorum.*

§. 3. Amplius dicendum videtur, לו & quæ sequuntur per ו non tantum connecti cum עד כי, ut opus sit subaudire תהיה *fuerit*; sed cum עד כי יבא *donec venerit*, nec לו *ei*, sed *ejus* esse vertendum. Nimirum בוא Scripturæ phrasi, cum de rebus futuris dicitur, de Attributis, nec de Subjectis, nisi secundum illorum aliquod, capi ex supra *membr.* 7. §. 1. observatis constat. Videntur igitur ista ולו יקהת עמים adeo cum verbo יבא connecti, ut explicationem habeant & שילה ejusque muneris & attributi illius, secundum quod verbum יבא ipsi convenit. Neque vero suffixum ו nomini יקהת addi potuit: Quia id Constructum; eoque nota Genitivi ל opus fuit suffixo recipiendo. Et יבא Genere nomini proximo, quod ipsum hic etiam dignius est, respondet; uti & alias fieri solet.

MEMBRUM III.

Quid יִקְּהַת.

§. 1. VOx יקהת vel יקהה cum bis tantum in Scriptura occurrat, præter hunc scilicet locum non nisi *Prov.* 30: 17. nec Radicem aut alia cognata habeat in Scriptura usitata; pendentes quam maxime tenuit interpretum animos, quod variæ, quæ inveniuntur, Interpretationes demonstrant. Fuere quidem, qui vocem Absolutam esse credentes יקהת, verterunt *debilitatio*, derivantes à קהה *debilitatus, hebetatus fuit:* Quorum familiam ducit Chaldæus *Jonathan*, qui reddidit, *per eum debilitabuntur, resolventur, pavore diffluent gentes.* Vid. *Fagii Collatio Polo* citata, *Calixt. c. l. p.* 74. & *Schindl. Lex. Pentagl.* V. קהה. Sed hanc sententiam ipsa forma vocis labefactat. Unde enim Dagesch post Heemanticam, si prima Radicalis non deficiat? Nam Euphonicum esse, uti putat *Schindlerus*, quanquam non sine dubitatione, uti ex §. 4. intelligitur, minus verisimile est; cum utroque loco id inscriptum habeat, & commodior ejus ratio alia derivatione, sensu huic loco multo convenientiore, nec alteri loco non conveniente, inveniri queat. Quod de Dagesch Euphonico dictum, utrum spectarit *Helvicus* apud *Polum*, cum ait, tunc dicendum fuisse קהיה, an crediderit, in Anomalis non dari Heemantica à Kal. formata, quæ initio augeantur, de qua observatione diximus sub finem *Dissert. ad Levit.* 18: 11. definire in proclivi non est. Illud certe urgere nolim, quod addit, procedere istam explicationem ex somnio temporalis Regni Messiæ: Cum non absimili modo de Messiæ in Gentes imperio alibi Scriptura, Spirituali tamen sensu loquatur. Vid. *Ps.* 2.

§. 2. *LXX. Theodotion & Vulgatus* vertunt προσδοκία, *exspectatio.* Hi legisse videntur תקוה, vel certe à קוה putasse vocem יקהה derivari; quod quomodo fieri possit non apparet. Conf. *Drusius & Helvicus Polo* citati.

§. 3. Aliis יקהת est *aggregatio*, vel *collectio*; Quam versionem *Polus* ex *Helvico* tribuit *Munstero*, *Pagnino*, *Tigurinæ*, *Arabicæ*, *Samaritanæ*, *Vatablo*, *Rabbi Salomoni.* Neque aliud videtur velle σύστημα λαῶν, quod *Aquilæ* placuit. Nisi quod hoc terminetur in seipso; *Aggregatio* referri possit ad Messiam, cui aggregentur, quo *Lutherus* respexit, vertens, dem werden die Völcker anhangen. *Collectionis* notionem in animo etiam habuisse creduntur *Prov.* 30: 17. *Chaldæus & LXX.* transferentes *senectutem matris*: Nam, secundum Glossam marginalem *Rabbi Salomonis Bibl. Masor fol.* 781. ita dicitur ob *collectionem* seu *contractionem*, rugarum scilicet in facie Matris; vel, secundum *Abarbanelem* apud *Altingium c. l. cap.* 9. *p.* 32. *f.* quod in Matre senio confecta plurimi concurrant anni. Quanquam ipse *Altingius l.* 3. *c.* 9. *p.* 177. Jonathanem putat Synonymiam constituisse inter קהה & כהה; quorum hoc *caligare* significat & *rugas contrahere* præ senio. Ipsius dictæ versionis sensum satis bonum judicat *Calixtus c. l.* idque non sine ratione. Nam uti Cives aggregantur Magistratui suo, ut eum in medio constitutum habeant; sic Gentes Messiæ: Et uti Cives omnes uni Imperio aggregati unam concionem constituunt; ita & Gentes eadem ratione σύστημα unum. Sed an huic voci ea significatio sit, & unde sit, non apparet. Nonnulli cum Munstero derivant à יקה; cujus quidem talis significatio nusquam deprehenditur: Alii cum *Riveto* à קוה, unde eadem significatione est מקוה; sed יִקְהָה inde vix derivari potest. *Thalmudici* videntur Radicem agnovisse קהה, atque eam congregandi significatione usu recepisse. Nam ita eis usurpari, testis est *Hotting. Lex. Harmon.* V. קהה. Sed ita vocem istam derivari nolle, §. 1. est dictum. Ne dicam, sic longe diversam significationem eidem voci in altero loco, *Prov.* 30: 17. tribuendam esse.

§. 4. Teste *Altingio* modo *c. l.* יקהה alii derivant à נקה *mundus, purus fuit: ut sit sensus*, inquit, *& ipse purgabit populos à peccatis suis, scilicet juxta Angeli denunciationem in Evangelio Matth.* 1. *vs.* 21. *sic* יקהה *foret mundatio. Est autem hoc alienum plane, quia in* נקה *he quiescens est, in formatione nominis aut abolendum, aut mutandum in Jod vel Vau mobile, non vero retineri & in motum deduci potest.* Addo, minus evidentem mundationis σχέσιν esse ad antecedentia de Imperio Civili; Dicto vero *Prov.* 30: 17. eam notionem plane non convenire.

§. 5. Non pauci יקהת vertunt *obedientiam*, *auscultationem*, derivantes à יקה *obedivit, obtemperavit.* Hanc interpretationem tuentur *Onkelos*, *Hierosolymitanus Paraphrastes Junius & Tremellius*, *Piscator*, *Grotius*, *Calixtus*: Quorum tres postremi etiam rationibus allatis eam approbare studuerunt. *Piscator* apud *Polum* ait, hanc interpretationem ex *Prov.* 30: 17. confirmari. *Grotius ibidem* observat, sensum esse, Messiam eximium futurum & Regem & Doctorem, Judæorum & Gentium; quod ipsum etiam prædicatur *Dan.* 7: 14. *Es.* 11: 10. *c.* 49. 6. *c.* 55: 4. *c.* 60. 3. *Calixtus c. l. p.* 75. eam significationem scribit & sensum habere optimum & facillimam derivationem. Secutus *Schindlerum* videtur *Calixtus*, ad וקה ut radicem inusitatam יקהת ita interpretantem; sed יקה *audire*, *obtemperare* significare, uti sic statui videtur, & apud *Polum* ex *Piscatore* diserte dicitur, non indicantem. Sensus à *Grotio* assignatus cum Dictis allegatis optime huic Dicto accommodatur: Verum vocabulum יקהת *obedientiam* notare hæc non magis probant, quam obedientiæ Correlatum notare; illudque minus admittit constructio *membr.* 9. observata. Neque aliud deprehenditur in *Prov.* 30: 17. Cui obedientiæ notionem minus convenire *Schindlerus* animadvertit, ejus loci causa יקהה etiam *mandatum & doctrinam*, quæ accipiuntur & quibus obeditur, significare docens.

§. 6. Propius ad veritatem accedere videtur *Ludovicus de Dieu* apud *Polum ad h. l. p. m.* 275. ubi hæc habet: *L. de Dieu derivat ex* יקה *radice Hebræis inusitata, at Arabibus usitatissima, quod in prima conjugatione est, custodire, defendere; & sic verti posset, Ejus erit defensio populorum:* at

at in quinta est, *timere*, *revereri*: *hinc verto*, *ipsi reverentia*, *vel cultus populorum*. Nam sic *Prov.* 30: 17. *contemnens* ליקהת *timorem matris*. Equidem de Radice non pugno: Significationes vero allatæ necdum satis aptæ videntur sive hujus loci sive *Prov.* 30: 17. sensui exprimendo; quod de posteriore præcipue intelligitur ex dictis §. 5. *in fine*.

§. 7. Malim igitur cum *Mercero* & *Vatablo* apud *Polum ad Prov.* 30: 17. exponere per *Imperium*: Quod & sensui Vaticinii & significationi Radicis apud Arabes superstitis est convenientissimum. Nimirum Pacificatorem absolute dictum, in locum eorum, qui inter Judæos solum fuerant, successurum, promitti hoc Vaticinio, jam constat ex dictis de nomine שילה: Cui quid aptius conjungi poterat, quam illud ipsum per quod pax paratur & conservatur, quod est Imperium; cujus etiam mentione Typus Messiæ ante descriptus erat? Et antequam Imperium seu potestatem illam sibi à Patre datam quasi adiret Salvator noster, antequam illam promulgaret & exerceret, antequam per Apostolos juberet omnes ubique resipiscere & credere Evangelio, antequam advenisset Regnum Dei, quod ipsum & Christi; finis Reip. Judaicæ hic prædictus non contigit. Radicem יקה vel, uti alii ex Arabismo Ebræis literis transcribunt, וקי, notare ajunt *admonuit*, *defendit*, *custodivit*, *servavit*; uti videre licet apud *Mercerum*, *Schindlerum*, *Ludovic. de Dieu* & *Hottingerum cc. ll.* Quibus nihil Imperii naturæ convenientius; quippe quo non tantum officii monemur subditi, sed & custodimur, defendimur, & servamur.

MEMBRUM XI.

Quid עמים.

§. 1. Nomine עמים *R. Bechai* & *R. Hiskia Chaskuni*, uti refert ex *Helvico Polus*, intelligunt *Populum Israëliticum*: Quo magis, quantum in ipsis est, obscurent eventum in Salvatore nostro Jesu Christo huic palmario Vaticinio clarissime respondentem. Equidem quod de voce גוים alibi observavi, ea etiam solos Israëlitas aliquando intelligi, ut *Ezech.* 2: 3. ei simile in voce עמים usu venire negare nolim. Vid. *Gen.* 28: 3. *c.* 48: 4. 1 *Reg.* 22: 28. 2 *Chron.* 18: 27. Sed de Messiæ Regno cum sermo est, uti hoc loco esse jam constat, ita capi est falsissimum. Quare & Rabbini alii de Gentibus hoc loco accipiunt. *Ita Rabba*, ait ex *Helvico* & *Grotio Polus*, *in Genes. fol.* 113. *Ad eum* (*Messiam*) *aggregabuntur populi*, *quia dicitur*, *Esa.* 11. *ipsum inquirent gentes. Quem locum citat & R. Sal. Bibl. Masor. fol.* 53. *indeque explicat hunc locum. Ita Jon. & Jeros. & Bereshit Rabba hoc loco*, *Futurum est ut gentes seculi deferant munera Messiæ.* Conf. omnino Dicta §. 4. *sect. præc.* à *Grotio* citata & plura similia.

§. 2. Rectius quidem alii עמים hic nativa latitudine pro populis generaliter capiunt: Nondum tamen genuina Emphasis sic satis cernitur; nisi præterea observetur, eandem huic vocabulo in universitate humani generis exprimenda vim esse, quam in Synonymo ejus גוים notavimus *Dissert. Quirit. Phœnic. Interpret. Sect.* 3. §. 3. Cujus rei cum exempla passim observare liceat; tum inprimis illud notare placet, quod est *Jes.* 63: 3. ומעמים אין איש אתי *ex populis nullus vir mecum.* Nimirum *nullus ex populis* hic esse videtur *omnino nullus*, *ex universitate generis humani nullus.* Igitur יקהת עמים, quod ad verbum est *Imperium populorum*, sensu per Ebraismum expresso est Imperium universale generis humani, ipsum scilicet universalis pacis, cujus hic conditor nobis promittitur, præsidium.

§. 3. Atque ita Divinum hoc Oraculum, nativa luce discussis mentis nostræ nebulis, admirandam & suavissimam concinnitatem suam insinuat. Nimirum quasi exadversum invicem collocantur (α) Non (β) recedet (γ) imperium (δ) à Juda, h. e. Judaico populo (ε) & Prætor (ζ) è medio Civium ejus, רגליו, civium particularis Reipubl. eoque adversus alias Respublicas militantium indeque nomen gerentium; (α) donec (β) venerit (γ) Imperium, lenissimum illud admonendo, summa salutare defendendo, custodiendo, servando, (δ) populorum seu universale, (ε) & Pacificator (ζ) universalis seu cujus est illud Imperium universale. Ubi notandum, in Antitypo, contra quam in Typo fit, Subjectum, Pacificatorem, præmitti, Attributum vero, quod imperium est, postponi, aptioris connexionis causa per conjunctionem utriusque Subjecti, Prætoris & Pacificatoris, & ut concinnius in id ipsum vel analogum ei, à quo cœptum erat, desinatur. Intelligitur sic clarissime, promitti conservationem Divinam Reip. Judæorum non ultra, quam ad Messiæ Imperii universalis promulgationem, &, cum fine conservatione Divina nihil, minime vero omnium quod speciali illa ratione, qua Resp. Judaica, à Deo institutum est, durare queat, prædici, post promulgatum Spirituale Imperium Universale, Reip. Judaicæ sine spe restitutionis destructionem. Quibuscum si conferantur, quæ per universalem Evangelii de Jesu Nazareno annunciationem Generi humano & post hanc Civitati Judaicæ evenisse in aprico est: Res ipsa Jesum Nazarenum hoc loco Messiam & Salvatorem generis humani designari tam clare probat, quam Sol, cum meridies est, se lucere. Faxit Deus Benignissimus, ut & Judæi, remoto à corde ipsorum velamine, cernant jubar salutaris veritatis, & Gentiles, quique, sub Christiani sæpe nominis schemate, profanum & omnis Religionis expers pectus gerunt, cœlesti hac luce circumfusa attoniti Salutis consequendæ viam & Providentiam Dei, qua maxime Ecclesiam curat, agnoscant, majorem, cui & opusculum hoc inservire jubeat, in Nominis Divini Gloriam.



M. JOH. PEDANI
DISP. PHILOSOPHICO-PHILOLOGICA AD LOCA QUÆDAM GENESEOS.

ܒܫܡ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ :

הקדמה:

§. 1.



Res huc paulatim est deducta, ut Grammatici nomen jam objiciatur pro convitio, querulus inquit, *Ludov. Vives* in vivido illo *de causis corruptarum artium libro. II. p.75. c. m. Quidam* enim *oderunt magis hanc disciplinam* (Grammaticam) *quia ignotam sibi, quam contemnunt tanquam vilem aut se indignam; ne odisse tamen existimentur, contemtum aut negligentiam præ se ostendunt, tanquam eam pro nihilo ducant, cura rerum præstantiorum occupati.* Alii, quod postremæ iniquitatis est, forte invidiæ veneno suffusi, ad quæ ipsi, cum studiorum suorum rationem ita non compararint, ut Linguarum S. curam cum tractione eorum conjungerent, aspirare non queunt, ea ejus disciplinæ, præsertim quæ circa Linguam S. est occupata, auxilio præstare alios ita indignantur, ut si omnia illorum consilia atque instituta reprehendant, se demum sibi aliquam judicii famam confecturos esse non diffidant.

§. 2. Hujus rei nobis exemplo quendam *Johannem Dullardum* sistit, quod ex eo sæpius hanc sibi ingestam vocem perceperit: *Quanto melior eris Grammaticus, tanto pejor Dialecticus & Theologus. Id. d. l. p. 77.*

§. 3. *Ignoscendum quidem est inscitiæ*, inquit Vives, *indocta tamen arrogantia castiganda. pag. 75.* Et sane Dullardi hujus verba tamdiu inconsiderate prolata censemus, quamdiu discurrendi ὁ τόπος εὐφέστατος καὶ δημωσιώτατος, ὁ διὰ τῶν ὀνομάτων, h. e. locus naturæ convenientissimus & vulgatissimus, qui fit ex rerum nominibus *lib. Soph. El. c. 1. §. 5.* quibus nos κειμένοις positis *l. 6. Top. c. 2. §. 5.* scilic. κατὰ συνθήκην ex instituto *lib. de Interpr. c. 2. §. 10.* hoc est receptis & usitatis Philosophus uti debere monet, è Scholis eruditorum non eliminatur.

§. 4. Quemadmodum enim nummi usu ex instituto valent, ita etiam Nomina, teste *Jacob. Pallad. Tr. de Natura Nummi*; adeo ut quamvis Sapientibus voce destitutis liceat ὀνοματοποιεῖν s. nomina fingere *l. Categ. c. 7. §. 11. 12.* quod privilegium ipsis, asserente *Dn. Jac. Mart. l. 3. Inst. Log. p. 231.* etiam supra Imperatores & Reges, qui hominem donare civitate possunt, dictione non possunt, proprium est; abrogare tamen usitata nequaquam valeant. *Non* enim, inquit *Celsus*, *ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere, de suppellect. legat. Lab. §. 2.* Hinc non immerito privatus ille φιλοκαινίας pruritus Dyonisii Tyranni & Alexandri Cassandri Macedoniæ Regis fratris, qui sermonem fastidire cœperant, & nova veluti parturire verba, ineptus verius quam gloriosus jam tum est habitus: dum ille παρθένον *Virginem*, μένανδρον *expectativiram*, quod virum maneat & expectet; columnam μενεκράτην *validipotentem &c. Athen. l. III. Deipnos.* hic vero gallum ὀρθοβόαν h. e. *manicinam*, tonsorem βροτοκέρην &c. *Heraclid. Lemb. l. hist. 37.* nominare maluisse commemoratur.

§. 5. Sed quia dictionis virtus est, ut sit perspicua; signum sit, Orationem si non declaret, non obire suum ipsius munus, teste *Arist. l. 3. Rhet. c. 2.* hinc recte verbum insolens tanquam scopulus est fugiendum. Quod vero cujus magis, quam Grammaticæ ope & judicio fiet?

§. 6. Et quidem in ipsa Dialectica *Dullardus* hic, si vocum distinctiones non omittendo, sicut necesse est juxta *lib. 1. Top. c. 14. l. 1. de cœlo c. 11.* proprissime & contradistincte eam sumat pro parte illa Logicæ, quæ ex probabilibus saltem disserit *lib. 2. Met. c. 1. l. 1. Top. c. 1. §. ult.* quemadmodum alias ipse Philosophus inter Dialecticum, Demonstratorem & Sophistam *l. Soph. El. c. 11.* inter Demonstrationem & Dialecticam ratiocinationem *l. 1. Top. c. 1. §. 4. 5. l. 1. Post. c. 11.* inter propositionem Demonstrativam & Dialecticam *lib. 1. Prior. c. 1. §. 4.* accurate distinguit, quomodo vere dixerit obesse Grammaticam?

§. 7. Præsertim vero cum Dialectica dicatur à διαλέγεσθαι, quod colloqui, disserere significat; quæ dissertationes olim inter duos ad minimum, Respondentem videlic. & Quærentem seu Opponentem fiebant teste *Averr. in 1. Top. c. 1.* & quidem in illis rebus, ubi est ἀμφισβήτησις, dabaturque περὶ τοῦ δοθέντος discursus libera optio in utramque partem. Quem modum nobis Aristoteles his verbis describit: *Dialectica, quod ad eum spectat qui percontatur, est interrogatio contradictionis: quod autem ad eum qui ratiocinatur, est sumptio ejus quod videtur & probabile est l. 1. Prior. c. 1. §. 6.* Inde dicitur ἐρωτηματική seu *percontatrix Elen. c. 11. §. 7.* Dialecticus enim interrogat, ut principia sumat ex ore adversarii, ut *An O. Veritas in rebus? Annon contrariorum una scientia? An forma actu in materia? Annon illa posita ponatur formatum? Annon ipsa per generationem acquiratur &c.?* Qua ratione eam expresse Philosophus distinguit à Demonstrativa propositione, utpote λῆψις acceptione (non optione vel interrogatione) contradictionis alterius partis tantum veræ: quia *non potest in Demonstratione utravis pars contradictionis concedi Soph. El. c. 11. §. 7.* οὐκ ἐρωτᾷ ἀλλὰ λαμβάνει ὁ ἀποδεικνύων *l. 1. Prior. cap. 1. §. 6.* ἀποδεικνύντι γὰρ οὐκ ἔστιν ἐρωτᾶν, *Demonstranti namque non licet interrogare l. 1. Poster. c. 11. §. 8.* ut *O. animal sentit.* Discursus ille vero non potest esse absque oratione; hæc non absque suis elementis, Nomine scil. & Verbo (quia hæc in ulteriora principia à Logico dividi non possunt, quamvis à Grammatico bene possint) quæ nihil aliud sunt, quam voces significantes animi conceptus *l. de Interp. c. 1. §. 2.*

§. 8. Siquidem de animali vel aliis disputaturis non licet ea per se in disserendo afferre, sed vice rerum, non aliter ac in subducenda ratione calculis, tanquam symbolis utimur nominibus *Soph. El. c. 1. §. 5.* quæ alias φωναὶ *l. d. Interp. cap. 1. §. 2.* λέξεις & διάλεκτοι *l. 4. hist. an. c. 9.* ὄργανα διδασκαλικὰ καὶ διακριτικὰ δηλώματα τοῦ πράγματος *Plat. in Crat.* dicta sunt, ex quibus attestante *Scalig. Exerc. 1. sect. 1.* sæpius ad rei perceptionem adspiramus. Hinc recte sunt Symbola τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων passionum s. conceptuum in anima *l. de Interp. d. l. l. 3. de an. c. 8. c. 4. t. 2.* qui sive sint conceptus simplices s. compositi, iique potentiales vel actuales, ut loquuntur ex *l. 3. de. an. c. 7. t. 27. 28. c. 8. t. 38.* non nisi μιμήματα sunt τῶν πραγμάτων *Plat. d. l.* ὁμοιώματα vero seu simulacra rerum *l. de Interp. c. 1. §. 3. Cic. Top. 4.* partim per inductionem, partim per sensum animæ inscriptarum *l. 3. de an. c. 4. 7. 8.* οὐ γὰρ ὁ λίθος, ἀλλὰ τὸ εἶδος ἐν τῇ ψυχῇ, *Non enim lapis* (vel aliud rei quid) *in anima est, sed ejus forma s.* conceptus, inquit Arist. *l. 3. de an. c. 8. t. 38.*

§. 9. Cum autem, quemadmodum numerandi imperiti, nescientes quid suo cuique loco dispositi valeant calculi, ab Arithmeticis facile falluntur, similiter in disputando ignari, quæ verborum sit vis & potestas, sive disputent, sive disputare alios audiant, decipiantur *Elench. c. 1. §. 5.*: Itaque, εἰ τὰ μὲν ἐν τῇ φωνῇ ἀκολουθεῖ τοῖς ἐν τῇ διανοίᾳ h. e. *si ea quæ sunt in voce, consequuntur iis quæ sunt in dianœa*, ut loquitur *l. de Interp. c. 14. §. 2.* tales passiones mentis seu conceptus

per

per προφορικὸν, quem *Arist. l. 1. Poster. c.* 10. *t.* 77. §. 7. appellat τὸν ἔξω, λόγον vel orationem (utpote conceptus essentialem perfectionem) ita efferendo, ut æque vitentur ac videantur Insolentiæ, Soloecismi, fallaciæ Æquivocationis, & aliæ quam maximè περὶ τὴν λέξιν, Nomine, Verbo & oratione sive ore prolatis s. scriptis proprie & absque fallacia uti, non solius est dialecticæ, sed alius facultatis etiam Grammaticæ opus. Hinc *Epictetus* senex impietatis in Deum eos insimulasse legitur, qui in Philosophiæ studiis ἐπαγγελτικὸν λόγον sive sermonis curam tanquam rem levem aspernarentur. Et *Scalig. l.* 1. *de plant.* inquit: *Qui verborum curam putat indignam viro sapiente, is homines nos esse dedocet.* Proinde rectius contra Dullardum qua primum effati membrum invertimus: *Quanto melior eris Grammaticus, tanto* (cæteris paribus) *melior Dialecticus.*

§. 10. Sin autem *Dullardus* cum Ramistis & aliis Dialecticam pro sex illis sibi maxime contradistinctis Tractatibus, quos in Organo Aristotelis habemus, late (vere dicas incommode) accipiat, res eodem redit. Sic quoque nam ut Dialecticus finem suum tum internum, tum magis externum assequatur Grammatica non opus est? Hinc optimè *Lud. Vives d. l. Quid Grammaticus profitetur? non solum literarum & vocum peritiam &c. Qua de causa permissum est illi de scriptoribus cujusque generis judicium.*

§. 11. At confidentius contra Dullardi alteram effati partem cum Dn. D. Glassio ex *Philol. Gramm. S. præfat.* ingeminamus: *Quanto melior eris Grammaticus, tanto melior Theologus.* Nam *Scriptura non intelligitur Theologice, nisi intelligatur Grammatice*, inquit Phil. Melancht. Hinc B. Chemnitius: *Ecclesia tantum debet esse Grammatica, part.* 2. *Loc. de Justif. pag. m.* 549. Conf. de Grammatico Drus. *in epist. contra Serar. ante Tr. de trib. Sec. Jud.* Quod verissimum esse fatebuntur omnes, qui לכף זכות *lance æquitatis*, ut Hebræi loquuntur, rem tantam judicantes aliquot exempla Sacra nobiscum τεχνικῶς ἢ ἐπιτομικῶς saltem, cum ea altius excutere nostri non sit ordinis, לפי ענוות דעה perlustrare non dedignati fuerint. Sit ergo

ZETEMA I.

An vulgata versio verba Gen. 2: vs. 2. ויכל אלהים ביום השביעי מלאכתו benè reddat: Complevitque Deus in die septimo opus suum?

§. 1. Occasionem quærendi inter doctos olim præbuerunt verba immediate sequentia, quibus hujus universitatis Creator ab omni opere suo, quod fecerat, eodem die septimo quievisse dicitur. Nam *completio operis, est opus. Si complevit die septimo, igitur opus fecit, nec plane requievit illo die*, rectissime concludit Cl. Drusius *l.* 4. *præterit. p.* 126. *in c.* 4. *Joh. n.* 44. *& in Pentat. ad Loc. diffic. cap.* 8. Bene quidem vulgatam reddidisse videtur illis, qui propter fulmina Anathematum, quæ *concil. Trident. Decret.* 1. 2. *sess.* 4. satis pro imperio vibrat, eam ut authenticam & divina sane providentia factam quovis prætextu rejicere non præsumentes; ex eadem potius cum *Gord. Huntlæo ex contr.* 1. *cap.* 8. textum Hebræum corrigendum esse & restituendum censent. Hinc *Cornel. à Lapide* vestigia τῶν אנשי ביתו *asseclarum suorum* diligenter legens, ne Vulgatæ videl. aliquid decederet, distinctione rem salvari posse arbitratur; si dicat: (Die septimo) *scil. exclusive; nam inclusive Deus complevit opus suum die sexto &c.* Id quod Sixtino Amamæ *durum videtur, ut dies ille, quo aliquid factum dicitur, exclusive sumatur, in Antib. Bibl. lib. II. c.* 2. *p.* 307. Neque absimiliter locus hic jam ante Conciliabulum illud doctorum ingenia ita fatigarat, ut si omnium sententias in unum conferas, nihil colligere liceat, nisi homines in re tam seria ingenio lusisse. Sic sententiarum Magister *l.* 2. *dist.* 15. *complevit*, inquit, *die septimo, id est completum & consummatum vidit.* Thomas: *Consummatio, quæ est secundum integritatem partium universi, competit diei sextæ: consummatio, quæ est secundum operationem partium competit diei septimæ.* Cajetanus more suo distinguit *inter actionem positivam & negationem ab ulteriori operatione.*

§. 2. En distinctiuncularum cinnum, quas dicunt subtilitates Scholasticas! Quis vero ita loquitur? complevit i. e. completum vidit. Quid est? complere & tamen cessare. An consummatio, quæ est secundum operationem partium, non operatio? An operis completio, ab ulteriori tantum operatione est negatio? Et enim inchoatio operis est opus, & completio ejusdem: sicut completio domus, dissertationis hujus est opus. Si autem die septimo complevit, die septimo plane non quievit. Nam *qui perficit opus suum, aliquid agit. Ergo si Deus opus suum sex diebus absolvit*, Exod. 20: 11. *quomodo dicitur illud septimo die consummasse*, recte inquit *Manas. B. Isr. in conciliat. Genes. qu. XIII. p. m.* 21. Sin autem penitius hoc ulcus tangendum sit, quippe.

Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni

quin בין הקודש ובין החל *inter sacrum & profanum*, quod dicunt, distinguamus: Tantum abest, ut vulgata bene redideret verba hæc Hebraica, ut potius cum sequentibus ejusdem versiculi verbis manifeste pugnet; quod ingenue fatemur. Neque hic inter se concilientur, quæ non dissident, distinctionibus multis opus fuerit, si fontes ipsos non lacunas aggrediamur. *Ut enim semper purior aqua ex ipsis fontibus magis, quam ex lacunis inde derivantibus hauritur: Ita semper puriora quodammodo sunt, quæ ex ipsis primis linguis, in quibus Dei Oracula nobis tradita fuere, tanquam ex limpidissimis fontibus hauriuntur*, pulchre inquit, *Paul. Fagius. In præf. Chald. Paraphr.* Illi vero ostendunt, ויכל esse reddendum per plusquamperfectum. *Præteritum enim unicum apud Hebræos reliquas præteriti species pro loci ratione & commoditate includit.* Et sic sensus erit: *cum perfecisset Deus* (jam ante) *die septimo opus suum, quod fecerat, ipso die septimo quievit ab omni opere suo*, (quod ante diem septimum) *fecerat*, Vid. *Dn. D. Glass. Philol. Sac. lib. III. Tr. III. can. XLVI. p.* 368. *Drus. d. l. Amam. d. l. p.* 306. Proinde LXXII. Interpretes similiter viderunt dubio procul, quod postea tot oculos fugit, quando reddiderunt: ἢ συνετέλεσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ, *Complevit Deus die sexto.* Cæterum quando Junius in Annot. Bibl. exponit: ויכל *Et perfecit Deus opus, h. e. perfectum tenuit atque continuit*, improbare non possumus, quia in Sac. Scriptura verbum rei efficientiam notans, non raro pro ei effectæ detentione sumitur, ut accipere, pro acceptum detinere: congregare, pro congregatos detinere &c. Vid. Dn. Glass. *in Philol. Sac. d. l. Can. III. p.* 236. Dn. Andr. Mylium *in complem. Synt. Trost. c. VII. Reg. II. p.* 25.

ZETEMA II.

An eadem Versio Genes. 3: vs. 15. הוא per *Ipsa* benè interpretur?

§. 1. Iterum hic quod Seneca *neminem sibi tantum errare, sed aliis erroris causam & autorem esse* dixerat, idem omnes, quorum judicia studium partium non afflavit, hactenus in vulgata rectissime locum habere judicarunt. Eam quippe, qui ad Romani Pontificis vexillum fidele deposuerunt juramentum, turmatim secuti sunt; non qua eundem esset, sed qua ibatur. Et oppido res manifesta est circa præsens quæsitum. Fons enim legit. ואיבה אשית בינך ובין האשה ובין זרעך ובין זרעה הוא ישופך ראש ואתה תשופנו עקב: h. e. *Et inimicitias ponam inter te, & inter mulierem, & inter semen tuum, & inter semen illius*: Ipse, *vel* ipsum *conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.* Vulgata legit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen illius*: Ipsa *conteret caput tuum & tu insidiaberis calcaneo ejus.*

§. 2. Vere nos hic Interpretem, quisquis ille fuerit, tanti facere non possumus, ut pedibus, quod dicitur, nedum totis animis in ejus interpretationem descendamus. איזהו חכם הלומד מכל אדם *Ecquis enim est sapiens? qui discit à quovis homine*, ajunt Ebræi. Quin exemplo, si vel per transennam textum Ebr. inspiciamus, liquido constat, ipsum μεταλλάξιν ἐκ γένους εἰς ἄλλο γένος committendo, genuino genere masculino הוא quod Latinis idem est quod *Ipse*, contra omnem rationem eliminato, fœmininum היא *Ipsa* substituisse. Injustè id esse factum probat antecedens nomen זרע (*semen*) quod est generis masculini, cum quo optime convenit הוא *Ipse*, nequaquam vero fœmininum היא *Ipsa*: Et verbum subsequens ישופ, quod est 3. personæ futuri II. masculinum. Si jam scriptum esset היא, consequenter dicendum fuisset תשופך, non ישופך. Idem tandem vult penultimæ vocis in eodem versiculo *affixum* נו, quod est mascul. 3. personæ. Rursus si היא *Ipsa*, locum haberet, & calcanei illius conculcatio à serpente ei inferenda diceretur, fœmininum affixum נה adesset legendo תשופנה. Ex quibus apparet, cuinam subjecto ex præcedentibus Relativum הוא cum toto illo prædicato conveniat: masculo videl. non fœmino. Nisi itaque evidens causa interpretationis ab usitato constructionis tenore deflectendæ adsit: etiam quæ generibus conveniunt; mutuo sibi correspondere ratio Grammatica jure postulat. Hinc τεκμήριον hoc tanquam Ariadnes

 filum

filum sequentes LXXII. Interpretes optime reddiderunt: αὐτός σε τηρήσει τὴν κεφαλὴν h. *Ipse* (scil. Messias) *vel ipsum* (semen) *conteret tibi caput.* Similiter B. noster Lutherus: **Derselbe soll dir den Kopff zertretten.**

§. 3. His ita quidem in vado stantibus, ulterius dispiciendum est breviter, quæ jacula pars adversa contra hæc projiciat & torqueat. Antecessor ejus *Bellarminus lib. 2. de Verb. D. c. 12.* Vulgatæ lectionem (*ipsa*) non judicat improbabilem. *Nam*, inquit, *etiamsi multi codices Hebraici habeant* הוא; *tamen legi unum, in quo scriptum erat* היא, *id est ipsa, ac præterea remotis punctis illam vocem Hebraicam* הוא *posse interpretari ipsa, nimis rudis est, qui nescit. Passim enim in Sacris Bibliis occurrit* הוא *pro* היא *Sic Genes. 3:12.*

§. 4. His verbis, antequam more suo per *potest* concludat, duo potissimum dicit, ut patet: utrinque vero nobis tela suppetunt, quæ dum contra ipsum retorquentur ejusdem *non improbabile* tollitur per nostrum *improbabile.* Merito enim (1.) miramur Cardinalem non nominasse codicem istum; qualis, unde vel ubi fuerit. Hactenus quidem nulli unquam, ne complicibus ipsius visu factus facilis. Forsan Romæ sub porta, ubi Messiam suum inter ægrotos sedere; aut in montibus Lybiæ inaccessis, ubi integras Israëlis tribus adhucnum obtinere regnum ridicule nugati sunt Judæi, detinetur. Proinde *aut fuit alicujus autoritatis, vetustatis & fidei, aut nullius. Si alicujus, cur non nominatur? si nullius, cur memoratur?* recte obvertit suo Marsenno *Sixt. Amama in Antib. Bibl. lib. II. pag. 335.* (2.) Posito unum extitisse, an autem genuinum eundem fuisse? An præjudicare reliquis? Annon unicum hunc ad cæterorum omnium normam limari, castigari & emendari debere, cuilibet cordato potius verum sit? (3.) Non diffitemur, sæpissime הוא pro היא poni; & quidem in libris Mosaicis, undecim saltem locis exceptis, notante Buxtorfio ex Masora. Quid vero tum? Anne statim hoc loco per fœmininum foret exponendum? Fallacia consequentis! Quid? si econtra similiter colligatur: היא passim legitur masculinum, ergo & hic. Legitur autem הוא pro היא, quando id antecedentia & consequentia admittunt, ut in eodem *cap. 3:12.* quod ipse citat: האשה *mulier, quam dedisti, ut esset mecum* נתנה לי היא *ipsa* (non ipse) *dedit mihi.* Certe antecedens האשה & consequens נתנה quia utrumque est fœminin., h. l. quoque היא fœmininum esse, at dispari ratione tamen evincunt. Ergo cum hoc dissimile simul sit & particulare, ab hoc ad illud affirmative non nisi per fallaciam consequentis concludi, *nimis rudis est, qui ignorat.* Tandem (4.) conclusionem non imbecillum illud *potest*, sed robustius *debet* ingredi debuerat, *verba sunt Amamæ d. l. pag. 340.* A posse enim ad esse non valere conseq. *nimis* iterum *rudis est, qui ignorat*, ut ipse loquitur.

§. 5. Unicum adhuc telum excutiendum est (nam ad alios alia) quod *Bellarm. d. l.* & ejus socii crebro vibrant: *Non est novum in Scriptura, ut cum nominibus fœmininis conjungantur pronomina aut verba masculini generis; præsertim cum de mascula & virili actione agitur, seu de actione, quæ est laude digna, cujusmodi est imprimis ista contritio capitis Satanæ.*

§. 6. Bona verba quæso! Novum non est, at non perpetuum. Exempla hujus rei consulto jam omittimus: Et rursus ipsis ambabus largimur manibus, S. Scripturæ non esse novum, ut in relativo non raro diversitas habeatur generis ab antecedente: in qua tamen locutione non tam vocis, quam sensus in plerisque habendam esse rationem, perque aliud conveniens Synonymum subintellectum ipsam diversitatem esse conciliandam, saniores monstrant Grammatici. Vid. Dn. D. Glass. *Philol. S. l. III. Tr. II. Can. XVI. p. 202.* Dn. Buxtorf. *Thes. Gramm. l. II. cap. VIII. pag. 413. & seqq.* Dn. Andr. Mylii *Complem. Synt. Trost. c. I. Reg. XVIII. pag. 6.* At quod *Gen. 3:15.* de quo hic quæritur, idem usuveniat, conceptis verbis negamus. Neque opus est, ut ab usitato loquendi idiomate citra omnem necessitatem deflectamus: ut vero naturalem, quæ est masculina, significationem hic retineamus, ex adverso evidens efflagitat ratio, sicut ante producta argumenta ostendunt. Proinde quando dicunt: *Non est novum in Scriptura, ut cum nominibus fœmininis conjungantur pronomina aut verba masculina. Ergo & ita accipi hic potest*: posse, sed non debere accipi probant. Eandem vero consequentis fallaciam esse, ut iterum verbis Bellarmini utamur, *nimis rudis est, qui nescit.* Nam longe *aliud est dicere Scripturæ verba sic vel sic accipi posse: aliud vero ἀποδεικτικῶς demonstrare, sic accipi debere. In priore ad labefactandam veritatem industrii nimis sunt veritatis hostes; in posteriore & talpis cœciores & gliribus somnolentiores sunt*, inquit *Dn. D. Glass. in Philol. S. l. III. Tr. I. Can. III. pag. 12.*

ZETEMA III.

Quid Genes. c. 49:10. verba שבט, מבין רגליו, עד כי יבוא, & שילה propriè significent.

§. 1. VOx שֵׁבֶט varias significationes habet, qua significat (1.) virgam sive baculum *Prov. 10:13. Exod. 21:20.* (2.) Tribum *Deut. 18:1.* eamque per Metaphoram, qua de vid. *Clav. Flac. part. 1. fol. 1096.* (3.) calamum, stylum, ut משכים בשבט סופר *trahentes stylo scribæ, Jud. 5:14.* quod Judæis est periphrasis Scribarum & Doctorum (4.) Lanceam sive cuspidem ex baculo factam, in capite acutam & lamina ferrea obductam, *2. Sam. 18:14.* (5.) Plagam, castigationem, quæ fit baculo vel flagello, *2. Sam. 7:14. Prov. 13:24. c. 22:15. Job. 9:34.* &c. (6.) Sceptrum, sub Persica rerum administratione Ebræis שרביט dictum, *Esth. 4:11.* metonymice regnum, cujus illud est signum, quod Reges pro tribunali vel in publico versantes portare solebant, ut patet *ex Esth. d. l. & c. 8:4. Amos. 1:5.* Hinc Hebræis תומך שבט *Amos d. l.* Græcis σκηπτοῦχος; Latinis *Sceptriger.* Ita J. Lips. *Cent. IV. Miscell. epist. LXXXVI. Quid novus ille σκηπτοῦχος* faciet? utrum ὁδὸν ὀρθὴν τῆς δίκης καὶ ἀληθείας βαδίσῃ, ἢ τὴν σκολιὰν τῆς ἀπάτης *h. rectam viam justitiæ ac veritatis ibit, an obliquam fraudis?* Similiter Ovidius Regem describens lib. 6. Metamorph:

> *Conveniunt populi sævum Mavortis in agrum*
> *Consistuntque jugis, medio Rex ipse Latinus*
> *Agmine purpureus, sceptroque insignis eburno.*

Alias Magistratibus castrensibus bello vitis id in manu erat, quod domi Regibus aureum aut eburneum sceptrum, ut monet *Nobil. Dn. Phaletranus in Exercit. de Sceptr. Jud. ablat. c. 1.* Aliter vero hujus acceptiones ex Rabb. recensentem vid. Menas. B. Isr. in concil. ad Genes. qu. LXV. p. m. 88.

§. 2. Ex hisce significationibus *Junius, Tremellius & alii* amplectuntur secundam & vertunt: *Non recedet tribus Judah.* Maxime vero nostri *Judæastri*, vere חומץ בן יין *acetum vini proles*, id est majorum suorum dissimillimi & degeneres filii, quibus hic versiculus sudes in oculis est, refugium quærunt in quarta significatione sensu eo: *Non auferetur afflictio*, cui jam per totum fere terrarum orbem dispersi sunt subjecti *donec veniat Messias.* Videatur ex ipsorum scriptis præter alia (*execrandus ille & ore dictantis Satanæ exceptus*, ut loquitur *Cl. Buxtorf. in Synag. Jud. c. 1.*, *à Cl. Hackspan* vero in publicam lucem protractus) *liber* נצחון Rab. Lipmanni *ad Parasch.* ויחי *Num.* מ"ו *pag 27, 28.*

§. 3. Sed inane refugium! Præterquam enim quod scopus benedictione Judæ undiquaque faustus, tum expresse textus ipse contrarium utrinque arguit. Quomodo castigationem Judæ diceret? cujus manus in cervice hostium suorum fore: quem præda potitum recumbere, ut ne irritari quidem à quoquam queat; quem vino & lacte abundare prædixerat. Alia hic plura relinquimus altiori cathedræ. Aliter Hebræos antiquiores hoc loco vocem שבט videl. de Regia dominantium potestate interpretati sunt, quibus non immerito præ recentioribus plus tribuimus. Ita enim Targ. Jonath. לא פסקין מלכין ושליטין מדבית יהודה *Non defecturos Reges & potestatem habentes è domo Judah*; Targ. Onkelos. לא יעדי עבד שולטן *Non desiturum, qui dominium exercet*; Targ. Hierosol. לא פסקין מלכין *Non cessaturos Reges*, R. Ab. Es. ad vs. 10. שבט גדולה *sceptrum eminentiæ*; & R. Dav. Kimch. ad l. 2. Samuel. 7:7. שבטי ישראל *per* שפטי ישראל ומלכים *Judices Israëlis & Regem ipsorum explicant.* Ut demiranda quidem sit ad stuporem usque *Judæorum* hodie *cœcitas*, cum alias à Thargumica paraphrasi illorum nemo absque piaculo recedere possit; illa tamen *commiseratione magis, quam confutatione digna*, inquit *Dn. Dilher. l. II. Elect. cap. VI. pag. 88.* Proinde rectius nos dubio procul dixerimus, in ultima ex datis significationibus vocem שבט, quatenus summam potestatem, quodlibet κῦρον τῆς πολιτείας & prærogativam qualemcunque μετωνυμικῶς significat, esse accipiendam.

II. מִבֵּין רַגְלָיו *E medio pedum ejus*; alii; *de interpedes ejus.* Obiter hic notamus מִבֵּין esse duas particulas: Nam particula inseparabilis eleganter separabili apud Ebr. præponitur. Sic מלפני *ab ad faciem*, מתחת *de sub.* Similiter apud Latinos, *De super* infundam, Virgil. *De procul* aspicere, Plaut. &c. Vox רגליו, extra statum affixionis רגלים *pedes*, varias in Scriptura S. habet acceptiones, de quibus vid. Flac. *in Clav. part. 1.* columm.

column. 888. *& seqq.* D. Glass. *in Rhetor. S. Tr. I. cap. XII. p.* 345. *c. XVII. p.* 461. quas hic prolixitatis ergo mittimus, unicum visuri, quæ ex his huic loco sit accommoda.

§. 2. Diversæ vero hic apparent doctorum opiniones. Quidam ad educationem hanc phrasin *de interpedes ejus*, pertinere censent; alii subsellia scribarum judicialium, alii subsellia discipulorum in Synagogis intelligunt, quemadmodum D. Paulus παρὰ πόδας Gamalielis se eruditum dicit *Actor.* 21: 1. Sed simplicissima & verissima nobis h. l. non displicet illorum sententia, quæ per εὐφημισμὸν ἢ ἀποκαλυσμὸν, ut Rhetores vocant, pro pube seu genitalibus esse accipiendam censet. Nam Scriptura S. ut ab omni ἀκαθαρσίᾳ καὶ αἰσχρότητι, impuritate & turpitudine aliena est, ita res, quæ alioqui obscœnæ & castarum aurium offensivæ videri possent, vel verecundis verbis exprimit, vel alias verecunde circumscribit. Sic *tegere pedes Jud.* 3: 24. secundum paraphr. Chald. *facere necessitatem suam*, est περίφραξις τῶν περικοιλιολυσιῶν ὄντων: *quia*, dicente Cl. Vossio, *in illa crurum flexione vestis sive tunica, tunc temporis Hebræis, Romanis & Græcis usitata, conquiniscentium pedes contegebat*, part. II. lib. 4. Instit. Orat. cap. 10. Sect. 1. p. 162. Hunc σχηματισμὸν ipsi Judæi hodienum inter alia in vulgato illo observant, quando dicunt: אל ישהה אדם נקביו *Nemo retardet meatus suos*; quos illi alvi נקבים גדולים *meatus majores*; vesicæ vero נקבים קטנים *meatus minores* appellare amant. Pluribus de hoc σχηματισμῷ vid. *D. Glass. Rhet. S. l. 1. Tr. III. §. VIII. pag.* 306. *Dilher. l. III. Elector. cap. XVI. pag.* 506. *Voss. d. l. & c. XIII. §.* 10.

§. 3. Atque hujus interpretationis, quam amplectimur, fundamentum indubitato petunt ex *Deut.* 28: 57. ubi de muliere vorante fœtum suum dicitur: *Et in secundinam sive teneram prolem suam sæviet præ fame, quæ egreditur* מבין רַגְלֶיהָ *de interpedes ejus*, hoc est, ex loco illo à natura egrediendo fœtui destinato. Unde illud מבין רגליו *Targ. Onkel. & Jerosol.* reddunt, מבני בנוהי *de filiis filiorum ejus. Targ. Jonathan.* מזרעיה *è semine ejus*; semine sumpto pro nepotibus. LXXII. Interpp. ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ *de femoribus ejus.* Ὁ μηρὸς enim σύμβολόν ἐστι τῆς κατὰ γένεσιν ἐνεργείας, *Basil. ad Psal.* 45. Hinc apud Græcos ἀπὸ τῶν μηρῶν συνεσπιάζοντες διαμηρίζειν dicuntur.

III. עַד כִּי *Donec, usque dum.* Circa hasce particulas & quidem non se jungendas h. l. cum *Nazianz. ex orat.* 2. *de fil.* notamus: ἄχρι καὶ ἕως οὐ πάντως ἀντιδιαιρεῖται τῷ μέλλοντι, ἀλλὰ τὸ μέχρι μὲν τόδε τίθησι, τὸ μὲν τοῦτο δὲ ἀναίνεται: *Donec & usque dum non simpliciter opponuntur futuro tempori, sed ponunt quidem illud quousque alterum (quod ab eo sequitur) non inficiantur*; hoc est B. Chemnit. in Harm. Ev. c. 7. explicante, *terminum temporis ita aliquando describunt, ut de subsequenti tempore expresse affirment non negent.* Ac proinde Grammatici monstrant tum per semper vel Nunquam exponendam esse orationem: Illo modo in affirmativis, hoc in negativis prædicationibus. Quo de confer. *Dn. D. Glass. Philol. S. l. III. Tr. V. can. XII. p.* 453. *& seqq.*

§. 2. Veruntamen hoc loco his particulis עד כי *donec*, quamvis prædicatio negativa antecedat hæc: *Non recedet* &c. Oratio per *Nunquam* exponenda non est. Sed potius hæ particulæ hoc loco, juxta alium Grammaticorum canonem, terminum temporis ita significant, ut illud, quod ante terminum illum temporis removetur, postea præsente scil. termino temporis factum fuisse intelligatur, h. e. determinatione temporis futurum excludendo. ut, *Non est Romanis consuetudo, tradere hominem ad supplicium, donec accusetur. Non cœnabo, priusquam vel donec audita fuerit sexta*; qua scil. audita (termino cœnæ præfixo expleto) primum cœnabo. Vid. *Dn. Glass. d. l.*

§. 3. Hoc prænotato non possumus non improbare Judæorum glossema illud *in Beresch. Rab. c.* 99. qui h. l. particularum עד כי primam, eas dividendo & divellendo, ad præcedentia versus ejusdem immediata verba referunt, ita ut ipsis *Æternitatem* significando cum Accentu Jethibh pausam præcedentium absolvat, sensu hoc: *Non recedet sceptrum de Judah in æternum, quando venturus est Messias*: quasi æternum in hac vita regnum Judæis tempore Messiæ demum sit expectandum, quod somniat *Nizzach. num.* ש"ל *p.* 180. *lin.* 6. 7. *pag.* 157. *lin.* 4. *& seq.* conf. *Manass. B. Isr. d. l. pag.* 90.

§. 4. Sed hac ratione egregios Sophistas agunt, & magis suam ignorantiam deridendam propinant. Communiter quidem ut hoc ipsis latibulum præcludatur, præterquam quod absolute saltem positum עד Æternitatem significare reponant, Judæos ut vel unicum, in quo vox עד ante כי *Perpetuitatem* significet, demonstrent, ad universum V. T. codicem confidenter remittunt. Verum quia contra generalem hanc remissionem locus *Esa.* 26: 4. ubi vox עד ante כי *Æternitatem* diserte significat, tergiversationi Judæorum egregiam cavillandi rationem subministrare videtur, ad compescendum impudens os sufficiat regessisse: *Nequaquam hic Jethibh pausam absolvit, sed Regius accentus major Attnach sub* רגליו *voce proxime præcedenti.* Attnach enim tanquam Rex jus suum distinguendi sententias in libris præsertim prosaicis obtinet, vid. *Buxtorf. Thes. Gramm. lib. II. c. XXIII*; unde Jethibh ante ipsum, vocem, sub qua positus est, cum præcedentibus non conjunget. Sexcenta hic exempla דוק ותמצא *considera & invenies*, ajunt Ebræi. Ita quoque ipsa *Thargum. Jonath. & Hierosol.* reddunt. עד זמן *usque ad tempus vel donec.* LXXII. ἕως ἂν *usque dum.* Nec obstat *Targ. Onkel.* quod habet עד עלמא *in seculum*, quod κηλνόμῶν similiter obvertunt: quia vocem *seculi* ex Script. S. nec non ipsis Rabb. pro finito tempore sæpius accipi non ignoramus. Quid pluribus? Glaucoma nobis obtrudunt, cum in eadem *Paraphr.* sequatur עד דייתי *donec venerit.*

IV. יָבֹא (*Venerit*; *aliis veniat*) Paraphras. triplex itidem voce *veniendi* אתה reddit. Ast iterum quidam ex gente recutita vocem בוא per *vastari*, *interire* exponendam censent, hoc sensu: *Non auferetur sceptrum de Judah, donec intereat* (urbs) *Siloh.* Absurdum! Ubi enim בוא *Venire* ita usurpatur? Quando vero *Gen.* 15: 17. השמש בוא *Solem occidere s. interire* Recutita obvertis, ridiculum! Peculiariter enim hæc locutio usurpatur de Sole, qui cum à vertice inclinat ad occasum videtur propius accedere terram: & quando ex nostro hemisphærium plane inferius subit, interire quasi, *Germ.* untergehen recte dicitur. Jam itaque (יצחק כל השומע *Rideat, quisquis audiverit!* ut ex tuo *Nizachon* loquamur *pag.* 12. *lin.* 3.) Apella verbum בוא *venire* ad vastationem urbis interitumque si potes, scilicet, applica.

V. שִׁילֹה Schiloh.) *Targ. Jonath. & Jerosol.* מלכא משיחא, *R. Sal. Jarch. itidem* מלך המשיח *Regem Messiam* appellant. *Baal Thur. per* ἰσοψηφίαν s. *Gematriam* ex æquali numerûm supputatione, inquit יבא שילה quæ faciunt 308. tot valere, quot משיח. *Beresch. Rabba* עד די יבא שילה' זה מלך המשיח *donec veniat Schiloh, hic est Rex Messias.*

§. 2. Ipsa vocis Notatio apud varios varia est. Nonnulli enim dum eam ex Judæorum malitia pro voce שִׁילֹח substitutam esse putant, deducunt à שלח *misit*, ut idem sit quod *mittendus.* Ita sentit *Gord. Huntl. contr.* 1. *c.* 10. *Flac. part. I. Clav. col.* 1143. Alii cum ר"דק *lib. Schoras.* citante *Galat. de arc. C. V. l.* 4. *c.* 4. derivant à שִׁלְיָה quæ est *sacculus*, in quo manet sive (secund. ejusdem Etymolog. à. שלה) tranquille agit infans in utero materno. In quam sententiam non incommode dictum à *R. Bechai in comm. h. l.* שלה בנו שילד משלית אשה כדרך כל הנולדים Schiloh, i. è. *filius ejus, qui natus est ex secundina mulieris juxta viam omnium natorum.* Nec absimiliter illi, qui deducunt à שיל, cum ה pro י posito (sicut in subsequ. quoque versu עירה *pullum suum*, סותה *operimentum suum*: alibi, אהלה *tabernaculum ejus* Gen. 13: 3. שירה *canticum ejus*, Psalm. 42: 9. pro (שירו, אהלו, סותו, עירו) ut idem sit, quod *Secundina ejus.* Et sic ipsa, Græc. δευτέριον ἢ ὕστερον, συνεκδοχικῶς pro fœtu ipso esset sumenda; Messiasque diceretur quasi *embryo*, ob exigua & tenera conceptionis s. partus initia, qua ratione B. Gerhardo *tom.* 1. *Homil.* 5. διηγήσ. *Academ. pag.* 244. צמח *germen*, Paraphr. Jonath. זעיר בנוי *parvulus filiorum ejus appellatur.* LXX. vero τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ *cui repositum est scil. regnum & omnia felicia.* Justin. in Dial. cum Tr. ᾧ ἀπόκειται τὸ βασίλειον; ad mentem *Onkel. & Jerosol.* דדי לית היא מלכותא *cujus est regnum.* Similiter alii tum Græci tum Latini Interpp. plerumque, eo forte quod videantur legisse שֶׁלוֹ vel שֶׁלֹּה pro שִׁילֹה.

§. 3. Hæ Notationes omnes quamvis per se quidem scopo textus vim non inferant, una tamen altera Grammaticæ commodior est & propinquior. Hinc vero nobis illa, qua deducitur à שלה quod significat *pacificum, felicem & fortunatum esse*, ut ita שִׁילֹה formæ קִיטוֹר & קִימֹשׂ vocetur Messias κατ᾽ ἐξοχὴν quasi *Tranquillus, Victor, pacis Autor, cui omnia in opere Redemptionis feliciter succedere debeant*, simplicissima arridet. Eandem amplectuntur *B. Lutherus*, quando vertit der Held/ Dn. Jac. Mart. *lib. III. de trib. Eloh. c. LXXIX. pag.* 398. Dn. Glass. *Philol. S. l. I. Tr. I. pag.* 73. Sixt. Amama *in Antib. Bibl. l. II. pag.* 448. Scultet. *Exerc. Eu. c. IV. p. m.* 18. Iterum proinde absurdus es & ineptus *R. Lipmanne*, qua urbem per hanc vocem שילה intelligis, quando scribis: וכן היה תמיד עד שבאו לשילה עד שהעמיד שמואל מלך משבט בנימין *Et sic erit jugiter* (eminentia tribus Judæ) *donec veniant* (in urbem) *Schilo & constituat Schemuel Regem* (Saulem) *ex tribu Benjamin. Nizach. d. l. pag.* 28. *c. f. N.* ו"מ.

ZETE-

ZETEMA IV.

Utrum Judæos à Nebucadnezare captivos in ergastula abductos, in operas rusticas damnatos, & quacunque insuper sive Ecclesiastica sive Politica libertate privatos fuisse probabile sit.

§. 1. Communis hæc olim Victorum fuit consuetudo, victos non tantum ut honestos colonos indigenis suis permiscere, sed iisdem etiam regiminis clavum sæpius concredere. Commendat hanc ut salubrem gravissimus autor *Seneca* & inquit: *Quid hodie imperium esset, nisi salubris providentia victos permiscuisset victoribus?* lib. II. de ira cap. 34. Similiter Claudius apud Tacitum: *Conditor noster Romulus, tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, deinde cives habuit.* Ejusdem insignia vestigia ex oratione Cerialis ad victos Gallos colligere licet apud eundem: *Ipsi plerumque regionibus præsidetis: ipsi has aliasque provincias regitis. Nihil separatum clausumve* est. Sic Josephus ἀπῳκισμένους suos ἐπιχωρίους s. abductos populares in opportunissimas regni Babyloniæ colonias deductos testatur his verbis: *Dominus* (Nabuchodonosor, de quo ibi loquitur) *factus totius paterni Principatus, captivis quidem advenientibus* συνέταξεν αὐτοῖς ἀποικίας ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις τῆς Βαβυλωνίας τόποις ἀποδεῖξαι h. *jussit illis idoneas per Babylonicum imperium colonias assignari, lib. 1. cont. Appion.*

§. 2. Hujus indulgentiæ Victorum pars fuit non ima, victis concedere, ut sui generis stemmate plerumque Regio immediatos retinerent Magistratus, salvis præterea ceremoniis sacris, salvisque legibus patriis: siquidem non posse conscientiis hominum hominem imperare, nec satis illorum fidem esse tutam, qui ab avitæ religionis tramite non persuasi deflectere cogerentur, ipsos historia & naturalis Religio abunde docebant. Nam

Ecce repens tacito percurrit pectora sensu
Relligio & sævas componit Numine mentes,
Ne flammas tædasque velint, ne templa sub uno
In cinerem sedisse rogo &c.

de Romanis Capua capta sic inquit *Silius lib. XIII.* Sic Claudius in edicto stolam sacram Judæorum ipsis conservandam committit; *quia placet*, inquit, *quemque religiosum esse more suæ patriæ*, ut testatur *Joseph. lib. XX. Antiq. cap. 1.* Sic Antiochus in literis suis ad Ptolomæum: *Permittitur etiam eis* (Judæis) *ut omnes vivant juxta leges patrias. Id. l. XII. cap. 3.* Hinc eodem tenore Parho Necho Judæis victis captoque Rege ipsorum Joschia, non alienum quendam, sed ipsius filium Eliakim *l. 2 Reg. 23: 34.* Nebucadnezar autem Jehojakimo abducto patruum ejusdem Mathaniam seu Zidkiam *cap. 24: 19.* Reges victorum substituunt. Gemina his accipimus in Hercule, qui Priami

Hostis parvi victus lacrymis,
Suscipe, dixit, rector habenas,
Patrioque sede celsus solio:
Sed sceptra fide meliore tene.

referente Senec. in *Troad.* Similiter Alexandro M. βασιλέων βασιλικωτάτῳ καὶ στρατηγῶν στρατηγοτάτῳ, ut ex Arriano appellatur, pulso Sidonis expugnatæ Rege Stratone per Hephæstionem substitui non displicet *Abdolonymum*, non alia de causa, quam *quia longa cognatione stirpi regiæ annexus erat, quamvis tunc ob inopiam suburbanum hortum exigua colebat stipe*, inquit *Q. Curt. l. IV. cap. 1.* Conf. hic apposite *Hug. Grotium lib. III. de Jure bell. & pac. cap. XV. §. IV.* Hinc non immerito Herodes, qui dicitur Magnus, Judæorum regnum non ordinarius Rex adeptus miratur: *Nunquam enim putabat Romanos hoc sibi concessuros, solitos hunc honorem regio servare generi*, inquit *Fl. Jos. l. XIV. Ant. cap. 26.* Conf. D. Phaletran. *d. l. cap. IX. & X.*

§. 3. Proinde fatetur *R. Salom. Jarchi ad Genes. 49: 10.* Superiorum potestatem ne captivitate quidem Babylonica imminutam fuisse, vocatque eos ראשי גליות שבבבל שרודים את העם *capita captivitatum Babele, qui populum rexerint.* Et Thalm. agnoscit, *sceptrum fuisse penes exules in Babylone, & penes reduces in terra Israël*, lib. Sanhed. cap. 11. *Non recedet sceptrum de Juda. Hæc sunt capita exulum in Babel, quæ dominantur in Israëlem sceptro.* Alii majorem sane Judæos dignitatem tempore exilii Babylonici in Daniele ejusque sociis & Jehojakimo expertos esse existimant, quam in præcedentibus Regibus in ipsa terra Israël post Davidem & Salomonem: Nam præfectus fuit Daniel universo Babyloniæ imperio *Dan. 2: 48. cap. 6: 3.* prospere egit in regno Darii & in regno Cyri Persæ *cap. 6: 29.* Jehojakimi carcere liberati Evilmerodach solium posuit supra solium omnium Regum, qui erant secum in Babylonia *l. 2 Reg. 25: 30, 31. Jer. 52: 32.* Consentiens hic habetur *B. Gerhard. in Comment. sup. Genes. cap. XLIX.* Εναντιοφαν. 4. *pag.* 866. Zerobabel autem fuit Princeps Judæorum *Joseph. l. XI. Antiquit. c. I.* & captivorum Dux *Ibid. cap. 4.* Hinc commune proverbium, quod *Scalig. N. 2112. ad Euseb.* his verbis adducit: Αἰχμαλωτάρχης τῇ Βαβυλῶνι ἐξοχώτερος ἄρχοντος τῆς γῆς Ἰσραὴλ *Æchmalotarcha* i. e. captivorum Dux sive Princeps *in Babylone excellentior est quovis Principe in terra Israël.* Sed de his alibi plura suo tempore; jam sit finis, &

יהי שם יהוה מבורך
אאא ססס :



M. JOH. HELV. WILLEMERI
DISSERTATIO
De Baculo Mosis ad Exod. IV: 2, 3, 17.

בהׄנוא

§. I.

MOses omnium Scriptorum, quorum indubitata ingenii monumenta hodie supersunt, antiquissimus, atque Prophetarum ex illa satis remota ætate facile Princeps, peculiari munere, quod DEUS ipsi injunxerat, fide ac dexteritate plane singulari defunctus est. Luculentum sane testimonium testis omni exceptione major, DEUS, ipsi perhibet Numer. 12: 7, 8. Deuter. 34: 10, 11, 12. Jos. 1: 2. Hebr. 3: 2. Nec aliud ipsa res loquitur, quando & in rebus, alioquin minimis, divini Spiritus sapientia atque virtus, humana major, cernitur. Inter ea, quæ divino ductus Spiritu de rebus à se gestis literis tradidit, elucent tot egregia, admiranda ac stupenda prorsus facinora, quæ suo tenui baculo designavit, divina ope instructus ornatusque. Quis S. Literarum peritus nescit, cœli tempestates excitatas & sedatas, rubrum mare ruptum, aquam ex petra scissa productam, terræ pulverem in pediculos conversum, ipsum baculum in serpentem mutatum, aliaque plura, quæ DEUS gloriosa sibi, terribilia Ægyptiis, saluberrima Israëlitis, omni vero ætati admiranda, per Mosis baculum perpetravit? Principem locum hic ea tenent, quæ Exod. 4: 2, 3, & 17. habentur, atque cum in Authentico textu Hebræo, tum in Translationibus ejusdem, ad orientem & occidentem solem celebrioribus, ita sonant:

Exod. IV: vers. 2, 3, & 17.

Textus Hebræus Authenticus:

2. וַיֹּאמֶר אֵלָיו יְהוָה מַזֶּה בְיָדֶךָ וַיֹּאמֶר מַטֶּה׃ 3. וַיֹּאמֶר הַשְׁלִיכֵהוּ
אַרְצָה וַיַּשְׁלִיכֵהוּ אַרְצָה וַיְהִי לְנָחָשׁ וַיָּנָס מֹשֶׁה מִפָּנָיו׃ 17. וְאֶת־הַמַּטֶּה
הַזֶּה תִּקַּח בְּיָדֶךָ אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂה־בּוֹ אֶת־הָאֹתֹת׃

Chaldaica Paraphrasis Onkelosi:

2. וַאֲמַר לֵיהּ יְיָ מָה דֵין בִּידָךְ וַאֲמַר חוּטְרָא׃ 3. וַאֲמַר רְמֵהִי לְאַרְעָא
וּרְמָהִי לְאַרְעָא וַהֲוָה לְחִוְיָא וַעֲרַק מֹשֶׁה מִן קֳדָמוֹהִי׃ 17. וְיָת חוּטְרָא
הָדֵין תִּסַּב בִּידָךְ דְּתַעְבֵּיד בֵּיהּ יָת אָתַיָּא׃

Vs. 2. *Et dixit illi Dominus: Quid est hoc, quod tenes in manu tua? Et ait, Virga.* 3. *Et dixit ei: Projice eam in terram, & projecit eam in terram: & versa est in colubrum: & fugit Moses à facie ejus - -* 17. *Virgam quoque hanc sume in manum tuam, in qua facturus es signa.*

Targum Jonathanis Ben Uzielis:

2. וַאֲמַר לֵיהּ יְיָ מָה דֵין בִּידָךְ וַאֲמַר חוּטְרָא׃ 3. וַאֲמַר טְלוֹק יָתֵיהּ לְאַרְעָא
וּטְלָקֵיהּ לְאַרְעָא וַהֲוָה לְחִוְיָא וַעֲרַק מֹשֶׁה מִן קֳדָמוֹי׃ 17. וְיָת חוּטְרָא הָדֵין
תִּיסַּב בִּידָךְ דְּתַעְבֵּיד בֵּיהּ יָת אָתַיָּא׃

Vs. 2. *Et dixit illi Dominus: quid hoc in manu tua? & respondit; virga.* 3. *Et dixit, projice eam in terram, & projecit eam in terram, & fuit in serpentem: & fugit Moses à facie ejus - -* 17. *Et virgam hanc accipies in manum tuam, ut facias cum ea signa.*

Targum Hierosolymitanum:

השליכהו׃ וַאֲמַר טְלֵק יָתֵיהּ לְאַרְעָא וּטְלַק יָתֵיהּ לְאַרְעָא מוגבו׳ וְתִתְקִיף
בְּבֵית קוֹטְנוֹי׃

Et dixit: projice illam in terram: & projecit eam in terram - - & apprehendes locum caudæ ejus.

Translatio Syriaca:

2. * ܘܐܡܪ ܠܗ ܡܪܝܐ. ܡܢܘ
ܗܢܐ ܕܒܐܝܕܝܟ. ܘܐܡܪ. ܚܘܛܪܐ:
3. * ܘܐܡܪ ܐܪܡܝܗܝ ܒܐܪܥܐ.
ܘܐܪܡܝܗ ܒܐܪܥܐ. ܘܗܘܐ ܚܘܝܐ.
ܘܥܪܩ ܡܘܫܐ ܡܢ ܩܕܡܘܗܝ.
17. * ܘܚܘܛܪܐ ܗܢܐ ܤܒ ܒܐܝܕܝܟ:
ܕܬܥܒܕ ܒܗ ܐܬܘܬܐ.

2. *Dixit ad eum Dominus: Quid est hoc, quod manu tua gestas? Ait, Baculus.* 3. *Dixitque: abjice eum in terram; & abjecit eum in terram, & factus est serpens, & fugit Moses à conspectu ejus - -* 17. *Baculum quoque istum sume in manu tua, ut facias per eum signa.*

Samaritanus Interpres:

* ࠅࠀࠌࠓ· ࠋࠄ· ࠉࠄࠅࠄ· ࠌࠄ· ࠃࠍ· ࠁࠉࠃࠊ.
ࠅࠀࠌࠓ· ࠇࠈࠓ: * ࠅࠀࠌࠓ· ࠀࠓࠌࠉࠄ· ࠋࠀࠓࠏࠄ·
ࠅࠀࠓࠌࠉࠄ· ࠋࠀࠓࠏࠄ· ࠅࠄࠅࠕ· ࠋࠇࠅࠉࠄ· ࠅࠏࠓࠒ· ࠌࠔࠄ·
ࠌࠍ ࠒࠃࠌࠅࠉ: * ࠅࠉࠕ· ࠇࠈࠓࠄ· ࠄࠃࠍ· ࠕࠎࠁ· ࠁࠉࠃࠊ
ࠃࠕࠏࠁࠃ· ࠁࠄ· ࠉࠕ· ࠀࠕࠅࠕࠉࠄ v —:

2. *Et dixit illi Dominus: Quid hoc in manu tua? & respondit, Virga.* 3. *Dixitque: Projice illam in terram, & projecit illam in terram, factaque est in serpentem, & fugit Moses à facie ejus - -* 17. *Virgam etiam istam accipies in manum tuam, per quam fecisti (facies) signa.*

Arabica Conversio:

* فقال له منطقا ما ذا بيدك *
قال عصا * قال اطرحها على
الارض * فطرحها فصارت ثعبانا فـ
هرب موسى من بين يديه *
وخذ هذه العصا بيدك فتصنع بها
المعجزات *

2. *Dixit ei per commonitionem: Quid est in manu tua? Dixit, baculus.* 3. *Ait, Projice super terram: projecitque eum, & factus est serpens, fugitque Musa à conspectu ejus - -* 17. *Et accipe hunc baculum in manum tuam, quo facies prodigia.*

Versio Persica Jacobi Tusensis, vulgo Tawosi & Tusii:

* گفت باو: چيست اين دردستي
تو گفت عصا * گفت بنداز اورا
بزمين بينداخت اورا بزمين
بود ماري گريخت مشه از پيشي او *
وهمين عصا اين بستاني دردستاي
تو كه بكني درو همين نشانها *

Dixit ei Dominus: quid est hoc in manu tua? respondit, virga. Dixit, projice eam in terram. Et projecit in terram-

ram, fuitque in serpentem, & fugit Mosheh à conspectu ejus —— Virgam vero istam capies in manibus tuis, qua facies signa.

LXX. Interpp. Græci:

Εἶπε δὲ αὐτῷ κύριος, τί τοῦτό ἐστι τὸ ἐν τῇ χειρί σου; ὁ δὲ εἶπε, Ῥάβδος. Καὶ εἶπεν, ῥίψον αὐτὴν ἐπὶ τὴν γῆν. καὶ ἔρριψεν αὐτὴν ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἐγένετο ὄφις. καὶ ἔφυγε Μωυσῆς ἀπ' αὐτοῦ. —— Καὶ τὴν ῥάβδον ταύτην τὴν στραφεῖσαν εἰς ὄφιν, λήψῃ ἐν τῇ χειρί σου, ἐν ᾗ ποιήσεις ἐν αὐτῇ τὰ σημεῖα.

Quid hoc est, quod in manu tua? At ille dixit, Virga. Et dixit, Projice illam in terram. Et projecit eam in terram, & facta est serpens: & fugit Moyses ab eo. —— Et virgam istam versam in serpentem, sumes in manum tuam, in qua facies in ea signa.

Latina Vulgata:

Dixit ergo ad eum Dominus: quid est, quod tenes in manu tua? respondit: virga. Dixit Dominus: Projice eam in terram. Projecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moses. —— Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.

SANTES *PAGNINUS*, & ARIAS MONTANUS:

Dixit illi Jehovah, quid hoc, quod est *in manu tua? respondit, Virga. 3. Et dixit, projice eam in terram. Et projecit eam in terram, versaque est in serpentem: & fugit Moseh à facie ejus —— 17. Virgam autem istam accipias in manu tua, qua facies signa.*

FRANCISCUS *VATABLUS*, LEO JUDÆ & *TIGURINA*:

Et ait ad eum Dominus, quid hoc est, quod manu tua (gestas)? respondit, Baculus. 3. Et dixit, abjice eum ad terram. Et abjecit eum ad terram, & factus est coluber, & Moses fugit à conspectu ejus. —— 17. Baculum istum cape in manum tuam, quo signa edes.

FRANCISCUS *JUNIUS*, & IMMANUEL *TREMELLIUS*:

Dixit autem ei Jehova, quidnam est in manu tua? eoque dicente, Baculus. Dixit, abjice eum in terram, quumque abjecisset eum in terram, conversus est in serpentem: fugiebatque Mosche, metu ejus. —— Baculum autem istum accipito in manu tua, quo edas signa illa.

SEBASTIANUS *CASTALIO*:

Et Jova: quid habes in manu? Virgam, inquit. 3. Abjice eam ad terram. Cumque abjecisset, mutata est in serpentem: quem fugienti Mosi, DEUS inquit: prehende. —— 17. Virgam quoque istam manu feres, qua portenta facias.

B. LUTHERUS, Paraphrasi Vinariensium illustratus:

Der HERR sprach zu Ihm: Was ists/ das du in deiner hand hast? Er sprach/ ein Stab 3. Er sprach: Wirff ihn von dir auf die Erden. Und er warff ihn von sich/ da ward er zur Schlangen/ (durch GOttes Wort und würckende Allmacht) und Mose flohe für ihr. —— 17. Und diesen Stab/ (den du bißher geführet/) nimb in deine Hand (wandere mit demselben in Egypten/) damit du Zeichen (Wunder-Werck) thun solt/ (mein Wort zu bestätigen/ und den Glauben bey den Israeliten zu erwecken.)

II. Verba, ex Mose adducta, ob nativam sui perspicuitatem, quam omnibus digno studio investigantibus facile probant, prolixiori expositione non indigent. Quapropter primo loco tantum de eorundem ὀρθοτομίᾳ, à D. Apostolo S. Literarum tractatori injuncta, erimus soliciti. Deinde quibusdam Interpretum virtutibus aut nævis ea, qua par est, ac pro ingenii modulo fieri potest, cautione ac diligentia observatis, ea inde seligemus, quæ præsenti instituto rite absolvendo inserviunt. Tandem justo ordine in singulas baculi Mosis rationes, ex vero vel falso assertas, studiose inquiremus. Faxit Jehova feliciter!

Præclare nobilis ille Romanorum Historicus: Pulchrum est benefacere Reip. etiam benedicere haud absurdum est. Ea gloria Mosen sequitur, Scriptorem simul & auctorem rerum dignissimarum, baculo, cujus rationes exponere conamur, gestarum. Ne igitur hic de Mose plane sileamus, summa tantum capita rerum de eo alias memorandarum attingemus. *Nomen* מֹשֶׁה, quo communiter designari, atque ab aliis distingui solet, à matre filio recens nato, ac ex aqua Nili liberato, consentiente Pharaonis filia, impositum, & de mira ex aquis extractione expositum, ab ipsomet Spiritu S. recensetur Exod. 2: 10. Consentiente igitur suffragio jure meritoque originem ejus ab Hebræo מָשָׁה arcessunt Theander Lutherus *Tom. V. Altenb. p.* 464. *b.* Waltherus *Harmon. Bibl. p.* 84. & *Officin. Bibl.* §. 635. *p.* 447. Gerhardus *Comm. in Genes. p.* 3. Calovius *Comm. in Gen. p.* 108. & *Tom. I. Bibl. V. T. p.* 208. *a.* Quenstedt *Dialog. pag.* 647. Glassius *Phil. Libr. IV. Tr.* 3. *Obs.* 9. *p.* (792.) 953. Pfeiffer. *Exerc. Bibl. p.* 54. & *Dub. Vexat. p.* 242. atque inprimis Varenius *Decad. in Exod. p.* 64. Consentiunt Micrœlius *Synt. Histor. Eccles. Lib. I. sect.* 2. *quæst.* 2. *p.* 47. Compend. Hist. Eccles. Goth. *lib. I. p.* 81. Mitternacht ad Fabrit. *Hist. S. Lib. II. num.* 60. *p.* 84. 86. uti & Drusius *Difficil. in Exod. p.* 195. Cartwrightus *Elect. Targumico-Rabb. in Exod. p.* 15. 492. Scaliger *de emend. Temp.* Bochartus *Geogr. S. Lib. I. Cap. XV. p.* 67. *c.* Gregorii *Lex. S. num.* 58. *p.* 64. Pasor *de nomin. prop. p.* 53. *b.* aliique. Ex Hebræorum Magistris accedunt R. Nachmanides sive Gerundensis, R. don Isaac Abarbanel atque R. Jacob Abendana ad Exod. 2: 10. uti & R. Abraham Aben Esra. Quanquam hic in eo peculiarem tulerit sententiam, nomen משה non esse primam ὑδρογλώσσης denominationem, sed Hebraicam nominis Ægyptiaci, à filia Pharaonis primum impositi, interpretationem. Verba ejus in hanc rem manifesta sunt: שם משה מתורגם מלשון מצרים בלשון הקדש ושמו בלשון מצרים היה מניוס Significat vero nomen istud משה extrahentem: quia Moses non tantum ex aquis מָשׁוּי extractus & liberatus, sed etiam מֹשֶׁה alios extrahens, adeoque Eductor sive Liberator Israëlis & Pallida mors Pharaonis esse debebat. Quanquam vero Mosis mater apud Pharaonis filiam non nisi extractum dicere filiolum potuerit: tamen non tenebatur, eum משוי appellare, multo minus apud alios nomen מֹשֶׁה, ex bona spe, de Liberatore futuro concepta, profectum immutare. Primum enim Verba, quæ vocant, activa, sæpe passive significant; uti inter quam plurima satis patet ex אזור cinctus, בער combustus, גלה in exilium deportatus est. Deinde sigillatim in eruenda nominum propriorum significatione non tam ad inflexionem, quam ad vocis, unde proprium deducitur, significationem est attendendum. Quod recte observavit sapientissimus R. Abr. Aben Esra, inquiens: השמות אינם שמורים כמו הפעלים. Confirmant id אָגוּר quod non congregatum aut collectum, sed collectorem denotat: &, quod propius ad nostrum institutum accedit, יוֹנָה non tantum opprimentem, sed & oppressum ac prædæ obnoxium designat. Nec pauci יוֹסֵף adjectum, adjunctum, additiitium exponunt; utut in Verbi forma notet, adjiciet aut adjungat. Idem judicium de שׁוֹבָק ferendum, quod relictus, derelictus reddunt. Verum hanc genuinæ notationis rationem negligunt, qui nomen Mosis compositum, sive à duabus radicibus oriundum, statuunt, neglecta simplici veritatis via abeuntes in diversa, aut in avia prolapsi. Sunt enim, qui ex Hebræorum מַיִם & ישע nomen משה componi conjiciant, adeoque servatum ex aquis exponendum esse statuant; à quibus haud procul recedit Gregorii *Lex. S. p.* 65. Verum quis credat, unicum מ nominis simul & particulæ vicem in משה gerere, adeoque ex aqua notare? quis patietur sibi persuaderi, ex ישע hic שה relinqui, sensu passivo? sic interna pariter ac externa vocum forma immutatur. Gravius peccant, qui nomen משה ex Ægyptiacis vocibus Μω vel Μωου aqua & υσης servatus compositum asseverant, & Mosen notare ex aquis servatum contendunt. Ita quidem Philo *Lib. I. de Mosis vita*, Josephus *Lib. II. A. J. Cap. V. p.* 46. & *L. I. contr. Apion. p.* 871. Clemens Alex. *Lib. I.* στρωμάτων *p.* 129. Procopius, Rabanus, Lyra, Angelus Roccha à Camerino *Biblioth. Vatic. p.* 306. Anton. Marsilius *de fonte lustrali p.* 59. Andreas Beyer *ad Seldeni de Dis Syr. p.* 20. Hottingerus *Exercit. Anti-Morin. p.* 48. *Histor. Orient. Lib. I. p.* 52. & *Smegm. Orient. p.* 398. *s.* atque inprimis Athan. Kircherus *Prodromo Copt. Cap. V. p.* 135. *s.* & *Oedip. T. I. p.* 122. Sed frustra aliunde

aliunde longe petunt, ad quod plana ſimplicique via facilius pervenitur. Unicum משה Hebræorum, ſenſu extrahendi, monſtrat Spiritus S. ipſeque Moſes, nominis ſui gnariſſimus: cur inde ad plura peregrina ac incerta confugeremus? Aquæ notio ſuperflua: cum per textus ſeriem non niſi extractio ex aqua, nequaquam ex utero aliove periculo, poſſit intelligi. Neque alias, neque hic paria faciunt extrahere & ſervare: multa enim ſæpius ex aqua extrahuntur, quæ mox neque ab aquæ, neque ab alio periculo ſervantur. Moſes divina ope mediis ſervatus in undis recte dicitur, ante & poſt extractionem: quæ remedium hominis tantum primum fuit conſervandi Moſen. Utut μω, affine Chaldæorum מוי, in Copto Pentateucho & Theſauro recentioribus Ægyptiis aquam denotet; tamen à nullo hactenus certis rationibus eſt evictum, in lingua Copta, recentiori pariter ac vetuſtiori, ὕσης notare ſervatum. Hinc potius ad Hebraicam veritatem accedentes Coptitæ in Scala Magna ſive Nomenclatore Ægyptiaco-Arabico nomen Moſis reddunt المنتو سل quod extractum aut ſubtractum denotat. Quod nec Kircherus diffiteri poteſt, qui iſtud repugnans ſibi teſtimonium adduxit in *Ling. Copta Reſtit. p.* 222. Neque adeo repugnat nobis Clemens Alex. *Lib. I.* *ϛρωμ. p.* 252. *edit. Heinſ.* inquiens: Τίθεται τῷ παιδίῳ ὄνομα ἡ Βασιλὶς Μωυσῆν, ἐτύμως, διὰ τὸ ἐξ ὕδατος ἀνελέσθαι αὐτόν. Idem enim verbum ἀναιρέω ſenſu ſuſcipiendi, extrahendi, tollendi, extollendi, in manus recipiendi, in eodem argumeuto uſurpat Sp. S. Act. 7: 21. Obvertunt quidem, nomen Moſis à Pharaonis filia impoſitum, indeque non niſi Ægyptium eſſe. Aſt primum ſumunt pro certo, filiam Pharaonis Hebræam linguam ignoraſſe; quod non concedit Cartwrightus l. c. Sed etſi vel maxime Hebræorum tum contemtiſſimorum idioma ignoraſſet, tamen vel conſilio matris aliorumque vim nominis Hebræi intelligere, adeoque nomen cognitum rei ſignificandæ aptum, aut etiam ignotum indere potuiſſet; quod omnium ætatum exempla docent. Deinde potiorem conſervandi, quam denominandi curam geſſit filia Pharaonis: immo illam injunxit, hanc conceſſit matri. Quæ, cum probe intelligeret, utramque curam non uno nomine ad ſe pertinere: recte cenſetur, puero adhuc lactenti nomen Moſis ab eventu primum impoſuiſſe. Pharaonis autem filia de Moſe jam adulto tantum teſtata dicitur, exacte ipſi rei convenire nomen, quod mater ac agnati puero jamdudum dederant. Quæ ſententia ex Exod. 2: 10. facile eruitur, ſi ותקרא Moſis matri & ותאמר cum משיתהו in I. perſ. tribuamus Pharaonis filiæ. Paulo aliter quidam tria hæc priora ותאמר ותקרא ותבאהו matri Moſis tribuunt; poſtremum vero משיתהו filiæ Pharaonis. Priora docent Moſis ad filiam Regis deductionem & denominationem; poſterius ſuppeditat denominandi fundamentum. Illud ותקרא in pluſquamperfecto reddendum: quia præteritum omnes præteriti ſpecies includit: משיתהו autem in ſecunda perſona accipiendum; quia 1. C. & 2. F. ſing. Præt. cum ſuffixis eandem habent formam. Is igitur ſenſus emergit: Jochebed, Moſis mater, adduxit filium, cujus nomen vocaverat Moſe; tum vero, rationem nominis apud Regis filiam redditura, dicebat: quia Tu extraxiſti illum, ſive ut extraheretur curaſti. Non deſunt, qui controverſum משיתהו in prima perſona ad Jochebed referant, adeoque omnia hujus commatis prædicata ſoli Jochebed tribuenda ſtatuant; hoc ſenſu: Jochebed adduxit filium, quem Moſen denominarat, & coram Pharaonis filia dixit: ego Jochebed extraxi eum ex aquis, non tantum conſtanti fide ac ardenti ſupplicatione ad DEUM; ſed etiam, cum, juſſu Tuo, de alveolo ſcirpeo puerum reciperem vivum. Præſtat vero extractionem filiæ Regis; denominationem matri attribuere: cum diverſa ejuſdem commatis effata diverſis etiam perſonis conveniant. Nomen מֹשֶׁה retinent Chaldæi; Syri per ܡܘܫܐ, Samaritani ࠌࠔࠄ, Arabes موسي, Perſæ vero موسه reddunt; retentis iiſdem literis, niſi quod ex lege literarum אהוי loco ה Syrus ܐ. Arabs vero ي elegerit. Græci LXX. Interpp. ſemper vertunt Μωϋσῆς: quod, ne corruptum putes, etiam Lucas in Actibus Apoſtolicis ter retinuit; alias Spiritus S. etiam promiſcue Μωϋσεὺς, Μωσεὺς & Μωσῆς adhibuit; uti inductione locorum B. Schmidius luculenter demonſtrat. Latini loco משה non tantum Moſe, Moſeh aut cum Junio & Tremellio Moſche; ſed etiam Græcos imitati, Moſes atque Moyſes tranſtulerunt; ut vel Vulgata docet. Mirum proinde, qui cum Jeſuita aliquid humani hic patiatur B. Waltherus *Offic. Bibl.* §. 635. *pag.* 449. inquiens: *Scriptio LXX. Interp., vel Cornelii à Lapide judicio, corrupta eſt, ut multa alia Hebræorum apud ipſos & Latinos. Atque hinc illam nullus in N. T. imitatur vel Euangeliſta, vel Apoſtolus, omnibus enim ſine υ id nomen eſt Μωσῆς, perinde ut & Vulgato Interpreti Moſes.* Germani reddunt Moſe / Moſes / Moyſes / & cum Piſcatore, Junii æmulatore, Moſche. Noſtro, ſi quod eſt, judicio, Moſche Hebræo; Moſes, Moyſes & Moſes Græco, Spiritui S. uſitato, reſpondent optimeque adhibentur. Germani משה vertunt Außgezogen / prævio Luthero ad Exod. 2: vſ. 10. Maſa heiſſt ziehen: daher heiſſt Moſe gezogen / nemlich aus dem Waſſer. Numerus literarum Μωυσῆς aſſurgit ad 1648: quot annis lex Moſis duravit, ut vult Wolfſius Centur. I. Memor. pag. 3. Per tertiam Cabbalæ ſpeciem תמורה hujuſque modum priorem, ſive κατ' ἀνάγραμμα ἢ ἀναστροφὴν per inverſam literarum ſeriem ex משה fit הַשֵּׁם: quod Rabbinis alias ſignificat DEUM, hic nomen ſecundum dicendi excellentiam, nimirum magnum & toto terrarum orbe celeberrimum Moſis nomen, quod admirationem attulit ſimul & terrorem incuſſit Ægyptiis atque Palæſtinis. DEUS enim ad liberandos Iſraëlitas cum mirandam rerum gerendarum facultatem, tum inprimis ſummam nominis celebritatem apud omnes fere illius ac inſecutæ ætatis Moſi conceſſit. Hinc, ut à Moſis nomine abeamus, diverſiſſimis paſſim nominibus celebratur: quorum quædam à Judæis in laudem ejus conficta; alia ab aliis tradita ſunt. Nomina Moſis decem fuiſſe Hebræorum Magiſtri tradunt, de quo in ויקרא רבא *f.* 165. *c.* 3. & apud R. Gedaliam, qui ita in שלשלת הקבלה *p.* 11. *c.* 2. ויהי מקץ שנתים ימים הביאהו אמו לבתיה בת פרעה ויקרא שמו משה ואביו קראהו חבר ואמו קראהו יקותיאל ואחותו קראהו יתר ואחיו קראו אבי זנוח וקהת קראו אבי סוכו וישראל קראהו שמעיה בן נתנאל ולפעמים טוביה ולפעמים שמעיה ולפעמים סופר ולכולם יש טעם במדרש ומצריים קראוהו חניוס *Contigit poſt finitos duos annos, ut Moſen adduceret mater ejus ad Bithiam* (quam Joſeph. l. c. Thermuthidem, alii Merin, Patricides pag. 25. שיען vocat) *filiam Pharaonis. Tunc appellatum eſt nomen ejus* Moſe. *Vocaverat eum Pater* Heber, *mater* Jekutiel, *ſoror* Jether, *frater* Abhi-Sanuah, *Kahath* Abhi-Socco, *Iſraël* Schemaja, *filium Nathanaël. Interdum dictus eſt* Tobia, *aliquando* Schemaja, *non raro* Scriba; *quæ ſingula tamen allegoricè explicari poſſunt. Ægyptii autem appellarunt eum* Honjos. Allegoricam explicationem maximam partem ſuppeditat D. Hieronymus *Quæſtion. ſive tradit. Hebr. in Paralip. Tom. IV. Oper. f.* 115. inquiens: *Moſes ideo* Jared *vocatur, i. e. deſcendens, quod è monte deſcenderit:* (nimirum poſt quadrageſimas tantum duas in monte exactas, de quo B. Gerhardus *Comm. in Deut. pag.* 581. *ſ.*) Pater Gedor *i. e. ſepium, quod quaſi quadam ſepis lege circumdederit populum.* Heber *Junctor, eo quod populum* DEI *ſervitio junxerit.* Patrem Socho *i. e. Prophetiæ, eo, quod ipſe ſit Doctor Prophetarum:* Jcuthiel *i. e. ſperans in* DEUM, *eo quod ſpem habuerit liberandi populum de Ægypto: ſive, quod ſpe Parentum de aquæ periculo liberatus ſit.* Patrem Zonah, *qui interpretatur gubernator, eo quod magnam populo in eremo gubernationem exhibuerit, ſive quod doctrina ſua quotidie gubernaret.* Hactenus Hieronymus. Indicare voluerunt Hebræi, quomodo Agnati ob geſta magnifica Moſen nominare potuerint; minime vero, quod ipſo opere ab illis his ſimilibuſque nominibus fuerit appellatus. Pro poſtremo tamen חניוס cum Abben Eſra legendum videtur מניוס: quia *Monjos* nomen Moſis fuit apud Ægyptios, ſi fides libris עבודת האדמה atque Sapientum Græcorum apud Abben Eſram. Quod facile concedi poteſt, ſi Monjos Ægyptiacum fuiſſe interpretationem Hebræi nominis משה ſtatuatur. Cæteroquin Artapanus, qui & Artabanus dicitur, in ſuo de Judæis Commentario apud Clement. Alex. lib. 1. Strom. auctor eſt, Moſen Ægyptiis *Hermen* dictum fuiſſe. Equidem Manethos Sebennyta genere, Dioſpolitanus patria adeoque Ægyptius fuit: is vero Moſen vocat *Oſarſiph* apud Joſephum Lib. I. contra Apion. p. m. 871., qui pluribus fabulas Manethonis confutat. Etiam merito animadvertit in Chæremonem Ægyptium ἱερογραμματέα, qui Moſi nomen Ægyptium *Tiſithen* fuiſſe aſſeverat. Recte enim Franciſcus Junius Annot. ad Exod. 2: 10. Abben Eſram falli exiſtimat, atque ex Diodoro Siculo & Juſtino Martyre confirmat, Moſen Ægyptiis dictum fuiſſe *Mneves.* Et ſane Diodorus Lib. I. Bibl. inter Ægyptios introducit Moſen, vocatque Μνεύην ἄνδρα καὶ τῇ ψυχῇ μέγαν, καὶ τῷ βίῳ ἱκανώτατον μνημονευόμενον. Memoranda voce ὑδογενὴς dicitur Moſes in illo antiquiſſimo Onomacriti Orphaico:

Ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων ἅμα καὶ μέσον ἠδὲ τελευτὴν
Ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογενὴς διέταξεν,
Ἐκ θεόθεν γνώμαισι λαβὼν κατὰ δίπλακα θεσμόν.

Ad Hebræorum משה aut Arabicum موسي propius accedit nomen Μουσαῖος: quod Moſi tribuit Numenius Apameen-

meensis, Pythagoricorum celeberrimus, in Mosis ac Prophetarum scriptis diligenter versatus, testimonio Orig. L. IV. contra Cels. p. 198. Alioquin apud Gentiles μυελοτεχνίτε astu ac temerario ausu pleraque Mosis gesta *Baccho Thebano* tribui, erudite monstrarunt B. Dilherr Dissert. de κακοζηλία Gentilium Tom. II. Disput. Acad. Ursinus Vol. II. Analect. Lib. II. n. XX. p. 95. s. Kippingius Recens. Antiq. p. 98. Compend. Hist. Eccles. Goth. Lib. II. p. 21. Beyer ad Selden. de Dîs Syr. pag. 70. s. & inprimis Celeb. Vossius Lib. I. de idololatria Cap. XXX. Quæ magnis cognita & perspecta sunt, quam illa levis conjectura, Mosi à matre nomen *Palæstini* callide tributum esse. Majori audacia quam veri specie Mosis circumcisi nomen primum exponere conantur Isa Syrus & Clemens Alexandrinus. Ita enim Isa bat Ali: מושא נביא מתפשק שלא מן מיא ואתקרי פלטיאל ביומא דאתגזר הי אלהא פלטני בסדרא די ימים ימכיל כתיב דאשתמרה ביומא דאתגזר הי אמלך אלהא: Nomen משה Prophetæ exponitur liberatus ex aquis. Die autem circumcisionis vocabatur *Palthiel*, quod notat, libera me DEUS! Ast in Sidra Libri Paralip. scribitur *Jamchil*: quod ita appellatus sit, cum circumcideretur. Idem v. valet, quod DEUS constituit Regem. Clemens Alex. vero l. I. Strom. Philonem secutus, inquit: Regina seu Regis filia, quæ longo tempore non concipiebat, filium autem desiderabat, flentem puerum nutrici dedit, eique nomen imposuit apta etymologia: aquam enim Moy vocabant Ægyptii - - Clarum est ergo, quod Parentes prius circumciso puero aliud nomen imposuerint; vocabatur vero *Jehojakim* - - Sublato autem in cœlum Mosi nomen *Melchi* impositum. Hæc uterque ἄτερ γραφῆς; utut reapse constitutus à DOMINO Liberator ac Ethnarcha fuerit Moses. Præstat nomen à Parentibus in circumcisione datum cum Scriptura tacere, ac cum eadem sumtum à miranda conservatione nomen Mosis solum retinere. Plura de Mosis Nominibus dabunt auctores supra pag. 12. adducti, uti & B. **Liebentantz** Dissert. de facie Mosis cornuta Cap. I. §. 3. Nos fabulosa nomina suis auctoribus relinquimus, & Mosis, inter Vates Sacros Primicerii; ex legitimo conjugio suscepti natales, nati pericula, à periculis liberationem, liberati in aula omnique sapientia, Ægyptiorum ac Patrum sanctissimorum, humana atque divina, institutionem, dignissimum in aula officium recte feliciterque gestum, silentio præterimus. Neque prolixius inquiremus in ejusdem fugam in exilium, initum in exilio conjugium, multam in conjugio vitaque pastoritia calamitatem, summam tot inter calamitates celebritatem, miraculorum celeberrimorum varietatem, doctrinæ miraculis confirmatæ sublimitatem, docendi & scribendi rationem singularissimam, aliasque res per ter quadraginta annos, in Ægypto, Midian & deserto summa cum laude gestas. Tacemus etiam decus prorsus insigne ac plane peculiare in ejus, dum viveret, familiari cum DEO conversatione, placide defuncti sepultura, luculenta sepulti commendatione, ab ipsomet DEO instituta, ac resuscitati gloriosa cum glorificato Christo apparitione conspicuum. Singula enim ista ita Scriptura loquitur, ut melius dici nec possint, nec debeant. Vindicari tantum à quorundam commentis ac calumniis debent: ut quod non solum *tribum* Levi despicatissimam, sed & *natales* Mosi objiciunt, & ex incesto conjugio natum tradunt quidam, etiam Rabbinorum præstantissimi ר"ש׳ κρυνοχυτεολήγιον & א"אע alioquin sapientissimus. Verum hos ex instituto ac ipsis Scripturæ fontibus accurate confutavit Vir omni laude nostra major D. Varenius Decad. Mos. in Exod. p. 54. s. Nec desunt fabularum architecti, qui comminiscantur *nativitatem* Mosis prædictam Pharaoni à Sacerdotibus Ægyptiis Josephus Lib. II. Antiq. J. cap. V. pag. 46. Israëlitis à Prophetide Mirjam Talmud Babyl. מסכת מגלה f. 14. cap. 1. Amrami ab ipso DEO in somnio Josephus l. c. Cum nasceretur, totam patris domum mira luce collustratam esse tradunt Josephus & Talmud l. c. Raschi ad Exod. 2: 2. Ipsum vero partum non tantum septimestrem, sed & tam facilem, tamque sine violento dolore fuisse, ut observatores fefellerit; etsi ob thema natalitium Mosi positum, matrem semper diligentissime observarint, uti Josephus & Rasci l. c. fingunt; sed vel ipse Aben-Esra profligat. *Patriam* habuit Regionem Ægypti fertilissimam, Gosen: non Heliopolin, in Thebaide sitam, uti affirmat Manetho apud Josephum Lib. I. contra Apionem p. 870. Nativitati Mosis tribuit accuratior calculus Calvisii A. M. 2372. Chytræi 2373. Lutheri 2374. à quibus recedit Pareus A. M. 2443. & Torniellus 2464. eligendo. Fiscellæ scirpeæ inclusus ad ripam Nili in juncis & caricibus fuit *expositus* Exod. 2: 3. non in medium flumen projectus, indeque missis natatoribus extractus, ut contendit Josephus l. c. Primam Mosis *conjugem* fuisse Tharbim, Regis Æthiopum filiam, tradit Josephus l. c. pag. 48. *occisum* à Mose *Ægyptium* fuisse Chanethoten, qui Israëlitam interimere studuerit, commemorat Artabanus in Chron. Alexandrino pag. 148. *Miracula* per vel propter Mosen gesta LXXVI. recenset R. Menasse ben Israël circa finem Conciliatoris sui: cum inde ab exordio mundi ad excidium templi primi, per vel ob reliquos Prophetas omnes non nisi LXXIV. miracula legantur edita. Quanquam vero varia, sacra ac civilia, circumferantur ante vel post cataclysmum literis consignata: tamen jure meritoque Moses *Scriptorum antiquissimus* salutatur, quod ratione, inductione & testimonio probat B. Ursinus Vol. I. Analect. p. 311. & Tr. de Hermete Zoroastro, ut & Mornæus de V. R. C. C. 24. p. 405. Nec solum Pentateuchum, & Psalmum nonagesimum, sed etiam Jobi Librum à Mose scriptum esse, plerique Hebræorum ac Christianorum testantur apud D. Schmid. Comm. in Job p. 3. Falso autem Mosi דברי הימים Chronicon à Pentateucho distinctum tribuit Aben-Esra. Adulterinum quoque scriptum est ἀνάληψις Μωϋσέως: cujus Origenes lib. III. περὶ ἀρχῶν c. 2. Athanasius & Epiphanius in Synopsi meminerunt. Neque genuinum est scriptum de præteritis futurisque rebus; quod Alphonsus Tostatus & Nicolaus Serarius pessime Mosi tribuunt. *Picturæ cornuti* Mosis originem dedit Translatio Græca Aquilæ & inprimis Vulgata Latina: eam proinde præter D. Pfeifferum Dub. vex. p. 287. s. & Calovium, Dannhauerum, Hackspanium, **Liebentantz** / Drusium, ab Amama, à Lapide, Sixtum Sen. Steuchum, Oleastrium, Cajetanum, Ferum, Pagninum, Vatablum, aliosque à Pfeiffero adductos, confutarunt D. Quistorpius ad Exod. 34: 25. Dilherr Tom. I. Dispp. Philol. p. 723. Ludov. de Dieu in Epist. Paul. p. 299. 322. Mosen vero *scientiæ naturalis peritissimum*, nec *Chymicæ artis* ignarum fuisse, scripta ejus abunde docent, confirmatque asserta ipsi Ægyptiorum sapientia Actor. 7: 22. ac vitulus aureus ab eo in pulverem redactus, conf. B. Waltherus Offic. Bibl. §. 636. p. 450. Excellentissimum *Historicum & Theologum* ἀληθῶς μέγαν, profundissimumque Theologiæ Oceanum, ac, ut Lansius Orat. I. loquitur, DEI Opt. Max. Cancellarium fuisse, innumera evincunt argumenta. Confer. B. Luth. Tom. V. Altenb. p. 1033. b. *Prophetam* fuisse nemo Christianorum facile negat; at *Sacerdotem*, eumque *Summum* fuisse Mosen, cum א"אע, ש"גם aliisque in ויקרא רבא & מדרש תלים Rabbinis & Calvinianis quibusdam, frustra contendunt Pontificii ad unum omnes. Contrarium luculenter demonstrarunt B. Hunnius in Anti-Tannero p. 239. Gerhardus L L. C C. de Ecclesia §. 88. de Magistr. §. 442. & Conf. Cath. Lib. I. Part. II. Cap. 3. p. m. 116. b. s. Flacius Clavi Scripturæ Part. I. voce sacerdos, Glassius Phil. S. pag. 1491. Hackspan Miscell. p. 83, 86, 104. Part. II. Not. p. 290. s. 299. Syllog. Disput. pag. 506. Jacobus Martini, ipseque Lutherus Tom. I Lat. Jenens. p. 307. b. Quod non translatus, sed ad mandatum Domini revera & *mortuus*, & ministerio angelorum *tumulatus* fuerit, ex Deut. 34: 5, 6. contra Judæos ac Christianos, diversum mortis ac sepulturæ genus, comminiscentes, confirmarunt Gerhardus Exegesi de Script. §. 289. & LL. CC. de Morte §. 100. Franzius de Interpr. Script. p. 871. Calovius Tom. II. Bibl. N. T. pag. 1699. s. atque ex instituto Joh. Ernestus Gerhardus dissertatione de Sepultura Mosis. Sigillatim de ignoto sepulcri loco agit B. Ursinus Vol. I. Anal. p. 140. de Testamento & Epitaphio Cl. Hottingerus Smegm. Orient. p. 453-462. s. In genere Mosaicæ singularis excellentiæ novendecim documenta admodum luculenta dedit ex S. Literis Dn. D. Calovius Tom. I. Bibl. V. T. 209. a. Plura *Mosis Elogia* legi possunt apud B. Lutherum Tom. V. Alt. p. 628. b. s. Gerhardum in Genes. pag. 3. Waltherum Officin. Bibl. pag. 446. s. D. Quenstedt Dialog. pag. 647. Varenium præf. in Genesin, Pfeifferum Dub. Vex. pag. 241, 248, 368, 713. Schickardum Exam. Comm. Rabb. Sect. I. disp. 1. Pererium præfat. in Genes. & Disput. III. in Exod. Possevinum Biblioth. select. Lib. II. cap. 7-12. Marsamum in Chronol. pag. 141. Auctoritas ejus apud Judæos maxima præter citatos demonstratur à B. Chemnitio H. E. 380. a. s. 965. a. Balduino in Ebr. III. pag. 1564. a. Buxtorfio Synagog. Jud. pag. 13, 18. Ottone Lex. Rabbin. pag. 386. Leusdenio in Joëlem pag. 179. non tamen licet vocare רבינו משה uti tradit auctor ספר החיים pag. 4. Quanti Gentiles eum fecerint, post allegatos auctores, ex Josephi Lib. I. contr. Apionem pag. 870. qua Ægyptios, ex Hottingeri Historia Orient. pag. 51. qua Arabes patet. Addatur B. Micrælius Hist. Eccles. Synt. p. 58. & Cluverius Epit. histor. pag. 15. b. Præter meritum tamen *contemnunt Mosen* Plinius, Tacitus, Justinus Lib. XXXVI. & Galenus Lib. II. de diff. puls. cap. 4. Quin in ipsa etiam Ecclesia Simoniani, Ptolemaitæ, Marcionitæ & Manichæi, horumque nostra ætate æmuli Anabaptistæ,

baptistæ, Antinomi ac Enthusiastæ, αὐτοκατάκριτοι responso indigni. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

III. De DEO divinisque rebus piè recteque sensit, quicunque scripsit: *Magnus est DOMINUS DEUS Noster, non solum in magnis, sed Magnus etiam in minimis, & Maximus in vilissimis.* Exempli vicem teneat Mosis Baculus, admirandis DEI Operibus in Scriptura Sacra celeberrimus.

Consuevit enim Numen Potentissimum rebus interdum minimis negotia maxima longeque gravissima perficere, *in natura* pariter ac Republica, sive hæc sacra sit, sive civilis. Quem temere latet, dirigente DEO hominem, creaturarum, quæ visu discernuntur, nobilissimam infestari sæpius à minima sui vel Universi hujus particula, ab animalculis, creaturis sensu vitaque destitutis, minimis, ignobilissimis, iis etiam, quæ dives natura parens ne quidem perfecte miscuit? Quis aëris intemperiem, ventorum importunitatem, maris tempestates, terræ damna, venenorum vim latentem aliorumque sexcentorum DEI Operum miram vim, ac mille vias lædendi pariter ac juvandi mortales ignorat? Omnes in omni vitæ genere, & vel in ipsa morte, naturalem eam sive violentam dicamus, ista esse verissima luculenter deprehendunt. *In Republica* autem, ac quacunque hominum societate summa sæpe negotia ab hominibus sortis quondam infimæ dirigi prudenter, ac absolvi feliciter, auctoritate maxima Dan. 4: 14. aut consilio saluberrimo Psal. 113:6.7.8. Luc. 1: 52. apud omnes in confesso est. Quin in proverbium abiit: ex vepreculis extracta nitedula, Rempubl. arrodens: evectus à remo ad tribunal; à ferula ad sceptrum: factusque de Rhetore Consul, Princeps ipseque Imperator. Sed & facile cognitum perspectumque habent *Divini Juris Interpretes & Cultores*, exigua sæpe esse & fuisse instrumenta DEI, quorum ministerio, ordine servato vel neglecto, in amplificanda illustrandaque sui gloria, promovenda hominum salute sempiterna, perpetrandis denique miraculis prorsus stupendis fuit usus. Et licet cæteroquin vel minimi usus, ac dignitatis exiguæ sint, inde tamen dignissimum sui æstimium sortiuntur, quod ad perficiendas res longe maximas ipsum Numen ea adhibuerit. De hujusmodi igitur rebus, ut par est, sentiamus; nec procaciter vel contemtim dicamus. DEUS ipse Gloriosus dignam minutissimarum alioquin rerum mentionem fecit, perpetuamque earundem memoriam, tam in fidelium animis & cœtu, quam in ipsa Diviniori Scriptura, extare voluit. Eo loco jure meritoque habemus Baculum Mosis: de quo præclaram ipse DEUS sententiam tulit; neque nos abjecte sentire voluit. Nihilominus melius pejus, prosit obsit, nihil vident, nisi quod lubet, multi. *Optima quæque*, ut Plinius ait, *malunt contemnere, quam discere.* Id ne audeamus, non tam baculi Mosaici, quam Divinorum Operum, baculo perpetratorum, ratio nos impellit. Horum, admiratione pia dignissimorum, curam potiorem gerentes, ea primum contemplabimur, quæ DEUS Mosis baculo tribuit, elogia.

IV. In illustrissima illa Filii DEI ἀσάρκῳ apparitione Exod. 3:2.4.6.14. Moses officii divinitus sibi injuncti difficultatem veritus, multis modis inhabilem se caussabatur. DEUS igitur Mosi non tantum verba, ad Israëlitas & Pharaonem facienda, suggerebat, sed & virtute instruebat edendi multa, & tria sigillatim prodigia. Primum inter ista erat de Baculo in serpentem convertendo: cujus rationem adducta commata duo priora Exod. 4: 2. & 3. exponunt. Argumentum horum est: *Mosis baculus DEI jussu ac virtute in serpentem mutatus, non sine metu Mosis.* Insuitato huic prodigio præmittebatur remotè tam *Divina* de eo, quidnam Moses manu gestaret? *Interrogatio*; quam *Mosis*, quod baculus esset, *responsio.* Proxime autem antecedebat *Divinum* baculum in terram projiciendi *mandatum*, nec non *Mosis* promtum *obsequium.* Inde duobus tantum verbis ויהי לנחש *ipsummet prodigium* exprimitur, significanter admodum. Eodem nimirum facillimo successu DEUS naturam operis à se conditi immutat, quo quondam in prima omnium rerum productione ex nihilo, solius voluntatis momento dixerat: יהי מטה, יהי נחש. Hanc tam subitam vegetativi corporis in sensitivum immutationem, non minori sapientia, quam potentia, nimirum utraque infinita, factam, sequebatur *Mosis*, diligentissimi naturæ scrutatoris, admiratio stupenda, ac *à serpente metus*, inde à prima divinæ legis transgressione animis mortalium innatus. Cum enim fugiens in pedes se conjiceret, nec aspectum serpentis sustineret, satis aperte prodebat animum, metu mali inde imminentis suspensum ac vehementer perculsum. Hinc divina virtute ac consolatione ipsum oportebat erigi, ac metu isto liberari; uti ea satis declarant, quæ deinceps sibi evenisse recenset Scriptor divinissimus.

Consideratur Baculus Mosis in gemino statu ac usu, tam naturali & primo, quam miraculoso atque extra ordinem primum insecuto. Hujus rationem vicissim geminam ostendit Moses, dum primum de baculo suo objective & passive miraculoso Exod. 4:2, 3. loquitur: deinde vero de eodem mirifico efficienter & active tali Exod. 4: 17. agit. Baculi in utroque statu mentionem primum factam Exod. 4: 2. recte sequitur ejusdem baculi, ad peculiarem in miraculis usum, à DEO facta separatio, institutio ac promissio Exod. 4: 17. Utraque ratio ista nobis facile persuasit, ut cum Baculi in serpentem conversione, conjungeremus DEI promissum de prodigiis, baculo edendis, Mosi datum: adeoque cum miraculosa origine traderemus fundamentum cujuscunque miraculosæ operationis insecutæ. Priora duo commata Exod. 4: 2, 3. baculi & usum vulgarem in re pastoritia, & peculiarem statum in serpente miraculoso exhibent. In qua DEI cum Mose amica confabulatione primum tenet locum *Divina Interrogatio.* Sermonem exorsus memoratur יהוה, quæ vox hic ὑποστατικῶς sumta, solum DEI Filium sive λόγον ἄσαρκον notat. Sola enim hæc SS. Trinitatis persona secunda ut alias sæpius in V. T. ita & hic nomine Angeli in assumta quadam specie conspicui, venit intelligenda; quo videantur rationes satis prægnantes, Divi Patres magno numero, & Jesuitæ quidam adducti à D. Johanne Benedicto Carpzovio *Serm. Funebr. ad Exod. 3: 2. p. m. 265.* Addatur D. Varenius *in Exod.* 78. *s.* Hacksp. *Part. I. Not. p.* 286. & inprimis D. Calovius *Tom. I. Bibl. V. T. p.* 330. *s.* Ubi simul ostenditur, Judæos, Pontificios & Socinianos male intelligere eo nomine angelum creatum, cum vel sine DEO apparentem. Cum Targum istis Chaldæis, Persa vocem יהוה retinuit, sed ex superstitione minus recte scripsit decurtate. Syrus more suo per [Syriac] transtulit: quod voci יהוה significanter exprimendæ non sufficere, alias monuimus. Samaritanus Hebræum [Samaritan] recte retinuit, ex lege proprii nominis non immutandi: Arabs vero pessime penitus omisit, falso persuasus, ex textus serie tantum eruendum, hic ex authentico non reddendum esse nomen illius שכני סנה Habitatoris rubi. Alias idem Arabici Pentateuchi Auctor R. Saadias loco יהוה usurpat الله quod paria facit cum Hebræo אֱלֹהִים, quo Conf. Joh. Fabritii *Specim. Arab. p.* 160. Communiter tamen vicem יהוה apud Arabes tenet الرب quod à רבב deductum, respondet Hebræo-Chaldaico רב, ac in genere Dominum significat, κατ' ἐξοχὴν tamen & absolute non nisi DEO tribuitur, aliis cum adjuncto, ut habet Cl. Golius *Lex. Arab. p.* 925. De voce Græcorum κύριος, Latinor. Dominus, & Germanorum HERR/ facile patet, quod exprimendo nomini יהוה neutiquam sufficiant, sed propius ad [Syriac] & الله accedant. Recte Junius & Tremellius JEHOVA retinent: cui male in fine H adjecerunt Pagninus & Arias Montanus; pessime vero prius H ex יהוה abjecit Castalio, ut nomini Jovis magis responderet Jova. Vocem alteram אמר notare hic λόγον προφορικὸν, dicere & continuare sermonem, sigillatim interrogare, facile constat. Eandem igitur Chaldæi, Syrus & Samaritanus eodem sensu recte retinuerunt; Arabs vero reddidit duabus vocibus قال ... dixit per commonitionem aut prohibitionem. Non equidem destituitur Arabs verbo אמר, sed id ipsum أمر significat ipsi sigillatim dixit cum imperio & auctoritate, jussit, præcepit, imperavit: unde أمير Imperator, Rex, Princeps. Maluit igitur قال conveniens cum Hebr. קול adhibere; sed male contra textus seriem de suo addidit ...: quod Particip. IV. Conj. est à ... vetuit, prohibuit, illicitum pronunciavit, increpavit. Jam vero DEUS huc usque cum Mose non nisi amice agit, & certis gradibus Exod. 4: 2, 11. tandem vs. 14. ad increpationem dudum promeritam contendit. Persa verbo אמר destitutus, ejusdem significatus verbum گفتن recte adhibuit, quod ipsi proprium, uti vel litera گ docet. A Græcis LXX. εἶπε non jubendi, ut Matth. 4: 3. Marc. 10: 49. Luc. 19: 15. sed in genere dicendi sensu recte est adhibitum; uti & orientalium ו rectissime per δὲ redditum, etiam à J. Tremellio *autem.* Nam vanæ excusationi Mosis hic per adversativam recte opponitur sermo DEI: qui hactenus verbis, nunc quoque miraculis instruit Mosen. Quanquam nemo queat diffiteri, satis apte etiam verba cohærere per rationalem & illativam ergo, à Vulgato Lat. adhibitam. Cum Persa, Pagninus & Lutherus conjunctionem ו prorsus omiserunt; at Castalio etiam verbum dicendi otiosum existimavit, pessimeque omisit. Vocis tertiæ

אליו sensus perspicuus, & à nullo Interpp. nisi Castalione, neglectus est: igitur interrogationis subjectum יהוה finem ῷ sive objectum personale אליו & actum formalem ויאמר dimittimus, atque ad objectum reale, materiam de vel ex qua, sive ipsa interrogationis div. verba מזה בידך progredimur. Qua externam vocis מזה formam observant Masorethæ, Hebræorum Critici: מזה חד מן ט"ו מלין דכתיב תיבה חדא וקרי' תרין וסי' במס' רבת' *Vox* מזה *est una ex illis quindecim vocibus, quæ ut una vox scribuntur, ut duæ autem leguntur. Recensio earum, signa sive loca Scripturæ habentur in Masora magna,* nimirum finali. Quemadmodum ex הם & מה fit מהם quid isti Ezech. 8: 6. sicut ex לכם & מה scribitur מלכם quid vobis Jes. 3: 15. ita etiam hic loci ex זֶה & מַה fit מַזֶּה *quid istud*, scilicet est? Quanquam igitur concedamus, ex duobus distinctis pronominibus מזה componi: tamen inde nullo modo consequitur, debere etiam per duo distincta legi. Quis enim pro עֲדֶנָה legeret עד הֵנָּה aut pro לוּלֵא substitueret לוּ & לא? quis in similibus majorem aut omnem simplicium, nullam vel minimam compositorum, etiam in lectione, curam haberet? Cæteroquin masculinum זֶה pro neutro occidentalium lingg. satisfacit, & quia præponitur, deficiens verbum substantivum adjicere decet, quo vid. B. Gejer *in Danielem p.* 165. 146. 180. & D. Glassius *Phil. l.* 3. *p.* 511. Hinc מזה בידך optime redditur: Quidnam est illud in manu tua? Was ist das in deiner Hand? Eadem ratione verbum est subintellectum supplevit eleganter Persa: چیست این در دست تو quid *est* hoc in manu tua? ubi diserte adjectum چیست vel است non solum ad Hebr. יֵשׁ, sed etiam ad ἐστί, est, ist/ proxime accedit, sono & sensu. Cumque Chaldæus & Arabs Hebræum יד retinuerint, Syrus in ܐܝܕܐ & Samaritanus in ... leviter immutarint, Persa vocem sibi propriam دست recte adhibuit, quæ convenit cum Arab. دست planities. Targumistæ, Syrus, Samaritanus & Arabs vocem מזה recte per duas reddiderunt, eandemque verbi substantivi ellipsin cum Hebræo admittunt. Inprimis Syriaca ܡܢܘ ܗܢܐ ܕܒܐܝܕܟ optime vertuntur: Quid *est* illud, quod in manu tua? nam ܡܢܘ ex ܡܢ & ܗܘ conflatum sonat: quid est? Idem convenientissime expresserunt Græci: Latina vero Vulgata *quod tenes*; Tigurina *quod gestas* præter necessitatem adjecit. Castalio denique pronomen demonstrativum זה & possessivum ךָ tua male omisit; verbum habendi cum B. Luthero supplendum putavit. Interrogat autem DEUS omniscius, non velut ignorans, sed ansam quærens declarandi pluribus suam sententiam, ac plenius instruendi Mosen. Ut recte hic Sal. ben Melech אמר כן לפתיחת הדברים כי יודע היה מה בידו וכן אי הבל אחיך *Interrogat DEUS, ut apertius demonstraret res gerendas & declararet verba prolata. Optime alioquin noverat, quid Moses manu gestaret. Quemadmodum & Gen. 4: 9. interrogat DEUS Cainum: ubi est Abel frater tuus?* Hanc perspicuam DEI interrogationem sequebatur promta facilisque *responsio Mosis*, duobus tantum verbis significata ויאמר מטה. Ubi אמר tam Hebræum, quam Chaldæo-Syro-Samaritanum, similiterque Arabis قال, Persæ گفت & Græcorum εἶπεν idem est ac respondere, ad præmissam DEI interrogationem. Igitur Vulgatus, Pagninus & Vatablus voce respondit hic commendationem merentur, præ J Tremellio ac Castalione. De voce autem מַטֶּה separatim & majori cum cura differendum nobis: rem igitur ab ovo, quod dicitur, exorsi, *originem vocabuli* מַטֶּה à נָטָה arcessimus, adeoque nomen per מ ex האמנתיו auctum, ac ex Hiphil profectum dicimus, prima radicis litera per Dagesch F. compensata, ad formam מכה. Inter varia autem, quæ נטה habet, significata placet *significatio* primum extendendi se, protendendi, divertendi; deinde etiam inclinandi activa & passiva. Ita מטה proprie & primario est *ramus*, virensque in arbore *virga*, quam arbor de se protendit, quæ ab arbore deflectit, & in diversum à communi stipite locum inclinat. Hujusmodi vero virga, ab arbore vel frutice succisa, varios homini usus præbet, ut eam ad indicandum, sectandum fugiendumve aliquid extendere, inter obambulandum aut standum, in illam velut inclinatorium quietis capiendæ ergo corpore inclinare, gradum firmare, ac velut sustentaculo inniti, denique extensa vibrataque virga servos, pueros, discipulos, milites, sontes, oves, boves, equos aliaque bruta animantia coërcere facile liceat. Pro qua rei varietate, etiam nomen מטה, diversis rebus attributum, peculiares & ab invicem distinctas denominationes sortitur. Modo designat *scipionem* viatoris ein Wander-Stab/ Genes. 32: 10. cap. 38: 25. interdum *pedum* pastoris, ein Hirten-Stab/ Jes. 9: vers. 3, 4. cap. 14: 5. & 30: 32. nonnunquam virgam & *baculum* Magistri & Præceptoris, Patrisfamilias aut Lictoris: sæpe etiam hastam & *sceptrum* Ducis bellici & Imperatoris, ein Regiment-Stab/ Numer. 17: 17. Jos. 10: 24. 1 Sam. 14: 43: 45. Psalm. 110: 2. Jerem. 48: 17. Ezech. 19: 10. s. Deinde ad alia etiam transfertur מטה, & *Metaphorice* quodcunque hominis sustentaculum, commodum ac subsidium notat. Ita מטה לחם baculus panis sustentaculum, commodissimumque subsidium famelici hominis, reficiendi, alendi, conservandique Levit. 26: 26. Ubi recte Onkelos סעיד מיכלא & Raschi מסעד אוכל fulcimentum sive sustentaculum cibi: quod ex Jes. 3: 1. rectissime confirmat Aben-Esra, inquiens: מטה לחם הוא דרך משל ובישעיה משען לחם כי הלחם לבב אנוש יסעד Adhibetur porro per *Metonymiam causæ* pro robore ipso seu imperandi potestate, sive ea juste & clementer in legitimo Imperio, sive iniquius ac duriuscule in tyrannica dominatione exerceatur. Per Metonymiam vero *signi* vel *adjuncti* מטה, tanquam signum in dividunda hæreditate & alias adhiberi solitum, pro familia tribuque integra usurpari dicitur. Alii metaphoram hic urgent, eamque similitudinem, quod sicut ex uno frutice aut arbore plures surculi, rami ac baculi pullulant: ita ex una tribu, familia ac parente numerosa sæpe soboles proveniat ac longissime se extendat. De qua impropria vocis מטה significatione conferri meretur B. Glassius *Philol. S. Lib. V. p.* 397. (1332.) & *Christol. David. pag.* 94. *s.* atque Grotius *ad Matth.* 1: 16. Non desunt, qui hac vocis מטה genuina origine ac significatione relicta, ad radicem מוט confugiant, quæ non tantum mutare, nutare, vacillare, sed & declinare significat. Contendunt igitur מטה κατ' ἀντίφρασιν notare primario scipionem assumtum, ne vacillemus aut à via declinemus, sed eundem gradum firmiter teneamus. Hi vero notationem nimis procul petunt, nullamque Dagesch F. rationem habent: cum tamen vel solum istud demonstret, verbum פ"נ defectivum esse pro themate retinendum, minime vero ע"ו quiescens; ut ita ה potiori jure ad radicem pertineat, quam מ hæ emanticum. Ut nunc præsentis loci tantum rationem habeamus, vox מטה proprie sumitur, atque virgam à frutice vel arbore quadam succisam denotat, qua Moses cum inniti, tum in pascendo grege pariter ac itinere conficiendo, pro pedo, ac scipione potius, uti potuit. Priorem usum attendit hic R. Sal. Aben Melech, inquiens: מטה שרשו נטה ונקרא כן לפי שהאדם נשען עליו *Radix vocis* מטה *est* נטה, & *ita dicitur scipio, quia homo eidem innititur.* Posteriorem vero urget R. Aben-Esra ad h. l. dum inquit: ויאמר זה האות לא נתנו למשה שיאמין כי כבר נתן לו אות הסנה רק עשה לו האות שיעשה כנה לבני ישראל׃ על כן כתוב למען יאמינו והטעם תעשה כן להם והוא נתן לו בנמצא עמו תמיד כי מטהו משענתו כמנהג הזקן כי כרוך רועה לא בא אל פרעה׃ *Hoc baculi in serpentem conversi prodigium non concessit DEUS Mosi, ut ipse fidem adhiberet dictis: eo enim fine jam exhibuerat ipsi rubi ardentis, nec combusti, miraculum. Quapropter ista signa tantum fecit DEUS, ut Moses eadem apud Israëlitas ederet: ideo diserte dicitur Exod. 4: 5. ut finem adhibeant, subintellige, ita coram eis facies. DEUS autem ab eo signi materiam desumsit, quod Moses semper habebat secum: nam & baculus ejus fuit scipio, ornatus & fulciendi gradus causa assumtus; qui mos est seniorum. Pedum pastorale non fuisse inde patet, quia Moses pastoris instar coram Pharaone non comparuit.* Quod hic baculi Mosaici genus concernit, existimamus, rectissime quidem Mosi agreste, longum ac incurvum pastorale pedum ein Schäfer-Käule denegari: nec enim infimi ordinis pastor, aut mercenarius erat, sed gregis possessor; pedi tamen vicem aliquamdiu tenuit scipio formosus, nec nimis longus, quem gestabat Moses, tam apud Pharaonem, quam gregem constitutus. *Chaldæi* voce מטה eo sensu destituti, hic & alias adhibuerunt חוּטְרָא, cujus radicem Rabbini faciunt חָטַר baculo percussit: ab Hebræo גדר ob ejusdem soni literas, Chaldæi habent חֲטַר sæpe cinxit; Arabes حظر prohibuit, seclusit, definivit, præscripsit: unde حظار & حظيرة sepimentum μεσότοιχον, caula ovium. Vi originis hujus חוטרא, præter sepem & maceriem, notat baculum, quo percutere, prohibere suisque definitis ac præscriptis limitibus includere & regere licet homines & pecudes. Per μετάθεσιν literæ ט atque צ Aramæis in frequenti usu positam, חוטרא rectius deducitur à خضر viridis factus est, unde خضيرة flagellum, ex virgis viridibus factum. LXX. *Græci* baculum Mosis vocant ῥάβδον: quod conjiciunt dici παρὰ τὸ ῥᾶον βαδί-

ζειν,

ζειν, baculum, eo quod gressum incessumque reddat faciliorem. Verum vox ῥάβδος in Sacris adhibetur tam de tenera flexilique virga einer Ruth und Peitsch fascibus Romanorum, ex virgis vel bacillis, de betula arbore lectis Act. 16: 22, 35, 38. 2. Cor. 4:21. & 11: 25. quam de duro firmoque baculo, sive viatorio & scipione einem Wanderstab Apostolorum, Matth. 10:10. Marc. 6:8. Luc. 9: 3. atque Aaronis Hebr. 9:4. sive sceptro einem Regimentsstab Hebr. 1:8. & cap. 11:21. Apocal. 2:27. cap. 11: 1. 12: 2. 19: 15. Unde significatio media exprimendo Mosis מטה videtur convenientissima; quanquam idem exprimere soleant Græci per σκίμπων, σκήπων, σκῆπτρον, aut etiam βάκτρον, βακτήριον, βακτηρία. Illi apud Latinos respondet scipio & sceptrum; huic baculus, bacillus: quod & inde rectius deducitur, quàm ab Hebræo מקל, uti vult M. Marinus in Arca Noæ. Porro מטה Mosis *Latine* rectius redditur per baculus à Tigurinis atque J. Tremellio, quam virga à Vulgato, Pagnino, & Castalione. Nam uti sceptrum Regibus, fasces Coss. lituus Pontificibus & Episcopis, pedum pastoribus, ita virga inprimis pueris & equisonibus, baculus autem & scipio quibusvis, etiam in dignitate constitutis, convenit. Unde & *Germanice* à B. Luthero מטה hic rectissime transfertur ein Stab, etiamsi alias baculum Aaronis vertat ein Ruthe: quæ quomodo inter se differant, neminem Germanorum fugit. Aliis etiam nominibus *Hebræos* baculi significationem exprimere, ex מקל שבט משען משענה חטר & משענת satis patet. Et חטר quidem est adæquatum Synonymum מטה, uti R. Nathan in Concordantiis; R. Jona in Lexico & R. Sal. ben Melech ad Jes. 11: 1. & Proverb. 14: 3. testantur. Vox autem מקל pro pedo pastoris Genes. 30: 37. Zach. 11: 10. scipione viatoris Exod. 12: 11. clava aut fuste militis Ezech. 39: 9. atque sceptro Regis Jerem. 48: 17. fere uti מטה adhibetur. De voce שבט non est ut hic prolixius dicamus: ea etiam, quæ à שען deducuntur, baculi firmioris, cui inniti licet, significationem retinent, adeoque ad מטה proxime accedunt. Porro an & cur baculus Mosis dicatur מטה אלהים baculus DEI & מטה אהרון Aaronis? suo loco videbimus. Nunc juvat *ipsum* admirari *prodigium*, quod *baculi* Mosaici in terram *abjectionem* divinitus *mandatam* sequebatur, atque vocibus ויהי לנחש significatur. In constructione verbum היה eleganter post se ל habet, quod tamen aliæ linguæ, inprimis occidentales, exprimere non tenentur in translatione, quo conferatur Glass. *phil. l. 3. p.* 356. (633.) & Gejer. *T. 2. in Ps. p.* 792. Ipsius miraculi terminus à quo sive *materia* ex qua fuit baculus verus & naturalis, terminus ad quem sive *effectus* erat serpens verus & supernaturalis. Neque vero serpens vulgaris cogitandus est, sed grandis, squamosus & draco horrendus admodum; uti fuga Mosis & typica Pharaonis præfiguratio monstrat. Terminus per quem sive forma, *modus* & media, quibus DEUS hic est usus, neque ab angelica neque ab humana mentis acie penetrari suisque numeris determinari queunt. DEUS enim uti solus mirabilia facit αὐτοκρατορικῶς Ps. 72: 18. Joh. 3: 2. ita & solus ea ratione accuratissima cognoscit, facitque vel maxime in miraculis ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν Eph. 3: 20. In genere quidem de forma miraculi dicere licet, factam esse immutationem substantiæ in aliam substantiam, diversissimis accidentibus vestitam: quemadmodum Joh. 2: 9. recensetur aquæ in vinum transmutatio. Istud tamen discriminis inter utramque hanc substantialem mutationem intercedit, quod facilior & utilior videatur unius liquoris in alium, quam rami ex vegetabili quondam corpore succisi aridique in corpus animatum sentiens, serpentemque callidissimum mutatio. Specialem vero miraculis hujus modum qui exprimere conantur rerum naturalium venatores, ordinariam naturæ viam in generatione corruptibilium ingrediuntur. Hi non attendunt ad opera Domini miraculosa, indeque in vento scribunt, atque auram tantum & frustra verberant, uti eleganter simul & perspicue ad nostrum locum Sapientissimus Rabbinorum Aben-Esra loquitur: דעת חכמי המחקר איך יתכן זה והוצרכו לומר להסיר היבושת וכל דבריהם רוח כי הוא דרך מופת ואינו על דרך תולדות: Non tamen his acquievit curiosum quorundam ingenium, sed præter modum, etiam *finem* miraculi solicite investigant. Disquirunt, cur DEUS baculum Mosis non in aliam mundi speciem, quam serpentem, converterit? nobis videtur respondendum, sicut Domino placuit, ita factum est. Instant, cur Domino serpens; præ aliis, placuerit? ℟. quis dicet, Domino tacente? quis mortalium hujus negotii conscius DEIQUE consiliarius fuit? quid stipulæ ad ignem? ubi consistent, quid dicent, si qui ἄρρητα ῥήματα audivit, tamen ingenue confitetur: ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ, ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ; De eo per rationem contextus certi sumus, finem ῶ tergemini illius miraculi non esse Mosen: quod facile colligitur ex Mosis querela Exod. 4: 1. DEIQUE responso vs. 8, 9. Constat inde, partim propter populum Israëliticum Exod. 4: vs. 8, 9. partim ob Pharaonem Exod. 4: 21. convincendum, Mosi ea miracula esse concessa. Et erat omnino Mosi, Israëlitis ac Pharaoni miraculum baculi in serpentem conversi convenientissimum. Pedum, vel potius baculus Mosis debebat Pharaoni fieri infestus draco: annos bene multos rei pastoritiæ præfuerat Moses; tunc Pharaoni draconis, ac Israëli Pastoris instar erat futurus Dux & Liberator. Inprimis tamen Pharaonis ingenium atque populi Israelitici conditionem depingi existimamus: Pharao hactenus baculo exactoris usus durissima servitute Israëlitas presserat; nunc infesti draconis speciem præ se ferens, omnes invadere & deglutire videbatur. Sed inverso rerum ordine serpens Mosis revera deglutivit Magorum serpentes Exod. 7: 11, 12. atque mox in mirificum baculum rediit. Ita Israël hactenus ob vitam pastoritiam, pedo insignem & debitam sacrorum curam, fuerat contentus; nunc à baculo exactoris liberatus, aliam induebat formam, ac formidabilis non Pharaoni tantum & Ægyptiis, sed universo pene Orienti factus est. In hanc sententiam sequentia affert Aben-Esra: אמר יפת זה המופת רמז כי היה בתחלה דבר רך כמו מטה ונהפך לנחש וכתל התנין הגדול ובסוף ישוב כבראשונה והיה כלא היה:

V. Neque unum tantum istud miraculum, etsi satis luculentum, qua baculum Mosis, observari meretur; sed longe plura magisque illustria signa eo baculo edenda esse DEUS Ter Opt. Max. sapienter videt ac benignissime promittit Exod. 4: 17. Ubi, ut quam brevissime, dicamus, continetur DIVINA INSTRUCTIO MOSIS AD MIRACULA EDENDA. Hujus *instructionis* cernitur cum *mandatum*, tum *mandati momentum* sive effectum. Mandati tam materiale, quam formale describitur: materia sive *Subjectum*, de quo sermo *est* ipse *baculus*, in naturali & miraculoso usu Exod. 4: 2. 3. modo expositus. *Prædicatum* continet actum formalem seu modum circa baculum versandi: imperatur enim Mosi *baculi in manum assumtio*. Subjungit statim assumtionis ratio s. finis, operatio s. *effectus* in miraculis. Hujus miraculosæ operationis *causa prima* DEUS & Moses, *media* baculus, *formalis* productio, & *materialis* signa commemorantur. Eum enim in finem baculus erat assumendus, ut DEI Minister Moses beneficio baculi ederet opera admiranda, non in Ægypto tantum, sed & Arabiæ deserto.

Baculum Mosis mirificum in genere hic describi, jam supra p. 27. patuit: neque multa qua expositionem hujus textus jure desiderantur: cum singula fere verba sua luce radiare videantur. Ad vocis האתות declarationem tantum observamus, ה illud הידיעה non esse h. l. ita δεικτικόν, ut exerat suam demonstrandi vim ad miracula immediatè præcedentia, sive singula, sive tantum designanda. Neque enim quenquam Hebraice eruditum temere latet; hunc pariter atque Græcorum articulum frequentissime quidem & eleganter in Lingua S. poni; in aliis tamen linguis πλεονάζοντα intelligi. Ex textus enim serie satis perspicuum est, memoratorum ibi miraculorum trium primum tantum baculo fuisse peragendum. Verba igitur Exod. 4: 17. reddi nequeunt: *quo* baculo *facies illa* ipsa, modo recensita tria *signa*. Est vero אות ab אתה venit, evenit, atque in genere quodcunque signum, sive nudum, sive prodigiosum denotat. Denominationem enim inde habet, quod aliquid sive præteritum, præsens aut futurum sit, in sensus animalium venire faciat, non tantum ab eo, quod eventum rerum futurarum præsagiat. In Scriptura S. refertur ad signum, quod, deficiente *S. Augustino*, seipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit, sive quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid facit in cogitationem venire. Ita signum fœderis dicitur circumcisio Genes. 17: 11. atque Sabbathum Exod. 31: 13. 17. Ezech. 20: 12. 20. Eo generali sensu אות velut genus & signum minus mirandum contradistinguitur voci מופת velut speciei, sigillatim prodigia & portenta, majori admiratione digna, denotanti Deut. 6: 22. c. 7: 19. c. 13: 1. c. 20: 3. c. 34: 11. Neh. 9: 10. Psal. 105: 27. Jes. 8: 17. Jer. 32: 20. 21. Nonnunquam tamen אות speciatim denotat eventus omnis generis insuetos, & terribiles futurorumque adhuc infortuniorum majorum prænuntios. Conf. de hac voce B. Fesselium *Lib. V. Advers. S. Cap. VII. p.* 544. & D. Geierum *T. I. in Ps. p.* 1509. *T. II. p.* 562.

VI. Ex his inter se collatis tandem colligimus, Baculum Mosis fuisse scipionem viatorium, ab arbore succisum, peculiari DEI jussu ac concursu ad miracula coram Ægyptiis & Israëlitis in Ægypto & Arabia edenda à Mose adhibitum. Eodem fato, quo reliqua Mosis instrumenta, hodie non amplius superat, etsi obnoxius sit variis Judæorum & Pontificiorum qua ortum, usum & interitum figmentis: quæ suis relinquenda autoribus, hic præterimus, dicentes.

SOLI DEO GLORIAM.

JOH.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De Circumcisione Zipporæ ad Exod. IV: 24.

בה״ש:

DE
CIRCUMCISIONE ZIPPORÆ,
ex Exod. IV: 24. & seqq.



AD illud Zodiaci punctum Sole iterum jam regresso, quo recepta computatione annum novum auspicamur Christiani, & anniversariis meditationibus de *Circumcisione*, ejusque à nostro Salvatore susceptæ causis pro umbone agere consuevimus: operam haut me pœnitendam navaturum existimo, si Exercitium Academicum conscripturus occasionem arripiam de *Circumcisione* differendi, quam Judæi hodieque tam stricte observant, tantopere deprædicant, ut eam præceptum primum facile proclamitent. Sic enim in libro rituali שולחן ערוך, parte II. יורה דעה num. 260. legimus: מצוה עשה לאב למול את בנו ודרולה מצוה זו משאר מצות עשה: Quæ verba hunc sensum gignunt: *Præceptum affirmativum est, quo obligatur Parens circumcidere filium, atque hoc præceptum reliquis affirmativis est majus.* Quibus gemella scribit *R. Moses Maimonides* מילה cap. I. Hilkot מילה מצות עשה שחייבין עליהן כרת שני וערל זכר אשר לא ימול את בשר ערלתו ונכרתה הנפש ההיא מקרב עמו: *Circumcisio est præceptum affirmativum, cujus omissio excisionem meretur, quia dictum est* (Genes. 17:14.) *& præputiatus masculus, qui non circumciderit carnem præputii sui, exscindetur anima ejus è medio populi sui.* Hinc etiam usum illius maximopere extollunt, & necessitatem ejus urgent. Idem enim R. Moses ex Massechet נדרים cap. 3. Hilkot cit. cap. ult. §. 9. ait: בא וראה כמה חמורה מילה שלא נתלה למשה רבינו עליה שעה אחת אף על פי שהיו בדרך: *Veni & vide, quanti sit momenti circumcisio, quam Mosi ne horam quidem differre licuit, etiamsi in via essent.* Alludit nempe Ebræorum Phœnix ad locum Exod. 4: vs. 24. ubi Zippora præsentissimo vitæ periculo liberasse maritum memoratur. Quem textum subobscurum, variisque, cum Ebræorum, tum Christianorum interpretamentis obnoxium, communicatis ab *Excell. Præside, Patrono & Hospite meo faventissimo*, nonnullis Ebræorum, quos omnino consulendos rei literariæ lumina suadent, expositionibus, accuratius perpendere & simul quæ recutiti de circumcisione, ut ea ad præscriptum legis divinæ fiat, tradant, ventilare animum induxi.

SIT ITAQUE
EXERCITII NOSTRI ACADEMICI
CAPUT PRIMUM.

Circa objectum occursus Dominici Interpretum dissensus. Elieserem Mosis filium intelligit R. Chananeel, Augustinus, Tertullianus, sive, cujus personam induit, Judæus & Arabs interpres, Syri & Bechai ad Mosen eum restringentium sententia probatur rationibus. Augustinus frustra ex Psalmo suæ explicationis quærit subsidium. R. Abarbenelis dubia è textu referuntur. Veterum Ebræorum & R. Salomonis de Angelo, qui Mosi occurrerit, opinio monstrosa. Chaldæus Paraphrastes, Onkelos, Bechai, Aben Esra, Albo, Tostatus, Cornel. à Lapide, Bonfrerius nomine יהוה *Angelum intelligunt. Bellarminus in alteram sententiam de morbo immisso, quam Aben Esra, Kimchi, Simeon de Muis amplectuntur, propensior. R. Abarbenelis explicatio nova allata. Significatio verbi* פגש *excussa. R. Abarbenel notatus. Bonfrerii* ἐπίκρισις *laudata. Aramæ opinio de occursus dominici causa. Zipporam tunc in patriam rediisse R. Salomo asseverat. R. Gerundensis ex Exod. 17: 2. probat causa occursus allata ex textu. Quid de illo Zippora senserit diversa Aramæ & Abarbenelis opiniones.*

§. I. REm ab ovo, quod dicitur, orsurus ipsum textum authenticum Lectori cumprimis exhibendum censeo, qui Exod. 4: vs. 24. 25. & 26. cum versione Ariæ Montani ita se habet:

.eum interficere quæsivit &, Dominus ei occurrit &, diversorio in via in fuit Et
וַיְהִי בַדֶּרֶךְ בַּמָּלוֹן וַיִּפְגְּשֵׁהוּ יְהוָה וַיְבַקֵּשׁ הֲמִיתוֹ׃
tangere fecit & ,sui filii præputium circumcidit & petram Sipporah tulit Et
וַתִּקַּח צִפֹּרָה צֹר וַתִּכְרֹת אֶת־עָרְלַת בְּנָהּ וַתַּגַּע
recessit & , mihi es sanguinum sponsus quia dixit , & ejus pedes
לְרַגְלָיו וַתֹּאמֶר כִּי חֲתַן־דָּמִים אַתָּה לִי׃ וַיִּרֶף
.circumcisiones ad sanguinum sponsus dixit Tunc .eo ab
מִמֶּנּוּ אָז אָמְרָה חֲתַן דָּמִים לַמּוּלֹת׃

Quam mira & subita mutatio! in antecedentibus pluribus mentio facta erat, quam benigne & familiariter cum Legato suo, Mose Deus egerit, ipsumque edocuerit, quid coram Rege Pharaone suo nomine agere & loqui debeat. Nunc vero & derepente hostiliter occurrere in diversorio & morem intentare dicitur.

§. 2. Sane id adeo durum visum est Interpretibus, cum Christianis nonnullis, tum Judæis, ut non tam Mosen ipsum, quam filium ipsius intelligendum esse, contenderent. Atque ita *R. Chananeel* textum explicandum arbitratur, ut *R. Bechai* fol. 67. memorat his verbis: כן פירש רבנו חננאל ז״ל כי משה לא היה שם ממלון כי כן הזכיר למעלה ויקח משה את אשתו ואת בניו וירכיבם על החמור ביאור הפסוק ששלח אותם לפניו ואחר כן וישב משה מצירימה וכיון שכן לא היה עתה במלון ואמר ויבקש המיתו כלו׳ לנער שהיה המלאך נעשה כמין נחש ובולעו מראשו ועד ירכיו וחוזר ובילעו מרגליו ועד מקום המילה: *Sic explicat R. Chananeel l. m. quod Moses non fuerit in hospitio, quia supra* (vers. 20.) *dictum est, & cepit Moses uxorem suam, & filios suos, & equitare eos fecit super asino. Et explicatio verborum est, eum præmisisse eos, & subjicitur* (v. cit.) *& reversus est in terram Ægypti, minime igitur Moses jam in hospitio erat. Quod vero porro dicitur, & quæsivit occidere eum, infantem innuit, quem Angelus, qui formam ser-*

pentis

pentis induerat à capite usque ad lumbos ejus deglutiverat, & deinde à pedibus usque ad locum circumcisionis.

§. 3. Ex Christianis quoque Augustinus Tom. IV. Oper. lib. 2. Quæst. II. in Exodum, postquam de difficultate esset conquestus, eo tandem etiam delabitur, ut infantem occidere Deum voluisse, perhiberet. sic enim habent ejus verba: *Primum quæritur, quem volebat Angelus occidere, utrum Mosen, quia dictum est: & occurrit ei Angelus, & quærebat eum occidere. Nam cui putabitur occurrisse, nisi illi, qui universo suorum comitatui præfuit, & à quo cæteri ducebantur? An puerum quærebat occidere, cui Mater circumcidendo subvenit, ut ob hoc intelligatur occidere voluisse infantem, quia non erat circumcisus, atque ita sancire præceptum circumcisionis severitate vindictæ. Quod si ita est, incertum est prius, de quo dixerit, quærebat eum occidere, quia ignoratur quem, nisi ex consequentibus reperiatur, mira sane locutione & inusitata, ut prius diceret occurrit ei & quærebat eum occidere, de quo nihil ante dixerat. Sed talis est in Psalmo: fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion. Inde enim Psalmus incipit, nec aliquid de illo, vel de illa, dixerat cujus fundamenta voluit intelligi, dicens; fundamenta ejus in montibus sanctis. Sed quia sequitur diligit Dominus portas Sion: Fundamenta vel Domini, vel Sion, & ad faciliorem sensum magis Sion, ut fundamenta civitatis accipiantur. Sed quia in hoc pronomine, quod est* EJUS *genus ambiguum est, omnis enim generis est, hoc pronomen, id est, & masculini & fœminini & neutri, in Græco autem in fœminino genere dicitur,* αὐτῆς *& habet codex Græcus* αὐτȢ, *cogit intelligere non fundamenta Sion, sed fundamenta Domini, i. e. quæ constituit Dominus. Nec Sion tamen, nec Dominum antea nominaverat, cum diceret &c. Sic & hic nondum nominato infante dictum est, occurrit ei, & quærebat eum occidere: ut de quo dixerit in sequentibus agnoscamus.* At vero recte addidit Sanctus Pater: *quanquam & si de Mose quispiam accipere voluerit, non est magnopere resistendum.*

§. 4. In hac sententia quoque Tertullianum fuisse annotant Autores plurimi. Cæterum videtur non tam Tertullianus, quam Judæus, qui cum disputat illam fovisse. Habebatur videlicet inter Presbyterum & Proselytum Judæum acriore conflictu disputatio, quum vero res propter auditorum strepitus minus plane percipi & dilucidari posset ac nebula quadam veritas nonnihil obumbraretur, ab integro eam stylo retractat. In illa disputatione Judæum Proselytum opponentem introducit, atque ita haut dubie non tam ex sua, quam ex Judæi mente verba de *Mosis Filio* adducit. Quæ apud Tertullianum lib. contra Judæos cap. 3. reperiuntur, hæc sunt: *Sed Abraham*, inquit, *circumcisus est. Sed ante Deo placuit, quam circumcideretur, nec tamen sabbatizavit: acceperat enim circumcisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogativam. Denique sequentes Patriarchæ incircumcisi fuerunt ut Melchisedech, ut* (hic UT semel redundat & abest à prima editione ceu notat Junius ad h. l.) *qui ipsi Abrahæ jam circumciso revertenti de prælio panem & vinum obtulit incircumcisus. Sed & Filius*, inquit *Mosis, tunc ab Angelo præfocatus fuisset si non Seffora Mater ejus calculo præputium infantis circumcidisset. Unde, inquit, circumcisionis maximum periculum est, si præputium carnis quis non circumciderit.*

§. 5. Cæterum etsi Arabica quoque versio in Opere Biblico Anglicano eo inclinat, quippe quæ habet فا جاء ولدهٔ ملاك الله *& irruit in filium ejus Angelus Domini*: altera tamen explicatio est veritati & contextui magis consentanea, qua suffixum Mosen respicere dicitur, quæ Syro etiam probatur, dum vertit; ܘܒܥܐ ܠܡܩܛܠܗ ܠܡܘܫܐ & *quæsivit occidere Mosen.* Unde & *R. Bechai* ad h. l. מלת ויהי חוזרת למשה והגיד לך הכתוב כי יכשהיה משה בדרך במלון ויפגשהו יי׳: *Vox* ויהי *Mosen respicit, & indicat ibi Scriptura, cum in itinere esset Moses Deum ipsi occurrisse & in diversorio*, quod Syrus ܒܝܬ ܡܒܬܐ *domum pernoctationis* reddidit.

§. 6. Nec desunt rationes, cur de Mose potius quam de infante verba explicanda esse censeamus. Qui enim verbis antecedentibus jussus est viam inire, is hoc loco commodissime intelligitur in via fuisse. Atqui Moses jussus est. E. Huc accedit, quod contextus circumstantiæ, ipsiusque Zipporæ factum comprobat de pœna à Parentibus neglectæ circumcisionis agi, quæ Mosi potius quam infanti luenda erat. Sane si verba: ויפגשהו ויבקש המיתו *occurrit ei & voluit eum occidere*, de filio Mosis explicanda venirent, Scriptura Sacra paulo post dixisset *circumcidit* ערלתו *præputium ejus*, non autem ערלת בנה *filii sui*: Ecquid enim opus fuisset, illum iterum denominare, cujus mentio jam ante esset facta? Neque *vers.* 20. contrarium sentientibus patrocinatur. etsi enim ibi dicitur reversus esse in Ægyptum, nondum tamen exinde probatur, eum, cum hæc in hospitio contingerent, iter illud jamdum confecisse: verba enim activa apud Ebræos quandoque inchoative sunt accipienda, ceu docet Beatus D. Glassius Phil. Sacr. lib. III. tr. 3. can. 3. Quod Augustinus ex Psalmo 87, 1. affert, ut probet pronomen referri ad id, quod sequitur, id alienum est. Vau, enim ibi non respicit urbem, quæ generis fœminini est, sed מזמור Psalmum, ceu Kimchi quoque docet in commentario.

§. 7. Omnino itaque asserendum videtur, de Mose verba esse accipienda, ceu B. Hieronymus quoque com. ad Gal. 5. fatetur, non tantum ויהי יי׳, sed etiam reliqua ויפגשהו יי׳ ויבקש המיתו, quibus ei *occurrisse Dominus & interficere eum voluisse* perhibetur. Quæ *R. Abarbenel* explicaturus, quæstionem quartam movet his verbis: מה ענין ויפגשהי ה׳ ויבקש המיתו ועל מה בקש להמיתו והלא שלוחי מצוה אינן נזוקין ואם זה היה עונש אלדי למשה על שנתעצל במילת אליעזר בנו כדברי חז״ל וכמו שיורה עליו הספור איך נאמר עליו ויפגשהו ה׳ ילשון פגישה לא יאמר כי אם על הדבר שיבוא שלא במתכוין אלא א״צ הקרי וההזדמן כאומרו פגוש דוב שכול באיש והדברים האלריים באים בסדר וכהשנחה ואינם בקרי ובפגשה ועוד שהרי עדין לא חלה עליו מצות מילה כיון שעדין היה בדרך ומאי רצה רבי יוסי באומרו על שנתעסק במלון תחלה שהרי לא יתכן שימול אותו במלון ויעא לדרך: *Ecquid significant verba*, & occurrit ei, & quæsivit eum occidere, *& quamobrem voluit eum interficere? Annon Legati sunt immunes à damno? Si hæc pœna fuit divina & ideo inflicta Mosi, quod in filio Eliesere circumcidendo esset cunctatus ceu Dd. nostri l. m. docent, & contextus, ecquomodo dictum est:* ויפגשהו ה׳ *Sane verbum* פגש *non dicitur, nisi de re, quæ præter opinionem accidit, & per accidens occurrit, sicut dicitur* (Prov. 17: 12.) *occurrere urso melius est viro. At res divinæ ordine & provide fiunt, non per accidens & in occursu. Præterea antequam ægrotaret, ipsum præceptum obligavit adhuc ambulantem in via. Et quid sibi vult R. Josi, dum ait, cum primam ipse curam haberet diversorii. Neque enim conveniens erat, ut circumcideret eum & se in viam daret.*

§. 8. Ad dubia, quæ *R. Abarbenel* movit, infra responsuri, Veterum, ut plurimum delirantium, sententiam primo loco ponemus. In Schemoth Rabba fol. 70. col. 4. hæc legimus: זכ מנין ידעה צפורה שעל עסקי מילה נסתכן משה אלא בא המלאך ובלע למשה מראשו ועד המילה וכין שראתה צפורה שלא בלע אותו אלא עד המילה הכירה שעל עסקי המילה הוא ניזוק וידעה כמה גדול כח המילה שלא היה יכול לבלעו יותר מכאן מיד ותכרת את ערלת בנה: *Unde Zippora cognovit, quod ob circumcisionis negotium periclitetur Moses? Venit nempe Angelus & Mosen à capite usque ad locum circumcisionis, deglutivit. Postquam igitur vidit Zippora, non nisi eo usque eum absorptum, extemplo cognovit circumcisionis causa id factum esse, & inde virtutem circumcisionis cognovit, quod nempe non posset ultra eum deglutire, statim igitur præputium abscidit filii sui. Rabbi Salomonis* glossa non abhorret ab hoc commento: היה המלאך נעשי כמין נחש ובולעו ועד ירכיו וחוזר ובולעו מראשו ועד אותו מקום: *Angelus Serpentis formam induit, eumque deglutivit usque ad femora. Deinde à capite ejus usque ad locum circumcisionis.* Unde patet, tam illum, qui de Mose supra textum intellexit, quam eos, qui de filio ejus verbum ויפגשהו explicant, commentum de Angelo serpentis forma apparente, & oris hiatu absorptionem minante, huic loco illinere consuevisse.

§. 9. Inter Ebræos, eosque magni nominis Interpretes, reperias plures, qui Angelum voce יהוה intelligant. *R. Bechai* com. ad h. l. diserte ait: ויפגשהו השם זהוא מלאך ונקרא בשם המיוחד כיון שנשתלח להשלים ולעשות רצון קונו יתברך: *Deus ipsi occurrit, hoc est Angelus, vocatur autem nomine Dei proprio, quia mittitur ad perficiendam & implendam voluntatem benedicti creatoris sui. R. AbenEsra* non dissentit: מלאך הוא וכמוהו ויי׳ הולך לפניהם יומם ושם כתוב ויסע האלהים: *Est Angelus. Similis locus est, cum dicitur* (Exod. 13: 21.) *& Dominus ivit ante eos interdiu. Et ibi* (cap. 14: 19.) *scriptum est; & profectus est Angelus Dei.* Haut aliter quoque docet *R. Joseph Albo* l. 2. c. 28. libri עקרים, qui gemino illo loco ad idem probandum utitur.

§. 10. Nec desunt ex Christianis, qui Judæorum vestigia legentes, Angelum intelligendum dicant. Alphonsus enim Tostatus, Episcopus Abulensis, gemella tradit, qui in expositione hujus loci Quæst. XII. hunc in modum scribit: *Occurrit ei Dominus, i. e. Angelus, qui vocatur Dominus, quod ut diximus præced. cap. in Testamento Veteri licet ponatur*

tur Deus apparuisse, semper intelligendum est, Angelum esse, ut ibi dictum fuit & multoties alibi, quod alias mutaretur ordo ministrantium & assistentium Deo sine aliqua necessitate, aut utilitate, quod non est dicendum, sicut Deus nunquam mutat ordinem naturæ facienda miracula, nisi ex aliqua causa utilitatis & necessitatis, ut ipse indicavit & aliquoties nobis apparet. Ablegat Episcopus Lectorem ad caput antecedens, ubi in notis suis quæst. 1. hæc verba habet: *Sic etiam sæpe vocatur Deus Angelus ejus, qui nomine ejus loquitur. Et ut quasi generaliter dixerim, Deum nemini unquam in V. T. apparuisse: sed Angelum loco Dei. Quid? in ipsa datione Legis, quæ fuit maximum, quod factum est in V. T. cum per illam uniretur Israël Deo in populum peculiarem, non loquebatur Deus ipse, sed Angelus ejus, ut patet ad Gal. 3: vs. 1. Lex ordinata est per Angelos in manu mediatoris. Et tamen ille Angelus locutus fuit, quasi esset Deus, dicens: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti &c.* Hanc sententiam amplectitur quoque Cornelius à Lapide, qui in comm. suo ad Exod. super hunc locum statuit, eum, qui h. l. vocatur יהוה, angelum fuisse humana forma, gerentem Dei personam. Si rationem quæris ex Jesuita; respondet ille in notis ad cap. 3: vers. 2. *Quia*, inquiens, *licet obsequio esset Angelus inspiratione tamen, repræsentatione & autoritate erat Deus: Sustinebat enim & repræsentabat personam Dei, à quo missus erat, quique ei inspirabat* &c. Hunc sequitur quoque Bonfrerius, qui quidem dum mentem suam explicare debebat, nihil quicquam certi determinat, rem altoque silentio præterit: in integro vero subsequente discursu haut obscure innuit, se ab illorum parte stare, qui Mosi Angelum mortem minatum esse sentiunt; quotiescunque enim sermo est de יהוה, ille Angeli vocem adhibet.

§. 11. Cæterum cum in textu nulla fiat mentio Angeli, nec aliunde patescat, Deum Angeli opera hic usum esse, longe satius est, ut B. Lutheri canonem, quem B. Dn. D. Major θ. 163. de Natura Angelorum magni fecit, sequamur: *Ubicunque non exprimitur, sive diserte ponitur nomen Angeli, non intelligimus Angelos.* Extat enim hic nomen τετραγράμματον, incommunicabile & solius Dei proprium יהוה, quod licet LXX. transtulerint ἄγγελος κυρίου. Aquila tamen reddidit θεὸς, Symmachus & Theodoti ὁ κύριος. Ipse igitur Deus hic intelligendus est, quippe cui soli in casu recto positum nomen יהוה tribuitur, & ejus intrinsecam essendi necessitatem notat.

§. 12. Si vero Deum ipsum intelligas, ecquomodo ille in Mosen פגש? Bellarminus lib. 1. cap. 7. de Baptismo, etsi suæ religionis interpretes complures refert ita exponere, ut dicant, Angelum Mosi apparuisse nudato gladio, qui continuo eum vexaverit, nec quiescere siverit, R. Aben-Esram tamen non male de morbo immisso intelligere, asseverat: Verba *Sapientis*, ut eum vocant, Ebræi, sic habent: טעם ויפגשהו שבא חלי על משה מהשם שלא עלה על לבו וזהו ויבקש המיתו אם לא יומל בנו ובעבור שאחזתו רעדה לא יוכל הוא למולו: *Sensus verbi* ויפגשהו *est, morbum Mosi divinitus immissum esse, quod ipse non cogitaverat, atque hoc innuitur verbis, & quæsivit eum occidere, nisi filius circumcidatur. Quia vero tremor ipsum occuparat, non poterat ipse illum circumcidere.* Et Kimchi comment. in Jos. 5: 2. ראינו מר"עה איחר זמן מילת בנו בעבור הדרך והוכיחו בדרך על ידי החולי: *Vidimus Mosen D. nostrum b. m. circumcisionem distulisse, & hinc morbo eum in via correptum fuisse.* Simeon de Muis Var. Sacr. ad cap. 4. Exod. v. 24. de graviore morbo occursum Mosi factum interpretans ita scribit; *Accipiant alii quomodo velint: ego hic existimo occurrisse dici Deum Mosi, eumque expetiisse ad necem, quod ei divinitus contigerit lethalis morbus.* Quod autem Moses ægrotaverit, & graviter quidem, satis demonstrari posse, conjecturam facit ex eo, quia alias non commode cohæreret, quod postea narratur de Zippora; existimans, quod si secus se res haberet, ipse Moses, & non uxor ejus, circumcidisset filium: sed præventus maritus à morbo gravi, conjugi, quo minus circumcideret, obicem ponere noluisset nec debuisset: aliasque nunquam omissurus fuisset illud officium, si per valetudinem licuisset.

§. 13. Cæterum gemina hæc ratio explicandi textum non videtur R. Abarbeneli exhaurire omnem modum, quo occursus ille dominicus potuerit contingere. Ad huc aliter igitur verba ille explicat: תוכן הענין הוא שהנבואה היתה יורדת אל משה תמיד והיה צריך מעמור תמיד בהתבורדותו ומהשבתו בשליחותו ולכן כשבא במלון ונתעסק בעסקי לינה כל אותו הלילה ולא התבודד בעניני שליחותו ונבואתו תחלה הנה כשחל עליו שמה השפע מצאו בלתי מוכן לנבואה וז"א ויפגשהו ה' ר"ל שבאה הנבואה עליו ולבו ומחשבותיו היו טרודים בעסקי לינתו ואשתו ובניו ומפני שנמצא בלתו מוכן לקבול השפע ההוא היה עליו הצער והסכנה ההיא ותפעם רוחו וה"א ויבקש המיתו לא שהיה רוצה הש"י להמיתו כי חפץ חסד הוא אלא שפגש אותו השפע העליון בהיותו בלתי מוכן נסתכן והגיע לשערי מות וזהו מ"ש ר' יוסי על שנתעסק במלון תחלה ר"ל שהיה להתבודד ראשונה בנבואה: *Sic se res habet: Subinde ad Mosen descendit prophetia, qui idcirco identidem in legatione sua solus & cogitationibus intentus esse debebat. Propterea cum in diversorium venisset & ista nocte tantum cogitaret, quomodo pernoctaret, nec legationis & prophetiæ memor esset, inidoneus ad influxum divinum recipiendum initio statim est inventus. Atque hoc est, quod dicitur* ויפגשהו ה', *quasi dicat, ipsi supervenisse propheticam inspirationem, cum cor ipsius & cogitationes cura illa pernoctationis & uxoris & filiorum distinerentur, & quia non erat aptus ad recipiendum influxum, angustias non sine periculo sensit, spiritusque ipsius conturbatus est, quod ipsum significatur verbis:* ויבקש המיתו, *non quod occidere eum vellet; est enim is, qui potius misericordiam vult, sed quia ille influxus cœlestis occurrit non parato. Ideo periclitatus, ad limina mortis usque venit. Atque hoc est, quod R. Josi ait, quod primam curam diversorii gereret, cum potius prophetiæ rationem habere deberet.*

§. 14. Quod hanc sententiam attinet, τὸ פגש, quod Rab. David Kimchi ענין פגיעה *significationem occursus* habere ait in libro Radicum, & non præcise notat occursum, qui fit per accidens, ut R. Abarbenel supra docebat, sed illum etiam qui ex προαιρέσεως fieri solet Genes. 32: 17. minime quidem repugnat, quo minus de influxu Prophetico illud intelligamus, qui tunc contigerit, cum legatus ille aliis negotiis implicatus non satis aptus fuerit ad munus ejusmodi obeundum: sic enim & verbum קרה Num. 23: 3, 4. de manifestatione Dei usurpatur, quæ Bileamo facta est. Sed cum ipsa Scriptura occursum eum in genere saltim significarit, neque expresserit, quomodo ille, qui alias addita voce restringitur (ut cum Dominus פגע בדבר *occurrit peste*, Exod. 5: 3.) contigerit, temerarium esse videtur, illum hic velle determinare: maxime, cum verbum פגש ab omnibus illis recensitis modis secundum se præscindat, neque uni magis videatur, quam alteri competere. Sufficiat illud in præsenti, occursum eum ejusmodi fuisse, ut exinde colligere potuerint, Mosen morti proximum esse. Id enim omnino ex verbis בקש המיתו liquet, quæ Rab. Abarbenel non satis est assecutus. Equidem, ut Deut. 13: 10. בקש להדיחו significat *studium & conatum propellendi*: ita hic בקש המיתו denotat *mortem intentare*, id quod Zippora, quæ malum avertere studuit, evidenter animadvertit. Unde non displicent verba Bonfrerii, quibus ad hunc locum ita commentatur: *Qua ratione hæc cædes fuerit intentata, an gravi & repentino morbo immisso, ut volunt aliqui, an ab Angelo sensibili forma gladium in Mosen stringente, aut mortem minitante, quem etiam forte ipsa Zippora conspexerit, aut certe id quod res erat, ex mariti angustia conjectarit, incertum est.*

§. 15. Quemadmodum in modo occursus discrepant, ita quoque in causa hujus terribilis occursus denominanda variant Autores: quidam enim eam adscribunt Mosis præpostero facto, quod familiam, magnum rei seriæ impedimentum, secum in Ægyptum Dei injussu ducere voluerit, sive quod, in diversorio nimium curando comitatum, moras necteret. Nonnulli vero quod soceri & uxoris suæ causa circumcisionem neglexisset. R. Isaacus Arama suam sententiam his verbis promit: ויקח משה את אשתו לדעתי זה היה עון אשר חטא ביד משה עליו נאמר ויפגשהו ה' ויבקש המיתו כי באמת היה לו למול את בנו בזמנו ולהניח אשתו ובניו אצל חתנו כי מה חפצו בביתו אחריו ושתצא אשתו עמו הנה נראה שהיתה חביבה עליו בראשיתו יותר מבאחריתו ואחשוב שזה דעת מי שאמר על שנתעסק במלון תחלה שהלשון זה כנוי לעסק אהבת הבית הכולל חברת האשה והבנים כי לפי שהיה העסק ההוא בעצם וראשונה במהשבתו נסתתמה ממנו חלוקת חלופיו כי הוא אמר אם אמול ואצא הרי סכנה לילד אם אמול ואמתין עד שיבריא הרי עכוב בשליחות והצד היותר הינו נסתר מעיניו והוא למולו ולהניחו שם עם אמו ואם היה חטוב והישר אחר כך להחזירם שם כדבר אהרון כ"ש שהיה לו להניחם מתחלה והוא מה שוורמז באומרו ויהי בדרך במלון ויפגשהו ה' ויבקש המיתו שלה היה הפגע רק למה שהיה בדרך במלון ונזכר אשר היה לו להניחו במדין ולא לעכב המצוה: *Et sumsit uxorem suam &c. v. 1. Mea sententia hoc ipsum fuit peccatum, quod Moses designavit, & propter quod dicitur* ויפגשהו יהוה ויבקש המיתו. *Revera enim ipsius muneris erat, filium suo tempore circumcidere, & uxorem cum filiis socero relinquere. Ecquæ ejus voluptas erat, familiam secum ducere & uxorem? Quæ sane initio ipsi magis in amoribus fuisse videtur quam postremo. Arbitror hanc sententiam etiam illius esse, qui ait*

ideo

ideo hoc ei contigisse, quod diversorii curam haberet primam. Hoc enim cognomentum est curæ rei familiaris, quæ complectitur consortium uxoris & liberorum. Quia enim illud studium ipsius erat præcipuum & cogitatio prima, non satis ipsi constabat, quid agendum esset. Dicebat enim: Si circumcidero, & egressus fuero, puero periculum creabitur. Si circumcidero & expectavero donec convaluerit, legationi impedimento erit. Atenim id plane non animadvertit, filium circumcidendum, & una cum matre relinquendum esse ibi. Et cum postmodum consultum visum fuerit & rectum suasu Aaronis eos eo remittere, quanto magis conveniens erat, ut initio ibi relinquerentur. Atque hoc indicatur verbis ויפגשהו ה׳ ויבקש המיתו*, quod nempe occursus ille non fuerit alia de causa, quam quod in via & diversorio fuerit, quod memoravimus, & in Midian relinquere debuisset, ne præceptum divinum impediretur.*

§. 16. Ex hisce liquet, Arama docente, ideo Deum occurrisse Mosi, quod secum familiam in Ægyptum ducere voluerit. Sane Mosen injussu Dei eam secum duxisse, inde conjecturam facere licet, quod institutum suum mutavit, & uxorem ad socerum suum remisit, quod suasu Aaronis factum esse, Arama docuit paulo ante, & R. Salomo quoque confirmat, qui com. ad h. l. Aaraonem Mosen sic alloquentem introducit: היכן אתה מוליכן אמר לו למצרים אמר לו על הראשונים אנו מצטערים ואתה בא להוסיף עליהם לה אמר לכי לבית אביך נטלה שני בניו והלכה לו: *Quomodo eos ducis? respondit: in Ægyptum. Dixit ei (Aaron) nos vexamur propter primos, qui ibi sunt, & tu non dubitas alios superinducere. Dixit ei (uxori), recipe te in paternas ædes, & illa assumto utroque filio est reversa.* Quicquid tamen sit de Aaronis consilio, id verisimile est, eam tunc cum filiis in patriam reversam esse. Exod. 18: 2. enim dicitur Jethro ad Mosen venisse cum Zippora & duobus filiis אחר שלוחיה *post dimissionem ejus*, quæ verba ita R. Gerundensis explicat: בעבור שהזכיר הכתוב ויקח משה את אשתו ואת בניו וישב פצרים הוצרך לומר כאן שהיתה בבית אביה כי משה שלחה שם: *Quia Scriptura dixerat* (Exod. 4: 2.) *& sumsit uxorem suam, & filios suos, & reversus est in Ægyptum, dicendum hoc est, eam in domo paterna fuisse. Moses enim istuc eam miserat.*

§. 17. Non diffitetur tamen R. Arama, circumcisionis omissionem Zipporam pro causa habuisse, cur Dominus ei occurrerit, unde idem l. cit. היא מעצמה הבינה שעכוב המילה היא חטא בידו וכל שכן אם ראתה סימני׳ על ידי מלאך שרף או נחש כשאמרו ז״ל: *Illa ipsa intellexit circumcisionis dilationem Mosis esse delictum, quanto magis vero id sensit, si, ut illi l. m. dixerunt, angelum in serpentis forma vidit.* Atque causa hæc ex textu probari posse videtur. Quo enim peracto, ab hostili occursu Dominus remisit, illius intermissio fuit causa occursus divini, sed peracta circumcisione Dominus remisit. E. Quanquam haut inficias iverim, ut unius rei alias, sic & hic, plures causas concurrere potuisse. R. Abarbenel de Zippora: בחכמתה חשבה כי אולי בעון שלא מל את בנו קראוהו הרעות האלה הו שהיתה מיתת משה מוליך אשתו למצרים והיתה מסופקת איזה מאלה היתה סבת מות משה: *Illa sagaciter hariolata est, forsan mala hæc Mosi accidere, ideo, quod filium suum non circumcidisset, aut quod uxorem suam in Ægyptum duceret. Subdubitabat enim, utra harum causarum mortem Mosi minitaretur.* Nihil jam reliquum est, quam ut videamus, quomodo Zippora se gesserit, & quid porro, à fœmella illa peracta circumcisione, accidisse textus sacer referat.

CAPUT SECUNDUM

Probationem, qua verba בקש המיתו *ad filium Mosis referenda contendit R. Cophni vacillare ostenditur. Aben Esra aliique Ebræorum præcipui, contra quam magni nominis Vir docet, de Mose intelligunt.* צר *quid R. Aben Esra denotet, Abarbenel, Masora parva, Syrus & Arabs de silice recte accipiunt. Non notat cultrum cote politum. Silice & testa amputari posse præputium ne Catullo quidem fuit ignotum & Juvenali. Quo instrumento circumcidant Judæi, Maimonides recenset. Præputium quotuplex ex Pirke R. Elieseris ostensum. Quid* ערלה *R. David Kimchio. Physice superfluum præputium non est. Cur à Deo amputatio illius mandata. Totius legis Mosaicæ observandæ necessitatem, fatente Kimchio, imponit. Hinc Salvatorem nostrum circumcidi voluisse docet B. D. Gerh. Epiphanius adhuc alias causas recenset. Quantum Judæi circumcisioni tribuant ex precibus illorum & R. Abarbenele demonstratur. R. Lipmanni de circumcisione judicium. Quæ ad eam rite administrandam necessaria contendant Judæi, ex Mose Rozensi & Talmud ostenditur.* פריעה *ex Jos. 5: 2. probari haud potest. De origine illius, Schikardi conjectura, alia verisimilior allata. Epiphanius laudatus. locus 1. Cor. 7: 18. illustratur. Maimonides laudatus.* מציצה *Judæorum itidem Turcis, Raimundo teste, ignota Judæorum figmentum de Elia, qui circumcisioni intersit.*

§. 1. COmmunem & textui consentaneam, & ipsis Ebræorum doctissimis receptam expositionem esse, qua verba בקש המיתו de Mose interpretantur, ex hactenus allatis satis, credo, jam patet. Superest tamen adhuc Interpres inter Judæos, cui R. Chophni nomen est, qui itidem aliter textum explicandum est ratus. Sententiam ejus his verbis reliquit Aben Esra רב שמואל חפני אמר חלילה להיות השם מבקש להמית משה שהולך בשליחותו להוציא עמו רק בקש להמית אליעזר והוא סימן ויפגשהו גם המיתו ואחרי כן פי׳ שהוא אליעזר על כן כתוב ערלת בנה ולא הזכירו בתחלה כי עוד לא נקרא שמו וכמוהו ויהי בלדתה ויתן יד: *R. Samuel Chophni dixit, absit, ut Deus voluerit Mosen interficere, qui legationem suam susceperat ad educendum populum, sed saltim Eliesērem voluit occidere, quod indicant verba* ויפגשהו *&* המיתו, *& occurrit illi ad interficiendum. Atque sic postea explicat Eliesērem fuisse. Ideo enim scriptum est* ערלת בנה *præputium filii sui & non mentionem initio ejus fecit, quippe qui nondum nomen habebat, perinde, ac cum dicitur* (Gen. 38: 27.) *& fuit cum pareret, & dedit manum.* Exemplum ex Gen. allatum esse dissimile, quis non videt? conferantur modo verba allata cum vers. 28. & liquido patescet, aliquid ibi contineri, ad quod suffixum in ידו respiciat, nempe unum ex תאומים *gemellis*, at hic, nisi ad Mosen referas, nihil apparet omnino. Merito igitur hic ipse Rabbi deseritur ab Aben Esra, ceu supra cap. 1. vidimus. Tantum sane abest, ut hic & præcipui Rabbini negarint de Mose sermonem esse, veluti magni nominis vir, & interpres alias scripturæ dexterrimus contendit, ut contrarium potius dicendum videatur. Præterquam enim quod jam ante allata verba Aben Esræ id comprobant, idem Rabbi versus 23. hemistichium posterius, quod Autor laudatus novo & nulli unquam Interpretum usitato modo de primogenito Mosis exponit, docet, contineri pœnam, quam Deus Pharaoni sit interminatus, unde supplet: על כן אניעך *idcirco* (ob detentum Israëlem) *te* (Pharaonem) *puniam.* Quin subjicit Aben-Esra: חסרי דעת השבו כי עם משה ידבר וזה שגעון ועוד כי אליעזר אמר אינו בכור משה: *Imperiti sibi persuadent cum Mose Deum locutum esse* (de filio ipsius occidendo) *sed errant. Præterea si Eliesērem fuisse innuit, is minime Mosis primogenitus fuit.*

§. 2. Sed nunc ad alia progressuri, hæc mittamus. Zippora, sive quod auguraretur, dilationem circumcisionis hujus calamitatis fundum esse, sive, quod Moses id ei revelaverat, ipsa confestim operi manum admovet & filium circumcidit. Instrumentum, quo id peregisse perhibetur, vocatur צר & ab ipsis Ebræis non uno modo explicatur. R. Aben Esra scribit de illo hunc in modum: צר דבר חד כמו חרבות צרים שהם חדים וכמוהו אף תשיב צור חרבו: צר *denotat rem acutam, ceu dicitur* (Jos. 5: 2.) *cultros* צורים, *qui sunt acuti. Atque ita dicitur* (Ps. 89: 44.) *& avertes* צור *aciem gladii ejus.* R. Abarbenel licet & ipse cap. 5. Jos. intelligat סכינים חדים מאד *acutissimos cultros*, hoc loco tamen silicem videtur tribuere Zipporæ, cum sic commentatur: הוא שן סלע חותך שנזדמן לידה מפני שלא היה לה מאכלת ולא תער השכירה: *Notat dentem scindentis silicis, in quem incidit, cum cultro destitueretur & novacula conductitia.* Nec ab hac sententia aliena est Masora parva, quippe cujus hæc nota legitur in Codice Basiliensi צר ב׳ חס׳ בטינרא *Vox* צר *bis defective scribitur, ubi de lapide accipitur.* nempe hoc loco Exod. cit. & Ezech. 3: 9. Syrus quoque vertit ܛܢܪܐ & Arabs صونا *silicem.* Quæ significatio rectius ad vocem illam quadrat, quam

quam altera, qua sine omni ratione accipiunt de *cultro in petra vel cote polito.*

§. 3. Potuisse autem silice eam circumcidere filium, neminem dubitare sinit ejus acumen, quo ipsos etiam testes præsecari Catullus indicat in illo elaborato carmine de Berecynthia, & Atti. *Devolvit ipse acuto sibi pondera silice.* Perinde ac Juvenalis Satyr. VI. testa id fieri ait:

Mollia qui rupta secuit genitalia testa.

Ne vero quis Ebræis minus usitatum fuisse objiciat, R. Mosis Maimonidis verba adducemus, Hilkot מילה cap. 2. בכל מלין ואפילו בצור וזכוכית ובכל דבר שכורת ולא ימול בקרומית של קנה מפני הסכנה: *Qualibet re circumcidunt, silice, vitro, & omni re qua scindit. Minime vero fragmento Cannæ, ob periculum*, nempe ne manus suas ὁ περιτομεὺς lædat.

§. 4. De voce ערלה cap. 29. Pirke R. Elieseris hæc legimus: חמש ערלות בעולם ארבע באדם ואחת באילן ארבע באדם מנין ערלת האזן שנ' הנה ערלה אזנם ערלת שפתים שנ' אני ערל שפתים ערלת הלב שנ' ומלתם את ערלת לבבכם ערלת הבשר מנין שנ' וערל זכר אשר לא ימול את בשר ערלתו: *Quinque præputia sunt in mundo, quatuor in homine, unum in arbore; in homine quatuor esse unde constat? quia dictum est, ecce* (Jer. 6:10.) *incircumcisa est auris illorum. Præputium labiorum, quia dictum est,* (Exod. 6:12.) *Et ego præputiatis labiis. Præputium cordis, quia dictum est* (Deut. 11:16.) *& circumcidite præputium cordis vestri. Præputium carnis, quia dictum est: & præputiatus masculus, qui non circumciderit carnem præputii sui. Unum in arbore, quia dictum est* (Lev. 19:23.) *cum veneritis in terram, & plantaveritis omne lignum cibi, auferetis præputia fructuum illorum.* Etsi vero R. David Kimchi in libro Radicum simpliciter ita scribit: כל דבר היתר והכבד שראוי להשליכו ולהסירו יקרא ערלה: *Quicquid superfluum & grave est, adeoque abjectione dignum, nomine* עָרְלָה *venit*: Sciendum tamen est, illud in illis exemplis, ubi metaphorica significatio locum obtinet, verum esse; hic vero, ubi proprie sumitur, & ἀκροβυστίαν, sive illud, quod extremam pudendi partem tegit, notat, physice superfluum a Judæis male vocari, & non sine blasphemia à nonnullis recutitis asseri, à Diabolo illud oriundum esse. Sane ut illud in corpore humano suum habet usum, ita superfluum neutiquam vocari meretur, licet Deus id in quovis masculo, octavo, à nativitate ejus, die amputandum sanxerit Genes. 17: 7. Neque etiam amputatio pelliculæ facta est, שתחליש כח האבר ויתמעט הפועל הבהמי ut post Maimonidem part. 3. More cap. 49. scribit Abarbenel fol. 63. col. 3. Sed ut organum esset receptionis in fœdus, & signum ex qua gente nasciturus esset Messias, aliamque, internam nempe cordis purificationem, & ἀχειροποίητον circumcisionem Col. 2:11. adumbraret, ceu docent Theologi. Recte R. Moses Maimonides l. cit. ait: *Præceptum istud non est datum propter defectum creationis, sed ad corrigendum defectum morum.*

§. 5. Fuit quondam amputatio illa præputii medium, quo Ecclesiæ Judaicæ inserebantur adulti æque ac infantes. Unde Maimonides cap. 1. Hilk. מילה §. 7. ait: גר שנכנס לקהל ישראל חייב מילה תחלה: *Proselytus, qui ingreditur in cœtum Israëlis, omnium primo circumcidi tenetur.* Quo ipso legis Mosaicæ in se recepit observationem. Hinc R. David Kimchi in Lib. Rad. voce גר de proselyto justitiæ agens, qui circumcisus non septem duntaxat Noachi, ceu vocant, præcepta observat, sed legem Mosaicam totam, diserte scribit: יש מהם שנתגייר מכל שנתייהד והוא גר' שהחזירה תורה על ענין המצוות כמו האזרח והגר ולגר ואזרח הארץ: *Est insuper qui perfecte proselytus fit, & Judæus, & illum lex obligat ad servanda præcepta, quemadmodum dicitur* (Lev. 18: 26.) *indigena & proselytus, &* (Num. 9: 14.) *statutum unum erit vobis proselyto & indigenæ.* Quæ plane conveniunt cum Doctorum nostrorum sententia, qua inter causas, quamobrem Salvator noster circumcidi voluerit, hæc præcipua refertur, *solennis obligatio, quod velit onus legis in se transferre, perfectam ei obedientiam præstando nostri loco, quandoquidem circumcisio, cum non usurpatur ut signaculum justitiæ fidei, est obligatio totius legis servandæ, Gal. 5: 3. Rom. 2: 25.* confer B. D. Gerh. Tom. IV. LL. 9. 16. Alias adhuc causas recenset Epiphanius lib. 1. Hæres. 30. quas interesse ait: ἵνα βεβαιώσῃ, ἣν πάλαι ἔδωκε περιτομὴν, δικαίως ὑπηρετήσασαν ἕως τῆς αὐτοῦ παρουσίας καὶ διὰ τὸ μὴ ἔχειν τοὺς Ἰουδαίους ἀπολογίαν. εἰ γὰρ μὴ περιετμήθη, εἶχον λέγειν, οὐκ ἠδυνάμεθα Χριστὸν δέξασθαι ἐν ἀκροβυστίᾳ. *Ut demonstraret, circumcisionem olim datam usque ad suum* (*Messiæ*) *adventum durare debuisse, & ne Judæi excusationem haberent. Nisi enim fuisset circumcisus, potuissent dicere: non potuimus Christum recipere in præputio.* Et pag. 62. eleganter idem Epiphanius, ἵνα περιτμηθεὶς ἀπολύσῃ τῆς περιτομῆς, καὶ ἄλλην μείζονα δείξῃ, ὅτι ταύτης οὐκέτι ἐστὶ χρεία, ἀλλὰ τῆς μείζονος. *Ut circumcisus honeste circumcisionem tolleret aliamque præstantiorem ostenderet, quod veteris nullus esset amplius usus, sed alterius præstantioris.*

§. 6. Quæ cum ita se habeant, commiseratione digni sunt Judæi, dum in circumcisione etiamnum suæ salutis proram puppimque constituentes precari solent: אל חי חלקינו צורינו צוה לנו להציל ידידות זרע קדש משחת למען בריתו אשר שם בבשרנו: *Deus vivus, pars nostra, rupes nostra, præcepit erui animam, semen sanctum ex fovea propter fœdus suum, quod posuit, in carne nostra.* Quarum precum sensum R. Abarbenel nobis ostendit, פי' תורה fol. 63. col. 2. sic scribens: התבאר טעם מצוה המילה ושלהיותה מדריכה האדם אל שלימותו ומצילתו מרדת שחת אמרו במדרש שאברהם יושב אפתחה דגהינם ואינו מניח שום בר ישראל מהול לירדת שמה: *Ratio hujus præcepti est clara. Et quandoquidem hominem ad perfectionem suam deducit, & ne in foveam descendat, impedit, in Medrasch dixerunt, Abrahamum sedere ad portam Gehennæ, neminemque circumcisorum Israëlitarum ingredi sinere.* Quæ postrema verba autor libri עיר גבורים fol. 10. ad eum restringenda docet, qui simul כל הכוללים ואזניו ופיו לבו ערלות מל פעולות האדם: *circumcidit præputia cordis sui, oris & aurium*, fateturque solam externam circumcisionem non sufficere, sed aliam adhuc requiri, quo ipso rectius quidem cæteris sapere videtur, qui ex opere operato circumcisionem prodesse somniant, non minus tamen errat ac reliqui, dum effectum supernaturalem illi etiamnum adscribit actioni, quæ initio aliquandiu *necessaria*, deinde *arbitraria*, hodie vero *nociva* est, ceu docent Theologi. Mirum etiam est, ea tantopere Judæos gloriari, cum tamen ipsorummet judicio plurimi sine ea fidem habeant salvificam. Notatu digna sunt verba R. Lipmanni num. 21. Nizachon: אין האמונה תלוי' כי אם בלב מי שאין מאמין כשורה אין מילתו משויה אותו ליהודי גם מאמין כשורה הרי הוא יהודי אפילו אינו נמול: *Non pendet fides à circumcisione, sed è corde. Qui non credit ut oportet, circumcisio ejus non facit eum Judæum. Qui vero credit, ut oportet, ille est Judæus, etiamsi non sit circumcisus.* Utinam illi crederent, prout Messia misso, oportet! tam frivolis & inutilibus traditionibus, quas habent, minime se suosque defatigarent, iisque effectum supernaturalem tribuerent.

§. 7. Ejusmodi præsectione præputii filii sui cum Zippora circumcisionem administrasse legatur, & neque hic, neque in ipsis verbis institutionis præterea quicquam memoretur, liquido apparet, sequioribus seculis à Judæis, tam negotiosis in administranda circumcisione, quædam esse addita. Circumcisionem enim, ut legitima, & ad legis divinæ præscriptum facta sit, sic describit R. Moses Kozensis, ספר מצות גדול fol. 115. חותכין את הערלה כל עוד המחפה את העטרה עד שתתגלה כל העטרה ואחר כך פורעים את הקרום הרך שלמטה מן העור בצפורן ומחזירו לכאן ולכאן עד שיראה בשר העטרה ואחר כך מוצץ את המילה עד שיצא הדם ממקומות רחוקים כדי שלא יבוא לידי סכנה ואחר שמוצץ נותן אספלנית ורטייה וכיוצא בהן: *Totum præputium, quo tegitur glans, abscindunt, donec hæc tota appareat. Deinde retegunt teneram pelliculam inferiorem unguibus in utrumque latus, donec caro glandis videatur, postmodum exsugunt, ut sanguis locis illis pressis extrahatur, ne infans periclitetur. Postquam exsuxit, imponit emplastrum & huic similia.* Et in Talmud, Massechet שבת cap. 13. ajunt: עושין כל צרכי מילה מלין ופורעין ומוצצין אמר ר' פפא האי אומנא דלא מייץ סכנה הוא ומעברין ליה: *Faciunt omnia nessaria circumcisionis, circumcidunt, retegunt & sugunt. Dixit R. Papa, Minister circumcisionis, qui non sugit, reputandus est transgressor.*

§. 8. Quantum ex his apparet, duo maxime requirunt recutiti, ut circumcisio sit legitima & rite peracta. 1. פריעה *denudationem* & מציצה *exsuctionem.* Prius nonnulli ex Sacris probare satagerunt. Cum enim Jos. 5: 2. jubeantur circumcidi Israelitæ שנית, R. Salomo ita commentatur: רבותינו אמרו שנית זו פריעת מילה שלא נתנה לאברהם: *Dd. nostri dixerunt, vocem* שנית *notare* פריעה *vel denudationem, quæ Abrahamo non est demandata.* Atenim שנית respicit potius Abrahamum, qui se suosque circumciderat, cujus posteri ab eo tempore, quo in deserto nati degerant, ob itinera conficienda circumcisionem intermiserant; jam vero devictis hostibus, & divisa terra, ne cum gentibus vicinis commiscerentur, & ut Pascha, cujus usu omnibus præputiatis Deus interdixerat Exod. 12: 48. rite comedere possent, circumcidi jubentur. Si itaque פריעה vel *denudatio* illa Abrahamo à Deo non est mandata, & hic locus quoque fatentibus aliis Judæis, ad probandam illam nihil valet, sequitur utique, Doctorum tantum

tum esse figmentum, quum dicunt, ut ex Mose Kozensi & Maimonide constat: מל ולא פרע את המילה כאלו לא מל *Qui circumcidit, & non membranam denudat, perinde est, ac si non circumcidisset.*

§. 9. Haut immerito igitur in originem hujus traditionis inquiritur. Schickardus p. 127. משפט censet, Judæos denudationi baptismum quendam addidisse, quo sic ab aliis, Samaritanis nempe dignosci possent. Cæterum si conjecturis locus est, verisimilius videtur, eum in finem פריעה esse tam rigide observatam à Judæis, ne quis facile præputium de integro sibi reduceret. Sane jam olim fuisse, qui circumcisi arte quadam præputium de integro attraherent, ex Epiphanio constat, qui fol. 538. sic scribit: τὸ δὲ ἔτι τούτων χαλεπώτερον, ὅτι καὶ ἀπὸ περιτομῆς ἀκρόβυστοι γίνονται, τέχνῃ τινὶ ἰατρικῇ διὰ τοῦ καλουμένου σπαθιστῆρος τὴν τοῦ μέλους ὑποδερματίδα ἀποσπασθέντες, ῥαφέντες καὶ κολλητικοῖς περιοδευθέντες ἀκροβυστίαν αὖθις αὐτοῖς ἀποτελοῦσιν. *Hoc vero adhuc gravius est, quod etiam à circumcisione præputiati fiunt arte quadam medica per instrumentum attractorium* σπαθιστῆρος *appellatum, internam membri cuticulam attrahi sinentes, futuramque admittentes, & glutinatoriis circumdatis præputium rursus superinducunt.* Ejusmodi attractionem præputii cum nonnulli ex illis, qui Judaismo valere jusso, Christo nomen dederant, tentarent, quod circumcisionem sibi probro esse ducerent, Apostolus eos ab hac est dehortatus, 1. Corinth. 7: 18. περιτετμημένος, inquiens, τις ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω, *Circumcisus aliquis est, ne reducat*, eo quod id temporis nec circumcisionis nec præputii haberetur ratio, sed, ut ibi Apostolus loquitur, ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστι, καὶ ἡ ἀκροβυστία οὐδέν ἐστι, ἀλλὰ τήρησις ἐντολῶν τοῦ θεοῦ.

§. 10. Oppido itaque probabile esse arbitror, *denudationem* idcirco introductam esse, ne circumcisi facile attraherent præputium, ob quod factum solum negant aliquem salvari posse. Sic enim R. Moses Maimonides, Hilkot מילה cap. III. §. 3. כל המפר בויתו של אברהם אבינו והניח ערלתו או משכה אף על פי שישנו תורה ומעשים טובים אין לו חלק לאולם רבא: *Quicunque irritum facit fœdus Abrahami Patris nostri, & relinquit præputium, aut attrahit, etiamsi legem recipiat, ac bonis operibus abundet, non habet partem in seculo futuro.* Consimiliter מציצה *exsuctio* sanguinis, licet ob periculum, in quod circumcisi incurrerunt, introducta videatur, à Zippora tamen minime observata neque in institutione circumcisionis est mandata, sed progressu temporis, ut alia non pauca inter Judæos, Doctorum decreto invalescere & sub inevitabilis necessitatis prætextu obtrudi cœpit. Turcæ sane, qui circumcisionem tanti faciunt, ut puellæ quoque tredecim, quatuordecim & quindecim annorum honoris causâ circumcidantur, ceu Autor Arabiæ testatur cap. XV. פריעה tamen haud agnoscunt, *exsuctionem* vero itidem eos ignorare, omni asseveratione affirmat Martinus Reymundus, Pugione Fidei fol. 614. Accensenda videlicet hæc sunt illis, quæ Judæorum Doctores commenti tanquam divinitus præcepta religiose observanda esse docuerunt. Cujusmodi & illud est, quod Eliam divinitus ordinatum esse dictitant, qui omnibus circumcisionibus intersit, id quod ex 1. Reg. 19: 12. ridicule eunt probatum. Cum enim ibi Elias dicat: *Zelo affectus sum propter Dominum exercituum, eo quod dereliquerunt fœdus tuum Israëlitæ,* Deum sic alloquutum Eliam finxerunt: חייך שאין ישראל עושים ברית מילה עד שאתה רואה בעיניך: *Per vitam tuam, si Israëlitæ circumcisionem sunt administraturi, quam tu non tuismet oculis videas.* Atque ita factum est, ut, ceu libri rituales illorum docent, quoties infans circumciditur, Eliæ tanquam ordinario inspectori illius actionis sellam ponant. R. Kimchi ad c. 3. Malach. diserte מכאן התקינו לעשות כסא הכבוד לאליהו שנקרא מלאך ברית: *Hinc decreverunt Eliæ solium gloriæ ponere, quia vocatur angelus fœderis.* De reliquis circa circumcisionem ceremoniis Judaicis ut hic agamus non permittunt chartarum angustiæ. Videat eas, cui volupe est, in Synagoga Judaica Dn. Buxtorfii caput IV. & alibi.

CAPUT TERTIUM.

Interpretum de obscuritate verborum querelæ, eorumque dissensus. ותגע לרגליו. *B. Lutheri, Syri, LXX. item, utriusque Chaldæi & Arabis diversæ translationes adductæ. Sanctii nova opinio, ut duriuscula, repudiatur. Abarbenelis, Kimchi & AbenEsræ,* רגליו *de Mose intelligentium, sententia probata.* תגע *quid. Buxtorf. laudatus. Kimchi, AbenEsra, Schindlerus & Arabs infantem circumcisum sponsum vocari solitum esse, dictitantes, nullum suæ sententiæ solidum fundamentum habent.* חתן דמים *sponsum sanguinarium minimè notat, ut Rivetus docet.* דמים *diversimodè accipi, AbenEsra fatetur. Ratio, cur Riveti explicatio rejectanea. Abarbenel laudatus. LXX. mirè Ebræa verba* חתן דמים *vertunt. Glassius & Tostatus laudati.* וירף ממנו *Lyranus & Grotius de Zippora invita Grammatica explicant. Bechai, Abarbenelis & Aramæ interpretamenta.* ἐπίκρισις. למולות, *pluralis cur adhibitus. AbenEsra, Bechai, Alschechi & Abarbenelis commentis & incertis conjecturis R. Gersomidis, enallagen numeri statuentis, sententia, à qua nec Syrus nec Arabs alienus est, præfertur. De Præfixi* ל *in* למולות *significatione R. Salomonis sententia ventilata. Abarbenelis & Kimchii opinio.*

§. 1. QUomodo Zippora filioli sui præputio amputato, porro se gesserit, & quid sit locuta, jam videamus licet. Omnes vero hic Interpretes de summa obscuritate conqueruntur verborum & difficultate textum intelligendi, quæ sane vel ex ipsorum maximo dissensu etiam satis patet. Difficile enim dictu est, quantopere illorum varient interpretamenta, obscurissimum esse hunc locum, Pererius quoque fatetur. Verba textus authentici וַתַּגַּע רַגְלָיו Vulgatus (quem B. Lutherus sequitur) reddidit; *& tetigit pedes ejus.* Ita Syrus, ܘܩܪܒܬ ܠܪ̈ܓܠܘܗܝ. Græci vero, Mosi angelum occurrisse statuentes, (quem placare ipso corporis procumbentis gestu Zipporam voluisse, significare videntur) verterunt καὶ προσέπεσε πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ, *& procidit ante pedes ejus.* Onkelos וְקָרִיבַת לְקָדָמוֹהִי *& obtulit ante eum.* Targum Hierosolymitanum: ואקריבת יתה קדם רגלוי דמחבלא *& obtulit illud coram pedibus perdentis.* Arabs ܘܩܕܡܬܗ ܒܝܢ ܝܕܝܗ *obtulit eum in conspectu ejus.* Lyranus ipsum sanguinem intelligit, qui delapsus pedem infantis tetigerit, quod tamen ipsi verbo repugnat, cujus litera formativa generis fœminini index docet, de Zippora sermonem esse. Ecquid vero sit, *tangere pedes?*

§. 2. Insignem difficultatem, quam Vulgata versio quoque suggessit, vidit Casp. Sanctius, unde alio modo obviam eundum illi est arbitratus, com. ad Es. 6. sic scribens: *Illud non præteribo, quod ab hac observatione aliquid accipiet lucis, quod etsi variè à multis tentatum sit, adhuc tamen manet obscurum valde. Exod. 4. dicitur: Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es. In pedibus quos in circumcisione filii tetigisse dicitur Sephora; illud intelligo membrum filii, à quo per circumcisionem aliquid detrahitur. Quare si sumatur pro membro circumciso, hysteron proteron est: nam prius membrum illud tetigisse apparet, quam circumcidisse. Nisi dicas tetigisse Sephoram partem illam circumcisam stillantem sanguine, ostendisseque Moysi viro suo, ac dixisse: Sponsus sanguinis mihi es, id est, vide quam mihi cari steterit connubium cum Hebræo contractum. Aut denique tetigit pedes, id est, carnem per circumcisionem ablatam, quæ etiam pedum nomine significatur, ostendensque viro suo dixit, sponsus sanguinum* &c. Rationem, qua motus est Sanctius ut hæc scriberet, exponit paulo ante his verbis: *Observo, Hebraicam vocem* רגל, *cui apud Latinos respondet pes, non significare tantum extremam corporis partem, sed etiam quicquid à coxis deorsum est, & sæpe illud obscœnum, quod pudicis maxime curæ est, esse velatum. Quare in cap. 7. honesto vocabulo dixit Esaias, radendos esse pilos pedum.*

§. 3. Cæterum licet infitias haut eam, id à quo per circumcisionem aliquid detrahitur, vocari רגלים, id quod Es. 7: vs. 20. R. David Kimchi recte per ערוה explicat: hoc tamen loco id sic accipiendum esse, prorsus non sit verisimile, maxime cum idcirco Sanctius *hysteron proteron* admittere cogatur. Eccui vero id persuaserit Jesuita, Scriptorem sacrum, qui ob concisum dicendi genus, quo hic utitur, intellectu difficilior est, id commemorare voluisse, quod haut ita necessarium est, utpote, quod jam ante verbis ותכרת ערלת haut obscure continetur?

§. 4. Potius igitur רגליו *pedes ejus* & quidem Mosis notare, dicendum est. Ad eum enim rectius & ipsi narrationi

Scripturæ congruentius referri poteſt, & ipſi quoque Ebræi, phraſeos ſacræ maxime gnari, magno conſenſu fatentur. R. Abarbenel diſerte נגעה לרגליו של משה, Kimchi & cum ipſo autor libri Michlal Jophi לרגלי משה AbenEſra לפי דעתי לרגלי משה *mea ſententia ad pedes Moſis*, ſc. projecit. Quod enim Abarbenel verbum תגע *tangere* reddit, id fit perperam. Eſt enim illud, ut autor Michlal Jophi recte monet, פועל יוצא *verbum tranſitivum*, conjugationis Hiphil. Unde etſi ipſe Dn. Buxtorfius part. 1. More, cap. 18. vertiſſet, *& tetigit*: in Concordantiis tamen Ebraicis tranſtulit *& abjecit*, quæ ſignificatio ipſi conjugationis naturæ apprime convenit.

§. 5. Ad pedes abjecto præputio, dixiſſe fertur Zippora, *ſponſus ſanguinum mihi es.* Quam προσφώνησιν nonnulli ad infantem referre ſolent, unde R. Aben-Eſra מנהג הנשים לקרוא לבן כאשר יומל חתן: *mos eſt mulierum filium, cum circumciditur, ſponſum vocare.* Et David Kimchi in Libro Radicum: נראה מסברא כמו שהיו קוראים לאדם ביום חיפתו חתן כן היו קוראים לתינוק ביום המולו חתן הוא ענין התחדש בשמחה וכמו שהתחדש השמחה ביום החופה כן תתחדש השמחה ביום המילה: *Videtur dicendum, infantem eo ipſo die, quo circumciditur, vocari ſponſum, ceu homo nuptiarum ſuarum tempore ſponſus appellatur. Originatio hujus vocis, novum gaudium ſignificat. Quemadmodum igitur novum gaudium tempore nuptiarum fit, ita quoque die circumciſionis.* Atque his verbis adductus Valentinus Schindlerus, Lex. Pentaglotto, voci חתן præter propriam ſignificationem, qua ſponſum denotat, aliam tribuit, eamque metaphoricam, *qua infans appelletur quando circumciditur, & tunc primum populo conjungitur, Deoque deſponſatur, ut ab uno initio ad aliarum rerum principia transferatur.* Sed ut hujus ſignificationis nullum adducit exemplum, niſi hoc ipſum, de quo adhuc controvertitur, ita merito ea adhuc probanda relinquitur. Quo nomine & à Dn. D. Glaſſio, Rhetor. Sacr. tract. 1. c. 12. ea in dubium vocatur.

§. 6. Licet vero & Arabs, quem de Moſis filio verba intellexiſſe ſupra audivimus, ad infantem referat, dum vertit: كاد العريس لن يكون مقتولا *parum abfuit, quin ſponſus meus occideretur*: multo tamen probabilius eſt, de Moſe Zipporam hæc pronunciaſſe, quo autem animo? iratone? Affirmat id A. Rivetus, comm. ad h. l. conceptis verbis, *Zipporam*, inquiens, *cum indignatione hoc feciſſe, & auſam fuiſſe obſtrepere, indicant hæc verba: Sponſus ſanguinum mihi es. Nam ſponſus ſanguinum ex Ebræa phraſi, eſt ſponſus ſanguinarius, ut vir crudelis & violentus appellatur vir ſanguinum* Pſalm. 5:7. & alibi. *& domus Saulis, domus ſanguinum.* 2 Sam. 21:1. *Quod autem hæc non ſolum in Moſen, ſed etiam in Deum dirigerentur, indicant verba; propter circumciſiones.* Cæterum licet איש דמים *virum ſanguinarium* & crudelem ſignificet, nondum tamen ſequens eſt, חתן דמים τὸ itidem neceſſario *ſponſum ſanguinarium* denotare. Sane vim Ebraicæ locutionis ea, qua par eſt, diligentia non expendit vir cætera doctiſſimus, cui recolendum erat, regimen Ebræorum *ratione uſus & ſignificationis non eſſe uniforme, ſed varium*, quippe quod non tantum *cauſam efficientem, ſed & materialem, effectum, ſubjectum recipiens &c. notare ſolet* pro circumſtantia textus, ut fuſe probat Dn. D. Glaſſius Phil. Sacr. libr. 3. tr. 1. Canon. 30. Et ſane Aben-Eſra etſi ſcribit: וטעם דמים כי איש דמים אתה לי כי בעבורך ימות בעלי: *Senſus vocis* דמים *eſt, tu vir ſanguinis es mihi, quia propter te morietur maritus meus*: non poteſt tamen diffiteri, דמים pro circumſtantia textus diverſimode eſſe explicandum. unde ſic commentatur: דמים בלשון הקדש על שני ענינים האחד שפיכות דמים כמו איש דמים אתה לי והשני לשון רבים מדם ממש כמו ובדמיך חיי: *Sanguis in lingua ſancta geminam habet ſignificationem, primum cædis, ſicut dicitur* (1 Sam. 31: verſ. 1.) *vir ſanguinis mihi es, deinde ut ſimpliciter ſanguinem notat, ut cum dicitur* (Ezech. 16: 6.) *in ſanguine tuo vives.* Quo minus vocem ſignificatione priore intelligamus ipſa conditio, qua Moſen tum fuiſſe Ebræi dictitant, refragatur, utpote quem morti proximum, *crudelem* appellaſſe uxorem, minime veriſimile eſt. Neque quiſquam Ebræorum dixit, חתן דמים *Sponſum ſanguinarium* ſignificare, vel *crudelem*, quem potius miſericordia dignum appellaveris. Unde R. Abarbenel explicat: חתן מת ובטל מן העולם *Sponſum mortuum & qui ex hoc mundo diſcedit.* LXX. verterunt ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου. Cujus interpretationis occaſionem cum nec vocis Ebrææ ambiguitas, nec convenientia cum alia voce dederit, mirum, cur ita reddiderint. Cauſæ vero plane nihil video, quamobrem negemus, Sponſum ſanguinis Moſen vocatum à Zippora eſſe, quod eum quaſi *ſponſum de novo acquirere & coëmere profuſione filii ſanguinis fuerit coacta*, quem ſenſum verbis tribuit Scripturæ interpres feliciſſimus B. Dn. D. Glaſſius, Rhet. ſacr. tr. 1. cap. 12. & ante eum Toſtatus in h. l. Atque ita ex textu id minime conſtat, eam cum indignatione hæc protuliſſe, vel Deo obſtrepere voluiſſe, ceu ex voce למולות collegit A. Rivetus.

§. 7. Quod dicitur וירף ממנו *& remiſit ab eo*, id itidem diverſimode explicatur. Ad Zipporam hæc referre, quæ tunc à Moſe diſceſſerit, ceu poſt Lyranum H. Grotius docet, vetat Grammatica. R. Bechai, Angelum, quem ſupra intellexit, hic ab infeſtando Moſe ceſſaſſe docet. Verba ejus hæc ſunt: מצינו לשון זה נזכר במלאך הוא שנאמר ויאמר למלאך המשחית רב עתה הרף ידך וזה היה אחר שכרתה את ערלת בנה: *Deprehendimus hoc verbum de angelo uſurpatum, cum dicitur* (1 Paralip. 21: 15.) *& dixit ad angelum perdentem: ſatis nunc,* הרף *remitte manum tuam. Atque hoc contigit, poſtquam præputium filii amputaverat.* Sed num exinde, quod alibi de angelo רפה τὸ uſurpatur, ſequitur & h. l. angelum eſſe intelligendum? Negant id alii merito. Unde Rabbi Abarbenel: וירף ממנו ר"ל המות ועבר העלוף ההוא ממשה: *Et remiſit ab eo, q. d. mors & tranſiit illud deliquium à Moſe.* Rectius adhuc Arama videtur exponere, כשראתה שרפתה ממנו הסכנה והצער: *Cum vidit ab illo periculum & afflictionem ceſſaſſe.* Plus ſane ex textu colligi nequit, quippe qui non niſi in genere expreſſit illud periculum.

§. 8. Ubi animadvertit Zippora, in vado rem eſſe, & maritum circumciſione filii liberatum à periculo, אז אמרה חתן דמים למולות *Tunc dixit: ſponſus ſanguinum propter circumciſiones.* Atque hic Aben-Eſra fatetur, *Sponſum ſanguinarium* minime intelligi, ſed illum potius, qui ſanguine conſperſus ſive redemtus eſt. Sic enim ille: הנה אמרה בראותה שסר החולי ממשה אין אתה חתן דמים שהוא מענין הריגה רק אתה חתן מתבוסס בדם המילה: *Cum vidit Moſen morbo liberatum eſſe, ſponſum ſanguinis eum non appellat, ut occiſionem notat, ſed ut ſponſum ſanguine circumciſionis conſperſum ſignificat.* Et Rab. Arama: ירצה שנהפכו דמים האלו לדמי ברית מילה ושמחה: *Vult innuere, ſanguinem iſtum converſum eſſe in ſanguinem fœderis & lætitiæ.* Quem ſenſum quidem B. D. Glaſſius non admiſſurus fuiſſe videtur, quippe qui negat, mulierem exteram de circumciſione tam præclare ſenſiſſe & locutam fuiſſe. Sed ut illa extranea fuerit, Moſi tamen nupta ex marito potuit antea percepiſſe, quid Deus ea circumciſione ſignificarit.

§. 9. Cur plurali numero loquuta ſit, ne ipſi quidam Ebræi conveniunt. R. Aben-Eſra ait: היה על לשון רבים בעבור דמים *in plurali loquitur propter vocem* דמים. At id prorſus improbabile eſt. Ecquid enim voci דמים hic rei eſt cum plurali למולות? Rab. Bechai viſus ſibi eſt reperiſſe aliquid, quo commentum de פריעה ſtatuminaret. Sic enim commentatur: הזכיר הכתוב לשון וירף ממנו ולא אמר וילך מאתו רמז רמז לה המלאך שעדיין לא נשלמה המצוה ומיד הבינה צפורה זה והשלימה המצוה ועשתה לו פריעה ומזה אמרה חתן דמים למולות כלומר שתי מולות מילה ופריעה וכה שהזכיר חתן דמים שני פעמים להורות כי נתחייב מיתה על המילה ונתחייב על פריעה כי שתיהן מעכבות: *Scriptura verbum* וירף remiſit *uſurpavit, non* וילך abiit. *Indicavit videlicet ille Angelus, præceptum nondum eſſe impletum. Exemplo igitur Zippora hoc intellexit, & præceptum implevit denudatione pelliculæ inferioris. Idcirco ait:* חתן דמים למולות *q. d. duæ circumciſiones ſunt,* מילה *&* פריעה *quod vero bis meminit ſponſi ſanguinis, id fit, ut oſtendat, illum morte dignum eſſe, qui non circumcidit, & qui non denudat pelliculam. Utraque enim impedit.* Inde arceſſere videmus Judæum probationem פריעה vel *denudationis pelliculæ remanentis*, quam neceſſariam non minus eſſe, ac ipſam præputii amputationem, Judæi ſomniant. Ex recentioribus R. Moſes Alſchech idem ſentit: למולות הוא בשביל השתי מילות בין על מילה בין על הפריעה: *Vocabulum* למולות *eſt poſitum ob duas circumciſiones, nempe unam, quæ* מילה *dicitur, alteram, quæ* פריעה *vocatur.* Sed uti figmentum Judaicum illam eſſe, jamdum oſtendimus, ita ejuſdem Bechai explicationem frivolam eſſe & ejuſmodi, quæ nec ratione nec ulla plane veriſimilitudinis ſpecie nitatur, facile dixerimus. R. Abarbenel ſcribit hunc in modum: אמר למולות בלשון רבים לפי שלא ידעה האם נתחייב מיתה בעבור שלא מל הילד במדין קודם בואו או מפני שלא מל אותו שם במלון: *Dixit* למולות *numero plurali, quia ignoravit, an morti eſſet obnoxius eo quod puerum non circumcidiſſet in Midian ante quam eo veniret, an vero quod in diverſorio non circumcidiſſet.* Quam expoſitionem oppido ridiculam eſſe, indignamque tanto interprete nemo eſt, qui non animadvertat.

§. 10. Divinantibus ita fruſtra pleriſque Ebræis, cur pluralis numerus ſit adhibitus, R. Levi Gerſomidis nobis probatur ſententia, quam R. Abarbenel rejicit his verbis: ורלבג השתדל

באר

Ral- בלאר שהרבוי בביוצא מהמאמרים האלה כחו כה יחיד ואינו נכון: *bag conatur* למולות *explicare instar ejusmodi vocis, quæ idem (in plurali) significat, ac in singulari, quod tamen haud convenit.* At cum ex textu nulla plausibilis ratio appareat, quamobrem pluraliter vox sit explicanda, satius omnino esse existimamus enallagen numeri admittere, quam incerta conjectura aliquid determinare: maxime cum neque Syrus, neque Arabs pluralis numeri in suis translationibus rationem habuerit. Ille enim ܠܓܙܘܪܬܐ *ad circumcisionem*, transtulit, hic vero per participium Singularis numeri transtulit صار العريس المقتول مختونا *factus est Sponsus occidendus circumcisus.* R. Salomo quoque verba חתן דמים למולות explicat de circumcisione, non ut gemino sed, unico actu, dum sic explicat: היה נרצח על דבר המילה חתני: *Sponsus meus occiditur propter circumcisionis negotium.*

§. 11. Quod attinet servilem literam Lamed voci מולות præfixam, eam R. Salomo hunc in modum explicat: ה"למד משמש בלשון על כמו ואמר פרעה לבני ישראל: *servile lamad significat idem ac* על, *ut in verbis*: (Exod. 14: 3.) לבני ישראל. Cæterum ut hæc significatio tunc maxime quadret in hanc literam, cum, ut Lutherus intellexisse videtur, verba Scriptori sacro attribuuntur, ceu vel ex ipso exemplo à R. Salomone allato patescit, ubi Moses loquitur: hic tamen si ipsam Zipporam ea prolocutam dicas, ut omnino textus poscit, rectius per בעבור *propter*, explicaveris, cujusmodi significationem literæ ל competere, R. Abarbenel multis ostendit, com. ad Lev. 16. fol. 251. col. 1. Et ab hac sententia R. D. Kimchi non alienus videtur esse. In libro Radicum enim sic scribit: כשהגיע מדם המילה לרגלי משה ורפה החולי ממנו אז הכירה ואמרה חתן דמים למולות כלומר אתה שקראתיך חתן דמים אינו חתן לדמי ההריגה כי לדמי המולות: *Postquam aliquid de circumcisionis sanguine ad Mosis pedes delatum est, & morbus ab eo cessavit, dixit (Zippora), Sponsus sanguinum es* למולות. *quasi dicat; tu, quem sponsum sanguinis vocavi, non es sponsus ob sanguinem occisionis sed sanguinem circumcisionis.*

ÆGIDII STRAUCHII
DISSERTATIO
De Paschate primo & Exodo Israëlitarum in deserto ad Exod. XII.

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

Gravissima controversia jam à Victoris seculo (vixit autem is circa finem primi) in Ecclesia Christiana de Paschatos legitimo tempore magna animorum concertatione, non sine ingenti scandalo agitari cœpit, & quod magis mireris, contentionum serra ad Concilium Nicenum usque reciprocata est, sive Græcorum pertinacia, sive potius, quæ illam accendit, Episcoporum Romanorum dictatorio more reliquis Ecclesiis dominandi libidine. Quod si verò accuratius in Judæorum res inquisivissent illorum temporum scriptores, forsitan non parum ponderis id ad componendam controversiam hanc attulisset. Jam quia fere nulli ad Hieronymi usque ætatem, excepto Origene, Ebræorum res scrutabantur, vel potius scrutari poterant, utpote linguæ, qua eorum codices conscripti sunt, ignari, accidit, ut controversiæ nervum exacto judicio paucissimi expenderint. Cæterum etsi jamdudum lis hæc sopita & cum suis autoribus sepulta sit, nequaquam tamen ob id inutilis labor æstimandus est, qui in fundamento hujus causæ, quod Paschatis primi historia est, cognoscendo impenditur. Conducit enim ad Exodi Israëlitarum ex Ægypto firmanda tempora & peregrinationis conficienda diaria. Atque exinde est, quod in præsenti quædam de Paschate primo Exodico meditari placuerit. Tu Pater temporum annue clementer!

PUNCTUM I.
Exhibens THESIN.



Ascha primum Mosaicum incidit in XVI. Aprilis diem, ab occasu Solis numeratum, anni Periodi Julianæ MMM. CC. XVII. Mundi MM. CCCC. LIII. Exodus vero in idem tempus incidit, seu in eundem diem Judaicum, ab occasu Solis numeratum ejusdem anni. Postquam enim noctu agnum Paschalem Judæi comederant, summo mane Ægyptum reliquerunt.

PUNCTUM II.
Exhibens HYPOTHESES.

HYPOTHESIS I.

MENSIS NISAN, quo Ebræi Pascha jussu DEI, celebrare debuerunt, non tantum vernalis, sed etiam primus fuit in anno Ecclesiastico.

§. 1. ראש השנה apud Ebræos variabat, seu annus eorum biceps fuit. Annum enim Vulgarem & Politicum ab autumno auspicabantur, ideo, quia antiquissimi populi mundum tempore autumnali conditum esse asserebant, neque id ex vano, ut in Disputatione nostra de Natali Mundi quondam demonstravimus; Quia vero הקבה verno tempore Judæos ex Ægypto eduxerat, voluit quoque & sancivit, ut in posterum Judæi, memores beneficii, acceptæ scilicet Libertatis post tam duram servitutem, mensem Nisan, tanquam alterum Natalem

lem suum, pro primo in negotiis sacris haberent. Quod adeo verum est, ut ne Judæi quoque idem negare ausint. Ut taceam innumera alia testimonia, unicum, idque publicum, quod jam succurrit, allego; quando enim *Joël. 2. vers. 23.* בְּנֵי צִיּוֹן ad spirituale gaudium excitantur, hoc inprimis argumento, quod DEUS ipsis det מַלְקוֹשׁ בָּרִאשׁוֹן *pluviam serotinam in initio*, tunc non tantum in scriptis suis privatis, sed etiam publicis, Judæi hoc de Mense Nisan explicant, verba enim בָּרִאשׁוֹן transtulit Chaldæus interpres בִּירַח נִיסָן. Quæ explicatio, etsi *B. Luthero* nostro displiceat; addit enim ipse in glossa marginali: *Ebr. in primo. Quod de primo mense Rabbini intelligunt. Sed hoc nihil est &c.* Nobis tamen ad hoc sufficit, ut demonstremus, mensem Nisan, pro primo habuisse Judæos. Atque hoc ipsum est, quod Doctissimus inter sui non tantum, sed & præcedentis seculi Rabbinos *Menaseh Ben-Israël* in Conciliatore suo ad Exod. 21: 2. prolixe exequitur. Ubi post multa alia, lectu non injucunda, tandem concludit: *Igitur ut finem faciam, dico, quantum ad festa, & supputationem Regum Israël mensem Nisan, id est, Martium, esse primum anni: quantum autem ad creationem mundi & res civiles, Tisri, aut Septembrem. Ideoque sapientes Orientis ac Chaldæi, huic mensi idem nomen Tisri dant, quia* תשרי *Tisri derivatur à* ראשית *Resit, principium per metathesin literarum, &c.*

HYPOTHESIS II.

MEnsem נִיסָן auspicabantur Judæi ab ejusmodi Novilunio, quod æquinoctio vernali erat proximum, atque ideo Paschatos solennitas semper post æquinoctium incidebat.

§. 2. Etsi D. T. O. M. in Calendario, quod Mosem docuit, non introducatur verba faciens de ullo æquinoctio, vel puncto Signiferi, propterea, quia quoad fieri poterat, breviter Calendarium Mosaicum, non tam describendum, quam ejusdem usus proponendus erat; antiquissimi tamen Scriptores cum recentioribus fere omnibus in hac hypothesi consentiunt. Ita enim *Josephus* L. III. Antiquit. Judaic. cap. X. *Mense autem Xanthico, qui nostris Nisan vocatur, & annum exorditur, luna quartadecima*, ἐν Κριῷ ὁ ἡλίε καθεςῶτ@ *Sole arietem obtinente, quandoquidem hoc mense ab Ægyptiaca servitute liberati sumus, sacrificium, quod tunc exeuntes fecisse diximus, pascha nominatum, quotannis instaurare, lege jubemur.* Eadem Christo σύγχρον@ *Philo* in scriptis suis passim inculcat. Sic apud *Eusebium* Lib. VII. Historiæ Ecclesiast. cap. XXXI. *Anatolius Laodicensium Episcopus*, Vir disertus & multijuga eruditione instructus, introducitur, qui ad testimonium & asseverationem utriusque *Agathobuli*, præceptorum Aristobuli illustris & qui inter septuaginta, ad hoc delectos, ut Sacras ac divinas Ebræorum Scripturas interpretentur, unus fuit, provocat; His verbis: *Isti*, scilicet Agathobuli, *dum quæstiones Exodi dissolvunt, ajunt sacrificia transitus ex æquo omnes, post æquinoctium vernale, medio primo mense sacrificare debuisse: hocque tempus esse primam sectionem cursus, sive cum Sol obierit signiferum, ut quidam illorum nominant, orbem. Aristobulus vero adjicit, necessarium esse ad festum Paschatos celebrandum, ut non modo Sol sed & Luna æquinoctialem cæsuram transierit.* Ratio, quam addit Aristobulus, non minus recte se habet, pergit enim: *Cum duæ sint æquinoctiales cæsuræ, una vernalis, altera autumnalis ex diametro à se invicem distantes, & dies Paschatos quartæ decimæ mensis post vesperam sit deputatus, constanter quidem Luna è Diametro Soli erit opposita, sicut etiam in pleniluniis cernere licet, atque ita Sol erit in cæsura æquinoctii vernalis, Luna vero necessario in cæsura æquinoctii autumnalis.* Quid quæso dici poterat clarius & ad hypothesin nostram stabiliendam magis faciens? Quo vero omnis scrupulus eximatur dubitanti, *Venerabilis Bedæ*, qui in eruendis è membranis Veterum de paschatis tempore, placitis, diligentissimus fuit, addimus testimonium; *Quod si quis*, Libr. de natura rerum cap. 61. scribit, *objiceret, non æquinoctii memoriam, sed tantum primi mensis, & tertiæ in eo septimanæ posuisse legiferum: Sciat, etsi æquinoctium nominatim non exprimat, in hoc tamen ipso, quod à plenilunio primi mensis Pascha faciendum præcipit, æquinoctium plenaria ratione depromi. Quoniam absque ulla dubietate constat, eam, quæ prima, transito æquinoctio, plenum suum globum ostenderit, primi mensis existere Lunam.* Hactenus Beda.

HYPOTHESIS III.

SOlennitas Paschalis, quamdiu Respublica Judæorum floruit, semper incidit in diem plenilunio conspicuum & insignem.

§. 3. Prolixe quoad fieri potuit, de hac hypothesi egimus in Dissertat. de tempore Πάχατ@ σαυρωσίμε &c. ubi è Philone imprimis, Niceph. Greg. & aliis eandem probavimus. Addi hac vice possunt aliorum Autorum, quibus fides non videtur deneganda, testimonia; Ita enim *Hieronymus* Ebraice doctissimus in Matth. cap. 26. scribit: *Prima azymorum, quartadecima dies primi mensis est, quando agnus immolatur & Luna plenissima est, & fermentum abjicitur. Et mox: nulli autem dubium est*, ait, *Paschæ tempore Lunam esse plenissimam.* Similiter *Beda*, cujus testimonio hac in causa multum, neque id immerito, tribuimus. Tom. I. in Argumentis Lunæ §. de mysterio 14. diei. *Quartadecima*, ait, *agnus immolabatur die, quando Luna plena est, & nihil ei de lumine deest: quia Christus non immolatur, nisi in perfecto corde & pleno lumine sine tenebris.* Ita *uterque Agathobulus antecedente paragrapho*, & reliqui probatissimi Scriptores, quorum quamplurimos citat *Dn. Crugerus in Diatr. Pasch. p. 15. seq.* Atque huic sententiæ hoc imprimis, ut alia taceam, favet, quod Christus tempore plenilunii suum Pascha celebraverit haud tantum, sed etiam Luna plena in cruce immolatus sit; At typus cum antitypo convenire debuit; hinc *Cornel. à Lap.* in Exod. Cap. XII. è Ruperto Tuitiensi, ait, *agnus immolabatur in plenilunio, id est, Christus venit & immolatus est in plenitudine temporum.*

HYPOTHESIS IV.

DIerum Judaicorum, antiquissimis quoque temporibus, duplex fuit initium, alterum, quod Ecclesiasticum, alterum quod politicum, distinctionis gratia, vocari potest.

§. 4. Præstabit hæc hypothesis insignem usum in paulo post dicendis, hinc merito eandem hic adducimus. Scilicet Levit. cap. 23. 32. expresse dicitur, festum expiationis apud Judæos celebrandum esse die 9. Mensis Thisri verba sunt *Sabbathum cessationis esto vobis, quo affligatis animas vestras, quum nonus dies ejus mensis fuerit vespere, à vespera usque ad vesperam celebratote cessationem vestram.* At vers. 27. ejusdem capitis dicitur: *Die decimo mensis hujus septimi dies expiationum est, convocatio sancta esto vobis, ut affligatis animas vestras &c.* En ἐναντιοφανὲς! Cujus tamen solutio patet ex ipsis verbis: In altero enim, nempe priori loco, diei initium ab occasu Solis deducitur, quemadmodum hæc methodus auspicandi diem à Solis occasu antiquissima fuit & ab ipso Deo observata, cum in Historia creationis vespera semper præponatur, dies deinceps addatur; In versiculo vero 27. respicitur ad computationem dierum civilem & vulgarem, qua vel à media nocte, vel ab ortu Solis dies numerandus erat. Vide de hac re, *B. Gerhardi Harmon. Evangel. Cap. CLXIX.*

HYPOTHESIS V.

AGnum Paschalem jugulabant Judæi & assatum comedebant, vi instituti divini, die decimo quinto Nisan ineunte, non vero ineunte die decimo quarto.

§. 5. Ne hæc hypothesis dubia alicui videatur, juvat eandem aliquot rationibus stabilire; Quarum *primam* desumimus, *à Diei Exodici descriptione.* Scilicet certum est Judæos eodem die, quatenus is 24. horas in se complectitur, exiisse ex Ægypto, quo Pascha primum comederant, uti id jamjam probabimus. At de eodem die exodico Num. 33: 3. dicitur, quod fuerit חֲמִשָּׁה עָשָׂר יוֹם לַחֹדֶשׁ הָרִאשׁוֹן *decimus quintus dies mensis primi.* Si jam Israëlitæ ex Ægypto hoc die egressi sunt, necesse est, ut dicamus, eosdem ineunte decimo quinto die secundum computum Ecclesiasticum Pascha comedisse.

§. 6. *Alteram* rationem, qua Hypothesis nostra stabiliri potest, desumimus *à Phrasi Mosaica.* Verba enim legis hæc sunt Exod. 12: 5, 6. *Parva pecus integra, mascula, annicula esto vobis, eam ex ovibus, aut è capris accipitote. Sitque apud vos in custodia, usque ad decimum quartum diem hujus mensis: quo jugulabunt eam totus cœtus congregationis Israëlis*

lis, inter duas vesperas :בֵּין הָעַרְבָּיִם Quid per vespertinum hocce tempus intelligendum sit, per multos dies inquisiverunt & explicare conati sunt Interpretes, vere enim *Rabbi Aben-Esra*, quando in פירושו ad hoc verbum venit, מלה קשה id est verbum difficile illud vocat. *Ipse* quidem has duas vesperas ita ordinat, ut per priorem tempus occasus Solis & disparentiæ supra Horizontem, per alteram tempus finientis crepusculi & discrepantiæ sub Horizonte existentis Solis, intelligendum esse tradit. Neque enim occasum Solis atra nox immediate sequitur, sed Lux albicans in superiori hæmisphærio, quod Sol deserit, animadvertitur, usque dum per aliquot gradus Sol ab Horizonte distet; Qua de re consulendi sunt Optici imprimis & Astronomi. Instar omnium vero esse poterit, ingeniosissimi Mathematici *nostri Ambrosii Rhodii* ז"ל tractatus de Crepusculis. *Alii*, quorum sententia non obscure cæteris præfert *Celeb. Dn. D. Waltherus* in Harm. hujus loci, veram festi Paschatos & azymorum computationem inde petunt, quod agnus jubetur mactari die 14. primi mensis inter vesperas, hoc est, interdiu, nam vespera Geneseos c. 1. significat noctem. Cum autem noctu edendus fuerit agnus ille, mactari jubetur die 14. ne quis mactandum putet nocte, quæ diem decimum quartum præcessit, differentia additur, INTER VESPERAS, vesperam scil. 14. & vesperam 15. vel inter tempus vespertinum decimi quarti diei & noctem sequentem, quæ decimum quintum diem inchoat, qua nocte edebatur. Ergo dies decimus quintus Pascha fuit, si juxta legis usum moremque veterum, noctem præcedentem illi annumeres, quæ eadem fuit prima azymorum &c. *Alii, ut Rabbi David Kimchi Gallus, R. Salomon, &c.* vocem vesperæ sumunt improprie, asserentes, primam vesperam incipere à meridie, quando Sol incipit declinare ad Horizontem, secundum vero post occasum Solis, ut hic sit sensus: Agnum Paschalem immolandum fuisse tempore illo intermedio, quod est à meridie ad occasum: Verba *Kimchi* è Libro Radicum ejus refert *Buxtorfius* in Lexico sub voce עֶרֶב hoc modo versa בין הערבים *inter duas vesperas, id est, à tempore inclinationis Solis ad occidentem, quod est à sexta hora & ulterius usque ad noctem. Dicit autem* ערבים, *quod notat duas vesperas. Nam à tempore, quando Sol incipit declinare, ea est vespera una, post occasum Solis est vespera altera. Inter hoc tempus est illud, quod dicitur* בין ערבים. Hactenus Kimchi. Nos equidem non fugit, non tantum *Mercerum*, eo nomine falsi arguere Kimchium, quod unam vesperam nimis late à meridie incipiat; Sed etiam *Celeberrimum Dominum D. Dorscheum* in Dissertatione de A. P. §. 27. è *Cephalerio*, quem citat, verba Kimchii prorsus alio modo explicare. Ait enim: *Ille Gallus suis horis Gallicis hujusmodi tempus ita designat, ut velit totum illud spatium intermedium inter duas vesperas esse à sexta pomeridiana (eo videlicet anni tempore, quo hæc facienda præscribuntur, puta sub æquinoctium vernum) ad noctis usque crepusculum, ex quo nimirum incipit diei vespera, quoad fieri ait, sub horæ septimæ initium, hoc est, audita jam sexta & cum noctis vespera processit.* Enim vero hoc intendisse verbis suis Judæum nobis vix verisimile videtur. Præterquam enim, quod alias non soleant Judæi facile & sine expressa verborum suorum explicatione, se accommodare in tempore determinando ad horologia Christianorum, quos per contemtum גוים vocant, sequeretur exinde, reliquis gentis suæ Doctoribus aperte contradixisse hunc nostrum, vel illos huic. Ita enim R. Salomon hunc Exodi locum explicat: בשש שעות ומעלה קרוי בין הערבים שהשמש נושה לבית מבואו לערוב ולשון בין הערבים נראה בעיני אות שעות שבין עריבת היום לעריבת הלילה עריבת היו׳ בתחלת שבעה שעות כפי ינטו צללי ערב ועריבת הלולה בתחלת הלולה: Peritissimus vero rerum Judaicarum, *Buxtorfius* l. c. Eundem *R. Salomonem* ita loquentem introducit: *Omnes sex horæ pomeridianæ rectæ sunt, ex quo scil. incipiunt inclinare horæ vespertinæ, quod fit à media septima & ulterius, quo Sol vergit ad Occidentem & umbra ad Orientem; ut cum homo stat ex opposito Solis, umbra ejus spargitur versus Orientem, sed à dimidia sexta ad dimidiam septimam Sol consistit in medio firmamenti & umbra in nullam partem declinat, sed recta deorsum sub hominem.* Atque huc etiam inclinat procul dubio *Chaldæus interpres*, quando illa Exodi verba ita ΦαεσΦεσζ: וִיִכְסוּן יָתֵיהּ כֹּל קְהָלַת כְּנִשְׁתָּא דְיִשְׂרָאֵל בֵּין שִׁמְשַׁיָּא: Latine non incommode quis ita diceret: *Et accipient eum omnis congregatio, seu Ecclesia Israëlis INTER SOLES, id est inter Solem ad occasum declinantem & prorsus occidentem. Josephus* vero, diligentissimus rerum Judaicarum Scriptor, non uno in loco tempus legale mactandi agnum Paschalem specialius determinat, inprimis vero Libro VII. de Bello Judaico cap. 17. hæc verba habet: Οἱ δ' ἐν-

σάσης ἑορτῆς, Πάσχα καταλεῖται, καθ' ἣν θύουσι, μὲν ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης &c. *Illi autem cum dies festus adesset, qui Pascha vocatur, quando à nona quidem hora usque ad undecimam hostias cedunt:* Et Libr. XVI. Antiquit. cap. X. refert decretum Cæsaris Augusti, quo inter alia privilegia & beneficia, Judæis liberaliter concessa, etiam hoc habetur, *non cogendos esse Judæos ad præstanda vadimonia Sabbatis, aut pridie Sabbathorum, post horam IX. in Parasceve.* Idem etiam alii, antiquissimi Autores testantur. Christus quoque, agnus ille præfiguratus, circa nonam horam in ara crucis expiravit, quidni ergo Judæi hac hora circiter agnum typicum mactarint? Et quodnam illud temporis spatium est, quod intercedit inter horam sextam pomeridianam nostram & crepusculum circa tempus æquinoctiale? Sane illud adeo exiguum esse oportet, ut vix ac ne vix quidem mactationi ac præparationi tot agnorum sufficere potuerit. Cum *Josephus* referat, uno die Paschatis ducenties quinquagies quinquies millena & sexcenta animalia immolata esse, quod non immerito *Petrus Cunæus* L. II. de Rep. Ebræor. cap. 13. singulare quid & fere supra fidem vocat, imprimis si quis cum *H. Broughtono Anglo & Johanne Cloppenpurgio*, aliisque asserere vellet, non potuisse mactari agnum Paschalem extra templum Hierosolymitanum, qua de hypothesi videatur ejusdem *Cloppenburgii* Epistola ad Ludovicum de Dieu, cum aliis ejusdem fere argumenti, opusculis, anno 1643. Amsterdami edita, nos eandem nostram non facimus. Quicquid itaque horum sit, sufficiat illud annotasse, vesperam non respectu sequentis, sed præcedentis diei dici solere, nisi circumstantiæ & phrases aliud quid suadeant. Hinc qui vesperæ diei decimi quarti Nisan in verbis institutionis Paschatos fit mentio, sequitur, eodem die exeunte, non ineunte Pascha celebrasse Judæos.

§. 7. *Tertio* hypothesin nostram stabilire possumus, *è supputatione dierum azymorum*: Instituitur horum festivitas Exod. cap. 12: vers. 17. seqq. his verbis: *Observabitis igitur diem azymorum; quum eodem ipso die eduxero exercitus vestros è terra Ægypti: observabitis inquam illum ipsum diem per ætates vestras statuto perpetuo.* בָּרִאשֹׁן בְּאַרְבָּעָה עָשָׂר יוֹם לַחֹדֶשׁ בָּעֶרֶב תֹּאכְלוּ מַצֹּת עַד יוֹם הָאֶחָד וְעֶשְׂרִים לַחֹדֶשׁ בָּעָרֶב׃ *Primo mense, quarto decimo ejus mensis vespere comeditote azymos, usque ad diem vigesimum primum ejusdem mensis vespere.* Hic expresse dicitur, quod terminus ad quem dierum azymorum sit vespera 21. diei Nisan seu exeuntis, dicitur item in versiculo seq. *Septem diebus vetus fermentum ne reperitor in domibus vestris*, quod reperitur cap. 13:7. Si jam à 21. Nisan exeunte septem dies retro numeremus, apparebit initium dierum azymorum incidisse in vesperam diei decimi quarti Nisan, seu initium diei decimi quinti. Porro è multis Scripturæ locis liquet, azymorum dierum initium & agni Paschalis comestionem in eundem incidisse diem legalem; Nam Capite 12. Exodi vers. 6. expresse id indicatur, similiter vers. 17. quo in loco asseritur, eodem tempore Judæos azymorum dies auspicari debuisse, quo ex Ægypto exierunt. At exierunt die isto currente & quidem matutino tempore, quo ineunte Pascha comederunt: Necesse ergo est, ut dicamus Paschatis solennitatem in primum diem azymorum incidisse; Et quod porro sequitur, agnum Paschalem, ineunte decimo quinto die, Judæos comedisse, non ineunte decimo quarto.

§. 8. Accedit tandem ad stabiliendam hypothesin hanc *plurium & inter hos probatissimorum Virorum auctoritas.* Pro nobis enim facit *Flavius Josephus* non uno in loco; imprimis Lib. II. Antiquit. cap. VI. quod his auspicatur verbis: Κατέλιπον δὲ τὴν Αἴγυπτον μηνὶ ξανθικῷ, πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ κατὰ σελήνην. *Reliquerunt autem Ægyptum Luna quinta decima.* Similiter Lib. III. Antiquitat. cap. X. prolixius hæc explicat: Idem etiam non obscure traditur in סדר עולם רבא seu Chronico Ebræorum majori, cujus autor, teste *Buxtorfio* in Bibliotheca Rabbinica pag. m. 386. putatur ר׳יוסי בן חלפתה *Rabbi Jose ben Chilpheta*, qui circa annum Christi 130. vixit, fuitque præceptor R. Judæ Sancti, autoris Libri Mischnaios, in ejusdem libri cap. V. non tantum totidem verbis dicitur, Judæos die 15. Nisan ex Ægypto exiisse, sed etiam alia beneficia, decimo quinto die Nisan, avis & abavis Judæorum concessa, describuntur.

§. 9. Non equidem nos fugit *Græcos* non tantum de hypothesi hac nostra vehementer dubitare, sed etiam contrarium non obscure defendere. Testatur enim de iisdem *Bellarminus* L. IV. de Eucharistia cap. VII. *Cornel. à Lapide* in Exod. c. XII. vs. 6. aliique, quod statuant, decimo quarto die Nisan exeunte, Judæos Pascha celebrasse, idque vi sanctionis divinæ, decimo quinto vero die Nisan Azymorum solennitatem demum cœpisse, atque hoc quidem eum in finem defendere satagunt Græci, quo eo melius inferre possint, Christum non in azy-

mo,

mo, sed fermentato Eucharistiam & primum celebrasse & Christianos hoc imitari debere. Præter Græcos vero in hoc ipso errore esse dicuntur Neoterici quidam in Hispania, refutati à *Ribera* L. V. de Templo cap. 3. & *Suarezio* tractatu de Eucharistia. Nominatim ita docet, teste Celeb. Dn. D. Dorscheo l. cit. §. 26. *Aloysius Legionensis*, Libro de agni typici & veri immolationis legitimo tempore, ipsique se quadantenus adjunxit *Petrus Lopez Montavanus*, suarum in Canonem Missæ annot. l. 20. Atque huc inclinare videntur *Isaacus Casaubonus* Exercit. XVI. in Annales Baronii ad annum Christi XXXIV. num. XXVIII. & XXXIV. *Scaliger* item aliquot in locis, itemque *Calvisius*, quorum sententias hac vice expendere pagellatum angustia prohibet; Hoc certum est, decimam quartam Nisan non supputandam esse à Synodo, sed à phasi, si quodam in loco eandem cum paschali festivitate hi probatissimi Chronologi connectere videntur. Confer præter citatos *B. Gerhardi* Harm. Euang. c. CLXVI. *Carol. Sigonii* L. III. de Republ. Ebræor. cap. IX. *Rodolphus Hospinian.* de Festis cap. V. *Clariss. Dn. Wilhelm. Lang.* L. II. de Annis Christi cap. V. *Menasseh Ben-Israël* Concil. in Exod. quæst. XVII. quo in loco dicta hæc, Exod. 13: 6. Septem diebus azyma comedes & Deut. 16: 8. Sex diebus azyma comedes, conciliare annititur, aliosque.

HYPOTHESIS VI.

Judæi eodem die legali ex Ægypto exierunt, quo ineunte pascha comederunt.

§. 10. Consentiunt in hac hypothesi Judæi haud tantum & Antiquitatum Censores fere omnes, sed fundamentum quoque id imprimis atque hæc sententia habet in Historia sacra. Dicitur enim expresse Exod. c. XII. vs. 1. postquam Paschatos solennitas erat descripta, Judæos exiisse בעצם היום הזה hoc ipso die scilicet Paschatos. Fateri quidem necesse habemus, verba hæc à variis diversimode explicari. Judæi enim in סדר עולם רבא seu Chronico majore his verbis utuntur ad id, ut probent, eadem die, qua ante 430. annos Abraham cœpit peregrinari in Ægyptum, Exodum quoque contigisse. Alii hæc verba ad totum Hebræorum exercitum referunt, quasi dicas; Omnes simul, licet essent tanto numero, eadem die, ordinata acie ex Ægypto egressi sunt, ita *Tostatus* & alii. Convenientissima tamen & genuina explicatio est, vel ipso *Cornel. à Lapide* Censore, qua τῷ EADEM DIE, refertur ad Paschatos diei denominationem. Postquam itaque nocte invalescente Judæi Pascha suum celebrarunt, media nocte, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, hinc Ægyptii passim ad Hebræorum domus concurrentes, instantissime eos urserunt, ut quamprimum discederent, Exod. c. XII. vs. 29, 33. In Ebræo enim originali, textu digna notatu verba sunt ותחזק מצרים *Et invaluit Ægyptus super populum, seu potius apprehendit populum*, quæ vis est verbi חזק. Sensus est: Ægyptii apprehenso populo, festinabant eos dimittere. Quos enim urgere volumus, apprehendimus manu, quasi ejecturi, uti eleganter hæc explicat *Rivetus* Comment. in h. l. Judæi quoque alias quidem per omnem terram Gosen sparse habitantes, ad hoc tamen negotium specialiter & jussu Dei uno in loco congregati & ad iter satis instructi, teste *Josepho*, expedite proficisci cœperunt, nocte jam jam cessante, ut videre potuerint Ægyptios mortuos suos sepelientes Num. 33: 3, 4. Confer *Edwardi Simsonii* Chron. Catholici part. 1. S. Mosaic. p. 40.

HYPOTHESIS VII.

Dies Exodi Israelitarum ex Ægypto fuit feria quinta.

§. 11. Urgent Characterem hunc *Illustrissimus Scaliger* Lib. III. Can. Isagog. pag. 282. & L. V. de Emendat. Temp. *Dn. D. Behm* Manuduct. Chron. L. II. Tit. III. Cap. I. *Dn. D. Dorscheus* Dissert. de agno Paschali §. 14. *Excellent. Dn. Frankenbergerus* Fundam. Chronol. FF. Schol. V. *Calvisius* Isag. c. XXXVII. aliique, neque id immerito, cum, si firmissimus hic character Chronologicus observetur, & admittatur, multorum, qui à Scaligero dissentiunt, annum Exodicum vitii arguere queamus. Probatur vero hypothesis ex *Exod. c. XVI.* hoc fere modo: Si vigesimus secundus dies, secundi mensis fuit feria septima, seu Sabbathum, sequitur, quod decimus quintus dies mensis Nisan fuerit feria quinta. Sed verum est prius. Ergo etiam posterius. Majoris consequentia satis clara est, quippe cum inter 22. diem mensis Jiar & 15. diem Nisan intercepti sint 37. dies, qui si per septenarium dividantur, in residuo erit binarius, quo character 15. Nisan à Charactere 22. Jiar differt, subtracto itaque eodem è septenario, remanet 5, quo necessario 15 a Nisan insignita fuit.

§. 12. Minorem vero quod concernit, de qua potissimum lis est, probatur eadem è loco citato, hoc modo: Israëlitæ in desertum Sin venerunt decimo quinto die secundi mensis, qui Judæis hodie Jiar dicitur Exod. 16: 1. Eodem die adversus Mosem murmurarunt, quod litera ו, quæ præter vim convertendi etiam copulandi vim habet & per *Tunc* redditur, non obscure indicat, eodem die quoque בין הערבים Deus maximam coturnicum copiam ipsis misit, quod factum est inter tertiam & sextam pomeridianam fere, atque adeo circa initium diei decimi sexti, at ante Solis ortum Manna primum acceperunt vs. 13. quod per sex dies collegerunt vs. 22. die sexto vero duplum collegerunt ob sequentem diem, Domino Sacrum, seu Sabbathum vers. 23. Fuit itaque 22. Jiar feria septima.

§. 13. Atque hunc esse sensum Historici Sacri collegerunt Judæi haut tantum, qui in סדר עולם רבא cap. V. in eo quidem nobiscum consentiunt, quod ajunt ב״יד יום בו שחטו ישראל את פסחיהן במצרים ויום חמישי היה Decimo quarto die immolarunt Judæi agnos suos Paschales, in Ægypto, qui dies erat quintus &c. deinceps vero à nobis discrepant, dum primum Jiar faciunt feriam primam, sed etiam nobiscum sentiunt è Veteribus quamplurimi, ut *Origenes*, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Beda* & alii, quorum teste *Cornelio à Lapide* in citat. Exod. locum, constans sententia est, die Dominica primum Manna vidisse & accepisse Judæos.

§. 14. Errasse itaque videntur omnes ii, qui Judæos feria septima ex Ægypto exiisse ajunt, qua in sententia Theologos quosdam, & inter hos *Hieronym. Zanchium* fuisse, testatur *Fridericus Spanhemius* Dubior. Euang. part. III. p. 569. Adducere possunt pro sua sententia locum, qui extat *Deut. 5: 15. Memineris, quod servus fueris in terra Ægypti, & eduxerit te Jehova Deus tuus inde in manu valida & brachio extento, idcirco præcepit Tibi Jehova Deus, ut faceres diem Sabbathi.* Enimvero scopum horum verborum, nequaquam eum esse, quem intendunt hi Autores, ipse quoque *Maimonides*, doctissimus fere inter Judæos, agnovit, hinc Cap. XXXI. Doctoris perplexorum seu מורה נבוכים part. 2. p. 283. locum citatum, secundum versionem *Clar. Buxtorfii* ita explicat: *Quod nobis* (Israëlitis) *præceptum de Sabbatho dedit, & observationem ejus præcepit, causatum alterum est, quod sequitur causam illam, quod servi fuerimus in Ægypto, quo tempore non secundum voluntatem nostram, neque quando nobis placebat, serviebamus, neque quiescere, vel Sabbathum agere poteramus* (h. e. quo nec servire, nec quiescere secundum voluntatem nostram poteramus) &c. Nequaquam ergo in loco allegato ad tempus, quin potius ad rem ipsam respicitur. Vel si locus iste ulterius urgeatur, responderi poterit plenariam liberationem omnino feria septima demum accidisse, qua Ægyptii in Maris rubri aquis vitam cum morte commutarunt. Ad complementum vero liberationis istius respici in loco allegato, dubium non est.

§. 15. Neque nobiscum & cum Scaligero consentit *Clarissimus Dn. Wilhelmus Langius*, quippe qui L. II. de Annis Christi Cap. IV. pag. 263. diem Exodicum alio charactere insignit, putat enim decimum quintum Nisan incidisse in feriam sextam, quo charactere insignivit jamdudum Temporarius quoque Paschatis primi diem, ceu videre est Demonstrat. Chronol. Lib. I. pag. 52. Ratio illius hæc est, quia Judæi in סדר עולם רבא ex Exod. cap. 16. colligunt: primam Jiar fuisse feriam primam. Verba ejus sunt. *XV. die mensis secundi, quo Israelitæ venerunt in desertum Sin, populus murmuravit contra Mosen, eo quod panem non haberent. Quibus DEUS per Mosen hoc respondit: Invenietis, cum Dominus vobis dederit carnes ad comedendum hac vespera, & mane panem ad satietatem. Mane igitur sequenti collegerunt unum Omer Manna, idque sequentibus quinque diebus fecerunt, usque ad sextum, quo divino quodam miraculo contigit, ut qui antea, sive parum, sive multum colligentes, unum saltem Omer explevērant, nunc sexto die duos plenos haberent. Quod ubi Mosi indicatum fuerat, respondit,* HOC est illud, quod locutus est DOMINUS, cras Sabbathum est DOMINO &c. *Ex quibus Judæi colligunt, diem XV. Jiar, fuisse feriam primam hebdomadis, quandoquidem sextus ab illo est feria sexta. Unde & primus Jiar est feria prima, ut & 22. sive crastinus Sabbathi, quo profecti sunt ex Sin ad Raphidim (ubi vitiose in Seder Olam legitur 23, sive כג pro כ״ב) Et cum Nisan*

ſan iſto anno fuerit ex mente Judæorum XXX. dierum, ergo decimus quintus Niſan incidit in feriam ſextam.

§. 16. Enim vero quomodo Doctiſſimus hic Autor cum ſe ipſo conveniat, perſpicere haud valemus: Concedit XV. die Jiar Judæos veniſſe in deſertum Sin, concedit quoque Mane ſequenti (id eſt diei XVI. Jiar, promiſſio enim data eſt ante הערבים at ſolutio facta poſt הערבים diverſos ergo dies hos fuiſſe oportet) collegiſſe primum Manna, concedit ſeptimum diem, ab eo, quo primum Manna acceperunt Judæi, fuiſſe Sabbathum ſeu feriam ſeptimam, concedit Niſan eo anno habuiſſe dies 30. & tamen ait 1. Jiar fuiſſe feriam primam; itemque XV. Niſan feriam 6. En quam belle hæc conveniant.

אייר XV.	Judæi in deſertum Sin veniunt.	
XVI.	Manna accipiunt & hic eſt dies 1.	
XVII.	Collectionis mannæ dies 2.	
XVIII.		dies 3.
XIX.		dies 4.
XX.		dies 5.
XXI.		dies 6. quo duplum colligunt ob inſtans Sabbathum.
XXII.		dies 7. atque adeo Sabbathum, ſeu feria ſeptima.

Quod ſi XXII. Jiar eſt feria ſeptima, colligimus porro I. Jiar fuiſſe quoque feriam VII. & conſequenter XV. Niſan feriam V. Neque Autoritatem Chronici Ebræorum vehementer urgere poteſt, cum ipſi Clariſſimo Langio locus ille ſuſpectus ſit, ait enim vitioſe legi ב"כ pro כ"ב Neque *Petavius* multum tribuit loco è Chronico Ebr. citato, ait enim Lib. IX. de Doct. Tempor. cap. XXIII. *Hebræi certe in Seder Olam cap. V. primum menſem volunt à feria ſexta iniiſſe, ejusque decimam quartam fuiſſe feriam 5. Jiar autem à feria I. Quanquam haud ſecum iidem illi Hebræi concordant; dum & feria 1. cœpiſſe volunt menſem Jiar & nihilominus XXII. die fuiſſe Sabbathum. Quod eſt* ἀνακόλουθον. Conferantur etiam reliqua, quæ ibidem Petavius habet, ex iisdem enim apparebit, nullo modo ſibi ipſi conſtare autorem Chronici, neque ſufficere reſponſionem Dn. Langii, vitioſe legi בכ pro כב.

HYPOTHESIS VIII.

ANnus Exodi Iſraëlitarum ex Ægypto fuit tertius in Cyclo Sabbathico & Jobelæo.

§. 19. Fundamentum hypotheſeos hujus eſt hoc ipſum, quia 46. annus poſt Exodum fuit Sabbathicus & Jobelæus. Etſi vero hanc quoque rationem in dubium vocet *Dn. Hainlinus*, hac vice tamen ejusdem ſententiam examinare pagellarum anguſtia non permittit, fiet id ה"אי alio tempore. Interea verbis utamur *Celeberrimi Theologi Dn. D. Dorſchei*, quæ Loc. cit. §. 14. habet: *Annum Exodi, ait, eſſe annum M. 2453. currentem, manifeſtum eſt ex eo, quod quadrageſimus ſextus annus ab Exodo fuerit Sabbaticus Joſ. 14: 10. Nam Moſes ſuum Deuteronomion uno menſe ante ſuam mortem populo propoſuit, ſcilicet undecimo, quadrageſimi ſive ultimi anni errationis, neomenia illius menſis Deut. 1: 3. ſequente Menſe poſt Moſes mortuus eſt. In illo vero libro ſæpius Iſraëlitis inculcat ea, quæ facere debeant, cum terram promiſſionis ingreſſi fuerint. Deut. 4: 1. c. 6. 1. & 10. c. 7: 1. c. 17. 14. c. 18. 9. Ergo paulo ante Mortem Moſis Iſraëlitæ in terram Canaan nondum ingreſſi erant. Unde ante mortem Moſis annus ſive Sabbaticus ſive Jubilæus inchoari non potuit. Moſes enim initium annorum Sabbaticorum & Jubilæorum ſumit ab inhabitatione terræ Lev. 25: 2. Et DEUS in termino à quo Sabbaticorum & Jubilæorum notando plenariam quondam terræ inhabitationem requirit. Deut. 17: 4. diſtribuendam per ſortem à Joſua & Eleazare Num. 34: 13. & 14. quod demum mortuo Moſe factum Joſ. 14: 1. Itaque ab eo tempore quo incolis terræ Canaan trans Jordanem ejectis finibusque deſcriptis Iſraëlitæ agros non coluerunt, anni Sabbathici inchoandi ſunt. Factum id eſt anno quadrageſimo ſexto poſt Exodum Joſ. 14: 10. ubi Caleb ait, annos quadraginta quinque elapſos eſſe ab eo tempore, quo ad explorandam terram Canaan cum aliis emiſſus fuerit. Exploratio illa facta eſt anno ſecundo poſt Exodum circa vindemiæ tempus. Num. 1: 1. & c. 9: 5. Itaque quadrageſimus ſextus ab Exodo fuit annus* κληρεχίας *ſive diſtributionis terræ per ſortem. Hoc autem ipſo anno Iſraëlitæ terram non agricolarunt. Itaque hoc anno Sabbaticus primordialis fuit.*

HYPOTHESIS IX.

ANnus Exodicus eſt 431. iniens à vocatione Abrahami facta anno ætatis Abrahami 75to completo.

§. 20. De hac hypotheſi actum eſt aliquando in peculiari Diſſertatione, hinc non opus eſt, ut hic in eadem probanda & vindicanda prolixiores ſimus.

HYPOTHESIS. X.

TEmpli Salomonis fundamenta jacta ſunt anno P. Jul. 3697. currente.

§. 21. Nimis prolixum foret, ſi hypotheſeos hujus veritatem in præſenti demonſtrare vellemus, hinc eandem, ut alibi demonſtrandam & à *Scaligero*, *Calviſio*, *Ubbone Emmio*, aliisque jam dudum demonſtratam præſupponimus ſaltem.

HYPOTHESIS XI.

EXodus Iſraëlitarum contigit ejuſmodi P. Jul. anno, qui per 480. annos ab anno P. Jul. 3697. ſeu anno fundationis templi Salomonici diſtat.

§. 22. Habetur hæc hypotheſis κατὰ τὸ ῥητὸν 1. Reg. c. 6. 1. ut prolixiori demonſtratione opus non ſit.

HYPOTHESIS XII.

ÆQuinoctium vernum anno P. Jul. 3217. incidit in 4. diem Aprilis.

§. 23. Comprobat Hypotheſin hanc calculus Aſtronomicus, isque exactiſſimis Tychonicis innitens obſervationibus. Quas accuratiſſime, (quinque vel ſex diverſa ratione fabrefactis inſtrumentis, magnitudine ipſa & materiæ metallicæ ſoliditate, diviſioneque ac pinnacidiorum exacta diſpoſitione ad amuſſim elaboratis, atque hinc labore, diligentia, ac ſumtibus inæſtimabilibus) inſtitutas eſſe, ipſemet teſtis eſt *Nobiliſſimus Braheus* in Egregio Progymn. opere l. 1. c. 1. p. 13. ſeq. Scilicet annus obſervationis æquinoctii Verni Tychonicæ erat annus Chriſti 1585. h. e. Annus P. Jul. 6298. cyclo Solis 26. notabilis. Quo anno Tycho, Huenæ Danorum, æquinoctium Vernum fieri deprehendit, elapſis 9. d. Martii 9. hor. & 30. poſt mediam noctem, qui dies in anno hoc bis-ſextili fuit dies à Cal. Jan. 70. currens. Collato itaque anno Exodi, quem putamus P. Jul. annum 3217. fuiſſe, cum Obſervationis Tychonicæ anno hæc inſtituatur Proportio; Unus annus Julianus medius & æqualis dat anticipationem 11. 5. quæ ab aliis προήγησις ἡ ἰσημερινή vocatur, quid dabunt anni è collatione reſidui? Operatione ſic rite peracta quotiens ſeu quartus numerus, quem oportet eſſe 23. D. Hor. 12. &c. ad obſervationis Tychonicæ numeros (quia annus hic datus, in quo æquinoctium vernum quæritur, annum obſervationis antecedit) addatur. Atque hac ratione tempus æquinoctii verni anno dato competens innoteſcet, quod illud ipſum erit, cujus in Hypotheſi facta eſt mentio.

HYPOTHESIS XIII.

ANno Per. Jul. 3217. plenilunium Paſchale incidit in XVI. Aprilis diem.

§. 24. Liquet Hypotheſeos Veritas è dictis hactenus. Cum enim Paſcha plenilunii tempore celebrandum fuiſſe una Judæorum & Chriſtianorum vox ſit, nihil reſtat amplius, præterquam ut plenilunii character, de æquinoctii enim charactere jam dictum, demonſtretur. Præſtant vero & hic uſum ſuum exactiſſimæ & perpetuæ *Clariſſ. Dn. Chriſtiani Longomontani* tabulæ, quas in Aſtronomia ſua, quam Danicam vocat, exhibet. Etſi enim in Annis Mundi numerandis non conveniat cum Scaligerianis Clariſſimus Autor, cum ipſi inter Epocham mundanam & Vulgarem Chriſtianam intercipiantur, anni 3964. Scaligerianis vero, intervallum iſtud 3949. annorum ſaltem ſit, commode nihilominns & hic accuratiſſimis tabulis uti poſſumus, ſi modo reductio prius inſtituatur, id eſt,

computus annorum Mundi Scaligerianus ad Danicum revocetur, & cum eodem connectatur. Notes vero pro reductione promte adornanda, sequentem, minimeque fallacem Regulam: A Dato P. Jul. anno quocunque subtrahantur anni 749. tot enim præcise intercepti sunt inter Epocham mundanam Longomontani & P. Jul. initium. Vel si Annus M. Scaligerianus detur 15. addantur & proveniet annus Epochæ mundanæ tabulis *Longomontani* accommodatus. Beneficio vero harum tabularum invenitur plenilunium Aprilis in diem decimum sextum mensis hujus omnino incidisse, eundemque ab occasu Solis inchoandum. Paschale vero hocce plenilunium fuisse inde apparet, quia æquinoctio verno proximum fuit, & ab eodem ultra 14. dies haut remotum. Siquidem nefas judicabant antevertere æquinoctium vernum in Paschatos solennitate indicenda. Confer. Illustr. *Scalig.* de Emend. Tempor. pag. 101. *Nicolai Mulleri* annum Judæorum Lunæ-Solarem p. 60. &c.

HYPOTHESIS XIV.

Dies XVI. Aprilis anni Periodi Julianæ 3217. fuit XV. dies mensis Nisan.

§. 25. Confirmat hanc hypothesin iterum calculus Astronomicus, qui Novilunium, æquinoctio verno proximum, accidisse monstrat die 2. Aprilis fer. V. ipso æquinoctiali die. Si jam dies 2. Aprilis fuit 1. Nisan necessario sequitur decimum sextum diem Aprilis respondisse decimo quinto diei mensis Nisan.

HYPOTHESIS XV.

Dies XVI. Aprilis anni Periodi Julianæ 3217. fuit feria quinta.

§. 26. Si enim annus Periodi Julianæ 3217. dividatur per quantitatem cycli Solis remanebunt 25. seu annus Per. Jul. propositus habet characterem Cycli Solis XXV. qui character indicat eundem annum incepisse feria quarta, & fuisse bissextilem, quod si primus dies Januarii fuit feria quarta, necessario sequitur, XVI. diem Aprilis in eodem anno fuisse feriam quintam.

HYPOTHESIS XVI.

Annus Periodi Julianæ 3217. fuit tertius in Cyclo Sabbathico pariter & Jobelæo.

§. 27. Comprobat hypothesin hanc calculus, secundum præcepta Scaligeri & Ejusdem asseclarum, institutus: Ita enim *Illustriss. Scaliger* Canon. Isagog. Lib. I. Cap. II. Can. VI. *Omnes Septenarii Cycli Solis sunt anni septimi Hebdomadis. In Cyclo autem Solis sunt quatuor Septenarii VII. XIV. XXI. XXVIII. Itaque quotus annus fuerit post proximum septenarium Cycli Solis, is est primus annus Hebdomadis Legalis &c.* Hactenus Scaliger. Ubi notes, monstrari hoc modo annum Hebdomadis annalis in dato Periodi Julianæ anno, ab autumno inchoandum, quod si itaque de anno respectu mensium priorum quæratur, numerus proveniens unitate minuendus est. Unde patet, annum Jul. propositum 3217. ob Cyclum Solis XXV. fuisse tertium in Cyclo Sabbathico respectu priorum Mensium, respectu posteriorum vero mensium, scilicet autumnalium, non cum tertio anno in Cyclo Sabbathico, sed cum quarto connectendus erit. Dilucidius character hic invenitur, si Periodi Julianæ annorum, ratione prioris dodrantis consideratorum, numero dato, addantur 6. aggregatum per 7. dividatur. Residuum enim monstrabit characterem Sabbathicum quæsitum, priori duntaxat dodranti, anni Periodi Julianæ dati competentem &c. Ita in iisdem P. Julianæ nostræ annis, ratione prioris dodrantis hic consideratis, cyclus Jobelæus, 20. annorum additione, & aggregati per 49. instituta divisione, inquiritur. Quod si secundum hanc facillimam methodum annus Periodi Julianæ 3217. examinetur, utrobique ternarius remanebit, atque annum hunc tertium in Cyclo Sabbathico pariter & Jobelæo fuisse apparebit.

HYPOTHESIS XVII.

Annus Periodi Julianæ 3217. fuit 431. iniens à vocatione Abrahami.

§. 28. Cum hujus hypotheseos fundamenta alibi jacta sint, nolumus crambem bis coctam hic apponere.

HYPOTHESIS XVIII.

Annus Periodi Julianæ 3217. distat ab anno Periodi Julianæ 3697. seu fundationis templi Salomonici per 480. annos.

§. 29. Subtracto enim numero minore ex majore 480. remanebunt.

PUNCTUM III.

Exhibens APODIXIN.

Quodcunque tempus ita comparatum est, ut, ratione diei, exhibeat ejusmodi diem, qui plenilunio æquinoctium vernum quam proxime sequente conspicuus fuit, qui decimus quintus dies primi mensis in anno Ecclesiastico, nempe Nisan extitit, qui habuit characterem feriam quintam, ratione anni, exhibet ejusmodi annum, qui tertius in Cyclo Sabbathico & Jobelæo, quadringentesimus trigesimus primus à vocatione Abrahami fuit & annum Conditi Templi Salomonici per 480. annos antecessit, illud demum pro legitimo & characteribus Chronologicis ad amussim insignito primi Paschatos & Exodi tempore habendum est.

Atqui tempus Exodicum in thesi nostra expressum ita comparatum est, id est, dies XVI. mensis Aprilis plenilunio Paschali insignis & decimus quintus dies mensis Nisan extitit, itemque feriæ quintæ characterem habuit: annus quoque Per. Jul. 3217. fuit tertius in Cyclo Sabbathico & Jobelæo, itemque quadringentesimus trigesimus primus à vocatione Abrahami: Et tandem annum conditi templi Salomonici per quadringentos octuaginta annos post se reliquit.

Ergo Tempus, cujus in Thesi nostra facta est mentio, merito pro Exodico legitimo & Primo Paschali æstimandum & habendum est.

Major & minor per hactenus explicatas Hypotheses prolixe explicatæ & ex iisdem desumtæ sunt.

§. 30. Operæ pretium forsitan esset, Antithesin quoque cum Epilysi subjungere. Enimvero cum pagellæ hæ alias præter opinionem adauctæ sint, atque per hypotheses, hactenus vindicatas, antithesis quæcunque facile errorum convinci queat, vela contrahimus & Israëlitas, per desertum iter facturos, non comitamur amplius, quin potius agno immaculato triumphantis Ecclesiæ hymno gratias persolvimus.

Α'ξίον ἐστι τὸ ἀρνίον τὸ ἐσφαγμένον λαβεῖν τὴν δύναμιν, καὶ πλοῦτον, καὶ σοφίαν, καὶ ἰσχὺν, καὶ τιμὴν, καὶ δόξαν, καὶ εὐλογίαν.

M. CHR.

M. CHR. HEINR. BRÖMEL
DISSERTATIO
De Angelo Exterminatore ad Exod. XII: 23.

ב״ש הקב״ה

§. 1.



Nimus nobis est experiri vires in describenda decima & gravissima facile Ægyptiacarum plaga, in eoque argumento ita versari, ut missis reliquis ejusdem momentis, *causam* plagæ tum *principalem*, tum *ministerialem* intueamur. Prout vero in ipsa dissertationis inscriptione duo S. Codicis loca conjunximus, ita eorundem ex Exodo ac Psalmo Textum in medium proferemus atque in utriusque examine occupabimur.

§. 2. Ipsam plagæ decimæ historiam Moses in Exodo describit, ita vero describit, ut ejusdem nunc *comminationem*, respectu Ægyptiorum c. 11: 4. sqq. 12: 12. nunc circa eam *promissionem* protectionis atque tutelæ divinæ cap. 12: 13. 23. 27. tandemque comminatæ *executionem* vers. 29. referat. Quæ omnia historiæ sacræ loca ubi quis rite perlegerit, unde afflictio profecta sit, facili opera cognoscet, Deum, puta, causam pœnæ principalem affirmavit, nec forsan erit, qui contradicat. Ita sibi vindictam Deus aliquoties vendicat, c. 11: 4. כה אמר יהוה בחצת הלילה אני יוצא בתוך מצרים *sic dicit Dominus in medio noctis egrediar in medium Ægypti.* c. 12: 12. ועברתי אני יהוה *& transibo ego Dominus*; adde vs. 23. verba Mosis: ועבר יהוה *transibit Dominus* ופסח יהוה *transiliet Dominus*; itaque primarius agens ille est, qui dicit אני יהוה.

§. 3. Redit nunc quæstio cum supremus judex sibi ipsi vindictam hanc adscripserit, mediate an immediate eandem exsecutus sit? Hoc sane multis placet, ab executione omnem adeo causam ministram quoque excludere. Judæorum sententias diligenter collectas latio donavit, in eoque otium nobis fecit Menasseh Ben Israel conciliator legis, Quæst. XIV. in Exod. Ita enim eas §. 15. refert. *Antiqui sapientes in Mehilta volunt ultimam plagam, qua Ægyptiorum primogeniti periere, Dei ipsius manu peractam, freti verbis scripturæ & Dominus percussit omne primogenitum. In Agada quoque idem firmatur, & locus scripturæ S. quem supra allegavi, exponitur, transiturus sum per terram Ægypti, ego, non angelus, & percussurus sum ipse, non Seraphim, & in omnes Deos Ægypti exerciturus sum judicia, ego, non legatus, ego Dominus, non alius. Quibus verbis manifeste ostendunt, creditum sibi in hac plaga nullo instrumento Deum usum.* Confeheratur huc Kabbala Denudata Part. j. in voce אני p. 135. Quod æque interpretibus quibusdam placet, qui urgent verba illa, ego cædam, ego transibo &c. indeque immediatum Dei opus arguunt.

§. 4. Verum uti divinam manum in plaga hac decima agnoscimus, ita non videmus, quomodo causa omnis ministra excludatur, præprimis quando versum 23. capitis 12. consulimus. Constitit jam quantopere urgeant nonnulli verba illa אני יהוה & toties ועברתי יהוה. Enim vero in his causam primariam constanter asseri, concedimus, exclusive idem fieri, est quod omnino negamus. Præterquam enim quod executionis minister infra insinuatur, verba Mosis, quid valeant, locutiones plures in eadem plagarum Ægypti historia obviæ, ostendunt. Quis nescit? toties Dei verba allegare Mosen, *ego indurabo cor Pharaonis* quod qui Deo immediate adscribendum asserat, habet, quod excuset grande nefas, causæ peccati Deum incusare. Plura exempla videas apud David. Clericum in Quæst. S. qu. 18. p. 198. Ipse Menasseh l. c. §. 3. aliunde citat: *Non scrupulum esse in verbis, transibo & percutiam, quatenus omnia ad Deum tanquam causam proximam referri soleant, sic quamvis per angelum destructa sit Sodoma, dicere Scripturam & Dominus pluere fecit.* Audiamus vero quomodo suorum mentem exponat R. Arama quem citat quoque Menasseh l. c. Ita vero Arama עקרת יצחק. fol. 126. a. ח״זל ייחדו אלו הפעולות כלן אליו יתעלה בתחלית ההתיחסו׳ באמרם אני ולא מלאך אני ולא שרף וגו׳: ואין הכוונה להם שלא תהיה מכה זו על ידי שום שליח ומלאך ממית שהרי באמר ולא יתן המשחית לבא אל בתיכם לנגוף אלא כאמרך שמלך בכבודו ובעצמו ילך למדינת פלונית לעשות משפט מה שלא לשם שר ושופט גובר ופרנם שאין הכוונה כוה בשילך המלך לבדו ושהוא בעצמו יהרוג הנשפט אלא שילך הוא וגדוליו שריו ושופטיו אשר בבית המלכות ואיפשר שכוונו ה״זל בדי שלילות אלו לומר תיתה מכה זו על ידי שום סבה טבעית מה ארבה המיחדות שבהם ינגוף: *Sapientes nostri p. m. attribuunt opera illa omnia Excelso in fine attributionis in verbis illis, ego & non Angelus, ego & non Seraphim, & illorum intentio non est, quod non facta fuerit percussio per Legatum aliquem aut angelum percutientem: quid? nonne dicitur: non permittet exterminatori ingredi ædes vestras ad affligendum. Sed sicut dicis, quod Rex cum splendore & potentia sua ingrediatur urbem aliquam ad exercendum judicium aliquod: nec mittit propterea principem vel judicem potentem aut gubernatorem. Non intentio hæc est, quod Rex solus abeat & ipse in potentia sua occidat judicatum, sed quod abeat ille & magni ejus principes, atque judices qui in aula sunt. Sic esse potest sapientum p. m. intentio in sententia illa negativa, si dicunt, non factam esse percussionem per causam aliquam naturalem ex quatuor præcipuis, quæ illos afflixerit.* Nec scrupulum faciunt illa, quod transitus Domini vindicta sæpe vocetur. Refert namque observasse quæ doctissimus Philologus atque Theologus D. Dannhauerus de sensu verborum: *transitus Domini*, notat: *Edit Moses causam propter quam sit festinandum, quia sit transitus Domini*, i. e. *transitus velocissimus. Sicuti simili Ebraismo alibi, Cedri altissimæ, cedri Domini appellantur* vid. Idea Bon-Interpr. Art. III. n. 9. Quam in rem adducimus, Nazianzenum Theologum Orat. 42. in Pascha: *festinanter (Pascha comedendum) ne in eam culpam incidamus, à qua divino interdicto Loth avocabatur, ne Sodomitico illo & inusitato igne simul involvamur.* Similiter de verbis, *transibo ego Dominus* concludere possumus, certum comminationis eventum ac singularem plagæ rationem innui, ut cum Israelitis crederent Ægyptii, fore ut Mosaicæ annunciationi respondeat eventus, omniaque dirigente Deo ita, non fortuito futura. Fidem faciunt dictis plurima utriusque fœderis dicta, quibus jam ut passim obviis, supersedere possumus.

§. 5. Ita primum & palmarium eorum qui negativam tuentur, argumentum excussimus, cui novum addere quidam volunt, monentes: (1.) *quando DEUS dicitur procedere, transire, exire de loco suo &c. id notatur, quod immediate se revelet per opera ad extra Exod. 33. & 34. contra, quando DEUS pœnam infert per malum angelum dicitur in egredi, exire, 1. Reg. 22: 22. Jobi 2: 7. puta, à conspectu Jehovæ gratioso.* Ast hoc ita non valere, alia ratione commoti dicimus. Sane supra dictus Menasseh l. c. §. IV. ex Maimon. in Directore lib. I. c. 51. docet: *dicitur DEUS transire, cum potentiam suam in inferiores exerit, quod etiam R. Jehudam dixisse in Jalcut, tradit Simhoni.* Quod certe ex vano non est, quando non dissentit Flacius, qui ita vocem descendere exponit: *descendere DEUS dicitur, quando se nobis accommodat atque insigne aliquod opus facit.* Clav. Scr. P. II. de Tropis & Schematibus p. 3479. Taceo nunc dicti Menasseh sententiam, qui §. VII. l. c. dicit: *quin & verbum* ועברתי *quod nos transferimus & transibo, vertere liceat & irascar, significatione deducta à nomine* עברה *ira, indignatio. Sane id placuit R. Levi Ben-Gerson qui transferebat & irascar terræ Ægypti ac percutiam.* Quam interpretationem licet nostram non faciamus, id tamen verum est, Chaldæum verba Ebraica aliter vertere, ואתגלי בארעא דמצרים *& apparebo in terra*

 Ægypti,

Ægypti, clarius Arabs فاجلي ملاكي *& manifestabo angelum meum*; qui præterquam quod emphasin verbi עבר ab aliis intentam infringat, angelum quoque ministrum expresse nominat, quod argumento nobis erit, in vindictæ exsecutione manifestasse se Deum per causam ministram.

§. 6. Audiamus vero alterum dissentientium argumentum, qui instant: *Ille cecidit Ægyptios, qui familias Israelitarum eruit, Exod. 12:27. hic autem qui eripuit, erat sine dubio Deus ipse.* Verum non procedit, velut si quis diceret, Deus hodieque protegit fideles ab insidiis Diaboli, ergo idem qui insidias struit, Deus est. Nec ex versu 27. assertio valet, quando jam supra de vocabulo עבר ejusdemque sensu constitit, immediatam DEI operam in eo non fundari. Certe Jobus ille afflictus, adversa illa fata à DEO profecta toties conqueritur, quoties opem auxiliumque cœlitus expeteret, certoque acciperet; quis vero inde immediatam in affligendo Jobo Dei operam argueret, quum diabolum percutientem in fronte libri legere liceat?

§. 7. Hactenus principalem operis causam, DEUM potentissimum vidimus, sed ita, ut ministerialem in Textu non excludi demonstraverimus, quam nunc manifesto exprimit & tantum non nominat vs. 23. Habemus ibidem causam principalem verbis ועבר יהוה ministralem insinuatam reliquis ולא יתן המשחית לבא אל־בתיכם לנגף: *& non dabit exterminatori venire in domos vestras ad perdendum.* Quis non intelligit vindictæ divinæ exsecutorem המשחית *perditorem*, appellatum? quis non eundem arguit ex verbis לא יתן לבא *non dabit ei venire?* alius namque est permittens, perdens alius cui directio divina & superior manus limites constituit. Habemus certo causam ministram quam המשחית appellat Moses & gemina vice angelum vocat in versione, Arabs vs. 12. فاجلي ملاكي في بلد مصر *& manifestabo angelum meum in regione Ægypti*: iterum vs. 23. فيعبر ملاك الله ليصيب المصريين *& transibit angelus Domini ut percutiat Ægyptios.* Quod adeo verum est, ut exceptio locum amplius non inveniat.

§. 8. Secus faciunt Judæorum nonnulli, qui ut immediatum DEI opus obtineant, ingeniose, ut ait Menasseh l. c. alterum Scripturæ locum conciliarunt. Sit vero ingeniosa utrum vera & valida conciliatio dubito. Primus quem adducit est R. Salomo, de quo ille: *per* משחית *intelligit damna ac pericula nocturna, quo tempore mali Spiritus regnant & periculosum est, digredi ædibus suis. Adeo ut perditur hic non angelum aut secundam aliquam causam in hac plaga adhibitam notet, sed quale diximus damnum.* Audiamus vero ipsum R. Salomonem, qui ad vers. 22. capitis 12. ואתם לא תצאו וגו מאגיד שמאחר שנתנה רשות למשחית לחבל אינה מבחין בין צדיק לרשע ולילה רשות למחבלים הוא שני בו תרמוש כל חיתו יער: *Et nemo ex vobis egrediatur &c. annunciat quid futurum, quod data sit potestas exterminatori ad perdendum, qui non discernat inter justum & injustum: & nox sit licentia perditorum, quia dicitur (Psalm. 104:20.) in ea reptat omnis bestia sylvestris.* Certe conciliationem non intendit R. Salomo, quin potius causam ministram probat, eandemque malam insinuat. Sit, quod intelligat damna nocturna, sed quænam illa ex Judæorum opinione sint, docet Genebrardus, quem citat Polus Synopsi Criticorum in Psalm. 78:49. *Ebræi dicunt, quæ in tenebris immittuntur mala, recte demandantur malignis spiritibus, quia ipsi sunt spiritus tenebrarum.* Nec calculum merentur, quæ Conciliator noster ex R. Gerundensi citat, l. c. §. 2. *Quamvis dicatur*, inquit, *non permittet perditorem intrare ædes vestras, haud inde sequi perditorem percussisse primogenitos, sed illud tantum, extitisse illo tempore perditorem aliquem, unde colligit Deum quidem ipsum miraculum hoc patrasse, sed astitisse ei angelum perditorem cum omnibus rigoris ac potentiæ ministris. Et eodem modo, quo Regem incedentem ingens principum ac magnorum Virorum caterva sequitur, etiam Deum Ægyptum transiisse comitatum potentiis angelicis.* Quæ verba eo adducere volui, quod ea fere recipit Hugo Grotius in h. t. qui *uno angelo plures adfuisse tanquam apparitores*, existimat. Ita hi agnoscunt ministrum, sed otiosum, eundem fingunt & apparitorem. Itane Moses docuit? quando in ipso actu plus quam par erat negotiosum exsecutorem describit, adeo, ut divina manu ab Israëlitarum domibus arcendus fuerit. Reliqua quæ ex Rabbinorum judiciis adfert Menasseh, leviora sunt, quam quæ huc trahantur, quando per משחית alios aërem corruptum ipsosque Ægyptios persecutores intelligere, testatur, ipseque tandem nodum in scirpo quærit, haud vero invenit.

§. 9. Atque ita inanes illos Conciliatores examinavimus & mediatam summi judicis operam in Ægyptiaca ista decima plaga vindicavimus. Nunc cujusnam ministerio in exsecutione usus sit Deus, ostendendum est. Scilicet angelum ministrum fuisse ex Versione Arabica supra laudata plus vice una constitit, nec scio, quemquam qui ministerialem causam admittit, dicam in eo scribere. Eo vero quæstio redit, si angelus exsecutor, ater an albus, bonus an malus idem fuerit?

§. 10. Conferendus eo est vers. 12. qui quæstionem decidit & quid rei subsit vel nomine docet. Ita enim primo statim intuitu sese offert vocabulum המשחית, non sine ratione ה׳היד׳עה notatum, ut vel ipsum ulteriori considerationi vocem subjiciat. Agnoscit illud Radicem שחת Buxtorffio Lex. Talm. *per se Radicem constituens*, in Lex. vero Ebr. solum in Piel usitatum, *perdere*, *interficere*, *corrumpere*, denotare docet. Cl. Hottingerus, uti eandem voci significationem concedit, ita à Rad. Arab. سحق eam deducere amat, qui rationem habet, quod deperditæ Ebræarum radices, ex matris filiabus, in his Arabicæ repetendæ sint & facile quod quærit obtinet. Quantum nunc ad significationem, voce *interfectorem*, *perditorem* Moses administrum potentiæ divinæ denotat. Commode, dum hæc scribens, succurrunt percussoris in versionibus nomina, quæ notata consensum præbent dictis. Ita Arabs المهلك *perdentem*, à Rad. هلك *periit*, majus quid notat Chaldæus voce מחבלא cui accedit Syrus ܡܚܒܠܢܐ quæ vastatorem sonant. His addimus LXX. quibus המשחית ὀλοθρευτής audit, quam item vocem Apostolus 1 Cor. 10. habet, & in recensenda nostra cædis primogenitorum historia, ὀλοθρεύων vocat, Ebr. 11. quod *perditorem* æque notat. Notari quoque meretur Latina, quæ *exterminatorem* vertit. Auctor est insignis Philologus Eduardus Leigh. Crit. S. pag. 225. de genuino vocis significatu. *Quod Latinorum quidam exterminatorem exponunt eum, qui percussit extra terminos terra promissa, parum scienter ab illis dicitur. Nam vox Græca ὀλοθρευτὴς nullam habet termini significationem, sed significat eum, qui penitus vastat ac perdit, quem & Cicero Latine dixit* exterminatorem, *in Orat. pro domo sua.* Quem præfero Jacobo Pamelio Burgensi Scholiasti Tertulliani, qui alteram vocis significationem recipit, ad Tertull. lib. II. ad uxorem. cap. VII. n. 337. Edit. Antverp. *Exterminare est*, inquit, *quod Germani sua lingua vocant* verbannen / *i. e. extra bannum ejicere, quam vocem Ansegisas Abbas Francicarum legum interpres, quas de Germanico sermone in Latinum vertit*, Forbannire *reddidit. Unde* Forbanniti *in legibus Longobardorum & Alemannorum & reliquarum gentium nominis Germanici.* Exterminare *i. e. de fidei Christianæ possessione dejicere.* Idem Tertullianus angelos exterminatos notat, cum doceret, *virginem velandam esse, alias ream futuram angelorum exterminatorum.* lib. de velandis Virginibus cap. VII. n. 55. Quorsum obiter noto, antiquissimos Patres libidinem angelorum in mulieres asseruisse, Justinum Apol. pro Christianis, Clementem Strom. 5. Tertull. locis citatis & lib. de Idolol. cap. 9. Methodium, apud Epiphan. in Panar. Lactantium Firmianum lib. II. divin. Instit. cap. 15. Augustinum & plures, quos notat Dallæus de Usu Patrum cap. IV.

§. 11. Quando nunc præprimis vocem המשחית consideramus, illa non nullius omnino argumenti est, malum angelum executorem plagæ fuisse. Sit licet, extare exempla, quibus cum Deus ipse, tum bonus angelus, משחית nomine veniat, quod probant auctores inductione exemplorum. Nec diffitemur versionem Arabicam pro bono angelo allegari posse, tum quod eundem ملاك الله angelum domini appellet, tum quod bonum angelum insinuet verbis ويرثي لمن دخلها *& miserebitur ejus qui ingressus est eam.* Illa tamen sola non præjudicat Textui atque versionibus reliquis, quæ interpretationi nostræ favent. Genebrardus certe, citante Polo Synopsi. Crit. in h. t. ex voce משחית malum angelum arguit, cui frequentior & hoc loco multis probatus vocis usus, fidem facit. Idque magis, quando multis æstimata versio Chaldaica vertit cum Syriaca, מחבלא quam vocem Diabolum innuere, clarum facit locus Hos. 13:14. Quid? quod insignis ille Philologus Anglus, Lightfootus autor est, quod malos angelos Judæi vocent מל אכי חבלא angelos ὀλοθρεύτας, Hor. Ebr. Talm. in 1 Cor. 10:10. Lubet audire R.D. Kimchi de voce illa המשחית quam denotare angelum mortis, i. e. diabolum, ut suo loco dicetur, asserit in 1 Sam. 24:16. Verba ejus hæc sunt: וישלח ידו המלאך׳ הראה הק״בה דמות מלאך וחרבו בידו: *cum extenderet angelus manum suam: vidit Dominus benedictus angelum mortis & gladium in manu ejus.* Ut ut vero nostrum nunc non faciamus, malum angelum corripientem ibidem

ibidem fuisse, illud tamen constat, de Diabolo vocem המשחית interpetari Judæos. Quin imo Judæos suam de Samaële, angelo mortis, sive historiam sive fabulam, exterminatore angelo probare, autores habeo clarissimorum Philologorum pariter atque Theologorum nobile par, Joh. Conrad. Dannhauerum & Joh. Adam. Scherzerum, sed quanta nomina? quorum ille in Hodosoph. Phænom. XII. pag. 924. *speciem*, ait, *fabula assumit, coloremque ex historia Exodica, cujus feralem fatalemque noctem cæde primogenitorum notavit* המשחית ὀλοθρεύων, *angelus carnifex. Exod.* 12: 23. *ducens ut lorarios post se* ἰνδάλματα ἤχους φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις αὐτομάτων πυρῶν τέρατα καὶ φαντάσματα, *quæ monstra sic depingit Sapiens cap. XVII. ut solis hominibus horrorem incutiant. Et quia Moses in eadem historia serio memorat, in ædibus filiorum Israel canem non movisse linguam suam, hinc facilis consequentia fluxit ad canes in domibus Ægyptiorum ululantes: ut intelligamus hodie adhuc, cum ululant canes, angelum mortis intimari.* Hic idem docet in System. Theol. Loc. XIX. §. 13. p. 543. postquam de angelo mortis quædam præfatus esset, *ululatum canum*, inquit, *non tam probant, quam (more suo) indigitant ex verbis Mosis, quod transeunte angelo carnifice ne canis quidem moverit linguam.* Exod. 12: 13. Huc referimus quod Judæi המשחית ope Mesusæ suæ ab ædibus detineant Baal Tur. in Deuter. 11: 20. ידו המזוזה לא יבא המשחית על בתיכם: *per Mesusam non intrat perditor domos vestras.* vid. laudatus Dn. Dassovius in Dissert. de Ritibus Mesusæ. Patet hinc argumenti Genebrardi vis, quam usus & interpretatio vocis המשחית probat.

§. 12. Hæc hactenus in medium prolata magis nunc valent, quando aliud majoris ponderis argumentum accedit. Scilicet observari merentur illa promissionis divinæ verba ולא יתן המשחית לבא אל ביתיכם לנגף *& non permittet vastatorem ingredi ædes vestras ad affligendum.* Quorsum ex autoribus notat Polus Synop. Crit. *non dabit, scilicet ordinem, non ordinabit vel præscribet: Plus est quam permittere, significat enim manum providentiamque DEI in omnibus. Hinc patet percussionem à Deo factam per angelum.* Et paulo post quæstionem, an malus fuerit? affirmativam sequitur ex his verbis: *non sinet ingredi &c. quibus innuit quod libenter intrasset, si fuisset à Deo permissus.* Particulam לא attendit doctissimus Philologus Forsterus in Lex. Rad. נתן, ita eandem afficere verbum, proxime positum, ut concedendi significatum habeat. Idemque valere verbum negativum in fronte positum. Notandam vocum emphasin attendit Chaldæus, qui vertit: ויחוס יי על תרעה ולא ישבוק מחבלא למעל־לות ביתיכון *Et miserebitur Dominus supra ostium & non sinet vastatorem ingredi domos vestras*; qui præterquam quod manum Dei permittentem omniaque dirigentem innuat, gratiosam eandem prædicat, cui nunc ex asse respondet Syrus ܘܢܦܨܐ ܡܪܝܐ ܥܠ ܬܪܥܐ ܘܠܐ ܢܫܒܘܩ ܠܡܚܒܠܢܐ *& prosperabitur Dominus januis & non sinet* (non potestati ejus derelictum dabit) *vastatori.* Quæ omnia inhibitionem directionemque in Deo, nocendi libidinem, in percussore arguunt. Facit huc R. Salomon Jarchi in h. t. ולא יתן המשחית ולא יתן יכולות לבא כמו לא נתנו אלהים להרע עמדי Et non dabit exterminatori, *i. e. non dabit ei potestatem ingrediendi, sicut dicitur: (Gen. 31: 7.) non permisit eum Deus, ut noceret mihi.* Habes inde ministrum, sed oppido malum, cui data corripiendi potestas, cujus tamen ipsam agendi facultatem divina providentia afficit atque ita restringit, ut Israëlitarum ædes non ingredi, nedum iisdem nocere potuerit, quam vellet. Pravam illam diaboli nocendi cupiditatem describit Origenes contra Celsum lib. VIII. cap. 8. *Dæmonum opera sunt ceu carnificum, judicio quodam divino potestatem quandam habentium certis temporibus. Dæmones semper quidem nocendi cupidi sed non semper valentes lædere, eo quod prohibeantur.* Quod certe de bonis spiritibus nemo sanus affirmabit, qui quando πνεύματα λειτουργικὰ sunt, piorum salutem promovere gestiunt, nec vel latum unguem à mandato divino recedunt. Unde Mosis verba argumento sunt, in vindictæ divinæ executore piis quoque nocendi, judiciumque atque vindictam plus ultra extendendi libidinem, notari, & quod inde fluit, mali angeli operam indicari.

§. 13. Cæterum quæ hactenus de divino judicio in medium prolata sunt, novo robore firmant alia S. codicis loca. Divinus ille Psaltes catalogum quasi plagarum Ægypti nectens, Psalm. 78. istarum decimam, quam nos nunc tractamus, ita describit vers. 49. ישלח בם חרון אפו עברה וזעם וצרה משלחת מלאכי רעים *Misit in eos furorem indignationis suæ: iram & indignationem & angustiam, immissionem per angelos malos.* Ecce exsecutorem angelum, sed malum, sed ingentem angelorum malorum catervam, hic per משלחת מלאכי רעים expressam à spiritu S. optimo verborum suorum interprete. Quæ Moses in Exodo facta narrat, Psaltes hic emphatice decantat, uterque sufficienter rem gestam exprimit.

§. 14. Inveniant tamen hic quod excipiant, qui negativam tuentur. Formam scilicet verborum מלאכי רעים, quæ uti non est *convenientiæ* sed *rectionis*, ita prædicatum non *de malo culpæ*, sed *pœnæ*, & quorsum tendunt, non *de angelis malis* sed *malorum* interpretantur. Quod adeo placuit Sixtino ab Amama, ut scriberet: qui Ebræa *à limine salutavit, videbit in Ebræo non esse* מלאכים רעים *sed* מלאכי רעים. *Illa autem differunt ut* μάντις κακὸς & μάντις κακῶν. *Sanctissimi Prophetæ, cum calamitates denunciant, sunt* מלאכי רעים, *Pseudoprophetæ contra, quando ex proprio ingenio pacem & omnia prospera promittunt* מלאכים רעים *merito appellantur. Hic igitur locus hilum non juvat illos, qui Deum in infligendis his plagis malorum angelorum opera usum esse, pertendunt* Antibarb. Bibl. lib. III. p. 806. Quem plures inde in commentariis sequuntur.

§. 15. Palmarium itaque quod hic in considerationem veniet, est forma verborum מלאכי רעים, cui paulo prolixius immorari oportebit. Atque verba hæc quando examinamus, prius substantivum in statu constructo positum, alterum vero adjectivum deprehendimus. Jam vero in simplici substantivi & adjectivi constructione, ut illud primum, hoc sequentem locum obtineat, nullo opus est regimine, hoc in loco evidente. Licet huc trahere nolimus, quæ Cl. Pokokius observat, quod ם pluralis nota excidat sæpe, prout illud ex R. Tanchum in Jos. 15: 36. probat, allegatis præterea locis plurimis, quæ pluralia (?) omisso ם desinentia habent. Addit ille, *ut alia sed aliter terminata, in quibus* ם *pluralis nota excidit, omittamus*, Not. Miscell. c. 4. p. 69. seq. Hoc tamen scimus, anomaliam quandam in istis verbis latere, passim in Textu Sacro obviam, qua absolutum pro constructo & vice versa, ponitur, quæque Enallage constructionis Grammaticis audit. Evidenter tradit eam Excell. Dn. Andr. Sennertus Patronus meus atque Præceptor, dum Wittebergæ essem, dexterrimus & ob singularem in me benevolentiam, ætatem devenerandus, qui in exemplorum numerum nostrum quoque locum retulit, Idiot. L. L. OO. Sect. III. Can. 50. p. 39. Quo certe sequitur, idem valere verba constructa, cum absolutis מלאכים רעים. Ita vero certam probatamque habemus formam Enallages, tot locorum exemplis, quæ prolixo syrmate recensent laudatus Dn. Sennertus l. c. Buxtorffius Thes. Gram. lib. II. c. 4. p. m. 379. Cl. Acoluthi Tract. de Aquis Amaris Zelotypiæ c. 1. p. 47. aliique plures, qui omnes dictum nostrum exemplis accensent, atque inde suffragio suo nostræ interpretationi adstipulantur. Dabimus Judæos huc facientes: R. Aben-Esra ita commentatur in h. l. משלחת מלאכי רעים׳ בעבור האש כמו עושה מלאכיו רוחות משרתיו אש לוהט ומלה מלאכי אינה סמוכה כאילו כתוב מלאכי השם כמו ביד נביאי כל חוזה: *Immissio angelorum malorum in transitu ignis, sicut dicitur, qui facis angelos tuos Spiritus & ministros tuos flammam ignis.* (Psal. 104: 4.) *& quum dicitur* מלאכי *non est constructum, ut alias* מלאכי השם *angeli Domini, sicut dicitur per manum Prophetarum, omnisque videntis.* (2. Reg. 17: 13.) Affirmat Enallagen in genere R. David. Kimchi lib. Rad. col. 263. Rad. מי cujus verba hæc sunt: *in multis locis constructum, pro absoluto & pro constructo absolutum usurpatur.* Prout ea vertit Cl. Acoluthi libro cit. Hæc ita fundata verborum Enallage, doctissimo Philologo B. Geiero non adeo displicuit, licet ab initio pro bono angelo percutiente pugnare visus fuerit. Comment. in h. t.

§. 16. Habemus sane consentientes versiones plurimas, Chaldaicam, quam plures tanti faciunt, vertit illa בידיהון דאונדין בישין *per manus Angelorum malorum*, Syriaca ܫܕܪ ܡܠܐܟܐ ܒܝܫܐ *misit angelos malos*, Arabica على يد ملايكة أشرار *per manum angelorum malorum*, addimus tandem Æthiopicam, መሰበለ፡መላእክተ፡እኪያን፡ *Per angelos malos.* Quæ omnes ministrum pœnæ malum, uno ore asserunt. De Versione LXX. dubium movet Sixtinus ab Amama, quod mox solvemus, illa reddidit verba Ebraica ἀποστολὴν δι᾽ ἀγγέλων πονηρῶν. Non potuit Vulgatus quin horum vestigia premeret & *immissionem per angelos malos* verba Ebræa redderet. Et quo tandem animo omni elogio dignissimam B. Lutheri versionem corrigeremus, quæ non censuram sed laudem in eo meretur, quod ita Textum exponit, **da er böse Engel unter sie sande.** Habemus ita linguis variis

unum

unum effatum tot tantorumque interpretum de angelis malis consensum, quos relinquere religioni nobis sit, cum causa non detur, cur secus faciamus.

§. 17. Bellarminus, quem citat Polus Synopsi Crit. in h. l. cum evidentem adeo Enallagen negare non posset, ut obtineret tamen bonos angelos plagæ ministros, nec Vulgatam rejicere videretur, aliam viam ingressus est. Retinet versionem, *immissionem angelorum malorum*, sed notam adjicit, *possunt angeli mali dici angeli sancti, qui dicuntur mali ab effectu, quia puniunt, quos DEUS vult puniri.* Verum sibi sapere tot interpretibus visus est, quem feriunt ipse B. Geierus, Amama, Friedlibius, qui licet partim bonos DEI ministros urgeant, modum tamen interpretandi in Bellarmino notant. Loquatur ore reliquorum Friedlibius in h. t. *Denominatio requirit in esse, quodsi igitur angeli sancti dicuntur mali, eo quod mala infligunt, sequitur eos in natura sua malos esse, hoc vero absit, ut de sanctis spiritibus cogitemus, qui nullius mali neque participes neque autores sunt.*

§. 18. Aliter faciunt, qui verba Textus simpliciter & prout jacent, interpretantur, dictamque Enallagen respuunt. Ita nonnulli, quos citatos vide apud Polum Synopsi Criticorum in h. l. B. Geier. comment: in Psal. & alios. Hic namque quidam verba מלאכי רעים interpretatur nuncios malorum, per eosdemque Mosen & Aaronem intelligit, summi Numinis legatos, qui mala pœnæ Ægypti Regi annunciarint. *Id indicari in Psalmo, Deum suam excandescentiam immisisse (significasse se immissurum tam certe, acsi jam immisisset) Ægyptiis, dum mittebat eis qui prænunciarent, fore uti ita affligerentur, nisi dimitterent Israëlitas. Ipsi autem angeli sive legati DEI, erant Moses & Aaron, ut Exodi C. IV. videre est.* Quod ipsum etiam non displicuit H. Grotio in h. l. Ac de subjecto quidem hujus propositionis, valet omnino, cum notum probatumque sit, bonos illos spiritus, æque ac malos, missos item homines vel legatos, quin ipsum tandem Dei filium, angeli nomine venire. Quod tum ratio Etymi ab Æthiopica radice, tum usus Biblicus frequentior confirmat; his vero passim obviis non est ut pluribus in hæreamus. Secus tamen cum prædicato res sese habet, quod cum sit adjectivum Masculinum, substantive explicari haud poterit, quando destituitur exemplis Scripturæ S. probatis, observante B. Geiero in h. t. Nec sine ratione est quod urget Magnif. Dn. Calovius, Patronus atque Præceptor meus ætatem devenerandus Bibl. Illust. in h. t. *Sed hic plagæ recensentur, non nuncii malorum.* Ita enim lectorem Psalmus docet, qui omnes Ægypti plagas decantatas exhibet. Sed quid tandem causæ esse dicemus, cur divinus Psaltes, cui, ut contextus probat, plagas describere animus erat, decimam ita quasi aliud agens, tractasset, ut rei dudum factæ nuncios demum recenseret. B. Geierus idem notat, l. c. *de hominibus, ait, mala nunciantibus admodum leve id esset. inter tantam indignationem, plagarumque jamjam prementium coacervationem, recensere etiam hanc bonorum Prophetarum missionem; Et quorsum opus fuisset, addidisse nomen* משלחת En novum largitur argumentum, ex voce משלחת. cui si nunc jungas verbum præcedens ישלח insignem deprehendes emphasin verborum, tantam quidem, quæ ad exprimendam nunciorum missionem non requirebatur. Etenim quid valeat nomen verbale verbo postpositum, egregie Excell. Dn. Frischmuth, Doctor noster atque Patronus omni observantiæ & honoris cultu prosequendus, docet ex R. David Kimchi in Jer. 23. מלך מלך אמר הכפל להזק הפעולה כי בזכור הפעולה השם נזכר עמה ובזכור אחריה השם הוא לחזק *Cum dicitur regnabit Rex, fit illud ad intendendam significationem. Actionis facta mentione, nomen quoque memoratur ipsum & dum postea ipsius nominis meminit, ad significationis intensionem id sit.* Huc faciunt illa, quæ citat Excell. Dn. Dassovius in Disp. habita Wittenbergæ an. 1674. De Rabbinismo Philologiæ S. ancillante §. 11. ex R. Ben. Melech. in M. J. in Es. 59: 17. ad vatis verba illa וילבש בגדי נקם הלבשת qui ita commentatur: ואמר השם אחר הפועל להזק הענין כמו ויצם דוד צום קצף יי על אבותיכם קצף ומעלה מעל וטבות טבח וחרומים לחם: *Adhibetur nomen post verbum ad intendendam rem, sicut dicitur & jejunavit David jejunium* (2. *Sam.* 12: 6.) *iratus est Deus patribus vestris iracundia.* (Zach. 1: 2.) *Prævaricabitur prævaricatione* (Levit. 6: 2.) *macta mactationem* (Gen. 43: 16.) *& alibi.* Addimus quæ annotavit B. Geierus l. c. *Ipsum nomen non nisi semel adhuc habetur in sacris, nempe Coh. VIII. 8. ubi speciatim de telo sive missili in bellis usitato accipitur, quem significatum si hic accommodare quis vellet, comparentur illi spiritus vel genii missilibus bellicis, ob summam velocitatem, nocendi facultatem &c. præferenda tamen videtur generalis illa acceptio missionis, quod emisit missionem, vel certam angelorum ablegatorum catervam.*

§. 19. Sixtimus ab Amama in Antibarbaro Bibl. citato, quando Enallagen non agnoscit, alia via in interpretatione procedit, & *angelos malorum* (pœnæ puta) reddit, sed eosdem bonos intelligit, & quod magis est, ipsam LXX. versionem, pro qua tanquam pro aris & focis pugnat, eundem sensum gignere, contendit: *observet*, ait, *tunc in his verbis* ἀγγέλων πονηρῶν *syntaxin rectionis, non convenientiæ.* Enim vero, constitit jam supra masculinum plurale רעים substantive positum credere, non convenire genio linguæ, unde laudatus D. Geierus: *Si de Angelis hoc accipiatur bonis, inusitato plane modo, Masculinum plurale* רעים *substantive de malis pœnæ, vel de plagis exponendum foret; cujus tamen exemplum simile indubium vix occurret.* Et ut jam de Græco Textu mittam, quod Cl. Dilherrus in Eclogis docet, p. 62. τὸ πονηρὸν *Neutrum absolute pro adversitate sive de re mala usurpari, in N. T. inusitatum esse, nec in LXX. interpretum versione probari.* Rationes plures adsunt, qui difficulter versionem Textus Græci ita admittunt. Sane insignis ille Anglorum Philologus Crit. S. p. 268. πονηρὸν, ait, *potius de persona, quam de re dicitur, significat aliquid amplius quam* κακὸς, *nempe eum, qui sit in omni scelere exercitatus & ad injuriam cuivis inferendam, totus comparatus.* Inconveniens quoque genitivus substantivi geminus, quem quod sensus vel usus sit ambigui, tantopere fugiunt Græci, ut vel præpositionem, vel si non aliud, articulum interponant. Observarunt hæc omni elogio dignissimi Philologi, Beza, Drusius, & optime Franciscus Gomarus, quando inscriptionem S. Evangeliorum in præpositione examinarunt.

§. 20. Sarta tecta nunc manet laudatissima B. Lutheri Versio, quam Orientalium reliquarum consensus, contextus, rerumque analogia probant, manet angelus exterminator malignus. Illud nunc restat, quod cum in singulari המשחית exterminatorem nominasset Moses, in plurali מלאכי רעים plurimos malignos spiritus, ingentem spirituum catervam משלחת Psalmista observarit. Enim vero accurate, ut solitus est, hæc conciliat B. Dannhauerus Hermeneut. S. Sect. 1. Art. 11. Can. 22. p. 86. *Singularis numeri vocibus*, inquit, *Scriptura S. quandoque collectam multitudinem vel totam etiam speciem exprimit, adde* המשחית *percussorem, h. e. conferta turba vastatorum angelorum.* Conf. laudatus supra Sennertus de Idiot. Sect. III. Can. 44. Glassius Philol. S. lib. III. Tract. 1. Can. 22.

§. 21. Nolumus vero prolixiores esse in vindicando loco Sap. 17: 3. in quantum ille Mosis verbis inservit, sufficiat adjungere verba Riveti in Exod. 11: 29. qui addit Sap. c. 18: 11. ac fatetur: *Si auctor esset* θεόπνευστος, *dicerem eum hæc habuisse ex divina revelatione, quæ Moses silentio obvelavit. Non enim est incredibile, exterminatores angelos se eorum imaginationi videndos exhibuisse, aspectu terrifico, stricto ferro, imminentes, iisque causam mortis denunciasse.* Agnoscimus testimonium Apocryphum, non tamen omnino nullum, utpote Canonicorum auctoritate stipatum.

§. 22. Illud quoque omittendum non est, quod tantopere animadvertunt interpretes, divinæ justitiæ adversum non esse, malorum spirituum, utut nominis gloriæque divinæ hostium, ministerio uti, hoc vero ita intra terminos continere, ut ne latum unguem quidem à diabolo extendi queat. Observat illud Musculus Comment. in Psalmos, & approbant Doctores alii. Auctor sane mortis diabolus audit Sap. 2: 24. potestatemque mortis habens Ebr. 2: 14. sed voluntate potentiaque DEI restrictam, ut sine ejusdem permissione homines lædere nequeat. Id quod in genere omnipotens Dei regimen super diabolum, exercitusque infernales, probat, notabilis illa Angelo perditori facta inhibitio cum Exod. 12: 23. tum 2. Sam. 24: 16. notata, confirmat. Cum vero in impios, superstitiosos præprimis ac idololatras, ipsosque dæmonum cultores vindicta divina animadvertit, diabolo ejusque sociis exsecutio traditur, ut carnificum instar pœnas peccatorum meritas infligant. Lubet in hanc rem audire Doctorem Adamantium, vel quisquis demum libri auctor est, in Jobum Comment. lib. 1. *Ob hoc venisse dicitur diabolus, tanquam angelus mortis, tanquam angelus pœnas irrogans atque expectans, quando illi, qui pœna digni sunt ei tradantur & deputentur pœnæ atque perditioni: sicut ille de quo dicitur, tradere ejusmodi Satanæ in interitum carnis* 1. *Corinth.* 5. *Sicut etiam illi, de quibus dictum est, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare* (2. *Tim.* 4.) *omnes enim facinorosi, infide-*

infideles, impii, injusti; isti omnes malignis atque pessimis diaboli angelis traduntur, ac deputantur illis de quibus dicitur: misit in eos iram indignationis, immissiones per angelos malos. Quæ argumento nobis sunt, quam severa in superstitiosos DEI judicia sint, ut dæmoni etiam in eosdem multa permittat. Operæ pretium est, audire, quanta in Ægypto idololatria viguerit, horrenda adeo, ut non modo Israëlitis meliora doctis, sed & cultioribus gentibus abominationi fuerit. Conqueruntur de eo Patres passim & idololatricam Ægypti caliginem detestantur, unoque ore Ægyptios omnium gentium superstitiissimos, primosque, qui errori, quo simulacra colerentur, fenestram aperuerint, incusant. Conferri eo potest Tertullianus lib. adversus Judæos c. IX. lib de Spectaculis c. VII. Origenes lib. V. contra Celsum, Gregor. Nazianzenus Orat. 34. & Orat. 39. in S. Lumina, ac quos eo citat Scholiastes Billius, Clemens Alex. in Adhort. ad gentes, Eusebius lib. II. Præpar. Evang. l. 1. Demonst. Evang. Legi merentur, quæ scribit Doctissimus Vir Caspar Peucerus de Divinat. Tit. de Θεομαντεία p. 119. b. *Nec ulla fuit gens amentior & stolidior, nulla in DEUM contumeliosior idololatriæ superstitione, quam Ægyptia, quæ eo dementia progressa est, ut non tantum diaboli terriculamentis & imposturis, sed & de terra nascentibus rebus Numina assumeret cæco furore, alliaque & cæpas veneraretur, & fœdissimas bestias, ut simias, in honore haberet ac pretio, tanquam peculiaria Numina, & formidaret has atque extimesceret, concepta ex occasionibus levissimis inanissima trepidatione, cultuque prosequeretur divino, & offendi vetaret, sique offenderentur, placaret, delinitas solennibus sacrificiorum ritibus.*

§. 23. Sed ad primogenitorum percussorem redeamus, & quæ Patrum de eodem ex Exodi Psalmique locis sententiæ sint, videamus. In his primo loco ponimus Origenem inter Patres Ebraica facile doctissimum, qui etsi Homil. IV. in Exodum, immediatam DEI operam in plaga decima asserere visus sit, quando dicit: *Illa non minus intuenda mihi videtur observatio, cum quædam verbera Aaron inferre dicitur Pharoni vel Ægypto, quædam Moses, quædam vero ipse Dominus.* Et de plaga decima ita commentatur: *in decima vero finis & perfectio operis à Domino ministratur. Factum est enim circa mediam noctem & Dominus percussit omne primogenitum Ægypti* &c. Attamen præterquam quod isti in Pentateuchum Commentarii parum probent, & exosa plane sit Ruffini versio, observante Riveto Crit. S. lib. II. c. 12. Dallæo, de scriptis suppos. Ignatii & Dionysii Areop. c. 40. seqq. exclusive illud haud asseri, ipse Origenes libris omnium Criticorum suffragio probatis, testatum facit, lib. VI. contra Celsum. n. 19. Ed. Basil. Postquam enim iniquissimus fidei Christianæ illusor, Celsus gentilis, omnem Patrum de Satana doctrinam ex Ethnicorum de bello Deorum dogmatis haustam esse, criminaretur, eaque ratione Titanum atque Gigantum contra Deos bella mystica antiquiora celebrasset, ita respondit Origenes: *Vide annon iste, qui nobis impium errorem impingit, ut ænigmata male intelligentibus, ipse manifeste fallatur, non intelligens, quod Mosaicæ literæ multo antiquiores vel Heraclito, vel Pherecyde, vel Homero, etiam narrant de malo illo, qui è cœlo est expulsus. Nam serpens ille, à quo Pherecydes ille suum denominavit Ophioneum, qui fuit in causa, ut primus homo è Paradiso ejiceretur, sub ænigmatum in volucris tale quiddam significat, ostenta divinitatis & potioris conditionis spe, decipiens fœminam, quæ secum maritum quoque traxit in eandem perniciem.* (Gen. 3.) *Quin & exterminator ille in Mosis Exodo, quis alius esse potest, quam is, qui consilium suum secutos præcipitavit in interitum, quod solet facere non resistentibus ipsius malitiæ.* Habemus sane consentientem nobis Origenem de exterminatore Satana ex Mosis historia. Plura cupis de Psaltis dicto, quod mali angeli corripientes fuerint. In eandem sententiam scribit Origenes lib. VIII. contra Celsum: *Testatur divinorum hymnorum fidicen, quod tristiores Dei judicis sententias exsequantur quidam mali angeli, ubi dicit, immisit in eos iram furoris sui.* Nec silentio involvenda sunt, quæ habet de exterminatore angelo. περὶ ἀρχῶν lib. III. de contrariis potestatibus, ubi palmaria de diabolo utriusque fœderis loca adducturus, nostrum iisdem accenset ex Exodo XII. *Quis est*, emphatice quærit, *qui Exterminator angelus dicitur?*

§. 24. Hactenus audivimus Origenem, cui nunc adjungimus Gregorium Nazianzenum, quem antiquitas ob merita nominavit Theologum. Verba ejus ex versione Latina damus ex Edit. Jacobi Billii, cum Græca non fuerint ad manus. Ita vero Theologus historiam citat, ut Oratoris instar sacris inspersis subinde moralibus, eandem tractet. Facit huc Orat. 41. quæ est I. in Pascha: *Heri agnus mactabatur & postes ungebantur, luxitque primogenita Ægyptus, ac nos præteriit Exterminator angelus, ac signaculum formidabile & venerandum, preciosoque sanguine protecti sumus.* Audio, dicis, Exterminatorem, sed nondum malum, quem asserat Gregorius. Imo vero, licet non expresse, asserit, quod antiquissimus Scholiastes Græcus Nicetas, observat. *Nos*, inquit, *præteriit exterminator diabolus, qui primos bonos animæ nostræ partus, velut primogenita quædam opprimero contendit. Et signaculum, quod pretiosi sanguinis perfectione constat, dæmoni quidem exterminanti, propter vim suam & potentiam, formidabile: venerabile autem propter dignitatem & excellentiam, utpote regium.* Et post pauca: *pretioso ipsius sanguine obsignati, exterminatorem Satanam effugimus.* Iterum de plaga hac disserit Nazianzenus Orat. 42. in Pascha II. *Postrema & persecutionibus gravissima, nocteque profecto digna plaga, ac cogitationum suarum actionumque primogenita luget Ægypptus (quod & semen Chaldaicum sublatum atque oppressum scriptura vocat & puerulos Babylonios ad Petram allisos & solutos) atque clamore & vociferatione apud Ægyptios omnia personant, ac tum à nobis illorum exterminator secedet, unctionis metu ac reverentia.*

§. 25. Eleganter sane Gregorius in historia transitus Domini typum & antitypum conjunxit. Scilicet typicum illum agni Paschalis sanguinem, ejusque valorem, tantum quidem, qui Satanam exterminatorem detinere & pellere potuerit, notat Gregorius & ulterius explicat Nicetas. Unde illi inferunt, majorem sanguinis Christi virtutem, qui cordis postibus illitus, violentam dæmonum catervam fuget penitus & tantum non deterreat. Quæ typi & antitypi ratio calculum omnino meretur. Sane eruditissimus ille Gallus Petrus Daniel Huetius auctor est, gentiles quoque sacram hanc postium illinitionem observasse & in cultum suum aliquid inde deduxisse, Demonstrat. Evang. Propos. IV. c. III. p. 111. *Statuæ*, inquit, *Mercurii præ foribus domorum ponebantur ad arcendos fures, unde* στροφαῖος *dictus est, à cardine nimirum januæ &* προπυλαῖος. *Quam etiam ob causam* σῶκος *appellatur ab Homero, hoc est juxta Hesychium & Phurantium,* σωσίοικος, σώοικος, *domorum servator. An quod suadente Mose & jubente, domorum postes ac superliminaria sanguine asperserunt Judæi, atque ita majores natu filios à transeuntis Domini cæde prohibuerunt.* Qui nunc aliorum consensum facile obtinet, cum notum probatumque sit, ab Israëlitarum religione ad suam multa protraxisse Ægyptios reliquosque gentiles, quidni solennem hanc actionem & formidabilem eventum observarint? Recenset Deos Ethnicorum Ostiarios Tertullianus lib. de Corona Militis cap. 3. *Christianus nec januam suam laureis infamabit, si norit quantos Deos etiam ostiis diabolus adfinxerit, Janum à janua, Limentinum à limine, forculum & Cardum à foribus & cardinibus, & apud Græcos Thyreum Apollinem & Antelias dæmonas.* Vid. idem Tertull. de Idol. c. 15. Scorpiacon adversus Gnosticos, Cyprianus de Idol. vanitate.

§. 26. Ad Patrum autoritatem æque provocant, qui negativam tuentur, citantque inter alios Augustinum, valde tamen hac in re dubium, imo nobis magis assentientem. Quod certe latere non potuit Sixtinum ab Amama, quapropter fatetur: *non se expedit. Adeo multa sibi objicit.* Utrumque sane locum de malis angelis interpretatur Hipponensis Præsul, *Si ea*, inquit, *quæ mirabiliter de creaturis facta sunt, malis angelis tribuere non audemus, habemus quod eis tribuere sine dubitatione possumus, mortes pecorum, mortes primitivorum & obdurationem &c.* Sic postquam quæst. 17. in Josuam de notabilibus illis Crabronibus quæstionem moverat, quod fuerint, dicit, *Dæmones seu occulti aërii spiritus, quod in Psalmo 77. dicit: per angelos malignos.* De reliquis, quos allegant, Theodoretum, Euthymium, alios, cum ad manus non sint, dicere non possumus. Sufficiet, nec Patrum, sed antiquissimorum, sed Ebræa doctiorum, autoritatibus nos destitui.

§. 27. Nullus dubito, operæ pretium nunc fore, audire fabulas, quas ex historia vera otiosa hominum ingenia confinxere. Ita quid Talmudici de Samaële suo, de Typhone Ægyptii, aliique plus quam superstitiosi mente concipiant, percipiamus, indeque quantum veræ historiæ fabulæ atque commenta debeant, cognoscamus.

§. 28. Primus in scenam prodeat stygius iste Judæorum modernorum Samaël, cui uti omnes extra populum Judaicum gentes subjiciunt, ita Ægypti quoque infortunia, suo adscribunt. Probatum illud supra fuit consummatissimorum Theologorum

logorum pariter ac Philologorum, Scherzeri atque Dannhaueri auctoritate, quam nobis hic in Hodosophia, ille in Systemate Theologico reliquit. Spectabimus vero Acharonticum monstrum, quod ita depingunt Thalmudistæ Cod. עבודה זרה c. 1. fol. 20. b. lin. 4. Ed. Amstel. מלאך המות שכולו מלא עינים בשעת פטירתו של חולה עומד מעל מראשותיו וחרבו שלופה בידו וטיפה של מרה תלויה בו כיון רואי אותו מזדעזע ופותח פיו הוצקה לתוך פיו ממנה מת ממני מסריח ממנה פניו מוריקות: *Angelus mortis oculis plenus est & hora discessus animæ ægroti, stat ad cervicalia ejus, stricto gladio in manibus, unde gutta fellis dependet. Ex quo ægrotus ipsum videt, trepidat, & os suum aperit, in quod ei guttam illam infundit. Ab illa gutta moritur, fit putridus & facies ejus flavescit.* Confer. Buxtorff. Synag. Jud. cap. 25. Lex. Talm. pag. 1185. Dannh. Hodosophia supra cit. qui ex libro Chasidim. n. 1145: refert, בשהכלבים רואין מלאך המות בוכים *canes cum vident angelum mortis, flent*, & ad locum Exod. 11: 7. provocare testatur. Eruditiores mythice hæc exponere de morte, mortisque acerbitate, scribit B. Scherzerus System. Theol. Loc. XIX. Talmudico huic monstro prudentiorum gentilium evocator animarum similis ferme est, quem ita delineat Tertullianus lib. de Anima, cap. 53. postquam de eadem in agone constituta disseruerat, *tum*, inquit, *enunciat, quæ videt, tunc exultat aut trepidat, prout diversorii sui paraturam sentit, de ipsius statim angeli facie, evocatoris animarum.* Schol. Pamelius: *alludit*, (ultimis verbis) ait, *inprimis ad Platonem in Phædone: sic narrant, inquit, quod unumquemque mortuum cujusque dæmon, qui vivum sorte obtinuit, ad quendam locum ducere aggreditur, ubi congregatos judicare oportet* &c.

§. 29. Sed redimus ad Judæorum evocatorem animæ, quem variis adeo nominibus insigniunt, ut nunc מלאך המות *angelum mortis*, nunc שר העולם *seculi principem*, סמאל *Samaelem* אשמוריא שירה vel שמדון *dæmonem Asmodæum* & quæ alia sunt monstri nomina, in auctoribus allegatis passim obvia. Munia vero ejus quænam sint, Lightfootus Horis in Joh. 12: vers. 31. notavit ex Bemidbar Rabba fol. 277. 4. *Cum lex daretur, adduxit Deus angelum mortis & dixit ei* העולם כולו ברשותך *totus mundus est in potestate tua, excepta tantum gente hac (Israëlitica) quam elegi mihimet ipsi. Dicit R. Eliesar filius R. Jose Galilæi, dixit angelus mortis coram Sancto Benedicto: Ego creatus sum frustra in mundo: Respondet ei Sanctus Benedictus, ego Te creavi, ut sis advertens* (משכל) *super nationes mundi, excepta tamen hac natione super quam non datur Tibi potestas.* Habes hic rationem cur שר עולם angelus mortis dicatur, quem salvatorem ἄρχοντα τοῦ κόσμου vocasse, Lightfootus vult. En vero quam sibi sapiant verpæ, quando suam gentem à communi omnium populorum lege eximunt. Audi ulterius somnia illorum, quæ ex libro Zohar antiquissimo notant R. Salom. in Chel. Risch. fol. 215. col. 4. prout ea recenset Exc. Dn. Dassovius in Diatribe de Resurrect. mortuorum ex sententia Judæorum cap. VI. p. 174. המתי' בא"י מתים ע"י שחיתה ובסכין בדוק והמתי ב"חל מתים ע"י סמאל בסכין פגום ונקי' נבלו' ועל הראשוני' נאי' יחיו מתיך ועל השני נבלתיי יקומון יש": *Qui moriuntur in terra Israël, moriuntur per mactationem & cultrum probatum sive bonum, qui autem moriuntur in terra extranea, moriuntur per Samaëlem, (diabolorum principem) & cultrum fractum, appellanturque cadavera. De prioribus dicitur vivent mortui tui, de alteris autem, cadavera mea resurgent in Esaia* (cap. 26: 19.) Non itaque est quod miremur, cum omnes omnino extra se gentes in toto terrarum orbe Samuëlis gladio adjudicent Judæi Ægyptiorum quoque primogenita eidem adscribant, utpote quos extra se gentes, imo omnium gentium pessimos agnoscunt & profitentur.

§. 30. Quod si nunc quæras, qualis sit Talmudistarum Samaël, bonus an malus? Constitit jam ex coloribus, quibus eum depingunt angelum mortis atque diabolum paria facere. Audi facinora, quæ in ipso notant Judæi, ex ungue leonem cognosces. Tradit illa Lightfootus ex Pirke R. Eliesar c. 13. *Serpens quæcunque opera patravit & verba loquebatur, ea non nisi ex suggestu Samaëlis egit & locutus est.* Salomonis peccata, instigante Dæmone facta clamant Bemidb. Rabb. fol. 244. 17. *cum peccavit* כיון שחטא טרדו אשמדאי (*Salomon*) *impulit eum Asmodæus.* Quid multa? expressis verbis diabolum, diabolorum principem eundem vocant Gittin. fol. 68. 1. אשמודאי מלכא דשידי *Asmodæus Rex dæmoniorum.* Elle Haddeb. Rabba fol. 302. סמאל הרשע ראש כל הסטנים הוא *Angelus Samaël improbus est princeps, omnium satanarum: angelus mortis* ὁ κράτος ἔχων τοῦ θανάτου τουτέστι ὁ Διάβολος Ebr. 2: 14. Lightfoot. Hor. in Luc. 11: 15. in Joh. 13. pag. 805, 1088. Buxtorff. Lex. Talm. Rad. סמא Gerson Widerlegung des Juden Talmuds cap. 36. pag. 308, 309. der Engel des Todes ist niemand anders als der Teuffel: der schwartze Teuffel ist der Engel des Todes/ welcher den Leuten die Angesichter verderbet und sie zum sündigen reitzet.

§. 31. Atque hæc de angelo mortis Judæorum commenta, quanta quanta etiam sint, ita tamen arrisere Muhammedanis, ut ambabus ea arripuerint, digna, quæ fidei suæ insererent. Non pigebit recitare ineptias, quas tradit ex illorum monumentis Eduard. Pocokius Not. Miscell. cap. VII. pag. 242. *Ad angelum mortis referimus angelos exploratores Arabum sive Muhammedanorum, sunt illi* ملاكان اسودان ازرقان *duo angeli nigri, lividi, specie horrenda,* Moncar & Nacir, *qui mortuum in sepulcro erectum, sedere jussum, & quid crediderit & quid de Muhammede senserit, interrogatum, si recte responderit, suaviter dormire, ipsiusque ossa molliter cubare jubebunt. Sin minus, gravius cruciabunt, malleorum ferreorum inter aures impressis ictibus, quorum dolorem ingentibus testabitur clamoribus, quos audituri sunt* من بين المشرق والمغرب *quotquot inter orientem sunt & occidentem, præter homines & genios, deinde terra eum comprimere atque recte habere usque ad resurrectionem jubetur.* Sane vel hoc manifesto indicio est, Rapsodicam illam Muhamedanam & detestandam fidem ex Talmudicis & aliis gerris Siculis vanioribus commentis, consarcinatam esse, quod ubertim demonstratum ivit Hottinger. HE. Part. 1. cap. 4. Ita quicquid de angelis Moncar & Nacir garriunt, magnam partem originem debet Judæis; quibus percussio Moncar & Nacir est חבוט הקבר & angeli mortis opus, Elias in Thisbi, videatur Buxtorff. Lex. Talm. Rad. חבט, ubi & ex R. Meir tradit: *gravius est* חבוט הקבר *judicium judicio Gehennæ, quoniam etiam qui plane justi sunt & filii principum & abortivi eo judicantur, excepto eo, qui moritur in vespera Sabbathi & in terra Israëlis.* Ecce semper habet, quod sibi servet Judæus Apella, nunc gentem, nunc terram Israëlis. Facit huc laudatus Dn. Dassovius Diatr. cit. pag. 180. ex Rabbi Salom. in Chel. Risch hæc referens מי שמת בחוצה לארץ ונקבר שם שתי מיתות יש בידו כי תחלה הוא מת על יד מלאך המות כמו שאמר בספר הזוהר ואחר כך בהקברו שם הנה הארץ ההיא שהיא תחת ממשלת השרים העליונים שהן מן כח הקליפו' הטמאות יש לו עונש אחר קראוהו ר"זל חבוט הקבר שזהו ענין יקרה לנפש מצד המסר נופה לקבר טמא כמוהו ולזה אמר יעקב ליוסף אל נא תקברני במצרים כי זה נאמר על שני הענינים הנזכרים כי ינצל מן הרע וישיג הטוב באומרו ושכבתי וכו': *Qui mortuus est in terra extranea & ibi sepultus, duplicem mortem sustinet. Primo enim moritur per angelum mortis, sicut traditur in libro Zohar & deinceps dum ibi sepelitur, ecce terra illa, quæ principum supremorum imperio subjacet, qui sunt ex vi testarum immundarum (prognati) sustinet adhuc pœnam aliam, quam vocant Rabbini nostri p. m. percussionem, quæ evenit animæ, quia corpus ejus sepulcro immundo illi simili inclusum est. Propterea dixit Jacob ad Josephum: ne quæso sepelias me in Ægypto, quia hoc dicitur de duabus rebus memoratis, quoniam eripiendus erat è malo & assecuturus bonum, dum dixit, & cubabo* &c.

§. 32. Pergimus nunc ad Ægypti fana, cujus incolæ pœnam DEO olim dederunt; ubi quid Coptitarum sacra historiæ Mosaicæ debeant, cognoscemus. Profecto uti fabulis indulget Ægyptus, ita sacram illam de divina vindicta historiam somniis suis adeo involvit, ut in tenebrarum caligine palpare verum quærenti eveniat. Ut vero breves saltem lineas de istorum gerris ducamus, cum prolixam fabulam integram adducere, justo longius & à nostro proposito alienum foret, ea dabimus, quæ de primogenitorum clade idololatria sibi servavit. Recenset ea felicissimus Ægypti antiquitatum indagator Johan. Baptista Casalius Romanus, de Veteribus Ægyptiorum Ritibus cap. 25. pag. 45. *Ægyptios in lucernis colendis cæteris religiosiores dicit Herodotus lib. II. Is enim cujusdam diei festi solennissimi apud Ægyptios meminit, qui festus dies accensio Lucernarum dicebatur, quod noctu sub dio, per universam Ægyptum Lucernæ sale imbutæ, oleo plenæ, elychno quam optime instructæ accenderentur: eaque luce Luciferum Solemque Orientem attingerent.* Et postquam aliorum opiniones de Vulcani sacris aut Osiridis inquisitione adduxisset, pag. 46. suam ponit: *At si divinare licet de hoc festo lucernarum, ab Ægyptiis culto lacrymis atque ploratu, dicerem in memoriam illius necis actum, quam* DEUS *ad abducendos filios Israël, primogenitis Ægyptiorum quorumcunque tam hominum, quam brutorum ipse attulit: tunc enim Pharao,*

Pharao, Rex sub media nocte, totaque Ægyptus luctu & lacrymis conspersa, è strato surgentes, accensisque lucernis necatos filios lamentabantur, filiosque Israël exire compellabant de terra Ægypti ut Exod. 12. Etenim potuit fieri, ut is primogenitus Pharaonis, qui mortuus est, Osiris appellaretur, nam de Osiride Ægyptio loquuntur omnes. Et præterea festus hic dies lucernarum, quod in plenilunio celebraretur, testis est Apulejus lib. II. Quemadmodum & exitus filiorum Israël ex Ægypto plenilunii tempore in Martio contigisse, sacra tradidere oracula.

§. 33. Certe non sine fundamento ita conjicere licuit, quando non solum luctus planctusque in media nocte pristino illi in Mosis Exodo, respondet, sed plenilunium quoque utrinque observatum est. Neque vero de Osiride primogenito regio res adeo difficilis est, cum testis sit Jacobus Pamelius in Tertull. *Patrem & filium Osirides extitisse.* Eo adducit Eusebium de Præparatione Evang. lib. II. cap. 1. Hæc habet Pamelius in Tertull. lib. de Corona Militis cap. VII. *Asserunt Ægyptii regnum aliquando obtinuisse Saturnum, qui ex Sorore Cybele in uxorem ducta, Osirin & Isin genuit, aut ut plurimi dicunt, Iovem & Junonem, hos, quinque Deos procreasse ajunt: Osirin, Isin, Typhona atque Apollinem & Venerem.* Et post pauca: *quæ verba ea de causa adducere libuit, ut concordia ineatur inter Lactantium lib. I. cap. 21. Lucanum ac alios, qui Osirin Isidis filium, & Diodorum ac eos, qui Osirin Isidis maritum ac fratrem tradiderunt, cum priores de filio, posteriores de Patre loquantur. Meminit certe Osiridis filii, Tertullianus lib. I. adv. Marcionem: Sic & Osirin, quod semper sepelitur & in vivis quæritur & cum gaudio invenitur, juxta illud Lucani: Numquamque satis quæsitus Osiris.*

§. 34. Nullum quoque dubium est, festum hoc idem esse cum solenni Ægyptiorum laceratione, quâ Osiridem à Typhone discissum luctu, lacrymis atque vulneribus quærebant & invento gestiebant. Ipse Casalius illud negare non potest, quando auctorum testimonia adesse fatetur. Profecto Joh. Henr. Ursinus plurimam festi hujus solennitatem horrendo illi, tempore exitus Israëlitarum luctui adscribit in Quæstionibus Biblicis, quod adeo placuit Cl. Hermanno Witsio Rerum Ægyptiacarum doctissimo, ut Ursinum ea in parte Abenephio atque Kirchero præferret, in Ægyptiacis lib. II. c. 14. §. 18. Meminere Patres festi illius diei, in his Tertullianus quem diximus, Gregorius Nazianzenus Orat. 39. in S. Lumina: *Nec Osiridis lacerationes (quæ etiam calamitas apud Ægyptios religiose colitur) nec Isidis infortunia, atque hirci Mendesii ipsis venerabiliores, nec Apidis præsepe, h. e. Vituli Memphitarum.* Scholiastes Græcus Nicetas: *Osiris ac Typhus uti fabulantur Ægyptii, contrarii inter se Dii sunt, ac Typhus Osiridem discerpsit. In cujus calamitatis memoriam Ægyptii festum peragentes seipsos lacerant, atque honoris ipsius causa in luctu versantur.* Ejusdem festi solennia describunt ex Julio Firmico B. Geierus de Luctu Ebræorum cap. 8. §. 5. Dion. Vossius de Idololatria lib. 1. cap. 27.

§. 35. Haud equidem diffitemur Ægyptios varie de Osiride & Typhone suo, solennibus item hactenus memoratis, loqui, atque Solem, Lunam, Aquam & nescio quæ plura, sæpe subintelligere, luminum æque nunc ortum, nunc occasum, nunc Eclipsin, æstumque maris. Enim vero auctor est laudatus Witsius, fraudi nobis hæc non esse, Ægypt. lib. II. cap. IV. §. 19. *Notandum primam, quam habemus Ægyptiorum Theologiam mere historicam fuisse, fabulis interpolatam, quarum cum puderet posteros, sensim cœperunt mysticos significatus ei affingere.* Fidem sibi conciliat auctoritate Eusebii, ad quem provocat, lib. I. cap. 9. Præparat. Evang. cum pergit, *judiciose infert Eusebius, totam θεοποιΐαν, Numinum consecrationem, non nisi mortuorum fuisse: quicquid autem arcanioris Physiologiæ inesse creditur, id postea ab otiosis hominibus fuisse confictum.* Iterum lib. III. cap. 3. §. 13. auctorem alium citat: *Nicolaus Abrahamus, Mussiponti Sacrarum literarum interpretes è Soc. Jes. totius fabulæ originem judiciose detexit Phar. lib. VIII. c. 3. Ægyptii,* inquit, *res Ebræorum, à quibus in suam gentem non mediocris redundabat infamia, si non penitus abolere potuerunt, saltem fabulis & mendaciis obscurare conati sunt.*

§. 36. Antequam vero Ægyptum relinquamus, Typhonem istum Osiridis fratricidam notamus. Est ille Typhon, cujus significationem Vossius ex Plutarcho docet: ἁπλῶς ὅσον ἐϛὶν ἐν τούτοις ἄμετρον ἢ ἄτακτον ὑπερβολαῖς ἢ ἐνδείαις. Τυφῶν προσνέμοντες, *simpliciter quicquid in his non tenet modum, ac ordinem sive excessu sive defectu, id Typhoni tribuimus.* lib. 1. cap. 5. de Idolol. idque ostendit lib. II. cap 75. sqq. tum alibi idem constat, quando Said Ibn. Patrik. historicus Arabs in descriptione destructionis Turris Babylonicæ, ita scribit: فبعث الله عليهم ريحا عاصفا وكان ريح طوفان *Immisit Deus in eos ventum procellosum & fuit Typhon ventus.* Quæ adducit Seldenus de Diis Syris Syntag. I. c. 3. Verum si vetustiora idololatriæ Ægytiacæ monumenta consulas, dæmonem adeo adversum Typhonem vocant, eidemque necem Osiridis, primogeniti Ægyptiaci, imputant. Conferatur eo Tertullianus lib. de anima, & in eum Pamelius, qui eo Augustinum citat. Consentientem habemus doctissimum Witsium lib. II. cap. 12. *Typhon ab Ægyptiis non tam pro Deo habitus est, quam pro Cacodæmone.* Atque hæc de Samaële & Typhone, quantum excidio Ægyptiaco debeant, nobisque inserviant, facile constat.



M. JOH. FRID. STAPELN DISSERTATIO De Vocula Man ad Exod. XVI: 15.

IN NOMINE JESU!



APud omnes sane recte sentientes constat, non omnino tempus illos frustra terere, quod Scripturæ Divinæ rectius intelligendæ in dictionum singularum, earum præprimis, quæ non habent in Scriptura S. socium, accuratam cognitionem impendunt. Neque etiam (*ut graviter & verè scribit Plur. Reverend. atque Magnif.* DN. *D. Hülsemannus, Theol. de Ecclesia* DEI *insigniter in de indebitæ div. gratiæ applicatione ad convers. præclaro tractatu Disp. III. q. III. d. 16. §. 2. quisquam Orthodoxorum Theologorum dogmata fidei* (addimus nos, pace tamen Magni illius viri, & alia multa Spiritus S. eloquia) *perspicua esse dixit cuivis pagano primo intuitu Biblia inspectanti, vel ad primum auditum dicti cujusdam Biblici; sed perspicua esse, ajunt, intelligenti linguas, adhibenti interpretationis media, postulanti illuminationem mentis à Spiritu S. per preces, non occupato præjudiciis & falsis interpretationibus, ut passim apud ipsos videre est.* איש יהוה Martinus Lutherus de se, ac quibus in transferendis Bibliis usus est, sociis suis expresse & ingenue fatetur, *quod duas ac tres hebdomadas, imo Mensem integrum vocabulum aliquod quæsiverint, nec tamen quandoque repererint*, elegantissima Epistola de Ratione Interpret. Experiuntur certe adhuc hodie Linguarum sacrarum scrutatores, sat copiosum spicilegium ipsis superesse post veterum Messem. Neque enim de nihilo est illa Hieronymiana ἀξιομνημόνευτος γνώμη; singuli sermones, Syllabæ, apices, puncta in divina Scriptura plena sunt sensibus. Haut itaque rem nauci facturum me puto, si de voce ejusmodi brevem considerationem instituero, & quidem de vexatissima illa dictione מן, quæ legitur Exod. 16:15. Sit ergo, quod felix faustumque DEUS esse jubeat.

THESIS I.

VOcabulum MANNA desumptum est ex Ebræo מן הוא Exod. 16:15. Quod LXX. Interpretes verterunt Interrogative τί ἐςὶ τῦτο; Quid est hoc? Vulgatus retinuit Hebræum מן הוא & insuper addidit; quod significat, quid est hoc?

II. (a) Cæterum hic quæstio inter Philologos agitatur de vocula מן, ex qua nomen MANNA est confectum, unde scil. deducatur.

III. (b) R. *Chiskia in Comment. Libro sup. Pentateuchum, qui Chasknui inscribitur*, deducit ex Idiomate Ægyptiaco, affirmans, Ægyptiorum labro מן idem esse, quod מה in idiomate Ebræorum. *Valde hoc se mihi probat*, inquit Celeberrimus Joh. Drusius in Comm. ad loca diff. Exod. c. 27. p. 149. neque restat, nisi ut aliquis ejus linguæ peritus nos in ea sententia plane confirmet. Et post pauca, *Nihil porro absurdi*, pergit, *si dicamus Israëlitas, qui tot annos in Ægypto triverant, usos fuisse particula ejus lingua.* Hæc ille. Qui cum facit *Barthol. Mayerus Prodrom. Philol. S. part. 1. pag. 136.* cui Ægyptiaca in Mose hinc inde venari solenne & volupe est.

IV. Verum enim vero, quum Ægyptiorum lingua (pura scil. ac vetus, quæ enim hodie superat, confusum quoddam Chaos & recens est inventum, eaque maximam partem cum Græca, ex qua videtur esse deducta, quoque congruit, & peculiariter Coptica vocatur) jam tum olim ætate hujus Albonis esse desierit, satis certo hoc dici nequit.

(a) *Variæ variorum circa Vocabulum Manna sententiæ.*
(b) I. *Sententia eorum, qui ex Idiomate prisco Ægyptiaco derivant.*

V. (c) R. AbenEsra, & nonnulli alii מן nostrum Ismaëlitici sermonis interrogandi voculam esse sentiunt. Quibus nos, quod ly מן ap. Arabes per (-) sit, & de persona, non de re (quod מא facere novimus) interroget, assentiri nullo modo sinimus.

VI. (d) Ex Chaldaismo plurimos etiam derivare, testis est *Pl. Rev. atque Excell. Dn. D. Waltherus, pecul. tract. de Manna, quæst. 3. p. 17.* Verum cum Chaldæum מן per (-) scribatur non per (.) imo etiam Interrogativum Personæ sit: hinc album non meretur calculum.

VII. (e) Alii Hebræam esse vocem affirmant. Quamvis & hi non eadem conveniant sententia. *Alii* namque vocem hanc accipiunt *Pronominaliter & Interrogativè*, ut per admirationem quasi inter se dixerint Hebræi מן הוא Quid hoc (est)? *Alii* vero *Nominaliter & determinativè*, deducentes ly מן à Rad. מָנָא, quod in Kal significat, numeravit, supputavit. In Piel; paravit, præfecit, constituit. Unde his מן significabit quasi, destinatam, paratam, portionem. *Buxtorf. in Lex. p. 417.* *Alii* denique *utramque sententiam* conjungentes, & Nominaliter & Pronominaliter.

VIII. Mediam sententiam exosculantibus ex Antiquitate, tum Ebræorum Doctorum, tum Christianorum Patrum Hebraicam literaturam callentium, nulli (quantum nos quidem sciamus) calculum apposuerunt. Ex respective recentioribus vero multi, tam Judæis, *ut R. Kimchi*, cum Hebræis modernis plerisque dicente sua ætate *Lyrano sup. cap. 16. Exod.* quam Christianis, ut ex nostratibus *Lutherus ipse, Chytræus, Gesnerus, Forsterus, Plur. Rev. atque Excell. Dn. D. Waltherus tract. cit. & alii.* Ex Pontificiis *Vatablus, Pagninus, Dietenbergerus.* Ex Calvinianis, *Calvinus, Tossanus, Junius & Tremellius.* Ex Lexicographis item non pauci, quorum modo aliquot recensuimus, iisdemque superaddimus *Schindlerum, Avenarium.*

IX. (f) Eorum vero qui *Pronominaliter & Interrogativè* accipiunt, ex Recentioribus quidem sunt pauci; ex veteribus vero tum eruditis Judæis, tum Christianis Patribus multi. Ex Judæis interrogative & pronominaliter jam ante Christum natum annis ducentis sexaginta septem, juxta accuratiorem *Scaligeri, Helvici & Calvisii* calculum, LXX. Interpretes exposuerunt. Et post C. N. dimidio fere seculo *Onkelos in* Παραφρ. itemque eadem fere ætate *Josephus*, καλῦσι δὲ, *scribens lib. 3.* ἀρχαιολ. *cap. 1.* Ἑβραῖοι τὸ βρῶμα τῦτο MANNA, τὸ γὰρ Μᾶν ἐπερώτησις κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον, τί τῦτ᾽ ἐςιν, ἀνακρίνυσα. Quanquam, (ut hæc ὡς ἐν παρόδῳ adjiciamus) Philologorum nonnulli postrema illa verba: κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον, male fortassis addita esse existiment. Ex Doctoribus vero Christianis, *Origenes Adamantinus, ille Clementis Alexandrini Auditor, Homil. 7. sup. Exod.* Hieronymus paulo post medium seculi quarti clarens, non tantum *in versione* sua (cujus Autor creditur) *Latina* ad subjectum Exodi locum; sed etiam *in Tradit. Ebræis.* Itemque *Cyrillus Alex. cum Theodoreto*, qui ambo simul claruerunt paulo ante medium seculi quinti, ille quidem *lib. 3. in Joh. c. 24.* Hic vero *Q. 30. in Joh.* Hos ex nostratibus sequitur *Rungius Comm. in cap. 16. Exod.* Ex Calvinianis *Piscator.* Ex Pontificiis *Torniellus sub A. M. 2544. Num. 32. Jansenius, Episcopus Ganda-*

(c) II. *Sent. eorum qui ex Arabismo deducunt.* (d) III. *Eorum, qui ex Chaldaismo derivant.* (e) IV. *Eorum, qui ex Ebraismo deducunt. Hi in tres abeunt Classes. Alii Nominaliter, alii Pronominaliter, alii v. & Nominal. & Pronominaliter exponunt. Nominalem acceptionem ex veteribus nulli, ex recentioribus multi approbant.* (f) *Pronominalem ex recentioribus pauci, ex veteribus plures adsumunt.*

Gandavensis Com. in Concord. Euang. c. LIX. p. 382. lit. C. Quamvis, ut paulo inferius dicemus, & sententia Nominalis ipsi non adeo absurda videatur. Item *Cornel. à Lap. in Comm. sup. Exod. p. 462. lit. D.*

X. (g) Hujus vero fundamentum & Rationem annexam, quin perstringam non possum non. Etenim cum varias variorum jam nominatas recensuisset sententias, quas & ipse rejicit, sic suam sententiam profert: *Verum, inquit, LXX. Chaldæus & Noster, Philo, Josephus, Origenes, Theodoretus, Cyrillus lib. 3. in Joh. cap. 34. & passim tam veteres quam recentiores τὸ Man hu optime & genuine vertunt, Quid est hoc? Nam res tam insolita in Ebræis ciebat admirationem, ut rogarent, Quid est hoc? Idque sequentia indicant. Ignorabant enim quid esset, ubi pro, Quid esset, in Ebræo est* מָה הוּא *Mahu? Unde factum est, Man-hu, addito Nun Paragogico. Similis Paragoge litteræ* ל *in eodem Ma interrogativo est Es. 3: 15.* מַלָּכֶם *Mallachem, quid est vobis? Paragoge vero Nun est usitatior. Nun enim passim nominibus Ebræis additur, ut patet in Corban, Ischon, Schulchan, Nechustan. Denique Chaldæi pro Ma dicunt Man, i. e. Quis, quæ, quid, uti patet Daniel. 3. & 4. Sic etiam Ebræi Euphoniæ causa pro Ma usurpant Man, ut patet Psal. 60: 8. Idem convincit Responsio Mosis: Moses enim Ebræis interrogantibus Manhu? Quid est hoc? respondet: Iste est panis, quem Dominus vobis dedit ad vescendum.* Hæc ille.

XI. Sane, quæ de LXX. Chald. & Patribus dicis, ut sunt verissima, ita iis omnia & conformia semper proferres, Corneli, omnimode esset optandum. Sed quo in his es verior, eo in sequentibus absurdior. Dicis: *Ubi pro Quid esset in Ebræo est* מָה הוּא *unde factum est Man hu, addito Nun Paragogico. Similis Paragoge Litteræ* ל *in eodem Man interrogativo est Esa. 3: 15.* מַלָּכֶם*, Quid vobis? Paragoge vero Nun est usitatior. Nun enim passim Nominibus Ebræis additur, ut patet in Corban, Ischon, Schulchan, Nechustan.* Resp. Certe mihi persuadeo, Corneli, cum hæc de Nun scripsisti, apud Nonnas mentem tuam fuisse. Primo enim est fallacia non Causæ ut Causæ, dum dicis ex מָה הוּא factum est מָן הוּא per Paragogen. Nullam enim hujus derivationis causam addis, nec addere poteris. Et quod tuum Exemplum ex cap. 3: 15. Esa. attinet, illud se tuo proposito, ut cothurnus Infanti, aptat. Quæso perpende modo illud vocabulum מַלָּכֶם. An ullo modo ל potest esse Paragogicum? Tyro hujus Linguæ statim te convinceret, esse particulam præpositivam, affixo 2. Personæ כֶם & quod magis est, nonne vidisti notam Masorethicam, quæ indicat, hanc vocem מַלָּכֶם coali tam esse ex מָה לָּכֶם & ? Vix quoque persuadebis cuiquam, ל fieri litteram Paragogicam. *Secundo* iterum crassam satis committis *ignorantiam Elenchi.* Probare enim debebas, Nun paragogice addi Pronomini מה & tu loqueris de Nominibus, de quibus nullus unquam tibi litem movit.

XII. Pergis. *Denique Chaldæi pro Ma dicunt Man, i. e. Quis, Quæ, Quod, ut patet Dan. 3. & 4. Sic etiam Ebræi Euphoniæ Causa pro Ma usurpant Man, &c.* Resp. 1. Miror, si non pro cerebro lapides tibi sint, alias talia nunquam protulisses. Nullus enim Grammaticorum dicet pro מה Hebræorum Chaldæos dicere מן de מי quidem dicunt, sed de tuo מָה nihil. 2. *Falsum* esse Hebræos pro מה Euphoniæ causa dicere מן, ipse hic versus noster demonstrat, quando subjungit כִּי לֹא יָדְעוּ מַה הוּא ubi expresse habes מַה הוּא. An Tu statim nostrum Textum κακοφωνίας argues reum? non puto. 3. מן Ex Ps. 61: 8. adductum non Pronomen, sed verbum est. Sed condonanda hæc ipsa sunt, quia noster Lojolita bonus (præfiscine dicam) Theologus, malus vero Grammaticus. Plura possemus accumulare, sed speramus eum his contentum fore, & benevolo Lectori ad oculum patere, quam lubrico & carioso Ebræorum hæc Interrogatio nitatur fulcro.

XIII. (h) *Adsertive* porro *sive nominaliter* pro cibo parato, item dono sumi debere, dissuadere videntur circumstantiæ. *I. Textus. Nam quomodo poterant dicere, hoc est donum* Dei *præparatum sibi à* Deo*, aut partem suam, cum non nossent, quid esset* Manna*? rectissime quærimus cum Josia Simlero, Prof. Theol. in Schola Tigurina, Comm. in hunc locum Exod.* Et quanquam commemorante ipso, nonnulli hancce subjungant Responsionem: *Videbant hunc esse cibum, & cogebantur fateri, datum & præparatum esse à* Deo *absque suo labore, sed quia propter incredulitatem non plane agnoscebant gratiam* Dei*, mista fuit ignoratione eorum Notitia.* Ea tamen huc non quadrat, cum, ut petenti in discursu prolixioribus demonstrabimus, plurimis gravissimis succumbat χελονώοις & dubiis. Paucissimis. Quid opus fuisset doctrina & informatione Mosis, si jam tum panem illum divinitus missum cognovissent. 2. Quod ad aliquam Ebræorum nominum formam citra læsionem Grammatices non facile possit reduci. 3. Quod Radix ista in Kal nullibi præparandi significationem habeat, ex qua tamen conjugatione hoc vocabulum derivandum omnino sit, si nominaliter capiatur. Et denique 4. Quod Rad. in Piel verbaliter quidem hunc in modum sumatur; Nomen vero alias non occurrat.

XIV. Ipsæ igitur Textus Circumstantiæ & Grammaticæ præcepta hancce Ebræorum sententiam Nominalem cum respuant, in fumum abeunt omnia, quæ pro illa adstruenda alias magno numero coacervari solent.

XV. Valeat ergo I. *Convenientissima Nominis cum Re, hujusque iterum cum illo conspiratio*, quam non nemo, Vir cæteroquin edecumatæ Eruditionis, summoque honore & laude dignissimus urget, & pro opinionis suæ hyperaspiste adorat. Quis enim non videt, si in formam Syllogisticam redigatur, nobisque hunc in modum proponatur:

Quandocunque aliquod Vocabulum cum Re, & vice versa Res cum Vocabulo conspirat, tunc illud Vocabulum pro genuina sede Nominis, illius rei habendum.

Sed Vocabula, numeratum, præparatum ex Rad. מָנָה *quod in Kal est numeravit: in Piel vero præparavit,* τῷ Manna *apprime quadrant & cum Nomine conspirant. Quippe quod vere adnumerabatur Israëlitis, & divinitus præparatum & donatum erat huic populo.* E. *Illa Nomina pro nativa sede hujus Vocabuli* Manna *habenda.*

Quis, inquam, hic non videt, Majorem adeo nutare, ut omni momento Ruinam minetur? Quis non videt eam vel infinitis infringi posse instantiis; sicut in ipso conflictu, ϑεῷ συνεργῦντος fusius demonstrabimus.

XVI. Valet etiam, II. *Israëlitarum iterata appellatio.* Qui scil. (*verba sunt Autoris, cum quo jam nobis res est*) *non tantum ad primum Cibi recentis conspectum adsertive dixerunt* מָן הוּא *sed & postea, ubi ex Mose, quid esset, specialius audivissent, & rem omnem diligentius secum expendissent, ex proposito deliberato appellavit* מָן *universa ipsorum Domus.* Nam si hæc beneficio Logices Syllogismo, quamvis hypothetico h. m. includatur:

Si Israëlitæ non saltim primum ad cibi recentis conspectum adsertive dixerunt מָן הוּא*, sed & postea ex Mose meliora edocti unanimi consensu* מן *appellarunt, sequitur, quod significatio assertiva seu nominalis sit vera & genuina. Sed &c.* E.

Patebit Consequentiam adeo vanam esse, ut merito quivis paulo accuratiori Mentis obrussa eam pensitans, miretur. Taceo, quod & de antecedenti lis moveri possit non minima.

XVII. Nec est, quod existimet, oppido absurdum esse, si statuatur, Rationem impositi nominis juxta litteram acceptam, esse ab ignorantia. Nobis enim maxime, cum Jansenium, & alios quam plurimos præeuntes habeamus, illud plane non videtur. Imo accedit, quod absurdi hujus Rationes L. ipse silentii velis involvat.

XVIII. Valeat denique III. *Sapientis confirmatio. Quasi nim. is lib. Sap. cap. 16: 20. ad* DEUM *ajens; Angelorum esca cibasti populum tuum & partum panem à cœlo misisti illis sine labore; diserte sententiam probet & ostendat, cur* Manna *ita dictum fuerit? Videlicet, quia panis sit paratus, gratuito destinatus & donatus Israëlitis sine ullis ipsorum meritis, laboribus, & sudoribus.* Insuper enim habito hoc, quod liber iste omnium Theologorum consensu inter Apocryphos numeratur, distinguendum censemus inter Originem Panis, Manna dicti, & originem Vocabuli Manna; seu (ut terminis nos explicemus Philosophicis) inter *Materiale & formale*, h. e. inter rem & rei Nomen. Manna à sapiente vocatur paratus panis, non ratione formalis, neque ratione Originis vocabuli Manna, sed ratione Materialis, & quoad Originem ipsius Panis Manna dicti.

XIX. (i) Cæterum, ut missis his, tandem ad illos deveniamus, qui utramque sententiam & Pronominalem & Nominalem locum habere posse autumant. In illorum numero, ut supra diximus, est Corn. Jansenius l. c. *Man hu*, inquiens, *potest dupliciter intelligi. Primo, ut sit idem, quod, Quid hoc, scilicet est? Pro Mahu interjecta littera* ן *Euphoniæ gratia. Quem sensum in sua versione secutus est Dieu. Altero modo, ut sit idem, quod, Donum hoc, vel donum est. Nam* מָן *à*

Qq 3

(g) *Responsio ad sent. Pronominalem seu Interrogat. ubi præprimis Cornelii à Lap. fundamentum demolitur.* (h) *Responsio ad sententiam Nominal. seu adsertivam.*

(i) *Responsio ad sent. eorum, qui & Pronom. & Nominaliter exponunt.*

מָן *à verbo* מנח *derivari potest, quod donare significat, ut intelligatur populus rei novæ & non cognitæ generale nomen indidisse, vocans eam Donum,* D E I *scilicet.* Adstipulatur D. Erasmus Marbachius Comm. in h. l. מָן הוּא inquiens, *appellabatur panis iste, partim propter admirationem Israëlitarum, cum primo illum adspicerent & dicerent ad se invicem* מָן הוּא *Quid est hoc? partim quod vere est* מָן h. e. *donum* D E I. *Non enim panis est natura productus vel industria humana comparatus, sed à* D E O *singulariter datus.* Quibus cum, quantum nobis colligere licuit, facit *D. Rungius in h. l.* Verum cum, ut probatum jam dedimus, neutra harum sententiarum seorsim sumpta consistere queat, sponte etiam illas, conjunctim sumptas, locum habere non posse sequitur.

XX. (k) Restat, ut denique ultimam Autorum circa hanc vocem sententiam subjungamus. *Ludovicus de Dieu in Syriasmo Vir incomparabilis, Gramm. Lingu. Orient. p.* 142. & qui eum hac in parte sequitur *Cl. Trostius Gramm. Hebr. gener. p.* 77. *Edit. noviss. & Philologus hujus Academiæ celeberrimus, Excell. Dn. Sennertus, Præceptor noster æviternum honorandus,* censent, מָן esse Pronomen, quo de Re interrogent Syri, vice integri מנא, quod א suum omnino abjicere ostendit laudatus *Dieu* p. 145.

XXI. Quorum sententiam, cum omnium sit optima, quid obstat, quin assumamus? Sane sensum hunc, ut idiotismus Linguæ non abnuit adeo, ita confirmare videtur subjecta à Mose ratio; *Quod nescierint, quid esset;* Ideo enim ignorantes, quid hoc rei esset, cum cernerent campum albis hujusmodi granulis *instar* pruinæ obtectum, quærebant, quid hoc rei esset. *Forte etiam* (ut Simlerus in h. l.) *Interrogatio hæc ex contemptu oriebatur; promissi illis à Mose fuerant panes, quare verisimile est, plerosque expectasse, ut parati & bene cocti panes, aliunde ipsis afferrentur; cum autem viderent* M A N N A *exiguum quoddam & ignotum granum humi jacere, illud pro sua contumacia nondum forte gustatum spernebant.* Consentientes, ut supra commemoravimus, habemus quoque translationes aliorum, *Targum Onkelos* similiter & *Jonathan, LXX. senes Græcos, Vulgat. Interp.* imo ipsum *Josephum,* & alios quam plurimos absolutissimæ Eruditionis viros. Quibus annumerare non veremur *B. Slevogtium Phil. & Philolog. undiquaque, etiam post cineres celebratissimum in prælect. publ. super Euangelistas.*

XXII. Cæterum Ebræorum illud: *Non est certum, in quo non sit aliquid dubii;* si ullo in loco, sane hic quam commodissime adhiberi potest. Licet enim hæc sententia, uti in ipso Textu fundata, ita omnium convenientissima, omnium rectius sentientium calculo judicetur & pronuncietur, ei tamen non nemo sese opponit his verbis & ratiunculis: *Nam verisimile est* 1. *Syra dixisse Hebræos, qui antea semper Ebraica locuti erant? Nec* 2. *ulla Ratio aut necessitas fuit immutatæ linguæ, æque enim facile potuissent quærere de pane cœlitus dato (si mens rogandi ipsis fuit) per Pronomen Ebraicum interrogativum* מה הוא, *quam per Pronomen Syriacum* מן הוא. 3. *Nec aliud dari potest Exemplum, ubi hoc Pronomen interrogativum Syriacum in fontibus occurrat.* 4. *In Resolutione autem à lingua communi & fundamentali ad dialectum linguæ præter necessitatem non est excurrendum.* 5. *Licet etiam quandoque ap. Syros Dsecopho mutetur in* (ִ) *abjectio tamen* א *in isthoc Pronomine rara omnino est, & vix ullius exempli.*

XXIII. Atque hic Rhodus, hic saltandum. Hæc Adversariorum arma, quæ si sarta tectaque nostra alias manere debet Thesis, à nobis subruenda & demolienda. Ad (1.) ergo resp. negando Consequentiam. Judæi semper locuti sunt Ebræa, E. & hic. Omnino enim certum est, & ex sacris passim apparet S. Linguæ homines dictiones multas à Syris mutuo quasi accepisse. Exempla in scenam producere quid juvabit? Lucerna in meridie quid prodest? Ad (2.) resp. Quæ ratio aut necessitas immutatæ linguæ alibi fuerit, similiter sciscitando & documentum illud *à posse ad esse* non admittendo. Ad (3.) Resp. omnem huic hydræ malignitatem adimit sine Herculea clava vel unica instantia. Etenim יְגַר שָׂהֲדוּתָא *Jeghar Sahaduta* (acervus testimonii, ut explicant nonnulli) præter locum Gen. 31: 47. nuspiam in fontibus Hebræis occurrere, & esse nihilominus tamen citra controversiam Syra. Ad (4) Resp. concedendo, quod ab Ebræa ad cognatam linguam præter necessitatem non sit excurrendum. Sed in præsenti necessitatem cogere, cum in numerum Ebræarum vocum vix ac ne vix quidem מן referri possit, quis non videt? Ad (5) denique Resp. perpetuum ferme esse, *Dsecopho* Syrorum transire in (ִ) Abjectio vero א in isthoc Pronomine ex *Dieu* *l. c.* & aliunde satis constat. Et licet rara sit, rarum tamen quodvis non statim falsum esse optime novimus.

XXIV. De Homonymia & Synonymia, ut & de vera M A N N Æ descriptione itidem nonnulla subjungere possemus beneficio Theologiæ, sed nolumus committere μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος.

XXV. (l) Obiter hic duo evolvenda proponimus. I. *An* M A N N A *Israëlitarum fuerit idem, quod Ros Syriacus, quem definiunt* Medici & Physici, quod sit halitus, aquæ terræque calore Solis attenuatus, & in dulcem liquorem excoctus, frigore autem noctis sequentis in unum coactus, densatusque adhærescens lapidibus & herbis. Id quod affirmat *Franciscus Vallesius in lib. de sacra Philos. c.* 57. II. *An illud coincidat cum* M A N N A *Polonico, legumine illo satis noto communiter* Schwaden *vocato.* Quod posterius licet ridiculum revera sit, & evolutione vix dignum; affirmat tamen pueriliter *Corn. à Lapide in Comm. super Exod. dicitque* M A N N A *Israëlitarum fuisse simile illi, quod in Polonia, Polonis omnibus attestantibus, mense Junio & Julio noctu depluat, herbisque roris instar incumbat, quod ante solis radios cribro colligatur, excutiatur, tundatur, aqua misceatur, & pultis instar coquatur &c.*

XXVI. Cæterum utraque sententia falsa est atque insulsa, Illa equidem; Qui enim M A N N A Israëlitarum idem esse potuit cum Rore Syriaco, cum (α) hoc utantur loco Medicaminis ejusque virtus sit magis purgandi, quam alendi: At M A N N A Israëlitis non fuit loco Medicamenti, sed alimenti; non mittebatur ad purgandum & evacuandum ventrem, sed eum potius implendum, saturandum. (β) Sunt qui dubitant, num Ros Syriacus non sit aliqua gummi species, ex arboribus exsudans, aut etiam opificium quoddam Vesparum aut Apum; sed de M A N N A Israëlitico nemo unquam dubitavit, quin cum rore descenderit. (γ) Testatur Galen. lib. 6. de alimentis, Rorem Syriacum copiosissime colligi in monte Libano; Ast M A N N A suum Israëlitæ copiosissime collegerunt in Arabiæ deserto. (δ) M A N N A illud Syriacum, non quovis tempore decidit, sed inprimis Martio atque Aprili: Israëliticum vero singulis diebus per omnes XL. annos, excepto die Sabbathi. (ε) Syriacum non adeo est durum, quin potius supra linguam liquescit: Israëliticum contra fuit durum atque friabile, leguminis instar. (ζ) Syriacum non tanta decidit copia in uno aliquo loco, ut multis millibus sufficiat: Israëliticum vero copiosissime depluit, ita ut ex eo ultra sexcenta millia hominum alerentur.

XXVII. (m) Hæc vero *Cornelii à Lapid.* fere absurdior est, licet ejus quædam prodere videatur, ut ex verbis ipsius citatis patet, fundamenta. *Primo* equidem innuit, quod M A N N A Polonicum æque ut Israëliticum Exod. 16: 13, 14. depluat noctu, herbisque instar Roris incumbat, unde summo Mane ante Solis radios colligitur cribro. *Secundo,* quod sit friabile, possintque pultes exinde confici, quod proprium etiam habuit M A N N A Israëliticum. Num. 11: 8. *Tertio,* quod Sole incalescente folliculus dissolvatur, granumque inclusum excidat, quod & de M A N N A Israëlitico asserit Moses, Exod. 16: 21.

XXVIII. Verum hæc somnia sunt, quæ ut eludamus, sex modis magnam utriusque M A N N Æ diversitatem ostendemus, quorum duos priores adduxit *Magnus ille Theologus Dn. D. Waltherus loc. cit. quæst. XVI.* §. 38. *Primus* est, quod M A N N A Polonicum non plane liquescat ad calorem Solis: Israëliticum autem plane liquescebat & dissolvebatur pruinæ instar: prout quidem verbum מסס, liquefieri Exod. 16: 21. illud satis innuit, unde sub hac ipsa significatione retinetur à *LXX. Interpp. Chaldæo & Vulgato. Secundus* hic est: Polonicum includitur folliculo: Israelitarum vero erat quasi pilo tusum & sine folliculo.

XXIX. His Excell. Dn. D. Waltheri nos sequentes superaddimus diversitatis Rationes. *Tertio* igitur Polonicum nequaquam depluit, & cum rore decidit, ut sibi ex mala relatione imaginatur Cornelius. Det enim generationis leguminum in Aëre rationem? Sed generatur & maturatur vi animæ vegetativæ in aristis. *Quarto* Polonicum colligitur in Pratis, locisque humidioribus: Israëliticum colligebat Jacobi proles in deserto horrido, arido & siticuloso. *Quinto* Polonicum ipso *Cornelio* dicente, colligitur potissimum Mense Junio

(k) *Sent. eorum qui derivant ex Syriasmo.*

(l) *MANNA Israëliticarum diversum à Rore Syriaco contra Vallesium. It. à legumine nostro, quod communiter MANNA dicitur contra Cornel. à Lapide.* (m) *Sententia Cornel. à Lapid. cum ejus fundamentis itid. VI. Rationibus refellitur.*

Junio & Julio: Iſraëliticum vero depluebat continuis XL. annis. *Adhac* proprius color atque ſapor MANNÆ Iſraëlitici *Exod.* 16: 30. *Num* 11: 3. non per omnia quadrat ad Polonicum.

XXX. Atque ex his ſimul, quid ad tria fundamenta *Cornelii* ſupra poſita reſpondendum ſit, liquet. Manet igitur, quod alias Theologi in definitione MANNÆ dicere ſolent: *Fuiſſe eam ſubſtantiam ſingularem & ſupra Naturæ vires à DEO productum cibum.* Sed manum de tabula. Plura poſſemus & vellemus, niſi ſupra nominata μετάβασις nobis eſſet metuenda.

Θεῷ Δόξα καὶ αἶνος.

M. MICH. LIEBENTANTZ
DISSERTATIO
De facie Moſis cornuta ad Exod. XXXIV: 29.

כש״ש



ULpa non vacat iſte Vulgi Poëtarum Genius, quo ad aures demulcendas, & alias id Genus, blanditias, extra verum ſæpius errare amat, & eo libentius quidem, quo ſibi parum fidei haberi, minus eſt neſcius. Paſſu pari ambulare cum illo videtur Pictorum ſolertia, quibus æquam audendi quidlibet & fingendi poteſtatem Fidicen Romanæ Lyræ conceſſit. Et hi enim ſpectantium immane quantum illecebris delinituri, aut ſublituri rectius, oculos, colorum fuco illitas ſiſtunt Imagines & Tabulas, quas nec ſpeciem Perſonæ, nec rem facti veram exprimere, plus ſatis perſuaſiſſimi ſunt. Ita olim *Athenienſis Phideas, qui ſcripſit in Jovis Olympii Digito,* παντάρκης καλὸς, *Pulcher omnes adjuvans. Non erat enim ei pulcher Jupiter, ſed eis, qui ab eo amabatur. Praxiteles autem ut declarat Poſidippus in libro de Cnidio, Veneris Cnidiæ conſtruens Imaginem, fecit eam formæ ſimilem Cratinæ, quam amabat, ut adorarent miſeri amicam Praxitelis. Cum floreret autem Phryne meretrix Theſpiaca pictores omnes imitabantur Veneris Imagines ad Phrynes pulcritudinem. Sicut rurſus Lapicidæ quoque Mercurios effingebant Athenis ad Alcibiadem.* Hæc ex omnigena ſcriptorum Gentilium Lectione Chriſtianorum Plutarchus, *Clemens Alexandrinus Protreptico ad Gentes p.* 22. E. docte adnotavit. Sed vero, ſicuti de ſacris Poëtis Vanitatis illius nihil ſuſpicari licet, quippe quibus non tam Carminum ſuorum curæ erat numerus adſtrictus ſollicite, quam ut vitæ integer, ſceleriſque & doctrinæ purus eſſet Verſus, luculenter id ſingillatim illuſtrante Plur. Rever. atque Excell. *Dn. D. Johanne Meiſnero Diſput. de* θεανθρώπου *Deſcenſu ad inferos, hoc Wittebergæ Anno* 1640. *habita Cap. I.* Θ. *XV.* Sic Pictorum etiam Chriſtianorum intererat merito, non quidvis, ſacras præprimis Perſonas Hiſtoriaſque ſub quavis ad arbitrium, ſed, quoad fieri pote, ea deſcribere, quæ congrua, nec rei adverſaria, ſit effigie. Hinc fallere mihi viſi ſunt, qui immolandi à Parente Iſaaci Hiſtoriam daturi depictam, Abrahamum à tergo remotius ſtantem caput Filii poplitibus flexi, ictu gladii dejecturum violenter, collocant. Magis probata autem fuit Pictura in Eccleſiis Chriſtianorum tempore Gregorii Nyſſeni intenta, quam ex eodem Magnus *Chemnitius Part. IV. Examinis Concil. Trid. p.* 49. allegat hiſce verbis: *Procumbit ante aram Iſaac, genibus innixus circumductas ferens in tergo manus, Abraham vero à tergo pueri innixus pedum curvamine, ſiniſtram comam pueri apprehendit ad ſe trahens, declinat autem faciem ad puerum, miſerabiliter illum intuens, dextram autem gladio obarmatam geſtat, quam etiam ad cædem dirigit.* Multa tamen ibi falſa veris immiſta. Scriptura enim non ante aram procubuiſſe Iſaacum, ſed ſupra ligna altari impoſita repoſitum fuiſſe, Gen. 22: 9. expreſſe adſerit. Et quomodo genibus inniti potuit, qui colligatus fuit artubus, ad inſtar ovium quaternis pedibus vinctorum ad mactationem? Sic quippe Radix עקד, teſte Cl. Buxtorfio, adhiberi ſolet. Direxit etiam ad cædem manum armatam, non gladio ſed cultro cædendis victimis comparato, olim à ſecandis ceſpitibus Seceſpita dicto. Direxit autem non decollandi Iſaaci ergo, ſed jugulandi. Eſt enim שחט, mactare pecudem expanſam cultro in jugulum immiſſo. Perſequitur hæcce curate B. Geſner. Comment. in Gen. pag. 455. Maxime tamen omnium perplacet, quæ in Bibliis Wittebergenſibus hoc Anno Francofurti editis viſitur æri inciſa Delineatio. Parili notandus venit obelo Pictorum auſus, duodenos illos divino Flamine cœlitus animatos Apoſtolos effigiantium, quaſi Linguæ igneæ ac flammulæ Capitum eorum verticibus inſideant. Utut enim quispiam Poëtarum, *Drepanus* nempe *Florus in Exhort.* ita cecinerit:

Cum vehemens ſubito ſonuiſſet ab æthere flatus,
Fulſiſſetque omni vertice Lingua rubens.

Attamen ex jure factum eſſe Poteſtatis ad lubitum fingendi quidvis, exiſtimaverim, aut ignorantiam Ebræis frequentatæ Ellipſeos, opinionem hanc peperiſſe. Claret ſane ex Hiſtorici Sacri Actor. 2: 3. verbis, non flammas, ſed Spiritum S. ſuper unumquemque eorum ſediſſe. Conf. *B. Doct. Glaſſium Gramm. Sacra l. IV. Tr. II. Obſerv. XII. p.* 725. Et qui communem errorem deſtruit, ſuamque certiorem de Igneis Linguis ſententiam ex Textu, Ratione, Interpretum Conſenſu, nec non ex Eſ. 6. valide adſtruit *Dn. D. Joh. Henr. Urſinum Analect. Sacr. Lib. VI. quæſt.* 38. *p.* 498. Si quod autem παρέπλωμα, ſubleſtam Pictorum fidem palam reddens invenias, certe Cornuti Moſis abſurda pictura eſt. Hoc enim penicilli ſui manuumque propriarum fœtu & ſtatuarii ſimul ac pictores hactenus inſigniter ſibi perplacuere, ut Viri divini hautquaquam, niſi ſub Cornuum in vertice eminentium Biga, expreſſum repræſentari poſſe Vultum, miſere crediderint. Tanta vis eſt vetuſtatis, tamque grave conſuetudinis, etiam ſine Veritate Imperium. Quibus vero conſultis Auſpiciis rem hancce geſſerint confidenter adeo, faciles ariolari poſſumus. Conferas Vulgatam modo Bibliorum Verſionem à Concilio Tridentino ut Authenticam, egregia Contradictione, & poſtliminio à Sixto V. Anno 1590. atque Clemente VIII. Anno 1592. Pontificibus Romanis, ut Emendatiſſimam pronunciatam, & inveterati Patrocinia Erroris deprehenſurus es levicula parum. Ita enim ipſa neſcia fallere Tranſlatio Exod. 34: 29. *Et ignorabat Moyſes quod cornuta eſſet facies ſua.* Quæ, quomodo cum Fonte Ebræo conſpiret Paraphraſis, diſpiciendum nobis propoſuimus. Proinde Ἀμεθοδολογίαν, averruncaturi, negotium duobus abſolvemus Capitibus. Ut autem BENE AC FELICITER,

בהנו״א:

CAPUT I.

Nominis Moſe (משה) *adfertur Scriptio Ebraica. Vulgata. Cabbaliſtica. Expoſitio Rabbinica. Originatio. Hujus ratio. Abrabaneel refutatur. Alia Nomina Moſis adducuntur. Unde ſcriptio Moſes.*

Unde

Unde Moyses? Occurrit in V. T. μωϋσῆς. Vocem esse Ægyptiacam volunt. Negatur. Rationes adducuntur. Adversariorum rejiciuntur.

§. I. Verba ipsius Mosis Testimonium de seipso perhibentis C. XXXIV: 29. Exod. hæc sunt: וּמֹשֶׁה לֹא־יָדַע כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו בְּדַבְּרוֹ אִתּוֹ: *Et Moseh non cognovit, quod promicuisset sive resplenduisset Cutis Faciei suæ, cum loqueretur cum eo* sc. Domino. Examinaturi Vulgati non laudatam æque quam citatam modo Versionem, jure sequimur vestigia, quæ pressit ante Sanctus Spiritus. Præmittit is *Mosis* Vocem, quam Interpres Noster præter rem omittit, alibi autem interserto ὁ ψιλῷ *Moyses* scribit. Principio itaque in originem vocis nec non scriptionis illius bonitatem aliaque ansa data inquirendum erit. Ita simul de subjecto hujus constabit Sermonis. Per extentum autem huncce funem ibimus felicius, si comitem Ebræi Codicis adjunxerimus Æquipondium. Uniformiter alioquin per ipsum, immo & Chaldaicam Onceli Paraphrasin reperitur מֹשֶׁה scriptum, nisi si unicum illud *Jud.* 18: 30. excipere gaudeas, ubi eam vocem inserta, eaque suspensa litera. Nun מְנַשֶּׁה scriptam inveniri Ebræi annotant. Ajunt quippe, Gersonem recensitum ibi fuisset Filium מֹשֶׁה 1. *Chron.* 23: 14. secundum distinctionem Vulgatæ, secundum Lutherum 1. *Chron. c.* 24: 15. *Exod.* 2: 22. At cum Manassis potius quam Mosis institerit gressibus, scriptorem divinum veritum, ne ignominiosum Pietati Mosis foret, filium educasse impium, litteram paulo suspensam de industria inseruisse, ut notaretur Gerson ille oriundus ex מֹשֶׁה, qua prosapiam, ex מְנַשֶּׁה qua imitationem. *V. B. Glass. Philol. Sacr. p.* 305. Huic observationi ex prima Cabbalæ specie petitæ addo aliam ex tertia, quæ תְּמוּרָה audit. Transponunt vocem מֹשֶׁה ut oriatur הַשֵּׁם Nomen. Exponunt dein vel per Virtutem & Potentiam admirandum Mosi collatam, vel per ipsum Nomen celebre, ac magnum, quodque potens ac terribile Pharaoni fuerit & Ægyptiis. Quo de unicum illud ex *Clemente Alexandrino l.* 1. *Strom. p.* 40. verbis ejusdem recensebo. *Artapanus in opere de Judæis, refert Mosen in Custodia inclusum à Nechephre Rege Ægyptiorum, eo quod peteret, ut populus liberaretur ex Ægypto, noctu aperto Carcere, DEI voluntate egressum, cum in Regiam accessisset, dormienti Regi adstitisse & eum excitasse, eum autem eo quod factum fuerat stupefactum, jussisse Mosi ut diceret Nomen ejus qui miserat, & illum quidem, cum ad aurem se inclinasset, dixisse. Regem autem, cum audiisset, mutum cecidisse, cum eum autem Moses tenuisset, rursus revixisse.* Alias ad secundam Cabbalæ pertinet speciem, quod hisce litteris מֹשֶׁה insigniatur Grammatica R. Mosche Kichmi, simulque Autoris Nomen. *Conf. Dn. Buxtorf. Abbrev. p.* 138. Sed hæc obiter.

§. II. Ex hac uniformi Scriptione, si adscribatur potissime Exod. 2: 10. quo in Loco Moses ipse Nomini sui exponit Natales, Phæbeo illustrius Jubare apparebit, Nomen illud origine Ebræum esse & Partic. Benoni, *Extrahentem* notans, adeoque à re gesta præterita desumptum, pro מָשׁוּי Particip. Paul, *Extractum* significante, (à R. מָשָׁה quæ de Extractione ex aquis usurpatur 2 Sam. 22: 17. Psalm. 18: 16.) uti *B. Glassius Grammat. Sacr. L. IV. Tr. III. pag.* 792. *& Pasor in Etymis Nominum Proprior. pag.* 54. docte monent. Jactatum enim aquis in fiscella scirpea Legislatorum maximum, Pharaonis Filia (quam maritatam, at sterilem, idque cupidam Natorum fuisse *Clemens. d. l.* refert) intuita, extraxit ipsique Moseh nomen imposuit, ratione denominationis adjecta hac: כִּי מִן־הַמַּיִם מְשִׁיתִהוּ *quia ex aquis extraxi eum.* Aben-Esra consentit in h. l. cum ait: Forsan didicit filia Pharaonis Linguam nostram, aut quæsivit de illa. At vero diversum hic sentit Abrabaneel magni apud suos, magni apud Christianos Nominis Rabbi, qui circa A. C. 1500. floruit, obiisse autem à Davide Ganzio in Chronologia Anno mundi 5269. dicitur, quantumvis ipse se Commentarium suum in Gen. Anno mundi 5282. absolvisse adserat. Conciliationem alii indagent. Statuit autem, Nomen fuisse Mosis substantiale (העצמי) à Matre, non Regina, cum infans esset, ei impositum. Hinc Matri verba hæc proprie adscribit, ut sensus sit, eam Pharaonis filiæ dixisse, se ac domesticos suos appellasse eum Mosen, quod ex aquis extractus esset. Quin illud מְשִׁיתִהוּ non vult reddi, *extraxi eum.* Sic enim dicendum fuisset מְשִׁיתִיהוּ Verum *extraxisti eum*, sic nempe Matrem Mosis Pharaonis Filiam esse allocutam. Quam sententiam ex Abrabaneele & refert & rejicit *Christoph. Cartwrigthus Anglus in Additamentis ad Electa Thargumico Rabbinica in Exod. p.* 492. *Londini Anno M D C LVIII.* Etiamsi fundamentum Refutationis videatur lubricum quadantenus. Ait: *Certe Punctatio Vocis* מְשִׁיתִהוּ *arguit positum esse pro* מְשִׁיתִיהוּ. *Alioquin enim sic punctanda esset* מְשִׁתִּהוּ *quod ab Abrabaneele non animadversum esse miror.* Prius quod dicitur, Laudem habet. Chireck enim fulcro suo in tali casu destitui interdum, evincunt exempla עֲשִׂיתִם *feci eos Genes.* 6: 7. עֲשִׂיתַנִי *feci mihi Ezech.* 29: 3. At posterius Labem. Necessarium quippe simpliciter non erat, ut per Tzere fieret punctatio, cum plures longe habeat divina Pagina voces, in quibus parilis casus interpunxit Jod & ipsam fœminei generis notam in Chireck quiescentem, ut נְתַתִּיהוּ *dedisti eum Ezech.* 16: 19. נְשָׂאתִים *portas ea, vers.* 18. Et ubi prorsum expunxit, ut defective legamus הִכְרַעְתַּנִי *depressisti me Jud.* 11: 35. יְלִדְתִּנִי *peperisti me Jerem.* 15: 10. רִמִּיתִנִי *decepisti me* 1 *Sam.* 19: 17. Conf. *Cl. Buxtorf. thes. Gr. L. II. cap. XVII. pag.* 508. nec non Ampliss. atque Excell. *Dn. Andreas Sennertus Gram. Ebr. p.* 159. Abrabaneelem E. correcturus potiori jure videtur Cohærentiam Textus Interpretumque allegare Harmoniam, quam ancipitem Vocis punctationem.

§. III. Volunt quidem & ab aliis alia Mosi attributa fuisse Nomina. R. Aben-Ezra Ægyptiacum ejus Nomen *Monjos*, quod ipsum Mosis Nomen diversimode diversis pronunciatum Linguis putat, allegat; Quo de *Abrabaneel d. l. & Junius ad version. Tremell. cap. II. Exod. pag.* 69. consulendus. *Clemens Alexandr. Lib. I. Strom. pag.* 40. B. præter illud à Regina, duo alia eidem imposita statuit. *Clarum est*, ait, *quod prius circumciso puero Parentes aliquod Nomen imposuerunt. Vocabatur autem Joachim. Habuit autem tertium quoque Nomen in Cœlo postquam assumptus est, ut dicunt Mystæ, nempe Melchi. R. Gedalia Schalscheles Haccabala p.* 11. *b. citante Hottingero Histor. Orient. L. I. cap. III. p.* 52. plura recenset: *Pater*, inquit, *ipsum vocavit Chaber; Mater Jekutiel; Soror ejus Jether; Frater ejus Abi Zanua, Kehat nuncupavit eum Abi-Socco, Israël Schemajas, non raro scriba, quæ omnia explicationem habent allegoricam. Ægyptii vero vocarunt eum Homos.* Eadem fere allegorice exposita ex *B. Hieronymo l.* 4. *p.* 115. *Quæst. in Paral.* vid. *apud Dn. Hottinger. d. l.* Ubi & Isabar Ali, Syrus Mosis trinominis mentionem faciens, introducitur. Verba sunt: *Muse Propheta explicatur liberatus ex Aquis. Vocatus autem est die, quo circumcidebatur*, Palthiel *i. e. libera me DEUS. In Sydra Libri Paralipomenon* Jamchil *scriptum est, quod nomen in Circumcisione accepit, significat autem, regnare fecit DEUS.* Nomina isthæc cum ἀπεγραφῆς & absque specie veritatis, nec sine Autorum dissensu simul uni Mosi adjudicentur, parum de iis solliciti, merito Inventoribus defendenda relinquimus & ad nostrum מֹשֶׁה revertimur.

§. IV. Certissimis autem nobis nunc de origine ejusdem deveniendum erit ad Scriptionem *Moysis* vulgatam, atque, quonam Calculo, atrone an albo notanda sit, dispiciendum. Sequendum esse arbitror, quo nos ducit Θεοπνευσία scriptorum sacrorum, & nos falsum iri neutiquam. Simplicissime vero ex מֹשֶׁה fit Mosche vel Mose, adspiratione in ש elisa, quam nullus Character Latinus conjunctam cum alia litera habet. Fit & inde Græcum Μωσῆς, simili ratione pro Μωσχῆς ש in σ emollito, sicuti Græcis ut plurimum pronunciari solet, censente *Pasore d. l.* Hæcque scriptio perpetuo fere in Instrumento N. obtinet; ex qua procul dubio omni & Latinum *Moses* oriundum & ad ejus formam scribendum est. Et quamvis alicubi *Actor.* 7: 35. & 37. Μωυσῆς inveniatur scriptum, tamen cum in eodem capite vicibus multo pluribus legatur sine υ, conjecturari inde mihi cum *Cl. Drusio L. III. qu. LI. p.* 163. liceat, interdum lectum fuisse Μωσῆς ex Syriaco ܡܘܫܐ ac post divisa Diphthongo factum, Μωσῆς, ac iterata alteratione Μωϋσῆς. Fieri illud potuisse persuadent in aliis Nominibus Propriis variantes Codices, e. g. ubi Matth. 11: 21. legitur χοραζὶν, & χωραζὶν, & χοραζαὶμ. Marc. 2: 14. ubi diversa exemplaria legunt λευὶν, λευεὶ & λευί. V. Celeberr. Glassius *Philol. Sacr. L. I. Tr. II. p.* 128. Aut respexisse Apostolus dicendus est, (ut alibi Paulus Rom. 10: 18.) ad τὰς ο, quibus Μωϋσῆς scriptio frequentatur maxime: At vero illud vix probabile esse, edocent plura alia loca, quæ de neglecta hac observata autem Veritati Ebraicæ propinquiore Scriptura luculenter testantur.

§. V. Bene magna quidem Auctorum gravium farrago, quod non inficiamur, pro adversa nobis militat Sententia. Et militandum illis est, quamdiu sanctam, Ebræam dico, voci denegant originem. Præstant id v. *LXXII. Interpretes, Philo Judæus, de Vita Mosis l.* 1. *Joseph. l.* 1. *contra Appionem: & lib.* 2. *Antiqu. Jud. cap.* 5. *Nicol. Lyra*, ex Ægyptia-

Ægyptiaca deducentes eam Idiomate, factamque existimantes per coalitionem duarum vocum μῶ vel μῶϋ & ὑσης quarum prior Aquam posterior servatum notat. Præfatos Scriptores sequi dicitur *Clemens Alexandr. l.* 1. *Str. p.* 40. *A.* qui, *Puero*, inquit, *imponit nomen Regina*, *Moses*, *apta etymologia, eo quod eum ex Aqua sustulisset. Aquam enim Moy vocant Ægyptii, in qua moriturus fuerat expositus. Moysen enim vocant eum, qui ex aqua emersus respiraverit.* Interim, quia Interpres *Gentianus Hervetus Aurelius in Edit. Flor. M D LI.* scriptionem, contra quam pugnamur, nusquam alias observat, quin serio à Clemente fuerit adsertum, jure ambigo. Nostro seculo acriter pro Vulgata decertavit *Athanas. Kircherius Prodromo Copto*, ubi *p.* 135. ait: *Ii, qui nomen Moysis ab Hebraica voce* משה *diductum, Hebraicum esse volunt, graviter errant. Cum hanc vocem Coptam seu Ægyptiacam esse certe Sacra Scriptura clare indicet* (Exod. 2.) Pergit: *E quibus verbis clare patet hoc nomen Moysi non à Parentibus, nec ab aliquo alio ex Hebræorum gente, sed ab ipsa Pharaonis filia inditum esse: quæ cum præter Vernaculam Ægyptiam, aliam familiarem non haberet; certe inventum puerum eam Ægyptio nomine Moysen, quasi diceret, ex aquis servatum, appellasse in confesso est.* Decertavit & pro eadem, qui hunc laudat CL. Hottinger. *in Exercit. Anti-Morin. p.* 48. *& in Histor. Orient. l. I. c. III. pag.* 52.

§. VI. Liceat autem sine duum virorum horum læsione æstimare dicta, nec cito illis assentiri. Certum est, in ejus Linguæ, quam quisque excolendam commendandamque sibi sumit, multa convasari quandoque, laudem. Agit hoc Kircherius. Et ut Veterem se reperisse Ægyptiacam Linguam Lingua audaciore adfirmare queat, hinc inde munimina constipat fallacia. Arbitratur itaque speciatim Rudera Idiomatis istius in voce Mosis exstare, proindeque Ægyptiacam esse. At non tam faciles nos à nostra dimoveri patimur concepta semel sententia. Nostrum enim משה & ratione vocis & formationis cum Ebræa Lingua optime convenire, vel is videt, qui primis labris degustavit Ebraica. Cum מַיִם autem nullam cognationem habere. Quærit quidem illam *Gregorius Gregorii Francus in Lexico S. No. LVIII. p.* 65. מים ait, *in regimine* מֵי *cum Josephi Moy facile conciliatur, &* ישע *servare est.* Verum conformitatem fingit, non invenit, ut vel in centenis aliis locis. Et si ponatur aliqualis convenientia, tamen elabi possimus cum *Amama A. B. pag.* 438. & ipso *Gregor. d. l.* statuentibus, Linguam Ægyptiacam Ebrææ Matris Dialectum fuisse, admodumque ei adfinem. Loquuntur autem de antiqua Ægyptiaca, non recentiore illa Kircherii, de qua testatur *Doctiss. Hottinger.* distare eam δὶς διὰ πασῶν & vocibus & formationibus ab Ebræa. Nam ut & copioso satis Lexico Copto Arabico M. S. colligere sit, vix duo triaque exstare verba pure Ægyptiaca, quæ vel aliqua ratione cum Ebræis conveniant. Relinqueretur E. adhuc, Radicem vocis Ebraicam esse, quicquid de formatione sit. Sed nec hoc κρυσφυγέτω nobis usus est. Arbitraturus enim denominari Mosen ex consociatione Particularum à Josepho datarum, è diametro opponere sese fonti Ebræo videtur. Hic quippe dictum eum dicit, non quod in Aquis sit servatus, sed quod ex Aquis puer protractus fuerit. Huc spectat, quod non Moysen sed Monion Ægyptiis vocatum eum esse, R. Ezraides testatur atque in Libro עבודת האדמה *de Cultu terræ*, translato ex Ægyptiaca Lingua in Arabicam, itemque in Sapientum Græcorum se invenisse adserit.

§. VII. Quin etiam, quas adfert Kircherius rationes, nunquam ad amplectendam sententiam Scripturæ adversam, nos adigent. Absurdum non dices, si Pharaonis filiam sanctum quoque intellexisse Idioma dixeris. Absurdum protuleris potius, si Ægyptios & Israëlitas per tantum temporis intervallum inter se conjunctissimos vixisse & tamen alteros alterorum Linguam scivisse cum ignarissimis juxta, adfirmaveris. Interpres Ægyptius procul dubio, per quem Fratrum desideria explorabat Josephus, sane Linguæ sacræ erat callentissimus. Taceo, haud videri improbabile, Pharaonis filiam puerum Ebræum Ebræo insignire sategisse nomine. Contrarium si obtinuerit, mirum quantum vacillabit, quod ab Etymologiis nominum Adam, Eva, Kain &c. ad Antiquitatem Linguæ Eberinæ probandam, desumitur Argumentum palmarium tantum non; Id quod bene adversum Aben-Esram aliosque ursit *Abrabaneel* apud *Cartwrigthium laudatum supra pag.* 492.

§. VIII. Nec Autoritas vel Josephi, vel Philonis tanta est, ut in eorum gratiam Ebraicam veritatem deserere oporteat. Suspecti enim admodum iidem inter eruditos de Ebraismo sunt, sicuti nec Ebraice sed Græce scripserunt, ipsi quoad gentem Judæi. Nec unanimes illi sunt. Philo quippe Aquam μῶ vocat. Et ab hisce dissentit tamen Kircherius μῶϋ, vel Mooy scribens. Parvi quoque, quem magni æstimat Kircherius, pendimus Pentateuchum Coptum Vaticanum, utpote de cujus Autoritate, Ætate, Idiomate, aliisque haud injuria ambigitur. Quamvis nec ipse fortassis adversarius nobis est. Ita enim habet: *Et cum jam crevisset, introduxit eum ad se filia Faraum & factus est ei in filium, & vocavit* (ϩεμμωσης) *Nomen ejus Moses, dicens quia de* (μωσȣ) *Aqua tuli eum.* Scribit ergo Coptus Codex μωσης, ubi defensori ejusdem μωȣσης placet. Uter nobis faveat mage, in aprico est. Quod ad Targum Uzielidis, illud plus roboris adversæ sententiæ conciliare videtur. Sic vero reddit: ורבא רביא ואיית תיה לבת פרעה והוה לה הביב הי כביר וקרת שמיה משה אדים אמרת מן מוי דנחרא שחילתיה: Et adultum venire fecit ad se filia Pharaonis & fuit ei dilectus, & cum jam validus esset, vocavit nomen ejus Mosche, quia dixit, de Aqua eduxi eum. At vero non *Moyses*, ut scribit Kircherius, Jonathan hic habet, sed *Mosche*. Et unde desumserit vocabulum, מוי facile intelligitur. Nimirum, imitatus est ad amussim LXX. Interpretes, quid mirum, si & cum illis senserit? Alias suppositititium hoc Uzielidis Targum esse, CL. Buxtorf. contendit. Destructo proinde caduco hoc pariete, corruet haut difficulter, quæ hactenus eidem inclinavit nominis *Moysis* scriptio.

CAPUT II.

Verbum קרן עור פניו *versio Chaldaica. Græca. Latina. Germanica. Judæorum de Pictura Mosis Judicium. Aben Ezræ error, Libri Mesal Cadmoni futilis lusus. Vera de Cornuta facie sententia Pontificiorum consensus. Objectio ex Habac.* 4: 3. *soluta. Splendoris in facie causa. Duratio & alia adducuntur.*

§. I. QUi interrogatur, an Cornua habeat, non est tam stultus, ut Frontem suam tentet, prudenter Seneca ait. Parum abest, ut hanc stultitiæ dicam Mosi, Divino Viro impingat Vulgata. Ignorasse eum enim dicit, Faciem suam Cornutam esse. Fontem ergo, indagandum est, ut an purus fluat, hic rivulus, experiamur. Ille habet: Et Moses ignorabat, כי קרן עור פניו Quæ verba Targum Onceli ita [illegible]: ארי סגי זיו יקרא דאפוהי *quod multiplicatus erat* (ex R. Chald. שְׂגָא *crescere, multiplicari. V. Ampliss. Dn. Sennerti Chald. & Syriasm. p.* 78. *& Rabbinism. M. S. p.* 56.) *splendor sive Corona vultus ejus.* Sic & Jonathan, *quod glorificatus esset splendor aspectus faciei suæ*, qui primus alias & doctissimus octoginta Hillelis Discipulorum fuit, cuique Paraphrasin hanc in Pentateuchum *Dn. D. Helvicus Tract. de Chald. Bibliorum Paraphrasibus p.* 10. ex ea ratione adscribit, quia pleraque loca à Christianis usurpata non minus in hoc Targum, quam in altero super Prophetas, quod tamen absque Controversia Jonathani tribuitur, contra Judæos faciant, & multorum Locorum præclara Expositio ad Christianæ Religionis sensum in eo tradatur, etiamsi anno post *Magn. Buxtorf. in Abbreviat. p.* 107. supposititium contra existimet scriptum. Eodem sensu LXX. ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώτος τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *quod gloriose splenduit aspectus Cutis s. Coloris faciei ejus.* Tremell. & Junius: *Ut, ignoraret Mosche, splendidam esse factam Cutem faciei suæ.* B. Lutherus: Daß die Haut seines Angesichts glänzet. Omnes exacte, voces Ebraicas expressuri. Nam קָרַן *splendere, fulgere, radiare, coruscare, rutilare* significat. Et quia à Nominali Radice קֶרֶן *Cornu*, trahit Natalitia, merito quidem exponunt Radios splendoris instar cornuum emittere, ut *Buxtorf. in Lexico Hebr. p.* 696. in modum Cornuum Radios diffundere sicuti *D. Glass. Rhetor. Sacr. Tr. I. cap. XI. p.* 308. Ut enim Cornua ex Fronte Animalis exsurgunt, sic radii è Lumine emergere & dilatari paulatim videntur, ait *Gerhard. Tom. IX. LL. CC. p.* 910. Ita non ab Etymologia vocis tantummodo stamus, sed usum, penes quem vis & loquendi norma est, rectius advertimus, quod circa vocem hanc suadet *Dn. D. Dannhaver. Idea Boni Interpret. p.* 129.

§. II. Dissentientes quidem hic non offendimus Recutitos; tantum enim abest, ut ii nostram sententiam deserant, ut

ut indignabundi etiam rideant Nos & *exsecrentur*, *quoties Mosen in Templis nostris cornuta facie depictum vident*, *quasi nos eum Diabolum quendam esse putemus*, ut loquitur August. Steuchus Episcopus Xisamensis apud *Sixtin. ab Amama A. B. p.* 571. Cum enim ipsi omnes alias Imagines humanas, etiam ornatus gratia, fieri posse, negatum eant, nisi forte שקערורת profundas sive depressas cum R. Maimonide ridicule exceperis: (Conf. *Dn. Hotting. Juris Ebr. Leg. XXIX. p.* 41. *& L. XXXIX. p.* 51. nec monstrosam illam Doctoris sui maximi Picturam queunt melius edocti haud improbare. Attamen frustra est R. Aben Ezra, ob insignem quamvis doctrinam & sapientiam καϑ' ἐξοχὴν alioqui החכם salutatus, dum præsentem Locum in contrarium plane detorsit sensum, ratus, Mosen quadraginta dierum totidemque noctium jejunio adeo macilentum esse factum, ut facies ejus instar Cornu prorsus arida & exsucca fuerit. Refert id *Cartwrigthius l. d. p.* 443. Leve prorsus est ac futile, ne dicam quid majus, quod in Libro Ebræo משלי הקדמוני *cap.* 26. *cujus Auctor R. Isaac Filius Salomonis*, hæc verba כרן עור פניו notante *Drusio lib. I. quæst. I.* in hoc sensu, Cutis faciei ejus est Cornuta, de eo, cujus Uxor adultera, exponuntur, secundum id quod Vulgus parum pie jactitat: Cornua qui faciunt, ne Cornua ferre recusent: quodque & olim vulgatum fuisse ex Festo Pompejo conjicit *Janus Gruterus Suspicion. Lib. VIII. c.* 10. Quasi & electum Heroa ex Conjuge mœcha factum putent Cornigerum. Nolo joco stabilire jocum. Famam esse memorat *Eusebius lib. I. Demonstr. Evang. c.* 9. apud *Chemnit. part. III. Exam. pag.* 95. quod & confirmat *R. Schlomo ad Num.* 12: 1. Mosen post Apparitiones & accepta Oracula DEI Uxorem abstinuisse, & Uxorem quidem, quæ præstantissimæ formæ fuerit. Id enim ex Voce כושית Æthiopissam (rectius è regione Chusch oriundam) notante, & Zipporæ, Conjugi Mosis tributa per Gamatrajan elicitis Verbis יְפַת מַרְאֶה, *pulchra adspectu*, quæ 736. valent, R. Schlomo ibidem probat.

§. III. E Christianis solus pene Vulgatus interpres, uti jam jam monitum, à limpido Fonte discedit, quando Cornutam faciem interpretatur, secutus fortean Aquilam, qui ante verterat κερατώδης ἦν. Hunc imitati pars pictorum illiterata, quæ & in sui fidem, innocentem credulamque rapuit plebem. At proprie dicta Moses cornua non habuit. Hæc etenim deformem mage reddidissent ejus Vultum, quam nitidum. Immo parum à Monstro abfuisset divinus Vir, uti, quos descripsere uterque Bartholinus *Cap. I. de Unicornu*, Homines unicornes, & bicornes, revera Monstra naturæque defectus fuerunt. Itaque Radios duntaxat splendidissimos, adinstar Stellarum, è Facie sua emittebat, redux ad populum factus è monte, verba sunt *Dn. Mich. Waltheri Harmon. Bibl. p.* 304. Adeo, ut cum Israëlitis collocuturus imponere Velum faciei fuerit coactus, non laturis alias Fulgorem istum ac tantum splendorem radiatum. Nec nobis ipsi suo desunt calculo Papicolæ. Præfatus *Steuchus l. d.* ait: *Non habetur in contextu Ebr. faciem Mosis fuisse cornutam*, *sed radiantem fuisse Cutem. Non enim Cornua à fronte egrediebantur*, *sed & Frons & Nasus & Os & Mentum radiabant. Et mirum quod Hieronym. non considerata Veritate Ebraica non adverterat etiam quid LXX. transtulissent*, *qui bene hunc locum transtulerunt.* Fatetur idem etiam Thomas *Aquinas in 2. Cor.* 3. *Lect.* 2. *Mosis*, inquiens, *facies cornuta*, *non quod cornua haberet*, *sed propter radios quibus tota facies radiabat quasi Cornua quædam.* Fatentur illud alii. Cajetanus *Comm. in Exod. c.*34. Sixtus Senensis *Bibliothec. l.* 5. *Annot.* 116. Bellarminus *de Eccles. triumph.* 2. 4. & Jacob. Alvarez de Paz *de Vita Spirituali Lib. IV. Part. III. cap.* 25. *p.* 885. *E.* Quæ fuerit de hoc Ebraice doctissimorum Pontificiorum Santis Pagnini & Ariæ Montani Sententia, versione sua monstrat uterque, alter reddens, quod *resplenduisset*, alter, quod *promicuisset* Cutis. Cur vero ad tot Monitorum instantiam illud sibi sumere non fuerint ausi Pontifices, ut pro *Cornuta* reponerent *splendida*, jure merito mirari cum Amama lubet. Factum hoc esse vel ad Vulgatam statuminandam, vel ad defendendam Episcoporum bicornes mitras, vel ad utrumque, Rainoldus suspicatur.

§. IV. Relinquatur nobis simplicissima hæc & commoda satis Istorum expositio & porro cum *Flacio Part. I. Clav. Col.* 183. ancipites non hærebimus, qua ratione Mosi Verbum *Cornizasse* sit attributum, *num ratione splendoris*, *qui innatus cornu boum attenuato aut levigato inesse videtur*: *quod sic & Mosis facies in se quid lucidum ac fulgens*, *ex DEI familiaritate colloquioque sibi attraxerat*: *aut ideo*, *quod perinde illa flammula in pyramidem elevabatur ac desinebat*, *sicut Cornua*: *aut denique ideo*, *quia sic splendor in omnes partes se effuderit*, *ac diradiaverit*, *ut imitaretur brutorum capita*, *quæ in plures partes sua cornua effundunt.* Quod hic inest divinitatis, explicatu, mortalibus nobis, est ἀδιώατον. illud modo removebimus, quod expositæ hactenus sententiæ videtur obstare. Hab. 3: 4. (al. 4: 4.) hæc leguntur: *Et splendor ut Lux erat*, *Cornua de Manu ejus ei.* Ubi Scholia Ebraica, secundum Observationem Drusii *Lection. in h. l. pag.* 916. Pronomen *Ei* ad Mosen referunt, hoc sensu; Cornua erant ei à manu sive potentia DEI, vel, ab ipso DEO. Verum nullus de Mose hic sermo est. Vates DEUM ipsum cum majestate gloriosa Legem promulgantem devotus extollit, intelligens adeo per Cornua, quæ è manu seu à lateribus utrinque emicabant, radios splendidissimos ac lucidissimos, quibus vel ut Umbraculis totam majestatem ac potentiam suam obtegebat, ne illa in se spectata Creaturas absorberet pœnitus; uti cum *Francisc. Junio*, *D. Joh. Tarnov. Comment. in h. l. pag.* 85. sentit. Quod autem קַרְנַיִם in duali dicitur Numero, id, ut bina Mosi adfingamus Cornua statim, nondum auctoramento nobis est. Enim vero de Mose Locus iste plane non loquitur. Et quare in data Notatione Cornua DEO adscribi nequirent? Quin Canon tritus habet, apud *D. Glass. Gram. Sacr. Tr. I. Can. XXIII. pag.* 86. *Dualis terminatio non semper dualitatem in re ipsa infert*; tum quod quædam terminatione dualia sint, ubi rerum dualitas certo ostendi nequit, tum quod, qua terminationem dualia per additum adjectivum numerale, aut alia quadam ratione ad pluralitatem reducantur. Id de voce קַרְנַיִם dispalescet ex Dan. 7: 7. Et ponamus licet dualem significationem, tamen ex aliorum mente binas tabulas Legis donatas esse, interim possemus dicere; Hasque, ut ajunt, dictas ob radios, quos emittebant seu ob flammarum Pyramidalem ac tortuosam figuram. Et cum alias Lex vocetur Ignis Deut. 33: 2. *In dextera ejus ignea Lex*: rectius fortasse huc applicaveris, quam Traditioni Rabbinorum fingentium Legem à DEO scriptam fuisse in globum igneum per ignem fuscum super dorsum ignis candidi; quod *in Dissertat. de Cabbala p.* 33. refert Dn. Sennertus, Patronus ac Præceptor noster Magnus. Verum silendum hic nobis est, in causa, quæ Theologis decidenda venit.

§. V. Nihilominus, an Recutiti reapse adversentur nostræ Sententiæ, dispiciendum adhuc est; Ante enim de Consensu eorum nobis gratulabamur. At vero Cornu vel Cornua Mosi ab ipsis tributa esse, passim ejus exstant Vestigia. Ex libro דברים רבה referunt, quod Moses in Contentione pro anima sua per Sammaelem, מלאך מות auferenda, ipsum baculo suo percusserit, ut fugeret atque à se curreret retrorsum propter Schem hamphorasch; quodque postea קֶרֶן הַהוֹד *Cornu Gloriæ seu Magnificentiæ*, quod inter oculos suos erat, sumserit & excœcaverit Oculum Sammaelis. Ita in מדרש איכה ad verba c. 2: 3. *Amputavit DEUS in furore suo omne Cornu Israelis*, inter alia additur, amputasse etiam DEUM קרנו של משה דכתיב כי קרן עור פניו: *Cornu Mosis*, uti scriptum est, quod radiarit Cutis faciei suæ. Verum ex ejusmodi testimoniis vix robur accedet monstrosæ Mosis CORNUTI Imagini. Primum enim, etsi nos possimus non superciliose aut falso dictum adserere, quod in Talmud. Massech. חגיגה cap. 2. legitur, *In occidente dicunt*, *R. Meir invenit dactylum*, *comedit dactylum & abjecit granum foras*; quasi non exsiccata Ossa, sed ipsissimas rerum medullas in scriptis suis propinent: etsi etiam ejusmodi placita Rabbinica prima fronte fabulosa & ludicra existimemus; tamen iidem quoque Cortices non omni destituuntur nucleo. Plus sæpiuscule in recessu habent quam in fronte promittunt. Frangere modo nucem oportet, qui esse nucleum vult. Feliciter id sane præstitit Dn. Hackspan b. m. *in Tractatu de Usu librorum Rabbinicorum in Theologia*, *annexo Nizachon R. Lipmanni cap. II. p.* 292. *seqq.* & ex eodem Joh. Leusden *in Jona illustrato dissert. IV. sect.* 3. *& dissert. V. sect.* 2. Jam, si inquiratur in Notationem Vocis קֶרֶן curatius, deprehendetur eandem in Codice de Hominibus usurpari ad Potentiam, Virtutem, Gloriam, Fortitudinem 1. Sam. 2: 1. Job. 16: 15. Psalm. 75: 6. 11. & in specie ad Regnum, cujus Majestas in Potentia, fortitudine & robore consistit, designandum, 1. Sam. 2: 20. Jer. 48: 25. Psal. 132: 17. Conf. Flacium *part. I. Clav. Script. Col.* 182. & B. Glassium *Rhetor. Sacr. Tr. I. cap. XI. p.* 307. Quid ergo absurdi inde propullularet, si sub hac ἐμφάσει etiam Mosi adscriberetur Cornu, non tamen proprie, sed per translationem aliquam elegantem, non ex locutione Vulgi, sed Biblica, non sensu Physico, sed morali, ut exprimeretur summa Eminentia ejus ac Majestas in populo electo, cui ut Rex præerat quadantenus. Id quod in citatis locis Rabbinicis fieri, certo persuasi sumus.

Sic

Sic enim in allegata Commentatione ad Thren. & Abrahami & Isaaci, & Josephi, & Sacerdotii, & Levitarum & Prophetiæ & Sanctuarii Cornu amputatum à DEO esse perhibetur, quibus omnibus tn. physice Cornua competiisse, vesanus dixeris. Sic in Libro de obitu Mosis, quem Gilbertus Gaulmynus Parisiis edidit, hæc p. 126. habentur: *Non destitit Moses, usque Josuam invitum regio ritu in solio collocavit, ipse stans reluctanti non modo ministravit, sed & Gloriæ, quæ à DEO sibi tradita habuit*, Cornua concessit. Sensus est, quod eandem ei largitus sit Majestatem & Autoritatem, quam ipsi ex singulari Numinis divini gratia ante acceperat. Hæc pluribus docte discussa vide in Dn. Joh. Bened. Carpzovii *Schediasmate ad Nummos Cornutum Mosen exhibentes Lipsiæ Anno superiore publice proposito.* Alias *B. Franzius disp.* 13. *in Deut.* ϑ. 3. non immerito *Cornua Mosis* vocari posse censet Leges ibi Israeli expositas, quippe quibus, ceu Cornibus quibusdam, Israelitas ferit. Relinquitur itaque, haud dissentientes esse hactenus à nobis Apellas, nisi eatenus, quod alia quandam significatione, eaque tamen etiam Biblica Vocem קרן Mosi tribuant, quæ cum subordinata sit, Raditionem explicatam neque tollit, neque Mosen cornutum statim infert. Inæqualia enim Conjugata sunt, à quorum uno ad alterum argumentari non licet.

§. VI. Explorata hæc omnia cum sint, videtur tamen ex Nomismatibus MOSEN CORNUTUM repræsentantibus indubitato constare posse, Judæos, si non hodie, olim tamen faciei Cornutæ fuisse Adsertores. Meminere hujusmodi Nummi, in Anglia inventi CL. Seldenus *de Jure Naturali & Gentium Lib. II. cap. 6.* Romæ indepti Thomas Bartholinus *de Unicornu cap.* 1. Heidelbergæ oblati D. Joh. Henricus Hottingerus *in Dissertat. de Nummis Orientalium adfixa Cippis Ebraicis pag.* 136. Hic nummum æneum fuisse ait, cujus altera facies exhibuerit Mosen auribus tenus cornutum; torquatum insuper cum inscriptione torqui addita, משה, Moses; altera vero Verba primi præcepti: לא יהיה לך אלהים אחרים על פני: Non erunt tibi dii alieni coram me. Verum Nummos illos non πρωτοτύπας, immo nec ἐκτύπας vere à Judæis cusorum, (quales Artifices superioris seculi effinxerunt haud paucos, & adeo artificiose, ut improvido iis facillime possint imponere) fuisse arbitramur. Ita enim sensit olim doctissimus Anglus Seldenus d. l. & erudite id persecutus est Dn. Carpzovius in laudata Exercitatione. At ut nos cum illis idem sentiamus, persuademur inde, quod pluria id genus circumferantur, sane recentia, à Christianis quandoque efficta Nomismata. *Habentur*, ait CL. Hottinger. d. l. pag. 135. *aurei & argentei nummi, cum inscriptione ex una parte*, ישו, *Jesus, ex altera vero* משיח מלך בא בשלום אלהים אדם עשוי *Messias Rex venit in pace. DEUS Homo factus est, ut Thesei Ambrosii habet inscriptio*; *Waseriana vero*, אור מאדם עשוי חי *Lux de homine facta est Vita.* Et Dn. D. Bangius *in Cœlo Orientis Exerc.* 2. *de literarum cœlestium & anglicarum Vanitate pag.* 195. paucis abhinc Annis sibi Monetam donatam esse narrat, vario & Characterum quatuor, quibus Tetragrammaton JEHOVA constat, pulcre ornatam Schemate, quod & ibi visitur.

§. VII. Hæremus & ideo in Autoritate & antiqua Veritate istorum nummorum cum facie Cornuta Mosaica, quod seipsi reddant suspectos valde. Nam à Seldeno exhibitus, Caput Cornibus plane destitutum præ se fert, solum capillatum & crispum: Hottingerianus Cornua habet, sed Arietina, auribus tenus circumflexa, qualibus insignitus Alexander M. in Nummis æri incisis repræsentatur. Quem Dn. D. Geierus possidere dicitur, is faciem Mosis barbatam, caput capillatum & crispum, ita tamen, ut in fronte è capillis Cornua recta antrorsum protendantur, demonstrat. Adeo primum in Cornuum non conspirant figura. Postea barbara Inscriptionis distinctio omnem Antiquitatis fidem eis adimit. Ebræi namque Voces Lineæ extremas, non ita dirimunt, uti Græci, Romani aliique facere consueverunt, sed spatium, quod in linea finienda restat, istis vel dilatatis literis complent; vel dictionis, quæ sequitur, initiales litteras, unam vel plures sine punctis superflue ponunt, integra voce ad sequentem Lineam reservata. Contra hanc vero notam insigniter peccare fertur horum Nummorum inscriptio. Præterea ob Crucis Icunculam, quam in Collari expressam Nummus, non quidem CL. Hottingeri, sed Seldeni exhibet, vix structura ejus vel Usura vere Judæis attribui potest. Quam enim nefarius erga sanctam Crucem ipsis sit Animus, in aprico est. Et exposuit eum Genebrardus ad Psalm. 78: 47. ubi, *Tau Hebræorum*, inquit, *Crucis gessit Effigiem, ut apud Græcos & omnes fere Linguas. Hodie figura immutata est improbitate Masoretarum & Judæorum, ut mysterium Crucis obruerent, cujus tanto odio flagrant, ut eam non modo non scribant, sed ne nominent quidem. Quare eam circumloquuntur, ut Kimchi in Esai. c. ult. per* שתי וערב stamen & subtegmen: *quoniam hæc duo fila per modum Crucis sese intersecant.* Ubi quidem Papicola nimio Zelo percitus quoad prius duriuscule & fortean Mendacia loquitur, attamen qua posterius habet ὁμόψηφον Buxtorfium *in Abbreviat. pag.* 199. & Praxin Judæorum certissimam, uti R. Bechai *in Deut.* 30. *fol.* 220. *citante laudato Buxtorf. d. l.* R. Lipmanni *in Nizachon suo. Vide hunc Edition. D. Hakspans p.* 35. 143. & 358. Porro, Nomismatum talium aut Originem aut effabricationem Judæis haut deberi, argumento est, quod ipsi figuram Hominis in Nummo alibive protuberantem (uti supra §. II. ex Jure Ebræorum D. Hottingeri annotabamus) efformare vix audeant. Secus violaretur Undequadragesimum, inter 613. ex Lege à Rabbinis exstructa, Præceptum, cujus tenor est: *Non esse faciendam Imaginem Hominis ex quacunque re, metallis, ligno, lapide, aut aliis id genus, ne quidem ad ornatum, sicuti dicitur*: Ne faciatis mecum Deos argenteos. Exod. 20: 23. Hujus quippe ineptam expositionem R. Moses Ben-Maimon, qui tamen adsertore Casaubono & Scaligero primus inter Judæos delirare desiit, hanc suppeditat: *Vetitum est facere imagines etiam ornatus gratia, etiamsi non fiant ad* ἐπρολατρείαν q. d. Non facietis mecum figuras, *nempe argenteas, & aureas, quæ tamen ornatus gratia fiunt, ne forte per eas seducantur errantes, atque existiment, Idololatriæ causa illas factas esse. Non autem prohibitum est quicquam ornatus gratia facere, præter Hominis figuram. proinde eam non exprimunt in Ligno, calce aut lapide, idque si imago hæc fuerit protuberans, qualis esse solet figura & pictura in palatiis & illis similes: Talem, si quis fecerit, vapulat.* Verba Rabbinica vide apud Hottinger. de Jur. Ebr. d. l. His consideratis probe, Cl. Seldenus tandem suam explicat de hisce nummis sententiam; Ait autem d. l. *Christiani alicujus opus esse suspicor, fortean ideo ante secula aliquot factum, ut officiosi muneris vice inserviret ad Judæos aliquos sive demerendos, sive ad Christianismum civiliter invitandos. Nam quanquam à faciendis ornatus animive causa hujusmodi Imaginibus protuberantibus ex more eis abstinendum erat, factis tamen, modo in Venerationem neutiquam fierent, ex disciplina sua uti, adeoque dono accipere, rite potuere.* Huic judiciosæ decisioni si subscriberetur, quid opus foret, Nomismata talia pro Monstrosa Mosis Imagine tuenda acriter urgere. Quippe quæ procul dubio ex male intellecto Textu Biblico suos natales traxerunt.

§. VIII. Ad hunc vero magis enucleandum, postremo non prætermittendum est quod dicitur: Et Moses ignorabat, splendidam esse factam Cutem faciei suæ בְּדַבְּרוֹ אִתּוֹ *in loquendo ipsum cum Eo*, Ita Arias. ἐν τῷ λαλεῖν αὐτὸν αὐτῷ; Ita LXX. utrique ad verbum. Santes Latine magis; *Cum loqueretur eo*, B. Lutherus. Davon/ daß Er mit Ihm geredet hatte. Vulgata vero pro Arbitrio iterum additis & demptis Vocibus interpretatur: *Ex consortio Sermonis Domini.* Mittatur tamen, sensum forte quam Verba expressiorem dare visa. De Particulæ ב paulisper dispiciendum Versione & Valore est. Hanc Infinito præfixam, si prius illud in finitum redegeris, exponi posse Cum, quando, postquam, est in Confesso. Ista, si h. l. instituatur Expositio, hoc sensu, cum, seu quando loquebatur cum eo, Aben Ezræ gratificamur arbitranti, Faciem Mosis non radiasse, nisi durante Colloquio cum DEO; ac Velum sibi imposuisse, ne Israëlitarum nonnulli existimarent, dignitatem ejus esse diminutam, cum ad pristinam redactum formam adspexerint Vultum. Quod si autem particulam ב causalem agnoscimus, ut sit sensus, *quia* loquebatur cum eo, Vota damus Abrabaneeli ב׳ הסבה causam splendoris cupienti notari ac rationem reddi, non quare Vultus Mosis radiaverit, sed quare Moses radiare vultum suum non senserit, nempe, quia DEO arcte adhærebat, eique soli intentus erat. Obscuriusculum, fateor, est, quam arripere liceat sententiam. Aben-Ezræ contra Historiam sacram Exod. 34. contraque Paulum 2. Cor. 3: 12. seqq. pugnat Adsertio. Huic & recte sese opponit Abrabaneel, *cit. Cartwrigtho Additament. supra laudatis p.* 546. dum, velum non excogitatum esse, ait לשלא יראו העם העדר האור כי אם שלא יראו אור עצמו: *ne populus defectum Lucis, sed ne ipsam Lucem aspicerent.* Abrabaneelis vero ipsius quoque Opinio, causali acceptione ב nititur, cui in hac syntaxi vix simile reperire Exemplum est in Codice; De Nominibus alia res est, quibus cum constructa sæpicule *Propter* notasse visitur. V. omnino C. Glassium Gr. Sacr. Tr. IV. Can. 6. §. 5. & Lib. IV. Tr. I. Obs. V. p. 668. Utrumque E. sub certa conditione de-

deserimus, rati usitatissimæ illi Expositioni insistendum esse, reddendumque, Faciem Mosis radiari cœpisse, quando, cum, postquam cum DEO colloquia sacra miscuisset; sic enim nihilominus simul indigitari, quando & unde radiatio isthæc orta sit, quodque finito colloquio non illico cessarit. Cæteroquin, quo tempore tandem fulgor hic desierit in Vultu Mosaico, de eo erudimur ex דברים רבה ubi hæc recensetur inter Adamum & Mosen contentio. *Dicebat Adam primus Homo, Ego major sum, quam Tu, quia creatus sum ad Imaginem DEI S. B. Unde? Quia dictum est Gen. 1: 26. Et creavit DEUS Adamum ad Imaginem suam. Respondebat Moses, imo vero ego excellentior sum quam tu: Gloria enim tibi data rursum à te ablata fuit, quia dictum est Psal. 49: 13. Et Adam in Honore non permansit: mecum vero, quoad vixi, mansit splendor faciei, quem dederat mihi Benedictus ille. Deut. 34: 7.* Verba Rabbinica vid. ap. CL. Hackspan. p. m. in Tractatu citato p. 463. At nugæ sunt. Tacet Scriptura, taceamus ergo & nos, & ab Apellis Informationem, quam dare nesciunt, petere, nefas judicemus. Sed reliqua quæ in mentem erant prolixiori capite pertexere adhuc numero quasi & compendio dicenda sunt. Sit ergo appendicis loco

CAPUT III.

Gentilium κακοζηλία *in sacris dictis. Historiis Mendacium eorum de Mose. Bacchum volunt esse Mosen. Mosis forma exterior Turcis credita. Radiatum caput tributum diis. Principibus. Sanctis à nostris Pictoribus. Figmentum de Facie Christi, ejusque Imagine.* Μηνίσκοι *Græcorum unde. Alexander Bicornis.*

§. I. Nimirum, ex Antiquitate obscurum haud est, pleraque dicta & facta JEHOVÆ Paganos, similibus Deorum suorum expressisse, pleraque etiam ceremonias Judaicas & alia plura, emulationis prava libidine ad se rapuisse. Nec illud latet singulare Satanæ Artificium, ubi ex Veris sanctorum DEI virorum Historiis mendacissimas concinnavit fabulas, ut & DEO gloriam miraculorum suorum interverteret, & suos adseclas in Choragium produceret, quo haberet, quos DEI fidelibus posset opponere. Quod ipsum liquet in exemplo Orphei gentilitii, quem Davidem Regem, exemplo Parnassi, quem Montem Zion, exemplo Ganymedis, quem Enochum esse per omnia eruditissime declaravit *Dn. D. Ursinus Analect. Sacr. lib. IV. p. 219. seqq.* Quin itaque & hæc innotuerit Gentilismo Historia, nullus dubito. Certe de Mose exstare vestigia persuadere nobis patimur, egregium illud Mendacium Plutarchi *Lib. 4. de Sympos. c. 1.* & istius fere æqualis, Taciti *Hist. lib. 8.* narrantium; *cum grex Asinorum agrestium à pastu in rupem nemore opacam concessisset, secutum Mosen conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperuisse.* Deinde Asini effigiem, quo monstrante errorem sitimque depluerint, penetrali sacravisse Judæos adfirmantium. V. *Nicol. Fuller. Lib. III. Miscell. Sacr. cap. 8. p. 322.* Persuadere idem nobis conatur Hugo Sanfordus Theologus *de Christi descensu Lib. I.* (quem laudat *Becmann. de Origg. LL. pag. 273.*) Mosen demonstras esse Gentilitium Bacchum. Fieri itaque potuit, ut Eum Dithyrambum, bimatrem & κερασφόρον seu Cornigerum finxerit Antiquitas, non tam quod vel galea capitis Arietini figuram habuerit, vel cornua exigua patri Ammoni enata sint, sed quod vel radii de Vultu Mosis (qui ipsis Bacchus erat) relucentes Cornuum sparserint Imaginem, vel quod vocem Ebræam male intellectam male exposuerint. Speciatim Mahumedanos haud dubie aliquid inaudivisse de Splendore hoc Mosaicæ faciei persuademur ideo, quod Beidavi Scriptor Arabicus Mosen à foma exteriori descripturus, ait fuisse שריר אלאן מרה rufum valde, uti ex eodem & Roderico Ximenez Archiepiscopo Toletano *Hist. Arab. c. 5.* refert Dn. Hottinger. Hist. Orient. l. I. c. III. p. 57.

§. II. Inter alia & à radiata Mosis facie profectum morem seu κακοζηλίαν potius, Numina capite radiato pingendi putaverim. Hoc enim divinitatis signum ab ipsis æstimatum est. Quod constat ex *Pacato*, *Suetonio*, qui *in Augusto c. 94.* habet: *Sequenti nocte statim videre visus est Filium mortali specie ampliorem cum fulmine & sceptro exuviisque Jovis Opt. Max. ac radiati corona super laureatum Currum bis senis equis candore eximio trahentibus.* Idem ex Lucano liquet *Lib. 7. vs. 460.* nec non Virgilio 3. *Æneid. vs. 147.* Ubi effigies sacras divum multo manifestas Lumine visas, recensetur. Multum illud Lumen *Taubmannus in Commen. pag. 506.* deinde exponit Nimbum, qui cum Numinibus semper est. Postea, radiis ejusmodi & astris, Principum, divorum loco habitorum, Capita picta sunt, uti Julio Cæsari hunc honorem tributum inter alios Florus *Lib. IV. c. 2.* adnotavit; & Tacitus testis est, Augustum serio se in templis & effigie Numinum, præcipue Jovis per flamines coli voluisse. Mos iste devolutus ad Persarum reges quoque est. Sic enim de iis *Petrus Ravenn. Chrysologus Serm. 120. Persarum reges*, ait, *nunc radiato capite, ne sint Homines, Solis resident in figura: nunc impositis sibi cornibus, quasi Viros se esse doleant, effœminantur in Lunam: nunc varias velut siderum sumunt formas, ut Hominis perdant figuram &c.* Quod & Pictores nostri Apostolos, Virginem Θεοτόκον, ipsum Servatorem Christum, nimbo & orbiculo splendenti & radiato pingant, more à Paganis traducto fieri, *Taubmannus d. l.* censet. Cui suffragatur *Dn. D. Ursinus Acerra Philolog. L. V. Mantiss. Epigr. 5. p. 505.* quæsito licet alio fundamento: Μηνίσκους *vocant Græci*, inquit, *Lunulas illas aut Acumina, quæ capitibus statuarum imponi solebant, ne insiderent iis Aves, easque fœdarent, & conspurcarent, ut Aristophanis Scholiastes & Hesychius referunt. Causam ignorantes pectores nostri etiam pictis Imaginibus addidere tanquam Honoris insigne, cum esset manifestum imbelle Idolorum argumentum, & notaque in fronte exstans, quæ testaretur, Deos illos, ne quidem contra Avium Egeriem capita sua tueri posse.* Quamvis, quod Salvatoris meritissimi cum Nimbo depictam concernit faciem, videatur eadem aliunde traxisse originem suam. Eusebium enim referre ajunt, *Abgarum Edessenorum illum Regulum, misisse pictorem* (ὁμοιογραφῆσαι) *ad depingendam imaginem seu simulacrum Christi. Cum vero pictor ille propter Claritatem, quæ ex vultu illius resplendebat, hoc præstare non posset, Christum ipsum Vestem divino & vivifico Vultui suo admovisse, &* (ἐναπεμάξατο) *quasi abstergendo vesti imaginem suam impressisse, & Abgaro eam cupienti misisse.* At vero splendidum hoc esse splendidæ faciei Messiæ figmentum, Damasceno tribuendum, nervose docuit Magnif. Chemnitius *Part. VI. Exam. Concil. Trident. pag. 44.* De vicina huic nostræ materia, puta de Alexandro Bicorni Turcis Dul Karnaim dicto, pluscula addere, operæ non censemus pretium. Conferri possunt, qui circa hunc operose laborarunt *D. Ursinus Anal. Sacr. lib. I. pag. 50. Hottinger. Hist. Orient. Lib. I. cap. 3. pag. 73. Const. l'Empereur. Not. in Jachiad. Daniel. cap. VII. vs. 5. Schickard. in Taarich. Persic. pag. 33. Joh. Freinsheimius Commen. in Curtium lib. 4. cap. 4. num. 23. & 25. Scriptor Arabicus Beidavi ad Alcoran. p. 512. Kessæus in Vitis Patrum p. 135. Elmacinus in Historia Arabica de Alexandro pag. 146.* Rem & rei causam breviter exposuit *Clemens Alexandr. in Protreptico pag. 23. a.* Volebat Alexander, *inquit*, videri filius esse Hammonis, & Cornutus effingi à statuariis, pulchrum Hominis vultum Cornu studens ignominia probroque adficere. TANTUM.

תל"ח אב"ן:

ANDR.

ANDR. DAN. HABIKHORST
DISSERTATIO
De Mulieribus Zobheoth ad Exod. XXXVIII: 8.

בעֶ״ה אב״ר

DE
MULIERIBUS ZOBHEOTH
DISSERTATIO CRITICO-THEOLOGICA
ANTI-PAPISTICA.



Onasticen, qualis in Papatu viget, inventum plane humanum, non vero institutum esse divinum, Ecclesiæ nostræ docent: Vid. *August. Confess. Artic. 6. Abusuum §. quanquam autem.* Nec enim Christus nec Apostoli leguntur hoc vitæ genus instituisse. Doctorum quidem & Pastorum aliorumque Spiritus S. donis instructorum frequens habetur in scriptis Apostolorum mentio; nullibi v. Monachorum vel Monialium meminerunt. Prohibet Apostolus, quenquam in otio vivere, vel manducare quenquam qui non vult operari 2. Thess. 3: 10. peccat vero in illud præceptum hodiernus monastices status. Nec pauci ex ipsis sunt Pontificiis, qui monasticum vitæ genus inventum esse humanum, temporibus Christi & Apostolorum prorsus ignotum, agnoscunt & fatentur. Ita enim inter alias ipsum *Jus Canonicum* c. ad mensam 24. caus. 11. qu. 3. ex *Chrysostomo Homil. 25. in Ebr. 11.* loquitur in emendatione: οὐ γὰρ ἴχνον τότε μονάζοντος ἦν i. e. *neque vestigium tunc Monachi erat (cum Paulus scriberet: si quis qui frater nominatur) sed omnia ad seculares tunc loquebatur Paulus.* Et certe nisi inventum esset humanum, non opus fuisset ordinum monachalium confirmatione, quam à Pontificibus petierunt, nec ausi fuissent iidem Pontificii Decretalibus suis vel reprobare illos vel novorum institutionem prohibere, quod factum tamen legimus in *Jure Canon.* & quidem *sexto Decr.* c. *unico* Tit. *de religiosis domibus.* Hinc *Albertus Cranzius Phil. M.* & S. Th. Jurisque Can. Doctor. (qui testibus FCtis Philos. membranis ante 200. annos, tempore Papatus, in hac Univ. Professor Philos. dehinc v. Canonicus Hamburg. cujus laudes in Tractatu nostro de *Terrarum Mekelburgicarum & hinc sumtorum Ducalium Titulorum origine*, propediem, si Deus voluerit & vixerimus, continuando dicendi occasionem nanciscemur) ita alicubi scribere non est veritus: *quando erit finis multiplicandarum religionum in uno magno Ecclesiæ Monasterio sub Abbate Christo? Si enim regulam per Euangelia digestam strenue observaremus, nihil esset opus illis REPERTITIIS & novis religionibus. Sed sistendus est stylus, quia si exaudierint, multi consurgent in prælium paratiores contendere, quam animum ad observationem legis divinæ intendere.* Nihilominus tamen *Bellarminum l. de Monachis c. 5. §. nos ergo*, asserere non puduit, *primam vitam religiosam adeo esse antiquam, ut quædam ejus adumbratio fuerit in lege naturæ ante diluvium, major quædam expressio in lege Mosis, perfectio autem tempore Apostolorum.* Inter argumenta v. quibus *Monastices* & quidem *Monialium originem* ex scripturis conantur probare Pontificii, non postremum est, quod petunt ex loco *Exod. 38: 8.* ubi juxta Vulgatum fit mentio *mulierum, quæ excubabant ad ostium tabernaculi conventus*: has enim dicunt *Moniales* fuisse s. *fœminas voto religioso obstrictas, in cellis juxta templum habitantes & nunquam inde recedentes adeoque typum monialium hujus temporis gerentes*, ceu videre est ap. *Cardin. Baronium* in apparatu ad annales num. 53. & ap. *Cornel. à Lapide* Comm. in Exod. h. l. Quam frustra v. sint isti Romanæ sedis Atlantes ad h. l. sic provocantes, quamque nullum plane s. typum s. exemplum s. præsidium in eodem moniales reperiant, præsenti Dissert. ad prædictum Exodi locum ostendere constituimus, ita ut methodo nobis sueta *priori sectione Exegetico Critica* genuinum loci SENSUM scrutemur, & principaliter quidem *an* & *quales* fuerint *Mulieres* illæ *Zobheoth*, elucidemus, accessorie v. *specula* mulierum harummet & *labrum* illud *æneum* ex speculis confectum exponamus; *Sectione v. posteriori practica* locum hunc ab ABUSU PAPISTICO vindicemus USUMQUE orthodoxum indicemus, qui in fonte sic habet:

ויעש את הכיור נחשת ואת כנו נחשת במראות הצובאות אשר צבאו פתח אהל מועד:

A *Vulgato* a. sic redditur: *Et fecit labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.*

A *Pagnino & Aria Mont.* ita vertitur: *Et fecit concham æneam* (Ar. æris) *& basin ejus æneam* (æris) *ex* (in) *speculis convenientium* (Ar. exercentium) *quæ conveniebant* (exercebant) *ostium tabernaculi Ecclesiæ.*

A *Luthero* denique sic transfertur: **Und er macht das Handfaß von Ertz und seinen Fuß auch von Ertz / gegen den Weibern / die für der Hütten des Stiffts dieneten.**

Esto igitur (sed proposito prius nostro עם סופר מהיר optamus)

SECTIO I.

EXEGETICO-CRITICA, eruens GENUINUM LOCI SENSUM.

Sensum v. loci hujus scrutaturis tria præprimis tractanda incumbunt, (1) *Subjectum* s. *mulieres* ipsæ, de quibus præcipua hic est controversia: ubi quæritur primo de existentia, *an mulieres hic dandæ?* deinde *cur* dicantur *Zobheoth* & *quales* fuerint? (2). *Prædicatum* sc. *Speculorum oblatio*, ubi disquiritur an vox במראות reddenda sit *ex speculis* &c. adeoque *an specula hic danda* & an illa labri ænei materia, & qualia fuerint? (3) *Scopus & effectus* oblationis speculorum, qui *labrum* fuit *æneum*, ubi anquiritur, de *labri* hujus *forma, situ, fine & usu.* Quorum omnium ordine disputandorum gratia Sectionem hanc primam in totidem scil. tria partiemur membra, quibus ordine & quantum fieri potest dilucide expeditis, verus oraculi sensus satiate patebit & exinde nobis facile erit in sectione posteriori ἀνασκευαστικῶς abusum & errorem Papisticum exstirpare. Sit ergo Sectionis hujus prioris

MEMBRUM I. sistens SUBJECTUM f. MULIERES IPSAS, ubi quæritur

1. an mulieres hic dandæ, vocabulo Zobheoth designatæ?
2. cur dicantur Zobheoth & quales adeo fuerint?

§. 1. ANtequam in rem præsentem, quod dicitur, veniamus, facere non possumus quin inquiramus, an *dandæ hic mulieres, vocabulo Zobheoth designatæ?* Quæstioni enim *quid* & *quale* sit, recte præmittitur quæstio an sit? Neque v. temere ita in frontispicio quærimus: in fonte enim vox נשים f. *mulierum* non extat. Unde & litem hic nobis quæstionem affirmantibus movet celeberrima Theologorum & Philologorum nostratium biga, & (1) quidem *B. Franzius*, qui *tractatu de interpr. Script. S p.* 410. interpretationem de *mulieribus Zobheoth* plane rejicit inquiens: *in Hebræis fontibus omnino aliud dicitur, videlicet: fecit concham & basin ejus æneam, ut in ea se contueri possent scil. Levitæ; non vero è speculis mulierum, quæ conveniebant ad ostium tabernaculi, quia nec ad ostium erat singularis conventus mulierum & in textu vocabulum mulierum (quod Paginus ponit) plane abest.* Ex quibus certe verbis ejus sic satis elucescit, B. virum existentiam mulierum Zobheoth negare, dum per vocem *Zobheoth* non *mulieres* sed *Levitas* intelligit. Verum hoc interpretamentum ejus adeo durum est, ut eidem subscribere non possimus, utut ceteroqui labores ejus veneremur, neque etiam rationes, quibus id contra tot Interpretes quam oculatissimos, qui nobiscum hic de mulieribus agi censent, concludere nititur, quicquam soliditatis habent. Nam (1) *Levitarum* in textu nec quoad verba nec quoad consequentiam fit mentio: neque (2) per vocem *Hazzobheoth* propter genus ejus intelligi possunt Levitæ, cum vox הצבאות sit fœmin. gen. ceu ipsa ejus terminatio ות indigitat, de cujus etymo & emphasi deinceps. Falsum (3) ad ostium tabernaculi singularem mulierum conventum non fuisse suetum. Favet nobis contrarium sustinentibus omni luce clarior locus 1 Sam. 2: 22. qui certe ceu parallus oculo inspiciatur haut fugitivo velimus: is enim singularem omnino piarum in populo Israelitico mulierum conventum ad ostium tabernaculi fuisse testatur: Siquidem eadem vox & phrasis הצבאת פתח אהל מועד quæ h. l. extat, ibidem legitur, prætereaque nomen נשים f. *mulierum* exprimitur, cum dicitur ibid. *filios Eli dormisse* את הנשים הצבאות פתח אהל מועד h. e. *cum mulieribus illis Zobheoth ad ostium tabernaculi Ecclesiæ*, quem locum deinceps quoque circa vocem controversam *Zobheoth* advocandi occasio suppeditabitur. Nec obstat (4) quod in fonte hic nudum participium הצבאות non item vox נשים f. *mulieres* habeatur: Sufficit enim haberi aliquid æquivalens, cum hic ponatur participium plurale fœminini generis *Zobheoth* i. e. juxta Vulg. *excubantium*, vel rectius *turmatim accurrentium*, de quo infra, quod cum in Latino sexum haut distingueret, nec sequens relativum אשר haberet, quod referret, certe explicationis gratia oportuit Interpretes participio *excubantium* vel *turmatim convenientium* addere substantivum nomen *mulierum*, quod Ebræo participio Zobheoth includitur & in loco parallelo Samuelis jam laudato exprimitur. conf. *Glass. Phil. Sacr.* lib. 4. Tract. 1. obs. 5. pag. m. 625. De ceteris *Franzii* interpretamentis inferius m. 2. ad vocem במראות dicetur.

§. 2. Post Franzium (2) dubium hic quoque movet *B. Varenius* in *Decadibus Mosaicis*, ad librum *Elleschmoth*, Dec. 20. loc. 9. h. l. p. 430. ubi parcius solito hanc quæstionem tangit: licet enim Franzii sententiam l. c. non alleget neque vocem במראות cum eodem reddat *in visionibus s. ut in ea se contueri possent*, sed *ex speculis*, de quo deinceps: vocem tamen sequ. *bazzobheoth* construendam esse putat cum præced. במראות *ex speculis*, ceu adjectivum cum substantivo, hoc sensu: *ex speculis magno numero congregatis*, non v. ut substantivum cum substant. h. s. *ex speculis mulierum magno numero convenientium:* unde & ipse de mulieribus Zobheoth hic agi videtur negare. Verba ejus post recensionem trium *Munsteri*, *Vulgati* & LXX. versionum sic habent: *inquirendum tamen, ubi mulierum mentio fiat in textu & annon illud bmaroth hazzobheoth rectius reddatur: speculis magno numero congregatis, quæ coacervaverant ante tentorium conventus, ut ita non tam hic quam Exod.* 35: 22. (*ubi dicuntur venisse viri* על נשים i. e. עם נשים i. e. *cum mulieribus &c.*) *zelus mulierum laudetur, quod sc. obtulerint armillas &c.* Ceterum conjectura hoc potius quam vera Viri sententia videtur, cui obstat emphasis tum *verbi* צבא, quod significat *militare, accurrere turmatim, congregare, non congregari:* tum *participii ipsius hazzobheoth*, quod eodem positu & phrasi de personis & quidem mulieribus loco jam citato 1 Sam. 2: 22. adhibetur, & tam ibi quam hic ה demonstrativo certas personas respiciente signatur. Non obstat nobis, quod jam præced. cap. 35: 22. (addo & seqq. vers. 25. & 29.) zelus mulierum cum viris venientium & armillas aliaque luxus instrumenta libenti animo generatim ad opus tabernaculi vestesque sacras offerentium laudetur: inde enim non sequitur, quod non hoc etiam loco mulieres speciatim ad *labrum* hoc *æneum* conficiendum specula obtulerint. Cumque mulieres præcipue pro curatura capitis (uti laudatus Autor l. c. loquitur) speculis uti soleant, dubium non est, quin mulieres certatim accurrentes, non Viri, specula hæc ad sacrum labri opus contribuerint. Quid? quod præterea considerandum hic committimus, annon *præteritum* צבאו (quod immediate subjungitur *participio plur. fœm.* הצבאות h. m. אשר צבאו פתח אהל מועד) annon inquam per *plusquamperfectum*, quod perfecto includitur & per quod sæpe in scripturis e. c. Genes. 22. *compleverat*, redditur, etiam h. l. sit reddendum, ut sit sensus: *ex speculis mulierum* (magno pietatis zelo) *turmatim accurentium, quæ certatim convenerant* sc. jam ante objecto nobis 35. Exod. capite, cum sc. armillas & alia luxus & vanitatis instrumenta operi sacro consecrata cum Viris offerrent? Licet enim cap. 35. speculorum inter oblata non fiat mentio, tamen positio armillarum, æris &c. non est exclusio speculorum æneorum, quæ tandem etiam h. l. nominantur. Relinquitur e. dandas hic esse *mulieres Zobheoth*, quarum existentiam unanimis ceterorum interpp. sententia h. l. probat, qui participio plur. fœm. *Zoebheoth* addunt substantivum nomen נשים h. e. *mulierum*, uti id in loco Samuelis jam citato additum reperitur.

§. 3. Expedita sic quæstione *an mulieres* hic sint dandæ, ulterius quæritur, *quales illæ fuerint & cur dictæ sint Zobheoth?* Hic vero in longe plures sententias scinduntur Interpretes, quod ex variis illorum versionibus patebit. Nam (1) LXX. vocem quæstionis *Zobheoth* reddiderunt *αἱ ἐνήστευσαν quæ jejunarunt.* Sed in fonte nihil de jejunio habetur. *Capellus* quidem in *Crit. sacr.* conjicit LXX. hic legisse צמות (à R. צום *jejunare*) pro צבאות, & *Casaubonus* in *Exerc.* 1. *ad Baronii apparatum ad annal.* n. 53. p. 106. צמים pro צבים (fors putat צבאים). Sed frustra! Quam maxime enim differunt צמות & צבאות? videntur potius LXX. vertentes vocabulum militare per: *jejunarunt*, ad sensum s. ad *militiam spiritualem* respexisse & actionem quandam militiæ Spiritualis sc. *jejunium* (uti Chaldæus *orationem* exprimere voluisse, ut sc. sensum, sua opinione, commodius explicaret. Nam *Chaldæus* (2) vocem controversam reddit per *orare* h. m. *quæ veniebant ad orandum.* Sed nec de *oratione* quicquam in fonte extat: addidit hæc Chaldæus, ut & ipse commodius, ceu opinatus est, sensum exprimeret. (3) Vulgatus transtulit per: *mulierum, quæ excubabant in ostio &c.* Sed 1 Sam 2: 22. eandem vocem reddit *observabant.* Ad quod Vulgati interpretamentum Pontificius autor *de la Hay*, quondam Regis Galliarum Concionator Aulicus, in *Commentariis suis literalibus & conceptualibus super* Exod. h. l. p. 943. ita commentatur: *Verbum* צבא *proprie significat* militare, exercitum cogere *active*; *transfertur tamen hic ad significandum conventum mulierum, quo certatim & turmatim conveniebant ad morem turmarum militarium, ut piis & religiosis actionibus coram divino sacrario vacarent, idque eo magis genuine, quod & hæc militia quædam sit spiritualis, qua spirituales maxime inimici debellantur, itemque quod excubiarum militarium more subinde in orationibus & jejuniis dies noctesque excubarent, ut proinde noster interpres* (Vulgatum putat) *voce militari* (excubabant) *utendum censuerit, quemadmodum & in Ebræo factum videtur.* Hactenus ille, ubi

Sunt quædam creta, quædam carbone notanda.

Rectissime dicit, verbum צבא esse militare & proprie significare *militavit* &c. transferri tamen h. l. ad significandum *mulierum conventum, quæ certatim & turmatim ad morem turmarum militarium convenerint*; quod v. addit, hoc fine ipsas convenisse, *ut excubiarum militarium more piis & religiosis actionibus coram divino sacrario vacarent* h. e. (uti paulo post exponit) ut *subinde in orationibus & jejuniis dies noctesque excubarent*, in eo certe ad falsam aliorum Papistarum sententiam inclinat, qui ansam ex hac versione vulgata captarunt censendi has fœminas Zobheoth fuisse *Moniales* s. *fœminas voto religioso obstrictas*, quæ in cellis juxta templum habitantes, nunquam inde recesserint, sed subinde orationibus

bus & jejuniis noctes atque dies excubuerint; ut jam in præfatione indicavimus & seq. Sectione ad abusum loci pluribus dicturi sumus. Ceterum in fonte nihil de *excubiis*, nihil de fœminis *voto religioso obstrictis*, nihil de *nocturnis atque diurnis* adeoque de continuis habetur *officiis*; sed vox Ebræa צבא unde *Zobheoth*, (ut recte dixit *de la Hay*) significat *militare, turmatim convenire*, in Hiphil *exercitum cogere, militem conscribere s. facere*: Unde צבא notat *exercitum, turmam*. Proinde hic voce Zobheoth juxta eundem Pontificium Autorem notatur *mulierum conventus turmatim & certatim s. instar exercitus convenientium*. Reliquum v. quod dicitur, eum in finem has convenisse, ut noctes diesque in cellis juxta tabernaculum orationibus & jejuniis excubarent tanquam voto obstrictas, assumentum est Papisticum neutiquam nobis assumendum, ceu pluribus ex dicendis inferius constabit.

§. 4. Ceterum alii (4) & quidem *recentiores* non omnino nulli verbum צבא *ministerium* hic ut & alibi inferre putantes, vocem *Zobheoth* vertunt *ministrantium*, prout *Lutherus* etiam reddere voluit: welche dieneten/ adeoque *ministras* fuisse has mulieres s. *ministrantes* contendunt, quæ spreta seculi vanitate *ex singulis tribubus per vices ad tabernaculum confluere quotidie consueverint, partim ut jejuniis & orationibus aliisque vacarent, partim ut manuali opere, nendo, texendo, acu pingendo, lavando, verrendo juvarent cum opifices tum etiam tabernaculi ministros &c. quæ quidem* (ceu *Grotius* ad h. l. commentatur) *non perpetuo tunc adhæserint tabernaculo, sed aliæ atque aliæ per vices, ut & Viri, Num. 3: 25. advenerint; licet postea, cum jam tabernaculum fixo in loco, ut in Silo, hæreret, quædam ad tabernaculum adstructa fuisse ædificia, in quibus hæ mulieres, loci illius servitio destinatæ habitarent*, opinentur, fundamentum opiniones hujus suæ petentes ex 1 Sam. 2: 22. supra jam §. 1. abs nobis commendato. Conf. *Rivetus Comm. in Exod. h. l. pag. 1213. & Dn. D. Pfeiffer. in dub. vex. h. l.* ubi hanc sententiam referunt, ille quidem pluribus, hic v. paucis. Add *Poli Synop. Crit.* ad 1 Sam. 2: 22. ubi ex Mendoza eandem recenset. Eidem quoque patrocinari videtur *Dn. D. Schmidius*, dum in *Comment. super Jobum* pag. 288. ad locum Job. 7: 1. הלא צבא לאנוש (quem Lutherus vertit, muß nicht der Mensch immer im Streit seyn/ ipse v. sic transferre amat: *nonne conditio servilis homini?*) non tantum docet, verbum צבא primo significare *ministerium*, cui quis destinatus, eamque significationem l. c. obtinere, cum in sequ. versus membro *mercenarii* & sequ. vers. 2. (qui exegeticus videtur primi) *& servi & mercenarii, umbram suspirantium*, fiat mentio, sed exempli quoque loco non modo nostrum hunc, sed & illum Samuelis locum & alia adducit his verbis: *Ita sunt mulieres ministrantes* Exod. 38: 8. 1 Sam. 2: 22. *Ita Angeli in cœlis sunt* צבאות *Zebaoth* h. e. *exponente D. Apostolo, Spiritus ministratorii. Sed & sidera cœli dicuntur Zebaoth. Quis autem hic quæso bellum aut militiam cogitet? Equidem Angeli suo modo militare dici possunt &c. at sidera nullo modo possunt, nisi extraordinarium quid Deus faciat.* Ita ille: Sed liceat nobis ἄνευ προσωποληψίας candide, quid de hac sententia & interpretatione sentiamus, profiteri: servile enim viroque ingenuo semper indignum duximus, brutorum instar cœco duci obsequio & jurare in verba Magistri. Scilicet dicimus iterum, nomen צבא, testibus tot scripturarum locis inferre primo *notionem militarem s. exercituationem* (ut vetus habet glossa ad h. l. inferius §. 6. citanda) *s. proprie s. analogice tale*, non v. semper bellum formaliter: neque locum facile dari, in quo non militarem habeat respectum, si non proprie tamen analogice. Igitur & hanc *notionem militarem & exercituationem* analogice talem hoc Exodi, ut & *Samuelis* ac *Jobi* loco cap. 7: 1. retinendam esse censemus, si quidem citra absurditatem fieri potest, h. s. quod mulieres illæ instar exercitus vel more turmarum militarium magno convenerint numero & ostium tabernaculi quod obsederint, item quod homo instar militis habeat, &c. conf. Job. 14: 14. Præter necessitatem v. relicta notione militari assumitur notio servientis s. ministrantis, nondum satis probata. Quid? quod Ebræi negant, mulierum ministerio circa templum vel tabernaculum ullum fuisse locum. Conf. *D. Pfeiff. l. c.* Accedit quod tabernaculum tunc temporis nondum fuerit erectum, unde t. t. tabernaculo hujusmodi servitio nondum fuit opus. Et quis porro firmiter censuerit, has saltem mulieres tabernaculi ministerio consecratas, & non alias etiam splendidiores specula attulisse? Nonne verosimilius est mulieres has, quæ specula hic sacris usibus consecrarunt, fuisse non ministras sive plebejas sed ex primariis, quippe quæ cultui externo, cui specula inserviunt, præprimis sunt addictæ? Denique putamus fœminas, quæ nendo, texendo similique manuali opere tabernaculo servierunt, domi id commodius potuisse præstare. Nullo igitur certo nituntur fundamento, qui certum hic ordinem mulierum tabernaculo servientium comminiscuntur.

§. 5. Nec obstat (1) citatus 1. Sam. 2: 22. locus, ubi etiam *mulieres* dicuntur *Zobheoth* i. e. *ministrantes*, Luth. die da dieneten: nam & iste intelligendus commode est de *mulieribus* non *ministrantibus*, ordine sc. certo per vices, sed *turmatim* magnove numero, instar exercitus ad tabernaculi ostium orandi & sacrificandi aliaque pietatis opera exercendi gratia *convenientibus*, quas inter & puerperas fuisse, venientes ut sacrificarent & purgarentur Deumque orarent, non dubitandum. Nec obstat (2) Jobi c. 7. 1. Ponatur enim vocem צבא in immediate seqq. exponi per *mercenarium & servum, qui suspirat umbram*; hæc vero non tollunt *militarem* vocis צבא *notionem*, quam ipsa infert, uti supra dictum, quamque commodissime cum Luthero citra ullam absurditatem in loco Jobi retinemus. Quis enim negaret milites quoque *servos* dici, Germ. Kriegs Knechte/ adeoque sequens עבד, quod *servum* significat, etiam militem signare posse? Et quis ignorat, ipsos quoque milites, cum excubias agunt aut militant, vel maxime umbram desiderare i. e. vel vesperam & requiem, vel operimentum contra solis radios, vel temporis stationi suæ destinati terminum? &c. Nec obstat (3) Angelos dici *Zbhaoth*: nomen enim צבא à quo in pl. צבאים & צבאות non formaliter *bellum* sed *exercitum sive stationem militarem* significat; Quis vero negaret Angelos esse exercitus Dei, pro gloria ejus & pro salute hominum contra Satanam militantes, cum scriptura id passim testetur? De exercitibus Dei supernate & infernate conf. *B. Varen. in Decadibus Mosaic.* Gen. p. 158. & Exod. p. 109. Et unde probabitur, Apostolum ad Ebr. 1. dum angelos vocat *spiritus ministratorios*, hoc ipso nomen *Zbhaoth* sive loca, in quibus angeli dicuntur *exercitus cœli*, interpretari quasi *Zbaoth* significet *ministrantes*; & non potius illa exponere nomina & loca, in quibus dicuntur משרתיו *ministri ejus & custodes hominum, eosdem circumvallantes, manibusque portantes* Ps. 103: 20, 21. Ps. 34: 8. Ps. 91: 11, 12. Nec obstat (4) *cœli* quoque *sidera* vocari *Zbhaoth* sive צבא השמים *exercitus cœli*, Deut. 4: 19. Isai. 24: 11. c. 40. 26. Negamus enim consequentiam: sidera sunt Zbhaoth, E. bellum gerunt & militiam exercent: diximus enim nomen צבא non formaliter *bellum* sed *exercitum, stationem militarem* s. proprie s. analogice talem inferre. Quis vero neget *exercituationem* siderum? quis innumeram illorum copiam? quis ordinem & obsequium? His autem respectibus *sidera* dici *Zbhaoth* h. e. *exercitus* sc. analogice, quippe ad supernatem Dei exercitum pertinentes, quis dubitaret? Nec obstat (5) significationem *ministrantium* pro Luthero facere, cujus versioni sumus addicti. Quid enim juvat altera manu ad hunc Exodi locum largiri aliquid Megalandro, altera vero ad illum Jobi locum eidem multa auferre? Interim non putamus, Lutherum, vocem Zobheoth hic & Samuelis loco per *ministrantes* reddentem, id habuisse in mente, ut cum nonnullis certum statueret ordinem mulierum per vices servientium. Nec obstat (6) Num. 4: 23. Licet enim ibidem phrasi לצבא צבא *ad militandum militiam*, statim subjungantur voces *ministerium* significantes, sc. לעבד עבדה *ad serviendum servitium* sive ad obeundum ministerium; his tamen non tollitur nativa & famosa vocis צבא significatio sæpius jam laudata sive *notio militaris sive exercituatio*; sed tantum exponitur qualis sit militia Gersonitarum sc. analogice talis, sive functio Ecclesiastica, quæ certo etiam ordine ac tempore gaudebat: nam & Gersonitæ quendam exercitum ac ordinem ad tentorium conventus tempore peregrinationis Israelitarum, ut textus arguit, constituebant, imo & cum alacritate, diligentia & vigilantia, quæ milites ceteroqui decet, ministerium obire suum tenebantur: unde & Paulus ministerio Ecclesiæ fungi dicit bonam militare militiam. Nec obstat (7) locus 2. Reg. 23: 7. בתי קדשים ubi Lutherus: die Häuser der Huren/ die an dem Hause des HERREN waren/ darin die Weiber wirckten &c. *Domuncula* enim illæ & *mulieres* non legitimis usibus & ministeriis divini cultus, *sed abominationibus & fornicationi* potius *spirituali*, cum qua forte carnalis impudentia jungebatur, erant consecratæ, quas propterea Rex Josia l. c. destruebat. Dicuntur 2. *domus* קדשים à R. קדש *sanctus fuit*, illo sensu, quo *auri sacra fames*, i. e. *minime sanctorum, impurorum*. Nec obstat (8). Nehem. 7: 67. de *Cantricibus*: quæ enim nos cogit necessitas, ut illas statuamus Ecclesiasticas?

§. 6. Ex dictis e. satis jam apparet, quales fuerint *mulieres* hæ

hæ *Zobheoth* & cur ita dicantur? Scilicet non *moniales s. vestales*, religioso adstrictas voto, ut dies noctesque orationibus *&c.* in tabernaculo *excubarent*: neque mulieres certo ordine per vices in tabernaculo *ministrantes*; sed fœminas seculares devotas, *turmatim & certatim s. instar exercitus* accurrentes s. convenientes &c. Pro nostra v. sententia, præter *famosam* supraque expositam & confessione Scriptoris Pontificii *de la Hay* simul probatam vocis Ebrææ הצבאת *significationem*, quæ emphatice & eleganter sub *notione militari* zelum pietatis mulierum designat (à qua ut recedamus nulla necessitate cogimur) militat 1. *commodus & facilis loci sensus.* Optime enim sic cohæret textus: tempore constructionis tabernaculi ipsæ mulieres, pietatis zelo viris non secundæ neque cessuræ, turmatim & certatim instar exercitus accurrerunt & convenerunt, ut etiam specula sua, post (vel inter) alia luxus instrumenta, jam ante Exod. c. 35. 22. seqq. designata, ad labrum illud æneum ex illis conficiendum offerrent. (2) *Suffragium glossæ veteris*, quam *Casaubonus* in Exerc. 1. jam citata adducit dicens: *barbare quidem vetus glossa, apte tamen habet: circum exercituabant tabernaculum* h. e. turmatim conveniebant ad tabernaculi portam. (3) *Confessio Cardin. Cajetani* dicentis: *vox Zobheoth h. l. significat mulieres instar exercitus exercituantes: concursus enim mulierum describitur instar exercitus.* (4) *Testimonium Philonis Jhudæi* l. 3. de vita Mosis, qui locum hunc ad *mulieres Ebræas in genere, mira cum alacritate & CERTATIM, specula conferentes* refert, cujus verba vid. seq. m. 2. §. 1. (5) *Consensus Interpretum aliorum*, cum nostratium, *Glassii* in Phil. Sacr. l. 4. Tr. 1. obs. 5. *Calovii* in Bibl. illustr. h. l. *Danhaweri* l. c. *Pfeifferi* dub. vex. h. l. *Prukneri* in vindic. h. l. &c. tum Reformatorum, *Casauboni* Exerc. 1. ad appar. Baronii. *Riveti* Comment. in Exod. h. l. *Sixtini ab Am.* in Antib. Bibl. h. l. *Junii & Tremell. &c.* (6) *Rationes*: Probabile est, *numerum mulierum*, juxta Pontificios perpetuo ad tabernaculum ex voto *excubantium*, vel juxta alios certo ordine per vices tabernaculo *ministrantium*, non fuisse tantum, ut ipsarum specula suffecerint ad vas tam ingens ex iisdem conficiendum. Contra longe probabilius est, fœminas has fuisse ex primariis, uti supra ostensum, easque ex tabernaculis suis ad ostium tabernaculi conventus venisse, non v. juxta illud habitasse.

§. 7. Ab hac interpretatione nostra haut procul abeunt, qui vocem *Zobheoth* vertunt vel simpliciter: *convenientium*, ut *Pagninus*, *Glass.* & *Oleaster*; vel *exercentium*, ut *Arias Mont.* vel *militantium*, ut *Munsterus & Malvenda*; licet emphasin vocis non satis exprimant, quæ ex dictis jam constat, vel vocem in se non adeo inconvenientem ad præconceptam opinionem detorqueant, ut *Malvenda* ad militantes Deo jejuniis & orationibus, & in statione noctes diesque manentes.

MEMBRUM II.

evolvens

PRÆDICATUM s. SPECULORUM OBLATIONEM,

Ubi quær. 1. an vox במראות *reddenda sit ex speculis nec ne, adeoque an danda hic sint specula? 2. qualia fuerint?*

De mulieribus huc usque descriptis *prædicatur* h. l. (licet non explicite & totidem verbis, tamen implicite & quoad rem) quod *specula sua obtulerint*, ex quibus labrum s. concha fuit confecta, cum dicitur: *Et fecit labrum de* (ex) *speculis mulierum Zobheoth, quæ sc. ab ipsis oblata &c.* Hic iterum panditur (1) quæstio *an sint*, præmittenda quæstioni *quid* vel *qualia* sint? Ad hanc v. quæstionem denuo nobis ansam præbet *B. Franzius*, qui pariter illam negat ac supra existentiam mulierum negavit, testantibus id verbis ejus præced. M. 1. §. 1. productis, quibus ita locum vertit: *& fecit concham æneam, ut in ea sc. contueri possent sc. Levitæ, non v. è speculis mulierum, quæ conveniebant ad ostium.* Eodem fere tendit *B. Lutherus*, dum vocem במראות, quæ aliis significat speculum, per gegen reddit. Ex quibus adeo patet, quæstionem hanc primam, *an specula hic sint danda*, alia niti, vel expediendam hic simul esse quæstionem illam, *quomodo sc. vox* במראות *sit reddenda*? & quidem (1) an vertenda *de* vel *ex speculis*, quomodo LXX. *Vulgatus*, &c. An vero (2) *cum speculis*, ita ut labrum non quidem ex speculis, sed ex ære fuerit, specula tamen labro fuerint affixa vel circumcirca eidem inserta, ut sacerdotes ad sacra accedentes & ex labro loti, ad specula simul respexerint, an macula remanserit? quæ sententia est *Oleastri.* An v. (3) *in speculis*, q. d. Moses, tam tersum politumque fecit labrum illud æneum, ut in eo mulieres faciem videre suam possent, vel ut usui mulieribus speculorum loco esset? quomodo *Cajetanus & Ar. Montanus.* An (4) *ad aspectum s. ut in eo se contueri possent* sc. Levitæ? quomodo *Franzius.* An (5) *in visionibus s. in aspectu* sc. mulierum vel gegen den Weibern q. d. im Angesicht der Weiber? quæ translatio nostri est *Lutheri*: vel *in aspectu* militantium q. d. in prospectu omnium? ceu alii ap. *Polum* in Crit. Nos *speculorum existentiam* hic adstruentes, salva *Lutheri* autoritate, qui specula hic nulla memorat, primæ illorum sententiæ suffragamur qui במראת reddunt *de* vel *ex speculis.* Nam vox Ebræa est nomen plur. Heemanticum à sing. מראה à R. ראה *vidit*, cum præfixo ב cujus primaria quidem significatio est IN, quâ Ablativum regit; sed præter illam plures admittit, quas inter non postrema nec infrequens est, qua DE vel EX notat, causamque materialem inter alia designat. Sic 2. Chron. 16: 6. Exod. 12: 43. Lev. 8: 32. Deut. 6: 5. conf. *Glass. l. c.* Fulget quoque hæc sententia tum autoritate tot Interpretum sc. LXX. reddentium ἐξ ει σόπτεων, item *Vulgati*, *Pagnini*, *Vatabli*, *Munsteri*, *Glassii*, *Riveti*, *Casauboni*, *Junii & Trem. Sixt. ab Amama*, *de la Hay*, *Calovii*, *Danhaweri*, *Varenii*, *Pfeifferi* &c. locis præced. m. 1. §. 6. citatis, nec non *Saliani* in Annal. Eccl. V. T. Tom. 2. p. 128. & *Tornielli* in Annal. sacr. & prof. Tom. 1. p. 317. tum testimonio *Philonis Jhud. l.* 3. de vit. Mos. dicentis: *extra vestibulum tabernaculi in primo aditu labrum erat aheneum, non ex rudi materia, ut fere fit; fabrefactum, sed ex vasibus jam ante expolitis in usum tamen alium, quæ mulieres mira alacritate certatim contulerant: specula enim, ad quæ formam curare solitæ fuerant, sponte, nemine jubente, Deo dedicaverant: hæc ad se delata opifex in unam massam confudit.*

§. 2. Quod v. reliquas attinet sententias, & quidem *Oleastri, cum speculis*, lubrica is nititur ratione & principium petere videtur dicens: *labrum non erat de speculis sed ex ære.* Supponit enim specula hæc fuisse *vitrea*, non *ænea*, de quibus paulo post. Interim tamen alii quidam sunt, putantes, vocem במראת dupliciter intelligi posse, sc. labrum hoc æneum & ex speculis æneis confectum, & simul sic dispositum fuisse, ut extima sui parte *vitreis* quibusdam speculis ornatum fuerit, ut in eo se contueri tabernaculum intrantes, maculamque adhibita labri aqua removere vestesque rectius aptare potuerint. Ita censet Pontificius supra laudatus *de la Hay*, *Oleastri* sententiam conciliaturus. Licet autem præfixum ב significationem *cum* alias admittat, uti Ps. 60: 14. באלהים *cum Deo*: Gen. 32: 10. במקלי *cum baculo meo* &c. Conf. *Glass.* l. c. non facile tamen deserenda est famosa & nativa significatio vocis ויעש *& confecit*: dicunt enim hi autores *facere* hic poni pro *ornare.* Quanquam dissimulare non possumus, B. quoque *Calovium* in Bibl. ill. (ubi paucissimis h. l. tangit) illorum sententiam vero non absimilem judicare, qui labrum illud non fuisse totum ex speculis confectum, sed illa, splendoris & elegantiæ ergo circumcirca labro, ceu calices aurei intexuntur adamantibus, fuisse inserta. Contra v. *Torniellus Tom.* 1. *Annal. p.* 317. illorum opinionem minime probat, qui labrum non ex speculis confectum, sed extrinsecus iis undique ornatum putant, cum illa verbis sacri textus manifeste adversetur. Ad (3) v. *Cajetani* sententiam in *speculis* i. e. *politum* &c. notat hic *Salianus in Annal. Eccl.* T. 2. p. 128. minus illam esse idoneam, cum & *altare æneum*, æque fulgidum, sic potuisset dici *in speculis* factum. Idem notavit *Tostatus Comm. in Exod. h. l. quæst.* 4. De ceteris translationibus ex jam dictis fiat judicium: temporis enim spatiique ratio filum Dissertationis hic restringit.

§. 3. Igitur à quæstione *an sint* progredimur ad alteram, *qualia fuerint specula*, abs mulieribus hic oblata? Paucis: cum labrum diserte hic dicatur נחשת h. e. *æneum*, idemque ex speculis fuerit confectum, sequitur specula ejusdem fuisse materiæ, cujus erat labrum, nempe ænea. Unde & illud quorundam dubium simul exspirat, qui certe ad h. l. quærere solent, quomodo labrum ex speculis posuerit confici, cum illud diserte hic dicatur æneum, specula v. sint vitrea? Si quis v. existimat, specula non posse ex alia fieri materia, quam vitro, facile hunc ex seqq. convinci posse putamus. Siquidem & hoc tempore nonnulla fieri specula plane tersa ex chalybe videmus, non quidem puro, sed certa aliorum mixtione temperato. Cur igitur non ex ære etiam confici potuerunt? Conf. *Rivetus h. l. & Exod.* 30: 18. Quid? quod

ex

ex pluribus constat autoribus, Romanorum aliorumque veterum specula non ex vitro, ceu nostra, sed ex ære aliove metallo, ut stanno purissimo argentove ære admixto & deinde in laminas exquisitissima abstersione levigatas curatissimeque detersas redacto, ut optimas sic imagines redderent, fieri suevisse. Vid. *Plinius* l. 33. c. 9. & l. 34. c. 17. & *Vitruv. de Architect.* l. 7 c. 3. Conf. *Torniellus*, Annal. l. c. Sed & Jhudæorum mulieres ad ænea omnino specula tiaram aptare solitas fuisse testatur *R. Aben Esra.* Præterea & speculis hujusce æneis ussoriis hostium naves ab Archimede fuisse præustas, idemque à Proclo etiam factum refert *Zonaras.* Nec olim tantum sed & nunc specula dari ænea, testatur *de la Hay* in *Comment. super Exod.* h. l. p. 943. qui A. 1639. est emissus, ubi inquit: *ego nunc in Musæo nostro vel ex ære Damasceno adeo politum & tersum* habeo speculum ex *dono oblatum, ut nullum aliud etiam ex Chrystallo possit aptius & verius intuentium vultum referre.* Sed mittimus jam *specula.*

MEMBRUM III.

dilucidans

SCOPUM & EFFECTUM OBLATIONIS SPECULORUM, qui LABRUM fuit ÆNEUM,

Cujus materia, forma, situs, finis & usus annotantur.

MUlieres enim certatim accurrentes oblatione speculorum hactenus expositorum intendisse *labrum* hoc *æneum*, illudque adeo speculorum jam descriptorum fuisse *effectum*, ex dictis obscurum esse nequit, de quo breviter. Vox Ebræa כיור quæ notat *lebem*, *lutrem*, *pelvem*, *labrum*, *concham* s. vas ad modum conchæ factum, sæpiusque in Sacris occurrit, à Luther. redditur Handfaß/ ab aliis *labrum*, item *concha.* De *materia* vasis hujus non attinet multa hic annotare, cum illa ex præcedd. jam innotuerit. Addimus tamen hic nonnulla majoris expositionis causa. Describitur enim hæc (1) *generatim* voce נחשת s. *æris* h. e. *æneum*, quam *Junius* quidem & *Trem.* reddunt *chalybeum*, secuti *Kimchium*: putarunt enim chalybem ad specula fuisse commodiorem, cum & hoc tempore, uti supra dictum, hujusmodi specula videamus. Juxta Lexicogr. etiam una voce hac notatur *æs*, *chalybs*, *cuprum*: Ceterum frequentius obtinet significatio *æris*; neque *chalybis* materia ad concham hanc lotionibus sacerdotum destinatam satis idonea videtur, cum illa aquis affluens rubiginem facile fuisset contractura. Præstat igitur judice *Calovio & Danhawero* ll. cc. communem retinere versionem sc. *æneum.* Eadem hæc labri materia præcedenti quoque cap. 30: 18. designatur, ubi *mandatum* extat. Hic v. in descriptione *executionis* præterea *speciatim* hæc materia declaratur, scil. quod fuerit non vulgare æs sed politum *speculare*, atque à mulieribus oblatum.

§. 2. *Forma* vero s. *figura & mensura* quænam fuerit, non exprimitur. Ad *formam* tamen referimus, quod h. l. & Exod. 30: 18. labrum hoc speculare dicitur habuisse *basin.* Inde v. colligunt fuisse opus, ex duplici qu. vase compactum, ita ut basis, tanquam inferius aptum fuerit ad excipiendum aquam ex superiori in se per fistulas s. mammas defluentem, quas quidem Ebræi 12. fuisse statuunt, ita ut 12. simul sacerdotes lavari potuerint, non quidem in ipso superiori vase, quod fieri commode non potuerit, sed in basi ex aqua per fistulas defluente, quod ex his Exod. 30: 19. verbis colligunt; *& missa aqua lavabunt in ea*; quanquam in fonte est ונתת h. e. *& dabis aquas.* Verum nihil attinet his immorari; plures tamen horum rationes, qui voluerit, legere apud *Rivetum* l. c. conferreque *Torniellum* poterit ac *Salianum* in Annal. ll. cc. *De Situ* quoque labri, quem eodem capite Moses describit, idque collocatum *inter altare*, sc. holocausti & *tabernaculum* fuisse dicit, idem conferantur. ll. cc.

§. 3. Missis v. his impedimentis ad *finem usumque* labri festinamus, quem eodem Exodi cap. 30: 19, 20. Moses nobis revelat. Scilicet munditiem illud Sacerdotum spectavit, ne illotis manibus pedibusque divina contaminarent officia, sed inquinamenta eluerent atque ita sacris fungerentur: quam certe rem *mysterio non caruisse* oportet, cum Deus ibid. negligentibus hanc ceremoniam *mortis* pœnam *intentaverit*, quod seque sectio monstrabit.

SECTIO II. PRACTICA

Locum hunc ab ABUSU vindicans USUMQUE indicans.

AButi hoc Exodi loco *Pontificios* ad probandam Monialium originem ex supra dictis jam constat. Præcipue v. *Baronius in apparatu ad Annales suos* probaturus, Mariam Virginem in cellis juxta templum inter Virgines voto religioso obstrictas educatam fuisse simulque monialium claustra ex antiquitate deducturus, inter alia fictarum V. T. Monialium exempla *Mulieres* nostras *Zobheoth* producit in apparatu n. 53. Ceterum frustra plane, ceu ex præcedenti sensus evolutione m. 1. quæst. 2. patuit. Et quid multis? ipse *Torniellus T. 1. Annal. pag.* 316. Baronium suum ita refutat. *Si olim juxta tabernaculum mulieres eo quo dixit Baronius modo excubare perpetuo consueverint, profecto credibile est, eas fuisse admodum paucas, ita ut non videatur ex ipsarum speculis vas tam grande fieri potuisse. Quare multo probabilius videtur, hoc vas fuisse factum de speculis, quæ ultro offerebant mulieres, quando de Tabernaculis suis veniebant, ut orantes excubarent ante ostium?* ita *Torniellus*, quibus certe verbis superiori nostræ commentationi Sect. 1. m. 1. §. 6. eximie suffragatur.

§. 2. *Usus* loci *practicus* ex mysterio patebit, quod ceremonia labri specularis respexit. Scilicet non corporalem & sterilem *hemero-baptistico-Papisticam aspersionem lustralis aquæ*: In Ecclesia enim h. t. nulla lustralis aqua locum habere debet præter baptismalem à Christo institutam, qua Ecclesiam suam mundat Eph. 5: 26. Sed (1) *pœnitentiam munditiemque internam spectavit*, sine qua Deo externa non placuit. unde illud Isaiæ. 16. *lavamini* &c. Eodem tendit *Gregor. M.* Homil. 17. in Evang. *Speculi*, inquit, *aspectus agnitio peccati est ex lege, lotio pedum mundatio, sine qua ad Deum nulli mortalium accessus patet.* Colligimus (2) ex his ceremonialibus, *illotis manibus* i. e. *impura mente sacra non esse tractanda*; non preces fundendas, non biblia legenda, non ad S. Cœnam accedendum &c.

JOH. FRISCHMUTHI DISSERTATIO

De Sepimento Legis ad Levit. XVIII: 30.

סיג לתורה

Sive

DE SEPIMENTO LEGIS DISSERTATIO.

CAPUT I.

SUMMARIA.

Vocis סיג *ἀγράφου originatio, ejusque apud Rabbinos significatio à Kimchio ostensa. Sepimenti notio declarata. Isidorus laudatus. Cur masora, divitiæ, votum & silentium hoc nomine indigitentur ab Ebræis. Sepimenta quædam à Deo ipso facta secundum Ebræos. De aliis ab hominibus profectis hoc loco agitur. Parum cautè à recutitis quandoque multiplicata. B. Calixtus laudatus. Sepimenti faciendi divinum mandatum Lev. 18: 30. contineri, R. Maimonides R. Alschech & H. Grotius nequicquam contendunt.* משמרת *significatio genuina hoc loco asserta locis parallelis illustratur.*

§. 1.



DE Legis Sepimento, sive סיג לתורה, quod Judæi sæpenumero in ore habent, acturi, ἄνευ προοιμίων in rem præsentem quod dicitur, veniemus, & nomenclaturam ejus primum considerabimus. Priscis Ebræis סיג appellatur à radice סוג *recedere, avertere* se. Unde Cant. 7: vs. 2. סוגה *sepita*, vel, ut Kimchi vocem explicat lib. Radicum, נגדרת ונגבלת *maceria separata & distincta*; qui etiam ibidem subjicit; וכן בלשון המשנה ועשו סיג לתורה ר"ל גדר וגבול: & *ita Mischnæ dialecto dicitur: fecerunt sepem Legi, hoc est, maceriam & terminum.* Nempe utut סוגה Scripturæ recepta vox sit, dictio tamen סיג inibi haud reperitur, fatente Kimchio, sed solis Rabbinis usitata est. Unde etiam eam Kimchi, ceu minus notam, per vocem Scripturæ usitatam גדר explicat. Quæ dictio docente eodem Kimchio notat סתימה ומגירה *obstructionem & occlusionem.* & addit Lexicographus laudatus: וכל כותל העשוי לגנות ולכרמים וכל כותל שאינו בנין חוק כבנין הבתים והחומות יקרא גדר: & *omnis paries, qui confectus est ad hortum circumdandum vel vineam, & omnis ille qui haud ita validæ structuræ est, ut ædes & muri, appellari solet* גדר.

§. 2. Significat itaque vox laudata סיג ejusmodi *munimentum*, quo quid præcingitur, vel circumdatur, & cujus objectu introitus prohibetur, vel via ad corrumpendum aliquid præcluditur. Confer Isidorum lib. XIV. cap. 6. Nempe quod salvum volumus & ab irruptione & corruptione immune, id maceria vel sepe cingimus, ejusque integritati hunc in modum consulimus. Hinc factum est, ut famosam suam & tantopere deprædicatam Criticam, *Masoram*, qua cautum voluerunt, ne quid damni codex divinus pateretur, סיג לתורה *sepem Legis* Doctores Ebræorum vocarint, quod illa omnis corruptio arceatur, & S. Scripturæ lectio ita Masoretharum industria circumvallata sit, ut nulli depravationi amplius obnoxia esse queat, cum haud facile vel vox intrudi vel excidere queat, quin facile ope Sepimenti illius animadvertatur vel arceatur.

§. 3. Eundem in modum מעשרות *decimas* appellarunt סיג לעושר *divitiarum sepimentum*, quod si diligenter & lubenti animo dentur; futurum arbitrati sunt, ut subsistant divitiæ, decimis veluti sepimento munitæ, neque ita dilabantur vel pereant. Consimiliter *vota* Ebræi appellarunt סיג לפרישות *sepimentum separationis*, quod iis factis vita emendatior & sanctior sequi soleat. Eodem referas licet illud, quod dicunt סיג לחכמה שתיקה *sepes sapientiæ est silentium*, quod eo non perinde ac garrulitate nimia sapientiæ opinio periclitetur, sed potius custodiatur & velut sepimento aliquo munita salva maneat. Atque hæc, ita seorsim recensita, junctim in libro precum Ebraicarum p. 102. edit. Venetæ reperias, ubi ex Pirke Aboth cap. 3. hunc in modum ea recensentur רבי עקיבה אומר מסורת סיג לתורה מעשרות סיג לעושר נדרים סיג לפרישות סיג לחכמה שתיקה: *Rabbi Aquiba ait: Masora est sepimentum Legis, decimæ sunt sepimentum divitiarum. Vota sepimentum separationis: Silentium sepes sapientiæ.*

§. 4. Multo vero celebriori, & quasi κατ' ἐξοχὴν dicta nomenclatura סיג vel גדר hoc est *Sepimenti* Ebræi intelligunt הגזרות *decreta vel edicta*, quibus ultra id, quod in Legibus divinis expresse vel mandatum vel vetitum est, aliud adhuc vel præcipitur, vel interdicitur à Magistratu vel Superioribus, in quo observando dum mortales occupati sunt, ipsius Legis divinæ violatio rectius caveatur, & transgressio ejus facilius avertatur. Sive ejusmodi constitutiones denotantur iis, quæ quidem ad verbum in sacris haud extant expressæ, ita tamen necessariæ existimantur, ut nisi illæ haud insuper habeantur, facile in ipsam Legem peccetur. Atque ita Sepimentum Ebræorum minime sanctionem aliquam à Deo ipso factam denotat, qualem illam esse putant nonnulli, qua Deus simpliciter omne sculptile, omnem imaginem rerum cœlestium vel sublunarium Judæos facere prohibuit, Exod. 20. ne videlicet populus facile

in ido-

in idololatriam caderet. Unde Rabbi Moses de Kotzi lib. præcept. magn. fol. 7. col. 3. המצוה הראשונה שלא לעלוה במחשבה שיש שום אלוה זולתי ה' שנאמר לא יהיה לך אלהים אחרים על פני מיכאן אסרה תורה הקיום והשתוף אף על פי שלא עבד: *Primum mandatum est, ne homo vel cogitet ullum Deum esse præter Dominum, quia dictum est* (*Exod.* 20.) *non erunt tibi alii dii coram me. Hinc vetuit Lex stabilitionem & associationem, si vel maxime non colat*: Atque ita Abarbenel, com. in Leg. fol. 115. col. 3. ad Exod. 12: 3. ubi fermentum ex ædibus ejicere jubentur, scribit היא שמירה מעליא *isthoc Sepimentum excelsi* (Dan. 4: 14.) Et f. 362. col. 2. com. ad Deut. 16. ait הנה לענין שמירת המצה ואיסור אכילת החמץ נתן גדר גדול באומרו ולא יראה לך שאור בכל גבולך כי כאשר לא יראה לא לבד בבית אבל גם בכל הגבול לא יבוא האדם לאכלו: ולענין גדר הפסח אמר ולא ילין מן הבשר אשר תזבח בערב ביום הראשון לבקר: *Ecce in mandato de azymis comedendis & non comedendo fermentato insigne sepimentum constituit Deus, dum ait* (Deut. 16: 4.) *non appareat fermentum in omni termino tuo. Cum enim non modo ædibus sed & omni confinio proscribitur fermentum, homo illud non comedet. De Sepimento Paschatis vero ait, & non pernoctabit de carne ad mane die primo*, q. dicat, ne subsequentibus diebus comedendi sit occasio.

§. 5. Non, inquam, eam intelligimus sepem, sed hanc, quam pro re nata ad divinæ legis accuratiorem observationem promovendam homines ipsi promulgarint. Cum vero Judæi in hisce talibus ordinandis haud parce se gesserint, facile fieri potuit, ut multitudo harum constitutionum deinceps legibus quibusdam divinis fraudi esset. Uti enim bene B. Calixtus, Theol. Moral. de Legibus pag. 92. loquitur, *serio intendere ad multa præcepta humana, facit ut omittatur præceptum Dei, atque adeo ut cultus Dei ad meras traditiones humanas tandem redigatur.* Sane Judæorum natio, dum in accumulandis ejusmodi traditionibus & legibus modum excesserint, quid tandem aliud effecerunt, quam ut sæpius sua placita divinis sanctionibus tantum non plane prætulerint, ceu ex historia N. T. patet, & priscorum decretorum seges haud exigua etiamnum in Talmud superstes id comprobat.

§. 6. Ejusmodi *Sepimenti* violatorem Ebræi פורץ הגדר *maceriei perruptorem* appellant, ut Maimonides docet præfat. in Mischnam, qui ibidem Sepimenti conficiendi mandatum divinum fuisse contendit. Verba ejus sic habent: החלק הרביעי הם הגזרות שתקנום הנביאים והחכמים בכל הדור ודור כדי לעשות סיג לתורה ועליהם צוה הק"בה לעשות והוא מה שאמר במאמר כללי ושמרתם משמרתי ונאה בו הקבלה עשו משמרת למשמרתי: sensus verborum est: *Quarta pars complectitur decreta à Prophetis & Sapientibus quovis seculo sancita eum in finem, ut Legi Sepimentum facerent. Atque illud ut facerent, Deus ipsis mandaverat. Hoc ipsum enim est, quod in illo generali dicto habetur* (Levit. 18: 30.) *& custodietis custodiam meam. quadrat in hoc cabbala sive traditio: fecerunt custodiam custodiæ meæ.* Non abludit ab hisce R. Moses Alschech, com. in Levitic. f. 187. col. 1. Vocem enim ושמרתם explicaturus, sensum esse ait כי אם גם עוד תוסיפו לעשות שמלבד חוקותי ומשפטי גם כן תעשו משמרת למשמרתי שהם סייגים וגדרים אל משמרתי כדי לשמור משמרתי אשר צויתי או יאמר על דרך זה ענין מאמרם ז"ל כי צוה השם לעשות סייגים וגדרים למען אשר יטעה יהיה בסייג ולא בעבירה עצמה וזה בעצמו הוא לשון המקרא שאומר הוא ית' ושמרתם את משמרתי לומר עשו משמרת למשמרתי ומה הוא המשמרת הלא היא שתעשו סייגים לבלתי עשות מחוקות התועיבות וכל שהוא כי גם כי יעבור איש לא יהיה מחוקות התועבות כי אם עבור בסייג ולא בעבירה: *Si adhuc præceptis meis & judiciis superaddideritis quid faciendo custodiam custodiæ meæ, h. e. sepimenta & macerias meis præceptis, ut mea præcepta quæ dedi, custodiantur. Aut hunc in modum id, quod Dd. l. m. intenderunt, innuit, quod DEUS sepimenta jusserit fieri, ut errans in sepe hæreat, non in transgressione ipsa. Atque hoc ipsum vult Scriptura, dum Deus ait, & custodietis custodiam meam. q. d. facite custodiam custodiæ meæ. Ecquid enim notat* משמרת? *Nonne id sibi vox hæc vult, sepimenta illis facienda esse, ne aliquid abominationum faciant &c. Tunc enim vel maxime quis aliquid transgrediatur, non tamen abominationes erunt, sed sepem violabit, non ipsam Legem.*

§. 7. Ita Ebræi, & nominatim Maimonides, Sepimenti sui originem inde usque à Prophetarum & Sapientum ætate arcessit, qui jussu divino ejusmodi constitutiones ultra leges divinas sanxerint, ea fini, ut leges divinæ magis essent immunes à violatione, & eo major illis reverentia haberetur. Ipse quoque Hugo Grotius ad l. cit. Levitici non alienus ab hac sententia fuisse videtur, *trahunt*, inquiens, *Ebræi ad receptas in lege interpretanda sententias, ne quis ab eis privatæ opinionis amore discedat. Ego putem potius hoc innui, non modo servanda, quæ Juris naturalis, sed & ea, quæ velut antemuralia interjectu suo jus naturale longius à contemtu somovent: Sic apud Christianos canones προφυλακοὶ vocantur τῶν θείων νόμων.*

§. 8. Sed licet non modo ad illa, quæ immediate & citra ullum factum humanum Deus instituit & hominum mentibus insevit, sed & ea, quæ Magistratus ductu sanæ rationis pro conditione temporum & locorum sanciunt, homines obligari in aprico sit, cum docente Apostolo διὰ τὴν συνείδησιν parere ei subditi teneantur: locum tamen Levitici tale quid peculiariter præ se ferre aut præcipere, haud ita manifestum est. Id certum est, vocem משמרת ex usu Scripturæ jungi verbo suo, unde oriunda est, שמר, & totam phrasin notare *observationem mandatorum DEI.* Patet id ex 1. Reg. 2: 3. וְשָׁמַרְתָּ אֶת מִשְׁמֶרֶת יְהוָה אֱלֹהֶיךָ לָלֶכֶת בִּדְרָכָיו *& custodies custodiam Domini DEI tui, ut ambules in viis ejus.* Conf. Zach. 3: 1. Malach. 3: 16. LXX. reddiderunt: καὶ φυλάξεις τὸ φύλαγμά μου. Et iterum καὶ φυλάξεις φυλακήν μου. Quid vero sic innuat Spiritus Sanctus, patet. Nempe locutionis simplex sensus est: *præcepta mea observetis.* Unde etiam Vatablus notis ad Levit. 18: 30. idem ac *observationes & jussa mea*, sonare perhibet. Minime igitur τὸ *custodire custodiam* id, quod Judæi volunt, hic significat, neque de ullis antemuralibus, quæ interjectu suo ipsam legem divinam longius à contemtu vel violatione semoveant, hic magis sermo est, quam in aliis locis, ubi legis divinæ inculcatur observatio. Sane Gen. 26: 5. Abrahamo quoque tribuitur, qui tamen nullum sepimentum fecit. Et bene AbenEsra ibi monet, משמרת שם כלל כל מה שהוא חייב לשמור ממצות וחוקות ותורות: *est nomen generale, designans omne id, quod tenebatur observare, præcepta, statuta & leges.*

CAPUT II.

SUMMARIA.

Tres Legum Species, quarum condendarum Ebræorum Synedrio potestas fuerit, à Constantino l'Empereur recensitæ. Prima species exemplis illustrata, anniversaria omnium Masculorum tribus festis apparitione Hierosolymis, & viæ Sabbati definitione. Judæorum temeritas ad generalem legem Exod. 12: 46. sine ulla ratione excipientium super fractione ossium in agno Paschali prohibita, in Maimonide notata. Ab una facti specie ad aliam progrediendi, & legem interpretandi licentia exemplo Legis Deut. 14: 14. declarata. Recutitorum præpostera & iniqua interpretatio Legis Num. 9: 10. notata. Ad secundam speciem legum, quæ à Synedrio ferri potuerint, Pœnarum refertur definitio. Quatuor Supplicia Capitalia Ebræorum. Excommunicationis origo adserta. R. Mosis de Kotzi & Maimonides laudati. Judæi excommunicationis originem à Regis Salomonis temporibus nequicquam accersunt. Drusius & Seldenus laudati. Locus Joh. 8: 5. expositus. Pœnarum exasperatio Judæis instar Sepimenti Legum usitata ex Maimonide & Mikkotzi recensetur. Alia Sepes Legum ex Historia & Jure Romanorum. Sepimentum à Judæis confectum ad Legem Deut. 25: 3. Grotius & Estius laudati. Locus 1 Cor. 11: vers. 24. illustratus. Talmudica glossa legis Mosaicæ cum Maimonidis & Bartenoræ interpretamentis expenditur. Abarbenelis emunctiorum narium Interpretis expositio probata. Gerundensis in numero XL. mysterium venantis irritus conatus.

§. 1. Etsi vero in Sacris Sepimenti alicujus legalis conficiendi mandatum expressum haud habeatur, & sic frustra ad Levitici locum cap. 18: 30. provocetur, ab iis, qui fundamentum illius ostendere allaborant, Synedrium tamen vel Magistratum Ebræorum olim potestate aliquid constituendi circa leges præditum fuisse, nemo, credo, ibit inficias. Cu-

jusmodi vero illa fuerit, & quousque se porrexerit, haud male, quamvis generaliter duntaxat, ostensum est à Viro Cl. Constantino L'Empereur, dum præfatione Tractatui Talmudico Bava Kama præmissa hunc in modum loquitur. *Tres oriuntur legum species, quas Legislator summus permisisse Ebræorum Magistratui videtur, quum tamen suis præceptis nihil novi, quod eis nullo modo contineretur assui concederet. Prima erat eorum, quibus generalia restringebantur. Secunda definiens media, quibus ad scopum, puta Legem Dei observandam collimabant. Tertia viam, rationes & modum præscribens, quibus actio mandato divino imperata commodissime peragi posset.*

§. 2. Operæ pretium facturi videmur, si tergeminam legum speciem, quam doctus vir parcius tetigit, uberius explicemus, & cumprimis tertiam speciem legum, quo & sepimentum nostrum referri posse videtur, exemplis illustremus. Bene vero monuit L'Empereur, Synedrii fuisse generalia restringere. Ut enim ad recte gubernandam Rempublicam, ac dirigendas hominum actiones morales & civiles, requiritur, ut universalibus juris naturæ principiis particulares accedant determinationes: ita latis jam legibus à Mose divinis, externo adhuc imperio & legum applicatione opus erat. Lex universalis erat divina, qua omnis masculus in singulos annos ter Hierosolymis comparere jubebatur, Exod. 23: 17. Citra ætatis respectum quosvis obligatos fuisse, id vero minus fit verisimile. Opus ergo omnino fuit Sapientum arbitrio & decreto, quo determinaretur, quo ætatis anno mas se sistere teneretur, cum infantes tam longum multisque difficultatibus obnoxium iter metiri haud possent, neque ut id susciperent, necessarium eis esset, utpote rerum, quæ ibi docebantur, nullum habentibus intellectum. In Talmud. Massechet Chagiga, cap. 1. Mischna hunc in modum de ista restrictione loquuntur: הכל חייבין בראיה חוץ מחרש שוטה וקטן וטומטום ואנדרוגינוס נשים עבדים שאינם משוחררים החוגר והסומא והחולה והזקן ומי שאינו יכול לעלות ברגליו: *Omnes ad apparitionem obligantur, exceptis surdis, fatuis, minorennibus, genitalibus obstructis, hermaphroditis, fœminis, servis, qui nondum manumissi, cæcis, ægrotis, senio confectis, & qui pedibus suis ascendere nequeunt.* Confer & Maimonidem Hilk. חגיגה cap. 2. ubi τὸ קטן sive *minorennem* exceptum fuisse, itidem confirmat. Sed cum determinatione quadam hic opus fuisse constet, à Superioribus demum eam additam fuisse, censendum est. Neque id obscure ex historia Christi patescere videtur, Luc. 2: 4. cum anno ætatis duodecimo eum Josephus & Maria Hierosolymam proficiscentes secum duxisse memorantur. Dubium vero non est, pias mulieres ita, alias haud obligatas lege, maritis se associasse, perinde ac Elckana uxorem cum filiis & filiabus Siluntem ad solennia festa ducebat. 1 Sam. 1: 45.

§. 3. Similis Legis generalis restrictio locum habuisse videtur in definiendo itinere Sabbathi, cujus mentio fit Actor. 1: vers. 11. Ut ex Exod. 16: 29. liquet, vetitum erat iter Sabbatho facere, quod etiam Josephus lib. XIII. Antiq. Jud. cap. 16. fatetur, οὐκ ἔστι, inquiens, ἡμῖν οὔτε ἐν τοῖς σάββασι, οὔτε ἐν τῇ ἑορτῇ ὁδεύειν, *nobis non licet Sabbati die vel festi iter facere.* Quandoquidem vero non simpliciter & absolute omnis ambulatio prohiberi potuit, cum, ut ex Levit. 23: 3. patet, ad sanctuarium ex castris ire soliti sint, ut etiam certi aliquid esset in judiciis, æqua definitione res a Sapientibus temperanda erat, quorum sententiam deinceps populus ratam habere debuit. Atque hinc factum est, ut spatium illud quidam bis mille cubitis definirent, alii vero quinque vel septem stadiis metirentur. Conf. dissert. *de Via Sabbati* anno 1667. hic habitam. Neque improbabile videtur, Salvatorem nostrum eo respexisse, dum rogandum dixit, ne fuga Sabbato fieret, quippe quo ultra bis mille cubitos per statutum ire minime liceret, tam scrupulose Sabbatum observantibus Judæis.

§. 4. Illa vero generalis legis restrictio non pro libitu, vel ob rationem quamcunque fieri debet, sed tunc demum ei locus est relinquendus, cum urgens & evidens ratio apparet, cur generalia sint restringenda. Minime hoc Judæis observatur, dum ad Legem divinam Exod. 12: 46. qua nullum os agno Paschali confringendum esse, dicitur, R. Moses Maimonides cap. X. de Korban Pesach scribit: אין חייבין אלא על שבירת עצם שיש עליו כזית בשר או שיש בו מוח אבל עצם שאין בו מוח ושאין עליו כזית בשר חייב על שבירתו: *Non tenentur reatu nisi ob fractionem ossis, quod super se carnem habet instar olivæ, aut in quo est medulla. Sed si medulla caret, aut minus oliva carnis habet, reus minime est, qui illud fregerit.* Unde vero recutitis constat, ad generalem Dei legem excipere ita sibi licere? Sane nulla omnino ossa agni confringenda fuisse, & lex ipsa clare demonstrat, & nos Christiani ex antitypi ratione novimus exactius. Hic enim, Salvator nempe noster, in cruce pendens, cum post obitum ab omni contumeliosa ossium contusione & fractione immunis esse deberet, id multis seculis ante in agno Paschali præfigurare Deo visum est, dum agni ossa omnia simpliciter integra, & nulli omnino fractioni obnoxia esse voluit. Vim igitur manifestam faciunt Legi divinæ, cum excipiunt ossa quædam agni, quæ hominibus usui non sint ad esum. Neque constitutio illa Judæorum applausum meretur, quam loco citato Maimonides recenset: שבר עצם האליה אינו לוקה שהרי אינה ראויה לאכילה: *Os caudæ frangens minime vapulat. Ecce enim non illa apta est ad esum.*

§. 5. Quemadmodum vero generales leges & pro re nata ad particularia applicandi & restringendi potestatem habuit Synedrium; ita idem Magistratus ab una facti specie progredi, & deficiente quamlibet lege, ad legis alterius similitudinem aliquid decernere potuit, lege ad alias factorum similium species non iniqua interpretatione producta. Quod ne frustra dixisse videamur, exemplum in medium afferemus. Deuter. cap. 14: 24, 25. lex divina de decimis lata id peregre Hierosolymam venientibus permittit, ut, cum frumentum & animalia secum ducere nequeant, pretium secum adferrent, & ibi, quod ipsos dare conveniebat, illo compararent. Atque hoc in aliis casibus sibi licere, ad imitationem illius legis, Synedrium haud immerito censuit, adeoque determinavit id, quod in Lege non erat expresse definitum, unde & omnes ii, qui è longinquis regionibus advolassent sacrificium oblaturi, eodem modo allato pretio animalia & alia, & sacrificia idonea demum compararunt Hierosolymis.

§. 6. Porro, dum generalia ita restringendi Synedrium potestate præditum erat, poterat, imo debebat etiam, τὴν διάνοιαν τῷ ῥητῷ præferre, atque adeo non semper verba legis tenere, sed vim ejus atque potestatem, cum prior atque potentior sit mens dicentis, quam vox. Sic cum die Sabbati opera crassum laborem requirentia vetita essent lege divina, ita illa interpretanda erat, nisi vel necessitas inevitabilis, vel salus proximi aliud exigerent, cum nulla lex ritualis tali necessitate præscripta esset, quæ nullis periculis vel commodis cederet, & in ejusmodi sancitis potissimum valere deberet τὸ ἐπιεικές. A quo cum Scribæ & Pharisæi alienissimi essent, factum est, ut Salvatoris nostri severiorem censuram aliquando incurrerent, ab eodem melius edocti, quid in ejusmodi legibus Deus potissimum spectarit, & quam longe à regia abessent via, dum æquiæ interpretationi nullum locum relinquerent.

§. 7. Tam iniquam interpretationem, & à vero legis sensu alienam, deprehendimus ad verba Num. 9: 10. ubi Deus illi, qui primo mense erat בדרך רחוקה *via remota*, ut non posset stato die venire Hierosolymam, permisisse legitur, ut itineri se accingens sequenti mense Pascha ibi comederet. R. Moses Maimonidis filius Hilk. Pesach cap. 5. ita loquitur: איזו היא דרך הרחוקה חמשה עשר מיל חוץ לחומת ירושלים מי שהיה בינו ובין ירשלים יום ארבעה עשר אם עליית השמש חמשה עשר מיל או יתר הזה דרך רחוקה היה בינו ובינה פחות מזה אינו בדרך רחוקה מפני שהוא יכול להגיע לירושלים אחר חצות כשיהלך ברגליו בנחת: *Quænam est via remota? milliaria quindecim extra mœnia Hierosolymorum. Si quis ergo die decima quarta (mensis Nisan) inter se & Hierosolymam, orto jam Sole, millia quindecim aut amplius interjecta habet, hæc est via remota. Sed si quid habeat minus, non est via remota; quia potest Hierosolymam post meridiem pervenire, etiamsi pedes eat, & lento gradu.* Eccur vero is, qui XV. milliaribus abfuit Hierosolymis non pridie itineri se accinxit, ut justo tempore appelleret? Sane si hæc exceptio ita valeat, in ipsa Judæa potuit pars maxima impune abesse à festo, quotquot nempe tot milliaribus aberant. Et videntur Doctores tam diluta interpretatione Ebræis sacra festa negligentibus consuisse pulvillos, ut mollius caderent in peccatum prolabentes.

§. 8. Quod secundam legum speciem attinet, media nempe, quibus ad scopum, legem videlicet divinam observandam collimabant, referri ad eam posset pœnarum definitio, quam Synedrium pro ratione temporum adornare potuit. De illis R. Moses Maimonides, Hilk. Sanhedrin, c. 14. scribit: ארבעה מיתות נמסרו לבית דין סקילה ושריפה והריגה בסייף וחנק. שריפה וסקילה מפורשין הן בתורה. ומפי משה רבינו למדו שכל מיתה האמורה בתורה סתם היא חנק וההורג את חברו מתתו בסייף: *Quatuor capitalia supplicia Synedrio sunt tradita, lapidatio, combustio, occisio quæ fit gladio, & strangulatio. Combustio & lapidatio in Lege sunt tradita. Ex Mosis vero Doctoris nostri ore didicerunt, quod omnis pœna mortis absolute*

in

in Lege nominata strangulationem innuat. Qui vero proximum suum occidit, is gladio è medio tollitur.

§. 9. Post Babylonicam captivitatem secuta est *excommunicatio & bonorum fisco adjudicatio*, quibus refractarios coërcere & immorigerorum contumaciam compescere solebant. Quam pœnam etsi jamtum Salomonis ætate receptam fuisse, Judæi perhibeant, & à rege illo peculiarem portam ædificatam, eamque למנודים *excommunicatis* destinatam fuisse tradant, veluti & Drusius ex Ebræis ad Joh. 9. refert; merito tamen pro hyperbole & commento Judaico id se habere, Johannes Seldenus, lib. 1. de Synedrio cap. 7. asseverat. Rectius ejus initium ad Esræ ætatem refertur, qua ejusmodi edictum promulgatum fuisse legitur, ceu videre est cap. 10. 3. Unde R. Moses Mikkozi fol. 65. col. 3. ספר מצות גדול hunc in modum scribit: מנלן דמפקרינן נכסים דכתיב בעזרא וכל אשר לא יבוא לשלשת הימים בעצת השרים הזקנים יחרם כל רכושו מכאן שהפקיד בית דין הפקר: *Unde constat, quod opes communes faciamus, quia scriptum est in Esræ* (10. 18.) *& qui intra triduum non venerit, ejus substantia decreto principum seniorum anathema erit. Inde probatur, Synedrium rem communem facere posse.* Et cum l. cit. addatur: והוא יבדל מקהל גולה: *& is separetur è cœtu in captivitatem adducto.* Rabbi Moses Maimonides c. 7. Hilkot, תלמוד תורה ita exponit, :אין נושאין ונותנין עמו ואין מתעסקין עמו *nihil quicquam commercii vel negotii cum eo habent.* Est vero & hæc pœna non tam ex verbis Legis, quam ex Sapientum interpretamento orta. Cum enim Lex minora delicta sacrificiis expianda, majora vel mulcta vel verberibus, vel etiam pro re nata mortis pœna vindicanda esse docuisset, ad illa Superiorum consensus medium quasi pœnæ genus introduxit, quo illi præcipue afficerentur, qui morum vitam non emendabant. Unde & Seldenus lib. 1. c. 7. de Synedriis hanc pœnam non ex jure divinino aliquo præceptivo, sed traditione vel inventu humano in Ebræorum politia pependisse existimat. Atque huc referri etiam debet illud sancitum, quo reum quatuor cubitorum distantia à cœtu plectendum decreverunt, conf. Maimonid. Hilkot. Talmud. Tora c. 7. Et libr. rituali Schulchan Aruch, יורה דעה cap. 334. §. 2.

§. 10. Si Maimonidi & Talmudistis fides est habenda, asserentibus, ubi mortis pœnæ in genere fit mentio, ibi strangulationem intelligendam esse, utpote pœnam mitiorem, & in adulteræ supplicio Ebræis usitatam, merito quæritur, quamobrem Joh. 8: 5. Judæi Mosen adulteram lapidari præcepisse dicantur, cum tamen Lev. 20: 10. Deut. 22: 21. tantum mortis pœna indiceretur generaliter, inferenda illi, qui alienum torum polluisset. Ubi si locus relinqueretur Judæorum traditioni, strangulatio intelligenda esset. Quidam ita respondent, cum initio ac fine capitis XX. Levitici lapidationis mentio fiat, in medio positam pœnam eo ibidem tradendam esse. Sed cum ibi de combustione quoque agatur, & deinde de excisione sive יכרת necdum certo constabit de pœna. Alii exinde de lapidatione quoque sermonem esse Legislatori volunt, quod verbis sequentibus Sponsæ corruptæ lapidationis pœna imponatur, unde & adulteræ illam aptandam volunt pari vel majori jure. Sed hac quoque sententia missa, cum Hugone Grotio annot. ad l. cit. Ebræorum sententiam probamus, qua tradunt, ubi mortis pœna in lege exprimitur, non item mortis genus, ibi à Synedrio pro ratione temporum genera pœnarum definita fuisse, ut graviores exigerentur, ubi occurrendum erat gliscenti exemplo. Et sic ita verba intelligenda sunt: Mores tales morte puniri præcepit, quam mortem postremum usus fecit lapidationem.

§. 11. De exasperatione vero pœnarum, cui, crescentibus maxime delictis, locus fuit, cap. 18. Hilk. Sanhedrin. §. 4. R. Moses Maimonides hunc in modum loquitur: מי שלקה בבית דין על אסורות ולקה פעם שניה על אותו כרת עצמו כגון שאכל חלב ולקה עליו אם אכל פעם שלישית אין מלקין אותו אלא מכניסין אותו לכיפה והוא מקום צר כפי קומתו ואינו יכול לשכב ונותנים לו לחם צר ומים לחץ עד שיצאו מעיו ויחלה ואחר כך מאכלין אותו שעורים עד שיכריסו נבקעת: *Qui in Synedrio vapulavit ob rem vetitam, & altera vice plagas accepit ob iteratum peccatum: e. gr. si quis adipem comedit & eo nomine pœnas dedit, secunda vero vice comedit, is flagellatur. Si vero tertia vice comedit, minime eum percutiunt, sed loco includunt camerato sive angustiori statura ejus, ut ibi nequeat decumbere, panem etiam ei porrigunt angustiæ & aquas oppressionum* (Esai. 30: 20.) *donec viscera ejus rumpantur & ægrotet. Deinde hordeo eum cibant, donec venter ejus rumpatur.* R. Moses de Kotzi, fol. 68. col. 2. Hilk. דיינים, etiam exempla exasperationis pœnarum & confecti sepimenti recenset hunc in modum: אע"פי שאמרה תורה לא תטה משפט הרשו בית דין לגדור פרץ להוראת שעה כפי הצורך דתני בפרק נגמר הדין אמר רבי אליעזר בן יעקוב שמעתי שבית דין מכין ועונשין שלא מן התורה ולא לעבור על דברי התורה אלא כדי לעשות סיג לתורה ומעשה באחד שרכב על סוס בשבת בימי יונים והביאוהו לבית דין וסקלוהו לא מפני שראוי לכך אלא שהשעה צריכה לכך ושוב מעשה באחד שבא על אשהו תחת התאנה והביאוהו לבית דין והלקוהו לא מפני שראוי לכך אלא מפני שהשעה צריכה לכך ומעשה היה ותלה שמעון בן שתח שמונים נשים באשקלון ביום אחד ולא היה שם לכל דרכי הדרישה והחקירה וההתראה ולא עדות ברורה אלא הוראת שעה היתה כפי מה שראה וכן אמרינן שמלקין על לא טובה השמועה: *Licet lex vetet judicium declinare,* (*Deut.* 16: 19.) *Synedrio tamen integrum est, rupturam sepire pro temporis necessitate. Sic docetur in* (*Talmud*) *cap.* נגמר הרין: *dixit R. Eliesér, filius Jacobi, audivi Synedrium flagra infligere & punire non ex præscripto legis, neque legem transgrediendo, sed ut legi sepimentum faciat. Sic accidit, ut quispiam tempore Græcorum equitaret die Sabbathi, & adductum ad Synedrium lapidarunt, non quod ita esset conveniens, sed quod ita tempus posceret. Ita quendam, cum sub ficu cum uxore suo concubuisset, flagris exceperunt, non quod ita fieri oporteret, sed pro temporis ratione. Sic accidit etiam, ut Simeon, filius Seta Asceloni suspenderet octo mulieres. Neque tamen ibi est facta recepta inquisitio, vel probatio, vel præmonitio, vel allatum evidens testimonium, sed pro ratione temporis ita fieri debere vidit. Sic dicimus, quod ob sinistrum rumorem vel famam malam flagra impingant.*

§. 12. Ejusmodi exempla, quibus urgente necessitate pœna decreta est extraordinarie, invenias quoque in exoticis Scriptoribus. Nempe cum periculum in mora fuit, vel crescente hominum malitia & peccandi pruritu, pœna vel adaugenda, vel haud incunctanter grassanti malo quantumvis violentius obviam eundum erat. Tale quid fuit illud, quod Isaacus Casaubonus epistola longiuscula ad Frontonem Duceum ex Romana historia recenset. Postquam enim Romanus Senatus edoctus esset, patresfamilias aliquot servorum suorum conspiratione periisse, Senatus consulto, quod Silianum est dictum, servos omnes, sub tecto heri occisi repertos nulli sontis aut insontis discrimine, capitis damnavit; Non defuerunt in ordine amplissimo, quibus ea lex durior videretur, sed erat tanti salus & securitas Romanorum, cui ut consuleretur, ne illa quidem ratio est repudiata, quæ aliquid etiam ex iniquo trahebat, quod existimarent magni illi prudentiæ civilis antistites, paucorum privatorum injuriam publica utilitate abunde compensari; confer Tacitum libro XIV. annal. cap. 43. & seqq. Atque hinc laudatus rei literariæ suo seculo Duumvir inductos esse ait Angliæ primores, ut adversus eos, qui principum vitam invisam habent, leges paulo severiores ferrent, quæ temporum necessitatibus fuerint extortæ, Romano Pontifice potestate sua abutente.

§. 13. Sepimentum quoque invenias in Senatus Consulto Macedoniano, quo fœneratorum avaritiam coërcere & patrum familias incolumitati consulere voluerunt. Cum enim filii familias Parentum vitæ insidiarentur, Imperator Claudius prohibuit, ne in mortem Parentum pecuniæ filii familias fœnori darentur. Quandoquidem vero in fraudem hujus legis iterum quædam inventa sunt, tandem Vespasianus legem Sepimento alio muniendam ratus constituit, ne filiorum familias fœneratoribus exigendi jus crediti unquam esset, hoc est, ne quidem post patrum mortem. Confer Magnif. Dn. Struvium, *Syntagm. Exercit. XX. θ. 51.*

§. 14. Consimiliter Sepimentum vocare liceat decretum illud, quo Macedones constituerunt, ut propinqui eorum, qui Regi insidiati erant, cum ipsis necarentur, & Athenienses Arthmium, quod aurum corrumpendis Græcis ex Persia attulisset, *ignominiosum hostem populi Atheniens. & sociorum esse jusserunt ipsum & genus ipsius.* Sed hic rigor pro necessitate temporis usurpari solitus à Marcellino, 23. 31. rejicitur, cum has leges, per quas ob noxam unius propinquitas perit, abominandas appellat. Unde & Cicero lib. IV. de Natura Deorum, feretne, inquit, ut condemnetur filius aut nepos, si pater aut avus deliquissent.

§. 15. Ut vero ad Ebræos revertamur, quemadmodum illi pro re nata pœnam exasperarunt, & crescentibus delictis, eam majorem esse voluerunt ad incutiendum terrorem, & delicta evitanda: ita aliquando in minoribus delictis, ne pœnam à Deo definitam forsan transgrederentur, studio à Synedrio ea mitigata videtur, לפנים מן השורת הדין *non observato ἀκριβοδικαίῳ.* Sane cum Deuter. 25: 3. reo, qui capital non designasset, verbera XL. infligenda essent, sequioribus seculis Ebræi unam plagam detraxerunt, quod Grotius annot. in l. cit. ab illis factum esse ait: *εἰς περιφυλακὴν τοῦ νόμου.* Maximopere

vero id factum Judæorum improbat Wilhelmus Estius, com. in 2. Corinth. 11:24. ubi hunc in modum loquitur: *Legimus Deut. 25:3. præceptum Israëlis fuisse, ut in flagellando fratre, id est Ebræo, quem dignum plagis comperissent, quadragenarium numerum non excederent. Judæi vero sive caventes, ne forte in ipso verberandi impetu præfinitum numerum transilirent, sive clementiæ & humanitatis causa memorato numero statuerunt unam plagam demendam esse, etiamsi quis integrum numerum plagarum commeruisset. Quod quidem arbitror referendum ad Judaicas traditiones in Dei legem injuriosas. Neque enim illis licebat numerum legis, in quo etiam mysterium continebatur, unitate demta, mutare, siquidem quadragenarius numerus afflictioni & pœnitentiæ consecratus est.* Quam censuram Estii, ut elegantem laudat B. Dilherrus, Atrio Ling. Sanctæ p. 180.

§. 16. Ut vero quid de Sepimento legis hic à Judæis confecto sentiendum sit, & quomodo ex textu probare numerum satagant, apertius constet, operæ pretium facturi videmur, si accuratius Legem divinam expendamus, cujus προφυλακὴν jam tum Pauli tempore in usu fuisse, ex 2. Cor. 11: vs. 24. patet, ubi Apostolus à Judæis se quinquies quadragenas plagas una minus accepisse quiritatur.

§. 17. Nempe id Deut. 25:3. Numen Supremum præcipit, ut si flagris dignus occurrat, is pro suo merito accipiatur & prostratus percutiatur, :כְּדֵי רִשְׁעָתוֹ בְּמִסְפָּר *secundum impietatem suam in numero.* Subjicitur ibidem אַרְבָּעִים יַכֶּנּוּ לֹא יֹסִיף לְהַכֹּתוֹ עַל אֵלֶּה מַכָּה רַבָּה וְנִקְלָה אָחִיךָ לְעֵינֶיךָ: *quadragies eum percuties, non addes ad percutiendum illum magna percussione, ne in oculis tuis frater tuus vilescat.* Ad quæ verba in Talmud, Massechet Maccoth, cap. 3. sic docent prisci Ebræi: כמה מלקין אותו ארבעים חסר אחת שנאמר במספר ארבעים מנין שהוא סמוך לארבעים: *Quoties percutiunt eum? quadragies uno minus, quia dictum est:* (Deut. l. c.) *numero quadraginta, h. e. numero qui proximus est quadragesimo.* Maimonides ita ad l. cit. scribit: אלו אמר ארבעים במספר היה ראוי להיותם שלימי׳ ולפי שהקדים במספר ר״ל שלא ילקה בלא שיעור אלא במנין ידוע כפי מה שיוכל לסבול כמו שאמר כדי רשעתו במספר כלומר סוף ההלקה ואמרו אחרי כן ארבעים יכנו ר״ל עד ארבעים כמו שלמדנו מפי הקבלה בדברי חכמים הואיל וההכאה הוא כפי מה שיוכל לסבול לא יוסיף על ארבעים לא נכח ארבעים ונניח הכא׳ זו דרך שמירה כמו שביאר שהשמירה במי עוט הכאה בא ורבי יהודה אין דעתו כן ואין הלכה כרבי יהודה: *Si dixisset* ארבעים במספר, *de numero perfecto intelligi potuissent. Quia vero vocem* מספר *præmittit, vult significare aliqua æstimatione vel conjectura non percutiendum esse, sed numero noto, quantum plagarum ferre possit, sicut dictum est secundum impietatem ejus in numero, q. d. finem percussionis. Deinde dicendo* ארבעים יכנו *quadragies percutient, vult dicere usque ad 40. velut ex traditione didicimus in Dd. nostrorum l. m. verbis. Quandoquidem vero hæc percussio pro virium ejus ratione fieri debet, non plures quam 40. plagæ erant addendæ, & hanc percussionem custodiæ rationem habere dicimus, veluti explicat, quod cautio in percussione minuta resideat. R. Juda quidem haud ita sentit, sed decisio non est juxta mentem R. Judæ.*

§. 18. R. Obadias de Bartenora com. ad Mischnam cit. eodem inclinans ait: מנין שהוא סמוך לארבעים שגורם לומר אחריו ארבעים דהיינו תשע ושלשים׃ אם היה כתיב ארבעים במספר הוה אמינא ארבעים במנינא השתא דכתיב במספר ארבעי׳ במספר הגורם לומר אחריו ארבעים דהיינו תשע ושלשים: *Numerus* (intelligitur) *qui vicinus quadragesimo, post quem numeratur 40. hoc est triginta & novem. Si scriptum fuisset* ארבעים במספר *dicerem, 40. esse intelligenda. Jam vero scriptum est in numero 40. In numero quem sequuntur 40, hoc est triginta novem.*

§. 19. R. Moses Maimonides vero in opere Talmudico יד חזקה mentem priscorum Ebræorum expositurus Hilkot Sanhedrin, cap. XVII. vestigiis priscorum insistens, in eundem fere modum scribit: כמה מלקין את המחויב מלקות כפי כחו מה שני כדי רשעתו במספל וזה שנאמר ארבעים שאין מוספין על ארבעים אפילו היה חזק ובריא כשמשון אבל פותחין לחלש שאם יכה לחלש מכה רבה בודאי הוא מת לפיכך אמרו חכמים שאפילו הבריא ביותר מכין אותו שלשים ותשע: *Quoties flagris reum percutiunt? pro ratione virium ejus, quia dictum est: secundum impietatem ejus in numero. Atque hoc est, quod dicitur: quadraginta. Neque enim huic numero vel minimum addunt, si vel maxime Simsonem robore referat. Quin infirmiori demunt etiam aliquid. Hic enim si nimium percuteretur, haud dubie moreretur. Idcirco Dd. dixerunt, si vel maxime robustior sit, nonnisi 39. plagas ei infligunt.*

§. 20. Cæterum dum ex situ vocis במספר argumentantur, non XL, sed triginta novem flagra infligenda fuisse, cœcitatis suæ & insignis stuporis documentum relinquunt, cum nihil hujus inde sequatur, si vel maxime vox illa in statu constructo esset, ut sibi falso persuadent. Etsi vero infitias ire nolumus, codicem Ebræum, quo Mischnæ autores usi sunt, distinctione hodierna destitutum fuisse, æque ac in Synagogis Judaicis hodiernis asservati codices, ut & ille, quod LXX. usi sunt, cum & hi accentus distinctivi Sylluc nulla habita ratione, vocem מספר velut in statu constructo positam interpretati sunt, dum verterunt: ϗ ἀριθμῷ τεσσαράκοντα μαστιγώσουσιν αὐτὸν: hodierna tamen lectio & interpunctio rectius ad mentem Legislatoris quadrat, & sensum meliorem gignit, quem in exegetica Theologia apud Judæos pro omnium peritissimo habitus R. Abarbenel, com. in h. l. fol. 385. col. 2. eruit hunc in modum: לא יהיה מלקות דבר בלתי קצוב כי אם כדי רשעתו במספר ידוע ומוגבל שיצוה השופט כמה מכות יתנו לו אם עשרה או כ׳ או ל׳ או מספר אחר ובלבד שלא יעבור מספר ארבעי׳ והוא אמרו ארבעים יכנו לא יוסיף כי הוא גבול התוספת: *Non sit percussio indefinita, sed secundum impietatem ejus, numero cognito & determinato, ut judex præcipiat, quot plagæ infligendæ sint ei, an X. aut XX, aut XXX. aut alio numero, dummodo non excedat quadraginta. Atque hoc est, quod dicitur: 40. infligent ei, non addent. Hic numerus enim est finis additamenti.* Et fol. eod. col. 3. bene iterum R. Abarbenel disserit: אמרו ארבעים יכנו לא יוסיף איננו לחייב שיהיה מספר הארבעים מלקות תמיד. כי פעמים יהיה מעט כדי רשעתו. אבל כוונה היא להזהיר שלא יוסיף כמספר המי׳ כמנהג הסכלות להקלות בני אדם באכזריות נמרץ כאשר יישר בעיני השופט לעשות עד שהרבה פעמים ימותו אנשים מהמלקות. ולכן גזרה החכמה האלהית השיעור הראוי שבו תגמר המצוה ולא יסתכנו בני אדם: *ex verbis; quadragies percutiet eum, non addet, non sequitur, numerum quadragesimum perpetuo esse observandum in flagris infligendis, interdum enim eo minor sit secundum impietatem ejus. Sed scopus ejus est, hortari eum, ne numero XL. addat plagas more stultorum, qui homines percutiunt crudelitate nimia, prout judici libet, eousque, ut tandem moriatur ex plagarum multitudine. Idcirco divina Sapientia numerum determinavit, conveniente æstimatione, qua præceptum observaretur, ne tamen homines periculo exponerentur.*

§. 21. Quandoquidem ita Ebræos numerum XL. excedere Lex vetuit, visum est Dd. pœnam temperare, vel Legi sepimentum facere, ne plures quam triginta novem plagæ inferrentur. Hinc R. Abarbenel loc. citat. לפי שהכונה האלהית דקדקה לבלתי הוסיף על הארבעים ונתן רשות לשופט לפחות מהם מה שיקצה לא להוסיף בהם לכן בא בקבלתם ז״ל שהמלקות יהיה ל״ט מכות ושעל כל פנים יחסר מארבעים וטעם בזה הוא כדי שלא יפשע ויעבור מספר המ׳: *Quia divina dispositio accurate cavit, ne ultra XL. plagæ infligerentur, & Judici potestatem dedit, tantum, quantum vellet, de iis demendi, nequaquam vero addendi, idcirco ex orali traditione eorum Dd. hoc habetur, plagarum numerum esse debere triginta novem, & omnino aliquid de quadraginta demendum. Ratio vero hujus est, ne prævaricetur, & ne numerum quadraginta transgrediatur.*

§. 22. Ita Rabbi Abarbenel haud invitus fatetur, non tam ex textu, quam traditione majorum, numerum illum *triginta & novem* hauriendum esse, adeoque sic haud obscure comprobat, ea, quæ Maimonides & Bartenora ductu Mischnæ attulerunt de sensu legis, nauci esse, & non nisi humana commenta. Patet vero & hoc, quod legislator non ita absolute præceperit, ut cuique reo plagæ XL. infligerentur, ceu Estius sibi persuadere videtur, mysterium in isto afflictioni & pœnitentiæ consecrato numero quærens, sed hoc duntaxat vetitum esse, ne ullatenus excederent Judices istum numerum quadragenarium, maxime si reus minorennis esset & infirmus: Ut enim Maimonides Hilk. גניבה cap. 1. scribit: ראוי לבית דין להכות הקטנים כפי כח הקטן על הגנבה כדי שלא רגילין בה: *Synedrii erat parvulos in furto deprehensos percutere pro virium ratione, ne furto assuescerent.* An in numero quadragenario mysterium venari liceat, haud ita apparet. Neque Gerundensis ex literali sensu, sed mystico colligere ausus est. Ita enim ille sensit: שיהיה מספר הארבעים כפי המדרש לפי שעבר על התורה שנתנה בארבעים וגרם מיתה לעצמו שנוצר למ׳ יום ילקה מ׳ מכות וינצל מהעונש: *Numerum hunc allegorice id designare, quia legem violasset XL. diebus traditam, sibique ipsi mortem conciliasset, qui diebus 40. formatus erat, totidem plagas ferat, ut à pœna liberetur,* quæ quam diluta sint, lectoris judicio relinquimus.

CA-

CAPUT III.

SUMMARIA.

Ad tertiam Legum speciem, quas Synedrium ferre potuisse L'Empereur docet, refertur Ebræorum Sepimentum. Idem duobus exemplis è R. Mose Maimonide & R. Mose de Kotzi illustratur. Aliud exemplum Sepimenti Judaici ex R. Abarbenele, de non ducenda vidua avunculi. Ejusdem Rabbini de tergemina illiciti concubitus specie observatio. Ebræi & Romani juris discrepantia Paternæ familiæ apud Ebræos præ materna ὑπεροχὴ ex Mose de Kotzi & Levi Barzelonita demonstrata. Vidua avunculi ad illicitum concubitum secundarium ab Ebræis relata. Aben-Esræ gradus potius quam personæ rationem habendam rati dissensus. H. Grotius laudatus. De vocis שאר *Levit. 18: 6. significatione ex auctore Michlal Jophi, Gerundensi & Abarbenele duplex sententia allata. Posterior probata. Versionis Samaritani, Arabis, Syri, Chaldæi, LXX. interpretum & Judæorum conformitas. Nervosa Martini Chemnitii expositio laudata. R. Levi Barzelonitæ φιλαυτία notatur. R. Moses Maimonides laudatus. Christianorum Principum Sepimentum Judaico præfertur. B. Gerhardus. S. Puffendorfius & Augustinus laudati. Judæorum in matrimonii negotio Sepimenta cumulata. R. Arama Sepimenti præstantiam, & ex eo sanctitatem promanantem ex Dd. suis recenset.*

§. 1. Tertia superest species Legum, quas Synedrium Ebræorum tulerit, viam, rationem & modum præscribens, quibus actio mandato divino imperata commodissime peragi posset. Atque ad hanc forsan Sepimentum referri queat, quod Ebræi fabricasse leguntur ad divinarum legum observationem religiosiorem procurandam. Exempla illius aliquot ex Rabbinis adducere haud abs re fuerit, cum ex illis de Sepimenti fine & scopo conjecturam facere liceat. Primum locum damus R. Mosi Maimonidi, qui præfat. in Mischnam hunc in modum loquitur: בשר עוף בחלב הוא אסור מדרבנן כדי לחרחיק מן העברה ולא נאסר בתורה אלא בשר בהמה וחיה אבל אסרו בשרהעוף כדי להרחיק מן האיסור: *Caro avis cum adipe ex decreto Dd. nostrorum vetita est ideo, ut à transgressione legis longius removeantur. In lege enim non est prohibita caro cum adipe, nisi jumenti & feræ: sed illi etiam avium carnem cum adipe prohibuerunt, ut eo longius ab eo, quod prohibitum est, recedatur.*

§. 2. Huic Ebræorum Doctorum celeberrimo succedat alius, isque itidem magni nominis scriptor, R. Moses de Kotzi, qui similem προφυλακὴν vel cautionem contra legis divinæ violationem recenset libro de Legibus, fol. 9. col. 1. his verbis: שלא להשתחות לשום עבידה זרה שני לא תשתחוה להם פאו על פי שאין דרך עבודתה בכך כאשר גרסינן במסכת ע"ז ישב לו קוץ ברגלו לפני ע"ז לא ישחה ויטלם מפני שנראה כמשתחוה לה אלא ישב ואחר כך יטלם: *Coram nullo idolo se incurvare licet, quia dictum est* (Exod. 20: 4.) *non incurvabis te illis. licet etiam cultus in hac incurvatione eis non exhibeatur, velut exposuimus. Legimus in Massechet Aboda Sara, si in cujuspiam pede hæreat spina, coram idolo haud se incurvet, ut eam eximat, quia hac ratione speciem cultus idololatriæ habebit, sed sedens demum auferat.*

§. 3. Geminum exemplum hoc luculenter ostendit, quid sepimenti notio ipsis designet, & cur illud toties ingeminent. Nempe cum Deus Levit. 7: 23. vetuisset adipem bovis, agni & capræ comedere, quippe quem Deo adolere tenebantur, visum est Ebræis etiam avium adipe interdicere, ut eo pacto ab omni esu adipis alieniores essent. Ut vero ab idololatria eo magis abhorrerent, & eo minus in eam inciderent, consultum esse judicarunt, omnem omnino incurvationem prope idolum, quacunque etiam de causa fieret, proscribere & prohibere.

§. 4. Illustre cumprimis exemplum sepimenti Judaici suppeditat Don Isaacus Abarbenel, comm. in Levit. XVIII. fol. 258. ubi de gradibus prohibitis agit. Ita enim ibi loquitur: אשת אחי האם לא זכרה התורה כי אין הערוה לא לאב ולא לאם בעצם וראשונה ולזה לא נאסרה רק מגזרת רבותינו שגדרו בעריות וכן מאב ומאם ולמעלה מדברי קבלה נקראו שניות לעריות: *Avunculi uxoris nullam Lex fecit mentionem. Nulla enim sic turpitudo est vel patri vel matri secundum se & primo. Atque ideo concubitus cum illa non est illicitus, nisi ex sententia & decreto Doctorum nostrorum, qui ita sepimentum illicito concubitui* (in lege interdicto) *præfigere voluerunt. Et ita concubitus in linea materna & paterna ascendente ex traditione vocantur illiciti secundarii.*

§. 5. Ut, quo collineet, patescat, quæ libro citato p. 225. de illicito concubitu observat, in medium afferamus, כל inquit, העריות נכללות לג' מינים הא' מה שיהיה אסור בעבור כבוד האדם עצמו כמו שאמר כי ערותך הנה אשת בנך היא ערות אביך היא הב' מה שיהיה אסור מפני כבוד האב כמ"ש ערות אביך היא ערות בת אשת אביך ערות אחי אביך ודומיהם והג' מה שיאסור מפני כבוד האם כמ"ש אמך היא לא תגלה ערותה ערות אחות אמך וכיוצא בו. ומפני זה בתחלת העריות זכר כל שלשת הסוגים כי הוא אמר על עצמו איש איש אל כל שאר בשרו לא תקרבו לגלות ערוה ועל העריות האסורות מפאת עצמו אמר ערות אביך שהוא גם כן סוג כולל לנקבות האסורות מפני כבודו ועל העריות האסורות מפאת האם אמר וערות אמך לא תגלה הרי כאן ג' הסוגים בכלל: *Omnes illiciti concubitus tribus speciebus comprehenduntur. Prima est, qua is vetatur ob hominis ipsius honorem, quemadmodum ait: est enim nuditas tua* (Levit. 18: 10.) *ecce est filii tui conjux,* (vers. 13.) *est nuditas patris tui.* (v. 8.) *Secunda species concubitum complectitur, qui patris honoris causa vitandus, sicut dicitur* (v. 8.) *est enim nuditas patris tui. Est nuditas filiæ uxoris patris tui.* (v. 14.) *Est nuditas fratris patris tui. & similes. Tertia species est illa, qua concubitus interdicitur ob matris honorem, quemadmodum ait* (v. 7.) *est mater tua, non revelabis nuditatem ejus. Est enim nuditas sororis matris tuæ,* (v. 13.) *& similes. Atque adeo statim ab initio mentionem facit trium specierum. De ipso enim homine ait:* (v. 6.) *nullus accedat ad propinquum carnis suæ, ad revelandam turpitudinem. De nuditate vero vetita per se ait:* (v. 7.) *nuditas patris tui, quæ etiam fœmellas comprehendit, quæ honoris causa sunt prohibitæ. De illo vero concubitu, qui vetitus ob matrem, ita ait* (v. 7.) *non revelabis nuditatem matris tuæ.* Ecce igitur tres in universum sunt species.

§. 6. Ad hanc explicationem R. Abarbenel respexit, cum *primario & in se*, patris & matris turpitudinem esse negat, si quis defuncti avunculi viduam in Lege Mosaica haud prohibitam in uxorem ducat, adeoque negat, per se ad aliquam speciem illiciti concubitus referri id factum posse. Secundario tamen ejusmodi concubitum illicitum esse ait, quod legi positivæ humanæ, hoc est sepimento à Doctoribus facto controveniat vel repugnet, dum ita ipsas leges divinas facilius violari contingat, si quod de industria ad præcavendam violationem legis divinæ sancitum est, nauci fiat, & sepimento contrito, vel dirupto, ipse hortus irruptioni fiat obnoxius.

§. 7. Etsi itaque Jure Romano & avunculi & patrui viduam ducere licuit, teste Dn. D. Struvio, *Syntag. Jurisprudentiæ, Exercit. XXIX,* θ. 36. Ebræi tamen hic aliquid discriminis agnoscunt, quod Deus expresse patrui viduam duci iterata vice Levit. 18: 12. & cap. 20: 20. vetuerit, avunculi vero ne semel quidem. Et sane non heri demum vel nudius tertius, sed multis retro seculis in Judaico populo lineæ paternæ major habita fuit ratio, quam maternæ. Hinc in Genealogiis quoque illa sola respici, hæc plane insuper haberi solita fuit. Ut enim in libro Juchasin fol. 55. col. 2. legimus: משפחת אם אין קרויה משפחה: *materna familia non est vocanda familia.* Atque inde etiam factum esse censent quidam Christiani, quod cap. 1. Matthæus prognationem Christi ad Josephum, Mariæ maritum: Lucas vero cap. 3. ad Eli, Mariæ patrem deduxerit. Sed cum hujus exempli alia ratio esse possit, quod soli paternæ lineæ in familia herciscunda locus sit relictus, ad evitandam confusionem familiarum, alii illud haud ita huc quadrare docent, quanquam Judæi ad illud exemplum provocare nulli dubitant, ut ex seqq. Rab. Moses Mikkozi verbis fol. 35. col. 3. videre est: דורש שם נאמר כאן ערות דודו גלה נאמר להלן או דודו או בן דודו יגאלנו מה להלן מן האב ולא מן האם אף כאן מן האב ולא מן האם והתם מנלן אמר קרא אחד ממשפחתו יגאלנו ומשפחת אב קרויה משפחה דווקא ולא משפחת האם שנ' למשפחות לבית אבותם: *Quidam ibi ita concionatur. Dictum est hic* (Levit. 20: 18.) *nuditatem patrui sui revelat, & dictum est ibi* (Levit. 25: 49.) *aut patruus ejus, aut filius*

patrui

patrui ejus redimet eum. Quid ibi designat? ex patre non ex matre oriundum. Etiam hic illum ex patre & non ex matre oriundum designat. Ibi vero unde nobis probatur? quia Scriptura ait: Unus ex familia redimet. Familia paterna absolute nuncupatur familia, materna non item, quia dictum est (Num. 1: 2.) *per familias, per domum patrum suorum.*

§. 8. Quomodo Judæi prisci in matrimonio inter utrumque sexum distinxerint, ex R. Levi Barzelonitæ verbis videre est, quæ ita habent: אסרו גם אשת אבי זקנו וכן עד מעלה אפילו יעקוב ואסרו גם כן לגדר אסור זה אשת אבי אמו בלבד והטעם לפי שעקר זה הוא מצד האבות דהיינו אשת אב על כן החמירו ז״ל יותר מצד האבות ואמות שיהיה אסור למעלה עד לעולם ובצד האם לא גדרו אלא באשת אבי אמו לבד: *Prohibuerunt etiam proavi uxorem. & sic deinde usque ad Jacobum. Sepimentum porro interdicti hujus esse voluerunt prohibitionem uxoris avi materni tantum. Ratio est, quod fundamentum hujus interdicti sit respectu patrum, h. e. uxoris patris. Atque hinc est, quod majores nostri majorem difficultatem moverunt respectu patrum, dicentes, illud interdictum se retro in omne seculum extendere. At ratione matris nihil statuerunt, nisi respectu uxoris avi materni tantum.*

§. 9. Atque ita Judæis non est eadem ratio cognationis sive ex paterna sive ex materna linea descendat, neque in legibus divinis, de illicito congressu, gradus utriusque sexus & distantias, sed personas duntaxat expresse à Deo nominatas respiciunt. Unde fit, ut ex nonnullis personis, quarum Scriptura mentionem nullam fecisset, ipsimet sepimentum extruendum judicarint, quo non violato, reliqui gradus tanto religiosius observarentur, veluti Moses Mikkozi docet, fol. 35. יש נשים אסורות שהן אסורות מפי הקבלה ואסורות מדברי סיפרים לעשות גדר לעריות והם הנקראות שניות מפני שהן שניות לעריות וכל אחד מהן נקראת שנייה ועשרים נשים הן: *Sunt aliæ fæmellæ interdictæ ex traditione & decreto scribarum, ut sepimentum illicito congressui fieret, & vocantur secundariæ, quia nempe sunt secundæ ab illicito concubitu* (in Lege prohibito), *atque unaquæque illarum secunda appellatur, suntque viginti.* Inter illas vero ibidem octavo loco numerat אשת אחי האם בין מן האב בין מן האם *uxorem avunculi, sive ex patre sive ex matre.*

§. 10. Cæterum R. Aben Esra plane aliter sensisse videtur, quandoquidem comment. in cap. XVIII. Levit. hunc in modum scribit: יתכן שלא הזכיר אשת אחי האם כי נלמוד מאשת אחי האב: *Nihil erat causæ, quamobrem Scriptura avunculi uxoris faceret mentionem, exemplum enim uxoris patrui nos docet, quid de illa habendum sit.* Quibus verbis ille haud obscure contendit, non opus hic humano sepimento esse, quod interdicendo congressu, cum avunculi vidua fecerint, & personas in Levitico prohibitas esse exempla graduum, non tantum illarum personarum, quæ velut exempla illius generalis interdicti (v. 6.) præmissæ sunt, sed omnium cæterorum consanguineorum, qui in pari sunt gradu, quas itidem prohibitas esse per consequentiam intelligitur. Quem in modum plures etiam interpretes Christiani leges Mosaicas interpretandas esse volunt. Non desunt tamen viri longe doctissimi, qui contradicant. Hinc enim & H. Grotius com. in Levit. ad c. XVIII. 6. ubi ad proximam sanguinis sui accedere vetantur Ebræi, ita commentatur: *Non hoc ita generaliter sumendum, ut fecere Græci Christiani, quorum hac de re sententiam explicat Basilius ad Deodorum, sed de iis fæminis, quæ sunt comprehensæ verbis sequentibus:* Unde personarum illarum, quarum lex haud meminisset, aliam rationem esse censet, quam herum, quarum diserte mentionem haud fecit.

§. 11. Operæ pretium facturi videmur, si generale interdictum divinum, quod specialioribus legibus præmissum est, accuratius intueamur. Ita vero Deus loquitur Levit. 18: 8. איש אל כל שאר בשרו לא תקרבו לגלות ערוה: *nullus ad propinquam carnis suæ accedat ad revelandam turpitudinem.* Ubi cum primis, illud, quid voce שאר significetur, indagandum est. R. Abarbenel com. in l. cit. ait: יש מפרשים שאר שהוא כמו בשר ויהיה שאר בשרו כמו אדמת עפר: *Sunt, qui* שאר *idem denotare dicant ac caro, ut ita locutionis* שאר בשרו *eadem sit ratio, ac* אדמת עָפָר (Dan. 12: 2.) Sane quandoque idem significare שאר ac carnem, manifestum est ex Ps. 77: 20. & aliis locis. Ut vero auxesis & evidentia gemino substantivo indicatur, secundum B. Glassium, Canon. 32. lib. 3. P. S. ita secundum illam significationem eadem constructio accipienda esset. In Michlal Jophi ad cap. 18. Levit. ratio additur: לפי שהקרוב האדם בבשרו כמו שאמר אך עצמי ובשרי אתה ומבשרך לא תתעלם לפי כך נקראו שאר שענינו בשר: *Quia carne sua homo sit propinquus, veluti ait* (Gen. 29: 14.) *os meum & caro mea es. à carne tua ne te abscondas.* (Es. 58.) *ideo vocatur* שאר, *quod significat carnem.*

§. 12. Cæterum alii interpretes aliter sentiunt, & R. Gerundensis in h. l. ait: הלשון נגזר מן הנשאר בציון והנותר בירושלים ולכן יאמר שארה: *Vox descendit à verbo* שאר, *ut cum dicitur quod Sione residuum est* (Es. 4: 3.) *quod superest Hierosolymis, & idcirco dicitur* שארה (Lev. 18: 17.) Atque huic adstipulatur Abarbenel, dum ita scribit: יותר נכון לפרש ששאר הוא מלשון שארית וקיום והנה קיום הבשר באישים רבי המספר הוא קורבה והיחס שיש ביניהם להכנס תחת סוגו ויתיחסו כלם אליו: *Multo rectius dicitur, vocem* שאר *significationem habere residui & durationis. Ecce enim carnis duratio in viris pluribus est propinquitas, quæ inter eos consistit, ut unum genus ingrediantur, & ad illud omnes referantur.*

§. 13. Cum vero ita שאר בשרו *durationem vel residuum carnis* denotat, hoc est propinquum vel consanguineum Versiones quoque pleræque omnes eo collineare videntur. Samaritana enim Versio habet ࠔࠉࠆࠓ pro ࠔࠀࠓ, quæ ipsa vox Ebræa est. Arabs نسيب *cognatus.* Syrus ܩܪܝܒܐ ܕܒܣܪܐ *proximum carnalem.* Chaldæus קריב בשריה. LXX. *πάντα οἰκεῖα σαρκός.* Judæi in lib. משה באר נעשטהן reddunt Nechsten. Judiciosissimus Theologus, Martinus Chemnitius, b. m. part. 3. Loc. Theol. de Conjugio p. 545. vocis Ebraicæ emphasin urget adversus Pontificios, & eam his verbis declarat: *Pontificii quidam prohibitionem illam, quod nullus ad proximum carnis suæ accedere debeat, male intellexerunt, quasi ab omnibus consanguineis, quousque cognatio cognosci posset, abstinendum: Sed emphasis vocabulorum Ebræorum, ostendit prohiberi, ne quis ducat propinquam, quæ proxime carni suæ appropinquat, vel prohiberi carnem carnis suæ, hoc est, quæ vel ex mea carne prognata est, vel ex cujus carne ego propagatus sum, vel quæ mecum ex eadem carne propagata est, ut hac ratione omnes personæ carnis meæ mihi sint prohibitæ. Ita caro meæ carnis supra me est mater, avia, infra filia, neptis. Ad latera soror & illa propinquitas carnis, hoc modo enumeratur Levit. 21: 2. Num. 27: 8. Unde ostendi potest, quos Deus intelligi velit proximos carnis suæ, nimirum omnes, qui in eadem carne proxime mecum sunt orti. Hinc etiam judicium fieri potest de affinitate, quatenus etiam in illa nuptiæ sint prohibitæ. Vir & Uxor sunt una caro, utrique est* שאר, *h. e. habet reliquias carnis suæ in conjugis cognatis, & illa affinium propinquitas est prohibita.*

§. 14. Hæc Christiani ita observant, ut nihil causæ sit, quamobrem Judæi abjectius de iis sentiant. Maximopere quidem Judæi in sepimento suo gloriantur, & se nos Christianos multis parasangis antecedere persuasum habent. R. Levi Barzelonita l. cit. חלוק יש בין ישראל לשאר האומות ישראל גדרו גדר בענין העריות אבל שאר האומות אין אסורין עליהן אלא האם בלבד: *Discrimen est inter Israëlitas & reliquas gentes, quia Israëlitæ sepimentum posuerunt per secundarias vel secundas: reliquis vero gentibus tantum incumbit præceptum de interdicta matre.* Sed falluntur recutiti, & frustra sibi tam suffeni sunt, cum Christiani in observandis & explicandis Legibus Lev. 18. multo religiosiores sint ipsis Judæis. Dum enim hi & abaviam & proaviam tantum pro secundis habent, & non nisi Dd. decreto vetitas esse contendunt, verba legum haud ita diligenter expendisse videntur, cum patris & matris mentione omnes in ascendente linea prohibitas personas esse, palam sit, utpote quas æque, si non magis honorare deceat, quam parentes proximos. Uti R. Moses Maimonides docet cap. 2. Hilk. הרחיק התורה שלא יעיז פניו ביארה ארם לבוא על האשה שראוי לה כבוד: *Scriptura prohibuit, ne homo audeat eam in uxorem ducere cui honorem debet.* Ecquis vero infitias eat, aviam & proaviam non minus ac parentes esse honorandos?

§. 15. Quin si Constitutiones Ecclesiasticas Christianorum Principum intueamur, deprehendemus multo rectius Legibus divinis Sepimenta constituta esse, dum, ut illis sua constaret reverentia, remotiores etiam gradus prohibuerunt, ut essent *Sepimentum & vallum legis divinæ*, veluti B. Gerh. T. 7. LL. Theol. th. 291. loquitur. Quin, ut bene Cl. Puffendorfius lib. 6. cap. 2. de Officio Hominis & Civis juxta legem naturalem scripsit, *multorum populorum leges civiles remotiores gradus prohibuerunt ad objiciendam veluti sepem prius dictis gradibus sanctioribus ne ad hos temerandos ita facile rueretur.* Jam olim tempore Augustini inter fratris & sororis filium & fratris vel sororis neptem matrimonium prohibitum fuisse constat, veluti augustissimus Pater lib. XV. de C. D. cap. 16. refert, ubi ipso teste, *raro per mores fiebat,*

quod

quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat humana: tamen factum etiam licitum propter vicinitatem horretur illiciti.

§. 16. Negare equidem nolimus, apud Judæos vix plura legum προφυλακῶν exempla occurrere, quam ubi de matrimonio agunt. Ibi enim ut principiis obstent, & vagam libidinem, in quam priscis Judæis recentiores proniores esse fatentur, compescant, varia sepimenta ab ipsis tradita leguntur. Nempe sic decreverunt: שלא בעיניו יקרוץ לאחת מן העריות ושלא לשחוק עמהם כלל אפילו להריח בשמים שעליהם אסרו: *Ne quis nictet oculis ulli ex interdictis, neque rideat cum illis. Quin ne odorari quidem licet aromata, quibus vestes illorum sunt imbutæ.* Consimiliter הרחיקו שלא לשאול בשלום אשת איש כל ואפילו ע"י בעלה: *Non sinunt ulla ratione alterius uxori aliquem salutem dicere, ne quidem per maritum ejus.* Hæc & alia edicta Doctorum suorum complura recenset tam necessaria, ut observentur, ut non permittant לפרוץ אפילו גדר קטון בעיניהם אלו כלל אלא לשמור כל ההרחקין שהודיעונו בפרט: *rumpi minimum etiam sepimentum in ejusmodi rebus, sed observari velint omnes remotiones, quas notas fecerunt Dd. in specie.*

§. 17. Solent etiam Dd. Ebræorum sepimenti circa gradus prohibitos commodum maximopere dilaudare & extollere, dum legis divinæ quamlibet observantissimum, sepimenti tamen expertem, sanctitatem nullam habere contendunt. Sic enim R. Arama docet, comment. in Legem fol. 215. col. 2. ח"זל אמרו כל מקום שאתה מוצא גדר ערוה אתה מוצא קרושה כי לא אמרו כל מקום שאתה מוצא איסור ערוה שכל שהערוה נאסרה אצלו אינו קרוש אבל מי שהוא נגדר בה גדר מזה ומזה ואפילו מהמותר הגמור: *Doctores nostri dixerunt, ubicunque Sepimentum repereris illiciti concubitus, ibi sanctitatem invenies. Non dixerunt, ubi inveneris vetitos illicitos congressus. Omnis enim ille cui illicitus concubitus (duntaxat) est vetitus, non est sanctus, sed ille demum, qui ab omni parte septus est, etiam eo quod prorsus alias licitum est.* Sed cum chartarum angustiis exclusis ac vice prolixioribus haud esse liceat, alio die, quæ supersunt, Deo propitio, ventilanda daturi sumus.

M. VALENT. GREISSING

DISSERTATIO

De Immolatione liberorum Molocho facta ad Levit. XX: 2.

Εἰσαγωγή.



Umma fuit olim apud pios Sacrificiorum dignitas atque autoritas, imprimis ideo, quod à Deo Numine immortali potentissimoque, eorum usus esset serio præceptus, non tantum ut homines testarentur, se Creatorem cœli & terræ pro vero DEO agnoscere, eumque colere: sed ut esset etiam professio grati affectus DEO debiti pro beneficiis acceptis, atque denique ut essent typi Sacrificii Christi, cujus merito & efficacia vere & realiter expianda erant peccata nostra, ac ex consequenti sedanda ira DEI, peccatorumque remissio impetranda. Verum enim vero quemadmodum alias nihil tam est sanctum; tamque religiosum, quin ad nefandos & profanos usus interdum à maleferiatis hominibus trahatur: ita idem in sacrificiis etiam obtigisse, testantur Scripturæ. Atque ut cæteros taceam abusus, suffecerit nunc ex multis unum saltem adduxisse, hunc videlicet, quod olim excelsum ædificarent *Molocho*, aut potius Diabolo. Quem impium errorem errabant non modo impia turba Hammonitarum (unde שקץ בני עמון abominatio Hammonitarum dictus Moloch 1.Reg. 11:7.) verum etiam, quod mirandum, Salomo, Rex cæteroqui sapientissimus pientissimusque, *declinando*, teste Scriptura, *à Jehova DEO Israelis, qui apparuerat ei bis, & interdixerat ei hanc ipsam rem, ne sequeretur Deos alienos.* Rectius multo fecit Josias, Rex DEO gratissimus, dum cultum veri DEI restauraret, abolendo præter cæteras abominationes excelsa quoque, quæ ædificaverat Salomo Rex Israelis Milcomo, abominationi Hammonitarum, atque confringendo statuas earum. Etenim non ignorabat Josias, quanta severitate Jehova olim per Mosen præcepisset filiis Israelis, ne darent de semine suo Molocho. Cum vero non una sit Interpretum, tam de Molocho, quam de cultu ejusdem, sententia, placuit studio veritatis, atque amore Philologiæ sacræ ductis, totum rei caput unica Dissertatione comprehendere, ita quidem, ut tres constituantur Sectiones, quarum prima Versiones varias, altera Analysin Grammatico Philologicam, tertia denique Autorum de Molocho ejusque cultu diversas sententias cum annexa ϑπικρίσει proponet. Adsit DEUS conatibus nostris!

SECTIO I.

Proponens Textum Originalem cum Versionibus variis.

TEXTUS ORIGINALIS.

וְאֶל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל תֹּאמַר אִישׁ אִישׁ מִבְּנֵי יִשְׂרָאֵל וּמִן־הַגֵּר הַגָּר בְּיִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר יִתֵּן מִזַּרְעוֹ לַמֹּלֶךְ מוֹת יוּמָת עַם הָאָרֶץ יִרְגְּמֻהוּ בָאָבֶן׃

Versio Latina ad Verbum.

Et ad filios Israël dices, Vir vir de filiis Israël, & de peregrino peregrinante in Israel, qui dederit de semine suo ipsi Molech, moriendo morietur, populus terræ lapident eum in lapide.

Vulgata Latina.

Hæc loqueris filiis Israel: Homo de filiis Israel, & de advenis, qui habitant in Israel; si quis dederit de semine suo Idolo Moloch, morte moriatur, populus terræ lapidabit eum.

Versio Græca LXX. Interpretum cum translatione Latina.

Καὶ τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ λαλήσεις· Ἐάν τις ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ (α) ἢ ἀπὸ τῶν γεγενημένων προσηλύτων (β) ἐν Ἰσραὴλ, ὃς ἂν δῷ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ ἄρχοντι, θανάτῳ θανατούσθω· τὸ ἔθνος τὸ ἐπὶ τῆς γῆς λιθοβολήσουσιν αὐτὸν ἐν λίθοις.

M. S. A. (α) ἢ τῶν προσγεγεννημένων προσηλύτων.
(β) ἐν τῷ Ἰσραὴλ ὃς ἂν δῷ ἀπὸ τοῦ.

Et filiis Israel loqueris; si quis de filiis Israel, vel de iis, qui facti sunt proselyti in Israel; quicunque dederit de semine suo principi, morte moriatur: gens quæ super terram, lapidabunt eum in lapidibus.

Translatio Latina Textus Ebræo-Samaritani.

Præterea de filiis Israel dices: quicunque de domo Israel, aut de advenis peregrinantibus in Israel de semine suo Moloc, morte morietur: populus terræ lapide lapidabunt eum.

Translatio Latina Versionis Syriacæ.

Dicito filiis Israel, quicunque filiis Israel, & ex iis, qui convertuntur ad me, de gentibus in Israele projecerit ex semine suo in mulierem alienigenam, occidendo occidatur vir ejusmodi: & populus terræ obruent eum lapidibus.

Translatio Latina Paraphraseos Chaldaicæ.

Ad filios autem Israel dices: vir vir de filiis Israel, & de advenis, qui peregrinantur in Israel, qui dederit de semine suo Idolo Moloch, occisione occidetur: populus domus Israel lapidabit eum lapidibus.

Interpretatio Latina Versionis Arabicæ.

Præcipe filiis Israel quoque, & dic illis: quicunque homo ex filiis Israel, & ex advenis peregrinis inter eos dederit de stirpe sua idolo, occidatur occisione: atque hoc quidem, ut lapident eum incolæ patriæ suæ lapidibus.

Versio Germ. B. Lutheri.

Sage den Kindern Israel/ welcher unter den Kindern Israel / oder ein Frembdlinger / der in Israel wohnet/ seines Saamens dem Molech giebt / der soll des Todes sterben/ das Volck im Lande soll ihn steinigen.

SECTIO II.

Exhibens Analysin Grammatico-Philologicam.

וְאֶל־בְּנֵי *Et ad filios*

§. 1. EST Nom. Plur. Masc. Constr. cum præfixis וְ & אֶל à Rad. בָּנָה *ædificavit, exstruxit.* Vau præfixi vicem hic obtinens est particula, sive (ut Glassius loquitur) Conjunctio copulativa, significans πλεοναστικῶς *Et.* Neque enim hoc loco copulat, sed inchoat potius sermonem, ex usu & proprietate Linguæ sanctæ, ut videre est in principiis, non tantum *Josuæ, Judicum, Ruth,* 1. 2. *Samuelis & Esther* ויהי 1. *Regum* והמלך 2. *Regum* ויפשע 2. *Paral.* ויתחזק *Ezræ* ובשנת *Esther, Ezechielis, & Jonæ*: sed etiam versuum e. g. Ruth. 1: 1, 2, 3, 4. seqq. Hinc forte factum, quod Kimchi hanc literam appellet ו' תחלת הדברים *Vau principii verborum.* Nec obstat, quod Tremellius & Junius vertant hoc Vau per *Item.* Alii tamen existimant Vau h. l. ἐμφατικῶς positum esse, quod quasi digito ipsos filios Israelis DEUS ostendat. In quo loquendi genere idem valet *ac præsertim & potissimum.* Erant enim filii Israëlis selectus DEI populus, adeoque tanto magis ad hos pertinebat verbum Domini, quanto magis ipsi curæ essent. Exempla similia reperies Jos. 2: 1. *inspicite terram istam* ואת־ יריחו præsertim Jericho, 2 Sam. 2: 30. Psalm. 18: 1. De cætero tametsi alias Vau plerumque & primario significationem copulativam obtineat: fit tamen interdum non raro, ut alias quoque significationes in S. Scriptura admittat, quando videlicet idem est, ac *Etiam,* ut Prov. 24: 27. ובנית, Conjunctio conditionalis *Si,* ut Exod. 12: 13. וראתי, Conjunctio Disjunctiva *Aut,* ut Exod. 12: 5. ומן, Adversativa *Sed,* ut Gen. 3: vs. 2. ומפרי, Causalis *Quia,* ut Genes. 20: 3. והאי Conclusiva *Itaque,* ut Ezech. 18: 31. והשבו, præterea etiam interdum significationem Præpositionis, Adverbii, Verbi, Pronominisque obtinet. Quæ fusius exposita vide apud B. Glassium Lib. 4. Tract. 2. de Vocul. præfixarum significatione p. m. 874. seqq.

§. 2. אֶל *ad* pro אֵל Est particula separata cum lineola Makkeph, ad differentiam nominis אֵל *DEUS,* uti existimat Schindlerus, Philologus celeberrimus Lexic. Pentagl. p. 75. b. Pro (ֵ) est (ֶ) propter Makkeph, quod tonum transfert ad sequentem vocem, atque hinc vocalis longa extra tonum in suam brevem allevatur. Radicem cum plerisque particulis nullam agnoscit. Equidem Elias Hutterus in Bibliis suis (ubi serviles excavatis, reliquæ usitatis characteribus exhibentur) omnibus omnino particulis Radices adsignare allaborat; sed non satis bene, quin imo sæpe sui obliviscitur, dum Radices excogitat, quæ plane non dantur e. g. שש sex à Rad. שׁשׁשׁ. cum tamen nulla sit Radix, quæ tres unius valoris habeat literas. Kimchi refert ad Rad. אלה. Pro אֶל frequenter reperies אֱלֵי quod quidem *Jod* cum Casu Nominis interdum, cum Affixis semper assumit ut Job. 3: 22. אליגיל *qui lætatur super tumulo* Psalm. 28: vs. 1. אליך *cum clamavero ad te.* Cum Ebræo אֶל convenit Græcum εἰς. Utriusque significationes varias prolixe expositas vid. apud B. Glassium Phil. S. p. m. 755. seqq. & Schindlerum Lexic. Pentagl. p. 75.

§. 3. בְּנֵי *filios.* Esse nomen Plur. Masc. Constr. supra observatum est. Sing. est בֵּן *Filius.* Plurale fit ordinarie addendo ים h. m. בָּנִים pro quo ἀνωμάλως est בָּנִים sicuti יום *dies* יָמִים vide Buxt. Thes. Gram. p. m. 81. item Opit. in Atrio. pag. 232. Quamvis Excellentissimus Dominus Sennertus cum Trostio rectius statuat pluralem ordinarie fieri בָּנִים à בְּנֶה atque tum ה abjici. Deinde Substantivum hoc sequenti substantivo ישראל junctum parit h. l. Regimen sive Stat. Constr. mutando in ultima ים in ֵי atque in penult. (ָ) in (ְ) Radix est בָּנָה *ædificavit, exstruxit, struxit, constituit,* quod Filius sit ex Parentibus quasi exstructus, & per quem familiæ, tanquam domus ædificantur, instaurantur & conservantur. Unde Deut. 25: 9. אשר לא יבנה את בית אחיו *Qui non ædificaverit domum fratris sui* & Ruth 4: 11. אשר בני את־בית ישראל *Quæ exstruerunt domum Israëlis.* Huc facit illud Plauti in Mostell. Act. 1. *Parentes fabri librorum sunt & fundamentum substruunt liberorum, extollunt, parant sedulo infirmitatem, ut & in usum boni, & in speciem populo sint, sibique aut materiæ ne parcunt &c.* Quoad vocem *Filiorum* observandum, hic per filios non intelligi eos tantum, qui immediate ab Israële progeniti, verum nepotes quoque & *posteros,* qui enim Patrem genuit etiam filium hujus genuisse videtur: Quo sensu 2 Sam. 19: 25. Mephiboscet בן שאול *filius Saulis* dicitur, cum tamen fuerit filius Jonathan, filii Saulis. Sic Prov. 13: 22. Bonus hæreditabit בני־בנים *filios filiorum,* h. e. nepotes, quemadmodum utrobique vox υἱὸς Act. 3: 24. ὑμεῖς ἐστε υἱοὶ τῶν προφητῶν, *Vos estis filii Prophetarum.* Reliquas ℥ בן significationes in præsenti non attendimus.

יִשְׂרָאֵל *Israëlis.*

§. 4. Est Nom. Prop. compositum ex שָׂרָה *principem se gerere, de principatu contendere,* & אל DEUS fortis. Sunt, qui cum Hieronymo in Es. 44. deducunt à יָשָׁר *rectum esse vel videri,* quasi Israël *rectus DEI* dicatur. Sed punctum diacriticum ℥ Schin in Ebræa voce יִשְׂרָאֵל in cornu sinistro positum facile hanc opinionem falsitatis arguit. Alii cum Augustino Lib. 16. de Civ. DEI cap. 39. ישראל compositum volunt ex איש ראה & אל quasi idem sit, quod *vir videns Deum.* Rectius nos cum Schindlero & Glassio deducimus à שרה & אל, partim, quia nulla hic mutatio puncti Diacritici metuenda est, partim, quia hanc originationem ipse Angelus increatus facile innuit, dum Genes. 32: 28. post luctam cum Jacobo susceptam diceres: *Non Jacob dicetur amplius nomen tuum, sed* ישראל nam שרית עם־אלהים ועם־אנשים *ut principem te gessisti* (pugnando) *cum DEO & hominibus,* quasi diceret: non cum Labane tantum & adversariis tuis, sed & cum ipso DEO jam fuisti luctatus, & fide fortiter vicisti. Similia tranominationis Exempla suppeditant nomina *Abrahami* pro Abram Gen. 17: 5. *Saræ* pro Sarai ibidem vers. 15.

תֹּאמַר *dices.*

§. 5. Est verbum Imperf. Quiesc. פ״א (juxta nonnullos) Fut. pers. 2. Sing. Masc. Conjug. Kal. Ad formam ℥ תִּפְקֹד dicendum erat, תֹּאמַר sed verborum פא imperfectio in eo consistit ut א in Fut. quiescat in cholem sequente (ֹ) Rad. est אמר *Dixit, Locutus est*; Quam quidem significationem tametsi frequentissime & primario (uti in hoc loco etiam) obtineat, fit tamen non raro, ut alia quoque significata ei competant. Sic Jon. 2: 11. ויאמר יהוה לדג *Et dixit Dominus ad piscem* i. e. præcepit. Paulo aliter sumitur Samuel. 21: 16. ויאמר *Et dicebat percutere Davidem,* quod LXX. verterunt καὶ διενοεῖτο & cogitabat.

אִישׁ אִישׁ *quisquis.*

§. 6. Est Nom. Masc. Sing. à Rad. inus. אוש uti existimat Schindlerus, nisi forte malis cum eodem derivare ab Ebr. אָשַׁשׁ *firmus* sive *robustus* fuit: sicuti etiam Latinis *Vir* ab animi & corporis viribus juxta nonnullos dicitur. Communiter אִישׁ significat Virum: hoc loco tamen significat hominem, & quoniam geminatur, habet vim distribuendi complete, quamvis & extra geminationem id interdum accidat: ut adeo איש איש significet, quemlibet hominem atque omnem omnino, qui in Israël habitare cupit, sive sit peregrinus sive incola.

Est

Est locutio Spiritus S. usitatissima, uti videre est ex Levit. 15: 2. איש איש h. e. *unusquisque qui laborat hoc morbo* (scilicet profluvio) *immundus est* item cap. 24: vers. 15. Ezech. 14: 4. ubi DEUS expresse idololatriam prohibet dicens איש איש quisquis è domo Israëlis &c. Male igitur quidam insimulant sermonem Hebraicum, dicuntque illum in hoc peccare, quod tam sæpe utatur tautologia, frequentiusque eadem inculcet sine necessitate, quemadmodum Munsterus in Præf. Bibliorum merito Augustinum Steuchum accusat.

מִבְּנֵי *ex filiis.*

§. 7. Vide supra §. 3. Præfigitur h. l. מ pro מִן per Chirek parvum sequente Dag. F. compensativo.

יִשְׂרָאֵל

Vide supra §. 4.

וּמִן־הַגֵּר *aut ex peregrinis.*

§. 8. Est Nom. Masc. Sing. cum ה Emph. & præfixis; atque מִן à Rad. גּוּר peregrinatus fuit. Nomen est גֵּר pro גֵּרִים per Enall. Numeri. De quo sic loquitur R. Sal. in Exod. 22: vers. 20. גר ארם שלא נולד באותה מדינה אלא בא ממדינה אחרת לגור שם: h. e. *GER est homo, qui non natus est in illa civitate, sed venit ex alia civitate ad habitandum illic.* Præfigitur ה Emph. articuli vicem hic obtinens per (-) sequ. Dag. F. מִן est particula separabilis significans *A, EX.* Denique præfigitur ו per Schurek propter Bumaph. De lineola Makkaph vide supra §. 2.

הַגָּר *qui peregrinatur.*

§. 9. Est Verb. Imperf. Quiesc. ע"ו Partic. Masc. Sing. Conjug. Kal. à Rad. גּוּר de qua paulo ante. Ad formam קָם dicitur regulariter גָּר deinde præfigitur ה modo supra facto. Quod quidem ה primario Pronomen Demonstr. ὁ, ἡ, τὸ, der/die/das infert: præterea tamen idem etiam notat, quod Latinorum Pronomen Relativum, *qui, quæ, quod,* si addatur verbo præterito & participio, rarius Præpositioni. Unde non mirum est Vulgatum & Tremellium ה in præsenti textu reddidisse *qui.* Similem loquendi modum observat B. Glass. Levit. הָאֹכֶלֶת *quæ comederit*, item Psalm. 146: 6. השומר *qui servat.* Quemadmodum vero Participia crebro pro nominibus usurpantur, sive in nomina degenerant (Sic Genes. 4: 9. שומר & *custodientem & custodem* significat) ita non erraveris fortassis, si hic quoque idem accidere affirmes. Interim tamen cave fingas aliquam hic vel alibi *βαττολογίαν*, quando una eademque vox quoad sensum repetitur. Præterquam enim, quod ex usu Linguæ sanctæ id sæpe fieri soleat; fit non raro etiam, ut abundantes ejusmodi voces vel rem plenius exponant, vel Emphasin addant, vel distributionem notent. Hujus exemplum vidimus supra in איש איש: illius videmus in præsenti loco, atque Jerem. 23: 2. על־הרעים הרעים *de pastoribus pascentibus populum meum*, sive (uti Tremellius & Junius vertunt) *pastores qui pascunt.*

בְּיִשְׂרָאֵל *in Israel.*

§. 10. Vide supra §. 4. Præfigitur hic ב per (:) regulariter. De significatione genuina ꝗ Beth. h. l. nullum potest esse dubium. Nam tametsi alias ex lectione sedula scripturæ S. certum sit ꝗ ב significare modo *Inter* ut Psalm. 68: 9. באדם *inter homines*: modo *Ad*, vel *In* ut Levit. 16: 22. במדבר *ad desertum* vel *in desertum*: modo *contra*, ut בכל *contra omnes*: modo *Ex* vel *De* &c. hic tamen primariam obtinet significationem, qua significat *In.*

אֲשֶׁר *qui.*

§. 11. Est Pronom. Relat. personæ Masc. sing. h. l. pleonastice positum. Sufficere enim poterat paulo ante dixisse איש איש quisquis, id quod innuere videntur interpretes, imprimis Vulgatus, Tremellius, atque Junius, item B. Lutherus, dum silentio præterierunt. Estque præterea hic pleonasmi modus non tantum in Ebræa, sed etiam in Chaldea & Syra frequentissimus, uti docent B. Glass. Philol. S. lib. 3. Tract. 2. p. m. 535. Buxtorf. in Gramm. Chal. Syr. p. 227. atque notatu apprime digna sunt, quæ celeberrimus Ludovicus de Dieu in Gramm. LL. OO. inter se collatarum Lib. 5. pag. 452. seqq. tradit. Deinde tametsi אשר h. l. significet *qui*: alias tamen pluribus significationibus substat; interdum enim significat *ut.* sic Deut. 4: 40: אשר ייטב לך *ut bene sit tibi*: item eo *quod*, *quia* ut 1 Reg. 15: 13. *Amovit ne esset augusta* אשר *eo quod fecerat horrendam statuam cum luco*; quandoque *Si*, *Cum* ut Lev. 4. vers. 22. item *Et* ut Hos. 12. vers. 9. &c. Denique pro אשר diminutum שֶׁ sequente Dag. F. interdum adhibitum leges, ut Psalm. 146: vers. 5. *Beatus* שאל cujus DEUS Jacob.

יִתֵּן *dederit.*

§. 12. Est Verb. Defect. פ"נ 3. Sing. Fut. Kal. à Rad. נָתַן *dedit, reddidit.* Regulariter foret יִנְתֵּן & per anomaliam primi Nun יִתֵּן sed specialiter est יִתֵּן vide Vasmuth Ebr. Rest. pag. 182. Similiter Genes. 15: 2. מַה־תִּתֶּן־לִי ubi (¨) propter Makkeph mut. in (÷) *quid dabis mihi?* Jer. 8: 10. לכן אתן idcirco tradam uxores eorum aliis. Cum quo convenit Syr. Matth. 4: 9. hæc omnia ܐܬܠ dabo tibi.

מִזַּרְעוֹ *de semine suo.*

§. 13. Est Nom. cum præfixo & suffixo, Masc. Sing. à Radice זרע *seminavit, sevit.* Sine Affixis est זֶרַע semen. Voce à fine crescente per Affix., mutantur puncta (÷) & (-) in duo (:) ubi duorum Schevajim simplicium prius producitur extraordinarie in (-) Vide Vasm. Ebr. Rest. p. 9. atque sic fit זַרְעוֹ denique præfigitur מ per (.) seq. Dag. F. compens. Ut vero de significatione genuina constet, observandum זרע significare non tantum *semen herbarum, plantarum, arborum atque quorumvis animantium*: verum etiam per Metonymiam *Sobolem, posteritatem, filios, nepotes, cognatos &c.* Quod innuere videtur Lorinus in Lev. 18. dum observat dupliciter vocem זרע h. l. capi posse, vel pro *Spermate* aut *sanguine*, vel pro *liberis ex semine producendis.* Quos imprimis hic intelligendos esse cum Cajetano asserimus, præsertim si evolvamus alia loca Gen. 4: 25. *reposuit mihi* Deus זרע *semen* (i. e. filium) *alterum pro Hebelo* 1. Sam. 1: 11. *Et dederis Ancillæ tuæ* זרע אנשים *semen virorum.*

לַמֹּלֶךְ *Molecho*

§. 14. Est Nom. Prop. Masc. sing. cum præfixis ל & ה absorpto. Sine quibus est מֹלֶךְ cui apponitur הַ Emph. per (-) seq. Dag. F. superveniente autem ל τῷ cedit ה atque vocalem suam τῷ ל concedit. De Radice non conveniunt Philologi: Quidam deducunt ab הלך *ambulavit*: aliis placet inus. לאך unde מַלְאָךְ *Legatus, Nuncius*, atque hi Mercurium designare volunt, quos refutatos vide à Lorino l. c. Andreas Beyerus in Additamentis ad Seldenum de Diis Syris p. 243. ab Ægyptiaca (quænam autem sit reticet) deductum esse vult ex mente Kircheri T. l. Oed. c. 15. p. 328. cum alibi natum & in Ægypto quoque receptum idolum sit. Nos potius cum Buxtorffio Schindl. aliisque deducimus à מלך *Regnavit, Rex fuit*, vel quod creditus fuerit Deus ille cæterorum Deorum Rex, vel quia idolum, in quo, & per quod Ammonitæ Deum suum coluerunt, regio habitu fuerit conspicuum. Tradunt enim Ebræi referente Lyrano in Lev. 18. & Andrichomio in Jerusalem p. 186. *Idolum Molech regiis insignibus ac regio in throno consedisse.* Quo respexisse videntur LXX. Interpp. dum reddidere ἄρχοντι. Pro מֹלֶךְ legitur cum ם heemant מִלְכֹּם 1. Reg. 11: 5. Cæterum quis per מֹלֶךְ denotetur, quæ ejus forma fuerit, quisque cultus ipsi exhibitus; vide infra. Id unum hic observes מלך cholem segolatum cum bis segolato minime esse confundendum, quod quidem à LXX. factum esse deprehendimus. Etenim Lev. 18: 21. Ebræum לַמֹּלֶךְ verterunt τῷ ἄρχοντι *principi.* Item 1. Reg. 11: 5. abiit Salomo post מִלְכֹּם abominationem Ammonitarum LXX. ita ὀπίσω βασιλέως αὐτῶν post regem ipsorum pro מַלְכָּה accipientes.

מוֹת יוּמָת *omnino morte afficitor*
juxta Ebr. *moriendo morietur.*

§. 15. מוֹת Est Verb. Quiesc. ע"ו Inf. Kal. adeoque ipsa Radix. Cholem cum Schurek hic alternat.

§. 16. יוּמַת Est Fut. 3. Pers. Sing. Hoph. à Rad. מות vel מוּת sed ob Accent. Reg. scilicet Silluk mut. (-) in (.). Observanda hic est probe præter constructionem verbi finiti cum infinitivo, ipsa quoque emphatica repetitio ꝗ מות, unde magnam certitudinem atque evidentiam colligere licebit. Flacius in Clav. Script. *Morte mori*, inquit, *est reduplicatio, quæ tum vehementiam tum & certitudinem notat, sicut & aliarum vocum reduplicatio.* Sic Gen. 2: 17. Quo die comederis ex eo מוֹת תָּמוּת moriendo morieris, h. e. juxta Osiand. in h. l. *certissime morieris morte temporali & æterna, mortalis eris confestim & felicitate tua præsente & æterna excides.* Conf. Gen. 26: 11. Exod. 19: 12. &c. Similes prorsus locutiones reperiuntur Gen. 2: 16. *Ex omni arbore hujus horti* אכל תאכל *comedendo comedes* h. e. prorsus sive libere comedes 2. Sam. 12: 14. quia נאץ נאצת *irritando irritasti inimicos Jehovæ* h. e. quia plane occasionem dedisti irritationis hostium DEI: Gen.

Gen. 37: 33. טרף טרף *discerpendo discerptus est Joseph* h. e. crudeliter, vel omnino certoque discerptus est.

עַם *populus.*

§. 17. Est Nom. Masc. Sing. à Rad. עָמַם *Operuit, Texit, Abscondit.* Quod vero significationem genuinam attinet, perspicuum est h. l. per עם non intelligi vel *formicas*, ut Prov. 30: 25. עם לא־עז *populus non fortis, & parant in æstate cibum suum*: vel *locustas*, ut Joël. 2: 2. עם רב populus multus: vel *bestias*, ut Es. 43: 21. עם *populus iste, quem formasti*; sed populum sive *multitudinem hominum*, indeterminate, non determinate accipiendo pro populo ex vulgo, quemadmodum Judæi עם הארץ vocant hominem indoctum & illiteratum, qui plane nihil scit, occasione forte accepta ex Lev. 4: 16. *Et si anima una peccaverit per errorem* מעם הארץ *ex populo terræ,* h. e. aliquis ex vulgo, uti exponit Schindlerus.

הָאָרֶץ *terræ.*

§. 18. Est Nom. Comp. Sing. cum ה Emph. Sine quo est אֶרֶץ cui ה per (-) seq. Dag. F. præfigi ordinarie debebat, sed Guttur. Dag. extrudit elevando (-) in (‚). Deinde (‥) prius mutatur in (‚) propter Artic. Quidam deducunt à רצץ *à terendo*, quod ab incolis suis terra teratur & caleetur, uti & Latine à terendo dictam volunt terram. Alii à רוץ cucurrit, quod currant animalia in ea, circa eam vero elementa alia, corporaque cœlestia. Alii, & rectius forte, Radicem apud Ebræos in usu non esse existimant. Cum quibus & facere videtur Buxtorffius, dum loco Radicis ponit ipsum ארץ majusculis literis expressum. Significationes varias & ארץ præterimus. Interim videatur Schindlerus Lex. Pentagl. p. 125. seqq.

יִרְגְּמֻהוּ *obruunto eum.*

Juxta Ebr. *lapident eum.*

§. 19. Est Verb. Fut. Plur. Fœm. 3. Pers. cum suffixo à Radice רגם lapidavit, lapidibus obruit. Regulariter foret יִרְגְּמוּ sed suffigendo הוּ prius Schurek cum (‚) alternat frequentissime, atque id ipsum Schur. expellit vocalem (‥) suffixo debitam. Id præterea observes תּו רָגַם modo cum, modo sine addito אֶבֶן significare lapidationem. Illius exemplum h. l. habes. Hujus lege Lev. 24.

בָאָבֶן *lapidibus.*

§. 20. Est Nom. Fœm. Sing. cum præf. Sine quo est אֶבֶן *lapis*, cui præfigendo ה Emph. per (-) seq. Dag. F. Guttur. hoc ipsum Dag. extrudit elevatque (-) in (‚) (quemadmodum paulo ante in הארץ) atque superveniente ב cedit ה Emph. ejusque vocalis recedit. Enallage Numeri (scilicet Singularis pro plurali) quæ hic occurrit non est infrequens in Script. S. sic Genes. 3: 8. legitur: *in medio* עץ arboris h. e. arborum. Num. 31: 35. Et *anima* ארם *hominis de mulieribus* h. e. animæ hominum sive homines. Deut. 20: 19. *arbor agri*, i. e. arbores. Similiter Apoc. 21: 21. καὶ ἡ πλατεῖα *& platea urbis erat aurum purum*, h. e. plateæ.

SECTIO III.

proponens

Diversas Autorum opiniones de Molocho, ejusdemque cultu, una cum ἐπικρίσει.

§. 1. NEfandum erat Numinis sacrificium, quod Ammonitæ, & post hos quidam ex Israël, idolo Moloch offerebant, comburendo liberos. De quo vide Lev. 18: 1. C. 20: 2, 3. 2. Reg. 23: 10.

§. 2. Historiæ tum Ecclesiasticæ, tum profanæ, multas de Molocho fovent sententias, ita ut quis ille fuerit, in dubium vocari possit. Nonnulli enim cum Oecumen. in Act. 7. & Aria Montano in Amos 1. putant Moloch esse *Mercurium*; hunc enim dictum esse Moloch à מלאך i. e. *nuntius*, eo quod ipse haberetur Deorum nuntius: alii cum Cajetano putant Moloch fuisse *Priapum*: alii censent fuisse *Jovem*, quia ille מלך sive Rex Deorum: plerique statuunt Moloch fuisse *Saturnum.* Quam sententiam & nos tanquam probabiliorem acceptamus. Nobiscum faciunt Dn. D. Calovius in Bibl. Illust. ad Cap. 18. Deut. vers. 10. Joh. Ad. Osiand. Comment. in Lev. 18: 21. (quamvis hic præter Saturnum etiam Martem per Moloch designatum fuisse existimet) Cornel. à Lap. in Lev. 18: 21. Seldenus de Diis Syris p. m. 181. Andr. Beyerus in Additam. p. 243. seq. & alii.

§. 3. Tametsi enim Gentiles non tantum Saturno, sed & Jovi, Dianæ, Baccho, Marti, Palladi, atque Diomedi humano sanguine litarint, uti testatur Cyrillus lib. 4. contra Julianum: tamen observat Philo, antiquissimus rerum Phœnicarum scriptor, lib. 1. Hist. morem fuisse Phœnicibus (quibus vicini erant Judæi) ut cum maximæ calamitates publicæ metuerentur, Saturno immolare solitos esse liberos, atque iis sacrificatis publicum exitium sublatum iri putasse. Atque hac de causa forte Pictores cum Poëtis fingunt Saturnum devorantem ore hiante pueros.

§. 4. De Forma Molochi pariter non omnimode conveniunt Autores. Joh. Lorinus in Comment. ad h. l. hominis instar fuisse existimat, cupreum & concavum, extensis manibus, in cujus concavitate fiebat ignis, quousque esset quasi ignitum. Alii idolum fuisse æneum putant, capite vitulino, reliquo corpore hominis forma regis insignibus, ac regio in throno considens, manus protendens, quibus pueros oblatos exciperet, pyra intus accensa. Omnium accuratissime Paulus Fagius ex Libro Jalkut (cujus autor R. Simeon) describit, dum Formam idoli perhibet fuisse vitulinam, passis semper manibus, concavum, & septem conclavibus interstructum, primum similæ, alterum turturibus, tertium ovi, quartum arieti, quintum vitulo, sextum bovi, septimum homini vivo consecratum. Cui sententiæ & B. Glassius Phil. S. p. m. 1016. seq. it. Aretius in Act. 7. p. 40. atque Seldenus p. 169. subscribere videntur.

§. 5. Cultum quod attinet, disputatum est hactenus prolixe inter Philologos: *Num revera liberi combusti, an vero per ignem tantum traducti ac februati sint?* Posteriorem sententiam arripiunt plerique Rabbinorum, R. Salomon, Jarchi, Kimchi, Moses Mikotzi, Maimonides, aliique, moti phrasi illa, qua in nonnullis locis usurpatur העביר באש *traducere per ignem.* Traducendi autem rationem fuisse existimant, quod exstructæ fuerint duæ pyræ, & initiandus nudis pedibus eas pertransierit. Alii contra flammis ustulatos tamdiu fuisse docent, donec exspirarent. Ita sentit è Rabbinis Nachmanides, cujus verba allegata vide ab Andr. Beyero in Addit. pag. 246. Huic suffragantur Lorinus Comment. in Lev. h. l. Glass. Phil. S. p. c. Schindl. Lex. Pentagl. Jun. Tom. I. Oper. col. 1002. Flacius Clav. Scr. col. 1228. Corn. à Lap. in Lev. 18. & Joh. Seldenus de Diis Syr. Synt. 1. p. 76. his moti inprimis rationibus, quod Psal. 106. dicatur, mactasse filios suos filiasque Dæmoniis: atque præterea expresse mentio fit effusi sanguinis Ezech. 16: 22.

§. 6. Sed neutra sententia alteram tollit, ut Vossius Patet cum Filio, & cum his Beyerus, ille Idolatr. l. 2. C. 5. iste ad Maim. hic in Addit. p. 248. judicant, cum quidam februasse, perque ignem tantum traduxisse, alii vero eosdem, & plerumque, plane totosque obtulisse concremandos videantur.

§. 7. Ritum & offerendi & cremandi pueros his verbis describit Corn. à Lap. l. c. ex Lyrano & Abulensi: *Idolum Moloch*, inquit, *erat statua concava, manus habens latas, in quibus ponebatur puer immolandus, qui igne statuæ intrinsecus subjecto comburebatur, vel traducebatur per ignem, i. e. impellebatur per ignem in brachia Moloch, ut ejus quasi amplexu cremaretur.*

§. 8. Ne vero inter immolandum puerorum ejulatus Parentum commoverent viscera, atque ut oblatio Dæmoni esset gratior; Sacerdotes (qui כמרים sunt nuncupati, fortassis à nigris vestibus, quibus erant cincti) aliique idoli ministri, quamdiu sacrificium durabat, rauco tubarum clangore ac ingenti & indefesso tympanorum strepitu undique aërea replebant, unde & locus ille nomen *Tophet* sibi acquisivit à תוף, quod tympanum denotat: quemadmodum ניבן הנם à rugitu S. lamentis puerorum nominatus idem locus. Denique post expletum sacrificium scortabantur ejus cultores sub arborum opacitate, quippe cingebatur Molochi templum luco. Vid. Voss. de Theol. gent. l. 2. C. 5.

§. 9. Occasionem hujus immolationis dedisse inter alia videtur exemplum Abrahami, cui Deus præceperat olim, ut Isaacum, filium suum unicum, eumque charissimum mactaret atque sacrificio offerret Deo. Hoc igitur institutum æmulabantur filii Israel, autore certe ipso Diabolo, tanquam Dei Simia, rati, se Deo rem gratam exhibere, si liberos suos idolo Moloch immolarent. Sed toto cœlo errarunt. Etenim Deus in mandatis dederat Abrahamo, ut filium immolaret: perspecta tamen satis superque fide Abrahami, immolatio non est facta, verum per Angelum sese interponentem prohibita, *ne videlicet extenderet manum super puerum, aut faceret illi quicquam.* At quis filiis Israel hoc in mandatis dederat? Non certe DEUS, qui potius repetitis vicibus serio interdixit, ne immolent filios Molocho, cum annexa pœna gravissima,

dum

dum faciem suam super hominem illum (qui scilicet immolando hoc commiserit facinus) se positurum minatur. Quibus verbis facile innuit Deus, quod, qui id fecerit, etiamsi ab hominibus liber dimittatur, non defuturam tamen pœnam divinam, qua & transgressor mandati divini & tota familia ejus sit exterminanda.

§. 10. Ad exemplum Abrahami etiam respexisse videtur Phœniciæ Rex vetustissimus, Israel dictus, qui filium suum μονογενῆ immolavit. De qua re Eusebius l. 1. præpar. Euang. ex Porphyrio, sic loquitur: Κρόνος, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι βασιλεύων τοῖς χώρας (Φοινίκων) καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας Νύμφης Ἀνωβρὲθ λεγομένης, υἱὸν ἔχων μονογενῆ· ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι· κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμόν τε κατασκευασάμενος κατέθυσεν.

§. 11. Concludimus verbis B. Lutheri, quæ leguntur Tom. 4. Oper. Germ. pag. 143. Also sagt der Prophet Micheas: Was soll man GOtt thun / das ihm wohlgefället? Soll man ihm einen Sohn opffern? Nein / sagt er / GOtt wil sein nicht. Warumb nicht? Hats doch Abraham gethan? Noch wil Ers nicht. Warumb das? Wenn Ers geboten hätte / daß man das Wort hätte / so wäre es wol gethan; wo nicht / so stehe mir bey Leibe davon abe. Denn die Narren haben dem Exempel gefolget / und nicht gesehen / daß hie Gottes Wort und Glaube ist / aber mit ihnen ist nichts denn Vermessenheit und eigen Dünckel / damit sie wollen ein eigen Werck und Dienst thun. &c. Hic pedem figere cogimur. Interim DEO pro assistentia benigna devota mente decernimus immortales gratias.

M. T. Θ. Δ.

M. JOH. HELV. WILLEMERI
DISSERTATIO
De Pronuntiatione Nominis יהוה ad Levit. XXIV: 16.

הקדמה



Quanta piis ex vera invocatione divini nominis est expectanda salus Joël. 2: 32. Actor. 2: 21. Rom. 10: 13. tanta impiis ex neglectu contemtuque ejusdem metuenda pœna Exod. 20: 7. & Deut. 5: 11. Levit. 20: 3. 4. Ps. 79: 6. & Jerem. 10: 25. Quæ cum sæpe multumque nostris observantur animis, diligentissimam sanctissimi nominis divini observationem in nobis jure merito excitant, docentque nos de DEO non nisi castissime sentire, & cum summa animi reverentia publice privatimque dicere. Non facile majori cum periculo mens aut lingua errare, sed neque insigniori cum fructu eadem exercere sese valet, quam in sanctissimi nominis divini meditatione ac celebratione. Hanc opere pariter ac voce demonstrare decet ac memori pectore gerere, quin & in ea constanter asserenda, & contra illatas quorumcunque contumelias solide severeque vindicanda, sedulam ponere operam atque ostendere justissimum nostrum pro gloria DEI zelum. Secuti has rationes sunt, divinoque Levit. 5: 1. mandato audientes fuerunt Israëlitæ, quotquot blasphemum illius Ægyptii Levit. 24: 10. os legitimo compescuerunt modo: dum audita ex Ægypto horrenda nominis divini blasphemia vers. 11. ad Mosen Judicem duxerunt læsæ Majestatis divinæ reum, & fideli traditum custodiæ vs. 12. de apertissima DEI voluntate vs. 14. castris eduxerunt, atque manibus ei impositis, vivum lapidibus obruerunt vs. 23. Data inde occasio est promulgandæ sigillatim severissimæ adversus blasphemiam legi vs. 15. 16. novoque morbo novum quæsitum est remedium, ne quis tam magno, tamque horrendo sese involvat crimini: ob quod ab Israëlita exauditum, scissio vestium Judæis imperabatur præcepto Majorum: quod his conceptum verbis *Coccejus in Sanhedr. p. 62.* recitat אחד השומע ואחד שומע מפי שומע חייב לקרוע *qui blasphemiam audit vel ab ipso autore, vel ex alio, tenetur vestem discerpere.* De qua laceratione vestium pluribus ex Scripturæ S. fundamentis disserit *D. Gerhardus Harmon. Euang. P. IV. cap. 187. p. 1821. b. Chrysostomus* etiam *homil. 1. & 5. ad popul.* scribere non veretur: audiens blasphemantem, illico alapa percutere ne dubitet, quia is Dominum universorum offendit. Verum magis magisque ingravescens Judaicæ gentis superstitio non sepimento quodam hanc legem munire, sed commento, sane turpissimo, alienum prorsus sensum affingere eidem studuit studetque non minori pertinacia, quam perversitate: ut hoc etiam exemplo docere liceat atque evidentissime demonstrare, quod Judæi *ad Scribarum magis, quam legis verba attendant*, juxta frequens Majorum suorum monitum: quam blasphemam merito vocem dixit *D. Pfeiffer. fascic. dissert. pag. 16.* Quo nomine & Pharisæos gravissime coarguit & evidentissimo docuit exemplo Christus Matth. 15: vs. 3. quod ipsius DEI transgrederentur mandatum, propter suas traditiones. אפילו אמרו לך על ימין שהוא שמאל *etiamsi dicant tibi, dextram esse sinistram*, quam cœcam imperat obedientiam impudentissimum *Lipmanni* os in *Nizach. super* קהלת *p. 177. edit. Hacksp.* Quod minus mirum ei videri possit, qui expendit quæ in hanc rem affert *Talmud. Hierosol. Massech.* ברכות *cap. 1.* תדע לך שדברי סופרים חביבין מדברי תורה וחביבין דברי זקנים מדברי נביאים *scias, verba Scribarum amabiliora esse verbis legis: & Prophetarum verbis amabiliora esse verba Seniorum.* Adeoque חומר בדברי סופרים מבדברי תורה *gravius peccatur circa verba Scribarum, quam verba legis*, secundum *Sanhedr. cap. 10.* Quæ atque similia etsi satis impie asserta, à Judæis tamen studiose observata deprehenduntur, adeoque cum alias totius divinioris Scripturæ, tum nostræ speciatim legis verba non ponderant ex æquo, factique antecedentis exiguam habent rationem aut nullam: neglecta insuper aut perverse instituta Scripturarum collatione, nec rationum momenta attendunt, nec optimorum Interpretum, quin nec suorum, consensum admittunt atque fidem: dum nudam externam, religiosam pariter ac irreligiosam, nominis יהוה pronuntiationem hic prohibitam contendunt omnibus, si quæ sunt, ingenii viribus, suo pertinaci in superstitione facto ac verbis longe plurimis, minis etiam horrendisque diris. Atque sic gravissimæ huic divinitus indictæ pœnæ obnoxios reddere conantur omnes, quotquot ab omni nominis divini essentialis legitima pronuntiatione non abstinent. Ingens sane intentatum istis crimen, cujus nullibi eos reos facit Summus Legislator, etsi ejusdem sanctissimum hic obtendant superstitiosi nomen atque verbum, idque cum insigni ejus abusu, sed nec sine enormi crimine. Nos merito lubentesque concedimus in Venerandi *Dn. Sennerti* nostri sententiam, qua potissima hujus controversiæ momenta brevi accurataque dicendi ratione est complexus Philologus in Orientali literatura Clarissimus, dum *proœmio disp. de nomine DEI proprio ann. 1646. habitæ* ita infit: *Nos cum certi simus, nullam quoad nominis hujus divini pronuntiationem veram & legitimam in S. Literis interdictum esse, sed potius licuisse illud temporibus Patriarcharum*

rum, Sacerdotum, Regum & Prophetarum usurpare, hanc Judæorum superstitionem DEO minime placentem abominamur, & nostrum potius cultum DEO debitum in hoc nomine pie pronunciando, recteque de illo cogitando & disserendo, quantum in hac mentis caligine nobis datum est, testari non dubitamus. Quo consilio hac etiam vice universi hujus negotii rationes pro exiguis ingenii judiciique viribus investigabimus, supplicibus venerati precibus Numen benignissimum, velit nobis intelligendi acumen, introspiciendi subtilitatem & loquendi gratiam copiosam clemens concedere, atque adeo in omnem ducere veritatem, quo & sanctum ejus inter nos colatur nomen, & obturato ore blasphemo profligataque falsitate, sua DEO soli gloria & cœlesti verbo veritas constet perpetuo אנא יהוה הושיע נא אנא יהוה הצליחה נא

באי אמה

§. I. QUam in præsenti ventilandam sumsimus controversiam, plenissime cognoscere, solideque decidere licet ex evolutis rite verbis latæ de blasphemia legis, quæ Lev. 24: vs. 16. continetur, & cum in authentico primigenio textu, tum celebrioribus Versionibus ita habet: וְנֹקֵב שֵׁם יְהוָה מוֹת יוּמָת Targum *Onkelos*: וּדְיִפָרֵשׁ שְׁמָא דַיְיָ אִתְקְטָלָא יִתְקְטֵל *Et qui explanaverit nomen DOMINI, occisione occidetur.* Samarit. [Samaritan text] *Execransque nomen Domini morte morietur i. e. occisione occidetur.* [Syriac text] *Et quicunque expresserit nomen Domini, occidendo occidatur.* Arabs: *Et qui blasphemaverit illum hoc pacto, occisione occidatur.*

LXX. ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα κυρίε, θανάτῳ θανατέσθω *Nominans autem nomen Domini, morte moriatur.*

Vulgata: *Et qui blasphemaverit nomen DOMINI, morte moriatur.*

Pagninus & Arias Montanus: *Et nuncupans nomen Domini, morte moriatur.*

Munsterus: *Et qui blasphemaverit nomen Domini, morte interficiatur.*

Junius & Tremellius: *Itaque qui execratur nomen Jehovæ, omnino afficitor morte.*

Leo Judæ: *Et qui diserte expresserit Nomen Domini, morte multetur.*

B. Lutherus *in versione priori anno* 1525. **Welcher des HERRN Namen nennet / der soll des Tods sterben / die gantze Gemeyne soll ihn steynigen / wie der Frembdling / so sol auch der eynheymische seyn / wenn er den Namen nennet / so soll er sterben.** In versione altera & hodie communi: **Welcher des HERRN Namen lästert / der soll des Todes sterben.**

In versione alia: **wol des HEren Namen lastert / de schal des Dodes sterven.** Et in margine **Gadeslasteringe vorbaden.** *Anthonius* **Koburger** anno 1483. edit. Noriberg. **Und der da verspottet den Namen des HErrn / der sterb des Tods.**

§. II. Quæ verba *Cyrillus* Alexandr. in Amos. 6. num. 62. *Origenes* homil. 14. *Chrysostomus* in Psalm. 49. *Augustinus* quæst. 86. 87. in Levit. *Philo* l. 3. de vita Mosis, & è recentioribus *B. Lutherus* Comm. in Gen. 30: 28. T. 9. Alt. f. 944. a. *D. Franzius* de interp. S. Script. orac. CIII. à pag. 621. ad 631. *D. Calovius* in Bibl. Illustr. in Levit. tom. 1. pag. 502. seqq. de Theolog. natur. & revel. p. 236. *D. Quenstedt* in LL. Difficil. V. T. L. 14. ἀνεκδ: *D. Erasm. Marbachius* Comm. in h. l. p. 117. seqq. *D. Varenius* Decad. Mos. in Levit. p. 154. sq. *Hackspanius* Not. Philol. P. I. pag. 455. seq. *Sennertus* disp. de ἀνεκφωνήσῳ nominis div. anno 1642. *Fesselius* Advers. S. lib. I. c. 17. integr. p. 83. *Lyra* & Oleaster in h. l. *Abulensis* in Lev. quæst. 9. 10. seqq. *Joh. Lorinus* Comm. in h. l. p. 839. seqq. *Jacobus Bonfrerius* Comm. in Pentat. p. 703. *Lud. de Dieu* animadvers. in V. T. pag. 93. inprimis *Matthæus Polus* Synopsi Criticorum Parte I. vol. 1. fol. 604. seque *Menasse ben Israel* Conciliat. in Exod. quæst. 3. aliique innumeri ea fide ac diligentia, pertractarunt, atque partim contra iniquas Judæorum aliorumque detorsiones asseruerunt, ut hoc in negotio, honestissimo otio frui, eorundemque placitis, in quantum à vero non abhorrent, tuto hic acquiescere nobis liceat. Nulli tamen veremur, horum ductu & auspicio brevibus, quid hic sentire deceat, exponere atque certis rationibus confirmare, adversæ potissimum partis sententiam profligare.

§. III. Quod igitur primo dicendum loco, arctissimo societatis vinculo conjuncta culpæ pœna est: quam hic etiam sanctissimus Legislator indivulsam voluit, docuitque quæ commisso horrendo blasphemiæ facinori sit infligenda mortis pœna. Ut in diligentem merito considerationem veniat culpæ primum commissio, pœnæ deinceps immissio. Illa perversissimo hominis studio; hæc justissimo DEI decreto vendicanda: gravis utraque atque horrenda. Tantum cadit in hominem nefas, ut נוקב audiat, & quod omni detestatione dignissimum נוקב שם יהוה. Sic enim criminis natura exprimitur atque materia, ut loquuntur, in qua & circa quam. Septem potissimum penes Ebræos verba קלל קלה קבב נקב גדף ארר אלה blasphemiæ crimen designant: quorum medium in nostro textu adhibetur. נקב vero secundum diligentem *R. Nathanis* observationem יפרד לשלשה ראשים dividitur in tria significata: quæ convenientiori ordine positoque è Scripturis S. fundamento recenset *Dan. Fesselius Advers. S. lib. 1. cap. 17. §. 9. p. 85.* quam cum Rabbinis eadem refert *Joh. Coccejus in Sanhedr. c. 7. p. 60.* atque Lorinus Comm. in Lev. p. 853. b. *Proprie ac primario* figendi, transfigendi perforandique notionem exprimit, apud Ebræos æque ac Chaldæos 2 Reg. 12: 9. Syros. Psal. 40: 7. Samaritanos, Arabes atque Æthiopes: quod Philologus γλωσσανατολικογνωσίας laude celeberrimus *Edmundus Castellus Lexic. Heptaglott. p. 2393. Schindlerus, Hottingerus. Nicolai* aliique in Lexicis Harmonicis, rationibus suoque consensu muniunt. Atque sic ratione characteris interni & externi *convenit cum* נבך *cavavit*, juxta *Castellum l. c.* ut exerat sese in his linguis obvia satis literarum transpositio. Faciliori tamen ratione Latinorum cavo seu excavo cum נקב qua originem atque significationem conferre licet, facta litteræ נ aphæresi, quæ frequentissime obtinet, in linguis Orientis cum inter sese, tum cum Occidentis quoque conferendis. Ita satis manifesta ratione à נפל Germanorum **fallen** / à נבק Latinorum *vacuo*, *demta prima litera Nun*, (nisi hic נקב præferre malis) deducit *D. Joh. Forsterus Dictionar. Hebr. pag. 516.* quo egregio scripto sempiternam sui memoriam Literariæ Reip. intulit Philologo-Theologus, longe doctissimus, Ecclesiæ studiis utilissimus: quod dignum tanto viro judicium veritatis studio accurate satis tulit *Dn. D. Quenstedt Dialog. de patriis illustrium doctrina & Scriptis virorum pag. 155.* Si missa hac convenientia, usum diviníoris, ut par est, Scripturæ potissimum spectemus, verbum נקב in prima hac significatione usurpatum inveniemus de perforatione manus humanæ 2 Reg. 18: 21. Esaiæ 36: 6. nasi Behemoth Jobi 40: 19. maxillæ Leviathan vers. 21. (in Concord. Ebr. mendosè 26.) loculi Hag. 1: 6. γαζοφυλακίε 2 Reg. 12: 9. (alii 10.) ubi simul τῷ חר effecto suo jungitur. Et inde perforatæ fistulæ, perforanti malleo, inprimis acuto, sexuique sequiori denominando originem dedit. Atque in hac מיבר terebrandi significatione profanum Rabbinorum vulgus vult esse interdictum, ne quis cultro scindat nomen in membrana scriptum, argumento legis Deut. 12: 3, 4. uti refert *Coccejus in Sanhedr. pag. 60.* Indignum equidem homine, nedum Rege, in Ecclesiæ gremio constituto, scelestum execrandumque prorsus facinus commisit Jojakim, dum ministro Judi, divina Jeremiæ scripta novacula scribæ discerpi, & in ignem mitti passus est, quo de pluribus Jerem. 36: 23. seqq. quæ quibusdam truculentis tyrannis hæreticisque pessimis repetita libido ultrice DEI vindicta severissime sæpius est coërcita. De materiali tamen uti universæ Scripturæ divinioris, ita & nominis DEI essentialis, quoad apicem, literam aut syllabam nunquam abolendo, nulla sancitum lege est, nullum concessum divinitus privilegium. Sed nec Mosi indicta inflictaque pœna, ob magna animi perturbatione ac impotentia fractas divinæ legis tabulas, ipsius DEI digito exaratas, nomen DEI essentiale utique etiam referentes. Et ubi, quæso, repetita vice divinitus conscripta Lex? ubi non dicam omnia, sed singula solum Scripturæ S. αὐτόγραφα, Sanctis Prophetarum manibus consignata? injuria & vetustate temporis aliove casu consumta, perdita, abolita. *Codicem Mosaicum autographum, in Sanctuario ad S. Arcam repositum — una cum arca cæterisque templi ornamentis, incendium Chaldaicum absumpsisse, constans est Doctorum opinio, inquit L. Joh. Ben. Carpzovius Disp. quæst. quorsum arca fœderis pervenerit.* Confer in eandem sententiam *D. Dannhauer. T. I. Theol. Conscient. P. II. spec. Dial. 1. p. 377. Hodosoph. Phænom. I. p. 31.* Præterea נקב nunquam in Scriptura nomini יהוה eo sensu jungitur, ut scissionem membranæ cultro factam innuat. Legem Rabbini citant fide punica: agit ea de locis idololatricis, lucis, delubris, excelsis, aris, idolis eorumque nominibus corrumpendis, comburendis, abolendis, extirpandis, ut nec fama nec memo-

memoria eorum eo in loco superfit. Prout nomen sæpe pro fama, nomine celebri, cum laude & existimatione conjuncto sumitur. Atque ita perire dicitur nomen idolorum, non ubi novacula erasum discerptumve est, sed dum celebrata hactenus idola omnimode delentur, penitissime intereunt & quasi radicitus loco suo animisque hominum evelluntur, ut nulla, nedum honorifica, ipsorum memoria maneat reliqua, conf. quoad hunc sensum verbi אבד Psalm. 1: 6. 9: 6. quoad idolorum destructionem Numer. 33: 52. 2 Reg. 19: 18. Ezech. 6: 3. Ipsum idolorum nomen, toties in S. Literis à Sp. S. Amanuensibus relatum, non prohibetur scribi: nec, ut quacunque ratione scriptum aboleatur, & vel scalpello discerpatur, injungitur Perdere nomen idolorum & ut pereat nominis eorundem fama curare debemus. De vocis אבד usu multiplici confer Fesselii Advers. S. Lib. VIII. cap. 2. integr. à p. 229. ad 249. Verba Deut. 12: 4. *Non facietis ita*, ad recensita vers. 2. referuntur potius, quam ad imperata vs. 3. quod evincit opposita ratio vs. 2. & 5. & recte observat רשי ita scribens לא תעשון כן להקטיר לשמים בכל מקום כי אם במקום אשר יבחר *Non facietis ita, ut suffitum* (sacrificium) *faciatis DEO in omni loco, sed eo* (tantum) *loco, quem elegerit.* In hunc igitur sensum ea verba accipienda: Nequaquam quibusvis aut iis locis eaque ratione cultum Jehovæ præstabitis, qua Gentiles Deastris suis, quorum nomen & gloriam mirum quantum extulerunt: quæ vana jactitant de suis Diis Gentiles, quæ magnifica iis facta attribuunt, vos contemnetis, ac contrario prorsus studio, Jehovæ vero DEO eique soli omnem sapientiæ, justitiæ, potentiæ, adorationis &c. gloriam vendicabitis. Quæ de loco isto in contrarium allato & prima נקב significatione dicta sufficient. Nunc expendenda altera est, ubi juxta *R. Nathan* פירשה לקללה או לברכה significat in bonam aut malam partem, vel, ut habita primariæ significationis ratione *Schindlerus in Lex. Pentagl.* loquitur, *confodit aliquem dictis vel bonis vel malis.* Transfertur ita ab usu proprio, eleganti similitudine, ad expressam nominis vel rei determinationem, quæ firma ponitur ac fixa: aut etiam ad maledictionem, execrationem & blasphemiam. Ut ita *maledicere* idem sit quod *malis verbis aliquem perforare*, *ut loquitur Ainsworthus apud Matthæum Polum Synops. Criticor. Part. I. vol. 1. fol. 605.* Quo pertinet Latinorum *configere maledictis*, & Germanorum **durchstochern/ Stochelreden.** Ita *execrari* (*blasphemare* juxta vulgo receptam acceptionem, ut *Augustinus de moribus Manich. cap.* 11. loquitur) est famam vel nomen alicujus (DEI) diris quasi confodere, integritatemque ejus vitiare velle, ut blattæ tineæque librum vel vestimentum, ut acuminatum ferrum ligna & lapides, carnem & ossa cujuscunque animantis pungit, penetrat ac sæpe frangit. Sic igitur נקב & *in bonam partem* adhibetur בלשון פרושי & ita convenit cum Syriaco ܢܩܒ quatenus hoc in Aphel explicandi exponendique notionem sustinet. In S. Lit. נקב hoc sensu adhibetur ad definitam rei expressionem seu determinatam recensionem, utpote mercedis Jacobeæ Genes. 30: 28. נקבה שכרך עלי quod eleganter reddit Lutherus: **Stimme das Lohn/** Junius & Tremellius, definitam mercedem tuam impone mihi: recteque cum Targum Onkelos reddit רשי" per פרש LXX. διάστειλον distingue: quod egregie ita ⟨...⟩ *D. Varenius Decad. Mosaic. in Bresith. pag.* 519. **Erklåre dich nur/ fodere so viel als du wilt/ setze mir ein gewisses.** Sic & de expressione clare atque nominetenus facta adhibetur Numer. 1: 17. ubi Chald. אתפרשו 1 Paral. 12: (13.) 31. 16: (17.) 41. 2 Paral. 28: 15. 31: 19. Esræ 8: 20. de honorifica nominis celebratione Amos 6: 1. ut & Esaiæ 62: 2. contra quam sentit *R. Nathan in Concord.* quem fere singula textus verba refutant aliique Interpretes. Targum reddit יפרשנה LXX. Interpr. ὀνομάσει αὐτό. Hinc *R. Salomon ben Melech in Genes.* 30: 28. נקבה: ענינו פירוש וביאור כתרגומו כלומר כל מה שתפרש עלי שאתן בשכרך אתן וכן אשר פי יי" יקבנו נקובי ראשית הגוים *Significat expressam definitionem juxta Targum, ac si diceret, omne quod expresse definiveris mihi, ut dem pro mercede tua, dabo: & ita* (accipitur) Esaiæ 60: 2. Amos 6: 1. Alias tamen sæpe & *in deteriorem patrem* נקב sumitur, ad denotandum maledicendi execrandique crimen. Ita idem est, quod extreme detestari, vituperare & mala quæque imprecari. Prout. Numer. 23: 25. diserte, evidenter ac singulari emphasi, (de qua *D. Glassius* Phil. S. Lib. III. Tract. III. can. XXXVII. pag. 349. *D. Wellerus* Spicil. quæst. Ebr. Syr. disp. 1. quæst. 1. *D. Wasmuth* Hebraism. Restit. pag. 205. *Dn. Buxtorfius* Thes. Gr. Lib. II. cap. XVI. pag. mih. 498. aliique conferri merentur) benedictioni opponitur: divinam & humanam maledictionem complectitur Numer. 23: 8. tam bonorum malis factas imprecationes pœnarumque denuntiationes Jobi 5: 3. Proverb. 11: 26. 24: 24. ut Sanctorum increpationes esse futurarum pœnarum vaticinia, docuit Augustinus in Psalm. 53. & Beda in Actor. 8. quam magicam præstigiatorum incantationem Jobi 3: 7 (8) ubi cum ארר conjungitur; atque alias significationem, ut formam sæpius, inprimis Numer. 23. cum קבב permutat. Et in hac ultima imprecandi execrandique significatione in hoc nostro capite ter legitur, bis in nostro vs. 16. quod infra probandum, & semel vers. 11. ubi קלל jungitur, cognatæ prorsus significationis, non diversæ. Ut frustra hic sit *R. Salomon ben Melech*, qui dicente *Hackspanio ad Lipmanni Nizach. p.* 361. *è Kimchii Grammatica & Lexico notas dispersas ita redegit in ordinem, ut Commentarii biblici loco esse queant*; verum, ut rite adjicit *Buxtorfius Biblioth. Rabb. p.* 369. *Grammatici.* Speciosum sane operi titulum מכלל יפי *Perfectio pulchritudinis* præfixit: cujus denominandi rationem potiori jure ex Thren. 2: 15. & 14. quam Psalm. 50: 2. arcessimus. Quæ hisce Collectaneis *R. Jacob Abendana* Spicilegii nomine ceu ῥάκος πολυσχιδὲς assuit, plurimam partem ex Abarbanele sine mente & judicio transcripta deprehenduntur, ut vere notat *D. Pfeiffer program. Lection. in Jonam, adjuncto disp. de Masora f.* 2. Is igitur ad Lev. 24: 11. hæc habet: ויקב: ענינו פירוש וביאור ועניגו פירש השם באותיותיו וקלל *Significat expressam determinationem, & sensus ejus est, expressit Nomen literis suis & maledixit.* Priora hujus sententiæ sua facit D. Varenius Decad. Mos. in Lev. p. 155. atque in נקב significationem פירוש וביאור ostendi ait. Ita & Aben Esra in h. l. יש אומרים שפירושו ויפרש כמו אשר פי יי" יקבנו אשר נקבו בשמות ויש אומרים שהוא כמו מה אקוב והראשון קרוב לפי דעתי *Sunt qui dicant quod expositio ejus sit, & expressit, sicut* (*Esaiæ* 62: 2. *Num. I:* 17.) *alii vero dicunt, quod sit* (*sensus ejus*) *quemadmodum* (*Num.* 23: 8.) *prius autem propius accedere* (*verosimilius*) *videtur juxta meam sententiam.* Aliud ostendit vox ויקלל per ἐπεξήγησιν ἢ ἐπιμονὴν adjecta: quæ singulari elegantia in Scriptura S. frequenter adhibetur לחזוק Psal. 105: 23. 140: 6. 144: 1. 145: 2. Jer. 13: 17. Jonæ 2: 3, 4. &c. à Doctoribus nostris solide probatur, *D. Glass.* Phil. S. Lib. 4. tr. 2. obs. 15. p. 730. Lib. 5. p. 573. D. **Geier** in Psalm. t. 1. p. 96. t. 2. p. 1135. in Proverb. 1: 2. p. 9. à plerisque Christianis interpretibus hic loci asseritur, ab ipsis etiam Rabbinis hic & alias admittitur. Ita *B. Lutherus*: **låstert den Namen und fluchet** *J. Tremellius* Tunc exsecrans filius ille Israëlitidis mulieris, nomen illud *Dei* blasphemavit. Ita & *R. Nathan* in Concord. Hinc affirmant Rabbini, quod *idem sit* נוקב & מְקַלֵּל *probant ex Levit.* 24. *ubi quum vs.* 11. *conjuncta fuissent* ויקלל & ויקוב *postea vs.* 14. *dicitur* הֹצֵא אֶת־הַמְּקַלֵּל ש"מ חדא היא *quo subintelligi datur, idem id esse*, ut est *apud Coccejum in Sanhedr. c.* 7. *p.* 61. Longe rectius quam Sal. ben Melech istud ויקב exponit רשי" per גדף, Targum Hierosol. per חרף, quin & Onkelos atque Jonathan per פרש, quatenus id infert distinctam argutamque pronuntiationem, cum indignatione, opprobrio & blasphemia conjunctam, quod ex Chaldaismo rite probat *Fesselius Advers. S. Lib.* 1. *c.* 17. *p.* 86. Ipse etiam R. Sal. ben Melech pronuntiationem cum blasphemia conjunctam per נוקב vs. 16. intelligit, de quo §. 15. videbimus. Quæ singula ita exponit D. **Müller/** *Judaismi pag.* 82. וְנֹקֵב **das heisset nicht schlecht nennen an diesem Ort** Levit. 24: 16. **sondern mit Unehrn und Låsterung nennen. Darumb wird solch Wort** vs. 11. **durch ein ander Wort erklåret** קִלֵּל **vom** radice קָלַל **das heisset** sprevit, dehonestavit **er hat verachtet/ und wird beydes im gedachten** 11. **v.** ויקב **zusammen gesetzt. — Darumb ist es nicht ein schlechtes nennen gewesen/ sondern ein Låsterung etc.** De epexegesi alias à Rabbinis concessa, clara sunt eorum verba ac frequentata satis כֵּפֶל הָעִנְיָן בְּמִלּוֹת שׁוֹנוֹת *geminatio seu duplicitas* (identitas potius) *significationis in repetitis vocibus.*

§. IV. Verum quam avarus atque injustus attrahit sibi maledictionem, eam in Magis non inulto ferre potest, multoque minus in sanctissimum suum nomen majestatemque fieri impune sinet Jehova. Sacrosanctum inter nos esse debet atque coli Jehovæ nomen. Non absolute in nostro textu יהוה dicitur, sed שם יהוה: non quod quæcunque, simplex etiam, DEI denominatio hoc ipso sit prohibita. cum lex tantum de conjuncta cum maledictione sonet: nec quod in literas aut syllabas committi tale crimen possit, quod non simul in ipsum Deum redundet; verum ipse Deus in essentia unus, in personis trinus hoc ipso denotatur, quatenus in convitiis, perjuriis & execrationibus ab hominibus nominari potest. Spectatur enim שם יהוה hoc loco non notionaliter

naliter seu grammatice & materialiter, habita tantum ratione literarum, vocalium, Syllabarum, soni atque toni; sed potissimum realiter atque formaliter: non tantum pro Dei revelatione, ut Psal. 22: 23. Joh. 17: 6. Act. 9: 15. mandato & voluntate Deut. 18: 19. Jerem. 14: 14. Matth. 28: 19. auxilio 1. Sam. 17: 45. 2. Paral. 13: 11. Psal. 20: 8. majestate Exod. 9: 16. 34: 5, 6, 7. Psal. 8: 2, 48: 11. cultu religioso, publico 2. Sam. 7: 13. privatoque Mich. 4: 5. adeoque pro divino aliquo attributo, opere sive cultu; sed & pro ipsomet Deo, essentialiter ac personaliter sumto, ut inferat verum, omniscium, sanctissimum, omnipotens atque ubique præsens, Summum Numen. Utut priori ratione omnis omnino nominis divini abusus alias prohibitus sit, atque notatus imprimis in superstitiosis atque Magis, de quibus vid. *Schikard. proœm. Tarich. p.* 54. Idem tamen in posteriori sensu perjuris, maledicis atque blasphemis proprius, in Ægyptii hujus exemplo atque lege nostra conspicuus & prohibitus. Quod perpetuo Scripturæ S. consensu firmatur, ubi שם יהוה notat ipsummet DEUM, gloriosum, majestaticum & nominabilem, qui certo quodam nomine semetipsum insignivit Exod. 3: 14. 15. 6: 3. eodemque à S. Angelis celebratur Esaiæ 6: 3. & à nobis in hac mortali vita exprimi vult. Exod. 3: 6: 9: 16. atque nunc Exod. 20: 7. Deut. 6: 13. 10: 8. 21: 5. Psal. 34: 4. 96: 2. 8. Esaiæ 12: 4. 24: 15. 48: 1. Joël. 2: 32. & in non terminanda secula religiose coli. Ita שם יהוה & יהוה unum eundemque verum DEUM essentialiter spectatum in Scriptura S. notare, constat è collatione locorum Gen. 22: 16. & Jer. 44: 26. Ps. 20: 2. & Zach. 9: 15. Ps. 72: 18. & 19. Hac loquendi ratione שם יהוה utitur ipsemet summus Legislator, ad exprimendam sui æternam essentiam, & quæ hanc pro nostra intelligendi facultate sequuntur, attributa operaque vere divina & infinita Exod. 20: 7. Deut. 5: 11. Sic nomen Jehovæ, puta ipsummet DEUM, habito simul respectu agnitionis & pronunciationis nominis divini in precibus religiosæ, invocat Mose Deut. 32: 3. celebrat in afflictione Jobus 1: 21. in persecutione David Psal. 7: 18. in solenni cœtu 2. Sam. 6: 18. 22: 50. omnes fideles confitentur Ps. 96: 2. prædicant Ps. 106: 47. 113: 1. 2. 3. 115: 1. 135: 1. Esaiæ 24: 15. 56: 6. Joël. 2: 26. omnis ætas Psal. 148: 13. cœlique objective vs. 5. Huic nomini Jehovæ templum extruxit Salomon 1. Reg. 5: 3. & sacer est totus mons Zion i. e. Ecclesia Esaiæ 18: 7. confer Deut. 28: 10. Esaiæ 30: 27. Mich. 5: 3. Pari ratione שם אלהים per Metonymiam, quam vocant, adjuncti sæpe in S. Literis pro ipso DEO ponitur, nomen rei pro re ipsa Levit. 28: 21. 19: 12. 21: 6. Psal. 20: 2. 44: 21. 69: 31. Prov. 30: 9. Eodem modo שם קדשי occurrit Lev. 20: 3. 22: 2. 12. Psal. 33: 21. 103: 1. 145. 21. Ezech. 20: 39. 36: 20. 21. 39: 7. 43: 7. 8. Amos. 2: 7. *ut &* שם כבודו Psal. 72: 19. Quamvis hic specialiter majestatis, & in antecedenti exemplo sanctitatis divinæ habeatur ratio: ob summam tamen essentiæ divinæ simplicitatem atque realem omnium attributorum in DEO essentialium identitatem, ipsummet DEUM ejusmodi locutionibus significari certum est, ratione essentiæ, attributorum & operum. Proinde etiam in nostro textu שם יהוה (quod *Chrysost. in Ps.* 49. legit *nomen DEI*, notatus idcirco à *Lorino in Lev. p.* 841.) pro ipso DEO in se, essentialiter & personaliter, non juxta literas & syllabas, sumi dicimus. Quo tandem facit, quod apud Judæos in proverbium abiit הוּא שְׁמוֹ וּשְׁמוֹ הוּא *Ipse est nomen suum, & nomen ipsius est ipse.* Confer. D. Geier *in Psal. t.* 1. *p.* 333. 957. *t.* 2. *p.* 778. *in Prov. p.* 928. *in Daniel. p.* 144. *D. Glass. Philol. S. L.* 3. *tr.* 1. *p.* 148. *Fessel. Advers. S. Lib.* 1. *c.* 18. *integr. p.* 87. Atque in hoc formali sensu, sine omni superstitione Judaica, concedere licet, Mosen editis בשם יהוה הנכבד in nomine Jehovæ, glorioso signis & miraculis, in & extra Ægyptum inclaruisse: sive id nomen spectetur essentialiter, sive personaliter, quatenus frequenter Messiæ tribuitur; dicaturque adeo Moses in eodem, quo Apostoli, Jesu nomine sua edidisse miracula. Qua restrictione usus, Rabbinorum sententiam admittit *D. Varenius Decad. Mos. in Bresith. p.* 197. *in Schmot.* p. 100. Ubi tamen recordari subit judicii, hic sane verissimi, quod alias tulit B. Lutherus: *Etiamsi sensus ille sit pius valde, Rabbini Grammatici tamen non intelligunt.*

§. V. Ut speciatim id adjiciamus, nudum absolutumque שם apud Sacros Scriptores nonnunquam καὶ ἐξοχὴν Jehovæ nomen notat, sive ה' הידיעה adjunctum sibi habeat, sive minus: quod posterius adducenda posteriora duo loca confirmant, contra R. Eliam in Thisbi. Ita הַשֵּׁם Deut. 28: 58. idem esse quod יהוה, probat adjecta statim manifesta per epexegesin explicatio: idemque voluit Samaritanus, per יהוה reddens. Quo etiam à *D. Calovio in Theol. natural. & revel. p.* 217. loca Psal. 20: 2. & 115: 1. *Esaiæ* 30: 27. referuntur, & à *D. Gejero* in Ps. t. 1. p. 333. ut & *Glassio* Phil. S. Lib. 5. p. 75. Hinc Lev. 24: 11. quidam per vocem השם intelligunt Jehovam καὶ ἐξοχὴν, per antonomasian, aut Synecdochicam locutionem: ut post tres Chaldæos Paraphrastas h. l. Judæi: ut etiam *Malvenda & Drusius quæst.* 2. 69. Πολλῶν γὰρ ὄντων ὀνομάτων τοῦ θεοῦ, ἓν τὸ κράτιστον ἐξαιρέτως ὄνομα καλεῖται. *D. Pfeiffer dissert. Phil. fasc. p.* 168. *inquit*, καὶ ἐξοχὴν *hic innui nomen* יהוה, *non novum DEI nomen formari*, ut cum Rabbinis quidam nostratium contendunt. Alii per ellipsin dictum volunt *Nomen* pro *Nomen Jehovæ*, quod ex vs. 16. subaudiendum sit. Prout alias verbum pro verbo DEI, dextra potestatis Marc. 14: 62. pro dextra potestatis DEI Luc. 22: 69. ponitur. Et in profanis ἐλλειπτικῶς ὀμνύειν Ἀττικῶν ἐστι, de quo ex Pindaro, Aristophane, Pausania, Laertio plura collegit *Matthæus Polus Synops. Critic. P. I. vol.* 1. *fol.* 614. De ellipsi tamen hac audire juvat *Franciscum Lucam Brugensem in Romanis correctionibus Vulgatæ Lat. ad h. l.* Cave addas *Domini* aut *DEI*, quod consulto omissum à Mose est: ob summam, ut volunt, reverentiam, ut *Fagius* addit, atque *Lorinus* omnes in eo consentire ait *Comm. in Levit. p.* 833. R. Aben Esra in Levit. 24: 16. ולמען כבוד השם לא נזכר & *propter venerationem DEI* (nomen illud) *non memoratur.* Præterea non quidem tanquam speciale nomen divinum ἔγγραφον, tamen per aliquam modo recensitarum loquendi rationum de יהוה accipiendum est nomen שם etiam sine ה positum 1. Paral. 13. (14.) 6. confer Deut. 32: 3. & in nostræ legis Levit. 24: 16. hemistichio posteriori שם בנקבו idem est quod שם יהוה quod clare ostendit prius. Usitatumque alias satis est in lingua cum Ebræa Veteris, tum Græca Novi Test. ut nomen pro persona vel re nominata metonymice sumatur: cujus exempla monstrat atque ex Flacio rationem affert *D. Glassius Philol. S. Lib.* 5. *tr.* 1. *c.* 4. *p.* 75. Idemque ex Æschylo & Virgilio, verbis Erasmi probat, certaque hujus documenta ex Livio à *Vechnero*, in elegantissimo Hellenolexias libro, suppeditata collaudat. Uti nomen Romanum, Volscum, Latinum &c. pro ipsis sæpe Romanis, Volscis, Latinis &c. nomina pro ipsis personis, poni, pluribus probare fategit Roa P. II. sing. p. 453. Quale exemplum etiam satis conspicuum in Syriaca N. T. versione Act. 5: 41. ponitur [Syriac] pro ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ (Ἰησοῦ.) Quod Rabbini sæpe cum vel sine articulo DEUM ita denominent, in eo omnes pariter consentire videmus. Quomodo idem שם alias famam, dignitatem & eminentiam, nec non autoritatem ac mandatum denotet, atque à [Syriac] vel æth. סמי nomen imposuit, derivetur, non attinet pluribus hic recensere.

§. VI. Quemadmodum & de nomine יהוה seorsim spectato, silere satius, quam parum dicere. Cum hujus atque paulo superioris ætatis eruditi, Theologi ac Philologi, agmine quasi facto de hujus nominis divini essentialis derivatione, scriptione, lectione seu pronuntiatione, ratione in universum grammatica, prima institutione, incommunicabilitate, sensu ac usu biblico, abusu magico, superstitione Judaica, pluribus quæ continet mysteriis &c. ita scribendo certarint, ut integra inde volumina colligere liceat. Videri poterunt ex innumera recentiorum multitudine *B. Lutherus* in Schemhamphorasch T. 8. Jen. Germ. & in Jerem. 23: 6. alibi. *D. Joh. Bugenhagius* Comment. in Jerem. 16. fol. 112. seqq. *D. Joh. Brentius* in Exod. 3: 15. *D. Franzius* de interpr. S. Script. Orac. 103. p. 621. *D. Joh. Gerhardus* Exeg. L. 2. §. 25. Com. in Genes. p. 326. *D. Dorscheus* disp. de hoc nomine & disp. XII. Pentad. à th. 4. ad 26. & alibi frequenter. *D. Calovius* in Theol. natur. & revel. à p. 218. ad p. 395. Bibl. illustr. t. 1. V. T. p. 334. Syst. Theol. t. 2. p. 154. seqq. Exeg. A. C. art. 1. c. 1. §. 19. seqq. Socinism. proflig. p. 3. *D. Waltherus* in Spicilegio de hoc nomine. *Flacius* tract. de nomine Jehova, Clav. Scrip. Part. II. tract. 6. col. 626. seqq. *D. Wellerus* εὐδαιμονολογίᾳ Ps. 1. p. 23. *D. Gejerus* in Psal. t. 1. p. 23. t. 2. p. 695. *D. Glassius* Philol. S. L. II. p. 365. L. IV. p. 674. *D. Tarnovius*, in Amos p. 28. *D. Brochmand* Syst. Theol. t. 1. artic. 3. cap. 2. quæst. 3. p. 49. b. *D. Varenius* Decad. Mos. in Bresith à p. 185. ad p. 204. & in Schmot. p. 99. seqq. D. Müller Judais. p. 78. & qui, secundum *D. Quenstedt*, *Dial. p.* 159. & Venerandum Dn. Seniorem nostrum, *Sennertum dissert. de Ebrææ linguæ origine p.* 40. & 44. Ebraicas literas magnis Romæ sumtibus addidicit, primusque Germaniæ & huic sigillatim Academiæ feliciter intulit, earundemque Professor Publicus, idemque h. l. primus, extitit, J. U. D. & Comes Palat. Cæsar. atque postea Maximiliani I. Imper. & Eberhardi I. Ducis

I. Ducis Wirtembergici Consiliarius & Totius Sueviæ Triumvir, *Johannes Reuchlinus*, juxta Erasmum ac Hermolaum Barbarum vulgo Græce *Capnio* dictus, lib. 3. de arte Cabalist. Ejusdemque Successores dignissimi ac in Ebræa literatura longe Celeberrimi, *D. Joh. Forsterus*, *D. Joh. Avenarius*, *Valentinus Schindlerus in Lexicis*, *Laurentius Fabritius* de nomine Jehova, & quem præsentem veneramur, *Dn. Andreas Sennertus* disput. de ἀνεκφωνήσει Nominis Jehova, anno 1642. & de Tetragrammato anno 1646. *Hackspan.* Not. Phil. P. I. p. 175. 286. 455. seqq. & dissert. 1. de nominib. div. *D. Wasmuth* disp. de nomine Jehova anno 1670. *L. Carpzovius* de legitima tetragr. lectione anno 1675. *Sam. Bohlius* disp. 1. pro formali Scripturæ §. 27. seqq. *Alb. Voigt* Deliciis S. p. 8. *Joh. Conradus Dietericus* Antiqu. Bibl. p. 161. *Greg. Francus* Lex. Sanct. n. 60. p. 67. & in primis numerandus *D. Pfeiffer* Fascic. dissert. Phil. 8. à p. 148. ad p. 163. Introd. in Orient. sive Synops. quæst. phil. disp. 4. quæst. 7. p. 79. Addantur his *Galatinus* de A. C. V. lib. 2. c. 10. *Paulus Fagius* in Exod. 6. *Arias Montanus* in libro Joseph, *Pagninus* in thes. linguæ *S. M. Marinus* in arca Noë, Angelus *Caninius* de locis Hebraicis, *Bonfrerius* in Pentat. p. 358. 370. ut & Janus *Drusius* de tetagr. Sixt. *Amama* dissert. de nomine Jehova, inserta Antibarb. Bibl. a p. 473. ad p. 559. edit. Amstelod. in 8. *Fr. Gamarus* P. III. disp. s. 4. *Rivetus* Com. in Exod. 3: 15. & in Psal. 110. *Chamier* Panstrat. *Spanhemius* Dub. Evang. *Piscator* appar. quæst. ad Pentat. *Altingius* LL. CC. p. 27. *Scaliger* in notis de emend. temp. fol. 34. *Buxtorf.* Pat. in Lex. Min. rad. הוה & Bibl. Rabb. in libro Rasiel p. 408. Fil. de nominibus div. p. 276. Lud. *Capellus* oratione de nomine Jehova, *Hottinger* fascic. dissert. p. 259. *Fullerus* Miscell. S. lib. 2. c. 6. lib. 4. c. 13. & append. *L'Empereur*, *Erpenius*, *Leusdenius* in Jona illustr. p. 94. aliique quos præsens non capit pagina. Cum autem Jacobi Gen. 32: 29. Manoæ Judic. 13: 17. Aguris Prov. 30: 4. repetita vox ardensque desiderium fuerit, divini Numinis distinctum nomen cognoscere: nostra merito vota in unitate fidei eisdem jungimus. Memores tamen sententiæ *D. Gejeri in Proverb. p. 19. de nomine DEI Jehova non esse, quod hic disseramus prolixe, consuli posse LL. theol. de DEO ejusque nominibus, item D. Calovii de Theol. natur. & revel. inde satis constare, quomodo hoc nomen unius veri DEI sit proprium &c.* Brevissime statuimus: יהוה esse ab הוה fuit deductum; in N. T. & apud LXX. sæpissime per κύριος, aliquoties per Θεὸς redditum, ut Hackspanius ac Fullerus observant. Alias huc spectat Græcorum αὐτοφυὴς, & significantissima *Scaligeri* vox αὐταυτὸς *Exerc. 365. s. 2. p. m. 1119.* quæ & *D. Calovio* elegans habetur *Exeg. A. C. art. 1. c. 1. §. 20.* & *D. Walthero in Spicil.* ansam suppeditasse dicitur formandi vocem αὐταυτόπατος, quæ cum sæpe alias, tum quoque *D. Calovio* recepta est, *de persona Christi p. 519.* Accedit huc αὐτοαεὶ & Junio hic usurpata, controversa satis, vox αὐτόθεος & αὐτοὤν: idemque sibi vult ὁ ὢν apud Platonem in Timæo, & εἶ apud Plutarchum opusc. de εἶ juxta Lorini sententiam. Nec ὄντα solum, sed & ὄντως ὄντα Deum denotat *Glass. Phil. S. Lib. 4. tr. 1. p. 674.* Hinc יהוה, vel cognatæ significationis אהיה, ex recepta Doctorum sententia, significanter exprimi dicitur Apoc. 1: 4. 8. 4: 8. 9: 11. tribus ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος vocabulis, designantibus essentiam DEI, æternam, quæ intuitu triplicis temporum differentiæ à finito intellectu nostro concipi solet. Quas tres voces mystica ratione ea nomina comprehendere videntur *D. Varenio Decad. Mos. in Exod. p. 104. & in Genes. p. 196. Alcasari ap. D. Gejerum t. 2. in Psal. p. 695. Zanchio lib. I. de divinis attrib. cap. 13. Fullero Miscell. S. Append. p. 784.* In *Schemoth Rabba* certe nomen אהיה per tres temporis differentias exponitur, his verbis: אני שהייתי ואני הוא עכשיו ואני הוא לעתיד לבוא ut est apud *Buxt. dissert. Phil. p. 249.* Quod Chaldæus interpres nomen יהוה nunquam integrum retineat, & per duo vel tria Jod aut puncta exprimat, aliunde notum est. Syri idem per ܐܠܗܐ, ܝܗ, ܡܪܝ vel ܡܪܝܐ reddunt, atque ultimum hoc per alteram Cabalæ speciem נטריקון concinne exponunt tribus vocibus ܡܪܘܡܐ, [illegible], [illegible], ut ita ר"ת attendentes cœli terræque dominium, summam majestatem æternamque DEI essentiam in voce ܡܪܝܐ menti suæ queant sistere. Samaritanus retinet ࠉࠄࠅࠄ. Genes. 2: 4. ac alibi in versione Pentateuchi Chaldæo Samaritica. Quidam rationem originis Ebraicæ habentes, convertunt יהוה Latine Essentiator, alii Essentians: quibus propterea nullam nos litem intendimus, cum Junio & Tremellio nomen Jehovæ, vel, si res ita ferat, cum B. Luthero, Vulgato, Pagnino, Munstero, Montano aliisque nomen Domini retenturi. Nomen igitur יהוה adjecta, ut in ישחק & יעקוב, litera heemantica, factum dictumque Græcis ac eruditis passim Τετραγράμματον, Ebræis item frequenter שם בן (של) ארבע אותיות ratione significandi per excellentiam: cum in Lingua S. æque ac in aliis pluribus, Orientis & Occidentis, linguis, nomina quædam divina totidem sint comprehensa literis: videri eadem possunt apud *D. Calovium Theol. natur. & revel. p. 219. Athanas. Kircherum Oedip. Æg. T. II. P. I. el. 4. c. 7. p. 287. & ex hoc recensentem D. Joh. Ernest. Gerhardum disp. umbra in luce lit. G. 2. §. 7. D. Pfeifferum fascic. dissert. p. 148. Cregutum in* גלי רזיא *Gen. c. 4. vs. 25. p. 214. Maderum oratione de numero ternario p. 35. & alios.* Hæc qua deductionem nominis יהוה etymologicam: ipsam vero significandi vim haud ita facile exprimere licebit. In eo inter plures, Rabbinos atque Christianos, convenit, esse hoc nomen DEO *essentiale*: dictum inde Rabbinis שם ההויה & שם העצם ut eleganter est apud Aben-Esram in Exod. 3. Nec minus vere dictum est in Cosri P. IV. pag. m. 313. השם הנכבד יוד הא וו הא שהוא נאוי לעצם האלהי המתאחר *Nomen gloriosum jod he vau he proprie competit essentiæ divinæ unicæ.* Designat itaque hoc Nomen DEI in una immutabili & independenti essentia æternam primum existentiam, gratiosam deinceps ac efficacem adessentiam, mirandis divinæ bonitatis aut justitiæ operibus apertissime ac insigniter declaratam: quæ & omnibus aliis existentibus essentiam, motum & vitam liberalissime communicavit: Adeoque infert in DEO essentiæ independentiam, promissionum & comminationum constantiam ac operum div. efficaciam. Quod proprie, ex æquo, in casu recto & sine additamento alienante, singulis Deitatis personis, adeoque, ut loquitur *D. Varenius Decad. Mos. in Exod. pag. 100. illi, qui est αὐτόθεος, tum in oppositione dependentiæ, tum communicationis*, conveniat, invicte demonstrarunt allegati sub initium §. hujus pag. 14. Theologi nostrates. Quin & DEUS sibi, & Sancti eidem, uni & soli hoc nomen Jehova appropriant Exod. 3: 15. 6: 3. 15: 3. 1 Reg. 18: 21. Psal. 83: 19. Esaiæ 37: 20. 42: 8. 48: 2. 51: 15. 54: 5. Jerem. 10: 16. 16: 21. 31: 35. 32: 18. 44: 26. 51: 19. Oseæ 12: 5. Amos 5: 8. 9: 6. Cui grammatice & logice id proprium esse demonstrat *D. Calovius Exeg. A. C. art. 1. c. 1. §. 21, 22.* contra quosdam Calvinianos *de persona Christi p. 519.* contra Socinianos, *Socinis. proflig. pag. 111. seqq. & Theol. natural. & revel. pag. 278. seqq.* simul adversus Pontificios, Remonstrantes atque Syncretistas *T. II. Syst. Theol. p. 159. seqq.* Quod grammatica quidem γνωρίσματα nominis proprii concernit, ea ex *Ephodæi opusc. grammat. cap. 9. cum D. Wellero in Psalm. 1. p. 23. D. Calovio l. c. D. Pfeiffero Fascic. dissert. pag. 149. Buxtorf. dissert. philol. pag. 249. Aben-Esra in Exod. 3.* aliisque, huic nomini optima ratione vendicari possunt singula. Ebræis inde המיוחד audit, Vid. Lipm. Nizach. pag. 162. *atque nomen accuratissimum, proprium & excellentissimum*, juxta *Cosri Part. IV.* והדיקות והמעלה היתירי אינה כי אם בשם הנכבד יי Similia habet Aben-Esra ad nostram legem: השם הנכבד שאינו שם התאר ולא יתערב עם שם כי הוא לבדו Nomen gloriosum, quod non est denominativum (epitheton) & non permutatur cum nomine (æquipollet שם) quia est proprium. Et apud *Menasse ben Israël* Conciliat. in Exod. quæst. 3. p. m. 98. proprium dicitur *R. Jehudæ Levitæ in Cuzari lib. 2. art. 2.* quia diversum à cæteris nominibus, soli divinitati proprium est, nec quidquam nisi necessitatem existentiæ divinæ significat. Quæ potior sane attributi hujus ratio est, quam ea quam vane jactitat Judæus in *Cosri P. IV. p. 261. edit. Buxtorf.* והיה השם הזה מיוחד בנו שאין אחר יודע אותו אמתת ידיעתו זולתנו *Nomen hoc peculiari privilegio nostrum (Judæorum) est, nec quisquam alius veram ejus notitiam habet præter nos.* Nimirum ille sapit solus: quod à divina impositione Scriptorumque Divinorum appropriatione arcessendum, egregie convenit peculiari Judæorum notitiæ, quæ tanta est, ut se prima quoque nominis hujus elementa ignorare sponte fateantur & multum conquerantur alii, jactantiæ hujus immemores, quin & ruditate sua asini ingenium referentes, quæ propria ipsorum confessio, argumentatione subnixa, extat in *lib. Schabbath cap. 15. fol. 112.* Tandem nomen יהוה ratione olim intermissæ pronuntiationis, factæque per alias voces expositionis Judæis dicitur המפורש quod *B. Lutherus T. VIII. Jen. Germ. D. Pfeiffer. Fascic. dissert. pag. 170. Drusius de Tetragr. cap. 6. & Buxtorf. Lex. Talm. pag. 2541.* pluribus pertractant. Quæ vero expositio, per 12. 42. aut 72. literas, ex גלי רזיא & *Aben-Esra*, *à Galatino de A. C. V. lib. 2. c. 11. & 12.* aliisque hodie adduci vulgo solet,

let, non necessaria est, plane incerta, convicta prorsus ac superstitiosa demum: eoque minus legitimam nominis יהוה pronuntiationem impedire potest aut tollere. De nostra sententia nomen יהוה, uti cum Mose & Prophetis in compositione, sic etiam extra eam nudum & simplex, sine superstitione, contemtu omnique abusu, legitime iis quibus constat literis & vocalibus, per Jehova, vel Jehovi, ubi ubi occurrit, semper potest pronuntiari. Quod octo rationibus firmissimis eleganter ac invicte probat, & contra objectiones solide vindicat *D. Varenius Decad. Mos. in Exod. pag.* 101. *seqq.*

§. VII. Crimen læsæ Majestatis, Regiæ aut Imperatoriæ, realis vel personalis, integra sæpe familia luit, recepta plurium, cultissimarum etiam, Gentium consuetudine: ob metuendum scelus paternum, in posteris redivivum, læsæque inprimis Reipublicæ vel Personæ sublimem statum, excellentiam & majestatem, aliis etiam sancta veneratione colendam. Veneranda & cum tremore colenda Jehova Majestas, Regibus etiam terræ, ac Summis Monarchis Psalm. 76: 13. in omni terra Psalm. 83: 19. cui nusquam similis Psalm. 86: 8. Esaiæ 46: 9. nunquam superior Psalm. 96: 4. 47: 3. Summa & infinita in DEO majestas, non sine gravissimo crimine læditur: sed quas daturos pœnas eos cogitabimus, qui hanc Regis Regum & Domini Dominantium 1 Tim. 6: 15. Apoc. 17: 14. 19: 16. majestatem violant? Eas mortis notione in nostra lege exprimit Legislator Sacratissimus, constituens pœnam tali confestim flagitio immittendam. Elegantissima simul ac penetrantissima voce Ecclesiasticus cap. 23: 16. blasphemiam vocat λέξιν ἀντιπεριβεβλημένην θανάτῳ: quæ verba *Lorinus in Levit. pag.* 837. accurate ita περιφερεῖς: *loquelam circumvestitam morte, totam obvolutam, comprehensam & quasi possessam à morte.* B. Lutherus reddit: **Es ist auch ein tödtlicher Fluch / dafür behüte GOtt das Hauß Jacob!** Cui **tödtlich** idem, quod D. Jacobo θανατηφόρος cap. 3. vers. 8. Igitur qui hoc Angelicis Potestatibus adorandum, Sanctis tremendum, omnibusque venerandum Nomen ex destinata animi malitia non religiosum habuerit atque sacrosanctum, sed impio blasphemoque ore profanaverit, is מות יומת. Quæ pœna gravissima divinitus huic flagitio constituta infligendaque est ex severissima comminatoria DEI sententia omnibus, quotquot horrendo huic crimini se involverint. Pœnæ universalitatem ex indefinita & disjunctiva locutione, gravitatem ac vehementiam ex ejusdem verbi energetica prorsus repetitione, specialem determinationem ex subjecta statim exegesi, legisque rite observatæ executione, certitudinem demum & inevitabilitatem ex perpetuo Scripturæ consensu colligamus. Quicunque כגר כאזרח dicitur: de hoc locutionis genere confer *D. Glass. Philol. S. Lib. IV. tr. I. observ.* 3. *pag.* 651. *R. Dav. Kimchi in Hos.* 4: 8. de oppositionis specie confer loca Exod. 12: 19. Levit. 16: 29. 17: 15. 18: 26. Numer. 15: 30. Jos. 8: 33. &c. in hunc sensum: sicut peregrinus, à cœtu Israëlis & communione Ecclesiæ, hospes qui in Gentilismo alibi natus, apud vos Israëlitas extra patrium suum solum propter cultum divinum vel alia sua, civilia etiam, negotia hospitatur, atque in eadem vobiscum Republica, civili, sive simul ecclesiastica, ut גר תושב sive גר הצדק, vivit & commoratur: eadem prorsus ratione etiam indigena, qui eo, quo oriundus est, loco vivit, patrio solo ac jure fruitur, Israëlita puta secundum carnem 1 Corinth. 10: 18. ex Patribus descendens, punietur, ubi divinum Numen ac Nomen conviitiis proscindere temere præsumserit: unum idemque utriusque jus erit & judicium *Levit.* 24: 22. Quemadmodum etiam Legibus Romanis sancitum, & Decretis Pontificum Rom. introductum est, ut reus delinquens sortiatur forum ratione delicti, vel originis, vel domicilii C. ubi Senat. vel Clariss. l. 1. & authent. qua in provinc. & C. ubi de crim. agi oportet: in Jure Can. 6. q. 3. C. si quis Episc. Quicunque igitur ex populo DEI sive minus talis Ephes. 2: 12. Israëlita sive Ægyptius, Judæus sive Græcus, servus sive liber, mas sive fœmina, maledicendo expresserit Nomen Jehovæ; quocunque id fiat loco, intra vel extra castra, domi aut foris, privato vel publico loco, hocque sacro aut minus tali; quocunque id fiat tempore, diurno nocturnove, matutino vel vespertino: quicunque quando & ubi laudibus divinis decebat esse intentum (quod nec temporis, nec loci differentia circumscripsit) DEUM sanctamque ejus voluntatem, opera & Verbum, qua voce, qua scriptis aliisve modis profanaverit, traduxerit, blasphemaverit, morte omnino morietur. Mortis præsentissimæ luculenta hic habentur documenta, in phrasi מות יומת. Hactenus enim (1) מות יומת & (2) מות תמות in generali significato mortis certo & inevitabiliter insecuturæ conveniunt: speciatim tamen prius, in nostra lege obvium, mortem publico facinore promeritam, ex præscripto divinarum Legum, in foro civili Israëlitico infligendam notat, adeoque violentam; posterius non item, sed potissimum mortem, quam vocant, naturalem, à DEO ob quodcunque peccatum, etiam minimum, immittendam: quin etiam posterior hæc locutio præter naturalem corporis, spiritualem animæ, simul & æternam mortem, atque ita amissionem præsentis vitæ, divinæ gratiæ & cœlestis gloriæ, in Scripturis S. designare solet. Quod discrimen studiose observavit Chaldæus Paraphrastes, prius, nostræ legis, magna accuratione perpetuo convertens אִתְקְטָלָא יִתְקְטֵל: occisione occidetur, subinnuens facinorosum extremo afficiendum supplicio, seu occisione & morte violenta interiturum. Posterius vero, ut sub exemplo agamus, Gen. 2: 17. obvium, reddidit מֵיתַת תְּמוּת cum primi generis humani Parentes una cum omnibus posteris, per transgressionem legis divinæ, gratia vitaque spirituali ex DEO exciderint, & præterea naturalis ac æternæ mortis reatum contraxerint. Sed & in parte laudis *LXX* viralis Versionis ponendum est, quod duo superius distincta diligentissime expenderint, reddentes posterius quidem per θανάτῳ ἀποθνήσκειν ἢ τελευτᾷν mori, vitam finire; ast prius, nostri textus, per θανάτῳ θανατῶν, quod est morti adjudicare, capitis seu rei capitalis damnare Plutarch. in Themist. Idem signat θανατόω in N. T. aliquoties, utpote ignominiosissimam Salvatoris nostri in cruce mortem Matth. 26: 59. 27: 1. *Marc.* 14: 55. 1. *Petr.* 3: 18. Apostolorum & fidelium Martyrum, nunc gloriose triumphantium, indignissimas persecutiones, & omni ævo inauditas suppliciorum species, adeoque varia truculentissimæ & violentissimæ mortis genera *Matth.* 10: 21. *Marc.* 13: 12. *Luc.* 21: 16. *Rom.* 8: 30. Cum quibus Interpretibus, per מות יומת in nostra lege judiciali, *violentæ mortis* speciem intelligimus, eandemque publice de sententia Judicum ex præscripto legis ab universo cœtu, capitalium pœnarum executoribus destituto, (quod probat D. Pfeiffer Prodr. Antiq. S. p. 42.) infligendam, & speciatim Lapidationem, de qua §. *VIII.* Sic de violentæ mortis specie usurpatur in Sacris geminata hæc in diversis, 1. & 3. conjugationibus locutio מות יומת de lapidatione hominis seu bestiæ, divinum speciale mandatum transgredientis Exod. 19: 12. idololatræ *Levit.* 20: 2. profanantis Sabbathum Exod. 31: 14, 15. exemplo ligna colligentis Num. 15: 35. de supplicio diro anathematis fulmine percussi *Levit.* 27: 29. *Judic.* 21: 5. qualis Achan *Jos.* 7: 13. impietati in parentes maximæ statuto *Exod.* 21: 15. 17. *Levit.* 20: 9. de pœna homicidii *Exod.* 21: 12. *Levit.* 24: 17. *Numer.* 35: 16. 17. 21: 31. adulterii *Genes.* 26: *vs.* 11. *Levit.* 20: 10. Sodomitici flagitii *Exod.* 22: 19. *Levit.* 20: 15. peculatus *Exod.* 21: 16. Ubi expendenda regula, ex R. Salomon Jarchi, R. Levi, Hiscuni & Autore Pesictæ vulgo adduci solita, quæ talis est. 1. Ubicunque in LL. pœnalibus dicitur יומת sine addito, vult dicere *per manus DEI*, sive ibi intelligitur mors cœlitus immissa: 2. ubicunque dicitur simpliciter & absolute מות יומת vult dicere *per manus Domus Judicii*, sive ibi debet accipi de strangulatione, supplicio levissimo, vel suffocatione: 3. ubicunque hisce מות יומת additur: *sanguis ejus super eum*, ibi intelligitur supplicium gravissimum, Lapidatio. Vide *D. Varenium* Decad. Mos. in Levit. p. 117. seqq. *Dilherrum* in Eclogis S. p. 186. *Fesselium* Advers. S. L. I. c. 11. §. 4. pag. 66. *Buxtorf.* in Lex. min. rad. מות *Aben Esram in Exod.* 21: 15. *Ipsa* רש"י verba ita habent in Levit. 20: 9. דמיו בו יזו סקילה וכי כל מקום שנאמר דמיו בו דמיהם בם ולמדנו מאוב וידעוני שנאמר בהם באבן ירגמו אותם דמיהם בם ופשוטו של מקרא כמו דמו בנפשו אין נענש על מיתתו אלא הוא שהוא גרם לעצמו שהרג *Sanguis super* eum: *intelligitur Lapidatio: & sic in omni loco, ubi dicitur, sanguis ejus super eum, sanguines eorum super eos. Id discimus (ex loco Scripturæ Levit.* 20: 27.) *de pythone & ariolo, de quibus dicitur, lapidibus obruent eos, sanguines eorum super eos. Et simplex (literalis) Scripturæ sensus est, q. d. sanguis ejus super ipsum, non punitur morte nisi ipse, qui sibi ipsi causa extitit, ut occideretur.* Nos propter legem nostram nunc ad duo posteriora Rabbinicæ regulæ membra potissimum attendentes, pronuntiamus, hanc normam non κατὰ παντός, nec ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον valere, affirmative, negative & reciproce, adeoque additionis capacem seu inadæquatam, quin dubiam & falsam, & proinde nullam esse: nec ratione, nec Scripturarum legitima inductione niti. Manifesta ἀσυλλογιστίᾳ רש"י à particulari & determinato, ad universale & indeterminatum colligit, à pythone ad omnem lapidandum. Rectissime tertium regulæ membrum refutat *Aben Esra*, merito suis dictus החכם & Judæus gravissimus satisque acutus *Hackspanio* in Nizach. p. 236. *Schickardo* etiam sub calcem juris Regii laudatus atque *D. Clodio*

dio diſp. de Cherubin. pag. 10. ceu emunctionis naris inter Rabbinos, ſæpe majorum fabuloſa & falſa vel corrigens vel refutans & explodens. Quod veriſſime dictum, uſu hic comperimus: is namque א״ע in Levit. 20: 9. ita ſcribit: והנסקלים גם הנחנקים דמיהם בם וכלל אומר בכל המיתות כי צריכים אנחנו למסורת אבותינו כי לא נוכל להוציאם להמיתם מהכתוב וכו׳ *De lapidandis & ſtrangulandis pariter exaudimus, ſanguinem eorum eſſe ſuper ipſos.* Summatim dicendum eſt, de omnibus ſuppliciis capitis, nos opus habere patrum noſtrorum traditionibus: quandoquidem ad mortem illos ex Scriptura educere non poſſumus. Quibus poſterioribus verbis manifeſte prodit ingenium Judaicum, legi שבעל פה deditum, & præter meritum cujuſdam imperfectionis Scripturam inſimulat; prioribus tamen recte infringit univerſale Raſchi aſſertum, nec admittit in ſenſu etiam affirmativo: in quo tertium Regulæ membrum concedit D. Varenius l. c. neutiquam tamen negativo & excluſivo: quod non intelligatur in LL. pœnalibus lapidatio, ubi verbis מות יומת non adjunguntur verba, ſanguis ejus ſuper eum: ut vult membrum regulæ medium. Quod ſimpliciter & abſolute aſſertum falſiſſimum eſt: & pluribus allegatis ante exemplis Exod. 19:12. Levit. 20: 2. Numer. 15: 35. &c. ſingulisque noſtræ legis circumſtantiis aperte repugnat: ubi ſolum מות יומת habetur, neutiquam tamen ſtrangulatio, ſed lapidatio intelligitur, ut expreſſe adjecta epexegeſis evincit luce meridiana clarius: in qua tamen Rabbinorum quenquam cæcutire rarum non eſt neque mirum; mirandum potius, ejuſmodi ex cœcitate errantem, in iis ipſis etiam, à Chriſtianis ducem eligi. Manet igitur, מות יומת in noſtra lege mortis violentæ ſpeciem inferre: non quidem ſtrangulationem, juxta ſecundum Rabbinicæ regulæ membrum; ſed lapidationem, de qua mox. Alias idem verbum מות in eadem I. conjugatione geminatum מות תמות plus vice ſimplici *mortem naturalem* deſignat. Geneſ. 2: 17. Num. 26: 65. Judic. 13: 22. 2 Samuel. 12: 14. 14: 14. vide loca ſingula huc pertinentia apud D. Varenium in Geneſ. pag. 265. & cum nomine ſuo conſtructum, beatum juſtorum obitum Numer. 23: 10. quem hic in noſtra lege non minitatur Summus Legiſlator, quippe qui, obſervato hoc ſubjectorum diſcrimine, vere proprieque dictæ pœnæ rationem non habet Rom. 8: 1. 2. Corinth. 5: 4. Phil. 1: 21. nedum graviſſimæ, horrendo blaſphemiæ crimini divinitus conſtitutæ. Duriora equidem verba nonnunquam infirmitas carnis, magnitudo crucis &c. inſciis velut ac invitis DEI ſanctis, Jobo aliiſque expreſſit, ut execrati inde dicantur Jobi 3: 1. ac blaſphemi 1. Tim. 1: 13. quibus id divina condonat gratia, vera ſubſequente pœnitentia; Aſt qui pertinaci animi propoſito, deſtinata voluntate ac affectata malitia enorme hoc flagitium deſignant, amiſſa DEI gratia, *mortem ſpiritualem* ſibi accelerant Matth. 12: 31. 32. ac, ubi corde finaliter incredulo blaſphemoque ore convitia eructantes permanſerint, *æternum* ſimul *exitium* atque mortem: quam eadem locutione exprimunt verba Geneſ. 2: 17. Ezech. 3:18. 18:13. 33:8. 14. ubi præ dolore, ira ac furore blaſphemi ſuas vere commanducabunt linguas: quod alias eis tribuitur Apocal. 16: 10. Qua quidem æterna pœna gravior cogitari dicive nulla poteſt: exquiſitiſſima hic tormenta neſciunt ob copiam numerum, ob magnitudinem menſuram, ob durationem terminum.

§. VIII. Sed nec ſupremum in terris ſupplicium, blaſphemo facile ſubeundum. Vivus enim lapidibus obruendus erat, ex divino mandato, quod in noſtra lege ita habet: רגום ירגמו בו כל העדה Verbum hoc infinitum, ſuo finito præpoſitum, ſignificationem intendere oſtenderunt *D. Glaſſ.* Phil. S. L. 3. tr. 3. can. 37. p. 350. *Buxtorf.* theſ. Gr. l. 2. c. 16. p. m. 499. *Kimchi* Mich. f. 11. col. 2. עדה nomen ſingulare & collectivum, à קהל ut ſpecies à genere, à לאמים ut totum à ſpecialiori differt: prius *D. Wellerus* in Pſ. 1. p. 57. poſterius *R. Salomon* in Pſ. 7: 8. aſſerit. Per ſyntheſin ergo rite jungitur verbo plurali *D. Glaſſ.* Phil. S. L. 3. tr. 3. can. 53. p. 398. *Buxtorf.* theſ. Gr. l. 2. cap. 10. p. m. 424. Rem ipſam quod concernit, Lapidatio, Rabbinis סקילה Chald. רגימת אבנא dicta, inter quatuor capitalia ſupplicia, in Rep. Iſraelitica ordinarie adhiberi ſolita, à *D. Gerhardo* Harm. Euang. p. 620. 806. 1844. *D. Wellero* Spicil. quæſt. Ebr. Syr. diſp. 3. quæſt. 1. §. 24. *D. Pfeiffero* prodr. antiq. S. p. 4. *Bonfrerio* in Pentat. pag. 677. inpr. in *Sanhedrin, c.* 7. recenſita, primo fere loco ponenda eſt: gravior ſane pœna à Judæis æſtimata fuit *ſtrangulatione*, חנק ſeu melius è Jobi 7: 15. מחנק dicta, & in ſterquilinio facta. *Decollationem* (הרג בסייף) ſi non rei turpitudine, certe gravitate ac diuturnitate pœnæ ſuperabat. *Combuſtioni* vero an multum cedat lapidatio? Talmudiſtæ diſceptant in Sanhedr. c. 9. §. 3. Ubi Coccejus p. 57. inquit: *Lapidatio in blaſphemum & idololatram ſtatuta eſt, crimina omnium maxima. Merito igitur hæc maxima pœna cenſetur.* Combuſtionis origo melius deducitur à ſupplicio in Aaronis filios Levit. 10: 2. quam in Corachi cœtum Numer. 17: 3. divinitus exercito. Gemara in cap. 7. Sanhedr. utrumque admittit. Vocatur ea שרפת נשמה quod fervens plumbum vel ſtannum in os damnati infuſum, intus eum exuſſerit atque exanimarit. Hinc Joſephus lib. 3. Antiq. Jud. cap. 9. inquit. Nadab & Abihu combuſti ſunt flamma in eos converſa, & vultus ac pectora eorum depaſcente: nec ſuccurri potuit, quin ita occumberent. Comburendi erant inceſtuoſi Levit. 20: 14. & filia Sacerdotis fornicatrix. Ut recte repetit Sanhedr. cap. 9. ואלו הן הנשרפין הבא על אשה ובתה ובתכהן שן נתה *hi urendi ſunt qui conſueſcit cum muliere ejuſque filia; & filia Sacerdotis ſcortata.* Ut de beſtia Exod. 19: 13. & cornupeta 21: 27. nil dicamus, *Lapidandi* erant idololatra Levit. 20: 2. & ad idololatriam ſeducens Deut. 13: 10. 17: 5. pytho & ariolus Levit. 20: 27. Achan anathematiſatus, de quo pluribus *Lorinus* in Levit. pag. 629. Sabbathi violator Numer. 15: 35. filius contumax Deut. 21: vſ. 18. 21. maledicens parentibus Levit. 20: 9. inceſtuoſus, qui cum noverca vſ. 11. aut nuru ſua vſ. 12. rem habet, ἀῤῥενοκοίτης vſ. 13. τετραποδοκοίτης vſ. 15. 16. juxta tertium Rabbinicæ regulæ membrum, ſupra p. 23. affirmative conceſſum: item juxta claram literam deſponſata ſcortans Deut. 22: 24. Hæc autem rite deſponſata cum divinis humaniſque legibus æquiparetur maritatæ: è natura ſimilium haud inepte colligitur, maritatam *adulteram*, eidem cum deſponſata Lapidationis pœnæ obnoxiam olim fuiſſe. Quod luculenter confirmat hiſtoria cum Suſannæ, tum inpr. adulteræ Joh. 8: 5. ubi Chriſtus vſ. 7. concedit atque probat aſſerta Phariſæorum, Moſen lapidationis pœnam in adulteras ſtatuiſſe. Moſes vero Levit. 20: 10. tantum מות יומת dixerat, nec hic nec alibi דמיהם בהם adjecerat: Phariſæi tamen lapidationem ibi à Moſe præceptam & apud ſeſe tum receptam teſtabantur, non abnuente Chriſto. Unde viciſſim medium memoratæ ſæpius regulæ Rabbinicæ membrum particularitatis, alioquin manifeſtæ falſitatis arguitur. Hoc infirmo tamen fundamento nixi R. Levi, autor Peſictæ & ipſimet Talmudiſtæ pronuntiant in Sanh. c. 10. *ſtrangulatur, qui cum alterius uxore concumbit.* Si de omnibus id aſſertum velint, dicimus, diverſum teſtari DEUM apud Ezech. 16: 40. 23: 45. 47. Judices Suſannæ, Phariſæos Joh. 8. R. Kimchi in Ezech. 16: 40. ipſoſque Talmudiſtas in Sanhedr. c. 7. §. 4. dum alteram hanc rationem ſuppeditant, quod privignus, qui cum noverca rem habuit, ſit lapidandus, משום אשת איש *quod ſit viri alicujus uxor.* Ergo propter commiſſum adulterium etiam lapidatur. Conf. D. Varenius in Levit. p. 118. *Lorinus* in Levit. 20. pag. 637. *Sanctius* in IV. Reg. 8. col. 1442. *Dilherr* Eclog. N. T. p. 186. *Amama* Antibarb. bibl. p. 961. *D. Pfeiffer* prodr. antiq. Sacr. p. 6. Eidemque lapidationis ſupplicio *blaſphemus* ſubjicitur in noſtra lege: quod etiam reo Ægyptio noſtro Levit. 24: 23. atque innocenti Nabotho 1. Reg. 21: 10. 13. illatum, ob unam eandemque blaſphemiæ culpam, illic oſtenſam, hic prætenſam. Ex eadem ratione idem ſupplicium ipſi Salvatori Chriſto inferre tentabat furioſa Judæorum cohors Joh. 10: 33. Lapidandos præter adulterum ſingulos complectitur his verbis Sanhedrin c. 7. §. 4. אלו הן הנסקלין הבא על האם ועל אשת האב ועל הכלה ועל הזכור ועל הבהמה והאשה המביאה את הבהמה והמגדף והעובד ע״א והנותן מזרעו למולך ובעל אוב וידעוני והמחלל את השבת והמקלל אביו ואמו והבא על נערה המאורשה והמסית המדיח והמכשב ובן סורר ומורה Hi lapidantur: qui rem habent cum matre, uxore patris ſui, nuru, mare, jumento: mulier item, quæ jumentum admittit: blaſphemus, idololatra, qui dederit ex ſemine ſuo Moleco, pythomantis, hariolus, profanator Sabbati, qui maledicit patri itemque matri ſuæ, qui violat deſponſatam puellam, ſeductor, qui ad apoſtaſiam impellit, magus, filius contumax & rebellis. *Modum lapidationis* partim è Scripturæ documentis, partim è tenebris ſimul Rabbinicis, integro inpr. cap. 6. Sanhedr., oſtenderunt *Schickardus* de jure regio cap. 4. theor. 14. p. 261. edit. Carpzov. ubi ſimul in hanc rem Druſius, Seldenus, Leuſdenius, Menochius, Sigonius &c. allegantur, *D. Pfeiffer* prodr. antiq. Sacr. p. 6. *Feſſelius* Adverſ. S. Lib. 6. c. 5. p. 70. *Coccejus* in cap. 6. Sanhedr. p. 49. *Dieu* in Actor. p. 79. *Lightfoot* hor. Hebr. & Talmud p. 420. 490. 492. 635. *Lorinus* in Act. 7: 58. *Sanctius* in 3. Reg. 21. col. 1310. d. & in Daniel. 13. col. 574. b. 580. a.

§. IX. Ex inſtituta hactenus Scripturarum ſententiarumque collatione conſtare aliqua ratione poteſt de genuina legis hujus interpretatione ac ſenſu, quem nunc amplectimur tuebimurque, orthodoxo: *Quicunque DEO maledixerit, mortis reus atque lapidibus obruendus eſt. Pronuntiatio* Nominis יהוה

ſimplex

ſimplex hic & per totam Scripturam S. eſt *conceſſa*; at cum maledictione *conjuncta*, hic & alibi ſub graviſſima mortis & lapidationis pœna, eſt *prohibita*.

§. X. Quod ipſum Verba legis noſtræ inferunt, & gemino corfirmant argumento. Verbum נקב in tralatitio ſenſu ſumitur לקללה או לברכה in bonam aut malam partem: quod ſupra pag. 7. ſeqq. inductione omnium Scripturæ teſtimoniorum & R. Nathanis in Concord. autoritate eſt confectum. At hic non in bonam partem ſumitur: ob prohibitionem divinitus factam, quæ non niſi mali eſt, & denuntiatam actioni huic mortis pœnam, quæ ſine prævia culpa nulla eſt. Proinde ejus erit ſignificationis ſubjectum נוקב, qualem permittit, ſuadet & evincit prædicatum מות יומת. Nimirum נקב ſumitur לקללה quæ eſt ipſiſſima maledictio. Hæc vero non in literas committitur aut ſyllabas, aut per harum ſimplicem ſive ſcriptionem calamo, ſive prolationem ore factam; ſed adverſus ipſummet ſanctiſſimum שם יהוה DEUM nempe eſſentialiter atque perſonaliter ſpectatum. Unde ſic colligere fas eſt: Ubicunque נקב ipſimet DEO, in eſſentia uni, in perſonis trino, tanquam objecto, tribuitur, ibi ſumitur לקללה pro maledictione: quod ex inductione locorum Scripturæ, & formali ſignificatu נקב לברכה conſtat. Si enim נקב in bonam partem hic acciperetur, notaret, ipſam DEI eſſentiam certis literis, ſonis ac rationibus, à nobis poſſe quidem, ſed non debere, clariſſime exprimi, adæquate definiri ac ita determinate poni, ut ſinguli ſenſibus ac animis eam pleniſſime cognoſcere queant, prout conſtituta Jacobo merces Geneſ. 30: 28. aut nomina virorum Numer. 1: 1. Paral. 12. &c. vid. p. 7. perfecte, plane pleneque innotuerunt. Non ita DEI in eſſentia unitas, in perſonis trinitas: quæ aceommodatis huc verbis D. Pauli ὁμολογουμένως μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον & ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν vere dici poteſt. Nec in eo à vero abludit *Thomas* 1. p. q. 3. *negans*, *Deo nomen imponi poſſe, quod divinam eſſentiam exprimat, ſicut in ſe eſt.* Cum quo conſentit illa admonitio *Damaſceni lib.* 1. *O. F. c.* 13. ἀγνοοῦντες τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, (θεοῦ) τῆς οὐσίας αὐτοῦ μὴ ἐκζητήσωμεν ὄνομα. At lex noſtra de DEO in eſſentia uno, perſoniſque trino ſub notionibus שם יהוה loquitur, quod pluribus Scripturæ documentis atque Synonymis p. 11. eſt oſtenſum, & ſpeciatim nunc probandum eſt.

§. XI. Ex antecedenti Ægyptii facinore verſ. 11. quod, prout cæteroquin in malis evenire ſolet moribus, huic legi ſpeciatim ſanciendæ occaſionem primam dedit: & in quod prima vice ſecundum definitam in lege noſtra ſententiam eſt animadverſum. Ejus itaque facinoris ſubjectum, materiam atque formam, contra fabuloſæ gentis Judaicæ nugas, jure merito hic aſſerimus. Blaſphemi hujus *nomen*, in Scripturas S. non relatum, dignum eſt quod in arena ſcribatur: generali nomine יוֹסֵי alias ejuſmodi blaſphemum in judicio publico inſigniri ſolitum, meminit Miſchna Sanhedr. cap. 7. quæ vox æquipollet אלהים, ſi accidentalem litterarum valorem ſpectes, juxta Gematriæ modum priorem. Ejus *patria* communis Ægyptus memoratur: vegeta ac virilis *ætas* præſumitur ex rixis atque verberatione, quæ ipſi cum viro Iſraëlita interceſſit, verbo נצה inſinuata; quod in 1. paſſiva & 3. act. Conjug. præter rixari, notat, in alterum velut involare ac derepente irruere, concertare, ac mutua verbera infligere, ut Exod. 2: 13. 21: 22. 2 Sam. 14: 6. &c. ut multis hæc contentio magis realis quam verbalis fuiſſe videatur. Plura ſunt, quæ de *Parentibus* ejuſdem in dubium vocantur, inprimis cum *pater* ejus non niſi qua patriam in Scriptura S. deſcribatur. Hinc fiducia antiquitatis multiplicem fingendi licentiam Rabbini ſibi ſumunt. Scriptura hunc patre Ægyptium, aperte, & contentionis autorem fuiſſe, non obſcure aſſerit v. 10. at eundem fuiſſe filium Ægyptii, à Moſe Exod. 2: 11, 12. occiſi, profani Rabbinorum vulgi ſententia eſt incerta, conficta, falſa: merito ab Hieron. ab Oleaſtro in h. l. tanquam fabella, exploſa. Cognoſcamus eam ex R. Sal. ben Melech מכלל יופי ad Levit. 24: 10. ואמרו שאביו היה המצרי שהרג משה *Et narrant* (Rabbini noſtri) *quod pater ejus fuerit ille Ægyptius, quem occidit Moſes.* Similiter רש״י ad verba verſ. 10. בן איש מצרי הוא המצרי שהרג משה eſt ille Ægyptius, quem Moſes occidit. Non abnuit Lyranus, nec Abulenſis in h. l. Confer Sebaſt. Munſterum in notis ad h. l. Nullibi in Lit. S. aſſerta, & ne ulla quidem probabili veritatis ſpecie colorata, pro certis iſti aſſumunt 1. Ægyptium illum habuiſſe filium. 2. eundemque fuiſſe hunc in deſerto blaſphemum 3. ab ineunte ætate, per integros 40. annos, & quod excedit, à prima Moſis fuga ſupputandos, niſi cultus divini, cœtus certe Iſraëlitici tam propenſe amantem, ut ſuis domi ſponte relictis, paternæ cædis autorem, per ſaxa, per ignes, per dubia maris rubri ac deſerti Arabici itinera, benevole hactenus fuerit ſecutus, 4. quo cum patre filius, improbitatis paternæ ex aſſe hæres, judicio Moſis condemnaretur ob blaſphemiam, quæ ex contentioſe rixante, ſeu etiam ſimul percutiente, eſt audita. Et quomodo pater ejus fuit? eum non ex legitimo toro, ſed adulterio hunc filium ex Iſraëlitide ſuſtuliſſe fingunt, adeoque *matrem* Selomith violati conjugalis fœderis inſimulant Judæi, cum quadam tamen contribulis excuſatione, ſumta ab ignorantia, voluntatis actum antecedente. Figmentum totum, vix recenſione, nulla omnino refutatione dignum, ita habet: Ægyptius poſt à Moſe Exod. 2. occiſus, fuit Præfectus operum: quodam igitur die ſummo mane, marito Selomith ad opera dimiſſo, per tenebras clanculum cum ea congreſſus eſt, arbitrante maritum ſuum eſſe: ex fortuita hac commixtione enatus iſte in deſerto lapidatus Ægyptius. *Materiam* litis tacet Scriptura; at neutiquam Rabbini, quid enim horum ſubterfugeret notitiam? *Nugas comminiſci iſtis familiare, quando veras cauſas ignorant, ne ipſorum acumen ingenii quidquam ſubterfugiſſe videatur*, de Rabbinorum ſapientiſſimis etiam confirmat teſtis in his maxime idoneus *Buxtorf. theſ. Gr. l.* 1. *c.* 50. *p. m.* 276. Iſti itaque inquiunt: Danitæ cæteri objecerunt ei extraneos natales & defectum paternæ lineæ, ut jure vexilli caſtrenſis Numer. 2: 1, 2. excluderent. Ita רש״י ad verſ. 10. Levit. 24. בא ליטע אהלו בתוך מחנה דן אמרו לו מה טיבך לכאן אמר להם מבני דן אני אמרו׃ לו איש על דגלו באותות לבית אבותם כתיב נכנש לבית דינו של משה ויצא מחוייב עמד וגדף וכו׳ וינצו במחנה׃ על עסקי המחנה *Venit ut figeret tentorium ſuum in medio caſtrorum Dan. Dixerunt ei, quæ conditio tua? tunc reſpondit ipſis, ex filiis Dan ſum. Dixerunt ei: quiſque ad vexillum &c.* (Numer. 2: 1.) *ſcriptum eſt: una ibimus* (congregabimus nos) *in domum judicii Moſis. Et egreſſus eſt reus, ſtetit & blaſphemavit.* Et rixati ſunt in caſtris, *propter caſtra.* Et de ſententia ceterorum R. Sal. ben Melech ad Levit. 24: 10. לא פורש על מה היו נצים ורבותינו אמרו לפי ששבטו של דן לא היו מניחים אותו לעמוד ביניהם לפי שנאמר איש על דגלו באותות לבית אבותם והוא היה בן איש מצרי וכו׳ *Non exprimitur, ſuper quo rixati fuerint. At Rabbini noſtri narrant, quod tribus Dan non permiſerit, ut ipſe ſubſiſteret inter eam, quia præcipitur* (Numer. 2: 1, 2.) *at ille erat filius viri Ægyptii.* πρῶτον ψεῦδος jam conſtat: invidum Judæorum ingenium patet. Scriptura viri cum eo rixantis meminit; illi integræ tribus: quem in genere Scriptura Iſraëlitam; illi ſpeciatim Danitas exprimunt, quin & in hos cauſam litigii transferunt: cum quibus de quo potius contenderet, quam jure vexilli? quod ſancte cuſtodiendum, tenore legis Numer. 2: verſ. 1, 2. Lex itaque ea obſervata, antequam lata. Lata altero poſt egreſſum ex Ægypto anno Numer. 1: 1. obſervata vero ſtudioſe, verbis & factis, anno ſtatim primo. Quid quod *Philo* l. 3. de vita Moſis aſſerat, Iſraëlitam cum blaſphemo Ægyptio rixantem fuiſſe ex ſacerdotali doctoque genere? cui novum R. Salomon figmentum adjicit, natam blaſphemiam iſtam propter panes propoſitionis: videlicet ſacerdoti deſtinatos; verum an ab Ægyptio eidem denegatos? ejus nec vola, nec veſtigium apparet in textu. Alii materiam litis contendunt mortem patris fuiſſe: falſis nixi hypotheſibus. Unda trahit undam: dato uno falſo, ſequuntur plura: ψεῦδος τὸ πολυχιδὲς. Præſtat fateri materiæ controverſæ ignorantiam, & ſuis relinquere autoribus figmenta. *Modus* commiſſi facinoris ex his colligi poteſt: Ea per נקב intelligenda culpa, quæ ab Iſraëlitis in Ægyptio notata atque de legis noſtra ſententia punita eſt. At Conjuncta cum maledictione, non ſimplex divini nominis pronuntiatio in eo culpæ nomine notata eſt & punita: Simplicem etenim, dirimendæ liti inſufficientem, ſolam non adhibuit; & ſi adhibuiſſet ſolam, commiſſæ ab eo culpæ jure argui non potuiſſet: nec enim ulla lex divina ſimplicem nominis divini pronuntiationem hactenus prohibuerat. Quod contra ſentientes, hanc primam allegantes, concedere coguntur, aut oſtendere priorem: quæ nulla futura eſt. Igitur οὗ οὐκ ἔστι νόμος, οὐδὲ παράβασις Rom. 4: vſ. 15. In Ægyptio autem hoc erat παράβασις legis Exod. 20: 7. Quoniam ad ingenium contentioſe litigantium expreſſis literis execratus fuerat & maledixerat nomini Levit. 24: 11. id eſt ipſimet Deo, ut p. 12. oſtenſum: & præterea conſtat confeſſione *R. Sal. ben Melech.* qui in l. c. ita habet שם הנכבד נקרא כן שם בסתם *Nomen glorioſum vocatur ita Nomen abſolute* (ἀντονομαστικῶς.) Unde & hic reus exerto nomine מקלל maledicus ſive blaſphemus der Flucher dicitur vſ. 14. Ubi vana Ebræorum nonnullorum diſtinctio inter blaſphemum & מקלל quem maledicum tantum, & reſpectu injuriæ Moſi illatæ ita dictum volunt. Nimirum eam fovent ac tueri conantur opinionem, quod Ægyptius iſte DEUM primum blaſphe-

phemaverit, Mosi deinde maledixerit, volens ulcisci mortem patris sui. DEUS vero curam habens suorum, magis voluerit ulcisci injuriam Mosi, quam propriam contumeliam, ideoque dixerit: educ מקלל maledicum, non autem dixerit, educ blasphemum: uti hanc eorum sententiam recenset *Munsterus* in notis ad h. l. Verum quod inter מגדף & מקלל discrimen fingunt quidam Rabbini, Scriptura S. non agnoscit, nec magis cordati Judæorum Doctores: קללה committitur non saltem adversus homines, v. gr. parentes Levit. 20: 9. Sichemitas Judic. 9: 57. Davidem 2. Samuël. 16: 5, 12. Jeremiam Jer. 15: 10. sed ipsummet etiam DEUM, ut vel unicus legis nostræ contextus apertissime demonstrat vs. 11. ubi קלל adversus DEUM, non Mosen, dirigitur: quod nemo pius contra Scripturam, nemo sobrius contra rationem negabit. Ut vere in nostram legem scripserit *D. Franzius de interp. Script. S. orac. CIII. p. 629. Illud exprimere Levit. 24: 16. significat blasphemare* נקב *cum dedecore & ignominia nominare: quemadmodum contextus monstrat vs.* 10: 13, 14, 15. *Ex his etiam laicus animadvertet de mala expressione seu nuncupatione h. e. de blasphematione nominis divini sermonem esse.* Suos DEO curæ esse facile intelligimus, sed nec alteri gloriam suam dare velle, ex Esaiæ 42: 8. fortemque Zelotem esse, ex Exod. 20: 5. novimus, atque hic pari, nisi omnino majori, legis rigore prohibitam esse divini nominis blasphemiam atque convitia hominibus mutuo facta. Ista proinde divinitus imperata executio legi antea latæ haud dissimilis erat futura. Quid quod convitiorum, quibus Mosen prosciderit, ne verbo quidem fiat mentio; in Deum vero injurium atque blasphemum fuisse liquido constet. Hinc *Oleaster* in h. l. soli DEO injuriam factam colligit his verbis: *filius Ægyptii minus affectus ad Hebræorum religionem Deumque, nomen DEI ineffabile ac tetragrammaton protulit temere cumque contemtu, dicendo, DEUM illum ac nomen ejus, quod tanti fiebat ab Hebræis, nullius esse momenti, sed Ægyptiorum Numina, horumque nomina, longe fortiora esse & magis veneranda.* Verum etiamsi certo sciri, ac ipsis conceptis verbis definite affirmari & recenseri nequeat infanda maledictionis formula, quam *religiosius ignoramus quam penetramus*, optime judicante *D. Varenio Decad. Mos. in Levit. p.* 155. ex singulis tamen textus circumstantiis sponte sua fluit, quod nomen divinum liti interposuerit, in vanum tulerit, leviter & propudiose habuerit, quin & contra verum Israëlis Deum dira evomuerit convitia: sive nunc simul per Ejus nomen mala quæque proximo, secum rixanti, aut designato Judici Mosi, precatus fuerit, sive minus: sive nomen tetragrammaton expressis verbis adjecerit atque profanarit, sive minus. Hoc quidem persuadere conatur *Lorinus in h. l. p.* 831. blasphemiæ peccatum in hoc Ægyptio non fuisse præcise circa nomen ineffabile tetragrammaton cum nihil referat ad blasphemiæ peccatum, an versetur circa hoc vel illud nomen DEI: id quod divina lege generatim continetur Exod. 20: 7. unde *D. Calovius* in Annot. Anti-Grot. ad h. l. p. 502. annon blasphematur nomen Domini, etiam non expresso nomine tetragr. & recte ab Elia in Thisbi asseritur לפי שאסור להזכיר אחד משמותיו לבטלה *quia vetitum est, vel unum ex nominibus ejus in vanum usurpare*; à Lorino tamen in diversum ire malunt plerique Interpretes, etiam Jesuita Bonfrerius in Pentat. p. 702. & Oleaster modo cit. moti cumprimis vs. 11. voce השם vide p. 12. supra, & lege nostra שם יהוה. Quo facit suffragium *Philonis lib. 3. de vita Mosis*, dum ait: *Ausus miserrimus eum execrari, quem ne honoris quidem gratia fas est nominari ab omnibus, sed à solis optimis & purificatis hominibus.* Redolent posteriora, de quibus infra pluribus, ingenium Judæi superstitiosum: prioribus tamen rectissime & execrationem DEI & summam hujus Ægyptii miseriam asserit. De quo eleganter *Procopius*: necesse fuisse, asserit, ut ille homo elinguis natus esset, ne in hoc prolaberetur scelus; nisi huc revocare malis verba salvatoris Matth. 26: 24. 18: 6. Concludimus hanc sententiam verbis *D. Varenii* l. c. Neque hic paternis natalibus Ægyptius *simplici* nominis יהוה velut augusti & ἀνεκφωνήτε peccavit *enuntiatione* (quod inde Judæorum & Judaizantium somnium) sed *concreta* seu conjuncta cum maledictione, ita ut in Israëlitam exacerbatus, patria ferocia vel impietate, & illum & ipsum populum, & Israëlis DEUM execratus abnegaverit. Blasphemia igitur in eo & notata & punita fuit. Eadem ergo in lege nostra verbo נקב prohibita sit necesse est, ob legem ex facto isto natam. Evidentiori sane argumento, quam quo Rabbini ex Levit. 10: 9. colligunt, Seniores Aaronis filios propter ebrietatem pariter & ignem peregrinum, temere & irreverenter illatum, divino igne exustos esse vs. 2. Cum de nostro facto & prohibitione satis constet; at Lev. 10: 7. de interdicta quidem, non item designata ebrietate: quam non solum refellit Abulensis è Scripturæ silentio, sed & ex eo *Lorinus in Lev. pag.* 262. *b.* quod ea ebrietas in prioribus officii sacerdotalis actibus facile deprehensa & ab Aarone reprehensa fuisset. Dum vero martyrium Nadab & Abihu, eorumque præ Mose & Aarone excellentiam asserit in Levit. 10: 3. Raschi, nugas Rabbinico ingenio dignissimas agit, meritoque suo audit κραυνοχυτρολήρος D. Pfeiffero progr. in Jonam, etsi alias nostratibus, Schickardo inprimis, impense laudatus, suisque non solum פַּרְשַׁנְדָּתָה καὶ ἐξοχὴν dictus, sed & המאור הגדול ראש המפרשים אשר כל שאר המפרשים מימיו שתו והאיר עיני כולם ἀλλ' ἕως σήμερον, ἡνίκα ἀναγινώσκεται Μωσῆς, κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν κεῖται 2. Cor. 3: 15. Nos tandem ex Ægyptii facinore ita colligimus: Quicquid vs. 11. notat נקב seu קבב idem notat vs. 16. quia quod vs. 11. specialiter commissum, vs. 16. generaliter est prohibitum. Unde Arabs, habita contextus ratione, in nostra lege reddit: qui blasphemaverit illum hoc pacto, quo nempe vs. 11. factum memoratur. At vs. 11. נקב notat blasphemare, ut ἐξηγητικῶς adjectum קלל totaque textus series evincit, & celebriores Judæorum æque ac Christianorum interpretes concedunt; quo confer supra p. 9. recensita.

§. XII. Præterea nostra ex textu hactenus asserta de prohibito isthic blasphemiæ crimine sententia, constanti perpetuoque Diviniorum Literarum consensu nititur. Ubi simplicem nominis יהוה pronuntiationem primum non concessam solum, sed injunctam etiam, & sine crimine adhibitam cognoscimus, blasphemiæ deinceps crimen sub eadem gravissimæ mortis pœna prohiberi quidem, at neutiquam unquam à quoquam sola nominis tetragr. etiam religiosa, pronuntiatione designatum, & in eo punitum esse legimus. Ita Exod. 20: 7. præceptum negativum, de nomine Jehovæ non in vanum ducendo, includit contrarium affirmativum, de eodem religiose usurpando: cum *in precibus*, exemplo Patriarcharum ante Gen. 4: 26. & post diluvium Gen. 8: 20. Abrahami, Isaaci, Jacobi, Mosis atque insequentium Prophetarum piorumque Regum & omnium omnino fidelium, vide supra p. 11. nec pronuntiatio eorundem ab hodierna scriptione diversa haberi potest: tum vel maxime in *jurisjurandi fide* ac formula, quæ non firma esse poterat ac rata, nisi in veri DEI, adeoque Jehovæ nomine concepta: ut expressa sancitum lege est Deut. 6: 13. repetitumque 10: 20. confer Numer. 5: 21. 6: 24. studiose item à sanctis DEI hominibus observatum, Abrahamo Gen. 24: 3. Mose Jos. 14: 9. Rubenitis 22: 22. Jonathane & Davide 1. Samuel. 20: 42. conf. Esaiæ 48: 1. Jerem. 12: 16. adeoque clare & distincte, sine mussitatione, religiosa mente purisque labiis in majorem gravis rei dubiæ fidem firmissimumque testimonium Ebr. 6: 16. nomen יהוה à fidelibus Israëlitis adhiberi debuisse, præcepti div. ratio efflagitat, adhibitumque rite fuisse, sacra pagina confirmat. Hinc rectissime *D. Ægid. Hunnius in explic. II. Præc.* Hie soltu mercken/ daß Gottes Will nicht ist/ daß man seinen Namen allerding nicht führen soll. Wie das verblendte Volck/ die Jüden/ den hohen Namen Gottes יהוה, so in unser Bibel wird verdeutschet HERR/ nicht pflegen zu nennen: sondern für eine Todt-Sünde halten/ da man denselben außspricht. So doch GOTT eben darumb denselben uns Menschen kund gethan/ daß man ihn recht führen/ und heiliglich brauchen soll. Sonst dörffte man eben so wenig denselben mit Dinten schreiben/ als mit dem Munde außsprechen. Idem contra præceptum divinum omnem vanam, inutilem, frivolam blasphemamque usurpationem, à DEI non solum nominibus singulis, sed essentia etiam, personis, attributis, operibus atque cultu inprimis, longissime abesse vult, gravissimamque transgressoribus pœnam minatur. Quo conferantur exempla Pharaonis, qui non nominando, sed contemnendo Jehovam ejusque majestatem ac voluntatem, blasphemus fuit. Sic Korah Numer. 16: 14. Bileam Numer. 22: 32. 24: 1. 31: 8. Goliath 1. Samuel. 17: 10. 36, 43, 45. Syri 1. Reg. 20: 23. tribunus Regis 2. Reg. 7: 2. 17. Sennacherib Esaiæ 37: 6, 23. non ex legitimo usu, ne abusu quidem, & pronuntiatione literarum atque vocalium nominis יהוה judicantur blasphemi, nec etiam ullum aliud hominis ea ratione blasphemi exemplum universa suggerit Scriptura; ipsam potius DEI majestatem, potentiam, veritatem &c. contemserunt atque blasphemarunt memorati modo impii, quod ad oculum omniumque consensu constat. Idem etiam inprimis de blasphemis in N. T. recensitis, ubi jam, καὶ ἄνθρωπον, consuetudo pronuntiandi Jehovæ nomen in usu

usu esse desierat, blasphemi nihilo secius judicantur Pharisæi & Scribæ Matth. 12: 24. alter latro Luc. 23:39. Hymenæus & Alexander 1. Timoth. 1: 20. Julianus Apostata &c. Neque hic nominis יהוה pronuntiatio blasphemiæ nomine notata est à Christo vel Apostolis, aut ullo etiam Christiano Doctore, orthodoxe pieque sentiente. Quæ autem Scripturæ V. T. testimonia nomen quodcunque divinum, sigillatim essentiale, diserte exprimere atque pronuntiare prohibeant, quæ item Scripturæ exempla nomen יהוה olim in V. T. non scriptum, lectum pronunciatumque esse, aut in factam solam, etiam religiosam, pronunciationem gravissima mortis pœna animadversum esse demonstrent, omnino nulla sunt. Quæ in diversum insigni S. Literarum abusu afferuntur, in sectione ἀνασκευαστικῇ aliquando pluribus cognoscemus.

§. XIII. Nunc expendere juvat, quomodo nec cum sanis rationibus sententiæ Rabbinicæ conveniat. Quæ supra p. 10. adducta suisque demonstrata rationibus sunt, clarum apertumque reddunt, Judæos hac iniqua legis nostræ detorsione suppositionem formalem in materialem commutare, punctis & apicibus adhærere, sensu, forma interna & anima neglecta, fatali more suo vix corticem attingere, re atque nucleo relicto. Quod enim corde, ore & opere celebrandum, id sane etiam viva disertaque voce pronunciandum erit. At Jehovam celebrandum ita esse, qui probari sibi cupit, ignorat Scripturam, nescit vitam, nescit salutem suam. Qui ipsa vitæ suæ actione ita non celebrat, mandatum divinum non attendit, promissum spernit, nullis pœnarum minis, nullis sive Sanctorum Angelorum beatorumque in cœlis, sive fidelium in terris movetur exemplis & adhortationibus. Præterea quod ipse DEUS illustrissimo suo facto tot hominum myriadibus ostendit licitum, approbat, & jugiter repetendum injungit, id non prohibet pœnave coercet: quorum DEUS est autor, eorum non est ultor. At DEUS clara & articulata voce nomen יהוה ipsis suis literis & syllabis terminantibus in præsentia sexcenties mille hominum pronunciavit Exod. 20: 2. Deuter. 5: 4, 24. (De qua pronunciatione commentum R. Salomonis, Bechai, Isaaci filii Aramæ, Tanchuma, Jalkut & Chasbuni, ab ipsomet Aben-Esra pro more docte sapienterque refutatum, videri potest apud *Buxtorf. thes. Gr. lib. 1. cap. 5. pag. 60.*) pronuntiationem hanc non licitam tantum nobis, sed & injunctam & crebro iterandam voluit Deut. 6: 6. sequ. Non liganda tantum erant super manum præcepta divina i. e. custodienda fideli manu, conservanda perpetuo atque studiose observanda, tanquam quæ jugiter nostris obversantur oculis, teruntur manibus, adeoque in omni opere manuum nostrarum pro norma præsentissima erant habenda: nec scribenda tantum super domus poste: cujus ad superstitionem usque observantissima semper fuit gens Judaica, sed & corde cumprimis pio jugi recentique memoria tenenda, & filiis omnique posteritati ושננתם summa diligentia, assiduitate & fide maxima, accurate & commodissime, qua scriptis, qua viva potissimum penetrantique voce, proponenda, inculcanda & suis quasi characteribus memoriæ atque cordi acutissime insigenda imprimendaque. Id quod nec locus impedire poterat nec tempus, multo minus prohibere debebat: domi forisque, mane ac vesperi, sedentes pariter ac ambulantes, cubantes æque ac surgentes, adeoque in omni situ, motu & negotio suo hujus tenebantur officii, tenenturque hodie omnes Parentum nomine insignes. Loquendi genus hoc egregie illustrat Psalm. 139: 2, 3. Cedro digna sunt, quæ in hanc rem religiose disserit doctissimns *Fullerus Miscell. Sacr. lib. 4. cap. 13. p. m. 494. Nulli dubium esse potest, qui modo mediocri cum diligentia in Vet. Instrumenti Scripturarum Hebraicarum lectione sit versatus, quin Judæis olim, prima ab infantia, DEUS notissimum esse voluerit Nomen illud, imo sermone quotidiano usurpatum, tanquam sanctissimæ majestatis suæ* καὶ ἐπιτομὴν *(ut ita dicam)* μνημόσυνον, *vel monumentum singulare maximeque obvium —— tantum aberat, ut ullo unquam pacto absterrere & abstrahere pios studuerit, ab illo reverenter & religiose pronuntiando. —— Quin imo necesse erat, ut quemadmodum gemmæ, aurum, argentum, cætera, tractando nitidiora & splendidiora redduntur; ita sacrum hoc Nomen, promulgando, quotidie magis ac magis claresceret, & eo illustrius ac gloriosius, quo notius & celebratius evaderet, præsertim apud populum DEI, casta divini nominis reverentia ab incunabilis imbutum.* Et ipse noster Ægyptius simili domestica, vel matris, informatione, publica nominis יהוה prædicatione & solenni inprimis legis Moralis à DEO facta promulgatione, ad notitiam pronuntiandi Jehovæ nomen pervenisse existimandus est. Unde scribit *Rabbi Salomon Jarchi ad vers. 11.* שנקב שם המיוחד וגדף והוא שם המפורש ששמע מסיני *quod nominatim expresserit nomen proprium & blasphemarit: quod est nomen expositum (mirabile) quod audiverat in Sinai.* Ubi ordinata per angelos lex, per manum Mediatoris Galat. 3: 19. qui unus est DEI & hominum, homo Christus Jesus 1 Tim. 2: 5. de quo confer *D. Quenstedt Exerc. de Script. S. XIX. th. 2. observ. 3. integr.* angelus faciei יהוה Esaiæ 63: 9. in quo nomen יהוה Exod. 23: 21. Quicquid igitur sanctissimus Dei Filius in solenni legis promulgatione pronuntiavit, id nos sine crimine læse majestatis divinæ repetere poterimus. Hoc enim fine promisit ac recepit, se narraturum Nomen יהוה fratribus suis Psalm. 22: 23. quod & abunde satis in diebus carnis Ebr. 5: 7. per semetipsum præstitit. Quanquam in edendis virtutibus ac miraculis minime gentium pronuntiatione nominis יהוה usus sit: quam blasphemam Judæorum sententiam, post Porchetum, solidissime refutavit *B. Lutherus in Schemhamphorasch Tom. VIII. Jen. Germ.* Imo, καὶ ἄνθρωπον, etiamsi ex falsissima ista hypothesi, Christus Salvator ab omni pronuntiatione nominis יהוה non abstinuisset, contra nostram tamen legem nullamve aliam egisset Esaiæ 53: 9. 1 Petr. 2: 22. Joh. 8: 46. 2 Cor. 5: 21. Ebr. 7: 26. Ostendat, convincat & dicat id Judæus Apella & Judaizans, quicunque pronuntiationem יהוה & à Christo sic factam credit, & generatim tanquam blasphemam prohibitam sentit: Eidem cum Judæis gravissimæ blasphemiæ crimini obnoxius est futurus. Accedit, quod in genere omnis, sigillatimque nominis יהוה, revelatio divina, voce viva στόματι πρὸς στόμα seu scripto facta sit ad nostram διδασκαλίαν: hæcque eo fine in literas relata, hominibus revelata ac commendata, ut legeretur, pronuntiaretur, atque nos inde de DEI æterna & immutabili essentia rite informaremur, ejusque attributa, bonitatis inpr. ac justitiæ, opera miranda & excellentissima, religiosus denique cultus, hoc nomine tanquam memoriali quodam, nobis commonstrarentur. Cum sit atque dicatur nomen יהוה excelsum Psalm. 148: 13. Esaiæ 12: 4. maximum 1 Sam. 12: 24. 1 Reg. 8: 42. Psal. 99: 3. Jer. 10: 6. summe reverendum Deut. 28: 58. Malach. 1: 14. gloriosissimum Deuter. 28: 58. Psalm. 8: 2. Esaiæ 63: 14. sanctissimum Levit. 22: 2, 32. 1 Paral. 17: 10, 35. Psalm. 33: 21. & 72: 19. non quod in sanctuario & benedictionibus sacerdotalibus tantum adhiberi debuerit, ut cum superstitiosis Judæis contendit Amama: est excelsum in omni terra Psalm. 83: 19. ab omnibus ubique fidelibus prædicandum, vide supra pag. 11. David in diserto, Daniel in exilio & lacu, Jonas in ventre piscis cap. 2: 2, 3. sine omni crimine id adhibuerunt. Manifestæ falsitatis convincuntur ex Numer. 5: 21. ubi in maledictione adhibendum idem legimus. Vocatur præterea nomen mirificum Judic. 13: 18. & quæ prædicata alia de hoc nomine docenda sunt. Docere vero complectitur informationem & præsentium viva potissimum voce, & absentium scriptis, etiam ad posteritatem, libris instituendam. Quod usus Scripturæ demonstrat, cum in Ebraico לַמֵּד exemplo Mosis Deut. 4: 5. Davidis Psalm. 34: 12. Salomonis Cohel. 12: 9. tum etiam Græco διδάσκειν, Apostolorum cumprimis exemplo Matth. 28: 20. Qui singuli quod viva voce præsentes suæ ætatis homines, idem absentes sui temporis posterosque omnium ætatum scriptis docuerunt suis, sicque tales fuerunt ac sunt absentes sermone per epistolas, quales re ipsa erant præsentes, nimirum utrobique docentes. Accedit inde robur huic assertioni: Quicquid docere, idem & pronuntiare & scribere licet. DEUM qua nomina quæcunque, qua essentiam, personas, attributa & opera docere licet, decet atque severe injunctum est. Et cur scribere, non item dicere ac pronunciare, liceret יהוה? quæ diversitatis ratio; impuriora forsan labia loquentis, quam manus calamusque scribentis, aut charta, atramento scripta custodiens? quæ rebus hisce ratione sui, ne dicamus συγκριτικῶς præ corde, ore opereque fidelis, inhæret sanctitas? nonne τὰ ἐν τῇ γραφῇ σημεῖα τῶν ἐν τῇ φωνῇ, ὡς τὰ ἐν τῇ φωνῇ, τῶν ἐν τῷ νῷ? quæ mente concipi, calamo scribi, voce etiam proferri poterunt. Sed nec scriptio sua caret superstitione, ita ut intingens calamum, ut scribat nomen Dei, non ordiatur ab ipso nomine, sed ab antecedente litera: quin &, si nomina DEI scribentem vel Rex aliquis salutet, non respondet prius, quam duo vel tria verba continue subjecerit: tunc demum interspirare licet atque gratias agere, quæ sunt verba *Schickardi jur. Reg. Ebr. cap. 2. pag. 43. edit. vet.* Nonne scribitur, ut legamus? anne lectio hæc mussitanda, aut clare potius articulateque pronuntianda? hoc requirit Scriptura Nehem. 8: 8. legebant librum Divinæ legis מפורש explanate & exponendo sensum, dabant intelligentiam per Scripturam ipsam; illud eligit perversa Rabbinici ingenii natura: obliviosa sui atque moniti רמבם halach. de benedict.

Sacer-

Sacerdotum cap. 14. §. 1. כה הברכו בקול רם *sic benedicetis alta voce.* vide ineptias modulationum seu susurrationum & attentionum ex Cod. Kidduschin relatas à *Buxtorf. in Lex. Min. voce* יהוה. Anne scriptio retinenda, an vero cum alia permutanda? A Libris quidem divinioribus sacrilegas abstinent manus, nec quicquam in divino nomine immutant: Cum juxta Alphes. pag. 348. b. המוחק אות אחת מן השם עובר בלא תעשה א״ר ישמעאל לכך נאמר ואבדתם וגו *delens unicam literulam de nomine divino, peccat graviter contra prohibitionem. Id probat R. Ismael ex dicto (Deut. 12: 3.) perdatis nomina idolorum, ubi diserte additur, non sic facietis DOMINO DEO vestro.* Hæc illa Legis Divinæ fideliter custodiendæ cura ac ratio Rabbinica: hæc divinitus imperata idolorum abolitio, vel minimas etiam literulas nominis eorundem radens, delens: insignis nempe læsio, & fere ultra dimidium.* Egregia vero legis divinæ allegatio, de qua supra pag. 5. seq. In suis vero Targumistæ seu Talmudistæ scriptis nulli veriti sunt, nomina divina, etiam essentiale, superstitiosæ pietatis causa permutare, seu potius pessimo ac male sano instituto corrumpere, ponendo ״ יהוד aut יהוד pro יהוה & sic אלקים אלדים pro אלהים Vid. D. Gerhard. Exeges. L. II. cap. 3. §. 22. D. Lyser. de τρισαγίῳ angelorum P. I. th. 6. D. Walther Spicil. P. I. controv. 3. D. *Calov.* theol. natural. & revel. pag. 219. *Schickard.* in Psal. 25. *Drus.* tetragr. cap. 5. *Hottinger.* Compend. theol. Jud. sect. 6. *Buxtorf.* Grammat. Chald.-Syr. pag. 3. Sed nobis nec est divinus Jonathan, ut Menasse ben Israël de creat. probl. IX. p. 39. nec θεόπνευστος Onkelos, ut Judæis, Vid. *D. Helvicus* de paraphr. Bibl. Chald. cap. 4. pag. 16. *P. Fagius* præfat. in Pentat. *Schickardus* in Bechin. Happer. pag. 22. nec infallibiles Rabbini; sed in hoc omnes pariter superstitiosi, ne quid dicamus gravius. Divina scripta sunt ut credamus Joh. 20: 31. fidemque ex auditu Rom. 10: 17. hauriamus: Ergo quæ divinitus scripta ita legenda atque pronuntianda, ut audiri, cognosci & fide salvifica apprehendi queant. Fatendum equidem id ingenue fuerit, quod facilior, & proinde major, in pronuntiando nomine divino abusus; sed & in scribendo frequens nimis: ipsam tamen non impedit scriptionem, nec tollat, aboleat prohibeatve pronuntiationem. Quæ accidentariæ hominum culpæ vendicanda, ipsi rei seu actioni, in se bonæ satis atque legitimæ, non imputanda veniunt. Omnibus si prohibita nominis יהוה pronuntiatio, cur Summo Pontifici in Sancto Sanctorum festo propitiationis in anno semel concessa? Aut Rabbini hunc eidem involvant blasphemiæ crimini, aut per speciale divinitus indultum ei privilegium ex Literis S. unice, nobis authenticis, ejusdem eum absolvant necessum est. Si Maimonidis aliorumque Judæorum more illaudato, literæ nominis יהוה seorsim nominari, calamo discrete formari & expresse legi possunt, quid prohiberet, quo minus, nobiliori modo, & ore & lingua hominis formentur junctim, aut pronuntientur iis, quibus divinitus consignatæ reperiuntur, literis? Qui gloriam debitam DEO non derogat Psalm. 74: 18. & creaturis arrogat Matth. 9: vers. 3. phrasi Scripturæ blasphemus non audit 1 Reg. 20: vers. 23. In simpliciter aut religiose etiam, nomen יהוה pronuntiantem utrumque prius convenit, ergo & posterius. In eandem sententiam *Ambrosius de Paradiso* inquit: Blasphemia est, quando DEO tribuitur, quod ei non convenit, vel ab eo aufertur, quod ei convenit. Cui tertiam differentiam *D. Chemnitius LL. P. II. de Lege Dei p.* 121. addit, cum creaturæ tribuitur, quod soli DEO convenit. Manet proinde pronuntiatio יהוה simplex legitima, divino ac humano jure concessa non solum, sed injuncta insuper, nec ulla in speciem ratione prohibita, ut in sect. ἀνασκευαστικῇ pluribus erit ostendendum. Et nunc patere potest ex genuina blaspemiæ recensione, quæ talis est apud D. Chemnitium l. c. *Blasphemiæ sunt maledicta & impiæ voces adversus DEUM & verbum ejus: maledicta desperantium, & omnes sermones, quibus deformatur gloria DEI & concutitur fides in infirmis.* Sive plenius: Blasphemia est peccatum mortale, instinctu Diaboli ab irrenati summa mentis voluntatisque perversitate profectum, cogitationibus, dictis vel factis divino honori detrahens, Deum & Christi meritum ac beneficium, itemque media salutem offerentia, verbum & Sacramenta, eorundemque Dispensatores contemnens & atrocibus convitiis lacessens, contracto cum temporalis, tum æternæ inpr. mortis reatu. Ratione Græcæ originis infert vanam, inanem ac contumeliosam prorsus famæ, læsionem atque sic generatim idem est quod maledicere alicui superiori, conviciisque & aculeatis dictis, quoquo modo illius honori & dignitati detrahere. Et ita ab impiis adversus Verbi divini Ministros 1. Cor. 4: 13. Magistratum civilem Tit. 3: 2. 2 Petr. 2: 10. atque parentes Exod. 21: 15. dirigitur. Nos vulgo receptam significationem spectantes, cum Augustino supra p. 7. cit. potissimum blasphemiæ objectum speciale, scopum & σημεῖον ἀντιλεγόμενον καὶ λοιδορούμενον constituimus Deum Trinunum, ejusque sanctissimum nomen & majestatem, Christi meritum & immensa Spiritus S. beneficia. Et inprimis ultima hac ratione magna intercedit affinitas peccato huic atrocissimo cum peccato, quod dicitur in Spiritum S. quo de pluribus videre est Ebr. 6: 4, 5. A Diabolo, divinæ Majestatis contemtore, hominumque apud Deum, Deique apud homines accusatore perpetuo, proficisci hunc partum viperinum, exemplo Judæorum, Christum blasphemantium, abunde satis constat Joh. 8: 44. Conferri in hanc rem merentur *D. Botsac* Moral. Gedan. p. 114. seqq. *D. Joh.* **Schmid in der Christlichen Weißheit** conc. 12. p. 259. seqq. *D. Broehmand* Syst. Theol. t. 2. p. 36. b. *Lorinus* in Act. 6: 11, 12, 13. Unde luculenter patere potest, simplici nominis יהוה pronuntiationi non convenire veram blasphemiæ rationem, ut nec ipsum blasphemiæ nomen atque crimen: cum nec ullum quidem distinctionis nominalis membrum jure ei tribuatur, ne æquivoca quidem dicendi ratione blasphemia erit.

§. XIV. Veri nominis blasphemia, eaque, in Deum, maxima in nostra lege prohibita est. Quod magno muniunt Consensu Optimi quique Interpretes, cumprimis Christiani: quorum suffragia hic breviter colligemus. Ita *Cyrillus Alexandr. in Amos 6. n. 62. Nominare nomen DOMINI,* inquit, *maledicere est,* εὐφήμοις λέξεσι διὰ τῶν ἱερῶν ἀπεφωνημένων γραμμάτων, *quod à S. Literis vocibus boni ominis exprimitur. B. Lutherus Tom. 8. Jen. Germ. fol.* 118. *de Schemhamph*: **Daß die Jüden fürgeben / der Name Jehova soll unaußsprechlich seyn / wissen sie nicht / was sie lallen: meynen sie die Buchstaben / so kans nicht wahr seyn / denn er heist Jehova. Und so er kan mit Federn und Tinten geschrieben werden / warumb solte er auch nicht / mit dem Munde / der viel besser / denn Feder und Tinten ist / genennet werden.** *B. Chemnitius LL. P. II. de Lege DEI p. m.* 121. inquit, *Levit.* 24: 10, 11. *jurgans quis cum altero, maledicit nomen Domini i. e. abutitur ad exsecrationes. De D. Franzio atque Hunnio constitit supra p.* 31. *&* 34. *de D. Gerhardo Exeges. tom.* 1. *fol.* 619. *D. Calovius Theol. nat. & revel. p.* 236. *ita habet*: *Levit.* 24: 16. *non prohibetur simplex nominis hujus expressio, sed ea solum, quæ cum blasphemia & maledictione conjuncta est*: confer eundem in Bibl. Illustr. V. T. t. I. p. 335. & 502. *Nec aliter D. Gejer Comm. in Proverb.* 11: 26. *p.* 573. נקב *idem quandoque est ac execrari, nomen scilicet vel famam alicujus velut confodiendo, integritatemque ejus vitiando: quomodo de execratione nominis divini reperitur Levit.* 24: 11. 16. *ubi blasphemus ille tremendi nominis DEI læserat autoritatem &c.* D. Varenius *Decad. Mos. in Bresith. p.* 200. *nec responsionem meretur, illa Rabb. glossa, quæ lapides loquitur, eorundemque commune supplicium minatur, pronuntianti hoc nomen per suas consonantes, cum illo Levit.* 24: 11. ויקב את השם *additur enim expresse* ויקלל, *vel ut Onkelos* פרש ית שמא וארגיז *qui expressit nomen DEI & blasphemavit, vel expressit cum blasphemia. Decad. in Schmot. p.* 107. *addit: inter blasphemandum, nomen illud magnum, reverendum, Dei proprium & essentiale, expresse protulit & pronuntiavit: nec enim ille ex divina sententia lapidatus fuit, quod nude & simpliciter nomen illud pronunciaverit*: confer eundem inprimis in Lev. p. 155. seqq. D. Quenstedt *in LL. Difficil. V. T. in h. l. num.* 14. ἀνεκδ. *Præsenti loco non simplicem, verum maledicam & blasphemam hujus nominis sui pronuntiationem vetat Deus. Vindicat enim nominis sui contemtum, non usum: quemadmodum jurandum* בשם יהוה *Deut.* 6: 13. *Sed in vanum sumendum non est.* —— נקב *non tantum expresse nominavit, sed etiam cum dedecore & ignominia expressit, uno verbo, maledixit, execratus est, significat.* Quibus hactenus adductis nostris Theologis in generali pronuntiandi ratione consentit *D. Waltherus*, diversum alias tenens, quando in Spicil. controv. 6. p. 78. ita inquit: *Quemadmodum propterea est revelatum, ut agnosceretur, adoraretur & celebraretur, ita etiam ideo in literas relatum est, non ut sine intellectu aspiceretur, sed ut legeretur & pronuntiaretur.* Accurate etiam נקב nostræ legis expendit Venerandus hujus Acad. Senior *Dn. Sennertus* disp. de ἀνεκφωνήσει nominis Jehova anno 1642. hab. sect. I. §. 15. inquiens: נקב *duplicem obtinet significationem, unam generalem, quam alii formalem dicunt, alteram specialem seu materialem. Videndum*

dum itaque ex textu, num hic in malam vel bonam accipiatur partem: prius tota cohærentia suadet & urget &c. Quibus egregiam *Joh. Conr. Dieterici* sententiam subjicere liceat, quæ in Antiquit. Bibl. p. 162. ita habet: *Facessat eorum religio, qui hoc nomen juxta characteres suos suaque puncta pronuntiare non audent. Huic voci ut omnia præcipua & singularia attribuimus, ita nil singulare hic subest, sine piaculo efferimus, utut etiam supputes. Nec est, ut Judæos revereamur, qui ut in multis rectam nominum rationem non assequuti sunt, ita & hic de veri prætensione testes sublesti.* Hackspanius Not. Phil. P. I. p. 456. inquit: *præsens locus non de nuda nominis illius enuntiatione loquitur, sed ea, qua vergit ad convitia & blasphemiam, certe cum talibus conjuncta est.* L. Carpzovius de Tetragr. lectione c. 2. th. 1. inquit: *Levit. 24: 16. tantum profanatio, non pronuntiatio ejusdem* יהוה *vocis prohibetur.* Hesychius quoque observat, *denominandi verbo significari, quod simul blasphemat, & nominat nomen Domini h. e. spiritus, qui sciendo blasphemat.* Bonfrerius Comment. in Pentat. p. 703. dicit: *non simplicem fuisse divini nominis pronuntiationem, sed etiam maledictionem & execrationem adjunctam, omnes textus verbo* ויקלל *exprimunt.* M. Marinus in Arca Noë p. 283. b. *Estne tanti laboris difficultatisque* יהוה *legere? superstitiosus timor religionis ad ignorantiam additus: p. 473. b.* נוקב *perforare (maledicendo nominare) nomen Domini.* Santes Pagninus thes. linguæ S. p. 1469. ita de significatione נקב sentit: *maledicens, ac si dicat exponens & maledicens, quia non erat reus nisi exponeret & malediceret. R. David.* D. Forsterus diction. Hebr. p. 516. nostrum נוקב reddit, *qui excavat nomen Jehova, morte moriatur i. e. inurit notam nomini divino.* נוקב Latine convertitur à Schindlero in Lex. Pentagl. p. 1156. *proferens & maledicens*: à Buxtorf. Lex. min. p. 484. *qui execratur*; ab Edmundo Castello Lex. heptagl. pag. 2393. *exponens & maledicens, quia aliter reus non erat.* Quæ aliqua vicinitate fontem contingunt versiones celebriores, blasphemandi vel execrandi sensum, in נקב observarunt. *Arabs* usurpat verbum سب maledixit, blasphemavit, lingua confodit, probrosis verbis petivit Num. 22: 11. 23: 8. quod ab Ebræo סבב originem ducit. *Samaritanus* interpres idem verbum alias adhibet, hic per ࠐࠓࠔ vertit: Angli hoc in execrandi significatione acceperunt; Castellus vero Lex. heptagl. p. 3390. exponendi & per partes quasi explanandi sensum huic verbo vendicat, idque ex Ebraismo æque ac Arabismo confirmare laborat. Negari tamen nequit, verbum קסם apud Ebræos, Chaldæos, Syros, Samaritanos ac Æthiopes Magis ac Divinatoribus tribui, eorundemque divinationes atque execrationes designare. *Onkelos* atque *Syrus* verbum פרש explicandæ nostræ voci נוקב substituerunt: bene, si eo, quo vult Fessélius, sensu de quo p. 9. quem Onkelos ob vs. 11. admittere videtur. Similiter *LXX. Interpp.* ὀνομάζειν commoda interpretatione juvandum atque ex antecedenti (addita voce maledicendo) intelligendum. *Arias Montanus* certe mentem Pagnini ita explicuit, cum versio Pagnini interlinearis vocem נוקב reddat nuncupans, in margine ipse curavit addi, blasphemans. Nec aliter habendum de *B. Lutheri* versione priori, cujus mentem explicatius, ut sæpe alias, reddidit posterior. Bene hic *Vulgatus* interpres atque Junius Tremellius. Si qui tamen Chaldæi, Syri atque Græcorum Interpp. verbis pressius insistere malint, nos suspiciendum potius originalis linguæ præsidium judicamus.

§. XV. Ipsos tandem Judæos, consentientes nobis, audiamus de genuina verbi נקב significatione, quam hic loci obtineat: in qua potissimum controversiæ hujus momentum jure merito positum videtur Dn. Sennerto nostro disp. de ἀνεκφωνήτῳ sect. I. §. 15. *Josephus* antiquit. lib. 4. cap. 8. legem nostram respexisse, ejusque sensum satis feliciter reddidisse videtur, his verbis: qui convicium DEO fecerit, lapidatus per diem pendeat: deinde ignominiose & obscure sepeliatur. *Philonis* consensum jam adduximus pag. 32. Ut de Concordantiis nihil dicamus, suum nobis assensum præclare testatur *Aben-Esra*, verbis hactenus expositis subjungens: בעת שיקלל אם יפרש השם יומת *eo tempore* (tum) *occidetur, quo blasphemaverit, si pronunciaverit nomen illud Raschi* præter præclaram assertionem, eandem nobis probationem affert, & significationem קבב & נקב h. l. eandem agnoscit, inquiens ונוקב לשון קללה כמו מה אקב *verbum* נקב *significat maledicere, sicuti Numer.* 23: 8. Pari utitur ratione, dum vers. 11. נקב exponit per גדף quod de atroci atque horrendum in modum punita blasphemia Sanheribi adhibetur 2 Reg. 19: 6, 22. Esaiæ 37: vers. 6, 23. Israëlis Ezech. 20: 27. cujuscunque blasphemantis Psalm. 44: 17. magna voluntatis propensione ac studio Numer. 15: 30. Et quidem secundum perpetuum Scripturarum S. usum de blasphemia adversus solum DEUM perpetrata. *Targum Hierosol.* explicat per חרף quod itidem de Sanheribi convitiis, probris ac hostili subsannatione adhibetur l. c. Et idem Targum optime in hanc sententiam in Deut. 32: 3. væ illis, qui in execrationibus proferunt nomen sanctum &c. R. Sal. ben Melech ad verbum nostræ legis נוקב ita habet: ענינו פירוש עם ענין הקללה כלומר מפרש ומקלל שאינו חייב עד שיפרש ויקלל *significat explicationem cum connotatione maledictionis, ac si diceret, diserte explicans & maledicens: quia non reus est quisquam, donec explicite dicat & maledicat.* Testetur ultimo loco de omnium consensu *R. Menasse ben Israël* Concil. in Exod. quæst. 3. pag. 101. *Narratur hic filium Ægyptii pronuntiasse Nomen eique maledixisse: unde instituta est lex, quæ ait: quisquis maledixerit Deo suo, tollet peccatum suum, hoc est excidium animæ: sed qui protulerit nomen, eique maledixerit, judicio morietur: quomodo omnes autores hæc verba exponunt.* καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Nos pro concessis ingenii viribus æternas Deo gratias ex merito agimus, atque precamur supplices: sanctificet nos in veritate: verbum ejus veritas est: quæ salubriter scienda nescimus, doceat nos: in his quæ vera novimus, custodiat nos: in quibus ut homines fallimur, corrigat nos: in quibus veris titubamus, confirmet nos: & à falsis ac noxiis eripiat nos! A te vero, benevole Lector, petimus atque contendimus: Quæ sunt maledicta, homini adscribe, & da veniam: quæ bene dicta, DEO attribue, & da gloriam!

Τ' ἀνώπερθε καλῶ.

JOH.

JOH. BEN. CARPZOVII DISSERTATIO De Aurea Judæorum Simia ad Levit. XXVI: 44.

FAXIT DEUS FELICITER!

PRÆFAMEN.



SImia est Simia, etiamsi aurea gestet insignia; Ita proverbio dicitur, & vere omnino sic dici, præsens hæc Judæorum *Aurea Simia* comprobat, quam non è navi Salomonea venantur ex India allatam 1. *Reg.* 10: *vs.* 22. 2. *Paralip.* 9: 21. sed quam sibi veluti à Mose acceptam ex insigni ejus Oraculo *Levit.* 26: 44. fingunt ipsi, aureum nominis insigne præ se ferentem, aureisque literis & furtivis undique versum superbientem coloribus, nihilominus ad fucum compositam, & revera comprobantem illud, quod alio dicunt proverbio: Τῶν πιθήκων ὡμορφότατος δύσμορφός ἐστι, *Simiarum pulcherrima deformis est.* Quamvis enim in sese divinum hoc oraculum fucus & fabula sit minime, (חס ושלום) moderni tamen Judæi more simiarum simiam exinde sibi somniant. Et nolunt quidem hac nominis impositione ridiculi haberi, cum antiquam illam rationem prætendant, qua soliti sunt veteres Rabbini libros Mosaicos omnes, ut & eorundem Sidras & Paraschas à literis initialibus denominare, ut adeo eadem hic ratione denominationis observata *Aurea hæc Simia* à vocula initiali אף quæ Germ. **Aff** pronunciata simiam notat, titulum suum sortiatur; attamen, si verum hic Judæis audire fas est, magis se hoc titulo deridendos propinant, quam ut causam suam adjuvent. Manifestum enim est, quanta μεταμορφώσει per hanc simiam Judæi in simias abeant, & ut Pfeifferus *in dubiis vexat. pag.* 318. loquitur: **wie sich die Jüden mit ihrem gülden Affen sehr äffen**; quandoquidem abhinc duobus retro, & quod excurrit, millenariis elapsis, omni ex parte adimpletum est vaticinium, ut certe nihil adhuc amplius exinde lucrentur Judæi, quam ut ad vivum gesticulosos Simiarum lusus exprimant. Id quod pridem Christianis Doctoribus observatum est. Paulus Fagius in notis ad Onkelosii Paraphrasin: *Mirum est*, inquit, *quantum se adhuc hodie nostri Judæi consolentur ex isto loco, pollicentes sibi certam liberationem ex hac qua nunc oppressi sunt, servitute. Et quia prima dictio hujus periodi est* אף, *quod Latine quidem* ETIAM, QUOQUE, ATTAMEN *significat, Germanis vero* **Aff** *sonat* SIMIAM, *idcirco Judæi Germani hanc periodum vocant* AUREAM SIMIAM, **der gülden Aff**/ *cujus lectione mirifice delectantur, adeoque exultant, ut quoties eam in Scholis & Synagogis suis legant, vel canant, summo animi gaudio voceque in altum elevata sonent. Fertur quoque de illis, quod ex isto loco Judæi Cæsarem Fridericum celebris memoriæ ita dementarint, ut dixerit,* JUDÆOS HABERE SIMIAM IN BIBLIIS SUIS, QUAM MERITO AUREIS DEBERENT SCRIBERE LITERIS. *Sed vanissima est horum tum exspectatio tum exultatio.* B. Gerhardus noster Tomo IX. LL. de extremo Judicio §. 110. *In hoc textu mire tripudiant Judæi, quem vocant* SIMIAM AUREAM, *propterea, quod versus* 44. *incipiat ab Hebræa dictione* אף *quæ Germanis* SIMIAM *notat, & ex eo firmissime concludi posse arbitrantur, quod in terram Canaan aliquando sint reducendi.* Christophorus Helvicus, in appendice ultima Elenchorum Judaicorum, qui & separatim, & Tomo IV. Disputationum Gissensium habentur, cum de argumentis Judaicis pro Messia nondum exhibito egisset, concludit tandem: *Unum præterire non possum, argumentum è Levit.* 26. *desumptum, in quo mirum quantopere Judæi tripudient ac triumphent. Vocant illum textum* SIMIAM AUREAM, *quia dictio versus* 44. *incipit ab Hebræa voce* אף *Af, quæ Germanis* SIMIAM *sonat. Et ex illo concludunt, se adhuc tandem aliquando in terram Canaan reversuros, & sic Messiam nondum exhibitum, qui ipsos eo deducat. Verum vanissima est hæc collectio.* Et iterum in vindicatione Locorum Scripturæ Veteris Testamenti sub titulo ואף גם זאת SIMIA AUREA pag. 166. *Judæi mirifice delectantur hoc textu, & illum* AUREAM SIMIAM *appellant, habentque pro basi omnis suæ spei de adventu Messiæ & reductione in terram Canaan.* Paria passim invenias apud Autores alios, Jo. Mullerum *part. I. Jud. c. XVII.* §. *VI. p.* 528. Jacobum Martini, *lib. III. de Trib. Elohim cap. XLI. pag.* 197. 215. *seqq.* Salomonem Glassium *lib. III. Phil. Sacr. tr. VII. Can. IV. p.* 592. (805.) Michaelem Havemannum, *in Lucerna Anti-Judaica, c. III. p.* 23. *seqq.* Michaelem Waltherum *in Spong. Mosaic. pag.* 864. *seqq.* Antonium Margaritam *in Relig. Judaic. p.* Dd. 2. Christianum Gersonem *part. I. Talmudis Judaici cap. XIII. pag.* 74. aliosque quam plurimos, quos imitari hac vice constitutum est nobis, qui dum Academicum meditamur exercitium Patronis, eorum jussu, probaturi nostra studia, hanc Judæorum Simiam nobis selegimus, *tribus Capitibus* veluti exenterandam, in quorum *Primo* Aureæ Simiæ Larvam, hoc est, Judaicam textus depravationem repræsentemus; *Secundo* Larvam huic Simiæ detrahamus, depravationem istam confutando, & *Tertio* denique detracta Simiæ larva verum & genuinum Oraculi sensum, voces & phrases & contextum expendendo planissime eruamus. Quod ut ex voto succedat, benignissimum divinum Numen ea, qua par est, animi humillima submissione veneramur supplices. Fiat!

CAPUT I.

Aureæ Simiæ Larva, seu Judaica Textus depravatio.

§. 1. ΠΡῶτον ψεῦδος quod horrendum in modum textum nostrum depravat, & Simiæ larvam indit, prima illa, & ad orcum usque releganda hypothesis est, qua negato Jesu Messia nostro exhibito, hoc vaticinium Mosaicum sub personato quodam adhuc venturo Messia completum iri, ad unum omnes asserunt. Qua execranda hypothesi *duo* inferuntur ponderanda: *Primum*, quo Messiam in carne manifestatum blaspheme negant; *Alterum*, quo completionem hujus vaticinii ad personati Messiæ adhuc venturi tempora differunt. Quoad *prius*, notum est illud Talmudistarum dogma, quod Messiam non prius admittit, quam piscibus omnibus, quotquot aquis innatant, demortuis, Romanis per novem integros menses in omnes terras dominatis, superbia atque luxuria in populo Israelitico funditus exterminatis, & religione Sadducæorum ab omnibus omnino hominibus recepta, & quas præterea nugas duo illi fabularum codicilli *Abcath Rochel* & *Malkiel* sub adventum Messiæ prærequirunt. In quibus cum ipsimet Rabbinorum nonnulli videant, parum inesse roboris

boris ad convincendum, illico ad principium illud indemonstrabile recurrunt, atque ibidem Eliam Præcursorem Domini *Malach.* 4: 5. Universalem commotionem & cœli & terræ & maris. *Hagg.* 2: 7. Confluxum omnium populorum, & pacem perpetuo duraturam *Jes.* 2: 2. *seq.* & templum tertio restaurandum *Zachar.* 6: 12. tanta vesania exposcunt, ut his præsuppositis negatis negent & pernegent Messiam in carne manifestatum, adeoque venturum adhuc Messiam non nisi in fine dierum & conjuncta ei resurrectione mortuorum expectent. Hinc fieri aliter non potest, quam ut statuant *secundo*: Oraculum hoc sub venturo Messia adhuc implendum restare. In quo errore eo magis animum obfirmant, quo firmiora argumenta pro iis facere in scripturis dictitant, nempe quod collectio ovium undique dispersarum *Ezech.* 34: 11. *seq.* & salvatio Judæ, *Jer.* 23: 9. non nisi Messiæ in fine dierum venturo competat *Jes.* 2: 2. *Mich.* 4: 1. Quorum cum nihil hactenus in hac moderna dispersione contigerit Judæis, ex pacto provocant ad complementum hujus vaticinii.

§. 2. *Δεύτερον ψεῦδος*, quod Aureum Simiæ fucum imponit, immanis ille & crassissimus error est, *promissionem hanc D E I absolutam esse.* Sic enim Rabbi Aben Esra in hunc locum observat, dixisse Deum: ואף אם הם הפרו את בריתי כי כן כתוב אני לא אבר בריתי אתם כי אלהים אני: *Etiamsi illi fœdus meum irritum fecerint, quia sic scriptum est, ego tamen irritum non faciam fœdus meum cum illis pactum, quia Deus sum*: Nempe hæc Rabbinorum sententia est, Promissionem Dei in bonis (qualis hæc utique est) etiamsi ei facta sit, qui de justitia ad injustitiam labitur, à Deo nunquam revocari, sed necessario adimpleri, prout diserte Rabbi Salomo Jarchi ad illud *Jerem.* 28: 9. *Propheta qui prophetat ad pacem, cum venit verbum Prophetæ, scietur esse Propheta, quem misit Dominus in veritate*; sic commentatus affirmat; אמר ירמיהו לחנניה אני מתנבא פורענות אם לא יבא איני שקרן שהקב"ה ניחם על הרעה אבל הנביא אשר יתנבא לשלום בבא דבר הנביא יודע הנביא אשר שלחו יהוה באמת אבל אם לא יבא דברו שקרן הוא שנאמר לא איש אל ויכזב וכך דרש ר' תנחומא: *Dixit Jeremias Ananiæ: Ego propheto Dei vindictam, si non venerit, quod propheto, non reputabor mendax, quia Deum sanctum & benedictum pœnitet super malo. Propheta vero qui prophetat ad pacem, cum venerit verbum ipsius Prophetæ, scietur esse Propheta, si autem non venerit verbum ejus, mendax est, sicuti dictum est* Num. 23: 19. *non est ut homo Deus, ut mentiatur. Atque sic exposuit hoc Rabbi Tanchuma.* Hæc ille, ex quibus inferunt, quod Deus omnino vi pacti hujus teneatur absque ullo respectu pœnitentiæ ex moderna servitute in pristinam libertatem restituere Judæos. Et quamvis hic nonnulli Rabbinorum vi veritatis convicti profiteantur, requiri ad complementum vaticiniorum & fidem & pœnitentiam, tamen eo usque insimul progressi sunt dementiæ, ut mordicus negent, posse adhuc majorem pœnitentiam excogitari, aut ab ipsis exquiri, quam hac longinqua & durissima servitute egerint. Quare plane nihil adhuc officere vaticinio censent, quo minus sub venturo Messia expleatur tandem.

§. 3. *Τρίτον ψεῦδος* seu tertius deauratæ Simiæ fucus est falsa textus applicatio, quam in Talmudis Babylonici Gemara Massecheth Megillah *fol. XI. col.* 1. sic instituunt: לא מאסתים בימי יוונים ולא געלתים בימי נבוכד נאצר לכלותם בימי המן להפר בריתי אתם בימי פרסיים כי אני ה' אלהיהם בימי גוג ומגוג: *Promissiones istæ diversa tempora respiciunt, quibus adimplendæ.* NON REPROBAVI EOS, *hoc tempore Græcorum impleri debuit.* NEQUE FASTIDIVI EOS, *hoc respicit Nebucadnezaris tempora.* AD PERDENDUM EOS, *hoc de tempore Hamanis loquitur.* AD IRRITUM REDDENDUM FOEDUS MEUM CUM IPSIS, *hoc tempus Persarum respicit.* QUIA EGO DOMINUS DEUS EORUM SUM, *scilicet tempore Gog & Magog.* Alia mox ibidem additur paulo plenior explicatio, priori parum absimilis: במתניתא תנא לא מאסתים בימי כשדים שהעמדתי להם דניאל חנניה מישאל ועזריה לא געלתים בימי יוונים שהעמדתי להם שמעון הצדיק וחשמונאי ובניו ומתתיה כהן גדול לכלותם בימי המן שהעמדתי להם מרדכי ואסתר להפר בריתי אתם בימי פרסיים שהעמדתי להם של בית רבי וחכמי דורות כי אני ה' אלהיהם לעתיד לבוא שאין כל אומה ולשון יכולה לשלוט בהם: *Traditione accepimus, sic explicandum esse textum:* NON REPROBAVI EOS, *hoc loquitur de tempore captivitatis Chaldaicæ, tunc enim illis Danielem, Chananiam, Misaelem & Asariam constituit.* NON FASTIDIVI EOS, *hoc loquitur de tempore, quo Græci iis dominabantur, tunc enim constituit iis Simonem Justum, Chasmonæum & filios ejus & Matthatiam summum Pontificem.* AD PERDENDUM EOS, *hoc loquitur de tempore Hamanis, tunc enim constituit illis Mardochæum & Estherem.* AD IRRITUM REDDENDUM FOEDUS MEUM CUM IIS, *hoc loquitur de temporibus Persarum, quia constituit illis, qui sunt de domo Rabbi, & Sapientes illius ætatis.* QUIA EGO SUM DOMINUS DEUS EORUM, *hæc promissio adhuc futura est, quando nulla natio, aut lingua in eos dominari poterit.* Hanc Talmudistarum traditionem è sua sede hic productam, aliter adhuc refert Christianus Gerson *lib. I. Talmudis Judaici c. XIII. p.* 74. 75. Quadruplex inquit solatium Judæis proponi, *Primum* in istis verbis: *Non reprobabo eos*, quod impletum sit, cum essent sub Græcorum dominatu; *Alterum* in his: *Non fastidivi eos*, quod sit impletum, cum Titus Vespasianus obsidione Jerosolymas cinxisset; *Tertium* in illis: *Non consumentur*, quod tempore Hamanis impletum sit; & *Quartum* denique, cum ait: *Fœdus meum durabit*, quod de præsenti tempore, quo sub Romanorum jugo vivunt, sit intelligendum. Quod vero additur: *Ego sum Dominus Deus ipsorum*, eo ad tempora Gog & Magog respici. His ergo ita positis planissimum esse dicunt Judæi, plenarium vaticinii complementum adhuc restare, adeoque Messiæ tempora nondum venisse, sed expectanda cum bona spe patienter. Unde ter singulis diebus preces conjunctas repetunt, ut progerminare Deus tandem aliquando faciat illud germen Davidicum ad salvandum & liberandum populum suum. Hæc larva est deauratæ Judæorum Simiæ.

CAPUT II.

Larvæ detractio, sive Judaicæ depravationis confutatio.

§. 1. LArvam istam nunc detrahamus, ut turpissima Simiæ forma conspiciatur, hoc est, appareat, quam turpiter sedent Judæi meras divino oraculo nugas assuendo. Quanquam enim eorum nugas recitasse, idem est, ac refutasse, adeo ut refutatione facile supersedere possimus; unde ad fabulas illas, quas præter scripturam comminiscuntur, nihil quicquam dicemus; at vero, quia identidem ad scripturæ vaticinia provocant, nostrum hic erit, argumenta eorum ex Scripturis desumpta expendere, non quod omnino necessarium esse hunc laborem judicemus, siquidem quod *πρῶτον ψεῦδος* attinet, jam conclamatum est de causa Judaica; sed ne nihil hic egisse videamur. Ad *primum* ergo locum *Malach.* 4: 7. sciendum est, nomen *Eliæ* non *subjective seu personaliter* accipi, quasi ipsa persona Eliæ Thesbitæ adventum Messiæ præcessura sit, sed *objective seu virtualiter*, quod alius quidam in eodem cum Elia spiritu atque virtute nec non corporis cultu expectandus. Quo nemo unquam venerabilior extitit Johanne Baptista, quemadmodum & ipse non tantum de se profitebatur in deserto, quod viam Domino jam tum præsenti pararet, sed & Christus testabatur plus omnino valere Johannem, quam Eliam, cæterosque Prophetas omnes, *Matth.* 11: 9. ut adeo facilis applicatio fieri potuisset ad hanc personam, quænam sit, modo saniora consilia pati potuissent Judæi. Quoad *alterum*, nempe commotionem illam universalem totius Universi *Hagg.* 2: 7. nodus solutu non adeo difficilis est. Ipse Rabbi Salomo fatetur, cœlum & terram & reliqua non concussione quadam & ingenti hiatu naturæ sed miraculis commovenda esse. Atque hoc factum & ante adventum nostri Christianorum, id est, veri Messiæ, & in illo, & post eundem passim legimus in profanis pariter atque sacris scriptoribus. In cœlo nova admirabilis stella apparuit, & innumerabilis Angelorum phalanx nascente CHRISTO ab ipsis Judæis visa est. Terra commovebatur non solum portentis, quæ iisdem fere temporibus toto orbe facta sunt, bobus scilicet loquentibus, serpentibus per aëra volantibus, pueris ex matrum uteris verba proclamantibus, fœminisque in masculinum sexum mutatis, ac Romæ ipso nativitatis CHRISTI die, fonte olei è terra abunde emanante, atque in Judæa, de cujus terra specialiter propheta loquitur, ingenti terræ motu facto, verum ob victoriam quoque quam Romani ubique terrarum obtinuerant. Tunc igitur terra & mare, h. e. maris insulæ, & omnes gentes commotæ sunt, quando edicto ab Augusto egresso, ut universus describeretur orbis, singuli in suam civitatem proficiscebantur. Et, si mystica interpretatio locum hic invenit, cœlum motum dicitur, cum *λόγος ἄσαρκος* de throno Majestatis suæ in terram magno & innumerabili cum comitatu Angelorum descenderet; nec minus, cum dulcissima vox Patris è cœlo lapsa audiretur: Tu es meus filius dilectus, in quo complacui *Marc.* 1: 11. & suavissima

viſſima Euangelii buccina omnes terras percrebeſceret, aridis hominum cordibus mirifice motis atque recreatis. Quæ omnia penetrantius declamitant è ſuggeſtu Eccleſiæ Patres. *Tertio*, per confluxum & congregationem omnium populorum *Jeſ.* 2: *vſ.* 2. non intelligitur univerſalis congregatio omnium in univerſum populorum, quotquot uſpiam terrarum vivunt, ſed multorum ex variis generibus hominum. Siquidem particula כל non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum hic accipitur. Quod alias ipſe Rabbi David Kimchi *in libro Schoraſchim f. CCXXVI.* de ea docuit היא מלה כוללת הפרטים ופעמים תבא על דרך הפלגת הריבוי כמו וכל הארץ באו ממצרים: id eſt: כל *eſt dictio comprehendens ſingula, & aliquoties partem multitudinis, ut in illo Geneſ.* 41: 58. *Et omnis terra venit ex Ægypto.* Pari modo de pace perpetuo duratura obſervandum, particulam עוד non ſemper *perpetuitatem*, ſed crebro *breve tempus* ſignificare, ut idem Kimchi *in eodem libro fol. CCCXL.* animadvertit, quandoque idem ſonare, ac לזמן מעט exempli loco verba *Prov.* 31: 6, 7. adducens: *Date inebriativum pereunti, & vinum ei, qui amaro eſt animo; bibet & obliviſcetur egeſtatis ſuæ & laboris ſui non recordabitur* עוד i. e. non in æternum, ſed *quamdiu vinum in eo eſt.* Atqui pax univerſo orbi reſtituta erat naſcente Chriſto per Auguſtum Jani templum Romæ claudentem; quod ſatis eſt, ſi locum de mundana ac terrena pace accipiamus. Cæterum conſtat, promiſſiones illas ſpirituales eſſe, adeoque & pacem ibi promiſſam de *Spirituali* ſolum intelligendam. *Quarto*, qui templum tertio reædificandum præſtolantur, fundamentum in aura poſitum quæritant. Non enim *terreſtre* aliquod templum in deſolati locum reſtituendum promittit Zacharias, ſed myſticum illud ἀχειροποίητον eccleſiam ſcilicet ex vivis & electis lapidibus, i. e. fidelibus conſtructam, & ut verbo dicam, Hieroſolymam ſupernam, & civitatem cœleſtem, *Hebr.* 12: *vſ.* 22. *Quinto*, per *finem dierum* Propheta *Jeſa.* 2: 2. non paucos quoſdam annos finem mundi præceſſuros, ſed *ultimam Monarchiam* non niſi cum fine mundi deſituram intelligit, ſub cujus auſpicio Jeſus noſter natus eſt, pulchre id deducente Magnifico D. Geiero b. m. *ad Daniel.* 2. *p.* 640. & 10: 12. *p.* 810. Hiſce ita expoſitis evaneſcit omnis Judæorum ſpes in venturum Meſſiam, & per eundem, quod *alterum* erat, hujus vaticinii impletionis falſa perſuaſio. Neque enim juvabit Judæos collectio ovium undique diſperſarum *Ezech.* 34: 12. *ſeq.* neque ſalvatio Judæ ſub Meſſia ſperanda *Jer.* 23: *vſ.* 6. quandoquidem hæc & ſimilia loca, quæ agunt de liberatione & ſalvatione populi Judaici, non corporaliter, ſed ſpiritualiter intelligenda veniant. Non enim Meſſias oves errantes per arma & vim coactivam externam in terram Canaan, ſed per verbum & ſacramenta ad Eccleſiam veram, & æternam patriam, Hieroſolymam ſc. cœleſtem reducturus erat. Conf. *Ezechiel.* 37: 12. *Epheſ.* 2: 11. *ſeq.* Quæ omnia in Jeſu Meſſia noſtro completa credimus. Oves diſperſas undique pedo ſuo amabiliſſimo ad ovile Eccleſiæ, quotquot ſaltim paſtoritiam ipſius vocem ſequebantur, reduxit, nec minus ſalvavit gentes, quæ ipſum recipiebant, atque confitebantur. Quod officium adhuc quoque exercet per fideles Eccleſiæ ſuæ miniſtros. Quare Judæorum argumenta longè felicius adverſum ipſoſmet Judæos invertimus: *Quæ vaticinia pridem in Jeſu noſtro impleta ſunt, ea Meſſiam dudum veniſſe, nec alium eſſe expectandum evincunt. Atqui hæc à Judæis produci ſolita vaticinia pridem in Jeſu noſtro impleta ſunt* (quod patet ex ante dictis.) *Ergo.*

§. 2. *Alter* fucus, quo pulcherrima facies textus noſtri corrumpitur, erat hypotheſis, qua *Promiſſionem* hanc *abſolutam* volunt. Ubi quidem illud in theſi concedimus, promiſſionem de mittendo Meſſia abſolutam eſſe, de quo alibi agunt Theologi; negamus autem in hypotheſi, hanc promiſſionem, quæ Judæis facta eſt in hoc oraculo, eſſe abſolutam, cum expreſſa conditio pœnitentiæ nullam exauditionem ſperare jubeat, niſi ipſa adimpleta. Nam ſtatim in frontiſpicio capitis, ex quo thema noſtrum deſumptum, particula conditionalis אם præfigitur, quæ deinde per totum caput regnat nuſquam extrudenda, ſuadente textus ſymphonia. Quoad gloſſam Rabbi Aben Ezræ, fatendum equidem, Deum omnino eſſe fidelem & immutabilem, tum in ſeſe atque in ſua eſſentia, tum in voluntate; negamus autem, inferri mutabilitatem voluntatis divinæ, ſi conditionata promiſſio, non impleta conditione, haud impleatur, imo tantum hoc abeſt, ut potius hinc immutabilitas divina fortius confirmetur. Cæterum mirari liceat, quomodo in hoc ψεῦδος de abſoluta promiſſione dilabi potuerint Judæi, quorum alias, cum à Chriſtianis circa tempus adventui Meſſiæ deſtinatum diu elapſum urgentur, unicum hoc eſt effugium: שאין הדבר תלוי אלא בתשובה ומעשים טובים *totum negotium non niſi à pœnitentia & bonis operibus dependere*, ut Talmudiſtæ loquuntur Maſſech. Sanhedrin *fol. XCVII. col.* 2. Similiter Schir Haſchirim Rabba *f. XXIIX. col.* 2. ר' לוי אמר אלו היו ישראל עושין תשובה אפילו יום אחד מיד הם נגאלים ומיד בן דוד בא *R. Levi dixit: ſi Iſraelitæ pœnitentiam agerent, vel unico die, confeſtim redimerentur, & abſque mora Meſſias Davidis filius veniret.* Idem repetit celebris noſtro tempore Rabbinus Menaſſe ben Iſrael *lib. III. de Reſurrect. mort. cap. III. pag.* 261. *Profecto*, inquit, *veriſſimum eſt, ſi Iſraelitæ ſerio factorum ſuorum pœnitentiam egiſſent, Meſſiæ adventus non fuiſſet procraſtinatus; at nunc, quia profunde immerſi jacent hærentque defixi in vitiis & peccatis ſuis, hinc eſt, quod differatur beatitudo illa, &c.* Concilient hæc Judæi cum effato illo de abſoluta Meſſiæ promiſſione in textu facta.

§. 3. Quod denique Applicationem Textus à Talmudiſtis factam concernit, aperte ſatis committitur elenchus compoſitionis & diviſionis, quando junctim ſumenda ſunt omnia, quæ illi diviſim, gloſſulis ſuo more interſperſis, accipiunt. In quibus ipſimet produnt, quam ſuæ ſententiæ ſint incerti, dum alii aliter, ut vidimus, verba interſtincta ad nugas ſuas accommodant. Quare non eſt, ut de ſingulis ſpeciatim agamus, quæ ipſa jam mole ruunt ſua. Ad ipſius textus enucleationem accedemus potius, qua in verum ſcopum & ſenſum oraculi deducamur, ubi colophonis loco verſionem Judaico-Germanicam cum gloſſemate quodam, huic capiti attexuerimus. Illam quidem ex Paraſchis & Haphtaris Leonis Breſchii *fol. LXXXIX. col.* 1. qui ita tranſtulit: Und auch/ ſo ſie ſein im Land ihrer Feind / nit ich will vorſchmähen ſie / und nit ich wil unwürdigen ſie von zu verderben ſie/ von zu verſtören mein ſicherheit mit ihnen/ wenn (pro denn) ich bin Gott ihr GOtt. Gloſſema vero ex Zenorenna *f. LXXXIX. col.* 1. der Paſuk lernt uns/ wenn gleich Iſrael werden ſeyn im galuth, noch werden ſie behalten die Torah, die da heiſſet (זאת) kelomar: Hakkadoſch baruch hu wird cheſed thun mit Iſrael / daß ſie werden können Torah lernen. Und die Ummoth werden ſie verſtören / als der Medraſch geht: Was iſt nun geblieben zu Iſrael? ſie haben alles verlohren / nurt die Torah die iſt ein weinig bey ſie zu beſchirmen ſie in galuth.

CAPUT III.

Vera & genuina Textus explicatio.

§. 1. VUlgati illius: *Nucem frangat, qui nucleum eſſe vult.* Nos hic quoque memores, ſingula oraculi Moſaici verba accuratius penſitabimus, textum ipſum è fontibus Hebræis, & tribus præcipuis verſionum rivulis, ad quos ſubinde reſpiciendum erit, præmittentes;

Fontes ſic fluunt:

וְאַף־גַּם־זֹאת בִּהְיוֹתָם בְּאֶרֶץ אֹיְבֵיהֶם לֹא־מְאַסְתִּים וְלֹא גְעַלְתִּים לְכַלֹּתָם לְהָפֵר בְּרִיתִי אִתָּם כִּי אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיהֶם׃

LXX. Interpp.

Καὶ οὐδ' ὡς ὄντων αὐτῶν ἐν τῇ γῇ τῶν ἐχθρῶν αὐτῶν, οὐχ ὑπερεῖδον αὐτοὺς, οὐδὲ προσώχθισα αὐτοῖς, ὥς τε ἐξαναλῶσαι αὐτοὺς τοῦ διασκεδάσαι τὴν διαθήκην μου τὴν μετ' αὐτῶν, ἐγὼ γάρ εἰμι κύριος ὁ θεὸς αὐτῶν.

Vulgata:

Attamen etiam cum eſſent in terra hoſtili, non penitus abjeci eos, neque ſic deſpexi, ut conſumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim ſum Dominus Deus eorum.

Lutherus:

Auch wenn ſie ſchon in der Feinde Land ſind/ habe ich ſie gleichwohl nicht verworffen/ und eckelt mich ihr nicht/ alſo / daß mit ihnen aus ſeyn ſolte / und mein bund mit ihnen ſolt nicht mehr gelten. Denn ich bin der HERR ihr GOTT.

EXPLICATIO.

וְאַף־גַּם־זֹאת *Et etiam quoque hoc*] Elegans simul & emphatica locutio, una voce Auch à B. Luthero expressa, qui propriam geminatæ copulativæ significationem retinuit. Sunt, qui his voculis אַף־גַּם sic conjunctis notionem conjunctionis concessivæ, *Quamvis*, *Quanquam*, tribuant, Paulum Fagium secuti, qui hæc Chaldaica Onkelosii: וְאַף בְּרַם־כְּדָא transtulit: *Et licet ita futurum sit.* Quod Christianus Noldius *in Annot. & Vindic. ad Concord. Partic. p.* 849. laudat, aitque id magis textum illustrare, quam aliorum versionem: *Atque etiam. Nam intentio est*, inquit, *dicere*: QUAMVIS HOC ITA SIT; (*nempe quod terra relinquenda sit in desolatione, & populus in exilium deportandus sit v.* 43.) *tamen in totum non consumam eos, nec rescindam fœdus, quod cum illis pepigi.* Parum abludit Johan. Coccejus *in Lexico fol.* 59. integram formulam וְאַף גַּם־זֹאת reddens, *nihilominus.* Sed veremur, ut notio ista concessiva exemplis aliis adstrui possit, neque in ipsis particularum Concordantiis *pag.* 99. inductione eam probavit Noldius, sola assertione contentus, quam ipsi bona connexio persuadebat. Nos ergo à primo particularum significatu non recedemus, in quarum repetitione pleonastice facta insignis emphasis non sine elegantia latet, quam B. Glassius *Lib. III. Phil. S. tr. VII. Can. VII. pag.* 592. (805.) agnovit & evolvit. Notandus igitur (1) idiotismus linguæ sanctæ, cum duo Synonyma conjunguntur elegantiæ & emphaseos causa v. g. בִּלְתִּי אֵין *Non non*, i. e. omnino non *Exod.* 14: 11. רַק אַךְ *solum tantummodo* i. e. plane solum *Numer.* 12: 3. פִּתְאֹם לְפֶתַע *repente subito* i. e. maxime subito *Jesa.* 35: 3. קַל מְהֵרָה *leviter velociter* i. e. velocissime *Joël.* 3: 4. &c. Sic & hic אַף־גַּם *etiam quoque* i. e. *imo etiam*; quem harum particularum pleonasmum Latinis quoque Autoribus non omnino insuitatum observarunt Glassius *loc. cit.* & Drusius *ad difficil. loc. Levit. cap. XCIV. p.* 337. quorum ille provocat ad Terentium: *Ego quoque etiam credidi*, item: *Ego pol quoque etiam timida sum*; hic ad Plautum: *Hanc quoque etiam, si me appellet filiam, matrem vocem.* Notanda (2) cohærentia cum antecedentibus, in quibus Deus promissionem gratiæ populo suo rebelli quidem, sed pœnitenti conferendæ exorsus fuerat, cum eleganti gradatione per hanc voculam וְאַף aliquoties iteratam, ascendente: *Et recordabor fœderis mei cum Jacobo*, וְאַף *& etiam fœderis mei cum Isaaco*, וְאַף *& etiam fœderis mei cum Abrahamo initi recordabor, & terræ recordabor &c.* hinc annectitur præsens pericopa: וְאַף *& etiam quoque hoc sum facturus.* Quæ melior posset esse cum antecedentibus connexio, non quæsita, sed ab ipso stylo nobis oblata? Notanda (3) Ellipsis verbi ex contextu supplenda, qualis est 1 *Paral.* 15: 13. *Quia principio vos non*, scil. fecistis hoc; similiter & hic: *Et etiam quoque hoc*, scil. facturus sum. Vide Glassium *lib. III. Phil. S. tr. III. Can. LVI. pag.* 401. (666.) *& lib. IV. tr. II. Obs. II. pag.* 702. (886.) Notanda (4) commoda connectendi formula ex hactenus observatis elicienda, qua emphasis in fontibus latens, in versionibus exprimatur. Vix enim melius Latine reddes, quam hoc modo: *Quin & hoc quoque facturus sum.* Et Germanice: Ja auch / wenn sie schon &c.

בִּהְיוֹתָם *Cum fuerint.*] Ad verbum: *in esse illos.* Est enim infinitivus verbi Substantivi cum præfixo & suffixo. Solent autem Hebræi sic efferre, quod Græci dicunt ὄντων αὐτῶν, Latini: *existentibus illis.* Siquidem in his talibus locutionibus præfixum ב transit in naturam adverbii: *Cum, quando*, & suffixum exprimit personam, de qua aliquid enunciatur, & infinitivus per verbum finitum, vel per duos Ablativos explicandus est, quorum alter est nominis, alter Participii, v. g. בְּבָרְחוֹ *in fugere ipsum* i. e. cum fugeret ipse, vel fugiente ipso *Psalm.* 3: 1. בְּאָמְרִי *in dicere me* i. e. cum dixero ego, vel, me dicente, *Ezech.* 3: 18. בְּקֻצְרְךָ *in metere te*, i. e. cum messueris tu, vel, *te metente Levit.* 23: 22. בְּמֹצַאֲכֶם *in invenire vos* i. e. cum inveneritis, vel vobis invenientibus *Genes.* 32: 19. &c. Cæterum suffixum illud respicit Israëlitas peccatores, Dei pœnam sustinentes, & per pœnitentiam ad Deum conversos, de quibus in antecedentibus fuerat sermo.

בְּאֶרֶץ אֹיְבֵיהֶם *In terra inimicorum suorum.*] Notandum hic (1.) circa nomen אֶרֶץ *terra*, litigari de ejus etymo. Alii à רוץ *currendo* deducunt, vel quod omnibus animalibus currendi stadium præstet, vel quod perpetuo rotatu cœlum circa terram currat. Alii à רָצָה *voluit*, vel quod jugiter suos fructus cupiat proferre, vel quod aspectu ejus *delectentur* (nam & hoc est רָצָה) terricolæ. Alii à רָצַץ *terendo*, à quo & *terra* Latine dici putatur. Sed maluit Hottingerus *lib. I. Thes. Philolog. cap. II. sect. VI. pag.* 234. etymon ex usu radicis ארץ in lingua Hebræa inusitatæ Arabico derivare, ubi *humilem & depressum esse* sonat, cui & nos subscribimus; non quasi ex Arabica radice nomen hoc Arabica lingua antiquius descendat, sed quia radix Hebræa, postquam ad Arabes transiit, apud hos solos superest. Conf. Edmundum Castellum *Lex. Heptaglott. col.* 235. Nec ratio denominandi aliena, cum & Chaldæis ארעא *terra*, quasi *ima* dicatur, teste R. Aben-Esra *ad Dan.* 2: 39. נקראה הארץ ארעא כי היא למטה מהכל: *Terra Chaldaice vocatur* ארעא *quia inferior est rebus omnibus.* (2) quoad usum, notat h. l. non elementum terræ, quod partim aquis tegitur, partim ab hominibus incolitur *Genes.* 1: 10, 11. sed specialius *regionem* aut *provinciam*, prout dicitur אֶרֶץ מִצְרַיִם terra Ægypti *Genes.* 41: 19. *seq.* אֶרֶץ גֹּשֶׁן terra Gosen *Exod.* 8: 22. אֶרֶץ כְּנַעַן terra Canaan *Jos.* 8. *vers.* 12. אֶרֶץ יְהוּדָה terra Judæa *Ruth.* 1: 7. אֶרֶץ יִשְׂרָאֵל terra Israëlitica 1 *Sam.* 13: 19. אֶרֶץ פְּלִשְׁתִּים terra Philisthæorum 1 *Sam.* 26: 1. אֶרֶץ מוֹלֶדֶת terra patria *Genes.* 24: 7. &c. Sic & hoc loco *terra inimicorum* est regio hostilis, seu regnum & provincia, quam hostes incolunt. (3.) אֹיְבִים *hostes* (à singulari אֹיֵב) sunt persecutores clam palamve insidias alicui struentes, & omni modo, quo possunt, mala inferentes. Verbum אָיַב enim est *hostili odio prosequi*, & semel tantum *Exod.* 23: 22. legitur; at אֹיֵב *hostis, inimicus* frequentissimi in sacris usus est, *Exod.* 15: 6, 9. *Levit.* 26: 25. *Numer.* 35: 23. &c. (4.) per *hostes Israëlitarum* intelliguntur, qui eos bello subegerunt, quamdiu periodus Reipublicæ Israëliticæ durabat, cui cum ipso cultu Levitico terminus ponebatur per Messiæ excidium, de quo expressum extat vaticinium *Dan.* 9: 26, 27. Et quanquam vicini illi populi, à quibus, Judicum præsertim tempore, sæpius affligebantur, hoc nomine veniebant, speciatim tamen hic Chaldæi designantur, in quorum regione diu satis detenti sunt. (5.) Phrasis integra: *esse in terra inimicorum suorum*, non nudam commorationem & habitationem notat; sed quæ cum afflictione, servitute, multisque oneribus conjuncta est, qualis solet esse eorum, qui bello devicti in exilium & captivitatem ab hostibus deportantur. Conf. *Ps.* 137: 1.

לֹא מְאַסְתִּים *Non rejiciam eos.*] Hactenus descripta fuit misera populi captivitas, in quam mittendi sint ob peccata adeo, ut a Deo prorsus derelicti habeantur. Jam ipsa sequitur promissio, & quid facturus sit Deus fœderis sui cum patribus initi recordatus. Et hic quidem negat Deus, se penitus suum populum abjecturum, ubi (1.) in genere, quoad hoc & sequentia membra, probe tenendus est idiotismus, quo negatio cum quadam emphasi contrarium affirmatum includit, ut cum *Jesa.* 42: vers. 3. dicitur: *Arundinem quassatam* לֹא יִשְׁבּוֹר NON FRANGET, *& linum fumigans* לֹא יְכַבֶּנָּה NON EXTINGUET i. e. arundinem quassatam tantum abest, ut fracturus sit, ut potius sit consolidaturus & confortaturus: tantumque abest, ut linum fumigans extincturus sit, ut potius sit accensurus & illuminaturus; (de quo idiotismo legi meretur Lutherus *Tom. IV. Jenens. Lat. fol.* 330. *col.* 2.) pari modo & hic Deus: *non rejiciam, neque fastidiam &c.* i. e. non tantum non rejiciam & fastidiam, sed & in gratiam recipiam & bonis omnibus afficiam. (2.) Notanda quoque hic & in sequentibus enallage temporis præteriti pro futuro, qualis in vaticiniis est perpetua, juxta Regulam R. Salomonis ad *Jesa.* 42: 16. כל לשון נבואה מדבר על העתיד כאלו עשוי *omnis lingua Prophetica loquitur de futuro, tanquam de præterito.* Rationem reddit Augustinus *lib. XIV. de Civ. Dei cap. XVIII. Quoniam*, inquit, *quæ futura erant, in prædestinatione & præscientia Dei velut facta erant, quia certa erant.* Exempla ubivis obvia adduci renuunt. & locus *Jesa.* 42: 16. ad quem Raschi ista observabat, nostrum abunde illustrat: אֵלֶּה הַדְּבָרִים עֲשִׂיתִים *Res illas feci*, h. e. faciam, ut recte ibi Lutherus: Solches wil ich ihnen thun. Et sic h. l. לֹא מְאַסְתִּים *non rejeci eos*, וְלֹא גְעַלְתִּים *neque fastidivi eos*, pro, non rejiciam, neque fastidiam. Lutherus tamen in versione præteritum retinuit, sed verbis, qua pollebat hermeneutica virtute, sic informatis, ut genii Germanicæ linguæ probe gnarus sensum cum emphasi verborum Hebraicorum hinc egregie hauriat: Wenn sie schon in der Feinde Land sind / habe ich sie gleichwohl nicht verworffen / und ekelt mich ihr nicht / also / daß mit ihnen aus seyn solt &c. qua versione nihil tersius. Jam quod (3.) in specie verbum מְאַסְתִּי *reprobavi* attinet, notat radix מָאַס nauseabundam projectionem & contemptum, quando aliquid veluti molestum, vile, contemptumque aversamur, & cum fastidio rejicimus

ac

ac reprobavimus, quemadmodum architecti מָאֲסוּ *reprobarunt* lapidem angularem *Psalm.* 118:22. Sic usurpatur de rejectione correctionis salutaris *Prov.* 3:11. de contemptu legis divinæ *Jesa.* 5:24. de odio scientiæ *Hos.* 4:6. in quo ultimo loco & statim divina comminatio additur, eodem verbo repetito וְאֶמְאָסְךָ *& repellam vos*, adeoque Deo attributa notat totalem reprobationem & excisionem, ut *Jer.* 7:29. & 14:19. quæ loca huc omnino conferenda. Sic autem negat Deus suum populum reprobaturum.

וְלֹא גְעַלְתִּים *Neque fastidiam eos.*] Idem alio verbo æque emphatico exprimitur, & hoc quidem in antecedentibus bis jam aderat de fastidio, quod populus erga statuta & judicia Dei concepturus esset *vs.* 15. & 43. & bis de fastidio Dei erga ipsos *vs.* 11. & 30. Notat autem radix גָּעַל *respuere*, & cum sputo quasi rejicere per contemptum, atque abominari, prout solent fastidientes rem aliquam, v. g. mulier maritum & liberos fastidiens *Ezech.* 16:45. & sic ad Deum quoque refertur *Jer.* 14:19. ubi plane uti in nostro loco præcedenti verbo מָאַס jungitur. Atque hæc est plenaria locorum inductio, præter quæ non nisi semel adhuc in Hiphil de seminis sterilis in uterum vaccæ à bove frustra immissi ex eo ejectione sine conceptione, *Job.* 21:10. & semel in Niphal de projecto abjectoque heroum clypeo 2. *Sam.* 1:21. legitur. Unicum hinc descendens nomen גֹּעַל *fastidium*, itidem semel tantum extat *Ezech.* 16:5.

לְכַלֹּתָם *ad conficiendum eos.*] Vel potius: *conficiendo eos.* Sic enim (1.) præfixum ל per Gerundium in DO optime hic exprimitur, ut *Ruth.* 1:6. Deus visitaverat populum suum לָתֵת *dando eis panem.* Similiter enim hic promittit Deus, se non reprobaturum esse populum suum *conficiendo eum*, ut adeo & modus & effectus fastidii atque abominationis his innuatur. (2.) τὸ כַּלּוֹת est infinitivus Pielicus à radice כָּלָה *consumptus fuit*, quæ & *in bonam partem* pro plenaria & perfecta rei alicujus terminatione, & *in malam partem*, pro omnimoda destructione sumitur, passive & intransitive. In Piel igitur active & transitive utroque modo notat conficere & consumere, & hoc quidem loco notionem omnimodæ destructionis habet, prout alibi occurrit de extirpatione Cananæorum, quos internecioni dare debuerant Israëlitæ, sed לֹא כִלּוּם *non consumserunt illos* 2. *Paral.* 8:8. de Joaso Syros percussuro, עַד־כַּלֵּה *usque ad consumere* 2. *Reg.* 13:17, 19. de Saule Gibeonitas consumente (כִּלָּנוּ *consumsit nos*) 2. *Sam.* 21:5. Et sic de Deo quoque Israëlitas consumente *Exod.* 33:5. *Ezech.* 22:31.

לְהָפֵר בְּרִיתִי אִתָּם *ad disrumpendum fœdus meum cum ipsis.*] Vel potius (1) juxta observationem præcedentem per gerundium in do: *disrumpendo fœdus meum.* Hæc enim ruptura fœderis effectus itidem foret fastidii & reprobationis. (2) הָפֵר est infinitivus Hiphilicus, à radice פּוּר *disrumpi*, quæ in Hiphil est *disrumpere*, *invertere*, *irritum & invalidum reddere*, ac legitur de eversione mandati, si quis id negligat *Num.* 15:31. de abolitione voti, si quis illud revocet, *Numer.* 30:9. de inversione consilii Achitophelis, quod Husai irritum faciebat 2. *Sam.* 15:34. 17:14. Atque sic & de ruptura fœderis *Jes.* 33:8. (3.) בְּרִית *fœdus* dicitur, vel à בָּרָה *elegit*, quia personæ eliguntur inter quas, & res ac conditiones propter quas fœdus initur; vel à בָּרַר *declarando*, quia fœderis leges & conditiones confœderatis omnibus declaratæ & manifestæ esse debent; vel à בָּרָא quod in Piel est *cædere*, quia in pangendis fœderibus olim cædi solebant animalia, de quo more R. Salomo *ad Gen.* 15:10. דרך כורתי ברית לחלק בחמה ולעבור בין בתריה כמו שנאמר להלן העוברים בין בתרי העגל: *In more positum est fœdus percutientibus, dividere jumentum, & per partes divisas transire, sicut dicitur* Jer. 34:18. *Et transierunt inter partes vituli.* (4.) de *suo* fœdere loquitur Deus, & quidem *cum ipsis* inito, בְּרִיתִי אִתָּם *fœdus meum cum ipsis*, inquit, quo significat haud dubie fœdus illud, cujus se fore memorem modo dixerat *vs.* 42. vi cujus ipse sua illis bona erat collaturus, & illi vicissim Deo fidem & cultum præstare debebant. Conf. *Deut.* 7:9. 2. *Paral.* 6:14.

כִּי *Quia.*] Non inepte fortassis diceretur, τὸ כִּי positum hic esse pro כִּי־אִם h. e. non esse causale, sed adversativum, & valere *sed*; prout in simili casu, cum negativa præcessit, usurpari solet; v. g. Non nobis, Domine, non nobis, כִּי *sed* nomini tuo da gloriam *Psal.* 115:1. Non moriar כִּי *sed* vivam *Psal.* 118:17. Non concedit ei Deus comedere de eo, כִּי *sed* alius consumit illud *Coh.* 6:2. &c. Similiter hic sensus optimus: *Non rejiciam eos, neque fastidiam eos, perdendo illos, frangendoque fœdus cum illis initum,* כִּי *sed ego Dominus ero Deus eorum.* Enim vero cum in negativa ista affirmativum contrarium jamdum latere dixerimus; merito pro causali habemus, ut sic reddatur ratio tantæ misericordiæ, quam populo rebelli, si pœnitentiam agat, exhibiturus esset.

אֲנִי *Ego.*] Pronomen demonstrativum primæ personæ nomini præmissum ellipsin verbi substantivi *sum* inducit, quod interpretes in versionibus recte suppleverunt, de quo idiotismo vide Glass. *lib.* 3. *Phil. S. tr.* 2. *Can.* 7. *p.* 186. (511.)

יְהוָה *Dominus.*] Nomen Deo proprium Grammatice, Logice, & Theologice, de quo innumeræ Philologorum & Theologorum observationes, quin & integri tractatus & libri extant. Quid nos de eo? tacere præstat, quam pauca loqui.

אֱלֹהֵיהֶם *Deus eorum.*] Sed & de hoc nomine אֱלֹהִים quam plurima forent dicenda, quæ similiter omittimus. Relativa solum phrasis hic attendenda, qua Dominus se אֱלֹהֵיהֶם *Deum eorum*, *Deum populi sui*, fore pollicetur, quæ ipsum illud fœdus cum patribus initum, & jus adoptionis in eos collatum respicit. Expendenda in hanc rem diligenter loca, *Psal.* 144:15. *Hebr.* 11:16. & alia.

Ex hactenus observatis de vero sensu pericopes facile constabit. Nempe Deus ipse loquitur, qui sua sponte populum Israëliticum sibi ex omnibus terræ populis non elegit tantum, sed quovis etiam bono ad saturitatem usque cumulavit. Afflictos plusquam barbara feritate eduxit ex Ægypto tot & tantis undique miraculis editis, ut Deum præsentem sub symbolis non solum viderint, sed etiam gratiosam ipsius cohabitationem plenissime persenserint. Auro argentoque onustos per mare rubrum hostibus suffocatis traduxit incolumes. Esurientes in deserto pane cœlesti ad nauseam usque cibavit, sitientes dulcissimo atque limpidissimo fonte refocillavit. Indispositam atque confusam tot millium hominum phalangem in optimam Reipublicæ formam digessit, eamque honestissimis legibus circumsepsit, quarum observantiam cum promissione perpetuo duraturæ felicitatis, & comminatione gravissimarum pœnarum, si transgrediantur, iis imposuit. Quæ omnia cum in memoriam revocata essent populo, tandem ad demonstrandam suam in ipsum gratiam, hanc insuper promissionem addit, nolle se populi dememinisse, si maxime abjectissimus lateat in hostium terris, & remotissimus sit à loco solenni cultui & religioni destinato. Nolle se (1.) Israelitas ita abjicere à facie sua in hostium terris captivos, ut nulla spes amplius supersit fruendi gratioso suo aspectu. Nolle se (2.) ita eos fastidire, ut ipsorum memoria sordeat, & nauseam concitet, quoties recordatio animum subeat. Nolle se (3.) eos ita conficere, ut nullus amplius populus sit. Nolle se (4.) denique ita diffringere fœdus cum ipsis pactum, ut captivis sub hostium potestate & legibus æternum ambulandum sit; quin potius se gratiæ suæ, amoris atque fœderis recordaturum, & omnia bona qua spiritualia, qua corporalia largissime in eos collaturum esse. Hoc iis interposito sanctissimo nomine suo pollicetur, sed ea lege atque conditione, ut veram pœnitentiam ejurata impietate atque malitia agant, sibique uni, soli, vero Deo adhærescant. Atque hinc porro de complemento promissionis facile judicari potest, non alio tempore completam esse, quam captivitatis Babylonicæ, quæ ut universalis, ita longe gravissima fuit. Regia enim potestate concisa, templo exusto, divino cultu profanato, sacrificiis sublatis, urbe sancta devastata, agris desolatis, toto populo in miserrimam servitutem abducto, deploranda facies terræ sanctæ relicta erat, interim non penitus eos Deus abjecerat, non omnino fastidiverat, non plane perdiderat, non totaliter fœdere suo excluserat, sed ad Deum vera pœnitentia & fide conversis parata erat venia, ipsique patriæ suæ redditi divinam misericordiam atque promissionum veritatem deprædicabant, preces & hymnos præeunte Nehemia, in quibus solenniter profitebantur, implevisse Deum omni ex parte, quod hic per Mosen promisisset. Frustra igitur moderni veterum Judæorum simii promissionem patrum ipsorum temporibus pridem adimpletam sibi applicant, seque aliquando ex universo mundo collectum iri in palæstinam cum jubilo reducendos sperant. Nunc enim *destructa urbe Jerusalem, & abrogata politia Mosaica post divulgationem Evangelii Christi, non est amplius expectanda ulla politiæ Mosaicæ restauratio in terris. Deinde Judæi, qui nunc sunt, non sunt amplius populus Dei, sed sunt ejecti ex hæreditate cœlestium bonorum. Quare cum promissiones Scripturæ habeant suum locum inter cœlestia bona, manifestum est, quod non pertineant nunc ad Judæos, nisi convertantur ad Christum & iterum fiant per Christum populus Dei*, ut bene ad hunc locum scribit P. Fagius. Quod ut fiat, sincere illis optamus, atque hoc voto etiam finimus hanc Disputationem nostram, divinam misericordiam implorantes, ut ipsa, durissima illorum corda emol-

emolliat, & obſcuratum intellectum illuminet, quo ſe tandem aliquando converti & ad Chriſtum adduci patiantur, antequam ipſos obruat tremendus ſeculi

F I N I S.

JO. BENED. CARPZOV.

D. M. JO. GEORG. STROBACHIO,

Reſpondenti ſuo, Diſſertationis Autori.

ÆGre fortaſſis atque moleſte feres, quod ἐπίμετρα illa, quæ me inſcio tuæ Diſſertationi ad explendam hanc paginam typis vacuam aſſueras, te viciſſim neſcio, cum illa mihi hodie è typographeo luſtranda mittitur, rejiciam. Sed pro amore in me tuo, ſat ſcio, ignoſces, ſi rationem tibi facinoris expoſuero. Quanquam enim illa non è trivio emendicata jucundiſſimi offerre colloquii materiam poterant; fateor tamen, diſplicere mihi ſemper has lacinias, quod neglecto exercitii primario argumento, ad eas plerumque ſoleant dilabi, qui in arenam cum diſputantibus deſcendunt. Neque metuendum eſt tibi, ne de ſterilitate exercitationis tuæ quisquam tecum congreſſurus quiritetur, qui thema excutiendum proponis, accurata diligentique dignum inquiſitione, quia omnis ſuæ ſpei baſin Judæi hodie in hoc oraculo collocant. Laudo ingenium, quod in hanc viam te deduxit; placet conatus, qui de rebus arduis non deſperat; probo induſtriam, qua difficultates ſuperaſti, & eruditionem, quæ multa paucis complexa diatriben haud infeliciter conſcriptam dedit. Plura quidem addi ad convincendos adverſarios potuiſſe non inficior, ſi præſertim ad Veterum Hebræorum teſtimonia evagari voluiſſes, qui ita hanc promiſſionem intelligendam profeſſi ſunt, ut ne ultra ſecundam Palæſtinæ poſſeſſionem extendatur, è qua jam ante mille & ſexcentos annos ejecti, tertiam ſe ſperare fruſtra, moderni diſcere à ſuis patribus poterant, modo attenderent iis, quæ in ſuo Seder Holam tradidere. Urgendum & fœdus novum erat, Meſſiæ tempore erigendum, de quo alia Prophetarum Oracula loquuntur, cum è contrario hoc Moſaicum diſerte antiquum illud Ægyptiacum aſſerat. Sed neque negare debebas typum, quem in litera abs te egregie explanata agnoſcimus latentem, cujus in prima N. T. pentecoſte antitypum complevere Meſſiam recipientes, & à ſpirituali Satanæ & peccati captivitate per fidem in Redemptorem liberati. Verum hæc & alia conſulto omiſiſti, quod inſtituto tuo abunde iſta ſufficiebant, quæ benigne Patroni reſpicient, quibus tua laudare ſtudia non deſinam, qui te inde à multis annis ſincere amo, & à modeſtia & diligentia atque pietate nulli non bono commendatiſſimum novi. Vale! è Muſeo, d. XIV. Maji, ANNO M. DC. LXXXI.

M. JAC. SCHMALTZII DISSERTATIO

De uxore Moſis Æthiopiſſa ad Num. XII: 1.

I. N. J. A.

PROŒMIOLUM.



Thiopem dealbare qui annituntur, fruſtranei laboris documentum dare, vel proverbii communis arbitrio exiſtimantur. Nos, ne incaſſum laboraſſe videamur, non dealbare Æthiopem præſumſimus, ſed Æthiopiſſam Moſis uxorem iis coloribus, quibus eam Scriptura delineavit, ſpectandam proponimus, hoc quidem modo, ut, quoniam Moſis thalamo innotuit, *prius de matrimonio Moſis* quædam præmittamus, *deinde ipſius in ſacris nomen* כושית explicemus, & *denique diſſidii, quam præbuiſſe dicitur, cauſam* exponamus. Hoc ut feliciter à nobis præſtetur, ante omnia divinum Numen exoramus, cumque hoc accedimus ſtatim ad

CAPUT I.

De Moſis matrimonio.

§. 1. MOſen non tanquam μισόγαμον in perpetuo cœlibatu vixiſſe, ſed conjugio quoque deditum fuiſſe, cum ex Scripturis paſſim, tum præcipue ex loco, quem diſputationis noſtræ fundamentum fecimus, Num. 12: 1. patet, cujus verba hæc ſunt: וַתְּדַבֵּר מִרְיָם וְאַהֲרֹן בְּמֹשֶׁה עַל ארות הָאִשָּׁה הַכֻּשִׁית אֲשֶׁר לָקָח כִּי אִשָּׁה כֻשִׁית לָקָח:

§. 2. Num vero plures uxores ſive ſimul ſive ſucceſſive habuerit, an μονόγαμος fuerit, diſceptatur. Prius non ſolum ex Hebræis, ſed & Chriſtianis nonnulli aſſerunt. Ex Hebræis quidem R. Gedalia, qui poſtquam prolixe fabulam produxiſſet, quomodo Moſes Pharaonem fugiens, ad Regem Æthiopiæ, quem Kurkunum appellat, venerit, eumqne contra Bilaamum Magum & rebellem dux electus adjuverit, & mortuo etiam rege, Bileamum, eluſis ipſius artibus magicis, ex urbe, quam vi expugnaverat, fugere coëgerit, tandem ſubdit: ויקם העם וימליכו את משה והשיאו לו אלמנת המלך וימלוך עליהם ארבעים שנה אחרי הימים נתרעמה האלמנה עם השרים נגד משה באמרה שלעולם משה לא נגע בה ולא דבר לה מאומה ושאלה מהם שימליכו עלהם בן המלך אשר מת ה הנקרא מונחם ולא איש זר כזה וכן עשו ויתנו מתנות למשה וישלחוהו בכבוד: i. e. *Surgens ergo populus Moſi & regnum & viduam defuncti regis locarunt: quibus etiam præfuit* 40. *annos. Poſtea vero vidua exacerbata fuit cum Principibus contra Moſen, quod eam nunquam attigiſſet, neque ullum cum ea verbum locutus fuiſſet. Petiit igitur ab illis, ut ſubſtituerent filium regis defuncti, cui nomen Monchem, non autem hominem extraneum, qualis hic eſſet. Et paruerunt ei, muneribuſque Moſen affectum honorifice dimiſerunt.* (a)

§. 3. Sic etiam autor anonymus libri דברי הימים של משה, poſtquam ſimiliter & adhuc prolixius de fuga Moſis in Æthiopiam, de ejus in ducem electione, & perſpecta in oppugnata urbe, quam Balaamus cum rebellibus occuparat, prudentia & fortitudine, deque regis Æthiopiæ, quem Nicanum vocat, morte nugatus eſſet, ſubjicit: ויועצו יחדיו להמליך עליהם את משה למלך כי אין כמוהו בעם ויעשו כן ויתנו לו לאשה הגבירה אשת ניקנוס ויזכור משה את ברית ה׳ אלהיו ולא קרב אליה וישם חרב בינו לבינה ולא חטא עמה: i. e.

(a) *In Schalſchel. Hakkabal. p.* 11. 12. *cit. Hotting. lib.* 1. *ſmegm. c. IX. p.* 408.

i. e. *Habito consilio decernunt unanimiter Mosen super eos regem constituere, quia non haberet similem in populo, & fecerunt etiam sic, & dederunt ipsi uxorem reginam viduam Nicani. Et recordatus est Moses fœderis DEI Domini sui & non attigit illam, sed gladium posuit inter se & illam, ne peccaret cum illa.* (b) Sed hæ Judæorum fabulæ refutatu sunt indignæ.

§. 4. Ex Christianis vero est Lucas Osiander, (c) qui *quandam Æthiopissam una cum Israelitis ex Ægypto egressam, & à Mose in deserto recenter in uxorem ductam hic innui*, haud obscurè asserit, licet dubitet, utrum vivente adhuc uxore Zippora, an vero illa demortua hanc in thorum assumserit. Fabricius (d) Æthiopissam nostram *Tharbin* vocat, fidem adhibens haud dubie fabulæ illi, quam Josephus (e) & ex eo Freculphus (f) aliique narrant, quod scilicet Moses, cum adhuc in aula Pharaonis degeret, bellum pro Ægyptiis adversus Æthiopes gesserit, hostesque prælio fusos, in Regiam Meroën, quæ antea Sabbata dicta, compulerit, quam urbem & situ & opere munutissimam cum diu frustra obsedisset, tandem ope Tharbis, filiæ regis Æthiopum cum exercitu ingressus, ex pacto dictam Tharbin in uxorem duxerit. Quantum vero huic Josephi narrationi tribuendum sit, ex circumstantiis ab ipsomet allatis Salianus in annalibus erudite deducit, & ex falso fundamento (Æthiopissæ scilicet nomen Zipporæ competere non posse, quod tamen capite sequenti luculenter ostendemus,) natam esse docet, adeoque pro fabula habere cum Lorino, *(α) Cornelio à Lapide (β), Bonfrerio (γ), Nicolao Arnoldo (δ), Hornio (ε), &, qui primo loco ponendus erat, Calovio (ζ), aliisque non dubitat.

§. 5. Missis ergo fabulis, de Mosis sive simultanea sive successiva polygamia, Mosen monogamum fuisse, & unicam thori sociam, Zipporam scil. habuisse, cum Scriptura, Patribus, aliisque pluribus Theologis pariter ac Philologis, constanter asserimus.

§. 6. Fuit autem Zippora, Ebr. צִפֹּרָה LXXII. Σεπφώρα, Vulg. Lat. Sephora, dicta, (quam Cœlestinus passerem à צִפּוֹר vel cidarim sive diadema, quasi צְפִירָה à צָפַר cinxit, interpretatur,) una ex septem filiabus Jethro (g), qui *antea* juxta R. Salomonis glossam (h) יֶתֶר, quod à Philone (i) per περισσὸν redditur, *fuit vocatus*: *Factum autem exinde Jethro, cum jam proselytus esset factus, addita litera ex nomine tetragrammato honoris ergo.* Cæterum, quæ alias de ejus πολυωνυμίᾳ disputantur, dum plurimi interpretum duo (k), alii tria (l), nonnulli quatuor (m) imo septem nomina * socero Mosis tribuunt, nolumus jam brevitatis studiosi discutere. Sufficit nobis, esse certos, Patrem האמרת sive propriè dictum uxoris Mosis fuisse Jethronem. Quod LXX. non parum confirmant (n) sic scribentes: τῷ δὲ ἱερεῖ ἐν Μαδιὰν, ἦσαν ἑπτὰ θυγατέρες, ποιμαίνουσαι τὰ πρόβατα πατρὸς αὐτῶν Ἰοθόρ. &c. ποτίσαι τὰ πρόβατα τοῦ πατρὸς αὐτῶν Ἰοθόρ. Ubi bis vocabulum Ἰοθὸρ inserunt, ne quis Jethronem hic intelligi dubitet. Hic Jethro, pater Zipporæ, dicitur fuisse כֹּהֵן מִדְיָן Exod. 2. & 3. Cum autem vox כהן non solum *Sacerdotem*, sed & *Principem* significet, qua ratione 2 Sam. 8: 18. de filiis Davidis dicitur, (o) plerique quidem Sacerdotem, quidam vero (p) Principem, nonnulli (q) & Sacerdotem & Principem simul Jethronem fuisse contendunt. Nos famosiorem vocis significatum attendentes, cum LXX. interpretibus aliisque tum orientalibus tum occidentalibus solius sacerdotis munere Jethronem nostrum functum esse statuimus. Quale autem hoc Sacerdotium ejus fuerit? haud difficulter conjicietur ex religione, quam profitebatur antequam se ad Israëliticam fidem converteret. Quare inter Jethronem prioristicum & posterioristicum (quos terminos à Theologo Magno alibi adhibitos hic usurpare mihi liceat) distinguimus, cum plerisque interpretibus dicendo: Jethronem ab initio quidem idololatriæ deditum fuisse; postea vero, & à Mose informatum & mirabilibus DEI operibus confirmatum, veri DEI cultorem evasisse fervidissimum. Et hæc de Parente Zipporæ breviter dixisse sufficiat: qui plura de ejus genere, officio, virtute & variis nominibus, aliisque legere cupit, adeat laudatum Salianum, (r) & Schotanum (s) aliosque.

§. 7. Patria Zipporæ fuit Midian, utpote in qua pater, sicuti dictum, Sacerdotis munere fungebatur. Intelligitur autem hic non illa civitas Midian, quæ in Arabia felici juxta Arnon in regione Moab sita, & tribui Ruben sorte attributa fuit, teste Cœlestino (t), sed, quæ trans Arabiam Petræam ad rubrum mare, meridiem versus sita, 40. milliaria Büntingio (u) computante, ab urbe Jerusalem distabat, nomen sortita à conditore Midian, filio quarto Abrahami ex Kethura uxore ultima nato (x), unde tota regio Midian dicta.

§. 8. Hac igitur in urbe Zippora vel nata vel certe educata fuit, & tandem Mosi ex aula Pharaonis fugienti singulari DEI providentia desponsata. Qua occasione illud factum, ille ipse Exod. 2: 15-21. optime explicat. Postquam scilicet cæde perpetrata, iram regis Pharaonis fugiens, terram Midian petiisset, ibique juxta puteum considens, Sacerdotis illius Civitatis septem filias à pastoribus ejicientibus eas, ne greges adaquarent, defendisset, ovesque illarum ipse adaquasset, advocatur ab illo Sacerdote & convivio excipitur, qui perspecta viri indole, filiam, nomine Zipporam, ipsi utut peregrino locare non dubitat: quam historiam & circumstantiis suis ex Josepho & Philone illustratam & dubiis nonnullis liberatam vide apud sæpius laudatum Salian. (y)

§. 9. Aliam occasionem hujus matrimonii nugatores Judæi fingunt, quam Autor ille anonymus tradit, quando (z) post enarratam dimissionem Mosis è regno Æthiopiæ, ita pergit
וילך משה לארץ מרין וישב על הבאר ולכהן מרין שבע בנות עד
אשר הואיל משה לשבת את האיש. אמר לו רעואל מאין תבא מא
ארצך ואי מזה עם אתה ויאמר לו אני משה ויספר לו כל המוצאות
במצרים אז אמר בלבו יתרו זה האיש אשר שלח יד בכתר וע
ועתה אקחנו ואמסרהו ביד פרעה לכלכלו כלחם צר ובם ובמים
לחץ וימצא חן בעני צפורה בתו ובחמול עליו ובן ובכל יום ויום
מעת לעת היתה מכפקת לו לחם ום ומזון וישב שם שבע שנים
ויהי מקץ שבע שנים אמר צפורה לאביה השבוי והאסור אשר השלחת
לבור זה כמה ימים ושנים הלא תדרשנו כי בכל יום צועק
עליך אל אלהיו והיה בן חטא ויאמר לה יתרו מי שמע כזאת אדם
שלא אכל ושתה זה כמה שנים עורנו חי הלכו בבית האסורים
ומצאוהו עומד על רגליו ומתפלל לאלהיו ויוציאו משם׃ בימים ההם
צוה יתרו שיעבירו קול בכל הארץ ההיא שכל מי שבא ויתלוש חמטה
שהוא נטוע בגן שיתן לו צפורה בתו לאשה והיו באים מלכים
ושרים גדולים וגבורים ולא יכלו לתלוש המטה׃ ואחר שהוציא
משה מבית הכלא היה מתהלך בגן וראה שם את המטה מוצב
ארצה והוא סנפירינון חקוק עליו שם המפורש ותתלשהו ותעקרהו
משם במהרה ויהי למטה בכפו וישב לבירת והמטה בידו׃ וכראות
יתרו המטה ביד משה תמה מאד ויתן לו את צף צפורה לאשה׃
Quæ Gaulmyn sensum magis, quam verba respiciens, sic interpretatur: *Midianitidem profectus Jethroni innotuit. Ille, postquam patriam, nomen, genus quæsivit, eique omnia retexit,*

(b) *f. 7. b.* (c) *In Bibl. sacr. part. I. ad h. l. f. m. 220.* (d) *Histor. sacr. l. II. 62. p. m. 91.* (e) *L. II. Archæol. 5.* (f) *Tomo I. Chronol. suæ apud Lorin.* * (α) *Comment. ad h. l. f. 427. col. 2.* (β) *Comment. ad h. l. f. 813.* (γ) *Comment. in pentat. f. 779.* (δ) *Luc. in tenebr.* (ε) *In arca Noæ. p. 43.* (ζ) *Bibl. illustr. tom. 1. part. 1. ad h. l.* (g) *Ab Arabibus Schoaib dicitur, cujus nominis originem fabulose narrat Kessæus apud Hottinger. Hist. Orient. pag. 53. quem V.* (h) *Ad Exod. 6: 14.* (i) *In tractatu de nominum mutatione.* (k) *Nempe Jethro & Raguel.* (l) *Rejicientes nomen Raguel, ut quod non Jethroni, sed patri ejus & avo Zipporæ competat, & adjicientes nomen Chobab & Kinæi, ut Arnoldus luce in tenebris ad cap. III. Exod. pag. 172. & Cornel. à Lap. in Exod. 2. pag. 351.* (m) *Hisce tribus nomen Raguel addentes, prout Judæi communiter statuunt, asserente Hottinger. l. 1. schmeg. pag. 112. Cum quibus etiam facit Lyranus Bibl. gloss. ad Exod. 3. p. 498.* * *R. Salomo ad Exod. 18. nempe 1. Reguel. 2. Jether, à* יֶתֶר *quod abundare fecerit parascham in lege, nempe parascham* הריינין *3. Jethro. 4. Chobab à* חָבַב *dilexit, quod ex amore legis in desertum ascenderit, ut ei felicius incumberet. 5. Heber. 6. Keni. 7. Puthiel.* (n) *Exod. 2: 16.* (o) *Quod fuerint* כהנים *ubi LXX. reddunt per* αὐλάρχας, *Principes aulæ, & 1 Par. cap. 19. explicatur per* הָרִאשֹׁנִים לְיַד הַמֶּלֶךְ *primos ad manum Davidis, i. e. quid post patrem Regem obierint summa præfecturarum munera.*

(p) *Artapanus apud Euseb. qui Jethronem vocat* τῶν τόπων ἄρχοντα, *cit. Salian. ad annum mundi 2504. f. 23. & Chaldæus Paraphrastes, qui cum ubique* רַבָּא דְמִדְיָן *principem, præfectum sive dominum Midian vocat.* (q) *Salianus l. c. Ezechiel Poëta, apud quem Mosen peregrinum inter alia sic instruit Zippora:*

ἄρχων δ᾽ ἔστι γῆς,
Εἷς καὶ τύραννος καὶ στρατηλάτης μόνος,
Ἄρχει δὲ πόλεως τῆς δὲ καὶ κρίνει βροτοὺς
Ἱερεύς, ὃς ἔστ᾽ ἐμοῦ τε καὶ τούτων πατήρ.

Lorinus comment. in C. X. Num. f. 340. Corn. à Lap. in C. II. Exod. f. 351. (r) *L. c.* (s) *Tom. II. Biblioth. Sacr. f. 202. seq.* (t) *Histor. Sacr. l. 6.* (u) *Itin. p. 91.* (x) *Gen. 25: 2.* (y) *Hist. VT ad annum 2504. n. III, IV, V.* (z) *L. Superius §. 3. cit.*

texit, de tradendo in Pharaonis manus Mose cogitavit: etenim eum, qui coronam Regis à capite sustulerat, suspicatus, statim captum carceri mancipat, adeoque in summis angustiis aqua & pane precarium trahere spiritum jubet. Sephora, cui Moses placuerat, singulis diebus cibum sufficiebat, tandem & patrem de illo monuit: num, inquit, captivi illius, quem in vinculis servari jubes, recordaberis, ille quotidie DEUM ultorem invocat hujus certe peccati labem non effugies. Tum Jethro mirabundus: hominem absque cibo & potu tamdiu vivere quis unquam audivit? Statim ad carcerem recta contendit; Repertus Moses erectus in pedes, DEUM orans, eo momento liber dimittitur. Jethro hoc ipso tempore publico præconio filiæ matrimonium pollicetur illi, qui virgam, quæ ejus in horto videbatur, evelleret: inde Reges ac Principes certatim accurrere, sed inanes voti recesserunt. Moses repertam hanc, dum hortum perambulabat, virgam, Sapphirina erat, DEIQUE nomen ineffabile inscriptum gerebat, avulsam facile ad Jetro detulit. Ille miratus Sephoram ex pacto uxorem dedit. Cæterum virgam hanc sive baculum θαυματȣ̃ργον, non Mosis aut Jethronis primi, sed Adami, à quo ad eum pervenerit, fuisse R. Gedalia l. c. postquam eandem fabulam variatis paulisper circumstantiis pertexuit, edocet, scribens: כי זה המטה בראו ה"ת בששת ימי בראשית ויהי ביד אדם ואחר כך ביד נוח ואבר ואברהם יצחק יעקוב ויוסף מלך מצרים ולבסוף ביד פרעה ואחר כך ביד רעואל ראש החרטומים ובהיותו יועץ המלך לתועלת היהודים נגד בונת בלעם היועץ השני קצף המלך נגד יתרו והי"ת השים בו כח שלא יוכל שוב איש לנתשו משם עד ביאת משה איש האלהים:

i. e. *Creavit autem DEUS benedictus hunc baculum intra 6. dies creationis: fuitque primo in manu Adami, postea Noachi, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi, Regis Ægypti: deinceps in manu Pharaonis, tandemque Reguelis principis Magorum; cumque esset Consiliarius Regis magno Judæorum bono, contra intentionem Bileami, Consiliarii secundi, succensuit Rex Jethroni, propterea fugit Jethro in urbem suam, baculumque domum suam allatum plantavit in horto suo domestico: DEUS autem benedictus indidit ei virtutem, ne quis eum posset evellere inde usque ad Mosis, viri DEI, adventum.* Eadem tradit Jechiel Ben Láá Jedidja (aa) & dicit, quod hic baculus fuerit שבו קרע משה את הים, *quo Moses mare divisit*; Sicuti & cætera omnia miracula hoc ipso baculo patrasse dicitur (bb) Miramur hic merito cum Cl. Hottingero, Judæorum in contaminandis sacrarum literarum historiis, omni obryzo purioribus, licentiam, cum alias Scripturæ Sacræ custodes sint fidelissimi.

(aa) *In libro, Commentario in capitula Patrum ex decem Rabbinis collecto, cit. Gaulm. in notis ad vitam Mosis p.* 227. (bb) *Vid. Pirke Eliez. c.* 40. *& notas Vorstii ad ead. p.* 232.

CAPUT II.

De nomine כושית *quid significet & quomodo Zipporæ competat.*

§. 1. EVicto jam, Mosen μονόγαμον, & solius Zipporæ, cujus nomen, parentem, patriam & desponsationem descripsimus, fuisse maritum, videndum quoque de nomine כושית, quid significet, & qua ratione Zipporæ competat.

§. 2. Vox ergo כֻּשִׁית, cujus ו hoc loco simplicis euphoniæ gratia, in Kübbuz mutatum (a), nomen gentile est, generis fæm. à Mascul. כושי formatum, sicuti omnia in י desinentia in ָה vel ית moveri solent: ut עברי fæm. עברית, מואבי fæm. מואביה, docente Buxtorf. Thes. Gram. p. 75. Illud autem כושי à כוש, quod nomen proprium primogeniti filii Cham, qui Arabibus Æthiopibusque nomen dedit, descendit. Unde & Æthiopia כוש (b) dicta, & כשיים Æthiopes appellati, teste Buxtorf. in Lexico. Hinc omnes, quotquot quidem à nobis visæ versiones, paraphrases, Commentarii, annotationes omnes, vocem כוש &, כושי, quoties in Scriptura legitur, Æthiopiam & Æthiopem reddunt & explicant. Qua unanimi eruditorum sententia fretus & Drusius (c) vocem כוש Æthiopem significare ita certum esse ait, ut nihil magis.

§. 3. Sed hanc certitudinem dubiam facere videtur Bochartus, quem (d) validis rationibus Hottingerus (e) probare asserit, Æthiopes לודים sive Judæos esse, & Æthiopiam, לוד, de quibus vaticinium Es. 66: 19. כוש autem & כושי Arabiam & Arabes denotare id quod Dn. D. Calovius quoque de eod. testatur, simulque rationes ejus in compendium redactas exhibet, quando probare Bochartum sententiam suam scribit (1) *ex Habacuc.* 3: 7. *ubi Chus & Midian ponuntur ut* ἰσοδύναμα. (2) *ex Job.* 29: 19. *ubi Topazius Chus Arabiæ, quæ notissima erat, cum Æthiopicæ nullus veterum mentionem faciat.* (3) *ex Ezech.* 29: 10. *desolabo terram Ægypti à turri Syenis (is terminus erat Ægypti versus Æthiopiam, ait Plin. V.* 9. *& Solin.* 35. *ac Strabo l.* 17. *Jos. B. J. I.) usque ad terminum ejus Arabiæ, qua terminatur Ægypti pars ab Æthiopia remotissima.* (4) *ex Ez.* 30. 9. *postquam immisero ignem in Ægyptum prodibunt nuncii ad Chus i. e. Arabiam, in quam navibus per mare rubrum sæpe commeant, ad Æthiopiam nequaquam, in qua ne per Nilum quidem adversum navigatur, propter catarractas prope Syenem.* (5) *ex* 2. *Reg.* 19: 9. *ubi Tiraka ex improviso venit, non certe ex Æthiopia, unde se conferre non potuit, nisi subacta Ægypto, & ex* 2. *Paral.* 14: 9. 21: 16. *ubi Arabes finitimi Chusæis dicuntur. V. & Sophon.* 3: 20. *Es.* 18: 1. Hucusque Dn. Calovius vel potius Bochartus, cujus sententiam tantum refert, non sequitur, Magnus ille Theologus. Inde eam suo relinquit loco, addito tamen judicio suo gravissimo, *non temere scilicet negandum, voce* כושי *alicubi Æthiopes notari* (f).

§. 4. Nos quoque argumenta ista tanti ponderis minime putamus, ut à communi omnium Hebræorum, Græcorum & plerorumque Patrum sententia recedamus. Quis enim facile credat, in illos omnes, præsertim LXX. Interpretes, qui non in Palæstina tantum, sed & in Ægypto cum ipso Rege Regnique proceribus vixerunt, sapientiæ laude ubique conspicui, tantam ignorantiam cadere posse, ut quæ terra vel gens Chusch appelletur, ignari pro Arabia Æthiopiam, & vice versa pro Æthiopia Arabiam Græce posuerint. Ad rationes autem supra positas, non est, cur sigillatim respondeamus, sufficiet generatim unica distinctione Bochardiana argumenta solvisse, qua inter *Æthiopiam occidentalem*, quæ Meridionalis quoque dicitur, & sub zona jacet torrida, & *inter orientalem*, quæ propinqua Ægypto & adversus mare rubrum porrecta, distinguitur. Posito enim, adducta loca omnia, quod tamen de quibusdam nondum concedimus, de Arabia, & sic non de Æthiopia occidentali, quæ maximo terrarum atque marium spatio ab eodem distat, intelligenda esse, tamen, quo minus de Æthiopia orientali, quam Arabiam quoque vocari lubentes fatemur, dici possit, haud repugnare quilibet videt. Atque sic Bochartus dum dissentire à nobis videtur, nobiscum maxime facit.

§. 5. Ne autem nos nobis hanc Æthiopiam quis finxisse credat, sciat antiquissimum scriptorem Homerum jam tum eam tradidisse (g) dum bipartitos facit Æthiopas & ad ortum & occasum spectantes: Hunc secutus Herodotus, orientem suos habuisse Æthiopas non obscure testatur, quando in Polymn. (h) τῶν μὲν, inquit, δὴ ὑπὲρ Αἰγύπτȣ, Αἰθιόπων καὶ Ἀραβίων ἦρχε Ἀρσάμης. οἱ δὲ ἀφ' ἡλίȣ ἀνατολέων Αἰθίοπες (διξοὶ γὰρ δὴ ἐστρατεύοντο) προσετετάχατο τοῖσι Ἰνδοῖσι i. e. *Æthiopibus quidem, qui sunt ultra Ægyptum, & Arabibus præerat Arsames: qui vero ab ortu solis erant Æthiopes, (bifariam enim militabant) ordinati erant cum Indis.* Nec dissentiunt præstantissimi Geographi, Strabo (i) & Plinius (k). Tantos duces merito ingens tum Theologorum, tum Philologorum agmen sequi non dubitavit. Ut sunt Augustinus

(a) *Unde Masora parva ad hanc vocem* ל וחס וי"ו i. e. *non extat amplius, & deficit Vau.* (b) *Sunt, qui & regionem, quæ* כות 2. *Reg.* 17: 24. 30. *dicitur, unde Salmanasser coloniam in Samariam misit, etiam Æthiopiam esse volunt Asiaticam pro* כוש *dictam. Nam Hebræum* ש *Syris & Chaldæis in* ת *mutatur, ut pro* שלש *tres* תלת; *quod ipsum tamen in fine pronunciatur ut S. sicuti Hebræi* תפלות *pronunciant tephilos, inquit Dieu in animadv. V. T. p.* 98. *sed Vorstius in obs. ad* צמח דוד *R. David Ganz. p.* 246. *rectius intelligit Persiæ provinciam vicinam fluvio Cutha, atque sic Cuthæos origine Persas, sed colonos Samariæ esse asserit.*

(c) *Quæst. l.* 2. *ad Ps.* 7. *inscript. p.* 88. (d) *In Phaleg. s. Geographia sacra part.* 1. 4. 2. (e) *Disp.* 3. *Methurgemam seu de Biblior. translat. in vernac. p.* 235. (f) *Bibl. illustrat. ad h. l. p.* 531. (g) *Odyss.* 1. *Verba hæc sunt:*

Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν
Οἱ μὲν δυσομένȣ ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.

(h) *Fol. edit. H. St.* 258. *cit. Dieu in animadv. V. T. p.* 97. (i) *L.* 1. *Geogr.* (k) *L.* 5. *c.* 7.

nus seu quicunque autor fuerit libri de mirab. scripturæ (l), Cælestinus (m), Cornelius à Lap. (n), Pererius (o), Bonfrerius (p), Waltherus (q), Nicolaus Arnoldus (r), Godignus (s), Salianus (t), Drusius (u), Vossius (x), aliique plures, qui omnes hanc distinctionem tradunt & defendunt.

§. 6. De vocis igitur כושית notione, qua Æthiopissam significat, certis ulterius inquirendum est, *qua ratione de Zippora Midianitide dicatur.* Hic diversissimæ inter Hebræos præcipue leguntur sententiæ. Sunt enim, qui *propter Æthiopicam nigredinem* (y) *& deformitatem* Zipporam sic appellatam putant, quemadmodum hodie aliquis vocari solet, Maurus, Turca, Æthiops, &c. Quam sententiam Autor Zenorenna (z), R. Bechai & Chaskuni tribuit, inquiens: **der** Bechai **und** Chaskuni **schreiben/ daß** Zippora **war gleich als eine Zigeunerin und schwartze Mohrin** &c. Verba autem R. Bechai (aa) hæc sunt: על אודות האשה הכושית היא צפורה שהיא מדינית ומדינם הם ישמעאל ים והם דרים באהלים כדכתוב ירגזו יריעות ארץ מדין ואין ביניהם לבן מפני תוקף חמי חמימות: i. e. *Per Æthiopissam intelligitur Zippora, quia est Midianitis, & Midianitæ idem sunt cum Ismaëlitis & habitant in tentoriis juxta id, quod scriptum (Hab. 3.) Commotæ sunt pelles terræ Midian; & non est inter eos albus præ nimio solis æstu*; & post subjicit, quod Aaron & Mirjam putaverint Mosen ab uxore se separasse בשביל שאינה יפה *propterea, quod non esset pulchra.* Ex quo apparet illum tam à patria, quam à colore seu deformitate hujus cognominis rationem ducere. Sic & Aben Esra (bb) postquam similiter disputasset, Zipporam Æthiopissam dici, quia Midianitis erat, & colore nihil differens ab Æthiopibus ob clima, tandem hisce verbis claudit: וצפורה היתה שחורה ודומה הכושית i. e. *& Zippora erat nigra & similis Æthiopissæ.* Cui sententiæ quoque favet inepta conjectura Oleastri, qui, si fides habenda est Lorino (cc), illud על אורות האשה reddi potuisse putat, *super nigram uxorem*, quasi אורה *sit nigredo*, cujus significationis unicum, velim, nobis afferat exemplum. Cæterum hanc sententiam hic obtinere non posse, quilibet facile videt. Nos breviter contra eam sic colligimus: Si Æthiopissa h. l. nigram significat, aut Scriptura ipsa eam sic vocat, aut saltem verba Aaronis & Mirjam eam sic vocantis narrat: Sed neque est prius, quia nigredo Zipporæ nihil facit ad propositum; Scripturam vero hunc naturæ defectum in Zippora sine causa exprimere non est probabile: neque etiam posterius: quia repugnat evidentia textus: nam si Mirjam & Aaron eam sic vocassent, non extaret *propter uxorem Mosis Æthiopissam*, sed *propter uxorem ejus, quam dixerant esse Æthiopissam*; vel ad minimum in verbis sequentibus aliter explicaretur; neque sequeretur, כי אשה כושית לקח *sumserat enim uxorem Æthiopissam*, sed כי אשה שחורה לקח *sumserat enim uxorem nigram.* Manet ergo, sententiam adductam, ut textui incongruam, locum habere non posse.

§. 7. E contrario eam alii *antiphrastice ob pulchritudinem singularem Æthiopissam, quasi minime talem, dictam esse* volunt. Ubi mireris merito tam ineptam sententiam tam multos invenisse basiatores. Nam præter Commentatores Hebræos non paucos, etiam utrumque Targum, tam Onkeli, quam Hierosolymitanum illam sequitur, ut quorum illud אשה הכושית per אתתה שפירתא reddit: hoc dissimili similitudine rem explicat היך מה דהדין כושיא משני בשרה מכל ברייתא כן הוות צפורה אתת משה יאה בריוה ושפירה בחזייא ומשניא בעובדיא טביא מכל נשיא דדרייא ההוא: i. e. *quemadmodum Æthiops variat cute sua ab omnibus aliis hominibus, ita erat Zippora uxor Mosis eleganti forma pulcra adspectu, & eximia bonis operibus, præ omnibus mulieribus coætaneis suis.* Huic consonat R. Simeon in Jalkut (dd) מה הכושי משונה בעורו כן צפורה משונה בנוה יותר מכל הנשים i. e. *quid Æthiops? variat cute sua: sic Zippora excellit pulcritudine, præ omnibus mulieribus.* Id quod aliis exemplis ex Scriptura S. illustrare conatur, nempe ex Ps. 7. titulo, *ubi Saulem*, & c. 9. Amos: *ubi Israelitas ead. ratione Æthiopes dici nugatur.* Quod iisdem fere verbis & exemplis asserit Pirke Elieser c. 53. p. 248. edit. Vorst. Nec est alienus ab hac sententia R. David Kimchi, qui Comm. in Psal. 7. ad tit. Psalmi super verbis, Chus filii Jemini, notat: רז"ל אמרו כי המזמור הזה נאמר על שאול וקראו כוש לפי שהיה יפה כמו האשה הכושית: i. e. *Rabbini nostri piæ memoriæ dixerunt, Psalmum hunc editum esse de Saule, quem David appellat Chus i. e. Æthiopem, eo, quod fuerit decorus, sicut uxor Mosis dicitur Æthiopissa* (ee). Consentit quoque R. Abendana in Spicilegio ad Michlal Jophi: הנכון שקראה כן ליפיה וכן נקרא שאול כוש בן ימיני מצד יפיו כי המנהג לתאר הדבר בהפכו i. e. *Certum est, quod Zippora ita (Æthiopissa) vocetur propter pulcritudinem suam, sicut Saul vocatur Chus filius Jemini propter formæ dignitatem, quoniam moris est rem denominare à contrario suo.*

§. 8. Omnium v. maxime hanc sententiam propugnat R. Salomo Jarchi, qui totum suum subtilitatibus Rabbinicis refertum quasi saccum effundit. Primo enim ex analogia quadam eandem deducere conatur scribens (ff): אשה הכושית מגיד שכל מודים ביופיה כשם מודים בשחרותו של כוש i. e. *quando Zippora Æthiopissa dicitur, indicatur, quod sicuti nemo negat nigredinem Æthiopis, ita & ejus* (Zipporæ) *pulchritudo à nemine negari possit* (gg). Deinde, quasi parum fidens stramineæ collectioni ad *Caballistica mysteria* mox confugit, & vocem כושית *per Gematriam* (hh) idem esse, ac יפת מראה *pulcra adspectu* (quod utrumque in numero 736. valeat) cum Baal Hatturim, qui & ipse tantum arcanum in glossa marginali nobis revelare non dubitavit, docet. Neque hic acumen Rabbinici ingenii subsistit, sed altius adhuc ad sublimia sc. anicularum somnia penetrat, & ex superstitiosis earundem formulis hunc loquendi modum eruit, inquiens: על שם נויה נקראת כושית כאדם הקורא את בנו נאה כושי כדי שלא תשלוט בו עין רעה i. e. *propter pulcritudinem vocatur Æthiopissa, sicut aliquis filium suum vocat Æthiopem, ne dominetur in eum oculus malus.* Sic & autor Zenorenna: **Man pfleget zu reden auf ein schön kind/ Zigeuner/ daß man es nicht wil beschreyen/ daß nicht ein böß aug solt an ihm gewältigen. Also sagt auch der** פסוק (**der text**) **auff Zippora/ sie war gar schön und hat sie geheissen/ eine schwartze Mohrin/ daß nicht ein** עין הרע (oculus malus) **solt an ihr gewaltigen/** seu ut rectius supra reddit, **damit sie nicht möchte beschrien werden.** Risum teneatis amici. Tædet nugis respondere. Apellis Apellam oppono R. Aben Esram, qui ob insignem doctrinam & sapientiam החכם καὶ ἐξοχὴν ipsis salutatur: hic uno ictu istas nugas concidit, quando: לא יתכן שנקרא שם שהיה, לשבח להפכו לגנאי: i. e. *Non convenit*, inquit, *id, quod alias in laude ponitur, commutare cum eo, quod dedecori esse solet.*

§. 9. Optima est sententia eorum, qui Zipporam Æthiopissam dictam volunt *non à colore, sed à patria*, quia erat Midianitis. Jam vero Midian spectabat ad Æthiopiam, quam supra probavimus, orientalem. Hinc recte R. Salom. Aben Melech in Michlol Jophi (ii). אשה הכושית לפי שהיתה מדינית קראה כן והיא צפורה ומדינית הם ישמעלים כמו שאמר והנה אורחת ישמעאלים ואחר כך אמר המדינים מכרו אותו והם דרים באהלים וכן כתוב ירגזון יריעות ארץ מדין: i. e. *Mulier Æthiopissa, hæc est Zippora, quæ, quia erat Midianitis, sic appellatur: Midianitæ autem erant iidem, qui Ismaëlitæ; sicut dicitur* (Gen. 37:25.) *& ecce turma Ismaëlitarum, & postea* (vs. 6.) *dicitur* Midianitæ vendiderunt eum; *& hi habitabant in tabernaculis juxta scripturam:* (Hab. 3.) vidi tentoria Æthiopiæ & commotæ sunt pelles terræ Midian: quod dictum, quan-

Yy do

(l) *c.* 28. (m) *L.* 6. *Hist. Sacræ p.* 472. (n) *Comment. in h. l.* (o) *L.* 3. *in Gen. c.* 2. *vs.* 13. *p.* 114. (p) *Com. ad h. l. p.* 779. (q) *In harm. ad h. l. p. m.* 254. (r) *Luce in tenebr. p.* 173. (s) *De Abyssinorum rebus l.* 1. *c.* 3. *p.* 7. (t) *Ad ann. mundi diem.* 3. *p.* 40. (u) *Ad difficil. loca Num. Comment. c.* 52. *p.* 407. (x) *Theol. Gentil. l.* 1. *c.* 30. *p.* 225. *& l.* 11. *c.* 75. *p.* 696. (y) *Unde & Græcis* αἴθιοψ *ab adusta facie nomen habet.* (z) *Hebraicus titulus* צאינה וראינה i. e. *exite & spectate, Commentarius est Hebræo Germanicus.* (aa) *In Biur al. Hatthorah f.* 185. *col.* 4. (bb) פיי *ad h. l. f.* 163. *col.* 3. *Biblior. Magn. Basil.* (cc) *in comment. ad h. l.* (dd) *f.* 221. *col.* 4.

(ee) *In seq. aliam quoque rationem, cur Saul Æthiops vocetur, addit, à priori diversissimam, nempe propter odium in Davidem immutabile, quod sicuti Æthiops non mutat pellem suam, ita Saul non mutet odium suum. Alii v. conjiciunt, dici Kus, quasi filius Kis: nomen reticeri, quia Regibus non maledicendum. Cohel.* 10:20. (ff) פיי *ad h. l. f.* 163. *col.* 1. *Basil. Bibl. magn.* (gg) *Sic & Jalkut l. c.* על אודות הכושית מגיד כתוב שכל מי שהיה רואה אותה היה מודה לנויה *Nec non R. Eliesér Ascenasi in Maase haschem Part. IV. Maaseh. thora c.* 20. *f.* 238. *col.* 3. (hh) *Rabbinis est Cabbalæ species, qua ex diversarum vocum æquali numero eundem sensum colligunt: ortum videtur ex Græco* γεωμετρία, *vel potius* συμμετρία *proportio, dimensio æqualis, inquit Buxtorf. in Lexic. Thalmud. ad hanc vocem. V. Hackspan. de arte Cabbalist. Judæor.* (ii) *f.* XXXIII. *col.* 1.

do Madian & Æthiopiam connectit, vel easdem vel connexas has esse regiones docet: quia eandem rem diversis declarat verbis, expositore Hieronymo super h. l. sic etiam Asa dicitur persecutus Æthiopes, qui tamen Midianitæ erant 2. Par. 14. juxta Augustin. (kk). Atque sic etiam patebit ratio appellationis, cur Zippora כושית appelletur, quam pluribus videas apud Comm. §. 5. citatos.

(kk) *Quæst.* 20. *in Num.*

CAPUT III.

De Causa dissidii.

§. 1. Dissidium quoddam ex hac Zippora natum, ac in Mosen tandem derivatum fuisse, vel prima dicti nostri verba nos edocent: licet enim verbum דבר alias vocabulum *μέσον* sit, quod in bonam ac malam partem usurpatur, tamen, cum ב constructum, plerumque in malam partem accipi certum est, quod & Rab. Aben-Esra ad h. l. observat & alio dicto probat: ודבר עם בית דרך, גנאי כמו וידבר העם באלהים i. e. *verbum hoc* תדבר *sequente* ב *sumitur in malam partem, sicuti etiam* (Numer. 21: 5.) & locutus est populus contra DEUM. Cui subjungimus & alium Ezech. 33: vers. 30. הַנִּדְבָּרִים בְּךָ *assidue loquentes contra te*, ubi Kimchi similiter annotat. לשון דבור שהוא קשור עם בית הויא לענין גנאי: i. e. *Verbum* דִּבֵּר *quando cum* ב *construitur*, *sumitur in malam partem.* Hanc tamen regulam non universalem esse, vel ex proxime subsequentibus textus nostri verbis apparet, ubi cum hac constructione de prophetia usurpatur, quando hisce verbis Aaron & Mirjam contra Mosen assurgunt: הֲרַק אַךְ בְּמֹשֶׁה דִּבֶּר יְהוָֹה *num tantum per Mosen loquitur DEUS. Sic & 2 Sam.* 23: 2. רוּחַ יְהוָֹה דִּבֶּר בִּי *Spiritus Domini locutus est per me*, inquit David.

§. 2. *Causa efficiens* hujus oblocutionis *primaria fuit Mirjam*, quod colligitur tum *ex ordine*, quia primo loco ponitur, tum *ex constructione*, quia verbum תדבר in fæminino genere positum Mirjam respicit, nec non *ex supplicio* divinitus immisso, vers. 10. Comes vero quasi succenturiatus Mariæ fuit Aaron frater ipsius, qui non solum hic fuit או הסכים החריש tacens, aut consentiens ut R. Aben-Esra vult, sed sororem etiam adjuvit, quod tam ex DEI increpatione vers. 8. quam ipsius culpæ deprecatione vers. 11. patet. Formalia & quidem potiora hujus obtrectationis verba vers. seq. 2. recensentur.

§. 3. Hic tantum *de causa impulsiva*, *sive occasione* ad hanc oblocutionem data, est, quod inquiramus. Nam cum non solum textus habeat על אדות האשה הכושית, sed & sequatur כי אשה כושית לקח, plerique interpretum causam in cognomine כושית quærunt, sed pro diversa hypothesi de ratione hujus cognominis, diversas etiam hujus oblocutionis causas afferunt.

§. 4. Raschi, Onkelos, Abendana, & cæteri, qui hanc vocem per pulcram exponunt, causam dissidii assignant, quod Moses se ab uxore, quamvis pulcra & amabili, quoad thorum, separarit, & quidem, מפני שהיה בכל עת מוכן על הנבואה i. e. *ideo, ut esset omni tempore paratus ad divinas revelationes*, ut Abendana addit (a). Hinc & Onkelos verba Hebraica כי אשה כושית לקח reddit ארי אתתא שפירתא דנסיב רחיק *quoniam uxorem ductam procul à se amovit*, & Raschi verba על אדות האשה interpretatur על אודות גרושיה *super causam expulsionis*, quod verbum licet ipsius matrimonii solutionem alias notet, hoc loco tamen de separatione tantum quoad thorum ab ipso intelligi ex contextu satis constat. Volunt ergo, quod Aaron & Mirjam Zipporæ causa egissent & Mosen objurgassent, quod uxori se subtraheret, & quidem absque ulla causa. Nam non esse ipsi uxorem deformem, cujus consuetudinem conjugalem aversari posset, sed omnibus animi & corporis dotibus ornatissimam, nec valere causam, quam prætexeret, quod scilicet crebro DEI colloquio impediretur; nam ipsum non solum esse Prophetam, qui cum DEO loqueretur: se non minus esse Prophetas ad quos & per quos DEUS loqueretur; nec tamen se idcirco similem separationem meditari. Hoc enim modo sequentem vs. 2. cum hoc primo conjungunt. Si autem quæras, quomodo scire potuerit Mirjam & Aaron, Mosen ab uxore se continere, fabula Raschi in promtu est, ex R. Nathane: רבי נתן אומר מרים היתה מצד צפורה בשעה שנאמר למשה אלדד ומידד מתנבאים במחנה כיון ששמעה צפורה אמרה אוי לנשותיהם של אלו אם הם נזקקים לנבואה שיהיו פורשין מנשותיהן כדרך שפירש בעלי ממני ומשם ידעה מרים והגידה לאהרון: i. e. *R. Nathan dicit, Mirjam fuisse apud Zipporam ea hora, qua Mosi dicebatur, quod Eldad & Medad prophetarent* (b) *in castris*, (uti cap. præced. 11. narratur). *Hoc postquam audivit Zippora, dixit, væ uxoribus illorum, quia hi, si adjungunt se prophetiæ, segregabunt se ab uxoribus suis, sicuti maritus meus separavit se à me, & exinde scivit hoc Maria, & renunciavit fratri.* Autor nugigerulus Zenorenna (c) aliud adhuc argumentum, quo Mirjam in hujus rei notitiam pervenerit, ex Rabbi Chaskuni subjicit, inquiens: Der Chaskuni schreibt / daß Mirjam Zippora habe gefragt / warum sie sich nicht hübsch zieret gegen Mose ihren Mann / das ist ein מצוה (Gesetz) von den weibern / daß sie sich solten zieren gegen ihre Männer / daß ihre Männer kein מחשבה (gedancken) sollen haben auf frembde weiber. Da antwort ihr Zippora / Mose liegt nichts dran / כלומר (als wollt sie sagen) er kommt weinig zu mir. Eandem etiam fabulam R. Simeon in Jalkut l. c. refert.

§. 5. Rabbi Aben-Esra vero qui Zipporam, uti diximus, כושית appellatam esse putat eo, quod nigredine Æthiopissam referret, in eo quidem cum R. Salomone & cæteris convenit, quod causam dissidii Mosis ab uxore separationem, quam eadem occasione vaticinii ab Eldad & Medad editi Zipporam Mariæ adstanti vult aperuisse, statuit, sed in eo à Raschi distat, quod Mirjam Mosi impingere dicit, ac si ab usu uxoris abstineret, non ob prophetiam, sed ob colorem nigrum, quo ipsi videretur esse deformis. Sic enim ille inter cætera (d) הנה חשרו משה כי לא נמנע לשכב עם צפורה רק בעבור שאיננה יפה: ואמרו הרק אך במשה הביאה ראיה כי לא עשה זה לקרושת השם כי הם היו נביאים ואין הם המשכב אסור להם i. e. *Ecce impingunt Mosi, quod non prohibitum ipsi sit cohabitare cum Zippora, sed, quod hoc tantum intermitteret propterea, quia non esset pulcra*: Et in verbis vers. seq. & dixerunt num per Mosen solum &c. *adducunt rationem, cur hoc non faceret ad sanctificationem Dei, quoniam ipsi etiam essent Prophetæ, & tamen ipsis consuetudo conjugalis non esset prohibita.* Quam Aben-Esræ sententiam pluribus verbis explicat, simulque priori R. Salomonis anteferendam esse contendit Paulus Burgensis (e). Priori vero R. Salomonis favet Lyranus (f) & Cajetanus.

§. 6. Nos, qui falsam hypothesin, qua tanquam lubrico fundamento utraque sententia nititur, jam tum, Cap. præc. ostendimus, prolixi non erimus in hisce nugis refutandis, qua sua sponte corruunt. Videat interim, qui volet, adversus utrunque Rabbinum, Raschi nempe & Aben-Esram, latius hæc excutientem Abulensem (g): Vel sola ipsius textus evidentia, hoc quicquid nugarum Rabbinicarum est, prosternit.

(a) *De separatione Mosis ab uxore, & quidem perpetua sic R. Moses Maimon. in* הלכות יסודי התורה pag. 105. הא למדת שכל הנבאים בשהנבואה מסתלקת מהם חוזרים לאהלם שהוא צר צרכי הגוף כלם כשאר העם לפיכך אין פורשין מנשותיהן ומשה רבנו לא חזר לאהלו הראשון לפיכך פירש מן הא האשה לעולם ומן הדומה לה: i. e. *hinc discis omnes Prophetas, cum ab iis ablata esset Prophetia, rediisse ad tentoria, h. e. ad omnes corporis necessitates pro more reliqui populi: idcirco non segregabant se ab uxoribus suis: At Moses M. n. non revertebatur ad prius suum tentorium, ideo ab uxore etiam semper sejunctus erat, & id genus aliis.*

(b) *Horum vaticinium juxta R. Simeonem fuit de morte Mosis, & introductione Israëlitarum in terram Chanaan per Josuam expedienda: juxta R. Nachman vero fuit de Gog & Magog, qui etiam eo respicere putat Ezechielem cap.* 28: 17. *ubi non* שָׁנִים *annos sed* שְׁנַיִם *binos legendum esse statuit, ut duo isti, Eldad & Medad intelligantur. Sed utrumque Rabbinica tantum suffultum esse conjectura, quæ simulac audiatur, vanitate sua solvatur, recte judicat Guiliel. Vorst. in not. ad R. Mos. Maim.* הלכות יסודי התורה i. e. *Constitutiones de fundamentis legis. p.* 105. (c) *L. c.* (d) *L. c.* (e) *Episcopus, conversus Judæus in additionibus sive censuris, quas scripsit in Lyrani Postill. Bibl. glossat. annexas. pag.* 1258. (f) *In additionibus ad Lyr. Bibl. gloss. h. l. Fuit itidem Judæus conversus, quem licet Sixtus Senensis in explanandis Scripturis nullum sui temporis parem habuisse asserat, sæpe sæpius tamen, judicio Dn. D. Calovii, delirasse deprehenditur, ut adeo vana sit jactatio Papicularum de hoc Lyra in odium & contemtum Lutheri instituta: nisi Lyra lyrasset, Lutherus non saltasset, qs. Lutherus sine Lyra invenire non potuisset Scripturæ sensum.* (g) *Comment. ad h. l. quæst.* 8.

sternit. Nihil enim in eo de separatione, nihil de abstinentia, nihil de expulsione; at vero vicissim potius aliquid de contracto matrimoniali legitur, siquidem nullibi verbum פרש *separavit*, aut חרש *expulit*, vel simile compareat, diserte vero לקח, quod inter alia est *uxorem ducere*, expressum sit.

§. 7. Rectius ergo alii non separationem ab uxore, sed *sumptionem*, ut ita dicam, *& retentionem uxoris Æthiopissæ*, & quidem nec ut deformis, nec ut pulcræ, sed ut *extraneæ causam contentionis* esse statuunt, asserentes, ideo Mirjam & Aaronem contra Mosen, insurrexisse, quod mulierem Æthiopissam sive Midianitidem & à populo DEI alienam in uxorem duxisset, neque repudiaret, adeoque non pro, sed contra Zipporam locutos esse volunt. Et hanc quidem causam plerique interpretum assignant, quanquam non eodem modo, præcipue quoad connexionem cum seq. vers. ubi formalia hujus murmurationis verba habentur, illam explicent. R. Aben Melech in Michlol Jophi l. c. ita procedit, דברו רע על משה שלקח אשה ממדינים והוא משתרר עליהם ואם משתרר על הנבואה הלא גם בנו דבר: i. e. *locuti sunt male contra Mosen, quod sumsisset uxorem ex Midianitis & tamen vellet super ipsos dominari, & si propter Prophetiam dominium sibi sumeret, nonne etiam per illos Dominus loqueretur.* Bonfrerius (h) *exprobrationem quandam & indignationem potius, quod* (Moses) *eam* (Zipporam extraneam) *retineret uxorem, agnoscit, quod minus conveniens judicarent suis natalibus vel officio ac potestati, qua fungebatur Moses, alienigenam apud se uxorem habere, quam proinde volebant dimitti.* Ut autem hæc cum sequentibus connectat, *credi potest*, inquit, *cum Maria & Aaron uxorem Æthiopissam Mosi exprobrarent & dimitti postularent, respondisse Mosen, non posse se eam sine causa, tuta conscientia dimittere, idque se ex DEI revelatione scire: vel ipsorum querelam ac exprobrationem ad Deum referre voluisse, à Deoque accepisse non esse eam dimittendam. Atque hinc, cum DEI responsionem retulisset ad eos Moses, ortum illud alterum, ut dicerent Mosen fingere id sibi à Deo revelatum, se æque esse Prophetas ac cum Deo collocutos, ut scire possent, quid liceret.* Ab hac explicatione non multum discedit illa Junii (i) qui dicit, *Mosen ostendisse, se nihil in regendo populo, nisi ex Prophetica cum Deo communicatione instituere; Hoc Aaronem & Mirjam male habuisse, quod ita ipsos contemneret, quasi aliorum nullus præ ipso Prophetiæ dono esset instructus, & ab uxoris ipsius argumento illum refutare voluisse h. m. quisquis tanto prophetiæ spiritu instructus est, ut præ se fert Moses, nunquam eo prolabetur, ut uxorem impiam, infidelem, exteram sibi adjungat. Hoc autem fecit Moses, Ergo non est talis Propheta, ut alii præ ipso non possint aut debeant Prophetæ censeri.* Et hanc quidem causam *speciosam* vocat, quam scilicet ipsi saltem prætexerent, aliam vero *veram* sub ista *latuisse* dicit; nempe *sceleratam quandam ambitionem, quæ Mosis autoritatem à DEO inditam motu perverso oppugnaverit.*

(h) *Comment. ad h. l. p. 779. b.* (i) *In explicat. analyticis in h. l. f. 442.*

§. 8. Utcunque vero se ista habeant, saltem id observari monemus, quod verba illa ultima, כי אשה כושית לקח, quæ communiter redduntur, causaliter: *quia uxorem Æthiopissam acceperat*, id equidem præcise non inferant. Notum enim est, particulam כִּי non semper causaliter in scripturis accipi, sed inter alia etiam explicationi & assertioni inservire sicuti Græcum ὅτι, quod ei respondet. Conf. Glass. Philol. Sacr. lib. 3. tr. VII. can. 16. p. m. 820. Atque quo minus hæc significatio etiam hic obtineat, textus plane non repugnat. Cum enim proxime præcedens accentus Atnach sensum perfectum hic finiri innuat, verba sequentia commode in parenthesi quasi posita explicationi inservient, h. m. Locuti sunt contra Mosen propter uxorem Æthiopissam, quam sumserat (sumserat nempe uxorem Æthiopissam) & dixerunt &c.

§. 9. Tandem igitur Abulensis accuratius circumstantias expendens accidisse ait, ut, dum Aaron, Mirjam & Zippora inter se, absente Mose, colloquerentur, Mirjam & Sephora in discursu longius provectæ (k) utra esset excellentior, contenderent, cum Sephora muliebri vanitate sese Mirjam anteposuerit, in causæ suæ argumentum adducens, quod vir suus maximus esset Propheta, cui Deus loqueretur à facie ad faciem: quibus concitata Mirjam, non solum contra Sephoram, illam Æthiopissam sive alienam à populo per contemtum appellando, sed & contra ipsum Mosen se illi æquando, insurrexerit; quam deinde Aaron, ut illam animo ægram sublevaret & Sephoram superbientem deprimeret, in hac contentione adjuverit. Quæ quidem sententia minus difficultatis, plus probabilitatis habet, & cum ex versu seq. 2. tum ex vs. 7. bene colligitur.

§. 10. Cum itaque de causa dissidii sic quoque constet, felicem dissertationi nostræ imponimus finem, Benevolum Lectorem rogantes, ut, sicubi forte, quod non speramus, à veritate aberravimus, pro candore suo nobis ignoscat paratissimis semper ex Hebræorum consilio לקבל האמת מאינה שיבא אפילו מאדם פחות à quocunque homine recipere veritatem etiam à minimo.

(k) Λάλον γὰρ, ὡς τὰ πολλὰ τὸ γυναικεῖον γένος καὶ περίεργον, *loquax enim ut plurimum est fœmininum genus & curiosum, inquit ad hoc ipsum Isidorus Pelusiota. l. 3. ep. 702.*



M. MICH. BEK
DISSERTATIO
De Uva magna Cananæa ad Num. XIII: 23.

PRÆLOQUIUM.



Piritus DEI per θεήλατον vatem Jacobum *locuturus*, & verba ipsius linguæ indituros, quando ἐξοχῶς & *præcellentem dignitatem Regni Spiritualis Messiani sub schemate*, ut alias sæpe, *felicitatis temporalis & terrenæ fertilitatis* depingere vult, de illo Schilo, *Tranquillatore Judæ filiolo* eleganter juxta & suaviter hæc facit verba Gen. 49: 11. אֹסְרִי לַגֶּפֶן עִירֹה וְלַשֹּׂרֵקָה בְּנִי אֲתֹנוֹ hoc est, interprete Aria Montano: *Ligans ad vitem pullum suum, & ad vitem optimam, fili mi, asinam suam.* In qua Versione, cum ea plurium manibus teratur, nec tamen Vulgatum errantem emendaverit, animadvertimus, obiter licet, vocem בני *invito prioris membri sensu, & repugnante conjunctivo accentu*, reddi cum hac interpunctione, *fili mi*, pro: *filium*, cum Jod paragogicum nihilque consignificans sit, æque ac in prima versus voce; suffragante in h. l. *Aben Esra*: יוד בני אתנו נוסף. *Jod τῶ Beni est paragogicum.* Vertendum itaque rectius cum aliis fuit: *filium asinæ suæ*, pro illo Vulgati, *ô fili mi*; ut hac ratione esset trito *Kimchii* verbo: כפל הענין במלות שונות *duplicatio s. geminatio sensus ejusdem per variantia verba*, sive, recte judicante *Osiandro* in Paraphrasi, ut *repetatur eadem sententia paullo aliis vocabulis.* Commentandi prolixius in hæc verba, nec animus, nec instituti ratio fert; sufficiat nobis ex vaticinio hoc *vitis Palæstinæ præstantiam*, & uvarum promissæ terræ Canaan excellentem dignitatem asserere, atque ita facilem transitum nobis parare ad argumenti suscepti tractationem. Vitis præstantiam certe arguere videtur, quod alligari palmitis ligno jumentum possit, nostro in his terris longe firmiori ac robustiori, & duramentum nostrarum vitium longe exsuperanti. Quod ipsum in mentem nobis revocat ea, quæ *Hildebr. lib. 4. cap. 4. Magiæ Natur.* recenset: Munsterus, inquiens, schreibet in seiner Cosmographia l. 5. von den Ländern Asiæ, daß in dem Lande Aria in dem äussersten Scythia die Weinstöcke so groß und dick werden / daß manchen zwey Männer nicht umbklaftern können. Cui asserto fidem quoque facit *Strabo l. 2. Geogr.* eadem ferè de vitibus provinciæ Marginæ referens. Sic Erasm. Franc. Im Ost-West-Indischen Lustgarten *p.* 714. in der Landschaft Virginien giebts viel Weinstöcke / welche so hoch wachsen / daß sie die Spitzen der grossen Bäume erreichen. Verosimile quoque est, in ipsis Italiæ agris densioris juxta & robustioris ligni palmites succrevisse, ex his *Plinii* verbis *lib. 14. cap. 1. Stat provinciarum aliquarum per se vitis sine ullo pedamento, artus suos in se colligens, & brevitate crassitudinem pascens.* Quod & colligere datur ex sequentibus *Plinii* verbis, quando ll. cc. pag. 121. *edit. Belg. anno* 1668. testatur, *vites etiam in delictis pœnam honorasse.* Ad quæ Commentator *Dalechampius* ita: *In castigandis militibus centuriones vitem adhibuisse, traditum à Livio lib. 57. Hujus supplicii meminit Plutarchus in Galba. Martianus ff. de re militari.* Si miles vitem tenuit, (*refractariè scil. obnitens*) militiam mutat, si ex industria fregit, capite punitur. *Scipio Æmilianus, si quem militem deprehendisset in delicto Romanum civem, vulgato inter milites exemplo, vite, externum verò fuste cædebat. Alex. ab Alex. lib. 1. c. 22. Gerebant vitem centuriones.* Plura apud laudatum Commentatorem videre licet. Clarissime omnium idem *Plinius cap. 1. lib. 14.* ita orditur, *Vites jure apud priscos inter arbores numerabantur, Jovis simulacrum in urbe Populonio ex una* (vite) *conspicimus tot ævis incorruptum. Metaponti templum Junonis vitigineis stetit columnis.* Et quæ plura huc facientia ibi sequuntur. Hinc ex præstantia vitis & palmitum robusta crassitudine facile quoque præstantem fructuum magnitudinem collegeris. Colligit hoc inter alios *Raschi*, qui ideo *alligandum asinum viti* dicit, *ut ex una sola asinus oneretur.* Quod de uvis minoribus vix interpreteris. Conf. & *Auctorem Michl. Josi ad h. l.* Imo unius uvæ mole asinum onustum reddi posse, credunt facile Judæi, idque tempore Messiæ revera fore Talmudistæ asserunt, *qui uvam unam vehiculo aut navi apportatum iri, suaviter* sibi pollicentur. Vid. *Wagens. Sotam pag.* 711. Quid, quod & extra Palæstinam id contingere, testetur *Metrophanes apud Stephanum lib. de Urbibus*, nempe ad *Eucarpiam*, minoris Asiæ oppidum, à fertilitate ita dictum, *tam immanes ibi nasci racemos, ut singuli justa sint singulis curribus pondera, ita ut unius tantum racemi vectura quandoque currus confractus conciderit.* Vid. Lorinum & Cornel. à Lap. ad h. l. cujus posterioris quidem ἐπίκρισις hæc est: *Sed puto currum ipsum crassiori mendacio quam uva onustum jam pridem concidisse, & evanuisse.* Utrum vero hoc judicium Lapidensis bene habeat, an autem veritatem aut saltem hyperbolicam locutionem pro mendacio habeat, penes Doctiores esto judicium. Grandissimas uvas sane alii fide digni scriptores recensent, qua de re infra. Et ne longe abeamus, en Mosen Jacobi interpretem! qui *Num. 13: vs. 24.* de *Prægrandi Uva Cananæa* diserte loquitur, ad castra Israëlis errabundi in deserto delata. Quod argumentum Dissertationi nostræ destinandum per otium caniculare præ cæteris arrisit; nec enim diu de alio meditari necesse habebamus, dum ad suggestionem *Cl. cujusdam Viri in patria* accedit ipsius argumenti in prospectu de museis nostris in oculos ingestio, quando jam pendulas de palmite uvas utrique nostrum inde contueri licet. Ut autem feliciter hic labor nobis cedat, Tu

CHRISTE *ferax vitis præsentem Te mihi siste:*
JOVA Parens vitis, Vinitor Alme juva!

CAPUT I.

§. 1. VAria & multiplex de vitibus & uvis apud profanos sacrosve Scriptores mentio: meminere harum Græci, meminere Latini, cecinere utrinque Poëtæ. Fuit, qui vitium genera numeraret, *Democritus*, cuncta sibi Græciæ cognita professus, teste *Plinio lib. 14. cap. 2. sub init.* extitit ex adverso, qui numerari solius Italiæ posse negaret *Virgilius, lib. 2. Georg. vers. 103. seqq.* ita canens:

Sed neque quam multæ species, nec nomina quæ sint,
Est numerus; neque enim numero comprendere refert:
Quem qui scire velit Lybici velit æquoris idem
Discere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ,
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Jonii veniant ad littora fluctus.

§. 2. Paullo ante noster *Virgilius* uvas & vites *Methymneas* in Insula Lesbo, *Thasias* item ex insula Thaso Ægæi maris, *Mareotidas*, à palude Ægypti tralatas, *Psythiam Græculam* passo vino conficiendo utiliorem, *Lageon* à colore leporario juxta Min-ellium denominatam, *purpureas, preciasque*, seu præcoces, *Rhæticas, Falernas, Amineas, vites Tmoli* Lydiæ montis, *uvas Phanæi*, promontorii Insulæ Chii, *argitidas*,

tidas, vel ab Argis, vel ἀργῆται, h. e. argentei coloris dictas, *uvam Rhodiam* mensis hominum diisque acceptam, tumidisque racemis *Bumasten*.

§. 3. Sæpius nobis hic laudandus *Plinius* cap. 1. plura vitium genera commemorat, *Virgilii vatis* ætate incognita, quæ prolixius exscribere nec juvat, nec vacat. Addunt Poëtæ, Latini maximè, alias species. Horatius, Ovidius, Martialis, &c. *Aulonis uvas*, *Massici*, montis Campaniæ *Gauri*, *Cæcubi*, & *Caleni* oppidorum Campaniæ; *Formianas*, *Setimnas*, *Surrentinas*, *Albanas*, *Fundanas*, *Messanenses*, *Arvisias*, *Vejentanas*, *Dionysias Insulæ Naxi*, *Maronaeas*, *Methonaeas*, *Tarracanas*, *Pranias*, *Creticas*, *Coas*, *Polias*, & forsan observatis plures.

§. 4. Sed canant illi quantumlibet suas delicias, prædicent vites, laudent uvas, nobis haut satisfaciunt hæc talia. Alliciat vero nos ad sui contemplationem *Uva* nostra *Prægrandis Cananæa*, quæ ut reliquas inter omnes eminet, de terra quoque præ omnibus regionibus ut sanctitatis, sic & juxta Judæos quosdam, situs eminentioris, sumta, ita præ cæteris considerationem meretur.

§. 5. Ut autem Oraculo Mosaico Uvæ nostræ historiam & præconia continenti perspicua argumenti tractatione & distincta explicatione, quantum per ingenii vires, & eorum, qui nos suppellectile libraria juverunt, liberalitatem fieri potest, satisfiat, primo hoc Capite UVAM ipsam, *inque suis circumstantiis*, altero vero *EAM ut in bajulorum humeris* spectabimus: seu: *Uvam in Vite*, & *in Vecte*.

§. 6. Veniamus igitur in rem, quod ajunt, præsentem, ubi adeundus erit nobis textus Mosis Scriptoris Divini, qui postquam sub initium *cap. 13. Numerorum*, mandatum Divinum de mittendis è singula tribu, adeoque duodecim exploratoribus, iisque viris principibus, consignatis singulorum nominibus, recitasset, eosque de legitima functionis administratione instruxisset, tandem *versu 22. seqq. iter ipsum ejusque gesta & terminum* narrat, & *versu 22. al. 23.* ita loquitur;

וַיָּבֹאוּ עַד־נַחַל אֶשְׁכֹּל וַיִּכְרְתוּ מִשָּׁם זְמוֹרָה וְאֶשְׁכּוֹל עֲנָבִים אֶחָד וַיִּשָּׂאֻהוּ בַמּוֹט בִּשְׁנָיִם

h. e. Interprete Vulgato: *Pergentesque usque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quam portaverunt in vecte duo Viri.*

§. 7. Hemistichium solum prius, quod cedit Domino Athnacho, apponere placuit, quia ditio Silluki huc nihil aut parum facit. Ex Athnachi territorio prioris tantum membri per - in אחד regulari posita terminati voces sibi caput præsens vendicat, reliquas sequenti transcribit. Cogitabamus primum pro fœneranda textui nostro luce apponere Versiones Orientis juxta & potiores Occidentis, easque pro more aliorum integras, qua nostrum hemistichium; cum vero δεύτεραι φροντίδες suaderent contrarium, ne typothetis tædioso labore graves, Lectori nobisque isthac recensione haud adeo proficui foremus, placuit ex iis potiora tantum vocabula excerpta in usum nostrum adponere.

§. 8. Sistit autem Moses nobis primum, si vocum seriem observare liceat, Uvæ nostræ *solum natale*, alias in sacris paginis ante haud commemoratum, & ex præsenti demum negocio innotescens ac inclarescens. Quare & per Anticipationis, quam vocant, Figuram locum ante hanc rem ibidem gestam forsan ἀνώνυμον Moses appellat נחל אשכל *Torrentem vel Vallem Escol.* vid. vers. seq. qui B. *Chytræi* conjecturam improbabilem reddit, dubitantis, annon vallis hæc ab Amorrhæo illo nobili *Genes.* 14: 13. Escol denominata fuerit, ut vallis alia à Mamre fratre ejus. Nec adeo bene cum sensu verborum laudati versus 25. stare posse videntur, quæ scribit *R. Isaacus Arama* in h. l. לפי שמאמר (forsan שנאמר) ויבאו עד נחל אשכל יורה שהיה כן שם המקום ראשונה ואכ״ אין ראיה מהאשכל אשר הביאו מהפלגת הפרי על כל הארץ כי שם המקום יעיד שהוא מיוחד כגודל האשכולות מזולתו h. e. *Verbis: & venerunt ad usque torrentem botri, docetur, quod ita primitus nomen loci dictum fuerit: quod si ita est, utique non desumitur denominationis ratio à botro illo, quem ob præstantiam fructus præ aliis terris apportarint; testatur namque ipsum loci nomen, non alia de re illud impositum, quam ob habitam rationem magnitudinis aliarum quoque præter illam uvarum.* Confinia sunt *Montana* Judææ, ubi Hebron, vers. præced. Tostatus ἀναλφάβητον se in Ebraica literatura ostendens scribit: *Nomen loci Nehel Escol, (ut Latinus ex Græcis habet,) corruptum esse: Nahas enim in Ebræa lingua fluvium seu torrentem, estol vero racemum significare.*

§. 9. Hic notandus est nobis dissensus Interpretum, dum illi in duas abeunt partes. Hi *torrentem* illi *vallem* vertunt. Torrentem vertunt, Vulgatus h. l. (sed in loco Parallelo *Deut.* 1: 24. est in Latina editione, *Vallis*) *August.* & *Ambros.* apud Lorinum similiter legunt vallis botri seu botrionis. & *Prudentius* apud eundem in hamart. vers. 478. *Perdidit inventi vallem botrionis opimam.* Conf. Lorinum hoc loco. Chaldæus Paraphrastes *Onkelos* utrobique נחלא *Hieros.* נחל æque dubie, utrum præferat significatum. LXX. ἕως φάραγγος βότρυος *usque ad vallem botri.* Syrus ܢܚܠܐ ܕܣܬܘܦܐ *vallem botri*, Arabs, وادي العنقود quarum prior (posterior enim botrum extra controversiam significat) juxta *Cl. Golium, in Lex. pag.* 2647. Arabibus est *locus depressior & apertus inter montes collesve, scil. vallis, alveus fluvii & ipse fluvius.* *Æthiopica* Versio licet nobis visa non fuerit, cum Biblia Anglicana eam in Pentateuchum non exhibeant, defectum tamen supplevit *Magnif. Dn. Ludolf. Lexic.* ubi p. 155. est vox ፈለግ allegato nostro loco, quæ vallem significat. *Pentateuch. Ebr. Germ.* דז טאָל eodem modo ut *Belgæ*: dat Dal / sed versio ante Lutherum Germ. der Bach des Traubens / *Dietenberg. ut Lutherus* Trauben-Bach. *Danica* Beck Escol. *Kimchius in libr. Rad.* de hac voce hunc in modum disserit: העמק שנגרים בו המים יקרא נחל ואף על פי שאין בו מים יקרא גם כן נחל כי המקום הוא הנקרא נחל h. e. *vallis, per quam defluit aqua vocatur* נחל*, etsi ea vel maxime ibi non perennet, obtinet nihilominus hanc nomenclaturam, quia loci magis est Vox.* confer ipsum ad *Joel.* 3: 18. Eadem fere habet *Magnif. Dn. D. Geierus tom. 1. in Psalm. p.* 260. נחל inquit, *est locus depressus sive sit siccus, i. e. vallis, sive aquis refertus, & tunc sumitur pro fluvio vel torrente ex aquis pluvialibus orto.* *Abarbenel* fol. 293. *col.* 2. ומקום היה בנחל לא נחל אבל בקעה ולפי שהיה בין הגבעות ונחלי מים עוברים קראה נחל אשכל h. e. Locus natalis fuit ad torrentis alveum, non vero alveus vel torrens ipse, sed potius solum convallis, vocatus ideo נחל אשכל, quod medius situs esset inter colles, & aquarum torrentes, quæ illac defluebant. *Castellus*: vallis angusta alveum habens, quo tempore pluviæ torrens raptim defertur. *Lorinus* similiter: *Utrumque significat* נחל *& torrentem & vallem, per quam defluit aqua, licet actu aqua non sit in ea, vertique potest nunc per vallem nunc per alveum in quo decurrit torrens, aut per torrentem seu aquam ipsam illius.*

§. 10. Nos uti solliciti sumus de solo natali Uvæ nostræ, ita non possumus aliter, quin illud *in valli aliqua* statuamus, negamus tamen, inde sequi, *vocem* נחל *à B. Luthero malè versam* Bach Escol / Traubenbach / *sed verosimilius existimamus, vocabulum hoc primò* h. l. *denotare torrentem, ut tamen secundario & connotative innuatur vallis, per quam torrens decurrit*, ut ita vallis vocabulum torrentis voci, non item hæc illi subordinetur, cum rectius collectio fiat à torrente ad vallem, quam ab hac ad illum. Quod vult m. B. *Scheræus* in *Itin. Davidico*, quando n. 667. m. 2. ita disserit: נחל *denotat quoque alveum s. vallem strictiorem, cassum aqua, quia est torrentis subjectum: alias* עמק dicitur de valle ampliore, planiore. Unde nisi circumstantiæ textus & συνάφεια vocum poscant evidenter alterum illum, eumque secundarium significatum *vallis*, tenendum esse *torrentis* vocabulum, persuasi sumus. Quo sensu etiam docentibus Concordantiis longe frequentius in Bibliis occurrit quam altero illo, quicquid tandem de pluralitate & auctoritate Versionum sit.

§. 11. Non procul itaque à montanis Hebron hanc Vallem torrente irriguam quærimus, licet tabulæ Chorographicæ distinctiorem situm nobis non commonstrent. Non procul à mansione deserti, adeoque in regressu id contigisse affirmat *Lorinus.* Abarbenel: בחזרת המרגלים in reditu. Quærit autem R. Moses Nachmanides Gerundensis peculiare quid in eo, quod Divinus Historiographus in proxime præcedenti Versu *Hebronis ab antiquitate commendatæ mentionem facit*, quando in h. l. hæc commentationis suæ verba consignata reliquit יתכן לרמוז עוד במה שאמר השמנה היא אם רזה כי חברון קדמונית מאד ועדין עושה פירות שמנים וגדולים כאשר הגיד באשכול וכל שכן הארץ החדשה שהיא יותר שמנה *Recte sentit, qui verbis* vs. 21. pinguis ne humus an sterilis? *innui putat, quod quia Hebron vetustissima erat, & tamen eo adhuc tempore tam insignes tulerit fructus & præpingues, attestante illud botro isthoc, multo magis tellurem reliquam recentius cultam, nec ita effœtam, pinguiores & insigniores redditurам fructus,* habet & hæc *R. Jacob Abendana in spicilegio* ad h. l. De qua quidem sequela ex verbis Mosis elicita nobis videtur, quod Judaice *Magisterialis sit*, (ut *Schikardi* verbo utar) hoc est, non adeo ut solent pleræque horum hominum esse solida, si non plane nulla. Nulla enim ratione doceri potest, ideo vetustæ Hebronis

nis ætatis mentionem injici, ut à minori circumjacentis agri fertilitate à longo annorum cursu desumta fiat argumentatio ad majorem recentius excultæ telluris.

§. 12. Succedat ipsa *uvæ Abscissio* seu *Resectio*, quam uno vocabulo, verbo sc. præteriti temporis qua significationem ויכרתו exponit Moses. *Resectionis modum instrumentive* usum anxie inquirere velle, magis curiosum quam utile foret. Majori cultro vel etiam securi ob sarmenti crassitudinem & verbi כרת frequentem in hoc sensu acceptionem opus fuisse verosimile evadit.

§. 13. *Tempus* solemnis hujus *vindemiæ* utilius erit investigare. Egressus exploratorum è castris incidisse dicitur in tempus *primarum seu præcoquarum uvarum*, ימי בכורי ענבים vs. 21. *Græci* audaciori nonnihil ἐξηγήσει transferunt: ἡμέραι ἔαρος πρόδρομοι σαφυλῆς, *dies veris præcursores uvæ.* Hos sequitur *Philo*, qui Mosen orat. 1. d. Vita ejus ad exploratores verba facientem ita loqui jubet inter alia: ἔαρ ἐςὶν, ὃ νῦν ἐφέςηκεν; *Vernum est tempus quod nunc instat, explorandæ regionis virtuti adprime congruum, quo fructus naturæ principium capiunt.* Subdit idem, Mosen reditum eos differre jussisse in æstatem, ut aliquid fructuum afferant. *Vulgatus* tempus nominat illud, quo jam præcoquæ uvæ vesci (solœca voce) possint. R. Salomo ימים שהענבים מתבשלים בבכור dies illos, *quibus uvæ ad maturitatem coquuntur.* Lapidensis initium *nostri Junii*, Torniellus vero, (cujus calculum probabilem judicat Lorinus,) *medietatem* circiter *quarti hujus mensis*; qua ratione post spatium dierum 40. rediissent circiter 26. diem mensis Julii. Addit *Lorinus*; apud Italos quoque uvas mense Julio provenire, quas vulgo Luliaticas vocent. Sic & *Flacius* in Clav. ad voc. *Racemus* notat, in locis meridionalibus, & etiam passim ultra Alpes primam vindemiam esse mense Augusto, racemationem vero, secundariam quasi vindemiam, mense Septembri. Ita & *Majolus* ex *Aloysio Cadamustio* testatur, in Insula Madera Martio Mense jam maturas uvas excerpi posse. *Canicul. Dier. Colloq.* 14. p. 263. *Erasm. Francisci* im Ost-und West-Indischen Lustgarten p. 867. ita ex Fratris *Brocardi* Descript. T. S. in Palæstina um Sidon wie auch unten am Berge Libanon hat man das Jahr über von einer Reben dreyerley Wein. Die ersten Mertz-Trauben werden im Augusto zeitig/ die anderen im Herbstmonat/ die dritten im Weinmonat/ hat man also dort Trauben von S. Johannis biß auf Martini. Ibidem Brasilien soll daß gantze Jahr durch Wein-Trauben zu naschen geben. *Majolus Colloq.* XXI. p. 362. ex *Pet. Marc. Summ.* refert, agrestes uvas in Hispaniola Martio maturescere: in Caxumo Æthiopiæ Januario, & aliis Æthiopicis regionibus mense Martio, *Franc. Alvarez.* ibibem testatur. *Ovetanus* apud eundem scribit, in urbe S. Dominici jam die natali Domini maturas excerpi uvas.

§. 14. *Philonem* cum Græcis, quos ille secutus fuit, non adeo probare possumus. Vernum namque tempus, quod illi ponunt, exhibuit primitias frugum, secunda Paschatis feria in manipulo offerendas, non item uvarum; nec dies illi dicuntur in fonte, quasi πρόδρομοι σαφυλῆς, *quibus fructus naturæ principium capiunt*, sed dies illi erant tales, quibus jam existere incipiebant בִּכּוּרִים seu *primitiæ*, uvæ scil. præcoces & præcoquæ, non semimaturæ, quod *Philo* ibidem vult, quæ ad fertilitatem terræ ostendendam incongrue prorsus allatæ fuissent.

§. 15. Probatur ergo nobis tantisper, donec certiora edoceamur, *Tornielli* opinio supra laudata, quam confirmat etiam Judæorum traditio à Cl. Zarfossio nobis exposita; rediisse scil. exploratores die 9. *Mensis quinti Ab*, vel juxta nostrum calculum vigesimo-octavo *Julii*. Qui dies nonus hodienum jejuniis inter Judæos solemnis, fatalis olim ipsis fuit, ob utriusque templi devastationem. Quando jam Moses post reditum sub initium cap. XIV. memorat impatientis multitudinis profusissimas lacrymas, Deumque iis irritatum in sequentibus narrat, Judæi hæc ita explicant, quasi Deus peculiari directione hoc ipso fletus temerarii & impii die denuo populo Judaico bina vice ob devastationem templi, quæ in hunc ipsum diem incidisse fertur, lacrymandi & ejulandi argumentum subministraverit. Numeratis igitur retro 40. diebus, novem nempe de M. Ab, triginta de Tammus, & uno de Sivan, ipsa missio exploratorum incidisset *in 29 diem M. Sivan*, 19*num vero nostri Junii.* Hanc ipsissimam Talmudicorum opinionem traditione nixam, & à Dn. Zarfossio memoria custoditam post longam inquisitionem tandem in ipso reperimus Talmude, Massech. Taanith. fol. 29. 1. quo B. Lectorem remittimus, hoc addentes, juxta Calendaria Judæorum in præcedentem Sabbati diem, qui est 26. Mensis tertii Sivan, referri à Judæis lectionem hujus ipsius Parschæ שלח לך *Mitte tibi Exploratores &c.* id quod probe videre est ex Calendario Cl. Auctoris, quod cum harmonia Christiani ante biennium excusum hic loci fuit.

§. 16. Resecuerint itaque Exploratores redeuntes, nec à castris procul remoti uvam nostram, vindemiantibus jam, vel saltem vindemiæ se accingentibus incolis Canaan, observante R. Abarbenele, cujus fol. 292. col. 4. s. f. hæc sunt verba: ונתן טעם לחזוקם באמרו והימים ימי בכורי ענבים רוצה לומר אל תפחדו להביא הפירות כי הימים ימי בכורי ענבים ודרך בני אדם להביא בזמן הזה פירות במאכלם: h. e. Verbis vers. 21 *Confortamini, & accipite de fructibus terræ, momentum addere fidemque facere vult Moses, quando dicit: & ecce dies hi, dies sunt primitiarum uvarum, ac si dixisset: ne expavescatis apportare fructus, quia hoc omnino tempore reliqui homines & incolæ in usum & esum suum jam uvarum fructus deportare solent.* Quæ sententia, dum favente cohærentia versus verba circumstantiæ temporis Mosi non ut Histori, sed ut Oratori tribuit, sic satis tolerabilis esse videtur, tolerabilior certe illa, quam ex mente majorum refert *R. Bechai*, scribens; *Deum eo tempore, quo Exploratores solum terræ Canaan terentes uvam cum ceteris fructibus decerpebant, incolis negocium suorum humatione fecisse*, שהיו מתעסקים בקבורתם, *ut eo tutius hi latere potuerint.*

§. 17. Dicendum jam de UVA ipsa. Cujus *Subjectum inhæsionis* primum Sacer Scriptor vocat זְמוֹרָה *ramus, palmes*, ut Latini Interpretes fere vertunt, à putando Ebræis ita dictus. *Lut.* eine Rebe/ similiter *Pentateuchus Ebr. Germ.* ורעבן in margine: Weinstock/ Zweig/ Hengel Trauben. *Italus Hutteri*: un palmite, *Hispan.* un sarmiento. *Gall. Maresii.* une branche d'un sep'. *Onkelos*: עוברתא sic & *Targum Jonathani* vulgo adscriptum in opere Anglicano. *Hierosolymitanus Paraphrasta* ibidem עוברא. LXX. κλῆμα, à κλάω frango. Joh. 15:2. 5. *Samarit.* Vers. [illegible] cui affinis est radix בזז diripuit, decerpsit, eo sensu quo טרף זית oleæ ramum Ebræi nuncupant. *Belgæ*: eine Ranke. *Danic.* Vinquist. Syrus: ܫܒܩܐ *ramus*, cognatum habens Chaldaicum illud שַׁבְקִין Ezech. 17:6. imo fere dixerim, ipsam Ebræorum vocem סְבַךְ levi & facili mutatione adi *Exc. Dn. Frischmuthii*, (cujus liberalem operam & prolixum affectum experti hic denuo laudandum duximus) *Disp. V. de ligat. Isaaci.* §. 6. alias Joh. 15:2. Syrus habet ܫܒܫܠܐ, vicinum Chaldæorum שְׁבָשִׁין, quam vocem supra pro שבקין *Elias in Tisbi*, sed frustra, substituendam sibi videri ait. Arabs حبلة *propago, ramus funiculi instar implicatus.* Æthiops ሐረግ *Lex. Lud.* p. 33.

§. 18. Cur non solum botrum, sed palmitem, sive sarmentum ex quo pendebat uva magna, absciderint, ab Auctoribus duæ fere rationes allegantur: *quia nempe hac ratione facilius è vecte appensa uva portabatur, quin & decore magis monstrabatur*: prout hodienum uvæ asservandæ cum ramusculo suo rescinduntur: quam in rem iterum *Lorinus*: *p.* 472. *Unus racemus per se, botrusve, non ita commode portaretur, plusque ornatus, gratiæ & recreationis præbent fructus cum foliis & ramusculis allati.*

§. 19. Sequitur ipsa *uvæ notatio.* אשכל ענבים, cum præfixo ו, quod *Vatablus* apud *Polum in Syn. Crit.* positum putat pro i. e. ἐξηγητικῶς, *palmitem, i. e. botrum uvarum*, s. *palmitem plenum uvis.* sed sine fundamento: *palmes & botrus* dicitur h. s. *palmes una cum botro*, datur enim palmes sine eo. Radicem habet vox hæc שכל *orbatus fuit*, in Pih. *orbavit*; *Lorinus*: *propter radicem* שכל *nomine illo volunt significari racemum, quod ex vite decerpitur; quia hæc tunc illo orbetur: confirmantque verbis illis apud Malach.* cap. 3. 11. לא תשכל הגפן בשדה *non abortiet vobis vitis in agro, non privabit vos fructu suo.* Sed præterquam quod Jesuita male ex forma Hiphil legat *taschel*, quis non videt, contorta hæc esse? quando namque vitis abortit, non privatur botro ab ea decerpto, quem abortiens nunquam habuit; & præterea juxta ipsum non tam vitis quam homines fructu botri privandi dicuntur. *Gregor. Greg. Franc. in Lex.* p. 113. simili modo: אשכל est *quasi præda ab arbore decerpta*: *hinc Græcis* σκυλάω & σκυλόω *spolio. Joh. Jac. Hofmannus PP. Gr. Ling. Basil. in Lex. Univers. Escol. botrus, s. orbatio s. ignis omnis.* (quasi אֵשׁ כֹּל) sed postrema etymologia plane nulla est, nec enim opus compositione, nec si ea esset, in tali vocum positione locum haberet; כל siquidem non post sed præponendum

nendum erat: allusionem potius dixeris, qualis illa, quando vir doctrina legis clarus אשכול dicitur in Talmude, Sota p. 47. 1. quasi איש שכל בו *vir omnigena eruditione refertus.*

§. 20. *Versiones Latinæ* pleræque habent, *botrus uvarum*; LXX. βότρυν σταφυλῆς, *Onkelos* אִתְכַּל עִנְבִין *Jonathan*, אִתְכַּל דְעִנְבִין *Hierosol.* סְגוּל דְעִנְבִין *Samaritanus Interpres*: [Samaritan] *Syrus*: [Syriac] *Arabs* [Arabic], alias Arabibus thema verbale est deductum à nomine אשכל [Arabic] *uva nigrescens maturescere cœpit*: quæ thematum verbalium deductio à nominibus Ebræorum ipsis luxurie vocabulorum gaudentibus familiaris est admodum, ut hinc motis nobis dubium suboriatur, annon iidem simili ratione sua themata [Arabic] &c. occasione vocabulorum אלהים ארץ שמים inde derivarint: nec enim satisfacit quorundam Phil-Arabum assertio, *formas illas verbales sub eadem significatione olim apud Ebræos quoque fuisse, hodie autem deperditas in Arabismo etiamnum superstites esse.* Quo de pluribus forsan in conflictu. Pari modo ሐመለ ככל Æthiopibus significat: *Uvas tulit*: hinc nomen Ebræo affine ኣሕመለ፡ uva: *Italus*: con una pigna d'uva. *Gall.* avec une grappe de raisins. *Hispan.* con un razimo de uvas. *Vers. Germ.* ante B. Luth. Norimbergæ 1483. excusa: **ein Zweig mit seinen Peeren.** *Dietenberg.* ut Lutherus. *Belgæ*: **een tros Wijndruyven.** *Danica*: **Vinklaße.**

§. 21. Additur autem vox ענבים *uvæ.* vel potius h. l. *grana uvæ, baccæ, acini*, ut per restringentem hanc vocem אשכל extra dubium botrum significet. Jungitur enim alias in alia significatione alii quoque voci, ut Cant. 1: 14. אשכל הכופר *botrus arboris Cypri, vel Dactyli, vel alterius balsamiferæ*; de quo vid. *Comment. Ebræos* juxta & Christianos, ad l. cit. *B. Ursin. Arboret. Bibl.* p. 367. Eschkol non tantum botrum vitis, sed & palmæ significat, ac forte alias baccas racematim congestas. Lapidensis: sunt & botri Cypri aliorumque fructuum. *Arab.* אשכל vocat in comment. אגודת ענבים *congeriem acinorum. Kimchius* quidem in *Libr. Rad.* ita: הגרגרים יקראו ענבים ואשר בו הגרגרים יקרא אשכל h. e. *Acini uvarum vocantur* ענבים, *& id cui insunt acini*, אשכל. scilicet scapus, qui acinis decerptis orbus quasi dici potest, ut Radix vult. Quæ verba pro more transscripsit *R. Salomo ben Melech* in *Michlal Josi* ad c. 40. Gen. vs. 10. ubi hæc distinctio locum habere videtur; sed aliis in locis sumitur pro ipsa illa massa s. congerie conglobatorum acinorum: hinc ob similitudinem ad fructus aliarum arborum baccatos vox transfertur. Unde & Rabbinice אשכל של ביצים botrus quasi ovorum dicitur, *ovarium gallinaceum* ex pluribus quasi orbiculis conglobatis in unum coalescens. Rabbinis etiam est ענבה של שעורים *grana hordei*; hinc *Buxt.* in *Lex. Major.* אשכל vertit, **Weinbeer.**

§. 22. Ne quis autem plures botros è ramo isto pendulos abscissos fuisse putet, Moses expresse addit: botrum acinorum אחד *unum.* Belgæ in sua Versione plures velle videntur: ita & Vatablus in Synopsi Crit. botrum uvarum exponit palmitem plenum uvis. At *verosimilius est*, ait Lorinus, *ac magis consentaneum sequenti membro, nec non commendationi fertilitatis terræ, ut unicus grandior botrus racemusve fuerit, ut uvæ* (ענבים) *pl. num. significent plura grana s. acinos in uno botro.* Hoc sensu Chaldæis est verbum ענב, *conjunxit, connexuit.* ita & *Philo l. c. ex pluribus prægrandibus uvis unam exsectam suspensamque è vecte fuisse ait.*

§. 23. Græci Interpretes LXX. addiderunt ἐπ' αὐτῷ. ita enim legunt Biblia Anglicana Polyglotta: βότρυν σταφυλῆς ἕνα ἐπ' αὐτῷ sed aliæ Editiones vocem ἕνα non agnoscunt, ut videri cuipiam possit, illos hac ratione ת' אחד Ebr. explicare voluisse, respicientes non tam ad unitatem botri, in oppositione multitudinis, quam unitatem botri & rami non seorsim sed conjunctim sibi coëxistentium, ut ita ἐπ' αὐτῷ esset pro ἐν αὐτῷ, vel ἐπὶ valebit idem quod *super, præterea*, ut vertunt Angli; *botrum unum super ipsum*, s. *præter palmitem.*

§. 24. Tale assumentum Versionis LXX viralis exhibent etiam, notante Lorino, Biblia Sixtina, h. m. legentia: καὶ ἤλθοσαν ἕως φάραγγος βότρυος, καὶ κατεσκέψαντο αὐτήν. *& venerunt usque ad vallem botri, & circumspecte consideraverunt eam.*

§. 25. Vidimus itaque Uvam ipsam ad ductum textus historici & circumstantias quasdam: Uvam inquam, vitis fructum, ut mirari subeat, fuisse, qui alium substituerent fructum. Refert namque *Dn. D. Osiander Comment.* h. l. p. 131. *Esse, qui arbitrentur, racemum istum ex ficu Indica depromtum, quæ in Arabia aliisque locis confinibus abunde crescat: alios, qui è palma desumtum velint ramum dactylis suis onustum; qualem præ pondere à terra vix attollere sustinuerit Joh. Veslingius*, prout ipse referat in notis ad Alpin. p. 18. De mole & quantitate uvæ disseremus, Deo dante, cap. sequenti.

CAPUT II.

§. 1. AB Uva *in Vite* accedimus B. L. ad Uvam *in Vecte*; diximus, quid exploratores resecuerint, dicamus, qui humeris suis molem imposuerint. Lustremus itaque voces posterioris membri ditionis Athnachi, quæ in fontibus ita nobis exhibentur: וַיִּשָּׂאֻהוּ בַמּוֹט בִּשְׁנָיִם *B. Lutherus* hæc vertit; **und liessen sie zweene auf einem Stecken tragen.** *Dietenberg.* **auf einer Stangen.** *Vers. Norimberg. Germ.* **den trugen zween Mann an einer Stange.** Vulg. *quam* (uvam) *portaverunt in vecte duo viri.* LXX. καὶ ἦρον (al. ἦραν, vitiose Complutens. & Regii Codd. ἤρων) αὐτὸν ἐπ' ἀναφορεῦσιν. *Onkelos* וּנְטַלוּהִי (emendatius, magisque ἀναλόγως וּנְטַלוּהִי) וְסוֹבְרוּהִי בְּאַסְלָא בִּכְתַף תְּרֵין מִנְּהוֹן *Jonathan*: בַּאֲרִיחָא בִּתְרֵין & *portaverunt eum palanga in humeris, duo ex ipsis. Hierosolymit.* וְטַעֲנוּ יָתֵיהּ בְּקוּפָא בֵּינֵי תְּרֵין גּוּבְרִין & *tulerunt eum pertica inter duos viros. Syrus* pro במוט [Syriac] pro בשנים [Syriac] Samarit. [Samaritan] *Arab.* [Arabic] quam vocem Golius non habet, cognatam tamen [Arabic] Exod. 25: 14. [Arabic] *inter duos Æthiop.* [Ethiopic] Lex. Lud. p. 355. *Belg.* **met tween an eenen Draeghstocke.** *Dan.* **ved to paa en stang.** *Ital.* con una stanga. *Gall.* & estoient deux à la porter avec un levier. *Hisp.* dos in una barra (palanca de madera.) *Vers. Ebr. Germ.* אן איינר שטאנגן מיט צווייען **an einer Stangen mit zweien.**

§. 2. Vectis seu palanga Ebr. מוט dicitur, à מוט *moveri, quia hoc instrumento aliquid de loco in locum promovetur.* Philoni audit δοκὶς à δέχεσθαι. *in homilia Chrysost.* 23. *ad Eph. Serarius* mendum deprehendit, quando legitur ἐν ἀμφορεῦσι, in amphoris, *notante* Lorino, pro ἐν ἀναφορεῦσι. *Vatablus* audacter satis *vectem* intelligit *instrumentum, factum ex duobus vectibus, paxillis transversim impactis, cujusmodi sit, quod Gallice dicatur une civiere*: ad eum fere modum, quo decussatim bini vectes conspiciuntur in fig. II. quamvis impertinenter *in Lex. Gall. Basileensi* vertatur **eine Tragbahr** / *feretrum.*

§. 3. Verum Vatablus præter rem videtur nimis curiosus. Quid enim opus, à communiori Interpretum sententia discedere, ubi nulla nos cogit evidens necessitas? Sane *bis* tantum vocabulum nostrum legitur in S. Codice, h. l. & altera vice *Num.* 4: 10. ubi pro palanga non combinata vel gemina sumitur, quale quid erant בַּדִּים vs. 6. & 8. quibus æque ac vecte nostro per מוט designato portabatur imposita cum reliqua sacrarii suppellectile arca fœderis. Unde R. S. *Ben. Melech.* in suo *Michl. Jos.* h. l. nostrum מוט exponit per בר עץ *phalangam ligneam*, qualem pictores communi suffragio bajulis nostris appingunt.

§. 4. Sed quid Vatablum moramur? en Talmudistas liberaliores! hi quatuor vectes nobis effigiant? an fingunt? Quorum tamen super hoc negocio placita nemo, quod mireris, ex commentatoribus præter Raschium in vasta licet volumina referre dignatus est, ignorata an indigna habita, vix certo dixeris. Quæ tamen, quia omnino ad justam argumenti nostri tractationem spectare videntur, nec ea luculentissimo suo operi SOTA inferre dedignatus fuit *Illustris Vir Dn. D. Wagenseilius* יצ"ו p. 702. seqq. ita in gratiam benevoli Lectoris, cui forsan non ita facile laudatissimum illud opus inspicere datur, huc ea ex ipsorum Talmudistarum mente bona fide conferemus: quam in rem illustrandam curioso quoque Lectori non sine sumtus molestia figuram geminam in frontispicio sistimus.

§. 5. Scilicet in *Massech. Sota fol.* 34. 1. Talmudis compilator hæc habet: ממשמע שני במוט איני יודע שהוא בשנים מה ת"ל בשנים בשני מוטות א"ר יצחק טורטני וטורטני דטורטני הא כיצד שמנה נשאו אשכל אחד נשא רימון ואחד נשא תאנה כלוס נשאו לא וכלב יהושע תאני׳ i. e. *ad primum vocis* במוט *vecte auditum, annon facile intelligo, bajulos fuisse duos? quorum scil. humeris extrema vectis hinc & illinc imposita fuerint) quid igitur sibi vult tandem vox* בשנים *duobus? scilicet, binis vectibus: quod ipsum R. Isaacus sic eloquitur: Onus fuit uva, onerisque onus: qui sic? octo puta portarunt botrum, unus malogranatum,*

alter ficum; Josua vero & Caleb prorsus nil apportarunt. Obiter de voce טורטני ex *Tosephos* notamus, esse eam origine Græcam, τρυτάνη, *calamum scil. artificialem in statera, ex quo bilances dependent*, קנה של מאזנים. *Sed R. Salomoni est* משאני.

§. 6. Vides itaque, Benevole Lector, juxta horum hominum placita vocem שנים non ad bajulos, sed ad vectes referendam; quod etiam in animo habuisse videntur οἱ LXX. Talmudistis sæpe σύμψηφοι, qui plurium ἀναφορέων s. *vectium*, bajulorum autem duorum nullam fecere mentionem: binarium enim bajulorum numerum sufficienter ex *vectis* voce bajulis duobus communiter imponi soliti, erui posse putant; quamvis *Glossator* h. l. *R. Salomo* variam observans lectionem Codd. ex ipso verbo וישאוהו *& portavere eam* (*duo scil. minimum*) isthoc elicere conetur. Sed frivola hæc esse, nemo non facile videt, & nonnisi ingenii exercendi vel ostentandi caussa excogitata. Nam utut primo auditu oneris de vecte penduli portati, intellectus fere in duos feratur bajulos, non tamen id ita simpliciter verum est. Dicente enim *Serario* apud *Lorin. potuisset unus quispiam vel uni suo humero baculum imponere, ac pendentem ex eo botrum à tergo ferre, vel utrique humero duos, (baculo) qui à tergo committerentur, ex iisque nexus botrus deferretur.* Potuissent & plures duobus uno vecte sublevandorum duorum bajulorum caussa onus deportasse. Sed largiamur utrumque Judæis tantisper, nec unum scil. nec duobus plures necessario hic intelligendos, quid inde? quid frequentius, quam Spiritum S. in S. Codice utriusque Fœderis vel ἐπεξηγήσεως, vel ornatus, & plenioris elocutionis, vel alius rei caussa apponere verbo nomen, quod sensus evidentia & significationis vi facile subaudias, si vel maxime non esset expressa litera adjectum. Sic *videre oculis, audire auribus, loqui lingua, concipere in utero, &c.* & sexcenta alia, apud profanos quoque omnium linguarum Scriptores occurrunt. Dein quam dura quæso est dictio: *in vecte, in duobus inquam?* quid ni dixisset tali positu? בשני מוטות, inque tali accentuum nexu. ׃ Hinc ipsum *Abarbenelem* reliquosve commentatores præter Talmudizantem *Raschium*, hujus commenti puduit, quando illud vel plane tacent, vel nostratium Interpretum sensum, quem propria *Pentateuchi Judaicæ Versio Ebræo-Germanica* exhibet, amplexantur. ita enim apposite *Abarbanel* ad verba textus commentatur: ר״ל במוט אחד שהיו נושאים אתו שני אנשים ודרך חכמינו ז״ל אחר: *Verba textus hoc volunt dicere; vecte uno, & duobus bajulis, portatam fuisse uvam: quamvis alia ratio interpretandi Sapientibus nostris arriserit.* Ipse *R. Salomo in Glossa* hæc habet: ור׳ יצחק לאו מקרא שמיע ליה אלא דפשיטא ליה דרימון ותאינה סגי בשנים: i. e. *R. Isaac sensum literalem non attendit, videturque ipsi hoc planum, suffecisse malo granato & ficui deportandis duos.* Atque adeo computum tale: si Josua & Caleb nullam navarunt operam, malo granato vero & ficui duo suffecere, necessum utique, remanentes de duodecim octo fuisse bajulos uvæ. Atqui si vel maxime demus, octo destinatos uvæ oneri ferundo fuisse, anne ideo sequela bene habet: ergo simultanea opera credito sibi munere functi sunt? ergo quatuor vectes singulis binis tribuendi? fuerint octo, & tamen alterna opera duobus demandata bajuli sibi subinde substitui potuerunt.

§. 7. Ais: quomodo qui supra ᵒ שנים ad *duos* adeo *vectes* referendum duxit R. Isaacus, jam duplicato numero *quatuor* octo gestatoribus adaptandos recenset? heic sciendum, ex proprio fabularum fœcundo ingenio sæpius memoratum Rabbinum quædam confinxisse, *onus nempe & oneris onus*, ut supra audivimus, vel *primarium & secundarium*: hoc est, exponente *Glossa*, (cujus verba recenset & interpretatur *Dn. D. Wagenseilius*) *duobus vectibus quatuor virorum subductos fuisse sublevandi & participandi oneris ergo duos alios vectes transversarios, quatuor aliis bajulis destinatos, qui superiores succollarent*; quod ipsum, præeunte laudatissimo Viro, in tabula ænea per figuram n. 1. repræsentari curavimus. Verum cum hæc vectium dispositio bajulis processuris non adeo commoda nec decora esset, effinxit *Magnus ille Vir* salvis Talmudistarum placitis decussatum illud schema longe commodius, quod exhibet fig. 2. vectibus in formam crucis Andreanæ dispositis.

§. 8. Sed præter duplex hoc schema vectium dispositorum licet quoque tertium addere, quod equidem nemini adhuc commemoratum novimus, præeunte Autore *Tosephos R. Chananaële*, ad l. c. cujus verba in gratiam B. L. seq. prolixa licet, adducere lubet: כיצד כשאוהו הביאו שני עמודים וסירגום בחבלים ונתנוהו האשכל על גבי חבלים ויתנו מוטות בחבלים בקצה העמודים המסורגין והאשכל כמין מוט אחד־מן הקצה תוך מזה הראש וכיוצא בו בראש מקצה באחד כמגלו שתי מוטות בראש העמודי׳ המסורגים בחבלים והאשכל נתון בחבלים ועל כל מוט מאלו המוטות שתי מוטות פחותין מהן מוט בראש זה ומוט בראש זה כמגלו ד׳ מוטות בראשי שני מוטות הכתובים בראשי העמודים וכל מוט ומוט מאלו ארבע מוטות היו טוענים אותן שני אנשים נמצאו שמנה סובלין את האשכל׳

Ex quibus verbis prolixiusculis juxta & obscuriusculis hæc solum brevitatis studio Lectori excerpimus, accuratiorem singularum vocum versionem aliis doctioribus transscribentes: adhibitos nempe duos stipites crassos (עמורים) & inter eos funibus hinc inde reductis & implexis, cratem retis instar formatum, atque ita botrum funiculis superne impositum fuisse, inductos dein funibus in extremitate stipitum duos vectes, & horum singulo duos alios, minores tamen, additos, & prioribus, (ut conjicimus) subductos, quorum quatuor singulo duo assignati bajuli, universis sic octo existentibus. Dissentit itaque *R. Chananaël* à *Raschio* in eo, quod hic in pronunciato illo *R. Isaaci* duplex onus intelligat, nempe *onus, & oneris onus*, ille autem מוטות ומוטות על מוטות sive *vectes & vectes super vectes*, sc. sex. Subjicitur ibidem cujusdam *Rabbi Ismaelis* opinio, dictantis, octo quidem botro deputatos bajulos, sed quatuor reliquis fructibus, duos nempe malo granato & totidem ficui: ut & *R. Akibæ* sententia; duodenarium hunc bajulorum numerum computatis armigeris seu Virorum principum famulis geminandum esse, ut ita botro in universum sedecim, malo granato vero quatuor & totidem ficui superessent bajuli, numero bajulorum adeo ad viginti quatuor exsurgente.

§. 9. Sed mirari desines scio, optime lector, *octo bajulos simul sibi invicem junctos*, si ab his nugivendulis verpis *uvæ molem vastam, maximumve intellexeris pondus.* Veniam præfamur patientia Tua forsan abusuri. *Deliram Rabbinorum* Bacchove heic plenam *nationem serena excipe* fronte, nostramque recensionem in jucundo hoc argumento, seria eaque animorum gravitate haud adeo digna suppeditante, facili admissione *accipe.*

§. 10. Sic autem illi ll. cc. אמר רב יהודה אבא חלפתא ואליעזר בן מתיא וחנינא בן חבינאי עמדו על אותן אבנים ושיערו כל אחת ואחת שקולה כארבעים סאה׳ גמירי דטעונה דמדלי איניש לכתפיה תילתא דטעוני׳ הוי ומכאן מחשב אתה לאשכול: h. e. *Dixit Raf Jehuda, Abbam Chalaphtam F. M. & Chaninam F. Ch. stetisse super illis lapidibus*, (XII. scil. quorum singulum singuli ex duodecim Viris selectis è Jordane humeris impositum sustulerant, *Jos.* 4. vers. 4, 5, 8.) *iisque æstimatis sigillatim, deprehendisse, unumquemque non minorem esse cupa XL. circiter Satorum. Edocti autem sumus, omne onus, quod quis ipse in humeros sustollere potest solus, trientem esse oneris illius, quod quis socia aliorum opera sublevare & gestare valet.* postrema hæc supplet *R. Salomo in Glossa, & Commentario*, cujus reliqua verba prolixitatis fugiendæ tædiive devitandi caussa studio præterimus. Erit igitur ex horum mente onus robusti hominis CXX. *Satorum*, siquidem bajulorum sociorum adminiculo oneri subjiciatur. Dissentit hic à Talmudistis, longissimeque recedit *Cl. Hottingerus, præfat. libelli de cippis*, ubi ne *Satum* quidem *unicum*, h. e. *sex cabos, sed solos quatuor, esse onus, cui ferendo homo par sit, pronunciat*, citante *Wagens. pag.* 705. *s. f.* quo de pronunciato *laudatus Doctor* judicat; *Hottingerum per incogitantiam in defectu summopere deliquisse, cum ferendis quatuor cabis etiam pueruli pares sint.*

§. 11. Hic porro *consulendus* est nobis *Consultissimus Wagenseilius noster*, qui in antecessum ex *Baal Schalsch. Hakkabb.* recenset, *Cabum* continere 4800. *grana hordeacea*, sive ponderis nostri *uncias octo*, atque adeo *Satum*, quod est VI. *Caborum, uncias quadraginta octo.* Jam si quisque bajulorum tantum *trientem* ejus oneris, quod gestare valebat, gestavit, nempe 40. *Sata*, quæ 1920. *uncias* conficiunt, multiplicato unciarum per octonarium bajulorum numero, provenient 15360. *unciæ*, seu libræ 960. At cuique bajulorum justum plenumque onus tribuendo (quod quidem Talmudistas in animo habuisse vix dubium nobis videtur, cum alias nulla adducendi de *triente oneris* verba appareat ratio) jam *æquabit uva libras* 2880. Cui oneri & ponderi vix duodecim exploratores pares fuisse, facile quis nobis largiatur.

§. 12. Quod si fidem habere velimus asserto lapidum Jordanicorum singulorum ponderi, quod ad 40. *Sata*, seu 1920. *uncias*, atque adeo 120. *libras exsurgit* (tale vero pondus humeros robustos ferre posse quis neget?) nec illud *de triente* pronunciatum admiseris, sed singulos bajulos tantundem portasse socios, quantum soli potuissent, communique fere interpretum suffragio duos tantum gestatores credideris, ecce emer-

emerget *justum uvæ pondus* 240, *librarum*. Atque sic ejusdem fere farinæ erit Talmudistarum ad nostram de bajulorum binario sententiam applicata narratio, cujus illa *Metrophanis* apud *Stephanum*, contendentis, ad urbem *Eucarpiam tanti ponderis uvas nasci, ut singulæ justa sint singulis curribus pondera, ita ut unius vectura quandoque confractus moli succubuerit currus.* Nobis interim tacente scriptura audacule aliquid definire nefas esto, nec enim tantum ponderis uvam portatam exæquasse, quantum bajuli portare potuissent, recte collegeris, cum *à posse ad esse* N. V. C.

§. 13. *Quinam autem illi duo bajuli fuerint*, de eo non consentiunt interpretes. *Serarius* apud *Lorinum* duos gestatores semper eosdem fuisse, asserit, qui adsueti oneri ferendo facilius id peragerent, certoque gradiendi modo uterentur, ne nimio concusso in calidioribus illis locis uvæ grana deciderent: illos etiam duos fuisse *Jesum* & *Caleb*, conjunctissimos inter se, moribusque simillimos, & qui ut virtute præcellebant, majus quoque onus sibi deposcebant, quod ob suam præstantiam aptius esset ad commendandam populo terram promissam, quam ceteri non obscure jam tum significabant se frigidius apud illum laudaturos, imo & ab ejus ingressu dissuasuros. Hanc de *Josua* & *Caleb* bajulis sententiam laudant quoque *S. Ambros. Serm. de Cypriano*, *Augustinus Serm.* 100. *de Temp. Hieronymus ad Fabiolam, mansion. XV. Prosper. part. II. prædic. c.* 9. *Rupertus Tuitiensis h. l.* & *S. Bernardus serm.* 44. *in Cant.*

§. 14. Hisce se opponunt Talmudistæ, quorum verba superius §. 5. audivimus, יהושע וכלב לא נשאו כלום *Josua & Caleb non portarunt quicquam.* Rationem adserti hujus geminam afferunt: *prima*, *autoritas est*, qua hi duo præ cæteris pollebant, vel si hæc non satis faciat, dicunt *secundo*, *exploratores reliquos inito consilio non alia mente decerpsisse uvam, quam ut diffidentiam circa adeundam terram in populi animis generarent, ostensa scil. prægrandi uva, ut ex magnitudine hujus insignem quoque incolarum proceritatem & invictum corporum robur colligerent*; cui consilio cum *Josua* & *Caleb* absque dubio haud consenserint vel interfuerint, atque adeo invitis ipsis fructus decerpti sint, verosimile esse, eos quoque de his nihil gestare voluisse. Conf. *R. Salomonem h. l.*

§. 15. Sed utraque infirmior videtur, quam ut probet, cui probando adducitur. *Auctoritatis* plus concessum fuisse *Josuæ & Calebo* præ cæteris, è textu vix probaveris, nulla ibi dignitatis mentio, nulla primo loco ipsorum recensio, quæ juxta ordinem tribuum ibi instituitur, præmisso quoque *Calebo* & *postposito* Josua: jubentur adducere de fructibus promiscue, sine discretione quoque narrantur decerpsisse, attulisse. *Secundum* quod attinet, decerpserint sane aliqui fructus terræ malo animo, in decerptionem tamen reliqui unanimi suffragio potuere consentire, sine participatione consilii pessimi illius, imo debuere, si modo mandato Mosis obtemperare voluerint *vers.* 21. *confortamini*, & *afferte de fructibus terræ.* dein, quid obstat, *Josuam* & *Caleb* simul bajulos fuisse prægrandis uvæ, cujus molem non ad terrendos sed alliciendos animos ad adeundam terram fertilissimam populo præmonstrarent.

§. 16. Quamvis autem *Josuam* & *Calebum* è bajulorum numero minime exclusum eamus cum Talmudicis, dubitamus tamen, an ex SS. PP. mente iidem semper & soli fuerint *Josua & Caleb.* Supra quidem §. 12. *Serarium* Patribus ὁμόψηφον adduximus, qui tamen ex suo ingenio solum ita disserit, nisi quod opinionem illius commendat Lorinus, tanquam quæ *tradat quod res ipsa sit, editioque Ebræa ac Chaldæa perspicue præ se ferat.* Sed rem ipsam ita, ut *Serarius* vult, habere, *μέγα λίαν αἴτημα & petitio principii est*, adque gratis dicitur: apud *Mosen* & *Onkelosum* nullum ipsi subsidium, ut oppositum potius inde inferatur, eo quod *indefinite*, & *sine restrictione* ad certum bajulorum par dicitur בתרין בִּשְׁנָיִם, imo fere dixerim, si *specificate* Moses *Josuam* & *Calebum* intellectos voluisset, rectius scribendum fuisse בִּשְׁנַיִם cum indice *He specificativi.*

§. 17. Nec probatur nobis *Salianus ad ann. Mos.* 82. *n.* 209. qui *per famulos* id factum putat. Conjectura est de famulis, quos plures adducere periculosum erat Viris principibus, quia nimia multitudine facile Cananæis hostibus suspecti esse, faciliusve prodi potuissent: nec abeuntium plures commemorat historia Mosis. Nec *Lorinus* nobis satisfaciat, mollius de ipsius sententia ita judicans; *Etiamsi in illo itinere famuli eis non deessent, dici tamen adhuc posset, tum famulis vectationem commissam per aliquod tempus, tum ipsosmet, Josua & Caleb, cum in populi venerunt conspectum, illi oneri humeros proprios supponere voluisse.*

§. 18. Neque tamen diffiteri volumus, *Venerando PP. choro* suffragatos fuisse ex ipsis Judæorum Magistris quosdam, in alia omnia licet Talmudici abierint. Sic enim quorundam ex suis mentem exponit nobis *R. Bechai* fol. 165. b. col. 1. ראיתי במדרש וישאוהו במוט בשנים אלו יהושע וכלב ובמחובר נקרא זמורה וכשנתלש קראו מוט ולא היה בהם בכל העשרה כוח לשאת אותו מוט ויהושע וכלב נשאוהו לבדם וזה היה רמז להם שהם ראוים ליכנס לארץ h. e. *Vidi quandam Expositionem Allegoricam, ubi bajuli Mosis in verbis recensiti dicuntur fuisse Josua & Caleb: botrus autem dum adhuc viti inhærebat, vocatus est* זמורה, *ast inde avulsus accepit nomen* מוט, (*forsan, quod præ pondere nimio bajulantes nutare faceret*) *nec in reliquis decem viris tantum virium erat, ut sublevatum illud onus deportare sustinerent, quod proinde solus Josua & Caleb deinde gestarunt; quo ipso innuebatur, hos solos dignos habitos, qui terram intrarent promissionis.* Quæ de botri *nomine*, & superante *pondere* hic garrit Expositor ille seu דרשן, digna non habemus, quæ prolixius excutiamus; sunt enim frivola: sufficerit adduxisse ex ipsis Judæis quosdam SS. Patribus ὁμοψήφους, quia apud neminem ex Commentatoribus tale suffragium deprehendere licuit.

§. 19. Nobis in decidenda hac quæstione, rem non adeo dilucide exponente Mose, sed illimitate duos bajulos recensente, omnium maxime verosimiliter scripsisse & sensisse videtur *Philo*, *gestatores scil. subinde commutatos fuisse.* Plura & certiora præter Scripturæ auctoritatem asserere conanti fidem si non habeamus, nemo nobis sinistre interpretetur.

§. 20. Ex dictis facile colligere est *insignis uvam molis fuisse*, ἐξαίρετον *quippe*, & *testem fertilitatis terræ Canaan.* Ne vero tractatio nostra sterilis nimium videatur, & histori Mosi contra modernorum empæctarum molimina facilius credatur, agedum in historiæ profanæ quoque campos paullisper exspatiemur, & uvas aliarum quoque terrarum haud ita usitatæ magnitudinis contemplemur. Antequam autem *extra terram sanctam* pedem ponamus, lubet de uvis nostræ in textu regionis aliqua præmittere. Refert *B. Forsterus in Lex. ad vocem* אשכל *apud Greg. Greg. Franc. p.* 112. *ante annos tredecim*, A. C. 1553. (*à conscripto scil. Lexico*) *fuisse Concionatorem Norimbergæ ad S. Ægidii, nomine Achatium, qui Monachum egerit in terra sancta integrum octennium: eum, cum ægrotus non haberet unde sitim restinguere posset*, (*laborabat enim tympaniti*) *exoptasse sibi singulis diebus unum tantum acinum de botro vini, eo abunde sitim restincturum. Cumque ego* (pergit Forsterus) *decumbenti assidens rogarem ex eo, quantusnam esset botrus? respondebat, tantæ esse magnitudinis, ut vix à duobus viris portari possit, & in una arbore* (quales cum Plinio maritatas vocamus) *unum botrum, eumque circa Hebronem tantum nasci, dicique lingua barbarorum musi.* Vitem talem, ut obiter hoc addamus, arbori implexam cum uva pendula ὁ πάνυ *Wagenseilius* in figura ænea exhibet *Sot.* pag. 965. de quo *conf. Plin. lib.* 14. in *capitibus prioribus.*

§. 21. Pede in alias *Asiæ Africæ & Europæ* (nam *novus orbis* licet uvarum αὐτοφύτων non plane expers, vinearum cultura tamen non æque celebris est) regiones inde elato, duce *Strabone* lib. 2. Geogr. pag. 44. in *Margianam Persiæ provinciam* deserimur, quo de *B. Dietericus*, *Magnum & totius Christi Ecclesiæ, & Ulmensis patriæ lumen*, in primo dignitatis suæ successore nupero VEIELIO nostro, denuo *resplendescens*, *in homil. ad lib. Sap.* part. 2. p. m. 603. ita: Strabo **schreibet / daß in** Margiana **Trauben wachsen / die zwey Schuch lang seyn.** quæ ipsa de bipedalibus illis uvis *Lorino* quoque ex Strabone laudantur. De *Mauritaniæ & Carmaniæ* bicubitalibus botris idem *Majolo* allegatur, *Colloq. XXI.* p. m. 362.

§. 22. *Simon Majolus in Dieb. Canic. Colloq. XIV.* p. 263. A. in Madera Insula ex Fortunatis seu Canariis una uvæ propendent longiores quatuor palmis: acini earum succo referti, absque ullo nucleo sunt. *Testatur idem Dn. Erasm. Francisci* pag. 867. his verbis: **an den Stöcken der Insul** Madera **oder** Medera **sitzen nicht so viel Blätter als Trauben / unter welchen manche zu finden / die über vier flache Hände lang.**

§. 23. *B. noster Dietericus* pergens scribit: *Iconias*, (*Majolo* l. c. & *Lorino* est *Leonius*) **schreibet / daß in der Stadt** Africæ **Tagodast es Trauben gebe / derer ein Körnlein oder Aeuglein so groß sey / wie ein Hünerey.** Acini inde sortiti sunt nomen, tradit porro *Majolus*, & cum eo *Lorinus*, quo nuncupantur ova gallinacea, non quod vere æquentur illis, sed quia præ reliquis omnibus uvis ovorum gallinaceorum magni-tudini

tudini propius accedant. *Princeps Polonicus & Eques Hierosolym. Dn. Nicolaus Christoph. Radzevilius in suo Hodæporico epist.* 3. memorat, Alexandriæ sibi degenti oblatas esse *uvas Rhodias*, quæ ad *tres ulnæ partes* porrigerentur, *acinis instar* nostratium *prunorum* existentibus. Tantæ equidem longitudinis, quæ tres ulnæ quadrantes exæquat uvas etiam circa *Jenam* nostram nonnunquam pronasci, quod genus die Elblinge vocant, comperimus. *Plinius* tandem *lib.* 14. *cap.* 1. de uvis tradit,

quæ mole sua magnitudinem infantium puerorum exuperent.

SOLI DEO GLORIA!

M. JOH. HELV. WILLEMERI
DISSERTATIO
De Stella ex Jacobo oriunda in Num. XXIV: 17.

עמי עשו:

§. 1.



Summa semper fide & magna cum laude in legendis Divinioribus Scripturis, tractandisque doctrinæ cœlestis capitibus versatus est *Augustissimus Hipponensium Præsul*, dignumque summo Viro tulit judicium *Tract. IX. in Joh.* inquiens: *Non sapit Vetus Scriptura, nisi CHRISTUS in ea intelligatur: Lege omnes libros Propheticos, non intellecto CHRISTO, quid tam insipidum & fatuum invenies? intellige ibi CHRISTUM, non solum sapit, quod legis, sed etiam inebriat.* Quo nomine Judæi meritam incurrunt reprehensionem *Theodoreti*: quod malitiæ adsueti, & suæ infidelitatis excusationem contexentes aliis quibusvis rebus Psalmos adscribant potius, quam CHRISTO. Hæc ipsa cum Psal. 40: 8. Jes. 53: 11. Luc. 24: 27. Joh. 5: 39. 20: 31. Act. 10: 43. 26: 22. aliisque Divinioris Scripturæ sententiis collata, facile in eam nos impulerunt mentem, ut omni nisu, conatu ac labore CHRISTUM, CHRISTUM in profundissimo Theologiæ oceano, Mose, quærendum atque investigandum nobis sumeremus. Ubi inter locos Mosis præcipuos, multorum cura hactenus ventilatos, memoriæ occurrebat illustris Bileami, de Christo vaticinantis sententia, qua Christum nomine ac figura Stellæ ex Jacob oriundæ accurate est complexus, verbis sequentibus:

In textu authentico:

דָּרַךְ כּוֹכָב מִיַּעֲקֹב וְקָם שֵׁבֶט מִיִּשְׂרָאֵל וּמָחַץ פַּאֲתֵי מוֹאָב וְקַרְקַר כָּל־בְּנֵי־שֵׁת׃

Onkelos:

חזיתיה ולא כען סכיתיה ולא איתוהי קריב כד יקום מלכא מיעקב
ויתרבא משיחא מישראל ויקטול רברבי מואב וישלוט בכל בני אנשא׃ ויהי
אדום ירתא ויהי ירתא שעיר לבעלי דבבוהי וישראל יצלח בנכסין׃ וייחות
חד מדבית יעקב ויובד משיזיב מקרית עממיא׃

Video eum, & non modo; intueor eum, sed non est prope: cum consurget Rex de domo Jacob, & ungetur Christus de domo Israel, & occidet Principes Moab, & dominabitur in omnes filios hominum. Et erit Idumæa hæreditas, & erit Seir hæreditas inimicis suis. Israël autem prosperabitur in substantia. Et descendet unus de domo Jacob, & perdet eum qui evaserit de civitate populorum.

Targum Hierosol.

חמי אנא ליה ולית הוא כדון ומסתכל אנא ביה ולית הוא קריבא עתיד
למקם מלך מדבית יעקב ופריק ושליט מדבית ישראל ויקטול תקיפי מואבאי
ויריקן וישיצי כל בני מדנחא׃ ויהי אדום ירתי טורא דגבלא לבעלי
דבביהון וישראל יתגברון בחיל תקיף׃ עתיד מלך למיקם מדבית יעקב
וישיצי ית כל מה דמשתייר מן כרכא׃

Video illum, & non est nunc, animadverto illum, nec est propinquus: futurum est ut surgat Rex ex domo Jacobi, Redemtor atque Dominator ex familia Israëlis. Is interficiet Potentiores Moabitarum, spoliabit & exscindet omnes orientalis plagæ homines. Edom erit hæreditas, mons termini inimicorum suorum. Israël autem fortem se præbebit potenti robore. Futurum ut Rex surgat de domo Jacobi & perdat omnem ex urbe reliquum.

Samaritanus:

[illegible]

Videbo illum, sed non modo: cantabo illum, sed non est prope. Orietur stella ex Jacob, & surget virga ex Israële, & transfiget stultos Moab, & altitudinem omnium filiorum Seth. Erit etiam Edom possessa, eritque possessa Esau ab inimicis suis; Israël autem faciet fortiter: Et descendet de Jacob, qui perdet residuum de civitate.

Syrus:

*ܚܙܝܬܗ. ܘܠܐ ܗܫܐ. ܘܚܪܝܬܗ
ܘܠܐ ܗܘܐ ܡܢ ܩܪܝܒ. ܢܕܢܚ ܟܘܟܒܐ ܡܢ
ܝܥܩܘܒ: ܘܢܩܘܡ ܪܝܫܐ ܡܢ ܐܝܣܪܝܠ.
ܘܢܘܒܕ ܠܓܢܒܪܐ ܕܡܘܐܒ: ܘܢܫܥܒܕ
ܠܟܠܗܘܢ ܒܢܝ ܫܝܬ. *ܘܬܗܘܐ ܐܕܘܡ
ܝܪܬܘܬܗ: ܘܣܥܝܪ ܝܪܬܘܬܐ ܕܒܥܠܕܒܒܘܗܝ.
ܬܗܘܐ ܕܝܠܗ. ܘܐܝܣܪܝܠ ܢܥܒܕ ܚܝܠܐ.
*ܘܢܚܘܬ ܡܢ ܝܥܩܘܒ. ܘܢܘܒܕ ܠܐܝܢܐ
ܕܡܫܬܘܙܒ ܡܢ ܩܪܝܬܐ:

Vidi eum, sed non jamdiu; & inspexi eum, sed non est proximus. Orietur stella ex Jacob, & surget Princeps ex Israël, & perdet gigantes Moab, & subjugabit omnes filios Seth. Eritque Adum hæreditas ejus, & Seir possessio inimicorum ejus, ipsius erit: & Israël vires acquiret. Descendet autem ex Jacob, & perdet eum, qui evadet ex urbe.

Arabs:

Arabs:

Video rem, & non est existens modo; & aspicio illam, & non est propinqua: nam emittetur stella de stirpe Jacob, surgetque virga ex progenie Israel, & debilitabit regiones Moab, & concutiet omnes filios Seth. Et erit Adum consumtus, & eodem modo Seir, omnesque inimici ejus: Israil vero crescet in robore. Et qui dominabitur de stirpe Jacob, perdet profugum è civitatibus.

LXX. Interpretes:

Δείξω αὐτῷ, καὶ οὐχὶ νῦν. μακαρίζω, καὶ οὐκ ἐγγίζει. Ἀνατελεῖ ἄστρον ἐξ Ἰακὼβ, (καὶ) ἀναστήσεται ἄνθρωπος ἐξ Ἰσραὴλ· καὶ θραύσει τοὺς ἀρχηγοὺς Μωὰβ, καὶ προνομεύσει πάντας (τοὺς) υἱοὺς Σήθ. Καὶ ἔσαι Ἐδὼμ κληρονομία, καὶ ἔσαι κληρονομία Ἡσαῦ ὁ ἐχθρὸς αὐτοῦ. Καὶ Ἰσραὴλ ἐποίησεν ἐν ἰσχύϊ. Καὶ ἐξεγερθήσεται ἐξ Ἰακὼβ καὶ ἀπολεῖ σωζόμενον ἐκ πόλεως.

Ostendam ei, & non modò: beatifico, & non appropinquat. Orietur stella ex Jacob: exurget homo ex Israel: & percutiet Duces Moab, & prædabitur omnes filios Seth. Et erit Edom hæreditas: & erit hæreditas Esau inimicus ejus. Et Israel fecit in fortitudine. Et exurget ex Jacob & perdet eum, qui salvatur, de civitate.

Vulgatus Latinus:

Orietur (*emendat* Osiander: *procedet enim*) *stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.*

Pagninus & Arias Montanus:

Incessit stella ex Jahacob & surget virga ex Israel, & transfiget angulos (terminos) Moab, & destruet omnes filios Seth.

Junius & Tremellius:

Video illud, non tamen nunc, contemplor illud, sed non propinquum: procedit stella ex Jahakobo, & exurgit sceptrum ex Jisraele, quod franget latera Moabitarum, & destruet omneis eos qui pone sunt.

Sebast. Castalio:

Videbo eum, sed non jam: aspiciam eum, sed non mox: proficiscetur stella ex Jacobo, existetque, sceptrum ex Israele, quod & Moabitarum Optimates franget, & omnes à Setho prognatos perdomabit.

B. Lutherus, *paraphrasi* Vinariensium *illustratus*:

Ich werde Ihn sehen / aber ietzt nicht / ich werde Ihn schauen / aber nicht von nahen. (Was ich ietzt dir offenbahren werde / wird zu seiner Zeit erfolgen / als wenn ichs schon gegenwärtig sehe: Aber doch wirds so bald nicht geschehen.) Es wird ein Stern aus Jacob auffgehen / (es wird ein leiblich Königreich unter dem König David und Seinen Nachkommen auffgehen / und währen biß auff den Messiam / den ewigen Sohn Gottes / welcher nach seiner menschlichen Natur aus diesem Volck wird herkommen / und an statt des leiblichen Reichs ein geistlich und ewiges Reich anrichten / und als der rechte Morgenstern Offenb. Joh. 22: 16. den Seinen fürleuchten zum ewigen Leben) und ein Scepter aus Israel auffkommen / das wird nicht entwendet werden von Juda / biß der Messias komme / 1. B. Mose 49: 10. welcher wird ein geistlicher König seyn / und ein geistlich Reich haben) und wird zuschmettern die Fürsten der Moabiter / und verstören alle Kinder Seth / (die stoltzen Völcker / so sich rühmen / daß sie von Seth / Adams Sohn / herkommen / dardurch aber ins gemein die Feinde des Volcks Gottes / und sonderlich des Reichs des Messiä verstanden werden.)

In hoc luculentissimo Bileami vaticinio ut CHRISTUM Humani generis Sospitatorem debita diligentia quæramus, quærendo inveniamus, inventum mente fideque teneamus, ore scriptisque ex dignitate asseramus, studiose attendemus cum ad auctoritatem dicentis, tum ad singula vaticinii verba; additis è Philologiæ S. penu annotationibus, pro instituti ratione, brevioribus. Quod argumentum de salutis auctore & Rege nostro gloriosissimo longe dignissimum, nec uni difficultati ob Interpretum varietatem expositum, magno cum fructu fideique certitudine in fidelium cœtu docendum, suisque adversus contra sentientes rationibus asserendum. Hanc nobis gratiam ut clementissime concedere dignetur DEUS Ter Optimus, Terque Maximus, solicitis Eum precibus veneramur supplices. Expectamus, Clementissime DEUS, ut trepidi hujus cœpti exordia incites, & profectu accrescente confirmes, & ad consortium Prophetalis Apostolicique Spiritus deducas, ut eorum dicta, non alio quam ipsi locuti sunt sensu, apprehendamus, verborumque proprietates iisdem rerum significationibus exequamur! fiat! JESU! fiat!

§. II. Consideratur vaticinium nostrum vel ut viva solennique primum voce prolatum, vel ut deinceps idem in literas est relatum. Si vivæ vocis ἐνέργειαν spectemus, princeps caussa Spiritus S. est, usus ministerio, improbi cæteroquin, Bileami: Scribendi actum si expendamus, Auctori summo, vicissim Spiritui S., Moses, Minister DEI fidelissimus, inservit: rem specialissima ratione menti suæ illustratæ inditam inspiratamque iisdem determinate verbis, literis atque punctis sine erroris metu aut insecuturæ corruptionis periculo, fidelissime reddens. Quod posterius, cum in nullam hic veniat controversiam, suo merito missum facimus; potiorem Ejus utriusque curam habituri, cujus impulsu ac ore hæc primum sunt prolata. Ubi cum Spiritus S. ope conjunctam Bileami operam pronuntiamus. *Bileamum* itaque *in edendo hoc sigillatim vaticinio, Spiritu S. actum impulsumque esse*, luculenter satis patet ac solidissime confirmatur diserta Mosis professione, Vatis nostri præfatione, consentiente Spiritus S. per Davidem ac Johannem testificatione, genuina denique donorum Spiritus S. ministrantium ratione: quibus auctoritas recte sentientium adjungitur. Luculentum est Spiritus S. testimonium, diserta Mosis litera de Bileamo editum Numer. 24: 2. & irruit in Bileamum Spiritus DEI: qui רוח אלהים non nisi Spirius S. est, qui עלה בלבו *ascendit in cor ejus*, ut recte רש״י Spiritum S. hic & alias cum suis admittens, sed non 1. ut tertiam Deitatis personam; verum 2. qui tantum Prophetas integris sensibus, non 3. per obscuras visiones afflarit: imo qui in altero templo fere abfuerit: secundum illud תלמוד בבלי assertum מסכת סוטה cap. 9. משמתו נביאים אחרונים נסתלקה רוח הקדש מישראל ועדיין היו משתמשין בבת קול: *Ex quo mortui sunt Prophetæ Posteriores, Haggæus, Zacharias & Malachias, Spiritus S. sublatus est ab Israel, & hactenus usi sunt illo oraculi genere, quod* בת קול *dicitur*: reddito ut in tonitru per nubes sono, velut echo, factum; sed fabulis Judæorum & præstigiis Dæmonum ex merito annumeratur. De quo oraculo prolixe Jos. de Voisin *ad Proœm. pugion. f.* 101. & 272. *seqq.* Fagius *in Targum Onkelos ad Exod.* 28. *sub fin.* & *Scholiis ad* פרקי אבות *c. VI. Edit. Isnens. A.* 1541. Drusius *Lib. I. Præter. pag.* 6. *seq.* Cregutus *revelat. arcan. c.* 24. *pag.* 824. Buxtorfius *Lex. Rabb. Talm. f.* 320. Hottingerus *Lib. II. Thes. Phil. c.* 1. *sect.* 4. *pag.* 515. *seqq.* Glassius *Lib.* 5. *Phil. S. tr.* 1. *c.* 10. *p.* 251. Lightfootus *Hor. Hebr. in Matth.* 3: 17. *p.* 63. *seq.* Alstedius *in Chronol. tit.* 42. Heinsius *Aristarcho S. cap.* 25. Schindlerus *in Lex. rad.* קול.

§. III. Noster Bileam non tali oraculo monitus, sed ipsomet Spiritu S. actus, sensu satis penetranti exorditur προσοχὴν nostram, ritu Patriarchis ac Prophetis, Sanctissimis DEI hominibus recepto, inquiens vs. 16. נאם הגבר. Jam vero נאם designat sermonem certum, indubitatum, fidelem, omni fide & acceptione dignum, plus quam humana attestatione, magna gravitate & singulari pondere assertum, divina voluntate ac inspiratione infallibili & αὐτοπίστῳ allatum. Cui apud D. Paulum respondet πιστὸς λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος 1 Tim. 1: 15. In quam rem conferantur D. Gerhardus *Harm. Euang. c.* 157. *p.* 522. *b.* D. Dorscheus *Pentad. disp.* 13. §. 2. *seqq. p.* 436. D. Geier *Tom. I. in Ps. p.* 628. *Tom. II. p.* 694. *in Proverb. p.* 1549. D. Pelargus *Schol. pœn. p.* 154. D. Balduinus *in Tit.* 3. *p.* 1507. *b.* Altera vox הגבר virum denotat, viribus instructum ac prævalentem. Id vocis origo & Scripturæ S. usus confirmant, id Translationes cujusque generis optimæ testantur. Frustra igitur Judæi alium hujus vocis sensum comminiscuntur & gallum gallinaceum ex Chaldaico גברא transferunt, teste D. Hieronymo ad Jes. 22: 17. Injustissime eam significationem detorquent ad Bileamum, exemplo *à Baal Hatturim in Numer.* 24: 3. prodito: קרא הגבל שדומה בלעם לתרנגול כמו שהתרנגול הוא נואף מכל כן בלעם רבע אתונו וכמו שהתרנגול יודע העתים כן בלעם יודע לכוין חשעה שהקב״ה כועסי במו שהתר/ דרכו לעמוד על רגל אחד כן בלעם וחגר באחת מרגליו: *Bileam vocatur* הגבר *quia similis est gallo gallinaceo. Sicut*

Sicut enim hic coit cum quacunque: ita Bileam coivit cum asina sua. Uti gallus novit temporum intervalla: ita Bileam noverat attendere ad horam Dei irascentis. Et ut consuetudo galli fert alteri pedi insistere: sic Bileam uno pede claudicabat. Prius de asina Talmudistæ etiam in מסכת סנהדרין cap. ult. asserunt, & probare satagit idem בעל הטורים ad Num. 22: 30. ex asinæ ad Bileamum verbis miraculosis עלי, רכברו quæ per Gematriam, primum genus interpretandi cabbalisticum, ejusque modum priorem in numeris (732.) respondent verbo רבעתני coivisti mecum. Scilicet DEUS curabat, asina intelligebat atque eloquebatur gematriæ artem vere ludicram: etiamsi דרך הפשט sensum literalem Judæi impie vocent דבר קטן rem parvi momenti, מדרש vero sive allegoricum ejusmodi דבר גדול magnam rem, atque impientissime pronuntient: נמשלה המקרא כמים והמשנה ביין והש"ס בקונדיטון *similis est textus biblicus aquæ, Mischna vino, Talmud vero condito*, ut recenset *Cl. Schickardus* בחינת הפרושים *p. 6. atque Buxtorfius recens. oper. Talmud. p. 232.* Hæc profana Scripturas S. detorquendi libido ubi obtinuerit, facile Bileamum claudum, coelitem, quin & æternum damnatum, cum Baal Hatturim, aliaque partim incerta, partim manifeste falsa, pro veris asserere licebit.

§. IV. Parum certe abest, quin Bileamum oculorum usu privent, & reliqua ejus verba insigniter depravent Judæi. Bileam satis significanter loquitur, vocando se שתם העין: שמע אמרי־אל וידע דעת עליון שדי יחזה נפל וגלוי עינים: Quibus verbis illuminatos sibi *oculos*, patefactas ad eloquia DEI *aures*, sublimiorem denique *scientiam*, certo ritu divinitus communicatam, accurate complectebatur, atque ex vero referebat. Primo שתם העין deinde גלוי עינים ἐπεξηγηματικῶς sibi junguntur, eandemque illuminationem ad res divinas penitus cognoscendas factam inferunt. Nam גלוי עינים nihil aliud notat quam *Prophetam hunc supernaturali lumine fuisse collustratum: uti & antea DEUS oculos ejus retexerat seu aperuerat Numer. 22:31. ut docet D. Geier Tom. II. in Psalm. pag. 862.* Consensum ad loc. citat. testantur *Onkelos*: וגלא יי ית עיני *Syrus* ܘܓܠܐ ܡܪܝܐ ܥܝܢܘܗܝ nec non *Samaritanus*, *Arabs* atque *Græci*: ἀπεκάλυψεν ὁ θεὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς, non cæcos à videndo, sed illustri visione angeli carentes, nunc autem gaudentes. Eandemque oculorum, mentis tamen potissimum, apertionem infert locutio שתם העין. Vox equidem שתם semel atque iterum, nec nisi h. l. vs. 13. & 15. obvia, eoque magis controversa est. In duas potissimum partes scinduntur Ebraice eruditi, quorum aliqui significationem claudendi, obturandi, obstipandi; plures alii contrarium recludendi, aperiendi, retegendi sensum rectissime urgent, adeoque גלה hic respondere evincunt. Genuinam *aperiendi* significationem hic agnoscunt in Versionibus *Onkelos* דְּשַׁפִּיר חָזֵי וּמִתְגְּלֵי לֵיהּ qui pulchre videt, & cui revelantur, *Syrus*, Cujus detectus est oculus, *Samaritanus* atque *Arabs* vir acuti obtutus, *LXX. Interpp.* dixit homo ἀληθινὸς verax vere videns: ita etiam *Munsterus, Vatablus, Pagninus, Junius, Tremellius, Osiander, Malvenda, ipseque Lutherus.* Consentiunt præterea *Cajetanus, Drusius, Ainsworthus, Fagius, Augustinus, Steuchus, Eugubinus & cum hoc Sixtus Senensis Lib. V. Bibl. S. annot. 125. Buxtorfius atque Nicolai in Lex.* Similiter *R. Sal. ben Melech.* cum רש"י ad Num. 24: 3. agnoscit verbum שתם esse פירוש פתוח atque opponi eidem סתם occludere, ut Sapiens *R. Aben Esra* annotavit, & *R. Dav. Kimchi* concessit. Quin etiam Doctores Talmudici hæc duo verba opponunt, de Bileamo hic asserentes שישתום וסתום ויגוב quod clausos reclusosque habuerit oculos ista elocutus. Quas inde comminiscantur fabulas, recensione pariter ac refutatione indignas, videre licet apud *R. Sal. Jarchi* ad Num. 24: 3. ex *Talmud. Massechet Nidda cap. 3. fol. 31.* adductas. Alii literarum זסצש affinitate decepti, cum opposito סתם confundunt, reddentes *occlusus*, ut Arias Montanus, Oleaster; vel *obscuratus, constipatus*, ut Tigurina, Mercerus, Marinus, Forsterus, Avenarius, Schindlerus; vel denique *obturatus*, ut cum Vulgata Hieronymus, Lyra, Estius, Menochius, Tirinus, Del-Rio Tom. I. adag. in 115. Pineda in Job. 10: 4. num. 1. Lorinus Comm. in Num. 24: 3. qui Jesuitæ patrocinium Vulgatæ male suscipiunt, irritoque successu tuentur, varia quærentes effugia, satis absurda. *Qua quidem in re mirum videri possit, esse homines, qui tantum elaborare velint, ut ea, quæ parum apte, perperam etiam & minus prudenter atque pie, sed & ridicule dicta sunt, tanquam oraculum aliquod mordicus arripiant, & in iis interpretandis, enucleandis, vestiendis, omnem operam & ætatem consumant, quasi eo conducti essent, ut alienam stultitiam & errorem, vigiliis & labore suo maximo defendant, & in alterius impudentiam, sui pudoris existimationem amittant*, ut accurato judicio, quod de simili argumento Sleidanus tulit, acquiescamus. Diversam ab his rationem inivit *Cl. Ravius Fontis Sionæi col. 1951.* asserens, שתם significare *aperire, recludere: vel contra occludere*, indeque שְׁתֻם Num. 24: vs. 3. 15. convertit *reclusus, occlusus.* Verum ita שָׂתַם Thren. 3: 8. & סתם cum opposito שתם confundit, geminum idque contrarium unius vocis significatum (in paucis cæteroquin verbis ex Scripturæ S. usu observatum) præter necessitatem statuit, quin & simul in uno eodemque loco nostro asserit, adeoque an clausos apertosve Bileami oculos vel utrosque simul voce שתם velit intellectos, in dubio relinquit. Optima tamen ratione cum סתם Germanorum stumm confert, ut Avenarius Græcorum στομόω os obturo. Ita igitur habemus, apertum denotari oculum mentis, quod optima ratione viderit ac intellexerit Bileam ea, quæ divinitus eidem sunt revelata, quæ minime vana, sed certo futura erant. In altera voce עין frustra quærit argutias *R. Sal. Jarchi ad Num. 24:3.* inquiens: על שאמר שתום העין ולא אמר שתום העינים למדני שסומא באחת מעיניו היה: *Dum vocis* עין *singularem numerum adhibet, non dualem, docet nos, quod cæcus fuerit Bileam quoad oculorum alterum.* Idem asseritur in רבא ad Numer. 22: 30. ועל כי סומה היה להודיעו שאף העין ברשותו *DEUS detexit, quia cæcus fuerat, ut ostenderet ipsi, quod etiam oculus in potestate ejus.* Verum quædam utut à natura bina sint efformata, duali tamen non efferuntur, etsi id fiat ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον: ut accurate confirmat *D. Weller Spicil. disp. 3. q. 2. §. 3. seqq.* Oculus ponitur pro oculis, ut recte hic Ainsworthus. Neque oculus primario corporis membrum hic notat, sed refertur ad mentem & cognitionem, ut sæpe alias: quo videatur *D. Glassius Philol. S. Lib. V. Tr. 1. c. 11. p. 339. (1289.)* Aperire vatum oculos in Scriptura S. non est cœcis restituere visum, sed illuminare mentem, sublimium notitiam animo indere. Et Bileamo sigillatim mentis oculum, sed malum, tribuunt Rabbini in פרקי אבות *cap. 5. pag. m. 122. edit. Isnens.* כל מי שיש בו עין רעה ורוח גבוהה ונפש קצרה מתלמידיו של בלעם הרשע *In quocunque sunt oculus malus, spiritus elatus, & anima ampla, is est ex discipulis impii Bileami.* Quod ibidem Fagius ex רמב"ם pluribus confirmat. Contraria vero ratione, si in Bileamo corporis constitutionem spectemus, nullo Scripturæ S. vel alio satis idoneo documento conficere licet, Bileamum fuisse claudum vel cœcum: uterque potius oculus integer eidem tribuitur, atque apertio עינים diserte memoratur Num. 13:31. 24:4. 16.

§. V. Si missis oculis, aures Bileami ad eloquia DEI attentas consideremus, dilucide rem exponit ipse, vocando sese שמע אמרי־אל. Ubi שמע juxta propriam & primariam significationem est audire, prolata distincto sono verba, perque hæc delatas ad animum res beneficio aurium cognoscere ac dijudicare: ita ut nec corporis instrumentum, nec animi sensum hic excludamus, sed utrumque conjunctum fuisse asseramus. Id objectum auscultationis hujus comprobat, quod fuerunt אמרי־אל verba perfectum sensum continentia & gignentia. Sic enim juxta sapientem *R. Aben Esra ad Psal. 19: 4.* אומר הם הדבורים שיש להם טעם שלם כאומר ראובן חי וזה לא יהיה רק מחבר דברים והדבור הוא ראובן והקול ישמעיאות ר"ש ראובן in hunc fere sensum: אומר *notat plura verba, quibus inest perfectus sensus: ut si dicam: Ruben vivit, non est nisi compositio verborum seu enuntiatio:* דבר *autem est terminus simplex Ruben:* קול *denique audita unica litera* ר *vocis Ruben.* Ejusmodi verba perfecta audivit Bileam, sed & perspicua, ipsius nempe DEI אל, non angeli tantum, sive boni in via, sive spectri diabolici alias. Verba nimirum dehortatoria, comminatoria, benedictoria, adeoque annunciatoria vitæ & mortis, temporalis & æternæ. Sed potior lis movetur de subjecto & modo auscultationis: num Bileam vigilans, an dormiens hæc cognoverit, adeoque an auditus tantum menti, an vero auribus simul sit tribuendus? Nos vigilanti hæc accidisse dicimus, adeoque soli menti auditionem hanc minime tribuimus. Ita non asinam tantum, sed angelum etiam loquentem audivit Num. 22: 28. seqq. quin etiam ipsummet Jehovam atque DEUM obviam sibi factum cap. 23: 4. 5. Contra dormienti hæc contigisse ad vocem נפל asserunt LXX. Græci, Chaldæus, Syrus, Vatablus & Fagius cui novum adjicit commentum רש"י ad Numer. 24: 4. נופל פשוטו כתרגומו שאין נראה עליו אלא בלילה כשהוא שוכב: ומדרשו כשהיה נגלה עליו לא היה בו כוח לעמוד על רגליו ונופל על פניו לפי שהיה ערל ומאוס להיות נגלת עליו נפל וגלוי וגו׳ בקומה זקופה לפניו: *Simplex & literalis vocum sensus est juxta Chaldaicam interpretationem: quod non revelatum sit ei quicquam nisi noctu, quum cubans dormiret. Et anagogyca s. mystica earundem explicatio est, quod, cum aliquid ei esset revelatum, nulla ipsi facultas relicta fuerit insistendi*

stendi erecto corpore pedibus; sed pronus potius in faciem suam prociderit, eo quod non esset circumcisus, atque reprobandus sive indignus, cui revelaretur quicquam, erecto coram Deo corpore constituto. DEUS equidem repetita vicem noctu ad Bileamum venisse dicitur Numer. 22: 9, 20. antequam iter ingrederetur. Eo autem confecto, Bileamo apud Balack constituto atque vere abambulanti occurrisse dicitur DEUS Jehova cap. 23: 4, 5, 16. Quod autem נופל dicitur, varie reddunt: cadens, excidens, dormiens, in genua prostratus, ut B. Lutherus: **Wenn er niederkniet.** Verum נופל non est referendum cum Castalione ad lapsum asinæ Numer. 22: 27. quod ei simul lapso oculi sint patefacti, ut videret angelum: neque cum allegatis autoribus ad somnum, quod in altum soporem ceciderit, ut Abraham Genes. cap. 15: 12. cum δὶς ἐπὶ πρόσωπον: Abrahamum à Bileamo distare ipsi etiam Rabbini in פרקי אבות l. c. fateantur; sed nec propter præputium in terram pronus cecidit, ut רש"י contendit: quoniam Ezechiel cap. 1: 28. 3: 23. 43: 3. Daniel cap. 8: vers. 17, 18. & Johannes Apoc. 1: 17. circumcisi licet singuli, prociderunt tamen in faciem. Peculiaris igitur subest ratio, apud religiosissimos etiam usu recepta, qua in ejusmodi revelationibus atque ἐκςάσει constituti, velut extra se sensusque suos rapti & adorabundis similes genibus innixi vel in faciem proni, excidisse mente, vel cadere & jacere dicuntur, ob supervenienem prophetiæ spiritum 1 Sam. cap. 19: vers. 24. qui sublimiorem communicare notitiam solet, de qua postremo ex Bileami præfatione instituеramus dicere.

§. VI. Diserte enim tribuit sibi ודעת עליון. Jam ודעת notat scientiam certam, suis rationibus nixam, antecedentium causarum, præsentium circumstantiarum, insequentium denique effectuum probe consciam, civilem pariter ac divinam. Talem indubitatam atque infallibilem notitiam se non habere tantum, sed scire etiam dicit Bileam ידע דעת: verbum ipsum cum nomine conjugato non sine penetrantissima significandi vi constructum, *D. Glassius Phil. S. Lib. III. Tr. 3. can. 32. p. 335. (617.)* hic notat scientiam sine erroris periculo, cum interiori mentis assensu, assecuratione ac certitudine infallibili conjunctam, quæ reddit ἀμετάπτωτον. Inprimis cum sit עליון excelsissimi ac gloriosi DEI. Vox autem ea in regimine constituta, non subjective sed effective hic significat, ut alias, de quo *D. Glassius Phil. Lib. III. Tr. 1. c. 30. p. 102. (449.)* Atque hæc est tergemina Vatis nostri præfatio luculenta: nunc justo ordine sequitur consentiens Spiritus S. per Davidem & Johannem testificatio.

§. VII. In eundem enim de Messia sensum loquitur Spiritus S. ore Davidis Psalm. 72: 7, 8. quem locum eleganter cum nostro confert *Baal. Hatturim ad Numer. 24: 16, 19.* ויודע דעת וגו׳ אמר כאן ויודע וגו׳ לפי שרצה לגלות ימות המשיח׃ וירד מיעקב ב׳ במסורה ואידך וירד מים עד ים דהיינו מלך המשיח שהתנבא על מלך המשיח׃ *Dicit hic de se Bileam: quod intelligat mentem altissimi: quia voluit revelare tempus Messiæ. Cum vers. 19. dicitur* וירד, *in Masora dicitur bis occurrere. Alter locus est Psalm. 72: 8. Uterque Bileam David, vaticinatus est de Rege Messia.* Et in novo Fœdere ipse Optimus Interpres ac Salvator Christus verba Bileami repetere ex parte, sibique rite applicare videtur D. Johannis eloquio Apoc. 22: 16. inquiens: ἐγώ εἰμι ἡ ῥίζα καὶ τὸ γένος τοῦ Δαβίδ, ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς καὶ ὀρθρινός. Ejusdem igitur Spiritus impulsu & locutus est ista Bileam, & scripserunt David atque Johannes iisdem fere verbis consonum & luculentum de Christo testimonium.

§. VIII. Nec refragantur huic asserto ἀπιςία καὶ πλεονεξία aliaque nefanda facinora Bileami: cum Diviniores Literæ pariter atque quotidianus rerum usus confirment, dona Spiritus S. ministrantia in profligatæ vitæ homines sæpe cadere: Judam puta Matth. 10: 5. Lucæ 9: 1. Caipham Joh. 11: 50, 51. aliosque quorum in tanta ψευδοπροφητῶν καὶ ἀποκελτῶν copia non facile licet inire numerum. Αὐτὸς γὰρ ὁ σατανᾶς μεταχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτὸς 2 Cor. 11: vers. 14. cujus opera Deus sanctissimus tam in δοκιμασίᾳ καὶ παιδείᾳ Jobi cap. 1. & 2. quam τιμωρίᾳ Achabi 2 Reg. 22. usus legitur. Et præterea hinc inde memorant historiæ Evangelicæ veram Christi confessionem Diabolo extortam. Nec nostra aut superior ætas prorsus silet tentatam à Diabolo informationem in ipsa saniori doctrina. Quibus accedit donorum sanctificantium & ministrantium discrimen, omnium evidentissime à D. Paulo demonstratum 1 Corinth. 12. atque 13: vers. 1, 2.

§. IX. Hinc etiam ratione divini ministerii, ad tempus suscepti, verum ac veracem DEI Prophetam dixerunt Bileamum Tertullianus *contra Marcion. l. 4.* Josephus *Lib. IV.* ἀρχαιολ. *c. 6.* B. Lutherus *Tom. VI. Altenb. f. 1214. a.* D. Osiander *ad Num. 24.* D. Gerhard. *Comm. in 2 Petr. p. 286.* D. Calovius *Tom. I. Bibl. illustr. p. 1311.* D. **König** *Vindic. S. Loc. LXIII. p. 369.* Manahem Ricinensis *fol. 185. col. 2.* Eugubinus *apud Cornel. à Lapide Comm. in Pentat. p. 863.* Cajetanus Oleaster, Tirinus, *T. I. Bibl. Magn. p. 334.* Estius Tostatus *Tom. IV. Opp. P. II. quæst. 3. p. 55.* Bonfrerius *apud Matth. Polum Synopsi interpr. p. 700.* Drusius *in Joh. 13: 22.* Junius & Tremellius *ad Numer. 24: 4.* aliique. Ejus tamen personæ patrocinium in nos nequaquam suscipiemus, sed magicis artibus, & acquirendo inde turpissimo lucro deditum fuisse, cum Scriptura S. asserimus. Propter negotium in gratiam Regis Balack susceptum merito בלעם בלק καὶ ἀνάγραμμα dicuntur עמק בלבל vallis confusionis, vel ipsius Balack judicio Numer. 24: vers. 12. Reliquas Bileami res paucis attingemus: Ejusque *Nomen* ab Ebræo בלע deducimus, significatione Absorptoris, Vastatoris; de quo pluribus vid. B. Lutherus *Tom. II. Altenb. f. 480.* D. Glassius Philol. S. *lib. IV. Tr. 3. obs. 9. p. 951.* Sennertus *Append. Idiotism. Lingg. Orient. Can. 2. pag. 76.* M. Marinus *in arca Noæ p. 71. b.* Quidam cum ὁ Interpp. Balaam, alii Bileam, Balam, Belom, Bilham aut Bilhham scribunt, recte etiam secundum originem Ebraicam *Bilam* scribitur. Non autem Magus iste idem fuit cum Elihu, collocutore Jobi cap. 32: 2. quod D. Hieronymus *Tradit. Hebr. in Gen. 22.* Petrus Damiani *l. 2. epist. 2.* *Rupertus lib. 2. in Apoc.* Eucherius *in Gen. p. 102.* ac Philippus Presbyter *præf. in Job. & c. 32.* asserunt, & B. Lutherus *Tom. IX. Altenb. f. 639. b.* recenset; refutant vero D. Calovius *Tom. I. Bibl. Illustr. p. 1311.* D. **Schmid** *Comm. in Job. pag. 1215.* D. **König** *Vindic. S. Loc. 63. pag. 369.* Lorinus *in Num. 22: 5. p. 822. a.* Drusius *Loc. difficil. ad Num. c. 97. p. 461.* Eundem *patria* Syrum fuisse constat ex Numer. 22: 5. & 23: 7. Deut. 23: 4. per dilucidam Syriæ descriptionem, Scripturæ S. usitatam: quo conferatur luculentus commentarius Serarii *in Josuam c. 13. & 24.* Locum natalem sigillatim Bosor faciunt ex 2 Petr. 2: vers. 15. Vulgatæ inprimis Versionis assertores; sed rectius Βοσὸρ ut Synonymum בעור transtulit Syrus, diserta filii mentione defectum Græcæ locutionis supplens: ܒܐܘܪܚܗ ܕܒܠܥܡ ܒܪ ܒܥܘܪ: quem recte hic, ut alias, secutus est B. Lutherus. Id enim omni controversia caret, *Patrem* ejus fuisse Beor Num. 22: 5. cap. 24: 3, 24. cap. 31: 8. Deut. 23: 4. Jos. 13: 22. Mich. 6: 5. *Munus* Prophetæ Dei verique Vatis in præsenti Regis Moabitarum adversus Israëlitas suscepto negotio vel invitus gessit, impiis alioquin artibus gravissimoque avaritiæ vitio addictus. Hinc Philoni *lib. 1. de vita Mosis* ἐπὶ μαντείᾳ περιβόητος dicitur, & prædixisse imbres, æstus, siccitatem, annonæ ubertatem & caritatem, fluviorum inundationes, pestilentiæ procurationes. In itinere per Midianitas in Mesopotamiam directo, *interfectus* tandem gladio Pinehæ Num. 31: 8. & quidem quarto atque tricesimo ætatis anno, ut fide Rabbinica traditur in Cabbala ad Num. 23: 10. בלעם מת מות פלשתים כלומר רשעים ובנוער כדאיתא אנשי דמים ומרמה לא יחצו ימיהם׃ שבן לד שנים היה כשהרגו פנחס: *Bileam obiit morte Philistæorum, sicut dicitur impii in juventute sicut herba tenera, homines sanguinarii & dolosi non perducent ad dimidium dies suos Psal. 55: 24. Quia attigerat quartum atque tricesimum ætatis annum, cum Pinehas ipsum occideret.* Quando autem Num. 24: 25. dicitur וישב למקומו Bileam reversurus in terram patriam sedemque suam: *Baal Hatturim* more suo sensum literalem genuinum, fidemque historicam negligit, & iis verbis denotari asserit, שירד לגיהנם *quod in infernum descenderit.* Id quod ratione prorsus ridicula confirmare annititur, impieque cum verbo DEI ludit, asserendo: *vox* ינחני *Num. 23: 7. (al. 11.) paria facit cum* לגיהנם *per gematriam, igitur descendit Bileam in gehennam.* Quod quam sit ἀνακόλουθον quilibet agnoscit, prætereaque falsum deprehendet, qui genuinam elementorum numerandorum rationem inivérit. Nam לגיהנם in numeris 138. suppeditat, & vocem ינחני integro denario superat. Verissimum tamen *B. Lutheri* de Bileamo judicium *Tom. VI. Altenb. f. 1214. a.* **Bileam war ein Außbund und Abt unter den Propheten / noch ward er verlohren.** Idem de Bileami sectatoribus κατάρας τέκνοις. ex 2 Petr. 1: 14, 15. constat: in quam rem rectissime veteres Ebræi in פרקי אבות *cap. 5. p. m. 122.* תלמידיו של בלעם הרשע יורשין גיהנם ויורדין לבאר שחת שנאמר ואתה אלהים תורידם וגו׳ *Discipuli improbi Bileami hereditans gehennam, & descendunt in foveam corruptionis: juxta id quod dicitur Psalm. 55: vers. 24.*

§. X. Fuerunt hactenus, quæ Bileami personam concernunt; nunc sigillatim cum eodem ad editum de Christo oraculum progredimur Commat: 17. Quod, juxta duo hemistichia, distincte exhibet peculiare exordium, summæque rei argumentum. Nec enim ἀνδ παθῶν ἢ ϖροοιμίων enuntiat inquiens: אראנו ולא עתה אשורנו ולא קרוב Quibus verbis primarium sui opus, reique narratæ, olim adimplendæ tempus complectitur, & utrumque vocibus idem fere significantibus ἐπεξηγητικῶς ἢ ἐμφατικῶς repetit. Primum tenet locum functio Prophetæ ejusque objectum, indicatum voce אראנו *video ac prævideo illum*: Futurum enim pro præsenti דרך הנבואה ולשון הקודש ponitur. Recte igitur uterque Chaldæus, Syrus, Arabs, Vatablus, Menochius, Malvenda, Grotius, Junius & Tremellius, hic præsens adhibent. Diserte idem exprimit ad hunc locum רש"י inquiens: אראנו׳ רואה אני שבחו של יעקב וגדולתן אך לא עתה היא אלא לאחר זמן: *Video Jacobi laudem & magnificentiam, quæ non isto, sed alio tempore est futura.* Contra errore non prorsus caret LXX. Interpp. atque Origenis translatio per δείξω: ita enim retento secundum literam futuro, significationem ostendendi effectivam, in hiphil obviam, tribuunt verbo nostro, quod hic in Kal. adhibitum, simplicem videndi sensum habet, adeoque intransitivum est. Præterea hæc visio citra omne dubium Bileamo tribuenda; sed juxta ô diversum prorsus subjectum substituitur, ut eorundem mentem exponit *Lorinus Comm. in h. l. p. 925. a.* quod doctores legis & scribæ ostensuri dicantur Christum in Lege, & prophetiis prophetarum. Neque certi aliquid aut veri speciem habet illa quorundam interpretatio, quod Bileam prædicat se in posteris suis, venturis ex oriente Magis Matth. 2: 1. stellam istam atque Christum esse visurum. Magos enim fuisse Syros, non æque ut de Bileamo confirmari potest. Arabes potius vel Persas fuisse majori veri specie asseritur. Conf. *Chemnitius Harm. Evang. cap. 10. pag. 104. seqq.* Repugnat etiam visio prophetica: Videre enim sive ראה ex Vatum ingenio specialissime non tam ad oculos corporis, quam mentis potissimum, & quidem ad visionem prophetiæ spiritualem hic refertur: cui abstrusissima futura, divinitus revelata, tam certa sunt & evidentia, ac si ipsis jam oculis usurpassent eadem Vates. Qui cum ipsi vident perspicue ac intelligunt ea, tum aliis etiam eodem impulsi spiritu tradunt: adeoque ratione sui & aliorum, quibus instar oculi sunt rectissime *Videntes* dicuntur. Hinc 1 Sam. 9: 9. לנביא היום יקרא לפנים הרואה: confer. vers. 11, 18, 19. 2 Sam. 15: 27. 2 Reg. 17: 13. 2 Paral. cap. 9: 29. 12: 15. 16: 10. 19: 2. 29: 25, 30. 33: 18. Jes. 30: vers. 10. &c. ubi ראה eodem de Prophetis sensu adhibetur. Objectum visionis significatur inseparabili pronomine נִי illum, nempe Regem Messiam, suo regnique splendore illustrem, ut cum stella lucidissima multis modis conferri mereatur. Similiter *ad personam* pronomen istud referunt Chaldæi, Syrus, Samaritanus, Vulgatus, Estius, Tirinus, Castalio, ipseque Lutherus, dum convertunt eum Jhn. Ubi ex vero observavit Cajetanus, vocem *eum* κατ' ἐξοχὴν respicere Christum, tanquam personam, nulli comparandam & de qua dicatur, omnium maxime dignam. Illustrior redditur ea sententia ex Joh. 20: 15. ubi amoris magna vis Mariæ Magdalenæ expressit eandem vocem eum, quasi hortulano & omnibus jam pariter cognitum amatumque, æstimandum certe, diceret, ut Bernhardus *Serm. in fest. Mar. Magd. col. 190.* Nic. de Lyra *in l. c.* B. Lutherus *Tom. V. Jen. Germ. f. 334.* atque Lorinus *in Num. p. 925.* annotarunt. Græci personam quidem, sed nec Christi, nec eam quam intendunt, genuino casu exprimunt: propter male assumtum δείξω, aliud falsum in tertio casu subjungunt voce αὐτῷ; quam de populo Israelitico interpretantur quidam, hunc in modum: Ostendam illi populo, qui tunc tempore N. T. salvabitur. Sed Ebraica veritas verbum in Kal. activum significatione videndi exhibens, quartum requirit casum pronominis, ad Christum referendi. *De re* autem, non persona, accepit Arabica translatio, cujus in Pentateucho auctor R. Saadias Gaon habetur, aliorum Codicis S. Librorum incertus est, nec ejusdem vel industriæ vel auctoritatis. Consentiunt hic Arabi Malvenda, Grotius Piscator, Junius, Tremellius & fere Vinarienses, reddentes: illud, quod mox dicturus sum, excellentiam sive res magnas populi Israëlitici. Easque non præsentes ולא עתה. Particulam ו per rationem in textu obviam rectissime reddidit adversative B. Lutherus, J. Tremellius, Castalio & in Syro-Samaritani Translatione Angli: qui tamen ܠܐ ܗܫܐ minus convenienter reddere videntur: jamdiu. Quoniam præsens potius, quam præteritum tempus designant, perinde ut Ebræorum עתה מעתה: quod utrumque momentum præsentis temporis determinate notat, opponiturque alias vocibus tam מלפנים קדם תמול ושלשם præteritum, quam מחר אחרי עתה futurum designantibus. Nostra עתה originem trahit ab עת quod cognationem alit cum עוד temporis adhuc durantis particula. Nunc quidem, inquit Bileamus, dispositas ordine tribus singulas video, futuram earum hostiumque sortem intelligo, sed orituram inde personam omnium illustrissimam summisque rebus inclytam nunc non video אנידה את אשר יקרא אתהם באחרית הימים׃

§. XI. Idem majoris lucis & penetrantioris significationis ergo verbis paulo mutatis repetit אשורנו ולא קרוב contemplor, intueor & animadverto illum, sed non est propinquus. Vox שור juxta R. Nathan quidem habet חמש פארות quinque significata, quæ tamen ratione satis commoda ad duo potissimum capita revocari possunt: ut dicamus *primam significationem* esse לשון שיר ושירה *canendi*, tam sonora ac rite directa voce, quam fistula aliisve musicis instrumentis: hinc aliqui cum ישר, συρίζω, Sirenes atque schreyen conferunt. Et cum cantiones in gloriam DEI laudemque aliorum institui soleant, quidam sigillatim verbo huic *laudandi* significationem tribuerunt, ut Chaldæus Jobi 36: 24. verba שוררו אנשים reddit שבחו גוברין צדיקין: & in nostro loco Samaritanus verbo שבח utitur, à quo nec Græci dissentiunt, convertentes μακαρίσω, ut habet Origenes *homil. 18.* Complutensia, Regia aliorumque exempla; vel μακαρίζω, ut Basilius *homil. 25. de nativ.* Eusebius *lib. 9. demonstr. Evang. cap. 1.* atque Romani & Anglicani Codices legunt, utrobique sensu prædicandi, habendi, declarandi beatum. Verum rectius רלב"ג & אא"ע ad l. c. Jobi urgent *alteram* שור significationem *contemplandi*, accurate inspiciendi, recta intuendi, & cum diligenti observatione ac curiosa inquisitione ita speculandi, ut exacte singulas rationes cognitas habeamus ac perspectas, שפירושו הבטה ועמו מה שפירושו איב ut significet accurate intueri & quæ huic similia, itemque hostium instar insidiose observare, ut Rabbi Nathan indicat. In nostro certe vaticinio nec cantio, multo minus encomiastica locum habet: cum Bileamus ut Propheta rectius dicatur videre atque contemplari, quam ut Poëta arma virosque canere. Uti ולא עתה exacte respondet ולא קרוב: ita vox אראנו eundem cum אשורנו sensum habet, videndi nimirum rectissime atque accuratius contemplandi. Hinc optima ratione uterque Chaldæus, Syrus, Arabs aliique plurimi interpretes istud verbum ad intellectum, divinitus collustratum & accurate res div. cognoscentem retulerunt. Sed nec alias in S. Literis verbum שור sensu laudandi, multo minus beatificandi venit. Quin potius post primariam canendi significationem, & in prima sui forma, & deductis inde nominibus ubique retinet significationem contemplandi exacte, accurate ac rectissime, collatione cum ישר instituta. Ita ואשורנו Hos. 14: vers. 9. notat penitissime & gratiosissime contemplabor, intuebor, tuebor eum, ut recte רש"י per אראה, significantius רשב"ם per אביט אליו בעת רצון, omnium optime רד"א per אביט אליו בעין רצון interpretatus sit. Similiter שור de accuratissima inspectione divina, observatione summa & vel maxime seria adhibetur Jobi 7: 8. cap. 17: 15. cap. 20: 9. cap. 24: 15. cap. 33: vers. 14, 27. cap. 34: 29. cap. 35: 3, 13, 14. Qualis etiam *inimicorum* esse solet, mores adversarii accurate observantium, & quæsitas nocendi occasiones captantium: qui ab insidiosa ejusmodi inspectione שוררים Psalm. 5: 9. 27: 11. 54: 7. 56: 3. & 59: 11. atque שורים Psal. 92: 12. dicuntur. Unde שור, Chaldæis etiam תור (hinc ταῦρος taurus) murum s. speculam denotat aut bovem, non nisi à contemplando: quod à muro, specula s. propugnaculo vicina circumjecta prospicere liceat, atque contemplationi adventantium tam amicorum quam hostium præ aliis sese sistat *murus*: *bos* vero visu sit terribili, aut forma potius insigni conspicuus, quæ R. Bechai observatio est ad Genes. 2. Potior tamen Cl. Bohlii *disp. 4. pro formali primum eruendo §. 27.* שור *bos forsan dicitur à sua inspectione, quam quasi habet supra reliqua armenta, vel à gradus directione, quod præeat, cum ad pascua ducuntur vaccæ, vel à vocis claritate, quod bene possit audiri, cum mugit &c.* Pariter *munus* quodcunque conspicua forma gaudens, dignumque quod offeratur Domino ac ab eodem respiciatur, dicitur 1 Sam. 9: 7. תשורה confer Jes. 57: 9. Ezech. 27: 25. De qua voce ἅπαξ λεγομένῳ audiendus *R. Sal. Jarchi in l. c.* תרגום יונתן מרעם דכשר לשון יושר ופנחם פי׳ תשורה לשון תקרובת ראייה פני מלך ואדם חשוב לשון אשורנו *Jonathan transtulit* מֵרְעַם דְּכְשַׁר *sensu rectæ convenientisque oblationis.* *Rabbi Menachem exponit* תשורה *oblationem dignam conspectu Regis aut alterius hominis honorati. Quo sensu dicitur Num. 24: 17. contemplabor eum.* Eandem significationem alia ratione ex רד"ק ostendit *R. Sal. ben Melech ad l. c.* תשורה כמו מנחה וכתב הרד"ק שנקראת המנחה

המנחה תשורה לפי שמוליך אדם אותה כמו שנקראת גם כן ארוחה שהם ענין הליכה: *Vox* תשורה *idem notat quod* מנחה *munus, donum, oblatio. Scribit autem R. Dav. Kimchi, quod* תשורה *vocetur* מנחה *propterea, quia abeundo perferat aliquis munus, sicut etiam viaticum dicitur* ארוחה *ut habeant ista significationem ambulandi.* Ipsa tandem *contemplatio* attenta שרירות dicitur Deut. 29: 19. ubi recte רש"בם inquit: עניני הסכרת לבי ומחשבותי significat intuitionem cordis atque cogitationes. Nostrum etiam locum confert רש"י rectissime: במראית לבי כמו אשורנו ולא קרוב כלומר מה שלבו רואה לעשות Eodem alias sensu occurrit שרירות Ps. 81: 13. ubi LXX. Ἐπιτηδεύματα, Jer. 3: 17. ἐνθυμήματα c. 7. 24. c. 9. 13. c. 11. 8. c. 13. 10. c. 16. 12. c. 18. 12. c. 23. 17. θελήματα reddiderunt. Hisce equidem significationibus non contentus Vir *Cl. Bohlius l. c.* sed θέσιν φυλάττων, aliis indulget cogitationibus, inquiens: radicis שור formale est *intendit*, de voce significat *cecinit*, de oculis *tueri*, de pedibus *ambulavit* in significationibus materialibus. Sed intendendi significatio præter Scripturæ S. usum ac Ebraice doctorum sensum tributa huic verbo videtur. Pedibus שור non convenit, etsi id asserat R. Dav. Kimchi ad Jes. 57: 9. quando quidem ibi omnium commodissime de oblatione spectati muneris cum R. Nathan, R. Saadia Gaon aliisque apud R. Aben Esram possit intelligi. Quapropter & in nostro vaticinio contemplandi sensum merito retinemus, eamque contemplationem menti tribuimus: propter objectum spirituale pariter ac longissime remotum ולא קרוב. Quæ vox קרוב optime convenit personæ, atque cum לא propinquitatem temporis futuro Regi denegat. Eandem vocem retinent Orientales translationes, eidemque futurum tempus accurate opponit Targum Hierof. ולית הוא קריבא עתיד ומי. Adhibetur alias קרוב de propinquitate temporis ac loci, sanguinis atque mentis, quod suo loco ostensum.

§. XII. Nos ad verba vaticinii systatica nunc sermonem dirigimus. Ubi consideranda Christi eminens persona, officium regium, atque regnum medios inter hostes tam propagatione quam defensione felicissimum atque potentissimum. Metaphoræ divinitus monstratæ ut debitam rationem habeamus, attendemus sedulo ad lucidissimæ stellæ ortum ac progressum, erectique sceptri longe lateque patens dominium, præfiguratum in Davide, completum in Christo. Primum sibi locum primamque nostri curam vendicat verbum דָּרַךְ quod ratione structuræ grammaticæ Præteriti quidem formam, sed Futuri significationem habet, ex more Scripturæ S. inprimis Propheticæ, receptissimo, de quo dignus qui consulatur D. Glassius *Phil. S. Lib. I. Tr. 4. p. 225. Lib. III. Tr. 3. Can. 46. p. 372.* (644.) D. Geier *Tom. I. in Ps. p.* 18. 64. 118. *Tom. II. p.* 1044. Hakspan: *P. II. Not. Phil. p.* 3. 81. 644. Recte igitur uterque Chaldæus, Syrus, Arabs, Græci, Vulgatus, Osiander, Castalio atque Lutherus futurum adhibent. Sed majorem, ut par est, significationis rationem habemus. Quæ quidem satis plana videtur, quando כל לשון דריכה הדרכה ומדרך verbum istud in genere spectatum non habet nisi unicam calcandi, incedendi, procedendi s. ingrediendi, aggrediendi atque gradiendi significationem: quod posterius gradior facta literarum μετάθεσι à דרך deductum videtur; uti procul omni dubio Græcorum τρέχω, τροχόω, retento isthic etiam literarum ordine. Primam calcandi significationem secutus in prima versione *B. Lutherus Anno* 1525. ita convertit: Es wird ein Stern aus Jacob daher tretten/ und ein Scepter aus Israel auffkommen/ und wird zuschmettern die Uberſten der Moabiter/ und überweldigen alle Kinder Seth. Edom wird seyn besitz seyn / und Seir wird seyner Feynd besitz seyn/ Israel aber wird redliche Thaten thun. Aus Jacob wird der Hirscher komen / und umbringen/ was übrig ist von den Stedten. Melius omnino quam Biblia *Norimbergensia* ante B. Lutherum *Anno* 1483. typis exscripta: Ein Stern wird geborn von Jacob. und ein Rut steht auff von Israhel/ und schlecht die Hertzogen Moab/ und verwüst alle die Sün Seth. Quæ tamen optimam margini adjectam notam habent: er weyssaget von dem künfftigen Reych Israhel/ und von der Zukunfft Cristi und von seiner Person. In nostro a. vaticinio דרך non potest reddi per nasci, quem sensum nusquam habet, nec commode satis per calcare, quod minus stellæ convenit; cui cum Vulgata & B. Luth. in poster. edit. ortus, vel cum Osiandro, J. Tremellio, Pagnino & Aria Montano processus, magis est tribuendus. Hunc ortum expresserunt Græci verbo ἀνατελεῖ: cum vere hic designetur decantata illa ἀνατολὴ ἐξ ὕψους Luc. 1: 78. Eundem monstravit Syrus verbo ܢܕܢܚ. quod permutatione literarum apud Aramæos usitatissima ab Ebr. זרח deductum, eandem oriendi significationem retinet. Uterque Paraphrastes Chaldæus substituendo verbum קום sensum feliciter reddidit, rem similitudine stellæ recens exortæ denotatam, diserte denominans. Quoniam דרך hic notat regium incessum ac progressum, prædefinito tempore adimpleto factum, Christo ex Maria nato, ac in Zione Regi recens constituto tribuendum. Alias דרך proprie designat *pedibus calcare*, utpote terram, agrum, regionem, excelsa Deut. 1: 36. c. 11. 24. 25. c. 33. 29. Jos. 1: 3. c. 14. 9. 1. Sam. 5: 5. Job. 28: 8. Jerem. 51: 33. Amos 4: 13. Mich. 1: 3. ut equi in aqua Habac. 3: 14. DEUS in fluctibus marinis ambulare dicitur Job. 9: 8. Ita adhibetur de uvarum vel olivarum in torculari calcatione, Judic. 9: 27. Nehem. 13: 15. Job. 24: 11. Jes. 16: 10. c. 63. 2, 3. Jerem. 25: 30. c. 48. 32. Thren. 1. 15. Mich. 6: 15. *Conculcare* penitus atque super humi prostratis incedere etiam denotat, uti de prostratis fortibus Judic. 5: 21. Benjaminitis c. 20. 43. leonibus Ps. 91: 13. ædibus s. palatiis Mich. 5: 4. atque terminis vs. 5. habetur. Ubi vero cum nomine קשת constructum reperitur, notat tetendit, *intendit*, adduxit, attraxit arcum, utpote 1. Paral. 8: 18. 39. 2. Paral. 14: 8. Psal. 7: 13. Psal. 11: 2. Psal. 37: 12. Jes. 5: 28. c. 21. 15. Jer. 46: 9. c. 50. 14. 29. c. 51. 3. Thren. 2: 4. c. 3. 12. Zach. 9: 13. ex antiquo sagittariorum ritu, pedem alterum vel utrumque etiam arcui vel nervo imponentium, adeoque arcum pedibus veluti proculcantium, quo conferri meretur M. Roa *Part. II. Singul. Lib. IV. c. 7.* Quanquam & sine voce קשת significet intendere, ut ex Ps. 58: 8. Psal. 64: 4. Jerem. 9: 2. constat. Tandem ad actiones & studia malorum refertur Job. 22: 15. Jes. 59: 8. ut de דֶּרֶךְ res notior est, quam ut confirmari debeat. In Hiphil notat *deduxit*, incedere fecit Jes. 11: 15. tribuiturque potissimum DEO, qui summa motus voluntatis benignitate dilectis suas justitiæ semitas primum aperit, instruit atque munit, gradum dirigit, sistit & confirmat, ut ne hallucinentur, labantur, præcipitesque penitus ruant. Quo conferantur reliqua Scripturæ S. de verbo דרך loca Psal. 25: 5. 9. Psal. 107: 7. Ps. 119: 35. Prov. 4: 11. Jes. 42: 16. c. 48. 17. Habac. 3: 18. unde satis constabit, eum incessum ad mentem referri atque sanctæ vitæ institutum, non passibus corporis confici, aut certi spatii atque temporis intervallo definiri. Similem fere in modum nostra stella metaphoricum incessum, motum atque cursum rite tenet.

§. XIII. Dicitur autem stella Ebræis כּוֹכָב à radice penes Arabes hodienum superstite كوكب stellavit, micuit. Ubi & significatio & singula vocis elementa apprime respondent, consentiente aliarum Orientis linguarum suffragio: quod ex Chald. כּוֹכְבָא Syr. ܟܘܟܒܐ Arab. atque Pers. كوكب Æthiop. ኮከብ colligitur. Sunt qui originem ejus Ebraicam prætendant, atque deducant à כָּבָה extingui: quia καθ' ἀντίφρασιν stella est astrum minime extinctum: cum luce sua, ex primigenia communicata, quæcunque etiam minima gaudeat. Sed cum præceptionibus grammaticis ea deductio minus convenit, neque Arabicæ ullatenus præferenda. Literam כ mediam quam hæc origo non suppeditat, alii substituunt recensendo radicem כָּבַב pronus incubuit. Verum nec radix, nec significatio ista in Scriptura S. usitata. Accipitur autem כוכב in Scriptura S. proprio & primario, vel tralatitio sensu. Proprie ac generaliter notat omnia in universum lucida & globosa ætherei cœli corpora, quarto mundi die à glorioso DEO condita, die nocteque sua mundo ministeria lucendo, tempora distinguendo, efficaciter influendo præstantia, ut nec miras variasque eorum operationes recensere singulas, nec certum eorundem numerum inire valeamus. Solus stellarum Conditor gloriosissimus infinita gaudens scientia, naturam, operationes, numerum ac omnes in universum rationes illarum penitissime novit, ac suis velut nominibus determinat singulas, regitque universas. Ita majus minusque cœli lumen, stellasque pariter omnes, fixas & erraticas כוכב notat Judic. 5: 20. Job. 3: 8. Ps. 147: 4. Jes. 47: 13. Daniel. 12: 3. ab insigni tam numero Genes. 15: 5. c. 22. 17. c. 26. 4. Exod. 32: 13. Deut. 1: 10. c. 10. 21. c. 28. 62. 1. Par. 27: 23. Nehem. 9: 23. Nah. 3: 16. quam altitudine Jobi 22: 12. c. 38. 7. Jes. 14: 13. Obad. vs. 4. descriptas, & illic cum multiplicatione Israëlitarum, hic cum dejectione superborum potissimum collatas. Quicquid sit de definito stellarum juxta Ptolomæum, & pari radicum Ebræarum secundum quosdam numero 1022. Contradistingui nonnunquam solet כוכב soli, ut Gen. 37: 9. Job. 9: 7. lunæ Deut. 4: 19. Jobi 25: 5. Ps. 8: 5. Ps. 136: 9. Jerem. 31: 35. aut utrique etiam Gen. 1: 16. Neh. 4: 15. Psal. 148: 3. Jes. 13: 10. Ezech. 32: 7. Joël. 2: 10. c. 4. 15. quæ lumina majora tamen generali significatu suo alias complectitur. Metaphorico sensu elegantissime nomen istud est

est translatum ad hominis ætatem Cohel. 12:2. quo conferendus D. Geier Comm. in l. c. p. 448. futuram item beatorum, Martyrum inprimis ac Doctorum, gloriam, stellarum splendori assimilatam Dan. 12:3. Sed & in hac vita ratio stellarum universa egregie in Verbi Doctores competit, ut pluribus demonstrat D. Glassius *Phil. S. Lib. V. Tr. 1. c. 10. p. 226.* (1220.) Quod idololatrico cultu honorarint Israëlitæ corporum cœlestium imagines, eoque nomine כוכב veniat, ex Amos 5:26. constat: quo conferatur Joh. Seldenus *de Dis Syrus Synt. II. c. 6. p. m. 296. seq. c. 8. p. 308. seqq.* D. Chemnitius *Exam. Conc. Trid. P. IV. p. m. 678. b.* D. Glassius *Philolog. S. Lib. IV. Tr. 3. pag. 865.* (1007.) Frischmuth *de Melechet cœli.* Kircherus *Tom. I. Oedip. Ægypt. Synt. 4. c. 22. p. 387.* Hottingerus *Smeg. Orient. p. 78.* Dieu *ad Act. 7:43.* Pococke *not. ad Abul. Par. p. 390.* Fr. Junius *Lib. I. Paral. 92. Tom. I. Oper. p. 1466.* Sed meliori ratione quicunque pietate insignes cum כוכבים conferuntur Daniel. 8:10. conf. Matth. 24:29. Apoc. 1:16. cap. 12.4. de Verbi Ministris, Mundi Luminibus. Inde illustriores personæ merito stellæ nomine veniunt: qualem in Bileami vaticinio per vocem כוכב intelligendam esse, exemplo suo uterque Chaldæus docuit, reddens מלכא & quidem, ut Onkelos subjicit, משיחא de quo infra dispiciemus. Syrus & Samaritanus vocem Ebræam retinent; Græci per ἄστρον rite transferunt, in quantum ista vox paria facit cum ἀστὴρ, & unum stellæ corpus designat: uti frequenter istæ voces, diversum alias significantes, pro iisdem ponuntur, vid. Act. 27:20. Ebr. 11:12.

§. XIV. Stella isthæc oritura dicitur מיעקב ex Jacob. Ubi non est ut altius repetamus originem & denominandi rationem vocis יעקב. Constat ea luculenter ex ipsis S. Literis Gen. 25:26. cap. 27. 36. Vera significatio est ab עקב & detento, quod mireris, calcaneo infantis in ipso adhuc utero constituti. Eam contumeliose transfert Esau ad fraudulentam supplantationem l. c. Sequuntur minus caute multi invidum Esavi ingenium, à quo Parentum Jacobi, nomen imponentium, erat alienissimum. *R. Sal. Jarchi* ad Genes. 25:26. scribit: ויקרא שמו יעקב׃ הקב״ה׃ דבר אחר אביו קרא לו יעקב על שם אחיזת העקב *Et vocavit nomen ejus Jacob, DEUS nimirum Sanctus atque Benedictus ille. Alia expositio est, pater ejus vocavit eum Jacob, propter apprehensionem calcanei.* Ubi præter fundamentum hanc nominis impositionem ipsi DEO tribuit; ex vero tamen calcanei potius quam fraudis meminit. Philo tamen diserte Jacobum vocat πτερνιστὴν supplantatorem callidum ac fraudulentum, licet nonnihil excuset subjiciens: τὴν ἀρετὴν οὐκ ἀκουσίτι κλώμενος. Falluntur pariter, quotquot statuunt, radici עקב accessisse י ex nomine יְ potius, quam ex literis heemanticis, more in nominibus propriis pariter ac appellativis recepto. Designat ea vox primo ac proprie Isaaci ex Rebecca filium secundo-genitum: qui cum multiplicatæ in immensum familiæ Israëliticæ stirps atque conditor esset, factum inde est, ut universus ingens posterorum cœtus, à DEO in peculium electus ac fertilissimo Palæstinæ loco felicissime collocatus, eo Jacobi nomine in Scripturis S. sæpe multumque, & sigillatim nostro etiam loco, veniat. Quod nemini probabimus, qui S. Literas ignorat; nemo negaverit, qui easdem etiam non luculenter callet. Satis evidenter Targum Hierosol. non de persona, sed familia vocem יעקב interpretatur inquiens: מדבית יעקב.

§. XV. Adjungitur exortæ stellæ Virga sive sceptrum, in & ex Israël erigendum. Quo significatur officium Christi regium atque regnum medios inter hostes etiam potentissimum. Est enim sceptrum ferreum, eoque nomine in tumultuantes gravissimum Ps. 2:9. est & oris Christi sceptrum Jes. 11:4. quo, velut pastorali pedo, fideles in Ecclesia oves regit, atque mitissimo vividæ consolationis Ps. 23:4. & benevolentissimi regiminis sceptro Mich. 7:4. ducit potenterque defendit. Utrumque sceptrum tam ferreæ gravitatis, quam summæ benignitatis hic conjunctum dicimus, quippe in rebelles vel morigeros directum. Copulativum ו de eodem subjecto sermonem continuat, & Messiam adeo Gentis Israëliticæ, omniumque in universum populorum Regem constitutum iri confirmat. Verbum קום eodem quo דרך tempore præterito in eadem significationis classe, non sine peculiari designandi ratione adhibetur. Nimirum דרך הנבואה in re, quæ ex DEI decreto infallibili, manifestatione luculentissima, promissione lætissima convictaque Vatis conscientia certissime erat futura, præteritum pro futuro ponitur ob veritatem determinatissimam. Notat autem קום hic non *motum* sessioni aut cubationi contradistinctum, sive ipsam surrectionem, ut Ps. 139:2. sed potius *statum* & situm sceptri, erecte consistentis, divinitus constituti, æternum permanentis & ad vindictam improborum proclivis: quam significationem vir quidam doctissimus ex collatione קום cum נקם elicit. Stabile ergo, duraturum longeque firmissimum dicitur Christi regnum futurum: quippe æternum. Modus simul constituendi hujus regni erigendique sceptri verbo קום innuitur, quod nimirum velut surculus tenellus altas primum radices agere, inde sensim surgere, crescere ac mox justam altitudinem ac firmitatem acquirere debeat, cui infringendæ nullæ mundi Satanæque vires unquam futuræ sint æquales, nedum superiores. Idem dominium Onkelos significanter exprimit voce ויתרבא magnificabitur, dominabitur, quam in locum קום substituit, cum hanc jam ante loco דרך adhibuisset.

§. XVI. Elegantem surculi similitudinem monstrat nobis vox satis controversa שֵׁבֶט cujus origo ex Arabismo repetenda à سبط æquabilis fuit, ut adeo vi originis denotet virgam, quæ recta crescit, non curva vel tortuosa. Non ortum vel figuram, sed usum ejusmodi virgæ monstrat Chaldaica radix שְׁבַט excutere lanam, ac inprimis Syriaca ܫܒܛ duxit, produxit, extendit, opus ductile fecit ex auro vel ære, in paël flagellavit. Si ea, qua par est, ratione ad usum ejus Biblicum attendamus, duo inprimis significare deprehendimus, primario & proprie quidem virgam sive baculum; metonymice vero alia, ex teneriori virga fieri, aut eadem significari solita, puta calamum sive stylum scribæ, sceptrum Regis integramque tribum. Ita notat *virgam* sive baculum ex arbore aut succiso trunco enasci solitum, quo cyminum excutere Jes. 28:27. oves ac boves ducere ac ferire Lev. 27:32. Ps. 23:4. Mich. 7:14. servos filiosque immorigeros & officii sui immemores aut negligentes percutere ac fustigare licet Exod. 21:20. Prov. 10:13. c. 13.24. c. 22.15. c. 23.13. c. 26.3. c. 29.15. Ezech. 21:15.18. Adeoque suum præstat usum in re familiari atque castigatione paterna, herili, quin & morali, civili, ipsaque divina Job. 9:34. c. 21.9. Per *calamum* seu stylum Scribæ reddidit vocem שבט Chaldæus Judic. 5:14. כָּתְבִין בְּקוּלְמוֹס סָפַר scribentes calamo scribæ: ubi per seriem textus accuratissime virgam synodalis indictionis intelligit *D. Varenius Decad. Mos. in Genes. p. 594.* consentiunt rectissime in Versione & Notis Junius ac Tremellius. Alii implorati per literas impetratique auxilii, & obtenti per prælium principatus nullam rationem habentes, de Zabulonitis mercatoribus intelligunt, qui penna scriptoria, vel stylo potius sive radio Geometrarum & Arithmeticorum, cum vicinis Tyriis rationem sæpe inierint adeoque calamo inclaruerint. Ita *Andr. Masius Comm. in Jos. 19. p. 271.* Inde de *hastilibus* sive lanceis vox שבט adhibetur, qualibus confossus ac perforatus Absalom est, filius maxime immoriger 2. Sam. 18:24. Nec desunt, qui per concessam alias literarum transpositionem à שבט Latinorum stipes, Germanorum Stab/ aut spatha etiam deducant. Istud vero omni dubio caret, quod in Scriptura S. nomine שבט *sceptra*, regiæ majestatis insignia, aliquando veniant Ezech. 19:11. 14. indeque ipsa eminentia, auctoritas, potestas ac majestas regia, κῦρος τῆς πολιτείας καὶ ἀρχικὸν ἀξίωμα ita dicatur: ut ex Genes. 49:15. Psal. 45:7. Prov. 22:8. Jes. 14:5. Zachar. 10:11. & ipso loco nostro manifeste colligitur, atque invicte adversus contrasentientes, Rabbinorum & Calvini asseclas nonnullos, à Nostratibus est assertum. Conferantur è multis D. Franzius *Schol. sacrif. disp. XI. §. 85. p. m. 315.* D. Geier *Tom. I. in Ps. p. 390. 891. Tom. II. p. 215. in Proverb. p. 482.* D. Schmid *Colleg. Bibl. I. p. 172.* D. Glassius *Phil. S. Lib. V. Tr. 1. c. 12. p. 398.* (1333.) Hackspan. *Part. I. Not. Phil. p. 252.* D. Pfeiffer *Exerc. Bibl. p. 61. seqq.* inprimis vero D. Varenius *Decad. Mos. in Genes. p. 594. 597.* atque Vœtius *Tom. II. disp. select. p. 58.* qui accurate pluribus de hoc argumento egerunt. Peculiarem unicuique tribui virgam (ut Numer. 17:2. seqq. extra ordinem factum) quidam adsignant, contendentes, quod virgæ ejusmodi tribus nomen inscriptum fuerit, eaque à Principe tribus, tanquam potestatis insigne, gestari debuerit: quo videatur Menochius *lib. 1. de republ. Ebr. cap. 4. f. 23. seqq.* Sed potior eorum ratio videtur, qui stirpem & communem stipitem cum arbore conferunt, quod sicut arbor plures de se emittit virgas atque ramos: ita gentis Israëliticæ conditor plures de se familias integrasque tribus produxerit, hisque nomen שבטים rectissime hæserit. Quod in tanta omnium consensione usu Biblico probare supervacaneum ducimus. In nostro autem loco שבט pro sceptro & regali majestate sumi, ipsa res loquitur, & consentiens optimorum Interpp. suffragium testatur luculenter. Samaritanus interpres, Symmachus, B. Lutherus, J. Tremellius, Castalio aliique Latinorum, sceptri vocem rectissime retinent. Translatio

latio Arabica, Latina Vulgata & Santandreana, primam vocis significationem secutæ, longius à textu, significatum determinante, recedunt, reddentes: virga. Quam male sequuntur Biblia German. Norimbergæ ante B. Lutherum edita: ein Rut steet auff von Israhel. Longe rectius אונקלוס ipsum משיחא unctum Domini, adeoque Regem Christum non inè שבט intellexit: quod eleganter gemina voce expressit Targum Hierosolymitan. פריק ושליט Redemtor atque Dominator. Vox פריק redemtorem, liberatorem atque Salvatorem denotat, non tantum ratione periculi externi, quod corpori bonisque aliis ab hostibus hic imminet, sed & interni & æterni, quod animæ, æternum alioquin periturae, metuendum, nunc autem feliciter omnino amolitum est: ὁ κύριος ὁ θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ ὅτι ἐπεσκέψατο καὶ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ· καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν Luc. 1: 68. 69. ubi & Syrus de Messia nostrum פרק adhibet, inquiens: ܘܐܩܝܡ ܠܢ ܩܪܢܐ ܕܦܘܪܩܢܐ quin diserte eandem vocem ܦܪܘܩܐ Christo tribuit Luc. 2: vs. 11. & alias, uti & Chaldæus Zach. 9: 9. Rectissime pariter Syrus nostrum שבט reddidit per ܪܝܫܐ quod præstantissimum, præcipuum, in suo genere summum, ordine vel dignitate primum, &, ut verbo dicamus, Principem designat, ac paria facit cum τῷ ἡγουμένῳ apud Syrum Luc. 22: 26. Quapropter infra majestatem veritatis Ebraicæ substiterunt LXX. Interpretes, vocem שבט convertentes ἄνθρωπος. Unde errandi occasio multis subministrata, qui nunc atque olim nimiam Translationi huic velut ἀξιοπίστῳ, nisi prorsus θεοπνεύστῳ auctoritatem tribuerunt. Certe Origenes *homil.* 13. 15. 18. *& lib.* 1. *cont. Cels.* Athanasius *de incarnatione verbi*, Chrysostomus *homil.* 1. *in Matth.* Eusebius *lib.* 9. *demonstr. euang. c.* 1. Cyprianus *lib.* 2. *contr. Jud. c.* 10. Ambrosius *in Luc.* 2. Hieronymus *in Jes.* 46. Lactantius *l.* 4. *Instit. c.* 13. Isidorus *de nativ. Dom. cap.* 13. Prosper *l.* 2. *de prædict. cap.* 12. Leo *serm.* 4. *de Epiph.* Maximus *serm.* 3. *de Epiph.* Procopius, aliique existimarunt, stellam indicare divinitatem, istud שבט vero humanitatem Christi, quia ὁ reddiderunt ἄνθρωπος. Verum שבט nec hic, nec usquam in Scriptura significat hominem. Processio stellæ tam ex Jacobo futura dicitur, quam erectio sceptri ex Israele. Nomine שבט Christi θεανθρώπου officium regium, non natura humana describitur. Ideoque rectius istud Symmachus transtulit: σκῆπτρον. Male colligit *Lorinus h. l.*: Potestas regalis non administratur hic nisi ab homine; ut recte Græci hominem pro virga reddiderint. Sed isti nec verbum ipsum retinuerunt, nec sensum Christo, secundum officium regium considerato, congruum expresserunt. Per שבט hic non subjectum hominis nudi, sed cum adjuncto sceptro Rex sceptra tenens significatur. Alia est sceptri mundani administratio, alia regni Messiæ significatio. Generalia cum specialibus, & quæ inter se sunt diversissima confundit Lorinus. Quanquam enim apud omnes recte pieque sentientes in confesso sit, Christum ἐκ πατέρων τὸ κατὰ σάρκα esse revera ἄνθρωπον; hic tamen in officio regio spectatus in unitate personæ simul est ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας Rom. 9: 5. atque sistitur considerandus, ut ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς Act. 3: 15. τῆς σωτηρίας Ebr. 2: 10. καὶ πίστεως cap. 12: 2. & est ratione hujus שבט ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλέων (βασιλευόντων) καὶ κύριος κυρίων (τῶν κυριευόντων) 1. Tim. 6: 15. Apoc. 17: 14. cap. 19: 16. Maneat igitur assertum Christo Regi sceptrum ferreum Psal. 2: 9. rectissimum Ps. 45: 7. in medio inimicorum Psalm. 110: 2. oris Christi Jesai. 11: 4. amygdalo ex celeritate simillimum. Jer. 1: 11.

§. XVII. Sceptrum istud surrecturum dicitur מִיִּשְׂרָאֵל Quæ vox ישראל vi etymi notat *Principem DEI* fortis, à שָׂרָה Principem se gessit, atque אֵל DEUS. Quam deducendi rationem ipse DEI Filius nobis suppeditat Genes. 32: 28. cap. 35: 10. ut de prima hujus nominis impositione, impositique ratione nullum superesse dubium debeat. De quo audire juvat θεοφορούμενον *Lutherum* in cygnea cantione & Commentario vere aureo in Genesin ad c. 32: 28. *Tom. IX. Altenb. f. m.* 1027. *b. Omnes*, inquit, *sudarunt in hoc vocabulo explicando, quia absurdum visum est, nos appellari Dominos & victores DEI. Ac sane verum est, si secundum Philosophiam judicabis, sed in spiritu & Theologia recte & pie DEUS dicitur à nobis vinci: non tamen sic vincitur, ut nobis subjiciatur, sed judicium seu ira & furor ejus & quicquid nobis obstat, vincitur à nobis petendo, quærendo, pulsando, ut fiat ex irato judice, sicut antea videbatur, Pater amantissimus.* Alii verba vs. 30. ראיתי אלהים פנים אל-פנים respicientes reddunt nomen ישראל vir seu mens videns DEUM: adeoque quasi ab איש ראה אל deductum foret, decompositum faciunt Philo *lib. de profugis*, Origenes *lib.* 4. περὶ ἀρχῶν *cap.* 4. Basilius M. *in Jes.* 1. Nazianzenus *orat.* 2. *de Theologia*, Chrysostomus *homil.* 58. *in Genes.* Eusebius *lib.* 5. *demonstr. euang. cap.* 11. Augustinus *lib.* 16. *de C. D. cap.* 39. Hilarius, Prosper, Didymus, & novissime Del-Rio. Verum *quamvis grandis auctoritatis sint & eloquentiæ, & ipsorum umbræ nos opprimant, qui Israel virum sive mentem videntem DEUM transtulerunt, nos magis Scripturæ & Angeli, vel DEI, qui ipsum Israel vocavit, auctoritate ducimur, quam cujuslibet eloquentiæ secularis*, rectissime hic cum *D. Hieronymo Tradit. in Genes. pronuntiamus.* Quanquam ipse Ebraicè doctissimus, hic à se ipso diversus, à textu certe θεοπνεύστῳ alienus, *Comm. in Jesai.* 44. nomen ישראל incongrue deducat à יָשָׁר rectus & אֵל quasi dicas *rectus DEI*, nimirum cultor, victor &c. Sed nec י est radicale, nec ש in nomine ישראל reperitur. Adeo quicunque homo est εὔολισθον πρὸς ἁμαρτίαν πρᾶγμα. Nos à significatione genuina ad usurpationem biblicam nos conferimus, atque quod p. 26. de Jacobi voce tulimus, hic repetendum ducimus judicium. Israel nimirum primum dicitur colluctator Filii DEI Patriarcha Jacobus: à quo nomen pariter ac sanguinem ducunt Israelitæ, gens DEO quondam dilectissima. Hinc in loco nostro non Patriarcham, sed ipsummet DEI populum, Patriarchæ Jacobi progeniem, intelligi debere dicimus, vel ea sola satis prægnanti ratione ducti, quod vaticinetur Bileam, adeoque non de præteritis, sed futuris & quidem intervallo temporis bene longo loquatur. Ubi id haud præter rem adjiciemus, quod elegantissima ἐξηγήσει Bileam eundem denominet Israelem, quem modo Jacobum dixerat, ut ita utrumque nomen & olim in eundem Patriarcham, & nunc in unum eundemque propagatum ab eo populum rectissime conveniat. Similia repetiti hujus nominis exempla conspicere licet Ps. 14: 7. Ps. 147: 18. aliisque locis innumeris, non sine emphatica rei expressione: in quo omnes pariter consentiunt.

§. XVIII. Pronum inde colligere Principis Personæ sublimem è cœlestibus ortum, & constitutum primum in Jacob super Israelitis regnum Christi: cujus nunc in dilatato per totum terrarum orbem imperio spirituali judiciaria administratio duobus verbis traditur, totidemque quinam subjecti esse debeant docetur. Et cum ζυγὸν χριστοῦ χρηστὸν καὶ φορτίον ἐλαφρὸν quædam Gentes ægre sint admissuræ, sed abjecturæ, quæ his parata sit afflictio & infligenda pœna, luculenter prædicit Bileam: cujus in verbis ductum ex merito sequimur. Judicem severumque vindicem sistit Christum Regem prægnanti verbo מָחַץ: quod in genere notat conquassare, contundere, percutere, frangere, lethaliter vulnerare ut cruor inde fluat, adeoque cruentare, ut sagittas Num. 24: 8. nec calceorum soleas tantum, sed ipsos etiam pedes Ps. 68: 24. in sanguine inimicorum copiose effuso intingamus; quod hic Paraphrastes Chaldæus voce יִשְׁלוֹט & Syrus adhibendo à צבע verbum ܢܨܛܒܥ significanter expresserunt. Atque ita מחץ non tantum est alicujus rei integritatem lædere, sed & vim ejus penitus enervare, transfigere s. confodere atque perdere. Adhibetur enim de capite conquassato, vulnerato, cruentato Ps. 68: 22. Psal. 110. Habac. 3. (al. 4:) 13. de temporibus Sisseræ, terebrante clavo perfossis Judic. 5: 26. de lumbis confractis Deuter. 33: 11. de penetrantibus sagittis Numer. 24 8. de totali hostium prostratione, ut more Sisseræ succumbant, æterna sepulti nocte Psal. 18: 39. ut omnis absit repugnetque sanatio: quippe quæ directe nostro מחץ opposita cernitur Deut. 32: 39. Job. 5: 18. Jes. 30: 26. ut balænas DEUS מחץ Job. 26: 12. i. e. percutit, *quando allidit in commetione maris ad scopulos, & ita vulnerat, ut moriantur, aut in loca conjicit, ubi sat aquarum non habent, nec evadere possunt*, ut interpretatur D. Schmidt *Comm. in Job. pag.* 1047. Similem in modum hic horribilis hostium Christi, ut resistere 2. Samuel. 22: 39. & surgere nequeant Ps. 18: 39. prostratorum, strages edenda totalis clades, finalis pernities, universale exterminium, & rebellium caput Genes. 3: 15. omnisque in universum potestas, judicandi facultas, consiliorum sagacitas, nocendi cupiditas, armorum vis laterumque robur conquassandum, debilitandum, frangendum atque penitus comminuendum, horrenda sane interminatione, æternum quippe in inferno etiam duratura, prædicitur, ac verbo מחץ hic significatur, ut & Psalm. 68: 22. Psalm. 110: 5. conf. Psalm. 2: 9. In regno gratiæ percussionis medium est gladius spiritus Ephes. 6: 17. Jes. 11: 4. cap. 49: 2. δίστομος Ebr. 4: 12. sceptrum ferreum Psalm. 2: 9. rectitudinis Ps. 45: 7. verbi div. malleus Jerem. 23: 29. dolabra Hos. 6: 5. aliaque militantis Ecclesiæ arma spiritualia 2. Cor. 10: 4. Finis est, ut sanentur, hic æternumque salvi fiant, nisi sua sponte ruant in exitium, æternum perituri. Uterque Chaldæus hic adhibet verbum קטל quod sæpius de violento excidio illato à DEO Ps. 139: 10. Job. 13: 15. ab homicida cap. 24: 14. ab hoste

hoste Daniel. 5: 30. flamma ignis c. 3: 22. in S. Codice usurpatur notatque occisionem longe graviorem quam הרג. Syrus vertit per ܢܶܩܛܘܿܠ quod de æterno animæ exitio adhibet Christus Matth. 10: 28. confer inpr. Matth. 22: 7. qui locus nostrum egregie illustrat & *B. Fesselius* Tom. II. Adversar. S. lib. VIII. cap. 2. pag. 229. 248. Samaritanus idem מחץ retinuit, quod alias ingens quoque damnum & nocumentum ipsi notat.

§. XIX. Objectum justitiæ Christi vindicatricis constituuntur non imi tantum ex plebe, sed summo etiam loco conspicui, peculiari dignitatis nomine פַּאֲתֵי dicti. In ambiguo quidem hic apud nonnullos interpretes genuinus vocis hujus sensus. Proprie & communissime in Scriptura S. notat latus, angulum & extremitatem cujusque rei, ut R. Sal. ben Melech ad h. l. קצה כל דבר וסופו יקרא פאה / Ita Munsterus h. l. intelligit extremitates, sive quod percussio ista ad extremas regni partes pertingere debeat. Pagninus & Arias Montanus hic angulos, seu terminos, Junius & Tremellius latera convertunt, quod totam Moabitarum terram in omni angulo & latere ista percussio ferire debeat. Et isti quidem singuli literæ inhærentes sensum satis commodum ostendunt. Convenientior tamen videtur illorum sententia, qui elegantissima metaphora per פאתי angulos metaphorice tales, i. e. Duces atque Magnates intelligunt. Nam prout angeli atque latera, urbem: ita Principes atque Duces populum s. civitatem junguntur arctissime, sustinent firmissime. Quemadmodum vero latera seu anguli murorum olim arietibus, nunc tormentis majoribus verberantur, quatiuntur, perfossique destruuntur & solo æquantur: ratione haud dissimili Duces Moabitarum & idololatricæ Gentis Principes, si Christo resistant, quassabuntur, verberatique sceptro oris Jesai. 11: 4. concident, non aliter ac Hierichuntis muri Jos. 6: 20. ac Christo victori locum relinquent. Rectissime igitur antiquissima Codicis Ebræi Translatio Græca LXX. Interpp. vocem פאתי reddidit ἀρχηγὸς: consentiunt Vulgatus Latinus, Arabs atque B. Lutherus. Cum quibus optime convenit Onkelosi vox רברבי quæ Magnates, Primores Exod. 6: 6. 2. Reg. 10: 6. Principes 2. Sam. 8: 18. cap. 19: 6. ipsosque Reges Jerem. 17: 25. Ps. 45: 17. Ps. 118: 9. denotat. Accedit eo alter Chaldæus Interpres תקיפי robustiores, Potentiores atque Magnates denominans. Nec textus series huic sententiæ refragatur: cum de Moabitarum Rege ac futuro regnorum in Oriente statu hic vaticinetur Bileam, in quantum quidem eadem Ecclesiæ Christi præbebunt aut denegabunt hospitium. Si Principes atque Reges Ecclesiæ nutritii Jes. 49: 23. esse nolint, percutiendi & gravissima clade afficiendi dicuntur. Samaritanum פתי Angli reddunt Stultos, ut etiam *Cl. Castellus* Lexic. heptagl. col. 2951. quasi idem foret ac Ebræum פְּתִי quo nomine Ebræi simplicem, non præcise stultum describunt aut insulsum: quo vid. *Cl. Hackspan* Part. II. not. phil. pag. 87. Sed non videtur istud Samaritanum ad פתה persuasus fuit reducendum; cum meliori ratione statuere liceat, א more apud Orientales receptissimo ex פאתי esse extrusum, alioquin vocem Ebræam à Samaritano prorsus retentam, sensu satis prægnanti. Quanquam & Samaritana radix פתה crescere, erumpere, in multitudinem evadere Gen. 30: 30. 43. c. 38: 29. c. 48: 16. conferri possit, & voci פתי concedere significationem Magnatum, opibus atque viribus auctorum. Syrus reddidit ܓܢܒܵܪ̈ܐ Gigantes, sive strenuos, fortes, robustos, potentes: quam alias etiam de נפלים adhibet, Genes. 6: 4. Radix est ܐܬܓܢܒܪ viguit, viriliter egit, virum sese præstitit 1. Cor. 16: 13. Jes. 42: 3. Optimorum igitur Interpretum sententia non tantum de regione, sed principibus etiam viris Moabitarum h. l. sermo est.

§. XX. Est vero nomen מוֹאָב post Sodomitarum excidium, omnibus seculis memorandum, omnium primo inditum illi Lothi filio, quem ex incestuosa cum majori filia commixtione susceperat Genes. 19: 37. Ratione originis significat ex patre natum: quo nomine merito natu major Lothi filia pessime audit apud pios, quod non tantum illicitæ consuetudinis inauspicatum fecerit exordium, sed postremo etiam de perpetrato eo facinore velut gloriata fuerit, perpetuamque hujus memoriam indito filii nomine extare voluerit. Quo ipso Ebræos à Moabitarum connubiis deterrebat DEUS. In nostro a. loco à conditore Gentis transfertur ad universum Moabitarum populum, ut Ismael pro Ismaelitis Genes. 28: 9. Edom pro Edomitis cap. 36: 9. Celebris ex hac Moabitarum gente Ruth in S. Literis memoratur, Abavia Davidis Ruth. 4: 17. qui suo Moabitas imperio subjecit 2. Sam. 8: 2. Ps. 60: 10. Qui idololatria atque superbia infames, ut infensissima Israelitarum hostes in Scriptura S. sæpius introducuntur Jes. 10. tot. c. 25: 10. Jer. 48. Ezech. 25: 8. Amos. 2: 1. Sophon. 2: 8. Regionem, ut alias Orientis, accurato studio descripsit *Adrichomius* Theatr. terræ S. n. 51. f. 129. & *Arias Montanus* Antiquitat. p. 54.

§. XXI. Quod de Moabitarum Primoribus, Christo repugnantibus, hactenus allatum, idem nunc verbis, Interpretum culpa difficilioribus, de omnibus in universum mundi nationibus asseritur. Singulæ aut orientem stellam agnoscent, & sceptro Messiæ fasces submittent, aut si secus facere præsumant, gravissimum sui exterminium ex regione viventium experientur, æternasque pœnas dabunt. Excidium notat vox קַרְקַר quæ intensivæ significationis est, habetque formam Pael Chaldaicam, & non nisi semel adhuc Jes. 22: 5. in S. Codice occurrit. Utrobique destructionem infert, ac rei ante probe instar muri fundatæ abolitionem fædam ac miserabilem. Insistit priori metaphoræ, & ut verbis antecedentibus angulos Moabitarum tormentis verberandos, ita nunc muros aliarum civitatum perfodiendos, destruendos, solo æquandos, sicque hostes in potestatem redigendos esse monstrat. Ita n. diversa, quæ diversi vocabulo קרקר tribuunt, significata satis commode de conjungere licebit. Plurimi Judæorum atque Christianorum קרקר reddunt vastare, *destruere*, ut cum Vulgato Pagninus. Tremellius atque B. Lutherus. Ita R. Sal. ben Melech קרקר׳ ענינו הריסה הקיר כמו שהוא משורש מסיר השרש כן וקרקר קיר הורס הקיר Hinc Chaldæis קַרְקַרָא est vastatio, destructio Gen. 48: 3. Sed judicat Cl. Castellus Lexic. Heptagl. col. 3428. ita ineptissime converti; rectius Onkelosum reddidisse, *dominatus est*, cui astipulentur Syrus, Arabs, ipsa ratio & fidei analogia, nec non usus Arabum, quibus patentis regionis significatum habeat. Hinc Armen. kirak, karuk, potens, validus, Cr. κύριος, κυριακός. Hactenus ille. At quam longe petita Græca sint, quilibet agnoscit. Quæ vero pro dominandi sensu affert alia rectissime sese habent, modo non opponantur significationi destruendi. Quandoquidem dominium istud inter hostes eorundem subjugatione ac propugnaculorum destructione acquiratur. R. Sal. Jarchi significationem *fodiendi*, effodiendi ex 1. Reg. 19: 24. urget, atque cum קור confert, inquiens קרקר לשון קורה כמו אני קרתי מקבות בור נוקרתם יקורה עורבי נחל פוריי״ר בלע״ז Istud quidem analogia Grammatica facillime admittit, modo significatio ista argumento satis firmo demonstrari posset. Rectissime Onkelos transtulit per שְׁלַט quod notat irruere in aliquem, hostiliter invadere, vi ingenti opprimere, per illatam vim in aliquem dominium obtinere Regis instar Dan. 2: 38. seqq. c. 5: 7. 16. c. 6: 25. Confer de שַׁלִּיט potenti dominatore D. Gejerum in Dan. p. 135. 338. Targum Hierosol. ut emphasin vocis קרקר exprimeret, duo verba rectissime adhibuit רוֹקֵן וְשֵׁיצֵי Est v. רקן ab Ebræo ר״יק ortum, idemque quod abstulit, eripuit, deplevit, spoliavit ap. Jonathanem Genes. 31: 9. 16. Exod. 3: 22. c. 12: 36. cap. 33: 6. Verbum v. שיצי in Scriptura S. accipitur in bonam partem notatque perfici, finiri, consummari Esr. 6: 15. apud Targumistas autem in malam partem acceptum significat consumere, perdere, exscindere Thren. 2: 2. cap. 5: 16. 22. Psalm. 90: 9. Syriacum ܫܥܒܶܕ non tantum humiliationem, sed servilem prorsus subjectionem notat, eamque durissimam, qualis Israelitarum in Ægypto Exod. 3: 7. cap. 4: 31. Deducitur enim per שׁ ab Ebr. עבד quod expressisse videtur Castalio voce perdomabit. Alienum prorsus sensum quidam cum Samaritano inferunt, reddentes: percutiet Duces Moab וקרקר & caput seu verticem vel altitudinem. Ita ex verbo nomen faciunt & loco קַרְקַר legunt קָדְקֹד hoc sensu: Christus tam superiores quam inferiores sibi repugnantes perdet. Nam Samaritanum רומה רום & ראמים notat Caput Genes. 49: 26. c. 25: 16. Deut. 33: vs. 20. sive præstantissimos atque summos.

§. XXII. Ultima eaque maxime controversa verba supersunt כל בני־שת Ubi Vox שֵׁת potissimum attendenda. Tributa ea primum legitur tertio Adami filio Genes. 4: 25. notatque idem quod substitutus, repositus, fundamento impositus. Fundamentum enim civitatis DEI Ephes. 2: 20. typusque Christi fuit, qui Fundamentum Ecclesiæ infimum ac solidissimum 1. Cor. 3: 11. cui & ipse fide innixus vixit, quo etiam ὀνομαθέτης respexit, Confer *D. Calovium* Comm. in Genes. p. 572. Satis incommode igitur Augustinus lib. XV. de C. D. cap. 18. vocem שֵׁת interpretatur resurrectionem & Cedrenus ἐξανάστασιν, Thomas Aquinas vero invocationem, vid. *Sixt. Amamæ* Antibarb. bibl. p. m. 240. Præterea שֵׁת semel Jes. 20: 4. eam corporis humani partem posteriorem notat, in quam sessuri sese veluti ponunt. Nunc disquiritur: an Seth hic accipiatur ut nomen proprium, vel appellativum? prius eligunt plurimi, posterius Junius & Tremellius. Quadruplici autem ratione variant, qui nomen proprium asserunt, Primo commu-

communiſſime intelligunt Patriarcham Sethum, tertium Adami filium, ab hoc enim per pium Lamechum atque Noachum omnes poſt diluvium homines deſcendunt ac Sethigenæ dici poſſunt. Cum celebratiſſima illa aquarum inundatio omnes Cainitas ac cœtum Infidelium è medio ſuſtulerit. Admittit eam interpretationem fidei analogia, quæ regnum Chriſti univerſale in omnes omnino gentes aſſerit. Neque tamen omnes in univerſum homines ſive in typum à Davide ac Iſraëlitis ſub jugum mittendos, ſive re ipſa à Chriſto exſcindendos prædicit: quia ut promiſſiones divinæ piis factæ exceptionem crucis continent; ita comminationes conditionem vitæ impœnitentis atque finalis ἀπιστίας includunt 1. Tim. 2: 15. Sunt tamen altero loco, qui malunt intelligere nomine Sethi certam quandam, & ſigillatim Cananæam gentem Judæis finitimam & ſatis notam. Sed idem remanet dubium: cum nuſpiam in S. Scriptura peculiaris gens eo nomine veniat, nec, cur Cananæi ita dicti ſint, oſtendi poſſit. Eadem difficultas premit tertiam ſententiam R. Nathanis, qui ſtatuit certam Moabitarum urbem nomine Seth intelligendam eſſe. Verum populi Moabitici in univerſum jam mentio diſerta adfuit, nec, ſi ἐπεξήγησιν ſtatuamus פאתי reſpondere poteſt vocibus כל בני שת. Quartæ ſententiæ auctor laudatur Hugo Grotius, nihil vero propius eſſe quam Seth nominatum fuiſſe Regem aliquem eximium inter Moabitas. Aſt nihil Scripturæ S. magis conſonum quam Seth eſſe Patriarcham fide ſcientiaque multiplici poſt Adamum inter antediluvianos conſpicuum. Regem ejus nominis hiſtoria ſacra pariter ac civilis ignorat. Et quomodo per filios Sethi poterunt intelligi ſoli Regis Moabitici filii? num filii idem quod ſubdit? Chriſto Regi non tantum Moabitici Regis ſive filii, ſive ſubditi, ſed omnes omnino homines ſunt & eſſe debent ſubjecti, de quibus hic ſermo, non vero Moabitis, multo minus ſolis. Alios certe à Moabitis intelligunt Junius & Tremellius, qui quintam loci hujus interpretationem ſuppeditant, ſumto vocabulo Sethi pro appellativo. Exiſtimant enim Ammonitas Midianitas & Orientales cæteros ad Euphratem uſque pertingentes dici vel filios ſedis ſive eos qui pone ſunt; quia poſt tergum Bileami iſta in Moabitide vaticinantis ſiti ſunt; vel filios obſidionis. Confer *B. Glaſſium* Phil. S. Lib. IV. Tr. 3. obſ. 17. p. 854. (999.) Præiverat ipſis qua prius Targum Hieroſ. reddendo כל בני מַדִּנְחָא nam מַדְנְחָא orientalem notat Jer. 26: 10. à דְּנַח quod videatur ſupra p. 24. Sed longe rectius Targum Onkeloſi tranſtulit כל בני אֱנָשָׁא omnes homines. Cum quo conſentit Rabbinorum ſapientiſſimus Aben Eſra & Raſchi, cujus ſunt ſequentia: כל האומות שכולם יצאו מן שת בנו של אדם הראשו Similiter R. Sal. ben Melech. ad h. l. בני שתצכמו בני אדם כי ממנו נתקיים העולם Quam ſententiam atque rationem velut reliquis potiorem Scripturæque S. conformem merito ſequimur. Tandem poſt ſingulorum vaticinii verborum brevem interpretationem, diſquirendum paucis de complemento. *Judæi* quidam (1) de Davide & terreno Iſraelitarum regno rebuſque magnificis ſub Davide & inſecutis eum Regibus ad Chriſti uſque ætatem geſtis, fortuna, qua uſi ſunt benigniori ac ſplendida ſ. excellentia populi Iſraelitici tantum iſtud vaticinium intelligunt. Ita רשי ad h. l. זה דוד שנ/ בו ששכב אותם ארצה וימד שני חבלים להמית וגו/ Reſpondemus verbis R. Abendana in Spicil. ad h. l. הנה לא היה מיעקב מי שהרס ורמס כל האומות או המדינות שבעולם עד היום ולזה יחויב שנודה מעל מלך המשיח אשר אנחנו מקוים ביאתו נאמרה זאת הנבואה. Junius, Tremellius, Piſcator, aliique *Calviniani* intelligunt (2) Davidem & alios Iſraelitarum Reges, Chriſti tamen typum gerentes. Sed de diu poſt futuro longeque excellentiſſimo Meſſiæ regno ſecundum literam ſermo eſt: ut evincunt eminentiſſima prædicata, quæ ne quidem omnibus ſimul ſumtis Iſraelitarum Regibus, nedum ſoli Davidi aliive conveniunt. Abſurda impietate ſua *Pontificii* quidam ſeipſos confutant, qui (3) B. Virginem ſtellæ hujus nomine cum Lorino intelligunt. Nec illi Scripturæ S. ductum, ſed Veterum tantum quorundam auctoritatem ſequuntur, qui (4) ſtellam Magis in Oriente viſam hic intelligendam putant. Præter ſolum nomen ea nihil cum ſtella ex Jacob oriunda commune habet. Signum tantum veræ hujus ſtellæ fuit, aſtrologiæ peritis à notiori datum. Ne unicum quidem loci noſtri prædicatum illi ſtellæ attribui poteſt. In eo a. omnes nunc, Judæi pariter ac Chriſtiani conſentiunt, (5.) turpiſſimum fuiſſe, impoſtorem Bencochab vel *Bar-Cochab*, qui antea Coſab כּוֹזָב dictus, adverſus Adrianum Imp. cum Judæis circa A. C. 130. rebellavit, præſidia Romanorum interfecit, in Judæa 50. caſtella & 980. vicos tenuit, Bethoron ſ. Bitter probe munivit, ſibique Meſſiæ titulum ſumſit, ut arctiori religionis vinculo Judæos ſibi fideles haberet. Abblanditus illi R. Akiba in noſtro loco pro כּוֹכָב legendum כּוֹזָב & iſtud adeo dictum de ipſo, ceu vero genti Judaicæ promiſſo Meſſia, intelligendum eſſe, vaniſſime cum ipſo contendebat. Mox ſeveram DEI animadverſionem uterque incurrit, quando ſublatis è vita auctoribus 45000. Judæi in ſolo Bethoron occiſi, quinquies centena millia in univerſum cæſa, aliis, qui peſte fameque perierunt, in cenſum non relatis. Repertum ſigillatim Bar-cochabi cadaver eſt, ut ingens circa collum ſerpens hæreret. Ejus nomen poſtmodum Judæi mutarunt in Barchoziba, & filium mendaciorum dixerunt. Conferatur *Dio Caſſius*, *Euſebius* Lib. IV. H. E. c. 6. & in Chronico, *Gerſon* in Talmud Part. II. c. 9. *Seldenus* de Dîs Syr. Synt. II. c. 6. p. m. 305. Iſtud nos inde retinemus, plurium ejus ætatis Judæorum conſenſu dictum noſtrum de Meſſia eſſe intelligendum: quod & antea Targumiſtæ, & poſtea R. Maimonides aliique Judæi doctiſſimi agnoverunt. Ideoque (6) *Orthodoxi* cum alias Jeſum Nazarenum eſſe verum promiſſum mundo Meſſiam ex omnibus de iſto editis vaticiniis atque κριτηρίοις invictiſſime demonſtrant, tum ſigillatim ex noſtro oraculo ſinguliſque ejus prædicatis, cum Scriptura S. rite collatis, ſolidiſſime confirmant, ad ſolum Jeſum Chriſtum ſecundum literam hæc omnia ſpectare: id quod ex applicatione fiet manifeſtum, & ſupra p. 15. ſeqq. partim conſtitit ex V. & N. Inſtrumento. Quod autem Chriſtus Jeſus ſtella ſit & quomodo, pluribus monſtrarunt B. D. *Chemnitius* Harm. Euang. c. 1. p. 36. 40. 41. 587. 719. 754. 829. 887. 1074. 1219. 1325. B. D. *Gerhardus* c. 146. p. 164. a. 173. a. 200. a. 212. b. 256. b. & Com. in 2. Petr. p. 145. B. D. *Botſacc.* Moral. Gedanenſ. f. 555. a. Promt. alleg. p. 271. 290. D. *Althof.* H. E. pag. 1018. B. D. *Weller* faſcic. viv. 132. *D. Geier* in Daniel. p. 53. *Feſſelius* Tom. II. conc. funebr. p. 489. *D. Varenius* Decad. Moſ. in Geneſ. p. 596. ac inprimis B. D. *Glaſſius* onomat. proph. pag. 180. Ex quo elegantem aliorum paraphraſin oraculi noſtri tandem ſubjicimus: *Videbo eum, ſed non modo, intuebor illum, ſed non prope* h. e. Fruſtranea erit mea maledictio adverſus illum populum, quem peculiariter ſibi DEUS elegit, ex quo Filius DEI aſſumta carne naſcetur: nondum quidem adeſt adventus & nativitatis illius tempus, ideo videor mihi eum velut è longinquo intueri; ſed tamen certo complebitur illa promiſſio, ac DEUS propter illam promiſſionem regnum illius populi tamdiu conſervabit. *Procedet enim ſtella ex Jacob.* h. e. Filius DEI indutus carne humana ex hoc populo prodibit, radios doctrinæ & miraculorum ſuorum longe lateque ſparget, orietur inſtar Luciferi in cordibus credentibus 2. Petr. 1: 19. & illuminabit eos ad vitam æternam. *Et conſurget virga ſeu ſceptrum ex Iſrael* h. e. Meſſias ille non erit ſolum Doctor populi ſui, ſed etiam Rex cœleſtis. *Et percutiet Duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth* h. e. qui ſe non conferent ad illius regnum, ſed manebunt increduli, ac ſceptro illius ſeſe opponent, illos conteret & devaſtabit æterna internecione. *Et erit Edom poſſeſſio ejus, & erit poſſeſſio Seir inimicis ſuis.* h. e. omnes hoſtes (qui per Idumæos capitales Iſraelitarum inimicos, in Seir habitantes, deſignantur) gladio ſpiritus debellabit. *Iſraël vero faciet virtutem* h. e. Eccleſia, Meſſiæ regnum, glorioſe triumphabit. *Et dominabitur de Jacob & perdere faciet ſuperſtitem de civitate* h. e. regnabit in domo Jacob in æternum & regni ejus non erit finis Luc. 1: 33. Tandem etiam omnes regni ſui hoſtes pedibus ſuis ſubjiciet. 1. Corinth. 15: vſ. 25, 26, 27.

SOLI DEO GLORIA!

M. JOH. WILH. HILLIGERI

DISSERTATIO

De Vestimentis Israëlitarum in deserto ad Deut. VIII: 4. &c.

בש״ש:

PRÆFAMEN.


Uantis gentem ISRAELITICAM benignissimum NUMEN complexum fuerit beneficiis, qui non novit, se nunquam, ne fugitivo quidem oculo, sacrum inspexisse codicem, tacite fatetur, utramque cum in illo faciant paginam. Equidem talem inter Christianos (de Judæis enim quis ambiget, quos res majorum ignorare indecens esset?) hominem non dari sum persuasissimus; quandoquidem & (a) gentiles illorum non prorsus ignaros fuisse constat, qui tamen à lectione Scripturarum remotissimi. Meum hinc ut faciam, singula suo ordine evolvere, nemo autor erit, dum de vestibus tantum καδδυώαμιν commemorare molior, quibus prospectum fuit vagantibus Israëlitis per desertum, deque quadragenaria illarum soliditate. Admirandum sane beneficium, ex quo provida omnipotentia divina quam clarissime elucet, quodque non immerito Judæi inter (b) נאמנים seu *stabilia*, quæ vocant, miracula recensent. Utinam vero illud digne explicare possem! Verum cum argumenti difficultas, virum requirens, juvenem nactus sit admiratorem, B. L. (si quem forte inveniant hæ pagellæ) revocet sibi in animum πολυθρύλλητον Hebræorum dicterium: הנמלים לא יוכלון לשאת משא הגמלים: *formicæ non possunt ferre onus camelorum*: cum inprimis ipsum latere nolim, ingenii vires periclitandi gratia hanc opellam esse susceptam; quam, ne methodi negligens arguar, in tria dispescam capita. In quorum primo, quod *Philologicum* audiat, singulas suo ordine voces, in tribus illis locis, quæ indicat inscriptio præfixa, occurrentes excutiam. In secundo versionum convenientiam & discrepantiam examinabo, inde *Syncriticum* appellans. In tertio demum *Problemata* exinde deducta pro ingenii modulo decidam. Tu vero, SUMME DEUS,

Huc ades, & nostris clemens allabere cœptis.
FIAT!

(a) *Vide* Justinum *lib.* 36. *cap.* 2, *& quos citat in Notis Bernegg. Quamvis multis commentis veritatem in odium Judæorum defœdent.* (b) Saubertus *Dissertat. de Æneo Serpente.* §. 2.

CAPUT I.

PHILOLOGICUM.

Hujus initium, CUM DEO, sit à Deut. 8. Comm. 4. ubi se offert vox prima

שמלתך] Maxima inter autores de Etymo hujus est dissensio; nec minor de significatione. שמלה, quod patet, absoluta forma est nominis, quam etiam radicem faciunt (a) *Johannes Forsterus*, jure sui ævi Hieronymus appellandus, & qui eum, ut in plerisque omnibus, ita & hic sequitur, (b) *Joh. Avenarius.* Sed nomina, præsertim quadrilitera, raro esse radices, ex demonstratione (c) Excellentissimi *Pfeifferi* in vulgus notum, fateturque ipse (d) *Avenarius.* Nec felicius rem expedierunt, qui à שמאל *sinistra pars, sinistrum latus*, ut (e) *Nicolai*, & nonnulli apud (f) *Marcum Marinum Brixianum* in תבת נח s. *Arca Noæ*, rationem originationis & denominationis hancce reddentes: *Sic dici, quod dextera ejus pars in sinistram injiciatur.* Qualis vero hæc injectio, nec Davus, nec Oedipus forte intelliget. Prorsus autem sibi non constat ipse (g) *Marinus*, qui שמלה per transpositionem literarum à שלמה, & hoc iterum per transpositionem literarum à שמלה deducit, quod quivis dictum autorem evolvens deprehendet. Radicem potius arbitror שמל, eam, cum obsoleta in Ling. Ebr. repetens ex Arabismo, ubi شمل, testibus Viris πολυγλωττοτάτοις (h) *Valentino Schindlero*, (i) *Hottingero*, (k) *Edmundo Castello*, datur, quod *cinxit, circumdedit, vestivit, induit, operuit* &c. notat. Posset quidem etiam ex Syr. ܫܠܡ *perfecit, absolvit &c.* (ut concedit (l) *Castellus*) non in vita significatione derivari, quia vestis non absoluta, imperfecta, parum usus præstat. Sed concinnius prius. Significationem quod attinet, litem movet (m) *Marinus* sæpe nominatus, qui exponit de veste externa tantum, *cappa, mantello*, ut ipse loquitur ad genium linguæ Italicæ. Verum non obstant solum autoritates reliquorum Lexicographorum, quos inspiciendi copia mihi fuit, unum si excipias *Forsterum*, qui magis in *Marini* opinionem propendet; sed locus etiam præsens. Nam certum omnino, & reliquis, præter pallia, Israëlitarum vestibus, quas gestarunt, concessam esse soliditatem. Gestasse autem quis inficiabitur? Cum enim in calidis istis regionibus tenuissima induerentur materia, plures aliis superinjiciebant vestes, opportunitate id ferente. Proxima corpori erat tunica; super eam femoralia seu (n) feminalia, מכנסים dicta; (erant braccæ, sine scissura tamen, ut observat (o) *Josephus*, tegendis partibus verendis, quæ habebant duas alas aut oras, venientes ad genua & poplites usque, superiori parte sub umbilico vehementer adstricta, ut ex *Hieronymi Epist. ad Fabiolam* describit (p) *Casaubonus.* (q) *R. David Kimchi* de hisce dicit: קראו מכנסים בלשון שנים יהוא בגד אחד לפי שיש לו שתי כנפות: *Etsi* מכנסים *non nisi una vestis est, formatur nihilominus in numero duali, eo, quod ei sunt duæ aliæ*) (r) hæc excipiebat stola, vestis talaris, cui addebatur cingulum, quo succingebatur, ne gressum impediret; superque hæc omnia pallium, constans quatuor pannis certo modo inter se junctis, Græcis inde τετράγωνον dictum. Qua de causa etiam pallium Christi tanto commodius in quatuor partes distribui potuit, docente (s) *B. Gerhardo* & (t) *B. Henrico Mullero. Hic itaque erat vestium ordo*, inquit (u) *Ludovicus de Dieu*: I. *Indusium.* II. *Subucula cum subligaculis s. fe-*

(a) *In D. E. p.* 866. (b) *In Lexic. E. p.* 819.

(c) *Introduct. in Orientem. p.* 90. *&* 91. (d) *In Regulis de Radice investiganda, præfixis Lexico E. Reg. III.* (e) *Lex. Harm. p.* 608. (f) *S. Thes. L. S. P.* 2. *p.* 234. (g) *L. d. & in* שלמה. (h) *Lex. Pentagl. pag.* 1889. (i) *Lex. Harm. pag.* 538. (k) *Lex. Heptagl. p.* 3776. (l) *L. d.* (m) *L. c.* (n) *De feminalibus & etymo eorum, vide Lexicon Martinii Philolog. pag.* 814. (o) *L.* 4. *ἀρχ. c.* 8. (p) *Exercit.* 16. *n.* 84. (q) *Lib. Rad. p.* 229. *edit. Venetæ.* (r) *Conf. omnino Sigon. de Rep. Ebr. p.* 195. *seq.* (s) *Harm. Evang. ad Joh.* 19: 23. *c.* 200. *p.* 1979. (t) *In Jesu patiente not.* 59. *p.* 165. (u) *Comment. in* 4. *Evang. p.* 499.

s. feminalibus. III. *Stola.* IV. *Pallium.* Quamvis in numerum quaternarium non omnes consentiant; (quidam enim (v) *quinque*, nonnulli *tres* (w), *Henricus Müllerus* (x) *duas* tantum faciunt) extra dubii aleam tamen positum, pluribus indutos fuisse Hebræos vestibus. Nec ullum hic renitentem habemus.

לא] De hujus particulæ radice multum ut sollicitus sim, nec operæ pretium, nec instituti mei. Sive enim לאא cum plerisque, sive לא cum (y) *Marino*, s. לו cum *Kimchio* & (z) *Pagnino* radicem dicas, manet nihilominus particula. De cæteris, quæ huic voculæ in fontibus accidunt, vide (aa) *Försterum*, (bb) *Castellum*, (cc) *Bochartum*, (dd) *Schindlerum*, (ee) *Buxtorffium*, & (ff) *Flacium*, operose eandem pertractantem.

בלתה] בלה *Inveterasco, vetustesco.* [sit venia verbo *Pagnini*] Dicitur de re, quæ vel tempore, vel usu consumtionem accipit. Maxime vestibus proprium, quæ paulatim atteruntur. Cognationem quandam habet cum נבל, יבל & אבל, nisi quod, ut forma, ita modo significandi inter se varient. Deinde contrariam habet significationem verbis חבל, בחל. (gg) *Marinus* (hh) Antitheton ejus facit עמר. Sed quam bene, aliis dijudicandum relinquo. Superat hoc בלה adhuc in Chald. Syr. Arab. Æthiop. ut ad oculum ex tabulis Harmonicis (ii) *Hottingeri* patet, imo & Samarit. Non inconvenienter fortean cum quibusdam hinc Græcorum πάλαι *olim*, παλαιὸς *vetus*, &, si ita placet, Germ. **faulen**/ quia vetera putrescunt & decidunt. (kk)

מעליך] Nec multum in hujus particulæ enucleatione desudabo. Ne tamen nil dixisse videar, sufficit indicasse, מ hic abundare, & מעל idem esse ac simplex על, contra distinctionem *Merceri*, qui (ll) inter על & מעל sic distinguit, ut prius respondeat Latino *super*, posterius autem τῷ *supra*. (mm) *Super* autem & *supra* sic distinguunt, ut *super* de contiguis, *supra* de supereminentibus sine contiguitate dicatur. E.g. Habeo manum *super* tabula ut tangat: *supra* tabulam ut non tangat. Sed jamdudum est explosa à (nn) *B. Glassio*, & aperte contrarium docet præsens locus. Vestes sane tangunt ipsis indutum corpus. Quod de cætero ad radicem hujus particulæ, omnes uno ore consentiunt in עלה *ascendit*, nec refragatur significatio. Qui plura desiderat, adeat B. *Glassium* (oo) prolixius hujus particulæ & ejus multifariarum, quas induit, significationum evolutioni immorantem: vel concisius *Philippum Henricum Heerwart.* (pp)

ורגלך] Pedibus quasi in diversas abeunt sententias de vocis hujus origine autores. Nomen רגל radicem faciunt *Försterus*, *Marinus*, *Schindlerus*, *Pagninus* (qq), &, quem citat, *Kimchius*, indeque deducunt verbum רגל *detrahere*, *detrectare*; quod *detractores jugiter eant, & narrent verba hujus alteri*, ut inquit (rr) *R. Kimchi.* Sed magis arrident, qui verbum nomine prius faciunt, ejusque significationem genuinam ex Arabismo, ubi رجل *Pedes fuit*, *Pedavit*, cum (ss) *Castello* & (tt) *Hottingero* repetunt, quæ in forma *Kal* amplius non prostat, (uu) attamen in mixta Hiph. תרגלתי pro הרגלתי (vv) *Assuefeci*, *pedavi*, **wie die Mutter ein Kind gängelt**/ **und lehret gehen**/ ut loquitur *B. Lutherus* in margine. רגל autem hic proprie accipitur, non pro *calceamentis Metonymice*, ut contendunt (ww) *Bonfrerius*, & (xx) *Matthæus Polus* hisce rationibus. 1. *quia hic opponitur vestimento.* 2. *quia sic explicat Moses Deuter.* 29: 5. 3. *quia Exod.* 21: 5. גף *corpus sumitur pro corporis indumento.* 4. *quia & Es.* 41: 3. *invenitur.* Sed ad hasce rationes infra in peculiari quæstione respondebitur. Alibi quidem alias significationes admittit. *Gen.* 30: 30. *Metaleptice* pro *labore & industria* accipitur. (yy) *Gen.* 33: 14. pro *modo* & *captu* adhibetur: *Ego minabo paulatim* [לרגל] *pro pede pecoris* i.e. *prout id progredi potest.* Quibusdam etiam רגל sunt *pudenda Jerem.* 2: 25. ut notat Scheræus. (zz)

לא בצקה] Tam dissentientes de hac voce videas Lexicographos & Commentatores, ut dextre conciliare eosdem virium mearum, ingenue fateor, non sit. Ex collatione aliorum locorum fortassis certi quid elici posset; sed destituimur iisdem. Jacet enim hic & Nehem. 9: 21. tantum. Ex nomine בצק, quod *conspersionem*, seu *massam farinæ subactam*, *pastam* (ut appellat, Italice (a) *Münsterus*, (b) quæ calefacta tumescit) significat, quodque radicem faciunt *Marinus*, (c) & *Pagninus* (d) autoritate *Kimchii* nixus, invitis reliquis, multi venantur verbi, quod hic habetur significationem, & explicant per *Tumuit*, *Intumuit*, *Extumuit*, *extuberavit*, simul etiam per Metaphoram usurpari de pedibus inflatis, observantes. Quam sententiam fovent longa & spectabili serie *R. Aben-Ezra*, *R. Moses Gerundensis*, *R. Mord. Nathan*, (e) *R. Sal. Jarchi*, (f) *Chytræus* (g) *B. Joh. Gerhardus* (h) *Magnif. Dn. D. Calovius*, (i) *Schindlerus*, (k) *Avenarius*, (l) *Münsterus*, (m) *Pagninus*, (n) *Buxtorffius*, (o) *Cajetanus*, (p) *Sa*, (q) *Tostatus*, (r) *Franciscus Junius*, (s) *Castellus*, (t) *Hottingerus*, (u) *Rauppius*, (v) *Cornelius à Lapide* (w) quibus & ego modeste adstipulor, non alia ductus ratione, quam experientia. Videmus enim longum iter ingredientibus, præsertim quibus id insolens, pedes intumescere & turgentes vesicas contrahere. Alii idem nomen secuti, per *fermentavit*, *pinsuit* i.e. *pressit terram nudus*, ut solet per pistoris massam subigere. Nam is mos Ægyptiis farinam subigere pedibus, ut ex *Herodoto* (x) & *Strabone* (y) observat *Matthæus Polus* (z). Sed an inter Judæos, ad quorum mores Scriptura se maxime accommodat, hic mos obtinuerit, dubitatur. *Subagitavit lutum* alii. Pedes enim nudi, cum in stercore ambulant, pastam videntur subagitare. Germ. vocaremus **den Koht kneten.** Cujus sententiæ est *Marinus* (aa) & laudatus *Polus* (bb) *Försterus* (cc) per *Maceratus est* expressit. Liberum cuique, quam eligere sententiam velit. Prior tamen, ut simplicissima, ita optima. Plura desiderans *Gerhardum* & *Polum* adeat. (dd)

זה] Pronomen Demonstrativum Personæ, loci & temporis, non sine emphasi Numerali junctum. Vide *Glassium* (ee) & *Scheræum.* (ff)

ארבעים] Nomen commune, tam ordinalis, quam cardinalis numeri. Derivatur ad mentem virorum Clariss. *Castelli*, *Hottingeri*, *Buxtorffii*, *Avenarii*, *Schindleri*, *Försteri*, *Scheræi*, *Pagnini* (gg) à רבע *quadravit.* Suo sensu abundet *Marinus*, qui à Nomine quadrilitero רבוע; *Hujus*, inquiens, *radicis Derivativa sunt* ארבעים, ארבעה. (hh)

שנה] *Annus*, quia varias mutationes & vices habet, sæpiusque iteratur, juxta illud *Horatii*: (ii)

Diffugêre nives, redeunt jam gramina campis
Arboribusque comæ.
Mutat terra vices, & decrescentia ripas
Flumina prætereunt.
Frigora mitescunt Zephyris: ver proterit æstas
Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit; & mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant cœlestia Lunæ.

A Radice Ebr. שנה *mutatus*, *commutatus*, *variatus*, *diversus*, *alteratus*, *iteratus*, *reiteratus*, *repetitus*, *geminatus*, *ingeminatus est.* Vel si sequi malis *Hottingerum* (kk), ab

Aaa 3

(v) *Apud Müllerum l.d.* (w) *Ibid.* (x) *L.c.* (y) *P.* 1. *pag.* 337. (z) *Thes. L.S. pag.* 1097. *qui & citat Kimchium.* (aa) *Pag.* 66. (bb) *Pag.* 1843. (cc) *Hieroz. P.* 11. *pag.* 452. (dd) *Pag.* 927. *seq.* (ee) *Pag.* 1113. *Lex. Ch. R. & Bibl. p.* 381. *seq.* (ff) *Clave Scripturæ S. P.* 1. *pag.* 747. (gg) *Vid. Försterus p.* 93. (hh) *P.* 1. *p.* 70. (ii) *Pag.* 34. (kk) *Vide Avenarium & Scheræum in Itinerario in Psalmos Davidis, suis in locis.* (ll) *In Comment. Genes.* 1. (mm) *Vide Martin. Lex. Philol. p.* 3809. (nn) *L.* 4. *Phil. S. Tr. I. Observ. IV. p.* 858. (oo) *L.* 3. *Phil. S. Tr.* 6. *Can.* 12. *pag.* 772. (pp) *Scrutin. Philol. pag.* 117. (qq) *Suis in locis.* (rr) *In l. Rad. apud Pagnin. pag.* 2270. *edit. prioris, qua usus sum.* (ss) *Pag.* 3515. *seq.* (tt) *Pag.* 458. (uu) *Hæc significatio* (pedavi &c.) *nimirum. Alias enim Kal invenitur adhuc Psal.* 15: 3. *in usitata sc. significatione.* (vv) *Hos.* 11: 3. (ww) *Comm. in Pentateuch. ad h. l. p.* 934. (xx) *Vol.* 1. *Synopseos Criticorum aliorumque Scripturæ interpretum in h. l. pag.* 774.

(yy) *Vide ibi Marg. Luth. & Deut.* 11: 6. (zz) *In Lexico Psalteriali pag.* 789. (a) *Vide Lex. Mart. p.* 2538. (b) *In Lex. suo loco.* (c) *P.* 1. *pag.* 77. (d) *Pag.* 257. (e) *Citati B. Gerhardo Comment. in Deuter. ad h. l. p.* 520. (f) *Citatus Hottinger. in Smeg. Orient. l.* 1. *c.* 6. *p.* 95. (g) *Comment. in Deut. ad h. l. pag.* 256. (h) *L.c.* (i) *In Bibl. Illustr. ad h. l.* (k) *Pag.* 228. (l) *Suo loco.* (m) *L. d.* (n) *Thes. L. S. p.* 257. (o) *In Lexico Ebr. suo loco.* (p) *Cit. Calov. l. d.* (q) *Citatus Bonfrerio in h. l.* (r) *In h. l.* (s) *T. I. Operum Comm. in Deut. p.* 524. (t) *p.* 410. (u) *p.* 40. (v) *Biblioth. Portat. P. I. Comment. Synopt. in Deut. ad c.* 8. *v.* 4. *p.* 662. (w) *Comment. in Pentat. p.* 959. (x) *L.* 2. *cap.* 3. (y) *L.* 17. (z) *L.c.* (aa) *L.c.* (bb) *L. sæpius alleg.* (cc) *Lex. p.* 109. (dd) *h. l.* (ee) *Philol. S. l.* 3. *Tr.* 2. *c.* 6. *p.* 511. (ff) *Pag.* 210. (gg) *In Lexicis.* (hh) *P.* 11. *Arc. Noæ p.* 224. (ii) *Lib.* 4. *Carm. Od.* 7. (kk) *Pag.* 516.

ab Arabico ... *plures extitit annos.* Habuerunt autem Hebræi annum lunarem mensibus XII. & 354. diebus constantem; eumque Politicum & Ecclesiasticum. Politici ראש est æquinoctium autumnale, sub quo existimant mundum à DEO fuisse creatum in תשרי. Ecclesiastici seu sacri ראש, est æquinoctium vernum, sub quo ex Ægypto egressi in ניסן; Et quidem novilunium, ipsi æquinoctio proximum, sive præcedat, sive subsequatur, sive in illud incidat. Erat etiam initium anni quoad arbores & fructus XV. *Decembris*, quo arbores succum suum recipiunt *Deut.* 14:22. *Item* quoad Reges, in quo numerant ab anno, à quo Rex fuit constitutus 1. Sam. 13:1. ut notat *Castellus.* (ll) Deinde annus est vel פשוטה *simplex*, sive *lunaris* XII. mensibus & 354. diebus constans; vel מעוברה *impregnatus* sive *embolimæus* XIII. mensibus constans Deut. 14:22. (mm)

DEUTERON. XXIX: 5.

ואלך] Verbum ילך defectivum & imperfectum: caret enim Præterito, nec legitur in voce passiva, neque in secunda & quarta conjugationibus, in quibus usu venit verbum הלך, quo cum in significatu congruit. Differt à verbo בוא, quod *venire* significat, i. e. motum, sed aliunde in locum, vel ad personam. At ילך sicut & הלך in vel à loco seu persona motum, seu profectionem aliorsum. Nullum, ut patet ex Concordantiis, præter הליכה i. e. *ambulationis* sive *ambulandi* significatum admittit. *Castellus* inde Græcorum ἀλύγω & ἕλκω originem deducit. (nn).

אתכם] את verbis activis, ut h. l. subjunctum *Accusativum*; Passivis *Nominativum*; Neutris *Præpositionem* quandam exprimit. (oo) *Avenario* (pp) & *Schero* (qq) descendit ab אתה *venit*; propterea, quod statim post illud veniat res aut persona. Aliis, & forte rectius, primitivum est. Multi ab אתה ob *Dagesch F.* quo nonnunquam afficitur.

במדבר] Etymon & מדבר est ἀντιφρασικὸν, à privativo מ, & Nomine דבר, quod inter alia est *rerum ordo*, (דבר enim à quo hoc, non *loqui* tantum, sed & *ordinare*, *regere*, *dirigere*. Unde & apis Hebræis דבורה dicta, quæ animal est politicum.) (rr) q. d. *inversio ordinis & progressus humani*: quale etiam Etymon habet vox מאורה *Spelunca*, ab אור *luxit*. Non omnes quidem conveniunt. *Marinus* (ss) plane incertus hæret. Alii à דבר *pestis*, quod desertum locus sit contrarius vitæ humanæ. (tt) Sed optimum est Etymon, præsertim si דבר ex usu Chald. pro *conversatus est*, accipias. Ut adeo מדבר sit *locus incultus*, *solitudo*, uti describitur *Jerem.* 2:6. *per quam non transiit vir*, *nec habitavit homo ibi*; *ubi homo non invenit*, *quibus indiget.* Differre dicitur ab ערבה *campestria*, quæ sunt in planicie; מדבר vero in montanis & saxosis. Sumitur interdum pro plaga meridionali, quod desertum Judææ à meridie esset. (uu) Semel מדבר in S. Codice pro locutione adhibetur, ut *Cant.* 4:3.

שלמתיכם] Omnes (vv) fere consentiunt, vocem hanc ab inusitata quadam radice שלם derivandum esse. Et notat *Hottingerus* (ww) in omnibus, quas in Lexico Harmonico adumbravit, linguis, adhuc superante nomine, eandem deficere. Quidam tamen malunt per transpositionem literarum à שמלה, ut *Marinus* (xx) supra jam tactus, & *Forsterus.* (yy) Quos juvant similes in radicibus literarum transpositiones sub uno eodemque significatu. v. g. דאב & ארב *contabuit*, חרף & דחף *impulit &c.* (zz) Quanquam nec obelo notandi, qui cum *Nicolai* (a) (hoc pacto irritam faciente notam *Hottingeri* jam laudatam) natales hanc vocem debere Arabico ... *concinnavit corium pellemve*, asserunt: quia olim vestes utplurimum fuerunt pelliceæ, quales & ipse DEUS concinnavit Protoplastis, & adhuc usu veniunt in regionibus versus Septentrionem Russia, Muscovia, &c. Notat autem vestem in genere, ut *Coccejus* ex *Kimchio* (b) שמלה & שלמה generalia vestium nomina esse, contendente, probat,

(ll) *pag.* 3790. (mm) *Videatur Schindl. in Lex. Pentagl. pag.* 1905. *& Strauchius Brev. Chron. l.* 4. *cap.* 2. (nn) *Vide passim Lexica, maxime Scheræum p.* 334. (oo) *Vide Wellerum Spicileg. Quæst. Eb. Syr. I. Q.* 2. *& Pfeifferi Introduct. in Orientem Quæst.* 23. *pag.* 104. *Havemanni Theognos. cap.* 5. §. 2. (pp) *Lex. E. p.* 58. (qq) *Lex. Psal. p.* 74. (rr) *Vide Bochartum Hieroz. P.* 2. *p.* 502. (ss) *P.* 1. *p.* 358. (tt) *Forsterus p.* 167. (uu) *Vide Schindl. p.* 364. (vv) *Pagnin. Buxtorff. Castellus, Schindl. suis in locis* (ww) *p.* 536. (xx) *P.* 2. *p.* 227. (yy) *p.* 865. (zz) *Vide Præcell. Dn. Præsidis, Præceptoris mei honorandi Dissert. de Homicidio & Vindicta Lamechi* §. 4. (a) *Lex. Harm. p.* 608. (b) *p.* 907. *Lexici Ebr.*

nihil moratus distinctionem *Aben Ezræ*, qui, ut autor *Ohel Moëd* (c) monet, שלמה dicit eam vestem, qua homo se tegit, exteriorem puta. Itaque שלמה esset שמלה, non vice versa. Sed deseritur hic *Aben Ezra* à plerisque aliis autoribus. Vide & supra in שמלה.

ונעלך] *Calceus*, *calceamentum.* Sic dictus eleganter per translationem, quasi pedem claudens & obserans. Hinc claret originem, ducere à verbo נעל, cujus significatio nomini præsenti maxime propria habetur *Ezech.* 16:10. ואנעלך תחש *calceabam te taxo*; Ich zog dir semische Schuh an/ Lutherus. *Scheræus* (d) ab hoc verbo נעל German. Nagel/ *Clavus*, deducit, quia eodem aliquid quasi clauditur & constringitur. Per me licet, præsertim si cum quibusdam ע ut g efferat.

Reliqua, quæ hic occurrere possent, supra jam tacta. Finem tandem addat huic capiti locus tertius *Nehem.* 9:21. ubi duæ tantum voces, in superioribus non excussæ, occurrunt, quæ cum ad institutum nihil vel parum faciant, paucis evolvam. Prima est.

כלכלתם] Verbum *Piël* activum, de quo dubitare nolo cum *Marino*, (e) an sit ex *Ain-Vau*, vel ex *duplicibus*? Malo enim cum plurimis & optimis inter Ain-Vau reponere. (f) Quod ad significationem attinet, τῷ *calculus* Latino est affine; (g) *Ordinavit*, *dispensavit*, *sustinuit*, *sustentavit*, *aluit*, quasi diceres, *annonam in victum alicujus mensuravit*, *seu ad calculum*, *vel in summam disposuit.*

חסרו] חסר *defuit*, *eguit*, *indiguit*, de re & persona. Inde חסר *inopia*, & *Cosyra* (h) ab inopia sic dicta; Insula maris mediterranei prope Africam, cui vicina est *Gaulos* & *Melita*, de qua canit *Ovidius*: (i)

Fertilis est Melite sterili vicina Cosyræ
Insula, quam Libyci verberat unda freti.

(c) *laudatus Coccejo l. d.* (d) *p.* 240. (e) *P.* 1. *p.* 323. (f) *Castello p.* 1696. *Pagnino* 1003. *Forst. p.* 370. *Schindl. p.* 840. *Schikardo in Gramm. de* ע"ו (g) *Vide Marinum l. c.* (h) *ex mente Castelli p.* 1329. (i) *l.* 3. *Fast. vs.* 564.

CAPUT II.

SYNCRITICUM.

DEUTERON. VIII: 4.

שמלתך] Quod supra notatum de Lexicographis, sententiam *Marini*, ajentis שמלה *tantum vestem externam denotare*, eorum non ferre suffragia, idem hic de versionibus affirmandum, quæ, quoquot habentur, omnes de vestimentis in genere interpretantur. τὰ ἱμάτια quidem, quæ LXX. habent, ansam dubitandi suppeditare possent, suffulto distinctione præprimis *Dilherri* (a) inter ἱμάτιον, quod de veste exteriori intelligit, & χίτωνα, quem priori contra distinguit. Hanc distinctionem interdum observari non repugno; (b) attamen non semper, uti ex solo *Scapula* (c) colligere est. Quodque nec hic locum inveniat, aperte indicat *pluralis*, quem & *Syrus*, *Arabs*, *Dietenbergius*, *Lutherus*, *Saxonica* habent, propiores aliquanto fontibus, cum retinuerint, eosdem secutæ, personam *secundam singularis*, quam mutarunt in *secundam pluralis Jonathan* (sive jam ejus כסותכון pro *singulari*, sive *Plurali* habeas) *Belgica*, uwe kleedinghe/ & *Castalio*: *Non vestimenta vobis obsoleverunt.* Κατὰ πόδα vero expresserunt reliquæ omnes. Rectius. Nec patrocinantur Versiones (quod fortasse minus dextre explicanti in animum venire posset) *Vulgata*, quæ: *Vestimentum tuum*, *quo operiebaris*; [quod non immerito quidem reprehendit *Osiander.* (d) Poterit enim inde cuidam occasio nasci particularem vestium colligere soliditatem] & hujus imitatrices *Dietenbergii*: Deine Kleider/ damit du gedecket warest/ *Antiqua Germanica* Argentinæ 1485. & Norimbergæ 1483. excusa: Dein Gewand / damit du warest bedecket. Hisce enim expressam esse particulam מעליך, mox patescet.

לא בלתה] Constantissimam omnium cum textu authentico versionum hic videas convenientiam, quæ non sensum & verbum tantum, sed & literas secuti sunt, Orientales præsertim

(a) *Disp. Acad. P.* 1. *p.* 132. (b) *Vide Mullerum JESU patiente nota* 59. *p.* 165. (c) *L. Gr. p.* 562. (d) *Parte I. Bibl. in Deut. cap.* 8. 4. *pag.* 274.

sertim. *Onkelos* לא בליאת *non veteravit*; quamvis *Hutterus* legere malit בליאת (e) Textus & versio *Samaritana* easdem literas & syllabas, quas sacer Textus, habent, dum exprimunt, ille per [Samaritan], hæc per [Samaritan]. Quod & videre est in *Syro*, *Arabe*, & *Jonathane Ben Uziel*; quorum prior per [Syriac]; Secundus per [Arabic] & ultimus per לא בלת. Ut adeo nunc firmo nitatur talo assertum Hottingeri supra laudatum, τὸ בלה in omnibus superare linguis, utut ubivis ultima radicali mutata. Nec hic abludunt LXX, qui per οὐκ ἐπαλαιώθη, quod, ut & supra notatum, non omnino nullam videtur habere convenientiam cum בלה. Nonnullæ quidem editiones, annotante *Briano Waltono* (f) ut Oxoniensis, Aldina, οὐ κατετρίβη, Complutensis οὐκ ἀπετρίβη legunt. Verum si conjecturæ locus esset, putarem utrumque κατετρίβη & ἀπετρίβη fuisse glossas, à nonnullis, quibus subobscurum fuit ἐπαλαιώθη profectas, quasque suis illeverunt exemplis. Quæ deinde nacti librarii imperiti, glossam pro lubitu, ut istud vulgus solebat, transtulerunt in textum. Cujus rei indicia quotidie deprehendunt illi, qui in conferendis MSS. profanorum autorum occupati. Sed conjectura est, nemini obtruditur. Phrasi & voce, quamvis hodie paululum obsoleta, attamen vestibus convenientissima, usus est *Dietenbergius*: **Deine Kleider sind auß Alter nicht verschlissen.**

מעליך] Possem & hic versionibus distinctionem *Merceri* supra tactam refellere, sed supersedeo brevitatis studiosus, id tantum monens, plerasque significationem voculæ expressisse, vertentes *super te*, vel *in te*, ut *Onkelos*, *Samaritana*, *Syrus*, *Arabs*, *Vatablus*, *Munsterus*, & *Saxonica*. *Vulgatus* circumlocutione usus: *Vestimentum, quo operiebaris*; ut & *Dietenbergius*, cum *antiqua Germanica* laudata. *Junius* & *Tremellius* cum *Piscatore* sensum secuti: *Vestimentum tuum non inveteravit, quin tegumento sit tibi.* Quod originem suam forte debet LXX. quia ἀπὸ σοῦ; & *Targum Jonathanis*, quod: מעילוי גושמכון *à corporibus vestris.* *Castalio* penitus omisit. Hic LXX. inserunt: Τὰ ὑποδήματά σου οὐ κατετρίβη ἀπὸ σοῦ. Quæ tamen desunt in *Oxoniensi*, *Aldina & Complutensi* Editionibus, (g) *Bibliis Hutterianis*, ut & *Theodoretho.* (h)

ורגלך לא בצקה] Fontibus propiores accedunt versiones, quæ per *tumuit* interpretantur בצקה. Quod facit antiquissima versio *Samaritana*. Cujus imitatrices sunt *Pagnini*, *Montani*, *Tigurinorum*, *Junio-Tremelliana*, *Piscatoris*, *Lutheri*, princeps inter Germanicas, *Belgica*, *Saxonica*. A sensu non alieni sunt *Syrus*, *Arabs*, *Jonathan* & *antiqua Germanica*: *pedes tui non sunt nudati*, vertentes. Pedes autem nudi iter facientium intumescunt. Nec LXX. adeo abludunt, qui per ἐτυλώθησαν *occalluerunt*, ut recte legunt Biblia Græca ex editione *Wechelii* Francofurtensia, cum *Theodoreto*, codicibus *Regiis* & *Bibliis Sixtinis*; non ἐλυτρώθησαν, ut perperam codices *Basileenses*. (i) Paululum ab Emphasi vocis בצק recedunt *Vulgatus*, socios nactus *Castalionem* & *Dietenbergium*, vertentes: *Pes tuus non est detritus sive subtritus.* **Dein Fuß hat sich nicht abgestossen.** Targum *Onkelos* longissime & à verbo & à sensu: ומסנך לא יחיפו, *Calceamenta tua non sunt attrita.* Non prætermittendus h. l. Textus Samaritanus, qui loco Ebr. ורגלך לא בצקה habet. [Samaritan] *pedes vestri non intumuit.* Maxime hic locus corruptionem textus Samaritani arguit, quem & annotat *Waltonus* (k) ad evertendam *Johannis Morini* hypothesin, ac si textus *Samaritanus* ubivis plane idem ac integer cum Ebræo sit. Digna quæ vapulat ab *Hottingero* in *Exercitationibus Anti-Morinianis.*

זה ארבעים שנה] Emphasin τῷ זה sat eleganter expresserunt LXX [ἰδοὺ] & *Syrus* [ܗܐ]; quos sequitur *Vulgatus* [*en*] & *antiqua German.* (**Sieh es ist das vierzigst Jar.**) (Si modo hæc Emphaseos expressio ortum suum non debeat falsæ lectioni LXX *Interpretum*, cujus suspicio sæpe in eos cadit, ut pro זה inverso literarum ordine legerint הן *ecce*; & hunc errorem secuti reliqui, inscienter genuinum sensum apprehenderint.) Est enim hic πρoσδιoρισμὸς non frustra additus, quo *Moses* admonere voluit Israëlitas, grata recolant mente accepta beneficia. Suadent quoque hanc translationem accentus distinctivus minor *Tipcha*, sub זה, qui quasi remoram quandam ipsi injicit, & divellit à subsequentibus, & antecedaneus, sub בצקה, *Atnach*, qui novam regionem auspicatur, adeoque novam distinctionem, *colon*, aut minimum *semicolon* postulat. Cui & satisfecit (studione an casu factum affirmare non audeo) versio *antiqua Germ.* probe observans accentus & distinctionem in sacro textu extantem. Digna quæ huc transcribatur: **Deyn Gewand mit dem du warest bedeckt das gebrast nye von Alter**; (Hic semicolo non inconcinne vim *Sakephkaton*, quem sustinet מעלך, expressit, quamvis melius factum fuisset commate majori, aut si ita loqui liceat, semicolo mentali. Verum cum neque prius neque posterius dari queat, hactenus semicolon locum habet) **und deyn Fuß ward nye getretten**: (Optime *Athnach* colo) **Sieh es ist das vierzigst Jahr.** Nec neglexerunt hoc *Junius* & *Tremellius*, cum sequace *Piscatore*, qui regioni *Sylluci*, quam transtulerunt priores: *ipsos 40 annos*: posterior: *hos 40 annos*, præmittunt *semicolon.*

DEUT. XXIX: 5.

ואולך אתכם ארבעים שנה] In tertia persona LXX & *Syrus*, quorum vestigia legunt *Vulgatus*, *Dietenbergius*, cum *Sam. Saxonica*, *& antiqua Germ.*, ut & ipse Megalander *Lutherus*, invito quidem textu sacro & reliquis translationibus. Nec multum tamen refert. Sensum enim magis respiciunt, quam verbi אולך *personam*, & subintelligunt, *ait Dominus*, ut *Esa.* 53. & alibi, notante *Polo.* (l) Distinctionem *Athnachi* hic omnes versiones probe observant, quod perlustranti ad oculum patebit.

לא־בלו שלמתיכם מעליכם] Quæ supra tum ad מעליך, tum ad reliqua verba notata, eadem & hic loci, mutatis tantum *Numeris & personis* applicari possunt. Repetitione nemini molestiam creo.

ונעלך לא־בלתה מעל רגלך] Faciles hic se dant conciliatori versiones, non multum discrepantes. Secundæ personæ numerus pluralis, quem hic renitente textu S. & versionibus *Onkelos*, *Dietenbergii*, *Lutheri*, *Saxonica*, *Munsteri*, *Junio-Tremellii*, *Piscatoris*, reliquæ omnes amplectuntur, salvo tamen sensu, non multum negotii facit; ut nec varia lectio, quam in *Targum Onkelos* observat *Samuel Clerice* (m) ex *Regiis* Bibliis, quæ pro לא־עדי מעל רגלך, *non attrita sunt in pedibus tuis*, ut communiter legunt, לא יחיפו מעל רגלך *non recesserunt à pedibus tuis.* Notant etiam autores *Variarum Lectionum* (n) 2. MSS. in *Vulgato*, loco *vestrorum*, *tuorum* habere cum Ebræo. Eadem de Textu *Samaritano* hic retrocurrunt, quæ supra notata, qui & hic corruptionem sapit, dum pro ונעלך לא בלתה habet [Samaritan] *calcei vestri non sunt attriti.* (o)

NEHEM. IX: 21.

וארבעים שנה כלכלתם במדבר לא חסרו] Vim vocis כלכלתם probe expresserunt *Munsterus* cum *Junio* & *Tremellio*, per *sustentavit*, quod idem ac *aluit*, *pavit*, *enutrivit.* *Terentius* (p) *solus omnem familiam sustentat.* Germ. probe: **Er nehret und hält das gantze Hauß aus.** Sat convenienter *Lutherus*, *Dietenbergius* & *Saxonica*: **Viertzig Jahr versorgstu sie/ etc.** Quodammodo recessit à sensu Arabs: [Arabic] *Quadraginta annos fuisti cum eis in deserto.*

שלמתכם לא בלו ורגליהם לא בצקו] Nolo hic repetere, quæ in prioribus notata. Moneo tantum *Syrum* h. l. sententiam mutasse, quam fovebat in priori loco & hic ורגלהם לא בצקו vertisse [Syriac] *calcei eorum non sunt lacerati.*

(e) *Bibl. 6. Lingu. Norimb. 1559. editis. impresso Dagesch. F. literæ* י. (f) *In Collatione LXX. Edit. Rom. cum Veneta & Complutensi pag. 17. Tom. 6. Bibl. Angl.* (g) *annotante Waltono loco supra cit.* (h) *Notante Flaminio Nobilio T. 6. Bibl. Angl. Notis ad LXX. pag. 24.* (i) *Vide Jac. Bonfrerium Comment. in Pentateuch. ad c. 8. vs. 4. Deut. p. 934. & præprimis Magnif. Dn. D. Calovium in Bibliis Illustratis ad h. l.* (k) *Tom. 6. Bibl. Angl. Collat. Pent. Ebr. cum Samaritano p. 32.*

(l) *Synopsi Criticorum ad Deut. 29: 5. p. 859.* (m) *Observ in Jaraph. Chald. Tom. 6. Angl. p. 33.* (n) *Tom. 6. Angl. Bibl. in variis Lectionibus à Luca Brugense, Hensenio collectis p. 4.* (o) *annotante Waltono l. c. p. 33.* (p) *in Adelphis. Act. 3. Sc. 5. vs. 34.*

C A-

CAPUT III.

PROBLEMATICUM.

QUÆSTIO I.

An manna, vel aliud quid, fuerit cauſa miraculoſæ veſtium ſoliditatis?

QUæſtio hæc mota eſt in gratiam *R. Aben-Ezræ* (a), & autoris צאנה וראינה *Zeënaureëna* (*Zennorennæ*, ut Judæi pronunciant) quorum prior, mannam talis temperamenti fuiſſe contendit, ut ſudorem non gigneret, quo veſtes peruſtæ inveterarentur. Frivolum, ut recte cenſet *Chriſtophorus Pelargus* (b), hic ſe prodit *Aben-Ezra*. Hoc minime ſufficiebat. Solo uſu teruntur veſtes. Dato enim, quod & nos hodienum nunquam ſudore perfunderemur, brevi tamen veſtimenta noſtra deficerent vetuſtate attrita, maxime ſi itineribus occuparemur, ubi citiſſime ſi non penitus corrumpuntur, deteriores ſaltem efficiuntur, quod de veſtibus Iſraëlitarum non aſſerendum. Accedit, quod nec ullus cum *Aben-Ezra* hac in parte faciat, iſtiusmodi virtutem mannæ tribuens. Alter vero partim leni auræ, partim herbis odoriferis, quibus veſtes ſuffumigarint Iſraëlitæ, ſoliditatem hanc acceptam ferendam eſſe probare ſatagit. Hujus verba, cum lepide ſonent, me huc transſcripſiſſe, neminem male habebit. Sic autem infit: (c) Die Kleider von ישראל ſeyn nit verfaulet auf ישראל virtzig Jar/ und das iſt ein groß נס geweſen/ in einem Hemd zu gin virtzig Jar. Itzundert der Menſch wenn er git שלשים in einem Hemd/ da hot er צרות מכל שכן virtzig Jar. Neuert הק"בה der hot ein guten Wind geloſen auf ſie wehen/ der hot gemacht alle die Kleider neu/ und kein ſchöbes iſt nit drein komen. Er fregt רבי עליעזר von wegen רבי שמעון: Mit was hot הק"בה ישראל in der מדבר gekleid? Er antwortet ihm: mit ſeydene Kleider/ den die מלאכים haben ישראל gekleid. Und wer nun iſt klein geweſen/ dem iß das Kleid mit gewackſen/ daß es ihm iß recht geweſen/ wenn er gleich iß groß gewackſen. Und kein Schweiß hot nit geſchmeckt bey ſie/ denn der באר hot machen wackſen gute Kräuter/ die da haben geſchmeckt von einem End עולם biß an das ander End von עולם. Und ישראל haben ſich geräucht mit denſelbigen Kräutern/ da hat kein Schweiß bey ſie geſchmeckt/ als der פסיק git [בנאות דשא ירביצני (d)] Und שלמה המלך hat auch geſagt: וריח שלמתיך כרי חלבנון (e) das iſt teutſch: Das Geſchmack von deine Kleider iß als Geſchmack gute בשמים Und dein Füß ſeyn auch nit geſchwollen geweſen. Und etliche חכמום ſagen: die לוים haben getragen den ארון הקדש in der מדבר, und ſind als barfuß gegangen ohne Schuch. Noch gleichwohl haben ihre Füß nit geſchwollen. Und etliche חכמים ſagen: ישראל waren auch ohne Schuch gegangen/ denn die Sohlen von den Schuch waren ſie verfaulet; Noch gleichwohl waren ihre Füſſe nit geſchwollen. Sed quis tam bardus eſt, qui auram hanc cum ſuffimentis in cerebro *Zennorennæ* orta eſſe, tacente Scriptura, non videat? Hinc nec refutationi immorabor.

QUÆSTIO II.

An veſtes cum parvulis creverint?

ELegantiſſima de cochleis *Stagiritæ* (f) ſunt verba: Ζῇ γὰρ ἡ πορφύρα περὶ ἔτη ἕξ, καὶ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν φανερά ἐστιν ἡ αὔξησις, τοῖς διαστήμασι τοῖς ἐν τῷ ὀστρακῷ τῆς ἕλικος. Horum mentem ita expreſſit *Gaza*: *Annos circiter ſex purpuræ vivunt: Et ſingulis annis eorum incrementum patet per orbes, quibus totidem, quot annos habent, teſta intorta cuniculatim in crepidinem deſinit.* Nil his verbis aliud inſinuare

(a) *Citatus Toſtato Comment. in Deut cap.* 8. 4. *Q.* 1. *p.* 7. *lit. C. Tom. III. Operum. parte* 2. *item Corn. à Lap. ad Deut. cap.* 8. 4. *pag.* 958. (b) *Comment. in Deuter. cap.* 8. *pag.* 116. (c) *Zennorennæ ad Deut.* 8. 4. *f.* 115. *b. c.* 1, 2. (d) *Pſal.* 23: 2. (e) *Cant.* 4: 11. (f) *Hiſt. N. cap.* 5. *l.* 5. *Vide & Plin. l.* 9. *cap.* 36. *H. N.*

Philoſopho animus fuit, quam creſcente cochlea, creſcere ejus quoque thecam. Id quod ad Iſraëlitas parvulos, & veſtes eorum applicanti, nemo exprobaturus, cum in hiſce ſequar מדרש שיר השירים *Commentarium allegoricum in Canticum Canticorum*, (g) in quo autor ad verba Cantici: *Odor veſtium tuarum ſicut odor Libani*, pluribus agit de Iſraëlitarum veſtibus in deſerto. Et ad Quæſtionem: *An pueris adoleſcentibus veſtes ſimul creverint?* ita reſpondet: (h) צאולמד מן החלזון שבלזמן שהיא גדל נרתיקו גדל עמו: *Egredere, & achilzon*, ſeu cochlea, *diſce quod quamdiu creſcit, etiam cum ea creſcit theca ejus*, i. e. concha. Genuina hiſce habent *R. Simeon* (i), & *Zennorenna* (k). Sed inconveniens hoc videtur *Eſtio*, *Polo*, & *Friedliebio*. Verba *Eſtii* (l), cum à ſequacibus duobus retenta, hic integra referre libet: *Dicunt autem Hebræorum quidam*, inquit, *quod veſtimenta puerorum ſimul paulatim ſuccreſcebant cum ipſis pueris. Quod an ita ſe habeat, incertum. Potuit enim & aliter creſcentibus provideri, ſi videlicet pueri grandiores acciperent veſtimenta adultorum, qui paſſim moriebantur per deſertum. Horum autem veſtimenta viciſſim pueri acciperent, qui ſtatura minores erant, atque ita deinceps uſque ad infantes.* Eadem numero verba legas apud *Friedliebium* (m). Sed prodeat hic *B. Gerhardus*, ſuccenturiantes nactus *Magnif. Dn. D. Calovium* (n), *Joh. Quiſtorpium* (o), & *qui* non prætermittendi, *Theologos Vinarienſes* (p), & loco mei *Eſtium* refellat. Sic: (q) *Qui potuit*, inquiens, *veſtes ab attritione illæſas ſervare, idem etiam efficere potuit, ut una cum egreſſis ex Ægypto creſcerent, ut non fuerit opus illa veſtium mutatione. Cogitet quilibet, quantæ contentiones in populo illo pervicaci ac rebelli ex illa annua veſtium mutatione ortæ fuiſſent?* Sed & demortuorum in deſerto relictæ veſtes neceſſario ad alios uſus fuere adhibitæ, ut oſtendet ſequens Quæſtio, & concedit ipſe *Polus* (r), Nec cum *Eſtio* hic ſui ordinis ſocii amicas jungunt manus, ſed omnes à partibus noſtris ſtant, utpote *Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abullenſis in Hiſpania* (s), *Jacobus Tirinus* (t), *Jacobus Bonfrerius* (u), *Cornelius à Lapide* (v). Et diu ante hos omnes ſententiam hanc probavit *Juſtinus Martyr* (w), cujus verba hæc ſunt: οἱ ἱμάντες τῶν ὑποδημάτων οὐκ ἐρράγησαν, οὐδὲ αὐτὰ τὰ ὑποδήματα ἐπαλαιώθη, οὐδὲ τὰ ἐνδύματα κατετρίβη, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν νεωτέρων συνηύξανε. Et ſi verum eſſet, quod *Ludolphus* (x) de tunica CHRISTI dicit, quod & ipſa adoleſcente CHRISTO creverit, certiſſimum hujus rei haberemus exemplum; de quo tamen valde dubitatur. Quod de veſtibus, idem etiam de calceis, quod creverint ſimul cum parvulis, aſſerendum (y).

QUÆSTIO III.

Unde parvulis in deſerto natis de veſtibus ſit proſpectum?

DUbium non eſt, quin materiam recens natorum veſtibus ſuppeditarint exuviæ demortuorum, (z) ut & veſtes Ægyptiis commodato acceptæ; (aa) quæ quidem non ſupernaturaliter imminutæ, contractæ, accommodatæ corpuſculis parvulorum, ut *Toſtatus* (bb), proclivior ad miracula fingenda, pro more raſorum, autumat. Quem tamen ejus ὑπερασπισταὶ ac Cadmæi fratres, *Cornelius à Lapide* (cc), *Tirinus &* Bon-

(g) *Vide Buxtorff. Biblioth. Rabb. pag.* 364. (h) *Apud Bochart. Hieroz. Part.* 2. *l.* 5. *cap.* 24. *p.* 725. (i) *In* ילקוט *Pſ.* 23. *fol.* 98. *col.* 2. (k) *Zennorenna loco & verbis ſupra citatis.* (l) *Eſtius apud Joh. de la Haye Bibl. Magn. Tom. I. pag.* 378. *ad Deut.* 8: 4. (m) *Theol. Exeg. Tom. I. ad Deut.* 8: 4. *p.* 283. (n) *In Bibliis Illuſtrat. ad Deut.* 8: 4. (o) *Annot. Biblicis ad Deut.* 8: 4. *pag.* 198. (p) *In Bibliis Vinarienſium ad Nehem.* 9: 21. (q) *Comment. in Deut. ad cap.* 8: 4. *Quæſt.* 2. *pag.* 520. (r) *Vol.* 1. *Synopſeos Criticorum aliorumque Script. Interpp. ad Deut.* 8: *verſ.* 4. *pag.* 774. (s) *l. c.* (t) *Apud Joh. de la Haye l. c.* (u) *Comment. in Pentateuch. ad cap.* 8. *Deuter.* 4. *p.* 934. (v) *Comment. in Pent. ad Deut. cap.* 8: 4. *pag.* 958. (w) *Dialogo cum Tryphone pag.* 283. *citatus in Notis ad Tertull. librum de Reſurrectione carnis pag.* 62. *editionis Renati Laurentii de la Barre.* (x) *Vide H. Mullerum JESU patiente nota* 59. *p.* 156. (y) *Vide Bonfrerium l. c.* (z) *Conf. Biblia Vinar. ad Nehem.* 9: 21. (aa) *Exod.* 12: 35. (bb) *Libro dicto ad cap.* 29. *Deut. Quæſt. I. pag.* 269. *lit. G.* (cc) *Cornel. à Lap. Comment. ad Deut. p.* 1025.

Bonfrerius (dd), sequi detrectant. Has conscissas ac dissutas postmodum admensi sunt parvulorum corporibus ac adaptarunt. Idque eo magis meretur fidem, cum anno quadragesimo ab egressu ex Ægypto non plures extiterint Israëlitæ pugnatores, quam anno primo, mortuis scil. omnibus in deserto, qui viginti annis majores ex Ægypto exierant. (ee) Non igitur opus ut cum *Cornelio* jam memorato (ff), & *Polo* (gg) putet quis, lanam & linum tractasse in deserto Israëlitas, indeque vestes confecisse. Hoc enim dato potuisset etiam per artem lanificii provideri toti multitudini, nec necessaria fuissent miracula divina, ubi communis via rem expediendi valebat. Nec lanificium potuit exerceri à vagabundis, in quo multa indigentia quiete obveniunt. Quod vero calceos concernit, illi ipsi ex pellibus pecorum qualicunque modo se habentibus sunt consuti & coaptati parvulorum pedibus.

QUÆSTIO IV.

An Israëlitæ in deserto fuerint calceati?

NOn curiosius hic inquirendi animus an in Ægypto Judæi fuerint excalceati? Nec hujus me quisquam postulabit. Sufficit indicasse Scriptorem, prolixe id pertractantem, eumque Clarissimum, *Samuelem Bochartum* (hh). Eo tantum inhæreo, an in deserto palantes calceati fuerint? Cujus negantem *Zennorenna* (ii) & *Cunradus Pellicanus* propugnant sententiam. *Magnifica multa*, inquit hic, (kk) *& miraculosa beneficia narrant Israëli facta: vestimenta integra perseverasse tot annis non detrita vetustate: pedes non intumuisse tanto itinere, nimirum nudos incedentium.* Verum id pugnat aperte cum loco *Exodi* 12: 11. ubi DEUS jubet pascha celebrare calceatos, nullam aliam ob causam, quam quia comestione Paschatis finita, mox iter longum, asperum, senticosum aggressuri essent, ubi sane calceorum ratio habenda. Quam ob causam & *Theocritus* (ll) Batto suo eorum usum suadet.

Εἰς ὄρος, inquiens, ὅκχ' ἕρπεις, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο, Βάττε,
Ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε, καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι.

Nec minus adversatur loco *Deut.* 29: 5. in quo miraculosa calceorum soliditas, tanquam beneficium celebratur.

QUÆSTIO V.

Utrum illi calcei non inveterati sint, quibus induti Hebræi in comedendo Paschali agno?

QUia nemo ex Commentatoribus, quorum copia fuit, affirmativæ adversatur, nec rationibus destrui posse videtur, malo cum *Bocharto* (mm) eandem amplecti.

QUÆSTIO VI.

An prohibitio tumoris in pedibus fuerit distinctum miraculum à prohibitione attritionis in calceamentis?

SUpra notabam (nn) *Polum* רגל *Deut.* 8: 4. secutus *Targum Onkelos* (oo) & *Septuaginta Senes* in loco parallelo Nehem. 9: 21. textum sic reddentes: καὶ ὑποδύματα αὐτῶν οὐ διερράγησαν, *non sunt disrupta*, (quamvis neutra versio textui Hebræo, qui solus authenticus, quidquam præjudicet) μετωνυμικῶς explicare pro calceo, quatuor nixus rationibus, quibus utcunque, ceu promisi, hic satisfaciendum. *Prima* huc redit: *quia* רגל *pes opponitur vestimento.* Verum nulla hic agnoscenda oppositio, si maxime locum haberet Poli sententia, sed potius fieret descensus à genere ad speciem. Qualis enim hæc esset: *Vestimentum non est attritum, calceus non est attritus*, ubi idem Prædicatum de Genere & Specie Negative efferetur. Nec roboris quicquam habet *secunda*, qua dicit: *Mosen se ita explicare, Deut.* 29: 5. Enimvero illum ut explicantem non admitto locum, sed potius *Nehem.* 9: 21. *Tertia*, omnino insulsa est collectio: גף *corpus* (pp) *sumitur pro corporis indumento.* Ergo & רגל *pes*, pro *pedis indumento.* Judicet cordatus. Locus *Esa.* 41: 3. quem, quartæ rationis vicem ut expleat, adducit, est contra *Polum* ipsum, quod quivis deprehendet. Hactenus de rationibus *Poli*, quibus, quod evidens, negativam Quæstionis defendit, premens pollicem *Bonfrerio*, *Pes hic*, ajenti, (qq) *dicitur non fuisse attritus, quia calcei non fuerunt attriti. Vox Hebræa significat ad modum massæ farinaceæ aquam combibere & recipere, quod tam de calceo, quam de pede dici potest.* Sed cum huic egregie satisfactum à *B. Gerhardo* (rr) & *Magnifico D. Calovio* (ss), malo B. L. ad illos remittere, quam cramben bis coctam apponere. Tantorum enim virorum placita, uti alibi, ita & hic amplecti, mihi religio. Quia vero vis unita fortior, placet laudatis adhuc superaddere *Theologos Vinarienses* (tt), & B. *Davidem Chytræum*, qui tumorem pedum non iter facientibus tantum proprium esse, sed & famelicis haut raro contingere asserit. *Pes tuus*, inquit, (uu) *non est subtritus, in Ebræo est* לא בצקה i. e. *non intumuit, vel ex labore itinerum, vel ex fame. Nam & in fame pedes intumescunt; ut Hesiodus inquit:* (vv) λεπτῇ χειρὶ πίονα πόδα πιέζῃ. In quo ipsum etiam *Philosophum* (ww) consentientem habet *Chytræus*, qui: *Fame diutina*, scribit, *laborantibus pedes intumescunt.* Quod tamen de Israëlitis non affirmandum, quibus nil defuit, quousque aluit & sustentavit DEUS ipse (xx) in deserto.

QUÆSTIO VII.

An beneficium vestimentorum & calceamentorum à consumtione, & pedum à tumore mirabiliter præservatorum fuerit bonis & malis commune?

NEgativæ favet *Nicolaus de Lyra*, qui ad verba Deut. 8: 4. *pes tuus est attritus: hoc intelligi*, inquit, *non potest generaliter, sed tantum de bonis.* Et clarius: (yy) *Beneficia hæc solis credentibus & piis fuerunt collata.* Et hæc sententia superstructa videtur loco 1 Corinth. 10: 5. Verum repono cum *B. Gerhardo* (zz), sæpius laudato, & *Tirino* (a): quod, sicut esus mannæ & potus aquæ ex petra productæ fuerunt tam bonis & malis communes: (b) Ita & hæc beneficia. Cum quo tamen minime pugnat, [liceat uti verbis *Gerhardi*] quod propter obmurmurationes & inobedientiam plurimi ipsorum in deserto fuere prostrati. Ante enim quam istud factum, & vestimenta & calceamenta eorum ab attritione libera, ac pedes à tumore præservatos fuisse, non est dubium. Sed hic finio verbis Beati LUTHERI: (c) Das muß mir ein hübscher Schuster und Schneider seyn/ der auf 40. Jahr Kleider und Schuh machen kan! Nun der GOtt/ welcher diese hohe Wunderwerck hat konnen thun/ als Kleider und Schuhe in die 40. Jahr lang gantz behalten/ nicht sich vertragen/ und vernützen lassen/ ob sie wohl gleich täglich die am Leibe getragen/ der ist auch unser GOtt. Huic sit laus, honor & gloria in secula.

FINIS.

(dd) *Locis supra citatis.* (ee) *Vid. Gerhard. l. c. Quæst.* 3. (ff) *l. c.* (gg) *Loco supra cit. ad Deut.* 29: 5. *p.* 859. (hh) *Hieroz. P. I. l.* 2. *cap.* 50. *pag.* 600. (ii) *Loco & verbis supra citatis.* (kk) *Ad Deut. cap.* 8: 4. *pag.* 219. (ll) *In Pastoribus.* (mm) *Loco jam cit.* (nn) *Cap.* 1. (oo) *Cap.* 2. *notatum.*

(pp) *Exod.* 21: 3. (qq) *Loco sæpius cit.* (rr) *l. c. Q.* 5. *p.* 522. (ss) *l. c. ad cap.* 8. *Deut. vers.* 4. (tt) *Bibl. Vin. ad Deuter.* 8: 4. (uu) *In Deuter. cap.* 8. *pag.* 256. (vv) *l.* 2. ἔργων. *v.* 495. (ww) *I. Sect. Problem. cit. Schrevelio in Notis ad loc. Hesiodi.* (xx) *Nehem.* 9: 21. (yy) *Ad cap.* 11. *Numer.* (zz) *l. c. Q.* 6. *p.* 522. (a) *l. supra c.* (b) 1 *Cor.* 10: 3, 4. (c) *Tom. IV. Altenb. p.* 873. *& p.* 775.

CORONIDIS LOCO.

INepte *Glossa Ordinaria* v. 4. c. 8. Deut. explicat. Vestimentum tuum, quo operiebaris, vetustate non defecit. Gl. *Habitus virtutum, quem non vult vetustate DEUS deficere.* Et pes tuus &c. Gl. *Gressus bonorum operum vel fidei.* Item v. 9. c. 59. Vestimenta vestra nec calceamenta pedum vestrorum &c. Gl. *Corpora significat, quæ non peribunt: nec capillus de capite peribit.*

M. JOH. LEON. WILL.

SUB

JOH. FRISCHMUTHO

DISSERTATIO

De eo, an Hebræi statuant, idem simul posse esse, & non esse, ad Deut. XVII: 18.

בהשי:

§. 1.



Uidlibet è quolibet deducere & insuper habita *veritate connexionum*, quæ teste *Augustino* lib. 2. de Doct. Christiana cap. 31. *non instituta sed animadversa est ab hominibus & notata*, ex ipsa veritate falsum elicere Ebræos, sæpenumero deprehendunt Christiani. Ex infinitis exemplis unicum hic adduxisse, sufficiat, quod ex Massecheth שבת cap. 1. affert *R. Abarbenel*, כל דיין שדן דין אמת לאמתו אפילו שעה אחת כאלו נעשה שותף להקדוש ברוך הוא במעשה בראשית כתיב הכא וישב משה לשפוט את העם מן הבקר עד הערב וכתיב התם ויהי ערב ויהי בקר: *Omnis judex, qui judicat judicium veritatis secundum veritatem suam vel unica hora, perinde se habet, ac si ipsi Deo in opere creationis cooperetur. Hic enim scriptum est* (Exod. 18: 13.) *& sedit Moses ad judicandum populum à mane usque ad vesperam: & hic scriptum est* (Gen. 1: 5.) *& fuit vespera & fuit mane.* Ita Talmudistæ modo hic, modo illic aliquid decerpunt, ubi vocum qualiscunque est similitudo, & inde talia colligunt, quæ ne febricitanti quidem in mentem venire possint. Maxime vero omnium oculos in se convertunt Judæi, dum dictamini rectæ rationis haud obscure obniti, & nimia Doctorum suorum reverentia fascinati, illud in omni materia certissimum & irrefragabile principium, *impossibile est, idem simul esse & non esse*, prorsus non agnoscere perhibentur. Quo ipso in quantam absurditatem incidant, jamdum ostenderunt viri celeberrimi, οἱ νῦν ἐν ἁγίοις, *Conr. Horneius*, aurei libelli de Processu disputandi cap. 5. & *Daniel Sthalius* Reg. 1. Phil. cujus verba omnino huc referenda duximus. *Petrus Hurtadus de Mendoza disp. Metaphor. 3. sect. 3. à nullo unquam homine id (principium) negatum fuisse scribit, sed Aristotelem suo more id alicui ex suo cerebro imposuisse, ut inde occasionem arriperet illius confirmandi. Atqui repertus est nostro seculo, qui non ipse tantum id negare non dubitavit, sed & orbi Christiano persuadere ausus fuit, veritati fidei id esse inimicum. Scribit enim Sycophanta ille, qui falso se Christianum Israëlitam nominat in libello quodam famoso, assert. 3. contra Graverum: axioma illud naturale, quod duæ contradictoriæ non possint simul esse veræ, cum impossibile sit idem simul esse & non esse, neminem verum Christianum posse agnoscere, imo nec debere. Eam nimirum fidem in populo Christiano esse voluit, qualis passim Judæis in Talmude, ut refert Buxtorfius in Synag. Jud. c. 1. inculcatur: nimirum si duo Rabbini inter se contendant & pugnent, ac sermones contradicentes proferant, non minus credendum esse, utrumque suam doctrinam à Mose accepisse, immò (quæ summa est blasphemia) utramque sententiam verbum Dei viventis esse.* Beatus quoque *Lutherus* Tom. 8. Germ. Jenens. fol. CXI. Judæis exprobrat, quod Rabbinis dextram sinistram & sinistram dextram vocantibus credendum esse asserant. Unde me operæ pretium facturum existimavi, si paulo accuratius in illorum mentem inquirerem, & vulgusne tantum, an & emunctiorum narium Ebræi tam crassum errent errorem, ex ipsorummet monumentis fusius ostenderem.

§. 2. Antequam vero in rem præsentem, quod dicitur veniamus, facere non possumus, quin in loci istius, cujus occasione ejusmodi absurdam & homine, nedum doctore, indignam assertionem probasse videntur, sensum verum & genuinum inquiramus. Extat vero is Deut. 17: 8. & secundum veritatem Ebraicam sic habet: כִּי יִפָּלֵא מִמְּךָ דָבָר לַמִּשְׁפָּט בֵּין־דָּם/ לְדָם בֵּין־דִּין לְדִין וּבֵין נֶגַע לָנֶגַע דִּבְרֵי רִיבֹת בִּשְׁעָרֶיךָ וְקַמְתָּ וְעָלִיתָ אֶל־הַמָּקוֹם אֲשֶׁר יִבְחַר יְהוָה אֱלֹהֶיךָ בּוֹ׃ וּבָאתָ אֶל־הַכֹּהֲנִים הַלְוִיִּם וְאֶל הַשֹּׁפֵט אֲשֶׁר יִהְיֶה בַּיָּמִים הָהֵם וְדָרַשְׁתָּ וְהִגִּידוּ לְךָ אֵת דְּבַר הַמִּשְׁפָּט׃ וְעָשִׂיתָ עַל־פִּי הַדָּבָר אֲשֶׁר יַגִּידוּ לְךָ מִן־הַמָּקוֹם הַהוּא אֲשֶׁר יִבְחַר יְהוָה וְשָׁמַרְתָּ לַעֲשׂוֹת כְּכֹל אֲשֶׁר יוֹרוּךָ׃ עַל פִּי הַתּוֹרָה אֲשֶׁר יוֹרוּךָ וְעַל־הַמִּשְׁפָּט אֲשֶׁר־יֹאמְרוּ לְךָ תַּעֲשֶׂה לֹא תָסוּר מִן־הַדָּבָר אֲשֶׁר־יַגִּידוּ לְךָ יָמִין וּשְׂמֹאל׃ וְהָאִישׁ אֲשֶׁר־יַעֲשֶׂה בְזָדוֹן לְבִלְתִּי שְׁמֹעַ אֶל־הַכֹּהֵן הָעֹמֵד לְשָׁרֶת שָׁם אֶת־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אוֹ אֶל הַשֹּׁפֵט וּמֵת הָאִישׁ הַהוּא וּבִעַרְתָּ הָרָע מִיִּשְׂרָאֵל׃ וְכָל־הָעָם יִשְׁמְעוּ וְיִרָאוּ וְלֹא יְזִידוּן עוֹד׃ Vulgatus interpres hunc in modum reddidit: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, inter judicium & judicium, inter plagam & plagam, verba contentionum in portis tuis, surges & ascendes ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad sacerdotes Levitas & ad judicem, qui erit diebus illis, & quæres & indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, neque declinabis ad dextram neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinde intumescat superbia.*

§. 3. Ad nauseam usque hæc verba, quæ tamen Ebraico textui minime respondent, urgere solent Pontificii demonstraturi Romani Pontificis infallibilitatem: quo nomine *Interrogationibus suis*, quas vocat, *Apologeticis*, eadem nuperrime præmisit Jesuitarum mordacissimus, *Vitus Erbermannus*, quem dignis modis eapropter excepit Vir summus, *H. Conringius*. Sane qui totum contextum sine præjudicio perpendit, is animadvertit, minime de religionis hic agi negotio, neque de causis, quæ proprie videri possint sacerdotales, nedum ut Romani Pontificis in controversiis fidei infallibiliter definiendis confirmetur autoritas. Potius in eo occupatur legislator sapientissimus, ut doceat, judici oppidano in causa ambigua & obscura hærenti (hoc enim Græcus quoque innuisse videtur verbis: ἐὰν ἀδυνατήσῃ ἀπὸ σοῦ ῥῆμα ἐν κρίσει) adeundum & consulendum esse Senatum illius loci, quem ad publicos conventus habendos Dominus elegerit, & à quo ad alium appellare non liceat. Quem sensum cum *R. Abarbenel* sua explicatione confirmet, non gravabimur ipsius interpretamentum huc afferre. Ita vero f. CCCLXVI. col. 1. comment. in Pentateuchum loquitur: הפרשה לא תדבר עם בעלי דינים שיעשו זה כי אם עם השופטים שבעירים שזכר למעלה שאם יפלא ויסתר משכלם דבר בענין המשפט אם שיביא הספק ענין העדים שזכר או הוראת השעה או הוראת המקום או דבל הנחו׳ הדתיו׳ ובמו

וכמו שמשפטים הכתובים בתורה וזה אם בין דם לדם ר׳ל שיתחדש הספק בין הדמים הטהורים לטמאים או בדיני נפשות בדם הנשפך בארץ שבכל זה יקרא בין דם לדם או בין דין לדין שהוא בדיני ממונות בהבדלים אשר הן בין זכות והחובה או בין הנגעים אם לטהר או לטמא או להסגיר אם יקרא נגע פצע וחבורה ודברי ריבות הם דיני נפשות ואפשר לפרש דברי ריבות שהוא הכלל ובכלל כל דברי ריבות שהיו בעריהם מאיזה מין שיהיו שאז יעלו השופטים ההם לירושלים וילכו לבית המקדש המקום אשר יבחר השם לפני הסנהדרין ולפני השופט שהוא הנשיא והראש אשר עליהם ושידרשו המשפט מאתם והם יגידו דבר המשפט ומה שיגידו הם ישמרו לעשות ולא יטו ימין ושמאל: Sensus verborum est: *Sectio hæc non loquitur cum actore & reo, qui hæc observare debeant, sed cum judicibus, qui in urbibus eorum erant, quorum supra meminerat. Nempe si res captum illorum in judicio superet; si vel ex parte testium, vel temporis, loci alteriusve rei ratione dubium exoriatur, quod suadere videatur, aliter de negotio esse judicandum, quam jura recepta & præscripta legis postulent. Et huc spectant verba:* inter sanguinem & sanguinem, *q. d. si novum dubium emergat de sanguine mundo vel immundo, aut de judiciis criminalibus intelligendum est ob sanguinem effusum in regione. Omnia enim nomine sanguinis venire possunt. Vel* inter causam & causam, *quæ intelligenda de judiciis pecuniariis, an quis solvere teneatur nec ne. Aut* inter plagas, *mundusne sit dicendus an immundus: aut de lepra, an plaga, an vulnus, an tumor livens sit. Quando dicitur:* Verba contentionum, *itidem criminales causas respicit; fieri tamen potest, ut illa verba universaliter accipienda omnem notent causam, quæ in portis illorum agi solebat, cuicuimodi illa esset. Hisce talibus orientibus, judices in civitatibus Hierosolymam ascendere, & ibi ad domum sanctuarii se conferre, locum nempe, quem Dominus elegerit, coram Synedrio & judice, qui erat princeps & caput illorum, & hos interrogare jubentur, qui sententiam sint laturi. Et quod hi juris esse docuerint, id observandum esse ait, neque inde recedendum vel ad dextram vel sinistram.* Ecquid hæc faciunt ad privilegium ἀναμαρτησίας Pontificis Romani? Itane nihil in N. T. de illa habetur, ut ex V. T. præsidium petere fuerit necessum & illius Pontificis exemplo? At enim ne ipse quidem Pontifex V. T. unquam hac dote pollebat, quippe qui si ejus particeps fuisset, in dubiis & difficilibus causis, quas ex lege & sua ipsius scientia resolvere non poterat, minime consulturus fuisset oraculum, Numer. 27: 21. quod tamen ab ipso factum, largitur *Corn. à Lapide.* Neque audiendus hic est *Bellarminus*, dum lib. 4. de Spirit. Pontificis potestate cap. 1. sic scribit: *Est observandum, duas personas distingui, sacerdotis & judicis, hoc est: Pontificis & Principis, & quidem Sacerdoti sententiæ pronunciationem sententiæ, judici Politico exequutionem demandari, id quod explicatur sequentibus verbis: Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo ex decreto judicis morietur.* Fallitur oppido Cardinalis, qui Vulgatam secutus textum non inspexit Ebræum. Nihil quicquam in hoc de *Sacerdotis imperio* habetur, nihil de *decreto judicis*: atque ita cum *Ebraicæ veritatis autoritas* Bellarmino *in os jacitur, apparet somnium esse, quod velut oraculum adducebatur.* Quod vero Moses *sacerdotum* meminit & *judicis*, id minime ita intelligi debet, ac si uno eodemque tempore utriusque *in pronunciatione sententiæ* & ejus *exequutione* distinctæ fuerint functiones: sed ad temporum potius diversitatem referri debet. Quandoque enim Deus judicem excitabat, cujusmodi fuere Simson, Eli, Samuel &c. Interdum vero Senatus erat, sententiam dicere. Atque huc respicere legislatorem, patescit ex vs. 12. ubi או *aut* particula disjunctiva occurrens monet, conjunctionem copulativam vs. 9. ita quoque explicandam esse. Minime autem Pontificem dono infallibilitatis instruit, sed præcipit, ut Judex minor vel privatus acquiescat sententia sacerdotum, qui cur in Senatum præ aliis lecti fuerint, *R. Abarbenel* his ostendit verbis: רוב סנהדרון היו מכהנים והלויים המשרתים את פני יהוה והיה זה לסבות מהן להיותם פנויים מבלי טורח ועמל הנחלות והקרקעות כי לא היה להם חלק ונחלה עם ישראל ולכן היו עוסקים תמיד בלמוד התורה ומשפטיה והיו יותר מוכנים לעמוד בדבר המשפט וכמו שאמר יורו משפטיך ליעקב ותורתך לישראל וגו׳ ומהם כי להיותם משרתי הי וכהנים לאל עליון היתה חכמתם יתרה ויראת שמים בקרבם כפי עבודתם התמידית וכמו שכתוב שפתי כהן ישמרו דעת ותורה יבקשו מפיהו כי מלאך יהוה צבאות הוא ומהם שלהיותם סוברים בבית המקדש היו נכנסים משם ללשכה והיה קרוב אלטם מאד דבר המשפט וכמו שאמר והאיש אשר יעשה בזדון לבלתי שמוע אל הכהן העומד לשרת שם וגו׳ ולכך אמרה תורה בענין הסנהדרין ובאת אל הכהנים הלויים ואל השופט אשר יהיה בימים ההם כי היו רוב הסנהדרין כהנים ולוים: *Synedrii bona pars constabat Sacerdotibus & Levitis, servientibus coram Domino, & hoc fiebat propterea, quod illi otio gaudebant, & hæreditatis fundorumque cura minime distenti subinde in Lege & ejus juribus cognoscendis occupati erant. Erant quoque aptiores ad judicia, quemadmodum dicitur* (Deut. 31: 10.) *docebunt judicia tua Jacob, & legem tuam Israel &c. Præterea, quia Domino serviebant & Sacerdotes erant Dei altissimi, sapientia & Dei timore alios anteibant, quemadmodum dicitur,* (Malach. 2: 7.) *labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum. Huc accedit, quod illi, cum in sanctuario servirent, inde in Synedrii conclave ingrediebantur, & jura eis notissima erant, quemadmodum dicitur* (Deut. 17: 12.) *Et vir, qui egerit procaciter, nolueritque audire sacerdotem, qui stat coram Domino Deo tuo, ut ibi ministret &c. Atque idcirco lex de Synedrio loquens sic ait: & venies ad Sacerdotes Levitas, quia hi maximam Synedrii partem constituebant.*

§. 5. Equidem dono infallibilitatis præditum Pontificem jus dixisse in V. T. præterquam quod nec hic Scriptura nec alibi uspiam docet, ipsi Ebræi longe alium modum respondendi in usu quondam fuisse asseverant, quam Pontificii sibi imaginantur. Sic enim *R. Moses Maimonides*, Hilkot ממרים cap. 1. §. 4. כשהיה בית דין הגדול קיים לא היתה מחלוקת בישראל אלא כל דין שנולד בו ספק לאחד מישראל שואל לבית דין שבעירו אם ידעו אמרו לו אם לאו הרי השואל עם אותו בית דין או עם שלוחיו עולים לירושלים שואלין לבית דין שבהר הבית אם ידעו אמר ולו אם לאו הכל באין לבית דין שעל פתח העזרה אם ידעו אמרו להן ואם לאו הכל באין ללשכת לבית דין הגדול ושוארין אם היה הדבר שנולד בו הסעק לכל ידוע אצל בית דין הגדול בין מפי הקבלה בין מפי חמדה שדנו בה אומרים מיד אם לא היה הדבר ברור אצל בית דין הגדול דנין בה בשעתן ונושאים ונותנין בדבר עד שיסכימו כולן או יעמדו למנין וילכו אחר הרוב ויאמרו לכל השואלין כן הלכה והולכין להן: *Quousque Synedrium magnum floruit, non fuit dissensio inter Israëlitas. Si enim aliqua controversia exoriebatur alicui, suæ civitatis Senatum consulere solebat, à quo, si rem nosset, accipiebat responsum. Si secus, ille qui consulebat, cum illo Senatu vel legatis ipsius ascendebat Hierosolymam, & consulebat Synedrium, quod in monte templi erat, à quo si rem sciret, responsum accipiebant; sin secus, omnes ventitabant ad Synedrium, quod erat in porta atrii, à quo, si rem scirent, cognoscerent: sin secus, omnes accedebant ad conclave excisi lapidis,* (vocant nonnulli Cameram augustam) *ut consulerent Synedrium magnum. Si res quæ in controversiam veniebat, omnibus Synedrii assessoribus nota esset, sive secundum traditionem, sive secundum judicandi modum, extemplo pronunciabant. Si vero rem minime haberent cognitam, suo tempore judicabant, & tantisper ultro citroque conferebant, donec aut omnes consentirent, aut sententiis divisis majorem consequerentur partem. Tum omnibus, qui responsum exspectabant, edicebant: Sic statutum est! Idque omnes recipiebant.* Confer etiam *Massechet Sanhedrin* cap. 10. Atque ita, uti Cajetanus quoque observat ex textu Scripturæ, non ab uno sed à multis sacerdotibus, & judice *describitur causæ ambiguæ definitio*, quam nemo impune rejicere poterat. Quod si enim זקן ממרה sive *presbyter contumax* plurium sententiæ refragari, & aliud quam communibus suffragiis decretum erat, procaciter executioni mandare non dubitasset, Hierosolymis eum (uti Maimonides sub finem cap. 3. Hilkot Mamrim docet) עד הרגל משמרין וחונקין אותו ברגל שני וכל ישראל ישמעו ויראו מכלל שצריך הכרזה: *usque ad festum custodiebant, quo eum strangulabant, quia dictum est* (Deut. 17: 13.) *& omnis Israël audiet & timebit. Ex quo concluditur, opus habere promulgatione.*

§. 6. Acquiescendum omnino fuisse Judicibus minoribus sententia Synedrii, velut omnis ulterioris provocationis expertis, clare patescit cum ex pœna, quam immorigero interminatur, tum mandato: *& facies, quæcunque dixerint, & docuerint te juxta legem, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.* Quæ verba ex usu scripturæ non nisi obedientiam significant. Longius igitur Veteres Judæi in libro *Siphre* progressi sunt, quam par est, vel phrasis Ebraica admittit, dum sic loquuntur: אפילו מראין על ימין שהוא שמאל ועל שמאל שהוא ימין שמע להם: *Etiamsi ostensa manu dextra, eam sinistram dicant, & sinistram dextram esse affirment, tu tamen eis obtemperes.* Eadem in libro *Jalkut* quoque occurrentia fol. 284. col. 3. ad loc. cit. duriuscula apparent, & ab ipsis Ebræis diversimode explicantur. *R. Salomo* comm. ad loc. cit. nihil dissentiens à priscis ait: אפילו אומר על ימין שהוא שמאל ועל שמאל שהוא ימין וכל שכן שאומר לך על ימין ימין ועל שמאל שמאל:

Etiamsi dixerit tibi de dextra, eam sinistram, & de sinistra eam dextram esse, quanto magis vero obtemperes dicenti, dexteram esse dexteram & sinistram sinistram. Paulo aliter *R. Gerundensis*: אפילו תחשוב בלבבך שהם תועים והדבר פשוט בעינך כאשר אתה יודע בין ימינך לשמאלו תעשה כמצותם: *Etiamsi tibi persuaseris, eos errare, & in oculis tuis id tam evidens appareat, quam liquidum est discrimen inter dextram & sinistram, tamen facias oportet, quæ illi præceperint.* Etsi vero non idem plane sentire videtur *R. Gerundensis* cum *R. Salomone*, ait nihilominus *R. Abarbenel*, utrumque locutum esse כפי מחשבת השואל ודעתו לא כפי האמת בעצמו כי ימין סנהדרין תמיד ימין והשמאל הוא תמיד שמאל: *Secundum opinionem quærentis, non quod revera se ita habeat: Synedrii enim dextram semper dextram & sinistram ejus sinistram esse.*

§. 7. Adhuc aliter veterum mentem explicat *R. Nissim*, ut *Abarbenel* l. cit. de ipso testatur his verbis: ר"ן קבל הכתוב שהוא ימין ושמאל ודבריהם ז"ל על פי פשוטם אפילו יאמרו לך על ימין שהוא שמאל ועל שמאל שהוא ימין וגזר אמר שדברים כפשוטן ושלא דברה תורה וחחכמים ז"ל כפי מחשבת השואל כי אם כפי אמתת הדין שיאמרו הסנהדרין בענין הדין על זולת אמתתו שהוא ימין בהיותו כפי האמת שמאל ועל שמאל כפי האמת יאמרו שהוא ימין אבל אמר שהתורה נהגה במצות כמו שנהג הטבע בדברים הטבעיים ששם במורכב כחות להתמרת מציאותו וטובתו והם על הרוב יתקנו המורכב ויתמידוהו עם היות שלפעמים על צד הזרות כבר ימשך מהכוחות ההם הפסד המורכב בענין בכח המושך ששם אותו הטבע להמשיך המזון הנאות לאותו נמצא עד שאם יתבטל הכח המושך ההוא ימות ע"כ לפעמים הכח המושך ההוא ימשוך הדבר בלתי נאות ויתילדו ממנו חלאים ברב הזמן והטבע לא ישגיח לזה לפי שכונתו תמיד על התקון הכללי ולא ישגיח על ההפסד המגיע על צד הזרות ועל המעט וכן היתה המצוה בסנהדרין שהתורה השגיחה על התקון לתקן ההפסד שהיה אפשר שיגיע בחלף הדעות והמחלוקות ושתעשה התורה תולות רבות ולתפן זה נתן ומסר הכרעת הדור לחכמי הדור לפי שעל הרוב ימשך מזה תקון כשיהיה משפטם צודק כי שגיאות החכמים הגדולים מועטות וכל שכן היושבים לפני השם בסנהדרין ועם היות שעל המעט יאמרו על ימין שהוא שמאל לא חששה התורה להפסד ההוא המועט וראה לסבול אותו מצד התקון הכללי אשר בזה׳ עוד ראה הרב לו תשובה אחרת בדבר והיא שזה שימשך כמה שיכריחו החכמים הפסד בנפש כלל גם שיאכל דבר טמא ואסור בחשבם שהוא מותר לפי שבתקון שימשך לנפש מההכנע למצות חכמים מורי התורה יסור הרע המעותד להתילד בנפש מהדבור האסור כמו שיקרה לאדם שיאכל דבר מזיק על דעת שהוא מועיל ולכן מחשבתו תפעל במאכל ההוא ויסור הזיקו ממנו: *Rabbi Nissim verba accepit proprie & literaliter. Nempe etiamsi dixerint tibi, de dextra, eam esse sinistram, & de sinistra eam esse dextram, & contendit, legem & sapientes l. m. non ex mente & opinione quærentis esse locutos, sed ex sententia propria, quod Synedrium in judiciis præter veritatem de sinistra dicturum sit, eam dextram esse, & quæ dextra revera est, eam sinistram esse. Sed ipsius sententia cum lege & illius præceptis ita fere comparatum est, ut se habet Natura & res naturales. In his enim sunt facultates, quæ ad conservationem & existentiam illarum plerumque conducunt, etiamsi quandoque, contra quam fieri debet, composito exitium inde accersatur. Sic potentiæ attractivæ ea est natura, ut conveniens alimentum attrahat rei, ita ut cessante ea potentia, res ipsa pereat. Nihilominus illa facultas interdum aliquid attrahit, quod minime convenit & ex quo morbi sæpe generantur. sed Natura huc minime respicit, quippe cujus finis semper est, generale ordinare, neque ad corruptionem, quæ raro fit & præter intentionem, respicit. Consimilem in modum se habet hoc præceptum de Synedrio. Lex respexit ad ordinationem; qua damnum, quod ex diversis sententiis & dissensionibus oriri poterat, & quibus lex in multos sensus trahebatur, corrigeret. Hac fini Doctoribus illius temporis decidendi facultatem impertivit, quia plerumque ordo inde progignitur, nempe cum jura sunt clara. Errores doctorum virorum sunt exiles, quanto minores vero illorum, qui in Synedrio sedent coram Deo. Etiamsi quandoque dicant de dextra, quod sit sinistra, lex tamen tam exigui damni nullam habet rationem, sed illud tolerandum ducit intuitu generalioris ordinationis, quæ hic invenitur. Adhuc aliam responsionem Rabbi Nissim sibi reperisse hic visus est. Nempe anima damnum patitur, dum cogunt sapientes, qui rem immundam atque adeo illicitam permittunt, arbitrantes licitam esse. Sed ob ordinationem, quæ ex præponderatione præceptorum Dd. legem docentium, cessat malum, quod ex illicita re oriri poterat; perinde ac homini aliquid nocivum, quod comedit, & bonum esse arbitratur, non nocet, & ideo imaginatio facit, ut minime eo lædatur.*

§. 8. Quantum ex verbis allatis patescit, respicit *R. Nissim* ad id, quod in judiciis usu venire solet. Ibi enim judex, qui quod justum & æquum sit, pronunciat, idque homines agere & in opus transferre compellat, ut plurimum rite judicat: interdum tamen contingit, ut vel affectibus abreptus, vel alio modo præpeditus in judicando sinistram dextram vocare videatur. Sed tum nihilominus partes litigantes parere tenentur, & nisi pareant, ad conservandam disciplinam & externam tranquillitatem in eos animadverti potest. Occurrunt sane in legibus quoque Romanis, quæ huc collimant. *Ulpianus* enim *l. 25. ff. de statu hominum* ait: Res judicata pro veritate accipitur. Secundum *Macianum l. 65. §. 2. ff. ad S. Trebellianum*: Dum prætor, cognita causa, per errorem vel etiam ambitiose juberet, hæreditatem ut ex fidei commisso restitui, etiam publice interest restitui, propter rerum judicatarum autoritatem. Et *l. penult. ff. de Justitia & Jure* Paulus ait: Prætor quoque jus dicitur reddere, etiam cum inique decernit. Cæterum tale quid Veteres Judæos voluisse innuere, prorsus non fit verisimile ob illas rationes, quas infra sumus adducturi. Neque unquam eum in modum, quo *R. Nissim* conatur, eos excusare vel duriora verba sic emollire quisquam est conatus. Unde *R. Abarbenel* ab eo non tantum facit divortium, sed his verbis explicationem ejus impugnat: לא נחה בו דעתי לפי שעל הרוב ועל מעט אין ראוי שנאמין שימשך דבר רע מהמצות האלדיות ולא צוה השם ית׳ שיאמינו משאת שוא לא על המעט ולא על הרוב חלילה לל"ז ל לכוין לדבר הזה ולא תסמוך התורה על פועל הדמיון בשומר המצות שיחשוב לטהור הטמא ולמותר האסור ולמועיל המזיק כי הנה תורת ה׳ צדק צדק תרדוק וה׳ אלהים אמת ותורתו אמת: *Ipsius sententiæ minime adscribo meam, quia non licet nobis credere, rem malam sive sæpius sive rarius ex divinis præceptis sequi. Neque etiam Deus præcepit, ut* (Thren. 2. vs. 14.) *mendacii oneribus credamus. Hoc ut sapientes nostri intenderint, id vero ab eis absit longissime. Porro nequaquam par est, ut ad phantasiæ operationem legem exigas, ut observans præcepta cogitet rem immundam facere mundam, illicitam pronunciet licitam, & nocivum pro salubri habeat. Ecce enim Lex Domini præcipit* (Deut. 16: 20.) *justitiam justitiam sequeris. Et Deus est veritas, & lex ipsius est veritas.* Quod Veteres illud, quod *R. Nissim* asseruit, nequaquam intenderint, id ut credamus, facile à nobis impetrare possumus. Neque simile illud, quod ex rebus naturalibus petit, huc satis quadrare videtur, cum legi humanæ, nedum divinæ, in ejusmodi casibus nihil prorsus possit imputari. Agnovit id ipsum *Aristoteles*, qui libr. V. Ethic. cap. X. sic loquitur: Τὸ ἁμάρτημα οὐκ ἐν τῷ νόμῳ, οὐδ᾽ ἐν τῷ νομοθέτῃ, ἀλλ᾽ ἐν τῇ φύσει τοῦ πράγματός ἐστιν. εὐθὺς γὰρ ἡ τῶν πρακτῶν ὕλη τοιαύτη ἐστίν. *Peccatum non in lege, neque in legislatore, sed in rei natura est, statim enim rerum agendarum materia ejusmodi est.*

§. 9. Consequens igitur jam est, ut, quo maxime modo absurditatem amoliri velit *R. Abarbenel*, videamus. Ita vero ille: הנראה בו אצלי באמת הענין הוא שמשפטי התורות הם כוללים ואי אפשר שימצאו בהם כל הדברים המקריים הפרטיים שיקרו בכל יום ומבואר הוא כי עם היות המשפטים הכוללים ההם צדיקים וישרים בעצמם כבר יקרה שיבא הדבר באופן שהמשפט הכולל לא יישירהו ולא יצדק עליו׳ דרך משל כלל גדול אמרו בדיני ממונות המוציא מחברו עליו הראיה או חזקה אין אדם פורע תוך זמנו וכבר יקרה שתובע תובע דין אמת ואין לו ראיה או שפרע תוך זמן המיועד לו ואין לואה וכיוצה באלה הענינים ואז לא ימלט אם שישפוט השופט כפי משפט הפרטי ויעול ויחמוס כפי המשפט הכילל או שישפוט צדק כפי המשפט הכולל ויעול כפי האמת הפרטי: *Mihi res ita habere videtur. Legum rationes sunt generales, ac fieri non potest, ut omnes eventus vel casus, qui in singulos dies accidunt, in iis reperiantur. Constat etiam hoc, quod etsi legum rationes sint justæ; & secundum se rectæ; fiat tamen, quandoque, ut illud jus generale huic casui singulari non queat accommodari. Ex. gr. in causa pecuniaria regula est, quæ maximi fit: Actoris est probare, aut, Præsumptio est, statuto tempore aliquem non solvisse. Contingere potest, ut qui debitum exigit, juste quidem id postulet, in probatione vero deficiat. Aut, ut quis statuto tempore solverit, nemine vidente, & sic in aliis exemplis. Tunc fieri non potest, quin judex, si speciale jus observet, inique agat ratione generalioris juris, si vero Jus generalius sequatur, ratione particularis veritatis inique aget.* Ut hæc illustret, in medium affert exemplum ex antiquo Jure forensi, cujus rudera veteris Ebræorum praxeos rationem suppeditare nonnulli censent. Ita vero ille: *Atque hoc se modo habet res in illo, quod legimus cap.* היו בודקין (c. 5.) *Massechet Sanhedrin, quod testes interrogaverint in casu homicidii. Novistis ne illum? monuistisne illum? recepitne in se admonitionem? &c.* occi-

occiditne ipsum eo temporis intervallo, quo quis alterum affari posset. Hoc omne enim necessarium est secundum Jus universale & determinatum, ne homo moriatur, nisi constet, eum propter factum quod perpetravit, morti obnoxium esse. Judices igitur juxta jus clarum tradunt, non occidendum homicidam esse, nisi sint, qui testentur, eum occidisse, prævia item admonitione, & eo temporis intervallo, quo quis alium affari posset, & secundum omnes conditiones, quorum meminerunt. Cæterum si res hoc pacto protrahatur, futurum est, ut homicidæ multiplicentur, & Resp. pereat, quemadmodum idcirco Dd. nostri l. m. dixerunt capite אלו מציאות (cap. 2. Massechet Bava Mezia) *non est Hierosolyma destructa, nisi quod secundum legem judicarunt. q. d. juxta veritatem universalem, & illam non accommodarunt tempori.* Florente Rep. Ebræorum homicidam secundum legem Mosaicam ejusque genuinam interpretationem occidi non potuisse, nisi septem observatis conditionibus, quas ridicule ex sacris probant Judæi, eruditi judicent, quam sit verisimile. Confer Notas *Joan. Coccei* ad cap. V. Sanhedrin pag. 43. ubi eorum mentem latius explicat, & nimium tædiosum esse fatetur ostendere, quomodo singula ex scriptura probent. Unde etiam patescit, quantum huic exemplo sit tribuendum.

§. 10. Sed reliqua quoque *R. Abarbenelis* verba audiemus: ה"שי נתן בידם רשות ויכלת לישר את הנמוס התוריי ולתקנו כפי מה שיראה בעיניהם בענין החלקי ההוא ועל זה הענין הזהיר שלא יסור מן הדבר אשר יגידו לו ימין ושמאל ר"ל כי אף על פי שיצאו משורת הדין הכולל ויקחו הדבר לשמאלו או בהיות המשפט הצודק לשמאל יגזרו הדבר לימינו לא יסור מדבריהם כי מה שיגזרו הם בזה עם היותו כפי השרשים הכוללים על ימין שמאל ועל שמאל ימין הנה כפי האמת הפרטי וטבע ענין החלקי לא יאמרו אלא על ימין ימין ועל שמאל שמאל כי הוא מה שראוי שיעשה לא דבר אחר ובזה האופן כללה חכמה אלדירת בתורתו כל חלקי האנשים וכל פרטו מעשיהם בכח הזה שמסר אל הסנהדרין הנה התבאר שלא יאמרו על ימין שהוא שמאל ועל שמאל שהוא ימין כמה שיגידו סנהדרין מה שישמעו ויקבלו בקבלתם ולא גם על מה שפירשו על פי התורה כי בזה וכיוצא בו חלילה וחלילה להם מרשע שיאמרו על ימין שהוא שמאל ואל שמאל שהוא ימין לא כפי האמת גם לא כפי מחשבת השואל אבל אמרו זה על מה שיגזרו הם כפי צורך השעה כי הנה זהו בערך השרשים התוריים במשפטים הכוללים לזה יקרא ימין לשמאל ושמאל לימין: *Dedit Deus benedictus ipsis potestatem legem divinam ad particularia applicandi, prout rei natura exigere videretur. Hinc admonet, ne quis ausit ab illo, quod indicarint, recedere vel ad dextram vel sinistram. quasi dicat: etiamsi extra lineam vel ordinem judicii generalioris euntes, rem sinistra sui parte capiant, vel, cum jus certum & clarum ad sinistram positum est, rem ad dextram amplectantur, ab illorum verbis tamen non recedendum est. Etsi enim in illo, quod definiunt, juxta fundamenta generalia, sinistrum dextrum, & dextrum sinistrum esse videatur: tamen secundum veritatem specialem, & naturam rei particularis non dicturi sunt, nisi dextram esse dextram & sinistram esse sinistram. Atque hoc est, quod facere debet, & non aliud quippiam. Atque hoc modo divina sapientia in lege sua comprehendit omnes homines & illorum actiones, dum hanc facultatem dedit Synedrio. Ecce ex his patescit, Synedrium, dum quæ fando accepit, indicat, non dextram sinistram vocare & contra, neque etiam dum legis sensum genuinum profert. Absit ab eis, & iterum absit hæc impietas, ut de dextra dicant, eam esse sinistram, & de sinistra eam esse dextram! neque secundum se & veritatem, neque secundum quærentis opinionem, sed hoc affirmarunt de eo, quod urgente necessitatis casu decernitur. Hoc enim fit respectu legalium principiorum in rationibus generalioribus, ubi quod dextrum est vocatur sinistrum, & quod sinistrum dextrum vocatur.*

§. 11. Hisce plane gemella docet *R. Isaacus Arama* fol. 139. comment. in Pentateuchum col. 2. & eadem explicatione, quam ex V. Ethic. cap. 10. illustrat & corroborat, cum *R. Abarbenele* duriora Veterum verba mollire satagit. Equidem inficias minime ibimus, Synedrium quondam Ebræorum, etsi novi quid præcipere vel vetare ei minime concessum, imo plane interdictum erat. Deut. 4. vs. 2. cap. 12. vs. 32. ea tamen quæ in genere à DEO erant præscripta, ad speciales casus applicare, adeoque ex una lege multas sancire speciales, & ex circumstantiis, fine item & ratione legis de mente legislatoris judicare potuisse; perinde ac apud Romanos in redditione juris, quæ fiebat per illius applicationem ad factum, Prætores, cum animadvertebant, non pauca occurrere, in quibus vel mera ratio juris cum æquitate naturali, quam potissimum intuebantur, pugnabat; vel æquitas evidens ratione juris destituta erat, officio suo consentaneum putarunt, priori casu rigorem juris civilis temperare & corrigere, posteriori, quod deerat, supplere, uti Magnif. Dn. *Franzke*, comment. in Pandectas Tit. 2. de O. J. p. 32. loquitur. Cæterum Ebræos illo ex libro *Siphre* allato dicto hoc ipsum intendisse, & ad ejusmodi juris ad factum applicationem tantum respexisse, haud immerito negamus. Arbitramur, eos, postquam Prophetæ cessarunt, & locum tandem invenit oralis traditio, idcirco ita loquutos esse, ut eo majorem fidem apud populum invenirent Magistrorum sententiæ, & horum autoritas in immensum augeretur, quippe quorum responsiones, quantumvis rationis sensuumque judicio repugnent, nihilominus velut sanctæ recipiendæ sint. Ejusmodi cæcam obedientiam, qua Doctores suos nullis limitibus circumscripto obsequio colere debeant laici, Romana quoque exigit Ecclesia, quæ Judaicæ in pluribus tam similis est, quam ovum ovo. Unde etiam *Josephus de Voisin*, annot. in Pugionem *Martini Raimundi*, inter utramque facta comparatione, de consensu illo Romanæ Ecclesiæ gratulatur, & pag. 12. in Sadducæos invehitur, quod Veterum *sanctas* traditiones repudiarint. Deprehendimus sane apud Pontif. Scriptores Judaismum redolentes locutiones. *Paulus Sarpius*, lib. 2. p. 48. Historiæ Interdicti Veneti, Patavii multa scripti cujusdam exemplaria inventa fuisse affirmat, cujus regula decima tertia hæc fuerit: *Credendum Ecclesiæ Hierarchicæ, etsi nigrum esse dixerit, quod oculis album videtur.* Adde B. D. *Calixti* Respons. Moguntinis Theol. oppositum, ubi Pontificiorum de falsis credendis effata exhibet. *Greg. de Valentia* Tom. 3. disp. 1. q. 11. Panctov. *quandoque potest contingere, ut quis teneatur conari ad eliciendum adsensum fidei supernaturalem circa id, cujus contrarium verum est.* Et *Franciscus Tolet.* Instructionis Sacerdotum lib. 4. cap. 3. *Si rusticus circa articulos credat suo episcopo proponenti aliquod dogma hæreticum, meretur credendo, licet sit error, quia tenetur credere, donec constet esse contra Ecclesiam.* Quibus haud scio an Arabes illi accensendi sint, qui, teste Eduardo Pocokio pag. 267. Not. in specim. Hist. Arab. docent, fieri posse, ut sint duo simul antistites in diversis terræ regionibus, quorum si alter alteri contrarium statuat, uterque tamen æquum rectumque statuat, etiamsi sanguinem alterius fundi jusserit. Sed hæc obiter.

§. 12. Revera non tam ad sententias, quæ in judiciis sub ratione justi feruntur, quam ad Doctorum quævis sub ratione veri acceptanda placita Veteres spectasse, ex *R. Lipmanno* patescit num. 321. libri Nizzachon & *R. Joseph Albo*, Hispanus haud obscure docet, cujus verba, lib. *Ikkarim* serm. 3. cap. 23. fol. 89. edit. Cracov. sic habent: כוונתם בזה לומר כי לפי שכל אדם לחשוב מחשבות וליחס לעצמו ההתבוננות והסברה מרובו וההשכל יותר מכל מה שזולתו עד שתמצא כמה פתאים ויחשבו עצמם משכילים יותר מהם אמר הכתוב כי אף יראה לחולק שהחכמים אומלים על ימין שהוא שמאל ועל שמאל שהוא ימין לא יזוז מדבריהם לעולם אבל תהיה ההכרעה מסורה תמיד אל רוב החכמים ואף אם אפשר שיהיה היחיד יותר חכם מכל אחד מהם ויהית יותר מסכים אל האמת מכלם תהיה ההלכה כהכרעת הרוב ואין היחיד רשאי לעשות מעשה כרבריו כלל: *Mens illorum est: quandoquidem quisque solet sibi potius vendicare intellectum & sensum, quam aliis omnibus, ita ut tot simplices mulierculæ & plebeji reperiantur, qui sapientes erroris insimulant, se ipsos vero illis sapientiores judicant; idcirco ait scriptura, si vel maxime videatur dissentienti, quod sapientes dicant de dextra, quod sit sinistra, & de sinistra, quod dextra sit, nunquam tamen ab illorum verbis recedendum, sed multitudini Doctorum subinde traditam esse præponderationem. Quin si fieri possit, ut unus aliis sapientior ad veritatem propius accedat, quam omnes reliqui, decisiva tamen sententia juxta multitudinem erit, & uni illi non licet suo ipsius quidquam facere arbitrio.*

§. 13. Hæc *Albo*, quem alias acerrimi judicii Judæum, (uti *Grotius* Annot. in cap. V. Matth. 5: 20. eum appellat) Veterum sententiam latuisse haud est verisimile, de dicti illius sensu prodidit. Ex recentioribus *R. Moses Alschech* audiatur, qui Comm. in Pentateuchum, fol. 290. col. 3. ad verba *juxta legem* sic scribit: עד כה דבר על מה שיפלא דבר למשפט והולכים שמה לסנהדרי גדולה שבמקדש לשאול את הדין ועתה נעתק לדבר דרך כלל על כל דברי חכמים בכל דבר שהם מדברי סופרים: *Hucusque locutus est de eo, quod in judicio ambiguum postulat, ut Synedrium in Sanctuario adeant, quæsituri, quid juris sit. Jam vero* (vs. 11.) *in genere de omnibus verbis Sapientum, & omni illo, quod e Scribarum decreto pendet, loquitur.* Ubi diserte fatetur, omnia Sapientum verba intelligi, è quibus non sit recedendum. Cæterum

rum voces על פי התורה *juxta legem* id minime significant. Quin si vel maxime cum *Vatablo* vertas: *juxta institutionem, qua te instruxerunt*, simpliciter & absque limitatione accipi neutiquam debent; sed uti alias in scripturis locutiones universales ex natura subjectæ materiæ & rei æquitate restringendæ sunt; ita hæc quoque cum conditione intelligenda veniunt, si id, quod præceperint, honestum piumque sit, & præceptis divinis minime adversum. Alioquin enim, ut assensum præbeat falsa proferenti, aut illicitum quid jubenti obtemperet, nemo tenebitur. Hinc recte Carthusianus ad Deut. 17. *Dicit Glossa Ebraica, ut refert Lira, etiamsi dixerint tibi, quod dextra tua sit sinistra, vel è converso, talis sententia est tenenda. Quod reprobat Lira, quia sententia nullius hominis, cujuscunque sit auctoritatis, si manifeste contineat falsitatem sive errorem, servanda est. Quæ reprobatio vera est, si Glossa illa Ebraica dicere velit, quod talis sententia sit tenenda, ita ut mente ei consentiatur, tanquam veræ & justæ. Si autem vult dicere, quod est tenenda ita, quod pœna aut damnum sententiæ debeat patienter tolerari ab innocente, qui non potest ad altiorem judicem in hoc mundo habere recursum, potest salvari.*

§. 14. Voluisse eos illimitatum obsequium Doctoribus præstandum verbis supra adductis præcipere, tanto minus dubitandum, quo frequentius in illorum libris similia dicta occurrunt, quæ arrogantiam & impudentiam Doctorum produnt. In Talmud Massechet *Berachot*, cap. 1. fol. 3. diserte: חביבין דברי סופרים מדברי תירה *dilectiora sunt verba Scribarum præ verbis legis.* Et *Massecheth Sanhedrin* c. X. §. 3. חומרם דברי סופרים מדברי תורה *Gravius peccatur circa verba scribarum, quam verba Legis.* Et in *Medrasch Mischle*, pag. mihi 1. col. 3. אפילו שיחת חולין שלהם שקול כנגד כל התורה *etiam profanus illorum* (Doctorum) *sermo toti legi est æquiparandus.* Hæc & alia complura hodieque apud illos obvia mentem illorum explicant, & simul comprobant, quam justas causas in terris agens Salvator noster habuerit, cum multis modis verbi divini recta intelligentia corrupta erat & depravata, ipsos filios Levi aliorum purgatores purgandi, uti Malach. 3: 3. de ipso erat prædictum, & populum Judaicum, ut sibi à fermento Pharisæorum Luc. 12: 1. hoc est, personatis eorum moribus & sinceræ doctrinæ incrustatione caverent, commonendi, quibus tamen alias in Mosis Cathedra sedentibus obtemperandum docebat, Matth 23: 3. Πάντα, inquiens, ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε. Quorum verborum cum optimus interpres esse nobis videatur judiciosissimus *H. Grotius*, eum hic omnino audiendum arbitramur. In *lege Mosis*, inquit, *sicut multa erant præcepta, ita in illis præceptis multa erant, de quorum sensu ambigi poterat. In iis explicandis operam non malam navabant* οἱ νομικοί, *gnari linguæ & historiæ veteris, sine quarum cognitione legis pleraque recte intelligi nequibant. In his ergo Christus eos vult audiri à plebe, & eorum interpretationes, quanquam forte in duriorem partem inclinantes, recipi: quod extendi etiam potest ad rigidiores determinationes rerum in lege generaliter præceptarum, quæ sine determinatione aliqua expediri non poterant. Nam in his talibus debebat aliquid esse certi juris, quod obtineri non poterat, nisi interpretum autoritate. Cæterum id non eo pertinet, ut si quid docerent, manifestis præceptis, ipsique pietati contrarium, ut de Corbona parentibus præferenda, sequendi essent duces cœci. Sed neque obligare cujusquam conscientiam Christus voluit iis præceptis, quæ plane extra interpretandi officium extraque legem ipsam* οἱ νομικοὶ *comminiscebantur, præsertim si ea præcepta superstructa essent falsæ ac inani persuasioni, quale erat præceptum de manibus abluendis, eo fine, ne manus contactu inquinatæ animum inquinarent. Illud ergo* ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν *intelligendum ex connexu superiorum, quicquid jure Cathedræ, sive ut legis interpretes vobis faciendum dictaverint.* Hactenus Grotius.

§. 15. Sed nunc alia adhuc adducenda sunt, ex quibus patescet, hactenus Judæis nihil nos tribuisse, quod ab illorum indole sit alienum. In *Talmud, Massecheth Erubin*, cap. 1. fol. 13. sic legimus: ג׳ שנים נחלקו בית שמאי ובית הלל הללו אומרים הלכה כמותינו והללו אומירים הלכה כמותינו יצאה בת קול ואמרה להם אלו ואלו דברי אלהים חיים הן והלכה כדבלי בית הלל׃ *Tribus annis disceptarunt domus Schammaj & domus Hillel. Hi dixerunt: decisio est juxta nos: illi vero dixerunt: juxta nos est decisio. Exivit vox cœlestis: quæ ex utraque parte proferuntur, sunt verba Dei viventis, sed decisio est juxta domum Hillelis.* Celebres apud Judæos fuere Doctores *Schammaj & Hillel*, qui tempore Imperatoris Augusti & Herodis vixisse feruntur, & fere perpetuo sibi invicem contradixerunt: nihilominus tamen utriusque verba Dei viventis esse perhibentur. Similiter Massechet *Chagiga*, cap. 1. ad locum Eccles. 12: 11. scribunt: בעלי אסופות אלו תלמידי חכמים שיושבים אסופות אסופות ועוסקין בתורה הללו מטמאים והללו מטהרים הללו אוסרים והללו מתירין הללו פוסלין והללו מכשירין׃ *Per autores congregationum intelliguntur discipuli sapientum, qui sedent congregati & in lege student. Hi rem immundam, illi mundam pronunciant. Hi prohibitam, illi licitam docent. Hi pro illegitima habent, illi pro legitima.* Et subjungunt: נתנו מרועה אחד רועה אחד נתנם ומפרנס אחד׃ *ab uno pastore ea tradita sunt & unus pastor & Dux ea dedit.* Non diffitetur *R. Lipmannus*, paradoxa hæc videri, unde num. 321. ait: הנה הדבר קשה להבין בית שמאי מטהרין ובית הלל מטמאין איככה אפשר לקיים שניהם שיהיו דברי אלקים ואיך קבל מרע״ה מעת הגבורה שניהם אם קבל טהור לא קבל טמא ואם קבל טמא לא קבל טהור׃ *Ecce res intellectu difficilis est! Discipuli Schammaj pronuntiant rem mundam, Hillelis vero immundam. Ecquomodo fieri potest, ut utriusque sententia stabiliatur & verba Dei viventis sint? Et quomodo Moses recepit utrumque? Si accepit eam mundam esse, minime accepit, immundam esse, & si immundam esse accepit, minime mundam accepit.* Hæc rectæ rationi satis consentanea sunt, quibus principii illius universalis veritatem agnovisse videtur, sed quidnam afferant Judæi ad tollendam contradictionem, quæ in illis verbis occurrit, paulo post visuri sumus.

§. 16. In *Pirke Aboth* cap. 5. hæc verba leguntur: כל מחלוקת שה״א לשום שמים סופה להתקיים ושאינו לשום שמים אין סופה להתקיים איזו היא מחלוקת שהוא לשום שמים זו מחלוקת הלל ושמאי ושאינה לשום שמים זו מחלוקת קרח ועדתו׃ *Omnis disputationis, quæ propter Deum fit, finis est, ut stabiliatur: quæ vero non est propter Deum, illius finis non est, ut stabiliatur. Ecquæ vero est disputatio propter Deum? Est Hillelis & Schammaj. Quæ vero non est propter Deum? illa est Korachi & ejus cœtus.* Si scire aves, quid intelligant Judæi per disceptationem, quæ est propter Deum, *R. Abarbenel* comment. ad l. cit. docet talem intelligi, quæ non sit instituta, לקנטר ולא להתגבר זה על זה כי אם להוציא האמת לאור ולגלות מצפוני הדברים אשר יודעו מתוך המשא והמתן אשר במחלוקת׃ *ut alter alterum vexet, vel ei prævaleat, sed ut veritatem in lucem producat, & rerum abscondita revelet, id quod fiat interventu deliberationis in disceptatione.* Sed & verborum סופה להתקיים *finis ejus est, ut stabiliatur*, explicationem audiamus oportet. *R. Obadias de Bartenora* geminam adducit. 1. nonnulli sensum ajunt esse, אנשי מחלוקת ההיא מתקיימים ואינם אובדין׃ *illi, qui sic disceptant, subsistunt & non pereunt.* Secundo ait: שמעתי פירוש סופה תכליתה המבוקש מענינה המחלוקת שהיא לשם שמים התכלית והסוף המבוקש מאותו מחלוקת להשיג האמת וזה מתקיים כמו שאמרו מתוך הוכוח יתברר האמת וכמו שנתברר במחלוקת הלל ושמאי שהלכה כבית הלל ומחלוקת שאינה לשום שמים תכלית הנרצה בה היא בקשת השררה ואהבת הנצחון וזה סוף אינו מתקיים כמו שמצינו במחלוקת קלח ועדתו׃ *Audivi explicationem, quâ ly* סופה *notat finem, qui intenditur. Et hoc modo disceptationis, quæ fit propter Deum, finis est, veritatem apprehendere, & hæc stabilitur, quemadmodum dicere solent; per disputationem veritatis elucescit, veluti hoc patescit ex disceptatione Hillelis & Schammaj, quod secundum Hillel sit statuendum. Illius vero, quæ propter Deum non est, finis est studium dominandi & amor victoriæ, quæ minime stabilitur, uti in Korachi & cœtus ipsius dissensione deprehendimus.*

§. 17. Quod si verborum illorum, quæ ex *Pirke Aboth* paulo ante sunt allata, hic sit sensus: Disputationis inter Hillelis & Schammaj discipulos institutæ finem esse veritatis inquisitionem, eum quidem nemo ibit inficias, sed qua fronte affirmant: utriusque sententiam, quarum una alteram falsitatis arguit, simul veram & verba Dei viventis esse? *R. Abarbenel* l. cit. hæsitare ipsemet videtur his verbis: מאחר שכל בעלי מחלוקת אפילו שיהיה לשום שמים מאמריהם סותרים זה לזה ויחלקו בין האמת והשקר הני יתחייב שאם אחד דעתו אמת הדעת האחד יהיה כוזב ואיך יאמר ששום מחלקת יתקיים שקרי לא יתקיים כי אם אחת משתי הדעות אי אפשר שיתקיים כלו׃ *Quandoquidem omnium disputantium sermo, etiam illorum, qui propter Deum disputant, alteri contradicit, & inter veritatem & falsitatem versatur, ideo necessario inde sequitur, si una vera sit sententia, alteram esse falsam. Ecquomodo igitur ait, propter disputationem illam stabiliri, cum tamen fieri nullo modo possit, ut tota stabiliatur.*

§. 18. Cæterum etsi cæteris rectius videtur sentire *R. Abarbenel*, revera tamen in eodem cum reliquis hæret luto, dum utriusque verba à veritate stabiliri perhibet, sic enim loquitur: התכלית הטוב ההוא שהמה מסכימים עליו הוא האמת המשותף המקיים דברי שניהם וזה היה סבה לשיוכרו שניהם בשורה בכל

בכל מקום ונושאים ונותנים עליהם מה טעמא דבית שמאי מה טעמא דבית הלל וכרומי וכמו שאמרו על הכמי התלמוד וכתותיהם הללו מטהרין והללו מטמאין הללו פוסלין והללו מכשרין ואלו ואלו דברי אלהים חיים: *Finis bonus erat, in quo illis conveniebant, nempe Veritas conjungens & stabiliens verba utriusque. Atque hæc causa est, quamobrem ubique una eademque ratione mentionem utriusque facientes deliberent; ecquæ ratio est domus Schammaj? ecquæ ratio est domus Hillellis? &c. Quemadmodum etiam dixerunt de doctoribus Talmudicis. Hi rem mundam pronunciant, illi immundam. Hi profanam, illi rectam æstimant; Et utraque verba sunt Dei viventis.* Ita Veteres sensisse *R. Abarbenel* affirmat, qui finem bonum veritatis nempe studium efficere posse haudquaquam negat, ut diversæ quamlibet & pugnantes sententiæ *verba Dei viventis* vocari queant. Idem etiam asserit autor libri החיים cap. 5. dum ait: אף על גב דלכאורה נראה שאינה לשם שמים שהרי אי אפשר שיהיו דברי שניהם אמת אפילו הכי אמרינן הואיל וכוונתם לשם שמים הרי אלו ואלו דברי אלהים חיים: *Licet prima fronte videatur, ac si non sit propter Deum suscepta disputatio, cum impossibile sit, ut utriusque verba vera sint: nihilominus dicimus, quandoquidem intentio eorum in Deum fertur, utriusque verba esse Dei viventis.*

§. 19. Eo Doctorum suorum reverentia abripit Ebræos, ut falsa quoque illorum effata *verba Dei viventis* vocare nulli dubitent. Ecquid vero bona intentio conferre potest ad id, ut illa tam splendido titulo insigniantur? Sane, ut subjecti qualitas ad veritatem nihil facit, quippe quæ duntaxat ab objecto dependet, ita nullo modo fieri potest, ut Doctorum quamlibet finem bonum spectantium sententiæ *verba Dei viventis* appellentur, nisi veritati sint conformes & cum Dei voluntate conveniant. Jam vero Deum velle, ut unum idemque simul *licitum* sit & *illicitum*, *mundum* & *immundum*, nemo dixerit, nisi qui sibi quidlibet fingendi potestatem datam esse persuadet, veluti solent Judæi. Seducti hi videntur inde, quod sæpius ab utroque disputante ad suæ sententiæ confirmationem afferri vident scripturæ dicta, vel *verba Dei viventis*. Sed hic meminisse deberent, quod R. Lipmannus ipsemet largitur, לעולם לא ימצא פלוגתא בגוף המצוה כי אם בפירושו: *In æternum non controverti de ipso præcepto, sed ejus explicatione.* Cum vero duæ plane diversæ, seque invicem falsi arguentes, afferuntur explicationes, clare patescit utramque non posse simul pro *verbis Dei viventis* haberi, nisi dicere velimus, idem simul posse esse & non esse.

§. 20. Scholiastes Talmudicus ad cap. 1. *Massechet Erubin*, fol. 80. En Isr. sic loquitur: שאלו רבנו צרפת ז"ל היאך אפשר שיהיה שניהם דברי אלהים חיים וזה אוסר וזה מתיר ותרצו כי כשעלה משה למרום לקבל תורה נראה לו על כל דבר ודבר מ"ט פנים לאיסור ותשעה וארבעים פנים להיתר שאל להקב"ה על זה ואמר שיהא זה מסור לחכמי ישראל שבכל דור ודור ויהיה ההכרעה כמותם ונכון הוא לפי הדרש ובדרך האמת יש טעם וסוד דבר: *Quæsiverunt ex Doctore nostro Zarpath l. m. ecquomodo fieri possit, ut verba utriusque sint Dei viventis, cum hic licitum aliquid esse perhibet, ille illicitum? Ad hoc sic respondit: Cum Moses ascendebat in montem, ut acciperet legem, ostensi sunt ipsi novem & quadraginta modi unamquamque rem illicitam pronuntiandi, & totidem modi licitam dicendi. Deum benedictum super hac re consulens hoc tulit responsi: tradendum hoc esse sapientibus Israëlis quocunque tempore futuris, ut sit præponderatio juxta eos. Atque hoc recte se habet, ratione sensus mystici & revera huic rei subest mysterium.*

§. 21. Ut apud plebem hæc paradoxa fidem invenirent, eis ex mendacio color quærendus fuit, nempe ipsum Mosen legislatorem divinitus primum ita edoctum, Israëlitarum Magistris postea eadem oretenus tradidisse. Neque ad איסור והיתר *interdictum* & *licitum* tantum, sed multo longius progressi ad totam legem restringunt. Rabbi enim *Lipmannus* lib. *Nizzachon*, num 321. sic scribit: נראה שהש"י נתן התורה ושלש עשרה מדות לדרוש בהם התורה כל חכם וחכם לפי השגת דעתו ובלבד שיעסוק ויעיין בכל כחו בלי ההתרשלות ואם יראה לסנהדרין על פי התורה והמדות שדבר אחד הוא טהור יהיה טהור ואם יעמוד הסנהדרין אחריהן ויראה להם שעל פי התורה והמדות אותו דבר טמא יהיה טמא כי הוא הש"י שנתן לנו התורה תלה אותו ברעת חכמים לפי ראות עיניהם: *Videtur Deus legem ejusdemque modos tredecim unicuique Doctori pro scientiæ suæ modulo dedisse, tantum ut diligenter studeat & meditetur. Quod si igitur Synedrio juxta legem & modos visa fuerit res aliqua munda, erit munda, si vero aliud deinceps Synedrium succedat, & arbitretur secundum legem ejusque modos, rem illam esse immundam, talis quoque erit; quia Deus, qui legem nobis dedit, illam suspendit è mente sapientum, prout videlicet ipsis fuerit visum.* Quin hoc in sacris literis confirmari affirmat, נאמר מציון, inquiens, על זה תצא תולה ר"ל תצא דבר תורה היום שלא יצאת אתמול זה שאמר הכתוב ושאבתם מים בששון ממעייני הישועה ות"י אולפן חרשה לאפוקי מן הכופרים המפרשים על חדוש ישו שהרי אמר ושאבתם מים בששון ואין לנו עצבון בחדוש הורתו אלא חדוש תלמידי חכמים נאמר: *Hoc ipsum indicant verba* (Esai. 2: vers. 3. *ex Zion egredietur lex, q. d. aliquid legis egredietur, quod heri non est egressum. Similiter de hoc loquitur textus* (Esai. 12: 3.) *haurietis aquas cum exaltatione è puteis salutis, quem Jonathan interpretatur*: doctrinam novam, *ad excludendum abnegantes, qui de novitate Jesu accipiunt. Ecce enim ait: haurietis aquas cum lætitia, sed nobis lex ipsius est dolori. Loquitur igitur de novitate discipulorum sapientum.*

§. 22. Hæc, quæ blasphemo ore eructat recutitus, insignitæ illius cœcitatis & amentiæ, qua populum suum immorigerum se percussurum Deus est minatus Deut. 28: 28. sunt documenta. Sane veram & genuinam scripturas explicandi & intelligendi rationem se amisisse, vix alia ratione testatius reddere potuisset *Lipmannus*, quam Esaiæ dictis tam absurdum sensum affingendo. Tredecim illos modos legis explicandæ, quos inter preces matutinas, perinde ac si essent oratio, recitare solent Judæi, Mosi referunt acceptos. Hinc *R. Lipmannus* lib. cit. num. 63. לא לחנם מרע"ה בהר סני היה ארבעים יום וארבעים לילה כי אם ללמוד פירושי התורה ומצות ודקדוקיהן: *Non frustra Moses Doctor noster in monte Sinai 40. diebus & totidem noctibus perseveravit, sed ut legis illius explicationes disceret, præcepta eorumque subtilitates.* Cæterum ut illi modi partim dialecticæ sunt argumentationes à minore ad majus, à majore ad minus; partim ejusmodi ratiocinandi rationes, quas à nemine alio usurpatas ad explicationem scripturæ adhibere nequeas; ita nulla apparet causa, cum Mosi eos in monte Sinai datos affirment, maxime cum iis utendo ea ex scripturis eruant, quæ à mente Spiritus Sancti sint alienissima.

§. 23. Dum Deum à mente Sapientum legem suspendisse perhibet *R. Lipmannus*, respicit ad locum Exod. 23: 2. ubi verba לנטות אחרי רבים cum priscis Ebræis & recentioribus, *Aben-Esra*, *R. Salomone* & aliis affirmative explicanda censet, quasi in quavis oborta controversia plurium sententia prævalere debeat, & uti loco cit. loquitur *Lipmannus* תורה נתנה לפי הסכמת הרבים *Lex data sit juxta consensum plurium*, quem tanti faciendum esse sibi persuadet, ut ne *vocem cœlestem* quidem, quam בת קול vocant, ei quicquam derogare posse, scribat. Sed uti *Cl. Hottingerus*, Univ. Heldelbergensis decus, Analect. diss. 2. pag. 90. bene monet, τὸ ῥητὸν, Exod. 23. *longe alium sensum ibi postulat*, Rabbi quidem *Aben-Esra* l. cit. sic scribit: חז"ל פירשו כי מזה נלמוד כי הלכה כרבים ומה שהעתיקו הוא האמת ואחר שהכתוב אמר לא תהיה אחרי הרבים לרעות מזה נלמוד כי אם יהיו הרבים לטיבה שהיא מצוה ללכת אחריהם: *Doctores l. m. explicarunt, quod inde discamus, secundum multitudinem sentiendum esse. Et hoc, quod inde collegerunt, verum est. Quandoquidem enim Scriptura ait* (vers. 2.) *non declinandum esse post multos ad mala, propterea exinde discimus, si illi ad bonum respiciant, teneri nos, ut illos sequamur.* Quilibet vero præjudicio non occupatus sentit, ex textu id minime sequi, quippe qui, כדמות שאלה ותוכחה לעורכי הדינים והמליצים כאומר הטוב בעיניך שגם אתה תהיה אחרי הרבים להטות את הדין בטענותיך: *Quasi interrogatione aliqua & reprehensione rabulas forenses alloquitur, hunc in modum: numquid & tibi visum est multos sequi ad pervertendum judicium?* uti *Rabbi Abarbenel* ad l. cit. commentatur.

§. 24. Ut adhuc clarius patescat, quantus Judæorum, postquam veram religionem & pietatem ad inanes & commentitios ritus traduxerunt, sit stupor, & quam vere hujus absurditatis accusentur, quod statuant, *idem simul posse esse & non esse*, aliud exemplum in medium proferemus. Vaticinii Jacobi Patriarchæ, Gen. 49: 10. *Non recedet sceptrum de Juda &c.* non sine insigni verborum detorsione hunc sensum esse ait *R. Lipmannus*, num. 286. לבסוף יבוא משיח ולא יתבטל המלוכה עולמית: *Tandem veniet Messias & non cessabit regnum in æternum.* Sed idem qui vocem שבט explicandam esse dicit על המלכות לפו פשוטו de *regno secundum sensum literalem*, sui minime oblitus num. 46. ita loquitur: שבט האמור כאן אינו לשון מטה ומלוכה אלא לשון רדוי ושעבוד מלשון כי יכה איש את עבדו או את אמתו בשבט וגו' ימחוקק האמור כאן לא אפרש לשון סופרים ותלמידי חכמים אלא לשון מרדע ויסורין מלשון במחוקק במשענותם והכי פירוש רדוי ויסורין לא יסורו לגמרי בלי חזרה מיודא

:מיודא עד כי יבא שילה *Voce* שבט, *quæ hic occurrit, non significatur ſcipio vel regnum, ſed dominium & ſubjectio, quo ſenſu ſumitur* (Exod. 21: 20.) *in verbis; cum percuſſerit quispiam ſervum ſuum vel ancillam ſuam* בשבט virga &c. *Neque vocem* מחוקק, *quæ hic occurrit, de Scribis vel Sapientum diſcipulis accipio, ſed de* ſtimulo & caſtigatione, uti (Num. 21: 18.) במחוקק ובמשענותם *ut hic ſenſus emergat: caſtigationes à Juda prorſus & ita, ut non redeant, non ſunt receſſuræ, donec veniat Schilo.* Secundum *Lipmannum* igitur unum ſimplex vocabulum שבט, uno eodemque loco ſemel duntaxat prolatum, diverſis & contrariis ſignificationibus exponendum notabit *regnum*, & non notabit *regnum*, ſed *afflictiones.* עַד ſignificabit *in æternum*, & non notabit *æternum*, ſed *donec*, nempe tunc, cum reliqua verba Judæo patrocinabuntur. Et hæc omnia nec violenta ſunt *Lipmanno*, nec abſurda, quia, ut num. 46. iterum loquitur התורה סובלת כמה פירושים ואלו ואלו דברי אלהים חיים *lex multas expoſitiones admittit, & omnes ſunt verba Dei viventis.*

§. 25. Ita *Lipmannus* ad ἀνλιφαλικὰ prolapſus ſcripturæ verba pro libitu torquet & pervertit, omnibus legitimæ interpretationis mediis neglectis, quæ tamen alii Judæi non penitus ſpernunt, ſed bene monent, כדרש המקרא לפניו ולאחוריו *Scripturam ex antecedentibus & conſequentibus exponendam eſſe.* Scire vero debuiſſet recutitus, unius loci ſenſum literalem non niſi unicum eſſe, quem autor intendit, & licet unum idemque vocabulum *abſolute, in ſe ac nude* conſideratum plura ſæpius ſignificet: *reſpective* tamen & *determinate*, prout in juſta oratione cum aliis vocibus copulatur, nonniſi unum quid, idque certum ſignificare poſſe, dum contextu ad illud coarctatur, & reſtringitur. Scopus item autoris, & alia bonæ interpretationis adminicula docent, qua ſignificatione vocabulum loquens accipiat. Quæ ſi præſenti loco attendantur, proclive fuerit obſervare, שבט non ſignificare *afflictionem*: quia Jacobo decretum non erat infortunium prædicere Judæ, ſed *prærogativam*, qua reliquos fratres eſſet ſuperaturus, quam Chaldæi quoque interpretes omnes pridem obſervarunt, vocem שבט reddentes per שולטן *dominatorem* vel מלכין *reges* & מחוקק per ספרא *ſcribam* vel legisperitum. Ut de *calamitatibus* & *afflictionibus* voces illæ ſumantur, neque contextus ſuadet, nec locus Num. 21: 18. à Lipmanno allatus evincit, vocem מחוקק pro iis ſumi. Fatente ipſomet *R. Abarbenele*: משה אדונינו מחוקק שני כשם חלקת מחוקק צפון: *Moſes Dominus noſter legiſlator ibi intelligitur, quia dictum eſt* (Deut. 33: 21.) *quia pars ibi legiſlatoris tecti.* Cæterum uti verbis ſcripturæ ſenſum inferre malunt Judæi, quam eruere, ita fieri nequit, quin in ſcriptura cœcutiant, id quod de ſeipſis aſſerere haud verentur. In *Medraſch Tillim*, מזמור קמ"ה hæc leguntur מי הן עורים הדורות האלו שהולכות בתורה כעורים שנאמר נגששה כעורים קיר כלם קורין ואין יודעין מה הן קורין שונין ואין יודעין מה הן שונין אבל לעתיד לבא אז תפקחנה עיני עורים: *Qui ſunt illi cæci? illæ generationes, quæ in lege verſantur inſtar cœcorum* Eſai. 59: 10.) *palpavimus ſicut cæci parietem. Omnes legunt & neſciunt, quid legant, diſcunt, neque tamen quid diſcant, ſciunt. Sed futurum aliquando eſt, ut oculi* (Eſai. 35: 5.) *cœcorum aperiantur.*

M. GEORG. FRID. MEINHART
SUB
FRISCHMUTHO
DISSERTATIO
De Propheta Moſi pari ad Deut. XVIII: 15.

PROPHETA MOSI PAR,
Ad illuſtrandum & à Judæorum detorſionibus vindicandum locum Deut. XVIII: 15. *ſeqq.*

EXERCITIO ACADEMICO
DESCRIPTUS.

§. 1.



Non heri demum vel nudius tertius Atheorum aliorumque, qui ſacram Scripturam improbo auſu impugnant, eamque ut ſecum ipſa luctantem indignis modis traducunt, uberrimus cœpit eſſe proventus; ſed jam pridem illorum, inſtar lolii in agro ſuccreſcentis, medios inter doctos viros haud exigua fuit copia. Suo id ſuffragio comprobat Franciſcus Junius, præf. libelli, quem inſcripſit PARALELA SACRA, *De Atheis*, inquiens, *non fuiſſem ita unquam crediturus, niſi me tenellum adhuc ipſorum agmina ſummo diſcrimine ſalutis meæ ſollicitaſſent ante triginta annos, cum literis humanioribus operam in Gallia darem. Vide enim puer, vidi eo tempore verſutiſſimas illorum technas & machinationes graviſſimas, quum animæ imprudenti meæ facerent inſidias periculoſiſſime. Iſti enim non ſolum τὰ ἐναντιοφανῆ ὡς ἐνάντια glorioſe obtrudebant, quæ in Scripturis ſacris affirmabant eſſe quamplurima: Verum etiam ipſius Chriſti, Evangeliſtarum Apoſtolorumque, (at quorum hominum!) ſermones fere ſingulos ſcriptaque carpebant τῆς ἑτεροφωνίας nomine, quam ante diximus, eamque ut probarent, arbitratu ſuo acer-*

acervatim proferebant ex V. T. locos, qui adducuntur in Novo. Garriebant res plane diversas eum in modum confusas esse, imperite ab illis factum clamabant, & fieri à nobis impie, qui autoribus & artificibus adeo imperitis fidem haberemus, retium magis, quam orationum concinnatoribus.

§. 2. Non vero solum Athei ἐμπαῖκται, nostra quoque ætate frequentissimi, ejusmodi armis pugnant contra orthodoxos, sed etiam incredula Judæorum natio suo modo cum his γραφομάχοις se conjungit, dum nihil magis curæ habet, quam ut ea loca, quæ ex V. T. in Novo adducuntur, ἀπροσδιονύσως & contra quam scopus auctoris & verborum antecedentium & consequentium συνάφεια ferat, allegari, evincant. Factitant hoc recutiti in loco insigni Deut. 18: 15. seqq. Ubi Prophetam sicut Mosen ex Israële se excitaturum esse, Deus pollicetur. Quo ipso Messiam & Salvatorem nostrum significari, nobis omni exceptione major testis est Petrus Act. 3: 22. & Stephanus, Protomartyr, Act. 7: 37. ut ita Christum magnum illum & Mose haud minorem Prophetam esse, ne dubitare quidem liceat veri nominis Christianis. Ecquid vero hic Verpi obvertunt? R. Lipmannus id num. 137. libri Nizzachon ostendit his verbis: טועים הנוצרים לפרש זאת על הנוצרי ומפרשי כמוני ר״ל מה משה נתן תורה אף הוא נתן תורה חדשה וטעות הוא בידם כי מתוך פסוקים של מעלה מבואר פירושו: *Hallucinantur Christiani, dum hæc de Nazareno explicant, & verba SICUT EGO id innuere perhibent, quemadmodum Moses novam legem tulit, ita illum quoque novam legem dedisse. Sed errorem suis manibus tenent. Ex antecedentibus enim ejus explicatio patescit.*

§. 3. Minime sterile argumentum disserendi vaticinium hoc illustre nobis suppeditat. Quod, ubi penitius consideraverimus, oppido patescet, firmiorem nobis haud deesse sermonem Propheticum, 2. Pet. 1: 19. neque nostram fidem destitui solido fundamento Prophetarum & Apostolorum Eph. 2: 20. Securi igitur veritatis, quæ à nostra stat parte, Judæorum non minus παρερμηνείαν, quam aliorum interpretum ἀβλεψίαν eadem opera in medium adducemus, sensum verborum genuinum ab heterodoxorum detorsione pro virili vindicaturi. Verba oraculi habent ita vers. 15. & seqq. נָבִיא מִקִּרְבְּךָ מֵאַחֶיךָ כָּמֹנִי יָקִים לְךָ יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֵלָיו תִּשְׁמָעוּן׃ כְּכֹל אֲשֶׁר שָׁאַלְתָּ מֵעִם יְהוָה אֱלֹהֶיךָ בְּחֹרֵב בְּיוֹם הַקָּהָל לֵאמֹר לֹא אֹסֵף לִשְׁמֹעַ אֶת־קוֹל יְהוָה אֱלֹהָי וְאֶת־הָאֵשׁ הַגְּדֹלָה הַזֹּאת לֹא־אֶרְאֶה עוֹד וְלֹא אָמוּת׃ וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלָי הֵיטִיבוּ אֲשֶׁר דִּבֵּרוּ׃ נָבִיא אָקִים לָהֶם מִקֶּרֶב אֲחֵיהֶם כָּמוֹךָ וְנָתַתִּי דְבָרַי בְּפִיו וְדִבֶּר אֲלֵיהֶם אֵת כָּל־אֲשֶׁר אֲצַוֶּנּוּ׃ וְהָיָה הָאִישׁ אֲשֶׁר לֹא־יִשְׁמַע אֶל־דְּבָרַי אֲשֶׁר יְדַבֵּר בִּשְׁמִי אָנֹכִי אֶדְרֹשׁ מֵעִמּוֹ׃ *Prophetam de medio tuo, de fratribus tuis sicut me excitabit tibi Dominus Deus tuus, illum audietis. Secundum omne quod petivisti de Domino Deo tuo in Horeb in die cœtus, dicendo, non amplius audiam vocem Domini Dei mei, & hunc magnum ignem non videbo amplius, ne moriar. Et dixit Dominus ad me, Bene fecerunt, quod locuti sunt. Prophetam ipsis excitabo è medio fratrum illorum, sicut te, & dabo verba mea in os ejus, & loquetur ad eos omne quod ei præcepero. Erit autem, ut quisquis non auscultaverit verbis meis, quæ loquetur in nomine meo, reposcam ab illo.*

CAPUT PRIMUM.

SUMMARIA.

Ebræorum interpretum super objecto vaticinii hujus insignis dissensus, quo alii Josuam, *ut* Aben Esra & Bechai: *quidam* Jeremiam, *ut prisci in* Pesickta & Jalkut: *nonnulli cujusvis ætatis Prophetas, ut* Lipmannus Alschech Abendana & Abarbenel, *intelligant, notatur, Lyrani, Tostati, Calvini opinio præter Messiam de quibusvis Prophetis verba accipienda esse, adducta.* Pareus Calvinum *cum aliis nequicquam conciliare satagit.* Fagii, *recentioris interpretis, &* H. Grotii *interpretamenta gemella. Alia sententia, eaque genuina de solo Messia verba accipientium probata* Luthero, Hunnio, Gerhardo, Helvico, Dn. D. Calovio, & Dn. D. Schmidio, *ex Pontificiis* Bellarmino, Sanctio, Lorino, Stapletono, *ex Reformatis* Junio, Drusio, Riveto, Piscatori, *ex contextu statuminatur. Quomodo* כמוני *&* כמוך *Judæi detorqueant, ex* Gerundensis, Alschechi, Abarbenelis, Bechai, Albo, & Lipmanni *interpretamentis ostenditur, & rejectis illis, usus vocum scripturis receptus stabilitur. Ellipsis pronominis* אשר *observata.* B. Glassius *laudatus.* כמוני *ad præcedentia potius quam consequentia referendum esse, contra quam Abarbenel vult, probatur.* כמוך *Albo justo latius extendit, cum Abarbenele commissus. Bellarminus, suum ipsius monitum insuper habens, notatur. Genuinum comparationis medium, in quo Mosi futurus Propheta similis esse dicitur, ex Scriptura eruitur. vs. 18. de Messia intelligendus explicatur. Judæorum pertinacia in repudiando Evangelio ex articulis fidei Judaicæ ostensa.* R. Maimonides *legis Mosaicæ æternitatem simpliciter adstruens, à* Joseph Albo *notatus. Priscorum assertum, quemvis Prophetam audiendum, nisi ubi ad idololatriam allicit, à Judæis tempore Christi neglectum.* R. Abarbenel & R. Moses Kozensis *laudati. Rationes, cur Christi prædicationi locum relinquere debuissent Judæi, adductæ.*

QUod Judæos attinet, etsi illi locum hunc Christianorum interpretamento repugnare omnes contendunt magno consensu, maximo opere tamen & illos variare in denominando objecto hujus vaticinii deprehendimus, velut ex R. Aben Esræ patet commento: נביא מקרבך זה יהושע והעד שאמר אליו תשמעון וכתוב וישמעו אליו בני ישראל ועוד ראיה אחרת כי לא מצאנו נביא שנכנס עם ישראל לארץ כי אם יהושע גם יתכן להיות זה כלל לכל נביא שיקום אחר משה כמוני שהוא נביא השם לא מנחש: *Verbis* PROPHETAM E MEDIO TUO *Josua intelligitur, quod testantur verba, illi obtemperabitis* (vs. 15.) *& scriptum est* (Deut. 34: 9.) *& obtemperarunt ei filii Israël. Quin adhuc alia suppetit ratio, quia non deprehendimus ullum Prophetam in terram cum Israële ingressum esse nisi Josuam. Præterea convenit, ut de quovis post Mosen excitando Propheta dicatur,* כמוני *sicut ego. Qui Propheta Dei sit, non præstigiatur.*

§. 2. R. Bechai, fol. 109. col. 1. comment. in תורה eodem tendens scribit hunc in modum: על יהושע אמר זהוא שאמר תשמעון אליו ומצינו ביהושע שכתוב וישמעו בני ישראל או שהיה נביא שם רבים: *De Josua loquitur, atque hoc est, quod ait* (vs. 15.) *ei auscultabitis. De eodem dictum invenimus* (Deut. 34: 9.) *& auscultarunt illi filii Israël, aut Prophetæ nomen plures designabit.* Ut in Jalkut ad Deut. 18. ex Pesickta refertur, non defuerunt, ex priscis, qui Jeremiam hic promitti putarent, & Rabbi Abarbenel præfat. commentarii in Jeremiam, fol. 96. col. 2. ab ea sententia non alienus fuisse videtur. Sic enim ille scribit: הרי לך י״ד דברים שנתדמה בהם ירמיהו למר״עה ולא היה זה אלא מפני היות מדרגת נבואת ירמיהו יותר קרובה ומתדמה למדרגת אדון הנביאים משאר נביאי ישראל וכבר התעוררו ז״ל בפסקתא רבתי על זה הדמות אמרו שם רבי יהודה ב״ר סימון פתח נביא אקים להם מקרב אחיהם כמוך וכתוב ולא קם נביא עוד בישראל כמשה ואתה אמרת כמוך אלא זה ירמיהו שהיה כמוהו בתוכחות אתה מוצא כל מה שכתוב בזה כתוב בזה זה נתנבא מ׳ שנה וזה נתנבא מ׳ שנה זה נתנבא על יהודה וישראל וזה נתנבא על יהודה וישראל זה עמדו בני ישראל כנגדו וזה עמדו בני שבטו כנגדו זה הושלך ליאר וזה הושלך לבור זה נצל על ידי אמה וזה נצל על ידי עבד זה בא בדברי תוכחות וזה בא בדברי תוכחות ע״כ הנה העירו על קצת מהדמוים אשר זכרתי אני פו לקיים שעל ירמיהו נאמר למשה רבינו נביא אקים להם מקרב אחיהם כמוך והוא המורה שהיתה מדרגת ירמיהו בנבואה עליונה מאד ויתר קרובה למדרגת משה ארנינו ממדרגת שאר הנביאים: *Ecce tibi XIV. capita, quibus Jeremias Mosi Doctori nostro l. m. similis fuit. Et hoc non alia de causa fuit, quam quod gradus Prophetiæ Jeremiæ propior fuit gradui Prophetiæ Mosis Domini Prophetarum, præ reliquis Prophetis. Pridem in Pesickta magna, respexerunt ad hanc similitudinem. Dicunt ibi: Rabbi Juda filius Simeonis cœpit, Prophetam excitabo ipsis ex medio fratrum illorum sicut te,* (Deut. 18.) *& scriptum* (Deut. 34: 10.) *non surrexit amplius Propheta in Israël sicut Moses: & tu dixisti*

dixisti sicut te. Hoc de Jeremia verum fuit, qui fuit sicut ipse in reprehensionibus. Quicquid enim de hoc scriptum est, etiam de illo invenies scriptum. Moses 40. annis est vaticinatus, etiam Jeremias totidem prophetavit. Hic prophetavit de Juda & Israële & ille de utroque prophetavit. Huic se opposuerunt ex eadem tribu oriundi, & illi se opposuerunt tribules sui. Hic projectus fuit in fluvium, & ille projectus fuit in foveam. Hic per manum ancillæ ereptus fuit, ille servi opera. Hic venit cum objurgatione, & ille cum eadem venit. Huc usque. Ecce adducti sunt similibus nonnullis, quæ commemoravi, ut statuerent, de Jeremia dictum esse Mosi doctori nostro: Prophetam excitabo ipsis è medio fratrum suorum sicut te. Atque hoc comprobat, gradum Jeremiæ in Prophetia fuisse admodum excellentem, & propiorem gradui Mosis Domini nostri, quam gradum reliquorum Prophetarum. Huc facit quod ad h. l. Baal Hatturim notat: נביא אקים בגמט"ריא זהו ירמיהו verba: נביא אקים *per Gematriam æquipollent his: Iste est Jeremias.* Ita Cabalistice Jeremiam notari docet.

§. 3. Cæterum Josuam hic intelligi, exinde inepte colligunt Judæi, quia dicitur, *& obtemperarunt ei*, cum ut duci & magistratui obsecundasse potuerint. Non animadverterunt recutiti argumentum in secunda figura affirmativum nihil concludere. Quandoquidem etiam Deut. 34: 10. expresse negatur, ullum Prophetam Mosi similem tum surrexisse; videlicet, ut R. Albo loquitur בכל ימי מין הנביאים *quoad Prophetæ existerent*, vel ex eo patet, neque in Josua vel Samuele neque alio infra Mosen posito complementum vaticinii quærendum esse. Quod vero ab Abarbenele ex Pesickta recensitam sententiam attinet, neque illa applausum meretur. Comparationis enim membra sunt ejusmodi, ut, de iis ne cogitasse quidem Mosen, palam sit. Cum enim non de externis eventibus, aut iis, quæ fortuito cuipiam accidere possint, sermo sit, in quibus facile unus cum altero participare possit, non tam ad fortuita ejusmodi, quam quæ ipsi Personæ in se competunt, Deum respexisse, manifestum est. Licet etiam fieri queat, ut prisci Ebræi verba hæc de Jeremia intellexerint, quem non minus, atque Eliam Thesbiten, redivivum sibi polliciti esse videntur, cum Matth. 16: 14. nonnulli, Christum Jeremiam esse, perhibuerint; minime tamen inde sequitur, Mosen ad Jeremiam collineasse, cum hic illo tertio, in quo similitudo fundatur, fuerit destitutus, ceu infra videbimus. Quin ipse R. Abarbenel, Esaiam gradu Prophetico reliquis Prophetis, adeoque & Jeremia, excellentiorem esse, asserere nullus dubitavit, præfat. in Prophetas posteriores fol. 1. col. 4. Præterea Jeremiæ sermonem Ezechielis eloquio idem postponit, fol. 153. col. 3. ut adeo nulla ratio appareat, cur, de Jeremia Mosen locutum esse, putent Judæi.

§. 4. Ipsi R. Aben Esræ & R. Bechai suboluit, de Josua oraculum intelligendum haud esse, unde illi particula disjunctiva או *aut* usi, ad plures etiam verba referri posse, censuerunt. Quibus adstipulatur R. Lipmannus, l. cit. על כל נביא ונביא שבכל דור ודור קאי: *de omni Propheta, qui quovis seculo vixit, verba accipienda sunt.* Ab hoc minime abludit R. Alschech fol. 292. נביא מקרבך מאחיך יקים לך השם והוא יגיד לך כי יהיה ראוי ועל פיו תדע הדברים הנוגעים אליך כענין תלונת הנביא באוי המבלי אין אלהים בישראל הלך לדרוש לבעל זבוב כי חפץ השם ידרשו בנביאיו: *Prophetam è medio tuo, è fratribus tuis Deus tibi excitabit, & ille indicabit tibi, quid te deceat, & ex ore ejus percipies ea, quæ te attineant: secundum murmurationem Prophetæ* (2. Reg. 1: 6.) *annon est Deus in Israële, ut mittas ad interrogandum Baal Sebub? &c. Quid enim Deus fieri velit, id ex ipsius Prophetis discendum est.*

§. 5. Dum ita de Prophetarum corpore sive continuo ordine & toto quasi eorum subinde in populo futuro collegio verba Judæi intelligunt, assertionis suæ fundamentum ex textu arcessere solent, veluti ex R. Jacobo Abendana patet, qui Spicilegio suo ad librum Michlal Jophi sic scribit: זה הפסוק דבק אל הפסוקים הקודמים והמאוחרים: *hic versus cum antecedentibus & consequentibus cohæret.* Nempe, quia Deus antecedentibus verbis vetat, Israëlitas futura cognoscere על ידי מעוננים והקוסמים: *per præstigiatores & divinatores*, ut Lipmannus loquitur, & subsequentibus Pseudoprophetæ pœnam sancit, manifestum hinc esse censet recutitus, verbis intermediis non tam de uno, multis seculis post demum venturo, quam pluribus Prophetis, ad quos, quoties usus ferebat, recurrere, Deique voluntatem ex eis percontari populus debebat, Legislatorem locutum esse.

§. 6. Neque ex Christianis desunt, qui licet de Christo, ceu omnium Prophetarum capite, potissimum hic agi, minime eant inficias; de quovis tamen Propheta verba vaticinii itidem intelligenda esse, arbitrentur. Cum Lirano & Tostato ita Joannes Calvinus sentit, qui eo, quod Pythonibus hic opponantur Prophetæ, qui semper esse debeant, ne ad illos populus deflectat, ad plures verba spectare contendit. David vero Pareus ita magistrum suum cum aliis Interpretibus conciliare satagit, ut dicat, vs. 15. de Prophetis in genere, vs. 18. de Christo solo intelligendum esse. Sed cum nihil causæ sit, quamobrem vs. 15. ubi eadem omnino verba, quibus vs. 18. Moses usus est, occurrunt, & mutata duntaxat persona Deum loquentem Moses introducit, ita à reliquis divellamus; à nobis impetrare nulli possumus, ut de alio subjecto intelligamus vs. 15. quem à Petro & Stephano allegari, ipse Pareus diffiteri nequit. Ita nullum applausum meretur Heidelbergensis Theologus, neque ex Reformatis quisquam, quod sciamus, fuit, qui Pareo adstipularetur.

§. 7. Paulus Fagius annot. in h. l. itidem eo inclinat, ut, verba hæc: *Prophetam excitabo illis de medio fratrum suorum* &c. aliquo modo etiam ad omnes Prophetas omnium ætatum referri posse, censeat. Ne tamen Judæi inde suam causam juvari arbitrentur, diligenter attendendum esse monet, quid typo, quid antitypo conveniat. Insolens enim non esse ait, ut uno eodemque loco de duobus vel pluribus agatur, ceu vel ex solo loco 2. Sam. 7: 12. seqq. patescat, ubi quædam typus cum antitypo communia habeat, quædam autem prædicata ita propria, possideat antitypus, ut in consortium eorum typus nullatenus venire queat. Alius isque doctissimus Scripturæ Interpres hanc sententiam suam fecit, annot. ad h. l. *cum*, inquiens, *rationes suppetant non minus pro Messia, quam reliquis Prophetis, eæque satis evidentes, neque ille, neque hi ex verbis Deut. 18. excluduntur. Atque mihi quidem summopere probatur illa Cunæi Cabbala, quam D. Glassius lib. 2. Phil. Sacr. p. 317. edit. primæ lubens sequitur.* Tandem, adducto loco 2. Sam. 7. qui Ebr. 1: 5. ad Messiam applicatur, ob prædicatum tamen, *argui virga virorum*, totus de Messia non loquitur, sed de Salomone quoque accipi debet, *collectu*, inquit, *facile est, cum Messiam intelligi, tum Salomonem peccatorem, neque in prædicato, quod unius proprium est, alteri quicquam nasci tur præjudicii, hoc solummodo admitti debet, dari sensum mysticum, qui non cuivis obiter Scripturam lustranti sit obvius. Pari itaque ratione hoc Deut. loco Messias intelligitur & Prophetæ alii, nisi quod ille magnus, hi minores audiant.* Hugo quoque Grotius ad Act. 7: 37. Stephanum in hunc sensum sermocinatum esse ait: *Ille* (Moses) *Jesum commendavit verbis, ad Prophetas quidem alios aliquatenus, sed ad Jesum eximie pertinentibus.*

§. 8. Ut, verba ad Christum pertinere, res ipsa loquitur, & neminem dubitare sinit Apostolus & Protomartyr: ita etiamnum in quæstione est, an eadem de aliis Prophetis cujusvis ætatis accipi debeant, & de illis Moses sit locutus. Aliter sane visum est B. Luthero, Tom. III. Latin. Jenens. f. 123. Patrum item Græcorum Latinorumque pluribus. Ex Pontificiis, Bellarmino, Stapletono, Sanctio & Lorino. Ex Reformatis, qui à Calvino divortium fecerunt, Francisco Junio, Drusio, Riveto, Piscatori. Ex nostris plerisque omnibus, cumprimis Hunnio, Gerhardo, Horneio, Helvico, Dn. D. Calovio, & Dn. D. Schmidio, Theologo Argentoratensi celeberrimo, Collegio Biblico Priore, pag. 279. Qui ad unum omnes vaticinium de solo Christo agere docent, de reliquis Prophetis haud item.

§. 9. Militat pro horum sententia contextus, qui, Prophetam excitandum, sicut Moses fuit, futurum esse, asserit. Cum vero Deuter. 34: 10. negetur, Mosi similem venisse, de quibusvis Prophetis sermonem h. l. haud esse, manifestum est. Deinde, si de aliis vatibus ageretur verbis adductis, proclive fuisset Judæis ad allegationem Petrinam excipere, non tam de uno, eoque magno Propheta, sermonem esse Mosi, quam aliis pluribus. Quod cum haud fecerint, sed suo silentio potius argumentum Apostoli probaverint, inde quoque patescit, de uno Propheta verba adducta intelligenda esse. Præterea ex contextu id liquet, ita omnia vaticinii verba se habere, ut, de singulari Propheta aliquo Deum loqui, appareat, unde & ipsi Judæi sibi persuaserunt, de Josua vaticinium intelligendum esse, in quem tamen illud minimè quadrare, ostendimus. Et cum non plurali, נביאים, *Prophetas* se excitaturum esse, promittat, uti alias 2. Reg. 17: 13. & alibi loquitur, sed נביא *Prophetam*, nulla causa superest, quamobrem non de uno μονοπροσώπως, eoque plane eximio, vaticinium interpretemur.

§. 10. Neque illa oppositio, quam Judæi juxta & interpretes

tes quidam Christiani urgent, tanti roboris esse videtur, ut in aliam sententiam nos pertrahere possit. Series enim verborum proxime antecedentium ejusmodi est, ut & illa nostrum confirmet interpretamentum, veluti paulo post uberius ostensuri sumus, ubi Judæorum detorsiones complures adduxerimus. Hi enim, ne *μονοτρόπως* Prophetam aliquem admittere cogantur, variis modis voculas כמוני & כמוך sollicitant, & diversimode iis, prout cuilibet libet, ad suum commentum abutuntur.

§. 11. Rabbi enim Gerundensis, alias Ramban dictus, hunc in modum scribit: מקרבך כלומר שתוכל לבטוח בדבריו שהוא מקרבך מאחיך וכן על דעתי כמוני שיהיה נאמן לנביא להשם ותאמין בו כאשר אתה מאמין בי: *Verbis*, E MEDIO TUO, *vult dicere, ut possis verbis ejus tuto fidere, quia ille est è medio tuo, è fratribus tuis. Et sic, mea sententia, voce* כמוני *significatur, quod sit fidelis futurus Propheta Dei, ut ei credas, veluti mihi fidem habuisti.* R. Moses Alschech, fol. 292. com. in Legem, significationem כמוני צ̃ד hanc esse contendit: אמר כמוני כלוי שלא יאמר לך דבר אשר יגנד בנבואתי ותורה שנתן השם על ידי רק שיהיה כמוני ולא נגדיי: *Voce* כמוני *vult hoc significare, ne verbum quidem tibi dicturum eum esse, quod Prophetiæ meæ & legi, à Deo per me datæ, repugnet. Tantum sicut ego futurus est, minime mihi contrarius.*

§. 12. R. Abarbenel fol. 371. in eundem sensum commentatur: אמר הוא יתברך נביא אקים להם כמוך ר"ל שהנביא אשר יקים אליהם לא יהיה חולק על משה רבינו ולא חולק על מצוה ממצותיו אבל יהיה בענין התורה והמצות כמוהו ר"ל שיזהיר עליהם בשמירתם וקיומם כמו שהיה מזהיר מר"עה ומזה ימשך שהנביא אשר לא יהיה כמוהו אינו נביא אמת וראוי להורגו כי היות הנביא כדעותיו וגזרותיו כמוהו הוא תנאי עצמיי במציאותו ואמתתו: ולזה נאמר בענין ענשו אך הנביא יזיד לדבר בשמי את אשר לא צויתיו וגו' כי הנה קרא זה זדון לבו השיאו לדבר כנגד אדון הנביאים ותורתו ומי שלח ידו פיו ולשונו לדבר במשיח השם בכל ביתו נאמן הוא ונקה: *Cum dixit Deus benedictus: Prophetam excitabo sicut te, vult significare, Prophetam excitandum non dissensurum à Mose vel præcepto ejus, sed, quod Legem & præcepta attinet, ei parem futurum esse, hoc est, ad observationem & impletionem illorum æque adhortaturum esse, atque Mosen. Ex hoc consequitur; Prophetam, qui non est sicut Moses, non esse verum Prophetam, adeoque occidendum. Cum enim de essentia veri Prophetæ sit, ut Mosi in doctrinis & edictis par sit, ideo dictum est in irrogatione pœnæ illius: sed Propheta ausus loqui in nomine meo id, quod ei haud præcepi &c. Ecce vocat arrogantiam, quia superbia cordis ejus seduxit eum, ut contra Prophetarum Dominum & legem ejus loqueretur. Ecquis vero contra unctum Domini* (1. Sam. 26: 9.) *in tota domo ejus fidelem* (Num. 12: 7.) *& innocentem, manum, os & linguam suam elevabit, ut contra unctum Domini loquatur.*

§. 13. Sed R. Abarbenel sui oblitus, col. 1. fol. 371. alio modo voces, כמוני & כמוך detorserat, dum Deum voluisse docet, כמו שבחרתי לך: *quemadmodum te elegi.* Pergit ibidem לא שיהיה נביא אחר במדרגת משה רבינו ומעלתו כי אם שיהיה נבחר מאתו יתברך כמו שהיה נבחר משה לנבואתו לענין הקימו שזכר הדמוי כמוני כמוך לא במעלת הנבואה: *Non est sensus, futurum Prophetam alium in Mosis Doctoris nostri gradu & dignitate, sed quod ab ipso Deo sit eligendus, veluti Moses ad suum munus Propheticum. In verbo igitur excitabo, comparatio est quærenda, non in Prophetiæ præstantia.* Hujus Abarbenelis vestigiis, ut fere solet, R. Abendana, Spicilegio ad librum Michlal Jophi, insistit, & gemella docet.

§. 14. Longe aliter sentire videtur his antiquior ille quidem, non obscuri tamen nominis doctor Ebræorum R. Bechai, cujus commentum ita habet: ומה שהוצרך לומר כמוני כדי שלא תבין ממלת אחיך בני עשו או בני ישמעאל לפי שמצינו בבני עשו כה אמר אחיך ישראל ולפי כך הוסיף ואמר כמוך כלומר מבני יעקב וזה סותר אמונה אדום וישמעאל שאין הנבואה ביניהם: *Quod vero ipsi adhibenda fuit dictio* כמוני, *id inde factum est, ne voce* אחיך *intelligeres Idumæos aut Ismaelitas. Quia de Esavi posteris dictum deprehendimus* (Num. 20: 14.) *Sic dixit frater tuus Israël. Atque ideo sic addit & ait,* כמוך *sicut te, q. d. de posteris Jacobi, qui repugnat religioni Edomi & Ismaelis, quia inter illos nullus locus est Prophetiæ.*

§. 15. Rabbi quoque Albo, Christianorum antagonista acerrimus, in eadem comparativa particula sibi visus est invenisse, quod ad Christianorum ex hoc loco formatum exciperet argumentum & in ipsos retorqueret, part. 3. cap. 19. libri Ikkarim, verba ejus hæc sunt: על זה הדרך יושב על החולקים עלינו ואומרים כי מה שכתוב בתורה נביא אקים להם מקרב אחיהם כמוך ונתתי דברי בפיו ודבר אליהם את כל אשר אצונו שר"ל נביא שתנתן תורה על ידו כמו שנתנה על יד משה ושמקרב אחיהם ר"ל מאחי ישראל ולא מהם אף אנחנו נאמר להם שאף לפי דרכם שהם אומרים שהכתוב מדבר שעתיד נביא שתנתן תורה על ידו כמו שהיה זה במשה מ"ם אחר שאמר נביא אקים להם כמוך ראוי שתהיה הקמתו ואמות נביאותו שהיא אמות שליחות השליח שהוא עקר לתורה האלהית כמו שאמרנו על הדרך שנתאמתה נבואתו של משה במעמד ששים ריבוא ובלי ספק ובלי שום חשד: *Hunc in modum respondeatur disceptantibus nobiscum & asserentibus, cum scriptum est: Et excitabo eis Prophetam ex medio fratrum eorum, sicut te, & dabo verba mea in os ejus, & loquetur omne, quod ei præcepero; denotari Prophetam, per quem lex sit danda, veluti per Mosen data est. Ex medio fratrum illorum, h. e. Israelis, & non ex illis* (gentibus.) *Respondebimus illis, secundum illorum modum colligendi, quo dicunt scripturam docere, Prophetam futurum, per quem* תורה *vel doctrina detur, veluti per Mosen est tradita; tamen sequi, quia dicit, Prophetam sicut te excitabo ipsis, conveniens esse, ut ejus excitatio, & prophetiæ illius verificatio (quæ nihil aliud est, quam probatio legationis illius, qui missus est, in qua legis divinæ fundamentum consistit, veluti diximus) stabiliatur, sicut verificata est prophetia Mosis, sex myriadibus virorum adstantibus absque omni dubio vel suspicione.* Rabbi Lipmannus itidem τò כמוך urget, & illud Christianorum sententiæ repugnare censet, unde l. cit. telum in nos vibrandum suis contribulibus ejusmodi suppeditat: ארדבא לפי דעתם תקשה להם איככה באים לדמותו למר"עה שהיה אדם ולא אלוה: *E contrario objice ipsis secundum eorum sententiam, ecquomodo eum* (Christum) *cum Mose, doctore nostro, comparare audeant, qui tamen homo fuit & non Deus.*

§. 16. Sed ad hasce detorsiones Judaicas respondere adeo difficile non est. Quod enim R. Gerundensis, Alschechi & Abarbenelis interpretamenta attinet, frivola illa plane sunt & à textu aliena. Tò כמוני & כמוך hoc loco ad fidelitatem, quæ in quovis & vulgari Propheta exigitur, haud referendum esse, ipse contextus docet. Consimiliter neque de *genere Israelitico*, neque *vocatione immediata*, neque *doctrina*, voculas illas accipiendas esse, inde liquet, quod hæc in nomine נביא, ista in verbo אקים, illud in verbis מקרב אחיהם satis abunde significantur. Et quia Moses non usus est particula כאשר, sed voce כמוני, haud obscure patet, aliquid in subjecto potius denotari, quam excitationis modum, perinde ac Gen. 44: 15. cum dicitur, איש אשר כמוני *vir, qui sicut ego.* & vs. 18. כמוך כפרעה. Quin ellipsis pronominis אשר, quam textus poscit, & Scripturæ usitatam esse B. D. Glassius lib. 3. Phil. Sacr. can. XXII. ostendit, id quoque comprobat, τò כמוני nequaquam ad verbum אקים pertinere, ut R. Abarbenel inepte contendit, sed ad præcedentia esse referendum, id quod ipse situs accentus Sakephkaton indicare videtur.

§. 17. Quod vero R. Bechai, τò כמוני ad denotandos natales Prophetæ excitandi & excludendos Idumæos adhiberi, asseverat, in eo is quoque fallitur. Satis enim jamdum verbis, מקרב אחיהם *ex medio fratrum illorum*, sunt exclusi extranei quicunque. Cum illis enim erat Mosi sermo, qui unum parentem Jacobum communem habebant, hoc est, cum cœtu Israëlitico. Licet vero Idumæi fratres quoque Israëlis appellentur, minime tamen illa notione, quæ h. l. occurrit, id fieri cogitandum est, sed aliquanto latiore, quatenus ex Esavo, Jacobi fratre, oriundi illi erant, adeoque gradu adhuc ulteriore Israëlitis sanguinis propinquitate juncti.

§. 18. Neque R. Joseph Albo vocem כמוך recte eo usque extendit, ut, veluti Moses suam legationem comprobavit, dum tot millenis viris præsentibus pro Dei viro & Propheta est habitus, ita necessum fuerit, Christum, si par ei esse debeat, eodem plane modo & totidem viris, testibus suæ legationis, veritatem ostensum iri. Quasi vero Deus se ita uni modo adstrinxerit, ut diversa ratione auctoritatem ei, quem mittit, conciliare nequeat. Ipse Abarbenel fol. 371. col. 3. id bene perspexit, ex כמוני non licere ita colligere, nisi absurdum inde sequi velis. Sic enim contra suum contribulem disputat: אם יאמר על כל פנים שמלת כמוני תחייב שכל הנביאים יאמתו נבואותיהם כמו שנתאמת נבואת משה יתחייב שכלם ידבר עמם הש"י לעיני כל העם ויקרע הים: *Si dixerit, omnino dictionem* כמוני *id velle, omnium Prophetarum prophetias ita verificandas esse, veluti Mosaica est verificata, sequetur, Deo cum omnibus loquendum, conspiciente populo, & mare dividendum esse.*

§. 19. Tandem & R. Lipmanni telum obtusius est, quam ut inde aliquid metuendum sit periculi. Si enim comparatio ibi quoque locum habet, ubi duo extrema in uno tertio conveniunt, licet in reliquis haud parum discrepent; liquido patescit, aërem verberasse recutitum; dum duas naturas opponit, & inde negat, Christum Mosi homini parem esse posse, quod eum Deum quoque esse credamus. Antequam vero tertium comparationis, & vim vocis כמוני ostendamus, Bellarminum

minum lib. II. cap. 6. de Eucharistia audiemus, *quæ*, inquientem, *adferuntur ut similia, debent esse similia in re, de qua disputatur, non autem in omnibus.* Sed quam parum memor hujus observationis fuerit Cardinalis, ex lib. IV. c. 5. de Justificatione patet. Probaturus enim, Christum legislatorem esse, ad vocem כמוך hujus vaticinii provocat. Sed cum Christus Mosi, ut legislatori, opponatur Joh. 1: 17. ubi legem per Mosen datam, gratiam vero & veritatem per Christum factam esse, Euangelista testatur, in aprico est, Christum sub ratione νομοθέτε, seu legislatoris, minus recte cum Mose comparari. Minime igitur כמוני omnimodam aut qualemcunque æqualitatem declarat, aut exactam convenientiam in quibusvis prædicatis, quæ utrique membro comparatorum competunt, designat.

§. 20. Quæ cum ita se habeant, cauto opus est, ne in eo comparatio quæratur, ad quod neque loquentis scopus, neque contextus nos inducit. Sane dum hunc penitius expendimus, Moses ipse, indice quasi digito, ostendere videtur medium comparationis. Prophetam enim hunc singularem eis datum iri, docet occasione sermonis in monte Horeb habiti, ubi Israëlitæ, vocem Dei terribilem & sibi tantum non lethalem deprecantes, mediatorem sibi dari petunt, quod ipse Abarbenel, com. Deuter. 5: 37. agnoscit, ubi populum ita loquentem introducit, : אתה תהיה שליח ואמצעי בדבר *tu sis legatus & mediator in loquendo.* Deus illorum precibus locum relicturus, Prophetam, sicut Mosen, se eis excitaturum pollicetur. In eo igitur Mosi par excitandus Propheta dicitur, quod, perinde atque Moses, Μεσίτης futurus inter Deum & populum, huic Dei voluntatem annunciaturus sit.

§. 21. Sic enim habent verba divina vs. 18. *& dabo verba mea in os ejus, & loquetur ad eos omne, quod ei præcepero.* Ad quæ verba R. Lipmannus scribit: הנה אני שומע כי הנביא הזה אין בו כח לדבר אלא מה שיצוה עליו בוראו והוא בעצמו לא יכול לדבר מדעתו ולא לצוות כלום ואם כן הוא נביא ולא אלוה; *Ecce, audio, hunc Prophetam non locuturum esse, nisi quæ creator ipsius præceperit, ex seipso vero & sua sententia eum aliquid loqui aut quicquam præcipere haud posse. Si vero ita res habet, Propheta erit, & non Deus.* Sed Prophetam hunc ex sua sententia aliquid præcipere haud posse, male R. Lipmannus inde colligit, quod Deus, verbum suum in os ejus se inditurum, promittit. Ex hoc enim illud minime sequi, inde novimus Christiani, quod hic Propheta nudus homo non est, sed simul Deus. Unde non repugnat, eum, ut hominem, verbum à Deo accipere, & tamen ut Deum, ex propria autoritate & sententia illud proferre. Quæ si recutiti adhuc dubia & incerta esse causati fuerint, ut illam à Christo majoribus illorum propositam quæstionem tandem solvant, urgendi sunt, ecquomodo Messias, qui Filius Davidis ipsorum Judæorum concessu est, insimul Dominus ejus vocari queat Ps. 110? Quæ duo, cum itidem ut incompossibilia habita fuerint Judæis id temporis, ita cerebellum illorum fregerunt, ut ad quæsitum plane obmutuerint, neque amplius quicquam interrogare fuerint ausi, Matth. 22. ult.

§. 22. Dum vero ita verbum suum ori Prophetæ se commissurum esse ait, eo ipso testatur, superesse adhuc aliquid dicendum, quod non eo modo, quo Decalogus latus est, in medium proferendum, sed ex ore humano audiendum sit. Neque Prophetam mediatorem ejusmodi se missurum dicit, qui ordinarie increpatione impietatis & injustitiæ utatur, & judicia divina & pœnam, pœnitentiam non agentibus, minetur; sed qui bonum aliquod futurum annunciet, & verba loquatur, quæ Deus adhuc dicenda reservavit ad consolationem & τελείωσιν populi sui. Si enim nihil amplius dici debuit, quam quod Moses protulerat, neque alio modo dici debuit, quam quo Moses id dixerat, quid opus fuisset, promitti Prophetam, qui loqueretur verba Dei, & hac ipsa differentia à Mose distingueretur. Supererat igitur adhuc aliquid revelandum à Propheta illo. Et ita non Judæis modo, sed & Samaritanis persuasum fuit, unde & fœmella Samaritana Joh. 4: 25. ab adventu Messiæ uberrimam revelationem suspendit.

§. 23. Nempe annus gratiæ adhuc restabat, quo libertas & consolatio omnibus lugentibus annuncianda erat, hoc est, εὐαγγέλιον, sive concio boni nuncii, quod per Messiæ mediationem, & sanguinem fœderis pro hominibus effusum, damnatio & maledictio legis ablata sit. Unde ipsemet apud Esai. 61: 1. 2. se missum ait, *ad Evangelizandum mansuetis, ad obligandum fractos corde, ad prædicandum captivis libertatem.* Quæ verba Messiæ esse, Judæi largiuntur, perinde atque Kimchi verba Psal. 45: 3. *gratia effusa est in labia tua*, de eodem accipit, & sensum esse ait: בשאתה מדבר דבריך הם דברי חן כאלו הוצק חן בשפתותיך: *Cum loqueris, verba tua adeo sunt gratiosa, ut gratia in labia tua quasi effusa videatur.* Complementum vero verborum videre est Luc. 4: 15. ubi Evangelista ait: Ἐδίδασκεν ἐν ταῖς συναγωγαῖς δοξαζόμενος ὑπὸ πάντων, & vs. 22. Ἐθαύμαζον ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος, τοῖς ἐκπορευομένοις ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. Hoc factum est, cum is, ὃν ἀπέστειλεν ὁ θεὸς, τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ ἐλάλει, Joh. 3: 34. veluti ipsemet id testatur, Joh. 12: 49. *Ego*, inquiens, *ex meipso non sum loquutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar.* Hic est ille, de quo Esaias c. 42: 4. est vaticinatus, ולתורתו איים ייחלו: *& doctrinam ejus insulæ sperabunt*, quam *Hierosolymis egressuram esse* idem Cap. 2. 2. prædixerat. Hæc תורה sive doctrina revera verbum Dei est, quod Prophetæ in os Deus dicitur daturus. Et ita Judæi maximopere hallucinantur, voce תורה nihil aliud, quam Legem Mosaicam concipientes, cum tamen illa etiam fœdus gratiæ quandoque complectatur, & doctrinam, qua ad vitam æternam erudimur, quam Propheta hic promissus, & suo tempore exhibitus, plenam consolationis manifestavit, & afflictos invitavit, *respicite*, inquiens, *ad me & salvamini, omnes fines terræ.* Es. 45: 21, 22. Matth. 11: 28.

§. 24. Ceterum Judæorum hic pertinacia tanta est, ut, Prophetam Mosi gradu vel dignitate parem secuturum fuisse, vel aliud quid unquam, quam legem Mosaicam, traditum iri, præfracte negent. Omnium suorum contribulium loco loquatur R. Moses Maimonides, qui inter Judaicæ fidei articulos, quos omnes fere Christianis opposuit, hunc ipsum septimum esse voluit: אני מאמין באמונה שלימה שנבואות משה רבינו ע"ה היו אמתיות ושהוא היה אבי לחכמים לקודמים לפניו ולבאים אחריו: *Ego credo fide perfecta, omnes Prophetias Mosis doctoris nostri l. m. veras esse, & eum patrem esse Sapientum cum antecedentium tum eum subsequentium.* Et art. IX. אני מאמין באמונה שלמה שזאת התורה לא תהא מוחלפת ולא תהא תורה אחרת מאת הבורא יתברך שמו: *Credo fide perfecta, quod hæc Lex* (Mosaica) *non sit mutationi obnoxia, neque alia lex unquam sit ventura à creatore, cujus nomen sit benedictum.* Et sic nullum Mosi parem, nedum superiorem eo, admittit Prophetam. Consimiliter nihil omnino, præter Legem Mosaicam, idem Maimonides stabile & perpetuum fore contendit. Ita enim Hilkot יסודי תורה cap. IX. de Legis Mosaicæ immutabilitate sermocinatur: דבר ברור ומפורש בתורה שהיא מצוה עומדת לעולם ולעולמי עולמים ואין לה לא שנוי ולא גרעון ולא תוספת שנאמר את כל הדבר אשר אנכי מצוה אתכם אותו תשמרון לעשות לא תוסיף עליו ולא תגרע ממנו ונאמר הנגלות לנו ולבנינו עד עולם לעשות כל דברי התורה הזאת הא למדת שכל דברי תורה מצווין אנו לעשותן עד עולם וכן הוא אומר חוקת עולם לדורותיכם ונאמר לא בשמים היא הא למדת שאין נביא רשאי לחדש דבר מעתה לפיכך אם יעמוד איש בין מן האומות בין מישראל ויעשה אות ומופת ויאמר שהשם שלחו להוסיף מצוה או לגרוע מצוה או לפרש במצוות מן המצוות פירוש שלא שמענו ממשה או שאמר שאותן המצוות שנצטוו בהן ישראל אינן לעולם ולדורי דורות אלא מצות לפי הזמן היו הרי זה נביא השקר שהרי בא להכחיש נבואתו של משה ומיתתו בחנק על שהזיד לדבר בשם השם אשר לא צוהו שהוא ברוך שמו צוה למשה שהמצוה הזאת לנו ולבנינו עד עולם ולא איש אל ויכזב אם כן למה נאמר בתורה נביא אקים להם מקרב אחיהם כמוך לא לעשות דת הוא בא אלא לצוות על דברי תורה ולהזהיר העם שלא יעברו עליה כמו שאמר האחרון שבנביאים זכורו תורת משה: *Oppido manifestum & perspicuum est ex Lege, quod illa sit præceptum stabile in seculum & seculorum secula, nulli mutationi obnoxium, non minuendum neque augendum, quia dictum est* (Deut. 12: 32.) *omnia, quæ ego vobis præcipio, custodietis faciendo, neque addes, neque minues. Et dictum est, revelata sunt nobis & filiis nostris in seculum, ad faciendum omne verbum hujus legis* (Deut. 29: 29.) *Ecce percipis, nos obligari usque in seculum ad verborum legis observationem. Atque ita ille ait* (Lev. 23: 14.) *statutum seculi in generationibus vestris. Et dictum est* (Deuter. 30: 12.) *non in cœlis illa est. Ecce discis inde, nulli omnino Prophetæ ab hoc tempore licitum esse quicquam innovare. Propterea si surrexerit quispiam, sive gentilis fuerit sive Israëlita, & fecerit signum & miraculum, simulque perhibuerit, à Deo se missum esse ad augendum præceptum, vel minuendum, vel explicandum præceptum ex præcepto, quod ex Mose haud audivimus; aut qui dixerit, præcepta, quibus Israëlitæ obligabantur, non duratura in seculum & generationes generationum, sed pro tempore duntaxat lata esse, ecce hic falsus est Propheta. Surrexit enim, ut mendacii arguat Mosaicam Prophetiam. Strangulatione igitur puniatur, eo quod præsumpsit loqui nomine Dei, qui tamen id ei haud præceperat. Deus enim, cujus nomen est benedictum, præcepit Mosi, ut hoc traderet nobis & filiis nostris in seculum.*

Ille

Ille vero non est vir, qui mentiatur (Num. 23: 19.) *Si vero ita res habet, eccur in lege* (Deut. 18: 18.) *additur, Prophetam excitabo eis è medio fratrum illorum sicut te? Non ut Legem ferat, sed ut verba Legis præcipiat, & populum admoneat, ne illa violet, veluti Prophetarum ultimus dixit* (Malach. 4: 4.) *mementote Legis Mosis.*

§. 25. Rigidus Judaismi propugnator Maimonides eadem opera, & Legis Mosaicæ perpetuitatem demonstrare, & lectorem edocere voluit, quem sensum oraculi nostri Judæi tradant, nempe Prophetam illum nihil præter præcepta Mosaica inculcaturum, & solum ad morem illis gerendum populum adhortaturum esse. Quod falsum esse, supra ostendimus ex verborum emphasi, & Prophetarum testimoniis. Similiter illa quoque, quæ de Legis æternitate disputat, ejusmodi sunt, ut ad ea jam dudum, cum à Christianis, tum à Judæis ipsis, responsum sit. Quod enim præcepta quædam perpetua vocantur, id nullam immutabilitatem in eis arguit. Norunt quippe Ebræi, in lege sua tempus perpetuum & servitutem perpetuam vocari, quæ durant à Jubilæo ad Jubilæum. Ut ita τὸ perpetuum opponatur quandoque annalibus, & זמן מוגבל *definitum tempus* notet, veluti Albo part. 3. cap. 16. Ikkarim ultro fatetur, & cap. 13. contra Maimonidem asserit, ibi enim expresse scribit: כאשר יעיין זה הדעת נמצא שאנו מחויב שלא תשתנה הדת האלהית: *Si attentius quis hanc sententiam perpenderit, deprehendet, exinde minime sequi, legem divinam immutabilem esse.* Et cum ad locum Deuter. 12: 32. respondisset, eum non universim ad ipsa præcepta legis referendum esse, sed duntaxat ad modum, quo fieri debent, ne ad nostrum libitum legem exponamus, subjicit hæc verba: הכתוב לא יזהיר אלא שאנחנו לא נוסיף ולא נגרע מדעתינו אל המצוות אבל מה המונע שלא יהיה הוא יתברך מוסיף או גורע כשתגזור חכמתו יתברך: *Scriptura non prohibet, nisi, ne addamus aut detrahamus quidquam præceptis ad arbitrium nostrum. Sed quid obstat, quo minus Deus benedictus addat quid vel detrahat, quando sapientiæ ejus visum fuerit?* En confitentem Judæum, quod Maimonides adeo præfracte negat! Sane, si quid cessare faciat Deus, id nullam in eo mutationem infert, neque, ut Maimonides sibi persuasum habet, veritati vel immutabilitati ejus adversatur. Longe aliud enim est, *Deum velle, rem mutari,* & aliud, *voluntatem Dei mutari.* Sicut ex Thoma, p. 1. q. 19. 2. 7. B. D. Horneius Instit. Ethic. lib. IV. cap. 3. inculcat, cum hic de intrinseca Dei natura sermo haud sit, sed de operibus extra eum. Nempe, quæ ad tempus fieri vel valere voluit Deus, ea, quum cessant, & id, quod præfigurare jussa sunt, non amplius significant, nulli usui sunt ulteriori, adeoque merito exoleverunt, citra ullam in Dei voluntate mutationem.

§. 26. Quod Maimonides negat, ulli Prophetæ licitum esse לחדש דבר מעתה *quicquam inposterum innovare,* id si Rabbi ita intelligit, nullum Mosen subsequentium Prophetarum quicquam docere vel facere posse, quod doctrinæ vel factis illius penitus sit disforme, receptæ apud Judæos sententiæ repugnat, quam R. Abarbenel p. 87. col. 4. libelli מפעלות אלהים his verbis recenset: אח"זל אם אמר לך עבור על דברי התורה שמע לו חוץ מע"א וכל העובר על צווי חייב מיתה שנ' כי אדרוש מעמו: *Dixerunt Dd. nostri l. m. Si tibi dixerit* (Propheta) *verba legis transgredere, obtempera illi, nisi ubi ad idololatriam allicit. Quicunque enim ipsius præceptum violat, reus mortis est; quia dictum est* (Deut. 18: 18.) *quia requiram ab eo.* Ex quibus verbis liquet, Judæos docere, ad veri & probati Prophetæ imperium qualecunque præceptum divinum intrepide violari posse, excepto illo de unius Dei cultu. Atque idem quoque R. Moses Kozensis præcept. affirmativ. 6. fol. 97. lib. 2. præcept. magn. asserit, ubi subdit: אפילו אמר לך ועבור על אחת מכל מצית שבתורה לצורך שעה כמו שצוה אליהו לשחוט קדשים על הר הכרמל: *Etiamsi dixerit tibi, unum de omnibus præceptis in Lege contentis viola, urgente necessitate, veluti Elias præcepit, ut mactarentur sacrificia extra locum consuetum in monte Carmel* (1 Reg. 18.)

§. 27. Cum vero Christum, verum Prophetam esse, signa & miracula ejus evidenter probaverint, & is idololatriam vetuerit, omnino Judæorum erat, verbis illius fidem habere, & cum tempus, in quod ejus nativitas incidit, tum alia κριτήρια Messiæ exactius perpendere. Sane prosapia ipsius, testimonium Johannis Baptistæ, quem ut sanctum & integræ vitæ hominem ipsi Judæi in libro Chronico Judæorum dilaudant, & alia, ejusmodi sunt, ut merito ea magnifacere debuerint. Quam memorabile & illud est, quod Matth. 17: 2. refertur, duos maximos Prophetas, Mosen & Eliam, tum adfuisse, cum in illa Μεταμορφώσει pro summo Propheta obsignatus est, & vox cœlitus delata, HUNC AUDITE. Quæ clausula cum hoc loco nostro collata, haud obscure significat, singulari & reliquis Prophetis haud communi more commendatum Prophetam plane eximium esse, adeoque merito recipiendum. Qui quomodo dignitate & gradu non æquet modo Mosen, sed certa ratione superet, paulo fusius jam nunc sumus ostensuri.

CAPUT II.

SUMMARIA.

De Prærogativa Mosis, qua alios Prophetas anteiverit, vetus Judæorum gloriatio. Prophetiæ ipsius ἐξοχὴ & singularis revelationis modus à Maimonide recensetur. Non eo minor in Christo fuisse ostenditur. Secunda prærogativa, officii dignitas, loci Numer. 12: 7. & Ebr. 3: 5. illustrantur. Grotii & Jacobi Capelli glossæ repudiantur. D. Coccejus laudatus. Judæorum testimonium, de Messiæ, Mosen ipsosque angelos superaturi, præcellentia, recutitis oppositum. Tertia prærogativa, miraculorum multitudo à R. Menasseh exaggerata. Tres species miraculorum ab Abarbenele recensitæ. Mosis Legationem iis comprobatam, Abarbenel largitur. Maimonides odio Christianæ religionis miraculorum efficaciam elevans cum R. Abarbenele committitur. Christi θαυματȣργȣ apud Judæos celebritas. Miracula illius insigniora, Messiæ characterem complectentia, recensentur. Judæorum calumnia, arte magica Christum usum esse, retunditur. Notabile discrimen magi & Prophetæ veri ab Abarbenele allatum. Quæ Judæi in vero Propheta exigunt, Christo competere, ostenditur. Nequicquam Decalogi abrogationem, Christianæ religionis professione, metuere recutitum, ostensum.

§. 1. MOses, quem Ebræi nunc *dominum suum,* nunc *doctorem suum* vocare amant, & cujus discipulos se jactabant Joh. 9: 28. ita ab eis extollitur, ut omnes alios Prophetas quoscunque longe inferiores eo fuisse glorientur. Prima prærogativa, quam præ aliis habuerit, à R. Maimonide, Hilkot יסודי תורה cap. 7. his verbis describitur: מה הפרש יש בין נבואת משה לנבואת כל שאר הנביאים שכל הנביאים בחלום ובמראה ומשה רבינו רואה והוא ער ועומד שנאמר ובבוא משה אל אהל מועד לדבר אתו וישמע הקול מדבר אליו כל הנביאים על ידי מלאך לפיכך רואים מה שהם רואים במשל וחידה ומשה רבינו לא על ידי מלאך שני פה אל פה אדבר בו ונאמר ודבר השם אל משה פנים אל פנים ונאמר ותמונת ה' יביט כלו' שאין שם משל אלא רואה הדבר על בוריו בלא חידה ובלא משל והוא שהתורה מעידה עליו ומראה ולא בחידות שאינו מתנבא בחידה אלא במראה שרואה הדבר על בוריו׃ כל הנביאים יראים ונבהלים ומתמוגגין ומשה רבינו אינו כן הוא שכתוב אומר כאשר ידבר איש אל רעהו כלו' כמו שאין אדם נבהל לשמוע דברי חברו׃ כך היה כח בדעתו של משה רבינו להבין דברי הנבואה והוא עומד על עומדו כל הנביאים אין מתנבאים בכל עת שירצו ומשה רבינו אינו כן אלא כלזמן שיחפוץ רוח הקדש לבשתו ונבואה שוכה עליו אינו צריך לכוין דעתו ולהזדמן לה שהרי הוא מכוון ומזמן ועומד כמלאכי השרת לפיכך מתנבא בכל עת שנ' עמדו ואשמע מה יצווה השם לכם ובזה הבטיחו האל שני לך במוה להם שובו לכם לאהליכ' ואתה פה עמוד עמדי: *Ecquid discriminis intercedit inter Prophetiam Mosis & reliquorum Prophetarum? Id in eo consistit, quod omnes Prophetæ in somnio vel visione, Moses vero, doctor noster, vigilans & stans viderit, quia dictum est* (Numer. 7: 89.) *& cum ingrederetur Moses tabernaculum, ad loquendum cum illo, audivit vocem loquentem ad illum: Omnes Prophetæ vaticinantur, angeli interventu. Idcirco quicquid vident, per ænigma & parabolam accipiunt. At Moses Doctor noster non item, quia dictum est,* (Num. 12: 8.) *quia ore ad os ei loquar, & scriptum est* (Exod. 33: 11.) *& locutus est ad Mosen Dominus de facie ad faciem. Et porro dictum est, & Domini imaginem videt* (Num. 12: 8.) *q. d. nulla ibi similitudo est, sed rem clare perspicit, ut in se est, sine ænigmate vel similitudine. Et hoc est, quod scriptura testatur de eo* (Num. 12: 8.) *& visione non ænigmatibus. quod nempe non obscure vati-*

vaticinetur, sed visione intuens rem in claritate sua. Omnes Prophetæ timent, terrentur & colliquescunt; Moses vero doctor noster haud ita se habet. Scriptura enim dicit (Exod. 33: vs. 11.) *ut vir cum proximo suo loquitur, q.d. quemadmodum ad proximi sui sermonem homo non obstupescit, ita se Mosis robur habuit, dum Deum cognovit & verba prophetiæ intellexit. Ille enim perfectus stetit in suo munere. Nullus Prophetarum omni tempore, & quandocunque vult, vaticinatur. At Moses doctor noster aliter se habuit. Quoties enim voluit, spiritus prophetiæ eum induit, & prophetia ipsi incubuit, neque ut ad eam se præpararet opus habuit. Ecce enim instar angelorum ministratoriorum stetit paratus & dispositus. Idcirco omni tempore vaticinatus est, q.d.* (Num. 9: 8.) *state, ut audiam, quid Dominus præcepturus sit vobis. Et in hoc Dominus eum considere fecit, quia dictum est,* (Deut. 5: 30, 31.) *vade, dic eis, revertimini in tentoria vestra, tu vero mecum hic sta.*

§. 2. Ita ordine reliquorum Prophetarum Moses à Judæis eximitur, quod non more illorum vel in somnio vel in ecstasi à Deo edoctus sit, sed vigilans, voce sensibili in aures illapsa, citra omnem tremorem, quo Daniel aliique affecti sunt Prophetæ, Dei voluntatem perceperit, tanquam amicus cum amico collocutus. Sed quantacunque hæc familiaritas & conversatio Mosis cum Deo fuerit, longe tamen minor illa fuit, quam Christi, qui in *sinu patris sedet*, Joh. 1: 18. inter quem & Deum est עצת שלום, *consilium pacis*, Zach. 6: vs. 13. quem pater diligit & honorat, Joh. 5: 20. 8: 50, 54. Qui filius Dei est, Matth. 3: 17. in quo ipsa *Deitatis plenitudo habitat corporaliter*, Col. 2: 9.

§. 3. Altera prærogativa Mosis in dignitate consistit officii, ab ipso Deo Numer. 12: 7. his verbis recensita: בכל ביתי נאמן הוא: *in tota domo mea est fidelis.* Sive τὸ נאמן de dignitate exponas, quomodo Dieu ex observatione Cloppenburgii, animadv. ad Ebr. III. accipiendum esse monet, & ex Ebræorum usu confirmat, sive de fidelitate intelligas, quam ab Apostolo usurpata vox πιστὸς alias significat, adhuc eminentior est Christus. Licet enim Moses primus fuerit, qui V. T. Ecclesiam ad tempora usque Messiæ ordinavit, & voluntatem Dei declaravit, & post eum nullus venerit, qui quid diceret, quod ab illo non prius dictum esset, quod fœderis substantiam attinet, adeoque omnibus Prophetis secuturis leges quasi fixerit; in omnibus tamen nonnisi θεράπων fuit, & quidem etiam εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων, Ebr. 3: vers. 5. Quæ verba H. Grotius minus recte explicat, dum sensum eorum esse ait: *ut pronunciaret populo ea, quæ Deus ei dicenda, quoquo tempore volebat*, & J. Capellus male sibi persuadet, intelligi testimonium, quod in monte Sinai perhibiturus erat. Cum enim, ut Coccejus in h. l. bene notat, minime dictum sit, εἰς τὸ λαλεῖν τὰ λαλητέα, neque ἃ ἔδει, vel ἃ ἤθελε, sed τῶν λαληθησομένων, non tam ad ea respectus haberi videtur, quæ Moses quoquo tempore ad populum proferebat, quam sermonem Euangelii, aliquando toti terrarum orbi manifestandum, cui Moses jam tum suo tempore testimonium perhibuit. Unde & ipse Christus Joh. 5: 45. ad hunc μάρτυρα provocat, qui de ipso sit testatus.

§. 3. Ne vero Judæi causentur, se ita convinci haud posse iis testimoniis, quæ ex peregrino & à se haud admisso principio depromuntur, age, ex illorum scriptis probabimus, haud ita majores illorum alienos fuisse ab illa sententia, Mose majorem Prophetam oriturum esse. Ad verba enim Esai. 53: vers. 13. *Ecce prudenter aget servus meus, exaltabitur, elevabitur & sublimis erit valde*, in libro Jalkut ex Tanchuma ita annotarunt Ebræi: זה מלך המשיח ירום מן אברהם נשא ממשה וגבה מן מלאכי השרת: *Hic est Rex Messias, extolletur præ Abrahamo, elevabitur præ Mose, & sublimior erit angelis ministerii.* Ex quibus elucescit, omnino Mose aliquem majorem venturum esse, eos docuisse, quod adeo præfracte Judæi negant, & in alium sensum detorquere satagit Abarbenel comm. in l. cit. Sane prædicata Θεοπρεπῆ & soli Deo vendicata, Messiæ in scriptura cum tribuuntur, qualia sunt, sui agnitione multos justificare, Esai. 53: 12. beatos facere, qui in illum confidunt, Psalm. 2: 12. abunde satis docent, quantopere à Mose ille differat.

§. 4. Tertia ὑπεροχή, quam in Mose recutiti deprædicant, est miraculorum multitudo, qua, ut Menasseh Ben Israël pag. 238. Conciliat. & seqq. docet, reliquos prophetas omnes multis modis superet. R. Abarb. miraculorum species recensiturus, fol. 372. col. 3. comm. in Leg. sic scribit: פעולות הנביא ודבריו הנפלאים בגי מינים· מין האותות והמפותים שיעשה בשנוי הטבע ומין הגדת מה שקרה או מה שיקרא מדברים היו או יהיו מבלתי שיהיה בהם טוב או רע כמו שהגיד שמואל לשאול שנמצאות האתונות ומין היעודים הרעים או טובים שיהיה לאומה מן האומות או לאיש מן האישים בעתיד והנה בחינת הנביא תהיה כמו הראשון ובמין השני הנזכרים בלבד: *Tres species sunt actionum & rerum mirabilium Prophetarum. Species signorum & prodigiorum, quæ fiunt naturæ immutatione. Species indicationis illius, quod accidit vel futurum est, nempe illarum rerum, quæ fuerunt, vel adhuc existent, præciso eo, an in illis bonum sit vel malum, veluti Samuel Sauli significavit asinos esse inventos. Species promissionum & comminationum, quæ vel uni populo vel uni viro fiunt. Sed Propheta tantum prima & secunda specie probatur.* Mosen vero legationis suæ veritatem priori modo comprobasse, idem R. Abarbenel largitur his verbis: ממה שיראה עוד אמתת מה שאמרתי בבחינת הנביא הוא מה שמצינו בבחינת משה אדונינו אשר הוא מראה מלוטשת משל ליתר הנביאים כלם ר"ל שכאשר אמר והן לא יאמינו לי ולא ישמעו לקולי יאמרו לא נראה השם אליך נתן לו הקדוש ברוך הוא אות הפך המטה נחש ואות הדם והיה עושה אותו לעיני העם ויאמן העם אבל לא נתן יעודים טובים ורעים: *Eorum, quæ dixi, veritas de probando Propheta, magis elucescit ex iis, quæ in Domino nostro Mose probando deprehendimus, qui speculum tersum est & exemplum omnium reliquorum Prophetarum. Nempe quum dixit: Illi mihi non sunt credituri, neque mihi obtemperabunt, dicentes, non apparuit tibi Deus,* (Exod. 4: 1.) *dedit Deus benedictus signum, quo baculus est versus in serpentem, & signum sanguinis, & illo, populo conspiciente, facto, populus fidem habuit. Promissiones vero & comminationes dedit nullas.*

§. 6. Alii Judæi, præsertim Maimonides, ne Christum, quem miracula fecisse ipsimet vel inviti agnoscunt, Prophetam verum esse, admittere cogantur, miraculorum efficaciam plane elevant, tanquam illa inidonea sint, ad hoc, ut veri nominis Prophetam probare queant, unde Maimonides c. 8. Hilk. יסודי תורה negat, Mosi ob miracula fidem habuisse Israëlitas, veluti ex seqq. ejus verbis apparet: משה רבינו לא האמינו בו ישראל מפני האותות שעשה שהמאמין על פי האותות יש בלבו דפי שאפשר שיעשה האות בלאט ובכשוף אלא כל האותות שעשה משה במדבר לפי הצורך עשאם לא להביא ראיה על הנבואה היה צריך להשקיע את המצרים קרע את הים והצלילן בתוכו צרכינו למזון הוריד לנו את המן צמאו בקע להן את האבן כפרו בו עדת קרח בלעה אותן הארץ וכן שאר כל האותות· וכמו האמינו במעמד הר סיני שעינינו ראו ולא זר ואזנינו שמעו ולא אחר האש והקולות והלפידים והוא נגש אל הערפל והקול מדבר אליו ואנו שומעים משה משה לך אמור להם כך וכך וכן הוא אומר פנים בפנים דבר השם עמכי ונאמר לא את אבותיכי כרת השם את הברית הזאת· ומניין שמעמד הר סיני לבד היא הראיה לנבואתו שהוא אמת שאין בו דפי שני הנה אנכי בא אליך בעב הענן בעבור ישמע העם בדברי עמך וגם כך יאמינו לעולם מכלל שקודם דבר זה לא האמינו בו נאמנות שהיא עומדת לעלם אלא נאמנה שיש אחריה דרהור ומחשבה: *Mosi Doctori nostro non crediderunt propter signa, quæ fecit. Qui enim credit propter miracula, illum subinde cogitare contingit, fieri posse, ut signa faciat incantatione & præstigiis. Sed miracula omnia, quæ Moses fecit in deserto, necessitate patravit, non, ut suæ Prophetiæ comprobaret veritatem. Ægyptii aquis erant mergendi, mare itaque divisit, eosque in medio ejus submersit. Opus habebamus alimento, Manna nobis deduxit.* (Exod. 16: 12. *seqq.*) *Sitiverunt, lapidem eis scidit* (Num. 20: 11.) *Korahi congregatio ipsum* (Mosen) *abnegavit*, (Num. 16: 1, 32.) *terra eam absorpsit. Idem judicium esto de reliquis miraculis omnibus. Ecquot vero crediderunt, cum ante montem Sinai starent, quod oculi nostri viderunt & non peregrinus, aures nostræ audiverunt, & non alius* (Job. 19: 27.) *ignes, voces, lampades. Et ille ad caliginem pertigit, & vox quædam cum ipso est locuta, nobis audientibus, Mose, Mose, vade, & dic illis hoc vel illud. Et ita ille ait* (Deut. 5: 4.) *facie ad faciem locutus est Dominus ad vos. Et dictum est* (Deut. 5: 3.) *non cum patribus vestris Deus pepigit hoc fœdus. Unde vero constat, illam solam stationem ad montem Sinai fuisse argumentum Prophetiæ illius? Quia illa vera erat neque aliquid dubii complectebatur; Dictum enim est: Ecce ego venio ad te in nube, ut audiat populus verba mea, quæ tecum loquor: Tibi quoque credent in seculum.* (Exod. 19: 9.) *In summa, ante hanc rem ipsi non crediderunt firmiter, sed ejusmodi fides illorum fuit, quæ secum traxit cogitationem & dubitationem.*

§. 7. Sed ea veritatis vis est, ut R. Abarbenelem coëgerit patrocinium ejus suscipere. Ita enim fol. 373. commentatur: שאר הנסים שנעשו במדבר אמת הוא שכפי הצורך עשאם כדברי הרב בספר המדע אבל בתחלת נבואתו לא נתאמתה ולא נבחנה כי אם על פי האותות· ואמנם מה שנצטרך למעמד הר סיני ושישמעו העם בדבר השם ועמו לא היה זה לבחינת נבואתו כי אם לשלול דברי

דברי כל הבאים אחריו בדורות העתידים שיסתרו דבר מכל דבריו: *Quod ſigna reliqua in deſerto facta attinet, negari nequit, illa pro temporis ratione edita eſſe, velut Raf in libro* מדע *loquitur: ſed initio ejus Prophetiæ non niſi miraculis ea confirmata eſt. Quod vero ſtatio ad montem Sinai facta eſt, & omnis populus Dei verba audivit, ea minime eo contigit, ut ipſius Prophetia probaretur, ſed ut omnium poſt eum venturorum conatui obviam iretur, qui aliquid illius verbis impugnaturi eſſent.*

§. 8. Ex quibus liquet, Abarbenelem, contra quam Maimonides ſenſit, aſſerere, miracula Moſis facta eſſe, ut iis Prophetiæ ejus veritas probaretur, quod adhuc clarius pag. 87. col. 2. libri מפעלות אלהים docet his verbis: תכלית האחרון בכל הנסים והנפלאות היתה קנין האמונה האמתית: *Ultimus finis omnium ſignorum & prodigiorum fuit acquiſitio fidei veræ.* Si vero ex miraculis ſtupendis, Moſen verum Prophetam eſſe, collegerunt, & propter illa fidem ei loquenti habuerunt Iſraëlitæ, cauſa nulla poſteris eorum fuit, quamobrem Chriſto, qui & ipſe non minora edidit miracula, fidem denegarent. Ipſi Judæorum proceres de eo locuti, *homo*, inquiunt, *multa facit miracula*, Joh. 11:47. & c. 7. 31. quærunt Judæi, *an Meſſias*, quem tunc illi adhuc præſtolabantur, *plura miracula editurus ſit.* Nulla ſane miraculorum ab Abarbenele recenſitorum ſpecies fuit, qua Chriſtus non inclaruerit.

§. 9. Quæ enim primo loco ille recenſuit, & in naturæ ipſius mutatione conſiſtere docuit, ea ſæpius à Chriſto patrata fuiſſe, tota Evangelica teſtatur hiſtoria. Quod mare ejus nutui paruit Matth. 8: 26. veſtigia ipſius & diſcipuli ſuſtinuit, Matth. 14:25.29. Piſcantibus piſcium copiam dedit, & nummum ad nutum ejus, Luc. 5: 4, 5, 6. Joh. 21: 6, 7, 12. Matth. 17: 27. Quod cœco nato viſum donavit, quale quid à mundi conditu non eſt auditum, Joh. 9: 17, 32. Quod paucis panibus aliquot millia ſatiavit, & inter dentes comedentium ita multiplicavit, ut plures adhuc panes ſupereſſent, quam initio affuerant, Joh. 6: 12. ſeq. Matth. 14: 20. Quod aquam in vinum mutavit, Joh. 2. & mortuum jamdum fœtentem in vitam revocavit. Joh. 11. id omne ejuſmodi fuit, ut merito populus, eum magnum Prophetam eſſe in mundum venturum, conjecerit, Luc. 7: 16. Joh. 6. 14. Quam mirabile & illud erat, quod in momento, ſola voce, abſque ullis mediis, paralyticum à paralyſi, Matth. 9: 6. febricitantem ſolo manus attactu à febri, morbis ſane gravibus & inveteratis, liberavit, c. 8. 15. Quin, uno die & tempore pomeridiano pluribus miraculis editis, populus negavit, tale quid unquam in Iſraële auditum eſſe, Matth. 9: 33.

§. 10. Neque ſecundam ſpeciem in Chriſto θαυματουργῷ deſideraveris, cum præterita juxta & futura indicaverit. Fœmellæ Samaritanæ & à ſe nunquam viſæ ſignificavit, quot maritos habuerit, Joh. 4: 18. unde, eum Prophetam eſſe, & ipſa augurata eſt. Quod aſina cum pullo alligata eſſet & haud invito Domino dimittenda, Matth. 21. Quod obviam diſcipulis iturus eſſet vir, apud quem agnum eſſent eſuri, Marc. 14: 13. id prædixit. Quin cogitationes humanas & penitiſſima quæque cordium introſpexit & cognovit, quem genuinum Meſſiæ characterem eſſe, ex Eſai. 11: 3. novimus, ubi, eum non ſecundum viſum oculorum & auditum judicaturum, ſed ut renum ſcrutatorem, timorem Domini odoraturum eſſe, legimus. Quem characterem cum Simon fruſtra deſideraret, à Domino in ruborem datus eſt, Luc. 7: 39, 40, 47. Et hoc ſigno à Nathanaele agnitus eſt. Confer. Joh. 1: 48. Joh. 2: 24. Marc. 2: 8.

§. 11. Cum igitur nullæ illuſtriores notæ veri Prophetæ concipi poſſint, quam miracula creatam virtutem excedentia, & dogmati, per hominem promulgato, autoritas efficacius conciliari nequeat, quam per illa; longe vero plurima à Chriſto edita eſſe in aprico ſit, nulla amplius ratio ſuperat, quamobrem de Chriſto tam abjecte ſentiant, eumque, ut Pſeudoprophetam, legitime & ſecundum legis Moſaicæ tenorem, morte affectum eſſe perhibeant. In Talmud, Maſſechet Sanhedrin, cap. 6. fol. 43. col. 1. edit. Venetæ, Jeſum pridie Paſchatis ſuſpenſum eſſe ajunt: על שכישף והיסית והדיח את ישראל *eo quod magiam exercuit, & ſeduxit & depulit Iſraëlem.* Ubi Judæi veritati teſtimonium imprudentes perhibent, dum Chriſtum ſuſpenſum, & ex familia regia oriundum fuiſſe tradunt. Quod vero, eum miracula magica arte edidiſſe, blaſpheme calumniantur, id commentum eſt diabolicum, & inde redargui poteſt, quod Judæorum proceres & ſynedrii aſſeſſores, qui illa miracula, non momentanea, ſed permanentia, ſuis oculis perſpexerunt, &, ſi Judæis fides eſt habenda, alias Magicæ artis non imperiti fuerunt, nunquam Chriſtum hujus criminis poſtularunt. Nempe miracula ejuſmodi erant, ut, à creatura proficiſci illa minime poſſe, omnes agnoſcere tenerentur, veluti Nicodemus Joh. 3: 2. fatetur, *nemo*, inquiens *ſigna facere poteſt, quæ tu facis, niſi Deus ſit cum ipſo.* Hinc Apoſtolus, Actor. 2: 22. Chriſtum vocat ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις, quæ verba id ſignificant, eum irrefragabili & incontradicibili honoratum eſſe, ſive ejusmodi teſtimonio ornatum, de quo, nullus dubitandi locus ſit relictus, tam certo, ut nulla certior ſit ἀπόδειξις.

§. 12. Diabolo vero miracula haud accepta ferenda eſſe, ex eo ſufficienter probatur, quod illa in illius dogmatis confirmationem edita ſunt, quod malis ſpiritibus è diametro repugnat, & homines ab omni immunditie morum, qua mali ſpiritus delectantur, longiſſime abſtrahit. Cum vero nullo modo credibile ſit, diabolum eum adjutum ire, unde ſui regni ruina ſequatur, relinquitur, non à malo, ſed bono ſpiritu illa manaſſe. Porro nugatur Maimonides, dum cauſatur, ſubinde dubium hæſurum hominem, an miracula divinitus edita ſint, an per magiam, cum etiam ipſius Prophetæ vita & mores documento eſſe queant, cujusmodi illa ſint miracula, & Deus nequaquam id permiſſurus ſit, ut ita orbi illudatur, veluti R. Abarbenel bene monet fol. 371. col. 3. ubi, primum præſtigiatorem à vero Propheta diſtingui, ait, vitæ actionibus, quibus apud omnes autoritatem ſibi acquirit, deinde per miracula. המכשף והקוסם גם שנודה שיוכל בחכמתו לעשות דברים יוצאים מהמנהג הטבעי כחרטומי מצרים הנה אין ראוי שנחשוב שכאשר יתפער בנבואה בשקר וכזב יוכל לעשות בבחינת אות כלל לפי שהשם יתברך לא יחפוץ ולא יספיק בידו על זה וטבע לא יתפעל אל דברי בליעל יען וביען ההשגחה האלהית לא תתן מכשול לפני העם: *Præſtigiator & divinator extra omne dubium ſua arte facit res, quæ non ſunt naturales, uti magi in Ægypto: minime tamen putandum eſt, dum de Prophetia falſo gloriatur, ullum miraculum eum facere poſſe, quia Deus non delectabitur hoc, neque auxilio ſuo promovebit, Natura quoque non his rebus inutilibus cooperabitur, eo quod divina Providentia non datura eſt offendiculum coram populo.* Cum vero Chriſti miracula virtutem creatam omnem ſuperarint, ecquomodo illa diabolo tribuere poſſint?

§. 13. R. Abarbenel, verum Prophetam deſcripturus fol. 371. eum talem eſſe docet, ut ab idololatria populum abſtrahat ad vitæ emendationem inſtiget, & omnibus modis conetur: להכניסו תחת כנפי השכינה: *congregare eum ſub alas gratioſæ præſentiæ divinæ.* Abunde ſatis hoc præſtitum eſt à Chriſto, ut ex hiſtoria Evangelica patet, & flebili illa oratione, Matth. 23: 37. ubi ait, ſe Judæos voluiſſe ἐπισυναγαγεῖν ὑπὸ τὰς πτέρυγας. Sed, ut ibi Dominus conqueritur, noluerunt.

§. 14. Quid hodienum Judæos, quo minus nomen ſuum Chriſto dent, retrahat, R. Albo part. 3. c. 19. lib. עקרים exponit: אנחנו היום הזה במדרגת הנביא ששמע דבר מפי השם יתברך שאי אפשר לשמוע לנביא אחר לעשות הפך מה שצוה בעצמו מה"שי עד שישמע כן הוא בעצמו מפי השם יתברך ואף אם תתאמת שליחות השליח כמו שליחות משה לא נאבה לו ולא נשמע אליו לבטל דבר מן עשרת הדברות ששמענום אנחנו מפי הש"י: *Nos hodie gradum Prophetæ ejuſmodi habemus, qui ex ore Dei benedicti verbum audivit. Unde fieri non poteſt, ut alii Prophetæ obtemperemus, & contrarium faciamus illius, quod ab ipſo Deo eſt præſcriptum, donec & ipſe ex ipſo Deo benedicto percipiat. Licet etiam Legati miſſio verificetur, veluti Moſaica probata eſt, non acquieſcimus tamen ei, neque obtemperamus illi* (Deut. 13: 8.) *ut vel minimum de X. præceptis abrogetur, quæ ex ore Dei benedicti audivimus.* Negat Judæus, fidem ſe habere Prophetæ, donec & ipſe ex Deo audiverit, quod hominibus annunciat; & ita perſuaſum habet etiamnum, Moſi ſimilem neque eſſe, neque futurum. Atqui talis, ut ſupra oſtendimus, fuit Chriſtus, qui adeo nihil de Decalogo diminuit, ut verum ſenſum adſtruxerit, & à perverſis gloſſis Judaicis vindicarit, & poſt glorioſum in cœlos aſcenſum eam ſaltim Legis partem ſuſtulerit, quæ nihil continebat ſui natura honeſtum, ſed ex rebus per ſe mediis conſtabat, ac proinde non immutabilibus, veluti alibi fuſius oſtenditur.

M. GABR. REUSSELII
DISSERTATIO
De Pestilentia à Deo immitti solita ad Deut. XXVIII: 21.

بسم الله
الرحمن الرحيم ❁

DUo inprimis esse adminicula, quibus sublimiorum, quas vocant, Facultatum Studiosi instructi, studiorum suorum telam felicius pertexere, uberiorem laboris sui fructum capere, spartamque aliquando magis exornare queant, experientia comprobat, & eruditorum consensus confirmat. Sunt vero illa, vera & genuina *Philosophia*, & amoenioribus literis stipata, *Philologia*, quam elegantiorem literaturam nonnulli vocare amant. Ad illam quod attinet, non heri demum vel nudius tertius; sed multis retro seculis ipse sanctorum Patrum chorus magni eam facere coepit, & multum prodesse agnovit. Nempe ubi veritas à Sophistis occultari solita, in apertam lucem est producenda: ubi intricata evolvenda, & ambigua declaranda: ubi adversariorum doli detegendi veniunt, ibi usus illius se exerit hoc sane nomine insignis. Philosophiam commendavit pridem Clemens Alexandrinus, lib. 1. Stromatum, cujus verba lib. 1. Observat. Sacr. cap. 13. recenset Jacobus Billius Prunæus S. Michaëlis in Eremo Coenobiarcha, quæ ita habent: *Est quidem Salvatoris doctrina per se perfecta, nec re cujusdam indiget, ut quæ DEI virtus & sapientia sit. Accedens autem profana Philosophia non quidem fortiorem veritatem efficit; sed hoc præstat, ut sophisticus conatus nihil adversus eam possit.* Cujus asserti veritas adeo manifesta est, totque illustribus disputationum comprobata exemplis, ut eam amplius hic velle stabilire, supervacaneum judicemus, cum & prisci & recentiores Doctores hoc fecerint testatum. Non vero minorem Philologiæ usum esse, nemo nisi in ea hospes, ibit inficias. Sane qui eam non perfunctorie; sed accurate, non in speciem & pompam; sed in usum pertractarunt, & utriusque Philosophiæ nempe & Philologiæ suavi copula mutuo devinctarum, & reciproca ope sese adjuvantium, gnari fuerunt, illi satis abunde demonstrarunt, quantum commodi & fructus inde in doctores redundet. Unde haud obscuri nominis interpres, *ô divina*, inquit, *Grammatica! quibus ego te laudibus celebrem? Tu es verborum illa regina & phrasium domina, quæ obscura illuminas, & ab interpretum veterum pariter & recentiorum perplexis responsis nos liberas.* Quantum Grammaticæ, sive Philologiæ tribuerit decus illud Theologorum *Martinus Chemnitius*, in ipsa ad aureæ Philologiæ S. lib. 3. præfatione ostensum ivit illustris hujus Academiæ quondam Professor rara cum pietate tum eruditione eximia celebratissimus Salomon Glassius. Cum vero proprie & proxime voces Philologia, res contra adminiculo vocum Philosophia explicare soleat: in præsenti locum Deut. 28: 21. illius ope explicare conabimur, in cujus sensu eruendo & Christiani nonnulli & Judæi quidam à veritate aberrare solent. Verba Divina hæc sunt: יַדְבֵּק יְהוָה בְּךָ אֶת־הַדָּבֶר עַד כַּלֹּתוֹ אֹתְךָ מֵעַל הָאֲדָמָה אֲשֶׁר־אַתָּה בָא־שָׁמָּה לְרִשְׁתָּהּ׃ LXX. reddiderunt: προσκολλήσαι Κύριος εἰς σὲ τ̀ θάνατον, ἕως ἂν ἐξαναλώσῃ σε ἀπὸ τ̃ γῆς εἰς ἣν εἰσπορεύῃ ἐκεῖ κληρονομῆσαι αὐτήν. Latinus interpres, qui vulgo Vulgati nomine venire solet, hunc in modum vertit: *Adjunget tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris.*

§. 1. Lectis verbis hisce comminatoriis Arabum acutæ & industriæ gentis, proverbium in mentem venit: لو انصف الناس استراح القاضي ❁ *si juste agerent homines, quiesceret judex.* Consimilem in modum dicere licet: si pie & ad Numinis præscriptum Judæi egissent in terra sancta, judex omnium supremus quievisset, neque tot morborum congerie eos puniturum, minatus fuisset, quorum prolixum catalogum loco citato exhibet Moses. Poenarum illarum vel præcipua est atrox illud DEI flagellum, quo exorbitantes in ordinem redigere, & omnem emendationem respuentes, tandem pessundare solitus est, nempe *Pestilentia*, quam hoc loco Scriptura appellat דֶּבֶר, de cujus vocis significatione & originatione Interpretes doctissimi disceptant. Sunt enim quidam, qui eam à מדבר *desertum* derivent. Nec desunt, qui à דברה *ordo* originem ejus deducant. Rationem utriusque originationis Joh. Forsterus, illustris Wittebergensis Academiæ olim Professor, B. Lutheri σύγχρονος, Lexico Ebraico fol. 161. tradit, *sunt*, inquiens, *qui sic dictam Ebræis arbitrantur, quod servet ordinem nec cuiquam parcat. Atqui alii contrario modo, quod corruptio sit rei ordinatæ. Ego vero existimo sic dictam, quia vastet, & faciat civitates & hominum habitationes desertas, vel quod scriptura voluerit horrendam hanc plagam generali vocabulo appellare rem, sicut Germani dicunt,* das Ding/ *ut cum dicunt:* er hat das Ding am Halse.

§. 2. Cæterum superiori seculo Hebraizantium facile princeps, Joannes Mercerus, annot. ad Thesaurum Linguæ S. Pagnini, allatas originationes pro *conjecturis levibus* habet. Nec immerito; cum morbum hunc tam atrocem generali vocabulo appellatum esse, oppido improbabile sit, & lingua nostra vernacula ad Ebræam vocem illustrandam vix quid hic conferre possit, utpote qua Ebraica lingua est antiquior. Quin res ipsa haud patitur, ut *nomen nudum*, ceu vocant Grammatici, quale est דָּבָר ש׳ à *nomine aucto* דברה vel מדבר & ita simplex à composito derivemus. Quod vero Mercerus addit, *verum etymon ignoratur*, id vero neutiquam dixerimus. Quandoquidem enim verbum הִדְבִּיר Conjugationis piel *corrumpere* vel *perdere* significat 2 Paral. 22: 10. & alibi pro eo תְּאַבֵּד ponitur, nempe 2 Reg. 11:1. difficile haud est, significationem ejus genuinam & originationem deprehendere. Sive igitur pro primitivo habeatur vox דֶּבֶר unde transitivum verbum הִדְבִּיר derivari Reuchlinus, Sueviæ quondam Triumvir ab Hermolao Barbaro familiari suo Græca appellatione Capnio dictus, Lex. Ebr. pag. 125. censet; sive à verbo dicto descendere dicatur nomen דבר, veluti Schindlerus, Vir de literatura orientali insigniter meritus in Lexico Pentaglotto, & cum eo ὁ μακαρίτης Dn. D. Geierus, clarissimum Theologorum juxta atque Philologorum lumen pag. 267. Comment. in Psalm. sentit; usus ejus ex Scriptura manifestus, & etymon non omnino ignoratur. Hinc Kimchi in lib. radicum ait: בשש נקודות והוא ענין מיתה: *cum sex punctis significat mortem.* Atque ita LXX. sæpius verterunt θάνατος. Chald. מוֹתָא. Syrus ܡܘܬܢܐ. Arabs موت, omnes *mortem* reddiderunt. Et R. Elias Germanus in Lexico Chaldaico דבר לשנא רוב ומגפה ונגף מתורגם מותנא: *Voces* דֶּבֶר *item* מגפה & נגף *plerumque* per מותנא *sive mors* redduntur. Patet etiam significatio vocis דֶּבֶר ex loco Hos. 13:14. ubi vox hemistichii posterioris tanquam Synonymum ꝫ קטב positum est. De hoc vero Kimchi docet ita: ענין כריתה הוא החולי הבא פתאם לאדם וממיתו: *significat excisionem, quæ fit morbo derepente hominem invadente eumque occidente.* Et ita דבר & קטב ut duo pestis nomina conjunguntur, & posterior vox Deut. 32: vers. 24. recipit epitheton מרירי *acerba, amara.* in מדרש Tillim asserunt recutiti הוא שר ille est Diabolus, & in משה באר ad

ad l. Deut. cit. postquam ridicule τὸ וקטב reddiderunt und Verscheidung/ מרירי æque inepte reddunt: Der שר der da heist מרירי der gehet im Mittage.

§. 3. Quærenti, cur vero LXX. Psalm. 91: vers. 3. ubi cum apposito דְבַר הַוּוֹת occurrit, verterunt ἀπὸ λόγου ταραχώδους respondemus: quia, ut plures Interpretes arbitrantur, codice punctis destituto usi sunt, & pro דֶּבֶר legerunt דָּבָר. Et sic pro דֶּבֶר הַוּוֹת, quæ *pestilentiam excisionis*, sive pestem *perniciosissimam* ex Ebraismo denotat (pro superlativo substantivum plurale adhibetur veluti Celeberrimus νυῦ ἐν ἁγίοις D. Geierus in h. l. docet,) *verbo aspero* reddiderunt. A Græcis seductus Arabs من كلام *a verbo* vertit. Quam versionem Ebræo textui conformem esse, Bellarminus, Censoris munere functus, asseverare nullus dubitavit ad Psalterium Savarianum Romæ editum; id quod adeo non licet dicere, ut merito temerariam Cardinalis censuram notaverit Clarissimus Schickardus, decus illud Germaniæ, *ego*, inquiens, *sexcenta monstrare possem, quæ ab authentico discrepant.* Hinc sane factum, ut & Syrus & Æthiops & Latinus, cum insuper haberent fontem, & tantum Græcæ inhærerent versioni, à vero sensu longe aberrarint.

§. 4. Arabibus vox iisdem literis constans ac Ebræa, دبر *mortem & exitium* denotat. Unde illi dicere solent: عتق الدبر عن دبر *manumissio post domini mortem.* Gol. Lex. Arab. p. 791. Ita etiam Ebræis דֶּבֶר *exitium*, *mors* appellatur, cum pestilentia ejusmodi sit morbus, qui ut Rabbi Abarbenel loquitur יותר מסוכן *magis periculosus*, *quam alii.* Vel ut alibi ait: מיתה רעה מהירת וחולי חד מאד *mors mala & citissima, & morbus acutissimus.* Et sic præter temporis brevitatem ægrotantis periculum includit. Ejusmodi morbum Pharaoni Deus minatur Exod. 9: 3. ubi eum כבד מאד *gravissimum* appellat. Nempe ibi, ut Abarbenel scribit: הדבר ההוא כל כך חזק היה שבהרף עין מת כל מקנה המופלג אשר היה במצרים: *Usque adeo invaluit pestilentia illa, ut uno oculi momento omnis, eaque incredibilis copia pecudis fuerit mortua*; Atque ea singulari DEI providentia omnis grex Ægyptiorum deleretur, populi Judaici ne ovicula quidem. Quo damno cum Rex & Regi subjecti nequicquam moverentur, DEUS in homines quoque ipsos illo morbo singulariter, animadvertit, dum fecit: שְׁחִין פֹּרֵחַ אֲבַעְבֻּעֹת בָּאָדָם *ut ulcus germinans, pustulæ in homine* orirentur. cap. cit. commat. 9. Vox שחין, teste Kimchio, fuit: נגע הבא מצד חמימות וולדת האש, *plaga ex calore citra ignem oriunda.* Et R. Abarbenel ad Exod. loc. cit. ait: קרא הכתוב המגפה הזאת שחין פורח לחדותו חד מאד ולחדותו ולחומו יגדל פתאם כאלו פורח וצומח: *Scriptura vocat hanc plagam ulcus germinans, eo quod acutissima est, & propter acrimoniam & propter calorem suum derepente crescit, veluti aliquid germinans & florescens.* Hinc scilicet שחין vocatur, quod calidissimum est & cum inflammatione. Probat R. Kimchi significationem inde, quod שחונה *calidum* Ebræis denotet. Etsi vero in Sacra Scriptura hæc vox alias non occurrit; tamen antiquis in Ebræorum libris usus ejus est receptus, ut cum Pontifex V. T. in precibus suis pro novi anni ubertate oravit, יהי רצון שתהא שנה זו שחונה וגשומה: *sit voluntas, ut annus hic sit calidus & pluviosus.* Rationem vero, cur cum apposito dicatur, אֲבַעְבֻּעֹת R. Abarbenel his verbis exponit אבעבועות הן מוסרות הנולדות בצדדי העור והן בועות ולהיותן רבות ומקבצות זו עם זו נכפלת זה המלה: *significat vox* אבעבועות *pustulas,* ונקראו *quæ in cute oriuntur & bullant: & cum multæ sint, & una alteri juncta, vox illa multiplicatur, & nomine* אבעבעות *venire solet.* Syrus vertit: ܘܗܘܐ ܫܘܚܢܐ ܕܒܘܥܐ *& factum est ulcus tumorum.* Arabs: وصار قرحا منتفطا بثورا *& factum est ulcus ebulliens, erumpens.* Atque sic per אבעבעות intelligitur anthrax, qui, teste Galeno ad Glauc. ex sanguine admodum calido crassoque generatur. Qui plerumque ab exili pustula oritur magnitudine milii, interdum à pluribus hujusmodi pustulis simul junctis, Vid. Diemerbr. *Tract. de Peste* pag. 22. Hoc jam olim observavit Galenus lib. XIV. Therm. cap. 10. dicens: Πολλάκις δ᾽ ἐκ μία φλύκταινα γίνεται, ἀλλὰ πολλαὶ μικραὶ, καθάπερ τινὲς κέγχροι. Oriuntur vero pustulæ in cutis superficie suntque iis, quæ igne fiunt, non dissimiles, sub quibus ruptis crustosum ulcus invenitur. Et quandoque membrum ita ardere videtur, ut fumum emittat. Quibusdam, referente Valesco de Taranta in Philonio Pharmaceut. pag. 806. anthrax vocatur *ignis S. Antonii, quod pro remedio ad ipsum recurratur.* O pectora cœca! Anthrax dicitur Arabibus الطاعون de quo more suo, hoc est, accuratissime, philologice disseruit Excellentissimus Vir, *Dn. Joh. Frischmuthius*, Sacrarum Lingg. P. P. celeberrimus, Patronus & Præceptor meus ætatem devenerandus, in epistola gratulatoria ad Cl. *Dn. J. Hadr. Slevogtium*, Med. Dd. Amicum plurimum colendum, cum hic nuperrime sub Præsidio Viri Excellentiss. Experientiss. *Dn. August. Henr. Faschii*, Medic. D. & P. P. Archiatri Saxo-Jenensis, Patroni atque Præceptoris mei nullo non honoris & observantiæ cultu prosequendi, inauguralem suam Disputationem de *Anthrace pestilente* haberet.

§. 5. Ebræa igitur vox דֶּבֶר corruptionem, vel perditionem significat, quam iste morbus gignit infertque, veluti τὸ *Pestis* à *pascendo*, & *pestilentia* ex Isidoro pro pastulentia quibusdam dici videtur, & itidem perditionem suggerit: ut illa conjectura quorundam applausum haud mereatur, qui pestem Scripturam generali vocabulo appellasse, contendunt, cum דֶּבֶר & דָּבָר distinctissimas habeant significationes, neque hæc cum illa cognationis quidpiam habeat. Nempe hæc præsens exitium atque feralem plagam denotat, quæ teste Lucretio, infensa est

—— —— *hominum generi pecudumque catervis:*

Quæ non minus scite, quam vere à Galeno, quem Arabici Medici nominare solent خاتم الاطباء *sigillum Medicorum*, quod putent, illum manum ultimam Medicinæ imposuisse, cum *fera*, cap. XVI. περὶ θηριακῆς comparatur. Verba cum sint emphatica, adponam: ὥσπερ θηρίον ἡ αὐτὸς ὁ λοιμὸς ἐκ ὀλίγους τινὰς, ἀλλὰ καὶ πόλεις ὅλας ἐπινεμόμενος διαφθείρει δυνάμενον. *Pestilentia ceu fera quadam non paucos aliquot; Sed totas civitates depascit.* De hac fera Artaxerxes Longimanus, cum ipsius exercitum invasisset, in epistola ad Pætum ita conqueritur: ἐ πολεμᾶντες πολεμέμεθα, ἐχθρὸν ἔχοντες τὸ θῆρες λυμαινόμενον τὰ ποίμνια, τέτρωκε πολλὰς, δυσιάτες ἐποίησε, πικρὰ βέλη βελῶν καταπέμπει. *Non belligerantes debellamur, cum hostem habeamus bestiam illam ovilia devastantem: sauciavit multos, ægre curabiles fecit: amara spicula immittit.* Vid. Hippocr. opera edita à Joh. Antonida vander Linden, pag. 896. Græcis dicitur λοιμὸς, hoc est, φθορὰ νόσος, veluti Hesychius, omnium veterum Criticorum eruditissimus, ut Casaubonus, flos ille Galliæ suæ, & incomparabilis antiquitatis vindex, epist. 198. ad Heinsium loquitur, interpretatur. Hinc λοιμώδης laudatus Grammaticus idem notare ait ac φθοροποιὸς. Λοιμὸς metaphoricè significat *corruptorem*, uti videre est, Actor. 24: 5. ubi Tertullus Apost. Paul. vocat ἄνδρα λοιμὸν. Similitudinis ratio ex Theodoreti *Interpret. in Esaiam*, tom. 2. cap. 5. fol. 23. peti potest. Ecce Tibi ejus verba: λοιμὰς καλεῖ τὰς ὁ μόνον σφᾶς αὐτὰς διαφθείροντας, ἀλλὰ καὶ τὰς ἄλλας εἰς τὴν αὐτὴν νόσον ἐκκαλεμένες. Τοιαύτη γὰρ ἡ τῆ λοιμὰ φύσις· μεταδιδόασι γὰρ οἱ νοσᾶντες τὰς πάθας τοῖς ὑγιαίνεσι. Latinis vocatur morbus iste cordis venenosus *pestilentia*, raro *pestis*. Posterius vocabulum morbum denotare, negat Obertus Gifanius, Criticus non vulgaris, in Collectan. in Lucret. p. m. 394. ita loquens: *Pestis pro exitio: qui hac voce pro morbo, quem veteres constanter pestilentiam vocant, utuntur, barbarissant.* Pro morbo autem sumitur à Trogo Justino lib. 2. cap. 13. *multorum dierum inopia contraxerat & pestem, tantaque fœditas morientium fuit* &c. conf. idem, lib. 19. cap. 3. lib. 18. cap. 6. Ita quoque accipiunt aliquando vocabulum pestis alii auctores. Ennius Annal. 16. —— —— *Hos pestis necuit.*

Horatius Flaccus, Lyricorum princeps Carm. 1.

Hic miseram famem pestemque.

Et Silius Italicus, Consul Romanus, Orator verius, quam Poëta Demsteri sententia, ita canit:

Rapidam pestem diffundunt ignes.

§. 6. Prisci Ebræi, postquam Græcorum jurisdictioni obnoxii facti sunt, pestem vocarunt novo eoque corrupto nomine אַנְדְּרוֹלוֹמוּסִיאָה ἀνδρολοιμοσία: q. d. hominum exitium, ex ἀνδρὸς & λοιμὸς. Hinc legimus in Bereschith Rabba sect. 26. edit. Venet. בכל מקום מוצא זנות שאתה אנדרלומוסיאה באה והורג הטובים והרעים: *in quocunque loco invenis scortationem, ibi pestilentia venit & occidit bonos & malos.* vide *Cohen de Lara* pag. 9. libri עיר דוד sive de *Convenientia vocabulorum Rabbinicorum.* Haud frustra igitur, pestilentia Hebraicè דֶּבֶר dicitur, quæ ut exquisitorum dolorum mater: ita fere excidii genetrix esse solet, maxime ubi invalescit. Nam tradit Paulus Orosius lib. 5. cap. 4. tantam subito pestilentiam vastasse Romanos, ut ministri quoque faciendorum funerum primum non sufficerent, deinde non essent. Itaque magnæ domus vacuæ vivis, plenæ mortuis remanserunt. Largissimæ introrsus hæreditates, sed nulli hæredes. Idem lib. V. cap. II. refert, Plautio Hypsæo & Fulvio Coss. tantam luem pervasisse Africam, ut in sola Numidia, quam Micipsa Rex tenebat, octingenta

genta millia hominum; circa maritimam oram ducenta millia, apud Uticam triginta militum millia consumta, ex porta Uticensi una die MD. cadavera elata fuisse. Regnante Carolo IV. A. O. R. M. CCCXLVII. totum fere orbem occupavit pestilentia, cum ex Asia in Europam irruisset, inprimis Germaniam nostram infestavit, & ita exhausit, ut ne tertia quidem pars hominum superesset: Urbes, oppida deserta essent habitatoribus, armenta & greges sine pastoribus oberrarent. Lubecæ extincta nonaginta millia hominum, uno die mille & quingenti. Duravit annos sex, ut refert Chronicon Belgicum. Taceo alias solitudines, quas mortalitas, ut Cyprianus eam vocat, Regnis induxit. Magnam nostra tempestate Asiæ partem mirum quantum afflixit: Thraciam bene multis incolis viduavit. Nec immunis à pestilentia devastante fuit Hungaria, Austria, Bohemia, Misnia, ut pateret, in Christianis etiam suis quam plurima animadversione digna reperire omnipotentem DEUM.

§. 7. Tanta igitur pestilentiæ est diritas, ut sæpius vel peritissimorum Medicorum artem eludat. A. M. 3542. horribilis & contagiosus morbus plerasque jam Africæ atque Asiæ regiones pervagatus, Atticæ Urbi incubuit, quo infestati cives militesque confestim interibant, nec *ulla humana ope levari vis morbi poterat.* Pulchra sunt, quæ hac de re αὐτόπτης Thucydides, nobilissimus post Herodotum scriptor, literarum monumentis consignavit. Ille vero lib. 2. de Bello Pelopon. fol. 130. sequentia habet: οὔτε γὰρ ἰατροὶ ἤρκουν τὸ πρῶτον θεραπεύοντες ἀγνοίᾳ, ἀλλ' αὐτοὶ μάλιστα ἔθνησκον ὅσῳ καὶ μάλιστα προσῄεσαν, οὔτε ἄλλη ἀνθρωπεία τέχνη οὐδεμία. ὅσα τε πρὸς ἱεροῖς ἱκέτευσαν, ἢ μαντείοις, καὶ τοῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο, πάντα ἀνωφελῆ ἦν. Quod *frustra fuisse, quæ in templis exposcebantur*, dicit, eo significat Historicus ritum apud Ægyptios inprimis, Græcos & Romanos oppido celebrem. Dicti enim populi, cum morbis conflictantes, vel etiam alii eorum vicem supplentes, in fanis Serapidis, Isidis Æsculapii incubare solebant, ut per somnum monerentur de remediis, pro valetudine recuperanda, adhibendis. De Ægyptiis hoc refert Strabo lib. 8. & 17. Geograph. Confer Diod. Sicul. Biblioth. Hist. lib. 1. fol. 22. De Romanis exemplum habemus apud Sueton. in Vespas. cap. 7. Ciceroni omnis hæc medicina suspecta fuit. Nam. lib. 2. de Divinat: *Quid convenit*, inquit, *ægros à conjectore somniorum potius, quam à Medico petere medicinam? An Æsculapius, an Serapis potest præscribere per somnium curationem valetudinis?* De incubatione in fanis Deorum, medicinæ causa olim facta, vid. Johannis à Wowern Animadvers. in Petron. Arbitr. p. m. 394. & 566. Conf. quoque illustris Dn. Conringius, lib. de medic. Hermet. cap. 11. & Simonis Majoli *Dies Canicul.*, pag. 532. & sequ. Maxime legi meretur elegantissima Disputatio Henr. Meibomii, sub præsidio nunquam satis laudandi Dn. Conringii Helmstadi ante hos duos & viginti annos habita.

§. 8. Causas Atheniensis pestilentiæ Thucydides non recenset, sive ut imperitus Artis Pæoniæ, sive, ne Medicum & Philosophum agens, Historici limites transiliat, quod ipse innuit l. c. fol. 131. Diodorus Siculus lib. XII. Biblioth. Hist. fol. 110. dictæ pestilentiæ tres adfert causas, nempe *cœlum, sive aerem corruptum, alimentorum vitiositatem, etesiarum per æstatem intermissionem.* Sane istæ rationes non videntur esse de nihilo. Nam quod attinet ad aërem, corrumpitur ille recipiendo fœtidas exhalationes atque μιάσματα, uti in nuperrimis prælectionibus publicis me docuit Nobil. Excellent. & Experient. *Dn. Crausius*, Philos. & Med. D. ac P. P. Gratiosi Med. Colleg. Senior spectabilis, Patronus & Præceptor meus observantissime colendus. Tales autem exhalationes sunt cadaverum non sepultorum, aut superficie tenus terræ mandatorum post ingentem stragem. Qualia exempla annotarunt Jul. Alexandr. de bell. Punic. lib. VI. & Joh. Cuspinian. in vita Henrici I. Imperatoris. Tales quoque exhalationes fuerunt putrescentium locustarum, teste Orosio lib. V. Histor. cap. XI. Boum in Alvaria pestilentia confectorum cadavera non sepulta universam fere Galliam ingenti infectionis damno infecisse, refert Kircherus Scrut. Pest. pag. 8. Patet inde, cadavera pestilentia extinctorum, à veneno non esse immunia. Contrariæ sententiæ patroni objiciunt: quod multi cum illis sine damno conversentur, eaque attingant: Quod venenum illud cum calore evanescat. Sed respondetur ad objectionem 1. negando consequentiam. Nam multi etiam conversantur cum viventibus pestilentia correptis, nec ullam contagionis labem contrahunt, & tamen isti ægri contagiosi sunt. Cur vero quidam non inficiantur, ratio est, quia in illis non est propensio apta ad recipiendam pestilentiam; vel quia illi homines terrore non implentur, sed contagium pro nihilo habent, neque ulla apprehensione de morbo contrahendo laborant. Quantum vero animus præsens ad evitandam pestilentiam faciat, testis est experientia. Tum quoque in vespillonibus quibusdam consuetudo est altera natura. Ad 2. resp. negando, omne venenum, sublato calore, evanescere. Nam si vestes, lecti, nummi sordidi possunt esse fomes pestilentis veneni, quanto magis cadaver illo veneno interfectum. Fusius tractavit hanc controversiam Diemerbroeckius *Tract. de Peste*, p. 116. & sequ. ad quem remittimus Lectorem.

§. 9. Huc pertinent etiam fœtidi, putridi vapores lini vel cannabis, quando macerantur in aquis stagnantibus, Angel. Sala pag. 5. Tract. de Pest. Effluvia venenatarum minerarum, Galen. de morb. vulg. l. 1. locorum subterraneorum halitus putridi, venenosi, qui post terræ motum prodeunt. Nam præter urbium regionumque eversiones terræ motus haud raro concitant morbos gravissimos, eosque contagiosos: quia halitus in cavernis terræ vel putredinem, vel qualitates venenatas, præsertim si diutius concludantur, contrahunt atque erumpentes, in aërem imprimunt. Qualem cum inspirando hauriunt mortales, necesse est similem corporibus imprimi qualitatem, quam ἐπὶ τὸ πολὺ pestilentia subsequitur. Frustra nobis hic contradicit clarissimus quidam vir, objiciens: si aëris infectionem sequitur pestilentia, omnia animalia tentantur pestilentia, sed posterius, dicit, esse falsum, cum constet, aliam incidere pestilentiam, quæ solos boves jugulat, aliam, quæ sues, aliam, quæ oves, aliam, quæ solos homines. Negamus consequentiam majoris. Nam agens agit in subjecto disposito. Vel ut Galenus cap. IV. περὶ διαφορ. πυρετ. loquitur: οὐδὲν τῶν αἰτίων ἄνευ τῆς τοῦ πάσχοντος ἐπιτηδειότητος ἐνεργεῖ. Sol liquat butyrum, indurat lutum. Etiamsi aër fuerit corruptus, non tamen omnibus æque est noxius, quia non omnibus eadem est temperies, idem robur atque facultas noxia propulsandi. Atque hanc sententiam jam olim fovit Hippocrates, vir & arte & facundia insignis, ut Celso vocatur, quando lib. περὶ φυσῶν ita scripsit: διαφέρει σῶμα σώματος, καὶ φύσις φύσιος, καὶ τροφὴ τροφῆς. οὐ γὰρ πᾶσι τοῖσιν ἔθνεσι τῶν ζώων ταὐτὰ οὔτ' ἀνάρμοστα, οὔτ' οὐ ἁρμοστά ἐστιν, ἀλλ' ἕτερα ἑτέροισι ξύμφορα. Ὁκόταν μὲν οὖν ὁ ἀὴρ τοιούτοισι πληρωθῇ μιάσμασι, ἃ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει πολέμιά ἐστιν, ἄνθρωποι τότε νοσέουσιν, ὅταν δὲ ἑτέρῳ τινὶ, ἔθνει ζώων ὁ ἀὴρ ἀνάρμοστος ᾖ, κεῖνα νοσέουσι. Hæc de prima pestilentiæ causa à Diod. Sic. allata.

§. 10. Sequitur secunda, nempe alimentorum vitiositas. Ex hac aliquando pestilentiam ortam fuisse, præter Diodorum testantur passim Historici. Ex multis prodeat Curtius, qui lib. IX. p. m. 387. refert, *insalubrium ciborum novos succos pestilentiam vulgasse.* Conf. Plutarchus in Demetrio, tom. 1. fol. 912. & Galen. lib. de cibis boni & mali succi, c. 1. Quomodo vero alimenta corrupta vel prava, fame ita homines premente, ut etiam vel quidvis in dapis usum vertant, pestilentiam gignant, Sennertus, Medicorum princeps, lib. IV. de Febr. cap. 2. p. 387. docet. Verba ejus hæc sunt: *Pravi cibi pravos generant humores, qui cum à natura diu regi non possint, tandem corrumpuntur, & pestilentem naturam induunt.* Tertia causa fuit etesiarum per æstatem intermissio. Sunt vero etesiæ, describentibus Græcis, venti boreales, à medio Julio ad finem usque Augusti interdiu flantes. Sentiuntur isti venti in iis tantum regionibus, quibus Carpathii montes versus boream obtenduntur, h. e. Græcia, Macedonia, Servia, Bosnia, Thracia &c. Causam etesiarum vide apud Maxime Reverendum *Dn. Frider. Bechmannum*, Theol. D. & P. P. in inclyta hac Salana, Dn. Patronum atque Hospitem meum pio amoris, submisso honoris cultu prosequendum, Systemat. Phys. p. m. 321. Quid vero etesiæ præstent, ex Hollerio discimus. Sic enim ille Comment. in Aphor. Hipp. p. 130. *etesiæ æstum Caniculæ temperant, indeque morbos vere, aut initio æstatis genitos non solum demulcent, sed etiam fere solvunt. Hinc à veteribus venti molles, blandi & salubres nominantur.* Sed causas pestilentiæ à Diod. Sic. recensitas, & alias accuratius pertractare, vetat ipsa Dissertationis nostræ inscriptio. Nam Philologica est.

§. 11. Ante vero quam à causis istis recedamus, addemus sequentia: Horribili pestilentia afflicti Athenienses, referente Diod. Sicul. l. c. fol. 111. τὴν ὑπερβολὴν τῆς νόσου, τὰς αἰτίας τῆς συμφορᾶς ἐπὶ τὸ θεῖον ἀνέπεμπον. *morbi atrociter grassantis causas in Numen retulerunt*: Adeoque insulam Apollini sacram (Delum) lustrarunt, & inibi sepulta defunctorum cadavera, quibus inquinata videretur, in insulam Delo vicinam, quam Rheneam appellant, transtulerunt. Et inde factum est, ut Athenis signum Apollini Ἀλεξικάκῳ, sive Averrunco erectum fuerit, ut Pausanias in Atticis commemorat: quod nempe malo illo terribili essent ejus opera liberati. Solebant alioquin

alioquin Athenienses, annona ingravescente, aut pestilentia grassante, urbem suam lustrare, sive expiare, immolantes homines vilissimos, quos vocabant καθάρματα. Audiamus hac de re Scholiasten Aristophanis ad Plutum: καθάρματα ἐλέγοντο οἱ ἐπὶ καθάρσει λιμοῦ τινες, ἤ λοιμοῦ ἑτέρας, νόσου θυόμενοι τοῖς Θεοῖς. Erant vero καθάρματα, teste Hesychio, in voce φαρμακοὶ, idem denotante, ac καθάρματα, *vir & fœmina.* Vir masculinum, fœmina sequiorem sexum expiare credebatur. Apud Phœnices non vilissimus aliquis homo, sed Regis filius immolabatur. Nam memoriæ prodidit Philo Byblius, quem Kippingius lib. 1. Antiqu. Rom. cap. 6. pag. 167. citat, morem fuisse illis gentibus, cum maximæ calamitates, belli, famis, pestilentiæ metuerentur, ut Reges filium, quem præ cæteris diligebant, pro sacrificio mactarent, ad placandam Numinis iram. Carthaginenses quoque tempore pestilentiæ, τεκνοθυσίας fuisse studiosos, Justinus lib. XVIII. cap. 6. his verbis recenset: *Cum inter cætera mala etiam peste laborarent, cruenta sacrorum religione & scelere pro remedio usi sunt. Quippe homines ut victimas immolabant, & impuberes (quæ ætas etiam hostium misericordiam provocat) aris admovebant, pacem Deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita Dii rogari maxime solent.* Ritum istum, quo Pœni liberos immolarint, scriptum reliquit Plutarchus περὶ δεισιδαιμονίας, tom. 2. fol. 171. quem audiamus: εἰδότες καὶ γινώσκοντες αὐτοὶ τὰ αὑτῶν τέκνα καθιέρευον· οἱ δὲ ἄτεκνοι παρὰ τῶν πενήτων ὠνούμενοι παιδία κατέσφαζον καθάπερ ἄρνας ἢ νεοσσούς. Παρειστήκει δὲ ἡ μήτηρ ἄτεγκτος καὶ ἀστένακτος. Εἰ δὲ στενάξειεν ἢ δακρύσειεν, ἔδει τῆς τιμῆς στέρεσθαι, τὸ δὲ παιδίον οὐδὲν ἧττον ἐθύετο. Κρότου δὲ κατεπίμπλατο πάντα περὶ τοῦ ἀγάλματος ἐπαυλούντων καὶ τυμπανιζόντων, ἕνεκα τοῦ μὴ γενέσθαι τὴν βόησιν τῶν θρήνων ἐξάκουστον. Rationem hujus ritus habet Varro lib. 16. Divinar. rer. citante Hipponensi Episcopo, 7: 19. de Civit. DEI: *ideo à quibusdam pueri Saturno soliti sunt immolari, sicut à Pœnis, & quibusdam etiam majores, sicut à Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum.*

§. 12. Atheniensium pestilentiam, quam Thucydides fuse l. c. descripsit, Lucretius Poëta graphicè eum in modum depingit, ut morbi magnitudinem & afflictissimum Atheniensium statum facile quis cognoscere queat. Ita vero ille lib. VI. de *rerum natura*: pag. 552. & sequ. edit. Florent.

Intima pars hominum vero flagrabat ad ossa,
Flagrabat stomacho, flamma ut fornacibus intus.
Nil adeo posses cuiquam leve, tenueque membris,
Verteret utilitatem ad ventum & frigora semper.
In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas.
Multi præcipites lymphis putealibus altè
Inciderunt ipso venientes ore patente.
Insedabiliter sitis arida corpora mersans.
Æquabat multum parvis humoribus imbrem.
Nec requies erat ulla mali: defessa jacebant
Corpora. Mussabat tacito medicina timore.
Quippe patentia, cum toties ardentia morbis
Lumina versarent oculorum expertia somno.

§. 13. Quod medicinam *mussare*, ait, eo morbi atrocitatem Poëta innuit, cum virus pestilens cor maxime affecerit, febremque in momento accenderit, ut etiam Medicus hæreret, & consilii quasi inops ignoraret, quid amplius facto opus esset. Hoc aperte etiam Arabum Medicorum princeps Ibn Sina, vulgo Avicenna dictus, fatetur. Cujus opera Arabica exoptata diu multumque quæsita, cum pro laudabili suo studio Bibliothecam Academicam adaugendi *Nobilissima Facultas Medica* haud ita pridem à τοῦ μακαρίτου *Welschii*, Medici Augustani & Philologi celeberrimi hæredibus redemerit, inde verba huc facientia, adducenda duxi. Ita vero ille l. 4. Fen. 1. tract. 2.

وقد يكون من هذه الحميات الوبائية ما لا يشعر
فيها العليل ولا اللامس الغريب بكثير حرارة ولا يتغير
النبض والماء كثير تغير ومع ذلك فانها تكون
مهلكة بسرعة قد دهش الاطبا في امرها واكثر من
تنتن نفسه من هلاكا ومن الاولين تموت لان
العفونة تكون قد استحكمت في القلب

Interdum hæ pestilentiales febres ejusmodi sunt, ut nec ipse ægrotus, neque propinquus multitudinem caloris tangendo sentiat. Et nec pulsus alteratur & humor magna alteratione. Et hoc ipso velociter perimit. Et contingit, ut Medicus in ipsius natura hæreat & plurimi, quorum anima fætet, primi sint, qui moriantur, nam putredo confirmata est in corde.

§. 14. Quam facile autem, quam brevi tempore, & quam longinquis oris sæva pestilentia in locum aliquem ex improviso sese insinuet, historiæ loquuntur, & experientia. Etsi enim quandoque solo contagio oritur; sæpenumero tamen & aliis modis gignitur. Quemadmodum enim haud pridem pestilentia ex Asia in Europam, ex hac in varia regna & loca propagata est: ita famosa illa Atheniensium plaga Thucydide auctore, ab Æthiopia, (de qua omnium accuratissime scripsit illustris *Dn. Joh. Ludolfus*, Consiliarius Cæsareus, Patronus meus magnus, *in Historia Æthiopica*, quæ nunc sub prælo fervet) quæ est supra Ægyptum, incepit; deinde in Ægyptum Lybiamque descendit, donec in Atheniensium urbem irrepsit, ut Lucret. lib. VI. pag. 216. testatur.

Nam penitus veniens Ægypti finibus ortus,
Aëra permensus multum camposque natanteis,
Incubuit tandem populo Pandionis —— ——

§. 15. Magnus ille naturæ mystes, Plinius Secundus diræ pestilentiæ constantem adscribit itionem. Ita enim ille lib. 7. Histor. Mundi cap. 50. *Qua in re observatum, à meridianis partibus ad occasum solis pestilentiam semper ire, nec unquam fere aliter nisi hyeme (sedari) nec ut ternos excedat menses.* Duo hic asserit auctor, quæ fidem non merentur, nempe pestilentiam à meridianis partibus ad occasum solis semper ire, nec ternos excedere menses. Quod attinet ad prius assertum, à veritate illud alienum esse, patet ex ipso Plinio. Nam cap. præcedente 37. narrat, ab *Hippocrate venientem ab Illyriis pestilentiam prædictam.* Pestilentia igitur à meridianis partibus ad occasum solis non it semper, cum Illyris Epiro & Macedoniæ finitima, si Græciæ habeatur ratio, in occasu sit. Et Ammianus Marcellinus, luculentus Romanarum rerum scriptor & fide dignus testis, ut vocatur Barthio, immortali Germaniæ ornamento lib. 19. refert, pestilentiam ab Æthiopia versus septentrionem universum fere orbem afflixisse. Posterius assertum similiter à veritate abhorret. Etenim nupera illa pestilentia, quæ in Lipsienses sæviebat, quintum superavit mensem, Dresdensis septimum. Silentii peplo involvam Pragensem pestilentiam superiore anno ortam, quæ novem excessit menses. Nunc vero animam, quæ DEI est clementia, agit. Unum præterea capite citato 50. occurrit examinandum. Scilicet, senes à pestilentia immunes esse, Plinius his verbis docet: *Morbis quasdam leges posuit natura, senes minime sentire pestilentiam.* Rationem, cur id affirmet, nullam video. Nam licet senes sint frigidissimi & siccissimi: licet calor & humor, ut quidam existimant, pestilentiæ generandæ inserviant; non tamen inde sequitur, pestilentiam fugere senile caput, cum experientia, optima rerum magistra reclamet: cumque grandes natu non destituantur omni calore atque humiditate. Et quamvis concedamus, senes esse perquam siccos: tales eos cum Medicis vocamus, ratione humoris blandi, utilis, roscidi, alimentaris & nativi. Sunt tamen senes humidissimi, quia sunt sputatores, abundantes humido inutili, excrementitio, ut loquuntur Medici. Vid. Nobilissimus, Excellentissimus atque experientissimus *Dn. Wedelius*, Med. D. & P.P. Archiater Ducalis, Patronus, Præceptor atque Evergeta meus nunquam sine maximis laudibus commemorandus, pag. 90. Physiol. Medic. Interim non negamus, floridam ætatem, quippe quæ est calidior atque humidior, & propterea ad fermentandum aptior, pestilentiæ *magis* obnoxiam esse, quam decrepitam senectutem. Negamus vero, senes *minime* sentire pestilentiam.

§. 16. Quandoquidem vero ipsius Hippocratis observatione sæpe contingit, ut incredibili celeritate nondum enato carbunculo, pestilentia adolescat, & vigorem suum adipiscatur, ut, Lucretio teste,

Mortiferam possit cladem conflare coorta
Morbida vis —— ——

& ex abrupto vitalem cordis facultatem venenata putredine extinguat: *aëreus draco venenum in homines eructans, adventans fulmen, flumen rapidum, ignis repentinus* vocari solet. Quin ob suam pernicitatem & repentinam invasionem *spiculum* vel *sagitta* appellatur. Ita enim Homerus 1. Iliad. de Apolline loquitur:

—— —— —— ἐπῴχετο κῆλα Θεοῖο
Πάντ' ἀνὰ στρατὸν εὐρύν. —— —— ——

Et Lyricorum Princeps Horatius carmine seculari pro Populi Romani incolumitate scribit:

Condito mitis placidusque telo
Supplices audit pueros Apollo.

§. 17. Ipse Psalmographus Psal. 91. *Sagittæ volantis* nomine luem indicat. Causam vero, cur sagitta volare dicatur, R. David Kimchi com. ad loc. citat. aperit his verbis: תאר העיפה לחץ מפני מהירות מרוצתו גם מפני׳ האברה שנותנים בראשו *Dicitur sagitta volare propter celeritatem cursus ejus & pennas, quas capiti apponunt.* Quemadmodum itaque sagitta derepente & nihil tale cogitanti homini supervenit, eumque necat: ita pestis sæpius sine prodromo & præcursore instar sagittæ hominem improviso adoritur. Quod etiam Turcæ minime diffitentur. Dignum relatu est, quod Philippus Caroli Animadvers. in A. Gellii Noctes Atticas refert p. 301. *Cum tecta Legati Imperatoris Ferdinandi I. pestilentia Constantinopoli afflaret, hujus mali vitandi causa misit ad principem purpuratorum, ut sibi illius permissu alio liceret migrare, ubi extra metum aëris contagione infecti esset. Purpuratus ad Imperatorem se relaturum promisit. Postridie vero renunciavit, eum sic respondisse: quid sibi vellet, aut quo cogitaret? An nesciret pestilentiam sagittas DEI esse, quæ à proposito scopo non aberrarent, ubi ubi delitesceret, ut ab ejus jactu tutus esset. Si ipsum percussum vellet, nil latebras profuturas. Frustra vitari, quod evitari nequeat.* Quod Imperatorem Turcicum, Legati fuga vel mutatione loci periculum vitæ declinaturi consilium hic improbasse asserit, id veritati & generi Turcarum consentaneum est. Hi enim & alii Muhammedis Pseudoprophetæ religionem amplectentes, fatali quadam necessitate pestilentiam hominibus immitti credunt, ac proinde neque fugiunt eam, neque correpti medicinam adhibent; sed temere se contrahendæ contagionis periculo exponunt, ea opinione freti, ut, si fatale tempus urgeat, moriantur, sin minus, evadant: nullam siquidem naturæ antidotum fatum superare posse, existimant; sed omnibus & singulis mortis terminum constitutum, quem nulla Medicorum efficacia præterire possit. Confirmat hoc Celeberrimus *Dn. D. Becmanus*, Electoralis Academiæ ad Viadrum ornamentum, in *Historia orbis terrarum* pag. 745. scribens, maximam de providentia Divina securitatem facere, ut Turcæ in præliis tam audaces sint; illamque in pestis discrimine salutis ipsorum plane negligentes reddere, ut vestes atque lintea, in quibus ægroti vix animam exhalarunt, sæpe contrectent. Conf. Itiner. Princ. Razivil. pag. 154. Hinc fit ex doctorum virorum sententia, ut Constantini civitas, & universa pene vastissima plaga, quam Turca incolit, contubernalem sæpius habeat, & habitura sit pestilentiam præ voluntaria incuria. Athanasius Kircherus Scrutin. pestis pag. 7. & seqq. affirmat, piscium & ostreorum conjectorum in littus affluentia maris, & eodem defluente, in sicco hærentium putrefactionem in causa esse, cur nonnullas maritimas regiones continuo fere pestilentia affligat. Testem hujus rei sistit Ægyptum, cui pisces, crocodili & alia monstra, Nilo exundante, in limosos campos devecta & putrefacta, pestilentiæ frequentiam concilient. In medio relinquemus hoc Kircherianum assertum; videtur tamen probabilior prior sententia, si loquaris de Ægypto. E contrario scribunt nonnulli, esse loca, quæ pestilentia nunquam occupaverit. Plin. lib. 2. Histor. mund. cap. 96. *Locris & Crotone pestilentiam nunquam fuisse, nec ullo terræ motu laboratum annotatum est.* Unde secundum Strabonem lib. VI. Geograph. proverbium: Crotone salubrius. Scaliger de Subtil. Exercit. 32. tradit, oram illam occidentalem Æthiopiæ, quæ accolit Nigrum fluvium, nunquam pestilentiam sensisse. Cum in civitatem Romanam vehementius sæviret pestilentia, Imperator Commodus, teste Herodiano lib. 1. cap. 12. p. m. 37. Laurentum tanquam refugium tutum, suadentibus Medicinæ peritis, petiit, quod frigidior sit ea regio, sylvisque è lauru permultis opaca, inde etiam regio nomen suum acceperit. Nempe laurus non solum credebatur μαντικὸν δένδρον (Claudiano enim dicitur *venturi præscia laurus* lib. 2. de raptu Proserp.) sed etiam efficax adversus venena: Inde jactatum, ut, qui se tutum approbare vellet, δαφνίνην, diceret, φέρω βακτηρίαν, h. e. *laureum gesto baculum.* Credebatur quoque laurus sanitatem conciliare, quo argumento lauri folia ineuntibus Magistratum Kalendis Januariis à populo dabantur. Coël Rhodigin. lib. V. Lect. Antiqu. cap. 7. Laurea coronabatur Æsculapius, quod laurus arbor sit plurimorum remediorum. Vid. Antiqu. Rom. Rosini pag. 230. Inter remedia veneni etiam Plinio memoratur laurus, lib. 23. 8. & 8. 27.

§. 18. Ad magis declarandam naturam pestilentiæ Ps. 91. cum *laqueo* comparatur, quo derepente avicula circumvenitur & capitur. Ut adeo nullum tempus fingi queat, quo insidias ejus metuere non debeat homo. Notanter etiam dicit ambulare vel incedere באפל *in caligine* eaque crassa, qualis fere solet esse mediæ noctis. Ebraicum verbum est יהלך quod alias *ire* vel *ambulare* denotat B. Lutherus emphatice reddidit: **schleicht!** nempe quia tacito pede incedit. Ab hoc verbo הלך *ivit* formatur nomen הִלּוּךְ *incessus*, quo Judæorum vulgus ad imprecationes faciendas abutitur, dicendo: **Daß dich der Hilluch ankomme!** Consimili impietate quidam Christiani proximo suo tam sævum malum evenire optant, dicendo: **Daß dich die Pestilentz erwürge!** Ut vero in tenebris cæca via progressa lues lædit: ita ne ipso quidem meridie, qui alias clarus esse solet, cœlo sereno sibi satis cavet homo, dum cavit, cum dicitur ישוד צָהרים *vastat in meridie.* Atque ita mentione mediæ noctis & meridiei universum tempus comprehendere voluisse Davidem, B. Dn. Geierus Com. in h. l. docet, quo nempe homo confisus DEO, ab invasione pestilentiæ tutus esse queat. Sed de voce דבר ejusque epithetis sic satis egimus.

§. 19. Nunc ad comminationem Divinam redituri, verbi ידבק significationem considerabimus. De illo verbo R. Kimchi asserit, significare חבור conjunctionem. Respondet Syriaco ܢܩܦ *adhæsit*, quod in Aphel habet ܐܩܦ *adhærere fecit*, unde ܡܩܦܐ מַקָּף lineola illa appellatur, quæ voces conjungi facit; & ita etiam tenacissima & intima notatur adhæsio. Patet sane illa ex usu Scripturæ, & cum hic in conjugatione tertia, quæ transitiva est, occurrat, B. Lutherus rectissime reddidit: **Der HErr wird dir Sterbedrüsen anhängen.**

§. 20. Quod vero R. Abarbenel hic, comminiscitur, cornicum oculos confixurus, id verbis Scripturæ minus conforme est. Ita vero ille in h. l. commentatur: התבונן אמרו ידבק ה׳ בך את הדבר החולי המתדבק והיו הם המתדבקים אותם באחרים בכל מקום שהם׳ וזהו שאמר ידבק ה׳ בך שהוא פועל יוצא לשלישי ולזה לא אמר ידבק כי אם שידבק עמו הדבר לאחרים וזה באמרת קללה רבה שיהיו הם התחלה לרעות ומהם ימשך לאחרים הדבר כי בסבת זה ישנאום כל העמים: *Attende, dum ait: adhærere Dominus faciet* בך *pestem, morbum, qui adhæret, illi itidem in alios derivabunt, ubicunque degerint. Atque hoc innuitur verbis:* ידבק בך השם. *Est enim verbum transitivum in tertium; atque ideo non ait* יִדְבַּק, *sed indicat, fore, ut & ille aliis adhærere faciat pestilentiam, quæ maledictio revera maxima est, quod nempe illi calamitatis initium sint futuri, & ab illis pestilentia in alios sit derivanda, hanc ob causam omnibus populis odio futuris.*

§. 21. Sed R. Abarbenel fallitur maximopere, dum בך ה׳ hoc loco idem significare contendit atque *per te*, & magnitudinem hujus Divinitus immittendæ calamitatis in eo consistere persuasum habet, quod hoc malum ab illis sit propagandum, & ideo odio illi habendi aliis. Seduxit omnino sagacem cæteroquin Interpretem præfixum ב in vocula בך, quæ non *per te*, sed *tibi* hic significat; adeoque non tam ad hanc solam literam, quam totam constructionem ידבק בך attendere debuisset. Nempe דבק ה׳ amat alias construi cum ב ubi per Dativum vox ea præfixum habens reddi solet. Ut Genes. 3: 24. dicitur ידבק באשתו, *adhærebit uxori suæ*: ita hoc loco יַדְבֵּק בְּךָ significat *adhærere faciet tibi*, prout B. Lutherus commodissime transtulit: **Er wird dir anhängen.** Ex abundanti probamus explicationem nostram hunc in modum: Id hoc loco per ידבר בך intelligendum est, quo Hebraicus populus ex terra, quam hæreditate accipiendus erat, ejiciendus erat. Atqui per ipsam pestilentiam à DEO immittendam ejiciendus erat. Ergo ipsa pestilentia intelligenda, non *derivatio in alios.* Ut ita de pestilentia in alios populos per Judæos derivanda phrasis nihil meminerit, adeoque non tam ex hac quam morbi natura infectio colligenda esset. Pestilentiæ enim necessarium consequens est contagium, quod pestilentiæ omni, sed non soli convenit, fitque, docentibus Medicis, tribus inprimis modis, per contactum, per fomitem & per aërem ambientem. Sunt tamen qui negant pestilentiæ omni adesse contagium, cum in Syria, Ægypto inprimis Cayri, nemo fugiat pestilentia laborantes, procul dubio, quod pestilentia ibi non sit contagiosa. Sed respondemus citatis in locis plerosque esse Muhammedanos, qui sibi id persuasum habent, nemini fas esse, reluctari fato, vel, fomitem

tem aut contactum ipſum fugiendo, alio ſe conferre. Qua de re paragr. 17. egimus. Vero verius eſt, quod Philoſophorum omnium princeps, Ariſtoteles ſect. 1. probl. 7. docet. Audiamus Philoſophum ipſum: ὁ λοιμὸς μόνη τῶν νόσων κοινή ἐστι μάλιστα τοῖς πλησιάζοντας τοῖς θεραπευομένοις προσαναπίμπλησιν.

§. 22. Dum vero DEUS ait, peſtilentia Judæos uſque adeo afflictum iri, donec ex terra illa, quam tum ingreſſuri erant, ejiciantur, notandum venit interpretamentum, quod R. Abarbenel imprudens reliquit, & Judæorum cauſam peſſimam eſſe, evincit. Ita vero ille pag. 397. col. 2. Comm. in Pentateuchum capitis noſtri XXVIII. loquitur: ההפסד ההוא שלישי מהחלאים אשר יקרו במצור מהקדחות והדבר ועל זה אמר והפלא ה׳ את מכותך ואת מכות זרעך וגל והנה זכר מכותך ומכות זרעך להודיע שהקללה הזאת תהיה במצור ירושלים בבית שני כי אז רבו כתובם מיני חלאים רבים ונאמנים והדבר המופלג כמו שבא בספר הנזכר וגם הקללה ההיא תמשך בגלותנו בכל דור ודור כי ימצא תמידים היהודים חולמי מן הקדחות החדתו ומהדבר ומהטחירים יותר מבשאר האומות וגם כל מדוה מצרים ידבקו בם: *Tertium damnum ex morbis accidit eis in obſidione & per febres & per peſtilentiam. Et idcirco ait* (Deut. 28: 59.) *& mirabiles faciet Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui &c. Ecce ait, plagas tuas & ſeminis tui, ad ſignificandum, hanc maledictionem futuram eſſe in obſidione Hieroſolymorum, ſtante templo ſecundo. Tunc enim multi inter eos & diuturni morbi multiplicati ſunt, & peſtilentia vehementiſſima, ut in libro laudato* (*Gorionidis*) *refertur. Et illa maledictio durat etiamnum in hoc noſtro exilio omnibus ſeculis. Subinde enim Judæi inveniuntur, laborantes febribus acutis & peſtilentia, & hæmorrhoidibus magis, quam aliæ gentes. Quin omnes languores Ægyptiorum adhærent eis.*

§. 23. Dum cum peſtilentia etiam Ægypti languores DEUS ſe immiſſurum minatur, R. Abarbenel comminationis hujus effectum in majoribus ſuis ſub excidium templi ſecundi ita locum inveniſſe, ait, ut etiam cum morbis, inprimis peſtilentia, incredibilis cordis durities, Pharaonis in majorum ſuorum plurimos intraverit. Sic enim ſcribit fol. 397. col. 3. ואחשוב שנכלל בזה גם כן קושי לב פרעה ועבדיו שהוא היה מיוצאי מצרים שכמוהו נמצא בחרבן בית שני מפריצי עמני לבלתי תת עול הרומיים על צורם אף על פי שטיטוס שאל בשלומם והיה מבטיחם שישארו בארצם ובנהלתם ובעובדתם בבית האלהים וימאנו ויקשו את ערפם עד שגרמו חרבן הבית ושריפתו: *mea ſententia, comprehenditur etiam in his cordis durities Pharaonis & ſervorum ejus, antequam exirent ex Ægypto quemadmodum id factum eſt ſub excidium templi ſecundi in latronibus populi noſtri, detrectantibus jugum Romanorum in collum ſuum recipere. Etſi enim Titus ſalutem illorum quæſivit, eiſque pollicitus eſt, fore, ut in ſua terra & hæreditate maneant & cultum divinum illibatum ſervent, tamen renuerunt, & cervicem ſuam obdurarunt, donec templi deſolationem & combuſtionem ejus accerſiverunt.*

§. 24. Θεήλατον illum ſtuporem, quem inſigni ſua obduratione exeruerunt, obſidionis illius Hiſtorici deſcribunt, qui id magno conſenſu teſtantur, eos ipſis Ethnicis longe deteriores fuiſſe, & Dei ſui mandata alto ſupercilio comtemſiſſe. De Gentilibus memorant Hiſtorici, eos, exorta peſtilentia, ad Deos ſuos ſe convertiſſe, & perſuaſos omnino, eos placandos eſſe ſacra faciendo. Unde Hiſtor. Mirabil. c. 10. Apollonius ait: λέγεται δὲ τοῦτον (τὸν Ἄβαριν) εἰς Λακεδαίμονα παραγενόμενον εἰρηκέναι τοῖς Λάκωσι, κωλυτήρια θῦσαι τοῖς Θεοῖς καὶ ἐκ τούτου ὕστερον ἐν Λακεδαίμονι λοιμὸς οὐκ ἐγένετο. Quod & Jamblichius in vita Pythagoræ lib. 1. c. 28. teſtatur. Quin peculiari hymno decantando honorarunt Deos, iiſque gratias ita egerunt. Auctor Etymologici magni ſic ſcribit ad vocem παιὰν, quod ſit ὕμνος ᾠδῆς ἐπὶ ἀφέσει λοιμοῦ ᾀδόμενος. Quod ſi igitur Gentiles, ceſſante peſtilentia, Diis ſuis gratias egerint, quanto magis nos Chriſtiani vero DEO hymnos laudum & gratiarum decantamus, quod peſtilentiæ, tot urbibus πανολεθρίαν minanti, compedes injecerit, & ab illuſtri hac Salana eam averterit. Precamur DEUM T.O.M. ut iſti felicitati addat perpetuitatem!



JOH. FRISCHMUTH
AD LOCA QUÆDAM S. SCRIPTURÆ, ut Deut. XXXIII: 2. Psalm. L: 2. &c.

EXERCITIUM ACADEMICUM,
Ad illa Loca Scripturæ illustranda,
Quibus
ET TURCARUM ET PERSARUM DOCTORES MUHAMMEDEM VERI NOMINIS, ET A DEO PROMISSUM, FUISSE PROPHETAM PROBARE SATAGUNT.

§. 1.

Um longe lateque imperitans ille, hodieque Constantinopoli ad gubernacula sedens, & nociva contra Christianos consilia more suorum majorum agitans, truculentissimus Turcarum Imperator, *Achmed*, hujus nominis quartus; nullis injuriis sibi illatis lacessitus; nulla formidine belli alicujus à Christiana gente, Musulmannis, hoc est, SERVATIS (ut se Turcæ hoc nomine vocare amant,) inferendi irritatus: sed potius longe pretiosissimis & plusquam regiis muneribus affectus & honoratus; ulteriorum tamen induciarum, & pacis cum Romano Imperio colendæ sive pertæsus, sive Ungariæ Procerum, ad *Portam*, quam vocant *Ottomannicam*, delatis perpetuis querelis de Libertate & Religionis exercitio quæ superiori seculo Imperatores gloriosissimæ memoriæ, Ferdinandus I. & Maximilianus II. privilegio clementissime indulserant, sed Curiæ Romanæ satellites, famosæ societatis Jesu Sacerdotes aliique pacis turbatores, aliquamdiu iterum sufflaminarant, adductus, cum maximo exercitu anno in Austriam irrueret, flamma & ferro, quicquid obvium erat, devastaret, Christianorum plures in durissimam servitutem abriperet: nihil propius factum erat, quam ut ipsam Austriæ metropolim & augustissimi Cæsaris sedem, Viennam, quam aliquot septimanis arctissima obsidione cinxerat, & incredibili tormentorum bellicorum vi & vehementia concusserat, hostis crudelissimus in suam potestatem redigeret.

§. 2. Quantum tunc periculum Germaniæ, dulcissimæ nostræ patriæ, dissidentibus Christianis, imminuerit, malim cogitandum relinquere, quam multis verbis illud exaggerare; cum cognitum sit, quam vim ante ducentos annos & quod excurrit, Constantinopoli opposuerit, quam Romæ æmulam urbem paucorum dierum spatio tantum non funditus delevit, ut meminisse sine horrore animi nemo possit. Sed ὁ Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ἐπιφανεὶς, altera vice Viennæ misertus, & heroum, Christianorum Principum, animos ita anno proximo superiore excitavit, ut hostem quamlibet potentem in fugam conjicerent, & urbem laudatam ab hostium insultibus immunem præstarent. Quam animorum & armorum Christianorum conjunctionem sæpenumero B. *Lutherus* exoptavit, & ut illa perpetua sit, & non interrupta, merito omnes veri nominis Christiani in votis habere debent.

§. 3. Id temporis vero, cum anxiis animis præstolaremur, quid Deus opt. max. facturus, & quis eventus futurus esset solutionis tam momentosæ obsidionis: sæpius mihi in mentem venit verborum B. Lutheri, Tom. IV. Jenens. Germanico p. 431. *Mahomet*, inquientis, befihlet mit dem Schwerdt zu walten / und ist das gröste und fürnembste Werck in seinem *Alcoran*, das Schwerdt. Hinc facere non potui, quin bina exemplaria MSS. Arabica illius detestabilis libri, Alcorani, indeptus, quem nunquam typis excudi sinunt, evolverem, & quid Pseudopropheta asseclis suis præciperet, indagarem. Deprehendi vero B. Lutherum nostrum vere asseverasse, illum formidabilem Christiani nominis hostem, quoties illi libitum est, fere non nisi bella spirare. Surata enim IX. Alcorani, quæ inscribitur التوبه de *Pœnitentia*, sive ut alii interpretantur, de *Gladio*, hæc verba leguntur: قاتلوا الذين لا يومنون *occidite (eos), qui credere nolunt*: ubi eos omnes morti addicit, qui illud Turcarum symbolum repudiant, لا اله الا الله محمد رسول الله *non est Deus nisi unus Deus, & Muhammed est legatus ejus.* Quibus verbis Christianos quoque eum notare, exinde cognoscimus, quod eodem capite, paulo inferius, ait قاتلوا المشركين *occidite associantes*, sive qui *Deo socium adjungunt*, &, ut illi interpretantur, Trinitatem profitentur. Quin ut milites suos magis ad pugnandum excitaret, omnibus in prælio casuris stimulum addendum censuit his verbis ان الله اشترى من المومنين انفسهم واموالهم بان لهم الجنة يقاتلون في سبيل الله فيقتلون ويقتلون وعدا عليه حقا في التوريه والانجيل والقران ومن اوفى بعهده من الله فاستبشروا ببيعكم الذي بايعتم به وذلك هو النور العظيم *Quia Deus mercatus est à credentibus animas ipsorum & bona eorum promissione Paradisi, pugnabunt in via Dei; & occident & vicissim occidentur. Promissio super hac veritas est in Lege Mosis, & Euangelio & Alcorano. Et quis fidelior est in completione promissi seu pacti sui, quam Deus? Exultate igitur propter venditionem vestram ei, cum quo talem commutationem fecistis, quæ est lucrum magnum.* At vero cum superstitio Muhammedica per meram *violentiam, bella & latrocinia* propagata sit, ecquomodo hic etiam Euangelium in subsidium vocat, quod de bello nihil meminit, cui sit opera danda? Longe aliter de Euangelio sacri Scriptores loqui solent. *Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona*, Roman. 10: 15. inter bona & præcipua regni Dei est *pax & pacis unio*, συνδεσμὸς τῆς εἰρήνης. Ephes. 4: 3. *non occisio & trucidatio.* Nempe sic versutus ille veterator, &, ὁ μακαρίτης, amici olim nostri sinceri, Dn. *Ursini*, cum viveret, Superintendentis Ratisbonensis judicio, *magnus mundi impostor*, & Politicus haud vulgaris, qui novum & subtilem Ethnicismum excogitavit, subinde etiam verbi

verbi Divini mentione crebriore technas ſuas tegere ſolitus, hominibus glaucoma ob oculos poſuit & plebi fumum vendidit aſtutiſſime. In libro سنة repetit occiſionem, ingeminans قتلوا الناس حتي يكونوا مومنين *pugnate cum hominibus, uſque dum fiant Muhammedani.*

§. 4. Adeo vero gladii amantes ſunt Turcæ, ut ceu Richardus minor refert, refutat. Legis Muhammedicæ, p. 133. *quando ad doctrinam conveniunt, ut legem eos Magiſter doceat, & qui proponere debet verbum, primum nudans enſem, nudum manu teneat, in quantum docet, vel ponit in quodam eminentiore loco.* De Turcis Geufræus teſtatur, pag. 85. in deſcriptione aulæ Turcicæ, quod *in bellis ſecum ferant magna volumina chartarum conſcriptarum, in quorum medio depictæ ſint, formæ gladiorum, haſtarum, arcuum, ſagittarum & pugionum*, ſibi perſuadentes, ſe hac ratione à læſione & vulneratione fore immunes. Sane ut Muhammed gladio ſui imperii initium dedit & ſucceſſus, eoque fere uno tanquam religionis ſuæ ſymbolo triumphant Turcæ: ita magnus ille impoſtor & Agyrta in Alcorano ſuo fingit, à Deo ſibi gladium conceſſum, ut reluctantes compeſcat & in ordinem redigat. Quam expedite vero gladium ſuum exeruerit, vel hinc judicare licet, quod tot urbes, tot provincias, tot regna, quæ ſe fortiſſime armis ipſius oppoſuerant, ſubjugaverit, & ut nobiliſſimus Arabiſmi Doctor, Thomas Erpenius pag. 45. orat. de lingua Arabica teſtatur, decennii ſpatio totam Arabiam ſibi ſubjecerit. Atque hunc Martis pullum pro magno Propheta habent, ipſique adeo Chriſto Domino præferunt. Sic enim diſputatione inter Monachum Georgium, & tres Muſulmannos inſtituta, quidam horum non dubitavit ſcribere نحن نكرم مشيحك ونجل قدره ونرفع شانه علي جماعة الانبيا ما خلا نبي الله ورساله محمد *Nos honoramus Meſſiam tuum, & magni facimus potentiam ejus, & præferimus ſtatum ejus omnibus Prophetis, excepto Propheta DEI, & Apoſtolo ejus, Muhammede.*

§. 5. Si vero quæſiveris, unde tandem probent autoritatem ejus propheticam? docet id nos ſcriptor Arabs, vir doctiſſimus, & fide dignus Chriſtianus, tantæ eruditionis vir, & tantæ autoritatis, ut eum Chriſtianis invideant, & ſub finem vitæ Muhammedicam religionem eum amplexum eſſe commenti ſint Muſulmanni. Quam inſignita vero cœcitas eſt & protervia, impoſtorem hunc ſe pro Meſſia, & Dei propheta præcipuo venditare, cujus nullum veſtigium eſt in toto V. T. cum tot præclaris teſtimoniis de Chriſto Scriptura abundet? Quia tamen ſibi perſuadent, ſe non ἄτερ γραφῆς ſuo Prophetæ fidem habere, audiemus, quid Scriptor Arabs laudatus de Doctoribus Muſulmannorum tradat. Ita vero in ſpecimine Hiſtoriæ Arabicæ Aful Farai loquitur: وقد ادعي علما الاسلام مدعين وانه ذكره في كتب الله المنزلة اما في التورية ففي اية جا الله من سينا واشرق من ساعير واستعلن من جبل فاران قالوا هذه اشارات الي نزول التوراة علي موسي والانجيل علي عيسي والقران علي محمد *Iſlamitarum Doctores porro aſſerunt, factam fuiſſe mentionem Muhammedis in libris à Deo demiſſis, ſcilicet in Lege, iſto textu: Venit Deus è Sina, & ortus eſt, è Seir, & manifeſtatus eſt à monte Pharan, (Deut. 33: 2.) Quibus verbis indicari dicunt deſcenſum legis ad Moſen, Euangelii ad Jeſum, & Alcorani ad Muhammedem.*

§. 6. Ita non modo Turcæ ſed etiam Perſæ textum interpretantur, & Muhammeden per *Pharan* intelligunt: licet autem Turcæ & Perſæ diſcrepent nonnihil, & cruenta bella inter ſe aliquamdiu geſſerint, dum Perſæ Aalim extollunt, & invitis Turcis, pro *Præfecto DEI habent*, quin etiam Muhammedi præferunt: in eo tamen conveniunt, Muhammedem Prophetam & Dei legatum eſſe. Hinc anonymi Perſæ cujuſdam epiſtola ex Perſia Romam, inde Viennam delata, tandem etiam in Præceptoris & Hoſpitis mei poſt funera etiamnum laudatiſſimi, Lingg. Sacr. P. P. Theodorici Hackſpanii manus incidit, Altorphi Noricorum anno 1638. Quam epiſtolam tractatui, quem ad R. Lipmanni librum Nizzachon conſcripſit, annectere, & quid ad Scripturæ dicta reſpondendum ſit, lectori relinquere, viſum eſt. Pag. 307. ea legitur, cap. 11. & ſic habet.

نسخة

رسالة مرسلة من بعض اهل الاسلام الي مدينة رومية عظيم بسم الله الرحمان الرحيم

ايا معاشر النصاري ان انتم تريدون ان بين لكم شهادة التورية بنبوة محمد فاعلموا انه قد وقع قوله جا النور من جبل طور سينا واضا لنا من جبل ساعير واستعلن علينا من جبل فاران انتهي فمعلوم ان قوله جا النور من جبل طور سينا اشارة بوحي الله سبحنه الي موسي في جبل طور سينا وقوله اضا لنا من جبل ساعير اشارة بوحي الله سبحانه الي المسيح في جبل ساعير وساعير اشارة من ارض جليل الذي سكن المسيح في قرية من قرا تسمي ناصره ولهذا يسمون امة المسيح النصاري وما قوله واستعلن علينا من جبل فاران اشاره بوحي الله تعالي علي محمد وفاران جبل في نحو الي مكه مسيرة يوم

EXEMPLAR

Epiſtolæ miſſæ à quodam legis Muhammedanæ cultore ad magnam urbem Romam.

In nomine Dei miſeratoris miſericordis.

O *Cœtus Chriſtianorum! ſi vos vultis, ut oſtendam vobis teſtimonium legis Moſaicæ de Prophetia Muhammed. itaque ſcitote, quod appareat veritas dicti ejus Deut. 33: 2.* Venit lux à monte Sina, *& illuxit* nobis de monte Seir, & manifeſtata eſt ſuper nos de monte Pharan. *Hucuſque ille. Eſt autem manifeſtum, quod dictum ejus*, venit nobis de monte Sina, *indicium ſit revelationis Dei laudandi factæ Moſi in monte Sina. At dictum ejus*, Illuxit nobis de monte Seir, *ſignum eſt revelationis, Dei laudandi factæ Chriſto. Namque Seir ſignificat terram Galilææ, quam habitavit Chriſtus, in oppido ex oppidis ejus, quod vocatur Nazareth: idcirco appellantur cultores Chriſti Nazareni. Sed dictum ejus*, Et manifeſtata eſt ſuper nos de monte Pharan, *eſt manifeſtatio revelationis Dei excelſi facta Muhammedi. Etenim Pharan eſt mons in finibus Mecchæ, itinere unius diei.*

§. 7. Ita Turcis ſuccenturiatus quaſi Perſa anonymus, ſuccurrere nititur, & verba Moſaica torquet & pervertit. Sed hic rem acu tetigit magni nominis Vir, B. D. Calixtus, qui dudum Muhammedanorum morem his verbis perſtrinxit; *videntur* inquiens, *in ſpeciem magis & verbis tenus; quam reapſe canonicam ſcripturam ſive Teſtamentum & Euangelium, ut ipſi loquuntur, magni facere & venerari. Certe ea diligentia, aſſiduitate & attentione, qua oporteret, non evolvunt, legunt, expendunt. In multis itaque deficiunt & à fundamento ſalutis aberrant.* Quod de Johanne Tarnovio, olim Theologo Roſtochienſi, & interprete Scripturæ haud ex multis, aſſeruit Sixtinus ab Amama, ſacr. Lingg. Profeſſor in Univerſitate Franekerana in Antibarbaro Biblico, *Eccleſias Euangelicas ignorare videri pretium hujus viri*, id de Georgio Calixto quoque dicere nihil vetat, *quod pretium viri hujus plures ignorarint.* Non tamen id ignoravit Sereniſſimus Erneſtus, ὁ μακαρίτης, Dux Saxoniæ & Salanæ Academiæ nutritor olim munificentiſſimus, pietate & judicio nulli ſecundus, qui in momentoſis negotiis & quæſtionibus eum adhibuit; non invitis Conſiliariis dexterrimis, Politicis & Eccleſiaſticis, Dn. Franzkio & Dn. Glaſſio, τοῖς νῦν ἐν ἁγίοις; non invito Salanæ noſtræ ornamento immortali, Johanne Gerhardo, qui, cum ea legiſſet, quæ Calixtus contra Apoſtatam & Sophiſtam Nihuſium, aliosque adverſarios noſtros ſolide pro veritate religionis Chriſtianæ & orthodoxæ diſputaſſet, *eximii Theologi* publico encomio illum pro candido ſuo pectore ornavit, quod ſane etiam diſputatione pro *veritate unicæ Religionis Chriſtianæ* eum meruiſſe, omnino apparet, cujus verba paulo ante inde excerpſi.

§. 8. In præſenti id oſtendere nobis decretum eſt, verba Scripturæ indignis modis à Muhammediſtis torqueri, id quod Ebræi idiomatis gnarus demonſtrare poteſt. Vocem *Seir* ad *Chriſtum*; *Pharan* ad *Muhammedem* referre monſtroſum eſt interpretamentum, & Chriſtianis nefando quidem auditum, ut omnino labore illo ſuperſedere potuiſſet Muhammediſta, qui inde uſque ex Perſia ad erudiendos Chriſtianos illiſque perſuadendum, Muhammedem veri nominis Prophetam, eſſe & in ſacris literis prædictum, Deut. 33: 2. Epiſtolam ad nos miſit,

misit. Sed ipsum fontem Ebræum intuebimur, qui ita habet: יְהוָה מִסִּינַי בָּא וְזָרַח מִשֵּׂעִיר לָמוֹ הוֹפִיעַ מֵהַר פָּארָן וְאָתָה מֵרִבְבֹת קֹדֶשׁ מִימִינוֹ אֵשׁ דָּת לָמוֹ: *Dominus de Sinai venit, & ortus est ex Seir illis, & illuxit ex monte Pharan. venit à myriadibus Sanctorum, à dextra ejus ignis lex ei.*

§. 9. Continetur verbis hisce vs. 2. elegantissima Metaphora eaque continuata & desumta à sole, qui antequam ipse oriatur & veniat; lucem suam præmittit, & ita gradatim quasi Deus præsentiam suam itidem declaravit, quacunque Israëlitæ iter fecerunt, à proximo termino Ægypti usque dum pervenerunt ad Idumæos finitimos terræ promissæ. Tria vero hic verba adhibet, quæ Deo tribuuntur, בא *venit*, זרח *exortus est*, הופיע *illuxit*, de quorum verborum ordine non male loquitur R. Bechai הזכיר הכתוב האחרון ראשון לפי שהוא הכוונה לבא אליו: *Meminit Scriptura ultimi loci primum, quia ad eum pervenire intendebat, nempe montem Sinai.* Et pag. 226. scribit במה שהזכיר בשעיר הרחוק לשון זרח שהוא תחלת הזריחה ובפרן הקרוב לשון הופיע כי אז נתפשט וגדל זוהר הכבוד בהתקרבו לסיניי ובסיני הזכיר לשון בא: *Ad vocem* משעיר *meminit verbi* זרח, *quod notat initium exortus, & ad Pharan* הופיע. *factum id est ideo, quod tunc se extendit & crevit splendor gloriæ, cum ad montem Sinai appropinquaret, ad quem montem veniendi significationem adhibet.*

§. 10. Quod attinet montes memoratos, R. Aben Esra de iis ita scribit: ויאמר הגאון ז"ל כי הר סיני ושעיר ופרן קרובים *Dixit Haggaon, montem Sinai, Seir & Pharan fuisse vicinos.* Neque hic longe abit Adrichomius. fol. 123. Theatri terræ sanctæ *Pharan, inquiens, mons umbrosus & densus vicinus & contiguus monti Sinai.* Cur vero R. Levi ben Gerson scripserit comm. in h. l. ידמה שהר פרן הוא הר שעיר *videtur mons Pharan ipse mons Seir fuisse*, non videmus, & ideo adstipulari ei haud possumus. Ut enim Moses montem *Sinai* distinguit à Seir, ita etiam *Seir* à *Pharan*, ut distinctus locus memoratur. Videtur autem Gersomides inde adductus esse, ut sic sentiret, quod Jud. 5:4. solum recensitis duobus montibus, *Sinai & Seir*, ibi *Pharan* prorsus omittitur. Sed alias hoc etiam Scripturæ usitatum est, ut non omnes partes, sed quandoque quasdam duntaxat recenseat. Conf. B. Hackspanium Miscell. sacr. lib. 2. cap. 2.

§. 11. Diximus supra, tria verba usurpari à Mose בא *venit*, זרח *exortus est*, הופיע *illuxit*. Ultimum verbum ita explicat Gersomides ה"וא כמו אמרו וזרח הרצון באמרו הופיע הראה יפיעתו והדרו: *verbo* הופיע *tantundem significat atque voce* זרח, *vultque illo verbo innuere: manifestavit pulchritudinem suam & splendorem suum.* In Michlal Jophi explicat ex Kimchio Abenmelech נגלה בזוהרו וכבודו *revelatus est in splendore suo & gloria sua.* Videtur respicere ad Jud. 5:4. ubi autor libri utitur verbo צעד, quod teste Edmundo Castello, in Lexico Heptaglotto Anglicano, idem denotat ac *cum pompa incedere.* Ecquis vero inficias iverit, Deum Opt. maximum hunc in modum ingressum esse, Legem suam promulgaturum? Don Isaac Abarbenel plus cæteris Doctoribus Ebræorum vidisse videtur, cum comment. in Legem fol. 170. col. 1. scribit: במעמד הנכבד הזה היו נבראו ע"ד הפלא שמונה דברים׳ האחד הקולות שהם הרעמים וה׳ב הברקים והם הלפידים המאירים וג׳ ענן כבד על ההר והוא הערפל שזכר והד׳ מטר מועט כמו שאמר ה׳ בצאתך משעיר וגו׳גם שמים נטפו גם עבים נטפו מים והה׳ קול השופר שהיה הולך וחזק מאד והו׳קול אלהים מדבר מתוך האש כקול אנושי עצום מאד והז׳ שהר סיני עשן כלו מפני אשר ירד עליו יי באש הנה אם כן האש שהוא היה על צד הפלא וממנו נמשך העשן והח׳ ויחרד כל־ההר מאד והוא הרעש שזכר המשורר באמרו ארץ רעשה כי לא היתה חרדת העם ופחדם כמו שחשבו קצת המפרשים אלא שההר עצמו נתרעש פור התפוררה ארץ: *In gloriosa hac statione octo res per modum miraculi acciderunt.* (1) *Sonitus, tonitrua nempe.* (2) *fulgura, lampades illuminantes.* (3) *nubes gravis, monti imcumbens, atque ea caligo fuit, cujus mentionem fecit.* (4) *pluvia minuta quemadmodum ait Dominus* (Judic. 5:4.) *cum egredereris è Seir &c. cum cœli stillarent, nubes stillarunt* (5) *vox tubæ, quæ valde invaluit eundo.* (6) *vox Dei è medio loquentis, instar vocis humanæ potentissimæ quæ ex vertice montis Sinai est audita* (7) *quod totus mons Sinai fumavit, quia Dominus in igne descenderat super ipsum. Quæ cum ita se haberent, ignis ille miraculosus erat.* (8) & *tremuit mons totus vehementissime. Atque ille tremor fuit, cujus Psaltes meminit* (Ps. 68:9.) *dum ait: terra concussa est. Neque enim tremor fuit populi & pavor ejus, ut quidam interpretes persuasum habent, sed ipse mons contremuit, dissipando dissipavit se terra* (Esai. 24:19.)

§. 12. Ita divina illa eaque gloriosissima apparitio se habuit, de qua Moses loquitur, ut re, ipso adhuc, in vivis existente, omnino præterita; cum legislator tribubus singulis benediceret. Sic etiam dici haud possit, id temporis his verbis de Christo eum locutum esse, aut Hierosolymis, aut de statu N. Testamenti. *Joh.* quidem *Coccejus*, Theol. Batavus, Scripturæ interpres alias haud contemnendus, Consideratione ad ultima verba Mosis §. 1546. p. 436. ait, *prædicata per quæ describitur Jehova invocatus, efferuntur in præterito, tametsi pleraque sint futuri temporis, quod est ex visione Prophetica.* Et comm. in Habacuc cap. 3. vs. 3. ait: *alterutrum dicendum est, aut per montem Seir intelligendam esse Hierosolymam, quæ mystice etiam Bosra vocatur, Esa. 63:1. aut veterem apparitionem in deserto, & ἀπάντησιν ad excipiendum & deducendum Israëlem in hæreditatem.* Ecquid opus vero erat, hic hariolari, uter duorum sensuum recensitorum hic locum obtineat? cum ipso meridie clarius sit, non respicere hic Mosen ad N. T. tempora, ad Hierosolymam, & neque sic Typum N. T. hic fuisse Vetus, quod Coccejus sibi persuasit, nimium sibi sæpius indulgens interpretationibus suis, quo nomine etiam à Cl. Theologo Lipsiensi, Dn. D. Alberto, disp. quadam erudita de Cocceismo & Carthesianismo merito perstringitur. Nec Seir notat oppidum Galileæ, ut crassa laborans ignorantia homo barbarus contendit. Deut. 2:5. Deus expresse testatur, se montem Seir Esavo tribuisse, ut Israëlitæ nihil juris in eum habuerint. Hinc etiam R. Abarbenel recte scribit, fol. 405. in Pentateuch: נתן לישמעאל את מדבר פרן: *dedit Ismaëli desertum Pharan.* Quo successu vero mons Pharan ab anonymo Persa & Turcis urgeatur pro Muhammedis Prophetia, sic itidem patescit, nempe nullo; cum ita etiam manifestum fiat illud, vel hoc exemplo verissimum esse, quod auribus meis sæpenumero insusurravit B. Hackspanius: *ac credas mihi velim, multa fabulosa à Judæis Turcas accepisse. Nam præceptor Muhammedis Abdalla, Judæus fuit.*

§. 13. Quid mirum igitur est, si, ut R. Salomo, nugarum Talmudicarum hamaxarius ad Gen. 21:21. scripsit פרן ישמעאל כדאמר וישב במדבר פרן: *Pharan significat Ismaëlem, sicut dixit* (Gen. 21:21.) *& habitavit in deserto Pharan:* ita etiam Muhammedistæ Judæos imitati per Pharan Muhammedem & revelationem ipsi factam intellexerunt? Non sane tam ovo ovum simile est, quam cœcutiens Judæus similis est Musulmannis, qui cum asseclis suis, originem suam ad Ismaëlem referunt, & voce Pharan Muhammedem intelligendum contendit. Habitavit quidem in Pharan Ismaël, de quo R. Abarbenel ad l. c. scribit: ישמעאל מהצידה חיה מתפרנס אחרי שיצא מבית אביו בלא כלום לכן היו בניו בני קדר עד היום יושבים במדברות אנשים מדבריים שלקחה לו אמו אשה ממצרים כי נטע לטבעיהם ולא לטבע אביו הנכבד: *Ismaël ex venatione vixit, se sustentans postquam ædes paternas reliquit sine subsidiis. Idcirco posteri ejus, filii Kedar, in desertis habitarunt, homines feri, quia mater ejus uxorem ei dedit ex Ægypto, quod ad eorum inclinaret naturam, non referret ingenium patris sui venerabilis.* Ecquomodo vero Mosaica verba de ipsi Muhammedi facta revelatione, de qua alias nulla in sacris extat mentio, accipere possunt, cum de monte Pharan, in montuoso deserto sito, legislator sit locutus, quem divina gloria tunc illustravit juxta cum reliquis montibus, cum lex promulgaretur, nempe *Sinai*, *Seir* & *Pharan.*

§. 14. Qui duo ultimi montes ab Arabibus scriptoribus detorquentur ad stabiliendam cum primis legationem Muhammedis. Ita enim Alsharestanius scribit ساعير جبال بيت المقدس الذي كان مظهر عيسي عليه السلم وفاران جبال مكه التي كانت مظهر المصطفي *Seir montes sunt Hierosolymitani, qui locus fuit apparitionis Jesu, super quem sit pax. Pharan autem sunt montes Meccæ, qui locus fuerunt apparitionis Mostafæ id est, Muhammedis.* Quæ somnia licet ex Geographia, ut supra diximus, facile refelli possunt, apud Muhammedistas tamen adeo dubio carent, ut sæpius hæc inculcent & alter ex alterius scriptis hauriat. Unde etiam apud Sosieddinum plane gemella docentur iis, quæ Gregorius recensuit. & tandem Seir جبال فلسطين *montes Palæstinæ* esse contendunt, atque hoc indicari velit, انزلة الانجيل علي عيسي *demissum Evangelium ad Jesum.* Pharan autem مكه او جبالها *Meccam aut montes ejus* & manifestationem Dei inde factam significare انزال القران علي رسوله محمد *demissionem Alcorani ad Legatum ipsius Muhammedem.*

§. 15. *Cum Moses porro ait:* וְאָתָה מֵרִבְבֹת קֹדֶשׁ exaggeratur pompa illa splendida divina comitatu tot millium Angelorum,

quos

quos Deus secum duxit, legem promulgaturus. ubi temeritatem, quam in Ralbag observamus, demirari satis haud possumus, dum inter alia sic scribit: הנה קרא כלל ישראל רבבות קדש להיותם עם קדוש: *Ecce vocat cœtum Israëlis myriadas sanctas, quod essent populus sanctus.* Ubi significationem literæ Mem in voce מרבבות illustraturus scribit: תהיה מ"ם מרבבות כמו מ"ם מהטאת נביאיה שהרצון בו בסבת חטאת נביאיה: *literæ Mem in voce* מרבבות *eadem significatio est ac ejus est,* (Thren. 4: 13.) *cum dicitur*, מחטאיה *propter peccatum Prophetarum ejus.* Nempe sic recutitus sibi persuadet, significari à Mose litera servili mem, *propter myriadas* populi Judaici Deum venisse. sed rectius Abarbenel scripsit בא מעולם המלאכים שהם רבבות קדש *Venit* (Deus) *ex mundo angelorum*, qui conficiunt sexcentorum millium sanctorum: Atque ita, ut R. Alschech bene monet, intelliguntur מלאכי השרת *angeli ministerii* vel ministratorii ut phrasi Rabbinica Ebræi de angelis loquantur, quam Apostolus Ebr. 1: 14. exprimit verbis πνεύματα λειτουργικά; Joannes Deodatus, annot. suis ad Deut. 33. in versione Italica bene observat, *Che sono à guisa d' innumerabili eserciti di* DIO. & ad similia loca, ubi angelorum plurimorum fit mentio, provocat, Ps. 68: 18. Dan. 7: 10. Apoc. 5: 11. 9: 16. Atque ita patescit, Judæos sibi oppido suffenos, supra modum etiamnum intumescere seque aliis gentibus longissime præferre, quasi illi suis meritis & sanctitate singulari se dignos fecerint illa DEI gratia unde & R. Arama ad locum Deut. citatum ירצה הברכה הדאת ראויה לעם הקדש נתיחד מכל שאר האומות כמו שנתיחד בקבלת זאת התורה אשר שמתי לפניהם מכל זולתם: *Benedictio hæc convenit sancto populo & præ omnibus aliis populis illi appropriatur, dum hanc legem acceptavit, quam eis præ aliis omnibus posui.* Auctor libelli באר משה ad cap. 33. Deut. scribere minime dubitat: (Gott) gieng aus gegen Israel / da sie kamen zu Sittim am untersten der Berge / als ein חתן (Bräutigam) gegen der כלה (Braut).

§. 16. Sed missis nunc Judæis, Epistolographum Persam iterum audiemus, disputantem contra nos Christianos ex alio Scripturæ loco, nempe Esai. 21: 7. Ita enim ille pergit l. cit. وقال شعيا النبي في التورية رايت راكبين اضا لهما الارض احدهما علي حمار والاخر علي جمل انتهي ولا يخفي عليكم يا معاشر النصاري ان راكب الحمار اشاره الي المسيح وراكب الجمل اشاره الي محمد *Dixit Esaias Propheta in Lege: vidi duos equites, resplenduit ab eis terra. Unus eorum super Asinum & alter super Camelum. Et quidem non latet vos, o cœtus Christianorum! quod ascensor Asini significet Christum, & ascensor Cameli designet Muhammedem.*

§. 17. Scire vero hic licet, in codice Biblico nihil haberi de terra quæ ab equitibus resplenduerit. Verba enim authentici textus habent ita: וְרָאָה רֶכֶב צֶמֶד פָּרָשִׁים רֶכֶב חֲמוֹר רֶכֶב גָּמָל Quæ verti solent: *& vidit currum par equitum, currum Asini, & currum Cameli.* De quibus verbis paulo post plura dicenda sunt. Equidem nos minime fugit Christianos, de Messia nostro in scriptura asseverari (Zach. 9.) eum ut Regem Sionis Hierosolymam ingressurum esse, insidentem asino, id quod tot retro seculis ita exacte adimpletum esse, Matthæus, cap. 21. asserit, & ceu scriptura loqui solet, *ne verbulum quidem in terram ceciderit*, id quod & Epistolographus Arabs diffiteri haud potuit. Quod vero Musulmannus & Christum asino, & Pseudoprophetam suum camelo insessurum esse, ex loco Prophetico Esai. 21: 5. comprobare conatur, eo ipso risum debet, cum scire debuisset, in toto illo capite ne verbum quidem legi de Messia vel Propheta exorituro, sed Esaiam vaticinari de excidio quod à Persis & Medis sit Babyloniis inferendum. Nempe ut Abarbenel recte annotat, ad dictum Caput: אמר הנביא בשם בבל או בשם עמה או מלכה שמלאו מתניו חלחלה צירים אחזוני: *loquutus est Propheta nomine Babelis, aut nomine populi ejus, aut Regis ejus, quod lumbi ejus dolore repleti sint & angustia occupati.* Idem Abarbenel recte subdit: יש הכתובים האלה כלם על בבליים שמפני פרס ומדי תעה לבבם: *omnia hæc loca de Babyloniis loquuntur quorum cor propter Persas & Medas erravit.* (Esai. 21: 4.)

§. 18. Nunc de sensu verborum Propheticorum aliquid etiam addendum est, quæ interpretes diversimode reddiderunt. רֶכֶב à רָכַב derivatur, à qua Ebraica voce Arabicum verbum ركب descendit, & significat, *vectus fuit, inequitavit, insedit, ut veheretur.* Τὸ רֶכֶב vero Ebræis *currum* significat. Et hinc Symmachus recte per ἅρμα reddidit, quod Hesychius per ὄχημα, alii per καρῦχα explicant. Judæi in versione sua, quam haut ita pridem edendam curarunt, verterunt, und er sahe ein Reitwagen mit zwey Reiters / ein Reitwagen mit Eseln ein Reitwagen mit Camelen. Sed פרשים non præcise equites significat, sed pro equis etiam usurpatur, veluti Lud. de Dieu quoque docet, & sic Arabica vox فرس usurpari solet. Sane ut equi ab omni ævo, ita asini tum temporis curules erant. Unde Columella de asino, lib. 8. cap. 1. ait, *non minima pondere vehicula trahit.* Reddiderunt vero LXX. interpp. eodem capite τὸ רֶכֶב etiam per ξύνωριν, quod, auctore Etymologici magni σημαίνει τὴν δυάδα *dualitatem, ut biga* notetur, & idem originem vocis descripturus subjicit. Παρὰ τὸ ἄρω, ἁρμόζω, ξυναρός τις ὤν. Καὶ θυλικὸν ξυνάορις, καὶ κρᾶσει αο εἰς ω μέγα. Hesychius ita explicat: ζυνωρὶς, ἅρμα ἵππων ἐζευγμένον. cum vero sic non designetur is, qui camelo vel asino insidet, sed currus, quem animal sive asinus, sive camelus, sive equus vehit, in quæstione est, cur Græci ἀναβάτην reddiderint, quos deinde interpretes secuti sunt. Nam Arabs راكب, Syrus ܪܟܘܒܐ, Hieronymus, *ascensorem* reddiderunt. Cl. Bochartus in Hierozoico conjecturam suam producit talem, quod Critici Ebræorum, Masorethæ, legerint quidem in suo exemplari רֶכֶב *currum*, Græci vero רַכָּב *ascensorem, sessorem.* Dubitat vero Bochartus in hoc suo στοχασμῷ subsistere, unde ipsemet subjicit hæc verba: *recte an secus, non definio.* Sic rem in medio relinquit ille, cujus modestiam imitari & nobis placet impræsentiarum, maxime, cum *contextus & scopus Prophetæ* hic Musulmannis repugnet, Christianorum vero sententia fundata sit in alio eoque apertissimo loco Prophetico, Zach. 9: 9. ut illi lætabundi exclamare possint ex Joh. 1: 41. εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, quale quid Musulmanni nequaquam cum veritate asserere possunt.

§. 19. Supra laudatus Gregorius Abul Faraius, Arabs ille quidem, sed *multæ lectionis Christianus, variis scientiis instructus, præcipue suo seculo medicinæ gloriæ clarus, adeo, ut à plagis occidentalibus frequenter ad eum contenderent*, veluti Arabes, largiuntur, pergit nos edocere, quid porro Muhammedistæ pro divina legatione sui Pseudoprophetæ urgeant, cum hunc in modum scribit: واما في الزبور وفي ايه يظهر الله من صهيون اكليلا محمودا قالوا الاكليل ومن علي الملك والمحمود علي محمد *In libro Psalmorum*, (Psal. 50: 2.) *isto textu* (*nituntur Muhammedistæ*): *Deus è Sione manifestavit, Aclilan Mahmudam, Coronam laudatam. Per Coronam indigitari ajunt Regnum, per Mahmud*, i. e. (laudatam,) *Muhammedem.* Quam longe vero à veritate aberrent Musulmanni, inde patet, quod in fonte Ebræo ne vestigium quidem appareat hujus sensus, quem Christianis obtrudere conantur. Ibi enim hæc verba habentur: מִצִּיּוֹן מִכְלַל יֹפִי אֱלֹהִים הוֹפִיעַ *Ex Sione perfectionem pulchritudinis Deus affulgere faciet.* Judæi, quos S. Augustinus super Psal. 41. nostros *capsarios vocat, qui studentibus Christianis codices portent*, utut alias sæpenumero cœcutiant, non male hic reddiderunt verba מכלל יופי die vollkommene Schönheit / & quadrat optime sensus in tempora N. T. & Evangelii, quæ Psalmo isto deprædicantur, perinde ac Psal. 48. ad quem Kimchi vi veritatis coactus ingenue scribit; גם זה המזמור לימות המשיח *Etiam hic Psalmus de diebus Messiæ loquitur.* laudatur *perfectio pulchritudinis Sionis.* Quo homines invitantur, ceu Kimchi etiam loquitur; כאלו משם יתן קולו שיבואו כלם לירושלים *quasi Deus ibi invitet, ut omnes Hierosolymam veniant*, non illam corporalem, reædificandam, ut Judæus contendit, sed spiritualem civitatem Sionis, cujus typus & figura fuit Sion, arx Davidis. De illa vero loquitur Apostolus, Ebr. 12: 18, 22. postquam ex illa verbum egressurum esse Esaias Cap. 2: 2. prædixerat. Ut vero patescat qua ratione Muhammedistæ sint adducti, ut Psal. 50: 2. de Muhammede sermonem esse sibi persuaserint, scire licet, Syrum interpretem reddidisse verba Psalmistæ: ܡܢ ܨܗܝܘܢ ܟܠܝܠܐ ܡܫܒܚܐ ܐܠܗܐ ܢܚܘܐ *Ex Sione coronam gloriosam Deus ostendit.* Cum vero Arabicarum versionum una, quam quidem videre nobis minime licuit, Syrum interpretem secuta videatur, ut *regnum*, ܟܠܝܠ per ܡܚܡܘܕ, *laudatum* ܡܚܡܕ *Muhammedem*, intelligant, fallitur homo cum argumento suo, quod non à *sensu*, sed *nominis notatione* ineptissime petitur, & fucum satis superque prodit.

§. 20. Ultimam rationem Muhammedistarum Abul Farai recenset his verbis; واما في الانجيل فغي ايه ان اذا لم انهب افاقليط لا يجيكم *In Evangelio demum isto tentu*, (nituntur) *Si ego non abeam, Paracletus ad vos*

non venit, (Joh. 16:7.) Habemus ita, si Dîs placet Paracletum, de quo Christus sit vaticinatus. Sed quam parum solatii, quantum vero damnum hominibus soleat is afferre paracletus, in aprico est. Quomodo blasphemum, & impudentissimum illud os ausum sit titulum *paracleti* sibi arrogare, quo tamen Sp. S. insignitus est, merito quæritur. Contextus enim id satis clare docet, Christum discipulis suis abitu sui Magistri perterrefactis animum voluisse addere. promissione Sp. S. cujus copiam etiam festo Pentecostes fecit uberrimam, ubi virtute ex alto induti deinceps imperterrito animo verbum prædicarunt & miraculis editis citra ullam vim externam ad pœnitentiam homines perduxerunt, eo successu, ut multa millia hominum ad frugem redierint. Cum vero ipse impostor in Alcorano ita scripserit; وان كنت في شك ممـــا انزلنا اليك وسل الذين يقرون الكتاب من قبلك *Si tibi occurrit dubitatio circa id, quod misimus ad te, consule eos, qui legerunt Scripturas ante te.* Legerunt sane Scripturam ante Muhammedem & Judæi & Christiani, de quibus testatur ipse Alcoranus, وهم تتلون الكتاب ۞ *ipsi meditantur Scripturam*, & ita ut testes respui nequeant.

§. 21. Animanvertitur vero inde, quam difficile sit cum Musulmanno congredi, quod Christianos juxta & Judæos suspectos habeant, quanquam citra causam justam, quod Scripturis violentes manus intulerint, & ideo quicquid ipsis objicitur, in dubium vocant, & Alcoranum Scripturis malitiose præferunt. Barbarus quidam apud Theodorum Abucarum Muhammedis auctoritatem probaturus his verbis usus esse legitur contra Christianos: ὁ Χριστὸς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ἔγραψε, λέγων, ἀποστέλλω ὑμῖν προφήτην Μωαμμὲθ λεγόμενον: *Christus in Evangelio scripsit dicendo, mitto vobis Prophetam Muhammed* dictum, cui cum Christianus respondisset; τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ τὸ εὐαγγέλιον οὐκ ἔχει, *Evangelium non meminisse Muhammedis.* respondit Barbarus; εἶχεν, ἀλλ' ὑμεῖς ἐξηλείψατε αὐτό; *habuit, sed vos expunxistis* illud. Unde vero id probaturi sint, prorsus non apparet.

§. 22. Acute vero ad ejusmodi Musulmannorum perfugium respondet B. Calixtus, *Theologus*, ut B. Glassius eum lib. V. Philologiæ Sacræ, Rhetoricæ nempe sacræ pag. 100. vocat, eminentissimus: *Quæ Testamentum & Evangelium de Muhammede habuerunt, expuncta sunt à Christianis aut ante adventum Muhammedis, aut post. Non ante, quia nulla fuit causa expungendi: neque enim non natus odio potuit haberi, aut qui Dei & Christi amantes essent, odisse eum, quem à DEO & Christo prædici magnique fieri nossent. Nam si quid erasum est, mox sub initia Christianismi ii, qui Christo proximi & carissimi fuerunt, eraserunt. Ex eo enim numerus codicum in immensum crevit, & exempla per orbem terrarum in omnes gentes sparsa & in omnes linguas versa, ut jam memoriam & nomen, quod per ejusmodi monumenta æternitati semel consecratum esset, abolere*, ἀδύνατον. *Tantum abest, post Muhammedem qui Septimo demum Christiano seculo comparuit, quod hactenus conservatum esset, exterminari, ut ne vestigium reliquum sit, potuisse. Hic* ἐπ' αὐτοφόρῳ *& in flagrante mendacio deprehenditur Pseudopropheta, & eadem opera novam & omni fundamento destitutam religionem invexisse convincitur.*

§. 23. Hæc ita solide contra pseudoprophetam disputata sunt, ex quibus patet misera illa conditio Arabum Doctorum, qui ut auctoritatem suo Prophetæ conciliarent, ea dicta irrito conatu coacervarunt, quæ longe alium sensum gignunt, quam illi sibi persuaserunt. Et qui possint non à regia via longissime aberrare, cum pridem pro verbo DEI substituerint Alcoranum, librum compilatum ex impostoris placitis? Vir Clarissimus, Adamus Olearius, pag. 683. Itinerarii sui Persici testis est αὐτήκοος ἢ αὐτόπτης. cum in urbe Schammachia Astronomo cuidam monstrasset Pentateuchum Arabicum, hoc viso, statim & quidem contemtim eum respondisse; *hoc opus est corruptum & abolitum; Alcoranus est multo melior.* Nempe hunc ex revelatione Angelica Gabrielis conscriptum esse dum jactant, sacer codex ipsis vilescere cœpit. Dum Ecclesiastes illorum, dictus *Chattib* in templo, in administratione cultus divini ascendit in Cathedram, & capita non nulla cum interpretatione ex Alcorano prælegit, Sacræ Scripturæ ne verbo quidem mentionem facit, haud ignarus, eam, cumprimis N.T. repugnare illorum dogmatibus; non approbare πολυγαμίαν, quam Christus sustulit. Non *divortia* permittere privato arbitrio sine cognitione judicum & manifesta causa: pro *stupro, adulterio & falso juramento* non sufficere ei *mulctas pauperibus tantas & vestitum* &c. Nec eam felicitatem fore alterius vitæ, quam sibi imaginantur in *cibo, potu & Venere.* Non esse igitur, quod de الحــور العين *puellis candidis* & μεγαλοφθάλμοις garriunt, quæ cum toto reliquo corpore, tum præcipue oculis sint venustissimæ, quibus in prægrandi albugine pupilla emineat nigerrima. Scribunt quidem illi ان الرجل من اهل الجنة ليعطى قوة و جل في الاكل والشرب والشهوة والجماع ۞ *Unicuique è Paradisi incolis datum iri vires centum virorum, ad edendum, bibendum, & Venerem exercendam.*

§. 24. Sed num id quod in hac vita est opprobrium, in altera vita summa erit felicitas? Longe aliter edocti sumus Christiani è divino verbo, quod expresse testatur Apostolus, Rom. 14: 17. *Regnum DEI non consistere in esu & potu*, non in usufructu deliciarum terrenarum, cum certum sit, nullum in altera vita locum fore *conjugio, nuptiisque* Matth. 22: 30 quicquid enim est in mundo, *cupiditas carnis, libido oculorum*, 1 Joh. 2: 15. id cum mundo perit: sed pios fore ἰσαγγέλους, ut locum 1 Cor. 2: 9. ad ejusmodi voluptates applicare prorsus sit indignum, & merito ipse, *Casaubono, Scaligero, Cunæo* aliisque doctis viris tantopere commendatus Judæorum doctor, Moses Maimonides cap. 8. Halacha חשובה in Arabes sit invectus his verbis: אלו הערביים הטפשים האוילים השטופים בזמה: *Arabes isti fatui, stulti, flagitiis immersi.* Et idcirco etiam Arabum apud Musulmannos Philosophi Alcoranum repudiarunt, ut Alfonsus Tostatus in ea cap. XXIII. Exod. testatur. Et Averroës, Philosophus contra destructiones Algazelis disputans *loquentibus* ait, id est *Theologis Muhammedanis cum philosophis male convenire, ut Maimonides fatetur.*

§. 25. Postquam ita Scriptura eliminata, pro virtutum studio vitiorum colluvies successit, pro puro verbo DEI hominum commenta recepta, factum est, ut Christianæ fidei articuli præcipui etiam apud eos sint explosi, ut in eos quadret illud Psalmi 11: 3. *fundamenta destruunt.* Christianismi enim vetus character, ut ipse Maimonides in More Nebochim vocat mysterium SS. Trinitatis, ab ipsis in Alcorano est rejectus, & eo nomine Christiani irridentur ab illis. Christum pro magno Propheta habent, eum نبيا مباركا *Prophetam benedictum* appellantes, غلاما زكيا *puellum immaculatum* sive *peccati expertem*, quanquam mox Adamo iterum eum comparent, & Mahummedem ipsi præferant; Sic in Alcorano, Surata IV. ea de Christo tradunt, quibus etiam mysterium *satisfactionis* ejus prorsus tollatur. Ita enim ibi introducuntur locuti Judæi انا قتلنا المسيح عيسي ابن مريم رسول الله ۞ *utique nos occidimus Messiam, Jesum filium Mariæ, legatum DEI.* At quæ verba Alcoranus regerit; وما قتلوه وما صلبوه ولكن شبه لهم *At non occiderunt eum, sed videbatur ipsis Jesus crucifixus.* Ita cum veteribus hæreticis, Ceridianis, Basilidianis & aliis hæresiarchis impudentissime defendunt, nempe Christum non esse vere crucifixum, quod tamen tam clare Scriptura multis locis asseverat, & cum Judæi, tum Gentiles largiuntur, ut mirum sit, adeo impudentes Musulmannos esse, ut negare ausint, quod à tot auctoribus fide dignissimis traditur. Quemadmodum vero hæretici veteres commenti sunt, τὸν Ἰησοῦν οὐχὶ πεπονθέναι ἀλλὰ Σίμωνα τὸν Κυρηναῖον. *Jesum passum non esse, sed Simonem Cyrinæum*, ita Muhammedani finxerunt Judam proditorem, Christum quæsiturum, captum & sub Christi specie in crucem actum fuisse, Christo interim per tectum elapso, & in cœlum sublato. Ita Messiæ mediatoris sanctissimum officium ab adversariis negatur, postquam etiam Deitatem ejus præfracte impugnare nulli dubitarunt, ut tot hominum myriades in errores etiamnum abducuntur. Hinc W. Schickardus, Academiæ Tubingensis olim optime meritus Professor, procœmio disputationis de Deo Orbo Saracenorum in hæc verba erupit: *Quoties in globo terrestri angustiam Christiani nominis cum Muhammedanæ impietatis amplitudine confero, misereor tot pereuntium animarum myriades, animitusque doleo, tam paucos semper extitisse, qui pro gloria nominis Jesu cum Pseudopropheta congrederentur, magisque Arabismi ignorantia, quam Christianismi negligentia factum esse arbitror.*

§. 26. Apparet sane ex supra dictis adhærere huic erroni, immensam hominum multitudinem, (veluti decus olim Tubingæ fassum est,) quæ ut eo promtius fidem haberet, mentionem etiam fecit impostor Scripturæ & auditoribus suis *Legem & Evangelium* sancte commendavit, & ita eis palpum obtrusit, vix alioquin assensum ipsi præbituris. Hinc in Alcorano, Surata المايدة sive *de mensa* circa medium scripsit: يــا اهل الكتاب لستم علي شي حتي تقيموا التـــورية والانجيل

والانجيل *O vos, qui huic libro Alcorani fidem adhibetis, vos non estis quicquam, nisi credideritis Legi & Evangelio.* Nihilominus alibi, Surata النساء scribere haud dubitavit من الذين هادوا يحرفون الكلم عن مواضعه *Quidam de Judæis tollunt verba de locis suis.* & sic more Pontificiorum, qui itidem Scripturas suspectas olim reddere B. Lutheri tempore conabantur, nescio quam corruptionem à Judæis factam causantes, piorum hominum manibus codicem divinum vi excutere allaborarunt. Atque hæc in præsenti, sufficiant de Muhammede dicta, quem Musulmanni vocant خاتم النبيين *ultimum Prophetarum*, ut Medici Arabes Galenum nominare solent خاتم الاطبا *signaculum seu ultimum Medicorum*, quia ille supremam manum Medicinæ imposuit. Forsan & hoc à Judæis mutuati sunt, qui Malachiam חותם הנביאים *Sigillum Prophetarum appellare solent.*

JOH. FRISCHMUTH,

Lingg. Sacr. P. P.

Eruditione & virtute conspicuo

DN. ANDREÆ BAUMANNO,

SS. THEOL. cultori indefesso,

S. Pl. D.

CUm multis retro seculis Ecclesiæ Christianæ doctores Muhammedismum impugnarent vehementius, id cumprimis fraudi fuit hæresiarchæ famoso, quod neque idoneis scripturæ documentis auctoritatem suam statuminare; neque miraculorum gloria suam, quam jactabat, legationem divinam comprobare posset. Tandem vero asseclæ ejus conquisitis nonnullis locis Scripturæ, sed male intellectis suis commentis fidem conciliare, sed irrito conatu allaborarunt. Qualia vero miracula etiam Musulmanni ei tribuant, qua edide-rit Pseudopropheta eorum, id Gregorius Abul Faraius, specimine Historiæ Arabicæ refert, cujus verba habent ita Latinitate donata: *Narrantur etiam de eo* (Muhammede) *miracula quædam, qualia Lunæ fissura. Arborum ei obviam euntium processus, quod à lapidibus salutaretur, & quod aqua inter ipsius digitos scaturiret, quod ipsi adgemisceret trabs, quod apud eum quereretur Camelus: quod ei testimonium perhiberet ovis assa, cujus armus ipsi dixerit, cave me comedas, veneno siquidem infectum? At cum non ad eum numerum pervenerint, qui hæc miracula narrarunt, ut frequenter facta prodantur, sed ut semel patrata recenseantur, magis Islamitarum docti innituntur ad Prophetiam ejus confirmandam uni Alcorano, in quo ipso hoc pro miraculo habent, quod cum conati sint eloquentissimi quique ei par aliquid elaborare, ne capitulum quidem unicum ipsi conferendum proferre potuerunt.* Quemadmodum vero omnis illorum opera frustranea fuit, quam in suam rem colligendis Scripturæ dictis insumpserunt, ita miraculorum quoque ejusmodi recensio adeo friget, ut abunde satisque patescat, quo fulcro nitatur impostoris religio. Dum præcipuos fidei Christianæ articulos, partim sustulerunt, partim commenta sua substituerunt. Ipsimet fatentur, Islamismum vel Musulmannorum religionem in quinque rebus fundari: *Confessione hac: Non est Deus præter Deum illum, & Muhammedes est Apostolus Dei. Orationibus constanter celebrandis, Eleemosynis largiendis, peregrinatione religionis ergo suscipienda & Jejunio Ramdani.* Cum vero morte Domini nostri, & Salvatoris & Jesu Christi salutem nostram niti, ex sacris simus edocti, quam solide contra fundata sit, religio Christiana, ἐπὶ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, Ephes. 2: vers. 20. sic novimus, ut merito Deo gratias agere teneamur, quod purum verbum suum nobis donaverit, cui inhæreamus constanter, & ita fontem doctrinæ integræ & sinceræ in Ecclesia per consentientem antiquitatis piæ & religiosæ explanationem usque ad vitæ nostræ finem retinere studeamus. Tu vero, mi *Baumanne*, Scripturam sacram porro scrutari perge, ita enim futurum erit, ut sacris aliquando operari jussus, nominis tui mensuram impleas. Neque dubito, quin Patroni tui, amplissimus Senatus Wertheimensis, ut hoc anno quoque nobiscum maneas, concessuri sint, postquam triennio hoc elapso tam frugaliter vixisti, tam diligenter studiorum telam pertexere tibi curæ fuit. Ita Vale. Dabam è museo. Jenæ d. XX. Martii, Anno 1685.

JOH. ERN. GERHARDI
DISSERTATIO
De Sepultura Mosis ad Deut. XXXIV: 6.

עֿשׁ

PRÆFAMEN.



Achinno nemo nos excipiat, quod præterlapsum *Oceanum Theologiæ*, (hunc enim *Moyses* à *Theodoreto* titulum reportat,) retro se sistere atque recurrere jubemus; liceat mihi per te ita loqui, (*Erudita* Doctorum *Gens*,) aut, quod hebeti intellectus nostri acumine exscrutari nitimur. Scimus enim, *hominem naturaliter scire desiderantem* (*Aristotele* Archiphilosopho contestante l. 1. c. 1. Metaph.) cum veram, in cognitione causarum (rationumque) positam scientiam invenire non potest, intellectusque ad ea, quæ manifestissima sunt, sæpe se habeat, ut vespertilionum oculi ad lumen Solis, *opinione tantum contentum vivere*, quæ, licet sit *comprehensio non necessaria propositionis, nullo certo argumento confirmatæ, adeoque in veris & falsis, quæ aliter atque aliter se habere possunt, cernatur*. (l. 1. c.27. poster. Analyt) unde & *instabilis* est; tamen si non cognitionis certitudinem, saltem aliqualem, cum formidine oppositi conjunctam, cognitionem gignere potest, quam ob causam infirma semper est, & incerta. Quanquam sint *nonnulli*, qui ubi de re aliqua opinantur, certo illam se scire existiment, quod tamen potissimum in *Practicis disciplinis* habet locum, in quibus spectatur *finis perfectus*, qui est *felicitas*; Ad quem cognoscendum & obtinendum sufficiunt *opiniones*, quæ vel *singulares* & ab hominibus, innovandi

 studio

ſtudio gaudentibus recens excogitatæ; vel *antiquæ*, & à plurimis receptæ. Quæ contra has afferuntur, magnopere curanda non ſunt: (*Curare* enim, *quæ quis contra ſententiam & opinionem omnium afferat*, *amentia eſt*, Ariſt. l. 1. c. 9. Topic.) καὶ ἀφροσύνη τοῖς ἀνθρώποις Σφίγξ ἐστίν, αἰνίττεται γὰρ ἀεὶ τί ἀγαθὸν τί κακὸν, τί οὔτε ἀγαθὸν, οὔτε κακόν ἐστιν ἐν τῷ βίῳ. *Dementia hominibus Sphinx eſt*, *ſemper enim de his ipſa animo fluctuat*, *quid bonum*, *quid malum*, *quid neque bonum*, *neque malum in vita ſit*; prout Senex ille ad deambulantes in Saturni templo, ſpectantesque Tabulam, (*Tabula Cebet.* p. 3.) fatur de iis, qui inter vitam bonam & malam diſcernere nequeunt; (Vide & *Alciat.* Emblem. 186.) Illis autem, quæ non ſunt ab hominibus probata, nec à pluribus recepta, non ſtatim aſſentiri, verum in eorum probabilitatem inquirere, pulchrum eſt. Quamvis non inficias eamus, intellectum, lumine naturæ illuſtratum, multa excogitare, quæ proprie è revelatione non proficiſcuntur, iisque terminos Philoſophicos imponere poſſe, quemadmodum videre eſt in Ethicis, *Ariſtotele*, *Platone*, & aliis. de qua materia eruditiſſime diſſerentem vide ſis *Claſenium* Theol. Nat. l. 1. c. 1. p. 4. Sobrie autem Philoſophica hac praxi *utendum* Chriſtianis, non *fruendum*; ita diſtinguente *Auguſtino* l. 1. de doctr. Chriſtiana c. 2. ut ſcil. à ſemita Ethnicorum deviemus, qui Philoſophia *fruebantur*, non *utebantur*. Siquidem ultimum in ſolius Philoſophiæ adeptione finem ponebant, quod erat *frui*, ad quam omnia referebant, & in qua ſola acquieſcebant. Sed nobis Chriſtianis, qui longe excellentius bonum novimus, qui omnia ad Dei fruitionem obtinendam dirigenda eſſe ſcimus, Philoſophia non *fruendum*, ſed *utendum* eſt, ne ejus *amore*, vel *abuſu*, vel *ambitioſo tumore*, qui præſertim in Sciolis illis, nullum doctiorem præ ſeſe eſſe putantibus, ſedem ponit, vel imperitia in rebus divinis, eo quod ſolis argumentis πὺξ καὶ λὰξ inhærent, impediti, à Dei, quo unico *fruendum* eſt, notitia & cognitione vel multum retardemur, vel omnino revocemur. Vide *Meiſnerum* in Quæſt. vexat. qu. 1. *Ejusdem* Philoſoph. Sobr. parte 1. pag. 4. &c.

Non ejuſmodi, ſolam rationem ductricem ſequentia, ſpargimus, nec prædicto modo Ethnico fruimur Philoſophia, ſed utimur ea, in quantum licet nobis de DEO & CHRISTO, Philoſophicis rationibus diſcurrere, in quantum licebit nobis etiam de ſanctis ejus, æternitatis cœlicæ Candidatis, Prophetis verba facere. inter quos non ultimum occupare locum novimus (1) MOYSEN, multis & præcellentibus elevatum à Patribus Titulis, haudque immerito Encomiis illuſtrioribus exornatum, cum audit *Communis Præceptor omnium Prophetarum*, non tantum *Teſtis de futuro CHRISTO*, ſed & *Typus CHRISTI præcipuus*, *Hiſtoricus antiquiſſimus*, *Legiſlator præſtantiſſimus*, *&c.* Quanquam enim plurimi Prophetæ MOYSEN fuere ſubſecuti, tamen nihil aliud docuerunt, quam ipſum nucleum Scriptorum Moyſis; imo, quem Chriſtus ipſe in explicandis gloriæ ſuæ myſteriis ante & poſt glorioſam reſurrectionem allegat citatque.

Quapropter in ſiſtendo Specimine Eruditionis meæ imbecillioris, de ipſo illo MOYSE ejuſmodi pertractare materiam commotus fui. Quæ, ut dilucidius eventiletur, adſit nobis JESUS CHRISTUS, longe, longe infinities major & ſuperior ipſo MOYSE, imo omnibus Viſibilibus, & Inviſibilibus, Thronis, Dominationibus, Imperiis, Poteſtatibusque, cum PATRE & SPIRITU SANCTO in omnes ſeculorum perennitates laudatus, benedictus & glorificatus, Amen. TE vero Lectorem commonefacio illius in *Avoth* dicti cap. IV. אל תהי בז לכל אדם ואל תהי מפליג לכל דבר שאין לך אדם שאין לו שעה ואין לך דבר שאין לו מקום: hoc eſt, *nullum unquam hominem contemnas*, *nec ullam unquam rem abjicias*: *Cuilibet enim homini ſua eſt hora*, *& cuilibet rei ſuus locus ſive uſus.*

CAPUT I.

De MOYSE Ethnici quoque ſcripſerunt. Moyſis Parentes, Patria; Nativitas. Diabolus Moyſen è medio tollere conatur per edictum illud cruentum Pharaoni inſuſurratum de occidendis maſculis Judæorum. Moyſes exponitur in Nilum, in fiſcella ſcirpea, juſſuque Termuthidis Pharaonis filiæ extrahitur, traditurque matri. Ejus nomen. Quid fuerit per illud ſignificatum? Educatio. Repudiat honores & theſauros Ægyptios. Conſtituitur Dux Populi. Res geſtæ. Cornua. Velamentum. Statura.

§. I. MOYSIS VITA non raro deſcripta invenitur, apud *gentiles* quoque *Scriptores*, teſte *Euſebio* IX. πρόπ. 26. 27. Cl. Alexandrino I. & V. Στρωμ: Juſtino XXXVI. Diod. I. qui Polemonem, Appionem, Ptolemæum Mendeſium, Hellanicum, Philochorum, Caſtorem, Thullum, Alexandrum Polyhiſtorem (ex quibus quosdam etiam *Julianus* I. *contra Cyrillum.*) autores recenſent, quorum tamen ſcripta temporum injuria interierunt: ex iis, qui ſuperſunt, conſule *Strabonem* XVI. *Plin.* XXX. C. *Tacitum* V. Hiſtor. *Dionyſium Longinum* l. 1. de ſublimi dicendi genere, *Chalcidium*, &c. Inter *Chriſtianos Scriptores Gregorium* habes *Nyſſenum*, fratrem *Baſilii M.* qui Myſticam Moſaicæ vitæ enarrationem Græce, (à *G. Trapezuntio* Latine reddita eſt,) ſcripſit. Vide cumprimis *Bibliothecam Patrum minorum*, Tomo ultimo in Indice, Titulo: *Moyſis vita*, *mors*, *ſepultura*; *Sulpitium Severum* Eruditiſſimis cum Commentariis *Druſii* & *G. Hornii*; Librum de vita & morte Moyſis editum à *Gylberto Gaulmyno*, Pariſiisque impreſſum A. D. 1629. Laudem Moyſis *in orat. Conſtantini*, *Euſebio adjecta*, c. 17. & apud *Philonem* Judæum, qui tranſlatus in Latinum ab *And. Turnebo.* Editio prima procurata eſt Pariſiis MDLIV.

§. II. *Parentes* illuſtres haud ignoravit MOYSES noſter, genere virtuteque præſtantes. *PATER* illi fuit Amram, Filius Caath, Levi Filius, Jacobi nepos, ceu ex Exod. 6: 18. & 20. clarum eſt. Erroneum igitur, quando Juſtinus Trogi Epitomator, lib. 36. Hiſt. ſcribit, *quod Moyſis hujus*, qui populum Iſraëliticum ex Ægypto eduxit, *pater fuerit Joſephus*, ille nempe, qui à fratribus in Ægyptum fuit venditus. Rectius Moyſis genealogiam Mohammedani tradunt, quando à Levi eundem deducunt, ceu ex auctore Tarich, quem W. Schikardus luci dedit, videre eſt.) *Mater* Jochabed, eadem de familia. Amrami & uxor & amita, ceu d. l. Onkelos vertit אחת אבוהי, ſeines Vaters Schweſter: LXX. vero θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *filiam fratris patris ſui*, & ita quoque Syrus, videlicet [illegible], Arabs habet [illegible], quod Londinenſes exponunt *materteram ſuam*, rectius *amitam ſuam.* videtur enim ſequutus Chaldæum, qui ita Ebræum דדתו reddidit, ceu modo vidimus. Probabile eſt, quod fuerit Amrami *conſobrina*, quod Syro & LXX. viſum, quam etiam ſententiam approbat D. Chemnitius part. 3. LL. Th. p. 551. ac pulchre confirmat D. Tarnovius l. 1. de Conjugio C. 58. p. 313. Atque hinc etiam patet, quid reſpondendum iis ſit, qui Moyſen de origine inceſtuoſa, & è conjugio illegitime contracto oriundum dicunt. Conf. quoque D. *Aug. Varenius* in Exod. p. 52. ſeq. Porro *Sororem* Moyſes habuit *Mariam*, (ita reddit Vulgatus: in Ebræo enim textu eſt *Mirjam*, quomodo etiam habent Onkelos ac B. Lutherus; LXX. legunt *Mariam*, *Marjam* exprimunt Syrus ac Arabs. Interpres Joſephi Sigiſmundus Gelenius vertit *Mariam*) quæ ad flumen ſtabat, quando juſſu & mandato filiæ Pharaonis, *Termuth* ſive *Termuthis*, ſi *Joſepho* lib. 2. A. J. C. 5. credimus, aut *Merin*, ut vult *Artapanus* apud *Euſebium*: quæ unica Pharaonis hæres ſine prole tamen ulla, licet diu nupta fuiſſet (*Philo* hæc habet & *Joſephus*, à quo vocatur & γονῆς γνησίας οὐ μεμοιραμένης, videatur & *Cl. Alex.* l. a. στρωμ.) frater Moyſes ex aquis trahebatur.

§. III. *Natus* eſt anno trigeſimo ſeptimo poſt obitum Levi, h. e. Anno Mundi conditi 1368. (juxta nonnullos 1374.) die quarto Septimi Menſis Adar, tertia hora diei, ut volunt aliqui *Rabbini*, inter quos & *R. Abraham*, *Filius Hiia Hiſpanus.* Septimum fuiſſe à Patriarcha Abrahamo, edocet *Salmanticenſis* in libro *Johaſin*, ubi hæc leguntur: *Moyſes doctor noſter*, *ſuper quem pax ſit*, *ſeptimus ſanctorum Patrum*, *itidem ut Sabbathum.* h. e. ut Sabbathum ſeptimus dierum eſt, ita Moyſes Septimus Patrum, i. e. Patriarcharum. vide *Urſinum* Anal. S. l. 6. p. 327. 328. ſeqq.

§. IV. *Genere* Chaldæum ſive Judæum, *ortu educatuque* Ægyptium fuiſſe, *Philo* vult p. 2. his verbis: *Majores ejus diuturna fame conflictati*, *Babylonemque omnem circa regionem premente*, *cum omni familia*, *ad alimenta quærenda domo profecti*, *in Ægypto fœcundiſſima regione conſederant*, *cujus ager campeſtris*, *ſolum pingue*, *imprimisque frugum ferax.*

§. V. Quid autem accidit? *Diabolus*, quod ſc. ex providentiſſimi Dei promiſſione, *Gen.* 12. (400. *annis ſervientes erunt*

erunt in terra peregrina &c.) tandem Israëlitis tempus liberationis affuturum, sufficienter didicerat, qui ea de causa egregium sese & solertissimum in omnis generis remoris & impedimentis objiciendis præstitit, per oracula tempus ducemque prodens, Ægyptiorum odium exasperans in Israëlitas, (videatur *Josephus*, multa prodens de hac re) tandem per quendam Sacerdotem Ægyptium, nasciturum ex Israëlitis quempiam, qui ad adultam profectus ætatem, Ægyptios afflicturus, Judæosque exaltaturus esset, mox edictum cruentissimum de Judæorum masculis interficiendis & in flumina conjiciendis, *Exod.* 1: 13. Pharaoni, qui juxta *Eusebium* (cui & recentiores adstipulantur quoque, & quidem è nostratibus D. Rungius, è Pontificiis vero Alphonsus Tostatus, Benedictus Pererius, Abrah. Torniellus, Corn. à Lapide, aliique communiter.) *Amenophis* vocabatur, cujus anno decimo octavo, juxta Eusebium, juxta alios vigesimo octavo (imperavit autem annos triginta & unum) natus fuit *Moyses*, insusurravit. Quod valde minuebat numerum Ebræorum in Ægypto, qui alioquin in numerum longe majorem excrescere potuissent. Sicuti ex solo Josepho nasci potuisse eo spatio temporis, & quidem absque ullo miraculo, 2500000. bellatorum, *Johannes Temporarius* demonstrare satagit. Videatur *Drusius* ad Sulp. Sever. p. 83.

§. VI. Hem! *Servator noster infantulus* à parentibus per menses tres, Exod. 2: 2. periclitari potius, quam in Deum & puerum peccare eligentibus. Verum cum fortasse, ut solet in tali regno, quidam domorum penetralia scrutarentur, semperque novam aliquam fabulam auribus Regis quærerent, veriti parentes, ne dum uni salutem prospiciunt, multi una cum eo malam pestem oppeterent, misere comploratum puerum exponunt ad *Nili* ripas (יאור vero i. e. *rivus* Nilus appellatur, forte, quia in multos deducitur rivos) inter juncos, ne à flumine abriperetur, in fiscella scirpea בחמר ובזפת, mit Thon und Pech verklebet / (ex papyro. Vid. Josephus loco citato. Ex ligno enim papyri & naves veteres fabricabant. Docet hoc *Lucanus*, IV. scribens:

Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Strabo in Narratione de Auge & Telepho, *Simonides* de Danaë & Perseo λάρνακα vocant. De scirpiculo, pice oblito, cui infans Moyses inclusus fuerit, agit quoque Mohammedes c. 19. Alcorani) gementesque revertuntur, & relinquunt Moysen, qui

Exiguos juncos nexasque bitumine cannas
Ultima perculsæ dona parentis habet.

§. VII. Expostititii *Soror* paululum diversa, ex præcipuo charitatis adversum suos affectu, quo res veniret, expectabat. *Thermuthis*, aut Meris (vel *Merin*: parum enim refert,) cum ancillis in fluvium forte exiens, ubi puer expositus erat, ad lavandum & purificandum se parans, qua herbis densissima fluminis alluvies erat, quid? puerum videt, visumque afferri jubet, totumque à capite ad calcem inspectum, vultu divino formaque probata, misereri cœpit, animo jam ejus se flectente, maternamque pietatem tanquam in legitimum filium induente. Accurrit ergo *Maria* deliberanti jam *Regina* de educatione pueruli istius, quem statim *Hebræum* cognoscebat, & quia affabilis, alloquitur *Thermuthidem*, promittitque, se conducturam *puerperam Hebræam*, cui statim applaudit *Regina* sive Regis filia; ipsa vero ipsam pueri *matrem* adducit ut alienam, quam libenter prompteque per caulam merendæ mercedis recepit, solertia Numinis prima alimenta puero legitima conciliante; *non sine eximio testimonio, heroicos viros divinitus excitari, & sæpe inimicos nostros vel invitos, vel inscios nostra commoda, Deo moderante, procurare.* Augustinus: *Manus filiæ Pharaonis servant paternæ sævitiæ vindicem.*

§. VIII. Ergo in manus tradit *Matri*, (en singularem divini Numinis de Moyse providentiam!) nomenque puero indit MOYSES. In Circumcisione aliud accepisse à parentibus, nullum est dubium; quale autem fuerit, an *Joacim*, quod *Clementi Alexandrino* l. 1. Strom. videtur; an *Melchi* (atque ita nominatum fuisse Moysen, postquam in cœlum adsumtus fuit, idem *Clemens* l. c. monet) vel *Malchi*, vel *Melchil*, incertum est; Ariolo igitur opus haberemus! Ab Ægyptiis *Monion* vocatum esse, *R. Aben Ezra* & *R. Aarabam* attestantur.

§. IX. MOYSES sane ὁ ὑδατογενὴς sive *Aquigena*, ex natalibus quippe aquis extractus, aut habet *nomen* suum ex *lingua Ægyptiaca*, sive *Coptica*, & quidem ex Coptico ⲙⲱⲟⲩ, (quod nomen in Pentateucho Copto Vaticano, nec minus in Thesauro Copto, tum cum articulo ⲡⲓ, tum absque illo passim reperiri, & *aquam* significare, Athanasius Kircherus in Prodromo Copto cap. 5. pag. 137. testatur) & ⲨⲤⲎⲤ, quod ex aquis servatum dicit, juxta Kircher. d. l. Confirmantque hanc sententiam *Josephus* l. 2. A. I. c. 5. *Cl. Alexandrinus* l. 1. *Procopius* & *Rabanus*. Convenientiam autem Copticum illud nomen ⲙⲱ sive ⲙⲱⲟⲩ habet cum Ebr. מים, itidem *aquam* denotante, à quo etiam deducta Chaldæa vox מיא, item Syrorum ܡܝܐ Arabum ماء ac Æthiopum ማይ: cumprimis vero Chaldæum מוי (quo sæpiuscule Paraphrastes Hierosolymitanæ autor utitur, adeoque hoc ipso loco Exod. 2: 10.) quibus itidem *aquam* denotant. Sunt tamen, qui malunt nomen Moysis deducere à Rad. משה *extraxit*, *eduxit*, id quod ipsam significare diam Scripturam *Exod.* 2: 10. putant, hanc παρήχησιν quippe addentem. (Textus Ebræo-Samaritanus, uti in Bibliis Londinensibus insignitur, iisdem expressit syllabis: nisi quod ante ࠌࠔࠄ præmisit Accusativi casus notam ࠀࠕ: ac pro משיתהו habet ࠌࠔࠉࠕࠄࠅ versio autem Samaritana convenit cum Onkelosio, nisi quod pro שחליה adhibet ࠌࠔࠕࠉࠄ sensu tamen eodem.) ותקרא שמו משה ותאמר כי מן המים משיתהו: *vocabat nomen ejus extractum, quia dicebat, ex aquis extraxi eum.* Als wenn ich im Teutschen sagen wolte: Sie nannte ihn einen Fündling / denn sie sprach: Ich habe Ihn im Wasser funden. *D. Forster.* Conc. 6. super Exod. p. 38. Videatur & Lexicon Sanctum *GregorI GregorI* tit. Moyses pag. 65. it. Schindlerus Lexicon Pentag. p. 1011. *Scriptura* Græca variat: utrumque enim reperitur & Μωϋσῆς, & Μωσῆς. Consule *Grammaticos*, imprimis *Heinricum Stephanum* in Apoleg. pro vet. linguæ Græcæ pronunciatione, *Drusium* ad Sulpitium Sever. p. 84. &c. Illud h. l. monendum, quod si genuina est etymologia Jesuitæ Kircheri, nomen Moysis à Copticis vocibus ⲙⲱ & ⲨⲤⲎⲤ deducentis, erronea sit sententia Jesuitæ Cornelii à Lapide Comm. ad c. 2. Exod. 5: 11. *quod genuinè dicendum sit* Moses, *corrupte vero dicatur* Moyses: *quemadmodum & alia nomina propria Hebræorum apud Græcos & Latinos corrupta sint.*

§. X. *Significatum* autem fuit hoc *extractionis passivæ mysterio*, *futura extractio vel eductio populi Israëlis activa* ex aquis Ægyptiacis, ut ita Moyses noster haud injuria ὁ ἀνασπασθεὶς ἀνασπασόμενος seu *extractus ipse extracturus* משה עמו, seu *extractor populi sui futurus*, (vide *Jesaiæ* c. 63. vs. 11.) nominandus exinde veniat.

§. XI. Porro in *quadragena* annorum *prima* nutritur à Regia fœmina in Aula Ægyptiaca, *inque omni sapientia Ægyptiorum informatur, verbis pariter ac operibus potens efficietur*, *Act.* 7: 22, 23. Addit Philo, *quod magnis præmiis acciti quoque fuerint præceptores è Græcia, qui Moysen in liberalibus artibus erudirent.* Ast Moyses prior fuit & antiquior omnibus Græciæ sapientibus, quotquot eruditionis laude hodie clari sunt: natus enim ipse est non quidem 900. (quod Lactantio lib. 4. Instit. Div. c. 5. visum fuit,) attamen 400. minimum annis ante bellum Trojanum, adeoque 500. annis ante Homerum, quem sequuti sunt septem Græciæ sapientes, ac diu post Socrates, Plato, Aristoteles, aliique inter Græcos sapientiæ promi condi. Dicitur vero sapientia illa, in qua Moyses informatus fuit, Ægyptiorum sapientia, non quasi primi illi ejus fuerunt inventores, sed quia Patriarchæ, & cumprimis Josephus Ægyptios discendi cupidos in vera sapientia olim informaverant. Conf. Psal. 105: 22. Cui autem sapientiæ cumprimis operam dederint Ægyptii, videri apud Philonem potest, item Justinum Martyrem, vel quicunque Qq. illarum Justino adscriptarum auctor fuerit, qq. ad Orthod. q. 25. Clementem Alexandrinum l. 6. στρωμ. In tanto vero pretio Moyses apud Ægyptios habitus fuit, ut *Junioris Regis* titulum reportaverit, si *Philoni* quidem danda fides est. vel etiam Josepho, qui lib. 2. A. J. c. 5. al. 9. refert, quod, Pharao, filiæ gratificaturus comiter diadema suum Moysis adhuc pueruli capiti imposuerit; quod tamen Moyses capiti pueriliter detractum prolabi in humum passus sit, pedibus etiam calcarit.

§. XII. In *quadragena secunda*, eaque *Pastorali* repudiatis honoribus *adoptivi Termuthis*, & juxta Epistolam ad *Hebræos* 11. vs. 25, 26. *spretis thesauris Ægyptiacis, crucem atque ignominiam Christi ambabus manibus amplectens*, Elector intrepidus evasit.

§. XIII. In *quadragena tertia*, eaque *Imperiali* constiturus est à Deo Rex incomparabilis, Majestatis divinæ contemplator, Arcanorum divinorum Referendarius, stupendusque

Thaumaturgus, adeo, ut præter unum *Johannem*, (*qui tamen nullum fecerat signum*, *Joh.* 10: 41.) *non surrexit ultra, sicut Moyses Propheta in Israël*, *Act.* 7: 30, 35. *Num.* 12: 7, 8. *Deuter.* 34: 10, 11, 12. quod & testatur *Epitaphium* quasi *Moysis*, ab ipso sibi erectum, in quo se Christo venturo quodammodo æquiparabat, salva tamen prærogativa, quam Christus præ illo habuit: *Prophetam*, ait, *ex medio tui*, *& ex fratribus tuis* כמני, sicut me, sive *qualis ego sum*, *suscitabit tibi Dominus Deus tuus*, *Deut.* 18: 15. Ad quod Moysis de se testimonium Propheta noster magnus JESUS CHRISTUS ipse provocat: *Moyses*, inquit, *de me scripsit*, *Joh.* 5: 46. Ab eo quoque exorsus glorificatus Dominus *Mortis & Resurrectionis mysteria discipulis explicuit*, *Luc.* 24: 27. Et quis vellet jam summe admirandam excellentiam ejus eloqui; taceo *miracula*, quæ Deus in Ægypto, ut etiam in deserto per Moysen edidit, quæque commemorantur in libris Moysis, quos in deserto, ita sentientibus *Eusebio* lib. 7. de Præparat. cap. 2. *Theodoreto*, *Beda*, *Tostato*, *Corn. à Lapide* in Pentat. pag. 23. scripsit,) ita tamen, ut nemini dubitandum, plura ab ipso effecta fuisse, quæ literis sacris non comprehensa: sicut nec *à Christo edita signa omnia* in sacris consignata *extant*, teste *Johanne* cap. 21. Breviter ex *Josepho l.* 4. *cap.* 8. Antiq. Jud. *Vir omnium*, *quotquot unquam fuere*, *prudentissimus extitit*, *& qui consilia bona optime nosset exequi*: *adhæc eloquentia & in tractando populo gratia & dexteritate incomparabili*; *affectus quoque ita semper in potestate habuit*, *ut omnino illis carere videretur*, *& nomina tantum eorum ex his*, *quæ in aliis hominibus conspiceret*, *cognita habere*. *Imperator idem cumprimis bonus*, *Vates vero qualis nemo alius*, *ut omnia ejus verba vim oraculorum obtinerent.* (Quinquaginta tria itinera confecerat, centum septuaginta colloquia cum Deo instituerat, quinquaginta miracula ediderat clarissima.)

§. XIV. Ex colloquiis cum Deo habitis acceperat in monte Sinai, *Exodi* 34: 29. *splendorem* fulgidissimum *vultus*, eratque tam lucidus, ut *Israëlitæ illum aspicere non valerent*, (Confer *Gerh.* T. IX. L. de vita Ætern. §. 91. Bonfrer. in Exod. f. 546.) quapropter utebatur καλήμματι (quod *Ebræi* vocant מסוה. *Interpres Hierosolymitanus* ac Jonathan habent סודרא: unde forte *Sudarii* vox, juxta *Drusium* ad Sulp. Sever p. 84. nisi potius Rabbinicæ illius vocis natales in Latio quærere malis, ceu Græcæ σουδαρίου, quæ in N. T. legitur, inde ortum viri docti petunt. Vide Pasorem in App. Lex. Gr. Gerhardum Harm. Evang. cap. 207. Dissentit tamen Barthol. Meyerus Podr. Philol. Sacr. pag. 283. Tale vero sudarium etiam Ruth adhibuisse à Paraphr. Chald. memoratur, Ruth. 3: 15. & exponitur ab Interpp. *velum linteum.*) *cum ad populum verba facere volebat*, *quodque abstulit*, *quando cum Deo loquebatur*, *Exod.* 34: 33. Errant inepte, qui Moysen *Cornutum* vel profitentur vel pingunt; quamvis nihil vetet credere, radios illos surrexisse in cornuum speciem. Ridiculam alicujus *Rabbini* opinionem, qui ob XL. dierum jejunium ossa faciei Moysis, veluti acuta cornua prominuisse existimat. *Tostatus* refert in Comm. ad h. l. Error ex unius *voculæ* קרן ambiguitate ortus est, quæ & *cornu* significat, & *splendorem*. Videatur *D. Dilherrus* Tom. I. Disp. Philol. pag. 725. *Quistorpius* ad Exod. 24: vs. 29. Ortum vero hinc nomen Rabbinicum קרינות. unde Rabbini dicunt: קרינת פני משה i. e. *radiatio vultus Mosis.* Sed quid vetat, quo minus adjiciam magni illius Prophetæ nostri faciem, prout eandem ex vetusto quodam nummo æneo, cujus possessor insignis ille Jurisconsultus ac Philologus Thomas Lansius fuit, expressit W. Schickardus in Tarich. pag. 34. h. m.



Neque tamen inficias eo, quod extent quoque nonnulli nummi Ebræi, qui Moysen etiam quasi cornutum sistunt, ceu talem apud Excell. *Dn. Bosium* vidi. Videtur autem literarum figura, quæ temporum injuria aliquid detrimenti cœpit, ita ex Exod. 20: 3. restituenda: לֹא־יִהְיֶה־לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים עַל־פָּנָי: i. e. *non erint tibi dii alii super facies meas*, (*sive præter me.*)

Quo respexisse & Mohammadeni videntur, quibus haut insolens est, numismata tum aurea, tum argentea isthoc inter alia consignare symbolo لا اله الا الله i. e. *non est DEUS*, *nisi Deus*, scil. ille unus ac summus: quemadmodum nummus aureus cum hac ἐπιγραφῇ in Bibliotheca Potentissimi Electoris Palatini, argentei vero, grossis fere nostris magnitudine ac pondere respondentes, in Bibliotheca Plur. Rev. Dn. Præsidis asservantur.

§. XV. De STATURA vero MOYSIS, ut revertamur, unde paululum digressi sumus, multa Rabbinica, h. e. fabulosa possemus allegare, si charta favere vellet. Communiter dicunt, *Moysen bis senos cubitos exæquasse*, *tenuisse arma bellica* 10. *ulnas longa*, *habuisse crinem rufum & crispum*, prout *à Muhammede* in apparitione visum *Muhammedani* dicunt. Perspice *Schickard.* בח D. 6. 90. 2. pag. 120. Eundem in *Tar. Reg. Pers.* pag. 33, 34. Nos *statura justa*, quæ tantum deceret Virum, fuisse, libentius credimus, quam ejusmodi *Giganteam* corporis *molem*. De hujus ergo incomparabilis Viri Prophetæ *Morte & Sepultura* aliquid in medium proferre, est animus. Progrediendum ergo ad

CAPUT II.

Peccatum ob quod Moysi mors intentata. Rabbini refutantur. Formalis ratio istius peccati. Occasio ad illud peccatum. Lapsus iste quando acciderit?

§. I. QUemadmodnm *peccata* in genere *causa* προκαταρκτικὴ *calamitatis & mortis sunt*, (Ψ. 90. *Rom.* 6: 23.) Ita & hoc *peccatum* Moysis fuit causa προκαταρκτικὴ *mortis acceleratæ & imminentis*: *Deus enim justus ultor scelerum*, *Viris*, *tum de Republica*, *tum de Ecclesiasticis rebus summe meritis*, *certas periodos*, *diversasque ponit metas*, *non solum propter subditorum peccata*, *sed etiam propter propria ipsorum delicta*, *si apud subditos magno cum scandalo fuere conjuncta*, *quas tamen homines frivoli ingenii vel casui*, *vel Fortunæ adscribunt*: *Nec ludit justus ille vindex comminationibus*, *sed pœnas ita moderatur*, *& dirigit*, *ut non solum incurrant in oculos*, *sed & sensus feriant*, *quemadmodum hoc in loco Moyses*, *tum de Republica*, *tum de Ecclesiasticis longe merentissimus*, *exemplum nobis sistitur*. *Nemini ergo superbiendum*, *nec*, *Deum necesse habere*, *ipsi longæviorem indulgere vitam*, *præsumendum* passim hic monent *Commentatores*.

§. II. *Rabbinica*, h. e. nimis superstitiosa nimisque inepta cohors, quærit, *quomodo MOYSES*, *per cujus manum lex data est*, רבן של נביאים *Magister sive Princeps Prophetarum*, *qui familiariter cum Deo*, *ut cum amico egerat*, *mortem passus esse dicatur?* *Sane*, *si quisquam alius*, *inquiunt*, *immortalitate dignus fuit*, *is certe fuit*, *cui* (α) *non surrexit ultra Propheta in Israël*, (β) *quem nosset DEUS à facie ad faciem* (γ) cujus nomen שמה, inversum est השם, i. e. *Deus*, (ut vult *Abrah. Seba* in fasciculo Myrrhæ,) juxta illud *Exod.* 7: 1. *Ecce constitui te Deum Pharaoni* מטטרון שר הגדול i. e. *Mittatron*, *Princeps magnus.* Addunt (δ) *si aliqui expertes fuerunt mortis*, *vivuntque adhuc*, *ut Enochus & Elias*, *longe inferiore in dignitatis meritique gradu*, *quidni & Moyses?*

§. III. Sciendum vero (1) Moysi mortem certam & futuram instituisse. Idque colligitur ex eo, quod accelerata & intentata dicitur. Nisi enim futurus fuisset Moysi mortis terminus, cui suo tempore Moyses fuisset subjiciendus, quomodo dici posset *mors intentata*, *accelerata*, sc. ante constitutum à Deo mortis terminum. (2) *In Enocho & Elia* nunquam occurrit ejusmodi *peccatum*, *cum publico magnoque scandalo commissum*, *quorum ille perfecte ambulavit coram Domino*, *Genes.* 5: 24. *hujus autem sermo ut ignis exarsit. Syr.* 48: 1. *Longe ergo plus profuit totius Mundi posteritati severitas pœnæ erga Moysen usurpatæ*, *ut singuli peccata studiosius declinent*, *quam prodesse potuisset ad confirmationem fidei de vita æterna*, *si vivus in cœlum fuisset sublatus*, bene admonuit D. *Franzius* Disp. ultima ex Deut. postremis 4. Capitibus §. 178, 179, 180.

(3.) Nec minor propterea *Moyses* efficitur *Enocho & Elia*: Quod enim illi à morte immunes adhuc fuerunt, id factum certo Dei consilio, in quod velle penetrare, impium erit. Quod autem Moyses non immunis fuerit, id etiam certo Dei consilio factum est; siquidem dicitur ipse diem suum obiisse, *juxta*

juxta os vel verbum Domini, Deut. 34: 5. Observandum præterea, quod, etsi duo illi servati sunt ab ultimo actu mortificationis, tamen ἀνάλογον quid mortis, quemadmodum immutabundi in extremo persentiscent die, sustinuerint; mortalitati quoque ambo (ut *Moyses*) per totam vitam obnoxii fuerint, & mortem adeo expectare coacti sint per omnem vitam; hinc & contristationes, dolores animi & corporis, semina morborum, necesse habuerunt experiri. Quod indicant *Eliæ* verba 1 *Reg*. 19: *vs*. 4. *ô Jehova, tolle animam meam.* Hinc ab Apostolo Rom. 5: 14. & dicitur: *Regnavit mors in omnes ab Adam usque ad Moysen.* (*Mortis* autem sub vocabulo comprehenduntur omnino omnes aliæ affectiones: notante *Franzio* de Interpr. S. S. pag. 1283.)

§. IV. *Formalis* autem *ratio* istius peccati Mosaici (cum *Aarone* in deserto ad petram commissi) fuit *diffidentia & incredulitas scandalosa.* Num. 20: 12. Non *ira contra populum*, quando dixit: *Audite rebelles*, sicuti *R. Moyses*; nec aliud quoddam ut *Rabbini* cæteri volunt, inter quos *R. Salomon* Coryphæus. Jussus enim accipere *virgam*, (non Aaronis, ut vult *P. Comestor* in Scholast. Hist. in h. l. qui sæpius sine sale liceat ita ludere, comedit Biblia, & *Corn. à Lapide* in Num. f. 853. 2. D. sed propriam, illam sc. tot miraculorum patratricem, prout evincit *Corn. Jansen.* ad locum istum, & imprimis *Bonfrerius* in Comm. ib. f. 828.) & cum *Aarone* totum congregare populum, ac in conspectu omnium, *non percutere*, (ut vult Bonfr.) sed tantum *alloqui* Petram (*acrotomum* illum lapidem, ut vocitatur à *Greg*. Nysseno de vita Moysis p. m. 25. ipse eam binis vicibus pulsat, atque hoc illam contrahit culpæ publicæ maculam, *quam nullis apud Deum nec precibus nec gemitibus delere potuit*, Deut. 3: 26. Hinc *Poëta* ille de Moyse:

Rura Palæstinæ poteras invisere terræ,
Nî dubitavisses, rupe salire lacum.

§. V. *Occasionem* autem *diffidentiæ* præbuit seditiosa & perversa populi murmuratio, ob quam timuit sive dubitavit, ne impediretur divinum beneficium, propter malitiam populi; & ex hoc quodammodo turbatus ad illa prorupit verba: *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Hinc & Psalmista: *Et irritavit eum populus, & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt Spiritum ejus; Et distinxit in labiis suis* (sc. addit *Burgensis*, ex illa acerbatione vexatus prorupit talia verba in labiis suis, quæ erant distingenda quasi dubia) *Hæc est aqua contradictionis, quia etiam subjecti desperaverant de promissis & potentia Dei, quasi contradicentes promittenti? P. Comestor* ad h. l.

§. VI. *Lapsus* iste accidit circiter ante mortem Aaronis quatuor, Moysis vero decem mensibus, quo tempore præscivit uterque, quo propius venirent ad terram promissam, eo maturius sibi utrique fatum subeundum esse. Torquetur ergo his speculationibus uterque. Conferatur *Franzius* in h. l. Et *quemadmodum Moyses à prima statim ætate ita dolere ac mœrere incepit, ut nunquam desisteret; ita & vitam cum mœstitia finivit*; verba sunt *Chrisostomi* Tomo V. & ult. de Providentia Dei l. 3. p. 651. Edit. Basil.

CAPUT III.

Septem rationibus, Moysen vere mortuum fuisse, probatur. Referuntur ii, qui translatum Moysen volunt, inter quos primum sibi vendicat locum Ambrosius, cujus sententia refutatur. Syllogismus tandem ex antecedentibus præmissis ad stabiliendam Mortem Moysis adjicitur.

§. I. MOYSEN mortem suam cum aliis habuisse communem, (Mors, Hebræis מות, interfectio est, oriens à separatione animæ à corpore) & proinde *vere & naturaliter* mortuum esse, adserit CLARA LITERA & PHRASIS: וימת, *Et mortuus est*, eodemque modo Interpp. Orient. Syrus, Arabs, Onkelos, cum quo etiam facit hic versio Samaritana. Deuter. 34: 5. *Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses vir Dei filiis Israël, NB. ante mortem suam*, in Hebræo לפני מותו *ad facies mortis suæ*. Deut. 33: 1. Hebraismus, *facies mortis*, i. e. mors, (quomodo etiam Arabs his vertit قبل موته similiter Onkelos קדם מותיה i. e. *ante mortem suam*, Syrus vero habet: ܥܕܠܐ ܢܡܘܬ i. e. *antequam moreretur.* Atque ita etiam Londinenses interpretantur versionem Samaritanam, quæ tamen rectius exponitur ceu versio Onkelii: *ante mortem suam*, utpote in qua est: [Samaritan text]) *facies maris*, i. e. mare &c. vide *Weitz.* ad Hilarii Genesin p. 39. ac cap. 32: 7. *Moyses centum viginti annorum erat, quando mortuus est. In* Hebræo *est* במתו *in moriendo eum.*

§. II. *Vox* ipsius *Dei* (*a*) *Ad ipsum Moysen*: *Aggregaberis ad populos tuos, &c. Num.* 31: 1. *Morere in monte & colligito ad populum, sicut moriebatur frater tuus Aaron, Deut.* 32: 50. Quo in loco non obstat vocabulum *Aggregaberis*: Licet enim Scriptura aliis utatur Phrasibus, tamen si ad ductum Concordantiarum omnia exempla Historica Bibliorum expendantur, semper aut è vestigio, aut non longe invenies aliquid additum, unde conjicere certo queas, illam *aggregationem*, vel, ut in aliis locis, *collectionem* intelligendam esse de corporali morte; additur plerumque etiam aliquid de *Sepultura.* Videatur *Franzius* de Interpret. S. S. p. 1282. (*b*) *in parentalibus Moysis ad Josuam, Jos.* 1: 2. *MOYSES servus meus* מת *mortuus est.*

§. III. Mortuus est, *Jubente Domino, Deut.* 34: 5. על פי יהוה *secundum os Domini*, Targum Hierosolymitanum: על פום גזירת מימרא דיי, *juxta os decreti verbi Domini*: Jam vero, quæ Deus jubet, ea ita jubet, non ut *simulate* vel *fictitie* eveniant, sed *vere & realiter.* Nec etiam ex defectu virium, vel ex morbo, sed tantum ex *Dei jussu & voluntate*: Validus enim ascendit in montem, ibique statim defunctus est, *Deo* nim. *eum dissolvente, animamque à corpore separante* (Morte quidem juxta Judæos suavissima. Ita enim *Rab. Salomo* על פי יי טד *juxta os Domini*, explicat, ac si esset מותת נשיקה השכליית מתעלה להדבק בשם הנכב *morte osculi spiritualis elevantis se ad adhærendum Deo*; In *Devar. rabba* similiter: באותה שעה נשקו ה״קבת נשמתו בנשיקת פה: i. e. *ea ipsa hora osculatus est eum Deus, & accepit animam ejus per deosculationem oris.* Respicit huc forte Jonathan ben Uziel, quando ita de Morte Moysis d. l. *Et collectus est ibi Moyses servus Domini in terra Moab* על נשקת מימרא דיי: i. e. *juxta osculum sermonis Domini.* Dicunt vero Rabbini, נשיקת *esse genus mortis placidissimæ & dulcissimæ, quæ est velut extractio pili ex lacte*, i. e. *lenissima. Vires* autem *vigorque* (dicit *Abulens.*) proveniebant Moysi ex familiaritate & præsentia Dei, quia moratus & collocutus fuit cum Deo bis per quadraginta dies in Sina, tumque non comedit, nec bibit, sola Dei præsentia sustentatus, inde habuit cornua, i. e. radios lucis in facie, inde etiam habuit vires perdurantes in omnibus membris, ita ut eo anno, quo mortuus est, ad bellum processerit contra duos Reges, sc. *Og* & *Sihon, Numer.* 21: 22. *Vox* etiam eum non defecit, quia voce maxima, &, ut ita loquamur, Stentorea, quæ à toto populo audiretur, totam legem ingenti spiritu Hebræis promulgavit, paulo ante mortem. Hinc dicitur *Deut.* 34: 7. *quod Mosis*, cum moreretur, *oculus non caligaverit, nec aufugerit viror ejus.*

§. IV. MORTUUS est autem *ob peccatum*, de quo indignatus & iratus Dominus mortem acceleraverat Moysi, ut audivimus præcedenti capite. Ergo illa indignatio & ira Domini mortem non simulatam & ad externam speciem tantum, (*si enim non vere esset mortuus, quomodo istud pro indignatione vel ira Domini reputabitur? Rupertus* in cap. 34. Deut.) sed veram, omnibusque hominibus peccatoribus communem, secundum universalem illam sententiam: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, secum attulit. Moysen *Bellarminus* putat lib. 2. c. 4. de Reliq. Sanct. *in sepulchro retinuisse splendorem & decorem vultus sui, quem antea habebat, sicut multis Sanctis acciderit*: (idem etiam placet *Cornel. à Lapide* in comm. ad verba: *Et non cognovit homo*) & exinde inferre contendit, *Deum hanc ob causam occultasse corpus Moysis, ne Judæi vultus ejus pristinum splendorem videntes ad idolomaniam, ad quam propensissimi erant, declinarent; id vero periculum cum non sit in reliquiis aliorum sanctorum, propterea etiam Deum hodierno die, quia jam verenda non sit hæc idolomania, illustrare sepulchra sanctorum, ut cultu honorifico afficiantur.* Inferimus potius: Si Deus Moysis corpus occultatum voluit hanc ob causam, quod miraculose splendorem & decorem vultus etiam post mortem retinebat, sequitur, religiosum cultum corporibus & ossibus sanctorum illatum Deo non gratum esse, nec acceptum. Connexionem probat B. D. *Gerhardus* Tomo VIII. De Morte pag. 170. *Quia si Deus sine eo in corpore Moysis decorem & splendorem vultus miraculose conservasset, ut propterea religioso honore afficeretur, utique sepulchrum Moysis manifestasset, cujus contrarium Scriptura adserit.* Si autem respondere quis vellet cum *Bellarm.* ac *Corn. à Lapide, religiosum illum sanctis demortuis delatum cultum non evadere idolomaniam*, videat ipse, quæ dicentur infra in Capite *de Sancto-*

Sanctorum reliquiis. Denique facile dicitur, sed difficile probatur, Moysen etiam in sepulchro vultus sui splendorem retinuisse: Universalem enim habemus supremi Numinis sententiam: *Pulvis es*, Genes. 3: 19. à qua ne se quidem *Moyses* excipit, Psalm. 90. &c.

§. V. Comprobat id COMPLEMENTUM: Peracta enim magnificentissimi Cantici & benedictionis peroratione, adscendit *jussu Dei* ex campestribus Moabitarum *in montana illa*, & quidem in *verticem* illius collis, qui est in conspectu Jerichuntis, & secundum *Josephum* (*a*) *inter communes castrorum planctus.* Mulieres enim erant στερνοτυπούμεναι, sternum, os pectoris, inter lamenta tundentes, & παῖδες θρηνοῦντες, sive pueri plangentes ob Moysen moriturum (Vide *D. Geieri* Tr. de Luctu Ebræorum p. 13. 266.) (*b*) *imo inter profusionem propriarum lacrymarum: Moyses* enim *victus lacrymis* (ait *Josephus*) *suas quoque profudit, amorem testatus in populum.* (*c*) *Peracta jam processione funebri: Ivit enim post Moysen universa multitudo, inprimis seniores populi Eleazarus & Josua successor; postque dimissum Senatum & supremis verbis Eleazaro & Josuæ dictis repentina nube circumdatus mortalium oculis subductus fuit, & post spectaculum totius terræ promissæ mortuus* (ἐτελεύτησε) *in vallem quandam ablatus est.* Ita l. 4. Antiq. *Josephus.* quem ne quis facere putet pro Moyse sine morte translato (ut culpatur à *C. à Lapide* in c. 34. Deut.) dum ἀφανισμοῦ meminit, prohibent tum superiora *Josephi* verba, tum quod addit: *Nunquam tristius Hebræis obvenisse, quam quod tum Moyses mortuus: sed &*, inquit, *propterea descriptam in sacris literis Moysis jam oculis mortalium subducti mortem*, μὴ δι' ὑπερβολὴν τῆς περὶ αὐτοῦ ἀρετῆς πρὸς τὸ θεῖον αὐτὸν ἀναχωρῆσαι τολμήσωσιν εἰπεῖν, *ne propter excellentiam virtutis à Deo raptum* (sc. anima & corpore) *prædicarent.* Concordant sane verba *Josephi* cum divinissimæ *Scripturæ Elogio & Titulo Moysis sepulcrali.*

§. VI. Mortuus denique *Moyses* 120. annos natus, *à filiis Israelis defletus, ut mortuus Aaron. Confer Deut.* 34: 5. 6. 7. 8. *R. Salomon*, cum Hebræis in *Seder Olam*, censet: *Moysen natum esse die* 7. *Mensis duodecimi*, (Qui dicitur *Adar*, à Macedonibus *Dystrus*, respondens Latinorum *Februario*, annotante *Corn. à Lapide* ex *Torniello*, quo cum etiam facit Bonfrerius; vel *Martio*, uti illustris docet Scaliger in de emendatione temporum lib. IV. p. 165. vel ipsi etiam Januario, juxta Sebast. Munsterum Kalend. Hebr. p. 175. *& eodem die post annos* 120. *mortuum*; (idem etiam de morte Moysis statuit R. Abraham in Sepher Haccabbalah: verba ejus hæc sunt: ונפטר משה רבי ע״ה ביום שבת בעת המנחה בז באדר *i. e. & excessit Moyses Magister noster, pax super eum, in Sabbatho tempore sacrificii, in septima mensis Adar.*) Atque hanc sententiam, quod Moyses nempe mense Sept. mortuus sit, amplectitur quoque Andreas Masius Comm. in cap. 1. Josuæ. Contra Corn. à Lapide ac Torniellus probare ex Josuæ 4: 19. satagunt, quod non septimo, sed vel tertio vel quarto die mensis Februarii mortuus fuerit: quam liticulam dirimere jam nolumus. Longius abit Martyrologium Romanum adsignans Moysi diem quartum Septembris. Sed error inde ortus, quia confuderunt illius autores annum sacrum, quo Script. S. utitur, cum vulgari. Dissentit igitur ab opinione Judæorum *Martyrologium Romanum* Septembrem pro *Februario* ponens. Quod sensisse etiam videtur Eutychius Patriarcha Alexandrinus, in Alexandrinis quippe Annalibus ita scribens: وتوفي موسى عليه السلام في سبعة ايام من شهر ادار وهو برمهات *i. e. & mortuus est Moyses, super quem sit pax, die septimo mensis Adar, qui est Bormahat.* Bormahat vero Coptitarum sive Ægyptiorum respondet nostro Septembri; ceu docet illustris Scaliger in de Emendat. Temp. lib. 7. qui ipse tamen Τὸ ב per P. effert, nempe *Parmahath.* Mortuum vero Moysen *meridie*, in robore diei *Salmaticensis* censet; alii in *Vespera Sabbathi*: ita R. Abraham d. l. Vide etiam Lyram in Joh. 2. idque Anno Mundi 2493. à diluvio 836. ante Christum natum Anno 1456. (ita notat *Corn. à Lapide.*) *Calvisius* in Opere Chronolog. p. 16. sic habet: *Anno M.* 2493. *D. C.* ♁ 9. ☽ 8. *Æquinoctium vernum*; (Moyses) *ascendit, ad diem* 2. *Aprilis, montem, in quo moritur trigesimo die ante, quam Josua Chanaan ingrederetur.*

§. VII. MORTUUS vero non solum Moyses, Servus Domini, dicitur; sed sepultus quoque *in terra Moabitarum*, & quidem à DEO. Deut. 34: 6. (quod quomodo accipiendum sit, paulo post audiemus) ut incognitus nempe maneat omnibus seculis locus sepulcralis. Unde etiam Scriptores locum, ubi Moyses sepultus fuerit, nonnisi generaliter ex Deut. c. 34. designant. ita enim *Zeilerus* Cent. IV. Var. Qq. Q. 2. scribit: Moses ist auf dem höchsten Gipfel des Berges Nabo / Phasga genannt / gestiegen / davon Er das gantze gelobte Land übersehen / hernach gestorben / und gegen Phogor begraben worden ist / so derjenige Berg / auf welchen der Warsager Balaam von dem Moabiter-König Balack geführet worden / im 4. B. Mosis am 23. Similiter Eutychius Patriarcha Alexandrinus in Annalibus: Et *mortuus est Moyses* في ارض مواب ودفن في الوادي في ارض مواب i. e. *in regione Moab, & sepultus in valle in terra Moab.* Errat vero & Hornius, quando in Comm. ad Sulpit. Sev. Saido Batric. (qui ipse Eutychius est) tribuit, quasi de Moyse scribat: ودفن في جبل هور i. e. *& sepultus est in monte Hur.* cum manifestum ex toto contextu sit, de Aarone, hautquaquam vero de Mose, à Saido isthæc dici. Georgius Cedrenus, verbis, ut videtur, Josephi, quæ circa finem libri 4. habet, haut minus recte intellectis, propterea nubeculam & caliginem circa locum illum, ubi Moyses sepultus fuit, obortam scribit, ne quis videre possit, ubi Moyses terræ esset conditus. Verba ejus Compend. Histor. t. 1. p. 52. hæc sunt: ἐκτότε οὖν καὶ μέχρι τοῦ νῦν, φωτοειδὴς νεφέλη ἐπισκιάζει τὸν τόπον ἐκεῖνον, ἀμαυροῦσα δὲ ἀποτειχίζουσα τὰς ὄψεις τῶν ὁρώντων, ἵνα μὴ γινώσκοιεν αὐτοῦ τὸν τάφον εἰς τὸν αἰῶνα. Obiter notamus, quod G. Syncellus Chronogr. pag. 142. statuat, Moysen in monte *Gai* mortuum esse.

§. VIII. Quicquid sit de loco speciali, ubi Moyses fuerit sepultus: nobis sufficit, ipsam Scripturam expresse testari, quod Deus eum sepeliverit in valle terræ Moab contra Phegor. Qui vero diceretur sepultus, nisi fuisset mortuus antea? (Posito enim consequente, ponitur & antecedens) quod aperte Scriptura quoque adserit: ויקבר אתו *Et sepelivit eum &c.* Et ne quis vel in Æthere, vel in Angelorum cœlo, vel in Adami Paradiso id factum somniet, sepultus memoratur *in Terra Moabitarum in valle montanorum Abarimorum*, è Regione fani Idololatrici, quod tum vocabatur *domus idoli Peor*, sive in Hebr. *Bethpeor*, in terra adeo interamni inter Aaronem, Jabboc & Jardenem. Quod quidem nemo, propter περιφύλαξιν εἰδωλομανίας scil., invenit, usque in hodiernum diem, ceu legimus Deut. 34: 6.

§. IX. Porro vere mortuum Moysen, indicat *disceptatio* quoque *Michaelis*, Angelorum Bonorum Antesignani, cum Diabolo, sine dubio primario aliquo illius ordinis, περὶ τοῦ Μωυσέως σώματος, *de corpore Moysis*, epist. Judæ vs. 9. non περὶ Μωϋσέως: non *de Moyse*, animam & corpus habente, sed de corpore solum. Ergo anima fuit assumta in cœlum, corpus autem, velut τῆς διακρίσεως & διαλόγου objectum, vere in terra adhuc extitit & requievit.

§. X. Risum igitur merentur ii, qui Moysen non vere mortuum, sed *translatum* fingunt. Et quidem hujus sententiæ fuerunt *Hilarius* Can. 20. in Matth. *Ambrosius* 1. de Cain. cap. 2. *Hieronymus* in c. 9. Amos, *Gregorius Nyssenus* in vita Moysis; ex *Rabbinis* ac Judæis Philo lib. de vita Moysis in fin. (quamvis de hoc res adhuc dubia sit.) & ex *Pontificiis* Ambrosius Catharinus Senensis, Ordin. S. Dominici, Archiepiscopus Compsæ, B. Lutheri antagonista in cap. 3. Genes. Johannes item Arboreus, Theologus Parisiensis lib. 2. Theosophiæ s. explic. Loc. Sc. S. diffic. cap. 11. Patres quod spectat, allegorice eos locutos esse, *Corn. à Lapide* in cap. 34. Deuter. ac *C. Jansenius*, Episcopus Iprensis in Pentateuchum p. 673. putant, adeoque eos excusant. Sed si illorum inspiciantur verba, apparebit aliud.

§. XI. Nos in præsens saltem de *Ambrosio.* Hic cit. loco illud, *Per verbum mortuus est*, intelligit, *ac si verbum istud non mortis sententiam inferret; sed impediret, ut adeo Mors per verbum translatum magis dicat, quam mortuum.* (*Mortuus est per verbum Dei, ut ait Scriptura, non secundum verbum: ut advertas, non nuncium mortis, sed gratiæ munus expressum, qui translatus magis, quam derelictus est*: & paullo post. *Quis enim in terrenis reliquias ejus poterit deprehendere, quem secum esse, Dei Filius in Euang. demonstravit?* Verba sunt *Ambrosii.* qui item: *Moyses quidem mortuus legitur, sed per verbum Dei mortuus, per quod facta sunt omnia: verbo autem Dei coeli firmati sunt. Per verbum igitur non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tanquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione: Sed tanquam verbi cœlestis operatione, donatus est munere, ut quietem magis caro ejus, quam bustum acciperet.*) Erroris occasio fuit, quia non recte intellexit phrasin: *per verbum DEI.* In Fontibus est על פי יהוה, *Secundum os Domini*, i. e. juxta sermonem illum vel Imperativum: *Ascende montem illum, & morere in monte*

monte illo; vel juxta verbum illud indignantis Domini ad aquas contentionis, & Moysi & Aaroni sententiam decernentis: *Quia non credidistis mihi &c. idcirco non introducetis congregationem in terram, quam ego do eis. Num. 20: 15.* Neque enim ex infirmitate & necessitate senectutis vel Aaron vel Moyses mortuus, (quibus juxta naturalem decursum vita longævior profluere poterat, nisi Deo placuisset abbreviare, & utrumque avocare) sed verbi sc., non præcise morbi vel marasmi necessitate naturali utrique tunc moriendum fuit. Ascendunt salvi & incolumes in montem, ibique Deo animam educente moriuntur. Hinc illæ Moysis lacrymæ, quibus non habuisset opus, si translationem expectasset, sed qui τόπον μετανοίας οὐχ᾽ εὗρε καίπερ, μετὰ δακρύων ἐκζητήσας αὐτὴν, *i. e. ut retractaretur sententia cœlestis, impetrare haud potuit, etsi cum lacrymis precaretur.* Accedit & quod Deus ipsi Moysi totiens peccatum istud commemoravit, quotiens illi peccatori audientiam denegavit. Conf. *Num.* 20: 14. *c.* 27: 14. *Deut.* 3: *vs.* 25. 26. 27. *cap.* 32: 49. 50.

§. XII. *Ambrosius* insuper excipit ad sepulcrum Moysis addidisse Scripturam: *Nemo scit ejus sepulturam usque in hodiernum diem, quod ad translationem magis, quam interitum intelligas: Mors enim secessio quædam est animæ & corporis.* Respondimus jam supra, & respondebimus infra, cur ignotum Deus voluerit sepulcrum Moysis, sc. *ne proclivi ad Idololatriam Israelitæ illud divinis honoribus honorarent.* Fallitur ergo *Ambrosius*, argumentum desumens à non causa, ut causa.

§. XIII. Ex *historia Apparitionis in Monte*, ubi Moyses cum Elia apparet, concludit hisce verbis *Ambrosius*: *Quis in terris reliquias poterit deprehendere, quem secum esse Dei Filius in Euangelio demonstravit?* Concedimus libenter & ambabus manibus, Moysen in monte *non personatum*, vel aliquod μεγαλοπρεπὲς corporis Moysis, repræsentationis causa in Oeconomia illa ab anima assumti, φαντάζόμενον, sed *verum* cum Elia *in vero proprioque corpore apparuisse.* Ex his autem inferri non posse, *translatum* ideo *fuisse Moysen sine decessione vitæ, & non mortuum*, dicimus. Quid? Moysis corpus translatum ad animam ex sepulcro in illud æterni Paradysi tabernaculum, vel *paulo post mortem*, vel *in ipso actu transfigurationis*, ut post audiemus in Capite *de Moyse, cum Elia in monte Thabor apparente. Potuit enim idem, qui sepeliverat, Dominus, ex illo admirabili sepulcro ad hoc majestatis Theatrum corpus Moysis evocare, vel jam antea quoque animam corpori reddere, & ita transferre*: prout elegantissime fatur Cl. *Varenius* in Præfat. Decad. Mosaic.

§. XIV. Cum *Ambrosio* & aliis *Patribus Scriptoribusque* convenire videntur ex *Rabbinis* aliqui. Unicum tantum addemus ex *Siphre*: משה לא מת אל אעמוד ומשמש ברקיע *Moyses non mortuus est, sed stat ministratque in firmamento*: Sed *Abarbenel* Hispanus super istum librum & verba scribit, hoc *tantum dicto voluisse significare, mortem ejus non fuisse privationem & defectum; at magnam perfectionem; siquidem dum esset in corpore, non potuit ministrare creatori in mundo animarum, h. e. ubi degunt beatæ animæ: verum separata anima à corpore ascendit ad ministrandum Excelso, ac propterea tunc vocatus est servus Domini ratione mercedis seculi venturi, quam acquisivit tanquam servus fidelis.* Plura ejusmodi Magistrorum Hebræorum, si libet, videantur apud *Simeon. de Muis* Tomo 2. Var. Sacr. p. 128.

§. XV. Quicunque ergo MORTUUS dicitur (1) secundum claram literam & phrasin, (2) quem Deus ipse affirmat moriturum, & postea mortuum (3) qui Deo jubente mortuus (4) cujus Mors describitur, ut ante constitutum alias Mortis terminum, intentata & accelerata, ubi (5) Mortis complementum, (6) cujus sepulcrum expresse denominatur, (7) cujus Corpus in sepulcro exanime &c. ille *vere & naturaliter* mortuus est &c. Sed de *Moyse* id affirmatur: *Ergo Moyses vere & naturaliter mortuus est.*

CAPUT IV.

MOYSES ut verè mortuus ita & verè sepultus, & quidem à Deo (ministerio scil. Angelorum). Adjicitur, quis descripserit adeo claris verbis Mortis & Sepulturæ hujus speciem.

§. I. R. *Salomon* (citante *Episcopo Burgensi ad Num.* 20.) refert, *Moysen & Aaronem adscendentes in montem vidisse ibi speluncam, à Deo paratam, & in ea rectum stratum, & ante lectum lampadem ardentem, revelatumque fuisse Moysi, ipsum Aaronem posuisse se in lecto illo, & extendisse manus & pedes, clausisseque os & oculos, Deo postmodum accipiente Spiritum in pace; propter quod Moyses hoc videns desideravit talem modum mortis, qui & fuerit ipsi concessus à Domino.* Atque hinc dici *Deut.* 32: 50. *Jungeris populis, sicut mortuus est Aaron frater tuus.*

§. II. Alii *Rabbini*, Moysen ultro & vivum speluncam ingressum, seque ipsum sepelivisse, *alii* Josuam officium vespillonis executum esse &c.

§. III. Ast Sententia hæc Rabbinorum est contra clarum Scripturæ testimonium, Cap. 34. Deut. vs. 6. ויקבר אתו & *sepelivit eum*, immediatè vero DEI præcessit mentio. Rabbi *Salomo*, quæ profert, ἄγραφα sunt, Rabbinicumque figmentum; Quod autem probet Sententiam suam ex *Deut.* 32. *Jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus*; nihil efficit: Non enim dicit Deus: *Tu sepelieris, sicut frater tuus*; sed *jungeris populis tuis, sicut mortuus est*, (non dicit, *sicut sepultus est*,) *frater tuus Aaron*; & *quemadmodum Aaron frater tuus mortuus est*, (verè sc.) *ita & tu morieris* (verè sc.)

§. IV. Ut Moyses *verè mortuus*, ita & verè sepultus fuit, & quidem, ipsa Scriptura affirmante, *à Deo*; ubi non improbabile nobis videtur, *ministerio Angelorum* id factum esse. Certum quoque est, Moysis corpus exanime à monte illo in vallem manibus Angelicis, ut ita cum Sacra Scr. loquamur, delatum, ibique ad Dei nutum aperienti terræ mandatum fuisse, & ibi reconditum. Quemadmodum enim Deus ministerio Angelorum legem dedisse dicitur; ita etiam ministerio angelorum &c. sepelivisse Moysis exuvias, profiteri haud inconcinnum aut minus aptum erit. Imo Sepulturæ interfuisse Archangelum Michaelem cui custodiam Sepulcri ex honore tanti incomparabilis in Israele Prophetæ voluisse Deum credere, Oecumenius censet, & pluribus docebitur subsequenti capite. De cætero omnes & singulos homines latere circumscriptum Moysis tumulum Deus voluit: Deut. 34: 6. Illa igitur, quæ ex 2. *Macch.* 2: 35. proferuntur, & autoritate *Dorothei* & *Epiphanii* confirmantur, ac si à *Jeremia* inventum fuerit hoc Sepulcrum, merito pro nugis venduntur.

§. V. *Quæri* posset: Quis *adeo perspicue Mosaicæ Mortis & Sepulturæ speciem delinaverit?* Interpretes nonnulli *Esdram* Sacerdotem, (qui Olympiade 80. h. e. circa A. Mundi 4740. floruit) de suo adjecisse, qui & Biblia Sacra à Chaldæis exusta divino sensu reparasse, & literas, quibus nunc Judæi utuntur, invenisse existimatur; unde & *velox scriba* appellatus sit. Videatur *Lyra* ad verba Deut. 34. Et non surrexit &c. Alii, ut *Lutherus* in Annot. ad cap. 34. *Deut.* Tom. III. Jenensi Latino fol. 159. b. *Josuam vel Eleazarum*: addit B. Luth. *nisi mortem suam velis dicere sicut præcognitam ab ipsoque hoc modo descriptam.* B. Gerhardus Disp. Isag. D. de Sc. S. c. 6. §. 5. & ex Pontificiis Corn. à Lapide, Bonfrerius, Alph. Tostatus &c. à Josua ultimum Caput Deuteronomii post mortem Moysis additum censent, idque colligi ex Josuæ 24: 26. Sententiam vero suam B. Luth. ex *Josepho* desumsit, qui Moysen ipsum descripsisse mortem & sepulturam propriam, autumat, *idque ideo, ne propter excellentes virtutes suas Judæi à Deo raptum esse prædicarent.* Cum Josepho facit quoque Philo & alii nonnulli. Observant hic quidam, paulatim inductum in mores fuisse in populo Israelitico, ut ex magno Sacerdotum & Levitarum numero certi designarentur, qui res maxime in Republica memorabiles in diaria sive annales referrent; Vide *Joseph.* l. 11. contra Dionem. ex quibus verisimile esse putant, etiam aliquos ex populo Israelitico Mortem & Sepulturam Moysis consignasse. Quo sensu intelligendi sunt ii, qui *Esai.* 36: 22. & alibi locorum dicuntur esse à *Commentariis*, sive, ut in Hebræo vocantur מזכיר, à verbo זכר, quod *recordari* vel *reminisci* significat, quasi dicas, *memoratores, commonefactores*, & apud alios memoriam rerum refricantes, arguti homines: qualis fuit Scriptor Sacrorum Proverbiorum. Confer *H. Marcellium* Soc. Jesu, in Academ. Bambergensi Prof. Comm. in Josuam pag. 11. Adjicere heic libet de Morte Moysis versus subsequentes, quos *Petrus Riga Rhemensis*, aut potius interpolator ejus *Ægidius Parisiensis Levita* Tomo I. Auroræ, hactenus nondum editus, fine Deuteronomii scripsit, à Cl. nostro Philologo *Christiano Daumio* communicatos:

Hæc ubi descripsit Moyses, in fata recessit,
Hunc Deus occuluit, & sepelivit eum.
Nec quenquam voluit illius nosse sepulchrum,
Ne Judæus eum crederet esse Deum.
Postquam in Judæis surrexit nemo Propheta,
Ore locutus ad os cui Deus esset ita.

Hoc propter Josuæ dictum est, cui cura regendi
Successit populi, nec fuit æquus ei.
Hic tamen in terram promissam duxit Hebræos,
Quod Moyses nequiit, morte ruendo prius.

CAPUT V.

Epistola Judæ est Deuterocanonica. Quomodo accipiendum sit vocabulum hoc? Probatur assertio nostra rationibus & argumentis refutantur impugnantes.

§. I. MErito accuratiores aliqui nostratium, negantes, ullos libros *Apocryphos*, proprie sic dictos, in novi Testamenti Codice Biblico dari, inter libros *Canonicos*, qui vel *Protocanonici*, vel *Deutero-Canonici*, distinxere, & docuerunt, *Proto-Canonicos* dici illos, de quorum Scriptore Apostolico nulla apud primitivæ Eccl. Doctores projecta in aleam dubitationis tessera fuit; *Deutero-Canonicos* autem, qui quidem ad morum & fidei dijudicationem, ceu Apostolici, recte adhibentur, quippe cum de divina eorum autoritate sive de auctore principali non dubitetur, de eorum tamen autoribus secundariis initio apud quosdam dubitatio fuit. Quod igitur *posteriori sensu* Canonicos concernit, omnes libros Novi Testamenti profitemur *Canonicos*; quod *priori*, eximimus quosdam, interque eos Epistolam *Judæ*.

§. II. *Instas*: In Ecclesia primitiva non dubitatum fuit de Autore hujus Epistolæ: Ponitur enim *in Catalogo*, in quo Apostolorum Petri, Jacobi & Johannis nomina recensentur. Citatur ut ep. *Judæ Apostoli à Dionysio* de divin. nom. cap. 4. à *Tertulliano*, libro de habitu muliebri c. 5. à *Cypriano* in l. ad Novatianum, ab *Origene* lib. 5. in cap. 5. ad Roman. ab *Epiphan.* hæresi 76. ab *Hieronymo* in cap. 1. ad Titum &c. Habetur porro ut Judæ à *Concilio Laodiceno*, *Carthaginensi III. Florentino*, in *Eugenii* Pontificis Epist. ad Armenos, *Tridentino*, Sess. 4. item ab *Innocentio I. Gelasio*, *Athanasio*, *Augustino*, *Ruffino*, *Isidoro*, *Damasceno*, &c. Vide apud *Bellarmin.* plures allegatos & *Patres & Concilia*. Controv. p. 69. 70. Quodque excurrit, docet inscriptio ipsa, *quis fuerit ille Judas*: cujus nomen præ se fert, nempe *Apostolus frater Jacobi*, sc. minoris, ceu patet exinde, quia cum hoc Matth. 10: 3. Luc. 6: 16. & Actor. 1: 13. conjungitur. *Alphæi & Mariæ fuit filius*, *Lebbæus* ac *Thaddæus* cognominibus appellatus. *Matth.* 10: 3.

§. III. Respondeo per instantiam: In Ecclesia primitiva & dubitatum ab aliquibus, & non dubitatum ab aliquibus de Autore. Utrumque reperimus. Constat enim ex *Eusebio* l. 3. H. E. c. 25. item l. 2. H. E. c. 23. *Hieronymo* in Cat. Vir. Ill. t. 1. p. 101. & ex aliis, quod *adulterina* habita fuerit; Quod etiam postmodum commovit *Lutherum* in Prologo hujus Epistolæ, *Brentium*, *Chemnitium* & *Centuriatores*, imo Cardinalem *Cajetanum*, virum Pontificium subtilioris acuminis, (quem Jesuita *Pererius* Comm. in cap. 1. Genes. *Virum de Mysteriis bene sentientem*, *& de Theologia optime meritum* commendat,) ut dubitarint *non de autoritate* ejus, (ut *Bellarminus* in Controv. pag. 69. ac si penitus Jacobi & Judæ epistolas contemnant, eos arguit.) sed *de autore*, & quidem *non primario*, Spiritu nimirum Sancto, *sed secundario*, an sit veri Apostoli Judæ. Quamvis enim *Concilia & Patres* non pauci illam habuerint pro vera Judæ epistola; *Amphilochius* tamen, qui tempore adhuc Hieronymi vixit, circa annum 380. *Basilio* M. & *Gregorio Nazianzeno* æqualis, (videatur Exc. Domini *D. Gerhardi*, Præsidis hujus Disputationis B. *Parentis* Patrologia p. 300.) meminit in *Jambis ad Seleucum*, ab aliis hanc epistolam recipi, ac aliis vero rejici. Porro quod Judas, frater Jacobi auctor (intellige *secundarius*) epistolæ hujus sit, claris testatur verbis Clem. Alexandrinus, scribens: *Judas qui Catholicam scripsit Epistolam, frater filiorum Joseph, extans valde religiosus, cum sciret propinquitatem Domini, non tamen dixit fratrem ejus esse; sed, quid dixit? Judas servus Christi.* Quibus verbis, quando Judam *fratrem filiorum Josephi* vocat, procul ambiguo ad illam veterum, puta Gregorii Nysseni Orat. 2. de Resurr. Theophylacti Euthymii atque Origenis in cap. 13. Matth. Epiphanii hæres. 51. Chrysostomi Orat. de Annunc. aliorumque respicit opinionem, qua tradiderunt, quod Josephus, maritus B. Virginis Mariæ, duas habuerit successive uxores, è quarum priori factus pater fuerit Judæ, Jacobi, Simonis atque Josephi; posterior vero Maria pepererit Christum, qui creditus fuerit filius Josephi, atque inde dictos illos Josephi filios in N. T. vid. Matth. 13: 55. Christi *fratres* vocari. Verum licet facile largiamur, prædictos illos Christi *fratres* in Sc. S. nominari: (quo & Interpres Arabs edit. Londin. forte respexit, quando talem epistolæ huic præfixit inscriptionem رسالة يهوذا السعيد اخي الرب الكاثوليكية i. e. *epistola beati Jehudæ fratris Domini Catholica.* Notat porro Corn. à Lapide, quod Arabica versio sic habeat initio epistolæ: *Judas filius Josephi fabri.* Verum nec Londinensis, nec Leidensis edit. ita habet: unde igitur Cornelius hæc desumserit, alii disquirant.) minus tamen firmiter inde colligitur, quod iidem illi & Josephi, B. Virginis Sponsi, fuerint filii. Pridem enim observatum ab interpp. Script. Sacræ, *fratris* nomen sæpiuscule latiori in significatu accipi, (vide sis Pl. Rev. Dn. Præsidis Analecta ad Matth. 13: 55.) ita ut Consobrini etiam *fratres* dicantur. Atque eo modo & Judas noster Christi frater dicitur, quia pater ejus Cleophas, Josephi, cui desponsata erat Maria Christi Mater, frater erat.

§. IV. Quicquid vero tandem sit, sufficit nobis, quod sit ejusmodi Epistola, quæ Autoritatem suam divinam non ex autore secundario, qui illam exaravit; nec ab Ecclesia, qui suo fidelitatis ac custodiæ testimonio eandem ad nos transmisit; sed à Deo ipso, Scripturæ Autore primo sive principali, (cujus inspiratione scripta est: unde tam excellentem quoque titulum tota Scriptura Sacra sortita est, quod omnium aliorum monumentorum collatione ipsa sola Sacra Θεόπνευστος appellatur, prout docet *D. Hafenreff.* LL. Theol. p. m. 117.) habeat. His igitur de causis non dicimus eam apocrypham, sed *secundi ordinis* canonicam, cum *Bellarmin.* Controv. 1. de verbo Dei l. 1. c. 4. vel *Deuterocanonicam.*

§. V. Nec Canonicæ ejus Autoritati detrahere quicquam poterunt argumenta, ab impugnantibus prolata. Urgent (1) quod autor non vocet se *Apostolum.* Resp. nec *Paulus* in Epistola ad *Philippenses*, in utraque ad *Thessalonicenses*, & ad *Philemonem*; nec *Jacobus*, nec *Johannes* in Epistolis & Apocalypsi, Apostoli se nomine insigniunt; quis vero propterea illas Epistolas rejiciendas vel apocryphas stricte & proprie sic dictas, dicendas esse affirmabit? Opponunt (2) *quod Judas haut obscure prodat, se post Apostolos vixisse, vs. 17. 18. citans quippe aperte quædam ex 2. Petri Epistola, hacque ratione quasi compendium breve Epistolæ Petrinæ suam faciens:* Ast sciendum (α) quod & *Marci Euangelium breve* sit, (verbis utor *Hieronymi* in Catal. Viror. Illustr. proxime subsequens Euangelium *Matthæi* tanquam illius compendium; nec tamen ob hoc è canone N. T. ab ullo eliminatur. (β) quod *Petrus* quoque in 2. sua mentionem faciat Epistolarum Pauli, qui tamen & simul vixerunt, & eodem die martyrio coronati dicuntur, nec propterea epistolæ Petrinæ canonicæ esse desinunt.

§. VI. Opponunt 3. quod *Judas vaticinii Henochi* mentionem faciat, & ex illo quædam proferat: quæ prophetia tamen Henochi nullibi alias in Scripturis Canonicis inveniatur, & proinde *nec credenda*, *quia non legitur*, juxta *Hieronymi* Regulam. Atque hoc potissimum fuisse argumentum, *cur veterum plerique*, *Hieronymus & Eusebius* testantur, *epistolam Judæ e canone rejecerint*, innuit Sixtus Senensis l. 1. Biblioth. S. p. 26. Idem etiam de Hieronymo lib. de Eccles. Scriptoribus testatur quoque Leonhardus Coquæus Aurelianensis Comm. ad lib. 15. Aug. de C. D. cap. 23. Respondemus vero *distinguendo* inter *Dogmatica* & *Historica.* Ab Autoritate enim negative ducta, infallibiliter vera est argumentatio, in *dogmaticis* scil. v. g. Scriptura non dicit, sanctos esse invocandos; ergo sancti non sunt invocandi. Sed *Historica* negative formata non concludunt necessario, v. g. in Bibliis non legitur, fuisse Pompejum & Crassum, Romulum & Remum. Ergo non fuerunt in rerum natura; non sequitur. Sic, etiamsi non reperiatur in sacro V. T. codice Prophetia Henochi, nec etiam in eodem alibi legatur, Satanam contendisse de corpore *Moysis* cum Archangelo Michaele; non tamen sequitur, Judam hoc affirmantem falsum dicere, cum id *habere potuerit vel ex traditione, vel ex revelatione etiam divina.*

§. VII. Paulus recitat nomina *Magorum Ægyptiacorum*, *Jannes & Jambres* (qui illi fuerint, exponit *Baal Aruch*, ex Talmude cod. מנחות fol. LXXXV. 1.) & allegat dicta Ethnicorum, *Arati*, *Menandri*, *Callimachi*, & *Epimenidis*, *Actor.* 17: 28. 1. Cor. 15: 33. ad *Tit.* 1: 12. In Epistola quoque ad *Hebræos* cap. 11: 21. legitur, quod Jacob adoraverit ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, sive ut *Lutherus* vertit, daß er sich geneiget gegen seines Scepters Spitzen / cum tamen de hoc in V. T. nihil legatur (annotante *Strumpfio* in Epist. Judæ pag. 90.) Quis vero ideo Paulinas hasce rejicere conaretur?

tur? *Ratio* igitur, qua utuntur adversantes, est *insufficiens*, imo nulla. Si enim Apostolo Paulo licuit in Canonicis scriptis allegare dicta Ethnicorum, cur non licuerit Apostolo Judæ inserere historias, per traditionem cognitas. Vide *Osiand.* Bibl. in margine ad hunc Judæ versum p. 92. b. *Andr. Kesleri* Disp. de Dictorum V. & N. Testamenti allegatione, in Sylloge Disp. *Cl. Hackspanii* p. 566.

§. VIII. *Ergone*, dices, *traditiones sine scripto pari pietatis affectu ac reverentia cum verbo scripto sunt suscipienda ac veneranda*, prout habet *Conc. Trid.* decretum Sess. IV. promulgatum. *Respondeo.* Si *Pontificii* exinde fundamentum Traditionum suarum desumere vellent, ficulneo sane & stramineo niterentur. Posito enim, extitisse in Ecclesia V. Testamenti tum *Vaticinium Enochi*, (sicuti non solum in manibus hominum fuisse, sed & pro canonico scripto habitum, contendunt *Tertullianus* l. de habitu muliebri, *Beda* in hanc Epistolam: Quin & novissime Jesuita clarissimus, Athanasius Kircherus Oedipi Ægypt. Tom. 2. class. 2. §. 3. pag. 68. *certum esse* scribit, *Henochum scripsisse libros, cum S. Judas in epistola sua Canonica & D. quoque Augustinus lib. 15. de C. D. id palam fateantur; ex quibus Origenes & Tertullianus integras sane paginas citent.* Ast, quod Enoch *libros* scripserit, non dicit Augustinus, (agit vero de ea re l. 15. de C. D. c. 23.) imo ne quidem quod quicquam *scripserit Henoch*, Judas fatetur. Hic illud saltem addimus, quod *Bellarminus* ipse lib. 1. cap. 18. de Verbo Dei pag. 20. non nisi pro *Apocrypho* habeat, quicquid hujus rei extat: quemadmodum & ex canone pridem librum illum exclusit Ecclesia, monentibus Augustino d. l. Hieronymo in cap. 1. epist. ad Titum. Consentiunt Sixtus Senensis l. c. Possevinus, alii. Vide & *Bangium* in cœlo Orientis multis de hoc Vaticinio differentem Exerc. 1. p. 21. & seqq. item Leonh. Coquæum, Comm. ad lib. 15. Aug. de C. D. cap. 23. pariter satis prolixe de libro Henoch agentem) tum librum illum itidem apocryphum, qui dicebatur פטירת משה, Ἀνάβασις vel Ἀνάληψις Μωϋσέως, in quo colloquia Moysis jam jam morituri cum Deo habita, ejusdem sepulchrum, angelorum manibus in occulto loco effossum, (quo de facto & Epiphanium de hæres. hæres. 9. vide.) item disceptatio Michaëlis & Diaboli de corpore Moysis percensentur.) ex quo etiam libro hæc S. Judam accepisse, censent *Origenes* l. 3. Periarchon c. 2. *Cl. Alxand.* l. 6. Stromat. ceu referunt *D. Joh. Gerhardus* B. memoriæ Exeg. Art. fidei loco 1. de Scriptura Sacra p. m. 299. item *Aretius* in Comm. super Epist. Judæ p. 439.) *Epiphanius* tamen in Panario, itemque *Athanasius* in Synopsi S. Script. hanc *Moysis Ascensionem*, una cum alia Scriptura, cui titulus est *Testamentum Moysis*, pariter inter Apocrypha rejiciunt, notante Sixto Senensi in Bibliothec. lib. 2, pag. 84. & ex eo Jesuita Possevino in Appar. Sacro, voce *Moyses*. (Minus vero recte Jesuita Corn. à Lapide dicto Sixto Senensi tribuit, *quod doceat, librum, qui Moysis Ascensio inscribitur, à Gelasio Pontifice inter Apocryphos relatum.* Nihil enim quicquam hujus rei Sixtus habet.) Atque hic est forte liber ille Ebraicus, quem *Gilbertus Gaulmin*, ut supra notatum c. 1. §. 1. cum notis ac versione Latina luci dedit. Quid? Si *Hæretici Sethiani* hæc scripta, *Testamentum* sc. *Henochi* & *Ascensionem Moysis* confinxissent, de quibus vide *Epiphan.* in 1. Panar. sumpsissentque ex Juda nostra *Pseudo-Henochum* & librum *Ascensionis*: in quantum nempe ad eorum rem facere sibi congruus visus fuerit. Valentinus Schindlerus Lex. Pentagl. pag. 1041. itidem scripti alicujus meminit, quod olim titulo פטירת משה i. e. *dimissio sive liberatio Moysis*, Græc. ἀνάληψις Μόσεως (lege Μωσέως) extiterit: *in quo*, pergit, *continentur quæ in Epistola Jacobi (lege Judæ) de Moysis corpore citantur.*)

§. IX. Posito, inquam, extitisse hos duos libros usque ad tempora *Judæ* à quo citantur, imo etiamnum quoque extare; autoritatem tamen obtinent saltem humanam; ac proinde ea ipsa etiam, quæ in ista Epistola tum de vaticinio Henochi, tum de contentione Satanæ cum Michaële super corpore Moysis continentur, non fuerunt Canonica, priusquam à Juda scriberentur: Valet enim heic quoque, quod *Hieronymus* in cap. 1. ad Titum, & *Augustin.* lib. XV. de C. D. cap. 23. & lib. XVIII. cap. 38. dicunt, *etiam in Apocryphis esse aliquid veri*; & hoc Judam inde protulisse dicimus, nec tamen propterea totum librum approbasse; (*Apostolus enim, divino spiritu præditus, potuit discernere inter eorundem Librorum vera & falsa*, ut bene monet *Estius*. *Dn. Ursinus* in Parallel. Evang. n. 52. gemella habet: *Sane, scribens, quæ de Moysis corpore Judas affert, ex Hebræorum traditione, aut libro antiquo Historico, non sacro accepisse, & quia vera sciebat, approbasse, verisimilius est.* Vide etiam *Scaligerum* in notis ad Euseb. pag. 244, 245. Ubi ex *Georgio Syncello* probat, Apostolos citare testimonia ex libris Apocryphis.) Sicut & *Paulus* ex Ethnicis Poetis *Arato*, *Menandro*, *Callimacho*, & *Epimenide* profert testimonia, quos tamen idcirco non consecravit. Ἀσυλλογίστως vero proceditur: *Apostolis aliquando licuit vel ex libris Apocryphis, vel ex traditione etiam orali quædam usurpare*, E. *& nobis licet.* Cum Apostoli Spiritu divino singulariter fuerint instructi, nos vero non æque. Imo Apostolum hæc ex revelatione omnino divina habuisse, multis non improbabile visum fuit. (Vide *Analecta* Ampliss. Dn. Præsidis in Epist. Judæ pag. 39. & *Rostium* in eandem Epistolam pag. 116. seqq.)

§. X. *Ultimo* objicitur, Judas non in Græcia, sed in Persia prædicavit: Igitur si quid scripsisset; non Græce, sed Persice scripsisset. Ast regero verba sæpius citati *Bellarmini*: *Judas, etsi in Persia prædicavit, tamen non ad Persas, sed ad Judæos per orbem terræ dispersos Epistolam suam scripsit, ad quos etiam Petrus & Jacobus scripserant*: Ineptum sane argumentum est: Judas in Perside prædicavit, E. in lingua quoque Persica scribere ipsi necessum fuit, perinde ac si dicerem: Paulus prædicavit Romæ; E. in lingua Romana sive Latina scribere ipsi necessum fuit. vel: Ego agens Cygneæ ad amicum Jenæ morantem scribo; Ergo necesse habeo lingua Germanica, & non alia, vel Latina vel Græca scribere.

§. XI. Vocamus igitur & profitemur publice, hanc Epistolam unam ex Canone esse sive canonicam, quia habet ea κριτήρια, quæ habere solent alii libri Canonici N. T. Scripta enim est (α) à tali *Autore, qui ex inspiratione divina scripsit*, sive jam ille sit *Judas* Apostolus, sive alius. Imo, quod Apostoli Judæ sit, satis testatur epistolæ inscriptio: disertis enim verbis auctor se vocat Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλον, ἀδελφὸν δὲ Ἰακώβου. Atque hic ipse fuit omnino Apostolus Judas. Antiquissimos vero optimæque notæ Codd. MSS. Græcos inscriptionem hanc habuisse, patet, quia non solum Codd. Græci hodienum extantes ita exhibent; verum etiam antiquissimus Interpres Syrus, tum quoque Arabs & Æthiops h. m. sistunt. Nec obstat; quod adducat historiam aliquam, quæ in nullo libro canonico V. T. legitur. Etenim ad hanc objectionem jam tum respondimus. Adjicio hic saltem verba *Glossæ ordinariæ*, cujus Autor *Strabo* censetur, pag. 238. *Hæc historia, etsi nunquam in V. Testamento legitur, propter auctoritatem tamen Apostoli, qui secretiora quædam noverat, quæ nobis occulta sunt, non debet à quopiam refelli.* Scripta est (β) *lingua Græca*, ut quæ cum tertia Monarchia propagata maximam orbis partem obtinebat, adeoque à DEO quasi ad hoc consecrabatur, ut hac præcipue lingua Novi fœderis tabulæ exararentur, ceu V. Test. lingua Ebræa. Etsi enim circa initium prædicationis Evangelii penes Romanos erat rerum summa, Græci tamen, præsertim orientales, quantum ad linguam, fasces submittere nolebant, quippe qui Linguam Latinam præ sua barbaram, minusque cultam putabant. *De Evangelio Matthæi* Hebraice scripto vide suo loco. (γ) Docet *de Deo Patre, de Jesu Christo*, vers. 1. & seqq. *deque Spiritu Sancto* vers. 20. Utut vero in recensione quarti (4) κριτηρίου, nim. *quod debeat habere testimonia Ecclesiæ primitivæ Christianæ*, quæ αὐτόγραφα vidit, legit & cognovit, occurrant Patrum dividiæ, quæ opponuntur; tanti tamen illæ non sunt, ut ab hac sententia in transversum nos abripiant. Sufficit nobis, quod plurimi à nostris stent partibus, & Apostolo Judæ epistolam hanc attribuant, ceu supra §. 3. ostendimus. Quia tamen nonnulli veterum de secundario epistolæ hujus auctore dubitarunt: proinde melioris indaginis gratia dicimus eam *Deuterocanonicam*, sive *secundi ordinis Epistolam*. quæ distinctio & aliis de Eruditiori choro Viris jamdudum arrisit.

CAPUT VI.

Adversarii inter se litigantes. Materia disceptationis. Reprehenditur Hugo Etherianus. Causa disceptationis: an fuerit Ægyptius à Moyse occisus? Excusatur Moyses, quod occiderit Ægyptium. Oecumenii sententia de hac re. Augustinus se ipsum correxit. Oecumenius mire fluctuat. Anima Moysis secundum Papistas portata est in lumbum Patrum. Nostra sententia de causis disceptationis, probatur autoritatibus & quinque rationibus. Forma disceptationis. Quomodo Angelo di-

dicantur loqui? Locus, ubi hæc diſceptatio inſtituta.

§. I. ADverſarii inter ſe *litigantes* ſunt iſti duo diverſarum qualitatum Spiritus ſive Angeli, *Michaël* ſcil. & *Diabolus*; Alter lucis, bonus; Alter tenebrarum, malus: Ille fortitudinem Dei exprimens; hic vero καὶ' ἐξοχὴν *diabolus.* (Æolice Zabulus; Æoles enim pro διὰ dicunt ζα) ſciens & prudens, (videatur de vocabulo illo *Plato* in Cratylo, *Servius* ad III. Æneid. *Lactantius* lib. II. cap. 4. *Chalcidius* in Timæum Platonis, &c.) nuncupatur. Ille locum ſibi inter principes Angelorum vendicans; hic vero Cacodæmon procul dubio ſummus Inferni, liceat ita loqui, Protector.

§. II. *Materia diſceptationis* fuit *Corpus Moyſis exanime.* Exanime, inquam, quia anima jam jam à Deo recepta erat in æternam gloriam & cœleſte gaudium; corpus vero aut jam deferebatur ad ſepulchrum, aut reconditum requie fruebatur in urna ſua, expectabatque tranſlationem ad animam. Quamvis vero adeo accurate tempus tranſlationis à nobis definiri non poſſit; Haud incongruum tamen erit dicere, aut non longe poſt diſſolutionem animæ & corporis, aut in ipſo actu transfigurationis Chriſti in monte Thabor, id factum eſſe. Quod nullus accipiat, ut telam, ſtamen & tramam ingenii noſtri; ſed ſciat, omnium ferme clariſſimorum Theologiæ Luminum piam ſobriamque meditationem hoc in paſſu nobiſcum facere. Autores novantiquos hanc in rem adductos vide à Pl. Rev. D. Præſide, Analect. in cap. 17: 3. Matth. pag. 748.

§. III. Miramur hic, quid in mentem venerit *Hugoni Etheriano*, ſomnianti, Materiam diſceptationis fuiſſe *animam*, non *corpus Moyſis.* Etenim in libro *de regreſſu animarum* c. 9. diſerte ſcribit, *Diabolum cupiviſſe impedire, ne Moyſis anima in locum quietis ac beatitudinis migraret*, per quem Corn. à Lapide intelligit *limbum Patrum*, figmentum iſtud à Scripturis S. alienum. Aſt hæc ſicuti verbis Apoſtoli Judæ prorſus contraria ſunt: ita merito à nobis rejiciuntur. Quemadmodum & *Rabbinorum* atque *Muhammedanorum* apinas ad Gemonias relegamus ſcalas, hæc inepta ſcribentium; *Angelum mortis Moyſi inferre mortem, ejuſque animam ex corpore voluiſſe extorquere, &c. ſed reſtitiſſe Michaëlem, acerrime pro Sancta anima pugnantem*, &c. Videatur Zwingerus Vol. II. l. 7. §. cadavera non inventa, item der Teutſche Alcoran Schweigers l. I. pag. 65, 66.

§. IV. *CAUSA ſive Finis diſceptationis.* Quod commune in ore omnium eſt dictum: *Quot capita, tot ſenſus*; idem & hoc in loco veriverbium evadit. Quidam enim ea, quæ de diſceptatione Michaëlis cum Diabolo de corpore Moyſis in Epiſtola Judæ dicuntur, allegorice intelligi debere urgent. Ita *Gloſſa ordinaria*, pag. 238. *Lyra* in h. l. *I. G. Groſſius* Theatr. Bibl. pag. 1982. *Junius in Parallel.* pag. 586. &c.

§. V. Alii *Michaëlem Archangelum Moſis corpus honorifica dignari voluiſſe ſepultura opinantur, ut eo magis ſc. lex ab eo lata commendaretur; Diabolum vero vehementer reſtitiſſe, eo quod Moyſes homicidium in Ægyptio*, Exod. 1: 12. *commiſiſſet*, καὶ διὰ τοῦτο μὴ συγχωρεῖσθαι αὐτοῦ τυχεῖν τῆς ἐντίμου ταφῆς; *ideoque non concedendum autumaſſe, ut honorificam ſepulturam impetraret, ceu loquitur Oecumenius* in hanc Epiſtolam. Videatur & Epiphanius Hæres. 9. & 64. Imo *Satanam voluiſſe Moyſen ut homicidam, omnino ſibi vendicare*, ſtatuunt *Glycas* parte 2. Annal. & *Pantaleon Cartophylax* Orat. 2. Mich.

§. VI. Sunt denique, qui *Diabolum rixatum eſſe de raptu corporis Moyſis in Paradiſum*, Emporeum illud gaudiorum æviternorum, ut ſociennos habeat Enochum & Eliam, Candidatos illos æternitatis æternantis, perſuaſum ſibi habent. Farraginem ejuſmodi opinionum vide apud *Cornel. à Lapide* in h. l. & in Deut. XXXIV. ad v. 5. ac, quem iſte citat, *Serrarium* in Epiſtolam Judæ, item *Ludov. Capellum* in Spicil. pag. 128, 129.

§. VII. Quod primam attinet ſententiam, obſervandum; parum referre, ſi quis etiam allegorice, myſtice vel typice velit interpretari corpus Moyſis, nuncii illius ſummi Jehovæ, (prout vocatur à *Chryſoſt.* hom. l. 2. ſuper Geneſ. *Baſil.* hom. 1. Hexaëm. *Ambroſio* l. 1. c. 2. Hexaëm.) modo ſenſum litteralem in allegoria non querat: allegoricæ enim non ingrediuntur viſcera genuini ſenſus: unde vulgo dicitur, quod *Theologia parabolica non ſit argumentativa.* Ita allegorice intellexit B. *Lutherus* in Annot. ad Deuter. 34. pag. 266. ſcribens: *Non inveniri autem ſepulchrum ab homine, recte ideo factum dicunt, ne Judæi idolum ex illo facerent; ſed magis ſignificat, veniente luce miniſterium Legis tolli, ſic, ut Judæi ipſum neque invenire, neque reparare unquam poſſint.*

§. VIII. Quod *ſecundam* concernit ſententiam, ſive illud, quod Moyſes Ægyptium interfecerit, ac quod propterea diabolus honorifica illum ſepultura privatum voluerit, notandum, quod factum illud Moyſis fuerit *Heroicum*, cujus rei nec Satanas inſcius fuit: proptereaque vix probabile eſt, Cacodæmonem cum Michaële in contentionem ea de cauſa veniſſe: Credibile enim eſt, Diabolum, non res per ſe notas in dubium vocare & litigium ſuperfluum inſtituere cum Michaële voluiſſe; ſed de ſeriis potius, quæque multum, tum reſpectu hujus, ad augendum beatorum numerum; tum reſpectu illius, ad augendam infernalem cohortem facere poſſunt.

§. IX. Quod autem de facto illo Moyſis diximus, illud quo melius intelligatur, notari velim, quod *Sanctorum facta*, quæ in Scripturis leguntur & probantur, duplicis generis ſint. Alia, ſunt *generalia*, congruentia ad præcepta Decalogi, & communem piorum ſortem; alia *perſonalia & heroica*, quæ certis ſaltem perſonis earumque conditioni competunt: cujusmodi facta fuerunt impetus hic *Moyſis* noſtri, occidentis Ægyptium; Zelus *Eliæ*, interficientis Prophetas *Baal*; *Samſonis*, ſemetipſum una cum *Philiſtinis* interimentis, *Jud.* 16. *Samuelis*, occidentis *Agabum* Regem Amalekitarum, 1 Sam. 15: 33. quæ ſane & ſimilia facta, ſine ſpeciali Dei mandato imitanda non ſunt, uti bene monent *D. Balduinus* in Analyſi Epiſt. ad Hebr. Diſp. XIII. in cap. 11. Theſi de bonis operibus, §. IV. ac *D. Franzius* Diſp. XIV. & ultima ex poſtremis 4. cap. Deut. §. 222, 223.

§. X. Inficias ſane ire non poſſumus, quod *Oecumenius* & alii nonnulli accuſent Moyſen nimii zeli & præcipitantiæ, quodque homicidium nullo commiſerit jure. In qua ſententia & *Auguſtin.* in libro contra Fauſtum fuit; inquiens: *Quo jure occidit Ægyptium? Nullo.* Sed poſtea, re melius perpenſa, *jure*, inquit, *divino, & poteſtate jam tum Moyſi collata à Deo. Imo, qui ſocium non defendit ab injuria cum poteſt, tam eſt in vitio, quam ille qui facit*: verba ſunt *Ambroſii.* Addendum quoque, non fuiſſe tum temporis judicem, qui potuiſſet injuriam avertere; & injuria erat præſens, nec moram temporis patiebatur. Hebræi, teſte *Cl. Alex.* I. Strom. hunc in modum Moyſen excuſant, notantes, quod occiderit Ægyptium, non gladio, ſed pronunciando in eum *nomen* τετραγράμματον *Jehova*, quodque poſtea ſepeliverit in ſabulo: Quomodo & *Petrum ſolo verbo occidiſſe Ananiam & Saphiram* Act. 5: verſ. 5, 10. legimus. Sed illud ſimilius commento, quam veritati: In textu enim Ebr. Exod. 2: 12. eſt ויך *& percuſſit*: utique vel baculo vel gladio, vel quocunque tandem telo. Videatur *G. Hornius* ad Sulp. Sever. pag. 113. & ſeqq. Arabs interpres vertit: وضرب *& percuſſit* ſive *verberavit*, additque inſuper فمات *& mortuus eſt*, quod in textu non habetur. Syrus reddidit ܘܩܛܠܗ *& interfecit eum.* Eutychius Alexandrinus Patriarcha in Annalibus pag. 98. eodem verbo, quo Syrus utitur: ita enim factum hoc Moyſis exprimit: فلكم موسى المصرب فقتلة i. e. *& percuſſit Moyſes Ægyptium, & interfecit eum.*

§. XI. Quod ſpectat autoritatem *Oecumenii*, ſciendum, Oecumenium ſequioris inter Patres ævi eſſe, poſt annum milleſimum à Chriſto nato Scriptorem, qui, ſicuti alibi, quando *Chryſoſtomum* non habet prævium, mire fluctuat; ita etiam in præſenti. Confer ſis *D. Hulſem.* de Miniſt. Ordinationis & Conſecrationis, pag. 16.

§. XII. Sententiam *tertiam*, quod attinet, tota papizat; (rejiciunt tamen & eam ipſi Pontificii nonnulli, ut ſequenti theſi oſtendemus.) Siquidem ea videtur excogitata fini, utinde probetur, diabolum voluiſſe, ut anima Moyſis in Purgatorium prius deferatur & abſtergatur per ignem illum mitiorem à maculis ſuis, diabolumque ideo cum Michaële (cui ſcilicet incumbebat onus ablegandi animas in Purgatorium ſive limbum Patrum: *Sanctus enim Michaël ſive per ſe, ſive per Angelos ſibi ſubditos in morte ſuſcipit animas juſtorum, eaſque defert in cœlum vel immediate, ſi nihil purgandum habeant; vel mediate per Purgatorium, ſi quid eo expiandum habeant*, verba ſunt *Corn. à Lapide* in h. l. Judæ, pag. 552. quo cum etiam faciunt ſocienni, Joannes Lorinus ac Serarius in dict. ep.) jurgio contendiſſe. Sed quod alibi reſpondetur Balneatoribus iſtis, vel animarum Frictoribus, & hoc loco reſponderi poteſt. Sed ablegamus Lectorem ad ea, quæ Theologi noſtrates de *Purgatorio & limbo Patrum* (in quem haut

haut Moysis minus, quam aliorum Patriarcharum animas Pontificii ablegant. Vid. *Corn. à Lap.*) passim habent. Videantur cumprimis *D. Meisnerus* in Opusc. Indulgentiis Romani Papæ oppos. Dn. D. *Gerhardus* in Confess. Cath. art. 3. cap. 2. §. 2. tum L. de Morte §. 181. seqq. D. *Dorscheus* Theol. Zach. pag. 95. seqq.

§. XIII. Nos sententiæ *Chrysostomi* hom. 5. in c. 1. Matth. p. 55. edit. Basileensis, *Ambrosii* II. offic. c. 7. *Theodoreti & Procopii* in Deuteron: *Autoris Mirabilium Scripturæ*, quem vulgo credunt *Augustinum* p. 731. aliorumque *Patrum* tum & Orthodoxorum Dd. communiter, quin ipsorum quoque eruditiorum & accuratiorum *Pontificiorum*, uti Serrarii, Corn. à Lapide, promto subscribimus calamo, promtaque manu, statuentium, *Diabolum, sui ipsiusmet cultus Patronum, aut non tulisse, juxta se reponi corpus tam sancti Viri; ne à Phogor & Moab, in quo diabolus colebatur, pelleretur vel obmutescere cogeretur; sed voluisse, ut inferretur in terram promissionis, ne ab eo damnum acciperet*; (ita Serrarius putat.) aut, quod probabilius videtur, *voluisse manifestari locum sepulcri Mosaici, quo Judæi religiose illius reliquias colerent*; atque ita idololatriæ rei fierent. Vide Corn. à *Lapide*, *Tirinum*, qui tamen, uti sceletolatriam suam pallient, monent, diabolum hoc intendisse, ut Moysen, loco Numinis, divinis honoribus colerent; vel *voluisse substituere aliud σκέλετον & sic Idololatriam plantare. Franzius* cit. Disp. §. 187. Addunt alii, voluisse diabolum, ut revelaretur Moysis sepulchrum, quo ipse suscitaretur à Magis, utque hac ratione Judæos induceret ad adorandum: ita *Ambrosiaster* in c. 3. ad Galat. Archangelum igitur ex mandato divino id prohibuisse, adeoque sepulchrum occultum manere voluisse.

§. XIV. Quæ sententia & divino Verbo, narrationique historicæ melius omnino respondere videtur, quam cæteræ, §. 5. & 6. commemoratæ. Siquidem *Populus Israël* (α) *habebat gentiles vicinos*, & antea in Ægypto, & jam in peregrinatione, (qui homines insignes & vita sanctos, parentes, Reges & principes sibi amicos post mortem, erectis in honorem eorum statuis, colebant ut Deos, à quibus, concurrente Diabolo, cultum legum verti desiderante, facile abduci potuissent, ut corpus Moysis religioso cultu adorarent, & per idololatriam à Deo prævaricarentur: Recens enim erat memoria, æque ac beneficiorum ejus, portentorum, plagarum, ac gubernationis, qua totam Hebræorum gentem numerosissimam per decem plagas toti Ægypto immissas, gloriose eduxerat per mare rubrum sicco pede, mersis Ægyptiis, in desertum, ibique legem à Deo acceptam eis dederat per annos 38. columnam ignis & nubis itineris ducem assignarat, &c.)

§. XV. Erat (β) *propensissimus ad irritandum & tentandum Deum*: siquidem faciebant sibi *aureum vitulum*, non quod hunc pro vero Deo haberent (quod quidem *Bellarminus*, sed sine probabili ratione Tom. I. controv. 7. de Eccl. Triumph. l. 2. c. 1. 4. p. 1998. & 2014. statuminare satagit.) neque enim tam stolidi erant; cum crassa illa, stupida ac rustica idololatria ne quidem in gentiles sapientiores cadat; sed ut aurum & massam illam ex auro fusam (*Exod.* 32.) *adorarent in signo, quod verum Deum existimabant.* (*Biblia Ernestina* ad verba ista: **Mache uns Götter / die für uns hergehen / das ist / mache uns eine Figur oder Bild / dabey wir uns der genädigen Gegenwart des wahren Gottes erinnern können / stelle einen sonderbahren äusserlichen Gottes dienst an / wie bey den Egyptiern im Brauch ist / welchen wir andächtiglich verrichten / und damit GOtt dem HErren uns gefällig machen mögen / daß er ferner für uns hergehe hier in der Wüsten / und uns ins verheißne Land Canaan bringe.** Interpretatio hæc est Aben Ezræ: גוים בצרת הונה כבור הוא h. e. *corpoream aliquam figuram, in qua Deus resideret*, allegante *Sim. de Muis* Var. Sacr. p. 44. 45.) ob quod tamen nihilominus Deus illos idololatriæ reos egit, uti loquitur *Osiander* Enchirid. Contr. cap. 20. qu. 3. p. 273. Quæ Iconolatræ adversarii nostri Pontificii ad hæc excipiunt, de iis in conflictu videbimus.

§. XVI. Non solum autem ad irritandum & tentandum Deum populus Israëliticus erat propensissimus, sed & (γ) *ad idolomaniam. Serpens* testatur id *æneus, quem Judæi tacti à serpentibus, jubente Moyse aspiciebant, & curabantur, cui post mortem Moysis*, 2. *Reg.* 18: 4. *sacrificando divinos honores deferebant: non quidem, quod ipsum serpentem esse Deum arbitrarentur*, (ut *Bellarminus* jam citatus putat,) *sed quia aspectu hujus serpentis Majores ipsorum à lethali serpentum ictu ac morsu sanati fuerant; ideo existimabant, Deum sua gratia & beneficiis huic imagini propius adesse, & plus gratiæ illic dare, quam in aliis locis, ac honorem sacrificii huic serpenti delatum, esse Deo gratum & acceptum, cum eo, tanquam organo ad beneficiorum suorum elargitionem usus fuerit. Ita quoque metuendum erat, ne reliquiis Moysis, utpote quo velut salutari organo in miraculorum operatione & variorum beneficiorum exhibitione Deus fuerat usus, Divinos honores deferrent, ac hunc cultum, sine verbo & mandato susceptum, Deo gratum esse suspicarentur.* verba sunt *D. Gerhardi* B. M. Tom. VIII. de Morte p. 170. Unde (quod addit *Autor Mirabil.* S. S. l. 2. p. 731.) *Moyses virgam, in qua signa fecerat, ut plurimi putant, ne adoraretur, secum abstulerat.*

§. XVII. Addimus (δ) quod *successu temporis exteris populis, imo plebeculæ Israëliticæ ansa data fuisset, ut illi confirmati in idololatria sua juxta Deos suos ipsum quoque Moysen stupida Idololatria collocassent, quem postea hi redivivum post mortem credituri fuissent.* quemadmodum *Epiphan.* Hæres. 55. narrat, *in Arabia Petrea* habitasse, qui *Moysen ob divina signa reputarint Deum, adorarintque ejus imaginem*: (vocitabatur enim ab eis كليم الله *Vir familiaris DEO.*) Apponimus, quæ *Cl. Hornius* ex Vossio annotat, in comment. ad Sulpit. Server. p. 113. *Hic est*, inquit, *gentilium Liber, uterque bimater & forma præcellens. Liber creditus in Arabia natus, quia Moyses inde in Ægyptum concessit. Nisa libero inclyta, quæ trajectis literis Sina. Exilium utrique & transitus maris tribuitur.* Confer. plura apud ipsum Vossium de Idol. lib. 1. C. XXX.

§. XVIII. Audierant (ε) illud Dei ad Moysen: *Constitui te Deum* (Rabb. מטטרון, de qua voce multa Rabbini garriunt, nomen primarii Angeli esse, R. Elias in Thisbi putat. Videatur *S. de Muis*, Tom. II. Var. Sar. p. 120.) *Pharaoni, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus*, *Exod.* 6: 1. Ad hæc peregrinantes per desertum, jamque transituri in terram promissionis egebant Duce Numine: Moyse ergo mortuo pronum fuisset eis, si corpus illius habuissent, eum ut itineris reliqui Ducem colere & invocare &c. Opponi quidem Sententiæ huic posse videtur 1. quod Judæi Patriarcharum sepulcra non coluerint, quorum tamen ossa secum per desertum deferebant. Ast respondetur, quod nullus ex Patriarchis tot miraculis fuerit illustris, uti fuit Moyses. 2. quod vix probabile sit, Judæos adeo fuisse stolidos, ut corpus Moysis mortuum adorarent: cum mortalitatis spectaculum omnem divinitatis opinionem facile illis exemerit. Resp. Concedendo, fuisse eos adeo stolidos. Omnis enim idololatria stolida est. Et si vitulo aureo, quem Aaron fabricatus fuerat, quemque Josephi hieroglyphicum fuisse Ruffinus lib. 2. Hist. c. 29. Suidas verbo Serapis, aliique veterum statuunt.) divinos honores exhibuerunt, quidni & corpori Moysis tales exhibere illi ipsi potuissent?

§. XIX. *Forma* tandem superest *disceptationis, verbalem* vero hanc fuisse, qua utitur *Apostolus* pro argumento ab exemplo sumto, docet ipsa Epistola, conclusione à majori ad minus ducta negative: Si Michaël, cui causa erat justissima, contendens cum Satana Adversario suo, licet impudenti & mala defendenti, κρίσιν βλασφημίας ἐπενεγκεῖν, judicium maledicti inferre non ausus fuit; multo minus subditi audeant maledicere magistratibus suis, in argumento longe minori, vel nullo etiam.

§. XX. Sed qua ratione peracta fuerit verbalis hæc disceptatio, admodum difficile est explicatu: quippe quod intellectus noster, dum in Spirituum Natura contemplanda occupatus est, virtutis suæ parvitatem adeo agnoscat. Locutio enim, quæ angelis tribuitur, plane spiritalis & subtilis cognitu: Non enim loquuntur per vocis efformationem, ad quam membra quædam corporea requiruntur, quibus destituti sunt, utpote substantiæ spirituales & ab omni materia liberæ. Torsit ergo hæc non parum Scholasticorum acumina, adeo ut acutissimus *Suarez* Disp. Metaph. 18. p. 419. eam satis explicari posse neget, & referat ad fidem Theologicam. *Augustinus* in Enchiridio c. 59. ἀναλόγως locutionem, prodit, esse in Angelis, quæ συνωνύμως in hominibus.

§. XXI. Sciendum autem, quod nemo negabit, in Angelis esse intellectum, eosque multa cognoscere, suosque conceptus aliis manifestare, uti homo per Locutionem, quid ipse animo conceperit, alteri declarare potest. *Locutio* enim, ait *Becanus*, Tom. I. Tract. 3. cap. 1. qu. 14. num. p. 106. Theolog. Scholast. *Est manifestatio conceptuum, quam una substantia intelligens alteri pro sua libertate facit; Et loqui nihil aliud est, quam alteri manifestare suum actum internum*, id est, *conceptum mentis & voluntatis: Et tunc dicitur Angelos*

gelos loqui, quando unus alteri conceptus suos manifestat. Conveniunt verba quoque *Mendozæ* Disp. Phys. 9. Sect. 6. art. 60. p. 345. *Locutio Angeli nihil est præter actum voluntatis, quo loquens vult, ut ille, cui loquitur, sua noscat secreta, quo actu posito, statim Deus præbet concursum generalem, per quem concurrit cum specie impressa, quam angelus, cui fit locutio, habet de secreto angeli loquentis: qui ordo necessarius est, & fundatur in ipsa natura liberæ creaturæ*; insimul & *Suarezii* superius citati, qui ita locutionem Angelicam describit, addam: *Locutio unius Angeli & excitatio alterius non fit per actionem transeuntem ex uno in alium, sed quasi per quandam sympathiam naturalem, ut si unus angelus velit, alium conceptus suos cognoscere, alter actutum specie utatur, quam habeat illius conceptus, ut quasi intendat colloquenti.* Conf. quoque *Clasenius* Theol. Nat. l. 2. de Intell. c. 25. *Racon.* Metaph. part. V. c. 3. sect. 4. qu. 4. Alii putant, illam locutionem *fieri per signa quædam spiritualia, quæ Angelus loquens imprimat intellectui Angeli audientis, & quæ mediate se repræsentent intellectui Angeli audientis, eique illius signis cogitationes communicentur, ita tamen, ut liberum sit & Angelo loquenti, cui & quando velit suos conceptus alteri manifestare, & audienti, an & quando velit conceptus intueri.* Intueri dico: *Intuitive enim Angelus conceptum istum manifestatum cognoscit, in quo manifestato conceptu falli non potest.*

§. XXII. Ex qua sententia sequi clarum est, verba illa Archangeli: ἐπιτιμήσαί σοι Κύριος. *Increpet te Dominus*, intuitive, sicut oculus fertur in objectum visibile, à Diabolo cognita fuisse; Quo ipso etiam ceu fulmine Satanas percussus in Tartara abjectis armis statim fugatus est, Michaël autem palmam accepit. Eodem ferme modo & à Jehova tum ubi *Josuæ resistebat*, fuit increpatus, *Zach.* 3: 2. (Ubi tamen ratio in his duobus exemplis diversa: Diabolus enim impediturus pacem Religionis, exaggerabat imprimis peccata Josuæ S. Pontificis, adeoque viventem & ante thronum Angeli Domini præsentem, præsens & à dextra stans, impudentissime calumniatus repræsentatur: in hoc vero non cum Moyse, nec de Moyse vivente & præsente disceptatio est Diabolo: sed cum ipso Michaële Archangelo de Moysis mortui corpore.) Similia ad Thronum altissimi apparentis Diaboli exempla sunt *Jobi* 1: 7. *C.* 2. 1. 23. *Dan.* 10: 2. 13. 14. 19. 20. 21. ut adeo vere ille Apocal. 12: 10. à beatis in Cœlo triumphantibus dicatur ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν αὐτῶν, ὁ κατηγορῶν αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ἡμῶν ἡμέρας καὶ νυκτός. Sicut & de eodem Apostolus Petrus scribit: περιπατεῖ ζητῶν τινα καταπίῃ, I. Epist. 5: 8.

§. XXIII. *Quæstio* institui quoque posset, *ubi facta hæc contentio fuerit?* καὶ ἀναλογίαν humana ratio imaginatur; fuisse vel prope sepulchrum, nobis occultum, in valle terræ Moab prope Phogor, vel coram throno ipso Divinæ Majestatis, ubi Diabolus nos accusat, *Apoc.* 12: 10. At, quemadmodum (uti in anteced. ostensum fuit) in rebus à sensu remotis balbutit lingua nostra, ita etiam in hoc loco. Fuisse hanc altercationem habitam in suo *UBI*, certum est; Quamvis non in *ubi corporibus proprio*: Angeli enim quia sunt sine materia, scil. corporea, non erunt in aliquo loco, sicut corpora, quorum extrema complent vacuum corporis continentis. Neque enim corpus, in quo Angelus habet suum UBI (h. e. in quo est) est ejus locus: Ratio, quia non dilatatur, neque densatur ad illius ingressionem, neque propterea objectum ejus est Angelus, neque ullo miscentur modo, in circumfusis partibus, neque hæ illius subjectum, neque unum cum ipso: Ergo nec *per operationem* Angelus dicetur ibi, neque *per circumscriptionem*, sed *per definitionem*: puta *essentiæ*: in hunc modum: Ibi est, ergo hic non est; ubi autem est, ibi præsens quoque est suo spatio, citra extensionem localem sui, sic, ut totus sit in toto spatio, & totus in parte. *Quemadmodum* v. g. *anima est in toto spatio corporis animati, & tota etiam est in parte illius*, h. e. in spatio pedis, manus, cordis &c. Tres enim sunt modi existendi in Ubi (1) *Repletivus*, quem dico per operationem, & competit soli Deo. (2) *Circumscriptivus vel localis*, qui competit corporibus naturalibus; & (3) *Definitivus*, *qui convenit Angelis* & animabus rationalibus: Quin etiam corporibus glorificatis. Qui enim Angelus *ibi est*, *hic non est*, quatenus ibi est. Similiter cum animabus rationalibus ac corporibus glorificatis se res habet.

§. XXIV. Cum igitur hæc ita sint comparata, Michaëlem ac Diabolum inter se fuisse altercatos, atque sic locutos in *ubi*, spiritibus convenienti, certum est: licet *modum & formam*, illudque Ubi nostra mens tam accurate concipere nequeat. *In rebus enim à sensu* (ut paragrapho præcedenti ex *Scaligero*, Exerc. 359. sect. 5. monuimus,) *remotis balbutit lingua*; Et verba sunt tantum σύμβολα τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων, ut Aristoteles fatur; hinc fit, ut, *quo obscurior est intellectio, difficilior sit elocutio.*

CAPUT VII.

Sanctorum reliquiæ adoratione non sunt honorandæ, Quippe cum id fiat contra sanctissimi Dei voluntatem. Adversarii ex hoc, quamvis sibi contrario loco, thesin suam defendere non desinunt. Refutantur. Δουλεία *&* Λατρεία *sæpe adhibentur ut Synonyma. Sanctorum reliquiæ maxima ex parte sunt supposititiæ. De ossibus Josephi ad votum proprium tralatis, quid judicandum? Probatur duobus exemplis, Sanctos ipsos exuviis suis religiosum honorem exhiberi, detractasse.*

§. I. QUo ergo Deus honore Moysis, utpote sancti sui corpus & reliquias honoravit, eodem honore ab aliis sanctorum reliquias vult honorari. Sed Deus corpus Moysis & reliquias ejus sepeliendo & terræ mandando honoravit. Ergo eodem à nobis honore corpora & reliquias sanctorum vult honorari. B. D. Gerhardus in Bellarmino Orthodoxias teste art. IX. §. 87. ex hoc exemplo & hypothesi Pontificiorum, Bellarmini cumprimis, (qua statuunt, *quod valde credibile sit, corpus Moysis licet mortuum, conservasse adhuc splendorem vultus & decorem, quem ante habebat*,) ita colligit: Si Deus occultum esse voluit Moysis corpus, quod tamen miraculosa Dei operatione splendorem & decorem vultus etiam post mortem retinebat, consequens est, religiosum cultum corporibus & ossibus sanctorum delatum, non esse Deo gratum. Atqui: E. consequentia probatur, quia si ullius sanctorum reliquiis cultus religiosus exhibendus, cumprimis Moysis corpori talis videtur exhiberi debere, quippe quod miraculosa Dei operatione pristinum splendorem retinuit, adeoque si ullius sancti corpus, tali cultu dignum est, cum reliquorum sanctorum corpora tali splendore careant. Quid hic excipere quis possit cum Erbermanno, in conflictu videbimus.

§. II. Utut vero Pontificii prope omnes (vid. Corn. à Lapide, Bonfrerius, Marius &c.) causam hanc occultati sepulcri Moysis adsignent, ne videl. Judæi virum illum tam admirabilem pro Deo haberent (i. e. uti orthodoxi loquuntur, reliquiis Moysis religiosum cultum exhiberent) non desinunt tamen heic illi ipsi ἐθελοθρησκείας Patroni argumentorum ludicris meridiano Phœbo lucidiora verba hæc involvere, *Deum*, dicentes, *ipsum corpus Moysis, & propriis quidem manibus, quod nonnulli cum Bellarmino addunt, sepeliendo honorasse. Ergo sibi quoque convenire, corpora Sanctorum* δουλείᾳ *honorare, & ossa eorum transferre, sicut Moyses populum ex Ægypto traducens in Palæstinam Josephi ossa secum asportavit, inque terram promissionis transtulit.*

§. III. Sed quam facile hæc dicuntur, tam facile ad ea responderi potest. Etenim (1.) Qualis est hæc consequentia: *Deus ipse corpus Moysis honoravit*, scil. *sepeliendo illud* (*per ministerium nempe Angelorum*, ceu Jesuitæ Corn. à Lapide, Jacobus Bonfrerius, Jacobus Tirinus, aliique Pontificii Com. in Deut. c. 34. communiter, vid. Leonh. Marium &c. explicant. Vanus igitur ipsorum paullo prudentiorum Papistarum judicio Jesuita Erbermannus est, quando in vind. Bellarm. t. 2. lib. 6. c. 4. §. 2. cultum reliquiarum probaturus scribit, *quod Deus corpus Moysis propriis manibus sepeliverit, Deut. ult.*) *Ergo à nobis honoranda sunt corpora sanctorum transferendo.* cum ita sit concludendum: Ergo corpora sanctorum à nobis sunt etiam honoranda, ea scil. sepeliendo, non transferendo, nec ut divina aliqua Numina invocando. Committitur ergo *Fallacia causæ non causæ*, proceditùrque *inepte & absurde*, ut prope talpa cœcior videre absurditatem possit.

§. IV. (2) Δουλείαν in Script. S. esse etiam λατρείαν, adeoque vocabula hæc ceu Synonyma adhiberi, pridem à nostratibus (videatur *Meisnerus* Phil. Sobri. part. II. pag. 132. seqq. *Alb. Grauerus* Aug. Conf. Art. XXI. p. 483. aliique passim) ostensum est. Notissimum quoque omnibus, quam religioso cultu sacrificuli isti reliquias venerentur, osculentur, populo adorandas monstrent, serico, variis, tam aureis, quam argen-

argenteis textilibus, contexto involventes reservent, circumgestent, &c. adeoque divinos honores iis exhibeant. (quicquid etiam hic dicant Jesuitæ, clamantes cum Bellarmino *L. de Reliq. c.* 4. §. dices, *Nunquam esse auditum apud Christianos, ut aliqui Sanctorum reliquiis divinos honores detulerint.*) Accedit, quod *istæ reliquiæ maxima parte aut incertæ fidei, aut palam suppostitiæ, quod dissimulandum defensoribus illarum non esset, si pietatem suam probare curarent.* Legantur, quæ *Casaubonus* de terra sancta Hierosolymis allata, contra vexationes spirituum malignorum & contra morbos valente, disputans adversus *Baronium* Annal. Eccl. Exercit. XVI. Num. CLX. in hanc rem scite monet.

§. V. *De ossibus* Josephi ad petitum ejus ultimum tralatis, pia ratio aliter, quam *Bellarminus* citato supra loco p. 200. ejusque adseclæ Erbermannus, Costerus, Becanus, alii, sentit & judicat: Factum enim id est *primario* à Josepho, ex desiderio Messiæ, millies & millies ab eo desiderati, nascituri & morituri in Canaan; *secundario*, quo Israëlitæ, qui variis in Palæstina subjiciendi erant calamitatibus, externum quoddam liberationis signum haberent, de complemento promissionis, nim. reductionis in terram Canaan, quod & significant verba ad *Hebr.* 11:21. Quo fine & nobis, calamitatibus oppressis, licet aspicere reliquias (veras & non suppositias) Sanctorum, ut recordemur liberationis illorum ex periculis felicissimæ, solatiumque accipiamus, nos tandem eadem ex anxietatum tormentis liberatione fruituros &c. Tacemus alios *fines subordinatos*, quos habuit *Josephus*: inter eos vero minime ille fuit ut reliquiæ ejus cultu religioso vel allicerentur, vel adorarentur.

§. VI. *Petrus Kirstenius* in l. de Vita Evang. ex antiquissimo Manuscripto Arabico p. 52. refert, *D. Johannem Evangelistam in Epheso mortuum & sepultum fuisse, præsente Discipulo suo Phugsire, cui Johannes præceperit, ut non doceret aliquem locum sepulchri sui,* (quod ipse quoque fecerit, *etiamsi probe sciverit sepulchrum,*) *ne videlicet impia superstitio cultus huic loco divinos forte exhiberet; quod tamen Mohamedani, in finibus Lydiæ, ubi falso credunt hunc Evangelistam sepultum esse, hodie adhuc strenue facere scribuntur.* Ut ita Johannes, si vera sunt, quæ ex MS. illo Arabico de eo relata, easdem habuerit occultandi sepulcri sui causas, quas Deus habuit, cur Moysis sepulchrum latere voluerit. Et hac in parte S. Johannes *Moysi* non male comparatur: Eum enim in valle terræ Moab contra Phogor sepultum scimus; sed tamen non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. Fundatam autem esse hanc de morte Evangelistæ sententiam, haud improbabile videtur, Joh. 21:23. Atque sic justam etiam causam *Antonius Eremita* habuit, cur sepulcrum suum voluerit ignorari. Doluit nempe viro bono illa λειψανομανία, quæ jam tum privato, sed stulto nonnullorum zelo succrescere cœperat, velut herba in riguo. *Nullus*, inquit, *ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus servetur honore, aut vituperati à me, ut nostis, ritus, etiam circa me serventur obsequia*: hujus enim rei gratia maxime huc sum regressus, ut nemo præter vos locum tumuli mei noverit. Refert ex Athanasio ipse *Corn. à Lapide* ad Deut. 34:6. Et idem tamen paulo ante dixerat, *non esse apud Christianos periculum Idololatriæ, cum venerarentur reliquias Sanctorum.*

CAPUT VIII.

Sententia quorundam Pontificiorum de modo apparitionis Mosaicæ in monte Thabor recitatur, Nostra autem, quod Moyses & Elias uterque verus apparuerit, stabilitur quatuor Rationibus adductis. Quomodo Christus dicatur Primitiæ, qui obdormierunt, & primogenitus ex mortuis.

§. I. Scribit Jesuita Joh. Maldonatus Comment. in Cap. XVII. Matthæi; *omnes, quos ipse legerit autores, excepto saltem Strabone in C.* 9. *Lucæ ac Thoma de Aquin. in c.* 17. *Matth. sentire, Moysen vere* h. e. in proprio suo corpore, *apparuisse.* Ast non solum *Thomas de Aquino ac Strabo* in Cap. IX. Lucæ, sed & *Hugo Carrensis ac Lyra, quin Alphonsus quoque Tostatus* in c. XVII. Matth. & ex Jesuitis Alf. Salmeron, Ludovicus *Alcasar* in Apoc. p. 537. aliique, Tertullianum sequuti, negant; *Moysen in vero suo corpore apparuisse*, Alii tamen, & inter hos cumprimis *Cor. à Lapide, Toletus*, Adamus Contzen, Maldonatus ipse; ex Orthodoxis vero ad unum fere omnes rectius statuunt, omnino *adfuisse Moysen vero* suo corpore. Nihilominus in eo fallunt ac falluntur nonnulli Papicolæ, dum somniant, quod *anima Moysis è limbo per Angelum deducta ad ejus sepulchrum fuerit, quam ibi collectis ab Angelo Moysis cineribus, Deus illis inseruerit, vel infuderit, quodque adeo post transfigurationem rursus Moyses mortuus fuerit; cum Christus sit primitiæ resurgentium*, 1 *Cor.* 15:20.

§. II. Cæterum Moysen *vero ac proprio suo corpore apparuisse, seqq. probatum damus rationibus.* (I) *Verus Elias in vero proprioque suo corpore adfuit*; quis igitur dubitet, & *Moysen adfuisse in proprio corpore? si vero Moyses*, certe & *corpus Moysis*: neque enim *anima Moysis MOYSES* est. In *Matthæo & Luca conjunguntur* μωϋσῆς καὶ ἠλίας. *Marcus* habet ἠλίας σὺν Μωϋσεῖ. Sicuti igitur *Elias non repræsentatus*, sed ipsa *hypostasis Eliæ* adfuit: ita & *Moyses non personatus*, sed *verus*, qui non est sine corpore, adfuit. Idem hoc diserte quoque statuit *Autor de Mirabilibus Scripturæ*, qui *Augustinus* creditur, l. 3. c. 10. provocatque ad unanimem veterum Autorum sententiam. Clare autem hoc innuit Evang. Matthæus, scribens: Ὤφθησαν αὐτοῖς Μωϋσῆς καὶ Ἠλίας, *conspecti sunt Moyses & Elias*, *Lucas* addit; Ἄνδρες δύο οἵτινες ἦσαν Μωϋσῆς καὶ Ἠλίας, *duo viri, qui erant Moyses & Elias.* Non dicit: *Qui videbantur esse Moyses & Elias*, sed ἦσαν, ἦσαν. NB. *erant, erant*, Moyses & Elias.

§. III. Describuntur (II) Duumviri illi nobilissimi *ut manifestati in gloria*, quæ gloria æque in Moyse & Elia *verum corpus* quoque affecit, nec aliquod *corpus alienum* vel *phantasticum* illustravit. *Recte omnino Jesuita accutissimus Johannes Maldonatus in c. XVII. Matth. Rationi consentaneum erat, ut, quemadmodum Christus non falsam & adumbratam, sed veram & expressam gloriam ostendebat; sic non falsis & imaginariis, sed veris confirmaretur testibus.* Et ne quis putet, in *somno* hanc transfigurationem discipulis factam fuisse, adjicit *Lucas*, διαγρηγορήσαντες εἶδον τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ τοὺς δύο ἄνδρας τοὺς συνεστῶτας αὐτῷ, *experrecti* (sc. somno: *Somnum heic vocavit magnam resolutionem virium, quæ ab illa visione facta fuit: Nam veluti oculi ex nimio fulgore obtenebrantur; sic tunc illis, non in nocte, sed in media die accidit, & splendoris excellentia imbecillitatem oculorum gravabat. Chrysostomus in cap. XVII. Matth.* p. 478. *Et quomodo in tanta gloria dormire potuissent?* addit *Maldonatus* ipse in dictum locum) *viderunt Majestatem ejus, & duos viros, qui stabant cum illo, qui cum Jesu vestimenta habebant albicantia supra nivem, omnemque fullonis artem.* Eos vero Apostoli cognoverunt, non *ut antea visos* nec *cognitos* ex descriptis in antiquis libris eorum formis, neque per *traditionem* edocti, qua fuissent forma, neque ex *colloquiis*; sed, quemadmodum *Adamus* ex luce divinæ imaginis *Evam*, nunquam prius visam, agnoscebat, ac beati quoque in vita æterna se invicem agnituri sunt; ita probabile est, Apostolis στέγνωσιν aliquam futuræ beatitudinis fuisse datam, adeoque singulari quadam luce divinitus fuisse eos irradiatos, ut non solum ex sermone, verum ex facie etiam ac lineamentis vultus *Moysen & Eliam*, nunquam visos agnoverunt. Vide Gerhardum L. de Vita Æt. §. 147. Accedit porro ad nostram Sententiam, quod *Petrus* ipse, *utrumque verum Moysen & Eliam habuerit.* Sollicitus enim de Moyse quoque est in consilio illo suo architectonico *de tribus tabernaculis* erigendis, ne scil. is suo careret tabernaculo.

§. IV. Christus volebat (III) *per hanc apparitionem probare*, (a) *quod & legis & Prophetarum sit Dominus, imo viventium & mortuorum*, de quo argumento ipsi quoque (Moyses sc. & Elias) *locuti fuerant*, secundum *Hilarium* Can. 17. in Matth. (b) *quod falsa sit eorum opinio, qui ipsum Eliam, vel unum ex Prophetis dicebant, juxta Theophyl. in h. l.* (c) *Quod nemo dubitare debeat, sed quisque certo credere, humanis corporibus decretam esse resurrectionis gloriam*, secundum *August.* de quinque Hæref. c. VII. p. 50. Ergo non conveniebat, ut mendacio aliquo (quale *Moyses* ille *personatus* & *repræsentatus* fuisset) veritas comprobaretur.

§. V. Audiunt (IV) *eos* μετ' αὐτοῦ vel τῷ Ἰησοῦ συλλαλοῦντας, *cum Jesu*, vel τῷ *Jesu colloquentes*; Et quidem argumentum ipsum colloquii, annotante *Luca* Cap. IX. 31. erat *Exodus Christi Hierosolymitana*, quem Sermonem postea redivivus Jesus, à morte exorsus, explicabat discipulis, *mentemque eorum aperiebat, ut sc. intelligerent Scripturas illas, seu firmiorem illum sermonem Propheticum, Luc.* 24:25. Imo, quod accedit, Patris illius æterni vocem ex admiranda nube, ad comprobandam æternam illam veritatem, audierant. &c.

Quo-

Quomodo ergo conveniet, *Moysen* collocutorem statuere *in statu animæ separatæ & spectro Corporis?* Memorantur (a) *visi*, (b) *in gloria manifestati*, (c) *testes veritatis.* Veritas autem non probatur per falsum, sed per æque verum. (d) *colloquentes.* Et quamvis ultimate medium arripere contendant Adversarii nostri viribus omnibus, risu tamen potius, quam refutatione digni videntur. Maxime quando somniant, quod Moyses *remigrarit in limbum.* Quorsum enim quæso à Jesu discedentes *ingressi sunt?* Num in limbum aut sepulchri locum. Imo εἰς τὴν νεφέλην, *lucidissimam nubem*, in illam nubem, ex qua æterni audiebatur Vox Patris: *Hic est Filius* &c. nim. Civitatem jaspide & adamante lucidiorem.

§. VI. Atque ex his, modo allatis ad adversantium quoque argumenta responderi posse existimamus. Unicum saltem restat, ut Apostolica 1. *Corinth.* 15:20.23. explicentur verba. Sic enim ogganniunt *Pontificii* & alii nonnulli: *Christus fuit Primitiæ illorum, qui obdormierunt, vel primogenitus ex mortuis: falsum igitur est*, Moysen à Deo tum resuscitatum resurrexisse; nulloque adeo modo approbari potest, Moysen ante Christum (primitias, qui obdormierunt, ac primogenitum ex mortuis.) fuisse resuscitatum.

§. VII. Sciendum vero hic ante omnia, in vocabulo ἀπαρχαὶ, *Primitiæ* Symbolum aliquod contineri, & non ἰδίως, ἀλλὰ μεταφορικῶς intelligendum esse, quæ Metaphora deducta *à constitutione Levitica, Lev.* 18:10. Primitiæ erant apud Judæos primi fructus, iique (uti nonnulli volunt,) vel *maturescentes* vel *maturi.* Quamprimum enim in aliqua parte agri seges *maturescens* videbatur, cogebantur divino mandato inde aliquot manipulos demetere, & certo ritu ad tabernaculum sacerdotibus (*die 2. Festi Paschatos*,) offerre, tanquam Primitias futuræ messis. Fructibus autem plene *maturis* demessis, messeque jam consummata offerebantur (sequenti Festo Pentecostali) primitiæ messis jam præteritæ & fructuum elaboratorum. Ante oblationem autem universo populo interdictum erat, de elaborato vel vannato frumento quicquam sumere.

§. VIII. *Primitiæ* autem illæ à reliquis frugibus nec *semente*, nec *ex ortu*, & sic non *primitate temporis*, discernebantur; siquidem à tota copia coacervata sumebantur indiscriminatim. Discernebantur tamen *speciali* à residuo frugum maturescentium & maturorum (1) *segregatione*, (2) *solemni oblatione*, (3) *sanctificatione* (de 60. modiis unus ad minimum modius, & adeo de 6000. modiis 100. segregabantur, & in conspectu divini Numinis ritu solemni & Eucharistia coloni offerebantur.) Et tunc erant *Primitiæ*, quæ ante segregationem tales non erant, & vocabantur jam demum Primitiæ; antea vero non. Una autem atque altera, sive *bacca*, sive *spica*, vel *arista* ante delibatas *Primitias* decerpta non perimebat eminentiam *primitiarum*, sed eruta ista spica vel arista indicabat *primitias* certo futuras.

§. IX. Applicatio erit talis: Christus ἀπαρχαὶ, *Primitiæ qui obdormierunt*, die 2. *Festi Paschatos* offerebatur, futuram messem subindicans, ex templo subsecuturam. Cum ergo illa ipsa *messis* subsequutura apparebit, offerentur quoque *Primitiæ*, scil. quorum Christus est ἀπαρχαὶ, sive *qui Christi sunt*, (fideles) Deo suo cœlesti Patri. Confer *Glass.* Rhet. Sacræ. p. m. 429. Quemadmodum autem illæ primitiæ à reliquis frugibus *non primitate temporis*, vel *semente*, vel *ex ortu*, discernebantur, sed *speciali* à residuo frugum *segregatione*, *obligatione*, & *sanctificatione*; Ita quoque Christus fuit *segregatus* ab omni æternitate, à cumulo cæterorum dormientium in pulvere, velut eorum in sepulchri Crypta futurus ἁγιασμὸς & *oblatio.* Quamvis igitur non negemus primariatum Christi inter eos, qui obdormierunt, præque aliis dormientibus in pulvere terræ, ejusdemque primatum in resurrectione: attamen sub *primitiarum* typo & titulo ἀπαρχῆς primitatem temporis, & primariatum illum, quoad occasum & ortum, & quatenus fuit *granum* illud frumenti, quod *in terram cecidit*, virtuteque propria *renatum resurrexit*, *Joh.* 12:24. repræsentari haut putamus: adeoque *sub formali primitiarum*, non tam causam rei, quam *conclusionis* ad resurrectionem illorum, quorum est ἀπαρχὴ Christus, contineri censemus. Non enim dicitur ἀπαρχαὶ ζωοποιηθέντων, *primitiæ vivificatorum*; per hoc enim *Moyses* non diceretur *vivificatus* & *resuscitatus*; nec dicitur *primitiæ obdormientium* (alias ante Adamum mortuus esset) sed *primitiæ* τῶν κεκοιμημένων, sive *illorum, qui jam obdormierunt.* Fuit *Primitiæ* resuscitatorum illorum, & postea ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ resurrecturorum, non saltem (1) illa ipsa segregatione, (2) illa ipsa oblatione, sed & (3) ac præcipue quatenus per proprium sanguinem sanctificatis cæteris hæreditatem æternam procuravit, procuratamque servat, usque ad salvationis diem universalem. Videatur sæpius citatus *B. Gerhardus*, salutare illud eruditionis Theologicæ ταμιεῖον, Tom. II. pag. 763. Illud unicum saltem hic addimus, quod haud satis emphasin verborum Pauli adsecutus fuerit H. Grotius, quando in Annot. in 1. Ep. Cor. 15:20. τὸ ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ita explicat: *Dicitur Christus* ἀπαρχὴ τῶν κεκ. *non ob mortem, sed ob vitam immortalem, quam omnium hominum primus post mortem est consequutus.* Gemella habet in Annot. ad Coloss. 1:18. Monet quidem idem hic Grotius in Annot. ad Matth. 17:3. ubi de apparitione Moysis agitur, *quod gloria illa immortalitatis, in qua haut Moysis minus, quam Eliæ corpus apparuit, pro mutuo quasi illis tum data fuerit, proprium solidumque jus postea adepturis, idque facile ex epistola ad Ebr. c. XI. colligi* putat, *si ea, quæ in fine dicti capitis sunt, cum comm.* 23. *seqq. ac vs.* 35. *seq. conferantur.* Ast cum meritum Christi valeat antrorsum ac retrorsum, nihil obstat, quo minus dicatur, quod jamdum solidum jus ad illam, à Christo promeritam immortalitatem corpus Moysis consequutum fuerit. Conf. sis Analecta Ampl. Dn. Præsid. ad Coloss. 1:18.

§. X. *Unus* etiam *Moyses non facit messem*; quemadmodum neque *bacca*, neque *spica*, vel *arista*, ante delibatas *primitias* detrahebat aliquid ἐξουσίᾳ *primitiarum.* Sed quemadmodum cruda ista spica vel arista subindicabat, Primitias certo futuras: ita & *Moyses*, vel alius resuscitatus, utpote *Filius Viduæ Nainiticæ*, &c. è mortuis erutus subindicare videbatur certo futuras primitias Christum: & quemadmodum *Moysis* primitias Christum; ita corpora sanctorum illorum, qui ex monumentis suis egressi post resurgentem Christum (quemadmodum post *Primitias Paschales* plene maturi fructus, plenarium & ante januam expectantem messem indicabant;) messem illam sanctorum ex templo & in calce subsequentem ostendebant. Recte ergo *Augustinus* l. de cura pro mortuis c. XV. *Dicimus sane de modo Moysis mortui, tralati, vivificati, & ad colloquium ab ipso Christo* πρωτοτόκῳ, *qui quondam sepeliverat, evocati, factum hoc esse, ad ostendendam efficaciam suæ* ἀπαρχῆς. Cum quo apte insimul congruunt *Osiandrina illa in* 1. *Cor.* 5: 5.21. *Quod autem Enoch & Elias vivi in cœlum translati sunt, & Moyses à mortuis resuscitatus est, id nihil derogat autoritati Christi: Etenim id merito & virtute Filii Dei (qui Mediator noster futurus erat,) factum est.*

§. XI. Eadem ferme ratione institui potest *de Christo primogenito Coloss.* 1:18. explicatio. I. *Apostolus non nominat eum primogenitum mortuorum*; (ac si primus resurrexisset) vel ipsum *primum esse mortuorum*; Sed dicit *Primogenitum* ἐκ τῶν νεκρῶν *ex mortuis*, (scil. resurrexisse,) quod idem erat ac *Primitias resurrectionis à mortuis*, qui primus mortis jugo excusso, catenis & ligaturis disruptis & comminutis ad vitam rediit felicitate abundantem, ac denuo quasi genitus est, & quidem ita, ut aliis beneficium resurrectionis promeruerit; sive ut resuscitati illi fuerint, Deo sic disponente, vel ante (uti Moyses,) vel post resurrectionem Christi (ut alii Sancti, qui statim post Christum resurrexerunt, Matth. 27: 53.) virtute resurrectionis Christi primogeniti, instantis vel præteritæ. hinc apud *Theophylactum* Christus *Principium resurrectionis* audit.

§. XII. *Moyses* ergo *resuscitatus* in hoc quoque nihil adimit *primogenituræ Christi*, cum non propria virtute resurrexerit, & è vinculis se liberaverit, sed à Deo *per Christum* resuscitatus, & in tabernacula æterna translatus sit. Placet heic *similitudinem* adjicere istam, cui hanc genituram Apostolus aptavit: Infans nasciturus & jam proditurus eluctatur anxie, quo ex clauso, per obicem ossis sacri, carcere, uteri scil. materni, adeoque *ex terræ inferioribus*, *Psalm.* 139:5. prorumpere queat; & tamen, licet omnibus viribus in id intendat, non adipiscitur, quod desiderat, nisi per luxationem maternam & reserationem angustiæ illius, divina inprimis adsistente ope, porta ipsi pervia reddatur & patefiat. *Sic terræ, quæ omnium nostrum mater*, *Syr.* 40:1. alvus claustris: apertu difficilibus, nobis quasi occlusa fuit, ut nostris viribus ex ea ad vitam educi nequivissemus. Christus autem maledictionem nobis debitam, in se suscipiens, in mortem ac sepulchrum ingressus est, terræque alvum nobis clausam in resurrectione sua nobis reseravit, *primitiæ qui obdormierunt* & clausi fuerunt, factus. Postea in mortis carcerem quoque ingressus est, non ut illic clausus reservaretur, sed ut eos, qui in claustris mortis captivi tenebantur, educeret, unde *primogenitus ex mortuis* vocatur. Sic ergo terra propter maledictionem divinam conclusa, per Christi resurrectionem, quæ fuit quasi ejus ex morte primogenitura, nobis iterum est aperta, ut ex ea ad vitæ lucem eluctari, & libertate perennanti frui possemus. *Quemad-*

modum

modum autem *Christus non sibi*, *sed nobis* mortuus; ita etiam *non sibi*, *sed nobis*, imo & Moysi ante mortem & resurrectionem ejus, & ad confirmandas promissiones de certo subsequutura ista morte & resurrectione, resurrexit. Conf. B. Gerh. *Tom. ult.* de Resurrect. Mortuorum p. 1013. Aperiant ergo oculos mentis, & videant *contradicentes*, quomodo *Moyses* potuerit & resuscitari & in cœlum transferri ante Christum, *primitias*, & *primogenitum*, salvis Christo manentibus titulis & honoribus.

CAPUT IX.

Moysen cum Elia extremum ante diem rediturum in hanc terram, censet Maldonatus; cujus verba citantur; refutantur. Nostratium de non-redituro Moyse, imo nec Elia, nec Enocho, sententia probatur; contraria vero redarguitur. Absurda, quæ ex hac sententia de reditu Moysis eliciuntur. Verba Apocalypseos explicantur, & ad quosvis fideles, non ad certa aliqua individua applicantur. In calce rejicitur Maldonati sententia, ut erronea, & absurda.

§. I. MOysen cum Elia extremis mundi temporibus & ante adventum ultimum Judicis summi vivorum & mortuorum, rediturum, asserit ex Pontificiis præcipue *Maldonatus* in cap. 17. *Matthæi*: *Præterea*, ajens, *Johannes in Apocalypsi cap.* 11: 3, 6. *tam aperte scribit*, *Moysen & Eliam esse venturos*, *ut non solum sine temeritate*, *sed nec impudentia negari possit*: *& dabo*, *inquit*, *duobus testibus meis*, *& prophetabunt duobus mille ducentis sexaginta diebus amicti saccis. Quos*, *qui futuri sint*, *statim describit. Hi habent potestatem claudendi cœlum*, *ne pluat diebus prophetiæ ipsorum. Quis non videt Eliam? & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem*, *& percutere terram omni plaga*, *quotiescunque voluerint*: *Quis non videt*, *Moysen quasi digito monstrari? Accedit*, *quod ratio potissima fuerit*, *cur Moyses & Elias potius*, *quam alii ex Prophetis Domini transfigurationi interfuerunt*, *quia voluit Christus futurum suum adventum tribus illis Apostolis ante oculos ponere*; *& quia in secundo adventu suo Moyses & Elias sunt præmittendi*, *ut ejus vitam*, *quemadmodum in priori adventu Johannes fecit*, *præparent*, *adesse eos voluit*.

§. II. Sed, quam falsum est, *Henochum & Eliam* cum *Johanne* redituros (*Pontificiis*, dicta seqq. *Malach.* 4: 5. *Eccles.* 44: 3. urgentibus quæ opponenda sint, vid. apud B. Gerhardum L. de Extremo Judic. §. 108. item Confess. Cathol. art. 3. cap. 6. in Resp. ad demonstr. 3.) tam falsa sunt ea quoque, quæ à *Maldonato* de *Moyse* proferuntur. Respondemus vero Maldonato breviter; Et *primo* quidem peccat ipse cum suis Commilitonibus, Enochum & Eliam redituros asserentibus, argumento à genere ad speciem derivato, sic: *Ego dabo duobus testibus meis &c.* Ergo, *Elias*, *Moyses*, *vel Enoch*, *tempore Antichristi in terras redibunt. Ergo cum Antichristo belligerabunt*, *&c. Ergo ab Antichristo occidentur*.

§. III. Maldonatus *secundo* procedit ἀντιγράφως, & *malas consequentias eliciendo*: Si enim *Moyses* & *Elias* redituri essent, reservaret Deus aliquos beatos in cœlo ut morituros, & Moysen bis moriturum. sed posterius est absurdum, Ergo & prius. Nisi velit dicere *Maldonatus*, Moysen & Eliam in terrestri Paradiso adhuc vivere. Sed ubi sit terrestris ille Paradisus, aquis diluvii obrutus & plane dissipatus, monstret nobis?

§. IV. Quicunque *tertio* affirmat Moysen mortuum, ille fateri necesse habet, eum non rediturum esse. Sed prius affirmat *Maldonatus*, imo omnes *Pontificii*. Ergo necesse quoque habent affirmare posterius. Ratio connexionis est: Qui enim mortuus est in præterito non erit moriturus in futuro: Ergo neque rediturus. *Anima justorum in manu Dei sunt* &c. Sap. 3: 1. Imo *hiatus ingens*, χάσμα μέγα ἐστήρικται, *firmatus est*, *Luc.* 16: 26. *Si in Paradiso manebunt*, (liceat nobis quoque dicere de Moyse cum *Irenæo*, de Enoch & Elia loquente) *Ergo non redibunt in terram.* Imo

§. V. Quia qui semel mortuus, (ita ut naturæ debitum ex asse persolverit. Vid. hic B. D. Gerh. L. de Morte §. 68.) illum nec resuscitabit Deus, ut bis moriatur: (*Testes* enim *hi duo occidentur ab Antichristo*, *& corpora eorum jacebunt in plateis.*) Ita enim in Deum caderet injustitia, dictumque illud: *Semel homini statutum est mori*, *deinde judicium*, *Ebr.* 9: *vers.* 27. &c. evaderet falsum. Et quomodo posset Deus suum dilectissimum Moysen injuria isthac afficere? Mittimus igitur *Maldonatum*, cum suis à veritate discedentibus interpretationibus. Nec talia (sc. quod futurum sit, ut *corpora Moysis & Eliæ in plateis jaceant*) Sanctis in cœlo competunt, qui corpora habent ἀπαθῆ, impassibilia, immortalia, *nulli amplius tormento*, *nullis ærumnis*, *nulli dolori*, *nedum morti obnoxia. Sapient.* 3: 1. *Elias & Moyses* apparent (*Matth.* 17.) ἐν δόξῃ, colloquentes cum Domino in monte; quod vero Apoc. 11. de duobus testibus dicitur, glorificatorum corporum, qualia utique Moyses & Elias habent, naturæ repugnat, videatur *Luc.* 20: 36. Ergo neque de Elia, neque de Moyse vaticinium illud est intelligendum. Imo quemadmodum quod Enochus & Elias redituri sint, *Hieronymo* fabulæ videntur, scribit enim in Epist. 148. *De Enoch & Helia*, *quos venturos Apocalypsis refert & esse morituros*, *non est istius temporis disputatio*: *Cum omnis iste liber aut spiritualiter intelligendus sit*, *ut nos existimamus*, *aut fabulis acquiescendum*,) ita, & nobis fabulæ meræ, imo falsa videntur ac mendacia, quæ heic de *Moyse* à Maldonato proferuntur.

§. VI. *Denique*, quod locum Apocalypseos cap. 11. attinet, notum est, *Johannem* consuevisse *ænigmatice* & *parabolice*, non vulgari loquendi modo prædictiones suas plerasque proponere; adeoque nec secundum literam, sed spiritualiter easdem esse intelligendas. Non ergo certo inferri potest, per hosce duos testes duas singulares describi personas, vel duo individua; *ita enim* (1) *illi* 1260. *dies*, *v.* 3. *pro annis*, *juxta communem Orthodoxorum interpretationem*, *accepti efficerent istos duos testes* inauditæ *longævitatis & senectutis viros*, Pylium & Mathusalemum in hoc antecellentes. (2.) *Impossibile*, uno triduo mortem duorum hominum per orbem terrarum divulgari, & propter eam munera & lætitias inter terræ habitatores commutari, *vs.* 9. (3) *Inconvenientia* sunt, per duas singulares personas universos terræ incolas cruciari, item, duo corpora jacere in unius platea civitatis, & à gentibus, populis linguisque conspici; item toti Anti Christiano regno nullam futuram pluviam, v. 9, 10. Imo plura orientur absurda, si vaticinia illa Apocal. literaliter essent accipienda. vide plura apud *Hoë* in Apoc. cap. II. p. 465.

§. VII. Per *duos* ergo istos *testes* omnes *fideles Ecclesiæ Doctores & confessores* intelliguntur, Spiritu sc. *Eliæ & Moysis* instructi, *Zelo nempe & virtute* efficaciter docendi, serio redarguendi, miracula, ubi res tulerit, patrandi &c. Conferatur *Calixtus* de signis ante diem extremum p. 33. seqq. *Dorscheus* de Miss. part. 1. c. 4. p. 132. Nec in hac propositione: *hi habent potestatem claudendi cœlum* &c. unum tantum video Eliam, ad quem solum Maldonatus hæc accommodat; sed testem *utrumque*; pariter in verbis subsequentibus, *& potestatem habent super aquas*, adhibetur verbum Plurale *habent* (non *habet*) quomodo ergo ostendere illud mihi solum *Moysen* potest. Procedit ergo *Maldonatus* à non distributo ad distributum. quod erroneum.

§. VIII. *Testes* isti *duo* variis conditionibus & vicissitudinibus expositi Anti-Christo se opponent, & ipsius falsam doctrinam & tyrannidem arguent. Qui (1) *duo*, hoc est, *pauci* erunt, in comparatione ad innumerabilem Anti-Christianarum cohortium copiam. De numero hoc binario vide *Cluver.* in Apoc. XI. p. 37. A. *Hoë* in Apoc. c. II. p. 454, 479. *Cameronem* in Myrothec. sc. p. 87, 88. Sic quod *Oseæ.* 6: 2. dicitur: *Dominus à duobus diebus visitabit nos*, nonnulli explicant: *brevi Dominus nos liberabit*; quemadmodum alias quoque dicimus, *duo verba*, i. e. *pauca verba*.) qui (2) *habebunt testimonium satis firmum*: in ore enim duorum. *Deut.* 19: 15. *Joh.* 17. (3) *Efficiunt menses angelicos* 42. (Duorum illorum testium *curriculum*, puta officii, continuabitur ad menses Angelicos 42. h. e. ad annos 1260.) (4) *induti erunt vestimentis luctus*, tum *ob tempus luctuosum persecutionis Antichristianæ*, tum *ob pœnitentiæ prædicationem*: Clamabunt enim *induite saccos* &c. (5) *Extructi sunt & ornati variis quasi insignibus & clypeis*: In clypeo primo habent (a) *oleam*, cui hæc superscripta sunt verba: *Fertilis sum* &c. (olea enim fertilitatis symbolum.) In secundo (b) *Candelabrum*, cum inscriptione: *Lux pura & sancta.* In tertio (c) *Gladium igneum*, cui hæc verba: *Adversantes consumo.* In quarto (d) *Clavem*, cui hæc: *Clavis Eliæ.* In quinto (e) *Baculum*, cui hæc verba: *Baculus Moysis.*

§. IX. Ergo *Maldonati*, & cæterorum qui cum eo faciunt, *Pontificiorum* sententia est. I. ἄγραφος, siquidem nec de Moyse redituro in scripturis aliquid dicitur; quin & ipse Elias, (Johannes sc.) jam venit &c. *Matth.* 17: 12. II. ἀντίγραφος, quos enim Deus ad gaudia Paradisi evexit, illos non ita evexit ut ad miseriam mundanam redituros, sed ut ibi permansuros in

omnem æternitatem. III. *Destituitur unanimi veterum suffragio.* quid quod nec ipsi Pontificii satis hic convenire possunt. Sunt enim, qui Johannem cum Elia; alii vero, qui Moysen cum Jeremia &c. reversurum statuunt. IV. *Sententia* hæc est *Judaica*: Judæi enim, Eliam expectantes, taxabantur ideo à Christo, *Matth.* 17: 12. *Nec sibi ipsi constat*, ut ostendimus.

§. Ult. Latiùs singula diduci poterant, sed filum abrumpere cogimur. *Lectori* secundo omnia precamur secunda, *Theoni* vero istud *Misoponeri* Satyrici (quæ Eruditissimi *Casauboni* Persona est) p. 20. relinquimus:

CARPERE MULTORUM EST, PAUCORUM SCRIBERE DOCTE.

ANDR. DAV. HABIKHORSTII DISSERTATIO De Altari Gideonis ad Judicum VI: 24.

בששׁ״

DE ALTARI GIDEONIS ad Judicum VI: 24.



Uantum referat, fontes Scripturarum consulere & rectius scrutari à multis ante nos & multifariam quidem est monstratum. Certe enim fontium ignorantia (ut alia nunc prætereamus) non tantum multos peperit errores, sed & multas circa errores refutandos fecit ambages. Id quod vel Arii nos historia & locus Prov. 8: 22. docere potest, quem ille mortalium versutissimus contra veram æternamque Christi Deitatem olim producebat. Non enim ipse tantum opponens Arius, cum fontem ignoraret, versione LXX. ἔκτισέ με h. e. *creavit me*, abutebatur, eademque Homousianis, plus quam fas erat, insultabat, sed & respondentes Homousiani, cum ad fontes recurrere non valerent, per multas certe ambagines ducebantur. Hoc ipsum animadvertens *Jus Canonicum in Decreto*, laudabiliter *nos ad fontes Ebræos & Græcos* ablegat, ubi versionum veritas in quæstionem trahitur (id quod ipsis opponimus Pontificiis fontium contemtoribus) nam: *cogimur*, inquit c. jejunium 7. dist. 76. *ad Hebræos recurrere & scientiæ veritatem de fonte magis quam de rivulis quærere.* Facit nobiscum *Erasmus* scriptor Pontificius, qui in *Methodo* ait: *quod si semel sufficiebat Hieronymiana translatio* (vulgatam intelligit) *quorsum tandem attinebat caveri Pontificum decretis* (canonem indigitat citatum, item c. ut veterum 6. dist. 9. quod sequentia canonis hujus posterioris verba arguunt) *ut veteris Testamenti veritas ab Hebræorum voluminibus; novi fides à Græcorum fontibus peteretur?* Eodem collimant *Decretales* in eodem Jure Canonico, & quidem c. inter solicitudines 1. lib. 5. Clementin. tit. 1. ubi certe Papa *Clemens* V. in Concil. Vienn. sic satis apprime loquitur: *Ut divinorum elogiorum expositio habiliter per instructionis efficaciam obtineri possit, optime statuit, ut in quolibet locorum dicto Capitulo nominatorum teneantur Viri Catholici, SUFFICIENTEM habentes Hebraicæ, Arabicæ & Chaldaæ linguarum notitiam: duo videlicet uniuscujusque linguæ periti, qui scholas regant inibi & libros de linguis ipsis in Latinum fideliter transferentes, alios linguas ipsas solicite doceant, earumque peritiam studiosa in illos instructione transfundant: ut instructi & edocti sufficienter in linguis hujusmodi, fructum speratum possint (Deo auctore) producere, fidem propagaturi salubriter in ipsos populos infideles.* Hactenus *Clemens* V. Papa quondam Romanus solicitissimus, cujus solicitudinis si memores olim fuissent vel etiamnum forent Pontificii, Vulgatam certe versionem tanti non fecissent, ut eandem asseruissent authenticam, neque hodienum apud ipsosmet fontium scrutinia tantopere vilescerent. Sed quid quæso Pontificios inculpamus, qui nostrates inter tot tantosque novimus fontium ignaros & contemtores, graviterque Universitatum illarum vicem dolemus, in quibus salutaria isthæc linguarum fontiumque, præprimis Ebræi, studia frigent vel plane silent. *Franzius* de interpr. Script. pag. 65. illum *Theologiæ Studiosum & Theologum divinam* experturum *vindictam pronunciat*, *qui non intima fontium fundamenta comparare sategerit.* Quid vero pronunciandum de illis fuerit, qui linguas quidem docendi munere gaudent, sed juxta Clementis ex Jure Canonico jam citati effatum nec ipsi sufficientem habent linguarum notitiam, nec alios linguas solicite docent earumque peritiam studiosa in illos instructione transfundunt? Ecquid enim Studiosi Theologiæ vel Auditores Doctorum Theologorum in Exegetica præstabunt Theologia, si versionibus sæpe dissonantibus, ab ipsis Doctoribus jussi, sed linguarum imperiti, fontes consulere nequeunt? Ne vero longius abeamus, ecce vel locus Judic. 6: 24. de ALTARI GIDEONIS, quem nobis hac vice expendendum elegimus, monstrare satis potest superque, quantum referat fontes scripturarum rectius consulere posse eosque curatius ad plenam illarum solidamque intellectionem scrutari. Hujus enim loci versiones magis discordant quam urbium horologia. Annon enim quædam nomen Altaris dicunt fuisse: *Pacem DOMINI?* alii: *Dominum Pacis?* nonnullæ: *Dominum Pacem?* &c. Neque est, quod cum imperitis quibusdam Censorulis quispiam dicat, in hoc similibusque scripturæ locis parum momentosam esse interpretationem, parumve aut nihil referre, *an pacem Domini* vocites Altare Gideonis, an *Dominum pacis*; an *Dominum pacem*, an *pacem &c.* Annon enim Sociniani ex illa quoque Altaris appellatione, qua *Dominus pacis* vel *Domini pax* vocatur, exceptionem aliquam contra firmissimum illud Deitatis Christi, nomine יהוה in scripturis appellati, argumentum exsculpunt, fingentes h. l. Altari etiam, quod creatura est (uti Exod. 17: 15. Altari Mosis) nomen illud יהוה assignari? quæ quidem exceptio distinctione alias, sed omnium rectissime hic ex fonte elidetur. Id quod sequens tractatio loci comprobabit. Ut vero ordine tractationem hanc instituamus, tribus illam sectionibus includemus, quarum

I. Sectio *Parasceuastico-Historico-Analytica*, præmisso Textu originali cum *versionibus* præcipuis, ejusdem συνάφειαν s. *connexionem* & præcedentem Textus *historiam*, ut & *Analysin Logicam* sistet:

II. *Exegetica Critico-Theologica* expositionem ejus Philologico-Theologicam addet:

III. Denique *Practico-Elenctica s. problematica* usum loci Elencticum indicabit & ab abusu vindicabit, eumque certis quæstionibus includet. Quibus absolutis portum cum DEO videbimus. Nunc in altum provecti vela damus, ductum afflatumque Spiritus S. benigniorem supplices omnino implorantes. Esto igitur

SECTIO-

SECTIONIS I. PARASCEUASTICO-HISTORICO-ANALYTICÆ

MEMBRUM I.

Præmittens

Originalem Textum cum versionibus harumque discrepantiam.

§. 1. **V**Iam ergo ad genuinam solidamque loci interpretationem prima hac sectione paraturi, Textum Originalem cum versionibus plurimum discordantibus membro primo præmittemus; secundo autem præcedentem Textus historiam & connexionem videbimus; tertio denique resolutionem Logicam subjungemus.

§. Textus autem Originalis ita habet:

ויבן שם גדעון מזבח ליהוה ויקרא־לו יהוה שלום עד היום הזה עודנו בעפרת אבי העזרי:

Vers. *Germanica Lutheri*: Da bauet Gideon daselbst dem HErrn einen Altar/ und hieß ihn der Herr des Friedes/ der steht noch biß auff den heutigen Tag zu Ophra des Vaters des Esriter. Similiter vertit *Munsterus* & *Osiander*: & vocavit ipsum: *Dominus pacis. Græca LXX.* ϗ ἐκάλεσεν αὐτῷ, εἰρήνη κυρίȣ. Ita & *Vulgata* & *Vatabli* vetus habet: *& vocavit illud*: *Domini pax.* Similiter *Arabica*: & vocavit nomen ejus *pacem Domini.* Sed *Syriaca*: & vocavit illud *Dominus pax.* Similiter *Vatabli* nova & *Drusii*: *Dominus pax. Belgica*: Ende noemde hem/ de Heere is Vreede. *Pagnini & Ariæ Montani* retinuere ipsas voces Ebræas Latine exscriptas: *Jehovah Schalom. Junii*, *Piscat. & Poli*: *cum proclamavisset* (vel promulgasset i. e. promisisset, Piscat.) *ipsi Jehovah pacem &c.*

§. 2. Ecquis vero has conferens loci versiones, magnam illarum dissonantiam non miraretur? Quædam enim alteram vocem יהוה ponunt in Casu Nominativo; aliæ in Genitivo; quædam in regimine, quædam extra regimen: nonnullæ faciunt ex illo nomen regens, aliæ rectum. Quædam alteram vocem שלום pro Accusativo habent, aliæ pro Genitivo: Aliquæ utramque vocem in casu Nominativo ponunt. Nonnullæ conjungunt יהוה & שלום, aliæ distinguunt. Quis vero in tanta versionum discrepantia de genuina loci interpretatione certiores nos reddet? Certe non nisi Ebræus, & quidem non talis, qui Radicem tantum investigare vel utcunque Analysin præeunte Grammatica & Lexico formare novit (quæ fere heu! communis hodie studii Ebræi ratio est). Talis enim in literis Ebræis nudaque Analysi Grammatica discrimen casuum non deprehendet, adeoque cum *Drusio*, ceteroqui non infimi nominis Ebræo, ex Comment. ad difficil. Script. loca fateri cogetur: *nescio utrum dicat*: *Dominus pacis*, *an Domini pax*: *&c.* Proinde altiori hic opus scrutinio, quod sequente II. Sectione Exegetica instituetur. Interim progredimur ad præsentis

MEMBRUM II.

Recensens

Præcedentem Textus Historiam & συνάφειαν.

§. 1. **C**Um enim post inspectionem tam fontium quam versionum, genuinæ loci cujusdam interpretationi plurimum adminiculetur antecedentium & consequentium, quæ ad eandem materiam vel directe vel indirecte & per occasionem pertinent, collatio, uti *Glassius* ostendit Phil. Sacr. l. 2. part. 2. sect. 2. non abs re fuerit, in ipso interpretationis loci hujus limine *præcedentem* ejus *historiam & connexionem* evolvere, præcipue cum ipsa præfixio particulæ ו in prima voce ויבן *& ædificavit*, significare videatur, hunc locum cum præcedd. cohærere.

§. 2. In præcedentibus enim capitis VI. versiculis recensetur, quomodo Israëlitæ propter peccata omnino sua, in summis versati angustiis & tribulationibus, undicunque à Midianitis fuerint afflicti, quippe qui omnia illis ad vitam spectantia, oves nempe & boves asinosque & reliqua sustulerant vers. 1-15. In tantis vero angustiis ad DEUM clamaverant, qui ipsos exaudiens vers. 6, 7. primum Prophetam vs. 8. seqq. (Quis ille fuerit, quæritur: Ebræi respondent, quod Pinehas fuerit; at ille si tunc vixisset, annorum 200. fuisset; alii vero Angelum fuisse dicunt; sed Angeli in scriptura non dicuntur Prophetæ. Rectius ergo dicitur fuisse hominem prophetiæ Spiritu à DEO donatum. Quis vero ille fuerit, frustra quæritur, cum Spiritus S. illud nos latere voluerit. Nec insolens est Prophetarum nomen reticeri: conf. 1 Sam. 2: vs. 27. 1 Reg. 13: 1. & cap. 20: 13, 22, 25.) deinceps Angelum mittit consolatorem & exprobratorem vers. 11. qui primo sub quercu residebat, quæ erat in Ophra & ad Gideonis Patrem spectabat vers. 11. deinde Gideoni ad torcular Patris sui (in horreo ubi torcular erat) frumenta baculo excutienti (חבט enim est excutere s. percutere baculis s. flagellis, דש triturare jumentis) & purganti, ut Midianitas effugeret (vel ut fugere faceret: est enim vox Ebræa להניס conjugationis Hiphil, h. e. ut quam celerrime removeret à faciebus Midian s. ab adventu Midianitarum) apparebat, ita ipsum allocutus: *Dominus tecum, potens virtute*, *vs.* 11, 12. Et porro eundem nonnulla de Israëlitarum afflictione & derelictione inter loquentem constituit Ducem Israëlis & Liberatorem simulque objectioni ejus de familiæ suæ (Chiliados אלפי ab אלף mille) s. tribus suaque ipsius tenuitate & debilitate, promissionem præsentiæ divinæ reponit vers. 15, 16.

§. 3. Gideon vero de gratia præsentiaque DEI certior reddi cupiens signum postulat vers. 17. idque non ex incredulitate sed prudentia: pii enim hominis est probare Spiritus. Signum ergo postulat ne spectro vel phantasmate se illusum existimet. Sed ipsa ejus verba, quibus signum requirit, notari merentur. Ita vero habent: *Si inveni gratiam in oculis tuis & facies mihi signum* שאתה מדבר עמי *quod tu loquens mecum.* Ubi danda ellipsis quorundam verborum in scripturis non infrequens: subintelligendum scil. *quod Jehova sis*, *qui locutus mecum fuisti*, de speciali scilicet ad ducatum populi Jhudaici vocatione, Conf. Glass. l. 4. Phil. sacr. Tr. 2. Obs. 3. Similis fere legitur Joh. 2: 18. *quod signum ostendis nobis*, *quod hæc facis?* h. e. quod tu sis Messias, qui ista facis. plures vid. apud Glass. l. c.

§. 4. Signum vero hactenus postulatum hoc impetravit modo: Cum ille *paratum munus* מנחה vers. 18. *hædum* scil. *caprarum & modium* (Epha איפה) *farinæ infermentatorum* i. e. infermentatæ (modium paravit, vel quia cum Angelo ipse epulari decreverat, vel ut liberalem animum in hospitem declararet, vel ut abeunti panes obtruderet: alias enim tantum panis non confecisset; azymos vero panes confecit, cum paratu sint faciliores: fermentatio enim longioris est moræ: metuebat vero ne Angelus Domini ob moram abiret conf. v. 18.) *in canistro*, *jus vero carnium in olla produceret*; in fonte est vox ויוצא *& exire fecit* h. e. produxit, à R. יצא *exivit*, quam male alii reddunt *& obtulit*; pejus vero Pontificii ex eadem voce verbum illud הוציא in historia Melchisedeci Gen. 14: 18. sacrificiale esse, ita ut ibi adductionem *hostiæ*, *panis & vini oblationem* significet, cum & hic Judic. 6: 19. ita accipiatur, probare nituntur; cum tamen verbum illud in se & per se nihil aliud importet, quam simplicem productionem: alias & sequ. vers. 30. Viri civitatis ad Patrem Gideonis dicentes: הוצא את בנך וימת *produc filium tuum & morietur*, postulassent à Gideone, ut filium suum sacrificaret. Quid? quod aliud *est producere rem aliquam sive in cibum sive in sacrificium offerendam*, quæ productio hic vs. 19. indigitatur verbo ויוצא & præced. vers. 18. in voce והוצאתי *& educam*: aliud vero *rem productam sacrificare*, quæ sacrificatio, si aliqua hic datur, non verbo præc. ויוצא vel והוצאתי sed sequ. ויגש vs. 19. & והנחתי vers. 18. indigitatur, adeoque actiones separatæ h. l. à se invicem distinguuntur & consequenter utriusque vocis una eademque vis & significatio non est, nec concludi quicquam ex illa pro Melchisedeci sacrificio potest, ceu pluribus ostensum in Disp. nostra IV. de Melchisedeco.) Cum, inquam, Gideon munus suum jam descriptum *produceret & appropinquare fecisset* vers. 19. jussuque Angeli *carnem panemque azymum super petram illam* (quæ rudis & impolita altaris extemporalis vicem implebat) *poneret* & jus carnium desuper funderet, vers. 20. (ut scil. miraculum augeret, cum etiam è cibariis in jusculo & aquea materia natantibus ignis prosilirit totumque absumeret) *ecce Angelus Domini virgam* s. baculum, quem in manu, tanquam viator, tenebat, *extendit & carnem azymosque panes tetigit*, unde *mox ignis de petra* ascendit, quem mirabiliter Angelus è petra elicuit, ut infra cap. 13: vers. 19, 20.) *& comedit* s. consumsit: quis vero? an Angelus? mini-

minime! Angeli non comedunt, neque in fonte est masc. ויאכל sed fœm. ותאכל respiciens vocem præced. אש *ignem*, quæ Gen. communis est: ignis ergo consumsit) *carnem & infermentatos panes* vers. 21.

§. 5. Ecce igitur signum, quod Angelus Domini postulanti dedit Gideoni, atque ita non hominem sed Angelum Dominum vel ipsum potius Dominum, Angelum increatum, (conf. vers. 12. cum 14. & 16. & infra sect. 2. m. 2. artic. 1. quicquid *Grotius* ad cit. vers. 14. ogganniat) se esse ostendit, qui vero exinde statim è conspectu Gideonis abiit vs. 21. Hoc autem miraculum videns vel eo cognoscens Gideon Angelum esse Domini illum, quem putabat hominem quendam viatorem, perterritus ipse est & exclamavit: *Hem mi Domine DEUS* (אהה interjectio exitium sibi metuentis ex conspectu Jehovæ) *num propterea vidi Angelum Domini de facie ad faciem?* subintellige *ut morerer vs. 22.* vel *propterea quod vidi Angelum Domini* subintellige, ideo moriturus sum: quæ ellipsis patet ex seqq. verbis DEI vers. 23. לא תמות *non morieris.* Vulgo enim persuasum erat, ei, qui Angelum videret, moriendum esse. Conf. Judic. 13: 22. quæ opinio ex Exod. 33: 20. orta videtur, ubi Dominus inquit, *nullus homo vivet, qui me videt.*

§. 6. Cum autem DEUS perterritum Gideonem erecturus dixisset שלום לך אל תירא לא תמות *pax tibi, ne metuas, non morieris*, ecce hic in signum pacis annunciatæ vitæque jam promissæ, vel in memoriale Domini *Altare exstruit &c.* Adeoque statim post verba illa DEI vers. 23. quæ Gideoni ex miraculo ignis è petra producti & carnem panemque azymum cum jusculo consumentis perterrito pacem & vitam annunciabant, immediate sequ. vers. 24. Locus noster de ALTARI, quod Gideon exstruxit & nomine peculiari insignitum est, recensetur. Ex illa e. præcedente Textus historia & connexione haut difficulter colligitur, qua occasione & quo etiam scopo hoc altare sit exstructum & nomine insignitum. Quod ut tanto clarius evadat & partitio loci elucescat, Logice prius eundem resolvemus, quam exegesin adornemus.

MEMBRUM III.

exhibens

LOGICAM LOCI Analysin.

§. 1. CUm vero Analysis Logica definiente *Danhawero* Herm. Sacr. Sect. 1. Art. 13. §. 2. nihil sit aliud, quam sententiæ in principia, ex quibus constat, resolutio, & vera oratio Logica ex subjecto & prædicato constet, hinc & præsentis Loci orationem in *Subjectum & prædicatum* & in ea, quæ prædicato involvuntur, resolvemus. Et quia loci hujus oratio composita est, non tantum late; quomodo omnis enunciatio ex subjecto & prædicato componitur; sed & stricte ex integris orationibus simplicibus constans: in priori enim oratione *Subjecto Gideoni* subjungitur *prædicatum*: *ædificavit ibi Domino Altare*; in posteriori vero de *Subjecto* DEO (ceu infra ostendetur) prædicatur, quod illud Altare Gideonis *nomine insigniverit*, hinc utramque orationem distincte oportebit considerare.

§. 2. Primo igitur occurrit prioris orationis *subjectum*, quod est *Gideon* Structor, 2. *prædicatum*, quod est *struxit ibi Domino Altare*, rursusque resolvitur, in *actum* ædificationis, qui notatur voce ויבן *& struxit*, 2. *objectum* ædificationis, quod est מזבח s. *altare*, 3. in *adjunctum* cum *temporis*, quod insinuatur particula ו in prima voce ויבן *tunc ædificavit*, tum *loci*, qui indicatur voce שם *ibi* & fuit *Ophra*, uti ex præced. & seqq. patet. 4. *finem* partim *cui*, qui Deus, quem signat vox ליהוה, partim *cujus*, de quo seq. §. 4.

§. 3. In posteriori vero oratione: *& appellavit illud Dominus pacem*) offertur 1. *Subjectum*, quod est יהוה Deus, ceu infra in Exegesi ostendetur. 2. *prædicatum* quod involvit 1. *actum* appellationis voce ויקרא *& vocavit*, 2. *objectum* appellationis, quod est *altare*, & indigitatur voce לו illud. 3. *appellationem* s. *nomen* ipsum, quod est שלום s. *pax*, ceu infra pluribus deducetur.

§. 4. Posset vero etiam resolutio loci in *causas* fieri, ut sisteretur 1. altaris *causa efficiens*, quæ est vel *movens*, petenda ex præcedente Textus συναφείᾳ: vel *agens*, quæ est Gideon, ejus structor, 2. causa *materialis* & *formalis* 3. *finis* 1 *cui* qui Deus 2. *cujus*, qui sit vel signum vitæ, vel memoriale, uti ex præcedd. & nomine altaris colligimus. 4. *adjunctum* 1. *temporis* 2. *loci*, de quibus paulo ante. 5. *denominationis*, quæ denuo resolvitur tum in *nomenclatorem* s. denominantem, qui DEUS, tum in *nomenclaturam* s. nomen ipsum, quod שלום *pax*. Nos vero Exegesi mox insequenti priorem analysin s. resolutionem orationum compositarum in subjecta & prædicata sequemur.

SECTIO II.

EXEGETICA CRITICO-THEOLOGICA.

PArata enim ad genuinam Loci interpretationem via, simulque tractandorum s. exponendorum partitione sic insinuata, jam ad *Exegesin* Loci *Critico-Theologicam* progressuri, duobus illam membris juxta datam modo partitionem vel analysin absolvemus, quorum prius *Orationem priorem* s. *Altaris structionem* à Gideone factam; posterius vero *posteriorem orationem* s. *Altaris nomenclaturam* vel *appellationem* explanabit. Circa priorem vero orationem s. *Altaris structionem* duo cumprimis, juxta ductum analysios jam dictæ, merentur tractari, sc. 1. *subjectum* orationis s. ipse *structor*, qui *Gideon*. 2. *prædicatum* & huic involuta, sc. structionis *actus*, *objectum* s. altare ipsum, item structionis *finis* ejusdemque *adjunctum* cum *temporis* tum *loci*. Quorum omnium gratia duo quoque membri hujus prioris articulos constituere tenemur, quorum prior *Subjectum* s. structorem; posterior vero *prædicatum* & huic involuta considerabit. Est igitur

MEMBRI I. sistentis

ORATIONEM PRIOREM s. ALTARIS STUCTIONEM,

ARTICULUS I.

De SUBJECTO s. Stuctore GIDEONE, hujusque NOMINE, Agnomine, Origine, sanctitate, senectute & obitu.

§. 1. SUbjecti s. structoris Gideonis *Nomen* origine Ebræum, Radicem agnoscit גרע, quæ notat *exscidit*, *abscidit*, *succidit* & accipitur proprie de *ramis*, quæ succiduntur, & de *Zizaniis*, quæ ex hortis agrisque eradicantur, & evelluntur, cujusmodi exscisionem Germanice vocamus außgetten / quæ vox Germanica, ut & Græca κεδάω *franga*, simulque Latina *cado*, quodammodo cum Ebræa גרע convenire ex eaque originem trahere videntur. Nec omine nomen hoc caruit: siquidem Gideon lucos, aras & idola Baalis exscidit & destruxit, ceu ipso hoc cap. 6. vs. 27, 28. videre licet.

§. 2. *Agnomen* ejus fuit ירבעל *Jerubbaal* ceu legere est sequ. vs. 32. cujus agnominis 1. *Etymon*, 2. *occasio*, 3. *autor* & 4. *mutatio*, paucis veniunt annotanda. Quod attinet (1.) *Etymon*, derivatur ירבעל, ex nomine idoli בעל *Baal*, quod alias *Sponsum & Dominum* notat, & verbo ריב *litigavit*, *contendit*, *causam egit*, (ceu patebit ex seqq.) à quo 3. sing. fut. Kal habet יָרִיב unde in hoc cognomine est יְרָב: nisi י illud, primam literam nominis, formativam esse nominum propriorum malueris, uti est in יצחק יעקב &c. Tertia vero radicalis ב ob sequens ב in בעל abjicitur & compensatur per dages forte. *Occasionem* vero agnominationi huic dedit *exscisio Altaris Baalitici*. Cum enim Gideon altare illud jussu Dei destruxisset, vers. 27. Parens ejus *Joasch* ad seditiosam plebem de facinore isthoc contendentem vers. 29. necemque Gideonis expetentem vers. 30. dicebat: האתם תריבון לבעל *anne vos contendetis pro Baal?* vel *nunquid vos agetis causam Baalis &c.* אשר יריב לו יומת *qui contendet propter ipsum, morietur usque hoc mane* vel *dum adhuc est mane* i. e. antequam lucescat. Alii ita: *qui contenderit, pro ipso moriatur*; Sed accentus dist. Atnach in לו talis modi versioni reclamat, quod & faciunt sequentia: Pergit enim Joasch: *Si Deus ille est* ירב־לו *contendat pro se ipso* (litiget sibi) *quod diruerit* (subintellige aliquis, s. participium *diruens* (de Ebraismo dicetur sequ. §. vel quod sit dirutum) *altare ejus* vers. 31. q. d. non vobis convenit causam ejus orare; sed, si Deus est, se ipsum vindicabit: ne sitis soliciti, Sacrilegum non patietur ipse Baal in crastinum diem vivere. Sic deridet ipsorum stultitiam! Exinde vero Gideon vocabatur *Jerubbaal* vs. 32. quasi litigans cum Baal s. litigans contra cives pro Baal, vel adversarius Baalis, vel is, cui litem intentare propter destructum altare Baal debeat.

§. 3. De

§. 3. De *Autore* vero qui nomen Jerubbaal imposuit Gideoni, dubitatur: textus enim vs. 32. nude ait: ויקרא לו ביום ההוא ירבעל לאמר *& vocavit ipsum ex illo die Jerubbaal dicendo &c.* quis vero illum sic vocaverit non dicitur. Si vero ad versum proxime præced. respicimus, asserendum esse videtur, ipsum Gideonis Parentem (qui præced. vs. 31. dixerat *Si Deus est* (Baal) *litiget pro se &c.* hoc quoque agnominis filio indidisse, eademque verba jam præced. vs. 31. ab ipso prolata, rationis loco hoc vs. 32. repetivisse: *litiget pro se Baal, quod diruerit* (diruens) *altare ejus.* Dices: Patrem Gideonis fuisse idololatram: nam præced. vs. 25. dicitur Altare illud Baalis fuisse Patris Gideonis, vel quod impensis ejus vel potius in fundo ejus fuerit erectum; quanquam, usum altaris fuisse communem, ex sequ. vs. 28, 29, 30. elucescit. Igitur non vero simile est Patrem in contemtum idoli sui hoc nomen filio, ejus adversario, indidisse. Sed Resp. idololatram quidem, sed remissiorem fuisse Gideonem, utpote cui potior fuit filii vita, quam idoli gloria, ceu videre est ex vs. 31. præced. §. jam exposito. Quanquam verosimile est, Gideonem Parenti jam indicasse, cujus autoritate & jussu altare Baalis à se fuerit destructum. Non male tamen Lutherus & alii verba illa ויקרא לו reddiderunt *passivè & impersonaliter*: **Von dem Tag an hieß man ihn Jerubbaal.** Solent enim Ebræi verba activa tertiæ personæ, sine supposito vel Nominativo posita, uti hic ויקרא *& vocavit*, peculiari linguæ idiotismo *passivè* explicare & *impersonaliter*, vel *participium verbi* loco nominativi subintelligere. Quomodo plura scripturarum loca commode exponuntur. Sic hoc ipso cap. 6. Judicum vs. 31. & 32. jam citatis dicitur: *quod diruerit altare ejus* sc. diruens, vel *quod sit dirutum.* Similiter Isai. 9: 5. יקרא *vocabit* nomen ejus sc. vocans vel *vocabitur*: ut frustra sint Pontificii putantes fontem hic corruptum olimque lectum fuisse in passivo יִקָּרֵא *vocabitur.* Plura vide Jer. 23: 6. Genes. 15: 6. c. 16: 14. &c. Conf. Glass. Phil. S. l. 3. Tr. 3. Can. 23.

§. 4. Tandem quoque circa *agnomen* illud non insuper habenda ejusdem *immutatio* quoad partem posteriorem, quæ legitur 2. Samuel. 11: 21. ubi hic ipse Gideon Pater Abimelechi (conf. infr. c. 8: 31. c. 9: 5.) dicitur ירובשת *Jerubboschet*, forsan in idoli Baalis ignominiam: altera enim compositionis pars in mutato illo nomine sc. בשת notat *pudorem* Psalm. 35: 26. à Rad. בוש *pudefieri*, & metonymice pudendum idolum significat. Sic Jer. 11: 13. expresse dicitur בשת: *Secundum numerum civitatum tuarum fuerunt* DEI *tibi Jhudah & secundum numerum platearum Iruschalem posuisti aras* לבשת *pudori* (pudendo) *aras ad suffiendum* לבעל *Baali.* **So manchen Altar habt ihr gesetzt der Schande (dem Schand Götzen / dem schändlichen Abgott) Altar zu räuchern dem Baal** conf. Hos. 9: 10. ubi בשת *pudor*, per metonymiam effecti pro causa, accipitur pro idolo, cujus appellationis rationem ipse Jeremias exponit c. 48: 13. conf. Glass. Phil. S. l. 5. tr. 1. c. 2. m. 3. Neque insolens in Scripturis est nomina quædam cum בעל composita componi etiam cum dicta voce בשת & eidem personæ forsan in idoli ignominiam imponi. Ita filius *Saulis*, qui 2. Sam. 2: 8. dicitur אישבשת *Ischboschet*, idem 1. Paral. 9: vs. 33. & 10: 39. vocatur אשבעל *Eschbaal.* Et filius *Jonathanis*, qui 2. Samuel. 4: 4. dicitur *Mephiboschet*, idem vocatur 1. Paral. 9: 34. & c. 10: 40. *Meribbaal.* conf. *Glass. Phil. S.* l. 4. Tr. 3. obs. 12. in fin. *Bochart.* Hieroz. part. 1. l. 2. c. 34.

§. 5. Post agnomen Gideonis consideranda quoque (3.) venit *Origo* ejus, de qua conf. præcedd. vs. 11. & 15. Jud. 6. ubi familiam suam dicit *minimam* in Mnasse & se quoque *minimum* in domo Patris sui, sc. vel ætate vel robore vel prudentia. Parens ejus fuit *Joasch* qui præced. vs. 11. dicitur אבי העזרי Luth. **ein Vater der Esriter:** quæ appellatio, cum hoc quoque loco nostro reperiatur (dicitur enim altare Gideonis in hunc usque diem esse in Ophra אבי העזרי) non possumus non eandem paucis hic illustrare. Varie autem redditur: Lutheri versionem vidimus; alii vertunt: *Pater familiæ Esri* i. e. caput. Alii pro una voce composita habentes reddunt: *Abiezrita* i. e. ex familia *Abiezer.* Hoc 1. certum est unum ex filiis *Mnasse* adeoque ex majoribus Gideonis fuisse *Abiezer* appellatum, vid. Jhos. 17: 2. 1 Par. 8: 18. pro quo tamen Num. 26: vs. 30. איעזר legitur: Unde & sequ. vs. 34. hoc cap. 6. Jud. Gideon Spiritu repletus, contra Midianitas convocasse dicitur אביעזר Abiezer i. e. *Abiezritas* s. posteros Abiezer: ita *Israel* sæpe adhibetur pro *Israelitis*; unde vocem hanc reddunt domum *Abiezer*, ex qua sc. oriundi Joasch & Gideon. Certum quoque est (2.) vocem אבי העזרי esse nomen *patronymicum*, quod patet ex finali litera י quæ nominum horum ap. Ebræos formativa, uti in יהודי *Jhudæus*, עברי *Ebræus.* Certum denique (3) literam י in medio plerumque esse gluten nominum propriorum compositorum, uti in אבימלך מלכיצדק אבירם אבינדב &c. Unde & literam י h. l. in nomine אבי tale esse videtur, quæ tamen & voci אב, in constructo, præmisso chirek sub ב & (ְ) sub א affigi solet. Porro & (4) *Ophra* s. locus, ubi habitavit & sepultus est Gideon, & ubi Altare suum erexit ipse de quo infra, appellatur *Ophra* אבי העזרי h. e. *Abiezritarum*, h. l. & sequ. c. 8: 32. Imo & Jud. 8: 2. *vindemia* dicitur *Abiezer*: quomodo a. locus *Ophra & Vindemia* potest dici *Pater Ezritarum?* Ex quibus omnibus jam patet, appellationem אבי העזרי qua parens Gideonis *Joasch* præced. vs. 11. insignitur non probare, Patrem Gideonis fuisse *Patrem Ezri*, nec adeo reddendum esse אבי העזרי per *Pater Ezritarum*, uti versiones habent, vel per *caput Ezri*, sed *Abiezrita* h. e. ex domo *Abiezer*, quomodo בית הלחמי significat, *Bethlehemitam.* Unde Bonfrerius l. c. vs. 11. post vocem Joasch subaudit sc. *qui erat filius vel nepos* Patris Ezri. *Dices*: אבי העזרי non posse unum esse nomen compositum, siquidem posterior pars habet ה articulare, & prior habet accentum Munach, quem non haberet, si vox prior אבי cum sequ. העזרי unum nomen constitueret. Sed Resp. 1. per instantiam, etiam nomen comp. בית הלחמי i. e. *Bethlehemita* in posteriori parte habet ה artic. & nomen filii Jonathanis *Meribbaal*, qui 2 Sam. 4: 4. vocatur *Mephiboschet* (uti jam supra relatum) eundem habet accentum in parte nominis priori h. m. מריב בעל, idem quoque nomen ibid. seq. membro habet in מריב accentum merca. conf. quoque Jhos. 14: 15. ubi antiquum civitatis Hebron nomen קרית ארבע *Kirjat arba* in priori parte eundem habet accentum Munach (2) Accentum illum Munach non esse distinctivum sed conjunctivum. Igitur non separat voces sed conjungit. (3.) Sufficit quod alibi, nempe sequ. vs. 34. & sequ. c. 8: 32. & Jhos. 17: 2. & 1. Paral. 8: 18. vox אביעזר cum uno accentu legatur. Ceterum nomen illud viri *Abiezer*, à quo parens Gideonis dicitur *Abiezrita*, optime convenit Gideoni ex *Abiezer* oriundo: siquidem *Abiezer* notat *Patrem auxilii*, à R. עזר auxiliatus est: Nam & Gideon à Deo destinatus Israeli in *patrocinium auxiliumque* fuit.

§. 6. Quarto de *fide & sanctitate* Gideonis vel tria quoque veniunt post originem ejus dicenda: Etenim ad Ebr. 11: 32. inter *sanctos* numeratur atque à fide commendatur. Neque v. obstat fidei & sanctitati ejus postulatio signorum, de qua conf. præced. vs. 17. & sequ. vs. 37. nam de priori jam supra sect. 1. m. 2. fuit dictum, quod non ex incredulitate sed ex prudentia signum postulaverit. Quod posterius attinet, neque hoc ex diffidentia quadam fuit petitum, cum jam antea teste præced. vs. 34. Spiritu Domini fuerit repletus, promissisque divinis insigniter animatus, altare Baaliticum exsciderit, quod alioqui plenissimum periculi erat vs. 27. 30. Quid? quod vs. 36. fatetur, Deum sibi victoriam promisisse. Nec unquam propter illam signorum postulationem legitur à Deo reprehensus, quin potius utrique ejus petito locum relinquere dignatus fuit Deus; sed postulavit ea vel (1.) ut involuntarios etiam dubitationis motus omnemque dubitandi occasionem tolleret: vel ut (2) sua in initio fluctuantis fides augeretur, confirmaretur tantoque magis incitaretur: vel (3.) ut commilitones, quos ad hoc evocaverat vs. 34, 35. confirmarentur & de missione Gideonis certiores redderentur: nam coacto jam exercitu sociisque belli convocatis signum illud *velleris* mox *sicci* mox *humidi* demum poscebat.

§. 7. Tandem etiam de *Senectute obituque* Gideonis, antequam hinc, à subjecto sc. ad *prædicatum*, progrediamur, disseruisse quædam oportebit. *Senectus* vero ejus prædicatur *bona*, & *obitus* consequenter beatus cap. 8. Jud. vs. 32. cum dicitur: & mortuus est Gideon filius Joasch. בשיבה טובה *in senectute bona.* Senectus alias communiter mala est: unde ætas mala, diesque mali vocatur; Gideon vero in *senectute bona*, h. e. quieta, valida, gloriaque virtutis & conscientiæ bonæ, amicitiæque divinæ conspicua mortuus est, h. e. in gratia & beate mortuus est: de aliis enim impie viventibus & in impietate mortuis hæc phrasis in scripturis adhiberi non solet: hinc & inter sanctos collocatur Ebr. 11: 32. *Dices*: graviter tamen peccavit conficiendo *Ephod.* Judic. 8: 27. Sed Resp. 1. per instantiam: etiam alii e. c. David gravissime peccavit, nihilominus tamen eodem vs. 32. Ebr. 11. cum Gideone inter sanctos & fide præditos refertur, (2) de *Ephod Gideonis* (veste Pontificali) & num in eo graviter peccaverit, Dissertatione alia pluribus. (3.) posito a. Gideonem conficiendo Ephod graviter peccasse: neque enim absurdum videri debet, sanctos in gravia labi peccata & quidem in idololatriam: obvia certe sunt Davidis & Salomonis exempla; pœnitentiam tamen cum Davide ante obitum egisse Gideonem, lapsuque suo agnito per veram fidem in Messiam Deo reconciliatum, in gratiam receptum

ceptum esse, cum *mortuus in bona senectute* dicatur, non dubitamus.

ARTICULUS II.

evolvens

Prædicatum: *& struxit ibi altare* DOMINO, eidemque involuta, sc. structionis *actum*, *adjuncta temporis & loci*, *Objectum*, ut & *finem cui & cujus.*

§. 1. DE hoc enim Gideone, cujus *nomen* hactenus & *agnomen*, simulque *originem*, porroque *fidem* & *sanctitatem*, & denique *senectutem* ac *obitum* exposuimus, prædicatur, quod *tunc struxerit ibi altare Domino.* Cui prædicato cum plura involvantur, prout in Analysi Logica jam supra, inque Articuli hujus Rubrica fuit indicatum, paucis illa evolvere hic non pigramur. Et quidem (1.) ipse structionis *actus* insinuatur voce ויבן à R. בנה *ædificavit, struxit,* quæ cognationem habet cum Radd. בין *intelligere* & פנה *respexit*: Architectum enim oportet *intellectu* partes ædificii *respicere* & disponere, ut recte cohæreant seque mutuo respiciant. Hinc nomen בן *filius,* qui *exstructus* est ex cohabitatione viri & mulieris, vel qui *ædificat* domum Parentis, progenerando iterum filios, memoriam familiæ paternæ propagaturos.

§. 2. Panditur hic quæstio, an actus ille structionis, qui describitur hic versu 24. fuerit idem, qui v. seq. 26. his verbis: ובנית מזבח ליהוה אלהיך Gideoni à Deo imperatus & seq. vs. 28. memoratur subsecutus, adeoque an unum saltem altare Gideon erexerit & non geminum? Certe *Serarius, Bonfrerius, Menochius, Arias Montanus & Petr. Martyr* idem altare & hic vs. 24. & illic vs. 26. & 28. esse, adeoque hunc actum structionis, vs. 24. descriptum, eundem esse qui vs. 26. imperatur, arbitrantur. Et *Menochius* quidem hac utitur ratione, quod sæpius in scripturis breviter aliqua res tangatur, uti hic vs. 24. structura altaris, quæ postea disertius & uberius explicetur. Similiter *Petr. Martyr*: *per Prolepsin,* inquit, *hic vs. 24. ponitur: nam ut hoc altare fabricaretur, à Domino admonitus est seq. vs. 26.* Alii v. ut *Tostatus* & *Cornel.* à *Lapide* Comment. ad h. l. negant hunc actum structionis vs. 24. descriptum esse eundem, qui imperatur vs. 26. adeoque non unum saltem, sed duo altaria Gideonem struxisse & hoc primum quidem vs. 24. sponte sua & quidem tantum in monumentum, uti Jhos. 22: 25, 26, 28. alterum autem vs. 26. Dei jussu in usum sacrificii struxisse censent. Nos posteriori sententiæ tanquam probabiliori suffragamur. Licet enim prolepsis alicubi in scripturis locum habeat inibique res aliqua breviter tangatur, quæ postea disertius explicatur; hinc tamen non conficitur, quod & h. l. danda sit prolepsis, sive quod hic vs. 24. breviter structura altaris tangatur, quæ deinceps vs. 26. uberius explicetur. Cur enim (1.) præced. vs. 24. prius executio structionis ab Historiographo sacro recenseretur & dehinc demum seq. vs. 26. sine notabili connexionis signo mandatum de eodem struendo describeretur & rursus mandati illius executio subseq. vs. 27. 28. memoraretur? Annon (2.) Contextus satis ostendit, Gideonem per Angeli apparitionem ab initio territum, occasione *pacis*, quam Deus terrefacto annunciabat, sua sponte & non eo fine, ut in illo sacrificaret, sed ut *monumentum pacis* & *memoriale Domini* esset, altare hoc construxisse, illudque ab ista *pacis annunciatione* nomine *pacis* in memoriam rei insignitum esse; dein v. *nocte illa insequente* (quomodo Vatablus non male voces בלילה ההוא versu mediate seq. 25. positas reddit) mandatum de sacrificando tauro & hoc fine altari Baalis destruendo & contra ejus loco altari alio in usum sacrificii exstruendo accepisse? Nocte inquam *insequente* mandatum accepit de altari in usum sacrificii exstruendo, cum jam interdiu Angelus Domini ipsummet populi Israëlitici Ducem constituisset & ipse signo confirmatus & pacis annunciatione erectus altare in monumentum condidisset, pacis nomine insignitum. Non ergo unus idemque actus vs. 24. & vs. 26. 28. describitur. Conf. inf. seq. §. 7. Verum de adjuncto temporis pro nobis militante seorsim nonnihil dicendum erit.

§. 3. *Tempus* autem *structionis* hic præcipue attenditur, vel *quando* Gideon Altare struxerit; dein tamen & *durationis* tempus s. *quamdiu* steterit altare, hic attingere non inconveniens fuerit. *Tempus structionis* insinuari videtur particula quæ primæ hic voci jam expositæ ויבן *& struxit*, præfigitur. Licet enim communiter illud ו sit *conjunctio* primarioque & usitatissime significet *copulative*, sæpius v. *adversative*; nonnunquam tamen etiam pro adverbio temporis *tunc* adhibetur Gen. 3: 6. &c. Sic Gen. 15: 6. והאמין ubi Junius: *tunc credidit Abram.* Conf. Glass. Phil. S. l. 4. Tr. 1. obs. 7. Similiter & hoc loco commode per *tunc* redditur, quomodo Lutherus: da bauet Gideon &c. Unde patet Gideonem altare struxisse *tunc* h. e. eo die, quo Deus ipsum in Ducem & liberatorem Israëlitarum elegisset vs. 14. 16. eidemque miraculo ignis ex petra producti vel potius conspectu Angeli perterrefacto *pacem & vitam* annunciasset, dicendo: *pax tibi* &c. Nocte vero hunc actum structionis insequente mandatum de altari Baalis destruendo & altari alio, in usum sacrificii condendo, accepit v. seq. 25. 26. Ceterum si de tempore structionis ulterius quæritur, quo millenario, quo seculo & quo anno ab orbe condito, quo denique anno ante Christum hoc altare sit exstructum, respondemus, juxta vulgarem æram factum id esse millenario ab orbe condito tertio, seculo septimo annoque circiter septuagesimo; ante Christum vero natum anno circiter 1270. Primum enim Millenarii ab orbe condito tertii seculum fuit Abrahami & Isaaci, secundum Jacobi. 3. Josephi 4. Amrami 5. Mosis 6. Jhosuæ 7. Deboræ & Gideonis. Conf. Tab. Chronol. Schraderi. Quod denique attinet quæstionem, *quamdiu duraverit* vel steterit hoc altare, ecce locus noster his respondet verbis: עד היום הזה עודנו i. e. *usque in hunc diem adhuc* sc. stat; illud v. intelligendum est de tempore quo Hagiographus ista scribebat. Alias vero quamdiu præcise steterit non memoratur, nec refert nostra hoc ipsum determinari.

§. 4. A *tempore* progredimur ad *Locum*, qui primo hic designatur sequente voce שם *ibi*, dein vero in sequente versus hujus membro exprimitur voce בעפרה *in Ophra,* quibus certe vocibus ad præcedentes versus 11. & 19. remittimur, ubi & mentio cujusdam *quercus in Ophra* habetur, quæ ad Patrem Gideonis spectabat, & sub qua Angelus Domini residebat vel subsistebat, cum Gideoni appareret eumque miraculo confirmaret simulque territum annunciatione pacis reficeret. Iste ergo *locus* structionis indigitatur voce שם *ibi*, adeoque *locus*, in quo altare hoc fuit structum cum generatim tum speciatim designatur: generalis fuit Civitas *Ophra*, specialis v. ubi *quercus* Patris Gideonis *in Ophra* extabat. Describitur v. hæc civitas *Ophra* hoc ipso versu 24. quod fuerit עפרת אבי העזרי h. e. *Ophra Abiezritæ.* Quæ verba seq. c. 8. 27. exponuntur, quod Ophra fuerit Civitas Gideonis, cum dicitur: *Gideon constituit Ephod* בעירו בעפרה h. e. *in Civitate sua in Ophra*, in qua civitate Gideon quoque sepultus dicitur seq. vs. 32. c. 8. ubi & hæc civitas iisdem quibus hoc loco verbis describitur, sc. per עפרת אבי העזרי quæ verba ibi & hic Lutherus reddidit zu Ophra des Vaters der Esriter/ quasi אבי העזרי essent duæ voces; Sed quomodo quæso *Ophra* Civitas & locus (quod ipse Lutherus indicat hic voce zu/ zu Ophra) *Pater Ezritarum* dici potest? Quod vero אבי העזרי sit nomen compositum patronymicum & reddendum per *Abiezritam*, jam supra præced. artic. 1. §. 5. ostensum pluribus est. Non autem frustra, sed differentiæ causa sic describitur Ophra: duæ enim fuerunt Ophra: una in tribu *Benjamin*, de qua Jhos. 18: 22. altera in tribu *Mnasse*, quæ hic dicitur *Ophra Abiezritarum*: *Abiezer* enim, ex quo parens Gideonis Joasch fuit oriundus (unde & אבי העזרי dicitur h. e. *Abiezrita*) fuit ex nepotibus Mnassis, Conf. Jhos. 17: 2. & præced. Artic. 1. §. 5.

§. 5. Post locum designatur hic *Objectum* structionis s. *circa* quid versatus fuit Gideon structor. Vocatur hoc in fonte מזבח s. *Altare*, cujus 1. *vocem* 2. *materiam* 3. *formam* paucis notari fas est. Quod ipsam (1) *vocem* attinet, in fonte quidem vocatur מזבח non tn. vere fuit מזבח: Si enim vocis hujus Radicem respicimus, quæ זבח & *mactare*, *sacrificare* significat, certe מזבח proprie *sacrificatorium* est, in quo זֶבַח h. e. sacrificium s. θυσία h. e. victima offertur, s. locus immolationis: nam altaria primitus & principaliter eum in finem erigebantur, ut in iisdem sacrificaretur. Ita suo jam tempore Noach erigebat altare in sacrificium Gen. 8: 20. Alias vero altare Ebræis vocatur במה 1. Reg. 3: 2, 4. & alibi, quæ vox generaliter notat *excelsum* sc. locum, speciatim locum quo sacrificatur h. e. *altare.* Unde & ap. Latinos *altare* dicitur ab *alto*, eo quod altaria in altum supra terram struebantur, conf. Exod. 37: 25. c. 38. 1. Præterea & Latinis dicitur *ara*, quod nonnulli derivant ἀπὸ τῆς ἀρᾶς i. e. à *voto*, vel eo quod vota veterum circa altaria fiebant, vel quoniam vota illa in altaribus implebantur. Cæterum vox *altaris* varie sumitur in sacris: modo *proprie*, modo *tropice*. *Proprie* sumitur

tur pro *altari materiali*, quale vel *ante* legem vel *sub* lege dabatur. *Ante legem* struxit altare *Noach*, cujus jam meminimus, *Abraham* Gen. 12:7, 8. c. 22. 9. Jac. 2:21. *Isaac* Gen. 27:25. *Jacob.* c. 33. 20. c. 35. 1. 3. 7. *Moses* Exod. 17:15. *Sub lege* vero DEUS duo sibi altaria curavit exstruenda, nempe 1. מזבח העלה i. e. *altare ascensionis*, ceu vocatur Exod. 38:1. &c. h. e. *holocausti*, quod elevabatur super altare, vel quod combustum faciebat fumum ascendentem. Græcis dictum θυσιαστήριον à θυσία *victima, sacrificio.* 2. מזבח הקטרת s. *altare suffitus*, ceu appellatur Exod. 37:25. & alibi. Græce dictum θυμιατήριον. Huc quoque referimus altaria, in quibus neque sacrificia offerebantur neque suffitus adolebantur, sed quæ erant memoriale, vel signum. Conf. seq. §. 6. fin. uti hoc altare Gideonis, item illud Rubenitarum Jhos. 22. &c. Deinde *tropice* vel *metonymice* sumitur modo pro *victima*, quæ offerebatur in altari 1. Cor. 9: 13. modo pro *cultu Levitico* 1. Reg. 19: 10, 14. modo pro *cultu Dei in genere* Ps. 26: 6. Ps. 43: 14. Matth. 5: 23, 24. &c. Verum de *vocis* hujus Etymologia, Synonymia & homonymia sic satis. Quod attinet (2.) *Materiam ex qua* altaris hujus, illa quidem hic non definitur, nec multum refert scire, utrum fuerit ex *ligno*, quale fuit altare holocaustorum in Tabernaculo Exod. 27: 1. an v. ex *lapidibus*, quale deinceps in Templo secundo fuisse scribitur altare holocaustorum, quod in templo primo fuit æneum 1. Reg. 8: 64. 2. Chron. 4: 1. c. 7. 7. Verosimile tamen est, ex rudiori atque informi materia, nempe vel ex terra s. cespite, vel ex lapidibus insectis vel impolitis fuisse constructum, cum subitaneum s. extemporale fuerit: nam & Deus altaria ex tali materia rudi, opere tumultuario, in peregrinatione vel extra ordinem construi jubebat Exod. 20: 24, 25. ne scil. specie sua artificioque posteros ad superstitionem allicerent &c. Tandem (3.) nec de *forma* ejus constat, an fuerit 1. longitudine quinque cubitorum, latitudine totidem adeoque *quadratum*. 2. *cornutum* h. e. circa angulos cornibus ornatum. 3. *cavum* &c. qualis olim forma fuit altaris holocaustorum in Tabernaculo Exod. 27: 1. seqq. c. 38. 2. seqq. Missa igitur forma ac materia altaris, ad *finem* structionis properamus, quem utique scrutari nostra permagni interesse patebit.

§. 6. *Finis* vero structionis hujus altaris est vel *cui*, vel *cujus*. *Prior* diserte hic exprimitur voce ליהוה i. e. DOMINO: quemadmodum enim cetera V. T. altaria, ita & hoc Gideonis, in honorem Dei exstructum esse quis negaret? De ipsa voce יהוה notum quod nomen sit Dei proprium, nulli creaturæ communicabile. Notandum vero hic, Dominum, cui altare hoc fuit exstructum, quique illud appellavit שלום, ipsum esse Angelum illum, qui in præcedd. Gideonem constituit Ducem populi Israëlitici vs. 14. 16. & cui hic mincha produxit vs. 19. quique signo jam dato è conspectu Gideonis quidem abiit vs. 21. sed tamen eidem, corpore licet assumto non amplius apparente, dixit: *Pax tibi, ne timeas, non morieris* vs. 23. adeoque Angelum illum Domini non fuisse creatum sed increatum, ipsum יהוה Dei Filium creatorem, cui ipsi, non excluso Deo Patre & Sp. S. altare hoc erexit. Probat vero contextus, Angelum illum non fuisse creatum, (quod cum Socinianis, Tostato, Vatablo, Serario aliisque Papistis vult Grotius) sed *increatum, ipsum Jhovam Filium* adeoque non ἀγγελοψίαν sed θεοφανείαν hoc cap. 6. describi: nam (1.) *nomen* ipsi יהוה Dei proprium tribuitur vs. 14. cum dicitur: *respexit ad* eum (Gideonem) *Dominus*, quicquid etiam Grotius ad hæc verba oggranniat ita scribens: *Angelus vocatur* יהוה *quia DEI vices ac potestatem gessit.* Nuspiam enim in scripturis Angelus in casu recto vocatur Jhovah ideo, quod Dei vices ac potestatem gesserit. Neque Angelus Dei vicem gerit; nec Deus ubique præsens tali vicario indiget: multo minus convenit, nomen Dei essentiale, proprium & incommunicabile angelo tribuere ministro. Ecquis Leopoldi Imperatoris Legato ipsum LEOPOLDI vel Imperatoris nomen in casu recto tribueret? Legatus quidem LEOPOLDI & Imperatoris dicitur, non vero Leopoldus nec Imperator. (2.) *mittit Gideonem populi Ducem* vs. 14. ut virtute hujus vocationis miraculose populum eriperet ac servaret: quæ missio certe divina est. (3.) Vocatur à Gideone אדני cum (·) vs. 13. & 15. quod nomen nulli competit Angelo vel creaturæ, sed soli quoque DEO proprium est. (4.) miraculosam contra Midianitas victoriam promittit vs. 16. (5.) oblatione sacrificii à Gideone, juxta plerosque Interpretes, honoratur, quod non nisi Deo offerendum. Licet autem sacrificia ordinarie in tabernaculo vel ubi fœderis Arca subsistebat, & non nisi à Sacerdotibus offerri debuerint Conf. Jhos. 8: 30, 31, 33. &c. extraordinarie tamen etiam quandoque à non-Sacerdotibus, extra tabernaculum & extra locum Arcæ ad peculiare DEI mandatum, vel ubi se DEUS gratiose manifestabat deque voluntate sua testabatur (uti h. l.) offerebantur. Conf. 1. Reg. 18: 30, 32. Equidem videtur Gideon ab initio epulum simul parasse, cum totum farinæ infermentatæ modium pararet & jus carnium in olla proferret vs. 19. atque ita certe volumus intellecta, quæ supra Sect. 1. parasceuastica. m. 2. §. 4. in præcedentis historiæ s. συναφείας evolutione de isthac Gideonis oblatione & muneris præparatione sumus commentati; eventus tamen docet, non epulum (ceu Grotius ad vs. 19. commentatur, dicens: *obtulit ei ut ederet*) sed sacrificium à Gideone hic esse celebratum: Vel si mavis cum Theodoreto, annotante B. Calovio in Bibl. illustr. ad Jud. 6: 14.) ipsum Domini Angelum obtulisse sacrificium; quod Angelo certe creato non competit; Filio autem DEI tanquam æterno Sacerdoti apprime convenit. Filius ergo DEI hic apparuit non Angelus minister. Conf. B. Calov. l. c. Quod vero ibid. ex translatione Juniana subjicit: *exstruxit ibi Gideon altare, cum proclamavisset ipsi Jhovah pacem*, de illo paulo post Artic. 2. §. 2. circa *denominationem* Altaris dicemus. Interim jam patet, Dominum illum, cui altare erexit Gideon, fuisse Angelum illum, qui ipsi apparuit eumque ducem constituit, & proxime pacem annunciavit. Hactenus de *fine cui.*

§. 7. *Finis cujus* structionis non erat, ut in eo *sacrificium offerretur*, vel suffitus adoleretur, vel ut esset *Thysiasterion* sive *Thymiaterion*, sed ut esset tum *memoriale* Domini s. *monumentum gratiæ divinæ singularis*, Gideoni hic præstitæ vs. 14. 21. tum *signum* vel *testimonium pacis* ac *vitæ*, à Deo Gideoni versu proxime præced. 23. annunciatæ. Quod *probamus* (1.) ex *altaris* hujus *denominatione*, collata cum dicto versu præced. 23. Audita enim hac voce Domini ad Gideonem perterrefactum directa: *pax tibi, ne timeas, non morieris vs.* 23. confestim is ibidem altare Domino condit & Dominus illud altare appellat שלום i. e. *pacem* vs. 24. Ut ita hæc ipsa altaris *nomenclatura* ad eandem gratiæ divinæ *pacisque* annunciationem respiciat, ipsumque altare non nisi in *memoriale* s. *monumentum* gratiæ hujus divinæ *signumque & testimonium pacis* vitæque erectum arguat. Prob. 2. ex *alterius altaris in usum sacrificii exstructione.* Postquam enim Gideon præsens hoc altare, in memoriale Domini signumque pacis condidisset vs. 24. mox ipse mandatum, de altari holocaustorum erigendo, in quo offerret taurum Patris sui, accepit vs. 26. cujus mandati quoque executio seq. v: 27. & 28. in fine describitur, imo & sacrificium in eodem ex continenti ad mandatum Domini peractum memoratur. Si vero alterum illud altare vs. 26. 28. eum in finem jussu Dei à Gideone in Ophra est erectum, ut in eodem holocaustum offerretur, simulque ipso actu in eodem taurus patris Gideonis fuit oblatus, nonne vero simile est, præsens Gideonis altare vs. 24. paulo ante exstructum, fuisse tantum *memoriale signumque* gratiæ pacisque non vero etiam *Thysiasterium* s. altare holocaustorum? Neque juvat hic dicere unum esse idemque altare, cujus vs. 26. 28. mentio habetur, & de quo h. l. ad vs. 24. disceptatur: illud enim dubium jam præced. §. 2. excussum. Distincta enim altaria esse, textus circumstantiæ docent. Prob. (3.) *à similium altarium* non in usum sacrificiorum, sed in *memoriale* & *signum* s. *testimonium* gratiæ divinæ *erectione.* Tale erat (1.) altare Mosis Exod. 17: 15. cui nomen indidit יהוה נסי *Dominus vexillum meum.* Sane non alio fine hoc altare Moses erexit & nomine hoc insignivit, quam ut & sibi & Israëlitis tum *memoriale* esset Dei, qui vexillum Mosis & Israëlitarum in bello contra Amalek fuerat magnamque ipsis victoriam concesserat, tum quoque *signum* perpetui contra Amalek belli; conf. præced. vs. 14. & seq. Tale (2.) magnum illud Altare *Rubenitarum* Jhos. 22: vs. 10. 23, 26, 28. ubi diserte Rubenitarum, Gaditarum & dimidiæ tribus Mnassis excusatio & protestatio legitur, quod non ædificarint hoc altare ad Jordanem in *usum sacrificii*, sed ut sibi ac posteritati *luculentum conjunctionis* suæ cum reliquis tribubus in eadem Religione, non obstante Jordanis termino, *testimonium signumque foret.*

MEM-

MEMBRI II.

exponentis

ORATIONEM LOCI POSTERIOREM f. ALTARIS DENOMINATIONEM,

ARTICULUS I.

DE SUBJECTO f. NOMENCLATORE qui est יהוה

§. 1. Post structionem altaris, appellationem quoque ejus expositturis primo *Appellans* sive *Subjectum* orationis hujus posterioris ויקרא לו יהוה שלום i. e. *& vocavit illud Jehovah pax*, deinde prædicatum & quæ eidem involvuntur, investiganda sunt. Quod (1.) *Subjectum* orationis f. *appellantem* vel *nomenclatorem* attinet, vulgo quidem juxta versiones ab initio recensitas putatur is ipse structor esse Gideon; Verum si fontem consulimus & accentuationem verborum jam adscriptorum, certe non Gideonem, sed ipsum *Jhovah* f. Dominum, qui ante Gideoni apparuerat & cui altare hoc fuit erectum, nomine illud proprio insignivisse, deprehendimus: Quod ubi jam, ceu fas est, ex fonte ostenderimus, simul patebit, *nomen* ipsum altaris non fuisse יהוה שלום h. e. *Dominum pacis* f. *pacem Domini* &c. uti vulgo quidem secundum versiones jam dictas censetur. Esse vero *Subjectum* orationis hujus & appellantem non Gideonem, sed ipsum יהוה f. *Dominum* adeoque nomen altaris non esse יהוה שלום f. *Dominum pacis &c.* luculento nobis argumento est *Accentus distinctivus*, *Rex* minor Tipcha, in voce יהוה f. *Dominus*: is enim infallibiliter ostendit, vocem יהוה nequaquam cohærere cum seq. voce שלום nec in regimine cum eadem construi hoc sensu: *& vocavit illud Dominum pacis*, vel similiter, adeoque nec vocem יהוה h. e. *Dominus* ad *nomenclaturam* altaris spectare, sed ipsum *nomenclatorem* designare, cum semper vocem in regimine (qualis h. l. יהוה ex hypothesi adversantium) magis cum seq. quam præced. cohærere, adeoque non accentu distinctivo Rege Tipcha disjungi, sed potius accentu conjunctivo h. e. ministro quodam conjungi cum seq. oporteat. Unde sequitur, juxta versiones & vulgarem loci interpretationem, talem certe accentuum positum ויקרא־לו יהוה שלום fuisse dandum, ut לו haberet distinctivum Tipcha, יהוה conjunctivum merca; jam vero cum non talis modi, sed alius detur, & contra vox לו habeat accentum conjunctivum servum Merca, vox autem יהוה distinctivum Regem Tipcha h. m. ויקרא־לו יהוה שלום dubium est nullum, quin ipse יהוה sit appellans, adeoque vox illa יהוה ad nomen altaris plane non spectet.

§. 2. Sed ne gratis hoc dixisse videamur, locis id quibusdam parallelis f. similiter interpunctis probare non pigramur. Ecce enim (1.) Isai 7: 14. וקראת שמו עמנו אל *& vocavit nomen ejus Emmanuel*: hic distinguit idem Rex Tipcha vocem שמו h. e. *nomen ejus* & vocem primam nominis compositi עמנו *Immanu* per acc. servum merca cum sequ. voce אל conjungit. Quod si illud & hic fieret in voce יהוה, certe illa non appellans h. l. sed pars compositi nominis altaris foret. Sed (2.) adhuc alium & magis parallelum producimus locum Exod. 17: 15. *Et struxit Moses altare*, ויקרא שמו יהוה־נסי *& vocavit nomen ejus: Jhovah vexillum meum.* Hic nomen יהוה non designat appellantem, sed pertinet ad compositum altaris Mosaici nomen; quod est *Jhovah nissi*, adeoque non habet Accentum distinctivum Tipcha, uti hic Judic. 6. sed conjunctivum merca.

ARTICULUS II.

De PRÆDICATO POSTERIORIS ORATIONIS seu NOMENCLATURA ALTARIS, quæ est שלום.

§. 1. Ostenso sic Orationis hujus *Subjecto*, sive probato jam, quis fuerit altaris *nomenclator* f. appellans, dehinc quoque *prædicatum* f. *appellationem* f. *nomen* ejus intueri sedet. Prædicatum involvit 1. *actum* appellationis. 2. *Objectum*. 3. *nomen* prius de *actu* appellationis, qui designatur voce ויקרא *& vocavit*, pauca notemus quam *nomen* ipsum videamus, oportet. *Objectum* enim appellationis, notatum voce לו h. e. *illud* f. altare, quoniam cum objecto structionis idem plane adeoque supra jam expositum est, nova commentatione haut indigere putamus. Radix קרא, unde hic vox ויקרא qua *actus* designatur, multas habet significationes, quas Lexicographi recensent. Inter alias vero generaliter significat *vocare* f. *nomine* f. *verbis*. Varie quoque in illa significatione construitur, nimirum vel cum *Dativo* mediante particula ל, vel cum *Accus.* sive absolute sine particula f. cum particula אל ב את & על addita voce שם i. e. *nomen*, ut Isai. 7: 14. וקראת שמו Gen. 28: vs. 29. ויקרא את שם המקום בית אל vel etiam remota voce שם, cujus exempla in subseqq. & tunc significat vel *vocare aliquam personam f. rem nomine jamjam imponendo* i. e. *inde re alicui nomen*; vel *vocare aliquem nomine jam ante imposito.* Vel si ad rem refertur, *indicere* aliquid: vel si nomen יהוה post vocem שם cum præfixo ב addatur, *invocare Deum, cultum Deo externum præstare*: unde patet quid h. l. ויקרא significet. Nimirum quia construitur cum Dat. mediante ל in voce לו, licet non addatur vox שם i. e. *nomen*, significat *vocare* rem h. l. *altare*, nomine jamjam imponendo. Probamus id collatione aliorum locorum, eandem plane phrasin in simili materia sine additione vocis שם adhibentium. Sic (1.) Gen. 1: 5. ויקרא אלהים לאור יום *& vocavit Deus lucem diem* ולחשך קרא לילה *& tenebras vocavit noctem.* (2.) Genes. 16: vs. 14. ubi de Hagar על־כן קרא לבאר באר לחי ראי *propterea vocavit puteum illum, puteum viventis videntis me.* Laudamus enim versiones, quæ h. l. reddunt: *& vocavit illud.*

§. 2. Quæritur autem quid de Juniano Piscatoriana superius citata versione h. l. sit habendum, quæ ita habet: *cum proclamasset* (Pisc. promulgasset i. e. promisisset) *ipsi Jhovah pacem* i. e. cum Gideonem & de sua & de communi Israëlitarum salute confirmasset. Laudamus hos Interpretes in quantum *Accentus* illius distinctivi *Tipcha* in יהוה nobiscum rationem habent, adeoque יהוה *Jhovah* nobiscum orationis hujus subjectum agnoscunt; non autem partem nominis, quod altari inditum, cum aliis faciunt. Diserte enim hanc rationem versionis subjiciunt dicentes: *hanc nostram interpretationem germanam esse clamitant distinctiones f. Accentus.* Conf. quæ præced. Articulo de orationis hujus distinctione f. accentuatione disseruimus. Ceterum non probamus in eo, quod (1) præfixum ו conversivum in ויקרא per *cum* reddiderunt: talis enim acceptio ו conversivi non est usitata. (2.) quod verbum קרא vertunt *proclamavit*, i. e. promulgavit: cum tamen קרא non minus h. l. *appellandi* vel *vocandi* significationem habeat, quam in locis sub finem §. 1. præcedentis, licet vox שם h. l. non sit adjunctum, sicut nec in locis jam dictis adjunctum reperitur. Quid? quod etiam hæc loquendi ratio sit inusitata; contra usitatum fuerit altaribus erectis nomina imponere: quod quidem de altari Mosis Exod. 17: 15. ex dictis manifestum est. Sed de altari, quod *Jacobus* erexit Genes. 33. ult. adhuc quæritur, an sc. verba hæc ויצב־שם מזבח ויקרא־לו אל אלהי ישראל importent hoc, quod Jacobus altare etiam à se conditum nomine insigniverit & quodnam ejus nomen fuerit? Quidam interpretes negant, dum ita reddunt: *& sacrificavit super illud*, ut Chaldæus, לו interpretans per עליה. Alii: *& invocavit super* (*ad*, *juxta*, *ibi*, *ante*) *illud* nomen Dei fortis Israël, ut LXX, Vatabl. Tigurini, Munsterus, similiter Luth. Alii vero verba ויקרא־לו reddunt rectius per: *& vocavit illud* (altare) Nam (1.) non videmus, quid obstet, quo minus verba ויקרא־לו non in loco quæstionis Gen. cap. 33. pariter ac in historia de Alt. Gideonis sint reddenda per: *& vocavit illud* sc. altare i. e. nomine insignivit. 2. non additur vox שם ut reddi possit, *& invocavit nomen.* 3. præter necessitatem lo interpretantur per עליה *super* ipsum. 4. militat pro nobis consuetudo conditis altaribus nomina imponendi. Quod vero *nomen* spectat ipsum, dicimus illud fuisse אל אלהי ישראל h. e. *fortis Deus Israël*: non quod altare fuerit *Deus Israël*, ut Gerundensis locum exponit, sed quod Deo inscriptum & consecratum esset altare, ut recte Corn. à Lap. f. quod fuerit signum & memoriale ejus, f. quod fortissimus Deus Jacobum liberaverit à malis. Menochio videtur hæc fuisse inscriptio altaris: *Ara fortis Dei Israël.* Simile judicium esto de nomine Altaris, quod Rubenitæ exstruxerunt Jos. 22: 34. & *vocaverunt filii Ruben & Gad altare, quia testis illud inter nos, quia Dominus Deus.* Ubi quidam putant nomen ejus fuisse עד *testis* f. *testimonium*, supplendum ex seqq. כי עד הוא, quæ rationem reddunt appellationis. Alii aliter. Cogimur abrumpere moniti, terminum prope instare. Ex dictis ergo constat consuetudinem nomina indendi altaribus olim obtinuisse & consequenter dubium non esse, quin verbum ויקרא h. l. rectius quoque reddatur per: *& vocavit*

tavit (appellavit) *illud*, quam juxta Jun. Trem. & Pisc. per: *cum proclamasset illi pacem.* De actu huc usque.

§. 3. Tandem vero post *actum* appellationis de ipso altaris *nomine* præprimis quæritur, an sc. illud sit יהוה שלום i. e. *Dominus pacis*, an *Domini pax* &c. Ostendimus v. præced. Articulo I. ex accentuatione Ebræa, *Subjectum* orationis hujus s. *appellantem* esse יהוה *ipsum Dominum*, adeoque יהוה non pertinere ad nomen altaris, cum יהוה per accentum Regem Tipcha à seq. voce שלום distinguatur; si vero ad nomen altaris vox יהוה spectaret & compositum ejus nomen esset, certe hæc per accentum servum conjungenda cum שלום fuisset, uti eadem vox יהוה in nomine altaris Mosaici יהוה נסי per accentum servum cum seq. voce נסי conjuncta spectatur Exod. 17: vs. 15. Relinquitur ergo nomen altaris nostri fuisse שלום i. e. *pax*, adeoque versiones sectione I. adscriptas & secus habentes à fonte suo aberrare. Quomodo a. vox שלום ap. Ebræos omnem comprehendat prosperitatem, ita ut Ebræi salutationis loco ad se invicem dicentes שלום לך i. e. *pax tibi*, omnem precentur incolumitatem, nihil attinet hic ulterius commentari. Neque nobis ad portum jam properantibus licet esse prolixioribus. Unum tamen, quod excipiendo posset interpretationis nostræ fundamento opponi, paucis ut expediamus necessum videtur. *Dicas* enim: Accentum *Tipcha* in יהוה non infallibiliter arguere, vocem illam יהוה non esse partem nominis, quod inditum altari, cum accentus ille frequenter nihil distinguat, ceu inter plura alia videre est ex Jon. 2: 1. *& oravit Jonas* ממעי הדגר i. e. *ex visceribus piscis*, ubi idem Tipcha in voce ממעי positus nihil plane distinguit, cum vox ממעי i. e. *ex visceribus*, stans in regimine, juxta superius dicta, arctissime cum sequenti voce cohæreat atque ita accentum requirat conjunctivum, qualis adeo Tipcha censendus fuerit. Resp. Necessitas sequelæ & proportio accentuationis in usu accentuationis distinctivo semper excipitur: nullus enim datur locus biblicus, ubi non inter Sakeph-katon Regem & Atnach Imperatorem Vicarium, item inter Sakeph-katon & Silluk Imperatorem maximum, nec non inter Atnach & Silluk semper ponendus sit *Tipcha* subdistinctivus s. vox sit nectenda s. distinguenda. Hinc in ditione duarum tantum vocum, (qualis datur l. c.) sub accentibus Dominis jam dictis requiritur hic subdistinctivus Tipcha, non tamen æque perfecte tunc distinguens, sicut alias; sed tantum emphatica quadam mora & gravitate tardans celerem alias vocis decursum, uti l. c. in voce constructa ממעי lectorem monet, ut lectionis cursum parumper sistat cogitetque, quale fuerit Jonæ Oratorium, sc. *viscera*: h. m. *& oravit Jona in visceribus*, in visceribus inquam *piscis*. Sed vela contrahimus.

ANDR. DAV. HABIKHORSTII
DISSERTATIO
De Ephod Gideonis ad Judic. VIII: 27.



POst *Altare Gideonis*, ex Judic. 6: 24. non ita pridem abs nobis Disquisitione paulo pleniori tractatum, ejusdem quoque EPHOD, quod in civitate sua *Ophra* ἐθελοθρησκείας reus posuit *Gideon*, ubi & *Altare* illud struxerat, quin brevi Dissertatione dignaremur, facere non potuimus, inducti cum materiæ quadam cognatione, tum promissorum obligatione. Jam enim superiori disquisitione quandam *Ephodis* hujus mentionem fecimus, ubi Sect. 2. m. 1. Artic. 1. §. 7. de *Senectute obituque* Gideonis, an beatus fuerit, disquisivimus, & objectionem de *Ephod* ejus, quo peccasse putatur graviter, paucis diluimus; sed uberiorem ejus exegesin alia peculiari Dissertatione, quæ *posterior* de *Gideone* jam erit, polliciti sumus. Ut vero hanc quoque tractationem *Ephodis*, sine singulari tamen studio susceptam, ordine quodam instituamus, duabus illam Sectionibus βραχυτόφιλοι absolvemus: & prior quidem *Exegetico-Critica sensum* loci de *Ephod* genuinum, *quid* sc. *Ephod* fuerit, quoque *fine* & *successu* sit confectum, & *an* conficiendo illud Gideon & *quomodo peccaverit*, pluribus indagabit; posterior vero *practica usum* loci de *Operibus electitiis* brevibus indicabit.

Locus verò in fonte sic habet:

ויעש אותו גדעון לאפוד ויצג אתו בעירו בעפרה ויזנו כל־ישראל אחריו שם ויהי לגדעון ולביתו למוקש:

Versio Pagnini & Ariæ Montani:

Et fecit ex eo (Ar. illud) *Gidhon Ephod, & posuit* (Ar. statuit) *illud in Civitate sua in Hophrah, & fornicati sunt omnis Israël post eum ibi, fuitque Gidhon & domui ejus in offendiculum* (Ar. laqueum)

Versio Lutheri:

Und Gideon machte einen Leibrock drauß / und setzt es in seine Stadt Ophra / und gantz Israel verhurte sich dar an daselbst / und gericht Gideon und seinem Hause zur Ergerniß. Esto igitur (sed voto prius laborem consecramus: אנא יהוה הצליחה־נא)

SECTIO I.
EXEGETICO-CRITICA
indagans
GENUINUM LOCI SENSUM.

IN genuinum loci *sensum* primitus inquisituris tres expedire quæstiones præprimis incumbit. Scil. I. *Quid Ephod* Gideonis fuerit? II. *Quo fine & successu* Gideon hoc Ephod confecerit? III. *An* conficiendo Ephod & *quomodo* Gideon *peccaverit*? Cujus quæstionum *trigæ* gratia *tres* constituimus sectionis hujus *Articulos*, quos ubi expediverimus, sensus loci hujus sic satis elucescet. Ut enim hic de *Autore* hujus Ephod sc. *Gideone* ipso ejusque *nomine*, *agnomine Jrubbaal*, hujusque *mutatione*, item *origine* agamus, simulque de *Loco*, ubi Ephod illud posuit, sc. *Ophra* civitate Gideonis, disquiramus, minime necessum judicamus, cum de utroque jam superiori Dissertatione ad *Altare Gideonis* prolixius actum fuerit. Conf. Disp. dictæ Sect. 2. Artic. 1. §. 1. & seqq. Artic. 2. §. 4. Esto igitur

ARTICULUS I. sistens
QUÆST. I.
Quid Ephod Gideonis fuerit?

§. 1. PRimam hanc Quæstionem, *quid Ephod Gideonis fuerit*, ut eo facilius exponamus 1. *varias* de eo *sententias* προσοιδιασικῶς recensebimus. 2. pro genuina tanto magis roboranda cum *etymologiam* vocis ejusque communissimam acceptionem, tum *materiam* ex qua confectum &c. κατασκευασικῶς producemus, & 3. *Rationes adversantium* ἀνασκευασικῶς visuri sumus. Quod 1. *varias* attinet de *Ephod Gideonis sententias* (a) *Procopius* & alii ex relatione *Alphonsi Tostati* statuunt fuisse *idolum*, cum in textu addatur: *& fornicati sunt omnis Israel post eum ibi.* (b) *Cajetanus* vero,

Arias Montanus, *Jun. & Tremellius*, *Drusius*, *P. Martyr*, aliique censent non fuisse idolum sed *trophæum* quoddam s. perpetuum illustris victoriæ, præced. c. 7. descriptæ, monumentum sive Symbolum, cum Gideon hic illud dicatur *statuisse in Ophra.* Quibus & *Grotius* subscribit, ad verba loci (*& fornicatus est post eum omnis Israël,*) ita scribens: *Est πρόληψις: nam post mortem demum Gideonis, id, quod monumentum victoriæ fuerat, versum est in usum idololatriæ, infra vs. 33.* (c) Alii tamen cum *Augustino*, *Theodoreto*, & *Lyrano* de *Pontificali* Ephod s. *veste humerali* intelligunt, ita ut sub Ephod tanquam veste Pontificali primaria ceteræ vestes & ornamenta adeoque totus Pontificalis ornatus subintelligatur. Qua v. fine atque omine illam confecerit Gideon sequ. quæstione secunda exponetur. Ultimam hanc sententiam suo probant calculo plures, *Lutherus* scil. *Chytræus*, *Osiander*, *Gerhardus*, de Bon. op. §. 16. *Danhawerus*, Hodom. Pap. phant. 6. *Calovius* Bibl. illustr. h. l. *Corn. à Lapide*, *Salianus*, *Serarius*, *Bonfrerius*, *Pfeifferus* in dub. vex. h. l. *Schindl.* in Lex. Pentagl. &c. quibus & nos suffragamur.

§. 2. Pro hujus vero sententiæ confirmatione præter autoritates jam dictas pugnat 1. ipsa *vocis etymologia*: est enim Ephod à Rad. אפד *aptavit*, *induit*, *ambiit*, *superinduit vestem*, quæ semper usurpatur de tunica corpori adstringenda s. adaptanda: unde & Græcum ἅπτω & Latinum *apto* descendere videntur. Extat verbum Exod. 29: 5. & Lev. 8: 7. & ibi quidem in præterito: ואפדת *& aptabis ei* (ipsum Ephod); hic vero in futuro legitur: ויאפד *& aptavit ei.* Hinc nomen mascul. אפוד *Ephod* & fœm. אפדה *superindumentum*, quod in regimine legitur Isai. 30: 22. & cum affixo Exod. 39: 5. Sicut a. Radix s. verbum אפד *aptavit*, semper in scripturis de *veste aptanda* usurpatur: ita (2.) & ipsa vox *Ephod* alibi in Scripturis S. communissime de *veste* accipitur, eaque vel *licita* vel *illicita*: *Licita* quidem, qua usi fuerunt 1. *Sacerdotes*: & hæc vel *aurea*, κατ' ἐξοχὴν *Ephod*, vel *linea*: *auream Summis Sacerd.* solis gestare licebat Exod. 25: 7. c. 28: 4. 6. 28. & 43. cap. 29: 5. hi *gestabant Ephod coram* Domino h. e. cum functionem suam sacerdotalem obirent Exod. 28: 43. 1. Sam. 2: 28. & nominatim cum consulerent DEUM vid. 1. Sam. 23: 9. & cap. 30: 7. ubi quidem David ad Abjathar summum Sacerdotem dicit: הגישה נא לי האפוד *accedere fac quæso mihi Ephod*; unde quidam putant, ipsum Davidem hic induisse Ephod summi Sacerdotis: vid. *Cunæus* de Republ. Ebr. lib. 1. cap. 3. Sed alii rectius statuunt, non petiisse Davidem indui Ephod, sed voluisse, illud sibi applicaret Summus ille Sacerdos, adeoque brachylogiam hic statuentes vertunt: *affer amiculum* & subintelligunt: *& coram me indue, ut Deum pro me consulas*, vid. Piscat. & Menochius h. l. Conf. & de Ephod 1. Sam. 21: 9. & c. 23: 9. Frustra igitur (ut obiter illud moneamus) his locis nititur *Enjedinus in Explic. Locor. V. & N. T.* ut eludat argumentum nostrum ex Ps. 100: 1. deductum, sc. *Messiam non tantum Davidis filium esse, sed & Davidis Dominum atque adeo verum DEUM*: nugatur enim, versiculum 4. Ps. 110. *Tu es Sacerdos* &c. Davidi competere, quippe qui fuerit Sacerdos, quia, quoties Dominum consuluit, veste Sacerdotali Ephod ll. cc. usus fuerit. Conf. *Winkelm.* Tom. 7. Dispp. Giess. Disp. 8. th. 8. Deinde & alii *Sacerdotes* gestarunt *Ephod sed lineum*, officio suo fungentes 1. Sam. 22. 18. Unde phrasis Hos. 3: 4. ישבו אין אפוד *desidebunt nullo Ephod*: Lutherus **ohn Leibrock bleiben** i. e. privabuntur tam publico veri DEI cultus exercitio, quam *Teraphim* (quod additur) i. e. idolis q. d. nec uxores nec meretrices futuri. Non vero tantum *Sacerdotes*, sed & (2.) *Levitæ*, ut *Samuel puer* ministrans in conspectu DEI ut Levita 1 Sam. c. 2: 8. conf. Hieronymus adversus Jovianum, & (3.) *Rex David*, cum deduceretur arca 2. Sam. 6: 14. 1. Chr. 15: 27. *lineo Ephod* fuerunt induti. Hactenus de *licita* veste Ephod. Ad illicitam vero, de qua etiam, licet rarius, vox *Ephod* adhibetur, referimus (1.) *Ephod Micæ*, de quo Judic. 17: 5. & 18. c. 18: 14. 17. 18. 20. (2.) *Ephod Gideonis* h. l. Conf. *Ravanelli Bibl. Sacr.* part. 1. in voce Ephod. Quare vero hoc Ephod illicita fuerit vestis pontificalis, inferius ex dicendis apparebit. Ex dictis vero jam patet, vocem Ephod communissime pro veste præcipueque Pontificali in scripturis adhiberi, à qua ejus acceptione communissima cur hic abeamus, utique non videmus. Accedit (3.) *materia* ex qua Ephod Gideonis confectum, quæ erant *inaures aureæ*, quas duce Gideone per spolium à Midianitis miraculose devictis Israëlitæ acceperunt. Conf. prox. præced. vs. 25, 26. Ex hac enim materia quoque Ephodis nonnulli colligunt, fuisse illud vestem Pontificalem: Ephod enim Pontificale solum ex *auro* aliisque pretiosis rebus conficiebatur Exod. 25: 7. c. 28: 6. seqq. cum Ephod Sacerdotum gregariorum è puro nitidoque *lineo* esset. 1. Sam. 22: 18. Conf. inf. §. 4. Nec (4.) contemnenda est expressa *loci Ophra, civitatis Gideonis, designatio*, in qua Gideon hoc Ephod ordinasse hic perhibetur: in eadem enim civitate jam ante etiam jussu DEI *altare holocausti* exstruxerat, vid. præced. cap. 6: vs. 26. 28. Unde colligimus, in eadem civitate *Ophra* (de qua conf. Disp. nostra *de Altari Gideonis* Sect. 2. Membr. 1. Artic. 2. §. 4.) constituisse quoque Gideonem hoc Ephod, ornatum Pontificalem, ut Pontifex eodem indutus ad altare illud holocausti in Ophra sæpius dehinc sacra DEO faceret &c., de qua constitutione deinceps paulo pluribus dicetur.

§. 3. Nec movemur rationibus aliter sentientium jam quoque inspiciendis. Non obstat (1.) ratio primæ sententiæ, per Ephod *idolum* intelligentis, *quod subjiciatur hic statim, fornicatum esse ejus occasione omnem Israëlem.* Resp. enim negando consequentiam: quia *fornicati post illud*, phrasi Ebræis sueta, dicuntur ideo, *vel* quod eadem veste Pontificali, bona quidem intentione sed citra mandatum DEI confecta, Israelitæ ad cultum Baalim (ad quem defuncto Gideone deflexisse dicuntur vers. sequ. 33.) uterentur & Sacerdos Baal hoc ipso indutus & ornatus sacrificaret, quæ res Idololatriam propter vestis illius præstantiam nonnullamque fors antea in animis hominum excitatam hujusmet vestis religionem, mire videtur auxisse. Conf. *Corn. à Lap. Junius* &c. h. l. *vel* potius dicuntur *fornicati*, propterea quod in altari jam dicto, quod jussu DEI Gideon juxta cap. 6: 26. exstruxerat, sæpius, sed præter imo & contra mandatum DEI sacrificarent, quippe qui jusserat, ut nullo in loco alio quam in tabernaculo fœderis sacra sibi fierent: unde citra speciale DEI mandatum alibi id non erat licitum: neque altare illud à Gideone exstrui curaverat DEUS, ut sæpius in illo sacra fierent, sed ut unicum ibi sacrificium offerretur Judic. 6: 26. 28. Conf. *Calov. Bibl. illustr.* h. l. Non enim idololatria tantum committitur ratione objecti sed & *modi*, cum Deus verus colitur non prout mandavit &c. conf. infr. Artic. 2. §. 2. Nec (2.) quicquam obtinet *ratio sententiæ secundæ*, qua Ephod censetur fuisse non idolum neque vestis Pontificalis, sed *trophæum s. monumentum victoriæ*, eo quod dicatur *Ephod illud statutum esse in Ophra.* Nam & hic negamus consequentiam: Vox enim יצג quæ in fonte habetur, non stricte significat, *statuere*, *ponere* vel *collocare* aliquid *ut monumentum*; sed latius *ponere aliquid in loco*, item *constituere*, *statuere firmiter*, *ordinare.* Ita Job. 17: vs. 6. והצגני *& constituit me* (ordinavit me) *in parabolam* (exemplum) *populorum.* Amos. 5: 15. *Odio habete malum & diligite bonum* והציגו *& statuite* (*ordinate*) *judicium* Luth. **bestellet das Recht.** Sic cap. præc. 7. Jud. vs. 5. *Omnis qui lamberit lingua sua de aquis, constitues* eum (locabis,) *seorsim.* Et cap. 6: 37. *ecce ego* מציג *statuens* (ponens, collocans) *sum vellus laneæ in area* &c. Sensus ergo h. l. est: Gideon constituit s. ordinavit, ut Ephod pontificale à se confectum, in Ophra civitate sua adhiberetur à Sacerdote ex vicinia accersendo ibique dehinc in Altari holocausti, à se jussu DEI exstructo, sacra facturo, vel pro Gideone DEUM consulturo. Sed de his ad seq. quæst. 2. pluribus agetur.

§. 4. Relinquitur ergo, *Ephod* hic fuisse *vestem Pontificalem auream* & Synecdochice per illam omnes intelligi vestes Sacerdotales. Conf. *Augustin.* quæst. 41. super lib. Judic. *Schindl.* Lex. Pentagl. Interpretes vocem אפוד reddunt *amiculum superhumerale*, *superindumentum*, LXX. ἱερατείαν Luth. **Leib-Rock.** De quo, priusquam hinc abeamus, ut adhuc generatim aliquid, & de simulacro ejus speciatim annotemus, oportet. Quod autem non uno ubique modo accipiatur, jam præced. §. 2. expositum est. Confirmemus id quorundam testimoniis, quæ nobis, cum præcedentia jam typis essent expressa, occurrebant, ad præced. §. 2. referenda. Ita vero *Frischmuthus Dissertat. de Pontificum Ebræorum vestitu sacro* cap. 1. §. 7. *PRINCIPIO Ephod* vocantur *lineæ Sacerdotum gregariorum* imo & *Levitarum vestes* 1. Sam. 2: 18. & 1. Sam. 22: 8. Sic enim *Abarbenel* ad 1. Sam. 2. fol. 42. edit. Constantinop. de Ephod Samuelis (brevitatis ergo verba saltem Latine reddita referemus) *meminit scriptura, Samuelem, quod esset de tribu Levi, cinctum fuisse Ephod lineo. Hæc erat vestis ex lino, facta ad similitudinem amiculi* (superhumeralis) *Pontificii*; *fuit tamen figura ejus alia, & vestiti eo omnes erant in universum Sacerdotes. DEINDE Ephod dicitur totum illud aggregatum ex amiculo* (superhumerali) *pectorali & Urim* 1. Sam. 30: 7. *juxta R. D. Kimchi. DENIQUE* propria *&* *Ephod acceptio est pro solo amiculo humerali, quod ex auro, hyacintho, coccino & bysso intertextum, cujus simulacrum ex contextu satis liquido intelligi non posse fatetur R. Salomo.* Hactenus ille. B. autem *Varenius* in Decadi.

Decadibus Exodi & quidem *Decade* 19. (quam, si recte meminimus) secundo ætatis nostræ Academicæ anno sub ejus præsidio in Audit. M. respondendo hic defendimus) ita Ephod Pontificale describit Loco III. *Ephod ab ambiendo dictum vestis fuit utrique illi tunicæ* (quas Lutherus vocat Enge Rock/ Seiden-Rock/ & de quibus in antecedd.) *superinduenda, humeros, tergum & pectus ambiens, materia varia, auro in primis ductili, hyacintho, purpura &c. constans: superhumerale item scapulare vulgo ab interpretibus redditur &c.* Cæterum de *simulacro* Ephodis plura ex R. Salomone refert laudatus Frischmuthus l. c. qui conferri meretur. Conf. quoque *E. Fagius*, doctissimus Ebræus, in *Collatione præcipuarum V. T. collationum*, ubi refutat eos, qui dicunt Ephod ad pedes pertigisse parte postica, & distinguit inter Ephod *generale* lineum, quo Sacerdotes, Levitæ & alii sunt usi, & *particulare* Pontificis &c. Conf. & *Hieron. Epist. ad Marcellam. T.* 3. *epist.*

ARTICULUS II.

exhibens

QUÆSTIONEM II.

Quo fine & successu Gideon hoc Ephod fecerit & in Ophra statuerit?

§. 1. QUæstio hæc est composita: primo quæritur *quo fine* vel *animo*? Variant hic iterum interpretes: *Quidam* putant, fecisse id *in monumentum victoriæ*, ita *Grotius*, *Junius* & alii supra jam citati, qui per Ephod intelligunt *monumentum* s. *trophæum*, quorum ratio præced. Artic. 1. jam est refutata. Et licet vel maxime per Ephod vestem intellexeris Pontificalem illamque in *monumentum victoriæ* confectam dixeris, minus tamen probabiliter sentires: non enim satis dextero neque oportuno victoriæ signo fuisset usus Gideon: potuisset enim rectius carmen conscribere in monumentum victoriæ, vel erigere columnam. *Alii* ergo cum *Augustino* putant, fecisse illum hoc Ephod Pontificale, ut Pontifex, qui in Siloh, non procul à civitate Gideonis, habitabat, accersitus eodem indueretur & pro se populoque sacra DEO semper faceret in altari Holocausti à Gideone ad mandatum DEI exstructo Judic. 6: 26. *Quidam* vero ut *Lyranus* & *Serarius* opinantur, fecisse Gideonem hoc Ephod eo fine, ut ipse eodem indutus sacrificaret, uti & ipsummet Gideonem in altari illo holocausti à se exstructo, Judic. 6: 26, 28. sacrificium obtulisse statuit *Serarius*; quæ tamen sententia minus probabilis videtur. Conf. *Calov. Bibl.* illustr. h. l. *Aliorum* vero, ut *Theodoreti* & *Bonfrerii*, sententia statuit, solum ideo factum esse hoc Ephod, ut per illud consuleret Deum, non quidem per se sed opera Pontificis è Siloh accersendi, quoties opus erat. Si enim captare oracula etiam extra locum tabernaculi fuit integrum, potuit & Ephodis usus ad consulendum per illud DEUM extra tabernaculum esse. Conf. 1 Sam. 23: 6, 9. cap. 30: 7. & quæ præced. Artic. §. 2. ad hæc loca monuimus. Ceterum cur præcedentem præferamus, ex dicendis infra patebit.

§. 2. Cum quæstione *quo fine* connectitur alia, *quo successu* Ephod à Gideone fuerit confectum & in Ophra ordinatum? Resp. successu & exemplo heu! pessimo, cum (1.) *omnis Israël* dicatur *fornicatus post illud*, idemque (2.) *cesserit Gideoni & domui ejus in laqueum sive offendiculum.* Quæ responsio quidem in textu est, sed verborum præcipue priorum interpretatio nonnihil variat. Quod enim prius sc. *fornicationem* attinet, quæritur 1. *quomodo* sint *fornicati*, & 2. *quando*? Ad prius quæsitum *quidam* respondent, ita fornicatum esse omnem Israëlem, ut Ephod illud habuerint pro *idolo* adeoque *divinos illi honores tribuerint.* Sed hujus interpretationis nervum jam supra Artic. 1. §. 3. n. 1. in responsione ad rationem primæ sententiæ de Ephod idolo incidimus. *Alii* ergo ita fornicatos esse putant (uti & supra eodem Articulo & §. fuit adjectum) ut Ephodo, Pontificali veste, ad cultum Baalim abuterentur, ad quem defuncto Gideone leguntur deflexisse seq. vs. 33. Conf. *Cornelius à Lapide h. l.* Sed rectius nos *actus* illos dici *fornicationem* censemus, quibus ex constitutione Gideonis Pontifex è Siloh vocatus & hoc Ephod indutus, in Civitate Ophra, ad altare holocausti pridem à Gideone juxta mandatum DEI exstructo, sacra sæpius fecit, cum citra mandatum DEI speciale (quod hic non apparet) extra locum tabernaculi sacrificare non liceret, uti & supra jam Artic. 1. §. 3. monuimus: nam, ut recte causatur *B. Calovius in Bibl. illustr.* h. l. & ex eo *Dn. D. Pfeifferus* in *dub. vex.* h. l. *idololatria* (fornicatio spiritualis) *committitur non tantum ratione objecti, quando ut DEUS colitur, quod DEUS non est; sed etiam ratione modi, cum DEUS verus colitur non ut DEUS verus jussit ac coli voluit, non juxta mandatum vel cultum à se institutum, sed humanitus præter verbum DEI inventum Deuter.* 12. *ult. Matth.* 15: 9. Sed quomodocunque verba interpreteris, pessimo successu confectum ordinatumque esse Ephod in Ophra, scil. in idololatriam cessisse, è textu sacro dispalescit: Phrasi enim *fornicari post aliquem*, in Scripturis frequentissime significari *idololatriam committere*, neminem fugit. Sed *dices*: non dici hic in fonte *fornicatum esse Israël in eo* sc. Ephod, ceu vulgo redditur; sed אחריו *post eum*, sc. Gideonem q. d. *post obitum Gideonis*, teste sequ. vs. 33. אחר enim significat *post*. Ita vero interpretantur *Vatablus*, *Tirinus*, *Menochius Pagninus*, *Arias Mont. Jun. & Tremellius.* Sed Resp. (1.) affixum in אחריו respicere non Gideonem autorem Ephodis, sed creaturam ejus Ephod ipsum, ad quod etiam præcedens respicit affixum in אתו; adeoque rectius reddi *post illud* sc. Ephod. Ita LXX. *Targ. Jonathan*, *Drusius*, *Anglic. Belg. Piscator*, similiter *Lutherus* verhurete sich daran (am Ephod) quanquam Ebræam phrasin s. præpositionem אחר *post* non expressit. (2.) Verbum Ebræum זנה *fornicatus est*, quod h. l. habetur, inter alia quoque cum אחר vel אחרי *post*, construitur, ut Exod. 34: 16. &c. imo & sequ. vs. 33. hujus 8. capitis hæc ipsa phrasis recurrit cum dicitur: ויזנו אחרי הבעלים *& fornicati sunt* (filii Israël) *post Baal.* Quid vero clarius? Ita ergo & h. l. omnis Israël dicitur *fornicatus post Ephod*, non post Gideonem.

§. 3. Cæterum hac occasione jam (2.) quæritur, an *defuncto* jam *Gideone*, an vero *vivo* adhuc ipso *fornicati sint Israëlitæ post Ephod*? Affirmant quidam prius, ut *Vatablus*, *Trem.* & alii præced. §. citati, item *Grotius*, cujus verba jam Articulo 1. §. 1. annotavimus. Alii posterius. Rationem quorundam prius statuentium, petitam ex voce אחריו, quam vertunt *post eum* sc. Gideonem, paulo ante jam excussimus. *Grotius* πρόληψιν hic statuens, post mortem Gideonis fornicationem hanc in Ephodo commissam colligit ex seq. vs. 33. sed minus solide: aliud enim est *fornicari post Baalim* quod sequ. vs. 33. dicitur: aliud *fornicari post Ephod*, quod hic memoratur. Equidem ab hoc Ephodis abusu paulatim Israelitas deflexisse ad cultum Baalim, verosimile; cultum vero illum Baalim, ad quem defuncto Gideone aversi sunt Israëlitæ, hoc loco per πρόληψιν designari non putamus, cum (1.) diserte hic dicantur *fornicati post Ephod*, non *post Baalim*; sed infra demum vs. 33. referantur tandem post mortem Gideonis *fornicati post Baalim.* Quin (2.) hic expresse additur, *Gideoni & domui ejus constitutionem hujus Ephodis cessisse in laqueum sive offendiculum.* Ergo *vivo Gideone fornicati sunt post Ephod*, dum sc. ex constitutione Gideonis Sacerdos ex Siloh accersitus & hoc Ephod indutus ad altare sæpius dictum in Ophra, citra speciale DEI mandatum, sacra sæpius DEO faciebat. Conf. paulo ante dicta §. 2. circa med. & præced. Artic. 1. §. 3.

§. 4. Excipiunt vero, *Gideonis* nomen tanquam *progenitoris* capitisque familiæ hic poni metonymice pro *familia* & *posteritate*, uti & *Israël* hic ponitur pro *Israëlitis*; sed Resp. quid opus est à propria significatione vocis ad impropriam recedere? cum 1. subjungatur statim: *& domui* ejus, quod non fuisset additum si *Gideon* hic pro *domo* s. *familia* ejus fuisset positus. 2. cum dicta jam interpretatio nostra de *fornicatione post Ephod*, vivo Gideone ad ejus constitutionem exercita, tam verbis textus, quam rei ipsi maxime sit conveniens. Regerunt quidem particulam ו s. *&* in voce ולביתו *& domui ejus*, non *copulative* sed *exegetice* pro *id est* accipiendam esse q. d. *& fuit Gideoni id est domui ejus in laqueum*; verum licet aliquando particula ו exegetice in scripturis accipiatur, ceu in illo Gen. 28: 14. *in te & semine* (i. e. semine) *tuo benedicentur* &c. cum antea c. 12: 3. tantum diceretur *in te benedicentur* &c. hoc tamen loco ita quoque accipiendum esse non sequitur: à communissima enim particulæ ו acceptione citra necessitatem recedendum non est; communissima vero est, copulativa. Relinquitur ergo, Gideone adhuc superstitante hanc fornicationem spiritualem dicto jam modo esse commissam, à qua paulatim post Gideonis obitum prorsus ad fornicationem post Baalim deflexerunt Israëlitæ vs. 33. Atque ita hæc constitutio Ephodis cessit למוקש *in laqueum* s. *offendiculum* (à R. יקש *laqueum* s. *rete tetendit*) *cum Gideoni ipsi* (peccanti sic graviter, de quo infra) *tum domui ejus* (paulatim à DEO prorsus ad Baalim aversæ.) conf. Deut. 7: 16.

ARTICULUS III.

expediens

QUÆSTIONEM III.

An & quomodo hoc facto peccaverit Gideon?

§. 1. AD utrumque quæstionis membrum, ex præcedentis quæsiti evolutione quin responsio fuerit facilis, non dubitamus. Quidam tamen, ut *Tostatus*, *Cornel. à Lap. Serarius*, &c. ut suis ἐθελοθρησκείαις velificentur, excusant factum Gideonis ipsumque peccasse mortaliter & idololatriam commisisse negant; quia (1.) in *bona senectute* dicitur *mortuus* Jud. 8: 32. (2.) *sanctis annumeratur* Ebr. 11. (3.) *vivente Gideone autoritate & ductu ejus Israël serviit DEO, ipso autem defuncto descivit*. vs. 33. Imo & *Bonfrerius* ipsum plane *à peccato absolvit*, quod *bona intentione & zelo* quodam *pietatis* Ephod constituerit; *quod vero bona intentione factum, prater intentionem evenerit in scandalum*, & hoc velle textum putat, cum dicitur: *factum hoc esse* Gideoni *& domui ejus in laqueum*: hinc nomen *Gideonis Bonfrerius* sumit pro *familia & posteritate* ejus, particulam ו *&* in vocibus *& domui ejus*, accipit exegetice pro *id est*. Cæterum his omnibus plane non attentis nos cum *Augustino*, *Calovio* aliisque affirmamus 1. *omnino peccasse* Gideonem conficiendo & constituendo Ephod in Ophra, & quidem 2. peccasse *graviter* imo *mortaliter*, licet non *finaliter*. Nam (1.) erat ἐθελοθρησκείας reus, quæ DEO ingrata & scandalosa, quia instituebat Ephod ad cultum divinum in Ophra domi suæ citra imo contra mandatum DEI, conf. praeced. Quæst. & Matth. 15: 9. Isai. 1: 12. Ps. 106: 36. (2.) Licet Ephod non in idolum constituerit, quod ceteroqui aliis placet; non tamen ab omni idololatria, quæ peccatum mortale est, immunis fuit, cum citra imo & contra mandatum DEI (uti sæpius dictum) vestem Pontificalem totumque sacrificiorum cultusque divini apparatum in Ophra extra tabernaculi locum institueret. Idololatriam vero ratione *modi* quoque committi, superius ostensum est. (3.) Aliis hac ἐθελοθρησκεία ansam fornicandi eo quem diximus modo, paulatimque prorsus à DEO ad Baalim post mortem suam deficiendi præbuit.

§. 2. Nec obstat 1. quod in *bona senectute* dicitur *mortuus*, & 2. *sanctis annumeratur* Ebr. 11: 32. Resp. enim 1. per instantiam, etiam alios in bona senectute dici mortuos; de quibus tamen constat quod mortaliter peccaverint: Etiam Davidem eodem vs. 32. Ebr. 11. cum Gideone sanctis annumerari; qui tamen etiam graviter & mortaliter imo & contra conscientiam peccavit. Unde (2.) non sequitur hinc quod *mortaliter* non peccaverit Gideon; sed id tantum his objectionibus obtinetur, quod *finaliter* non peccaverit; Ita vero committitur Elenchi ignoratio: nos enim id concessimus, ipsum mortaliter quidem sed non finaliter peccasse. Dubium enim non est, quin pœnitentiam ante obitum egerit, cum *sanctis annumeretur & mortuus in bona senectute* dicatur, quæ phrasis ceteroqui de illis adhibetur, qui beata morte funguntur. Nec 3. absurdum videri debet, sanctos in gravia labi peccata & quidem in idololatriam: obvia certe sunt exempla *Davidis*, *Aaronis*, *Salomonis* &c. Nec obstat (3.) quod vivente Gideone ductu ejus Israëlitæ servierint DEO. Resp. enim licet ductu Gideonis non servierint Baalim, tamen nec DEO recte servierunt, quia non juxta mandatum ejus Isai. 26: 13. sed contra, & post Ephod fornicati sunt. Nec obstat (4.) *bona intentio nec pietatis zelus*, quia non sufficit ad id ut bonum sit factum, ut bona fiat intentione, sed ut bene & legi divinæ conformiter fiat? *Calov. Bibl. illustr.* h. l. Constitutio autem cultus in Ophra non erat legi divinæ conformis, licet bona intentione fieret, sed difformis adeoque ἀνομία & consequenter ἁμαρτία vereque peccatum 1. Joh. 3: 4. Zelus quoque pietatis erat imprudens atque inordinatus, quippe contra ordinationem divinam.

M. FRID. MAYERI

DISSERTATIO

De Vulpeculis Simsonis ad JUD. XV: 4.

JESU FORTUNANTE!



EO usque proh dolor! progressa est hominum insania ac protervia; ut quod suæ medicina animæ foret; non modo non amplectantur aut in oculis ferant, sed & nefandis, quantum dedecus! conviciis & obtrectationibus proscindant. Sacrum volo Scripturæ codicem, qui fluctuantibus ex rerum male gestarum scelerumque conscientia nobis in solatium auxiliumque traditus Rom. 15: 4. nonnullis audaculis fere in contemtum abiit ludibriumque si istud ex illorum sententia stetisset. Celeberrimus Vertumnus (Pontificios ut prætercam quorum *Contemtum Scripturæ* peculiari commentario exposuit hujus Academiæ olim Professor *Wilhelmus Nigrinus*) & propter opinionum monstra ἀποσυνάγωγος *Benedictus Spinosa* quibus non blasphemiis in istum debacchatus est? ut eundem hominum manibus excuteret, libros nempe Pentateuchi, Josuæ, Judicum, Ruth, Samuelis Regum ab Esra fuisse compilatos, genuinos Mosis à Pentateucho plane distinctos periisse, ne ultima ab ipso quidem imposita manu, aut iisdem sub examen revocatis; Paralipp. libris Judæ Maccabæi demum tempore inventis nec canonicis; Prophetarum vaticinia & Davidicos hymnos fragmenta tantum eorundem statuebat, Danielis, Esræ, Estheris atque Nehemiæ monumenta longe recentioribus adscribebat, & nullos in canonem relatos, sed Pharisæorum demum judicio selectos asserebat; totum codicem mendosum, truncatum, laceratum arguebat. Apostolos etsi Prophetæ fuerint tamen epistolas suas non ut Prophetas, sed tanquam Doctores non ex revelatione, aut mandato divino, sed tantum ex naturali judicio scripsisse. Iisdem ferme telis contra eum *Richardus Simonis* depugnavit, utut eidem adversari visus; Scripturæ auctoritatem prosternere laborat, quamvis eandem videatur in altum tollere. Sic *Morini*, *Capelli* his quoque insudarunt laboribus. Alia sibi desumserunt tela, alii, qui errorum ex elementis Physices demonstrandorum eundem incusarunt; *Cartesii* asseclæ in Philosophiæ moralis, Mathematices præcepta peccatum arguerunt; quos tum à *Musæis*, *Buxtorffiis*, *Reiheris* confutatos, tum ignominiose proscriptos novimus. Cæterum nec illa erunt scommata æquo ferenda animo, quibus nonnulli quoque importunioris oris homines iisdem sacris fontibus insultant & quod ingenio suo non dimetiantur, non posse fieri asserunt. Non equidem jam agimus de divinissimis mysteriis, quæ nobis admodum cæcutientibus pervesti-

vestigari non possunt; sed & nonnullis ex natura desumtis, quæ eadem duce non incognita, at sæpius in miraculum conversa sunt agente summo Numine, quæ cum non animo complectaris, fide tamen comprehendas revera evenisse. Atque huc nos jure optimo vocamus, quæ nonnulli illusores ac cavillatores crepitarunt de Vulpeculis Samsonis; quorum nobis scommata sumamus discutienda: adsit Jesus laboribus!

Jud. XV: 4.

וילך שמשון וילכר שלוש־מאות שועלים ויקחל פרים ויפן זנב
אל־זנב וישם לפיר אחד בין־שני הונבות בתוך:

Quæ verba ad hunc modum verterunt sacri codicis Interpretes.

Et abiit Schimschon, cepitque trecentas vulpes: ac sumsit lampades, & respicere fecit caudam erga caudam, posuitque lampadem unam inter binas caudas in medio.

§. I. SImson hic vulpeculas coëgisse dicitur; qui proinde obtrectatorum ludibriis expositus fuit, adeoque ejus vitam paucissimis describimus, ut tanto fortius illorum nervos incidamus. Scilicet rebus Israëlitarum afflictis preces ad Deum fundebantur de mittendo ipsis auxilio & liberando ipsos à tyrannide Philistæorum nimis rigida; quibus tandem locum Summum Numen reliquerat & ex sterili per multos annos matrimonio heroa edidit hactenus vexatos Israëlis posteros in libertatem priscam revocaturum. De Tribu Dan (unde & Simson Bedan dicitur; vide gemaram in Tr. Rosch. Has. f. 251.) pater Manoah, Zaream (ex nonnullorum sententia *urbem terminalem, inter quam & Esthaol positus locus fuit dictus castra Danis, ubi Simson natus*; conf. Magni ac Incomparabilis Theologi *Sebastiani Schmidii* Argentoratensium & totius Ecclesiæ pignoris commentation. in Jud. c. XIII. pag. 1136.) incolebat cum uxore auctori Libri *Juchasin*, Scripturæ quidem nomine incognito *Hatselelophumith* dicta, quæ filium viribus Judæorum maxime accisis & satis inclinatis enixa, Schimsonem quidem nuncupavit monumentum sibi in perpetuum exstiturum in mentem revocandæ illius Sole clarioris lucis fulgorisque, quo angelus Jehova circumfusus sibi apparuerat.

§. II. Simul autem editus, animo & corpore proficiebat & ille evadebat, quem divina bonitas gerendis rebus maxime arduis fato admodum benigno destinaverat. Istis enim animi dotibus eundem instruxerat, quibus sufficiebat adjuvandis suorum miseriis; sic quoque corpus satis validum; in quo describendo cum Judæis equidem Doctoribus nos minime colludimus, quorum in tract. *Sotah* cap. I. fol. 9. hæc sententia est: montes fuisse ab eodem eversos erutosque, ita autem sonant eorundem verba: *Dixit Rab. Ase, Zoreah & Esthaol duo montes magni fuerunt, quos eradicavit Simson & contrivit unum per alterum* & in eodem tractatu, quæ ex versione B. Scheidii ita se habent; *Dixit R. Simeon Sanctus scapulas Simsonis tam grandes fuisse, ut inter humeros ejus spatium 60. cubitorum patuerit, quia dicitur Judic. 16: 3. & cubuit Simson usque ad mediam noctem & apprehendit valvas portarum urbis & duos postes & transportavit ea cum vecte & imposuit humeris suis. Tradidimus autem, quod valvæ Gazæ non fuerint minores 60. cubitis* h. e. quia super humeros portas posuisse dicitur, inde colligunt haud minores fuisse humeros ipsismet portis. Vide & *Wagenseilium* valde nostrum Comm. ad Tr. *Sota* p. 173. Vires tamen ipsi integras minime negamus.

§. III. Erat præterea eximius & priusquam nasceretur, à Deo sibi jam נזיר selectus separatusque; ita enim Angelus Jehovæ Jud. 13: 5. *Quia ecce concipies filium & novacula non ascendet super caput ejus*: ubi vocabulum מורה recte Talmudici de novacula exponunt. Ita enim in Tr. Nazir f. 66. 1. *Naziræus fuit Samuel, uti sentit Nehorai: quia dicitur* 1 *Sam.* 1: 11. *Et novacula non adscendet super caput ejus. Dicitur de Simsone, Jud.* 13: 5. *Et novacula. Et dicitur de Samuele: Et novacula. Sicut novacula, quæ dicitur de Simsone est Nazirai; ita etiam novacula, quæ dicitur de Samuele est Nazirai. Dixit R. Jose: At annon, non est nisi* מורה *timor carnis & sanguinis?* (*quod Samuel sibi à mortali homine nil metuere debuerit.*) *Cui regessit R. Nehorai: At nonne jam dictum est:* 1. *Sam.* 16: 2. *Et dixit Samuel quomodo ibo, & audiet Saul, & occidet me. Ex quo liquet, quod fuerit super Samuele* מורא *timor carnis & sanguinis, h. e. quod sibi à mortali homine metuerit. Adeoque* 1. *Sam.* 1: 11. *vox* מורה *non de timore, sed de novacula sit intelligenda.* Ex quo Nasiræatu multi eum in utero sanctificatum volunt; sed perperam. *Nam jubetur Samson esse Nazaræus ab utero ita ut in utero non sugat succum ex vino & sicera à matre haustum, ac proinde ut mater iis abstineat, ut hac ratione Deo dicetur quasi Nazaræus legis veteris, non ante sanctificatur in utero*: sunt verba ipsius Lojolitæ *Cornelii à Lapide* comm. in Jud. c. XIII. p. m. 160.

§. IV. Naziræus itaque hic Simson non parentum voto demum sed ipsius Dei mandato evadebat; quo autem non ad Nasiræatum cogebatur. Semper enim bono lubentique animo subiri eum voluit Deus, & non coacta proficisci voluntate, utut enim illum præciperet, non meri esse præcepti volebat. Optime in hanc sententiam laudatus supra *Schmidius* l. cit. p. 1141. Fuit alioquin Nasiræatus quædam sanctificatio potius quam præceptum aut jussus. Sanctificatio inquam quædam, qua homo aliquis vel aliquid hominis sub certis conditionibus & institutis DEO sanctificabatur. Hæc vero sanctificatio vel ab ipso DEO fiebat, vel à parentibus, vel ab homine ipso sanctificato. Semper tamen debuit esse voluntaria non involuntaria aut meri præcepti. Quem enim Deus ipse sanctificavit Nasiræum, non invitus sed lætus & cum gratiarum actione se ipsum etiam sanctificare suamque voluntatem voluntati divinæ conformare debuit. Quem vero votum Parentum Nasiræum fecit, eum parentibus honorem habere debuit, ut propter Deum, cui votum fiebat, Nasiræatum voluntarie susciperet. Unde nusquam propriæ voluntatis arbitrium exclusum; imo Nasiræatus Deo ingratus fuit, si involuntarius fuit. Hæc *Schmidius.* Dispensasse autem in Nasiræatu Samsonico Deum circa contactum mortui qui Nasiræis prohibitus erat Num. 6: 6, 7. ex officio cui Deus destinaverat Samsonem Belli ducis, patet. Hinc Talmudistis nata distinctio inter Nasiræatum seculi & Samsonis. Ita enim in Tractatu Nazir fol. 4. in Mischna. *Si quis dicat: Ecce ego sum ut Simson, ut filius Manoæ ut maritus Delilæ, ut is qui eruit portas Gazæ, ut is cui effoderunt Palæstini oculos; tum ecce hic est Naziræus Simsonis* (*à Simsone cognominatus*). *Quid interest inter Naziræum seculi, seu perpetuum* (*h. l. h. e. Naziræum per omnes dies vitæ suæ. Nam quia dixit: ecce ego sum Naziræus seculi, significat, quod Naziræatum receperit in se usque in perpetuum. Idcirco quum pervenit ad trigesimum diem, quo est ei gravitas capilli, allevat novacula; tondens se singulis tricenis diebus*) *& Naziræum Simsonis? Naziræus perpetuus aggravavit capillum suum, allevat novacula & adducit 3. bestias. Et si immundus fit, adducit oblationem immunditiei. Naziræus Simsonis, si aggravat capillum suum, non allevat, & si immundus fit, non adducit oblationem immunditiei. Postea in Gemam fol. 42. dicitur esse traditio. R. Juda dicit Naziræ Simsonis permittitur, ut se immundum reddat defunctorum causa. Nam sic invenimus de Simsone, quod immundum se reddiderit.*

§. V. Cæterum cur hunc ab utero Naziræum sibi elegerit ipsum Numen multum quæritur & acriter hinc inde disceptatur à quam plurimis. Quas alii subesse putant causas, in medio relinquimus; illud tamen affirmamus sustinuisse eum Servatoris Messiæ aliquando ex virgine integra nascendi typum, qui ἄκακος ἀμίαντος κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν futurus erat Hebr. 7: 26. & separasse eum summum Numen sibique dicasse non ut à peccatis alienum, sed ipsum denotaturum, qui talis extiturus peccata hominum expiaturus, supplicia nobis in æternum perferenda suo sanguine redemturus & quæ non rapuerat, soluturus erat. Confer de hoc argumento qua in re Samson typus Christi fuerit *Crellium* Concord. p. 796. seqq.

§. VI. Accessit autem aliquando Timnathæam Philistæorum urbem, quæ in confinio trium tribuum sc. Juda, Dan, & Ephraim versus mare mediterraneum sita esse dicitur; vide Corn. à Lapide ad Jud. 14: 1. impulsus interioribus quibusdam stimulis, qui afficientes eum huc cogebant, à Sacro Flamine suggestis. Non enim vectigalis exsolvendi Philistæis, quippe quibus in servitutem redacti gravi admodum jugo premebantur Israëlitæ, emendi aut vendendi, aliorumque negotiorum expediendorum caussa huc advenerat; neque vel spectacula, convivia aut ludi ad urbem istam invisendam eum invitabant; ceu multis id hæsisse opinionis colligitur ex verbis Jesuitæ *Nicolai Serrarii*, quæ ex commentar. in lib. Judic. apponimus quæst. I. n. 2. *causa*, inquit, *cur Thamnatham ierit Samson, non est memoriæ prodita, forte quia vulgaris & obvia. Cum enim Philistæis essent Israëlitæ tum subjecti vers. 4. cum aliqua sine dubio, tributi pensitatione: ibant in illorum urbes & vicos libere. Ideoque Samson illuc profectus,*

vel negotii apud Satrapas Magiſtratus expediendi, vel emendi aliquid vendendive cauſa, vel denique, ut animo loci ejus ridendi avido ſatisfaceret. Joſephus, ob Panegyrin, quæ illuc tum agebatur, eo tetendiſſe refert. Sed cum panegyreon varia fuerint genera, ut Conventus forenſes, mercatus, ludi, ſpectacula, convivia, & ſimilia, ut ex Cicerone in Tuſculanis & Epiſtolis ad Atticum, ex Demonſthene, Plutarcho, & aliis patet: cujusmodi Thamnathæa tum cenſenda Panegyris. Quæcunque vero illa fuerit, ea cauſa ſenſum in Samſone uſus eſt Spiritus Domini ad Iſraëlitarum ſalutem ac libertatem. Illa ſiquidem negotia parentes ſibi procul dubio ſumſiſſent expedienda, cum filium efflictim deperirent eumque ſibi in oculis ferendum judicarent, quemcunque non ſuo voto ſed Dei nutu Naſiræum exiſtere noverant; gravior itaque & divinior acceſſerit afflatus, opus eſt: quo actus Simſon Timnatham verſus perrexerit.

§. VII. Ubi cum elegantioris formæ virginem conſpiceret, in amorem ejus fuit effuſus eandemque ſibi ambiri cupit Parentum opera; qui neſcientes impulſum eum à Deo, reluctabantur, poſtea ambitioſius & acriori cum contentione Simſon rem agente conſentiebant. Illam autem vitiatam neque virginem fuiſſe colligere Interpretum nonnulli, ex vocabulo אשה volunt, ſed admodum infirmo argumento. אשה enim ſexus nomen eſt & ſequioris ſexus individuum denotat citra virginitatis reſpectum. Et qui אשה meretricem h. l. ſignificet, cum parentes Samſonis in reſponſione ad deſideria filii idem vocabulum de Virginibus Iſraeliticis adhibeant. *Num non eſt inter filias fratrum tuorum vel in toto populo meo* אשה *mulier?* Meretrices enim non tolerabat Iſrael ex divina lege. *Ne eſto meretrix è filiabus Iſrael* Deut. 23: 13. Neque quicquam patrocinantur ſententiæ huic Samſonis verba: *ſi non araſſetis vitula mea* Judic. 14. ubi nonnulli per arationem intelligunt fornicationem Philiſthæorum cum uxore Samſonis, utpote pariter Philiſthæa: per vitulam enim indigitari eam fuiſſe petulantem, procacem & laſcivam. Ita R. Levi apud *Bochartum Hieroz.* P. I. Lib. I. c. XLI. Abulenſis ad h. l. & Mart. de Roa ſingul. Lib. III. c. 13. p. 318. ſed obſtat quod Hebræa non habeant: Niſi araſſetis vitulam meam, ſed niſi araſſetis vitula mea, quæ non parum differunt. Optume Mart. Delrio Adagial. S. Vet. Teſtament. p. I. Adag. 162. f. m. 174. Nihil hic obſcœni imaginandum. Poteſt, & vere debet oratio honeſte intelligi. Nihil neceſſe vel ad Lucretii vomerem ſulcumve, vel ad Plautinum fundum alienum reſpicere, vitulam vocat, eſto: meretricum nomina fuere vitula, juvenca, vacca. Fuere profanis ſcriptoribus. Hic non eſt locus. Arandi vox etiam inter obſcœnas; quæ hic poſita. Sit alibi obſcena, non hoc loco. Quæſo an cum omnibus illa, quibus dictum, niſi araſſetis? quis auſum credat in feſto nuptiali, & penè in Samſonis mariti ſinu? Potius ergo Vitulam vocavit à juventa, à muliebri levitate & ſtoliditate: quaſi junicem, non vaccam; quæ nondum pepererat, ac ne cognita quidem conjugi. Horatius virginem viro immaturam, vocat juvencam:

Circa virentis eſt animus tuæ
Campos juvencæ.

Noſter potius vitulam, quia jam apta jugo, & Varrone teſte, lib. 2. de re ruſt. quæ primum annum non explevit vitula, eo expleto juvenca dicitur; hæc autem erat in veſtibulo anni primi nuptiarum.

§. VIII. Petitur tandem Simſonis Parentibus puella iſta & uxor ipſi futura impetratur, quo jure quave id injuria factum plurimi ignorant. Alii contracto hoc matrimonio à Simſone peccatum aſſerunt. Lege enim Dei aperte erat cautum, ut nullus Judæorum conjugio cum infidelibus conjungeretur & tali pacto cum illis coaleſceret in unum. Sic Deut. 7: 3. ad illos Moſes vicem Dei ſuſtinens infert; *non cognatione facta cum illis jungemini veſtras filias non dabitis in uxores filiis, & illorum filios non veſtris aſſumetis filiabus;* quod tulerat præceptum Jehova ſapientiſſimus, ut periculum ſummoveretur, quod hiſce impediti matrimoniis inciderent, ne vel virorum ſuperſtitionem uxores, vel viri mulierum idolis præſtitum cultum inſecuti à Dei vero cultu averterentur. Alii autem patrocinium Simſonis ſuſceperunt atque vindicarunt, nihil quicquam circa hoc conjugium peccatum ab ipſo aſſerentes. Utut fuerit divina lege prohibitum ejuſmodi matrimonium, ob externum quoddam periculum fuit interdictum; quod cum abeſſet, tolerari potuit; & qui ejuſmodi leges promulgavit, Deus diſpenſare potuit; cum non ex ejus immutabili eſſentia ſed voluntate promanaverint. Huc faciunt *Cornel. à Lapide* c. l. commentaria p. m. 164. ad vſ. 4. cap. XIV. *quod res à domino fieret: hinc patet Samſonem non peccaſſe, quod contra legem petierit uxorem Philiſtinam, quia id fecit Deo impellente, ac proinde in lege ſua diſpenſante: alioquin matrimonia hæc cum infidelibus æque ac cum hæreticis communiter ſunt periculoſa & noxia, uti fuſe docet S. Ambroſius epiſt. 24. idque ſuo malo expertus eſt Samſon, qui hic, uti & in aliis fuit typus Chriſti, qui Eccleſiam ex gentibus ſibi deſpondit repudiatis Judæis.* Oppido firmis 7. argumentis Incomparabilis *Schmidius* l. c. p. 1203. ſ. Simſonem defendit, quæ ita ſeſe habent. Quare, inquit, pro eo, quod Schimſchon non peccaverit, melius ita proceditur. (1) nuptiæ ejuſmodi per ſe malæ non fuerunt: quod negari non poteſt. Unde (2) Lex Moſaica non prohibuit ob internam malitiam, ſed propter externum periculum. (3) Quare etiam in lege iſta, ſaltem à Deo, diſpenſatio locum habebat. Quam diſpenſationem divinam (4) quamdiu parentes Schimſchonis ignorarunt, juxta verba, Pater autem ejus & mater ejus non noverunt, quod à Jehovah id eſſet &c. legem urſerunt verbis, quod tu abis ad accipiendum uxorem de Philiſtæis incircumciſis. (5) diſpenſationem hanc divinam ſolus apud ſe ab initio ſenſit Schimſchon, in impulſu Spiritus Dei ad officium liberatoris ſeu Judicis Iſraëlitici permiſſo: qui eum urgebat, ut quæreret occaſionem ex Philiſtæis, eamque ex hoc matrimonio naſcendam. Eam (6) parentibus indicavit verbis, recta eſt in oculis meis; ut ſupra. Et hic nos cum parentibus acquieſcimus. Interim (7) res in exemplum non ibat, ob extraordinariam Schimſchonis vocationem. Confer. alias quæ de Matrimonio cum infidelibus aut hæreticis non contrahendo ſcripſimus **im reiſenden Lutheraner ins Papſtthumb** P. I. p. 110. qu. VII.

§. IX. Nullos ergo ſenſit morſus conſcientia Schimſonis, quo minus quod exoptaverat, ſubiret & cum puella iſta jungeretur. Facto itaque ab omnibus conſenſu ſponſalia celebrata & nuptiæ tandem agitatæ ſunt; quibus autem peractis in domum patris abiit, ſolutis, qui ænigma ſuum, ſuo quidem vitulo adjuti ſolverant, præmiis; non ut uxorem malitioſe deſereret, quod etiamnum facit ad diſſolvendum matrimonium, ſed prout illius loci moribus patriis receptum erat, uxores ſæpius in domibus paternis adhuc manſerunt, ut interea mariti in ædes ſuas abirent curaturi res ſuas & negotia, quæ expedienda occurrebant, ſubinde tamen uxores viſitarent. Incenſus autem ira abiiſſe dicitur, quod videtur inde profectum, quoniam Schimſchonis ſocer pactis matrimonialibus forſan inſeruit, ut filia inter ſuos viveret ſaltem aliquandiu prius, quam in terram aliam, terræ patriæ ſervientem abiret, atque adeo ex libera quaſi ſerva evaderet. Et tum dici porro poteſt, quod Simſoni fuerit via mota ut ab uxore citius abiret, perfidiam illius caſtigaturus, non matrimonium deſerturus. conf. *Schmid.* cit. loc. pag. 1200. quam profectionem improbat *P. Martyr. Polo* in h. l. adductus: *Hoc ejus factum* (ſcribit) *laudari non debet, non enim oportuit ita leviter ab uxore disjungi.*

§. X. Interea Uxor Schimſonis cuidam ſociorum tradita pariterque eidem juncta eſt: quo factum, ut Schimſon de vindicta ſumenda cogitaret, adeoque quod paulo poſt executus eſt conſilii inveniret. Abiit itaque & factis inſidiis trecentas vulpes cepit. שועלים in fontibus eſt; qua vocula indicari vulpes jam inter omnes conſtat, qui quæ vocibus origines ſint, omni ſtudio inveſtigant, à cognata radice Arabica deducunt سعل, quæ *tuſſire* notat, (conf. *Jacob Golius* largus quondam Orientis opum promus condus in Lexico Latino-Arabico pag. 1177.) eamque hujus denominationis rationem reddunt, quod vulpes frequenter tuſſiant. Etenim cum nimio intrinſecus calore æſtuent, perpetuo pulmones infeſtantur, raucumque inde clamorem proferunt. Huc facit *ſcriptor* quidam *anonymus*, qui proverbiorum edidit farraginem; cujus verba ex *Bocharti* Hieroz. P. 1. lib. III. c. XIII. tibi ſiſtimus. *Videtur*, inquit, *hoc animal eſſe tuſſi obnoxium & propter calorem internum, qui vehementiſſimus eſt perpetua pulmonum intemperie laborare, quod gannitus ejus & raucus clamor abunde docent. Proinde cum ſenem videmus tuſſim ex imo pectore vix extrudentem, dicimus:* C'eſt une toux de renard, qui vous menera au terrier. *Hæc eſt vulpina tuſſis, quæ in foveam te deducet, id eſt, in ſepulchrum.*

§. XI. Mirum autem vulpium ſibi elegiſſe uſum Simſonem, quo ab hoſtibus vindictam ſumeret, cum tanta arte opus ſit, qua iſtæ capiantur! quodſi enim iſtas retibus implicare ſtudeas, quæ non inſidiæ ſunt adhibendæ? huc ſæpius abire mentiuntur & longe tamen per diverſa loca abeunt, ut non inepte dixerit Naturæ arcanorum myſta ac ſacerdos *Ariſtoteles* Hiſt. l. 1. cap. 1. τὰ μὲν πανοῦργα, καὶ κακοῦργα οἷον ἀλώπηξ *i. e. quædam animalia aſtuta ſunt, quædam vero facinoroſa, ut vulpes.* Nec non Phyſiognomomicor, c. VI. οἱ πύῤῥοι ἄγαν πανοῦργοι,

πανῦργοι, ἀναφέρεται ἐπὶ τὰς ἀλώπεκας. *Rufi sunt valde callidi, quod ad vulpes spectat.* In quam sententiam *Ælian.* Histor. lib. 4. c. 39. vulpes attigisse dicit ὑπερβολὴν κακουργίας καὶ τρόπου δολερῦ *summum malitiæ & fraudis fastigium.* Et hac de causa hominibus calliditatem maximam in rebus peragendis adhibentibus *vulpis* vocula accommodatur, quemadmodum sacri pariter profanique scriptores id demonstrant. Sic *Horatius* de arte poëtica:

Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.

& *Persius* sat. quinta.

Astutam vapido servas sub pectore vulpem.

Quin ipse divinissimus Servator Christus ejusmodi hominum genus ita vocat. Aperte satis & nulla circuitione usus Luc. 13: vs. 32. *Herodem* Tetrarcham vulpem dicit ob miram ejusdem calliditatem; quam multis sane nominibus cognitam habemus. Etenim cum inter Judæos versaretur, religionis ipsorum, se studiosissimum profitebatur, illos ambiebat contentiose; Imperatori etiam addictissimus videri volebat, ut Deum ipsum venerabatur; ita ut utrumque fallendo suis tantum rebus consuleret & studeret. Quapropter vulpes dicitur; quæ vulpium animalium quoque calliditatem arguunt; ut majus tanto adhibendum fuerit studium Simsoni ad illas occupandas.

§. XII. Cæterum id tamen non conjicimus subesse causæ, quam Rabbinorum grex in medium producit, qui Phrygum instar sæpius quodcunque volunt somniant nec cum obtusa intellectus acies arcana rerum penetret, plurima interdum effingunt viro bono perquam inhonesta & nonnunquam aperte falsa. Videntur sibi tamen Vulpium naturam accurate admodum pervestigasse; quæ cum retrorsum ferantur, titionibus illarum instructis caudis, adeoque non tam facile extinguendis, illas Simsoni oppido idoneas sumendo esse supplicio judicatas. Ita *R. David Kimchi.* שהשועל פנהגו לחזור לאחוריו לפיכך היה דבק הלפיד בין שתי הזנבות כי כל אחד מהם היה חוזר לאחוריו ולא היה נפרד מחבירו ומתוך כך היה לפיד דבק בהם ואלולי כן היה זה הולך לפניו והלפיד ניפל מפניהם: *Vulpibus hæc consuetudo est, ut retrorsum abeant; inde factum, ut fax annexa firmiter hæserit inter duas caudas, quia unaquæque vulpium retrorsum ferebatur, nec à socio suo divellebatur; ut adeo fax annexa illis manserit. Quod si secus fecisset, & una eunte antrorsum, altera etiam tæda illis interposita decidisset & extincta esset.*

§. XIII. Non autem hæc cohærent, vix enim ullibi in litterarum monumentis legimus, hoc vulpibus in more esse positum, ut retrorsum abeant nisi forte hanc illorum mentem dicere velis, quod de incessu non prorsus recto intelligant, cum per anfractus abeant, & serpentum instar in miros orbes torqueantur. Hinc *Vulpes dicta quasi volupes. Est enim volubilis pedibus & nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currit.* Si *Isidoro* credas *Origin.* lib. 12: 2. quæ autem explicatio non phrasi Rabbinorum sufficit. Dicere malumus fuisse ideo factum, quod vulpes ceperit, tanto gravius hostes suos Philistæos afflicturus, & insigne damnum ipsis illaturus. Vulpes enim in vinetis, locis, oleis arboribus consitis agris segetibus onustis, lætisque delitescunt, non deserta inhabitant, quippe quæ sunt minus commoda reficiendis faucibus; quæ cum captæ dimittantur, loca repetunt sibi ante hac inhabitata; quo non potuerunt non vineas, oliveta agros ingredi; & illos edaci comburere flamma.

§. XIV. Quo & multum faciebat tortuosus vulpium cursus, quippe quo huc illuc divagabantur subditisque ignibus incitatiores ferebantur abscondi cupidæ vel inter segetes, oleasque vel inter vites, ut liberatæ istis facibus tandem suis redderentur sedibus. Callidum sane & prudens oppido hoc Simsonis consilium! quo multum profecisse dicendus Simson est. Suos quidem cives noxiis istis liberabat animalibus, quæ non levia uvis, oleis frumentisve damna inferebant; hostes autem non sibi tantum, sed & universæ Israëlis genti inimicissimos pariter ac infestissimos immissis vulpibus plane prosternebat gravioremque ipse solus, quam magna militum copia publico nomine vindictam sumebat.

§. XV. Sed nimirum unde ista vulpium copia? Utinam non sint qui pyrrhonice rem agant & parum arguta cavillandi libidine scripturæ S. auctoritatem obterere impie satagant, eamque vel falsitatis hoc in loco arguant vel hyperbolica locutione luxuriare dicant. Id vero exitiosum plane & detestandum est ut, quæ ad Philistæorum frugibus pauperiem faciendam à Simsone coactæ emissæque vulpes erant, quorundam leviculorum fidei atque adeo saluti detrimentum possint afferre, quos per emissarios suos dubitationem desperationisque architectos subtilissimos Atheos Diabolus impugnat, eo diffidentiæ adigit, ut, cum ratio ipsorum primo statim conatu non assequatur viam modumque, quo Simson in ultionem intentus trecentas vulpes cogere potuerit, præsertim cum ferarum istiusmodi venationem difficillimam esse constet primum & ipsi hæsitare incipiant, mox narrationem illam fabulis anilibus transscribant, quibus fidem suam apponere defugiat, quicunque rerum usu edoctior existat, atque scripturam sacram adeo aliquid ex vano hausisse blaspheme contendant.

§. XVI. Enim vero isti mirari aut cavillari potius desinent, si didicerint numerum vulpium memoratarum minime ad terrarum nostrarum conditionem examinandum esse. Palæstinæ enim & Orientalium universim regionum habitudinem, formam situmque ad suas, in quibus ipsi suæ glebæ adhærentes degunt, exigunt provincias, quæ per multos annos vix tantam vulpium cohortem suppeditent; quanquam ineptissime sic colligant. Risum promerentur pueri aut qui bis pueri, censentur senes etiam, quos ipsa domus quæ pueros vidit & ipsa senes videt, & qui in qua reptarunt arena in eadem baculo niti gestiunt, qui quod una terra rebus istiusmodi careat & alteram iisdem destitutam arbitrentur:

Non vero terræ ferre omnes omnia possunt
Fluminibus salices crassisque paludibus alni
Nascuntur; steriles saxosis montibus orni
Littora myrtetis lætissima. —— —— ——
—— —— —— *Sola India nigrum*
Fert ebenum: Solis est thurea virga Sabæis.

Ceu optime in hanc sententiam canit Mantuanus Vates Virgilius. Georg. Lib. II. vs. 109.

§. XVII. Pro Conditione igitur terræ Cananææ de numero captarum vulpium informandum judicium est: tum nemo facile existimabit copiam hanc in tantam abire multitudinem, ut fidem exsuperet; quin omnis potius demirandi materia subtrahetur, si quis attentius paululum Palæstinam consideraverit; quæ cum montibus abundaret, & animalibus quoque abundaret, inter quæ omnium frequentissimæ vulpes erant. Quod confirmant satis dilucide divinæ litteræ locis exstantioribus Cantic. 2: 15. Ps. 63: 11. Nehemiæ. 4: 3. Threnor. 5: 18. Ezech. 13: 4. Matth. 8: 20. Luc. 9: 58. Quorsum vero spectat querela Sponsæ Christi de capiendis vulpibus & vulpeculis vineas corrumpentibus & quidem eo tempore, quo vineæ primam ferant uvam, atque adeo spem uberioris vindemiæ subruentibus, nisi ut arguat Palæstinam scatuisse vulpibus, quas venari scitissime novisse homines ejus regionis pariter diserte ex hoc loco Cantici, evincitur. Neque enim Christus quoque illustrandæ paupertatis suæ, eo fine susceptæ ut inde quoque meritum in genus humanum redundaret, comparationem à vulpeculis desumere potuisset; nisi terræ Cananææ familiarissimæ istiusmodi feræ fuissent: quanquam quis est qui argumentandi inde nervum non pervideat? Sed Magni Bocharti verbis totam rem conficiamus ex Hierozoici L. III. Cap. XIII. p. m. 854. ut de tot coactis Simsoni vulpibus vel dubitandi vel cavillandi locus nullus relinquatur: *Rem, inquit, quod attinet; primo si quis quærat unde Samson tot numero vulpes nactus fuerit, nempe trecentas, quatuor habeo quæ respondeam, unde David de suis hostibus: Pars vulpium erunt, & Salomon. Cantic. 2: 15. & Jeremias Threnor. 3. vs. 18. proinde multa Palæstinæ loca aut circa Palæstinam à vulpibus nomen habuerunt. Ut terra Sual. i. e. terra vulpis, 1 Sam. 13: 17. & Hatsar Sual seu Castrum vulpis Judæ urbs, Josuæ 15: 18. vel Simeonis Josuæ 19: 3. & 1. Paralip. 4: 28. & Nehemiæ 2: 27. & Danitarum, Saalabim, Josua 19: 42. sed quam Amorrhæi occupabant Judic. 1: 35. ubi Hebræum* ובשעלבים *Græcorum alii reddiderunt* καὶ ἐν Θαλαβὶν, *alii* καὶ ἐν ᾧ αἱ ἀλώπεκες. *Secundo vulpium nomen potuit etiam complecti thoës, animal vulpi simillimum & in Judæa valde frequens, maxime in Palæstina & circa Cæsaream ut supra probavimus, atque ita gregarium, ut quandoque ducentos thoas in unum gregem convenire testetur Bellonius, ita ut nullo negotio potuerint capi plurimi. Tertio non dicitur numerosam Samson hanc vulpium turmam una aut altera die cepisse. Potuit igitur tota hebdomas, aut mensis pars notabilis in eam venationem insumi. Ut mensium unus Athenis* ἐλαφηβολιῶν *dictus est quia fere insumebatur figendis cervis, qui immolarentur Dianæ* ἐλαφηβόλῳ. *Quarto, licet insignis venator potuerit esse Samson, non est quod quisquam sibi fingat, eum trecentas illas vulpes solum & per se cepisse. Potuit id per amicos facere, aut etiam Judæorum universæ genti cui præerat aut saltem tribui suæ, publicam vulpium venationem indicere. Et tamen illas cepisse dicitur: quia quod quis per alium facit id censetur ipse facere.* Hactenus Bochartus.

§. XVIII. A

§. XVIII. A quibus non multum abludunt, quæ Jesuita *Nicolaus* Serarius habet l. jam. cit. quæst. 3. *Sæpe fieri* inquit (1) *ut quibusdam in locis major ferarum quarundam copia sit quam alibi ac idcirco multo ibi plures, multoque plures capi possunt quam ubi rariores. Judæam autem & Palæstinam scatuisse vulpibus divinas ait indicare literas.* (2) *ad copiosam item atque festinam certi generis ferarum venationem juvat plurimum, anni tempus, prout venatoribus, aucupibus & piscatoribus notum omnibus.* (3) *ad eandem venationis copiam juvat animalium, quæ venamur, fœcunditas.* (4) *ad eandem rem valet maximopere venatoris ipsius ars & industria.* (5) *sed quid, si, duo adhuc ei felicissime venandi addamus adminicula. Unum est; aliorum quorundam opera, alterum est, divina opitulatio, non tantum in venandi donanda arte & industria: sed in ipso fortunando venatu, dum in ipsos quodammodo Samsonis casses vulpium induxit impulitque multitudinem.* Hæc Serrarius pluribus verbis exponit quæ apud ipsum videri possunt. Conferatur omnium exsuperans encomia *Sebastianus Smidius* Comment. sæpius jam cit. pag. m. 1250.

§. XIX. Ecquis tandem est, qui dum hæc à Simsone gesta Sacris litteris consignata legit, veritate summi Numinis suffultus animum suum protinus non convertat ad omnipotentiam ejusdem, qua quæcunque vult in cœlo terraque efficit, atque eam præsenti numine dum id ageret, Simsoni adstitisse de eo dubitari non debet, quandoquidem divinitus sibi commisso in negotio versabatur is, cum propter divini honoris profanationem sibi pœnas ab impiis Philistæis sumendas existimaret. Ut adeo, curiosis interrogatoribus, plane abs re percontantibus unde Schimschon trecentas istas vulpes nactus sit? satis facere etiam possimus, si dicamus, DEUM, qui Schimschonem ad inferendum damnum Philistæis movit, fecisse ut media quoque h. e. vulpes consequeretur. Finge igitur non tantam adfuisse in ea regione vulpium multitudinem, quanta ad hanc noxam inferendam requirebatur; potuerit ne Deus, qui multo plura & ea quidem majora, quam quæ nos cogitatione assequi valeamus, potest, & hanc actionem Samsonis moderabatur, quippe ipso agente potissimum res miræ hæ expediebantur, tantam earum bestiarum copiam in procinctu molienti hæc divinitus afflato Heroi sistere, quanta ad vexandos agros sufficeret. Ipsiusne omnia sunt, quæ terra capit? Terra & quod implet illam, orbis habitabilis & habitantes in eo sunt Jehovæ Psalm. 24. Quod si nivi jusserit, adesto! statim sistitur, & imbres si in terram ruere mandentur illico proruunt, aperta quacunque via Jobi 37: 6. Nonne ipsius est omnis bestia sylvestris & jumenta omnia in montibus, nonne is agnoscit volucres montium & animalia agrestia sunt penes ipsum, Psalm. 50: 11. Nonne vel ad nutum Dei nostri quanto magis ad vocem intentæ vel atrocissimæ crudelissimæque bestiæ, eumque in locum confluunt, quorsum illas amandare decrevit. Bestiarum dentes & scorpii viperæque & gladius ulciscens ad internecionem impios, lætantur cum oritur ipse & in terra ad ministeria comparata sunt Syr. 50: 36. quo nomine turmas suas & exercitus suos indigitat, quæcunque ex rebus creatis ad vindictam justo judicio armat. Jobi 25: 3. Quid ergo censemus, cum DEUS decrevisset Philistæos pauperie ab his bestiis facta affligere, licet nec unica vulpes Palæstinæ nota fuerit, nihilo tamen secius ad explendam voluntatem divinam undiquaque terrarum istiusmodi bestias accurrisse? Unde quæso ingenioso Israelitarum palato desideratæ glomerato agmine advolabant aut propulsabantur potius coturnices, qui omnem castrorum terram occupabant cibusque fiebant delicatulis istis? Exodi 16. nonne divino mandato advolvebantur? Noachum quis credat in arcam ingressurum, prius perreptasse omnem sylvam, terras obiisse ac peragrasse omnes & omnis generis animalia conquisivisse aut destinatis peculiaribusque insidiis quælibet cepisse? Tostatus sane Cap. VI. in Genesin vs. 20. ea ad sitam juxta ripam maris arcam*, quæ stantem in littore Monarchiam Orbis comprehensura erat, ministerio angelorum adducta scribit. An vero quisquam est qui bruta melius eo tempore ratione usa esse existimet quam quidem homines, quorum omnium ita mens emota erat, ut toti in conviviis, luxu, libidine suffocati penitus atque immersi, monita acerrima divinioris spiritus non admitterent, & de imminente clade magis anxia fuisse, adeoque vel illud etiam asserere audeat, animalia conceptus cum invicem beneficio linguæ communicare potuisse. Scilicet id manifestæ operationi providentiæ divinæ, quæ reparationi renascendi orbis consulere volebat aut assertis nostris repugnaret. Ex inspectis autem circumstantiis, atque litera textus, sepositis illis partim conjecturis, partim bullatis nugis, præeunte Augustino Lib. XV. de Civit. DEI, cap. 27. asserere non dubitamus, uno instinctu atque impulsu DEI omnipotentis contigisse, ut animalia arcæ condenda Noacho habitantium Orbis promo condo præsto fuerint. Te ne igitur audita miraculi hujus narratione incredulitate tua Omnipotentiam DEI irritam habere decet? vel, cum Cananæa terra, quemadmodum supra nobis evictum est, scatuerit vulpibus, anne ex genere eorum quæ fieri non possunt habendum erit illud, quod sapientissimus Deus sagacissimarum insidiarum viam rationemque, quibus prehendi callidæ bestiæ possint, frequentatissima, illis lustra aut foveas eisdem tritissimas indicaverit. Efficacissima est ipsius sapientissimi Magistri institutio, quæ omni humano conatui pondus addit, & sine qua ars nulla proficit ad solidum fructum. Petrus sane piscatoriam exercens, nihil commodæ occasionis aut temporis prætermittebat aut etiam industriæ die pariter ac nocte continuatæ; rete tamen semper in vanum labitur, sed simul atque à Christo instructus erat piscium copiam divaricatis ac laborantibus retibus complectitur. Simile quid nostro Heroi divinitus excitato contigisse licet colligamus.

§. XX. Enimvero seculi nostri genium contemplemur necesse erit, qui vanitatem ac mendacia antiquiora habet ipsa veritate, ac præpostere sæpe divinæ fidei ex humana auctoritatem conciliare pessimo exemplo nititur. Notavimus jam supra homines istiusmodi qui suo, quod tempore perinde non contigisse meminerunt, ejus facti fidem elevare sustineant; quales vel eo insolentiæ procedunt, ut quæ sacris litteris quoque diviniora gesta conscripta sunt, ea aperte in dubium vocare nulli vereantur. Agite vero vos, scioli! nunquid legistis amplissimam illam pompaque singulari insignem venationem, quam Probus in gratiam populi instituit? Memorat eam *Vopiscus in vita Probi* p. m. 354. Edit. Casaub. his verbis: *Venationem in circo amplissimam dedit ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulsæ, connexis longe lateque trabibus affixæ sunt, terra deinde superjecta, totusque circus ad sylvæ consitus speciem, gratia novi viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus strutiones mille, mille cervi, mille apri, mille Damæ, ibices, oves feræ, & cetera herbatica animalia quanta vel ali potuerunt vel inveniri. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit. Addidit alia die in Amphitheatro una missione centum jubatos Leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes contificiis interemti sunt, non magnum præbentes spectaculum cum occiderentur. Editi sunt deinde centum Leopardi Lybici, centum Syriaci, centum Leænæ & ursi simul trecenti: quarum omnium ferarum magnum magis constat spectaculum fuisse quam gratum.* Quod exemplum quoque adducit *Cornelius à Lapide* Comment. in librum Judicum & quidem in Cap. XV. p. m. 169. c. a. additis insuper duobus aliis, verba ejus ita habent: *Sic Julius Cæsar Romæ spectaculum dedit 400. Leonum. Heliogabalus collegit mille mustelas totidem rices, decem millia murium, decem millia pondo aranearum & muscarum, teste Lampridio & Vopisco in eorum vita ac Plinio lib. 8. c. 16. Quid ergo mirum si Samson trecentas collegerit vulpes.*

§. XXI. Istarum venationum narrationem nemo in dubium vocat, quod ab Historiæ Augustæ scriptoribus memoriæ prodita sint illa exempla theatralis pompæ, captarum bestiarum incredibili numero insignis. Quis autem Vopiscus, quis Lampridius, quis Plinius? homines gentiles etiam qui sæpius turpi assentatione vanitatem recensioni adspergunt: eorum tamen incerta & incredibilia, qualia vix mente concipere quis potest, amplecti, iis assentiri homines; contra ea, quando Deus fortia gesta sua Spiritu immotæ veritatis inspirante Viros scriptores sacros, extra omnem errorem positos, conscribere curavit, oracula divina tantum auctoritatis aut reverentiæ apud eliquata hominum incredulorum, & diffidentia omnipotentiæ divinæ testimonia contaminantia pectora invenire non posse indignissimum & æternum exitiabile censeri debet. Scilicet sine sole, solem nemo contemplari potest, & homines ejusmodi æque minus divinorum oraculorum salutiferos sensus percipiunt, quam abstrusos penitus thesauros sine virgula divinatoria arioli licet.

§. XXII. Revelationis divinæ, quæ semper ecclesiæ Dei propria fuit, radios quoque ad gentiles extra eandem emicasse inde ab ultimis ecclesiæ incunabulis observatum est, & simulachra quædam ex fama & traditione, sive vetustiore sive recentiore, adeoque ex lectione ipsorum quoque Bibliorum in Græcam linguam translatorum vel ex sapientum religiosis in Palestinam peregrinationibus, religionis veræ apud eos extitisse constat, licet superstitionis suæ involucris ea obtegerent; nosci tamen omni ævo potuerunt si quis tralatitia illa

vel

vel dogmata vel ritus circa cultum divinum ad revelationis tenorem exigeret. Historiam præsentem de qua disquirimus, per plagium ex sacris literis à gentilibus transumtam esse, egregie confirmat *Bochartus Hierozoici* Lib. III. cap. XIII. p. m. 856. in fine cujus verba accipe. *Habemus*, inquit insigne *monumentum in Ovidio libro 4. Fastorum, ubi medio Aprili narrat vulpes in circo fuisse emissas cum tædis ardentibus tergo affixis. Et hujus ritus causam ita disquirit.*

Cur igitur missæ junctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes causa docenda mihi est.

Et respondet se Roma in Pelignos euntem, per Carseolos transiisse ibique ab hospite suo jam sene didicisse, id fieri in memoriam Carseolanæ vulpis, quam à se captam pauperis rustici filius fœno involvit, & stipulis, tum in eas immisit ignem. Quibus accensis cum effugisset vulpes quacunque fugam moliebatur, agros accendebat messi proximos. Eximii Poëtæ verba sic habent:

Is capit extremi vulpem convalle salicti,
Abstulerat multas illa cohortis aves.
Captivam stipula fœnoque involvit, & ignes
Admovet urentes effugit illa manus.
Qua fugit incendit vestitos messibus agros
Damnosis vires ignibus aura dabat
Factum abiit; monumenta manent: nam dicere certam
Nunc quoque lex vulpem Carseolana *vetat*
Utque luat pœnas genus hoc cerealibus ardet,
Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit.

Hæc ille, sed absit à nobis, ut ritus tam solemnis originem arcessamus, à tam obscuris initiis. An quia vulpes una, Carseolis fœno ardente involuta, paucas segetes in fuga exussit, Romæ certa die quotannis plures vulpes emitti debuerunt cum tædis caudæ alligatis? Quin à Phœnicibus id ortum est, qui rei apud se gestæ famam paulatim disseminarant. Probat id duabus potissimum rationibus, altera, *quod Romæ vulpes, fœno non involvebantur, quomodo vulpes Casseolana*, sed quod perinde, uti scriptura de Samsonis refert vulpibus, tædas in cauda gesserint, teste Ovidio: altera, *quod emittebantur hæ vulpes, non quo tempore Romæ vel Carseolis sed quo tempore in Palæstina fit triticea messis nempe circa medium Aprilem* cujus temporis convenientiam prolixe atque diligenter ibidem Bochartus evolvit, ut manifesta historiæ hujus ex oraculis divinis peritæ vestigia in memoratis gentilium solennibus deprehendantur. Consentit Serarius apud *Cornelium à Lapide* loco citato p. m. 169. cujus hæc verba: *Serrarius opinatur ex hoc facto Samsonis orta esse vulpinalia Romæ. Romani enim quotannis Aprili mense, quando in circo celebrabant Equiria, i. e. ludos equestres, simul solebant vulpem ardenti tæda exurere cujus ritus originem Ovidius lib. 4. Fastorum refert ad rusticum quendam, qui Casseolis vulpem, eo quod Gallinas suas comedisset, exurere cœpit; sed vulpes ex rogo elapsa in vicinas segetes, eas accendit. Verum hoc videtur esse fabula: vera autem est hæc vulpium historia à Simsone edita, unde videntur Romani illam ut & multa alia, ab Hebræis accepisse. Omnium enim negantium ritus & superstitiones Roma in se transtulit.*

§. XXIII. Non fert instituti nostri ratio, hanc litem cum Marshamo atque Spencero disceptare hoc loco, qui se, quod volunt assequi non posse putant, ut homines eruditionem suam miraculi instar stupendam esse credant, nisi crudissimas & impias opiniones stabilire se posse iisque probabilitatis speciem conciliare ostendant, inter quas præcipua, quod ritus quoque sacros Ebræis proprios Ægyptiis vendicent; quos eruditione & opera hic abutentes qui refutare velit, antiquitatum monumentis & præcipue ex Clementis Alexandrini scriptis se probe instruat necesse habet. Verum enim vero Ebræorum genti hæc deberi universim omnia qui solide cognoscere velit, adeat Seldenum de Jure N. & G. Edmundum Diekinsonum in Delphis Phœnicissantibus, Vossium in libris de Idololatria, & in disputatione de reliquiis revelationis divinæ inter paganos Summe Reverendum, Magnificum Dominum Balthasarem Bebelium Parentem nostrum in Christo venerandum ac Collegam conjunctissimum, de cujus adventu almæ matri nostri nobisque gratulamur, Deum precati, qui nobis hoc Palladium propitius concessit idem id clementer conservare velit.

M. Θ. Δ.



ALBERTI VEIEL DISSERTATIO De Idolo Michæ Judic. XVII. & XVIII.

PRÆFATIO.

OBſervata jam dudum ab eruditis eſt evidens inter Judæorum & Gentilium ſacra atque ceremonias, convenientia. Reperta enim non ſolum etiam apud Gentiles ſunt ſacrificia, eademque adminiſtrandi ritus, Judaicis in multis haud diſſimiles, ſed & plurima ipſum Templum ejuſque partes ac vaſa, ut arcam, Cherubinos, ignem ἄσβεστον &c. referentia, apud eoſdem cerni potuiſſe, conſentierunt eruditi. Cauſſas vero hujus convenientiæ qui indagant, in duas, & quidem diverſiſſimas abeunt ſententias, alii enim Deum in ferenda Ceremoniali lege, Judæis, Paganorum ritibus jam adſuetis, ſeſe accommodaſſe, adeoque ipſos Gentium ritus correctos ſolum in quibuſdam atque emendatos, illis præſcripſiſſe arbitrantur. Alii vero è contrario Gentiles inſtinctu Diaboli, Dei ſimia, illos à Judæis mutuaſſe, & pro lubitu illis vel addendo vel demendo obſcuraſſe atque depravaſſe ſtatuunt. Priori ſententiæ inter antiquos favent *Chryſoſtomus* & *Cyrillus Alexandrinus*, inter recentiores vero eidem adhærent *H. Grotius* & *Joh. Marsham*, nova LXX. Danielis hebdomadum expoſitione, quam Celeberrimus D. D. WAGENSEILIUS, Hoſpes quondam atque Præceptor meus ætatem devenerandus, in *Additamento* ad *Tela ignea Satanæ*, confutavit, clarus; Omnium vero maxime hypotheſin hanc ante aliquot annos defendit *Joh. Spencerus*, in opere, quod *de Legibus Hebræorum ritualibus & earum rationibus*, inſcripſit: aſſerta ejus ſuccincte refert *Bayle* in *Novelles de la Republique des lettres*, *anni* 1686. *menſ. Apr. p.* 440. *ſ.* qui cum duos priores operis libros una cum prima tertii libri diſſertatione, recenſuiſſet; ita l. c. p. 443. ſcribit: *les 7. autres traitent amplement*, *des ſacrifices*, *des purifications*, *des Fétes de la nouvelle Lune*, *de l'Arche & des Cherubins*, *du Temple*, *de l'Urim & Thummim*, *& du bouc que l'on envoyoit dans le deſert. On examine profondement l'origine de toutes ces choſes*, *leurs manieres*, *leurs dépendences*, *leurs fins*, *& leurs effets*, *& on ſoûtint que le fond & l'ébauche en ſont venus du paganiſme.* h. e. *reliquæ ſeptem* (diſſertationes) *prolixe agunt de Sacrificiis*, *Purificationibus*, *Noviluniis*, *Arca & Cherubinis*, *Templo*, *Urim & Thummim*, *& hirco in deſertum miſſo. Horum omnium origo*, *tenor*, *mutuæ inter ſe invicem rationes*, *fines*, *& effectus alte examinantur*, *eorumdemque primum fundamentum atque delineationem ex Paganiſmo proveniſſe defenditur.* Quamvis vero argumenta hujus ſententiæ examinare, quod à B. *Calovio*, *Herm. Witſio*, aliiſque præſtitum novimus, noſtri inſtituti non ſit, malumus tamen priori, à plurimis SS. Patrum, B. *Luthero* noſtriſque Theologis paſſim probatæ, & duabus integris diſſertationibus in altero *B. Dilherri Diſpp. Philol.* Tomo demonſtratæ, ſubſcribere. Imbutus itaque hac veriori atque orthodoxiæ conformiori ſententia, cum in ordinaria S. Literarum lectione in *Judicum* cap XVII. & XVIII. incidiſſem, atque tot intentionis verum Deum colendi veſtigia in Sacris à Micha ejuſque matre inſtitutis, reperiſſem, cogitare cœpi, annon forſitan Diabolus κακοζηλίας quodam genere, vero Jehovæ cultui quam ſimillimo, ipſum Tabernaculum ejuſque partes imitari Micham inſtigarit. Qua in ſententia cum aliorum poſtmodum ſuffragiis, quoſdam haud ita longe à me diſcedentes deprehendens, tum altiori vocum, queis res à Micha fabrefactæ, denominantur, conſideratione confirmatus, loco Exercitii Academici publicæ eandem Eruditorum Diſquiſitioni duobus capitibus ſubjicere decrevi: quorum primum quid per quatuor illa vocabula אֵפוֹד & פֶּסֶל מַסֵּכָה תְּרָפִים queis ſacra Michæ, denominantur, intelligatur; alterum num illa ipſæ res, unum compoſitum conſtituentes, idolum, Micha vero idololatra vocari poſſit, conſiderabit.

CAPUT I.

I.



INter innumeras fere, queis olim dediti fuerant gentiles, idololatriæ ſpecies, frequentiſſimus etiam fuit Deorum Larium atque Penatium cultus: quando ſcilicet quilibet Paterfamilias, unum aut plures, vel ex defunctis, vel etiam ex iis qui publice jam in Deorum numerum erant recepti, in domo, ſibi atque Domeſticis adorandum eligebat, ac quotidiana quoque veneratione proſequebatur.

II. Quando vero hancce idololatrici cultus ſpeciem intra Gentiliſmi limites non permanſiſſe, verum etiam illius veſtigia apud illos ipſos, qui veri Dei cognitionem habuerant, uti v. g. Labanem, reperta fuiſſe, videmus, quæque utroſque publico cultui privatam ejuſmodi venerationem addere, cauſa impulerit, inquirimus, duas potiſſimum deprehendimus: Rei ſcilicet familiaris benedictionem, & reſponſa in dubiis obtinendi cupiditatem.

III. Affixus enim terrenis animus, tanta eorum cupidine flagrat, ut cum ſæpius nonniſi ob illa Deum colat, mirum haud ſit, ſi ex illorum deſiderio in ſuperſtitionem vel idololatriam prolabatur. Sic notiſſimum eſt, Græcos atque Romanos ea præcipue de cauſſa Lares ſuos venerari ſolitos fuiſſe, quo fauſtam illis fortunatamque habitationem concederent. Et inter decem idololatriæ Judaicæ ſpecies, *quas R. Iſaac Abarbenel* Comment. in 2 Reg. 17: 17. recenſet; quartam ita deſcribit: המין הרביעי מהעבודה היא עבודת הצלמים המיוחדים לגדול הצמחים ולעבודת האדמה לפי שהיה תכלית ענינם בחירת השעות המועילות להרבות תנובות הארץ ולחרוש ולזרוע כדי שתצליח התבואה: h. e. *quarta ſpecies idololatriæ*, *eſt cultus imaginum in-*

incremento germinum & cultui terræ dicatarum, quia tota illa fabricandi ratio consistebat in selectu horarum, ad augendum proventus terræ, arandum atque serendum, conducentium, quo uber esset agrorum proventus. Parili prope modo hodienum inter Pontificios quilibet peculiarem suum sanctum colit, quo tam circa Spiritualia quam corporalia bona, peculiarem quoque ipsius curam gerat.

IV. Alteram, homines ad hoc idololatriæ genus, rationem impellentem, diximus fuisse responsa obtinendi cupiditatem; & certe quam proni ad hoc vitium sint mortales, vel infiniti incerta, maxime vero futura, divinandi apud Paganos olim usitati modi, evincunt. Unde etiam quamvis sub atrocissimis pœnis divinatorias ejusmodi artes sectari Judæis prohibuerit Deus, tanta nihilo secius illas exercentium fuit copia, ut nonnunquam ipsos fere Gentiles æquaverint. Quemadmodum vero variis Idololatriæ generibus hæc cupiditas ansam præbuit, ita quoque non solum Gentiles sed & Judæos simulacra quædam certis incantamentis, quibus vel defunctorum genios, vel alios Spiritus illis indi posse, credebant, conficere docuit, quæ deinceps privatim colebant, quo, si necessitas id postularet, in dubiis oracula darent: qualia ad tertiam Idololatriæ speciem refert Abarbanel l. c. his verbis: המין השלישי הוא העבודה לצורות והטלסמאות שהיו עושים בשעות ידועות כדי ידברו ויגידו העתידות: h. e. *species tertia est cultus imaginum & figurarum Talismanicarum, quas faciebant certis horis, ut dicerent & annunciarent futura.*

V. Ut vero propius scopo nostro accedamus, dicimus, eandem rerum suarum benedictionem & responsa obtinendi cupidinem, incessisse primum Michæ matrem, hanc vero filio non tantum consilium de fabricando aliquo Sculptili, detexisse, sed & ut illud approbaret, persuasisse; quod postea adeo Michæ arriserit, ut cum cap. 18. vs. 24. se ipsum illud fecisse dixerit, admodum probabile sit, eum totius idoli fabricandi curam in se suscepisse, & fabro, tam Sculptilis & Fusilis, quam reliquorum formam præscripsisse. Fuisse autem hanc initi consilii caussam, probari potest ex usu quem illis postea præbuit idolum: sic enim ipse Michas, effectum cultus à Levita celebrati, certam fore remunerationem putat, dum quo convenientius legi divinæ cultum suum instituat, eo majora sese beneficia laturum, sperat. Et nisi Levita antea jam idolum in dubiis consuluisset, seque propterea à Micha, Danitis, quid ibi faceret, interrogantibus, conductum esse respondisset, nec ipsi tam facile eum, ut Deum de itinere eorum consuleret, rogassent, neque ille responsum eis retulisset, cap. 18: 4, 5, 6. Eundem quoque potissimum in finem ipsum sacerdotem Idolo constituisse videtur, quia si solummodo in illo Deum adorare voluisset, Sacerdote opus non habuisset. Hinc etiam *R. Levi filius Gersonis* ad verba illa cap. 17. vs. 5. *& implevit manum unius ex filiis suis*: commentatur; להיות לכהן לשאול לו העתידות *ut esset Sacerdos & futura ei sciscitaretur*: quibus addi possunt, quæ de Teraphim scribit D. D. *Pfeiff.* in Exerc. Sacr. Ex. IV. pag. 83. esse sc. illa *effabricata, ut essent fortunæ bonæ authores & occultorum indices.*

VI. Actus itaque una cum matre sua, duplici hac cupidine, Michas; interim tamen prout ex verbis ejus videre est, veri Dei ipsiusque cultus & de non faciendis sculptilibus, ac imitandis Gentilium hariolandi modis, interdicti, cognitionem habens, medium quo ab ipso vero Deo optatis potiatur, quæsivit; cum vero illum singulari sua gratia atque virtute, in Tabernaculo fœderis præsentem sese exhibere noverat, sacerdotes præterea ei ministrantes certissima oracula, beneficio Urim & Thummim edere audierat, ipsum Mosis Tabernaculum, & habitum sacerdotalem, imitari decrevit. Ut adeo quando in cap. 17: vs. 4. & 5. Micham ædem Dei habuisse, & Sculptile, Fusile, Teraphim & Ephod fabricasse legimus, nihil aliud indigitari, quam illum structuram aliquam, Tabernaculum ejusque præcipuas scopoque suo maxime inservientes partes, licet forsan non adeo perfecte, & impari magnitudine, repræsentantem, vestesque summi Sacerdotis habitum referentes, confecisse, putemus. Id quod aliquot argumentis jam probabimus.

VII. Et primum quidem desumimus ab usu vocabuli Jehovah, cum enim illud nonnisi vero Deo conveniat, Micha vero ab eo per cultum suum benedictionem expectaverit, & mater in ejus honorem pecuniam sese sanctificasse dixerit, pietatem insuper *phrasi illa*; *Benedictus sit vel esto Domino: quæ sanctorum alias hominum fuit*, (observante hoc D. D. *Seb. Schmidio* Comment. in h. l.) *v. g. Gen.* 14: *vers.* 19. *Ruth.* 2: 20. 2 *Sam.* 2: 5. *Psalm.* 115: 15. utens, præ se tulerit, probabile haud est, illos Deum per imagines, quas illum tantopere aversari, ignorare non poterant, colere voluisse; sed potius putasse, gratissimos sese ipsi fore, si in adornandis sacris divinæ eorundem delineationi se quam maxime conformarent, verisimile videtur. Sunt equidem inter Rabbinos non pauci, qui nomina divina in historia Michæ occurrentia, non vero DEO, sed idolo tribui arbitrantur. Sic enim scribit Abarbanel Comment. ad c. Judic. 18: vers. 5. חז"ל נחלקו בשמות הנזכרים בענין מיכה אם הם קדש או חול ואמרו שכלם חול חוץ מאחר כל ימי היות בית אלהים בשילה: h. e. *Disceptant sapientes nostri p. m. circa nomina divina, quæ in historia Michæ memorantur, num sint sacra an vero profana, dicunt vero omnia profana esse excepto unico*, quando cap. 18: vers. 31. dicitur, *omnibus diebus, quibus fuit domus DEI in Schilo.* Excipi vero posse dicit idem l. c. adhuc aliud, hisce verbis: אבל ית" שאל נא באלקים במימרא דיי׳ והיה אם כן האלקים הנה קדש: h. e. *Sed Jonathan* שאל נא באלקים *reddit, consule verbum Jehovæ, & si res ita se habet, hoc* אלהים *sanctum est. Rabbi Dav. Kimchi v. in* Comment. in h. l. ita loquitur: אני תמיה על כי נתנה אלהים בידכם איך אמרו עליו שהוא חול: i. e. *miror ego quomodo de eo, quod* cap. 19: vs. 10. *occurrit, ubi dicitur*: *Nam tradidit Deus eam in manum vestram*; *potuerint dicere quod sit profanum.* Sanctum quoque pronunciat R. *Elieser*, (citante eundem *Abarbanele & Kimchio*) nomen Tetragrammaton, interim tamen vocem אלהים semper idolo tribui, excepta unica vice asserit. Respondemus vero huic Rabbinorum ut & aliorum sententiæ verbis *B. Calovii in Bibl. Illustr.* ad c. 17. Judic. vers. 2. hunc in modum scribentis. *Perperam per vocem Jehova hic idolum vel fictitius Deus intelligitur à Cornel. à Lapide & Bonfrerio, cui statua illa & simulachrum argenteum parabatur: quia nomen hoc nulli nisi vero Deo tribuitur, neque cultus hic alii fictitio DEO à Micha exhibitus est, de quo nullum vestigium est in Sacris, aut etiam à tribu Dan; ad quam is translatus est, sed ipsi Domino, cujus ministri Levitæ erant, & à quo benedictionem sperabat Michas.* Addimus his verba D. D. *Seb. Schmidii*, quæ in Comment. ad Judic. cap. 17: vs. 3. pag. 1345. ita se habent: *quod ait* ליהוה *Jehovah, ita accipit Lyranus, quasi significetur Idolum seu Deus falsus aliquis, non verus Deus. Et sic vocem Jehovæ usque ad finem capitis, excepto versu ultimo usurpari. Quam sententiam Burgensis amplius in Additione sua exponit, dicens, quod Idololatræ, ab Israëlitico ritu perversi, quia nomen Dei Tetragrammaton ex fide habuerant, hoc idem nomen suis idolis pernitiose attribuerint. Sed rectius alii, Nostrates inprimis, Interpretes statuunt, nomen Jehovæ hoc loco significare verum Deum. —— Et manifestum pro hac sententia argumentum est, quod Israëlitæ, quoties Deos Gentilium assumserunt, nomina quoque eorum, e. gr. Astharoth, Baalpeor, Milchom, &c. assumserunt: Sed quando cultum tantum idololatricum ad Deum verum transtulerunt, nomen veri Dei retinuerint.* Quamvis vero hisce verum Deum etiam in aliis quibusvis imaginibus, v. gr. vitulis, Judæos sæpius colere voluisse, pariter probari concedamus, heic tamen loci, cum quales illæ imagines fuerint, non exprimatur, rationem pro nostra potius sententia militare credimus.

VIII. Probato itaque hoc asserto, divina, quæ in historica Michæ relatione reperiuntur, nomina, non de idolo, sed vero Deo accipienda esse, alterum id nobis argumentum gignit, quod ex eo, quando, cap. 17: 5. Michæ בית אלהים fuisse dicitur, deducimus: extructo enim Tabernaculo & postea quoque Templo vix ullum nobis monstrari poterit exemplum, quo si de vero Deo sermo est, aliud quid, quam unum ex his duobus בית אלהים vocetur; nisi igitur Michæ sacellum Tabernaculo valde simile fuisset, nomen illud ipsi scriptor Θεόπνευστος haud indidisset. Si vero Michas nomen hoc ei tribuit, quod quidam malunt, quomodo id, quod à veri Dei domo prorsus erat diversum, nomine tamen illo insignire poterat? & quare non potius, ut alii, qui Templa sua domos excelsorum vocarunt, domum Sculptilis nominavit?

IX. Tertio sententiam nostram probamus, à ritu Impletionis manuum, in initiatione filii & Levitæ adhibito. Quemadmodum enim Mosen certis ceremoniis, quæ generali nomine, Impletio manuum, dicebantur, Aharonem ejusque filios ministerio Sacerdotali consecrasse Exod. cap. 29. & Levit. 8. legimus, ita Micha in hoc quoque passu divino cultui sese attemperans, easdem observavit: sic enim vs. 5. scribitur: & implevit manum unius ex filiis suis; *Chaldæus* reddit: וְקָרֵיב יָת קֻרְבַּן חַד מִבְּנוֹהִי i. e. *& obtulit oblationem unius è filiis suis*: Quemadmodum etiam verba illa Exod. cap. 29. vs. 9. *& implebis manum & manus filiorum ejus*, verterat;

וְתַקְרֵב

וְתַקְרֵב קוּרְבָּנָא דְאַהֲרֹן וְקוּרְבָּנָא דִבְנוֹהִי׃ h. e. *& offeres sacrificium Aaronis & sacrificium filiorum ejus. R. Schelomoben Melech in Michlal Jovi*, verba illa sic explet: וַיְמַלֵּא אֶת־יַד כלומר מן הקרבנות׃ h. e. *& implevit manum*: *Sacrificiis scilicet.* Eodem fere sensu commentantur in h. l. *Abarbenel* & *Kimchi*: שהקריב קרבנותיו על יד אחד מבניו ומנהו להיות כהן וכן ומלאת יד אהרן׃ i. e. *obtulisse illum sacrificia sua per unum ex filiis suis, eundemque constituisse, ut esset sacerdos*; eandemque phrasin occurrere Ex. 29: 9. *& implebis manum Aharonis &c.* Quæ sententia probabilior quoque nobis videtur illa, quæ heic simplicem tantum notari initiationem statuit, quem significatum alibi quidem admittimus, cæterum in Sacerdotali inauguratione, nonnisi de universis illis memoratis ceremoniis, accipimus: in quem finem nostra nunc facimus verba *Buxtorffii* in Lex. Hebr. Rad. מָלֵא scribentis: *Nata locutio inde, quod tradendo certas partes sacrificiorum in manus Sacerdotum, immitterentur solenniter in possessionem muneris sacrificandi, in eoque plenissime confirmarentur: inde ad quamvis consecratinem traductum est.*

X. Quartum argumentum nobis præbet adhuc aliud cultus juxta legem divinam instituti exemplum. Licet enim filius, *qui procul dubio*, (verba sunt D. D. *Seb. Schmidii* Comment. ad c. XVII. vs. 5. p. 1350.) *fuit promogenitus, notum namque fuisse putamus Michæ ex scriptis Mosaicis, quod Sacerdotium olim fuisset primogenitorum, sed postea in familiam Aharonis translatum. Putavit itaque in defectu Sacerdotis Levitici, licere sibi constituere suum primogenitum*; à Patre officio jam fuerat admotus, plenius tamen institutioni divinæ satisfacere satagebat, & propterea quam primum Levitam viderat, quævis ei, modo petitis annueret, promittebat, adeo ut postquam illa obtinuisset, exclamaverit: *Nunc novi Jehovam benefacturum esse mihi &c.* ad quæ verba opposite scribit *Abarbenel*, hunc in modum: רוצה לומר כי עד עתה היה אחד מבניו כהן הפסל והיה זה אשר לאכזרה לפי שהכהן היה מחוייב שיהיה משבט לוי ועתה שהיה לו הלוי לכהן ייטיב ה׳ עמו לפי שהלויים הם המוכנים לעבוד לא אדם אחר׃ h. e. *Vult dicere, quod hactenus unus ex filiis suis fuerit Sacerdos Sculptilis, quod vero contra legem divinam fuerit, quia Sacerdos debebat esse ex tribu Levi, nunc autem cum Levita Mysta ejus evaserit, benefacturus ei sit Dominus, quia Levitæ cultui essent destinati, nec alius quisquam.* Qui vero religiosior heic Michas fuisset Jeroboamo, qui dum vitulos erexerat, præceptum hocce plane neglexit, ni æmulam suam Tabernaculo structuram, satis perfectam Deoque gratam haud fore putasset, nisi quoque ex ejusmodi hominibus, qui ad illius cultum singulari Dei jussu destinati erant, ei aliquis præficeretur?

XI. Ultimum denique petimus 1. à Danitarum petito, ut Levita de itinere eorum Deum consuleret, 2. emphatica eorundem narratione, quid in domo Michæ viderint, & 3. raptu Sculptilis, illiusque ad publicum cultum in civitate Dan constitutione. Quæ omnia si vulgare aliquod idolum hoc Michæ sculptile fuisset, tam facile non fecissent.

XII. Ostensa igitur, uti speramus, Michæ Tabernaculum imitandi intentione, ut ad specialiora jam progrediamur, instituti ratio requirit. Cum autem innumera propemodum vasa, variaque alia vel ornatus vel etiam usus, universum populum Israëliticum attinentis, gratia, in Tabernaculo fuerint, quæ tamen Micha neque parare, neque in usum suum convertere potuisset, & in historia quatuor tantum ab ipso facta recenseantur, notanter supra §. VI. illum præcipuas solum scopoque suo maxime inservientes partes fabricasse, diximus. Cuivis vero Tabernaculum inspicienti, harum nomine illas, quæ in Sancto Sanctorum repositæ erant, & Arca, Expiatorium atque Cherubim vocabantur, ac vestes sacerdotales, propter Urim & Thummim, venire, patebit, de quibus vero, cum tot tantorumque Virorum extent lucubrationes, prolixe agere nobis necesse non est; pauca itaque solum, scopoque præsenti maxime necessaria, heic sumus allaturi.

XIII. Primo itaque loco Arcam intuentes, notamus vocabulum Ebræum. אָרוֹן, quod deducunt quidam à voce אֹרֶן Ornus vel Cedrus, & redditur ab Interpretibus per: Arca, l. Feretrum. *R. Sch. Jarchi* in Commentar. ad h. l. dicit: כמין ארונות שעושים בלא רגלים עשויים כמין ארגז שקורין אישקרין יושב על שוליו׃ h. e. *esse quandam arcarum speciem quas faciunt sine pedibus, uti speciem capsæ quam Gallice appellent écrin*: i. e. scrinium, *quæque in ipsis suis extremitatibus consideat.* Præceptum porro à Deo fuit, ut fabricaretur ex ligno Schittim, quod communiter pro optima Cedri specie exponitur; quemadmodum vero certo illud definiri haud potest, ita cum è contrario ex ligno quodam factam esse certum sit, dolari illud probe ac comissuris affabre exsculptis, combinari debuisse, nullum est dubium. Quæ præterea de limbo aureo, vectibus, annulis, quodque auro obducta fuerit arca, leguntur, fuse à Commentatoribus Biblicis, aliisque tractata, videri possunt.

XIV. Usus arcæ fuit tum ut reconderetur in ea testimonium fœderis, seu Tabulæ Legis, uti apparet ex Exod. 25: 16. & inde appellata fuit Arca fœderis, vel testimonii; tum etiam ut in toto illo composito, Arca scilicet, Expiatorio & Cherubinis, super quo locum habitationis sibi elegerat Deus, & ut ei ibidem preces funderentur & sacrificia offerrentur, mandaverat, easdemque propitium se exauditurum & gratiose acceptaturum promiserat; fundamentum quasi atque basin constitueret.

XV. Impositum huic Arcæ erat tegumentum, in originali textu כַּפֹּרֶת dictum, quod descendit à rad. כָּפַר incrustavit, vel picavit: verum nonnisi unica vice & in hac conjugatione & hoc significatur occurrit, in reliquis enim semper expiationem vel saltem metaphoricam peccatorum obtectionem denotat; putamus ergo etymologiam ejus ex hac potius significatione petendam esse, ut Expiatorium vocetur, quam ex illa, ut operculum significet, quam etiam nostram derivationem ipsa S. Scriptura Lev. 16: 14. & 16. insinuare videtur. Quamvis itaque re ipsa Expiatorium Arcæ operculum fuisse concedamus, vocem tamen Hebræam illud notare, negamus, & patrocinatur huic nostræ sententiæ ipse Apostolus Paulus, Ebr. 9: 5. cum enim alias ut plurimum LXX. Interpretum versione uti voluerit, heic tamen vocem כַּפֹּרֶת non ut illi, per: ἱλαστήριον ἐπίθεμα, sed solum per ἱλαστήριον reddiderit. Constabat autem ex auro puro & longitudine atque latitudine æquabat Arcam, crassities equidem non exprimitur, interim tamen satis probabile est, quod Rabbini, referente *Raschi* Comm. in Exod. 25: 17. de ea pronunciant: אף על פי שלא נתן שיעור לעוביה פירשו רבותינו שהיה עוביה טפח׃ i. e. *Quamvis certam Scriptura mensuram crassitudinis ejus non præscripserit, interpretati tamen ita sunt Rabbini nostri, quod crassitudo ejus fuerit palmaris.* Cumque ex oblatis monilibus, annulis aliisque instrumentis aureis fuerit confectum, alio, quam fusorio opere, in hanc formam redactum fuisse, concipi haud potest.

XVI. Illius usum quod contingit, partim ille cum eo quem Arcæ §. XIV. convenire diximus, ut scilicet esset pars habitaculi Divinæ Majestatis, fuit communis, partim quoque in eo consistebat, ut obtegeret arcam, præcipue vero quod in illius aspersione, expiatio pro Sanctuarii, Sacerdotum & Israëlitarum immunditie fieret.

XVII. Devolvimur jam ad Cherubinos & primo quidem, ipsam vocis hujus ob varias variorum sententias, controversam notamus originem, quam tamen in medio relinquentes Lectorem ad D. D. *Pfeifferi* Dub. Vex. p. 32. s. remittimus. Materiam eorundem aurum fuisse ex S. Literis certum est, forma vero cum in iis expresse tradita haud sit, non à quibusvis eadem statuitur: alii enim, ut *Grotius & Gaffarellus*, vitulinam, alii ex humana, leonina, aquilina & bovina mixtam, ut *R. Aben Esra*: alii humanam fuisse volunt, ut plerique tam Christianorum quam Judæorum. Cui postremæ sententiæ nos quoque cum D. D. *Pfeiffero* l. c. p. 239. adstipulamur & simul verba *R. S. ben Melech* in *Michlal Josi* ad cap. Exod. 25: 18. Vocem: Cherubim; adducimus: צורת אדם ורבותינו ז״ל שמו הכף משמשת שאמרו כי פירוש כרוב כרביא כי כדמות נערים היו׃ h. e. *forma scilicet humana: & Rabbini nostri p. m. habuerunt literam caph pro servili, dixerunt enim expositionem vocis* כרוב *esse: sicut puer, ideo quod formam puerorum habuerint.* Licet vero refutet hanc Rabbinicam derivationem *R. Aben Esra* & caph radicale esse judicet, & *Gaffarellus* eandem rideat, alias tamen adhuc rationes pro sententia nostra confirmanda superesse credimus, quæ apud laudatum D. D. *Pfeifferum* aliosque videri possunt. Quid per vocem מִקְשָׁה, qua communiter ex eodem solido & continenti opere Expiatorium & Cherubinos factos esse, denotari, interpretes atque Commentatores statuunt, intelligatur, disquirere scopi nostri ratio haud postulat, propterea etiam labore illo heic supersedebimus.

XVIII. Usus Cherubinorum fuit tum ille, quem in prioribus duabus partibus observavimus, gratiosa nimirum Dei præsentia, tum speciatim quod juxta Exod. 25: 22. è medio eorum oracula pandebat Dominus; ipsique alis suis Expiatorium obtegebant.

XIX. Tria vero hæc, Arca videlicet, Expiatorium, & Cherubim, unum compositum constituentia, sæpissime in S. Co-

S. Codice solo nomine Arcæ, aut Arcæ Domini vel Dei, insigniuntur, & non solum ob divinam ibi habitantem Majestatem (uti §. XVIII. diximus) sacrificia coram iis offerebantur ac preces fundebantur, verum etiam juxta unanimem Judæorum traditionem, in ordinariis casibus, responsa petebantur. Audiamus modo è multis *R. Obad. de Bartenora*, qui in *Comment. ad Tractatus Talmudici, Joma, sive de Die Expiationis*, Cap. VII. n. 5. ita scribit: כיצד שואלים באורים ותומים השואל פניו אחורי הכהן הנשאל והנשאל פניו ללפי הארון והשואל אומר אעשה דבר פלוני או לא אעשה ואינו שואל בקול רם ולא מהרהר בלבו אלא בקול נמוך ורוח הקודש לובשת את הכהן ומביט בחשן. ורואה אותיות בולטות בחשן כנגד פניו עשה כך או לא תעשה כך h. e. *ecquomodo consulunt per Urim & Thummim? consulens facie sua stat è tergo sacerdotis consulti, consultus facie sua consistit è regione Arcæ, & consulens dicit: faciam ne hanc vel illam rem, annon faciam? nec consulit voce elata, neque etiam illa solum in corde suo cogitat, sed voce depressa: Et Spiritus S. intrat sacerdotem qui pectorale inspicit & videt literas prominentes in pectorali, fac ita, aut, ne facias ita.* Quam etiam coram Arca Deum consulendi praxin innuere quædam Scripturæ loca, ut Jud. 20: 27, 28. & 1. Sam. 14: 18. videntur.

XX. Non immerito inter præcipuas Sanctuarii partes numeravimus denique etiam vestes Sacerdotales seu Ephod, quod descendit à Rad. אָפַד amicivit, induit, accinxit, & significat I. in genere tunicam quandam cinctam, quali Davidem 2. Sam. 6: 14. & Samuelem 1. Sam. 11: 18. aliosque indutos fuisse legimus. II. Etiam sæpius in S. Literis pro omnibus vestibus Summi Sacerdotis accipitur, uti v. gr. Jud. 8: 27. ubi cum D. D. HABICHORSTIO, celeberrimo, eoque Seniore nostræ Acad. Theologo, *in Disp. de Eph. Gid.* Gideonem universum Sacerdotalem habitum confecisse statuimus; sic etiam Ephod cujus 1. Sam. 21: 10. & 1. Sam. 33: 10. mentio fit, nonnisi de omnibus illis vestimentis explicari potest. III. Denique in specie amiculum illud, quod humeris Sacerdotis impositum, cuique pectorale affixum fuit, & Superhumerale vocari solet, notat. Quia vero Sacerdos, quando officio suo fungebatur, non tantum superhumerale illud, sed omnes etiam reliquas vestes induebat, in illa quoque acceptione, nos heic de τῷ Ephod verba facere putandum est.

XXI. Usus quem ex instituto divino præbebat Ephod, fuit, tum quod in illo Sacra à Sacerdote administrari volebat Deus, tum quod in miranda illa per Urim & Thummim, quæ illius pectorali indita erant, sciscitatione adhibebatur.

XXII. Considerato jam quatuor harum Tabernaculi partium usu atque natura, & Michæ illas imitandi ausu, superius probato, quid de quatuor illis vocabulis: אֵפוֹד & פֶּסֶל מַסֵּכָה תְּרָפִים, quibus Idolum Michæ describitur, sentiamus & quomodo cum dicta nostra hypothesi ea conciliemus, dicendum restat.

XXIII. Primum igitur vocem פֶּסֶל contemplantes, derivatam eandem cernimus à Rad. פָּסַל dolavit, sculpsit; quem ipsum significatum illa retinens, dolatum seu sculptum quid denotat. Quia vero Deastrorum imagines utplurimum ex lignis vel lapidibus sculpi solebant, generalis hæc vocula de quavis re ad cultum prostante & exsculpta usurpata est, quo sensu etiam Judæi in versione sua Germanica illam reddiderunt, ein geschnitten Bild; unde generalior adhuc acceptio nata, ut sæpius pro quovis Idololatrico simulachro, tam fuso quam sculpto sumatur, quemadmodum in hac ipsa nostra historia c. XVIII. vs. 30. & 31. tam fusile, quam sculptile speciatim sic dictum ac Teraphim & Ephod, uno nomine פֶּסֶל vocantur: hoc ipso vero quod in his ultimis versiculis τὸ פֶּסֶל generalissimo hoc sensu usurpatur, in prioribus vero, ut c. XVII. vs. 3. & c. XVIII. vs. 17. fusili ac reliquis contradistinguitur, in iis illud non modo diversum à reliquis, sed & juxta secundam acceptionem sculptum atque dolatum quid fuisse docemus. Quidnam autem hujuscemodi aliud in adornando, quoad præcipua, veri Dei cultu, Micham fabricare voluisse judicemus, quam id quod §. XIV. ex ligno Scittim sculptum ac dolatum esse audivimus? Arbitramur ergo per τὸ פֶּסֶל quod Micham fecisse legimus, compositam quandam ex asseribus, pari modo dolatis ac exsculptis, Arcæ fœderis similem, cistam indigitari.

XXIV. Alterum vocabulum est מַסֵּכָה, quod originem suam trahit à Rad. נָסַךְ fudit, & generatim quodvis fusum seu fusile significat, speciatim vero de simulachris certarum rerum ex auro vel alio metallo fusis, dicitur, uti v. gr. Vitulus Ex. 32. ex auro fusus dicitur; ubi vero certa forma expressa non est, prior quoque generalis significatus obtinet, quo etiam nos illud heic accipientes, apprime de tabula illa quam ex auro mero fusam & Arcæ impositam §. XV. vidimus, intelligi posse credimus: ut adeo Micham, dum Fusile se fecisse ait, tegumentum Expiatorium referens, fudisse, putemus. Est equidem Radici נָסַךְ & voculæ מַסֵּכָה adhuc alius significatus, ab operiendo desumtus, prout occurrit Jes. 25: vs. 7. qui tamen nec ipse expositioni nostræ repugnat; audivimus enim supra, Expiatorium revera Arcæ operimentum fuisse, nihil igitur absoni statueremus, si Micham illud operculum vocasse diceremus; interim tamen quia τὸ מַסֵּכָה hoc loco interpretes communi consensu per Fusile exponunt, iisdem refragari nolumus.

XXV. Progredimur jam ad תְּרָפִים, vocem tam ratione etymi quam sensus omnium maxime controversam, de quibus prolixe quidem disserendi jam campus nobis pateret sat amplus, cæterum scopum nostrum attendentes, paucis tantum, aliquas circa posterius sententias in medium proferemus, & quænam maxime probabilis sit, dispiciemus. Alii itaque inter Christianos Serapidas Ægyptiorum, ut *Joh. Henr. Hottingerus*, alii Tilsemas, ut, *Jacobus Gaffarellus*, alii idola vel Lares, figuram humanam habentes, ut plerique nostrates Theologi pariter ac Philologi; alii quarumvis etiam sanctarum rerum imagines, ut *Hieronymus*, *B. Balduinus*, *Pererius*, illa denotare, autumant. Singularis præterea est *Spenceri*, & ante ipsum *Christoph. à Castro*, *Leonis Castrii*, *Casp. Sanctii*, sententia, qui cum Os. 3: 4. τὰ Teraphim. à LXX. interpretibus per δήλους, ab Aquila vero per φωτισμοὺς, (quibus alias vocabulis τὰ Urim & Thummim exposuerant,) translata esse vidissent, illa nihil aliud quam quæ Hæbraice Urim & Thummim dicebantur, fuisse defenderunt; quamvis id non ubique ut *Spencerus*, sed in aliquibus solum locis asserere quidam videantur. Quid vero de hac ipsa opinione à falso illo principio, ac si Deus sacra Judæis præscripta à Gentilibus mutuarit, dependente, statuamus, afferre necessum haud est, cum à pluribus eruditissimis Viris eam vel ex sola fundamenti illius destructione, solidissime refutari posse, ostensum sit. Distinguenda vero hæc est ab ea, qua nonnulli occasione cit. dicti Hoseani, Teraphim nonnunquam imagunculas denotare, loco τῶν Urim & Thummim ab idololatris effictas, statuunt, quæ est sententia *D. D. Seb. Schmidii* in Comment. ad l. c. & quodammodo quoque *Abarbenelis*, qui postquam in Comment. ad 2. Reg. 18: 17. quintam Idololatriæ speciem cultum τῶν Teraphim fuisse dixerat, eandem his verbis proponit: על המין הזה אמר הנביא התרפים דברו און׳ שאל התרפים׳ ולמה שהיה כפי מחשבתם הוראתם דומה להוראת האורים והתומ׳ אמר אין אפוד ותרפים וההבדל ביניהם כהבדל הדבר המוחש האמתי לצורות המדומות הכוזבות וכנגד המין הזה אמר כאן ויעשו דברים רעים להכעיס את השם כי היו מכעיסים אותו בעשותם התרפים בדמות תכלים המקודשים לל האורים והתומים: h. e. *de hac specie dixit Propheta* Zach. c. X. vs. 4. *Teraphim locuta sunt vanitatem &* Ezech. 21: 26. *Consulit Teraphim, & quia juxta illorum Idololatrarum opinionem responsa τῶν Teraphim similia erant responsis τῶν Urim & Thummim*, Hosea c. 3. vs. 4. *dixit, sine Ephod & Teraphim, & discrimen inter ea tale est, quale inter rem aliquam sensibilem ac veram, & imagines ei similes sed fictitias, & respectu hujus speciei* 2. Reg. 27: 11. *dictum est, & fecerunt res malas provocando Jehovam, quia provocabant ipsum, dum faciebant Teraphim ad similitudinem rerum sacrarum, videlicet τῶν Urim & Thummim.* Varias & partim miras Rabbinorum sententias, quorum alii τὰ Teraphim horologia, alii statuas Magicas, alii aliud quid fuisse tradunt, videre licet apud *D. D. Pfeifferum in Dec. Exerc. Sacr. Ex. 4. & Buxtorffium in Lex. Chald. Talm. Rabbinico pag. 2660. seqq.* Nos ex loco 1. Sam. 19: 3. aliisque cum eo collatis, illa, in genere quasvis humanam effigiem repræsentantes imagines, adeoque etiam idola illius formæ denotasse statuimus. Vix enim persuadere nobis possumus, cum pleræque quas Israelitæ inhabitabant civitates, primum ab eis fuerint combustæ, & dein demum novæ plane exstructæ, id quod etiam factum à Danitis Jud. c. 18. vs. 28. legimus, illæ vero quæ flammis consumtæ non fuere, saltem ab omnibus Idololatricis abominationibus sollicite purgari debuerint, uti ex Exod. c. 7. vs. 25. & c. 12. 2, 3. patet, in Davidis ædibus ejusmodi Gentilium Idolorum reliquias repertas, nedum toleratas fuisse. Putamus potius vocem Teraphim non absimilem esse voci צֶלֶם (quemadmodum quoque eam nonnunquam צַלְמָנַיָּא transtulit *Chaldæus*) quæ in genere quascunque imagines significat, sæpius vero etiam de idololatricis usurpatur.

tur. Conſentientem nobis adducimus *R. Abarbanelem* cujus in Comment. ad 1 Sam. 19: verſ. 13. hæc ſunt verba: אני אחשוב שהתרפים בכלל הם כצורת אדם מהם נעשים לעבודה זרה ומהם להוריד השפע מהעליונים ומהם לדעת השע׳ת מהיום ומהם היו הנעשים על צורת אדם ידוע ודומה אליו בתוארו וצורתו׳ והיו עושים הנשים זה על צורת בעליהן בדישיהיה תמיד תוארו לנגד עיניהן מרוב אהבתם אותו׃ h. e. *ego puto τῶ Teraphim in genere eſſe formæ humanæ, facta vero partim ad cultum idololatricum, partim ad deducendum influxum à ſuperioribus, partim ad cognoſcendas horas diei, facta quoque partim ſunt ad effigiem certi alicujus hominis, ut illius ſpeciem ac formam referrent, id quod uxores facere ſolebant, dum imagines maritorum ſuorum conficiebant, quo perpetuo illarum oculis illæ obverſarentur, & id quidem ex nimio, quo illos complectebantur, amore.* Roboramus hæc amplius verbis *D. D. Seb. Schmidii* in Comment. ad Hoſ. cap. 3: vſ. 4. ſcribentis: *Ex Scripturarum diligenti collatione manifeſtum evadit, nomen Teraphim ſæpiſſime idola ſignificare, aliquando tamen pro imagine in genere, aut aliqua forma ad effigiem hominis accedente uſurpari. Nam Michal poſuit Teraphim non idolum aut ſacras imagines. —— Unde certum videtur Teraphim in genere ſignificare imagines, factas ad ſimilitudinem corporis humani, & pro ratione locorum eorundemque circumſtantiis, vel pro Idolis & ſimulachris idololatricis vel pro aliqua alia repræſentatione ſumi poſſe.* Ex quibus jam, cum ſatis notabilis Cherubim ac Teraphim pateat convenientia, hiſce illos Micham imitatum fuiſſe concludimus.

XXVI. Supereſt adhuc Ephod, quod quia id ipſum eſt vocabulum quo §. xx. veſtes Sacerdotales notari oſtendimus & cum ordinarium hunc ipſius ſignificatum, heic quoque, utpote ubi de ſacris rebus ſermo eſt, valere in aprico ſit, conciliatione cum alia aliqua voce, uti in reliquis tribus, opus non habemus. Ceterum tamen quia l. c. triplicem ejus acceptionem obſervavimus, quam ei competere putemus dicendum. Cum vero ſcopum cujus gratia Michas Ephod fecit, ut nimirum Sacra in eo adminiſtraret Sacerdos, Deumque in occultis conſuleret, reſpicimus, nihil huic uſui linteam tunicam, quæ prima eſt acceptio, conferre potuiſſe manifeſtum eſt, multo minus ſolo Superhumerali contentum fuiſſe probabile, mediam itaque retinentes acceptionem, illum totum Sacerdotalem habitum, quantum quidem poterat, imitando confeciſſe judicamus.

XXVII. Summa igitur ſententiæ noſtræ huc redit: *quatuor res illas, Sculptile ſcilicet, Fuſile, Teraphim & Ephod, quas Micham primo feciſſe, poſtea vero Danitas abſtuliſſe S. Literæ referunt, figuras quatuor præcipuis Tabernaculi partibus ſimiles, & ita quidem, ut per Sculptile; Arca: per Fuſile; Expiatorium: per Teraphim; Cherubim: & per Ephod; veſtes Sacerdotales denotatæ ſint, fuiſſe.*

XXVIII. Duo vero haud levis ponderis argumenta huic ſententiæ adverſari videntur: quorum primum eſt, quod, cum quaſi fundamenti loco ponamus, Micham non tantum veri Dei cognitionem ſed & præſcripto ab eo modo, eundem colendi intentionem habuiſſe, ille tamen expreſſum de non faciendis ſculptilibus præceptum, quod ei non potuerit non eſſe notum, ſit tranſgreſſus, & etiam conceſſa noſtra, de Tabernaculum imitandi intentione, hypotheſi, plurima, nobis ipſis haud negantibus, vel mutaverit, vel mutilaverit, vel penitus omiſerit. Verum reſpondemus, eum utique præceptum illud ſciviſſe, ſed illo tantum Sculptilia Deorum falſorum vetari, credidiſſe, imagines vero quas ipſe Deus Moſem fabricare juſſerat, licite quoque ab alio confici poſſe putaſſe; quod autem in eo, quod filium Sacerdotem conſtituerat, divinam inſtitutionem mutavit, id ex neceſſitate ob defectum habilis perſonæ fecit, unde etiam illud, quam primum poterat, correxit, & quamvis nec Levitæ ad Sacerdotale munus à DEO erant electi, ex illorum tamen tribu Aaronem huic officio fuiſſe deſtinatum, adeoque ſi ipſe quoque quendam ex illa ei conſecraret, ſe non adeo longe à divino mandato diſcedere, cogitare poterat. Poſſemus etiam reſpondere, forſitan hoc loco nomen Levitæ generaliter, ut etiam ſacerdos Levita dicatur, quod Scripturæ inſolens non eſt, ſumi, ut adeo Levita hic ex ſacerdotali ſtemmate quidem oriundus, univerſali vero hoc nomine fuerit inſignitus. *Ideo* (ut verbis utamur Jarchii in Comment. ad Job. 3: 3.) לפי שיצאו כלם מלוי אבי עמרם נקראו לוים *quia omnes, tam Sacerdotes quam Levitæ egreſſi fuerant ex Levi, Patre Amram, omnes quoque Levitæ nuncupati ſunt*; quibus idem addit Rabbinos in Bereſcit Rabba xlv. ejuſmodi exempla in S. Codice occurrere, obſervaſſe. Mutilaſſe vero vel etiam plane omiſiſſe quædam Micham in ipſis illis nominatis Sanctuarii partibus, ut v. gr. non cum omnibus illis Arcæ requiſitis, quæ in hiſtoria ejus fabricæ narrantur, eandem effabricaret, & tanquam accidentaria, ſervatis modo eſſentialibus, illa neglexiſſe, ſalva hypotheſi noſtra, facile largimur. Nobis enim Michæ ſtructuram rudiori ſolum aliqua forma Tabernaculum repræſentaſſe ſufficit.

XXIX. Alterum quod opponi nobis poſſet argumentum, inde ſententiam noſtram ſubruere videtur, quod, in iiſdem rebus deſignandis, diverſa nomina ſint adhibita; ſi enim eædem illæ fuerant, quid opus erat Arcam Sculptile, Expiatorium Fuſile, Cherubinos Teraphim appellare? cui accedit quod in denominandis veſtibus Sacerdotalibus, vocabulum alias conſuetum, Ephod ſcilicet fuerit uſurpatum, ex quo itidem concludi poſſet, quod inibi quoque ordinaria nomina adhibita fuiſſent, niſi diverſitas rerum illud prohibuiſſet. Quibus vero reſpondemus I. non opus eſſe, ut, quare eædem res in variis locis, variis quoque vocabulis notentur, indicemus, ſed ſufficere per varia argumenta, vocabula; Sculptile, Fuſile & Teraphim, omnium commodiſſime de ſupradictis Sanctuarii partibus exponi, oſtenſum eſſe. II. Duo ex antecedentibus obſervari debere, 1. nempe, voces queis Tabernaculi partes denominantur, excepto Ephod, nonniſi ſanctis illis rebus, & veluti nomina propria tributa eſſe: è contrario, 2. Ephod, atque illas quibus Michæ ſtructura notatur, voculas, generalem maxime admittere ſignificatum. Ex quibus, ut ſpeciatim hæc jam applicemus, videre eſt, Micham ciſtam ſuam, quam in eum ſolum uſum, ut pars divinæ ſedis eſſet, fecerat, Arcam fœderis vel teſtimonii, utpote quo nomine hæc, ob tabulas lapideas, ut initi cum Iſraëlitis fœderis teſtimonium, inſigniebatur, quod vero partialis tantum ejus, & Michæ ſcopo nihil conducens uſus fuerat, vocare non potuiſſe, & proinde generali potius illa voce; Sculptile uti maluiſſe. Eodem quoque modo, quia Expiatorium, nomen ſuum, uti ſupra vidimus, etiam à partiali tantum & totum populum Iſraëliticum attinente, Michæ vero ſcopo pariter non proficuo, uſu, expiatione ſcilicet, ſortitum fuerat, illud electo generali vocabulo, Fuſile; repudiavit. Et quamvis vox Cherubim non de ſolis illis in Expiatorio conſiſtentibus imaginibus dicta reperiatur, cuivis tamen ſimulachro, etiam humanam formam exhibenti, tribui potuiſſe, non videtur, cumque Cherubini Expiatorii, Angelos, Michæ vero imagines, illos ſolum per quandam imitationem repræſentare debebant, hæ convenientius generaliter Teraphim ſunt appellatæ. Ephod vero quia natura ſua nomen eſt generale, neque in ſpecie Aaronis tantum veſtibus competebat, quo minus adhiberetur, nihil prohibebat.

XXX. Progredimur nunc ad aliorum quoque ſententias, quarum præcipuas paucis recenſebimus & quid de iis ſentiamus, qua par eſt modeſtia, proponemus. Primum igitur permultos reperimus, qui dum פסל per Sculptile, מסכה per Fuſile; תרפים per Imagines & אפוד per veſtes ſacerdotales reddunt, in eo acquieſcunt, neque quid per illa ipſa indigitari exiſtiment, definiunt: Qui tamen in triplici ſunt differentia; alii enim unam eandemque imaginem diverſo reſpectu Sculptile, Fuſile & Teraphim, vel quæ primum Sculptile & Fuſile dicantur, poſtea Teraphim & Ephod, vocari: alii vero ea quidem diſtinguunt, Micham vero Dei cultum & Dæmoniorum miſcuiſſe, ut Ephod DEO vero, ſed Teraphim Sculptile & Fuſile dæmoniis ſacraverit, adeoque hæc procul dubio Gentilium Deaſtrorum ſimulacra fuiſſe putant; quæ eſt ſententia *Seldeni*: alii denique & ſeparatas à ſe invicem imagines, & vero Deo conſecratas fuiſſe dicunt. Primos refellit ipſa Scripturæ litera, quæ ſemper in recenſione harum rerum, quaſvis diſtincte memorat, inprimis vero cap. 18: vſ. 17, 18. ubi non ſolum Sculptile à Fuſili velut rem à re, ſed ab utroque etiam Teraphim diſtingui cernimus: mediorum opinionem ex eo, quod ſuperius nomina Divina in hiſtoria noſtra occurrentia vero Deo tribui probavimus, valere non poſſe, patet. Poſtremi vero cum certi nihil ſtatuant, neque magis aliorum quam noſtræ ſententiæ accedant, de eorum quoque ſententia dici nihil poteſt.

XXXI. II. Nonnulli Sculptile & Fuſile per ſimulachra, Teraphim vero per apparatum ſacrum exponunt. Sic e. gr. *B. Dilherrus* in Tomo Nov. Diſpp. Acad. Diſp. XIII. p. 351. *Dicimus*, inquit, *Teraphim non tam ipſa notare ſimulachra, quam ſacrum adparatum quo iſtis miniſtraretur. Hoc docuit nos B. Hieronymus: Micha cum veſte ſacerdotali cetera quoque, quæ ad ſacerdotalia pertinent ornamenta, per Teraphim feciſſe monſtratur; Ep. 130. ad Marcellam. Eodem modo Theologus*

eus pientissimus doctissimusque *Joh. Brentius*: *Faciunt Ephod, h. e. superhumerale, genus est vestimenti sacerdotalis, quemadmodum in Exod. 28. scribitur: Faciunt etiam Teraphim, quod nostri interpretantur idola: & videntur fuisse instrumenta ad cultum divinum, de quibus etiam est Os. c. 111. Comm. sup. h. l.* Num vero eadem plane hæc cum Hieronymi sit sententia, dubitare quis haud immerito posse videtur, cum hic per Teraphim ornamenta sacerdotalia, h. e. uti putamus, mytram & reliquas, præter superhumerale, vestes, illi vero vasa ac instrumenta sacra sese intelligere dicant. Integer autem Hieronymi in cit. epist. locus hic est: *Ex quo intelligimus in Ephod juxta Septuaginta quoque, qui sensum magis quam verba interpretati sunt, sacerdotium interpretari: in Teraphim vero, i. e. figurationibus vel figuris, varia opera, quæ Teraphim vocantur, intelligi. Nam & in Exodo ceterisque locis, ubi describuntur vestes plumaria arte contextæ, opus Cherubim, i. e. varium atque depictum esse factum describitur: ita tamen, ut ו Vau literam Cherubim non habeat: quia ubicunque cum hac litera scribitur, animalia magis quam opera significat. Juxta igitur hunc sensum & Micha cum veste sacerdotali, cetera quoque quæ ad sacerdotalia pertinent ornamenta, per Teraphim fecisse monstratur.* Ex hisce colligimus aliam adhuc Hieronymi fuisse ac laudatorum antea virorum mentem, qui hac in parte Balduini potius de Teraphim in Hos. 3: 4. sententiæ favere videntur: Hujus vero verba in Comm. ad Zach. 10: 2. p. 1628. hæc sunt: *Apud Hoseam cap. 3: 4. non significare potest idola Gentium, sed ita vocantur omnes figuræ cultus divini, videlicet, tabernaculum, mensa, velum, candelabrum, panes propositionis & quibus omnibus caruerunt in exilio.* Quicquid interim sit, neque tamen sententia illa, quæ τὰ Teraphim de variegatis Sacerdotalibus vestibus exponit, cum & ea in historia nostra ab Ephod distinguantur, hoc vero commodius pro universo ornatu Sacerdotali accipiatur; neque illa, quæ sacrum per ea adparatum & instrumenta, (qualia vero ea fuerint non exponit, vel saltem scopo Michæ minus convenientia, indigitat) intelligi statuit, probabilis apparet.

XXXII. III. Idem propemodum, licet inverso modo, cum citatis in præced. §. viris sentit *Grotius*, quamque non inconcinnam interpretationem vocat *B. Calovius* in Bibl. Illustr. ad h. l. qui simul ipsius mentem ita recenset: *Grotius per Sculptilia & fictilia intelligit altaria, Candelabrum, & alia ejusmodi, quæ ad privatum cultum per imitationem eorum, quæ in Tabernaculo parata erant, spectarint: & idolum voce Teraphim solum designatum censet.* De τῷ Ephod vero idem *B. Calovius* sequentia subjicit: *De Sacerdotali Ephod πρώτως hæc vox accipitur, & Ephodem Pontificialem. Exod. 28. imitari voluisse Micham, cultus ille, quem ex ἐθελοθρησκείᾳ instituit, satis docet.* Ad Teraphim quod attinet, sententiam quoque suam sequ. in modum de iis affert. *Aquila vocem hanc Teraphim per φωτισμοὺς interdum interpretatur. Unde credibile admodum, quod Micha τῶν Teraphim fabricatione Urim & Thummim imitari vel adumbrare voluerit, easque imagines, quamcunque formam habuerint, construere, quæ similem usum, prædicendi nempe occulta, & oraculorum vice essent.* Circa hæc omnia observamus I. nullam nos cernere rationem, propter quam Micha Candelabrum & ejusmodi alia, ornatus gratia in Tabernaculo facta, imitari voluisset; & licet forsitan Micham etiam altare quoddam habuisse concedamus, (quia tamen ejus usus, qui potissimum in eo consistebat, ut victimæ in ipso comburerentur, & hoc modo Deus placaretur, de quo vero non adeo sollicitum Micham fuisse credimus, nonnisi indirecte ad ejus scopum tendere poterat) illud tamen inter minus necessaria solum reputatum, neque uno ex quatuor illis vocabulis, quæ in cultus hujus partibus designandis adhibebantur, notatum fuisse verosimile est. Ut taceamus τὸ מסכה non per fictile, sed per Fusile vel conflatile reddendum esse, altare vero neque hujus neque Sculptilis nomine venire potuisse. II. Cujusmodi idolum per Teraphim intelligat Grotius nos ignorare, interim fictitium quoddam idolum Micham ceteris partibus addidisse, non probabile videri in antecedentibus nos sæpius monstrasse: cumque per Ephod Pontificialem habitum notari concedatur, hic autem sub se quoque τὰ Urim & Thummim comprehendat, quare in specie peculiari aliquo vocabulo hæc designentur, non apparere: haud enim difficulter concludi potest, eum, quem Pontificiale Ephod fecisse legimus, illud cum omnibus maxime vero præcipuis partibus parasse: & quid opus fuisset τῶ Urim & Thummim tanquam alicujus rei à τῷ Ephod separatæ mentionem facere?

XXXIII. IV. Producimus sententiam *D. D. Seb. Schmidii*, quam in Comment. in nostram historiam p. 1347. ita delineat: *Cum certi quid asseri nequeat, possumus rem in medio relinquere. Si conjecturare tamen licet, dicemus, quid nobis videatur.* (1.) *Duas imagines Deo positas, parum probabile videtur.* פסל *fit itaque Sculptile* (2.) *videtur fuisse ipsa imago, quæ Deum repræsentare debebat.* (3.) מסכה *Fusile vero, stylus seu basis, cui Sculpta imago imposita, ut erecta & altiori loco posita starent in domo. Conjunguntur,* (4.) *quia nonnunquam separabantur, ut Sculptile seu imago aliquo loco poneretur sine basi aut columna; & fusile seu basis statueretur sine statua aut imagine, nisi quæ in ipsa esset aliquando basi, sicut lapidem habebant pro Termino Deastro. Accessit* (5.) *istis Ephod à Micha factum, quod vestis Sacerdotalis erat, in qua non tantum actus Sacerdotales alii peragebantur, sed imprimis etiam Oraculum rogabatur, quasi sanctitas ei singularis inesset, propter quam Deus respondebat, ex opinione quidem Idololatrarum. Addidit* (6.) *Michas Teraphim, quos putamus fuisse Lares, Deos minorum Gentium, per quos Deus superior, tanquam per ministros suos, oracula edebat: ita ut Sculptile esset Deus principalis, ad instar Dei veri summi, quem quidem etiam Michæ Sculptile repræsentare debebat, Teraphim autem esset Deus minister ad instar angelorum.* De iisdem Teraphim idem l. c. p. 1351. hæc habet: *Cum fere Hebræi dicant, habuisse caput humanum, probabile est, fuisse faciem Cherubicam, h. e. ejusmodi caput & faciem, in quali Cherubim olim apparuerunt, & in populo etiam Dei picti aut acu picti aut sculpti. Forte hujusmodi etiam quid volunt Chaldæi interpretes, qui reddiderunt* צלמניא *imagines &* דמאין *simulachra, scilicet ad similitudinem figuræ humanæ facta.* In quantum vero hæc sententia cum re ipsa conveniat, haud difficile erit judicare ei, qui Michæ intentionem & historiæ circumstantias, quæ ipsum non vel Gentilium Deastrorum vel alia in proprio cerebro efficta simulacra fabricare voluisse arguunt, penitius perspexerit.

XXXIV. V. Eandem propemodum nobiscum sententiam tuetur *Reizius*, in not. ad *Goodwini Mos. & Aar.* p. 380. nisi quod non determinet, quid per Sculptile & Fusile indigitari putet; verba vero ipsius l. c. hæc sunt: Hos. 3: 4. *vox ea* (Teraphim) *sumitur pro Cherubinis, uti fluit è textu: Sic quoque οἱ Teraphim Michæ sine dubio repræsentarunt Cherubinos, Jud. 17: 5. 18: 14. Qui imitaturus Tabernaculum, & ejus instrumenta, amiculum, Cherubinos auro obductos, aliasque res fecit, iisque sacerdotem præstituit.*

XXXV. Quænam tandem Rabbinorum quoque harum vocum sit explicatio, dispiciendum jam esset, quia vero illas partim sicco plane pede transeunt, quosdam autem idola non vero Deo sed Gentilium diis posita fuisse putare superius vidimus, partim denique nude per imagines solum exponunt: verbo solum; nonnullos ulterius aliquantum progredientes, Ephod, de vestimentis ad Aaronicorum exemplum factis, ceteras vero partes de imaginibus, quibus superiorum (h. e. ut *Abarbenel* in Comm. ad Jes. 40: 20. interpretatur, cœli, astrorum & Angelorum) influxus sit communicatus, intelligere, indicamus. Et hæc circa prius caput dicta sufficiant.

CAPUT II.

I. PErtractata sic priore Disputationis nostræ parte, ad alteram, qua nos quæstionem, num res illæ à Micha paratæ, quæque Judic. 18: 30. & 31. generali Sculptilis nomine insigniuntur, Idolum, & Micha Idololatra vocari possit? consideraturos promisimus, nos conferentes, primo statim loco, quia à nostratibus Theologis communiter affirmativa sententia defensa & stabilita est, adeoque res extra controversiam posita videri posset, dubitandi rationem inde depromimus; Quod cum juxta nostram interpretationem Micha Tabernaculi partes ab ipso Deo Mosi fabricari præceptas imitatus fuerit, idololatriæ crimen eidem objici posse non videatur. Resolvendam igitur hanc quæstionem nos concessa nostra hypothesi suscepisse, intelligendum est: in cujus tamen discussione utpote rei minoris difficultatis, & saltem quoad generalia à pluribus jam uberrime tractatæ, brevioribus quam in prioris capitis consideratione, nobis esse licebit.

II. Sua equidem natura Græca vox εἴδωλον quamvis notat imaginem; Scripturaria vero acceptione nonnisi aliquam rem, quam vel homo pro vero Numine colit, cum tamen illud non sit, vel etiam tanquam medium ponit, per quod verum Deum præter tamen & contra ipsius voluntatem, veneratur, & exinde Idololatra, cultus vero ille, Idololatria nominatur, designare certum est. Ex his ipsis vero cum appareat, duplicem esse Idololaltriam, quarum prior ratione objecti, posterior

rior autem ratione modi ita vocetur, ab illius vero crimine Micham superius, ubi nomina divina in historia occurrentia, vero Deo tribui ostendimus, immunem prædicaverimus, hujus tantum Micha num accusari possit, nostræ hoc loco decisionis esse patet: hæc autem quo rite formetur, duo nobis iterum expendenda erunt; I. num per illas ipsas res, quas Micha fabricaverat, Deum coluerit? II. Num id præter & contra Dei voluntatem fecerit?

III. De primo quidem dubitari posset exinde, quod supra ultimum Michæ scopum benedictionem rei familiaris & oracula obtinendi cupiditatem fuisse diximus, ac proinde Deum per illas res colere forsan non intenderit. Verum licet assertionem illam haud diffiteamur, cultum nihilominus & quidem eo ipso, ut voti hujus compos redderetur, à Micha Deum fuisse asserimus. Principali equidem, propter quem quilibet Deum venerari tenetur, fine cultus hic carebat; ob ejus tamen absentiam hunc quoque plane abfuisse dici non potest. Cum igitur Micha illa, juxta quæ in Tabernaculo Deus colebatur, æmulo opere confecerit, eundem quoque per & juxta ea Deum colendo optatis potiri voluisse, nullum est dubium: & manifestum inter alia pro nostra sententia argumentum desumimus ex eo, quod, cum pars divini cultus sit firmam in Deum fiduciam collocare, Micham eadem ob ministerium Levitæ, firmiter nixum fuisse cap. 17: 13. legamus; atque adeo vel ex hoc unico fundamento illum per sæpius dictas res summum Numen veneratum fuisse, constare poterit.

IV. Utrum vero II. modus (nihil enim jam de intentionis scopo, ad temporalia solum directo, indeque ipso quoque peccaminoso, dicemus) quo hæc peragebat Micha, legitimus fuerit, triplici ratione expendemus. Primum observamus, Deum in ferendis circa cultum legibus, ut & determinandis singulis Tabernaculi particulis, adeo accurate omnia Mosi descripsisse & ut juxta ostensum ei exemplar conficeret præcepisse, ut exinde statim quilibet facile concludere possit, cum hæc omnia non sine caussa observari voluerit Deus, ne quidem ipsi Mosi nonnulla iis vel addere vel omittere integrum fuisse: & triste ipsius Aaronis filiorum fatum, quantopere Deus alium quam præcepit, colendi modum execraretur, abunde docet. Quodsi vero æmulam Michæ structuram cum Tabernaculo conferemus; paucissimas primo solum hujus partes, in illa reperiemus, deinde divinam in constituendo Sacerdote institutionem mutatam, in ipsis vero partibus plurima procul dubio à Micha tanquam accidentaria ex industria vel omissa vel neglecta videbimus: & si vel maxime illas quas fecerat partes examussim divinæ regulæ conformes facere voluisset, neque tamen vel facultates vel vires ei suppetiissent, unde enim tantum auri corradere poterat, ut ejusdem ponderis, quo Expiatorium & Cherubim constabant, opus faceret? & quomodo id, ad quod perficiendum Bezaleel divina instruebatur sapientia, efficere cum suo fabro potis erat? Ex quibus adeo clarissimum est, cultus hujus à Micha instituti modum, non solum præter verum & contra Dei voluntatem, in exacta ejus fabricandorum observatione consistentem, adornatum fuisse.

V. Ad modum deinde quoque referri poterit, quod in definiendis sacris & Tabernaculi fabrica Mosen Deus elegerit; qui & opificibus singula præscriberet, & Sacerdotes sacro officio consecraret ac initiaretur. Quemadmodum vero hæc sine speciali mandato peragere haud potuisset, ita cuivis ea imitari licitum esse non poterat, & hinc etiam cum Gideon ex bona intentione Ephod fecerat, nihilominus quia ipse persona erat, cui hoc præceptum non fuerat, universo Israeli ansam Idololatriæ præbuisse dicitur Judic. 8: 27. Jam vero Micha non solum præter mandatum sacellum sibi exstruxit, sed & ut alter Moses, filium & deinceps Levitam consuetis ceremoniis Sacerdotali muneri admovit, adeoque & hac ratione à voluntate divina recessit.

VI. Tertio denique plurimis in locis expressis verbis sese omnes alios præter eum quem huic cultui destinaverit, locos detestari, professus est Deus, ut cum Rubenitæ, Gadditæ & dimidia tribus Menassitarum altare exstruxissent, pro enormi id peccato & Deum maximum in modum irritaturo reliqui Israelitæ habuerint. Et quamquam efferebatur nonnunquam è Tabernaculo Arca & Deus extra illud per Ephod consulebatur, id tamen solummodo partim speciali Dei mandato & extraordinarie, partim absque præstito juxta ea cultu fiebat, Micham vero perpetuum sibi in domo sua ex propria autoritate cultus locum adoptantem etiam hoc modo voluntatem divinam læsisse in aprico est.

VII. Probato igitur primo, Micham per sacras illas res, quas imitatus fuerat, Deum coluisse, deinceps illud multis modis voluntati Dei contrarium fuisse, eas Idoli, ipsum vero cum sociis suis & sequacibus Idololatræ nomine insignire non dubitamus, applicantes simul nostræ sententiæ verba *D. D. Seb. Schmidii* in Comm. ad Mich. c. 5: 13. p. 849. scribentis: *Etiam* ἐθελοθρησκεία *sunt species Idololatriæ, quæ tum exercentur, quando quidem non alia ad cultum Numina prostituuntur, sed Deus non eo, quem præscripsit, modo colitur. Nam non tantum cultus religiosi objectum Jehova, sed & ejus modum & rationem olim diligentissime descripsit; in quem graviter peccarunt etiam Judæi, qui suo arbitrio lucos plantarunt, in quibus Deo sacrificia offerrent, cum alius iis locus destinatus ad solennia sacra fuerit, nempe, quem Deus suo consilio elegisset, Deuter.* 12: 5. 6: 30. *Num.* 15: 39. 40. *Samuel.* 15: 22. 29.

VIII. Quibus ita perspectis posteriori nunc quoque Disputationis parti, atque sic toti nostræ qualiquali opellæ, Summo Numini pro concessis viribus grates persolventes, finem imponimus.

M. JOH. NIC. HARDTSCHMIDT
DISSERTATIO
De עפלים ad 1. Samuel. VI: 5.

בש״ש

Προαύλιον



ESt ea certe, proh dolor! jam ingenii nostri post miserrimum Protoplastorum lapsum, barbaries, ut vestigia vix primævi hominis Adam adhuc in posteris relicta putares; sed, quid dico, vestigia? umbram vix pristini status, hodiernus repræsentat. In quo enim est hoc tempore nostrum tam accurata indolis quarumcunque rerum cognitio, ut cuilibet animali ejusmodi imponamus nomen, quod cum illius natura plane congruat. Valeat maxima & summa tua, ut putant, sapientia, mi Socrates, Summa potius est dicenda stupiditas; Adamum quando ante oculos ponimus, centies quamvis ipse Apollo ex tripode aureo sapientissimi te hujus universi nomine ornaret. Deliras Epictete, post fata quamvis tua pro lucerna illa, qua semper usus es, insipidi posteri tria drachmarum millia solverint, deliras, inquam, si Adamum considero. Abeat Aristoteles, valeat Plato, valeant omnes quos unquam ob ingenii acumen valde sumus admirati, vix umbram præ se ferunt sapientiæ illius, quam Deus olim Ter. Opt. Max. Adamo quasi implantaverat. Erat in eo quicquid fere nominari potest sapientiæ & scientiæ in summo, ut ita dicam,

dicam, gradu, & imprimis perfectissima gaudebat summi Numinis cognitione. At quam non vacillant maxima summorum virorum, etiam in vocabulorum tantum peregrinorum interpretatione, ingenia! Si forte voces in sacro occurrunt fonte, quæ ingenium non statim capere potest humanum, tot sensus vides, quot capita. His merito annumerabis vocem עֳפָלִים quæ occurrit 1 *Sam.* 6: 4, 5. ac magnis quoque ingeniis scrupulum injecit, quid Sacerdotes Philisteorum sibi voluerint, dum suis præceperunt, ut sacrificium facerent pro reatu Deo Israëlis, quinque nempe עֳפָלִים &c. operæ idcirco pretium fore, arbitror, si, quantum fieri potest, multorum judicia hac de voce colligeremus, & quoscunque acu, ut dicunt, rem tetigisse arbitrabimur, illorum votis nostra jungamus. Quod dum aggredimur, tu, ô magne Deus, benignissime aspira!

§. 1. Antequam vero sermo nobis erit, quid fuerint proprie עפלים sive Hemorrhoides (ut vertunt) à nomine prius tanquam ab ovo, ut dicunt, ordiemur: quod nimirum deduci queat hæc vox à Radice in Kal inusitata, עפל in Hiph. autem in usum recepta הֶעְפִּיל quod *Buxtorffius in Lex. Hebr. & Chald. p. m.* 570. reddidit: *In altum contendere, impetuose conari & contendere.* De ratione, cur nimirum ex hoc themate, à significatione vocis nostræ fere abhorrente, originem trahat, hoc loco non erimus solliciti, siquidem ea suo patebit loco, sufficiet nobis in præsentia, quod apte, ut diximus, derivetur à Radice in Hiphil inusitata הֶעְפִּיל. Destituta est hæc vox numero singulari, ut ex nostro Buxtorfio loc. cit. patet, qui, alias accuratissimus, eum procul dubio adjecisset, gaudet itaque tantum plurali. עֳפָלִים hic quidem cum affixo pluralis numeri יֵכֶם quocirca abjicit terminationem pluralis numeri ים alias enim dicendum foret עֳפָלִימֵכֶם quod tamen absurdum, & idiomati Hebræo toto cœlo repugnat. Sub ע habet h. l. -: ut etiam vers. 4. aliis autem locis ut *Deut.* 28: 27. item 1 *Sam.* 5: 6. habet sub ע schevah simplex cum præfixo ב ut בַּעְפָלִים quænam autem vocales sint propriæ, quæque impropriæ, mox docebimus. Habet quidem *Buxtorfius in Lexic. Hebr. & Chald. p. m.* 569. nomen aliquod singulare עֹפֶל quod nostræ voci in plurali numero usitatæ עֳפָלִים conforme videtur, nisi significaret *Clivum* & ut idem eodem loco addit, editior fuisset locus urbis Jerusalem post Templum versus occidentem in Gichonem torrentem & portam piscium, quod probare conatur ex 2 *Chron.* 33: 14. ואכרי כן בנה חומה חיפונה לעיר־דויד מערבה לגיחון בנחל ולבוא בשער הדגים וסבב לעפל ויגביהה מאד וישם שרי־חיל בכל־הערים הבצרות יהודה: h. e. ut Vatablus vertit: *Posthac ædificavit murum exteriorem civitati Davidis, ad occidentem Gihon in valle, & ubi itur ad portam piscium, & circum Ophel, & valde altum fecit, cum posuit quoque Duces exercitus in omnibus civitatibus munitis.* Assurgat & R. Mardochai Nathan in libro suo quem vocat סֵפֶר יָאִיר נָתִיב *Concordant. Hebr. cap. p. m.* 661. qui inquit עפל מה שפירושו מקום גבוה או מבצר ועמומה שפ ירושו רשע או גאה וגאון: Quem locum ita vertit M. Antonius Reuchlinus, Isnensis in schola quondam Argentoratensi ling. Hebr. Professor: *significatio illius* עופל *est locus altus aut munitio, & cum eo significatio illius est* רשע *h. e. malitia, impietas, superbia* (Hoc est, עפל *est munitio, locus altus & munitus, Arx, Propugnaculum. Inde verbum in conjug. Hiphil* הֶעְפִּיל *est elevare cor & roborare illud, sive vim facere illi, i. e. angariare, conari, secundum* רד״ק *Inde* עֻפְלָה *est elevatio cordis sive superbia*) sed quo in resolutione vocis עפלים provehimur? siste penna, hac de materia gradum; quæ vero circa nostram hanc vocem porro consideranda occurrent potius, quantum exiguæ nostræ suppeditabunt vires, æqua deinceps, ut dicunt, lance ponderemus.

§. 2. Non adeo frequenter vox עפלים in S. codice occurrit, circa ejusdem autem interpretationem diversa sunt doctorum ingenia: sunt enim nonnulli qui per illam intelligere voluerunt, sedem seu locum plagæ, h. e. posteriora, ut *Excellent. D. D. Pfeiff. in dub. vexat. ad loc.* 1 *Sam.* 5: 6. *p. m.* 418. *refert*: quorum sententia placet quoque שלמה ן״ מלך in suo ספר מכלל יופי *s. perfect. pulchrit. ad loc.* 1 *Sam.* 5: 6. dum inquit כנוי לתחתוניות שאנו קורין טחורים ונקראו כן לפי שהם במקום מכוסה ויבא אל העופל תרגום יונתן ואל לאתר כסי אפל h. e. *cognomen inferiorum (partium corporum) quæ vocant* אפל טחורים (*posteriores partes corporis*) *& appellantur ita, quod illæ (sunt) in loco tecto (sic loc. 2 Reg. 5: 24.)* ויבא אל עופל *& venit ad* עופל, *exposuit Jonathan de loco occulto (atque) exposuit illud sicut* אפל *caliginosus, &c.* Ita statuunt Sapientissimi Rabbinorum *in cod. Megilla cap. 3. in fin.* ut refert *Buxtorffius in lexic. Hebr. & Chald. ad voc.* עפלים *p. m.* 570. quod nimirum proprie hæc vox עפלים sit כנוי לתחתניות *cognomen inferiorum partium corporis &c. Munsterus* itidem vertit: *Inferiora ventris.* conf. *Bibl. Crit. Angl. Tom.* 11. *sentent. Munst. ad cap.* 5: 6. 1 *Sam. pag.* 2236. Clarius: *secretior pars natium* & addit alium vertisse: *Inferiora ventris.* conf. *item Bibl. Crit. Angl. pag.* 2237. *Drusius in comment. ad l.* 1 *Sam. pag.* 457. conf. *item Bibl. Crit. Angl. pag.* 2239. vertit *Ani.* Lutherus *in vers. German. habet* Aerschen. Tremellius *Hæmorrhoides.* Arias Montanus, *Mariscæ.* Vulgata Versio habet *Anos. LXX. Interpp.* ἕδρας. *Occurrit vox* עפלים quoque *Deut.* 28: 27. ubi textus authenticus ita: יככה יהוה בשחין מצרים ובעפלים ובגרב ובחרס אשר לא־תוכל להרפא: Ubi vulgata בעפלים ita vertit: *partem corporis per quam stercora egeruntur.* Vatablus *ficum.* Lutherus Feigwartzen. Occurrit quoque עפלים 1 *Sam.* 5: 9. hic vulgata vertit per *morbum.* Vatablus: *prominentes extales.* Lutherus: heimliche Plage an heimlichen Orten. Est porro *in eod. cap. v.* 6. hæc vox, quam Vatablus vertit: *In podicibus.* Vulgata: in secretiori parte natium. Lutherus, an heimlichen Orten. quam quoque patitur versionem vers. 12. ejusd. cap. Aliquoties tandem quoque occurrit in *cap.* 6. *vers.* 4, 5. cujus ultimum nos elegimus, quia occasionem nobis præbet exponendi simul brevibus morbum, quam sacrificium voce עפלים significatum. Bis hic occurrit, & primo quidem in statu constructo, post autem cum suffixo יֵכֶם & eandem patiuntur hæc duo loca versionem. Vulgata enim vertit per *anos.* Lutherus Aerschel & quidem rectissime, ut post patebit.

§. 3. Pro עפלים quoties occurrit legendum esse טחורים volunt Rabbini; pro vocibus enim obscœnis alias honestiores in margine notatas esse substituendas judicant (juxta eorum Regulam: *quæ in Bibliis scripta sunt* לִגְנַאי *per vituperium, ea leguntur* לְשֶׁבַח *ad laudem.*) quæ eandem quidem habeant significationem, quarum tamen obscœnitas non primo statim intuitu patet, ut docent *Leusdenius in præfat. Bibl. Hebr. it. in clav. Script. Vet. Test. ad vocem* עפלים *Deut.* 28: 27. *p. m.* 123. *& ad* 1 *Sam.* 5: 6. *p. m.* 168. item *Philolog. Hebr. dissert. XXIII. p. m.* 216. *Pfeifferus in Crit. Sacr. cap. 6. qu. 6. de masora p. m.* 275. *Fullerus in Miscell. Sacr. lib. 5. cap. 3. p. m.* 618. *Munsterus conf. Crit. Sacr. Angl. in* 1 *Sam.* 5: 6. *p.* 2236. *Grotius conf. it. p. m.* 2241. *Buxt. in lexic. Hebr. & Chald.* עפלים *p. m.* 570. *& ad voc.* טחורים *p. m.* 282. *Casparus Sanctius in Comm. ad libb. Reg. p. m.* 117. *Drusius in comm. ad libb. Sam. p. m.* 451. aliique innumeri quos hic apponere brevitati studentes supersedemus: sufficiat nobis, quod Jonathan in תרגמים s. paraphrasi Chaldaica semper pro עפלים legat טחורים cujus quoque lectionem tota fere amplectitur Rabbinorum cohors, quos adducere schedula tempusque negat. Instar omnium autem unus ille sit, cujus supra mentio est facta שלמה ן״ מלך qui ita 1 *Sam.* 5: 6. בפירוש בעפולים כתיב וקרי בטחורים והכתוב הוא שם כנוי לתחתוניות כי עפולים והכנוי בהפך ההקי (*Es.* 32: 14.) לשון גבהות כמו עֹפֶל וָבַחַן הוא שם החולי והוא חולי התחתוניות׃ h. e. *in expositione ipsa scribitur:* בעפלים *& legitur* בטחורים *& scriptum (vocabulum) est nomen cognatum partibus inferioribus; quia* עפלים *idem est ac si diceres* גבהות *excelsa, Altitudines, quemadmodum (dicitur Es.* 32: 14. עֹפֶל וָבַחַן *turris & munimentum, & cognomen ejus* (תחתונית) *est in contrario (significatu) lectio vero est nomen morbi, & ille morbus est partium inferiorum.* Sed de ipsa materia post est dicendum. Est quidem, sive עפלים dicas sive טחרים significationem si spectas, unum idemque: putarunt tamen sapientissimi, scilicet, Rabbinorum significationem vocis טחורים non adeo statim primo intuitu obscœnitatem suam prodere, dum derivant eam à Rad. טָחַר quod significat: *Contrahere, constringere, comprimere, occludere leviter,* quia, ut Buxtorffius notat in lexic. Rabbinic. & Talm. p. 869. *posteriores corporis partes constringi solent, & constrictas natura esse voluit, ne invita ea excrementa elabantur.* עפלים autem prima statim facie suam quasi gestare fœditatem, dum proprie significet *Anos* vel *Nates* ut notat *Leusd. Phil. Hebr. diss.* 23. *p. m.* 246. Ejusmodi voces obscœnas nasutiores Masorethæ observarunt decem, pro quibus alia adhibenda est lectio: ita enim *Deu.* 28: 30. pro יִשְׁגָּלֶנָּה *Vitiabit eam* legendum putant יִשְׁכָּבֶנָּה *Cubabit cum ea,* quia שגל est verbum Hebræis actum Venereum propriissime denominans, ac proinde pronunciatu obscœnum in communi sermone ipsis habitum, ut docet *Buxtorff. in lexic. Hebr. & Chald. p. m.* 774. *ad vocem* שגל. Reliquas qui desiderat voces, quæ ob fœditatem aliam admittunt lectionem adeat *Leusd. Philolog. Hebr. dissert.* 23. *p. m.* 246. ubi omnium earum mentionem injicit. Conf. *Pfeiff. Crit. S. p. m.* 275. Quid sibi vellet Scheva illud simplex sub ע quod litteram illam movere minime potest, non video, nisi legendum esset טחורים. Sed hæc mox in sequenti paragrapho.

§. 4. Diximus jam ſupra in paragrapho Diſſertationis noſtræ primo, quod vox עפלים aptiſſime deduci queat à Rad. in Hiph. uſu recepta הֶעְפִּיל quod ſignificat: *in altum contendere, impetuoſe conari & contendere*: quæ enim in Kal ſunt inuſitata, in iis præſtat Hiphil vicem ĝ Kal, ut docet *Buxtorfius in Theſ. Gram. Ling. ſanct. in append. de forma Hiphil*: quod etiam vult Clariſſimus *Dn. D. Waſmuth. in Hebraiſm. reſtit. Reg. 27. p. m. 99. quæ verba in prima vel ſecunda conjugatione non ſunt uſitata, in hac tertia plerumque habent ſignificationem Kal*, ut: הלבין à לבן & infinita alia exempla, quæ in S. Codice frequentiſſime occurrunt. Derivatur vox עפלים à Rad. העפיל *in altum contendere*, &c. ab elevatis clunibus, ut docet *Buxtorff. in Lexic. Hebr. & Chald. p. m. 570.* cum quo conſentit etiam *Leusd. in Clav. Script. Vet. Teſt. ad cap. 28. Deut. vſ. 27. p. m. 123.* & ad *loc. 1 Sam. 5: 6. p. m. 168.* עפול *ſignificat extantem & prominentem. Dicit autem Doctus inter Hebræos, podicem ita vocari per antiphraſin, quod minime extet. Medici tamen dicunt eum extare propter morbum, nempe quando procidit*, ita Vatablus ad hunc locum. Conf. *Bibl. Crit. Angl. p. 2237.* Diximus porro, quod vox עפלים non adeo ſæpe in S. Codice occurrat, tantum, nempe, ut annotavit *Buxtorff. in Concordant. Bibl. Deut. 28: 27. 1. Sam. 5: 6, 9. & 12. it. c. 6. 4. & 5.* & ter habeat ſub ע ſchevah ſimplex, ter autem catheph patach, ubi ſciendum -: eſſe vocalem propriam ĝ ע nudum enim ſchevah litteram illam nunquam poſſe movere, vel cuivis puero Hebraizanti notum eſt; ſiquidem id uno ore omnes doceant, qui Grammaticæ unquam Hebraicæ operam ſuam dicarunt. Conf. *Druſ. not. ad loc. diffic. Script.* & quidem *ad loc. 1. Sam. 5: 6. p. m. 451.* eſt autem illic ubi ſub ע ſchevah ſimplex pro עפלים legendum טחורים, ut idem Druſius ad eundem locum docet: ſunt enim vocales ejus nominis. *Sic quoque tetragrammaton cum habet puncta nominis* אלהים *debet legi per* אלהים *cum habet puncta nominis* ארני *debet legi per* ארני *nam proprias vocales* (ut multi volunt) *non habet.* Conf. *Bibl. Crit. Angl. ad 1. Sam. 5: 6. p. 2239.* it. *Forſt. dict. Hebr. ad voc.* עפלים *p. 613.* Negavimus tandem quoque recte vocem עפלים gaudere numero ſingulari, etiamſi ſit nomen aliquod ſingulare עופל quod ſignificat *Clivus*: *habet enim hæc vox* עפלים *ſecundum Hebræos in hoc loco contrariam ſignificationem. Nam cum* עופל *alias ſignificet arcem aut propugnaculum in alto loco ſitum, capitur hic pro* חולי התחתניות *morbo inferiorum corporis partium*, verba ſunt *Munſteri ad loc. 1. Sam. 5: 6.* conf. *Bibl. Crit. Anglic. p. 2239.* adde *Forſteri Diction. Hebr. ad voc.* עופל *p. 612.* ubi inquit: עופל *eſt locus intra ſcopulos ſeu montes anguſtos, tranſitus ſeu meatus arctus, per quem contendere oportet. Et quia ejusmodi loca apta erant, quibus hoſtium incurſus arcerentur, turres ſeu arces ſupra exſtruebant, ut in his collocarent præſidia. Græci ejusmodi loca* πύλας, *Latini fauces, Itali, & poſt eos Germani clauſas appellarunt.* Hæc ſunt verba Forſteri. *Buxtorff. in Lexic. Hebr. & Chald. p. m. 569. R. Mardochai Nathan in* ספר יאיר נתיב *p. m. 661. Hotting. in Lexic. Etym. p. m. 352.* & alii Lexicographi verterunt per *Clivum.* Videmus ergo quanta ſit differentia inter עופל & עפלים, ſed, ſi quis tamen exinde maluerit deducere עפולים quod ſicut עופל viam arctam inter loca editiora ut montes & ſcopulos notat, ita עפלים ab altitudine quadam dicantur vel tumor in natibus, vel & nates quoque intra quos meatus quaſi aliquis reperitur, nos non habebit ſibi adverſos: quin potius non abſonum putamus, quod ſicut עפלים תחתניות ratione loci, ita & עופל exponi poſſit ratione ſitus, præſertim ſi mariſcæ denotentur, de qua re ſtatim dicendum erit.

§. 5. Diximus in paragrapho ſecundo diverſa eſſe circa interpretationem vocis עפלים doctorum ingenia; quod certum eſt, verba ſi conſideres, mens autem fere omnium eadem eſt. Oblationis interpretationem ſi deſideras, optimam illi tibi dederunt verſionem, qui ſimpliciter verterunt *nates* ſive *Ani. Inferiora* autem *ventris, poſteriores corporis partes* &c. qui interpretati ſunt, minime itidem aberrarunt à ſcopo; ſiquidem honeſtatis gratia ejusmodi paraphraſi utuntur. Rectiſſime itaque hunc locum vertit *B. Dn. D. Lutherus* per Aerſchel qua voce in toto capite VIto quoties occurrit (ubi de ſacrificio עפולים agitur non autem de morbo) ſemper utitur; capite quinto autem, ubi de morbo, quo percuſſi ſunt Philiſtei, agitur, ſemper vertit; heimliche Plage an heimlichen Orten: eſt enim *anus* ſecretior pars corporis; nec aberrarunt à ſcopo, qui verterunt per *Hæmorrhoides*, ut vult *Excell. Dn. D. Pfeiff. in dub. vexat. p. m. 418.*

§. 6. Fuit autem עפלים ſive *Hæmorrhoides* morbus, qui infeſtavit poſteriora: in hanc enim ſententiam omnes mecum deſcendunt Interpretes; quales vero fuerint *Hæmorrhoides*, ea lis adhuc eſt ſub judice, & tot ſenſus videmus quot capita. R. D. inquit quidem טחורים qua voce utitur, ut ſupra diximus, pro עפולים) fuiſſe genus morbi, quale autem ſit, non explicat. Sunt autem qui putant fuiſſe ficum, qui in locis ſecretis interiora ventris depaſcebatur, alii intelligere voluerunt dyſenteriam. Conf. *Bibl. Crit. Angl. ad cap. 5. 1. Sam. p. m. 2236. it. 2237. R. David Kimchi ad 1. Sam. 5: 9.* ad verba וישתרו להם עפולים) כתיב בשין והוא כמו בסמך ו״פי שהיה להם מכת הטחורים במקום סתר מבפנים והיה קשה להם ממה שאם היה להם במקום גלוי ותרגום ולקו יתהון בטחורים: h. e. וישתרו *ſcriptum eſt per* ש *& idem eſt ac per* ס, *& ſenſus eſt: quod ipſis (fuerit) plaga mariſcarum in loco retentionis (ſ. pudendorum) & exponitur* (h. m.) *& percuſſi ſunt ipſi* בטחורים, *quod ex Chaldaica paraphraſi, ubi legitur:* וְאַצְדִּינֻן וְאַלְקִי יַתְהוֹן בִּטְחוֹרִין *& vaſtavit eos, & percuſſit eos mariſcis.* R. Levi ben Gerſon poſtquam dixiſſet, percuſſos eſſe in loco ubi non poſſent putare id per accidens eveniſſe ſubjicit והוא המכה היתה שהוכו בטחורים והוא חולי מצאר מאד ויוצי מהם דם רב כל״שכן אלו יבאו לרם מאת ה״שי לה כאיבם מאד h. e. *Et hæc plaga fuit, quo percuſſi ſunt* בטחורים) *Mariſcis, hicque morbus admodum cruciat, & egreditur exinde ſanguis copioſus, idque tanto magis quod obvenerunt ipſis à Deo benedicto, ut afficeret eos Dolore vehemente.* Quidam dicunt eſſe *Scabiem ſiccam, Impegnitiem* quæ conjuncta eſt pruritui, ut refert Vatablus *ad loc. Deut. 28: 27.* Conf. *Bibl. Crit. Anglic. p. 1335. Oſiander ad Deut. 28: 27. pag. 250.* putat fuiſſe morbum pudendum, quem Medici Ficum appellant & Scabiem, quæ maligna ſcabies eſt, intus & foris exſiccans, late autem obſidentem, rodentem & deturpantem, & prurigine, item alia ſcabiei ſpecie, quæ Corpus inſtar Cheres facit exſuccum & languidum, à quibus non poteris ſanari. *Corn. à Lapid. in Comment. in libr. Reg. pag. 242.* putat fuiſſe morbum alvi & ani, ita ut inteſtina eorum computreſcerent, & per anum foras prominerent; quod vult & Sidonius *pag. 592.*

§. 7. Fuiſſe עפולים morbum, docet vox qua utitur Spiritus S. ויך & percuſſit, quæ multis aliis locis eodem ſenſu ſumitur ut *Job. 2: 7.* ויצא השטן מאת פני יהוה ויך את איוב בשחין רע מכף רגלו עד קדקדו: *Et egreſſus eſt Satanas à conſpectu Domini ac percuſſit Job ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem ejus. it. Exod. 9: 15.* כי עתה שלחת יאת ידי ואך אותך ואת עמך בדבר h. e. *quoniam extendi manum meam, ut percutiam te & populum tuum peſte.* conf. *Pſalm. 102: 5. it. Jer. 30: 12.* & alia Scripturæ loca, quæ idem volunt, quorumque magnus eſt numerus. Fuiſſe עפולים morbum docent Rabbini unanimiter, quorum nonnullos ſupra jam adduximus: placet itaque h. l. unicum tantum teſtimonium petere à R. illo Mardochai Nathan, qui in ſuo ספר נאיריתיב ita ſcribit טחר כל שם הטחורים דברים בה בו בשחין מצרים רפ ובטחורים: h. e. *ſignificatio* טחר *eſt infirmitas ani, Deut. 28: 27. Percutiet te Dominus ulcere Ægypti,* ובטחורים *i. e. infirmitate ani.* Conf. *Leig. Crit. Sacr. p. m. 83.* & multos alios qui idem ſtatuunt: qualis autem fuerit morbus, de eo valde diſceptatur. Probabile eſt quod fuerit vel *Mariſcæ* vel *fluxus ſanguinis.* Si *Mariſcæ* fuerunt עפולים. eſt metonymia adjuncti pro ſubjecto, quando denominatur morbus pro ſubjecto. Ita vero iſtæ *Mariſcæ* dicuntur, quod tuberum quandam formam habent, & tunc temporis altiores erant ſolito, quia peculiaris plaga quam omnes ſtatim ſentiebant, & talis quidem, quam advertebant non eſſe conſuetam ex cauſſis ſuis naturalibus; ſed à Deo, & quidem irato, cujus manus gravis erat in ipſos ut patet ex *1. Sam. 5: 6.* quarum *mariſcarum* tumor eximius deſignatur voce עפוליה ab עֹפֶל *altitudinem & clivum* denotante, quod quoque innuere videtur *Leig in Crit. Sacr. p. m. 173.* ubi ita inquit: עפולים *Mariſcæ eleganter ſic dictæ ab altitudine, quod anus ob illas intumeſcat, & extrinſecus elevatas aſſurgat.* Huic voci עפולים conforme quoque videtur Radix Arabica عقل quæ ſignificat: *Tumore, ſimili herniæ virorum, anteriore vulvæ parte laboravit mulier* (ſed caſtis hæc ſcribo) vid. Golii *Lexic. Arab. p. m. 1609,* conf. *Hotting. Lexic. Etym. p. m. 352.* quod ſuo modo ad mariſcas quadrat, ut putat *Excell. D. D. Pfeiff. in Dub. Vexat. L. 68. p. m. 419.* Si עפולים fuerunt fluxus ſanguinis, hinc à nimia ejus copia vel acrimonia & nates intumuiſſe putamus (ſi morbi hujus vim exprimere debeat עפולים). Sed nec abſurdum eſt conjungere utrumque, & dicere, ex nimio ſanguinis fluxu dolorem in iſta corporis parte ortum, cui extrinſecus vel etiam intra anum mariſcæ adnatæ ſint, dolorem iſtum augentes. Verum ad memoriam revoco Caſparis Sanctii Jeſuitæ, Theologi & Commentatoris non

omnino

omnino contemnendi, verba, quæ extant in comment. *ad lib. 1. Reg. p. 116.* & ita sese habent: *Quis ille sit morbus, minus & exploratum, neque mihi id usque adeo explorare libet.* Quapropter & nos id Medicis relinquimus, & sufficere nobis addimus, quod sciamus fuisse genus quoddam morbi, quod infestavit posteriora.

§. 8. Probabile autem minus nobis videtur, *hæmorrhoides* aut *Mariscas* fuisse tantum fluxum sanguinis continuum: aut ejusmodi morbum, qui olim vexavit mulierem in Evangelio sanguinis profluvio laborantem, ut putat Cl. D. Bartholinus *de morbi Bibl. p. m. 60, 61.* (quod tamen sine præjudicio viri illius experientissimi dixerim,) siquidem nemo Interpretum Rabbinorum unquam in eam incidit opinionem; quamvis nonnulli sint, qui fuisse volunt dysenteriam, ut Joseph. *lib. 6. cap. 1.* sed tamen (ut addit) non vulgarem, sed propriam & peculiarem. Sed quantum, quæso, distat dysenteria ab illo morbo istius mulieris, quem describit idem Cl. D. Bartholinus *pag. cit.* Concedimus autem cuilibet suam libertatem, nec iis, qui Bartholini castra sequuntur, in refutando erimus graves.

§. 9. Nos hac in re acquiescimus merito iis quæ *Magnif. D. D. Calov.* Patronus ac Hospes noster filiali obsequio venerandus, (in Paraphr. MSS. ad 1 *Sam. 6: 6.* quæ propediem in lucem ut emittatur, multum interest erudito Orbi.) notavit. Licet enim *Victorin. Strigel. ad l. c.* exponat ex *Psalm. 78: vers. 66.* percussit inimicos suos in posteriora. & Menoch. *ad cap. V. 1 Reg.* Mariscas interpretetur hæmorrhoides immissas & mariscas, h. e. punitos tuberculis in uno ad fici similitudinem: marisca enim proprie insipidos ficus significat. Omnia tamen perfecte complectitur nunquam satis laudanda Paraphrasis cum ita circumloquitur vocem עפולים f. mariscas. *De mariscis nihil certi dici potest. Corn. à Lap. ad vs. 6.* inquit, *hic morbus alvi & ani, ita ut intestina eorum computrescerent & per anum foras prominerent. Unde Vatabl. vertit vocatque mariscas. Est enim marisca ficus insipida, quæ quando aperitur & sua interna rubendo ostentat. Joseph. eodem Cornel. notante & ex eo Theodor. Procop. ex Aquila vertit Phagadainam i. e. cancrum sive ulcus exedens. Alii apud Franciscum Lucam in notis hic vocant cirinnum & frætigium. Alii luem veneream, Rabb. Abul. & Genebr. vocant hæmorrhoides. Sidonius pag. 592. Obscœnum turgenti podice morbum. Videtur hic morbus fuisse peculiaris & novus, adeoque non unus sed multiplex, singulariter à Deo vindice Philistæis immissus: nam præter dolores acres pariebat intestinorum putrefactionem & egressionem.*

§. 10. Hinc vero patet, falsissimum esse, quod nonnulli Judæorum putent, mures momordisse ventrem Philistinorum, cum eum in secessu exonerare vellent. Conf. *Greg. lib. 3. cap. 3. & Cornel. à Lap. in lib. Reg. p. m. 242.* Faveat lector benevolus linguis & audiat unicum tantum Rabbi Salomonem Jearchi, qui hunc in modum disserit: הלחלות כרכשא מכת הנקב עכ ברין נכנסין ושומתיכם בזי מעיהן ויוצאין h. e. *Dysenteria intestini recti, plaga foraminis (est) (propter) mures ingredientes & egredientes.* At, quid, quæso, magis absurdum, quam id statuere, quod fundamentum plane non habet in S. codice? cujus si vestigium nobis monstrabunt, vicerint, sin minus, concedant nobis, se veritatis fines transiliisse. Non quoque ulla necessitas eos adegit ad tale figmentum; siquidem morbum istum Philistinis à Deo T. O. M. immissum per se gravissimum ob intolerabiles fere dolores, alio potuissent pacto exaggerare, & populi ante oculos ponere, ita ut tamen cum verbo Divino congrueret, excluso omni figmento. Fuit quidem plaga qua percussi sunt Philistæi peculiaris, quod autem mures intraverint podicem & intestina petierint, naturæ quasi excedit limites, & expressis literis non legitur. Fac intraverint, cur non uno ore omnes Rabbini idem docetis? alii enim docent, & quidem plerique fuisse חולי nec mentionem ullam murium injiciunt; alii autem hoc absurdum statuunt. Quibus hoc commentum placet, dicunt quidem fuisse omnibus מגנה אחד, quod ipsis concedimus; sed respectu subjecti, non autem unitatis morbi in se: communis enim erat omnibus morbus & *Mariscarum* & *murium*, illos etiam petebat cædes. Triplicem idcirco fuisse plagam Philistæis statuimus, unam murium 1 *Sam. 5: vers. 6.* alteram cædis. *vers. 9.* tertiam עפולים de quibus agitur ibidem. Primam quod attinet, *murium*, nempe, ita habet textus ועשיתם צלמי עפוליכם וצלמי עכברים המשחיתים את הארץ h. e. *facietis igitur imagines anorum vestrorum, & imagines murium vestrorum qui vastant terram.* Ex quo loco demonstrare possumus Judæis aliud fuisse *mures* aliud עפולים conf. Drus. ad *hunc loc. pag. 458.* Alteram plagam quod attinet, *cædis* & tertiam, עפולים textus hunc in modum sese habet ויהי אחרי הסבו אותו ותהי יד יהוה בעיר מהומה גדולה מאד ויך את אנשי העיר מקטן ועד גדול וישתרו להם עפולים: h. e. *circumducentibus eam fiebat manus Dei super singulas civitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros uniuscujusque urbis: à parvo usque ad majorem, & putrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilia, & fecerunt sibi sedes pelliceas* item *vers. 12.* והאנשים אשר לא מתו הכו בעפולים ותעל שועת העיר השמים: h. e. *Viri quoque qui non mortui fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium, & ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cœlum.* Sed hæc obiter, quæ refutare possunt Judæorum מגנה אחד. Vident itaque, quod hoc illorum figmentum prorsus non valeat; quamvis etiam pro ejusmodi morbo sumere id velint, qui cancri aut muri instar intestina hominum corrodat: id tamen subtilitati potius eorum adscribendum quam vi litteræ Script. S. quæ distinctam (ut supra dictum) plagam *murium* & עפולים facit, atque istos mures etiam ita exprimit, ut dicat; Philistinos imagines fecisse murium, qui vastaverant terram eorum. Atque hæc eadem mens rursus est *Summi Dn. D. Calov. in Paraphr. laudata ad cap. 5: vers. 6. 1 Sam. Mures Josepho teste hortos, agros, vineas omnesque segetes, fruges & fructus depascebantur. Quas supernaturales fuisse Abul. notat, quia nulla causa naturalis, eos tam subito & in tanto numero producere potuisset.* Ubi quoque Tirin. Jesuita notat, ex *Plin. lib. 8. cap. 29. & lib. 10. cap. 65.* id aliis quoque gentibus contigisse, & ex Gyaro Cycladum Insula incolas à muribus esse fugatos.

§. 11. Hoc loco non intelligitur per עפולים morbus inferiorum partium corporis, de quo multa supra, sed sacrificium pro reatu, ita enim textus: ויאמרו אם משלחים את ארון אלהי ישראל אל תשלכו אתו ריקם כי השב תשיבו לו אשם אז תרפאו ונודע לכם למה לא תסור ידו מכם: *Et dixerunt: si remittitis arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis reddite ei pro peccato, & tunc curabimini, & scietis, quare non recedat manus ejus à vobis.* & mox vers. 4. ויאמרו מה האשם אשר נשיב לו ויאמרו מספר סרני פלשתים חמשה עפולי זהב וחמשה עכברי זהב כי מגפה אחת לכלם ולסרניכם h. e. *qui dixerunt: quid est quod pro delicto reddere debeamus ei, responderuntque illi: juxta numerum provinciarum Philistinorum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos, quia plaga una fuit omnibus vobis & satrapis vestris. Vid. & vers. 17.* Tandem videmus idem in vers. quinto, ex quibus adductis patet fuisse sacrificium, & quidem pro reatu, siquidem Spiritus Sanctus usurpet vocem אשם quod significat *peccatum* ipsum: in ritu autem sacrificiorum accipitur pro *hostia* seu *victima*, quæ pro expiando delicto sacrificatur. ut docet Forsterus in *Diction. Hebr. p. m. 62.* item Buxtorffius in lexic. Hebr. & Chald. *p. m. 54.* ut Levit. 5: vers. 6. אֶת־אֲשָׁמוֹ Reatum suum i. e. Oblationem suam pro reatu, idem vult & Sanctius in *libb. Reg. pag. 129.* qui inquit: *hoc modo Christus dicitur pro nobis factus esse peccatum i. e. Sacrificium pro peccato; & sacerdotes comedere populi peccata.* id est, *oblationes quas populus offert pro peccatis*: quid autem fuerint proprie sacrificia pro reatu, scire qui desiderat, evolvat Levit. IV. & Franzium in schola sacrificiorum.

§. 12. Non immolarunt Philistæi morbum ipsum, sed locum morbi, i. e. non immolarunt *Hæmorrhoides* sive plagam qua vexati sunt, sed locum sive anum ipsum; qui enim, quæso, mihi finges sive in auro, sive in alio quovis metallo dolorem capitis, caput ipsum nisi addas? quomodo lepram, nisi membrum illud adjungas, quod vexatur lepra? quomodo febrim quartanam, aut alium quemcunque mihi depinges morbum, nisi addas aliquam figuram substantiæ? sicut enim adamantis aut lapidis alicujus quicunque sit, figura nuda aut pingi in tabula, aut fingi ex solida materia nequit, inclusus autem annulo facillime lapis cognoscitur, ejusque pulchritudo; ita עפולים aut *hæmorrhoides* non potuissent cognosci, nisi adfuissent podices, quibus dolores isti adhæserant, tanquam subjectum, quo patiebantur.

§. 13. Josephus vult fuisse totas hominum staturas; cujus castra & nos sequeremur, si ex textu illud probari posset, ubi tantum extat: ועשיתם צלמי עפולים hoc est, *faciatis imagines vel similitudines anorum vestrorum*; ubi videmus nullam prorsus mentionem statuarum hominum injici, sed tantum anorum. Nec hoc valet, si quis nobis objiceret: quod in forma humana exprimi posset pars illa tumefacta & saucia, & situs ipse facile ostenderet, quodnam esset morbi genus.

Potuiſſe exprimi in forma humana partem illam ſauciam, concedimus; negamus tamen id factum eſſe, nec id ſequitur: poteſt cœlum ruere E. ruit. Concederemus ei totum, ut dixi, argumentum, ſi opinionem ſuam, ex ſacris litteris confirmare poſſet. Sed & ſuffixum כם videtur deſignare unam tantum partem corporis, non totum hominem; cum non ſine emphaſi h. l. legatur. Recte B. Brentius *Homil.* 19. *in* 1. *Sam.* 6. *ſatis illud conſtat cur anos & mures offerre jubebantur, videlicet quod morbo pudendo in anis adflicti fuerant, & quod mures agros ipſorum depopulati ſunt.* Sicut ergo non toto corpore, pedibus, capite, manibus, hoc morbo laborarunt, ita quoque probabile minime eſt, alias partes pro reatu obtuliſſe, quam quæ ſenſerant vim morbi iſtius, illæ vero tantum poſteriores partes corporis erant. Idque tanto certius innoteſcit, ſi cum illis hiſtoriæ ſcopum attendas, qui dicunt percuſſos, in loco pudendo, ut pudefierent de ſuo idolo, atque obtuliſſe imagines pudendorum, tanquam teſtes proprios confeſſionis ſuæ, quam vi morbi pudendi Numinis potentia ipſis extorſerat. Atque huic opinioni ſuffragatur *Aven. in Lex. qui ad* 1 *Sam.* 6:4. Quinque anos (podices) auri πέντε ἕδρας interpretatur: ἕδρα vero ex Suida recte dicitur vel βάσις & καθέδρα, baſis ac ſella &c. vel ἕδρα eſt καὶ ὁ σφιγκτὴρ τῶν ἀνθρώπων ipſe podex hominum. Quam vocem ipſe quoque Suidas illuſtrat ſimul ac exponit ex Pſ. 78. vſ. 66. de quo ſupra dictum. Indubium ergo relinquitur, imagines podicis vel alvi fuiſſe עפולים h. l. non integras hominum ſtatuas, vel etiam mures, quanquam & id addamus additos quoque eſſe mures, non tanquam imagines morbi, ſed tanquam indicium calamitatis, qua terra ipſorum & fruges deperditæ ſunt.

§. 14. Fuerunt tandem iſti צלמי עפולים h. e. ſimilitudines anorum *aurei*, ut docet textus loc. cit. ut etiam vſ. 15. והלוים הורידו את־ארון יהוה ואת הארגן אשר אתו אשר בו כלי־זהב h. e. *Et Levitæ depoſuerunt arcam Domini, & arculam quæ penes eam erat, in qua erant aurea illa inſtrumenta.* it. *vſ.* 17. ואלה טחורי הזהב אשר השיבו פלשתים אשם ליהוה h. e. *& iſti ſunt ani aurei quos reſtituerunt Philiſtini Domino pro ſacrificio Expiatorio delicti.* Quare ex auro iſtæ imagines confectæ ſint, multas admittit conjecturas; nos pretium putamus iſtius metalli in cauſſa fuiſſe, cur non ex alia materia צלמי עפולים conficerent, præſertim cum in arca fœderis rapta, vas aureum contineret manna ex quo forte iſti potuiſſent colligere aurum iſtam eſſe materiam, à qua Deus Iſraëlis non abhorrebat vel Gentilium opinione placaretur. Nos autem potius de ipſis עפולים ſolliciti ſumus, materiam imaginum non prolixe excutimus, ne in juſtum opus excreſcat Diſſertatio.

M. GEORG. ALB. HAMBERGERI
DISSERTATIO
De Jure Jurando Davidis ad 1 Sam. XXV: 22.

בשש

JURISJURANDI DAVIDIS INDAGATUR SENSUS.



Eſt ſane iniquum, & facile ſtomachum faciat, ſi ob virtutem, atque inſignia in Rempublicam merita, invidia petaris aſt iniquius longe pelli domo; iniquiſſimum vero hiſce malis jam circumventum, velut exitium Regi nefarie molientem, quæri ad mortem, & ſusque deque habitis tot illuſtribus fidei intemeratæ documentis, omnibus exagitari modis: Iſtud vero minime generoſo decoquendum pectori videtur, quando fortes indigne fert ſibi inſultare, ignavum quoque Nabalem afflictioni addere afflictionem, atque viaticum tot beneficiis dudum promeritum, petitumque honeſte, non modo denegare, ſed & petentem proſcindere conviciis. Hinc, ceu habet commune verbum, patientia læſa fit furor, & David, cui hactenus ſolenne fuerat injurias magno premere ſpiritu, ira percitus, in hæc erumpit dira: (a) כֹּה־יַעֲשֶׂה אֱלֹהִים לְאֹיְבֵי דָוִד וְכֹה יֹסִיף אִם־אַשְׁאִיר מִכָּל־אֲשֶׁר־לוֹ עַד־הַבֹּקֶר מַשְׁתִּין בְּקִיר׃ i. e. *Sic faciat Deus inimicis David, & ſic addat, ſi reliquero ex omnibus quæ ei, usque ad mane, mingentem in parietem.*

Equidem, ut eſt apud R. David Kimchi (b) כן הו מנהג הלשו לאמר דבר זה בשבועי *ita moris eſt in lingua* (ſancta); *ut adhibeatur locutio iſthæc in juramentis*, cujus proinde veſtigia haud parce in ſacro occurrunt Codice. Quandoquidem tamen phraſis, *hæc faciat Deus & hæc addat*, certi quippiam haud videatur exprimere, nec à verſionibus hic quiddam lucis petere liceat, utpote quæ eandem ſolum verbotenus exhibent tranſlatam; res hæc Interpretes omni tempore habuit ſollicitos. Aliquid infauſti enim his verbis indigitari extra dubitationis aleam eſt poſitum, quid vero tandem iſtud ſit, non tam facile indagare licet. R. Salomo Jarchi putat illud, pro diverſitate caſuum, in quibus hæc formula adhibetur, variare, & quid hic alibive intelligendum veniat, ſemper eſſe quærendum in antecedentibus textus, ex quibus id haud difficulter colligere detur. Atque hinc ad Ruth. 1:17. ubi hic loquendi modus occurrit primum, ita (c) commentatur: כה יעשה לי אלהים כאשר התחיל להרע שיצאה בי ידו המורת אישי ולירד מנכסי כה יסיף אם יפריד ביני ובינך כי אם להמורת: i. e. *Sic faciat mihi Deus; quemadmodum incepit damno afficere, quando exivit ſuper me ejus manus, occidendo Virum meum & dejiciendo de poſſeſſionibus meis; Sic addat: ſi* (quicquam) *præter mortem nos ab invicem ſegregaverit.* Gemina habet R. David Kimchi ad 1 Sam. 3:17. כה יעשה לך אלהים כשם שאין בני יורשי' את מקומי כך אין בניך יורשין את מקומך: *Sic faciat tibi Deus, ut, quemadmodum mihi deſunt filii dignitatis meæ hæredes, ita & tibi deſint filii tuæ dignitatis hæredes.* Verum non arridet hæc ſententia. Etſi enim negari nequeat, hanc interpretandi rationem alicubi commode ſatis adhiberi; quod ſi tamen eandem (uti omnino neceſſarium evadit, ſiquidem genuina eſſe debeat,) in omnibus Scripturæ locis, ubi hæc locutio occurrit, applicare velimus, vereor ne interdum hæreat aqua vixque ſit, quod ad 1 Reg. 2:23. 20:10. & alibi, ſolide reſpondeatur.

Sanctius (d) ergo exiſtimat, cum hæc execrationis forma Hebræis adeo fuerit familiaris totieſque occurrat, ubivis unum idemque ſubaudiendum eſſe, atque iſtud durum valde & horribile, *quale ſuperioribus accidit ſeculis, quod propter ſui ipſius natu-*

(a) 1 *Sam.* 25:22. (b) *Comment. in* 1 *Sam.* 3:17.

(c) *V. Bibl. Bomberg. an.* 1528. *edit.* (d) *Comment. in* 1 *Sam.* 3:17.

naturam & pondus, non poterat omnibus non esse notissimum: Quales fuerunt Ægyptiæ plagæ; illorum qui adoraverunt aureum vitulum, crudelis interitus; Nadab & Abihu filiorum Aaron, Datham & Abiram & Sodomæorum dirum exitium; ut mox, audita solenni illa formula, quilibet citra hæsitationem ea subintellexerit. Quamvis nec improbabile credat esse, hæc dira singulatim semper à jurante vel execrante recensita fuisse; *cumque illa homines adjurati consueta forma solerent audire; non fuisse cur illa sacer Scriptor sigillatim exprimeret, sed satis habuisse dicere: hæc faciat tibi Deus & hæc addat, nempe quæ imprecationis optat communis & legitima forma.* Enimvero Sanctius, deceptus corruptissimis nostri ævi moribus, ubi etiam pueri vix dum balbutientes, &, ut ille ait, adhuc nascentes, quavis levissima de causa, ea evomunt horrenda, ad quæ vel senes toti contremiscant, iniquius de antiquitate videtur sentire. Neque enim tantus, apud veteres, & imprimis populum Dei, execrandi pruritus, ullo potest ostendi documento. Sed nec Salvator noster cum severiori censura in Judæorum juramenta animadvertisset (e), tantam hanc impietatem intactam reliquisset. Et quæ hæc fuisset protervia in Davide, Viro (si paucos excipias casus, ubi eum vehementior aliquis affectus præcipitem dedit) recti studiosissimo, si, indicaturus se propter Abneri mortem jejunaturum (f), aut promissurus Amasæ supremum inter milites locum (g), à nemine lacessitus, ultro tantis caput suum devoveret diris, ad quorum etiam nomen quis perhorresceret. Denique, quid dicendum erit de juramento Izabelis (h) & Benhadadis (i)? Hi enim cum gentiles essent sacraque Israelitarum riderent, non poterant sibi horrendum Sodomæorum &c. exitium (quod habebant pro figmento) imprecari. Corruit ergo velut uno ictu non solum prior sed etiam posterior Sanctii opinio. Cum enim Benhadad & Izabel nequaquam in se provocaverint *ea quæ imprecationis optat communis & legitima forma*, (si quæ fuisset,) sacer Scriptor non potuisset dicere: *hæc faciat Deus & hæc addat*, quasi ita omnibus jam palam esset, quibus ferendis, (si fallant) illi se improba voce subjecerint, sed necessario debuisset mala ipsa exprimere. Quod cum non faciat, nos ex adverso colligimus, cum, rem nequaquam ita se habere uti quidem Sanctius sibi persuadet, tum hunc jurandi modum non fuisse proprium Hebræis, sed Syris omnibus communem. Cautiores ergo in hoc fuerunt Grotius & Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis. Quamvis enim & ipsi in ea hæreant persuasione, mala ipsa à jurante semper fuisse expressa, à Scriptore autem velut per compendium omissa, alter tamen, quænam mala velit intellecta, plane non indicat, alter autem ea suggerit, quæ à gentilibus non minus, quam à Judæis, poterant in juramentis adhiberi. Ita enim Abulensis (k): *Per particulam hæc, demonstravit aliquid Eli, quod hic non habetur, seu, Deus faciat super te talia mala & talia, nominans illa: Et hæc addat, i. e. non solum sit contentus his, sed etiam addat alia mala scilicet talia & talia, & ipse nominavit illa.* Grotius autem (l): Ruth *mala ipsa expressit, puta, egestatem, famem, pestem, aut alios morbos, quæ exscribere historiam hanc scribenti nihil fuit necesse.*

Nobis præferenda videtur eorum (m) sententia, qui putant, in ejusmodi juramentis, esse ἀποσιώπησιν mali, quod jurantes aut judicio committebant Dei, quem acerrimum norunt perjurii vindicem, quique pœnas sat graves fallenti sit inflicturus, si maxime hoc permiserit ipsius arbitrio, & vindictam ejus terminis saltem generalibus in se provocaverit, aut si ipsi malum intelligebant, subticebant tamen, vel potius circumscribebant, per εὐφημισμὸν, tum boni ominis gratia, ne scilicet quæ imprecabantur, revera eveniant; tum etiam, quod à natura abhorreat, sibi ipsi dira imprecari, à caritate mutua, alteri. Atque tantam fuisse jurisjurandi, apud veteres Hebræos, sanctimoniam, etiam illud me confirmat, quod in sacris, quoties solennis hæc atque honesta execrationis circumscriptio deest, membrum istud juramenti, quod infausta in se continet, plane sit omissum, manifesto indicio, has juramentorum formas, prout in Scripturis occurrunt, non tam Scriptori, quam religioni jurantium, suam debere originem. Ita Abraham, juraturus Regi Sodomæorum (n): *Elevo*, ait, *manus meas ad Dominum &c. si à filo usque ad corrigiam calceamenti, imo si accepero de omni quod tuum est.* Ubi ellipsis est manifesta (o). Oratio autem integra foret talis: Elevo manus meas ad Dominum, seu juro, si à filo &c. tunc mihi sic faciat Deus & sic addat. Et si vero sequentibus temporibus, Judæi valde frequentabant juramenta, (quorum genera modosque varios vide apud Buxtorfium (p) & Ligtfootum) (q) in imprecationibus tamen erant parci: Atque hinc est illud Talmud. ייתי דלא ידעית *Eveniat* (mihi hoc & illud) *ego nescivi &* Rabbin: יבוא עלי אם לא שמעתי וכו׳ *Eveniat super me nisi audivi &c.* Qui modi loquendi, cum istis in Sacra Scriptura receptis, prorsus conspirantes, novum nostræ opinioni addunt fulcrum. Vid. Buxtorfius (r). Istud vero hic loci peculiare est, in antiqua illa locutione, quod, cum juramento se obstringentes, alias duri quippiam, si fallant, in se suscipiant ferendum, hic David, illud non sibi, sed inimicis, imprecetur. Quod equidem dubium, Lucas Osiander (s) ita solvere est conatus, ut credat hanc fuisse Davidis mentem: *Deus male perdat omnes hostes meos, (quorum tamen multos, ex animo salvos cupio,) nisi ante lucem matutinam interfecero Nabalem, cum tota familia & omnibus quæ habuerit.* Quam expositionem etiam suam facit Glassius (t). Enimvero plura sunt, quæ nos ab hac sententia reddant alieniores. Et sane moris est apud omnes gentes recepti, ut in juramentis, non salutem inimicorum, sed seipsos eaque quæ ipsis sunt charissima, offerant loco pignoris & periculo exponant. Nec probabile videtur, Davidem, quem æstus iræ eo abripuit, ut levi adeo de causa, Nabalem penitus extirpare decreverit, tum adhuc de salute hostium fuisse sollicitum.

Ea vero explicatio, plane admitti nequit, quam nobis offert Borhaus (u), quando non tantum his verbis Davidem, bona amicis, inimicis mala, precari, sed etiam hoc factum esse existimat, studio glorificandi nomen Dei. Ut enim modo diximus, durum sit, necesse est, cui nos, nisi juramento steterimus, velut pœnæ subjicimus. Ast ut velificemur gloriæ Dei, quovis tempore nobis debet esse gratissimum. Quod si ergo honori divino interfuit, ut Nabal omnia patiatur extrema, non poterat David, hæc ei imprecando, velut re minus grata sibi alias admittenda, obstringi, ut liberet fidem. Sed de hoc infra dicentur plura.

Contraria itaque via incedens Sanctius, (x), ait, verbis istis: *hæc faciat Deus inimicis David &c. aliquid videri significatum, latum quidem hostibus Davidis, ipsi tamen Davidi maxime contrarium; Ac si dicat David: det hostibus meis Deus, ut sint in acie superiores, ut me de vitæ statu dejiciant, ut quæ ego gloriose fecisse videor, illorum obscurentur meliori successu.* Hæc autem interpretatio saltem à Sanctio afferri non debuit, utpote quæ cum illa, quam supra ex eodem adduximus, stare nequit. Cæterum non displicet hæc explicatio Summe Rev. Dn. Seb. Schmidio (y), cui etiam suam adjungit ab hac parum abeuntem, quando dicit: *Facere est h. l. adjuvare & cooperari alicui aut bonum & felicem successum dare q. d. faciat Deus, ut hostes Davidis faciant ipsi hæc & hæc mala.*

Nobis tamen hoc loco (salvo aliorum (z) judicio) palmam præferre videtur expositio illorum, qui dicunt, inimicos Davidis positos esse pro ipso Davide, ad emolliendam imprecationem, quam in se ipsum intorquere, insanum videbatur. Præterquam enim, quod in orationibus ejusmodi infaustis, ne in nos aliosve qui nobis curæ cordique sunt, fiamus injurii, per εὐφημισμὸν, verba malum includentia, supprimuntur, aut saltim per ambages indicantur, insuper, eadem elegantia, haud raro eorum opposita adhibemus, aut etiam in locum personæ, in quam diræ tendunt, substituimus quippiam ei plane adversum. Prioris generis exempla in variis occurrunt Scripturæ locis, ubi Deo dicuntur benedixisse, qui tamen blasphemarunt. Recte enim Vatablus (a): *Veteres adeo abhorrebant à blasphemia, ut ne nominare quidem auderent.* Pertinent vero huc etiam juramenta illa Talmudica (b) אראה בנחמה אם לא הרגתי עד זומם: *videam consolationem si non occidi testem falsum. Item* (c) אראה נחמה אם לא ראיתי אחד שרץ אחר חברו: *videam consolationem nisi vidi quendam persequentem proximum suum.* In quibus hunc esse sensum: *Non videam*

(e) *Matth.* 5:34. *seq.* (f) 2. *Sam.* 3:35. (g) 2. *Sam.* 19: *vs.* 13. (h) 1 *Reg.* 19:2. (i) 1 *Reg.* 20:10. (k) *Comment. ad* 1. *Sam.* 3:17. (l) *Comment. in Ruth.* 1:17. (m) *Glassius Rhet. S. Tract. II. c.* 4. *p.* 540. *Buxtorf. Thesaur. Gram. l. II. c.* 21. *Piscator. & Corn. à Lapide Comm. in Ruth.* 1:17. *Matt. Flacius Clave S. Scr. ad voc. facere.* (n) *Gen.* 14:23.

(o) *Confer. Jerem.* 38:16. (p) *Lexic. Talm. pag.* 2315. (q) *Tom. II. Oper. pag.* 293. (r) *Lexic. Talmud. pag.* 247. (s) *Comment. interlinear. in h. l.* (t) *Rhet. S. tract. II. c.* 4. *pag.* 540. (u) *Comment. in h. l.* (x) *Comment. in h. l.* (y) *Comment. in h. l.* (z) *Alph. Tostatus, Lyra, Estius, Corn. à Lap. Piscator in h. l. aliique.* (a) *Comm. in Job.* 1: (b) *Chagiga fol.* 16. 2. (c) *Schevuoth. fol.* 34. 1.

deam conſolationem &c. in aprico eſt. Vid. Buxtorfius (d). Poſterioris modi antiphraſin in hoc, qui ſub manibus eſt; textu agnovit R. D. Kimchi, quando ſcribit: לאויבי דוד כנויחוא לדוד *Inimicis Davidis, i. e. per antiphraſin ipſi Davidi.* Inſuper autem huc trahunt Cajetanus cum eodem Kimchio atque Salom. Jarchi locum 1. Sam. 20: 16. *Requirat Dominus de manu inimicorum David.* Putant enim, prout Jonathan in præcedentibus, Davidi de ſua abunde caverit fide, ita h. l. eum voluiſſe propriæ conſulere ſecuritati Davidemque omnibus ſubjicere diris, niſi pactis ſteterit: Cum autem tenerrime eum amaret, verbum imprecatorium ad hoſtes ipſius rejeciſſe, etſi in illis Davidem intelligeret. Quæ ſi ita ſe haberent, non eſſet cui amplius de ſenſu noſtri dicti laboraremus, ſed jam foret certum, idem hic obtinere loci. Quicquid vero hujus ſit, imprimis, ait Sanctius (e), *exempla ſunt apta ex ipſa quotidiani ſermonis conſuetudine deſumta; Iraſceris amico, & dicturus erat, male ſit tibi; & cum amicum eſſe cogitas, cohibes indignatum animum, & jam erumpentem vocem, & dicis: O male ſit illis, qui tibi male cupiunt; vel, quod magis eſt Hiſpanis in eo ardore familiare: O male ſit Diabolo!* Qui Hiſpanorum imprecandi mos, non ſine cauſa creditur à Judæis, quibus olim Hiſpanica æſtuabat tellus, ſuam traxiſſe originem. Conſtat ſiquidem, apud Judæos nec hodienum iſtam ceſſare conſuetudinem, à qua ne quidem in libris ſuis Germanicis ſibi temperant, ut, de filiis Iſrael infauſta quædam aut narraturi aut prædicturi, niſi vulgare ſuum חס ושלום interponant, tamen haud raro pro illis שונאי ישראל ſubſtituant; id quod, ſi quidem ulla flagitaret ratio, multis probatum dare poſſemus exemplis. Quo ipſo, magnum noſtræ ſententiæ additur fulcrum, Davidem ſcilicet, quandoquidem natura abhorremus ab imprecando nobis malo, ne in ſeipſum injurius videatur, eleganti, apud ſuos recepta, & ad poſteros uſque propagata conſuetudine, loco proprii, inimicorum adhibuiſſe nomen. Huc denique accedit, quod, ejuſmodi δυσφημισμὸν iſtic latere, dudum agnoverint Interpretes antiquiſſimi. Ita enim τῶν ὁ textum noſtrum tranſtulit: Τάδε ποιήσαι ὁ Θεὸς τῷ Δαυὶδ, καὶ τάδε προσθείη, εἰ ὑπολείψομαι ἐκ πάντων τῶν τοῦ Νάβαλ, ἕως πρωῒ, οὐροῦντα πρὸς τοῖχον. i. e. *Hæc faciat Deus ipſi Davidi & hæc adjiciat &c.* Etiamſi enim Biblia Complutenſia Franc. Ximenii, itemque Opus Regium Ariæ Montani, habeant τοῖς ἐχθροῖς Δαυὶδ *inimicis Davidis*; tamen editio τῶν ὁ quæ Sixti V. Pontificis cura ad limam MSS. Bibliothecæ Vatic. an. CIↃ IↃ LXXXVII. Romæ prodiit, itemque Biblia Polyglotta Anglicana, cum aliis, conſtanter legunt τῷ Δαυὶδ *ipſi Davidi.* Pari modo Syrus verba noſtra reddidit (f): ܗܟܢܐ ܢܥܒܕ ܡܪܝܐ ܠܥܒܕܗ ܕܘܝܕ *Sic faciat Dominus ſervo ſuo David.* Cum quo ad verbum conſentit Arabs. Ut proinde non poſſimus non, illi opinioni, noſtrum adjicere calculum, quæ in noſtro textu, eleganti tropo, pro ipſo Davide, ejus inimicos poſitos agnoſcit.

Quod denique concernit משתין בקיר *mingentem ad parietem*, merito tranſimus in caſtra tot Virorum eruditiſſimorum (g), qui exiſtimant, per hæc verba indigitari Canem, utpote שדרכו להשתין בקיר *cujus mos eſt mingere ad parietem*, uti loquitur R. Salom. Jarchi in h. l. Quæ eadem verba etiam habet R. D. Kimchi, quando ſuo, contribuliumque nomine, ad hunc eundem locum commentatur: כמו שפירשו רז"ל אפי' הכלב שדרכו להשתין בקיר *ſicut exponunt Rabbini noſtri b. m.* (ſenſus eſt, non relinquam) *etiam canem, cujus mos eſt mingere ad parietem.* Iſtud vero probe obſervandum venit, continere hanc phraſin in ſe, proverbium comminantium internecionem & cladem extremam: id quod, non ſolum ipſe verborum contextus, moduſque loquendi toties iteratus, ſed & aliæ proverbiales formæ, 1. Reg. 14: 10. alibique, huic conjunctæ, ſatis manifeſte produnt. Ut enim effervesſcentia iræ tanto magis exprimatur, pulchre omnino, hominum loco, viliſſimum nominatur animal, illudque inſuper, majore elegantia, per abjectiſſimam ipſique propriam deſcribitur actionem; ut, ſi cognoſcatur, nihil tam vile eſſe, in quod ſe furor non ſit diffuſurus, tanto facilius homines, quid ipſos maneat, queant intelligere. Eſt vero hæc loquendi ratio, apud alias quoque nationes recepta. Ita enim Aurelianus (h): *cum Thyanam veniſſet, eamque occluſam reperiſſet, iratus dixiſſe fertur: Canem in hoc oppido non relinquam.* Imo hodienum de omnimodo excidio vulgus ait, *ne canem quidem relictum, nec felem.* Quam formulam etiam à Gallis ſuis frequentatam eſſe annotat Vatablus ad 1. Samuel. 25. Cæterum ex eo, quod hæc phraſis proverbialem redolet locutionem, ultro ſequitur, verba hæc ſtricte adeo capienda non eſſe, minaſque impleri poſſe, etiamſi quis vel maxime in canes non ſæviiſſet, dummodo alteri, in quem dirigebantur, integram ejus delendo familiam, maximam intuliſſet cladem.

Atque ſic quidem habet vulgata opinio. Aliis alia, hac de re, ſedet mens. Fuere jam antiquiſſimis temporibus, qui non משתין בקיר *mingentem ad parietem*, ſed מושתין בקיר i. e. *ponentes* vel *poſitos ad parietem*, legendum cenſebant. Quæ lectio originem dedit duabus, iiſque diverſis opinionibus. Una eſt eorum, qui exiſtimant indicari hac phraſi, omnia quæ in domo ſunt, ita deſtructum iri, ut ne rebus quidem minimis, quæ appenduntur ad parietem, parcatur. Quo ſenſu apud Syrum David jurat, ſe in Nabalis domo nihil relicturum, ܕܬܬܣܝܡ ܒܐܣܛܐ *quod apponatur ad parietem.* Et apud Arabem, ſe non relicturum شي يعلق على وتد *quicquam quod appendatur è paxillo.* Mirum tamen eſt, cum in textu Hebræo hæc locutio, in aliis Scripturæ locis, ſæpius occurrat, v. g. 1. Reg. 14: 10. 16: 11. 2. Reg. 9: 8. Syrum pariter atque Arabem hic conſtanter legiſſe משתין בקיר *mingentem ad parietem*, atque ita etiam ad verbum tranſtuliſſe, niſi quod Arabs, 1. Reg. 21: 21. ulterius ſuam expoſiturus mentem, plane in noſtram concedat ſententiam, reddatque كلب على حايط *canem ad parietem* ſcilicet يبول *mingentem.* Altera interpretatio eſt Jonathanis, qui in ſuo Targum, משתין בקיר ſemper vertit ידע מדע *cognoſcentem cognitionem*, i. e. aliqua rerum ſcientia præditum; ut proinde hoc modo intelligantur omnes, qui infantiæ annos ſunt egreſſi, jamque inter bonum & malum, dextram ſiniſtramque diſcernere norunt. Cujus equidem verſionis rationem vix aſſequi liceret, niſi Rabbini nobis ejus prodidiſſent mentem. Hi ſiquidem obſervarunt, alludere Chaldæum ad locum Jeremiæ 4: 19. ubi præcordia vocantur קירות לב *parietes cordis.* Atque hinc quando David exitium minitatur מושתין בקיר (ut ille legit) *ponentibus in pariete* ſcilicet cordis ſui, ex illius mente intelligantur iſti, quibus ætas uſum rationis quadantenus concedit. Ita enim habet R. D. Kimchi (i): ת"י ידע מדע ר"ל משית בקירות לבו כלומר בן דעת: i. e. *Jonathan vertit: cognoſcentem cognitionem; vult dicere, ponentem in parietibus cordis ſui, i. e. Scientiæ capacem.* Quæ eadem tradit R. S. Jarchi in h. l. Enimvero, ut taceam rationes alias, quibus illa expoſitio queat impugnari, quoniam fundamentum ejus ficulneum eſt, imo plane nullum, iſti ſuperſtructæ interpretationes ſua ruunt ſponte.

Neque recentiores adeo conſpirant, quin nonnullis diſpliceat illa de canibus explicatio, ſupra à nobis comprobata: qui proinde omnino verba de hominibus putant accipienda. Scinduntur tamen & ipſi in partes. Quidam (k) enim משתין בקיר tam de maribus, quam de fœminis intellectum volunt, creduntque, Davidem per ipſam hanc dictionem ſignificare voluiſſe, *quod nolebat occidere pecora & jumenta Nabal, ſed ſolum Viros & fœminas, (tam magnos, quam parvulos) quia ad iſtos extenditur mingens ad parietem.* Alii (l) vero iſthæc non ſolum contrahunt ad virilem ſexum, ſed etiam in hoc non niſi ad pueros extendenda credunt. In qua ſententia, præter Luc. Oſiandrum, eſt Ludovicus de Dieu, (ut refert Polus) (m) qui, intelligendam, ait, *puerilem ætatem, quam non pudet ad parietem mingere.* Scite vero reſpondet Samuel Bochartus (n): *Si qui excludendi eſſent, id ad pueros potius pertineret, qui, ob id ipſum, quia eos nihil pudet, non tam mingunt ad parietem, quam ubivis in propatulo.* His ergo iterum ex adverſo, nonnulli, voces dictas, de maſculis maturioris ſaltem ætatis exponendas volunt. Ita enim Arias Montanus (o): *Paries mingentibus commodus eſt Viris, ad turpitudinem occultandam. Quamobrem, velut proverbiali oratione, Hebræis uſurpatum eſt mingere ad parietem, ad eam ætatem ſignificandam, qua turpis & honeſti cognoſcendi homo compos jam factus eſt.* Sed vix credibile eſt inter LXX. Ahabi filios nepoteſve, à Jehu occiſos (p), non fuiſſe etiam quædam

(d) *Lex. Talm. p. 1327.* (e) *Comment. in 1 Sam. 20: 16.* (f) *Vid. Bibl. Polyglot.* (g) *Vatabl. Sanctius, Caſtalio, Lyra, Corn. à Lapide, Comment. in h. l. Friedlib. Theolog. Exeg. in h. l. Glaſſius Rhet. S. Tract. 1. c. 21. Flacius Clav. S. Script. ad v. mingere, Dn. Schmidius Comment. in h. l. quæſt. 5.* (h) *Fl. Vopiſcus in ejus vita.*

(i) *Comment. ad 1. Sam. 25.* (k) *Alph. Toſtatus Comm. ad 1. Sam. 25. quæſt. 5.* (l) *Comment. interl. in h. l. Synopſi Crit. ad h. l. Hierozoicon. tom. 1. Cr. c. 56. p. 675.* (m) *De arcano ſerm. c. 51.* (p) *2. Reg. 10.*

dam *ἀρτιγέννητα βρέφη*. Illi autem vix quenquam habebunt assentientem qui (ut Lyra ad h. l. refert) *per mingentem ad parietem intelligunt infirmum qui non potest surgere, & jam facit urinam inter lectum & parietem.*

Malunt itaque alii משתין בקיר de omnibus accipere maribus, tam iis, qui jam ad maturam sunt profecti ætatem, quam qui nondum Ephebis excesserunt. Hanc opinionem amplectitur R. Levi Ben Gerson (q), quando ad nostrum textum scribit: משתין בקיר והוא הזכר *mingens ad parietem i. e. mas.* Itemque Elias Levita (r), qui etiam suæ interpretationis sequentem rationem reddit: המפרשים פירשו משתין בקיר זה הכלב שדרכו להשתין בקיר ואני אומר שיותר נכון לפרש משתין בקיר כל זכר שדרכו להשתין בקיר כי הנקבה אינה משתנת בקיר: i. e. *Interpretes per mingentem ad parietem, intelligunt canem, cujus mos est, ut in parietem mingat; At ego dico, magis convenire, ut mingens ad parietem intelligatur de omni Viro, cum ad parietem Viri mingant, quod mulieres non solent.* Adstipulatur Eliæ Buxtorfius (s) ipsius ratione motus. Antesignanus vero hujus sententiæ est Samuel Bochartus (t) in multæ eruditionis libro quem Hierozoicon inscripsit. Urget autem contra expositionem communem, quod si de canibus istud משתין בקיר velimus intelligere, hanc descriptionem non pertinere ad omne canum genus, sed solum ad mares, eosque demum sexto aut octavo mense, teste Aristotele, Plinioque (u): quod jam animadvertit Elias (x), quando ait: אם נפרשהו על הכלב אין נקבת הכלב בכלל כי הכלבה אינה משתנת בקיר: i. e. *Si interpretamur de Cane, canis fœmina non poterit includi, quia canis fœmina non mingit ad parietem.* Deinde vero, istud longe maximum videtur dubium, quod sic non appareat, quomodo cohæreant ea, quæ alibi his verbis adduntur, v. g. 1 Reg. 14: 10. *Exscindam de Jarobham mingentem ad parietem, clausum & derelictum in Israël; & succidam posteriores domus Jarobham sicut succiditur sterquilinium donec consumetur.* Gemina habentur 1 Reg. 21: 21. 2 Reg. 9: 8. *Sunt*, ait Bochartus, *qui* (per עָצוּר וְעָזוּב בְּיִשְׂרָאֵל) *captivos & liberos hic intelligunt. Alii in urbibus clausos & in agris sparsos; Alii conjuges & cœlibes. Sed, quicquid eligas, hæc non cohærebunt: Exscindam canes, & captivos & liberos, aut cœlibes & conjugatos. Et in his 1 Reg. 16: 11. Percussit omnem domum Bahasæ, non reliquit ei mingentem ad parietem & cognatos & amicos ejus; eadem erit ἀνακολουθία. Neque enim dixeris alicujus familiam ita fuisse deletam, ut neque canis in ea sit relictus, neque cognatus, aut amicus ullus.* His jam porro suæ subjungit fulcra sententiæ, putatque, hæc verba, de solo genere masculino debere exponi, quod דרכו להשתין בקיר כי נקבה אינה משתנת בקיר *ejus mos sit mingere ad parietem, quod fœmina non solet*; uti loquitur Elias. Deinde vero, hac ratione omnem, in reliquis Scripturæ locis, difficultatem esse sublatam, pronamque ubivis expositionem: *Exscindam mingentem ad parietem, clausum & derelictum, i. e. exscindam omnem marem sive captivum sive liberum, vel in urbe degentem aut in agris, vel conjugatum aut cœlibem.* Quin ipsum eventum huic suæ menti favere, quandoquidem in executione harum minarum, à Jehu v. g. nulla fœmina legatur occisa, præter Jezabelem, de qua ideo 2 Reg. 9: 10. peculiaris fuit prophetia, quod altera prædictio ad solos Viros pertineret, quos etiam solos, in atrocissimis bellis, v. g. cum Sichemitis & (y) Midianitis (z) cædebant: atque hunc morem postea etiam peculiari lege divina fuisse stabilitum (a). Neque desunt Bocharto, quæ ad dubium, à Ludov. de Dieu ipsi motum, respondeat, qui, *Europæis quidem*, inquit, *is mos est, qui vestes ad id aptatas habent, sed non Asiaticis, qui vestes gestant talares, & quamvis sub iis habeant quoque femoralia, non tamen ad eum usum aperta sunt, ut Europæis, sed crumenæ instar contrahuntur & laxantur, quibus laxatis & demissis, subsidunt Viri instar mulierum, & sub vestium talarium latebra, quibus pedes teguntur, honeste lotium reddunt.* Ad hæc enim reponit ille, quod de Asiaticis in genere dictum est, id non nisi de Persis valere, quandoquidem Turcæ, more nostro, ad parietem soleant levare vesicam, qui hanc ipsam ob causam à Persis per contumeliam Seksunni appellentur (b). Eandem vero consuetudinem apud Hebræos obtinuisse, docere nos legem illam Talmudicam, quam citat Kimchi (c): לא ישתן בצד כותלו של חבירו אלא א"כ הרחיק שלושה טפחים: *nemo mingat ad vicini sui parietem, nisi postquam ab eo tribus palmis recesserit.* Atque hæc fere sunt ea, quæ ad convellendam contrariam opinionem, suamque stabiliendam & defendendam, affert Bochartus.

Enim vero, non plane deesse videntur, quæ ad illa regeramus. Quod enim concernit difficultates, quæ nostram videntur premere sententiam, etsi altera magnam habeat speciem, utræque tamen sua cadunt sponte, si repetamus ea, quæ supra diximus, scilicet, latere hic proverbialem hyperbolen, atque proinde, si de sensu minarum earumque executione loquimur, verba, in nativa sua significatione, non esse accipienda, cum nihil aliud indicent, quam atrocissimam cladem atque eversionem omnimodam. Ita parum solliciti erimus, possitne משתין בקיר ad omne canum genus extendi nec ne. Ita etiam salva res erit cum reliquis Scripturæ locis, ubi eadem verba, ast cum aliis conjuncta, occurrunt; & quamcunque interpretationem admiseris, inpræsentiarum parum intererit. Huc enim redibit sensus: Exscindam mingentem ad parietem &c. h. e. quicquid auram trahit vitalem, tum captivum tum liberum; vel, tum in urbe clausum, tum in agris sparsum; vel tum conjugatum tum cœlibem. Circa Bocharti vero assertionem monemus, dubium, à Ludov. de Dieu, circa vestes motum, nondum penitus solutum videri. Lex Talmudica, tempore, quo Judæi longe lateque per terrarum orbem sparsi, Romanorumque dominio subjecti erant, lata, potuit mores peregrinos, cum peregrinis dominis vestibusque receptos, respicere. Fœminam nullam in minarum ejusmodi executione occisam fuisse, dubium est. Silentium Scripturæ id non probat. De Jezabele, non quod sola occidenda, sed quod sola horrendo digna exitio, peculiaris extat prophetia. Quid enim impedit, quo minus sub residuis domus Ahab (d), quos Jehu, in Jesreel & Someron, filiis jam extinctis, necaverat, etiam fœminas comprehendamus? In bellis sequiori parcitum sexui, quod ipsa humanitas erga inermes misericordiam suadebat. Ast cum extremis suppliciis divino nutu inferendis, haud ita res est comparata. Quin nec istud in omnibus obtinebat bellis; in iis enim quæ cum Cananæis gesta sunt, nec fœminis parcere integrum erat, obstante eadem lege divina (e). Et si à bellis, ad quasvis interneciones argumentari licet, eadem facilitate colligerem, neque mares omnes, v. g. in domo Jeroboami, deletos esse, quoniam in bellis à Bocharto citatis, etiam à parvulis truculentæ abstinebant manus; inter eos autem masculos quoque fuisse comprehensos, expresse legitur Num. 31: 17. Huic autem consequentiæ ipsa reclamat Sacra Scriptura. Etenim 1 Reg. 15: 29. narraturus sacer Scriptor, quomodo diræ istæ, Jeroboamo divinitus intentatæ, à Bahasa executioni datæ fuerint, ait, non relictam esse Jeroboamo כל נשמה *ullam animam*: à quibus sane verbis, nec infantes nec mulieres, temere poterunt excludi. Cumque in reliquis Scripturæ locis supra citatis, semper minetur Deus, se Reges istos impios daturum sicut domum Jeroboami, neque ibi fœminas à nece fuisse immunes, recte omnino infertur. Denique non apparet, quod si משתין בקיר de masculis hominum est intelligendum, cur Spiritus S. potiorem familiæ partem h. e. mares nominaturus, eos tamen ab actione abjectissima, nec naturali ipsis aut propria, nec sine pudore, & quidem à viilioribus de plebe (si quidem in Judæos cadat) unquam exercenda, voluerit describere, cum tamen alias, si minas in alios vibramus, quo atrocitas earum tanto magis intelligatur, encomia ea soleamus adjicere, ex quibus tum præstantia rei amittendæ, tum damnum inde in nos redundaturum, quam maxime innotescat. Hæc vero difficultas si dicta verba de canibus interpretemur, non solum prorsus cessat, sed præterea, uti supra diximus, ejus loco eximia se offert elegantia; ut proinde hanc sententiam merito reliquis præferamus.

In moralitatem Jurisjurandi Davidici inquiritur.

QUandoquidem constat de Juramenti Davidis sensu, nunc & moralitatem ejus videbimus. Equidem quæ contra Davidem dicantur, in promtu sunt, neque coloribus aliunde peregre adductis opus, ubi nativa facies semetipsam satis manifeste prodit. Cum enim juramentum, si justum velis pronunciare, de re honesta debeat esse, nullamque lædere pietatis

(q) *V. Bibl. Buxt.* (r) *In* תשבי *ad Rad.* שתן (s) *Lexic. Talm. p.* 2543. (t) *Supra c. l.* (u) *Hist.* 6 20. *l.* 10. 63. (x) *loc. cit.* (y) *Gen.* 34: 25. (z) *Num.* 31: 7. (a) *Deut.* 20: 13, 14. (b) *Olear. Itin. Pers. l.* 5. *p.* 570. (c) *In* ספר השרש *ad Rad.* שתן

(d) 2 *Reg.* 10: 16. & 17. (e) *Deut.* 20: 16.

tis partem, mox habemus reum confitentem. Quamvis enim David, in primo iræ furore, nonnulla dicat, quæ juſtitiam conatus ſui tueantur, poſtea tamen ſibi ipſi deeſſe videtur, quando non ſolum patienter fert, ſibi ab ipſius Nabalis uxore, objici ſanguinem, ad quem gratis effundendum proruat; Sed inſuper, poſtquam ejusdem tactus oratione doniſque delinitus, ad meliorem rediiſſet mentem, conſilium ultro deſerit, Deoque publice agit gratias, quod ipſum à malo, in quod magno ferebatur impetu, prohibuiſſet. Et quanquam ultimo ſubjungat, ſe, *exaudiviſſe vocem ejus & ſuſcepiſſe facies ejus*, hæc tamen, quo minus in eum poſſint trahi ſenſum, quaſi in Abigaelis gratiam, jure ſuo optimo velit cedere, antecedentia prohibent verba, ubi, ut dixi, Deo perſolvit grates & Abigaelem deprædicat, quod ipſum, à propoſito malefaciendi, ſanguinem profundendi propriaque ſe ulciſcendi manu, abduxerit.

Alias, ſi accuſatoris ſuſtineas vices, in ejuſmodi caſu pragmatici cenſetur roboris, argumentum ex loco de autoritate judiciorum vindictæ privatæ oppoſitorum, commodeque hic auditur, divina horum judiciorum origo, inde promanans ea adeundi obligatio, ſummaque quæ Majeſtati ex eorundem neglectu infertur injuria. Inpræſentiarum tamen hæc plane exiſtimamus omittenda, quod David mox regerere queat, ſibi, qui à Rege hoſtis regni ſit pronunciatus, aditum ad ea prorſus eſſe occluſum, neque, in cauſa etiam juſtiſſima, quicquam ſe exinde ſolatii ſperare poſſe. Valide nihilominus urgetur ſeveriſſimum Dei interdictum, *ne occidas*; cui, ex eo, quod Magiſtratus auxilium fruſtra imploratur, nihil quicquam decedit virium: Præſertim quod Deus ſibi omnem reſervavit vindictam, tunc potiſſimum ab ipſo exercendam, quando Magiſtratus ſuo deeſt officio. Ut proinde David ad Deum confugere, & quomodo hic injuriam ipſi illatam forti ſua dextra vindicare velit, expectare debuiſſet.

Prout vero alias in defenſione talis facti, quale David in animo habuerat, duo præcipue loci occurrunt tractatu digni, quorum alter præterita, alter futura, reſpicit; ibique cauſas perpetrandi facinoris, maximas urgemus, hic diſſerimus de utilitate exempli, æque republica eſſe dicimus, tale quid contigiſſe, quoniam ſevera ejuſmodi ultione aliorum pruritus, ſimile quippiam audendi, facilius reſtinguatur: ita hoc loco argumenta prorſus invertuntur; premitque Davidem injuriæ ipſi illatæ, ſi cum pœna intentata comparetur, levitas. Quæ enim proportio intercedit, inter denegationem Stipendii, conjunctam cum verbis injurioſis, & internecionem integræ familiæ omnimodam? Ubi figuris evidentiæ opus, poſſetque dici, familiam Nabalis fuiſſe è honoratioribus, florentiſſimam, atque hinc in ea tot homines innocentiſſimos, infantes, mulieres, ſervos item, Domini factum partim ignorantes, partim reprobantes, quos omnes ob unius delictum capite plecti, iniquiſſimum ſit. Neque enim admittendum exiſtimo, quod Sanctius (f), ex eo, quia in juramento Davidis proverbialis occurrit hyperbole, deducit, ipſum fuiſſe præſtiturum quod juramento minatus fuerat, ſi grave ſaltem damnum intuliſſet Nabali, aut forte, *ipſum ſuſtuliſſet è medio, & eos qui ſe pro Domini ſui defenſione oppoſuiſſent, ſi qui forent, atque etiam ejuſdem bona, quæ negarat, diſſipaſſet, ab innocentibus autem abſtinuiſſet*; ut proinde *ſi quod ibi peccatum, leve fuerit*. Ut enim jam non dicam an dubitanter, aut ſaltem leve peccatum ſit dicendum, ſi homo privatus, ob denegatum viaticum additaque verba iniquiora, alium, una cum ſervis fidelibus jure domini defenſionem ſuſcipientibus, animo præmeditato, datoque deliberandi ſpatio, vita privaſſet; verba ſane juramenti plus involvunt, nec patiuntur ſe ita reſtringi, prout iſtud ſupra pluribus oſtenſum (g). Quod ſi futura reſpiciamus, afferendum foret: ſi idem alii audaciores, & ad quævis facinora perpetranda proni, tanto moti exemplo, tentent, atque ob quamvis denegationem beneficii, illatamque injuriam, jus ſtricto perſequi gladio, & integras familias peſſumdare præſumant, nemini in poſterum, ad unicum diem tuto ſpiritum trahere vitalem, conceſſum fore.

Obiter hic notandum, iſtud bonos ſpirare mores, quod è tanto Interpretum numero, qui Davidem incuſant, nemo tamen reperiatur, qui, ut Davidem tanto faciat nocentiorem, Nabalis factum audiat extenuare, & inducere colores, qui non deeſſe videbantur; quaſi ſcilicet vererentur, ne & ipſi pro beneficiis referant convicia, & hominem adeo ingratum, communi ſuffragio, indignum ſuo judicarent patrocinio. Si enim quenquam, ingratum certe, ſuo merito communi proſequimur odio; ὃν γὰρ τὸ χρηστὸν οὐκ ἐποίης ἥμερον, τί δ' ἂν δράσειεν ἄλλο τῶν πάντων ποτέ; i. e. *quem enim benignitas ex fero humanum reddere non potuit, quod aliud hunc ex omnibus rebus unquam emendabit*, ait Nazianzenus (h). Sed &, ſi vel maxime pro Nabale (i) dicas, eum fuiſſe in periculo, ſi annuerit Davidis petitis, ne à rege habeatur pro rebelli, idemque in ipſum ſtatuatur, quod Sacerdotes Nobe eadem de cauſa ſunt experti, ſupplicium ſcilicet extremum: tamen ne ipſe quidem hanc præ ſe tulit cauſam, & ad minimum ab acerbis adeo verbis debuiſſet abſtinere. Iſtud vero à peſſimo profluxit ingenio, quando ipſe, cum non auderet prorſus negare beneficium in ſe collatum, excuſationis loco ſimulat, ſe neſcire quis ſit David, (Regis gener, Primus Regni, Dux exercitus,) quem tamen à Domino ſuo profugiſſe novit. Et ſi vel maxime hoc dem; tamen benefactorem ſuum eſſe ſciverat, vel ſaltem à ſervis ſcire poterat Nabal. Jam vero, ceu eſt apud Comicum (k), *abs quovis homine cum opus eſt beneficium accipere gaudeas*: & ſi hoc dat ignotus, tanto majus eſt, quo minus is tibi fuerit obſtrictus. Ut proinde ſummæ impudentiæ ſit, denegare gratiam, ex eo, quod benefactor tibi antea fuerit ignotus, ſummæ petulantiæ, loco gratiæ referre injuriam. Recte enim Paſchalius (l): *Inſigniter ingratus is eſt, quem non modo Tibi beneficio non adjunxiſti, nec ſolum pro benefactis gratiam non reddit, ſed maledicta, eaque inſuper malefactis cumulat. Cui plus debet, hunc magis odit, ex obligato ac debitore fit inimicus, nunquam non periniquus, irarum, minarum, ultionis plenus. Hoc deterrimum genus hominum, è quibus nihil niſi meſſem mali metere licet, quidam aſſimulant arieti, qui ultorem ſuum ſæpe cornibus incurſat; Ego potius talem dixerim eſſe lupum illum, de quo extat Græcum epigramma*, τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω.

In defendendo Davide vix quicquam afferre licet, quod omne ferat punctum. Ipſe pro ſe allegat fruſtrationem laboris, denegatum præmium, & injuriam qua ſit affectus. Enimvero ſi de ſtatu qualitatis, (quem vocant,) ſeu de eo quæſtio eſt, quo jure David Nabali intentaverit mortem, hæc omnia parum habent roboris. Non enim plus inferunt, quam Nabalem fuiſſe ingratum & meruiſſe pœnam à Magiſtratu infligendam, non autem mortem à læſo pro arbitratu ſuo inferendam. Quanquam vero cauſæ Davidis etiam ex eo haud parum videatur decedere, ſi dicas, Davidem non tam in Nabalis gratiam, quam ſui lucri ergo egiſſe, quicquid egit, quod ſatis prodat, dum ipſe ſibi gratiam referri poſtulet: Item: Nabalem haud quicquam ab ipſo deſideraſſe: Hæc tamen afferre nolim, quoniam oratio quæ ad negationem vel ſaltem imminutionem beneficii pertinet, raro caret ſuſpicione animi ingrati. Sed & Seneca utrique objectioni pulchre reſpondet. Illi quidem (m): *Non ſum tam iniquus, ut nihil ei debeam, qui, cum mihi utilis eſſet, fuit & ſibi. Non enim exigo ut ſine reſpectu ſui mihi conſulat. Imo etiam opto, ut, beneficium mihi datum, vel magis danti profuerit: dummodo, id quod dabat, duos intuens dederit, & inter me ſeque diviſerit; licet id ipſe ex majori parte poſſideat, ſi modo me in conſortium admiſit, ſi duos cogitavit. Ingratus ſum, non ſolum injuſtus, niſi gaudeo hoc illi profuiſſe, quod proderat mihi. Summæ malignitatis eſt, non vocare beneficium, niſi quod dantem aliquo incommodo affecit.* Huic vero (n): *Gratiſſima* (eſſe debent) *beneficia parata, facilia & occurrentia, ubi nulla mora fuit, niſi in accipientis verecundia. Optimum eſt, antecedere deſiderium cujuſque; proximum, ſequi. Illud melius, occupare antequam rogemur; quia, cum homini probo ad rogandum os concurrat & ſuffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus ſuum.*

Locus de juſtitia ultionis & vindictæ privatæ, qua depellimus injurias quibus afficimur, etſi apud Gentiles, qui de ea liberaliter ſatis ſtatuebant, vim habebat magnam, hic tamen adhiberi, apud eum, qui è ſacris meliora eſt edoctus, minime poterit, præſertim cum inter illatam injuriam, pœnamque ejus loco imponendam, æqualitas quædam intercedat neceſſe ſit, quæ tamen hoc loco plane evaneſcit.

Hæc cauſæ Davidicæ, ſi ad præcepta ſanæ rationis examinetur, imbecillitas, anſam credo nonnullis dedit, cum tantam in Viro alias ſedato, multiſque malis in patientia quaſi obdurato,

(f) *Comment. in h. l.* (g) *Confer. Dn. Schmidius Comment. in h. l. quæſt.* 4.

(h) *In vit. tom.* 2. *pag.* 16. (i) 2 *Sam.* 21. (k) *Adelph.* 2. 3. (l) *In Cenſur. animi ingra. c.* 39. (m) 6. *de benef.* 13. (n) 2. *de benef. cap.* 1.

rato, præcipitantiam vix admittendam putarent, nec etiam factum hoc in Davide reprehendi adverterent, ut existimarent Davidem, instinctu quodam atque jussu Dei, homini ingratissimo jurasse mortem; qua in opinione sua confirmabantur, quod, cum minæ Davidis effectu caruerint, Deus ipse vitam ei eripuerit. Ut tali modo factum Davidis non solum carere culpa, sed etiam velut obsequium divino nutui præstitum, laude dignum censeri debeat. Verum hæc fundamenta tam firma non sunt, ut iis res tanti momenti queat superstrui; & periculose philosophatur, cui hæc cohæsio placet: Deus hunc propter scelera sua occidit: ergo idem à læso jure poterat interfici. David sane, citra peculiare Dei mandatum, à cœpto desistere haud potuisset, multo minus vero sanguinem innocentem, quasi ad ejus effusionem se accinxerit, passus esset sibi objici, aut Deo gratias egisset, quod ipsum prohibuerit à malo, siquidem totum hoc negotium ad voluntatem Dei suscepisset. Sed nec ille modus innocentiam Davidis vindicandi admittendus videtur, quando nonnulli (ut refert Abulensis (o) ajunt, Davidem hic regium, ad quod jam dudum inunctus fuerat, exercuisse munus, atque hinc hominem læsæ in ipso Majestatis reum, merito ad ultimum supplicium trahere decrevisse. In qua sententia est etiam R. Levi Ben Gerson quando scribit (p: ויש להפלא איך נסכם דוד להרוג נבל וביתו והוא לא הסכים על הריגת שאול עם היותו רודפו: ואפשר שנאמר שכבר נתפרסם לכלם היות דוד נמשח למלך על לישראל ולפי שהיה נבל מבזה המלכות היה ענשו למות וכול הנסכמים לו בזה וכבר התפאר ממאמר אביגיל לדוד שזה הענין היה מפורסם אז לישראל: i. e. *est sane admiratione dignum, quomodo David ad occidendum Nabalem consenserit, qui tamen ad internecionem Saulis non consensit, cum ipsius fuisset persecutor. Ego vero ita conciliarem hoc dictum; quoniam jam cognitum erat quibusdam, Davidem in Regem Israëlis fuisse unctum, idcirco cum Nabal esset contemptor Regni, pœna ipsius, omniumque qui cum eo in hoc consenserunt, fuerat mors. Et jam innotuerat Davidi ex Abigaelis sermone, quod hæc res manifesta fuerit etiam Israëli.* Sed neque ipse David hanc prætendit rationem, aut alias, variis petitus injuriis, ante mortem Saulis tale quid sibi arrogavit, aut etiam, hunc in finem, jussu Dei unctus fuerat à Samuele, ut vivo adhuc & regnante Saule regiam sustineret personam.

Cæterum, P. Martyr (q), quæcunque David pro illustranda causa sua afferre poterat, brevissimis est complexus, ad eademque velut in compendio respondet. *Prætextus ille Davidis, quod ait Nabalem sibi reddidisse malum pro bonis, nihili est. Quid enim, an ea causa tu mala reddas pro malis? Ita mala crescerent in infinitum. Ille tibi malum regereret, & tu vicissim illi, nec ullus unquam esset malorum finis. Si Nabal suum officium non fecit, an id circo tu non facies tuum? Aut si ille injustus est, an ea causa tu non eris justus? Conservavi inquies illi greges incolumes. Quid, an te pœnitet recte facti? Non rapui. An ergo, si ista futura prævidisses, rapuisses? Cohibui milites. An ergo voluisses militibus uti prædonibus? Non debes dicere te ista frustra fecisse. In Dei enim gratiam ista fecisti, non in Nabalis. Et si ille tibi deest, at Deus tamen non deerit.* In quibus responsionibus priores plenæ sunt prudentiæ: Geminaque habet Maxim. Tyrius (r): εἰ γὰρ ὁ ἀδικηθεὶς ἀμύνεται, ἀεὶ μεταβαίνει τὸ κακὸν ἀπ' ἄλλου πρὸς ἄλλον, καὶ μεταπηδᾷ καὶ διαδέξεται ἀδικία ἀδικίαν· εἰ γὰρ τῷ αὐτῷ τούτῳ δικαίῳ τῷ παθόντι συγχωρεῖς ἐπεξιέναι εἰς τὸν ἀδικήσαντα, ἐπαναχωρεῖ αὖθις ἀπ' ἐκείνου πρὸς τὸν αὐτὸν ἡ τιμωρία. τὸ γὰρ δίκαιον ἐπ' ἀμφοῖν ἴσον. i. e. *Nam si is qui passus est injuriam, ultionem sumet, transibit malum ab hoc ad illum velut saltu quodam, & injustitiæ injustitia succedet: quippe si hoc jure posito concedis ei qui malum pertulit vindicare in eum qui fecit, sequitur ut rursus ab hoc ad illum se referat ultio: est enim justum, par utrique parti.* Quatuor autem posteriores, quæ paulo videntur duriores, quamvis in judice tolerari queant, ex ore tamen rei importunius audiretur hæc philosophia. Ab hoc enim prolatæ, si valeant, corruent uno impetu omnium beneficiorum merita, cum eodem prorsus modo ingrati quibuslibet respondere atque se debito rependendi gratiam exsolvere poterunt. Parum enim abest quin eo redeant: Non est beneficium, sed officium, scelus non facere, aut facere quod est honestum. Ejusmodi autem voces calido potius oratori, quam bono Viro conveniunt, & ob id studiose sunt vitandæ. Officium est conservare greges, sed in officio beneficium, quod alter istud exigere non poterat. Officium est non rapere, cohibere milites. Sed quando vocat occasio, sollicitat præda, impellit iterata militum importunitas, trahit fames, quis nolit ignoscere Duci si aliquid suis indulsisset? Quoniam vero (s) οὐ μόνον τοὺς οἰκείους ἀφελεῖν τι τῶν ἐκείνῳ προσηκόντων ἐκώλυσεν· ἀλλὰ καὶ τὰς ἑτέρωθεν ἐπιγινομένας διεσκέδασε βλάβας, i. e. *non solum prohibuit suos aliquid auferre ex iis, quæ ad ipsum pertinebant, sed etiam repulit damna, quæ aliunde ei afferebantur*, beneficium dedit. In Dei honorem David omne hoc egit: quia vero Nabal ingens inde commodum tulit, citra animi ingrati notam, gratiam denegare nequit. Plura hanc in rem vide apud Lilium Greg. Gyraldum in parænes. adversus ingratos tom. 2. Oper. & Joh. Henr. Boeclerum dissert. de actione ingrati.

Sic ergo videmus non omnino deesse rationes, quas pro juramento atque ausu suo David queat allegare, eas tamen pragmaticas non esse, sed hujus generis, ut, si ad judicationem res deveniat, accuratiorem lustrationem haud sustineant, neque impediant, quo minus juramentum pronuncietur iniquum. Patheticæ tamen sunt, & ad excusationem quadantenus inservire possunt. Est enim profecto acerbissimum, tenerrimique sensus, Virum dignitate Regi proximum, nunc vero omne citra meritum loco motum, undique afflictum, summaque rerum omnium laborantem inopia, homini privato, pro laboris sui atque tot beneficiorum præmio, decenter supplicantem, non modo nihil impetrare, sed insuper indignissimis proscindi conviciis, abjectissimoque servi profugi appellari nomine; nec tamen ullam spem habere reliquam, pro tot tantisque injuriis, vel à Magistratu publico justitiam, vel ab inimico satisfactionem impetrandi. Ut proinde mirum videri haud debeat, Virum æqui alias studiosissimum, exercitatissimumque in tolerandis omnis generis injuriis, cumulo malorum obrui, ut patientia toties læsa tandem laxet vincula, in eaque prorumpat, quæ in mentem secum habitantem nunquam descendissent. Sed pagina suadere videtur, ut hæc relinquentes ad cætera deveniamus, videamusque quo juris prætextu David ab executione juramenti abstinere potuerit.

Quo jure executio Jurisjurandi à Davide omissa fuerit, expenditur.

Equidem merito apud omnes gentes magna est juramenti religio, jureque firmissimus creditur obex, qui malitiæ hominum, nullo amplius frœno coërcendæ, cum successu objiciatur. Cum enim nemo sanæ mentis, quique Numen esse, cui res nostræ curæ sunt, certo persuasum habet, facile eo impietatis prolabi existimetur, ut, verba daturus, eum, quem nihil latet, in testem veritatis producere, ejusque, cui nemo se subducere potest, vindictam, si fallat, in se ultro provocare audeat; nihil fortius stringere censetur conscientiam, ut verum pronunciet, atque quod in se suscepit, executioni det, quam jusjurandum. Nihilominus tamen haud raro contingere solet, ut obligatio illa, qua Deo arcte adeo obstricti sumus, cesset, imo plane nulla sit, vitio, vel in jurante, vel in re jurata, residente. Prior casus cum alterius sit loci, nunc de posteriori erimus solliciti. Et cum inpræsentiarum jusjurandum vel comminatorium sit, vel promissorium (solent enim alias etiam assertorium adjungere), quorum illo, alteri malum minitamur, hoc vero, alteri nos ad aliquid præstandum obligamus, circa utrumque accidere solet, ut istud, quod præstandum nobis imponimus, sit è numero impossibilium vel illicitorum. Circa illa omne juramentum esse irritum, adeo certum est, ut etiam in proverbium abierit, impossibilium nullam dari obligationem. Cum enim, ubi aliquid agendum omittendumve in nos suscipimus, semper vel tacite saltem subintelligatur, istud in nostra situm esse potestate; ita, si fiat, ut quod jurato promisimus, equidem nunc in nostro sit arbitrio, postea vero, citra nostram tamen culpam, vires nostras excedat, aut jam nunc ita se habeat, nos tamen ignorantia invincibili lateat, obligatio ex juramento nulla nascitur, cum desit conditio primaria ubivis subintellecta, qua absente, obligatio omni suo effectu directo & legitimo caret, atque ob id ipsum nulla est. Quod vero concernit jusjurandum de re illicita, seu quæ lege divina, naturali, aut humana illis non contraria, est interdicta, istud probe venit discernendum à juramento illicito, v. g. temerario, prodigo, vi aut

(o) *Comment. in h. l.* (p) *Comment. in h. l.* (q) *Comm. in h. l. Confer. Brentius in h. l. Tom. II. Op.* (r) *Dissert. an referenda injuria. Conf. Euripid. in Oreste Aristid. Orat. Tom. I.*

(s) *Theodoretus quæst. 58.*

aut dolo extorto. Quamvis enim in hoc conveniant, quod utrumque sit illegitimum; discrepant tamen in eo, quod hoc, tantum ratione alicujus circumstantiæ aut qualitatis vitiosæ, tale sit, sique objectum non est res prohibita, nihilominus possit esse validum & servari debeat, istud vero, ob id ipsum quod rem inhonestam atque interdictam pro objecto habet, etiam irritum sit, imiteturque naturam illorum quæ sunt impossibilia. Quæ enim licite non possumus, ea plane non posse censemur. Ut proinde non solum nemo ad ejus executionem teneatur, sed &, qui istud in effectum deducit, peccet.

Atque ut hoc fusius explicem, cum jusjurandum pro parte habeatur divini cultus (t), istud sane nullum esse potest, cujus executio evertit cultum divinum, in Dei cedit ignominiam, vinculumque est iniquitatis. Deinde vero impia est fides, quæ scelere non caret, impia promissio, quæ peccato adimpletur: Cumque quod in nos suscepimus agendum, sub comminatione divinæ vindictæ, & amissione gratiæ Dei vetitum sit, nemo certe ad istud exequendum, se obligatum credet, ex eo capite, quod alias Dei excidat gratia, ejusque incurrat pœnam; cum hæc adversa pugnent fronte. Atque hæc ipsa causa est, cur Patres vulgo asserunt (u), *juramentum quod vergit in interitum æternæ salutis neminem obstringere.* Cum enim æterna damnatio summum sit malorum omnium, quæ Deus immorigeris infligit, absurdum sane foret, aliquem metu æternæ damnationis, ut eam ipsam vel directe vel indirecte sibi accersat, impelli. Quamvis autem vulgo dicatur, obligationem à juramento esse inseparabilem, ut etiamsi quis jurare volens se obligari nolit, nihilominus teneatur; hoc tamen non nisi de illis juramentis intelligendum venit, quæ sunt de re licita. Prout enim in his, ob reverentiam Numinis, quod in vindicem testemque vocatum est, præstare debeo, quod humeris meis passus sum imponi; ita in altero casu, ob eandem reverentiam, & ne timore Dei in ipsius opprobrium abuti videar, abstinere cogor. Neque est quod tibi ipsi cum Lessio (x) scrupulum facias, putesque me tamen obligari Deo, ne eum, ad cujus testimonium jurando provocavi, faciam testem falsi. Deus enim non patitur sibi quenquam obligari ut peccet, ipsumque ignominia afficiat, nec pati potest. Prout vero alias nemini invito obligari possum, ita, quoniam Deus obligationem, qua ei ex juramento adeo iniquo obstrictus videbar, non recipit; libertas, qua me abdicare volebant, ut mihi citra Dei consensum à juramento resilire non liceat, manet integra, eoque ipso omnis cessat obligatio.

Quod hactenus de juramento super re illicita dictum, idem valet, licet res in se non sit illicita, attamen bonum morale majus impediat (y). Debemus etenim Deo profectum in virtute omnique bono, ita ut ejus libertatem nobismet ipsis eripere, non sit nostræ potestatis; neque officium à Deo nobis injunctum ullo licet eludere actu. Intra terminos autem sanæ philosophiæ ut maneamus, probe videndum est, diligenterque excutiendi actus nostri, ut sciamus, quinam huc referri debeant, ne forsan cum Pontificiis in istud pessimum dilabamur Principium, hæreticis itemque Tyrannis fidem, etiam jurato promissam, non esse servandam, quandoquidem valde intersit Ecclesiæ ejusmodi homines exscindi. Neque enim hæc via, vel necessaria, vel legitima est, Ecclesiam ab hoc malo purgandi. Sed quoniam hæc quæstio prolixior est quam ut eam capiat angustia paginæ, & alias à nostris Doctoribus satis excussa, nos eam hac vice dimittemus.

Satis vidimus juramentum de re illicita, non solum illicitum, sed etiam irritum esse. Quod vero in specie concernit juramentum promissorium, illud non solum ut est juramentum, sed & prout in se continet conventionem de re turpi, invalidum est. Exempli loco afferri solet, si quis jurato homicidium in se susceperit, alterque ei, hac de causa, juramento certam promiserit pecuniæ summam. Ex utraque parte iniquam esse ejusmodi sponsionem juramento conjunctam, nemo est qui dubitet. Insuper re adhuc integra, nec dum patrato flagitio, nihil quicquam honeste dari, aut accipi posse, omnes concedunt. Quin &, mercede jam soluta, alterum tamen ad committendum facinus haudquaquam teneri, largiuntur plerique omnes. Cum enim turpia morali æstimatione pro impossibilibus habeantur, ad ea facienda nulla datur obligatio. Et indignum omnino est, hominem, impia promissione impelli, scelerata insuper mercede allici, ut, quod cum natura pugnat rationali, à Deoque severissime prohibitum est, ipse velut rem honesto dignam Viro, & à cujus omissione ipsi macula queat inuri, sibi necessario putet admittendam. Neque vero ex eo, quod alter tamen ad restitutionem mercedis non teneatur, si vel maxime non sequatur turpis causa, colligere licet, valorem omnino ejusmodi juramento inesse, atque proinde obligationem aliquam inde nasci. Id enim inde provenit, quod, qui ob causam turpem aliquid dedit, sciens prudensque & facultatem alienandi habens, dominium rei sibi ipsi eripuerit, atque per hoc etiam jus repetendi amiserit, ut nisi alter, misericordia tactus, ex æquo & bono, pecuniam pœnitenti restituere velit, stricto jure nihil ab ipso efflagitare queat. Quamvis alteri nullum inde jus accedat, istud velut suum bona retinendi conscientia, quod citra flagitium ne quidem accipere potuit. Quin potius Magistratus, si res in ipsius notitiam devenerit, totum hoc recte adjudicat fisco. Nisi tamen qui patrationem criminis promisit, metu & vi ad illud fuerit adactus; tunc enim, pro re nata, & qualitate præmii, ei hoc relinqui poterit. Cæterum, commisso scelere, maxima Moralistarum pars statuit mercedem perpetrati facinoris non solum juste accipi, sed & dari debere, imo peti posse. Duplici enim ratione factum esse considerandum, tum ut est res, quæ in contractum venire, ratione laboris, periculi, & detrimenti, æstimari vendique potest; tum ut, propter circumstantiam unam alteramve, aliquid turpitudinis admixtum habet. Licet autem non sub posteriori hac, tamen sub consideratione priori, homicidium v. g. justo pretio dignum esse censendum. Enimvero ejusmodi abstractiones merito ab hac Philosophia excluduntur. Cum enim laborem corporis, pericula, damna, non in genere ita accepta, vendere atque de illis pacisci soleamus, sed prout ad certum finem sunt determinata, circumstantias aliquas habent annexas, suisque gaudent limitibus; ita quando de pretio eorum quæritur, non poterunt hæc omnia præscindi, cum ita nude sumta nullam æstimationem admittant, sed necessario his suis qualitatibus involutæ attenduntur; atque ita dispiciendum, an labor turpis, an periculum aut damnum scelere contractum, præmio dignum sit vendique possit? quod nemo, credo, sibi sumet asserendum.

Neque Scholasticos hac in re juvat Grotius (z), qui ipsis succurrere videtur, quando dicit, ejusmodi promisso vitioso obligationem inesse, ejus efficaciam autem in pendenti esse eo usque, donec scelus sit peractum, quia ante hoc tempus, impletio promissi, velut illex mali, aliquam in se habeat labem: *crimine vero perpetrato, jam obligationis vim exseri, quæ ab initio non intrinsecus defuerit, sed ab accedente vitio fuerit impedita.* Enimvero non potest percipi, quomodo ex conventione de re moraliter impossibili, de qua ob id ipsum nobis nulla inest facultas paciscendi, ulla queat nasci obligatio, cum hæ duæ conditiones ad quodvis requirantur pactum, ut res, quæ spondetur, sit in se possibilis & mei arbitrii. Et sane fatetur Grotius (a) ex ejusmodi promisso neminem obligari ad homicidium v. g. perpetrandum, quoniam *non valent promissa facti per se illiciti, quia ad illa nemo jus habet nec habere potest: at promissio vim accipit ex jure promittentis, nec ultra extenditur.* Jam vero promittere mercedem criminis, etiam est promissum rei per se illicitæ, eo quod ejusmodi merces est illecebra ad peccatum. Ergo neque hæc valebit ullo modo, quia ad eam quoque nemo jus habet nec habere potest. Sunt insuper obligationes ex ejusmodi pacto resultantes mutuæ, ut si ab una parte, ob defectum conditionum necessario requisitarum, ea deficiat, ab altera quoque parte nulla sit necessarium evadat; Si ergo nemo ex pacto ad homicidium obligatur, sive jam datum fuerit, ejus rei gratia præmium, sive minus, ob defectum juris; eadem de causa etiam in promissore mercedis nulla nascetur obligatio. Quod si autem ita statim ab initio in talibus conventionibus intrinsecus obligatio omnino deest, neque commissio crimine ejus vis, tanquam quæ hactenus latuerit, se poterit exserere, aut quicquam dari sub prætextu obligationis ex promisso natæ, quæ nulla fuit. Deinde, etiamsi dicas impletionem sponsionis ex ea ratione carere scelere; quod non amplius sit illex mali, istud tamen negari nequit, causam obligationis, quæ jam censetur efficax, esse flagitium, v. g. homicidium admissum, & quicquid datur ejus intuitu dari: homicidium autem sive peragendum sive peractum, malum est, nec vitium unquam deponere potest. (b) Causa autem jure naturali turpis & vitiosa, non potest non

(t) *Conf. Augustin. Serm. 2. decoll. Jo. Bap. Ambr. l. 1. Offic. cap. ult. Philo Judæus de special. Legib.* (u) *Abulens. quæst. 7. in h. l.* (x) *De Justit. & Jure lib. 2. cap. 42.* (y) *Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 13. §. 7.*

(z) *De J. B. & P. lib. 2. cap. 11. §. 9.* (a) *L. c. §. 8.* (b) *Dn. Zieglerus in Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 11. §. 9.*

non effectum producere vitiosum. Videatur, contra Grotium totumque Moralistarum exercitum egregrie differens, Excellent. Dn. *Joh. Philipp. Slevogtius*, D. & Professor Juris & Philos. Practicæ Ordin. celeberrimus, Patronus ac Promotor noster æternum venerandus, in Dissert. de Obligatione Naturali ex Conventione turpi.

Sic ergo abunde patet, juramento promissorio de re illicita, sive ut juramentum, sive ut promissum spectetur, nullam inesse vim, qua quis obstringatur, ad id, quod in se suscepit, exequendum: imo si quid, ejus intuitu, actu detur, nec accipi istud, nec retineri, salva conscientia posse. Quod enim supra diximus, turpi causa nondum secuta, pretium flagitii nec sumi, nec retineri, jure posse; idem valebit crimine in effectum deducto. Quod enim per se illicitum est, id, novo scelere addito, non redditur licitum. Hæc tamen omnia intelligenda veniunt de eo casu, ubi nec vis, nec fraus, aut deceptiones insidiosæ, intercesserunt. Ibi enim paulo aliter res est comparata. Ita si quis mulieri quæstum corpore facienti, prostituti pudoris mercedem juramento promiserit; fœmina, si pretium prius fuerit solutum, non solum non tenetur in ipsius consentire libidinem, aut ipsi restituere pecuniam; sed & ipsa nec petere, nec accipere, nec retinere quicquam jure potest, sive ante, sive post, flagitium commissum. Vir quoque, si maxime illa sui copiam ipsi fecerit, nihil quicquam solvere aut obligatur aut potest. Quod si tamen quis fœminam non prostratæ pudicitiæ, multis blandimentis, quadam pecuniæ summa, aut etiam matrimonio jurato promisso, eo induxerit, ut ipsi se permiserit, tunc equidem velut in præmium turpis laboris, nihil potest posci, neque ex eo capite ille juramento stare tenetur. Potest tamen à muliere, ejus parentibus, aliisque quorum interest, aliquid peti in compensationem damni, quod existimationi ipsorum est illatum, alterque maculam famæ illorum inustam, quo licet modo, delere, eoque nomine aliquid dare est obstrictus. Quam ob causam etiam Magistratus stupratorem plerumque, tum in pœnam admissi facinoris, tum ut resarciat damnum, tum ne alia inde pronascantur mala, promissum matrimonium implere cogit.

Sed hæc inpræsentiarum sufficiant, cum ea prolixius diducere forsan sit alterius loci. Atque ut nunc paucis redeamus ad id, cujus gratia hæc disseruimus: Edictis facile patebit, quid judicandum sit de facto Davidis, qui se omnibus devovit diris, nisi Nabalem cum universa familia internecioni daret, neque tamen, postquam ab Abigaele fuerat placatus, juramentum in effectum deduxit. Nam, cum vulgo tres constituantur comites juramenti, (1) veritas, ut jurans clare, exprimat quid sentiat, non ambigue. (2) Judicium, ut jurans intellectu polleat & maturo judicio juret. (3) Justitia, ut, quod juratur, licitum sit & honestum; Davidis juramentum statim secundo caret comite, estque temerarium. Qui enim vix dum à servis, illatæ sibi injuriæ, indicio percepto, ad arma conclamat, atque in furore hoc iræ nullo amplius scrutinio habito, aut re magis ponderata, alteri mortem minitatur acerbissimam, considerate, atque cum judicio egisse dici nequit. Deinde, etiam tertio comite destituitur: Est enim de re illicita, prout supra prolixius ostendi (c). Et quid ni illicitum erit, civem honoratiorem, ob denegatum beneficium additaque verba quædam acerbiora, à servis accusatum, nec auditum, nec convictum, cum florentissima familia extirpare privata manu? Ob id ipsum vero hoc Davidis juramentum etiam esse irritum, nullo intelligitur negotio. Cum enim sit è genere juramentorum comminatoriorum, si quæ ex eo nasceretur obligatio, ea terminaretur in Deum, (nemini enim homini quicquam promisit,) cui ad id obstrictus foret, ne nomen ipsius in vanum adducat. Enimvero, in tali casu Deum ejusmodi obligationem serio detestari, supra evicimus, ni malis asserere, Deum imponere necessitatem peccandi, & velle sub comminatione acerbissimarum pœnarum, ut in ipsius honorem agas, quod in ipsius cedit opprobrium, cujusque gratia te exquisitissime est puniturus, quod absonum & impium dictu. Enimvero dicat aliquis ita Davidem, evitaturum Charibdin, incidere in Scyllam, cum ei hoc modo necessario sit pejerandum, quod itidem peccatum. Id sane velle videntur aliqui Patrum quando dicunt in casu necessitatis potius pejerandum, quam ut majus malum admittamus, quasi ita ex duobus malis minus sit eligendum; quos inter venerabilis Beda dum ait (d): *Si aliquid incautius forte nos jurasse contigerit, quod observatum pejorem scilicet vergat in exitum, libere illud consilio salubriore mutandum noverimus, ac magis instante necessitate pejerandum nobis, quam pro vitando perjurio, in aliud crimen gravius esse divertendum. Juravit David per Dominum occidere Nabal, Virum stultum & impium, atque omnia quæ ad illum pertinent demoliri. Neque aliquid culpæ se tali perjurio contraxisse doluit.* Quamvis enim postremis verbis etiam perjurium quod scelere caret asserere videatur, priora tamen aliud suadent. Verum, primo Davidem à crimine ipsi intentato absolvere posset, quod non ita nude, sed impetrato quod quæsiverat, à juramento destiterit. Est enim omnino credibile, in illo hanc conditionem tacite subintelligendam fuisse: nisi è vestigio, & antequam Nabalis domum fuero assecutus, satisfactionem debitam pro illatis injuriis adipiscar. Quam conditionem cum Abigail, humillime confitendo stultitiam facti, deprecando culpam, & viaticum largum offerendo, implevisset, non erat cur David executioni juramenti sui amplius insisteret: Atque ita David omni carebit culpa, si vel maxime ex neglectu illius aliqua potuisset oriri. Deinde vero, etiamsi illa limitatio non admittenda foret, tamen Davidem haudquaquam pro perjuro habendum censerem. Equidem non me latet, laxiorem hujus vocabuli significatum passim regnare, & temeratores jurisjurandi promiscue Perjurorum nomine venire. Enimvero oppido eum, cui primus deest juramenti comes, h. e. qui studio aliter rem pronunciat, quam quidem revera se habet, aut verbis juratis promittit, se facturum id, à quo tamen animo longissime abest, discernendum puto ab illo, in quo lingua cum animo concordat, postea tamen, vel ob oscitantiam, vel quacunque tandem de causa istud fit, juramentum non prosequitur. Ille, si strictiorem, vocis vim spectes, Perjurus est dicendus; hic autem, juramenti Violator. Quæ duo sane valde discrepant. Denique si etiam latiorem illum vocis usum, ut vulgo frequentatum, admittas, non tamen nisi eos includet juramentorum Violatores, qui crimine non carent, seu, qui, ut vim dent verbis, in conscientia sunt obligati; nequaquam vero ad eos etiam se extendet, quos ipsa religio & recti honestique ratio, ut verba revocent, adigit. Sua enim natura hæc vox aliquid impii & sceleris involvere videtur, quod tamen in eo qui abstinet ab admissione rei turpis, non licet deprehendere. Haud quaquam enim adeo male nobiscum comparatum est, ut peccare cogamur. Et cum recta ratio suadeat, conscientia impellat, Deus jubeat, ab executione juramenti de re illicita, velut inhonesto atque impio facto abstinere, qui fieri posset, ut peccatum omittendo peccemus? Proinde Davidem, etiamsi nihil mali intulerit Nabali, & revocarit fidem incautius datam, omni modo ab invidioso, maleque sonante Perjuri nomine, absolvendum existimamus.

(c) *Confer. Dn. Schmid. Comment. in 1. Sam. 25. q. 7.*

(d) *Tom. 7. homil. 44. in decoll. Joh. Bapt.*

SEB. SCHMIDII DISSERTATIO

De Fasciculo Viventium ad 1 Sam. XXV: 29.

PROOEMIUM.



E *Fasciculo Viventium* acturi, quo de loquitur sapientissima Abigail 1 Sam. 25:29. non suscepturi sumus prolixam totius istius Loci ἐξήγησιν, quæ operosior futura esset, sed de hoc inprimis soliciti erimus, quid ipse *Fasciculus Viventium* sit. Ubi nostræ Dissertationis faciemus *Tria Membra.* In I. considerabimus *Voces*, inprimis *Nomen* צרור *Fasciculi.* In II. *Unius alteriusve Rabbini* de Fasciculo Viventium adferemus *Sententiam.* In III. *Christianorum Doctorum Sententias* producemus, &, quæ nobis sequenda videatur, exponemus. Ut Lectori Benevolo nostrum conatum ac studia nostra non displicitura speramus: Sic DEI Opt. Max. gratiam & auxilium expectamus.

MEMBRUM I.

§. 1. QUandoquidem *Etymologia* Vocis proprietatem declarat, atque meliorem rei cognoscendæ præparationem ostendit, idcirco nihil obstabit, quo minus Nominis *Fasciculi Viventium*, in dicto versiculo positi vim ac potestatem ante omnia paulo curiosius investigemus, ut faciendum suscepimus.

§. 2. *Latina* quidem vox *Fasciculus* aliis est à *fasciis s. fasciolis*, quarum usus teste Cl. *Botsacco*, (1) (a) ad obligandum vulnera, inprimis in ægrotis & imbecillibus à quibus sumserunt postea homines delicati & molles. Hinc *Horatius*: *pœnas insignia morbi Fasciolas: cubital, focalia*, (2) ad involvendum infantem, ubi natus est. e. g. in Christo nato, (b) ad quem usum alluditur à Propheta (c), (3) ad vinciendum manus & pedes mortuorum, qui sepeliuntur, (4) ad ornatum: Sic *fasciæ argenteæ*, quibus columnæ atrii erant ornatæ. (d) In genere Fascia est vinculum, quo aliquid tq. in fascem colligamus. *Perotto*: Linteolum ad ligandum aptum. Hinc quia antiqui braccas non noverunt, loco earum fascias, quibus varias corporis partes involvebant, adhibuerunt, scribit *Casaubonus.* (e) Aliis à *facio*, quæ derivatio admodum est generalis. Aliis appellatur à *fasce*, quæ aut lignorum ad fovendum ignem, Wälen/ ut in his oris vocantur, aut alterius cujuscunque rei congeries est, quam ligando facimus (f). Ita *Cæsar* (g) *fasces stramentorum & virgultorum Martial.* (h) *fasces calamorum* dicit. Hic incidit Historia Romana, ubi *Fasces* Insignia Magistratuum erant, unde & pro ipsis Magistratibus aliquando usurpabantur. Quem morem ab Etruscis Regibus Romani accepisse existimantur. His XII. Lictores præibant cum XII. fascibus virgarum, & totidem securibus, quæ illis involutæ; Ut si quis rei capitalis damnatus esset, primo spoliatus cæderetur virgis, deinde securi percuteretur. Erant autem Romanis fasces, bacilli teretes ex ulmo præcipue aut betula, loro colligati in modum fascis. Germanice Busch/ Büschel/ Bün lein. Belg. Bussel. Gall. *bois*, quod est lignum, quia fascis est fere lignorum scissorum, quo de vocab. plura vid apud *Matth. Mart.* (i) *Græcis* vocatur δεσμός, ȣ̃, ὁ, vinculum, vel δεσμὴ, ῆς, à δέω *ligo, colligo, vincio*, quo in VII. Parabolarum fasciculo Noster Salvator Christus ipse utitur, dicendo (k) δήσατε αὐτὰ εἰς δεσμὰς, *alligate ea*, (sc. Zizania) *in fasciculos.* LXX. Interpretes (l) etiam in nostro loco utramque vocem retinentes, reddidere: Ἐνδεδεμένη (ἡ ψυχὴ) ἐν δεσμῷ τῆς ζωῆς. *Chaldæis* Fasciculus nuncupatur צרר *ligamen*, *loculus*, à fonte צרר sc. צר *ligare, colligare, consuere, stringere.* *Hebræis* vero (qui nobis inprimis attendendi) est צרור à צרר quod idem significat ac Chald. quæ vox צרור bis in uno versiculo reperitur, (m) ubi filii Jacobi saccos suos frumentorum evacuabant, *Et ecce*: איש צרור־כספו בשקו i. e. *Cujusque Viri fasciculus pecuniæ erat in sacco suo.* Et paulo post: *Et viderunt* את־צררות כספיהם *fasciculos*, ligamen pecuniarum suarum. Sic & (n) צרור הכסף לקח בידו i. e. *ligamen argenti tulit in manu sua*: Fasciculum pecuniæ accepit in manum suam, annotante Cl. Dn. Buxtorf. (o)

§. 3. *Rabbinice* quidem צרור etiam est *Granum*, *Lapillus*. Hinc allegat *Baal Aruch.* (p) צרור שעה quod explicat, *Lapis horæ* vel *horologii*, & explicationis ulterioris loco addit: *Sapientes gentilium conficiunt coram Regibus imagines, quibus dant in manus suas 24. lapides; iisque supponunt pelvim magnam æream: Et finita hora qualibet projicit imago lapidem unum in pelvim istam, cujus sonus per totam Civitatem exauditur, unde cognoscunt horas*; Quamvis Thalmudici, ut ὁ θεσπέσιος Dn. D. Buxtorf. (q) fatetur, ibi aliter exponant. In eadem significatione, qua צרר *lapillum* s. *calculum* significat, reperitur in V. T. §. Vincentibus in N. T. calculum candidum pollicetur Christus, verba ita sonant: (r) δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν; *Dabo ipsi calculum album*; Circa quæ verba *ille* ἄσοφος *Philosophus*, qui nulla excultus Philosophia, necullius linguæ nisi Germanicæ, sed vix recte gnarus, Lapidem Philosophiæ, invenisse gloriabatur, accusando B. Lutherum, quod perperam vertit: Ich will ihm geben ein gut Zeugniß/ vertere debuisse: Ich will ihm geben einen weisen Stein/ quomodo versum fit in Bibliis Helvetiorum. O hujus sapientiam insipientem! Annon B. Lutherus optime vertit: Ein gut Zeugniß/ ad sensum potius, quam ad sonum verborum respiciens? quod facile rituum Antiquitatis non ignari ipsi concessuri. Nam, sunt verba Pl. Rev. Dn. *Dilherri*: (s) *sicut in judiciis utebantur calculis solidis, aut perforatis, albis & atris; Ut solidis & albis Absolutionem, perforatis & atris condemnationem testarentur: Ita Deus in mediis hæresibus tutos suos præstat, & veluti calculo solido & albo dato absolvit eos in conscientiis ipsorum. Deinde, sicut Nomen ejus, cui in Comitiorum suffragiis favebatur, in calculo scribebatur: Ita hic Christus promittit, se novum Nomen (quia in præsenti vita adhuc ignoratur) scripturum in calculo albo.* Plura vid. apud dictum Aut: d. l. nec non in Comment. Aretæ super istum Loc. Apoc. 2: 17.

§. 4. Perplacet & illa ingeniosa sententia *Jacobi Lydii* hoc de calculo ita discurrentis: (t) *Videndum de quo calculo hic agatur*: (1) *An de illo, qui dabatur in ludis Olympiacis. An* (2) *de calculo, qui dabatur in judiciis absolvendi causa*: (3) *An de calculis creandi Magistratus.* Atque tandem sic concludentis: *Johannem Calculum candidum vocare vitam felicem, quæ in hac vita incipiat, sed plene in futura possideatur; equidem vero quam simillimum esse autumo.* Et paulo post: *Certum est, his verbis describi obsignatam in cordibus* Ele-

(a) *Moral. p. m.* 357. *fac.* 4. (b) *Luc.* 2: 12. (c) *Ezech.* 16: 4. (d) *Exod.* 27: 10, 17. (e) *Casaub. ad cav.* 82. *Aug. in Sueton.* (f) *Bona Kama, fol.* 10. 1. (g) *Lib.* 8. *de Bello Gallico.* (h) *Martial.* (i) *Matth. Mart. in Lexic. Philol. præcipue Etym. M. D C. LV. edito.*

(k) *Math.* 13: 30. (l) *Edit. Ald. & Rom. ut & Complut.* (m) *Gen.* 42: 15. (n) *Prov.* 7: 20. (o) *Lex. Chaldaic. Thalm. Rabbin. p.* 1946. (p) *Ex Thalmud. Kelim. cap.* 26. (q) *Lex. Chaldaic. Thalm. Rabb. p.* 1946. §. 2 *Sam.* 17: 13. *Amos* 9: 9. (r) *Apoc.* 2: 17. (s) *Lib.* 3. *Elect. suorum cap.* 21. *pag.* 537. (t) *Jac. Lyd. in Agonistica sacr. express. Roterodam. cap.* 39. *pag.* 141.

Electorum per Arrhabonem (u) *Spiritus vitæ æternæ certitudinem, de qua quisque solus sibi soli est conscius.* Alii existimant, Calculos judiciorum atros ad Condemnationem, albos ad Absolutionem respici. De quibus Ovid. (x)

Mos erat antiquis, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos illis absolvere culpa.

Nec aliis displicet id quod *Ribera* ad h. l. notavit: Morem fuisse veterum, felices dies albis lapillis numerare, nigris vero infelices, unde illud. (y)

Hunc, Marine, diem numera meliore lapillo.

Accedit ad hoc, meo quidem judicio, quod verbum ipsum צרר quo in Textu nostro Abigail est usa, pro *describere.* (z) (Pagninus: *Munire*) LXX. interpretantur. Etenim, quo loco legimus, *compingamus illud tabulis cedrinis.* Hebraice scriptum est נצור quod Græci transferunt *διαγράψωμεν*, describamus.

§. 5. Καθ' ὁμωνυμίαν vocab. *Fasciculus*, teste *Ravan.* (a) accipitur vel *proprie*, vel *improprie.* *Proprie* in seqq. præprimis locis. e. g. (1) *Fasciculus pecuniæ.* (2) *Fasciculus Hyssopi*, qui in Agni paschalis sanguine intingebatur. (3) *Fasciculi manuales.* (4) *Fasciculi literarum.* (5) *Fasciculus Myrrhinus*, cui Sponsus mysticus comparatur. (6) *Fasciculi Zizaniorum*, quæ in fasciculos juxta mandatum Christi ligantur, ut exurantur, aliisque in locis quam plurimis (b). *Improprie* s. *Metaphorice* pro paterna Dei cura atque potentia, siquidem ea, quæ ligata sunt in Fasciculo, optime servantur, nec facile excidunt. Sic & in Fasciculo servari dicitur iniquitas, cujus Deus justissimus Vindex optime meminit, & de ea tempore suo gravissimas pœnas est sumpturus. (c)

§. 6. Πολυωνυμίαν quod attinet, *Fasciculus* alio nomine dicitur *sacculus, crumena, loculus, zona*, apud Rabb. *Marsupium, vinculum, ligamina, manipuli, theca* vel *capsula*, in quibus omnibus aliquid proprie clausum ligatur, constringitur, asservatur. Nec non vocab. *Uter*, in quo Electorum lachrymæ numeratæ dicuntur, quæ est dulcissima imago illa Dei, quam pingit David (d): *Pone lachrymas in utre tuo; Annon in commentario, in rationibus, in numerato tibi?* Quæ verba B. Lutherus ita reddidit: Zehle meine Thränen in deinen Sack/ ohne zweiffel zehlestu sie. De quo Pl. Rererend. Dn. *Ursinus*, Superint. Ratispon. Vigilantiss. admodum scite & erudite (d): *Cur lachrymæ in utre? An* (1) *quia pretiosæ quasi gemmæ & margaritæ, qualia in mantica ante se, inque conspectu suo fert institor aut mango aliquis gemmarius subinde cum studio recensens? Providentia DEI est mantica, in quam conjicit Deus omnes nostras curas & lachrymas: Quam non habet à tergo pendentem, sed à fronte præsentem inquit, Barthol. Coppen. in ♃. l. c. Esa. 38: 17. Certe peccata suorum projicit post tergum Deus, Lachrymas vero ponit ante oculos suos. An vero* (2) *quia hic oculorum nostrorum census & tributum? An quæ vulgata ratio est,* (3) *quia Lachrymæ vinum qs. & Lac DEI & Angelorum? Talia enim in utribus servata & gestata, quin & numerata.* Plura vide sis l. supra cit. Nec hic videntur silentii supparo involvenda illa, quæ ad hæc verba: *In Utrem tuum*, in Lect. publ. MSS. commentatus est, Venerandus meus Præceptor, Excell. Dn. D. *Martin. Geierus*, p. t. Academ. Lipsiens. Rector, ita ponendo (f): *Videlicet instar pretiosi cujusdam Tibique multum grati vini, has meas conserva lachrymas, ut juxta eum veluti mensuram, aliquando plena mihi admetiaris gaudia. Metaphora*, inquit, *deducitur à Vinitore, guttas uvarum, torculari expressas excipientis in utrem suum: Sic namque & Deus lachrymas torculari crucis expressas sedulo excipit, conservat, &c.*

§. 7. Porro צרור החיים *Fasciculus vitæ* nonnullis vocatur etiam *Liber vitæ, Signaculum Electorum, Catalogus sive Numerus Electorum, Manus DEI, Decretum prædestinationis divinæ, &c.* De quo Libro Vitæ Maxime Reverend. & Ampliss. *Dn. D. Dannhawerus*, Patronus & Præceptor meus sancte devenerandus,

Quem nobis utinam servent pia fata per annos
Plures incolumem!

ita disserit (g): *Liber Vitæ, nihil aliud est, quam certa, accurata & viva Dei cognitio suorum.* Et mox: *Est enim Liber Vitæ, quia in æternum victuri testamento & sorte quadam divina in eo, tanquam Catalogo Viventium consignati extant, quorum Nomina in Cœlo scripta, atque hinc civitate cœlesti in album civium inscribuntur.* Hæc & alia quam plurima vid. d. l. ut & ipsius Disput. lectu dignissima de Signaculo Electorum. (h)

§. 8. Cæterum *Fasciculum Vitæ s. Viventium* Metaphorice dici, certum est Doctoribus. Interim unde petita sit Metaphora, non una esse sententia videri potest. *Veteres* apud Cornelium à Lapide videntur hoc voluisse, quod Metaphora deducta sit *à Fasciculo florum*, aut potius *Viviradicum. Caspar Sanctius* hac de re ita disserit (i): *Sensus difficilis non est, translatio paulo obscurior. Quidam Metaphoram tractam esse putant ab arborum ramis, qui in fasces colligati servantur in aquis aut humentibus locis, donec in locum transplantentur, ubi firmas agant radices & diuturnas.* Et paulo inferius: *Ita Lyra Dionysius & Hugo cum Petro Comestore. Et hi duo postremi Vitium legunt. Sed cur ita legerint*, inquit Sanctius, *non video. Delrio* quidem etiam annotat, corruptam esse alteram illam lectionem, quam citat *Hugo Carensis in Fasciculo Vitium*, & quam exponit de fasciculo sarmentorum sive surculorum, qui reponuntur in aqua & ibi conservantur ad transplantandum. Rationem addit hanc: *Nam perspicue mendosam esse docent Optima Latina Exemplaria, Hebræus fons, LXX. Et Paraphrasis Chaldaica.* addo & ego: *Tam Syriaca quam Arabica*, quarum utramque in Regio Opere M. DC. L. Lutetiæ Parisiorum expresso pag. 255. Posonii in Bibliotheca instructissima *Venerandi Domini Schmidii*, Contubernii uti vocant, Ecclesiastici Posoniensis in Hungaria Superiori Senioris optime meriti, Fautoris mei καρδίως honorandi, mens. Septemb. anni præteriti mihi contigit videre eaque excerpere, quæ nihil de Vocabulo Vitium in se continent. Supra memorato Dn. Ursino non displicet, Metaphoram sumi *à marsupio* sive *loculo. Res*, inquit, *magni pretii diligenter colligere solemus, ne nobis excidant, ut ait Petr. Martyr. Et sane vocabulum, quod ibi* (1 Sam. 25.) *est,* צרור *nonnunquam loculum aut marsupium significat.* Istæ, & si quæ aliæ sunt, ingeniosæ Metaphoræ rationes, suum omnes locum habere videntur, si tropum desumptum diximus à generali vocis צרור *Fasciculi* significatione, prout quamcunque rem ligat, constringit, asservat, sive deinde ligamen lignorum, florum &c. sive sacculus, uter, &c. fuerit, quæ videtur fuisse sententia *Ravanelli*, quando scripsit; *Fasciculum Vitæ pro paterna DEI cura atque potentia usurpari. Quia*, inquit, *ea, quæ ligata sunt in fasciculo, optime servantur, nec facile excidunt. Hinc in Fasciculo Viventium ligata esse apud DEUM dicitur vita piorum, qt. DEUS vitam piorum studiose servat, & potenter tuetur, ne persecutores possint pro libitu ipsis eam eripere.* Cum hisce *Ravanelli* aliorumque Autorum verbis atque sententiis convenire, fere videntur *Analogiæ istæ* V. Cornelii à Lapide. Quarum I. est, *quia* Fasciculus adstringitur, ut conservetur: Sic Electi pressuris tribulationum constringuntur, ut iis admoniti per manus Redemptoris in perpetuum conserventur. Quia vero reprobi, quo lautiores in vita sunt, eo longius à divinæ visionis gloria projiciuntur; Idcirco lapidi fundæ comparantur. Quo videtur allusisse Regius Vates (k): Ipsi vero de manu tua repulsi sunt. II. *Quia*, sicut Fasciculus vinculo quodam & nexu colligatur, ita Sanctorum Cœtus eadem fide, eadem spe, eodem charitatis vinculo constringitur, & uno, eodemque divino præsidio undique cingitur. III. *Quia*, sicut fasciculus florum in manu ad oblectationem gestatur, ita electos omnes DEUS in manu sua gestat, & virtutum odore, qui ex illis efflatur, continuo delectatur, juxta illud Sapient: *Justorum Animæ in manu DEI sunt* (l). IV. *Quia*, sicut Fasciculus non nisi ex certis iisque lectissimis floribus conficitur: Ita Prædestinatorum numerus, ex certis iisque Charitatis virtutumque cæterarum odore ac suavitate redolentibus, existit. V. *Fasciculus* notat ordinem, gradusque gloriæ Sanctorum: Sicut enim in fasce flos unus alteri ordinate inseritur, & unus præ alio emicat: Sic & in Cœlo Sancti pro meritis suum tenent locum & ordinem, unusque præ alio dotibus gratiæ & gloriæ resplandet. Stella enim à Stella differt in cla-

(u) *2 Cor.* 1: 22. *2 Cor.* 5: 5. *Ephes.* 1: 14. (x) *Metam. XV.* (y) *Pers. Sat.* 2. (z) *Cant.* 8: 9. (a) *Biblioth. sacr. part.* 1. *p.* 597. (b) *Genes.* 42: 35. *Exod.* 12: 22. *Ruth.* 2: 16. 2 *Chron.* 30: 1, 6, *Cant.* 1: 13. *Matth.* 13: 30. (c) *Hos.* 13: 12. (d) *Psalm.* 56: 9. (e) *D. Ursinus in suis Annal. sac. Lib. V. n.* 45. (f) *Dn. D. Geierus in MSS. super Psalm.* 56: 9.

(g) *Dn. D. Dannhawer. in Hodosoph. Christ. Phænom. VII. L. K. pag.* 367. (h) *Argent. habit. M. DC. XXXVIII. super* 2 *Tim.* 2: *vs.* 19. (i) *Caspar Sanctius in Comment. in Lib.* 1 *Samuël* 25. *pag.* 459, 460. (k) *Psalm.* 88: 8. (l) *Sap.* 3: 1.

claritate (m): Sic & Resurrectio mortuorum. Hæc de voce *Fasciculo* sufficiant nobis.

§. 9. De voce חיים pauca habemus ad rem nostram. Si juxta Grammaticam consideremus, *& Vitam*, *& Viventes* significare potest. Nam ex Lexicis quoque cuivis facile constat, quod חיים, Substantivum pluralis Numeri tantum, notet *Vitam*. Jam vero Nomen Adjectivum חי, *Vivus*, *Vivens*, similem isti prorsus facit pluralem חיים, *Vivi*, *Viventes*. Itaque per Grammaticam utique Fasciculus חיים potest reddi vel *vitæ*, vel *Viventium*. In Versionibus sane utroque modo redditur. *Fasciculum Vitæ* transtulerunt LXX. & Pagninus. *Fasciculum Viventium* Vulgatus, B. Lutherus, Tremellius. Sed cum nobis, quoad Rem, non videatur aliquid momentosi discriminis importari, curiosiores esse nolumus. Inprimis quia Theologos quoque Nostrates utroque modo loqui observamus.

§. 10. Sub finem hujus Membri I. licebit obiter annotare. 1 Sam. 25:29. צרור & קלע per Antithesin sibi invicem opponi. צרור *fasciculum*, *loculum* sumus interpretati. קלע *fundam*, *cortinam*, præterea & *velum* significat, cui pictæ imagines sunt intertextæ. Verba ipsa צרר quidem *ligare*, *conservare*, *claudere*, atque adeo *describere*, ut supra habuimus, significat; קלע *perdere*, *circumagere*, *torquendo aere aut projicere*. Itaque *funda* primum *Fasciculo* opponitur, quatenus ligamen notat. Quoniam & si utrumque vincula & habenas habet, lorum tamen Fasciculi partes, quas complectitur, quiete cohibet: Funda contra lapidem circumagit & torquet. Fasciculus itaque similior placidæ quieti Sanctorum; Funda turbis impiorum. Confertur deinde, nec minus commode, cum *Fasciculo*, qt. est Zona & marsupium, quod undique septum ac munitum est: Funda vero plagulis hiat & undique patet. Hinc loculi, si quos seposuerimus & sedulo clausi sint, securos nos præstant: Fundæ quicquid immiseris, facile elabitur. Neque vero, ut servet lapidem plumbumve, accipit, sed ut statim ejiciat. Divina Providentia cum utraque re suo quodam modo conferri potest, siquidem justos, ut loculi, servat & protegit: Improbos ut funda statim abdicat & ejicit. Denique qt. Fasciculus Viventium alias *Liber Vitæ* appellatur, datur iterum oppositio: Hujus enim geminæ sunt paginæ. Pars altera ungue adamantino descripta est: altera velis, aut tapetibus arte phrygionica paratis. Horum delebilis materia, prior invicto & æterno robore constat. Calculum igitur & æternum silicem Davidi tribuit, hostibus picturam textilem. Ut intelligat Davidis gloriam quidem suam nullo unquam tempore labefactandam: At vero inimicorum memoriam, à quibus nunc tantopere exagitetur, cito obliterandam esse, prout literis memoriæque prodit *Claudius Rangolius Cresperens. Vales.* (n). Nec (si rem saltem spectes) huc inepte referuntur verba *Cl. Glassii* (o) elegantissima: *Funda projicere animam inimicorum Davidis dicitur, cum contemptim eam abjicit & violenter ipsis eripit, sicut lapis funda emissus longe abjicitur, absque ulteriori ejus cura, Metaphora à re præsenti, armis nimirum Davidis desumpta, quæ Abigail conspicabatur. Contra ligare secum animam Davidis in Fasciculo Vitæ, ibidem dicitur: Cum eam paterne curat, contra mortem ab hostibus intentatam custodit, & omnimode securam præstat, ut avelli ei à quoquam non possit.* Sed satis de his: sequitur

MEMBRUM II.

§. 1. ANtequam ad aliorum hujus Textus paraphrasin, nostramque sententiam descendentes perpendimus, animus hic est prius considerandi atque explorandi nonnullorum Rabbinorum, eorundemque præcipuorum, partim Scripturæ S. convenientem, partim ipsi discrepantem, fabulasque sapientem sententiam.

§. 2. R. JIZCHAK ABARBANEL (p), qui in Commentarii inscriptione, (quem, alias rarissimum, ab Excell. Dom. Doct. *Buxtorfio*, una cum Dn. *Joh. Bened. Carpzovio*, Lips. Amico meo dilectissimo, Basileæ M. DC. LVIII. M. Octob. mutuo habui) gloriatur inter alia *Filius è radice Isai Bethlehemitæ, è familia Domus David, Prinsipis & Imperatoris populi Israëlis oriundus*, sequentia annotat: Vers. 28. Abigail ait, quod JEHOVA Davidi sit constiturus בית נאמן *Domum firmam*; *veram*. Ubi R. Abarbanel prolixe agit, quid per domum firmam intelligat. nempe מלכות *Regnum*, qs. dixerit Abigail: Benedicturum Dominum Davidi בעולם הזה in hoc seculo, & בעולם הבא in altero. כי עשה יעשהה לארני בית והוא המלכות ויהיה נאמר ער אלף רור לזרעך ולא כבירת שלול שקרע השם את מלכותו מעליו והיהזה לך לפי שמלחמות ה׳ ארני נלחם וכו *Nam constituendo*, inquit, *constituet Jehova Domino meo domum i. e. Regnum. Id vero firmum erit usque ad mille generationes seminis tui; Non quale est Saulis, à quo laceravit JEHOVA Regnum suum, ut Tuum id fiat. Domini enim bella Dominus meus gerit &c.* Rationem addit, quod bella Domini gerat, ideo, quia adversus Saulem pugnet, qui inimicus ac hostis sit DEI, quod Sacerdotes Domini interfecerit. Præterea in Davide nullum malum inveniatur. Unde licet surrexerit homo ad insectandum eum, & quærendum animam ejus: Anima tamen in Fasciculo Viventium apud Deum sit ligata. Per *hominem* illum in ויקם ארם intelligi Saulem, ait Abarbanel, qui interficere Davidem cupiens, insectatus est eum. In specie vero respicere Abigailem ad Historiam, quæ accidit in spelunca, jam universo Israëlis populo notam, quippe quæ paulo ante acciderat: כי היה ענין מעשה המערה מפורסם בכל ישר אל Postmodum interpretationem verborum וכי יהיתה נפש ארני צרורה וגו *Et anima Domini mei ligata erit in fasciculo viventem*, aggreditur: Quando pergit Abarbanel (q). והיא אמרה והיתה נפש ארני צרורה בצריר החיים את יה ר״ל אחרי מותך תמלוך נפשך בעונג האלקי בחיי הנציים ורמזה בזה המאמר אמתת ההשארות לצדיק בעונג ולרשע בצער ושהצרור והרבוק האמתי לנפש הוא עם יה אלקיך ולא עם השבל הפועל כמו שחשבו המתפלספום ואת נפש אויביך באותו עולם הנפשות יקלענה בתוך כף הקלע לל׳ שלא תהיה צרורה במנוחה נכונה ובישיבה עליונה מתנועע בצער מופלג כאבן שישליכו בכוח גרול בקלע מזן אל זן וכן הבין המתר גם הצרור הנזכר בכאן על העונג הנפשיי מסכים מהב ש ׳אזל׳ר לאיעזר אוער וכו i. e. *Et illa dixit: Et erit Anima Domini mei ligata in Fasciculo Vitæ cum Jehova. Vult dicere: Post mortem tuam regnabit Anima tua in gaudio divino, in vita æterna. Indicavit itaque hoc dicto: Veritatem reliquiarum, quæ sunt justo in gaudio, & impio in dolore. Quod etiam Conjunctio & adhæsio vera sit Animæ cum Domino Deo, non autem cum intellectu practico, quemadmodum putarunt philosophantes. Et animam inimicorum tuorum scilicet, in isto seculo animarum, projiciet in medio volæ fundæ, h. e. non erit ligata in quiete præparata & in sede superna, sed movebitur cum dolore summo, sicut lapillus, quem projiciunt magno impetu per fundam è loco in locum. Et sic intellexit Chaldæus Interpres, Fasciculum, cujus hic fit mentio, de voluptate animarum, consentiens ei quod dixerunt Rabbini nostri p. m. cum iniquiunt: R. Elieser dicit, Animæ justorum sunt subter throno gloriæ repositæ, quia dicitur, & erit anima Domini mei ligata in Fasciculo vitæ cum Jehova: Animæ vero impiorum sunt ejectæ & vagabundæ, ab initio seculi usque ad finem ejus, nec habent requiem, quia dicitur: Et animam inimicorum tuorum projiciet in medio volæ fundæ. Porro, postquam præmisit dignitates istas Corporalem & Spiritualem, ad quas David perventurus erat, extraxit Conclusionem unam ex illis, quæ hæc est: Et erit, quando fecerit Jehova Domino meo, secundum omne quod locutus est: Quod est verbum complectens utramque dignitatem prædictam. Hisce*

§. 3. Subjungit *rationis*, quibus persuasit Abigail Davidi, ut abhorreret à malo tanto, neve interficeret Nabalem. (1) *Quia* Nabal non sit בן מות *filius mortis*, ideo, quia David nondum sit plenarie in Regem constitutus, tunc enim læsæ Majestatis crimen commisisset, jam adhuc non item. (2) *Quia* Davidi bella sint gerenda cum Philisthæis & Gentibus, unde discedendum à Nabalo, qui etiam Israëlita. (3) *Quia* Saul insectaretur, & quæreret animam Davidis, ut interficeret, unde cavendum esset, ne sanguinem innocentem effunderet, atque ita in Saulis manum justo DEI judicio traderetur. (4) *Ne*, si interficeret Nabalum, postea cum DEUS Regnum ipsi confirmaverit, mala conscientia ob perpetratum homicidium & vindictam privatam prematur.

§. 4. In Explicatione Argumenti III. meminit inter alia *etiam* צריר החיי *Fasciculi Viventium, cum inquit,* ואל זאת הטענה רמזה באמה רוקם ארם לדרפך ולבקש את נפשך שהוא שאול ועכו

(m) 1 Cor. 1. §. 41. (n) *Cl. Rang. Comment. in h. l.* (o) *Rhet. sacr. Tract. l. c. 7. pag. m. 134.* (p) *R. Jizchack Abarbanel Comment. in Proph. Priores vid. Libb. Jos. Judic. I. & II. Sam. nec non I. & II. Reg. Edit. Constantinop. in fol.*

(q) *Parascha sive sectione XII. quæst. III. in Samuel. fol. 65. col.*

ועכו והה נפש ארני צרורה חצרור חחיי ׳ארת ׳ה אלקיך ר״ל שיצילהו השם מירו וישמור ארת נפשו והוא צרור החיים אשר זכר כלומר שישמור אותו ממות ואמר ראתנפש אויביך יקלענה בתוך כפ הקלע רצה ששאול ילך מזן אל זן רודפ אחריו כאשר ירדופ הקורא בה רים ולא ימצא מנוח לכפ רגלו כאבן המתנועע בקלע ואע״פי כן ה לא יעזבנו בירו: h. e. *Et ad hanc objectionem digitum intendit dicto: Et surget homo ad persequendum Te, & ad quærendum animam tuam, qui est Saul. Nihilominus* (vult dicere) *erit anima Domini mei ligata in fasciculo vitæ cum Jehova DEO tuo, qs. dicat, quod liberaturus eum sit Jehova è manu illius, & servaturus animam ejus. Hic enim est Fasciculus Vitæ, cujus meminit, qs. dicat, quod servaturus eum sit à morte. Quod vero dicit; Et Animam inimicorum tuorum projiciet in medio volæ fundæ, hoc vult, quod Saul profecturus sit è loco in locum ad persequendum eum, quemadmodum quis persequitur perdicem in montibus, & non inventurus sit quietem volæ pedis sui, sicut lapis, qui movetur* (projicitur) *funda. Nihilominus Jehova non derelicturus sit ipsum in manu ejus.*

§. 5. Quæstioni III. Sectionis XII. *Septem Radices* verborum Abigailis ad Davidem subjungit, quarum Summarium tale est (r): *Et ecce numerarunt Sapientes nostri p. m. Abigailem inter Prophetissas, idque propterea, quia observarunt in verbis ipsius futura, dum dixit: Et recordaberis Ancillæ Tuæ &c. Juxta illorum expositionem. Quæ tamen Prophetia non est, nisi in gradu Spiritus S. qui* (gradus) *dicitur Prophetia vocabulo late sumpto, quemadmodum exposui in Historia Hannæ. Non itaque hoc dicere voluerunt, quod venerit ad eam verbum Propheticum, sicut ad Deboram & Chuldam. Testatur etiam de hoc Prophetia ejus, quam edidit, cum dixit: Et erit Anima Domini mei ligata in fasciculo vitæ cum Jehova DEO tuo, sed animam inimicorum tuorum projiciet in medio volæ fundæ, juxta priorem quidem expositionem, cujus ante mentionem feci. Consentiunt vero etiam in hoc Sapientes nostri p. m. Jam si diligentius consideraveris, invenies in dicto hoc nervoso, comprehendi VII. Radices* (doctrinas) *insignes de Arcanis, quæ inveniuntur in doctrina de animabus.*

§. 6. Hic sequerentur Radices ipsæ, nisi paginæ angustia ex his ipsis tantum Compendium qs. excerpere nos juberet. I. Igitur הש רש *Doctrina s. Radix* ex mente Abarbanelis, R. alias acuti ingenii, hæc est, *quod Anima intelligens supermaneat æterna ex reliquis speciebus animæ. Et hoc est contra sententiam Epicuri, qui credidit, animam consumi vel interire cum corpore. Jam olim* (pergit ita Abarbanel) *solide docuit hanc radicem sive doctrinam Salomo Rex, qui requiescat in pace, quando dixit: Et revertetur pulvis in terram, sicut fuit, & Spiritus revertetur ad Deum, qui dedit Eum.* Tandemque concludit his verbis: *Radicem hanc primam indicavit sapientissima mulier per hoc, quod dixit: Et erit Anima Domini mei ligata in Fasciculo Viventium.*

§. 7. *Radix* II. est, *quod reliquiæ, quas habet Anima justi, sint in individuo & in particulari,* h. e. *separatim, sive per se singulæ existant, & non uniantur animæ, postquam ex corporibus suis exiverint, per adhæsionem & unitionem cum intellectu practico, quemadmodum putarunt circa hoc multi Philosophorum, sed unaquæque anima remanet separata per se.* Clausulam hancce adponit: ראליר רמזה האשח וראת ה׳ באמרה והיתה נפשארני צרורה ר׳ל ופשר בפרט ובא׳ש: *Huc respexit Mulier religiosa cum dixit: Et erit Anima Domini mei ligata, qs. dicat, Anima ejus in particulari & individuo.*

§. 8. *Doctrina* III. est, *quod reliquiæ Animæ se non habeant ut intelligibilia & scientiæ speculativæ, quemadmodum putarunt multi philosophantes ex nostratibus. Quam sententiam pridem refutavit Rabb. Chasdai p. m. in Lib. suo. Omnia hæc docent,* inquit, *quod Retributio animarum non sit intelligibilibus speculaticis adscribenda, sed præceptis divinis, hoc innuit mulier hæc, quando dixit: Quia bella Jehovæ Dominus meus bellat, quod est factum per impletionem præceptorum, & malum non invenietur in Te, à diebus tuis:* ובזכות כל זה אמרה והיתה נפש ארוני צרורה בצרור החיים וגו i. e. *De merito horum omnium dixit: Et erit Anima Domini mei ligata in fasciculo viventium.*

§. 9. *Radix* IV. est, *quod reliquiæ & adhæsio animarum post mortem non sit adscribenda intellectui practico, sed causæ primæ nempe DEO benedicto, cumque eo uniantur Animæ perfectæ. Hinc de eo dixit David, qui requiescat in pace; In ejus manu est anima omnis viventis. Ecce Radicem hanc indicavit Abigail per id, quod dixit & erit Anima Domini mei ligata in Fasciculo Viventium cum* DEO *tuo, qs. d. quod adhæsura sit causæ Primæ quæ est* DEUS *bened ictus, non intelligentiæ agenti.*

§. 10. *Doctrina* V. *quod Anima non in vita corporali, sed in altera apprehendat gaudium, gaudium excellentissimum, utpote Deum benedictum, i. e. æterna Majestatis divinæ apprehensione fruatur & delectetur.* Annectit & hoc: *quod justi sedeant, & Coronæ super capitibus eorum, & fruantur splendore Majestatis divinæ. ubi intelligi volunt per Coronas merita eorum & opera eorum bona. Per splendorem autem Majestatis divinæ emanationem & apprehensionem æternam, qua fruuntur & delectantur,* sicque concludit, *Hoc indicavit Mulier laudabilis iterum per hoc, quod dixit: Et erit Anima Domini mei ligata in Fasciculo Vitæ, qs. dicat, in fasciculo apprehensionis & emanationis, quæ vocatur Vita, aut in congregatione intelligentiarum separatarum, quæ vere viventes.*

§. 11. *Radix* VI. est, *Quod Animæ & piorum & impiorum supermaneant, post mortem, vel ad accipiendum præmium, vel ad accipiendum pœnam, illorum reponuntur in Thesaurum DEI, horum ejiciantur in Terram.* Clausula (s): *Hoc est, quod dicit Abigail Davidi in Spiritu S. Et erit Anima Domini mei ligata in fasciculo vitarum cum Jehova DEO tuo, at animam inimicorum tuorum projiciet in medio volæ.*

§. 12. *Doctrina* VII. & ultima est de *quidditate pœnæ Impiorum,* nempe *quod anima impiorum ad combustionem atque dolorem damnatur æternum.* Digna est, quæ translata Latinè hic tota inseratur. *Hæc doctrina est, quod pœna eorum non sit interitus & privatio simplex, sed sit pœna maxima & dolor æternus. Cujus quidditas non est comparabilis cum hac vita, idque propterea, quia ibi subjectum subtile est spirituale receptivum maxime ejus quod ipsi accidit. Invenimus, idem sensisse Sapientes nostros p. m. quorum quidam dixerunt, quod* (pœna impiorum) *sit ignis tenuis, subtilis, puniens in summo gradu. Verba ipsorum sunt: Ignis, quem nos habemus, est unus ex sexaginta, qui in Inferno sunt. Sic appellarunt pœnam istam propterea, quod* (impii) *condemnentur ad combustionem, hujus v. ignis sit subtilissimus, inter causas cooperantes, anima vero sit spiritualis & subtilis, si respexeris crassitiem essentiæ ejus. Differunt etiam gradus prævaricatorum per hoc ipsum. Nam quidam condemnantur in decem Menses, quidam vero condemnantur in generationes generationum, quemadmodum extat in Tractatu de principio Anni. Eademque etiam fuit sententia Rambanis de reliquis retributionibus, quas habet. In Capitulis vero Rabbi Elieseris dixerunt Magistri nostri; quodnam est discrimen inter animas justorum & animas impiorum? R. Eliesr dicit:* ונפשות של צדיקם גנוות תחת כסא הכבוד ונשמתן של רשעים רוממות רהולכרת תדיר׳: *Istæ sunt in quiete, hæ vero non habent quietem: quia dicitur:* והיתה נפש ארוני צרורה כצרור החיים אתיה אלקיך וארת נפש אויביי יקלענה בתיך כף הקלע *q. d. Quod sicut lapis in funda motum habet mixtum, modo sursum, modo deorsum, modo rectum, modo circularem, prout agit torquens illum juxta istam motus mixturam, sic res se habeat in mundo animarum quoad animas impiorum respectu contorsionis & confusionis causatæ à necessitante, qui punit eas. Et hic dolor est ipsis ineffabilis, propterea quod moventur & dimoventur ab uno malo egrediente è natura earum in malum aliud, nec tamen finiente. Siquidem pœna ipsorum durat usque dum consummabitur tempus destinatum pœnæ eorum, modo parvum, modo magnum, modo æternum, prout decrevit sapientia divina. Hoc indicavit Mulier nobilissima ore suo proferens mysteria, quando dicit: At animam inimicorum tuorum projiciet in medio volæ fundæ. Ubi nota, quod dixerit, in medio volæ fundæ. Nam in hoc etiam non erit similis anima inimicorum ejus lapidi, quod licet motus omnis ejus sit mixtus intra fundam, nihilominus exeat inde, acquiratque sibi locum, in quo quiescat, tq. loco sibi naturali; Cumque anima impii non ita sese habitura sit, siquidem, funda torquebit eam, pœna ejus, & æternum erit in medio volæ fundæ; ita ut non exeat inde, nec veniat in locum suum, aut inveniat quietem volæ pedis sui. Ecce,* inquit R. Abarbanel, *habes septem Radices sive doctrinas istas, quæ comprehenduntur in dicto hoc; Ubi ostendit Tibi super lapide uno septem oculos. Atque hoc est, quod docet Spiritus JEHOVÆ, qui locutus est per eam* (Abigail) *& sermo ejus super lingua ejus.*

§. 13. *R. Simeon* (t) *Concionator* Francofurt. in JALKUT ad ver-

(r) *F. 65. col. 3. sub finem.*

(s) *Fol. 65. col. 5.* (t) *R. Simeon in Jalkut id est, Commentat. in tot. Bibl. vario & allegorico, ex variis antiquis Libris, veluti Siphra, Mechilta, Rabbos, Tanchuma, Talmud. &c. collecto.*

ad verba noſtra: *Et erit Anima, &c.* hæc adponit ex doctrina Talmudica atque R. Elieſere, cujus verba §. Præc. poſita ſunt: *quia dictum eſt; Et erit Anima Domini mei ligata in faſciculo vitæ cum* JEHOVA DEO *tuo. Quod vero attinet animas impiorum: Angelus unus ſtat in Extremitate Mundi una, & alius in extremitate Mundi altera, qui projiciunt eas alter verſus alterum: quia dictum eſt, & animam inimicorum tuorum projiciet, in medio volæ fundæ. Dixit Rabba ad Rab. Nachmanem: Intermediis quid fiet animabus? Qui reſpondit ipſi; Si mortui non dixerint vobis hanc rem: Nonne dixit Samuel? Tam hæ* (Animæ juſtorum) *quam illæ* (animæ impiorum) *veniunt in manus Dumæ, h. e. Angeli mortuis præfecti & traduntur* (ſuæ quælibet ſorti) *ſed his eſt requies, iſtis vero non eſt requies.*

R. Elieſer filius R. Joſe Galilæi dicit (u): *Signum hoc eſt traditum in manum tuam. Omni tempore, quo homini conceditur vita, anima ejus eſt depoſita in manu Creatoris ſui: quia dicitur: Anima omnis viventis eſt in manu ejus. Et quidem ſi Mortuus eſt* (homo) *data eſt* (anima ejus) *in Theſauro* (DEI) *quia dictum eſt, & erit Anima Domini mei ligata in Faſciculo Viventium. R. Huna* ita: *Quotquot Iſraëlitæ moriuntur, extra terram* (Iſraël) *eorum animæ congregantur in terra* (Iſrael) *quia dicitur: Et erit Anima Domini mei ligata in Faſciculo Viventium. Omnium vero impiorum animæ ejiciuntur extra terram, qui moriuntur in terra* (Iſrael,) *quia dictum eſt: At animam inimicorum tuorum projiciet in medio volæ fundæ. Futurum enim eſt, ut Sanctus & benedictus DEUS apprehendat alas Terræ, & excutiat eam ab omni immunditie, projiciatque illos* (impios) *extra terram* (Iſraël) *quia dictum eſt: Ad apprehendendum alas terræ, ut excutiantur impii ex illa.* Verum, Latine detextis Rabbinorum opinionibus atque judiciis variis miſſis, conferimus nos ad Chriſtianorum ſententias, quibus potius mens ſana in corpore ſano, atque facimus progreſſum ad

(u) *Num.* קלר *part.2.l.19.col.4. Edit. Cracov.*

MEMBRUM III.

§. 1. SIcut plerique Judæorum communiter hanc loquendi formulam de altera vita intelligunt, quod, quamvis pii in hac vita multa acerba patiantur, tamen in altera arctiſſima neceſſitudine ſint copulandi cum DEO, veluti ex præcedentibus conſtat, nec non ex R. Salomone, R. Levi, R. Kimchio, quamvis R. Jeſch, diſſentiat: Ita contra I. reperiuntur haud pauci ex Chriſtianis Doctoribus, qui verba loci citati tantum de Conſervatione in hujus vitæ periculis accipienda putant. Confer. *D. Franz.* (a) ut & *Martin. Delrio* (b), quorum iſte, *fors*, inquit, *vitas ſeculi vocat vitam diuturnam, ut à DEO illigari Faſciculo Viventium idem ſit, ac à DEO ſedulo & diligenter curari, cuſtodiri, & conſervari, ne quis vitam* (*nam Anima hic vitam hanc præſentem ſignificat*) *non modo non adimat, ſed ne quidem perturbet, ut indicat oppoſitio ejaculationis in funda.*

§. 2. Putamus, eandem plane ſententiam fuiſſe *D. Joh. Bugenhagii* (c). *Bene precantis eſt*, inquit, *Sit Anima tua ſervata à DEO in Faſciculo, i.e. numero Viventium. Hoc eſt, Tua vita cuſtodiatur à DEO integra inter vivos, vita autem adverſariorum vertigine & rotatu judicii DEI intereat, ut neſciant, quo ſe vertant.* Sic *D. Hieron. Wellerus* (d) arbitratur: *Commune tum fuiſſe, in populo DEI, hanc loquendi conſuetudinem, haud dubie à Patribus acceptam, videlicet, DEUM ita colligere pios in faſciculum & fovere in gremio ſuo, i.e. verbo, ſicut homines ſolent, id quod ſibi charum & antiquum eſt colligere & adſervare. Voluerunt autem S. Patres hac figurata oratione oſtendere junioribus ac imperitioribus, pios curæ eſſe DEO, ab eoque in magno haberi pretio, & conſervari ac protegi contra omnes furores Diaboli & Mundi.*

§. 3. Eundem ſenſum facere videtur *Sanctius* (e). *Faſciculus*, inquit, *Congregationem ſignificat eorum maxime, qui eodem vitæ inſtituto, & morum ſimilitudine conveniunt. Sic reprobi, quia in morum ſtudiorumque ſimilitudine conſenſerunt, in unum faſciculum dicuntur colligandi & in eundem ſuppliciorum locum extrudendi. Colligite Zizania & alligate in faſciculos ad comburendum* (f). Et *Eſa.* (g) *Congregabuntur in congregatione unius faſcis in locum, & claudentur in carcerem. Quare cuſtodiri in Faſciculo Viventium nihil eſt aliud, quam inter viventes numerari & à morte eximi, quæ hominem à viventium faſciculo diſſolvit.*

§. 4. Alii vero, quæ II. eſt Sententia, ad ſolam circa Electos curam hunc locum videntur velle pertinere. Quia omnes ferme (metaphoras puta Expoſitorum) eo colliment, quod, ſicut vel egregii floſculi ab hortulano colliguntur, vel à Patribusfamilias alia pretioſa, ſingulari cura, in theſaurum colligantur, reponuntur, conſervantur, ſerta tactaque ab interitu ſupermaneant; Ita DEUS, providus ille Paterfamilias cœleſtis, animas piorum atque Electorum, utpote res ipſo auro fulvo longe pretioſiores, ſua ipſius Providentia divina, curaque paterna, congreget, congregatas conſervet, conſervatas inter viventes ſive Electos numeret, ſicque ſua manu eas teneat, ne ulla vi diſgregentur, nec ipſi extorqueantur. (h) Quin imo nec in morte ſolvitur ille DEI, faſciculus, Morimur Domino, (i) nec in periculis: protegimur enim à Domino. Rom. 8.

§. 5. Et ejuſdem plane ſententiæ videtur eſſe *Cornelius à Lapide*; *Faſciculus*, ait, *Viventium apud DEUM eſt DEI Providentia & Cura, in qua ipſe eos, quorum vitam conſervat, qſ. colligatos habet, ne quis pereat.* Et paulo poſt: *Faſciculus viventium eſt Catalogus, vel potius Cœtus & Concilium Sanctorum DEI Amicorum & Electorum, ad vitam æternam. Vice verſa: Faſciculus morientium eſt Catalogus damnatorum ad mortem æternam. Hi enim, inquit Propheta Eſaias. Congregabuntur in Congregatione unius faſciculi in lacum. Lapis vero in funda rotatus, ſunt impii & reprobi rejiciendi in gehennam & mortem æternam, ut ſenſus verſ. 29. 1 Sam. 25. talis exiſtat: Si, ſc. Mi David, vitam Nabalo, hoſti, condonas, cum ipſe ſuis in te probris mortem mereatur; DEUS congruam Tibi mercedem rependet, ut viciſſim vitam tuam contra omnes te perſequentes, ac præſertim contra Saulem, tueatur, illamque inter tot pericula ſecuram & longævam diutiſſime conſervet. Ratio hæc eſt: Res recondita in Faſciculo, ſive in ligamine Viventium, quo ſcilicet ligantur Vita ſive Vivi, ad hoc recondita, ut illæſa ſervetur inter Vivos; Res vero, quæ ponitur in funda, ad hoc in ea ponitur, ut funda illud ejiciat & ejaculetur. Simili ergo modo DEUS rotabit qſ. in funda, vitam inimicorum tuorum, ut animam eorum è corpore expellat & evibret, eoſque mori cogat.*

§. 6. Verum in hoc *modo dictus Autor* riſu excipiendus mihi videtur, quod inter alia etiam immiſceat ſuffragia pro defunctis, dicendo: *Sebaſtianus Munſterus, licet hæreticus, hic,* (*Serarius* addit: *Sicuti & Deuter. 14.*) *quippiam notatu dignum affert pro ſuffragiis defunctorum, veterique ritu orandi pro mortuis. Per Faſciculum, inquit, Viventium intelligunt Hebræi ſolium Majeſtatis, ſub quo, ajunt juſtorum Animas in ſeculo alio quieſcere. Hinc etiam eſt, ut in tumbis ſuis paſſim inſculpant hanc ſententiam: Anima ejus ſit in Faſciculo Viventium! Sicuti, requieſcat Anima ejus &c. De quibus Liber, qui inſcribitur: Precationes Judæorum pro defunctis, quem vertit Genebrardus.* Sed, quæ Conſequentia? Juſtorum Animæ ſub ſolio Majeſtatis in alio ſeculo quieſcunt. E. perantiquum pro defunctis precum uſum adhibent.

§. 7. Jam vero III. Noſter omnium communis Præceptor *Dn. D. Gerhardus* (k), νυῦ ἐν ἁγίοις, reſpicit particulam את cum dicitur את יהוה אלהיך *cum Domino DEO tuo*, & ſtatuit, quod Abigail non ſolum de *Conſervatione Vitæ in periculis & perſecutionibus*, ſed etiam de *beato Animæ Davidis poſt mortem ſtatu loquatur. Addit enim*, inquit, *erit colligata cum Domino DEO tuo, ſive ad Dominum, & apud Dominum DEUM tuum. Ex quo loco colligit R. Eliezer, Animas juſtorum eſſe repoſitas ſub throno gloriæ, ac Judæi ſepulchris mortuorum inſcribere ſolent:* מנחותה בצרור התיים עם שאר צדקניות אא א״ סלה *Quies ejus in loculo viventium cum reliquis juſtis mulieribus Amen, Amen, Amen, Selah. Item:* נשמתה תהא צרורה בגן עדן א א א סלה *Anima ejus ſit colligata in horto Eden*, cujus mentio fit Gen. 2: 15. (l) *Quem Hieronymus Paradiſum voluptatis* vocat, & Cl. *Buxtorf.* (m) *Hortum, in quem Adamus primus, veluti colonus, à Deo Crea-*

(a) *D. Franzius de Interpret. Script. Sac. Orac. 69. pag. 821. & ſeqq.* (b) *Adagial. V. T. Adag. 185. pag. 197.* (c) *D. Joh. Bugenh. Comm. in Sam. Prophet. Wittenb. 1524.* (d) *Hieron. Weller. Comm. in h. l.* (e) *Sanctius in h. l.*

(f) *Matth. 13: 30.* (g) *Eſa. 24: 22.* (h) *Joh. 10: 28. Exod. 23: 22. Pſalm. 63: 9.* (i) *Rom. 14: 8.* (k) *D. Gerh. Tom. IIX. de morte L L. §. 160. pag. m. 274.* (l) *Gen. 2: 15.* (m) *In Lex. Chald. Talmud. Rabb. p. 1580.*

Creatore collocatus est, qui sic Hebraice & Chaldaice vocatur à Voluptate. Midrasch Coheleth cap. 3. super verba: *Quis scit, an Spiritus filiorum Adam ascendat sursum?* Sic commentatur, (referente Dn. D. Gerhardo) *Animæ justorum reponuntur in Apotheca vel cellario. Hebr.* אוצר & צרור *Et hoc est, quod ait Abigail ad Davidem per Spiritum S. dicens: Et erit Anima Domini mei colligata in Fasciculo Viventium, sive vitæ cum Domino DEO tuo. R. D. Kimchi in glossa ejusdem Loci. Cum dicitur* את יהוה *particula* את *ponitur loco* אל *i. e. ad, sicut Judic.* 19. את בית *ad Dominum Jehovæ ego vado. Et Hiob.* 26. את מי *ad quem annunciasti verba. Ex quibus omnibus colligit* Galatinus (n): *Id quod Abigail per Spiritum S. Viventium Fasciculum vocavit instar conservatorii gemmarum vel pecuniæ, quæ in sacculo vel in panno ligantur & servantur hoc Judæorum Doctores animarum justorum Apothecam sive Cellarium appellasse.* Plura vid. apud denomin. Autorem d. l.

§. 8. Et omnino cum D. D. Gerhardo rectius illi faciunt, quibus & nos nostrum ὑπερβάλλον μέρος adscribimus, qui de *utraque* (*præcipue tamen æterna*) intelligunt *Vita*. Ut hæc Phrasis non tantum significet, DEUM hac in vita Davidem vivum & sospitem in periculis conservaturum, sed & post mortem in vitæ æternæ gaudia recepturum, ratio hæc est, quia DEUS gratioso suo favore pios non tantum hac in vita, sed & in futura complectitur, ut hic illa colligatio inchoetur: ibi vero perficiatur. (o) Et Emphasi haud caret, quod dicitur in Hebr. בצרור החיים *In Fasciculo Vitarum*: Chald. Interpres reddidit: בגנן חיי עלמא *In thesauro Vitarum æternitatis.* Nam Hebræorum Idiotismus est, Numero plurativo præstantiam & magnitudinem rei indicare. *Rectius igitur*, inquam, *illi sentiunt*, liceat mihi verbis Theologi Magni uti (p) *Venerandi Dn. D. Joh. Schmidii*, Præsidis Argentorat. Conventus Ecclesiastici, deque universa Christi Ecclesia optime meriti, Domini Patroni & Præceptoris mei fidelissimi, eheu desideratissimi! *qui dicunt: Sapientissimam Abigailem, utramque, præcipue tamen futuræ vitæ felicitatem divina inspiratione, Davidi polliceri; Ut sensus sit: Si sanguinem innoxium non effuderis, neque te ipsum ultus fueris, adeoque divino obtemperaveris mandato, non tantum ex omnibus vitæ hujus periculis Dominus te liberabit, sed, quod longe amplius est, inter vitæ futuræ hæredes, quos nemo ipsi de manu rapere potest, habebit. Quemadmodum enim per ejaculationem impiorum & tyrannorum sive hostium Ecclesiæ infunda, Spiritus S. non tantum innuit, vitam eorum in terris dubiam, inquietam, brevem, curis & solicitudinibus obnoxiam, ac erumnis plenam futuram, sed eosdem tandem male perituros, & à facie DEI, in exteriores tenebras abjiciendos: Sic per Colligationem in Fasciculo Vitæ, non solum hujus vitæ commoda, multis permixta incommodis; sed præcipue futuræ vitæ, quæ demum vera vita est, beatitatem intelligit.* Hucusque verba nunc in Fasciculo Viventium, sive Eorum, qui soli digni dici vere vivere, colligati & in manu DEI Opt. Max. conservati, jam triumphantis mei B. Schmidii.

§. 9. Addenda istis nervose dicta atque in calamum nostrum super Libb. Historicos ante biennium dictata Plur. Rev. & Excell. *Dn. Præsidis* hujus Dissertationis, Accurati Sacrarum Literarum Interpretis, Præceptoris atque Patroni mei filiali amore prosequendi (q): *Ligatam animam alicujus in Fasciculo Viventium nihil aliud esse, quam ita apud DEUM in gratia esse, ut à DEO non sit deserenda, sed in æternum vivificanda & beanda. Ex quibus omnibus tandem noscitur, quid sit FASCICULUS VIVENTIUM, nempe quod alias* Dextra DEI *nominatur*, utpote in hac regione morientium gratiosa DEI Protectio, qua ab omni periculo & vitæ discrimine securi & tuti esse possumus: In Regione autem Viventium post mortem piorum Collectio, æternaque Salvificatio & Glorificatio.

(n) *Galatinus Lib. 6. de Arcanis cap. 9.* (o) *Vid. Raupius Biblioth. portat. l. 3. pag. 2. Comment. in h. l. p. m.* 135. (p) *D. D. Joh. Schmidt p. m. In Disputat. Theolog. de Prædestin. super Dict. ad Ephes.* 1: 4. *th.* 23.

(q) *Dn. D. Sebast. Schmidt in MSS. super Libb. Histor.*

M. JOH. ERN. MULLERI

DISSERTATIO

De Davide ante Arcam fœderis saltante ad 2 Sam. VI: 14.

I.



Altandi studium, licet non eadem regularum serie semper descriptum, ex eo statim tempore, quo homines multiplicari cœperunt, in usu fuisse, Ratio humana arguit, Historicorum Fides comprobat, Poëtarum lepos, quæque ex illorum inventis ac rerum monumentis exstruitur, Antiquitatis imago, testatur:

(α) Si mente enim cogitamus, quousque Homo, lætitia gestiens, abripiatur, in eam omnino adducimur sententiam, omnibus Temporibus, perinde ac nunc fit, pectus lætitiæ stimulis concitatum, prorsus eod. modo sese publice prodidisse, ut, impressionibus cerebri bonum aliquod animæ repræsentantibus, & oblato sensibus ejusdem usu, hominem ad gesticulandum manibus pedibusque compulerit. Sic Hominis istac animi passione affecti egregiam nobis imaginem delineavit *Le Sieur de la Chambre Medecin de Monseigneur le Chancelier* in libro elegantissimo, quem inscribit, *Les Characteres des passions*, hoc verborum compendio utens: *Vous voyez sur le visage une certaine vivacité, une inquietude agreable, & une hardiesse riante, le plaisir petille dans les yeux & la douceur en accompagne tous les mouvements, &c. Voila les characteres, que la joye imprime sur le corps par le commandement de l'ame.* Vultus prodit notabilem aliquam hilaritatem, gratam inquietudinem, atque audaciam mirifice arridentem, animo concepta voluptas emicat ex oculis, ejusque suavitas omnes corporis motus comitatur &c. Ecce quos characteres lætitia corpori nostro, jussu ac imperio animæ, imprimat. Sicuti enim homines in rebus adversis varios motus ac gestus edunt, ita & in prosperis & ad voluntatem fluentibus internas pectoris titillationes diversis membrorum commotionibus indicant.

(β) Quare cum animus gaudiis ita soleret præoccupari, ut iisdem subactus omnia corporis membra ad gestiendum protruderet, ne indecenter fieret hoc ipsum, Majores nostri certis regularum cancellis ac convenienti Musices moderamine istas plaudentium gesticulationes coërcere voluerunt, ut artificio quodam, numero ac ratione certa instituerentur; quæ artis regulæ ac Musicorum instrumentorum concentus, quo minus cum Gentis cujusdam gravitate consentire viderentur, in ea plerumque & ars Magnorum Virorum personis indigna judicabatur. Sic, teste Cornelio Nepote, politissimæ Latinitatis autore, saltare apud Romanos in vitiis erat positum, (in Vit. Epam.) procul dubio, quod tum temporis Ratio politica potius & dominandi cupido, quam rei iniquitas, ab aliis inventam saltandi consuetudinem excluderet, ne crebro ejus usu animi effœminarentur, antequam omnia victricibus suis armis debellassent, siquidem, ipsorum imperio confirmato, omnium maxime indulgebant tripudiis.

(γ) In adducendis Poëtarum & Hiſtoricorum teſtimoniis, pro noſtra ſtabilienda ſententia, nolo eſſe prolixus. Apud Græcos, gentes olim bonis artibus, ac Linguis cultiſſimas, ſaltare & gratum & laude dignum habitum fuiſſe, laudati jam Nepotis autoritate confirmatur. Sic & Atticæ Eloquentiæ dives Xenophon de Thracibus, præda ab hoſte in fugam verſo reportata lætantibus commemorat: Ἐπεὶ αἱ σπονδαί τ' ἐγένοντο καὶ ἐπαιώνισαν, ἀνέστησαν πρῶτον Θρᾷκες καὶ πρὸς αὐλὸν ὠρχήσαντο σὺν τοῖς ὅπλοις καὶ ἥλλοντο ὑψηλά τε καὶ κούφως καὶ ταῖς μαχαίραις ἐχρῶντο lib. 6. Exped. Cyr. pag. 289. n. 42. in quo libro & Ænianenſium & Magnetum ſaltatio in armis, Carpæa dicta, deſcribitur. n. 51. Et quantum ex eodem autore liquet, Paphlagones, etiam Arcades, quæque hiſce vicinæ erant gentes, præ cæteris commode ſaltare ſciverunt, cum illarum ad cantus harmoniam probe attemperatus motus exteros in admirationem raperet. Vid. autor citat. in Conviv. Maxime commendantur ab Horatio Iones, quorum motus laſciviores & petulantiores fuiſſe teſtatur libr. 3. Od. 6. De Phœnicibus hocce Homerus, Poëtarum pater, Odyſſ. Θ teſtimonium perhibet:

> Ἀλλ' ἄγε Φαιήκων βητάρμονες ὅσσοι ἄριστοι
> Παίσατε, ὥς χ' ὁ ξεῖνος ἐνίσπῃ οἷσι
> Οἴκαδε νοστήσας, ὅσσον περιγινόμεθ', ἄλλων
> Ναυτιλίῃ καὶ ποσὶ καὶ ὀρχιστυῖ, καὶ ἀοιδῇ.

Ita eſt, Græcos præ omnibus ſupra modum ſaltationibus deditos fuiſſe, confirmari itidem poteſt Pollucis, Athenæi, & Luciani, ſcriptis, in quibus prope innumera ſaltationum genera depicta videmus, ut ut ſunt: Podiſmus, Siphiſmus, Comus, Tetracomus, Aſcoliaſmus, Colabriſmus, Phalicus, Bactriaſmus, Dycomus, Strobylus, Apocinus, Apoſiſis &c. De his aliiſve, præter autores citatos, conſule Alexand. ab Alexand. qui, diverſo quæque geſtu ac motu ſaltationum genera peracta fuiſſe atteſtatur. Ariſtonymum, nobilem Citharœdum, civitate & ſtatua donarunt Athenienſes, quippe qui arte ſua Muſica choreis delectantes probe noverat dirigere, eorumque amplificare gaudia. Cœli, lib. 4. cap. 8. De rigidiſſimo morum cenſore, Lycurgo, commemorat Plutarchus, ipſum quoque delectaſſe ſaltationibus, eaſdemque certis Legum inſtitutis ordinaſſe. Socrates, hem! quanta autoritate Philoſophus! ſaltare quoque non erubuit, teſte Xenophon. loc. cit. & Athænæo lib. 1. cap. 16. Lacedæmonii ſaltationem tanquam ad bella utilem, ut greſſu magis compoſito incederent milites, inter quotidianas diſciplinas habuere. Quintil. lib. 1. cap. 19. Athen. lib. 14. cap. 13. Sic & Perſis ſaltare & equitare præcipuum fuit Lucian. in lib. de Salt. Livius, origine Patavinus, ipſa autem ſermonis elegantia Romanus ab Hetruſcis, antiquiſſimis Italiæ populis, ſaltandi conſuetudinem ad Romanos perveniſſe docet, quam Virgilius, Poëtarum caſtiſſima Virgo, more ſuo, i. e. doctiſſime depingit:

> *Pars pedibus plaudunt, choreas & carmina ducunt.*

Exinde colligimus, (1) Saltationem non ſemper ad Muſicorum inſtrumentorum concentum, ſed & ad lepidas præſentium cantiunculas inſtitutas fuiſſe (2) Romanos, cum imperium ipſorum jam mole laboraret ſua, in hac arte Græcis nec quicquam conceſſiſſe, ſed æque immoderatos ſeſe in ſaltando geſſiſſe, ut Zacharias Pontifex per plateam choreas ducere ſolitos anathemate percuſſerit, quod Polydoro Vergil. Magiſtro lib. 5. cap. 2. addiſcimus. Sic adeo tempore mutati ſunt Romanorum mores, ut Appius Claudius, Vir Conſularis, & Gabinius, Marcus Cœlius, & Licinius Craſſus, optime ſaltare gloriæ ſibi duxerint, quod ante ipſos Scipio Africanus ceu rem inhoneſtam damnaverat. Quantus chorearum æſtimator fuerit Horatius, lib. 1. Odyſſ. 37. hiſce verbis prodidit: Nunc eſt bibendum, nunc pede libero pulſanda tellus. Denique diſtinctio inter ſaltationum vulgarium ac theatralium ſeu ſacrarum, ſpecies obtinuit, vide Roſin. in antiqu. & Synopſ. Poli ex Platone afferentis ad 2 Sam. 6: 14. diſtinctionem inter ſaltationem, quam vocarunt antiquitus ἐνόπλιαν ſeu militarem, & εὐμέλειαν modeſtam & circa ſacra adhiberi ſolitam, id quod de Saliis Martis ſacerdotibus perſpicuum eſt, qui ſaltando cultum divinum celebrare conſueverant, teſte Horat. lib. 4. Od. 1. primam ſpeciem eleganter Homerus Odyſſ. E. conviviorum appendicem appellavit.

(δ) Quemadmodum vero omnes motus naturales, artis præceptis muniti, pro ſeculi elegantia, magis magiſque emendari ſolent, ita quoque tripudiatio ex eadem cauſa ſuas emendationes ſuſtinuit, ut noviter inventa ſaltationum genera antiquioribus & meliora, & ad decorem magis compoſita, judicentur. Neque, quod arbitramur, Filia Herodiadis Herodis oculis adeo jucundum præbuiſſet ſpectaculum, niſi ejuſdem corporis motus ad novas artis regulas probe accommodati fuiſſent, quibus alias, cenſente Ligthfootio ex Sota cap. 5. in Horis Hebraicis in Matth. cap. 14: verſ. 6. Honorem erga Diem ejus natalem amoremque ac venerationem erga ipſum demonſtraverit, lætitiamque de ejus vita & ſalute. Sic etiam Hegeſinax apud Antiochum Regem una cum ipſius aulicis pyrrichiam ſaltare detrectavit, cum eandem ut novum & inauditum artis genus non eſſet edoctus. Athen. lib. 4. Hippoclides cum Lacedemonicos & Atticos modos Cliſteni reliquiſque Sicyoniis neutiquam probatos, ſaltaret, deſaltavit matrimonium Bruſ. lib. 3. Noſtræ ætatis ſeculum ſi introſpiciamus, ad extremam perfectionis lineam ſaltandi ſtudium perductum eſſe, Gallorum præſertim opera, non immerito cenſetur; tot tamque variis atque iis quidem politiſſimis choreas ducendi generibus auctum eſt, ut aliquot annorum ſpatia ad ejus perceptionem nunc decernenda ſint. Saltat nunc Rex cum Achivis, Clerus cum Laico, neque luridis dentibus ac rugis turpatæ vetulæ formoſiſſimis puellis miſceri verentur. Scite qui ſaltare hodie didicit, hic ſolus eſt ἄξιος ὀβελίσκου, ſin minus, ἅλμη οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ; uti Græci, proverbiis loquuntur. Literatiſſimi Viri hujus artis compendio, quaſi præferendo longiſſime Socratis de civilitate præceptis, mores elegantiores ac decentiores converſandi ritus, metiuntur, quaſi vero non poſſet aliquis abſque ſaltandi peritia κατὰ τὴν ἀλήθειαν πολιτικὸν εἶναι, uti Ariſtoteles loquitur. Invenies hodie eorum non paucos, qui optimæ ætatis florem ſaltatiunculis devovent, fæcem ſenectutis DEO conſecrantes. Quin tam corrupta per qualemcunque ſaltandi licentiam ingenia ſunt, quibus ſaltatio res omnino à DEO præcepta & ad Lydium ſcripturæ lapidem approbata videtur, nullo licet diſcrimine inter varia ſaltationum genera, religioſa ac jocoſa, eaque vel licita vel illicita ſeu honeſta conſtituto. Primus eſt, cujus exemplo, quo jure quaque injuria, factum quodcunque excuſant, David, הגבר הוקם עלמשיח אלהי יעקב:, quare ad ipſum, in hac quoque cauſa, ἀλόγως καὶ ἀτόπως provocant tanquam ad communis nequitiæ Aſylum, quando de eodem ſacra refert pagina, quod ante fœderis arcam ſaltando ac geſtiendo inceſſerit. Ne autem hoc exemplo ad excuſandam quamcunque ſaltandi iniquitatem porro abutantur πολύτροποι καὶ πολυμήχανοι, (οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν,) in ſacram ſcripturam nos pietas commovit, illud, אם השם יעזור, præſenti hac diſſertatione exequi, ut, quomodo Chriſtianorum ſaltationes ſeſe habere debeant, oſtendamus, ſi quid præſidii in Davidis exemplo obtinere poſſint. הק"בה. מתוך הוכיח יתברר האמרת: cœptis noſtris benigne adſpiret atque ita dirigat eadem, ut veritas propugnata nullius exercitii blandimentis nos, melius edoctos, cum impiis coaleſcere ſinat.

§. II. Gemina ſaltationis Davidicæ deſcriptio nobis traditur 2 Samuelis cap. 6. verſ. 14. & 16. in utraque unus idemque à Spiritu S. proponitur ſenſus, nos interim circa poſteriorem, quæ continetur, vſ. 16. noſtra potiſſimum diſſertatione verſabimur, atque ita quidem, ut una opera omnes controverſiæ ex utroque verſiculo decidantur. Ἀπὸ τῶν βαλβίδων ut ordiamur, juxta vulgare illud monitum: δεῖ πρῶτον τὸ τῆς φωνῆς σημαινόμενον ἐξετάζειν εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, ante omnia verborum, quæ hic utramque faciunt paginam, Etymologia ac uſus in dicendo evolvendus eſt. Verba textus ita ſonant:

ותרא את המלך דוד מפזז ומכרכר לפני יהוה.

(α) Primum pro ratione noſtri inſtituti, ſeſe nobis enucleandum offert verbum מפזז, quod participium in piel eſſe, cuivis patet, qui vel à limine prima ſacræ literaturæ rudimenta ſalutavit, שרשו פזז ולו שני פנים, in prima acceptione robuſtum eſſe deſignat, quemadmodum hoc ſenſu Geneſ. 49: verſ. 24. uſurpatur, quando Jacobus Filio ſuo Joſepho מכל בניו deſideratiſſimo de Menaſſe & Ephraimo vaticinando promittit: ויפזו זרועי ידיו robuſta erunt brachia manuum ipſius, h. e. filiorum duarum manuum brachia, poſteri ſcil. adverſus quoſcunque hoſtium inſultus prævalebunt, reddit Anglicana: *the arms of his hands were made ſtrong.* Sicuti enim ſtrenui bellatoris invictum robur in brachiis potiſſimum ſeſe exerit, ita & Jacob divinus Vates pollicetur fore, ut Joſephi virtutes atque invicta pietas in Manaſſe ac Ephraimo tanquam in duobus longe lateque protenſis brachiis clariſſime manifeſtarentur. Eundem hujus verbi uſum, ſi in ſenſu ſimplici ſpectetur, locus, qui noſtræ diſſertationi materiam ſuppeditat, perſpicuum nobis facit, ſiquidem in conjugatione piel, autore Pagnino in Theſ. linguæ Sanct. idem denotat, quod viriliter agere ſeu affirmare ſeſe, præſertim quando choreæ ducendæ ſunt, hinc Rabbi Dav. Kimchi, בספר והשורשים: דרך הרוקדים

הרוקדים לחזק אזור מתניהם בעת רקידה: Mos, inquit ſaltantium eſt, ut roborent cingulum lumborum ſuorum, cum ſaltare volunt, idcirco Hieronymus, peritiſſimus in Philologia S. Eccleſiæ pater, per *ſubſilire* vertit. David quoque חגור אפוד בד ſaltavit, quamvis eo fine ſeſe non induerit cingulo ac veſtimento, ſacri alias ordinis, ut eodem ſuccinctus ad motus ſaltantibus familiares paratior eſſet, quin potius ex more & inſtituto Orientalium, qui longis togis veſtiti incedunt, hoc fecit, quando enim in publicum egrediuntur, fluxum veſtitus habitum cingulo adſtringunt, ne eodem feſtinantium pedes implicentur atque offendiculum fiant. Convenientiſſime tamen Spiritus S. eum מפזז vocat, quod communi ſaltantium conſuetudine receptum erat corpus præmunire cingulo. Quid hic per אפוד בד intelligendum ſit, Philologis λίαν μέγα αἴτημα videtur. Exiſtimamus cum Cornelio à Lapide אפוד בד non ſacram veſtem, ſed vulgarem fuiſſe, qua & aliæ perſonæ induebantur, ſolis furente æſtu, quippe quæ minus levitate ſua corpus oneraret, idcirco jam laudatus Commentator diverſum fuiſſe Davidis אפוד בד ab ejuſdem denominationis habitu, quo Sacerdotes veſtiebantur. Erat autem conſutum ex ſubtiliſſimo & candidiſſimo lino, quare 1 Paral. 15:27. atque hoc in loco, de qua omnis noſtra vertitur diſputatio, בד cognominatur. Altera toties nunc citati verbi ſignificatio celebratur in conjugatione Hophal, qua 1 Reg. 10:18. de Salomone commemoratur, quod Thronum ſuum obduxerit זהב מופז, quod Raſci exponit במבה״ג כמרגלית, auro puro ſicuti Margarita. Chaldæus bonum aurum nominat, eum ſequitur Lutherus, qui per aurum optimum explanat, idem fecit & Anglicana verſio: רד״ק dicit fuiſſe, טוב ומוקק זהב נקי מסיגים כתם פז aurum bonum & defæcatum, ſpecies innoxia, ſecundum perfectionem optimi auri. רל״בג ſimiliter aſſerit, fuiſſe aurum probe compactum & induratum. Intelligimus igitur hanc ſignificationem à priori non multum differre. Sed ut è diverticulo in viam redeamus. Chaldæus participium מפזז per מרקד exprimit, quod proprie ſaltantem deſignat. Maluit itaque actum ipſum, quam ejus adjunctum deſcribere. Gallica verſio utrumque textus vocabulum conjunctim reddidit per *ſauter d'une merveilleuſe force.* potius cum Chaldæo ad ſenſum conjunctum verborum, quam ſimplicem, reſpiciens. Anglicana preſſius, uti ſolet in pleriſque, textum ſequitur, quando de Davide enunciat, eum fuiſſe *leaping and dancing before the Lord*, ita & Lutherus noſter vernacule explicat: **Und ſahe den Köning David ſpringen und tantzen vor dem HERRN.** Kimchi ad hanc vocem commentatur: מפזז גם כן כמו מרקד אלא שהם בענינים שונים זה מזה או יהיה הכל בענין אחד והכפל לרוב הרקוד: Sic ipſe dubius hæret, an hoc verbum מפזז, pro ſynonimo ǧ מכרכר venditare debeat nec ne, an cum Tirino tantum contentiſſimum ſaltandi actum delineari per utrumque aſſerere, Chaldæus & autor 1 Chron. cap. 16. vſ. 29: duo etiam verba diverſos actus denotantia conjungit: David erat מרקד ומשחק ſaltans, ludens & celebrans, per poſterius itaque participium ad modum boni interpretis adhuc aliam actionis circumſtantiam, Davidem ſc. non ſaltaſſe ſolum, ſed pleno etiam Deum ore laudaſſe, adjunxerunt, ſiquidem omnibus conſtat, fuſiori orationis filo deduci in libris Chronicor. quæ jamdum in libris vel Samuelis, vel Regum conciſiori verborum compendio propoſita fuerunt. Chaldæus autem in tranſlatione librorum Samuelis & Regum, Chronicorum libros pro Exegeticis habuit, unde & eorundem tranſlationem omiſiſſe nobis videtur. In omnes enim libros compoſitæ ſunt paraphraſes, præterquam in Danielis, Eſræ, Nehemiæ & Chronicorum libros, quorum duo priores ſemi-Chaldaici ſunt. Equidem Anno 1680. paraphraſis Chaldaica prioris libri Chronici. & Anno 1683. poſterioris, opera & cura D. Beckii è Manuſcripto Bibliothecæ Erfurtenſis edita eſt, ſed in exiguo apud Judæos ſunt pretio, & autoritate multo inferiores reliquis, quod non eundem Jonathanem cum cæteris paraphraſibus autorem habeant. Videatur D. Beckius in præfat. ad Lectorem. & Leuſdenius in Philologo-Hebræo mixto diſſert. V. & ſequ.

(β) Alterum verbum in ejuſdem conjugationis forma uſurpatum, cujus Etymologia adhuc σωιτόμως tradenda venit, eſt מכרכר. Freti Concordantiarum & Maſoretarum autoritate bis tantum in ſacro codice extare profitemur, & quidem in hoc ipſo capite 2 Sam. 6: verſ. 14. & 16. Deſcendit judice Buxtorfio à radice כרך, apud Hebræos inuſitata, in piel autem horum verborum ad compenſationem excluſi dageſch aliquando una radicalium geminatur. D. Waſmuthus, Vir de Eccleſia Chriſti meritiſſimus, & Præceptor meus ætatem deveneranaus, in Hebraiſmo Reſtituto Cap. V. Reg. XXV. membr. 3. n. 1. à כרר derivat. Conf. Reg. 42. & 36. membr. V. not. 3. alias pleriſque Lexicographis ſubſilire notat, idcirco Concordantiæ modo citatæ ejuſmodi adjiciunt commentarium: פירושו רקוד או תאר לגמלים האצין ללכת & Rabbi David Kimchi loc. cit. פירושו מרקוד ומזה נקראו הגמלים או בהמות הקלות בהליכתם כרכרות: Quæ interpretatio pleroſque S. Codicis interpretes compulit, ut derivatum כרכרות, Eſa. 66: vſ. 20. ad Camelos applicarent. Unus loco omnium adhuc ſufficere poteſt ex Rabbinis pro hac ſtabilienda ſententia Abarbanel, ille ad hunc locum enodandum ſui quoque ingenii vires contulit, ita commentando: בכרכרותיהם הגמלים שלרוב מרוצתם יראה כאלו מרקדים מלשון ודוד מכרכר: Invitis tamen Hieronymo & Aquila hanc ſententiam propugnat, qui hoc nomen carrucis proprium eſſe contendunt, verum citra inſtituti noſtri labefactionem hoc faciunt, ſiquidem carrucæ æque ac Cameli omnes vias ſuas ſubſiliendo quaſi emetiuntur. Ipſe Buxtorfius à radice כרר deflectit nomen כר ovis, atque eleganter ex hoc fonte derivatur, eſt enim agnus animal ἁλτικὸν καὶ πηδητικὸν, hinc parabolice Pſalm. 114: vſ. 4. dicitur: ההרים רקדו כאילים גבעות כבני צאן: Accipimus itaque iſtæc duo verba in ſenſu compoſito pro ſynonimis & ὁμοψήφοις habemus pleroſque Judæorum Doctores: Sic רלבג commentario ſuo hunc locum illuſtrat: הנה מרוב השמחה היה דוד מרקד ומפזז לפני יהוה כאילו לא היה מלך: Subſtituit in locum מכרכר hic Rabbi cum Chronico verbum מרקד tanquam uſu magis frequentatum, & interpretativum minus uſitati in ſacro codice. Contra, quod jam fuit adductum, Chaldæus pro מפזז adhibuit מרקד vel ex ſupra allegata ratione, vel quod utrumque verbum pro Synonimis habuerit tam in ſenſu incomplexo, quam complexo, conjuncta vero eſſe in hac oratione ad majorem actionis vehementiam denotandam, forte putavit, nobis tamen placet ſupra propoſita ſententia, eamque defendimus; ſc. quod duo verba, quibus Spiritus 2 Sam. 6: vſ. 16. uſus eſt, ſejunctim alias poſita diverſos actus exprimant, hic vero conjuncta idem denotent, quod מכרכר בכל עז atque ſic ſaltationem Davidis aggravent, contra quod in Chronico unum illud participium מרקד eandem ſignificationis vim involvat, alterum vero aliam actionis circumſtantiam connotet, ad cujus normam Chaldæus quoque ſuam paraphraſin ordinavit.

Ex jam dictis, quod arbitramur, non ſolum de mente noſtra ſatis conſtabit, ſed & illud perſpicuum erit, Davidem, Virum pietate & armis inſignem, vere ſaltaſſe. Sed quo in genere ſaltationum laudabilium vel illaudabilium iſtæc Davidis tripudiatio cenſenda, & quibus corporis motibus perpetrata ſit, ea nunc diſquirenda, & ſecundum cauſarum circumſtantias diſcutienda veniunt.

§. III. David Palæſtinis, Idumæis, Amalekitis, Moabitis, Syris, Tzobæis & Damaſcenis perdomitis, regnoque ſuo jam in flore conſtituto, præcipuas in animo curas de hoc agitabat, ut cultum DEI publicum reſtitueret, & arcam fœderis, tanquam potiſſimum Religionis Judaicæ externum objectum, ante omnium oculos in illuſtri Sionis domicilio ſtatueret, ad perpetuam Divinæ Bonitatis memoriam Iſraëlitarum mentes alligaturus; hoc cum procederet feliciter & jam præteriti ac præſentis temporis beneficia animo repeteret, defixos toties totieſque retinens fidei oculos in arca fœderis, tanquam in throno divinæ Gloriæ & typo Salutis per futurum ex ſemine ſuo Meſſiam reparandæ, infinitas pectore lætitias concipiebat, ut iiſdem prope liqueſceret; Accedebant univerſi populi plauſus & jubila, וקול שופר ותרועה, quibus ad diffundendas DEI laudes omnes aſſurgebant, hæc adeo grata ejuſdem auribus accidebant, ut nihil ſupra. Pertinet huc Pſ. 105. quem in theatrali pompa & apparatu decantaſſe, autor eſt Lutherus. Quandoquidem ad lætitiam plerumque vehementius exſtimulamur, quo melius cum illa re agitur, in quam nos amoris propenſio inclinat; Sic David ſacer ille χοροδυτὴς DEUM (ad quem qui ſe convertit, docente Arndio meo, ad ſummum & abſolutum bonum ſeſe convertit, lib. 4. de Ver. Chriſtianiſ.) toto pectore amabat, quippe qui coram Deo ambulabat באמת ובצדקה ובישרת לבב 1 Reg. 3: 6. Cum itaque oculis cerneret, omnes tribus Iſraëlis puro ac ſincero cultu eundem venerari, ejuſque laudibus perſonare omnia, exinde ampliſſima exultandi materia eidem ſubnaſcebatur. Præterea, in quo præcipuus rei cardo vertitur, tendentis jam בהעיר אלהי וכהר קדשו Pſalm. 48: 2. pectus ſelegerat ſibi Spiritus Sanctus in perpetuum domicilium, מאשר ששורה אליו רוח הקודש, hoc motore compellebatur, ut ad celebrationem omnia legitime ordinata videns, manibus pedibuſque applauderet, atque ſic pulchram concordiam cordis & oris oſtenderet, quam Symbolum Imperatoris Leonis præcipit. Fas æquumve erat, ut principes Reipubl. principatum quoque inter reliquos DEI ſui cultores

tores obtineret, omnem Pietatis affectum quibuscunque gestibus effundendo.

§. IV. Sic remotum lætitiæ objectum, quod Davidem gaudiis totum obruit, unum atque unicum fuit cœli terræque creator, in quem calidissimo amoris affectu ferebatur, tanquam in bonum optimum, quod cum, dicente Imperatore Alberto, semper etiam sit jucundissimum, affluentia illius jucunditatis per omnia corporis membra diffundebatur. Proximum vero lætantis objectum erat, arca fœderis & apparatissima cultus divini festivitas, quæ adeo aures, oculos, mentemque Davidis perstrinxerant, ut quasi præ lætitia sursum evolaturum arctissimo nexu cœlo affigerent atque omnes corporis vires ad plausus & jubila erigerent.

§. V. Ipsa itaque actio consistebat in motu corporis religiosissimo & tanto Rege dignissimo, qui cum à causa divina ortum sumsit, non potuit non ad regulam honestatis exactissime quadrare, & secundum omnes rerum circumstantias rectissime sese habere. *All passions are good or bad, according to their objects. Where the object is absolutely good, there the greatest passion is too little: Where absolutely evil, there the least passion is too much: Where indifferent, there a little is enough*, ut ingeniosissimus Anglus Fr. Quarles scribit Cent. 2. Moral. 39. Hunc enim motum cum aliqua vehementia & contentione fuisse conjunctum, ut pedibus adversus terram statuminatis totam corporis molem sublimem elevaverit, ipsa textus inspectio addocet, ideo enim Spiritus S. quod audivimus, duo verba ad denotandum unius rei actum copulavit, ut motus contentionem declararet; id quod etiam fecit, quando Johannis Embrionis saltationem, Luc. 1: vs. 24. describit: ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει saltavit in exultatione, hoc est, totis viribus saltavit. ובמהו רבים & ejusmodi exempla plura dantur. An vero manibus in altum porrectis, ad modum exultantium, vel iisdem utrumque latus continentibus, ad morem subsilientium, saltus suos aliquoties iteraverit, de hoc non adeo certis in textu conjecturis locus relinquitur. Neque de eo constat, num recta progrediens via iterum iterumque subsilierit, vel corpus in gyrum agendo exultaverit, prius tamen asserere tutissimum videtur. Erat enim constitutus in medio versus Sionem pleno gradu contendentium multitudine, cui subsistendi necessitatem objecisset, si saltatiunculæ cujusdam circulum in via publica efformare voluisset. Existimamus, ipsum potius absque omni tardatione progredientem & divinis gaudiis quasi tumentem, aliquot vicibus, neque inconcinne, neque invenuste, subsiliisse, prout in animo ipsius divinæ Bonitatis meditatio ac contemplatio accumulata est, tanto majores in plausus ac saltus erupit, ut veluti Pastor inter oves, Dux bonus bonos inter comites & ἱερῶν ἡδὺς ἀοιδῶν (uti Homerus de Apolline loquitur) inter tranantes sidera plausibus saltabundus incesserit & tota corporis animique contentione de suo erga DEUM candore testatus sit.

§. VI. Quare actionem fuisse confirmamus celebratissimam & honestissimam, non ea solum de causa, quatenus à Viro optimo & ad omnem morum sanctitatem à tenera infantia instituto, nec non Spiritus Prophetici donis collustrato, edita est, sed prout per eandem insignis istæc utilitas in Dei populum invehebatur, ut Davidis, tanquam Principis sui justissimi exemplo commotus, ad voluntatem DEI sese totum componeret. Itaque David Regia sua Persona nec quicquam indignum fecit, quin potius, quod omnes in exemplar pientissimi Regis, atque ab omni fastu alienissimi Principis interpretabantur. *Chi dà Legge altrui, non è da legge in ogni parte sciolto & quanto sè maggiore nel commendar, tanto più d'ubbedire sè tenuto anco à chi giustitia chiede.* Guarini atto V. Sc. 5. Qui omnibus Festum cum jubilo & clangore tubarum celebrandum indixerat atque de DEO sincere colendo legem fecerat, eo minus erat exemptus ab obligatione, quo in illustriori dignitatis gradu ab ipso erat constitutus, ad cujus Nominis celebrationem hæc ipsa lex determinabatur.

(α) Servavit etiam tenorem in agendo, neque Mediocritatis lineas transilire potuit, sed cum istius lætitiæ usus ipsi divinitus esset concessus, & quo minus circa eandem aliqua in parte delinqueret, supremi rerum omnium gubernatoris adjutorium prohibebat. Insuper si verum est, quod Rabbini alias proverbio dicere solent: omnis actio grata est, quæ fit suo tempore; neque hæc Davidica ingrata esse potuit, quippe quæ instituta est tempore maxime accommodato, cum in cœtu esset David plaudentium, tubis fistulisque canentium, minus decenter egisset, si tristem ac severum vultum servasset, neque una cum cæteris publicum de suo erga DEUM affectu testimonium perhibuisset: nam communis DEI Bonitas cujuscunque sortis ac conditionis homines ad unum omnes, in communione Sanctorum constitutos, ad idem lætitiæ ac gratiarum actionis exercitium obligat; imo quo major divinæ Bonitatis sensus ad Davidis animum penetraverat, tanto vehementiori motu interna pectoris gaudia accumulabantur. Intelligebat præ cæteris objecti, circa quod grata mentis Recordatione versabatur, magnitudinem ac summam Bonitatem, eaque intelligentia movebatur Voluntas ad agendum id, quod objecto gratum esse noverat, quamobrem cum hac ipsa intelligentia immediate erat conjuncta dilectio, quam sequebatur denique delectatio, s. dulcis animi motus fluens in objectum amabilissimum & perfectissimum; illa autem delectatio pro intellectus divinitus collustrati & voluntatis sanctificatæ præstantia ac piæ meditationis studio crescebat magis magisque, ut totus denique homo gaudiis quasi circumvallatus erumperet in jucundum ac delectabilem contemplativæ potentiæ operationem circa rem optimam, & in possessione positam, donec istac ineffabili delectatione corpus etiam suavissime afficeretur, & manibus pedibusque exultaret: In communi enim vita res ita sese habet, ut omnem contemplationem finis ultimi lætitia comitetur, quæ tanto major est, quo propior esse videtur, vel quamprimum homo vi sua imaginativa eundem attingit, aut ipse plane sensibus conjungitur, membra statim diriguntur ad motus corporis affectus intimi significativos.

(β) Laudabilem itaque esse actionem תשובה נצחית invictum argumentum præbet (1) subjectum quod erat איש האלהים Nehem. 12: 24. Vir Sancto Spiritu & planissima Dei cognitione instructus. (2) Objectum, à quo omnis iste lætitiæ motus proveniebat, sc. Deus Trinunus הקב"ה, cujus Benignitatis dulcedinem qui degustat aut secum devote perpendit, in ejus amore cum insatiabili voluptate perpetuo acquiescit. (3) Finis, qui unice uniceque ad amplificandam Divini Numinis gloriam determinabatur. Non possumus igitur non theseos nostræ confirmationem illo in publicis Romanorum decretis solenni dicterio finire: Bonum factum, imo optimum.

§. VII. Ne autem tela, veteri quod dicitur proverbio, prævisa nobis noceant, eadem quibuscunque nostris responsis avertere pro virili annitemur. Si quis igitur nos istac objectione urgere, eademque thesin nostram, ipsius veritatis robore munitam, enervare vellet, saltare sc. cum Regis autoritate pugnare, quæ, dicente Imperatore Decio apex Magistratus est, imo qui est *la plus grande chose & la plus eminente des choses d'icy bas, uti prefixe Archevéque de Paris cy devant Precepteur du Roy* in vitæ delineatione Henrici IV. cognomine Magni pag. 176. loquitur, & quod adhuc magis sit, omni honestati bellum indicere saltationem Regiæ personæ, quæ in publica populi congressione medios inter DEI cultores exerceatur, tantum abesse, ut ad Nominis Divini celebrationem referre quis possit. Respondemus pernegando saltandi actum simpliciter & in se consideratum, præsertim si decenter ac in tempore fiat, (id quod supra probatum dedimus) regiæ autoritati quicquam detrahere, sed non minus, ac equitare eundem decere, utraque actio est, si in Principe artis præceptionibus emendetur, laudanda atque corpus agilitate ad plurima Principe digna munia subeunda valens efficit. Nemo Regi vitio vertere debet aut potest, si tempore magnificæ cujusdam festivitatis, horam aliquam saltando absumat, atque motu corporis artificiose composito se ipsum sub ardua regiminis mole sudantem reficiat. Rabbi Jonathan omnes saltationes Principe indignas à Michale judicatas esse statuit, idem putat Rabbi David Kimchi, quando circa textum nostrum ita commentatoris munus exequitur: כראות אותה מן חלון בזתה אותה בלבה כי חשבה כי אין כבוד המלך להתנהג כמנהג הדיוט כאחד הרקים וההדיוטים:. Sed hæc sententia בנויה על אבן בוהו fundata est super lapide Vanitatis, uti Rabbini proverbio loquuntur. Non meliorem in pectore fovebat Albertus I. Imperator, qui saltationem in exercitiis muliebribus commemoravit, & Sardanapali Socios vocavit Reges saltantes. Ita etiam Fridericus Barbarossa Imperator maluit febricitare, quam saltationibus operam dare, & Alphonsus Gallos leviculos dixit, qui, quo magis ætate provecti essent, eo magis saltationis infamia oblectarentur, hinc tritum apud Gallos sermone proverbium esse: *aprés la pance la danse.* Justinianus Imperator fecit, ut die festo choreæ prohiberentur, & deinde in Concilio Constantinopolitano omnis saltationum usus etiam in nuptiis interdiceretur. Necquicquam benignius judicant reliqui Rabbinorum, qui aliqua commentatorum gloria clarent, sed nolo pluribus eorundem testimoniis lectorem onerare כי הם דברים בטלים מפאת עצמם: Qui usum ab abusu probe noverit discernere, eum haud quaquam istæc ferient tonitrua. Neque idcirco David levitatis cujusdam culpa postulandus est, quando decantatissimis festivitatis feriis saltationes admiscuit, siquidem splendidum,

didum processionis actum neutiquam profanavit aut disturbavit, aut actione minus decora inquietavit, quin potius id egit, quo ipse, Spiritu Dei agitatus, externum Divinæ Religionis splendorem augebat & dulcissima populi longa serie à tergo sequentis ac præcedentis jubila multiplicabat veteri proverbio:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

(α) Ex modo dictis sua sponte sequitur, hunc Davidis cultum non fuisse electitium, aut mere humanum, sed quem inhabitantis Dei Virtus procreabat, in verum Davidici candoris argumentum interpretandum; non potuit igitur hæc actio de spatio curriculoque honestatis deflectere. Quemadmodum nunc perinde est, sive genibus procumbens, exemplo Hannæ, sive erecto stans corpore & ad orientem versus, ad exemplum primitivæ Ecclesiæ, sive alio Davidis exemplo oculis ad cœlum elevatis Psal. 121. sive corpore inclinato, ad morem Catechumenorum tempore Ecclesiæ recens constitutæ, DEUM adoremus, ita quoque nihil in se turpitudinis habebit, sive DEUM membris quiete compositis, sive suaviter ac decenter ad divinos plausus accommodatis celebrem, si modo omnia, quod dictum est, fiant κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην, de quibus Sancta Davidis persona omnem nobis dubitandi rationem eximit.

(β) Plus quoque loquuntur quam sciunt, qui Davidem pro rerum circumstantiis inaudito exemplo saltasse asserunt. Maria Soror Mosis, eodem Spiritu agitata, saltavit, quando universa Israëlitarum multitudo, submerso jam Pharaone & extincto, in plausus & tubarum clangores erigebatur, id quod eidem quoque laudi imputandum est. Præterea nolo eandem cantilenam bis canere & gentilium exempla jam supra memorata iterum adducere, quod Salii Romani in portandis ancilibus saltare soliti sint. Vid. præter Flaccum Ovid. lib. 3. Fast. Virg. VIII. Æneid. Liv. lib. 1. scribit Arrianus lib. 8. gestorum Alex. cap. 1. Indos, postquam mane è strato surrexerint, solem, non ut alii, verum ad Orientem conversos saltatione venerari & salutare quasi. Refert Cornelius à Lapide ex Serrario: Christiani hodie in Syria die Resurrectionis Dominicæ, nec non aliis celebribus Festis veniunt in Templum cum Lyris & Citharis, & Psalmos inter se canunt, ac una, sobrie tamen & modeste, seorsim Viri, & seorsim mulieres, saltant. Ammonitæ ac horum vestigiis insistentes Israëlitæ, à vero Deo ad idolorum cultum conversi, inter saltationes & tympanorum strepitus Molocho suos immolarunt liberos. Vid. Hottingerus jur. Hebr. Leg. 208. Antiquissimum esse hunc cultum & ab Ægyptiis profectum, quodammodo colligitur exinde, quod Israëlitæ jam Ægypto egressi vitulum aureum eodem prosequerentur.

(γ) Neque pietatis Davidicæ laus labefactatur, quando saltationes nequissimorum hominum oblectamenta & fœdissimarum libidinum irritamenta sunt, quamobrem male iisdem debitum Deo cultum persolvi, aliquis putaret. Respondemus Musicorum quoque instrumentorum concentus inter Diaboli luscinias & corvos in turpissimis plerumque symposiis adhibetur atque in multorum animis faces libidinis accendit, nihilominus decenti horum usu DEUS in templis ac scholis quovis tempore rite recteque concelebratur. Deinde distinguendæ sunt saltationes sacræ à theatricis, militaribus, convivalibus & aliis quibuscunque, his toties totiesque laudata Davidis tripudiatio, neque Mariæ Sororis Mosis Exod. 15. descripta saltatio, neque illæ Mulierum pæana canentium, occiso Goliatho, 1 Sam. 18: 9. choreæ accenseri possunt aut debent. Procul etiam absit illa suspicio, saltationem Davidis vitium contrahere, quod Michal, illa Philistinorum præputiis emta Libitina, in exemplum scandali eam verterit אין בה הכריח. Distinctio inter datum & acceptum scandalum omnem hic pravitatis suspicionem evertit. Non fuit lasciva saltatio, quæ ubi uti instituitur, ibi, docente Chrysostomo, una saltat Diabolus, ideoque Heros ille piissimus iniqua conjugis accusatione sese confundi nequaquam patiebatur, sed quod in tabulis Cebetis de Socrate, noctesque diesque à sua Xantippe divexato, legimus, ἠνείχετο παρορώμενος: Nam amor Dei, qui animum hominis semel sua dulcedine opplevit, eum adversus quamcunque superborum hominum ignominiam invulnerabilem præstat, omnemque exinde mœstitiam evellit radicitus. Si quis porro excipere vellet, turpiter tamen sese dedisse eo ipso, quod nimium subsiliendo corporis nuditatem spectantibus ostenderit. Respondemus verbum נגלה non in sensu proprio accipiendum esse, sed quantum ex responsione Davidis liquet, idem denotat, quod ultra dignitatis suæ terminos sese demittere, jam vero التواضع زيادة في الشرف وبه تتم النعمة Demissio sui augmentum in nobilitate & completa gratia est in ipso; quod eleganti Arabes proverbio dicunt & אמת כל דברים.

§. VIII. Ex hisce nunc haut difficile intellectu erit, quam turpiter fallant blanditiis titillata pectora hi, qui vanos chorearum amatores Davidis exemplo fretos bono animo esse jubent, faciuntque, ut plerisque carnis suæ illecebris cupide obtemperent, atque in illis actionibus justum rectumque figant, in quibus tamen gravissimorum scelerum pœna à DEO constituitur. Plenum opus aleæ ei committitur, qui profanis saltatiunculis, quales Persarum Kabeh, hoc est, saltatrices vel potius meretrices, eorundemque Bengi Kidibengi, German. Huren-Hängste/ nec non impuræ Indorum gesticulatrices sectantur, Davidis exemplo pondus conciliare debet, quandoquidem גבה טורא בינייהו altitudo montis inter illa est.

§. IX. Interim nolumus, ut nos quispiam illius opinionis reos agat, ac si saltare homini Christiano non esse licitum statuamus, ita qui existimat, nobis injuriam facit, quandoquidem ipsa Natura atque arte, quæ Mathematicis fundamentis, præsertim Staticis, nititur, saltationem regi ac gubernari certum est. Cui sua alienaque prosperitate lætandi occasio offertur, ut hilares aliquando Horas saltatione absumat, licet, nisi pedibus laborat, aut ex podagræ afflictionibus dolet, si modo omnia cum recta ratione conformentur, neque à lege Virtutis exorbitent, deinde illud nobis semper ante oculos versetur μηδὲν ἄγαν, sicuti enim lugendo, ita & lætando, modum excedere possumus. Tristes ac superciliosos alienæ vitæ censores eorumque judicia necquicquam curamus, si DEO ac Viris pietate conspicuis mores ac instituta nostra probentur.

Oderunt hilarem tristes tristemque jocosi.

Nos inter ludicra liberalia artem saltandi pro multiplici ejus utilitate primo loco ponimus, & concinnas corporis motiones in iis, qui ad ludum saltatorium aliquando comeant, merito approbamus.

THEOD. HORN
DISSERTATIO
De Desiderio Davidis ad 2 Sam. XXIII: 15.

Cogitanti mihi de Homeri verbis κτ φρένα μερμηρίζοντι, in quonam potissimum Argumento utiliter versare ingenium possem Philologico: non ἀχρήστε πραγματος περιεργίαν me facturum sinuoso in pectore fixi, si tempori serviens ac Scenæ תאוה לדוד *DESIDERIUM DAVIDIS Articulo, quo piorum omnium in Messiam natum fervent Desideria, meum quoque non ex Oculi feriis eligerem Desiderium. Non Ego in cortina adhuc Sexagenarios de ponte aut πολεμεῖν φήμη Sanctissimæ literaturæ saturo velut colore tinctorum Ecclesiæ Orthodoxæ Culminum ac Columinum juveniliter ac nimis calide recipio. Sartum tectum sit Magnis Nominibus judicium, qui suis amplissimis ingenii finibus hæc metiuntur Sacra. In meo pedem teneo Choro, ejus consecraneus secta, pro cujus soliditate si satisdandum, non deerunt mihi è Διὸς quasi Δέλτων fide jubentium ψηφίματα. Ad rem ipsam accingor, spe felicioris successus, quam fuit Ajacis illius Oilei, qui teste Homero (α) quod invitis Diis solvisset, naufragum habuit mare*

—— Ἀλλ' ἐμοὶ μῦθ' ὅποτε
Ἄεθλος γ' ὑποκείσεται, τῷ ἢ
Πρᾶξιν φίλαν δίδοι θεός. (β)

§. 1. Ne ἀνάλιποι εἰς ὄρος (γ) aut desultoria orationis vanitate adventitii alicujus, ebullientis verius, quam ἐκ φρενὸς μυχῶν surgentis Desiderii levitatem videamur excipere: priusquam hæc nostra commoveamus Sacra, ex συνεχείᾳ Textus retexenda sunt hic nec ἄχορδα nec ἄλυρα. Id quod à nobis numero repræsentabitur. David μύστης ille ἀμφότερον ῥήτωρ, κρατερός τε μαχητὴς Regiarum (Saulis) insidiarum omnibus vestigiis ac cubilibus fugitor acris, Odollæ cavernæ præsidio se tuebatur. Haud longis dissidebant castris Philistæi, quorum persæpe exspatiati septa, frumentandi animo palantes Davidis numeros & parta fraudabant præda, & male multatos sine cæde & sanguine dimittebant paucos. Inter hoc Sacrum & Saxum, quæ non sæpe passus Culmine suo indigna ab istis Harpyis?

—— *quæ nec Sarmentus iniquas*
Cæsaris ad Mensas, vel vilis Galba tulisset.

Strenue esuriebat, debellabatur Genius; ab ipsa discedendum erat messe. Sitiebat ex animo, velut ἐνδεοπλησίῳ Tantalo mediis in undis sitiendum, media in *Panis Domo* esuriendum. Hæ corporis ægritudines, quidni urgerent animum? Sileni Alcibiadis vicem utcunque habet, cujus Atticum velut Testem laudemus licet Sacram Paginam, necessitatem Davidicam ad hanc percensentem faciem: וַיִּתְאַוֶּה דָוִד וַיֹּאמַר מִי יַשְׁקֵנִי מַיִם מִבֹּאר בֵּית־לֶחֶם אֲשֶׁר בַּשָּׁעַר: Singulis verbis separatas impendamus lineas, ac primis quidem lineis evolutionem Philologicam dabimus.

§. 2. Vox אוה cujus proprium domicilium si inspicis, in Piel significat *Desiderare, Concupiscere, Expetere, Affectare*; In Hitpael, qua Conjugationis Classe hoc in loco reperitur, aviditatem quandam cum gaudio conjunctam denotat. Unde Latinorum *Aveo* & *Avidus* cognata admodum. Migratio vero ejus est, quando ardenter rem ac cum convitio quodam flagitare illiusque cogitatione sensum quendam ac voluptatem percipere signat. (δ) LXX. sæpe reddunt ἐπιθυμέω, quod *summopere Desidero, Desiderio Desidero*: quo sensu apud Lucam Ebraismum quendam dicere videtur, (ε) vel ἐπιποθέω, quo indigitatur Desiderium moram aut ampliationem non recipiens. R. Mardochai Nathan sequentia de hac voce annotat: (ζ) לו שני פנים כי השלישי בשרש תוה יא כל שעניגו חשק ותשוקה יב מה שעניגו נוי או יופי: *Huic voci duo sunt Significata, quia tertium est in Radice* תוה. *Primi Significati est omne verbum cujus sensus* Delectatio *&* Appetitus: *alterius significati est, cujus sensus* Decor *aut* Pulchritudo. Μέσην hanc ῥῆσιν esse, variis utrinque Scripturæ evincitur locis. In malam accepta partem legitur Gen. 3: 6. Ubi πρωτομήτορος Desiderium magno αὐτῆς ἀπογόνων Capita obligans piaculo refutatur, quia recitatur: ותרא האשה כי טוב העץ למאכל וכי תאוה הוא לעינים *Vidit igitur mulier quod bona esset Arbor ad vescendum, quodque Desiderabilis esset oculis.* Num. 11: 34. male ἐπιθυμίας pœnas luebat Israël, ominisque istius nomen accepit sepulturæ locus קברות התאוה *quia ibi sepultus Populus concupiscentiæ.* Deut. 5: 18. obsignatis Tabulis agit DEUS, interdictoque vetat ולא תתאוה בית רעך *Ne concupisces Domum Proximi tui.* Ps. 78: 30. לא־זרו מתאותם *non erant alienati à Desiderio suo.* Israëlitas σκληροτράχηλους repetit Hieropsaltes, quos beneficia beneficiis pertegendo (ut ille loquitur) (η) non commotos, nec dum lubentia lubentiores se DEO suo tractasse gratos multis antehac lineis in ruborem dedit. Num. 11: 4. *Aggregatio quæ erat in medio ipsorum* התאוו תאוה *concupiscebat concupiscentiam.* Prov. 21: 26. *Est, qui tota die* התאוה תאוה Psal. 106: 14. ויתאוו תאוה *concupiverunt concupiscentiam* sc. carnes in Deserto. Elegans Ebræorum Loquela, qua geminatione vocis cupidissimus Israëlitarum Ardor & Appetitus flagrantissimus exprimitur. (θ) Quæ omnia πονηρῦ κόμματος. Optimæ notæ est, cum Mysticus Poëta de Jehovah canit. (ι) *Elegit Dominus Sion* אוה ut *esset Habitaculum ipsius.* Deut. 12: 15. Moyses Populum comedere jubet בכל־אות *in omni Desiderio.* In hoc Albo illud nostri pensi est ויתאוה דוד Vulgatus μεταφράζει *Desideravit.* Versio Belgica, **kreegh Lust.** Lutherus: **ward lüstern.** Hæc ansa arrepta nonnullis paritatem quandam Desiderii sequioris Sexus gravi κίττῃ s. pica laborantis exsculpendi: qui appetitus in pessima quæque ac Naturæ ipsi ignota, nedum amica recidere solet. Eat in hujusmodi Exemplum ex Camerarii (κ) fide *Uxor Medici cujusdam Tubingensis, quæ uterum ferens liberaliorem numerum ovorum in Foro emerat. Domum ea referens & Mariti Musæum ingressa, ingemuit altum &c. Mi optime, inquiens, Marite, nosti me gravidam & quanti sit periculi gravidarum appetitui reluctari, & quid dissimulem? incessit me cupido hac ova omnia, sed ordine & in faciem tuam projiciendi & frangendi. Quid hic ageret Maritus: strophium expromit, & vultui præpandit; mox illa ordine ova jaculando frangit in facie Viri.* Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ καὶ διὰ παρένθεσιν. Hoc semel notandum contra Vitilitigatores hosce Appetitum hunc Davidis non fuisse talis modi inordinatum, quum Vir secundum cor & voluntatem DEI Spiritu S. plenissimus & jamjam novissima Verba (λ) ederet ipsorum opinionem διαρρήδην repercutientia, adstruentia potius ac intus claudentia divinius illud ac calidissimum, de quo infra concludetur desiderium. Masorethæ vocem ויתאוה in nostro occurrentem Textu circello consueto notarunt, & in margine addidere ל indicantes vocem hanc in hac forma non amplius in S. Scriptura legi. Denotat enim hic ל vocem Aramæam לית quæ composita est ex לא & אית ac exprimit Ebræorum לא יש *Non est. Non exstat amplius.* (μ)

§. 3. Sistit se nobis porro vocabulum דָוִד quod denominationem

(α) *Odyss.* 4. (β) *Pind. Olymp. Od.* 1. *ἐπῳδ. γ.* (γ) *Theocrit. Eidyll.* 4. (δ) *Schindl. Lexic. Pentaglott. pag.* 36. *Eduard. Leigh. Crit. S. v.* 4.

(ε) *Cap.* 22: 15. (ζ) *In Conc. Ebraic. ad voc.* אוה (η) *Plautus Trin.* 2. 2. 41. (θ) *Fessel. Advers. S. L. VIII.* 5. §. 2. (ι) *Psal.* 132: 13. (κ) *Cent.* 1. *Memorabil. c.* 23. (λ) 2 *Sam.* 23: 1. *seqq.* (μ) *Vid. Buxtorff. in Lex. Talmud. & Rabbin. p.* 79. *& in Abbreviat. Rabbin. p.* 103.

tionem accepit ab *Amore*, significat enim *dilectum*. (υ) Quis hic voce hac denotetur è συναφείᾳ Textus satis apparet. Tribuitur autem Nomen hoc in S. literis aliquando etiam Messiæ, v. g. Ezech. 37: 24. cujus rei causam dat R. Joseph Albo (ξ) בעבור היות המשיח מזרע דוד *quia Messias futurus erat è semine David*, Quod ibidem fusius declarat addens: השמות יושאלו על חמושאלים אליהם שכני צדדים אם מצד שידמו אליהם בדבר מה ואע"ף ירמו מכל אופן אלא דמיון רחוק ואם מצד שיורו עליהם בהוראה רחוקה כהוראת תכלי את בעל הכלי כי יאמר הכתוב על המשיח ועבדו את יי' אלהיהם ואת דוד מלכם אשר אקים להם בעבור שידמה מלך המשיח במלכותו או בנשיאותו אל דוד ויאמר ועבדי דוד מלך עליהם: *Nomina transferri solent ab iis, quorum sunt propria ad alia, ex duplici respectu: vel quia illa aliis sunt in aliquo similia, etsi non omni modo, sed remota aliqua similitudine, vel quia alia designant, signo aliquo remoto, quemadmodum opus ducit in cognitionem Artificis, sic de Messia scriptum est: Et servient Domino DEO suo, & David regi suo; quem suscitabo eis. (Jerem. 30: 9.) Quia nimirum similis erat futurus Rex Messias Davidi vel in regno, vel in Excellentia aliqua; Simili modo dicitur: Et Servus meus David erit Rex super eos. Ezech. 37: 24.*

§. 4. Eodem oleo & opera absolvemus voces מִי & שָׁקָה. Prior quippe cum tota sit Grammatici peculii, nolumus μεταβαίνειν: ne vero οὐδὲν ὀρίζειν videamur, illud ἀκροθίγως quasi teneamus, quod non dicatur, nisi de vivente rationali: sicut מָה quærit de Substantia, ita מִי de Persona. (ο) Ponitur tam interrogative, quam infinite. De Verbo שָׁקָה R. Mardochai Nathan (π) שקה כל לשון משקה והשקאה והנגזר ממנו: *Vox* שקה *est liquoris & irrigationis & quicquid inde descendit.* Quæ Significationes pleræque omnes Homini peculiares sunt. De Humo quando effertur, *Irrigandi* (ϱ) tantum nomine venit; De Pecore *Adaquandi.* (σ) Hic in Hiphil usurpatur מִי יַשְׁקֵנִי Quis *bibendum dabit?* Luth. **wer wird mir zu trincken holen**? Seu quis *faciet me bibere.* Quod exponendum per לוּ utinam. Perinde itaque dixeris: O si *quis bibere me faciat?* Neque enim insolens Eberinis est, ut *Interrogativo Pronomini* verbum jungatur optative accipiendum. Pariter uti Ps. 4: 7. Multi dicunt מי יראני *Quis faciet videre?* h. e. *ô si quis efficiat videre!* Psalm. 14: 7. מי יתן מציון ישועת Quis *dabit ex Sione Salutem?* i. e. ô si quis det &c. ut abstineamus recitatione ὁμοψήφων. (τ)

§. 5. Ordinem servat Vox מַיִם in cujus Natales ac Notiones ἐξακανθίζειν lubitus est nostri. Ebræi à singulari inusitato מָה arcessunt. Arabes suam venditant à notissima inter Gentem suam voce מָא *Aqua.* Ab hoc fonte derivatum Duale hoc מַיִם quo ipso significari possunt duplices Aquæ, Superiores supra cœlum sidereum, & inferiores in Terra, quas Firmamentum interjectum distinguit. De Aquis Superioribus dicitur Ps. 104: 3. המקרה במים עליותיו Qui *contingat Aquis Superiora sua.* Ps. 148: 4. הללוהו המים אשר מעל השמים: *Laudate Eum Aquæ, quæ super cœlos sunt*, & aliis Scripturæ Locis, quæ harum cupediarum alias Physicarum Sectatoribus πρὸς τὸ φυλάττειν τὴν θέσιν operas commendant egregias. De inferioribus plenissimum est illud Creatoris κέλευσμα Genes. 1: 9. יקוו המים מתחת השמים *congregentur Aquæ sub cœlo.* Sed de his tanquam ἀλλοτρίοις ἄλις δρυός. Ceterum lapsa in hoc vocabulo consuetudo paulisper deflexit de via, eoque deducta est, ut improprie constituat (1) *Potum quemlibet*, Hos. 2: 5. Dantes panem meum ומימי & Aquas meas: (2) *Multitudinem & copiam* Psalm. 79: 3. Effuderunt Sanguinem eorum כמים *sicut Aquas*: (3) *Populum fortem* s. *Exercitum*, Jerem. 47: 12. מים *Aquæ* descenderunt ex Aquilone. Targum משרית עממיא דסגיאין כמי נהרא: Exercitus *Populorum, qui multi sunt sicut Aquæ.* (4) *Adversa & Adversarios, Afflictiones, Miserias, Ærumnas, Calamitates*, Es. 43: 2. Si transieris במים *per aquas tecum sum.* (5) *Semen* Esai. 48: 1. וממי יהודה & *ex Aquis Judæ egressi sunt.* (6) *Lacrymas* Thren. 1: 16. Oculus meus demittit מים *Aquas*: (7) *Aquæ* etiam *vivæ* s. מים חיים dicuntur quas *Fontes* effundunt perpetuo manantes nec deficientes unquam, perennes. Hic non solum intelligitur Aqua illa Bethlehemitica, suis undis iisque limpidissimis gaudens, de qua R. Kimchi (υ) כמשמע שהתאוה לאותן המים שהיו יקרים וטובים וימי קציר היו כמו שאומר ובאותן הימים אדם מתאוה למים קרים מפני החום אולי במצודי שהיה שם ה״ר לא היו שם מים טובים: *Intelligendum hoc est secundum sensum literalem, quod nempe desideraverit illas aquas, quæ erant præstantes & bonæ. Et erant dies Messis, ut dictum est* (in Textu): *Et illis diebus homo desiderat aquam frigidam ob æstum: Fortasse in propugnaculo, ubi erat David, non erat aqua bona*; sed sermo hic est de aqua quæ §. 11. longe alio promanat alveo.

§. 6. Succedit ordine vox באר cujus Radix בֵּאֵר in Piel *Expressit, verbis aut characteribus elucidavit, Exposuit, Explanavit, purum & clarum reddidit*: unde est בּוֹר & בְּאֵר Signantur autem בּוֹר & בְּאֵר quibusdam (φ) hac differentia, quod בּוֹר sit cisterna, cujus Aquæ non scaturiunt, בְּאֵר autem Puteus, in quo est scaturigo Aquarum. Talmudistas utrumque distinguere notat Pagninus, quod בְּאֵר pro puteo sumptum fuerit, quod habeat operculum vel asseres, בּוֹר autem parietem aut murum palmis fere decem altum: (χ) Schindlerus id saltem interponit discriminis, quod בְּאֵר est fovea sine ædificio, בּוֹר vero cum ædificio. Scribitur vox באר hoc loco peculiari modo cum א/ unde Masorethæ eam circello notarunt, addentes in Masora parva מבר קְ/ quo indicant τὸ קְרִי s. *Lectionem* hujus vocis esse מבר sed כְּתִיב s. *Scriptionem* esse מבאר uti in textu exstat. Invenitur autem hæc vox ter plena cum א/ unde in eadem Masora parva additur: ג׳ מל אלף. Idem annotatur in Masora magna Textuali ubi hæc leguntur: בר ג׳ כתיב באר i. e. בר ter scribitur באר.

§. 7. Jam criticam experiatur falcem בֵּית־לֶחֶם Nomen Urbis ἄκλιτον, per συμβιβασμὸν à simplicibus בֵּית *Domus* & לֶחֶם *Panis*, interjecta lineola Macceph. Ad par Exemplum, uti בית־בעל/ בית־צ׳חא/ dixerunt Eberini: quasi dicas *Domus Panis.* Tracta hæc ὀνοματοθεσία ab oppositæ Regionis Bethlehemiticæ fertilitate. Patres simplici vocis Etymologia non contenti mysterium in ea claudi autumant, quod tamen non eodem omnes explicant modo. Communis eorundem Annotatio est Bethlehem dici, quod vivus Panis, qui de Cœlo descendit (ψ) in hac civitate nasci debuerit. Alii mysticam participationem de corpore Christi, quæ fit mediante Panis Symbolo, huc referunt; Ebræum Vocabulum, quoad ejus rei fieri potuit, Græcis Literis vestierunt Metaphrastes & N. Instrumenti Conditores Græci, quando Βηθλεέμ reddiderunt. Latini *Bethlehem* inserto τῷ H ex erudita πεντάθλῳ Schmidii (ω) observatione, qui τὸ ח in לחם non plane proscribendum, sed per Semivocalem πνευματώδη H utrumque repræsentandum ἀνεμποδίστως vincit. Appellationis ratio tum in Scriptura, tum apud Patres variat admodum. Luc. 2: 4. vocatur πόλις Δαβίδ, quod in ea urbe David cum Antecessoribus suis crevisset, illa generationis & educationis solum præbuisset. Hinc civitas ipsa *totius Regiæ* & Davidicæ Stirpis Seminarium & communis Patria non nemini vocatur. Patres Etymo plerumque Ebrææ vocis insistentes, appellitant οἶκον τοῦ ἄρτου. (α) Latini *Panis Domum* vocitare consueverunt. Germanorum Nomen **Brodt-Hauß.** Ceterum cum sit Bethlehem alia ὁμόκλητος, illa nempe, quæ sita erat in sorte tribus Zabulon, haud longe distans ab hac nostra, de qua etiam Jos. 19: 15. Judic. 12: v. 18. tantum se nobis sistit, quæ alias geminata fertilitatis ῥητῶς בית־לחם אפרתה insignitur. (β) Non autem λευκὴν ψῆφον hic mereri poterit Franciscus Junius, (γ) qui Bethlehem Ephratæ Natales refert ad Uxorem Calebi *Ephratam*, ex qua Bethlehem susceptus primogenitus, cujus in Sacris (δ) memoria est: Diu quippe ante hanc ortam Urbs Bethlehem id nomen gessit, ut ex Gen. 35: 19. 48: 17. liquidum. (ε) Surrexit hæc Urbs auspiciis Jebusæorum, (ζ) à quibus primum *Effratæ* conditum nomen. Sequiori ætate, quando ibi pecora sua pavit Jacob, idem Locus à pascuorum ubere & frumenti honore traxit Titulum Bethlehem. Commodissima licet sedens sede, magnitudine tamen cum ceteris Palæstinæ urbibus non potuit contendere, quin collata ad alias friguit stupuitque. Hodie Pagus est, sed Templo ornatissimo ab Helena Imperatrice in honorem Præsepis Christi magnis sumptibus extructo nobilis. (η)

§. 8. Superest vocabulum שַׁעַר de cujus Radice R. Nathan hæc habet. (θ) שער בש"ין פארותיו שלש: א׳ כל לשון שיעור והשערה׳ ב׳ כל

(υ) *Leigh. c. l. pag. 40.* (ξ) *In Ikkarim Lib. II. cap. 28. Add. Talmud. Hierosolym. in Massech. Berachot. c. II. fol. 5. col. 1. & Saubert. in Palæstra Philolog. pag. 162.* (ο) *Conf. Hilligeri Summar. Linguæ S. pag. 49.* (π) *Concord. Biblic. in voce* שקה (ϱ) *Genes. 2: 6. 10.* (σ) *Genes. 24: 46.* (τ) *Exod. 16: 3. Num. 11: 29. Deut. 5: 29. 28: 67. 2. Sam. 19: 1. Psalm. 5: 5. 7. Cantic. 8: 1. Jerem. 9: 1. 2.* (υ) *Commentar. Rabbin. ad h. l.*

(φ) *Leigh. Crit. S. p. 15. Schindler. Lex. Pentagl. p. 147.* (χ) *Rivetus in Exod. Cap. XXI.* (ψ) *Joh. 6: 51.* (ω) *Ad Matth. 2: 1.* (α) *Athanas. Tom. II. Quæst. ad Antioch.* (β) *Mich. 5: 2.* (γ) *In Parall.* (δ) *Paralip. 2: 19.* (ε) *Conf. Glass. Philol. S. L. IV. tract. 3. p. 754.* (ζ) *Isid. Hispal. Episc. Lib. XV. 1.* (η) *Conf. D. Caspar. Bertram. Matthæus enucleatus p. 25.* (θ) *In Concord.*

שער *Vox* : בי כל מה שפרושו טנוף ולכלוך ג׳ בל׳ שער ושערים: *quando scribitur per Schin, rami ejus tres sunt; Primi est omnis vox* æstimationis *&* mensurationis: *secundi rami est omnis vox significans* spurcitiem *&* inquinamentum: *tertii omnis vox significans* portam *&* janitores. Hoc loco שער portam urbis denotat. Dicitur quidem proprie de parietibus & domibus; usurpatur tamen etiam de portis Urbium & Templorum. Apud Rabbinos Portam s. Caput libri significat. (ι) Componitur hæc vox sæpius cum בית & significat Vestibulum, quod Commentator Maimonidis (κ) ex Raschi sic describit: בית שער בית קטון שלפני פתח טרקלין: *Beth-Schaar est domuncula parva quæ est ante fores triclinii*: Intelligit interstitium inter primam domus januam & januam conclavis, quæ velo obducta est, ne intranti introspicere liceat in locum ubi Paterfamilias degit, quem morem apud Orientales receptum L. de Dieu (λ) notavit.

§. 9. Non hic quasi in possessionem veniremus nostram, singulis κατ᾽ ἰδίαν spectatis vocibus, excludemus totam Sacræ ἐπιθυμίας structuram: ipsum de vivo quasi resecandum ὕφος & σῶμα Textus, ita tamen, ne jure merito in nos competat τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν. Quod non futurum confidimus, si Assertionis nostræ Ἀνάγκας γραμμικὰς non ex Theologorum Sphæra, sed Philologiæ sacris spatiis τοῖς φιλολόγοισι probaturi simus. Hic vero diversas itum in sententias, ut non immerito usurpaveris illud Homeri: Ἀργαλέον δή μοι ἐστι θεοσκοπιάδ᾽ ἑκάστω juvat præcipuum modo in hoc Opinionum comitio Suffragantium inire numerum. Rabbini ex Desiderio ac verbis hisce Davidis conjicere tentant Scrupulum ursisse Davidem, magnoque dubitationis fluctuasse æstu, num infestos Sibi Suisque Philistæos post arva velut carecta latitantes ultricibus ustulare, imo concremare sustineret flammis: æstu hoc ut liberaretur, per Synedrium sub Porta Bethlehemitica decernens utique arbitratum fuisse stare, ipsum velut Oraculum consulere gestiisse. Consilium texisse Problemate מי ישקני Quis potabit me? Quæ μορμολυκεῖα ac ψευδόπυρα si quis ipsorum potius, quam nostro accipere cupiat ore, adeat, audiat. R. D. Kimchi, qui ex mente aliorum Rabbinorum ad h. l. seqq. adducit: ומה שכתבו רז״ל בעניין זה הם דברים של תימה כי חברו שני העניינים האלה כאחד והיו בשני המקומות כי דבר חלקת השדה היה באפס דמים ודבר המים היה במערת עדולם והם פי מי ישקנו מים דרך משל כי המים הם התורה כמו (ישעיה נה א) הוי כל צמא לכו למים ופרוש מי ישקני מים הלכה נצרך לו לשאול מסנהדרין שהיו בבית לחם וזהו שאמר מבאר בית לחם אשר בשער כמו (דברי בה ז) השערה אל הזקינים וההלכה אשר הוצרכה לשאול מהם הוא דבר חלקת השדה מלאה עדשים ושעורים ונחלקו בדבר זה מהם אם אמרו כי הגדישים משעורים ומעדשים היו מישראל ופלישתים היו טמינים בהם ושאל דוד אם יש לו רשות לשלח אש בגדישים בעבור שישרפו עמם הפלשתים ושלחו לא אסור להציל עצמו בממון חבירו אבל אתה מלך ומלך פורץ לעשות לו דרך ואין ממחין בידו ומהם אמר כי הגדשים משעורים היו של ישר אל והגרישים של עדשים היו של פלשתים ושאל אם יש לו רשות לתת השעירים לפני הבהמות שהוי עמי לאוכל וישלם חילופם לבעלי השעורים מגדישי העדשים ושלחו לו תבול ושב רשע גזלה ישלם אע״פ שמשלם נקרא רשע אבל אתה מלך ומלך פורץ לעשות לו דרך ואין ממחין בידו: *Quæ de hujus loci sensu scribunt Doctores nostri b. m. sunt verba admiratione digna; quia conjungunt duos hos sensus, ut sit quasi unus, & tamen fuere in diversis locis*: (gesta) *quoniam illud de portione agri factum est in termino Dammim, & illud de Aqua gestum in spelunca Odollam. Et illi explicant* מי ישקני מים *Allegorice, quod nempe hæc aqua significet Legem, ut (Es.* 55:1.) Heus quisquis sitit, venite ad istas aquas; *Et explicatio horum verborum* מי ישקני מים *esset* (secundum illos) *Halacam s. Expositionem quærere opus habebant à Synedrio, quod erat Bethlehemi, & hoc est, quod dicit ex cisterna Bethlehemi,* אשר בשער *quemadmodum (Deut.* 25:7.) in portam ad Seniores; *Et expositio, quam ab illis quærere necesse habebat, erat negotium de portione agri repleta lentibus & hordeo, & disceptant propter hanc rem* (sc. Doctores). *Quidam eorum dicunt, acervos hordei & lentium fuisse Israëlitarum, & Philistæos sese in illis abscondidisse; quæsivisse ergo Davidem, an ipsi liceret, ignem in acervos illos immittere, ut cum iis comburerentur Philistæi; illos vero* (Seniores) *misisse ipsi* (sc. responsum): *prohibitum est opibus proximi sui se liberare, Tu vero Rex es, & si Rex urget, ut faciat sibi viam, nullus illum impedit. Alii vero ex illis* (Doctoribus) *dicunt, quod acervi hordei fuerint Israëlitarum acervi vero lentibus fuerint Philistæorum; & quæsiverit* (David) *an ipsi concessum sit hordeum dare jumentis, quæ secum habebat, ut ederent, & reddere ejus loco possessoribus hordei de acervis lentium, &* (responsum) *ipsi miserint.* (Ezech. 33:15.) *Pignus restituet improbus, rapinam reddet, etiamsi reddens vocatur improbus, attamen tu Rex es; Et si Rex urget sibi ut faciat viam, nullus prohibet ipsi.* Idem sentit Rabbi Salom. Jarchi ad h. l. scribens: אמרו רבותינו הוצרך לשאל שאלה מסנהדרין היושבים בשער בית לחם *opus habebat quærere aliquid à Synedrio sedente in porta Bethlehemi.* Sed facessant μῦθοι Judæis Apellis non nobis ἄπειροι. Id valde ἄκυρον. Philistæis obsidentibus Bethlehemum, quis Synedrio Locus? Ubi Poetæ verbis, *Barbarus Hostis, ut fera plus valeant Legibus Arma, facit?* Quid de hoc mysterio S. Pandectæ vel in principiis vel postremis? Ne gry quidem Dionis. Nec id, quod quæstione hac interprete uti vellet virtutis Militum suorum, quod ex mente Eberinorum hausit Hieronymus (μ). Quid in nugis Tragœdias excitaret David, tot capita utut animæ prodiga. Morti devoveret, cui maximis etiam procedere posset copiis? Regnabat enim à Dan usque in Bersabe & Rex erat non tantum super Israël, sed etiam Judam, cujus διοικήσεως quoque erat Bethlehem. Obstat verbum אוה obstat ἐμφατικώτατον ejus in Hitpaël usus. Desiderium ingens conceperat, cui parentare non poterat vel occisione tot fortium, si vis verbi exprimatur rectius.

§. 10. Quidam rem proprie & Historice capiunt, ut ex Eberinis R. D. Kimchi, qui præter illa, quæ §. 5. adduximus, hæc addit: ואין להבין בכל זה אלא פשט הכתו׳ *Nihil est in his omnibus, quod aliter, quam literaliter intelligendum sit.* Et paulo post: ויש מרבותי ז״ל שפי׳ דברים אלה כמשמען שנתאוה דוד למים אבל אמרו כי הזמן הזה היה חג הסכות שהיו מנסכין בו המים ובמה עשה דוד שם כי היתר הבמות היה עז ונסך מים אלו בבמה: *Sunt etiam ex Doctoribus nostris b. m. qui explicant hæc verba prout jacent, quod David desideraverit aquam, sed dicunt, quod tempus illud* (quo contigit hæc res) *fuerit Festum Tabernaculorum, in quo libabant aquam, & quod David fecerit ibi excelsum, quia tunc excelsis adhuc erat præstantia, libaveritque aquam illam in excelso.* Ex nostratibus hæc etiam Historice explicant Hieronymus Wellerus (ν), Caspar Finckius (ξ), Lucas Osiander (ο), Geierus (π), Fesselius (ρ) aliique.

§. 10. Nostram tandem ut explicemus involutam animi notionem, desideravit David ἀπὸ βαθείας ψυχῆς Aquam non corporalem sed Spiritualem, illam sc. de qua Joh. 4:10, 15. ἔδωκεν ἄν σοι ὕδωρ ζῶν, Samaritanam à Fonte Jacob ad se aquam viventem remittebat Salvator; illa aqua intensissimo Davidis digna desiderio, ὃς πίῃ ἐκ τοῦ ὕδατος, οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα. Per מים quod nec in Veteris Instrumenti ignotum aut novum Libris, intelligitur Aqua, de qua etiam Jer. 2:13. *Me deseruerunt Fontem Aquarum viventium*, Targum מבוע דמין דלא פסק: *Fontem aquæ nunquam deficientis*, omnis boni ac felicitatis Autorem DEUM, illa aqua, ad quam אף וקרמים כל־צמא venire jubet Esaias (σ), ut cerva clamavit ad *Torrentem Aquarum* DEUM sitiens David. Qui etiam haut obscure digitum indicem tendit ad verum לחם s. Panem. Domus ejus vocabatur בית־לחם *Domus Panis*, quod verus Panis qui de *cœlo descendit*, (τ) Christus in ea nasciturus erat. Strictim ergo ac per transennam sub Schemate corporalis Desiderii prudens sciensque tetigit Spirituale Piorum omnium ἐπιθύμημα. Hoc modo Ambrosius hæc explicat (υ), *sitiebat*, inquiens, *David non aquam de lacu, qui est in Bethlehem, sed oriundum ex virgine Christum spiritu prævidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis, sed potum gratiæ spiritualis, hoc est non aquarum sitiebat elementum, sed sanguinem Christi &c.* Hunc è Nostratibus Dn. D. Calovius (φ), Pfeifferus (χ) aliique sequuntur, è quibus J. H. Ursinus ait (ψ): *Dolebat* (David) *patriam teneri ab hostibus, metuebatque, ut omnino exscinderetur. At sive jam tum didicerat, sive eo ipso momento divino inspiratu intelligebat nasciturum Messiam in Bethlehem. Quare quemadmodum Esaias regno Juda in solatium denunciat, quod exstirpari non possit à conjuratis regibus, eo quod ex eo proditurus sit Immanuel, virginis filius; cap.* 7:14. *sic David spe se erigit, non excisum iri Bethlehem,* pa-

(ι) *Buxt. Lex. Talmud. Rabb. pag.* 2488. (κ) *Ad Hilcot Scheenim cap.* 2. §. 4. (λ) *In Notis ad Act. cap. XIV. Add. Cl. Wagenseil. in Sota pag.* 862.

(μ) *Tradit. ad Lib.* 1 *Paral.* 11. (ν) *Annotat. in* 2 *Sam.* 23. (ξ) *Quæst. Illustr. Qu. LXVIII.* (ο) *In h. l.* (π) *Part. II. Conc. Funebr. Conc. XXII. pag.* 31. (ρ) *Adverf. S. Lib. VIII. cap.* 5. (σ) *Cap.* 55: 1. (τ) *Joh.* 6: 33, 35. (υ) *Apol. Dav. L.* 1. 7. (φ) *Bibl. Illustr. in h. l.* (χ) *Dub. Vexat. p.* 462. (ψ) *In Parallel. Evangel. pag.* 31.

patriam suam, eo quod ex illa venturus sit fons vitæ, & orbem inundaturus universum. Hinc desiderium & votum. Patescit hoc etiam ex παρεπομένοις nam Aquam nactam non bibit sed effudit: testatus eo ipso, se talem aquam neutiquam desiderasse. Sed quid ingenii nostri Decempedam in Theologiæ longius mittemus Latifundia, quæ ἀπ' ἀγείρου, quod dicitur, modo spectat Philologus? Doctoribus hæc examinanda relinquimus ne τοῖς ἔξωθεν λόγοις πληρῶσαι τὸν λόγον videamur. Pedem itaque figimus & more prisco Terminum judicio Magnif. Dn. D. Calovii (ω) Theologi Lutheranorum χαλκεντέρου quasi germinante coronemus fronde: *Noluit*, inquit, *bibere, ut indicaret, non tam corporalem quam spiritualem sitim Messiæ in Bethlehem aliquando prodituri sibi hoc Desiderium excitasse.*

ת״ל״ח

(ω) *c. l.*

ANDR. SENNERTI
DISSERTATIO
De iis, quæ fuere in Arca Fœderis ad 1 Reg. VIII: 9.

ב״ש הק״בה



T ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίων dicamus, rem ipsam statim aggredimur, collaturi inter sese & explicaturi tria sequentia loca.

I. Locus 1 Reg. 8: 9. in Originali ita habet.

אֵין בָּאָרוֹן רַק שְׁנֵי לֻחוֹת הָאֲבָנִים אֲשֶׁר הִנִּחַ שָׁם מֹשֶׁה בְּחֹרֵב אֲשֶׁר כָּרַת יְהוָה עִם בְּנֵי יִשְׂרָאֵל בְּצֵאתָם מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם׃

II. Locus 2 Paral. 5: 10.

Iisdem ferme verbis conceptus est, nisi quod pro אשר הניח שם משה habeatur אשר נתן משה.

III. Locus Hebr. 9: 4. in Græco his legitur verbis.

Ἐν ᾗ στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης.

Multas hic adducere versiones, non videtur operæ pretium; ad locum saltem ultimum, quem paulo accuratius examinare animus est, unam vel alteram adduxisse juvabit.

Syrus igitur ita vertit.

ܘܐܝܬ ܗܘܐ ܒܗ ܩܣܛܐ ܕܕܗܒܐ ܗܘ ܕܐܝܬ
ܗܘܐ ܒܗ ܡܢܢܐ ܘܫܒܛܗ ܕܐܗܪܘܢ ܗܘ ܕܐܦܪܥ.
ܘܠܘܚܐ ܕܕܝܬܩܐ ܀

Et erat in illa (arca) urna aurea, in qua ipsa erat Manna & virga Aharonis, quæ propullulare fecit s. floruit & tabulæ Testamenti.

BEZA.

In qua (arca) urna aurea, habens Manna & virga illa Aharon, quæ germinavit & tabulæ illæ pacti.

LUTHERUS.

In welcher war die gültne Gelte/ die das Himmelbrodt hatte/ und die Ruthe Aaron/ die gegrünet hatte/ und die Taffeln deß Testaments.

§. 1. CONtradictionem quandam in his locis esse, nemo est, qui non videat, in duobus enim prioribus locis expresse dicitur, in arca fœderis רק *tantum* fuisse שני לחות duas *tabulas*, in loco autem Hebræorum habetur, ibi quoque fuisse στάμνον urnam continentem Mannam & virgam Aharonis. In his locis conciliandis variam Interpretes collocarunt operam, adeo ut plures ferme sint sententiæ circa hunc locum, quam vocabula in eo contenta, ut difficile sit electionem instituere inter tot tantorumque virorum opiniones. Ut vero res eo clarior evadat, locum Hebr. 9: 4. paucis examinabimus (priores enim sat clari sunt) subjunctis deinde variis Doctorum circa hæc loca sententiis.

§. 2. Et quidem quod concernit (1) voces ἐν ᾗ varie se macerant Interpretes, quorsum sint referendæ, an ad τὴν κιβωτὸν proxime præcedens, an ad σκηνὴν remotius, quod habetur vs. 3. præced. Posteriorem amplectuntur sententiam *Ribera, Tremellius, Junius* in Parall. l. 3. *Lorinus* in Num. 17. è nostris Dn. D. *Pfeifferus* Dub. Vex. p. 488. Vid. B. *Walth.* Harm. Bibl. ad 1 Reg. 8: 9. qui & ipse huic sententiæ adstipulatur & ex *Junio* pro sua sententia confirmanda similia adducit exempla, in quibus pronomen relativum non ad proxime antecedens, sed ad remotius referendum est, ut Genes. 10: 12. Et Resenem inter Nineven & Celachum, היא *ipsa* (Nineve, quod remotius distat, quam Celach) est civitas maxima. Et sic construunt plerique Interpretes: Ninive enim Jon. I: 2. vocatur העיר הגדלה, quod & ר״שי observavit & *Aben-Esra* vocabulum היא refert ad ויבן את נינוה vs. præced. 11. sic Psal. 99: 6, 7. In columna nubis locutus est אליהם *ad eos*, sc. qui vs. 6. enumerantur, & mentio Samuelis cum invocantibus nomen Dei (ad quem non locutus est in columna nubis) inter antecedens & relativum interseritur, in quem locum אליהם ישוב אל משה ואהרון ואין א״ע שמואל עמהם כמו וישם דמי מלחמה בשלום שב אל יואב לבדו ולא עמשא וכמוהו רבים׃ *Vox* אליהם *refertur ad Mosche & Aharon, & Samuel non est cum illis, sicut cum dicitur* (1 Reg. 1: 5.) *& posuit sanguines belli in pace; referendum est ad solum Joab, non vero ad Amasa, & talia exempla multa sunt.* Vid. *Glass.* Phil. S. p. m. 513. seqq. & *Excell. Dn. Præsidem* in Idiotism. LL. Orient. Can. 86. Sed de hac expositione plura dicendi infra occasio se ostendet. *Syrus* vero refert non ad vocem ܡܫܟܢܐ *tabernaculum*, sed ad vocem ܩܒܘܬܐ *arcam*, dicit enim ܘܐܝܬ ܗܘܐ ܒܗ, vocula ܒܗ est generis fœminini, quæ ad ܡܫܟܢܐ tanquam Mascul. generis referri nequit, sed ad ܩܒܘܬܐ (à Græco κιβωτὸς) tanquam generis fœminini. Sequitur eum B. *Gerh.* Comment. in h. l. D. *Glass.* Phil. S. p. 515. & alii.

§. 3. Vox στάμνος, urna, amphora jam consideranda venit, Hebr. est צִנְצֶנֶת, quæ vox semel tantum invenitur, nempe Exod. 16: 33, ubi præcepit Moses Aharoni, ut sumeret צנצנת אחת Urnam unam, illique inderet mensuram Homer τοῦ Man, & poneret coram Domino ad custodiam: Hanc vocem varie vertunt: paropsidem, scutellam, phialam, urceum, pateram, vas in modum umbonis confectum. *Tremell.* urnam vertit, LXX. στάμνον χρυσοῦν, *Targum* צְלוֹחִית amphoram, scu-

scutellam, *Lutherus* ein Krüglin / hic loci vero στάμνον, vertit, die gelte. צנצנת deducit à צנן, quod Chaldæis est frigescere, frigefieri. Quale vas fuerit, an aureum, an argenteum, an æneum, id h. l. non habetur: unde & *Aben Esra* dubitat, ita enim commentatur צנצנת כלי חרס או נחשת. *Vox* צנצנת *notat vas testaceum aut aheneum.* *Raschi* pro testaceo habet. Sed dubium omne nobis eximit præsens locus Epl. ad Hebr. expresse enim dicitur, fuisse urnam auream. Unde autem Apostolus id habuerit, in medio relinquimus: forsan ex traditione, ut nomina Jannes & Jambres; quemadmodum etiam in proxime præcedentibus θυμιατήριον thuribulum vocat aureum, quod apud Mosen non legimus, quia enim reliqua vasa templi aurea fuere, & hoc ex ornatu templi putarunt, si esset aureum: de hac urna dicit Apostolus, eam habuisse in sese Manna. Vid. locum ex Exod. modo citatum.

§. 4. Sequitur ῥάβδος Ἀαρὼν βλαστήσασα *virga Aaronis germinans seu florens*, de qua, quia paulo fusius in specie agere nobis animus est, in præsenti plura dicere nil attinet. Succedunt αἱ πλάκες τῆς διαθήκης *tabulæ fœderis*, sic dictæ, quod continerent fœdus inter Deum Hebræosque, unde & arca vocatur arca fœderis, quia in sese continebat tabulas fœderis juxta *Lorin.* in Num. 1: 1. p. 15. Hæc brevis est ἀνάλυσις & explicatio loci Hebr. 9: 4. quomodo vero cum nostris locis 1 Reg. 7: 9. & 2 Par. 5: 10. conciliari possit nunc dispiciendum erit. Ut autem res clarior evadat, ordine agemus de iis, quæ in controversiam veniunt, primum de tabulis fœderis, tum de urna Mannæ & virga Aaronis.

§. 5. Et quidem duas tabulas Decalogi ipsi arcæ fœderis inclusas fuisse, extra ullum dubium est. In hoc namque conveniunt nostra citata dicta. Expresse enim in prioribus dicitur fuisse eas בארון *in arca* & locus posterior Hebr. 9. aperte id confirmat, quod & *Josephus* aliquoties scribit l. 3. Antiq. c. 6. l. 4. c. 8. l. 8. c. 2. cujus verba brevitatis causa omittimus & *Philo* l. 3. de Vita Mosis, *arcam* vocat *vas legibus destinatum.* Expresse etiam dicitur Deut. 10: 4. Mosen posuisse Tabulas בארון in arca, quam fecerat, ut essent ibi juxta præceptum Domini. Qui locus satis clarus est. Et Exod. 40: 20. habetur, quod Moses posuerit את העדות *testimonium* אל הארון *in arcam.* עדות *testimonium* nihil aliud est, quam hæ ipsæ tabulæ legis, sic *Raschi* per לוחות explicat, quæ alias vocantur לוחות העדות. *tabulæ testimonii* cap. XXXI. ult. & XXXIV. 29. sic & in loco Hebr. 9: 4. vocantur αἱ πλάκες τῆς διαθήκης *tabulæ testimonii.* *Syrus* eodem modo ܠܘ̈ܚܐ ܕܕܝܬܩܐ (ex Græco διαθήκη) *tabulæ testimonii. Beza.* Tabulas pacti Rationem hujus denominationis vid. §. præced.

§. 6. Quomodo autem in loco Hebr. 9. tabulis fœderis adjungantur urna Mannæ & virga Aaronis, quæ expresse 1 Reg. 8: 9. & 2 Par. 5. per voculam רק ex arca eliminantur, id est quod hactenus Interpp. in diversas traxit sententias. In quibus enumerandis prolixi sunt *B. Gerh.* Comment. in h. l. Epl. ad Hebr. & *B. Walth.* in Harm. ad 1 Reg. 8: 9. è quibus nonnulla circa varias sententias non pigebit adducere, & quid forte in una alterave desiderari queat, ostendere, subjuncta communiori nostra sententia. Id saltem in antecessum adhuc notetur in V. T. nullibi haberi de urna Mannæ & virga Aharonis, quod posita fuerint in arca, sed id dicitur, reposita esse לפני העדות *coram testimonio*, ut legimus de virga Aharonis Num. 17: 4. & urna Mannæ Ex. 17: 34. quæ & dicitur posita esse לפני יהוה *coram Domino.* vs. 33. Quæ phrasis non solum de Manna sed etiam de lucerna Exod. 27: 21. de thymiamate c. 30. 8. aliisque rebus, nunquam vero usurpatur de tabulis, videlicet fuisse positas coram Domino. Poni autem coram testimonio est poni coram arca, quæ & arca testimonii dicitur, sicut & tabulas legis absolute עדות appellari diximus: poni autem coram Domino, plane idem est, quoniam is peculiariter dicitur esse in arca. Vid. *Lorinum* in Num. p. 645. Secundum hæc loca igitur certum est, urnam & virgam non fuisse in arca, sed saltem coram arca. Unicus tantum locus Hebr. 9. videtur probare in arca fuisse. Videamus varias opiniones.

§. 7. Et quidem *I. Chrysostomus & Theophylactus* in h. l. dicunt, tempore Mosis quidem solas Tabulas fuisse in arca, sed postea à Jeremia urnam quoque auream cum Manna & virgam Aaronis in arca repositam fuisse, ut in ea melius servarentur, idque Paulum per traditionem accepisse. Ad hoc melius intelligendum, observandum est, nonnullos somniare, Arcam fœderis una cum tabulis & cæteris quæ continebat in vastatione Hierosolymitana absconditam esse à Jeremia Propheta, qui tum temporis vivebat, in profunda quadam montis Horeb spelunca. Ita *Dorotheus*, Synops. de Vit. & Mort. Prophetarum in Jerem. *Theophylactus* in cap. 9. Epl. ad Hebr. & *Epiphanius*, ita etiam *Josephus Ben Gorion*, cujus verba statim adducemus. Meminit etiam hujus figmenti *Author lib. II. Maccab.* quem plurimi postmodum Pontificii modo non omnes sequuntur, utpote qui hunc librum pro Canonico habent, cap. 2. vs. 4. 5, 6, 7, 8. verba ipsa adducere nimis prolixum foret: innuunt autem arcam fœderis absconditam à Jeremia & aliquando iterum à Deo ostendendam. Id vero non uno modo interpretati sunt. Multi enim è Pontificiis *Vilalpandus*, *Six. Senensis*, *Cornel. à Lap. Bellarm.* *&c.* & ipse *Epiphanius & Theophylactus* putant, post conversionem Judæorum in fine mundi id futurum, & arcam ex illa spelunca redituram. Alii adhuc specialius dicunt ipsum Jeremiam & Eliam restituturos eam in suum locum in sanctum sanctorum, ita supra citatus *Josephus Ben Gorion.* Cujus verba hæc sunt: והארון איננו כי לקחו ירמיהו הנביא עם כל היריעות אשר עשה משה עבד יי׳ במדבר וישם אותם בהר נבו וימצא שם מערה ויתנם בתוכה וירדפו הכהנים אשר היו בימים ההם אחריו וירא אותם ויקצף וישבע לאמר כי לא ידע האדם ולא ידע המקום עד בואי אני ואליהו הנביא עבד יי׳ אז נשיב את הארון אל מקומו אל קדש הקודשים אל תחת כנפי הכרובים: *Et arca non aderat, quia sumsit eam Jeremias Propheta cum omnibus aulæis quæ fecerat Mosche servus Domini in deserto, & posuit ea in monte Nebo & invenit ibi speluncam, & in medium ejus collocavit ea. Et secuti sunt Sacerdotes ipsum, qui fuerunt in diebus istis, & vidit eos, & iratus juravit dicendo: nemo sciet neque cognoscet locum, usque dum venero, ego & Elias Propheta servus Dei, tum restituemus arcam in locum suum in sanctum sanctorum subter alas Cherubim.* Alii cum *Augustino Torniello* putant arcam postmodum inventam esse, cum Deus locum, in quo sacer ignis fuerat absconditus, Nehemiæ ostenderet (l. 2. Macc. c. 1. vs. 19. 20.) & quis omnes sententias recenseret. Vid. *Buxtorff.* Dissert. de Decalogo. Cum itaque Jeremias absconderet arcam, abscondisse dicunt simul urnam Mannæ & virgam Aaronis & alia, ut ex *tract.* יומא patet, ubi sic legimus: והתניא משנגנז ארון נגנז עמו צנצנת המן וצלוחית שמן המשחה ומקלו של אהרן בשקדיה ופרחיה וארגז ששלחו פלישתים דורון לי״י אלהי ישראל: *Et traditio est, cum absconderetur arca, absconditam cum ea esse urnam Mannæ & lecythum olei unctionis & baculum Aharonis cum amygdalis & floribus, & capsulam, quam miserunt Philistæi in donum Domino Deo Israëlis.* Sed hanc sententiam, uti nititur commentis & fabulis Rabbinicis ita merito cum *B. Gerh.* reprobamus. Et posito etiam, non concesso, Jeremiam vel alium quendam, Josiam (ut nonnulli volunt) abscondisse, nihilominus tamen minime id quadrat ad nostrum locum Hebr. 9. quasi ante Jeremiam tantum ibi fuerint tabulæ Moysis, sed postmodum, cum absconderetur arca, indita simul fuerint alia, ut urna & virga. Nam Epl. ad Hebr. non loquitur de tempore Jeremiæ, sed Mosis, & de πρώτῃ σκηνῇ, de *primo tabernaculo* Heb. 9: 1. Non procul abest ab hac sententia illorum opinio, qui cum *Melchiore Cano* l. 2. LL. Theol. existimant non quidem tempore Jeremiæ, attamen post Salomonem, cum scilicet ædificatum esset templum, in arca fuisse reposita urnam & virgam, ut sic melius & tutius conservarentur. Sed obstat huic sententiæ idem, quod vers. præced. diximus, Apostolum nempe agere non de temporibus Salomonis, sed Mosis, non de templo, sed tabernaculo.

§. 8. Sed nequis forte objiciat nobis: Apostolum quidem loqui de temporibus Mosis, locum autem 1 Reg. 8. de temporibus Salomonis: sed exinde potius sequi, tempore Mosis hæc omnia fuisse in arca, tabulas, urnam & virgam, tempore autem Salomonis, cum nempe arca templo inferebatur, solas tabulas Decalogi. Ita *Ambrosius Catharinus* objicit & hujus etiam sententiæ, quæ IIItia est, addictus est *Torniellus*, qui tamen aliam conjungit, ut postmodum audiemus. Respondemus (1) qui sic opinantur, nullo modo ostendere possunt, quando & qua authoritate, & à quo mox urna & virga arcæ indita, ac inde postmodum fuerint deprompta, præsertim cum non licuerit aperire arcam. Vid. B. *Walth.* in harm. l. c. (2) ne quidem esse potest, ut tempore Mosis & tabulæ & urna & virga fuerint in arca, nam supra §. 6. allegavimus loca, in quibus expresse dicitur, hæc, virgam & urnam non in arca, sed coram עדות arca posita esse. Affirmat id etiam *Josephus* l. 3. Antiq. c. 6. & *Philo* l. 3. de Vit. Mosis asserentes, *solas tabulas tempore Mosis in arca fuisse.*

§. 9. Alii 4. Existimant verba 1 Reg. 8. ita esse intelligenda, quod principaliter in arca asservari debuerint tabulæ legis, quibus hæc arca destinata, reticeri autem minus principalia, urnam & virgam, de quibus agat Hebr. 9. ita *Osiand.*

in

in Schol. ad 2 Par. 5: 10. & Lyra 1 Reg. 8. cujus verba vid. ap. *Walther.* cit. l. *Hugo* hic suspicatur hiatum, ideo inquit: *tabulæ lapideæ, supple & urna aurea plena Manna, & virga Aaron. Hæc enim omnia testatur Apostolus fuisse in arca Hebr. 9.* alibi tamen ad 2 Par. 5. ejusdem cum *Lyra* sententiæ est: Sic enim in Notis: *videtur falsum, quod hic dicitur, quia etiam ibi erat urna aurea & virga Aaron, ut dicit Apostolus ad Hebr. 9. Sed quia tabulæ digniores erant (quia scriptæ digito Dei) ideo tantum de illis hic fit mentio, tamen non excluduntur alia.* Hujus etiam sententiæ est *Thomas.* Vid. *Gerh.* in cap. 9. Epl. ad Hebr. Sed forte esset hoc aliquid, nisi obstaret 1 Reg. 8. & 2 Par. 5. vocula רק quæ certe non sine causa addita fuit, sed nimis manifeste alia etiam minus principalia excludit.

§. 10. V. Sunt, qui ita conciliare student: quod sc. per voculam רק non excludantur virga & urna, sed saltem aliæ leges, ut sensus sit, nihil ex tota lege erat in arca nisi decem præcepta: ita *Vatablus*: *nihil aliud ex tota lege sc. sive ex libro legis continebatar in arca nisi &c.* Hujus sententiæ etiam est *R. Levi Ben Gerson* in Bibl. Basil. fol. m. עט"ש. Sic commentatus. אין בארון/ זה לא ישלול שלא היו שם הדברים שנזכרו בתורה שהם מונחים בו כמו מטה אהרון וצנצנת המן אך שלל בזה שלא היה שם מהתורה רק עשרת הדברים: *Hoc non negat, ac si non fuerint ibi res illæ, quarum mentio fit in lege, quod positæ fuerint in arca, ut virga Aharonis & urna Mannæ, tantum negat id, quod non fuerit ibi quid ex lege præter decem verba.* Sed quis non videt hæc esse coacta, & ne minimum indicium hujus in textu habetur. Affinis huic sententiæ illa est, quæ dicit: particulam exclusivam interdum excludere absolute, interdum accommode sicuti 1 Reg. 12: 20. negatur quenquam secutum domum David, nisi seu excepta tribu Juda solum & tamen vs. 21. illico tribus Benjamin additur. Sed plane alia ratio est in l. c. & sensus ibi est, nulla omnino tribus scil. tota adhæsit domui David præter tribum Juda: & licet datam distinctionem non improbemus, dicimus tamen, exclusionem absolutam tamdiu servandam esse, donec urgens ratio suaserit aliud.

§. 11. VI. *Piscator* aliique notant (in) hic per Hebraismum poni pro (cum) ita enim ille ad cap. 9. Epl. ad Hebr. **Es mag gedolmetschet werden/ bey welcher** scil. **Laden/ war der gülden Krug mit Manna/ und die Ruthe Aarons/ v. s. f.** & ita quoque *Tossanus* ad 1 Reg. 8. **Die Worte des Apostels muß man also verstehn/ daß die gemelten zwey stücke (Manna und die Ruthe Aarons nicht eigentlich in der Laden/ sondern in demselben Ort des Tabernackels/ da die Lade war/ ja bey und vor der Laden gewesen seyn.** Ex. 16: 13. Num. 17: 10. Approbat hanc sententiam *Torniellus* allegans similia exempla, quæ vid. apud *Walth.* Harm. 1 Reg. 8: 9. Nec procul est ab hac sententia *Lorinus.* Ita enim ille p. 645. in Num. *Quod si (in qua) ad ipsam arcam referas, proxime positam in textu ejusdem Pauli, estque fœminini generis etiam Græce κιβωτὸς accipiendo (in) pro (cum) ut sæpe fit idiotismo Hebræo &c.* alia deinde producit exempla, quibus sententiam suam confirmare nititur, ut ex hoc ipso cap. 9. Hebr. vs. 4. 5. ubi scriptum est: tabernaculum habuisse thuribulum aureum, quod tamen non in se, sed prope se habuerat. In quem locum vid. accuratissime disserentem *Magnif. Dn. D. Seb. Schmid Patronum & Præcept. meum æternum venerandum* Comment. in cap. 9. Hebr. Et sic quoque explicat locum Deut. 31: 26. de libro Deuteronomii: Ita Johannes dicitur baptizasse in Bethania i. e. prope Bethaniam Joh. 1: 28. plura exempla vid. ibid. ap. *Lorinum* accurate hac de re disserentem & *Glass.* Phil. S. p. 762. Verum si hæc sententia procedit, sequetur etiam Tabulas Testamenti non fuisse (in) sed (prope) arcam, nam & de iis τὸ ἐν usurpatur & hæ tabulæ huic pronomini indivulso nexu statim subjiciuntur. Huic sententiæ confinis est illa *Stapulensis*, qui putat, *Epistolam hanc, utpote ad Hebræos Hebraice scriptam esse, nec tamen Hebraice, uti scripta est, extare*; ex quo colligit, *nos nescire, qua præpositione Paulus fuerit usus; Græcum autem interpretem subinde præpositionem diversam aut minus propriam reponere. Pro eo igitur, quod in Græco extat (in qua) Apostolum in Hebræo scripsisse (tum qua)* Sed probet *Stapulensis*, hanc Epistolam ad Hebræos esse Hebraice scriptam.

§. 12. Quidam VII. τὸ ἐν ᾗ putant non esse referendum ad nomen proximum κιβωτὸν arcam, sed ad remotius σκηνὴν tabernaculum. Vid. §. 2. ex *Walthero* & aliis. Sed bene observat *B. Gerh.* & *Glass.* loco supra cit. & alii, si de eo (tabernaculo) adhuc loqueretur, continuasset sermonem ex principio præced. ἔχουσα hunc in modum: χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον καὶ τὴν κιβωτὸν &c. καὶ τὴν στάμνον χρυσῆν ἔχουσαν τὸ μάννα καὶ τὴν ῥάβδον καὶ τὰς πλάκας. Et quod maxime urgemus, obstat vs. 5. seq. ubi ait ὑπεράνω δὲ αὐτῆς χερουβὶμ δόξης, quæ clara est descriptio arcæ, nam super tabernaculum non erant Cherubim, sed super arcam.

§. 13. B. igitur *Gerh.* illam apprehendit sententiam, uti & *Ludov. de Dieu*, qua (in) dicitur quandoque poni pro (juxta, apud) cum respondeat præfixo ב. Ita ait: Christum dici ementes & vendentes ejecisse in templo Matth. 21: 12. Marc. 11: 15. & tamen illam negotiationem non fuisse in templo, sed tantum in porticibus & prope templum. Vid. plura exempla ap. ipsum. Hanc sententiam uti quidem non improbamus, ita magis arridet nobis sententia ista, quæ statuit: arcam sumi dupliciter vel stricte pro ejus interiori ventre, in quo nil nisi duæ tabulæ, vel late pro tota structura una cum receptaculis lateralibus, in quibus urna & virga fuit, ita *B. Walth. B. Glass. Leusden.* clav. Græc. & alii. Habuisse autem arcam talia receptacula patet ex Deut. 31: 26. ubi liber legis reponi jubetur מצד *ex latere* arcæ & 1 Sam. 6: 8. ubi capsula cum muribus aureis posita esse dicitur מצדו *à latere ejus.* Et ne quis objiciat, hoc latus fuisse interius vs. 15. ibid. egregie exponitur, dum dicitur הארגז אשר אתו capsula, quæ cum ipsa (arca) h. e. ipsi exterius in receptaculo quodam addita, in quo sine dubio etiam liber legis erat, ut postmodum audiemus, de hoc autem dicitur, quod è templo deportatus & ad Regem Josiam delatus fuerit 2 Reg. 22. & 2 Par. 34. Jam vero probabile est, arcam semel propitiatorio impositis legis tabulis occlusam, nunquam deinceps fuisse apertam. Vid. *D. Joh. Adam Osiand.* in Deut. 31: 24, 25. Adeoque dicimus cum *Magnif. Dn. D. Seb: Schmid. supra laudato* in Comment. Ep. ad Hebr. p. 900. observandum esse, *quod τὸ ἐν hic latius usurpetur comprehendatque tum quæ intra tum quæ juxta fuerunt: ἐν ᾗ in qua vel inclusa vel ad latus posita fuerunt. Et sic res satis erit expedita*, & ut itidem notat *Exegeta iste profundissimus: τὸ ἐν non opponitur τὸ ἔξω sed τὸ ὑπεράνω ut statim sequitur.* Oritur autem hic difficultas, quomodo virga vel baculus Aaronis potuerit recludi in arca vel latere arcæ, quippe quæ duos tantum cubitos & semissem longitudinis habuit, ut constat ex Ex. 25: 10. Respondemus cum *B. Walth. qualis illa virga fuerit, nobis non satis constat, si fuerit baculus viatorius, commodo hominis usui destinatus, longitudinem arcæ aut non excessit, aut quando excessit, vel in dimidia sui parte fuit fractus, & ita duplicatus alicubi reconditus vel pars ejus aliqua fuit detracta, eo nimirum loco, ex quo nec frondes prodierunt, nec surgentes gemmæ, nec fructus jam erumpentes.* Et si, quod verisimilius est, fuit insigne summi sacerdotii, cessabit omnis difficultas.

§. 14. Restat enodanda quæstio, *anne &* ספר התורה *liber legis fuerit repositus in arca vel latere arcæ.* Affirmativam probamus ex Deut. 31: 26. Negativa vero videtur probari posse ex nostro loco Hebr. 9. ubi nil plane habet Apostolus de libro legis. Sed paucis Respondemus cum *Magnif. Dn. D. Schmid* loc. supra cit. Apostolum hic agere de rebus Typicis, quoniam autem liber legis inter eas non fuit, ideoque noluisse ejus mentionem injicere. Rabbini quidem hic duas fingunt arcas, alteram quam Moses, alteram, quam Bezaleel confecerit: in illa fuisse duas tabulas legis, in hac virgam, urnam & librum legis. Audiamus hac de re *David. Kimch.* ad 1 Sam. 4: 4. edit. Basil. fol. ירצה qui ad verba ברית יי׳ צבאות ita commentatur: זה הוא הארון שבו מונחין שברי לחות והוא היה יוצא עמהם למלחמה והא שנאמר עליו וארון ברית יי׳ נוסע לפניהם ומצאנו מחלוקת בדברי רבותנו ז"ל בזה מהם אמרו כי לוחות ושברי לוחות מונחין בארון אחר וספר תורה עמהם בארון ומה שאמר ושמתם אותו מצד ארון ברית יי׳ פירוש ושמתם אותו בארון מצד לוחות ברית השם ומהם אמרו כי כמין גלוסקא עשו לארון מבחוץ ושם היה ספר התורה מונח וזהו שאמר מצד ארון ברית יי ומהם אמרו כי בארון אחר לבדו היה ספר תורה מונח ומהם אמרו כי לשבר לוחו׳ היה ארון לבדו והוא היה יוצא למלחמה והפסוקים מוכיחין כי הלוחות השלימות היו בזה הארון שהביאו במחנה שהרי אמר יושב הכרובים מראה כי הכרובים היו עליו ועוד כי זה הארון שיצא למלחמה זה הוא ארון שהיה בבית שמש בשובו משדה פלשתים והוא שהיה בקרית יערים ובבית עובד אדום ובעיר דוד ומעיר דוד העלוהו והכניסוהו לבית קדש הקדשים: *Hæc est arca, in qua repositæ erant fractæ partes tabularum, & hæc erat cum eis exiens in prælium, & hoc est quod dicitur de ea* (Num. 10: 33.) & arca fœderis Domini proficiscens ante eos. *Et invenimus dissensionem in verbis Rabbinorum nostrorum benedictæ mem. circa hanc rem. Quidam ex illis dicunt, quod tabulæ & fracturæ tabularum positæ fuerint in arca una & liber legis cum ipsis in arca. Et quid est, quod dicitur*

 (Deut.

(Deut. 31: 26.) & ponetis eum è latere arcæ fœderis Domini: *id sic interpretandum & ponetis eum in arca è latere tabularum fœderis Domini; & quidam & illis dicunt, quod formam capsulæ fecerint arcæ extrinsecus, & ibi fuerit liber legis repositus, ex hoc est quod dicit (Scriptura loco supra cit.)* è latere arcæ fœderis Domini. *Alii dicunt, quod in arca una solus liber legis fuerit repositus. Alii ex ipsis dicunt, quod in arca una solus liber legis fuerit repositus. Alii dicunt, quod fracturis tabularum assignata fuerit arca sola & ipsa fuerit exiens in prælium. Sed textus arguunt, quod tabulæ integræ fuerint in hac arca quam adduxerunt in castra; ecce enim dicit:* Sedens super Cherubim, *indicans, quod Cherubim fuerint super illam. Et porro, quia hæc arca quæ exiit in prælium, illa ipsa arca fuit quæ erat in Bethschemes, cum reducerent eam ex agro Philistæi, & ea, quæ erat in Kiriath Jearim in domo Obed Edom, & in urbe David & ex urbe David ascendere fecerunt eam & introduxerunt in domum Sancti Sanctorum.* Qui plura hac de re desiderat, adeat Talmud Massechet שקלים *R. Mose Ben Nachman* Comment. ad Parasch. עקב & alios.

Nos has ineptias non curamus, nam nec Moses, qui tamen sat prolixus est in describendo tabernaculo ejusque contentis, nec *Josephus* hujus arcæ meminerunt. Quin potius unam putamus arcam fuisse, in qua vel ad cujus latus posita erant illa, de quibus hactenus disseruimus. Sed finimus

Deo T. O. M. sit laus, honor & gloria in secula, Amen.

SAM. CORYLI DISSERTATIO
De Regina Austri ad 1. Reg. X: 1. &c.

I. REGINA IN PROCINCTU.

§. 1.



DE *nomine* hujus Reginæ autores immane quantum à se invicem variant. Si antiquiores consulamus, tunc Joseph. Antiq. Jud. lib. 8. c. 2. p. 269. eam ab Herodoto *Nicaulem* vocatam fuisse scribit. Ipse autem Herodotus lib. 2. in Euterpe *Nicotrin* appellat: *Post hunc Minæum* inquit Herodotus, *recensebant è libro sacerdotes nominatim alios trecentos ac triginta Reges. In quibus tot ætatibus hominum decem & octo fuissent: Æthiopes & una mulier alienigena, ceteri viri Ægyptii: Mulieri, quæ regnavit, fuit nomen idem, quod regina Babyloniæ Nitocris.* Dum & Æthiopes & Arabes de hac Regina, tanquam sua, certant, in nomine illius quoque non conveniunt. Illi eam *Makedam* nominant, ceu videre est apud Jo. Barrium de rebus Persicis decad. 3. l. 4. cap. 2. & Tellezium lib. 1. c. 25. Alii, stante hac hypothesi, eam fuisse reginam Æthiopiæ, de qua infra, verisimilius esse putant, eam habuisse nomen *Candaces*, cum illam habuerit successorem, cujus mentio fit Act. 8: 27. hujus autem nomen fuisse commune Reginis Æthiopiæ, testante Plin. lib. 6. 29. *In Meroe*, inquit *regnare fœminam Candacem, quod nomen multis jam annis ad reginas transiit.* Conf. Jo. de Pineda S. J. de rebus Salomonis Regis Lugd. 1609. lib. 5. c. 14. §. 1. p. 399. D. E. Apud Arabes vero non ambigitur illam è stirpe *filiorum Homer* i. e. Homeritarum & *Hod-hadi Regis*, qui in catalogo Regum Homeritarum, à Pocockio in specimine historiæ Arabum exhibito, vigesimus primus est, filiam extitisse & gessisse nomen *Belckis*, ut vult Geographus Nubiensis de urbe Mareb, citante Dn. Ludolfo in hist. Æth. lib. 2. cap. 3. n. 20. seqq. Etsi autem nihil certi hic haberi queat, verisimiliora tamen hæc judicamus, quam Pausania lib. 10. & aliorum qui eum sequuntur, sententiam, qui *Saba* nomen non regionis sed reginæ proprium scribunt, refragantibus etiam geographis.

§. 2. Cujus religionis Regina hæc fuerit, iterum autores in diversas abeunt sententias. Quidam eam in naturæ lege sanctam vixisse dicunt. Hos inter est Theodoretus q. 32. in 3. Regum, qui de hac fœmina ita loquitur: *Ego recordatus sum doctrinæ Apostolicæ, quæ eos est admirata, qui sine lege sint justificati: quando enim gentes, quæ legem non haberent, natura quæ legis sunt, faciunt, ii legem non habentes sibi sunt lex. Ipsa enim cum esset alienigena, & neque divinam accepisset legem, neque propheticam percepisset agriculturam, contenta fuit lege naturæ & admirata fuit justitiam & justum accepit judicium.* Quæ tamen verba ita accipienda non sunt, ac si ex lege naturæ salvata fuerit; cum una sit via salutis, quam patres calcarunt olim, quamque omnes observare debent; qui ad optatam pertingere metam contendunt. Interea forsan huc illorum sententia referri debet, qui eam credidere Sibyllam, de qua multa fabulati sunt, quæ suo loco infra occurrent. Autores hujus rei habemus Pausaniam lib. 10. & Cedrenum in suo historiarum compendio & hos sequentes, sed unde hoc habeant hi autores, & qua ratione talia scribant, non constat. Obstare potius videtur illud, quod istæ, quæ ab antiquis Sibyllæ dicebantur, fuerint virgines. Nostra autem Regina, ut rerum Æthiopicarum scriptores volunt, mater fuit multorum ex ea descendentium Regum. Sunt alii qui eam veram religionem coluisse perhibent: Arabes enim librum Job accepisse, Madianitas habuisse Jethro sacerdotem, Æthiopes Dei cultum à filiis Abrahæ ex Cetura retinuisse, ex quibus ad reginam Saba derivari potuisse. Accedere & illud, quod Candaces misis per Eunuchum pretiosissimis donis, jusserit verum Hebræorum Deum suo nomine adorare in sancta civitate & templo, ut id videatur fecisse prisco nostræ Reginæ exemplo edocta, Confer Pinedam l. c. p. 400. Verum cum ex historia constet, quantum his temporibus à priori illo eoque sanctiori ævo recesserint homines diversarum regionum, vix aliqua probabilitas de vera hujus reginæ religione nobis relinquitur. Dein vix probari poterit Candacem non proprio nutu sed exemplo alterius motam misisse Hierosolymam. Sunt tandem alii, qui eam, antequam Hierosolymam venisset, institutis ac religioni gentilium (quæ in cultu Solis & Lunæ & dæmonum indigenarum secundum Philostorgium occupata. Vid. Bochart. Phaleg. lib. 2. 26. pag. 150.) deditam fuisse, sed cognita Hebræorum religione animum mutasse & à Salomone vera fide & cultu instructam fuisse statuunt. Et huc respiciunt Chrys. hom. 31. in cap. 12. Matth. Hilarius in id Psaltis *ad confitendum nomen Domini.* Nyssenus hom. 7. in Cant. Iren. lib. 4. ad v. hær. &c. aliique, quibus & nos subscribimus.

§. 3. A religione ad regionem transitum facimus, & eam fuisse *reginam* שְׁבָא Seba 1. Reg. 10: 1. 2. Par. 9: 1. & à Christo *Reginam Austri* Matth. 12: 42. Luc. 11: 31. nominatam deprehendimus. Sed an illa Seba urbs an regio, & si regio, an Africana an Asiatica? multæ disquisitionis apud authores est. Nos rem, quantum fieri potest, in pauca contrahemus. Nonnulli eam Sabæ urbis reginam dicunt, quam Josephus Antiq. Jud. lib. 2. c. 5. p. 58. reginam gentis Æthiopiæ Nilo circumquaque cinctam & à Cambyse Meroem appellatam refert. Alii autem metropolin Sabæorum ponunt in Arabia, eandem-

eandemque habuisse nomen *Mariaba* vel *Meriaba*. Conferatur Bochart. Phaleg. lib. 2. cap. 26. p. 148. seq. Nihilominus cum Sabæ nomen non tantum urbem, sed etiam integram regionem denotet, non absurdum erit, si dicamus reginam & metropoleos & totius regionis Dominam fuisse. Sed quæ illa regio; an Africana, an Asiatica, an Arabia, an Æthiopia? Pro Æthiopia stant Josephus 8. 2. Origenes hom. I. in cant. Anselmus lib. de Imaginibus c. 19. Augustinus Serm. 252. de tempore. Nazianzenus orat. 40. Nyssen. hom. 7. Anastasii Synaita lib. 8. Anagogiarum in Exaemeron & commentatores longo ordine in Libb. Reg. Matth. Lucam. quos vid. apud Pinedam. l. c. p. 403. A & 404. n. 21. ubi etiam refert apud Barradam tom. 2. lib. 8. Concord. c. 18. extare epistolam Davidis Æthiopiæ Imperatoris ad Emanuelem Lusitaniæ Regem, qua se præter regiones alias *regem Saba, unde fuerit prisca illa regina Saba profiteretur*. Similia habent Geographi & rerum Æthiopicarum Scriptores veteres quoque & recentiores apud Dn. Ludolf. l. c. Alphonsus Mendez Patriarcha & Telezius. Rationes horum autorum sunt seqq. 1. quod Arabia sit vicinior Palæstinæ, quare non ex Arabia propinqua, sed ex Æthiopia remotiori illa venit, quæ à finibus terræ venit. 2. Quod Arabia non recenseatur inter regiones auriferas, ut Æthiopia, id est totum littus Africæ à promontorio viridi ad mare rubrum. 3. Quoniam Æthiopia thurifera & aromatifera est. 4. Quod in Æthiopia non item in Arabia, reginas rerum potitas notum sit. Pro Arabia, & quidem ea, quæ felix dicitur, sunt Hieronymus in Es. 60. Joel. 3. qui Sabæorum trans Indiam meminit, sed non alios intelligit, quam interiores ad meridiem & Indiam & ad mare Indicum, qui ipsi sunt in optima Arabiæ felicis parte. Et hac ratione etiam alii explicari debent ut Eucherius 3. Reg. c. 32. Cyrillus lib. 5. in Esai. c. 6. Theodoretus 3. Reg. 9: 32. Nicephorus 8. 35. Isidorus lib. 14. Etym. Cæsarius Arelatensis homil. 25. ad monachos, & alii, quos v. apud Pinedam l. c. pag. 405. Rationes decem pro hac sententia colligit Pineda lib. 5. de reb. Sal. cap. 14. §. 6. p. 406. seqq. 1. ex nomine Saba: Saba & Sebaim ad Arabiam pertinere, esse rem indubitatam Job. 1: 15. Jerem. 6: 20. conjungi cum ipso nomine aurum Psal. 71: 15. aromata & pretiosos lapides Ezech. 27: 22. longinquitatem, regionis Joel. 3: 8. & hic Sabam verti per Arabiam à Septuag. Ps. 71: 10. & 15. 2. Ex auditione famæ Salomonis: hanc ad reginam fuisse delatam navigationis commercio, quod fiebat in mari rubro circa illas oras, ad quas Salomonis classis deferebatur. 3. Ex comitatu numeroso & forti: Arabes autem, præsertim Sabæos esse & numerosissimos & præterea etiam pugnacissimos, testari illos, qui gentium & sedes & mores explorarunt. 4. Ex numeroso camelorum servitio, quod etiam Arabicum quid, nisi velis (quod tamen nemo dixit) reginam hanc Bactrianam fuisse, cum hic camelorum genera commendentur ab Aristotele & Plinio. 5. Ex multitudine aromatum, cum non alia regio, quam Arabia, talia ac tam multa mittat aromata? Et cum sola thurifera sit, omnium tamen maxime est aromatifera. 6. Ex multitudine auri, in quo Arabia statim elucet. 7. A gemmis pretiosis, quarum Arabia teste Diodoro lib. 3. c. 12. admodum ferax est. 8. ex eo, quia Christo dicitur regina Austri, Arabiam autem respectu Jerusalem esse meridionalem, & à Scriptoribus fere semper nomine australis seu meridionalis significari. 9. Quia venerit à finibus terræ: distare autem illam Arabiæ partem ab Jerusalem 606. leucas Gallicas. 10. Quod reginarum etiam nomen apud Sabæos non fuerit inauditum, licet id perpetuum extitisse non legamus. Confer. Bochart. l. c. pag. 152. seq. Accedit quod Sanctius in cap. 10. lib. 3. Reg. pag. 1116. ex relatione P. Petri Paez. S. J. qui in ea Æthiopia, quæ est ad sinum Arabicum, commoratus est rei Christianæ gratia, habeat, prope sinum illum civitatem ab indigenis ostendi, in qua nata creditur regina Saba. Si jam rationes pro Arabia conferamus cum rationibus pro Æthiopia, tunc illæ has & pondere & numero superant. Quibus adhuc addimus, quod sententia de Æthiopia unius Josephi testimonio nitatur, quem tamen lectori aliquot modis in hac historia imponere Bochart. l. c. p. 154. seq. ostendit. Scilicet falsum esse Nicaulem in Ægypto regnasse, cum id Herodotus de Nitocri, cujus nomen idem valet, quod Minerva victrix, asserat. 2. Hanc Mulierem Æthiopibus regnasse, æque falsum esse, certe in Herodoto tale quid non legi. 3. Ex scriptura patere, Salomonis ævo regnasse in Ægypto Pharaonem illum, cujus filiam duxit Salomon. 4. Neque de regina Ægypti posse dici, quod ex finibus terræ extremis venerit. 5. Esse ἀνιςόρητον Urbis Meroes ante Cambysen priscum nomen fuisse *Saba*. 6. Meroen non à sorore Cambyses, sed à Matre fuisse denominatam. 7. Ex Eusebio colligi circa Patriarcharum tempora Nitocrem imperasse annis ante Salomonem octingentis &c. Præterea titulum illum, quo usus Rex David Æthiopiæ, falsum esse scribit Dn. Ludolf. in Hist. Æthiop. 2. 1. & Lusitanos simplicitate Habessinorum abutentes, consarcinasse hunc titulum, vel Habessinos ad id faciendum tunc temporis impulisse putat, n. 50. Atque sic quidem hæ duæ nationes contra se invicem insurgunt, quas tamen Dn. Ludolf. eleganter & erudite conciliavit l. c. 2. 3. n. 14. seqq. hoc modo: si, quod multi Scriptores faciunt, Æthiopia veterum in Arabiam usque porrigatur; Illis enim Sabæi & Homeritæ, gentes sunt Æthiopicæ, quæ tamen indubie in Arabia Felici habitaverunt; forte quod illi etiam faciem adustam haberent. Regio illa, quæ Ebræis nomine כוש venit à LXX. Interpretibus in Scriptura Sacra semper redditur Æthiopia; Ex qua scilicet Moyses uxorem duxit, quæ Æthiopissa dicta fuit: & tamen Arabiæ, prout hodie accipitur, pars est; Unde Cusæi Arabes. Duplex igitur fuit veterum Æthiopia, Asiatica & Africana: sive Orientalis & Occidentalis. Nam prisci non iisdem terminis partes orbis præcipuas, ac nos, circumscripserunt; Indiam in Africam, & Æthiopiam in Asiam extenderunt: Indos post Æthiopes incolere crediderunt: Africa & Asia illis non orbis terræ partes, sed regiones tantum certæ fuerunt: Ægyptus modo ad Africam, modo ad Asiam pertinere visa fuit: quidam Nilum Africam ab Asia determinare putaverunt: Et, quod pro scopo nostro maxime notandum, Arabia veteribus non tam late patuit, ac nobis hodie. Sabæi enim ac Hemoritæ extra Arabiam olim locabantur. Arabicus sinus pro certa tantum parte & sinu maris rubri habitus fuit. Quæ omnia posteriorum temporum Geographi longe melius partiti sunt; adeo ut quamvis Saba nobis Arabiæ Australis, quæ Oceanum Indicum & ita fines illius terræ spectat, regio sit, vere tamen ex mente veterum dicere possis, reginam Sabæ ex Æthiopia venisse. Quamvis non absurdum foret conjicere, illam simul Æthiopiæ, in opposito maris rubri littore, haud ita procul sitæ, imperitasse. Adde etiam Viri hujus celeberrimi notas historiæ subjectas, pag. 226. seqq. Bocharto quidem hæc sententia non placet in Phaleg. lib. 4. c. 2. p. 238. seqq. nihilominus parati sumus eam defendere.

§. 4. Quanquam autem regina hæc fuerit Domina opulentissimæ regionis, & de ea integræ nationes hodienum certent, haud aliter ac urbes de Homero, non tamen illius regnum tam late patens fuisse existimamus, ut universum Austrum sub se comprehenderet. Tunc temporis enim plures fuerunt Reges vel Reguli, & innumera regna, quæ antequam coaluere in unum, tantæ molis non erant ac postea fuere orbis imperia. Præterea dum Reginam nostram in procinctu videmus, ut ad Salomonem iret, dubitare cogimur de eo, quod Agatharchides & alii volunt, Regiam dignitatem apud Sabæos fuisse speciem captivitatis: Regi enim semel inaugurato juxta vetus oraculum, vetitum fuisse ex palatio prodire in publicum sub pœna lapidationis. An hæc superstitio nata sit ex ipso nomine, quod à nonnullis αἰχμαλωσίαν captivitatem explicatur? dubitant Autores, certe contrarium testatur nostra regina, nisi dicere velis oraculum non reginas sed reges tantum respexisse.

II. REGINA IN ACCESSU.

§. I. De tempore accessus hujus reginæ, tum commentatores, tum Chronologi variant. Et licet alicui dubium suboriri possit, an ea, quæ hoc capite habentur, fuerint facta post præcedentia, cum non sit aliqua historia continuata cum præcedentibus vel subsequentibus; Sed quoddam accidens per se descriptum, scil. quod venerit regina ad audiendam sapientiam Salomonis: nam cap. 4. etiam dicitur, quod de omnibus populis veniebant ad audiendum Salomonis sapientiam, & sic potuisse eam venire ante illa. Nihilominus tamen dicendum, quod venerit post ea, quæ habentur in præcedentibus, jubente ita ordine literæ, à quo citra urgentem necessitatem recedere non debemus. Sed hic iterum diversa adsignantur tempora. Marius Victorinus de Regibus Æthiopiæ existimat, quarto regni Salomonis anno accessum illum contigisse, quia quatuor annorum spatium post adeptam sapientiam satis superque fuisse videretur, ad sapientiæ Salomonis famam toto orbe disseminandam. Sed si unica hæc circumstantia sufficeret, nequidem tantum temporis desiderare necessum haberemus ad id, ut regina fama Salomonis alliceretur. Genebrardus alia adhuc respiciens anno Mundi 8150. nonnisi undecimo Salomonis anno venisse putat nimirum post ædificatum templum, quod admirata fuerat. Cum autem 1 Reg. 9: 10. dicatur consummatam fuisse domum Dei & domum

mum regis; & Regina venit illis completis, Pineda l. c. p. 410. circa vigesimum regni annum accessum illius accidisse existimat ex seqq. conjecturis: 1. quod jam domus Salomonis ædificata erat, cum scriptum sit: *Videns regina Saba domum, quam ædificaverat.* Quæ quidem fuit posterior tredecim annis ædificato jam templo, de quo idem scriptum est: *Videns holocausta, quæ offerebat in domo Domini.* 2. Quia verosimillima sit illa Josephi scriptio, ædificatam jam fuisse domum saltus Libani; & reginam nihil magis miratam, quam Aulam illam. 3. Quod cùm videretur venisse, ut esset testis oculatus tantæ Salomonis gloriæ, tunc videtur accessisse Jerosolymam, cum ad summum jam Salomonis gloria & Majestas per viginti illos priores annos excreverat. Potuisset Pineda addere ipsam literam textus l. c. Alphonsus Tostatus autem Comment. in 3 Reg. cap. 10. quæst. 1. p. 88. rem forsan rectius computat, constare, dicens, quod de regno Salomonis ad minus transierint anni plusquam viginti quatuor, quia Salomon regnaverat fere quatuor annis ante fundationem templi cap. 6. Deinde ædificatio templi & domorum Salomonis duravit annis viginti. cap. 9. quia templum ædificatum annis septem, cap. 7. & domus Salomonis annis tredecim, cap. 7. Et sic sunt anni viginti quatuor à principio regni Salomonis usque ad finem ædificationis domorum suarum; & tamen Regina Saba venit ad Salomonem ædificato jam templo & domibus suis. Post istos autem viginti quatuor annos, quanto tempore venerit Regina Saba, non adparet. Si quis hos annos regis Salomonis cum annis regni reginæ Sabæ conjungere vult, tunc regina venit post septimum regni sui, ut vult Hieronymus Vecchrettus Florent. de anno primitivo ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato lib. 8. p. 214. ex cujus hypothesi annus Julianus currens fuisset 2953.

§. 2. Sed magis solicitis de eo, quid impulerit reginam ad tantum iter suscipiendum, statim occurrit Muhamedes, qui in Alcorano suo, postquam scripserat Salomonem formicarum sermones, quos etiam adducit, intellexisse, alia quædam illi eodem loco adhuc adfingit, quomodo reginam Saba magicis artibus ad sepellectam dementaverit, ut cum in palatio esset vitris incrustato, aquas sibi profundas existimaret transvadandas esse, unde coram rege crura denudarit aliquatenus; Quod huic libidinoso Prophetæ Mecchensi, non minus artificiosum creditur, quam jucundum fuisse spectaculum, ut refert Wilh. Schikardus in Taric. i. e. Serie Regum Persiæ proœmio p. 63. Sed fabulatoribus fabulas relinquimus.

§. 3. Cardinalis Baronius Tom. 1. annal. ad an. 1. Christi scribit Reginam idcirco venisse cum muneribus ad Salomonem, quod etiam ipsa crediderat impletum fuisse vaticinium Bileami Num. 24: 14. *Orietur stella ex Jacob, & consurget Virga de Israël &c.* Videtur hæc sententia aliquid præsidii habere in Hebræorum traditione, quæ, vult Reginam Saba de posteris Abrahæ ex Cethura genitis prodiisse. Constat enim Genes. c. 25: 2. seq. 1 Paral. 1: 32. Jecsam Cethuræ filium genuisse Saba, ex quo postea Sabæi prodiere. Et licet tum Sabæi ab initio in Arabia ad Orientales Chananæas plagas habitaverint, ut ex cap. Genes. citato vers. 7. colligi potest; postea tamen sese ad partes Australes Arabiæ & à Judæa valde remotas, dilatasse, ac propterea dici Reginam venisse à finibus terræ. Verum quod hanc Hebræorum traditionem concernit, non videtur ex Sacris literis indubitanter colligi posse, quod ipsi fuerint de posteris Abrahæ; cum, præter Abrahæ nepotem, alii sunt Sabæorum populi de Saba filii Chus, filii Cham; alii de altero Saba filio Regmæ, filii Chus: alii de tertio Saba, filio Jectan, filii Heber. neque scire possumus, quinam ex quatuor hisce Sabæorum populis, inter se origine distantes, illam Australem Arabiæ partem incoluerint, quæ huic Reginæ Sabæ subjecta esse traditur. Vid. Torniellus in annal. S. T. 2 ad ann. M. 3043. p. 57. Nihilominus seposita hac Hebræorum traditione, Baronius suam opinionem sequentibus conjecturis probare nititur: 1. Quod Magi ex Arabia venerint. 2. Donorum, quæ tum à regina Sabæ, tum à magis oblata sunt, paritas quædam & similitudo. 3. Quod venerit in nomine Domini, ut videatur Regina animo concepisse nomen, quod auditione acceperat, Salomonis, fuisse nomen Domini, id est, DEI illius, de quo olim vaticinatus fuerat Bileam, fore ut regnaret in Jerusalem. Hæc autem Baronii sententia paucis placet. Certe Pineda l. c. p. 411. fatetur, se adduci non posse, ut fateatur, solidam ac verosimilem illam esse ob seqq. rationes. 1. Quoniam illud Balaami vaticinium omnino constabat novæ stellæ ortu præcurrentis comitantisve novi regis ortum; atqui nulla tunc cœlestis lux affulsit reginæ, quæ sola auditione & fama accepta suam profectionem iniit, contra quam in Magorum adventu contigisse novimus. 2. Quia non accessit adoratura Salomonem, sed sapientiam illius auditura; ut Christus testat s est. 3. Quod si quid divinum animo conceperat, illudque in Salomone requirebat; profecto plus audisset & concepisset animo, quam reipsa & exploratione experta fuisset: atqui contrarium potius animi sensu ipsa ingenue exposuit, nimirum nihil minus in Salomone invenisse, quam de illo fama jactaverat, sed multo majora. Addit Torniellus l. c. vix credibile esse, quod Regina Austri in finibus terræ habitans ullam prædicti vaticinii, tanta jam vetustate obsoleti, & nihil ad se pertinentis, notitiam habuerit; nec obstare Magos, qui post plura secula ejusdem vaticinii notitiam habuerunt, cum fuerint successores Bileam; mirum autem non esse, quod Magi prædecessoris sui vaticinium, ante annos 1468. editum & ad posteros successive veluti per manus traditum probe tenuerint, qui ejus eventum accuratius observare profitebantur.

§. 4. Verior potius caussa Impellens Reginam ad tantum iter suscipiendum fuit fama de Salomonis sapientia, sive ad eam delata per navigationes, ut supra diximus, vel ab ea per ministros quosdam explorata, ut Joh. Barrius ex Abessinorum monumentis scire vult & Tellezius lib. 1. c. 25. *ex mercatore suo Tamerino de potentia & sapientia Salomonis certiora cognovisse* refert. Certe Scriptura Sacra testatur eam venisse, ut tentaret eum in ænigmatibus. 1 Reg. 10: 1. & audiret sapientiam illius Matth. 12: 42. Luc. 11: 31. Ex quibus adparet, eam accessisse potius ex quadam curiositate ac desiderio explorandi, num vera essent, quæ ubique de Salomonis Sapientia prædicabantur. Conf. 1 Reg. 10: 7. Est enim hoc proprium ac peculiare perspicacis ingenii tam viris quam mulieribus, præsertim vero principibus, ut cum aliquem aliqua in re vehementer excellere intellexerint, statim se sentiant interius quadam cupiditate inflammatas, illum præsentem videre, interrogare, loquentem audire, ac de his, quæ audierant, periculum facere. Testis est etiam Josephus l. c. p. 270. *ἀκούουσαν τὴν Σολομῶνος ἀρετὴν καὶ φρόνησιν ἐπιθυμία τῆς ὄψεως αὐτοῦ καὶ τῶν ὁσημέραι περὶ τῶν ἐκεῖ λεγομένων πρὸς αὐτὸν ἦγε· πεισθῆναι γὰρ ὑπὸ τῆς πείρας, ἀλλ᾽ οὐχ ὑπὸ τῆς ἀκοῆς, ἣν εἰκὸς ἐπὶ καὶ ψευδῆ δόξῃ συγκατατίθεσθαι καὶ μεταπεῖσαι πάλιν, ὅλη γὰρ ἐπὶ τοῖς ἀπαγγέλλουσι κεῖται, θέλουσα πρὸς αὐτὸν ἐλθεῖν διέγνω, μάλιστα καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ βουλομένη λαβεῖν πεῖραν αὐτὴν προτείνασα, καὶ λύσαι τὸ ἄπορον τῆς διανοίας δεηθεῖσα. Salomonis virtutis ac sapientiæ fama delata, cupiditas eam incessit coram hominem visendi: sic enim fore ut experimento, non rumoribus crederet, qui sæpe numero falsi, cum qui toti à fide renunciantium pendeant, paulo post evanescunt; decrevitque suscepta longinqua peregrinatione illius sapientia perfrui & de rebus arduis cum eo disserere.* Simile quid Thalestri Amazonum Reginæ contigisse scribit Justin. lib. 12. Scilicet Alexandri fama permotam cum trecentis millibus mulierum, viginti quinque dierum itinere confecto, ad Alexandrum venisse, sobolem ex illo quæsituram. Has impulsivas caussas expressas cum habeamus, merito dubitamus, an aliam ex phrasi illa *in nomine Domini*, exsculpere possimus. Abulensis quidem l. c. p. 88. b. putat reginam forte audivisse famam DEI Israël, quod faceret mirabilia plusquam omnes dii gentium, ideo motam devotione venisse non solum ad audiendum sapientiam Salomonis, sed etiam ad adorandum Dominum. Sed jam supra monuimus hoc non exprimi hoc loco, potius manifestum esse, illam non tam Deum, quam Salomonem quæsivisse. Sanctius loco c. p. 117. illud *in nomine Domini* sic accipit, vel venisse reginam Deo bene juvante, quod secundus rerum eventus ostendit, vel, quod potius existimat, Deo inspirante atque auspice, cum tamen ipsa de Deo cogitaret nihil, longam illam peregrinationem suscepisse. Ducebat itaque, secundum ipsum, Deus illam, agebatque nescientem, sicut alias sæpe; etiam solutiones ænigmatum quæreret, neque altius curiosam attolleret mentem, Deus tamen id agebat occultius, ut à Salomone, quem cœlestibus disciplinis impleverat, & à templo, in quo solennes quotidie victimas immolari cerneret, verum Deum agnosceret, & gentem sibi subditam studiis veræ religionis imbueret. Cajetanus *nomen Domini* restringit ad Salomonis Sapientiam & famam, q. d. totam tribuendam nomini Domini, ita ut sensus sit: Regina accepit Deum mirabilia in Salomone operatum, ac nihil in illo non divinum conspici: vel etiam simul cum sapientiæ Salomonicæ prædicatione & fama, divulgatum fuisse, illam divinitus accepisse, non industria aut valore humano acquisivisse, ut solebant magi & Philosophi.

§. 5. Hoc ergo rerum momento mota, iter aggressa, & tandem magno cum comitatu Hierosolymam ingressa fuit,

prout

prout decebat Regiam majestatem, tum ne despiceretur apud exteros; tum ne quid in illo longo itinere, neque satis expedito, aliquid adversi contingeret. Heic, postquam à Salomone eo, quo par erat cultu, excepta fuerat, primam statim curam gerebat, omnia alta mente reposta ei proponere variorumque ænigmatum solutionem ab eo exigere. Moris olim erat etiam inter Viros principes, ut se mutuo ejusmodi quæstionibus obscuris ultro lacesserent. Probat illud, quod attextum est Æsopi fabulis, ubi Reges inducuntur, qui proposito soluti problematis præmio, ad ingeniosum illud certamen provocantur. Et hoc etiam usitatum fuisse inter Hebræos, suadet illud problema, quod Judicum c. 14. in nuptiali convivio à Samsone propositum, *de cibo exeunte à comedente.* Testatur idem de Salomone nostro Josephus antiq. Jud. 8. 2. p. m. 267. Tyrius enim Rex (inquit) quæstiones ænigmaticas ad Salomonem transmisit, rogans, ut eas explicaret, & dubitationem sibi omnem eximeret. At ille callens hujusmodi rerum ac natura prudentissimus, nihil inexplicatum relinquebat: sed omnia ratione pervincens & perscrutatus eorum intellectum, apertissime declarabat. Dein pagina seq. ex Dio quodam adducit, Salomonem ad Iramum ænigmata misisse, solutionem eorum postulantem: quod cum ille non valuisset, magna pecunia mulctatum esse. Postea per Abdemonem, quendam virum Tyrium proposita explicasse & ipsum alia proposuisse, in quibus solvendis cum Salomon hæreret, majorem etiam pecuniam eum illi remisisse, si vera sunt, quæ Dius scribit. Hunc morem regina secuta Salomonem tentavit omnis generis quæstionibus. Has inter Cedrenus etiam fuisse putat illam de dignotione formosorum puerorum & formosarum puellarum, quam sic descriptam nobis reliquit: *Formosos pueros & formosas puellas eodem vestitu & ornatu instructos coram eo constituit, petiitque, ut inter sexum internosceret; nam & ipsa Sibylla ob ingenii promtitudinem, sapientiamque & rerum multarum peritiam, magni erat nominis. Rex omnes lavare faciem jussit; itaque discrimen sexus deprehendit, cum mares fortiter atque valide facies tergerent, fœmellæ teneriter & timide. Itaque Regina omnis stupefacta propterea quæ ab ipso & ejus familia & ad se ipsam erant facta, dixit: Verus est sermo, quem in terra mea audivi.* Sed levia hæc sunt, & fabulam magis sapiunt quam veritatem. Forsan, quia conjecturis saltim locus est, dubia reginæ fuere, vel de sibi perspectis & ratiocinatione ac meditatione comprehensis, ut experiretur, num Salomon easdem quoque veritates perspectas haberet; vel quod magis probabile videtur, de obscurioribus & reconditioribus rerum naturis, de astris, cœlo, mundo ac de illis ipsis, in quibus potissimum sacræ literæ commendant sapientiam Salomonis, disserentis de lignis, herbis, radicum virtutibus, volucribus, reptilibus, piscibus, deque aliis, quorum scientia divinitus est Salomoni communicata. Et quis omnia à Regina proposita enumeraret, cum loquuta fuerit universa, quæ habebat in corde suo? Sicut enim plerumque hic sexus audiendi & perdiscendi avidissimus est, ita percontandi atque inquirendi sæpe nullum finem statuit. Hinc Pineda l. c. p. 413. eleganter hoc vitium carpit: vides, inquit, Saram pro muliebri ingenio post ostium tabernaculi clanculum audientem colloquium angelorum cum Abrahamo Genes. 18: 10. quæ curiositatis prurigo, jam tunc videtur potuisse notari, cum ex nomine Saræ literulam expunctam voluit Deus, nomine vero Abraham additam. Gen. 17: 5. 15. quasi fœminas vellet minus sciendi curiosas, id est, pauciorum literarum; at vero viros literatiores. Quæcunque tandem fuerint illa ænigmata & quæstiones obscuriores, omnes à Salomone fuerunt solutæ. *Docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat. Non fuit sermo, qui Regem posset latere & non responderet ei.*

§. 6. Non tantum autem Regina sapientiam Salomonis audivit in verbis, sed eam quoque vidit in operibus, quæ sera posteritas tacebit nunquam. Vidit enim domum, quam ædificaverat. Una hic voce vocatur domus, quæ tamen non una fuit. Vidit quippe domum Domini, templum, cujus supremus architectus fuit ipse Deus, qui manu sua, non descriptiones modo, figuras ac dispositiones omnes, ichnographias, orthographias & scenographias graphice depictas dedit; sed etiam longiorem quendam commentarium descripsit, in quo universa Davidi tradita fuerant, & ab eo Salomoni, per artifices opera complenda; id quod colligi posse videtur ex 1 Paralip. 29: vers. 19. ubi dedisse dicitur David Salomoni templi descriptiones omnes cum auro, argento atque aliis, & tandem subjicitur: *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.* Charta me deficeret, si omnia admiranda templi adducere vellem; præstitit autem id Jo. Bapt. Villalpandus Cordubnensis S. J. Tomo 2. explanationum parte secunda, in qua templi, ejusque universorum forma, tum commentariis, tum æneis quam plurimis descriptionibus exprimitur. Hic vidit quotidiana sacrificia, quantaque cura & religione Sacerdotes ac Levitæ circa ea versarentur, & ea vehementer admirata fuit. Neque id sane immerito, cum post multa quoque tempora, nimirum sub Ptolomæo Philadelpho Ægypti rege, Aristeas, ejus ad Judæos legatus, multa in sacris Jerosolymitani templi ministeriis admiratione digna se vidisse testatur, & in historia fusius descripta reliquit. Sed nihil magis mirata est Regina secundum Joseph. l. c. quam aulam, cui cognomen Saltus Libani, quæ ita dicitur, quod cedrinarum columnarum copia & multitudine ipsum montem Libani referre videretur; nisi malis cedrinæ materiæ, qua constabat, copiam eo nomine indicari, quæ tanta erat, ut montem ipsum Libani eo translatum fuisse putares. Vid. de ea Villalpandum l. c. lib. 5. disput. 1. c. 10. p. 431. seqq. In hac domo autem saltus Libani fundamenta præcipue movere potuerunt reginam ad admirationem. Sic enim describitur hæc domus 1 Reg. 7: 9. *Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quandam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant, à fundamento usque ad summitatem, & extrinsecus usque ad atrium majus. vers. 10. Fundamentum autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem sive octo cubitorum. Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similiterque de cedro.* Quibus addit Villalpand. l. c. p. 558. Jam quænam Regum omnium & Imperatorum regia ullo unquam tempore fuisse legitur huic similis; ut pro fundamentis habuerit pretiosos lapides magnos? ut singuli lapides hi totidem miracula fuisse censenda sint, ex quibus tam pretiosis fundamentis, quanta totius fabricæ magnificentia fuerit, colligi potest. Quæ enim fabrica poterit cum Salomonis culminibus contendere, quando nec ima hujus unius fabricæ possunt similitudinem reperire? Alia de splendore hujus vid ap. Joseph. l. c. pag. 266. seqq. & 271. ubi tamen priori loco monet: *Illud quidem (templum) amplum licet & plus quam credi posset celebre cooperante Deo intra jam dictum tempus (septennium scil.) perfectum est: regia vero tametsi multum magnificentia templo cederet, quod neque materia ejus tanto ante præparata fuisset, & regi non Deo strueretur domicilium, eo tardius ad finem est perducta.*

§. 7. Dum à templo & domo saltus Libani recedere volumus, succurrit nobis fabula de ligno crucis. Scilicet Petrus Commestor lib. 3. Reg. c. 26. & in homilia evangelica c. 81. de eo sequentia habet: *Tradunt quidam eam rescripsisse Salomoni, quod præsentialiter ei indicare timuit, se vidisse quoddam lignum in domo saltus, in quo suspendendus erat quidam, pro cujus morte regnum Judæorum periret, & certis indiciis illud regi indicavit. Quod timens Salomon, in profundissimis terræ visceribus occultavit illud. Pro cujus virtute aqua mota sanavit ægrotos, & creditur fuisse hoc lignum crucis.* Gretserus lib. 1. de cruce c. 4. p. 27. scribit se invenisse in Bibl. Augustan. MS. Græco codice num. 58. sequentia: *Abrahamum tres surculos nempe pinus, cupressi & cedri junxisse, eosque postea unam in arborem coaluisse, distinctis tamen radicibus & verticibus: hanc una cum aliis ad fabricam templi à Salomone succisam, nullique loco aut aptam fuisse, aut aptari potuisse, eaque de caussa à Salomone destinatam, ut nescio in qua templi parte sedilis vice fungeretur, & adductam Sibyllam (reginam Sabæ indigitat autor) considere noluisse, sed Spiritu Dei plenam prædixisse: quis in eo ligno venientibus seculis mortem oppetiturus esset? Salomonem hoc oraculo permotum, lignum ad orientem solem rectum destinasse, & triginta argenteis crucibus cinxisse, idque eo in loco, usque ad tempus passionis Dominicæ permansisse.* Addit Gretserus fabulam ab hoc autore fabulis augeri. Scilicet incenso (pergit autor) & funditus everso templo, solum hoc lignum cum argenteis crucibus flammas vastantiumque & rapientium manus evasit; & ipso mortis Christi tempore tanta Hierosolymis lignorum penuria erat, ut necesse fuerit crucis fabricandæ gratia annosam trabem ex templo vel mutuari, vel certo pretio mercari. Pineda l. c. ex alio libro Ecclesiæ Hispalensis prisca Italica lingua excusum Tarvisii 1478. fabulam prolixe, aliter tam adduxit. Nos pauca hæc ex illo damus: *Cum Regina Austri, quæ Sibylla & prophetissa erat, venisset Jerusalem auditura sapientiam Salomonis, templum ingressa & lignum contuita, sic inquit ad Salomonem: Quod vides lignum multorum mirabilium instrumentum erit. Quorsum igitur, aut qua ratione hoc loco à te habetur? Salomon vero: Pater (inquit) meus David multo me sapientior & æquior*

æquior hujus ligni æstimator hoc loco statuendum duxit. Ergo multis ultro citroque sermonibus inter Reginam & Salomonem de mirabili illo ligno consertis, constanter tandem affirmarunt, fore ut illi aliquando Dei filius crucifigendus adderetur. Addit autem ille liber Salomonem post discessum Reginæ lignum in puteum dimisisse, & os illius opere murali obstruxisse. Fecisse v. vetustatem, ut cum latus putei exederetur apereturque in ipso visus sit innatans truncus ille. Illum autem dicit esse piscinam, quam ad ægrotorum sanitatem singulis annis angelus movebat. Subjicit tandem, post aliquod tempus extractum esse ex piscina, & adscendentibus in templum pontis præbuisse usum, & denique cum lutulentum esset & immundum ex eo loco fuisse sublatum, cum ad Christi Jesu crucem conficiendam maximum & longissimum lignum Judæi quærerent. Sed hæc talia retulisse, jam est refutasse, cum nec ipsi Autores fabularum inter se conveniant, & fabulæ se ipsas destruant.

§. 8. Præter templum & domum Saltus, Regina etiam vidit habitacula servorum, miro ordine composita & pulchritudine præclara secundum differentiam ministrorum. Istæ autem domus erant intra domum Regis, vel prope, &, ut nonnulli putant, in platea, quæ dicebatur Mello, quam David patentem reliquerat sine ædificiis. His tamen nondum contenta, cibos quoque mensæ ejus intuebatur, qui præ multitudine & varietate & pretiositate stupendi erant. Æstumabat non minus ordinem ministrantium vestesque eorum. Quosdam ex illis describit Joseph. l. c. p. 271. *His decus addebant (nimirum curribus) equites flos juventutis, procera statura, promissoque capillitio conspicui & tunicas e sarrana purpura induti. Ad hæc ramentis auri capillum quotidie spargebant, ut ad solarium radiorum contactum fulgor à capitibus illorum reflecteretur. Hi armati & pharetris succincti regium currum stipabant &c.* Cum hæc omnia vidisset regina, non habuit ultra spiritum, non potuit sufficienter admirari de magnitudine prudentiæ & sapientiæ Salomonis & rerum ejus, dixitque ad Regem: *Verus est sermo, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis & sapientia tua. Et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni & vidi oculis meis: Et probavi, quod media pars mihi nunciata non fuerit. Major est sapientia tua, quam rumor, quem audivi. Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper & audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israël. Et quod dilexerit Dominus Israël in sempiternum, constituit te regem, ut faceres judicium & justitiam.*

§. 9. Admiratio autem Reginæ non nudis verbis se exerebat, sed per munera quoque vere regia exsplenduit. Post dubia feliciter & expedite soluta, obtulit regi *centum viginti talenta auri*, quorum singula duodecim mille drachmis constant & efficiunt summam unius millionis & quadringentorum quadraginta millium ex nostris coronatis aut scutis aureis, & præterea *aromata multa nimis, & gemmas pretiosas. Non sunt allata ultra aromata tam multa.* Licet enim sæpe in Salomonis classe quam plurima fuerint aromata transmissa, non tamen ad illorum pondus, numerum & quantitatem pervenerunt, quæ una tantum vice Regina Salomoni donavit. Inter alia munera etiam balsamum eam attulisse refert Josephus l. c. p. 270. λέγουσι δ᾽ ὅτι καὶ τὴν τοῦ ὀποβαλσάμου ῥίζαν ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει, δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς ἔχομεν. *Ajunt etiam, quod balsami plantam, cujus hodieque ferax est nostra regio, illius reginæ munificentiæ ferri acceptam oporteat.* Adducit quoque Bochartus in Phaleg. l. c. p. 153. varia loca autorum, qui Arabiæ & Sabæ balsamum tribuunt. Sed Sanctius l. c. p. 1121. putat hoc minus cogitationi huic favere, quod eo tempore, quo hæc planta à Regina in Judæam afferri potuit, jam vinea Engaddi (quam planta illa consitam fuisse arbitrantur) quæ non tam à vitibus, quam Cypris, id est, plantis, quibus balsamum pinguis familiarisque proventus est, crevisse videbatur, & regionem illam non exiguam implesse. Maxime si statuas epithalamium illud, quod Canticum Canticorum inscriptum est, tunc à Salomone fuisse compositum, quando Uxorem duxit Pharaonis filiam, quod nonnulli putant. Hujus autem nuptias iniit Salomon multo antequam regina Saba ad Judæorum fines appelleret. In his vero nuptialibus canticis vineas audimus Engaddi, quæ non tam sunt viniferæ, quam aromatiferæ, ubi etiam cyprum legimus, quæ balsamo stillat. Hactenus Sanctius.

§. 10. Regia hæc Reginæ munera Salomon ἀντιδώροις æque regiis compensavit, imo superavit. Dedit enim Rex Reginæ *omnia quæ voluit & petiit ab eo, exceptis his, quæ ultro obtulerat ei munere regio*; vel prout 1 Par. 9: 12. legimus: *cuncta quæ voluit & postulavit, & multo plura, quam attulerat ad eum.* Ubi vides, inquit Pineda l. c. p. 412. sexui fœminino parum æquus, muliebre ingenium postulandi, petendi, appetendi, orandi, exorandi, extorquendi, postquam obtuleris, dederis, donaveris; Imo etiam videtur expressisse Arabum ingenium, potius mortalium omnium, quibus ipsæ suæ res fastidium conciliant, alienæ desiderium & sitim. Eleganter Plinius lib. 12. c. 17. postquam multa de Arabiæ opulentia & ubertate disseruit: *Peregrinorum*, inquit, *mire odores & ab exteris petiti tanta mortalibus suarum rerum satietas est, alienarum aviditas.* Ubi enumerat arbores odoratas, quas ex longe dissitis provinciis quærunt. Ergo verisimillimum aromata præterea alia, gemmasque pretiosissimas Palestinæ indigenas, vel ex aliis regionibus ad Salomonem allatas, quæ in Arabia non provenirent, intrepide postulasse & liberalissime à Salomone accepisse.

§. 11. Interea temporis, dum Hierosolymis Regina versabatur, potuit ad cognitionem & cultum veri Dei deduci. Supra enim audivimus, Deum id egisse occultius, & iter ex curiositate institutum ad finem sanctum direxisse. Accedit, quod Salomonis sapientiam, non humano labore acquisitam, sed divinitus concessam cognoverit. Hæc autem sine dubio, non tantum circa res naturales & humanas, verum etiam divinas in præsentia reginæ occupata fuit. Ex hujus auditu cur non potuit excitari ad colendum verum Israëlis Deum? Dum quoque in templo solennes easque multiplices victimas anni quotidie cerneret, varia sacerdotum ministeria, & ferventem populi pietatem, num sine motibus piis eam abiisse putemus? Hinc forsan illa animi vota & voces 1 Reg. 10: 9. *Sit Dominus Deus benedictus, cui complacuisti & posuit te super thronum Israël, eo quod dilexerit Dominus Israël in sempiternum & constituit te regem, ut faceres judicium & justitiam.*

§. 12. Tandem addunt ultimi ævi Scriptores de rebus Æthiopicis, Reginam ex eo, quo cum Rege vixit, fuisse non mensæ duntaxat, sed etiam Thori consortem & concepisse. Nec vanam putant conjecturam, cum Salomon eo tempore jam incipiebat amare mulieres alienigenas multas, atque sic etiam hanc, quæ multis animi & corporis dotibus plane excellens fuerat. Sic enim Tellezius lib. 1. c. 26. *Nemini mirum videri debere*, inquit, *Salomonem, qui Pharaonis filiam duxerit atque Moabiticas, Idumæas, Hethiticas fœminas amaverit, etiam Æthiopicam affinitatem delibare voluisse.* Atque hinc non desunt, qui existimaverunt, librum Canticorum vel historiam vel allusionem continere ad Reginam Saba, quam peramanter commendet, & vicissim ab illa laudes & encomia accipiat. Sed hujus rei plane nulla fit mentio in divinis libris, aut in Scriptoribus Hebræis, Josepho præsertim, qui suæ gentis antiquitates omnes perscrutatur & diligenter colligit atque interdum etiam quæ falsa sunt, si tamen vulgata, aut speciosa, minime rejicit. Præterea videtur id cum hospitii sanctitate nunquam violandi manifeste pugnare; præsertim cum nondum videretur Salomonis animus impuro fœminarum amore corruptus, neque tam perdite mulierosus, ut non solum alienigenas ad impurum consortium alliceret; sed alienas etiam quascunque obvia & sine discrimine intemperantis animi libidine deperiret.

III. REGINA IN DISCESSU.

§. 1. Postquam omnia interrogaverat audiveratque nostra Regina, & doctior & magis onusta muneribus Hierosolyma relicta domum rediit. Quo tempore autem abierit, certo non constat. Salianus putat septem menses mansisse, & Pineda pag. 415. conjecturatur eam integro anno demoratam fuisse apud Salomonem, 1 Reg. 10: 5. *Videns Regina holocausta, quæ offerebat in domo Domini*, cum non semel, sed sæpius, id est, ter in anno, 1 Reg. 9: 25. *offerebat Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta, & pacificas victimas super altari & adolebat thymiama coram Domino.* Quæ videntur esse tria illa omnium Israëlitarum celebratione sanctissima festa, Azymorum, Pentecostes & Tabernaculorum, quæ multitudine victimarum, ingenti thymiamatis copia à Salomone excolebantur summa cum universi regni admiratione & plausu, præter minora alia & quotidiana sacrificia.

§. 2. Quocunque tandem tempore abierit, nobis perinde erit. Hoc tamen constat suo cum comitatu rediisse in regnum. De comitatu autem Hebræorum, duodecim hominum

num millibus, millenis è singulis tribubus, seu jussu Regis, seu rogatu Reginæ nihil habet Josephus, aliique autores antiqui. Quanquam vero simile esse possit, Hebræorum aliquos novitatis studiosos, aut etiam pietatis propagandæ, & Legis diligentes, Reginam comitatos, apud eam gentem mansisse.

§. 3. Post discessum volunt aliqui Reginam adhuc habuisse cum Rege Salomone commercium tum literarum, tum aliarum rerum. Supra enim ex Petro Comestore observavimus, eam, juxta quorundam traditionem, rescripsisse Salomoni, quod præsentialiter ei indicare timuit, se vidisse scilicet quoddam lignum in domo Saltus, in quo suspendendus erat quidam, pro cujus morte regnum Judæorum periret &c. Dein fabulam de Regina gravida ulterius nunc contexunt Scriptores rerum Æthiopicarum, quam tamen non eodem recensent modo. Barrius scribit, in medio itinere pariendi laboribus impeditam, felici tandem partu puerum fuisse enixum. Hunc in sede regia liberaliter educatum justæ jam ætatis, qua decuit regali magnificentia & apparatu ad Parentem Salomonem mittendum regina cogitat, eo potissimum consilio, ut ante Tabernaculum sancta eum unctione parens Salomon initiandum, & in supremum Æthiopiæ Imperatorem inaugurandum velit ac jubeat. Meilechum (hoc enim puero nomen) parenti singulari benevolentia & charitate susceptum, solenni ritu consecrandum ac nomine avi honorificentissimo, id est, Davidis, insigniendum, ac deinceps divinæ legis præceptis & institutis imbuendum diligenter curat; Tum tandem matri reddendum, ministrorum optimorum plurimorumque decentissimo comitatu, atque etiam Pædagogo sanctissimo, ac rerum divinarum præceptore sapientissimo Sadoc, Azariæ filio, & summo in Jerosolymitano templo sacerdotum principe. Is Davidis interventu & precibus à Salomone exorat, ut in Sancta Sanctorum sibi ingredi liceat, valde ultimum dicturo Arcæ & loco sancto, & pro felici itinere vota nuncupaturo. Ingressus itaque quasi orantis specie, re vero ipsa tabulas suffuratus, alias omnino similes jam antea ad eam rem præparatas, illarum loco substituit. Illi dum jam ex longo itinere ad Æthiopiæ fines accedunt, Davidem totius rei inscium, Azarias admonet sacrati illius furti, & sacrorum spoliorum, quæ Jerosolymis ex templo sustulerat. Incredibili lætitia affectus David, citato gradu ad Azariæ tabernaculum venit; tabulas invenit ac ante illas, honestiori loco depositas lætissimis ludis, avi Davidis exemplo tripudiat: quem comitatus servorum universus, lætitiæ caussa perspecta, quibus possunt lætitiæ significationibus imitantur. Æthiopiam ingresso jam filio exoptatissimo, Nicaula Regina regni habenis traditis, & fœminis finem imperandi in Æthiopia facit; & viris ab hoc Davide ad reliquos Abyssinorum Imperatores virilem seriem ducendi instituit. Fabulam paulo aliter narrat Tellezius lib. 1. cap. 25. Exacto aliquo temporis spatio, inquit, domum reversam peperisse filium Menilechum, ex Salomone conceptum, quem Davidem nominaverit. Eum postea Hierosolymam ad Patrem missum, ejus jussu in lege divina bene instructum, & tandem in Regem Æthiopiæ unctum, atque ita dimissum fuisse, additis nobilibus Israëlitis, veluti amicis & novi regni instrumentis aulæque ministris: nec non legisperitis ipsoque Azaria, Tzadoci summi Sacerdotis filio, sacrorum antistite; atque exinde reges Habessinorum ac primores gentis hodiernos, originem suam traxisse. Sed sequitur fabula, non minus crassa quam novo Regi indecora; videlicet: Eos egregios viros nefario sacrilegio arcam fœderis cum tabulis decalogi secum abstulisse, templo tunc incustodito atque portis, veluti Dei provisu, apertis. Tandem matrem filio Davidi regno cessisse eumque pariter & primores gentis juramento obstrinxisse, ne imposterum fœminæ imperio parerent: neque alios, nisi posteros Davidis ad regnum admitteret. Atque hinc insignia regia Leonem habere cum symbolo volunt: *Vicit Leo de tribu Juda*; ut demonstrent, quod ex tribu Judæ & stemmate Davidis oriundi sint. Domino Ludolf. Gregorius notissimus ille Æthiops Amharensis eadem dixit, librumque, in quo ista exstarent, *Gloriam Regum* appellari & permagnæ apud suos autoritatis esse, neque quenquam de hoc in Æthiopia dubitare. Verum enim vero quid de his sentiendum sit, jam supra ex parte diximus, & nunc paucis dicetur. Scilicet Abyssinos esse gloriæ studiosissimos & suarum rerum buccinatores immodicos, veritatis autem non semper amantes; *sicut aliarum gentium inquit Sanct. l. c. alia sunt vitia, sic mendacium Abyssinorum familiare existimatur vitium.* Præterea non verisimile est Reginam (si vera est fabula) prope jam puerperam, certe partui vicinam egressuram Hierosolyma, susceptu ramque difficilem viam cum maturæ prolis & sui ipsius maximo periculo: aut permissurum Salomonem, ut gravida, sive Uxor, sive Concubina, ab Urbe discederet eo tempore, quo etiam vulgares fœminæ secessum amant & vitam molliorem. Tacemus ea quæ minus probabiliter de Zadoco summo Sacerdote narrantur. Conf. Sanctius l. c. p. 1124. & Dn. Ludolf. l. c. lib. 2. c. 3. n. 37. seqq. qui plurima dubia contra hanc sententiam movet, tum ratione rituum Judaicorum, tum etiam appellationis Regum. Nec appellatio, inquit, Regum Israëliticorum genus eorum arguit; non magis quam si quis Imperatores nostros è priscis Romanis ortos esse dixerit, quod eodem titulo utantur. Si vero posteri Israelitarum adhuc munia sua obeunt; vel si de conservatione stemmatis sui tam solliciti fuerunt; cur non etiam in conservanda majorum suorum historia? in colenda cum popularibus atque propinquis suis amicitia? connubiis jungendis? visitando templo Hierosolymitano? ferendis mutuis auxiliis? maxime cum frater Menileheci Roboamus (3 Reg. 12: 16.) tam gravem passus esset decem tribuum defectionem, ut toto vitæ tempore cum Jeroboamo bellandum illi esset: cum oppugnaretur à Sisæo Ægypti Rege, quem nemo melius quam Æthiopiæ Rex divertere potuisset, cum à tot hostibus premerentur Judæi: cum in captivitatem Babylonicam ducerentur: cum in ædificando templo secundo laborarent: cum à Syriæ Regibus: cum à Romanis opprimerentur; neque enim tunc temporis per Arabiam vel Ægyptum iter interclusum erat: & mare rubrum patebat. Tandemque quod caput est, si Æthiopes cultum Sacrum à Salomone acceperunt, cur non etiam literaturam? nam literæ plerumque una cum sacris transeunt, ut multarum nationum exemplis doceri potest: at hic scribendi legendique ratio ab Hebræorum more multum differt; quamvis figuræ nonnullæ à Samaritanis desumtæ videantur.

§. 4. Postquam reginam nostram in procinctu, in accessu & in discessu vidimus, id unicum corollarii loco adhuc monemus, quod mystice significetur per hanc reginam populus gentilis, qui audita fama veri Salomonis Christi, venit ad eum & omnium perplexitatum, quas passus est, de ultimo fine & beatitudine hominis, de immortalitate animæ, de natura Dei, solutionem ab eo accepit. Contulit etiam ipsa gentilitas vicissim suas scientias naturales ad utilitatem Ecclesiæ Christi. Vid. Estius. in 2 Reg. c. 10. Sensus alios longe petitos lubentes tacemus hoc loco

TANTUM.

ÆGID. STRAUCH
DISSERTATIO
De Rechabeami Regis Israëlitarum vita ad 1 Reg. XII.

§. 1.


Istoriam *RECHABEAMI*, Regis nimirum, cujus inconstans fortuna & varia in Exemplum potest esse Principibus Viris, descripturis, primo habenda ratio Parentum est, quos Historici Sacri ita exponunt, ut *Salomonem* Patrem appellent ejus, Matrem vero *Naemam* Ammonitidem 1 *Reg.* 14: 31. Ad summam igitur Rechabeami felicitatem pertinet, quod, secundum stirpem Paternam, ex ea gente oriundus fuerit, quam D. T. O. M. in peculium suum elegit, & quæ promissionum divinarum incomparabili excellentia, omnes alias universi orbis gentes, superare visa est, aliis enim gentibus, tempore V. T. taliter, ut Judæis, non fecit Dominus *Ps.* 147: 19, 20. Atque hic natalium Rechabeami splendor tantus omnino fuit, ut περισσὸν Judaici populi vix prædicari satis Apost. potuerit *Rom.* 3: 1. *seq.* & quidni maxima censenda eorum dignitas foret, quorum est *adoptio, & gloria & testamenta, & Legis constitutio & cultus & promissiones; quorum sunt patres, ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnia Deus laudandus in secula! Rom.* 9: 4. 5. Primitiæ certe regni gratiæ Judæi sunt, & Radix arboris mysticæ, quemadmodum gentiles cum ramis conferuntur *Rom.* 9: 16. Ex illis salus esse dicitur *Joh.* 4. non tantum quia Servator noster ex iisdem oriundus est, sed quia in hoc populo promissio salutis maxime innotuit. Erat præterea, priscis temporibus, magnæ quidem gloriæ argumentum, Natum esse Civem ROMANUM, de cujus capite, nisi *Centuriatis* agi *Comitiis*, non poterat & quem in crimine etiam deprehensum, flagellare tamen non licebat facile, quemadmodum *Cicero* Actione V. in Verrem, nullas alias voces Gravii, quem persecutus nimirum erat Verres, ad commovendum populum, repetiit, præterquam has, *quod inter plagarum crepitus ingeminaverit Gravius: CIVIS ROMANUS SUM.* Et in iisdem Actionibus in Verrem exclamat Cicero: *Cædebatur virgis in foro Messanæ civis Romanus. O nomen dulce libertatis! O jus eximium nostræ civitatis! O Lex Porcia, legesque Semproniæ!* Ad eadem civium Romanorum privilegia provocavit Apostolus, cum distendissent eum, loris cædendum, ad Centurionem inquiens: *Num hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Act.* 22: 25. Confer *Caroli Sigonii* de Antiquo jure Civium Romanorum L. 1. c. 6. Enim vero paribus, si non majoribus omnino privilegiis, gavisi olim Judæi sunt, ii præsertim, qui Judæi è Judæis, s. Ebræi ex Ebræis erant, uti se ipsum Divus Paulus describit *Phil.* 3: 5. Et quamvis Gentiles, quamprimum facti essent *Proselyti Justitiæ*, Judæi & ipsi dicerentur, peregrinitatis tamen seu גר in titulo retentio, character erat, Judæos è peregrinis, s. Proselytos à dignitatibus, Magistratibus & Præfecturis, atque à Connubiis, permissis Originariis Judæis, arcendos esse; Ita ut Judæum nasci, florente eorum Republica, dignitatis singularis argumentum haberi consueverit, & Rechabeamus noster ideo nascendi conditione felicissimus fuerit.

§. 2. Neque vero è Judæis tantum, sed speciatim è Davidis familia oriundus erat Rechabeam, Avum nactus Judæorum Regem excellentissimum, Deoque imprimis charum, quem quæsivit Dominus sibi, אִישׁ כִּלְבָבוֹ *virum secundum cor suum, & præcepit ei, ut fieret Dux super populum suum,* 1 *Sam.* 13: 14. id est, virum ideo electum à Deo, ut faceret πάντα τὰ θελήματα αὐτοῦ, *omnes voluntates ejus*, uti textum Ebræum interpretatur Apostolus *Act.* 13: 22. Eum, inquam, Avum habuit, cujus familia Reges dare debuit, usque dum Regia inter Judæos dignitas cessaret, dicente Domino ad Davidem; *Firmabo solium Regni filii tui super Israël* עַד עוֹלָם *usque in seculum* 1 *Paral.* 22: 10. Quod si ascendere altius placeret, quot non Viri præstantissimi, è linea ascendente in arbore Consanguinitatis Rechabeamiticæ recenseri possent, *Boozus, Nahasson, Aminadab, Juda denique*, de quo ita in Testamento Jacobi Patriarchæ legimus: *Non auferetur sceptrum de Juda, nec Legislator de pedibus ejus, donec veniat Schiloh. Gen.* 49: 10. Sed cum Stemmatis nobilitas vehementer quidem ad virtutem incitet, sola tamen nequaquam rem absolvat, præstetque adeo in nobilissima familia primum esse, seu qui mereatur stirpi suæ gloriam, quam ultimum, & qui moribus indignis splendorem prosapiæ suæ obfuscet, in eodem argumento prolixiores non erimus, nec omnes adeo avorum Rechabeami statuas recensebimus. Erat *Tarquiniorum* familia & ipsa quoque Regia, ad opprobrium tamen *Nepotis Superbi* pertinet, quod ex eadem oriundus fuerit. Et quamvis ex adverso *Thersites* Natalium suorum splendore non inclaruerit, *Achillem* tamen genuit nobilissimum Imperatorem. Sola nimirum virtus propria vere nobilem facit, cui si Avorum accesserit εὐγένεια, coruscabunt magis illustres Nati mores, qui nisi optimi fuerint, ridebitur Thraso,

Dum proavos atavosque refert, vel nomina mille.

§. 3. Quare ut de Avis Rechabeami nil dicam amplius, Parentes tantum indicabo. Erat Pater ejus *Salomon*, cujus incomparabiles animi dotes nemo ignorat, cum, Salvatore nostro excepto, neminem habuerit sui similem, nedum majorem, 1 *Reg.* 10: 23. *Matth.* 12: 42. Cæterum cum secundum mores seculi illius Rex *Salomon* cum fœmellis plurimis consueverit; (Numerabantur enim *uxores* ejus *septingentæ & concubinæ trecentæ*, 1 *Reg.* 11: 3.) mulier quoque *Ammonitis* thalami Regii facta est consors, cui nomen erat נַעֲמָה *Nahamah.* 1 *Reg.* 14: 31. Enim vero in Lege veteri severe prohibitum est, ne quis uxorem alienigenam, è gentilibus oriundam, duceret, dicente Domino; *Gentes perdendo perdes; Non panges cum eis pactum, neque misereberis earundem; Neque junges Te affinitate cum eis. Filiam tuam non dabis filio illius, & filiam ejus non capies filio Tuo; Quia recedere faciet filium Tuum, ne eat post me & colent Deos alienos, & irascetur furor Domini in vos & disperdere faciet te cito Deut.* 7: 2, 3. Quo sensu etiam transgressores hujus legis graviter increpavit Deus: *Fraudem fecit Jehudah & abominatio facta est in Israël, & in Jerusalem, quia contaminavit Jehudah Sanctum Domini, quod dilexit, & rem habuit cum filia Dei alieni Malach.* 2: 11. Huc pertinet *Nehemiæ* Zelus, qui Judæos quosdam, quod conjuges duxissent mulieres *Astoditidas, Hammonitidas & Moabitidas* percussit non tantum, sed capillos etiam evulsit illis, adjurans eos per Deum, ut ab hujusmodi matrimonio cum infidelibus abstinerent, cum tale quid committere, sit הָרָעָה הַגְּדוֹלָה GRANDE MALUM ET PRÆVARICATIO IN DEUM *Nehem.* 23: 25. *seqq.* Confer *Ex.* 34: 16. Atque hoc usque adeo notum erat, ut Romani quoque Judæorum institutum hoc sciverint; *Tacitus* certe L. V. Histor. c. 5. ita de Judæis inquit, *Apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium, separati epulis, discreti cubilibus, projectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent.* Specialiter adversus *Ammonitas* severissimum extat edictum Dei: *Non ingredietur Hammonita & Moabita in Ecclesiam Dei. Etiam generatione decima non ingredietur in Ecclesiam Domini usque in seculum.* Et iterum: *Non quæres Ammonitarum pacem nec bonum eorum, omnibus diebus tuis in seculum. Deut.* 23: 3, 6. E quibus omnibus id colligitur, dubitandum non esse, conjugium *Salomonis* cum *Ammonitide*, è quo Rechabeamus noster est natus displi-

displicuisse Deo. Quamvis enim plura exempla præsto sint eorum, qui uxores alienigenas habuerunt, atque ipsemet *David Mahacham* filium *Talmai* Regis Gesur duxerit 1. *Paral.* 3: 2. Non exemplis tamen, sed legibus judicandum, imprimis eum nec inter Sanctos reperiatur, qui omnino integer sit Job. 15: 15. Regum quoque autoritas abolere Legem Domini nulla ratione potuit, neque licuit illis, quod lubuit. Et tanto certius est, commixtionem fidelium cum infidelibus, Deum non probasse, quoniam eventus docuit, hujus generis matrimonia exitiosa familiæ paternæ fuisse, quod exemplum *Absalomis* confirmat, quem ex alienigena David susceperat, 2 *Sam.* 13. *seqq.* Id equidem concedam facile, licuisse olim uxorem ducere è gente aliena, sed Judæorum sacris initiatam, seu quæ transgressa erat in morem Judæorum, sicuti Boozus, sine crimine, cum Moabitide muliere, *Ruth* nempe, consuevit, postquam hæc dixerat ad Socrum suam Nahomi: *Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus Ruth.* 1: 16. Quo sensu etiam, ante Legem Mosaicam, post initum circumcisionis fœdus, dixerunt filii Jacobi ad Sichemum: *In hoc complacebimus vobis, si fueritis, sicut nos, ut circumcidatur in vobis omnis masculus. Tunc dabimus filias nostras Vobis & filias vestras capiemus Nobis & habitabimus vobiscum & erimus in populum unum. Genes.* 34: 15. Sed extra hunc casum neque Regibus erat integrum, posthabitis statutis Dei, libidini suæ, in eligenda conjuge, indulgere, quemadmodum inter vitia *Salomonis* ratio quærendi conjuges manifesto recensetur: *Nonne propter* UXORES PEREGRINAS *peccavit Salomon Rex Israel & in gentibus multis non erat Rex similis ei & dilectus Deo suo erat & posuit eum Deus Regem super omnem Israel: Etiam eum peccare fecerunt mulieres alienigenæ Nehem.* 13: 26.

§. 4. Quo anno mundi nativitas Rechabeami acciderit, cum in Bibliis Sacris annotatum non sit expresse, diversi diversimode sentiunt; Et primo quidem *Græci* plures à Natali Mundi ad Natalem Rechabeami annos supputare solent; Nam *Eusebius* Chronicorum Libro 1. pag. 20. (edit. Scaligerianæ) *Salomon*, inquit, *templum ædificare cœpit in Jerosolymis, consummavitque annis octo. Colligitur omne tempus, à Moyse & egressu Israelis ex Ægypto, usque ad Salomonem & ædificationem templi, in principiis annorum* 480. *ut Regnorum liber tertius testimonio est. A diluvio usque ad Moysen anni* 1447. *ab Adam usque ad diluvium anni* 2242. *Fiunt omnes simul anni* 4169. Quod si igitur anno mundi 4169. templum Salomonis conditum foret, oporteret Rechabeamum natum fuisse *anno mundi* 4164. Nam anno quarto regni Templum ædificare cœpit Salomon, 1. *Reg.* 6: 1. quadraginta annis regnavit, 2. *Paral.* 9: 30. Cum moreretur erat Rechabeam annorum 41. Ergo natus est noster anno quinto ante Templi Salomonici structuram, qui ipse quadragesimus primus est à morte Salomonis retro numeratus. Plures annos Autor *Chronici Alexandrini* numerat, dum ad annum Mundi 4506. notat sequentia Δεύτερος Ἑβραίων ἐβασίλευσε Σαλομῶν υἱὸς Δαβὶδ ἔτη μ΄ ὁμοῦ δφς΄. *Secundus Hebræorum* SALOMON *Davidis filius regnavit annos XL. A. M. MMMMLVI.* uti in Matthæi Raderi editione Chronici Alexandrini Græco Latina legitur. Natus igitur Rechabeamus anno uno ante Epocham regni Salomonici est, seu è mente *Petri*, (quem Chronici autorem vulgo celebrant,) Anno Mundi 4505. Quemadmodum vero *Isaacus Vossius* cum Græcis, in computi rationibus, facere consuevit, ita speciatim in Nativitate Rechabeami, ad an. Mundi assignanda, Textus Hebræi raciocinia multum excedit; Siquidem in *Chronologia Sacra c. XX. p. m.* 169. *sequent.* Intervallum quod à principio creationis, usque ad exitum ex Ægypto effluxit, constituit annorum 3953. de altero autem intervallo, ab exitu ex Ægypto, usque ad initium templi Salomonici, ita sentit *Vossius*, exacte designari illud non posse. Non abnuit tamen, imo inclinare in opinionem istam videtur, quam *Josepho* tribuit, 630. annos, ab Exodo, ad initium Templi, numeranti; Monet saltem, deesse adhuc summæ indicatæ annos ἀναρχίας, sive pacis & quietis in Israele, qui mortem Judicum & subsequentium servitutum intercessere; Ab omni enim ratione & verisimilitudine abesse judicat quam longissime, ut statim, sublato è vivis Judice, peccata consummarint Israelitæ, ac mox servitutem subierint. Ut hæc fiant, ait *Vossius*, manifeste aliquod requiritur spatium. Is igitur exacte designari non posse spatium, quod Exodum & ædificationem templi Salomonis intercedit, opinatur, hiatusque in Judicum Historia observari existimat, ita tamen ut Æram templi Salomonici, ante Annum 4583. figendam non esse, totidem verbis doceat.

§. 5. Enimvero quid de Græcorum hypothesibus Chronologicis habendum sit, in *Breviario nostro Chronologico* fuse disputatum, ostensumque est easdem fidem à nobis non mereri, nec sufficientem causam *Isaacum Vossium* habuisse, textui Hebræo derogandi, fontesque ipsos Testamenti veteris contumeliose tractandi, *quasi Judæi totis sex vel septem seculis ante Masoretharum laborem, tam annos, quam Prophetias in sacris codicibus vitiarint*, quibus verbis in Scripto suo contra *Schotanum*, *Vossius* utitur. Conatur equidem *Vossius*, objectum sibi scrupulum eximere, dum rationem quandam, ab iis, quos Adversarios habet Græculus, allegari solitam, ita repetit, INQUIUNT: *Si depravare voluissent Judæi Sacra volumina, utique depravaturos fuisse ea loca, quæ de Messia agunt, annos vero nihil ad Messiam pertinere*; Respondet Vossius: *Sed in eo falsi sunt; cum nihil magis ad Messiam pertineat. Tota quæ Christianos inter, & Judæos est disputatio, illa agit de tempore. Isti Messiam expectant, quem nos advenisse credimus. Cum igitur viderent, tempus adventus Messiæ præteriisse, expleti quippe erant anni sex mille à creatione mundi, ut lucrarentur annos bis mille, tota quatuordecim secula è codicibus suis expunxerunt. Residua quinque vel sex secula ut abolerent, decurtarunt intervalla Judicum, omittendo ἀναρχίας & contrahendo spatia Regum Persicorum, quo pacto totis bis mille annis mensuram temporis multarunt.* Sed in re seria *Vossium* ludere opinor; Nam *primo*, etsi inter ea argumenta, quibus adversus Judæos pugnamus, temporis quoque rationes allegari consueverint, tota tamen disputatio non est de Annorum Numero, qui in sacris Bibliis habetur, sed multa alia insuper sunt, quibus Judæi convincuntur, & in quibus malitiam suam hi exercere potuissent; Circumstantias intelligo ablati sceptri de Juda *Gen.* 49: 10. destructi templi secundi *Mal.* 3: 1. *Hagg.* 2: 8. interitus familiæ Davidicæ, è qua Messias oriri debuit 2. *Sam.* 7: 16. *Jer.* 33: 15. abrogationis ceremoniarum Leviticarum *Genes.* 49: 10. itemque qualitatum multarum, quibus Prophetæ Messiam descripserunt, & quæ omnes in Jesu Nazareno exactissime sunt impletæ, cum *pauper* is & *humilis*, *super asinum sedens* Civitatem regiam ingressus sit *Zach.* 9: 9. *passus & sepultus Es.* 53. *Ps.* 22. die tertio è mortuis *resurrexerit Os.* 6: 2. *ascenderit* in Cœlum *Ps.* 68: 19. & sederit ad dextram Dei *Ps.* 110: 1. *seq.* miserit Spiritum S. in Apostolos suos *Joel.* 2: 28. 29. Ecclesiam è gentilibus collegerit *Jer.* 31: 37. *Os.* 2: 23. & sexcenta alia; Has illustres Prophetias dubio procul abolere tentassent Judæi, si Biblia Sacra corrumpere unquam decrevissent. Immo si anni fuissent expungendi, LXX. Hebdomadum Danieliticarum calculus, primus fuisset offensionum lapis, *Daniel.* 9: 25. cum inter Chronologicas rationes vix reperiatur evidentior, quam est ea, quæ è Vaticinio Danielitico deducitur. Dicam amplius, stolidissimum fuisset factum, si ad decipiendos Christianos, seipsos privassent Bibliis Sacris Judæi, atque id nulla urgente graviori caussa. Etsi enim *Eliæ* cujusdam dictum Christianis innotuerit, quod in *Gemara* c. 2. Codicis Talmudici *Sanhedrin*, verbis sequentibus describitur: תנא דבי אליהו ששת אלפים שנה הוי עלמא שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח: *Traditio ex Schola Eliæ: Sex annorum millia erit mundus, duo millia inanitas, duo millia Lex, duo millia dies Messiæ*; Inter primaria tamen argumenta, quibus Christiani, pro adventu Messiæ sunt usi, recensitum hoc ipsum à nemine est, quippe quod κατ' ἄνθρωπον tantum concludit. Fuisset etiam multo facilius Judæis, hujus effati memoriam abolere, quam omnes Bibliorum Codices, quorum innumeri in Christianorum erant potestate, expunctione bis mille annorum mulctare. Imo si Messias noster carnem humanam assumpsisset, elapsis ab origine mundi annis sex mille, ne possent quidem Christiani traditionem illam Eliæ adversus Judæos urgere amplius, cum verba *Gemaræ* inferant, elapsis tantum annis *quatuor mille*, adventum Messiæ expectandum fuisse, quem hic ipse, admissis somniis Vossianis, per annos bis mille procrastinasset. Frivolum enim est, vel ridiculum potius, quod fingit Vossius; Annos sex mille non à Creationis, sed finiti diluvii tempore; quasi à mundo novo deducendos esse, cum id insolitum apud Judæos sit, duos mundos fingere, nec denominatio תוהו nos alio, quam ad mundum, in Hexaemero creatum, remittat. Addo, *Vossium* sui ipsius oblitum esse, quod mendaces tamen facere non oportet; A diluvio enim ad legem Mosaicam numerat ipsemet *Vossius* non annos 2000. sed pauciores. Nam in Chronologia Sacra p. 179. Mosis nativitatem refert ad annum mundi 3873. His addantur 80. anni Mosis, quos habebat, quando Lex promulgata est & habebis annum mundi 3953. Subtrahe ab hac summa annos 2256. quot à creatione ad diluvium *Vossius* numerat *pag.* 108. *& passim*; Differentia erit non nisi 1697. annorum, inter diluvium

diluvium & promulgationem Legis Sinaiticam, ut ita defecerint plures, quam trecenti anni, quo minus alter annorum millenarius à diluvio, cum Lege, secundum placita Vossiana, finiri potuerit. E quibus omnibus illud summatim colligimus; Chronologiam Rechabeami, secundum Græcorum computationem, cum veritate non convenire, atque ipsummet *Vossium*, dum commenta hæc proposuit, multifariam impegisse.

§. 6. Nostra hæc est sententia, de TEMPORIBUS RECHABEAMI optime constare, si characteres Biblici, in Codicibus Hebræis contenti observentur. Constat nimirum de Epocha templi Salomonici è 1 *Reg.* 6: 1. quod deducenda ea sit ab anno Periodo Julianæ 3697. quo ipso, mense Majo, stupendi ædificii fundamenta jacta sunt, uti in *Breviario Chronologico* p. 578. seqq. demonstratum est, id est, primus annus Templi Salomonis connectendus est cum anno mundi 2933. Atque hic ipse annus quartus fuit regni Salomonici. Regnavit Salomon universim annos 40. atque ita 36. postquam fundamenta templi jacta fuerant; Erat insuper Rechabeamus annorum 41. cum Patri succederet in regno, unde oportet eum natum esse anno quinto ante templi Epocham; id est circa annum mundi 2929. Quod ipsum alia etiam ratione probatur hoc modo: Annus Rechabeami primus in regno s. ætatis 41. fuit primus in Epocha Biblica 390. annorum peccatorum domus Israël *Ezech.* 4: 5. *seq.* Cum Jeroboamus eodem anno Israëlitas peccare fecerit, quo una cum Rechabeamo regnare incepit. Atqui annus primus horum 390. annorum peccatorum domus Israël fuit annus Periodi Julianæ 3734. quod denuo demonstratum est in Breviar. Chron. p. 606. oportet igitur Natalem Rechabeami incidisse in annum Per. Jul. 3694. fere, atque in annum mundi 2929. vel sequentem circiter. Quemadmodum etiam ex ipsomet *Eusebio* colligitur; Is enim uti antea monui. Auspicia regni Rechabeami refert ad annum Abrahami 1021. (*Chronicorum libro posteriore, p. m.* 102.) Subtrahantur anni ætatis Rechabeami 41. Et oportet nativitatem Ejus, secundum ratiocinia Eusebiana, incidisse in annum Abrahami 980. Enim vero L. 1. Chronicorum Eusebii p. 10. leguntur sequentia: *Apud Hebræos, usque ad nativitatem Abrahæ, computantur anni mille nongenti quinquaginta. Usque ad diluvium enim ab Adam, habent annos* 1657. *&c inde usque ad Abrahamum* 293. *&c. Additis* 1950. *annis, ad Numeros Eusebianos, habebis annum Mundi* 2930. *Natalem nempe Rechabeami*, quem indicavi antea. Sed præter Eusebium nobiscum, in temporibus Rechabeami ordinandis, sentit *Calvisius*; Nam in opere Chronologico ad annum M. 2969. Ante Christum 979. Auspicia regia Rechabeami recenset, subtractis 41. annis, quot ante Parentis mortem vixerat, differentia Numerorum indicabit annum M. 2928. quo Rechabeam est natus. Annus mundi idem fere ab *Henrico Buntingo*, in Cronologia Catholica allegatur, *pagina* enim 55. *ad annum Mundi* 2929. Sequentia leguntur:

Rechabeam filius Salomonis nascitur, erat enim annorum 41. *cum inciperet regnare*, 1 *Paral.* 12.

Enimvero in annis ante Christum multum à nobis *Buntingus* distat, nominat enim annum 1039. cui alligationi Epocharum rationes Chronologicæ omnino repugnant. Addo *Johannem Funccium*, qui in Chronologia sua pag. 48. ad annum mundi 2930. *Rehabeamum*, filium Salomoni natum, adscripsit. Itemque *Ubbonem Emmium*, qui in Canone Chronico p. 188. quadragesimum secundum Rechabeami annum, cum anno mundi 2969. Periodi Julianæ 3733. connectit; id est, Natalem Rechabeami ad annum Mundi 2928. Per. Jul. 3692. refert, quem imitatus est *Daniel Angelocrator* in Chronologia Autoptica. Similia habet *Joh. Lucidus Samotheus*, dum in Chronico s. Emendatione temporum, anno mundi 2929. qui erat proximus ante Davidis mortem, Rechabeamum natum esse, indicat. Neque aliter *B. Behmius* in Manuductione Chronol. pag. 71. itemque *Matthias Cheffneux* in Ecclesiæ Catholicæ speculo Q. 256. *Jacobus Hainlinus* in Sole temporum p. 106. Nec multum recedit à rationibus nostris *Philippus Lansbergius*, quando in Chronologia sacra p. 131. annum regni Salomonis 12. connectit cum anno mundi 2936. Ita enim oporteret Rechabeamum natum esse circa annum mundi 2924. ut prochronismus Lansbergianus sit 4. annorum fere. Eundem prochronismum committit. *Theodorus Bibliander* in Tabula quinta, quando annum proximum ante auspicia Regia Salomonis, connectit cum eodem anno Mundi 2924. Denique quamvis è Latinis alii Rechabeami Nativitatem ad alium annum Mundi referant, dum *Jacobus Cappellus* in Historia Sacra & Exotica pag. 141. Annum mundi 2998. non obscure nominat, *Johannes Temporarius* autem in demonstrationibus Chronologicis, itemque *Thomas Lydyat* de Emendatione Temporum p. 28. nec non *Edwardus Simsonius* in Chronico Catholico p. 14. annum Mundi 2984. Natalem Rechabeami faciunt; Et *Jacobus Usserius* in Annal. Vet. T. Ætate mundi quarta pag. 56. 2988. annum numerat; *Jacobus Salianus* denique in Annalibus ad annum usque 3020. descendit; omnis tamen inter Latinos discrepantia seculum non attingit, nedum quod excedat illud; Oriturque inter Chronologos diversitas exinde, quod intervalla quædam alii aliter numerent atque de anno imprimis Nativitatis Abrahami parum consentiant, quem alii anno Tharæ septuagesimo *Gen.* 11: 26. alii cum *Torniello, Beroaldo, Saliano, Cappellis, Temporario, Usserio*, aliisque anno Tharæ centesimo & tricentesimo genitum opinantur, qua de controversia in *Breviario Chronol.* p. 455. prolixe dictum est.

§. 7. Enimvero nova difficultas, circa tempora Rechabeami ordinanda, ex eo oritur, quod constet, natum eum esse priusquam regni gubernacula susceperit Salomon, quia nimirum annus Regni Salomonici quadragesimus & ultimus, fuit ætatis Rechabeami quadragesimus primus. 1 *Reg.* 11: 41, 42. 2 *Paral.* 9: 30. 1 *Reg.* 14: 21. 2 *Paral.* 12: 13. Quod si autem Salomoni privato adhuc natus est hic filius, ecqua ratione PUERITIAM suam allegare potuit Salomon, prole jam beatus, quando ait: *Nunc Domine Deus meus, tu regnare fecisti servum tuum pro Davide patre meo:* ואנכי נער קטון לא אדע צאת ובא *Et ego sum PUER PARVUS, nec scio egredi & ingredi* 1 *Reg.* 3: 7? Qua item ratione Avus Rechabeami David, nepotem suum, è Salomone, non ignorans, dicere potuit: *Salomo filius meus* נער ורך *est puer & tenellus?* 1 *Paral.* 22: 5. quod repetivisse legitur 1 *Paral.* 29: 1. *Et dixit David Rex ad omnem cœtum: Salomonem filium meum unum elegit Deus* נער ורך *PUERUM & TENELLUM.* Equidem si *Josepho* habenda esset fides, aliter ordinanda forent omnia; Is enim à numeris, qui in textu Hebræo leguntur, penitus recedit, quando L. VIII. Antiquit. c. III. de Salomone scribit: ἀποθνήσκει δὲ ὁ Σολομὼν ἤδη γηραιὸς ὤν, βασιλεύσας μὲν ὀγδοήκοντα ἔτη, ζήσας δὲ ἐννενήκοντα τέσσαρα &c. *Salomon autem jam admodum Senex moritur, exactis regni annis octuaginta, vitæ vero nonaginta quatuor.* Et de Rechabeamo idem *Josephus* scribit cap. IV. ἐτελεύτησε δὲ, βιώσας ἔτη πεντήκοντα καὶ ἑπτά· βασιλεύσας δὲ αὐτῶν ἑπτακαίδεκα· Τὸν τρόπον ἀλαζὼν ἀνήρ, καὶ ἀνόητος. *Vixit annos* 57. *è quibus* 17. *in principatu exegit, vir arrogans, atque insipiens.* Quod si igitur Salomon regnavit annis 80. 94. vixit, oportet eum, quatuordecim annos natum, Parenti successisse; Itemque si Rechabeam obiit 57. annos natus & 17. annorum post Salomonem Rex; oportet eum natum esse anno regiminis Salomonei 40. vitæ quinquagesimo quarto, atque ita non ante structuram templi, sed tricesimo sexto anno Epochæ ejusdem templi, Rechabeam est natus; Nam in eo cum Chronologia Biblica, secundum textum Hebræum, convenit *Josephus*, quod exorsus sit Salomon fabricam hanc anno regni sui quarto L. VIII. Antiquit. cap. 2. Animadvertit dubium hoc *Commestor*, igitur Josepho accedit ea ratione, ut de annis 40. regiminis Salomonici, in Sacris Bibliis expressis, ita judicet, divinam Scripturam eos tantum exprimere annos, quibus regnavit Salomon, antequam prævaricaretur, id est, 40. annos, ultra Hebræorum numeros, Salomoni Apostatæ tribuit, & Rechabeamum anno proximo, ante defectionem Salomonis, natum esse opinatur. Confer *Johannis Naucleri* Chronicon Memorabilium Generat. XXXIV. fol. 80. Atque hunc *Joseph* computum non sequitur ipsemet *Isaacus Vossius*, sed in Canone Chronol. pag. 196. profitetur aperte, se à Josepho in annis Salomonis recessisse, ac prætulisse calculum LXX. Interpretum, tam in annis Regni Salomonis, quam ætate Roboami. *Si enim*, pergit, *quadraginta annos Regno & ætati Salomonis addamus, jam non convenient tempora Regum Tyri, cum temporibus Regum Israëliticorum, nec fieri poterit, ut Ithobalus & Achabus simul floruerint, quod tamen verum esse, præter Josephum, Sacræ quoque testantur literæ.* Cæterum *Isaaci Vossii* hæc est opinio, Salomonem anno ætatis decimo quinto incepisse regnare; hujus anno quarto templum exstrui cœptum; Anno XXI. Æræ templi Salomonici, Regni ejusdem 24. ætatis 30. natum esse Rechabeamum: Anno denique Æræ templi 37. regni 40. ætatis 55. Rechabeamum, Patri suo Salomoni mortuo, successisse. Cæterum cum penes nos potior sit textus authentici authoritas, quam *Josephi*,

Josephi, vel Interpretis cujusvis, retinemus Hebræorum numeros, imprimis cum in Codicibus LXX. Interpretum, quos mihi hactenus contigit videre, paria legantur, ita enim habet Codex Græcus edit. Basil. anno 1545. de ætate Salomonis 3. *Reg.* 11: 42. Καὶ αἱ ἡμέραι ἃς ἐβασίλευσε Σολομὼν ἐν Ἱερουσαλὴμ, ἐπὶ πάντα Ἰσραὴλ, τεσσαράκοντα ἔτη· Et de Rechabeamo lego *cap.* 13: 21. καὶ Ῥοβοὰμ υἱὸς Σολομῶντος ἐβασίλευσεν ἐπὶ Ἰούδαν, υἱὸς τεσσαράκοντα καὶ ἑνὸς ἐνιαυτῶν Ῥοβοὰμ, ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτὸν, καὶ ἑπτακαίδεκα ἔτη ἐβασίλευσεν ἐν Ἱερουσαλὴμ τῇ πόλει, ἣν ἐξελέξατο Κύριος θέσθαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκεῖ, ἐκ πασῶν φυλῶν Ἰσραὴλ, καὶ τὸ ὄνομα τῆς μητρὸς αὐτοῦ Νααμὰ ἡ Ἀμμωνῖτις· Eodemque prorsus modo leguntur hæc in Editione Versionis LXX. Interpretum Londinensi, juxta Exemplar Vaticinum, Romæ editum, accuratissime & ad amussim recusæ. Ut mirer adeo, *Isaacum Vossium*, non tantum in adstruenda sententia jam exposita, ad LXX. Interpretes provocasse, sed *Christianum Schotanum* etiam Tom. II. Bibliothecæ Historiæ Sacræ Vet. Test. pag. 816. scripsisse. *LXX. (hic admodum distorti) dicunt Naamam illam fuisse filiam Ana (Hanum) filii Nahas, Regis Ammonitarum. Ipsum sedecim annorum fuisse, cum Regno admoveretur, imperasse annis duodecim.* Nihil horum in LXX. Interpretum Versione hactenus inveni. Sed ut spretis violentis expositionibus, quibus Textui Originali sua derogatur autoritas, & Rechabeamum ante Davidis mortem natum esse, & Patrem ejus Salomonem nihilominus potuisse נַעַר קָטֹן itemque נַעַר וָרָךְ appellari, ita ostendo, quod de *Josia*, itidem jam Patre, similiter dicatur, הוּא עוֹדֶנּוּ נַעַר Ipse adhuc erat PUER 2 *Paral.* 34: 3. Regnavit enim universim Josias annos XXXI. & regnare incepit anno ætatis suæ octavo 2 *Reg.* 22: 1. ut mortuum esse oporteat 39. annos natum, quo tempore filium habebat XXIII. annorum, qui *Jehoachaz* dicebatur 2 *Paral.* 36: 1. Quare hunc natum esse oportet anno *Josiæ* decimo sexto, quo ipso tamen tempore *PUER* adhuc dictus est, jam Pater pueri alterius 2 *Paral.* 34: 3. Nequaquam igitur נַעַר pusillum notat, & cui repugnet liberos habere, sed eum, qui ætate provectus non est, nec laboribus assuetus multum. Ita ministros suos, utique ætatis idoneæ, הַנְּעָרִים *Bohaz* appellat *Ruth.* 2: 21. & *Gehasi*, famulus *Elisæ*, נַעַר vocatur 2 *Reg.* 5: *vers.* 20. Similiter satellites Principum provinciarum, ad militiam apti, 1 *Reg.* 20: 14. Quemadmodum etiam הָאִישׁ הָרַךְ *VIR TENER*, habet אֵשֶׁת חֵיקוֹ *uxorem sinus sui*, nec non יֶתֶר בָּנָיו *residuorum filiorum suorum*; Et הָרַכָּה mulier *TENERA* non maritum tantum, sed filium quoque habet & filiam *Deut.* 28: 54, 56. Imo *David* ipsemet, plures annos natus, quam triginta, 2 *Sam.* 5: 4. jamdudum conjux & pater 1 *Sam.* 30: 5. de se ait: וְאָנֹכִי הַיּוֹם רַךְ וּמָשׁוּחַ מֶלֶךְ *Et ego hodie tener sum & unctus Rex* 2 *Sam.* 3: 39. E quibus omnibus id demum consequitur, vocabula נַעַר וָרָךְ *PUERI & TENERI* non juvenili ætati, ætati ad conjugium aptæ, opponi, sed senili experientiæ & confirmato per exercitia judicio. Unde *B. Lutherus* 1 *Par.* 29: 1. sensum optime expressit: **Salomo / der noch jung und zart ist /** quemadmodum & Græci ibidem habent νέος καὶ ἁπαλός. Νέος appellatur Salomon, eo scilicet sensu, quo νεωτέρας χήρας Apostolus appellavit 1 *Tim.* 5: 11. & alibi Νέας jubet φιλάνδρους εἶναι, καὶ φιλοτέκνους *Tit.* 2: 4. ἁπαλὸς autem dicitur, quod instar Rami *ficus*, folia producentis, succo vitali tunc abundarit Salomon; **Er war wie ein safftiger Zweig** *Matth.* 24: 32. *Marc.* 13: 29. Cæterum quot Annorum præcise fuerit Rechabeami Pater, quando hunc filium genuit, apodicticis rationibus definiri nequit; *Jacobus Capellus* quidem, in Historia Sacra & Exotica ad annum M. 2979. Salomonem, cum ad regnum accessit, XXVII. annorum fuisse, scribit, ut ita XXVI. annos natus *Rechabeamum* genuerit. Non placent hæc Scriptoribus aliis; Nam Rabbinorum quidam Salomonem, anno decimo vel duodecimo genuisse, tradunt, quot anni etiam ab Anonymo Chronici Sacri Autore ei tribuuntur. Itemque in Epistola *Ignatii*, ad *Magnesios* interpolata, legitur; Salomonem, duodecim annos natum, quæstionem inter mulieres, Cujus ESSET FILIOLUS VIVUS? motam, decidisse. Sunt tamen, qui è Circumstantiis lapsus Davidici, & præprimis quod exactis, post unctum à Samuele Davidem, annis 40. Absalomus regnum paternum invaserit 2 *Sam.* 15: 7. (quod videtur accidisse anno decimo, post commissum a Davide adulterium,) colligunt ultra 18. vel 19. annos natum Salomonem non fuisse, quando ut PUER, ut TENELLUS item, est habitus. Ita certe Belgæ in Notis ad 1 *Paral.* 39: 1. Salomo **hadde doe ter tijdt een Wijf getrouwt / gelijk uyt den ouderdom sijnes Soons Rehabeams is af te nemen** 2 *Chron.* 12: 13. **want hy heeft 40. Jaar geregeert** 2 *Chron.* 9: 30. **ende sijn Soone Rehabeam was 41. Jaar oudt doe hy Koning werdt / na** Salomons **doodt: Waar uyt dan blijkt / dat Rehabeam een Jaar oudt was / doe** Salomo **Koning gekroondt is: Doch David noemt hem hier / met reden / jong / om dat hy doe ter tijdt / na sommiger reekeninge / maar ontrent achtien of negentien Jaar oudt en was; Ende Broeders hadde / die ouder waren dan hy.** Confer. *Jacobi Usserii* Annales V. T. ad annum M. 2988. *Robertum Bailium* in Opere Historico Chronol. L. 1. p. 75. & *Thomam Lydyat* de Emendat. Temporum ad Annum M. 2984.

§. 8. Postquam difficultates Chronologicas, circa Rechabeami tempora occurrentes, dijudicavimus, continuabimus Historiam vitæ ejus; Nullum igitur dubium est, die octavo à Nativitate sua Regium hunc Nepotem circumcisum esse; Ita enim in Tabulis fœderis, quod cum Abrahamo Deus inierat, legimus; *Hoc est fœdus meum, inter me & vos, & semen tuum post TE, quod servabitis, ut circumcidatur vobis omnis mas. Circumcidetis igitur carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos. Natus autem dies octo vobis circumcidetur omnis mas per ætates vestras; natus domi & emptus pecunia de quibuscunque alienigenis, qui non est ex semine tuo. Omnino circumciditor natus dum domi tuæ, & emptus pecunia tua: Sic erit fœdus meum in carne vestra, in fœdus perpetuum Genes.* 17: 10. *seq.* Etsi igitur Historiam Circumcisionis Rechabeami nullibi annotatam legamus, credibile tamen non est, Parentem optimum tunc temporis, Salomonem nempe, Avum item devotum, Davidem, neglexisse initiationis medium in V. T. salutiferum. Nec impedire tempus statutum potuit pompæ cujusdam regiæ apparatus. Nulla enim major dignitas cogitari potest, quam secundum ordinem, à Deo præscriptum, fœderi divino inseri. Nec debilitas infantis derogare absoluto Dei mandato ordinarie potuit; cum φιλανθρωπία divina jam tum prospexerit masculo tenerrimo, quando ad diem octavum usque à nativitate, cruenta initiatio est dilata; Quemadmodum enim *R. Moses Ben Maimon* in Doctore perplexorum part. 3. c. 49. observavit, *quod octavo die fieri jubetur circumcisio, ideo factum est, quia omnia animalia, quando recenter in lucem sunt edita, propter summam humiditatem nimis sunt debilia, & fere non aliter, ac si adhuc in utero matris essent, idque usque ad finem septem dierum, post quos demum incipiunt numerari inter videntes aërem hujus mundi. Annon vides idem in Bestiis quoque observari? Sicut dicitur; septem dies erit cum matre sua, quasi ante illos dies esset abortivum. Sic itaque & homo circumciditur demum post completos septem dies.* Cæterum an ulla ratione; & in quibus casibus, differre circumcisionem, ultra octavum diem, licuerit, definire non audemus. Habemus quidem exemplum dilatæ, ob itineris molestias, circumcisionis, in populo Israëlitico, per quadraginta annos; sed cum exemplis adversus Legem Dei judicare non liceat, nec constet, quod dilatio illa sine omni peccato fuerit, imprimis cum aliquoties diu satis in castris manserint Israëlitæ, & vacare potuissent doloribus, quos circumcisionem secutos esse constat, dubitamus omnino, utrum ad exemplum illud, pro licentia differendi circumcisionem, recte provocetur? Et similiter de illa quæstione: *Utrum si morbus periculosus, saltem per Circumcisionem, reddi visus fuerit, licuerit circumcisionem differre?* ἐπέχειν sustinemus. Non ignoro quidem *Rabbi Mosen Maimonidem* in Jad Chasakah, inter alias, de Circumcisione, constitutiones, etiam has recensuisse: *Si quis ægrotat, non circumcidunt eum, donec convalescat. A tempore itaque quo convalescit ex morbo suo, numerant ipsi septem dies: idque de tempore in tempus: & postea circumcidunt. In quibus casibus valent ista verba? quando invasit eum febris, aut similis huic morbus. Sed si doluerint ipsi oculi ejus, eo tempore, quo aperientur Oculi ejus & sanabuntur, circumcidunt eum statim. Sic se habet quivis huic similis dolor. Si quis infans in die octavo suo deprehenditur viridis nimis, non circumcidunt eum, donec diffundetur in ipso sanguis, restituenturque aspectus ejus, sicut aspectus Infantium sanorum. Sic etiamsi fuerit rubicundus nimis, sicut quam colorarunt, non circumcidunt eum, donec absorbeatur in eo sanguis, restituaturque aspectus ejus, sicut (aspectus) reliquorum infantium. Nam istud morbusque aliquis est, & oportet providum esse valde in istis Casibus. Si qua mulier circumcidit Filium suum primum, mortuusque est propter circumcisionem, quæ debilitavit vires ejus: & sic, si circumcidit secundum, & hic quoque mortuus est, propter Circumcisionem, sive hic fuerit ex marito ejus primo sive ex marito ejus secundo: tum non circumcidit tertium, in tempore suo ordinario, octavo (sc. die) sed differunt eum, donec adoleverit & confirmatæ fuerint vires ejus. Non circumcidunt nisi eum infantem, in quo non sit ullus mor-*

morbus. Nam periculum animarum solvit omnia. Et fieri potest, ut circumcidatur post istud tempus: at fieri non potest, ut reducatur anima ulla ex Israël in æternum. Has inquam & similes Judæorum traditiones non ignoramus, sed an conformes sint Legis literæ, disquiri permittimus. De Rechabeamo tamen non constat, quid circumsio ejusdem, propter casus hujusmodi, fuerit dilata. Quare hic omnia ordinarie peracta esse, nulla ambigendi causa est præsto.

§. 9. Circumcisionem Nostri comitabatur NOMINIS IMPOSITIO; Nam quemadmodum Deus ipsemet, dum Circumcisionem instituit, mutavit *Abrami* nomen, cujus loco postea *Abraham* dicendus erat, *Gen.* 17: 5. ita posteris Sanctissimi Patriarchæ, ut recordarentur assidue fœderis, quod iniissent olim, in Circumcisione nomen est impositum. Ita certe cognati *Elisabethæ*, quando filiolus ejus, die octavo, circumcidebatur, vocare illum nomine patris ipsius, *Zachariam*, voluerunt; Sed prævaluit tandem parentum voluntas, atque ita *Johannes* est appellatus *Luc.* 1: 59. *seq.* Ita de Salvatore nostro legimus: *Postquam completi sunt dies octo, ut circumciderent puerulum, tum* VOCATUM EST NOMEN EJUS JESUS, *quod vocatum fuerat ab Angelo, priusquam conciperetur ille in utero Luc.* 2: 21. Suspicor Judæorum consuetudinem innotuisse etiam *Romanis*; Nam apud eosdem fœmellis, die octavo, masculis autem, die nono nomen esse impositum, atque hunc, ὀνομαθεσίας sobolis cujusvis diem, LUSTRICUM appellatum esse, quod tunc, infantes *lustrati*, id est, expiati, nomen acceperint, *Festus Pompejus* confirmat, quando de verborum significatione, LUSTRICI DIES, inquit, *infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur.* Imitati fidelium veteris Testamenti institutum Christiani sunt, quando & ipsi, in Baptismo, Regenitis dederunt Nomina, vel si adulti illi essent, vetera immutarunt, quamvis posterius non fiebat semper, cum *Constantinus, Martinus, Ambrosius, Augustinus* & innumeri alii, post susceptum baptismum, iisdem nominibus appellati sint, quibus antea audire consueverant. Singularis autem inter Judæos consuetudo obtinuit, quod nomina illi imposuerint significativa certæ cujusdam rei, nimirum voti parentum, vel status ecclesiæ, vel denique affectus erga matrem, Natumve, uti nomina *Noachi, Phalegi, Benjamini, Sethi* & sexcenta alia confirmant. Dictus igitur noster est רְחַבְעָם RECHABEAM quod nomen in Catalogo Nominum propriorum, qui Bibliis Germanicis solet præmitti, ita exponitur: des Volcks Zerstörer. Sed utut, si eventum spectes, de Rechabeamo id non immerito dicatur, primam tamen intentionem Parentum hanc fuisse, quando Soboli suæ nomen illud imposuerunt, ego quidem non credo. Magna siquidem differentia est inter חָרַב quæ Radix *vastari & desolari* significat, & inter Radicem רָחַב quæ significat *dilatari*. Precabantur nimirum Parentes, ut temporibus Nati hujus, dilatare Judæorum Populum vellet Deus, & ampliorem eis indulgere felicitatem: vel monere Sobolem voluerunt, ut operam aliquando daret, non quo minuerentur Israëlitarum copiæ, sed ut augerentur. Er solte seyn ein Außbreiter des Volcks Ab *Hieronymo*, de Nominibus Hebraicis, redditur: LATITUDO POPULI. Atque hoc usque adeo verum est, ut in ipsomet catalogo illo, è quo priora citata à me sunt, nomen ejusdem originis, seu ab eadem radice רָחַב descendens רְחַבְיָהוּ nempe, reddatur des HErren Ausbreiter 1 *Chron.* 26: 25. Cæterum quod hoc ipsum nomen, in diversis Linguis, diversimode exprimatur, neminem turbare debet. *Græci*, quibus difficile est, Ebræorum literas imitari, habent in Bibliis suis Ῥοβοάμ, quod *Matthæus* retinuit *c.* 1. 7. Uti tamen *Syrus* indolem vocis Hebreæ pressius est secutus, per suum ܪܚܒܥܡ *Rechebam. Latinus* retinuit Græcorum ROBOAM, quem & *Dietenbergerus* & *Moguntini* secuti sunt. *B. Lutherus* reddidit Rehabeam. Quamvis autem nullum sit dubium, Hebræorum literas, in hoc nomine usurpatas, non posse melius exprimi, quam si *Rechabeam* appelletur hic noster; Neminem tamen, ob diversam pronunciationem, in jus vocabimus, quod literarum peregrinarum translatio, certis & perpetuis Regulis comprehendi nequeat; Linguæ etiam singulæ peculiarem rationem Euphonias habeant, quam frustra imitari conatur, qui sermone diverso uti consuevit. Non displicet igitur nobis Critici Altorphini, *Theodorici Hackspanii*, de hac re monitum, qui L. 2. Miscellan. c. VIII. pag. 263. *Optandum esset*, inquit, *undecunque nomina sint imposita, aut quibuscunque de causis mutata, eadem tamen recte scribi, ne quis errori inepto hic locus sit. Decepti enim sunt Philo & Josephus ex aspiratione suppressa, ut* ABEL *luctum interpretarentur. Atque prorsus inconveniens est,* הָגָר *Latine scribere* AGAR, *imo contra allusionem Apostoli*, Gal. 4: 25. *qui ad nomen alludens, Hagar dicit esse montem in Arabia. Nam, ut recte ad eum locum Lud. Capellus observavit, alterum est Petra aut lapis. At uti optare hoc, quam impetrare est facilius; ita Confusioni, post mutationem hanc de novo orituræ, locus haudquaquam concedendus, nec pro Ezechiel Jechezkiel substituendum. Nam uti pridem hæ voces à Latinis enunciatæ sunt, sic easdem porro servemus, id quod & in Talmud, Alcorano, interprete Syro, aliisque observatum, Insolens enim hæc auribus enunciatio, Hebrææ ignaros linguæ, parum juvat, & Hebraice eruditos nil turbat, quibus alias talia nota sunt.*

§. 10. Non detinebimur amplius in Natalitiis Rechabeami, sed EDUCATIONEM Ejusdem videbimus. Incomparabile flagitium illud est, quod committunt, qui juventutem Sobolis Regiæ, sibi commissam, negligunt; Nam cum Regum, Regnorumque eadem soleat esse conditio, ut vere *Theodoricus* Rex Gothorum dixerit: *Facilius naturæ opera deerrare à natura, quam Regni fortuna à fortuna Regis separetur*; sequitur exinde, non Regii Principis tantum indolem corrumpere, qui vitiis eum imbuunt, sed in eadem malorum abrupta universum populum præcipitem dare. In fastigio rerum collocatur princeps, & numinis instar est, quicquid eum subditi vident agere, admirantur, imitantur. Agunt autem Principes, ad gubernacula Reipublicæ admoti, non nisi ea, quæ in pueritia & juvenilibus annis, à Magistris morum, quibus traditi fuerunt, didicere, uti testa odorem retinet, qua primum imbuta est, ita

—— *à teneris assuescere multum est.*

Quod igitur Rechabeami educationem attinet, sine culpa eam non fuisse, probabile videtur: Neque enim *Senum*, penes quos sapientia esse dicitur, traditus est diligentiæ, sed inter pueros, sui similes, adolevit; Nec venerari prudentum canitiem didicit, quoniam è consuetudine recepta agens, derelicto Seniorum Consilio, consuluit Juvenes: אֲשֶׁר גָּדְלוּ אִתּוֹ אֲשֶׁר הָעֹמְדִים לְפָנָיו *qui adoleverant cum eo, qui stabant coram eo* 1 *Reg.* 12: 8. Feroces solent pueri esse, ex Heroibus oriundi; Ut mansuescant igitur, danda est opera. Enimvero Rechabeamo licebat confirmare vitium, in quod natura inclinabat, quando non alii sodales, Sociique sunt dati, quam quorum eadem erat virtutibus jejuna indoles. Non equidem me fugit, consummatam Liberorum quorundam malitiam esse, ut etiamsi cœlitus mitterentur, qui mores eorundem forment, neglecturi tamen omnino sint saniora consilia. *Neronis* exemplum omnes norunt, cui frustra *Seneca* virtutes instillare conatus est. Sed Rechabeami tamen indolem desperatam censere non licet, cum Prophetarum sermonibus postea auscultarit. Molli potius educatione corruptus videtur. Nec miretur quispiam, *Salomonem*, Regem sapientissimum, neglexisse ea quæ Providi Genitoris partes debebant esse; Ita enim plerumque evenit, ut Parentes optimi, dum filios suos, in plena sapientiæ domo educatos, sibi similes fore augurantur, minorem de iisdem sollicitudinem habeant. Præterea tot negotiis implicabatur Salomon, imprimis quando stupenda illa ædificia, Templum & Regiam suam extruebat, ut accuratius in Nati mores inquirere, impeditus fuerit. Accedebat forsitan nutricum & mulierum, quibus Aula Salomonis ita abundabat, ut videri potuisset frequentissimum *Gynecæum*, effœminantia studia, quibus ab aspectu frequentiaque Seniorum & gravissimorum virorum arcebatur delicatus puer; Solet enim mulierum hæc cura esse, ut saginare novellum Principem annitentur, quasi id tantum operis iisdem sit datum, ut commissum curæ suæ epulis onerent. Quicquid mollitiei adversum est, cui promovendæ semper student, quicquid robustum reddere animum valet & confirmare, delicatulæ illæ, uti ipæ aspernantur & fugiunt, ita à Sobole illustri abesse procul jubent. Ea quidem ratione corrumpitur falsa dulcedine Princeps puer, nec confirmatur exasciatis Prudentum responsis, sed ceræ instar liquescit, & diffluit tandem in vitia. Quod si unicus Salomoni filius fuit Rechabeam, mirum non est, eundem tanto mollius, & inter lusus perpetuos, eosdemque pueriles mere, educatum fuisse, quanto carius erat solitarium hoc pignus. Breviter: Ita formatus est ab ineunte ætate Rechabeami animus, ut consilia Juniorum immatura ac turbida, admittere, Senum autem grandæva, prudentiæ & fidelitatis plena aspernari, consueverit.

§. 11. Mortuo *Salomoni* Patri succedere in regno debuit *Recha-*

Rechabeam, qui ideo *abiit in Sichem*, *quoniam eo venerat omnis Israel*, :לְהַמְלִיךְ אֹתוֹ *ut constituerent Regem eum*, 1 *Reg.* 12: vs. 1. Quo jure Rechabeamus in regnum successerit, sine difficultate definiri potest; Hæres nimirum ex asse erat Patris sui Salomonis, cum de nullis aliis, è tanta conjugum multitudine, susceptis à Salomone filiis, quicquam legatur, cujus duæ filiæ tantum recensentur *Thapheth & Basemath* 1. *Reg.* 4: 11. 15. non annotatis tamen matribus, quod eædem indignæ forsitan fuerint thoro Regio. Etsi igitur primaria Salomonis conjux filia Pharaonis fuerit, 1 *Reg.* 3: 1. sterili tamen ea, *Ammonitidis* filius erat proximus, quem primogenitum etiam, inter omnes Salomonis liberos, fuisse, natumque priusquam regnum Pater susceperit, ex Historia Regum colligitur. Quod si alia proles Mascula fuisset præsto, successionem Rechabeamo dubiam forsitan fecisset ea. Solum enim primogenituræ jus, ad fasces Regios suscipiendos, eo tempore, & universaliter, nequaquam suffecisse, *Davidis & Salomonis* ipsius exempla comprobant. Natus præterea erat Rechabeam, Parente, ut videtur, privato adhuc, neque è conjuge primaria, imo è pagana, quam, σὺν τοῖς τέκνοις αὐτῶν, una cum liberis earundem ejiciendam fuisse, secundum legem Domini 3. *Esdræ cap.* 8: 95. legitur. Quæ omnia adversus Rechabeami successionem allegari potuissent, imprimis quando durissimo responso alienos à se Israelitarum animos reddiderat, & demonstraverat eo ipso, se non instructum esse dotibus illis, quæ Regiam dignitatem deceant. Enimvero cum in domo paterna æmulum non habuerit Rechabeam, de successione tutus, Sichemum ad Comitia abiit.

§. 12. Quod *Sichemum* abierint Regni Proceres, id dubio procul fecerunt ideo, ut securi magis negotia sua potuerint tractare, non inclusi Hierosolymitanorum fortalitiis, cum militares copiæ, quæ præsidium obtinebant ibi, arctius viderentur addictæ Salomoneæ familiæ. Locus etiam celeberrimus is erat, quem Patriarcharum præstantissimi, *Abrahamus & Jacobus*, incoluerunt; *Pelosa* hodie sive *Napolosa* appellatur civitas, si *Adrichomio* in Theatro Terræ Sanctæ credimus p. 40. vastaverant quidem *Simeon & Levi* Samaritanæ regionis metropolin hanc, *Genes.* 34. & iterum urbem *Abimelech* everterat *Judic.* 9. fertilissima tamen regio paulo postea incolas accepit iterum, quamvis munita parum fuerit; *Sichem enim in monte Ephraim ædificavit demum Jeroboam & habitavit in ea* 1. *Reg.* 12: 25. In Civitate igitur libera, è qua liberum erat exire, congregatus est populus, quasi ad formam antiquam revocare omnia voluerit, cum & *Josua* Comitia egerit in eadem civitate *Jos.* 24: 1. Hostem scilicet externum non metuerunt Israelitæ, sed ortis fortasse inter se litibus, nulli omnino obstringi, nec constringi à quoquam, in oppido munito, voluerunt. Qua in re imitari eos *Poloni* videntur, qui & ipsi Regem eligere in loco patente solent, armis insuper stipati, fere uti *Prætoria Cohortes* olim, in acclamandis Imperatoribus, facere consueverunt. Cæterum quis indixerit Comitia hæc, vacante adhuc Regia sede, nullibi annotatum legimus; Nec dubitamus tamen, Antistites Tribuum curam hanc in se suscepisse, quemadmodum in simili casu, occiso *Isbosetho* כָּל־זִקְנֵי יִשְׂרָאֵל *omnes Seniores Israelis congregati in Hebron sunt*, ibidemque Davidem Regem suum constituerunt 2. *Sam.* 5: 3.

§. 13. Etsi vero Regni Proceres non videantur à Rechabeami successione confirmanda, alieni fuisse, cum dicantur potius ideo convenisse, ut אֹתוֹ Eum, non alium, *Regem constituerent*, 1. *Reg.* 12: 1. communi tamen consensu, Jeroboamo interprete, quem ex Ægypto vocaverant, Regni Candidatum hunc ita allocuti: *Pater tuus aggravavit jugum nostrum, & tu nunc allevia de Servitute Patris tui dura & de jugo ejus gravi, quod posuit super nos & serviemus Tibi.* 1. *Reg.* 12: 4. Invidiam hanc, Salomoneæ familiæ, Jeroboamum, injuriæ olim passæ memorem, concitasse vix dubitabit quispiam. Et videbantur omnino caussæ præsto, de Gravitate jugi Salomonei conquerendi; Incomparabilis enim erat Aulæ Regiæ amplitudo, Luxus maximus, sustentandæ tot uxores Regis, cum numerosissimo apparatu, stupenda ædificia erigenda, navigia instituenda, & sexcenta onera alia, quas non subditis afferre molestias potuerunt? Easdem tamen ab initio videntur æquo animo sustinuisse, quamdiu nimirum omnia prospere cedebant Regi, & divitiæ, quibus thesaurus regius abundabat, diffundebantur in subditos; *Juda enim & Israel multi sicut arena, quæ est juxta mare in multitudine, comedebant & bibebant & lætabantur* 1. *Reg.* 4: 20. *Non æstimabatur argentum*, *nec reputabatur in diebus Salomonis quicquam* 1. *Reg.* 10: 21. *Nam fecerat Rex, ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum & cedrorum præbuit multitudinem quasi sicomoros, quæ nascuntur in convallibus vers.* 27. Unde etiam *Josephus* felicissima fuisse Salomonea tempora annotavit *L. VIII. Antiquit. Judaic. cap.* 2. scribens: *Mirandum in modum per id tempus auctæ sunt res Hebræorum & tribus Judæ, populo ad agrorum colendorum studium converso. Pace enim potiti & nullis bellicis tumultibus distracti, ad hæc optatissima libertate avide perfruentes, in hoc potissimum erant intenti, ut suas quisque facultates augeret & majoris pretii faceret.* Sed postquam deinceps Salomon defecerat à pietate; cessavit etiam prisca bonorum abundantia, & derivata in subditos infortunia sunt, quibus cum Aula Regia conflictabatur. Compensare enim defectus, populum jussit Salomon, cui priscæ felicitatis memoria, dubio procul, tanto majus attulit tædium, quanto minus durissimo jugo, sub Davide & Salomone Pio, assueti erant Israelitæ. Ut remittere igitur tributa, ultra modum exacta à Parente, ut lenis tractare populum, nec tyrannice exercere auctoritatem, seu tanquam civile Reipublicæ caput gubernare vellet, regni Proceres orabant, ita tamen, ut nequaquam potestatem Regiam penitus abolendam esse postularint, sed parati ad homagium dixerunt :וְנַעַבְדֶךָּ Et Serviemus Tibi. Nondum igitur video, ob quam caussam, postulatum hoc Israelitici populi, si verba ejus spectes, exagitandum acerbius sit, vel ingratitudo & malitia illi exprobranda, cum sine dubio de novissima Salomonis administratione fuerint conquesti, nec repudiarint omnino Sobolem regiam, sed acceptorum beneficiorum, à Patre & avo, memores, obsequia sua ei promiserint, modo æquiorem se præbere subditis vellet. Atque hanc æquitatis Legem, Rechabeamo, ut Regii culminis Candidato adhuc, nondum confirmato in Imperio, commendarunt; Quo in casu magnam esse Procerum Regni autoritatem, certum omnino est. Exempla insuper præsto sunt populorum, qui ad certa pacta adstringere Reges suos consueverunt, ne scilicet ad gubernacula rerum evecti, ex potestate in tempestatem, ex administratione in effrænem ruerent licentiam, Remque publicam pro privata habentes, pessundarent, aut everterent. Uti *Dn. Limnæus* Lib. 1. de Jure Publico cap. XII. loquitur. Ita apud *Lacedæmonios* Rex & Ephorus, universi populi nomine, singulis mensibus, mutuo jure jurando sese alii aliis obligarunt; Et quis nescit *Capitulationem Imperatoriam* in Regno Germanico? Quis ignorat Reges *Angliæ*, *Sueciæ*, *Poloniæ* & quos non, certas imperandi leges accipere? Quod si igitur non tam ex animo Jeroboami, & qui fecerunt cum eo, quam ex verbis, desideria populi Israelitici æstimentur, & attendatur simul, non tributorum omnium indictionem, abrogatam eum voluisse, sed submisisse se jugo, & duritiem tantum ejus atque gravitatem nimiam deprecatum esse, æquius de postulatis hisce judicabitur.

§. 14. Non præcipitare Responsum voluit Rechabeam, sed triduum postulavit, ut vacare posset deliberationibus, cum Consiliariis suis instituendis; Quanta enim consiliorum necessitas sit, è Parentis doctrina dubio procul cognoverat: *Cum non fuerint Consilia* inquit ille *Prov.* 11: 14. *corruet populus*, id est, interprete Magnifico *Dn. D. Geiero*; *Quando Personæ publicæ* (*de quibus præcipue agi, ostendit* POPULI *mentio*) *in gubernandis, defendendis, vel puniendis aliis temere proruunt, quorsum cæci rapiunt, impelluntque affectus, quando nec apud semetipsos, nec in consessu vel amicorum, vel collegarum prius circumspecte deliberarunt, de congruis mediis, ad finem recte præfixum ducentibus, de circumstantiis, de propositi legalitate, possibilitate, utilitate, de substitutione mediorum aliorum; si deficiant priora, de amoliendis obstaculis, facilitandis, juvantibus &c. verbi gratia in imponendis oneribus, sanciendis legibus, corrigendis inveteratis consuetudinibus, aliisque negotiis, Rempublicam, vel Collegium aliquod concernentibus, Magistratus consilium vel non quærat, vel oblatum non admittat* —— *Effectus hujusmodi temeritatis vel consequens hujusmodi consiliorum inopia, est populi ruina, in plurimas nimirum angustias, adversitates, egestatem, dispersionem, totiusque adeo Reipublicæ interitum.* Hæc inquam, & similia animo forsitan Rechabeami observabantur adhuc, cum eandem doctrinam sæpius inculcarit Regum sapientissimus, etiam alibi ajens: *Via stulti recta est in oculis ejus, sed qui obtemperat consilio sapiens est*, & iterum *cap.* 20: 18. *Cogitationes consilio firmantur.* Quod igitur tempus deliberandi postularit Rechabeam, indicium prudentiæ civilis ejusdem fuisset, nisi postea seipsum indignum reddidisset hac laude. Cæterum quod unice Hominum Consilio confidisse visus fuerit, illud iterum degenerem eum Salomonis filium fuisse, arguit; Is enim, utut consilia Prudentum non neglexerit, ante alia omnia tamen à precibus negotia sua auspicatus

ſpicatus eſt, devoteque oravit Deum, *ut ſibi daret cor intelligens, ad judicandum populum, ad diſcernendum bonum à malo* 1. *Reg.* 3:9. Nihil horum de Rechabeamo legitur, ſed neglecto Deo, unice humana quærit conſilia & præſidia. Non recordatus iterum doctrinæ Parentis ſui, quod *Timor Domini ſit principium ſcientiæ Prov.* 1:2. Quanto rectius feciſſet, ſi exoraſſet Dei gratiam prius, quam Patris ſui Conſiliarios convocavit, poſtulavitque eorum ſententias; Certe in ancipiti negotio avus Rechabeami David Dominum Deum Iſraelis conſuluit 1. *Sam.* 23:4. 10. & alibi in anxietate ſimili; ROBORAVIT *ſe David in Domino Deo ſuo* 1. *Sam.* 30:7.

§. 15. Contemptum ſui egregie Deus ultus eſt; Quamvis enim Seniores Collegii, quod Rechabeamo à Conſiliis intimis erat, ea ſuaſerint, per quæ periculum defectionis inſtans evitari potuiſſet, admiſſa tamen talia à Rechabeamo non ſunt: Verba Reſponſi Collegii veteris ita habent: *Si hodie fueris Servus populo huic, ſervierisque eis, & reſponderis eis, locutusque fueris ad eos verba bona, erunt Tibi Servi omnibus diebus* 1 *Reg.* 12:7. Non fugiebat nimirum prudentiſſimos & circumſpectos Viros, declinare jam Iſraelitarum animos à familia Salomonea & Jeroboamo, (cui Ahia regnum promiſerat, & qui occaſionem deficiendi à Rechabeamo præſtolabatur unice,) multum favere; Conſulunt igitur, tempori inſerviendum eſſe, & blandiſſimis verbis diſtrahendos eſſe, qui defectionem jam decreverant animo. Enimvero duo potiſſimum ſunt, quæ adverſus Seniorum Reſponſum hoc urgeri poſſent; *Primo* videtur ſubmiſſio, quam Rechabeamo perſuaderi conati ſunt, Legi Iſraelitarum Regiæ contraria, quæ 1. *Sam.* 8:11. *& ſubſequent.* ita deſcribitur, ut dura quævis à populo exigere, & jugum illi imponere adamantinum Regi licuerit, nec conceſſa ſubditis poteſtate, adverſus Regem ſuum moliendi quicquam. *Hæc erit Lex Regis*, legitur ibidem, *qui regnaturus eſt ſuper vos: Filios veſtros capiet, & ponet ſibi in curribus ſuis & in equitibus ſuis, & current ante currum ejus; Et ponet ſibi tribunos & quinquagenarios ad orandum orationem ſuam, & metendum meſſem ſuam & faciendi vaſa pellica ſua & arma curruum ſuorum; Et filias veſtras tollet pro unguentariis & pro coquinariis & panificis & agros veſtros & vineas veſtras & oliveta veſtra optima accipiet, dabitque ſervis ſuis; Et de ſeminibus veſtris & vineis veſtris capiet decimas & dabit Eunuchis ſuis, atque ſervis ſuis; Et ſervos veſtros & ancillas veſtras & juvenes veſtros optimos & aſinos veſtros tollet & faciet in opere ſuo; De pecoribus veſtris decimam capiet, & vos eritis ei in ſervos. Et clamabitis in die illa à facie Regis veſtri, quem elegiſtis vobis & non exaudiet Dominus vos in die illa.* Quibus igitur talia interminatus fuerat Deus & cui formæ regiminis ſe ſubmiſerant Iſraelitæ, iis non videbatur conceſſum, ſub conditione alia, cum Rege ſuo contrahere; Et ſi maxime rebellionem minati fuiſſent ſubditi, nihil tamen adverſus LEGEM REGIAM, in Archivis depoſitam, 1. *Samuel.* 10:25. indulgendum eſſe, Conſiliarii Regii ſuadere debuiſſent, ne baſin ſcilicet Regiminis Monarchici ſubruerent. Enimvero cum *Rabbi Jehuda* & *Gerſone*, vel etiam cum *Eſtio*, *Tirino*, *Adamo à Conzen*, *Hugone Grotio*, *Beſoldo*, *Sixtino ab Amama*, *Claudio Salmaſio*, Commentatoribus *Belgicis* & *Heidelbergenſibus*, aliiſque innumeris, aſſerere quidem non placet, nullum, in verbis citatis, conſtitui JUS REGIS, ſed omnia quæ Samuel recenſuit, ad MORES & CONSUETUDINES PRAVAS vicinarum gentium pertinuiſſe, quemadmodum Pretor jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit, quod contra famoſiorem ſignificationem non tantum vocabuli מִשְׁפָּט Scopum textus, æquitatem ſingularum Legum, urgente Reipublicæ neceſſitate, conſecutam Legis intimationem, eventum denique, à Scriptoribus citatis tradi, jamdudum à B. B. B. *Luthero*, *Gerhardo*, *Hulſemanno*, & nuper etiam à *Magnifico Dn. D. Calovio*, in Annotatis Antigrotianis accuratiſſimis, oſtenſum eſt, & *Thomas Roſa* in Libr. de Virtutibus Jacobi 6. citat ejuſdem Magnæ Britanniæ Regis Tractatum, *de Jure Liberæ Monarchiæ*, in quo prolixe de hoc Jure diſſeruerit, probaveritque quod exemplar illud ſit, ſecundum quod omnes Chriſtianos, beneque conſtitutas Monarchias confirmari oporteat. Cæterum etiamſi à Samuele JUS REGIUM, nequaquam vero conſuetudinem Tyrannicam exponi putemus, conſilium tamen Seniorum, Rechabeamo datum, improbare non poſſumus; Nondum enim conſtabat, futurum eſſe neceſſitatis cauſam, quo rigorem Legis Regiæ Rechabeamum obſervare oporteat, & extra quem jure ſuo abuti, vel ſubditos ſpoliare bonis ſuis, Regem non decebat, cum modum imperandi alium, Deus, per Moſen, Regibus præſcripſerit *Deut.* 17:14. Nec videntur Iſraelitæ poſtulaſſe, ne in uſum Reipublicæ conſervandæ, ſervitia imponeret Rex, ſed deprecati potius tyrannidem ſunt, cui analogus illis videbatur Salomonis, quando à Deo jam defecerat, imperandi modus; Neque enim in commodum Reipublicæ incomparabilis ille apparatus Aulæ Salomoneæ, & frequentiſſimo Regis Gynecæo præſtanda ſervitia cedebant, cum ex adverſo Deum offenſum univerſo Regno, propter Capitis deliquia, ſenſiſſent. Abuſum igitur ut abrogare vellet Rechabeam, & moderate agere omnia, impenſe monent. Ædificatam jam Regiam, Palatia extructa plura, abſolutum Templum eſſe, concedendam igitur populo requiem, nec graviſſimis illis oneribus defatigandum amplius. Quidni igitur talia poſtulantibus, ut aſſentiretur dignitatis Regiæ Candidatus, ſuadere potuiſſent Seniores? Imo, etiamſi ſub conditione hac non licuiſſet populo cum Rechabeamo contrahere, peccaſſent tamen ſubditi tantum, & potuiſſet Regni hæres de jure ſuo remittere aliquid, quemadmodum *Jacobus Patriarcha* inique non egit, dum ſibi à Socero illatas injurias patienter tulit. Et Avus Rechabeami, David nempe, criminis læſæ Majeſtatis reo indulſiſſet libenter, ſi voluiſſet modo is conſervari. Non peccat, qui peccanti in ſe injurias condonat, & cedit tempori, ut ſalutem proximi, nedum gentis frequentiſſimæ, promoveat. Quare ut concludam, ita omnino judico, quod Rechabeam conſcientiæ ſuæ optime conſuluiſſet, ſi Seniorum conſilio geſſiſſet morem.

§. 16. Sed alia omnia Rechabeamo placuerunt; *Dereliquit enim conſilium Seniorum quod conſuluerant & conſuluit* הַיְלָדִים אֲשֶׁר גָּדְלוּ אִתּוֹ אֲשֶׁר הָעֹמְדִים לְפָנָיו׃ *Juvenes, qui adoleverant cum eo, qui ſtabant coram eo.* 1. *Reg.* 12:8. Non ſpernenda quidem ſemper Juniorum conſilia ſunt, ſi *mento* tantum illi ſint tales, cum ad *Timotheum* ſcripſerit Apoſtolus. 1. *Tim.* 4:12. *Nemo Tuam juventutem deſpiciat*; Quo exemplo utor lubentius, quoniam nec Conſiliarii Rechabeami, nec Timotheus ejuſmodi adoleſcentuli fuerunt,

qui primum teneros firmarunt robore nervos:

Sed oportet Rechabeami coætaneos, *quadragenariis* fuiſſe proximos, quemadmodum *Timotheum* triginta annos tunc habuiſſe, plurimi interpretum docent: In quam rem non poſſum non vetuſtiſſimi Scriptoris Eccleſiaſtici, *Ignatii* nimirum, verba adducere, prout eadem in Epiſtola ad *Magneſios* legi ſolent, interpolata quidem, ut videtur, retento tamen ſenſu, menti Patris congruo: *vos oportet*, inquit, *non contemnere ætatem Epiſcopi, ſed ſecundum ordinationem Dei Patris omnem venerationem ei exhibere, (ſecundum quod cognovi etiam Sanctos Presbyteros ei deferre) non propter juventutem, quæ in eo videtur, arbitrantes eum contemnendum, ſed in ſapientia Dei ei obedire. Quoniam quidem* non longi temporis ſunt ſapientes neque ſenes ſciunt prudentiam: Sed Spiritus in hominibus, Job. 23:8. 9. *Denique* Daniel *Sapientiſſimus duodecim annorum effectus, Spiritu ſancto repletus eſt, & illos Seniores, canitiem vanam habentes, calumniatores & alienæ pulchritudinis appetitores eſſe, manifeſtavit.* Samuel *etiam, cum eſſet puer puſillus, nonagenarium* Heli *Sacerdotem, per increpationem redarguit, quod* filios ſuos honorificaret ſuper Deum. 1. Sam. 3. *Similiter &* Hieremias *audit à Domino*: Noli dicere, quia juvenis ſum ego. Jer. 1:7. Salomon *quoque &* Joſias *in juventute mirifici & Sapientes in operibus ſuis apparuerunt.* Salomon *quidem duodecimo anno ætatis ſuæ, regnare incipiens, arduam & non interpretabilem, (*φοβερὰν ϗ δυσερμήνευτον *&c.) mulierum pro parvulis quæſtionem, judicio diſſolvit.* 1. Reg. 23. Joſias *vero, octo annorum exiſtens, aras & monumenta ſubvertere cœpit, lucos excidere & templa dejicere, quæ non Deo, ſed Dæmonibus erant conſecrata. Nam & Pſeudo Sacerdotes interfecit, ut corruptores & ſeductores hominum; non Divinitati, ſed Diabolo ſervientes. Propter quod non eſt contemnenda juventus, cum Deo adjacuerit: Sed illa ætas quæ ſententiæ nocet, etiam ſi inveterata fuerit dierum malorum. Juvenis fuit & Chriſtiferus* Timotheus; *Sed audite, qualia ei ſcripſit Magiſter*: Nemo, *inquit*, juventutem tuam contemnat: Sed forma eſto fidelium, in verbo, in converſatione 1. Tim. 4: vſ. 12. Cæterum ordinarie plus ſapere Juvenibus Senes, prudentiæ Magiſtri judicant; Nam

Jura Senes norint, & quid liceatque nefaſque,
Faſque ſit inquirant, legumque examina ſervent.

Atque ob hanc ipſam experientiæ in Senibus laudem, CORONAM GLORIÆ CANITIEM eſſe, Parens Rechabeami, Salomon, ſapientiſſime monuerat *Prov.* 16:31. Et Senum tamen conſilia junioribus rigent, ridentque ideo illa, rati

rati fortasse, Senes illos frigidos, nimium meticulosos, jam delirare. Si recentior esset Historia, putaret quispiam, illud *Horatii* cognovisse barbatulos Aristarchos;

Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti,
Vel quod res omnes timide, gelideque ministrat:
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator, censorque minorum.

§. 17. Sed quicquid horum sit, Juvenum sane prævaluere consilia, quando in hunc modum respondit noster: *Pater meus aggravavit jugum vestrum & ego addam ultra jugum vestrum; Pater meus corripuit vos in flagellis & ego corripiam vos in scorpionibus* 1 *Reg.* 12: 14. Intentionem & Scopum Rechabeami optime, ut opinor, assecutus est *Lucas Osiander*, quando verba hæc ita παραφράζει: *Scitote, me satis potentem esse, ut possim vel invitos in officio continere, vestrosque sublimes spiritus deprimere*; Ich wil euch Herrens gnug seyn/ das solt ihr erfahren. Imprimis verebatur, ne si mitius responderet, Israëlitis mox animus ad rebellandum cresceret; atque non modo ab initio regni sui, sed etiam postea, quoties vellent, ipsorum protterviæ cogeretur cedere. Quin, non hæc tantum subjecisse Regi consiliarios juniores credibile est, sed recitasse etiam sententias Patris ipsius, quæ monent, stultos virga coërcendos. Prov. 10: 23. 26: 3. Attamen nullo modo excusari insolens Rechabeami vox illa poterit, præterquam enim quod universim, in rebus humanis, Salomonæa illa responsionum, in caussa dubia, cynosura, obtinere debeat: *Responsio mollis avertit iram, sed sermo dolore afficiens, ascendere facit furorem Prov* 15: 1. non decebat certe Diadematis Regii Candidatum, exacerbare Subditorum animos, atque una Parentem optimum neglecti officii accusare, quasi is non satis egerit strenue, sed flagella usurparit, cum *Scorpiones* adhibere debuisset, id est, punivisset mitius delinquentes, quam fuerit necesse. Sensus certe verborum Rechabeami alius non fuit; Quamvis de eo, quid voce עַקְרָב proprie designetur, non omnino convenire Autores videantur; Nos simplissime intelligimus hoc loco *flagella aculeata*; Vel uti *R. Levi* exponit, *Baculos plenos spinis*, qui pungebant & dolorem afferebant gravissimum; *Lupatum* certe, *ferrum fræni, quod equi cujusdam ori immittitur*; Item, *Ferrum curvum, instar Scorpionis, infixum prælo torcularis*, etiam עַקְרָב dici, testis est *Johann. Buxtorfius* in Lexico Thalmudico Rabbinico pag. 1655. *B. Dannhawerus* in Idea Boni Interpretis pag. 228. ita de Scorpionibus hisce: *Quid* FLAGELLUM? *Quid* SCORPIO? *Flagellum nihil habet præter ictum, quo caro pulsatur; Fit enim plerumque ex materia lenta, quæ carnem non concerpit, sed tundit tantum, & relinquit vibices ac livorem: In Scorpione major atrocitas: Habet enim ille aculeos curvos, quales hami sunt, aut unci, qui etiam lacerant & concerpunt corpora:* Ego quidem facile concessero, *Uncis* quoque dilacerata olim corpora esse; Attamen cum *Scorpionibus* eosdem hos per omnia fuisse, nondum arbitror, nec *B. Dannhawerum* id voluisse opinor; Ita enim ab *Antonio Gallonio* de SS. Martyrum Cruciatibus, UNCUS describitur, quod *sit baculus oblongus sive hastula oblonga, ab altero latere ferramentum habens incurvum, quod instrumenti genus in usu Romanis erat, ad pertrahendos damnatos ad Scalas Gemonias, atque ad eosdem puniendos & demum ad cadavera flagitiosorum hominum in publicas cloacas trahenda. Suspicor potius, Scorpiones indicare Cyprianum* voluisse, vel analoga saltem iis instrumenta sævitiæ, quando in Libello, de *Laude Martyrii*, scripsit: *Quantæ sit gloriæ ponderate, sævitiam torquentis non horrere, animari hominem dolore, quo credatur extingui, & id sibi in augmentum virtutis assumere, quod cruciatui putat prodesse qui punit. Nam prædurantibus licet guttis resultans ungula recurrat in vulnus; exeuntibus flagellis cum avulsa corporis parte rediens aliena* (fortassis habena) *ducatur, stat immobilis tamen pœnis suis fortior*, &c. Invenerunt etiam Scorpiones hujus generis, in Gymnasio patientiæ *Jeremiæ Drexelii*, locum, cum quibus cap. 1. calamitates, plurimis communes comparantur, *Hæresis, Lues, Tyrannis, Bellum, Incendia, Annonæ caritas, eluviones fluminum, oppressio egenorum*, &c.

§. 18. Quamvis autem insolens Rechabeami vox illa, Carnifice fuerit dignior, quam Rege, additur tamen ab Historico Sacro, interprete Bezâ: *Non exaudivit Rex populum; Nam fuit caussa à Domino, ut firmaret verbum suum, quod locutus fuerat per manum Achijah Silonitæ ad Jeroboam filium Nebat* 1 *Reg.* 12: 15. Quæ verba absit, ut eo sensu interpretemur, quo solent, qui *Deum caussam peccati esse*, impio ore clamitant. Horret enim animus & sibi ipsi se subtrahit quasi, quoties blasphema audiuntur *Georgii Calixti* verba, in Epitome Theologiæ pag. 125. extantia: *Hoc ponimus, DEUM EFFICERE PECCATUM, sive PECCATI AUTOREM & CAUSAM ESSE, dupliciter accipi posse, uno modo ut causet peccatum directe, proprie & per se, sive Physice, movendo voluntatem & inspirando pravos motus, sive moraliter imperando, suadendo & approbando.* Hoc modo negat ipsemet *Calixtus*, Deum Peccati Caussam esse; *Alio autem modo*, inquit, *intelligere possumus, DEUM CAUSAM DICI*, (olim legebatur ESSE) *indirecte, improprie & per accidens. Primo cum permittit peccata perpetrari, quæ per absolutam suam potentiam ne fierent, perhibere posset; Secundo cum homines deserit*, &c. Profana hæc sunt & impia, atque à Celeberrimo Brunsvicensium Theologo, ad Auspicia Academiæ Juliæ quondam adhibito, *Beato Dn. Martino Chemnitio*, jamdudum, magno cum zelo, rejecta & improbata: *Piæ mentis est*, ait in Locis Commun. de Causa Peccati pag. m. 138. *reverenter de DEO sentire ac loqui, & sententias, veras, pias, honestas, comprobatas gravibus judiciis piorum in Ecclesia, utiles moribus, retinere, nec curiositate ac studio argutiarum quærere infinitos labyrinthos disputationum. Estque hæc vera & pia sententia, utraque manu & verius toto pectore tenenda, DEUM NON ESSE CAUSSAM PECCATI, nec velle peccatum, nec impellere voluntates ad peccandum, nec approbare peccatum, sed vere & horribiliter irasci peccato, ut toties suo verbo, assiduis pœnis & calamitatibus mundi, comminatione æternæ iræ, declarat. Imo iram adversus peccatum maxime ostendit Filius DEI, qui apparuit, ut victima fieret pro peccato, & ostenderet, Diabolum esse auctorem peccati, & sua morte iram ingentem Patris placaret. NON IGITUR DEUS CAUSSA est PECCATI, nec Peccatum est res condita, aut adornata à DEO, sed est horribilis destructio operis & ordinis divini, &c.* Et paulo postea cap. III. pag. 146. inquit: *Adeo abhorrent omnium mentes & aures ab illa Propositione: DEUM esse caussam peccati, ut Manichæi propterea finxerint alium DEUM malum, ne DEO, qui solus & summe bonus est, causam peccatorum tribuerent.* Ita incomparabilis Brunsvicensium Theologus olim docuit, cui doctrinæ an respondeant impiissimæ *Calixti* voces, tute ipsemet judicabis, Erudite Lector. Neque vero Blasphemiæ Autores, ejus generis loca Scripturæ, cujus est noster, juvare possunt, cum necessitas non consequentis, quæ caussalis est, sed consequentiæ iisdem indicetur. Scilicet Familiæ Salomonis infortunium hoc, per *Ahijam*, secundum πρόγνωσιν, minatus fuerat DEUS; SECUNDUM ΠΡΟΓΝΟΣΙΝ, inquam, cum latere omniscium futuri Rechabeami mores pessimi non potuerint; Nequaquam vero mores eosdem formavit Dominus, quos detestatus est ipse, nec responsum insolens suppeditavit homini, quod à Juvenculis fuisse, Historicus Sacer refert. Id unum est à Sanctissimo Numine, quod permissio iniquitatis cesserit in confirmationem vaticinii divini, scientiæ DEI æternæ infallibiliter innixi. Particula igitur כִּי non *caussalis* est hoc loco, sed *conclusiva*, quemadmodum alias sæpius idem notat, quod apud nos, per usum particulæ PROPTEREA, solet exprimi; ut *Psalm.* 116: 10. הֶאֱמַנְתִּי כִּי אֲדַבֵּר quod rectissime *Lutherus* vertit: Ich gläube/ darumb rede ich/ &c. Accedit ad hæc, quod vocabulum, in Bibliis Sacris semel tantum occurrens, סִבָּה non *caussam* notet proprie atque in rigore Metaphysico sic dictam, sed latius de *occasione* exponi debeat, nimirum quod acerbitas Rechabeami & imprudentia fuerit occasio, qua usus fuerit Deus, & confirmandum verbum, à Propheta dictum, sicuti Radix verbi סָבַב non tam *caussam*, quam *occasionem præbere*, frequentissime significat, & derivata à Radice hac, *circa, circuitum, accubitum*, &c. notare solent: unde rectissime *Lutherus*: Denn es war also gewandt von dem HErrn &c. Minus congrue, ad Textum Originalem. *Vulgatus* reddidit: *Non acquievit Rex populo: quoniam aversatus fuerat eum Dominus, &c.* quem secuti sunt *Moguntini*: Also war der König dem Volck nicht zu willen / dieweil der HErr sich von ihm abgewendet hatte/ ꝛc. Vel, si mavis, cum *D. Johanne Tarnovio* Exercit. Bibl. pag. 168. vocem סִבָּה redde per *Circuitum*, seu *Periodum*, hoc sensu: *Hæc conversio & regnorum Periodus erat à DEO, qui etiam bene uti potest malo & Regis & Populi animo.* Neque enim peccatum illud est, quando Deus transfert regna in alterum, quæ ipse dedit, præcipue si prior abutatur. Vide & conf. 1 *Sam.* 15: *vers.* 28. *Dan.*

Dan. 2:20. *Prov.* 28:2. Non latuit hæc vocis סִבָּה acceptio *Leonem Judæ*, vertit enim ita: *Quoniam fuit revolutio à Domino.* Imo Belgæ ipsimet reddiderunt: Want dese omwendinge / was van den Heere / &c. Hoc unum igitur certissimum est, hancce Historiæ Rechabeami particulam, blasphemam *Calvinianorum*, & qui eorum phrasibus, cum tanto scandalo utuntur, opinionem, nihil penitus juvare, utut eadem *Daniel Chamier* Panstrat. Tom. 2. L. III. VI. pag. 43. in hunc finem allegaverit, ut evinceret, quoddam peccatum esse à Deo, efficaciter volente, quod dubio procul *Franciscus Junius* etiam in animo habuit, quando textum originalem reddidit hoc modo: *Erat enim caussa à Jehovah, &c.* Quanto rectius in Notis Marginalibus ad Biblia *Tossani*, à Theologis Heidelbergensibus revisis, adscriptum legitur: Gott regierte das Werck also durch seine Fürsehung / daß solcher Ungehorsam ein Mittel ward / durch welches dasjenige erfüllet worden / was Er dem Salomo wegen seines Abfalls gedräuet / und durch den Propheten Ahia weissagen lassen. Doch trug der HErr keine Schuld / weder an der Tyranney des Rehabeams / noch an des Volcks Abfall.

§. 19. Durissima Rechabeami vox usque adeo exacerbavit Israëliticum populum, ut maxima ejus pars Sobolem Regiam penitus repudiarit; Nam *videns totus Israël, Regem non auscultasse sibi, retulerunt populus Regi responsum, dicendo: Quæ nobis portio esset cum Davide? Utique non est nobis possessio cum filio Isai ad tentoria tua Israël. Jam vide domui tuæ David? Sic abiit Israël ad tentoria sua!* Et paulo postea: *Sic defecerunt Israëlitæ à domo Davidis usque in hunc diem. Fuitque cum audissent omnes Israëlitæ, reversum esse Jeroboamum (quem mittentes accersiverant ad cœtum,) ut constituerent eum Regem super totum Israëlem; Nemo secutus est domum Davidis, præter tribum Jehudæ solam*, 1 *Reg.* 12: 16, 19, 20. Atque hic exitus fuit Comitiorum, utique infelicissimus, sive Rechabeamum spectes, sive populum, quorum ille amittebat paternum & avitum regnum. Hic autem extraneum accipiendo Regem, Apostasiæ duplici, Civili & Ecclesiasticæ involvebatur. Non equidem me fugit, inveniri, qui populi caussam vehementer hic agant, eundemque à Rebellionis crimine absolvant; Quos inter Pontificii Scriptores sunt, cum *Tostatus Abulensis Episcopus* scribere non sit veritus: *Licite populus Israëliticus à Roboamo separavit se, quia ipsi liberi erant: Roboam vero volebat eos in servitutem redigere; poterant ergo ab eo recedere. Populus enim, vel Respublica, Regem creans, illi dat Imperium & jus regendi. Ergo id ipsum potest ei auferre vel minuere, si is eo abutatur, in populi perniciem: Populus enim non absolute, sed certis conditionibus se principi regendum tradit, quas, si Princeps non servat, potest eum abdicare.* Atque hanc opinionem, promam condam multiplicis subditorum adversus Magistratum suum Rebellionis, secutus est *Johannes Miltonus* cum omnibus iis, qui Regicidium Anglicanum defendere conati sunt. Enimvero Regnis & Imperiis perniciolam esse sententiam hanc, non una suadet ratio: *PRIMO* enim libertas populi Israëlitici, eousque extendenda non est, ut Regibus obloqui, vel subtrahere se eorundem Imperio, subditis licuerit, postquam semel in Jus Regium 1 *Sam.* 7: 11. *seqq.* stipulati fuerant, & libertatem ab Obligatione ad mandata superioris amiserant libere. Imo tantum abest, quo minus libertas, obedientiæ subditorum sit adversa, ut hic demum legitimus libertatis usus sit, prompte exequi Superiorum jussa, secundum Divi Petri doctrinam, 2 *Epist. cap.* 2. 13. *seq. Subditi estote cuivis humanæ ordinationi, propter Dominum, sive Regi, ut qui superemineat, sive Præsidibus, ut qui per eum mittantur, in ultionem quidem maleficorum, laudem vero recte agentium; tanquam LIBERI, non autem tanquam LIBERTATEM pro velamine malitiæ habentes, sed tanquam servi Dei, &c. SECUNDO*; Etsi insolens Rechabeami responsum fuerit, & tyrannicum potuisset videri, quod minabatur, si tamen cum citato modo Jure Regio comparetur, necessitate obsequii nihilominus ei obligabantur subditi. Quemadmodum enim Servos Apostolus jussit; *Servi, subditi estote, cum omni timore, Dominis, non solum bonis & æquis,* ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς, *sed etiam PRAVIS*, 1 *Petr.* 2:18. ita nec subditorum protinus cessat obligatio, quando Magistratus dura præcipit, sicuti in loco præsenti Rechabeamus imprudenter & alieno tempore, Jure Regio uti voluit, quem ob id ipsum ἐλαττούμενον συνέσει, *Diminutum intellectu, Siracides* appellavit, *cap.* 47. 28. *TERTIO*; Potestatem, quam habent Reges, non à populo demum accipiunt, ita ut huic integrum sit, auferre iterum potestatem, sed PER æternam & substantialem Dei sapientiam Reges regnant, *Proverb.* 8:15. Deus, inquam, atque is solus est מְהַעְדֵּה מַלְכִין וּמְהָקֵים מַלְכִין *qui removet Reges & constituit Reges Dan.* 2:21. Unde omnis potestas non a populo, sed à *Deo* esse dicitur *Rom.* 13:1. ne quidem potestate, quam Pilatus habuit, excepta, quippe cui ἐξουσίαν ἄνωθεν δεδομένην *Potestatem superne datam*, Servator noster tribuit, *Joh.* 19:11. Subjectum quidem seu Personam quandoque designat populus, in regno mere Electitio, sed potestatem non confert, quæ à solo Deo originem habet. *Sciunt Imperatores*, inquit Tertullianus Apolog. c. 30. *quis illis dederit Imperium, sciunt qua homines, quis & animam: Sentiunt eum Deum esse solam, in cujus solius potestate sunt, post quem primi, ante omnes & super omnes Deos. —— Inde est Imperator, unde est & homo antequam Imperator, inde potestas illi, unde & Spiritus. QUARTO*; quod specialim Israëliticus populus, dum Rechabeami se subtraxit imperio, inique egerit, Historicus sacer non obscure edocet, dum contumeliosa in Optimum Regem, Davidem nempe, rebellium verba refert: *Quæ nobis pars in David! & non est hæreditas in filio Isai! Ad Tabernacula Tua Israël! Nunc vide domum Tuam* David. 1 *Reg.* 12: 16. Quibus docteriis dubio procul humilem Regiæ familiæ ortum exprobrare Rechabeamo voluerunt, quasi dixissent (Paraphraste "*Luca Osiandro*)
"Quid emolumenti unquam habuimus, aut quid porro etiam
"boni, vel utilitatis expectabimus, à posteritate Opilionis
"illius, qui fuit filius Isai? Er wird uns freylich kein Kind
"in ein Kloster thun / etiamsi huic Prosapiæ perpetuo adhæ-
"reamus: Quid ista Familia ad nos, ut ejus pedibus nos sub-
"jiciamus conculcandos. Quare utilissimum erit, ut deserto
"hoc Rege (qui nobis tanquam mancipiis superbe etiam mi-
"natur flagra) quisque ad sua abeat, eaque pro suo libitu
"curet atque administret. Viderit domus seu Familia Davi-
"dis ipsa, quale sit regnum habitura absque subditis! Ac per
"nos sane licet posteritati Davidis, ut regnet; Sed nos nihil
"neque pecuniæ, neque operæ amplius ad id imperium con-
"feremus. Quæ profecto Summa in Regem optimum, Avum nempe Rechabeami, & in Salomonem etiam, ingratitudo erat populi Israëlitici & contumelia acerba, Patribus olim Patriæ bene meritis, & tunc in Domino quiescentibus, à rebellibus imposita. Quæ enim non beneficia à Davide acceperant Israëlitæ, ut ab ipsomet Spiritu Sancto elogium hoc obtimus Princeps obtinuerit: *Elegit Dominus Davidem Servum suum & assumsit eum ex caulis gregis: A tergo fœtarum duxit eum ad pascendum Jacobum populum suum & Israëlem possessionem suam; Qui pavit eos pro integritate animi sui, & summa prudentia manuum suarum deduxit eos, Psal.* 78:70. Nec minora huic populo præstiterat Salomon, ut ejus divitiæ tunc temporis plane fuerint incomparabiles, postquam *reddidit Rex argentum Jeruschalaimis ut lapides: Cedros autem reddidit ut Sycomoros, quæ crescunt in loco depresso, multitudine*, 1 *Reg.* 10:27. Tot & tanta beneficia, quorum iniri numerus non potest, ingratus populus, rebellione adversus Nepotem, Filiumque dignitatis Regiæ Hæredem unicum, additis injuriis, compensavit. *QUINTO*: Allegata modo contumeliosa dicteria, alibi in Scriptura Sacra, ut effata Rebellium Subditorum adducuntur & damnantur, quando 2 *Sam.* 20:1. legimus: *Et ibi casu erat vir impius* (אִישׁ בְּלִיַּעַל) *& nomen ejus Scheba filius Bichri vir Jemini; & clanxit in buccina & dixit: Non est nobis pars in David, neque hæreditas nobis in Filio Isai. Unusquisque ad tabernacula sua Israël!* Quæ sane verba, cum iis, quibus Israëlitæ ad Rechabeamum usi sunt, plane eadem, pro seditiosis omnes habent, quemadmodum etiam dignam rebellibus pœnam Scheba dedit 2 *Sam.* 20: 22. *SEXTO*; Similiter phrasis ea, qua Israëlitarum à Rechabeamo defectio describitur 1 *Reg.* 12:19. וַיִּפְשְׁעוּ יִשְׂרָאֵל בְּבֵית דָּוִד *Et PRÆVARICATI sunt Israël in domum David*, de subditis seditiosis & crimen læsæ Majestatis committentibus, usurpari consuevit; Ita *PRÆVARICATUS* est *Moab* adversus Israëlem, post mortem Achab, 2 *Reg.* 1: 1. quod repetitur 2 *Reg.* 3: 7. Ita *prævaricatus* quoque Edom est, dum à potestate Judæorum defecit 2 *Reg.* 8:22. Neque ullibi sive in Sacris, sive in Profanis Hebræorum Scriptis, aliter, quam in malam partem, Radix פָּשַׁע cum conjugatis suis, solet accipi; quemadmodum Lexicographi Judæorum observant, dum ad eandem Radicem scribunt: כל לשון פשע שפירושו זדון או מרד Defectionem monent hoc vocabulo indicari, è *superbo & rebelli*, seu *seditioso animo*, oriundam. *SEPTIMO*: A Rebellionis Crimine Israëlitæ ideo absolvi nequeunt, quod publice

publice notum illud fuerit apud eos, Tribum Judæ & specia- tim Familiam Davidis designasse DEUM, ut Reges inde sumerentur; *Neque enim recedere Sceptrum Regium ex Jehudah debuit, nec Legislator de pedibus ejus, donec veniret Siloh Genes.* 49: 10. Ita firmitatem in regno Deus promiserat Domui Davidis, seu regnum, thronumque firmum עַד־עוֹלָם *usque in Seculum 2 Sam.* 7: 16. Quam promissionem divinam debita cum gratiarum actione ita veneratus est David, ut precatus ille fuerit: *Et nunc Domine Deus, verbum, quod locutus es super servum Tuum, & super DOMUM Ejus fac stare usque in seculum: Fac secundum quod locutus es; Et magnificetur nomen tuum usque in Seculum dicendo: Dominus Exercituum Deus super Israel & Domus servi Tui erit firma coram Te. 2. Sam.* 7: 25. *seq.* Horum & similium documentorum Ordinationis divinæ recordatio movere Israeliticum populum debuisset, ne temere innovare quicquam aggrederetur. Enimvero alia omnia offensi subditi cogitarunt; Nam, quod *OCTAVO* observandum est loco, non consuluerunt in hoc negotio Deum prius, quam à Rechabeamo defecerunt., parum memores mandati Divini: *Tantum statuito super te Regem, quem elegerit Jehova Deus Tuus &c. Deut.* 17: 15. De Electione hac non cogitantes Israelitæ, sine consilio Dei & per seditionem egerunt omnia. Quid multis? Habemus *NONO* manifestum indicium, è quo constat, temerarium populi Israelitici facinus Deo Ter O. M. omnino displicuisse; Ita enim is in Decem Tribus rebelles invehitur: *Dereliquit Israel bonum; Inimicus persequetur eum: Ipsi regnare fecerunt, & non cognovi: Argento suo & auro suo fecerunt sibi imagines, ideo erit excisio. Hos.* 8: 3. 4. Quibus verbis defectionem hanc Israelitarum à Familia Davidis describi, palam est, & exprobratur ideo illis Crimen Rebellionis Commissum; Etsi enim locum Prophetæ allegatum alii de Regicidis & Tyrannis, quales *Amri*, *Sallum* &c. fuerunt, alii de Fœderibus cum Gentilibus initis, exponant, (quo *B. Lutherus* etiam Tom. IV. Oper. Latin. Witteb. pag. 442. inclinat) non patitur tn. textus συνάφεια, ut de alio Judæorum flagitio, quam hoc ipso, quo Rechabeami imperio subduxerunt se, intelligatur, uti cum Interpretibus antiquis, *Hieronymo*, *Cyrillo* &c. consentiunt hoc loco *B. Gesnerus*, *B. Tarnovius*, *Junius & Tremellius*, *Andreas Rivetus*, *Cornelius à Lapide*, *Belgæ*, *Heidelbergenses*, aliique. Nec obstat promissio divina, Jeroboamo, per Ahiam, facta, 1. *Reg.* 11: 31. Aliter enim homines hic egerunt, id est, pessime; Aliter Deus, qui malo usus est bene, ut puniretur Salomonis transgressio & tyrannis Rechabeami;

Actio displicuit, passio grata fuit.

Rectissime *Tarnovius* in h. l. *Ipsi Israelitæ constituunt Reges, Jeroboamum ejusque Successores, at non ex me, antecedentem voluntatem si spectes, qui tamen ob peccata, & quod prævidérem idololatriam Salomonis, Rechabeami sævitiam, Israelitarumque rebellionem, voluntate consequenti ex ira id volui, ac Jeroboamo soli prædixi per Prophetam Achijam Silonitem* 1. *Reg.* 11: 29. *cap.* 12: 15. *quem tamen quod me non consulto, vel approbante ipsorum factum, ad regnum per seditionem evexerunt, in eo ipsi peccaverunt, & ita ipsi etiam constituerunt, seu fecerunt Principes, quos ego non agnosco, nec probo, quum nec legitimis modis ad illam dignitatem evehantur, nec vecti digne se gerant tanto honoris fastigio.* Consentit nobiscum, ex eorum cœtu, qui Rebelles juvare alias solent, Jesuitarum nempe, *Jacobus Salianus*; Huic enim in Annalibus V. T. Tom. IV. voces sequentes veritas extorsit, ad ann. Mundi 3060. Numer. 24. *Illud minime dubium videtur*, inquit, *graviter à desertore populo fuisse peccatum. Etsi enim Deus hanc defectionem, quatenus erat pœna peccatorum, voluerit, uti in reliquis quoque pœnis contingit, non minus tamen qui damnum ex privata sua voluntate infert alteri, male agit. Et quamvis tali supplicio digna erat familia Salomonis; non tamen propterea populus legitimum principem suum juste deseruit: Neque enim Dei mandatum, de Roboamo deserendo acceperant. Roboami autem verba non tantam merebantur pœnam, neque tam subitam & improvisam. - - - Nec prophetica prædictio rei futuræ, causa erat justæ discessionis: Illa enim rei caussa non est, sed eam quasi factam fuisse supponit.*

§. 20. Neque tamen universus Israelitarum populus in Rebellionem hanc consensit, sed quidam eorum in officio manserunt, oriundi nempe è tribu *Judæ*, unde ab eo tempore distinctio inter *Judæos* & *Israelitas* reliquos facta est illustrior. Judæis stricte sic dictis accesserunt alii, ii præsertim, queis arctissima cum tribu Judæ intercedebat unio, quales *Benjamitæ* imprimis fuerunt, qui in castris Rechabeami postea recensentur 1. *Reg.* 12: 21. Imo super omnes, *qui habitabant inter civitates Jehudæ*, regnavit Rechabeam 1. *Reg.* 12: 17. Quales dubio procul *Simeonitæ* quam plurimi fuerunt, forte immixti, vel proximi certe Judæis; *Fuit* enim *possessio Simeonitarum, per familias eorum, inter possessionem filiorum Jehudæ. Jos.* 19: 1. *De Levitis* etiam non est, ut ambigamus, aliquamdiu illos Rechabeamum secutos esse, eos præsertim, qui in civitatibus, tribui Judaicæ assignatis, habitarunt. Non poterat enim aliunde, quam è Sacrorum Hierosolymitanorum excellentia, felicitas eorundem æstimari; unde etiam factum est postea, quod Jeroboam, dum paravit domum excelsorum, fecerit Sacerdotes *è populo, qui non erant è filiis Levi* 1 *Reg.* 12: 31.

Atque hic exitus fuit Sichemiticorum Comitiorum, Regis nimirum alterius per seditionem facta electio, quam frustra Rechabeamus impedire conatus est, quando *Adoramum* tributorum præfectum, hominem alias exosum, ad plebem seditiosam misit; Nam usque adeo pertinax fuit ira populi, ut missum hunc Quæstorem Regium, ad excusandam juvenilis linguæ petulantiam, (uti *Josephus* rem describit L. VIII. c. 3.) placandosque, concitati vulgi animos, ne auditum quidem, lapidibus obruerint. Quo facto Rechabeam ratus id quod erat, se in famulo saxis impetitum, veritusque, ne conceptum semel odium in ipsius caput effunderetur, trepide conscensu curru quantum potuit, Hierosolymam properavit. Quid Hierosolymis porro egerit Rechabeamus, si vellemus describere, ultra modum Dissertationis Academicæ, pagellæ hæ excrescerent; Quare occasioni alteri, Deo dante, eadem reservamus, atque in præsenti cum *Daniele* dicimus:

Sit nomen Domini benedictum à Seculo usque in Seculum, quia sapientia & fortitudo Ejus sunt: Et ipse mutat tempora & ætates, removet Reges & constituit Reges, dat sapientiam & scientiam intelligentibus!

F I N I S.

JOH. FRISCHMUTHI DISSERTATIO
De Eliæ Prophetæ Nomine & Proſapia ad 1 Reg. XVII: 1.

שם אליהו הנביא ויחוסו׃

Sive

DE

ELIÆ PROPHETÆ NOMINE EJUSQUE PROSAPIA, DISSERTATIO

Ad illuſtrandum locum 1 Reg. XVII: 1.

§. 1.



DE Elia, minime ultimi ordinis Propheta, ſed, ut R. Abarbenel loquitur, רבן כל הנביאים בחייו׃ *omnium ſuæ ætatis Prophetarum facile principe*, & ſi à Moſe diſceſſeris, nulli vatum, לפי צורך השעה *pro temporis neceſſitate excitatorum*, ſecundo, acturi, de nomine primum ejus & patria diſſerendum cenſemus. Nomen ejus in codice Ebræo duobus maxime modis ſcribi ſolet: (1) אֵלִיָּהוּ quod Græcorum nonnulli & inter eos Chryſoſtomus, ſuo idiomate perperam ſcribunt ἠλίος, falſa ducti perſuaſione, quaſi à Græca voce ἥλιος, *Sol*, derivetur hoc nomen proprium, cum tamen plerique omnes ἠλίας ſcribant, & א prima litera tenui Spiritu ſit pronuncianda in אֵלִיָּהוּ. Cum vero hoc nomen proprium ex tribus vocibus Ebræis coaluiſſe indubium ſit, magnitudinem ejus explicaturus Ægidius Camartus, l. 1. de rebus geſtis Eliæ, *colligi ea*, inquit, *ex eo poteſt, quod conflatum ſit ex tribus Dei nominibus. Nam ut conſtat ex Hieronymo,* אל *inter decem Dei vocabula ponitur & ſignificat fortem ſive Deum.* יה *etiam aliud Dei nomen eſt, quod Dominum ſonat, legiturque in fine dictionis,* הללויה *Tertium Dei nomen eſt* הוא, *ut ex Moſe Helmidenſi, Georgio Veneto & aliis manifeſtum eſt. Hinc Eliani nominis privilegium eſt, ut ex tribus compoſitum ſit. Funiculus vero triplex non facile rumpitur, Eccleſ. 4:12. Itaque ex tribus Dei nominibus veriſimile eſt, externos gratiarum radios in Eliam effuſos, quemadmodum de ſole inquit Eccleſiaſtes cap. 43:3.*

§. 2. Quod bina priora nomina אֵל & יָה attinet, utique ea divina ſunt, quibus nomen אליהו conſtat. Quod vero τὸ הוא tertium Dei nomen eſſe contendit, in eo fallitur ordinis Minorum Generalis juxta cum Johanne Reuchlino, Petro Galatino & quicquid eſt Cabbaliſtarum. Minime quidem ignoramus, doctiſſimum Virum, Edmundum Caſtellum, auctorem Anglicani Lexici Heptaglotti, pag. 821. hoc, tanquam rem memorabilem, à ſe obſervatum referre & præfatione ad Lexicon laudatum inter alia ut momentoſum quid deprædicare, quod in libro יצירה & Cabbaliſtis τὸ הוא pro divino nomine habeatur. *Verba Lexicographi ſunt ſequentia:* הוא *nomen Dei Rittang. Jezira. 164. 168. conſule Pſalm. 102:28. quem de redemptoris ſeculo interpretantur R. David, Aben-Eſra &c. & Obad. Gaon c. Apoſtolo Ebr. 1: 12. diſerte de Meſſia.* Eſt igitur Meſſias הוא *Deus. Etiam Arabs* هو *idem, accedit Syrus* ܗܘܝܘ Ebr. 13: 8. *Chriſtus eſt hodie* ܗܘܝܘ.

§. 3. Sed quæ Caſtellus celeberrimus in medium affert, id minime probant, quod inde ſequi exiſtimat. Etſi enim Pſaltes τὸ הוא Pſalm. 102:28. ita uſurpat, ut ad Deum reſpicere illud facile largiamur, minime tamen ideo inter Dei nomina referendum eſt, cum ſit, ut Kimchi in libro Radicum loquitur, כנוי לנסתר, *pronomen tertiæ perſonæ*, quo ut ex contextu apparet, indice quaſi digito Dei immutabilitatem demonſtrat. Nempe cum Pſaltes loc. cit. cœlum & terram Dei opera inſtar veſtis mutationi obnoxia eſſe dixiſſet, Deum immortalem & æternum eſſe his ipſis verbis ſignificat, אַתָּה הוּאתְּ שְׁנוֹתֶיךָ לֹא יִתָּמּוּ׃ *Tu ille es, anni tui non conſumentur.* Atque ita ad imitationem Pſalmiſtæ Judæi in libro precum Ebraicarum fere loqui ſolent. Pag. mihi 4. libelli precum editionis Venetæ, habentur hæc verba אתה הוא עד שלא נברא העולם אתה הוא משנברא העולם אתה הוא בעולם הזה ואתה הוא בעולם הבא׃ *Tu eras, antequam crearetur mundus. Tu eras, cum mundus creatus eſt. Tu es in hoc mundo, & eris in futuro mundo.* Ex quibus pateſcit τὸ הוא non nomen, ſed pronomen eſſe, quod etiam interdum verbum ſubſtantivum includit, & inde ו in אליהו ornatum eſſe dubitandum haud eſt. Licet enim non nemo ita ſentientes *à veri tramite deflectere affirmet, cum Ebræi vix compoſita nedum decompoſita admittant*; Ipſe tamen à veri tramite deflectit, & ignorantiam ſuam prodit, cum vel mediocriter Ebraicæ linguæ peritum minime lateat, decompoſita plura occurrere apud Ebræos, qualia ſunt עמנואל, אברהם & ſimilia.

§. 4. Etſi lib. 3. Phil. Sacr. B. Glaſſius aliquando auguratus eſt, priſcos forſan in hanc ſententiam conceſſiſſe, & pro Dei nomine habuiſſe, quod τὸ הוא nomini יהוה ſæpius additur, videre eſt Thren. 1: 18. צדיק הוא יהוה Zach. 9: 9. alibi tamen ὁ μακαρίτης plane *inconveniens eſſe exiſtimat, inter Dei nomina* τὸ הוא *referre*, id quod etiam comm. in Pſal. 100: 11. affirmat Theologus & Philologus celeberrimus b. m. D. Geierus, de Eccleſia noſtra optime meritus.

§. 5. Manet itaque firmum & fixum τὸ הוא non niſi ex cenſu pronominum eſſe, quæ ellipſin pro more ſolent includere. De Deo illud vero ita uſurpatur, ut non tam ex ſe Numen ſupremum denotet, quam ex circumſtantiis textus eluceſcat,

de

de eo sermonem esse, perinde ac aliæ Orientales linguæ solent stilum suum moderari, & ita Dei immutabilitatem significare. Sic Arabs in Psalterio Romano verba אתה הוא reddidit انت هو انت *tu es tu*, & alius Arabs, Erpenianus interpres N. T. انت كما انت *Tu es sicut es*, & Syrus ܐܢܬ ܐܝܟ ܕܐܝܬܝܟ *Tu es ut es.* Et Æthiops አንተ ውእቱ *Tu idem ipse es.* ubi negatur, Deum mutationi subjicere, & idem volunt dicere, quod in vernacula nostra dicere solemus, **Du bleibst wie du bist.**

§. 6. (2.) Omisso Vau finali, aliquando scribi solet Prophetæ nomen אֵלִיָּה. Annotante enim Masora, critica Ebræorum, ad 2 Reg. 1: 3. quinquies litera finalis deficit. Quod quomodo contigerit, & an unus idemque scriptor sacer hujus amissionis auctor sit, an vero Judæi sequioribus temporibus mysterium more suo quæsiverint, aliis judicandum relinquo. Sane R. Bechai, comment. in Legem fol. 151. col. 3. hunc in modum scripsit: מה שנכתב יעקוב מלא בוי״ו מצינו בחמשה מקומות שנכתב יעקוב מלא ובחמשה מקומות נכתב אליהו חסר׳ ודרשו רז״ל יעקוב נטל את אחת משמו של אליהו ערבון עד יבוא ויבשר לפניו: *Quinque locis* ו *יעקוב plene scriptum invenimus: Ut vero vox* יעקוב *plene scripta est, ita* אליה *quinquies defective est scripta. Hinc Doctores nostri l. m. mystice exposuerunt, Jacobum unam literam de nomine Eliæ demsisse arrhabonis loco, donec veniret & ante ipsum renunciaret.* Nempe cum Elias nondum natus esset, fingitur à Judæis aliquid fecisse, quod reditum illius in has terras ipsis promitteret. Tam lepido lusu Ebræi contribules suos solantur in exilio, & ex unius literæ absentia & restitutione, quam sperant, Eliæ adventum etiamnum illis promittunt, ut vere non nemo scripserit

Qualiacunque velint, Judæi somnia vendunt.

Sed hæc de nomine אליהו in præsens sufficiant. Nunc de prosapia quoque ejus agendum erit in sequentibus.

§. 7. Appellatur insuper Elias in l. citato הַתִּשְׁבִּי, *Thesbites*, quam vocem & Ebræi & Christiani variis modis derivant, & non unam originationem ejus adducere solent. Lyranus, Tostatus & alii ita vocari Eliam autumant à תבץ, loco illo Abimelechi cæde nobilitato, Judic. 9: 5. quæ sententia ideo nullum applausum meretur, quod Elias minime תִּצְבִּי sed תִּשְׁבִּי vocatur. Præterea חשב non juxta Sichem sita erat & in tribu Ephraim, sed erat alterius tribus oppidum. Unde factum, ut & ipse Camartus Lyrani & Tostati sententiam repudiarit. Neque tamen ipse certi aliquid tradit, cum dubitabundus fluctuet, & ab uno themate ad aliud delabatur, ut solent illi facere, qui vacillant & pedem ubi figant, ignorant.

§. 8. Asserit vero insuper vocem תשבי derivari posse à שבב, quæ *scintillam*, *splendorem* vel *flammam* significet Job. 18: vers. 5. & id nominis Eliam sic habuisse ait, quod ut Eccles. 48: 1. habetur, *ille surrexit ut flamma, & verbum ejus quasi facula arsit.* Et cum sic magnum & ardentissimum zelum insinuari dixisset, quo (1.) vitia funditus elidere, (2.) pœnitentes solari sit solitus, in fine mundi ab eo id præstitum iri sibi persuadet, quia dicitur apud Malachiam, *convertet cor patrum ad filios.* Sed ut hæc originatio invalida est, ita male Malachiani oraculi complementum à fine mundi suspenditur, cum jam dudum ante adventum Messiæ Eliam, de quo Propheta vaticinatus est, venisse sciamus Christiani, ex Matth. 11.

§. 9. Progreditur Camartus ulterius, & Thesbitem à שבי lapide pretiosissimo in λογείῳ summi Sacerdotis haberi solito Exod. 28: 20. deducere conatur, nempe Achaite vel Amethysto. Quasi Scriptura hoc nomine singularem præstantiam & dignitatem, curam, sollicitudinem & vigilias indicare voluerit. Tandem lapidem illum non tam curæ indicium esse ait, quam remunerationis. Mox hujus sententiæ quasi pertæsus, aliam sententiam adducit, & תשבי dictum esse tradit à שבה captivum duxit, ob persecutiones quibus obnoxius fuit, ut inde Ebr. 11: vers. 37, 38. in eum quadrare putet.

§. 10. Operæ pretium facturi videmur, si hoc loco de eodem pronomine, הוא quod 2 Reg. 2: 14. occurrit, & dudum doctissimis interpretibus crucem fixit, & miris modis vertitur, disseramus, & quam male illi faciant, qui non arcte veritati Ebraicæ insistunt, eamus ostensum. Elia ad cœlos evecto, & Elisa tunica præceptoris sui fluvium frustra percutiente, nullaque aquarum Jordanis divisione, quam sperabat, subsecuta, in hæc verba Elisa erumpit: אַיֵּה יְהוָה אֱלֹהֵי אֵלִיָּהוּ אַף־הוּא וַיַּכֶּה אֶת־הַמַּיִם וַיֵּחָצוּ הֵנָּה וָהֵנָּה וַיַּעֲבֹר אֱלִישָׁע אַף־הוּא ubi vocularum אף־הוא versionem B. Lutherus omisit. Ebræorum quidam ita explicant, ut ea conjungant cum sequentibus verbis: *& percussit aquas, & divisit velut Elias doctor ejus fecit.* veluti Abarbenel quoque testatur, dum ait יש מפרשים אף הוא סמוך עם ויכה את המים ר״ל שאף הוא אלישע הכה המים כמו שעשה אליה רבו: *Sunt qui* אף הוא *jungant verbis & percussit aquas, quasi dicat Elisa aquas percussit, sicut Elias doctor ejus.* Hinc etiam B. D. Glassius, Philol. Sacr. lib. III. tract. VII. sententiam ita recenset; *videtur, inquiens,* ו *post illas particulas in* ויכה *redundare & solum esse conversivum, nequaquam copulativum, ut lib. 4. tr. 1. observ. 7. dicetur sensu hoc, etiam ipse percussit aquas & divisæ sunt &c. Ad sequentia enim pertinere illas voculas non ad præcedentia, ubi est Deus Eliæ? Accentus Athnach ostendit sub voce Eliæ. R. David Kimchi ellipsin ad voces illas statuit: quam ita supplet* אף הוא נעשה לו נס *etiam hoc ipsum factum est ei miraculum.*

§. 11. Sed Kimchii interpretamentum adeo durum & violentum est, ut dubitemus ei subscribere. Ellipsis enim illa merum est figmentum Judaicum & minus ad textum quadrat, ut quilibet animadvertit, qui paululum linguæ Ebraicæ est gnarus. Unde etiam non videmus, quomodo voculæ אף הוא commode ad sequentia verba ויכה sint referendæ, ut R. Salomoni & aliis placet Rabbinis. Neque accentus Athnachi, qui sæpenumero non magnopere distinguit, ratio cumprimis habenda hic esse videtur. Etsi etiam Græci ἀπφώ reddiderunt, & ita duas voculas in unam contraxerunt, minime tamen facti hujus justam causam habuerunt, uti nec illi, qui κρύφιον reddiderunt. Chaldæus interpres mentem sacri scriptoris minime est assecutus, cum ita interpretatur textum Ebræum & liberius קביל בעותי: *suscipe meam petitionem.* Qui paraphrastes nonnullis occasionem dedisse videtur, ut textum Ebræa veritate olim pro איה lectum esse אהה statuerent. Sed si seriem verborum Ebraicorum penitius intuemur, non tam preces illa præ se ferunt, quam singularem & insignem fiduciam, cum Elisa dixit: *ubi est Dominus Deus Eliæ,* & sibi respondet ipse אף הוא *Etiam ille adhuc superest,* quod vernacula nostra lingua dicere solemus: **Gott lebt noch.** Unde denuo percutiens aquas id impetravit, ut Jordane diviso, fluvium transire potuerit siccis pedibus. Omnium optime solvit difficilem nodum R. Abarbenel, cujus interpretamentum in commentario rarius alias occurrente, utpote Constantinopoli excuso, habet ita: אף הוא ר״ל עם היות שנעדר אליהו מאתנו הנה לא נעדרה השגחת הש״י מעלינו׳ וזהו איה הש״י אלקי אליהו כי עם היות שנעדר העבד לא נעדר האדון ואף הוא י״ת במקומו ומעלתו כמו שהיה קודם לזה: *voculis* אף הוא, *vult dicere: licet Elias à nobis desideretur, minime tamen à nobis cessavit providentia divina. Atque hoc innuunt verba: ubi est Deus Eliæ? etsi enim servus deficiat, Dominus tamen minime desideratur, quin Deus benedictus loco ejus adest & ipsius supplet magnitudinem, quemadmodum etiam antehac fuit.*

§. 12. Qui sensus verborum neque durus est, neque difficilis, ut adeo tuto hanc explicationem acceptandam esse putemus. Quæ verba, si Græci recte attendissent, neque ה אף הוא nullo sensu ἀφφώ reddituri fuissent, neque idem ac κρύφιον præter necessitatem significare affirmassent, quam vocem Drusius ad fragmenta Græcorum suspectam sibi esse ideo, affirmavit.

§. 13. Ut vero denuo ex diverticulo ad Camartum redeamus, cujus conjecturarum nondum finis est. Thesbiten tantundem significare ait atque *securum*, *quiescentem esse*, quia Psalm. 4: 9. Hieronymus verbum תושיבני reddidit: securum me habitare fecisti. Quin eo delabitur, ut verba Hos. 3: 3. ימים רבים תשבי לי: verti posse censeat, *multis diebus mihi eris Thesbites*, i. e. *quiescens à peccatis.* Tandem etiam cum Hieronymo à שוב derivari posse censet. Atque hic ὁμόψηφον habet Cl. Lichtfootum, Horis Ebraicis, ad Luc. 1: 17. quia ideo nomen התשבי à שוב derivari asserit, quod *conversor* fuerit Elias, & hinc Malachiam ad nomen התשבי alludere arbitratur, *à quo*, inquiens, *etymologiam melius deduxeris?*

§. 14. Cæterum cum non ex quavis literarum similitudine & convenientia de etymologia vocum sit judicandum, & adducta exempla parum quadrare videantur, malumus adstipulari Kimchio, qui com. in l. cit. scribit: מעיר ששמה התשב היה תחלה ואחר כך ישב בגלעד quæ verba R. Elias Germanus in libello Thisbi perperam interpretatur, dum vocem ששמה idem significare, sibi persuasit, ac *cujus nomen*, cum vertenda sint, quia *ibi* initio habitavit, adeoque non legendum שֶׁשְּׁמָהּ

שֶׁשְׁמָה sed שֶׁשַּׁמָּה & sic sensus erit: Elias vocatur Thesbites, ab *urbe in qua ab initio fuit inquilinus, postmodum vero habitavit in Gilead.* Kimchium sequitur Junius & Tremellius & quem parentis loco venerati vivum sumus, Salomo Glassius, ὁ μακαρίτης p. 819. lib. 4. tr. 3. observ. 12. Philol. sacr. ubi probabilissimam eam sententiam affirmat, quod Elias *Thesbites à patria dicatur & nomen* תשב *sit vel regionis, vel civitatis nomenclatura, ita dicta, vel eo, quod veteres incolæ ad centum millia abducti sunt, vel quod ex Israëlitis coloniæ eo transmissæ sunt, ut eam inhabitarent. conf.* 1. *Paral.* 5: 21. Nec dissentit mappa terræ sanctæ, ubi locus hic tribui Gad assignatur, & Thesba appellatur, ubi Elias natus sit, idcirco Thesbites dictus. Johannes quoque Bisselius, Societatis Jesu Theologus, in Palæstinæ sive terræ sanctæ Topothesia p. 118. *non procul*, inquit, *urbe Barasa tanto memorabilior cive suo, quanto serie situs inferioris Thesbe fuit, vatis Eliæ genetrix ac nutrix, quem proinde liquet, Gaditam ac transamnanum fuisse, regum Israëlis scelestissimorum iniquissimis temporibus, vere rosam inter spinas, ac lilium inter paliuros exortum.*

§. 15. Licet vero sic haud adeo obscurum esse videatur, cujas fuerit Elias, mirum tamen est, Judæos adeo discrepasse in recensenda tribu, ex qua fuerit oriundus, ut R. Abarbenel testatur: נחלקו בו חז"ל בב"ר אמרו שהיה משבט בנימין ומהם אמרו משבט של גד ואמרו שפעם אחד היו חולקים בזה ונראה אליהו ובא ועמד לפניהם ואמר למה אתם חולקים עלי אני מן בני של רחל: *Disceptarunt Dd. nostri* l. m. *in Bereschith Rabba. Fuit, qui diceret, eum esse ex tribu Benjamin: alius perhibuit, fuisse ex tribu Gad. Tradiderunt etiam, cum aliquando controverterent, apparuisse Eliam, & ante eos stantem percontatum esse; ecquid contenditis de me? Ego sum ex posteris Rachelis.* R. Abarbenel com. in Judic. scribit: יש מי שחשב שהוא היה המלאך הנראה אל גדעון: *Quidam sibi persuasit, Eliam fuisse angelum, qui Gideoni apparuit.* Quod somnium est Judaicum. Tam diversimode de Eliæ prosapia sentientibus contribulibus suis R. David Kimchi ita respondet כל אחד מהם סומך דבריו על הפסוקים רחוקים ואנחנו לא ידענו האמת: *unusquisque illorum suæ sententiæ fulcimentum e longinquo petit. Sed nos plane ignoramus veritatem.*

§. 16. Exinde patescit, unde oriundus fuerit Elias, nonnullos Judæos dubitare, quia ut Abarbenel in l. cit. scribit לא גלה הכתוב דבר מן משפחתו ובית אביו כי אם היותו מתושבי גלעד לפי שיתישב שמה בימים ההם: *Scriptura nihil de familia ejus & domo patris ejus revelavit, nisi quod ex habitatoribus Gilead fuerit, quia id temporis ibi habitavit.* Epiphanius tamen libro de vita Prophetarum hæc habet: ἠλίας ὁ Θεσβίτης οὗτος, ἦν ἐκ Θεσβῶν ἐκ γῆς Αῤῥάβων ἐκ φυλῆς Ἀαρὼν λευίτης οἰκῶν ἐν γαλαάδ, ὅτι ἡ Θέσβις δῶμα ἦν τοῖς ἱερεῦσι δεδομένη. *Elias Propheta Thesba oriundus erat ex terra Arabiæ, ex tribu Aaronis, Levita, habitans in Galaad, quia Tesbe erat domicilium sacerdotibus traditum.*

§. 17. Duo itaque sic in quæstionem adhuc veniunt: (1.) an Elias ex Arabia oriundus dici possit, qui pro Ebræo æstimatus est. (2.) unde constet Judæis, ex tribu Levi eum fuisse. Quod posterius attinet, Judæi jampridem id asserere nulli dubitarunt. Quin R. Samuel Schullam ad Sepher Juchasin p. 11. b. expresse scribit: כל ישראל נהגו לומר שהוא פנחס והדבר נשאר בתיקו והוא יבוא במהרה ויגיד לנו: *Omnibus Israëlitis est solenne affirmare, ipsum fuisse Phineem. sed ipse optime novit. cito igitur veniat & nobis explicet.* Sed nulla idonea Judæis suppetit ratio, quamobrem illi Eliam perhibeant ipsum fuisse Phineem, quos tam diverso tempore vixisse, apparet. Autor quidem libelli Thisbi, nempe Elias Levita, dum rationem reddere conatur, quamobrem hoc loco scriptura dicat Eliam fuisse מִתֹּשָׁבֵי גִלְעָד *de habitatoribus Gilead*, & ita non more solito הַגִּלְעָדִי appelletur, uti appellatur Barsilai, 2 Sam. 17: 27. & ut Micha c. 1. Propheta הַמֹּרַשְׁתִּי: ut Jeremias הָעֲנְּתֹתִי cap. 29: 27. sed ejusmodi rationem affert, quam h. l. minime probandam putamus. Ita vero ille l. cit. magno promissor hiatu: אני אתן בזה טעם נכון אחר מעשה פלגש בגבעה צוו ישראל להרוג את יושבי גלעד שנאמר וצוו אותם לאמור לכו והכיתם את יושבי יבש גלעד ואי אפשר שלא נמלטו מהם או שלא היו אנשים שלא נמצאו שם בפעם ההיא ולא נהרגו והנה אליהו היה אחד מהם ואחר זמן שנתישבה העיר הזרו ונתישבו שם התושבים הראשונים שנמלטו והם קראו תושבי גלעד ואם תשאל שואל מניין לנו שאליהו היה שם בזמן ההוא התשובה בזה הלא ר"זל אמרו כי פנחס היה במעשה פלגש בגבעה שנאמר ופנחס בן אליעזר בן אהרון היה עומד לפניו בימים ההם אם כן היה אליהו בזמן ההוא: *Ego firmam rationem reddam. Post facinus illud cum concubina in Gilead, Israëlitæ cives in Gilead occidi præceperunt, quia dictum est:* (Judic. 21: 11.) *& præceperunt illis dicendo: percutite cives Jabes in Gilead. Neque tamen fieri potest, quin ex illis quidam evaserint, ut ita non omnes id temporis fuerint occisi. Ecce vero Elias unus ex illis fuit. Postquam vero urbs restaurata fuit, priores habitatores reversi sunt, qui evaserant, atque illi vocati sunt habitatores Gilead. Si vero quispiam interrogaverit, unde constat nobis, id temporis ibi fuisse Eliam? responsionem hanc habeat, nonne Doctores nostri dixerunt, Phineem fuisse in Gibea, cum accideret illud facinus, quia dictum est,* (Judic. 20: 28.) *& Phinees filius Elieser filius Aaron stabat id temporis ante eum. Quæ res cum ita se habeat, utique Elias tunc extitit.*

§. 18. Cæterum quam solida ratio sit, quam Elias Germanus in medium affert, in aprico est, nempe plane nulla, licet bonus ille R. Elias sibi gratuletur, idcirco & se reperisse putet, non quod pueri in faba. Quod enim Prophetam Eliam unum ex illis fuisse arbitratur, qui stragem evaserint, male ex Jud. 20: 25. colligitur. Jam tum sua quidem ætate Origenes tract. VII. in Johannem testatus est, in Judæorum Archivo contineri, Eliam & Phineem non duos homines, sed unum eundemque esse, sed asserere hoc nemo sanus ausus fuerit, cum inter Phineem & Eliam plures anni sint elapsi. Ecquis præter recutitos dixerit Eliam, magnum zelotem illum Mosis tempora assecutum esse? Quod sexcentos annos & viginti eum vixisse inde elicere conantur, quia vitæ satietate oppresso sibi mortem optavit, id Abarbenel ipse ridet & subjicit: אין הכרח לזה מזה הכתוב *hoc minime sequitur ex hoc loco*, cum potuerit id fieri ex persecutione Reginæ, & aliis calamitatibus; qualis erat fames vehemens diu multumque qua premebatur. Præterea Elias non fuit sacerdos, ut Phinees, licet prisci Judæi probare id voluerint ex 1 Reg. 17. scribentes: להיותו כהן צוה שתוציא לו חלה בראשונה מן העיסה: *cum sacerdos esset, præcepit, ut sibi primum placentam de massa farinacea afferret*, cum & Prophetam ex alia tribu oriundum tale quid poscere potuisse, certum sit. Jeremiam quidem Prophetam fuisse oriundum מכהנים *ex sacerdotibus* c. 1. Jerem. legimus, sed Elias fuisse tantum dicitur, התשבי Thesbites. ἐκ γῆς Αῤῥάβων fuisse apud Epiphanium legitur libro de vita Prophetarum. Sed cum verba illa parenthesi includenda, tanquam aliena & textui intrusa, crescente Monachorum barbarie, Zehnerus contenderet, id tam male habuit Jesuitarum mordacissimum, Dionysium Petavium, ut Zehnerum imperitiæ & levitatis accusatum, *Superintendentem è quisquiliis Lutheranis* vocaret, & editori Epiphanii exprobraret, quod nesciret Arabiam olim late patuisse, ut non modo transamnanæ suæ Peræ optimam partem, sed etiam Cælesyriam ac Damascum complexa sit. Et sane nolumus ire infitias, fieri potuisse, ut cum mons Galaad Arabiæ conterminus fuerit, è continenti Arabum Prophetam quidam denominarint, ut Græca verba in mendo cubare, nondum sit manifestum. Quod alias ipsum montem Gilead attinet, post Phœnicem trans Jordanem situs erat Monti Libano conterminus & ad ejus radicem ampla & fertilis erat regio, Gilead dicta Deut. 34: 1. Jer. 22: 6. quem locum Kimchi hunc in modum describit: מקום הצרי כמו שאמר גם כן עלי גלעד וקחי הצרי והביא רפואה לחלאים קשים כמו נשיכת הנחש וזולתו *locus resinæ sicut ait* (Jer. 46: 11.) *ascende in Gilead & cape*, צרי *quod medicamentum est contra morbos difficiles, quali laborant à serpentibus icti & similes.* Sic regio illa non modo pascuosa sed & odorifera fuit, cum in ea crescerent arbores, pinus, terebinthus & fructus ad Medicinam utiles. Unde est, quod Jerem. 8: 22. Deus exclamat, ut verti solent verba: *an opobalsami nihil est in Gilead, an medicus nullus ibi?* In tam celebri loco Elias moratus מתושבי גלעד fuisse dicitur. Sic minus recte à R. Elia de reducibus ex strage explicari, & significationem vocis R. David Kimchi longe melius in libro radicum declarare videtur his verbis: תשב התואר למי שארך זמן ישיבתו במקום *Est nomen* תושב *denominativum illius, qui alicubi habitationis suæ tempus extendit.* Innuit advenam, qui aliquantisper alicubi commoratur. LXX. 1 Paralip. 29: 15. reddunt παροικῶν. Sunt vero πάροικοι, ut Hesychius in Lexico docet, iidem, qui Græcis ξένοι, παρεπίδημοι dicuntur. Sic Gen. 23: 4. 11. Ebrea veritas habet: אני גר ותושב עמכם LXX reddiderunt πάροικος καὶ παρεπίδημος μεθ᾽ ἡμῶν εἰμί. confer Exod. 12: 45. Lev. 25: 47. Psal. 39: 13. Psal. 119: 19. 1 Paral. 29: 14. Ut sic videatur esse quoddam discrimen inter יושבים & inter תושבים quorum illud *Cives*, hoc *advenas* denotat. In præfatione libelli ritualis, quem Ebræi מנהגים vocant, Judæi appellantur תושבי אוסתרייך *habitatores Austriæ*, qui nullo continuo civitatis jure gaudent, sed pro arbitrio duntaxat domini territorii tolerantur, quamdiu illi visum fuerit, quemadmodum recutitis in

Austria

Austria ad interdictum Imperatoris etiam regione haud ita pridem illa exeundum erat.

§. 19. Præcipuus fere fructus in ea fuit regione nempe Gilead, *Resina* Ebræis צְרִי vel צֳרִי dicta, quæ vox in sacris occurrit Genes. 37: 25. 43: 11. Jer. 8: 22. 46: 11. 51: 8. ab hac Ebræa voce צרי orta est Græca ῥητίνη per metathesin & צ mutato in ת, ut in τύρος ex צור. Syrus vocat ܨܪܝܐ cera cui etiam ܨܪܝܐ *Resinam Terebinthinam* significat. De significatione vocis צרי Kimchi in libro Radicum scribit: הוא נטף שהזכירו חכמים בסממני הקטורת *Est gutta, cujus meminit scriptura inter suffitus odoramenta.* Pergit: וכן בדברי רבותינו ז"ל רבן שמעון בן גמליאל אומר הצרי אינו אלא שרף הנוטף מעצי הקטף שרושמין בעץ ויוצא ממנו הצרי הוא הנקרא בלסמו בלעז: *Et sic in sermone Doctorum nostrorum laudatæ memoriæ Rabban Simeon, filius Gamalielis ait,* צרי *Zeri nihil aliud est, quam gutta ex arbore resinæ promanans, quam signant, & inde egreditur resina, quæ lingua barbara appellatur balsamum.* Ad quæ verba R. Elias Germanus in suis animadversionibus ad librum Radicum scribit: הוא נעשה מע"ב עקרים היוסיפון כתב כי הוא פרי או שמן מאילן בא מירחו: *Fieri illud solet ex LXXII. ingredientibus, & Josephus scripsit, esse fructum aut pinguedinem, quæ ex arbore egrediatur, quæ ex Jericho veniat.* Etsi vero צרי simplex medicamentum significare solet, compositum tamen itidem interdum denotare dubitandum non est. Unde & Castellus Lexico Heptaglotto ait: *Est compositio ex 72. rebus constans, secundum priscos. Est medicamentum pretiosissimum antiquissimum, utilissimum ad usus, de quibus in scriptura omnes.* vid. *Nicandr. Dioscoridem, Galenum & Averroen de Theriaca*, quam etiam Ebræi communiter notari volunt. Id patet ex textu, Deum tam pretioso medicamento symbolice loc. cit. & metaphorice uti, ut eo adumbraret verbum divinum, unde Chaldæus interpres Jer. 8: 22. ait: הלא מחמיד הויתי לאולפניה דאליהו נביא דמגלעד דפתגמוהי אסון אסותא: *desiderabam doctrinam Eliæ Prophetæ, qui fuit de Gilead, cujus verba erant medicina.*

§. 20. Superest, ut quid veri subsit Camarti observationi, videamus, qui suam in Ebraicis peritiam identidem, quamvis non satis solidam, ostentare satagit. Ita vero ille cap. V. sect. 9. *de rebus gestis Eliæ* loquitur: *Illud dixerim, quod cum in aliis locis, ubi dictio* תושב *legitur, illa semper scripta sit plenarie, id est cum vau post* ת: *In hoc tamen versu, cum de Elia fit mentio, scribitur deminute, id est deficit litera vau, & simpliciter scribitur* תשבי, *quod non caret intelligentia Spirituali. Nam & Hieronymus à sancta fide aliique Ebraizantes cum de dictione* תולדות *loquuntur, adverterunt, in duobus tantum locis scribi plenarie cum vau, in aliis vero deminute, ejusque rei præclaras considerationes proposuerunt. Dicamus ergo aliquando inter inquilinos reperiri, qui plenarii inquilini sunt, id est, alienas ædes integras, magnas & amplas incolunt, & ii plerumque divites sunt; & inquilini pauperes, quos ut habet Juvenalis*

—— —— tegula sola tuetur
à pluviis molles ubi mittunt ova columbæ.

nihilque præter exiguam cellulam vel vile tuguriolum habent, ii תשבים *deminute appellari solent.*

§. 21. Quam vereor, ne *intelligentia illa Spiritualis*, quam ex deficiente litera vau colligit ordinis Minorum Generalis, & ipsa juxta cum deficiente litera deficiat! Etsi enim quidam Masorethæ in suis exemplaribus ad vocem תשבי in margine annotarunt ל' חסי hoc est, *non amplius locus occurrit ubi deficiat vau*, subinnuentes, hoc loco scriptionem, qua vau omittitur, esse præ altera genuinam & exemplarium consensu firmatam: Sciendum tamen est, id perpetuum haud esse, ut ita scribatur, cum in Abarbenelis Constantinopoli excuso exemplari vau expresse positum sit, quod indicio est, diversimode scribi à Judæis תושבי & תשבי, sine ullius mysterii significatione. Et num putabimus, Sp. S. literæ unius omissione vel positione hic aliquid peculiare voluisse significare, qui alias ubique integris potius vocibus & ex instituto significantibus, certumque sensum in intellectu hominis gignentibus, homines docere solet? Aliud est, Sp. S. tale quid suggerere, quod Camartus contendit, aliud, hominem prout illi libitum est, aliquid curiose elicere velle, cui quantum fidei habendum sit, sic satis liquet.

§. 22. Quærenti, ecquid causæ sit, quod Camartus absentiam literæ vau tantopere exaggerat, scire licet, eo nomine id illum fecisse, ut monachorum mendicantium causam ageret, & pauperiem illorum commendaret, quæ meriti rationem habeat. Atque ita more Baronii digressionem instituit, quæ nihil solidi includit. Cujusmodi assertum vanum est, cum contendit, Deum ignotum voluisse esse locum, unde Elias ortus est, ut magnificis actionibus gloriam partam in Carmelum montem conferret, ubi domicilium suum divino instinctu exstruxerit, Monasterium ædificans, ex quo B. Virginis Mariæ celeberrimus ordo prodierit. At Eliam domicilium ideo in monte illo exstruxisse merum commentum est, & fabula plane anilis. Sane ut ille alicubi nos indignis modis perstringit, *emersit*, inquiens, *hæreticorum hominum examen, qui Spiritu vertiginis acti quacunque novandi prurigine insanientes, dum in sacra Biblia sceleratas manus injecerunt, id sibi videntur proposuisse, ut omnium veterum patrum limites & placita convellerent*: Ita illum nimium credulum, qui ea nobis obtrudit, quæ omni fundamento destituuntur, probe exagitandi occasionem commodissimam haberemus, dum nos tam temere pungit & eam nobis objicit innovandi pruriginem, qui antiquitati tam tenaciter inhæremus, ut quamvis novitatem ejusmodi aversemur penitus.

§. 23. Sic nomen Eliæ proprium expendimus, nunc alia nomina quibus ut communibus insignitur, considerabimus. Vocatur vero ille איש האלהים *vir Dei.* 2 Reg. 1: 9. 2. Reg. 4: vs. 16. Quomodo alios etiam sanctos Viros appellari Schindlerus annotavit in Lexico Pentaglotto. Ratio vero appellationis est, quod se Deo dicavit ut servum proprium, qui non suum negotium gessit, sed rem Dei, & cumprimis hujus contemtum indignissime tulit & acerrime vindicavit. Vocatur etiam נביא *Propheta.* Quo nomine illum per totam historiam Regum unquam appellari Cl. Lichtfootus, nequicquam negat, cum se ipsemet Elias hoc nomine 2. Reg. 18: 22. 36. insignaverit, & Cl. Lichtfootus haud memor fuerit moniti doctissimi cujusdam viri, *cauto opus est, ne quid universaliter* facile asseramus. In N. T. quoque Luc. 1: 17. cap. 4: 25. 9: 8. 44. hoc nomine insignitur. Unde maximi hunc Prophetam facere solent Turcæ. Hinc in Alcorano, Surata XLVIII. ita legimus: وان الياس لمن المرسلين اذ قال لقومه الا تتقون اتدعون بعلا وتذرون احسن الخالقين & *quidem Elias fuit unus ex Legatis, cum dixit populo suo, numquid non timebitis Deum, & relinquitis optimum creatorem?* Ex quibus perspicere licet, impostorem illum, Mohammedem, ex codice sacro, quem tamen à Christianis partim, partim à Judæis corruptum falso clamitat, quædam excerpsisse, ut fidem faceret suis commentis, & ita veritatem cum figmentis suis commisceret. Unde etiam Cl. D. Calixtus disp. de unicæ Christianæ Religionis veritate th. 36. de Muhammedistis: *videntur in speciem magis & verbis tenus quam reapse canonicam Scripturam, sive testamentum & Euangelium, ut ipsi loquuntur, magnifacere & venerari. Certe ea diligentia & attentione, qua oporteret, non evolvunt & legunt.*

§. 24. Est vero hoc loco minime reticendum, Arabes, dum plurimum tribuere, & magnifacere solent Eliam, ut tutelare militiæ numen illum colere, veluti Busbequius & Covicius docent. Quin eum الخضر appellitare amant. De quo Beidavi, celebris commentator in Suratam Alcorani decimam octavam, Mosen, legis latorem Deum alloquentem introducit اي عبادك اعلم منى وان النبى قال اعلم منك الخضر *Quis servorum tuorum majori pollet scientia, quam ego? ostende mihi eum, imo regessit, ostendam Tibi Alchezer.* Est vero خضر Arabice idem ac *splendidus, vigens, florens.* Quo nomine Eliam insignivisse Arabes & Turcæ videntur, quod in cœlum raptus vitam cum morte non commutaverit. Quod, ut in eum quadrare haud negamus, ita tamen mirum est, quomodo illo nomine insigniant eos, qui immortalitatis privilegium haud sunt assecuti, ut *Phinees, Martyr Georgius, Sacer eques.* Hac voce quos significare velint Turcæ, Jacobus Golius nos edocet in Lexico suo Arabico, radice خضر his verbis: *Hac voce Mosis socius Pinehas, item Elias & Georgius sacer eques, illis notatur, quorum unam eandemque animam fuisse, & ex alio in alium migrasse, Orientales volunt.* Confer Hottingeri Histor. Orientalem p. 99. & Excell. Andreæ Mulleri, viri, eruditione non modo, sed & pietate commendatissimi excerpta ex MSS. Turcico, num. 41. Dum vero ita Phineem & Eliam pro una eademque persona habent Turcæ, hi ex Judaismo commentum hausisse videntur; quemadmodum etiam plurima alia inde depromsisse & è Judæorum traditione emendicasse Muhammedem patet. In quibus colligendis adjutore Sergio Nestorii sectatore & Abdalla, Judæo usus perhibetur impostor, ut hinc ex Judæorum & Monachorum fabulis librum istum cujus autoritatem tamen tot myriades animarum apud illos recipiunt consutum esse, haud immerito veri docti asseruerunt.

§. 25. Su-

§. 25. Supereſt, ut de noſtri commatis ultimis verbis agamus, ubi Propheta minatur ſterilitatem ſummam, & roris juxta & pluviæ jacturam aliquamdiu fore prænunciat, ut nihil eorum ſint viſuri, niſi Propheta Elias reditum promoverit. Ad quæ verba R. Abarbenel ſcribit: אליהו עשה שלשה נסים גדולים מהתעוררות עצמו מבלי צווי האלקי: *Elias tria miracula magna ſuopte motu edidit Dei injuſſu.* Inter illa refert recutitus pluviæ omnimodam ceſſationem, quin roris quoque, qui, ut Abarbenel loquitur, alias non penitus ceſſat, etiam ſicco tempore, ut adeo omne humidum tollere voluerit. Ait igitur חי יהוה *vivit Dominus*, quæ verba recte explicat Abarbenel, id fieri על דרך שבועה, quaſi dicat, tu arbitraris Deum, qui prioribus temporibus vixit, jam mortuum eſſe & mundo valedixiſſe, h. e. humilia non curare. Imo vero etiam tempore impietatis eorum vigilat, ut eos puniat. Atque his verbis id monſtrat נשבע באף ובחמה ובקצר גדול *Jurans excandeſcens & ſummopere indignans.* Ut vero Elias eximiis & maximis miraculis comprobavit, ſe Dei Opt. max. fidum eſſe miniſtrum & genuinum, ita pluviæ retentio & ejuſdem deinceps reſtitutio cum reliquis miraculis magnam auctoritatem ei conciliavit. Unde Syracides cap. 48:4. exclamat, ὡς ἐδοξάσθης Ἠλία ἐν τοῖς θαυμασίοις σου; καὶ τίς ὅμοιός σοι καυχᾶσθαι. *Quantam gloriam adeptus es, & quis paria tecum glorietur?* Magnum utique opus fuit Eliæ, quo is jurejurando ſuo & precibus populo idololatrico omnem pluviam ſubtraxit. Etſi enim in lib. 1. Reg. 18. expreſſe non fit mentio illarum, revera tamen illas ita fuſas eſſe ab Elia, omni teſte major eſt Apoſtolus Jacobus, qui cap. 5:17. ait: προσευχῇ προσηύξατο τοῦ μὴ βρέξαι *ardentiſſime oravit, ne plueret.* Neque dubitandum eſt, quin ut Hoſeas τὸ *flevit* adjecit cap. 12:4. cujus fletus Geneſ. 32:24. nulla fit mentio, ita Apoſtolus precum voluerit meminiſſe, quas, immorigero populo pœnam inflicturus Elias adhibuerit, licet expreſſa occurrat mentio nulla in hiſtoria Regum.

§. 26. Magnitudo miraculi in eo conſiſtit, quod cum alias naturaliter fieri ſoleat, ut vapor à corporibus cœleſtibus per calorem ex aqua & humidis locis eliciatur, & elevetur, qui deinde in media aeris regione condenſatus, fit nubes, & tandem in aquam plane abit, guttatim decidit, & in pluviam convertitur: hic peculiari & extraordinaria Dei potentia factum eſt, ut ejuſmodi pluviæ generatio triennio & quod excurrit, penitus ceſſaret, & ita homines & bruta ſiccitate mirum in modum affligerentur. Quod futurum eſſe, Elias prædixerat, & jurejurando confirmaverat. Cum vero poſtea tempore ſiccitati præſtituto elapſo, populus ad Deum converſus eſſet, iterum ad preces Eliæ ardentiſſimas Deus ſe miſericordem præbuit, cum Propheta in montem aſcendit להתבודד שמה *ut ſolus ibi eſſet* & ab omni ſtrepitu remotus. Hinc miniſtro ſuo in mandatis dedit, ut ille mare obſervaret, an inde nubeculæ aſcenderent. Ipſe vero Elias התבודד בתפלתו לא היה מביט אל דבר פרה מפח: *in ſuis precibus ſolus ſubſtitit, neque oculos ab una re ad aliam deflexit*, ut ibi Abarbenel commentatur. Robertus Bellarminus Tom. IV. lib. 1. cap. 3. de B. O. bene ſcribit: *cum Dei nomine pluviam promiſiſſet Elias, & certo ſciret, falſum eſſe non poſſe, quod Deus promittit, anxie tamen Deum precari cæpit pro pluvia impetranda, quia noverat à Deo pluviam impetrandam eſſe, ſed non niſi per orationes ſuas eſſe donandam.* Tam attente vero dum orat & caput ſuum inter poplites occultat, ne turbaretur mentis devotio ullius rei aſpectu, jubet Deus Achabo indicare, ſe pluviam daturum eſſe, & ut Abarbenel commentatur להעיד שלא יביא המטר בדרך טבע כאשר בא עד הנה: *ut indicaret, non venturam eſſe pluviam naturali modo, quemadmodum alias factum erat*, ſed miraculoſe. Atque ita Deus cauſa phyſica erat pluviæ, Propheta vero, qui præter preces nihil ex ſe attulit, *cauſa moralis*, vel ut loqui amant, in *genere morum.* Atque hoc vidit R. Abarbenel, licet terminis ſcholaſticis rem efferre haud valuerit, dum ſcribit pag. 78. Sermone X. c. 8. col. 4. libelli elegantiſſimi עם היות שכל: מפעלות האלהים הפלאים או רובם יעשו באמצעות נביא לא יתחייב מזה שיהיה הוא פועל אותם באמרת: *etſi omnia vel pleraque miracula per Prophetam fieri ſolent, exinde tamen minime ſequitur, eum revera illa producere*, quod ſolius Dei eſt, ut alibi docetur.

DAV. GOTH. SCHWERTNERI

ELIAS CORVORUM CONVICTOR ad 1. Reg. XVII: 1--6.

JESU FORTUNANTE!

PROOEMIUM.

HΛίας εἶ σύ; *Elias es tu?* Johannem ita Chriſti præcurſorem, ſacri Judæorum Senatus legati rogant, qui prudenter & circumſpecte ſatis hunc honorem deprecatur: Οὐκ εἰμί. *Non ſum.* Joh. 1:21. Utut enim is ipſe eſſet Elias Mal. 4:23.24. promiſſus: *Ecce! ego miſſurus ſum vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehovæ maximus & reverendus, ut convertat cor Patrum ad filios & cor filiorum ad Patres ipſorum.* Ipſo Chriſto interprete, Matth. 11:14. *Si vultis recipere; ipſe eſt Elias, qui venturus erat*, & Gabriele, Luc. 1:17. *Ipſe* (Johannes) *præcedet cum Spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam juſtorum: ut paret Domino plebem perfectam:* hoc eſt, Eliæ ſpiritu & zelo armatus. Is tamen error plurimorum Judaicæ gentis occupaverat animos, ut de Eliæ Thiſbitis in cœlum rapti perſona, vaticinium Malachiæ exponerent, hujuſque reditum ad Meſſiæ dies expectarent. Quam heterodoxiam, Chriſti verba; *ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias:* diſcipulorum interrogatio, Chriſti explicatio, diſcipulorum ſubſequens illuminatio Matth. 17:11. ſeqq. & confeſſionis Judaicæ in hunc uſque diem pertinacia (conf. *Jacob. Altingii* Lib. V. Schilo cap. XI. *Abarbenelis aliorumque ſententia de Eliæ venturi perſona* p. 385. ſeqq.) clare loquuntur. Dextram Judæis, ut in aliis fidei capitibus (vide *B. Geieri Conformitatem Judæo-Papiſticam*, Franciſci de Croy, *Tres Conformitates, ſeu harmoniam & convenientiam Romanæ Eccleſiæ cum Gentiliſmo, Judaiſmo, & antiquis hæreſibus*) ita & circa præſens, Pontificii porrigunt, & Eliæ Thiſbitis apparitionem ante adventum Meſſiæ ad extremum judicium, eſt oraculi Malachiani littera, urgent, ac per Johannem Baptiſtam ex aſſe adimpletam eſſe, poſthabita Chriſti adſertione, negant. Provoco ad *Conzenii* Jeſuitæ prolixam commendationem in Matth. 11. f. 220. ſeqq. *Maldonati* notas in Matth. l. c. f. 271. *Cornelii à Lapide* ad Matth. 4:6. alioſque hujus Eccleſiæ ſcriptores. Quorum errorem vel ipſi prudentiores inter Judæos deteſtantur, qui Eliam à Malachia delineatum, non de Eliæ Prophetæ perſona, ſed de viro principe, ſpiritu & zelo Eliæ inſtructo, accipiunt. Ita *Maimonides* Rabbinorum ſapientiſſimus H. Melachim c. ult. & R. *Tanchum* ad Malachiam: *Eſt hoc ſine dubio promiſſum de Propheta in Iſrael manifeſtando paulo ante tempus manifeſtationis Meſſiæ, quem quidem è doctis putant ipſum Eliam Thisbitem futurum: quæ ſententia in pleriſque ſcriptis homileticis reperitur: & alii cenſent Prophetam magnum fore parilis cum ipſo gradus, eodemque loco conſtitutum,*

stitutum, quod cognitionem Dei, & nominis ejus promulgationem, ideoque Eliam appellari, ut vult magnus ille Doctor Maimonides. Lege *Eduardi Pocokii* Notas Miscellaneas ad Portam Mosis cap. VI. p. 219. *Schickardi* Jus Regium c. VI. Theor. XX. & Excell. *Carpzovium* in notis p. 452. Sed bene est, agnoverunt glossæ falsitatem ex Papæorum ordine viri quidam doctissimi, *ipsi Cornelio à Lapide* l. c. f. 842. allegati: *Quæres, quisnam hic Elias? Calvinus, & nonnulli Catholici, ut, Burgensis, Arias, Clarius, censent, esse Johannem Baptistam: quia de eo ad hunc Malachiæ locum respiciens Christus Matth. 17: 10. ait: Elias jam venit, scilicet Johannes Baptista, uti mox explicat S. Matth. Et cap. 11: 14. Omnes Prophetæ, & lex, usque ad Johannem prophetaverunt. Et, si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* Ne quid tamen dissimulem, Patribus quoque nonnullis hæc hæsit sententia, Eliam Thisbitem reversurum; loca collegit *Suicerus Thesauri Ecclesiastici* f. 1318. Illi vero Scripturæ docentes contraria, & nobis Patres non sunt, neque obsequium ipsi urgere, aut nos præstare, possumus. Non sine ratione itaque negabat Johannes se Eliam esse, qui Elias erat; *quid est hoc, fratres charissimi* (*Gregorii M.* hom. 7. verbis litem decido) *quia quod veritas affirmat, hoc Propheta veritatis negat? Johannes in Spiritu Helias erat, in persona Helias non erat: quod ergo Dominus fatetur de Spiritu, hoc Johannes negat de persona.* Sed de hoc argumento satis abundeque è suggestu sacro hactenus actum. Revocarunt hæ conciones Eliæ Thisbitis acta & vitæ cursum in memoriam, cumque annonæ penuria hodie etiam proh! patria laboret, ut inter terrenos plurimorum, ne fame pereant, prima cura sit, placuit, cum specimine aliquo Patronis studiorum meorum, (*quos Deus ad arbitrium felices servet!*) & pietatem pariter atque diligentiam probare vellem, ex consilio Dn. Præsidis, cujus culturæ me totum commisi, singulari divinæ providentiæ exemplo in Elia conspicuo, laborem impendere, quod 1 Reg. cap. 17. commatibus 1, 2, 3, 4, 5, 6. legitur his verbis:

(1.) ויאמר אליהו התשבי מתשבי גלעד אל אחאב חי יהוה אלהי ישראל אשר עמדתי לפניו אם יהיה השנים האלה טל ומטר כי אם לפי דברי: (2.) ויהי דבר יהוה אליו לאמר: (3.) לך מזה ופיתה לך קדמה ונסתרתה בנעל כרית אשר על פני הירדן: (4.) והיה מהנחל תשתה ואת הערבים צותי לכלכלך שם: (5.) וילך ויעש כדבר יהוה וילך וישב בנחל כלית אשר על פני הירדן: (6.) והערבים מביאים לו לחם ובשר בבקר ולחם ובשר בערב ומן הנחל ישתה:

Quæ ex versione Junii & Tremellii sic se habent:

(1.) *Dixit autem Elias Thischbites ex inquilinis Gilhadis Achabo*: ut *vivit Jehova Deus Israëlis, ante quem sto, non est futurus annis istis ros aut pluvia, nisi ex verbo meo.* (2.) *Postea fuit ad eum verbum Jehovæ, dicendo*: (3.) *abi hinc, ut convertas te orientem versus, & abscondes ad torrentem Cerithi, qui est è regione Jardenis* (4.) *eritque, ut ex illo torrente bibas: corvis autem præcepi, ut sustentent te ibi.* (5.) *Qui abiens fecit secundum verbum Jehovæ, veniens enim consedit ad torrentem Cerithi, qui est è regione Jardenis.* (6.) *quo corvi afferebant ei panem & carnem quolibet mane: similiter panem & carnem quolibet vespere: & è torrente bibebat.*

Hoc ordine autem processimus, ut

Caput primum, *ELIAM CONVICTOREM,*
II. *CORVOS HOSPITES,*
III. *CIBOS,*
IV. *MIRACULOSÆ HUJUS CIBATIONIS USUS* exhiberet.

SIT DOMINUS NOBISCUM
ET CUM SPIRITU SUO!

CAPUT I.

LEMMATA.

§. 1. Eliæ nomen Hebræum, non Græcum. Patrum ignorantia Linguæ S. Scriptores ea de re §. 2. Camarto ex tribus nominibus divinis compositum dicitur. Dissentit Excellent. Frischmuth. הוא non nomen divinum. §. 3. Elias Propheta officii partes implet, & verbis, & pœnis Israëlitarum Idololatriam reprehendit. Annon zeli limites excesserit Elias? Locus Chrysostomi, Talmudis. Plagæ Eliæ cœlestes. §. 4. Fames Eliæ tempore, quas regiones adflixerit & quam diu durarit.

Th. I. Eliæ nomen, si originem spectes, Hebræum est. Lusit itaque magis, Græciæ illud vendicans, Magnus *Chrysostomus Hom.* de adscensione Eliæ ex versione incerti Interpretis Tom. I. Opp. f. 564. ed. Paris. *Nivellii* scribens: *Hinc poëtas, atque pictores in figuranda solis imagine exemplar credo sumsisse. Qui curru, atque equis fulgentibus, ipserutilans, atque radians, & fluctu Oceani sublevatur inter præruptos montium scopulos evadens, quasi ad cœlestia videtur ascendere in similitudinem luminis ejus inductus. Sol enim Græco sermone Helios appellatur. Unde Helias vere Helios, quoniam curru, atque equis fulgentibus igne de Oceani fluctu, id est, de mundi commotione: per montium scopulos, id est, per magnorum laborum difficultates progrediens ad cœlestia devectus, a cendit.* Aut, si veram hanc credidit etymologiam, dandum id seculi vitio, quo pauci ad linguæ S. cognitionem admittebantur. Conf. de ignorantia Patrum Linguæ Ebrææ, *Scherzerum* desideratissimum Programmat. pag. 14. *Sixtinum Amamam* Anti-Barbari Biblici præfat. & Orat. de Barbarie: *Hottingerum* Smegm. Orient. L. I. cap. III. p. 29, 30. Adde ipsum *Fevardentium* in Irenæum, & *Herretum* in Clementem Alexandrinum. Optume B. Lutherus noster Epist. de Schol. **Daß die alten Patres, die ohne Sprachen gehandelt/ wie ein Blinder an der Wand getappet/ offt des Rechts gefählet/ und ihm eine Nase nach ihrer Andacht gemacht haben.** Adde Tom. II. Jenens. p. 464.

Th. II. Si compositionem attendas, hanc ex *Ægidii Camarti* commentario de Elia cap. IV. sect. V. pag. 152. accipe: *Cum habet*, ait, *nomen ex ipsissimis Dei nominibus conflatum, non est dubium, maximam illius fuisse cum Deo conjunctionem. Sunt quidem in hominibus magnæ plerumque & excellentes appellationes, quas Bernardus magni nominis umbras vocat, & vacuas inanesque imagines. Elias vero non in vanum tale nomen possedit, sed magnitudinem illius magnis virtutum splendoribus ornavit. Paucis aperiendum est, quanta sit istius nominis magnitudo. Ea autem colligi potest primo ex eo, quod conflatum sit ex tribus Dei nominibus. Nam, ut constat ex Hieronymo,* אל *inter decem Dei vocabula ponitur, & significat fortem, sive Deum,* יה *etiam aliud Dei nomen est quod Dominum sonat. Tertium Dei nomen est* הוא, *habeturque in sacro textu: Ipsum* הוא *est nomen ejus. Ex his vero tribus constat Eliæ nomen, quod Hebræi scribunt* הליאו *Eliiahu. Licet autem plurimos reperias, qui ex aliquo Dei nomine vocentur, ut Israël, Eliachin, Adonias & sexcenta alia, vix tamen alterum invenies, qui tria Dei nomina habeat.* Recte vero Academiæ Salanæ immortale decus Excell. *Frischmuthius*: *Quod bina priora nomina* אֵל *&* יָה *attinet, utique ea divina sunt, quibus nomen* אליהו *constat. Quod vero τὸ* הוא *tertium Dei nomen esse contendit, in eo fallitur ordinis Minorum Generalis, juxta cum Johanne Reuchlino, Petro Galatino & quicquid est Cabbalistarum. Manet itaque firmum & fixum, τὸ* הוא *non nisi ex censu pronominum esse, quæ ellipsin pro more solent includere. De Deo illud vero ita usurpatur, ut non tam ex se numen supremum denotet, quam ex circumstantiis textus elucescat, de eo sermonem esse, perinde ac aliæ Orientales linguæ solent stylum suum moderari, & ita Dei immutabilitatem significare.* Vide Summi Viri dissertationem de Eliæ Prophetæ Nomine & prosapia, quam Commilitonibus nostris commendamus. Adde *B. Waltherum* Cent. fol. 608. n. LXXXVIII. an inter Dei nomina locum etiam inveniat הוא, id quod adversus *Reuchlinum* de Verbo mirifico. L. 2. cap. 6. & *Galatinum* L. II. de Arcanis Cathol. Veritatis cap. 23. solide negat.

Th. III. Proprium hoc nomen (à parentibus impositum, non demum ex populi acclamatione, 1 Reg. 18: 39. *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus*, ortum, quod Rabbinis placet, antea Eliam Jaberschyth vocatum fuisse contendentibus, si fides *Cornelio à Lapide* habenda in 2 Reg. 17. f. 187.) Prophetæ fuit, qui diebus, Achabi pessimi, quos mundus viderat, Israëlitarum Regis: *addidit enim Achab facere, ad irritandum Dominum Deum Israël præ omnibus Regibus Israël, qui fuerunt ante ipsum.* 1 Reg. 16: 23. sacris operatur. Et postquam Israëliticus orbis miraretur se Achabi atque Isabelis malitia tam cito Baaliticum factum, Dei populum ab idololatria dehortabatur sedulo. Verum, cum nihil quidquam paternis proficeret adhortationibus, justo tandem in-

indignationis æstu abreptus, ardenti oratione Jac. 5: verſ. 17. Deum aggreditur, & cœlum clauſum, infrugiferam terram, in uſum vindicandæ divinæ gloriæ obtinet, ut formidine pœnæ mali impoſterum peccare deſiſterent, & extremæ neceſſitates ad veri Dei cultum atque venerationem illos compellerent. Limites moderati ac pii zeli Eliam hac in re tranſiliiſſe *Chryſoſtomus* ſcribit Tom. I. Opp. Hom. I. de Elia f. m. 559. cujus integrum locum heic dabo, cum cap. II. quoque inſignis illius ſit uſus. Igitur Helias ille, zelo Dei inſignis, ut vidit Judæorum gentem, contemta Dei miſericordia, perpetuo in deliciis vivere, & idolorum cultui deditam: & à Deo quidem impietatem tolerari, ipſos autem longanimitate iſta, ad majorem vitæ impœnitentiam, abuti: volens eos punitum iri, cogitabat, quidnam adverſus eos divinæ bonitati opponeret, quæ parvis lachrymis ſtatim movetur, ut iram ponat: decernit tandem, ut ad conceptam contra eos pœnam, Deum juramento aſtringat, quo ligatus, ſententiam in eos non facile ſolveret. Non ignorabat enim, & zelo juſtorum Deum placari. Dicebat itaque, bonus erga illos Deus eſt, pauciſque eorum flectitur lacrymis: verum bonitas illa populo male cedit: longanimitate abutentes, perdite vivunt, & ſimulachra colunt, atque ita & Deus ipſe contemnitur. Vivit Dominus, inquit, & non erunt per annos illos ros & pluvia. Deinde cum Deus ei reſponderet: quid ergo, ſi pœnitentes illi mihi blandientur, ſi lachrymas offerentes ſpectem, ſi à delictis reſipiſcentes videam, ſtatimne dare debeo pluviam? minime, inquit, vivit Dominus, niſi per os meum. Non vivit Dominus. Illi idolis ſe addixerunt, ego per Deitatem tuam juro. Oſtende mihi, quod juramentum hoc & contra te valeat: ut & per hoc idolorum infirmitas declaretur. Non, vivit Dominus, non erunt tribus annis ros & pluvia, niſi per ſermones oris mei. Non, quando tibi videbitur, pœnæ finem facias; Tibi enim pro clementia tua ſemper videtur miſericorditer agendum: ſed tunc, quando ego pro eis oravero, & judicavero, quod dignam animæ ſuæ curam gerant, probeque reſipiſcant. Igitur Propheticam ſententiam reveritus eſt Deus, & honorem juramento illi dedit. Rem tamen moderatus Dominus ſic eſt, ut & Prophetam ſimul revereri videretur, & populi, quem fame puniebat, miſereretur. Et quid facit? Prophetam una cum populo punit, ut, dum etiam ipſe in famis ſupplicio comprehenditur, aliquid miſericordiæ in relaxando ſententiæ ſuæ juramento addiſcat. Et punit quidem Prophetam cum populo, leviori tamen pœna eum corripit, & mirabili ſapientia miſericordiæ opus complet. Prophetam enim per illas potiſſimum aves, quibus ſui fœtus inriſi, nutrit. Odit enim prolem ſuam corvus, & natam non educat. Id quod Propheta inſinuans dixit: Et pullis corvorum invocantibus eum. Quoniam enim pulli corvorum, imo omnes avium pulli recens nati, infirmiores ſunt, quam ut ipſi cibum ſibi parent, unde adhuc implumes à parentibus ſuis enutriuntur. Sed ab ea parentum cura corvorum pulli deſtituti; attamen ab illis non curatum permanet corvorum genus. Unde David, divinam nobis miſericordiam commonſtrans, eorum educationem Deo adſcribit. Expoſitis enim ad aërem, utpote à parentibus neglectis, obvolitant animalcula quædam, divina providentia ſuppeditata, quæ captantes illi, creſcunt & aluntur. Unde dicit: & pullis corvorum invocantibus eum. Proinde per patres illos filiorum ſuorum oſores, apud Eliam, qui Judæis, ut filiis malæ frugis, ſuccenſebat, Deus intercedit, quaſi ad eum ſilenter ita diceret: Ne tanto Judæorum filiorum tuorum odio teneare, quanto erga pullos ſuos corvi. Et ecce! illi nunc converſi ſint, vide vel eorum miſericordiam. Qui natura pulli ſunt immiſericordes, & inhumani, illi ipſi, ut hoſpites, tibi ſerviunt. Abſurdum eſt, ô Helia, quod apud te miſericordiæ meæ patrocinantur corvi: tu autem pro Judæis, in quos ſævio, non intercedis. Erubeſce, & vel corvorum exemplo Judæis eſto clementior. Ego enim, ut tuæ ſententiæ honorem do, ita & illorum, qui affliguntur, miſereri velim. At Helias, cum Deo nondum cederet, revocatur alumni corvi beneficium, & alia reconciliandi via quæritur: nempe, ut fame victus, ſententiam ipſe ſolvere cogatur. Verum ille corvorum miniſterio deſtitutus, nihilo mitior inediam etiam ipſe ſuſtinuit, & inquit: non ingratum eſt, quod fame crucior, tantum, ut impios puniri, videam; pereat etiam corpus meum cum his, qui fame affliguntur. Itaque cum deficiente per corvos alimonia, tranſiret multum temporis, iterum corripitur Helias, & in alium tranſire locum jubetur, ut famelicus ipſe, famelicæ viduæ, quæ & ethnica erat, ſupplex eſſet. Quod hoc conſilio Dominus fecit. Nam, cum Judæis interdictum ſit, habere commercium cum Gentilibus, volens eum ad miſericordiam provocare, prædixit ei futurum, ut à muliere Gentili & vidua paſcatur. Quo, mox ut audiret Gentilis nomen, ab alimento ab ea ſumendo abhorreret, & vel ſic Deum pro effundendo imbre imploraret. Surge, inquit, hinc, & vade in Sareptam Sidoniorum, ut præcipiam illic mulieri viduæ ac Gentili, ut te paſcat. Ille autem neque ad hanc vocem mitior factus, cucurrit ad Ethnicæ mulieris alimoniam. Jam, quod majus eſt, excidat Deus viduam, ut eſurienti verba aſpera loquatur, ita undiquaque ipſum ad benignitatem compellens. Et quidnam inquit mulier ethnica ad illum? vivit, ait, Dominus Deus tuus. Et unde muliérculæ Gentili hæc vox, ut dicat? Prævenerat Deus, & ei per viſionem oſtendit. Hoc enim eſt, quod Deus Prophetæ dicit: præcipiam illic viduæ, ut te paſcat. Oſtenderat enim Deus mulieri figuram, formam, ætatem, & futuram petitionem Prophetæ. Unde ipſa revelationis divinæ conſcia, ſtatim ut advenit Propheta, & cibum popoſcit, clamabat: vivit Dominus Deus tuus: non eſt mihi ſubcinericius panis, niſi quantum pugillus farinæ in hydria: & parum olei in amphora, ut, cum intravero, faciam illum mihi, & pueris meis, ut comedentes moriamur. Nihil enim nobis, inquit, reſiduum, quam mors, ubi pugillum hunc farinæ inſumſerimus. Ad hanc tandem vocem affici aliquo modo cœpit Helias. Et in majori anguſtia eſt hæc, inquit, quam ego ſum. Ego ſolus eſurio, illa cum puero fame laborat, non ſim hoſpiti mortis author. Quid tum? ad hanc vocem relaxatur ſeveritas ejus. Incipit miteſcere, & intra ſe miſericordiam exercere. Dicit: non deficiat oleum cadi, neque farina hydriæ, donec Dominus demittat pluviam ſuper terram. Jam tandem ſubmeminit imbris dandi. Antequam fame domaretur, miſericordiam in danda pluvia Deo permittere nolebat, dicens: non erunt tribus annis pluvia vel ros ſuper terram, niſi juxta verba oris mei. Nunc autem permittit, & ſolvendo juramento præludit: & ſubmeminit quidem petitionem, tamen nondum adhibet. Quid igitur miſericordiæ fons ad hæc? tertiam ei miſericordiæ machinam admovet, præcipiens animam pueri viduæ è corpore migrare. Salvus manet Prophetæ honor, benedictio non ſolum ſolvitur, hydria & cadus non deficiunt. Atque adeo hinc magna miſericordiæ neceſſitate Propheta conſtringitur. Erat enim contumelia Prophetæ, ſi benedictio Gentilis viduæ, apud quam agebat, periret, & obfuiſſet viduæ fidei, ſi ex hac conſuedutine non majoris benedictionis ſenſiſſet commodum. Ea propter Deus benedictionem quidem non irritavit, Propheta autem tertia machina oppugnat. Faciens mori filium viduæ, in eam neceſſitatem induxit Prophetam, ut ſe orare cogeretur. Nam vidua, mortui pueri mater, lacrymabunda ſtabat apud Prophetam, & dicebat: utinam pridem fame mortua eſſem! & ante hanc benedictionem emigraſſem, & non eſſem miſera filii mortui ſpectatrix. Quo eventu confuſus Propheta: hæ ſunt, inquit, viduæ hoſpitalitatis mercedes? antequam me in domum ſuam ſuſcepit, erat ei proles: poſteaquam autem me ſuſcepit, dilectum filium mortuum plangit & lamentatur. Hoc eventu, ut dixi, confuſus Propheta, & apud ſeipſum expendens factum, ſenſit opus Domini, ſenſit technas divinas, & exclamat: heu mihi! Domine teſtis viduæ apud quam ego habito, tu occidiſti filium ejus. Non eſt mors illa naturæ eventus: tuum opus eſt, tuæ technæ, quibus me in miſericordiæ neceſſitatem adigis: ut, ſi dicere tibi voluero, Domine miſerere filii viduæ mortui: tu mihi ex adverſo reſpondeas, filium meum Iſraël tu fame occiſum miſericordia dignare. Petis à me gratiam, petitur viciſſim & à te gratia. Solve famis ſententiam, & ſolvam mortis calculum. Poſtquam igitur vidit Deus Heliam bene domitum, & aliquando miſericordiorem redditum, tandem & ipſe miſericordiores cum eo confert ſermones. Neque enim ſolviſſe ultionem, ultra injuria erat. Proficiſcere, inquit: verba legationis Dei ſunt. Deus ipſe per ſemetipſum de miſericordia apud ſervum legationis munus obit, & intercedit. Proficiſcere, inquit, quia factus es miſericordior, declara, quam miſericordes ſint ſermones tui. *Hactenus Chryſoſtomus.*

Neque multum abludunt Talmudiſtæ iracundiæ Eliam poſtulantes in *Tr. Sanhed. f.* 113. *R. Joſe in oppido Pſepphore argutum ſermonem habuit: Abba, ſeu Pater (gl. hoc eſt, ſumme dilecte mi, & vir magne mi,) Elias (Thisbita) iracundus erat: (gl. quia indignatus erat Achabo, & dixit: Ita vivit Dominus; ſi erit annis iſtis &c.) ſolitus erat conſidere apud eum, & frequentare ſcholam ejus quotidie: aliquando ſe ab eo occultans, emanſerat tres dies, ſchola ejus non frequentata. Poſtea, quum iterum adeſſet, dicit ei R. Joſe:*

Jose: Quare hos tres dies emansisti? Respondente Elia: quia iracundum me vocasti. Reposuit R. Jose: ecce! te iracundum esse, vel ex hoc ipso liquet; quia succensuisti mihi ea de causa, Domine!

Enimvero ea ratione (1.) ad summum numen rediret culpa, quasi cœco amori in Eliam, cœcis Eliæ & peccaminosis indulsisset adfectibus, &, quæ inique in tot hominum perniciem postulasset Propheta, liberaliter, ne Eliam offenderet, concessisset. Ite, &, si hujus ingenii Deum creditis, ultimas Justitiæ & misericordiæ divinæ cantate nænias. Fabulam quis non credat Talmudistarum in *Tract. Bava Mezia* fol. 82. *Dicebant in cœlo, quis revelavit arcana in mundo? Dicebant, Elias, adducebant Eliam & percutiebant* 60. *ictibus igneis.* Indignationem v. Dei maximam, si iracundia & iniquitate divini vatis laborasset oratio, revera incurrisset Propheta. *Deus* enim *peccatores non audit, sed, si quis auditor Dei est, & voluntati ipsius obtemperat, hunc audit.* (Joh. 9:31.) (2. ab omni præcipitantia & iracundia zelum Eliæ absolvit, quin potius commendat Spiritus Sanctus, Luc. 1:17.

Th. IV. Angustias, in quas idololatrica Israëlitarum gens ob Eliæ preces coacta, his graphice describit *Chrysostomus* Hom. II. de Helia fol. 562. *Cum Helias, Propheta sanctissimus, populum prævaricari aspiceret; cumque Baal & lucos, despecto Domino; coli à sacrilegis pervideret: cumque creatore despecto, figmentis sese, nemoribusque omnis populus addixisset: Zelo Dei commotus, Judæam terram siccitatis sententiæ, & pluviarum sterilitati addixit: tunc subito anhelat terra, siccatur cælum, sitiunt amnes, fontes arescunt. Omnis humor ima petit, supera deserit, aër fervet, serenitas torret, tranquillitas pœna est. Æstuant noctes, dies arescunt, sata torrentur, arbusta ægrotant, prata deficiunt, nemora languent, campi jejunant, squallet terra, herbas, quas produxit, interimit: iram Dei universa creatura testatur. Molesta est fames, ubi, quod esurit necessitas, deesse invenit. Tandem pœna, quæ torqueat, & culpa meruit competens aliquando supplicium. Sera ultio fœneratam meruit pœnam: & diu dilatum est, quod quandoque digne ac merito interveniret. Proh nefas! nulla ex pœna correctio, & quasi adversus hominem malitia provocetur: sic crescit quotidie, quod puniatur. Amant pœnam, supplicium diligunt, nolunt recordari, ut vivant: nolunt corrigi, ut evadant, & quasi frugem mentis sterilitas arefecerit siccitatis, sic arescente terra aruerant & hominum corda. Interea solus Helias altior mundo, proximus cælo, montis habitaculo & Dei colloquio fruebatur, ne illorum pœnam perspiceret, quorum scelera videre non posset.*

Disquirunt eruditi (1.) quas regiones dira illa siccitas adflixerit, an totam terram, num partem aliquam terræ promissionis? Nobis *Caspari Sanctii* Jesuitæ & Professoris Complutensis in III. Reg. c. XVII. f. 1233. arridet sententia: *Ego hic arbitror, in ea tantum regione accidisse famem, quæ tum Achabi supererat imperio. Quod mihi illa præcipue ratio persuadet, quia Deus illud peccatum punire voluit in Achabo, regioneque illa, cui tunc cum imperio præerat, ut proxime ante propheticas minas antecesserat. Illud porro fuit, ut constat ex fine anteced. cap. quia plantavit lucos, coluit Baal, & in illam impietatem nimis obsequentem & facilem populum induxit. Deinde quia primum Baal sacerdotes interfecti sunt, statim æreï cœli liquefacti fuerunt, & depulsa fames, quæ jam videbatur inveterasse, triennali mora. Neque Deo inusitatum, ut largum in unam civitatem imbrem demittat, & aliam omnino relinquat arentem, si peccata clamant; & ipsos pluviarum fontes, & quasi conceptacula exhauriat. Qua de re nos pluribus ad illud Amos: c. 4. vs. 7. Et pluit super unam civitatem, & super alteram non pluit civitatem.*

Neque repugnant sententiæ huic Christi verba, Luc. 4:25. quod fames facta fuerit in omni terra: ex stylo enim scripturæ; *omnis terra illa dicitur, cui imperabat Achabus, & ubi habitabant illi, qui iisdem cum Achabo se peccatis implicuerant.* vid. Sanctium l. c. Qu. 2. de afflictionis duratione; Menander Josepho citatus lib. 8. Antiquit. Jud. Cap. VII. p. m. 287. unius tantum anni spacio includit: Christus vero, & Jacobus Luc. 4:25. Jac. 5:17. triennium, cum sex mensibus, statuunt, qui cum Scriptore Libb. Regum haud pugnant, tres annos tantum allegante 3 Reg. 18:1. Solet enim Scriptura in computatione, imperfectos annos quandoque omittere; e. gr. 1 Paral. 29:23. 1 Paral. c. 3. 4. conf. *Sanctium* loc. cit. & adde *Brochmandum* commentar. in Epist. Jacobi p. m. 240.

CAPUT II.

LEMMATA.

Th. 1. Corvi hospites; Th. 2. an angeli? negatur: Angeli num inter Æthiopes nigri? Verricellus notatur. Maria nigra. Th. 3. An homines Orabimi? locus Arabici Interpretis, Orabimi qui? mercatores, an Arabes? negatur. Th. 4. veros fuisse corvos adseritur, & probatur. Th. 5. quot corvi, & an corvus Noachi inter illos fuerit? Th. 6. quare corvi? num ad deprecationem culpæ à corvo in diluvio commissæ? corvus tum temporis annon redierit in arcam? num ad Eliæ reprehensionem? veræ causæ adferuntur. Th. 7. locus hospitii.

Th. I. Sed hæc de convictore Elia; jam ad corvos hospites. Corvi an vero hominis cujusdam hospites? quos (1.) constat proprios pullos ad volatum jam habiles negligere, nido pellere &, num fame pereant, parum curare: hinc Deus ad Jobum: *Quis parat corvo cibum suum? quando pulli ejus ad Deum clamant: errant sine cibo* Job. 39: 3. vide, quæ hanc in rem docte disputat eruditissimus *Bochartus* Hieroz. P. II. c. XI. f. m. 203. seqq. fabulas Rabbinorum & Arabum ridens; *corvos, pullos suos exclusos albos videntes, serpentis esse fœtus judicare, ac ob id deserere, Deum vero culices pullis præparare, ex proprio ipsorum stercore procreatos, qui in os eorum ingrediantur.*

Quam mirum, corvos esse hominis hospites; qui magna sollicitudine de propriis alimentis sibi prospicere necesse habent: & fame extinguerentur certe, nisi infinita Creatoris bonitas victum suppeditaret; hinc insigni clamore cibum à Deo rogant. conf. Theologum Argentoratensem, nunquam sine laude nominandum, quem Ecclesiæ bono Deus servet, *Magnum Schmidium* ad Job. loc. all. p. 1461. & Dn. Præsidem in Ecloga ad Ev. Dom. XV. post Trin. Qu. 3. Sed audiamus num omnes id ipsum credant Interpretes.

Th. 2. Non corvos, sed angelos, corvorum forma vestitos, hoc ministerium exhibuisse, fuerunt, qui adsererent; qui, quas caussas prætendant, apud *Tostatum* habes qu. 15. & 16. ad h. l. Enimvero probent (α) Scripturæ phrasi unquam angelos corvos vocatos; (β) corvorum figura purissimos apparuisse angelos: *Dominus corvum abominatur*; Lev. 11:15. Neque enim & nos *Antonii Mariæ Verricelli* Clerici Regularis Theol. & J. V. D. admittimus sententiam, qui in tract. de Apostolicis missionibus Venetiis impresso A. 1656. qu. 246. *an Missionarius permittere possit, ut apud Æthiopes sacræ imagines Christi, B. Virg. Sanctorum, & Angelorum, atro colore pingantur*, respondet: *nego quoad imaginem Christi & B. Virginis, & Sanctorum, non a. quoad Angelorum ex Act. 16:1. quia S. Angeli apparent ea forma ac specie nationum, quibus præsunt.* In quem locum glossa ordin. *Angelus illius gentis assimilatus viro Macedoni proprietate linguæ vel forma speciali.* Nos etiam adversus *Verricellum* negamus, inter Æthiopes angelos lucis atro colore depingendos esse, cum ipse tenebrarum dux Satanas inter has gentes candido colore delectetur. Vid. *B. Ursinum* Acerr. Philol. l. 3. Tit. 15. p. 244. rationes alias in conflictu dabimus. Quod Mariæ imaginem spectat, Verricellum blande monemus, ut abstineat à quæstionis negatione, cum fidei suæ necessarii fuscis & nigris Mariæ picturis atque statuis mirum in modum glorientur. Provoco ad asylum Regum Galliæ, ceu vocatur, h. e. ad imaginem B. Virginis miraculosam Aniciensem, qua de *Guilielmus Gumpenberg Jesuita*, Atlantis Mariani P. I. p. 89. *Traditioni huic antiquissimæ favet auctor non ignobilis Comestor, qui capite de descensu reliquiarum Juda in Ægyptum & obitu Jeremiæ memorat, S. Prophetam prædixisse Ægyptiis, templorum cum idolis ruinam tunc expectandam, cum virgo esset paritura: atque hoc ipsum virginis simulacrum eum in finem Ægyptiis tradidisse, ne dicti sui periret memoria. Porro servatum diu in adytis & templis, tum in musæa Regum Ptolomæorum translatum fuisse Auctoritatem auctori facit non solum perpetua & constans fama; ut & veterum tabularum monumenta, sed & ipsa statua, sive materiam spectes, sive figuram. E lignis sethim facta creditur; alio enim si è ligno esset, jamdudum illud caries perdidisset. Figuram statuæ, formamque si consideres, vultum tingit fuscus, sed adeo vividus color, ut hodie inductum jures. Delectantur hoc colore, ut scis, Ægyptii, & vel ipsos deos suos tunc pulchros credunt, quando vident sibi similes, id est, fuscos. Vestis tota ad morem composita est Judaicum:*

sedet Virgo gremio puerulum sedentem sustinet, perinde, ut cæteræ antiquæ imagines, quarum fortassis nonnullæ ad hujus formam effigiatæ sunt. Adde imaginem miraculosam B. V. *de Scala Messanæ* apud Gumbenberg. P. II. Atl. Marian. p. 144. seqq. (3.) quæ causa Spiritum S. h. l. movisset, ut Angelum, Angelum non expresse nominasset, cum in simili casu 2 Reg. 18: 5. & 7. Angeli nomen usurpaverit?

Th. III. הערבים nomen non corvos, sed homines denotare, statuunt alii. Ita Arabs: *fuit ad Eliam sermo Dei dicentis: abi hinc, & perge ad orientem, teque absconde in torrente Cerith, qui est coram Jordane, erisque bibens ex eo torrente; jam autem præcepi Orabimis, ut ibi te nutriant. Abiitque, & fecit, quemadmodum præceperat ei Deus, ad torrentem Cerith, qui est coram Jordane: & Orabimi afferebant ei panem & carnem mane, & panem & carnem vespere, & bibebat ex aqua torrentis.* Qui vero illi Orabimi, *R. Menasse ben Israël* in Conciliatore Levit. qu. 3. p. m. 187. refert: *proprium*, inquit, *illud imprimis linguæ sanctæ est, quod varios significatus eadem vocabula habeant. Unde in Beresit Rabba R. Joda (motus, credo, difficultate, quæ in his locis est) nequaquam corvos cibum Eliæ subministrasse existimabat, sed homines, qui in vicinia civitatem* ערבו *orbu habitantes* עורבים *Orbim appellarentur. Sane, cum in Judicum libro fiat mentio Horeb; cap. 7. 25.* ויהרגו את עורב בצור עורב *& occiderunt Horebum in rupe Horebi, verisimile est, populum ab illa urbe appellatum fuisse, uti à Francia Francos, ab Hispania Hispanos appellari videmus.* Adde, quæ dicuntur in tractatu *Talmudico Cholin* f. 5: 1. cujus verba ex versione *B. Scheidii* ita se habent: *Dixit R. Ada filius Mirjomi: per Orebim 1 Reg. 17: 6. (quod vulgo, corvi, exponitur.) forte sunt intelligendi duo viri, quorum nomina fuerunt Orebim: annon scribitur Jud. 7: 25. Et occiderunt Oreb, in petra Oreb, & Zeeb* &c. *præstone est res, ambos illos vocatos esse Orebim? forte autem de nomine loci ita dicti sint! (gl. quod fuerint è petra Oreb:) Et annon scribitur, (gl. quod homo vocetur de nomine loci sui, etiamsi vel unicus sit:) & licet non loquatur de omnibus viris loci, e. gr. Palæstinis, Gibeonitis &c. sed de viro unico, seu singulari: quale exemplum legitur de ista puella parva 2 Reg. 5: 2. ?)*

R. David Kimchi עורבים per mercatores exponit à radice ערב, quæ negotiandi quandoque significationem habet. Ita apud R. Menasse ben Israël l. c. Alii עורבים *orbim* interpretantur, quibus Jechezkel XXVII. 27. illud nomen datur ערבי עורבך mercantes mercaturam tuam. Juxta quam sententiam Dominus jusserit mercatores nonnullos Prophetæ necessaria subministrare. Immo, quod R. David Kimchi sentiebat, fieri possit, ut illi mercatores eum in occultum abdiderint. *Arabes alii volunt*: optime vero *Bochartus* P. II. Hieroz cap. XIII. f. m. 214. *Facile est docere hæc interpretamenta nihil habere sani. Utut enim ab Ezechiele Tyrii mercatores describantur hac periphrasi* ערבי מערבך*, tn.* ערבם *per se mercatores nusquam significat. Nec Deus in genere dixisset, præcepi mercatoribus, sed præcepi mercatoribus hujus, vel illius loci, ut te nutriant: reliquas versiones refellit loci situs, in quo accidit hoc miraculum. Nam prope Jordanem ubi latebat Elias, nulli erant Arabes: nulli Orebini, neque nulla urbs Arabo nomine, quod quidem sciam: & Arabes Hebraice non dicuntur* ערבים *Orebim; sed* עַרְבִים *Arbiim: & urbs* ערבו *Arabo si quæ fuit, quod mihi nondum constat; hujus incolæ* ערבוים *Arobojim, vocati sunt, non Orebim. Præterea Elias ibi latere jussus, non vere latuisset, si latibuli sui conscios habuisset locorum incolas. Et hæ latebræ Achabo Regi mox patuissent, qui illum magna cura undequaque disquirebat.*

Th. IV. Nos veros fuisse corvos adserimus, moti 1.) *clara textus litera* ערב enim proprie corvum denotat Genes. 8: 7. Prov. 30: 17. Id quod agnoverunt versiones plurimæ, Chaldæa עורביא *corvis præcepi, corvi afferebant illi panem &c.* Syra, *corvis mandavi, ut ibi te nutriant, & corvi afferebant ei panem* &c. Græca, καὶ τοῖς κόραξιν ἐντελοῦμαι, καὶ οἱ κόρακες ἔφερον αὐτῷ ἄρτους. *Josephus* Lib. VIII. Antiquit. Jud. cap. VII. Rabbini in Gemara Cholin, & *R. Nehemiah in Bereschith Rabba* cap. 33. apud *Menasse ben Israël l. c. 2.*) circumstantia loci, sive enim נחל vallem, sive torrentem, significet, utrumque locum corvi amant; id quod late deducit *Bochartus* P. II. *Hieroz.* pag. 201.

Th. V. *Jam de corvorum numero.* Unum tantum ad hoc ministerium adhibitum esse *Eutychius Alexandrinus* statuit. Plures vero ut nos censeamus, & pluralis numerus ערבים, & alimentorum copia, quibus ferendis unus par haud fuisset, suadent.

Th. VI. *Quare autem corvi?* Autor mirabilium Scripturæ l. 2. c. 17. ideo ait, ut maculam tempore diluvii contractam eluerent. *Corvus fidelis minister Eliæ, qui negligens & fallax ante Noa, culpam, quam in diluviis commiserat, in terra purgare videtur.* Sed nondum evictum, corvum ad Noam non reversum: utut enim Græca & vulgata versio, quemadmodum & Patrum plurimi id adfirment, corvi tn. causam Hebraica agit veritas; confer B. *Varenium*, qui Decad. Mosaicis *Lib. Beresith. Parascha Noach* p. m. 437. verba Genes. 8: 7. ita reddit, **der Rabe flog aus und kam geswinde wieder/ (blieb auch in dem Kasten) biß das Gewässer vertrocknet auff Erden.** *Rivetum*, *Drusium*, alios in illum Geneseos locum. Nisi forte in conciliationis usum, rediisse quidam ad arcam (atque hoc Hebræum intendere textum) non vero in arcam (hoc Græcam translationem) admittas: vide *B. Gesnerum* in Genes. pag. 149, B. *Gerhardum* in Genes. p. 215. & Academiæ nostræ pignus atque solatium *Magnum Calovium* שלי"טא in Bibliis Illustratis fol. 264. Tom. I. Comment. in Genes. p. m. 691. Jamdum vero corvos, diluvii tempore, de hoc ministerio Eliæ olim exhibendo, fuisse edoctos, Rabbini somniant. Ita enim R. Menasse ben Israël loco sæpius citato pag. 187. *Ingeniose Rabbi Jodan, verbis R. Joda ait, corvum, cum à Noacho arca egredi juberetur, interrogasse, quandoquidem tot & tam varias aves in arca haberet, cur potissimum se ex omnibus emitteret; Noachum autem respondisse, id à se factum, quia ille immundus, nec ad victum, neque ad sacrificia utilis esset. Ait R. Berahiah nomine R. Aba ben Caanah, tunc Noacho Dominum dixisse recipe eum; etenim quondam utilis erit, temporibus Prophetæ Eliæ, cui victum corvi subministrabunt. Idque innuit Scriptura dicens: & exivit exeundo & revertendo, donec siccarentur aquæ. His verbis, meo, quamvis tenui, judicio, indicare illi autores voluerunt, nihil in mundo tam malum esse, quin alicujus sit usus. Ideoque agunt, quamvis corvus nulli usui esset, quum à Noach emitteretur, tamen venisse tempus, quo Prophetæ operam utilem impenderit, atque illud tempus mirabiliter à S. Scriptura designari, quando dicit, corvum exivisse exeundo ac revertendo, (neque ulla in re utilem fuisse,) donec siccarentur aquæ: nimirum, usque ad siccitatem cœli, & maximam illam penuriam aquarum, cui causam dederat juramentum Eliæ. Quin & ipsa voce* יבשת *jebośet, siccatæ sunt, illud designatur, quod inversum est* תשבי *Tisbi, sive Elias Tisbites.*

(2.) *Chrysostomus* Cap. I. n. 3. nobis adductus, ea propter hanc corvis obtigisse sortem contendit, ut suo exemplo misericordiæ & commiserationi parum alias dediti Prophetam confunderent, & ad preces, pro reddenda agrorum fertilitate, incitarent. Vide, quæ ibi pro Elia diximus.

Th. VII.) R. Menasse ob securitatem id factum ait: *quin & dicere liceat, ideo Dominum voluisse, ut corvi victum subministrarent Eliæ, ne pii homines; cum viderent cibaria à mensis suis ab ave immunda diripi, ea iterum recipere tentarent.*

Nos quidem cum Apostolo: *quis cognovit mentem Domini, aut quis fuit illi à consiliis?* Rom. 11: 34. pie tamen colligimus, factum id fuisse ad demonstrandam Eliæ Protectoris ac Nutritii sui omnipotentiam, pariter atque suorum curam, ut hac ratione tantæ virtutis Deum, cujus servitio se mancipasset Elias, cognosceret, ad cujus nutus naturam quoque didiscerent bestiæ, & rapaces præberent cibum hujus curæ, ut ne sui perirent, & cœli volucres ad ministeria atque officia paratas idoneas ostenderet. Quod, certe, in tot adversitatibus pro gloria Nominis divini perferendis Prophetæ solatii argumentum non leve erat!

Th. VIII. *De loco hospitii nunc pauca. Torrens Cerith* (sic *Corn. à Lapide* in h. l.) *descendit de montibus Ephraim juxta urbem Phaselum: unde juxta eam multæ erant cavernæ & speluncæ, in quas se abdere poterat Elias.* Cis Jordanem *Adrichomius*, trans Jordanem *Hieronymus*, hunc torrentem constituit: eundem cum torrente קנה sive arundineti Jos. 16: 8. & 17. *Menochius* facit. Templum hoc in loco in perpetuam miraculi venerationem S. Helenam extruxisse, ex *Nicephoro Corn. à Lapide* scribit; verum, an id *Nicephori* verbis firmiter adstruere possit, ego quidem ambigo. Verba *Nicephori* Lib. VIII. Hist. Eccles. cap. 30. p. m. 596. edit. *Front. Ducæi* sic se habent: *S. Helena Imperatrix aliam ædem* πρὸς τὸ ἄναντες τοῦ ὄρους Ἠλιοῦ τοῦ Θεσβίτου *ad acclivitatem montis Heliæ Thesbitæ erexit*: quam vero hæc cum torrente aut valle conveniunt?

CAPUT III.

L E M M A T A.

§. 1. Cibi quales? an caro & panis conjunctim, an panis mane, vespere carnes allatæ? quid diebus jejunii comederit? §. 2. §. 3. cibi unde desumti? §. 4. an corvorum contactu non polluti?

Th. I. QUi Eliam in secretam terræ regionem raptum esse fingunt, ibique præstolari adventum Messiæ ad judicium, (quem errorem *Augustinus lib. de Peccato Orig. cap.* XXIII. profitetur,) disquirunt, an pascatur hodie, an sine cibo conservetur? quæstione Christiano homine indigna, Eliæ ob expressam Scripturæ S. literam, Eliæ raptus terminum & Eliæ statum describentem, ut huic nullus concedi locus queat. Nobis vel ipse sacer textus, de cibis Eliæ ab hospitibus corvis allatis atque appositis, quærendi occasionem subministrat *Corvi*, sic habet codex Biblicus, *afferebant panem & carnem quolibet mane, similiter panem & carnem quolibet vespere.* Quid לחם panis, quid בשר caro sit, omnes intelligunt. Græca versio contra veritatem Hebraicam disputationi ansam dedit, num carnes & panes conjunctim, an panem mane, carnem vesperi, corvi attulerint. Ita enim illa: Καὶ οἱ κόρακες ἔφερον αὐτῷ ἄρτους τὸ πρωΐ, καὶ κρέας τὸ δείλης, *& corvi ferebant ei panes mane & carnes vesperi.* Quam sententiam & Patrum plurimi defendunt, *Augustinus, Athanasius*, alii: sed recte, errorem in versionem hanc vitio temporum irrepsisse, fatetur *Sanctius* in h. l. *Bochartus* loc. cit. quem & codex Græcus Complutensis agnoscit, cujus hæc lectio: ἄρτους καὶ κρέας τὸ πρωΐ, καὶ ἄρτον καὶ κρέας τὸ δείλης. Faciunt vero nobiscum versiones, *Chaldæa, Syra, Arabica, Vulgata.* Quæstionem magisterialem *Tostatus*, & ex *Corn. à Lapide* in h. l. proponit. *Quærit Abulensis, quid comederit Elias diebus jejuniorum, quibus non licet vesci carnibus? ac respondet, eum comedisse, quicquid corvi afferebant. Deus enim mittendo carnes ad Eliam, hoc ipso cum eo in jejunio dispensabat, volebatque ut eas comederet, ac dono suo tam liberali frueretur, ne frustra eas misisse videretur.*

Sed eam abstinentiam à sola carne Papæis hodie usitatam, jejuniorum nomine, neque stylo Biblico, neque Ecclesiastico venire, ipse *Launojus*, doctissimus ordinis Pontificii scriptor, in commentario, de veteri ciborum delectu, admittit. Vide, quæ adversus hæc jejunia disputat *B. Chemnitius* Exam. Concilii Tridentini P. IV. pag. 768. *B. Schærzerus* programmate XXV. de *Jejuniis* p. 322. Præses in Chrysostomo Lutherano, Dallæus de Jejuniis veterum.

Th. 2. Cruda, an præparata fuerint fercula illa, definitum non est. Si quid tamen suspicionibus dandum, ex defectu aromatum, & ad coctionem subsidiorum necessariorum jamdum cocta, & ad esum parata colligimus. Angelos coquorum officio defunctos *Cornelius à Lapide* scribit: *corvi, Deo instigante, quotidie his apportabant panem & carnes Eliæ, scilicet mane ad prandendum, & vespere ad cœnandum. Angeli autem hos panes & carnes apparabant, ideoque meliores & sapidiores erant nostris, qui à pistoribus & coquis apparantur, juxta illud Psalm. 77:25. panem Angelorum manducavit homo: mox eosdem corvis ad Eliam deferendos dabant, eosque continebant, ne illos attingerent, ac impellebant, ut ad Eliam intactos deferrent.*

Th. 3. *Unde vero corvi hos cibos desumserunt*? recte quidem *Autor* de mirabil. Scripturæ l. c. ait, *carnes & panes corvus detulerit, ipse viderit, qui tale officium committebat.* Docta tamen hac ignorantia non contenta interpretum curiositas, modo ex macello Achabi, ut *R. Juda*, in tract. *Sanhedr.* f. 113. ex mensa Achabi cum *Sanctio* putat *Tostatus*, *non improbabile, cibos, qui quotidie afferebantur à corvis, esse de Regis mensa, & egregie conditos, sublatosque per Angelos inde, & in locum aliquem delatos, unde corvi ad Eliæ latebras, & diversorium deducerent. Quod si ita est, ut non temere conjectat Abulensis, non solum sufficientem, sed etiam tantum, & regium cibum à Dei providentia liberali, & à corvino ministerio suscepit Elias.*

Ex ædibus Regis Josaphat *Rabinah* in tr. Cholin. c. l. & *Nehemias* in Ber. Rabba, aut ex pia liberalitate alicujus justi (ex 7. millibus, qui idolis se non incuraverant,) Menasse ben Israël l. c. & Bochartus l. c. accepisse conjiciunt.

Th. 4. Ille adhuc restat scrupulus, *qui ab immunda ave, absque pollutione, Elias cibum potuerit admittere, & annon ipse cibus impurus fuerit redditus*? sed erudite hunc eximit Magnus *Bochartus* l. c. f. 216. *At corvus, inquies, immunda est avis, contactuque omnia fœdans. Omnino; cum plerumque vescatur cadaveribus, & lex ceremonialis immundis avibus eum accenseat. Sed, quod purificavit Deus, non debet haberi pro immundo,* Act. 10:15. *Idem Deus, qui hanc legem sanxerat, etiam abrogavit, aut saltem Eliam, ab ejus observatione, dispensavit ad tempus. Quamvis hujusmodi dispensatione non fuerit opus. Ceremoniarum enim observatio poterat prætermitti, cum urgebat vitæ necessitas. Ita Samsoni licuit favum mellis comedere; ut ad hunc locum observat* Theodoretus. *Et David esuriens panes* τῆς προθέσεως *edit sine scrupulo, quos alicui non licebat edere, nisi solis Sacerdotibus,* Luc. 6:4. *Ac proinde recte sancitum est, ut Judæis, die Sabbathi, ab hoste provocatis pugnare licitum esset, & vim vi repellere,* 1 Machab. 2:27. *Agebatur enim de vita. Et Sabbathum est propter hominem, non homo propter Sabbathum* Marc. 2:27.

CAPUT IV.

Miraculosæ hujus cibationis usus exhibet (1.) didascalicum (2.) elenchticum (3.) pædeuticum (4.) consolatorium.

Th. I. DEum suos curare, & in omni angustia illis prospicere, Elias corvorum convictor perspicue docet. *Ut vel hic exemplum regulæ Davidicæ sit; oculi Domini super timentes eum, ut eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame,* Psalm. 33:18. Confer, quæ pro adstruenda divina providentia scripserunt, *Chrysostomus* tribus peculiaribus libris, *Salvianus Massiliensis* lib. VIII. de gubernatione Dei, quem & *Conradus Rittershusius* edidit, atque insigni commentario ornavit, & *Stephanus Ballusius* vir clarissimus, *Prosper* in carmine de Providentia, alii.

Th. 2. *Epicuri* impietatem, Deum nemini sive propitium sive iratum esse, (cujus vestigia legerunt discipuli, *Lucretius, Patrocles* apud *Plutarch.* in libro, *de sero à Deo punitis.*) & providentiam divinam meram esse fabulam, Elias corvorum convictor confundit: quam & ipse *Cicero* graviter reprehendit lib. 1. de Nat. Deorum: *sunt Philosophi, & fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos, quorum si vera sententia est, quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ relligio? hæc enim omnia pure, ac caste tribuenda Deorum Numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, & si est aliquid à Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem Dii, neque possunt nos juvare, nec volunt, nec curant omnino, nec, quid agamus, animadvertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit. Quid est, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? in specie autem fictæ simulationis sicut reliquæ virtutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul & sanctitatem, & religionem tolli necesse est. Quibus sublatis, perturbatio vitæ sequitur, & magna confusio, atque haut scio, an pietate adversus Deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus, justitia, tollatur.*

Vide, quæ adversus Epicurum solide disputavit *Lactantius*, in omnibus ferme scriptis, & doctissimus *Petrus Gassendus* in Philos. Epicuri Syntagmate; animadvers. IV. pag. 209. *regere Deum speciali cura humanum genus.*

Refutari & hoc Eliæ exemplo fallaciæ *Julii Cæsaris Vanini* possunt, quas in divinæ providentiæ destructionem, in *Amphiteatro divinæ providentiæ*, adhibuit, atheorum ille Cæsar, rogo demum datus ex merito.

Th. 3. Summa patientia in extremis angustiis sua Deo committant afflicti, etsi famis tempore, (quale vero malum fames, exposuit prolixe *Stengel.* P. IV. de Jud. divinis à cap. IV. usque ad c. XI.) à corvis cibos expectare jubeantur, Eliæ instar Deo fidant, committant Deo vias suas, ipse faciet Psal. 35:5.

Th. 4. Elia corvorum convictore se erigant pauperes atque famelici. Neque enim de misericordia, de servandi & pascendi promptitudine remisit quicquam supremum Numen; *manus Domini abbreviata non est.* Num. 11:23. Simile exemplum ex Hieronymo in vita S. Pauli refert *Corn. à Lapide* in h. l. *corvi afferebant quotidie dimidium panem ad S. Paulum, primum eremitam, integrum vero, adveniente S. Antonio. Unde ad eum conversus S. Paulus, ait: eia! Dominus nobis prandium misit, vere pius, vere misericors. Sexaginta anni sunt, cum accipio quotidie dimidii panis fragmentum, nunc ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam.*

Cuthbertum ab aquila pastum *Beda in vita Cuthberti* scribit. Adhibe ad deductionem hujus solatii, venerandi & nunquam satis laudandi Dn. *Scriverii* P. IV. des Seelen-Schatzes / von der Armuth der gläubigen Seelen / p. 379. seqq.

T A N T U M!

GOTF. VALLANDI

CONGRESSUS REGUM VICTORIS ET VICTI ad 1 Reg. XX: 33, 34.

SECTIO PRIMA.

Thema Constituens

1. *Instituti Ratio.* 2. *Verba Textus & Interpretum.* 1 *Regum.* 20: 33, 34.
3. *Quæ circa dictum locum disceptanda?*

§. I.



MAgnum profecto est, quod humano generi præstitere officium qui Scripturam Divinitus inspiratam ex linguis, quibus primum consignata, in alias primi transtulere: quia omnium ea opera usibus id accommodatur, sine quo nemini ex miseria, in qua natura nunc constituti sumus, eluctari datum. Atque ea causa quin ad Gratias ipsis habendas Laudeque & Honore referendas obstricti singuli simus, dubitandum non est. Neque tamen existimandum, officii hujus nostri minus memores Nos esse, si, quæ diligentiam ipsorum, ut hominum est, fugerunt, notemus, eorumque Sensum genuinum vindicare studeamus. Sane Versionem Scripturæ Divinæ ab interprete quantumvis magnæ, modo humanæ, Autoritatis conditam sine exceptione venerari, est sacerdotale amiculum DEI vice colere; Israëlitarum exemplo *Jud.* 8: 27. Beroënses laudantur *Act.* 17: 11: 12. non solum quod temere non damnarint Pauli Doctrinam, sed & quod fidem ei, Divina licet Auctoritate munitæ, ante non habuerint, quam collatis, quæ tum exstabant, Divinis Scriptis convenientem deprehendissent. Quanto magis Nos oportet non tantum desides frui Majorum in DEI Verbo interpretando humana Autoritate susceptis laboribus, sed, quibus per Linguarum notitiam ea facultas est, tanquam non degeneres Nepotes, ipsorum exemplum imitari & spicilegiorum, quæ sæpe non parca ab ipsis relicta sunt, curam absolvendæ eorum messi conferre. Nimirum ita demum Præcepto Salvatoris de scrutandis Scripturis satisfaciemus. Meum quidem nunc per vitæ institutum non est, maximam Vitæ partem huic operæ impendere: Quod tamen ut Christiano post publicum DEI Cultum ex septenis diebus tempus Sacris privatim meditandis dandum est, huic fere Studio tribuendum putavi. Qui conatus, DEI Gratia, in assequendis plurium locorum genuinis sensibus, quos Versiones exstantes non habent, successu non caruisse videtur: Quam vere, præsenti documento in loco præcipue 1 *Reg.* 20: 33, 34. tum secundaria opera in iis, qui ejus causa explicandi erunt, experiri juvat. Illius potissimum eligendi præcipuæ causæ fuere, quod & à fidei quæstionibus remotus suspicionem parere minus possit, quasi eorum qui in usum salutis restitutæ Doctrinam tradendi Sacram Scripturam tractant jura invadere propositum esset, & Studiis, quæ secundum publica tempore laboribus destinato in præcipuis tracto, non parum luminis afferat.

§. II. Sensum ita exprimunt

1 *Reg.* 20: 33, 34.

Textus Originalis.

וַיֵּצֵא אֵלָיו בֶּן־הֲדַד וַיַּעֲלֵהוּ עַל־הַמֶּרְכָּבָה׃ וַיֹּאמֶר אֵלָיו הֶעָרִים אֲשֶׁר־לָקַח־
אָבִי מֵאֵת אָבִיךָ אָשִׁיב וְחוּצוֹת תָּשִׂים לְךָ בְדַמֶּשֶׂק כַּאֲשֶׁר־שָׂם אָבִי בְּשֹׁמְרוֹן
וַאֲנִי בַּבְּרִית אֲשַׁלְּחֶךָּ וַיִּכְרָת־לוֹ בְרִית וַיְשַׁלְּחֵהוּ׃

Targum.

ונפק לותיה בר הדד ואסקיה לרתיכא: ואמר ליה קרוין דנסיב אבא מן אבוך אתיב ושוקין תמני לך בדמשק כמא דמני אבא בשומרון ואנא בקים אשלחנך וגזר ליה קים ושלחיה:

רשי

ויאמ' לו בן הדד הערי' אשר לקח אבי מאת אביך עמרי אשיב לך: וחוצו' תשים לך בדמשק ותהא מושל בה והיא ראש למלכותי כאשר שם אבי בשמרון עירך על כרחך וכל זה היה או' מירמה אמר לו אחאב ואני בברית הזאת אשלחך:

רדק

וחצות תשים לך בדמשק' פירוש שוקים שיהיו מוצאי חשוקים ממה שיקנו וימכרו בהם יהיה המכס שלו וכתי הצות שוקים' נ"אקירוין: ואני בברית אשלחך' אמרי לו אחאב כיון שתעשה זה אני אשלחך בשלום בבריה שאכרות לך מעתה ומה שאמר בברית עם בית חידיעה כלומר בזאת הברית שתקיים לי מה שאמרת:

רלבג

ויצא אליו בן הדד מן העיר שהיה נחבא בה ויעלהו אחאב על המרכבה ויאמר הדד לאחאב הערים אשר לקח אבי מאת אביך אשיב לך וחצות תשים לך בדמשק לקחת שם מכס מהסחרים הנעשי' כאשר שם אבי בשמרון ואז השיב לו אחאב ואני בברית אשלחך מאחר שתעשה לי בן ויכרות לו ברית וישלחהו:

Versio LXX. Interpretum.

Καὶ ἐξῆλθε πρὸς αὐτὸν υἱὸς ἄδερ, καὶ ἀναβιβάζουσιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἅρμα πρὸς αὐτόν. Καὶ εἶπεν πρὸς αὐτὸν, τὰς πόλεις ἃς ἔλαβεν ὁ πατήρ μου παρὰ τοῦ πατρός σου ἀποδώσω σοι· Καὶ ἐξόδους θήσεις ἐν Δαμασκῷ σεαυτῷ, καθὼς ἔθετο ὁ πατήρ μου ἐν Σαμαρείᾳ· Καὶ ἐγὼ ἐν διαθήκῃ ἐξαποστελῶ σε· Καὶ διέθετο αὐτῷ διαθήκην, καὶ ἐξαπέστειλεν αὐτόν.

Vulgata.

Egressus est ergo ad eum Benadad, & levavit eum in currum suum. Qui dixit ei: Civitates quas tulit Pater meus à Patre tuo, reddam, & plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit Pater meus in Samaria, & ego fœderatus recedam à te. Pepigit ergo fœdus, & dimisit eum.

Munsteri.

Et egressus est Benhadad ad eum, fecitque eum conscendere super currum. Et dixit ad eum: Civitates illas, quas accepit pater meus à patre tuo, reddam, & plateas pones tibi in Damasco, sicut posuit pater meus in Samaria: Et ego cum fœdere dimittam te: percussit itaque fœdus cum eo & dimisit eum.

Pagnini.

Egressus est ergo ad eum Benhadad, & ascendere fecit eum super currum. Dixitque ad eum, Urbes quas tulit pater meus à patre tuo restituam, plateasque pones tibi in Dammesec,

sec, sicut posuit pater meus in Someron. Et ego cum hoc fœdere dimittam te. Pepigit ergo cum eo fœdus, & dimisit eum.

Notat Vatablus.

Et ascendere fecit) i. e. *jussit ut ascenderet Currum quo gestabatur. admisit eum in Currum suum. Dixitque*) *sub. Benhadad. Plateasque &c.*) i. e. *fora, aut vicos rerum venalium constitues Tibi, ex quibus Vectigalia ac Tributum accipies in Dammesec, Urbe scilicet Regia, & hac re te superiorem agnoscam. Cum hoc fœdere*) i. e. *hoc pacto inter Nos inito. verba sunt Achab. q. d. hac Conditione te sinam abire.*

Castalionis.

Egressumque (Benhadadum) *ad se currui imponit. Et Benhadadus sic Achabum alloquitur: Quæ oppida patri tuo meus pater abstulit, ea ego reddam, inquit, tibique* (d.) *fora statues apud Damascum, quemadmodum statuerat meus pater apud Samariam. Ego vero* (inquit Achabus) *facto fœdere te dimittam. Ita icto cum illo fœdere, eum dimisit.*

(d.) Ubi publicanos colloces, & vectigalia exigas.

Junii & Tremellii.

Egressus itaque est ad ipsum Benhadad, quem jussit ascendere in currum suum. Ei autem dicente Benhadado, *civitates illas quas acceperat pater meus à patre tuo restituam, & limitanea constituas tibi in Damasco, quemadmodum constituerat pater meus in Schomrone,* dixit, *& ego cum hoc fœdere dimittam te: Sic pacto cum eo fœdere dimisit eum.*

Germanica Vetus ed. anno 1490.

Darumbe Benadad ging auß zu im. Und er hube in auff seinen Wagen. Und sprach zu im. Ich widergibe dir die Stett die mein Vater hat genommen von deinem Vater. Und du mache dir Gassen in Damasco/ als mein Vater machet in Samaria. Und ich scheyde mich gehuldet von dir. Darumb er machet das Gelübde. Und ließ in.

Lutheri.

Da ging Benhadad zu Ihm herauß/ und ließ ihn auff den Wagen sitzen/ und sprach zu ihm: Die Stätte/ die mein Vatter deinem Vatter genomen hat/ wil ich dir widergeben/ und mache dir Gassen zu Damasco/ wie mein Vatter zu Samaria gethan hat: So wil ich mit einem Bund dich lassen. Und er machte mit ihm einen Bund/ und ließ ihn ziehen.

Tigurina.

Do gieng Benhadad zu im härauß/ und er hieß in auff den Wagen sitzen/ und sprach zu im: Die Stett die mein Vatter deinem Vatter genommen hat/ wil ich [Dir] widergeben. Und mach dir Gassen zu Damascon/ wie mein Vatter zu Samaria gethan hat/ so wil ich mit einem Pundt dich lassen. Und er machet mit im einen Pundt/ und ließ in ziehen.

Saxonica.

Do ginck Benhadad tho em heruth/ unde he leeth en up den Wagen sitten. Unde sprack tho em: De Stede/ de myn Vader dynem Vader genamen hefft/ wil ick dy weddergeven. Unde make dy Straten tho Damasco/ alse myn Vader tho Samaria gedahn hefft/ so wil ick dy mit einem Vorbunde vorlaten. Unde he makede ein Vorbundt mit em/ unde leeth en tehen.

Piscatoris.

Da gieng Benhadad zu ihm herauß/ und er ließ ihn auff den Wagen sitzen. Und Benhadad sprach zu ihm: Die Stette/ die mein Vatter deinem Vatter genommen hat/ wil ich Dir widergeben/ und du magst dir Gassen machen zu Damasco/ wie mein Vatter zu Samaria gemacht hat. Er sprach: Mich belangend/ so wil ich dich mit diesem Bund ziehen lassen. Und er machet mit ihm einen Bund/ und ließ ihn ziehen.

Belgica.

Doe quam Benhadad tot hem uyt/ ende hy dede hem op den Wagen klimmen. Ende (52) hy seyde tot hem: (53) De steden/ die mijn Vader van uwen Vader genomen heeft/ sal ik weder geven/ ende maeckt u (54) Straten in Damascus/ gelijck mijn Vader in Samaria gemaeckt heeft: Ende ick (antwoordde Achab) sal u met dit verbondt dan laten gaen: so maeckte hy een verbondt met hem/ ende liet hem gaen.

52. N. Benhadad.

53. Siet van dese/ hov. 15. 20.

54. Verst. marckten uyt de welcke Achab eenige schattinge soude trecken: ofte richt-plaetsen, in dewelcke het opperste oordeel hem soude toekomen: ofte eenige aenkomsten ende frontieren des landts/ die in sijn gewelt souden wesen.

Gallica Ed. Anno 1570.

Benhadad donc sortit à luy, & il le fit monter sur un chariot: & luy dit, je te restitueray les citez que mon pere a prinses à ton pere: là tu te feras des rues en Damas, comme ton pere a fait en Samarie, & te renvoyeray avec alliance. Et fit alliance avec luy, & le laissa aller.

Gallica Maresiorum.

Benhadad donc sortit vers lui, & il le fit monter sur le chariot. Et Benhadad *luy dit, je rendray* (61) *les villes, que mon pere avoit prinses à ton pere, &* (62) *tu te feras* (63) *des places dedans Damas, comme mon pere avoit fait dedans Samarie: & moi, respondit Achab, je te renvoyeray avec cette alliance. Il traitta donc alliance avec lui, & le laissa aller.*

61. Desquelles voi sus ch. 15. 20.

62. C. tu obtiendras le même droit en Damas, que mon pere avoit en Samarie, tellement que tu y ayes des marques ou d'independence ou de souveraineté.

63. F. *Des ruës*, c. des marchés desquels Achab tireroit quelques impôts: Ou des *sieges de judicature*: ou il jugeroit souverainement & au dernier ressort; ou des Cours de franchise pour les Israëlites, ou ils auroyent leurs Magistrats dependans des rois d'Israël, sans être justiciables des rois de Syrie: Ou quelques forteresses & *avenuës* aux frontieres du pais, qu'il auroit en sa puissance, & qui lui seroyent des places d'ôtage & de sureté.

Italica Diodati.

Benhadad adunque venne fuori ad Achab, & egli lo fece salire sopra il carro. E Benhadad *gli disse, jo ti restituerò le città che mio padre tolse à tuo padre; e tu ti farai delle *piazze in Damasco, come mio padre se ne haveva fatte in Samaria: & jo, disse Achab, ti lascerò andare con questi parti. Così parteggiò con lui, e lo lasciò andare.*

* O, strade: alcuni stimano che fossero certi mercati in Damasco, onde il rè d'Israël traesse datio, & entrata: puo essere che fossero certi luoghi in Damasco, de quali il re d'Israël fosse signore assoluto: che che sia, appare che era un segno di souranità.

In altera editione notatur in h. l.

Delle piazze *poteuano esser certe corti, o luoghi di franchigia, in Damasco, oue gl' Israëliti haueano lor Giudici, e Magistrati, dipendenti dal rè d'Israël, senza rispondere al rè di Siria: o qualche mercati, onde quello traeva datii, e gabelle.*

Anglica.

Then Ben-hadad came forth to him: and he caused him to come up into the chariot. And Ben-hadad *said unto him, The cities which my father took from thy father, I will restore, and thou shalt make streets for thee in Damascus, as my father made in Samaria. Then* said Ahab, *I will send thee away with this covenant. So he made a covenant with him, and sent him away.*

Explicationes Osiandri.

E*Gressus est ergo ad eum Benadad, & levavit* seu assumsit *Eum* rex Israelis *in currum suum*: tantum honoris habuit homini impio & blasphemo Rex Achab: *Qui* insuper etiam dixit ei: *Civitates quas tulit Pater meus* (Rex Amri) *à Patre tuo,*

tuo, reddam Tibi ultro: *Et* tametſi poſſem (pro Jure Victoris) jam Damaſcum, primariam Syriæ Urbem, mihi vendicare, aut certe aliquot ibi plateas occupare, in iiſque munitiones extruere: tamen tibi integram urbem concedo: & permitto tibi ea in re liberrimam poteſtatem: *Plateas fac Tibi in Damaſco: ſicut fecit Pater meus* Amri *in Samaria*, qui eam Urbem pro ſuis commoditatibus, juxta animi ſui beneplacitum ædificavit: *Et Ego fœderatus recedam à Te*, Hebr. dimittam Te (i. e. inito inſuper fœdere, quod velimus amicitiam mutuo colere, te incolumem ad tuos remittam) *Pepigit ergo* Achab (promptiſſime ſuſcipiente Benhadado tam benignas conditiones) *fœdus* cum Rege Syriæ, *& dimiſit eum.* Viſus eſt autem Achab coram ratione humana ſapientiſſime egiſſe: quod memor fragilitatis humanæ tam potentem Regem vicinum non modo vita donaret, ſed etiam beneficiis cumularet, atque ſic conſtantem ſibi & ſuis pacem compararet. (Sed longe alia ſunt judicia DEI quam hominum) ut jam audiemus.

Criticorum aliorumque Interpretum, quorum Synopſin dedit Matthæus Polus.

Civitates, quas tulit Pater meus &c.] Quæ Civitates hæ fuerint, aut quando hoc acciderit, Scriptura tacet; (u) niſi ſermo ſit de Civitatibus Iſraëli ademptis à Syris ſub Baaſa, ſupra 15, 20. qui Pater Achabi vocatur, quia illi Achab in Regno ſucceſſit. (x) Ex harum Civitatum numero videtur fuiſſe Aphek, quæ Iſraëlitarum erat, ſed nunc à Syris tenebatur. (y) Solent quos ſuperiores belli fortuna fecit ſua recipere. (z) §. *Et plateas fac Tibi*] ita Strig. vel pones Tibi. M. P. Ti. Mo. Ma. חוצות vicum vel vicos Sy. Ar. V. Fora aut vicos (ſive plateas, M.) rerum venalium conſtitues Tibi, ex quibus Vectigalia accipies ac Tributum (a) in Damméſec, Urbe ſcil. Regia: Et hac re ſuperiorem Te agnoſcam. (b) Alii forum judiciale intelligunt; ut Ahab ibi jus diceret, tanquam ſuperior Benhadado poteſtas (c). ό. vertunt ἐξόδους (exitus) origine non abnuente. (d) Sed videtur poni loco τοῦ προσόδου, ſcilicet pro aditu †. Sic enim reddenda eſt vox πρόσοδος, non reditus, ut habet Me. forſan errore Typographi. Limitanea Tibi conſtitues, JT. i. e. Clauſuras, ſive aditus in Regnum Damaſcenum (f.) Munitiones, quibus reprimerentur Damaſceni, ne in terras Iſraëlitarum poſthac irrumperent. Confer 2. Sam. 8: 6. (g) Militare præſidium conſtitues; ut hæc Phraſis noſtræ Italicæ ſimilis ſit, *Fa piazza d'arme.* (h) Multa promittit captivus Benhadad; ſed liber fidem adeo fefellit, ut nec erepta oppida redderet, ut patet ex Ramoth Gilead, infra 22: 3. (i) §. *Et ego fœderatus recedam à Te.* ואני בברית אשלחך Et ego, in vel cum fœdere ſive pacto dimittam Te, Jun. Sy. Ar. M. Ti. Mo. Dixit, & ego cum hoc fœdere, &c. JT. Ellipſis inſolens verbi (np. τοῦ dixit) etiam in diverſo membro ὡς ἀπὸ κοινοῦ repetendi; ut 2. Reg. 9: 27. & 28: 15. (k). Et ego, Malim, ad me quidem quod attinet, ut ſit Syntaxis abſoluta. (l) Sunt verba Achabi. (m). Hoc pacto inter nos inito ſinam Te abire. (n) Quamvis Hieron. ita reddit, quaſi Benhadadi verba eſſent. †

(u) *Me. ex San. (i. e. Menochius ex Sanctio)* (x) *Me. ita Jun. Pi. (Junius, Piſcator.)* (y) *San.* (z) *G. Grotius.* (a) *V. (Vatablus) Sim. M. T. (Munſterus, Tirinus). San.* (b) *V.* (c) *Mart. (Martyr.) ſic San. T.* (d) *G.* † *Me.* (f) *Pi.* (g) *G.* (h) *Me.* (i) *T. ex San.* (k) *Pi. ex Jun.* (l) *Pi.* (m) *V. ita Ca. (Caſtalio) Mar. Strig. (Strigelius)* (n) *V.* †. *Mar.*

§. 3. Exhiberi verbis propoſitis hiſtoriam congreſſus Regum, Ahabi Iſraëlitæ, hoſtico exercitu internecione deleto, Rege hoſte ad vitam ſuppliciter petendam deditionemque faciendam compulſo, pleniſſime victoris, & Benhadadi Syri victi, dediti, ſupplicis, continentem ejus initium, negotium quod eo tranſactum & finem, à nemine dubitatur. Utri autem facta dictaque memorata, quibus nomen diſerte nullum additum, tribuantur, & quid rei Damaſci faciendum nomine חוצות alter alteri permittat, varie ab interpretibus ſentitur, poſterius nemine fortaſſis eorum aſſequente. De his igitur duabus quæſtionibus totidem diſceptationis partibus videndum.

SECTIO II.

Thema Diſceptans.

SUBSECTIO I.

Ahabo, an Benhado, facta dictaque, ſine nomine diſerte addito memorata, tribuantur.

1. *Variæ interpretum ſententiæ.* 2. *Singularum rationes & pro Oſiandrina allatarum approbatio.* 3. *Reliquarum ſolutio.*

§. 1. CUm Originalis Textus principio verborum in quæſtionem venientium Benhadadum accepta victoris fide ex urbe, in quam confugerat, egreſſum ad eum eſſe nominatim memoraſſet; tota deinceps congreſſus hujus hiſtoria, pluribus licet actibus conſtante, hominum propria pariter nomina aliaque demonſtrativa verbis actus illos exprimentibus addit nulla. Hinc primum intuentibus minus expeditum, utri Regum actus enarrati aſcribantur: Indeque interpretibus arrepta diſſentiendi occaſio, ut quiſque rem, quæ agitur, animo apprehendit, vel uni omnes, vel alios alii, attribuentibus; præter *Targum, LXX. Vulgatam, Munſterum & Pagninum*, qui, quantum ad propoſitum noſtrum, limites tranſlationis obſervantes, eandem, quam Textus Originalis habet, ſenſus ſpeciem relinquunt, niſi *Vulgatæ* alia, ſed obſcurius verbis *recedam & dimiſit* expreſſa, mens ſit. Idem facturos fuiſſe *Veterem Germanicum Interpretem, Lutherum, Auctores Verſionum Tigurinæ, Saxonicæ*, ac fortaſſis etiam *Vetuſtioris Gallicæ*, probabile eſt; ſi per Linguarum Vernacularum conditionem licuiſſet, quæ regulariter nec verbum finiti modi ſine expreſſe addito nominativo ferunt, ſaltem ſequentia ad proxime præcedentium nominativos referentes, nec ubi nomen recti caſus cum altero caſus obliqui proxime præceſſit, pronomen recti caſus ante ſequens verbum ſine mutati ſubjecti ſpecie admittunt, præſertim ſi res ipſa id non commonſtret. Videtur igitur *Vetus Germanica, Tigurina & Saxonica Verſio* omnia facta dictaque Ahabo tribuere, quod *Oſiander* approbat; *Lutherus* contra Benhadado omnia: *Vetus Gallica* in currum ſuſceptum ab Ahabo Benhadadum, cætera à Benhadado dicta & facta ſentire. Reliquæ Verſiones manifeſto ita actus diſtinguunt, ut Benhadadum in currum ſuſcipiat Ahabus, Ahabo Benhadadus offerat ereptorum reſtitutionem & novi juris ceſſionem, Ahabus oblata acceptans pacto fœdere Benhadadum dimittat: Quæ ſententia, ex citatis *Rabbinis* hauſta, pluribus placet. Conf. ex *Polo* allata, præcipue lit. *m.*

§. 2. *Lutherum*, quatenus ab aliis diverſa ſentit, moviſſe videtur, quod verba omnia ei, quod manifeſto ad Benhadadum refertur, connectuntur, alio nominativo deſtituta. *Gallus* τὸ πρέπον perſonis Victoris & Victi ſpectaſſe probabile eſt. Nam & conditioni Victoris magis convenit, Victum ad currum ſuum humiliter accedentem, remiſſo Jure ſuo veluti parem, in currum recipere, quam hunc honorem à Captivo exſpectare: Et urbes ac jura alteri cedere Victi magis eſſe videtur; quod cum præcipuum ſermonis, qui hic proponitur, argumentum ſit, cui in fine fœderis pangendi ac dimiſſionis faciendæ promiſſio, pactique ac factæ narratio eadem orationis ſerie accedunt, totus ſermo cum conſecuto facto ad Benhadadum, uti id, quod anteceſſit, ad Ahabum, pertinere viſus. *Rabbini* & qui eos majore numero ſequuntur haud dubie ob idem τὸ πρέπον non prius tantum, uti *Gallus*, ſed & poſteriora facta, una cum poſteriore ſermonis membro Ahabo, cætera Benhadado vindicant. Nam dimittere alterum, quod eidem hic tribuitur, qui fœdus obtuliſſe ac pepigiſſe ſcribitur, ejus eſt, qui in ſuo verſatur alterumque in poteſtate habet; quod non Benhadado, ſed Ahabo, convenit. Pro iis, quibus *Oſiander* accedit, militat & ſcopus Textus & conditio eorum, quæ memorantur. Nimirum Spiritus Sanctus, oſtenſurus æquitatem ſententiæ *eod. cap. vſ.* 42. adverſus Ahabum pronunciatæ & memorante cap. 22: 34, 35. executioni datæ, quaſi ex adverſo proponit Benhadadi meritum & Ahabi ad id penſandum obligati animum officii prorſus immemorem. Superiore anno ipſe Ahabus, cum toto populo in ſervitutem ſine miſſione petitus, iniquiſſimam conditionem ipſamque mortem non niſi miraculoſa Dei, Populum Suum ad Sui agnitionem & cultum invitantis, ope effugerat, ingenti Syrorum exercitu exiguis copiis, uti Deus pollicitus fuerat, profligato. Vertente anno blaſphemiis ſuorum aſſenſus Benhadadus eadem, quæ ante, niſi deteriora, Iſraëlitis pari copiarum magni-

magnitudine, cura etiam majore, intentaverat; sed Ahabo de consiliis ipsius Divinitus præmonito, promissione victoriæ confirmato ac præsentissimo Dei auxilio adjuto, ipse toto exercitu deleto in potestatem Victoris venerat. Jam tum triumphorum invaluerat consuetudo, qui in Cædem Captivorum Illustrium, postquam spectaculi causa triumphantis currui ad destinatum locum vincti præivissent, desinebant: neque Ahabum, si capi ipsum contigisset, alia fortuna manebat. Vid. imprimis *Psal.* 68: 19. cujus hæc genuina versio videtur; *Ascendisti sublimis, triumpho duxisti captivos, commodasti congiarium populo & iram repugnantibus ne domicilium haberes.* Conf. *Ephes.* 4: 8. *Coloss.* 2: 15. Et diserte jusserat Deus, in bello offensivo omnes viros urbium deditionem facere detrectantium interfici *Deut.* 5: 13. Quanto magis hostem capitalem, ultro bellum inferentem, nec ullo precio redimi patientem. Horum minime ignarus, nec tamen nisi cum ignarissimis memor Ahabus fuit. Benhadadus servus esse optabat: Ahabus fratrem, hoc est parem & amicum sibi verbis & factis declarabat. Benhadadus vitam supplex petebat: Ahabus Regnum dabat neque regionis neque potestatis parte imminutum, imo pristinis etiam finibus restitutum. Hæc est illa intempestiva & immoderata benignitas hostium verbis notata *vers.* 31. qua sibi & suis Benhadadi, cujus paritate tantopere gestiebat, supplicium Ahabus meritus est. *vers.* 42. Porro eorum, quæ hic referuntur, nihil in Benhadadum, in Ahabum conveniunt omnia. De honore currus communicati, fœdere item oblato ac dimissione facta, ex supra dictis res est manifesta; addatur de dimissione *vers.* 42. quo aperte ea Ahabo tribuitur. Restitutionem non à Benhadado, sed Ahabo, verbis à Textu relatis promitti, ea, quæ de patre promittentis dicuntur, clarissime demonstrant. Neque enim Benhadadi pater ullam imperii partem, bene autem Ahabi pater summam potestatem Samariæ exercuit. Quod adeo movit *Gallicum Interpretem vetustiorem*, ut cum omnino de restitutione urbium & jurium facienda Benhadadi verba esse crederet, Stilum Criticum in Sacrum Textum stringendum putarit & pro אבי, quod est in Textu, legendum אביך, vertens *ton pere*, pro *mon pere*, uti debuisset. Accedit, quod Homrin, Ahabi patrem, Urbes, bello amisisse, prorsus silet Sanctus Textus, more suo utique memoraturus pœnam impietatis, qua decessoribus suis omnibus Homrin superiorem fuisse notandum duxit, si tam notabilis fuisset inflicta. Quin contra 1 *Reg.* 16: 27. rerum fortiter ab Homri gestarum veluti per prætaritionem mentionem faciens, & aucti potius, quam imminuti, Regni argumentum præbet, & quæ res illæ sint ex hoc loco colligendum relinquit. Quod autem *Junius* & *Tremellius* atque *Piscator* antecessorem minimum quartum, nulla alia necessitudine Ahabo conjunctum, Bahascham scilicet, absolute posito patris nomine intelligi volunt, id exemplo & ratione carere puto. Bahaschædamno, de quo 1 *Reg.* 15: *vers.* 20. 2 *Chron.* 16: *vers.* 4. stimulatus Homris videtur ad vindicandum; eo conatuum successu, ut non solum amissa aliqua, si non vastaverint modo, sed &, uti probabile est, sua fecerint oppida Israëlitarum Syri, recuperaverit, verum Syris etiam aviti juris urbes extorserit. Sane hæc, quicquid *Osiandro*, & qui ante eum idem senserunt, in mente fuerit, mihi istam sententiam omnino approbant.

§. 3. Neque moveor eo, quod verba sequentia illi, quod aperte ad Benhadadum refertur, connectuntur, nullo alio nominativo addito. Nihil enim frequentius in Sacra Scriptura, quam in ejusmodi conciso loquendi genere alias atque alias personas ex antea nominatis intelligi, ex illorum, quæ ipsis tribuuntur, diversitate discernendas: Quod vel similis gratiæ & honoris per currus communicationem demonstrati narratio 2 *Reg.* 10: 15, 16, 17. confirmat. Restitutionem & cessionem victo magis convenire, si in thesi de jure quæstio sit, nemo dubitet: Verum hic de facto res est ejus, quem juris rationem minime habuisse manifestum est. Frustra etiam Ramothæ Gilhadis objiciuntur, quas, veluti ex pacificationis lege non restitutas à Benhadado, triennio post bello Ahabus repetierit 1 *Reg.* 22: 3. Dubium enim non est, quin vicissim Benhadadus restituere promiserit, quæ Israëlitis erepta etiam nunc tenebant Syri, & in his Ramothas Gilhadis: Verum id memorare abstinuit Sanctus Textus, quod ad scopum ante ostensum nihil faceret; cui ipsi tamen nec officit, quia summæ id ipsum disparitatis erat, Vita, Libertate, Regno, ejusque pleno jure donatum cætera æqualibus conditionibus transigere.

SUBSECTIO II.

Quid nomine חצות Damasci faciendum permittatur.

1. *Sententiæ Interpretum & Commentatorum.* Poli κρίσις *suspecta.* LXX. Versioni *genuina mens vindicatur.* 2. *Quid moverit eos, qui* Plateas *intelligunt.* 3. *Quid eos, qui* Limitanea Regni munimenta. 4 *Neutri audiuntur. Sententia nostra proponitur & probatur* (α) *ex verbis Textus. Palatia struendi & habendi jus inter Regalia.* 5. (β) *Ex* Num. 22: 39. *ubi quid* קרית חצות *contra Interpretes ostenditur.* 6. (γ) *Eadem ratione nominis* Palatium. 7. (δ) *Gemino Metonymiæ in significando* Palatio, Aula, Curia *exemplo in nomine* שער Porta. Porta Ottomannica. *Plura Scripturæ dicta explicata. Jus non in portis urbium dictum, contra* I. T. *Ex una significatione tropica plures in voce* שער. *Unde nostrum* Schaar. 8. *Sententia nostra vindicatur.* 1 Reg. 11: 23, 24, 25. *genuina versio & sensus.* Lutheri *versio emendata.*

§. 1. PRiore loci propositi superata difficultate alteram illa etiam aliquanto majorem accedimus, quam vocis חצות minus obvia significatio potissimum parit. Versionum allatarum plerarumque Auctores *Plateas* vel *Vicos* intelligunt: Quibus Commentatores fere accedunt, in explicanda solum platearum, ab Ahabo, ut ipsi putant, Damasci constituendarum ratione atque usu dissentientes. Quidam enim plateas illas fuisse opinantur fora rerum venalium, ex quibus vectigalia ac tributum ad Ahabum redirent: Ut ex Judæis ררק & רלבג, horumque haud dubie ductu *Vatablus* & *Munsterus*; item *Schindlerus* in *Lex. Pentagl. V.* חוין. Alii jurisdictionem Ahabo tribui putant, & חצות vel tribunal seu forum judiciale significare, ubi Ahabus Jus diceret, tanquam superior Benhadado potestas, uti *Martyr*, vel habitationes Jurisdictioni Ahabi subjectas, uti *Coccejus in Lex. & Comment. Serm. Hebr. & Chald. h. v.* Nonnulli utramque sententiam referunt, dubitantes utram eligant; Posteriore sive ex *Martyris*, uti *Sanctius & Tirinus*, quantum ex *Poli Synopsi* cognoscere licet, sive ex *Cocceji* mente accepta, uti *Diodatus*, eam, uti videtur, ob causam in versione generaliore voce *Piazze*, quam *strade* potius usus, quod ipsum Maresiii imitati. Quod *Vatablus & Diodatus in Notis prioribus* de signo superioritatis addunt, id ex רשי haustum videtur, qui ista, וחצות תשים לך ברמשק ita [illegible] ותהא מושל בה והיא ראש למלכותי *Et dominaberis illi, Metropoli nimirum Regni mei.* A communi vertendi ratione longissime recedunt *Junius & Tremellius*, nomine רמשק Regnum Damascenum, non Urbem, nomine חצות *Limitanea* intelligentes, quæ ipsi in *Notis* interpretantur clausuras sive aditus in Regnum Damascenum: Quæ *Piscatorem in Latina Versione vel Scholiis*, quæ ad manum non sunt, sua facere, ex *Polo* apparet; nam in *Germanica Versione* ejusque *Notis* hactenus a communi sententia nihil abit. Nimirum putant, loca munita, in finibus Regni Damasceni sita, à Benhadado offerri, quæ præsidio militari teneri Ahabo minus dubia in posterum Syrorum fides atque amicitia foret. In eandem sententiam, ipse eam approbans, *Grotius LXX. Interpretum* ἐξόδους accipit, &, si *Poli* κρίσις ferenda, *Menochius* etiam; cum additus & exitus de loco, qui adeuntibus vel exeuntibus transitur, accepti non re, sed ordine solum terminorum, à quo & ad quem transitus fit, differant: Quanquam mihi valde verisimile sit, recte non solum impressum à Typographo, sed & *Menochii* mentem longe aliam fuisse, quam *Polus* opinatur. Nimirum *reditus* ipsi idem, quod *proventus, lucrum, quæstus* ex vectigali, censu & similibus perceptus. Credidisse igitur videtur *Menochius*, *LXX. Interpretes* expressisse Ebraicum vel Chaldaicum מוצא quod cum nativa significatione exitum notet, ad vectigal significandum transfertur; Uti eo usum esse *Jonathanem* ex verbis *Kimchii* apparet: Unde eodem modo interpretati 1 *Reg.* 10: 28. *Junius & Tremellius* non

non dubitant; quanquam, mea ſententia, minus convenienter, quod nunc oſtendere inſtituti ratio non patitur. Quicquid autem ſit; mihi videntur LXX. cum majore Verſionum & Commentatorum parte idem dicere, h. e. nomine חצות plateas ſeu vias intelligere. Ita enim ἔξοδος tum non nullo aliorum Scriptorum, tum non infrequente *LXX. Interpretum* uſu capitur; his nomen חוץ promiſcue nominibus πλατεῖα, ὁδὸς, δίοδος, ἔξοδος vertentibus. Vid. 2 *Sam.* 22: 43. *Jeſ.* 5:25. *c.* 10.6. *Mich.* 7: 10. *Zach.* 9: 3. *c.* 10. 5. coll. *Pſ.* 18: 43. *Jer.* 5: 1. coll. *vſ.* 34. *c.* 14. 16. *c.* 11. 13. *Jerem.* 7: 17. coll. *vſ.* 34. *c.* 14. 16. Neque aliena illorum Locorum parallelorum collatio, quorum aliis רחוב aliis חוץ, ſenſu manifeſte eodem, adhibetur, illudque πλατεῖα, ὁδὸς vel δίοδος, hoc ἔξοδος vertitur: Ut *Thren.* 2: 11, 12. coll. *vſ* 19. 21. *cap.* 4. 5. *cap.* 4. 8. 14. coll. *vſ.* 18. Ex quibus apparet, nativæ quidem vocis חוץ ſignificationis rationem in vertendo LXX. habuiſſe, de Limitaneis autem ipſis in mentem haud veniſſe.

§. 2. Qui *plateas* vertunt, nituntur celebriore vocis ſignificatione, qua nec aliam præſentis loci ſcopo convenientiorem voci חוץ competere putarunt. Sane חוץ *Jeſ.* 24: 11. *c.* 42. 2. *c.* 51. 20. *Jer.* 5: 1. *c.* 6. 11. *c.* 7. 17. 34. *c.* 9. 21. *c.* 11. 6. 13. *c.* 14. 16. *c.* 33: 10. *c.* 44. 6. 9. 17. 21. *c.* 51. 4. *Thren.* 2. 19. 21. *c.* 4. 1. 8. 14. *Ezech.* 7. 15. 19. *c.* 11. 6. *c.* 26. 11. *c.* 28. 23. *Neh.* 2. 4. *c.* 3. 10. *Zeph.* 3: 6. aliiſque locis partim paulo ante citatis plateam aut viam ſignificare manifeſtum, aut valde probabile videtur.

§. 3. Limitanea munimenta ſeu clauſtra, exitus aditusque Regni intelligi putantes, nativa ſignificatione vocis & ſubſtrata materia ac ſcopo loquentis, qualia ipſi putant, ducuntur. Nimirum חוץ adverbialiter ſumtum *extra*, *foris* ſignificat: Et Benhadadum non ſolum damnum reſarcire Ahabo victori, ſed & futuræ pacis ſecurum reddere voluiſſe conſentaneum; quod non commodius, quam per militaria munimentorum limitaneorum præſidia fieri poterat, neque inter Ebræos & Syros inſolitum erat, uti ex 2 *Sam.* 8: 6. apparet.

§. 4. Neutri harum ſententiarum aſſentiri nobis integrum eſt: cum utraque explicatius propoſita, Benhadadi verba iſta eſſe, eumque territoriis & juribus Ahabo cedere ſupponat; quod ante confutavimus. Nobis nativam vocis חצות ſignificationem exquirentibus & cum Textus noſtri probe ponderati ſcopo contendentibus, apparet *Aulam* ſeu *Palatium Regium* hic denotari. Vox חוץ unde pluratívum חצות, deſcendens à חצץ *diviſit* (1.) Generaliter capitur pro *ſpacio* vel *loco vacuo ſeu puro*, cui nihil inædificatum; quia ſpacium dividit ſeu dirimit ea, quæ interjacet: Quo ſenſu בית & חוץ tum Nominaliter tum Adverbialiter uſurpata paſſim opponuntur, quod an *Diodato* in animo fuerit, non ſatis certum; (2.) Specialius 1. pro *agro*. 2. pro *platea*. 3. pro *aula*, h. e. *atrio* ſeu *area ædium ſubdivali*; & hinc (3.) Specialiſſime (α) pro *villa*, einen Meyerhoff/ ut *Pſ.* 144: 13. (β) pro *Aula* ſeu *Palatio* Principis, eadem ratione, qua Latinis *Aula*, Germanis Hoff/ aream ſubdivalem ædificiis cinctam primo ſignificantia ad Palatium ſignificandum transferuntur, niſi quod חוץ plurali numero de ſingulis palatiis dicitur, quod areas ſubdivales plures diſtinguere & concludere Palatia Regum, vaſta præſertim Orientalium, ſoleant. Poſtrema ſignificatio, nemini dum, quod ſciam, uti nec reliquarum una atque altera, agnita, hujus loci eſt. Nimirum idem Benhadadum Damaſci facere permittit Ahabus, quod Pater ſuus Schomrone fecerat. At Pater Ahabi Homris Aulam Regiam Schomrone condidit, ſede Regni Iſraëlitici Thirza, ubi ipſe diviſi à Judaico Iſraëlitici Regni conditor Jarobeamus, Schecemo, prima ſede, ablatam, conſtituerat, translata 1 *Reg.* 16: 22. *ſeqq.* coll. *cap.* 12. 25. *cap.* 14. 17. *cap.* 15. 21. 33. *c.* 16. 6. 8. 9. 15. 17. Porro quod idem Palatii Damaſci conſtituendi & habendi Jus, quale Parens ſuus Samariæ exercuerat, h. e. Optimum maximum, Ahabus Benhadado concedit, id eo pertinere videtur, ut renunciare ſe oſtendat omni juri Regni Damaſceni, non antiquo illi à Davidis & Salomonis usque temporibus petito, cujus ſpeciem præbere poſſit 2 *Reg.* 14: 28. ſi *J. T. Belgarum* & ſ. interpretationem audiamus, quippe quod nec ex illo nec fortaſſis ullo alio loco elicueris, ſed à ſe primum irreparabili Syrorum injuſtiſſime iterum irruentium clade, niſi victoria uti noluiſſet, parto. Nam Palatia ſtruendi & habendi jus inter Regalia ſeu partes Majeſtatis Regiæ eſt. Vid. II. *f.* 56. *Perez. ad l. un. C. de Palat. lib.* 11. *tit.* 76. & *Speidel. Spec. Obſerv. V.* Pfaltz. Unde in ſignum ſupremæ poteſtatis ab Imperatoribus Germanicis in provinciis Palatia condita, à quibus Urbes Palatinæ die Pfaltz-Städte dictæ de quibus vid. *Speid. c. l. hac voce.* Et privatis ſtruentibus tyrannidis affectatæ argumento ducebantur. Vid. *Piccart. Obſervat. Hiſtorico Polit. Dec.* 3. *c.* 1. ubi tamen Piſonis exemplum menti Taciti minus convenienter allatum, & *Dec.* 12. *cap.* 4. *p.* 370. Hoc autem jure tota Majeſtas indicata videtur, quod in oculos illud maxime incurreret, atque ideo Orientales Reges, jam tum ſplendoris atque magnificentiæ ſtudioſiſſimi, eo præcipue Majeſtatem Regiam æſtimarent.

§. 5. Significatio vocis חצות loco noſtro §. *præc.* vindicata plurium locorum uſu confirmari videtur: Ex quibus maxime illuſtris eſt *Num.* 23: 2. ſecundum diſtinctionem Ebræorum, *cap.* 22: 39. ſecundum *Vulgatam* & alias Verſiones. Dicuntur ibi Balakus & Bilhamus veniſſe קרית חצות quod alii vertunt *Urbem Platearum*, alii *Urbem quæ extra eſt*, quidam *Urbem limitaneam*, *LXX. Interpretes* loco huic peculiare quid tribuentes πόλιν ἐπαύλεων *Urbem villarum* h. eſt. Suburbium, nonnulli nomen proprium faciunt Kirjathhuzothas. Primum quem ſenſum habeat, nemo facile dixerit: Cum urbis cujuſvis ſit, plateas habere. Alterum præterea uſui vocis חצות repugnat, quippe quæ nunquam, quod ſciam, ea, plurali ſcilicet, terminatione pro *Extra* capitur. Tertium ſuadere videtur, quod cit. cap. 22: 36. Balakus obviam Bilhamo proceſſiſſe dicitur ad urbem Moabitarum, quæ in termino Arnonis, qui in extremitate ipſius termini. Verum, collato *verſ.* 36. & 39. cum intercedentibus & ſequentibus, apparet, non negotii, cui Bilhamus accerſitus erat, ſed honoris cauſa ad urbem in extremis finibus Regni ſui ſitam Balakum acceſſiſſe, ut ſcilicet hoſpitis, in quo omnes ſuas fortunas ſitas putabat, uti cit. *cap.* 22: 6. inprimis oſtendit, animum, eidem quam longiſſime occurrendo & ad Regiam eum deducendo ibique magnifice excipiendo, demulceret. Conf. *ib. vſ.* 40. Præterea, ut alia ſileam, terminus Moabitarum extremus Meſopotamiam, unde Bilhamus accerſitus, ſpectans à loco caſtrorum Iſraëliticorum multo remotior fuit, quam ut inde hæc conſpici potuerint; uti factum refertur *c. l. v.* 41. Conf. *cap.* 23: 9. *cap.* 24: 2. Quartum exemplo & ratione caret. Quanquam enim חוץ villam notare ſupra oſtendimus, allato loco, ubi *LXX.* non ἐπαύλεις, ſed alieniſſimo ſenſu ἔξοδυς habent: Nuſquam tamen ſuburbium קרית חצות vocari, ſed tritiſſimo nomine בת קריה vel בת nomini proprio urbis addito, intelligi videtur. Quintum non alia ratione placuiſſe puto, quam quia cætera omnia minus placerent. Igitur קרית חצות *c. l.* nihil aliud, quam *Urbs Regia ſedis* ſeu *Aula*, die Reſidentz-Stadt.

§. 6. Rationem nominis חוץ vel חצות ſupra allatam non parum confirmat eandem prorſus agnoſcens Latinorum *Palatium*. Nam quod à Palatino, ſcilicet monte, Palatium dici putatur, non magis rationi conſentaneum, quam quod Roma à Romulo dici creditur, de quo alibi: Cum utrinque invertendus ordo ſit. *Palatinus* enim denominativum eſſe à Palatii nomine ortum, cuilibet Linguæ Latinæ naturam non ignoranti judicare in proclivi eſt. Neque meliores cæteræ originationes à *Voſſio in Etymol. h. v.* & *Perez. ad. l. un. C. de Palatiis* & *Dom. Domin. t.* 76. *l.* 11. allatæ; quas ſingulas expendere nunc nec vacat nec opus eſt. Statuendum potius, uti חוץ dictum quaſi dividens à חצץ *diviſit*, ſic *Palatium* dictum à פלח vel פלט, cujus eadem ſignificatio eſt.

§. 7. Quod ab inſigni ſpatio, vel eorum pluribus concluſis ædes Regiæ nomen ſortitæ, ei non abſimile, quod nomen שער, proprie *Portam* notans, metonymice item *Palatium*, *Aulam*, *Curiam*, tanquam eximia porta inſignem, crebrius ſignificat quam vulgo agnoſcitur. Quem denominandæ aulæ modum Orientalibus Populis uſitatiſſimum eſſe, Turcarum, quorum *Ottomannica Porta* etiamnum celebratiſſima eſt, & veterum Perſarum, de quo *Xenophon* teſtatur, citante *Lazaro Soranzio Ottom. Part.* 2. *ſect.* 50. *p. m.* 65. exempla demonſtrant. Idque ad multa Scripturæ dicta, vulgo minus recte verſa aut intellecta, illuſtranda egregium præbet uſum. *Sic Geneſ.* 28: 17. Jahacobus *Domum Dei* & *Portam*, h. e. Aulam ſeu Palatium, *Cœli* ἐξεργαστικῶς conjungit: Et David *Pſalm.* 69: 13. item κατ' ἐξεργασίαν, *habitantes Portam*, h. e. aulam, & *bibentes potum inebriantem*, quod aulicorum eſt. *Geneſ.* 34: 20. *Curia* vel *Comitium* intelligitur. Idem judicandum de *cap.* 23: 10. *Deut.* 17: 5, 8. *c.* 22: 15, 24. *cap.* 25: 7. *Ruth.* 4: 1, 11. 1 *Sam.* 9: 18. 2 *Chron.* 32: 6. *Nehem.* 3: 31. *Job.* 5: 4. *cap.* 29: 7. & 31: 21. *Pſalm.* 127: 5. *Prov.* 1: 21. *cap.* 22: 22. 24: 7. & 31: 23, 31. *Eſa.* 29: 21. *Thren.* 5: 14. *Amos* 5: 10, 12, 15. *Zach.* 8: 16. Quod *Junius* & *Tremellius* ad *Gen.* 22: 17. *n.* 19. שער *potentiam* & *Imperium* inter-

interpretantur, id à ratione non abhorrere mox constabit: At quod inde id derivant, quia munitiones & propugnacula in portis, urbium scilicet, collocari solita fuerint & ibidem Jus à Magistratibus dictum, probandum non est. Sane arces & aulas Regias, ad opportunitatem tum oppidanorum tum hostium externorum coërcendorum, jam tunc ita, uti nunc, structas, ut scilicet per earum portas intrari in urbes atque iis exiri posset, & sic arces seu aulæ quasi in portis urbium essent, apparet ex 1 *Reg.* 14: 12, 17. ubi idem momentum pedis in urbe & in limine domus Regiæ seu arcis positi. Conf. 2 *Sam.* 15: 2. *cap.* 18. 4, 24, 33. 1 *Reg.* 22: 10. 2 *Reg.* 7: 1, 3. 10, 11, 17, 18, 20. *cap.* 9: 31. *cap.* 10: 8. *Esther.* 2: 19: 21. *c.* 3: 2, 3. *c.* 4: 2, 6. *c.* 5: 9, 13. *c.* 6: 10, 12. *&c.* At nec de his, sed de singularum portarum propugnaculis *Junius & Tremellius* sentire videntur, & non in portis urbium, sed in harum medio, uti item nunc fere, curias & tribunalia fuisse ex 1 *Sam.* 9: 14, 18. manifestum est. Conf. *Nehem.* 3: 31. Verius igitur, à portis eximiis tum Civitatum Curiis tum Aulis Principum portæ nomen Ebræum inditum, uti modo ostensum; quoniam vero in Monarchiis Aulæ, in Liberis Civitatibus Curiæ Imperii seu Potestatis atque Potentiæ sedes sunt, ideo idem nomen porro ad potestatem & potentiam ipsosque ea præditos significandos esse translatum. Exempla ejus significationis sunt *Judic.* 5: 8, 11. coll. *vers.* 13. ubi ter positum אז repetitionem ejusdem sententiæ notat, comparationis scilicet potentum cum inermibus & imbellibus, Dei tamen auxilio victoribus; qui sensus fere in solo *vers.* 13. quanquam nec hic ab omnibus, agnoscitur. Item *Jer.* 15: 7. ubi בשערי הארץ ἐξεργαστικῶς jungitur τῷ במזרה, & sensus est, omnes Reges & Populos concitatum iri in Judæos, eosque dispersuros. Conf. *vers.* 4. Simili modo שערי מות portæ mortis, & שערי צלמות *portæ umbræ mortis.* *Job.* 38: 17. *Psalm.* 9: 14. *&* 107: 18. accipiendæ. Conf. *Psalm.* 18: 5, 6. *&* 116: 3. *Jes.* 38. *vers.* 10. Sane de istis expressæ πύλαι ᾅδου *Matth.* 16: 18. potentiam manifeste notant; cum adversus insultus illarum Ecclesiæ, ne superetur, validissimo monimento opus esse Salvator doceat: Et Apostolus שערי מות τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου τουτέστι τὸν διάβολον, שערי צלמות ἐξουσίαν τοῦ σκότους vertere videtur *Ebr.* 2: 14. *Coloss.* 1: 13. Tum passim *Potentum, Principum, Principatuum* & similibus nominibus idem in N. T. designari constat. Porro quia Curia locus, in quo conventus civium agitantur, hinc שער pro ipsa concione vel cœtu populi capitur. Hujus exempla exstantiora sunt: *Ruth.* 3: 11. *cap.* 4: 10. Nimirum ibi vertendum: *Novit enim tota concio populi mei:* Hic; *Ne tollatur nomen mortui ex fratribus ejus & ex concione loci ejus.* Eodem pertinere videtur *Exod.* 20: 10. *Deuter.* 5: 14. *cap.* 12: 12, 15, 16, 17, 18, 21. *cap.* 14: 21, 27, 28, 29. *cap.* 15: 22. *cap.* 16: 5, 14, 18. *cap.* 17: 2. *cap.* 18: 6. *c.* 23: 15. *c.* 24: 14. *c.* 26: 12. *c.* 28: 52, 55. *c.* 32: 12. *Job.* 5: 4. *Psalm.* 90: 15. 122: 2. 137: 5. *Jes.* 14: 31. *cap.* 16: 18. Atque hinc nostrum **Schaar** pro cœtu vel cohorte: Unde **Schaarwacht** *cœtus vel cohors vigilum*, & **Schaarwächter** *vigiles de grege seu cohorte*, Belgarum item **Vierschaar** *judicium*, sic dictum, quod sit cœtus seu consessus quatuor virorum, Prætoris & trium Senatorum, qui secundum *Leges Saxon. Magdeb. Part.* 1. *c.* 2. *dist.* 1. ad judicium requiruntur.

§. 8. Sic stabilitæ sententiæ nostræ maxime repugnare videtur, quod 1 *Reg.* 11: 24. Salomonis, imo Davidis temporibus jam Regem Damasci habitasse dici videtur, & manifestius idem affirmatur de temporibus Asæ 1 *Reg.* 15: 18. Nimirum si tanto ante Achabi tempora intervallo Reges fuerint Damasci: Aulam etiam ibidem Regiam fuisse, consequens esse videtur, eoque non à Benhadado, demum Ahabo permittente struendam. Verum neque hæc, nunquam valde speciosa, à sententia nos dimovent. Davidis utique aut Salomonis tempore Damasci Regem habitasse, παρερμηνείαν quorundam, non Originalem Textum c. l. affirmare, verisimillimum. Genuinam 1 *Reg.* 11: 23, 24, 25. Versionem hanc esse puto: *Excitavit item Deus illi adversarium Resonem filium Eljadahi, qui fugerat ab Hadadesero Rege Zobæ, Domino suo, congregatisque ad se viris factus fuerat Præfectus turmæ, cum David illos cæderet; & concesserant in Damascenam, ibique considentes pro Rege gesserant in Damascena. Adversarius autem fuit Israëli omnibus diebus Salomonis, idque propter malum Hadadi: Nam spernens Israëlem Regem se constituit.* Sensus est: Cum David Syros Zobæos cæderet, Resonem cum pluribus sibi associatis ad Davidem transfugisse, eaque re meruisse, ut tribunus militum creatus præsidiariis Damascenæ paulo post subactæ præficeretur, eamque cum cæteris transfugis itidem pro re nata honoratis pro Rege gubernaret; tempore autem Salomonis defecisse, usurpata Regia potestate, animatum successu conatuum Hadadi, Salomoni Edomæam à Patre item Davide debellatam eripientis, & sic Salomonis tum potentiam minuentis, tum imbelliam detegentis, suoque exemplo ostendentis, impune ipsum contemni posse. Nulla igitur ex hoc loco aula urbis Damasci exstruitur; ne quidem si conferas 2 *Sam.* 8: 6. & 1 *Chron.* 18: 6. Ibi enim non dicitur, Davidem præsidium imposuisse Damasco Syriæ Urbi, **gen Damascon in Syrien /** uti vertit Lutherus; Sed Syriæ Damascenæ בארם דמשק. Neque alium sensum esse 1 *Reg.* 15: 18. verisimile est. Nam quod Asa misisse dicitur ad Benhadadum מלך ארם הישב בדמשק id reddendum videtur, *Regem Syrorum habitantium Damascenam.* Nimirum conditorum gentis nomina & gentem & regionem denotare constat; idque de nomine ארם ex modo citatis locis 2 *Sam.* 8: 5, 6. 1 *Chron.* 18: 5, 6. manifestum est. Præterea fac Reges jam tum Damasci habitasse: ne sic quidem sententiæ nostræ periculi quicquam creabitur. Nam non struere tantum, sed vel maxime habitare proprio Jure Palatia Regiæ Majestatis pars est: Nec is tantum Princeps aulam alicubi constituere dicitur, qui sibi Palatium ibi condit, sed & qui sedem in eo, licet ab alio structo, perpetuam figit; quanquam hic ejus, quod pater Ahabi Schomrone fecerat, comparatio priorem sensum probabiliorem efficiat.

FRID. STROTTMANNI
ACHAB APPETENS VINEAM NABOTHI ad 1 Reg. XXI.

בשג:



Quandoquidem Achabum Nabothi vineam desiderantem vivis coloribus quasi exprimere animus est, omnium optime nos acturos putamus, siquidem & serum seriem advertamus, neque tamen nominum vim penitus insuper habeamus. Cum *duæ sint veritate species nomina & res* (α). Sed vero peritior hanc in rem Interpres nullus est, quam Spiritus ille Veritatis, omnis sapientiæ auctor & origo, ita vero is hanc rem nobis tradi curavit: ויהי אחר הדברים האלה כרם היה לנבות היזרעאלי אשר ביזרעאל אצל היכל אחאב מלך שמרון: Quæ Tremellius Latino sermone ita efferre voluit: *Fuit autem his rebus gestis, cum vinea Nabotho Jisrehelitæ, agenti Jisrehele esset, juxta palatium regis Achabi Schromronis.*

§. 1. Rex iste, cujus nefariam animi libidinem hic descriptam damus, Achabi nomine insignitur; אחאב Hebræi legunt, quasi ex אח & אב si Crellio (β) habenda fides, *Patris frater erat.* Qua vero ratione hoc nomine gaudeat, sive quod sceleribus tam promtus adesset ac frater, id nostrum non est hoc loco inquirere, ipse videat Crellius.

§. 2. Nos hic in id potius intenti sumus, quod Spiritus S. scire nos voluit, cum Achabum *Samariæ regem* dixit. *Scilicet hic jura pudorque & sacrata fides fugiunt aulas* (γ). *Rex erat Samariæ & quidem ordine septimus, ab eo tempore, quo Judæorum imperium in duas diversasque partes abiit, anno M.* 3025. si Marshami non fallit conjectura (δ). Primus scil. Jeroboamus dignus tam egregio successore sceleratus princeps, annos 22. imperans, mortuusque primo initioque anni secundi Asæ, sibi juxta & universo Israëli justum exitium acceleravit. Cum enim justo Dei judicio decem tribus hunc sibi regem deligerent, is ex ratione politica, ne subditos suos Hierosolymis sacra facientes, Rehabeami favor occuparet, novum cultus genus instituebat. Aureos nimirum vitulos in Dane atque Beth-Ele collocaverat adorandos, prava quadam consuetudine Ægyptios forsan imitatus, queis cum plures egerat annos. *Hac omnino ratione decipiuntur illi, qui ex utilitate quadam & ratione (ut vocant) status vel solius socialitatis fundamento veræ religionis decreta immutare audent* (ε). Frustra esse Jac. Gaffarellum patet ex his (ζ) quum Jeroboamum defendit, *quasi idem cultus & Hierosolymis obtinuisset, adeoque Schismatis tamen Rex suo institutu reus fuisset.* Riserunt enim socium suum, ipsi etiam Sorbonici, damnantes librum istum tanquam Atheismi suspectum (η), quem ex nostris quoque castigavit Excellentiss. Dn. Greg. Michaëlis (θ). *Jeroboamum excepit Nadab in obsidione Gabathon à Baasa insidiis sublatus, secutus hunc Ela filius Baasæ Rex duorum annorum, Thersæ in regia sua à Zambri servo neci datus, qui paulo post de se ipso sumturus ultionem, quum arctissima premeretur obsidione, hostis crudelitatem antevertit, ac flammis quod admiserat, parricidium expiavit* (ι). Proximus huic Amri, montem urbi conjunxit imposito ipsi Domini nomine, ut à Semer Samaria diceretur.

(α) *Clemens Alexandr. l. 6. Strom.* (β) *In Concordant. Bibl. fol.* 113. (γ) *Senec. in Agamemn. v.* 80. (δ) *Eques auratus erat Anglus in Can. Chronic. ad sec. XV. f. m.* 384. *Edit. Lond. Vid. & Crellius l. cit.* (ε) *V. Magnif. Dn. D. Bebelium Argent. de Princip. offic. Christ. Natural. & revel. p. m.* 117. *Excellentissimum Zentgraff. de O. V. & Imm. R. I. N. Art. V.* §. 11. *p.* 129, 130. *seqq.* (ζ) *In Curiositatibus inauditis p. m.* 29. (η) *V. Voet. P.* 1. *Disp. Select. p. m.* 1158. *& p.* 152. (θ) *In notis ad Gaffarellum p. m.* 76. *seqq.* (ι) *V. Gasp. Sanctius ad 3 Reg.* 16. *f.* 1215.

§. 3. Non vero hic nos morantur variæ Eruditorum sententiæ, Francisci Vatabli (κ) existimantis *hanc urbem jam ante conditam, propugnaculis tantum novis ab Amri munitam fuisse.* Confer Opus Criticum Anglican. l. c. aut Gasp. Sanct. (λ) cujus contraria opinio est, *per* πρόληψιν *scriptoribus familiarem nomen Samariæ datum urbi, quod longo demum post tempore nacta est.* Nobis hac in re liberum est committere invicem fratres Cadmæos, Corn. à Lapide puto (μ) *qui urbem totam extructam ab Amri contendit, & per anticipationem vocari Samariam, si quidem hoc nomine dicta sit, quum auctor libri in litteras hanc historiam referret.* Id certum est communi nomine urbem pariter ac regionem venisse.

§. 4. Magis in rem nostram esse videtur, hanc Achabi regiam paulo penitius intueri, malo autem Fungeri (ν) quam meis verbis eam describere. *Samaria*, inquit ille, *pulcherrimo & uberrimo Palestinæ loco sita, ut tradit Hieronymus, quanquam nec Judææ nec Galilææ conferenda magnitudine. Juxta Joseph. l. 3. B. I. incipiens à vico Genaniæ & usque ad Atrabitenam Toparchiam sese effundens, ab urbe nominis ejusdem, quam Rex Amri condidit, diei fere itinere distantem ab Hierosolymis. Meminit autem ibidem etiam loci Jes. cap. 7. unde eos errare constare possit, quorum animis sedet opinio, nomen accepisse Samariam post exilium Israëlis, cum sc. (ex mente Eusebii milites urbis præsidiarii à Salmanazare missi, ut urbes ipsi subjectas communirent, quasi inde sibi & urbinomen acquisiverint; ut dicerentur Samaritæ atque Samaria ab Hebræa radice* שמר *custodivit.*

§. 5. Cum vero paulo ante dixerimus distantiam Samariæ ab Hierosolymis unius diei ex Fungero, placet jam interjectum spatium pluribus enarrare verbis Jo. Raidoldi (ξ) *qui cum quæsivisset, quam longe distat Hierosolymis? respondet Brocardus Monachus, qui totam regionem Judææ peregrinando emensus est, in libro quem edidit de Descriptione terræ sanctæ, & capite ubi de Jerusalem agitur; distat, inquit Hierosolymis Samaria* 16. *Leucis. Quid vero Leuca? Petrus Appianus in sua Cosmographia P.* 1. *c.* 2. *Græcos dicit mensurare terrestre spatium per stadia, Latinos per milliaria, recentiores Gallos & Hispanos per Leucas, & secundum alios, inquit, respondent stadia* 480. *uni gradui æquinoctialis, quam longitudinem* 60. *Italica milliaria, Germanica* 15. *mensurant. Galli uni gradui* 25. *Leucas tribuunt, Hispani* 18. *Hispani ergo* 18. *Leucis* 60. *milliaria Italica complectuntur. Leucas Gallicas an Hispanicas intellexerit Brocardus, non satis liquet, verisimilius est intellexisse Gallicas, quibus* 16. *continentur millia passuum* 40. *vel aliquanto minus. Samaria igitur Hierosolymis abest, quantum Wintonia ab urbe Oxonia. Quæque pars Samariæ distabat quam proxime ab urbe Hierosol. dimidio minus distabat, quod colligere licet ex Brocardo, qui dicit, Sichem ab Hierosolymis distare* 8. *Leucis. Fuit autem Sichem ea urbs, quæ recentioribus Neapolis dicitur (ut manifestum est ex Hieronymo in Os. VI. quod, ait, per Sichem, quæ hodie Neapolis dicitur, eundum erat Hierosolymam. Atque adeo si conferamus hæc Brocardi cum Ptolomæi tabulis, idem fere utrobique spatium reperiemus. Oportuit ergo eam Samariæ partem esse provinciam, quæ proxime abfuit ab urbe Hierosolyma, viginti millibus passuum abesse sine dubio* 12. *milliaria.*

§. 6. Hæc

(κ) *Ad h. l. in Opere Crit. Anglic. f.* 1117. (λ) *Ad h. l. f.* 1111. (μ) *Ad h. l. p.* 184. (ν) *Fungerus Lexic. Etymol. p.* 991. (ξ) *Joh. Rainoldus Anglus Academiæ Oxoniensis Professor Theologus in Censura librorum Apocryphorum P.* I. *Prælect.* 21. *p.* 266. *seqq.*

§. 6. Hæc vero urbs ob immania scelera, quibus Vindicem Numinis iram in se concitaverat, *excidio* (ο) *postmodum pœnas luit*, ea vero ætate quæ secuta est, *Sebastes* licet nomine resurrexit. *In Samaritide* enim (*Herodes in honorem Augusti*) *urbem nobilissimo muro muniens stadiorum viginti, & deducens illuc 6. millia colonorum, terramque pinguem iis distribuens, atque in media urbe fanum Cæsari magnum ædificans, lucumque circa trium Hemistadiorum disponens* τὸ ἄστυ Σεβαστὴν ἐκάλεσεν, *urbem vocavit Sebasten.* Sic ex Josepho Lightfoothus. (π) Additque testimonium Benjamini in itinerario שבשת ה״א שמרון *Sebaste est eadem quæ Samaria*; atque hac in urbe palatium regium Achabi erat. Confundit ergo Pererius (ρ) *Sebasten & Sichem, quas unam urbem credit*: quum Brocardus (σ) scribat, Sichem nunc Neapolis dictam à Solymis 8. Leucis, 16. vero Sebasten distare, quod latere Pererium non poterat, quod *Sichemum* 4. *l.* 5. *horarum distantem itinere locum vocat.* Quin & Benjaminus αὐτόπτης (τ) ומשם שני פרסאות לנבילש ה״א שכם: *à Sebaste*, inquit, *duabus Parasangis distat Neapolis, olim Sichem dicta, intra montes Ephraim condita.* Sedes hæc ergo Achabi regia erat, ex Antecessorum consuetudine, quorum impietatem mira non solum similitudine exscripserat, quin immo superarat.

§. 7. Docent id placita Rabbinorum, *Achab*, inquiunt, *amicus erat Chielis: venit ipse & Elias, ut salutarent vel consolarentur eum in Domo* שמיא *immundi id est luctus: sedit & dixit: Forte quia execratus est Josua ita execrando Jos. 6: 26.* (*isti mihi mortui sunt, quia*) *non est in Jericho nomine urbis alterius iterum ædificanda, neque etiam alia urbs nomine Jerichuntes; dixit ei Elias: omnino ita est. Regessit ei Achab: nunc maledictio Mosis non est impleta: quia scribitur Deut. 2: 16, 17. nam iste vir* (*ego Achab*) *statuit* (*statui*) *idola super uno quoque sulco; & tamen tam copiosa descendit pluvia, ut madefactis inde humore imbrium viis & glebis non sinat eum abire ad colendum ibi idola. Quare* (*his verbis blaspheme & sarcastice dictis*) *statim factum est, quod in* 1 *Reg.* 17. *& dixit Elias. Et alibi damnant eum plane: Expertes sunt seculi futuri reges, & quatuor idiotæ. Tres reges ut* (1) *Jeroboam.* (2) *Achab &* (3) *Manasse. R. Juda tamen dixit; Manassem participem futurum seculi, quia dicitur* 2 *Chron.* 33: 13. *& oravit ad illum & audivit precationem ejus, & reduxit eum Hierosolymam in regnum ipsius. Cui regesserunt Rabbini: dici hic tamen quod in regnum ipsius reduxerit eum, non autem quod reduxerit eum in vitam futuri seculi. IV. Idiotæ ut* (1) *Bileam* (2) *Doeg.* (3) *Abitophel.* (4) *Gehasi. Atrocissimum vero ejus peccatum ita depingunt.* הנקל *An leve erat ire eum in peccato Jeroboami filii Nebath. Dixit R. Johannes* קלות *levissima, quæ perpetravit Achab, fuerunt ut gravissima, quæ perpetraverat Jeroboam. Quare autem suspendit Scriptura à Jeroboamo hic? ideo quia ipse fuerat initium summæ ejusmodi levitatis & corruptionis Hos.* 12: 12. *etiam altaria ipsorum, ut tumuli super sulcis agri. Dixit R. Johannes; nullum plane sulcum fuisse in terra Israëlitica, super quo non statuerit idolum Achab & adoraverit illud. Unde autem probatur eum non venire in futurum seculum? quia scribitur* 1 *Reg.* 21: 21. *& exscindam Achabo* מַשְׁתִּין *mingentem ad parietem* בקיר *& conclusum & desertum in Israële.* Quibus quod rem ipsam spectat consentit Scriptura Sacra 1 Reg. 16: 30. ipsum etiam Achabum præ reliquis omnibus scelerum immanitate celebrem pronuntians, quod eleganter exposuit Rainoldus: (υ) *Achab*, scribens, *peccavit multo gravius ad accendendam indignationem Jehovæ Dei Israëlis, quoniam erexit templum Baali; quam peccavit Jeroboam, qui erexit vitulos. Quæ causa discriminis? manifesta hæc, de qua agimus. Nam Israëlitæ prius quidem colebant verum Deum, sed secus ac oportuit, in imagine & idolo: Achab autem colebat falsum Deum. Hoc autem est peccatum multo gravius.* Quemadmodum enim bonum ex integra caussa est, malum vero ex quovis defectu; ita quoque cultum Dei fœdat modus indecens, quique à Deo vel prohibitus, vel non præceptus est, tanto magis vero error in religione detestandus, qui & in objecto deviat; quanto magis vitium illud culpandum est, quod in præcipuo fonte actionis suæ veneno infectum est, tale vero illud, cujus objectum malum, unde & actus naturaliter malus nascitur. (φ)

§. 8. Mitioribus paulo verbis Thomas (χ) idem expressisse videtur hunc in modum: *Divinus cultus potest exhiberi DEO vero, vel eo cui debetur, i. e. vero Deo, more tamen indebito, & hæc est una species superstitionis, altera, qua Deus quidem colitur verus, sed modo indebito, quem ipse condemnavit; altera, qua divinus honor defertur creaturæ, itaque falsus Deus colitur. Prior species est species peccati levioris, quoniam id quidem habent, quod verum Deum colant, peccant in modo: altera species est species peccati gravioris, quoniam colunt non Deum, sed creaturam, tanquam Deum.* His contaminatus sceleribus Achab, ne sicca morte ad inferos Tyrannus descenderet, Prophetas quoque persecutus est, & abominatus omnes, quos pessimorum facinorum osores cognovisset. Ea namque agebatur rabie, ut scripturæ stylo ad malum venditus, vel penitus pravis cupiditatibus & diabolo permissus esse videretur. Quæ flagitia justo Dei judicio deinceps secuta *trium annorum siccitas* (ψ) misere Israëliticam terram afflixit.

§. 9. Non equidem inficias ivero, Achabum ad hæc scelera potentissimo suo regno ejusque viribus inductum fuisse. Scil. Atreus iste (ω) ubicunque tantum honesta licent, precario regnari putabat. Rex iste Achabus iis pollebat viribus, ut, si Talmudicis Doctoribus (α) fides habenda, imperium ejus instar ingentium navigiorum excesserit modum, nec regi facile potuerit. *Tres* inquiunt, *regnarunt in convexitate* (*Gl. sub toto firmamenti concavo s. orbis circumferentia*) *I. Achab. II. Ahasverus. III. Nebucadnezar. Achab, quia scribitur* (a) חי יהוה אלהיך אם־יש־גוי וממלכה אשר לא־שלח ארני שם לבקשך: *Ita vivit Dominus Deus tuus, si est gens & regnum, quorsum non miserit Dominus meus ad quærendum te. Si autem non regnasset super ipsos, quomodo potuisset adjurare eos?* (2) *Nebucadnezar, quia scribitur* (b) ועבדו אתו כל־הגוים *&c. & erit gens & regnum quod non dabit cervicem suam sub jugum regis Babyloniæ.* (3) *Ahasverus, ut legitur.* (c) Dubium vero nullum est, quin hæc Rabbinorum commenta ultra terminos regnum Achabi protulerint, cum Davidi atque Salomoni, Ammonitæ, Moabitæ, Jebussæi, denique & Syri parerent, ipsiusque imperium sesquicentum milliaria Euphratem usque porrigeretur. Eousque vero non patebat Achabi regnum, qui ne quidem omnium tribuum rex esset. Itaque si his Talmudicorum assertis aliquid tribuere velis, dicere posses, ipsum ad plurima regna misisse, eosque juramento adegisse, ut vel Eliam non vivum certo confirmarent, vel ejus adventum sibi significarent, non quod eum agnoscerent Dominum suum, sed quod fœdere juncti, unius hominis (& suo judicio) rebellantis caussa bello implicari nollent, quæ conjectura quoque Gasp. Sanctii est (d) ex Nicolao Lyrano (e) sic enim ille: *Non poterat majori studio requiri, quam à rege quæsitus Elias, cum omnes regni sinus & latebras perscrutatus fuerit, & cum à nemine prorsus inventus esset, adjuraret omnes, ut interposita jurisjurandi religione constaret certius, nullibi gentium reperiri, & nequicquam ab ullo posthac esse quærendum*: *aut jure jurando adegit, ut quicunque invenerit Eliam, illum comprehenderet & ad se deduceret. Quod etiam finitima regna promisisse videntur; cum quia aliquibus cum Achab intercedebant usus & officia, tum etiam, quia timebant, ne sibi aliquid mali contingeret ex vicino malo*, ita Lyra & Abulensis (f) Quam verum illud autem sit, quod de Nabuchodonosoris regno fabulantur Judæi, ejusque superbia, & immissa divinitus pœna, nos hic solliciti haudquaquam sumus; exposuere illud Thummius (g) Pererius (h) Magnif. Dn. D. Geierus, (i) in quem rectius illud (k) de Coccejo effatum quadrat; *intellexisse eum solum litteras sacras*, referente Spanhemio.

Rrr 3 § 10. Quam-

(ο) *V. Amos.* 3: 12. *Mich.* 1: 6. (π) *Joseph. de Excid. l.* 1. *c.* 16. *Lightfootus in Acta p. m.* 87. (ρ) *in Gen. p. m.* 462. *n.* 59. *&* 16. *it.* 997. *& in Joh. p. m.* 71. (σ) *de Divis. terræ S. Paral.* 1. *c.* 7. *n.* 16. *&* 17. (τ) *in Itin. p. m.* 38. (υ) *Cens. Libb. Apocryph. p.* 2. *p.* 1288.

(φ) *V. laudatus Zentgraff. de O. V. I. N. I. R. art.* 8. *p.* 258. §. 26. *seqq. &* §. 55. *p.* 288. (χ) *Aquinas art.* 2. *quæst.* 92. *art.* 3. (ψ) *contra Joseph. qui ex Menandro uno anno tantum durasse putat, confer de cetero Serarium ad Lib.* 3. *Reg.* 15. *&* 20. *fol.* 267. (ω) *Senec. in Thyest. Act.* 2: *vs.* 215. (α) *in Tr. Megilla f.* 11. 1. (a) 1 *Reg.* 18: 10. (b) *Jer.* 27: 7. (c) *Esth.* 1. 1. (d) *Comment. h. l. p. m.* 1247. (e) *à Lyra vico Normanniæ sic dicto, qui gente Judæus, Christianus factus Francisci se addixit ordini.* (f) *quæst.* 9. (g) *Doctiss. Prof. Tubing. in Tr. de Sagarum impietate p. m.* 46. (h) *in Comment. in Daniel. decennali cura elaborato p. m.* 80. (i) *Geier. in Dan. pag. m.* 370. *seqq.* (k) *In Epistola ad Amic. pag.* 114.

§. 10. Quamvis autem vana virium fiducia tumentem Achabum humanam etiam naturam dedidicisse certum sit, pessimæ tamen uxoris corruptissimi mores non parum hanc Regis rabiem juverunt. Isabel illa erat, nomine sat congruo sibi dicta, si, *ululam habitationis* notat: non adeo vero apposite, si, *ubi stercus?* interpreteris, cum ipsa vitiorum & scelerum cœno penitus immersa, spiritualiter hæreret eodem luto. *Insula habitaculi*, aliis exponitur, aliis, *ubi habitaculum?* quærit Isabelis nomen. Alia quoque est aliorum sententia, qui ex Hebræa juxta ac Syriaca voce compositum volunt. Alii *de stercore* postrema ejus, sat quidem horrenda, justa tamen fata accipi putant. Hebræa pariter & Syra voce constare, non absonum saltem videtur, præsertim si recentiorum Græcorum mores ex iis gentibus derivare licitum est; (l) attamen illud vix nobis probatur, Tyrios vel etiam Israelitas nomine tam putido & fœdo reginam suam appellasse, neque eam concessuram fuisse putamus, quæ alias sui quidem impotens, populorum tamen Domina existebat. Jam id ne dubitans quidem affirmare audeo, quocunque nomine veniat hæc regina, eam hac sola re felicem fuisse, quod vox nulla reperta sit, quæ digne mores ejus fœdissimos explicaret. Siquidem ea, *Ethnica, Tyriorum Regis Ethbaalis filia erat* (m) iisdem initiata & innutrita jam sacris (profanas superstitiones rectius dixeris) quas ab idololatris gentis suæ sacerdotibus edocta erat. Hunc vero perversum idolorum cultum flamma & igne propagandum credidit, utpote cui non satis scelerata videbatur religio, nisi & crudelitate, sævitiaque contaminata esset. Hinc in eos quam maxime sæviebat, qui Jovæ summi dictis audientes ridebant vanum idolorum cultum, quique ad pietatem & veri Numinis sacra impiorum hortarentur cœtum. Hæc exsecrabatur Eliam, seipsam diris devovens, ni ipsum caput (heu feminæ nefas!) cervicibus pii Prophetæ avelleret: hujus iram & odium fugiebant omnes, latebras pii requirebant, cum scelus haberetur innocentem esse. (n) Hæc vero tanto majore audacia agebatur, quanto magis aulici, qui non regem, sed reginam colebant, quosque aulæ fulgor convocaverat, promtiores se hujus vesaniæ ministros præbebant.

§. 11. Nec vero contenta sorte sua his sceleribus acquievit; parum enim erat, quin pro rege se gereret & Domino, quæ Regis uxor imperio mariti subjecta, & colum non ferrum, aut regni negotia tractare debebat. Hoc ipso enim jam tum aperte satis docuerat, quam parum revereretur Numinis edictum (o) Virum feminæ caput esse, ipsiusque Dominum. Nec obstat, quod blanditiis regis animum fascinaverit (p) tanto enim magis detestanda est hæc feminæ libido, quanto magis socordia & crudelitate regis ad scelera sua abutebatur. Scil. & Thais male audit, quod Alexandrum ebrium, ad exurendam Persepolin induxerat, quo Alexander & Orientis nobilissimam urbem, & suam celeberrimam famam exiguo tempore una perderet. Non male hinc Corn. à Lapide: (q) *Impio marito Jesabel fuit impientior, avaro avarior, crudeli crudelior, rapace rapacior, cupido cupidior.* Unde & S. Ambrosius docet (r) *Jesabel esse typum avaritiæ, quæ divitibus promittat contra justitiam possessionem, quam desiderant. Ipsa enim Achab & Israeli fuit incentrix Idololatriæ, & malorum omnium, quasi furia quadam inferni.* Sic & (s) traditione accepimus, *quod Jesabel quotidie impenderit aliquot libras auri in cultum idolorum.* Paucis rei summam complectar: hæc illa erat, quæ lenociniis aut coloribus faciem coluit, cui vestis alia non placuit, quam quæ ad nihil aliud est exigenda, nisi ut nudam componeret. Unicum ipsi ornamentum, omnibus obnoxia forma sceleribus. Hæc femina Dux malorum & scelerum artifex, (t) de qua jure illud Hippolyti canas (u)

Detestor omnes, horreo, fugio, execror.
Sit ratio, sit natura, sit dirus furor.
Odisse placuit, ignibus junget aquas;
Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta Syrtis; ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem
Et ora damis blanda præbebunt lupi
Quam victus animum feminæ mitem geram.

Nec mirum est, multo minus improbanda illa Manichæorum sententia, qua quævis loca contactu talium feminarum polluta scopis purgabant, si possent vitia scopis profligari (x) Digna certe hæc mulier visa Spiritui S. cujus nomine extremam impietatem profligatamque religionem significaret. Apocal. 2. vs. 20. Sive enim ille locus Thyatirensis Episcopi uxorem sive universam Pseudapostolorum sectam notet, sive Nicolaitarum hæresin exprimat sive Cataphrygarum & Montanistarum furores inferat, & potissimum ejus sectatrices Priscillam & Maximillam ad mentem Epiphanii (y) Aureoli, nostra non refert; par n. fuerat singulis his, quinimmo omnibus in universum petulantia atque crudelitate superior extitit. Pererius, si fides non fallit ita describit: (z) *Fuit ista Jesabel in civitate Thyatirensi mulier quadam nobilitate & divitiis præpollens, sed hæretica, ut creditur, Nicolaitarum doctrinæ sectatrix, & acerrima Catholicæ fidei cultorum incitatrix & hostis*; certe persona talis fuit, cujus mores τῇ Ἰεζαβὴλ ἐκείνῃ *simillimi ænigmatice uniuntur pluribus.* Sic breviter & optime Erasm. Schmid. (α)

§. 12. Sic uxoris & suo scelere parum felix Achabus, fræna insuper pravis cupiditatibus laxabat, quo & proximum læderet, ne sufficeret in Deum injurium fuisse. De eo namque litteræ sacræ referunt (β) וידבר אחאב אל־נבות לאמר תנה־לי את־ כרמך ויהי־לי לגן־ירק כי הוא קרוב אצל ביתי ואתנה לך תחתיו כרם טוב ממנו אם טוב בעיניך אתנה לך כסף מחיר זה׃ Quæ his verbis in Latinum transtulit Tremellius: *Ut alloqueretur Achab Nabothum, dicens, cedo mihi vineam tuam, ut sit mihi in hortum olitorium; nam propinqua est juxta domum meam, & dabo tibi pro ea vineam meliorem ea, sin melius videtur in oculis tuis, dabo tibi pecuniam pretium hujus.* Non contentus erat Achab propriis, sed & desiderio alieni flagrabat, scil.

Creverunt & opes & opum furiosa cupido,
Et quo possideant plurima, plura volunt.
Sic quibus intumuit suffusus venter ab unda,
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. (γ)

Rex hic, ut supra recensuimus, omnium rerum copia affluebat, sed prima ipsi sordebant, quoniam majora subinde sperabat, qui non putabat id è dignitate Regia futurum, si cupiditates animi minore libertate, quam regnum polleret. Proinde cum forte otiosus è palatio suo in subjectam Nabothi vineam prospectaret, pravis desideriis accensus alterius bonis inhiabat, vineam illam Nabothi hæreditariam Regiis hortis conjungi volebat, sive ut amplioris spatii essent Regis horti, sive ut aliis plantis eundem consereret, quæ videtur fuisse B. quoque Lutheri opinio, dum vertit ירק ein Kohl-Garten. Id vero hic curiosius non inquiremus, quod capiti secundo disputatio ista debetur; hoc tantum colligere fas est, nulla ratione honestatis specie hoc desiderium Achabi velari posse; sive voluptatis sive utilitatis caussa tanta cupiditate alieni æstuaret, ut & præ indignatione sui haud compos, nec iram teneret nec sibi consulere posset, id quod graviter satis expressit Scriptor θεόπνευστος (δ) ויבא אחאב אל־ביתו סר וזעף על־הדבר אשר־דבר אליו נבות היזרעאלי ויאמר לא־אתן לך את־נחלת אבותי וישכב על־מטתו ויסב את פניו ולא אכל לחם׃ *Venit ergo Achab in domum suam indignatus & frendens super verbo, quod locutus erat ad eum Naboth Jesraelita, dicens, non dabo tibi hæreditatem Patrum meorum, & projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Cum scilicet repulsam tulisset impius Rex, סר recessit, inquit Spiritus S. vel in loca solitaria se recepit, quo liberius querelas funderet, vel mens ejus ab ipso quasi recessit, ut furore quodam percitus, nil nisi minas cædesque spiraret. Hæc enim vox tanta emphasi urbis alicujus deletionem & excisionem funditus factam notat מוסר מעיר, amota est, amovetur plane ab urbe, ita ut urbs esse desinat, confirmante id Buxtorff. (ε) ex Rab. Salomone, qui ita commentatur quoque (ζ) סר תאר כן רוחך סרה ענינו העוות וההשתנות מן המנהג׃ סר *est adjectivum, & ita dicitur in illo loco* רוחך סרה *Spiritus tuus recessit, significat negotium Apostaticum & recessionem & immutationem à consuetudine.* Eadem fere repetit ad cap. 1. Jesaiæ סרה (*quod idem est*

(l) *V. Rob. Creigthon. in Præf. Hist. ubi Sylvest. Sguropulus Græcus, prænomen Latinum habet.* (m) *V. Grotium T. I. 3. Reg. 16. p. m. 286. & imprimis Magn. D. D. Calov. in Bibl. illustr. ad h. l.* (n) *1. Reg. 18: 4.* (o) *Genes. 3: 16.* (p) *Sanctius l. c. pag. 1118. seq.* (q) *Ad cap. 21: 7. 3. Reg.* (r) *L. IX.* (s) *In Tract. Sanhedr.* (t) *Senec. in Hippolyt. v. 557.* (u) *Senec. l. c. v. 565. seq.*

(x) *De quo Manichæorum alias perverso ritu. V. Drechsel. in Dedic.* εὐχληθείας *contra A. M. Schurmanniam Labadismi propugnatricem.* (y) *Hæres. 5.* (z) *Pererius in Opp. Theol. ad Apoc. 2: vs. 20. p. m. 801. n. 60. seqq.* (α) *Not. ad h. l. p. m. 1426. conf. præterea Coccej. in Apoc. ad h. l. p. m. 37. Omnium optime a. D. Hoë ad h. l. pag. m. 37.* (β) *Vs. 2.* (γ) *Ovid. l. 1. Fast.* (δ) *Vs. 4.* (ε) *Buxtorff. in Lex. p. 502.* (ζ) *R. Salom. ad c. 17. 1. Reg. & ad 1. Reg. 21: 4.*

תאר בפלס. ורחל בתו באה ופירושו: דברה סרה או עלילה (סר *est cum* *Vox* סרה *est adjectivum ad* סרה ענינו העוות והשתנות מן המנהג: *formam* ורחל בתו באה *& significat negotium Apostaticum vel opus Apostaticum*, *significat perversionem & mutationem à consuetudine.* Recessit ergo Achab à præceptis Dei: Non concupisces, ipse fascinatus deliræ mentis homini similis, ad solitudinem abiit, quo conceptam animo iram si non in hominem, in parietem saltem effunderet. Erat omnino currui similis, cujus ferocientes equi ruptis loris aurigaque deturbato per avia & præcipitia loca feruntur; vel navi regi nesciæ, cum vis ventorum, excusso gubernatore, huc illucve rates impellit, cum turbatis nautarum ministeriis furenti pelago navis permittitur. Sic enim indignabundus fremuit pravis cupiditatibus actus Achabus זעף: maris æstum vox hæc Sp. S. exprimit, cum inspirantibus ventis ex alto vastum mare intumescit nec ulla consilii ratio succurrit; quam vim vocis eleganter expressit Doctorum Judæorum haud postremus, Don Isaac Abarbenel, cujus hæc sunt verba in Jon. capit. 1. vs. 15. ואחרי כל השתדליות האלה כאשר ראו המלחים שעל כל פנים הים הולך וסער הטילו את יונה אל הים והתבונן אומרו וישאו את יונה ויטילוהו אל הים שבאמת הדברים האלה מורים שעשו גם כן השתדלות וחקירה חמישית והיא מה שאמרו בפרק רבי אליעזר שהטילו אותו בים עד ארכובותיו והיה הים עומד מזעפו חזרו ונשאו אותם אצלם מיד והיה הים הולך וסער חזרו והטילו אותו בים עד צוארו עמד הים מזעפו נשאו אותו אצלם והיה הים הולך וסער עד שהטילו את כולו *Et post omnes diligentias istas, cum viderunt nautæ, quod nihilominus* (sie möchtens anfangen / wie sie wolten /) *mare iret & tumultuaretur (indesinenter tumultuaretur Es.6. h. l.* על *juxta significat) projecerunt Jonam in mare & intelligitur sermo (nempe Scripturæ) & sustulerunt Jonam & projecerunt illum in mare. Nam revera verba illa docent, quod fecerint similiter diligentiam & examinationem quintam, quæ fuit illud, quod dicunt in Capitulis Eliezeris, quod projecerint illum, in mare usque ad genua ejus & mare substiterit ab indignatione sua, iterum sustulerint illum ad se statim & mare indesinenter tumultuatum esset, iterum projecerint eum in mare, usque ad collum ejus, inde substiterit mare ab indignatione sua, tum illum sustulerint ad se, & mare indesinenter infremuisset usque dum projecerint totum illum* &c. Eadem hac in re Vatabli mens est scribentis; *mutatum à se fuisse Achabum, indignantem plane & commotum extitisse.* (η)

§. 13. Quemadmodum vero qui tantis cum difficultatibus luctantur, & quibus tempestates maris mortem præsentissimam minantur, nec cibum, nec somnum capere possunt: ita quoque Achabus, quem pravæ cupiditates turbinis instar circumegerant, inedia se ipsum conficere volebat. Ingressus enim cubiculum aversa facie ab adstantibus, parietique obversus panem i. e. cibum omnem recusavit: ad quæ eleganti dictione alias clarus Mediolanensium Præsul Ambrosius (θ) *Non manducavit panem suum, quoniam quærebat alienum. Etenim divites magis alienum panem, quam suum manducant, qui raptu vivunt & rapinis sumtum exercent suum.* Dubium non est, quin Achabus indignitate rei (ut putabat) motus, quod impune sua Autoritas sperneretur, mortem sibi consciscere voluerit. Hinc enim illæ lacrymæ (ι) hinc indignatio, hinc abstinentia cibi, hinc animi mœrores, quibus omnibus simul par esse haud poterat, nisi sceleratæ uxoris consilio persuasus fuisset; ut tantisper vivere vellet, dum vineam possideret, quam tanto desiderio ambiret.

§. 14. Postquam enim ad aures Jesabelis fama allapsa est, ipsa furore quasi justo percita, ad Regem accedens, Tu, inquit: אתה עתה תעשה מלוכה על־ישראל *Tu ne nunc gesseris tanquam Regem*: id enim videtur hoc loco indicare phrasis Hebraica, facias תַעֲשֶׂה vel administrabis regnum Israel. Et si quidem Rabbinos audire animus est, confirmat sententiam hanc Ralbagus, sive R. Levi ben Gerson: cujus hic est commentarius in hæc verba: האם המנהג הזה תעשה המלוכה על ישראל הנה בלתי ספק אין מחוק המלך להתפעל בזה האופן: *Nunquid hac ratione administraveris regnum Israeliticum? ecce hoc sine dubio non est regium, excruciare sese ad hunc modum.* R. Don Isaac Abarbenel, qui religionem suam majoris æstimabat præ divitiis Hispaniæ; non multum dissentit ab his, cum inquit: החלצה למלכה אחרי שאין לך לב וגבורה לעשות וצינן בדבר קטון כזה: *Num vero res tibi prospere succedet in regno, si neque animum habeas neque potentiam faciendi, quidlibet in re tantilla, qualis hæc est?* Munsterus: *Tune prosperaris in regno Israel.* Vatablus Hebraismum advertit: *Tune sic vel hac via* (nempe rogando) *faceres opus Regis; vel εἰρωνικῶς q. d. non est regis rogare, precario.* Abarbenelis mentem Castalio assecutus esse videtur, cujus hæc sunt: *O te hominem idoneum, qui Israeliticum regnum pares; qui unius vineæ comparandæ rationem non invenias, quo pacto regnum, si opus esset, tibi parares? Sic scilicet divites*

Regnoque fulti, plura, quam fas est, petunt:
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest. (κ)

Videor certe mihi Jesabelem aspectare inducto supercilio, torvo vultu, micantibus oculis, ore minas cædesque spirante increpantem Regem Achabum, qui tam impune illudi sibi à subditis pateretur: audio blanditias, quibus conjugis animum demulceat: sed nec desunt aspera satis verba, quibus timidum objurget. An Tu, qui universo Israeli dominaris, subdito obsequium præstas? Tune, è quo omnes spiritum trahunt, huic non auferas spiritum, cujus ferocia & seditiosus animus, si non spiritum ipsum, regnum saltem adimere parat? Dii Deæque me omnes perdant, si impune, hoc quicquid animo concepit, audeat Achab. Quin igitur age, curabo, ut vinea tua sit, & læsæ Majestatis reus supplicio pœnas luat! Ne mori persevera, cape cibum & animum Regis, vinea tui juris est, en dextra fidesque!

CAPUT II.

§. 1. Dignus quidem erat Achabus, qui tam acriter objurgaretur, nisi consilium uxoris ad scelus spectasset; vineam enim tantus Rex anhelabat, cujus potiundæ spe cum excidisset, ægre admodum exiguæ rei & jacturam & repulsam tulit. Vinea erat, inquit Sp. S. sive Samuele, sive alio Prophetarum interprete (λ) כרם *cujus vocis origo si quædam est, si non omnino incerta, dubia tamen est & anxie quæritur.* à כרה fodit, forsan deduci posset, nisi hac ratione ultimum ם peregrinum & extraneum plane fieret voci, quale vero augmentum sive permutationem ה in מ vix apud Hebræos reperias. Quin immo vox כורם vinitor, quæ itidem hoc ם gaudet, id potius ad vocis radicem pertinere docet, cum vox hæc sit formæ participii Benoni; radix igitur esse videtur כרם, quæ cum in S. C. non legatur, apud Hebræos in usu esse desiit. Sed vero Arabica lingua, quæ & copiosa admodum est (μ) *& ab Hebræis plures voces mutuata, licet antiquitate Hebræam non superet* (ν), vocabulorum multitudine tamen ipsi vix cedit: hæc inquam lingua radicem vocis hujus servasse videtur. Etenim, quod Golius refert (ξ), Arabibus in usu est verbum كرم *generositate indolis, s. nobilitate superavit*, quam originem agnoscit vox كرام *vinitor*, ut altera كرم vitis, quæ si consonantes attendas, à voce כרם non differt, & huic certe derivationi sua constat ratio: vinea enim, quum vinum ferat, potum, qui reliquos omnes dulcedine, generositate & virtute superat, suam nequaquam mentitur originem, si ab Arab. كرم nobilitate superavit, eam repetat.

§. 2. Ob virtutes autem suas, tum operam, quam in fodienda vinea impendere solemus & alia, vox כרם variis tribuitur; omnium maximè insignis est similitudo, qua Ecclesia vineæ comparatur (ο): qualis præsertim metaphora ex mente Coccejі in Cantico Cantic. (π); ad quod non male idem: *Comparatur*, ait, *sponsa vineis & quidem vineis Engeddi ut latissimis & uberrimis, quippe in fertili solo, idque propter proventum credentium* (ב) *ut apud lacum Asphaltiten s. mare mortuum succum & humorem adbibebat ut significet aquas illas fluvio S. spiritus à templo ad Galilæam inde ad desertum & in mare mortuum profundente*, ut est apud Ezechiel. (ϱ) *sanatas esse vites suas ex mundo tanquam mari mortuo, crevisse per gratiam Sp. S. instar fluvii salubris à Christo, templo Dei emanantem & mundo huic mortuo peccatis immixtam ad eum à morte & lentore & fœtore suo servandum, ut sc. suppeditatio donorum spiritus fiat per homines in mundo natos ad omnem fœditatem.*

§. 13. Ean-

(η) *Conf. Opus Crit. Angl. fol. 2559. seqq.* (θ) *Ambros. cap. 4.* (ι) *Sanctius ad h. l. p. 1307.*

(κ) *Senec. Hippol. V. 212.* (λ) *Vid. B. Danhaw. Hodos. p. 34. Magnus noster Calov. Bibl. Illustr. T. 1. p. 741. Hotting. Thes. Philolog. pag. 464. Sanctius & Cornel. à Lapid. in Prolegom. ad lib. Reg.* (μ) *Pocok. sub init. de Poesi Arab. ut & in notis ad Abulfar. pag. 153. referente Excellentiss. Dn. D. Pfeiffer. Critic. S. p. m. 94.* (ν) *Quod argumentis sat gravibus defendit Joh. Leusden. Philol. Hebr.* (ξ) *Lexic. Arab. pag. 2024, 2025.* (ο) *B. Glass. Rhetor. S. Tract. 1. c. X. de Metaph. & Petrus Ravanell. in Biblioth. sacr. sub voce Vinea.* (π) *Cap. 1: 14.* (ϱ) *Cap. 47: 8, 9, 10.*

§. 3. Eandem significationem secutus fuisse videtur, qui montem Carmel, ex כרם & מלא deduxit (σ) quæ vox variis deinde rebus applicatur, sicut solide & invictis rationibus docuit Magnif. Dn. D. Schmidius, unicum fere Ecclesiæ Orthodoxæ decus (τ). Quamvis si Schulchan Aruch attendas, non ob multitudinem vinearum, sed frumenti Carmelum dictum esse tibi persuadeas. Sub voce כרמל enim sequentia legas licet דבי רבי ישמעאל תנא כרמל כר מלא פירוש שמלא הדגן בראש השיבולת ככר שהוא מלא נוצה כלומר שהוא נתגדל כלו: *Scholæ R. Ismaëlis traditio est, quod Carmel vocetur, quod* כר מלא *pulvinar plenum, quasi diceret: montem hunc esse repletum frumento in capite spicæ, sicut pulvinus plumis abundans, ut iis totum intumesceret.* Nos in præsens hac de re non multum laboramus, quibus nec illud curæ est sive Carmel de monte, sive de hominibus inferioris conditionis dicatur (υ); cum nec de monte nobis h. l. sermo sit, nec de Ecclesia vinea spirituali, sed tantum Nabothi quæramus.

§. 4. Vera hæc erat vinea s. vitibus consitus locus, quem in sensum nos inducit vocis prima significatio, à qua tam diu non recedimus donec per circumstantias non compellimur præprimis cum & alias vinearum & vitium usus Hebræis optime innotuerit. Jam enim ante diluvium extitere vites, quas Noah deinceps restauravit. *Nec enim dubitandum est* recte Perer. (φ) *quin ante diluvium fuerint vites & in exortu mundi inter alias stirpium species à Deo procreatæ sint. De Noë vero Ambros.* (χ) *docet post diluvium corruptarum radices vitium verno tempore repullulasse modico humore & calore fæcundata terra, & his vitibus usum esse Noë ad conficiendam vineam.* An vero *istæ vites sponte* terra exortæ sylvestres fuerint, labruscarum potius quam uvarum feraces, ut abscissos palmites optimæ terræ inseruerit Noa & convenienti cultura ad optimarum uvarum procreationem perduxerit, quæ conjectura est Tostati (ψ) nos suo loco relinquimus.

§. 5. Quemadmodum vero vini vinearumque usus, apud Judæos pariter & Gentiles obtinuit, ita vero modus eas plantandi aliique ritus mirum quantum inter se diversi erant. Non enim promiscue, sed certo quodam ordine vites serebant, ea forte figura, quæ vel choream, vel crucem signabat, nec ultra quinque vites, unius ordinis numerus excresceret. Præcedebant duæ, quibus pari distantia duæ sequebantur, quatuor hisce unica saltem præmissa, quæ choream quasi ducebat, alii ordines huic primo pari numero, inversa tantum figura conjungebantur. Quam rem in genere confirmant ea, quæ apud Buxtorffium (ω) leguntur כרם, *inquit ille, apud Talmudicos, Schola, Academia, synagoga per metaphoram, quia sedent in Schola lineatim, ut vites plantantur.* Quam sententiam confirmat allegatus ab ipso locus (a) וכי כרם היה שם אלא אלו תלמידי חכמים שהיו עשויין שורות שורות ככרם: h. e. Buxtorffio interprete. *Num Academia fuit ibi? (Non dico quod Academia vel Schola fuerit ibi) sed discipuli sapientum lineatim instar vineæ erant dispositi.* Unde & Pererius (b) Vineam à Noë plantatam veteris synagogæ figuram habuisse refert. Alios ritus, quibus sc. uvæ tribus annis prioribus immundæ habebantur, quarto vero sacerdotibus, & quinto demum domini arbitrio permittebantur: exponunt Commentatores R. Salom. Jarchi & alii ad Deut. 20: 6. conf. & alios (c) quibus moribus omnino Judæos atque Gentiles discernere olim facile erat.

§. 6. Vineam hunc in modum forte descriptam Naboth quoque possidebat eamque haut procul à palatio Regis distantem. Arcem hanc Regiam loco quodam editiore extructam dubium vix est proinde facile huic colligas vineam istam pariter in alto sitam fuisse. Hinc enim Palæstina, præsertim vitium ferax erat, quod montibus eminebat, qui plantandis vitibus aptissimi, facile calorem solis excipiebant. Umbram vitibus obesse & Maro novit (d)

—— —— Omne quotannis
Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis
Æternum frangenda bidentibus, omne levandum
Fronde nemus.

Quin & sanctissimus DEI spiritus videtur hoc ipsum innuere voluisse (e) ulterius etiam vineas עוד תטעי כרמים בהרי שמרון plantabis in montibus Samariæ. Etsi enim hæc cum (f) Lyrano & aliis de Ecclesia Christi intelligas; suo tamen sibi constat ratio robore; *quod enim de montibus habetur, ad ornandum tropum vinearum præcipue additum videtur, nam vineæ non in planitie, sed montibus plantari solent*; omnium optime Magnif. Dn. D. Schmidius (g). Idque præsertim hac in regione vitibus maturandis conducebat, quod Orientalis plaga majore solis æstu ferveret, quem deinceps יורה circa festum tabernaculorum & מלקוש circa festum Paschatos temperabat, cui rei recensendæ supersedemus, quoniam erudite satis illud alii (h) præstiterunt.

§. 7. Erat autem hæc vinea אצל prope palatium Regium, cui forsan ædes Naboth conjungebantur; horti enim non tantum prope domos, sed & in tectis exstruebantur; unde non male Chassanæus (i) communiter domibus sunt horti adjacentes; quamvis non ignoremus non semper illud obtinuisse. Tanto majore vero desiderio ejus flagrabat Achab, quanto propius hæc vinea palatium suum contingebat; & eo infelicior erat Naboth, quo magis principi innotescebat. Sc. sævum prælustri fulmen ab arce venit, & quo quis propior solem accesserit, eo magis ejus ignibus torretur.

§. 8. Hic vero hortus sive vitium sive olerum, notante Sanctio (k) hæreditatis jure Nabotho cesserat: indicat id responsum ejus v. 3. & 4. חלילה לי מיהוה מתתי את־נחלת אבותי: Quam sc. vel à parentibus vel consanguineis acceperat, nec salva lege divina alienare poterat. Sat enim severo tenebatur interdicto divino (l), ne in perpetuum veneat terra: mea enim est, vos inquilini estis atque hospites: ad quæ verba profunde רשי commentatur ליתן לאו על חזרת שדות לבעלים ביובל שלא יהא הלוקח כובשה: i. e. Ut des nequaquam propter reditum agrorum ad dominos suos in Jubilæo, nec eam acceptam in potestate sua retineat: לצמיתות לפסקה למכירה פסוקה עולמית: i. e. in cessationem, venditionem talem, quæ sit cessatio perpetua: כי לי הארץ אל תרע עינך בקש אינו שלך i. e. Ne malo animo sis vel invideas ideo, quoniam nequam terra tua est. Quanta vero vis sit ipsius interdicti, agnovit & Aben-Esra ad verba זה טעם, כי לי כל הארץ נכבד וכן אמר משה בתפלתו יי מעון אתה היית לנו אתה, כמו מעון עומד ודור הולך ודור בא: i. e. Hæc ratio gravis & excellens est. Atque sic etiam locutus est Moses in precatione sua, Domine habitaculum Tu fuisti nobis; Tu (אתה) sicut (illud quoque dicitur) habitaculum constans, & generatio decedens & veniens. Quo ipso responsum suum ac vineam satis tueri poterat Naboth, quum terram Domini vendere nollet, ipsiusque habitaculum profanare. Atque hæc possessionis jura agnovisse videtur ipse Achab; quum enim Scriptura causam indicat indignationis Regis, non absque emphasi hanc eandem Nabothi orationem repetit, contra quam nihil habebat Rex, quod exciperet, quasi scil. vel malæ fidei possessor fuisset Naboth, vel aliunde alicujus fraudis postulari potuisset. Hoc vero jus eo minus Achabum latere potuit, (nisi fallat Rabbinorum traditio (m) si quidem is Patruelis Nabothi fuit, qui deinceps à morte ejus, quasi jure consanguinitatis, hæres scribendus esset vineæ Nabothi. Quin etiam testes mendaces contra ipsum producti, nullum crimen allegant, præter maledictionem, quam DEO & Regi imprecatus Naboth falso dicebatur.

§. 9. Parum itaque ex dignitate Regia esse videbatur tanto animi ardore horto huic inhiare, ut eo loco consereret olera: destinaverat enim ipsum לגן־ירק R. Schelomo ad vocem ירק exponit h. m. הוא תאר לעשב שהוא מאכל ארם: est appellativum nomen herbæ sativæ, quæ est cibus hominum. nec videtur hac in re abludere à Scripturæ sensu, quæ idem significat Genes. 1: 30. נתתי את כל ירק עשב לאכלה: Alia significatio vero Munstero placet, cui est herba, quam homo coctam comedit, vel etiam רוח טוב boni odoris. Vatablus sin-

(σ) *Glass. Rhet. S. Tr. I. cap. X.* (τ) *In Comment. ad Jerem. P. I. p. m. 35. & P. II. p. m. 835. & 949.* (υ) *Vid. R. Schelom. ad Es. 29.* (φ) *Comm. in Genes. 1: 14. ad Gen. cap. 9. vers. 20. f. 382.* (χ) *De Noë & Arca. cap. 23. cit. Perer.* (ψ) *Tostatus apud Perer. l. c.* (ω) *Lex. Chald. Talmud. voce* כרם *pag. 1094.* (a) *Ex Berachot Jeruschal. cap. 4. in Gem.* (b) *In Genes. f. 39.* (c) *Schickard. Jus Reg. pag. 316. Excellentiss. Dn. D. Carpzov. ad h. l. pag. 316, 317, 318.* (d) *Georg. lib. 2. pag. 398. seq.*

(e) *Jerem. 3. vs. 5.* (f) *Lyranus Comm. ad h. l.* (g) *Comment. in h. l.* (h) *Buxtorff. Lex. Chald. p. m. 400. Dn. D. Osiand. Comment. in Deuter. 11: 14. p. m. 103. Paulus Fagius in Not. ad h. l. ut & in Deut. & R. Salomo. Imprimis vero nunquam satis laudatus Dn. D. Schmid. in Tractat. de Pasch. pag. 18.* (i) *Catalog. Gloriæ Mundi Part XII. pag. 588. consid. 76.* (k) *Sanct. Comment. ad h. l. fol. 1306.* (l) *Levit. 25: vers. 23.* (m) *In Tr. Sanhedrin. inf. 48.*

singularem Hebr. per pluralem substituit & herbas odoriferas & olera significari affirmat. Opus Anglicanum à radice (n) ירק deducit *spuit* (o), quod olus tale, quasi terræ sputum sit, supra eam eminens (p), B. Lutherus noster vertit, ein Kohl-Garten; Non inficias ibimus, quod si Münsterus quidem probatum dare posset ירק notare herbas odoriferas, caryophilla &c. id quidem nobis non refragaretur, quibus hæ delitiæ, quibus Achabus circumfluebat, voluptuosum Regis animum exprimerent, qui dubio procul prava consuetudine Syros imitabatur, à quibus non multis locorum intervallis distabat. Hi enim in hortis operabantur tanta diligentia, ut referente Plinio (q) in proverbium abierit apud Græcos: multa Syrorum olera: quibus vero non absimiles Ægyptii, de quibus Chassanæus (r).

§. 10. Non tamen ideo damnanda B. Lutheri Versio esset, ut quæ nequaquam negavit odoriferas herbas intelligendas esse; sed nec absque ratione simpliciter vertit Kohl/ quod hac in re præeuntem haberet Scripturam sacram, cujus mentem exposuisse videtur R. Schelomo supra cit. Quamvis enim nec lucri forsan gratia id fecerit Achab, quin tamen id esse potuerit alia de causa, negare non licet, cum corruptus Regis animus vel soli voluptati eum deligere locum potuerit. Neque nos moratur hic Judæorum sententia (s) quibus *traditur: In Vrbe Hierosolymitana non plantant arbores exceptis rosetis, quæ fuerunt inde à temporibus priscorum Prophetarum. Neque plantant in ea plantas. Neque faciebant in ea hortos & Paradysos, exceptis rosetis, quæ erant ibi inde à temporibus priscorum prophetarum &c.* obstat enim huic traditioni locus noster, qui non Hierosolyma, sed Jezraël erat, cujus mentio in textu apud Judæos nulla fit. Verum etiam illud videtur esse pro nobis, quod iidem tradunt (t) *dicuntur Amimar & Marzutra & R. Asche venise in magnificum hortum Meri filii Issak* איסק *attulit hortulanus ejus dactylos, & mala punica & projecit ante eos. Amimar & R. Asche comederunt, Marzutra non comedit. Interim venit Meri filius Issak, invenit eos & dixit ad hortulanum suum: quare non attulisti Rabbinis de istis optimis. Dixerunt Amimar & R. Asche ad Marzutram: Nunc quare Mar non comedit? (quare non edisti Domine?) Cum tamen traditio sit: Si inveniantur pulchriores illis, truma, vel separata oblatio) ejus, pro truma habetur? Respondit eis; Sic dixit Rabia, dixerunt.* כלך, *abi tibi, apud (ad) pulchriores, nisi secundum negotium trumæ duntaxat: ideo quia illud præceptum est, & placet ei. Sed hic propter rem desiderabilem illud est. N. dixit ita, veni, audi, qui sursum adducit fructus suos in tectum, & descendit ros super eos, & lætatus est, (Glossa: ob rorem qui descendit super eos,) Ecce hic tenetur isto præcepto Levit.* 2: 38. Et quum dabitur aqua (*Gl. & legitimi redduntur à nunc & usque in æternum) si exsiccentur; licet lætatus sit (Gl. nunc ob rorem, qui descendit super eos) tum isti non tenentur isto præcepto*, Quum dabitur. *Quæ ratio, quod non? Ideo quia non dicimus, Postquam revelata est res, placet ei, ab initio etiam placere ei. &c.* præterquam enim quod hic mentio dactylorum fit, jam ultro ruit ea sententia, quæ solis rosetis locum permisit, in urbe; sed forte extra urbem hic hortus erat? quid ergo sibi volunt horti tectis impositi? Quin etiam si omnia hæc locum non inveniant forte & Nabothi hortus extra urbem positus erat, si Jezraëlis palatium regium non procul à mœnibus distabat: imo si fides Geographorum non fallit, vinea Nabothi extra Jezraël erat & quinque milliaribus vel sex à Samaria unoque à Jezraël dissita extabat, sed opus non est, ut eo deveniamus, quibus facilis hac in re responsio patet. Erat enim Achab sceleratus & graviter impius, cui non patria religio, sed mores uxoris curæ essent, qui & idolis sacrificium faceret, Baali thus adoleret, nec verbum Domini ferre posset; quid igitur mirum, si is quoque, qui legem divinam minime observaret, traditionum quoque contemtu hortos tales muris includeret, quos nescio qua de causa Judæi exulare jusserant è mœnibus urbium suarum. Liceat nobis hic idem, quod Caspari Sanctio (u), pronuntiare. *Cum prope domum Regiam in Jesraele vineam quandam haberet Jezraelita, illam sibi voluit homo deliciosus adjungere, ut è vinea hortum faceret, non tam ad domesticos usus quam ad inertis & otiosi animi voluptates.* Et paucis interjectis. Hanc vineam *in hortum olerum convertere studebat Achab, quod licet afferat aliquod utilitatis cultori suo, plus tamen parit domino voluptatis. Vbi vulgatus, hortus olerum, Hebraice est* לגן־ירק *licet autem* ירק *herba sit, ad esum oportuna, aliquod tamen significat odoriferum, ac viride quod sic arridet palato, ut etiam pascat oculos.* His subjungit: *Quia Rex idololatra avitam religionem abjuraverat, quod divinis cautum esset legibus, nihil habebat pensi.* Non dicam hic, quod si verum est, quod notat Buxtorff. (x) ירק & ירקא virorem, olus, & quamcunque herbam virentem notat. Et quam optime etiam pro vulgaribus oleribus vox hæc accipi posset, Talmudici docent (y) לא יכול ירקא משום דגריר i.e. *non comedet olus, (acetarium), quia attrahit i. e. appetitum conciliat.* Absit ergo, ut hac in parte B. Lutherum deseramus, quum nec vulgatum Sanctius post habere velit; & desiderium Achabi omnibus modis pravum audit. Sive enim oleribus tantum vilibus voluerit conserere locum, tanto majus flagitium admiserit, qui cæde innoxia manus cruentaret; sive etiam odoriferas herbas inferre animus fuerit, non levius inde scelus est, ad quod sola voluptate inductus est. Certe nisi suprema potestas à crimine ipsum liberet, undique reus esse convincitur, de quo sequenti capite jam nobis dispiciendum erit.

(n) *Opus Anglic. fol.* 2559. (o) *Numer.* 12: 14. (p) *Vid. Eduard. Leigh. in Critic. S. pag.* 98. (q) *Vid. Chassanæus in Catal. Gl. Mundi part. XII. pag.* 589. *consid.* 76. (r) *Loc. cit.* (s) *In Tractat. Avot. q. cap.* 35. *& Bava kama f.* 82. (t) *In Tractat. Bava Mezia fol.* 22. 1. (u) *Commentar. in cap.* 21. *l. III. Reg. v.* 1. *&* 2. *f.* 1036.

CAPUT III.

§. 1. Ut vero rem hanc ordine examinemus, Nabothus, in quem infelici sane casu Regis impietas incidebat, describi meretur. Nomen est נבות, ubi non opus esse putamus, ut in hujus originem inquiramus, an à נבא prophetavit, elisione literæ א ad formam verbi Lamed ה descendat, & sortitus hoc nomen, quod propheticæ sortis quoad mortem expers non fuerit, nobis non officit, undecunque tandem deducatur. Id vero nos magis sectamur, quod è Scriptura compertum habemus, fuisse Jezraelitam ex Jezrael civitate, quæ quocunque olim nomine veniebat, Josepho (z) Azari dicitur; sita erat haud ita procul à mari mediterraneo seu magno in dimidia parte Tribus Manasse, cui & Samaria adscribebatur, ab altero latere fere montibus Gilboë claudebatur; ipsa certe vinea ad montis latus posita mare versus prospectabat fontem Jezrael milliaribus vero duobus ab ipsa distantem. Ad fontem istum rivus quidam exortus defluebat in fluvium Ciron in mare sese exonerantem. Hac urbe Jezrael oriundus Naboth, sive Manassis tamen tribui adscriptus illam incolebat paterna sua hæreditate illic relicta, quæ insignis fuisse creditur, ut & accenderet Regis animum prava ista cupiditate. Hoc vero tanto certius confirmatur, si illud obtineat, quod Josephus (α) notat, *fuisse insignem genere; ut & Nabothi patruelis Achabus fuerit*, si vera sunt, quæ hanc in rem Rabbini (β) scripsere. Non equidem id certo affirmare ausim, attamen hæc sententia ex eo saltem non videtur esse rejicienda, quod *agros suos vicinos haberet Regis hortis, qualis conjunctio hæreditatis inter cognatos esse solebat, qua certæ familiæ certa quoque terræ pars assignata erat.*

§. 2. Hoc vero generis splendore non ita Naboth excellebat atque sua pietate, qua & Regem ipsum incredibile quantum superabat, dubio procul is Principis mores, & sceleratæ uxoris libidines detestatus, patriis adhærebat legibus, etiam in media scelerum turba pietate sua felix. Certe testes subornati, non nisi mendaciis famam ejus obterebant dubio procul alia de causa ipsum accusaturi, si modo de crimine ullo ipsis constitisset. Non vero pietate erga Deum solum, quodque patriæ religionis amantissimus esset, Regis quoque iram non metuebat; sed & honestate animi, nec lucrum, nec utilitatem nec amicitiam Regis antiquiorem habuit, adeo ut & B. Ambros. (γ) dignus videretur, quo exemplo Clericos suos à turpi lucro revocaret, utque Nabothum etiam morte ipsa imitarentur, si quidem illa honestatis caussa contingat. Postquam enim exemplo Davidis Saulem acerbe flentis suos hortatus esset, ut & inimicis parcerent, neque tantum non lacessiti neminem læderent, sed & læsi facile remitterent pœnas. Tandem, *Quid vero*, inquit, *Sancto Nabotho, quæ fuit causa mortis, nisi honestatis contemplatio? Nam cum ab eo vineam* Rex

(x) *Lexico Talmud. fol.* 985. (y) *Schabbas fol.* 140. *apud Buxtorf. l. c.* (z) *Joseph. lib.* 9. *Antiquit. Judaic. cap.* 13. (α) *Loc. cit.* (β) *In Tractat. Sanhedrin. pag.* 48. (γ) *l.* 3. *Offic. cap.* 9. *p. m.* 386.

Rex posceret, pecuniam daturum se pollicens: indecorum pretium pro paterna recusavit hæreditate, maluitque morte declinare hujusmodi turpitudinem. Non mihi, inquit, fiat à Domino, ut dem tibi hæreditatem patrum meorum. Hoc est tantum mihi opprobrium non fiat, non permittat Deus tantum extorqueri flagitium. Non utique de vitibus dicit: (neque enim de vitibus cura est Deo, neque de terreno spacio) sed de jure loquitur patrum. Potuit utique & aliam vineam de vineis Regis accipere, & in amicis esse, in quo non mediocris seculi hujus utilitas æstimari solet: sed quod turpe erat, indicavit non videri utile: maluitque periculum cum honestate, quam utilitatem cum opprobrio. Vulgarem utilitatem loquor, non illam, in qua etiam honestatis gratia est. Denique & ipse Rex potuit extorquere, sed impudens arbitrabatur: sed occisum doluit. Dominus quoque mulieris usus immanitatem, qua honestatis immemor turpe antetulit lucrum congruo supplicio plectendam annuntiavit. Sic beatissimo Patri vix digna verba succurrebant, quibus hanc mentis constantiam Nabothi satis deprædicaret, ejusque probitatem, quæ nihil utile, nisi quod honestum est, (δ) judicabat, amplissimis laudibus extolleret.

§. 3. Fallunt igitur & falluntur Judæi (ε) quum dicunt: *Propheta, qui vaticinatur id, quod non audivit (ab hominibus morte plectetur) ut Zedekias filius Cnaenæ, quia scribitur*; 1 *Reg.* 22:11. 2 *Chron.* 18:10. *Et fecit sibi Zedekias filius Cnaenæ cornua ferrea. Quid faceret, cum spiritus Naboth seduxerit eum? Quia scribitur* 1 *Reg.* 22: 20, 21. 2 *Chron.* 18: 19. *Quis persuadebit Achab, ut ascendat & cadat in Ramoth Gilead? vs.* 20. *& exivit Spiritus, & stetit coram domino, & dixit: Ego persuadebo ipsi. vs.* 21. *& dixit. persuadebis & etiam prævalebis ei; exi & fac ita.* (ζ) *dixit R. Juda: Quid est Exi? Scilicet ex tabulato vel conclavi meo. Quid* Spiritus? *dixit R. Johannes; Spiritus (anima) Naboth, vel Jesreelitæ: fuisset Zedekiæ hoc advertendum secundum R. Isaacum; quia dixit R. Isaac; Argumentum unum obvenit pluribus prophetis (est verbum elocutionis Spiritus S. subit cor eorum, tunc per dictionem seu phrasin hanc, alteri autem per illam, & omnes, illum unum) neque tamen duo Prophetæ prophetant tenore seu phrasi una &c.* Fallunt inquam hic Rabbini, quod primo metempsychosin Pythagoræ sibi imaginantur, qua non tantum Herois anima sutoris corpus ingrediatur, sed & violenta morte licet, injusta tamen sublatorum animæ fuerint dæmones, qui vel seducant homines, vel eorum corporibus illapsi ad instar diaboli mendaciis mortalium animos fascinare soleant. Tum etiam inde quoque hæc sententia fallit, quod absurdissimi isti congruum existimant, animam pie defuncti, quæ in vivis bonis operibus operam dederat, postquam corpore soluta est, demum ad peccata delabi, quæ ipsa etiam horruerat, dum in corpore agebat. Supersedemus ulteriori hujus vanæ opinionis discussioni, quum quæ è re sunt apud Rainoldum legi possint. (η).

§. 4. Nobis hac in re sufficiant pia Nabothi verba, quibus tanquam prophanum Regis postulatum abominatur, atque se quoque abominandum fore denunciat, si ad pravos Regis mores se componeret, ejusque desideriis pessimis obsecundaret. :חלילה לי מיהוה inquit ille: absit hoc per Deum à me, Das lasse der HErr ferne von mir seyn. B. Luth. rectius vertit quam vulgatus; Propitius sit mihi Dominus. Nec opus est, ut multum temporis aut chartæ insumat nobis hæc Vulgati defensio, satis id præstitisse sibi videtur Sanctius (θ); sed magis ex suo, quam ex linguæ sanctæ genio, ad hæc verba enim commentatur. *Nabothus interposita jurisjurandi religione omnem sibi alienandi fundi facultatem præcidit. Est autem apud Hebræos hæc jurandi forma non inusitata, ut etiam libro* 1 *Reg. c.* 24. *vs.* 7. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem. Cujus est sensus: Iratum mihi precor DEUM, si paternam à mea familia hæreditatem distraxero, eam ad alienos abire permisero; seu, quod idem est, propitius sit mihi DEUS, si non tradidero tibi hæreditatem acceptam à parentibus & contra infensus, si tibi sub quacunque conditione concessero.* Verum ut diximus rectius B. Lutherus: חלילה enim non significat propitium esse, cum חלל in pihel notet profanare, ex sancto commune facere: proinde etiam vox חלילה recte à Buxtorff. (ι) exponitur: prophanum, absit; Vox tanquam prophanum aliquid abominantis. Perquam absurdum enim foret interpretatio de Jure jurando (κ) חלילה לך quod DEUS non perditurus sit pium una cum impio, nec id testari opus esset Abrahamo, cui non cum hominibus, sed cum DEO res erat illo in loco. Majore certe cum emphasi, quæ pium animum Nabothi indicet, & petitum Regis abominetur, vocem B. Lutherus interpretatus est; ubi חלילה idem est ac נתעב 1 Par. 21:6. Abominabile visum est Joabo verbum Regis; sicut & hic Nabotho, qui exinde à se procul abesse jubet tam turpe sceleris obsequium. Id ipsum animadvertisse Sanctius mihi visus est; qui subjicit prioribus verbis. *Aut certe si hic nulla intercedit Juris perinde necessitas, sensus erit puto, precorque DEUM; ne tam mihi sit infensus, ut tantum à me scelus patrari permittat. Aut hanc à me impietatem DEUS avertat, ut de vinea ad alienum dominum transferenda cogitem.*

§. 5. Hæc quidem pietas erat & constantia Nabothi, sed qui apud surdum & veritatis nequaquam patientem loqueretur, mirum igitur non est, si tam infelici præmio, calumniis scilicet, criminationibus denique & lapidibus obrutus, misere necabatur. Plus hic virtus invidiæ, quam gratiæ Nabotho contraxerat, etsi enim juste quidem Regis imperium declinaverat, Reginæ tamen crudelitatem nequaquam effugere potuit, quæ simulac è conjuge, quid actum esset, resciverat, partim Regem increpavit, & mœstum etiam solata est, & quid deinceps machinata Sp. S. sequentibus verbis exprimere voluit: (λ) ותכתב ספרים בשם אחאב ותחתם בחתמו ותשלח הספרים אל־הזקנים ואל החרים אשר בעירו הישבים את נבות; ותכתב בספרים לאמר קראו צום והשיבו את־נבות בראש העם והשיבו שנים אנשים בני־בליעל נגדו ויעדהו לאמר ברכת אלהים ומלך והוציאהו וסקלהו וימות: i. e. *& scripsit litteras nomine Achabi, & obsignavit annulo ejus; misitque litteras ad Seniores atque primores civitatis Nabothi, qui juxta eum habitabant. Illa vero scripserat in literis hæc: proclamate jejunium, & collocate Naboth primo in populo loco: & constituite contra ipsum duos homines nequam, qui testentur dicentes; maledixisti Deo & Regi hinc ducite illum, ut lapidibus cæsus moriatur.* Audax sane mulieris consilium, quodque tantæ rei vix sufficere videbatur nisi obsequiis suis paratos habuisset egregie Principi similes sceleratos subditos, vix enim tam facile Judæorum legibus supplicio reus permittebatur. Non satis certe mirari potest Sanctius (μ) hanc mulieris impudentiam, quam graphice describit. Scripserat illa nomine Regis litteras, quibus dubio procul Regis nomen inscriptum erat; id innuere satis videntur textus sacri verba, quæ imperium denunciant, quale mandato Principis ad subditos perscribi solet. Concisa dictio est, quæ auctoritatem Regis deceret, cui mandata populo dare in more positum est, rationem vero reddere facti insolens videtur. Sed & callide admodum exarata est epistola; quo magis enim consilium premeret, veri Dei blasphemiam allegat, quæ tantum fictos DEOS crederet, neglectum cultum divinum indignatur, quæ Prophetas Dei partim neci dederat, partim in exilium abire compulerat. Ut vero hæ literæ tanto magis fidem autori conciliarent, Regis annulo obsignantur בחתמו quod, quid sit exponit brevibus Schelom. Ben Melech (ν) הטבעת שחותמים בה הכתבים נקראת חותם וכן שימני כחותם חותמך ופתילך והטבעת ההיא לא תסור מיד האדם לא ביום ולא בלילה לפיכך אמר כי אפילו יהיה כניה כמו החותם על יד ימין שלא יוסר ממנה משם אסירך ואתקנך: i. e. חותם *Est annulus quo obsignabant literas, vocatur* חתם *quemadmodum dicitur: (Cant. 8.) pone me sicut sigillum tuum & sudarium tuum. Gen. 38:25. & hic annulus non recedit à manu hominis neque interdiu neque noctu, propterea dicit Scriptura sacra; utut sit Chonjahu, sicut sigillum super manum dextram meam, ut inde non evellatur, inde tamen recedere faciam te & evellam te.* Hinc vero patet, quam turpi obsequio partim Achabus parebat uxori, & quanta petulantia uxor Conjugis indulgentia abutebatur. Certe hoc facto universum imperium Achab uxori suæ permisisse videbatur, cum constat, quanti momenti signatorius annulus habeatur. His enim & litteræ, queis ducis imperium accipiebant milites, muniebantur (ξ) Annulo signata Regio epistola Parmenionem securum neci dedit (ο) cum Alexander moriens eum Perdiccæ tradidisset, simul & imperii vires tradidisse credebatur (π) Etsi enim eo facto

(δ) *Ambros. l.* 3. *Off. c.* 2. *p. m.* 340. *seqq. & Cic. l.* 3. *Off. c.* 4. *seqq. p.* 109. *c.* 12. *p.* 122. (ε) *in Tractat. Sanhedrin. f.* 89. (ζ) *Sanhedr. f.* 102. (η) *Rainold. Censur. LL. Apocr. Part.* 1. *pag.* 565. *seqq.* (θ) *Comment. in lib.* 3. *Reg. c.* 21. *vs.* 3. *f. m.* 1306. (ι) *Lex. Talmud. Chald. p.* 764.

(κ) *Genes.* 18:28. (λ) *vs.* 8. 9. (μ) *l. c. f. m.* 1308. *seqq.* (ν) *ad Jerem.* 22:24. (ξ) *Livius lib.* 27. *ubi stratagema Hannibalis annulo interfecti Marcelli signantis literas ad milites locorum præsidiarios.* (ο) *Curt. l.* 7. *c.* 2. (π) *Curt. l.* 10. *c.* 5. *&* 6.

facto non illico ſucceſſor, adminiſtrator tamen regni deſignatus eſt. de qua annuli poteſtate & arctiſſima aſſervatione hujus loci non eſt, ut diutius inquiramus, cum labori huic vacare nos juſſerit Kirchmannus (ϱ).

§. 6. Harum vero litterarum crimen, quo religioſius tegeret, indici juſſit jejunium, quale ſcilicet in calamitatibus publicis populo Judaico uſitatum erat, ob ingens aliquod & nefandum ſcelus, quo putabant DEUM ad vindictam excanduiſſe. Quomodo & Achab jejunavit, quum ad gravem Eliæ increpationem, pœnitentiam ſimularet, de qua multum tradunt Rabbini (σ). Hoc vero in jejunio dubio procul & femora percuſſerunt, quod in luctu alias ipſis ſolitum erat; & veſtes laceraverunt, qui mos in pœnitentia publica obtinuit præſertim ob auditam blaſphemiam (τ), qualis hoc loco in accuſatione Nabothi producta eſt. Teſtes enim falſi erant, nebulones quidam duo בני בליעל, homines viliſſimi, nullius conſcientiæ, fraudulenti; qui & ipſis conductoribus ſuis vileſcerent: dixit enim R. Aſſe (υ) *Teſtes mendaces conductoribus viles (ſeu contemti) ſunt: quia ſcribitur 1 Reg. 21: 10. & collocate duos homines Belijaal coram ipſo & teſtentur contra ipſum dicendo: benedixit (maledixit)* Naboth Deo & Regi.

§. 7. Hæc ſcilicet ſumma erat accuſationis ברכת אלהים ומלך Benedixiſti vel maledixiſti DEO & Regi: Accuſatio tam gravis quidem quam falſo in Nabothum innocentem ingerebatur. Scriptura enim ait ברכת benedixiſti, quod per antiphraſin ſeu euphemiſmum dictum exiſtimat Sanctius (φ) qui hac in re non diſſentit à B. Luthero (χ) ut & Buxtorff. (ψ). An vero hoc loco intelligatur ea maledictio, qua nomen יהוה expreſſe pronuntiaverit, quæ maxima ſolet haberi blaſphemia; an vero alio modo, noſtrum non eſt dirimere. Non tamen incongruum videtur, ipſam Jezabelem crimen læſæ Majeſtatis Regiæ intentatum Achabo, de maledictione quoque DEI interpretatam fuiſſe, quum noſſet id legibus Judæorum receptum eſſe, & Scripturæ congruum, quam ipſa quidem non admittebat, forſan tamen noverat. Quamvis non inficias eamus commode duorum criminum diverſorum hic Nabothum reum agi; id enim videtur requirere circumſtantia textus, qua inſtitutum Jejunium ſolenne dicitur, quod ob ſolam Majeſtatem læſam vix denunciabatur.

§. 8. Jam vero certum omnino eſt, ſi horum criminum juſte convinci potuiſſet Nabothus, jure eo ſupplicio affectum fuiſſe; de Blaſphemia enim in Deum expreſſe Scriptura (ω) Quicunque maledixerit nomini Domini, morte moriatur, univerſus populus lapidibus ipſum obruat. Quod edictum morte quoque blaſphemi ſancitum legitur in loco allegato, & in N. T. eſt Joh. Cap. 8. periculum, quod Judæorum profunda malitia JESUS incurrerat, quum ſe verum DEUM pronunciaret, probat, firmiter hanc opinionem & legem de lapidando blaſphemo animis Judæorum ſediſſe. *De Rege vero & Principe non eſt adeo aperta lex*, (inquit Sanctius.) (a), *ſed eſt veriſimile ex lege, ſeu ex conſuetudine hanc in principes injuriam eſſe capitalem, ut putat Abulenſ. quæſt. 5ta & colligit ex illo Exod. 22. Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices. Et ex cap. 22. qui maledixerit patri ſuo, morte moriatur, at Princeps pater eſt patriæ, & eo nomine ab antiquis afficitur & colitur.* Hæc Sanctius haud male, niſi quod forte priora verba ex Abul. legi huic infirmum nimis fundamentum ſubſternunt, quando illud ex ſola populorum conſuetudine repetunt, cum tamen paulo poſt diſerte Scriptura S. doceat, DEI ſanctionem eſſe, ut qui maledixerit parentibus, ſupplicio pœnas luat; certum vero omnino eſt parentum nomine etiam ipſos Principes & Magiſtratus comprehendi.

§. 9. Quum vero hæc è falſis teſtibus contra Nabothum jactabantur, mirum eſt, eam fortunam ipſum ſubire compulſum fuiſſe, quæ nocentes premit deque ipſis vindictam ſumit. Licet enim teſtes hi id quidem dixiſſent, quod factu impoſſibile non erat, idque teſtati erant in uno Synedrio (quas conditiones teſtibus adeſſe debere Maimon. (b) aſſerit) Attamen ipſi inepti erant; quod homines eſſent בליעל contempti & viles, ut §. 6. dictum eſt; horum vero teſtimonium nullatenus admitti debebat, notante Maimon. l. c. quin potius ipſos manebat falſi teſtimonii eadem pœna, qua quidem innocentes perire voluerant, Maimon. (c). Verum enim vero quum & Judices corrupti eſſent, & ab arbitrio & nutu ſceleratæ mulieris penderent, ea morte peremptus eſt quæ vere reis debebatur lapidatio.

§. 10. Poſtquam enim his omnibus falſo licet audacter tamen Nabothum teſtes ſubornati criminati eſſent, ipſe quoque ſupplicio addictus eſt: quod ſcripturæ verba hoc modo deſcribunt (d): ויציאהו מחוץ לעיר ויסקלהו באבנים וימת i. e. Et eduxerunt eum extra portam & lapidarunt eum lapidibus ut moreretur. Cum ſcilicet corrupti judices, falſis teſtibus conſenſiſſent, ſententia de ipſo morte plectendo pronunciata eſt, qua ut lege divina (e) cautum erat; extra portam ducebatur reus, ut in locum quendam editiorem deductus, præcipitatus occumberet, vel lapidibus demum cæſus neci daretur. Morem quem in hoc ſupplicii genere obſervabant, ex Scriptura declarat Excellentiſſ. Dn. D. Pfeifferus (f), & Sanctius (g); eundem etiam plenius cognoſcere licebit ex iis, quæ eleganter hanc in rem diſſerit Johann. Seldenus (h). *Lapidabatur reus ad hunc modum. E ſuggeſtu binis hominis ſtaturis alto à teſtibus pronus in ſaxum dejiciebatur, nudus præter verenda, ſed fœmina non alibi nuda, quam in pectore, quod in ſaxum illidendum. Si non ita moreretur, jactu lapidum populus circumſtans eum interficiebant. Blaſphemus & Idololatra lapidatus adeoque mortuus, etiam trabi in terra fixæ alligatus ſuſpendebatur. Sed ante occaſum ſolis ſepulturæ tradendus. Inde Joſephus*, μείνας δι' ὅλης τ῀ ἡμέρας εἰς θέαν τ῀ ἁπάντων θαπτέσθω νυκτός. Οὕτως ῟ καὶ οἱ ὁπωσοῦν ὑπὸ τ῀ νόμων ἀναιρεθῆναι κατακριθέντες, *toto die in ſpectaculum omnium manens noctu ſepeliendus erat. Quemadmodum etiam lex obtinuit de ceteris morte punitis.* Quod alias addunt de impoſitione manuum & primo jactu lapidis à teſtibus facto, recenſet Sanctius l. c. Illud interim notamus, ſupplicii hoc genus tantum certis delictis fuiſſe peculiare, quæ recenſet Seldenus (i) Grave admodum erat, & inter diriſſima mortis genera habebatur; *nam lapidationis pœna, quæ graviſſima erat* (inquit Seldenus) (k) *ritus traditur fuiſſe* (l), *ut in proſtrati pectus primo lapis unicus à teſtium altero immitteretur.* Id hic tantum notamus lapidati cadaver in ſublime ſuſpenſum fuiſſe non capite, ſed manibus (m).

§. 11. Atque hic fuit exitus nobiliſſimi Jeſraëlitæ, nec inſontis modo, ſed eximiæ quoque pietatis in Regem; qua cæde crudeli exultans Iſabel Achabum accendens, *Surge*, ajebat (n) *occupa vineam Naboth, quam antea tibi negaverat, is enim mortuus eſt; quo audito & ipſe Rex conjugis ſcelere lætus ad vineæ poſſeſſionem deproperabat.* An vero jure ſucceſſionis, an jure Regio, quo rei bona ipſius ærario addicebantur; an denique præter jus faſque omne hanc vineam occuparit, Abulenſis (o) & Cajetanus diſquirunt: in hac vero re quamvis certi nihil ſtatuere tuto liceat, non tamen improbandam facile eſſe cenſemus Rabbinorum (p) opinionem, qua tradiderunt: *Qui regio juſſu occiſi ſunt (i. e. qui condemnati ſunt ſupplicio capitali à Regibus Iſraël: ut qui rebellarunt in Regem &c.) bona eorum cedunt fiſco. Eorum autem, qui occiduntur ſententia domus judicii, bona cedunt heredibus. R. Juda dicit: etiam illorum bona, qui regio juſſu occiſi ſunt, cedere heredibus. Cui dixerunt: at annon jam ſcriptum eſt? 1 Reg. 21:18. Ecce eſt in vinea Naboth, in quam deſcendit ejus occupandi cauſſa. Quibus reſpondit R. Juda: Achabum fuiſſe patruelem Nabothi, cui jure hereditario à morte Nabothi convenerit occupatio illius. Regerentibus illis: at nonne Naboth multos filios habuerit? (ergo neſcimus, unde hoc habeant) reſpondit R. Juda eis; ſcil. Achab Nabothum & filios ejus interfecit; quia dicitur 2 Reg. 9:26. ſi non ſanguines Nabothi & ſanguines filiorum ejus vidi. At Rabbini hoc intelligunt de filiis non jam actu natis, ſed qui ab iis naſci potuiſſent. In pace (extra controverſiam) eſt ſecundum eum, qui dixit: bona eorum cedere fiſco Regio; hoc ipſum eſſe, quod ſcribitur, 1 Reg. 21: 18. Maledixit Naboth Deo & Regi. Sed ſecundum eum, qui dixit: bona eorum cedere heredibus:*

 quor-

(ϱ) *Kirchmann. Tract. de Ann. pag. 75. cap. 11. pag. 58. cap. 5. p. m. 24. ſeqq.* (σ) *in Tract. Taanioth. f. 25. ad 1 Reg. 21: 29.* (τ) *Num. 4: 6. 2 Reg. 18: 37. Matth. 26. 6, 5. vide Avoda Sara c. 2. & Sanhedr. c. 7. p. 5.* (υ) *in Tract. Sanned. f. 29.* (φ) *ad h. l. f. m. 1310.* (χ) *Gloſſ. ad h. l.* (ψ) *Lex. Talmud. f. 358.* (ω) *Levit. 24: 11. & 14. 16.* (a) *Sanct. Comment. in h. l.* (b) *de Teſtim. c. 4.*

(c) *De Falſ. Teſt. cap. 18. Num. 1. & 4.* (d) *vſ. 13.* (e) *Levit. 24: 14. & Deut. 17: 5.* (f) *in Antiquit. Ebr. ſelect. c. 2. §. 4. & 5. pag. 14. 15. ſeqq.* (g) *Comment. in h. l. f. m. 1310.* (h) *de Synedr. l. 2. c. 13. p. 330. 331. ſeqq. ex Miſchn. tit. Sanhedr. c. 6. & Maimon. in h. l. c. 15.* (i) *l. c. pag. 332.* (k) *de Jure N. & G. juxta diſcipl. Hebr. lib. 4. c. 8. p. m. 534. ſeqq.* (l) *Miſchna tit. Sanhedr. c. 6.* (m) *Vid. Excell. Dn. D. Pfeiff. l. c.* (n) *vſ. 15. 16.* (o) *apud Sanct. comment. in h. l. f. m. 1311.* (p) *in Tract. Sanhedr. f. 48.*

quorsum mihi & Regi (*ergo si ideo, quia voluit eum interfici, ut heres ejus fieret, quia propinquus ejus erat; per, maledixit Naboth Deo, id jam satis consequi potuisset,*) *secundum tuam autem mentem Deo quorsum mihi?* (*Ergo si secundum mentem tuam, ideo, ut eum reum facerent mortis ex rebellione in regiam majestatem, quia dixit Regi: quorsum ergo mihi dicere voluit, Deo? cum ecce satis reum eum fecisset per crimen læsæ Majestatis*) *sic hoc ideo adjectum erat, ut judicum augeret indignationem contra Nabothum.* (*Ergo ne judices conquererentur de Achabo, quod sine caussa jusserit eum occidi, & abs delicto*) *Respondeo: hic pariter etiam τῷ Regi adjectum esse, ut judicum augeretur indignatio; in pace est,* (*sive extra controversiam*) *secundum eum qui dixit, eorum qui Regio jussu occiduntur, bona &c.*

§. 12. Id nobis certum relinquitur Achabum, melioris fidei possessorem vineæ non fuisse, quam eam acquisiverat, cæde & sanguine innocentis; indigne enim Dominus tulit, atque facto huic gravissime indignatus est, quo ipso impietatem utriusque conjugis satis arguebat. Quum enim Achab consilio mulieris pareret, in cultu divino juxta ac regno administrando misera morte periit, atque ipsius Conjux digno quoque & longe meritissimo supplicio necata est. Principis enim è vulnere manantem sanguinem canes lingebant, corpus meretricibus lavandum permissum est; Uxor vero è præcipiti devoluta fœdos canes carne sua meretricia pavit. Qua de re multa Judæi & fabulantur, & ex vero quoque nonnulla haud injucunda lectu commentantur (q); *Scilicet, dixit R. Eleasar* למרק *ad perpoliendum seu extergendum* (*E. ad acuendum & illuminandum. q. d. laverunt, & claræ factæ sunt duæ visiones propheticæ, quæ prædictæ erant de eo*) *duas visiones, unam Michæ, & alteram Eliæ. De Micha scribitur v. 29. si revertendo reverteris in pace, non loquutus est Dominus per me. De Elia scribitur cap. 21: 19. Quo in loco linxerunt canes sanguinem Nabothi, Raba dixit: revera & proprie dictas meretrices significari voce hac* זונות *Zonoth, Achabum fuisse virum frigidum, minus proclivem in Venerem: Quare Izabelem fecisse ei duas imagines meretricum in curru ipsius eum in finem ut aspectu earum ad Venerem accenderetur* (*Atque hoc ipsum est, quod dicitur, laverunt: scilicet quod illæ ipsæ meretrices seu meretricum imagines conspurcatæ sanguine Achabi, lotæ fuerint à sanguine Achabi*) 1 *Reg.* 22: 33. *Et vir traxit vel tetendit arcum* לְתֻמּוֹ *secundum integritatem suam R. Eleasar dicit, id intelligendum esse,* לְפִי תֻמּוֹ *secundum integritatem suam* (*omnibus viribus suis*). *Raba dixit: eo significari* לתמם *ad complendum* (*seu absolvendum*) *duas visiones, unam Michæ; alteram autem Eliæ, &c.* Et inter alios quoque *de Jezabele* (r) *tradidit filius Kaphra: si de refœtida sive ultra edendi tempus relicta, judicatur, non juvat, quo minus vocetur fœtida, ut ut homo ad dimidiæ olivæ quantitatem cogitarit de ea edere extra locum legitimum* (*quasi vocari posset illegitima potius ratione loci, quam fœtida ratione temporis illiciti*). *Nam si dimidiæ olivæ quantitatem extra tempus debitum edere cogitaret homo, idem est ac si totam edere olivæ quantitatem cogitarit, & sic res nihilominus manet fœtida. Dixit R. Jannai: existimat* (*R. Asse*) *quod comederint illam* (*Isabelem*) *canes die crastino, & sic posset vocari res fœtida, sive ultra tempus relicta, quia scribitur: & Isabelem comedebant canes in agro Isreel. Regessit Raf Amme: Oppono: quod cogitarit* (*R. Asse*) *de carne Isabelis crastino die ab igne comedenda, quia scribitur: Comedet illum* (*improbum*) *ignis non sufflatus* (*Job.* 20.) *an tum etiam dici potest rem esse fœtidam? quod si affirmes etiam hoc sensu rem esse fœtidam, regero: annon traditio extat: Si quis cogitarit edere ad dimidiæ olivæ quantitatem, & comburere ad dimidiæ olivæ quantitatem, res manet apta, & non fit fœtida, quia comestio & combustio non conjunguntur ad quantitatem olivæ constituendam, & sic rem reddendam fœtidam.*

§. 13. Sed nec aliæ desunt rationes præter eventum, quibus facti hujus malitiam & sceleris atrocitatem cognoscamus. Præterquam enim quod noverat legem divinam de non alienanda paterna hereditate in perpetuum: nec ipse is erat, qui pro arbitrio de bonis subditorum disponere poterat. Is equidem Rex atque princeps, qui subditos veluti cives suos fecit, & rerum, quas civitas complectitur, omnimodum dominium primus acquisivit, eam potestatem habet in bona subditorum (ex sententia Dn. Puffendorff. (s) quam pater familias in patrimonium suum; ita ut possessio subditorum sit mere precaria. At vero talis origo Dominii Regii apud Hebræos non erat, quin potius ipsi ceu populus atque communis quædam civitas, Regem sibi tantum deligi à Samuele præcabantur. *Ubi itaque bona civium originarie à rectoribus non dependent, summo imperanti id tantum potestatis in eadem competit, quantum ex imperii summi natura per se fluit, nisi cives amplius quid ultro ipsi detulerint.* Non male doctiss. Puffendorff. (t) Jure itaque vineam Regi Naboth negavit, in cujus possessionem lege divina immissus erat, nec ab Achabo eam accepisset vineam, neque civitas, in qua degebat, aut qua oriundus erat Naboth, ab Rege in formam civitatis aut populi redacta erat. Id vero hic non est omnino insuper habendum, quod potestas talis Regis ea sit, qualis ex imperii summi natura per se fluit; hic vero nec Regni utilitas, neque necessitas flagitabat, ut hunc in modum dominio Naboth se abdicaret. Si quidem tempore belli muniendæ urbi vinea cessisset, aut ob annonæ caritatem fructus exinde repetendi fuissent, dubium est, an Naboth vel restitisset Regis imperio, vel etiam resistere potuisset. Cum vero soli voluptati & libidini ager permittendus esset, injuste eum Achab exegit, & multo crudelius deinde innocentis cæde sibi comparavit.

§. 14. Neque vero dominii eminentis (ut vocant) natura, Achabo subsidio esse potest, qua, quod alias naturalis æquitatis est, ut ad conservandam quampiam rem communem nullus super cæteras oneretur, in tantum cessat, ut ex necessitatis lege res quæcunque bono communi inservire possent etiam paucorum in usum communem adhibeantur. Hoc enim dominium locum non habet nisi Reipubl. necessitas requisiverit: de qua optime monet Bœcler. (u) habere eam suos gradus, neque ultimum semper ejus articulum sumendum esse; neque tamen liberalem ejus extensionem esse faciendam, sed quantum fieri potest ad æquitatem temperandam esse. Nulla vero necessitas Achabo incumbebat, nullum Reipublicæ periculum hanc cupiditatem Regis urgebat, sed mera habendi libido, & delicatus scelerati animus. Non jam dicam, quod ea forsan libertate Reges Israëlitici non gavisi sint; qua Gentium Reges pollebant: si enim vera sunt, quæ doctissimus Schickardus (x) refert, in jus vocari potuerunt Reges. Quæ sententia non omnino improbanda est, siquidem eandem limitata potestas in suppliciis irrogandis quoque confirmat. Eleganter autem illud ostendit Selden. (y) *Gladius, inquiens, ad homicidas spectabat; & ad homines Urbis incitantis ad idololatriam. Tres illæ reliquæ* (*lapidatio, combustio & strangulatio*), *ad Synedrium tantummodo sive Magnum sive minora attinebant, ex Legis sensu. Neque in judicio Regio* (*de quo inferius*) (z) *earum ullus usus legitimus. In judiciis enim Regiis Capitalibus, gladio soli locus erat.*

§. 15. Sed nec Jus regium (α) Achabo patrocinatur, licet enim agrorum quoque mentio ibi facta sit, non tamen ea potestas Regis libidini aptata erat, sic necessitatis & Reipublicæ commodo. Si vellemus hic eorum sententiæ accedere, qui negant loco cit. Jus regium, sed tantum factum permissionem indicari, quorum catalogum refert Voet. (β), quibus Melanchth. & Schickardum addit; facili negotio res tota confici posset; Verum cum ex Magnif. Dn. D. Calovii (γ) scriptis & B. Gerhardi, B. Bœcleri (δ) aliorumve satis abunde sententia ista confutata sit, agnoscimus in loco citato Jus Regium; illud tamen, quod nec legibus divinis positivis nec æquitati naturali repugnat, quod fuit Achabi factum, quod quale etiam adductis rationibus ut injustum hactenus & Tyrannicum examinavimus. Cumque istud Jus Regium perspicue admodum exposuerit Dn. D. Calovius, nobis hic brevioribus esse licet, atque cum Deo huic Disputationi imponimus

F I N E M.

(q) *Tractat. Sanhedr. f.* 39. (r) *In Tractat. Zevachim f.* 31. *Ibid. f.* 39. 2. 1 *Reg.* 22: 36.

(s) *De J. N. & G. l.* 8. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 1144. (t) *l. c.* §. 3. *pag.* 1146. (u) *Bœcler. Not. ad Grot. l.* 1. *c.* 1. §. 6. (x) *Schickard. de Jur. Reg. Hebr. p. m.* 141. *seqq.* (y) *De Synedr. lib.* 2. *cap.* 13. §. 4. *p. m.* 330. (z) *De Synedr. l.* 2. *c.* 14. §. 1. *p. m.* 357. (α) 1 *Sam.* 8. (β) *Voet. Part.* 4. *disput. Theol. select. pag. m.* 226. *seq.* (γ) *Dn. D. Calov. in Bibl. Illustr. ad* 1 *Sam.* 8. (δ) *In Not. ad Grot. de J. B. & P. l.* 1. *cap.* 4. §. 3. *ut & Magnif. Dn. D. Caspar. Ziegler. in notis ad Grotium l.* 1. *cap.* 4. §. 3. *p. m.* 162. *seqq.*

JOH. HELV. WILLEMERI
DISSERTATIO
De Pallio Eliæ ad 2. Reg. I: 8.

Ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίε.

§. I.



Psummet DEUM habent auctorem vestimenta, saluberrimo consilio primis humani generis Parentibus concessa. Nec istorum tantum, sed Sacerdotum etiam Leviticorum cultus DEUM agnoscit auctorem. Ejusdem quoque peculiari jussu Prophetæ suum mutaverunt nonnunquam habitum. Quin nec vulgarem iidem temere assumserunt; eum potissimum, cujus perpetuam in S. Literis memoriam extare voluit DEUS sapientissimus.

II. Constat id luculenter Eliæ Thesbitæ exemplo, qui pallium temere nec sumsit, nec usurpavit unquam. Idemque sibi faciendum, rectissime existimavit D. Johannes Baptista, inter mortales maximus. Qui quam proxime, etiam vestitu, accedat ad Eliam, Divinis consignatum literis, perpetuaque memoria dignum est.

III. Quapropter in eam tandem sententiam concessimus, nos nequaquam rem prorsus indignam, omnique rationum momento destitutam suscepturos esse, si istud de utriusque Eliæ pallio argumentum ex fontium consilio, paulo attentius consideraremus. Quod bene feliciterque procedere jubeat Numen benignissimum!

IV. Sunt in universum quinque Divinioris Scripturæ in Veteri Fœdere loca, 1. Reg. 19: 13. 19. 2. Reg. 2: 8. 13. 14. quæ pallii Eliæ disertam mentionem faciunt, notione אדרת: de qua, cum multum inter se discrepent eruditorum sententiæ, primum nos decet esse solicitos.

V. Dedit ei originem verbum אדר, quod in prima passive & tertia active significandi classe, tribus, quibus habetur, Scripturæ locis *magnificentiam*, suis rationibus nixam, aliisque metuendam designat Exod. 15: 6. 11. Jesai. 42: 21. Hinc nostrum quoque אדרת *rem* quamcunque *magnificam* denominat, utpote vitem primum *generosam* Ezech. 17: 8. tum ædes Hierosolymorum *splendidas* Zach. 11: 3. post vestem, potissimum *pretiosam* atque affabre contextam.

VI. Hanc satis manifeste perspicere licet, in significato per notionem אדרת magnifico Regis Ninevitarum pallio Jonæ 3: 6. illoque Babylonico, diversis picturæ coloribus intexto & interstincto, indeque satis pretioso. Quod etsi DEO sacrum sive devotum foret, splendore tamen atque pretio suo sacrilegum Achanis animum facile expugnare, & ad designandum enorme facinus impellere poterat Josuæ 7: 21. 24.

Sive Sardanapalus, sive quicunque alius Assyriorum Regum fuerit, cui imminens exitium Jonas prædixit, facile constat, eum satis effœminatum, & præter diversi generis delitias, sumtuosissimo habitu usum fuisse. Unde nomine אדרת magnificam ejus purpuram, auro gemmisque distinctam, ad talos usque demissam communiter intelligunt, quo conferri meretur Celeberr. JCtus *Barnabas Brissonius Lib. I. de Rebus Persicis pag.* 35. Ex Hebræis Doctoribus rectissime ad locum ex Jona adductum *R. Sal. Ben Melech* מכלל יופי *fol.* 151. *cap.* 4. אדרתו היא אדרת המלוכה שעליו ונקראת כן לחשיבותה וגדולתה משרשו שהוא ענין חוזק וגדולה: *Per* אדרת *intelligitur pallium, quo induebatur, regium. Dicitur autem ita, ob magnum sui æstimium atque magnificentiam: cum radix ejus designet rem validam atque magnificam.* Præiverat *R. David Kimchi* Comm. in h. l. f. 566. c. 4. edit. Basil., ubi & *R. Sal. Jarchi* sequitur Targum *Jonathanis*, qui vocem אדרתו transtulit לְבוּשֵׁי יְקָרֵיהּ vestimenta pretiosa & regiæ majestatis suæ. De pallio autem Babylonico, quod Achan furto sustulit, ea, quæ jure dici poterant, industria prorsus singulari congessit Gallorum Celeberr. *Samuel Bochartus* in Phaleg. Lib. I. cap. VI. integro pag. 28--35.

VII. Inde missa Principum Magnificentia, אדרת notat vestem quamcunque, etiam viliorem, villosam puta atque asperam. Ita diserte Moses paratam ex pilis vestem introducit, cutemque infantis Esavi, non sine deformitate pilosam, eidem similem fuisse dicit כְּאַדֶּרֶת שֵׂעָר Genes. 25: 25.

Ubi recte Mercerus inquit: *Quæcunque sunt ex radice* אדר, *insigne quippiam denotant.* Quapropter אדרת si ad vestem referatur, aut valde pretiosam; aut, quod magis frequens, vulgarem prorsusque vilem designat. Iis potissimum in locis S. Scripturæ, ubi שׂער, materia ejus vilior, statim adjecta habetur, ut Genes. 25: 25. Zachar. 13: 4. *Assurgit* igitur אדרת in vestitu modo *ad* splendidissimam regiæ aulæ *magnificentiam*; modo *ad* facile parabilem, *vilissimum*, aspertimumque Prophetarum, & vel rusticæ casæ, cultum *deprimi* dicitur.

VIII. Majorem cultus divini atque mentis puræ, quam corporis ornandi curam Nasiræi habuerunt: indeque simplex atque asperior eorundem habitus nomine אדרת Hebræis venit. Testatur de isto in Concordantiis R. *Mordechai* Nathan, inquiens: פירושו לבוש מה מיוחד לנזירים *significat genus quoddam vestimenti Nasiræis proprium.*

Ad quem locum tempestive monuit *Cl. Fullerus*, Miscell. S. Lib. IV. Cap. VII. pag. m. 444. interpretem Latinum concordantiæ, Basileæ typis exscriptæ, minus bene reddidisse: Christianis proprium, non observato discrimine inter נזירים atque נוצרים, non illo, sed hoc nomine, à Jesu Nazareno, Judæis per contemtum dicuntur Christiani. De aspero autem ac viliori Nasiræorum vestitu videatur. *Hottingerus* Thesaur. Philol. Lib. I. Cap. I. sect. 5. p. 24.

IX. Illud omni dubio caret, quibusdam Prophetis voce אדרת asperum ac levidensem cultum tribuere Spiritum S., sive isti dignitatem muneris Prophetici affectantes, externo tantum habitu doctrinæ vitæque Propheticæ sanctitatem profiterentur Zach. 13: 4. sive potius ipso vitæ usu tales sese sisterent, quales juxta divinitus traditum docendi genus haberi volebant.

Istum vatum etiam mendacissimorum morem fuisse testatur ad locum Zachariæ citatum *R. David Kimchi* f. 591. cap. 1. inquiens: כי כן היה מנהג נביאי השקר ללבוש שקים ואדרת שער: *is erat mos falsorum Prophetarum, induere saccos, pilosas levesque vestes.* Idem innuit ראש המפרשים dictus *R. Sal. Jarchi* l. c. כן דרך מסיתים ומדיחים מתעטפים בטליתם כאלו הם אנשים צדיקים למען יקבלו כחשיהם: *Hæc est consuetudo pervertentium atque propulsantium sc. veritatem, sive seductorum atque persecutorum, ut operiant sese pallio, acsi essent homines justissimi, ut assumantur mendacia eorum.* Recte hic אדרת per טלית explicat, quæ quid sit, ipse exposuit ad Genes. 25: 25. f. 27. a. inquiens: כלו כאדרת שער: מלא שער כטלית של צמר המלאה שער פלוקי"ש בל"ע: *Esau erat plenus pilorum sicut pallium ex lanæ confectum atque pilis plenum, quod Galli vocant flocciere.* Cæteroquin טלית est peculiare apud Judæos palliolum, quod, ubi preces ad DEUM fundunt, sibi imponunt. De quo precandi ritu vide Buxtorf. Synag. Judaic.

X. In posteriorum vero censum omnino referendi sunt Elias atque Elisa, veri cultus divini apud Israëlitas Instauratores, maximo zelo pariter ac auctoritate divinitus instructi. Eliæ enim vestis superior, quæ Elisæ postea cessit, quinquies nomine אדרת introducitur 1 Reg. 19: 13. 19. 2. Reg. 2: 8. 13. 14. Ex quibus etiam locis res ipsa omnium optime cognoscitur.

De Elia alias ex instituto diximus: peculiare de Elisa argumentum, ob dignitatem & multiplicem utilitatem suam, peculiarem tractationem requirit. Igitur ex Eliæ vestitu hic solum Ejus pallium contemplabimur. Est autem ἀρχὴ τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις. Quapropter de primaria & propria vocis אדרת significatione in adductis quinque locis dispiciemus. Eam vero ut assequamur, tria in universum adminicula, quæ Eruditi fere monstrant, adhibemus. Cumque primum de genuina ejus origine ac in aliis locis usurpatione ex adductis

adductis facile constet; nunc in legitimum ejusdem usum in nostris sigillatim locis, ac tandem in potiorum linguarum atque Translationum consensum breviter inquiremus.

XI. Est vero apud omnes in confesso, in hisce singulis quinque locis vestimenti genus unum idemque prorsus à Propheta describi, idque non adeo splendidum ac magnificum. Nec enim velut illud Babylonicum, aut effœminatissimo Assyriorum Regi conveniens; sed religiosissimo Vati divino, cum diris calamitatibus conflictanti, est attribuendum. Ne ergo regiam purpuram, auro gemmisque distinctam, aut vestem magnificam, cogitemus, multa prohibent, suo infra loco recensenda.

XII. Translatio omnium antiquissima Græcorum LXX. Interpp. nostris in locis reddidit μηλωτὴ: cujus vocis genuina origo pariter ac significatio facile patet. Deducitur enim à μῆλον, quod, juxta Eustathium, quadrupeda in genere; sic etiam boves atque capras Odyss. ξ. potissimum tamen oves denotat. Hanc rationem sequitur μηλωτὴ, & in communi quamcunque pellem, sigillatim tamen frequentissime ovinam designat: quod Græcorum inprimis Scriptorum usus confirmat.

Audiendus hic Hesychius cum magno Etymologico, ubi πᾶν δέρμα ἢ πᾶσα βύρσα μηλωτὴ λέγεται, *omnis pellis vel omne corium* melote *dicitur*, utut frequentius προβάτειος δορὰ pellis ovina & lanata, juxta Glossarium. Advertendum autem simul discrimen, inter pellem quamcunque, lana vel pilis vestitam, & denudatam. Utraque quidem, prior tamen crebrius μηλωτὴ dicitur. Cujus rationem melius, quam originem determinat *Johannes* XLIV. Episcopus *Hierosol.* de institut. Monach. c. 38. his verbis: *Dicitur melota proprie à melo animali, quod etiam taxus appellatur, de cujus pilis vel pelle facta vestis, quæ est valde hispida, melota proprie vocatur. Quanquam qualibet vestis de pilis animalium asperis, aut de pellibus hispidis facta, melota vulgariter dicatur.* Ejusdem de mele seu taxo sententiæ meminit Primasius in Ebr. 11. Verum origo vocis μηλωτὴ Græca potius est, quam, à melo, Latina. Nec respondet ista de taxi pelle opinio pastoratitiæ Patriarcharum ac Prophetarum vitæ, quæ majorem ovium ac caprarum, quam melorum copiam facillime suggerebat. Hinc rectius *Sedulius* in Ebr. 11. *Est autem melota, inquit, pellis caprina, ex uno latere dependens, qua Monachi utuntur Ægyptii.* Omnium rectissime vero in communi asserit *Lucretius* Lib. V. Sancti solebant *pellibus & spoliis corpus vestire ferarum.* Exiguam igitur melotæ hujusmodi rationem habent, ejusque materiam minime retinent, qui voces מִילָא / מִילְתָא Chaldæis in Targumim atque Rabbinis in Peruschim frequentes, deducunt ex Græco μηλωτὴ: cum hæc hispidam quamcunque pellem; מילתא non item, sed lanam purissimam, mollissimam, à Mileto Joniæ urbe dictam, ejusque, cæteroquin præstantissimæ, lanæ similem designet. Et quanquam usu sacro, in Novi Instrumenti libris tantum semel recepto, Ebr. 11: 37. μηλωτὴ diserte distinguatur ab αἰγείοις δέρμασι sive caprinis pellibus, recteque à Beza atque Tremellio reddatur pellis ovilla; inde tamen non vapulat B. Lutherus, transferens Peltz / generaliori μηλωτῆς sensu concesso, diversa pellium genera rite complectens. Cæterum LXX. Seniores Græci vocem אדרת non semper per μηλωτὴν reddunt, sed interdum per δορὰν δασεῖαν Genes. 25: 25. i. e. pellem hirsutam, cum pilis aut vellere recens detractam, qualibus δοραῖς ad tegenda corpora utebantur prisci homines, teste *Diodoro Siculo* Lib. I. Biblioth. p. 14. Inde per στολὴν ἢ ψιλὴν ποικίλην Jos. 7: 21. stolam nudam, scil. μαλλῶν ἢ τριχῶν villis aut pilis, variegatam tamen; Ubi & Aquila habet στολὴν βαβυλωνικὴν; Symmachus vero ἔνδυμα συνάρ. Nonnunquam ὁ transtulerunt per δέῤῥιν τριχίνην Zach. 13: 4. Sunt vero δέῤῥεις juxta Hesychium παχέα ὑφάσματα crassa texta seu vestimenta. Materiam atque confectam inde vestem vocabulo δέῤῥις denotari dicit Magnum Etymologicum: δέῤῥις ἱμάτιον παχὺ, ἢ δέρμα, vox δέῤῥις notat crassam vestem, vel pellem. Tandem Græcis pallium, interioribus vestimentis exterius superinjici solitum, dicitur ἱμάτιον, τὰ ἱμάτια Matth. 9: 20. 21: 7. Joh. 19: 5. Act. 12: 8. frequentiori tamen usu quæcunque vestimenta designat, ut Matth. 11: vs. 8. 17: 35. Hebr. 1: 11. Jac. 5: 2.

XIII. Ex Chaldæis Jonathan in locum vocis אדרת substituit שׁוֹשִׁיפָא in omnibus de Eliæ pallio locis. Quæ vox Chaldæis interdum in communi vestimentum notat; usitatissime tamen sigillatim ad pallium & togam, quin etiam amiculum quodcunque vel peplum transfertur. Quo sensu paria facit cum Hebræorum שִׂמְלָה מְעִיל כְּסוּת & אדרת.

Cæteroquin Jonathan Paraphrastes nostrum אדרת transfert אִצְטְלָא Jos. 7: 21. quod sæpe etiam scribitur אִסְטְלָא אִצְטְלָא respondetque exacte Syriaco nomini ܐܣܛܠܐ quod à Græco στολὴ esse, ipsa res loquitur, per frequentem satis ܐ, mehaghjono sæpius notati, προθέσει. Porro Onkelos אדרת commutat cum גְּלִים Genes. 25: 25. quam vocem Targum quoque Esther. 8: 15. adhibet, sub significatione pallii, togæ atque stolæ. Respondet ea Hebræo גלום, quæ vox μονήρης de pretiosissimis palliis sive involucris usurpatur Ezech. 27: 24. & à Syro redditur ܡܐܢܐ quod vocabulum instrumenta quæcunque, & sic etiam vestimenta atque arma denotat. Origo ejus statuitur ܡܐܢ molestus, tædiosus fuit: quia vestimenta, inprimis militaria, satis molesta sunt. Sed rectius alii arcessunt à مان de rebus necessariis prospexit, portavit commeatum, paravit, aptavit, unde مونة commeatus & مانة abdomen, hypochondrium, plur. مانات quæ similiaque à natura subministrata instrumenta indigentiæ humanæ succurrunt, optimeque prospiciunt. Idemque præstant ea, quæ ars suppeditat, instrumenta, unde מָאנֵי דַהֲבָא כַּסְפָּא דִּבְרְזֶל וּנְחָשׁ vasa aurea & argentea, ferrea & fictilia suam denominationem habent. Sigillatim in genere vestimentorum, מָאן דְּמְשַׁךְ instrumentum pellis sive vestimentum pelliceum dicitur Levit. 13: 49.

XIV. Latinus Interpres Vulgatus אדרת ubique convertit *pallium*; Pagninus & Arias Montanus *chlamydem*; Tigurina *stolam*; Junius & Tremellius semper *togam*, semel Jonæ 3: 6. *paludamentum*: B. Lutherus ein Fell Genes. 25: 25. Purpur Jon. 3: 6. alias semper ein Mantel / idque rectissime: cum propter usus, quos laxior iste vestitus Eliæ præstitit, tum ob Orientalium pallia gestandi institutum.

Esse discrimen inter togam, stolam, paludamentum, sagum sive chlamydem atque pallium, omnes Latine docti ac antiquitatis mediocri tantum notitia instructi facile intelligunt. Quod quale sit, solicite admodum investigant antiquitatis scrutatores. Nominandi hic inter eos *Claudius Salmasius* annotatis ad pallium Tertulliani, *Justus Lipsius* Lib. I. Elector. c. 15. *Lazarus Baifius* libr. de Vestibus, *Octavius Ferrarius* de re vestiaria, *Aldus Manutius* Pauli Filius lib. II. de quæsitis per epistolam epist. 2. p. 276. *Guilhelmus Budæus* annot. poster. ad pandectas p. 350. seqq. *Joh. Baptista de Cavalleriis* Antiquit. Roman. *Carolus Sigonius* lib. 3. de Judiciis, *Joh. Rosinus* Antiquit. Roman. Lib. V. cap. 31. p. 874. seqq. Hic potissimum disquiritur, quodnam inter adducta vestium nomina Latina, omnium convenientissime Ebræum אדרת exprimat? in nostris de Elia locis vocem pallii præferimus. Recte enim Piscator confutat vocem *paludamenti*, à Junio & Tremellio adhibitam. Cum in castrensi vita Imperatori potissimum paludamentum conveniat, minime Regi Assyriorum effœminatissimo, multo minus Eliæ. *Toga* vero Romanorum fere propria tempore pacis fuit, puerilem dicamus sive virilem, eamque puram aut pictam. *Chlamys* sive sagum armis superindui solitum, & belli tempestate Romanis usitatum, cum ea vivendi ratione, quam Elias iniit, parum convenit. *Stolam* tandem inter muliebres vestes plerique cum Ulpiano referunt. Superest igitur, ut *pallio* hic primum concedamus locum. Quanquam enim Romani istud etiam in usu habuerint; Græcis tamen ut proprium vendicant *Taubmannus* ad Plauti Aulular. act. 4. sc. 4. pag. 184. *Rosinus* Antiquit. Rom. pag. 895. b. aliique. Apud Chaldæos etiam pallium usu viguisse, ad vocem סרבל Hebræi Doctores monent. Ita enim *Jachiades*: סרבלין sunt vestimenta, quæ totum corpus operiunt, cum homo è domo sua prodit in publicum, vocanturque Hispanice mantilo. Et *Elias* in Thisbi: סרבל vocamus vestem superiorem, quæ in lingua Germanica & Italica appellatur מנטיל mantel. Hinc *Baal Aruch* in צרף voces סרבלא דצריפתא exponit טלית נקי לבן pallium nitidum & album. Plura de סרבל dabit *Buxtorf.* Lex. Chald. Talmud-Rabbin. c. 1545. Martinii Lex. Philo ad vocem Sarabarum, *Hottingeri* Smegma Oriental. pag. 79. Ipsos denique Hebræos à pallio gestando non prorsus alienos fuisse, Prophetarum exemplo demonstrat *Dn. D. Quenstedt* Historia Biblico-Ecclesiastica Dissert. I. de Prophetis num. I. §. 10. p. 10. b. cui, in isto etiam eruditionis genere, Optimorum judicio, summa cum laude versato, plura in hisce literarum studiis me debere ingenua confessione testor. De Christianis, tempore nascentis Ecclesiæ in Asia ac Europa viventibus, argumentis haud dubiis confirmatur, quod exemplo D. Pauli 2. Timoth. 4: 13. gestantis penulam (sive lacernam, aliis vestibus superindui, nec tantum in itinere & ad arcendam pluviam, sed & cæteroquin in urbe adhiberi solitam, quo vid. Joh. Hieronymus *Sopranus* Comment. in Davidem, Digress. de re vestiar. Judæor.

Judæor. Part. IV. c. 5. §. 2. p. 458. *Drusius* Præter. N. T. Lib. VIII. pag. 325.) simplicem frugalemque pallii cultum præ splendida toga elegerint. Natum inde proverbium: *à toga ad pallium*, hunc fere sensum habet, à Gentilium idololatria ad Christianum veri DEI cultum se conferre. In quam rem conferri meretur luculentum Tertulliani exemplum, atque scriptum, quod de pallio in lucem emisit, quodque publico egregio Celeberr. *Salmasius* notis illustrius reddidit. Apud Hispanos paria cum אדרת facit vox *Esclavina*, quam Kimchius ad Zachar. 13: 4. & Hispanica Translatio in nostris de Eliæ pallio locis adhibet. Est autem Esclavina *penula scortea, ex pellibus, iisque proprie lanatis aut villosis, vel metonymice (sicut eadem vox Hispana, quæ* Schiavina *dicitur Italis, à Philippo Venutio redditur)* gausapina penula, *vestitus quidam villorum & fili crassitudine insignis, Galeottis, id est, miseris remigibus servisque usitatus: atque ad verbum*, servilis *nuncupatus utrobique, tum apud Hispanos, tum apud Italos*, ut habet Celeberr. *Fullerus* Misc. S. Lib. IV. cap. VII. quod ex instituto de אדרת agit. Consensum testatur de Hispanica voce *Sanctius* Commentar. in 4. Reg. 2. col. 1352. d.

XV. Dimissa igitur voce, ipsam rem consideraturi dicimus: Pallium Eliæ fuisse genus vestimenti extimi, quod sibi ex camelorum pilis aut ovinis pellibus paraverat, oblongum, universo corpori tegendo aptum, ad peculiarem Elisæ vocationem & miraculosam aquarum divisionem ab Elia primum, tum Elisa quoque adhibitum: quale cum ab aliis, tum potissimum à D. Johanne Baptista fideli imitatione redditum.

XVI. Superiorem atque exteriorem habitum fuisse אדרת monstrat, quod omnium oculos facile incurrere 2 Reg. 1: 8. ab aliis membris ad faciem simul tegendam trahi 1 Reg. 19: vs. 13. & non interposita mora, sine gestantis denudatione, alteri potuerit aptari 1 Reg. 19: 19.

XVII. Quæ ipsa ex Divinioribus literis facile perspecta cognitaque habentur. Magis autem controversa est ea, quæ conficiendo huic pallio serviit, materia. Nos communi Patrum atque Prophetarum vestitui ovinam pellem lanatam communiter, nec præter rationem, tribui existimamus: eandem etiam Eliæ pallio vendicandam statuimus, non adeo repugnaturi, si camelorum pili, in congenere Johannis vestitu conspicui, quibusdam magis arrideant.

Μηλωτὴν pecori innocentissimo detractam, non tantum Adami vestem, sed reliquorum etiam Patrum atque Prophetarum vestitum symbolicum fuisse, præter Scripturæ 2 Reg. 1: 8. Hebr. 11: 37. loca, suadet convenientissima ovinis pellibus vestiendi, atque ex agrorum cultura pecorumque cura vivendi ratio, quam pii inierunt. Accedit amata primum etiam in cultu simplicitas, atque illustrissima agni immaculati &, ratione typicæ significationis ac pretii æternum validituri, jam tum occisi, adumbratio. Poterat sane monere ea vestis futuræ per agnum DEI redemtionis, qui molli vellere cunctorum operit vulnera populorum, ut loqui amat *Ambrosius*. Sed & divina benignitas ita conspiciebatur, quam eo nomine deprædicat *Irenæus* lib. 3. cap. 27. Humanæ simul fragilitatis documenta in isto vestimentorum genere deprehendebant religiosi, monstrante *Origene* homil. VI. in Levit. Quæ singula alioquin probe cognita habuisse, in vestitu quoque sedulo observasse Eliam, nobis fit verisimile. Certe Chrysostomus, Theodoretus qu. 8. Johannes Episcopus Hierosolymitanus c. 37. Cassianus de Institut. l. 1. c. 2. Alphonsus Tostatus qu. 15. Lyranus, Menochius & Tirinus in 2 Reg. 1. pallium Eliæ vocant *pellem ovinam*. In diversam tamen sententiam abivit Greg. Nyssenus orat. de laudibus Basilii fratris, ubi pellibus *caprinis* Eliam indutum fuisse censet. Cum autem juxta אורח חיים lib. 2. pag. 309. ejusdem speciei pilos licuerit miscere, istud Eliæ pallium ex *pilis caprarum camelorumve* contextum fuisse statuit Sanctius Comm. in 4 Reg. 2. col. 1353. a. Sed *Ludov. de Dieu* & ex eo *Anton. Walæus* in Marci l. 6. statuunt, D. Johannem Baptistam unius *cameli pilosam pellem* corpori suo circumjecisse & pelliceo cingulo firmasse. Hanc quoque sententiam tueri conantur exemplo Eliæ atque eorum, de quibus Hebr. 11: vs. 17. Verum cruda & rudis cameli pellis nec ad usum membrorum, nec ad ea tegenda fuit commoda, quæ tegere jubet pudor naturalis. Aliam quoque fuisse D. Joh. vestem, ex Matth. 3: 4. confirmari potest. Si omnino aliquid de camelo retinendum, adstipulamur potius illorum sententiæ, qui istud Eliæ pallium ex camelorum pilis rudi opere contextum fuisse probant. Pilos autem camelorum vulgares, apud Israëlitas frequenti usu receptos & in Hebræorum scriptis sæpe commemoratos intelligimus. Ne forte quis cogitet pilos Caspiorum camelorum similes, qui magno in pretio habiti, lanæque Milesiæ quoad mollitiem pares fuerunt. Inde etiam usus eorum præcipuus in conficiendis Sacerdotum aliorumque apud Caspios Procerum vestimentis, ut Ctesias, Ælianus & Apollonius testantur. Quale pretiosum pilorum genus, Zambilotti dictum, hodienum sub ditione Magni Chami, in provincia Tangut, reperiri, memorat *P. Venetus* lib. 1. cap. 63. Viliorem & facile parabilem, nec adeo splendidum fuisse Eliæ vestitum, confirmat locus 2 Reg. 1: 8. ubi אִישׁ בַּעַל שֵׂעָר vir habens crinem, Patronus sive dominus pili dicitur Elias. Jonathan transtulit גְּבַר בְּגֵיל סַעֲרָן vir habens pilos sive pilosus, perinde ut Onkeloso Esavus dicitur Gen. 27: 11. גְּבַר שַׂעֲרָן. Hispanica translatio reddit: *hombre aviente cabellos.* Disquiritur igitur hic, num Elias ratione pilorum sibi naturalium in corpore, an vero camelorum in veste conspicuorum describatur? *Gregorius Nyssenus* de laudibus Basilii, *Hieronymus* Tom. IV. Oper. ad Ezech. 35. *Hugo* Cardinal. Emanuel *Sa*, *Malvenda*, Hugo *Grotius* aliique ratione barbæ promissæ atque intonsorum capitis capillorum Eliam ita dici existimant. Inter quos juvat audire Gregorium Nyssenum: *Cum Achab*, inquit, *traxisset populum ad idololatriam, exhibet* DEUS *Eliam ad curandum populum, virum, qui curationem & cultum corporis despiceret: facie squallente, quæ multitudine suorum crinium obumbraretur: qui peculiari modo vivendi uteretur, aspectu venerando, vultu tristi ac risus experti, obtutu oculorum recto, & eodem, quo intendisset vergenti: pelle caprina tantum de corpore tegentem, quantum abscondi decorum erat, reliqua corporis ad aëra perdurantem, & nihil curantem vel æstus, vel frigoris iniquitatem.* Urgent eam in rem vitam, quam degebat Elias, asperam & solitariam, quæ prolixam cæsariem atque barbam nutrire solet. Verum nullum cogit nos argumentum, ut concedamus, Eliam magnam corporis sui partem nudum incessisse, indeque villoso & hirsuto corpore fuisse, derelicti Nabuchodonosoris instar. Quapropter *Junius, Piscator, Martyr & Bochartus Hieroz. Part. 1. lib. 1. c. 2. p. 12.* cum aliis statuunt, Eliam dici איש בעל שער ob pilosam, qua indutus erat, vestem. Hanc geminam facit *Sanctius* in l. c. col. 1343. c. inquiens: *Fieri potuit, ut ex caprina pelle, eaque villosa, vestem habuerit intimam. Deinde pallium, quod postea tradidit Elisæo, è pilis camelorum aut caprarum textile: à quibus vocatus est pilosus, non tam à suis, quam ab alienis pilis.* Rationem vero hanc adducere licet, quod antiquissimum, simplicissimum & Prophetarum veluti proprium vestimenti genus fuerit villosum, Jes. 20: 2. Zach. 13: 4. Matth. 3: 4. Heb. 11: 37. Idipsum non tantum idoneum erat iis, qui duram, sæpe sub dio, vitam agebant; sed conveniebat etiam maxime Prophetis, qui corrupto seculo seriam à sceleribus resipiscentiam prædicabant, & interdum externis etiam indiciis conceptum animi dolorem suum testabantur. His suo merito Eliam annumeramus, ejusque pariter ac Johannis, vestitui pilos sigillatim camelinos tribuimus, & ea de causa בעל שער dici existimamus. Quanquam nec Eliam, nec Johannem integra rudique pelle cameli involvamus, cum pictoribus atque poëtis, quibus quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Accedunt huic sententiæ singuli, quotquot eam locutionem בעל שער ad utrumque, corpus simul & vestimentum Eliæ, referunt, ut facit Jacobus *Tirinus*, cujus verba sunt sequentia *Tom. I. Bibl. Magnor. Comment literal. p. 769. b.* Elias vir pilosus *non solum alienis pilis, nempe ovina pelle & Zona pellicea, sed etiam propriis, cum enim eremita vitam profiteretur non urbanam & cultam, sed silvestrem & asperam, sinebat excrescere incompositam cæsariem & barbam.* Equidem huic sententiæ de camelorum pilis obstare videtur, quod *Cl.* Isaacus *Casaubonus* Exercit. XIII. ad ann. Dom. XXXI. num. 11. & Richardus *Montacutius* Orig. Eccles. p. 232. negent: *vestem è pilis camelorum contextam apud Judæos in ullo fuisse usu.* Sed rectius, cum Jacobo *Fabro Stapulensi*, Sorbonico Theologo, asserit Theologorum Opt. Max. *Chemnitius Harm. Evang. Cap. XVI. p. 155. b.* Palæstinæ populos solitos fuisse pilos camelinos nere, & inde vestimenta texere. Quo facit illud in *Menachoth* fol. 39: 2. *Vestis non est ei præter laneam* לרבות צמר גמלים וצמר ארנבים *ad addendum pilos camelinos & leporinos.* Nec non quæstiones Talmudistarum: *an lepra sic inficiat vestes de lana camelorum, ut ex lana ovium?* itemque: *an ut lanam ovium, sic & camelorum lino miscere lege vetitum sit?* Unde אורח חיים lib. 2. 309. צמר רחלים וצמר גמלים שעירבו וכל״ו *Lanam ovium & camelorum miscent. Si vero quis conficiat vestem è pilis camelorum, & contexat in ea vel unum lini filum, prohibetur.* Quapropter camelorum pilos apud Judæos usu qui-

quidem receptos, in pallio tamen Eliæ prophetico peculiari quadam ratione conspicuos fuisse certum est, ut inde & vir pili dici, & ab aliis facile habitu isto distingui potuerit. Cur autem Ahasiæ Legati non agnoverint eo habitu Eliam, ostendit Rabbi David Kimchi in h. l. ותים הו היאך לא היו מכירים אותו מלאכי מלך ישראל והלא הוא היה רגיל עם אחאב ובשמרון ואפשר כי אלו האנשי׳ ששלח כלך ישרי׳ לא היו אז בשמרון כשהורה אליהו רגיל שם וזמן רב היה לאליהו שלא היה בשמרון מפני איזבל שאמרה להרגו שהרי במלחמת בן הדד ראינו שלא היה שם ולא במלחמות ראמות גלעד כי מיכיהו בן ימלא היה להם אז הנביא ליי׳ אשר בשמרון: Liceat hic nobis cum *Paulo Fagio* in פרקי אבות pag. 108. dicere: *quia à mediocriter Hebraice docto facile intelligi possunt, abstinuimus à versione.*

XVIII. Qua vero peculiari ratione & à quo pallium istud propheticum confectum fuerit, nec inditum illi nomen, nec ea, quæ de eodem in Scriptura asseruntur, determinate exprimunt. Fuisse tamen satis longum, nec diverso colore tinctum, ratione probabili sustinetur.

Docent monumenta Veterum, quod Hippias Eleus vestem crepidasque & alia, quæ in usu habuit, ipse manu sua fecerit, seque ita præpararit, ne alicujus alterius ope egeret, neve ullius rei. Ita non tantum Viros sanctos, verum etiam bonos Patresfamilias vitam instituisse, non nemo existimat. Sigillatim de D. Joh. Baptista affirmat, quod sua sibi manu camelina πλέγματα confecerit; idemque institutum postea Anachoretæ, ne textore aut sartore egerent, secuti sint. Idem ad Eliæ nostri ætatem refert Gasp. *Sanctius* l. c. inquiens: *Solitarii viri urbanas delicias atque munditias, neque quærunt ipsi, nec accipiunt oblatas; sed quemadmodum obvios comedunt cibos, & sycomoros, mel, & si quid aliud ultro fundit terra; sic etiam illis utuntur vestibus, quas facile ipsi sibi parare possunt, & rudi quadam arte, facilique negotio consuere.* Faciliorem cultus pariter atque victus parandi rationem apud sanctos DEI homines obtinuisse constat: Eliæ tamen in tanta opificum copia sine auctoritate Divinæ Scripturæ τὸ ὑφαντικὸν tribuere, minus tutum videtur, atque ordini divinitus constituto adversum, cujus tamen Elias vixit observantissimus. Ipsa vestis forma aliquid cum illo Babylonico Jos. 7: 21. atque Assyriaco Jonæ 3: 6. pallio commune habuit, eodem quippe nomine in vestium genere insignita. Fuisse vero pallium istud in summitate quadratum, ex communi palliorum apud Hebræos forma, à Jesaia aliisque descripta, colligitur. Quod satis longum atque usque ad inferiores corporis partes demissum fuerit, præter communem palliorum rationem, illud monstrat, quod potiora corporis membra & ipsum simul vultum Elias eodem obvelare 1 Reg. 19: 13. & ut formam oblongam atque rotundam, ad percutiendum aptam, haberet, ipse & Elisa illud involvere potuerint 2 Reg. 2: 8, 14. Male igitur, non nisi verendas corporis partes ab Elia tectas, cæteras ad aërem atque solem perduratas fuisse, quidam statuunt. Colorem cucullo suo similem huic Eliæ pallio tribuunt Carmelitæ, apud Polyd. Virgil. Libr. VII. de Rer. Invent. cap. 3. p. m. 494. suæ ut causæ serviant. Quæ cum conficta sint, ut infra confirmabitur, nobis videtur illud Poëtæ convenientissimum Eliæ: *Non est lana mihi mendax, non utor aheno Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ovis.*

§. XIX. Varios Eliæ usus pallium istud præstitit. Præter commune tegendi ornandique officium, extra ordinem inservit Elisæ ad mucus Propheticum vocando. Aquarum vero divisionem esse plus simplici vice eo pallio factam, est quod maxime miremur.

Pro concesso sumimus, pallium istud corporis tegumentum atque ornamentum fuisse. Quod vero in illustri illa θεοφανείᾳ suum Elias vultum eodem texerit, peculiari ejus modestiæ & debitæ erga DEUM reverentiæ est tribuendum. Utramque eleganter conjungit *Gregorius M.* Lib. V. Moral. cap. 26. *Vultui*, inquiens, *pallium superducere est, ne altiora mens quærere audeat, hanc ex consideratione propriæ infirmitatis velare, ut nequaquam intelligentiæ oculos ultra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc, quod deprehendere non audeat, reverenter claudere.* Fugienda igitur curiositas, & agnoscenda humana DEUM aspiciendi indignitas. Eandem DEO apparenti reverentiam modeste exhibuerat Moses Exod. 3: 6. & postmodum Cherubim, duabus alis faciem velantes Jes. 6: vers. 2. Quod reverentiæ signum ex profanis illustrat Grotius, quando apud Maronem Helenus Æneæ: *Purpureo velare comas adopertus amictu.* Auxerant metum, consternationem atque horrorem ea, quæ præcesserant, horribilia: multo minus humana infirmitas ferre potest ipsius gloriosissimi Numinis aspectum Exod. 33: 20. Joh. 1: 18. 1 Tim. 6: vers. 16. 1 Joh. 4: 12. Progressus inde Elias peculiarem prorsus ritum observat in Elisa ad se accersendo atque ad sacrum Prophetæ munus initiando, וַיַּשְׁלֵךְ אַדַּרְתּוֹ אֵלָיו 1 Reg. 19: 19. Immissio pallii est veluti inauguratio, qua Elias Elisam concesso habitu, Prophetarum symbolico, ad suum, fidelium, cœtum, idem vitæ religiosæ institutum & gerendum aliquando ex dignitate munus propheticum vocavit atque investivit. Ejusmodi vestium concessionem esse veram inaugurationem ad munus sacrum pariter & civile, ex Aaronis Numer. 20: vers. 26. & Sebnæ 22: 21. haud dissimili exemplo manifeste colligitur. Sed & in sanctissimo conjugii castissimi ordine hic immittendi pallium ritus notabat Hebræis adoptionem sponsæ, ejusdemque in tutelam receptionem, ad thalami, vitæ fortunæque perpetuam consuetudinem, ut docent loca Ruth. 3: 9. Ezech. 16: 8. Hanc pallii immissionem, nimium extollunt Historia Scholastica, Dionysius, Rabanus, Lyra, Tostatus, Piscator, aliique, qui eam Elisæ pro unctione fuisse contendunt. Verum Elisam esse unctum in Prophetam, constat ex mandato DOMINI 1 Reg. 19: 16. quod ut in Hazaële & Jehu, ita etiam in Elisa per unctionem proprie dictam promtissime executus est Elias. Quod tantum per metonymiam effecti & signi unctio Elisæ per pallium facta sit, repugnat literæ proprietati, eidem apud Reges rationi & genuinæ usurpationi locutionis, immittere pallium. Nimium etiam tribuunt huic immissioni pallii Jesuitæ, *Sanctius* Comment. in 4 Reg. II. col. 1367. a. atque Emanuel *Sa* Tom. I. Bibl. Magnor. pag. 754. b. asserentes, quod *pallio Eliæ spiritum prophetalem acceperit Elisa.* Istud potius divinæ gratiæ peculiari & antegressæ unctioni vendicandum. Hinc ipse *Sanctius* l. c. col. 1283. d. *postquam unctione designatus esset Propheta, per pallii communionem, ad eandem societatem & vitæ communionem vocatur. Neque enim si Propheta esset, eo nomine cogebatur cum Elia vitam degere communem. Injecto itaque pallio in suam sibi societatem ascivit, quasi ejusdem secum instituti participem —— —— Unctio fecit Prophetam Elisæum; pallium autem contubernalem & monachum.* Singula hæc placent *Tirino* Tom. I. Bibl. Magnor. pag. 756. a. dum ait: *Hoc signo illum vocat ad suum institutum, & cœtum discipulorum suorum, quasi investiens illum habitu Monachalis sed unctione seorsim adhibita Prophetam consecravit.* Quod de contubernio habet Sanctius, id nomine famulitii Scriptura 1 Reg. 19: vers. 21. 2 Reg. 3: 11. exprimit. Quod vero de Monachorum habitu ac conditione adjiciunt Sanctius & Tirinus, id ab augustissimo munere Prophetico alienum, & ab ea ætate remotissimum est. Tandem minus, quam par est, tribuit pallio huic immisso *Petrus Martyr* in h. l. dum inquit: *symbolo hoc externo designabatur prophetandi vis, illi collata.* Non tantum munus propheticum significabat pallium immissum, sed ad eandem vitæ societatem simul invitabat Elisam. Hactenus de primo pallii extra ordinem usu: sequitur nunc alter, in repetita aquarum divisione conspicuus. Primum edidit miraculum Elias; alterum Elisa: uterque eadem divina virtute adjutus, eodem pallii instrumento usus, eodem die & in eodem Jordanis flumine. Idem longo abhinc tempore Josuæ divino nutu universo Israëlitarum populo liberum transitum miraculo prorsus stupendo concesserat Jos. 3: 16, 17. Illic toti multitudini, hic duobus DEI Viris aqua Jordanis cedit: illic ex uno; hic ex utroque latere stetit. Exclamat hic *Chrysostomus* homil. 4. ad popul. *Eliæ melote Jordanem divisit, Elisæum duplicem Eliam fecit —— —— O quanta Sanctorum virtus! non tantum ipsorum verba & corpora, sed & ipsa indumenta creaturæ omni undique sunt venerabilia: ut umbra Petri, calceamentum trium puerorum, Elisæi lignum, Pauli vestimenta, Mosis virga.* Multa hic singularia, multa admiratione & peculiari meditatione dignissima. Nihil hic temere, nihil casu aut fortuito factum. Ipsum Eliæ pallium *in discessu & ascensu non fortuito cecidit, sed magno DEI consilio ut pignus haberet Helisæus dati sibi spiritus, & quoties pallium videret Eliæ, parentis sui subiret memoria, & seipsum ad illius exprimendam imaginem incitaret.* rectissime pronuntiat *Sanctius.* Quam dignam boni concrediti custodiam gesserit Elisa, alias pluribus expendendum est, nec potest ea, quam præscripsimus nobis, brevitate comprehendi. Plura de Eliæ pallio qui volet, consulere poterit Sanctium, Cornelium à Lapide, Commentatores Biblior. Magnor. literales & quos præterea ad loca nostra adduxit Excellentissimæ semper memoriæ Theologus *D. Dorscheus* in Bibliis Numeratis. Qui Her-

Herculeus & longe dignissimus labor, multis tanti thesauri ignarorum indeque iniquiorum æstimatorum compilationibus longe præferendus, feliciter absolutus est indefesso studio atque opera *Johannis Grambsii*, Theologi de Ecclesia Christi insigniter meriti, cui pro tot tantisque, quæ in me extant, beneficiis singula pietatis officia me debere fateor pariter atque lætor.

XX. Magnam cum pallio Eliæ affinitatem habet D. Johannis Baptistæ vestitus; exiguam Cardinalium pallium; nullam sordida Capuccinorum tunica.

Differt equidem habitus Eliæ à Johannis in eo, quod Elias pallium, Johannes vero ἔνδυμα vestem, non superjectum pallium, habuisse dicatur. In reliquis vero facile convenire, dudum monstrarunt Divi Patres, atque post hos B. Chemnitius, Osiander, Althoferus, Calixtus, Spanhemius, Batradius, Jansenius aliique Harmoniæ Evangelicæ Scriptores. Quorum placitis hic acquiescimus, vel eo inprimis nomine, quod idem argumentum peculiari dissertatione Anno 1663. habita, ac iterata vice anno 1673. publico egregio edita, ex dignitate sua prosecutus sit Excellent. *Dn. Stolbergius* in Alma hac studiorum matre Græcarum Liter. Prof. Publ. insigniter meritus, & h. t. Amplissimi Ordinis Philosophici Decanus Spectabilis, cui ob fidelissimam mei in Græcis informationem pluraque beneficiorum genera æterno pietatis jure obstrictus obligatusque vivo. Controversia magis dubia de Cardinalium pallio moveri solet: cum uti Elias ad eandem vitæ societatem munerisque Prophetici dignitatem pallium concessit: ita quoque Romanus Pontifex intimis Consiliariis suis ad tuendam Dignitatem Cardinalitiam pallium mittere dicatur. Inde *Pontificis Romani & Cardinalium, tanquam capitis & membrorum, una est laus, quorum una est virtus, una excellentia gloria, eadem inseparabilis unitas. Tanta enim inter Rom. Pontificem & Cardinales communio, tanta unio, ut omnis Summi Pontificatus excellentia & Culminis eminentia illorum esse videatur, ut unum corpus reputentur*, ut præclare demonstrat *Dn. Dieterichius* Brev. Pontif. Rom. pag. 24. Sed Eliæ & Pontificis Romani, Elisæ atque Cardinalium disparrimam esse rationem, omnes facile intelligunt. Pallium Eliæ solam nominis convenientiam cum pallio Cardinalium habet. Est enim pallium Cardinalium tantum fascia latitudinis trium digitorum, ex candida lana linoque confecta, habens circulum, humeros circumstringentem, & duas lineas seu chordulas ab utraque parte ante & retro pendentes, item quatuor cruces nigras seu purpureas, quarum una ad pectus, altera retro in humeris jacet, ultimæ hinc inde brachia exornant, ut describit Johannes de Turrecremata atque *Durandus* de Sancto Portiano Lib. 3. rat. divin. offic. cap. 17. pag. 48. Origo ejus vulgo ab Apostolis cum Polyd. Virg. lib. IV. cap. 12. de R. J. vel ipsis etiam Sacerdotibus Leviticis cum Baronio in Annal. ad A. C. 336. n. 63. petitur; revera autem est ab Imperatoribus Rom. arcessenda, quorum proprium erat ornamentum, tandemque peculiari eorundem favore Episcopis concessum. Ejus donationem sibi peculiarem hodie Pontifex Rom. vendicat, qui & ejus conficiendi, consecrandi conferendique peculiares ritus invenit. Describit istos *Joh. Sleidanus* lib. XIII. Comment. p. m. 434. dignissimus qui hic conferatur, ubi & de pretio ejus disserit, quod pallium istud constare dicatur triginta fere millibus aureorum, antequam domum perfertur. Quæ quam sint aliena à simplicitate, non dicam Eliæ, sed Petri etiam piscatoria, quivis videt. Præter istos in summo splendore constitutos, etiam in cilicio sordidisque vestibus suis placent sibi *Capuccini*, ac vestimenti sui originem ab ultimis inde temporibus, atque Eliæ pallio deducere non erubescunt. uti est apud Polyd. *Virgil.* Lib. VII. de Rer. Invent. cap. 3. pag. m. 494. Verum tantum abest, ut ab Elia vel Johanne Baptista habeant suos cucullos, ut ne quidem ab Ecclesia Catholica, aut Christianis in ea Monachis priscæ virtutis habeant. *Prisci enim Monachi vestem cilicinam, ut suspectam, omnibus modis refutarunt*, inquit *Cassianus* Lib. I. Instit. cap. 3. Placent nobis verba *Epiphanii* hæres. 80. *Alienus est ab Ecclesia Catholica σάκκος περιφανὴς saccus in oculos incurrens.* Verissimum est judicium, quod *Nicolaus Cusanus* Cardinalis & Episcopus Brixiensis Celeberrimus Lib. VII. Excitationum fol. 548. Oper. de Monachorum vestibus tulit: *Alius quidam sub hac veste, sub alia alius, alius sub capitio, alius sub hoc religionis signo, alius sub alio, Christo se militare asserit, licet pene omnes non quæ Christi, sed quæ sua sunt, quærant.* Concludimus verbis *Cl. Dieterichii* Antiqu. Bibl. pag. 617. Non concessit Numen iratum cilicia, ut suæ justitiæ pro peccatis satisfaciat. Usurpantur ab Israëlitis cilicia, ut admissorum peccatorum detestatio interna aperiretur externis signis. Severior habitus, non ut pars sanctimoniæ, quæ ad vitæ emendationem requireretur. - - Vestem voluptatum exuebant, & induebant vestem aliam mutatæ mentis. Illa nequitiam prodebat, hæc pœnitentiam.

SOLI DEO GLORIA!



M. SEB. KIRCHMAYERI
DISSERTATIO
De flammante curru Eliæ ad 2 Reg. II: 11.

PRODROMUS.

Non triumphales Victorum pompas, nec usitatos curruum, aut aliorum solemnium apud Veteres apparatuum splendores conspiciendos sistimus in præsens. Divinior, multisque memorabilior ac eminentior nominibus Vectura est, quæ in sui jam admirationem nos rapit ac contemplationem. Ecce enim, ut prorsus igneo religionis & pietatis in Sacrosanctum Numen zelo ardens Prophetarum sanctissimus ELIAS, *vivus è viventium consortio, inusitato vectus essedo, virtute plusquam humana, mortalium conspectui subducitur! Ut insolitis flammantium equorum in sublime actus remigiis, fatorum fixas alioqui supergressus leges, beatorum illico sedibus transcribitur! En ut Victoris & Vectoris gloriosi abitum promovere creaturæ divino jussu satagunt mirifice! O liceat augusta hæcce nobis introspicere intimius, aut si obtusior ad ea mentis nostræ acies, contemplari saltem eminus! Aggrediendum tamen opus, rimandumque quantum forum Philologicum admittet.* DEUS *Eliæ cœptis annuat clementer!*

§. I.



IN limine autem statim oportet certos nobis limites, ordinis concinnioris ergo, hic constituamus, quos intra tota nostra deinceps tractatio decurrat, memores Rabbinici illius, quo נפש הדברים ויפהפיה מערכת i. e. quasi *rerum anima & pulcherrimum quid ordo* sapientissime pronunciatur. Nec enim accurata singulorum, quacunque ratione huc facientium, evolutio suscipitur à nobis, nec integram de Thesbita Vate conscribere Historiam, aut simile aliquod alienum ab instituto nostro meditari opus placet; sed hic satis nobis erit, genuinam vocum aliquot, occurentium in textu sacro de objecto nostro, vim nativamque atque propriam significationem sectari & scrutari altius, indeque difficultatem plerarumque petere solutionem, ne alicubi extra orbitas sacratioris Philologiæ facile digrediamur.

§. II. Potissimum vero, qui miranda isthæc ELIÆ in cœlum ἀνάληψις describitur, undecimum secundi Capitis II. Reg. comma est, è quo fontes ipsos una cum rivulis aliquot audire & adducere hic operæ pretium omnino fuerit. Sic autem illi fluunt: ויהי המה הלכים הלך ודבר והנה רכב־אש וסוסי אש ויפרדו בין שניהם ויעל אליהו בסערה השמים: Quæ Syrus ita reddit: והוא דבר הנון ממללין ומהלכין והא מרכבתא דנורא ורכשא דנורא ופרשו בירה תריהון וסלם אליא בעלעלא לשמיא: Arabs hac ratione: בימא המא שארן והמא יתכאטבאן פי משיהמא פאדא ברכאבן מן נאר עלע כילן מן אלנאר: ופארקא בינהמא וחלע איליא טאעאדאן אלי אלשמאא: *i. e. Et factum est, dum incederent* (Elias scil. & Elisæus) *& inter incedendum confabularentur, ecce equites igneis equis insidentes, separarunt utrumque, & ascendit Elia sublime in cœlum.* Nec Targum Jonathan hinc abludit: והוה עד דאנין אזלין מיזל וממללין והא רתיבין דאשתא וסוסון דאשתא ואפרישו בין תרויהון וסליק אליהו בעלעולא לצית שמיא: Translationes alias chartæ redimendæ ergo huc transcribere supersedemus. Ad phrasium vero potius vocumque insigniorum, lucem aliquam rei difficillimæ certissime conciliantium nunc pergimus enucleationem, expensuri, quid per סערה. per רכב־אש וסוסי אש potissimum intelligendum?

§. III. Ac initio, dum in cœlum DEUS Eliam בסערה sublaturus v. 1. ipseque in cœlum ascendisse vs. 11. בסערה itidem asseritur, quid per turbinem hic designetur, quæritur. Utrum primo *naturalis ille fuerit*, causasque mere Physicas agnoverit? *Anne vero modo extraordinario ac præternaturali*, singulari schil. divini Numinis virtute, ut Prophetæ quoque sublationi velificaretur, *consurrexerit*? Ubi, tametsi rei parum decedere videatur, utrum horum adstruatur, ut tamen & facto prorsus singulari ἐξοχὴ sua constet atque dignitas, posterius magis, ob sequentes rationes, videtur approbandum; *Primo* enim cum cætera omnia, quæ hic concurrunt, utpote *peculiaris vivi Vatis è mortalium oculis subductio, sublationis finis, forma, causæque intermediæ & administræ, eædemque non ejusdem rursus generis*, inusitatum quid, ac omnes relictæ sibi naturæ vires longissime excedens inferant, nulla ratio apparet, cur procellam illam solam citra specialem gentis supremi nutum naturaliter subortam esse statuamus. *Ad hæc* qua virtute flammans ille currus cum equis igneis ad Eliam in cœlum transvehendum prodiit productus, eandem tempestatem quoque illam excitatam fuisse, cum finis identitas, tum arctissima utriusque in textu connexio evincit. At non solius naturæ ope stupendas illas in aëre emicuisse flammas, deinceps ostendendum erit plenius. E. *Tertio* turbinem hunc nobis textus, ceu qui motu modoque prorsus subitaneo & insolito, ac ex improviso, ingruerit, emphatice describit. Unde cujus generis extiterit rursus facile colligitur. *Et* qui nudum *porro*, ex causis mere naturalibus procedens, nec à principio superiori elevatum, aut speciali saltem adgubernatum operatione meteorum, tam mirificum producere effectum valuisset, ut cum cæteris agentibus, ad idem translationis admirandæ opus viribus propriis concurreret? Aut quousque in regionibus aëriis eas extendisse sese asserendum? Ad minimum singularis Numinis directio hic admittenda erit. Qua posita, quid obstat, quo minus procellosam istam tempestatem, pro negotio tam singulari, singulari etiam ejusdem jussu evocatam adstruamus? *Adde*, quod secundæ causæ, primæ imperium audiant ac exequantur quam promptissime: אש ברד שלג וקיטור רוח סערה עשה דברו: teste Hieropsalte Psal. 148: 8. Nec nisi divino aliquo ad evocationes earundem nutu hic opus erat. Maxime cum toties præternaturales meteororum productiones passim commemorentur in Scripturis, nec finitam ipsorum creatorum Angelorum superent potentiam. Sic vox eadem de horrenda quoque maris tempestate illa, quæ Jonæ Vati fatalis & feralis extitit, C. 1. 6. adhibetur, quam tamen haud sine Numine ad tam inusitatos invaluisse tumultus & insultus, ecquis dubitavit unquam? Loca alia cum passim obvia sint, in præsens haud allegamus. Interea minime asserimus hoc ipso, omnes omnino in exciendo hocce turbine prætermissas causas Physicas fuisse, nec nisi immediatæ divinæ creationi id omne in solidum vendicandum esse, quandoquidem de modo saltem sermo fuerit hactenus, nec verisimile unquam videatur, DEUM, præsentibus tot naturalibus, ad ejusmodi effectus deservientibus, agentibus, aliquem facile creationis immediatæ actum exercere.

§. IV. Insuper & illud hic disputari solet, *cujus speciei præcise temperiem* סערה *vocabulum importet*? Num venti vehemen-

mentioris flatibus adjutum, aut ignium cœlestium coruscationibus illustrem, sive imbrium furore, cœli & aspectantium serenitatem conturbante, evehere Prophetam DEUS statuerit in sublime? Circa quod notandum, distincte id determinari ex adducta notione haudquaquam posse, cum in sacro Codice nunc generaliter seu in sensu indifferenti, nunc specialiter ac determinate pro Oceani videlicet tumultuosi fluctibus nonnunquam, pro furentium ventorum aut nimborum inclementia haud raro accipiatur, seu Concordantias Ebraicas introspicienti quam manifestissimum erit. Nec accuratiorem hujus dubii decisionem versiones aliæ suppeditant. In Syriaca enim בעלעולא, Arabica טאעאעדא, LXX. Virali ἐν συσσεισμῷ & ἐν λαίλαπι, Vulgata *in turbine*, C. Megalandri Lutheri im Wetter / notionibus æque indefinitis ascendisse eum dicitur. Nec specifica hujus cognitio necessaria videtur aut proficua. Qualiscunque illa fuerit tempestas, modo dicentis autoritas intemerata relinquatur, nostrum parum videtur interesse. Si cui tamen ventum fulgetris ignibusque mistum insolentioribus hic designari placeat, nos sibi adversantes minime habebit.

§. V. Nec minus de eo hic disquiri potest, *utrum ideo in turbine mortalium conspectui Numen eripi voluerit Vatem, ut esset instar Symboli*, cujus vel ut extrinseco splendore facti hujus gloria illustrior evaderet? *An vero ut in sublevando illo*, post jam factam sui ipsius elevationem, *causis quoque aliis cooperaretur?* Quod ipsum quanquam è textu definite rursus nequeat dijudicari, si tamen conjecturæ oppido probabili adhuc relictus locus est, neutrum inficiandum temere existimamus, tametsi potiores posteriori deferendæ videantur. Cujus namque rei gratia excitus è suis latebris & evocatus, non uno nomine mirabilis, fuisset turbo, cujus altera tamen vice non citra momentum textus meminit, si adjumenti aut decoris nil quicquam Propheticæ contulit sublationi? Aut si nec alas vento Scriptura figurate dubitat adscribere, quid inconveniens, si ejus quoque actus quadantenus tractatusque quasi velis & remigiis Elias asseratur? Nec ulla hic impossibilitas obverti potest. Nam nec solitus nec solus ad id operis debuit concurrere, cum succenturiati quasi equites ignei (ut cum Arabica loquamur versione) auxiliatrices operas addiderint. Et in hoc insignis nobiscum Theologus *Friedliebius* consentit *in Theol. Exeget. ad h. l. Ventus egit*, inquiens, *ut Elias in altum tolleretur, donec ab oculis Elisæi subduceretur.*

§. VI. Sed nunc, quid per רכב־אש וסוסי אש intelligendum sit, paullo solicitius scrutabimur. Non enim ea de re eadem omnium sententia est, nec quæ deprehenduntur hic, facile adeo patescunt difficultates. Igitur id jam primo omnium dispiciendum, utrum κατὰ δόκησιν aut δόξαν, seu secundum apparentiam & opinionem tantum hæc sint accipienda, quasi vel conturbatis mœrore & tristitia, ob instantem Domini discessum, Elisæi oculis simile quid istis duntaxat apparuerit, aut consternatus ipse, perstringente adhuc mentem aciemque ejus ignium istorum præter solitum mire corruscantium fulgore, equos sibi currumque igneum, inter tam inusitatas aëris micationes in tam repentina etiam Heri assumptione, citra fundamentum imaginatus fuerit? Cui sententiæ quo minus suffragari hic queamus, vel sola textus facit evidentia. Non enim fallaci Elisæum visione hæc aspexisse, sed quam accuratissime observasse omnia, sublationis quippe hujus probe conscium, quantacunque etiam mora intercesserit, vel illa luculentissime vers. 12. testantur verba: אלישע ראה והוא מצעק אבי אבי רכב ישראל ופרשיו ולא ראהו עוד: Quibus lucem addunt, quæ habet *R. Kimchi*: אלישע ראה העלותו מן הארץ ובהיותו ראויר ראה דמיון רכב אש וסוסי אש שהפריד בין שניהם: id est: *Elisa vidit sublevationem ejus à terra, & cum esset in aëre, vidit speciem currus ignei & igneos equos, qui diviserunt utrumque.* Insuper segregasse ab invicem utrumque, & divisisse quasi, currus hicce dicitur, quod non apparenter tantum aut putative, sed vere rursus atque proprie accipiendum erit. Secus enim semel hoc admisso, idem in gravioribus fidei negotiis suspicandum verendumque semper, ne quæ vere gesta memorantur, κατὰ δόκησιν aut δόξαν saltem contigisse, asserantur verius. Atque ea ratione ipsa verissima & gloriosissima Christi ascensio in cœlos labefactari, imo citra negotium negari poterit, si eadem, quæ Elisæo falso hic imputantur, ad Discipulos ipsius, qui assurgentem conspexerunt, quis applicatum iret. Quo nomine assertum hoc ceu impium, & quod ad pyrrhonismum ducit proxime, suo merito rejicimus. Atque hinc & illud constare arbitramur, nec imaginem solum aut simulacrum aliquod mere intentionale alicujus currus & equorum igneorum, citra omnem Physicam realitatem, ceu Philosophi loquuntur, exhibitum Elisæo, nedum velut glaucomate objecto, eum præstigiis delusum esse, cum prædicata & actiones iis veræ & reales tribuantur, utpote quod ambulantem in terra Vatem à comite diviserint, susceperint, susceptumque motu locali aliquantisper & visibili transportarint in sublime, adeoque nec reales minus, ac vel turbo ille, vel ipsa erat transumptio, censeri debeant, cum nulla hic disparitas deprehendatur.

§. VII. Atque hæc de currus & equorum existentia. Essentiam eorum quod concernit, præsupponimus, ceu manifestum omnibus, non proprie, formaliter & univoce רכב וסוסי אש sic dictos equos, naturales illas substantias materiales, nec per flammantem currum, corpus aliquod & artificiale opus indigitari, sed metaphorice omnino hæc explicanda esse. Minus enim congruum tam gloriosæ, tamque singulari Nostri in cœlum transvectioni id videbatur, crassiusque est, quam ut nullius sibi conciliare facile consensum posset, aut ut ullis confutari argumentis mereatur. Majoris vero momenti quæsitum illud est, utrum Angeli, qui in sacris alias per flammantem describuntur ignem, ceu *Cornelio à Lapide in Comment. ad h. l.* videtur, per equos illos igneos, qui in cœlum transtulerint Eliam, hic designentur? Quo de quid pronunciandum vere sit, paulo intricatius videtur. Equidem nec Angelorum ministerio, cui multum hoc in negotio tribuendum esse, nemo saniorum diffitebitur, hic derogandum quicquam, nec in schemate corporum flammantium, παραστατικῶς sibi adaptando, apparere eos posse, inficiandum, nedum similitudinem omnem, quæ ratione puritatis, subtilitatis, operationis &c. illos inter ignemque intercedit, tollendam temere censemus; Utrum tamen per illos סוסי אש Angeli præcise veniant intelligendi, nisi contrarium alicui suaserint sequentia, libero cujusvis judicio profligandum dubium relinquimus. Primo enim non citra rationem textus ipse פרשים f. equites à סוסים seu equis vers. 11. & 12. distinguit, tacito significans suffragio, Angelos non tam horum, quam illorum sustinuisse vices. Nec inter tot illustres eorum apparitiones, & in sacris scripturis celebratas, ullibi equorum assumsisse formam constat. Hic autem factum illud esse, qua quæso vel plausibili saltem veritatis specie aut fuco persuadebitur? Adhæc quid obstat, quo minus *causas ministeriales, Angelos, instrumentales vero equos istos igneos cum flammante curru*, distinctis insignire notionibus, adeoque hæc discernere ab invicem ad prævium Scripturæ ductum liceat? Ita nec dignitati, nec operationi Angelorum, cui post divinam hic plurimum deberi, jam observavimus, decedet quicquam. Accedit, quod ejusdem naturæ aëreæ nimirum, tum currus ille igneus, tum equi ignei, ob arctissimam utriusque in textu cohærentiam, nullamque illius diversitatis mentionem aut significationem, citra omne dubium extiterint. Quemadmodum vero tam absurdus nemo est, qui sub specie carpenti conspiciendas sese præbuisse ibi intelligentias affirmet: Ita nec easdem hic ob materiæ identitatem equorum nomine notari, asserendum. Idque parum sibi constans hac in re *Cornelio à Lapide ex Abulensi suo, Saliano & Serario* inficiari nequit, dum porro hunc in modum citato loco fatur: *Elias turbine sive vento impellente, curru igneo vehente, & Angelo auriga, utrumque moderante, vectus est in cœlum.* Quod si vero aurigæ loco, ceu moderator movendo currui ac gubernando præfuit, ecquomodo equi, qui regendus ab ipso in cursu erat, obiisse partes demonstrabitur?

§. VIII. Nunc quid tandem currus ille, equique fuerint ignei, edisserendum erit planius. Ubi quam maxime exoptaremus, ut facem nobis, cujus tuto sequi vestigia liceret, hic accendissent alii. Quandoquidem vero tutissimis tenaciter inhærens insistensque viis, à justo tramite haud facile deflectit, eas omni studio sectari juvabit impræsentiarum. Ac proinde exhalationum aliquem confluxum, seu nubem illos rutilam fuisse, ad currus & equorum similitudinem in aëre, à causa non-naturali, ad promovendam Eliæ vivi è caducis his translationem, affabre effigiatam, quæ in terræ planitie decurrens, cum jubente sic supremo Numine susceperit, perque inane liberum attulerit, qui alienum videbitur à veritate, si astruatur? Nec enim efferri commodior, aut veritati historicæ convenientior poterit sententia, nec eandem in aliis deprehendere miraculis inusitatum est aut infrequens. Quis enim eandem per omnia naturalem causam Physicam tot celebrata in historiarum Experientiæque monumentis ostenta insolentia aërea agnoscere inficiabitur, nisi vapulare velit à Philosophis? Quis ex eadem materia subtiliori Angelorum quoque corpora assumta, si in visibili apparendum ipsis specie

ſit, miro artificio appoſitiſſime conflari neſcit? Nec oriundum ex ejuſmodi principiis recipiendo corpori naturali proportionatum parum erat efſedum: Nec ipſemet Salvator ſuſcipi à nube in auguſtiſſima aſcenſione ſua recuſavit, tantum abeſt, ut in ſolenni ſui transformatione, comparentibus ad majeſtatem ſacti Moſe & Elia, obumbrari etiam in monte voluerit à ſeniori nube. Adeo luculentum eſt & manifeſtum, non reprobatam in ejuſmodi negotiis aut neglectam meteororum præſentem in Atmoſphæra materiam fuiſſe, ut nec ipſe Dei Filius ex œconomia ſingulari in forma nubis apparere in V. T. dubitarit.

§. IX. Tametſi vero modum confectionis, impreſſamque meteorologicæ huic maſſæ formam extraordinariam fuiſſe, ultro largiamur, ipſam tamen per immediatam creationis actionem productam demum à DEO prodiiſſe, haud admittendum temere videtur. Sic enim idem de aliis etiam operibus miraculoſis pari enunciandum jure foret, quod quam alieniſſimum tamen à veritate ſit, vel ſua ſponte patet. Nec oſtendi unquam poteſt, hodienum poſt abſolutum jam jam intra hexaëmeron productionis omnium creaturarum opus, potentiam creandi jugiter in actum Numen optimum deducere, cum nec ulla iſtius promiſſio habeatur, nec deſint, quæ voluntatem ejus exequantur ſecundæ cauſæ, nec ſuis exhalationibus facile deſtituatur unquam atmoſphæra: Attamen nec fortuito prorſus & tumultuario in aëre confluxu ad ſtupendam iſtam nubis, equis igneis inſtructum currum exhibentis, formam coiiſſe effluvia dicendum. Id quod vel finis ſapientiſſime intentus & effectus, illa figura ordinatiſſima, ejuſque ad telluris uſque ſuperficiem deſcenſus luculentiſſime demonſtrant. Verum, ut ceu formæ aſſiſtentes moderando ei jam concinnato præfuerunt Angeli, quo de ob ſummam rei evidentiam vix dubitare quiſquam poterit: Sic eoſdem ad primam quoque illius nubis ad tam mirabilem figuram, diſpoſitionem & compoſitionem, ſpeciali Creatoris concurriſſe juſſu, inque eadem tandem, peracto jam jam opere, ex quibus conſtiterat, reſolviſſe principia, probabiliter adſtruere quid vetat? Sic namque neque principale, nec miniſteriale agens debita influxus ſui gloria defraudatur. Nec nihil etiam inſtrumentalibus relinquitur, utpote quæ non nudi fulgoris aut ornamenti gratia, ſed ut ſuſceptioni quoque Vatis & translationi velificarentur, adhibita fuerunt. Utrum vero nubes illa rutila currus ignei ad inſtar & equorum rutilantium effigiata, vere & formaliter ignea extiterit, pauciſſimis etiam deſpiciendum. Nos negativam his fulti rationibus tuemur: *tum*, quia aduſſiſſet Eliæ primum ſuſcipiendum corpus, quod ſtatui, in quem transferendus ille erat, beatiſſimo repugnabat maxime: *tum*, quia igneum ejuſmodi colorem alia quoque meteora, emphatica cumprimis, oſtentare mentirique ſolent naturaliter, ceu vel de rubedine matutina & veſpertina quam notiſſimum id eſt: *tum*, quia non rara conſpecta in aere portenta eadem facie multoties mortalium perculere animos, quæ vero tamen in cœlo effulſiſſe igne, minime probabile eſt. Taceo quod ſola ſolatium radiorum tranſparentia rubeo ejus modi & velut igneo nubem aliquam ſubtiliorem tingere colore poſſit quam facillime.

§. X. Atque hæc de curru hactenus, flammantibuſque equis. Nunc quid vox שמים denotat, enucleandum porro, ut ſimul, quorſum raptus ſit Elias, innoteſcat. Hic enim אבן נגף וצור מכשול ceu *Ebræi* loqui amant. Ut vero omnia paulo elegantiori proponantur ordine, falſas prius aliorum hac de re ſententias examinare & emaſculare ante, quam noſtram afferamus, operæ pretium omnino erit. Primo igitur *Rabbini Cœlum hic aëreum*, in quod aſſumptus ſit Propheta, indigitari cenſent, freti locis aliquot parallelis, ubi pro aere ſimiliter שמים notio ſupponit, exiſtimantes inſuper, naturalis corporis conditiones longiſſime tranſcendere, ut aſcendere in cœlum, aut degere ibidem queat. Quanquam minime hic ſibi conſtent, & nunc in Sphæra ignea conſumptum, nunc in hortum Eden tranſportatum, figmentis, adverſa prorſus fronte inter ſe concurrentibus, comminiſcantur ſtolide. Verum ipſos hic audire placet. Sic autem *R. D. Kimchi ad hunc locum*: הס רה העלתה אותו מז הארץ אל האויר כמו שמעלה הרברים הקלים כן העלתה אותו ברצון האל עד גלגל האש ושם נשרפו בגדיו זולתי האדרת וכלה בשרו ועצמו והיית שבהאל האלהים: —— הכניסו האל בגן עדן עם גופו כמו שהיה אדם הראשון קודם שחטא וכן הכניס חניך שם יבדרש כי עשרה הם שנכנסו חיים לג עדן: —— —— פירוש השמים לענין הגוף האוירי כמו אשר תעיף בשמים —— ואליהו נעשה רוחני והגוף כלה באש העיוני ושב כל וסיד אל יסוד: Id eſt: *Ventus turbulentus elevavit eum è terra in aerem, ſicut attollit res leves: ita ſublevavit illum ſecundum voluntatem DEI in ſphæram ignis, & ibi combuſtæ ſunt veſtes ejus præter pallium, & conſumpta eſt caro ejus, & Spiritus rediit ad DEUM.* —— *Congregavit eum DEUS in hortum Eden cum corpore, ſicut fuit homo primus, antequam peccavit, atque ita congregavit Enochum ibi, ceu dicitur, quod decem ſint, qui congregati vivi ſunt in hortum Eden.* Et porro: *Notio cœli pro ſignificatione corporis aeri* (ſumitur) *ſicut dicitur: volabis in cœlum.* —— *Et Elias factus eſt aereus, & corpus conſumptum eſt igne ſupremo, & rediit omne principium ad principium ſuum. Et R. Levi Ben Gerſon*: אי הפשר שיובן שהעל הו השמים כי לא יעלו שם אלו הגופות אבל הכונה בו בגובה האויר —— והנה נשאהו רוח יהוה במלאכות יי׳ אל מקום לא נודע עדיין והוא חי שם: Id eſt: *Impoſſibile eſt, ut intelligatur, quod tranſtulerit eum in cœlum, quia non aſcendunt eo corpora, ſed ſignificatum hoc, in altitudinem aëris* (ſuſtuliſſe.) —— *Et eo evexit eum Spiritus Domini per legationem DEI ad locum ignotum Eden, & ibi vivit ille.* Hæc illi.

§. XI. Tametſi vero minime nos lateat, Septuag. ὡς εἰς τὸν οὐρανὸν ſublatum Eliam eſſe vſ. 1. dubitanter reddere, variiſque vocem שמים ſignificatibus ſubſtare, & pro cœlo nunc aëreo, nunc æthereo, nunc beatorum uſurpari in Scripturis; hic tamen, ubi facti ſingularitas & ἐξοχὴ, nec minus ſana ratio, & fidei analogia alium requirit ſenſum, aerem præciſe denotare, ferendum eſt haudquaquam. Nam pro beatorum πς̃ non minus ac vel firmamento, vel ſphæra aeris accipitur in ſacris, ceu Concordantiæ evincunt. Immo ſi diligens locorum N. T. collatio accedat, Ebræorum שמים Græcorum οὐρανῷ in eodem ſæpiſſime reſpondere ſenſu, manifeſto apparebit. Loca allegari poſſent facillime, niſi intra definitos continere noſmet ipſos cancellos deberemus. Ad minimum id inde ſequitur, è nuda notione, aliis probandi nervis mediiſque inſuper habitis, ob ſignificatuum diverſitatem, nil concludi poſſe firmiter. Inſuper ineptiſſimis Judæorum hæc opinio, de horto Eden, de Henochi vivi, aliorumque ibidem exiſtentia, de voluptatibus, quibus perfundantur tantiſper ac perfruantur ibi, dum ad meliorem transferantur vitam, hypotheſibus innititur. Nihil horum ſacræ literæ agnoſcunt, ejectum vero primum inde hominem poſt inauſpicatam ſui à ſupremo Numine defectionem, ac minitante Cuſtodis Cherubini gladio obſeratum Paradiſum eſſe tradunt. Unde vaniſſima ſuis hæc Autoribus relinquimus deliramenta. Nec quæ de corporis Eliæ in ſphæra ignea combuſtione, levitate non minori, nugantur Apellæ, hilo videri ſaniora queunt, cum nec iſtius, nec cujuſdam Empyrei exiſtentia demonſtrata unquam ſit. Aut ſi edaci fictitiorum illorum ignium rapiditate in cineres abiit divinus Vates, qui in terreſtrium demum deliciarum hortum Eden tranſportari vivus potuit? Num phœnicis fabuloſi inſtar è ſuis ipſius ruderibus poſtliminio quaſi ſibi reſtitutus, prodiit indemnis? Quæ turpiſſima omnemque reſpuens conciliationem contradictio vel ſola aſſerti hujus falſitatem & abſurditatem declarat luculenter, ut opus non ſit, ei diutius in præſens immorari, maxime cum quid amplius hic deſignari, factique, gloriam & majeſtatem obliterari peſſime & enervari ejuſmodi commentis, deinceps ſit ediſſerendum plenius.

§. XII. Ac figmentis his affinis oppido, quæ Pontificiorum plerorumque utpote *Bellarmini*, *Suareſii*, *Malvendæ*, *Leſſii*, *Caſp. Sanctii ad h. l.* aliorumque eſt traditio, qua *in terreſtrem aliquem traductum Eliam Paradiſum eſſe*, nimis temere aſſeveratur. Quamobrem plures etiam otioſas, de ſtatus ejus, in quo agat, conditione, coacervare quæſtiones nulli erubeſcunt, haud ſecus ac ſi vel gnari arcanorum divinorum ipſi, vel intimiora auguſtarum ſedium illarum introſpexiſſent. Eandemque Patrum quorundam, utpote *Irenai*, *Juſtini*, *Iſidori lib. de ortu & obitu Sanct. C.* 5. *Thomæ* 1. *Part. quæſt.* 102. *art.* 2. autoritate niti tradit *Corn. à Lapide.* Quo de Theologorum conſummatiſſimus *Dn. D. Dorſcheus p. m. in Auctor. Diſſert.* 1. *de prophetia Henochi* imprimis meretur legi. Quanquam vero ſine accidentali ſui immutatione, naturalia in beatorum πς̃ transferri, ibique verſari inter ſanctos, citra acceſſionem novarum qualitatum poſſe corpora, nulli adſtruamus, in terrenum tamen deportatum Eliam Paradiſum eſſe, cui quæſo Sapientiorum perſuadebitur id ſomnium? Ubi enim locorum exiſtit ille? Num idem an diverſus à priori? Ubi ullum ejus ullibi habetur documentum? Num πς̃ aliquod materiale, an immateriale? Aut quid fundamento tam carioſo, cui innititur hæc fabula, de reditu Eliæ, de occaſione Henochi, expectanda Apocal. 11: 7. de utriuſque, adventum Antichriſti antecedente præconio, firmi poterit ſuperſtrui? Certe ſi Vatum par Sanctiſſimum ad finem uſque mundi in terreſtri aliquo detinendum Paradiſo eſt, ſingulare illud admirabilis tranſlationis privilegium, quo ſupra cæterorum mortalium

lium ſortem id evehere DEUS voluit & honorare, non privilegium eſt, ſed moleſtiſſima detentio & ſeclusio ab iis bonis, quorum illi ingreſſi eſſent jam poſſeſſionem, ſi tranſlati non fuiſſent. Atque idem etiam de eorum opinionibus judicium jam eſto, qui vel cum *Dorotheo in Synopſi cap. de vita Eliæ, S. Hieron. in Cap. IX. Amos, Ambroſio lib. de Paradiſo Cap. 3. Alcimo, Serario &c. in cœlum æthereum: vel cum Gregorio Homil. 29. in Euang. & Ruperto lib. 3. de Trinit. Cap. 33. in ſecretam quandam terræ regionem traductum Eliam eſſe* opinantur. Præterquam enim quod hic ignotum illud τȣ̃ ἄπερ χωφῆς nimis rurſus temere definiatur; plura adhuc, quæ neutri illarum indulgendum quicquam ſuadent, incommoda deprehenduntur, quibus tamen in præſens adducendis nos, ob manifeſtam rei falſitatem, pluribus non inhærebimus. Ubi enim per cœlum unquam terra aut ejus aliqua intelligitur ſecreta regio? Aut num in firmamento, vel terra, vel alio aliquo creato & materiali loco ſanctorum & beatorum τȣ̃ quærendum erit?

§. XIII. Igitur nos per שמים ipſum beatorum τȣ̃ cum *Chryſostomo Hom. 22. in Epiſt. ad Ebr. Theophylacto, Oecumen. Auguſtino de gratia Chriſti C. 2. & 3. Cypriano de montibus Sion, Theodoreto quæſt. 45. Geneſ.* omnibuſque orthodoxis Interpretibus, hic deſignari inquimus. Ubi vero illud ſit ingenue nos ignorare profitemur, contenti certiſſima notitia, quod vere ſit. Idque vel è ſingulari illo, quo reliquorum omnium mortalium poſt Enochum ſupergreſſus eſt conditionem, ſublationis inconſuetæ privilegio abunde conſtare poteſt. Quis enim infeliciorem ejus, ac aliorum beate decedentium, fuiſſe ſortem credat, quorum animas jam πρόγευσμα cœleſtium beatitudinum ante ſui cum corpore redunitionem percipere, ſacra pagina nos docet. Nec divinæ vel miſericordiæ, vel incitatiſſimo ſanctitatis & religionis ſacratioris in divino Vate zelo videbatur congruum, illa ſui in terreſtrem aliquem deliciarum locum tranſlatione, melioribus ut privaretur. Quid tanto, tamque inſolito ad id opus erat apparatu? Aſcenſionis etiam Chriſti hac ſui in cœlum aſſumptione geſſiſſe eum typum, ſacrarum literarum Interpretes non diffitentur. At num typum inter & antitypum in eo ſarta tecta aliqua relinquetur convenientia, ſi hunc in cœlum majeſtaticum & gloriæ, illum vero, vel in obſcuram quandam terræ regionem, vel in æthereum, vel aereum evectum cœlum eſſe aſſeratur? De Henocho ſi eadem cantatur fabula, petitur τὸ ἐν ἀρχῇ. Noſtræ potius aſſertioni non leve ſane ex miranda itidem ejus è viventium conſortio ſubductione accedit robur. Mortem eum non vidiſſe, Ebr. 11: 5. διαῤῥήθην affirmatur. Hoc autem, qui niſi præter ſuetas morientium leges eum beatorum illico inauguratum eſſe gaudiis innuitur? Cum vero novis corpus ejus qualitatibus donatum ſit, ipſaque peccati radix omnis ex peculiari aliqua divina diſpenſatione illico ceſſaverit plenarie, eum ſane mortis quod analogum, eorum more, qui redituro aliquando ad judicium in occurſum rapientur Domino, in illa ſui ſublatione paſſum eſſe; communi omnium accuratiorum ſuffragio, oppido probabile eſt. Qua ratione nunquam ejus anima à corpore ſejuncta extitit, licet immutationem aliquam, quæcunque ea fuerit, ipſe haud prorſus ignorarit. Utrum vero eadem jam cum ſeparatis fidelium animabus, an pleniſſima Beatorum in cœlis gaudeat beatitudine, quis determinet certo? Quanquam illud ex apparitione ejus in Nov. T. factâ, magis veriſimile nonnullis videatur. Veſtimenta ejus præter pallium, quod Eliſæo ceſſit, quo devenerint, quid noſſe refert? Qua virtute, flammante ipſe in cœlum tranſlatus eſt quadriga, eadem exui veſtitu quoque potuit. Valeant proinde Pontificii, qui intemeratas adhuc dum veſtes ejus, ceu Hebræorum quondam in deſerto per quadraginta annos, conſervari ſomniant.

§. XIV. *Subjectum* igitur *ſublationis quod*, totum ſuppoſitum Eliæ fuit, non ſola ejus anima, nec ſolum corpus. Vivus enim & perfectus, qualis ante hac inceſſerat cum Eliſæo & collocutus erat, caducis his ereptus, inque aëre ab eodem conſpectus fuit integer. Unde fruſtraneus omnino filiorum Prophetarum, abrepti caſum ſubverentium, contraque monitum Eliſæ diſcurrentium hinc inde, & quæſitantium alicubi delapſi forte corpus, labor & conatus fuit, quandoquidem non tam abripi & projici in locum aliquem Phyſicum, quam tranſlocari è mortalibus debuerit. *Forma* vero *aſcenſionis* non conſtitit in nuda corporis ipſius diſparitione, neque in Phyſica aut hyperphyſica quadam, ſucceſſiva uſque ad cœlum, vel ultra etiam, progreſſione, ſed in vera realique loci mutatione, atque in ſublime elevatione. Specialius conſiderari modus aſcenſionis poteſt (1.) *ratione termini à quo*, & ſic facta illa eſt in confiniis prope Jordanem per localem motionem & ſublevationem, utrum initio ſtatim ſecundum motum corporis ſpiritualis, ut deinceps, an naturalis, ſaltem quoad nubes terminaret viſum, non ſatis liquet. Id tamen conſtat, localem & viſibilem principio fuiſſe illum motum, ut tum triumphos ſuos de hoſtibus quibuſvis, idololatris, mundo & morte oſtentare glorioſe, tum qui mundanam converſationem jam relinqueret, docere poſſet. Tum (2.) *ratione termini per quem*, quomodo facta ejus per cœlum ſidereum tranſlatio eſt. Ubi ſi motu progreſſivo ac ſucceſſivo Phyſico eum aſcendiſſe ſtatuamus, per plures centurias annorum eo vix pertigiſſe dicendum erit. Tum (3.) *ratione termini ad quem*, quem beatorum τȣ̃ eſſe, quod cœlis adſpectabilibus penetratis ingreſſus ipſe, jam ſupra deſignavimus. Quod cum locus Phyſicus non ſit, nec localis in illud fieri tranſitus, nec igneus cum equis ſuis currus ferri eo potuit localiter. Sciſcitanti vero, *quo anno, menſe & die* hæc contigerint, reſpondet è *Cornel. à Lapide Friedlibius*, raptum Eliam in cœlum Anno mundi ter milleſimo quadrageſimo ſexto, ætatis ſuæ octuageſimo primo, regni Joſaphat decimo octavo, ante natum Salvatorem nongenteſimo ſecundo. Addit Jeſuita menſe Julio, & die ejus viceſima hæc cuncta eveniſſe. Utrum conveniant hæc cum veritate Chronologica, ipſi viderint. Nobis pagellarum nunc anguſtia conſtrictis, id diducere ſolertius nec licet, nec vacat etiam. Paulo tamen poſt Ochoziæ Regis obitum, quem ei ipſemet prænuntiarat ſublatum fuiſſe Eliam, ſacer nobis dictitat Hiſtoricus. Tantum.

Δ. Τ. Θ.

JOH. AND. QUENSTEDT
DISSERTATIO
De Petitione Naamanis Syri ad 2 Reg. V: 18.

I. N. J.

DE
PETITIONE NAAMANIS SYRI
Ex 2 REG. V: 18.
DISSERTATIO THEOLOGICA.

§. I.



NAAMAN, princeps exercitus Syriæ, vir bellicosus & militari prudentia ac fortitudine insignis, per quem Rex Syriæ, Benadad, *plurima bella confecerat, gentes domuerat, & victorias perpetraverat*, ut inquit Augustinus Serm. CCVII. de tempore Dom. VI. post Trinit. serm. 1. Tom. X. Oper. col. 1050. lepra erat perfusus, à quo fœdo & odioso morbo, qui corpus tanti viri & cruciabat acerbe ac miserandum in modum deformabat, libertatem discupiens, casu didicerat à puella, quam è terra Israëlitide captivam deduxerat in Syriam, in obsequium uxoris suæ, esse in Israël Prophetam, *mirandis virtutibus præditum & stupendis operibus nominatum*, ut eum appellat Augustinus loco jam alleg. cujus opera à lepra posset mundari. 2 Reg. 5: 1, 2, 3. Carpit itaque iter princeps cum literis commendatitiis à Rege suo obtentis & donariis amplissimis ad Regem Israëlitarum, qui tunc erat Joram, solo ancillæ verbo permotus. Commendabat autem Rex Syriæ in literis Regi Israël causam leprosi servi, petebatque, ut illum à molesta illa infirmitate liberatum atque mundatum in patriam remitteret. Sed literæ illæ Israëlis Regi magnam incutiebant solicitudinem ac metum. Putabat enim, occasionem captare Syrum & colorem, ut honeste bellum inferre posset ei, à quo id, quod per literas petierat, non obtinuisset; vers. 4, 5, 6, 7. Sed ab ea perturbatione ac metu liberavit Regem Joram Elisæus Propheta, utpote qui per internuncium puerum mandavit Naamano, ut, si vellet à fœdo illo atque molesto ulcere mundari, septies in Jordane flumine corpus ablueret, & mundationis spem certam conciperet. vers. 8, 9, 10. Lavatus itaque in Jordaninis undis Naaman, & ab isto inveterato morbo curatus ad Elisæum revertitur, seque inposterum verum DEUM jam agnitum venerari & idolum detestari velle, sancte pollicetur. Offert insuper Prophetæ munera, & ut ἀντίδωρα oblata accipiat, omni ratione ei persuadere conatur, sed cum hoc ab illo impetrare non posset, vers. 14, 15, 16. non petiit Naaman, ut ad excitandas vero DEO aras liceret sibi de terra Israëlitica tantum secum in Syriam exportare, quantum duorum burdonum, i. e. mulorum justum esset pondus, quæ Papistarum communis est ψευδερμηνεία, sed rogavit, ut sibi permittat Elisæus, famulo suo, *Gehasi* vid. dare munus, quanto onerari possent duo muli. Sic enim inquit; *Et non dabitur nunc servo tuo* (Vulgatus de suo perperam ingerit pronomen *mihi*, intelligitur enim, uti dictum, servus Elisæi, *Gehasi*, non vero Naaman.) *onus paris mulorum* אדמה, i. e. *terræ*, vers. 17. (ita *munus* suum appellat Syrus, extenuationis gratia.) Sensus hic optime exprimitur in Bibliis Glossatis Vinariensibus hoc modo; **Da sprach Naaman: Möcht dann deinem Knecht nicht gegeben werden dieser Erden (dieser meiner geringen Gaben / so gegen der grossen Wolthat / die du mir erwiesen / kaum wie ein Klump Erde zu achten) eine Last / so viel zwey Mäuler (Maulthier) tragen? (Ich verhoffe / du werdest mein Geschenck ja nicht so gar verachten / daß es auch dein Diener Gehasi von mir nicht annehmen solte / &c.** Eadem ratione hunc textum exponit Maxime Reverendus Dn. D. Calovius, Collega, Compater & in Christo Frater meus summopere devenerandus in annotatis anti-Grotianis ad h. l. aliique Eruditissimi Scripturarum Interpretes. Subjungit tandem Naaman vers. 18. hæc verba, quæ in textu Originali sic sonant;

§. I. לדבר הזה יסלח יהוה לעבדך בבוא אדני בית־רמון להשתחות שמה והוא נשען על־ידי והשתחויתי בית רמן בהשתחויתי בית רמן יסלח־נא יהוה לעבדך בדבר הזה: ויאמר לו לך לשלום.

Targum, sive Paraphrasis Jonathani sic habet;

לפתגמא הדין ישבוק יי לעבדך במעל רבוני לבית רמון למסגד תמן והוא סמיך על ידי ואסגוד בית רמון במסגדי בית רמון ישבוק יי לעבדך בפתגמא הדין: ואמר ליה איזיל לשלם.

Versio Latina Cevallerii, revisa à Briano Waltono, Biblior. S. Polyglottor. Editore;

In re hac ignoscat Dominus servo tuo, cum intrabit Dominus meus in domum Rimon, ut adoret ibi & ipse innixus fuerit super manum meam, & incurvavero me domo Rimon, incurvante me domo Rimon, ignoscat Dominus servo tuo in re ista; Et dixit illi; Vade in pace.

Versio Græca LXX. Interpr. juxta exemplar Vaticanum Romæ impressum,

Καὶ ἱλάσεται κύριος τῷ δούλῳ σου ἐν τῷ εἰσπορεύεσθαι τὸν κύριόν μου εἰς οἶκον Ῥεμμὰν προσκυνῆσαι ἐκεῖ. Καὶ αὐτὸς ἐπαναπαύσεται ἐπὶ τῆς χειρός μου, καὶ προσκυνήσω ἐν οἴκῳ Ῥεμμὰν, ἐν τῷ προσκυνεῖν αὐτὸν ἐν οἴκῳ Ῥεμμὰν, καὶ ἱλάσεται δὴ κύριος τῷ δούλῳ σου ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ. Καὶ εἶπεν Ἐλισαιὲ πρὸς Ναιμὰν, Δεῦρο εἰς εἰρήνην.

Versio Syriaca ex interpretatione Latina;

Hac in re condonabit ne Dominus servo tuo? quum ingressus fuerit Dominus meus phanum Remmonis, ut illic adoret, (is enim innititur manibus meis) & in phano Remmonis adoravero? cum adoravero in phano Remmonis, con-

condonabit ne Dominus servo tuo hac in re? Ait illi, Vade in pace.

Versio Arabica ex interpretatione Latina:

Num rem, quam proposui, condonaturus est DEUS servo tuo? Num si ego, quum ascenderit Dominus meus in ædem Remmonis ad adorandum ibi, innixus manui meæ, ego, inquam, deinde adoravero in æde Remmonis in sacello meo, num condonabit DEUS servo tuo, quod proposui? Ait illi; Vade in pace.

Vulgatæ versionis autor hunc in modum transtulit;

Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante in eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. *vers. 19. Qui dixit ei: Vade in pace.*

Versio Xant. Pagnini, nonnullis interdum voculis, ut Latinis auribus gratior esset, leviter ab Aria Montano, immutata sic habet;

Hac in re pareat Jehova servo tuo, quando ingredietur Dominus meus (in intrando Dominum meum) *ædem Rimmon, ut adoret ibi, & ipse innixus fuerit super manum meam & incurvavero me in æde Rimmon, in hac incurvatione mea in æde Rimmon ignoscat quæso Jehova servo tuo hac in re.*

Junius & Tremellius ita vertunt;

Hac in re condonet Jehova servo tuo, quum ingreditur Dominus meus ædes Rimmonis, ut incurvet se ibi (nam is nititur manu mea) si incurvavero me in æde Rimmonis. Hoc incurvare meum in æde Rimmonis condonet quæso Jehova servo tuo in hac re.

B. Lutheri versio Germanica hæc est;

Daß der Herr deinem Knecht darinnen wolt gnädig seyn/ wo ich anbete im Hause Rimmon/ wenn mein Herr ins Haus Rimmon gehet/ daselbst anzubeten/ und er sich an meine Hand lehnet. Er sprach zu ihm/ zeuch hin mit Frieden.

VOCUM HEBRAICARUM ELUCIDATIO.

§. III. לַדָּבָר *Secundum verbum hoc*, Jun. Tremell. Piscator, *hac in re*, & recte. Vox enim דָּבָר apud Hebræos tam lati ambitus est, ut tam Verbum, quam rem verbis enunciabilem, sive negotium aut factum designet, ut in N. T. ῥῆμα & λόγος non solum verbum sed & rem denotant, ut videre est Luc. 1: vers. 37. 2: 15. Marc. 1: 45. Luc. 9: 28. Rom. 9: 28. & ut docet Sebast. Pfochenius in diatr. de linguæ Græcæ N. T. puritate, apud profanos etiam autores. Hoc loco vocem דָּבָר pro re sive facto poni manifestum est. יִסְלַח à rad. סָלַח condonavit, remisit, ignovit, pepercit, construitur cum ל sive dativo, vide Exod. 34: 9. Numer. 15: 28. hinc סַלָּח *Condonator*, seu facilis ad ignoscendum peccatoribus, Dei est Epitheton, Psalm. 86: 5. scil. *qui jus rigidum non urget adversus peccatores pœnitentes, sed veniam delictorum ultro offert atque confert, modo de admissis doleant, inque Mediatorem Messiam unice confidant*, Belgæ in marg. een geern vergever / ita Eminentiss. Theologus, Dn. D. Geierus in Comment. ad h. Psalm. לְעַבְדְּךָ *servo tuo.* En humilitatem *viri magni* vers. 1. qua loco pronominis primæ personæ (*mihi*) adhibet subjectionis titulum, *servo tuo.* Sic & Abraham, Genes. 18: 3. *Ne prætereas servum tuum* i.e. me c. 33: 5. *quæ largitus es servo tuo*, i.e. mihi. אֲדֹנִי *Dominum meum*, Regem intelligit Syriæ, vide vers. 1. Hic Rex, cui Naaman operam navavit strenuam & utilem, vel fuit *Benhadad*; qui bellum varia fortuna aliquoties gessit cum Achab, rege Israël & tandem, ut infra habetur cap. 8. ab Hazaële strangulatus interiit, ut volunt Casp. Sanctius & Jacob. Tirinus in Com. & Seth. Calvisius in opere Chronolog. pag. 196. b. vel *Hazaël*, ut existimat Salianus in Annal. Ecclesiast. V. T. & cum eo Menochius in Com. בֵּית־רִמּוֹן *domum* i.e. templum seu fanum *Rimmon.* רִמּוֹן *Malogranatum*, seu *Malum Punicum* significat. Ast quis sit iste DEUS Rimmon, cujus fanum & sacra obibat Rex Syrorum, obscurum admodum est. Nullibi enim ejus, nisi hoc loco fit mentio. Ab altitudine nomen habere existimat Joh. Seldenus de Diis Syriis Syntagm. II. cap. X. pag. 330. cum רָמַם sit *attolli, elevari*, & רָם *Elatus, Excelsus*, atque ita significaret hæc vox eum, qui est excelsus, vel qui sublimen inter reliquos Gentilium deos obtinet locum, qualis est Jupiter, Deorum Gentilium summus. Vel certe, qui in altioribus locis colitur, præcipua aliqua religione à Syris observatur. *Quidam Junonem esse suspicantur*, inquit Thomas Malvenda in Com. ad h. l. pag. 750. *quod hæc dea in Syria cumprimis culta fuerit, ut autor est Lucianus in Dea Syria.* Plurimi vero Interpretum conjectant, Rimmonem esse *Venerem*; Sic Nicol. Serarius Com. in h. l. pag. 295. *Quia*, inquit, *eadem omnino vox Punicum malum in Scriptura passim notat, eam in conjecturam feror, ut Venerem esse arbitrer. Huic autem aut Deæ (utrumque siquidem Macrobio autore fuit) poma præsertimque aurea seu punica ob pulchritudinem & quandam veluti seminii fœcunditatem, sacra fuisse, testes statuæ veteres, nomismata, Poëtæ, alii.* Casp. Sanctius Comm. in h. l. idem statuit, Cornel. à Lapide Com. in h. l. pag. 243. ait; *Nonnulli censent* Remmon *esse Jovem, summum Deorum, itaque dici quasi* רָם ram *i.e.* excelsum, *utpote altitonantem. Melius Serarius, Sanchez & alii censent esse Venerem, tum quia Venus erat Deæ Syriæ, tum quia Syri Venerem faciebant tam Deum, quam Deam, teste Macrobio; tum quia* Remmon *Hebr. significat* malum Punicum. *Veneri autem poma præsertim aurea & punica, ob pulchritudinem & seminum fæcunditatem, sacra fuisse testantur Theocritus, Virg. Lucian. & Ovid. lib. 10. Metamor. Vide Pererium Hieroglyph. lib. 54. Sic Romani colebant* Pomonam, *quasi* Deam pomorum, *teste S. Augustino lib. III. de C. D. cap. 24. Hæc ille.*

IV. לְהִשְׁתַּחֲוֹת *ad incurvandum se.* Propria verbi שָׁחָה significatio est, *deprimi, ad terram usque humiliari, toto corpore in terram inclinari*, ut Es. 51: 23. vox hæc totius corporis prostrationem designat, שְׁחִי *abjice te, incurva te, ut transeamus.* In Hithphaël nihil frequentius hoc ipso verbo, הִשְׁתַּחֲוָה *procubuit, incurvavit seipsum, prono in terram corpore se prostravit*, adeoque convenit cum altera radice שָׁחַח *abjecit*, prostravit se in faciem, inclinavit, incurvavit se, vel depressus fuit, incurvus ivit &c. Esai. 2: 11, 17. Job. 9: 13. Psalm. 35: 14. 38: 7. 44: 26. Vulgato Interpreti admodum familiare est, ut reddat hoc verbum per *adorare*, namque & hoc loco vocem illam ter ita vertit. Sed neminem temere latet, Genuflexionem vel totius corporis ad terram usque Incurvationem apud Orientales & civilis reverentiæ & adorationis religiosæ symbolum fuisse, sive Gestum illum incurvationis seu prostrationis suetum fuisse Orienti in cultu qua civili, qua religioso. Reverentiæ civilis symbolum fuisse constat ex variis scripturæ locis. Sic Abraham hunc honorem exhibuit ipsis Gentilibus scil. Chetæis, cum emere ab illis vellet sepulchrum hæreditarium Genes. 23: 7. Eundem præstitit pius Jacob impio fratri Esavo septena ad terram submissione Gen. 33: 3. Fratres Josephi, cum primum in Ægyptum venirent emendi commeatus gratia, Josephum fratrem demisso ad terram vultu venerabantur Genes. 42: 7. Civilem hanc reverentiam detulit etiam David Sauli, qui ipsum præter culpam persequebatur 1 Sam. 24: 9. Communiter autem hoc modo adoraturi adeo se incurvabant, ut fronte terram contingerent. Quod נפל עלפנים ארצה cadere in faciem ad terram, & una voce השתחוה Hebræis dicitur, ut observat Ludov. de Dieu ad Joh. 9: vs. 38. In textu nostro autem, ubi idoli & templi idololatrici fit mentio, vox incurvationis adorationem, sive cultum religiosum designat, præsertim quando de Rege Syriæ, utpote idololatra usurpatur. Is enim dubio procul ante idolum Rimmon adorandi causa procubuit. An vero incurvatio Naamanis, quam h. l. deprecatur, fuerit actus religiosus, sive jam ante præstitus, sive adhuc præstandus, an vero merum politicum servitium Regi debitum, in expositione textus patebit. Hoc saltem adhuc obiter observandum, adorationem ab inclinatione seu incurvatione hujusmodi in Scriptura quandoque distingui, sic Danielis 3: 5. præco clamabat; *In hora, qua audieritis sonum tubæ, & fistulæ &c. cadetis*, nimirum toto corpore in terram prostrati, & *adorabitis* (internis videl. cordium suspiriis devote fusis) *statuam auream.* Nam prostrationi seu incurvationi superaddita adoratio requirit præter illam corporis humiliationem, etiam mentis, vo-

voluntatisque devotam venerationem. Esaiæ 44: 17: *Incurvabit se ei & prosternet se & adorabit*, Matth. 4: 9. Diabolus inquit; *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Cæterum vocem Hebræam שָׁחָה LXX. Interpr. per προσκυνεῖν exponunt. Quod verbum, utpote Hebræo isti respondens, etiam non solum pro externa & civili reverentia, sed quoque pro adoratione religiosa passim accipitur.

§. V. וְהוּא נִשְׁעָן עַל־יָדִי *& ipse innixus fuerit super manum meam.* Solitos fuisse Reges ministrantium humeris, manibusque inniti non apud Persas & Syros solum, sed etiam Hebræos, constat ex lib. 2. Reg. cap. VII. vs. 2. & 17. ubi fit mentio Ducis, qui hoc ministerium præstitit Regi Joram. Vers. 2. ita vertit B. Lutherus; **Da antwortet der Ritter/ auff welches Hand sich der König lehnete/** versus 17. sic habet; *Rex autem præfecerat tribunum illum, cujus manu nitebatur.* Idem fœminis honoratioribus fuit usitatum, quæ sibi honori esse ducunt, & pulchritudinis partem, esse molles & teneras. De Esthere enim Persarum Regina in additionibus libri Esther, hæc verba habentur, (cap. 15.4.) *Assumpsit duas puellas, quarum alteri innitebatur, quasi præ deliciis* (Græce τρυφερευομένη i. e. *quasi delicate se gerens*,) *altera vero pone sequebatur, vestem ejus defluentem sublevans*, scil. ne quid vitii contraheret. Eodem modo hæc refert Josephus Ben. Gorion lib. 2. cap. 4. ubi inquit; *Esther accepit secum puellas & posuit dextram suam super puellam unam & innixa fuit ei more regio*; Nonnulli existimant, hac loquendi formula notari quævis ministrorum vel ministrarum officia & servitia, ut inniti manibus alicujus, nihil aliud sit, quam habere, cui pro lubitu aliquid mandare & negotia expedienda committere possis. Sic B. Lutherus in margine ad nostr. loc. (**Hand lehnet**) **das ist** Ebræisch **geredt / wie wir Teutschen sagen: Er ist mir zur Hand/ das ist/ er ist umb mich/ thut und richtet auß/ was ich ihm befehl und ich mich auff ihn verlasse** Huic expositioni favet illud 1 Par. 18: 17. *Filii Davidis primarii ad manum Regis.* Ubi Vatablus addit: *Quorum opera inprimis utebatur Rex*, & Nehem. 11: 24. *Phathahia erat ad manum regis, ad omne negotium populi*, iterum Vatablus; *Ebraismus: cujus opera utebatur Rex in omni re, pro qua convenire solebat populum.* Ast licet in hac phrasi [*inniti alicujus manibus*] sit Synecdoche, hoc tamen officium principale erat, vel certe pars ejus non infima, ut minister ad nutum Domini corpus suum aptaret, & cum stante staret, cum incedente incederet, ac cum procidente ipse quoque procideret. Sic in Nuptialibus sacris novæ nuptæ famularum brachiis innitebantur, ut docet Catullus in Nuptiis Juliæ & Manlii; *Mitte brachiolum teres, prætextatæ puellulæ.* בְּהִשְׁתַּחֲוָיָתִי *in incurvatione mea* id est, *dum me incurvo*, vel *hoc incurvare meum*, habet enim usum infiniti. Est autem הִשְׁתַּחֲוָיָה *incurvatio*, nomen verbale à הִשְׁתַּחֲוָה deflexum. לֵךְ לְשָׁלוֹם *vade in pace.* Simile responsionis exemplum vide Exod. 4: 18. Jud. 18: 6. 1 Sam. 1: 17. Marc. 5: 34. Luc. 7: 50. 8: 48. LXX. vertunt modo per βάδιζε ὑγιαίνων, modo per, πορεύου εἰς εἰρήνην, item, Δεῦρο εἰς εἰρήνην, ut in nostro loco. Est consueta apud Hebræos formula dimittendi aliquem cum bona venia.

TEXTUS EXPOSITIO.

§. VI. Anxie hic quæsivere hactenus Interpretes, quid Naaman Syrus, interventu miraculi à lepra mundatus & ad verum DEUM recens conversus à Propheta discedens petierit; an peccati futuri indulgentiam, an elapsi sive præteriti veniam? An materia deprecationis fuerit idoli Rimmon adoratio, vel saltem ejusdem simulatio, an officium & servitium Politicum Regi inposterum præstandum? Sententiæ hic diversæ, quæ tamen ad duas potissimum classes revocari possunt. Prima eorum est, qui postulatum Naamanis *de futuro* exponunt, altera eorum, qui *de præterito.* Qui de futuro explicant, [quod faciunt antiquiores Interpretes fere omnes] iterum sunt in *quadruplici* differentia. Quidam enim I. existimant, Naamanem ab Elisæo petiisse indulgentiam, seu permissionem cultus εἰδωλολατρείας, scil. ut una cum vero DEO idola colere posset, eamque à Propheta impetrasse. Ita R. Aben Esra, [qui ob insignem doctrinam & sapientiam καθ' ἐξοχὴν à suis dictus fuit הֶחָכָם ὁ σοφός, *sapiens*, teste Buxtorfio tract. de Abbr. Ebr. p. 34.] ad cap. XX. Exod. Verba ejus, ut ea Latio donata allegat Theod. Hackspanius parte I. Notarum ad loc. Diffic. Scriptur. pag. 731. hæc sunt; *Sunt multi*, inquit, *qui credunt in DEUM, & offerunt sacrificia & suffitus idolis, v. c. qui offerunt suffitum Reginæ cæli. Putant enim, quod prosit ipsis, sicut dixerunt Jer 44: 18.* Ex quo cessavimus offerre suffitum Reginæ cœli, sensimus defectum omnium rerum. *Et scriptum est*; Timebant Dominum, & Deos suos colebant simul. 2 Reg. 17: 33. *Et sic Naaman quoque fecit, qui ait*; *In incurvatione mea domus Rimmon. Et ecce illi confitentur DEUM, ac participem ipsi faciunt aliquem alium.* Putat itaque Aben Esra, Naamanem jam ad verum DEI cultum conversum peccasse in ipso modo adorationis, & juxta cum vero DEO coluisse idolum Rimmonis.

§. VII. Ast enim vero nec Naamanus petiit, nec Propheta ipsi concessit facultatem, ut cum Rege suo simul adoret impurum istud Dæmonium, cui in delubro isthoc litabatur. Non, inquam, petiit Naaman, diserte enim profitetur, versu præcedente, *se posthac non sacrificaturum diis alienis, sed tantum Jehovæ*, cujus ope & beneficio à molesto illo morbo erat liberatus. Ubi sacrificio, tanquam nobilissima specie, genus omne cultus religiosi externi comprehendit. Nec idololatria aut religionis mixtura ab Elisæo Naamani permittitur. Hæc enim, utpote ex se & sua natura abominabilis & impia ac in S. pagina verbis expressis interdicta, nemini permitti potest aut debet. Vox Sinaica ita fulminat; *Non habebis deos alienos coram me.* Exod. 20: 3. Ergo nec alienum cultum, alienam fidem. Christi sententia nota est. Matth. 6: 24. *Nemo potest Dominis servire duobus*, ἔκθεσις *statim subjicitur*; *non potestis servire Deo & Mammonæ*, ubi Mammon [quæ vox Chaldæis & Syris opum congeriem, lingua Punica, Augustino & Ambrosio lucrum significat] tanquam idolum quoddam DEO opponitur. Homo non ferret in servo, ut sibi daret operam & simul homini odiosissimo, quanto minus DEUS ferre potest, ut juxta se idola colantur. DEUS Zelotes corrivalem ferre nequit. *Nolite jugum ducere cum Infidelibus*, graviter monet Apostolus 2 Cor. 6: 15. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras, aut quæ conventio Christi ad Belial, qui consensus templi DEI cum idolis.* Usquequo [invehitur Elias, Elisæi Magister, in Israëlitas, qui verum DEUM se colere profitebantur & tamen in gratiam Achabi & Jezabelis ad Baalis aras supplices accedebant 1 Reg. 18: 21.] *claudicatis in duas partes, si Dominus est DEUS, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum. Tales tunc erant Israëlitæ*, inquit ad locum illum commentans Casp. Sanctius pag. 1250. *qui placere cum studerent Jezabeli, neque à patria religione defecisse vellent, & à suis in caput suum justum odium conflare, à Baalis ara ad DEI se conferebant altaria & ab iis rursus se ad Baalis aras referebant. Ita dum student utriusque religionis esse participes, utriusque potius se profitentur expertes.* Hanc itaque religionis mixturam & claudicationis abominationem in populo Israëlitico acriter reprehendit Elias, seculi sui, seculi opinione, turbo, qui Israëlem conturbarit, 1 Reg. 18: 17. A Magistro autem discipulus non discrepat, utpote cujus spiritum petiit & impetravit duplicem 2 Reg. 2: 9, 10. Proinde si vel maxime Naamani mens tam læva fuisset, ut peteret cultus idololatrici permissionem, quis putat, Elisæum sine ulla castigatione aut reprehensione id transmissurum fuisse? Non igitur habent, quo se excusent Papistæ, juxta Christum, imagines, statuas, angelos, sanctosque defunctos, inprimis vero Mariam DEI param colentes, sed similes sunt Israelitis, Eliæ ætate viventibus & Samaritis 2 Reg. 17: 33. quos pro sua opinione supra allegabat Aben Esra, qui lucem cum tenebris, verum Deum cum falsis & fictitiis diis conjungebant, nec non Alexandro Severo, Imper. qui, ut refert Osorius lib. VII. cap. 18. & Lampridius in Alex. in suo Lario Christi imagine habuit, Eique cum Orpheo, Apollonio Tyanæo & aliis ejusmodi diis cultum divinum exhibuit.

§. VIII. II. Alii statuunt, Naamanum petiisse à Propheta licentiam simulandi cultum idololatricum, & Elisæum hac in re cum eo, tanquam Neophyto, dispensasse, eique concessisse, ut in fano Rimmon adorationem illius Idoli externe simularet, verum tamen Deum in corde coleret, quod vel inprimis ex illa loquendi formula, qua Naamanum dimisit Vir Dei, לֵךְ לְשָׁלוֹם *vade in pace*, liquere putant. Hæc est sententia Adriani VI. Pontificis Rom. Caroli V. primum præceptoris, qui ad Pontificatum sub initio seculi XV. ex humili loco & pauperrima domo ascendens, nomen suum non mutavit, sed retinuit. Is enim in IV. Sentent. tractat. de Baptismo quæst. 1. art. 1. Respons. ad 5. paulo ante §. contra primam partem, docet, licitum esse fidelibus in templo infidelium cum ipsis orare, fidem celare & verbis vel signis alienam

alienam religionem simulare, idque ut probet, adducit inter alia exemplum Naamanis Syri, cui Elisæus indulserit, ut in templo Rimmon animo simulato adoraret. *Elisæus Naamano respondit*, inquit, Vade in pace, *quasi approbans factum & dissimulationem, si autem factum illud intrinsece malum esset, & nulla ratione honestari posset, deberet Propheta illum monere, & à tali facto retrahere &c.* Ex nostratibus Andreas Osiander in notis ad Biblia Latina ad h. l. etiam statuit, *Prophetam in casu isto singulari & quidem non sine peculiari revelatione divina dispensasse.*

§. IX. Hæc explicatio mirum in modum placet hodiernis Pseudo-Nicodemis seu falsis Nicodemitis, qui hinc cum priscis hæreticis, *Gnosticis*, de quibus vide Tertullianum in Scorpiaco, *Helcesaitis*, apud Eusebium Histor. Eccles. lib. VI. c. 31. & *Priscillianistis* apud Augustinum lib. de Hæresib. ad Quod vult Deum cap. LXX. & lib. contra Mendacium col. 31. Tom. IV. Oper. simulationi in religione quærunt patrocinium, h. e. autumant sese in hoc Naamanis exemplo idoneum nactos esse argumentum ad palliandum, excusandumque simulationem suam in cultu idololatrico, præsertim Papæo. Religio enim illis non est, cum commodum ipsis videtur, externa superstitiosa & idololatrica sacra frequentare, externis gestibus eundem cultum simulare; in templo Pontificio in genua procidere, & frustum panis solenniter expositum, tanquam verum Christi corpus adorare, pectus percutere, Sanctorum reliquias, statuas & imagunculas genuflectione, osculo, imo & adoratione excipere, rosaria gestare, aquæ benedictæ aspersionem admittere, processionibus interesse, &c. Potest quidem homo Christianus fana Infidelium & Hæreticorum adire atque eorum sacris & ceremoniis interesse vel potius adesse aut adstare salva conscientia, confessione & fide. Neque enim in Scripturis simpliciter interdictum est piis hominibus, ne præsentes adsint, dum superstitiosi, profani & execrandi ritus exercentur. Etenim adfuit Elias, cum Pseudoprophetæ suo Baali sacrificarent, sed ut irrisor adfuit, insultabat quippe illis, dicendo; *clamate vehementius, &c.* 1 Reg. 18: 23. seq. Sic aderant in campo tres heroës Judæi, Danielis socii, cum statua Regis aurea maxima pompa erigeretur, sed stabant corporibus erectis, nec sese idolo, sive Colosso Babylonico prosternebant, Dan. 3: 12. seqq. Et Paulus, Gentium Apostolus, cum Athenas venisset, in civitatem κατείδωλον h. e. *idolis refertam*, ingressus est templum, & observavit eorum σεβάσματα i. e. *sacra*, sive quæ religionis causa venerabantur, vel ut Vulgatus & Æthiopicus non male reddunt, *simulachra*, Lud. de Dieu in animadvers. in Acta Apostol. p. 162. ad h. l. mavult vertere, *Numina*, (confer. 2. Thess. 2: 4.) non sane, ut ritus idololatricos approbaret, sed ut argumentum & occasionem inde caperet, confutandæ idololatriæ. Actor. 17: 16. 23. Sic & hodie concedi potest, ut quis, qui est confirmati judicii, & fundamenta veræ fidei recte posuit, spectandi causa ingrediatur Synagogas Judæorum, adstet Missæ Papistarum, aut spectet eorum processiones, ut scil. propriis oculis usurpet horrendas abominationes & superstitiones, meliusque & certius de illis testari queat. Sed à gestibus adversariorum prorsus abstinendum est, in genua non procidendum, pectus non contundendum, uti Pontificii, dum missificatur, facere assolent. Talis enim cultus idololatrici imitatio, quamvis dicatur pure externa esse & symbolizatio secundum speciem atque apparentiam, Idololatriæ interpretativæ & quidem spontaneæ, species est, Deo exosa & in Scripturis absolute prohibita, quia per talem simulationem & cum infidelibus & hæreticis in sacris externis communicationem sive veram, sive fictam & fucatam 1. miscetur Deus & idolum, Christus & Belial, verum & falsum, 2. salutaris doctrina in speciem abnegatur. Species enim abnegationis est, in externis simulare. 3. scandalum infirmis præbetur, qui in fide debilitantur, & idololatræ in errore obfirmantur. 4. turpissima hypocrisis, quæ Deum atque homines offendit, committitur, dum aliam in corde foves fidem, & aliam externe profiteris, id quod est Christum abnegare, cujus pœna describitur Matth. 10: 33. 5. Conscientia vulneratur, & inde tentationes crebro suboriri solent; *Externi gestus atque ceremoniæ sunt symbolum religionis*, inquit D. Balduinus Com. in 1. Cor. cap. 8. parte 2. quæst. 1. pag. 392. Recte D. Georg. Konig in Casibus Conscientiæ ex Decalogo num. III. p. 33. *Licet*, inquit, *Deus cor principaliter intueatur 1 Sam. cap. 16: 7. & non tam in externis, quam in ipso corde sita sit idololatriæ scaturigo.* Ezech. 14: 7. *tamen cum cordis nutum cætera agnoscant membra, arbitrium sequantur actiones, & sensum prodant gestus, adeoque singula de interna animi propensione, quasi suffragium ferant, ideo nec ista penitus à Deo insuper habentur; sed pro idololatris reputantur, quicunque vel evagantur, vel extra legitimum objectum, divinitus præstitutum, cultus sui exercitium suscipiunt.* Eleazaro, viro dignitatis inter Hebræos amplissimæ, [quem Ambrosius lib. 2. de Jacob. c. 10. & 11. & Gregor. Nazianz. Orat. 21. vocant *primitias Martyrum Veteris Testamenti*, sicut Stephanum, *Novi*, non quod tempore primus fuerit, nam sic *Abel*, Protomartyr à S. Cypriano de Orat. Dominica dicitur, multique Prophetæ Eleazaro priores sunt, sed quod nobilitate martyrii certarit cum primis, ut annotat Jesuita Tirinus ad loc. mox citandum,] dabatur venia, ut aliam quampiam carnem edens, tantum simularet, se suilla vesci, sed hoc ipse facere prorsus recusavit. Sciebat enim, (quod ille pulcherrima oratione & prolixa docet) perinde esse, comedere prohibita, atque ea comedisse assimulare, seque non minus nociturum aliis ad pravum exemplum, hac sua simulatione, quam nocuisset per veram carnium prohibitarum comestionem, 2 Maccab. 6: 21. seq.

§. X. Apostolus Paulus 1 Thess. 5: 22. vult, ut non solum, à malo, sed etiam ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ, *ab omni specie mali* abstineamus. Non tantum à falso cultu, sed etiam à falsi cultus specie, nec, ut bene observat Chrysostomus, ab illa, ab ista, sed ab omni specie, abstinendum monet. Idem Apostolus serio reprehendebat Petrum Galat. 2: 14. quia simulabat Judaismum exterius, quem interius in corde detestabatur. Frivolus ergo prætextus est, quando dicunt hodierni Politici, seu potius πολύτροποι, se externum saltem cultum Idolis Papæis præstare, corde interim uni vero DEO devote adhærere, corpore duntaxat & externo habitu vel gestu ita se gerere, intus sese occultam fidem & meliorem sententiam fovere. Deus enim in religionis negotio cordis, oris & gestuum consensum requirit. Proinde, ut γλῶτταν τῇ καρδίᾳ ἀντιφαλκὴν ἔχειν, *linguam ab animo discrepantem habere* in fidei ac religionis professione non licet, sed ubique præstat cordis orisque concordia, (*nam corde creditur ad justitiam, ore vero fit confessio ad salutem*, Rom. 10: 10.) sic etiam illi consentire debet, quicquid exterius in causa religionis agitur. *Deus duplicitatis aspernator est, & simplicem intentionem considerat*, bene ait Isidorus, sed simulatio quædam duplicitas mentis & externorum gestuum est. Aliud enim externis signis & factis ostenditur, & aliud animo geritur, unde à Deo odio haberi, consequitur. Videant itaque, ne, dum putant, se Christo mente servire, corpore Beliali obsequium & honorem præstent. Neque hominem dividant, qui totus cultui divino dicatus est. Jehova respondens Prophetæ Eliæ; *Reliqui mihi in Israel septem millia virorum, qui non incurvaverunt genu ante Baal* 1 Reg. cap. 19: 18. dum attingit externum symbolum cultus, scil. genuflexionem, ostendit, non sufficere, si quis dicat, recte animo sentio, mente mea orthodoxe credo, corpore saltem sic facio. Bene Augustinus libro contra Mendacium, (in quo omnem in religione simulationem prohibet.) cap. 2. Tom. IV. Operum colum. 32. inquit; *doctrinam esse mendaciloquorum, quod liceat Diaboli cultum mentiri in corpore, quando Dei cultus servatur in corde.* Paulus Apostolus, quando 1 Cor. 10: vs. 14. ait; *Quapropter, dilecti mei, fugite ab idololatria*, non tam respicit doctrinam aut animi sensum, quam convivia, epulas, solemnitates & congressus in honorem idolorum institutos, etiamsi nemo ad confessionem adigeretur. Hinc tamen vel ex sola εἰδωλοθύτων, i. e. *idolis immolatorum*, (sive ea sint peractis sacrificiis in convivio edenda proposita, sive in macello publice vendita) manducatione, inferebat communionem cum Dæmoniis, vs. 20. quia *qui edunt victimas, consortes sunt altaris* vers. 18. Inde etiam ibidem ostendit, κοινωνίαν seu participationem talis mensæ, cum participatione mensæ Domini subsistere non posse vers. 21. B. Chemnitius parte II. Exam. Concil. Trident. de Missa Pontific. pag. 344. b. ad h. l. inquit, *apud Corinthios disputabatur, non hæc quæstio, an Christianis liceret apud aras gentilium interesse ipsorum sacrificiis, & simul sacrificare Dæmoniis, hoc enim ut manifestam idololatriam non licere, manifestum est; sed hæc erat quæstio; Cum Ethnici post peracta in templis & in aris sacrificia, postea domi mensas seu epulas de idolothytis instruerent & ad illas mensas amicos & vicinos, etiam qui jam Christiani facti fuerant, invitarent; quæstio inquam, erat; an Christiani bona conscientia, illis mensis seu epulis interesse possent.* Ostendit itaque Paulus loc. alleg. fieri non posse, ut is, qui externe participat cum idololatris, veram pietatem in corde servet. *Tenentur Christiani* (inquit D. Thummius in Explicatione ad præceptum VIII.) *& ipsis incumbit vigore primæ tabulæ, ne communicent operibus infructuosis tenebrarum, sed magis ea redarguant*, *Ephes.* 5: 11. *nec ave Pseudo doctoribus dicant*, 2. *Johan.* 5: 10. *idque non solum spirituali cultu interno, sed etiam adoratione exteriori Es.* 45. 23. Cum autem

autem hoc ipso loco Esaiano, quem jam indigitat B. D. Thummius, dicatur; *Mihi curvabitur omne genu*, sciendum, Genuflexionem non esse ἐκ τῶν μέσων, sed è censu eorum gestuum, qui DEO competant, idcirco statuis, imaginibus atque idolis præstari neque posse neque debere. Cum itaque ex hactenus dictis manifestum sit, non tantum adorare idolum, sed etiam simulare talem adorationem per se malum esse, ac divinæ legi adversum, in qua non habet locum dispensatio, falsum est ac impium dicere, Elisæum Prophetam DEI, à Spiritu S. actum, dispensasse cum Naamano, ut veram religionem dissimulet, & adorationem idoli Rimmonis simulet. Ad sententiam Osiandri, dispensationem hic ex peculiari divina revelatione admittentis, respondet D. Hutterus in LL. Theol. Loco XXXI. de Cultu & Invocat. Dei cap. 1. quæst. V. pag. 977. his verbis; *De revelatione aliqua divina in toto textu nullum apparet verbulum, imo ne ulla quidem ejus suspicio aut conjectura. 2. Fatetur Naaman ipse, si in templo Idololatrico Rimmon adoret DEUM, se graviter in DEUM peccaturum, gravesque sibi pœnas accumulaturum. Quis ergo unquam statuet, Prophetam in re per se impia ullo pacto dispensasse.*

§. XI. Hinc III. nonnulli, qui scil. textum nostrum de futuro exponunt, volunt, Naamanem quidem ab Elisæo rem illicitam petiisse scil. ut in fano Rimmonio falsam religionem simulare sibi liceret, ast Prophetam factum non approbasse nec petitioni annuisse, sed Naamanum tanquam adhuc infirmum & justæ reprehensionis incapacem in pace dimisisse. Prius inde probant, quia Naaman ipse in actione illa, de qua loquatur, agnoscat peccatum, & quidem tale, propter quod veniam à DEO sibi necessariam esse ultro fateatur, posterius inde; quia verba Elisæi (*vade in pace*) non sint concedentis, aut approbantis postulatum, sed dimittentis in pace hominem adhuc infirmum, & nolentis dicere, erroneam esse ejus conscientiam, qua putabat, sibi licere, & concedi posse (saltem deprecante pro eo Dominum Propheta) ejusmodi cultus idololatrici simulationem. Hanc interpretationem tenet ex Pontificiis Gregorius de Valentia tractatu de fide & fidei professione, disp. 1. quæst. 3. puncto 2. ad 3. in Thomam sec. secund. p. 107. b. videl. Naamanum petiisse rem illicitam, sed Elisæum non annuisse, nec directe respondisse, sed dimisisse eum, utpote eo tempore correctionis incapacem ad deponendam hanc idololatriæ simulationem. Ex Calvinianis Petrus Martyr. Com. in h. l. fol. 241. a. *Videbat profecto*, inquit, *Naaman, actioni, de qua loquebatur, subesse peccatum, ideo pro ea veniam rogabat, nemo enim est, qui res justas & honestas sibi petat ignosci. Conscius itaque suæ infirmitatis ac intelligens, hoc sibi eventurum, supplicat veniam pro futuro delicto.* Et post multa, fol. vid. 242. a. *Quocirca; cum Naamanis actio formam ac speciem quam apertissimam idololatriæ haberet, atque alios exempli argumento in idololatriæ scelere confirmaret, mala erat, neque à recto sanoque judicio damnari non potest. Utut illius idololatriam excusemus, ejus turpem simulationem tueri non possumus.* Et non multo post; *Deinde illud arbitror expendendum quam attentissime; Prophetam non respondisse*, Abi, sic agito. *Dominus tibi propitius erit, sed tantum inquit*, Vade in pace, *quod perinde est; ac si polliceatur, se illum, quemadmodum petierat, precibus adjuturum* &c. Hieronymus Zanchius Tom. IV. Oper. Lib. I. cap. XVII. de vitiis externo vero cultui oppos. de Idololatria thesi XI. Col. 536. *Vera responsio hæc est*, inquit ad h. l. *Naamanum agnovisse hoc, quo de agimus, esse peccatum; cur enim petiisset à Propheta, ut pro se rogaret Dominum, si tale quid admitteret, si non novisset, hoc sibi non licere? Deinde etiam dicimus, Prophetam multo magis idem habuisse perspectum; ita enim respondit Naamano, ut aperte significarit, se precaturum DEUM, ut ei hoc peccatum condonaret. Hoc fecit, eum illum dimisit, dicendo,* vade in pace; *Quid enim hoc sibi voluit, quam bene vale? Ego precabor, ut petis, pro te, ut DEUS te custodiat ab omni idololatria & peccato: sed si tamen contingat, ut ex infirmitate labaris, illud tibi condonet.* Sic quoque Benedict. Aretius Theologus Bernensis in Loc. Com. col. 729. *Elisæus*, ait, *non concessit Naamano, id quod postulabat, sed simpliciter in pace dimittit;* Vade, *inquit*, in pace; *quæ verba nihil concedunt illicitum, saltem dimittunt, & oraturum pro ipso concedunt, factum autem non approbant. Sunt tamen, qui dicunt, Naamani hunc fuisse sensum; quod scil. in templo Remmon velit adorare cum rege suo, sed verum Deum, non idolum Remmon, quod Rex adorabat; quo sensu declaravit, quid deinceps de eo esset sperandum Prophetæ. Attamen verba reliqua habent confessionem culpæ; nam ad quid preces Prophetæ, si hic nihil peccati? Sin hic peccatum est, ut id fatetur Naaman, cur illo utuntur infirmi nostri, præsertim cum Elisæus peccatum non excuset?* Rivetus etiam existimat Tom. II. Oper. Com. in Psalm. XVI. fol. 49. b. Naamanum adorationis Idololatricæ simulationem ab Elisæo petiisse, sed Prophetam factam non approbasse. Inquit enim; *Objiciunt* (larvati Nicodemitæ, & multi ex nostris, qui peregrinationis causa exteras regiones, Papatu infectas, frequentant) *exemplum Nahamanis Syri, dicentis ad Prophetam Elisæum;* Si incurvavero me in æde Rimmonis &c. *Cui Propheta respondet*, vade in pace. *Hinc colligunt, Prophetam non improbasse incurvationem illam in æde Idoli. —— Vera responsio est, exemplum non facere legem; non tale præsertim, quod ab ipso autore culpatur, & propter quod veniam à Deo sibi necessariam esse profitetur. Nec eos juvat benigna Prophetæ responsio;* Abi in pace, *quæ non est factum approbantis, sed dimittentis, & promittentis se Deum oraturum pro ejus salute, ut qui adhuc infirmus erat, fortior in fide factus, à peccato abstineret.* Et post pauca; *Propheta non sperans se ab illo posse obtinere, ut Domino suo contempto, vitaret illam simulationem, non approbavit, ut id faceret, sed eum in pace dimisit, etsi infirmum &c.*

§. XII. Verum enimvero nec huic explicationi subscribere possumus; Si enim vere res mala & illicita vel peccatum id fuisset, in quod se prolapsurum verebatur Naaman, omnino ipsum coarguisset Elisæus, aut admonuisset, ut à tanto scelere sibi caveret. Quod dicunt, Prophetam institutum Naamanis non approbasse sed saltem tolerasse, eamque ob causam noluisse illud reprehendere, aut illum rectius informare, quia intelligeret, ipsum quippe adhuc infirmum, correctionis ac justæ reprehensionis esse incapacem. Multaque infirmioribus esse ad tempus danda, quæ fortioribus & in fide confirmatis non concederentur. Ad id respondemus; Infirmis in fide nihil indulgeri, nihilque concedi potest aut debet, nisi quod vel est licitum, vel natura sua ἀδιάφορον, sive, ut appellat Basilius, τὸ μέσον, & Nazianzenus, ἐν μέσῳ κείμενον, h. e. *divinitus neque mandatum, neque prohibitum.* In illis autem, quæ disertis verbis à Deo prohibita sunt, ejusque Verbo directe adversantur, ac proinde vere ac natura sua peccata sunt, nihil quicquam vel dispensari, relaxari vel indulgeri etiam infirmis potest aut debet. Jam vero, ut contendunt Gregorius de Valentia, Martyr, Zanchius, Rivetus & alii, Naamanis actio fuit *idololatriæ simulatio*, habuit *formam & speciem quam apertissimam idololatriæ*, fuit *peccatum*, & tale factum, *quod ab ipso autore culpatur*, atque *à recto, sanoque judicio non potest non damnari*, itaque ab Elisæo non potuit non improbari, aut Naamanus tale quid perpetraturus, cum pace dimitti.

§. XIII. IV. Alii denique & quidem plerique, qui Naamanis Syri petitionem de futuro explicant, statuunt; deprecari saltem Eum *externum & politicum officium Idololatrico Regi in fano Rimmonis præstandum*; ut sensus verborum hic sit; *Hac in re parcat Dominus servo tuo, nec tanquam idololatricum actum imputet, quando ingredietur Rex Syriæ, Dominus meus ædem seu fanum Rimmon, ut adoret ibi, & ipse innixus fuerit super manum meam, uti regum mos est, & ego huic officio, cum valerem, adhibitus fui, porro sine dubio, ubi sanus & mundus rediero, adhibendus, & incurvavero me in fano Rimmon, scil. ratione officii mei ut Regi Domino meo, sese incurvanti inserviam, meque accommodem? ignoscat quæso Dominus servo tuo, hac in re, scil. quod attinet hanc incurvationem, quam non præstabo in honorem idoli, sed in obsequium & servitium Regis, Domini mei.* Hanc expositionem tuentur in suis Commentariis ad hunc loc. ex Pontificiis, *Nicolaus* à patria *Lyranus* vulgo nuncupatus, qui è Judæo Christianus factus sub initium seculi decimi quarti Hebraicarum literarum peritia (quæ apud alios eo tempore in Ecclesia intermortua) & commentariis in universam S. Scripturam imprimis clarus fuit, Is enim ita inquit; *Non videtur bene dictum, quod Elisæus in hoc dispensaverit, sed solum ei declaravit, illud esse ei licitum, quod timebat esse illicitum, sicut solent facere conscientiæ timorosæ. Habebat enim Naaman officium sustentandi Regem, quod non erat illicitum de natura sua, æqualiter enim poterat fieri extra templum idoli, sicut & intra. Sicut si aliqua puella Christiana capta à Saracenis esset obsequio alicujus Dominæ deputatæ ad portandam caudam suæ vestis, non videtur illicitum, quod eam portaret intra fanum Mahometi, sicut & extra: dum tamen hoc non faceret propter reverentiam aliquam Mahometi, sed solum intendens officium suum exsequi. Et hoc petebat Naaman ab Elisæo, scil. quod idem officium, quod licite faciebat Domino suo extra*

fanum

fanum idoli, posset sibi facere intra, non ad aliquam idoli reverentiam, sed ne incurreret Domini offensam. Et hoc ei concessit Elisæus, quia non erat illicitum. Hæc Lyranus, quæ fere exscripsit Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis in lib. IV. Reg. cap. V. quæst. 25. *Thomas de Vio* patria *Cajetanus*, Cardinalis & Leonis X. sub initium seculi decimi sexti in Colligendis decimis per Germaniam Legatus, Comment. in h. l. ita exponit; *Adverte prudens lector*, inquit, *quod Hebraica Lectio, quamvis communiter interpretata sit, adorare, proprie tamen non significat adorationem, sed exhibitionem signi honoris in ipsius honorantis Personæ curvatione, sive curvatio hujusmodi fieret genuflexione, sive prostratione, sive capitis & humerorum inclinatione. Ita quoque non significatur actus interior, sed actus duntaxat exterior honoris. Est itaque sensus, quod curvante se rege in Templo Rimmon, Deo suo Rimmon, ego quoque me incurvabo, quia Rex innititur super me, & hoc est actio, quam ignosci sibi à DEO petit.* Pergit idem Cajetanus, *Dixit ei*, inquit, *vade in pace; Quæstiones duæ hic oriuntur; Altera, an verba Elisæi ista annuant voto Naaman affirmando, quod DEUS ignoscet: altera est, an incurvatio hujusmodi fuerit licita. Solutio primæ quæstionis est, quod verba Elisæi, cum sint valde communia, stant cum permissione illius incurvationis, & propterea ex vi sermonis non affirmant, DEUM ignosciturum seu non imputaturum ad peccatum. Solutio autem secundæ quæstionis est, quod aliud est, loqui de genuflexione imitativa genuflexionis regiæ, & aliud est loqui de genuflexione obsequii. Nam genuflexio imitativa est ejusdem speciei cum genuflexione, quam imitatur: Et propterea esset genuflexio idololatrica, quemadmodum genuflexio Regis. Sed de hujusmodi genuflexione non esse sermonem, testantur verba ipsius Naaman, proponentis conscientiæ suæ, scrupulum, in loco & tempore talis obsequii, quia videlicet in Templo Rimmon, tempore quo Rex adorabat Rimmon, ipsum Naaman, genuflectente Rege, oportebat genuflectere, eo quod Rex innitebatur super eum, & quemadmodum, Rege stante, oportebat ipsum stare, ita Rege genuflectente, oportebat ipsum genuflectere. De hujusmodi itaque genuflexione obsequii est quæstio: Et dicimus, quod secundum se erat licita; eo quod obsequebatur genuflexioni Regis absolute, & non relative ad Idololatriam. Genuflexio enim ipsa Regis actio quædam est, secundum se non mala, sed iniquitatem idololatriæ habet annexam ex Idololatrica mente Regis: minister autem obsequens genuflexioni, & non relationi ad Idolum, est non particeps criminis. Quemadmodum Nobiles comitantes Regem euntem ad Concubinam non sunt participes peccati; eo quod non comitantur eum, quatenus vadit ad peccandum, sed quatenus vadit absolute, ipsum enim ire secundum se non est peccatum. Quamvis autem hujusmodi genuflexio secundum se non sit mala, speciem tamen mali præ se fert, ratione loci, & temporis, nisi persona cognita sit exempta ab idololatria. Nam si persona obsequens ibi tunc similis aliis habetur, genuflexio ejus, quantumcunque ex propria intentione non sit mala, occasionem tamen dat præsentibus existimandi, quod ipse facit, sicut alii genuflectentes idolo. Si vero Persona nota esset aliena ab Idololatria, cessaret species mali, & consequenter ratio scandali seu existimationis, quod ipse genuflecteret idolo. Et quia Naaman & verbo & facto (ædificando summo DEO altare, illique sacrificando, & profitendo ipsum solum esse Elohim) publicabat se alienum esse ab Idololatria, ideo obsequium, quod præstabat Regi in Templo Rimmon adoranti, nec in se erat malum nec præbebat speciem mali. Et propterea Elisæus non dixit ei hoc esse peccatum, nec affirmavit ignoscendum à DEO, sed dixit vade in pace; ipse autem Naaman more bonarum mentium timebat culpam, & propterea petiit sibi ignosci, non imputando ad culpam:* Hæc Cajetanus.

§. XIII. Estii in Notis ad h. l. verba hæc sunt; *Putant quidam, Elisæum dispensasse cum Naamen tanquam Neophyto in religione veri DEI, ut licite possit simulare adorationem idoli Rimmon, sed id dici non potest, quia non tantum adorare idolum, sed & simulare talem adorationem per se malum est, in quo non habet locum dispensatio. Unde quod ait Elisæus;* Vade in pace, *non est dispensantis sed declarantis licitum esse, quod faciebat. Id autem erat adorare i. e. procumbere & inclinare se ad sustentandum Regem, volentem adorare in templo Remmon. Id autem Naaman non solum ibi, sed alibi faciebat, quotiescunque rex super eum volebat inclinare. Quod igitur alibi licite poterat facere, id non erat illicitum facere, in templo Remmon, maxime, quia non erat periculum scandali. Solus enim Naaman, aut certe cum sola sua familia fidelis erat. Et aliunde constare poterat, eum esse veri DEI cultorem, quia suis temporibus sacrificabat vero Deo.* Tirinus Jesuita eodem modo hunc textum exponit, Si adoravero, *i. e. inquit me incurvavero, seu corpus inclinavero, in templo idoli Rimmon, q. d. Liceat quæso mihi, dum Rex meus Benadad sese curvabit ad adorandum idolum excelsum (hoc enim significat Remmon) id est, primarium totius Syriæ (Venerem, ut puto, juxta ea, quæ de Dagon dixi 1 Reg. 5: 5.) liceat, inquam, mihi tum in obsequium non idoli, sed Regis mei, etiam me incurvare, quia Rex mihi solet inniti, partim commodi sui, partim decoris gratia. Non ergo vult Naaman cooperari ad adorationem idoli, sed ad solam curvationem physicam Regis. Quod omnino licebat.* Consentit Menochius, qui ad verba Elisæ *vade in pace*, ita commentatur. *Concedit Propheta*, ait, *ut cum Rege se idolo submittente, & ipse se incurvare possit, quia non hoc fiebat ab ipso in cultum idoli, sed ut suum exerceret munus ordinarium, Regem sustentandi & brachium præbendi, cui inniteretur, quod obsequium de se malum non erat.* Eadem mens est Serario, qui Comment. ad h. t. pag. 294. ita inquit; *Naamanus certe noster nullum vel meticulosis vel ambitiosis fidei simulatoribus mantelum suggerit. Ad idolorum templum it, sed tantum, ut Dominum ex officio comitetur, non idola ut colat. Inclinat sese, corpus & genua inflectit, non idolis honorem faciens, sed humanum, & civile tantum obsequium Domino suo sese inclinanti, corpus & genua inflectenti exhibens, prout vetus consuetudo etiam apud sanos & valentes ferebat. Hanc ejus cum Rege itionem, ejusque adorabundi aptam & commodam sustentationem requirebat locus & officium, quod in Syria recte obtinebat. Injuria in fidem nulla erat, neque ullum cuique scandalum, quia coram Rege, aulicis, populoque universo unum se præpotentem DEUM colere, præ se apertissime ferebat, non verbis tantum, sed clarissimis etiam operibus* &c. *neque Domini sui adorantis peccato proprie & formaliter cooperabatur, cum obsequium, quod cæteroquin adiaphoron erat, præstaret.* Paria affert *Casparus Sanctius* Comment. in h. l. pag. 1407. ubi Verbis Naamani fusius explicatis, tandem ait; *Solebat Rex Syriæ cum incederet, aut se quacunque de causa prosterneret, inniti aut manibus aut humeris Naaman, quare necesse erat, ut sese Naaman ad Regis motum atque habitum accommodaret. Ex quo fiebat, ut cum stante staret, cum incedente incederet & procidente ipse quoque procideret. Quod opus ex natura sua adoratio non est, sed obsequium Domino debitum à servo, atque ideo nulla lege prohibitum. Quod si servus omitteret, non inurbanus solum, sed etiam infidelis haberetur.* Nec dissentit *Cornelius à Lapide* Comment. in Lib. IV. Reg. cap. V. pag. 242. *Nota* inquit, *adorationem hanc Naaman non fuisse proprie dictam; sic enim fuisset impia & idololatrica, sed impropriam scil. incurvationem corporis vel genuflexionem obsequii causa, ut scil. Regem ex officio sibi commisso fulciret & sustentaret in templo, uti & alibi facere consueverat, quod facere non poterat, nisi Rege genuflectente, ipse pariter genuflecteret.*

§. XV. Amplectuntur quoque hanc sententiam Moralistæ, ut *Johannes Azorius*, Lorcitanus Jesuita, Institution. Moralium Lib. VIII. cap. XXVII. de peccatis, quæ contra fidei Confessionem admittuntur pag. 836. ubi ait; *Septimo quæritur; An servo Christiano apud Paganos captivo liceat in eorum templis genu flectere, obsequium & officium suo Domino genua submittenti debitum præstando, quo eum incurvatum sustentet? Nam ex uno capite id non esse licitum videtur, quoniam Naaman opera & ministerio Elisæi curatus à lepra, ardenter postulavit ab eo, uti DEUM suum precaretur, quo inquit, mihi ignoscat, si adoraverim in templo Remmon, domino meo adorante. Et altero capite id videtur licitum esse facere, quia in eo servus tantummodo suo officio & munere fungitur. Respondeo, jus esse servo, id facere, nam dummodo servus nullum cultum idolo tribuat, tuto potest suo domino inservire, id enim officii præstare solet Domino suo, tum in templo, tum extra templum, quemadmodum etiam Christiana ancilla à Paganis capta & caudam vestis dominæ suæ gestare solita tuta conscientia genuflectit una cum Domina in templo idolorum genua flectente & sese prosternente, quia id quoque facere ubique consuevit. Quorsum igitur, inquies, si id est licitum facere, petivit Nahaman, ut ipsi DEUS ignosceret? Respondeo, dubium fuisse Nahaman, utrum jure posset id obsequii genus Domino suo idoli cultori præstare, imo fortassis verebatur, ne id grave peccatum esset, & proinde impense postulavit, ut Elisæi precibus id juris sibi à Domino concederetur. Elisæus autem nequaquam solvit eum lege divina, neque enim poterat in eo, quod est per se & intrinsece malum,*

malum, lege aliquem solvere & excipere. Sed concessit ei rem sua natura indifferentem, quam tamen ipse anceps animi, tanquam bona mente præditus putabat, aut etiam verebatur esse interdictam, Deoque proinde odiosam ac detestabilem: quod Abulensis & Lyranus prudenter observarunt. Hæc Azorius. Calculum suum addit *Ferdinandus de Castro Palæo*, Legionensis Jesuita in Opere Morali de Virtutibus & vitiis contrariis Tract. IV. disp. 1. de fide ejusque obligatione, punct. XVI. num. 4. pag. 360. ubi inquit; *Naaman non petiisse licentiam simulandi adorationem idolo, sed solum genuflectendi & serviendi Domino suo, cum ipse idolum adoraverit, quod certe licitum est. Neque obstat petiisse à Propheta, ut deprecaretur Dominum pro illo de tali re, quia id dicere potuit ob dubium, quod forte habuit, an tale ministerium sibi illa in occasione liceret, cui dubio videtur Propheta satis fecisse, illis verbis,* Vade in pace, *quasi diceret, nihil est, quod te turbet, recte potes genu flectere Domino tuo quin gratiam & pacem cum DEO amittas.* Suffragatur *David à Mauden* JC. & Theologus, Ecclesiæ Bredanæ Decanus & B. Mariæ de Capella Bruxellis pastor in Discursu Morali in decem Decalogi præc. Discursu VIII. in I. præcept. pag. 48. ubi quærit, *an exterius liceat alicui fidem simulare?* num. 8. *Sed merito objicies,* inquit, *amplius fecisse Naaman Syrum, 4 Reg. 5. quando adoravit in templo Remmon. Respondeo, eum materialiter tantum illi templo interfuisse, sed plane omnino, ac si spectasset comœdiam aliquam, atque adoratio ipsius non erat actus religionis, quo colebat falsum Deum, sed erat servitium politicum, quod licite præstabat suo Regi. Unde magna fuit differentia inter ipsum & Regem. Nam adoratio Regis fiebat intuitu religionis. Cum enim esset homo Gentilis, colebat idolum externa adoratione, seu genuflectione. Adoratio vero alterius fiebat obsequii servilis intuitu. Cum ergo flectebat genu ante idolum, non alio animo faciebat quam ut suo Regi similiter genua flectenti, famulandi studio subserviret, ita Abulensis in lib. 4. Reg. 5. c. q. 25. Lyranus ibid. circa textum, & Azor. q. 7. pro quo notandum est, fuisse morem Regis Syriæ, ut inniteretur humeris alterius, sive in templo sive in foro, & ideo famulum, cujus humeris innitebatur, debuisse ex officio hoc obsequium illi præstare, ubicunque Rex esset. Si ergo Rex staret, vel ambularet, vel genuflecteret, necesse erat famulum etiam stare vel ambulare, vel genuflectere, non intuitu religionis, sed ratione politici obsequii, quod quilibet servus tenetur exhibere suo Domino, & famula gestans Dominæ suæ caudam.* Idem statuit *Johannes Malderus*, Episc. Antvverpiens. de Virtutibus Theologicis quæst. III. art. II. membro 3. p. 107. ubi ait: *Communior & verior responsio est, Naaman nihil illiciti petiisse, adeoque obtinuisse ab Elisæo, quod petiit, & quod ex timorata conscientia verebatur, ne forte sibi non liceret: petiit enim non simulare idololatriam, sed posse ministerium, quod Regi suo etiam extra templum exhibebat, in templo idoli præstare. Petiit itaque ut posset adorare in templo Remmon, id est, posset ibi genua flectere nimirum, non exercendo actum cultus divini, sed obsequii humani. Qui enim servit Regi in incessu, potest eidem inservire in geniculatione, eum sustentando & sicut innititur super manum congredientis, ita geniculans innitatur geniculanti.* Confer. Suarez de fide tract. 1. disput. XIV. sect. 4. num. 8.

§. XVI. Ex Calvinianis postulatum Naamanis apud Elisæum de futuro officio externo Regi in Idololatrico templo Rimmon præstando interpretantur *Sixtinus Amama* in Antibarbaro Bibl. Lib. III. ad h. l. pag. 407. ubi inquit; *Non postulat dispensationem circa adorationem veri Numinis in isthoc fano, nedum impuri istius dæmonii, cui in delubro isto litabatur, sed petit sibi condonari istam incurvationem corporis, prisco ritu, Regi suo obsequium præstituro. Agnoscit interim verum DEUM, idolis res suas sibi habere jubet, vovet perpetuum & constantem cultum DEO Israelis, nec dubium est, quin in patriam redux eandem religionem professus sit. Vox ergo Hebræa, utut Regi tributa per adorare, quoad sensum bene reddita sit, tamen Naamani tributa per adorare vertenda non fuerat.* Sic quoque *Buxtorfius Jun.* in Epist. ad Theod. Hackspanium, quam hic allegat pag. 735. in Notis ad loca difficil. Script. ad h. l. *Ita mihi videtur*, inquit; *Naamanem agnito DEO vero professum esse, se in posterum ei soli serviturum & sacrificaturum, quia vero hactenus nondum sibi sit integrum, officium suum aulicum deserere, se petere, ut hoc sibi indulgeatur, ut sine DEI offensa Regi suo imposterum quoque officium suum præstare possit, ut hactenus, cum id non sit facturus idololatriæ, sed politici duntaxat officii sui, quod gerat, exequendi causa.*

§. XVII. Ex nostratibus huic sententiæ adstipulantur; *B. Lutherus*, qui Tomo VI. Jenensi German. in tractatu von der Winckel-Meß und Pfaffen Weyh p. 87. col. 2. f. sic ait; Ein Christ m g wol von der M ß bleiben / muß er aber Dienstes halber darbey seyn / so lasse er den Pfaffen machen / und dencke er dieweil an seinen HErrn JEsum im Himmel und spreche seinen Glauben oder P almen / gleich wie Naaman 2. Reg. 5. bey seinem Könige in der Kirchen stund / und ließ die Priester ihrem Abgott opffern und dienen / er aber war dieweil mit seinen Gedancken bey dem rechten GOtt zu Jerusalem. *D. Johannes Brentius* Com. in lib. Reg. in h. l. pag. 998. *Tantum hanc veniam petit* (Naaman) inquit, *ut non reputetur ei in peccatum, si comitetur Dominum suum regem ad templum idoli sui, non ut adoret idolum, quemadmodum Rex, sed ut Regi serviat,* Auff den Dienst warte / *id quod Propheta condonat, eo quod citra offendiculum in ea regione fieri poterat. Victorinus Strigelius* Com. in libr. Reg. ad h. l. p. 326. *Quærit*, inquit, *solicite* (Naaman) *an possit bona conscientia comitari Dominum ingredientem in templum Idololatricum. Hæc quæstio non fuit levis, de qua tamen Propheta sapientia singulari pronunciat hoc fere sensu. Cum pius tenet doctrinam Evangelii & non occultat veram sententiam, quoties confessione opus est, recte & pie politica officia etiam atheis regibus & principibus præstare potest. Hanc sententiam habet responsio Prophetæ;* Ito in pace. *B. Meisnerus* Com. in Proph. Hos. cap. IV. part. II. pag. 494. seq. ad quæst. *Num ad loca Idololatrica proficisci & sacris infidelium interesse liceat*, inter alia inquit; *Objiciunt nonnulli exemplum Naamani 2 Reg. 5: 18. 19. Ast ille non simulavit religionem Ethnicam, non serviit idolo Rimmon, sed tantum Regem suum politice comitatus est. B. Balduinus* in Casibus Conscientiæ Lib. II. cap. VI. Casu VI. p. 160. *Hoc pacto*, ait, *Naaman Syrus ab Elisæo impetravit, ut liceret sibi comitari Regem suum ad templum Rimmon, in quo Rex quidem adorabat idolum suum, Naaman vero non item, sed tantum Regi suo officium ducendi præstabat.* Idem docet Com. in 1. Corinth. cap. 8. part. 2. q. 1. pag. 393. *D. Thummius* in explicatione Decalogi pag. 88. inquit, *Omnis simulatio in religione est illicita, nec obstat exemplum Elisæi, qui in causa religionis similem adprobasse videtur simulationem 2. Reg. 5. & Naamanem in pace vadere jussit, ad simulandum adorationem idoli Remmon. Nam respond. 1. Naaman tantum quæsivit, num liceret sibi Regem Syriæ comitari in templum Remmon, sic tamen ut ipse interim adoraret verum DEUM Israelis. Hoc licere innuit Elisæus per verba,* vade in pace. *Aliud vero est politica servitia præstare regi alicui in templo Idololatriæ & aliud est, verbis, gestibus & factis idololatriam simulare. Hoc in Sacris serio prohibitum, illud salva conscientia facere licet. D. Brochmand* in System. Theol. Tom. 2. art. de Leg. cap. IX. sect. 5. quæst. 14. pag. 49. inquit; *Adoratio Naaman in templo Rimmon non fuit actus religiosus, quo falsum DEUM colebat, sed politicum servitium fuit Regi præstitum. D. Quistorpius*, Theologus Rostochiensis in Annotationibus ad h. l. pag. 320. ait; *quia & Romani Deastro, & regi Syrorum genua flectebantur, si ipse id postmodum in regis honorem in templo faceret, ut sibi concedatur, nec vitio vertatur, petit: poterat enim aliorsum accipi, quasi DEUM gentilem adoraret, quod tamen ipse genua flectendo non spectet. D. Daniel. Fesselius* Adversar. Sacr. lib. I. c. XIX. pag. 89. seq. Idem docet, inquiens; *Textui magis consentanea est ea responsio, quæ affirmat, Naamanum quidem hic non loqui de actu quodam religioso, quo se falsum DEUM colere simulare posset, sed servitio quodam politico, quod ex more & consuetudine apud Syros Regiæ Majestati supremi ejus Officiarii præstare tenebantur, patiendo videl. ut rex ipsorum humeris inniteretur, sive in templo, sive in foro versarentur.* Agmen claudat *Theodorus Hackspanius* loco supra alleg. p. 754. *Incurvatio*, ait, *secundum se physicum quid est, determinatur tamen ratione personarum aut loci, ut vel politicum quid sonet, vel religiosum. Maxime autem si idoli fiat mentio aut templi Idololatrici, neque negare licet, hoc ipso in loco de Rege Syriæ verbum hoc ita accipi. At enim, quo minus id fiat de ipso Naaman, obstat diserta protestatio, quod nolit amplius servire Diis alienis, & quod adducit officium suum. Cogit proinde ipse textus, ut distinguamus incurvationem regis voluntariam in domo Rimmon ab incurvatione servili & coacta Naamanis. Illa religiosa erat, hæc autem nec proprie politica erat, sed talis, quæ decet ministrum Regium cogente ita necessitate.* Volunt itaque hactenus allegati autores Naamanum de futuro casu esse solicitum atque dubitasse, si Rex templum Rimmon ingrederetur & coram idolo illo procumberet,

beret, illudque adoraret, num ipse, dum Regem dominum suum ducere & ipso procumbente coram idolo simul procumbere officii sui ratione teneretur, bona conscientia illud facere posset? Precari proinde Prophetam, ut pro se intercederet apud Dominum, ne factum hoc, ut peccatum sibi imputaretur. Se enim hoc non facturum in honorem Idoli, sed saltem, ut politico suo officio satis faciat, ac Regi suo inserviat. Respondisse autem Elisæum, *Vade in pace*; q. d. quod hunc scrupulum ob necessitatem externi & politici tui officii tibi injectum, attinet, animo esto tranquillo & quieto. Munus illud civile suffulciendi Regem Idololatram Tibi, veri DEI cultum ingenue professo, tanquam actus idololatricus imputari non poterit, Tu enim ex necessitate & ratione muneris tibi injuncti, secundum se liciti & probi Regem suffulciens & una cum Rege procumbens, idolum non veneraberis, sed saltem Domino tuo officium & servitium, quod debes, exhibebis.

§. XVIII. Qui Verba Naamanis in genere *de futuro* & in specie *de externo & politico Officio* Regi præstando accipiunt, his potissimum nituntur rationibus; I. inquiunt, stant pro hac sententia omnes Versiones, nempe Chaldaica, Græca LXX. Interp. Syriaca, Arabica, omnes Latinæ, ipsaque B. Lutheri Germanica. Durum autem à translatione Lutheri, Pagnini, Junii, Tremellii, aliorumque qui omnes futuri significationem amplectuntur, recedere. II. Expositionem de futuro approbant omnes fere cum Judæi, tum Christiani, Pontificii, Calviniani & major pars Theologorum Lutheranorum. Habet quoque illa patronos S. Patres: Sic enim Procopius Gazæus Sophista Christianus, qui vixit seculo sexto, Commentario in Octoteuchum, sive in priores Octo V. T. Libros ad h. l. pag. 542. annotat; Et propter rem hanc &c. *Veniam peto*, inquit, *si mandati regii necessitate impulsus ad falsum DEUM ingrediar.* Hinc supra citatus Buxtorfius jun. scribit ad Theod. Hackspan. loc alleg. p. 734. *Omnes, quotquot vidi, interpretes referunt ad futurum, non ad præteritum, & ipse quoque Paraphrastes Chaldæus, & mihi etiam maxime sententia illa arridet.* III. Hæc de futuro expositio nihil habet incommodi. Si enim peccavit Naaman in hoc casu, aut peccavit committendo idololatriam, aut si non committendo, saltem simulando, aut certe verum cultum dissimulando. Sed nihil horum ex re & vero dici poterit.

§. XIX. Enim vero licet omnes Versiones hanc de futuro significationem habeant, & plerique Interpretes ea defendant, difficultas tamen manet & dubium, an Naaman vere ad verum Deum conversus & omnem idololatriam vitare paratus, talem inclinationem in gratiam Regis idololatræ in idolo Rimmonio præstandam, petierit, & an Elisæus per verba illa; *Vade in pace*, declaraverit, licitum ei esse, procumbere & inclinare se ad sustentandum Regem volentem adorare idolum Rimmon, quia inclinatio illa ratione circumstantiarum non potuit esse mere civilis & politica? Omnino enim ille in cultu divino symbolizare videtur cum Idololatris seu cultu idololatrico, qui in εἰδωλείῳ & inter sacra idololatrica communia officia præstat Domino suo idololatræ v. g. Qui genuflectit, seque inclinat, ut inserviat Domino suo coram idolo genuflectenti, seque inclinanti, cooperari videtur ad adorationem & cultum idoli. Licet itaque hæc actio, quam Naaman insinuare videtur, ex genere suo indifferens sit; Nam cum Rege sedente, sedere, cum stante stare, cum ambulante ambulare, & cum genuflectente genuflectere, neque ad virtutem neque ad vitium per se pertinet. Habenda tamen hic inprimis loci ratio est, qua fit, ut in fano idololatrico & coram idolo una cum Rege adorante procumbendo, Naaman quoque se unum ex Idololatris faciat, vel saltem speciem edat adorantis & supplicis. Nullum quidem dubium est, Ministrum aliquem orthodoxum seu Christianum licite posse Hero idololatræ, officia communia & civilia præstare extra cultum idololatricum & extra fanum, ubi idola coluntur, sive extra statum, actum & exercitium religionis. Fidei enim diversitas non tollit respectum inter Dominos & servos, aut hos servitio eximit. Nec dubium est, servis Christianis licitum esse Dominis suis idololatris ad cultum idololatricum ire parantibus inservire, eosque ad fanum usque comitari. Sic licite possunt famuli, subditi, officiales, stipatores, apparitores Lutherani, dominos suos Pontificios ad audiendam Missam ire volentibus, vestire, currum, navim, aut equum illis parare, eos gestare aut vehere, eos ducere & comitari &c. usque ad fanum seu templum, in quo Missa, aliæque ceremoniæ Papisticæ celebrantur. Ita Sergius & Bacchus, primicerii Maximiani Imper. sub initium seculi quarti, comitati sunt Eum sacrificaturum Joviusque ad janúas templi, sed illud ingredi noluerunt. Causam rogati dixerunt; se religione prohiberi, se enim Christianos esse; nec Jovem sed DEUM verum colere. Qua de causa alter fustium lethalibus verberibus, alter gladio interemptus est, & uterque gloriosum martyrii agonem obiit. Solebant enim eo tempore assectæ Imperatoris injicere thus thuribulo in honorem idoli, illique acclamare, aliisque signis & gestibus idololatriæ Imperatoris cooperari. Huc referri potest exemplum Regis, sive Principis, quem multi Nobiles comitantur, dum sese ad scortum confert; Hi enim rei scortationis minime fiunt, quod Dominum suum officiose consectantur, quandoquidem, ut id faciant, justis & honestis legibus obligantur, neque hominem illum ut scortatorem, sed ut Regem aut Principem suum comitantur. Imo & interesse aut potius adesse & adstare sacris Idololatricis salva conscientia possunt illi Christiani & orthodoxi, qui propter civilia & communia officia Dominis suis Idololatricis præstanda adesse tenentur, sic tamen ut protestatione & declaratione consilii sui infirmorum conscientiæ, suæque famæ consulant. Hoc est, cavendum ipsis, ne præsentia illa sua infirmis scandalum præbeant aut obstinatis & pertinacibus adversariis animum perseverandi in erroribus suis addant. Et si nolentibus fiat aut accidat aliquid, quod honorem idolo addat, ut aperte reclament exemplo Valentiniani, primariæ Cohortis Tribuni & postea imperatoris, qui Julianum Imperatorem & Apostatam Fortunæ delubrum ingredientem comitatus & una ingressus est, ast cum sacrificulus gentilis roscidis quibusdam frondibus ipsum Ethnico more lustrandum in aditu templi conspergeret, ne idololatricam ceremoniam probare videretur, colaphum illi militariter impegit & convitiis eum proscidit, addens, se eo non expiatum, sed pollutum esse, vestisque partem, in quam asperginis illius gutta ceciderat, rescidit, & abjecit. Quocirca ipse ob Christianam fidem à Juliano militia exutus & in exilium actus hac sua in fide constantia meruit Juliano post Jovianum in imperio succedere. Ut narrat Theodoritus Episcop. Cyrensis Histor. Ecclesiast. Lib. III. cap. XVI. cujus verba à Joachimo Camerario latinitate denotata hic adscribemus; *Valentinianus*, inquit, *qui paulo post Imperium obtinuit, tunc erat Tribunus, ductor satellitum custodum Regiæ, non celavit pro pietate fervorem suum: attonitus enim ille chorum ducebat in fanum Fortunæ, utrinque autem ad januas stabant æditui, lustrationibus purgantes, ut arbitrabantur, ingressuros; Ubi cum videret Valentinianus, qui antecederet Imperatorem, guttam aspersam chlamydi suæ fecit, quo utrumque regnum meritus fuit; æditui enim pugnum inflixit, quod pollutum se, non purgatum diceret. Quo conspecto sceleratissimus iste imperat in exilium eum doportari, in castellum quoddam, situm in deserto, ubi vitam suam degeret. Sed is elapso anno uno & paucis mensibus mercedem tulit confessionis suæ, Romanorum imperium*, confer Sozomenum lib. VI. cap. VI. Recte B. Balduinus lib. II. cap. VI. de Casib. Conscient. circa cultum DEI externum, casu VI. pag. 160. b. *Sacris hæreticorum interesse licet*, inquit, officii *politici* causa; *ut si quis forte principem aut dominum Pontificium comitatur ad Missam & Processiones Papisticas, facere hoc ei licet, modo non idololatriam heri ulla ratione approbet, aut in ejus gratiam quidquam in religione sua dissimulet, aut in superstitione Papistica simulet, non coram idolo Papistico in genua procumbat, non pectus tundat, non sanctos invocet, sacrificulis non offerat, non alia ratione devotionem aut aliquam collusionem præ se ferat, sed tantum ut spectator adstet, respiciens non sacra ista, sed dominum suum, cui politicum illud servitium comitatus debebat.* Hæc ille. Sic Tertullianus, magnus idololatriæ hostis ac oppugnator, existimavit, Christiano licere Domino suo idololatræ assistere, tanquam spectatorem, non autem ut cooperatorem sacrificii. Verba ejus Lib. de Idololatria cap. XVI. p. 156. edition. Commelinian. hæc sunt; *Utinam quidem nec videre possimus, quæ facere nobis* nefas est. *Sed quoniam ita malis circumdedit seculum idololatria, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non idolo officiosos habent. Plane ad sacerdotium & sacrificium vocatus non ibo (proprium enim idoli officium est) sed neque consilio neque sumptu, aliave opera in ejusmodi fungar. Si propter sacrificium vocatus adsistam, ero particeps idololatriæ: si me alia causa conjungit satrificanti, ero tantum spectator sacrificii.* Idem cap. seq. XVII. ita servis permittit ministerium idololatrarum, ut idololatriæ omne ministerium interdicat. Quando vero politicum istud Comitatus officium ab Evangelicis exigitur *tentandi gratia* ut scil. præsentia illa sua superstitiones & cultum illum impium approbent, & stabiliant, tum interesse sacris profa-

profanis non licet. Hinc cum in celeberrimis illis Imperii Comitiis Anno superioris seculi XXX. Augustæ celebratis Carolus Quintus ejus Nom. Rom. Imper. à Protestantibus Electoribus & Principibus peteret, ut processioni in Festo Corporis Christi more majorum interessent, noluerunt Cæsarem comitari, quia animadvertebant, instinctu Monachorum data opera hoc ministerium ab illis postulari, non ut duntaxat Imperatori politicum quoddam officium præstarent, sed ut præsentia sua Papisticas illas abominationes stabilirent, responderunt itaque; *se oportere DEO magis, quam hominibus in his conscientiæ negotiis obedire.* Ast cum post aliquot dies Carolus Missam aditurus de more Saxonem Electorem, Johannem adesse & sibi gladium præferre juberet. (Nam id Saxonicæ domus officium est, in ejusmodi pompis) *ille, re deliberata*, (verba sunt Sleidani Lib. VII.) *quum Theologi dicerent, licere adesse, quod ad officium suum esse evocatus, non ad Missam velut cultum divinum, accessit; Georgio Brandenburgico comitatus.* Vide D. Felicis Bidembachii Consiliorum Theologicorum Decad. V. Consil. I. ubi respondet Balthasar Bidembachius ad hanc quæstionem; **Ob die Christliche Chur-und Fürsten der Augspurgischen** Confession **mit guten Gewissen und ohne ärgernüs mögen seyn bey der Meß/ und andern Päpstischen** Ceremonien/ **so bey der Krönung der Königlichen Majestät zu Franckfurt am Mäyn/ gebraucht werden?**

§. XX. Hoc tamen plane videtur esse illicitum, quando Christianus ita præstat communia & civilia officia Domino suo Idololatræ, ut simul communicet actione sua cum sacrificio, libatione, adoratione & ceremonia idololatrica. Apocal. 18: 4. 2 Cor. 6: 14. 1 Cor. 8: 10. Huc referri potest illustre exemplum Militum illorum simpliciorum, qui Christum profitebantur, dolose vero à Juliano Imperatore suo circumventi grana thuris in appositam flammam projiciebant, & una pecunias sibi ab imperatore distributas accipiebant, nihil secum de Idololatria cogitantes, ut qui existimabant, observationem quandam politicam sese peragere, ritumque illum ad Imperatoriam dignitatem potius, quam ad cultum idolorum spectare, hoc ipso tamen ignari & imprudentes sese immiscebant sacrificiis Gentilium. Ideo namque Julianus coram se ignem & thus habuit, ut semper coram se fieri posset Ethnicorum idolis suffitus, vide Theodoritum loc. supra alleg. cap. XVI. & XVII. & Sozomenum lib. V. cap. XVI. Nec solum illicitum est, quando quis actu communicat, sed etiam quando præsentia & præstatione communis officii symbolizare & communicare videtur cum actione aliqua aut ceremonia, quæ simul tunc fit, idololatrica v. g. genuflexio aut inclinatio civilis ac communis, qua honorem quis habet aut inservit domino suo, dum coram idolo genuflectit, non est licita propter illas circumstantias, quia à specie mali non abstinetur, videtur enim eodem animo, modo & fine genuflectere, quo Dominus Idololatra, ut pluribus docet *Gisbert Voëtius* Selectar. Disputat. Theol. parte III. de idololatria indirecta & participata parte III. pag. 297. Et fatetur ipse *Cajetanus* loco supra adducto; *Hujusmodi genuflexionem scil. officiosam & civilem secundum se quidem non esse malam, speciem tamen mali præ se ferre, ratione loci & temporis.* Licet itaque admittatur, ut ad propositum nostrum redeamus, Naamanem incurvando sese in templo Rimmonis, officium Domino suo, non vero idolo cultum exhibuisse, illaque incurvatione sua cum *cooperatum esse Regi ad actionem naturalem, scil. ad curvationem corporis duntaxat, non vero ad moralem, vel ad intentionem Regis, quæ erat, curvando sese, adorare idolum Rimmon*, ut vult Cornel. à Lapide Com. in h. l. pag. 242. non tamen Naaman à specie mali abstinuit, sed ad minimum adoranti idolum, similem sese exhibuit. Recte B. D. Waltherus, Theologus de Ecclesia Christi cum scriptis, tum viva Voce optime meritus, in Centuria Miscellaneor. Theolog. num. VI. de petitione Naamani pag. 108. seq. *Quod attinet*, inquit, *controversiam de Naamane, sæpenumero demiratus sum, Theologos nostros, ipsumque adeo Lutherum adversus tot regulas & maxime illam 1 Thessal. 5: 22. qua Apostolus Tarsensis abstinere quosvis promiscue Christianos jubet*, ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ, *paradigmate hoc unico persuasum ivisse aliis, licitum esse ipsis, si officii Politici ratio ita postulaverit, Sacris idololatricis interesse. Quum tanti momenti, ponderisque negotium, quod conscientiæ forum & casum confessionis directe concernit, merito prius* legibus *esset decidendum, quam* Exemplis. Et quidem hujusmodi Exemplo, quod & concertationibus suis Lyra & Burgensis dudum vocarunt in dubium, & de quo adhuc sub judice lis est, num Elisæus petitionem, si vel maxime verba Naamanis eum sensum admitterent, quem omnium Metaphrastarum parit, proditque versio, ratam habuerit & gratam? Audi, quid Tossanus annotet in margine: **Hiemit weiset der Prophet den Naaman kurtz ab/ und giebt gnugsam zuverstehen/ daß ihm seine Bitte mißfalle/ und er nicht drein willigen könne.**

§. XXI. His difficultatibus cum prematur interpretatio de futuro, malunt alii & quidem recentiores nostri Theologi fere omnes, accuratius textum considerantes, petitionem Naamanis *de præterito* exponere, ita ut hic describatur seria commissæ olim idololatriæ confessio, ejusdem humillima deprecatio & ab Elisæo facta condonatio; per verba, *Vade in pace.* Hanc, quam nos quoque tuebimur, sententiam primus, vel certe inter primos edocuit publice magni nominis Theologus, *Dn. Saubertus*, νῦν ἐν ἁγίοις, & Verba Hebræa hunc in modum vertenda esse statuit; *In hac re ignoscat Jehova servo tuo; Quando ingressus est Dominus meus ædem Rimmon, ut adoraret ibi, & innixus fuit super manum meam, & incurvavi me in æde Rimmon, hanc incurvationem meam in æde Rimmon, (olim scil. factam) condonet Jehova.* Hanc interpretationem approbant Vinarienses Paraphrastæ, eamque in Bibliis Norimberg. Glossatis substituunt interpretationi B. Lutheri, licet illi contrariam; **Daß der HERR (dein GOtt mir/) deinem Knecht darinnen wolle gnädig seyn/ wo ich anbete (wann ich vor diesem angebetet habe) im Hause Rimmon (des Abgotts der Syrer) wenn mein Herr (der König ins Hauß Rimmon gehet (gangen ist daselbst anzubethen/ und er sich an meine Hand lehnet/ (gelehnet hat/ wann ich ihm auffgewartet &c.)** In Bibliis Belgicis hæc versio etiam probatur, ubi hæc habentur verba in Scholiis; **Het achtiende vers kan ook aldus bequamelijk na den Hebreeuschen Text werden overgeset/ In dese saake vergeve de Heere uwen Knegt/ wanneer myn Heere/ in het Huys Rimmons is ingegaan/ om sig daar neder te buygen/ ende hy sig op myne handt geleendt heeft/ ende ik my in het Huys Rimmons hebbe nedergebogen/ als ik my (alsoo) hebbe nedergebogen in het Huys Rimmons/ de Heere vergeve dog uwen Knegt in dese saake. Spreekende alsoo niet van het toekomende/ maar van het voorleevene/ waar van hy vergiffenisse begeerd. Siet eine Stücke antworde** 1 Sam. 1: 17. 46. Dn. Sauberti expositionem commendat quoque supra laudatus *B. D. Waltherus* loco alleg. pag. 102. seq. eamque *obviis* ut ipse ait; *amplectitur ulnis, quia excludat difficultates, quibuscunque altera illa conflictatur.* Et B. *D. Glassius* ab Hackspanio de re hac rogatus, sive per epistolam, sive per sermonem, respondit, hanc de præterito interpretationem esse *textui Hebræo apprime conformem, & ratione sensus non ita difficultatibus expositam.* Vide Hackspanium loc. sæpius citato pag. 733. Verba Naamanis ad præteritum tempus quoque refert *B. D. Dorscheus*, qui hac de re erudite disserit Theol. Zachar. parte I. cap. VI. pag. 83. §. 81. *Vox* סָלַח, inquit, *significat* pepercit, propitius fuit, condonavit, ignovit, remisit debitum, peccatum. *Habet contrarias significationes verbum* חכל, absumpsit, consumpsit, exedit, sine omni parsimonia aut comparsione. סלח DEO, *aliquoties tribuitur. Unde dicitur* סלח *quod ad* Coloss. 2. *Paulus reddit* χαρισάμενος & Psalm. 86: 5. *dicitur* סלח, condonator, propitius. *Cujus verbi consideratio ostendit, frustra fuisse interpretes alios & inprimis Georgium Abbatem, Archiepis. Cantuariensem in expl. 6. ill. qu. 4. qui postulatum Naamanis Syri apud Elisæum* 2 Reg. 5. *pro dispensatione petita super futuris officiis Regi in aditu ad idololatricum templum Rimmon præstandis accipiunt, cum sit deprecatio humillima ob præteritam offensam divini Numinis, quam ex illo aditu ad idololatricum templum hactenus contraxerat, cujus deprecationis intuitu etiam audit Elisæanum id*, Vade in pace. Consentit *B. D. Dannhawerus* Theologiæ Conscientiariæ Tom. I. parte II. Special. Theol. Symbuleuticæ seu Casualis dialog. III. pag. 652. inquiens; *Naaman consecutus est veniam non de futuro, sed de præterito peccato.* In verbo, *ait*, hoc parcat Dominus servo tuo, quod ingressus fuerim, non amplius ingressurus, *præteritive ac deprecatorie, confer Psalm. 51. in titulo. Genes. 48: 7. Num. 7: 87. 1 Sam. 18: 16.* Naamanem recens conversum præteritam Idololatriam deprecari, statuit quoque Maxime Reverendus *Dn. D. Calovius* in Annotatis Anti-Grotianis ad h. l. *Cæterum*, inquit, *quod ad hanc deprecationem Naamanis attinet, optima est eorum interpretatio, qui non futura sed præterita ipsum deprecari dicunt*, ut propitius ei Deus sit, quod antea in æde Rimmon in comitatu Regis se incurvaverit. *Siquidem deinceps constituerit non amplius idolis servire aut honorem exhibere.* Eadem est sententia *J. M. Dillherri* Disputation. Academic. Tomo 1. Disput. XVI. pag. 476. seq. & Disput. XXII. pag. 747. seq.

§. XXII. Probatur autem hæc Expositio 1. ex vocabulo השתחוה, *quod in unico versiculo (18) de Naamane & verbaliter & nominaliter usurpatum, alio sensu accipi non potest, quam illo, quem involvit adductum de Rege Syriæ*; Præsertim quia *ubique fit restrictio ad domum Rimmon*, ut accurate observat summus Theologus, B. D. Waltherus hoc alleg. p. 110. Ad Regi tributa vox השתחוה, notat incurvationem idololatricam, quod contrariæ sententiæ defensores ultro fatentur, cur ergo Naamani assignata in eodem contextu, cum restrictione ad eundem locum idem non faciat? Ostendit enim usus Scripturæ perpetuus, vocabulum השתחוה conjunctum cum idolo aut templo idololatrico significare cultum non civilem sed religiosum, sic Josuæ 23: 7. וְלֹא תִשְׁתַּחֲווּ לָהֶם *Neque incurvetis vos eis* (Diis alienis) vs. 16. וְהִשְׁתַּחֲוִיתֶם לָהֶם *Et incurvaveritis vos eis* (Diis alienis) Sic 2. Reg. 19: vs. 37. וַיְהִי הוּא מִשְׁתַּחֲוֶה בֵּית נִסְרֹךְ אֱלֹהָיו *Et fuit, ipso se incurvante in æde Nisroci Dei sui.* Et fatetur Excellentissimus Philologus, Theod. Hackspanius loco supra citato pag. 754. *Incurvationem secundum sese physicum quid esse, determinari tamen ratione personarum aut loci, ut vel politicum quid sonet, vel religiosum. Maxime autem, si idoli fiat mentio aut templi idololatrici.* Significat ergo vox השתחוה non solum de Rege, sed etiam de Naamane usurpata adorationem seu incurvationem idololatricam, à qua quia sibi constantissime temperavit inposterum, ad verum Deum conversus Naaman, necessario sequitur, Eum per illam intellexisse præteritum illud scelus, quod ante conversionem perpetraverat. Atque hæc causa est, cur Incurvationis illius toties mentionem faciat, quia scil. subdubitat nonnihil, num etiam tam atrox peccatum Jehova, quem nunc salutariter agnoscere cœperat, sibi condonare vellet. II. Confirmat hanc sententiam humillima deprecatio, non peccati nondum perpetrati, seu adhuc committendi, sed præteritæ offensæ divini Numinis, quam ex illo aditu ad Idololatricum templum hactenus contraxerat, ut bene observat B. D. Dorscheus loco alleg. Bis usurpat idem verbum parcendi seu ignoscendi. *Ignoscat* inquit *Jehova*, (mihi) *servo tuo*; *Ignoscat Jehova servo tuo hac in re.* III. probatur porro hæc de præterito expositio ex ἀναλογίᾳ τῆς πίστεως, quæ exigit ut Idololatriæ crimen damnemus. *Quod fidei analogiam attinet*, (scribit Dn. Saubertus ad Virum quendam insignem, quæ Epistola habetur in Centur. Miscell. B. D. Waltheri p. 102.) *notavi, repetitam in textu Hebræo phrasin: adorare in domo Rimmon, priore quidem loco cum officio erga Regem determinatam, postea vero (quod tamen in Bibliis Germanicis omissum est,) sine conditione Naamano ipsi imputatam gravissimum idololatriæ scelus significare. Et rem ita habere, quis facile neget? Si enim de mera aulici officii opera, eaque externa Naamanus hic agit, quid attinebat, tam anxie petere veniam labori vocationis, sive (quod caput rei est,) facinus culpæ propriæ imputare? Neque enim ea ratione tantum ignosci sibi petit, quatenus una cum Rege adoret, sed & suæ ipsius adorationi in domo Rimmon, id est, idololatriæ veniam exorare discupit: ignoscat etiam, inquit, mea adorationi, i. e. si ipse quoque adoravi. Argumentor; Qui non solum adorationi cum Rege, sed & suæ in domo idoli adorationi absolute veniam deprecatur, idololatriam quoque suam agnoscit. Adorare enim in domo idoli absolute, perpetua Scripturæ phrasi, idipsum est, quod idolum colere; At vero Naamanus non solum adorationi cum Rege, sed sua quoque ipsius peculiariter veniam deprecatur: In adoratione mea in domo Rimmon ignoscat, quæso, Dominus servo tuo &c. suum igitur ipsius peccatum fatetur. Itaque aut Naamanum hoc crimen ultro fatentem excusabimus, laudabimusque notorium idololatram nimirum, si de futuro interpretabimur textum,) aut, quod analogia fidei omnino exigit, damnabimus factum, divinoque interdicto perpetuo cohibebimus: Et sic de præterito intelligemus locum.* Hæc ille. Suæ autem ipsius in domo Rimmonia adorationis veniam rogare Naamanum ex ipso textu patet. Nam primo indigitat adorationis suæ occasionem his verbis; *Hac in re parcat Dominus servo tuo, quando ingressus est dominus meus fanum Rimmonis, ut adoret ibi, & innixus fuit super manum meam.* Significat enim quod subinde ratione officii sui cum Rege oportuerit esse in æde idoli, eumque adorantem sustentare, deinde suam ipsius culpam addit; *& incurvavi me in æde Rimmon*, nulla Regis mentione facta; tandem ἐμφαλικῶς admodum subjungit, *hoc incurvare meum in æde Rimmonis*, (qua repetitione exaggerat delictum suum jam confessum,) *ignoscat quæso Dominus servo tuo hac in re.*

§. XXIII. IV. Probatur hæc expositio. *Ex regulis Grammaticorum*; Juxta quas *Gerundium vel infinitivus debet accipi de præterito, quando præcedit aut sequitur præteritum.* Cum enim Gerundia, qua talia præscindant à temporis connotatione vel certa differentia, sequuntur naturam ejus temporis, quo cum cohærent aut construuntur. Quod si ergo præcedat vel sequatur præteritum, sensu accipiantur præteriti, sin autem futurum præcedat aut sequatur, tum assumunt significationem futuri. Sed in nostro loco Gerundium בבוא בְּבֹא *in intrando*, sive *in ingrediendo*, sequitur duplex præteritum נִשְׁעַן *innixus fuerit*, & הִשְׁתַּחֲוֵיתִי *incurvavi me.* Ergo non de futuro, sed de præterito accipi debet. Subjiciamus unum atque alterum exemplum, ut veritas hujus regulæ patescat, Psalmo 51: 2. dicitur בְּבוֹא אֵלָיו נָתָן הַנָּבִיא כַּאֲשֶׁר בָּא אֶל בַּת שָׁבַע Hic ponitur בְּבוֹא Gerundium, quod præteritum בָּא sequitur, unde per præteritum reddidit Tremellius, *quum venisset ad eum* (Davidem,) *Nathan Propheta, postquam congressus fuisset cum Bathsaba*, Vatablus, *postquam intraverat*, vel venerat, (*Venire ad fœminam*, phrasi Scripturæ verecunda & sancta notat cohabitare cum ea matrimonialiter, confer Gen. 16: 4. c. 30: 4.) Sic Genes. 48: 7. בְּבֹאִי מִפַּדָּן מֵתָה עָלַי רָחֵל *Quum veni de Padan, mortua est mihi Rachel* Num. 7: 89. בְּבֹא *Cum ingressus est Moses in tabernaculum conventus, ut loqueretur cum eo* (DEO) וַיִּשְׁמַע *tunc audivit vocem.* Excipiunt autem, qui textum nostrum de futuro accipiunt, dupliciter ad minorem nostri argumenti 1. נִשְׁעָן habere *Kamez*, itaque non esse præteritum, sed participium. Nam in hujusmodi verbis præteritum habere *Patach*, participium Kamez. 2. sequi omnino præteritum הִשְׁתַּחֲוֵיתִי, sed cum vau conversionis seu conversio. Notum vero esse ex Grammaticis, quod, quando tale vau cum præterito jungatur, tunc illud futuri induat significationem. Resp. ad 1. Variant h. l. exemplaria; Quædam legunt, fateor, נִשְׁעָן cum Kamez, & sic est participium, plurima vero, utpote Venetum illud vetustius, Wittebergense, Francofurtense, Genevense & alia expresse habent נִשְׁעַן cum Patach, quod est temporis præteriti, & sic Schindlerus quoque legit in Lexico, & alii complures. Ut ita dixerit Naaman, *innixus fui, non fuero.* ad 2. Vau hic non est conversivum, sed solum copulativum, quia accentus non est translatus à penultima ad ultimam syllabam. Quando enim vau præterito junctum illud in futurum convertit, tunc accentum differentiæ, causa trajicit in syllabam ultimam, & quando accentum non in ultimam syllabam transponit, non est conversivum. Exceptis illis, de quibus monet Buxtorfius in Thesauro Gram. Ling. Hebr. Lib. II. cap. 21. Proinde cum Hebræum וְהִשְׁתַּחֲוֵיתִי in nostro textu habeat accentum in penultima, vau ipsi præfixum non est conversivum, hoc est, præter copulandi usum illius significationem nativam, scil. præteriti, in significationem futuri non commutat. Est ergo & manet הִשְׁתַּחֲוֵיתִי præteritum & בְּבוֹא secundum regulam supra laudatam, multisque exemplis confirmatam, per præteritum itidem est exponendum. Neque nobis refragantur regulæ de Verbis Lamed He, quod scil. illa exempta sint ab hac trajectione accentus tonici, & ita h. l. esse vau conversivum. Licet enim in quiescentibus Lamed He Conjugationis Kal accentum sæpe manere, concedamus, quod vero in omnibus conjugationibus, & maxime in Hithpaël, in qua nostrum est, hoc accidat, negamus, vide Gen. cap. 17: 20. & cap. 26: 4. & confer D. Saubertum in Epistol. ad Virum quendam insignem, loco supra allegato pag. 104. seq. Sed hæc ad Cathedram Philologicam pluribus excutienda & ventilanda remittimus, nos ideo tantum hæc adducere voluimus, ut ostendamus, expositionem hanc de præterito non solum fidei analogiæ, sed etiam Grammaticorum regulis esse consentaneam. V. denique probatur hæc sententia ex Elisæana absolutione: Facta hac ingenua turpissimæ εἰδωλολατρείας confessione, audit absolutionem Naaman Prophetæ longe suavissimam, לֵךְ לְשָׁלוֹם *Vade in pace.* Hac enim phrasi satis innuitur, quod Naaman peccata hactenus commissa sit confessus, & Elisæus, hac loquendi formula remissionem debitorum illi indicarit, quomodo Christus etiam sæpius Peccatoribus dixit, quod *in pace abire* debeant. vide Marc. 5: 34. Luc. cap. 5: 50. 8: 48. licet concedamus, verba hæc; *vade in pace*, non semper esse dimittentis peccata, sed quandoque dimittentis abeuntem.

§. XXIV. Sed hanc de præterito expositionem, variis impugnat adversa pars argumentis, potiora hæc sunt; 1. *Quomodo cohæret*, (inquit *D. Georg. Calixtus* in responsione MS. ad quæstionem de hac Naamani petitione à Serenissimo Principe Augusto D. B. & L. beatiss. m. sibi Anno CIↃ IↃC XXXVIII. propositam) *quod Naaman conversus, veroque DEI cultu acceptato & idololatria plane ejurata denuo idololatriæ commissæ veniam postulat? Hoc enim præposterum est, cum culpa agnitio & deprecatio conversionem inchoent, non consumment, aut sequantur.* II. Cur Paganismo innutritus, solius

solius

ſolius Idololatriæ & non aliorum multorum in Gentiliſmo perpetratorum veniam petat? *Si de præterita idololatria loqui voluiſſet*, inquit Buxtorfius Jun. in Epiſt. ad Hackſpanium loc. alleg. *non tantum hanc incurvationem ſibi condonari petiiſſet, ſed cætera quoque æque gravia, ut quod idolis holocauſta & ſacrificia obtulerit, ut præcedente vſ.* 17. *innuit: dum enim ibi profitetur, ſe non amplius holocauſta & ſacrificia Diis alienis facturum, facile indicat, ſe hactenus id feciſſe. E. ſi præteritorum condonationem petere voluiſſet, ſimul & eorum meminiſſet proculdubio.* &c. III. Cur tantum petit veniam idololatriæ in comitatu Regis commiſſæ? A puero idola coluerat, tota inquam vita ſua & diu admodum, antequam muneri ſuffulciendi regis admoveretur? Proculdubio non ſolum eo tempore, quo Rex ſe incurvavit vel adoravit in domo Rimmon, ipſe quoque ſe incurvavit, ſed ſæpius & ſponte id fecit, etiam extra Regis & Domini ſui ſervitium, cum DEUM alium neſciret & Rimmonium idolum pro vero DEO haberet. Cur igitur idololatriæ, quæ & diuturnior & magis ſpontanea videri queat, mentionem non facit, ſed alterius tantum, quæ non tam voluntaria, quam neceſſitate geſti muneris extorta appareat. *Si petiiſſet* (Naaman) *dimiſſionem commiſſæ olim idololatriæ*, inquit Hackſpanius in annotat. ad h. l. p. 752. *allegare debuiſſet ſuam ipſius impietatem, quam peregit non tanquam ſervus Regis, ſed ut ſectarius, qui multo etiam, antequam Regis ſervitio eſſet mancipatus, religioni vel ſuperſtitioni idololatricæ erat addictus. Nec eſt veriſimile,* (ait Calixtus dicto loco) *Naamanem poſtremis illis temporibus, quibus lepra laboravit, regi idolum veneranti manum ſuppoſuiſſe. Cur ergo hujus facti præ tot aliis atque adeo ſeorſim meminit & veniam petit.*

§. XXIV. Hæc ſunt, quæ urgeri potiſſimum ſolent ab illis, qui Naamanem non de præterito ſed futuro facto loqui autumant, ſed paucis *reſpondemus ad* 1. Textus optime cohæret; Naaman enim à corporis lepra curatus, mox à multo tetriore animi lepra liberatur. A Propheta autem de vero DEO & Iſraëlitica religione rectius informatus, profeſſionem doctrinæ & fidei coram Eliſæo edit vſ. 15. *Ecce ſcio*, inquit, *non eſſe DEUM, niſi Deus Iſraëlis*, q. d. Non ſunt Dii, Rimmon, Dagon, Beelzebub, Aſtaroth, Baales ve. Solus DEUS eſt, qui in Iſraël colitur, ideoque mera vanitas & ſuperſtitio illorum omnium cultus, in hujus unius veneratione ac cultu unice acquieſcendum; idque corde credo & ore jam confiteor. 2. non humum Iſraëliticam, ſive materiam altari vero DEO in Syria erigendo petit, hoc enim ſuperſtitione non caruiſſet, neque ut eam ſecum efferret, precibus à Propheta impetrare, opus habebat, ſed rogat, Prophetam, ut theſaurum, quem ipſe reſpueret, famulo ſuo, Gehaſi, donare ſibi liceat, uti ſub initium hujus diſſertationis à nobis dictum. 3. promittit, ſe nunquam deinceps holocauſtum & victimas Diis alienis, ſed ei tantum, qui unus & ſolus DEUS, oblaturum. Jam. 4. vſ. 18. amplificat ſuum in pietate Zelum, dum non ſolum idololatriam ſuam hactenus commiſſam agnoſcit & ingenue confitetur, ſed & ſerio de ea dolet, veniamque ejus obnixe rogitat, unde etiam lætum illud Eliſæanum audit; *abi in pace.* Quid in hac συναφῇ deſiderari poſſit, plane non video. *Ad 2. reſpond.* Idololatriæ veniam petit Naaman, non excluſis reliquis peccatis, hujus autem ſolius mentionem facit, quia hoc, utpote graviſſimum & atrociſſimum crimen, & omnium peccatorum fons (Recte Tertullianus lib. de Idololatr. *Principale crimen generis humani, ſummus ſeculi reatus, tota cauſa judicii, idololatria, in qua vanitas, in qua mendacium, quæ caput omnis injuſtitiæ.* Gregorius Nazianz. in Orat. de Nat. Chriſti, *Omnium malorum extremum & primum eſt idolorum cultus, adorationisque à Creatore ad Creaturam tranſlatio*) præprimis conſcientiam ejus angebat. Et uti ſupra verſ. vid. 17. ſolorum holocauſtorum & victimarum meminit, non excluſa adoratione idololatrica, ita hoc loco hanc exprimit, ut illa non excludat. *Ad 3. reſp.* Non ſolum ea ratione ignoſci ſibi rogat, uti in probatione hujus ſententiæ dictum, quatenus una cum Rege, ſive in comitatu Regis adoraverit, ſed & ſuæ ipſius adorationi idololatricæ in domo Rimmon i. e. idololatriæ veniam peculiariter precatur, atque ita ſuum peccatum fatetur. Idem ad quartam object. reſpondetur. Ubi inſuper obſervandum; uti incertum eſt, an Naamanus lepra infectus conſueta olim ſervitia Regi ſuo exhibuerit; ita & incertum eſt, eundem jam à lepra mandatum ſuſtentandi Regem officio denuo fuiſſe admotum, cum Scriptura hac de re nihil tradat. Atque ideo haud eſt veriſimile Naaman id officii genus, de quo nondum certo ſibi conſtabat, tam ſolicite deprecatum eſſe, rectiusque dicitur, illum præteriti peccati veniam petere.

§. XXV. Cum manifeſtum ſit ex textu noſtro, Naamanem ad ſuos rediiſſe, quæritur ὡς ἐν παρόδῳ, *an licitum ſit verſari & habitare in locis Idololatricis.* Reſp. Diſting. inter cohabitationem, quæ eſt ſine metu pollutionis & ſeductionis, adde & ſine ſuſpicione colluſionis aut periculo ſymboliſationis, tantum neceſſitatis extremæ gratia, ita ut diſſenſum noſtrum aperte quibuscunque ſignis declaremus, & inter cohabitationem, quæ ſit contra vel præter neceſſitatem, cum colluſione haud obſcura, ſine omni diſſenſus & contradictionis teſtificatione. Sive, inter cohabitationem, quæ eſt neceſſitatis & eam, quæ eſt liberæ voluntatis. Prior cohabitatio in Scriptura nuſpiam ſimpliciter interdicitur, & licitum eſt, verſari in locis idololatricis, poteſtque fidelis inter infideles & hæreticos habitare, modo aperte ſenſum ſuum teſtetur, nec colluſionis aut ſymboliſationis ullam præbeat ſuſpicionem. Docemur hoc præſente exemplo Naamanis Syri, qui ad verum Deum converſus in Syriam rediit, interque idololatras habitavit, rem hanc non improbante Propheta. Sed promiſerat ipſi Naaman, idque ſine dubio ex animo forti atque conſtante, ſe nunquam amplius immolaturum idolis, ſed ſolum Jehovam poſthac culturum. Eo ergo animo ad gentem ſuam rediit, ut ſuam fidem atque religionem palam confiteretur, ac prædicaret, atque ad eandem alios quoque hortaretur. Poſterior vero cohabitatio plane eſt prohibita, Deut. 4: 16, 19. Et hæc de Naamanis petito dicta ſufficiant.

SOLI DEO SIT GLORIA ET GRATIARUM ACTIO!

FRID. FRIESE
DISSERTATIO
De Ferro natante ad 2. Reg. VI: 6.

I. N. J.

§. I.



NOn incommode *Chrysostomus*, cui aurea flumina ab ore manant, (aut quisquis tandem auctor Operis Imperf. est) loquitur, quando Hom. XXXV. Oper. citati dicit: *Sicuti lac sua suavitate manducantem afficit: sic mirabilia videntes delectant.* Agnoscimus enim inter utrumque hoc extremorum hanc insignem convenientiam, quod quemadmodum lactis suavitatem, pro diversa manducantium idiosyncrasia, diversi sequuntur effectus; ita quoque mirabiles, qui rerum naturæ consuetum ordinem superant, eventus, pro diversorum captu diversa judicia experiuntur. Prout enim cuique mens aut magis à præjudiciis defecata, aut his magis tincta est; sic etiam ad rerum insolitarum conspectum quisque judicio veriore vel falsiore fungitur. Sunt quibus nihil admiratione dignum est, nisi quod præter consuetudinem prodiit, quique (ut *Seneca* L. VII. Quæst. Nat. C. I. loquitur) magis nova, quam magna mirantur; adeoque, queamadmodum magnitudinem effectuum naturalium ordinariorum ipsis consuetudo subducit; sic omnes effectus extraordinarios, non modo pro mirabilibus, sed & pro miraculis & supernaturalibus habent. Hoc vitio laborant inprimis plebeji & rerum naturalium parum periti, quorum judicio, quicquid præter consuetudinem evenit, naturæ vires transcendit. Elegantissime & more suo, nervose Seneca de hoc hominum genere l. c. scribit: *Hic cœtus astrorum, quibus immensi corporis pulcritudo distinguitur, populum non convocat. At cum aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in cœlo est. Sol spectatorem, nisi cum deficit, non habet. Nemo observat Lunam, nisi laborantem. Tunc urbes conclamant; tunc pro se quisque vana superstitione trepidat.* Scilicet, quo magis isti in hoc splendidissimo mundi palatio, quod inhabitant, hospites sunt, & quo majore ignorantia in sapientissimo hoc rerum ordine (quo Deus tamen unice propter nos homines uti videtur) laborant; tanto ineptiores sunt ad judicium de rebus vel supra vel secundum naturæ cursum factis, ferendum. Ima summis miscent & sicuti effectus naturales ordinarios ita fere vulgus intuetur, ut credat, talia, quia consueta sunt, necessario ita fieri debere, neglecto interim tam causarum secundarum, quam causæ supremæ scrutinio; ita si eadem hominum colluvies jubeatur effectibus extraordinariis suas affingere causas, propter harum ignorantiam missis causis naturalibus, statim ad supernaturales delabitur, & vel immediate à Deo, vel à Diabolo derivat. Confer ingeniosissimum *Huartum* in Scrutinio Ingen. ita disserentem; *Multoties inquisivi in veram rationem & causam, qui fiat, quod vulgus adeo pronum sit in rerum naturalium effectibus Deo transscribendis, ita, ut magno Naturæ præjudicio vim omnem causis secundis adimant; verum de eo constat; quod proletaria illa hominum factio nesciens distinguere effectus, qui immediate à Deo proficiscuntur, ac aliis iis, quos natura producit, ad illud necessitate quadam inducatur.* Huc usque laudatus Huartus, qui idem eodem Cap. ideo quoque judicat, eum minus idoneum Physices auditorem esse, qui nimis pronus sit ad fingenda miracula, & statim; neglectis causis secundis & naturalibus, ubique præcipiti gradu ad causam primam immediate, vel alias causas supernaturales feratur. Multum certe sibi sumit, qui audet de aliquo effectu pronunciare, quod aut contra, aut supra Naturam universam sit, siquidem nemo facile citra temeritatis notam hic suum judicium interponere potest, nisi cui Naturæ universæ constitutio ac corporum naturalium potentiæ apprimis sunt perspectæ, quod bene monet Excellent. Dn. Sturmius in Phys. Conciliatr. P. General. C. IV. §. X.

§. II. Quemadmodum autem non possumus plebejam illam probare temeritatem, ubi quicquid insolitum prodiit, aut Deo immediate, aut quod, (docente Excellent. Dn. Prof. Schmidio Patrono ac Præceptore nostro pia mente ætatem devenerando in Physica Posit. nota (d) p. 10.) barbaris superioribus seculis sæpius contingebat, Diabolo tribuebatur, ita, ut qui in Physica eminebant, pro Magis tunc false haberentur: sic quoque affirmare non dubitamus, quod illud hominum genus cui omnia miracula suspecta sunt, dum Charybdin evitare laborat, in Scyllam incidat atque ex uno extremo in alterum delabatur errorem. Dantur enim eventus, qui ex causis supernaturalibus pendent ac indubie Naturæ naturatæ vires transcendunt: id quod uti de pluribus in sacrarum præcipue literarum monumentis, recensitis miraculis partim demonstratum est, partim demonstrari ex principiis Physicis potest; ita nobis placuit speciminis Academici loco, FERRUM, quod Propheta Elisa, 2. Reg. 6: 6. natare fecisse legitur, paulo accuratius perlustrare & ex principiis Physicis ostendere, fuisse hunc effectum ab altiore, quam mere naturali causa productum. Quia autem ex curiosiorum observationibus constat, posse certo quodam instrumentorum apparatu, adeoque sub certis circumstantiis fieri, ut ferrum, aut aliud quodcunque metallum aquæ innatet, itemque experientia docuit, aquam violentius commotam sæpius vastissimas moles loco movisse; hinc, ut tanto luculentius appareat miraculum & supernaturalis causa, quæ in ferro Elisæ natante deprehenditur, ante omnia methodo recentioribus Physicis non inconsueta, in id incumbendum erit, ut I. ex ipso Sacro Textu fideliter eruantur circumstantiæ & Phænomena quibus hoc contigisse miraculum legitur. II. Colligemus Phænomena potiora Levium Graviumque sive sine instrumentorum apparatu artificioso, passim obvia, sive non nisi mediantibus organis evenire solita, ubi simul exhibemus ea, quæ iis prima fronte favere videntur, quibus negatur quod miraculosus fuerit hic ferri natatus &c. III. Reducemus hæc posteriora phænomena secundum Recentiorum & Optimorum Naturæ Consultorum placita ad suas causas naturales. Ac IV. denique ostendemus, ex natura Gravium Leviumque, ac iis, quæ in ipso S. Textu exhibentur, circumstantiis, quod ille ferri natatus revera naturæ vires fuerit transgressus, quodve adeo S. Propheta Elisa miraculum vere ac proprie sic dictum h. e. rem vires Naturæ transgressam præstiterit. Tu autem Supreme rerum Arbiter, hoc nostros conatus primos virtute tua secunda & ad Nominis Tui Sanctissimi Gloriam clementissime dirige!

§. III. Ad rem ipsam igitur nunc propius accedentes secundum ordinem modo propositum I. ipsum Textum S. evolvamus & hujus actus miraculosi circumstantias ac phænomena, ea, qua fieri poterit, brevitate enumeremus. His enim rite perceptis facilius de re difficili judicare licebit. Miraculum contingebat hac occasione: בְּנֵי־הַנְּבִיאִים sive Filii Prophetarum h. e. Discipuli Elisæ & reliquorum Prophetarum, *quibus Elisa* (ut loquitur Sanctius in Commentar. ad h. l. pag. 1417. Edit. Antvverp. 1624.) *tanquam Magister & Pater præerat*, non amplius poterant esse loco, quem inhabitabant, contenti, sed accrescente numero tum (prout conjectat Matth. Polus in Synopsi Criticorum aliorumque Scripturæ Interpretum & Commentatorum ad h. l. p. 1718. Edit. Francof. Anno 1678) quia expulsus erat Gehazi (qui sectatoribus Prophetæ erat acerbissimus & eleemosynas maligne distribuebat) tum propter miracula Elisæ; majus quoque spatium desiderabant iidem pro commodiori habitatione. Rem itaque deferebant ad præsidem collegii Elisam, & rogabant, sibi ut liceret è sylva cæ-

dua, quæ est ad Jordanis ripam, ligna comportare, quibus laxaretur magis communis illa commoratio, quæ est Sanctii l. c. paraphrasis. Quam facultatem à Propheta consecuti progrediebantur ad sylvam prope Jordanem, ita tamen ut unus eorum peteret simulque impetraret, ut Sanctus Propheta ipse se ipsis comitem adjungeret. Hoc itaque comitatu & necessario instrumentorum apparatu instructi, deveniebant ad Jordanem.

§. IV. Locus ergo ubi hoc miraculum contigit, erat fluvius Jordan, ad cujus ripam ligna cædebant pro ampliando domicilio suo, quod an prope Jerichuntem, an Galgala, fuerit, non constat, scribente sic Sanctio, cujus effatum affert quoque Polus. Nos, quia hæc circumstantia nihil facit ad demonstrandum Elisæ miraculum, eandem quoque operosius non prosequimur. Quod ad Jordanem attinet, equidem vulgo traditur, quod iste ad montis Libani radices è duobus erumpat fontibus, Jor & Dan, qui uti confluentes, unum fluvium, sic concretis vocabulis unum efficiunt nomen. Fertur de eo, quod perinde ac Nilus circa messis tempora, claustra sibi posita perrumpat & magno aquarum divortio adjacentes agros fœcundet. Alias perhibetur, quod si intra terminos sibi positos fluat, amœnissimas alluat ripas, & ab utroque latere habeat agros innumeros, prata variis vestita floribus, nec non umbrosa præaltis densisque arboribus nemora: Plura hanc in rem vide apud *Josephum* & *Adrichomium* in Theatro Terræ Sanctæ. Nos interea generali hac descriptione contenti, specialiora de ipso ripæ loco, ubi præcise hoc contigerit miraculum, addere non sustinemus: quin dicimus de loco miraculi, hujus quod superius audivimus Sanctium dicere de loco domicilii: *Non constat!* Neque etiam opus est, ut plura nobis pro solutione nostri problematis, quo ad circumstantiam Loci constent.

§. V. Filii Prophetarum itaque ad ripam Jordanis delati cædebant ligna ac quilibet in opere peragendo ac absolvendo penso quasi fervebat. Sed ecce: præter opinionem evenit, ut uni cædentium ligna, ferrum sive securis exciderit in Jordanem. Rem his verbis effert Scriptura: וַיְהִי הָאֶחָד מַפִּיל הַקּוֹרָה וְאֶת־הַבַּרְזֶל נָפַל אֶל־הַמָּיִם׃ Nonnemo ita transtulit: *Accedit autem, ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam.* Ubi Interpretes præcipue torquet particula אֵת, quam alii pro nota Accusavi habent; alii per præpositionem *Cum* reddunt. Qui priori subscribunt sententiæ, agnoscunt in Textu præsenti casuum Enallagen, & dicunt poni accusativum, וְאֶת־הַבַּרְזֶל loco Nominativi. Hanc enallagen cum aliis Interpretibus supposuit B. Lutherus quoque in sua versione. Alii autem, quibus hæc Enallage Casuum non arridet, malunt posteriori explicationi accedere & vocem אֵת interpretari per עִם sive *Cum* & simul ex præcedentibus repetere dictionem הַקּוֹרָה hoc modo: וְעִם הַבַּרְזֶל הַקּוֹרָה נָפַל אֶל־הַמָּיִם i. e. *& cum ferro cecidit trabs sive materia in aquas.* Ita sentire videtur ipse R. Schelomo Ben Melech in מכלל יופי ad hunc textum. Enimvero premit hanc explicationem ea difficultas, quod male jam construatur verbum Masculinum נָפַל cum Nomine Fœminino, quod per genium linguæ Ebrææ fieri nequit. Malumus ergo cum B. *Glassio* L. III. Tr. I. Cap. XXIX. Philol. Sac. aliisque viris doctis Enallagen casuum amplecti & rotunde ita vertere Textum Ebræum: *Et ferrum cecidit in aquas*, quanquam nec possit nobis officere altera explicatio, ubi τὸ אֵת pro עִם sive *cum* redditur. Certum enim erit, quocunque tandem modo reddas, quod ferrum ceciderit in aquas: sive dicas deinde, solum decidisse, sive cum trabe succisa; parum refert. Dictio בַּרְזֶל, uti notum est *Ferrum* notat: fuerunt ergo aliqui, qui hanc locutionem synecdochicam ita adspexerunt, ut putarint; esse Partem positam pro Toto, sensumque esse, *Et cecidit ferrum* i. e. securis tota, *in aquam.* Alii autem non tam synecdochen Partis, quam Generis in hac voce venantes, dictionem Ferri pro certa Ferri Specie h. e. ferro securis accipiunt. Nobis posterior sententia planior videtur; quanquam nec prior miraculo quicquam detrahat. Sufficit interea hoc tenuisse, quod Scriptura dicat, *Ferrum decidisse in Jordanem.*

§. VI. Merso sic ferro, is, cui exciderat, dolore tangitur. Nam uti querimonia ejus testatur, Mutuo acceperat securim. Graviter igitur hanc ferens jacturam, tum quia (ut suspicatur Sanctius) otiosum ageret diem illum inermis, tum quia rem amiserat alienam, quam Domino non posset reddere, neque haberet fortasse illius pretium, quod illius jacturam compensaret; ad Prophetam convertitur & clamat: Heu, Heu, Domine mi! & hoc mutuo acceperam! Elisa misericordia motus interrogat, ubi ceciderit. Atque cum eidem locus esset monstratus, præscindebat lignum, illudque immittebat in illum Jordanis locum, in quo ferrum decidisse cognoverat. Quo facto ferrum, quod (quia in mersione ferri non quæri debet miraculum) procul dubio impetu naturali, in gurgitis fundo consederat, oppido ad summas enatare cœpit aquas, ita, ut Prophetæ filius, cui ferrum mersum fuerat, idem, jubente Elisa, lætus ex summa aquæ superficie reciperet. Hæc est narratio miraculi ex Scripturis petita, cujus occasione interpretes aliquot ventilant quæstiones, quarum nonnullæ à nobis attingendæ sunt, cum ad illustrationem Phænomenorum faciant.

§. VII. Non vero hic prolixe disputabimus de ejus Nomine & Fortunis, qui fecerat ferri jacturam. Neque disceptabimus de eo, à quo securim mutuo acceperat: ista enim nihil ad nostrum respiciunt scopum; imo tacente Scriptura temere & frustra tales disquisitiones institui videntur: Sed dispiciemus potius (1.) quale istud fuerit *Lignum*, quo miraculum peregerat Propheta? In Textu Sancto plura non occurrunt, quam hæc: וַיִּקְצָב־עֵץ וַיַּשְׁלֶךְ שָׁמָּה וַיָּצֶף הַבַּרְזֶל h. e. *& præcidit lignum & immisit illuc, natavitque ferrum.* Dictio עֵץ lignum quodvis notat; neque facile hic citra omnem rationem, emphasis, & nescio, cujus ligni sympathetici & occulta qualitate pollentis connotatio fingi debet. Commenta hæc sunt ἄγραφα τῶν στρεβλούντων τὰς γραφάς. Nihil horum in textu exstat; neque talis phanatica notio vocis עֵץ ostendi potest, uti forte tale lignum nullibi, nisi in Utopia, crescit. Hoc docet sacer Textus, quod Elisa præciderit lignum, scil. quodquod primum ad Jordanis ripam occurrebat, & hoc ligno vulgari, loco instrumenti qualicunque, fuerit usus. Præter hanc literam claram non sunt fingendæ novæ circumstantiæ, quibus mirabile opus deprimere, & miraculum in re quidem levi præstitum; non tamen leve magnæ potentiæ argumentum continens, enervare queas. Recte & secundum regulas bonæ interpretationis scribit *Franciscus Vallesius* in Philosophia Sacra cap. XXXVII. pag. 252. (edit. septimæ) *Non sane suspicor id fuisse certum aliquod lignum, quod extrahendi ferri virtute valeret (quod enim esset?) sed quodcunque occurrit.* Quod si quæras: cur tamen Propheta voluerit ligno hoc uti, si non fuerit tali qualitate occulta attractiva instructum? Respondet idem Vallesius l. c. non incommode: *Certe*, ait, *ut ego existimo (dicta vero alibi aliæ etiam sunt causæ) quo intelligamus, quantopere deerrent, qui nullam in rebus suis adhibentes operam, cum possint, tantum orant Deum, quem vident, ne miracula quidem perficere nisi rarissime, citra ullam naturalium causarum admotionem; nedum ea, quæ naturalem habent providentiam.* Sed uti nobis persuasissimum est, utitur Deus causis secundis in effectibus naturalibus unice propterea, ut nos ex finitis creaturis discamus infinitam Dei sapientiam, potentiam & bonitatem: in effectibus vero supernaturalibus non raro mediis quibusdam, quanquam naturaliter ad effectum istiusmodi non satis proportionatis, usus legitur, partim ut discamus ejus potentiam non esse ad media illa alligatam; partim ut, quando videmus, Deum qui nullis mediis indiget, etiam aliquando media extraordinarie adhibere; tanto lubentius mediis, nobis à Deo vel mediate, vel immediate præscriptis inhiemus & non facile consecutionem finis sine mediorum legitimorum usu affectemus.

§. VIII. Quæstio (2) circa Phænomenorum in hoc miraculo occurrentium considerationem, occasione interpretum & commentatorum, adhuc ventilanda est de Modo, quo Elisa miraculum à nobis considerandum patraverit? Scriptura iterum paucis verbis totam rem complectitur, dicens, *Elisam lignum succisum aquæ in eo loco, ubi ferrum mersum fuerat, immisisse & sic istud natare fecisse.* Commentatores tamen quidam operosius ac liberius hic etiam παραφράζουσιν & multa fingunt, quæ in textu non exstant. Dicunt quippe, Prophetam, cum vidisset locum, ubi ferrum mersum fuerat, lignum resecuisse, illudque eo modo præparasse, quo putaverat, lignum commodissime subingredi ferri mersi foramen; quodque cum lignum resectum aquæ immisisset, miraculum in eo præcipue fuerit conspicuum, quod inditum fuerit partim foramini dicto, partim quod facto hoc ingressu, ferrum cum ligno alta petierit & sic ambo, h. e. ferrum & lignum, natarint. Hanc explicationem non modo ut communem interpretum recenset Doctus alias Commendator, *R. Jizlhak Abarbenel* ad h. c. sed & *Polus* cit. loc. duplex miraculum recenset 1. Quod Ferri foramen præcise fuerit à ligno tactum, 2. quod hoc fecerit natare ferrum. Imo *R. Levi Ben Gerson*, prout R. Abarbenel ibidem testis est, tantam ligni à Propheta immissi fingit magnitudinem, ut istud sua naturali, quam præ aqua habebat levitate, ferrum sibi adhærens

hærens sustulerit & natare fecerit. Enim vero sicuti laudatus Abarbenel non male judicat, quod, si secundum Interpretum opinionem, sic miraculum contigisset, ut lignum una cum ferro natasset, omnino conveniens fuerit, ut à Scriptore Sacro diceretur, *Et natavit Lignum & Ferrum*; ita cum eodem concludimus, quod cum in textu nullo verbulo ligni natantis mentio fiat, omnino statuendum sit, velle Spiritum Sanctum docere, quod non ita sese res habuerit, prout suspicantur Interpretes. Manet ergo hoc nobis fixum & firmum quod non modo temere fingatur, Elisam immisisse lignum foramini & sic ferrum è fundo sustulisse, sed etiam multo magis figmentum sapere illorum glossam, qui cum Rabbi Levi Ben Gerson statuunt, lignum fuisse valde magnum respectu ferri adhærentis, ita ut lignum tanquam specie levius corpus, in aquis natans simul sibi adhærescens ferrum ex gurgite eduxerit & secum natare fecerit. Omnia enim hæc si non ἀνέγραφα, saltem sunt ἄγραφα & eadem facilitate rejiciuntur, qua confinguntur. Literæ & ejus simplicitati hæc interpretatio quoad miraculi modum est convenientissima, scil. Elisam proxime occurrens lignum sine delectu peculiari habito resecuisse & aquæ immisisse ibi, ubi ferrum fuerat mersum: quo facto ferrum, quod procul dubio in fundo consederat, inceperit adscendere, alta, contra gravium naturam, petere & aquarum superficiei innatare.

§. IX. His in miraculo Elisæ observatis & ex Textu sacro erutis circumstantiis, nunc etiam II. videndum est, quid naturaliter sub his & similibus evenire soleat? Phænomenon tritum est, quod, cæteris paribus, id, quod specie gravius est, in liquore & quocunque subtili, fluidoque hujus armosphæræ nostræ corpore nunquam adscendere, multo minus superficiei supremæ innatare soleat; quod tamen in hoc Elisæ facto obtigisse, Scriptura sacra testatur. Equidem non ignoramus, sæpius mediantibus Loricis aquaticis, Campanis urinatoriis & aliis machinis ex maris fundo fuisse integra navigia, imo & metallica tormenta educta: Sed alio processu functus, & plane diverso minusque ad tantum effectum naturaliter præstandum proportionato apparatu, ligno nimirum resecto & aquis immisso, usus legitur Elisa noster. Interea si cui placeat de admirandis, non tamen miraculosis effectibus pariter & machinarum modo nuncupatarum fabrica artificiosa & eleganti, quibus non raro hodie, quæ fluctibus sepulta fuerant, ad dias revocantur auras, plura legere, is evolvat *B. Danielis Schwenteri* Delicias Physico Mathematicas P. XII. Probl. XIV. XV. pag. m. 463, 464. nec non Laudati supra Excellentissimi *Sturmii* Collegium, quod vocat, Curiosum P. I. & II. utrobique sub initium, ubi plurima de Campana urinatoria lectu digna inveniuntur; sicuti de Loricis aquaticis allegatus B. Schwenteri locus consulendus venit. Præterea experientia docuit, aliquando aquam vehementius commotam, violentia sua, corpora longe vastissima ejecisse. Huc digitum intendit antea citatus *Franciscus Vallesius* in Philosophia Sacra, quando alleg. cap. XXXVII. ita scribit: *Res est experimento compertissima, multa, quæ in aqua quieta subsident, cum conturbantur, agitata aut ligno aliquo, aut re ejusmodi aliqua in eam injecta, emergere efferrique in sublime & innatare.* Et quanquam paulo post moneat, talia vix lapidibus grandioribus aut ferro accidere, ut aqua mediocriter etiam commota; alta petant, largitur tamen, observationes docuisse, *quod per majores ac violentiores aquæ perturbationes, ut fluminibus violenter decurrentibus, & volutari videantur in aqua magis lapides & evelli grandes pontes.* Utcunque vero sit: hoc tamen inauditum est, quod unquam ferrum ex fundo aquæ per solum motum sursum se contulerit, & extimæ aquarum superficiei innatare cœperit, quanquam velis etiam supremum motus gradum, qui in aqua dari potest, concipere, & pro tanto effectu producendo fingere: cujus rei rationem infra σὺν τῷ Θεῷ daturi sumus.

§. X. Notanter diximus hoc esse inauditum, quod ferrum per solum aquæ motum adscenderit & nataverit. Alias enim non negamus, quod seculum hoc nostrum curiosum nobis ostendat modum, quo queat curari, ut ferrum natet. Lubet rem totam referre ex fide & dexteritate Celeberrimi *Sturmii*, qui in Collegio Curioso P. I. Tentam. IV. p. 23. seqq. jucundissimum processum & phænomenum, (quod ii, qui harum rerum imperiti sunt, vix credunt) exhibet, & ad suas causas ingeniose reducit. Ita vero iste: *Primo*, ait, *parari fecimus industria opificis manu capsulam orichalceam* (idem autem procederet, si ex ferro talis conficeretur fabrica) A (vid. Fig. nostra I.) *cum operculo seu embolo* B *adeo quidem exacte illius cavitatem complente, ut nihil aquæ inter commissuras admitteretur, & facillime tamen, inversa capsula, elaberetur proprii ponderis impulsu. Dein alligimus embolum* B *ad unculum* C *ex ejus centro prominentem, filo per capsulæ cavum in medio pedunculum, & huic extrinsecus agglutinatum tubulum vitreum* D E *emisso, quo mediante & in* E *apprehenso, embolus* B *intra capsulam* A *attrahi, rursumque lapsui suo aut descensui permitti pro lubitu posset. Attracto itaque embolo* b (vid. Fig. nostra II.) *& sic tota machinula* e b *intra tubum ampliorem aqua plenum, immissa ad aliquam profunditatem* e. gr. 8. *digitorum; laxato filo non amplius elapsus est embolus* b (*ut alias in aëre solebat*) *sed supra aquam se inferiorem natabat, nulla etiam vi desuper ipsum detinente sustentatus: quin ubi profundius immersus esset, ad* 24. *circiter digitos, appensum etiam ipsi gravius pondus plumbeum* f; *citra lapsus periculum sustinuit, etiamsi huc istuc intra aquam circumductus. Attracta autem sensim tota machinula, sed laxato tamen etiamnum filo* e d; *ubi parum aquæ supra se habebat capsula, statim elapsus est embolus isteque lapsus profundius intra aquam contingebat adjuncto pondere* f, *quam remoto hoc & solius emboli pondere urgente.* Hactenus verba Felicissimi illius Naturæ Interpretis, Celeberrimi Sturmii, ad cujus latus Anno 1684. ipse Dn. Præses steterat, cum tunc temporis curiosis spectatoribus hoc modo descriptum metalli natantis phænomenon exhiberetur.

§. XI. Recensitis Phænomenis, quæ aliquod ad solutionem quæstionis nostræ facere poterant; accedimus nunc propius ad ipsas hypotheses, unde promissa pendet solutio. Progrediemur autem ita, ut primo reducamus phænomena postrema secundum naturæ cursum facta, quantum fieri potest, brevissime ad suas causas, quas eruditi & cordati Naturæ Interpretes observarunt: postmodum ex his detectis demonstremus ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ, quod Elisa, quando ferrum natare fecit, opus naturæ vires excedens ediderit. Et quidem quod ad phænomenon primo loco in §. IX. adductum attinet de mersione specie Gravium in iis, quæ specie Leviora sunt, fatendum est, altius latere illas qualitates, quam ut earundem causæ veræ à quolibet, rerum præcipue Naturalium minus perito ostendi aut erui queant. Plurimi ex Peripateticis, & etiam alii quidam concipiunt Gravitatem, *tanquam qualitatem à frigore ortam, qua corpora quædam naturalia ad centrum tendant; sicuti Levitatem è contrario* definiunt *qualitatem secundam plerumque à calore ortam & omnia sursum evehentem.* Quod si quæras; undenam autem sit ille Gravium nisus versus centrum? & è contrario Levium tendentia versus superiora? adscribunt illum impetum vel ipsis his qualitatibus internis, vel formis corporum substantialibus: tametsi quo pacto ab his, vel ab istis emanet aut producatur, explicare dicere non possint: prout loquitur Celeberr. *Sturmius* in Hypothetica sive Eclectica Physica P. General. C. III. quam MS. nobiscum, quoad partem illam Generaliorem, Præses noster communicavit. Ubi & idem de *Aristotele* in specie monet, quod notari debeat locus insignis L. VIII. Phys. C. IV. ubi Philosophus ex professo in eo sit, ut demonstret pluribus argumentis, nisum ac tendentiam illam Gravium deorsum, Leviumque sursum, non esse ab interno principio. Verba Philosophi adscribemus tota. Sic autem ille, cum dicto capite docuisset, alia moveri à se ipsis, alia ab alio: & alia quidem natura, alia vi & præter naturam; tandem concludit, Gravia & Levia moveri ab alio & quidem partim natura, partim vi, quanquam fateatur obscurum esse, unde moveantur ista. Verba ipsa hæc sunt: Τὰ κοῦφα καὶ τὰ βαρέα εἰς μὲν τοὺς ἀντικειμένους τόπους βίᾳ κινεῖται, εἰς δὲ τοὺς οἰκείους, τὸ μὲν κοῦφον, ἄνω, τὸ δὲ βαρὺ, κάτω, φύσει. Τὸ δὲ ὑπὸ τινος, οὐκ ἔτι φανερόν, ὥσπερ ὅταν κινῶνται παρὰ φύσιν. τὸ, τε γὰρ αὐτὰ ὑφ᾽ αὐτῶν, φάναι ἀδύνατον· ζωτικόν τε γὰρ τοῦτο, καὶ τῶν ἐμψύχων ἴδιον καὶ ἱστάναι ἂν δύναιτο αὐτά. h. e. interprete Julio Pacio. *Levia & Gravia ad locos oppositos vi moventur; ad proprios autem, nempe Leve sursum, Grave deorsum natura moventur: Sed à quonam moveantur, nondum liquet, sicuti cum moventur præter naturam. Ipsa namque à se ipsis moveri, est dictu impossibile: quoniam hoc est vitale & animantium proprium & sistere se ipsa possent.* Clarissime ergo Aristoteles his verbis docet, quod ob geminam rationem, (quamvis & in sequentibus rationes plures adhuc ingeniose adducat,) impossibile sit dicere, quod motus Gravium æque ac Levium, etiam naturalis, derivari queat à principio corporibus istis interno; sed moveri ista tam naturaliter, quam præternaturaliter à principio externo, quamvis in motu præcipue naturali Levium Graviumque, non æque facile constet, quodnam sit illud principium movens externum. Equidem in varias partes se Philosophus convertit, ut illud principium movens externum determinet. Adducit enim causæ externæ moventis loco id, quod generaverat

Grave vel Leve. Nam, ait, de eſſentia rei gravis eſt, ut inferum locum habeat, & per hoc grave definitur; quemadmodum de eſſentia rei levis eſt, ut iſta locum ſuperum occupet. Jam autem, quia generans principium eſt cauſa generati, adeoque eſſentiæ ipſius corporis generati, & vero de eſſentia rei gravis generatæ eſt, ut illa ſit in loco infero; Levis, in loco ſupero: hinc ex inde concluditur à Philoſopho, quod principium generans ſit ſimul cauſa externa, cur Levia adſcendant, Gravia deſcendant. Sic doctiſſimus Ariſtotelis interpres Julius Pacius pag. 904. ad hoc caput commentatur: *Vis*, ait, *reſponſionis in eo conſiſtit, quod cum hæc ſit, eſſentia rei gravis, aut levis, illud ipſum, quod generat rem gravem aut levem, eſt etiam cauſa illius motus deorſum, vel urſum: vita, ut quando gravia deſcendunt, aut levia adſcundunt, moveantur à motore externo*, i. e. *à generante; dum enim movet ad actum primum, ſimul movet ad actum ſecundum, qui illico ſequitur, niſi quid impediat.* Hactenus Pacius. Addit quoque Ariſtoteles principiis externis moventibus id, quod removet prohibens, prout e. gr. qui columnam ſubtraxit, aut qui lapidem exemit ex utre in aqua, cauſa externa dici poteſt illius deſcenſus lapidis, qui antea prohibebatur per columnam ſubſtratam vel utrem. His ita adductis Philoſophus tandem concludit, patere, quod nihil horum moveatur à ſe & principio interno, ſed quod Gravia & Levia in motu quoque naturali ſuo moveantur à principiis externis, videlicet à generantibus, aut ab iis, quæ obſtacula motus tollunt.

§. XII. Sed uti nos non immerito veneramur aſſertum Philoſophi, quando monet impoſſibile dictu eſſe, quod Gravia & Levia motum ſuum Naturalem habeant à principiis internis; ſed illa neceſſario moveri à principiis externis: Ita videntur non pauca ejus ſententiæ, qua cauſas externas indicare nititur, obſtare. Etenim ſi prima iſta, quam nominat, eſt adæquata atque proxima cauſa; videtur, ipſum Philoſophum cum Philoſopho poſſe committi. Dixerat namque is l. c. quod moveri ὑφ αὐτῶν h. e. à ſe ipſis ſit ζωτικὸν καὶ τῶν ἐμψύχων ἴδιον h. e. *vitale & animantium proprium.* Collegerat ergo exinde Gravia & Levia non moveri à ſe, ſed à principio externo; cum hoc animalibus ſit proprium, ut à ſe & principio interno moveantur. Jam autem ſi principium externum motus eſt Generans in Gravibus & Levibus; quæritur, annon ſequatur, quod idem motus à principio ſimili externo dependens ſit in animalibus ipſis adeoque ne animalia quidem movebuntur à movente interno ſed uti Gravia & Levia à Generante h. e. Externo quodam principio. Nam quod animalia ſe movere queant, eſt ab illorum forma, forma autem in animalibus æque ac in Gravibus ac levibus dependet à generante. Ergo ſi gravia & Levia dicenda ſunt moveri à principio generante, tanquam externo; eodem jure dici poſſe videtur, quod eandem propter rationem, etiam animalia ipſa moveantur, non ὑφ αὐτῶν, ſed à principiis externis: id quod Ariſtoteles manifeſte negat. Ergo ſequitur, quod Generans Gravia & Levia non ſit cauſa vera externa propria & adæquata, unde Gravium Leviumque adſcenſus & deſcenſus naturalis pendeat. Quod ad Removens prohibens attinet; ejus nomine non videtur exprimi cauſa vera, ſed αἴτιον οὐκ ἄνευ, h. e. cauſa ſine qua non, quæ non niſi cauſa eſt cum appoſito h. e. nulla vera cauſa. Aſſumſerunt igitur alii alias cauſas & principia externa adſcenſus & deſcenſus in Levibus & Gravibus ex natura rerum exſculpere fuerunt anniſi. Ut autem taceamus eos, qui neſcio quam vim magneticam advocando obſcurum per æque obſcurum declarant, & crepuſculo ex tenebris nocturnis lucem affundere conantur; ſaltem brevitatis ſtudioſi, eos recentiorum attingemus, qui per phænomena varia Gravium Leviumque edocti, in horum natura ad duo nos probe reſpicere jubent principia, alterum internum & mere paſſivum, alterum externum & activum, prout hæc cum Ariſtotelis mente apprime conſpirare videntur, qui in Gravibus & Levibus internum aliud principium non admittit, quam τοῦ πάσχειν, ἀλλ' οὐκ ποιεῖν, h. e. *non faciendi, ſed patiendi principium.* Et hoc quidem principium internum paſſivum dicunt eſſe in Gravibus compactiorem & denſiorem partium, ex quibus corpus grave conſtat, coordinationem & fabricam; ſicuti in Levium Natura raram magis & poroſiorem particularum texturam agnoſcunt. Principii autem externi nomine allegant τὸ ἄνω σῶμα, ut iſtud vocat Philoſophus L. II. de Anima C. VII. h. e. (ut *Carteſius* & alii recentiorum loqui amant,) materiam ſecundi elementi ſive ſubſtantiam ætheream. Scilicet vortices æthereos vaſtiſſimos circa ipſam terram noſtram circumduci concipiunt & ex variis phænomenis demonſtrare laborant. Noſtrum nunc non eſt prolixe recenſere, quæ Carteſius hanc in rem operoſe diſſerit Principior. Philoſoph. P. IV. §. XX. ſeqq. Editionis, ut inſcribitur, ultimæ pag. 143. ſeqq. Nec non *Philoſoph. Burgund.*: Vetus & Nova, quam vulgo Hamelii nomine citant, Phyſic. P. General. Tract. II. Diſſert. II. C. I. & II. p. (Edit. Norinbergenſis) 179. ſeq. Ubi ut & ab ingenioſiſſimo Sturmio in citato M. S. cumprimis laudatur recentior quidam Scriptor, *Perrault*, qui Gravitatem & Levitatem ſecundum naturæ & probatorum experimentorum ductum hunc in modum explicare intendit, ut dicat (1) Concedi debere, quod Gravitas & Levitas diverſorum corporum dependeat ex principio Gravibus ac Levibus intrinſeco, ſed eo mere paſſivo h. e. elementarium & ſpeciatim terreſtrium corpuſculorum ſive molecularum majore minorive ſub æquali ambitu copia: vel, ut ſupra fuimus locuti, à compactiore, vel laxiore ac poroſiore particularum, ex quibus corpus aliquod grave vel leve conſtat, textura, ſicuti v. g. ad oculum patet compactiorem & arctiorem texturam eſſe particularum in ferro, quam in aëre, plumis, ſpongia, pumice &c. Quo ſenſu ergo hæc poſteriora corporum genera ſpecie leviora ex intrinſeco principio (non tamen activo, ſed paſſivo, ut recte Ariſtoteles monuerat) ferri intuitu dicentur. (2) Cum vortices illi ætherei aliunde probari ſoliti ſtupendæ dicantur altitudinis, & per conſequens vaſtiſſimo ſuo pondere inferiora omnia premant & urgeant; idem *Perrault* principium externum movens determinat hoc modo: Scilicet, vortices hi ætherei circa globos totales univerſi hujus circumgyrantes fluore ſubtiliſſimo pariter atque altiſſimo non modo aërem craſſiorem noſtrum, quibus Geocoſmus hic veſtitus eſt, ſed & aquas, terram & omnia corpora mixta in hac atmoſphæra reperiunda pellit, premit, pulſat perpetuo & verſus centrum compingit prout in vorticibus aqueis in centrum vorticis, quæ hæterogenea ſunt violenter compelluntur. Jam autem quemadmodum in uno corpore, ſive ſimpliciore, ſive mixto magis, eſt arctior & compactior partium textura: ſic neceſſe eſt, ut idem ab hoc principio externo activo h. e. fluore æthereo ſubtiliſſimo & altiſſimo plus impetus recipiat, quam alia corpora, quorum ſtructura & particularum textura magis laxa eſt & rarior, adeoque ubi minus materiæ patientis intrinſecæ occurrit. Quæ ita excitato Perraulto adducimus, ut conſtet non modo, ſtante hac hypotheſi, adducta ſuperius phænomena naturalia facile ad ſuas reduci poſſes cauſas; ſed etiam ut ſimul pateat, in caſu præſenti, quem tractamus, aliam, quam talem phyſicam cauſam, inquiri debere.

§. XIII. Etenim quod ad phænomenon primum attinet, juxta allegatam opinionem illa dicenda erunt graviora, quorum textura partium ſit compactior, ſicuti leviora ſpecie ſalutantur, ubi textura particularum eſt magis rara, adeoque ubi non poteſt impetus ætheris circumfluentis & ex ſtupenda altitudine urgentis & incumbentis æque fortiter recipi. Talis autem partium ſtructura diverſimoda, ut in aliis corporibus mixtis pariter & ſimplicibus non niſi per experientiam dignoſci & determinari poteſt; ita ipſi ſenſui nudo patet, quod partium textura in ſaxis, ferro aliiſque metallis ſit longe ſolidior & compactior, quam in aqua vel aliis liquoribus. Cum igitur, vi præcedentium, illa plus impetus ab æthere circumgyrante accipiant, quam hæc, neceſſe eſt; ut v. gr. ſaxa, ferrum, metallaque alia in aquis mergantur & fundum petant. Neque per naturam rerum fieri poterit, ut talia corpora graviora merſa ex fundo revocari queant, niſi vis vehementior, quam qualem ætheris circumgyrantis impetus in tali corpore importat, applicetur: id quod ibi contingere dicitur, ubi vel Loricæ aquaticæ, vel ſimilia inſtrumenta, de quibus ſupra §. IX. egimus, adhibentur, per quæ tantus trahentium & contra ætheris urgentis niſum agentium conatus ſeſe exerit, ut tandem impetus æthereus (juxta dictam hypotheſin) vincatur. Sicque fieri poteſt, ut ſaxa majora in aquis vehementiorem impetum vel ex aëris commoti violentia, vel ex anguſtia marginum & riparum, vel ex alia denique cauſa, nactis provolvantur, ſi impetus ab aqua conceptus vincat. Quanquam hic notatu dignum ſit, quod in talibus caſibus non tam emerſio ac ſurrectio ſaxorum v. gr. in fundo fluminis deliteſcentium, quam potius ſaltem aliqua in ipſo fundo fluminis provolutio & locomotio qualiſcunque locum habeat.

§. XIV. In ſpecie quod admirabilem & §. X. delineatum ferri natatum attinet non poſſumus non iterum laudare Celeberrimi Sturmii acumen, quod ex ingenioſa reductione hujus & elegantioris experimenti ad ſuas cauſas elucet. Poſtquam enim iſte monuiſſet (1) *ubicunque ponitur aliquod grave intra corpus fluidum, ibi concipi poſſe ſuperficiem ſeu planitiem*

nitiem imaginariam, quæ Corpus grave (e. gr. E in Fig. III.) *tangat in imo, & Horizonti seu planitiei liquoris supremæ* A B *sit parallela, ut* C D (2) *Quamvis ejusmodi superficiem imaginariam ab incumbentis liquoris singulis partibus (quippe homougeneis) undique æqualiter premi & sic ipsas istas partes in æquilibrio detineri.* (3) *Quod si vero corpus heterogeneum* E (v. gr. *ligneum, ferreum, plumbeum* &c.) *eidem superficei imaginariæ incumbat, in eodem quidem loco, hanc vel magis pressam cedere (si corpus* E *aqua in specie gravius sit,* h. e. *gravius quam æqualis ipsi moles aquæ) & sic corpus delabi, vel (si corpus* E *sit specie levius) assurgere, & sic corpus illud elevari.* His, inquam, præmissis, conclusit (1) quod si corpus v. gr. æneum sit experientia teste, minimum octies gravius, quam aquæ moles eidem corpori æneo plane æqualis, non possit non superficies C D octies fortius premi in E, quam in cæteris partibus: unde necessum sit, ut, quia octies major impetus recipitur in E quam in reliquis liquoris partibus, pondus E vincat & submergatur. Quod si autem (2) corpus æneum profunditate mergatur, quæ sit novies major altitudine corporis e. gr. in H patet equidem totum cylindrum H K è corpore æneo H & super incumbente cylindro aqueo compositum, graviorem esse quovis alio cylindro mere aqueo ipsi quoad molem æquali v. gr. M N, ideoque cum superficiei maginaria F G in rursum fortius prematur, quam alibi, corpus æneum necessario descendere, non tamen (NB) suo solius pondere, sed adjutum pondere incumbentis cylindri aquei K L unde porro (3) infert sua sponte elucescere corpus æneum dicto loco in H positum neutiquam descensurum esse, si ille superincumbens cylindrus K L arte quadam removeri queat, ut reliqui tamen cylindri vicini v. gr. M N adhuc permaneant, nec simul removeantur. Quia enim tunc cylindrus M N (& si cæteri vicini omnes) novies altior cylindro æneo L H hoc etiam esset ponderosior (octo namque ejus partes jam dum æquiponderant corpori L H, quia hoc non nisi octies gravius ponitur æquali aquarum moli) & consequenter superficies F G minus premeretur in H, quam alibi; necessum esset, corpus æneum sive metallicum quodcunque his conditionibus gaudens attolli ac sustentari, atque adeo super eandem superficiem F G natare. Quibus intellectis patere ait (4) per se ea omnia phænomena, quæ §. X. adduximus. Scilicet embolus b in (Fig. II.) sustentatur ab aqua inferiore; dum cylindrus aqueus superior eum alias depressuras, mediante tubulo d e super aquæ superficiem eminente arcetur & artificiose removetur. Nec (5) ob aliam caussam embolus b sub altiore profunditate sustinuit simul pondus f quam quia pondus emboli b & plumbi appensi simul sumtum sub profunditate v. gr. 24. digitorum non æquiponderabat cylindris vicinis singulis aqueis, quos adeo emovere conjunctæ & emboli b & plumbi f vires non sustinebant. Innatabat ergo aquæ sub ista profunditate, necessario & embolus & plumbum. At enim vero (6) ubi ex illa profunditate 24. digitorum tota hæc machinula iterum reducebatur; necesse erat, ut cylindri vicini æquei cum altitudine sua etiam pondus, quo antea vincebant, sensim amittentes, paterentur, profundius quidem adhuc, embolum b cum appenso plumbo f; altius autem, solum embolum b elabi. Quæ ita ex adducta hypothesi prorsus eleganter laudatus Sturmius disserit.

§. XV. Ad quæ si comparamus natationem ferri, de qua nobis nunc sermo est, facile demonstrabitur, quod hæ caussæ in illa inveniri nequeant. Nam rejectis illorum figmentis, qui vel, nescio, quam vim attractivam sibi pariter & Sacro textui ignotam in ligno ab Elisa adhibito supponunt; vel intolerabili ausu præter scripturæ fidem perhibent, quod (α) lignum illud fuerit valde magnum respectu ferri, & quod (β) ferrum ligno illi grandiori adhæserit, quod ejus cuspidata parte foramen in ferro tetigerit Propheta. His, inquam, temerariis & ἀγεάφοις partim, partim etiam ἀντιγεάφοις assertis repudiatis, supponimus ex §. nostro IIX. quod Elisa (1) sine peculiari delectu quodcunque lignum obvium resecuerit, (2) idem illud immiserit in locum eum, ubi ferrum fuerat mersum (3) quod facto motu in aqua ferrum cœperit alta petere & extimæ superficie aquarum innatare: quæ omnia supra ex textu fuerunt confirmata. Jam autem statim ei, qui quæ modo de natura Gravium Leviumque ex variis Physicorum hypothesibus diximus paulo accuratius velit perpendere, patebit, quod sub his circumstantiis, non fuerit naturaliter possibile, ut ferrum nataret. Nam lignum ab Elisa in aquas intromissum, etsi aliquantulum excitarit motum in aquis; neutiquam tamen poterat is esse tantus, ut mersum securis ferrum per istum motum, tanquam naturale medium, ex gurgite erueretur. Hoc equidem fieri potuisset, ut per motum aquæ vehementiorem forte tantillum in fundo fuisset ferrum provolutum & loco suo, quem prima mersione occupaverat, emotum: at enimvero, ut ferrum naturaliter ex fundo fluminis adscenderet & in libera aqua per solam commotionem ligno nudo & ab uno viro factam natare inciperet, id plane erat impossibile; siquidem, quamdiu cylindrus aqueus, aut si malis, columna aquea, quæ ferro merso superius incumbebat, relinquebatur, ita ut ista columna aquea, cui ferri mersi pondus accedebat, necessario ob hoc pondus accedens gravior maneret reliquis vicinis columnis singulis mere aqueis eadem mole & magnitudine constantibus; tam diu etiam non poterat ferrum illud, (nisi per vim, quæ simul & totam aquæ columnam ferro merso incumbentem emovere, & vim ætheris fluore suo altissimo compactam ferri & aquæ substantiam urgentem vincere sustineret) ex fundo attolli & ad natatum determinari. Sed in facto hoc Elisæ talis vis, quæ ferrum contra incumbentem aquam & ætheris deprimentis impetum elevaret, non fuit applicata per ipsum indubium Scripturæ testimonium. Ergo per naturæ principia non fuerat possibile, ut ferrum ad ligni immissionem solam & nudam, ex fundo emergeret & ita aquis innataret. Excedebat itaque hoc Elisæ factum omnes naturæ vires & hic ferri natatus plane fuit miraculosus. Q. E. D.

§. XVI. Adeste nunc profani Miraculorum risores, & discite venerari Numinis potentiam, quam frustra per Qualitates vestras Occultas, Magiam Naturalem & nescio, quæ monstra vocabulorum, deprimere conamini! Loquimini apertius &, quid in hac nostra desideretis demonstratione, dicite! Non sufficit in Philosophia Naturali nuda vocabula & terminos nunquam realiter satis explicandos projecisse. Ostendite, quid præter vocem vestra sit Magia Naturalis: & facile nostram demonstrationem à vestris obscuris & quas forte ipsi non satis intelligitis, exceptiunculis vindicabimus. Scilicet, veritas non quærit latebras: non fingit arcana: siquidem illa bona est: omne bonum autem est communicativum. Concedimus equidem mirabiles qualitates quasdam, quæ solent Sympathiæ, Antipathiæ &c. nominibus vulgo venire: Sed non amplius ignorat seculum hoc nostrum experimentis adeo illustre, istas non esse occultas; verum apertissime jam constat, mirandos illos effectus deberi subtilissimis corporum effluviis. Si igitur per Magiam vestram naturalem huc intenditis digitum, facile ostendemus, talem in hoc Elisæ facto fuisse nullam. Manebit propterea miraculorum dignitas & in specie hujus nunc à nobis demonstrati miraculosi natatus veritas inconcussa.

§. XVII. Si morem auctorum sequi vellemus, nova nunc adjicienda esset quæstio de Modo, quo illud miraculum sit ab Elisa peractum? Vulgo dicunt, quod aut ferro pondus fuerit ademtum; vel ferrum ab Angelis fuisse sustentatum, quo minus mergeretur. Ita Polus ad hunc locum. Vallesius l. c. putat, rem hanc miraculo transactam ita contigisse, ut, cum commotio esset ab Elisa facta, Deus ferro subtraxerit pondus, adeo, ut agitata aqua illud valuerit sublevari arenularum more. Nos hic nihil determinare audemus: uti enim nihil caussæ habemus, cur cum aliquibus apud R. Abarbenelem & Polum duo hic miracula recenseamus (1.) quod manubrium inciderit in ferri foramen. (2.) Quod manubrium fecerit ferrum natare; cum neutrum horum fundamentum habeat in Sacro Textu: ita si vellemus determinare modum, quo miraculum sit perpetratum, tunc medium terminum peteremus aut ex Ratione & Natura, aut ex Revelatione. Si ex Natura modus demonstrari & determinari potest; jam non amplius erit miraculum. Sin ex revelatione; illa exstare deberet. Sed quia Scriptura S. tacet, ergo & nos manum ori merito imponimus. Claudimus nunc interea hanc nostram opellam qualemcunque & Deo gratias agimus immortales. Benevolum autem Lectorem rogamus, ut hos nostros primos conatus velit æqui bonique consulere. Non laudari, sed emendari, sicubi rem non acu semper tetigimus, exoptamus. Ita decernimus

SOLI DEO GLORIAM.

JOH. FRID. MAYERI
DISSERTATIO
De Reformatione Joſiæ ab idolo אשרה in Templo facta ad 2 Reg. XXIII: 6, 7.

בשש

Ah! Jova juva.

ARGUMENTUM.

ISraëlitæ : עם קשה עורף cur: adorant vitulum conflatum ab Aarone; quem Moncæjus excuſat; & populum à culpa liberant Rabbinorum multi; quibus autem reliqui reſiſtunt. Et quidem recte.

Appellat omni ſane merito Jacobi poſteros, quos ſibi in peculium elegerat aſciveratque ſanctiſſimum præpotenſque Numen, populum קשה עורף, duræ cervicis; qui inſtar equi feri & indomiti, ferendoque jugo nondum aſſuefacti ſummopere ferociebat, (a) nec à curſu ſuo ſe abduci permittebat. Noverat, relligionem & cultum Diis falſis hominumque fictis manibus idolis præſtitum, aut unquam exhibendum, indicta graviſſima pœna ſibi eſſe prohibitum; & quantus foret zelus DEI iraſcentis atque punientis, intelligebat, cum legem promulgari in montis apice Sinaitici, multis continuo fulguribus coruſcationibusque atque telis mortem minitantibus, extra ſe ingenti metu rapti cernerent, totamque plagam ſubſilire quaſi ac moveri perſentiſcerent: noverat, Pharaonem Regem, (b) cum ſuis ſubditis cum ob alia perpetrata ſcelera, tum etiam præcipue ob idolorum cultum (c) tantas in Erythræo mari (d) exſolviſſe pœnas, ut eorum nullus, aquarum præcipitatis cumulis, evaſerit; utut Iſraëlitarum veſtigiis imminentes in adverſum littus eos abiiſſe lætos cernerent. (e) Supplicii autem præſentis à ſumma Majeſtate vindice Ægyptiis inflicti, ac mandati adeo brevi cepit populum oblivio, ac tanta fuit ejus pertinacia, ut Moſe ad Deum regreſſo, Aaronem ex auro idolum ſibi ſuetum fabricare invitarent; conflatum adorarent: graviſſimamque Dei iram in ſe derivarent. Et licet Aaron, primus hujus idoli author, excuſetur à Moncæjo: quod nihil aliud fecerit, quam quod poſtea fuiſſet faciendum; ponendo vituli imaginem, quæ Cherubini faciem præ ſe ferret, angelumque denotaret; quem Dominus in via eſſe præceſſurum dixerat: quod autem ipſa Aaronis excuſatio & graviſſima Moſis reprehenſio, ſubſecutaque Numinis indignatio refellit: tum à multis Rabbinorum populus Iſraëliticus Pontificem ad hanc idoli compoſitionem ſollicitans peccato fere liber declaretur, rejicientibus in tumultuariam & ab ipſo Jova undique corraſam manum culpam; (f) inſulſe tamen & plane impie agunt, ſuosque neceſſarios, relligioni puta Judaicæ addictiſſimos à ſe omnino diſſidere vident. (g).

O ſummam populi incuriam & pertinaciam, quæ nullis monitis, afflictionibus, nullis minis exciſionis prohiberi adeo potuit, ut ſæpiſſime ſalutis fontem deſerentes non ad ingenium redierint, & à vicinis gentibus idolorum cultum aſſumſerint. Legenti Judicum hiſtoriam, Samuelis atque Regum Libros, rei veritas patebit. Quorum lectionem Scripturæ ſtudioſo univerſam committimus & relinquimus; nobis autem ex 2 Reg. 23: 6, 7. præſentem locum eligimus:

ויצא את האשרה מבית יהוה מחוץ לירושלים אל נחל קדרון וישרוף אתה בנחל קדרון וידק לעפר וישלך את־עפרה על קבר בני העם:

ויתוץ־בתי הקדשים אשר בבית יהוה אשר הנשים ארגות שם בתים לאשרה:

Quæ

(a) *Conf.* Oleaſtr. *&* Malvendæ *Not. apud* Pol. in Synopſ. Critic. in *vſ. 3. c. 33. Exod.* R. Aben Eſræ *explicationem in* Electis Targumico Rabb. Chriſtophori Carthwrigthi *in Exod. vid. & adi* R. Salom. Ben Melech *in Exod. p.* כד.) (b) *Quis ille fuerit, Oruſne, an Cenchris, aut alius quiſpiam, non ſatis liquet in tanta rerum Ægyptiacarum paucitate & obſcuritate: placet ergo omnium optime Riveti modeſtia, qui potius abſtinet, quam ut rem incertam lectoribus obtrudat.* Nodum, *inquit,* mihi non ſolvunt Chronologi, qui cum agnoſcant ſeriem Ægyptiorum admodum turbatam eſſe, vix aliquid certi conſtitui poteſt de Regibus illis, ut nominatim cuique aſſignari poſſit, quod in hac hiſtoria narretur. Itaque præſtat indefinite de Regibus iſtis, quandoquidem Moſes noluit, ac potius Spiritus S. in illo impiorum illorum Regum nomina poſteritati aperire, in Comm. Exod. p. 762. *conf.* Oſiandr. in Exod. p. 7. (c) *Sic Rabbini notant, ſubmerſionis cauſam extitiſſe etiam idololatriam apud* Buxtorff. in Lex. Talm. Rabb. ſub voce יראה p. (d) *Quod à vicino populo ejuſque Rege potius, Hebræis* ארום, *quam à colore ita dicitur. Doctiſſ. adi Anglum* Fuller. Miſcell. Sacr. l. 4. c. 20. p. 549—588. Sixt. Amam. Antib. Bibl. p. m. 286. (e) *Volunt equidem Eruditi & imprimis Rabbin. filii, quod Iſraëlitæ per modum ſemicirculi ingreſſi mare fuerint, & ad idem littus ſe receperint: ſed rationes eorum non ſunt tantæ, ut populum hunc revera mare tranſiiſſe pernegemus. Evolve, ſi lubet,* Rivetum in Exod. *p.* 937. Oſiandr. *l. c, p.* 138. Bonfrer. *in Exod. p.* 417. Ludov. de Tena *qui Complutenſis olim Theol. Profeſſor, in Comm. Hebr. p.* 573. *ſeqq.* Bened. Pererium *Jeſuitam Hiſpanum Romæ, ubi etiam* Anno Chriſti M DC. X. *diem ſuum obiit, in collegio olim S. litteras profitentem, in Exod. p.* 478. *Locum hujus tranſitus apud Ichthyophagos habet & deſcribit ex* Diodor. Sicul. Bochart. Phaleg. *p.* 319.)

(f) *Sic Rab. Salomo, quem male Jarchi nominant, notante* Rich. Simone *in Hiſtor. Crit. V. & N. T. p.* 152. שחת העם לא נאמר אלא עמך ערב רב שקבלת: שחת עמך מעצמך וגיירתם ולא נמלכת בי ואמרת טוב שד, בקו גרים בשכינה הם שחתו והשחיתו: *Non dictum eſt, populus corrupte egit, ſed populus tuus nempe colluvies & mixta illa turba, quam tu ultro collegiſti, & proſelytam feciſti, me non in conſilium vocato: dixiſtique bonum eſſe, proſelytos divinæ Majeſtati adhæreſcere: illa inquam turba corrupte egit alioſque ſimul perdidit. R. Aben-Eſræ explicationem & conſenſum vide apud Carthwrigthum l. c.* (g) *Sic R. Moſes Gerundenſis ſatis graviter de hoc conqueritur.* אין לך ישראל פירענות שאין בה אנקיא מעון העגל *Non eſt tibi ultio, Iſraël, in qua non ſit uncia de iniquitate vituli. Et huic ſe adjungit R. Salomo, qui eandem adhibet ejulationem* ואין פורענות באה על ישראל שאין קצת מפועין שון דעגל *Nulla fuit pœna Iſraëli, quin pars ejus aliqua fuerit ob pœnam iniquitatis vituli. Neque etiam à veritate aliena ſunt, quæ habet Author* בירת ישראל *Col. I. p.* 130. אמר״ר יצחק אין לך פורענות ופורענות שבאה לעולם שאין בה אחד מכ״ר בהכרע ליטרא של עגל הראשון שנאמר וביום פקדי ופקתר עליהם חטאתם *Dicit R. Iitzchak: Nulla unquam afflictio adhuc contigit ab eo tempore, quo Aaron effinxit vitulum, quæ non habuerit adjunctam drachmam in depreſſione libræ vituli illius adorati, quia dictum eſt: Exod. 32. quandocunque afflictiones immittam, de hoc præcipue illorum peccato eas immittam.*

Quæ Lutherus ita vertit:

Und ließ den Hayn aus dem Hauße des HErrn führen / hinaus für Jerusalem / im Bach Kidron und verbrand ihn im Bach Kidron / und macht ihn zu Staube / und warf den Staub auf der gemeinen Leute Gräber v. 7. Und er brach ab die Häuser der Hurer / die am Hause des HErrn waren / darinnen die Weiber wircketen Häuser zum Hayn.

Tu autem, Sancte DEUS, juva nos & veritatem edoce!

CAPUT I.

§. I. Vocabuli אשרה ſignificatio, luci ſcilicet; quid fuerit? unde dictus §. II. variorum ſcelerum receptacula: citantur authores §. III. quæ fuerit cauſſa interdictionis div. §. IV. conſentiunt quidam Judæi: alii abſolute prohibitos dicunt; quod autem Maimon. reſtringit §. V. ratio Talmud. rejicitur, ut & §. VI. Cocceji §. VII. prima approbatur ſententia: Abrahamus primus lucorum author §. VIII. ab hoc in Ægyptum & alior ſum tranſiit; à quibus idololatricus factus §. IX. ab Ægypto varia idola: ſed ſignificatio hæc in 2 Reg. 23: 6, 7. non admittitur, & cur? §. X. alii metonymice explicant: citatur Lambinus, & rejicitur: luci rurales relligioſiſſimi. §. XI. אשרה idolum §. XII. probatur Scripturæ locis 2 Reg. 23: 15. §. XIII. Exemplo Achabi: qui אשרה Aſtartæ templum erexit. §. XIV. quod ex Plinio & Strabone deſcribitur: firmatur à loci (Sidonis) ſitu. §. XV. probatur aliis locis, & teſtimoniis Kimchii, Salomonis §. XVI. Abarbanelis §. XVII. Zoharis & הליכות עולם §. XVIII. Paraphr. Chald. Syriaca, Arabica.

§. I. Hæc eſt opinio recepta plurimorum interpretum, qui, quandocunque אשרה vox occurrit in ſacro codice, plerumque per lucum reddunt, & Græci, ἄλσος, quod cum priori, ſi notionem ſpectes (adi *Scapulæ Lex.*) convenit, adhibent. Erat lucus idololatriæ exercendæ conſecratus locus: ibi enim impii ſacrificabant & idola ſua colebant (*Ravanell. in Bibl.* pag. 128.) à cujus rei executione, ſacrorum ſcil. animalium & victimarum immolatione & combuſtione lucos nomen originem ſuam traxiſſe cenſendum eſt, quod ignis ſacrificia abſumens ibidem luxerit, & denſis arborum ramis obſcurum lucum colluſtraverit. (v. *Joh. Gerh. Voſſii Etymolog. Fungeri Etymolog. Matth. Martin. Lexicon Philologicum.*)

§. II. Varia autem turpitudinum & flagitiorum, quæ graviſſimam Numinis indignationem mererentur, genera in lucis iſtis fuiſſe perpetrata, Authores tum ſacri tum profani etiam teſtantur, adeo ut pia mens exhorreſcat ea cogitando, & ita humanos animos infra ſe demitti poſſe ambigat. Conf. *Dict.* Antiquitat. Biblic. V. T. pag. 265.—275. *Coſmas Magalian.* in comment. in c. VI. Judic. *Lorin.* in Deuteron. p. 302. & in Num. p. 468. *Pineda* de rebus Salom. L. V. c. VIII. p. 971. ſeqq.) *Ideo*, inquit Jeſuita *Caſp. Sanctius*, *præcipue in lucis gentes & inter condenſas arbores excitarunt altaria & ſuas ibi victimas immolarunt, aut aliud ſacrificiorum genus obierunt, ut, poſtquam indulſiſſent ventri Diisque genialibus, Veneri ſeſe aut turpiori traderent intemperantiæ, facile ad condenſas arbores lucorumque obſcuras umbras tanquam ad occulta & ideo opportuna magis libidinum diverticula tranſirent* &c. in comment. in 4. Reg. c. 23. vſ. 7.

§. III. Hanc ob cauſam Numen ſanctiſſimum populo Iſraëlitico, qui natura ſibi ſoli fere propria ad idola gentium colenda ferebantur, Cananææ terræ poſſeſſionem ſuis Patribus promiſſam occupaturo lucos earum confringere & funditus evertere immiſſis facibus, præcepit, ne his Ethnicorum ſuperſtitioſis cultibus implicarentur, & à Domino averſi in calamitates meritas inciderent: quinimmo nullos ad altare ſuum plane voluit plantari.

§. IV. Cujus interdicti rationem prudentiores Judæi hanc reddunt מפני שהיה זה הדרך עכודה זרה נוטעין אילנות בצר מזבח שלה כדי שיתקבצו שמה עם quoniam is ritus erat idololatrarum, arbores ſcilicet juxta altaria plantare ſua, ut ibi conveniret populus. (Maimonid. hal. Abhod. ſar. c. 6. Moſes Mikkotzi præcept. Negat. 44.) Neque igitur Noachidi permiſſum ſive juxta tabernaculum ſive templum Hieroſolymitanum, ſive ut videtur, in loci, ubi adoraret ipſe, qualiſcunque ornatum, lucum plantare ſeu arborum ordines conſerere. Conſer *Seldenum*, (h) de Jure Nat. & Gent. p. m. 181. ſeqq. Quod ipſum tamen modo citatus *Maimonid.* reſtringit in cap. VIII. ע"ז, &, cultus ſuperſtitioſus ſi abfuerit, omnino licuiſſe habere & plantare lucos aſſerit. Cæterum quod ideo prohibitos eosdem eſſe Talmudiſtæ aſſerant, eo quod confecti hominum manibus ſint id mihi non eſt veri ſimile.

§. V. Ne tibi, Lector optime, imponere, & aliquid ex meo cerebro finxiſſe videar, en! accipe eorum verba propria in tractat. עכודה זרה fol. 45. extantia ומפני מה אשרה אסורה מפני שיש בה תפיסת ידי אדם וכל שיש בה תפיסת ידי אדם אסור אמר רבי עקיבא אני אובין ואדון לפניך כל מקום שאתה מוצא הר גבה וגבעה נישאה ועץ רענן דע שיש שם עבודת כוכבים: *Quare lucus eſt prohibitus, ideo, quia eſt in eo apprehenſio manuum hominis: omne autem, in quo eſt apprehenſio manuum hominis, prohibitum eſt. Dixit R. Akiba: ego exponam & dijudicabo coram te: quocunque loco tu invenis montem altum & collem editam, & arborem viridem, ſcito eſſe ibi idolum.* Egregia hæc eſſet artibus & elegans laudatio; quæ tantum abeſt, ut abolendæ ſint & deſtruendæ, ut potius, cum ab ipſo DEO originem acceperint, & ad conſervationem humani generis pertineant, tractandæ ſummo ſtudio ac peramandæ veniant.

§. VI. Neque etiam Johannis Cocchii, & uti jam vocatur Cocceji (i) ratio probabilis videtur, quam de interdictis lucis in *Comment. in Jerem.* cap. 17. vſ. 2. p. 121. profert: *DEUS*, inquit, *vetuerat fieri nemus aut lucum juxta altare ſuum, non tam, quia gentes id faciebant, ne diſſimiles earum eſſent, quam quod noluit apud altare ſuum eſſe voluptatem oculorum, vel commentum humanum, vel poteſtatem humanam.* Quid quæſo de ornamentis templi & tabernaculorum fiet, ſi Numen nolit adeſſe hominibus in relligionis ſacro negotio occupatis aliquod delectamentum? hæc certe, quæ omni tempore, quam quæ interdum modo exiſtebant, adeoque majorem multo voluptatem excitabant, quam luci iſti, erunt etiam Coccejo ex locis iſtis, quæ שכינה (divina Majeſtas) inſidebat, amovenda, ſi ſuam velit rationem eſſe firmam atque ratam.

§. VII. Manet ergo illud potius probatum, interdictos lucos eſſe, ne Iſraëlitæ gentes imitari dicerentur *Gerhard.* in Comment. in Deut. c. VII. pag. 461. Et ſi hanc averſaretur DEUS oblectationem, aut veluti commentum rejiceret humanum; cur ergo piis iſtis heroibus, Abrahamo & reliquis conceſſit? Abrahamum conſtat plantaſſe lucum in Beerſaba: quod vel hoſpitum advenientum gratia factum eſt, ut in iſta regione ſolis æſtu ardentiſſima & moleſtiſſima viatores transeuntes animum aliquantulum colligerent, ne poſtea oneri ſuccumberent longitudine itineris & viarum moleſtia defatigati: aut ut ipſe umbra tegeretur adverſus nimium calorem ſolis, cum ſacris daret operam, & quæ ad cultum Dei ſpectent, incolas relligionis veræ, ſua Majorumque culpa, plane expertes perdoceret. Conf. *Petr. Martyr.* in Geneſ. pag. 85.

§. VIII. Ex his manavit poſtea lucorum uſus ſuperſtitioſus; quem Palæſtini & Ægyptii cum Abrahamo frequentiſſimum ob varias peregrinationes commercium habentes, in ſuas traduxerunt res, & ſicut omnes ferme ritus, quos in colendo Deo vero credentium Grex adhibuit, ſic quoque hunc gentiles populi ſunt imitati. vid. *Rivet.* in Geneſ. Exerc. CV. p. 407. Primi autem videntur illos poſuiſſe, qui Patriarchis erant proximi. De Ægyptiis teſtatur illud *Lucianus* de Dea Syria: Πρῶτοι μὲν ἀνθρώπων, τοὺς ἡμεῖς ἴδμεν, Αἰγύπτιοι λέγονται θεῶν τε ἐννοίην λαβεῖν, καὶ ἱρὰ εἵσασθαι καὶ τεμένεα καὶ πανηγύρεις ἀποδέξαι. *Primi hominum, quos ſcimus, Ægyptii dicuntur, & Deorum percepiſſe notitam, & templa ſtatuiſſe, ac lucos, & ſolemnes edidiſſe conventus.*

§. IX. A

(h) *Qui cum omnia Cromwellianis armis atque artibus in Anglia perſtreperent, in bibliothecam ſe ſuam abdidit fœtusque varios nobiliſſimos, quos jam poſſidemus cum maximo noſtro commodo & fructu, in publicum divulgavit. Vide* Spizel. *in fel. litterato pag.* 914. *ſeqq.* (i) *Primum ſe vocavit Cocchium, ut ex duobus titulis Talmudicis Sanhedrin & Maccoth, quos verſione & excerptis Gemaricis inſtructos edidit, apparet, poſtea Coccejum, à quo Coccejani nova inter Belgas ſecta, contra quam potiſſimum Spanheimius, Hulſius & Heidanus in ſcriptis ſuis pugnaverunt, non tamen debellare potuerunt. vide Dn. Alberti diſputation. in Panegyr. Doctorali de Cartheſianiſmo & Coccejaniſmo.*

§. IX. A quibus (nam de illis vere asseritur, quod πολυθεότητ☉ Gentilium authores sint. Conf. *Zimmermann.* in anal. pag. 50.) postea in universum orbem hæ superstitiones & vanissimi Deorum nihili (k) sunt derivati cultus. Cæterum an hæc significatio 2 Reg. 23: 6, 7. vocis אשרה, qua per lucum redditur, habere locum possit, id nobis maxime est dubium. *Nicolaus Lyranus* (l), non ineptus alias scripturæ interpres, quidem vult h. l. ut alibi, notari lucum, & *in atriis domus Domini fuisse positum, ut ibidem Baal colerent.* Sed quibus quæso argumentis illud nobis persuadebit, ut lucum, qui multis constitit altissimis arboribus (v. Lorin. in Deut. l. c.) angustissimis atriorum spatiis limitibusque fuisse circumclusum arbitremur? his adde, quod reliqua, quæ in textu nostro, huc non quadrent.

§. X. Quapropter rectius hunc locum alii metonymice explicant, & אשרה non tam lucum denotare h. l. quam quod ibidem cultum fuit idolum, asserunt. Quod si *Lambino* habenda fides erit, qui in *Not. ad Horat.* scribit, lucos solius Dianæ fuisse proprios, cum tamen hic de libidonosis agatur, qui sacris Cynthiæ non congruunt, sequitur, non posse אשרה metonymice notare simulachrum, quod in luco coleretur; cum, quod non est, pro altero non poni possit: quam tamen opinionem nolo meam esse, edoctus etiam ex aliis Scriptoribus, quod cum Jovi, Junoni, tum ipsi etiam Veneri dicati luci fuerint Gentilium relligiosa superstitione. Conf. *Lor. l. c.* p. 268. Poëta Mantuanus de luco in urbe media plantato Deæque Jovis conjugi dicato scribit:

Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra:
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condidit.

De quo observandum est, quod *Pineda* l. c. habet, *lucos non urbanos, sed rurales è regione urbium vel villarum consitos fuisse atque cultos.*

§. XI. Optima videtur eorum omnium sententia, qui per imaginem אשרה vertunt. Etenim injustum est & plane absonum, unam tantum vocabuli alicujus significationem adstruere, cum omnis linguæ genius in una voce varias, immo interdum contrarias plane adhibeat notiones. Quocirca non dubitamus per vocem hanc intelligere simulachrum, quanquam nec alteram ejus significationem in locis aliis nos pernegemus: quod erectum populus relligioso cultu venerabatur atque adorabat.

§. XII. Consentiunt Hebræorum Magistri; consentit textus sacer; qui, quem nos sensum asseruimus, confirmat. In eodem capite (2 Reg. 23: 15.) legitur Josias combussisse אשרה, quam Jerobeam Bethele collocaverat: quod nihil aliud, quam aureus iste vitulus; quo Israëlem ab invisendis abstrahebat Solymis. 1 Reg. 12: 3, 28, 33. Verum, ut objectioni occurratur, qua אשרה simulachrum tantum ligneum denotare dicas, respondemus verbis sæpius cit. *Ravanelli. Fieri potuit*, inquit, *ut vituli illi Jeroboami essent lignei, quamvis aurei dicantur, quia deaurati.*

§. XIII. Et quod Achabus in gratiam uxoris Sidoniæ, filiæ Etho-baalis, Sidoniis receptam superstitionem in Samariam introduxerit, procul eam dubio adhibuit, qua Summa ipsis Numina sunt culta. Sic autem in Sidoniorum Theologia invenimus in maximo honore ipsis esse Astharoth (m), quod autem, cum Græculi homines in sua lingua ejus significationem non penetrarent, in ἀςροάρχην detorserunt. v. *Füller.* Miscellan. Lib. 1. cap. 4. & Baal. His insignia etiam ædificarunt templa, quæ tanta erant pulchritudine & splendoris venustate, ut omnium oculos in se converterint, animosque hominum externi decoris cupidiorum plane suo fulgore occupaverint.

§. XIV. Erant quippe, *Plinio* Lib. 5. cap. 19. & *Strabone* l. 16. testibus, columnæ aureæ, & stantes è smaragdo cippi: quibus addita multorum Regum anathemata & victoriarum monumenta templorum majestatem adaugebant. Hæc ergo procul dubio idola Samariæ curavit coli Achabus Rex; quæ majorum gentium, quos vocant, Deos præ se ferebant. Et si respiciamus loci situm, non ipsis adeo receptus erat lucorum usus: quippe qui quercubus, ilicibus & reliquis proceræ magnitudinis arboribus constabant; & nulla falce aut securis acie, jubente illud superstitiosissima relligione, succidendi aut saltem violandi erant. Jam vero Libanus, qui urbi imminebat & ad Smyrnam per 150. stadia inde excurrebat, meras ferme habebat cedros: quæ cædebantur frequentissime, & ex iisdem magnifica palatia & templa struebantur. 1 Reg. 5, 6, 7. conf. *Selden. Synt.* II. *de Astharoth pag. m.* 234.

§. XV. Et quoties in scriptura legitur, (quod non raro fit) אשרה subter frondosa arbore & in colle excelso posita, toties habere te testimonium memineris, quod illam etiam admittat notionem, quam hactenus prolixius asseruimus. Recte itaque nos docent Hebræi, non esse vocem hanc arctis adeo limitibus includendam, sed ita potius procedendum, ut simulachri etiam notatio inferatur. Ejus est sententiæ R. David Kimchi in libro Radicum sub voce אשר apud *Selden.* l. c. p. 236. qui *omne lignum, quod colitur*, אשרה *dictum esse scribit.* Ipsissima ferme verba habet *R. Salomoh* in מכלל יופי in Exod. cap. 34. quæ omnia ad cap. 12. Deuter. repetit. כל עץ שעובדין אותו או נוטעים אותו לכבוד מי שעובדים אותו יקרא אשרה *omne lignum* (per metonymiam; ligneum simulachrum) *quod colunt aut plantant ad gloriam, ab iis ipsis, qui illud colunt,* אשרה *vocatur.*

§. XVI. Quibus non assensum suum subtilissimus alias & ferme unicus Judaicæ superstitionis, quanquam infelici successu, defensor Abarbanel in comm. ad cap. 44. Jerem. invidet: ואני כבר הודעתיך דעתי שהבעל שהיו עובדים היה כנגד השמש והוא נקרא מולך כי הוא מלך על כל בני שחץ והאשרה שהיו עובדים היתה כנגד הלבנה והיא גם כן נקראת מלכת שמים כמו שיכנה הכתוב השמש בשם מולך כן כינה הירח בשם מלכת שמים וכמו שכינת השמש בשם בעל להיותו בערך חלבנה כבעל הנותן מהודו וזיוו על אישתו כמה כי נה את הירח בשם אשרה שהיא שם הנקבה כאילו היא נקבת השמש ואליו תשוקתו והוא ימשול בה: id est, Ego antea jam edocui sententiam meam, quod Baal, quem coluerunt, fuerit loco Solis, & hic vocetur מולך, quippe hic super omnes filios fere regnat, & אשרה, quam coluerunt, fuerit loco lunæ, voceturque מלכת שמים. Etenim quemadmodum Scriptura Solem cognominat nomine מולך, ita etiam cognominat eadem lunam nomine מלכת שמים. Et ut sol vocatur בעל, quod in respectu ad lunam sit instar mariti, qui de suo splendore & decore cum uxore communicet, sic etiam luna appellatur nomine אשרה, quod nomen est fœminini generis, quasi illa sit fœmina solis, & illius desiderio teneatur: hic autem ei dominetur.

§. XVII. Huc pertinent, quæ ex *Zohare* (n) adducuntur *in Kabbal. denudata* pag. 169. אשר *vocatur maritus uxoris; ipsa autem juxta mariti nomen vocatur* אשרה. *Unde etiam* 2 Reg. 23: 4. *dicitur:* לבעל ולאשרה *quasi sensus esset: marito & uxori: quicunque enim colunt solem, appellantur cultores Baal, & qui lunam colunt, cultores* אשרה *vocantur. Ascherah ergo fœminæ nomen est ex appellatione mariti Ascher &c.* & R. Josua Levita in הליכות עולם pag. 107. כאמרו בגמרא התם כי קא וטרי רבנן אשארא פיי ע"א ושור הנסקל׃ quæ Constantinus L'Empereur sic vertit: *illic in Gemara dicunt, illud sapientum absolvere ad partem tantum, sensus est, ad mactatum idolis & bovem lapidandum referri.* Et quod non silentio prætereundum est, vox אשרה in sua origine spectata talem etiam significationem indicat: quæ autem non ab אשר *incedere* & in Piel *beatum prædicare*, deducenda est, sed ab Arabica radice derivanda أشر, quæ in I. & III. Conjugat. serra aliquid dissecare, ut ex eo simulachrum aut simile quicquam conficiatur, notat.

§. XVIII. Ne-

(k) *Hebrais* אלילים: *sic Spiritus S. eos sæpissime vocat Levit.* 26: 1. *Psalm.* 69: 5. *Es.* 2: 8. *vide omnino, quæ Eruditissimus* Rainoldus *habet P.* 11. *Censur.* Libb. *Apocr. pag.* 1369.

(l) *A Lyra vico Normanniæ sic dictus, genere & gente Judæus, sed postmodum ad Christum conversus, Francisci ordini se addixit, referente* Cornel. à Lapide *in Joh. pag.* 249.

(m) *Quod idolum an ab ovium multitudine, quæ ipsi consecratæ, an vero, quod ad earum formam imagines hæ factæ fuerint, ut Kimchius vult:* צלמים עושים בצורות עשתרות; *an vero ab oppido & loco, in quo cultum, dictum fuerit, incertum, & in utramque partem disputatur. v.* Selden. *de Diis Syr. pag.* 231. *seqq.*

(n) *Nomen est commentarii allegorici & Cabbalistici in Pentateuchum, quem vetustissimum esse Judæi ajunt. Conf.* Rich. Simon. Hist. Critic. V. & N. T. *pag.* 154. *Membrum autem ille fuit congregationis oratorii in Gallia, qui ordo in honorem orationum, quas in diebus carnis suæ Salvator fudit, à Petro Berullo Presbytero Parisiensi & postea ob pietatem in Cardinalium numerum ab Urbano Octavo Pontifice assumto institutus & Bulla Pauli Quinti Anno* 1613. *edita, efflagitante Regina Maria, confirmatus est vero* Author. vitæ Johan. Morini. *pagina* 3.

§. XVIII. Neque discrepant paraphrases; Chaldaica utut videatur in versione admittere significationem *luci* nobis hic rejectam, nihil tamen obstat, quo minus aliquod idolum intelligamus. Textus habet אשירתא, quod cum אשרה significatione convenit, & terminatione tantum Chaldaica differt. Cæterum à versionis authore per lucum reddita est, in quo præconcepta opinio plus valuit, quam vera ratio. Interpres Syrus (o) in cap. nostro vel ter aut quater vocabulum hoc per idolum reddidit. Adhibuit autem ܕܚܠܬܐ quod à radice timoris notationem inferente, deducitur & idolum significat, quasi diceres terriculamentum. Arabs (p) vertit ter in nostro capite אשרה per نساكا quod non quodvis simulachrum aut imaginem significat, sed eam imprimis, quæ sacrificiis variis victimisque & divino cultu veneranda ac colenda erat. Talem quippe emphasin significatio radicis hujus نسك requirit; quippe *quæ Dei cultui vacare atque deditum esse, sacrificare, bonum gratumque odorem facere* notat. Conf. *Jac. Golii Lexicon. Arab.* pag. 2362. Ex illis omnibus evadit satis manifestum, non frustra illa dici, sed veritate esse firmissime fundata, quæ de ejus notione asseruimus; & res ex subsequentibus patebit clarior.

CAPUT II.

SUMMARIA.

§. I. Ascheræ domunculæ ex sententia Sanctii. II. qui refutatur. III. De idololatria explicatur: Quid בתים *ex R. Salom. sententia. IV. Quænam illæ mulieres? describuntur ex Herodoto. V. ubi in templo sederint; lege ad hæc flagitia cogebantur. VI. iterum describuntur hæ domunculæ ex Ben Melech. earum origo statuitur. VI. Notantur Spencerus & Marshamus: objectiones proponuntur. VII. & refelluntur. VIII. sententia nostra proponitur & probatur ex Ezech. 16. recitantur verba Maldonati.*

§. I. Huic igitur אשרה s. idolo mulieres leguntur texuisse בתים domunculas. De quibus variæ disputatur. Jesuita *Sanctius* in comm. h. l. putat, domunculas in lucis adhibendas, in templo eas texuisse. *Domunculas*, inquit, *luci quidam esse putant velamenta quædam, ex quibus tabernacula fierent, in quibus meretrices fœminæ aut pathici pueri suam celarent ab omnium oculis impudentiam. Neque enim, credo, ita omnes, qui in lucis scortabantur, pudorem profligarunt, ut istam turpitudinem, maxime quæ esset à mascula libidine, in omnium oculis inverecunde defigerent &c. Neque ab his domunculis longe aberant funiculi illi, quibus sua lustra vallabant puellæ Babyloniæ ad eandem negotiationem & quæstum. Hæc mihi magis probabilia, sed fortasse domunculæ illæ ex arborum frondibus atque ramis texebantur, quales sibi ab obvia materia construunt, qui in sylvis agunt, locisque nemorosis, ut species saltem lucorum apparet in adumbrato luco, quem in templo formarat Judæorum inanis & stulta relligio.*

§. II. Cæterum quis non videt eum sibi non constare: cum paulo ante dixit, de lucis tractans, fuisse in iisdem excitata altaria & immolatis victimis & ventri præstito desiderio libidini etiam vacasse pessimæ; jam vero in cit. asserit, adhibita fuisse hæc tentoria, ut objectis iis oculi averterentur adventantium: verum si in lucis hi exercebantur actus, qui arborum ramis ita obscuri ac opaci, ut solis radii non tenebras propellerent, in quem finem velamenta hæc? & si domunculæ hæ cum lustris Babylonicis congruerent; quæ in omnium oculis & viis erant posita; quomodo inter arbores condensas? genus etiam texturæ minus convenit cum significatione v. ארג, quæ in textu, quæ texturam singulari cum arte factam notat; qualis olim usurpata fuit in contexendis vestibus Pontificis & sacerdotum; quæ sane tanta fuit, ut omnium oculos in se converteret, inque admirationem raperet; ut constaret magnam esse illius majestatem, in cujus cultu occupati sint hi cincti tam artificiosis vestimentis. Nec alia censenda est, quam quæ aranearum, quæ procul dubio ab ארג ἀράχνη dicta est, telam imitetur; quæ adeo subtilis ac artificiosa est, ut nulla ars exacte eam exprimat; quo factum, ut Minervam, qua hominum industria ingeniose adumbratur, ab ea victam esse fabulati fuerint. Conf. *Braum.* de vestit. Sacerdot. Hebr. L. 1. cap. 16. Deinde etiam distincta plane confundit: sunt ipsi hæ domunculæ adumbratus lucus; repugnante textus litera. Præterea hæc ipsa est opinio fundata falsa hac hypothesi; quasi אשרה lucum semper denotet; cui contrarium pluribus supra ostensum est: adde his, quod mulieres texentes operi huic non conveniant.

§. III. Hinc alii ut difficultatem rei fugiant nec alios offendendo ipsi offendantur, de spirituali fornicatione locum explicant, quod eo nomine Scriptura idolorum cultum sæpius appellet (q) cum sicut mulier à viro, sic populus à Deo ad idolorum cultum conversus fuerit, quod nos non rejicimus & analogice habere locum affirmamus: modo si litteralis & principalis sensus hic præcipue respiciatur, quem & intendi tot circumstantiæ docent & corporalem etiam libidinosum actum, qui in honorem istorum putatitiorum אלהים fiebat, intelligi significant, v. Fridliebii Medull. Theol. Exeg. p. 465. Rabbi Salom. in מכלל יופי h. l. בתים per aulæa s. יריעות exponit, statimque hæc subjungit insequentia: יריעות היו אורגות שם והיריעות היו בתים לאשרה כמו בתים לבדים aulea ibi texuerunt; & hæc aulæa fuerunt instar domiciliorum Ascheræ, quemadmodum hæc vox ita usurpatur Exod. 25: vs. 27. (ut sint) domunculæ vectibus, i. e. quasi quædam receptacula, in quibus vectes isti, quibus mensa deportanda erat, quiescebant.

§. IV. Ut autem mentem meam explicem, verisimile est, mulieres intelligi eas, quæ concepto voto Veneri se consecraverant, gratissimum se Deæ præstituras esse arbitrantes, si omnium libidini sua corpora exponerent. Solebant autem illæ ipsæ ut plurimum in viis apud gentes considere, & quando aliquis advenientium pecuniam suppeditabat, earum una abducta, Veneri vacabat. Audi, ut Herodotus eum ritum l. 1. describat: *Mulieres*, inquit, *serta s. corollam circum capita habentes ad templum Veneris sedent: & quædam quidem abeunt, aliæ vero adeunt. Nam diverticula undicunque sic funiculis distincta aditum præbent externis ad mulieres illas, quam cuique libuerit eligendam.* Porro cum semel illic consederunt, non prius domum regrediuntur, quam hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum injecerit, & cum eadem seorsum abducta rem habuerit. Conf. *Voss.* de idol. pag. 413. & *Cornel. à Lapide* ad cap. 6. Baruchi. Hunc igitur ritum à gentibus institutum & adhibitum Judæi imitati intra templum admiserunt.

§. V. Nolo asseruisse, quasi universam domum occupaverint hi perditissimi mortalium (r); sed eam templi partem insedisse dico, quæ חול Hebr. dicta fuit; quod omnis generis homines, mundi, immundi, gentiles, excommunicati, lugentes huc potuerint confluere. Hæc enim templi pars, communiter atrium gentium, suam longitudinem ad 500. usque cubitos extendebat (t) & à reliquis atriis, quæ tria adhuc erant, sacerdotum, Israëlis & Regum, per *προτείχισμα* seu antemurale (u) sejungebatur. Hoc ut latissimum amplissimumque elegerant profligati pudoris homines, ne alter alteri impedimento esset. Eo autem usque processum fuit vanissima hac superstitione & iniquitate, ut latis legibus ad ista committenda vitia invitarentur. *Lege* (x) *sancitum fuit apud Corinthios, sicut in libro de Pindaro scriptum reliquit Chamelæon Heracleotes, ut, quando civitas magnis de rebus Veneri supplicat, quam plurimæ amicæ ad supplicationem capiantur, Deæque postea ipsæ nuncupentur.*

§. VI. Hæ ergo fœminæ non prius dimittendæ, nisi defloratæ essent, ut haberent quod interea agerent, texebant suis manibus & artificiose satis בתים, quod Rabbi Sal. ben Melech & Kimchius per יריעות exponunt; quorum ultimus cum citatis ex illo verbis eadem habet & insequentia adjungit. אפשר שהיו אותן יריעות תלויות סביב האשרה היה ביה *Probabile est, quod* בעל הערוך כמו מכילתא ומקום ופירש שהם מדות *fuerint hæc ipsa aulæa suspensa circumquaque circa idolum, ut esset instar domicilii & fixæ sedis. Et explicat Author libri, qui Baal Aruch inscribitur, & comment. in Exod. allegoricus Mechiltha dictus, quod fuerint mensuræ*, id est, velamenta longissimæ magnitudinis, ut

Yyy

(o) *Qui quis fuerit suppeditabit* Hottingerus *de version. in lingu. Vernac. pag.* 164. (p) *An R. Saadias Gaon, an alius quispiam v.* Hotting. *l. c. pag.* 206.

(q) Rainold. *P.* 11. *Cens. libb. Apocryph. p.* 1155. & Ursin. *T. II. Anal. l.* 2. *quæst.* 39. (r) *Emman. Saa annotat. in* 2. *Reg.* 23:7. (s) *Otton. Lex. Philolog. Rabbin. p.* 55-60. (t) *Sic ex tr. Middoth. habet Lichtfoot. Chorogr. cap.* 28. (u) *Caspar Sanctius in comm. in Lib. Sam. & Reg. p.* 1480. (x) *Athen. L.* 13. *c.* 9.

ut tale ex iisdem posset confici tentorium, quale in deserto Dux Isacidum divino jussu struxerat. Ibi enim יריעה plerumque adhibetur: neque improbabile est gentilium dæmonolatriam imitatam esse religiosam pietatem mulierum Exod. 35: vs. 25. quinimmo totam horum בתים structuram confectioni tentorii in deserto originem suam debere mecum asseret, qui paullo accuratius fabulas (y) gentilium ex sacris historiis desumtas & ritus profanos exinde etiam translatos mecum reputaverit.

§. VII. Sed nescio, quo præpostero amore atque zelo adversus impiam gentilium prudentiam abrepti quidam omnia in sacris Hebræorum usitata ritualia eorum ritibus originem debere non erubescant credere & prolixo scripto ejus etiam rei probationem conari; in quibus facile sunt principes *Johann. Spencerus & Joh. Marshamus*, uterque Anglus, quorum autem artes figmentaque delusit satis graviter ejusdem fidei *Hermannus Witsius* Prof. Trajectinus in *Ægyptiacis*. At hæc hypothesis quam falsa sit, cuivis licet intelligere. repugnat enim Dei O. M. prudentiæ, quæ summa est, à gentibus hos ritus à suis in cultu sacro adhibendos mutuari? At, inquis, hoc ipsum opus est div. sapientiæ, qua pertinaci populo recepta concessit, & aliena in sua transtulit objectis eorundem immutatis. Judæis dudum jam baptismus est adhibitus, & proselytos eo imbui tam necessum erat, quam circumcisionem sustinere, aut oblationem offerre; (z) quibus partibus isagoge in Ecclesiam absolvebatur proselytorum: sed nondum tamen sacramentum fuit initiationis à Deo confirmatum; ut illud, jubente Christo, Johannis ministerio effectum est.

§. VIII. At multa adhuc differentia ponenda est inter ritus à Judæis & gentilibus adhibitos: illi enim vel Patriarcharum instituta sequebantur, vel fundamentum etiam habebant in Script. salt. analogicum: hi Scripturæ autem plane repugnabant. Et si gentilibus hæc usitata erant, inter quos Judæi degerant, quorsum nova visione opus, quæ Mosi omnium faciendorum תבנית (Abriß) exemplar exhibebat? (a) Manet E. illud potius probatum, gentiles ea, quæ Hebraicis similia habuerunt ceremoniis, ab ipsis accepisse, at postmodum ad alia objecta transtulisse: quorum numero & hæc tentoria per בתים indicata merito annumeramus, in quibus hosce homines coiisse, consuetudine ab Assyriis & Phœnicibus accepta perditissima, jam diximus.

§. IX. Atque illud ipsum est, quod graviter adeo vituperat in populo Ezechiel. cap. 16: 15. 16: 23. fecisse eum fornicationem, & exposuisse se libidini omnium transeuntium in במות *fanis* ex velamentis multicoloribus compositis: quod ut ita explicetur, tum analogia textus, tum consensus interpretum requirit. (b) Confiteor equidem imprimis hic notari gentis cultum alienum ipsi usurpatum, *cum*, uti R. Salomo explicat, *quotiescunque usurpetur vox* זנות i. e. *scortationis, & tribuatur genti Israeliticæ, intelligatur idololatria*; sed neque illud quisquam inficiabitur, locutionem istam ab isto ritu perditissimo desumtam & ad idolorum cultum esse translatam; ut cum spiritualem tum corporalem etiam includat fornicationem. Videtur illud ipsum R. Salomon cit. loc. agnovisse, quando פשק ita explicat: פ ירושו ותפתחי והוא על דרך המשגל id est: sensus verbi פשק idem est, ac si diceret; aperuisti, ad modum fœdissimi concubitus. Recte ergo *Maldonatus*: (c) *alludit*, inquit, *Propheta ad consuetudinem prostitutarum meretricum, quæ in biviis aut triviis sedent, ut omnes prætereuntes ad libidinem invitent. Sic de Thamare legimus more meretricum in bivio sedisse, qua Judas iturus erat.* Genes. 38: 14. (d) At si אשרה idolum Astharoth significat, *ut auctor Zoharis & Abarb. nos docuit, qui ipsi sacra Veneris conveniunt? en! accipe, quæ Vossius de Idol. pag. 408. & p. 449. habet: *Astarte cœli filia à Sanchuniathone (e) vocatur: quod lunæ optime convenit: ast illam ipsam Astarten Venerem Phœnices prædicant. Martinus de Roa* (f) Theologus Hispanus consentit nobiscum in eo, quod mulieres Veneri consecratæ fuerint hæ ipsæ; sed earundem opus hoc fuisse putat, quod lectulos texuerint, quibus incumbentes (g) more tum consueto convivia agitaverint Deorum: quem autem vocabuli בתים significatio, tum textus etiam, qui, quod illæ tales fuerint domunculæ, in quibus destruendis multum operæ ponendum erat, indicat, refellit.

(y) *Conf.* Samuel Bochart. *Phaleg & Canaan, ubi passim fabularum vestigia in sacris exhibet.* Dickinsoni *Delphi Phœnicissant.* Daniel Huet. *Demonst. Euang. L.* 1. *pag.* 99. *seqq.* (z) *Selden. de J. N. & Gent. p. m.* 139. *& Buxt. in Lexic. Talm. sub voce* גר (a) *Conf.* Hieron. Pradum *in Ezech. in h. l. p.* 196. Grot. *apud* Pol. *in Synopsi Crit. in h. l. Magnum nostrum* Calovium *in Bibliis Illustr. h. l.* (b) *V. cit. Auth. in h. l. & adde, quæ ipsi in ordine sequuntur.* (c) *Comm. in Ezech. c.* 16: 25. (d) *Conf. Abarban. in h. l.* (e) *Quis ille fuerit, docet accurate satis* Bochart. *Canaan p.* 855. *seqq. &* Huet. *in Demonstrat. pag.* 74. (f) *In Singul. Script. pag.* 155.

CAPUT III.

§. I. SEd nunquid ad exemplum Josiæ erunt etiam imagines in templis positæ tollendæ? sic volunt Calvinistæ, qui tum hoc utuntur facto ad probationem suæ sententiæ, tum præcepto Exod. 20: 4. ex quo secundum faciunt Decalogi; & nobis nonum decimumque in unum contrahunt; quibus autem illud unicum tantum opponimus, quod quanto melior essentialis divisione accidentali sit, tanto nostra melior Calviniana. reliqua in nostris vide: *Varen.* in Exod. *Calov.* T. XI. Syst. Theol. p. 7. *Affelmann.* Synt. pag. 16. f. *Balduin* von Bildern. p. 256. seqq. *Meisner.* in adiaphor. disp. 2. & aliis. Adversariorum sententiam continet tum B. *Forster.* in Thes. Catech. in quo *Marpurgenses & Anhaltinos* gravissime nos accusantes citat, tum ipse Calvin. *Rainoldus* in coll. adversus Jesuitam *Hartum* (h) conjunctionis pulverariæ reum; p. 106. Laudant etiam summopere Ezechiæ zelum, quo incensus serpentem æneum dejecit & confregit. His addunt, quod Judæorum conversionem prohibeat imaginum usus: quorum mentem cum eleganter doceat *M. Anton. de Dominis*, (i) ipsius verba accipe. Hi (Judæi) *acriter in nos insurgunt, quod qui profitemur divinæ vet. etiam Scripturæ cognitionem & decalogi observantiam, imaginibus tamen innumeris contra præceptum pateamus.* Et quidam Judæus Lusitanus in amica disputatione A. CIↃ IↃ XIV. habita, *quo jure*, inquit, *glorientur Christiani, quasi decalogum in pretio habeant facientes simulachra. ap. Hoornb. Ex. Bull. Innoc. VIII. de cultu Imag.* pag. 71.

§. II. In eo autem omnem fere rei suæ firmitatem collocant, quod in primitiva Ecclesia nullus fuerit earum usus, quin quingentis primis annis nullas in templis fuisse, & ideo perperam in illis collocari, affirmat *Calvinus* Lib. I. Instit. c. XI. Sub IV. Seculum, sive ex contagio hæreticorum, seu superstitiosa gentium æmulatione t. qui pravo insito affectu, in idola feruntur homines, cœptæ primum Imagines à Christianis haberi privatim & in domibus. Sub V. seculum publice atque in Ecclesia, sed raro usu vel ad memoriam & usum aliquem Historicum. *Hornbeck.* l. c. p. 76. conf. *Forbesium* Puritanum Instruct. Hist. Theol. L. IX. cap. 10. Prolixior est *Rivetus* in Exod. & *Mosanus* (k) in argumento hoc tractando, sed non adeo sibi constant, ut non crebriore dissensione suæ bonitatem caussæ prodant. Urgent Patrum testimonia, quibus ea interdicta esse simulachra probant. Quid autem est, ut de his adeo glorientur, qui cum unum errorem omni virium conatu destruere anniterentur, sæpius in alterum oppositum, vel deciderunt, vel quodammodo decidisse videntur. Conf. *Sixtum Senensem* Præf. Lib. V. pag. 410. Sic *Tertullianus* artifices statuarum & imaginum & omnis generis simulachra seculo intulisse diabolum arbitratus est, & cum imaginem nullam aut visam, aut auditam, in primitiva asserant Ecclesia, illi prius considerent, quæ tunc temporis rerum facies, ut opus habuerint Christiani, quocunque modo suos tegere conventus metu tyrannorum, locumque & tempus eorundem celare, tantum abest, ut in exornatis magnifice ædibus congregati fuerint. His paulisper cessantibus Ecclesiam Christianam antiquissimam, totam & universalem & summo consensu imaginibus esse usam est certissimum. conf. *M. Anton. de Dom. l. c.* §. 37. Nolo provocare imagines CHRISTI, Mariæ, & Apostolorum, quæ à Luca pictæ feruntur, teste *Niceph. lib.* 2. *Hist. Eccles. c.* 43. *Edit. Front. Duc.* nolo *Metaphrastæ* assumere authoritatem, qui eadem confirmat & ab ipso Antiochiæ relictas esse has imagines dicit, cum ille fabularum collector dici mereatur, ut *Casaubon. in Exerc. Anti Bar. & Philipp. Labb. de Script. Eccles. Paral.* 2. *pag.* 102. hic vero Sanctorum vitis, quas

(g) *Conf. de hoc accumbendi modo* Ciaccon. *&* Hieron. Pradum *in cap.* 23. *Ezech. pag.* 289. (h) *Conf. de hoc colloquio* Casaub. *in ep. pag.* 741. *&* Hoornbeck. *Sum. Controv. pag.* 267. (i) *L. VII. de Rep. Eccl. c.* 12. (k) *In apologet. pro invectiva Concion.* Abrahami Sculteti *in imagines Pragæ habita.*

quas ipse conscripsit, multa ex proprio ingenio addiderit, fatente *Bellarmin. de Script. Eccles.* ad Ann. 850. p. 193. seqq. illud tantum profero exemplum, ubi *Epiphanius* se velum ante Christi crucifixi imaginem dilacerasse in templo Bethlehemitico, ad *Hieron.* testatur, apud *M. Anton. de Dominis l. c.* huc refero Concilium *Eliberinum* (ab Eliberide Hispaniæ civitate, in qua habitum, *Gesn. de Concil. pag.* 100.) cujus Patres usum earum ex templis exterminarunt: conf. *Balth. Meisner. in adiaphor. disput. III. Tertull. L. de Pudic.* ipse meminit calicis, quem Pastoris imago ornabat ovem humero ferentis: quid contra hoc objiciat *Rivetus*, solidissime refellit *Dannhaw. in Iconoth. pag.* 59. Sed hæc mittamus & legibus, non vero his exemplis judicemus. Præceptum hoc divinum, quod ex Exod. 20: vs. 4. hi urgent, non interdicit omnem imaginum facturam; cum alias sibi ipsi repugnaret sanctiss. Legislator, qui Pontificem & sacerdotes non unam jussit in vestibus habere imaginem variorum florum, uti exposuit cit. *Braun. de vestitu Sacerdotum.* Et quot quæso simulachra non exornabant templum; quæ non procacitate hominum, sed ipsius Jovæ jussu introducebantur? nonne simulachra boum, Cherubinorum &c. aperte satis ibidem extabant! Qui ergo legem hanc sancivit, is omnium optime mentem ejus penetrat & percipit; hic repetit in Exodo conscriptum præceptum Levit. 26: vers. 1. & verbis his להשתחות עליה abusum earum prohibet, sobrium autem & civilem earundem usum permittit: si simpliciter & absolute eas vetuisset, frustra fuisset illud additum. Conf. *Chemnit. Exam. pag.* 673. *seq.* Atque hujus rei veritas tam immota stat, ut multi adversariorum eandem non potuerint inficiari. *Bucer. in Enarrat. cap.* 1. *Rom. Petr. Mart. in Loc. pag.* 214. *Beza* passim *in colloquio Mompelgart. ap. Forst. cit. loc. Amesius; imagines hoc loco (Exod. 20: vers. 4.) simpliciter non prohibentur, quia civilis earundem usus est legitimus; sed imaginum usus in cultu Dei. Sciagr. catech. Christ. pag.* 155. *cum consecratio omnimoda cultusque absit & figura utcunque ejus, quod alias interdum pro Numine habetur, ornatus tamen caussa locum hic habeat, non est omnino, cur violatæ legis nostræ nomine incuser. &c. Selden. de I. N. & G. L.* 2. *cap.* 7. *pag. m.* 211. *De statuis* fatetur *Piscator*, apud *Dannhaw. l. c. licitum esse eas erigere in memoriam alicujus beneficii divini*: quæ tamen in eodem cum imaginibus interdictionis gradu extant positæ; quæ etiam *Dionys. Vossii* in N. ad *Maim.* pag. 82. est sententia. Conf. *Rainold. P.* 2. *Cens. pag.* 1362. *Nos plenius ex sacris litteris & catholica antiquitate dicimus prohiberi in illo præcepto efformationem sive figurationem it. assumtionem & susceptionem cujuscunque rei, quæ per naturam non est Deus, ut relligiose colendum & adorandum in honorem exemplaris vel rei significatæ.* Sunt verba cit. supra *Forbesii pag.* 340. Judæorum inhiberi conversionem illicito imaginum usu facile concedimus; de licito, quem nos historicum & memorialem dicimus, id pernegamus. Etenim illi ipsi docent, fuisse justorum imagines in templo: *Baal Hatturim* in *Exod. cap.* 25. שניים כרובים בגמטריי אברהם יצחק יעקב שהיו שם כדי להזכיר זכות אבות *Duo Cherubim per gematriam*, Abraham, *Isaac & Jacob, qui ibi in propitiatorio aderant ad revocandum in memoriam justitiam Patrum.* ap. *Joseph. de Voisin Theol. Jud. pag.* 91. & Magnus ille *Maimon. cap.* 8. ע״ז §. 13. *Idolum*, inquit, *quod gentiles ipsi, priusquam Israëlitis in manum veniret, profanum judicarunt, in usum suum convertere licet. Dictum enim est, sculptilia Deorum illorum igne exuretis: quibus verbis significatur (exurenda) si venerint in manus vestras, quo tempore iis cultus tribuebatur divinus. Nam eo desinente licita habentur.* Sed unum restat telum, quod Calvinistæ ex historia Hiskiæ & Josiæ Regum desumunt, qui, cum imagines in idola verterentur, destruxerunt: illorum pium esse zelum imitandum. Sed nos distinguimus inter imagines gentilium & relligiosas, & inter eas historicas, prioris generis abolendas aut ita reponendas esse statuimus, ut superstitione ac metu scandali sublato in testimonium idolomaniæ Gentilium & antiquitatis historicæ monumentum essent; ut eodem fini *Theodosius* Imperator & *Theophilus* Episcopus quasdam Deorum statuas leguntur recondidisse, sicut id *Förster.* in *Thes. Catech.* enarrat. Ad Ezechiæ factum respondemus, non fuisse illum necessitate absoluta compulsum ad serpentem istum destruendum; verum quod videret populum φιλείδωλον, offendiculum hoc majoris periculi vitandi caussa sustulisse: Christianum autem Magistratum, qui in moratiores & faciliores subditos inciderit, posse simulachra ac imagines conservare, quamvis aliquantulum illicito cultu profanata fuerint; si prius tamen abusus ille auferatur, & verus usus maneat. Conf. D. *Dorschæi Theol. Moral.* quæ jam è tenebris, curante Magnifico Dno. Præside, eruitur & cum litterato orbe communicatur *in Decal.* p. 20. seqq. Cur ergo obloqui audetis *Rivete*, *Mosane* & reliqui, tantæ rei veritati; zelum vestrum contra imaginum adoratores non equidem rejicimus; quod omnes autem frangi cupiatis & præliminari, hoc est, quod nos cum Gregor. I. qui idem responsum Severo Massiliæ Episcopo dedit, (y) improbamus.

Cæterum antequam finem imponamus, vindicandus est *Lutherus* noster Megalander, qui Reformatis & præsertim *Riveto* vapulat, quod in initio suorum operum videatur pictus ante crucifixi imaginem procumbens. Audit enim illa reduxisse, quæ Dei opera adjutus improbavit. Sed quæso ne mature nimis glorieris, mi Rivete: quid videtur de illo, quando Psaltes scabellum Dei adorare jubet Psalm. 99: 15. & Daniel versus civitatem sanctam adorasse legitur. Dan. 6: 10. Deinde etiam distinguo cum ipsorum domestico Scriptore, *Sixtino Amam.* l. 5. *Antib. Bibl.* p. m. 535. *inter objectum corporis adorantis & adorationis relligiosæ: hujus solus Deus est. At objecta corporum adorantium possunt esse varia: Israëlitæ Deum adoraturi faciem versus arcam & templum convertebant &c. Videat Rivetus, quid ad hæc responderit.*

(y) *Conf. L. VII. Epist. CIX. &c. in* Epist. Remonstr. *pag.* 866.

M. JOH. ERN. MULLERI DISSERTATIO

De Terra Jobi ad Job. I: verſ. 1.

لبيتي بعون الله.

כי עזרנו
בשם " עושה שמים
והארץ:

Προοίμιον.

QUanta cum laude ac gloria, quovis ævo, Viri, in omni ſcientiarum genere verſatiſſimi, circa hiſtoriam Jobi (α), האיש ההוא תם וישר וירא אלהים וסר מרע, *Viri illius perfecti ac juſti, Deumque timentis, & à malo ſemper recedentis*, enucleandam ſeſe occupaverint, καὶ παισὶ δῆλον, τί ἔυμε ἐδ̕ μακεῖς αὐλοῖς αὐλεῖν; profundam eorum, nec vulgarem, doctrinam inſpicientes non injuria ingeminando dicimus: ב"אי א"מה הטוב והמטים (β) *Benedictus Tu Deus noſter, totius mundi Domine, qui benignus es, & benignitatem exerces*, עוטר ישראל בתפארת *qui Iſraëlem decore coronaſti*, h. e. das ſapientiam timentibus Te. In duodecim autem potiſſimum quæſtionibus enodandis laudabilis horum ἐσθλαμαθῶν γεραιπλήρων opera vertitur, quas præ cæteris ad ſempiternam ſui Nominis laudem eruditiſſime *Chemnitius* noſter ἀρχὸς θεολογίας νεολαμπής, ἢ διδαχῆς βυθὸς οὐκ ἐφικτός *in Diſſertatione Theologica de Perſona & Libro Jobi (γ) perſequitur*, quæ Perſona & ſtirps ipſius fuerit, inquirendo, quæ ejus Patria & parentes, tradendo, quæ morum qualitates, diſquirendo, quæ uxor & liberi, recenſendo, quam crucem ſuſtinuerit, explicando, quæ libro inſit Veritas Canonica, vindicando, quiſque verus hujus autor perhibeatur, aſſerendo, & quæ denique ſtyli majeſtas ac difficultas, nec non compendioſiſſima diſtinctio, & tutiſſima interpretandi ratio, fuſe ſatis proponendo. Inter has vexatiſſimas quæſtiones prima rectiſſime de ipſius Jobi perſona ac ſtirpe movetur, quis enim Jobus fuerit, & unde oriundus, admodum controverſum eſt, quare & Rabbi Meir, multa Thalmudicorum ſcriptorum lectione celebris Doctor, in ſuo ad primum libri Jobi caput commentario ita diſſerit: האיש השלם הזה איוב מצינו בו בין הראשונים דעות חלוקות/ מהם אומרים נברא/ ומהם אומרים לא נברא/ אלא למשל היה/ כהה"א דפרק קמא דבתרא/ יתיב ההוא מרבנן קמיה דרבי שמואל/ בר נחמני/ ויתיב אמר/ איוב לא היה/ ולא נברא/ אלא למשל היה: i.e. *De Viro hoc perfecto (Jobo) inter Doctorum principes pugnantes ad modum circumferuntur ſententiæ, eorum aliqui dicunt, Jobum revera extitiſſe, alii vero id negant, ſed parabolam eſſe credunt, ſiquidem in tractat. Baba Batra cap. 1. fol. 15. col. 1. legimus, conſederat aliquis è concilio Rabbinorum confirmaturus verba Rab. Samuelis, filii Nachmani, ſedenſque dicebat: Jobus non fuit, neque creatus exſtitit unquam, ſed parabolæ loco fuit.* Verum nos melius edocti cum piiſſimis Eccleſiæ noſtræ Patribus ſapere malumus, & aſſerere palam, Jobum inter certæ ætatis, licet non adeo exacte definiendæ, viventes numerandum eſſe, quam ſententiam & Rabbinorum non pauci quovis tempore ſuffragiis ſuis comitantur, ita eorum modo laudatus ſtatim ſubjicit: אבל כל שאר חכמי ישראל חולקים עליו/ ומקיימים מציאותו: ר"ל *Verum omnes reliqui ſapientes Iſraëlis militant contra hoc*, (quod nullus ſc. unquam Jobus fuerit) *& confirmant ejus exiſtentiam.* Id quod dexterrime in ſuo etiam ad hoc caput commentario Aben-Eſra ita exequitur: איוב היה מבני בניו של נחור אחי אברהם/ והקרוב אלי/ שהיה מבני עשו/ והענין מוכיח/ בארץ עוץ/ כמו/ שישי ושמחי בת אדום יושבת בארץ עוץ/ (δ) ולא יתכן לומר/ שלא היה בעולם/ בעבור שאמר יחזקאל/ נח/ דניאל/ ואיוב/ (ε) יאם אמר טועם/ אולי איוב אחר היה/ שהזכיר הנביא/ יאמר לו/ אם כן/ אמור כן בדניאל ונח/ והנה כתוב בפרק אחר/ אם יעמוד משה ושמואל לפני/ (ζ) ואף כי מצאנו בן עמיהוד והנה לא מצאני איוב אחר: ר"ל *Jobus unus fuit è poſteris Nachoris, Fratris Abrahami, & quod mihi verius videtur, eum fuiſſe arbitror è Filius Eſavi, & hanc ſententiam confirmat Scriptura, dicens: quod fuerit in terra Utz, quemadmodum & Jeremias tradit*: Gaude & lætare, ô filia Edomi, ô quæ habitas in terra Utzi &c. *Nec congruit, ſi quis diceret, quod nullus unquam vixerit Jobus in mundo, ſiquidem Ezechiel docet: Etiamſi eſſent* hi tres Viri in ea, *Noach, Daniel & Jobus*, ipſi cum juſtitia ſua eriperent ſe ipſos, dictum Domini Jehovæ. *Si vero opponens excipere vellet, forſitan alius quiſpiam fuit Jobus, cujus meminit Propheta, huic idem regerere licet de Daniele & Noacho, & hem! quæſo, alio in loco ſcriptum legitur: Si inſtaret Moſes & Samuel coram me, minime eſſet animus meus erga populum iſtum, & alium quidem Samuelem Filium Abihud invenimus in ſacris litteris, ſed non alium Jobum.* Præter Judæorum Doctores Muhammetiſtarum quoque Myſtas ὁμοψήφους allegare poſſumus, ſiquidem Keſſæus Arabicus Scriptor pag. 89. expreſſe hanc Jobi genealogiam concinnat, citante B. Chemnitio: ايوب ابن اوموص ابن دوبل ابن العيص ابن يعقوب ابن اسحق *Jobus filius Oumez, filii Oubal, filii Eſavi, (η) filii Jacobi, filii Iſaaci.* Plura leguntur *Surata* 20. *pag.* 180. & *Surat.* 37. *pag.* 256. Invictos vero & æternos huic Veritati ſuffulciendæ ſeſe tibicines præſtant, quos ab ipſo Deo in Eccleſiæ orthodoxæ propugnatores adlectos habemus, עליהם השלום, de quibus verius illud Judæorum dicterium, quam de eorum Rabbinis, pronunciatur: (θ) כל דבריהם דברי אלהים חיים *Omnia eorum verba ſunt verba Dei viventis*, horum effatis innixa Eccleſia

Νίκλω

(α) *Job. cap. 1: verſ. 1.* ר"ל *ſeſe totum amoribus divinis tradidit: nam dicente S. Patre Maximo Cent. 1. de Charitate:* ὁ τῇ εἰς θεὸν ἀγάπῃ τὸν νοῦν ἔχων προσηλωμένον, πάντων τῶν ὁρωμένων, καὶ αὐτοῦ τοῦ σώματος, ὡς ἀλλοτρίου, καταφρονεῖ. (β) *Utuntur hac nominis divini celebratione Judæi, ſi inter epulas ſolito generoſius vinum, vel ſuavior infundatur potus, & ille præſertim, qui primus deguſtat, hujuſcemodi precatiuncula conſecrare debet, teſte Buxtorff. in Synag. Judaic. c. 7.* (γ) *Habita eſt Jenæ Ann. M. D C. L XV. Reſpondente M. Bartholdo Müllero, qui alias ejus ſe auctorem eſſe teſtatur.*

(δ) *Jerem. Thren. 4: verſ. 21. cui probationi præcipuum robur exinde ſupervenit, quod eadem phraſis* בארץ עוץ, *quæ cap. 1: verſ. 1. Jobi legitur, occurrat.* (ε) *Ezech. 14: vſ. 14. verba ita ſuppleri debent:* והיו שלשת האנשים האלה בתוכה נח דניאל ואיוב המה בצדקתם ינצלו נפשם נאם אדני יהוה: (ζ) *Jerem. 15: verſ. 1.* אם יעמוד משה ושמואל לפני אין נפשי אל העם הזה: (η) *Manifeſtum hic ſuppeditatur ſpecimen, quam nefario auſu Muhammed, peſſimus ille Pſeudo-Propheta & maximus ἀπατηλὸς Scripturæ ſeriem perverterit, qui fratrem Jacobi Eſavum pro ipſius filio venditat.* (θ) *Heſiod. in Scut. Hercul. v. 338.*

Νίκην ἀθανάτης χερσὶν καὶ κῦδος ἔχουσα

Ἑσσομένοις (ι) merito judicatur.

Quum igitur historia Jobi nequaquam in fabulam vulganda sit, sed Jobum, perfectum patientiæ exemplar, in vivis aliquando fuisse, simplici (κ) Veritatis oratione adstruere liceat, quare & ἄνευ τοῦ ὀφθαλμός μου ὁ δεξιὸς, ut absque prolixiori præfamine indicare nunc aggrediamur, in cujus propugnandæ hypotheseos discrimine hodie hæc nostra apparitura sit in publico dissertatio, virtute sc. non propria, quemadmodum de sese olim gloriabatur Alexander, à rebus gestis Magnus dictus, nomine hodie persamiliari, verum divini Numinis, יתברך שמו, auxilio suffulti hunc nodum Gordium resolvere ac rescindere, & qualis עוץ terra fuerit, in qua vixisse Jobum sacra confirmatum est autoritate, בקצרה *paucissimis* inquirere, apud animos constituimus. Te vero rogamus, B. L. ut, sicubi لقمة الفلفل في انفك *Te in naso granum piperis pungat*, (λ) illud iterum Tibi eximendum beneyole nobis exhibeas. Interim כי אל אלוה דלפה עיני/ יורני את אשר אדבר/ אליך יי אקרא/ ואל יי אתחנן/ שמע יי/ וחנני יי/ היה עוזר לי/ למען יזמרך כבודי/ ולא ידום אלוהי לעולם אודך: *ad Te, ô Deus, stillat oculus meus, ut doceas me, quæ differenda sit mihi, ad Te, Jehova, clamabo, & ad Dominum orabo, audi Jehova, & miserere mei, Jehova esto adjutor mihi, propterea canet Tibi gloria mea, & non tacebit. Jehova, Deus mi, in seculo confitebor Tibi.* כי עמך מקור חיים באורך נראה אור: *Penes Te est fons vitæ, & in luce Tua fruimur luce.*

§. I. Terra igitur, in qua Jobus, ἄνθρωπος δίκαιος, ἀληθινός, ἄμεμπτος, θεοσεβὴς καὶ ἀπεχόμενος ἀπὸ παντὸς πονηροῦ πράγματος, quibus elogiis ipsum Chrysostomus, (μ) cum Scriptura loquens, decorare voluit, ætatem suam exegisse in sacro fertur codice, proprio nomine עוץ signatur, cujus quando Etymologiam perquirere incipimus, nec quicquam ab officio nostro alienum faciemus, ut ordine, quæ bonarum artium mater est, incessisse videamur, neque triste illud Arabum proverbium in nos ἀμεθόδους dictum experiamur: (ν) اذا مع حمقة يبلغ حاجة *utique ille cum insania sua perveniet ad negotium suum.* Derivatur autem עוץ à יעץ vel, ut alii malunt, ab עץ, quod idem significat ac *consuluit*, vel *consultavit*, quare Esa. 9: 6. יועצים *Consules & Consultatores* vocantur, & עצה *consilium* notat, atque מועצות *deliberationes*, Prov. 12: 20. דיעצין שלמא sunt, *qui pacem suadent*, radix enim Chaldaica יעץ retinet Hebræam significationem, & recensente Buxtorfio in Lexic. Rabb. Talmud. Rabbinis familiare est illud dictum: צריך האדם להתיעץ בתורה ובחכמים *opus habet homo consulere legem & sapientes.* עוץ itaque denotat hominem, consiliis, seu prudentia plenum, seu illustre cujusdam Reip. Oraculum, ad hanc radicem noster Lutherus,

—— ἀτρεκέως ἐὼν χρηστοῖο μαχητής

Θεῖος ἀνὴρ ᾧ πνεῦμα θεοτερπὲς ἵζανε θυμῷ,

quemadmodum Rhodomannus, alter Germaniæ nostræ Homerus, de ipso cecinit in politissima vitæ ejusdem descriptione, respexit, dicens: Utz idem esse ac Germ. Raht/ sive igitur hoc nomen ab עוץ s. יעץ deflectas, hoc perinde erit, cum utrumque eodem S. Scripturæ usu fundatur שאין הפרש כל אחד ביניהם *cum nulla in iis differentia intersit.* Ipse רשי in suo ad hunc locum commentario hanc Etymologiam stabilivit, quando aliorum citatis suffragiis hunc verborum nexum facit: ד"א/ בארץ עוץ/ בארץ שנוטלים ממנו עצות רעות על הק"ב"ה/ שנאמר/ מן הארץ ההיא יצא אשור (ξ) /ומה עצה נטלו/ שהיו אומרים/ לא כל הימנו ליטול את העליונים/ ויתן לנו התחתונים אלא בואו לארץ שנער/ (ο) ששם אלוהות הרבה/ (שנאמר בה מארץ פסילים היא) נעשה מגדל וראשו מגיע בשמים/ ונעשו לנו שם: ר"ל *Sunt, qui dicunt, in terram Utz, idem esse, ac in terram deliberantium s. captantium consilia mala contra Dominum Benedictum, secundum illud: è terra hac prodiit Assur, & quale consilium ceperunt? quod dicerent, non omnia ab ipso (Deo) dependent, quod sibi soli superiora reservaverit, & nobis dederit inferiora, ideo abeamus dehinc in terram Sinear, quoniam ibi multi sunt Dii, (dicitur enim eam terram esse idolorum) & faciamus ibi turrim, cujus apex contingat cœlum, & faciamus nobis nomen*; in ea itaque hic Rabbi est, cum hujus sententiæ patronis, opinione, Utz esse eam ipsam terram, quam impia hominum multitudo nefariis suis cœptis peragendis selegerat,

———— Ἐπεὶ σφίσιν ἵετο θυμὸς

Ὑψῶσαι τινὰ πύργον ἐς αἰθέρος ἄχρι κάρηνον,

ut supra laudatus mellitissimus Rhodomannus loquitur, verum hanc sententiam non præsenti, sed alio in loco, ad examen vocabimus, ne statim in Dissertationis vestibulum confusionem temere videamur introducere. Cum hac Etymologiæ ratione coincidit, quod laude dignissimus alias Jobi commentator, Rabbi Meir, de nonnullis suæ scholæ Doctoribus commemorat, quod Jobum inter eos referant, qui Pharaoni à consiliis intimis fuerint, ita ejus verba sonant: במדרש רבה אשר אמר/ איוב מיועצי פרעה היה/ והירא את דבר יהוה היה/ אשר הניס את עבדיו מקנהו מהשדה אל אבתים: In Middrasch Rabba docetur: *Jobus fuit è Consiliariis Pharaonis unus, & verbum Dei veritus est, hic ipse fuit, qui servos suos una cum jumentis suis ex agro domum revocavit*, sc. jam ingruente cœli tempestate & divinitus in pœnam Ægyptiorum immissa. (π) Has ipsas Judæorum argutias non nisi è vocum Etymologia promanasse ecquis non videt? Eadem, qua Rabbini, libertate statuere possemus, locum hunc à quodam adjuncto nomen traxisse suum, v. g. oleris specie, cujus larga ibi messis detur, siquidem ab hac radice deducitur Arabicum illud oleris genus يعضيض dictum, vulgo taraxeon, i. e. cichoreum sylvestre, alias chondrilla (ϱ). Radix Arabica est عاص *difficile intellectu fuit*, circa cujus indagationem, & quidem perspicatioris hominis consilio semper opus habemus, apud Syros est ܥܨܐ h. e. *compressus, coarctatus*, utut esse deprehenditur, qui circa rem arduam dubiis cogitationibus distractus hæret, & aliorum consilia expetit, quare & ܡܥܨܝܢܘܬܐ *curam, cogitationem & consilium* innuit. Illi vero palpum obtrudunt, ac nugæ theatrum aperiunt, qui עוץ ab עץ, *arbor*, derivandum esse è Num. 13: 20. evincere satagunt, ita in Baba Batra cap. 1. fol. 15.ª ineptientes: רב אמרי איוב בימי מרגלים היה/ כתיב הכא/ איש בארץ עוץ איוב שמו/ וכתיב התם/ היש בה עץ? מי דמי הכא? עוץ התם/ עץ הכי/ קמא להו משה לישראל/ ישנו לאותו אדם/ ששנותיו ארוכות כעץ/ ומגיע על דורו כעץ: ר"ל *Jobus fuit tempore Exploratorum,* (terræ Canaan) *hic enim scriptum est: Vir erat in terra Utz, Jobus est nomen ejus, & hic quoque scriptum est,* (explorate sedulo) *num arbor in ea sit?* (diceret aliquis) *quæ horum convenientia? hic legitur Utz,* עוץ, *istic vero* עץ, *ad hoc respondet Moses illis* (qui sunt è populo Israëlis) *sedulo percunctamini de istoc Viro, cujus annorum longitudo tanta est, quanta arboris,* (vel maxime annosæ) *& qui obtegit generationem suam non secus ac arbor.* Reime dich/ oder ich fresse dich. Omnino hic בעל מדרש suum nobis somnium narrat, credat Judæus Apella istas Talmudicas argutias, ne dicam insanias, priori potius Etymologiæ inhæremus, nam ubi rerum sacrarum testimonia adsunt, non opus est nugis Rabbinicis.

§. II. Cum vocabulum עוץ secundum computationem Masoreticam ter (σ) in Lege Dei, eadem sermonis seu nominis proprii forma, affectum, & alibi quoque alia, occurrat, atque non idem ubique objectum respiciat, ab aliqua liberandum venit æquivocatione, varia ejusdem significationum re-

cen-

(ι) *Conf. Synagog. Judaicam Buxtorf. cap. 1. p. 60.* (κ) *Simplex vocatur Veritas, quia omnes negligit orationis fucos conf. Adagia Erasm. Roterodami sub tit. Libertas p. m. 387,* (λ) *Eundem sensum involvit, quem illud Gallorum: Une mouche t'a picqué. seu aliqua res Te offendit, phrasis proverbialis est, non γνώμη παροιμιώδης.* (μ) *Lib. 2. de patientia Jobi.* (ν) *Dicitur in eum, qui sine consilio ac methodo sua negotia tractat, diruit, ædificat, miscet quadrata rotundis, ut Horatius loquitur.* (ξ) *Gen. 10: 11.* (ο) *l. 1. cap. 11. vs. 2. & 4. Cum hac Rabbinica argutia pugnat melior B. Gesneri in aureo suo commentario proposita sententia, non abiisse sc. in terram hanc, quod ingens Deorum multitudo deprehenderetur, quam ut ex se ipsis suisque studiis & operibus idolum facerent, quod quisque in animo suo veneretur, & ab aliis quoque coli, suspici & celebrari vellet. Consilium enim, censente Demosthene, ipsam consultoris mentem declarat, licet omnium rerum exitus, ut Deus voluerit, consequatur.*

(π) *Exod. c. 9. vs. 20.* (ϱ) *Chondrilla, teste Jonstonio in Polymathia Philologica libr. 1. c. 32. §. 135. lactucæ genus, quod grumos mastichi similes, fabæ magnitudine, in ramulis imis gerat, Plinio dicitur χονδρίλη, Gall. lettron, Ital. Chondrilla, Hispan. Leitugas, Adrianus Junius in Lexico Philologico pag. 132. scribit: Chondrilla est species sylvestris endiviæ, assimilis ambubejæ.* (σ) בי בתרי *ter in lege Dei occurrere annotarunt Masoretæ, tanquam proprium Viri Nomen.*

censione instituta, sic (1) Genes. 10: 23. legenti sese statim offert locus, in quo nomen Viri designat, qui inter filios Aram refertur, & Damascum, (τ) urbem totius Syriæ nobilissimam, condidisse putatur, à quo ipso Utzeo, ex mente Dn. D. Schmidii, (υ) procul dubio hæc terra, in qua Jobus ætatem egit, nomen olim accepit, id quod infra pluribus ostendere annitemur. (2) Genes. 22: 21. idem vocabulum, cui lubido est inquirere, deprehendet, tanquam nomen primigeniti Nachoris proprium, cui hoc inditum esse putamus in memoriam ejus, qui ante ipsum hanc terram possederat, & de suo dixerat nomine, siquidem Nachorem hunc quoque terræ tractum coluisse, quem Arami filius Utz à patre obtinuerat, nulla indigere probatione existimamus. (3) Genes. 36: 28. ab eodem spiritu prophetico idem nomen repetitur, filio Disan, Nepoti Seir s. Esavi impositum, postquam nunc in usu esse cœperat. Primum 1 Par. 1:17. repetitum invenitur, id quod è scena Philologiæ Sacræ, gaudentis celeberrima Scripturæ lectione, notissimum est. Sed quando Thren. 4: 21. hæc verba leguntur, jam supra adducta: (φ) שישי ושמחי בת אדום יושבת בארץ עוץ *plaude ac lætare filia Edomi, habitans in terra Utzi*, quemadmodum etiam in illo inciso, (χ) quod Dissertationi materiam suppeditavit, nomen עוץ nomen regionis determinare, in ore & oculis omnium est positum: Ast qui, referente Raschi, hoc quoque in loco illud pro ipsius Jobi nomine venditare audent, λαλεῖν περὶ ἔχοντα τ' ἐπιστήμην καὶ εἰς κενὸν τρέχουσιν, ita enim Raschi rem omnem recenset: ר"א עוץ זה איוב/ בוז זה אליהו/ בן ברכאל הבוזי/ והרי הוא שאמר איוב/ ובוז משפחות יחיתני/ זה הוא ממשפחתי שמחתה דברי/ דאמרי אינשי מיניה וביה אבא לידליביה נרגא: ר"ל *Sunt, qui dicunt, Utzeum esse ipsum Jobum, & Bus* (ψ) *Elihu filium* (ω) *Barachielis Buschitæ, quod Job* (cap. 31. vers. 34.) *dicat, ecce Bus despectio familiarum humiliavit me, nempe qui è familia est, in malam partem verba mea interpretatur, & hoc est, quod homines proverbio dicunt: Ex ipsa est, & in ipsam sylvam redit securis* (a). Arbitror in eo hæsitare erroris luto Judæorum Magistros, ac si Jobus esset ipse Nachoris filius natu maximus, & Bus ipsius frater, è Milca progeniti, Genes. 22: 23. hæc errandi consuetudo in Rabbinis prope immedicabilis facta est, & in habitum transiit, quod Scripturam in quemcunque sensum contorqueant, ô dementem hominum cœcitatem! sed nolumus hisce ineptiis emendandis inhærere: nam à un cieco mal puo mostrar s'il camino, ut Itali proverbio loquuntur.

§. III. Synonymorum ingentem texere catalogum possumus, si in illorum numero isthæc omnia habere velimus, quibus interpretes terram Utz describunt, quemadmodum è subsequentibus incisis Benevolo Lectori clarius innotescet. Cum vero ipsius rei necessitas satis superque arguat, pleraque hæc nomina, singula singulis terris propria, כנודע *sicuti notum*, in unum subjectum cadere non posse, isthæc divisionis opera nobis exinde enascetur, qua vera & subjecto convenientia à falsis & inconvenientibus secernamus, & quorum in conciliatione omnis ludatur opera, ad quod distinguendi negotium in subsequentibus curam & cogitationem nostram accommodabimus, juvat in præsens solummodo eorum aliqua, sive vera, sive falsa sint, per saturam lancem recensendo commemorare, quæ ex amplissima interpretum sylva in hasce domus nostræ angustias, tanquam curtam Dissertationis suppellectilem, congerere licuit. Hic igitur brevissimus illorum indiculus est: *Armenia*, inque ea, si Diis placet, *Constantinopolis*, *Assyria*, *Syria*, *Ægyptus*, *Edom*, *Arabia*, & in specie *Saba*, *Idumæa*, *Mesopotamia*, *Canaan*, aliaque, circa quorum distinctionem, aut conciliationem, omnis nostra occupatio agitabitur. His ea insuper adjungimus, quæ in receptissimis S. Scripturæ versionibus dantur. Septuaginta-Viralis vocat eam αὐσὶς, (b) Chaldaica & Syriaca per omnia cum textu originali hac in parte consentiunt, utraque enim nomen Utz retinet, sic illa ita authenticam reddidit: גבר הוה בארעא דעוץ איוב שמיה hæc vero Syriaca verborum tenore amice cum eadem conspirat: ܓܒܪܐ ܚܕ ܐܝܬ ܗܘܐ ܒܐܪܥܐ ܕܥܘܨ ܐܝܘܒ ܫܡܗ à quibus parum abit Arabica, in omnibus plerumque elegantissima: كان رجلا واحدا بارض عوص اسمه ايوب *Fuit Vir aliquis in terra Usis, Nomen ejus Jobus.* Vocat ergo Usitidem, quod idem est ac Ausis. Doctissimus Bochartus in Geograph. S. part. I. cap. 8. pag. 90. pro more suo eruditissime conatur ostendere, Arabicum *Gaut*, *Gauta*, vel *Alganta* idem esse ac nostram terram Utz, quam sententiam B. L. expendendam relinquimus.

§. IV. Sed היום קצר והמלאכה מרובה: *dies brevis est, & operis sat plurimum*, dicente Rabbi Jehuda, festinandum igitur & nobis ipsis erit ad illius functionem negotii, quod in nos suscepimus, ad gloriam DEI simul referentes omnia, כי כל העוסקין עם צבור/ יהיו עוסקין לשם שמים: *nam quicunque occupati sunt negotiis, debent hoc ipsum facere propter Deum*, attestante Rabbi Gamaliele, Rabbi Jehudæ filio. Præsenti igitur animo nunc exordimur καδδύναμιν demonstrare, quam terram Utz fuisse nobis probabile videatur. Attamen ne novum & inauditum quid in medium proferre judicemur, è plurimis aliquam sententiam eligemus, quæ ad veritatem quam proxime accedat, diversas igitur Autorum opiniones ante enarrabimus, & quantum fieri poterit, conciliabimus, quam certam aliquam ac definitam, non nostram quidem, sed Viri maxime autoritate conspicui propriam, propugnemus, ad hoc faciendum modo laude à nobis insignitus Rabbi Gamaliel suo nos monito excitavit, dicens: עשה לך רב והסתלק מן הספק: *Fac Tibi Magistrum, & abstrahe Temetipsum a re dubia.* Lubet autem in præsens Viros Synagogæ Judaicæ præmittere, &, quæ illorum mens sit, cognoscere, ex illis primum sese offert Aben-Esra מכל זה משובח, (c) hic suo in commentario ad locum controversum ita suam, quam in pectore fovit, sententiam protulit stylo, ceu solet, brevi & conciso: מקום איוב סמוך לחרן מטעם וילך ארצה בני קדם: *Locus Jobi propinquus fuit Haran, sicuti scriptum extat, & abiit in terram filiorum Orientis*, (Jacobus sc. iratum fratrem fugiens, & è patria versus Orientem in Mesopotamiam tendens, ut in Nachoris familiam, è qua prognata erat Mater ipsius, sese committeret, Genes. 29: 1.) quantum ex ejus verbis divinare licet, hic Rabbi Jobum non Esavi, sed Nachoris, posteritati annectit, est autem Haran urbs Asiæ, & quidem in Aram Naharajim seu Mesopotamia, Latine Interamna dicta, quod inter Tigrim & Euphratem media sita sit, ab Abrahami Fratre & Loti Patre nomen accepisse fertur, quam autores sua historica cognitione Geographiæ scientiam maxime suffulcientes Carras esse existimant, in profanis Crassi & Imperatoris Caracallæ cladibus (d) nobile oppidum, licet aliis potius à fluvio Syriæ contermino ac cognomini nomen ducere putetur, qui in Euphratem sese exonerat. (e) Quantum è verbis citatis liquet adeo imprudens hic Rabbi non est, ut terram Utz pro certa in terra & speciali Mesopotamiæ provincia haberi voluerit, quoniam provinciam alia comprehensam ei non dicimus esse vicinam, quod si igitur hic Rabbi terram Utz intra Mesopotamiæ, seu, ut hodie vocatur, Halapiæ, limites constituisset, ה"נל *quod mihi videtur*, ejus absurditate non careret Oratio, externam potius esse novit, & Carris, in limitibus positis, idcirco proximam esse tradidit, nec non Euphrate à Mesopotamia sejunctam, tanquam specialem & minorem Syriæ provinciam, ab occasu australi Arabiam contingentem, non illam felicem, in qua

(τ) *In plenissimo suo ad hunc librum commentario cap. 1. vs. 1.* (υ) *Autore Dn. Bocharto in Geographia Sacra lib. 2. cap. 8.* (φ) *Ex interpretatione Raschi:* נתנבא ירמיהו על חרבן בית שני שיחרבוהו רומיי: *Vaticinatur Jeremias de Vastatione templi secundi, quod Romani destruxerunt.* (χ) *Job. 1. vs. 1.* (ψ) *Elihu, quartum Jobi amicum, fuisse ipsum Bileamum (de quo Num. 22: 5.) docet S. Hieronymus, confer Comm. vastissimum R. E. Jacobi Bolduci in Caput Jobi 32. vs. 2. §. 2.* (ω) *Barachiel. pater Bileami conf. l. c. fides sit penes autores.* (a) *Invenitur hoc proverbium in tract. Sanhedrin. c. 4. in fine, in eos usurpatum, qui suis, unde orti, damno & exitio sunt. Vid. Lexicon Buxtorf. Talmud. Rab. p. 3. Dicimus alias anguem in sinu fovere, alere luporum catulos, canem alere externum, tanquam acies nutricationis mercedem persolvit.*

(b) *Græco alias nomine vocatur* αὐσίτης, *quod vi Etymologias terram significaret, in qua iterum frumenti apparatus inveniretur, qui enim ex Ægypto per Arabiam desertam commeant, nusquam frumentorum vestigia vident, sed in hanc terram delati campos frugibus omnis generis cultissimos oculis iterum usurpare incipiunt.* (c) *Judæi hunc Aben Esram propter insignem in sacris literis, & præcipue in Philosophicis cognitionem vocarunt* החכם *sapientem, sicut nos Aristotelem vocamus Philosophum. Conf. Philol. Hebræo-Mixtum Dn. Leusdenii dissert. XVII. quæst. III. §. 5.* (d) *Vid. Lucan. lib. 1. Assyrias Latio maculavit sanguine Carras. Distinguenda est hæc civitas à Carrha, ut scriptione, ita & situ, quippe quæ est Civitas Arabiæ ad rubrum mare; teste Plinio lib. 6. cap. 28.* (e) *Doct. Dn. Bochartus in Geogr. S. lib. 2. cap. 14. ubi testatur, hodienum hanc urbem Arabes vocare* חראן *Charran.*

qua memorante *Xenophonte lib.* 1. *de Exped. Cyri* ἅπαντα ὁμαλὴ ὥσπερ ἀρώματα, verum desertam, cujus incolarum irruptionibus hæc terra perpetuo patebat, id quod adeo in proclivi Arabibus haut fuisset, si aditus ipsis præclusus fuisset profundissimo & rapidissimo flumine interjecto Euphrate, (f) qui Nili modo statis temporibus increscit, & Mesopotamiam inundat. Rabbi Aben Esræ subjungimus statim Rabbi Salomonis Jarchi sententiam, cujus maxima quoque inter Judæos est autoritas (g) Hic in suo ad Jobum commentario ita sentire deprehenditur:

איש היה בארץ עוץ/ בירוש/ בארץ ארם/ כמה דכתיב/ את עוץ בכורו מבני נחור: ר"ל

Vir fuit in terra Utz h. e. in terra Aram (s. Armeniæ) *sicuti scriptum est* (genuit) *& Utz, primogenitum ejus, de filiis Nachoris* Gen. 22: 21. Quæ verba si penitius introspiciamus, cuivis omnino obvium erit, huic quoque, in sapientissimorum numero apud Hebræos haut postremo Viro, eam insedisse mentem, ac si terra Utz nomen suum à primogenito Nachoris acceptum gestaverit, vel quod eam forsitan primus tanquam derelictam, legitima habitatione occupaverit, vel hæreditate acceperit, vel donatione parentis sibi attribuerit propriam, vel alio legitimo acquirendi modo appropriaverit, siquidem & illi sententiæ accedunt plures, huic terræ nomen inesse suum ab hoc Nachoris filio. Verum illud scite satis divinari nequit, an per Aram ipsam quoque Mesopotamiam, notissimam è Scripturis mansionem Nachoris, id quod ratio superius allegata existimare vetat, an aliam, ab hac non adeo procul dissitam, ipse intellectam velit, siquidem Aram, pervulgato historicorum stylo, nomen generale est, plures & distinctissimas provincias (h) designans, aliquando etiam cultissimum certæ regionis tractum indicans, sic nihil attinet multis nos de hoc dicere, siquidem omnes aliqua historiæ & Geographiæ scientia instructi confitebuntur, non Mesopotamiam solum, & quidem Naharajim Medamnam, sed alias quoque provincias hoc nomine Aram indigitari, quin imo fertilissima Mesopotamiæ regio פרן ארם *paddan aram* vocatur, ὅπε, dicente Xenophonte, lib. 6. de exped. Cyri, σῖτος πολὺς, καὶ πρόβατά ἐστι, καὶ φοίνικες οἱ καρποφόροι, de qua & Ciceronis verba lib. 3. de natura Deorum intelligenda erunt, quando ita differit: *Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis quasi novos agros invehit.* Datur & Aram Soba, quæ ab ortu Euphraten, & occasu Damascenos contingit, hanc excipit tertia, Aram Dammeseck, seu Syria Damascena, vel Hoba, inter Libanum & Antilibanum contenta, in qua Damascus in metropolis laude ac gloria ponitur. Præterea & Aram Bethrehob prope Epiphaniam ad aquilonem terræ Canaan vergens, & Aram Maacha, urbs Palæstinæ trans Jordanem condita, annotantur; quæstio igitur incidit, quam terram Raschi subintelligendam esse forte censeat? duas posteriores species huc non quadrare, facile animadvertimus, sunt enim non terrarum, sed urbium, nomina, neque ad Aram Naharaim descendendum esse, jam supra exposita ratio admonet, duæ ergo provinciæ Aram Soba & Damascena, relinquuntur, quarum prioris meridionalior pars à Cœlesyria distincta, cum Arabibus & Sabæis, à Sobæis probe discernendis, (i) vicinior fuerit, in eam quoque partem, procul dubio meliorem, verba Autoris interpretabimur, siquidem ist-hæc æquitas nobis religionem affert, ne quenquam erroris arguamus, nisi ipsemet præceps in nimium ape to; ac palpabiles quasi ruat. Rabbi Meir de Maimonide, qui & Rambam à Judæis dicitur, refert, in eam inductum fuisse sententiam, ac si nullus unquam vixerit, quod Rabbini in tot diversissima de terra Jobi sententiarum diverticula abeant, ita autem hujus rei recensionem peragit: לא על זה בלבד נפל המחליקת בין בעלי תלמוד/ כינם אם היה מבני ישראל או משאר אומות/ בפרק הנזכר תמ איהו/ עד שזה הבלבול הרב הנמצא נקיום מציאותו/ מלבד מה שלא נודע באמת מקומו איוב/ הכריח לרב המורה לקיים הפכו/ כמבואר ממנו בפרק כ"ב מהחלק ה'ג מספרו: ר"ל

Neque de hoc (l) *solum contentio inter Thalm distas orta est, verum etiam super hujus rei veritate evolvenda omnis ipsorum effunditur industria quam gentem sua nativitate celebraverit, Israëliticam, an extraneam, quemadmodum in loco citato aperitur, adeo ut in hac Rabbinorum confusione constitutus de origine sc. Jobi, cum nequicquam certi de loco & habitatione Jobi constet, Rabbi Maimonides ad dubii sui stabiliendi necessitatem* (sc. quod aliquis unquam fuerit Jobus) *adactus sit, sicuti hoc manifestum est è cap. 22. part. 3. libri ejusdem.* Quare hic Rabbi Meir pectore quasi anxius, & curis quotidianis exercitus (m) postquam omnes animi sui nervos viresque intendit, ut veram Jobi originem eruat, eo denique sua inclinat decisione, Jobum è numero gentilium fuisse, dicendo: הא למרנו/ שהיה מאומות העולם *sic ergo discimus, quod è gentilibus fuerit*; denique in ea erumpit verba:

יותר מפוסק אצלי ארצו/ ומולדתיו/ כי לא נמצא חלק מפורסם בארץ זה שמו, אף כ/ אמר הכתובי/ ואת מלכי העוץ/ אם לא שירמז לארץ/ גרשם עוץ בן דישן עוץ וארם/ או לעוץ בכור נחור/ אשר ילדה לו מלכה שנאמר/ ילדה גם הוא בנים לנחור/ אחיך/ את עוץ בכורו/ וכמו שאמרת נחומה פרשת אחר הדברים האלא, אברהם נתירא הייסורין/ אמרליה הק"בה/ אין אתה צריך/ כבר נולד/ מי שיקבלם/ שנאמר/ את עוץ בכורו/ ובמדבר רבה/ ועוץ היה איוב/ שנאמר/ איש היה בארץ עוץ איוב שמו/ ושמא ארצו זאת היתה ארם נהרים/ עיר נחור אבי ארוני: ר"ל

Majorem mihi dubitandi rationem afferunt, patria ac *genus ipsius, quoniam hujus nominis nusquam in terra celebris aliquis locus reperitur, nisi quod scriptura dicat & Reges Utz,* (n) *non novimus enim, quales Reges intelligat, nisi ad illam terram nos animos intentos habere velit, in qua peregrinatus est Utz, filius Dison, de filiis Seir, sicuti scriptum extat: hi ipsi sunt filii Dison,* Utz sc. *& Aram* (o) *aut eum respicit Utzum primogenitum Nachoris,* (p) *quem Milca eidem peperit, sicuti dicitur, peperit etiam ipsa filios Nachori fratri Tuo, Utzum primogenitum ejus, & quemadmodum Tanchuma dicit in sectione* אחר הדברים אלא (q) *Abraham valde veritus est castigationes, verum dixit ei Deus Benedictus: non istoc metu opus est, jam enim natus, qui eas ipsas suscipiet, sicuti dictum est, & Utzum primogenitum ejus, &* במדבר רבה *h. e. in commentario ad libr. IV. Mos. sive librum Num. invenimus, Utz fuit Jobus, sicut dicitur, Vir fuit in terra Utz, Jobus est nomen ejus, & hæc terra ejus fuit Mesopotamia, urbs vero ea ipsa, in qua habitavit Nachor frater Abrahami Domini nostri.* Præterquam quod hic Rabbi in eam effundatur licentiam, & expressis verbis asserat, Utzum ipsum fuisse Jobum, & terram ab ipso nominatam esse, communi calculo approbet, & Mesopotamiam quoque eam esse non veretur propugnare, sed quam lubrico hæc opinio fundamento nitatur, quilibet oculis & ratione recte utens videt, quemadmodum in nostræ sententiæ vindicatione inferius in medium adducenda, argumentis & rationibus refellemus. Pluribus, non melioris tamen farinæ, sententiis adducendis sese occupat modo citatus Rabbi, boni, quod putat, interpretis officio satisfacturus, ita enim pergit: גם כן מצינו מדרש ז"ל/ ראה/ כמה כבש הב"ה פורענותו של איוב משבא

(f) *Euphrates adstipulante Strabone ex Niphate monte Armeniæ nascitur magnus, profundus & celerrimus est, & Ambrosio consentiente* ἀπὸ τοῦ εὐφραίνειν *dicitur, h. e. à lætificando, quod circumjacentem agrum restagnationibus suis adeo lætum fœcundumque reddat, ut sequente anno sponte restibilis fiat seges, impressis tantum vestigio seminibus. Plin. lib.* 18. *c.* 15. *&* 16. (g) *Ideo tanta R. Schelemonis Jarchi apud Judæos est autoritas tum quia in totum fere Talmud commentatus est, tum etiam propter eximiam sanctitatem & scientiam, qua futuros eventus certe prædixisse fertur, adeo ut eum pro semi-Propheta habuerint. Vid. Leusd. l. c.* (h) *Docet hoc sæpius citatus Doct. Bochartus in Geograph. S. lib.* 2. *cap.* 6. *pag.* 89. (i) *illi enim Syri sunt natione, hi autem Arabibus annumerantur, quæ confusio gentium in Historicorum monumentis frequentissimos errores parit.* (k) *Alius, qui in* 613. *è Lege Dei observanda præcepta Judæorum XIV. Tractatus scripsit, & insuper duos prologos, unum in suos XIV. Tractatus, alterum in totum Talmud, utrumque Latine vertit Conradus Pellicanus; alius R. Mose Maimon. qui scripsit glossam in Talmud Hierosolymitanum, excusam Venetiis, st. in quosdam libros Talmud Babylonici. Eisdem quoque liber epistolarum clarorum virorum ad ipsum, & responsionum ejusdem excusus est Venetiis.*

(l) *Sc. An ullus unquam vitam ac spiritum duxerit, simplici isthac, fucique experte Pietate inclytus Jobus, qui per tot annorum decursiones in Schol patientiæ desudaverit, ac virtutis suæ specimina in istac de ipso historia descripta reliquerit.* (m) *Dicit enim:* אני בעניי הומה לי לבי כי זה האיש היה ונברא כמאמר הכתוב איש היה: (n) *Jer.* 25: 20. *Arbitrantur Junius & Tremellius in notis: intelligere prophetam populum quendam miscellaneum è diversis & variis gentibus conflatum habitantem in desertis finitimis Jerusalem, cui sententiæ adstipulatur Abarbanel ad hunc locum ita commentatoris officium executurus:* הוא עם מקובץ מגוים מעורבים. (o) *Gen.* 36: 28. (p) *Gen.* 22: 21. (q) i. e. *quæ ab his verbis suæ narrationis filum exorditur, plerumque enim Scriptores Hebræi librum denominant à prima ejus maxime emphatica voce. Vid. nostrum conjunctissimum Dn. Leusdenium in Phil. Hebr. dissert.* 2. *quæst.* 19.

משבא לכפר קרינוס ג'שני' / ומיד שחטאו / ותפול שבא ותקחם / נראה / שכפר קרינוס בארץ עוץ הוא: והנה מצינו בפרק קמא דמגלה דאמר ליה מרדכי להמן רשע / ולאו ספר דכפר קרינוס היית? הא וראי עילם ועיץ / וכפר קרינוס סמיכי להדדי / ואינם רחוקים מעבר הנהר כאמור:
Sic invenimus mysticam quoque Rabbinorum interpretationem: *Ecce, quanto Deus T. O. M. opere pœnam Jobi acceleraverit è Sabæa usque ad pagum Cerinum per plura quam trecenta milliaria, & quamprimum peccaverant, irruit in ipsos Seba, (r) & cepit eosdem, videtur, quod pagus Cerinus in ipsa terra Utz fuerit: quemadmodum invenimus in cap. 1. Megilla, quod Mardochai impio Hammanni dicat: Tu ne tonsor (s) hic aliquis ades è pago Cerino? & sunt quidem Elam, Utz, & pagus Cerinus loca vicina, neque longe ab adversa parte fluminis (t) sejuncta, sicuti dictum est.* Hic omnino aliqua Sybilla opus est, quæ hanc nobis benevolentiam præstet, &, quanam terræ parte hunc pagum contineri Rabbini existiment, nobis planum faciat, si nostro hic uti liceat judicio, arbitramur, nomen regionis ac pagi in isthoc Talmudico commento confundi, καιρῶν s. Gæron, regio est amomi feracissima in Armenia, & quidem majori, ubi, narrante Josepho Antiq. lib. 20. c. 2. arcæ illius reliquiæ sunt, in qua Noë diluvium evasisse fertur, hodieque ostenduntur videre volentibus, non procul abinde Mediam inter & Mesopotamiam interjacet terra Elam, (u) quare divinare haut difficile erit, ad quemnam terræ tractum regionem Utz hi Rabbini, herculeo sidere nati Geographi, alligaverint. Tandem non tam ingeniosus, (x) quam industrius satis, inquirendo suam quoque suffigit opinionem, nec à consuetis Rabbinorum hallucinationibus alienam, & è varii gradus conjecturis provenientem, quæ hac verborum summa comprehenditur:
אמנם עמד ככותל לפני מאמרם ז"ל / בסר צלם מעליהם זה איוב / כי יורה / שבארץ כנען היה / גם תרגום / שישי ושמחי בת אדום יושבת בארץ עוץ / חדי ובדיחי קסטנטינא / קרתא דאדום רשיעא דמתבנוא בארעא ארמניא / כי זה לא על ארם נהרים נאמר / אם לא שנאמר / שזה עוץ קרה לו / מה שקרה לצפו / בן אליפז / בן עשו / בברחו מבית אסורים מיד יוסף אחר פטירתו / והלך / ומלך על כתים / ברומא בגויי / ועל כל ארץ איטלייא / זכרו הרב רב'נו משה בן נחמן / זכרונו לברכה / סוף פרשה ויחי / וכן זה הלך מארם נהרם / מארץ מולדתו / ונלחם בגוים / ומלך בקוסטנטינא / עיר ממלכתם / ובארץ ההיא קרה לו / לאיוב / מהשקרה / כאשר נתפרסם גם היום במלכות הזה / מלכות תורגמא / כר בעיר קוסטנטינא שמא קובר איוב הצדק / וכבור גדול / עשו לו נרות דולקות / ובירת אחסיא לכל עובר אורח / ומצבה על קבורתו / היא מצבת איוב עד היום / ואם קבלה היא / נקבל: ר"ל
Verum muri ad instar ahenei his Rabbinorum B. M. effatis subsidium præstat illud, quod dicitur, cum recesserit umbra eorum ab ipsis, (y) Umbram hanc esse Jobum, siquidem traditur, quod in terra Canaan fuerit, quod confirmatur, quando illud Jeremiæ: (z) Gaude & lætare filia Edomi, habitans in terra Utz, ita à Chaldæo interprete redditur, gaude & exulta Constantinopolis, Urbs Edomi impia, exstructa in terra Armeniæ, siquidem hoc non de Mesopotamia dicitur, nisi velimus dicere, idem huic Utzo contigisse, quod olim Zephoni, (α) filio Eliphæ, filio Esavi, cum fuga dilaberetur è domo captivitatis, sub potestate alias Josephi constitutus, post mortem ejus, & abiit, & Scythis dominatus est, Romæ inter Gentes, & super totam Italiam imperium obtinuit, cujus meminit Rabbi è Rabbinis nostris Moses, filius Nachmani, B. M. sub finem sectionis, & vixit, (β) & sic hic quoque è Mesopotamia abiit, è terra nativitatis suæ, & pugnavit contra gentes, & imperavit Constantinopoli, in metropoli hujus regni, sicuti per totam hujus regni amplitudinem hujus rei fama celebratissima est, in hac terra accidit ipsi Jobo, quod ei alias accidisse notum est, sicuti hoc omnes adhuc hodie profitentur in hoc regno, regno sc. Turcico, quandoquidem in isthac urbe Constantinopolitana sepultus est Jobus justus, & valde honoratus, suspenderunt ei lampades ardentes, & liberum aperiunt hospitium omnibus istic transeuntibus, & statuam in sepulchro erexerunt, quæ ipsa statua Jobi hodienum ibi visitur, sique traditio est tota hæc historia, approbamus eandem & approbando suscipimus. (γ) Tria inter alia, quod vulgo dicitur κακὰ τρία, hic nobis notatu digna obveniunt, & quidem virgula censoria perstringenda, (1) quod Utzum ipsum esse Jobum, una cum aliis deliret; (2) quod inter terram ejus nativitatis & habitationis distinctionem inveniat, & illam quidem Mesopotamiam esse, hanc autem Armeniam, inque ea Constantinopolin tradat, in qua omnes fortunæ suæ vicissitudines expertus sit; (3) quod dando Ararim Parthis & Germaniæ Tigrim, ἢ πῦρ ὕδατι μιγνῦναι audendo, Constantinopolim Armeniæ attribuat, quam Thracia ab initio statim sibi vendicavit propriam, neque ullum in historiis vestigium extat, quo, tanquam explorata ratione confirmare quis possit, Thraciam ad Armeniam ullo unquam tempore relatam esse, rectissime igitur in pervolutandis Hebræorum scriptis versatissimus Mercerus (δ) hic Judæorum, ignorantiam notat in Geographicis. Accidit plerumque Judæis idem, quod lutulentis Pontificiis, in quibus sæpissime solidæ Philologiæ & Criticæ S. ignorantia, mira sententiarum ac traditionum portenta nobis prodidit, ut ὡς ἐν ἄλλῳ κόσμῳ papicolas vivere existimemus, præsertim si Sanctorum, quem possident, & Legendarum Catalogum, introspiciamus, in quo non pauci ab illis annotati Sancti reperiuntur, & miris celebrantur laudibus, quos nemo vel pictos unquam vidit; ita Judæi in Geographiæ theatrum exspatiantes, atque ibi incedentes in tenebris, miras sæpius turbas dant, jam album nigrum, jam nigrum album esse dictitantes, cum alias mendaces oporteat esse memores. Jam Jobum ipsis Israëlitis associant, jam infideli gentilium gregi adjungunt, mox in magnum & apud Turcas in summa veneratione positum Sanctum erigunt, mox hoc ipsum asserere, iisdem iterum religio est, modo Abrahamo quoque præferunt, modo huic eundem rursus postponunt, cujus testimonium extat in Baba Batra cap. 1. fol. 15. col. 2. א ר יוחנן / גדול הנאמר באיוב / יותר ממה / שנאמר באברהם דאלו באברהם כתיב / כי עתה ידעתי / כי ירא אלהים אתה / ובאיוב כתיב / איש תם וישר / ירא אלהים / וסר מרע: ר"ל
Dixit Rabbi Jochanan, vox גדול *magnus, quæ de Jobo prædicatur, majorem ei laudem infert, quam quæ de Abrahamo usurpatur, siquidem de Abrahamo scriptum extat, jam demum agnosco, quod Deum timeas, verum de Jobo scriptum legitur, quod vir perfectus fuerit, justus & Deum timens, quique à malo semper deflexerit.* Sic tamen Jobum Muhametistarum reliquiis non verentur annumerare, sed, docente Dn. D. Schmidio in aureo suo in hunc librum commentario, de alio quodam Jobo Turcarum traditio intelligenda est, quam Juchaf. f. 9. approbat, interim Rabbini invenientes quod pueri in faba, illud lepidissima quadam fabula illustrant, ut omnia è tripode dicta existumes. Sed largiamur hoc istis fabularum patronis, aliam esse terram, in qua Jobus primum auras vitales conspexerit, aliam, in qua reliquum ætatis suæ spatium exegerit, nullo tamen evincitur medio, quanto

(r) *Quantum è distantia, quam posuit, æquo tamen longiori, conjicere possumus, Arabes Arabiæ Felicis, in qua urbs Saba hodienum visitur, pro Jobi fortunæ eversoribus habet.* (s) *Tradunt Rabbini, Hamanum, antequam ad supremos dignitatis gradus ab Ahasvero evectus esset, tonsoris in aula officio functum esse & variis blandimentis Regis occupasse gratiam, cæterum quod rusticorum caulis ejus natales, adscribant, & Capernaitam, i. e.* einen groben Bauer-Lümmel *esse velint, à plus quam superstitioso in ipsum odio proficiscitur. Vid. Synag. Buxt. cap. 24.* (t) *Per flumen Euphratem, citra dubitandi rationem, denotant, illo enim Armenia major, cujus custodiæ arcæ Noachicæ reliquias committunt à minori dividitur, κατ' ἐξοχὴν* נהר *vocant, Ptolomæus βασιλεῖον ποταμὸν, & Polybius lib. 5. τὴν βασιλικὴν διώρυχα nominant.* (u) *In rebus enim majoris momenti perquirendis plerumque Rabbinorum traditiones ambabus manibus arripit, tamque publici saporis bellaria, neque de eo adeo sollicitus est, quam longe Mysorum ac Phrygum termini discreti sint.* (x) *Num. cap. 14: 9. quam crassa & pingui Minerva hoc Sacræ Scripturæ dictum in absurditatis suæ præsidium convertant, ἐκ γλώματος γινώσκουσιν ἅπαντες.* (y) *Jer. 14: 21.* (z) *Conf. Joseph. de bello Judaico, lib. 1. cap. 2.* (α) *H. e. in Commentario, quem in sectionem* יב *s. duodecimum pentateuchi, inchoantem Genes. 47: 28. conscripsit, Codicem enim Legis in LIV. sectiones distingui norunt, qui vel primis labris Philologiam S. attigerunt, vid. Leusd. in Phil. Hebr. Diss. IV.*

(β) *Verum Jobum ibidem sepultum non esse illum Jobum, cujus liber inter Canonicos recensetur, sed Ducem belli Saracenorum, refert Dn. Leusden. loc. cit. diss. 8. quæst. 1. num 3.* (γ) *Rudolph. Diepholdi Manuduct. ad novam Geograph. l. 2. cap. 44. & antiquos Thraces Xenoph. hist. Græc. lib. 5. vocat omnesque ipsorum vicinos, ἀβασιλεύτους.* (δ) *In suo ad lib. Job. commentario, in quo, attestante Petro Cevalerio, in Præfatione, versionibus quinque priorum prophet. & quidem minorum adjuncta, quod nihil eorum prætermiserit, quæ ex Hebraicæ, Chaldaicæque linguæ, Poetices, Dialectices, Rhetorices, Astronomiæ, ac Physices cognitione peti debebant, insuper circa functionem professionis suæ in tradenda Hebræa lingua, summa cum laude, munere suo functum esse, testatur.*

quanto etiam animorum certamine rem agant Rabbini, Constantinopolin esse hunc locum, in qua Jobus vitæ suæ fabulam peregerit, vel quod, postquam patriæ suæ excesserit possessione, regium ibi diadema obtinuerit; si vel maxime Edom aliquando terram Armeniæ, & alia quæcunque gentilium latibula denotet. Sique Jobus habitavit in terra Canaan, (quam sententiam Jacobus Bolduccius in Comm. è Chronologia refutat) neque ullo in loco S. Scriptura hujus vocabuli meminit, ut Armeniæ designationem inferret, הוא אמת עצמו, sequitur, quod neque עוץ Armeniam, designet; Porro quando Jobus tempore vel Abrahami, (ζ) vel Jacobi, vel alio, non adeo remoto ab ipsorum ætatibus, tempore Constantinopoli vixit, הוא מה שיוכיח, quod Constantinopolis, tum temporis, nondum condita eidem hospitium præbere nequiverit, quippe quæ demum tempore Esræ anno mundi 3556. condita est, cum antea pagus, nomine Lygos, fuerit, & demum à Byce, sive Byse, Duce Mægarensium, (à quo Byzantium olim nuncupata est) ad urbem erigeretur, & à Pausania denique magis magisque amplificaretur, testantibus Eustathio & Plin. lib. 4. cap. 11. quare hujus urbis exstructio vel inhabitatio regia, Jobo appropriari nequit, si vel maxime inter adscendentes una cum Esra è Babylonia numeraretur, quod aliqui pro indubitato habent. Satis superque nunc intelligimus, quales plerumque Rabbini in rebus obscuris, & alto scripturæ silentio tectis, enucleandis κρουνοχυτρολήραις agant, quadrat nonnunquam in Rabbinos illud Theocriti, quo Anaximenem reprehendit: λέξεων μὲν ποταμὸς, νοῦ δὲ σταλαγμός. Attamen idcirco durus nimium est in ipsas Petrus Galatinus lib. 9. cap. 11. de arcanis catholicæ veritatis inquiens: *Judæi in divinis scripturis minoris sunt intelligentiæ, quam asini.*

§. V. Inter Christianos, ad quorum sententias breviter recensendas nunc convertimur, Salmeron, argutus alias Jesuita, prolog. 10. Can. 25. tom. 1. Damascum Cœlesyriæ urbem amplissimam, in cujus agro primos ferunt creatos parentes, & Abelum occisum, tanquam perpetuum domicilium dare voluit, verum nullam pro hac sententia rationem adducit, בלא ספק eum ad hoc effatum permotum fuisse, quod Damascus ab Utzo, Arami filio, vulgo condita credatur, quare terram Utz, existumat, Cœlesyriam esse, in qua Jobum lares suos habuisse, & dulcia incunabula vitæ, sacra profiteatur pagina. Verum enim vero cum ab obscuris admodum principiis hæc omnia repetantur, & quod præcipuum est, sanctissimæ Bibliorum veritati contradicant, quæ Jobo non Cœlesyriam, sed terram Utz, monte Hermone à Cœlesyria separatam, donaverit, eam opinionem calculo nostro approbare non possumus, repugnat, duo esse unum, licet una cum hac, aliisque pluribus particularibus provinciis ad Armeniam à mari Caspio usque ad magnum montem Cocos, regnum Persarum, Mediæ, & Turquiæ, hodienum extensam, & in majorem & minorem Euphrate divisam, (η) referatur, & olim relatam esse, certi simus, quæ latissima Armeniæ interpretatio procul dubio multorum erroribus occasionem præbuit, siquidem teste Haythone cap. 9. in Historia Orientali, *in plures gentes dividitur, diversis nominibus secundum terras & regiones, in quibus degunt.* Magister Historiæ Eccles. in Genes. c. 38. Rupert. lib. 6. in Genes. c. 34. Rabanus lib. 3. c. 25. Isidorus de vita & morte Sanctorum, cap. 23. Philipp. Presbyter init. lib. Jobi. Venerabilis Beda in lib. Job. Lyranus in Glossa, Adrichomius in theatro terræ Sanctæ, in descript. Manass. n. 95. Arboreus lib. 19. Theosoph. c. 12. Genebrardus in Chronic. Anno Mundi 2239. Bellarminus lib. de script. Eccles. Gesnerus in c. 22. Genes. p. 12. D. Himmelius in memoriali Bibl. stirpem Jobi è Nachoris sanguinibus derivantes in quorundam Rabbinorum sententiam abeunt, & Mesopotamiam Jobo addicunt propriam, nulla alia inducti ratione, quam quod Aramæus fuerit, quasi Armenia intra Mesopotamiæ limites tota contineretur, verum cum terra Utz à Mesopotamia distincta reperiatur, huic interpretationi palmam dare non possumus. Celebratior est Aristæi, antiquissimi autoris, qui Chronicon Judaicum collegit, [qualia & Rabbi Abraham (θ) & Rabbi Josua, Levitæ, dederunt] sententia, qua, memorante Eusebio Lib. de Præp. Euangel. Idumæam, tanquam terram Utz, statuminat, & in optato loco suam arbitratur versari opinionem, quando Thren. Jer. 4: 21. terra Utz expressis verbis Edomitis seu Idumæis adsignetur; verum hæc sententia nullam refutationis difficultatem nobis injicit, quandoquidem sine molestia scire possumus, terram Edomiticam plures quoque provincias ambitu suo complexum esse, & ipsam quoque ad Armeniam pertinuisse, in præsens nequaquam inter nos quæstio vertitur, de terra Jobi generali, sed speciali potius, qualem terram Utz fuisse, luce meridiana clarius est, idque pernegamus, totam Armeniam, aut totam Idumæam nomine terræ Utz comprehendi, verum specialissimam quandam in Armenia, mediante Idumæa, provinciam constituere infra defendemus. Cum Aristæo faciunt lux illa Ægypti, Athanasius, in Synopsi, Eusebius, Scriptor gravissimus, lib. 1. ὑποδείξεως c. 5. Aurelius Augustinus, Episcopus Hipponensis, strenuus Christianæ Religionis propugnator, & alter Ecclesiæ Paulus lib. 18. de C. D. c. 47. Theodoretus, felicissimus Chrysostomi sectator, & ipse Chrysostomus, Atticæ Eloquentiæ gratiam redolens Orator, quæst. 92. in Genes. Gregorius, Vir in dicendo summus init. Comm. in Job. Ambrosius Ecclesiæ murus & turris validissima, in Psalm. 36: 27. & Comm. in Epist. ad Rom. c. 9. quibus annumerandi sunt Perionius lib. 1. de Vitis Proph. Volateranus lib. 1. suæ Anthropologiæ, Sixtus Senensis in Bibl. S. Noster Gerhardus, de orthodoxa religione meritissimus Theologus, tam in Exeges. L. L. quam in Disp. Isagog. it. B. D. Waltherus, profundæ scientiæ Theologus ac Philologus in Offic. Bibl. D. Fridlibius in Theol. Exeg. Nec prætermittendus eruditissimus Hieronymus, & magnus noster & invictus Heros, Lutherus, (ι) & alter Lutherus, elegantissimus Chemnitius, in cit. Dissert. hi, aliique plures, ad unum omnes de hoc consentiunt, Jobum, oculum istum cœcorum, pedem claudicantium, tutorem pupillorum, patrem pauperum, Idumæum fuisse, de quo nullam hisce pientissimis Viris contentionem movebimus, siquidem intelligere haut difficile est, vocabulum Idumææ in sensu latiori accepisse, ut terram Utz simul includeret. Ceterum, num è posteris Nachoris aut Esavi, vel alterius cujusdam, Jobus prognatus sit, de eo quoque cum nemine in præsens controvertemus, quoniam cum hac causa aliam adhuc decidendam esse perspicimus, quæ non absque multa prolixitate dijudicari posset, num scilicet istorum sententia aliquam veritatis speciem præ se ferat, qui Jobabum ipsum esse Jobum acerrime propugnant, (κ) Rabbi Aben-Esra ita pronunciavit de eo, cui isthæc arrideat opinio: האומר / שהוא יובב בן זרח מבזרה שמא בחלום ראה זה / כי אין לו על מה ישען / לא על דברי הנביאים / ולא על מה שהעתיקו חכמינו ז"ל: *Dicens ipsum* (Jobum) *esse Jobabum, filium Serachi, è civitate Bosrah, in somnio idipsum vidisse arbitror, quandoquidem nullo Prophetarum Oraculo fundatur, neque eo, quod Sapientes B. M. commentando s. meditando invenerunt.* E quibus verbis perspicuum satis est, Rabbinorum plerosque apertum iis bellum indicere, qui ita existument, tanquam à janua, & tota errantibus via. Sed ut è diverticulo in viam redeamus, & reliqua brevem in summam colligentes, nostrum orationis cursum persequamur, omnes, qui commentatoris alicujus symbolam circa hanc regionem perquirendam conferre voluerint, in has diversas sententiarum partes traduci, confirmamus,

Zzz

(ζ) *Quidam arbitrantur* (1) *ipsum temporibus Patriarcharum vixisse,* (2) *nonnulli temporibus Mosis,* (3) *alii temporibus Regis Davidis,* (4) *Judæi cum Muhammedanis Jobum ad Esavum referunt, & immediate posteris Esavi subjiciunt,* (5) *Alii Esavum Jobi abavum fuisse, vel ex Nachore, Abrahami fratre natum esse ajunt,* (6) *nonnulli statuunt, Jobum tempore ingressus Israelitarum in Ægyptum esse natum, & tempore egressus eorundem demum esse denatum. Conf. Dn. D. Leusd. l. cit.* (η) *Vid. Cluv. Introd. Geogr. l. 4. c. XVI. secundum Stephanum ab Armeno quodam Rhodio dicta putatur, alia v. Dn. Bocharto mens est, Vid. ejus Geogr. sæpius laudata, l. 1. c. 3.*

(θ) *Chronicon R. Abrahami Levitæ, filii David, liber seculi inscriptus, Hebraice extat, & continet traditiones memorabilium de Regibus Romanis & de Regibus secundæ Domus, impressum est Venetiis. Rab. Josuæ Levitæ Chronicon appellatur cursus seculi, cui jungi expedit ejusdem itinerum liber excussi sunt Venetiis. Nec non historia temporum Mosis extra Biblia, quamvis periculosos hinc inde scopulos & plusquam Cimmerias Geographiæ tenebras offenderis; interim tamen non carent utilitate sua, dicente enim Plinio, nullus liber tam malus est, qui non aliqua parte, prosit.* (ι) *Quare Bellarminus lib. 1. de verbo DEI c. 5. & Joh. Pineda, præfat. in Jobum, Luthero nostro iniquissime affingunt, librum Jobi habere argumentum fabulæ, dixisse.* (κ) *Conf. Laudatissimus Chemnitius modo citata dissert. c. 1. it. Jacobus Bolduccius in Comm. in lib. Jobi, cap. 1: 1. §. X. idem alias sentiunt, Augustinus, Ambrosius, B. D. Zehnerus, B. D. Gerhardus, & assentientem habent ipsum Lutherum. Dissentiunt autem Rabbinorum plerique & falsè admodum rident affirmativæ propugnatores, è quorum numero præter citatos aliosque etiam est Chrysostom. homil. 4. de Patientia Jobi.*

mus, quod eorum aliqui inter Chriſtianos pro terra Canaan, itidem alii Meſopotamia, alii Arabia, alii Syria, alii Aſſyria, alii etiam Cœleſyria, alii iterum pro Idumæa, atque alii denique pro Armenia, inque ea Conſtantinopoli, tanquam pro regione Utz, defenſionem etiam ſubeant, quorum unuſquisque ſuo ſeſe ſatisfeciſſe officio, & rem acu attigiſſe forte exiſtumat, ut autem quanta intervalla inter iſtos diſcordes, ceu videntur, opiniones interjecta ſint, ſcite ſatis porro oſtendamus, melius hoc negotium exequi non poſſumus, quam ut una cum ordine tempus obſervemus, & *μηδὲ πολλὸν τοῦ χρόνου διατρίβοντες*, quæ nobis opinio maxime probetur, quæ conciliari poſſint, quæ non, propter adjunctas *τῆς διαφορῆς αἰτίας*, una ſimul opera conſignemus. لا تنظر الي من قال بل انظر الي ما قال *non reſpice ad eum, qui dixit, ſed ad id, quod dixit*, vetus eſt Arabum proverbium, cum quo illa apud Platonem ad Socratem Charmidis verba idem ſunt: non conſiderandus eſt, quis dixerit, ſed quid dixerit, & an vere (λ) ita & Magnorum etiam Virorum autoritas, in ſummo alias pretio habenda nobis, ſi à veroſimiliori diſcedat hypotheſi, nequaquam prohibebit, quo minus aperto pectore dicamus, quæ aliam nobis probabiliorem reddant opinionem, circa quod negotium tamen nobis inſignem animi alacritatem adhuc parit, noſque omnis offenſionis metu propemodum eximit, ita ut & ejus memoria nos recreet reficiatque, quando & conjunctiſſimos viros quam commodiſſime reconciliari poſſe, recordamur, quod eorum ſententiæ ferme ſint eædem.

§. VI. Ante omnia autem noſtræ hypotheſeos ſummam hoc verborum compendio deſcribemus, qua ſtatuimus: Terram Utz in Armenia, & quidem Majori, ſitam fuiſſe, cujus pars fuerit Idumæa, quæ ipſa tamen ambitu ſuo adhuc minores & ſpecialiores, atque inter eas ipſam terram Utz, complexa fuerit, non ab Utzo Nachoris, verum Arami filio cognominatam, & legitimo acquiſitionis modo partam, in hac ipſa Jobum habitaſſe, cum S. Scriptura aſſerimus. Duo igitur nobis agenda incumbunt, (1) ut hypotheſin ſecundum omne circumſtantias luculentis rationibus ſtabiliamus, & quantum fieri licet, cum aliis ad eundem harmoniæ tenorem reducamus. (2) ut brevem ac ſufficientem Terræ Uſitidis delineationem conficiamus; circa quæ duo membra omnis reſidua Diſſertationis noſtræ occupatio vertetur, breviſſimis exequenda, ne nimiæ prolixitatis veniam deprecari neceſſe habeamus

§. VII. Armenia, cujus appellatio ex mente Doct. Dn. Bocharti ſupra in notis allegati (μ), conflata eſt ex הר מני, id eſt, Mons Mini, ſ. Regio montana: nam מני numerum ſeu copiam ſignificat, unde & Eſa. 65: verſ. 11. מני Deum potius montium (ν), quam Mercurium, Mercatorum bonum genium, denotat, quandoquidem Armenia non montibus ſolum altiſſimis ab utroque latere cingitur, verum & tota regio, præſertim major, variis montium ramentis jugiſque in plurimas alias provincias ſecernitur, quales ſunt (ξ) Cotacene, Boche, Toraſene, Totene, Cothene, Soducene, Syracene, Sacaſene, Baſiliſſine, Hobordene, Arſea, Aciliſene, Aſtaunites, Sophene, Anzizene, Thoſpites, Corinea, Gordiene, & Cortæa, hæ univerſam hodie Armeniam Majorem componunt. Minoris, quæ ipſa nunc Pegian & Bozoch dicitur, has minores ac celebriores regiones continet, ceu vocantur, Orbaliſſene, Ætulane, Arethica, Horſene, Orbiſene, quibus inſuper annumerantur Præfecturæ, Cataonia, Morimene, Laviana, & Aravene. Cum majori Syria nunc Soria, Meſopotamia ſ. Diarbeck, & Aſſyria, jam Cuſiſtan dicta, cohærent, illa ab occidente, iſta à meridie, & hæc ab oriente, niſi quod inter Armeniam & Meſopotamiam interjectus ſit mons Taurus, inter eandem & Aſſyriam mons Nyphates, & quo Syriæ jungitur mons appellatur Amanus: Notiſſimum vero eſt, Aſſyriam, Meſopotamiam, Babyloniam, Mediam, Phœniciam, Palæſtinam ipſam, ac Armeniam cum tota Syria ac Arabia non tempore Semiramidis ſolum, ſed etiam Cyri, late (ο) regnantis, unum conſtituiſſe Regnum, & modo communi nomine Aſſyriæ, modo Armeniæ, appellatum eſſe, atque in Hiſtoricorum monumentis annotatum, quamobrem haut mirum videri debet, ſi autores in citandis nominibus varient, atque è ratione minus feliciter excultæ Hiſtoriæ ac Geographiæ, in re adeo diffuſa ac perplexa hiſtoriarum ac Rerump. mole, nomen totius pro parte, aut partis pro toto, aliquando adhibeant, ut deinceps intentus eorum monumentis evolvendis lector confundatur, quo minus diſtinctam rerum cognitionem aſſequi poſſit, id quod de Judæorum Doctoribus, quorum opinionibus plerique Commentatores imbuti eandem cum ipſis cantilenam canunt, facile nobis obvium eſſe poterit, ſi eorum ſcripta evolvamus, & quam male fundatam in Geographia cognitionem præ ſe ferant, cognoſcamus (π); modo Syriæ nomen cum Aſſyriæ, Meſopotamiæ cum Chaldææ appellatione, permutant, ideoque certa & determinata terrarum notitia ex ipſorum ſcriptis haberi ſ. acquiri nequit; Accedit & hoc, quod Chaldæi ipſam Idumæam, Armeniam (ϱ) illumque terræ tractum, quem terram Utz eſſe contendimus, parvæ Armeniæ titulo, (cum omnes eam regionis Arami partem eſſe judicarent,) aliquando & parvæ Syriæ deſignatione (σ), indigitaverint, quæ non exinde apud optimæ etiam notæ, ac commatis Scriptores in diſtinctis regionum provinciis ſeligendis, errores ſuboriri omnino potuiſſent? Mutatis etiam Rerump. formis, ſæpiſſime Hiſtoricorum ſtylus, uti fieri ſolet, immutatus eſt, ſic florente Syrorum imperio omnes provinciarum acceſſiones Syriæ nomen acceperunt, ita ut ad illam relata ſit ipſa ארץ נבהרת Paleſtina, Phœnicia, Antiochene, Comagene, Cœleſyria, (notabili jam nomine dicta Sem) & Cœlen quoque, quarum unaquælibet ſuas iterum ſubdiviſiones paſſa eſt, ita Palæſtina Judæam & Idumæam, florentibus rebus Iſraëlitarum, comprehendebat, quarum ditiones iterum certis limitibus ac nominibus à ſe invicem diſtinctas fuiſſe, è Scriptura (τ) omnes novimus. Quare & à veritate non aliena iſtæc conjectura eſſe videtur, eandem terræ dividendæ conſuetudinem à reſtituto ſtatim poſt diluvium mundo, ſecundum domos ac familias, ipſo Deo jubente (υ), ut terra iterum excoleretur, in uſu fuiſſe, ita ut regna ac provinciæ à primis poſſeſſoribus ſuis, ſua iterum ſortitæ ſint nomina, quam conſuetudinem Iſraëlitæ deinde in occupanda terra beata ſemper (φ) frequentarunt, ſic in Arami familia idem olim accidiſſe cur dubitemus, nulla nobis expedita ratio ſuppetit. Armeniam igitur ab ipſo Aramo, qui eam totam poſſederit, nomen trahere non diffitemur aſſerere, hæc poſtquam deinde inter filios diſtributa eſt, dubio procul deinceps partibus hæredes de ſuis nominibus nomina indiderunt, ita ut terra Utz non ab alio quam Arami filio primogenito hoc nomen gerat, ex eo autem tempore, quo Eſavitæ, ſeu Edomitæ partem ejus, quo jure, quaque injuria, occuparunt, in plures iterum portiones diſtracta eſt, quarum complexum communis ipſorum Parentis nomine condecorare, quam alieno maluerunt, pro qua ſententia maxime facit ſæpius citatum Prophetæ teſtimonium, gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Utz, id eſt, quæ à poſteris Utzi ablata in tuam poſſeſſionem ceſſit. Multis adducendis teſtimoniis nolumus in præſens defatigare animum, à noſtris alias ſtat partibus Joſephus (χ) & Hieronymus (ψ), qui hunc Utzum Trachonitidis & Damaſci conditorem faciunt, ſi quoque nomina poſterorum Noachi, iſtius Juſtitiæ Præconis, quorum catalogus Geneſ. 10. nobis relictus traditur, cum gentibus ac terris, Aſiæ imprimis & Africæ, conferamus, ſæpiſſime ad hujus veritatis concluſionem procedendum

(λ) *Cic. lib. 2. Tuſcul. dicit: Neque nos refelli redarguique patiamur, quod hi ferunt animo iniquo, qui certis quibuſdam deſtinatiſque ſententiis quaſi addicti & conſecrati ſunt, eaque neceſſitate conſtricti, ut etiam quæ non probare ſoleant, ea cogantur conſtantiæ cauſa defendere.* (μ) *§. 5. p. 20.* (ν) *Qualis fuit Faunus, vetus Rex Aboriginum in Latio, Filius Pici, Deus montium poſt mortem habitus, uti Mercurius Eloquentiæ & Mercatorum patronus aſtutus & ingenioſus ad furtum occultandum. Conf. Oda X. Horat. lib. I.* (ξ) *Vid. Rudolphi Diepholdi Manuductionem ad novam Geographam, editam opera & ſtudio Henrici Sannemanni lib. 3. cap. XI. it. Haythonem, natione Armenium, in Hiſtoria Orientali. it. Olearium in Itin. Perſ. lib. 4. Strabonem lib. 9. Plin. lib. 5. cap. 24. Curt. lib. V. cap. 1. aliaque celebria peregrinantium Diaria.*

(ο) *Conf. Xenophon de Inſtit. Cyri lib. 1. & 3.* (π) *Vid. Abulfelda Coſmographus alias habitus inſignis, & Ptolomæo par aut ſuperior in deſcribendo orbe, Iſmaëlitis ſubjecto, cum nominibus ad noſtra tempora aptatis à Guilielmo Poſtello ex Oriente advectus eſt. Fuit autem Abulfeda iſte Princeps Syriæ, Aſſyriæ & Perſidis, qui anno 300. ſcripſit circa Cœle-Syriam.* (ϱ) *Annotante Emanuele, Sà in notis ad univerſam Scripturam.* (σ) *Teſte Bolduccio in comm. cap. 1. §. 7.* (τ) *Conf. Joſ. cap. 13. 14. 15. 16. 17. Numer. 32. Deuter. c. 3: verſ. 12. ſeq.* (υ) *Geneſ. 8: verſ. 17. cap. 9: 2, 7.* (φ) *Numer. cap. 32: verſ. 38, 41, 42. &c.* (χ) *Joſeph. antiquit. lib. 2. cap. 14. &c.* (ψ) *Hieron. tom. 8. Comm. in Job. in quæſt. Eſt autem Trachonitis è XVII. Tetrarchiis præcipua, in qua Cæſarea Philippi Metropolis.*

dum nobis est, nomina istæc à primis suis possessoribus, è familia Noachi, l. c. descripta, prognatis, qui eos ab incolis desertas sibi compararunt, Genes. 10: vers. 32. gestare, ita suffragio Eruditissimorum Virorum, ab Heth descendunt Hethæi, à Jebusi, Jebusæi, ab Emori, Emoræi, à Girgosi, Girgosæi, ab Hini, Hinæi, ab Arki, Arcæi, à Sini, Sinæi, ab Arvadi, Arvadæi, à Zemari, Zemaræi, ab Hamath, Hamathæi, ab Elam, Elamitæ, seu Persæ, ab Assur, Assyrii, à Lud, Lydii, ab Aram, Armenii, & Aram-Syri (ω), quare & ab Utzo, Utzæi, seu Husæi, ab Utzo sc. Semi nepote & Arami filio primogenito nomen suum adeptos esse, credibile est. Neque inconsulto, sed deliberato consilio, tanquam totius terræ Principum, hanc terrarum divisionem in posteris Noachi factam esse, arguit, quod nomina semel accepta semper retinuerint, multiplicatis quoque hominibus, & terris in minores portiones distractis, ac per angustiores familias divisis, quemadmodum in nostra Germania regnum vel principatus antiquum nomen obtinet, quantumvis in plura & contractiora dominia distribuatur. Terra Canaan, à Canaan nominata, etiam ab Israëlitis occupata, pristinum sibi nomen reservavit, ut de primo suo possessore testaretur. Unde & alia conjectura non levi deprehendimus, Nachorem non alia permotum causa filium suum eodem nomine Utz nobilitare voluisse, quam quod partem ejus terra sibi acquisiverit, quam olim Utz, Arami filius, una cum aliis legitimo imperio tenuerit, verosimile igitur omnino videtur, eam terram non ab hoc sed illo Utzo, nomine suo inclaruisse. Exemplum ejus secutus est Esavita Disan, qui ejusdem causæ stimulo excitus, suum quoque filium Utzi nomine salutari voluit, primi itaque hujus terræ habitatoris Utzi nomen in omnibus illis regionibus in Chaldæam usque adeo celebre fuisse videtur, ut in familia non solum Thare primogenito datum sit, verum quoque apud Idumæos deinceps in Seirorum progenie Dux Disan suum primogenitum eodem illustrare voluerit. Devenimus nunc ergo ad ipsam hujus terræ describendæ, jam supra promissam, occupationem & præmittendam ulterioribus membri primi vindicationibus.

§. VIII. Terram Utz (ut statum ejus præteritum tanquam præsentem adumbremus) si amœnissimo situ circumscriptam esse, dicamus, ingenuitatis, quod scio, perpetramus judicium, ab Oriente jucundissima Nabathæorum, non ab Esavo, sed Ismaële descendentium, (a) regione prætenditur, septentrionale latus tegit Chrysoroas, fluvius è thurifero monte Libano scaturiens, & hodienum Damascenis eam aquæ commoditatem præbens, ut singuli fere fontem habeant (b) hic postquam Damasci lambit mœnia, & terram, inter Libanum & Antilibanum interjectam, Pharpharis & Amamæ undas secum in Euphratem devehit inter montem Hermonis & regionem urbemque Palmirenam, Hebraice Thamar, quam Salomo condidit in Hamath-Soba (c), à Damasco XXVII. millibus passuum, à Babylone sex dierum itinere, ab Euphratis itinere unius diei distantem fontibus. Hic ipsam voluptatem sedes suas defixisse diceres, omnem ejus terræ Utz ambitum sylva lauris & cupressis fragrantissima, ferarum multitudine frequentissima, cingit, ejusque gloriam limpidissimis fontibus, streperisque hinc inde rivulis, ad aures oculosque pascendos dispositis, maxime elevat, montium licet cacuminibus perpetua nive albescentibus, à tergo Hermonis Aquilonaris extat montis Libani ramentum, sed ad radices ejus occidentales civitas & regio Gessur in valle prominet, cujus Regis Tholmai (d) filiam, qua degenerem (e) Absolonem procreavit, David in matrimonio habuit, atque ubi ipse Absolon, fratre Ammone occiso, iræ paternæ metu, vitam aliquandiu continuavit, altius adscendentes præterimus fontem Jor, cujus aquæ una cum ebullientibus undis, fontis Dan, uno tantum milliari ab illo dissiti, ad portas Cæsareæ Philippi s. uti hodie vocatur, Velenæ vel Belanæ, olim Lais (f), celebrem in sacris fluvium componunt, nempe Jordanem, qui totum latus terræ Utz occidentale, & ad aquilonem inclinans, præcludit, & à reliqua terra Cananæa disterminat, sc. versus meridiem à Cæsarea Philippi, ex parte Orientis excurrendo, centum stadia emetiendo, Sephaniam alluendo, paludem Semechonitidem s. Meronem pervadendo, à dicta palude Jordanis cursum versus Orientem flectens, & inde remeans ad occasum ac fontibus aliquot auctus per CXX stadia præterfluit regionem Argob, inter Corazin Orientalem, & Caphernaum occidentalem, urbes, omnem olim vitiis licentiam permittentes (g), seque præcipitat in lacum Genesareth, mare Tiberiadis, Galilææ, & Tarichæum lacum, à Tarichæa civitate, centum stadia longum & XL latum, circa quem nullum omnino sterile apparet vestigium, aut effœtum viribus, palmis illic, nucibus & oleis omnia sunt consita, postquam *hic lacus omnibus aliis anteponitur, salubris ingenuo haustu, & ad sanitatem usu efficaci* (h); ac piscium feracissimo, *cum nonnulli venam Nili fluminis esse opinantur, quod similes Corazino Alexandrinus pisces generet, & quidem, Cyprinos, Tincas, & Chevesnes Gallorum, seu squalones Romanorum & Venetorum* (i). Oppidis amœnis circumseptus est, imprimis Tiberiade, in gratiam Cæsaris Tiberii sic dicta ab Herode (k), quandoquidem antea Cenereth, & Genezara seu Genezareth diceretur, quod, interprete Bolduccio, idem est ac thesaurus Zaræ, quia forsitan, ex mente ipsius, urbem illam ædificavit Zara, Pater Jobi, idque colligit è relatione Merceri in præf. ad lib. Jobi, qui à quibusdam sese didicisse profitetur, in Tiberiade בית מדרשי domum studii Jobi extitisse, quandoquidem locus ipse studiis ac deliciis principum commodissimus sit propter aquas, sylvas, piscationes, balnea medicinalia, & Cizonis fluminis ostia amœnissima. In hac ipsa civitate Helena Constantini mater pro summis, quibus exardebat in DEUM, studiis, τὸ δωδεκαθρόνων h. e. duodecim thronorum templum statuit (l). Ad alterum hujus Galilæi maris littus Dalmanutha, Magedan & Gerasa (m) peregrinantium adspectui accidunt, quas excipit Amatha in monte sita, ad cujus radices aquæ fluunt, calidæ & sanitati restituendæ saluberrimæ. (n) Amatha ulterius contendentium oculos subit Gadara è regione Tiberiadis & Scithopolis, ad Orientalem plagam maris Galilæi spectantis, quæ diversæ ab aquis Amathuntinis naturæ undas in lacum formatas juxta portas ac mœnia habuit, quibus degustatis, pecora pilos, ungues, & cornua amiserunt. (o) Inter Gadaram & mare Galilææ media interjacet adhuc Urbs Hippene, ab utroque triginta stadiis distans, ad occidentem meridianum terræ Utz Ephron splendorem suum ostendit, solo benignissimo affixa, è regione Bethsan, & Jabock, civitas magna, in ingressu posita & valide munita. In proclivio montis Galaad est exstructa, juxta torrentem Jabock, à tribu Gad Levitis deputata, in qua regnavit Isboseth, & David, ab impio filio Absolone aliquandiu regno exclusus, vitam sustinuit (p) Torrens Jabock dividens Husitidem ab Ammonitide, & urbes ac regionem Ammonitarum per rivulum irrigans, transit usque ad Mahanaim & Ephron discurrit, ut in Jordanis fluvium demergatur. Conspiciuntur in hujus fluminis littore urbes florentissimæ, & quidem ab una parte occidentali urbis Pella in quam sese Christiani Hierosolymis, cum obsideretur à Vespasiano, armato & læsæ Majestatis Cæsareæ crimine ad pugnam converso, receperunt, ut manifesta à Christo prædicta excidia evitarent, atque alibi omne tempus purioris doctrinæ culturæ impertirent, (q) superatis montibus, Galaad locus commonstratur, in quo erecta fuit columna fœderis, inter Jacobum Patriarcham ejusque socerum Labanum initi. Ab altera parte meridionali edita urbs emicat Rabbath Ammon, quæ postea Philadelphia (r) nuncupata est, ad quam cædebatur

Urias,

(ω) *Conf. Explicat. Geneseos B. Gesneri & quidem cap. X. quæst. 1. & seqq. it. Chytræum & Marbachium in Pentateuch. Lutherum in Genesin. Lyserum, Rungium ac celeberrimum D. Gerhardum Comment. in Genesin plane aureo ac plenissimo.* (a) *Confirmante Balduccio* §. 7. (b) *Bellonius lib. 2. Observ. cap. 91.* (c) 2 *Paral. 8: vers. 3, 4.* (d) 2 *Reg. 3: vers. 3.* 1 *Paral. 3: vers. 2.* 2 *Reg. 13: vers. 37.* (e) *Rabbi Abarbenel in Comment. in lib. 2. Sam. cap. 2. pag. 141. col. 4. politissimæ editionis, quam nostro de studiis Rabbinicis meritissimo Dn. Christiani, Præceptori meo æternum amando, debemus, vocat eum* בן סורר ומורה באביו *Filium rebellem contra patrem suum.* (f) *Judic. 18: 27. Jos. 19: 47. cum populus fuit* עם שוקט / ובוטח: *populus in diem vivens ac securus.*

(g) *Matth. 11: vers. 23. & 21.* (h) *Teste C. Julio Solino Polyhistore cap. 38.* (i) *Teste Bellonio lib. 2. Observ.* (k) *Joseph. antiquit. lib. 18. cap. 3. assentatio quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit, atque ea delectatur. Cicer. in Lal.* (l) *Teste Nicephoro lib. 8. Histor. cap. 30.* (m) *Quæ teste Joseph. lib. 1. Antiqu. cap. 12. à quinto Chami filio condita putatur.* (n) *D. Hieron. Lib. de locis lit. A.* (o) *Strabo lib. 16. Jos. 21: 37. 2 Reg. 21: 9. & c. 17. vers. 24.* (p) *Forte, quia ibi* בקש דוד לעכירי זרה *ut habetur* במסכת סנהדרין פרק חלק דף ק"ז ע"א: *quæsivit occasionem iis alienis inserviendi.* (q) *Hieronymus de loc. lib. 1.* (r) *A Ptolomæo Philadelpho, Rege Ægypti, illudque etiam in hunc usque diem retinet.*

Urias, Davidis, in conjugem ejus fœda libidine ardentis, jussu in ea præliantium statione positus, ubi nec quicquam eidem effugium dabat, nec procul ab inde distat piscina, qua cum oculos dilectæ suæ comparat Salomo, Regum sapientissimus, (s) hanc contingit radicibus suis mons Galaad, ceteris ultra Jordanem montibus altior, quinquaginta circiter milliaria longus ad meridiem rupibus Ammon, ad septentrionem Libano, jungitur, mutato tantum alicubi nomine: nam versus urbem Hippum Hippus cognominatur à Ptolomæo, ab hinc usque ad urbem Cedar usque ad Bosram Seir, à Bosra deinceps longius excurrens, Hermon appellatur donec inter Cæsaream Philippi & Damascum urbes, quæ olim insatiabili peregrinantium cupiditate perlustrabantur, sese Libano copulet, (t) qui ipse mons Libanus pinis, resina, stacte, & aromatibus abundat, propter graminum ubertatem totus est pascuus, & capreis in saltibus ferax. Circumerrantibus ibi terram Utz occurrunt urbes, Machir, Casphor in monte sita, Gamala, urbs Cœlesyriæ, à Camelo nomen habens, (u) Gaulon, in confinio Basanitidis, ad aquilonem, Levitis ac profugis concessum Asylum, it. Camon, ubi Jahiri, Judicis Israëlitici molliter ossa quiescunt. (x) Basan, quæ sequitur, regio ac mons est, quercetis abundans, pascuis uberrima, & fructuosissima. Post hunc montem est mons Seir, ad Orientem præcise terræ Utz contiguus Hermoni aquilonari, & Basan atque Galaad meridionalibus, non ab Esavo sic nominatus, sed alio quodam Viro inter Horæos illustrissimo, eorumque principe. (y) Quæ ipsa est terræ Utz quoad limites suos ordine descripta delineatio, cujus longitudo maxima propemodum conficitur 79 grad. latitudo maxima intra 31 & 33 grad. determinatur. Maxima igitur ejus longitudo ab aquis Merom usque ad angulum montis Seir in finibus Kedar excurrens 15 M. G. complectitur. Latitudo maxima 30 M. G. quam proxime est, inter urbem Ephron & saltum Libani, fontis Jor scaturigini vicinum, comprehensa. Dividitur autem in aquilonarem & meridionalem, utraque olim vocabatur Utz, postea vero, aliqua ejus parte ad Esavum devoluta, illa nomen, à primæ suæ culturæ temporibus acceptum, retinuit, hæc vero ab Esavo, Principe suo, Idumæa, (z) vocata est, donec crescente Idumæorum potentia, utraque Idumæa nominaretur, sic utriusque hodienum incolæ, paululum mutato, vel corrupto, nomine, Bidumi (α) audiunt. Aquilonaris provinciæ sunt Syria Gessuritis, in qua Gessur, Auranitis in qua Auran, & Bosra s. Astharoth Carnajim ipsius Jobi sedes, & fatalis, ceu creditur, habitatio, Syria Maacha, in qua Maacha, Trachonitis seu Ithurea, in qua Gosan, Syria Damasci, in qua Damascus, sex dierum itinere ab Hierosolymis distans, Metropolis fuit. In Meridionali provinciæ celebriores sunt, Gaulonitis, in qua Gaulon, Cedarena in qua Cedar, Basan, in qua Sua, patria Baldad, & Abila, urbes famosiores feruntur, ad Basan referendum est quoque regnum Argob cum civitate ejusdem nominis, aliisque nempe Adira, Edrai, Putaha, Gaulon & Selcha, & tota denique provincia Galadites, in qua Chorazin, Gerasa, Gamala, Dalmanutha, Pella, Arbel, Amatha, Jabes, ad fluvium Hieromacem, Gadara, Mahanaim, Hippus, Ephron & Dabir, urbes visuntur. Quæ omnes si per sacræ ac profanæ historiæ monumenta fusius diducerentur, hujus regionis faciem amœnissimam & omni culturæ abundantia superfusam ostenderent, primus ejus adspectus Israëlitas, quam primum pedem in ejus limitibus ponerent, desiderio possidendi totos capiebat (β) quamobrem multa Mosen, Prophetarum maximum, (γ) oratione tentabant, ut ipsis has terras incolendas daret, quæ supplicantium postulata, DEO annuente, implebantur, quando eas regiones, impiis suis colonis, partim migrare jussis, partim trucidatis, vacuas Rubbenitis, Gadditis & dimidiæ Manassæorum tribui habitandas, destinavit, quod argumentationi probandæ sufficere videtur, Jobum, supremis alias vigentem honoribus, tum temporis in vita non amplius fuisse superstitem, verum jam in beatissima melioris seculi luce durare incepisse, alias hunc piissimum Virum sedibus suis ejicere, ipsis religio fuisset. Insuper hujus terræ fœcunditatem ac proventuum amplitudinem exinde nunc colligere licet, quando S. Scriptura omni posteritati potentissimum Regem, Og in Basan, narravit, ac memoria superstitem tradidit, qui in hujus terræ ambitu, maxima magnificentia & autoritate munitum imperium tenebat, (δ) quam opulentiæ gloriam, in magnis reditibus sitam, implere haut potuisset, nisi terram fertilitate, & omnium bonorum affluentia præstantissimam, ubertate agrorum ac varietate fructuum, ac magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, & væno ponuntur, facile omnibus antecellentem, ac multæ amœnitatis usu circumdatam possedisset, siquidem & Plinius commemorat, quod hortis adeo exculta fuerit, ut in proverbium abierit, Syria in hortis operosissima (ε) Verum, Bellonio teste (ζ) aliam longe faciem nunc induit, non vera istic solum exulat Religio, sed etiam qui ibi peregrinando hodie iter faciunt, toto sæpius die per steriles agros incedunt, nisi quod paucis humidioribus locis incolæ, colocasias, cepas, allia, & paucas Musæ stirpes colant, & quod planicies circa Tiberiadis lacum non nisi Napecæ arboribus adhuc abundet, quibusdam tamen cæduis sylvis fructum dulcem & edulem proferentibus. Insuper ex ipsius etiam verbis, rudera hujus collapsi Ilii describentis, regionem olim fuisse cultissimam satis liquet, הן אמת.

§. IX. Bonis, quod speramus, nunc auspiciis, optimis autoribus præeuntibus, & fidis historiæ monumentis adjuti, terram Utz, כפי אפשרי אצלי, *pro virili nostra*, descripsimus, eam vero esse, in qua Jobus, infinitis propemodum adversitatum amaris degustatis, divino vitam remigio gesserit, ejusque stadium, cum tremulæ jam senectutis annos attigisset, (η) æterna cum laude decurrerit, ut nunc luculentis rationibus appareat, in hoc ipso negotio hujus totius Dissertationis cardo vertitur, eo igitur omnis nostræ orationis cursus reflectitur. Cum nemine autem amplius controversiis involvimur, postquam omnes intra sese pugnantes sententias, si earum pauciores excipias, manifesti erroris convictas, ac refutatas supra, (θ) quam optime conciliari & tanquam concordes defendi queunt, omnis enim earum apparens dissensus in phrasium diversitate consistit, quod alius genus, alius speciem intermediam, atque iterum alius partem specialissimam, determinaverit. Qui Armeniam propugnant, dicunt quod res est, nisi quod totum pro parte adsignent, qui Assyriam

(s) *Cant.* 7:4. *nam Hesbon civitas est in Galaad, ad quam hæc piscina visitatur in possessionem tributa fuit Rubenitis, Num.* 32:37. *& Gadditis Jos.* 21:39. *assignata denique Levitis, Jos.* 21:39. (t) *Brocard. Itinera.* 2. *Centum enim & quinquaginta stadiorum longitudine est usque ad Symiram urbem Syriæ cœles extensus, dicitur &* ליבנום/ לבנונא ולבנן (*à præstantibus Cedris, è quibus Salomon templum exstruxit, vel etiam à Thure, quod in eo copiose fluit, vel à nivibus quibus vertex ejus tegitur, unde Jer.* 18:14. *nivosus dicitur.* (u) *Joseph. lib.* 4. *de bello Judaico cap.* 1. (x) *Judic.* 10:3, 4, 5. *appellatur etiam Bedam* 1 *Sam.* 12:11. 1 *Chron.* 7:17. (y) *Bolduccius in Comment. in cap.* 1. *vs.* 1. §. 7. *p.* 42. *column.* 2. (z) *Per Idumæam s.* מלכות ארום *hodie Judæi regnum Christianorum, & imperium Romanum, intelligunt, unde Rabbi Salomo Romam ipsam vocat præstantissimam Edomææ* החשובה שם ארום והיא רומי *quæ est Roma notante Buxtorfio in Lexic. Rabb. Talm. p.* 29. (α) *Reneccius in Chron. Hieros. lib.* 12. *cap.* 8. (β) *Num.* 32.

(γ) *Hoc prolixa oratione probat Abarbanel, Rabbinorum Cicero, in Comment. ad lib.* 2. *Regum cap.* 3. *pag.* 211. *col.* 1. *quando omnem suam probationem illo effato Deut.* 34. *vers.* 10. *fundat :* לא קם נביא עוד בישראל כמשה/ אשר ידעו ה' פנים אל פנים וגומ *Non resurrexit præterea Propheta in Israël par Mosi, quem cognoverit Jehovah in os &c. uti versio Tremellii reddidit.* (δ) *Num.* 21. *Deut.* 1. *Deut.* 3. & 29. & 31. *Jos.* 2:10. & 9. *vs.* 10. & 13. *vs.* 12. 30, 31. & 24. *vs.* 10. 1 *Reg.* 4:19. *Deut.* 3:11. 4, 5. *Jos.* 12. *vs.* 4. 5. 1 *Reg.* 4:13, 19. *Neh.* 9:22. *Josephus scribit incolas regni Og omnes Amorrhæos divitiis & agrorum fertilitate superasse.* (ε) *Luc. lib.* 3. *cecinit: Gazaque & arbusta palmarum dives Idume. & Virg. lib.* 3. *Georg. Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.* (ζ) *Bellon. lib.* 2. *Observ. c.* 90. *ubi & inter alia refert, quod urbs olim amplissima & quod in æternæ gloriæ partem ei accrevit, Christi civitas dicta, jam vilissimus pagus est.* (η) *Hiob.* 42:17. *Notante Bolduccio in finibus Palestinæ & Idumææ, ad orientem urbis, Suetæ, extat Pyramis sepulchri Jobi, & testes citat Abulensem, Brochardum, Bredembachium, & Fretelium, nec non Adrixomium in sua Terræ sanctæ Theatro. Sed M. Barthol. Rulichius in Conc.* 4. *sup. Cap.* 42. *vs.* 17. *scribit:* Es hat ein alter Lehrer geschrieben: *Visitur ad hanc diem in Arabia strenui Jobi sepulchrum, ac sterquelinii palæstræ, in qua illustres ipse est coronas adeptus, ab indigenis autem anniversariis colitur honoribus, quemadmodum qui illinc ad nos comeant, narraverunt.* (θ) §. 4. *p.* 18. & *seqq.*

Assyriam defendere maluerunt, itidem à vero non aberrant, siquidem & illud nomen totius est, quos Syriam memoria prodere juvit, neque hos errorem commisisse, dicerem, siquidem & Idumæam Syriæ aliquando partem fecisse, memoria recolimus, in eorum autem gregem qui se recipiunt, ad quos Mesopotamiæ defensionem rejecimus, neque eis erronea aut maligna inest opinio, quando Idumæam & Mesopotamiam unius Domini partes conjunctas fuisse credimus, ut utraque provincia possessionibus Utz annumeranda sit, siquidem è Mesopotamia in Idumæam trajiciens urbem Damascum condidit, quæ traditio à Majoribus ad nos in historia continua & immortalis est. De Palæstina illa notitia in omnium eruditorum mentes diffusa hæret, Idumæam cum Palæstina sub uno imperio connexas fuisse regiones, quare qui Palæstinam Jobo dare maluerunt, partem nobiliorem, & templi, ac regiæ sedis, gloria celebriorem, proferre ad æquitatem magis consentaneum judicarunt. Qui Arabiam pro terra Utz nobis objiciunt, & suo periculo conantur tueri, eos quoque omnis erroris contemtu exemtos volumus, siquidem hæc duo nomina Idumæa & Arabia apud Autores sæpe confunduntur (ι) quod loca admodum vicina sint, neque in limitibus eorum discernendis omnes conveniant. Perspicua autem eorum est veritas ut eam infirmare nulla res possit, qui Idumæam è propria veri inquisitione & investigatione produnt, quantumvis utraque non quovis ævo æque late patuerit, donec longe lateque dominantibus Idumæis Usitarum nomen plane exspiraverit, vel perexiguas admodum partis aquilonaris angustias perambulaverit. Rationes pro nostra stabilienda hypothesi, ex historiæ circumstantiis, hauriendæ hic utramque facient paginam. Quæ omnes circumstantiæ (1) à Jobi sanctissima persona. (2) à rebus ab ipso gestis (3) à diris malorum adversitatibus, (4) à loco modo descripto, (5) ab ejusdem cognatione & amicitiis, aliisque non levioris momenti historiæ adjunctis, petuntur. Prima probationis ratio ab ipsius Jobi, pietatis studio notissimi, persona nobis subministratur, quem ex Hebræorum familia, non alibi, nisi in terris jam recensitis, disseminata, post factam linguarum confusionem, unum fuisse, confirmamus, & per omnem pietatis ac honestatis culturam tempus transegisse, probamus, quod supremus rerum arbiter Deus insignem Pietatis laudem ei attribuat, אין כמהו בארץ איש תם וישר ירא אלהים וסר מרע ועידנו מחזיק בתמתו: nisi itaque veræ religionis, (κ) sola ferme Eberi familia circumscriptæ, Cultor fuisset, istæc omnino laus in eundem non caderet, quamobrem & Aben Esræ in suo toties allegato commentario eum perfecte pium virum fuisse deprædicat, inquiens:

אל תתמה על מלת איוב שמו / כי איננו רשע כלל / והנה כתוב / יי איש מלהמה / יי שמו / והפך הדבר / ויהי איש אחד מהר אפרים / ושמו מיכה / אולי בעל הדרש על הרוב הנמצא דבר: *Noli mirari, quod hic scriptum legatur*, איוב שמו *Job erat nomen ejus* (λ) *quandoquidem plane haut impius fuit, & sic scriptum invenimus, Jehova* Vir belli, Jehova est nomen ejus; (μ) contra sese habet illa loquendi ratio, *& erat Vir, ex monte Ephraim, & nomen ejus erat Micha*, (ν) *forte interpres Mysticus prioris phraseos frequentiam in scripturis deprehensam attendit.* Una itaque opera hic Rabbi refutat superstitiosam & insanam Judæorum opinionem, ac si vox שמו subjecto proposita semper hominem impium, & idololatria perversum designaret, רלבג putat, adeo Jobum Virum Deo charum atque inter omnes homines pietate spectatissimum fuisse, ut ob veræ religionis exercitium opibus ac terrena felicitate creverit, quando ita ejus recensionem peragit: שכבר היה איש תם וסר מרע / עלה והצליח מאוד בקניני המדומים / כמו קנין ההון והבנים: *Idcirco quod fuerit vir perfectus & à malo declinaverit, valde prosperavit in terrenæ felicitatis acquisitione, qualis est acquisitio honorum & liberorum.* (ξ) Fuit igitur Vir religiosissimus, non obstante illo, quem Raschi in scirpo quærit, nodo intempestivæ Philologiæ: והיה האיש / אף ע״פ שהוא לשון עתיד: כן דרך לשון עברית ולשון מליצתו / והווה האיש ההוא גדול מכל בני קדם / בני ארץ מזרח: *Fuit Vir ille, idem est ac erit Vir ille, quoniam verbum futurum tempus innuit secundum genium linguæ Hebrææ, alias linguæ istius elegantia requireret, ut in participio diceretur, hic ipse vir est magnus præ omnibus filiis Orientis, filiis terræ Orientalis.* Qui ut & ipsum Jobum suæ pietatis gradu dejiciat & Abrahamo postponat, omnes ingenii nervos videtur intendere scribens: גדול מכל בני קדם / מדור הפלגה / דכתיב / ויהי בנוסעם מקדם / אבל מאברהם אינו כן / שהרי באברהם כתיב בו / גדול וגו׳ ושם חברון לפנים קריית ארבא האדם הגדול בענקים הוא היה / לא לכתוב אדם גדול ולמה כתב האדם הגדול / אלא רמז רמז שהוא אדם הגדול / שעמד בעשי׳ נסיונו׳ / לפיכך כותבין אותו שני היהין / ואיוב / שני בו גדול / לא עמד אלא באחרת / שני׳ / תם וישר וגו׳ מכל אותו הדור / שלא נתפש על אותו עון: ר״ל *Magnus fuit præ omnibus filiis Orientis, id est præ generatione dispersionis*, (ο) *sicuti scriptum est, &* (π) *accidit, cum ipsi proficiscerentur ab Oriente*, (ρ) *sed cum Abrahamo non ita sese res habet, non præ Abrahamo, ecce enim de Abrahamo scribitur*, גדל *quod magnus fuerit* (Jos. 14: vers. 15.) *& nomen Hebronis antea erat Cirjath Arba, ubi Vir ille magnus fuit inter Gigantes ipse Abrahamus, non scriptum est, est Vir magnus* (σ) *& quare scribitur* האדם הגדול *Vir magnus cum duplici He demonstrativo?* Resp. *alludendo alludit sive emphatice vult indicare, quod ipse vere magnus Vir fuerit, qui in decem tentationibus perstiterit* (τ) *ideoque ei attribuuntur duo He; ast Hiobus, qui etiam magnus dicitur, (sc. absque duplicato He) non stetit nisi in una tentatione, sicuti dicitur, fuit perfectus & rectus &c. præ omnibus illius generationis, quoniam nulla in ipso deprehensa fuit iniquitas.* Præterquam nostræ sententiæ fidem facit stylus Jobi Arabismo tinctus, (υ) quod scil. in terra Arabibus vicina, qualis est terra Utz, habitaverit, siquidem æstimare facillimum est, ob creberrimum cum Arabibus commercium ejus orationem aliquid peregrini coloris attraxisse, id quod omnibus iis accidit, qui cum finitimis aliis gentibus proxime cohærent, quare non injuria in eorum propemodum partes inclinamur, qui non Mosen, sed Jobum ipsum libri sui autorem esse ferunt (φ) Rabbini enim ut ad majorem

(ι) *Siquidem in Arabia Petræa Nabathæam olim constituerunt, quæ tamen omnino pars Idumææ est. Vid. sæpius citatus Diphol. lib. 3. Cap. IX. imo ipsa Idumæa. Vid. M. Schroterum in hist. Geograph. Tom. 2. pag. 79.* (κ) *Cujus notæ sunt* (1) *ut per eam cultores solventur,* (2) *ut Deum autorem habeat, &* (3) *ut ab omnibus humanis inquinamentis pura sit, qualem Jobi religionem fuisse, nulli dubitamus. Confer Mornæum de Veritate Religionis Christianæ Cap. 20. pag. 318. seq.* (λ) *Putant Rabbinorum aliqui phrasin hanc* שמו *mali ominis causa subjecto suo, quod processit, postponi.* (μ) *Exod. 15: 3.* (ν) *Judic. 7: 1. E quibus locis apposite satis refutatio desumta est, nam sapienti nihil peregrinum esse debet, nisi quod cum vitio conjunctum, dicit Erasmus in Adagiis.* (ξ) *Judæi enim non in hac vita solum felicitatis, sed etiam futura acquisitionem bonis operibus adscribunt: Conf. Buxt. in Syn. Jud. Cap. 1. p. 20. & Rabbi Jehoschua filius Levi scribit:*

כן היא דרכה של תורה / פת במלח תאכל / ומים במשורה תשתה / ועל הארץ תישן / וחיי צער תחיה / ובתורה אתה עושה / כן אשריך דטוב לך / אשריך בעולם הזה וטוב לך שכר בעלתך:
Sic se habet ratio legis, Buccellam (panis) cum sale edas & aquam in mensura bibas, super terram dormias, vitam miseram vivas, modo operam navare possis legi, quod si ita feceris, beatus es Tu, & bene Tibi erit, beatus & in præsenti seculo. (ο) *Per generationem dispersionis intelligunt Rabbini ædificatores turris Babylonicæ incredulos, & orbis reviviscentis Gigantes immani audacia, quos,*

Ne forte terris securior arduus æther,
Affectasse ferunt regnum cœleste Gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sidem montes.

Ovid. lib. 1. Metamorph. Scribit enim Pezelius in suo Mellificio Historico ad Caput Tert. Sleidani pag. 15. ex istac de turri Babylonica historia est fabula apud Poetas decantata de gigantum adversus superos bello, qui congesta mole ardua montium conati sunt Jovem de cœlo disturbare. (π) *Genes. 11: 2. Bochartus Phaleg. lib. 1. c. 7. arbitratur, Assyrios imperii sui partes, quæ trans Tigrim sitæ erant, Orientales vocasse, Occidentales, quæ cis Tigrim, quæ sententia pluribus Rabbinorum testimoniis confirmari posset.* (ρ) *Sic ergo putat hic Rabbinicus Doctor, ac si Jobus incolis Trans-tiberinis accensendus foret, atque ex illorum posteris, qui conditoribus turris Babylonicæ auxiliatrices manus præbuerint.* (σ) *Detestanda hæc sacrorum verborum contorsio est.* (τ) *De tentationibus Abrahami, quibus obedientiam ejus exploratam fuisse Judæi docent in* פרקי אבות *cap. V. hæc legimus:* עשרה נסיונות נתנסה אברהם אבינו ועמד בכלם להודיע אהבתושל אברהם אבינו: Decem tentationibus Abrahamus pater noster est tentatus, & omnes illas sustinuit, ut amor ejusdem patris nostri innotesceret. *Singulas ordine ad dictum locum commentans R. Moses Maimonides recenset.* (υ) *Conf. Hieronymus in præf. 1. in Job.* (φ) *Faciunt Gregorius in præfat. cap. 1. Suidas in vocab. Hiob. Dominicus Brixiensis præf. ad Gregorii moralia, Johannes Arboreus in Theosoph. lib. 9. cap. 12. Pined. in præf. c. 3. Schultetus Conc. Typ. 1. in Hiob. B. Chemnitius in Dissertat. toties totiesque*

majorem Excellentiæ gradum hanc nobis perſcriptam patientiæ ſcholam evehant, eidem Moſis autoritatem prætexunt, ita enim Rabbi Meir putat, ſi Moſes in ejusdem autorem extolleretur ויעלה הספר למדאגה יותר גדולה/ אם נאמר/ שהכל דברי משה רבינו על ידי רוח הקודש: *Ad majorem excellentiæ gradum elevabitur hic liber ſi dicatur, quod omnia hæc verba Moſis ſint, Magiſtri noſtri tradita per manus Spiritus S.* Quemadmodum etiam ſtylus Moſis & Jobi in pluribus à ſe invicem differunt, cum ille ſit puriſſimus & planiſſimus, hic autem, judice *Hottingero, heroicus, & gravis, ſententiis difficillimis variegatus, epiphonematis patheticus, argumentis denſus, alluſionibus feſtivus, materiæ ubertate affluens, & nonnunquam variis Rhetorum Schematibus luxurians,* (χ) qualem ſtyli genium Arabum ſcripta continere, norunt, qui vel Æſopum Arabice redditum didicerunt. Porro Chaldæos ac Arabes, ſuam prædandi conſuetudinem exercentes in terram Utz irruptionem feciſſe, & omnes Jobi pecudes, occiſis earum cuſtodibus, in prædam vertiſſe, traditur. De Chaldæis nulla hic nobis controverſia movebitur, ſiquidem textus conceptis verbis indicat, כשדים שמו שלשה ראשים, Chaldæi ordinabant tres turmas. Qui vero in ſacris appellentur כשדים, quæque illorum regio ſit, de eo nihil attinet dicere, ſiquidem hoc omnes norunt, qui frequentem ſacris literis legendis operam impendunt. Verum de Arabibus non una omnium circumfertur ſententia, & quidem de verbis illis: ותפל שבא, ad quæ ita commentatur Aben Eſra, h. e. /מחנה שבא *exercitus Sabæorum. Rabbi Meir* ad eam interpretationem quam proxime accedit inquiens: ותפל שבא ר"ל חנת מחנה שבא כמו אל פני כל אחיו נפל: *& irruit Seba* id eſt, *caſtra metatur Seba (in conſpectu ſc. omnium) ſecundum illud: occubuit in conſpectu omnium fratrum ſuorum.* (ψ) Quæritur quales Sabæi hic animo concipiendi ſint, cum per plures eosdem provincias Hiſtorici diſtribuant? Et Reſpondemus alios huc melius accommodari non poſſe, quam Sabæos Arabiæ, & quidem deſertæ prædones, calculo Bolducci, non longius viginti leucis à terra Utz diſſitæ, ex ea potiſſimum ratione, quod cum Chaldæis, ſimiles cum ſimilibus, facillime congregentur, qui terram Utz mediam prope tenuerunt, & ab utrovis latere infeſtare potuerunt, ita enim Strabo (ω) de illis memoria tradidit: Sabæos, qui erant in Arabia felici, quidni potius in diſerta? Solitos fuiſſe excurrere in Syriam & Arabiam Petræam, & Plinius (a) cum eodem conſentit. Fuerunt autem hi populi rapinis maxime adſueti, quare eam regionem Octavius Auguſtus Imperator Herodi Magno contribuit ea lege ac conditione, ut ſua diligentia latrones coërceret, latrociniaque extingueret (b) Rectius quoque cenſente Bolduccio hæc Saba ſeu Sabama magis nota erat ruſtico huic nuntio, qui Jobo ſuarum rerum infortunia narrabat, quam remotior quæcunque alia; Rabbi Meir equidem longiſſime Sabæos ab hac terra Utz ſecernit, quippe qui dicit, uti & partim in §. 15. ſupra cognovimus,

ותפל שם שבא פתע פתאום/ עם הייתם רחוקים: מהם/ מה שאמרו רבותינו/ ז"ל במדרש/ ראה כמהו כבש הב"ה לפרענות של איוב לכפר קרינוס שלשה פנים ומיד שחטאו ותפול שבא ותקחם/ כתבנוהו אצל איש היה בארץ עוץ/ ומלת ותפול תורה כן והתימה כי עם רוחק ארצם ועם היות הבקר סמוך לעיר מלאם לבם לבא עליהם ואיב עוזר וכו':

Atque ibidem inciderunt Sabæi quam celeberrime, cum eſſent procul ab ipſis, attende quæſo, dicunt Rabbini noſtri B. M. in commentario quodam myſtico, quam ſubitaneo Deus benedictus impetu acceleravit plagas Jobi, usque ad pagum Cyrinum, tribus vicibus, & quam primum peccarunt, inciderunt Sabæi atque ipſos omnes in prædam converterunt, & annotavimus hoc ad verba, vir fuit in terra Utz, & verbum ותפול *(irruerunt) hoc addocet, & admiratione dignum, cum terra eorum tam longe eſſet remota, & armenta in vicinia urbis paſcerent, quomodo hoc conſilium cor ipſorum impleverit, eadem invadendi, & quod nullus præterea adfuerit auxiliator &c.* Verum delicatæ hujus Rabbini aures nobis ignoſcant, ſi dicamus, ſubventaneas ipſum parere fabulas, & errorem ex errore gignere. Propter vicinitatem igitur hæc regio hiſce prædonibus, uti & Chaldæis, cum quibus mutuam ut diximus, furandi ac rapiendi operam conjungere potuerunt, commodiſſime, quam alia quæcunque patuit. De Chaldæis commemorat Xenophon, fide digniſſimus hiſtoricus, non aliunde eos vivere, quam prædis & incurſionibus in regiones finitimas. (c) Omnium vero ſceleratiſſimos fuiſſe arbitror Sabæos perpetuis præliis vicinam quamcunque gentem inceſſantes, quod Targum eos vocitaverit: לילית מלכות זמרגד: Eſt autem, notante Pagnino (d) Libith Furia ſive Dæmonium ſylveſtre, & זמרגד, confirmante Buxtorfio (e) eſt nomen regionis, quæ Hebraice dicitur שבא Sabæa, idem itaque eſt ac ſi indicare vellet, Dæmoniacum Sabæorum exercitum irruiſſe in terras Jobi, tuliſſe boves & aſinas, & occidiſſe famulos, quare Origenes & Chryſoſtomus hanc credendi neceſſitatem nobis voluerunt imponere, hos latrones ipſos fuiſſe Dæmones in forma hominum apparentes, ſed cum in textu Originali cum Chaldæis, veris hominibus conjungantur, hac in parte illos ſanctiſſimos viros & interpretes & judices ſequi pietas prohibet. Hæc omnia ſi animis attentis expendamus rectius, animum Benevoli Lectoris ſatis ſuperque conſtituent ac parabunt ad aſſentiendum noſtræ ſupra propoſitæ ſententiæ. Accedit & hoc, Amicos Jobi, quacunque etiam conjunctionis ſpecie ei admixti fuerint, (f) quamprimum omnem ejus ſalutem in diſcrimen eſſe adductam cognoſcerent, & Satanam κακόχαρτον immenſis rerum jacturis omnem ejus facultatem exſtinguere, audirent, alatis quaſi pedibus advolaſſe, איש ממקומו, ut præſentes magnam, novam & inauditam hanc calamitatem inſpicerent, & curis afflictiſſimum animum ſolatio iterum erigerent. Sic Eliphas Themanites ex urbe Theman, advenit, Bildad Suahites ex urbe Suah acceſſit, & Zophar Naamanites ex Naema ſupervenit, אלה האנשים הגדולים הדור היו ושוים במעלה לאיוב ר"ל ול"בג Sc.

Fuerunt Viri magni è gentilibus, Jobo æquales, dignitate & excellentia. Rabbi Aben Eſra ut de ſuo quoque aliquid ad hoc addat, dicit: אליפז התימני משפח/ תימן בן אליפז בן עשו/ והקרוב/ שהיה קרוב מימי משה/ כי לא יתחיחש לתימן כי אם אחר דורות/ וסוחי מבני קטורה אשת אברהם את ישבק ואת שוח/ והנעמתי לא ידענו אם יחוסו למדינה או למספחה: ר"ל *Eliphas Themanites è familia Theman filii Eliphas, filii Eſavi eſt, & quod veroſimile, quod ejus ætas non adeo remota ſit à temporibus Moſis, quod Themani non approprietur, niſi poſt aliquot generationes, & Suahites è filiis eſt Kethuræ una cum Jesback & Suah* (g) *ſed quod cognomen attinet Neamathites, neſcimus, num à parte urbis, aut à parte familiæ, eidem attribuatur.* Verum an ſodales ejus fuerint, aut aliqua ipſum cognatione attigerint, nolumus in præſens inquirere, nec, in quo profeſſionis genere vixerint, indagare, ut nobiſmetipſis omnem prolixitatis ſectandæ occaſionem amputemus, iſtæc ſolummodo cognomina examinabimus, & quid noſtræ exinde hypotheſi roboris accedat, cognoſcendo experiemur. Primus vocatur Themanites, איש דאמרי, nomen illud gerere, non ab aliqua ſolum Idumææ provincia, verum etiam ejusdem nominis civitate, Academia ſ. Schola illuſtri celeberrima, (h) conſentientibus Thedoreto & Hieronymo, quorum poſtremus ſuo adhuc ævo villam nomine Theman, ab urbe Petra quinque milliaribus diſtantem, in Idumæa ſuperfuiſſe confirmat. Sue, à qua Suahites vocatur regio ac urbs eſt, ad aquilonem ſita ſub monte Hermon, ab Abrahami,

totiesque citata, cap. 8. Quamvis alias recte judicante D. Gregorio valde ſupervacanee quæratur, quis hæc ſcripſerit: cum tamen Autor libri Spiritus S. credatur, addit igitur: Ipſe hæc ſcripſit, qui hæc ſcribenda dictitavit.

(χ) *In Theſaur. Philol. & in Clav. Script. pag. 502. ubi hoc de ſtylo Jobi judicium fert, tanquam optimus in hac ſcena artifex: quod purus putus Arabiſmus ſit.* (ψ) *Gen. c. 25. vſ. 18.* (ω) *Lib. 16.* (a) *Lib. 6. cap. 28.* (b) *Joſeph. Antiq. lib. 15. c. 4. & l. 1. de bello Judaic. cap. 15. Arabs nomen & omen habere videtur, deſcendit enim vocabulum Arabs ab Hebr.* ערב *commutare merces, cui ſtudio maxime dediti ſunt; Græce &* ἀραβεῖν *idem eſt, ac horrendum ſtridorem edere, more ſcil. ferociſſimorum leonum, ut Arabes in prælio.*

(c) *Lib. 3. Cyropædiæ.* (d) *In Lexico ſ. Epitome Theſauri Linguæ Sanctæ p. 166.* (e) *In Lexic. Rabb. Talmud. pag. 1140.* (f) *Conatur probare Bolduccius ipſum proximo conſanguinitatis gradu attigiſſe in Comm. ad cap. 2. vſ. 11. §. 10. pag. 134. imo fuiſſe Reges, Eliphas Themanorum, Baldad Sancæorum, & Sophar Minæorum pag. 135.* (g) *Gen. 25: 1. & ſeq.* (h) *Probant è Jer. 49: 7. ad quæ verba* רד"ק *notat:* הוא מבני אליפז בן עשו ipſe eſt è filiis Eliphas, filii Eſavi. *Sed Propheta non de perſona, verum loco aliquo diſſerit, & B. Hulſemannus, æternum Lipſienſium decus, in Comment. ita illuſtrat: Themam præcipua Edomitarum provincia erat, ſic dicta à filio Eliphas, & nepote Eſavi, Teman dicto, ut patet ex Gen. 36: 11. & 34. quidam exiſtimant illum, cujus mentio fit Job. 4: 5, 12, 22. fuiſſe filium Eſavi, ut Genebrardus, Iſidorus & alii.*

mi, uti putatur, filio è Ketura procreato sic nominata, & non longe à Gamala sejuncta, quæ huic σαυχίτῃ hospita tecta præbuit. Tertius in ordine conjunctissimorum Jobi numeratur Sophar Naemathites ab urbe Naema descriptus, frater Eliphæ, Jobique agnatus, est habitus. Fretelius à Pineda citatus, ad Septentrionem terræ Utz eam collocat, sed quænam hæc urbs fuerit, quale regnum, non simul indicat. Bolduccius hunc Sopharem Ammonitarum principem fuisse docet, idque è convenientia colligit, quæ inter istæc duo nomina עמנית & נעמנית intercedat, si priori heemanticum Nun præponatur, cui compositioni, ipsimet alias dubiæ fundamenti loco substernit versionem Septuaginta-Viralem, in qua pro voce Naamathites, Minæus, legimus ὁ μιναίων βασιλεὺς Minæos autem esse Ammonitas, exinde declarat, significat, patefacit, quod ubi in Latino textu vox Ammonita occurrat, Septuaginta semper edoceat esse Minæum locus, quem adducit, 2 Paral. 26: 8. extat, adjuvit eum (Oziam) Deus contra Philistinos Arabes, & qui habitabant in Gurbaal (h. e. Gerara) & contra Ammonitas Hebr. המעינים (i) Germ. **wider die Meuniter/** Septuaginta Μιναίες, appendebantque Ammonitæ Munera Oziæ, quamvis hic Bolduccius Vulgatæ suæ aliquid tribuere videatur, ipsius tamen collectionem hoc in loco non adeo absurdam esse putamus, repugnante licet Doctissimo Dn. Bocharto (k) Buntingius in Itinerario Sacræ Scripturæ (l) urbem Theman ad meridiem rejicit, & ab Hierosolymis X Mill. distare confirmat & ab Astharoth Carnajim, quam Jobo sedem adjungit, XXIII. abesse putat. Sed urbem Suah ab eadem mari Galilæo sejungit, ac pluribus ibidem describit, urbem vero Naema in portione tribus Judæ sitam fuisse è cap. 15. Josuæ asserit, quantumvis definitam ejus à terra Utz distantiam adsignare nequeat. Sic ita ordinatis horum virorum habitationibus, facilis inter eruditos consensus erit ad hanc rem, terram supra prolixe delineatam ipsam esse terram Utz, quod rumor de Jobi adversitatibus statim ad amicissimorum suorum aures pervenerit, quibus permoti sese dictum factum in viam dederunt (†) ad sublevandas ipsius solamine miserias, in istac fœcunda tristitiæ domo commoraturi aliquandiu, qua de re summo eos opere laudat laudatus toties Rab. Meir: אלה האנשים גדולי הדור היו/ ושוים במעלה לאיוב היו/ כמו שדרשו ח"זל משלשת רעי איוב עם הקדמה/ שלא תפול אהבה ורעות כי אם בשוים/ ודעת רבים/ שהיו מבני אברהם אבי' ע"ה/ וממנו קבלו/ כאשר קבל/ ענר/ אשכול וממרא/ ועוד אמרו/ כי שלשה מאות פרסה היו בין כ"א מהם/ ומנא ידעין? איכא דאמרי אילניא הוו וכמוש וא"ד אלני' הוו להו/ ונפול/ אמר רבא היינו דאמרי אינשי או חברותא או מיתותא כגון חברוהי' דאיוב פי' השותפין ותעניות/ ואו' אני להיו' מדרכי המוסר המדיני/ כי ברבות הטובה ורב עוד שמחה וחדות בבית אי' מאהובים אז יחרן לקרא לרעיו ואוהביו ישישו בשמחתו ויתעלצו עמו והם לא יבאו אליו מאליהן כדת ח"זל בבני ציון היקרים/ אמנם בעת הצער והאבל הוא בהפך כי טוב לכת מעצמם אל בית אבל/ מלכת אל בית משתה: ר"ל *Hi Viri, Magnates fuerunt è gentilibus, & Jobo dignitate æquales fuerunt, sicuti hoc Sapientes nostri B. M. colligunt, & statuunt de tribus Jobi amicis ex hoc principio, quod amicitia & familiaritas non nisi inter æquales* (m), *& sunt quamplurimi, qui è filiis Abrahami (super quem sit pax) fuisse putant, & ab ipso acceperunt, sicuti accepit Aner, Escol & Mamre* (n), *& porro dicunt, quod trecenta milliaria interjecta fuerint inter eorum unumquemlibet,* (o) *quæritur igitur non injuria, unde sciverint, quid Jobo acciderit? sunt, qui dicunt, fuisse arbores, quæ arefacta sint; alii existimant, fuisse illis arbores, quæ collapsæ fuerint in terram. Dicit Rabbi, h. e. quod homines dicunt, aut amicitia, aut mors,* (sicuti & Jobi amici collegerunt ex modo indicatis auspiciis, quod ipsorum conjunctissimus aut viveret, ac ita perstaret in sua amicitia, aut mortuus esset) *cap. Baba Batra Thanijoth* (p). *Et ego dico, esse de consuetudine civitatis probe moratæ, ut, cum aliquis in multa bonorum possessione constitutus sit, & rebus secundis ac ad voluntatem ferentibus in domo sua fruatur, nemo amantium refugiat invitare amicos suos, & dilectos suos, ut una secum gaudeant atque exultent, hi enim non proprio ad ipsum motu venient, qui, secundum sententiam Doctorum nostrorum B. M. è præstantiss. filiis Sionis sunt. Sed tempore afflictionis ac planctus aliter sese res habet cum ipsis, quia præstat proprio ausu abire in domum luctus, quam in domum convivii* (q). Sique Jobi, divini, ut eum vocat Emanuel Thesaurus, pugilis fortunam adhuc florentem, ad hujus terræ situm accommodemus, ipsius veritatis necessitas hanc à nobis confessionem exprimet, pro eadem superiorem commoditatibus vix reperiri. Numerosissimam gregum ac jumentorum multitudinem alebat, & camelis equisque præpotens insignem opulentiæ apparatum ostentabat, ipse vero huic pecorum numero sustentando meliorem, & pascuarum amplitudine optatiorem terræ tractum efficere haut potuisset, quam Idumæam, in qua rerum omnium ubertas & commoditas nullum ipsi commodum claudebat, jucundissimus longe lateque prospectus patebat, & montibus tanquam præmuralibus, ac præripiis perpetuis ab una parte communiebatur Hermonis scil. ac Libani intonsi, uti Buchnanus eum cognominat, ab altera eam ambibat Jordanes profundissimis ac latissimis undis, quare Homerus cecinit (r)

—— Galilæorum spatioso limite fines,
Lætifluus Jordan scindit Trachonitidis arvis,

quo minus periculis adeo apertius ejus sub Dio pascentes greges expositi essent, nisi ad explorandam ipsius patientiam divina Majestas rapaces Arabum turmas per obscuros secessus immisisset. Ubi hæc terra in planiciem erat extensa, fertilissimi campi & resecta quasi à montibus Thessalica tempe jucundo petebantur adspectu, atque ex illis hinc inde circumjacentia frugifera montium juga, ac dorsa florida, colles, tumuli ac grumi virentes, & disseminatæ quasi valles, convallesque umbrosæ, & lætissimis graminibus, ac castanetis, nucetis, coroetis, betuletis, pinetis, salictis, ericetis, carduetis, calametis, platanonibus, aspretis, aliisque fruticum generibus, ad pascenda pecora commodissimis consitæ, palmis vero superbibant omnia, unde & palmifera Idumæa à Poëtis salutatur, quare & crebra Scripturæ lectio nos eam in memoriam vertit, omnes qui in terra Canaan pecoribus alendis, operam dederint, in aliorum pastorum societatem secedentes, greges suos in his compascuis locis, & alimoniæ insuper & hortensi & frumentaceæ commodissimis habuisse, mirum igitur non est, Jobum, Deo præsertim benedicente, intra exiguum temporis spatium rem adeo magnam fecisse, & œconomico apparatu & variis legitimisque acquisitionibus ad maximam opulentiæ gloriam emersisse. Cum vero triplex terræ Utz seu Idumææ plaga sit, prima circa Damascum, altera ab Arabia deserta prope Chaldæam præclusa, & tertia petrææ vicina, aliam Jobo haut adsignatam volumus quam secundam à Chaldæis & Arabibus utrinque cinctam, cujus asserti probatio non multum nobis facesset negotii, quando enim dicitur, Arabes & Chaldæi, naturali in omnes vicinos odii pertinacia ferventes, perfidiosi, subdoli, & libidinem suam semper occul-

(i) *Multi confundunt quoque* המעינים *&* המנים, *illos esse Ammonitas, vel tamen gentem iisdem admodum vicinam, 1 Chron. 4: 4. & 2 Chron. 26: 7. & sic nomen proprium gentis esse reputamus, sed illos nomen appellativum declarare arbitramur, per* המנים *enim Judæi hodie intelligunt omnes hæreticos, in specie Christianos, & Turcas, it.* האפקורסין *Epicuræos, Atheos, vel* שכפרו בתורה, *qui abnegant legem, Carræos, qui legem Oralem & traditiones rejiciunt, & textui sacro unice adhærent, it.* שכפרו החיית המתים, *qui negant resurrectionem mortuorum, ut Sadducæi.* (k) *Lib. 2. cap. 22. pag. 138. quo in loco Græcam versionem Hebrææ præferre non veretur, sed male, quod cum venia ipsius dixerim.* (l) *Pag. 206.* (†) *Amicitia enim est animorum conjunctio, quos non dirimit locus, præsertim quæ non utilitatis causa appetitur, hanc autem secundæ res parant, adversæ probant.* (m) *Æqualitas, dicente Tullio, pacis & tranquillitatis est altrix, inæqualitas vero seditionis seminarium, æqualitas & ad frugalitatem & ad concordiam maxime conducit, & occasionem murmuris excludit, ubi æqualitas, ibi*

Velle & nolle ambobus idem, sociataque lato
Mens ævo, ac parvis dives concordia rebus.

Silius Ital. lib. 9. de bell. Ital.

(n) *Gen. 14: 13. ubi cum Abrahamo in fœdere fuisse commemoratur, putat ergo, veram amicitiæ colendæ consuetudinem ab ipso edoctos esse.* (o) *Vetus de pago Cerino error recurrit, quo mens semel imbuta, semper errat.* (p) *Ecquis non Jovem lapidem juraret, hæc Rabbinorum acumina veriora esse, quam quæ apud Sagram acciderunt, verum hic oculis magis habenda fides, quam auribus.* (q) *Cohel. cap. 7. vers. 2. Sed illud Ovidii verum est:*

Cum juvat & vultu ridet fortuna sereno,
Indebilitatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt, neque noscitur ulli,
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.

(r) *Lib. 3. Cosmograph. & Plin. lib. 5. cap. 5.*

cultantes, fraudibus involuti, flagitiis quibuſcunque commaculati, ſpecie bonarum artium falſi & amicitia fallaces, nec non habitu ac ore ad exprimendas bonorum virorum imagines exerciti, hanc terram minaciter invaſiſſe, ejuſque per prata paſcentes oves boveſque diripuiſſe, ſequitur, quod inter illos media interjecta fuerit, id quod de nulla alia, majoris veritatis ſpecie, dici poteſt, quam de terra Utz, & in ſpecie, parte ſecunda, cujus metropolis Botſra celebratur (s)

§. X. Hæ ipſæ ſunt rationes noſtræ qualeſcunque & pro noſtri ingenii modulo ac pede collectæ, quæ cum tamen veræ ſint, in eam nos ſpem erigunt, firmo omnino, ac tuto ſtare talo opinionem noſtram, à qua doctiſſimorum Virorum, quos devote colimus & veneramur, ſententiæ non adeo diſſonæ eſſe poſſint. Equidem nunc ordinis ratio & cauſæ affinitas in eam operis neceſſitatem nos adducere videtur, ut certum quoque locum in hac terra definiamus, qui Jobo & natalis & fatalis fuerit, & vario vitæ genere, Deo ſic clementer providente, eundem exercuerit, ſed cum vereamur, ne limites brevitatis tranſiliamus, & novum hoc negotium plurimis difficultatibus circumſeptum eſſe intelligamus, à quibus ſcil. removendis nos ægre attollere poſſimus, præſens hoc tempus iis expediendis impertire nolumus, quin potius, tanquam integræ diſſertationis materiam nobis reſervamus propriam, & melioris virtutis incitamentis conſcribendam. Interim his paucis & exiguis admodum laboribus ingenii vires attentaſſe ſufficiet, quando Doctiſſimorum Virorum æſtimatio nos hoc opere ſubegit, ut eorum diſſenſum ad aliquem harmoniæ conſenſum revocaremus, & vagos ac incertos aliorum ſtrepitus damnaremus, ſanæ rationis dictamine nobis prælucente. Te v. B. L. rogatum volumus, ut ſi quam ex his lucubrationibus ſubciſivis Benevolentiæ Tuæ partem occupaverimus, nos conſtanter ames, Tuoque favore protegas; ſin cupiditatem Tuam neque verborum ſuavitate, neque rerum momentis explere potuerimus, nolumus tamen ut nobis aliquis Hiob fias (t) ſed nos pro opibus noſtris mœnia exſtruxiſſe cogites, quamprimum & nobis quoque melior terræ Utz, plenior conſilii ac opis alienæ, nec non vacua magis otii, concedetur habitanda, ſtudiis melioribus & majori cura elaborato ſpecimine, protectionis Tuæ beneficium perſequemur. Interim, uti Arabes loquuntur:

كل الحافي يحتذي به الحاقي

quovis calceo calceatur nudipes u) Ad portum autem appellentes, omnia noſtra merita ad ſupremi Numinis gloriam celebrandam veniunt, quippe qui ſegne hoc noſtrum ingenium excitavit, ne ſoccordia elangueamus, & benigne nobis vires ſuppeditavit, ut cœpta hæc noſtra ad optatum exitum perducerentur. Omnis hæc vita noſtra ſummi hujus beneficii memoriam non exuet, ſed in ipſius decantandis laudibus abſumetur denique, & ſic ejus erit

F I N I S.

(s) *Sic verum eſſe expertus eſt ſuo magno & malo & damno, veteri quod uſurpatur proverbio:* πῆμα κακὸς γείτων.

(t) *Origenes & Pineda nomen Job derivant à radice* איב *inimicum eſſe, quaſi Jobus perpetuas cum Satana inimicitias exercuerit.* (u) *Ex mente Th. Erpenii: miræ elegantiæ proverbium eſt, defectu meliorum, vilioribus quemque contemtum eſſe.*

M. MATH. MULLERI
DISSERTATIO
De Angelorum Concilio ad Job. I: 6.

CAP. I. præmittens

§. 1. Textum Orig. cum præcip. verſionibus. 2. Cohærentiam loci cum præcedd. 3. Logicam ejus analyſin.

Text. Orig.

ויהי היום ויבאו בני האלהים להתיצב על יהוה ויבא גם השטן בתוכם׃

Chaldaicum.

והוה ביומא דדינא בריש שתא ואתו בתי מלאכיא למקום בדינא קדם יי ואתי לחוד סטנא במציעהין׃

LXX.

Καὶ ἐγένετο ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη, καὶ ἰδοὺ ἦλθον οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ παραστῆναι ἐνώπιον τοῦ κυρίου, καὶ ὁ Διάβολος ἦλθε μετ' αὐτῶν.

Vulgatus:

Quodam autem die cum veniſſent filii DEI, ut aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.

Alius:

Et fuit dies & venerunt filii DEI, ad ſtandum juxta Jehovam: & venit etiam Satanas in medio eorum.

Lutherus:

Es begab ſich aber auff einen Tag/ da die Kinder Gottes kamen und für den HErrn traten/ kam der Satan auch unter ihnen.

§. 2.



Ohærentia loci, cujus ceteroqui cognitio multum lucis afferre ſcripturarum interpreti ſolet, facilis inventu hic eſt. Ejus enim vinculum in prima ſtatim voce ויהי deſignat inſeparabilis particula ו, quam nonnulli per & uti LXX. καὶ ἐγένετο & factum eſt; alii vero ut Vulg. & Lutherus per *autem* oder verterunt: utraque enim ſignificatione ſcil. *copulativa & adverſativa* particulam hanc gaudere pervium eſt. Ceterum nec latet, quomodo iſta quandoque per *præterea, ſic* &c. reddenda, tranſitioni ſerviat & conſecutionem inſinuet; nonnunquam vero pleonaſtice redundet, dum ex uſu linguæ integros libros, capita & verſus inchoat. Hoc autem loco minime redundans, non tantum proprie locum hunc cum præcedd. copulare, ſed & tranſitioni ſervire & conſequens aliquod ſingularium Ijobi virtutum in præcedent. vſ. 1. & 3. deſcriptarum, quod fuit invidia Diaboli, tentatio & perſecutio, deſignare videtur. Tantum enim tamque ſanctum plane Virum invidus Satan ulterius in felici vivere ſtatu (quem præcedentes verſus à 1. ad 5. depingunt) ſine criminatione & tentatione videre non potuit. *Igitur die quodam, cum filii DEI* ſ. Angeli *convenirent*, ad ſtandum coram DEO, impudenter *etiam Diabolus* ſupervenit, calumniaturus Ijobum. Unde & DEUS, ut omnibus innoteſceret, quem verborum ſonitum is percuſſus redderet, vacuuſne eſſet, an ſolida pietate polleret, permiſit illum non externis tantum opibus locupletatum, ſed virtutum quoque cumulo conſpicuum & à Satana hypocriſios inſimulatum probari, mundoque ſic patientiæ, fortitudinis & ſanctitatis exemplar, ipſiſque Angelis ſpectacu-

lum

lum fieri, ut tandem vinceret simulque specimen constantiæ ederet: quomodo & Abrahamo singulariter tentato Angelus Jehovah dicit: *jam cognovi quod timeas Dominum* Genes. 22: vs. 12. Laudamus hic *Pinedam* Jesuitam Hispalensem, qui Comm. in IJobum Tom. 1. pag. 34. nexum loci hujus eundem in modum exponit. Ut vero is nexus tanto magis appareat, ab ipso capitis hujus principio arcessere illum breviter non pigramur. Nimirum post *descriptionem tentati* hujus IJobi à *felici statu*, à vs. 1. usque ad 5. legendam quo pertinent (1.) *Sedes ejus ac habitatio*, quæ est terra Uz (2.) *Morum rectitudo*, quibus dicitur (a) *Vir integer*, (b) *rectus* (c) *timens DEUM* (d) *recedens à malo* vs. 1. (3.) *Liberorum multitudo* vs. 2. (4.) *Opum & familiæ magnitudo* vs. 3. (5.) *Gloriæ & existimationis amplitudo*, ibidem (6.) *Conviviorum*, quibus fraterna liberorum concordia declaratur, *hilaritudo* vs. 4. (7.) Provida Ijobi pro pietate & salute liberorum *solicitudo* vs. 5. post hanc, inquam, felicissimi ejus status descriptionem, pergit Autor libri (2.) *miserum* ejus & calamitosum recensere *statum* & (1.) quidem ostendit, quomodo calamitas illa sit *procurata* à vs. 6. ad 12. (2.) quomodo ipsi *annunciata* à vs. 13. ad 19. (3.) quomodo *suscepta & tolerata* à vs. 20. ad 22. Ad primum sc. *procurationem* s. *originem* tentationum & calamitatum Ijobi spectat (1.) Satanæ obtrectatio (2.) DEI permissio. Hujus autem *originis* & principalis calamitatum Autoris descriptio incipit in vs. 6. qui noster est locus, in quo uti *impudens Diaboli ad DEUM in Concilio angelorum accessus* designatur: ita in subsequentibus vs. 7. 8. 9. tum *DEUS cum Diabolo superveniente loquens* & de Ijobo cum insigni ejus laude interrogans, tum *Diabolus ad quæstionem DEI respondens* & *laudibus Ijobi impudenter & calumniose contra DEI testimonium detrahens* &c. introducitur. Ex his ergo breviter adductis cum connexio loci satis elucescat, statim ad *Analysin Logicam* progredimur.

§. 3. Logice vero locum resoluturi paucis nos expediemus, cum dissidium hic ad Logicam Orationis in subjectum & prædicatum resolutionem spectans non deprehendamus. Duabus vero hic locus constat enunciationibus s. Orationibus Logicis, quarum prior hæc est: *Filii DEI venerunt die quadam ad standum juxta Dominum*; posterior: *Satanas veniebat in medio illorum.* Prioris Orationis subjectum sunt לני האבהים *filii DEI*, de quibus disquirendum, quinam sint? *Prædicatum*, venerunt die quadam ad standum juxta Dominum, resolvitur (1.) *in actum conveniendi*, qui notatur voce ויבאו & *venerunt* (2.) *finem conventus*, qui designatur verbis להתיצב על יהוה *ad standum juxta Dominum.* (3.) adjunctum temporis, quod insinuat vox היום quodam die. (4.) Loci vel quasi, quo referimus verba על והוה *juxta Dominum.* Posterioris *subjectum* est שטן *Diabolus*; *prædicatum*, veniebat in medio illorum, quod involvit (1.) *actum interveniendi*, quem indicant voces ויבא גם & veniebat etiam (2.) *Terminum* ad quem בתוכם *in medio ipsorum* sc. filiorum DEI (3.) *finem*, qui ex sequentibus patet. Ex hac brevi resolutione Logica non difficulter intelligitur quodnam sit loci argumentum sc. *impudens Diaboli in Concilio angelorum ad DEUM accessus, vel: angelorum Concilium, cui Satanas intervenit*: pateret quoque hinc exegeseos s. tractationis partitio, nisi tractanda nonnihil contrahere placeret, uti ex seqq. patebit.

CAP. II. sistens
Ipsam exegesin.

SEnsum ergo loci magis magisque indagaturi ad ipsam loci *exegesin* nos conferimus, quam duobus sistere membris ea, quam analysis præparavit via vel ordine, possemus, ut sc. prior *priorem de Conventu filiorum DEI Orationem*; Posterior vero *posteriorem de interventu Diaboli enunciationem* explicaret; placet autem nunc sequenti ordine, ab analysi tamen non longe nimis abeunte, exegesin formare, ut sc. 1. præmittamus *generatim Concilii* filiorum DEI *Veritatem* s. quæstionem, an *Concilium hoc fuerit imaginarium* s. parabolice intelligendum; an vero pro vere gesto sit habendum? 2. *Speciatim* Concilii hujus *Historiam* inque ea (1.) exponemus *circumstantias* cum *temporis* tum loci (2.) *convenientes* ipsos, sc. filios DEI (3.) *finem* Concilii (4.) *Intervenientem Satanam.* Esto igitur cap. hujus II.

MEMB. I. GENERALE
exponens
Concilii filiorum DEI Veritatem variasque de illa sententias.

GRande enim bellum hic inter Doctores & scripturarum Interpretes deprehendimus, admodum de veritate Concilii hujus disceptantes ac disquirentes, quale fuerit Concilium, qualis Diaboli adventus colloquiumque? an *juxta historiam & ad literam* sint intelligenda, adeoque *pro vere gestis* habenda? an vero *allegorice* tantum s. *parabolice*; an potius *figurate* & per *Prosopopæiam* vel *Ethopæiam* vel *Mimesin* quandam sint exponenda? sive an conventus fuerit *imaginarius* & *in visione repræsentatus*? Plurimi sane prius, sc. veritatem Concilii negant, statuentes posterius; quanquam inter se ipsos multum dissident. Variantes igitur sententias breviter adducere oportebit, priusquam ἐπίκρισιν addamus & nostram verisimiliorem, ceu fas est, stabiliamus. Non enim Jhudæi tantum veteresque Ecclesiæ Doctores, sed & recentiores, quin ex nostratibus non omnino nulli in diversum hic abeunt. Unde res, de qua inpræsentiarum quæritur, non omnino facilis videtur: nam & *Pineda* paulo ante laudatus l. c. p. 38. in pr. fatetur, *in re non omnino facili triplicem esse sententiam.* Quanquam & revocari ad duas has generales possunt, ut dicatur quosdam Concilium hoc pro *vere gesto habere*; plures vero negare id *juxta historiam* intelligi debere. Cum vero & posteriores & priores in duas rursus, si non plures, scindantur sententias, uti jam vel ex propositione quæstionis colligere licuit: quidam enim ad *Rhetoricam*, alii vero ad *visionem* recurrunt, ut parum absit, quin ad *Poëticam* confugiant; hinc non immerito triplicem imo quadruplicem esse essentiam hic dandam censemus.

§. 2. Ad *Rhetoricam* recurrentes statuunt *allegorice* vel *parabolice omnia esse intelligenda, quæ hic tanquam temporaliter gesta narrantur.* Sic *Origenes*, qui plurimum mysticis delectatur sensibus & omnia fere sumit allegorice, quæ literaliter sunt intelligenda, ceu de ipso h. l. testatur *Bolducius Capuccinus* in vastissimo ad Jobum Comm. Tom. 1. p. 80. Similiter *Maimonides* Jhudæorum doctissimus in *Moreh Nevochim* p. 3. c. 22. dicens, *omnia esse parabolica & summa involvere mysteria.* Ad quem *Maimonidis* locum ab Ephodæo laudatur *R. Simeon ben Lakis*, qui angelos de *Potentiis naturalibus* & Satanam de *prava suggestione* vel *concupiscentia* acceperit. Consentit *R. Levi ben Gerson* & alii. Ab his vero dissentiunt alii è Christianis, qui quidem ad Rhetoricam quoque recurrunt; non tamen *allegorice* vel *parabolice*; sed *figurate* exponunt, ita ut quædam hic *Prosopopæia* s. ficta Personarum inductio, vel *Mimesis*, qua verarum personarum dicta & gestus per imitationem repræsentantur, sive *fictio* quædam *Poëtica* sit danda, non tamen falso vel inutiliter, sed ut utilia & verissima nobis sub fictione quadam Poëtica indicentur & *per conventum angelorum* in genere ipsorum in DEO laudando alacritas & administrandi promtitudo adumbretur, at per *Satanæ accessum* indigitetur, hunc etiam divinis subesse oculis & imperio, aut similis esse cum angelis naturæ semperque conari hominum saluti insidias struere &c. quam nonnullorum sententiam pluribus exponit *Pineda* l. c. p. 38. ubi & autores adducit *Gregorium*, *Salvianum*, *Thomam*, *Cajetanum*, *Carthusianum*, *Isidorum Clarium* &c. His etiam suffragantur *ex recentioribus* non omnino nulli, & quidem ex *Reformatis Coccejus* Comment. in IJobum h. l. p. 13. dicens: *allegoria hæc est, aut si mavis cum Chrysostomo* προσωποποιΐα: *Sub humani judicii forma explicatur divina providentia*, quod pluribus ibi deducit. Similiter ex nostris *B. Christophorus Scultetus* in analysi typ. Concionum super Job. pag. 8. *Concilium* hoc, inquit, *per* προσωποποιΐαν, *ut Chrysostomus vocat, vel* ἠθοποιΐαν *indicat hæc omnia justa & sapienti DEI consilio acta.* Ex *Pontificiis* quoque *Emanuel Sa* parabolice locum interpretatur, & *Mariana prosopopæiam hic tantum aut hypotyposin esse, per quam intelligitur veritas* contendit. &c.

§. 3. Quod II. illorum attinet sententiam, qui conventum hunc statuunt *imaginarium* adeoque rem, quæ hoc loco narratur, non ita esse peractam, sed tantum visam vel in visione quadam repræsentatam censent, eamque ex simili visione 1 Reg. 22: 29. seqq. confirmant, huic certe ex nostris patrocinatur *Ursinus* 2. Anal. l. 4. p. 206. Eodem collimat *Grotius*, quod allegata ab ipso loca probant: ita enim ad h. l. scribit: *Solent DEI decreta, angelorum bonorum ministeria, malorum*

lorum machinationes exprimi ad formam judiciorum aut consiliorum Regis 1 Reg. 22: 19. Zach. 3: 1. seqq. Ex Pontificiis *Mercerus* Comment. in Job. h. l. p. 5. *non ita crasse*, inquit, *seu ad literam* facta fuerunt; sed Scriptura sese nostro *captui accommodare voluit. Tale colloquium Domini exponitur*, 1 Reg. 22: 19. Non habet alioqui opus *Dominus cum Satana colloqui, cum gnarus sit, nec princeps tenebrarum in DEI clarissimæ lucis conspectum venire possit* &c. *Nec Angeli proprie veniunt ad Dominum, cum assidue faciem ejus videant*, &c. Idem quoque videtur placuisse *Vatablo* & verosimile putat Hugo. conf. *Pineda* l. c. p. 38. Hactenus de sensentiis illorum, qui realiter hæc esse peracta negant.

§. 4. His vero contradicunt, qui Concilium hoc pro *vere & realiter gesto* habendum & juxta historiam litteramque intelligendum esse volunt, quanquam & hi rursus in duas, si non plures, scinduntur partes. Quidam enim hunc conventum vere quidem & realiter accipiunt ac per *filios DEI* intelligunt *Angelos Spiritus*, sed conventum ipsorum non *ratione corporea*, sed *modo spiritibus conveniente* gestum esse contendunt: quæ sententia quorundam est *Patrum* pluriumque *Pontificiorum*, quamvis hi audenter satis illam augeant, ceu videre est apud *Pinedam* Jesuitam l. c. p. 36. num. 1. ubi non tantum Patres *Athanasium*, *Augustinum*, *Nazianzenum*, *Lactantium* & *Olympiodorum* pro se allegat horumque verba adducit, imo & *Lyranum* in hanc sententiam non invitum trahi posse, *Hugonem* vero *Cardinalem* lubentem ipsum descendere, *Johannem* denique *Ferum* non longe recedere dicit; sed & præterea *locum* hujus Concilii sc. *prope domum Jobi*, *præsidemque* conventus *aliquem ex superioribus Angelum*, simulac *causam* ejus sc. *auxilium Angeli custodis I Jobi* determinare audet. A sociis vero hic suis (ut & alibi solet quandoque) abit *Bolducius Capucinus* ad sequentem sententiam audiendus. Alii enim non vere tantum & realiter, sed *ratione corporea* peractum hunc conventum docent: Etenim per *filios DEI* hic vel *Prophetas & Sacerdotes Ecclesiæque Doctores*, qui ad ministrandum coram Domino hic convenerint, vel *potentes Viros* & aliquem *Adversarium æmulum* per *Satanam* hic indigitari putant. Posterior *de conventu potentum* æmulique adversarii, quorundam fuit Ebræorum, quos nominant *Dn. D. Pfeiffer.* & *Dn. Schmid.* h. l. *Prior* vero *de Prophetarum* congregatione dicti jam est *Bolducii*, qui sociis quidem suis contra *Allegoricos* & *imaginarios* §. 2. & 3. citatos principio suffragari, & realiter hunc conventum *prope ædes I Jobi*, *Præside* quodam *Arch-Angelo. DEI Vicario, in auxilium Angeli custodis I Jobi* peractum statuere cum *Pineda*, laudatis quibusdam Patribus, *Athanasio*, *Lyrano*, *Olympiodoro* & *Hugone* Card. videtur, *Comment. in Job.* Tom. 1. h. l. pr. verum p. seqq. 82. & 83. item lib. 1. *de Eccl. Ante-Mosaica* cap. 44. mutare sententiam hanc & conventum hic non Angelorum sed *Prophetarum & Sacerdotum Ecclesiæque Doctorum* statuere, *qui tunc temporis coram altari in celeberrimo terræ Utz templo, in cacumine montis Hermon sito, quod sanctissimus Dux & Pontifex Jobus fuerit moderatus, sint congregati*, imo & seq. p. 84. & 85. Comment. in Ijobum *similitudinem inter hanc filiorum DEI & illam Prophetarum Doctorumque Ecclesiæ congregationem, quæ Antiochiæ* Act. 13: vs. 1. *facta legitur, monstrare non veretur.*

§. 5. Nos vero de recensitis hactenus sententiis quid sentiamus, breviter dicturi, *primo* rejicimus illos, qui §. 2. & 3. vel ad *Rhetoricam* recurrunt, & modo *allegorice* vel *parabolice*, modo *figurate* s. per *Prosopopœiam* vel per *mimesin* &c. locum hunc exponunt, vel *imaginarium* fuisse conventum angelorum per *visionem* quandam *repræsentatum* dicunt, & contra, pro *vere* gestis habenda esse, quæ h. l. narrantur, judicamus, tum quod *nihil incommodi hinc sequi videatur*, tum quod *à litera temere ad metaphoram* vel *figuram*, vel *imaginationem* vel *visionem* recedere non oporteat; sed textus scripturarum, ubi in Grammatico sensu nihil inest absurdi, uti narratur & verba jacent, sint intelligendi, ceu bene hic loquitur *Pineda* l. c. p. 38. num. 11. *Deinde* vero etiam, quæ præced. §. 4. ex quibusdam Patribus *Pontificii* præcipue *Pineda* & *Bolducius*, sententiæ huic de Concilio Angelorum realiter peracto, temere satis adjiciunt determinando *locum* hujus concilii & *Præsidem Vicarium causamque*, quin & quæ peculiariter hic *Bolducius* confingit de *congregatione Doctorum Ecclesiæ*, ut & quod *Rabbini* quidam comminiscuntur de conventu *potentum*, merito reprobamus, prout ex secutura mox Exegesi satis elucescet.

§. 6. Contra vero sententia de loco præsenti hæc est nostra, quæ & *Dn. D. Pfeifferi* est in dub. vex. h. l. quod *Concilium hoc Angelorum & adventus colloquiumque Diaboli ad literam intelligenda sint, & pro vere actis habenda, non tamen ratione corporea, verum modo & DEO & Spiritibus congruo.* Ejusdem sententiæ Patronum laudamus *B. Dorscheum Theologum quondam Argentorato-Rostochiensem* in Pentadec. Disp. 2. §. 32. ubi ad Ps. 2: 3. occasionaliter commentationem *Bolducii Capuccini*, de *loco*, *Præside vicario* & *causa* conventus hujus Angelici paulo ante citatam reprobat, hujusque commentationis *mutationem* præced. §. 4. dictam, qua per *filios DEI* intelligit *Prophetas Ecclesiæque Doctores*, tangit; unde colligimus pro conventu Angelorum Spirituum *vere peracto* eandem pronunciare. Laudamus quoque *Dn. D. Schmidium*, qui quamvis in Comment. ad I Job. h. l. in principio p. 7. referat, *veteres jam olim Ecclesiæ Doctores agnovisse, quod, quæ h. l. narrantur, figurata sint, simulque* Mercero & Coccejo citatis *addat hæc verba: & certe omnia ad literam accipere non debemus nec sine absurditate possumus. Itaque humano stylo concepta sunt* &c. hoc ipso tamen non negare videtur, *conventum hunc pro vere gesto esse habendum*, sed illud tantum subinnuere velle, *non humano vel corporeo more, sed modo Spiritibus congruo esse intelligenda.* In seqq. enim nullam s. allegoriæ s. figuræ mentionem habet, sed potius Concilium hoc *figmentum* esse negat & realiter peractum dicit p. 25.

§. 7. Neque etiam *rationibus* destituimur. Præter enim illas præced. jam §. 5. intersertas urgemus, quod uti *liber Jobi veram continet historiam*, minime vero parabolam, quod *Schmidius*, *Pineda* & *Bolducius* in Commentariis super Jobum, & proxime præcedentia de *felicissimo Jobi statu*, de *filiorum conviviis*, & de *Sacrificio* Jobi quæ historica sunt ostendunt: ita & hanc ejus particulam de *Angelorum Concilio* historicam esse narrationem oportebit. Deinde & nostra interpretatio fidei analoga est sensusque ejus commode ex textu fluit: Angelos enim bonos ad nostram emitti salutem & DEO adstare, Diabolum vero circumire & indesinenter nos apud DEUM accusare, scriptura passim docet. Contra vero *Cocceji* & *Merceri* aliorumque sententia, qui verba textus vel *allegorice* vel *figurate* vel *imaginative* accipiunt, coacte locum exponit, nec rationes ipsorum tanti sunt ponderis, ut dimovere nos ab interpretatione nostra possint. Quod enim (1.) visiones attinet, à *Mercero* (conf. præced. §. 3.) aliisque ex 1 Reg. 22: 19. & Zach. 3: 1. productas, quomodo ipsi probabunt iis similem esse, qui h. l. narratur, conventum, h. e. non revera peractum, sed per visionem repræsentatum? Non enim hic, uti illic, verba textus de *visione* testantur, sed uti proxime præcedentia ita & hic conventus per modum historiæ recensentur. Nec (2.) sequitur, ceu *Mercerus* supr. §. 3. concludere hic contra nostram interpretationem videtur velle: *ad literam facta hæc dicimus, Ergo crasse & ratione corporea.* Per literam enim hic intelligimus *Grammaticum & historicum sensum* & exponimus *vere gestum*, opponimusque interpretationi, quæ fit per *Metaphoram* s. *Allegoriam* vel per *figuram* vel *visionem*; dicimus autem non crasse i. e. *ratione corporea*, sed modo spiritibus competente conventum esse peractum. Cætera *Merceri* aliorumque argumenta ex jam seq. specialiori historiæ exegesi facile resolvuntur. Conf. sq. §. 1. & 2.

MEMB. II. SPECIALE

evolvens breviter

Concilii hujus Angelici Historiam,

Inque ea 1. Circumstantias Temporis & loci, 2. Convenientes, 3. finem conventus, 4. Intervenientem.

§. 1. PRincipio nobis exponenda venit *circumstantia temporis*, quæ statim ab initio designatur verbis: ויהי היום quæ varie redduntur. Duo autem hic disceptantur, (1) *quomodo vox* היום *reddenda*, an per *diem hanc*, ceu habent LXX. s. per *hodie*; an vero per *quodam die*, ut *Vulg.* & *Lutherus* verterunt? (2.) *Quinam is dies* fuerit, quo conventus hic Angelorum celebratus? Ad (1.) dicimus, phrasin hanc ויהי היום quæ non hoc tantum loco, sed & alibi in scripturis adhibetur, (conf. saltim 2 Reg. 4: 8.) minus commode à LXX. reddi: καὶ ἐγένετο ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη. Qualis enim hic sensus: *& factum est sicut dies hæc*? Nec melius à *Tremellio* verti: *quum esset dies hujusmodi. Dices*: non male has versiones *relativum* facere & diem hunc conventus referre ad *dies Conviviorum filii* Ijobi, quæ præced. v. 4. describuntur, quorsum & hæc Piscatoris respicit: *Die illorum quodam.* Sed respond. Non convenire id, cum aliis Scripturæ locis e. c. 2 Reg. 4: 8.

2 Reg. 4: 8. ubi eadem phrasis, ceu dictum, habetur. Conf. Dn. *D. Schmidius* h.l. pag. 19. Nec reddendum hic esse τὸ היום per *hodie*, ceu alias solet, existimamus. Sicut enim non quadraret si l. c. 1 Reg. 4: 8. eandem hanc phrasin ita redderemus: *& factum est hodie & transiit Elisæus in Sunem* &c. Ita nec h. l. *& factum est hodie & venerunt filii DEI.* Rectius vero *indefinite* redditur per *quodam die*, quomodo & *Vulg. Pagn.* ac *Lutherus* transtulerunt: auff einen Tag. Præfixum enim ה demonstrativum aliquando quidem *certum quid* sed *vage* tamen significare & per *quidam* explicandum esse, ostendunt loca Genes. 14: 13. c. 28: 2. במקום *in locum quendam* Eccles. 4: 12. Consentit *Coccejus* Comm. h.l.p. 14. probat *Dn. D. Schmidius* l. c. & *Sculthetus* Anal. typ. in Job. p. 8. Nec aliter loco 2 Reg. 4: 8. jam ante commendato, nec aliter infra IJob. 1: vs. 13. idem illud היום accipiendum, sc. *die quodam convivii filiorum IJobi.* Igitur h. l. *certus* quidem *dies* conventus hujus Angelici fuit, *quotus* vero s. anni s. ætatis Jobi fuerit non describitur, adeoque indefinitum tempus juxta textum Originalem manet, nec determinari dies potest. Ebræi tamen hic, præeunte *Chaldæo Paraphrasta*, qui diserte habet ביומא דדינא i. e. *in die judicii*, diem hunc de *die quodam judicii* vel *generalis* vel *specialis* accipere non verecundantur. Docent enim *generale judicium* tribus institui temporibus 1. in *principio anni*, primo die Tisri, 2. die *Kippurim s. expiationis* & 3. *in fine seculi*, quem *judicii diem* & quidem magni κατ' ἐξοχὴν appellant, adeoque statuunt hunc diem, vel fuisse *primum diem anni*, quo DEUS rationes anni totius accipiat omniaque in annum sequentem disponat: ex quo lucem capit dicta versio Chaldaica quæ h. l. habet: *in die judicii* & quidem בריש שתא *in principio anni*, & versu sequ. cap. 2: 1. ubi locus hic repetitur & *Chaldæus* reddit, יום דינא רבא שבוק סרחניא i. e. *dies judicii magni remissionis peccatorum*: vel fuisse *diem judicii particularis IJobi.* Plura de his vide apud *Coccejum* l. c. Licet autem *Rabbinica* sint, ceu illa *Coccejus* ibidem vocat, & *crassa*, ut *Mercerus* ea h. l. nuncupat p. 5. & *fabulosa*, uti Dn. *Schmidius* nominat, quæ h.l. de die conventus Angelici proferunt; *B. Schultetus* tamen in Anal. typ. concionum in IJobum p. 8. *non repugno*, inquit, *cum Chaldæo & Rabbinis quibusdam de singulari quodam judicii die accipi, modo somnia illorum de principio anni & die Kippurim, quibus acta totius anni Angeli DEO referant, non admisceantur.* Eodem collimat *B. Dorscheus* in *Pentadec.* l. c. ubi *Bolducium* paucis notat dicens: *rectius ille conventus, tanquam particularis judicii divini, in cœlis institutus* &c. Neque nos adeo refragamur, si *dies* hic dicatur *quasi judicii* vel potius *probationis*, quo sc. in conventu hoc Angelico, cui Satanas supervenit, decreta sunt quæ sequuntur in lib. Jobi, antequam ipsi Jobi ad probationem ejus, à DEO, prævia Diaboli insimulatione, fuerunt immissa. Cæterum vanus hic est *Mercerus* supra m. 1. §. 3. abs nobis notatus, dum ea propter hunc locum non crasse ad literam, sed eo accipiendum modo esse docet, quo 1 Reg. 22: 19. quod *dies hic* assignatur *DEO qui temporis expers est, adeoque id humano fieri more* putat, Comment. in Jobum h. l. p. 5. Nam etsi verum est, non omnia crasse ad literam accipienda esse, si cum *Mercero diem ad DEUM retuleris*; existimamus tamen diem hunc ratione Angelorum potius, quam DEI, imo pro tempore, quod alias *ævum* dicimus, in quo Angeli sunt, intelligendum esse. Et bene hic observat *Dn. D. Schmidius*, non dici: *& fuit dies & sedit DEUS super throno*; sed: *& fuit dies & venerunt filii DEI.*

§. 2. Quemadmodum vero de *temporis* adjuncto nihil certi possumus determinare præter illa, quæ modo designavimus: ita nec *de loco* cum *Pineda* & *Bolducio* præced. m. §. auditis definire quimus. Miramur hinc merito cum *B. Dorscheo* l. c. unde Bolducius habeat, Angelos *prope domum Jobi convenisse.* Nihilominus tamen Pineda l. c. pag. 38. *res ipsa*, inquit, *postulare videtur, ut Angeli qui salutem & res Jobi erant procuraturi, & Satanas petens facultatem IJobo nocendi, ibi locorum convenerint, ubi res ipsa & IJob atque filii ejus versabantur. Sed* ratiocinio consequentia inest nulla. Cum vero nos supra, in διατυπώσει tractationis, verba loci על יהוה i. e. *ad s. juxta Dominum*, referre ad conventus hujus *locum vel quasi* voluerimus, hinc dicendum est, *conventum hunc fuisse habitum juxta Dominum.* Dicuntur enim *venisse filii DEI ad Dominum.* Utut enim τὸ על communiter significet *super*, à Radice עלה *adscendit*; nonnunquam tamen etiam notare *ad s. juxta* satis probant loca Genes. 18: 8. c. 28: vers. 30. 1 Sam. 20: 11. Job. 33: 23. &c. Vanus hic iterum *Mercerus* est, dum p. 5. denuo ex eo, quod angeli hic dicuntur *ad DEUM venire*, concludit, *conventum* hunc *similem esse illi* 1 Reg. 22: 19. *descripto, & humano omnia more h. l. dici*, nec *ad literam intelligenda esse*, *cum Angeli semper videant faciem DEI adeoque semper apud ipsum sint*: Imo & *venire vel redire ad DEUM* tunc dici putat, *cum ipsum laudant & celebrant precesque justorum eidem offerunt.* Quamvis autem verum sit angelos corporeis pedibus ad DEUM non venire, cum Spiritus sint; suum tamen habent motum, cum non ubique sed finiti sint. Sicut ergo Satanas, cum Angelorum concilio supervenit, à motu revera venit, quo *terram pervagatus* seq. v. 7. dicitur: ita & angeli ad Dominum motu proprie dicto venerunt. Interim quoque verum est, quod *faciem DEI semper videant* Matth. 18. Non enim tantum DEUS cum Angelis est, ubicunque fuerint ipsi, cum sit ubique: Sed illud quoque gloriosæ manifestationis divinæ πῶ, ad quod venisse hic intelliguntur, semper ipsis in conspectu est. Quid? quod *cœlum* illud Matth. 18. *in quo Angeli vident faciem DEI Patris cœlestis*, cœlum est *præsentia divina* atque ita ubique conf. *D. Schmidius* h. l. p. 20. Dicuntur autem hic venisse ad Dominum, cum sc. commissa ipsis à DEO e. c. custodiam Jobi & domus ejus peregerunt: ut adeo sensus verborum hic sit: *quodam die cum venerunt à custodia circa IJobum & filios & quicquid ejus fuit ad Dominum.* Non ergo necesse hactenus est statuere conventum hunc angelorum fuisse in *cœlo* vel πῶ *beatorum*, cum potuerit in terra esse, cum in terris quoque angeli existentes videant faciem DEI in cœlo, in *cœlo* inquam *præsentiæ divinæ*, uti jam dictum est. Ut vel hinc iterum inepta satis appareat *Merceri objectio* supra §. 3. adducta, qua ita argumentatur: *Conventus hic similis est illi* 1 Reg. 22: 19. *adeoque verba hic ad literam non intelligenda sunt, cum etiam Diabolus ad hunc conventum*, qui in *cœlis apud DEUM est peractus, venisse dicatur; Diabolus vero in cœlum vel* πῶ *angelorum non veniat.* Præterea dici contra *Mercerum* potest, DEUM potuisse *Diabolum accersere in cœlum* ceu *judex carnificem.* Conf. Dn. D. *Pfeifferus* in dub. vex. h. l. p. 558. Placet tamen etiam *B. Dorscheo* statuere, *conventum hunc in cœlis esse institutum ab angelis*, Satanamque ad illos DEI permissu, sine ullo tamen gloriæ cœlestis fructu, venisse. Conf. ejus Pentadec. Disp. 2. p. 32. Ridiculi tandem hic sunt Pontificii, præprimis *Pineda*, dum non tantum concilium hoc, ceu diximus, *prope domum Jobi* peractum, sed & *Præside quodam Archangelo*, Dei vicario, statuunt, imo nec obstare sibi divinum nomen vel diserta loci verba: *& venerunt* על יהוה i. e. *ad Dominum*, putant; cum tamen hoc nomen nulli creaturæ competat adeoque nec *Archangelus* per illud, sed *Deus ipse summus* indigitetur; quicquid etiam *Pineda* hic sibi ipsi dubium contra nomen illud formans p. 59. in pr. oggranniat. Miratur quidem etiam hic *B. Dorscheus* l. c. unde *Bolducius* (nos addimus: *Pineda*) *hoc didicerit*; sed *Pineda* hic autoritatem *Athanasii* & *Olympiodori* laudat; quam tamen contra clarum loci textum insufficientem censemus.

§. 3. Visis ita *temporis locique* circumstantiis, jam II. ipsi *convenientes* veniunt videndi, qui dicuntur hic *filii DEI.* Ubi quæritur (1.) *quinam illi*, (2.) *quot fuerint?* *Bolducium* hic mutata priori sententia per *filios DEI* intelligere *Prophetas similesque pios*, jam supra dictum est §. 4. sed fallit. Equidem novimus in Scripturis τὸ *filii DEI* varie sumi; hoc à loco non *Prophetas piosque*, significari, certi sumus, tum ex oppositione *intervenientis Satanæ*, tum quod repugnet, ut in congregationibus sacris in hac terra institutis Satanas comparens de filiis DEI in his terris conqueratur; quod tamen in hoc conventu legitur factum. Confirmat sententiam de Angelis locus Jobi 38: 7. ubi dicuntur *jubilantes omnes filii DEI*, in ipso sc. primævæ creationis cursu: nulli enim filii DEI in aliqua tunc copia præsto erant, quando creationis opus absolutum, quam angeli boni. Rationis hujus denominationis *Coccejus* collegit quatuor l. c. pag. 15. ex quibus nonnullas *Dn. D. Schmidius* recte refutat pag. 22. Paucis: Dicuntur *filii DEI*, quia sancta sunt DEI creatura, tum per primam productionem, tum per secutam confirmationem. Laudamus hic *Chaldæum*, qui pro בני האלהים diserte hic habet כתי מלאכיא id est, *chorus angelorum.* Cujus paraphraseos occasione quæritur, (2.) quot *fuerint angeli* hic convenientes? Credimus cum *Dn. D. Schmidio* convenisse quidem *aliquos*, non vero *omnes*: nunquam enim omnes à piis discedunt, nec dicitur hic *omnes filii DEI*, ut IJobi 38: vers. 7. sed simpliciter, *filii DEI.* Addit ille, fuisse hic convenientes illos, qui pro custodia tum IJobi tum iis qui quæque ad illum pertinebant, dati fuerunt, à quibus accepit Dominus, quod de IJobo prædicat vers. 8. quibus se immiscuit Satanas, hanc custodiam amoliturus.

§. 4. III. *Finis* conventus notatur verbis: ad *ſtandum juxta Dominum*, uti vulgo transferuntur. *Rabbini* quidam reddunt: *ad litigandum cum Domino*, fors propter ſequ. particulam על, quæ aliquando *contra*, hic vero *juxta* vel *ad* ſignificat; verum quod על cum verbis *ſtandi* ſine oppoſitione uſurpetur, vel locus 1 Reg. 22:19. oſtendit. Rectius: *ad ſtandum juxta Dominum*, ſc. ut miniſtros Dei decet, præſtituri, quod ſui erat officii, & honorem ſubjectionis Domino conteſtaturi, quin & quæ in terris præprimis circa I Jobum geſta erant relaturi, forte etiam Diaboli calumniam præventuri. Non probamus hic Scholaſticorum opinionem, à *Pineda* hic inſinuatam, quaſi quidam Angeli ſemper Domino adſtent, nunquam hinc recedentes: Hujus enim nullum in Scriptura fundamentum. Igitur recte à *Coccejo* hic reprobatur. Fruſtra vero eſt *Mercerus* p. 5. dicens, verba hæc: ad *ſtandum juxta Dominum*, de Satana non addi. Videatur enim ſeq. Cap. Jobi 2: verſ. 1. ubi diſerte adduntur nec aliquid novi hoc ipſo dicitur, conf. *Dn. Schmidius* ad Job. cap. 2. verſ. 1. pag. 56.

§. 5. Tandem IV. *Interveniens* quoque eſſet conſiderandus, qui dicitur hic שטן, quæ vox *adverſarium* notat, à R. שטן *adverſatus* fuit. Diaboli nomen in Scripturis hoc eſſe, qui ſponte ſua factus eſt malitioſus DEI piorumque adverſarius, pervium eſt vel ex 1 Petr. 5: 8. Quare autem h. l. vox *ſingularis* numeri *Satan* adhibeatur & *quomodo* is h. l. venerit ſc. ut fur inter filios Dei, vid. apud *Schmidium* p. 23. 24. Non *ordinarie adeſt* (inquit h. l. *Calovius in Bibl. Illuſtr.* p. 886. prætereaque nihil ferme ad h. l. is notavit) *ſed advenit ut extraordinarie irreperet ad accuſandum: non vocatus, impudenter venit permiſſu tamen divino.* Quam impudentiam recte etiam h. l. notat Reformatus *Coccejus*, minus autem recte *neceſſitatem parendi* addit, quam contra rectiſſime negat *Mercerus* h. l. p. 5. Nemo enim hic ipſum coëgit accuſare ſed permiſit Deus.

M. JOH. REISKII
DISSERTATIO
De morbo Jobi difficillimo ad Job. II: 7.

VIRO NOBILISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOM. CHRIST. FRANC. PAULLINI

COM. PAL. CÆSAR. MED. DOCT. ET SOC. CURIOS. GERM. ARIONI

S. P. D.

M. JOH. REISKIUS

S. G. R.



MUlto (fateor) me ornaſti ſtudio tum ad Gloſſopetras Luneburgicas explicandas, tum ad multiplicem rerum medicarum hiſtoriam, & adhuc ornare indies pergis: neque tamen gratias ab me haberi cupies aut exſolvi! Ego autem nunquam officii honeſti ero immemor, ut gratum animum tuique ſtudioſiſſimum deponam. Si quidquam in locis Scripturæ S. dubiis vel Auctoribus extraneis, quantulumcunque ſit, abs me Tibi fuit præſtitum, hoc velim Deo tribuas, non mihi. Sin erratum alicubi aut hæſitatum fuit, hoc mihi debetur homini, cui offenſionem vitare penitus non licet. Dabis ergo veniam humanæ fragilitati, ſi neque nunc rectum aut in omnibus exactum quid circa tuas ultimas quæſtiones attulero. Quare ut de morbo Jobi difficillimo heic dicere primum aggrediar, ulcus illud ardentiſſimum, quod aſſeris, Hebræus codex, Græcus, etiam Chaldæus, Syrus, & Arabs Interpretes tecum facile agnoſcent. (a) Nam in Hebræo codice occurrit שחין רע h. e. *ulcus malum, à planta pedis usque ad verticem diffuſum.* Quippe vocabulum Hebræum ab radice ortum Chaldaica שחן; qualis adhuc ſupereſt, h. e. à caleſcendo aut calefiendo, proprie calorem ſive inflammationem denotat; metonymice vero ulcus cum inflammatione aliqua conjunctum. Græcus itaque Interpres, idemque antiquiſſimus, ἑλκοσπονηρὸν h. e. *ulcus malignum à planta pedis ad caput usque*; Chaldaicus isque R. Jonathan inflexo ad morem Chaldæum vocabulo Hebræo שיחנא בישא Syrus iiſdem etiam ſervatis nominibus *ulcus malum ſive ſcabiem peſſimam* (ut in Opere Anglicano vertunt) itemque Arabs *ulcus malignum à planta pedis usque ad cerebrum Jobi* rectiſſime reddunt. Nec aliud, quod ſciam, Inpp. Judæi R. Aben Eſra, R. David Kimchi, & R. Schlomoh Jarchi, ſuis in Commentariis; nec apud Polum in Synopſi ſacra Chriſtianorum Commentatorum recentiſſimi heic adferunt. Quicquid de eo fuerit, ſive Moſes, uti Huetio in ſua demonſtratione Evangelica (b) ex incertis rationibus viſum fuit; ſive Jobus ipſe ſuam hiſtoriam, aut ex amicis intimis unus; ſive divinus alius Scriptor ex Arabico aut Syriaco ſermone verſam, uti Frider. Spanhemio (c) placet, Hebraice conſignarit. Verminoſum vero quod facis, ulcus hoc neque ſcriptura Hebraica, neque ulla verſio antiqua continet. Inter Patres equidem Græcos Latinoſque ſunt, qui vermes ex Jobi corpore natos affirmant, Tertullianus puta Cyprianus, Baſilius, Auguſtinus, Gregorius Nazianzenus, & Proſper ab Urſino (d) doctiſſimo citati: ſermo tamen Hebraicus illos

(a) *Job.* 2. *verſ.* 7.

(b) *Prop.* 4. *pag.* 322. (c) *Hiſtor. Job.* (d) *Annal. Phil. Lib.* 4. *c.* 19.

los ignorat. Ipſe noſti accuratiſſime, diverſa ulcerum genera ex antiquis & novis Medicis æque ac Chirurgis connumerari, ut à Franc. Joële (e), itemque Jonſtono in Polymathia egregia, nec deeſſe viros clariſſimos, qui numero certo cuncta poſſe concludi negant. Ulcus interim illud verminoſum ex omni genere quum præfers, Vir excellentiſſime, propius ad ſacram hiſtoriam accedis, quam Rodericus de Caſtro in Morbis Thom. Bartholini Biblicis, & ipſe tuus celeberrimus Præceptor, qui ſcorbutum adpoſuiſſe non dubitat. Cæterum quicquid de vermibus roſtratis & aculeatis in iſto ulcere verminoſo doces, hoc tua fert probabiliter doctiſſima conjectura, & obſervatio ex microſcopiis petita; qualem Hookius & Boyleus in Actis Anglicanis atque Gallicis Ephemeridibus, itemque plures cum Phil. Jac. Sachſio in veſtra Curioſorum Societate florentiſſima dederunt. Ut vel ideo doctoribus hæc tua ſenſa pia & pathologica ex inſtituto laudabili & maturo ingenio profecta non poſſint non probari.

Sed à Prima quæſtione ad alteram convertar, de piaculo Græcorum uno periſcylaciſmo breviter demonſtraturus. Hunc quoniam Plutarchus omnium primus, & ex antiquis, quantum obſervaſſe licuit, ſolus appellat, vel hunc unum adhibuiſſe teſtem, & ex aliis, quicunque Græci ſeu Romani fuerint, illuſtraſſe, niſi fallor, ſufficiet. Loci autem duo huc inprimis pertinent: Alter in Romanis extat quæſtionibus, ubi Chæronenſis ille: (f) τῷ κυνὶ πάντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, Ἕλληνες ἐχρῶντο, καὶ χρῶνται μέχρι νῦν ἔνιοι σφαγίῳ πρὸς τοὺς καθαρμούς· καὶ τῇ Ἑκάτῃ σκυλάκια μετὰ τῶν ἄλλων καθαρσίων ἐκφέρουσι, καὶ περιμάττουσι σκυλακίοις τοὺς ἁγιασμοῦ δεομένους, περισκυλακισμὸν τὸ τοιοῦτο γένος τοῦ καθαρμοῦ καλοῦντες. *Cane*, inquit, *omnes Græci ſunt uſi, & adhuc pro hoſtia nonnulli utuntur ad expiationes: Hecatæque inter alia purgamenta catuli efferuntur, expiandosque catulis tangunt; hanc expiationem periſcylaciſmum vocant.* Ita verſio Xylandri habet, receditque à Græcis quadantenus verbis, ut maxime poſtrema hoc ſenſu vertenda exiſtimem: *Hecatæ inter cætera piacula catulos quoque efferunt, & circumcirca luſtrant ſive abſtergunt catulis expiatione indigentes.* Alter denique locus in Parallelis, & in Romulo quidem habetur, ubi de Lupercis commemorans, proprium his ait, canem, immolari, pergitque: καὶ γὰρ Ἕλληνες ἔν τε τοῖς καθαρσίοις σκύλακας ἐκφέρουσι, καὶ πολλαχοῦ χρῶνται τοῖς λεγομένοις περισκυλακισμοῖς. *Canem, arbitor, ſi luſtratio hæc ſacrificium eſt, immolari, quod eo utantur luſtrati. Græci enim in ſacrificiis luſtralibus catulos offerunt, & multum utuntur periſcylaciſmis.* Hinc itaque ex hocutroque loco certa deſumam poriſmata. (1.) Periſcylaciſmus non erat ipſum ſacrificium, ſed uſitata quædam ad illud præparatio, ſive hanc luſtrationem, ſive purgationem & februationem dixeris (οὐ θυσία, ἀλλ' ὁ πρὸς τὴν θυσίαν ἁγιασμὸς ἢ καθαρμός.) Plutarchus enim hæc ut diſtinguam duo, quæ ab aliis confunduntur, ipſe facit, quum anceps ſecum hæſitat, neque ait, luſtrationem ſacrificiis annumerari poſſe. (2.) Quare aliud à periſcylaciſmo fuit ſacrificium caninum ſive catulinum. Canes enim catuloſque pro hoſtiis oblatos aut victimis, Græca teſtatur hiſtoria, & Plutarchus antea demonſtravit liquidiſſime. Sic Cares Marti canem immolaſſe, Arnobius prodit, eumque καρικὸν θῦμα Suidas vocat. (g) Sic Hecatæ canes catulique mactabantur; & in Samothracia cluebat ἄντρον κυνοσφαγοῦς θεᾶς h. e. *antrum Deæ hujus victimis caninis famoſiſſimum*; quod Sam. Bocharti Hierozoicon (h) ex Lycophrone citavit. Quin Genitæ Manæ, Deæ generationis præſidi (Γενείτῃ Μάνῃ) è canibus catuliſque hoſtias deſtinatas, Plinius & Plutarchus commemorant (i). Sic Lacedæmonios ephebos in Ephebeo (quod corrupte legi Meurſius in Miſcellaneis Laconicis probat) Phœbæo potius ſive loco Therapnes ſuburbanis proximo caninum catulum Marti Enyalio mactaſſe, Pauſanias in Laconicis refert, additque ſibi eſſe incognitum, neque ſatis exploratum, an Græci reliqui præter Colophonios hæc teneant ſacra: (3.) Adeo per hujus graviſſimi ſcriptoris auctoritatem dubium relinquitur, an cuncta Græcia hoc ſacrificii genus amarit, quod à Plutarcho ſuperius contendebatur. (k) (4.) Periſcylaciſmus ſive canina iſta expiatio duabus abſolvebatur partibus, quarum una erat ἡ τῶν σκυλάκων ἐκφορά h. e. *catulorum elatio aut exportatio* (heic oblationem, quam falſo alii ſupponunt, vertere non poſſum, nec vocis ſignificatio eam permittit) altera περίμαξις τῶν τοῦ ἁγιασμοῦ δεομένων h. e. *abſterſio eorum, qui luſtratione opus habebant.* Prima illa pars clariſſime, niſi fallor, liquet; ſecunda plurimam habet difficultatem, eo quod non pateat; an rotatione canis circum caput, an gyratione circa omne corpus, & in orbem ductu ea conſtiterit. Nihil quidem Plutarchus pronunciat, neque alius antiquorum Auctor, quod ſciam, aut interpres; de poſteriori tamen ſuſpicor. Movet me Theophraſtus in ſuis morum characteribus, & Caſaubonus in elegantiſſimo ad eos commentario. Cum enim Græcus Philoſophus in eo, quo ſuperſtitionem perſtringit, capite dixiſſet, quam temere ſuperſtitioſus, ſi quidpiam ſiniſtri viderit aut ſomniarit, (l) ἱερείας καλέσας, σκίλλῃ ἢ σκύλακι κελεύῃ αὐτὸν περικαθᾶραι h. e. *piatrices advocans, jubeat ſeſe ſquilla aut canum circumlatione purgari*: Caſaubonus obſervat, priſcos ſeſe catulo luſtrare ſolitos, eamque luſtrationem dixiſſe periſcylaciſmum. Nam περικαθᾶραι ex ipſius judicio idem eſt, quod adplicare corpori quidquam expiandi cauſa, idque in orbem ducere. Huc refert etiam è Plutarcho ejuſdem ſignificationis vocabulum περίμαξιν, ex Latinis vero Auctoribus circumferendi vocem ſive circumlationem. Quippe ita Virgilius de ſuo Chorineo (m) funeris ſacrificio

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo frondentis olivæ,
Luſtravitque viros.

Ubi Servius: *Circumtulit h. e. purgavit unda, eſt antiquum verbum.* Ita Plautus: *Pro larvato te circumferam i. e. purgabo. Nam luſtratio à circumlatione dicta eſt vel tædæ vel ſulphuris.* Sic legit Servius in loco Plautino, neque tamen, in qua extet comœdia, expreſſit: Ut in vulgatis exemplaribus propter lectionem variam fruſtra requiras. Itaque frequentiſſima luſtratio per aërem, aquam, ignemve; rarior cane aut catulo, ejuſque circa corpus hominum ductu aut circumlatione peragebatur, adhibitis quoque in eam rem piatricibus mulierculis. Unde quas Theophraſtus vocat ἱερείας, ἀπομάκτριαι apud Pollucem in Onomaſtico, περιμάκτριαι apud Plutarchum ἐκ τοῦ περιμάττειν audiunt. Nec à Caſaubono diſcedit Jo. Lomeierus, ſed iſtam expiationem canibus catuliſque circum corpora luſtratis ſive circumlatis explicat, & in libro de luſtrationibus veterum ad ſacra, quæ vocavit circumferranea, porcos, canes, feles, leones adhibitos docet: (n) Diſtinguit denique inter κυνοσφαγίαν, quæ canum mactatio erat, & periſcylaciſmum, qui ſola circumlatione fiebat. Ergo Cœlius Rhodiginus leviter aberrat (o), quando periſcylaciſmum in lectionibus antiquis cum canina victima commiſcet, ac hujus ſolenne feſtum Cynophontin facit, quod luſtrationis nihil continuit, ſed apud Argivos cæde canum plurima per dies caniculares viguiſſe Athenæum legitur (p). Nec errorem effugiunt Heinr. Stephani in Theſauro Græcæ linguæ (q) nec Scapula, qui exſcripſit illum in Lexico ſuo, dum σκυλάκων περίμαξιν ſubſtituunt, ubi τῶν ἁγιαζομένων περίμαξις fuerat uſurpanda. (5.) A periſcylaciſmo igitur aliena Bœotiorum, eaque ſolemnis expiatio fuit, κυνὸς διχοτομηθέντος τὰ μέρη διεξελθεῖν h. e. *per canis in duo diſſecti partes tranſire*, quæ Plutarchi (r) verba ſunt in quæſtionibus citatis. Alia quoque fuit apud Macedones militaris ea luſtratio, qua caput mediæ canis præciſæ; & prior pars ad dexteram cum extis, poſterior ad lævam viæ poſita; & inter hanc diviſam hoſtiam armatæ copiæ dicuntur ab Livio (s) traductæ. Diverſiſſima denique agrorum & urbium luſtratio, quam circumlatis hoſtiis, porco, fele, cane, aut vitulo conſtitiſſe, Taubmannus in Plautino Commentario ſcribit (t). Sed ab ſacris denique ſacrificiis & piaculis, quæ Viri eruditiſſimi; Stuckius, Saubertus & Lomeierus in Germania, Outramus & Godwinus in Anglia illuſtrarunt. Ad ſextum digrediar (6.) A Græco periſcylaciſmo κυνοφορία ſive probroſa canum geſtatio, Germanis, aliiſque nationibus olim uſurpata diſtat maxime. Habet equidem hæc ipſa cum Græco piaculo quidpiam commune, publicam nempe canum geſtationem, & criminis alicujus expiationem: Ut vel ideo non plane ineptiat, ſi quis inde moris hujus originem derivet. Veruntamen κυνοφορία pudenda fuit, & capitali proxima pœna, rebellibus invitis, ſi nobiles fortaſſe fuerint; & deprædatoribus ad fœdam ignominiam irrogata. Quantum igitur hæc ab luſtratione ultronea & religioſa; qualem Græci ſuam exiſtimaverant, recedunt? Adde quod pœna iſta civilis ab magiſtratu publico belli & pacis tempore inflicta, exemplum gravius, quo nobiles potiſſimum coerceantur, ſtatuerit. Neque apud Græcos aut Romanos, ſed Saxones, ſed Francos etiam

(e) *Tom. IV. Lib. II. c. 26.* (f) *Quaſt. 68.* (g) *Lib. IV. in Lex.* (h) *Tom. I. c. 56. Lib. XXIX. c. 4. l. c.* (i) *Lib. I. c. 5.* (k) *Lib. III.*

(l) *Pag. 292.* (m) *VI. Æn. v. 229. ſeqq.* (n) *Cap. 23. pag. 116.* (o) *Lib. VII. c. 27.* (p) *Dipnoſ. III.* (q) *Tom. ult.* (r) *Loc. cit.* (s) *Lib. XL.* (t) *Pag. 66.*

etiam Suevos, Bohemos, Longobardos, Italos, uti vel unicus Arnulfus Mediolanensis in Chronico suo (u) probat, recepta. Huc pertinent, quæ Browerus in Trevirensibus Annalibus, Crusius in Historia Suevica, Lipsius in epistolis ad Belgas, (x) & Carolus du Fresne in Glossario suo circa hanc materiam notarunt. Num igitur à cane, vinculi apud antiquos usitati genere hunc morem deduxeris? Hoc enim non aliter atque furcam gestasse facinorosos, Viri è Plauto doctissimi demonstrant. Sic ille Comicus in Casina (y): *Ut quidem tu hodie canem & furcam feres*: Idemque è Festo Grammatico: *Catulus genus quoddam vinculi, quod interdum canis appellatur.* Sic Catellus etiam in Plauti Curculione uti Turnebus in Adversariis (z) annotavit. Hinc sane Gallo-Belgicum vocabulum *Canaille*, & pœnam cane circumlato Germanicam Lomeierus arcessere non dubitat: Sed docti suum heic judicium interponant. Meursius enim ex vetustis Plauti Codicibus pro cane legit camum neque lectionem hanc Vossius in Etymologico plane improbat. Camus autem aliquod freni genus apud Hesychium (a) Græce κῆμος; apud Auctores Fori, quod nuncupant, Romani vinculum sive quoddam vinculi genus exponitur, atque testimonium ex loco, quem citavimus Plautino subjicitur.

Hæc ad alteram quæstionem satis aut ferme aut plusquam satis dicta sunto: Ad tertiam festino pede conferor, visurus, quid numariæ, quid epigraphicæ antiquitates de canum historia suppeditent. Canes ergo catulique non in Romanis solum, sed Græcis etiam numismatibus locum honorificum meruerunt, sive ad Deos ipsos, partemque religionis aliquam, sive ad homines, à quibus cusi fuerant, illorumque gesta referantur. Istud enim ex antiquitate numaria intellexi, quanquam ab aliis prætermissum fuerit, ut canes & animalia, quæcunque numis exprimuntur veteribus, rerum aut divinarum aut humanarum certa symbola existimem signaque. De canibus hoc meum observatum fiet illustrius, si quidem singula, in quibus extant, numismata ex Ursini Patinique penu ac libris numariis paullum perlustravero. Fulvius autem Ursinus in sua præfatione primum idque incertum h. e. nulli Romanæ familiæ adscriptum suppeditat, & in una quidem parte caput Viri lauru circumdatum, in altera Victoriam alatum, hujusque manu dextra coronam lauream, erecto ibi tropæo proximam, ut canis adstet medius, & ROMA subtus addita. Quin numum illum victoriatis, quos Varro dixit, annumerem, nullus dubito: Canis autem inter victoriam & tropæum medius quid velit sibi, nec ab Ursino dicitur, nec est conjectu facile, nisi hoc animal Marti sacrum & victori congruum dicas. Huc etiam spectat numus Antestiæ gentis, quo instar fœminæ galeatæ Roma, & Castores duo seu Tyndarides gemelli equis concitatissimis vecti, hasta stellisque ad pileum adpictis conspicui, & catulus ad pedes equorum celerrimus & C. ÆSTI seu ANTESTIUS exhibentur. Denarii certe isti victoria Dea Castorumque signis præditi apud Antiquarios ex ævo ultimo superesse creduntur. Numus porro apud Ursinum alius caput Viri nempe Axsii Nasonis L. AXSIUS L. F. NASO galea ornatum, & currum Dianæ cervis duobus punctis, caneque festino elegantissimum repræsentat. Multum igitur ad hujus explicationem Callimachus in hymno Dianæ, Apollonius Rhodius, (b) Claudianus in Stilicone (c), & Schefferus in libro de vehiculis veterum præclaro conferent (d). Quid? quod in gente Carisia quidam Denarius caput Dianæ crinibus in nodos compositis, & lunula vertici adpicta, canemque venaticum una cum epigraphe T. CA. Tito Carisio inscribit. Idem etiam Dianæ caput non æque pulcrum gentis Posthumiæ numus habet, alteraque parte canem venaticum grandiorem, C. POSTHUMII subscripto nomine, ut ludis secularibus & Dianæ honori utrumque Ursinus tribuat. Illa ipsa ludorum solemnia & Dianam hoc judice respexit Denarius argenteus AUGUSTO Cæsare, & M. DURMIO III. VIRO inscriptus, qui una parte imaginem Augusti, altera cervum procumbentem, canemque mordicus tergo inhærentem continet. Neque ab his solemnibus in gente Hosidia recedunt duo Denarii, quibus aper telo transfossus, & canis rictu instans apertissimo excuduntur. Insuper gens Mamilia, quæ suas à Telegono, Ulyssis filio repetebat origines, reliquit Denarium, hujusque una parte Mercurii alatum caput, altera Ulyssen peregrini habitu pileoque & cane socio, à quo post viginti annos cognitum Homerus in Odyssea (e) tradidit: Inscriptio C. MAMIL. LIMEÆ. C. Mamilium Limetanum refert.

Gens item Marcia numos dedit argenteos ANCO Marcio Rege, à quo prosapiam deducebat, PHILIPPO Consule, hujus equestri statua equo μετεώρῳ, & adsultante catulo insignes. De Caninia & Catulorum gente, Romanis inscriptionibus, numis & monumentis inclyta ne dicam, Imperatorum series, & in illa ænei, quos illustris Patinus edidit, numi complures, nec ab instituto meo alieni faciunt. Ubi sub initium numus extat Philadelphiæ Græcus, Romano, uti videtur, Imperio dicatus, ut in uno latere ΔΗΜΟϹ i. e. populus, & caput diademate cinctum; in altero ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ i. e. Philadelphensium Neocororum, & Diana venatrix cum cane ad pedes venatico adpareant. Quin isti Neocori flamines sacrorumque ministri fuerint, nemo, quod sciam, post Selenum (f) in Græcis marmoribus, petitum in variis Lectionibus, Alb. Rubenium & Reinesium in suis Inscriptionibus (g) nunc dubitat. Nec ergo ad populum Romanum hæc spectat epigraphe, sed ad Collegium Philadelphiense Asiaticum, sacris Dianæ ac ludis secularibus occupatum: Quale inscriptiones Operis Gruteriani & Reinesiani plures, numique Impp. quibus Diana inter duos cervos media & curru vecta sistitur, testatum faciunt. Præterea numi complures Dianæ canem aliquem cervis penitus omissis adsociant. Sunt enim qui AUREL. ANTONINUM AUG. parte una; Dianam altera venatricem, canemque venaticum, & locum, unde prodierint, vel urbem demonstrant, utpote COL. A. A. PATR. sive Coloniam Aroen Augustam Patrensem, urbem in longissimo Peloponnesi, promontorio structam, & fano Dianæ celebrem, uti Pausanias in Achaicis (h) & Seguinus in numis selectioribus eam describit. Sunt in Thesauro Patiniano, qui M. COMMODUM ANTONINUM AUG. & TEMPORUM FELICITATEM sub eo quatuor declarant puerulis, quorum tres nudi, unus calathum floribus plenum, alter falcem, tertius fruges, quartus vestem corpori injectam habet, pro quatuor anni temporibus notandis, tertioque medius abblanditur canis ad venationem sub auctumno opportunissimam significandam. Sunt qui Commodi uxorem, CRISPINAM AUGUSTAM una parte, alteraque Dianam inter duos canes mediam proponunt. Videas quoque in numo PESCENNII NIGRI Dianam venatorio cultu, arcu, sagitta & cane socio instructam, ΚΑΙϹΑΡΕΙΑϹ ΓΕΡΜΑΝΙΚΗϹ adjecto vocabulo, Cæsareæ nimirum Germanicæ, quæ Comagenes in Syria Euphratensi urbs fuit, teste Stephano. Insuper hæc numi JULIÆ AUGUSTÆ, quam Sept. Severus uxorem habuerat; GETÆ, DIADUMENI, ALAGABALI AUGG. eandem prorsus Dianam cane ad pedes proximo, & vel EPHESIORUM TER QUATERQUE NEOCORORUM, vel ANCHIALENSIUM, vel THUATERENORUM urbe addita, sed Græcis nominibus, complectuntur. Nec aliam numus duplex JULIÆ MAMMÆÆ, quæ mater Alex. Severi fuerat, Impp. MAXIMINI, GORDIANI, & uxoris hujus TRANQUILLINÆ, itemque PHILIPPI filii cum cane venatico præbebunt, mutatis urbium per Asiam præclararum vocabulis. Duo autem numi antiqui præ ceteris insigne spectaculum constituunt. Unus AQUILIÆ SEVERÆ, inter Alagabali conjuges non postremæ, duas petras, olivam & huic implicitam serpentem, canemque cum nautilo, concha quadam marina, exhibet: Ut inde Patinus nobilissimus conjectet, TYRI, cujus nomen conspicitur, significari ortum, eumque carnem, qui comestis ostreis ad herum ore purpurato rediens ita purpuram primus detexit. Alter ALEXANDRI SEVERI Cybelen, Deum matrem, hujusque ad pedes proximum rictu aperto canem, dextroque pede altius elevato; COL. AUG. PIA. METR. SIDO. h. e. Colonia Augusta, pia, Metropoli, Sidone addita. Hinc denique in numis LIC. VALERIANI sexies Diana eminet, mutato paullum habitu; ter quidem venatrix acerrima, cane ad pedes venatico, & cervo semel addito; bis autem sub Fortunæ ac Junonis specie, ac totiens inter duas arbores sylvestres media, semper EPHESIIS quandoque NEOCORIS Græce inscriptis. Nam Dii Deæque veterum personam adsumserunt adeo diversam & multiplicem, ut tota Theologia mythica in Gyraldi & Vossii libris inconstans, lubrica aut Polypo mutabilior doceatur. Unus tamen ac perpetuus Dianæ venatricis habitus, & arcus & pharetra, & canis ad pedes venaticus inter numismata LIC. GALLIENI, uxorisque, quam sibi junxerat, SALONINÆ Chrysogones, & una ex urbibus

(u) *Ad A.* 1008. *Lib. XIV.* (x) *Lib. X. Cent. III. Ep.* 44. (y) *Act. II. Sce.* 6. (z) *Lib. VII. cap.* 12. (a) *In Lexic.* (b) *Lib. III.* (c) *Lib. III.* (d) *Lib. I. c.* 18. (e) *Lib.* 5.

(f) *Lib. IV. c.* 10. (g) *Class. II.* 68. (h) *Lib. VII.*

bus inscriptio servatur, sive illa ΕΦΕΣΙΩΝ sive ΕΦΕΣΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ sive ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ h. e. Ephesiorum, aut Neocororum, aut Asiæ primorum fuerit. Cultus enim Dianæ per Asiam minorem, majoremque in urbibus præstantissimis; ast Ephesi & templo ad miraculum superbo, & singulari religione floruit. Postea tamen subsecuti Cæsares à Diana & hujus imagine paullulum recesserunt; vel quod honor illi publicus frigesceret, vel quod animi ad religionem veriorem indies aut præpararentur aut traducerentur. Unicum adhuc numisma CARACALLÆ incidit, fortasse dignum, quod è Thesauro Patiniano huc adferam: Una parte caput Imperatoris laureatum, altera Circum exhibet Romanum, & in eo agitata, ut moris erat, vehicula, & canes quatuor cum equis cursu, ceu videtur, celerrimo certantes. Adeoque canum locus in sacris, numis, ædibus, circo & campo Martio nonnullus certe honorificus fuit: Idem etiam neque canibus inter antiquissimas, Romanas maxime inscriptiones præcluditur aut recusatur. Nam in Bajano Campanorum littore, nec à Bajis procul in templo impressa marmori extat inscriptio, quam ex Mazellæ Antiquitatibus Puteolanis, summus Antiquarius noster, ὁ πάνυ Reinesius produxit DIANA LUCIFERA. Extant etiam in templo simulacra lapidibus exsculpta canum, cervorum & mulorum, Dianæ veteri sacrorum animalium; item Dianæ imaginibus signata ibique reperta numismata. Porro aram aliquam vetustam via hodieque Appia peregrinantibus ostentat, hac epigraphe insignem:

DIANÆ RÆSIANÆ
Q. RÆSIUS Q. FIL. PAL. SURDINUS
CUM RÆSIA HERCULANIOLA
SACRUM.

Ubi sub finem Canis illo expressus lapide adparet, tanquam animal Dianæ proprium: ubi hæc Ræsiana ab Ræsio altaris ad viam positi, auctore dicitur; sicut alibi ab Amaranto Amarantia, & Valeriano ab Valerio. Amplius Piceni Asculi quædam superest in hunc sensum exarata inscriptio

INVICTÆ DIANÆ ET VICTRICI
SANCTÆ SACRUM
L. VAL. L. FILIUS POPIL. FELIX
S. P. V. S.

Et hinc quidem effigies Dianæ venatricis imposita, quin canem ab latere sibi socium olim habuerit, requiratque, vix erit, cur dubitem. Quin nostra Germania in agro Willenborgensi prope Trajectum apud Belgas lapidem dedit, Grævianis ædibus illatum, eumque tetragonum, in cujus summitate duo vertagi aut canes eminent venatici, intus conversis capitibus, & hac subdita, quam restituit Reinesius, inscriptione:

JOV. O. M. SUMMANO
EXSUPERANTISSIMO
SOLI. INVICTO. APOLLINI
LUNÆ. DIANÆ FORTUNÆ
MARTI. VICTORIÆ PACI
C. ANTISTIUS. ADVENTUS
EG. AUG. PR. PR. DAT.

Ubi quid canes sibi velint, non est conjectu facile, nisi dicamus, hæc Dianæ ac Marti sacrata animantia monumento quenquam ornatum addere. Hæc ita ex opere Ursiniano, Patiniano & Reinesiano in præsentia, Vir nobilissime, succurrunt. Vides equidem multa, sed in compendium redacta: Quæ tamen si placuerint, hoc mihi crede, inter gratissima erit. Præterea illud in mentem venit, quod Canis nomen inter dignitates quoque summas à Scriptoribus ætatis mediæ relatum fuerit. Sic Nangius in Chronico (i), ubi mentionem usum cassani fecerat: *Qui & magnus Canis dicitur*, ait: Sic Pachymeres in historia Mich. Palæologi cum ad Chingis Chan Tartarum devenisset: *τζιγγὶς γὰρ τὸ ὄνομα· ὁ δὲ κάνις βασιλεύς. Chingis nomen est; Canis vero Rex* h. e. Regem significat. Illud an ex ignorantia Latinos Græcosque libros, an ex contemtu Tartarorum irrepserit, nihil habeo, quod dicam. Chan sane Persis, Turcis, Tartarisque Regem aut Principem notare, à Castello, Golio, Hottingero, Leunavio pluribusque observatum fuit. Unde qui Chanis dici debuit, hunc in canem monstrosa nominis mutatione aliqua transformarunt. Ast ita finem facio, & illud omnem in modum oro, fac tandem, Vir nobilissime, canis catulusque tuus in lucem prodeat apertam, neque spectatori tantum, sed lectori etiam voluptates procreet singulares. Interim ex voto vale, ac res tuas feliciter gere! Hæc autem mea sensa, æqui bonique consule. Scrib. Guelferb. Kal. Mart. A. MDCLXXXV.

(i) *ad an.* 1299.

M. WILH. ERN. TENTZELII
DISSERTATIO
De Phœnice ave contra Fellium ad Job XXIX: 18.

Q. D. B. V.

§. I.



Phœnicem, miræ vivacitatis avem, licet plurimorum scriptorum monumentis celebratum, meris tamen ænigmatibus fabulisque effictum esse, plerorumque hodie eruditorum consensu constat. Non desunt vero, qui illius patrocinium suscipere audent, freti inprimis Epistola ad Corinthios, quæ sub Clementis Romani nomine anno hujus sæculi XXXIII. in Anglia primum in lucem protracta est, totamque de Phœnice fabulam omnibus numeris absolutam exhibet pag. 60. 62. edit. Oxon. *Ἴδωμεν τὸ παράδοξον σημεῖον, τὸ γινόμενον ἐν τοῖς ἀνατολικοῖς τόποις, τουτέστιν τοῖς περὶ τὴν Ἀραβίαν· ὄρνεον γάρ ἐστιν ὃ προσονομάζεται φοῖνιξ, τοῦτο μονογενὲς ὑπάρχον ζῇ ἔτη πεντακόσια· γενόμενόν τε ἤδη πρὸς ἀπόλυσιν τοῦ ἀποθανεῖν αὐτὸ, σηκὸν ἑαυτῷ ποιεῖ ἐκ λιβάνου, καὶ σμύρνης, καὶ τῶν λοιπῶν ἀρωμάτων, εἰς ὃν πληρωθέντος τοῦ χρόνου εἰσέρχεται, καὶ τελευτᾷ· σηπομένης δὲ τῆς σαρκὸς σκώληξ τις γεννᾶται, ὃς ἐκ τῆς ἰκμάδος τοῦ τετελευτηκότος ζώου ἀνατρεφόμενος, πτεροφυεῖ· εἶτα γενναῖος αἴρει τὸν σηκὸν ἐκεῖνον, ὅπου τὰ ὀστᾶ τοῦ προγεγονότος ἐστὶν, καὶ ταῦτα βαστάζων, διανύει ἀπὸ τῆς Ἀραβικῆς χώρας ἕως τῆς Αἰγύπτου, εἰς τὴν λεγομένην Ἡλιούπολιν· καὶ ἡμέρας βλεπόντων πάντων ἐπιπτὰς, ἐπὶ τὸν τοῦ ἡλίου βωμὸν τίθησιν αὐτὰ, καὶ οὕτως εἰς τοὐπίσω ἀφορμᾷ. Οἱ οὖν ἱερεῖς ἐπισκέπτονται τὰς ἀναγραφὰς τῶν χρόνων, καὶ εὑρίσκουσιν αὐτὸν πεντακοσιοστοῦ ἔτους πεπληρωμένου ἐληλυθέναι. Μέγα καὶ θαυμαστὸν οὖν νομίζομεν εἶναι, εἰ ὁ δημιουργὸς τῶν πάντων ἀνάστασιν ποιήσεται, τῶν ὁσίως αὐτῷ δουλευσάντων ἐν πεποιθήσει πίστεως ἀγαθῆς, ὅπου καὶ δι᾽ ὀρνέου δείκνυσιν ἡμῖν τὸ μεγαλεῖον τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ.*

§. II. Ita-

§. II. Itaque factum est, quod Jo. Henr. Bœclerus Programm. Academ. XII. p. 61. observat; *licet multos moverit & numerus & auctoritas scriptorum, qui talia de Phœnice tradiderunt, ut pro historia mallent complecti, quam pro fabulis adspernari: consensu tamen doctorum obtinuit*, fabulosam avem esse Phœnicem. *Sub quo elogio etiam diligentissimus vir Ulysses Aldrovandus in specioso opere ornithologico eum adnotavit. Verumenimvero, quum Epistola illa Clementis esset reperta, non parum ponderis visa est habere viri Apostolici auctoritas, quare doctissimus Patricius Junius, primus tam memorabilis monumenti editor, in notis, quas adjecit, denuo pro veritate historica Phœnicis pronunciavit.* Attamen Epistolam istam Clementi Romano suppositam esse, tum aliis argumentis, tum hoc inprimis de Phœnice, fabula viro Apostolico indigna, clarissime post B. Hulsemannum evicit Theologorum nostræ ætatis Princeps D. Abr. Calovius, Hospes ac Patronus noster summus, Bibl. Illust. Novi Testamenti To. II. in Examine Præfationis Grotianæ in priorem Paulli ad Corinthios Epistolam pag. 250. seqq. cui ex reformatis Theologis haud obscure accedit Gisbertus Voëtius, Parte 1. select. Disp. Theol. pag. 103. & inprimis in Paralipomenis pag. 1167. nec adeo dissentire videtur Andreas Rivetus lib. 1. Critici Sacri Cap. VIII. accinuntque post laudatum Bœclerum Thomas Gatakerus Libro 1. Cinni Cap II. pag. 18. & Jacobus Thomasius, Dissertatione de Phœnice, quæ nona est earum, quas Exercitationi de Stoica mundi exustione subjecit, §. 131. 132. 133. Enimvero, vir eruditus, qui Epistolam Clementinam notis illustratam Oxonii anno 1669. recudendam curavit, Joannes Fellus nomine, quod à viris doctis accepimus, suppetias laturus Patricio Junio in ipsa S. Scriptura Job. 29: 18. patrocinium quæsivit: cujus sententiam, dum examinare aggredimur, eo procedemus ordine, ut verum verborum Jobi sensum indagando de singulis clarissimi viri pronunciatis dispiciamus, adeoque veritatem, Deo fortunante, sartam tectamque sistamus.

§. III. Ac primum quidem fundamentum suppeditat ipsa Phœnicis ratio, quem ex meris ænigmatibus fabulisque constare dudum viri eruditi probarunt, è quibus Ger. Jo. Vossium ac Thomasium, Philologos clarissimos, nominasse sufficiat. Verum Scripturam S. fabulis patrocinari absurdum est: imo Jobi ætate quidquam de Phœnice cognitum fuisse prorsus negamus. Neque enim vel Aldrovandi opinio Scripturæ divinioris auctoritati congruit, dum *D. Jobum etiam suo tempore à communi opinione deceptum fuisse* putat: vel aliorum responsio satisfacere videtur, quando apud Jobum Arabiæ regem Arabicæ avis consignatam non dubitant memoriam, licet ejus existentiam inficientur. Nam præterquam, quod regium Jobi & amicorum fastigium non immerito negat Fridericus Spanhemius Historiæ Jobi Cap. VI. hoc saltem certum est apud eos, quibus sanctissima Israëlitici populi religio curæ ac cordi est, totam Ægyptiorum aliorumque Ethnicorum Theologiam ex Mose ipso, Mosisve actis, aut scriptionibus manasse, uti post alios clarissime evicit Petrus Daniel Huetius, Demonstrat. Evang. Propos. IV. Cap. III. IV. XI. At vero Ægyptiorum Sacerdotes Phœnicem, ut alia hieroglyphica, in mundi symbolum primos excogitasse, illumque postea simpliciores pro vera ave solita credulitate habuisse ostendit Thomasius noster §. 136. 192. 286. videoque summum virum Isaacum Vossium huic de Phœnicis origine sententiæ adstipulari Cap. V. de Oraculis Sibyllinis, utcunque aliter sentiat Olaus Borrichius Vindic. Hermet. pag. 192. Jobum autem Mose antiquiorem esse maximorum virorum est sententia, prolixe defensa Spanhemio cap. IX. Ex qua conficitur, Jobi temporibus nec Phœnicem excogitatum, nec pro vera ave habitum fuisse.

§. IV. Hinc fluit, Jobi verba, de quibus controvertimus, aliter longe explicanda, quam Fello nostro videtur, genuinamque interpretationem non ex Rabbinorum lacunis, sed ex vera vocis significatione, contextusque structura eruendam esse. Etenim חול Marco Marino in Arca Noë P. I. p. 227. frustra dubitante, verbum חול radicem agnoscit, quod dolendi, timendi, manendi item ac permanendi significatione in Ebræo Codice reperitur. Hinc nostrum חול *arena* dicitur, sive quod dolorem & molestiam ambulantibus adferat, uti post Buxtorfium existimat Castellus; sive quod à Deo, ad litus maris disposita atque ordinata est, ut tanquam constans permanensque res maris undas contineat, quæ ratio patet ex Jer. 5: 22. Idque probe notandum est, licet præter hunc locum vicies bis in Ebræo Codice occurrat, nullibi tamen vel avem denotat, vel quemcunque alium significatum induit, sed ubique arenam indigitare cognoscitur, non modo cum adposito ים sive *maris* nomine, sed absolute etiam & sine hac additione Exod. 2: 12. Proverb. 27: 3. Psal. 139: 81. Esai. 48: 19. Habac. 1: 9. Unde firmissime concluditur, etiam hoc nostro loco חול nihil aliud denotare, quam arenam.

§. V. Accedit ipsa verborum structura ac compositio, quæ Phœnicem plane respuit, nostræ autem sententiæ adprime congruit. Notum quippe est, in divina Scriptura frequenter institui comparationes hyperbolicas rei unius cum altera, cujus rationem haudquaquam attingit, quas late persequitur B. Salomo Glassius Rhetor. Sacr. Tract. I. cap. XIX. pag. 473. In his inprimis celebris est, quando *cum arena maris vel pulvere terræ* aliquid confertur, multis à laudato Theologo exemplis declarata; ad quam nostrum quoque locum rectissime refert. Accedit, eandem plane constructionem eademque pene verba hic deprehendi, quæ alibi comparationem cum arena constituunt. Vid. Gen. 22: 17. Jerem. 33: 22. quibus locis ipsi quoque Rabbini phrasin hanc similiter interpretantur. Itaque sensum Jobi bene exprimit Jo. Drusius Comment. in Jobum p. 655. *Ut multa est arena in littore maris, sic multi erunt dies mei.* At habent tamen, quod objiciant adversæ sententiæ Patroni, quoniam *Phœnici apprime convenit nidus, quem, casia thurisque surculis constructum, Plinius & alii tradunt Phœnicem replere odoribus & superemori*, ut Jo. Mercerus scribit. Sed *relatio nidi ad Phœnicem figmentum est*, bene advertente Theologo magni nominis, D. Sebast. Schmidio Comment. in Jobum pag. 1132. nec necesse semper est, ut correlatum sequatur post mentionem relati: imo ipse Clemens Epistolicus non nidum, sed σηκὸν Phœnici tribuit, quod cum Junio *loculum* Fellus interpretatur.

§. VI. Nec omni Rabbinorum consensu destituimur, quum R. Mosis bar Nachman & R. Abraham Peritzol Commentaria in Jobum exhibuerit Daniel Bombergius in Bibliis Venetis, quorum prior mentem Jobi ita explicat: סבור שאמות בביתי עם בני ובנותי אחר שארבה ימים כחול הים: *Opinabar, quod moriturus sim in domo mea cum filiis meis & filiabus meis, postquam multiplicavero dies sicut arenam maris.* Similiter posterior verba Jobi παραφράζει: וליושר מעשי בדעותי הייתי חושב ואומר שאגוע ואמות עם קני. וקני הוא מן קן צפור. ור"ל לאמות בקני בביתי עם בני אשר הגדלתי ורוממתי בתוך ביתי. ועוד שארבה ימים כחול הים: *Et secundum rectitudinem operum meorum in scientia mea cogitavi & dixi, quod expirabo & moriar in nido meo. Et* קני *habet significationem* (loci Deut. 22: 6.) קן צפור (nidus avis) *Vultque dicere, ad moriendum in nido meo, in domo mea, cum filiis, quos educavi & exaltavi in medio domus meæ. Et deinceps multiplicabo dies sicut arenam maris.*

§. VII. Nunc ad discursum Felli nostri examinandum progredimur, cujus hoc est initium: *Photius in biblioth. (pro irritabili criticorum indole) vitio vertit authori nostro quod de Phœnice hic verba fecerit: meminisse autem potuit, in s. literis, saltem ex mente 70. Hieron. & aliorum interpretum, animalia recenseri non magis à naturalis historiæ, & Philosophiæ peritis agnita, quam Assyria hæc volucris, quæ proprii corporis hæres, & cinerum fœtus, redivivo carnis suæ humore reparari, & de funebri rogo resurgere perhibetur, ibi etenim* אקו, פרס, ליש, איים, שעירים, תנים, לילית, τραγέλαφοι, *Gryphes*, μυρμηκολέοντες, *fauni, satyræ, sirenes, lamiæ, redduntur.* Verum enim vero non adeo soliciti sumus de varia interpretum explicatione, ac de ipsa Spiritus S. mente, quem animalia ficticia recensuisse haud facile probari potest: potius omnibus locis, ubi istorum mentio fit, vel vera animalia, ac naturalis etiam historiæ peritis agnita intelligenda sunt, vel spectra saltem diabolica, adeoque in hunc censum (nisi etiam phœnicem eo pertinere dixeris) plane non referenda, quemadmodum locorum evolutione clarissimum est. Quid? quod inter eruditos sint, qui nec LXX. Interpretes aut Hieronymum animalia ficta ubique intendisse contendunt. Isaacus enim Vossius de Oraculis Sibyllinis cap. 13. Σειρῆνες, quod apud LXX. occurrit, *non est id quod vulgo putant, sed genus vesparum seu crabronum vivens in eremo, cujus etiam meminit Aristoteles*, existimat: nec dubito, quin de reliquis à Fello adductis ὁ πάνυ consultus eadem ratione LXX. Interpretes defensurus sit. Τραγέλαφον esse *animal in Germaniæ saltibus, Bohemiæ vicinis, notum, ex Hadr. Junio* vult Sixtinus Amama, *licet complures ex veteribus animal illud in rerum natura non esse crediderint*, Antibarb. Bibl. lib. 3. in Job. 39: 1. ac pluribus confirmat Bochartus P. II. Hierozo. Lib. VI. cap. I. qui etiam cap. II. Gryphen apud LXX. & Vulgatum de γυπαιέτῳ *gryphaquila* exponit, quod *credibile non sit, Deum populo suo interdixisse usum animalis,*

lis, quod nusquam est: quanquam sunt apud Ezech. Spanhemium de Numism. Diss. III. p. 234. qui veris animalibus Gryphem accensere non dubitant. Μυρμηκολέοντες leonis genus esse ostendit idem Bochartus cap. III. ac licet cap. VIII. plane absurdum censeat, Satyros aut jam exstare, aut unquam exstitisse in rerum natura; meminisse tamen potuit Philostorgii Lib. III. cap. XI. tanquam αὐτόπτε Satyrum describentis: ἐςὶ ἢ καὶ τοῦτο πίθηκος, ἐρυθρὸν τὸ πρόσωπον, καὶ γοργὸς τὴν κίνησιν, καὶ κέρατα ἔχων. Quin Ezech. Spanhemius pag. 213. 214. ex Græcis scriptoribus testimonia protulit, quibus clarissime confirmatur Philostorgii narratio, ac simul conficitur, κῆβον & Satyrum idem esse. Quæ omnia Bocharto in mentem non venisse patet, quum P. 1. Hierozo. c. XXXI. Cebum simiæ aut cynocephali genus in Æthiopia esse fateatur. Atque hinc facile liquet, nullius plane roboris esse instantiam Felli nostri, quem hæc omnia veterum scriptorum loca adeo contemsisse non immerito miramur, quibus de LXX. Interpretum mente certus objectionis suæ infirmitatem agnoscere potuisset.

§. VIII. Itaque ad ipsum Jobi locum cum erudito viro accedimus, quid ipsius argumenta in recessu habeant, visuri. *Imo vero*, inquit, *disquisitionem aliquam meretur, annon de Phœnice expressa habeatur mentio in S. Script. nimirum lib. Job. c. 29. 18. ubi dicit* עם קני אגוע וכחול ארבה ימים expirabo in nido meo, & sicut Phœnix multiplicabo dies; *vetustissimi apud Heb. Authores, & maximi nominis, lib. Zohar. Talmud. in tract. Sanhedrin. Bereshith rabba. lib. Jalkut. R. Salom. Jarchi, in Comment. in locum, certe sunt in ea sententia.* Hic sane in admirationem rapit nullum plane medium hermeneuticum Clarissimum virum adhibuisse, ut sive ex vera vocis origine, sive ex contextu aliorumque Scripturæ locorum collatione genuinum sensum eruisset: sed quum talibus se destitui probe cognoverit, Rabbinorum commenta tanti æstimasse, ut his omnibus opposuerit, quos in rebus naturalibus cœciores talpis pro indeque nullius plane auctoritatis esse ex eruditis etiam concedunt, qui alias haud exiguam ipsis fidem adhibent.

§. IX. Verum, urgebis, sunt tamen *vetustissimi apud Ebræos Auctores, & maximi nominis.* Fateor, librum Zohar *summæ tum auctoritatis tum vetustatis Judæis haberi*, adserente Seldeno, ac *sæculo* 1. post Christum *scriptum* perhiberi ab Anton. Grelloto Præfat. Prodromi in Apocalypsin p. 47. Enim vero *dubiam non immerito apud doctos esse tantum libri hujus antiquitatem* probat Jo. Buxtorfius Abbreviat. Ebr. p. 194. ac proinde ex Judæorum saltem opinione (quorum nulla in his rebus fides) vetustatem libro post Seldenum tribuunt Bochartus, Simonius, alii. Denique plane inepta sunt libri Zohar de verbis Jobi nugamenta à Bocharto prolata: *In Zohare, libro ut volunt, pervetusto, phœnix & חול dici legitur per chet, tanquam à* חיל *robore, &* הול *per he, tanquam ab* הלול *id est, à laude, eo quod & naturæ vis & Dei laus seu gloria in hac ave se prodat.* Quis ferat hanc in Judæo audaciam fingendique libidinem? Nec major Talmudis est auctoritas, inprimis, quum figmenta de Phœnice non Mischna (cujus dicta semper in ritibus præsertim describendis rejicienda non esse facile concedimus) sed Gemara exhibeat, *in qua fabulas, easque crassas, elumbes & insulsas, quin & Scripturæ incommodas explicationes deprehendi fatetur* magnus Talmudicarum Pandectarum hyperaspistes, Jo. Christoph. Wagenseilius Præfat. in tela ignea Satanæ pag. 62. Etenim quis non sublato rideat cachinno, quando lepidum Judæorum commentum legit, prout in linguam Germanicam transtulit Christianus Gerson im Thalmudischen Juden-Schatz p. 276. den Phönix fant mein Vater (Noah) daß er auf der Schwellen des Kastens lag / und sprach zu ihm: Forderstu keine Speise? Er sprach zu ihm / ich sahe / daß du viel zu thun hattest / und dachte / ich wolte dich nicht bemühen. Er sprach zu ihm: Es sey (Gottes) Will / daß du nicht sterbest / wie gesagt ist (Job. 29: 18.) und ich sprach / ich werde in meinem Nest vergehn und wie Phönix werde ich viel Tage haben. Hæc delirantium hominum somnia recitasse est refutasse. Qui vero Rabbinos propria lingua loquentes audire gestit, Jo. Coccejum Excerpt. Gemaræ Sanhedrin cap. XI. num. 67. p. 417. adeat.

§. X. Porro Gemaristis antiquior est Glossator in Genesin à Fello nostro adductus, qui non adeo ineptire videri poterat; sed quid melius ab eo exspectabimus, qui *acceptam à Gentilibus fabulam novis etiam figmentis interpolavit*, uti bene Thomasius noster §. 116. Operæ pretium est Bochartum iterum audire; *de phœnice Judæi quid sentiant, nemo docet explicatius R. Osaia. Scripsit is librum Berescith Rabba, id est, commentarium in Genesin circa annum Christi CCX. Cujus libri capite decimo nono, Geneseos locum explicans, quo mulier dicitur de fructu vetito cepisse & comedisse, & viro suo dedisse, inter cætera hæc habet,* הכל שמעו לה חוץ מעוף אחד ושמו חול ה״הד וכחול ארבה ימי׃ *Omnia (animalia) obedierunt ei (mulieri & comederunt ex fructu vetito) præter avem unicam nomine chul, de qua dicitur (in Jobo) & sicut chul (phœnix) multiplicabo dies meos.* Recte itaque hominem rejecit Rob. Bailius Lib. 1. Operis Histor. & Chronol. cap. II. q. 4. adversus Vossium differens: *Fatetur Isaacus librum istum esse plenum fabulis, quin & ipsum, quod adducit inde, testimonium, esse narrationem ineptissimam, & Rabbinorum in ea fabellas tam esse portentosas, ut ne ægrorum quidem somniis ulla ex parte cedant: nulla ergo hinc solida argumentatio, vel ipso judice, deduci potest.* Simili plane modo respondemus ad libri Jalkut testimonium, utpote in quo *eadem fere legi* observat Bochartus. Ut taceam, *commentarium istum non ad literalem sensum, sed allegoricum respicere, in quem Rabbinici Darschanim seu concionatores excurrere solent*, notante Buxtorfio Biblioth. Rabbin. p. 351. Atqui notum est, quantis ineptiis Rabbinicorum concionatorum sermones referti sint, quemadmodum pluribus docuit laudatus Wagenseilius Confut. Carm. Lipm. p. 244. seqq. Denique R. Salomo Jarchi (seu ut elegantioribus hodie dici solet, *Isacides*) quanticunque apud Judæos nominis sit, veritati tamen præjudicare nequit, quum insulsum libri Bereschith rabba consarcinatorem nullo plane judicio sequatur.

§. XI. Quum igitur auctoritates Rabbinicæ exigui momenti sint, ad aliud argumentum confugit Fellus noster: *quin & in Masora specialiter notatur, quod vox hæc* הול *aliud significet quam vulgo.* Equidem hæc ratio negotium nobis faceret, si vel in utraque Masora, vel in omnibus Codicibus legeretur. Verum in Masora saltem magna reperitur hoc glossema, וכחול ב׳ בתרי לישי וסי׳ על שפת הים׳ וכחול ארבה ימים׃ Masora autem parva notat, ב׳ על שפת הים bis vocem הול cum istis duobus præfixis reperiri, de diversa significatione plane silens, quod non fecisset, si ullum discrimen admisisset? Nec omittendum est, licet in Bibliis Basileensibus ad Gen. 22: 17. eadem Masoræ magnæ observatio legatur, minorem tamen simpliciter notam numeralem ב׳ exhibere, nulla rursus diversitatis nota adjecta. Præterea non immerito forte γνησιότητα notæ illius Masorethicæ in dubium vocaverit, qui perpenderit, non in omnibus Masoræ magnæ Codicibus eam reperiri, ac Mercerum, ut eam tueretur, ad MSS. Reginæ Galliarum provocare coactum fuisse. Quamobrem Drusius: *conjecturam hanc* (de Phœnice) *firmant ex Massora, ubi notatum, bis inveniri* כחול *in duabus significationibus. Loquor de Massora, quæ in Bibliis Reginæ.* Quæ omnia confirmans D. Schmidius, addit, *quod non magis ex istis duabus significationibus Phœnix avis, quam Phœnix palma eliciatur. Æque enim nuspiam alias vox Phœnicem avem, quam palmam significat.* Attamen *Hieronymi Epistolam ad Præsidium* in subsidium vocat Fellus noster, in qua hæc de Masora legantur verba: *Et vero ex nota quadam Masorethica, quæ ad hanc vocem adscripta legitur, in quibusdam Bibliis manuscriptis, qua præscribitur bis reperiri, idque in duabus significationibus; sequitur apud Jobum Phœnicem significare, cum Genes. 22: 17. Arenam significet.* Præterquam autem quod illa epistola *scriptis Hieronymo falso adscriptis omnium consensu* adnumeratur à Riveto Crit. Sacr. L. IV. c. VII. nec dissentit Phil. Labbeus to. 1. de script. Eccl. pag. 443. licet *antiquum scriptorem & anno 393. vel sequenti scripsisse* conjiciat: certe quum verba à Fello citata in nulla, quod sciam, editione aut Codice Hieronymi reperiantur, non injusta de eorum νοθείᾳ est suspicio. Quinimo vir eruditus ne ipsum quidem Auctorem evolvisse videtur, sed ipsi contigisse, quod viris multæ lectionis familiare est, ut scriptoribus antiquis & Ecclesiæ Patribus tribuant, quæ recentiorum multo hominum verba sunt ac sententiæ. Quo factum est, ut Fellus noster de voce חול evolvens Pagnini Thesaurum linguæ sanctæ, quemadmodum in folio majori (ut loquuntur) variis Merceri, Cevallerii, Bertrami, observationibus auctus Lugduni 1577. prodiit, Hieronymi ad Præsidium epistolam viderit citatam, & confestim verba adlata alio charactere subjungi animadvertens, festinante oculo Hieronymi esse putaverit, quæ tamen nihil Hieronymianum spirant ac revera sunt Joannis Merceri, ut litera M. ibi subjecta ac per totum volumen illius notas ab aliorum additamentis secernens clarissime indicat. Itaque Hieronymus Fello non patrocinatur; Mercerus

cerus autem & tantæ non est auctoritatis, & supra jam refutatus est.

§. XII. Nullius vero ponderis sunt, quæ ex Kimchio addit: *Porro dicit R. D. Kimchi, se invenisse vocem* חול *cum Shurek ut Phœnicem significet in libro correcto Hierosolymitano.* Etenim conjectura Thomasium nostrum non fefellit, qua putat, *nihili vocem esse Chul, quatenus Phœnicem signare intelligitur, haud alium in finem excogitatam ab Ebræis, quam ut Jobi textum depravarent, consensumque ejus cum illo altero Geneseos tollerent*, §. 114. Tum exemplar Hierosolymitanum ספר ירושלמי putatur esse idem cum codice à Ben-Ascher correcto, cui solet à Rabbinis opponi ספר בבלי Codex Babylonicus, quem emendarit Ben-Naphtali. Vid. Jo. Henr. Hottingerus Thesauro Philol. p. 107, 108. Istas autem correctiones non Scripturæ sensum aut significationem vocum attingere, sed minutias saltem Grammaticas nec magni momenti concernere pridem monuit Jo. Buxtorfius de Punct. Antiq. & Orig. Parte 1. cap. XV. unde conficitur istam mutationem significationem diversam non inferre.

§. XIII. Ultima Felli nostri ratio hæc est: *Revera 70. Seniores ita reddunt has voces,* ἡ ἡλικία μου γηράσει ὥσπερ στέλεχος φοίνικος, *ubi* φοῖνιξ *homonymum est, & palmam non minus quam Phœnicem effert. Sed quandoquidem* חול *Palmam nunquam denotare cognoscitur, cogitandum venit utrum incredibile prorsus sit* τὸ στέλεχος *hic in eo significatu apud eos positum, quo stirps & stemma in omnibus fere dialectis passim usurpantur; quod si fiat, ipsi 70. Interpretes omnino Phœnicem agnovere.* Enimvero non immerito hanc de versione LXX. Interpretum sententiam in dubium vocaverit, qui totam hujus versiculi apud istos rationem accuratius perpenderit. Proponemus eam, prout reperitur in duobus codicibus vetustissimis, Vaticano altero, altero Alexandrino, quorum uterque ante CIↃ CC minimum annos exaratus creditur. Vaticanum exprimit editio Romana, quam Cantabrigiensis CIↃ IↃC LXV. sequitur, ubi hæc legimus, εἶπα δὲ, ἡ ἡλικία μου γηράσει ὥσπερ στέλεχος φοίνικος, πολὺν χρόνον βιώσω. Ex Alexandrino autem Patricius Junius Textum Jobi στιχηρῶς Catenæ Græcorum Patrum in Jobum Londini CIↃ IↃC XXXVII. attexuit, quo versus noster in duos στίχους dividitur, hoc modo:

> εἶπον, ἡλικία μου γηράσει ὥσπερ στέλεχος φοίνικος,
> πολὺν δὲ χρόνον βιώσω.

Vides, inter utrumque codicem exiguam occurrere differentiam, sensu utrobique eodem manente: illo videlicet, quo versiculi in Ebræo textu parti priori, ואמר עם קני אגוע in Græco respondent, εἶπον, ἡλικία μου γηράσει ὥσπερ στέλεχος φοίνικος, posteriori vero, וכחול ארבה ימים reliqua, πολὺν δὲ χρόνον βιώσω. Unde clarissime liquet, quæ Fellus noster pro sua sententia allegavit, longe aliter se habere: quum verba, de quibus disputamus, diverso plane modo, ac ille putavit, LXX. reddiderint, exegesin suppeditantes eorum, quæ Jobus de vitæ diebus sicut arena multiplicandis sub orationis schemate enunciaverat. Idque confirmat egregie codex Alexandrinus, quem tantopere in præfatione Fellius noster laudat, quando per totum Jobi librum pro ratione commatum in versibus Ebræi textus occurrentium Græcam versionem in στίχους dividit, ita, ut ubicunque ille tribus constat commatibus, in MS. ac Junii editione tres στίχοι reperiantur: ubi ille duo saltem continet commata, hic duos quoque στίχους repræsentet. Unde consequitur, in nostro versu duos in hoc Codice στίχους duobus in Ebræo commatibus respondere, ita ut prior στίχος commati priori, posterior στίχος commati posteriori conveniat. Aliter nos statuere non sinunt doctorum virorum de LXX. Interpretibus hypotheses, quas tamen nostras non facimus. Patricius enim Junius se *Textum Jobi juxta veram & germanam septuaginta seniorum interpretationem edidisse* putat. Nec desunt, qui illustri Vossio adsentiuntur, ac LXX. Versionem non modo incorruptam hodienum exstare, sed & veterum testimonia, quæ in ea textum Ebraicum summa fide translatum esse confirmant, hodiernæ ex asse convenire statuunt. Enimvero, quomodo hanc integritatem laudemque salvabunt, si Felli sententiam amplectuntur? quum priorem ferme versus Ebræi partem vel plane omissam esse, vel temporis saltem injuria excidisse consequatur: quorum illud uti fidelis interpretis curæ adversatur, ita hoc corruptionem aperte arguit. Quod reliquum est, non quæritur, *utrum incredibile prorsus sit* τὸ στέλεχος *hic in eo significatu apud* 70. *positum, quo stirps & stemma in omnibus fere dialectis passim usurpantur*, sed an ex usu Græcæ linguæ ista significatio voci στέλεχος conveniat, quod inficiatur Hesychius, quando στέλεχος explicat ὁ κορμὸς τοῦ δένδρου, observante Bocharto; nec ullo exemplo probavit Fellus, aut, qui ipsi præivit, Jo. Pineda Comment. in Jobi caput 19: 25. §. 17. Ut taceam, istam explicationem obscuram atque insuetam loquendi rationem inferre, ac Phœnicis apud Clementem descriptioni tantum non adversari. Quamobrem necesse est, ut LXX. Interpretes non Phœnicem avem, sed palmam intellexerint, ad versum forte sequentem respicientes, ubi radicis fit mentio.

§. XIV. Pergit Fellus noster: *At vero si mantissæ loco adjiciatur, Auctores laudatissimos, qua sacros, qua profanos, nimirum Herodotum, Tacitum, Dionem, Plutarchum, Plinium, Senecam, Melam, Solinum, Philostratum, Libanium, Tertullianum, Origenem, Cyrillum Hieros. Eusebium, Nazianzenum, Epiphanium, Synesium, Hieronymum, Ambrosium, Lactantium, Bedam &c. ut totam Poëtarum gentem, & sequioris ævi scriptores prætercam, eadem fuisse in sententia; minime mirum videri debet (utcunque Bochartus aliter senserit) Doctissimum Junium apud se statuisse, satius esse tantis auspiciis errare, præsertim in re, ubi sine noxa peccatur, quam contrariæ sententiæ fautoribus accedendo vel recte sentire.* Verum celeberrimi Thomasii verbis §. 73. respondemus: *Clementem quidem, Tertullianum, Cyrillum, Junio non eripimus, sed veremur, ut cæteri plerique, si curate examines, alio possint haberi numero, quam eorum, qui popularem fabulam recitant potius, quam de suo adserunt.* Poëtarum vero μυθοφιλία nemini ignota est, nec recentiorum scriptorum adsensu destituimur, inprimis eorum, quos Patricii Junii nequidquam potuit movere sive auctoritas, sive credulitas, è quibus Vossios, Bœcleros, Schotanos, aliosque laudat Thomasius §. 74. calculum suum §. 79. illis adjiciens: quin ipse Fellus Patricio in omnibus accedere non audet.

§. XV. Pro salvando tamen Clemente omnem movet lapidem, ac Taciti quoque narrationem producit: *Certe cùm Cornelius Tacitus, cui adstipulantur reliqui istius sæculi historici, diserte dicat* Paullo Fabio & Lucio Vitellio Coss. post longum sæculorum ambitum, avem Phœnicem in Ægyptum venisse, & præbuisse materiem doctissimis indigenarum & Græcorum, multa super eo miraculo disserendi; *minime putandum est eum merum mendacium & puram putam fabulam effutiisse: præsertim quando satis constat, quantum olim malus Dæmon miserorum hominum superstitioni & ignorantiæ insultabat, quantumque è re sua erat ea tempestate, cum Euangelii splendor terrarum orbem vitalibus radiis salutare inciperet, notabili aliquo commento seipsum venditare; & quidem qui se pro aëris principe, per avium ministeria, & universum auguralis scientiæ apparatum gesserat, quique celeberrima illa Jovis Dodonæi apud Græcos, atque Hammonis apud Ægyptios Oracula solenni avium τερατείᾳ dedicaverat (de qua re inter alios consuli potest Herodotus in Euterpe) non absurde fecisse videbitur, si nutantia sua sacra stabilire conaretur, revocato eo ostento Heliopoli, quod animos hominum pridem imbuerat; promtissimamque fidem sibi spondere poterat. Nimirum quod post longa quædam intervalla, Avis formæ prorsus insolitæ, à colore saltem si non & veteri nomenclatura Phœnix dicenda, sese ostentaret*, quæ sublato, *ut verbis Taciti utar*, Myrrhæ pondere, tentatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, *sarcinam suam* ad Solis Aram perferret, atque adoleret: *atque officio illo plane mirabili non minus quam munere, honorem altaribus adderet. Ostentum certe illud quod Tarquinio Prisco animos dedit, ut apud Romanos imperium capesseret (ut alia à Livio memorata prætercam,) multum ex hoc trahere videtur, nec non ei facem præferre.* Hæc prolixe Fellus, cujus tamen suasiones vereor ut apud æquos rerum arbitros efficiant, quod probare intendit. Plane enim adsentior Thomasio nostro, qui postquam §. 84. ostenderat, ad hanc de Phœnice quæstionem, utpote facti, probandam, *testibus opus esse, qui certa oculorum fide usurpaverint factum, quum auritis ad justum pondus plurimum desit*: de Tacito §. 87. hoc fert judicium: *Verum neque hoc est oculatum testem agere, sed miscere se turbæ credentium auritorum. Omitto fateri Tacitum, incerta esse cætera, & fabulosis aucta.* Quin de ipso illo Phœnice Tacitus scribit: *nonnulli falsum Phœnicem, neque Arabum è terris credidere, nihilque usurpavisse ex his, quæ vetus memoria firmavit.* Tum vero, subsit aliquid veri Phœnicis in Ægypto adparitioni, quid mirum, si ipse diabolus in illius avis ficticiæ figura, qualem sibi imaginabantur homines, adparuerit, sicque non vera avis, sed ipse μυελοτεχνίτης visus sit, qui Euangelii cursum impedire ac superstitiones in hominum animis conservare hac ratione tentaverit, ut adeo Taciti relatio fabulæ de Phœnice nequidquam patrocinetur. Nec omittenda sunt, quæ præclare monet Schotanus Heptaëm. p. 137. *Quis credat si Deus exstare voluerit in natura tam il-*

lustre resurrectionis specimen, eundem & voluisse avi illi ingenitum esse, ut illustri divinæ approbationis documento templum solis & aram idololatriæ execrabilis cohonestaret? Itaque manifestum est, prolixum Felli nostri discursum potius obesse Clementinæ Epistolæ, quam prodesse.

§. XVI. Quamobrem caussæ diffisus vir eruditus alia ratione eam defendere conatur: *Sed si hæc minus satisfaciant, breviter dici poterit, Phœnicis historiam apud omnes pro concesso habitam, & proinde argumento ad homines ducto, rectissime inservire.* Equidem si Constitutiones Apostolicæ recte Clementi Romano tribui possent, dubium non foret, κατ' ἄνθρωπον eum disputasse; quod Lib. V. cap. 8. dubitanter & ex Ethnicorum sententia de Phœnice fabulam proponit, uti Bochartus quoque & Gatakerus observarunt: Attamen quum rectissime eruditi recentiori ætati Diataxes istas adjudicent, ipsam in Phœnicis fabula enarranda diversitatem adnotantes, ut videre est apud Natalem Alexandrum Select. Histor. Eccl. Sæc. I. Diss. XVIII. p. 198, 199. quanquam Pseudo-Clemens ille non meruit Usserii Prolegom. Ignat. Cap. X. pag. LXV. animadversionem; itaque Epistolæ saltem verba supra transscripta accuratius ponderanda sunt. Quo facto deprehendemus, non κατ' ἄνθρωπον, sed κατ' ἀλήθειαν Clementem Epistolicum hoc argumento usum esse. Quid enim contemplamur, oculisve cernimus, quam res veras realiterque existentes? quid est signum mirabile, τὸ παράδοξον σημεῖον, nisi quod realiter existit, sensibusque percipi potest? quid verba, τὸ γινόμενον ἐν τοῖς ἀνατολικοῖς τόποις denotant, quam Ens verum, taleque signum, quod in Orientis regionibus certissime conspicitur? Cur auctor tanta curiositate omnes circumstantias percensuisset, ad Ægyptiacorum Sacerdotum tabulas provocasset, & (quod maximum est) addidisset, Deum per illam volucrem promissionis suæ magnificentiam abunde nobis patefecisse? nisi Phœnicem veram esse avem ac neutiquam fabulosam credidisset. Quamobrem in Epistola hac credulitatem viro Apostolico, sive Apostolorum discipulo indignam deprehendentes viri summi §. 2. citati, non immerito Clementi Romano eam vel plane abjudicant, vel saltem dubitant, an ea sit, quam olim in Ecclesia publice prælectam & à tantis scriptoribus commendatam novimus, inprimis, quum & alia plurima in ea leguntur, quæ vel non congruunt temporum rationi, vel doctrinæ Apostolicæ repugnant, vel cum ipsis denique veterum testimoniis non adeo bene conveniunt, de quibus forte alibi dicendi locus erit.

§. XVII. Nec quidquam obstant Felli nostri suspiciones. Nam quod ait, *nihil referre, quibus armis hostem confodiamus*, sponte cadit, si consideramus, maximi interesse, quibus armis vir Apostolicus hostes Christianæ fidei confodiat. Sic & in humanis *non minus feliciter ab admisso errore redarguetur error, quam à veritate in medium producta veritati fides & auctoramentum accedunt*: sed in divinis ac religionis Christianæ articulis confirmandis majori longe circumspectione opus est. Atqui *in nulla re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe & contentiose contradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione*, quod Augustini effatum est Comment. in Psal. 88. Ut taceam, quod supra ex Schotano monui, ac alia ratione confirmatur à Gisb. Voetio P. 1. Disp. Select. p. 1166. fabulam de Phœnice oppugnare potius resurrectionem, quam stabilire. Addit postremo Fellus noster: *Nec aliter videtur B. Paullus cum in hoc ipso negotio, apud hosce arbitros, (Corinthios intelligo) versaretur, allegasse in causam suam, morem, pariter cum Phœnicis hac historia improbabilem, baptismum pro mortuis; ut exinde resurrectionem comprobaret.* Verumenimvero, sive per βαπτισμὸν ὑπὲρ νεκρῶν putemus Apostolum respexisse ad Baptismum vicarium, sive ad Baptismum in cœmeteriis à primitiva Ecclesia administratum, neutro modo probabilitate sua caret, nec ulla ratione cum Phœnicis fabula conferri potest. Nec ipse Paullus rationem de Phœnice tam obviam reliquisset intactam, nisi rei fabulosæ mentio gravitati Apostolicæ repugnet, recte observantibus Schotano & Bocharto. Quidni Apostolorum quoque discipulo, Clementi Romano, eandem non congruere censebimus?

§. XVIII. Itaque ex iis, quæ hactenus disquisivimus, apertissime constat, nullam fabulæ de Phœnice fidem esse adhibendam, nec in Jobi verbis ficticiam avem quærendam, nec denique genuinam Clementis Romani ad Corinthios Epistolam hodie superesse.

F I N I S.

M. MICH. BECK

DISSERTATIO

De Accentuum usu & abusu Musico Hermeneutico.

הקדמה:



EX quo Cl. *Samuel Bohlius*, novis fere ausibus, & majore, quam alii, nisu, Accentuum Ebræorum *Infallibile Ministerium Hermeneuticum* orbi literario exponere, *magnoque ingenio*, dicente *Dn. Ledebuhrio*, *& labore, accentuum mysteria intimius scrutari conatus fuit*, non defuere inter Eruditos, qui hæc nova (novitatis enim studium in B. Bohlio notatum quoque legimus à *Magnif. Dn. D. Geiero, in Comment. ad Proverb. cap.* 8: 24. *p. m.* 394.) avide arriperent, & ulteriori harum rerum curæ animum addicerent; Magistrum illum & Ducem secuti; quorum insigniores quique ex Athenæo illo, ubi Bohlius hæc profitendo publice docuerat, tanquam ex natali quodam eruditionis accentuatoriæ solo prodiere. Post plures tamen hujus recentioris ævi Admiratores & Amatores, aliis Cordatioribus Theologis juxta & Philologis nova hæc dogmata, utut prima fronte valde speciosa, non arrisere, ratis, si res altiori veritatis indagine perpendatur, haut parvas, nec eas paucas superesse difficultates, quæ leges illas accentuum χθὲς ἢ πρώην enatas premant, & ex interpretatione plurium, eorumque clarissimorum locorum, his fulcris innixa, emergant. Utut enim id nemo facile negaverit, *accentus Ebræorum, ceu signa orationem interpungentia, & continuationem ac distinctionem sententiarum indicantia, multum juvare sensum*, (quod adminiculum accentuum, seu פיסוק טעמים Ebræi, licet minus apte, ex Neh. 8: 8. verbis ויבינו במקרא colligunt) id tamen haut ita certum est; etiam eorum accentuum, qui vel plane nihil, vel non ita multum, distinguunt, adeoque non sunt מפסיקים seu pausantes, sollicite semper curam habendam, eorumque sequelam rigorose ad nexum vel Grammaticum, vel Logicum, exigendam, multo minus, ob unius, vel minutius distinguentis, vel solum conjungentis, positum, legibus illis minus congruum, integrorum dictorum Scripturæ S. receptas, & interpretationis regulis conformes, Versiones, rejiciendas, novasque cudendas,

dendas, & Ecclesiis obtrudendas esse. Ne enim jam dicamus, ipsos Rabbinos, minutissima alias textus Sacri excutientes, non omnium, ut illi faciunt, accentuum rationem in suis פירושים seu commentationibus habere, sed pausantium, quos vocant, tantum, & ne horum quidem semper, (vid. *Rabbi Kimchium* ad Jes. 5. ult. & *R. Sal. Jarchi* ad Malach. 2: vs. 15. circa munus ֻ ׃ è diametro sibi invicem adversantes) antiquissima sane praxi, communi item totius Synagogæ suffragio, & fere nemine ante B. Bohlium refragante, constat, *accentus, etiam vi etymi, præter recensitum distinguendi sententias munus, subire officium talium notularum, ad quas singulæ voces decoro cantu, vel, si mavis, jucunda modulatione, accentui rhetorico-musico haut absimili, cantillandæ, aut efferendæ sunt.* Quæ alii apud animum perpendentes, & Philologorum Senatum in novo ista dogmata nondum unanimi suffragio consentientem, animadvertentes, dubitarunt haut abs re, an ille בעל הטעמים seu Magister Accentuum Judæis totiens memoratus (quamvis & plurali forma בעלי הטעמים dicant) talia intenderit per has accentuum notulas, ita ut omnino male fiat, Accentuum Musicum usum Judæorum Scholis, à Philologis Christianis relictum, (à Reuchlino licet suis imitationis ergo commendatum) proscribere prorsus, & per hos, loco illius, principium ἑρμηνείας S. adæquatum introducere velle. Nec abs re Theologi quidam ex Nostratibus inconsultum judicarunt, si ex hoc accentuum principio hermeneutico optima B. Lutheri nostri Versio, aliorumve Orthodoxæ Interpretationes, toties, *obiter* licet, (ut trita voce Recentiorum Quorundam utar) notentur, quoties certe vix ab ipsis inter Adversarios fidei nostræ Modestioribus id fieri videmus. Sane haut leve periculum novarum litium & turbarum inde metuendum, si horum hominum ductum sequamur, vel & subsecuturas & subinde enascentes legum illarum accentuatoriarum interpolationes, adauctiones, &c. acceptare velimus. Quomodo justo zelo de his conatibus Cl. Ledebuhrii (cujus placita fere omnia Recentiores adhuc exosculantur) *in præcipuis oraculis adversus Christiani orbis fidem, imo quandoque etiam adversus auctoritatem N. T. ex sua accentuationis doctrina, & adinventione pervicacissime disputantis,* conquestus sit Celeb. Theologus, *Dn. D. Calovius*, videre licet in *Excell. nostri FRISCHMUTHII*, נ״י *Dissert.* de LXX. *Hebdom. cap.* 3. §. 11. *seqq.*

Nos hæc Venerandis Theologis transcribentes, Dissertatione hac id agere conabimur, ut sententia antiqua, quam à Præceptoribus tam vivis, quam mutis, hausimus, & in hac quoque Academia *contra aliorum molimina* defensam hucusque novimus, contra Quorundam exceptiones & suggillationes confirmetur, Eorumque existimatio, satis proterve à quibusdam protrita, vindicetur, non eo certe animo, ac si, ut forsan nonnullis videri posset, aliorum Dissentientium labores in adstruenda contraria sententia occupatos allatrare (ita enim loqui amant) vellemus, sed ut ea, qua par est, modestia, & salva quorumvis auctoritate, in Adversariorum *veritates*, quæ ipsis quidem videntur, *satis pridem evictas*, inquirere, & recte ne an secus alii inter Ebraizantes Summi Viri docuerint, disquirere liceat.

Duobus itaque assertis, duabus sectionibus pertractandis, B. C. D. ostendemus.

(a) *Accentuum Usum Musicum in Scholis Ebraicis recte omnino receptum non esse inde profligendum.*

(b) *Eorundem negotium hermeneuticum solito cautius esse tractandum.*

SECTIO I.

De usu Accentuum Musico.

§. 1. PErvulgata pridem, & extra omne dubium, per plura secula, posita sententia Eruditorum Ebraizantium fuit, *Judæos æque, ac aliæ gentes in sacris cantillare solitæ, antiquissimo quidem ritu, notulas quasdam, & signa quasi Musica, in hunc usum adhibuisse, juxta quorum ductum cantum illum,* (si modo proprie cantus sit, & non potius, ut aliis videtur, rhetorico-musicum quid,) *instituerint*, & hoc adminiculo illam cantillandi textus sacros rationem, alias facile mutationi vel oblivioni obnoxiam, ad seram posteritatem propagarint.

§. 2. Clamant id passim Christianorum & Judæorum pariter libelli, qui accentuum Ebræorum doctrinam exhibent; imo resonant his Judæorum Synagogæ in hunc usque diem, ut mirum omnino sit, extitisse hactenus Aristarchos quosdam, qui Accentuum Ebræorum munia varia amice inter se componere vel nescientes vel nolentes, non quidem inficiari ausi fuere, *Judæos à multis retro seculis textus sacros cantillare, id tamen vel olim, vel hodienum ab iis secundum accentuum figuras fieri, magno nisu, & præfracte negarunt*, adeo ut *Cl. Bohlius*, Dissentientium si non primus, facile tamen præcipuus, *in Disput. I. de Accentibus* asserere nullus dubitaret, *fuisse artem Satanæ, quando Christianis persuasit, Accentus esse Musicales.*

§. 3. Ita scil. alias solet fieri, ut *dum nova nimis evehuntur, antiqua justo plus deprimantur.* Dum enim Recentiores illi Philologi accentuum munus interpungendi congrue orationis elocutionem, spiritumque vel accelerandi vel sistendi officium, sensum dictorum in omnibus linguis adprime juvans, hactenus tamen à Judæis juxta & Christianis negligentius habitum, reducere in orbem literatum conantur, intempestivo simul zelo cantum illum, seu melos accentuum, quo potissimum in tradenda accentuum doctrina Grammatici respexerunt, eliminare, & acerbiore dicendi genere proscribere prorsus allaborarunt.

§. 4. Hactenus autem non obstante horum dissensu, Philologi Celeberrimi, omnino, supposito unanimi antiquitatis Judaicæ suffragio, & quotidiana Synagogæ Judaicæ praxi, Duumvirorum illorum, *Reuchlini* & *Buxtorffii* (ut *Eliam Levitam*, cujus autoritas nimium Recentioribus quibusdam invisa est, taceamus,) testimoniis standum judicarunt, quorum ille superiore seculo primus litteraturæ Ebraicæ inter Christianos in Germania nostra felix instaurator, in libello suo *de Accentibus*, teste Cl. Schickhardo, rarissimo, nobis tamen liberali manu *Viri Excellentissimi*, Dn. P. Frischmuthii (cujus favorem insignem ideo hic, ad exemplum *Cl. Ledebuhrii* ob similem humanitatem *in præfat. Caten. Script. ad Lect.* Cl. Dn. Constantinum L'Empereur laudantis, publice deprædicamus) communicato, de triplici accentu Ebræo, *Grammatico* scil. *Rhetorico*, & *Musico* ita disserit sub finem *Epist. Dedicat. Prosodia omnem significat dictionum prolationem, dum quædam simplici enunciantur Grammaticorum voce, quædam ornata Rhetorum pronunciatione, quædam autem Musicæ harmoniæ sono.* Idem p. 71. hæc addit: *Negari omnino nequit cuncta rimando, quin pro ratione grammatici accentus ille Musicus* (quem autoritate Nicol. de Lyra, & Pauli Burgensis paulo ante stabiliverat) *exortus sit.* Cl. *Buxtorffii* verba brevitatis studio omittimus, quæ *Benevolus Lector* evolvere potest in *Thes. Gr.* p. m. 33. & 600.

§. 5. Quibus præmissis, operosa theseos nostræ probatione opus non erit, si modo uberioris confirmationis gratia notaverimus.

(1) *Suppetere nobis ex ipsa Masora Magna testimonium.* Extat illud *Genes.* 5: 29. ubi Masorethæ, quorum auctoritas Dissentientibus alias magni æstimatur, ad vocem זה hæc notata nobis reliquerunt.

ה' מלין בתרי טעמי בתלשא גדולה וגריש והקורא יט יטעים הגריש קודם התלשא &c.

h. e. *Quinque voces extant notatæ gemino hoc accentu, nempe Telischa M. & Gerescho, Lector autem melos sive modulum Gereschi exprimat prius, quam Telischa.* Neque enim hæc verba congrue de accentu vel Grammatico vel Rhetorico, qui hujus vocis unus est, geminando recte acceperis.

(2) *Nomina accentuum non tantum figuræ, sed & cantui eorum accommodata esse*, præter Balmesium, aut ejus Continuatorem, Calonymum, testis est laudatus *Buxtorffius in Thes. Gr.* p. 28. *seqq.* quin & hoc addimus; figuræ accentuum nonnunquam respondere ipsorum melos, notulas item infra vocis literas, submissiorem, supra eas vero positas, elatiorem sonum signare.

(3) *Accentuum figuras à priscis Ebræis etiam textui Talmudico, sive Mischnis, cantus gratia, & per eum memoriæ juvandæ causa, adjectos fuisse*, teste R. Asaria P. III. *Meor Enajim* cap. 59. quem laudat Celeberrimus noster *Frischmuthius Disp. cit.* cap. 3. §. 21. Quod de memoriæ adminiculo scribit *R. Asarias*, id confirmat etiam *Ephodeus*, allegante B. Kolhans. *in Exerc. Glott.* p. 211. ex Buxtorffio, his verbis: *Cantus Biblicus multum conducit ad memoriam, dum vid. in sermone sic cantillantis mora temporis in lectione vocalium & pausarum & respirationum occurrentium.* Quem in finem etiam Cretenses olim leges suas decantasse, testatur laudatissimus Noster *Frischmuthius*, Disp. cit.

(4) *Non posse solide doceri, cui usui tantæ accentuum minus pausantium, & ministrorum multitudo, & ratione sequelæ varietas, inserviat, si præter accentum Grammatico-Rhetoricum*

toricum soli sensui orationis interpungendo servirent accentus. Quam in rem non possumus non laudare Sebast. Munsterum, qui postquam proposuisset quæstionem de accentuum mira multitudine & varietate, in brevi expositione Accentuum, libello Eliano præmissa, ita disserit: *Accentus non ponuntur solum propter distinctionem aut continuationem sententiarum, ut aliqui putarunt, sed etiam propter modulationem, & gratiorem lectionis pronunciationem, cum certum sit, Musicam excitare spiritum atque ingenium ipsum, sicut Philosophus ait: Natura trahitur modulatione canora. —— hinc est, quod qualibet vox habet proprium accentum.*

§. 6. Cum itaque exploratam hanc veritatem nemo nisi unus alterve Recentiorum in dubium vocare ausus fuerit, age dum modesto examine excutiamus ea, quæ contra hoc *antiquissimum verissimum* excipiunt.

§. 7. Obj. (1) *Cantare quidem Judæos textum Ebraicum, verum secundum accentus, quasi notulas musicales, id vero olim factum esse, vel hodienum fieri, hoc esse, cujus ne γρὺ probabilitatis, nedum probationis, appareat. Siquidem cantilletur textus Biblicus ex Codice Synagogæ non-accentuato.* Item: *non magis ad accentuum rationem Judæorum cantum institutum esse, quam olim Asinæ Bileami loquelam, quæ & ipsa accentus habeat.* Resp. Omnino id probatissimum esse. Cui bono namque Judæi juxta & Christiani tam sollicite, tamque distincte, singulorum accentuum peculiarem melodiam, ניגון vel נגינה Judæis dictam, nobis tradidere, si non Lectorem in concinna textus sacri modulatione informare velint. An forsan & ipsi Dissentientes leges accentuationis in suis libellis præscribunt, nec tamen secundum illas regulas accentuum Ministerium sensus incisivum, ut loqui solent, examinari, & adornari volunt? Quæ item sequela est, *Judæi cantillant textum ex Codice non-accentuato, ergo cantus non fit secundum accentus?* Annon enim & illi ipsi legunt textum ex Codice non-punctato, & tamen secundum legitimas vocales? Nil aliud hoc argumento evincitur, quam, *fieri illud non secundum accentus præsentes*, quod facile largimur. Assuefiunt autem Judæi cura informationis domesticæ huic cantillationi ad ductum accentuum adornandæ ex Codice prius accentuato & punctato. Non igitur qui hymnum sacrum ex libello cantionum, notulis musicis destituto, cantillat, ideo non ad earum præscriptum canere dicetur, quibus præscriptis antea admotus canendo se exercitare, vel alios hoc artificium edoctos imitando, idem præstare potuit? Dein, aliud omnino est, Asinam Bileami non cantillasse, loquelam illam suam proferendo; aliud, Judæos loquelam illam Asinæ, textui Sacro insertam, & Biblicis accentibus consignatam, non ad horum ductum cantillare.

§. 8. Obj. (2) *Si Musici cantus rationem tuerentur accentus, oporteret necessario intervalla tonorum diversa iis designari, ipsamque methodum, seu artem cantandi: quale vero nihil constanter docere possint Quodlibetarii illi Musici, sed tantum varias sibi effingant vocis fracturas, quæ vel in unisono fieri possent.*

Resp. Utique constanter docere Grammaticos Ebræorum, designare accentus certas soni per intervalla variationes, id quod præter usum quotidianum, etiam ex illorum nominibus & figuris, quæ bonam partem certum vocis modulum exprimunt, ostendunt. Complectitur enim quivis accentus certum nostrarum notularum musicarum per certa intervalla dispositarum tractum, ut *Schematismus Schickardianus* Reg. 154. & tabulæ *Capnionis*, (quas in gratiam curiosi Lectoris peculiaribus chartis, quia alias non ita facile obviæ sunt, excudi mantissæ loco curabimus) sufficienter docent. Et quamvis *Elias Levita* in טוב טעם seu libello suo *de Accentibus* fateatur, *felicius ex ore docentis hoc, quicquid est, addisci posse,* subjicit tamen paullo post c. 2. seqq. כבר נדפסו בין הגוים ניגוני הטעמים כלם בחכמת השיר הנקרא מוס"יקה ומי שידע חכמת השיר יודע לנגן אותם כמונו בלי משגה: h. e. *Prodiere jam dum typis exarati omnium accentuum moduli, seu μέλη, inter populos, ex præscripto artis canendi, quam Musicam vocant, ut qui hanc norit, etiam juxta singulos accentus cantillare calleat, æque ac nos, & sine ullo erroris metu.* Non equidem nescimus, discrepare in nonnullis cantillationem Judaicam, pro diversis nationibus, ita ut illi, qui extra Germaniam degunt, non æque ac nostrarum terrarum incolæ Judæi omnium & singulorum accentuum distinctum melos observent, sed posthabitis Ministris, potiorum tantum & distinctivorum: quod tamen nostræ sententiæ vel nihil, aut certe parum officit.

§. 9. Obj. (3) *Accentus esse pausationes, notulas vero Musicas, cum quibus nos accentus comparemus, nullam inferre pausandi rationem.*

Resp. Opponi, quæ non erant opponenda, & confundi distincta munia accentuum. Demus enim, in sensu *reduplicativo*, accentus, *quatenus* cantum vocum moderantur, *eatenus* non designare distinctionem sententiæ in certa membra, & ad ea interspirandi modum, quid inde? nihil certe aliud, quam hoc inde colligere licet, *accentus non κατ' αὐτὸ modulationem & pausationem inferre, sed istam quidem, in ordine ad μουσικὸν illud, quod accentibus inest, hanc vero respectu ῥητορικοῦ sui.* Quamvis nec hoc ita simpliciter verum sit, notulas musicas non simul facere pausationes, ut Adversario loqui libet, omnino enim notulæ hæ, [illegible] præ reliquis moram & pausam significant. Conf. de accentuum valore musico, cum his nostris notulis collato, egregium libellum *Alhardi de Raadt, de Punct. Ebr. Nat. Definit. XIV.* & *Buxt. Tr. Gr.* p. 33. ubi *primo* Ebræorum accentuum *usui* assignat *modulationem, tertio* vero *pausationem.* De distinctis ergo Adversario distincte agendum erat.

§. 10. Obj. (4) *Ipsa etiam Musicorum Instrumentorum nomina esse instructa accentibus, quasi vero & illa fuissent decantata à Cantoribus, æque ac textus.*

Resp. Hæc non ferire thesin nostram. Neque enim nostra, vel ullius alterius, quod sciam, opinio fert, Cantores illos publicos à Davide institutos, & variis Musicis instrumentis instructos, cantillasse vel inscriptiones Psalmorum, vel nomina Musicorum instrumentorum inibi occurrentia, juxta accentuum nostrorum ductum & normam, utpote qui cum aliis statuimus, illum Cantum magis, ut loquuntur hodie, figuratum, & cultiorem fuisse, quam rudior ille modulus, quo Judæi utuntur, & juxta cum illis ab antiquissimis seculis Christiani, ut lectio textuum publica ob majorem attentionem, & faciliorem intelligentiam impetrandam juvaretur. Cujus rei exemplum non aliunde commodius peti posse putamus, quam ex moderna Ecclesiarum praxi, in quibus Ministri Ecclesiæ, sacris ad altare operantes, preces, quæ *Collectarum* nomine veniunt, & textus alios, v. g. *Evangelicas pericopas, verba Institutionis,* &c. rudiori illo modulo cantillant. Ex quo igitur nomina illorum Musicorum Instrumentorum, cum reliquis Psalmorum verbis in unum contextum coalescentia, publice in Synagogis legi cœpere, nulli dubitamus, suffragante moderna praxi, ea quoque, æque ac reliqua verba, suo modo cantillata fuisse, non tamen eadem ratione cum Musicis illis Regiis: quia hi apiculi musici, sive accentus, quibus conspicuæ sunt inscriptiones Psalmorum, & in iis contenta instrumentorum nomina, iidem, ejusdemque rationis & sequelæ sunt, cujus reliquorum omnium Psalmorum, imo universorum versuum in libb. אמ"ת sive metricis occurrentium, accentus esse deprehendere licet. Unde rectissime habet collectio *B. Kolhansii in Exercitt. pag. 77. apiculis istis non designari Musicam illam antiquam, qua Mosis & Davidis tempore sacra cantica decantabantur. Conf. etiam pag. 275.* Committitur igitur *fallacia ignorationis Elenchi.* Cæterum, si vel maxime Adversario ex abundanti id largiremur, unde probaret ille solide, nomina illa instrumentorum Musicorum, eo jam tempore, quo Psalmi Præfecto Chori Musici tradebantur, textui sacro fuisse præfixa, & his accentibus, quibus hodie conspiciuntur, notata? Sane communior inter Judæos opinio fert, *Esram, Collectorem Psalmorum fuisse*, cui, si adscriberemus has inscriptiones, istarumque vocum instrumenta musica exprimentium primam in publicis cœtibus lectionem, qua tempore Davidis forsan non adeo opus erat, quid regereret Adversarius? Coævitatem certe harum ἐπιγραφῶν valde dubiam reddit *Cl. Hottingerus*, quando in *Thes. Philolog.* l. 1. c. 2. *sect.* 3. p. 498. memorat, *Psalterium Syriacum Erpenii, ut & Arabicum Nubiense, Romanum item Gabr. Sionitæ, nullam ἐπιγραφὼ, nulla organa musica agnoscere.* Putamus igitur, non inconveniens esse, titulos illos Psalmorum, eo, quo reliqua Psalmi verba, cantu prælegere, plane ut praxis hodierna, eaque vetustissima, in Ecclesia Christiana docet, Ministrum Sacrum, Evangelicam pericopam, e. g. *in festo Nativitatis Christi*, ad altare prælecturum, non tantum ipsa textus Evangelici verba, sed & præliminaria illa: *Audite sanctum Evangelium secundum Lucam*, &c. cantillare.

§. 11. Denique (5) Obj. *Sequi hinc absurdissime, jubilos Davidis in Deo exultantis, & ejulatus ejusdem pœnitentis, æque profundis suum Miserere intonantis, eodem melodiæ genere fuisse cantatos, quasi hodie ad Courandam Gallicam, vel ad aliud histrionicum melos luderetur cantilena Jobi, vel Jeremiæ, execrantium diem suum natalem, siquidem similes prorsus, & iidem sæpe, tam in his, quam illis, reperiantur accentuum positus.*

Resp.

Resp. Distinguenda esse tempora, & facile concordatura hæc adserta. Instantia igitur, à cultiori luxuriantis nostri seculi Musica, seu arte canendi, quæ pro ratione argumenti mire modulos variat, petita, non quadrat ad illum pristinæ simplicitatis incultiorem paullo cantillandi modum, qui non ita exacte musicus est, nec tam libere fluit, sed accentui rhetorico magis attemperatus est. Non enim animus veteribus fuit, isto qualiscunque cantus modulo, seu μέλει, delicatas aures demulcere, & mira sui varietate delectare, sed tantum lectionem majoris attentionis gratia, facilioris item intelligentiæ & perceptionis ergo, exornare, & gravitati rerum sacrarum eam accommodare, nec ita leviter hæc seria tractare. Opponant igitur hæc Musicæ Regiæ, in publicis Templi Hierosolymitani sacris olim usitatæ, eamque, quod per nos licebit, ad Musicam illam Gallorum, Italorum, quin & æmulorum Germanorum, examinent, animo autem interea attendant ad sæpius laudata nostrarum Ecclesiarum sacra, in quibus certe vix aliter formulæ Eucharisticæ & Gratiarum actoriæ, quam humiles preces, & tristes supplicationes, decantari audient, exquisitioris Musices ratione aliis relicta.

§. 12. Judicet nunc Lector Candidus, an suo merito Cl. Philologum, *B. Schikhardus* vapulet Non-nemini, qui mordaci prosus stylo Optimum illum Virum exagitat, in eumque invehitur sic satis acerbe, quod in *Horologii sui Reg.* 154. hanc accentuum melodiam, in erudito Ebraizantium orbe ante hunc Aristarchum haut ita controversam exemplo laudabili suorum antecessorum & coævorum Scriptorum, proposuerit. Quasi vero solus *Schickhardus* ex universo Ebræorum Choro in Theatrum producendus, ibique communi ludibrio exponendus fuisset, cui tamen hoc quicquid erroris fuisset, ob vitium & ignorantiam (ex mente illorum Schikhardo-Mastigum loquor) illorum temporum, æque ac aliis facile condonari poterat. Sed nempe aliud sub his conatibus latere forsan haud immerito dixerimus, scilicet, ut aliorum Virorum egregiis scriptis & laboribus auctoritate, qua hactenus apud Bonos quosque rerum Æstimatores gavisa fuere, detracta, eo facilius sua placita aliis obtrudere valeant, & ita *totas hebraizantium cohortes in Hebraismi adyta intromittant, cum singulos manipulares tantum alii hactenus admiserint.* Sed nolumus brevitatis studio *nænias istas*, & ἀμυσοῦ *figmenta* excutere, cum *Præfationis* fœtus ille postea vel animi pœnitudine, vel majoris invidiæ metu, ab ipso Parente suppressus fuerit, & jam pridem solidis responsionibus à *B. M. Holten* in *Defens. Horolog.* obviam hisce itum, ostensumque fuerit, *quam frigide Scriptor ille Scopticus sit*, (verbis utor laudati *Holtenii*,) *ob id à Jove Solstitio donandus.* Quadrare adeo epiphonema illud Schikhardi in Censorem suum videtur, quod habet in *præfat. Bechin. Happ.* his verbis: *O quam frequens est hodie semi-hebræorum temeritas!*

SECTIO II.

De Abusu Accentuum Hermeneutico.

§. 1. STabilito, ut putamus, contra Dissentientium argumenta opposita USU ACCENTUUM MUSICO, accedimus jam ad ABUSUM eorum HERMENEUTICUM, ostensuri, *quosdam nimios suarum rerum adamatores, & accentuum singulorum, adeoque minimorum etiam, curam habentes, eorum ministerio abuti, quod omnem omnino accentuum positum & sequelam ad dictamen suum Logicum & Grammaticum examinant*, & ita sensum ex illorum ad se invicem habitudine eruunt, atque ad eundem reliquas interpretationes trutinantes, quicquid cum suo illo sensu, quem quidem infallibilem, & ipsius Scriptoris θεοπνεύσῳ esse firmiter persuasi sunt, consonat, acceptant, quod vero ab eo dissonat, repudiant, non expensis sæpe aliis legitimæ interpretationis regulis, nec attento, quid hactenus orthodoxi in Ecclesiis docuerint, posthabita etiam sine sontica sæpe causa auctoritate Versionis nostræ vernaculæ, utpote quam legibus illis accentuationis Ebrææ, & praxi ad earum ductum instituta ita labefactari videas, ut sæpe caput Biblicum tibi suppetat, in quo bene multi versiculi alium per accentus habent juxta illos homines sensum. Ut mirari subeat, qua confidentia Non-nemo scribere ausus sit; *Sufficiat nobis, quod B. Theandri Versio nullibi non sit pia, vix ullibi non accuratissima, in locis maxime fundamentum fidei ex professo concernentibus, esto, quod maneat Versio, &* alicubi *per accentus etiam possit* illustrari.

§. 2. Urgent equidem inter alia Dissentientes *praxin ipsorum Rabbinorum*, qui suorum quoque hominum expositiones, rarius licet, ad accentuum normam expensas, vel approbarunt vel repudiarunt; & vehementer commendant dictum illud Sapientis *Aben Esræ*: כל פירוש שאינו על דרך הטעמים לא תאבה לו ולא תשמע אליו כי בעל הטעמים ידע הפירוש יותר ממנו: h. e. interprete *Buxtorfio in Thes. Gramm.* p. m. 599. *Quæcunque expositio non fuerit juxta rationem accentuum, ne acquiescito ei, neque audias eam: author enim accentuum novit expositionem melius quam ipse*, (rectius,) *nos.*

§. 3. Verum eo ipso, quod Commentatores illi vix ullos nisi majores, quos vocant, Distinctivos accentus, quales sunt ֑ ֔ &c. tanquam pausantes seu מפסיקים attendunt, docentibus id etiam exemplis à *Buxtorfio* l. c. adductis, tacite ipsi subinnuunt, cæteros accentus, qui extra istiusmodi pausas insigniores constituti sunt, & voces continuo adhuc fluentis sensus afficiunt, non ita rigide urgeri posse, pro ostendenda unius cujusque vocis ad alteram habitudine *Syntactica*, vel *Logica.* Alias enim & ipsi optime norunt, *Mercam* e. g. esse מסכים seu *Conjunctivum*, *Tiphcham* ex adverso suo modo מפסיק seu *distinctivum.*

§. 4. Nec *Aben Esræ* Auctoritas ipsis favet, priusquam ostendant, illam דרך הטעמים sive accentuum viam ejusdem esse rationis, cujus leges illæ modernæ accentuationis sunt. Evolventi Commentaria *Aben Esræ* facile patescet, ipsum τὸ דבק & מופרד seu *Cohærens* & *Divulsum* non tam de singulis vocibus, ut nostri faciunt, sed de integro *territoriolo*, (ut isti moderni loqui amant) vel certa sensus particula, seu minutiore membro, usurpatum adhibere.

§. 5. Quin & officit ipsorum hypothesi *Aben Esra*, adjectis illis verbis: כי בעל הטעמים ידע הפירוש יותר ממנו *quia Auctor Accentuum melius expositionem novit, quam nos.* Quibus sane (omissis ideo, & à præcedentibus resectis ab *Epitomatore quodam in præfat. Institutt. Accent. Ebr.*) derogare videtur Sapiens ille Vir auctoritati θεοπνεύσῳ & coævitati accentuum, earumque originem Certo cuidam Viro in Scripturarum interpretatione exercitatissimo, *Esræ* forsan, (ita enim *Aben Esram* exponit, simul tamen & corrigit *Elias* l. c.) adscribere. Quid namque opus erat, de primis Scriptoribus, quos accentuum Auctores esse illi volunt, dicere: *nosse eos interpretationem melius, quam nos?* Vox פירוש certe ex *loco conjugatorum* evincit aliquem מפרש, quales vero non sunt *Auctores illi Scripturæ S. secundarii*, sed recepto usu loquendi, sequentium temporum *Commentatores* aut *Expositores.*

§. 6. Ne id frustra dixisse videamur, age producamus elegantissimum locum ex *Comment. laudatissimi Sapientis illius in Deut.* 5: 5. ubi de voce לאמר *versui quinto* sub finem annexa, quæ tamen sensus ratione superiorem *quartum*, non obstante interjectione *versus quinti*, claudit, ita disserit: אל תשים אל לבך בעבור היות מלת לאמר רחוקה כי כן רבים והמדבר לא הפסיק הפסוקים׃ h. e. *Ne mirabundus animo tuo agites vocem* לאמר *nimis dissitam aut disjectam*, (nempe per interpositum *Silluk* à priore versu divulsam) *multoties enim illud fit*, NEC LOQUENS IPSE (h. l. ORATOR MOSES) VERSUS DISTINXIT, *aut interpunxit.* Jam si ne *Silluki* quidem Auctor in singulis versibus est Moses, quid de reliquis fiet accentibus intra versum contentis, quorum ille basis & fons est?

§. 7. Ubi obiter notari volumus, sæpius allegari hujus Viri auctoritatem hoc & istud τοῖς טעמים tribuentis, eo sensu, ac si de accentuum notulis id intellectum velit, cum tamen de variante vocum constructione, forma & positu, sensu licet earum & διανοίᾳ bene consonante sermo ipsi sit, quod scopus dicentis & contextus verborum in ipsius commentariis luculenter commonstrant. Sic qui evolverit *Comment. ad Exod.* 20: 1. fol. 2. *Bibl. Buxtorff. fac. b.* nec non ad *Deut.* 5: 5. facile deprehendet, non agere ipsum de accentuum figuris, quod tamen *Buxtorfius in Thes. Gr.* p. 599. ostendere, sed frustra, conatus fuit. Priore enim loco satis clare ita disserit: משפט כל החכמים בכל לשון שישמרו הטעמים ואינם חוששים משנוי המלות אחר שהם שוות בטעמן׃ h. e. *Moris est apud omnes Sapientes in quavis lingua, ut observent vocum sensus, nec multum proinde curent vocum discrepantiam, postquam sensu convenire eas deprehenderint.*

§. 8. Sed missa controversiæ hujus πραγματείᾳ, *Exemplis quatuor abusum accentuum hermeneuticum evincemus*, idque sub duplici ratione:

(1) Abutuntur enim οἱ νεωτερίζοντες accentuum ministerio, dum posthabita varia lectione Manuscriptorum & Impressorum Codd. certam lectionem accentuum fingunt, ubi ipsa tamen ob dissensum variantis lectionis dubia est.

(2) Dum

(2) Dum accentibus, non quidem ob dictam rationem dubiis, ad leges tamen suas χθὲς ἢ πρωὴν enatas examinatis justo plus in ἑρμηνείᾳ sacra tribuunt. Quod utrumque *gemino* docebimus *exemplo.* Sit itaque B. C. D.

EXEMPLUM I.

Jud. 6:24. ex communiori lectione.

וַיִּבֶן שָׁם גִּדְעוֹן מִזְבֵּחַ לַיהוָה וַיִּקְרָא־לוֹ יְהוָה שָׁלוֹם

Et ædificavit ibi Gideon altare Domino, & vocavit illud Dominus pax.

§. 1. Circa hujus loci sensum, à B. nostro Præceptore Dn. M. *Hanero* peculiari Dissertatione annis abhinc quatuor, & quod excurrit, hic ventilati, lubet & nobis spicilegii loco quædam contra novos quorundam conatus disserere.

§. 2. Hemistichii itaque hujus posteriora verba: ויקרא לו יהוה שלום communi fere suffragio Interpretes acceperunt de Gideone Altaris à se extructi ὀνοματοθέτῃ, quamvis nomenclaturam ipsam יהוה שלום non uno omnes expresserint modo. Nisi quod Junius & Tremellius accentuum auctoritate inducti aliam eamque novam commenti sint interpretationem, hanc nempe: *cum proclamavisset ipsi Jehova pacem.* Quos deserta ob accentuum dissensum *Lutheri* Versione secutus est nuper admodum *Vir quidam Cl.* Versione Germanica hac adornata: **Weil ihm der Herr den Frieden verheissen.**

§. 3. Sed alii accentuum ministerio itidem nixi hunc loci hujus sensum eruunt: *Et vocavit illud Dominus, Pax.* Germ. **Und der Herr nennet ihn Friede / oder den Friedens-Altar.** Ut ita non *Gideon* sed *Jehova* ipse altaris à Gideone extructi ὀνοματοθέτης fuerit, nec nomen illud יהוה tribuatur altari *in complexu* cum שלום, verum hoc solum, idque *incomplexe.*

§. 4. Pro adstruenda hac Versione nova urserunt hactenus illi *accentuum positum* in vocibus וַיִּקְרָא־לוֹ יְהוָה qui evidenter doceat τὸ יהוה per *Tiphcham* ֖ divelli à שלום, & ex adverso illud combinari cum וַיִּקְרָא־לוֹ intercedente Conjunctivo Merca vocis לו, ut ita τὸ יהוה sit denominantis, non, ut hactenus, denominati.

§. 5. Sed bene aliquando monuit *Cl. Auctor Dissert. II. de nomine Edom*, ann. 1674. heic loci excusæ: *Antequam accentuum positio ab Interprete Scripturarum urgeri possit, prius de consensu exemplarium tam Impressorum, quam Manuscriptorum (quæ plerumque ab istis in accentibus locatis multum discrepent) dispiciendum esse.* Ostendit itaque bona fide (testis enim oculatus sum) Beatus Præceptor noster ex tribus optimæ notæ Codd. Manuscriptis, nullum eorum exhibere lectionem accentuum in Impressis hactenus receptiorem, quæque à Novis Interpretibus in subsidium vocatur, sed duos ex illis, *Bibliothecæ Erfurtensis* κειμήλια prorsus tales habere accentus, quales pro recepta hujus loci interpretatione tuenda requiri ipsimet dissentientes fatentur, nempe hos; וַיִּקְרָא־לוֹ יְהוָה שָׁלוֹם *Et vocavit illud, Dominus (est) pax*, ut *Belgæ*: **De Heere is Vrede** / vel *Dominus pacis*, ut Lutherus: **Der Herr des Friedens.** MS. vero Jenensis nostræ Bibliothecæ ita legit: וַיִּקְרָא־לוֹ יְהוָה שָׁלוֹם *Et vocavit illud: Dominus est Pax.* Sensu eodem, aliis tamen accentibus. Ne autem quispiam hanc accentuum sequelam vitiosam, & exemplorum inductioni adversam esse contendat, dicendo, nec secundam ab *Athnacho* vocem יְהוָה per *Tiphcham minorari*, (venia sit verbo) nec tertiam וַיִּקְרָא־לוֹ per *Sakeph parvum*, præcedente *Kadma* vel *Paschta*, *Methegi* vicario, *majorari* posse, si ambæ præcedentes ut h. l. שלום & יהוה quantitate laborent, regerimus, non obstante vocum quantitate laborante, nihilominus secundæ vocis minorationem, tertiæ item majorationem, locum habere, si prima & secunda habeant *sensum enunciativum*, h. e. si propositionem absolvant, nec *nomen* tantum *Logicum* conficiant; quomodo *Belgæ* quidem, & cum iis *Beatus Jacobus Martini lib.* 1. *T. E. c.* 20. enunciative vertunt: *Jehovah est Pax*, in *prædicatione causali* h. s. *Jehova est caussa, est auctor, est Dominus Pacis*, qui sensus levi mutatione ex Beati Lutheri Versione, quæ *nomen* tantum *Logicum* exhibet, & præterea vocem יהוה contra naturam nominis proprii in *regimine* construit, elici posset h. m. **Der Herr (ist ein Gott / oder Stiffter) des Friedens;** quo stante non tam proprie sic dicta *altaris nomenclatura* hic contineretur, quam *memorialis* quædam & *symbolica enunciatio*, nec non *pia* quædam *confessio*, causam extructi altaris exponens, quæque ad conspectum hujus momenti de procurata divinitus Gideoni pace sæpius iterari possit. *Qualis positus enunciativus in binario vocum similis argumenti, ut plurimum obtinet.* Sic *Exod.* 17:15. non tam nomen altaris à Mose extructi important duæ illæ voces, *Jehova (est) vexillum meum*, יהוה נסי (alias enim non solum *Jehova* verum & *vexillum* nuncupatum fuisset altare, quod absurdum ipsi *Photiniani* non admittent,) quam egregiam grati animi erga Deum testificationem nomine & suo & totius Ecclesiæ Israëliticæ à Mose editam, ob beneficium præstitæ *tutelæ*, & concessæ cœlitus *Victoriæ* contra Amalekitas. *Vid. Dn. D. Varen. ad Exod. l. c.* Rem illustrat *B. Jac. Martini*, & post eum laudatus *Dn. D. Varenius ad Genes. p.* 185. nomine nostræ linguæ vernaculæ proprio **Gottfried** / implicite continente hanc enunciationem: **Gott ist Fried** / quo equidem nomine qui insignitur, non ideo *Deus* salutatur, nec *Pax* nuncupatur. Non ergo est, cur hic ex accentuatione contra *Photinianos* pugnare velimus, recte dicente *B. Præceptore nostro l. c.* cum ea posthabita, & retenta *complexa* illa nominis Jehova usurpatione & impositione, nihilominus & hic & alibi in locis parallelis, ubi hoc accentuum subsidium Dissentientes urgere nequeunt, res salva sit.

§. 6. His ita dictis, Candido Lectori considerandum relinquimus, an satis causæ habeant οἱ νεωτερίζοντες, sui Dissensus, an item multitudo Codd. Impressorum præjudicare possit aliquot MSS. egregiis, cum experientia testetur, quanta negligentia, an inscitia dicam? Auctores novarum editionum Bibliorum Ebræorum accentuum genuinorum à spuriis discernendorum negotium huc usque tractarint.

§. 7. *Obstant* interim huic accentuum in Impressis receptiori sequelæ, & huic superstructæ novæ interpretationi seq.

(1) Præter id, quod monitum jam est à *B. Hanero*, nempe, *in sacris paginis non nisi pios ipsosmet aras à se ædificatas, & reliqua monumenta erecta, certo symbolo aut nomenclatura insignivisse*, ipsa vocum constructio repugnare videtur, quo minus τὸ יהוה possit esse *denominantis.* Nam verbum קרא in ὀνοματοθεσίας significatu usurpatum, ubivis fere nuncupantis nomen vel expressum, vel commode intellectum, sibi præmittit, & omne id, quod post קרא junctum cum שם, שמו, לו &c. sequitur, non *denominantis* sed *denominati* est. *Nec obst. Gen.* 21:3. & 22:14. nam licet in his *nuncupantis* nomen postponatur τῷ ויקרא, præponitur tamen idem illud rei *denominatæ*, secus ac h. l. fit. Quod autem concernit locum *Gen.* 31:47. וַיִּקְרָא־לוֹ לָבָן, qui forsan unicus ex plurimis aliter habet, ubi τῷ לו *nuncupantis* nomen postponitur h. l. *& vocavit illum (acervum lapidum) Laban &c.* dicimus, diversam iterum rationem esse illius cum nostro collati; ibi enim necesse erat post ויקרא לו adjicere nomen *Labanis*, quia illud, utpote nondum præmissum in continuata constructione, in τῷ ויקרא, non poterat subaudiri, ut h. l. ubi cum jam præmissum sit nomen *casus recti Gideon*, urgens afferenda erit ratio, cur illud non æque cum ויקרא quam cum ויבן combinandum sit.

(2) Voces has: יהוה שלום non ut distinctas, sed conjunctas, ab antiquissimis temporibus lectas fuisse, testis ex *Commentatoribus Judaicis*, qui fere hic silent, luculentus est nobis *R. Salomo Jarchi*, qui alias sæpius accentus in subsidium vocat, & sine dubio *Tiphchæ*, & præcedentis *Mercæ* (si modo hos accentus ut genuinos novit) officium *distinctivum* & *conjunctivum* perspectum habuit, is, inquam, ita commentatur ad locum nostrum:

ויקרא גדעון למזבח יהוה שלום יי' / כול שלומנו:

h. e. *Et vocavit Gideon altare: Dominus Pax, sive; Jehova est pax nostra.* Succedat *suffragium Talmudicum* Tract. *Schabb. fol.* 10. 2. ubi ex nostro loco probatur, (rectene an secus, hujus loci non est dispicere) τὸ שלום esse *nomen* Dei, non *epitheton* tantum, ut alia. Verba habent ita: שם גופיה איקרי שלום *nomen Dei in & per se*, (non per modum epitheti) *audit vox* שלום. Modum probandi ex mente Talmudicorum exhibet *Raschius in Comment.* ad laudata Talmudistarum verba, quando verba Biblica ita illi accepere, ac si dictum fuisset: ויקרא גדעון לו לה"קבה ה' שלום *Et vocavit Gideon ipsum*, (nempe Deum S. B. in Angeli forma apparentem) *Jehova est* SCHALOM. Addimus, quæ in Tosephoth leguntur: קראו שלום על שם שהוא עושה שלום דאי לאו קראו שלום אלא בעי למימר ה' העושה לו שלום הוה כן היה לו למימר ה' שלומו: h. e. *Vocavit (Gideon) ipsum (Deum S. B.)* SCHALOM, *ideo quod ipse dat pacem: quod si enim non vocasset ipsum Schalom, sed hoc tantum his verbis* יהוה שלום *dicere voluisset, quod Deus ipsi (Gideoni) pacem procurarit, tunc quoque dicendum fuisset ipsi, quod Jehova esset Pax ipsius, (non autem absolute* Schalom.)

Quæ

Quæ quidem adducere voluimus ideo tantum, ut pateat, Talmudistis etiam exploratæ veritatis rem fuisse, τὸ יחיה cum שלום combinandum, non vero ab eo divellendum esse. Quicquid interim sit de eo, quod inde exsculpere conantur, quodve nec ipsi *R. Salomoni Commentatori Biblico-Talmudico* approbatur, dum aliam, & quidem, ut vidimus, nostram sententiam in Expositione Biblica, quæ alias sæpe Talmudica placita sapit, fovet & proponit. Ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

EXEMPLUM II.

Habac. 2:4. צַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה׃

§. 1. Ex accentuum in prioribus duabus vocibus varia lectione orta quoque est varia interpretatio hujus dicti Prophetico-Apostolici. Quidam enim legunt hos accentus: צַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה׃ ex quibus *Junius*, & alii eum secuti, hanc vocum Latinarum fecerunt interpunctionem: *Justus in fide | sua vivet*, προσδιορισμὸν illum באמונתו ad subjectum enunciationis *Justus* relatum cupientes, tanquam ejus *determinationem materialem.* Alii vero *Codd. Impressi*, quos inter eminet *Buxtorfianus*, suffragante *Cod. MS. Jenensi*, & gemino *Erfurtensi*, hos ostendunt: צַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה׃ qui communiori favent Interpretationi; *Justus | fide sua vivet.* Luth. Der Gerechte wird seines Glaubens leben / ut adeo determinans illud באמונתו afficiat *prædicatum*, & *rationem formalem illius vitæ* innuat, quæ scil. sit *propria cujusque fidelis fides.*

§. 2. Prophetica hæc verba Apostolus Paulus *tergemina vice* allegans, nempe *Rom.* 1:17. *Gal.* 3:11. *Ebr.* 10:38. sine interpunctione Græca, & omisso suffixo, h. m. exhibet: ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. Quæ verba addita interpunctione ex Ebræo ita distinguit *Junius*, ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως, ζήσεται, non ut vulgo, ὁ δίκαιος, ἐκ πίστεως ζήσεται.

§. 3. Huic sententiæ *Cl. Junii* à Vernacula nostra Versione discedentis, eamque ita interpolantis: Der gerecht ist durch seinen Glauben / der wird leben; opposuit se *B. Hakspanius* in *Misc. lib.* 2. *p.* 221. Proque sententia sua, ut breviter repetamus, hæc attulit.

(a) *Scopum Propheticum*, & contextum, *ubi opponantur, qui promissa Dei ex moræ impatientia expectare nolentes ob diffidentiam suam pereant; ex adverso autem, qui patienter expectantes* באמונתם *per fidem suam patientiæ indivulse connexam, adeoque diffidentiæ & impatientiæ illorum oppositam, vivant.*

(b) *Allegationem Apostolicam*, præsertim quæ habetur *Galat.* 3:11. ubi Apostolus ostensurus, *vitam illam spiritualem*, seu *justificationem*, *Levit.* 18 5. *Observationi quidem mandatorum in propositione legali promissam, per hanc obtineri non posse*, atque adeo non ex lege, sed ex fide hominem justificari, ex allegato nostro Prophetico dicto ita argumentetur: *Q. vivit ex fide, non justificatur per legem, A. Justus vivit ex fide*, E. ex qua collectione Apostolica, ejusque *Minore*, pateat, τὸ *ex fide* esse προσδιορισμὸν prædicati.

(c) *Accentuum variam lectionem*, quos ideo *Junius* tam rigide urgere non possit.

(d) *Tiphchæ Sillukum immediate præcedentis incertum distinguendi officium*, adducto loco huic nostro parallelo, ex *cap.* 1: *v.* 4. יֵצֵא מִשְׁפָּט מְעֻקָּל׃ *Egredietur judicium perversum.* Ubi *Tiphcha*, si vocum nexum *Grammaticum* & *Logicum* spectes, conjungere, *Merca* autem potius distinguere videtur, h. m. *Egredietur | judicium perversum*, adeoque & nostra verba, non obstante accentuum positu, ita eodem plane modo interstinguere licebit: *Justus | in fide sua vivet.*

§. 3. Quibus, ut putamus, optime habentibus, alii acquiescere tamen noluerunt, sed accentibus justo rigidius insistentes, *Junii* patrocinium in se suscipere, *Hakspanium* oppugnare, *Lutherumque*, & *omnes fere Interpretes ac Commentatores* deserere maluerunt. Ex quibus Non-nemo ad ea, quæ pro se *B. Hakspanius adduxerat*, excepturus ad duo priora nil respondet, nisi hoc: *Nec quicquam stringere, quæ in contrarium afferat Hakspanius, siquidem omnino justificatio fiat per fidem, & vita æterna nihilominus maneat donum Dei gratuitum. Neque etiam ex allegatione N. T. neutrubi facta distinctione, certi heic quicquam definitum iri.*

§. 4. Sed Resp. Apud Apostolum l. c. esse quidem quæstionem, *an justificatio fiat per fidem*, inter *Junium* vero & *Hakspanium* non item, sed hanc: an ex Pauli verbis Prophetam testem allegantis, & ex ipsius verbis justificationem fidei adstruere conantis, ostendi virtualis saltem distinctio possit, & doceri, quonam illud *Syncategorema* debeat referri? Et sic simul concidunt ea, quæ de distinctione N. T. ab Adversario dicta sunt: nec enim intendit *B. Hakspanius* distinctionem quandam *formalem*, per expressum quoddam interpunctionis signum in textu Græco, sed *virtualem*, quæ scilicet per mentis operationem τὸ *justus*, ab illo; *in fide sua* divellat, & ex adverso ad prædicatum vi argumentationis Apostolicæ illud referat.

§. 5. Ad tertium à Varia lectione, quæ accentus *Junii* dubios reddat, petitum argumentum nil aliud regeritur, nisi hoc: *Probatissimos Codices, ita, ut Junius, legere.* Resp. hoc esse τὸ κρινόμενον. Nec enim qui plures, Impressi maxime, (ut hoc liberali manu largiamur) protinus sunt reliquis paucioribus, Manuscriptis potissimum, probatiores Codices. Nostram lectionem haut ignobiles fovere Codd. supra §. 1. diximus, quorum auctoritati parum aut nihil detrahet multitudo Impressorum, ex quibus qui recentiores sunt, subinde, teste experientia, qua accentus, priores & antiquiores editiones sine accuratiori accentuum scrutinio sequuntur.

§. 6. Sed non est, cur his immoremur. Demus enim, unanimi Codd. suffragio *Junianam* lectionem juvari, quid inde? Unde probabitur, *in vocum ternario ditionis Silluki Tiphcham ab eo proximum afficere vocem divellendam, præcedentem vero Mercam conjungendam?* Contrarium allato exemplo ostendit quarto loco *B. Hakspanius.* Excipit ad illud *Dissentiens*; *esse inibi emphaticam transpositionem termini distinctivi, iterando, ad majorem emphasin, prædicatum; egredietur, inquam, perversum.*

§. 7. Verum Resp. non sufficere, hæc dicere, sed probare. *Per emphasin mihi videntur Accentuatores tam in prosis, quam in metricis libris accentuum distinctivorum usum extraordinarium seu alienum excusare, sed unde rei veritas, & ubi fundamentum?* Verba sunt *B. Kolhansii in Exercitt. Glott. p.* 331. dein possemus aliquid monere circa iterationis modum, quæ *prædicatum* afficere dicitur, sed *subjectum* forsan rectius. Commodius enim illa vox iteratur à Rhetore, quæ paulula quadam antea sistebatur, qualis est h. l. משפט *Tiphchatum*, ut elocutio hic talis esset; *egredietur judicium, judicium, inquam, perversum.* Sed jubemus Accentuatores probare illam *accentuum transpositionem emphaticam*; nec enim, qui accentus legibus modernis & *dictamini Grammatico* non conformiter ponuntur, statim transponuntur, & quidem *ob emphasin*: ostendant hanc *emphasin* non in horum verborum accentibus, quam *imaginariam* esse persuasi sumus, sed in ipsa vocum significatione. Quæ enim vis major significandi in verbo *egredietur* iterato, quam semel tantum lecto? Sed demus ipsis etiam hoc, *esse in horum verborum accentibus transpositionem emphaticam*, quo jure negabunt, eam in loco quoque nostro, si quidem ipsam vellemus adstruere: major certe *emphasis* in voce illa באמונתו & fortior oppositio, quam in illo משפט, & rectius sane, nostro judicio, iterationi datur locus in nostro dicto controverso, quam in illo parallelo, h. m. *Justus autem in fide sua, in fide*, inquam, *sua, vivet.* Hanc enim vocem, non obstante, quod *prædicato* cohæreat, posthabito illo *Logico nexu*, nihilominus accentu distinctivo affici posse censemus, ad innuendum *accentum Rhetoricum*, ad cujus ductum vox illa באמונתו tanquam præ reliquis *potissimam significandi vim habens* elatiore & diductiore sono, adjecta melioris attentionis ergo morula quadam, efferenda sit, accedente ad vocis *qualitatem* etiam *quantitate*, cujus respectu bis per accentum rhetoricum *Metheg* sistitur, evitandæ præcipitis, & nimis concitatæ elocutionis gratia, ut adeo non usque bene accentus servus, ceu accelerans pronunciationem, huic voci quadrasset.

§. 8. Videmus enim & alibi id usu venire, ut, majore ratione *accentus rhetorici*, elocutionis suavitatem & δεινότητος moderantis, nec non quantitatis vocum, habita, nexus vocum ex habitudine earum ab se invicem *Grammatica* vel *Logica* resultans non adeo attendatur. Exemplum suppeditat locus *Jesai.* 1:2. כִּי יְהוָה דִּבֵּר *quia* DOMINUS | *locutus est.* Nexûi voces כי יהוה omnes novimus, nec tamen ulla vel *Grammatica* vel *Logica* habitudo, aut cohæsio, inter eas intercedit. Hujus enim si habita ratio fuisset, accentuum sequela ex modernis accentuationis regulis ita habere debuisset; כִּי יְהוָה דִּבֵּר *quia Dominus loquutus est.* An itaque *Tiphcha* non occuparit voculam כי ob *sui parvitatem*, & *momenti in significando levitatem*, vix accentum pausantem admittentem, & ex adverso voci יהוה ob *significationis pondus* (præbet enim illa sola rationem cur *cœlum & terra* Prophetam, nomine Dei loquentem, *audire debeant*) per *accentum rhetoricum* cum gravitate quadam eloquendæ adjectus sit, penes eruditiores judicium esto. Nec enim hæc nobis ipsis satisfaciunt, persuasis, *esse omnino adhuc in accentuum doctrina bene multa nobis hactenus*

hactenus impervestigata, *& ex adverso multa ab aliis ex proprio conficta cerebro dici*, *quæ* בעל טעמים שׂ *seu Accentuum Magistro ne per somnium quidem in mentem venere.*

§. 9. Ita non liquere nobis (nec forsan solis) rationem accentuum, neque ex dictis eorum difficultatem tolli posse in loco *Jes.* 28: 17. ingenue fatemur, cum tamen locus ille sententiæ hactenus propugnatæ faveat, *Tiphcham scil. ante Sillukum sæpe afficere vocem sensu cum Sillukata cohærentem.* Adducemus ejus verba; סֵתֶר מַיִם יִשְׁטֹפוּ׃ *Latibulum aquæ*, *inundabunt*, pro: סֵתֶר מַיִם יִשְׁטֹפוּ *Latibulum* | *aquæ inundabunt.* Nulla hic emphasis vocis *aquæ* major, quam præcedentis *grando*: nulla itaque iteratio ejusdem. An forsan *Tiphcha* Tô מים retardans pronunciationis suavitatem inducit? יתרץ אליהו

EXEMPLUM III.

Genes. 49: 18. לִֽישׁוּעָתְךָ֖ קִוִּ֥יתִי יְהוָֽה׃

§. 1. **A**Ccedentibus nobis ad *alterum hujus sectionis membrum*, idque *gemino* rursus *exemplo* confirmaturis, placuit *effatum illud Jacobæum* priore loco ad manus sumere, *Salutem tuam* | *expecto Domine.* Lutherus: **Herr ich warte auf dein Heil.** Reliquas Versiones hisce conformes, & pientissimam hujus dicti in Ecclesia Dei receptam interpretationem exprimentes conferre poterit Candidus Lector ex *Dispp. Miscell. Dn. D. Schmidii*, *Prof. Publ. Argentor. Disp.* 3. §. 3.

§. 2. Hanc tamen sententiam, quam totidem fere verbis confirmat Psalmus 119: 166. שִׂבַּרְתִּי לִישׁוּעָתְךָ יְהוָה *Speravi in salutem tuam* | *Domine*; novo, & inaudito fere inter Christianos, excepta superiore ætate, exemplo repudiare, aliamque versionem, & eam quidem minus piam ac elegantem procudere ausi sunt, præeunte *Aben Esra*, *Mercerus*, *Junius*, *Tremellius*, *Piscator*. vid. *Disp. cit.* §. 4. Hi enim *distinctionis Ebraicæ*, seu *accentuum vim* prætendentes, ita vertunt: *In salutem suam* | (*ô fili Dan*, *periculo suppressionis* vs. 17. *exposite*) *expecto Dominum.* Quin & ex *Nostris* (quod dolendum) fuere, & sunt adhuc aliqui, quibus horum vestigia legere, & *Lutherum Metaphrastam* cum pia *Antiquitate* deserere, visum fuit: quorum antesignanus forsan haut incommode censeri potest *Cl. Ledebuhrius in Caten. Script. S. p.* 436. Hunc secutus est postmodum, dum adhuc noster erat, *Dn. Elias* **Schneegaß** *in Tabb. Accent. VIII. lit.* ζ. nec non *Illustris Academiæ Professor quidam celeberrimus*, qui in suis D. M. ad h. l. commentatus p. m. 631. hanc Versionem nostræ Vernaculæ substituit: **Zu deinem Heil / (O Sohn Dan) erwarte ich den selbständigen Herrn.**

§. 3. Urgent hi Auctores, ut dictum, *distinctionem Ebræi textus* per accentus factam. Concludunt enim, dicente *Magnif. Dn. D. Schmidio*, *Disp. cit. p.* 100. *quod Verbum* קִוִּיתִי *habens Mercam Conjunctivum*, *cum nomine* יהוה *arctius*, *in casu scil. quarto*, *non quinto*, *conjungendum sit*, *cum voce* לישועתך *Tiphchata*; quandoquidem interveniens Rex ֖ separat, (nexum proinde hunc: *Salutem expecto*, non admittens) minister autem Merca connectit. Additur: *Lutheri & reliquorum Versionem requirere hos accentus*: לִישׁוּעָתְךָ קִוִּיתִי יהוה *qui non nisi per sacrilegium mutatis stationibus transpositi Lutheri Versioni favere possint*, *quam licentiam se Bellarmino relinquere*, *sibi vero piaculo id ducere*, Non-nemo profitetur.

§. 4. Possemus equidem cum quibusdam regerere, *utique dari nexum primæ personæ Præteriti cum Vocativo*, e. g. in יָדַעְתִּי בְנִי *Novi*, *fili-mi* Genes. 48: 19. Sed cum Auctores illi præter hunc controversum, nulla alia loca adducant, ubi *ternarius vocum* datur, sed tantum *binarius*, idcirco ne *ignorationem elenchi* committere videamur, his abstinemus. Respondemus autem ex illis, quæ supra ad *Exempl. II.* §. 7. *seqq.* diximus, ne quidem *in ternario vocum* id perpetuum esse, ut anteambulones *Silluki Tiphcha & Merca* suas stationes *nexui* vocum *Grammatico* conforment, quod ipsum ex Accentuatoribus illi statuunt, qui *Emphaticam illam termini distinctivi transpositionem*, atque adeo *stationum permutationem dari docent.* Transigant interim illi inter se, quomodo sacrilegii crimen à Non-nemine, ut vidimus, illis imputatum, qui talem stationum permutationem asserunt, effugere queant.

§. 5. Quod igitur affirmare *Quidam* audet, *in ternario vocum numero accentuationis sequelam* (*e. c. in ponendo Tiphcha*) *non necessitare*, *sed cum orationis structura perpetuo consonare*, id invita veritate, & repugnante exemplorum inductione dictum censemus. Aliud certe evincit locus *Jes.* 28: 17. supra §. 7. *ad Exempl. II.* adductus. Cui addere lubet locum alium: magis evidentem ex *Obad.* vers. 5. ubi ita legimus: הֲלוֹא יִגְנְבוּ דַּיָּם *annon furabuntur* | *sufficientiam-suam?* & paucis interjectis subjicitur: הֲלוֹא יַשְׁאִירוּ עֹלֵלוֹת *annon* | *relinquent racemos?* Utrobique certe eadem est orationis structura; utrobique etiam vocum ternarius; & tamen αὐτόψια ipsa convincente stationes permutatunt Rex *Tiphcha* & Minister *Merca*, dum ille in priore exemplo secundam, hic vero tertiam vel primam; in posteriore autem, ille tertiam seu primam, hic vero secundam vocem occupat. Ubi manet ergo jactata illa *consonantia accentuum perpetua cum orationis structura?* An forte ipse quoque בעל הטעמים sacrilega? חס ושלום

§. 6. Non diffitemur equidem, ex nota *Masoræ parvæ* פלוגתא *Dissensio*, vocem הלוא posteriorem, & *Tiphchatam*, controversæ scriptionis esse; qua de re consuli potest *Clavis Mas. p.* 66. 2. non tamen evinci inde posse putamus, ipsum statim accentum dubium, multo minus spurium esse, cum nota illa *Masoræ parvæ* interlinearis potius *plenam vel defectivam* ו *Holem* scriptionem concernere videatur. Conf. similem notam *Masor.* circa hanc ipsam vocem הלוא *plene* an *defective* scribendam Genes. 40: 8. *loc. cit. Clav. Mas.* Accedit, quod notæ illæ quæ accentuum negotium attinent, non in interiore, sed exteriore margine ad lævam collocari communiter soleant. Liquidum ergo putamus esse, ex solo *Tiphchæ* & *Mercæ* vario positu in *triade vocum* non licere variam quoque orationis structuram colligere.

§. 7. Sed ut liberales simus, addimus, si vel maxime talis stationum permutatio non detur, ne sic quidem evictum esse, Lutheri Versionem esse veritati, aut *Consilio*, quod vocant, *Fontium*, adversam. Posse enim adhuc dum Verbum קויתי *Mercatum* cum *Vocativo* יהוה *Sillukato* necti, non obstante accusativo verbum præcedente, ipsi alias *Accentuum Magistri* Recentiores docent. *Cl. Ledebuhrius* namque p. 53. & ex eo *Clamerus Florinus* hunc Canonem proponunt: *Verbum pertinet magis ad vocem sequentem*, (יהוה) *quam ad præcedentem* (לישועתך).

§. 8. Superpondii loco annectimus verba *Dn. D. Schmidii*, Magni & Theologi & Philologi, exegetæ certe haut è multis, quæ habet l. c. p. 116. *Non apparet*, *inquientis*, *quare Vocativus cum verbo non possit arcte necti.* —— *Imo exemplum producimus ex Psalm.* 5: 2. ubi dicitur; אֲמָרַי הַאֲזִינָה יְהוָה *Verba-mea* | *attende Domine.* Nam in אמרי *Verba mea*, quod Casus Accusativus est Verbi האזינה *attende*, *auribus percipe*, est accentus *Tiphcha* (anterior scil. nam non-anterior est Conjunctivus) in Verbo האזינה vero est *Minister Munach*: *sequitur Vocativus* יהוה *cum Atnach. Prorsus similis Casus est*: *nam inter verbum & Casum ejus intervenit accentus Rex*, *cum tamen inter Verbum & Vocativum intercedat tantum Minister.*

§. 9. Non possumus autem, quin pro stabilienda hujus exempli convenientia moneamus, in Impressis Codd. aliam paullo lectionem quidem esse, sed vitiosam. *Buxtorfius* exhibet pro *Munacho Mercam*, (*Pesik euphonico* quidem stipatum, servi tamen præcedentis munus Conjunctivum non impediente, vid. *Jerem.* 23: 6.) *Nisselius* habet quidem *Munachum*, sed præcedente *Tiphcha non-anteriori*, quem in Metricis hoc accentuum ditionis *Atnachi* positu vitiosum esse, ipsi accentuatores docent. Quod animadvertens *Athias*, vel & *Cl. Leusdenius*, novo errore substituit alterum *Munach*, ad vocem אמרי quoque, prorsus contraria verborum interpunctione, tali scil. *Verba-mea attende* | *Domine*: adstipulante editione novissima *Clodiana.* Qua ratione hoc exemplum nostram sententiam potius destrueret, quam adstrueret. Sed res in vado est. Restituimus enim genuinum illum *Tiphcham anteriorem*, ex illo optimæ notæ Manuscripto *Erfurtensi.* Unde colligere licet, quam minus tuto Codicum Impressorum accentibus, inconsultis Manuscriptis, fidere liceat: quod ipsum si aliis hactenus, ut omnino par erat, curæ cordique fuisset, non ita sæpe, & nonnunquam temere, Versiones interpolassent. Stat igitur Optima Optimi Lutheri Versio!

EXEMPLUM IV.

Malachiæ 2: 16. כִּי־שָׂנֵא שַׁלַּח

§. 1. **B.** *Lutherus* verba *Vulgati* Interpretis; *Cum oderis*, *dimitte*, ob mutatam statim *personam secundam* in *tertiam* וְכִסָּה *& operuerit*, &c. commodioris συναφείας ergo transtulit: **Wer ihr aber gram ist / (dem Weibe seiner Jugend) der lasse sie von sich.** Quæ equidem Versio *repudiorum licentiæ* favere, quin & eam stabilire visa, Non-nemini *Judaizare*, æque ut *Vulgata* cuidam *Stephano Isaaco* *Levitæ*

Levitæ Talmudizare, dicitur; quæque talis ſit, ut *fontem doctrinæ morum*, dicente alio Cenſore, *non ſapiat.*

§. 2. Non equidem diffiteri poſſumus, κανὼν illud ϑήελον *Matthiam* **Knutzen** / ex Verſione hac loci hujus collati cum *cap.* 19. *Matth. verſ.* 5. eruere voluiſſe contradictionem Sacrarum litterarum, quippe *quæ in poſteriore loco Matthæi maritæ adhærere; in priore autem ex adverſo eam dimittere jubeant.* Quid autem ſalva Vernaculæ noſtræ auctoritate huic Nugatori ſolide, ut nunquam non, reſponderit Accuratiſſimus noſtræ Academiæ Theologus, *Dn. D. Joh. Muſæus*, videri poteſt in *Scripto Germanico Conſcientiariis* illis oppoſito, & quidem *p. m.* 118. -- 121. nec non in *Introduct. Theol. p.* 352. *ſeqq.*

§. 3. Qui ex accentu *Munach* vocis שְׂנֵא oppoſitum plane ſenſum elicere conantur cum *Junio*, vertente: *Sibi odio eſſe dimiſſionem*, (ſeu Τὸ *dimittere*, *Infinitivo*, ut alias ſæpe, nominaſcente) *ait Dominus, Deus Iſrael*, &c. illi Vernaculam noſtram Verſionem h. m. corrigunt: **Denn ich haſſe das Scheiden / ſpricht der Herr / der Gott Iſrael / als dardurch derſelbe (ſo ſich ſcheidet) ſein Kleid mit Frevel bedecket.** Conſentit Doctiſſimus ille Anglus, *Joh. Lightfoot*, *in Hor. ad Matth. cap.* 5:31. laudans *R. Jochananem*, qui, teſtibus *Talmudiſtis*, *Maſſech. Gittin fol.* 90. 2. dixiſſe fertur שנאוי המשלח *exoſus eſt* (Deo) *dimittens*: adſtipulante ex Rabbinis ſolo *Aben Eſra*, ita h. l. commentante: השם ישנא משלח איש את אשתו הטהורה *Deus odit illum maritum, qui repudiarit uxorem ſuam ab adulterii crimine puram.* Accenſendi his ex Noſtratibus *B. Tarnovius*, item *Excell. Dn. D. Varenius Comment. in h. l.* & in *Deut. p. m.* 159 Qua vero ratione, ſtante illa communiore interpretatione, ſenſus emolliri, & idem fere cum altero illo elici poſſit, juxta *Willium*, *Caſtrium* & *Theodoretum*, vid. in *Bibl. Illuſtr. Dn. D. Calovii* ad h. l.

§. 4. B. *Luthero* & *Vulgato* præivere *Paraphraſtes Chaldæus*, vertens ארי אם סנית לה פטרה, *quia ſi oderis ipſam, dimitte eam*, & ex *Talmudiſtis R. Jehuda* l. c. ſimiliter dicens: כי שנאתה שלח, nec non cæteri ex Rabbinis Commentatoribus ferme omnes. Talmudiſtæ tamen *R. Jochananem* cum *R. Jehuda* ita conciliant, ut illius verba de uxoris primæ dimiſſione; (*ad quam vel ipſum Altare lacrymas fundere R. Elieſer* dixit) hujus vero de uxorum primæ dimiſſæ ſuperinductarum repudiatione accipi debeant.

§. 5. Quo in ſententiarum divortio quid ſentiendum, & utra Verſio alteri præferenda ſit, ut nos ediſſerere nolumus, nec forſan aliis rectius poſſumus, ſed totum hoc, quicquid eſt, *Venerandis Theologis* merito tranſcribimus, ita impræſentiarum ſolum, quod *Philologi* eſt, accentus *Munachi* vim & officium, quo in repudianda *B. Lutheri* Verſione Diſſentientes inter alia nituntur, penſiculatius examinabimus, viſuri, *an hujus accentus hermeneuticum miniſterium h. l. tam infallibile ſit, ut vel ſolum illud Lutherum refellere poſſit.*

§. 6. Miſſis itaque illis, quæ alias ex *Promtuario Philologico* Diſſentientium opinioni objici poſſent, duo hic in anteceſſum ab Accentuatoribus nobis probari petimus:

(a) *Accentum hunc Munachum*, qui modo ſervit, modo *Vice-Domini* perſonam ſumens ſubdiſtinguit loco *Gereſchi*, vel *Geraſchajim*, *hoc loco* quoque *ſervire.* Nam *Rebhiæ*, ut h. l. anteambulonem *Munachum* utrumque munus obire & Servi & Vice-Domini compertum eſt. Prius igitur adfirmanti incumbet probatio.

(b) Poſtulamus, *ut evicto* Munachi famulitio & conjungendi officio, *porro illi doceant*; *omne Munach conjunctivum*, *importare vocis ſuæ cum ſequenti nexum verbalem & ſyntacticum*, *nunquam autem*, *intercedente levi diſtinctione*, *per comma repræſentanda*, *nexum ſenſualem*, qualis hic, qua antecedens & conſequens aliquod in propoſitione hypothetica; *ſi oderis*, *dimitte*, datur.

§. 7. Quando igitur objiciunt *adverſæ partis Patroni*, *requiri ex mente Verſionis B. Lutheri in* שנא *accentum*, ut vocant, *regalem*, & vero ille non alius poteſt eſſe commode ſatis, quam *Geraſchajim*, h. m. כִּי־שָׂנֵא שַׁלַּח *cum-oderis* | *dimitte* || regerimus, vix, vel certe raro, in *vocum binario ditionis Rebhiæ* occurrere modo præmiſſum accentus ״ poſitum, & prorſus nil repugnare, quo minus *Munachus*, ut alias ſæpiſſime, ita & hic, *in ſecunda à Rebhia voce* τῷ *Gereſchi*, vel *Geraſchajim* vices gerat. Qua ratione accentus Luthero non obſtaret.

§. 8. Si quis vero pro deſtruendo hoc *Munachi Vicariatu* & evincendo ipſius ſerviendi officio, cum illo *Stephano Iſaaco Levita*, *B. Hackſpanio in not. ad h. l.* laudato objiciat; *nullum Verbum*, *excepto Infinitivo*, *ſequenti annecti*, *niſi præcedens notatum fuerit accentu diſtinctivo*, *vel ſequens habeat præfixum Vau*, reſpondemus, nunc quidem nec vacare, nec lubere Canonis hujus univerſalem veritatem ſollicitius inveſtigare, ſuppetere tamen hac vice exemplum in contrarium, quod inſtantiæ loco petimus ex *Jeſ.* 40: 1. ubi ita: נַחֲמוּ נַחֲמוּ *conſolamini*, *conſolamini*, & tamen ibi nec Infinitivum, nec copulam Vau deprehendere licet.

§. 9. Sed quid, ſi conceſſerimus, eſſe hoc *Munach* conjunctivum, ergone ſequetur, inter has duas propoſitiones, *ſi oderis*, *dimitte*, non poſſe ſtare comma? minime Gentium. Quid obſtat enim ſi *Munach*, alicui Domino inſerviens ſuam vocem per comma divellere à ſequenti poteſt, quo minus id obtinere etiam hic poſſit, ſi, ut illi volunt, *Rebhiæ* tanquam Domino ſuo miniſtrat. Ex pluribus exemplis, quæ brevitatis ſtudio alias paſſim obvia præterimus, unum nobis hac vice ſufficiat, *ubi Munach*, Servus *duas propoſitiones itidem inſerto commate diſterminat.* Extat autem illud 2. *Sam.* 20: 17. ubi de *Joabo* mulieri ſapienti de muro ſciſcitanti; *num ipſe Joabus*, *Dux exercitus Davidici eſſet*, reſpondente dicitur: וַיֹּאמֶר אָנִי *&-dixit*, (Joabus) *ſum.*

§. 10. Et hæc quidem pro *inſtituti noſtri*, & *conditionis Academicæ ratione* diſſerere voluimus, potuimus. Quod ſi quis meliora decenti modeſtia (qua nos hac quoque vice uſos eſſe confidimus) edocere poſſit, illum rogamus ea, qua par eſt, obſervantia, ut iſtud quantumcunque fuerit beneficii in nos conferat. Quod ſi non ſemper ea, qua forſan potuiſſet, ſi per alia negotia licuiſſet, fieri, ἀκριβείᾳ rem acu, quod dicitur, tetigimus, vel hoc ſaltem nomine veniam apud Candidum Lectorem impetraverimus, quod hac qualicunque opella Veritati & Vernaculæ noſtræ Verſionis Auctoritati litare ſtuduimus.

תוש״לבע

Scala Muſicalis Accentuum Ebræorum, ad mentem Cl. Reuchlini ex ipſius Schematiſmis libri de Accentibus, adornata.

סלוק אתנח סגולתא זקף קטן זקף גדול

טפחא רביע שלשלת

זרקא פשטא יתיב

תביר מירכא כפולה פזר

קרני פרה תלישא גדולה גרש

גרשיים פסיק לגרמי מונח מכרבל מירכא

מהפך דרגא קדמא אזלא תלישא קטנה

ירח בן יומו

JOH. FRISCHMUTHI DISSERTATIO De Messia Dei filio ad Psalm. II: 7.

המשיח בן יהוה:

Sive

DE

MESSIA, DEI FILIO, DISSERTATIO

Ad illustrandum locum Psal. 2: 7.

הקדמה

INter complura, quæ ex Judaicorum librorum lectione in Christianos redundant commoda, ultimum locum minime occupat illud, quod prisci Ebræi imprudentes reliquerunt asserta, quæ nobis cum incredulis eorum posteris hodieque disceptantibus ad convincendos eos & veritatem, quam obfuscare conantur, stabiliendam usui esse queant singulari. Quo conatu recentiores Judæi Salvatoris nostri genealogiam impugnent, quem ex Davidis posteris natum esse infitiantur, disp. prima de *primo veri nominis Messiæ charactere* ostensum est. Legitur nihilominus in ipso Talmud, Massechet Sanhedrin cap. 6. ישו הנוצרי קרוב למלכות היה ותלוהו בערב פסח: *Jesus Nazarenus regno propinquus fuit, & eum Paschæ vespere suspenderunt.* Quibus verbis haud obscure profitentur, Christum iis parentibus natum esse, ut Davidici regni capax esse posset, & jus regis ei deberetur. Scrupulum quidem hic movet Joannes Coccejus, Excerpt. Gem. ad Sanhedrin c. XI. p. 367. *Probant*, inquiens, *ex illo loco nostri scriptores, Dominum Jesum esse de stirpe Davidica. Quam vellem, ut editionem Venetam liceret inspicere. Dubito enim an illud Davidici in textu vel glossa extet.* Non extat, fateor, epitheton illud in nitidissima & integra editione Veneta Talmudis, cujusmodi exemplar Bibliothecæ hujus Academiæ immortalis memoriæ Elector, JOH. FRIDERICUS donavit. Sed idcirco nihil quicquam decedit hujus testimonii veritati, vel argumenti inde deducti robori. Ecquod enim regnum Judæos aliud verbis illis respexisse dicamus, quod apud Judæos expectabatur, quam Davidicum? Ipse sane Coccejus comment. ad verba Ebr. 7: 14. *manifestum est, quod ex Juda germinaverit Dominus noster*, de hujus asserti efficacia minime desperandum sentiens, *constitit*, inquit, *tempore Apostolorum, Dn. Jesum ex Davidis familia fuisse.* πρόδηλον *manifestum est. Et Talmud* in cap. VI. *Sanhedrin dicit, Jesum Nazarenum propinquum fuisse regibus, de gente regia*, ut adeo vel Judæorum suffragio ex Davidica familia Christum fuisse ortum Coccejus negare haud potuerit, licet in textu haud legatur :מזרע המלוכה vel מלכות בית דוד. Quin natus fertur ipsis Judæis Bethlemi, veluti in Zemach David, part. 2. legitur his verbis: ישוע הנוצרי נולד בבית לחם יהודה פרצה ומחצי מירושלים בשנת ג' אלפים ותשסא ליצירת הוא שנת מ"ב לקיסר אוגוסתי ולפי חשבון זה היה לידתו בימי רבי שמעון בן הלל ובימי רבי יוחנן בן זכ אי: *Jesus Nazarenus natus est Bethlehemi Jehudæ, milliari & dimidio Hierosolymis distantis, anno post mundi conditum termillesimo septingentesimo sexagesimo primo, qui Cæsaris Augusti quadrigesimus secundus. Atque secundum hunc computum incidit ipsius nativitas in tempora Simeonis filii Hillel* (de quo Luc. 2: 25.) *& R. Jochanan filii Saccai.*

§. 2. Ad usum hunc, quem Judæorum monumenta nobis præstant, haud immerito referas hoc, quod de recentiorum prodigiosa pertinacia & malevolentia rectius judicare licet, ubi priscorum & modernorum interpretamenta invicem contulerimus. Deprehendemus enim tunc, quo partium studio ducantur, & quo odio prosequantur religionem Christianam, dum etiam illa, quæ majores illorum faciles alias sunt largiti, hodie scenæ servientes penitus infitiantur posteri, ut bene dictum sit à non nemine: טוב עוללות הראשונים מבציר האחרונים: *melior est veterum racematio vindemia recentiorum.* Specimen hujus Judaicæ malitiæ observatur in explicatione Psalmi II. ubi *δὶς διὰ πασῶν* discrepant. Qui aliquot abhinc seculis vixerunt, sub velo Judaico amplius latitare malunt, quam vel veritatem amplecti, vel saltim ad eam propius more majorum illorum accedere. Id quod ex classico illo loco Psal. 2: 7. patescet. בְּנִי אַתָּה הַיּוֹם יְלִדְתִּיךָ: *Filius meus es tu, hodie genui te.* Quæ verba penitius intueri, & à παρερμηνείας adversariorum vindicare animum induximus.

CAPUT I.

SUMMARIA.

Judæorum recentiorum malitia in Psalmo II. explicando notata. H. Grotii & Riveti de subjecto Psalmi erronea opinio rejecta. Coccejus à Reformatis aliis abiens in castra orthodoxorum transit. R. Lipmanni interpretamentum recensitum. R. Salomo & R. D. Kimchi cum R. Aben Esra committitur. Priscorum Ebræorum tergeminum testimonium de Messia Psal. II. interpretantium, Maimonidis item, R. Saadiæ & Aben Esræ ingenua confessio recentioribus opponitur: Isaacus Vossius æstu disputationis abreptus longius provehitur, & à Coccejo notatur. Ratio ex textu allata, cur de Messia, de Davide non item debeat intelli-

intelligi. Calvinus comma ult. de Messia agere largitur. Cur totum Psalmum de Christo interpretemur, ostensum.

§. 1. De subjecto Psalmi non una eademque interpretum est sententia. Quidam enim de solo Davide inibi sermonem esse contendunt. Atque ita docent Judæi recentiores, qui, ut infra videbimus, de industria ita Christianis se opponunt, ut de Davide totum Psalmum agere contendant, licet prisci Ebræi magno consensu passim de Messia sint eum interpretati. Nonnulli sensu primo & aperto ad Davidem, mystico vero, abstruso & arcano ad Messiam referendum hunc hymnum volunt, ut H. Grotius, secutus, ut videtur Calvinum, qui ut alia loca, ita & hunc perversa sua interpretatione obscuravit verius quam illustravit. Andreas quoque Rivetus, licet de Christo proprie & primaria intentione Psalmum cantatum esse doceat, de Davide tamen in quibusdam agi & videri putat, ac si David in sua persona dixerit: *ego sum constitutus Rex* &c. Merito vero Joannes Coccejus evidentia verborum & contextus convictus divortium à reliquis Reformatis fecit, deque solo Christo totum Psalmum explicandum esse cum Orthodoxis Theologis ingenue fateri voluit.

§. 2. Quod Judæos attinet, R. Lipmannus, promachus eorum in Nizzachon his verbis num. 269. contra Christianos disputat: כאן הרבו הנוצרים להטיח דברים כלפי מעלה לוי שיש בן לאלוה שנולד ומפרשים הכל על הנוצרי וטעות הוא בידם כי כל המזמור מוכיח שעל דוד עצמו קאי שנא' התיצבו מלכי ארץ ורוזנים נוסדו יחד על השם ועל משיחו. בנתקה את מוסרותימו וגו' כלומר למרוד במלכותו ואמר השם ילעג למו וגו' ועוד אני נסכתי מלכי על הר ציון הר קדשי וזהו דוד כי אימתו מלך הנוצרי על ציון ועוד שאמר המשורר ה' אמר אלי וזהו דוד שדבר ה' עמו ומה היה הדבור בני אתה נמצא שדוד הוא הבן ועוד שנא' היום ילדתיך הרי אותו יום של לידה היה בימי דוד המשורר ואיככה יטעו לפרשו על המעשה שאורע לסוף בית שני ועוד לשון ילדתיך אינו שייך כ"א על האם היולדת הבן אבל על אביו צריך לוי הולדתיך אלא ילידתיך האמור כאן אינו לשון לידה אלא לשון יחוס שיחסו למלכות והוא מלשון ויתילדו על משפחותם: *Hic Christiani contra Deum verba ejaculari solent, quod Deo filius sit, qui natus sit, & omnia de Nazareno interpretantur, sed error in manu eorum habetur. Totus enim Ps. arguit, de ipso Davide intelligendum esse, quia dictum est,* (vs. 2.) *adstiterunt Reges illorum, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum & Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum &c. q. d. ad rebellandum regno ejus. Insuper ait: Dominus subsannabit eos.* (vs. 4.) *Præterea* (vs. 6.) *ait: Ego autem constitui regem meum in monte meo sancto Sion. Hic vero est David. Ecquando enim Nazarenus Sioni est dominatus? Adhæc cum cantor ait* (vs. 7.) *Dominus dixit ad me, itidem David intelligitur, quicum Deus est locutus. Ecquid vero locutus est? Filius meus es tu. Unde consequitur, Davidem filium illius esse. Porro ait, hodie te genui. Ecce dies nativitatis fuit tempore Davidis cantoris. Ecquomodo igitur errant, explicando hoc de eo, quod sub finem templi secundi contigit? Quid, quod* ילדתיך *nonnisi ad matrem pertinet, filium parientem. At de patre ubi sermo est, dicendum* הולדתיך. *Sed verbum* ילדתיך *h. l. non habet significationem nativitatis, sed prosapiæ, quod ad regnum genealogia ejus sit referenda, ex illa significatione, quæ occurrit in verbis* (Num. 1:18.) *& professi sunt natales suos juxta familias.*

§. 3. Lipmannus ducem, quem sequeretur, habuit R. Salomonem, qui haud obscure præ se tulit, ejusmodi interpretationem partium studio & Christianis ægre facturum se excogitasse. Sic enim loquitur: רבותינו דרשו את הענין על מלך המשיח ולפי משמעו ולתשובת המינים נכון לפותרו על דוד עצמו: *Doctores nostri exposuerunt significatum de Rege Messia, sed secundum sensum literalem, & ut hæreticis* (sic Christianos pungit) *respondeatur, de ipso Davide rectius explicatur.* Et R. David Kimchi succinit ei. Etsi enim scripsit: יש מפרשים זה המזמור על גוג ומגוג ובמשיח הוא מלך המשיח וכן פירשו רבותינו ז"ל ומבואר זה המזמור על זה הדרך: *Sunt qui interpretentur Psalmum istum de Gog & Magog & Messia, qui est Rex Messias, & hunc in modum Psalmus est clarus*; subdit tamen: אבל הקרוב הוא כי אמרו דוד על־עצמו כמו שפירשנו: *Propius est* (vero), *de seipso Davidem dixisse, velut exposuimus.*

§. 4. Magis ingenuus & veritatis amantior hisce est visus Aben Esra. Licet enim ille non penitus deserat suos contribules, dum sic commentatur: הנכון בעיני כי זה המזמור חברו אחד מהמשוררים על דוד ביום המשחו על כן כתוב אני היום ילדתיך או על המשיח: *Mihi videtur, hunc Psalmum composuisse quidam ex cantoribus de Davide eo die, quo unctus est* (in Regem.) *Idcirco scriptum est: ego hodie te genui. aut de Messia*: non damnat tamen Christianorum sententiam, neque ut his fortius contradicere queat, de Davide potius verba explicanda esse, pertinaciter contendit sed aperte fatetur, ואם על המשיח הדבר יותר ברור *Si de Messia accipiatur, multo rem clariorem esse.* Vidit haud dubie sapiens Aben-Esra, prædicata quædam in Psalmo ejusmodi esse, ut ne quadrent quidem in Davidem, sed evidentius complementum sortiantur in Messia. *Terræ fines* in hæreditatem accipere, Davidi haud competit. Quantilla enim terræ portio, Davide imperitante, regno Ebræorum accesserit, ex 1 Reg. 4:25. patet, ubi Salomo, cui David Regnum reliquit, contractum regnum habuisse dicitur à Dan usque ad Bersabee. At ille, de quo hic sermo est, accepturus dicitur hæreditatem אפסי הארץ, hoc est *extremitates terræ*, ut Kimchi explicat, sive ut alibi etiam declaratur quam late patet terrarum orbis. Confer Psal. 19:7. Esa. 40: vs. 28. Psal. 22: 28. 65:6. 67: 8. Alias adhuc rationes infra in medium adducemus.

§. 5. Equidem & prisci Judæi iterum ac sæpius hujus Psalmi mentionem facientes de Messia sermocinari Psalmographum fassi sunt. Loca quædam in medium adducere haud gravabimur. Ad verba enim: *Cur tumultuantur gentes*, in Medrasch Tillim scripserunt: לעתיד לבוא אומרים למשיח מדינה פלנית מרדה בך והוא אומר יבוא רגובאי ויחריב אותה שני והכה ארץ בשבט פיו: *Dicturi sunt Messiæ, civitas quadam contra te rebellavit, ille vero regeret: veniet locusta & destruet eam, quia dictum est:* (Esa. 11:4.) *& percutiet terram virga oris sui.* Acceperunt igitur de refragatione illa, qua Messiam quidam sint repudiaturi, non Philistæorum, qui Davidici regni jugum detrectarint. Memoratu digna sunt verba ad vs. 7. Psal. 2. in libro Medrasch Tillim edit. Pragensis, quem utendum mihi dedit pro suo in me affectu Cl. Acoluthus, Ecclesiæ Vratislaviensis Pastor meritissimus, & Lingg. Orientalium callentissimus, ג' מקראות אלו מהכתובים נאם ה' אמר אליונו' וארו וגו' שמסופרים שם בספר דניאל גדולות רבות למשיח בן דוד הזה אשר אמר עליו כאן בני אתה: *Tria dicta illa in Hagiographis: Dixit Dominus &c.* (Psal. 110: 1.) *Dixit ad me &c.* (Psal. 2:7.) *Ecce &c.* (Dan. 7:13.) *quæ in Danielis libro enarrantur, magna & multa de Messia Davidis filio sunt intelligenda. Hoc ipsum est, quod de illo hic pronunciavit: filius meus es tu.*

§. 6. Neque silentio præteriri debet illustris locus, quem ad vs. 8. Psal. 2. in Bereschit Rabba fol. 37. col. 3. his verbis legimus: שלשה הן שנאמר בהם שאל ואלו הן שלמה ואחז ומלך משיחנו שלמה דכתיב בגבעון נראה יהוה אל שלמה בחלום ואמר אלהים שאל מה אתן לך אחז דכתיב שאל לך אות מעם יהוה מלך משיחנו דכתיב ביה שאל ממני ואתנה גוים לנחלתך: *Tres sunt, quibus dictum est postula! Salomo, Achas, & Rex Messias noster. Salomo, quia dictum est* (1 Reg. 3: 5.) *In Gibeon apparuit Deus Salomoni in somnio noctu, & dixit Deus: postula, quid dem tibi. Achas, quia scriptum est* (Esa. 7: 11.) *pete tibi signum à Domino. Rex noster Messias, quia de eo scriptum est* (Psal. 2: 8.) *postula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam.* Confer Talmud Massechet Succa cap. V. ubi eadem invenias. Neque est, ut quis dicat, esse saltem דרש vel *mysticam aliquam interpretationem*, vel accommodationem. Qua enim ratione de Salomone & Ahaso dictum est, *postula*, eadem de Messia verbum hoc intelligendum est. Cum vero sensu literali illud intellexerint, quidni simili modo de Messia intellexisse dicamus? Similiter Trypho Judæus ad Justinum inficias ire haud potuit, Psal. 2. agere de Messia. Et Maimonides præfatione Arabica in משניות pag. 160. dies Messiæ desiderati ait ob Regis justitiam, insignem scientiam gradumque, quo ad creatorem sit propinquus, sicut ipse dixit: *Tu es filius meus.* Ubi cujusmodi subjectum intelligendum esse censeat, sic patet, licet verborum sensum non satis penetraverit. R. Saadias quoque comm. in Dan. 7. verba: *unxi regem meum*, de Messia & rebus, quæ ejus ætate accidant, intelligenda esse docuit.

§. 7. Hæc & similia loca plura id evidenter arguunt, Veteres, & saniores recutitos, quibus veritas curæ est, citra ullam tergiversationem esse largitos, Psal. 2. de Messia agere secundum sensum literalem, & quem ipsa verba, prout super iis cadit intellectus noster, gignunt, ut minine opus sit asserere, immediate de Davide agere Psalmum, ut Jansenius docet, & nonnisi arcano & sublimiori sensu de Messia, ut Grotius persuasum habet. Sane si verba Psalmi Davidi, ut figuræ, competerent immediate, prius illi convenirent, quam figurato, & ex ea demum ad figuratum transferri deberent. Quæ si admiserimus, ecquid fiet argumento Apostoli,

quo

quo ille Ebr. 1: 4. διαφορώτερον ὄνομα accepisse Messiam ait, ut ne angeli quidem ad ejusmodi prærogativam assurgant. At si Davidi quoque dictum est: filius meus es tu; ecquid prærogativæ habiturus est Messias, cujus eminentiam Rex terrenus obtinuit.

§. 8. Æstu igitur disputationis & affectibus abreptus Isaacus Vossius videtur, dum pag. 64. Tractat. de Tralatione LXX. Interpretum scribit: *In toto Psalmo nihil occurrit, quod non de Davide videatur intelligendum.* Cujus durioris asserti tandem illum pœnituisse ex eo patescit, quod in addendis ipsemet monuit, post verba, *quod non*, inserendum esse *Judæis*, quasi non tam ex propria, quam recutitorum sententia id dictum vellet. Sed nequicquam se hoc modo extricare conatum esse Vossium, Joannes Coccejus defens. altera Codicis Ebræi pag. 41. demonstravit. Quam ingenue vero prisci & præstantiores Judæi olim fassi sint, de Messia Psalmum esse intelligendum, supra ostendimus. Atque ita Judaizans Calvinus, (ad quem alias & Enjedinus provocat,) licet Psalmum literaliter de Davide agere contenderit, *ultimum tamen comma non nisi per enormem impietatem ad Davidem referri posse animadvertit.* Ecquid vero opus est, in uno contextu unum comma idque ultimum divellere à prioribus, cum orationis series satis superque ostendat, de uno eodemque subjecto sermonem esse?

§. 9. Manet igitur fixum & immotum, Psalmum hunc secundum sensum literalem de solo Messia agere, non tantum ob prædicata, quæ in Davidem minus quadrant, & eo sunt majora, sed etiam vel maxime ob allegationem Apostolicam, Actor. 4. & 13. ubi Apostoli, ut apud Judæos extra controversiam positum & ὁμολογούμενον hoc urgent, & Paulus Ebr. 1. & 5: 5. Christi eminentiam, quam præ angelis habeat, inde comprobat, & ita, quoties hujus Psalmi locum vers. 7. producunt, nonnisi Christo applicatum eunt, ut de alio nullo quàm Messia textum loqui, hinc manifestissimum evadat, ut impudens plane sit assertum Enjedini, negantis, si litera urgeatur, in Christo unquam Psalmum esse impletum.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Ebræorum in Jalkut observatio de voce חוק. Filius Dei *antonomastice pro Messia usurpatur. H. Grotius verba* בני אתה *nequicquam ex Genes.* 49: 10. *illustrat. Emphasis vocis* אתה *à Schlichtingio observata. Quatuor causæ* filiationis *Messiæ, quas Photiniani comminiscuntur. R. D. Kimchi impropriam* filii *acceptionem exemplis ex Scriptura allatis probare nititur. Verbum* ילדתיך *à Kimchio, aliis Ebræis & Schlichtingio detorquetur. Patres, qui de generatione humanæ Christi naturæ interpretantur, ab aliis doctoribus recentioribus fere deseruntur. Ratio, cur de divina generatione exponant Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus & Thomas. Vazquezius à Ludovico Tena notatus. Schlichtingii non inepta observatio. Loca Luc.* 1: 35. *Joh.* 10: 35, 36. *Actor.* 13: *vers.* 34. *Ebr.* 5: 5. *à Photinianorum detorsionibus vindicantur.*

§. 1. AD ipsorum verborum explicationem nobis progressuris id statim occurrit: *enarrabo statutum, quod Deus ad me dixit.* Ad quæ verba in Jalkut Judæi ajunt: מסופרים הם בחוקה של תורה ובחוקה של נביאים ובכתובים: *Sunt illa recensita in statuto Legis Prophetarum & Hagiographorum.* Recutitorum igitur sententia non uno Scripturæ loco confirmatur, Messiam Dei filium esse, quod Psal. 2. aperte, tamque emphatice asseritur. Factum etiam haud dubie est inde, quod h. l. Deus Messiam filium suum vocat, ut *filius Dei* cognomentum Messiæ haberetur, ceu patet ex Joh. 1: 49. confer Matth. 26: 63. ubi Salvatorem nostrum hunc in modum Pontifex alloquitur: *adjuro te per Deum viventem, ut dicas nobis, an tu sis Christus ille filius Dei.* Et Nathaneel Joh. 1: 49. *Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israël.* Confer Joh. 9: vers. 35. ubi Christus quærit, credisne in *filium Dei*? ubi antonomastice pro Messia illa nomenclatura venit.

§. 2. Verba, בני אתה, H. Grotius optime verti censet, *O fili mi!* & hic versioni fidem facere allaborat ex Genes. 49: vs. 10. Sed nequicquam sic exponit, cum non nudam compellationem, sed rei singularis testificationem esse hæc verba, omnium interpretum consensus confirmet, & res ipsa loquatur, unde etiam in hac προσφωνήσει singularem emphasin illi ponunt, & eam divinam προσαγόρευσιν, à Deo coram hominibus publicitus factam, appellent. Ipse Schlichtingius, qui alias Messiæ divinitatem haud agnoscit, comm. in Epist. ad Ebr. pag. 45. *pronomen Tu*, inquit, *vim habet cæteros omnes præter Christum excludendi & à tituli illius participatione arcendi, q. d. tu & non alius. Ut vel inde appareat, Christo filii Dei appellationem peculiariter convenire.* Sed quid ille voce *peculiariter* innuat, facile conjecturam facere possumus, si Photinianorum mentem attendamus. Smalcius lib. de divinitate Christi ait: *non controvertitur: an Christus sit filius Dei, sed unde & cur talis dicatur & sit.* Causas vero illi quatuor allegare solent, ob quas id nominis Christo competat. Primam illi esse ajunt, admirandam ejus ex Maria virgine conceptionem & nativitatem, & probant eam ex Luc. 1: 35. *Spiritus S. superveniet te, & virtus altissimi obumbrabit te, ideoque quod ex te nascetur sanctum, filius Dei vocabitur.* Secundam causam in ejus missione & sanctificatione constituunt, provocantes ad Johan. 10: 35, 36. *Si illos dixit Deos, ad quos verbum Dei factum est, & Scriptura solvi nequit: quem pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quod blasphemet, quia dixi: filius Dei sum.* Tertiam causam nomenclaturæ hujus *resuscitationem ex mortuis* esse tradunt. Pro hac in medium adducunt verba Actor. 13: vers. 32, 33. *Et nos vobis evangelizamus promissionem patribus factam, quam Deus nobis ipsorum filiis implevit, resuscitans Jesum, quomodo etiam in secundo Psalmo scribitur: Filius meus es tu, hodie genui te.* Quartam & ultimam causam in collata potestate & regno fundant, quia Ebr. 5: 5. Apostolus ait: *Sic Christus non seipsum ἐδόξασε, ut fieret sacerdos, sed qui dixit, tu es filius meus, hodie genui te.* Ita Photiniani *filiationis* causas recensent. Unde Sommerus lib. II. adversus Carolinum cap. 5. *Christus*, ait, *nusquam naturalis Dei filius dicitur, sed est* παρὰ φύσιν *Dei filius, sicut gentes* παρὰ φύσιν *in bonam oleam insitæ sunt.*

§. 3. Judæi quoque improprie dictam filiationem intelligunt, eamque ex Scripturæ loquendi usu statuminare conantur. Rabbi David Kimchi enim ad Psalmum II. contra Christianos ex professo disputans hunc in modum scribit: לא נוכל לדבר על האל יתברך אלא על דרך משל כמו שאמרנו עליו פי השם· עיני השם אזני השם והדומה לזה וידוע הוא שאינו אלא על דרך משל וכן הוא דרך משל כשאמר בן אלהים בני אלהים משעשה מצותו ושליחותו קורא לו בן כמו שבן עושה מצות האב· לפיכך קרא לככבים בני אלהים כמו ויריעו בני אלהים וכן האדם בעבור הרוח העליונה שבו כשעושה האדם מצות האל בסבה הנשמה החכמה שתורהו קורא לו בן· לפיכך אמר לו בני אתה ואמר אני היום ילדתיך· ואמר בני בכורי ישראל ואמר בנים אתם להשם אלהיכם ואמר הלא הוא אביך קנך ויאמר ואני אהיה לו לאב והוא יהיה לי לבן: *Non possumus de Deo benedicto loqui nisi improprie, sicut de eo dicunt, os Dei, oculi Dei, aures Dei & similia. Et constat, quod non nisi parabolice hoc fiat. Atque ad parabolicam locutionem referri debet, cum dicitur: filius Dei, filii Dei. Qui præceptum alicujus observat, & missus aliquid exequitur, filii nomine venit, quemadmodum filius patri obsequens. Propterea stellas vocat filios Dei, veluti cum dicitur: & laudabant me filii Dei* (Job. 38: vers. 7.) *Sic homo propter spiritum supremum, qui in eo est, se habet, cum homo Dei mandatum facit, per animam sapientem, quæ illum docet, filius vocatur. Atque ideo ait, filius meus es tu, & ait, hodie te genui. Dicit etiam: filius meus est primogenitus Israël,* (Exod. 4: 22.) *& iterum, filii Domini estis, Dei vestri.* (Deut. 14: 1.) Et porro (Deut. 32: 6.) *nonne est pater tuus, qui te acquisivit?* Et (2 Sam. 7: 14.) *ero ipsi pater, & ille erit mihi filius.*

§. 4. Quemadmodum vero vocem בני Judæi perinde atque Photiniani sollicitant, eamque filium proprie dictum significare negant, ita etiam verbum יְלִדְתִּיךָ adoriuntur suisque glossis detorquent. Kimchi comm. in h. l. ubi, seu supra vidimus, Psalmi subjectum Davidem constituit, generationem hunc in modum explicat: כי אותו היום נולדה בו רוח אלהים כמו שכתוב ותצלח רוח השם אל דוד מן היום ההוא ומעלה אמר שירים ומזמורים ברוח הקדש שנולדה לו ונאצלה מן האל: *Quia illo die in eo Spiritus Dei genitus est, sicuti scriptum est* (1 Sam. 16: 14.) *& directus est spiritus Domini in Davidem à die illo, & deinceps, cantica & psalmos per Spiritum sanctum recitavit, qui ei genitus est & à Deo emanavit.* Atque ita verbo ילדתיך nihil aliud indicari volunt, quam *indutæ*

te spiritu sancto, quasi, ut loquuntur, Deus dixerit: עלי לבראתו בריה חדשה *convenit, ut eum novam faciam creaturam.* Cæterum, cum, ceu supra ostendimus, de Davide Psalmus non agat, sed de Messia, quam alienum ab hoc interpretamento textus sit, quilibet animadvertit.

§. 5. Prisci quoque Ecclesiæ doctores complures verbum ילדתיך de humana tantum Christi generatione acceperunt, & *hodie genui te* idem esse docuerunt, ac, *ut ex virgine homo nascereris, feci.* Ut ita exponerent, verbis Psal. 2: 6. antecedentibus adducti sunt: *Ego constitui regem meum super Sion monte sancto meo*, quæ de humana natura Christi loquantur. Ita cum Origene Hilarius, Cyrillus, Ambrosius, Theodoretus & Athanasius senserunt. Athanasius sermone 3. contra Arianos, ex voce היום *hodie* collegit, sermonem esse de temporali generatione; *appropriat*, inquiens, *sibi pater nativitatem secundum carnem, nam de ea sermonem esse, adverbium hodie significat.* Ab his vero divortium fecerunt Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Thomas, aliique, qui de divina generatione, per quam ab æterno naturam divinam ex substantia patris Messias nactus sit, hæc verba accipere malunt, quod tale quid suadeat argumentum Apostoli, Ebr. 1. utpote qui ostensurus Christi præcellentiam, ita ad locum hunc provocat, ut ea propter omnibus creaturis, ipsisque adeo angelis præstantius nomen accepisse Christum asseveret. Si vero eum inde duntaxat filium Dei appellari dicamus, quod miraculose ex Maria virgine natus sit, ne Adamo quidem, quippe itidem divina virtute creato, & Luc. 3. ult. filii Dei nomine insignito, præstantior esset, nedum angelis. His vero dum Christum præferendum esse docet Apostolus, non modo verba Psalmi in medium adducit, *filius meus tu es*, sed etiam appellationis rationem ex eodem hymno redditurus subjicit: ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. Licet vero Gabriel Vazquez, Tom. I. Part. I. Disp. XIIX. cap. 2. neget, Apostolum posteriora hæc commatis nostri verba urgere ad probandam filiationem naturalem, ipsa tamen verba haud obscure id comprobant, & interpretes complures confirmant. Quin Schlichtingius quoque vidit, verbis: *hodie genui te*, id dictum esse, *quia ego te genui, ideo te filium meum voco*, ut filiationis causam ipsam generationem esse ipsemet largiri videatur. Merito igitur dicam eo nomine Vazquezio scripsit ejusdem religionis socius Ludovicus Tena, *singularitas*, inquiens, *in scriptura fugienda est.* Quibus verbis, ut ἰδιογνώμονα doctor quamlibet Pontificius reprehendit Jesuitam, & de industria ab Apostolo illa verba addita esse, docet, ad probandam Christi divinitatem, & ut ὑπεροχὴ, quam præ aliis improprie tantum dictis Dei filiis Messias habeat, magis elucesceret.

§. 6. Ut supra vidimus, sunt, qui rationem *filiationis* Christi nunc à singulari per virtutem Spiritus sancti facta *conceptione*, nunc ab *adoptione*, nunc à *creatione*, nunc è gloriosa *resuscitatione* a mortuis suspendunt, sed tota via à veritate aberrant. Neque enim, ut Photiniani sibi persuadent, Scriptura sacra his modis præcise Messiæ filiationem concludit determinatque. Locus sane Luc. 1: 35. id non probat, quod cum Photinianis Remonstrantes contendunt. Licet enim ex admiranda illa Mariæ virginis conceptione & Spiritus sancti obumbratione, qua communi legi humanæ originis exemtus erat, etiam *filii Dei* nomenclatura Christo competat, non tamen vel causa immediata vel potissima filiationis est, & quæ Christo διαφορωτέρως competit, de qua hic sermo est. Tale quid enim verba illa præ se minime ferunt, ubi non habetur, *fiet* filius Dei, sed *vocabitur*, nempe illud, quod ex virgine nascetur ante existens. Consimiliter locus Joh. 10: 35, 36. nequicquam adducitur. Cum ibi Christus à minore ad majus argumentatus dicat: *Si magistratus citra blasphemiam Dii dicuntur, eccur mihi crimen blasphemiæ impingitis, quod dixi, filius Dei sum*; adeoque Christus verbis illis non hoc vult, se non alia ratione filium Dei esse, quam qua Judices sic vocantur, sed blasphemiam duntaxat ita amolitur, quam illi objecerant, quod, cum homo esset, filium Dei se appellaret. Neque tamen hoc modo Christus se Deum esse negat, vel adorationem religiosam hominum detrectat. Quid vero diserte se Deum esse non dixit, id certa de causa ab eo factum est, pro ratione præsentis οἰκονομίας ante resurrectionem & ascensionem.

§. 7. Neque, quo successu appellationem illam *filii Dei* ex resurrectione mortuorum arcessant, apparet, cum Actor. 13: vers. 34. saltem id significet, promissionis de Messia mittendo documentum irrefragabile suppeditare resurrectionem Christi, quam demum ex Es. 55: 3. & Psal. 16. comprobat Apostolus. Fugit vero Photinianos ratio, dum participium ἀναστήσας, *resurgens* vertunt. Cum enim hoc respondeat Ebrææ voci הקים Deut. 18: 15. nihil aliud notat quam *excitans*, veluti etiam Actor. 2: 30. cum addito occurrit: ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεὸς ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστόν. Nequicquam etiam locus Ebr. 5: 5. à divinitatis Christi hostibus urgetur pro illorum commento, cum regni Christo collati nequidem mentio fiat, sed saltim hoc significet ibidem Apostolus, Christum honorem Pontificatus non sibi arrogasse, sed ab illo eum accepisse, qui ad eum dixerat: *filius meus tu es, hodie genui te.*

CAPUT III.

SUMMARIA.

Rationes ex textu adductæ, quamobrem de divina & æterna generatione verba vers. 7. accipiantur. Hoornbekii & Raimundi argumentum. B. Glassii ex irregulari punctatione verbi ילדתיך *petitum argumentum. Aliud ex sensu literali accersitum. Ad Ebræorum in Midrasch Tillim ex absentia particula* לי *objectionem & Fegvernekini Judaizantis glossam respondetur. Kimchii, Schlichtingii & Grotii interpretamenta refelluntur. Nazianzeni & Ambrosii salubria monita de generatione divina caute loquendi & sentiendi. Alia motiva, ob quæ filii propriam acceptionem recipiamus. Lipmannus ex verbo* התילדו *minus recte verbum* ילד *illustrat. Laus Clarissimi Wagenseilii. MSS. Lipmanni & libri* באר משה *de verbi* יתילדו *significatione consensus. Cur Photiniani verbi* ילדתיך *improprietatem ex Deut. 32: 18. evincere nequeant. Generatio divina hyperphysica imperscrutabilis. Vox* היום *neque asseverandi particula est, neque tempus notat, sed æternitatem. B. Lutherus laudatus. Serveti expositio rejecta. Locus Psal. 72: 17. Judæis oppositus. Rabbi Lipmanni objectio retusa. Maimonidis memorabile de Christo assertum. Quomodo illud adimpletum sit, disquiritur. Prudentius exilii Judaici causam recenset.*

§. 1. ADulterina expositione tam illustris loci & confictæ divinitatis argumentis rejectis, consequens est, ut ostendamus, cur potius æternam generationem & communicationem essentiæ divinæ, quam Christus modo singulari à patre obtinet, intelligamus. Nempe præterquam quod Apostolus Ebr. 1: 5. nos suo argumento ad hanc explicationem manu ducit, etiam contextus Psalmi talem expositionem postulat. De ejusmodi enim filio ibi agitur, quem divino cultu prosequi jubemur, qui dominium gentium ad mundi extremitates habeat, cui omnipotentia competat, & propter quem, si fiduciam in eo locemus, simus futuri beati. Quæ sane in nudum hominem minime competunt. Atque sic unicam rationem formalem adorandi Christi, Deitatem esse, vel essentiam divinam, quam à Patre accepit, manifestum est. Atque idcirco argumentum ex visceribus textus ejusmodi format Hoornbekius, Tom. II. confutati Socinianismi lib. 1. cap. 1. *Qui filius Dei fuit, eaque ratione Deus ejus pater per generationem, à patre ante conceptionem ac nativitatem ex Maria, & filius patris per generationem ex eo, is non demum à nativitate illa vel post eam cœpit filius Dei fieri. Sed Christus filius Dei fuit, ejusque ratione Deus ejus pater per generationem à patre ante conceptionem ac nativitatem ex Maria &c. E. Consequentia certa est. Quare ad minorem pergimus probandam, & ostendemus tum Christum ante suam ex Maria generationem humanam filium Dei fuisse & filium ex generatione, tum ejus ratione Deum ejus Patrem.* Ante Hoornbekium ursit idem argumentum Raymundus Martinus, Pug. Fidei part. 3. distinct. 1. cap. 8.

§. 2. Ὁ μακαρίτης D. Glass. onomatol. pag. 40. pro generationis in divina essentia excellentia urget punctationem יְלִדְתִּיךָ, quam Masorethæ, ut semel occurrentem, vocula לית notarint. Sed cum alias etiam pro שָׁאַלְתִּי dicatur שְׁאִלְתִּיו, Jod pro patach posito, & Judæus facile excipere posset, non esse huic punctationi multum tribuendum, quod puncta illa sic in-

vicem

vicem permutari soleant, potius pro expositione, qua, & τὸ בְּנִי & יְלִדְתִּיךָ *proprie* accipimus, urgemus literam, à cujus sensu citra urgentissimam rationem, quam hic nullam videmus, recedendum non esse, communis interpretum consensus sancivit. Kimchi quidem supra improprietatem nobis aliquam obtrudere est conatus, sed frustra, cum longe alia ratio sit *membrorum*, cum Deo tribuuntur, quam *filii*, de cujus intrinseca ratione est, naturam ex substantia patris mediante productione generationis accipere. Atque quo minus ita verba בני אתה accipiamus, nihil causæ videmus. In Midrasch Tillim quidem ad hunc Psalmum hæc verba legimus: בני אתה מכאן תשובה למינים שהם אומרים יש לו בן ואתה מותיב להם בן לי אתה אינו אומר אלא בני אתה כעבד שעושה לו רבו קורת רוח ואומר לו אני מחבב לך לבריי: *Dum dicitur* בני אתה, *hæreticis hinc responderi potest, dicentibus, ipsum* (Deum) *filium habere. Tu vero eis objice: non esse dictum, tu mihi filius es, sed tu fili mi. Sicut servi animum herus sedaturus ait, ego te filii instar amo.* Sed licet etiam Feguernekinus in locis communibus scripserit: *Filius Dei, homo Deo acceptus & quem singulari favore prosequitur*, adducto loco Psal. 2: 7. minime tamen ea explicatio huic loco congruit, quam forsan Calvino fert acceptam, qui, de Davide sermonem esse literaliter, contendit. Neque propterea quod particula לי hic deficit, pro blanda duntaxat compellatione vel sedatione animi verba בני אתה haberi debent, ut Judæi volunt. Pronomen אתה indice quasi digito Messiam designat, & simul ex Ebraicæ linguæ idiotismo verbi substantivi loco ponitur, & ita non opus esse, ut τὸ לי apponatur, ex sensu constat, cum idem significent, *atque tu es filius meus.* Appellationis ratio sequitur, *hodie te genui.* Ad quod verbum, cum Kimchi in libro radicum scripserit, sensum esse כאלו היום ילדתיך למלך *quasi hodie in regem te genui*, manifesto vim intulit verbis divinis, & de suo elevantem & diminuentem particulam כאלו *quasi* infarsit, contra quam interpretis fert munus. Suppeditasse ita Judæus Schlichtingio videtur, quomodo tam illustrem locum detorqueret. Comment. enim in Epist. ad Ebræos sensum hunc esse tradit: *Te ex morte ereptum mihi similem effeci & Regem populi constitui.* Et sic Hugo Grotius ob novam vitam, regalem videlicet, quam Davidi contulerit, verbo *gignendi* Deum usum esse tradit. Quem alii sequuntur, contendentes, ut Imperatores Romani duos observabant natales; (1.) adventus in mundum sive nativitatis. (2.) Imperii sive evectionis ad dignitatem, ita h. l. Deum posteriorem respicere, dum ait: *hodie genui te.* At ubi in Scriptura *gignere* idem est, ac regem facere? Quam violenta sic hæc glossa & falsa ex eo patescit, quod præcedenti versu jam ante dictum ab eo sit: *Regem meum constitui*, ut sic denuo locutione etiam impropria idem significare Deum voluisse, non sit verisimile.

§. 3. Frustra sic Judæi urgent exempla, ubi ob munus commissum vel legationem aliquam, qua quis divino jussu obsequiose fungitur, *filii* nomine sit à Deo compellatus, cum probandum ipsis incumbat, eandem hujus loci rationem esse, ac reliquorum. Frustra quoque oderunt propriam *filii* acceptionem, quod ea Dei unitati adversetur, quorum vestigiis insistunt Photiniani, qui & æternitati repugnare eam notionem subinde clamitant. Sed ut illa generatio hyperphysica est & quovis humano intellectu altior; ita nos, præeunte nobis sacra Scriptura, mysterium illud malumus cum antiqua & orthodoxa Ecclesia admittere, quam scrupulosa indagatione inquirere, quomodo illa se habeat: Θεῦ γέννησις σιωπῇ τιμάσθω. *Dei generatio magis silentio, quam temerario scrutinio honoranda est.* Ut Nazianzenus lib. 3. de Theologia loquitur. *Quid magni haberet Dei generatio, si angustiis intellectus comprehenderetur, qui tuam ipsius generationem in totum nescis, vel quandam cognitionem ejus ita exiguam habes, ut dicere etiam sit pudor. Et si isto quomodo, nisi responso accepto, discedere non potes, respondeo, sic generatum esse ut novit pater, & qui genitus est filius.* Nempe ut Ambrosius ad Gratianum scribit: *impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum sed & angelorum.* Cum filius sit פלא *admirabilis*, Esai. 9: 6. ἀνέφικτ☉, ἀπερίληπτ☉ & ἀπενόητ☉, quid mirum, si ejusmodi nativitas, qua μονοτρόπως, ἰδίως καὶ διαφόρως essentiam à patre habet, captum nostrum excedat.

§. 4. Ut בני vero *proprie* hoc loco accipiendum esse sentiamus, analogia quoque Scripturæ nos inducit, quæ alibi itidem Deo filium tribuit Proverb. 30: 2. Ezech. 21: 10. & Messiæ æternam assignat nativitatem. Mich. 5: 2. ut Dei υἱὸς ἀγαπητὸς dicatur Matth. 3: 17. μονογενὴς Joh. 1: 14. 3: 16. ἴδι☉ Rom. 8: 38. ἀληθὴς 1 Joh. 5. 20. qui initio, antequam mundus formaretur, apud Deum erat Prov. 8: 22. Joh. 1: 1. quæ epitheta nulli creaturæ competunt, neque aliquam improprietatem vocis redolent. Unde planum simplicemque sensum tam illustris & in N. T. toties citati loci malumus sequi, quam contortas corruptelas amplecti. Frustra igitur Lipmannus negat verbum ילדתיך habere לשון לידה *gignendi significationem*, & temere alium sensum verbo affingit, quem ex Num. 1: 18. statuminare satagit. Occurrit ibi quidem verbum יִתְיַלְדוּ quod Kimchi explicat hoc modo in libro radicum: הראו ממי נולדו כלומר יחסם מאיזה שבט הם: *Ostenderunt, ex quo nati sint*, hoc est, prosapiam suam, *ex qua tribu sint oriundi.* Cæterum, ut quivis Ebraicæ linguæ gnarus novit, verba diversis conjugationibus nonnihil significatione variant, & quarta conjugatio apud Ebræos fere reciprocam actionem, qua agens in seipsum agit, significare solet, in Kal vero actionem simplicem. Licet itaque verbum ילד in quarta conjugatione ejusmodi significationem exerat, ut, ceu Kimchi monuit, recensionem suæ prosapiæ per plura individua ad unam stirpem usque denotet. Alia tamen ratio est verbi in prima conjugatione, quæ idcirco Kal vocatur, quod simplicem actionem designet. Vir Cl. Dn. Wagenseilius, cui cum ob selectissimas notas in tract. Talmudicum Sota, tum ob studium, quod in corrigendo Lipmanni libro Nizzachon adhibuit, eruditi plurimum debent, monuit, in quodam MSS. Lipmanni ad vocem ויתילדו se hæc reperisse. בל"א זיא אדלטן זייך h. e. *in lingua Germanica*, **ſie adelten ſich.** Quæ verba in recentiore editione libri באר משה paululum immutata leguntur. Explicaturus enim auctor verbum ויתילדו Num. 1: 18. ita pro sua linguæ Germanicæ peritia interpretatur: אונד זיא ווארן זיך אידלן **Und ſie waren ſich edeln.** Sed in primam conjugationem adeo non quadrat hæc significatio, ut nemo præter Lipmannum Christianorum ex verbo ילדתיך formatum argumentum eludere sit ausus, cum manifestissimum sit, ex usu Scripturæ, τὸ ילד proprie significare idem quod *genuit.*

§. 5. Photiniani quidem impropriæ suæ acceptionis rationem reddituri exemplum reperisse sibi visi sunt, quo, Scripturæ receptum esse ejusmodi morem loquendi, probari queat. Nempe Deut. 32: 18. dicitur, *Deum, qui te genuit, dereliquisti.* Ubi idem verbum, quod hic usurpatur ילד occurrit, & Israël à Deo genitus dicitur. Sed ad hoc respondetur, diversam esse rationem hujus loci, utpote ubi ילד ipso Chaldæo interprete pro *creavit*, accipitur. At Psal. 2. ubi antecedit τὸ בני, verbum ילד ad *generationem* referendum esse, ipse contextus comprobat, & haud obscure docet, non ibi improprie accipiendum esse, quandoquidem nulla improprietatis nota addita, de generatione & filiatione sermo est simul.

§. 6. Quod R. Lipmannus porro causatur, τὸ ילד in Scripturis non nisi de matre dici, de maribus vero הוליד in tertia conjugatione, & illud universale haud est, cum sæpius ut concordantiæ docent Ebraicæ, mari quoque ילד tribuatur. Vide Jer. 7: 2. Sed nec illud huc facit, cum generationem aliquam vulgarem, ad quam mas & fœmella concurrunt, hic non liceat concipere. Et cum ordinarie quidem alias τὸ הוליד de maribus dicatur, hic tamen ob arcanam illam & imperscrutabilem generationem, qua Pater ex se generat filium, neque alii, ut in sublunaribus generationibus fieri amat, causa fœcunditatis existit, Patri τὸ ילד tribuitur, ut vel hinc videre sit, quam inepte illi faciant, qui de divina illa nativitate scrupulose ex vulgari & naturali generationis modo judicare & intelligere præsumunt, cum tamen nodos illos ac recessus, qui in nostra generatione adhuc supersunt, penetrare nequeamus.

§. 7. Maximopere quoque ab interpretibus vexatur vocula הַיּוֹם *hodie.* Fuerunt enim, teste B. Hackspanio, Notis ad Luc. 23: 43. qui, pro asseverandi particula eam habentes, idem notare dicerent, ac *certo*, quomodo ea usurpetur, Deut. 30: 11: 15. 18. cap. 32: 46. Hos. 4: 6. Neque adeo pridem quidam Ebraicæ linguæ peritissimus vehementer contendit, sensum verborum esse, **So gewiß als Tage iſt/ habe ich dich gezeuget.** Photiniani eandem vocem urgent contra generationem æternam, quod τὸ *hodie* in Scriptura æternitatem nunquam significet, sed semper tempus determinatum ea demonstretur. Atque ita Lipmannus quoque ejusmodi quid verbis allatis significari ait, quod non stante templo secundo contigerit, sed longe ante tempore Davidis, Psalmum recitantis.

§. 8. Quod

§. 8. Quod eos attinet, qui היום pro aſſeverandi particula habent, falluntur oppido, cum nullum aſſeverationis hic ſit indicium, ſed contra textus pugnet & vocum ſitus, & hac ratione præmittenda ea fuiſſet verbis בני אתה. Id quoque faciles admittimus, vocem היום ad nos relatam *tempus* ſignificare, & certam illius periodum, nempe præſens, uti Deut. cap. 27: 9. Eſai. 58: 4. at ubi Deus loquitur de ſe, cui *hodie* competit, non ratione ſucceſſionis, ſed nudæ præſentiæ, ibi meram æternitatem deſignat, quæ eſt quaſi punctum ſemper durans & quaſi unum idemque hodie, quod h. l. ἡμέραν αἰῶνος, deſignat. Confer 2. Petr. 3: 18. Cum Daniel. cap. 7: 9. Deus appelletur עתיק יומין *permanens dierum*, *cujus dies & anni non finiuntur*, Pſalm. 102: 28. quid mirum, ſi h. l. τὸ *hodie*, ad ſignificandam generationem æternam, adhibeatur à Deo. Uti B. Lutherus quoque docet: *hodie accipiendum eſt pro tempore Dei, non noſtro. Non enim nobiſcum loquitur Deus, ſed cum illo, qui extra tempus apud Deum.* Quæ ſi obſerventur, quam longe à veritate aberrarit impius Servetus, Lib. II. d. E. T. pag. 53. conſtabit, *propterea*, inquiens, *dictum eſt: hodie genui te, quia ab initio mundi uſque ad Chriſtum eſt una dies, qua Chriſti generatio agitur.*

§. 8. Eo minus vero hæc, quæ de æterna generatione Meſſiæ diſſeruimus, diſplicere Judæis debent, quo illi de Meſſia his conformiora dudum tradiderunt. Nempe ad Pſal. 72: 17. לפני שמש ינון שמו: *ante ſolem filiabitur nomen ejus*, illi docuerunt, τὸ ינון nomen Meſſiæ eſſe, quod ante creationem mundi habuerit. Ut Arama quoque ad Geneſ. 47. commentatur; אפילו קודם בריאת השמש היה חוק וקיים שמו של משיחנו יהיה יושב בימין האל וזה הוא שאמר שב לי מיני: *Etiam ante creatum ſolem firmum & ſubſiſtens nomen erat Meſſiæ noſtri, & ſedebat ad dextram Dei, & hoc eſt, quod dicitur* (Pſalm. 110: 1.) *ſede à dextris meis.* Si ante creaturarum conditum Meſſiæ filii nomen competiit, ecquid tergiverſantur, hoc loco de generatione Meſſiæ illa æterna verba accipere, de quo ſermonem eſſe majores illorum faſſi ſunt?

§. 9. Antequam huic diſſertationi colophonem imponamus, paucis de illa Lipmanni objectione agendum erit, qua Salvatorem noſtrum ideo intelligendum h. l. negat, quod is Sione non fuerit inauguratus, neque ibi imperium regium exercuerit. Quaſi vero de temporali regno, quod Meſſias Hieroſolymis μετὰ φαντασίας adminiſtrare debuerit, hic ſit ſermo. Spirituale illud eſt & cœleſte, unde & arma ejus non ſunt σαρκικὰ ἀλλὰ δυνατὰ τῷ Θεῷ, 2. Corinth. 10: 4. & ita ex Sione auxilium miſſum, dum legati, Meſſiæ Apoſtoli, prædicarunt Chriſtum. Licet itaque viſibiliter throno regio Chriſtus haud inſederit, regnum tamen is auſpicatus ſuum eſt vere, à nullo homine impediendum. Potentiſſime vero regia ſe majeſtate accinxit ad cœlum evectus, ubi dominii inſignis, ſceptri nempe Hieroſolymis in omnes mundi regiones emiſſi robur apparuit, id quod Deus Pſalm. 110: 2. Eſai. cap. 2: 2. Mich. 4: 2. prædixerat. Tunc euangelium, ut Dei potentia ad ſalutem Rom. 1: 16. eos progreſſus fecit, ut abjectis idolis, & vita in melius emendata pagani quoque Regi huic ſe ſubmiſerint, cujus virtutem ne Judæi quidem diſſimulare poſſunt. Memorabile ſane eſt, quod Rabbinorum aquila Maimonides cap. ult. Hilk. Melachim ſcriptum reliquit. אותו שדמה שיהיה המשיח ונהרג בבית דין גרם לאבד ישראל בחרב ולפזר שאריתם: *Is, qui viſus eſt Meſſias, & à Synedrio occiſus, in cauſa fuit, ut Iſraël perierit & reliquiæ illius ſint diſperſæ.* Ecquomodo vero recutitus Chriſtum populi Judaici exitii cauſam eſſe ait, quem pro mero homine habet, eoque inermi & qui dudum ad plures abierit? Numquid ille Romani imperii excutiendi auctor eis extitit & ita ſeditionem movit? Atqui ut Deo Cæſarique quod debebant, ſolverent, fideliter eos commonuit, Matth. 22: 21. nullius criminis unquam poſtulandus. Joh. 8: 46. Qua itaque ratione excidium Judaicum illi imputare poſſunt, niſi quod inſontis & in ſalutem illorum miſſi Regis occiſio tanti illis ſtetit, ut tot ſeculis extorres Regicidii pœnam luant in avitas ſedes nunquam redituri. Nempe ſic ſententiam ſuam & judicium Matth. 23: 37. manifeſta & peremtoria everſione populi, à Daniele cap. 9: 26. prædictam, ipſemet Meſſias eſt exequutus, quam exciſionem & exilium Prudentius in Apotheoſi contra Judæos eleganter hunc in modum deſcribit:

Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, poſtquam, patria de ſede revulſus,
Supplicium pro cæde luit, Chriſtique negati
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſolvit.
En, quo priſcorum virtus deflexit avorum!



JOH.

JOH. FRISCHMUTHI DISSERTATIO

De Reverentia Filio Dei præstanda ad Psalm. II: 12.

נשקו בר:

Sive

DE

REVERENTIA MESSIÆ, FILIO DEI, PRÆSTANDA, DISSERTATIO

Ad illustrandum locum Psalm. II: 12.

§. 1.



Uæ antiquissimi doctissimique Ecclesiæ doctoris, Augustini, de Græcæ Versionis perfectione & cum fonte Ebræo convenientia exactissima, fuerit sententia, Tom. I. Operum S. Hieronymi, fol. 626. ipsemet Hipponensis Episcopus de se docet, *satis*, inquiens, *nequeo mirari, si aliquid adhuc in Ebraicis literis & exemplaribus invenitur, quod tot interpretes illius linguæ peritissimos fugerit.* Nempe S. Hieronymo, Ebræis præceptoribus uso, & cujuscunque generis versiones ad amussim Ebraicæ veritatis exigere solito, sic scrupulum injicere satagit Latinorum augustissimus Pater, an non actum agere videatur, si post tam præclaras & accuratas versiones, cornicum oculos quasi confixurus ultra, adhuc aliquid aliis non animadversum ex Ebraicis monere velit. Arbitrabatur videlicet Vir sanctissimus, otia omnibus posteris fecisse LXX. Interpretes, hosque ejusmodi versionem adornasse, in qua nihil amplius desideres, cum & Ebraicæ linguæ fuerint callentissimi, & superna luce illustrati falli in versione illa haudquaquam potuerint.

§. 2. Cæterum sententia Hieronymi ante plura secula Pontificum decretis inserta est, & hujus Patris vestigiis institerunt viri docti, & non modo ex Pontificiis quidam Ebræum fontem rivulis versionum præferendum censuerunt, sed & omnes illi, qui à reformationis initio Pontificem Romanum suas sibi res habere jusserunt, Protestantium nomine vulgo appellati. Ingens discrimen hi observasse sibi visi sunt, quod inter Ebraicam, eamque authenticam veritatem, & LXX. Interpp. versionem consisteret. Quin contenderunt, LXX. sæpenumero sensum verum & genuinum non esse assecutos, saltem non satis commode, & prout par erat, reddidisse. Inter alia exempla complura in medium quoque afferri ab ipsis solet classicus locus Psalm. 2: 12. ubi Ebraica verba נשקו בר OSCULAMINI FILIUM, illi δράξασθε παιδείας transtulerunt. Quam versionem secuti sunt Arabs, Æthiops, Latinus, & alii, qui *apprehendite disciplinam*, reddiderunt. De quo loco uberius disserere dum mihi decretum est, id agendum mihi erit, ut asserta veritatis Ebraicæ integritate, LXX. Interpretes nimium sibi indulsisse ostendam, dum verba Ebraica transtulerunt, per δράξασθε παιδείας, & simul Judæorum Arabumque placita, de *Filio DEI* quem hic honorare Reges jubentur, excutiam.

CAPUT I.

SUMMARIA.

Veritatem Ebraicam cum Græca Versione conciliaturus Bellarminus sui mox obliviscitur. Verbi נשק, *explicatio, qua* armavit *significare dicitur, explosa. Cappelli conjectura, pro* נשקו *LXX. legisse* נשגו, *à Buxtorfio confutata. Isaaci Vossii de eadem judicium. Cur Græci per* δράξασθε *reddiderint, ostensum. Significatio verbi* נשק *à Kimchio declarata. Schotani opinio, pro* παιδὸς *vocem* παιδείας *irrepsisse in Vers. Græcam, improbata. Castelli singularis sententia ponderatur Buxtorfii* ἐπίκρισις *super voce* παιδείας. *Kimchii glossema, quo* בר purum *vel* puritatem *notare dicitur, explosum. Abendanæ & Aben-Esræ interpretatio probata. Vossii ratio cur* בר *non filium notet, ventilata. Alius ejusdem Vossii cavillus abstergitur. Osculari quid Scripturæ phrasi significet. B. Glas. laudatus. Aben-Esræ Observatio Versione Ferrariensi. Judæorum & Syriaca notio* filii *expressa, & parabola eleganti illustrata. Joh. Cocceji glossa super voce* בר *ventilata.* נשק *Græcis &* φιλεῖν *&* καταφιλεῖν. *Cur Symmachus & Aquila* בר *aliter verterint. Judæorum malitiosa depravatio verborum Jonathanis Zach.* 13: *vers.* 10. *Alia fraus Judaica ad illudendum Christianis à B. Hackspanio & Cl. Wagenseilio notata. Utriusque laus.*

§. 1. UT vero in rem præsentem, quod dicitur, veniamus, & cum vocem נשקו, tum voculam maxime בר, super quibus eruditorum comitia dudum habita sunt, exa-

exactius expendamus, scire licet, quosdam doctores arbitrari, controversiam totam, quæ hic movetur, sic decidi facilius posse, si dicatur, eos non verbum verbo reddere, sed sensum duntaxat verborum aliis vocibus quomodolibet exprimere voluisse. Ipse Bellarminus, lib. I. de Christo cap. 5. huc inclinat, *illi*, inquiens, *ad sensum, non ad verba respexerunt, tunc enim adoramus vere Christum, cum ejus doctrinam recipimus.* At enim cum jam ante à Psalte dictum esset, הוסרו *erudimini*, minus verisimile sit, de integris diverso commate unum idemque eum significare voluisse. Potius igitur dicendum videtur, Ebraicum verbum נשקו aliquid diversum à superiori verbo denotare, quod Græci longe rectius, quam dicto modo potuissent exprimere. Agnovit sane Cardinalis Bellarminus, sui quasi immemor, lib. II. de V. D. cap. 2. ingens discrimen inter Ebræum textum & Græcam versionem, dum hunc in modum scribit: *Sæpe codices Ebræi magis Judæos vexant, quam Græci aut Latini. Certe in Psalmo secundo Latini & Græci habent: apprehendite disciplinam, ne irascatur Dominus. Ex quo nihil aperte contra Judæos deduci potest. At in Ebræo est* נשקו בר *osculamini filium, ne irascatur, id est, reverentiam exhibete filio Dei, ne irascatur &c. qui locus est invictissimus contra Judæos.*

§. 2. Ita ipso Cardinali suffragante, fons Ebræus rivulos & inter eos versionem Latinam, quam Tridentini Patres ausu plane novo præferendam esse Ebræo textui contenderunt, longo post se intervallo relinquit. Quandoquidem igitur plus præsidii ex Ebraico textu, quam versione vel Græca vel Latina nobis adversus Judæos disputantibus expectandum est, haud immerito illi insistimus tenaciter. Cum vero Græci verborum Ebraicorum sensum non satis sint assecuti, quem solum eos respexisse Bellarminus asseveravit, in causas hujus versionis LXX. Interpretum, à qua & Symmachus, Aquila & Theodotio recesserunt, amplius inquisituri doctorum virorum conjecturas in medium adducemus. Recentiorum Ebræorum quidam verbum נשק non tam *osculandi* vel *apprehendendi*, quam *armandi* significationem habere contenderunt. Unde Rabbi Abendana spicilegio ad Michlal Jophi inter alia scribit: יש מפרשים מענין נושקי קשת והיא פועל עומד: *sunt, qui explicent* τὸ נשקו *ex illa significatione, qua dicitur* (1 Paral. 12: 2.) *arcu armati, ut sit verbum intransitivum.* Sed licet radix נשק etiam circumcingendi & ὁπλισμοῦ notionem habere, nolim negare, contextus tamen hoc loco eam haud admittit, & minus recte Judæi in versione Germanica ex mente R. Eliæ, Germani anno MDLXII. adornata reddiderunt: **wafnet euch mit der Reinigkeit.** Cum enim proxime antecesserint verba: *Servite Domino*, ecquid opus erat ad armaturam vel præparationem quasi ad prælium instigare, tanquam Hannibal ad portam esset, cum saltim cultus & reverentia à Regibus terræ Messiæ præstanda exigantur. Unde neque Græcos interpretes hanc significationem spectasse verisimile est, cum δράξασθε παιδείας reddiderunt.

§. 3. Non desunt, qui causas hujus discrepantiæ Ebraicæ veritatis & Græcæ versionis inde arcessant, quod interpretes LXX. in suo codice aliter legerint, quam hodierni nostri codices. Nempe arbitrantur levi & facili unius literæ in aliam sono affinem mutatione pro נשקו lectum ipsis fuisse נשגו. Hanc conjecturam suam fecit Ludovicus Cappellus, Critic. sacr. lib. IV. cap. 4. pag. 243. *videntur*, inquiens, *legisse* נַשְּׂגוּ *nam* נשג *in Hiphil est assequi.* Sed hanc Cappelli sententiam Joannes Buxtorfius, Vindic. Verit. Ebraicæ sive Anticritic. part. II. cap. 8. non levi ratione impugnat, quod verbum נשג usitatum haud sit in secunda conjugatione, in qua נשקו hoc loco occurrit, sed in tertia demum conjugatione assequendi significationem habet, quæ tamen hoc loco non reperitur.

§. 4. Isaacus Vossius, respons. ad objectiones Hulsii itidem negat, opus esse, ut cum Cappello huc deveniamus, quia verbum נשק id temporis plures cognatas habuerit notiones. Sed ne illud quidem opus est, ut cum Vossio ad notionem nobis incognitam confugiamus, cum suppetat ejusmodi significatio, cujus vestigia in codice Ebræo hodieque supersunt. Nempe cum verbum נשק *amplexari* quoque denotet, fieri potuit, ut LXX. illud per δράσσειν reddiderint, quod Græcis ἐπιλαβεῖν, κρατεῖν significat, ceu apud Hesychium videre est. Sed ut ita verterent, nondum apparebat ratio ex textu, cum verbum נשק osculandi quoque significationem habeat quæ huic loco magis apta erat. unde Rabbi David Kimchi h. l. scribit: נשקו ענין נשיקה כמו וינשק לכל אחיו *verbum* נשקו *habet significationem osculandi, veluti,* (Gen. 45: 15.) *& osculatus est omnes suos fratres.*

§. 5. Quod voculam בר attinet, cui hodie παιδείας in Græca versione respondet, & illa haud dubie ita lecta & translata fuit initio à Græcis. Christianus quidem Schotanus, Theologiæ Professor Franekeranus, Diatriba de Græca Versione pag. 35. persuasum habet, recte eos τὸ בר παιδίου vel παιδὸς vertisse, quæ deinceps librariorum culpa levi negotio fuerit mutata in παιδείας. Sed hæc conjectura inde minus applausus mereri videtur, quod in omnibus Græcis exemplaribus constans subinde fuit lectio, ut aliter eos vertisse, quam hodie legimus, nolimus asserere. Eccur vero ejusmodi procuderunt versionem, quæ ab Ebræo fonte tantopere discrepat? *Num altiori quodam spiritu inducti id fecerunt, &* בר *παιδείαν verterunt?* Ita vir celeberrimus & ob operam navatam in procurando Opere Biblico πολυγλώττῳ Anglicano, & Lexico Heptaglotto conficiendo commendatissimus, Edmundus Castellus, præfatione ad Lexicon laudatum sentire videtur. Et in Radice נשק, cum verba נשקו בר transtulisset: *osculamini legem*, subdit: *ita Ebræi antiquissimi, Midrasch Tellim, Sanhedrin fol. 92. Ita fere LXX. Interpretes, Chaldæi duo, Æthiops, tres Arabes, Armenus, Aquila, Symmachus, V. Latinus, S. Cyprianus.*

§. 6. Causam vero, quam altiori spiritui Rabbinorum veterum & Talmudistarum tribuit Castellus, deprehendisse sibi videtur Joannes Buxtorfius, Anticritica pag. 673. *Ego*, inquiens, *arbitror, simpliciter dicendum esse, illos hic, quæ sua sententia erant allegorica & impropria, voluisse resolvere & proprie exponere. Nimirum* בר *sumserunt frumenti significatione & per frumentum intellexerunt legem seu doctrinam legis De Paraphraste Chaldæo mihi non est dubium. Antiqua enim est illa expositio, & legitur in Talmud Massechet Sanhedrin cap. ult. pag. 92. col.* Confer librum Jalkut ad Prov. 11: 26. ubi Ebræi dicunt: אין בר אלא תורה שנאמר נשקו בר Nihil aliud τὸ בר *notat, quam Legem, quia dictum est:* נשקו נר.

§. 7. Cæterum licet infitias ire nolimus, Græcos interpretes בר pro *lege, doctrina* vel *disciplina* accepisse, convenienter tamen eos vocem vertisse, haud immerito viri doctissimi negant. Ex eorum Ebræorum numero, qui sensum Scripturæ literalem commentariis suis illustrarunt, nemo est, qui illis assensum præbuerit. Sic Kimchi vocem בר explicaturus hunc in modum scribit: שרשו מן לברו לבב כלומר מה לכם ולי ואין בי עון שתבאו ותלחמו בי אבל עליכם לנשק לי ולהודות שאני מלך במצות האל כמנהג העבד לארונו: *Radix ejus ex verbis* (Psal. 72: 1. cognoscitur) *puri corde, quasi dicat: ecquid mihi vobisque rei est? in me nihil est iniquitatis, ut veniatis & contra me pugnetis. Vobis potius incumbit, ut me osculemini & confiteamini Dei jussu ad regnum me esse evectum ut servus Dominum suum agnoscit.* Sed & hoc frigidum interpretamentum esse, ex eo patet, quod Davidem hujus Psalmi subjectum haud esse evictum sit à nobis alibi. Neque altera expositio Judæorum applausum meretur, qua sensum verborum esse perhibent hunc, וזוו עצמכם בבר לבב: *accingite vos puritate cordis. Non* בַּר *sed* בר *puritatem* notare novimus, unde quam inconveniens sit & hæc ἐξήγησις, in aprico est.

§. 8. Neque verbum נשק *accingendi* vel *armandi*, neque nomen בר *puritatis* significationem hic habere, sic manifestum est. Unde haud immerito R. Abendana in specilegio, ad librum Michlal Jophi, ex quo ille hausit, Aben-Esra communi & B. Luthero probatæ expositioni adstipulantur, dum l. cit. scribunt: או טעם בר כמו מה ברי ומה בר בטני לפי שאמר בני אתה: *aut* בר *filium notat, veluti* (Prov. 31: 1.) *quid fili mi & quid fili uteri mei? quia dixerat* (Psalm. 2: vers. 7.) *filius meus tu.* Quasi dicat, hanc notionem ideo rejiciendam haud esse, quod supra vers. 7. jamdum filii fecisset mentionem.

§. 9. Vir Clarissimus, Isaacus Vossius ultra Jesuitas παραδοξολογῶν & Græcæ Versionis hyperaspistes acerrimus, qui puncta Ebraica negligenda esse contendit, aut saltem reformanda ad mentem tralationis LXX. Interpretum, quam solam ἀναμάρτητον esse, persuasum habet, responsione ad Theologi Leydensis objectiones, pag. 16. ideo huic interpretationi, qua בר *filium* significare dicitur, etiam parum tribuit, quod Hieronymus primus fuerit, qui vocem sic exposuerit. Sed quisquis ille sit, qui primus vocem ita acceperit, id nobis sufficit, τὸ בר ex Scripturæ usu filium significare, & eam significationem contextui esse oppido convenientem. Occurrit vero hæc vox fatentibus Judæis, Esd. 5: 1. Prov. 31: 2. Dan. 3: 25. 5: 22. 7: 13. Non desunt quidem, qui obvertant, non dari exemplum in psalmis, ubi vox Chaldaica occurrat, unde nec hanc vocem בר *filium* notare posse. Sed his respondemus; si in Psalmis Chaldaica occurrunt suffixa, ecquid obstabit,

quo

quo minus & linguæ hujus vox vel ſemel inveniatur? Id nobis ſatis abunde patrocinatur, quod in Ebræo textu, Prov. 31:2. τὸ בר ter legitur. Quod unum exemplum comprobat, antequam Chaldæo idiomati in exilio aſſuefactus eſſet populus Judaicus, jamdum Ebræis, ætate nempe Salomonis, usitatam eam vocem fuiſſe. Et, cum ibi uno loco ter occurrat, non inſolenter eam poni in Ebræo textu, ſic manifeſtum eſt.

§. 10. Idem Voſſius, epiſtola ad Chriſtianum Schotanum, pag. 136. eum Ebræo textui inhærentem indignis modis exagitat, *miror*, inquiens, *quam maxime, relinquere te ſenſum bonum & planum* (Græcæ Verſionis,) *& putidum inducere. Ita profecto oſcula, qualia deſcribis, in puerulo Jeſu locum habere, mulierculæ potius, quam Theologi admittent.* En! quo abripiat virum doctiſſimum ἀμετρία τῆς ἀντολκῆς & pertinax ſtudium τὴν θέσιν διαφυλάττειν. Etſi S. Hieronymus, apologia adverſus Ruffinum dicit, ſe noluiſſe transferre putide *oſculamini filium*, ſed, ſenſum magis ſecutum, reddidiſſe: *adorate*; minime tamen idcirco de Ebraica voce abjectius ſenſit; ſed hoc ſaltim innuere voluit, ſe interpretis officio functum non tam Ebrææ, quam Latinæ linguæ (in quam Ebræa verba transferenda erant,) rationem habentem maluiſſe reddere per *adorate*, quam *oſculamini*, quod Latinis, utpote Occidentalibus, ritus oſculandi parum notus eſſet, neque ut Orientalibus adeo receptus, quibus tamen ea locutione ſenſus minime putidus gignitur. Neque enim aliud h. l. notatur quam reverentia & ſubjectio, quam in ſolenni Regum inauguratione requiri, in vulgus notum eſt. Unde & B. D. Glaſſius, Rhetor. Sacr. tract. I. cap. 4. ait: *oſculari pro amare, obedire, obſequi ſe humiliter ſubjicere, horum ſignum quippe antiquitus oſculum erat. Geneſ.* 41:40. 1 *Reg.* 19:18. Provocat Aben-Eſra ad conſuetudinem, quæ ſua etiamnum ætate locum obtinuerit, hic verbis: מנהג תיום בעולם לשום ידיהם תחת יד המלך באחי שלמה או העבר תחת ירד אדניו או לנשק את המלך וזה המנהג עד היום בארץ הודו׃ *conſuetudo gentium in hoc mundo eſt, ut manus ſuas ſubmittant regis manui, ut fratres Salomonis, aut ut ſervus ſub Domini ſui fæmore; aut oſculentur regem. Atque hæc conſuetudo ad hunc uſque diem obtinet in India.*

§. 11. Pro illa interpretatione, qua verba נשקו בר transferri ſolent: *oſculamini filium*, etiam Judaica Verſio Ferrarienſis ſtare deprehenditur, quæ habet *Beſad hyo.* Licet etiam Chaldæus interpres Græcam Verſionem ſecutus videatur, qui קבילו אולפנא reddidit, Syrus tamen interpres Ebræum κατὰ πόδα ſequutus eſt, qui habet ܢܫܩܘ ܒܪܐ. Non heri demum vel nudius tertius apud ipſos Judæos filii notio voci בר tribui cœpta eſt, ſed multis retro ſeculis, veluti ex elegantiſſima parabola, quæ in Midraſch Tillim ad Pſalm. 2. his verbis legitur: אמר רב משל למלך שכעס על בני המדינה ופייסו את בן המלך שיפייס את המלך הלך הבן ופייס את אביו כיון שפייס בנו הלכו בני המדינה לומר הימנון למלך אמר להם לי אתם אומרים הימנון לכו אמרוהו לבני שאמלא היא כבר איבדתי את המדינה הוי נשקו בר׃ *Dixit Raf ſimilitudinem de Rege ſuccenſente incolis ſuæ ditionis. Rogarunt hi Regis filium, ut Regem placaret. Filius ad reconciliandum illis parentem abiit, & cum in gratiam apud parentem eos repoſuerat, hymnum Regi dicere decreverunt. Rex vero ad eos ait, mihi ne hymnum dicturi eſtis? Ite & filio meo eundem dicite. Abſque eo enim fuiſſet, jampridem perdidiſſem incolas. ah! oſculamini filium.*

§. 12. Ex quibus manifeſto conſtat, τὸ בר filium Ebræis notare, contra quam Voſſius contendit, & ad hanc notionem illuſtrandam parabola eos uſos eſſe perquam eleganti, & plane tali, quæ noſtram doctrinam de Meſſia, filio Dei, patris ſui cœleſtis iram noſtra cauſa ſedante, eumque nobis reconciliante (Rom. 5:10.) inſigniter illuſtret. Ut in Pſalmo mentio fit Dei & uncti ejus, & huic ceu filio ejus Reges & magnates jubentur ſe ſubmittere, ne ira ejus exardeſcat, beatique illi prædicantur, qui illi confidant; ita hæc omnia reliquis, quæ de Meſſia ſcriptores θεόπνευστοι tradunt, conſona ſunt. Eſt enim Meſſias rupes ſalutis, Deuter. 32:15. lapis anguli, Pſal. 118:22. cui credendum & confidendum. *Ecce*, inquit Deus, *ego is, qui fundat in Sione lapidem, lapidem probationis anguli pretioſiſſimi, fundati fundatiſſimi*, Eſai. 28:22.

§. 13. Neque tamen exinde, quod tam diverſis nominibus Meſſias inſigniri ſolet, aliud quid בר hoc loco notare conceſſerimus, quam *filium*. Johannes quidem Coccejus comment. in Pſal. 2. hunc in modum ſcribit: *quia egerat de abneganda propria juſtitia, & vocabulum per ſe ambiguum eſt, poteſt & altera addi notio ex Ebraiſmo: amplexamini puerum, ſive eum, qui non tantum propriis peccatis vacat, ſed etiam veſtrorum, quæ ſuſtulit in crucem, nexu ſolutus eſt. Ita dicitur* צדיק *Juſtus Eſai.* 53:11. *Sic* 1 *Joh.* 1:2. τὸ δίκαιον. *Quin etiam quod Kimchi vult,* τὸ ἐκλεκτὸν 1 *Petr.* 2:4. *Eſai* 42:1. *Poſſet hic exemplum eſſe affectatæ ambiguitatis, quæ non obſcuret ſententiam & myſterium ſed magis illuſtret, quando id, quod vox illa ſignificare poteſt, utrumque ad rem facit, & unum ſine altera eſſe non poteſt.*

§. 14. Etſi vero hoc interpretamentum pium ſit & Coccejo plauſibile videatur, ad mentem tamen ſcriptoris ſacri hoc loco eſſe haud dixerimus. Utut enim vocula בר in ſe & abſolute conſiderata πολύσημος ſit, & pro diverſis punctis plura ſignificare poſſit, in contextu tamen poſita, ad certam conſtructionem & ſignificationem ab auctore ita determinatur, ut etiamnum plura uno loco denotare nequeat. Et cum Meſſias antecedenti vſ. 7. *filius* à Deo appellatus ſit, & vſ. 11. ubi ad honorem & cultum ei exhibendum Reges terræ excitantur, ejuſmodi vocula occurrat, quæ alias filium ex uſu Scripturæ denotat, omnino res ipſa exigere videtur, ut cum Aben-Eſra unam illam ſignificationem recipiamus, non aliam, quam vox alias extra hunc contextum poſita ſignificare apta eſt, licet, quod Voſſius pag. 110. reſponſ. ad objectiones Hulſii aſſeverat, τὸ בר duodecim vel plures diſcrepantes habuerit ſignificationes, pro diverſa pronunciatione, quæ hodie neſciatur.

§. 15. Manet itaque & hoc firmum & fixum בר *filium* notare & נשק idem eſſe h. l. ac *oſculari*, quod LXX. alias per φιλεῖν vel καταφιλεῖν reddiderunt, quomodo & Aquila vertit, καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς, Symmachus, προσκυνήσατε καθαρῶς. Qui idem cum Kimchio ſenſiſſe videtur in eo, dum *adorationem* notare ait. Hic enim in libro radicum phraſin Gen. 41:40. ישק על פי explicaturus, Pharaonem voluiſſe ait להודותו לאדון *dominium ejus profiteri.* Quod vero uterque, & Aquila & Symmachns τὸ בר aliter quam nos interpretantur, quorum ille *electe*, iſte *pure* transferunt, id Judæorum Chriſtum repudiantium cœcitati adſcribendum eſt, qui Deum filium habere negant. Quod ut ſuis quoque perſuadeant, iis quandoque utuntur argumentis, quæ explodi merentur. Non dubitant enim provocare ad paraphraſtæ Chaldæi verba, Zach. 13: vſ. 10. וְלֵית בַּר מִנֵּיהּ quorum ſenſum hunc eſſe volunt, *& non eſt ex eo filius.* Atque eodem argumento ſe Judaiſmi & avitæ fidei adhuc propugnatorem uſum eſſe, ingenue mihi faſſus eſt Chriſtianus Zarvoſſi, vir doctus & fidei Chriſtianæ hactenus conſtans aſſertor, quem quondam in Proſeuchis ita fumum ſuis congregalibus vendidiſſe hodie pœnitet, cum Jonathan illis verbis nihil aliud innuerit, quam *præter eum* (Deum) *nullum alium eſſe*, & τὸ בר ſequente litera מ exceptionem notare, iis etiam notum ſit, qui Chaldaiſmum extremis duntaxat labiis deguſtarunt.


§. 15. Quam inepte vero filiationem Meſſiæ Judæi impugnarunt ex Targum, tam audax & prodigioſe temerarium factum fuit Julii Conradi Ottonis, Deo filium competere, ex Talmude probaturi. Virum hunc inclutæ Reipub. Norimbergenſis Nobiliſſimus Senatus ad profeſſionem evexerat Academicam. Is valere juſſo Judaiſmo, Chriſto nomen dederat, & ſpartam honorificam nactus putabatur ſerio id agere, ut quæ in Talmudico Codice aliiſque Ebræorum monumentis eſſent Chriſtianæ religioni conformia erueret, & eam ita magis illuſtraret confirmaretque. Pollicitus tale quid magno hiatu, recipit, ſe Judæorum myſteria in illorum commoda divulgaturum, ſpecimen hujus rei daturus, inter alia quoque teſtimonia ex cap. 1. Maſſecheth Roſch Haſſchana in medium adduxit, ubi hæc verba leguntur: מטונך דליהוון מהקרבין ניחוחין לאלהא שמיא ומצליין לחייא מלכא ובנוהי׃ Verſionem is protulit talem: *petimus ut ſacrificia offeratis Deo cœleſti, & adoretis æternum vivumque Regem una cum filio ſuo.* Atqui verborum ultimorum, quæ Eſd. 6:10. habentur, ſenſus longe alius eſt, nempe *ut offerant res odoris grati Deo cœli, & orent pro vita regis & filiorum ejus.* Ita ille Chriſtianos deridendos propinavit Judæis verius quam vindicavit, & libro ſuo, גלי רזיא ſive *revelator arcanorum* dicto, id effecit, ut ceu Cl. Wagenſeilius p. 705. Excerpt. ad Gemar. Sota conqueritur, *viri non contemnendi ſint ſycophantæ illius fraudes, dolos, fallacias mutuati, ſuiſque ſcriptis illas inſeruerint.* quod ante XXV. annos literis ad me ſuis itidem vehementer doluit ὁ μακαρίτης, Theod. Hackſpanius, ingens quondam Altorphinæ Academiæ ornamentum, & in Orientalibus fidus doctor, cujus tumulum quo minus hodie cum gemitu intueatur Altorphina, ſucceſſoris dexterrimi, Wagenſeilii facit eruditio plane eximia. Quæ, ut ex diverſis ſpeciminibus colligere eſt, rei literariæ adhuc plura eaque haud vulgaria promittit.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Mohammedistarum in negando mysterio Trinitatis & Generationis divinæ pertinacia. Psal. 2:7. Alfirauzabadius, Lexicographus Arabs, de Christo interpretatur. Philippum Guadagnolum id asserentem Henningus Henningi nequicquam impugnat. Psal. 2. à Christianis corruptum esse frustra Mohammedistæ causantur. Illorum figmentum de significatione verbi ولد *explosum. Gemina conjectura, cur Mohammedistæ negent, Christum Dei filium esse appellatum. Christianis eo nomine dicam iidem scribunt. Elogia quæ Christo impertiuntur Mohammedistæ, recensentur. Locutionis* Verbi Dei *perversio Mohammedica. Christo Euangelium à Deo commissum esse, Pseudopropheta largitur, & nihilominus Scripturam à Christianis corruptam esse causatur. Apologia Pontificis Romani, Pii II, pro Christianorum innocentia. Philonis de nomenclatura,* FILIUS DEI *sententia. Christus filius Dei per generationem æternam. Ejus gloriosa epitheta Deitatem & προϋπαρξιν evincentia. Aliud Philonis de verbo primogenito & archangelo variarum appellationum notabilis sententia. Cur Michaëlem archangelum, eumque increatum, Judæi in scripturis non deprehendant. Mohammedanorum crassa ignorantia in originatione nominum Messiæ & Jesus. B. Augustini rationes, cur patrem, filium & Sp. S. una adoremus.*

§. 1. POstquam ita & Christianorum & Judæorum de sensu hujus loci adduximus sententias, & quomodo verba illius interpretentur, perspeximus, ulterius progredi, & quid barbara Turcarum & Arabum natio de Psalmo hoc sentiat, itidem percontari nobis visum est. Nempe illa ut pro unitate Dei cum Judæis tanquam pro aris & focis acerrime & recte pugnat, ita in eo errorem errat insignem, quod personarum in divinitate pluralitatem cum unitate essentiæ pugnare censet, & veterem Christianismi characterem, Trinitatem aversatur. Cumprimis vero *filii Dei* nomenclaturam, & ex qua illa oritur, generationem divinam inficias ire solet. Hinc non modo passim in Alcorano, sed & precatoriis suis libellis omnem generationem in divinis proscribunt, & ne quis facile aliud sibi persuaderi patiatur, illud dogma ut perpetuum & immutabile ingeminant: *Deum nec gignere nec gigni.* Quin non modo idem in libris precatoriis subinde inculcant, sed etiam ne forte animos illorum excidat, titulis libellorum quandoque præfigunt, & circulis duobus, viridi & rubicundo includunt, hunc fere in modum:



Sensus verborum est hic: *Dic, Deus unicus, Deus perennis,* (ita malim vertere τὸ صمد quam *conjunctissimus*, ut Schikardo placuit) *non gignit, nec gignitur, neque est ipsi quisquam æqualis.*

§. 2. Sunt tamen ex Arabibus, qui itidem nobiscum largiuntur, Psalmum secundum de Christo agere, quod Philippus Guadagnolus, Linguæ Arabicæ in Academia Romana Professor, observat, Apologia pro Christiana Religione p. 58. Cui dum Henningus Henningi, libro, quem *Muhammedanus precans* inscripsit, pag. 44. contradicit, & verba Arabica antea citata Guadagnolo opponit, quæ manifeste contrarium demonstrent, manifesto fallitur. Neque enim illa quicquam de Psalmo 2 habent, nec negant eum de Christo agere, sed simpliciter infitiantur, Deum gigni vel gignere. Scire igitur licet, Arabes utut Christum Salvatorem nostrum extollant, eumque ut Prophetam à Deo missum suspiciant, molesto tamen animo ferre, eum *filium Dei* appellari à nobis juxta ductum Scripturæ, quam hoc loco à Christianis corruptam esse contendunt. Alfirauzabadius enim, auctor celebris Lexici Arabici, Kamus, de vs. 7. Psal. 2. hunc in modum loquitur: قوله الله عز وجل لعيسي صلي الله اليه وسلم انت نبي وانا ولدتك اي ربيتك وقالت النصاري انت بني وانا ولدتك تعالي الله ذلك علوا كبيرا *Dictum Dei omnipotentis ad Jesum (cui propitius sit & pacem concedat Deus,) tu es nabya Propheta meus, ego Wallatoka, nutrivi te. At Christiani dixerunt: tu es bonaia filius meus ego Walatoka, genui te. Longe supra hæc Deus.* Alius Arabs, Ebnol Athir ejusdem criminis Christianos postulat, veluti notis miscellaneis ad Portam Mosis Pocokius pag. 316. testatur. Verba ejus hæc sunt: في الانجيل قال لعيسي انا ولدتك اي ربيتك فخففه النصاري وجعلوه له ولدا سبحانه وتعالي عما يقولون علوا كبيرا *In evangelio dixit Isæ, ego Wallatoka, te educavi. at Christiani, demta litera altera lam, ipsum ei filium statuerunt, qui longe elatus est supra ea, quæ dicunt.* Ex quibus elucescit omnino, binis hisce Arabibus id admissum esse, Psal. 2. de Christo agere, licet illi verba à nobis immutata & corrupta esse falso asseverent.

§. 3. Immunes vero à culpa dicta Christianos esse, facile demonstrabit idioma primitivum Ebræum, in quo ejusmodi variatio significationis, quæ apud Arabes in secunda conjugatione per tesdid fieri ab ipsis dicitur, nullum locum invenit. Frivolum etiam hoc illorum esse commentum, ex eo apparet, quod Christianorum hostes ἄσπονδοι, Rabbini, codicis Ebræi ad superstitionem usque seduli & curiosi custodes, tale quid nobis nunquam exprobrarint, facturi utique illud, si ejusmodi criminis rei essemus. Æque enim illi, quod filiationem Messiæ attinet, nobiscum disceptant, ac opere, quanto possunt, maximo eam impugnant, veluti Dissertatione ad Psal. 2:7. ostendimus. Illis vero dormientibus in Ebræo textu tam notabilem mutationem fieri à Christianis potuisse, ecquis crediderit? Omnes Codices Ebræi, quod multis retro seculis à majoribus suis Judæi acceperunt, tam constanter τὸ בני & ילדתיך exhibent, ut nulla omnino variæ lectionis in alterutra voce appareat indicium. Relinquitur igitur, non improbabilem esse conjecturam Guadagnoli, in Apologia pro Christiana religione, & Castelli in Lexico Heptaglotto, qua augurantur, hanc significationem, quam verbum ولد in secunda conjugatione habeat, nempe *fovendi* vel *educandi*, ab Arabibus esse confictam. Unde cum Arabes laudati nullo exemplo dicto fidem fecerint, eadem facilitate, qua asseritur, rejicitur.

§. 4. Causam vero figmenti illius duplicem, nisi plane fallimur, observare licet. Prima est, ne, si Christo tam honorificum nomen *filii Dei* in Scriptura competeret, illorum Pseudopropheta, Mohammed, quem per excellentiam & antonomasiam النبي *prophetam* appellant, eo inferior esse videretur. Altera causa est, quod hanc notionem Christo competere non posse, sibi persuadent, nisi plures Deos statuere velimus, quod filii generatione Deus multiplicari videatur. In Alcorano, Surata secunda, ajunt الهكم اله واحد *Deus vester Deus unicus est.* Ad quem locum Beidavius in comment. scribit: المستحق منكم العبادة واحد لا شريك له فصح ان يعبد ويسمي الها. *Qui coli à vobis meretur, unus Deus est sine socio. Convenit etiam ut colatur, appellaturque Deus.* Atque hinc factum est, ut Christianos, quod Dei filium Christum esse docent, المشركون *associatores* appellant, لانهم يشركوا بالله *quia Deo socium adjungunt.* Et cum Mohammedistæ Judæos æque & Christianos oderint, utrosque à Christo aliquando accusatum iri dictitant, nempe يوم القيامة يشهد علي اليهود بانهم كذبوه. *die resurrectionis*

rectionis adversus Judæos testabitur Christus, quod se mendacem arguerint: عي النصاري بانهم دعو ابن الله *Contra Christianos* (testabitur), *quod vocarunt ipsum Dei filium.*

§. 5. Cum vero appellationem *filii Dei* ferre nequeant Mohammedistæ, & nobis vitio vertant, quod Christum Deum φύσει & *filium Dei* esse credamus, paucis videamus oportet, ecquid de Salvatore nostro sentiant, & quo loco eum habeant. Ostensum id mox ibimus, ubi, quædam adhuc præmiserimus. In Alcorano, quem κατ' ἐξοχὴν & antonomasiam الكتاب *librum* appellant, Surata مريم, de Christo scribunt: ذلك عيسي ابن مريم قول الحق الذي فيه يمترون *Hic est Jesus Mariæ filius, sermo verus, cui contradicunt.* Cujusmodi vero illa sit contradictio iterum elucescit ex illorum verbis: قالت اليهود ساحر كذاب وقالت النصاري ابن الله *Dicunt Judæi, præstigiator mendax est. Dicunt Christiani, filius Dei est.* Et commentator supra citatus indignabundus scribit: وما امروا الا ليعبدوا الاها واحدا لا اله الا هو سبحانه عما يشركون *Cum jussi sint unum Deum colere, non est Deus, nisi ille. Apage cum illo, quod ipsi associant.*

§. 6. Quod elogia attinet, quæ Mohammedistæ nostro Salvatori impertiuntur, videri queat, illos plane orthodoxe de eodem sentire. Vocant eum غلاما زكيا *puellum immaculatum*, نبيا مباركا *prophetam benedictum*, قول الحق *vocem veritatis*, رسول الله *Apostolum Dei.* Surata آل عمران vocant Christum كلمة الله *verbum Dei*, ut Mohammedem hoc ex Joh. 1: 1. petivisse, & illi plus quam humanum quid tribuere putes. Sed ubi impostoris illius famosi Mohammedis interpres rationem reddit hujus nominis, patescit, eum hominibus fucum fecisse. Ait enim sic Christum vocari, لانه لم يولد الا بكلمة الله وحدها بغير واسطة اب *quia natus non sit, nisi solo Dei verbo, citra operam patris.* Sic ipsi nihil peculiare præ aliis Prophetis relinquunt, neque Dei filium vocari eum, concedunt, sed dicunt, اسمه المسيح عيسي ابن مريم *nomen ejus est Christus filius Mariæ.* Quin expresse scribunt, المسيح عبد مخلوق كساير العباد *Christus servus creatus est sicut reliqui servi.* Ut sit بشر مثلنا *homo quales nos sumus.*

§. 7. Hæc Mohammedistarum per Ægyptum, Syriam, Armeniam, Mesopotamiam, Chaldæam, Asiam minorem, Græciam, insulasque maris mediterranei & Archipelagi, Epirum, aliasque amplissimas regiones complures, fides & de Salvatore nostro sententia est. Ut qui in globo terrestri angustiam Christiani nominis cum Mohammedanæ impietatis amplitudine contenderit, tot pereuntium animarum myriades animitus merito doleat, optetque, lucem Euangelii incredulorum hominum cordibus vel tandem uberiorem illabi, & eos ad Scripturas sacras diligentius expendendas inflammare, quam illam ex Judæorum Gentilium & Christianorum scriptis mixtam rhapsodiam, Alcoranum. In quo scripto compilando veterator ille ita se gessit, ut subinde vera & Christianis recepta dogmata falsis suis placitis immiscuerit, ne animos aliorum à se abalienaret.

§. 8. Sic in eo satis honorifice de Christo sentit, dum de illo Deum ita loquentem introducit, اتيناه الانجيل *dedimus ei Euangelium*, adeoque hoc ipso largitur, Christo ut vero doctori fidem esse habendam, quippe qui ad doctrinam, quam Euangelium nuncupamus, annunciandam divinitus missus sit. Dum vero illum cum Adamo ita comparat, ut præ hoc aliquid prærogativæ eum habere neget, nosque Christianos vellicet dicterio suo: النصاري جعلوا المسيح ابن الله *Christiani fecerunt Christum Dei filium*, in eo satis prodit, tam præconcepta opinione se occupatum esse, ut veram de ejus Deitate & natura divina admittere nequeant sententiam. Quam ut fortius neget, causatur, scripturam à Christianis depravatam esse. Qua falsa accusatione id apud suos obtinent, ut libros sacros cum V. T. tum N. tanquam haud amplius integros aversentur, eorumque lectionem, ut minus necessariam, negligant. Sic cum Olearius, ut in Itiner. Persic. pag. 683. ipsemet refert, cuidam Astronomo in urbe Schamachia Pentateuchum monstraret Arabicum, ille contemptim regessit: *Hoc opus corruptum & abolitum. Alcoranus multo est melior.* Ita Alcoranum librum abominabilem, & ex Talmudistarum partim, partim Christianorum & Gentilium libris confectum, in cœlum laudibus efferunt, & solo illo gloriantur, quasi à Judæis & Christianis scriptura corrupta, Alcoranus opus reformatum & à Deo illius loco sit missum, ex quo solo Dei voluntas hodie haurienda sit.

§. 9. Cæterum Scripturam sacram neque à Judæis, neque à Christianis corruptam esse, contra Mohammedanos haud inepte probavit Pius II. Pontifex Romanus, epistola ad Morbisanum, Turcarum principem hunc in modum: *Corruptionem imprimis sacrarum literarum objicitis. Hoc ei probandum fuerat, qui factum asserit: nobis satis erat negare factum, sed libet tecum aliter agere, & manifestam tui legislatoris calumniam ostendere. Lex Judaica, quam Moyses & Prophetæ tradiderunt, antequam Mahumetes nasceretur, pluribus seculis scripta fuit, & multis in locis promulgata, & in alienas translata linguas, nec fuit unus interpres, sed plurimi, rogante Ptolomæo Philadelpho, septuaginta presbyteri legem interpretati sunt, Aquila etiam, & Theodotion & Symmachus, & alii V. T. verterunt. Ita Græcæ & Latinæ sacrarum Scripturarum versiones multis extiterunt seculis, antequam promulgaretur Lex Mahumetica. Impletæ sunt insuper libris Mosaicis & Propheticis omnes celebriores Bibliothecæ, ut Alexandriæ, Romæ, Athenis, Carthagine, Syracusis, Toleti, Lugduni, ut ita ubivis tam apud Græcos, quam Latinos V. T. ex Ebraica veritate traductum, & haberetur & publice prælegeretur. Unde nullo modo potuit fieri, ut Judæi exemplaria omnibus fere locis dispersa corruperint. Christianos autem quod attinet, nondum natus erat Christus, cum LXX. Interpp. versio ederetur; atque ita eo tempore nulla erat causa corrumpendæ legis, cum nulla esset cum Christianis, utpote nondum existentibus, de lege contentio. Postea autem Christiani non potuerunt corrumpere Scripturam ob tot versiones, tam Græcas quam Latinas, quæ per infinitas fere provincias erant diffusæ, neque unquam corruptas esse scripturas, probat satis superque convenientia & concordantia quam habent in hodiernum usque diem versiones cum fonte.* Confer etiam Philippum Guadagnolum, Apologia pro Christiana Religione c. V. sect. 5. ubi pro integritate Scripturæ, contra quam vulgo Pontificii alii solent, fuse & acriter disputat.

§. 10. Integra igitur sic Scriptura existente, nullique corruptioni obnoxia, indubitatum id est, Christum revera Dei filium appellari, neque id nominis à Christianis primum ei fuisse impositum, ut sycophanta ille impudenter objectare solet. Impia inde veteratoris illius vox est, & sacræ Scripturæ è diametro repugnans, سبحانه ان يكون له ولد *absit, ut ei filius sit!* Rationes illius, quamobrem Deo filius tribui nequeat, non sunt ejus momenti, ut aliud nobis persuadeant, quam quod Athanasius symbolo suo est professus ante Mohammedis exortum: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Quod enim Pseudopropheta causatur, ideo filium non esse Deo patri, quod hic uxore careat, quod inter patrem & filium dissidium mundo excidium pariat, id animi carnalis & crassi somnium est. Exuere illum oportet eos, qui de divina natura loqui volunt, quæ ut captum nostrum excedit, ita simpliciter fidem Scripturæ habendam exigit, quæ Patrem ita & filium unum esse testatur, ut tamen duas distinctasque personas esse, manifestum fiat, veluti fusius probant Theologi.

§. 11. Inde constat, qua ratione Christus Dei filius esse dicatur, nempe non metaphorice & improprie, sed quam propriissime. Quomodo illa priore ratione filii Dei appellentur, Philo Judæus, p. 267. col. 2. libro de confusione linguarum ostendit his verbis: οἱ δὲ ἐπιστήμῃ κεχρημένοι τοῦ ἑνὸς υἱοὶ θεοῦ προσαγορεύονται δεόντως καθὰ καὶ Μωυσῆς ὁμολογεῖ φάσκων, υἱοί ἐστε κυρίου τοῦ Θεοῦ. καὶ τὸν Θεὸν γεννήσαντά σε. καὶ οὐκ αὐτὸς οὗτός σου πατήρ; *Qui scientiam habent unius Dei filii appellantur merito, sicut & Moses fatetur, dicens: Filii estis Domini Dei* (Deut. 14: 1.) & (Deut. 30: 18.) *Deus qui te genuit.* Item (Deut. 32: 6.) *nonne hic est pater tuus.* Christus vero eatenus filius Dei est, quatenus ab æterno, modo imperscrutabili, à patre genitus est, ut ejusdem cum patre gloriæ sit atque majestatis, & hinc reverentia quoque eidem debeatur. Est *Dominus Davidis*, Psal. 110: 1. *Est Angelus assertor*, Gen. 48: 16. *in quo est nomen Jehovah*, Exod. 23: 20, 21. *Dominus, quem requirit Israël, angelus Testamenti, quo delectatur. Qui venturus erat ad templum suum*, Malach. 3: 1. Quæ sane ejusmodi prædicata sunt, ut, nudum hominem Christum non esse, ex iis liquido patescat, & firmiter comprobent, describi ejusmodi personam, quæ fuerit sub V. Test. à diebus seculi. Ad quem num Philo quoque collinearit, dum loco cit. pergit, alii judicent. Sic vero ille ibi: Κἂν μηδέπω μέντοι τυγχάνῃ τις ἀξιόχρεως ὢν υἱὸς Θεοῦ προσαγορεύεσθαι, σπουδαζέτω κοσμεῖσθαι κατὰ τὸν πρωτόγονον αὐτοῦ λόγον, τὸν ἄγγελον πρεσβύτατον, ὡς ἀρχάγγε-

ἀρχάγγελον πολυώνυμον ὑπάρχοντα. καὶ γὰρ ἀρχὴ καὶ ὄνομα Θεοῦ καὶ λόγος, καὶ ὁ κατ' εἰκόνα ἄνθρωπος καὶ ὁρῶν Ἰσραὴλ προσαγορεύεται. *Quod si nondum quisquam dignus sit, ut Dei filius appelletur: tu tamen da operam ut ornatus sis, sicut verbum ejus primogenitum, angelus antiquissimus, & quidem variarum appellationum. Archangelus: videlicet, principium, & nomen Dei verbumque dictus, & homo factus ad imaginem, & videns ille Israel.* Non de nihilo esse, videri queat, quod Philo verbi primogeniti meminit, angeli variarum appellationum, archangeli &c. Hunc vero increatum esse, principem illum magnum Michaëlem, Dan. 12:1. Apoc. 12:7. 19:11. Jud. vs. 5. principem exercitus Domini, Jos. 5:13. qui Jehovah appellatur, Jos. 6:1. qui eodem cultu prosequendus est, quo ipse Pater, id pro sua cæcitate videre haud potuit. Quid mirum igitur, si Judæi moderni cœcutiant, & tot locis sensum non animadvertant? Mohammedanorum vero Doctores à veritate plurimum ideo abludunt, quod itidem omnium bonarum artium rudes cœco obsequio suo doctori ita sunt addicti, ut nullam disputationem vel doctrinæ suæ discussionem ulteriorem ferre possint? Quo fit, ut in iis etiam impingant & hallucinentur, quæ tritissima sunt, & notoriæ alias veritatis. Ecquem latet, *Messiam* dici ab *unctione*, quæ in muneris ejus Prophetici, Regii & Sacerdotalis officii nuncupatione peracta est? At illi scribere non verentur: اصله مشيحا *Radix ejus est* משיח بالعبرانية ومعناه المبارك *in Ebræa lingua & notat benedictum.* Dulcissimum Salvatoris nostri nomen *Jesus*, sive, ut illi scribunt عيسي, quid significet, juxta sciunt cum ignarissimis. Quin dicunt, esse اسم اعجمي *nomen barbarum*, ideoque امتنع من الصرف *explicari non posse, quod barbarum sit.* Quin licet fateantur, sonare ايشوع بالسريانية *in lingua Syriaca Jeschua* fugit tamen eos, vel saltim nolunt scire, id nominis eum nactum esse, quod populum suum à peccatis esset liberaturus, Matth. 1:21. Quæ crassa ignorantia uti ex contemptu Scripturæ sacræ oritur, ita mirum haud est, eos tam periculosos errare errores, & ipsos fundamentales fidei articulos negare, quales sunt SS. Trinitas, Christi æterna ex patre generatio, qui aliunde innotescere nobis nequeunt, nisi ex limpidissimis sacræ Scripturæ fontibus. Valere igitur jussis Scripturæ lectoribus tam pravis, Deum opt. maximum ita veneramur, ut Patrem & Filium una cum Spiritu sancto adoremus, & nostram faciamus Confessionem S. Augustini, quæ ultimo ultimi libri de Trinitate capiti initium dedit. *Domine Deus noster, credimus in Te, Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Neque enim diceret veritas: ite & baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nisi Trinitas esset. Nec baptizari nos juberes, Domine Deus, in ejus nomine, qui non est Dominus Deus. Neque diceretur voce divina: Audi Israël, Dominus Deus tuus unus est. nisi Trinitas ita esses, ut unus Dominus Deus esses. Et si tu Deus Pater ipse esses, & filius verbum tuum Jesus Christus ipse esses, & donum vestrum Spiritus sanctus, non legeremus in literis veritatis, misit Deus filium suum. Nec tu, ô Unigenite, diceres de Spiritu sancto. Quem mittet Pater in nomine meo, & quem ego mittam vobis à Patre.*

M. JOH. HELV: WILLEMERI DISSERTATIO De osculo Filii ad Psal. II: 12.

נַשְּׁקוּ בַר

SECTIO PRIMA Παρασκευαστική.

ARGUMENTUM.

§. 1. Textus Authenticus & celebriores ejus versiones adducuntur. 2. Interpretes cujusque ætatis allegati laudantur. Imitatio eorum concessa ostenditur rationibus, potissimum Isocratis. 3. Verbi נשק *significatio gemina asseritur inductione omnium Scripturæ locorum. Osculum datur amoris, primum divini ex Cantic. 1:1. & 8:1. tum humani. Ubi* נשיקה של פרקים *osculum propinquorum, tam salutantium & reconciliatorum, quam* פירושוה *valedicentium & separatorum. Removetur osculum simulatorium, adulatorium pariter ac libidinosum. Subjungitur* נשיקה של גרולה *osculum honoris, privatim Parentibus, publice Magistratui simul & idolis fieri solitum, subjectionis & religiosæ adorationis signum: id quod hic retinendum. 4. Alio* נשק *sensu nonnunquam venit de omnigenis armis, hic profligandis. 5. Altera textus vox* בה *examinatur qua originem atque significationem. Origo asseritur Arabica, tergemina Ebræorum rejecta. Significatio Filii ostenditur ex usu Scripturæ Ebræo pariter ac Chaldaico, in compositis etiam nominibus: quorum plura ex Syriaca lingua adducuntur. Consentit Arabs atque Samaritanus. 6. Aliam* בַּר *à* בָּרַר *deductum, significationem habet, hic alienam, videlicet primum puritatis, tum frumenti, post agri sive foras. Quod adductis singulis Scripturæ locis ostenditur, & sigillatim locutionis foras egrediendi, apud Chaldæos atque Samaritanos recepta interpretatione concluditur.*

§. I.



Versabitur in præsenti opera nostra potissimum circa adstruenda DEI regiique Psaltis verba, osculum subjectionis & religiosæ adorationis, nec non amoris, Filio DEI debitum, complectentia: quæ cum in textu Authentico, tum celebrioribus ejusdem Versionibus ita habent: *Textus Ebr. authentic.* נַשְּׁקוּ־בַר *Targum Chaldaic.* קַבִּילוּ אוּלְפָנָא recipite doctrinam l. institutionem. *Syrus:* ܢܫܩܘ ܒܪܐ osculamini Filium. *Arabs:* التزموا الادب, adhærete *firmiter* disciplinæ. *Æthiops:* አጽንዑ፡ ለጥበብ፡ apprehendite disciplinam. *LXX. Interpp.* δράξασθε παιδείας, manu prehendite disciplinam. *Aquila:* καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς osculamini electe. *Symmachus:* προσκυνήσατε καθαρῶς adorate pure. *Augustinus, Vulgatus* nullum ex fontibus Ebræis, sed omnes & singulos Psalmos ex Græca LXX. Interpp. versione reddens, eumque necessitate quadam secutus, *Bellarminus, Lorinus* & quos hic longo ordine recenset alios, authenticam Vulgatæ Latinæ propugnantes, convertunt: apprehendite disciplinam. *Hieronymus*: adorate pure; alias quoque: adorate Filium. *Cyprianus*: continete disciplinam. *Galatinus*: oscula-

osculamini electum, aut fasciculum spicarum; melius *filium*. *Pagninus* & *Arias Montanus*: *Vatablus* sive potius *Pellicanus* & *Leo Juda*: *Junius* & *Tremellius*: aliique innumeri: osculamini Filium. *Seb. Castalio*: osculamini natum. *Genevenses*: Baisez le Fils i. e. osculamini Filium. *Ferrarienses* Judæi: Besad hyo. *Lutherus*: anno 1524. huldet dem Sohn: postea küsset den Sohn/ addunt *Vinarienses*: gebt ihm gleiche Ehre mit dem Vater Joh. 5:23. erkennet Ihn für euren einigen HERRN und Heyland/ liebet Ihn inbrünstig. *Dietenberg anno* 1534. züchtiget euch/ in marg. küsset den Sohn. *Norimbergensia* anno 1483. & *Argentoratense* Psalt. anno 1506. Begreyfft die Zucht. *Judæi* anno 1562. wafent euch mit der Reinigkeit: *Lekach tof*: seid gewarnet im reinen Hertz.

§. II. Multa cum laude ingenii, nec minori acrimonia judicii in cognoscendis, dextre interpretandis atque feliciter asserendis hisce DEI verbis diu multumque versati sunt ex antiquitate plurimi: quos inter præcipuos nominamus B. Cæcilium *Cyprianum*, Christi Martyrem, lib. I. Epist. 62. pag. 169. edit. Paris. *Hieronymum* Apol. contra Ruffin. Tom. II. p. 202. *Augustinum* Tom. VII. contra Lit. Petil. l. 2. c. 92. col. 149. a. T. IX. de bono disciplinæ c. 5. col. 954. d. de Speculo peccatoris c. 6. col. 1015. a. *Clementem Alexandr.* admonit. ad Gentes pag. 52. edit. Paris. Eandem laudis honestissimæ possessionem jure meritoque occupat recentiorum industria, majori nisu in indagando verborum DEI sensu genuino recte feliciterque posita: quæ ex divino prorsus beneficio, subtili mentis acumine, intimos profundi sermonis recessus felicissime penetravit, & ubertate dicendi satis apertos copiose demonstravit ac comprobavit singulis. Videri eo merentur *B. Lutherus* Tom. I. Altenb. f. 158. a. T. II. f. 548. a. T. V. f. 416. b. 1152. a. 1174. *Chemnitius* de duabus nat. c. 24. p. 134. *Dorscheus* Pentad. Disp. II. §. 53. p. 102. *Höe* ad Psal. II. conc. 7. *Gerhardus* de Magistratu polit. membr. 1. §. 166. *Calovius* T. I. Bibl. Illustr. f. 941. seqq. *Glassius* Phil. S. L. II. pag. 273. seq. 370. L. V. p. 69. 126. *Geierus* T. I. in Ps. p. 42. *Jac. Martini* Lib. III. de trib. Eloh. c. 112. p. 735. Venerandus Academiæ nostræ Senior *Sennertus* Disp. in Psalmos Davidicos anno 1674. *Ziegra* Disp. in Ps. II. anno 1651. habita, *Fesselius* Advers. S. L. III. c. 7. integro p. 288. *Hackspan.* Not. Phil. Part. II. pag. 12. seqq. Frischmuth reverentia Messiæ disp. anno 1676. habita. Herrenschmid Osculologia num. 14. p. 49. *Mullerus* de osculo Sancto p. 46. seq. *Flacius* Clav. Script. P. II. p. 582. edit. Jen. *Schnepfius* Comment. in Psal. p. 9. b. *Arndt* in Psalm. 2. conc. 3. p. 20. a. Addantur his ex Pontificiis *Bellarminus* Tom. I. l. 2. de V. D. c. 13. §. 2. p. 106. & lib. 1. de Christo cap. 5. §. 2. p. 248. *Gretserus* defens. l. 2. c. 2. *Estius* in V. T. p. 386. *Galatinus* de A. C. V. p. 122. edit. Hanov. inprimis *Lorinus* Commen. in Psal. Tom. I. p. 49. b. seqq. E Reformatis *Calvinus* Comment. in Psalm. p. 8. *Rivetus* Oper. t. I. in Genes. p. 606. a. t. II. in Ps. p. 28. b. *Pareus* P. II. Oper. Theol. Exeg. p. 61. b. *Piscator* in V. T. t. III. Op. p. 13. b. *Drusius* Difficil. Loc. Gen. c. 118. & in 1 Sam. 10. pag. 499. *Coccejus* in considerat. Judaic. responsf. & quæst. §. 180. p. 87. in ultimis Mosis p. 211. 274. *Hottingerus* Thes. Phil. l. 1. c. 2. q. 4. p. 143. *Buxtorfius* Anticrit. P. II. c. 8. p. 673. *Amama* Antibarb. Bibl. l. 3. p. 445. edit. Franeq. & vel maxime *Chamier* Panstrat. Cath. T. I. lib. 13. c. 9. n. 2. p. 233. a. lib. 15. c. 3. n. 20. p. 264. b. aliique quos longo numero referre nostrum institutum non permittit. Ἐπειδὴ δ' οἱ λόγοι τοιαύτην ἔχουσι τὴν φύσιν, ὥσθ' οἷόν τ' εἶναι περὶ τῶν αὐτῶν πολλαχῶς ἐξηγήσασθαι, καὶ τά τε μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι, καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος περιθεῖναι, καὶ τὰ παλαιὰ καινῶς διεξελθεῖν, καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν· οὐκ ἔτι φευκτέον ταῦτ' ἐστὶ, περὶ ὧν ἕτεροι πρότερον εἰρήκασιν, ἀλλ' ἄμεινον ἐκείνων εἰπεῖν πειρατέον. αἱ μὲν γὰρ πράξεις αἱ προγεγενημέναι, κοιναὶ πᾶσιν ἡμῖν κατελείφθησαν. τὸ δ' ἐν καιρῷ ταύταις καταχρήσασθαι, καὶ τὰ προσήκοντα περὶ ἑκάστης ἐνθυμηθῆναι, καὶ τοῖς ὀνόμασιν εὖ διαθέσθαι, τῶν εὖ φρονούντων ἴδιόν ἐστιν. Ista non una Summorum quondam Rhetorum Magistri ac eloquentiæ Patris, Isocratis, *Panegyr. ab init.* ratio in eam facile mentem nos impulit, ut ne tantorum Virorum vestigia, præclare nobis relicta, à bono animi proposito deterrerent; quin potius magis magisque incitarent, juvarent, atque propositum iter ea ratione instruerent ac probe communirent: ut sic demum integrum nobis sit, ingressum istud faciliori negotio, celeriori pariter ac feliciori pede conficere. Quod ut divina nobis gratia concedat clementissime! oramus rogamusque supplices: cujus solius cum voluntate acquiescentes, tum promissione læti, sublimia isthæc miramur mysteria, atque divina meditamur oracula.

§. III. Prima de נשק cogitandi ratio est. Accuratiorem enim hujus curam, ad nos maxime pertinentem, ubi ex dignitate habuerimus, reliquum controversiæ momentum in expedito erit decidere. Multis igitur, nec dubiis indiciis cognitum perspectumque habemus, geminum esse in universum verbi נשק in Scripturis divinioribus sensum & usum: unum osculandi frequentiorem, alterum de armis rariorem. Quod eleganter post Rivetum ostendit *D. Geier T. I. in Ps. p.* 1579. Verbum נשק generatim est alteri *occurrere*, vel amoris causa, atque sic est *osculari*; vel ex ira, atque sic est *tractare arma*. Confirmat idem inductione singulorum Scripturæ locorum, suoque testatur assensu R. Nathan in Concord. Ebr. נשק בשין שני פנים: א׳ כל לשון נשיקה ב׳ מה שפירושו כלי זין Hoc sensu: נשק *cum* ש *schin duo habet significata. 1. osculandi. 2. armorum & instrumentorum bellicorum.* In nostro loco asseremus sect. 2. §. 1. seqq. prius osculorum significatum; Rabbini quidam posterius de armis enixissime tuendum susceperunt. Id quod suis infra rationibus à nobis profligandum sect. 3. §. penult. Pontificii quidam Scriptores tertiam apprehendendi vel amplectendi significationem verbi נשק in nostro potissimum loco prætendunt, in patrocinium malæ in Vulgata Versione sua causæ; in qua opinione refellenda suo infra loco nostras vires experiemur. Nunc juvat scribendo persequi genuinum Scripturæ usum vocis נשק, (unde melius per ὕστερον πρότερον Germanorum küssen/ quam Latinorum osculor deducitur) ac primum quidem de osculis, inde quoque de armis, ea voce notatis, breviter pro instituti ratione dicere. Videtur v. omne in universum osculum amoris esse vel honoris, divini pariter atque humani, hujusque liciti vel illiciti. *Amoris*, & quidem *divini*, *osculum* notat נשק Cantic. 1:1. ipsummet S. Spiritum, oris Christi, qui idem ἁγίῳ φιλήματι in fidelibus autor Rom. 16:16. Galat. 5:22. Talis divini amoris osculum, Christo sponso figendum, fidelis quæque anima, amore Christi languida, expetit Cantic. 8:1. Amorem quoque mutuum, benevolentiam atque humanitatem testabantur olim *homines*, prodito jucundissimo isto amicitiæ favorisque signo, osculo, Prov. 24:26. Sic *salutantes* olim congressi amoris osculum figebant, Jacob & Rachel Genes. 29:11. & Laban vs. 13. & Esau reconciliatus c. 33.4. Joseph & fratres c. 45. 15. Jacob & nepotes c. 48. 10. Moses & Aaron Exod. 4:27. & socer c. 18. 7. David & Absalom reconciliati 2 Sam. 14:33. Quod fictione personarum ad justitiam & pacem translatum elegantissime est Ps. 85:11. nec non ad animalia Ezechieli visa, mutuis veluti amplexibus hærentia, sese contingentia, complectentia &, metaphorice loquendo, osculantia Ezech. 3:13. vel osculis, juxta generale verbi נשק significatum, sibi mutuo occurrentia. Cum autem inter sanguinis propinquitate junctos id osculi genus maxime & quidem publice vigeret, dictum inde Ebræis נשיקה של פרקים *osculum propinquorum*, s. compitorum recensente Drusio in Ex. 12. p. 170. Alterum genus dicebatur נשיקה של פירושות *osculum separationis* seu valedictorium: quum digressuri ab invicem amici *valedicere* etiam interposito osculo solerent. Observatum id legimus à Labane, filiabus & nepotibus Gen. 31:28, 55. à Naëmi atque Arpa Ruth. 1:9, 14. à Jonathane Davidi 1 Sam. 20:41. à Davide Barsillai 2 Sam. 19:39. ab Elisa Parentibus 1 Reg. 19:20. istud mutui amoris signum imprimentibus. Quod more institutoque Majorum recte ac prudenter observatum, atque divinæ legi conforme fuit; quin hodieque in aliquot regnis receptum, inprimis apud Anglos; de quo testatur *Castellus Lex. heptagl. col.* 2429. Sed *illicita* prorsus ratione *simulabat* tantum amoris osculum Joab, salutans Amasam 2 Sam. 20:9. Nec animi sensa exprimebat Absalom, hoc *adulandi* genere Israëlitarum animos sibi concilians 2 Sam. 15:5, 6. Quale inter tot malevolorum insidias crebrum satis, exorandum, s. seriis ad DEUM precibus à piis, ut avertatur, contendendum Prov. 27:6. Eadem ratione profligari meretur illud spurcissimi amoris signum, impudicum nempe osculum *libidinosæ meretricis*: quæ perfricta fronte omnem simul prodit perditque pudicitiam Prov. 7. 13. Quod ipsum cum insigni turpitudine conjunctum, & vel hoc nomine magnopere improbandum, quod obfirmasse vultum, omnemve reliquisse pudorem dicatur libidinosa, nequaquam eo ritu, Orientalibus ceteroquin recepto, sive salutans amicos, sive honorans digniores obviam sibi factos. Quandoquidem & *honoris osculum* apud eas in Oriente Gentes usu satis frequentatum fuisse ex S. Literis constet. Peculiare inde nomen tulit, diciturque osculum *dignitatis*, magnitudinis s. magnificentiæ נשיקה של גדולה ut habet R. Dav. Kimchi ad 1 Sam. 10:1. Fuitque is exhibendi honorem ritus in omni vitæ genere receptus: ideoque privatus

privatus vel publicus. *Privatim* debitum *Parentibus* honorem ita testati sunt liberi: Isaaco Jacob Gen. 27: 26, 27. Jacobo, etiam defuncto, Joseph c. 50. 1. *Publice* hoc osculandi genere colebant subditi, cum civili ratione *Magistratum*, inferiorem & superiorem recens electum, tum sacro instituto ipsa *Deorum simulacra.* Sic cum summa rei administratio concessa Josepho esset, *subjectionis*, quod vocant, *osculum* eidem ab Ægyptiis præstandum legimus Gen. 41: 40. Neque diversum testabatur doctrinæ ac vitæ integritate celeberrimus Samuel, recens designato Regi, Sauli, honoris osculum figens, & sic velut nomine populi universi homagium præstans 1 Sam. 10: 1. De *idolorum* denique cultu, hoc osculandi ritu etiam peracto, satis constat ex 1 Reg. 19: 18. Jobi 31: 26. 27. Hos. 13: 2. Hinc *osculari* per metonymiam, quam vocant, adjuncti atque signi *idem* est *ac* obedire, humiliter se subjicere & *colere* in genere; indeque vicissim sigillatim *adorare.* Quo posteriori sensu in nostro textu occurrit, ac designat proprie & primario osculum honoris atque subjectionis publicæ: inde etiam cultum vere divinum & religiosam adorationem, Christo vs. 2. omnium Gentium Regi vs. 8. in Zione constituto vs. 6. vero, essentiali ac æterno DEI Filio vs. 7. atque Jehovæ vs. 11. summo jure omnique ratione debitam. Eaque sunt singula Scripturæ S. loca, in quibus osculum verbo נשק significatur.

§. IV. Transfertur ab hac primaria osculandi significatione ad concursum militum, qui ira accensi arma corripiunt in hostem vibranda. Ac ut arcto invicem amplexu osculantes sæpe hærent: sic milites vel quicunque arcum tendentes sagittarii oculos, os totumque vultum arcui solicite admovent, quo propositam sibi metam felicius assequantur. Hinc sagittarii arcum velut osculaturi à verbo נָשַׁק dicuntur נשקי קשת occurrentes s. armati arcu, amplexum tractantes arcum 1 Paral. 12: 2. 2 Paral. 17: 17. Psal. 78: 9. Deductum inde nomen נֶשֶׁק arma quæcunque sive instrumenta bellica notat, tam defensoria sive ἀμυντήρια, quam offensoria sive φυλακτήρια: sive sint ferrea Job. 20: 24. sive ærea, aut cujuscunque demum metalli aut ordinis: quorum species quædam recensentur Ezech. 39: 19. Sic haud dubie utriusque generis arma Salomoni undique allata 1 Reg. 10: 25. 2 Paral. 9: 24. & in armentario Regis Juda reperta Jes. 22: 8. (quod ipsum eo nomine venit Neh. 3: 19.) quibus miles indui solitus Job. 39: 24. 2 Reg. 10: 2. quacunque belli tempestate Ps. 140: 8. Atque non nisi in his Scripturæ locis נשק armorum sensum habet: ubi nullum usquam verbum, sed mera tantum nomina, & trina vice participia occurrunt.

§. V. Vox altera בַּר quæ in ambiguo est, nunc justa ratione expendenda. Ejus originem, ut ab ovo ad poma progrediamur, repetimus ex Arabicæ linguæ ubertate amplissima: quæ cum in sexcentis aliis, tum in hoc ipso themate asservando fidem usumque suum probat eruditis. Prostat ibidem radix برّ sensu benefaciendi, & sigillatim liberis, gerendi sese pium atque morigerum erga DEUM & Parentes, nec non recte feliciterque procedendi: adeoque & pietatem & justitiam exercendi, juxta Erpenium. Complectitur adeo elegantissime mutua Parentum atque liberorum officia & virtutes, monetque parentes largæ in liberos liberalitatis, liberos obsequii, parentibus promptissime secundum div. voluntatem exhibendi, utrosque mutuæ ac manifestæ benevolentiæ, si res familiaris ex animi sententia procedere debeat. Inde qui Arabibus برّ pius in parentes, Syris ܒܪܐ, Samaritanis, frequentissime Chaldæis &, voce in divinissimo Codice quater repetita, Ebræis בַּר sive filius dicitur. Consentiunt in hanc vocis originem Arabicam Golius Lex. Arab. Erpenius, Castellus Lex. Heptagl. col. 422. Nicolai hodoget orient. p. 123. Non desunt equidem, qui voci nostræ בר ex S. Codice radicem assignent Ebræam: sed triplici vicissim ratione variant. Præferunt multi radicem בָּרַר *purgavit, expurgavit: ut filius DEI dicatur* בַּר *eo quod à peccatoribus segregatus est.* Ἀναμαρτησία Christi certissima Ebr. 7: 26. sed non est ratio denominandi Christum בר in quantum ea vox filium denotat. Quum ea significationis ratio voci בַּר nec in genere, omni ratione & loco, nec sigillatim filio DEI qua tali competat. Sic hominibus, peccatoribus & ipsimet Anti-Christo nomen בר tribuitur; non tamen illa puritas & omnimoda à peccatoribus segregatio. Filius DEI בר dicitur propter essentialem & æternam à Patre generationem, non vitæ, etiam in his terris peractæ, sanctimoniam. Nomen בן & בר paria faciunt, inferuntque veram Filii DEI generationem, ab æterno factam, citra ullam temporis differentiam: quæ in peccatoribus, & Christi ab hisce separatione conspicitur. Hinc malunt alii originem vocis בר deducere à בָּרָה *elegit, selegit: ut Christus* בר *dicatur quasi filius delectus & dilectus: quo referunt Jes.* 42: 1. *Matth.* 12: 18. Sed solida magis & certa est adjecta ratio, quam genuina isthæc vocis בר origo & interpretatio. Sic optima h. l. foret Aquilæ conversio; quæ tamen eruditorum consensu longius à fontibus recedit, ἐκλεκτῶς legamus sive ἐκλεκτόν. Accedit, quod ברה post primarium comedendi, non tam diligendi quam seligendi sensum obtineat. Parentes vero dilectum quidem filium suum; non tamen spontaneo animi motu electum selectumve dicere ac habere possint: cum id sit donum liberrimo DEI nutu gratis concessum Psal. 127: 3. Repugnant igitur alteri huic origini communis filiorum natura ac artis grammaticæ præceptiones: quæ non admittunt talem nominis formam, à verbis ל״ה deductam, ubi abjecto ה in monosyllabo patach purum sit, ac propter vocis incrementum in scheva mutabile. Eademque ratio profligat facile *Cl. Ravii* sententiam, qui vocis בר radicem constituit בָּרָא *Fontis Sionæi col.* 314. atque sic א non tantum abjici, sed & vocalem puram parvamque sub monosyllabo relinqui posse, contra inductionem omnium ex ל״א nominum, nuperrime & solus fere statuit. Ut taceamus, quod filius proprie dicatur genitus, neutiquam creatus: nec amplissimum creaturæ nomen ceu proprium aut ἐξοχικῶς filio cuicunque vindicandum. Multo minus æternus DEI Filius à Davide atque Salomone eo creandi sensu בר dicitur. Quapropter præstat originem servare Arabicam: quæ consonas, puncta atque sensum, adeoque formam externam & internam, habet conformem *significationi* vocis בר in S. Codice genuinæ: in quam nunc inquirendum. Vi etymi בר notat insigni à Parentibus beneficio affectum, iisdemque post DEUM morigerum, & sic uno verbo filium. Æternus DEI Filius per veram generationem à Patre essentiam, in & cum hac axiomata eminentissima planeque divina accepit: promtissimam insuper Patri obedientiam præstitit Psal. 40: 8: 9. Phil. 2: 8. hinc merito suo בר dicitur Davidi Ps. 2: 12. ejusque ὁμοψήφῳ prorsus ac eodem spiritu acto, filio, Salomoni, una hac voce in eadem orationis serie ter repetita Prov. 31: 2. Eundem retinet sensum hæc vox in compositis etiam Ebræis nominibus, utpote בַּרְקוֹס filius excisionis Esr. 2: 53. à בר & קָסַס excidere. Alii reddunt: standhaffter Sohn/ à קוּם legentes בַּרְקוֹם permutato ס & ם quod in charactere quadrato facillime solet evenire. Prior tamen lectio correctiorum Codd. constans est atque optima. Huc nonnulli referunt 2 Sam. 23: 31. vocem בַּרְחֻמִי Barhumites, filius caloris, à בר & חוּם, aliis tamen magis placet à בָּרַח & חום deducere, quasi viatorem calidum dicas. Verum prior ratio deducendi facilior, & denominandi commodior. Chaldæi eandem filii significationem huic voci בר omnium frequentissime tribuunt, & in Codice Biblico comprobant Dan. 3: 25. c. 5. 22. c. 6. 1. c. 7. 13. Esræ 5: 1. 2. c. 6. 14. Iidem in singulari numero loco בֵּן usurpant; neque בר in plurali unquam, sed בְּנִין à בֵּן adhibent: adeoque sensu atque numero בן & בר velut idem significantia permutant. Ut quidam haud absque ratione asserant, בר esse à בן per concessam & alias facile obviam literarum ejusdem organi דשלרנת διὰ μεταβολήν. Consentiunt Chaldæis Syri, & ad luxuriem usque ἀνὰ καὶ μὴ συμπλοκῆς vocem ܒܪ בַּר in significatione filii, perinde ut Ebræi בן adhibent. In vulgus nota sunt orta inde nomina, potissimum propria: Βὰρ Ἰωνᾶ בַּר־יוֹנָה ܒܪ ܝܘܢܐ Matt. 16: 17. Quod à יוֹנָה columba *D. Hieronymus* deducit, eo quod Petrus fidem, quam communi cæterorum nomine profitebatur, orthodoxam ex revelatione Spiritus S. Columbina specie in baptismo CHRISTI Matth. 3: 16. facta consecutus: indeque vivum membrum Ecclesiæ veræ, columbæ assimilatæ Cantic. 2: 14. c. 5. 2. c. 6. 9. variis afflictionibus & oppressionibus expositum fuerit: cæterisque præluxerit simplici vitæ mansuetudine, mansuetaque sine bile simplicitate. *B. Gerhardus tamen Harm. Evang. cap.* 215. *pag.* 2213. *a. & Althofer. Harm. Evang. emed. pag.* 843. alteram præferunt originem, qua Ἰωνᾶ contractum statuitur pro Ἰωαννᾶ more apud Syros atque Græcos receptissimo, de quo *Drusius prætereitor. lib.* 1. *p.* 37. Quin & aliquot Codd. Βὰρ Ἰωαννᾶ expressum habent. Atque ita ab Ebræo nomine יוחנן *gratiosus* deducunt, quod nomen Petri pater forte gesserit. Id *Nonnus* Paraphrastes D. Johannis elegantissimus atque inter Græcos Christianorum Poëtas fere præcipuus, asserit his verbis: Πατρὸς Ἰωάννao θεουδέος, ἔκγονε Σίμων i. e. Patris Johannis pii, filii Simon. Cum quo Vulgatus & alii longe plurimi ex asse consentiunt. Quod controversiæ momentum ad nos nunc non adeo spectat, significationem vocis בר, utrobique retentam, attendentes. Βαρνάβας בַּר־נְבָא ܒܪ ܢܒܐ בַּר־נַבָּא Act. 4: 36. ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, υἱὸς

υἱὸς παρακλήσεως, à נָבָא vaticinando consolatus atque adhortatus est: Βαραββᾶς בַּר־אַבָּא ܒܪ ܐܒܐ Matth. 27: 16. quod idem ac filius patris, scil. indulgentis prodigus aut degener ein Vater-Söhnlein / discinctus nepos & patrimonii profusor, in omnia inde scelera projectus: ut ita radicem אָבָה constituamus potius, quam אַבָּא & רבב רַבָּא quasi Magistri vel Rabbi filius is esset dictus; aut etiam à רָעַב denominatus à fame, quæ ad designanda tanta flagitia eum impulerit. Βαρθολομαῖος בַּר־תַּלְמַי ܒܪ ܬܘܠܡܝ Matth. 10: 3. filius Tholmai: quam vocem sive ad תַּלְמַי nobilitatum in Scripturis Numer. 13: 22. Judic. 1: 10. 2. Sam. 13: 37. gigantem, cum *Schindlero Lex. πενταγλ. col. 1973. d.* sive potius ad Πτολεμαῖος, frequentatum inter Græcos ac in Ægypto nomen, cum *B. Chemnitio Harm. euang. c. 50. p. 406. b.* referamus licet. Nec enim facile obtinebit Hieronymi ratio, qua תַּלְמַי deducit à תָּלָה atque מַיִם quasi Bartholomæum dicas filium ejus, qui elevat sive haurit aquas: quod servorum erat vilissimorum Jos. 9: 21. 23. minime nobilium & vel regia stirpe ortorum. Qualem fuisse Apostolum Bartholomæum, ex Hieronymi Apocryphis à quibusdam, non sine fabulæ suspicione, deducitur. Qua nec altera translatio caret eorum, qui convertunt *extractus ex aqua* à משה: quod Bartholomæus infans in profundum quendam puteum delapsus sit; sed providi DEI cura aquæ fontis ita creverint, ut marginem putei superiorem attingentes, Bartholomæum in vicinam terram projecerint salvum & incolumem. Eandem à בַּר originem servat Βαρσαβᾶς בַּר־שַׁבָּא ܒܪ ܫܒܐ Act. 1: 23. filius conversionis: Βαρτίμαιος etiam, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, υἱὸς Τιμαίου ܒܪ ܛܝܡܝ Marci 10: 46. Huc spectat Βαριησοῦς Actor. 13: 6. quod Syrus convertit ܒܪ ܫܘܡܐ filius *nominis*. Ubi שׁוּמָא κατ' ἐξοχὴν &, usitatam Scripturæ, Synecdochen ponitur pro nomine Jesu: non sane, quod ab hujus pronuntiatione abstinendum; neque quod locutio ista virum notet celebrem, utpote qui magnam sibi ex magicis artibus famam acquisiverit. Sic enim ܫܘܡܐ in genere denotaret excellentem nominis famam, ut in illis אַנְשֵׁי הַשֵּׁם Genes. cap. 6: 4. quam alii ipsi forte concesserint, aut ipse falso sibi arrogarit, sicque בַּר־שׁוּמָא filius *tumoris* (turgidus, superbus, conf. Levit. 13: 2. 1. Pett. 2: 24.) potius dici meruerit. Videtur vero Magus ille nomen Jesu à Salvatore optimo in majorem pessimæ cæteroquin rei suæ fidem assumsisse: quod olim multis, hodieque pluribus, etiam seductoribus, in more positum; vel à patre aliisve traxisse nomen inter Judæos, tum quidem, pervulgatum. Nobis sufficit, inde cognovisse verum vocis בַּר apud Chaldæo-Syros usum: quem & Samaritanus observat, atque בר pro בֵּן ut & ברתה pro בַּת frequenter adhibet. Qualem Arabs hic consensum testetur voce بـسر jam modo dictum supra. Licet isti atque Persæ in frequentiori usu sit vox ابن à بنا ædificavit. Atque sic vocis hujus origo genuina, monstratus in Scriptura usus, jucundissima potiorum aliquot Orientalium linguarum harmonia, doctissimorumque in his virorum sententia, facile propriam hujus vocis acceptionem monstrant. Quam legitimam confirmandi rationem ostendit fere *Hackspan. Lib. 1. Miscell. c. 1. p. 17.*

§. VI. Nec tamen בר filium semper denotat; quin potius tria insuper significata à בָּרַר deducta, in Scriptura S. & apud Orientales obtinet. Quæ paucis cognoscemus: ne imponat nobis errorum genitrix, æquivocatio. Et primum quidem adhibetur de *puritate*: quæ quia in frumento omnis generis selectissimo vel maxime conspicitur, hac voce *frumentum* etiam denotatur; idipsum vero, quia in agris crescit ac colligitur, concedit voci בר significationem tertiam *extra*, foras, in agris: habetque adeo præter Filii, etiam פירוש נקיות תבואה וחוץ significationem puri, proventus atque foras. Quod primam concernit significationem נקיות *puritatis*, gemina rei cum exterior, tum maxime interior ea voce designari consuevit. Quemadmodum dilecta Christi sponsa verbo & opere, sono pariter ac sensu בָּרָה pura Cantic. 6: 9. solis instar vers. 10. imo purissima vers. 1. ac pulcherrima Psal. 45: 14. sic & præceptum Domini ברה Psal. 19: 9. purissimum, lucidissimum, sordibus quibuscunque destitutum, à quisquiliis humanæ mentis ac fraudis remotissimum, & vel ut generosissimum vinum defecatum. Nec in se tantum purum est, sed mundos etiam reddit pios in aliorum etiam conspectu Jobi 11: 4. ut sordes, naturali post lapsum conditione adhærentes, sanguine Christi ablutæ, tectæ, abolitæ non compareant, sed fideles sint corde mundi, à dominantibus pravis machinationibus alieni, vacui, puri Psal. 24: 4. Psal. 73: 1. cum fides corda καθαρίζη pura reddat Act. 15: 9. Idem בר una tantum vice Prov. 14: 4. notat exteriorem præsepis munditiem atque carentiam quarumcunque sordium, quæ à boum agrorumque cura provenire solent. Sæpius vero occurrit altera significatione תבואה *proventus* ex agris purissimi, & purissimum atque selectissimum quodcunque frumentum denotat, quocunque id speciali veniat nomine tritici, hordei, adoris aut frumenti. Ita rectissime B. Lutherus sæpissime Korn / Getraide / aliquando Jerem. 23: 28. Weitzen reddidit, cui opponitur תֶּבֶן stramen vel potius palea Stroh und Spreu. Æquipollet eodem latiori sensu Ebræo בר Latinum far, quod & hinc deductum censent. Nam & far omnia frumenti genera complectitur, diciturque far adoreum, triticeum aut hordeaceum. Eadem notat בר & quodcunque frumentum lautius, ex quo cibus paratur hominibus, quod expurgatum purumque est à paleis. Posterior ratio radicem ברר arguit, prior ברה: quæ hic nec *D. Avenario Diction. Ebr. p. 99.* nec *D. Geiero in Prov. p. 572.* displicet. Ita adhibetur בר in genere de quocunque Ægypti, frugum alioquin feracissimæ, frumento, Josephi consilio Genes. 41: 35. propter ingruentem famem collecto vs. 49. fratribus divendito cap. 42: vs. 3. 25. atque Parenti vice muneris transmisso c. 45: 23. sive in profundis surgat vallibus Ps. 65: 14. sive in altissimo montis vertice crescat Psalm. 72: 16. quo, domum deducto, areæ abundant Joel. 2: 24. quodque avari frequenter male recondunt Prov. 11: 26. Amos. 5: 11. c. 8: 5. 6. sed & bruta, puta cervorum, devorant, agros infestantia Jobi 39: 7. (al. 4.) ubi recte Lutherus im Getraide; quanquam hic diversum placuerit Buxtorfio aliisque significatum *foris*, *in agris* לשון חוץ. Quo sensu apud Chaldæos, Syros atque Samaritanos frequentissime occurrit. *Quod nemini probabimus, qui literas hasce ignorat; nemo negaverit, qui easdem etiam non luculenter callet*, ut recte *Hackspan l. 1. Miscell. c. 1. p. 19.* Hinc נָפְקַת בָּרָא *egrediens* foras, *extra* sigillatim ea sequioris sexus dicitur, quæ neglectæ pudicitiæ fama laborat, sæpius petit viros quam petitur, ac vaga libidine æstuans discursitare semper, atque extra gynæceum, ædes suas, ipsamque urbem frequenter vagari solet. Perinde ut Dina male feriata Genes. 34: 1. egressa dicitur, ac relictis patriis ædibus, neglecta illa pietatis schola, castitatis palæstra, veraque Dei Ecclesia, virginale decus exspatiando amisisse: indeque sortita nomen זונה vs. 31. quod Targum אונקלוס pariter atque ירושלמי reddit נפקת ברא foras prodiens. Nimirum quæ הומיה היא וסוררת בביתה לא־ישכנו רגליה interprete Salomone Prov. 7: 11. Quod penetranti voce expressit Jonathan, vocando פְּרִידְתָּא quod ubi retuleris ad animum, notat separantem sese ac rebellem; ubi ad corpus, vagabundam denotat atque meretricem. Alibi adhibet vocem טְעִיתָא Jes. 1: vs. 21. Onkelos מַטְעֵיָא Levit. 21: 7. à טְעָא quasi meretricem errantem, errabundam & in errores inducentem dicas verissime Prov. 7: 22. 23. 25. 26. 27. Sed & ipse קָדֵשׁ cinædus Deut. 23: vers. 17. in Targum Hierosol. dicitur נָפֵק בַּר egrediens foras, sive nefandum libidinis genus committens. Sic eadem vox apud Samaritanos adhibetur, quibus pariter מתבראה foras egrediens dicitur impudica *Hottinger. Not. Samar. p. 11.* Accedunt diserte Græci, Latini fere ac Germani. Ecclesiasticus c. 26: vers. 9. diversa mulieris malæ vitia recensens profitetur, quod sit μέθυσος vinosa καὶ ῥεμβὰς: quod aliqui reddunt, mente aliena, sed melius vaga convertitur, quæ corpore ac animo est vagabundo, nihil minus quam κατάκλειστος. Talem γυναῖκα περίδρομον circumcursitatricem vocat Theognis, in sententiis Græcorum acutissimus. Catillans ejusmodi Latinis dicitur, quod catellorum more aliorum ædes perreptet: Germani antiquo vocabulo, hodienum apud Curonos recepto, ein Tschaule vocasse perhibentur. Quæ si non ad omnium palatum, cogitemus, *Sacræ Philologiæ addictos non esse placentas, ut omnibus placere queant; nec vero esse debere, cum nec omnes ipsis placeant, ipsique in suo foro sint judices*: ut Magnus quondam *Drusius* alicubi est jocatus.

SECTIO ALTERA Κατασκευαστική.

ARGUMENTUM.

§. 1. *Sensus verborum* נשקו־בר *genuinus paraphrasi prolixiori velut in thesi traditur.* 2. *Verbi* נשק *significatio osculandi non una ratione asseritur, armandi aliquot argumentis profligatur: ex loco Gen. 41: 40. vindicato, osculum subjectionis colligitur.* 3. *Ejus objectum hic sistitur æternus DEI Filius religiose colendus.* 4. *Quod ex textus serie ac collatione locorum parallelorum monstratur.*

5. Scripturæ S. testimoniis pluribus roboratur, atque diversis Veteris Novique Fœderis exemplis declaratur. 6. Doctorum, inprimis recentiorum, auctoritate conficitur, & post R. Nathanem, ipsius R. Aben Esræ ac R. David. Kimchi placitis concluditur.

§. I. QUæ pro genuina origine ac significatione vocum hactenus adducta pluribus sunt, majorem conciliant fidem, atque robur addunt firmissimum sententiæ, quam nunc σὺν Θεῷ defendendam suscipimus, orthodoxæ, quæ sequentibus continetur verbis: *Omnes terræ Reges & Magistratus, quotquot denique superiorem in cœlis DEUM, Regem vestrum, agnoscitis, humillimo ac obsequioso plane cultu Regi in Zion recens constituto vos subjicite, sceptra demittite, thronum locumque concedite, fidem & obsequium jurejurando addicite, homagii signum, osculum Magnificentiæ Regis & subjectionis vestræ adjicite, lubenti animo patulisque auribus verba legesque ejus admittite, audite, obedite, & vera cordis fiducia, in eo solo posita, constanter ac fideliter eidem adhærete, amoris osculum figite, infinita æternaque bona & quæ pacis salutisque nomine venire solent, ab eo unice expectate, petite, desiderate, efflagitate, & vere religiosa prorsusque divina adoratione colite verum hunc, naturalem, æternum, & ejusdem cum DEO Patre essentiæ Filium, DEUM super omnia in secula benedictum.*

§. II. Osculum igitur, idque humillimæ subjectionis ac religiosæ adorationis hic verbo mandati נשקו nobis severissime injungi natura verbi evincit, objectum confirmat, textus series docet, collatio Scripturarum monet, atque cum recte sentientium fideliumque cœtu testantur viri Ebraice doctissimi, Christi JESU hostes professi pariter atque Ejus nomen sanctissime profitentes. Verbi נשק natura, sensus & usus Scripturæ superius p. 6. demonstratus, sequens firmissimum sententiæ orthodoxæ fundamentum substernit: Quicunque Scripturæ S. locus verbum נשק cum ש continet tanquam פעל מבנין כבד verbum in conjugatione gravi, ille admittit solam osculandi significationem, non armandi, non apprehendendi, hortandi, aliamve. Id confirmat singulorum Scripturæ locorum inductio, p. 7. seqq. facta. Nomen quidem nonnunquam vel purum נֶשֶׁק de armis, vel etiam participiale נוֹשְׁקֵי ter de armatis ex plerorumque sententia adhiberi ostensum est pag. 10. at verbum נשק in piel inpr. usquam in Scriptura S. significare armavit vel apprehendit, nec ex ullo Scripturæ S. loco, horumque in Concordantiis indice locupletissimo, nec ex cognatis linguis, ac à dignæ fidei Scriptoribus (non assertum dicimus, sed) probatum unquam. Ubi non negligendum, quod hic minime disquiratur, annon abstrahendo ab osculis & armis, præter Scripturæ usum, fingi menteque concipi possit generalissimum aliquod, verbi נשק significatum *cingendi*, *circumcingendi*; quod inde vicissim sigillatim ad osculorum amplexum ac arma, circumcingi solita, transferatur? Sed Scripturæ S. sensum & usum scrutari mandato Christi, non in aëre venari nos decet. Neque tamen, concessa hactenus qua ex parte generali illa forma, statim determinate ad sola arma descendere, sed pari, quin & majori, jure oscula defendere licet, atque asserere significatum longe frequentissimum. Nos posteriorem amplectimur sententiam atque armandi significationem ita profligamus: Ex perpetuo Scripturæ S. usu נשק est פעל יוצא ועובר או עומד verbum transitivum & activum, vel intransitivum: nam utrumque in una ejusdem significationis classe simul & semel esse הוא מן הנמנע quia transitivum & intransitivum sunt Rabbinis נמנעים לעצמם sive contradictoria. At verbum נשק nunquam est עומד sive intransitivum: quia nunquam ὁλοενεργητικὸν est sive actionem in eodem, quo cœpit, subjecto agente terminatam significat. Quem enim objiciunt quidam locum Genes. 41: 40. עַל־פִּיךָ יִשַּׁק כָּל־עַמִּי ad oris tui imperium cunctus populus obediet, reddit *Vulgatus*, deinem Wort soll all mein Volck gehorsam seyn *Lutherus*: armabitur *Pagninus*, *Vatablus*, *Munsterus in Bibl. & Castellus in Lexic.* ἐπαγλ. col. 2429. עַל מֵימְרָךְ יִתְּזַן juxta verbum tuum cibabitur *Onkelos*: dextre cum plerisque secundum literam & famosiorem נשק significationem interpretabimur de osculo subjectionis & honoris: *ad os tuum osculabitur omnis populus meus*, i. e. oris tui præceptum exosculabitur & venerabitur. Chaldæus officium Josephi præcipuum, sed non universum tetigit, neglecto populi munere, quod hic ad literam exprimitur. Id male in armis consistere dicitur, quia נשק, nisi cum קשת construatur, nunquam notat armare sese, semper osculari. Nec belli armorumve cura Josepho commissa legitur, sed pacis & rei familiaris conservandæ studium eidem commendatum dicitur. Mosen quidem exercitus & Ægyptiaci & Israëlitici Ducem fuisse constat ex historia sacra pariter ac civili; Josepho tale quid neutra tribuit, sed sapientiæ, inpr. cœlestis & sublimioris illius studium, illo urgente, viguisse commemorat. Psalm. 105: 22. Castellus ad Chaldæum consentientem provocans, confundere videtur זון cibare, sustentari, atque זין armare, armari, radices diversissimas. LXX. Vulgatus & Lutherus sensum potius, quam verba reddiderunt. Hinc ita licet colligere: Quod verbum semper יוצא seu transitivum est, nunquam notat armare sese, quia hæc in ipso agente terminatur actio, diciturque hoc sensu R. Abendanæ ad locum nostrum פעל עומד intransitivum. At conclusum modo, suaque evictum ratione est נשק semper esse יוצא. Adde, quod arma quæcunque in & extra Scripturam sint offensoria vel defensoria. Per nostrum נשקו vero non arma offensoria nostris imperantur manibus, quæ adversus ipsummet DEI Filium gerenda sive dirigenda esse, quis hic imperatum statueret? Sed nec defensoria, proindeque nulla omnino arma, intelligi possunt: cum nullus hic memoretur, à quo nobis fidelibus præsens immineat periculum, ut sit paranda defensio.

§. III. Id quod exacta intimaque objecti consideratio planum reddit & perspicuum. Nam is de quo ceu osculando sermo, est persona, eaque excellentissima & divina, ipse DEI Filius. Quia objectum religiosi cultus & adorationis, humillimæ subjectionis & promtissimi obsequii, fidelis apprehensionis atque amoris constantissimi, merito statuitur persona, tantum divina Deut. 6: 23. cap. 10: 20. 21. At בר hic constituitur objectum cultus religiosi, per נשקו indicati: proinde tale divinum, non aliud, hic subjectum à prædicato permittitur ac requiritur. *Osculum hic (sicut & 1. Reg. 19: 18. Jobi 31: 27.) comprehendit religiosam venerationem: quia subjungitur servituti DEO debitæ ceu cultus ejusdem generis: occurrit iræ divinæ vindicatricis justitiæ, includit fiduciam religiosam; directa est ad æternam beatitudinem, dicente D. Calovio t. 1. Bibl. illustr. p. 941.* Sigillatim autem secundam Deitatis personam hic intelligi, ipsa vox בר demonstrat. Quæ si, quod supra pag. 10. asseruimus, à ﺑﺮﺃ legitime descendat, optime filium denotat. Contraria vero ratione à בָּרַר minus commode deducitur, quod jam probatum dedimus pag. 11. Igitur nec puritatem designat, nec frumentum, multo minus istud metaphorice de doctrina intellectum. Sic enim quod personæ convenit eminentissimæ, rei tribueretur creatæ ac cito perituræ.

§. IV. Ast nos seriem textus respicientes dicimus, eundem per בר, Ebræis minus usitatum, vi textus & eorum quæ p. 12. dicta, intelligi, qui notissima voce בן filii, & quidem in hodie αἰωνίῳ præsentissimo à DEO Patre geniti describitur vs. 7. dictus ante משיח יהוה χριστὸς Κυρίου vers. 2. atque Rex in Zion constitutus vs. 6. At hunc בן esse æternum DEI Filium, Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum, αὐτόπιστος & ἀξιόπιστος Spiritus S. interpretatio, infallibilis trium Christi servorum testificatio, Petri Act. 4: 25. 27. Pauli Act. cap. 13: 33. Ebr. 1: 5. cap. 5: 5. atque Johannis Apocal. 2: 27. cap. 19: 15. demonstrat invictissime. Atque sic elegantissime opponuntur rebellantium Regum consilia, machinationes vanissimæ Ps. 2: 2. & eorundem resipiscentia, informatio vs. 10. in timore servitus filialis, in tremore admiranda exultatio vs. 11. Atque nunc pariter Regum ac Gentium strepitus, fremitus, *tumultus* adversus Christum vs. 1. 2. & spontanea eorundem, amica *subjectio*, subjectionis læta, jucunda testificatio, osculum filio DEI figendum vs. 12. Cujus extimescenda *ira ardentissima* in rebelles quoscunque omnium temporum, locorum, virium parata, eum personam esse constat atque ipsummet tremendum Numen justissimum. Singula hæc in בר æternum DEI Filium verissime competunt vs. 12. Qui quæcunque habent ac designant impii, & corpus morbis morteque ipsa, & animam in gehenna exquisitissimis utrinque doloribus horrendisque plagis hic æternumque *perdere* ac subjicere valet, ejus divina tremenda majestas, agnoscenda justitia infinita. Æternus DEI Filius, בר hic denominatus, perdere infideles ea ratione vult & potest vs. 12. Idem denique est osculi & *fiduciæ salvificæ* objectum. At in solo Christo, DEI Filio, confidit salvifica fides Johan. 3: 16. seqq. Act. 4: 12. ut ex ipso textu nostro repetit Salvator Marc. 16: 16. celebriorum Theologorum sententia.

§. V. Idem subjectionis osculum, filio DEI figendum, alia Scripturæ S. loca imperant. Attendamus paucis ad ejusdem Davidis verba, cœlesti Salomoni sacra Psal. 72: 9. לפניו איביו עפר ילחכו quæ ipsa pleniori subjecti determinatione explicat Jesaias cap. 49: 23. מלכים ושרותיהם עפר רגליך ילחכו eodem-

eodemque spiritu repetiit Michas cap. 7: 17. ילחכו עפר כנחש in hunc fere sensum: Inimici Christi, coram ipso humillime in terram prostrati, Reges eorumque Reginæ *pulverem* pedum ejus *lingent* serpentis instar. Quo ipso à pedum osculo, olim Orientalibus, hodie etiam aliis recepto, describitur humillimum quarumcunque sub N. T. Gentium obsequium, & subjectionis osculum, Christo religiose promto lubentique animo, ac flexis velut genibus prostratisque humi corporibus præstandum, inprimis à fidelibus, vestigia quæque Salvatoris ita velut exosculaturis, acsi nec pulveri parcerent, sed serpentum ritu ora eidem insererent. In exemplum perpetuo duraturum non tantum ivit Magdalena Luc. 7: 39. 45. sed sancta quæcunque anima, amore Jesu ebria, voto & fide Cant. 8: 1. omnes in universum fideles, vera in Christum fide, sincero amore, humillima subjectione ac religiosa Christi, etiam hominis, adoratione debitam tanti præcepti observantiam obsequii promtitudine testantes.

§. VI. Consentit in istud hactenus assertum subjectionis osculum, Christo figendum, ex orthodoxa antiquitate *D. Hieronymus* Stridonensis: qui quidem in Apol. contr. Ruffin. Tom. II. p. 202. convertit, *adorate pure*: metu, ut ibidem profitetur, amittendæ apud Judæum Doctorem suum, gratiæ, quem sumtibus sat magnis, nec sine periculo alebat; Alias tamen libere quid sentiret professus reddidit: *adorate filium*: utrobique rectissime animadvertens נשיקה של גדולה osculum magnificentiæ non illud נשיקה ע"ז idololatricum, cujus Jobi 31: 26. 27. 1. Reg. 19: 18. Hos. 13: 2. mentio injicitur; sed puro corde veraque fide vero ac essentiali DEO factum. Quod satis ostendit religiosa Christi adoratio, quam una cum vera filiatione ex נשקו־בר optime asseruit Hieronymus, ut qui ipsos fontes divinissimos accurato studio consuluit. Cujus saluberrimi consilii rationes cum ætas proxime insecuta non intelligeret, negligeret certe cum ignarissimis, factum ea hominum incuria est, ut paucissimi genuinum loci hujus, ut aliorum plurium, sensum assequerentur, vulgo receptis erroribus decepti, sibi ignavi, aliis odiosi, omnibus noxii. Verum postquam singularissimo DEI beneficio cum solida linguarum notitia, Lux Euangelii superiori ætate denuo illuxit, factum inde est; ut nunc tot fidissimis Scripturæ S. Interpretibus lætetur Christi ecclesia. Agmen inter istos jure merito ducit Vir θεήλατος *Lutherus*, quem de nostro loco audire juvat è *Tom. II. Altenb. fol.* 548. *a.* **Huldet Ihn / das ist / küsset und ehret Christum den HErrn mit rechter Demuth und hoher Ehrerbietung / seyd Christo unterworffen mit aller Unterthänigkeit und hanget an Christo eurem Bräutigam mit höchster Liebe / da habt ihr Ihn denn recht gehuldet.** De aliorum p. 5. allegatorum consensu ex monstratis ibidem locis abunde constare poterit. Hic juvat meminisse proximi à B. Luthero Martini *Chemnitii*: cujus hæc sunt verba *Harmon. Euang. cap. LVII. p.* 581. *b.* Osculum multarum rerum symbolum fuit, ut amoris, reverentiæ, subjectionis: loco tamen Luc. 7: 38. pulchre convenit 3. Reg. 19: 18. Colligitur enim inde fuisse symbolum supplicantium: sicut & Jobi 31: 27. Esther. 5: 2. Syrach. 29: 5. Et hoc pulchre convenit ad Psal. 2: vers. 12. osculamini Filium. Consentit ex asse *D. Gerhardus Harm. Euang. cap. CLII. pag.* 344. *b.* Osculemur Ps. 2: 12. quod osculum non solum amoris, sed etiam reverentiæ & subjectionis symbolum est 1. Sam. 10: 1. Hunc etiam locum ita interpretatur *D. Balduinus in* 1. *Thess.* 5. *p.* 1186. *a.* in coronatione Regum addebatur osculum, observantiæ & subjectionis gratia, ut 1. Sam. 10: 1. 5. Iterum *Gerhardus H. E. c.* 184. *p.* 1776. *b.* Osculum in se & ex vulgari veterum consuetudine fuit signum pacis, concordiæ, caritatis & reverentiæ. —— Osculum religionis 1. Reg. 19: 18. Psal. 2: 12. quod fuit symbolum non solum reverentiæ & subjectionis, sed etiam religiosi cultus. *p.* 1778. *a.* Jubemur Christum osculari Ps. 2: 12. in signum subjectionis & reverentiæ, ipse etiam nos osculatur osculo oris sui, quando Spiritus S., qui est spiritus oris ejus 2. Thess. 2: 8. nos participes facit Cantic. 1: 1. Mandati hujus cultus generalitatem, modique discrimen accurate observavit *D. Franzius Schola Sacrif. Disput. IX. th.* 11. *p.* 212. Osculamini Filium Psal. 2. pertinet ad cunctos homines sex mille annorum mundi: & fuit dictum, antequam scriptum. Cautela tantummodo adhibenda est necessario seu interpretatio ista, quod Gentes ante Christum natum invitantur ad colendum Christum, modo tunc divinitus præscripto, sed Gentes post Christum futuræ invitantur ad colendum Christum modo quem ipsis DEUS pro isto eodem suo tempore futuro præscribet. Egregie verba nostra adversus Salmeronem asseruit *D. Glassius Phil. S. p.* 274. & *D. Walther. Harm. Bibl. ad Psalm.* 2: 7. *p. m.* 501. Osculamini, per metonymiam *adorate, reverenter excipite, & fovete Filium*: Nam hoc evincit, tum φράσεως *proprietas*, quoniam נשק idem est quod *osculatus fuit*, amoris, honoris & reverentiæ ergo (metonymice significat, *honorem exhibuit*, quem tropum hic esse admittendum, patet ex eo, quod corporali osculo CHRISTUM Ecclesia militans excipere non possit) & בר Filium denotat, tum *scopi consideratio*, totus quippe Psalmus de Filio DEI agit, tum *consequentia*, sequitur enim, *ne forte irascatur*, &c. *beati omnes qui confidunt in eo.* Illud autem tam verbum, quam pronomen relativum ad aliquod subjectum referri necesse est, quod præcessit, quod nullum est aliud, quam בר. Etiam Principes & Reges Christo refractarii & rebelles tenentur tamen ex præcepto divino, ut osculentur Filium, exhibeant veritati reverentiam & patrocinium, & quæ plura inde accurate deducit *D. Hulsem. Breviar. extens. c.* 18. *th.* 6. *p.* 538. Conf. *D. Calov. T. III. Syst. Theol. p.* 521. *seq. D. Pfeiffer Exercit. Bibl. p.* 146. *seqq.* Nec dissentit accuratissimus *D. Varenius in Gen. Decad. Mos.* 11. *Loc.* 5. *concl.* 1. & 4. *p.* 547. Verbum נשק in significatione famosa & extra conjunctionem cum nomine קשת nunquam notat aliud, quam osculari: nunquam armare vel armari -- osculum subjectionis inauguratorium & honorativum præstabatur in solenni Principis inauguratione, idque vel ab inaugurante ut 1. Sam. 10: 1. vel subjectorum devotione, ut Genes. 41: 40. Psal. 2: 12. Ibidem singula osculorum genera distincte recenset, ut & Gerhardus Harm. l. cit. Eandem significationem tradit *D. Meisnerus Phil. Sobr. Part. II. sect.* 1. *cap.* 1. *quæst.* 12. *p.* 124. Olim osculum fuit signum subjectionis & honoris, unde Psal. 2: 12. legitur, osculamini filium i. e. servite ipsi, & cum debita mentis submissione veneramini. Idem profitetur *Vatablus Not. ad nostrum locum*: osculum manuum (cur non oris etiam, ac, apud alios inprimis, pedum?) in Palæstina, argumentum subjectionis erat, ut & apud nos, quasi dicat, osculo manuum testamini, vos Filium DEI habere pro Rege, amplectimini filium toto mentis affectu & subditi estote illi. Nec aliter *Genevenses annot. ad Psal.* 2: 12. *Faites lui hommage comme à vostre Seigneur: d'autant que le baiser d'un inferieur à l'endroit d'un superieur estoit un signe exterieur d'hommage; voyez* Genes. 41: 40. & 1 Samuel. 10: 1. in hunc fere sensum: *præstate ipsi homagium sicut Domino vestro: quia osculum inferioris superiori collatum erat externum homagii signum, quemadmodum l. c. Sam. Bochartus append. Geograph. S. p.* 42. osculentur filium, id est, ei se sponte subjiciant cui DEUS erat loco Patris Ps. 89: 27. Osculum enim tum temporis fuisse solenne honoris & subjectionis symbolum colligere est ex Genes. 41: 40. & 1. Samuel. cap. 10: 1. Ubi quidem rectissime subjectionis osculum asserit; sed male integrum Psalmum secundum cum Musculo aliisque magni inter Reformatos nominis, sensu literali ad Davidem refert: pessime θελήματι nostram *osculamini filium, ad omnem Regem legitimum transfert.* Fallit insigniter, quod asserit, *Psalmus secundus tam ad Davidem pertinet, quam ad Christum DEI Filium, ad illum quidem ut typum, ad hunc vero ut τὸ τυπωθὲν typo designatum & significatum*: Diversissimum de solo Christo testantur Apostoli locis supra p. 23. allegatis: contrarium demonstravit invictissime *D. Calov. T.* 1. *Bibl. illust. pag.* 941. *D. Walther. p.* 26. *D. Dorscheus pag.* 5. allegatus: nec non cum Orthodoxis asseruit *Matthæus Polus Synopsi Critic. vol. II. col.* 523. *seq.* De alio, non semetipso osculando hortatur David. Quem male per בר & בן intelligit Bochartus: filius enim iste in præsentissimo æternitatis hodie genitus dicitur vs. 7. ex infallibili Sp. S. interpretatione, unanimi Apostolorum atque Orthodoxorum testificatione. Non poterit ostendi in Scripturis S. præter Messiam alius, qui absolute & ἐξοχικῶς בר dicatur. Contrariam defensurus sententiam Bochartus allegat Psal. 89: 27. Sed nec ibi David l. ullus alius præter Messiam intelligitur, post Davidis mortem venturus 2. Samuel. 7: 12. & quidem למרחוק longe post וזאת תורת האדם אדני יהוה vs. 19. quæ manifestissima est θεανθρώπου descriptio, illustrissima Davidis de Messia Immanuele confessio, ut ab aliis evictum. Melius Bocharto aliisque Reformatæ fidei Arabs Psalmum hunc asserit prophetiam de Christo Domino & vocatione Gentium. Recte Æthiops Psalmum secundum vocat prophetiam Davidis de DEO & de Messiah ejus, eo quod conjurarent Gentes ascendere in Zionem eamque captivam ducere. Syrus etiam [Syriac text] *innuit prophetiam de passione Christi*, bene de Christo intelligit præsentem psalmum, præter rem tamen patientis meminit: quum Christum ut æternum DEI Filium gloriosissimumque Regem describat David, cui, ut hactenus monstratum, subjectionis osculum debetur ac cultus religiosissimus.

simus. Hinc recte nostratium plerique religiosam Christi adorationem hic simul subinnui statuunt: quo videantur *Lutherus Tom.VIII. Alteb. fol.* 708. *a.* Dorscheus, Glassius, Fesselius aliique p. 5. allegati. Alias quoque oscula orationi adjuncta novimus. Hinc Tertullianus lib. de orat. p. 793. *osculum* vocat *signaculum orationis*, quia publicas & solennes preces primi Christiani solebant osculo concludere, de quo *Justinus sub finem Apol.* 2. *pro Christ. p.* 76. Quod cum in abusum successu temporis degeneraret, jam *Tertulliano* displicuit, Patri inter Latinos antiquissimo, qui *lib. de velandis virginibus*, *c.* 14. *sub finem* gravissime improbat, *si virgines inter amplexus & oscula concalescant.* Id nimirum non sanctum esset osculum, sed impudicum & ab impuro Diabolo profectum, qui fœdi hædi Satyrive specie in Sagarum conventiculis ea nonnunquam deosculanda suis offerre dicitur, quæ recensere pudor prohibet; videri autem possunt apud *Joh. Bodinum de Mag. Dæmon. L. II. c.* 5. *Nicolaum Remigium de Dæmonolatria L. I. c.* 20. Scilicet subjectionis osculum expetit imperatque Spirituum superbissimus: quo coluerunt eundem etiam idololatræ 1. Reg. 19: 18. Jobi 31: 26. de quo osculandi ritu pluribus agit *Fesselius Tom. I. advers. S. L. III. c.* 7. *pag.* 271. *seqq. Adr. Turnebus Advers. l.* 18. *c.* 6. confer quæ accurate in rem præsentem contulit *Salmuth ad Pancirolli Memorab. Part. I. tit.* 46. *p.* 211. *seqq.* Ex Lexicographis aliisque Ebraice eruditissimis, Christi nomen professis, præter supra pag. 4. laudatos, osculum filii nostris verbis significari asseverant D. Forsterus, Avenarius, Schindlerus, Ravius, Pagninus, M. Marinus, Genebrardus aliique à Lorino T. 1. in Psal. p. 50. citati, Buxtorfius item, Castellus Lex. ἐπαγλ. col. 2429. & alii, quorum non vacat inire numerum. Quæ ipsa osculandi filium sententia placuit etiam quibusdam professis Christi hostibus: quos inter R. Nathanem in Concord. Ebr., R. Kafvenaki, Midrasch Tillim, ipsumque Sanhedrin *cap. ult. f.* 92. 1. laudant *D. Calovius Tom.* 3. *Syst. Theol. p.* 542. *Castellus Lexic. l. c. atque Buxtorfius.* Sigillatim memorandus hic *R. Aben Esra* Judæorum sapientissimus & Rabbinorum facile Princeps, qui egregie in verba nostra commentatur inquiens: הנה עבדו את יי׳ כנגד על יי׳ ונשקו בר כנגד על משיחו והנה פירוש בר כמו מה ברי ומה בר בטני וכן כתוב בני אתה ומנהג גוים בעולם לשים ידיהם תחת יד המלך כאחי שלמה או העבד תחת ירך ארניו או לנשק את המלך וזה המנהג עד היום בארץ הודו *Hic vs.* 11. *servite Jehovæ intelligendus de Jehova*, & *vs.* 12. *osculamini filium de Messia s. uncto ejus. Significatio vocis* בר *eadem est, quæ Prov.* 31: 2. *Ita enim scriptum est Ps.* 2: 7. *filius meus es tu. Et consuetudo Gentium in hoc mundo est, ut manus suas submittant Regis manui, ut fratres Salomonis, aut ut servus sub domini sui fœmore Genes.* 24: 3.; *aut ut osculentur Regem. Atque hæc ipsa consuetudo ad hunc usque diem in India viget.* Jungendus huic alter Rabbinorum, non infimæ apud suos atque nostrates autoritatis, *R. David Kimchi*, cujus hæc sunt: נשקו־ענין נשיקה כמו וינשק לכל אחיו *verbum* נשקו *habet significationem osculandi, veluti Genes.* 45: 15. & *osculatus est Joseph omnes fratres suos*: quæ totidem verbis tantum repetit *R. Salomon Ben Melech* in מכלל יופי ad h. l. assensuque suo approbat. Subjungimus hisce memoratam modo *Midrasch Tillim* ad Psal. 2. seu allegoricam explicationem, quæ pro significatione cum osculandi in verbo נשק, tum filii in vocula בר, non leve affert momentum, his concepta verbis: אמר רב משל למלך שכעס על בני המדינה ופיסו את בן המלך שיפיים את המלך: הלך הבן ופייס את אביו כיון שפייס בנו הלכו בני המדינה לומר הימנון למלך אמר להם לי אתם אומרים הימנון לכו אמרוהו לבני שאמלא היא כבר איבדתי את המדינה הוי נשקו בר: *Recensuit Rabbi Simile de Rege, qui indignatus est incolis ditionis. Tum petierunt isti à Regis filio, ut Regem conciliaret. Abiit Filius placavitque Parentem suum. Cum reconciliasset filius ejus, incolæ abierunt, hymnum* ὕμνον *Regi dicturi. Qui respondebat ipsis: mihine hymnum dicitis? agite, illumque dicite filio meo. Absque eo enim si fuisset, jam perdidissem regionem: ah osculamini Filium!* Quod utinam vero cordis affectu præstarent Christo singuli, quorum ἐπωρώθη τὰ νοήματα! ἄχρι γὰρ τοῦ σήμερον τὸ αὐτὸ κάλυμμα ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς διαθήκης μένει μὴ ἀνακαλυπτόμενον, ὅ, τι ἐν χριστῷ καταργεῖται. ἀλλ᾽ ἕως σήμερον, ἡνίκα ἀναγινώσκεται Μωσῆς, κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν κεῖται.

SECTIO TERTIA Ἀνασκευαστική.

ARGUMENTUM.

§. 1. *Versiones & Auctores contrarium statuentes paucis considerantur: Omnium antiquissima LXX. Interpp. Græca examinatur: ejus genuina lectio, rejectio, frustraneum Bellarmini, Lorini aliorumque patrocinium.* 2. *Chaldaicæ paraphrasi, Arabicæ atque Æthiopicæ Translationibus rejectis præfertur Syriaca aliæque ejusdem auctoritatis.* 3. *Vulgatæ Latinæ auctoritas ab ipsomet Bellarmino partim negligitur, partim minus solide asseritur, extantibus in contrarium rationibus haud temnendis.* 4. *R. Sal. Jarchii aliorumque Judæorum de armis conversio sistitur, atque diligenter examinata confutatur.* 5. *Significatio puritatis, voci* בר *tributa, non admittitur, iis, quæ in contrarium moventur, dilutis.* 6. *Atque sic asserto pro virili magnificentiæ & subjectionis osculo, veræ fiduciæ amorisque signo, in religiosa Christi adoratione maxime conspicuo, fini feliciter imposito annectitur debita gratiarum actio.*

§. I. QUi hic diversum tenent, non uno eodemque modo ac fine rationes ineunt. Nos, quantum divina ope pro tenuitate virium nobis concessarum licuit, genuinum verumque de loco nostro sensum docuimus, paucis nunc quid aliorum ferat opinio, contemplaturi. Et magna quidem olim in Ecclesia erat auctoritas versionis LXX. Interpp., cum pristino nitori suo propior, indeque ipsorum Apostolorum atque Ecclesiæ Doctorum manibus magis trita esset, neque tot defœdata maculis, quibus hodie per omnes Scripturæ libros & librorum fere pericopas scatet. Ea igitur hic à veris fontibus Israelis, mente, scopo ac verbis Spiritus S. aberrans, fons errorum, penes Christianos circa verba nostra obortorum, jure merito dici posset. Ab ea enim oblatam errandi occasionem sumsit Vulgata Latina: unde non tantum Arabica interpolata, sed & Germanica aliquot exempla infecta, atque aliena à mente Spiritus S. commenta Pontificiorum aliorumque in Ecclesiam sunt invecta. Dubitant de ejus genuina lectione eruditi, & hic in locum vocis παιδείας substituunt παιδὸς, παῖδα vel παιδὸς *Hacksp. not. Phil. P. II. p.* 13. *Christ. Schotanus, Th. Prof. Franekeranus, diatribe de Græca Versione p.* 35. *atque Capellus Critic. p.* 243. Rectissima nec improbanda ratione, modo probata firmiter esset, neque unanimi Codd. consensu destitueretur. Præstat itaque correctiora hic quin omnia simul exempla, quam conjecturam probabilem sequi. De priori voce δράξασθε majores lites vigent, unde eam desumserint, cum ab Ebræo fonte omnes videant alienam. Pro נשק legisse eos נשג literasque ג & ק, שׁ & שׂ ejusdem organi atque soni facile permutasse, conjiciunt *Ludov. Capellus Critic. S. Lib. c.* 4. *p.* 243. *D. Glassius Phil. S. Lib.* 2. *p.* 274. *Schindlerus* aliique. Sed conjecturam eam facile refutant *Buxtorfius Vindic. Ebr. verit. Part. II. c.* 8. *p.* 673. *Polus Synopsi Critic. vol.* 2. *col.* 523. quod נשג in conjugatione gravi non occurrat, sed in solo hiphil: ubi tamen nunquam cum נ iisdemque punctis נַשִּׂיג, neque eodem apprehendendi, sed assequendi, attingendi sensu venire potest. Dicendum ergo potius, doctissimos LXX. Interpretes à speciali נשק osculandi ad generalem amplectendi, adeoque à figurata ad propriam significationem progredi voluisse: cum nomine בר frumentum non proprio quidem, sed tralatitio sensu *doctrinam atque disciplinam* intelligerent: quæ postmodum apud Rabbinos recepta viguit sententia, ut בר pro doctrina in Talmude sæpius dicatur. Unde Jalkut ad Prov. 11: 26. אין בר אלא תורה שנאמר נשקו בר *Vox* בר *nil notat nisi legem, quia dicitur Ps.* 2: 12. נשקו בר. Egregia vero ratio: nisi foret αἰτεῖσθαι τὸ ἐν ἀρχῇ. Verum nullam omnino fidem meretur aut excusationem hæc τῶν ὁ conversio: quorum & alias *tot extant in Psalterio errata, ut nemo cordatus fidem illis adhibere queat*, teste *Hacksp. Not. phil. P. II. p.* 15. Non quo modo, sed quo jure hanc amplexi sint sententiam, disquiritur. Cur specialem, ipso objecto textusque serie determinatam osculandi significationem in Scriptura S. receptissimam relinquunt, substituuntque apprehendendi generaliorem, contextui adversam, numquam nunquam in Divinioribus Literis verbo נשק notatam? Ea significatio tanquam propria & primaria erat retinenda, quam vocis origo suadet, frequens in Scriptura usus confirmat, aliæque Orientis linguæ retinent. At ea est osculandi, quam textus admittit, allegata p. 8. & seq. loca monstrant, Chaldaica, Syriaca & Samaritana lingua exhibet. Sit licet figurata & metonymica locutio, signo subjectionis & adorationis nos monens, minime tamen ita à LXX. Interpp. evolutus rite tropus, propriusque sensus redditus

redditus est. Quid enim eos, ut osculandi sensum relinquerent, impulit? significatio vocis בר qua 1. frumentum, & 2. metaphorice doctrinam notat? at hoc est πρῶτον ψεῦδος: posterior significatio universæ diviniori Scripturæ prorsus incognita, à Rabbinis excogitata allusio, vocisque Biblicæ ad alia quam à Spiritu S. intenta applicatio; prior à textu prorsus aliena, nec ab ullo sanæ mentis hic asserta: adeoque neque prior, nec posterior ratio pondus habet. Parat quidem translationi huic subsidium *Bellarminus Lib. I. de Christo c. 5. inquiens: LXX. ad sensum, non ad verba respexerunt: tunc enim adoramus vere Christum, cum ejus doctrinam recipimus.* Sed culpas τῶν ό ita minime præstat, dicendum potius, quod verbis neglectis, non dextre lectis intellectisque genuinum pariter sensum non reddiderint. Apprehensio doctrinæ Christi, promta atque prudens verbis השכילו הוסרו jam vers. 10. tradita, non erat per otiosam ταυτολογίαν à LXX. vers. 12. repetenda. Objectum personale filii, non erat in reale, neque subjectum, Christus, in ejus adjunctum, Christi doctrinam, convertendum. Nec adoratio Christi vel sola vel præcipue mandato osculandi injungitur, sed subjectionis & amoris, cultusque religiosi in universum prior potiorque ratio habetur. Neque doctrinæ Christi receptio, tanquam arctissimo connexa semper vinculo, religiosam Christi adorationem statim infert. Multi doctrinam Christi recipiunt, admittuntque lubentissime, nec tn. Christum vere & religiose adorant. Suo id exemplo comprobant in Ecclesia plurimi hypocritæ & quos turpitudo vitæ inquinat, non quidem Christi doctrina, veris tamen precibus carentes, καὶ ὄντες ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ Ἰησοῦ Ephes. 4: 18. 21. δύναμιν εὐσεβείας ἠρνημένοι 2 Tim. c. 3: 5. Alia nimirum quæ creditur recipiturque Christi fides; alia qua creditur Christus, rite colitur ac religiose invocatur. Nec felicius eosdem LXX. tuetur *Lorinus t. 1. Ps. p. 50. Potuere, inquit, LXX. בר sumere ut בֵּאֵר quod est explanare, exponere: unde nomen pro explanatione, declaratione, denique disciplina.* Quod placuit etiam *Joh. Viccars Decapl. in Ps. p. 7.* Ex medio vocum א nonnunquam excidere novimus; hic autem id factum esse nulli concedimus. Vocalis enim abjectam ejusmodi consonam compensans, impura relinquitur, neque in scheva mutari posset, quod in patach nostro fieri animadvertimus. Rabbinis quidem ביאור est declaratio; sed qui בר in Scriptura S. apud Chaldæos, Syros, Arabes aut alios Orientales in significatione declarationis ostenderet, hactenus inventus nemo est. Origo itaque ista & significatio ficta est, contorta & contraria Scripturæ S., bonorumque auctorum usui, artis grammaticæ regulis, iisque singulis, quæ pag. 10. seq. pro genuina origine ac significatione vocis בר adducta sunt atque demonstrata. Dicamus ergo de LXX. Interpp. in Psalmos, quod de Prophetis in universum *D. Varenius Comm. in Jesaiam cap. 4. p. 77. Sunt sane in illa, quæ est in Prophetas, Davidem, interpretatione Græca, plurima tam absurda, intentioni Spiritus S. contraria, & non raro ridicula, ut satius sit, illam camarinam non movere, quam in illis cum authentico Prophetarum, Davidis, Codice conciliandis operam consumere & errori manifesto patrocinium præbere.*

§. II. Idem fere judicium subit hic Chaldaica paraphrasis, Translatio Arabica, & Æthiopica, Latina Vulgata & Germanica Coburgeri Norimbergensis. Rationes non procul arcessimus: nota Versionum conditio, variis exposita erroribus: accessitque, hic aberrans Dux male præ fonte electus, incauta imitatione expressus. Nimirum LXX. Interpp. translationem ἐμμέσως ἢ ἀμέσως secuti sunt singuli memoratarum Versionum auctores. De *Chaldæo* id confirmat *Mayerus Phil. S. Part. I. p. 351.* Constat pariter de *Vulgata Latina* ex *Hacksp. Not. phil. Part. I. p. 11.* Quantopere alias Romana *Arabica* & *Æthiopica* Vulgatæ Lat. sint obnoxiæ, neminem temere latet: *hic cum Vulgata ceu clausis oculis secuta sunt LXX. atque Chaldæum,* inquit *D. Pfeiffer Exerc. Bibl. p. 146.* Consentit *Cl.* **Frischmuth** *dissert. in h. l. proœm. §. 2.* De Antonii **Koburgers** editione Bibliorum Germanica, anno 1483. Norimbergæ procurata, patet ex propria ejus confessione, fini annexa; **gegen dem Lateynischen Text gerechtvertigt.** Longe rectius hic Syrus atque Aquila, nec non cum Hieronymo Symmachus, p. 4. adducti.

§. III. Ut sigillatim de *Vulgata Lat.* id adjiciamus, ejus patrocinium ægre hic in se suscepit *Bellarminus*, præstititque infelicius. Fatetur ingenue, plus succi atque roboris inesse hic fontibus, quam rivulis. *Sæpe Codd. Ebræi magis Judæos vexant, quam Græci aut Latini. Certe in Ps. 2. Latini & Græci habent, apprehendite disciplinam. Ex quo nihil aperte contra Judæos deduci potest. At in Ebræo est* osculamini filium, *i. e. reverentiam exhibete Filio Dei — qui locus est invictissimus contra Judæos, Lib. II. de V. D. c. 2.* Quæ longe discrepant à patrocinio Græcæ versionis suscepto, superius pag. 34. profligato; quo fundamento diruto, quicquid falsitatis superstruxeris, eodem simul lapsu corruet. Ponamus tantum, בר notare disciplinam, quomodo irascetur? quomodo hujus ira exardescet? quodnam relativi pronominis in אפו subjectum, necessario requisitum? disciplina? minime. Dicas cum Vulgata *Dominus vs. 12.* sed monstretur idem in textu authentico, à quo hic iterum aberrat insigniter Vulgatus, de suo contra rationem textus addendo. Si instes, ἀπὸ κοινοῦ ex antecedente vs. 11. vocem Domini esse repetendam: respondemus *D. Dorschei Pentadecad. pag. 103.* verbis: tum בר per relativum formandum fuisset ברו, ut sciri posset, ad Jehovam respici. Verum de Messia hoc vs. 12. sermonem esse, etiam juratus Christi hostis rectissime est confessus supra p. 22. Quin uti non iræ, ita nec fiduciæ, subjectum esse potest disciplina. Beati non qui in disciplina, sed qui in Christo confidunt Rom. cap. 10: 4. Ex vero itaque dixit *Simeon Muis in Epistola universo Galliæ Clero inscripta: inter veterem Psalmorum editionem & veritatem Hebraicam tantum discriminis interest, ut ambæ aliud prorsus ac diversum interdum sonent.* Confer *D. Varenii Dissertat. de authoritate Lat. Vulg. sect. 3. & 4. ubi demonstrat:* Vulgatam editionem in Psalmis esse corruptissimam.

§. IV. De Judæis nunc dispiciamus, qui ex נשק pro armis tanquam pro aris & focis decertant infeliciter, & ex בר puritatem propugnant animo impurissimo: impulsi quippe spiritu impurissimo, mendaciorum Patre, Diabolo. στρεβλοῦσι γὰρ τὰς γραφὰς, πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν, ne æternum Dei Filium inde agnoscere cogantur. Cum tamen ברעתו יצדיק צדיק עבד לרבים ועונתם הוא יסבל: Proximum ab Aben Esra locum apud Judæos pariter atque Christianos. *R. Salomon Jarchi* tenet, suis impensissime laudatus: in omnes enim Codicis Ebræi libros luculenter commentatus est; nostra autem verba sic reddere conatur: זרזו עצמיכם בבור לבב לא" נשקו בו גרני"שמנט בל"עז ומנחם פתר אותו לשון תאוה כמו ואל אישך תשוקתך: *armate vel accingite vos ipsos puritate cordis:* alio sensu נשקו בר *est stridor dentium*, grincement *Gallicè. R. Menachem vero exponit istud significatione appetendi sive desiderii, sicut Genes. 3: vs. 16. ad virum tuum erit appetitus tuus.* Consentiunt Judæi in versione Germanica anno 1562. typis excusa qua נשק, itemque Autor לקח טוב per omnia, si, quod suspicamur, apud *D. Geierum T. 1. in Psalm. pag. 43.* mendose legamus **gewarnet** pro **gewaffnet**/ quod *D. Pfeiffer Exerc. Bibl. p. 147.* habet, intentioni ejus magis congruum. Idem qua vocem בר probare satagit *R. Dav. Kimchi* in h. l. verbis sequentibus: שרשו מן לברי לבב כלומר מה לכם ולי ואין בי עון שתבאו ותלחמו בי אבל עליכם לנשק לי ולהודות שאני מלך במצות האל כמנהג העבד לאדונו: *Radix ejus ex verbis Ps. 73: 1. puri corde desumenda, quasi diceret: quid mihi vobiscum? Non est in me iniquitas, ut venientes adversus me pugnetis. Ad vos potius spectat, osculum mihi figere & confiteri, quod divino jussu Rex sim: more servi erga herum suum.* Eadem totidem literis more suo hic affert *R. Abendana*, male tantum vocem כמנהג cum במצות permutans: Subjicit Aben Esræ verba, jam p. 30. adducta, quæ alteram vocis בר significationem filii rectissime asserunt, atque addit tertiam aliorum interpretationem ויש מפרשים נשקו מענין נושקי קשת והוא פועל עומד *sunt qui vocem* נשקו *interpretentur eo sensu quo dicitur Ps. 78: 9. armati arcu, ut sit verbum intransitivum.* Quartam significationem amplectitur R. Sal. ben Melech, inquiens בר' ענין ברירה ובחירה מן ברו לכם איש על דרך שאול בחיר יי': *Vox* בר *habet significationem seligendi atque eligendi ex loco 1. Samuel. 17: 8. eligite vobis aliquem: quo sensu Saul dicitur electus Jehovæ 2. Samuel. 21: 6.* Tot modis variant, & talia sunt hæc prædicata, qualia permittuntur à subjecto. Quod ipsum cum pessimè constituant Rabbini, & hos (Duces ad Christum sane talpis cæciores) secuti Reformatorum celebriores, non potest non sequi perversissimum prædicata alio, quam quem inferunt, sensu interpretandi studium. In eo omnes pariter Rabbinos allegatos cum Reformatorum præcipuis amice convenire videmus, sensu literali, cujus vestigiis presse insistendum, de Davide sermonem esse, eoque à Philistæis ad bellum lacessito; de Messia tantum typice. Quod disertis verbis profitetur *Raschi*, Psalmi secundi interpretationem sic exorsus רבותינו דרשו את הענין על מלך המשיח ולפי משמעו יהיה נכון לפותרו על דוד עצמו לענין שנאמר וישמעו פלשתים כי משחו ישראל את דוד למלך עליהם ויקבצו פלשתים את מחניהם ונפלו בידו ועליהם אמר למה רגשו גוים ונתקבצו כלם: *Rabbini nostri allegorico, mystico seu anagogico sensu interpretantur de Rege Messia: sed juxta literalem & simplicem ejus sensum rectissimum erit interpretari istum* Psalmum

Psalmum de ipsius Davidis persona: eo sensu, quo dicitur 2. Sam. 5: 17. cum audivissent Philistæi, quod Israelitæ Davidem in Regem suum unxissent, collegerunt exercitus suos; sed ceciderunt manu ejus. De illis itaque dicit: quare tumultuantur gentes & congregarunt sese singulæ? Affirmant idem *Pontificiorum Biblia Germanica*, anno 1483. Norimbergæ edita, hac Psalmi secundi inscriptione: **Disen Psalm machet David/ do er vechten solt wider Amalech/ und wider die Heyden Philisten.** Verum de solo Christo Jesu ipsius Spiritus S. judicio & Apostolorum testimonio hic secundum literam sermonem esse, invictissime probatum à Nostratibus. Conferantur eo è multis *D. Dorscheus Pentad. Disp. 2. p. 70. seqq. atque D. Calov. in h. l. nec non ipse Matthæus Polus, supra p. 28. laudatus.* Patet igitur πεῶτον ψεῦδος: quo dato sequuntur plura. Sigillatim רש״י male amplectitur primum significationem reciprocam in hithphaël conspicuam: cum נשקו in piel transitivam tantum atque intensivam admittat, quod singula Scripturæ loca testantur. Tum etiam cum R. Abendana male ad arma se convertit, supra p. 20. seqq. profligata. Agnoscat R. Abendana Scripturæ discrimen inter נשק nudum & נשקי קשת ad arma, & quidem ter tantum determinatum. Rectius iterum Kimchi in נשק osculum agnoscit; male tn. id ad Davidem refert; pessime à Davide ut sibi à Gentibus fieret, imperatum fingit cum R. Abendana. Diocletiani hæc edicta erant, *teste Eutropio l. 9. c. ult. & Pompon. Læto in Comp. Rom. hist.* non Davidis. Quid *grincement* seu stridor dentium sibi hic velit, quomodo præsenti loco, Davidi l. Messiæ, proprie l. figurate ut signum doloris & tristitiæ, l. applausus & lætitiæ tribuatur, haud facile divinare licet. In Scriptura S. certe נשק tale quid non infert. *R. Menachem* sui pariter atque linguæ sanctæ, Scripturæque div. oblitus videtur. Qua ratione נשקו ad שוק referet? abjiciet ו, adjiciet נ, utrumque pro lubitu & contra artis regulas. Litera נ omnium aliorum consensu ad radicis essentiam constituendam pertinet. Nec תשוקה Genes. 3: 16. sensum appetitus, sed obedientiæ habet: quippe cui ממשלה seu dominium viri opponitur. Ut rectissime illic cum B. Luthero sapiens *R. Aben-Esra* הטעם שתעשה כל אשר יצוה עליך ויאת ברשותו לעשות חפצו: *sensus vocis* תשוקה *est, facies omne id, quod præceperit tibi: nam es sub potestate ejus, ut facias beneplacitum ejus.*

§. V. Fallunt pariter & falluntur insigniter memorati sæpius Rabbini, רש״י atque cum רד״ק Abendana, verum DEI Filium voce בר intelligi negantes. Ne speciem quidem veri præ se fert R. Salomonis Jarchii interpretatio in locum בַּר substituens בור, de suo addens לבך cor. Literis atque punctis, sensu atque origine בר & בור ab invicem distinguuntur, quæ pro iisdem habet רש״י. Ponamus tantum aliquid, bellum Davidi indictum, ad id num *cordis* tantum puritas, non corporis arma requisita? imo adhibita 2 Samuel. 5: 20. Quamvis & nos cordis puritatem ad osculum istud fidei requiramus, Christum tn. DEI filium voce בר cum *B. Luthero Comm. in Gal. 1. T. 1. Altenb. fol. 158. a.* intelligentes dicamus: **küsset den Sohn/ welches Hebreisch lautet/ gläubt mit lauterm und reinem Glauben in Christum/ und ehret den allein.** Christus enim omnis puritatis auctor hic vel maxime considerandus. Is a. בר hic dicitur non ob puritatem, sed quod p. 12. est assertum, ob æternam filiationem: quam cum pervicax ac blasphemum Judæorum ingenium non admittat, non subit mirari, quod cum Aquila & Symmacho, Rabbini hic vocem puri electique præferant: hoc unico usi κρησφυγέτῳ, Psalmos non esse conscriptos אֲרָמִית lingua Aramæa: בר vero significatione filii esse Aramæis proprium. Quod ipsum nos iis, quibus par est, rationibus inficiamur, in textu purissimo Ebræo nullam Chaldæis Syrisve vere propriam locutionem atque vocem agnoscentes. David atque Salomon ut purissimam verissimeque Ebræam vocem בר adhibuerunt. Non quæ frequentata Chaldæis vox statim iisdem unice propria est. Nec quod ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, statim ἁπλῶς exclusive & solitarie alicui competit. Equidem cum multis aliis *Barth. Meyerus Phil. S. P. 1. p. 354.* Chaldaismo acceptam fert hanc vocem; sed cujus erroris alios insimulat ipse reus, & à janua aberrare deprehenditur. Nec enim adeo opus est ut Ebræi è Chaldæa petant, quod suum est & habent domi, rectissime reponit *D. Pfeiffer Exerc. Bibl. pag. 149.*

§. VI. Nos potiori jure pro concessis ingenii viribus solennes DEO immortali gratias agimus habemusque maximas, & promtissimo pietatis obsequio, humillimo animi cultu religioso prorsusque divino prosequimur agnitum DEI Filium, ex filiali cordis fiducia, accensi divini amoris ignea vi, Christi hærere amplexibus desideramus, Ejus pedibus spontaneo cultu nos subjicimus, totumque Christum θεάνθρωπον religiosa mentis veneratione adoramus, sicque voto, fide, vitaque osculamur, dum arctissimo ac indissolubili Ejus amplexu osculo ac sine fide, gaudio exhilaremur lætissimi!

Quocunque loco fuero, Meum JESUM desidero,
Quam lætus, cum invenero, Quam lætus, cum tenuero.
Tunc amplexus, tunc oscula, Quæ vincunt mellis pocula,
Tunc felix Christi copula, Sed in his parva morula.

מי יתנך כאח לי
יונק שדי אמי
אמצאך בחוץ
אשקך גם לא יבזו לי

Τ' ἀνώτερα καλλίω!



NIC.

NIC. JOH. LETH DISSERTATIO De שאול Hebr. ad Psal. XVI: 10.

DE
ש א ו ל
Seu
DESCENSU AD INFEROS,
EXERCITATIO PHILOLOGICA.

THESIS I.



E Descensu ad inferos Philologice acturis, & genuinam inprimis significationem vocabuli שאול indagaturis, ad propriam vim τȣ̃ ᾅδȣ Græcorum & Latinorum *Inferni* respiciendum erit. Hæc enim vocabula, quibus Hebræum שאול à LXX. Interpretibus & Vulgato Latino plerumque solet exprimi, notiora fere sunt quam τὸ שאול Hebræorum. In declaranda autem voce obscuriori recurrendum est ad aliam illi æquivalentem, sed clariorem, ut ex usu hujus, quæ istius quoque sit significatio propria, innotescat. Nempe *ut nummos quisque ad id, quod sibi exploratum, & pro certo habet, exigit: ita & in cæteris agendum est*, quemadmodum optime monet Aristot. lib. 1. hist. animal. c. 6.

§. II. Ut ergo hinc ordiamur, sciendum est quod ᾅδης Græcis nihil aliud in genere sit quam obscurus, absconditus & ab omni humano consortio remotus quidam locus, vel rectius, status ille, qui excipit mortem, sive is refrigerii & quietis, sive cruciatuum sit plenus. Hoc sensu Theognis in sententiis ℣. 1007. scribit:

Ὡς μάκαρ εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος, ὅστις ἄπειρος
Ἄθλων, εἰς ᾅδȣ δῶμα μέλαν κατέβη.

Quam felix, beatus & fortunatus est, quisquis ignarus
Certaminum, in inferni domum obscuram descenderit,

h. e. in statum defunctorum pervenerit. Et ℣. 244.

—— ὅταν δνοφεροῖς ὑπὸ κεύθμασι γαίης
Βῇς, πολυκωκύτȣς εἰς ἀΐδαο δόμȣς,
Οὐδέ ποτ' ȣ̓δὲ θανὼν ἀπολεῖς κλέος, ȣ̓δέ γε λήσεις,
Ἄφθιτον ἀνθρώποις αἰὲν ἔχων ὄνομα.

—— *Postquam tenebrosas sub latebras terræ*
Iveris, in ædes luctuosas inferni,
Non unquam neque mortuus amittes gloriam, neque etiam latebis,
Immarcessibile semper hominibus habens nomen.

Rursus ℣. 1119:

Μή με κακῶν μέμνησθε, πέπονθά τι οἷά τ' Ὀδυσσεὺς,
Ὅς' ἀΐδȣ μέγα δῶμ' ἤλυθεν ἐξαναδύς.

Ne me malorum meminisse facite: passus sum enim qualia Ulysses,
Qui inferni magnam domum accessit, inde *regressus.*

Phocylides in carmine ℣. 105:

Οὐκ ἐν ἐς ᾅδην ὄλβον ἔχειν καὶ χρήματ' ἄγεσθαι,
Πάντες ἴσοι νεκύων. Ψυχῶν δὲ Θεὸς βασιλεύει.
Κοινὰ μέλαθρα δόμων αἰώνια καὶ πατρὶς ᾅδης,
Ξυνὸς χῶρος ἅπασι, πένησί τε καὶ βασιλεῦσιν.

Non licet in inferno opes habere, & divitias eo portare.
Omnes mortui pares sunt, Deus vero animabus imperat.
Communia & æterna domorum tecta & patria infernus,
Communis locus omnibus est pauperibus & Regibus.

h. e. omnes tam divites quam pauperes mortis conditionem subire coguntur. Plato in Phædone sive Dialogo de anima: Τῷ ὄντι ἄρα οἱ ὀρθῶς φιλοσοφȣ̃ντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι, καὶ τὸ τεθνάναι ἥκιστ' αὐτοῖς ἀνθρώπων φοβερόν. —— εἰ γὰρ διαβέβληνται μὲν πανταχῇ τῷ σώματι, αὐτὴν δὲ καθ' αὑτὴν ἐπιθυμȣ̃σι τὴν ψυχὴν ἔχειν, τȣ́τȣ δὲ γιγνομένȣ φοβοῖντο καὶ ἀγανακτοῖεν, ȣ̓ πολλὴ ἂν ἀλογία εἴη, εἰ μὴ ἄσμενοι ἐκεῖσε ἴοιεν, οἷ ἀφικομένοις ἐλπίς ἐστιν, ȣ̃ διὰ βίȣ ἤρων τυχεῖν; ἤρων δὲ φρονήσεως. ᾧ τε διεβέβληντο, τȣ́τȣ ἀπηλλάχθαι συνόντος αὐτοῖς; ἢ ἀνθρωπίνων μὲν παιδικῶν καὶ γυναικῶν καὶ υἱέων ἀποθανόντων, πολλοὶ δὴ ἑκόντες ἠθέλησαν εἰς ᾅδȣ ἐλθεῖν, ὑπὸ ταύτης ἀγόμενοι τῆς ἐλπίδος, τῆς τȣ̃ ὄψεσθαί τε ἐκεῖ ὧν ἐπεθύμȣν, καὶ ξυνέσεσθαι. Φρονήσεως δὲ ἄρα τις τῷ ὄντι ἐρῶν, καὶ λαβὼν σφόδρα τὴν αὐτὴν ταύτην ἐλπίδα μηδαμȣ̃ ἄλλοθι ἐντεύξεσθαι αὐτῇ ἀξίως λόγȣ ἢ ἐν ᾅδȣ, ἀγανακτήσει τε ἀποθνήσκων, καὶ ȣ̓χ ἄσμενος εἶσιν αὐτόσε; Quæ ita interpretatur Marsilius Ficinus: *Revera igitur recte Philosophantes mortem commentantur* (meditantur), *atque ab ea minime omnium perterrentur.* —— *Cum enim corpus quidem ubique aspernentur, animum vero ipsum cupiant secundum se ipsum habere, nonne summa esset absurditas, si tunc quando id evenit, expavescant, molesteque ferant, neque libenter illuc proficiscantur, quo quum pervenerint, spes est eo quidem quod amabant in vita, potiri, amabant autem sapientiam: eo autem cujus commercium moleste ferebant liberari? An vero amatis & mulieribus & filiis defunctis, multi jam sponte voluerunt ad inferos proficisci, sperantes eos ibi visere,* (eorum aliquid ibi videre) *cum eisque versari quos* (quæ) *amaverant? Sapientiæ autem verus amator, vehementer in hanc ipsam spem adductus, non aliter eam pro dignitate ulla se comparaturum quam si moriatur* (apud inferos), *imminentem mortem ægre feret, annon libenter hinc illuc emigrabit?* Et postea: καὶ κινδυνεύȣσι καὶ οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν ȣ̃τοι καταστήσαντες, ȣ̓ φαῦλοί τινες εἶναι, ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνίττεσθαι, ὅτι ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς ᾅδȣ ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται. ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε καὶ τετελεσμένος ἐκεῖσε ἀφικόμενος, μετὰ Θεῶν οἰκήσει, h. e. interprete eodem Marsilio Ficino: *Quamobrem hi qui mysteria nobis constituerunt, minime contemnendi videntur, sed revera jamdudum occulte nos admonere, quicunque non expiatus, neque initiatus migrabit ad inferos,*

eum jacere in luto: quicunque vero purgatus atque initiatus illuc accesserit, cum Diis habitare. Eodem libro non procul à fine: λέγεται ὡς ἄρα τελευτήσαντα ἕκαστον, ὁ ἑκάστου δαίμων ὅσπερ ζῶντα εἰλήχει, οὗτος ἄγειν ἐπιχειρεῖ εἰς δή τινα τόπον, οἱ δεῖ τοὺς ξυλλεγέντας διαδικασαμένους, εἰς ἅδου πορεύεσθαι, *ferunt quemlibet hinc illuc emigrantem, ab eo dæmone, quem vivens sortitus fuerat, in locum quendam duci, ubi oporteat omnes una collectos judicari, ac deinde ad inferos proficisci.* Dialog. 2. de republica: ἐν ἅδου δίκην δώσομεν, ὧν ἂν ἐνθάδε ἀδικήσωμεν, ἢ αὐτοὶ ἢ παῖδες παίδων, *apud inferos pœnas dabimus eorum quæ hic injuste commiserimus, vel nos, vel nati natorum.* Jamblichius in protreptico cap. 9: τῆς δικαιοσύνης, ὡς φασὶν οἱ σοφοὶ τῶν ποιητῶν, ἐν ἅδου κομιζόμεθα τὰς δωρεάς, *justitiæ, ut sapientes Poëtæ perhibent, apud inferos percipimus dona* & munera, i. e. postquam è vita hac excesserimus. Diogenes Laërtius lib. 6. in vita Antisthenis: μυούμενός ποτε τὰ Ὀρφικά, τοῦ ἱερέως εἰπόντος ὅτι οἱ ταῦτα μυούμενοι πολλῶν ἀγαθῶν ἐν ἅδου μετίσχουσι, τί οὖν (ἔφη) οὐκ ἀποθνήσκεις; *Quum aliquando Orphicis mysteriis initiaretur* (Antisthenes) *diceretque sacerdos, ejusmodi initiatos bonis plurimis apud inferos,* (hoc est, vita defunctos) *perfrui, Cur igitur, ait, ipse non moreris?* Ita & Diphilus Comicus apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromatum:

> Ἔστιν Δίκης ὀφθαλμός, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.
> Καὶ γὰρ καθ' ἅδην δύο τρίβους νομίζομεν·
> Μίαν, δικαίων, ἑτέραν δ' ἀσεβῶν εἶναι
> Ὁδόν. καὶ εἰ τοὺς δύο καλύψει ἡ γῆ.
>
> *Est justus oculus, cuncta qui solus videt.*
> *Hinc inferorum ponimus duplicem locum:*
> *Hunc destinamus impiis, illum piis.*
> *Uterque quamvis conditus terra latet.*

Et mox:

> —— —— μηδὲν πλανηθῇς·
> Ἔστιν ἅδου κρίσις· ἥνπερ ποιήσει
> Θεὸς ὁ πάντων δεσπότης, οὗ τοὔνομα
> Φοβερώτερόν ἐστιν, οὐδ' ἂν ὀνομάσαιμ' ἐγώ.
>
> *Errare noli: judicem inferi dabunt:*
> *Deum, supremum Regem & autorem omnium.*
> *Cujus nec horridum ipse nomen dixerim.*

Plura ejusmodi testimonia ex Poëtis & aliis classicis autoribus Græcis collegit Dn. D. Grabius, Theologus antehac Regiomontanus, nunc Stargardiensis in Pomerania Ecclesiæ supremus antistes, in appendice apologetica libello Urbani Rhegii de formulis caute loquendi subjecta.

§. III. Inde porro descendere εἰς ἅδου (subintell. οἶκον vel δόμον) Græcis idem est quod mori aut in statum defunctorum pervenire. Hac notione iterum Anaxagoras apud Diogenem Laërtium lib. 2. in vita ejus, *indignanti cuidam ac moleste ferenti, quod in alieno solo moreretur,* respondebat: *Bono esto animo,* πανταχόθεν ὁμοία ἐστὶν ἡ εἰς ἅδου κατάβασις, *idem undique in infernum descensus est,* h. e. perinde est, sive quis in patrio, sive in peregrino solo moriatur: in mortuorum enim statum æque cito pervenit unusquisque, qui diem obit supremum, ubicunque etiam locorum vitam exhalet. Meminit hujus dicti Anaxagoræ & Cicero l. 1. Tuscul. quæst. ita scribens: *Praclare Anaxagoras, qui cum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, vellet ne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, afferri: nihil necesse est, inquit, undique enim ad inferos tantundem via est.* Et Crates apud eundem Laërt. l. 6. *quum sentiret se morti proximum, inspiciebat se ipsum dicens,*

> —— στείχεις δὴ φίλε κύρτων,
> Βαίνεις εἰς ἀΐδαο δόμους, κυφὸς ὥραν διὰ γῆρας.
>
> —— *Vadis nunc, optime curve,*
> *Vadis ad orci ædes, longa gibbose senecta.*

Erat quippe ex senectute curvatus. Eadem significatione Euripides in Hippolyto scribit:

> Ὅδ' ὁ σεμνὸς ἐγώ, καὶ θεοσέπτωρ,
> Ὅδ' ὁ σωφροσύνῃ πάντας ὑπερέχων,
> Προὖπτον ἐς ἅδην στείχω κατάκρας
> Ὀλέσας βίοτον.
>
> *Ille ego castus ac in Deos pius,*
> *Ille, qui continentia cunctos supero,*
> *Certe ad inferos abeo, omnino*
> *Deperdita vita,*

id est, in statum defunctorum migro. Et paulo post:

> Εἴθε με κοιμάσειε τὸν δυσδαίμονα
> Ἅιδου μέλαινα, νύκτερος τ' ἀνάγκα.
>
> *Utinam me miserum consopiat*
> *Plutonis* (inferni) *atra, nocturnaque necessitas.*

Sic in Alcestide Eumelus Alcestidis filius, lugens mortem matris suæ:

> Ἰώ μοι τύχας, μαῖα δὴ κάτω
> Βέβηκεν, οὐκ ἔτ' ἐστίν, ὦ
> Πάτερ, ὑφ' ἁλίῳ.
>
> *Hei mihi propter calamitatem, mater jam ad inferos*
> *Abiit, non amplius est, ô*
> *Pater, sub sole.*

Denique & Herculem in tragœdia ista, quam Herculem furentem inscripsit, hoc modo loquentem introducit:

> Ἦπου κατῆλθον αὖθις εἰς ἅδου μολών;
> Εὐρυσθέως δίαυλον εἰς ἅδου πάλιν;
>
> *Numnam redii iterum ad inferos,*
> *Eurysthei reciprocam viam ad inferos profectus?*

i. e. vita defunctus seu mortuis assimilatus?

§. IV. Nec incommode status defunctorum ita appellari potuit. Cum enim Gentiles ductu luminis naturæ investigare aut intelligere nequirent, qualis status hominis mortem exciperet, & ubi anima post dissolutionem à corpore maneret, videntur statum illum in genere appellasse ἅδην, q. d. ἀειδής vel ἀΐδης, h. e. status *inspectabilis, invisibilis,* qui oculis cerni non potest, hominique per naturam fere est incognitus. Quanquam non omnes de origine vocis consentiunt. Plato enim in Cratylo ἅδην dici putat ἀπὸ τοῦ πάντα τὰ καλὰ εἰδέναι, *quod noscat omnia pulchra.* Credidit enim, eos, qui virtuti hic strenuam navassent operam, post mortem in statum lætum, pacatum & felicem transire. Hermogenes autem, teste Platone eodem loco, ἅδην dictum existimavit quasi τὸ ἀειδές. Ὁ δὲ ἅδης, ait Socrates apud Platonem loco citato, οἱ πολλοὶ μέν μοι δοκοῦσιν ὑπολαμβάνειν τὸ ἀειδὲς προσειρῆσθαι τῷ ὀνόματι τούτῳ. καὶ φοβούμενοι τὸ ὄνομα, Πλούτωνα καλοῦσιν αὐτόν, h. e. ἅδης *multi interpretantur quasi* τὸ ἀειδές (invisibile, triste, tenebrosum) *atque hoc nomen horrentes Plutonem vocitant.* De Plutone vero hæc præmittit: τὸ δὲ Πλούτωνος, τοῦτο μὲν κατὰ τὴν τοῦ πλούτου δόσιν, ὅτι ἐκ τῆς γῆς κάτωθεν ἀνίεται ὁ πλοῦτος ἐπωνομάσθη. *Plutonem vero quasi* πλούτου (divitiarum) *datorem dicimus, quoniam divitiæ ex terræ visceribus eruuntur.* Consentit & Plutarchus in libello, *an recte dictum sit, latenter esse vivendum,* ubi ita scribit: ἅδην ὀνομάζουσιν, ὡς ἂν εἰς ἀειδὲς καὶ ἀόρατον ἡμῶν, ὅταν διαλυθῶμεν, βαδιζόντων, *Aden dicunt* (Plutonem) *quod nos, cum dissolvimur, eamus in id quod aspectui visuique est inaccessum.* Spectant huc & illa Platonis iterum è Phædone sive dialogo de anima: ἡ δὲ ψυχὴ ἄρα τὸ ἀειδές, τὸ εἰς τοιοῦτον τόπον ἕτερον οἰχόμενον γενναῖον καὶ καθαρὸν καὶ ἀειδῆ εἰς ἅδου, ὡς ἀληθῶς παρὰ τὸν ἀγαθὸν καὶ φρόνιμον Θεόν. &c. *Anima quæ invisibile quiddam est, in similem quendam aliumque locum migrat, excellentem, purum, invisibilem, in infernum, revera ad bonum sapientemque Deum.* Nempe derivarunt hi ἅδην ab α privativo & ἰδεῖν aoristo 2. verbi εἴδω video, à *non videndo,* quam originationem probat & Eustathius initio Iliad. qui & *Atticorum more* vocem ἅδης aspirari ibidem docet, cum alias non ἅδης cum aspero, sed ἄδης cum tenui spiritu, ordinarie dicendum fuisset. Quamvis ipse Plato, ut jam tum paulo ante innuimus, hic dissentiat. Ita enim ille ad Hermogenem, libro supra citato (nempe in Cratylo): Καὶ τό γε ὄνομα ὁ ἅδης, ὦ Ἑρμόγενες, πολλοῦ δεῖ ἀπὸ τοῦ ἀειδοῦς ἐπωνομάσθαι. ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἀπὸ τοῦ πάντα τὰ καλὰ εἰδέναι, ἀπὸ τούτου ὑπὸ τοῦ ὀνομαθέτου ἅδης ἐκλήθη, *longe abest, O Hermogenes, ut nomen* ἅδης *quasi* ἀειδὲς *sit dictum, imo ab eo trahitur quod est* εἰδέναι (nosse) *omnia pulchra, ex hoc à nominum conditore* ἅδης *est nuncupatus.* Aliis ἅδης ita dicitur quasi ἀηδής, *injucundus,* ab ἥδω, *lætor,* in quo nihil sit ἡδύ, *suave:* qui propterea & Jota literæ α subscribere nolunt. Hinc Augustinus l. 12. de Genes. ad lit. c. 34. scribit: *in Græca lingua origo nominis quo appellantur inferi, ex eo quod nihil suave habeant, resonare perhibetur.*

§. V. Eadem vero est & vocis *Inferni* vel potius *Inferorum* (*Inferni* enim vocem substantivam in Cicerone & aliis ejus notæ scriptoribus non invenies) apud Latinos significatio. Sic Cicero orat. 22. quæ quarta est in Catilinam: *Itaque,* inquit, *ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos ejusmodi quædam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt: quod videlicet intelligebant, his remotis, non esse mortem ipsam pertimescendam.* Et lib. 1. de inventione n. 56. *In eo,*

In eo, quod in opinione positum est, hujusmodi sunt probabilia: impiis apud inferos pœnas esse præparatas, h. e. postquam ex hac vita discesserint. Propertius:

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
Nudus ad infernas stulte veheris aquas.

i. e. nudus in statum mortuorum pervenies. Vellejus Paterculus lib. 2. histor. de Pompejo verba faciens: *Qui si ante biennium, quam ad arma itum est, perfectis muneribus theatri, & aliorum operum, quæ ei circumdedit, gravissima tentatus valetudine decessisset in Campania -- defuisset fortunæ destruendi ejus locus; &, quam apud superos habuerat magnitudinem, inlibatam detulisset ad inferos.* Florus l. 4. epit. rerum humanar. c. 8. de eodem Pompejo: *magni famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil tentasset ulterius*, h. e. magnam magni ducis gloriam, etiam post mortem duraturam, sibi comparasset. Papinius Statius l. 4. Thebaidos in argumento:

Nec non Tiresias infernas consulit umbras.

In quem locum ita Scholiastes vetus: *Infernas, i. e. infernales, stygias, tartareas. Omnia enim post mortem inferna & infernalia dicuntur, ut viventia superis adscribuntur.*

§. VI. Neque dubium est quin iste, quem diximus, vocis ᾅδου eique apud Latinos respondentis vocis *inferorum* sensus etiam in Scripturis obtineat. Autor libri Sapient. c. 1: 13. 14. ὁ Θεὸς θάνατον οὐκ ἐποίησεν -- οὔτε ᾅδου βασίλειον ἐπὶ γῆς, *Deus mortem non fecit -- nec inferorum regnum* est *in terra*, nempe ex institutione Dei. Hoc vult dicere: non à Deo constitutum est, ut mors Regiam suam & quasi Basilicam (in Græco enim est βασίλειον, qua voce domus Regia proprie notatur, quemadmodum & Latinis *Basilicæ* olim dicebantur Regum habitacula) in terra figeret, h. e. in homines, quibus terram incolendam dederat Deus, jus ac potestatem exerceret, sed à Satana & peccato, in quod ille induxit hominem, id provenit, sicut ipse diserte addit cap. 2: 24. *invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*, item vers. 16. *impii vero manibus & sermonibus accersiverunt mortem, amicam arbitrati eam.* Cap. 2: 1. οὐκ ἔστιν ἴασις ἐν τελευτῇ ἀνθρώπου, καὶ οὐκ ἐγνώσθη ὁ ἀναλύσας ἐξ ᾅδου, *non est remedium adversus mortem hominis, nec cognitus est ullus qui ab inferis reverterit*, i. e. ex mortuis. Baruch. cap. 2: 17, 18. οὐχ οἱ τεθνηκότες ἐν τῷ ᾅδῃ, ὧν ἐλήφθη τὸ πνεῦμα αὐτῶν ἀπὸ τῶν σπλάγχνων αὐτῶν, δώσουσι δόξαν καὶ δικαίωμα τῷ κυρίῳ· ἀλλὰ ἡ ψυχὴ ἡ λυπουμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος &c. *Non mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis* (ipsorum), *dabunt honorem & justificationem* (laudem justitiæ) *Domino, sed anima quæ tristis est super magnitudinem mali* &c. Ubi ἐν ᾅδῃ aperte collocantur *mortui.* Cap. 3: 11. Τί ἐστιν Ἰσραὴλ, ὅτι ἐν γῇ τῶν ἐχθρῶν ἐπαλαιώθης; ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ συνεμιάνθης τοῖς νεκροῖς; προσελογίσθης μετὰ τῶν εἰς ᾅδου. Vulg. *Quid est Israël quod in terra inimicorum es? inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum.* Ubi *descendentes in infernum & mortui* inter se permutantur. Siracides cap. IX. vs. 15. μὴ εὐδοκήσῃς ἐν εὐδοκίᾳ ἀσεβῶν, μνήσθητι ὅτι ἕως ᾅδου οὐ μὴ δικαιωθῶσιν, *ne placeant tibi impiorum placita, memento eos ad inferos usque*, i. e. usque ad mortem, *minime justos fore.* Cap. 14: 12. μνήσθητι, ὅτι θάνατος οὐ χρονιεῖ, καὶ διαθήκη ᾅδου οὐχ ὑπεδείχθη σοι, *memento mortem non tardare, & testamentum inferorum* (sive pactum cum inferis) *non fuisse demonstratum tibi*, h. e. non esse tibi declaratum statum tempus, quo ad inferos migrare, sive in statum mortuorum pervenire debeas. Eod. c. 16. Δὸς καὶ λάβε, καὶ ἁγίασον τὴν ψυχήν σου, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐν ᾅδου ζητῆσαι τροφήν, *Da & accipe, & sanctifica animam tuam, quoniam non est apud inferos*, h. e. in mortis statu, *cur alimentum quæras.* Cap. 41: 7. Εἴτε δέκα, εἴτε ἑκατὸν, εἴτε χίλια ἔτη, οὐκ ἔστιν ἐν ᾅδου ἐλεγμὸς ζωῆς, *sive decem, sive centum, sive mille annos* natus fueris, *non est in inferno accusatio vitæ*, h. e. ubi in statum mortuorum ventum est, parum refert, multos ne an paucos annos quis vixerit. Nemo enim ex eo capite illic arguitur, sed quod annos suos, sive multi illi fuerint, sive pauci, male collocaverit. Bene Junius & Tremellius in hunc locum: *Post mortem non initur tecum ratio quantum vixeris, neque tibi vertetur crimini parum aut multum vixisse, sed male vixisse te, & male acta vitæ ratio subducetur.* Inprimis vero notabilis est locus qui occurrit c. 48: vs. 5. ubi inter alia miracula ab Elia patrata etiam hoc deprædicat, quod mortuum (sepulchro nondum illatum) in hanc vitam reduxerit ἐξ ᾅδου, i. e. ex mortis statu. Ὁ ἐγείρας, ait, νεκρὸν ἐκ θανάτου, καὶ ἐξ ᾅδου (al. addunt ψυχὴν) ἐν λόγῳ ὑψίστου. Vulg. *Qui sustulisti mortuum ab inferis, de sorte mortis, in verbo Domini Dei.* Vid. 1. Reg. 17: 21. 22. Sic & c. 51: 7. Deo gratias agit Siracides, quod è faucibus profundis inferni, ἐκ βάθους κοιλίας ᾅδου (*ex profundo Orci ventre*, ut vertit Arias Montanus) h. e. è statu & conditione mortis certissimæ, ipsum eripuisset. Ita enim ipsemet id exponit vs. 8. cum ait: ἤγγισεν (al. ἤγγιστεν) ἕως θανάτου ἡ ψυχή μου καὶ ἡ ζωή μου ἦν σύνεγγυς ᾅδου κάτω, *appropinquaverat ad mortem usque anima mea, & vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.* Libro quoque 3 Maccabæorum aliquoties vocabulum ᾅδης hac significatione usurpatum occurrit. V. g. cap. 4: 7. de novis conjugibus dicitur, quod sub tyrannide Ptolemei Philopatoris, *in florente ætate adolescentiæ, laqueis coronarum loco cervicibus implexi, pro convivio juvenilibusque deliciis reliquos nuptiarum dies in lamentationibus degerint*, παρὰ πόδας ἤδη τὸν ᾅδην ὁρῶντες κείμενον, *jam ante pedes infernum positum videntes*, id est, mortem. Et cap. 5: vs. 32. de Judæis narratur, quod, *quum illud sibi ultimum vitæ momentum esse arbitrarentur, pronos unanimiter se ipsos prosternentes, & infantes ab uberibus seponentes, inclamaverint voce magna universitatis principem, supplicantes, ut apparitione illustri facta misereretur ipsos jam ad portas inferorum constitutos*, πρὸς πύλαις ᾅδου καθεστῶτας.

§. VII. Eadem significatio vocis ᾅδου occurrit etiam in Novo Testamento, v. g. Luc. 16: 23. ubi non minus pauper ille ac pius Lazarus ἐν ᾅδῃ post obitum fuisse videtur, quam dives impius, verum cum hoc discrimine, quod hic fuerit constitutus ἐν βασάνοις, *in tormentis*, ille vero ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Ἀβραάμ, *in sinu Abrahæ*, hoc est, in statu refrigerii, solatii & quietis. Lutherus quidem versiculum 23. hunc in modum transtulit: **Alß er nun in der Hölle und in der Quaal war / hub er seine Augen auff / und sahe Abraham von ferne / und Lazarum in seinem Schoß.** Ubi vocabulum **Hölle** / Germanis ambiguum, vulgo pro Gehenna, sive loco tormentorum, accipitur, quasi nemo possit esse in inferno s. ᾅδῃ, qui non simul sit in tormentis, quemadmodum vertit & Syrus: וכד משתנק בשיול ארים עינוהי מן רוחקא, *& quum torqueretur in inferno, sustulit oculos suos è longinquo* &c. Verum in Græco ita sonant verba, atque ita se habet constructio: Καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, ὑπάρχων ἐν βασάνοις, ὁρᾷ τὸν Ἀβραὰμ ἀπὸ μακρόθεν, καὶ Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ. Quæ commodius forsan ita vertas: **Als er nun in der Hölle seine Augen auffhub / und in der Quaal war / sah er Abraham von ferne / und Lazarum in seinem Schoß.** Æthiops: *in inferno elevavit oculos suos, & cum esset in cruciatu, vidit Abraham è longinquo, & Lazarum in sinu ejus.* Ecce dives in inferno elevans oculos suos, Abrahamum pariter videt & Lazarum, ἀπὸ μακρόθεν quidem s. *è longinquo*, verum ita tamen, ut inter Abrahamum Lazarumque in sinu ejus constitutum, & inter locum in quo dives erat, non nisi χάσμα μέγα, *magnus* aliquis *hiatus* (ut vers. 26. hujus capitis dicitur) intercesserit. Quo ipso indicari videtur, quod & Abraham & Lazarus & dives in inferno fuerint, cum eo tamen, quod jam dedimus, discrimine. Non aliter sane multi ex Veteribus hunc locum intellexerunt. Inde Chrysostomus homil. de divite: *Audivimus*, inquit, *quid utrique in terra sustinuerint: videamus, quid utrique eorum apud inferos patiantur.* Hieronymus epist. 25. *Et Abraham licet in loco refrigerii, tamen apud inferos fuisse scribitur.* Theophilus Antiochenus l. 4. allegoriarum in Johannem: *In hoc, quod apud infernum Abrahamum videt* (dives), *hæc subesse quibusdam ratio putatur, quod omnes Sancti ante adventum Domini nostri Jesu Christi ad inferna, licet ad refrigerii locum descendisse leguntur.* Tertullianus lib. de idololatria c. 13. *Sic & Lazarus apud inferos in sinu Abrahæ refrigerium consecutus; contra dives in tormento ignis constitutus.* Atque hinc & in Apocalypsi passim θάνατος & ᾅδης conjunguntur. Veluti cap. 1: 18. ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου καὶ τοῦ θανάτου (Syr. אית לי קלידא דמותא ודשיול) *habeo claves mortis & inferni.* Cap. 20: vers. 13. ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης (מותא ושיול) ἔδωκαν τοὺς ἐν αὐτοῖς νεκρούς. *Mors & infernus reddiderunt mortuos suos.* vs. 14. ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης ἐβλήθησαν εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρός. *Infernus & mors conjecti sunt in stagnum ignis.* Syrus: ומותא ושיול אתתרמיו בהי ימתא דנורא. Luth. **Der Tod und die Hölle wurden geworffen in den feurigen Pfuhl.** Imo cap. 6: 8. ᾅδης expresse sequi perhibetur Mortem. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος χλωρὸς, καὶ ὁ καθήμενος ἐπάνω αὐτοῦ ὄνομα αὐτῷ ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης ἀκολουθεῖ μετ' αὐτοῦ, *& vidi, & ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors* (Syr. שמא לה מותא): *& Infernus* (ושיול) *sequitur eum.* Ubi per Mortem ipse actus moriendi, per ᾅδην autem status sequens designari videtur.

§. VIII. Quod igitur Græci ᾅδην, Latini Infernum dicunt, id Hebræis proprie videtur esse שאול. Consideremus omnia & singula

singula Scripturæ loca, in quibus vox illa in Codice Hebræo usurpata occurrit (ex inductione enim exemplorum & locorum parallelorum genuina vocum significatio inter alia eruenda est) & rem ita se habere liquido constabit. Genes. 37: 35. dicebat Patriarcha Israël de filio suo Josepho, quem non sepultum, sed à bestia devoratum credebat: כי־ארד אל־בני אבל שאלה *descendam ad filium meum lugens in infernum.* Hoc volebat dicere Patriarcha: moriar in luctu hoc, in quem me vocavit triste illud de internecione filii mei nuncium. Cap. 42: 38. *Si quid ei* (Benjamino) *adversitatis acciderit in terra ad quam pergitis, descendere facietis canitiem meam cum dolore in infernum,* והורדתם את־שבתי ביגון שאולה, i. e. me canum (Lev. cap. 19: 32.) sive senem præ tristitia & mœrore ante tempus diem obire sinetis, hujusque rei occasionem quandam præbebitis. Vid. & Genes. 44: 29. & 31. ubi eadem fere verba habentur, Numer. 16: 28. & sequentibus: *In hoc scietis, quod Dominus miserit me. -- Si consueta hominum morte interierint* (seditiosi illi, Core, Dathan & Abiron) -- *non misit me Dominus. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum* (וירדו חיים שאלה), *scietis, quod blasphemaverint Dominum. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum: & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis & universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum* (וירדו הם וכל־אשר להם חיים שאלה) *operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* LXX. Καὶ κατέβησαν αὐτοὶ, ἢ πάντα ὅσα ἐστὶν αὐτοῖς, ζῶντες εἰς ᾅδου, καὶ ἐκάλυψεν αὐτοὺς ἡ γῆ &c. Sensus est, Core, Dathan & Abiron (Abiram), cum omnibus suis, non personis solum, sed & rebus, vivos (h. e. bene valentes, sanos & incolumes, nullo præcedente morbo) à terra fuisse absorptos, ita ut personæ quidem illæ post factam dissolutionem animæ à corpore revera in statum defunctorum & τῶν damnatorum (quantum ad animam), tabernacula autem & corpora horum hominum in voraginem quandam subterraneam devenerint. *Ut enim cœlum dicitur non tantum habitaculum Dei, sed omnia quæ supra nos loca, stellarum, avium &c. ita* שאול *infernus* (quando scilicet latius nonnihil, vel metaphorice & improprie, sumitur) *dicitur de omnibus locis quæ infra nos sunt,* ut recte scribit doctissimus Anglus, Henricus Ainsworthus, apud Matthæum Polum in Synopsi Criticorum S. Vol. 2. pag. 626. edit. Londinensis. Deut. 32: 22. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima,* עד־שאול תחתית, biß in die unterste Hölle / ut bene vertit Lutherus. 1 Sam. 2: 6. יהוה ממית ומחיה מוריד שאול ויעל: *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit,* h. e. Dominus interficit quos vult, & vitæ restituit quos vult, Dominus est autor vitæ & necis. 1 Reg. 2: 6. David de Joabo ad Salomonem dicebat: לא תורד שיבתו בשלם שאל, *non deduces canos ejus in pace in infernum,* h. e. non sines eum senio confectum mori morte naturali. Similiter de Simei vs. 9. והורדת את שיבתו בדם שאול, *deduces canos ejus non sine sanguine ad inferos,* i. e. curabis eum, quantumvis senem, interfici, ne inultum maneat crimen læsæ majestatis, quod in me commisit.

§. IX. Sequitur Psalmorum liber. Psalm. 6: 6. כי אין במות זכרך בשאול מי יודה־לך: *Quoniam non est in morte memoria tui; in inferno* (h. e. statu mortis) *quis confitebitur tibi?* (nempe publice & in cœtu Ecclesiæ, inter viventes, palam & in oculis omnium). Ps. 9: 8. ישבו רשעים לשאולה כל־גוים שכחי אלהים, *Revertantur impii in infernum, omnes gentes quæ oblitæ sunt Dei,* i. e. pereant, extinguantur, moriantur. Psalm. 16: 10. כי לא־תעזב נפשי לשאול לא־תתן חסידך לראות שחת: *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem,* i. e. non relinques animam meam in eo statu, quo à corpore fit soluta, nec carnem meam in sepulchro putrescere permittes, sed exiguo admodum temporis spatio interjecto ex mortuis me rursum revocabis, animam conjungens cum corpore. LXX. ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. Psalm. 18: 5. & 6. אפפוני חבלי־מות וגו׳ חבלי שאול סבבוני קדמוני מוקשי מות: *Comprehenderunt me dolores mortis* —— *dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.* LXX. Περιέσχον με ὠδῖνες θανάτου —— ὠδῖνες ᾅδου περιεκύκλωσάν με &c. Ὠδῖνες (ut & Hebr. חבל Esai. 66: 7. & alibi) proprie dicuntur dolores illi, quibus mulier pariens ante partum cruciatur, quemadmodum observant Suidas & Hesychius in lexicis. Per metaphoram vero inde porro ita vocantur quivis dolores graves & intensi. Ὠδῖνες τοῦ ᾅδου autem sunt dolores hominem circumstantes in solutione animæ & corporis, quemadmodum Basilius loquitur in Psalm. 115. Theodoretus in Ps. 17. eos exponit *pericula mortem afferentia. Quemadmodum enim* (pergit) *dolores* parturientium *sunt prope ipsum partum, sic maxima discrimina ad mortem appropinquant.* Et Suidas scribit: *Inferni dolores vocantur calamitates, quæ faciunt, ut ad mortem accedamus.* Non male Chaldæus hunc locum παραφράζει: אקפתני עקא כאתא דיתבא על מתברא וחיל לית לה למילד והיא מסכנא למממת, *circumdedit me angustia, sicut dolor mulierem, quæ sedet in partu, & cui vis non est pariendi, quæque periclitatur ad mortem.* Per dolores nempe inferni non alios intelligit Psaltes, quam quos mors solet habere conjunctos, aut qui mortem præcedere solent, à quibus se liberatum esse prædicat, & Deo propterea gratias agit. Confer 2. Sam. c. 22: 6. ubi eadem fere verba repetuntur, nisi quod pro חבלי מות, dolores mortis; ubi est משברי מות, *fluctus mortis.* Ps. 30: 4. העלית מן שאול נפשי חייתני מיורדי בור, *eduxisti ab inferno animam meam: vivificasti me à descendentibus in lacum,* i. e. revocasti me quasi è morte ad vitam, conservasti me in vita, cum de illa jam desperarem. Ps. 31: 18. יהוה אל־אבושה כי קראתיך יבשו רשעים ידמו לשאול: *Domine non confundar, quoniam invocavi te. Erubescant impii, & deducantur in infernum,* i. e. exscindantur. Psalm. 49: 15, 16. כצאן לשאול שתו מות ירעם וירדו בם ישרים לבקר וצורם לבלות שאול מזבל לו: אך־אלהים יפדה־נפשי מיד שאול כי יקחני סלה: *Sicut oves in inferno positi sunt* (Hebr. *ponunt* se, nempe impii, h. e. non aliter ad mortem tendunt, quam oves, nec magis de fine suo cogitant, æque moriuntur absque sapientia ac oves): *mors depascet eos. Et dominabuntur eorum justi in matutino* (h. e. in die judicii s. resurrectione mortuorum. Alludi videtur ad tempus judicii, quod erat aurora, Jer. 21: 12.): *& auxilium eorum* (Hebr. rupes s. petra eorum, h. e. id cui tanquam petræ confisi fuerunt, robur, potentia & præsidium eorum) *veterascet* (deficiet, peribit) *in inferno à gloria eorum* (Hebr. ab habitaculo suo, h. e. ne sit habitaculum ulli ipsorum ulterius, vel cujusque illorum abeuntis ex habitaculo suo). *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi* (h. e. è potestate mortis), *cum acceperit me.* שאול hic est status mortuorum, ut ex toto contextu patet, qui agit de hominibus instar ovium gregatim & magno numero pereuntibus. Ps. 55: 16. ישי מות עלימו ירדו שאול חיים כי רעות במגורם בקרבם: *Veniat mors* (Hebr. exactorem agat) *super illos, & descendant in infernum viventes. Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.* Sensus est: Moriantur morte subita, notabili & inconsueta, ut Core, Dathan & Abiram. Moriantur *vivi*, i. e. non sentientes se mori, bene sani & incolumes, nullo præcedente morbo. Explicat seipsum Psaltes vs. 24. ubi hæc habentur: ואתה אלהים תורדם לבאר שחת אנשי דמים ומרמה לא יחצו ימיהם, *Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos,* h. e. morientur morte immatura, in flore ætatis, quum per naturam diutius potuissent vivere. Psalm. 86: 12, 13. הצלת נפשי משאול תחתיה, *eruisti animam meam ex inferno inferiori,* h. e. è morte certa & manifesta, è periculis mortis gravissimis & capitalibus Ps. 88: 4: כי שבעה ברעות נפשי וחיי לשאול הגיעו נחשבתי עם יורדי בור הייתי כגבר אין איל: במתים חפשי וגו׳, *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio* (Hebr. cui *non* est *fortitudo*, virtus vel robur, h. e. sine virtute aut viribus), *inter mortuos liber* (semotus, separatus, à negotiis & conversatione mundi). Sensus est: lethaliter ægroto, parum abest quin in statum mortis pervenerim. Theodoretus: *prope ipsam mortem sum tuoque auxilio indigeo.* Additur quidem vs. 6. כמו חללים שכבי קבר אשר לא זכרתם עוד והמה מידך נגזרו:, *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.* Verum h. l. vocabulum קבר non videtur esse ἐξηγητικὸν τοῦ שאול. Sic enim ταυτολογία aliqua foret in his verbis, & idem sensus diversis verbis non semel vel iterum, ut fieri solet לחזק הענין, *ad corroborandum sensum* (quemadmodum loquuntur Rabbini), sed ter, imo quater, repeteretur. Sequitur enim: שתני בבור תחתיות במחשכים במצלות, *Posuerunt me* (posuisti me) *in lacu inferiori: in tenebrosis, & in umbra mortis* (Hebr. in profundis). Ubi vocabulum בור Judæi antiquiores putant esse *synonymum* τοῦ שאול, & de inferno accipiunt. Psal. 89: 49. מי גבר יחיה ולא יראה מות ימלט נפשו מיד־שאול סלה: *Quis vir est, qui vivat & non moriatur, qui eripiat animam suam à violentia inferni?* LXX. τίς ἐστιν ἄνθρωπος ὃς ζήσεται, καὶ οὐκ ὄψεται θάνατον, ῥύσεται τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐκ χειρὸς ᾅδου; Multi sane moriuntur, qui non sepeliuntur. שאול ergo h. l. non erit idem quod קבר. Psalm. 116: 3. eadem fere verba habentur, quæ ante è Psalm. 18. & 2. Sam. 22. adduximus. Quid autem per מצרי שאול, *angustias s. angores inferni,* intelligat, ipse

ipſe Pſaltes indicat verſ. 7. & 8. ubi animam ſuam ita alloquitur: שובי נפשי למנוחיכי כי יהוה גמל עליכי: כי חלצת נפשי ממות את־עיני מן־דמעה את־רגלי מדחי: אתהלך לפני יהוה בארצות החיים: *Revertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit* (eripuiſti) *animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu. Placebo Domino in regione vivorum.* Pſalm. 139: 7. אנה אלך מרוחך ואנה מפניך אברח: אם אסק שמים שם אתה ואציעה שאול הנך: *Quo ibo à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum* (Hebr. *ſi ſtratum poſuero in inferno*, h. e. in imis terræ latebris & quaſi centro terræ) *adès.* Scheol interdum generalius ſumitur pro omnibus illis locis quæ infra nos ſunt, & Cœlo opponitur. Pſalm. 141: 6. נפזרו עצמינו לפי שאול, *diſperſa ſunt oſſa noſtra ſecus infernum*, h. e. diſperſa eſt omnis noſtra virtus, debilitatæ & fractæ ſunt vires noſtræ, uſque ad mortem, ut nihil ſuperſit amplius, quam ut anima corpus enervatum deſerat, atque in alterum iſtum ſtatum, quem poſt mortem obtinere ſolet, migret: in ea diſcrimina adducti ſumus, ut proxime ad mortem acceſſerimus.

§. X. Succedant Jobus, Proverbia, Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum. Job. 7: 9. כלה ענן וילך כן יורד שאול לא יעלה: לא ישוב עוד לביתו ולא יכירנו עוד מקומו: *Sicut conſumitur nubes, & pertranſit: ſic qui deſcenderit ad inferos, non aſcendet, nec revertetur ultra in domum ſuam, neque cognoſcet eum amplius locus ejus*, h. e. qui ſemel mortuus eſt, non revertetur in vitam, ſubintell. *naturaliter*, vel *ante reſurrectionem*, vel *ad ſimilem vitam*, quam vixit in hoc ſeculo, mortalem nempe & corruptibilem. Job. 11: 7. גבהי שמים מה תפעל עמקה משאול מה־תדע:, *Excelſior cœlo eſt* (ſapientia Dei), *& quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces?* Ubi Scheol iterum Cœlo opponitur. Job. 14: 13. מי יתן בשאול תצפנני תסתירני עד שוב אפך, *utinam apud inferos me cuſtodiiſſes & abſcondiſſes me, donec deſæviiſſet ira tua.* Si optio mihi daretur, vult dicere, eligerem plane ad mortuos ſecedere, quam in tam luctuoſa vita commorari, dum tua remittat indignatio: libenter vita carerem toto cruciatus mei tempore. Job. cap. 17: 13. & ſequentibus: אם אקוה שאול ביתי בחשך רפדתי יצועי: ואיה אפו תקותי ותקותי מי ישורנה: בדי שאול תרדנה אם יחד על עפר נחת:. Vulg. *Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtravi lectulum meum. —— Ubi eſt ergo nunc præſtolatio mea, & patientiam* (expectationem) *meam quis conſiderat? In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea* (Hebr. in *vectes*, membra vel ramos *inferni*, h. e. in ulnas & amplexum orci, explicante Coccejo, *deſcendent*, nempe ſpes meæ): *putaſne ſaltem ibi erit requies mihi?* [Vox *Nachath*, quæ eſt in Hebræo, vel *quietem* vel *deſcenſum* ſignificare poteſt. LXX. videntur legiſſe *Nichath*, deſcendemus, verterunt enim: ἢ ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ χώματος καταβησόμεθα; Junius & Tremellius: *Siquidem pariter in pulvere deſcenſus* earum futurus eſt]. Senſus eſt: Non eſt quod reſtitutionem illam, quam vos mihi pollicemini, expectem: omnibus enim mors ſubeunda eſt, indeque nec ego aliud, quod expectem, habeo, quam ut & ipſe tandem in defunctorum ſtatum perveniam. Omnes ſpes meæ erunt fruſtraneæ, quia mox moriar. Verſ. 14. quidem additur: לשחת קראתי אבי אתה אמי ואחתי לרמה: *Putredini* [foveæ] *dixi, Pater meus es, Mater mea & ſoror mea, vermibus.* Verum exinde nondum ſequi videtur, שאול proprie eſſe idem quod קבר *ſepulchrum.* Job. 21: 13. יבלו בטוב ימיהם וברגע שאול יחתו *Ducunt* (impii) *in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*, i. e. ſubito moriuntur, extinguuntur. In Hebræo eſt יבלו, pro quo יכלו legendum eſſe, Maſorethæ notant. Job. 24: 9. ציה גם חם יגזלו מימי שלג שאול חטאו:, Ut *ſiccitas, etiam æſtus, arripiunt aquas nivales*, ita *infernus eos qui peccarunt*, h. e. ut ſiccitas abſumit & quaſi abſorbet aquas nivis, quas calor celerrime, hominibus vix obſervantibus, diſſolverat, ita mors repente eos qui ſine Dei cura & cultu vixerunt, ſine ſenſu ac obſervatione rapit. Vel: Ut nix non ante liqueſcit, quam æſtus cum ſiccitate ſuperveniens eam abſumſerit, ſic improbi ad mortem uſque impune peccant, repente etiam & ſine cruciatu moriuntur. Job. 26: 6. ערום שאול נגדו ואין כסות לאבדון *Nudus eſt infernus coram illo* (nempe Deo) *& nullum eſt operimentum perditioni.* Conjunguntur hic שאול & אבדון, quemadmodum Job. 28: 22. אבדון ומות.

§. XI. Proverb. 1: 12. נבלעם כשאול חיים ותמימים כיורדי בור: *Deglutiamus eum* [Hebr. *eos*, nempe innocentes] *ſicut infernus, viventem* [viventes], *& integrum* [integros] *quaſi deſcendentem* [deſcendentes] *in lacum.* Notatur aviditas hac phraſi, & alluditur ad pœnam Coræ, Dathan & Abiram, qui à terra, cum omnibus ſuis, vivi abſorpti, ſubito perierunt, ut nullibi in terris reperirentur amplius. Proverb. 5: 5. רגליה יורדות מות שאול צעדיה יתמכו, *Pedes ejus* [ſc. alienæ ſ. extraneæ, h. e. adulteræ] *deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus ejus penetrant*, h. e. ad mortem & exitium ducunt, tum corporis tum animæ. Prov. 7: 27. דרכי שאול ביתה יורדות אל־חדרי־מות:, *Via inferi domus ejus* [adulteræ iterum], *penetrantes interiora mortis*, h. e. conſuetudo mulieris adulteræ mortem affert certiſſimam, non corporalem ſolum & externam, ſed & ſpiritualem ſ. æternam. Proverb. 9: 8. ולא ידע כי־רפאים שם בעמקי שאול קראיה, *Ignorat ille* (ſimplex, vel juvenis qui aquas furtivas bibit) *expertes vitæ illic eſſe, in profundis inferni* (h. e. præſentiſſimis periculis mortis) *invitatos ab ea* (muliere adultera). Proverb. 15: 11. שאול ואבדון נגד יהוה אף כי־לבות בני־אדם:, *Infernus & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum?* h. e. Dominus videt quid defuncti agant in ſtatu mortuorum, cur non quid homines in terra? Prov. 15: 24. ארח חיים למעלה למשכיל למען סור משאול מטה: *Via vitæ ſurſum ducit prudentem, ut deflectat ab inferis*, qui *deorſum* ſunt (Hebr. *ab inferno infra*, h. e. inferiore, ut Proverb. 3: 25. *à pavore ſubito*, i. e. ſubitaneo. Neh. 2: 12. *homines parum*, i. e. pauci). Scheol viæ vitæ opponitur, non alia de cauſa, niſi quia ſtatum deſignat mortuorum. Homo ſapiens, vult dicere, in omnibus actionibus ſuis Deum reſpicit, ut à periculis mortis ſervetur, non corporis ſolum ſed & animæ. Prov. 23: 13, 14. אל תמנע מנער מוסר כי תכנו בשבט לא ימות: אתה בשבט תכנו ונפשו משאול תציל:, *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim* (quamvis enim) *percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Senſus eſt: Si ferula percuſſeris puerum delinquentem, frugi hominem eum efficies, qui ſe ipſum turpiter vivendo in vitæ periculum non conjiciat, ſed cum honeſtate potius ad annos ſatis longos vitam ſuam protrahat: caſtigando eum efficies, ut à ſcelere avertatur, ob quod morte plecti potuit, non temporali ſolum, ſed & æterna. LXX. τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐκ θανάτου ῥύσῃ, *animam ejus à morte erues.* Proverb. 27: 20. שאול ואבדון לא תשבענה, *Infernus & perditio nunquam ſaturantur.* Cap. 30: vſ. 15, 16. שלוש הנה לא תשבענה ארבע לא־אמרו הון: שאול ועצר רחם ארץ לא־שבעה מים ואש לא־אמרה הון:, *Tria ſunt quæ non ſatiantur*, imo *quatuor* ſunt quæ *non dicunt, Sufficit: Infernus & os vulvæ;* (Hebr. *occluſio uteri*, h. e. uterus occluſus ſ. ſterilis) *terra non ſatiatur aquis, & ignis non dicit, Sufficit.* Status mortuorum Hebræis dicitur שאול, à שאל *petendo, expetendo*, quia nunquam ſatiatur, ſed ſemper expetit. Eodem ſenſu regnum Ditis *inſatiabile* vocant Poëtæ. Eccleſiaſtes cap. 9: 10. כל אשר תמצא ידך לעשות בכחך עשה כי אין מעשה וחשבון ודעת וחכמה בשאול אשר אתה הלך שמה: *Omne quod invenerit manus tua ad faciendum, ſecundum vires tuas fac: quia non eſt opus, nec cogitatio, nec ſcientia, nec ſapientia, apud inferos, quo tu properas.* Poſt mortem, vult dicere, non ſupererit tibi amplius occaſio deliberandi, operandi, Deumque promerendi: nihil eorum quæ hic aguntur, poſt mortem agere poteris. Quæcunque ergo tibi honeſtæ hilaritatis & bene operandi occaſio inciderit, eam, dum vivis, arripe. Hieronymus in commentario: *Fac quodcunque nunc potes, & labora: quia cum ad infernum deſcenderis, locus non erit pœnitentiæ.* Canticum Cantic. cap. 8: 6. שימני כחותם על־לבך כחותם על־זרועך כי־עזה כמות אהבה קשה כשאול קנאה, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt ut mors dilectio: dura ſicut infernus æmulatio.* Conjunguntur iterum שאול & מות. Senſus eſt: Inſuperabilis eſt amor meus, ut mors, quæ omnia vincit (Eccl. 8: 8.): tenax eſt hic amor meus, nec unquam dimittit, quod ſemel arripuit.

§. XII. Reſtant Prophetarum libri. Eſai. 5: 11. & ſequentibus: *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris: & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis. Propterea captivus ductus eſt populus meus, eo quod non habuerit ſcientiam, &* viri *gloriæ ejus* ſunt *viri famis: & multitudo ejus arida ſiti. Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum præter morem: & deſcendet decorus ejus, & multitudo ejus, & turba ejus, & lætus in ea.* לכן הרחיבה שאול נפשה ופערה פיה לבלי חק וירד הדרה והמנה ושאונה ועלז בה:. Senſus eſt: Quia voluptati ac deliciis ſe dedit populus, ideo decrevit Deus horrenda ſtrage aut fame immiſſa internecionem ei accelerare, ut è regione viventium in defunctorum ſtatum migrent magno numero, non plebeji ſaltem, ſed & nobiles ac divites & potentes, tanta aviditate expetente eos veluti morte, ac ipſi opſonia opipara expetie-

expetierant ac voraverant. Bene Hieronymus in commentar. ad h. l. *Infernus animam habere dicitur, non quod animal ſit juxta errorem quorundam, ſed quod verbis humanæ conſuetudinis rerum inſenſibilium exprimamus affectum, quod inſatiabilis ſit, & nunquam mortuorum multitudine compleatur.* Et Theodoretus: *multitudinem mortuorum his verbis declaravit, per πϱωσοποποΐαν mortem nobis repræſentans velut cetum quendam, qui os continuo apertum habeat, & tranſmiſſos mortuos inceſſanter abſorbeat.* Eſai. 7: 11. *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra.* In Hebr. eſt: העמק שאלה או הגבה למעלה, *profundum fac petendo, aut exalta ſurſum*, h. e. *è profundis pete aut ex rebus altiſſimis*, ut verterunt Junius & Tremellius. Vox שאלה *Scheála*, formula unius puncti variata, poſſet eſſe pro שאולה *Scheóla*. Ita ſane videntur legiſſe interpretes Græci, Symmachus, Aquila & Theodotion. Verterunt enim: βάϑυνον εἰς ᾅδην, *profunda in infernum*. LXX. εἰς βάϑος, ἢ εἰς ὕψος. Opponitur nempe שאלה τῷ למעלה *ſurſum*, atque adeo τὸ שאלה idem h. l. erit quod *deorſum*, prout שאול τῷ שמים interdum opponi, jam tum ſupra aliquoties vidimus. Eſai. 14: 3. & ſequentibus: *Et erit in die illa, cum requiem dederit tibi Deus —— ſumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis & dices: Quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum?* (Hebr. מדהבה *aurea*, ſubintell. urbs, vel reſpublica, vel penſio aurea, tributum aureum) *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium —— Conquievit & ſiluit omnis terra, gaviſa eſt & exultavit: abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani. Ex quo dormiſti* (שכבת occubuiſti), *non aſcendit qui ſuccidat nos. Infernus ſubter conturbatus in occurſum adventus tui* (שאול רגזה לך לקראת בואך), *ſuſcitavit tibi gigantes* (רפאים mortuos), *omnes principes* (Hebr. עתודי *hirci, arietes*, qui totum gregem præcedunt & regunt: metaph. *duces*) *terræ ſurrexerunt* (הקים ſurgere fecit) *de ſoliis ſuis, omnes principes* (Reges) *nationum. Univerſi reſpondebunt, & dicent tibi: Et tu* [etiam tu, qui te immortalem credebas] *vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es. Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua* (הורד שאול גאונך i. e. tecum periit) *ſubter te* (licet inſepulto, ut deinde ſequitur) *ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum. -- Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Veruntamen ad infernum detraheris* (אך אל־שאול תורד) *in profundum laci* (אל ירכתי־־בור ad latera foveæ ſ. laci). --- *Omnes Reges gentium univerſi dormierunt in gloria* (glorioſe occubuerunt) *vir* (quiſque) *in domo ſua. Tu autem projectus es de ſepulchro tuo quaſi ſtirps inutilis pollutus, & obvolutus cum his qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadaver putridum* (In Hebr. eſt: ואתה השלכת מקברך כנצר נתעב לבש הרגים מטעני חרב יורדי אל־אבני־בור כפגר מובס, *Tu autem projectus es de ſepulchro tuo ut ſurculus abominandus*, ut *veſtimentum interfectorum, onuſtorum* crebris ictibus *gladii, qui deſcenderunt ad lapides foveæ, ut cadaver conculcatum*). *Non habebis conſortium neque cum eis in ſepultura* (לא־תחד אתם בקבורה *non unies*, vel conjunges, *te cum eis in ſepultura*, h. e. non eris illis ſimilis honore ſepulturæ). Elegans eſt πϱωσοποποιΐα, qua Propheta introducit Reges mortuos (cum dignitate quam olim habuere) Babylonium collapſum alloquentes, eidemque ad ſe adventanti obviam procedentes [ut eum honore ſed quo dignus eſt afficiant] gratulantes ei quaſi adventum, & lætantes, quod tantus Rex ipſis fuerit adæquatus, q. d. Non ſolum vivis mors ipſius, ſed etiam mortuis, jucunda erit. Eſai. 28: 15. כרתנו ברית את־מות ועם־שאול עשינו חזה, *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Vox חזה, quæ eſt in Hebræo, vel *viſionem* ſ. proviſionem, vel *terminum* ſignificare poteſt, ut ſit à חוז, quæ vox Arab. *terminum* ſignificat, prout & Hebr. מחוז pro *termino* vel *portu* uſurpatur Pſalm. 107: vſ. 30. Chaldæus vertit שלמא, *pacem.* Senſus eſt: Non timemus mortem, quam minaris, non veniet illa ſuper nos: præſcripſimus morti terminum, quem non tranſeat, vel ne ad nos accedat. Eodem cap. vſ. 18. וכפר בריתכם את מות וחזותכם את שאול לא תקום *Delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum* (proviſio veſtra) *cum inferno non ſtabit*, i. e. omnino moriemini. Eſ. 38: 10, 11. פקדתי בדמי ימי אלכה בשערי שאול יתר שנותי: אמרתי לא־אראה יה יה בארץ החיים לא־אביט אדם עוד עם־יושבי חדל: *In dimidio* (Hebr. *in exciſione* vel *præciſione*, metaphora ducta à textoribus, qui, quum telam abſolverunt, reſcindunt eam à jugo) *dierum meorum vadam ad portas inferi: quæſivi* (Hebr. fit ut deſiderem, carere factus ſum. h. e. privatus ſum) *reſiduum* (reſiduo) *annorum meorum. Dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viventium, non aſpiciam hominem ultra, & habitatorem quietis* (rectius Jun. & Tremellius: *inter habitatores mundi*). Senſus eſt: moriar morte immatura, in flore ætatis meæ. Verſ. 18. כי־לא שאול תודך מות יהללך לא ישברו יורדי־בור אל־אמתך: חי חי הוא יודך כמוני היום אב לבנים יודיע אל־אמתך, *Quia non infernus confitebitur tibi* (celebrabit te), *neque mors laudabit te: non expectabunt qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam. Vivens vivens ipſe confitebitur tibi* (celebrabit te), *ſicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Senſus eſt: Laus tua per mortuos non celebratur, ſed ad viventes omnino hoc pertinet. Theodoretus in comm. *Qui ſemel mortui ſunt, & in portis inferorum tenentur, deſiſtunt laudes Dei celebrare. Nihil enim quicquam his quæ operati ſunt, poſſunt adjicere, ſed manent potius, in quibus relicti ſunt, & generalis judicii tempus expectant.* Eſai. 57: 9. ותשלחי ציריך עד־מרחוק ותשפילי עד־שאול:, *Miſiſti legatos tuos procul, & humiliata es uſque ad inferos*, h. e. profundiſſime, valde, ſupra modum.

§. XIII. Ezech. 31: 15. כה־אמר אדני יהוה ביום רדתו שאלה האבלתי כסתי עליו את־תהום ואמנע נהרותיה ויכלאו מים רבים ואקדר עליו לבנון וכל־עצי השדה עליו עלפה: *Hæc dicit Dominus Deus* (de Pharaone Rege Ægypti): *In die quando deſcendit ad inferos, induxi luctum, operui eum abyſſo* (operui ſuper ipſum, vel propter ipſum, abyſſum, i. e. ingentem fluminum abundantiam. Operire ſe eſt lugentium) *& prohibui flumina ejus, & coërcui aquas multas* (Hebr. *& prohibitæ ſunt aquæ multæ*: per aquas populos intellige) *contriſtatus eſt ſuper eum Libanus* (Hebr. *atratum reddidi propter eum Libanum*), *& omnia ligna agri* (h. e. alii viri principes & nobiles) *concuſſa ſunt* (Hebr. *defectum, laſſum*, h. e. deficiunt, fatigata ſunt. Jun. & Tremell. *omnibus arboribus agri propter eum fuit defectio animi*). Senſus eſt: Ob cædem hujus Regis omnes ejus amicos totumque ipſius regnum feci lugere, omnes alii Reges, audito hoc nuncio, terrore concuſſi ſunt. Verſ. 16, 17. מקול מפלתו הרעשתי גוים בהורדי אותו שאלה את־יורדי בור וינחמו בארץ תחתית כל־עצי־עדן וגו גם־הם אתו ירדו שאלה אל־חללי־חרב *A ſonitu ruinæ ejus commovi gentes, cum deducerem eum ad infernum cum his qui deſcendebant in lacum: & conſolata ſunt* (conſolationem acceperunt) *in terra infima omnia ligna voluptatis. —— Nam & ipſi* (ipſæ, nempe arbores, h. e. alii viri principes ac nobiles) *cum eo deſcendent ad infernum ad interfectos gladio* &c. Senſus eſt: eadem ruina implicati fuerunt & reliqui, ac cum illo in eodem exitio ſuccubuerunt, ſimilis exitus eos manſit. Ezech. 32: 21. ידברו־לו אלי גבורים מתוך שאול את־עזריו ירדו שכבו הערלים חללי חרב:, *Loquentur ei* (nempe Regi Ægypti) *potentiſſimi robuſtiſſimorum* (fortiores quique, Reges & principes) *de medio inferni, qui cum auxiliatoribus ejus* (gentibus auxiliaribus) *deſcenderunt, & dormierunt incircumciſi, interfecti gladio* [h. e. qui in impietate ſua mortui ſunt]. Verſ. 27. ולא ישכבו את־גבורים נופלים מערלים אשר ירדו־שאול בכלי־מלחמתם ויתנו את־חרבותם תחת ראשיהם וגו׳, *Et non dormient cum fortibus, cadentibuſque & incircumciſis* (Hebr. qui ceciderunt ex incircumciſis) *qui deſcenderunt ad infernum cum armis ſuis, & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis* &c. h. e. non morientur ut incircumciſi illi, qui fortiter pugnantes ac tenentes arma ſua in ipſo prælio glorioſe occubuerunt, armorumque ſuorum uſum quaſi abdicarunt, inſtar militum cubitum euntium. Alii legunt interrogative: *& non cubaturi eſſent?* i. e. omnino cubaturi ſunt.

§. XIV. Hoſe. 13: 14. מיד שאול אפדם ממות אגאלם אהי דבריך מות אהי קטבך שאול, *De manu inferorum redimam eos, à morte vindicabo eos. Ero mors tua* (peſtes tuæ) *O mors, morſus tuus* (exitium tuum) *ero inferne.* (Vid. 1 Corinth. 15: verſ. 53, 54, 55.) Amoſ. 9: 2, 3. אם־־יחתרו בשאול משם ידי תקחם ואם־־־יעלו השמים משם אולידם: *Si deſcenderint uſque ad infernum* (Hebr. ſi foderint, ſubintell. latituri, in inferno), *inde manus mea educet eos: & ſi aſcenderint uſque in cœlum, inde detraham* (deſcendere faciam, h. e. detrudam vel dejiciam) *eos.* Scheól hic notat loca ſubterranea & abſtruſiſſima: verbum fodiendi autem ſtudioſam & accuratam occultationem. Senſus eſt: Quoquo ſe verterint, præſens illis exitium intentabo. Jonæ 2: 3. & ſequentibus: קראתי מצרה לי אל־יהוה ויענני מבטן שאול שועתי שמעת קולי: ותשליכני מצולה בלבב ימים וגו׳ אפפוני מים עד־־נפש תהום יסובבני סוף חבוש לראשי: לקצבי הרים ירדתי הארץ בריחיה בעדי לעולם ותעל משחת חיי יהוה אלהי: *Clamavi de tribulatione* (anguſtia) *mea ad Dominum, & exaudivit me: de ventre inferi* (h. e. de ventre piſcis, qui erat mihi inſtar inferni, in quo ſentiebam dolores infernales, h. e. mortis, vel, *è ventre inferi*, idem eſt q. d. è præſentiſſimis periculis mortis certiſſimæ) *clamavi, & exaudiſti*

vocem

vocem meam. Et projecisti me in profundum in corde (in cor, h. e. medium vel partem intimam) *maris.* —— *Circumdederunt me aquæ usque ad animam* (h. e. ad summum usque vitæ periculum, ad animæ usque exitum) *abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum* (Hebr. alga alligata erat capiti meo). *Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum* (h. e. videbatur terra mihi pessulos suos obdidisse, ne in eam redirem) *& sublevabis* (at sublevasti, eduxisti) *de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.* Habac. 2: 5. הרחיב כשאול נפשו והוא כמות ולא ישבע ויאסף אליו כל-־הגוים ויקבץ אליו כל-־העמים: *Dilatavit quasi infernus animam suam* (h. e. desiderium, cupiditatem suam) *& ipse quasi mors, & non adimpletur* (satiatur): *& congregavit ad se omnes gentes, & coacervavit ad se omnes populos.* Sensus est: Vir superbus (qualis est Rex Babyloniorum) insatiabili quadam laborat regnandi terminosque suos dilatandi cupiditate.

§. XV. Hæc sunt loca illa [non plura nec pauciora] in quibus vocabulum שאול in Codice Hebræo usurpatum reperies. Quibus omnibus & singulis probe consideratis, cuivis, ni fallor, ad oculum patebit, nullum eorum (excepto forsan uno vel altero, de quo tamen adhuc dubitari potest) de Sepulchro necessario esse intelligendum (Dico *necessario*: non pauca enim, si primo intuitu rem consideres, non incommode de eodem, dummodo cætera forent paria, intelligi & accipi posse, non negaverim) multa contra ita esse comparata, ut de Sepulchro nullo modo intelligi possint nec debeant. Loquuntur illa omnia vel in genere de obscuro, abscondito & ab omni hominum viventium consortio ordinarie remoto quodam loco (qualis Græcis erat ᾅδης), eoque omnium infimo (qualis est profunditas maris, vel potius, venter ceti in profundo maris, inferiores partes terræ, abyssus seu vorago quædam subterranea, & similia) vel in specie, & quidem magis, ut videtur, proprie, de loco illo, vel potius statu, qui hominem excipit post mortem. Neque vero aliter veteres etiam Hebræorum Magistri vocabulo שאול, ejusque synonymis, interdum usi fuerunt. In Bereschith Rabba, qui est commentarius allegoricus in Genesin, à Rabba bar Nachmoni circa annum Christi 300. (ut videtur) concinnatus, super illud Genes. 2. אלה תולדות השמים והארץ בהבראם *istæ sunt generationes cœli & terræ in creatione sua*, inter alia ita scriptum reperimus: א״ר אבהו אר״ בהא״ בראם הוי עולם היה נברא בהא״ ומה ה״א זה סתום מכול צדדיו ופתוח מלמטה רמז שכל המתים יורדים לשאול ועוקצו הזה של מעלה רמז שהן עתידין לעלות והחלון הזה שמן הצד רמז לבעלי תשובה *Dixit R. Abhu, cum litera* ה *creavit illa* [Deus]. *Mundus iste cum* ה *creatus est. Et sicut hæc litera* ה *clausa est ex omni parte sua, & inferius aperta, per hoc indicat, quod omnes mortui sunt descendentes ad infernum. Ille vero apex qui sursum tendit in ea, indicio est, quod ipsi ascensuri sunt inde. Fenestra autem in ejus latere indicat viros pœnitentiæ.* Nota Judæos dicere, Mundum hunc [העולם הזה] creatum esse cum litera ה, seculum vero futurum [העולם הבא] cum lit. י, motos illo Esai. 26: 4. כי ביה יהוה צור עלמים [h. e. ut illi explicant, *quia cum* י״ה *formavit Dominus secula*] ubi nomen *Jah*, quod est unum è nominibus divinis, per Joh & He scribitur. Gemina his habentur in Midrasch Tillim [sive commentario allegorico in Psalmos] super illud Psalm. 114: 1. בצאת ישראל ממצרים *in exitu Israëlis de Ægypto*: מה עסק של הא״ פתוחה למטה וסתומה מכל צדדיה כך העולם הזה כל מי שנברא בו יורדין לשאול ואותה העקיצה שיש בה רמז לתחיית המתים *Quid est negotium literæ* ה? *quemadmodum dispositio hujus literæ aperta est inferius, & clausa ex omnibus lateribus ejus; sic seculum istud: Quicunque creati sunt in eo, descendunt in infernum. Illud vero erectum quod est in ea, significat vivificationem mortuorum.* Midrasch Koheleth (h. e. commentar. allegor. in Ecclesiasten) super illud Ecclesiast. 1: 7. כל הנחלים הלכים אל הים והים איננו מלא *omnia flumina vadunt ad mare, & mare non est plenum*: כל המתים אינן נכנסין אלא לשאול והשאול אינו מתמלא לעלם שנ״ שאול ואבדה לא תשבענה *Omnes mortui non intrant nisi in infernum, & infernus nunquam implebitur, sicut dictum est* (Prov. 27: 20.) *infernus & perditio non satiantur.* Rursus Midrasch Tillim super illud Psalm. 104: 33. אשירה ליהוה בחיי *cantabo Domino in vita mea*: ר׳ ינאי ור׳ יהודה חד מנהון אמ׳ אלו אדם נתון תחת צירו של דלת כדי להנצל מן המיתה אינו נצל ואחרינה אמר אלו נתון לשונו תחת צירו של דלת כדי להנצל מן שאול אינו נצל *R. Jannai & R. Juda. Unus horum dixit, Si homo poneret se ipsum sub cardine portæ, ut liberaretur à morte, non liberaretur. Alter vero dixit, Si homo poneret linguam suam sub cardine portæ, ut per hoc posset infernum evadere, non tamen evaderet.* Talmud Babylonicum Massecheth Schabbath cap. 23. אלו ואלו לרומה נמסרין הללו יש להן מנוח והללו אין להן מנוח *Hi & illi* (hæ & illæ, tum animæ justorum, tum impiorum, tum mediorum) *detruduntur in* infernum dictum *Duma* sive silentium. *Illi sunt in requie: alii vero non versantur in requie.* fol. 152. b. edit. Basil.

§. XVI. Non est ut dicas, Judæos illos antiquiores in locis adductis per שאול intelligere Sepulchrum. Ut enim silentio prætereamus, falsum esse quod omnes mortui descendant in sepulchrum, quum integræ nationes fuerint, quæ mortuos suos non sepeliverunt, expresse in Bereschith Rabba super illud Genes. 24: 27. ויביאה יצחק האהלה *& superinduxit illam Isaac in tabernaculum*, dicitur, Scheól esse unum è nominibus Gehennæ. Verba ipsa adscribemus: שבעה שמתם לגיהנם שאול גיהנם באר שחת דומה טיט היון צלמות ארץ התחתית *Septem nominibus nominatur Gehenna, dicitur quippe Scheól, Gehenna, Puteus corruptionis, Silentium, Lutum fæcis, Umbra mortis, & Terra infima.* Idem dicitur in Midrasch Tillim super illud Psalm. 49: 3. גם בני אדם גם בני איש *etiam filii hominum, etiam filii viri &c.* Et in Talmud Babylon. Cod. Erubhin s. de mixtionibus cap. 2. fol. 19. a. edit. Cracov. hæc habentur: א׳ ר יהושע בן לוי שבעה שמות יש לגיהנ׳ ואלו הן שאול ואבדון ובאר שחת ובור שאון וטיט היון וצלמות וארץ התחתית שאול דכתיב מבטן שאול שיועתי שמעת קולי אבדון דכתיב היסופר בקבר חסדך ואמונתך באבדון באר שחת דכתי׳ כי לא תעזוב נפשי לשאול ולא תתן חסידך לראות שחת ובור שאון וטיט היון דכתי׳ ויעלני מבור שאון ומטיט היון וצלמות דכתי׳ יושבי חשך וצלמות וגו׳ *Dixit R. Josua filius Levi, Septem nomina sunt Gehennæ, suntque hæc, Scheól, Perditio, Puteus corruptionis, Puteus tumultus, Lutum fæcis, Umbra mortis, & Terra infima. Scheól quidem, sicut dictum est* (Jon. 2: 3.) *de ventre inferni clamavi, & exaudisti vocem meam. Perditio autem, sicut dictum est* (Psalm. 88: 12.) *Nunquid narrabitur in sepulcro misericordia tua, & veritas tua in Perditione? Puteus corruptionis, sicut dictum est* (Psalm. 16: 10.) *quia non relinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Puteus tumultus & Lutum fæcis, sicut dictum est* (Psalm. 40: 3.) *Et fecit me ascendere ex puteo tumultus, & de luto fæcis. Umbra mortis, sicut dictum est* (Psalm. 107: 10.) *Sedentes in tenebris & umbra mortis &c.* Additur statim ibidem: והאיכא גיהנם גיא שעמקה כגיהנם שהכל יורד לה על עסקי חינם *Et ecce qualiter Gehenna? Vallis profunda ut vallis Hinnom* (pro בגיהנם, quod est in textu Talmudico, leg. כגיהנם) *quia omnis qui descendit in illam*, descendit *propter negotia* (vel opera) *gratis* (id est, nihili).

§. XVII. In Novo Testamento Syro vocabulum שיול eadem, qua in Veteri Hebræum שאול, significatione gaudet. Quemadmodum enim LXX. Interpretes & Vulgatus Latinus Hebræum שאול per ᾅδην & *infernum* verterunt; ita Syrus Novi Testamenti paraphrastes Græc. ᾅδην per Hebræo-Syrum שיול transtulit. E Luc. cap. 16: 23. ut & ex Apocalypsi, jam tum supra §. 7. loca quædam adduximus: videamus nunc reliqua. Matth. 11: 23. (& Luc. 10: 15.): Καὶ σὺ Καπερναοὺμ, ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου (in Syro est: עדמא לשיול) καταβιβασθήσῃ, *Et tu Capernaum, quæ es usque ad cœlum exaltata, usque ad inferos deprimeris.* Opponunter inter se οὐρανὸς & ᾅδης, שמיא & שיול, *Cœlum* & *Infernus.* Matth. 16: vers. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam: & portæ inferorum* (πύλαι ᾅδου, תרעי לשיול) *non valebunt adversus illam.* Per portas inferorum nihil aliud intelligi videtur quàm potestas mortis. Quo sensu & Euripides in Hippolyto scribit:

—— οὐ γὰρ οἶδ' ἀνεῳγμένας πύλας
Ἅιδου, φάος δὲ λοίσθιον βλέπων τόδε.
—— *Nescit enim apertas portas*
Inferni, & se videre hunc postremum diem,

i. e. ignorat, se jam in ditionem seu potestatem mortis perventurum. Aut certe portas mortis Servator vocat id omne, quo Satanas, qui potestatem mortis habet Hebr. 2: 14. regnum suum, quod cum regno mortis idem est, it stabilitum, quo pertinent omnis generis peccata, hæreses, blandimenta voluptatum, persecutiones, schismata, variæ technæ, & molitiones. Nam & apud Hebræos olim proceres civitatis ad portas urbis conveniebant, ibique consilia de regno stabiliendo agitabant: & adhuc hodie præcipua urbis præsidia circa illas solent collocari. *Portæ inferi portæ mortis sunt.* —— *Quæ autem sunt portæ mortis, i. e. inferi, nisi singula quæque peccata?* ait Ambrosius l. 6. comment. in Luc. 9. Et Chrysostomus ad Matth. 16. *Christus super confessione Petri sic fundavit Ecclesiam, ut nullum periculum, neque mors ipsa, eam possit superare.* Actor. 11: 24. *Quem* (Jesum Nazarenum) *Deus suscita-*

ſuſcitavit, ſolutis doloribus mortis (λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου), *quatenus impoſſibile erat teneri illum ab ea.* Syrus tranſtulit: אלהא דין אקימה ושרא חבליה דשיול מטל דלא משכחא הות דנתתחד בה בשיול *Deus autem excitavit eum, & ſolvit dolores inferni: quia impoſſibile erat ut detineretur in inferno.* Deinde vſ. 31. citatur locus è Pſalm. 16. de quo infra. Rom. cap. 10:6,7. *Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cœlum? hoc eſt, Chriſtum ex alto deducere* (καταγαγεῖν). *Aut, quis deſcendet in abyſſum?* (Syr. לתהומא דשיול in abyſſum inferni) *hoc eſt, Chriſtum ex mortuis reducere* (ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν). Oppoſita ſunt, *aſcendere in cœlum*, & *deſcendere in infernum.* 1 Cor. 15:55. adducitur locus ex Hoſ. 13:14. ubi Syrus retinet vocabulum שיול. Addit autem Apoſtolus, plene id, quod Propheta dicit, impletum iri, *quum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem*, h. e. in noviſſimo reſurrectionis omnium die. Unde patet iterum, שאול proprie ad defunctos ſ. mortuos pertinere. 1. Petr. 3:18. & 19. *Quandoquidem & Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus fuit, juſtus pro injuſtis, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, ſed vivificatus Spiritu. In quo etiam abiit, & ſpiritibus qui erant in carcere* (τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι), *prædicavit.* Quid per carcerem ſive cuſtodiam illam intelligendum ſit, de eo pluribus agant Theologi. Nobis non licet hic falcem in alienam meſſem immittere. Interim notatu dignum videtur, quod Syrus paraphraſtes verba hæc ita tranſtulit: ואכרז לנפשתא אילין דאחידן הוי בשיול, *& prædicavit animabus illis quæ detinebantur in inferno.* Poſſet huc etiam referri locus ille, qui extat Epheſ. 4:9. & 10. ubi hæc habentur: *Cæterum illud, aſcendit, quid eſt, niſi quod etiam deſcenderat prius in infimas partes terræ?* (εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, vel ut Syrus tranſtulit, לתחתיתה דארעא) *Qui deſcendit, idem ille eſt qui etiam aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleret omnia.* Nam & in V. T. per *inferiora terræ* nonnunquam infernus denotari videtur. v. g. Pſalm. 63:10. *Ipſi qui ad perdendum quæſiverunt animam meam, ibunt in inferiora terræ*, בתחתיות הארץ. Unde Hieronymus commentar. in epiſt. ad Epheſios: *Inferiora terræ*, ait, *infernus accipitur, ad quem Dominus noſter Salvatorque deſcendit.* Et Theophylactus ſcribit: *Quo autem deſcendit? Ad inferos. Hos enim infimas partes terræ appellat, juxta communem opinionem.* Verum de hoc etiam loco pluribus viderint Theologi.

§. XVIII. Conſtat vel ex iis quæ hactenus diximus, שאול Hebræis, quando proprie & ſtrictius nonnihil ſumitur, denotare locum illum, vel potius ſtatum, qui hominem excipit poſt mortem, eumque hactenus communem eſſe tam piis quam impiis. Illuc enim ſeſe deſcenſurum eſſe, dicebat Patriarcha Jacob (Geneſ. 37. & 42.) Ibi Job eſſe cupit (c. 14:13.) Ibi domum ſuam fore, prædicit ſibi idem (c. 17:13). David quoque ſine diſcrimine tam de piis quam impiis dicit, quod in infernum perveniant (Pſalm. 89:49). Nec minus Hiskias, Regum ille pientiſſimus, morti vicinus, lamentabatur: *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferni* (Eſai. 38: vſ. 10). Cæterum nondum in his acquieſcendum, ſed nunc ulterius progrediendum eſt. Cum enim Mors ſit diſſolutio animæ à corpore, quemadmodum non Plato ſolum in Phædone definit, ſed & Paulus non obſcure indicat Philipp. 1: vſ. 23. & 2 Timoth. 4:6. atque adeo non corpus ſolum, ſed & anima, aliam ſubeant conditionem, quæritur nunc in ſpecie, utrius ſtatus voce שאול deſignetur, num corporis, an animæ? Non difficile vero erit, ad hanc quæſtionem reſpondere, imo vero patet jam tum ex ſuperioribus, ſi recte rem conſideres, nec appellationem ᾅδου, nec vocabulum שאול, corpori æque convenienter, ac animæ, aptari poſſe. Diximus ſupra §. 4. quod ᾅδης dictus ſit ſtatus defunctorum, ideo quod inconſpicuus ille ſit & inviſibilis, q. d. ἀειδὴς vel ἀϊδής. Aſt talis non eſt ſtatus corporis demortuorum. In quo enim illud ſit ſtatu, oculis plerumque patet omnium. Scheol autem ita dicitur à rad. שאל, *petiit, expetiit*, ab inſatiabili cupiditate, quod ſtatus ille, vel locus, qui hoc nomine venit, ſemper expetat, & nunquam ſatietur atque expleatur, ſed omnes ſine diſcrimine & ſine termino ſub poteſtatem ſuam redigere quærat (unde & *Orcus* Latinis dicitur, ab *urgendo* ſcilicet, ceu advertit Feſtus, quod omnes *urgeat* atque ad ſe trahat. Vid. Proverb. 27:20. & cap. 30:15,16.) quod ſane de ſepulchro iterum dici non poteſt. Sequitur ergo, quod & Græcum ᾅδης & Hebr. שאול, non tam corporum, quam animarum ſtatum poſt mortem, proprie denotent. Hic enim & inconſpicuus eſt & inexplebilis, cum anima ſit ſpiritus, qui non commenſuratur loco, adeo ut nihil quicquam prohibeat, quo minus etiam innumeri Spiritus in eodem ſint loco.

§. XIX. De Græco ᾅδῃ id iterum teſtantur multi probatæ fidei autores. Homerus, Poëtarum omnium antiquiſſimus, Iliad. 16. ℣. 856.

> ψυχὴ δ᾽ ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδος δὲ βεβήκει.
> *Anima ex membris avolans ad inferos deſcendit.*

Et Iliad. 7. ℣. 131.

> θυμὸν ἀπὸ μελέων δῦναι δόμον Ἄϊδος εἴσω,
> *Anima è membris ut deſcendat domum Plutonis intro.*

Plato in Cratylo ᾅδην vocat ſtatum vel locum, in quem abeat anima nudata à corpore (γυμνὴ τοῦ σώματος). Et in Phædone ſcribit: Ἐννοεῖς οὖν, ὅτι ἐπειδὰν ἀποθάνῃ ὁ ἄνθρωπος, τὸ μὲν ὁρατὸν αὐτοῦ σῶμα καὶ ἐν ὁρατῷ κείμενον, ὃ δὴ νεκρὸν καλοῦμεν, ᾧ προσήκει διαλύεσθαι, καὶ διαπίπτειν, καὶ διαπνεῖσθαι, οὐκ εὐθὺς τούτων οὐδὲν πέπονθεν, ἀλλ᾽ ἐπιεικῶς συχνὸν ἐπιμένει χρόνον, ἐὰν μέν τις καὶ χαριέντως ἔχων τὸ σῶμα τελευτήσῃ. —— ἡ δὲ ψυχὴ ἄρα τὸ ἀειδὲς, τὸ εἰς τοιοῦτον τόπον ἕτερον οἰχόμενον γενναῖον καὶ καθαρὸν καὶ ἀειδῆ εἰς ᾅδου, ὡς ἀληθῶς παρὰ τὸν ἀγαθὸν καὶ φρόνιμον Θεόν· οἷ ἂν Θεὸς ἐθέλῃ, αὐτίκα καὶ τῇ ἐμῇ ψυχῇ ἰτέον. αὕτη δὲ δὴ ἡμῖν ἡ τοιαύτη, καὶ οὕτω πεφυκυῖα, ἀπαλλαττομένη τοῦ σώματος εὐθὺς διαπεφύσηται καὶ ἀπόλωλεν, ὥς φασιν οἱ πολλοὶ ἄνθρωποι; *Cernis igitur, poſtquam mortuus homo fuerit, quod in eo viſibile eſt corpus & in loco viſibili poſitum, quod cadaver appellamus, cui convenit ut diſſolvatur, concidat, diffluat, nihil horum ſubito pati, ſed multum aliquando tempus ſupereſſe, ſi quis corpore perbelle affecto deceſſerit.* --- *Anima vero quæ inviſibile quiddam eſt, in ſimilem quendam aliumque locum migrans, excellentem, purum, inviſibilem, nobis occultum* (in infernum) *revera ad bonum ſapientemque Deum, quo ſi Deus voluerit, paulo poſt meo quoque animo eſt migrandum: anima inquam talis, talique natura prædita, nunquid cum primum à corpore liberata fuerit, diſſipabitur atque interibit, ut multi putant? Permultum abeſt* &c. Et in antecedentibus: Εἰσὶν ἄρα αἱ ψυχαὶ ἡμῶν ἐν ᾅδου —— Καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς, ἄμεινον, ταῖς δὲ κακαῖς, κάκιον, *Sunt igitur apud inferos animæ noſtræ.* —— *Et bonis quidem melius eſt, malis vero pejus.* Rurſus non procul à fine: Ἐπιόντος ἄρα θανάτου ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον, τὸ μὲν θνητὸν ὡς ἔοικεν αὐτοῦ, ἀποθνήσκει, τὸ δ᾽ ἀθάνατον, σῶν καὶ ἀδιάφθορον οἴχεται ἀπιὸν, ὑπεκχωρῆσαν τῷ θανάτῳ. Παντὸς μᾶλλον ἄρα ψυχὴ ἀθάνατον καὶ ἀνώλεθρον, καὶ τῷ ὄντι ἔσονται ἡμῶν αἱ ψυχαὶ ἐν ᾅδου. *Imminente igitur homini morte, quod mortale quidem in eo eſt, interit: quod vero immortale, incorruptum ſoſpeſque morti ſe ſubtrahit.* —— *Itaque maxime omnium, O Cebes, anima immortalis incorruptibiliſque eſt, eruntque apud manes* (in inferno) *animæ noſtræ.* Et poſt pauca: οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἔχουσα εἰς ᾅδου ἡ ψυχὴ ἔρχεται, πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς, ἃ δὴ καὶ λέγεται μέγιστα ὠφελεῖν ἢ βλάπτειν τὸν τελευτήσαντα εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῆς ἐκεῖσε πορείας &c. *Nihil enim aliud cum migrat ad manes* (in infernum) *anima, ſecum transfert, præter eruditionem atque educationem. Quæ quidem ſtatim in principio tranſmigrationis illius plurimum vel prodeſſe, vel obeſſe dicuntur. Ferunt enim quemlibet* &c. Vid. ſupra §. 2. ubi ſequentia jam adducta ſunt. Lucianus in Menippo ſeu Necyomantia:

> Ὦ φιλότης, χρειώ με κατήγαγεν εἰς ἀΐδαο,
> Ψυχῇ χρησόμενον Θηβαίου Τειρεσίαο.
> *Res dilecte gravis me infernas egit ad umbras,*
> *Conſulerem manes* (animam) *ut vatis Tireſiai.*

Plutarchus in conſolatione ad Apollonium: Εἰ δ᾽ ὁ τῶν παλαιῶν τε ποιητῶν καὶ φιλοσόφων λόγος ἐστὶν ἀληθὴς, ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν, οὕτω καὶ τοῖς εὐσεβέσι τῶν μεταλλαξάντων ἐστί τις τιμὴ καὶ προεδρία (καθάπερ λέγεται) καὶ χῶρός τις ἀποτεταγμένος, ἐν ᾧ διατρίβουσιν αἱ τούτων ψυχαὶ, καλὰς ἐλπίδας ἔχειν σε δεῖ περὶ τοῦ μακαρίτου υἱέος σου, ὅτι τούτοις συγκαταριθμηθεὶς συνέσται, *Si vera ſunt, ut probabile eſt, quæ priſci Philoſophi & Poëtæ prodiderunt, piis, poſtquam vitam hanc cum morte commutaverunt, eſſe ſuos quoſdam honores, digrioremque in conſeſſu tribui locum, deſtinatamque eſſe piis animabus certam, in qua degant, regionem, bene tibi ſperandum eſt de beato tuo filio, qui inter eos vivet.* Mox autem hunc ſtatum vocat ſtatum piorum apud inferos, ἐν ᾅδου. Idem libro de facie in orbe Lunæ: Συντυγχάνει δὲ οὕτως κατὰ φύσιν ἑκάτερον, πᾶσαν ψυχὴν ἄνουν τε καὶ σὺν νῷ σώματος ἐκπεσοῦσαν, εἱμαρμένον ἐστὶ τὸ μεταξὺ γῆς καὶ σελήνης χωρίῳ πλανηθῆναι χρόνον οὐκ ἴσον. ἀλλ᾽ αἱ μὲν ἄδικοι καὶ ἀκόλαστοι δίκας τῶν ἀδικημάτων τίνουσι· τὰς δὲ ἐπιεικεῖς, ὅσον ἀφαγνεῦσαι καὶ ἀποπνεῦσαι ἀπὸ τοῦ σώματος, ὥσπερ αἰτίου πονηροῦ, μιασμοὺς, ἐν τῷ πρᾳοτάτῳ τοῦ ἀέρος, ὃν λειμῶνας ᾅδου καλοῦσι, δεῖ γίνεσθαι χρόνον τινὰ τεταγμένον, *Evenit autem ſic ſecundum naturam utrumque, omnis anima, ſive prædita, ſive carens mente, ubi primum è corpore exiit, fati lege ad*

tempus

tempus vagatur ea in regione, quæ Lunam & terram interjacet. Verum non idem est omnibus tempus præscriptum. Impiæ enim & intemperantes pœnas flagitiorum luunt, piæ certum tempus, quantum ad lustrandum, & corporis utpote malæ causæ pollutiones abolendum sufficit, in aëris purissima parte degunt, quam prata inferorum dicunt. Jamblichius in protreptico cap. 13. Οὐδὲν ἄλλο ἔχουσα εἰς ᾅδου ἡ ψυχὴ ἔρχεται, πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς. —— Ἡ μὲν γὰρ ἀμείνων ψυχὴ μετὰ Θεῶν οἰκεῖ, καὶ περιπορεύεται κατ᾽ οὐρανὸν, βελτιονός τε λήξεως τυγχάνει. ἡ δὲ ἀδίκων ἔργων ἁψαμένη, καὶ ἀνοσιουργίας πλησθεῖσα καὶ ἀσεβείας, εἰς τὰ ὑπὸ γῆν δικαιωτήρια ἐλθοῦσα, δίκης τῆς προσηκούσης μεταλαγχάνει, *Anima nihil aliud habens, quam institutionem educationemque, inferos adit.* ---- *Et præstantior quidem anima cum Diis habitat, & circum circa cœlum profectionem suscipit, melioremque finem assequitur. Quæ autem injusta opera contigit, impioque opere atque impietate opleta fuit, ubi ad loca judicii subterranea venerit, æquam justamque pœnam consequitur.* Josephus lib. 18. Antiquitatum cap. 5. hoc Pharisæis dogma tribuit, animas immortales esse, atque post mortem ad inferos, εἰς ᾅδου, descendere, ibique congrua habitacula reperire pro merito suo; & piorum quidem animabus reditum inde facilem ad vitam patere: impiorum autem animas, perpetuis carceribus damnatas, impietatis ac malitiæ suæ pœnas illic luere.

§. XX. Non minus & Latini vocem *Inferorum* animabus defunctorum adaptant. Putarunt gentiles, animam, quamprimum à corpore est soluta, ob singulare conjunctionis cum eo desiderium, hoc in terram illatum sequi, adeoque in loca subterranea ferri. Hæc inter alia videtur esse causa, quare statum illum animarum post mortem appellarint Infernum. Quanquam & per metaphoram ita dici possit, partim quod inconspicuus sit & absconditus, partim quod tristis appareat hominibus sensuum judicium sequentibus. Quo quid enim inferius est, eo magis est absconditum, adeo ut vel ipse divinus Psaltes, indicare volens absconditam plane illam rationem, qua formatus esset in claustris uteri matris suæ, se compactum dicat *in imis terræ*, Psalm. 139. Sed & tanto tristius tale quid apparet. Observat hoc Augustinus, lib. 12. de Genesi ad literam cap. 34. ita scribens: *Inferi eo quod infra sunt, Latine appellantur. Sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundum Spiritum inferiora sunt omnia tristiora. Unde & in Græca lingua origo nominis, quo appellatur infernus, ex eo quod nihil suave habeat, resonare videtur.* Alii existimant, Infernum ita dici, quod animæ defunctorum hinc illinc *ferantur.* Vid. Isidor. Hispal. l. 14. orig. cap. 9. Verum quicquid sit, Infernum s. Inferorum statum non ad corpus, sed ad animam proprie pertinere, vel è sequentibus patet autorum testimoniis. Cicero lib. 1. Tuscul. quæst. §. 36. *Ut Deos esse, natura opinamur, qualesque sint, ratione cognoscimus: sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium. Qua in sede maneant, qualesque sint, ratione discendum est. Cujus ignoratio finxit inferos, easque formidines, quas tu contemnere non sine causa videbare. In terram enim cadentibus corporibus, hisque humo tectis, ex quo dictum est humari, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum.* Seneca epist. 117. *Cum de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac publica persuasione.* Fuit Seneca unus ex Stoicorum Philosophis, de quibus & Tertullianus l. de anima cap. 54. *Stoici suas solas, id est sapientum animas, in supernis mansionibus collocant.* —— *Reliquas animas* (non eruditas, quæ non sunt sapientes) *ad inferos dejiciunt.* Et Lactantius l. 7. c. 7. *Immortales esse animas, Phærecydes & Plato disputaverunt. Hæc vero propria est in nostra religione doctrina. Ergo Dicæarchus cum Democrito erravit, qui perire cum corpore ac dissolvi argumentatus est. Esse inferos Zenon Stoicus docuit, & sedes piorum ab impiis esse discretas, & illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones: hos vero luere pœnas in tenebrosis locis, atque in cœni voraginibus horrendis. Idem nobis Prophetæ palam faciunt. Ergo Epicurus erravit, qui Poëtarum id esse figmentum putavit: & illas inferorum pœnas, quæ ferantur, in hac esse vita interpretatus est.* H. illi.

§. XXI. Restringitur autem etiam in ipsis Scripturis tam vocabulum שאול, quam Hebræo-Syrum שיול, & Græcum ᾅδης, passim ad animam. Et quidem quod verba Jacobi Patriarchæ Genes. 37:35. כי־ארד אל־בני אבל שאלה *descendam ad filium meum lugens in infernum*, non aliter accipi possint, quam de statu animæ, videtur esse manifestum. Ait enim se descensurum esse eo, ubi Joseph erat. Jam autem de sepulchro id intelligere non poterat, ut multi cum recentioribus Judæis hodie contendunt. Non enim existimabat, Josephi corpus sepulchro fuisse illatum, sed à fera devoratum illud credebat. Quum enim ostenderetur ipsi tunica Josephi, sanguine hœdi à fratribus ejus tincta, in hæc erumpebat verba: כתנת בני חיה רעה אכלתהו טרף טרף יוסף: *Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Neque vero est ut cum R. Salomone dicas, verba illa אל־בני non esse vertenda, *ad filium meum*, sed, *propter filium meum*, ut אל h. l. sit idem quod על, vel בעבור. (1) enim à propria & usitata verborum significatione non facile est recedendum, nisi evidens nos urgeat necessitas, אל autem proprie & usitate significat *ad*, non *propter*, quamvis interdum ita usurpari, non negemus. (2) LXX. Interpretes verterunt: καταβήσομαι πρὸς τὸν υἱόν μου πενθῶν εἰς ᾅδου. (3) Non aliter intellexit hæc verba antiquus paraphrastes Chaldæus Onkelos. Vertit enim (teste Raymundo Martini, seculi XIII. scriptore) ארי אחות לות ברי כד־אבילא לשאול, quamvis hodie in edit. Basil. pro לות ברי legatur על ברי. (4) Locus aliquo modo parallelus est 2 Sam. c. 12:23. ubi David de filiolo Bathsebæ jam defuncto: האוכל להשיבו עוד אני הלך אליו והוא לא־ישוב אלי: *Nunquid potero revocare eum amplius? Ego vadam ad eum, ille vero non revertetur ad me.* Quo in loco particulam אל idem esse quod *ad*, extra omnem controversiæ aleam est positum. Deinde & notabilis est locus ille, quem supra §. 9. è Psalmo 16: 10. exhibuimus. Quum enim hæc verba in N. T. à Petro adducantur, ut resurrectionem Christi inde probet, addit Petrus de suo Act. 2:31. Davidem *præscium locutum esse de resurrectione Christi*, ὅτι οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου, οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν, *quod non derelicta sit in inferno anima ejus, neque caro ejus viderit corruptionem.* Ubi sane Petrus manifeste videtur contradistinguere animam carni, etsi in textu Hebræo non habeatur vox *carnis*, nec in versione LXX. Interpretum; ut ita vocabulum נפש Psalm. 16. non synecdochice totam personam, aut corpus exanime, sed proprie, absque omni tropo, *animam*, alteram compositi partem substantialem, denotare, atque adeo & h. l. שאול ad animam restringi, admodum sit verisimile.

§. XXII. In Novo Testamento etiam alias vocabulum ᾅδης & Syr. שיול aperte ad animam refertur, v. g. Luc. 16: vs. 23. Certum enim est, quod ibi agatur de statu animarum, Lazari & divitis, separatarum à corpore. Uterque vero illic dicitur fuisse ἐν ᾅδῃ, cum eo tamen discrimine, quod ille in sinu Abrahæ refrigerium consecutus, hic vero in tormentis fuerit constitutus. Nec obstat quod dives ille (cujus corpus sepulchro illatum dicitur vs. 22.) *in inferno* OCULOS *suos sustulisse, & clamasse* legitur: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum* DIGITI *sui in aquam, ac refrigeret* LINGUAM *meam, quia crucior in flamma hac* &c. Bene enim Junius in notis: *Etsi*, ait, *Christus historiam narrat, res tamen spirituales describit sub figuris, quas sciebat accommodas esse ad sensum nostrum. Neque enim animæ digitis & oculis præditæ sunt, neque siti laborant, neque mutua colloquia inter se habent. Summa igitur est, fideles animas, ubi à corporibus migrarunt, lætam & beatam vitam extra mundum agere: reprobis vero paratos esse horribiles cruciatus, qui mentibus nostris non magis concipi possunt, quam immensa cœlorum gloria.* Quibus respondent illa Theophili Episcopi Antiocheni (sexti ab Apostolo Petro, ut putatur) l. 4. commentariorum seu allegoriarum in quatuor Euangelia Tom. I. Bibl. Patrum: *Inquirendum est quomodo in parabola Lazari dives in tormentis sit ante judicium: aut quomodo digitum Lazari dicat. Numquid corpora apud inferos sunt? aut ipse, qui aquam desiderat, numquid sitim corporis sentiebat? Hæc autem omnia secundum eos affectus loquitur, quos aliquando pro necessitate corporis gesserat. Cæterum ille ante judicium tormentorum sensus quasi pro loco custodiæ, in quo erat, accipiendus est. Res quippe ipsa in custodia non est absque tormentis.*

§. XXIII. Adstipulari his iterum videntur nonnulli etiam ex antiquioribus Hebræorum Magistris, ut è loco Talmudico, sub finem §. 15. à nobis adducto, liquet. Nec minus Christiani, primitivæ pariter & subsequentis Ecclesiæ, Doctores, quos Patrum nomine salutamus, passim tam ᾅδην quam *infernum* animarum propria faciunt. Irenæus lib. 5. advers. hæreses cap. 31. ᾅδην vocat locum ἀειδῆ, *invisibilem*, in quem migrent animæ defunctorum, & quidem ita, ut illic commorentur usque ad resurrectionem corporum suorum, quam expectent. Tertullianus lib. de anima cap. 55. *Habes & regionem inferum credere, & illos cubito pellere, qui satis superbe non putant animas fidelium inferis dignas -- aspernati*

suscitavit, solutis doloribus mortis (λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου), *quatenus impossibile erat teneri illum ab ea.* Syrus transtulit: אלהא דין אקימה ושרא חבליה דשיול מטל דלא משכחא הות דנתתחד בה בשיול *Deus autem excitavit eum, & solvit dolores inferni: quia impossibile erat ut detineretur in inferno.* Deinde vs. 31. citatur locus è Psalm. 16. de quo infra. Rom. cap. 10: 6, 7. *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum? hoc est, Christum ex alto deducere* (καταγαγεῖν). *Aut, quis descendet in abyssum?* (Syr. לתהומא דשיול in abyssum inferni) *hoc est, Christum ex mortuis reducere* (ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν). Opposita sunt, *ascendere in cælum*, & *descendere in infernum.* 1 Cor. 15: 55. adducitur locus ex Hos. 13: 14. ubi Syrus retinet vocabulum שיול. Addit autem Apostolus, plene id, quod Propheta dicit, impletum iri, *quum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem*, h. e. in novissimo resurrectionis omnium die. Unde patet iterum, שאול proprie ad defunctos s. mortuos pertinere. 1. Petr. 3: 18. & 19. *Quandoquidem & Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, sed vivificatus Spiritu. In quo etiam abiit, & spiritibus qui erant in carcere* (τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι), *prædicavit.* Quid per carcerem sive custodiam illam intelligendum sit, de eo pluribus agant Theologi. Nobis non licet hic falcem in alienam messem immittere. Interim notatu dignum videtur, quod Syrus paraphrastes verba hæc ita transtulit: ואכרז לנפשתא אילין דאחידן הוי בשיול, *& prædicavit animabus illis quæ detinebantur in inferno.* Posset huc etiam referri locus ille, qui extat Ephes. 4: 9. & 10. ubi hæc habentur: *Cæterum illud, ascendit, quid est, nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terræ?* (εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, vel ut Syrus transtulit, לתחתיתה דארעא) *Qui descendit, idem ille est qui etiam ascendit supra omnes cælos, ut impleret omnia.* Nam & in V. T. per *inferiora terræ* nonnunquam infernus denotari videtur. v. g. Psalm. 63: 10. *Ipsi qui ad perdendum quæsiverunt animam meam, ibunt in inferiora terræ*, בתחתות הארץ. Unde Hieronymus commentar. in epist. ad Ephesios: *Inferiora terræ*, ait, *infernus accipitur, ad quem Dominus noster Salvatorque descendit.* Et Theophylactus scribit: *Quo autem descendit? Ad inferos. Hos enim infimas partes terræ appellat, juxta communem opinionem.* Verum de hoc etiam loco pluribus viderint Theologi.

§. XVIII. Constat vel ex iis quæ hactenus diximus, שאול Hebræis, quando proprie & strictius nonnihil sumitur, denotare locum illum, vel potius statum, qui hominem excipit post mortem, eumque hactenus communem esse tam piis quam impiis. Illuc enim sese descensurum esse, dicebat Patriarcha Jacob (Genes. 37. & 42.) Ibi Job esse cupit (c. 14: 13.) Ibi domum suam fore, prædicit sibi idem (c. 17: 13). David quoque sine discrimine tam de piis quam impiis dicit, quod in infernum perveniant (Psalm. 89: 49). Nec minus Hiskias, Regum ille pientissimus, morti vicinus, lamentabatur: *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferni* (Esai. 38: vs. 10). Cæterum nondum in his acquiescendum, sed nunc ulterius progrediendum est. Cum enim Mors sit dissolutio animæ à corpore, quemadmodum non Plato solum in Phædone definit, sed & Paulus non obscure indicat Philipp. 1: vs. 23. & 2 Timoth. 4: 6. atque adeo non corpus solum, sed & anima, aliam subeant conditionem, quæritur nunc in specie, utrius status voce שאול designetur, num corporis, an animæ? Non difficile vero erit, ad hanc quæstionem respondere, imo vero patet jam tum ex superioribus, si recte rem consideres, nec appellationem ᾅδου, nec vocabulum שאול, corpori æque convenienter, ac animæ, aptari posse. Diximus supra §. 4. quod ᾅδης dictus sit status defunctorum, ideo quod inconspicuus ille sit & invisibilis, q. d. ἀειδὴς vel ἀϊδής. Ast talis non est status corporis demortuorum. In quo enim illud sit statu, oculis plerumque patet omnium. Scheol autem ita dicitur à rad. שאל, *petiit, expetiit*, ab insatiabili cupiditate, quod status ille, vel locus, qui hoc nomine venit, semper expetat, & nunquam satietur atque expleatur, sed omnes sine discrimine & sine termino sub potestatem suam redigere quærat (unde & *Orcus* Latinis dicitur, ab *urgendo* scilicet, ceu advertit Festus, quod omnes *urgeat* atque ad se trahat. Vid. Proverb. 27: 20. & cap. 30: 15, 16.) quod sane de sepulchro iterum dici non potest. Sequitur ergo, quod & Græcum ᾅδης & Hebr. שאול, non tam corporum, quam animarum statum post mortem, proprie denotent. Hic enim & inconspicuus est & inexplebilis, cum anima sit spiritus, qui non commensuratur loco, adeo ut nihil quicquam prohibeat, quo minus etiam innumeri Spiritus in eodem sint loco.

§. XIX. De Græco ᾅδῃ id iterum testantur multi probatæ fidei autores. Homerus, Poëtarum omnium antiquissimus, Iliad. 16. ℣. 856.

ψυχὴ δ᾽ ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδόσδε βεβήκει.
Anima ex membris avolans ad inferos descendit.

Et Iliad. 7. ℣. 131.

Θυμὸν ἀπὸ μελέων δῦναι δόμον Ἄϊδος εἴσω,
Anima è membris ut descendat domum Plutonis intro.

Plato in Cratylo ᾅδην vocat statum vel locum, in quem abeat anima nudata à corpore (γυμνὴ τοῦ σώματος). Et in Phædone scribit: Ἐννοεῖς οὖν, ὅτι ἐπειδὰν ἀποθάνῃ ὁ ἄνθρωπος, τὸ μὲν ὁρατὸν αὐτοῦ σῶμα καὶ ἐν ὁρατῷ κείμενον, ὃ δὴ νεκρὸν καλοῦμεν, ᾧ προσήκει διαλύεσθαι, καὶ διαπίπτειν, καὶ διαπνεῖσθαι, οὐκ εὐθὺς τούτων οὐδὲν πέπονθεν, ἀλλ᾽ ἐπιεικῶς συχνὸν ἐπιμένει χρόνον, ἐὰν μέν τις καὶ χαριέντως ἔχων τὸ σῶμα τελευτήσῃ. —— ἡ δὲ ψυχὴ ἄρα τὸ ἀειδὲς, τὸ εἰς τοιοῦτον τόπον ἕτερον οἰχόμενον γενναῖον καὶ καθαρὸν καὶ ἀειδῆ εἰς ᾅδου, ὡς ἀληθῶς παρὰ τὸν ἀγαθὸν καὶ φρόνιμον Θεόν· οἷ ἂν Θεὸς ἐθέλῃ, αὐτίκα καὶ τῇ ἐμῇ ψυχῇ ἰτέον. αὕτη δὲ δὴ ἡμῖν ἡ τοιαύτη, καὶ οὕτω πεφυκυῖα, ἀπαλλαττομένη τοῦ σώματος εὐθὺς διαπεφύσηται καὶ ἀπόλωλεν, ὥς φασιν οἱ πολλοὶ ἄνθρωποι; *Cernis igitur, postquam mortuus homo fuerit, quod in eo visibile est corpus & in loco visibili positum, quod cadaver appellamus, cui convenit ut dissolvatur, concidat, diffluat, nihil horum subito pati, sed multum aliquando tempus superesse, si quis corpore perbelle affecto decesserit. —— Anima vero quæ invisibile quiddam est, in similem quendam aliumque locum migrans, excellentem, purum, invisibilem, nobis occultum* (in infernum) *revera ad bonum sapientemque Deum, quo si Deus voluerit, paulo post meo quoque animo est migrandum: anima inquam talis, talique natura prædita, nunquid cum primum à corpore liberata fuerit, dissipabitur atque interibit, ut multi putant? Permultum abest* &c. Et in antecedentibus: Εἰσὶν ἄρα αἱ ψυχαὶ ἡμῶν ἐν ᾅδου —— Καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς, ἄμεινον, ταῖς δὲ κακαῖς, κάκιον, *Sunt igitur apud inferos animæ nostræ. —— Et bonis quidem melius est, malis vero pejus.* Rursus non procul à fine: Ἐπιόντος ἄρα θανάτου ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον, τὸ μὲν θνητὸν ὡς ἔοικεν αὐτοῦ, ἀποθνήσκει, τὸ δ᾽ ἀθάνατον, σῶν καὶ ἀδιάφθορον οἴχεται ἀπιὸν, ὑπεκχωρῆσαν τῷ θανάτῳ. Παντὸς μᾶλλον ἄρα ψυχὴ ἀθάνατον καὶ ἀνώλεθρον, καὶ τῷ ὄντι ἔσονται ἡμῶν αἱ ψυχαὶ ἐν ᾅδου, *Imminente igitur homini morte, quod mortale quidem in eo est, interit: quod vero immortale, incorruptum sospesque morti se subtrahit. —— Itaque maxime omnium, O Cebes, anima immortalis incorruptibilisque est, eruntque apud manes* (in inferno) *animæ nostræ.* Et post pauca: οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἔχουσα εἰς ᾅδου ἡ ψυχὴ ἔρχεται, πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς, ἃ δὴ καὶ λέγεται μέγιστα ὠφελεῖν ἢ βλάπτειν τὸν τελευτήσαντα εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῆς ἐκεῖσε πορείας &c. *Nihil enim aliud cum migrat ad manes* (in infernum) *anima, secum transfert, præter eruditionem atque educationem. Quæ quidem statim in principio transmigrationis illius plurimum vel prodesse, vel obesse dicuntur. Ferunt enim quemlibet* &c. Vid. supra §. 2. ubi sequentia jam adducta sunt. Lucianus in Menippo seu Necyomantia:

Ὦ φιλότης, χρειώ με κατήγαγεν εἰς Ἀΐδαο,
Ψυχῇ χρησόμενον Θηβαίου Τειρεσίαο.
Res dilecte gravis me infernas egit ad umbras,
Consulerem manes (animam) *ut vatis Tiresiai.*

Plutarchus in consolatione ad Apollonium: Εἰ δ᾽ ὁ τῶν παλαιῶν τε ποιητῶν καὶ φιλοσόφων λόγος ἐστὶν ἀληθὴς, ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν, οὕτω καὶ τοῖς εὐσεβέσι τῶν μεταλλαξάντων ἐστί τις τιμὴ καὶ προεδρία (καθάπερ λέγεται) καὶ χῶρός τις ἀποτεταγμένος, ἐν ᾧ διατρίβουσιν αἱ τούτων ψυχαὶ, καλὰς ἐλπίδας ἔχειν σε δεῖ περὶ τοῦ μακαρίτου υἱέος σου, ὅτι τούτοις συγκαταριθμηθεὶς συνέσται, *Si vera sunt, ut probabile est, quæ prisci Philosophi & Poëtæ prodiderunt, piis, postquam vitam hanc cum morte commutaverunt, esse suos quosdam honores, digni oremque in consessu tribui locum, destinatamque esse piis animabus certam, in qua degant, regionem, bene tibi sperandum est de beato tuo filio, qui inter eos vivet.* Mox autem hunc statum vocat statum piorum apud inferos, ἐν ᾅδου. Idem libro de facie in orbe Lunæ: Συντυγχάνει δὲ οὕτως κατὰ φύσιν ἑκάτερον, πᾶσαν ψυχὴν ἄνουν τε καὶ σὺν νῷ σώματος ἐκπεσοῦσαν, εἱμαρμένον ἐστὶ τὸ μεταξὺ γῆς καὶ σελήνης χωρίῳ πλανηθῆναι χρόνον οὐκ ἴσον. ἀλλ᾽ αἱ μὲν ἄδικοι καὶ ἀκόλαστοι δίκας τῶν ἀδικημάτων τίνουσι· τὰς δὲ ἐπιεικεῖς, ὅσον ἀφαγνεῦσαι καὶ ἀποπνεῦσαι ἀπὸ τοῦ σώματος, ὥσπερ αἰτίου πονηροῦ, μιασμοὺς, ἐν τῷ πραοτάτῳ τοῦ ἀέρος, ὃν λειμῶνας ᾅδου καλοῦσι, δεῖ γίνεσθαι χρόνον τινὰ τεταγμένον, *Evenit autem sic secundum naturam utrumque, omnis anima, sive prædita, sive carens mente, ubi primum è corpore exiit, fati lege ad*

tempus vagatur ea in regione, quæ Lunam & terram interjacet. Verum non idem est omnibus tempus præscriptum. Impiæ enim & intemperantes pœnas flagitiorum luunt, piæ certum tempus, quantum ad lustrandum, & corporis utpote malæ causæ pollutiones abolendum sufficit, in aëris purissima parte degunt, quam prata inferorum dicunt. Jamblichius in protreptico cap. 13. Οὐδὲν ἄλλο ἔχουσα εἰς ᾅδου ἡ ψυχὴ ἔρχεται, πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς. —— Ἡ μὲν γὰρ ἀμείνων ψυχὴ μετὰ θεῶν οἰκεῖ, καὶ τελειοτέρας ἐπιμελείας κατ' οὐρανὸν, βελτίονός τε λήξεως τυγχάνει. ἡ δὲ ἀδίκων ἔργων ἁψαμένη, καὶ ἀνοσιουργίας πληρωθεῖσα καὶ ἀσεβείας, εἰς τὰ ὑπὸ γῆν δικαιωτήρια ἐλθοῦσα, δίκης τῆς προσηκούσης μεταλαγχάνει, *Anima nihil aliud habens, quam institutionem educationemque, inferos adit. ---- Et præstantior quidem anima cum Diis habitat, & circum circa cœlum profectionem suscipit, melioremque finem assequitur. Quæ autem injusta opera contigit, impioque opere atque impietate oppleta fuit, ubi ad loca judicii subterranea venerit, æquam justamque pœnam consequitur.* Josephus lib. 18. Antiquitatum cap. 5. hoc Pharisæis dogma tribuit, animas immortales esse, atque post mortem ad inferos, εἰς ᾅδου, descendere, ibique congrua habitacula reperire pro merito suo; & piorum quidem animabus reditum inde facilem ad vitam patere: impiorum autem animas, perpetuis carceribus damnatas, impietatis ac malitiæ suæ pœnas illic luere.

§. XX. Non minus & Latini vocem *Inferorum* animabus defunctorum adaptant. Putarunt gentiles, animam, quamprimum à corpore est soluta, ob singulare conjunctionis cum eo desiderium, hoc in terram illatum sequi, adeoque in loca subterranea ferri. Hæc inter alia videtur esse causa, quare statum illum animarum post mortem appellarint Infernum. Quanquam & per metaphoram ita dici possit, partim quod inconspicuus sit & absconditus, partim quod tristis appareat hominibus sensuum judicium sequentibus. Quo quid enim inferius est, eo magis est absconditum, adeo ut vel ipse divinus Psaltes, indicare volens absconditam plane illam rationem, qua formatus esset in claustris uteri matris suæ, se compactum dicat *in imis terræ*, Psalm. 139. Sed & tanto tristius tale quid apparet. Observat hoc Augustinus, lib. 12. de Genesi ad literam cap. 34. ita scribens: *Inferi eo quod infra sunt, Latine appellantur. Sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundum Spiritum inferiora sunt omnia tristiora. Unde & in Græca lingua origo nominis, quo appellatur infernus, ex eo quod nihil suave habeat, resonare videtur.* Alii existimant, Infernum ita dici, quod animæ defunctorum hinc illinc *ferantur.* Vid. Isidor. Hispal. l. 14. orig. cap. 9. Verum quicquid sit, Infernum s. Inferorum statum non ad corpus, sed ad animam proprie pertinere, vel è sequentibus patet autorum testimoniis. Cicero lib. 1. Tuscul. quæst. §. 36. *Ut Deos esse, natura opinamur, qualesque sint, ratione cognoscimus: sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium. Qua in sede maneant, qualesque sint, ratione discendum est. Cujus ignoratio finxit inferos, easque formidines, quas tu contemnere non sine causa videbare. In terram enim cadentibus corporibus, hisque humo tectis, ex quo dictum est humari, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum.* Seneca epist. 117. *Cum de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac publica persuasione.* Fuit Seneca unus ex Stoicorum Philosophis, de quibus & Tertullianus l. de anima cap. 54. *Stoici suas solas, id est sapientum animas, in supernis mansionibus collocant. —— Reliquas animas* (non eruditas, quæ non sunt sapientes) *ad inferos dejiciunt.* Et Lactantius l. 7. c. 7. *Immortales esse animas, Pherecydes & Plato disputaverunt. Hæc vero propria est in nostra religione doctrina. Ergo Dicæarchus cum Democrito erravit, qui perire cum corpore ac dissolvi argumentatus est. Esse inferos Zenon Stoicus docuit, & sedes piorum ab impiis esse discretas, & illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones: hos vero luere pœnas in tenebrosis locis, atque in cœni voraginibus horrendis. Idem nobis Prophetæ palam faciunt. Ergo Epicurus erravit, qui Poëtarum id esse figmentum putavit: & illas inferorum pœnas, quæ ferantur, in hac esse vita interpretatus est.* H. illi.

§. XXI. Restringitur autem etiam in ipsis Scripturis tam vocabulum שאול, quam Hebræo-Syrum שיול, & Græcum ᾅδης, passim ad animam. Et quidem quod verba Jacobi Patriarchæ Genes. 37: 35. כי־ארד אל־בני אבל שאלה *descendam ad filium meum lugens in infernum*, non aliter accipi possint, quam de statu animæ, videtur esse manifestum. Ait enim se descensurum esse eo, ubi Joseph erat. Jam autem de sepulchro id intelligere non poterat, ut multi cum recentioribus Judæis hodie contendunt. Non enim existimabat, Josephi corpus sepulchro fuisse illatum, sed à fera devoratum illud credebat. Quum enim ostenderetur ipsi tunica Josephi, sanguine hœdi à fratribus ejus tincta, in hæc erumpebat verba: כתנת בני חיה רעה אכלתהו טרף טרף יוסף: *Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Neque vero est ut cum R. Salomone dicas, verba illa אל־בני non esse vertenda, *ad filium meum*, sed, *propter filium meum*, ut אל h. l. sit idem quod על, vel בעבור. (1) enim à propria & usitata verborum significatione non facile est recedendum, nisi evidens nos urgeat necessitas, אל autem proprie & usitate significat *ad*, non *propter*, quamvis interdum ita usurpari, non negemus. (2) LXX. Interpretes verterunt: καταβήσομαι πρὸς τὸν υἱόν μου πενθῶν εἰς ᾅδου. (3) Non aliter intellexit hæc verba antiquus paraphrastes Chaldæus Onkelos. Vertit enim (teste Raymundo Martini, seculi XIII. scriptore) ארי אחות לות ברי כד־אבילא לשאול, quamvis hodie in edit. Basil. pro לות ברי legatur על ברי. (4) Locus aliquo modo parallelus est 2 Sam. c. 12: 23. ubi David de filiolo Bathsebæ jam defuncto: האוכל להשיבו עוד אני הלך אליו והוא לא־ישוב אלי: *Nunquid potero revocare eum amplius? Ego vadam ad eum, ille vero non revertetur ad me.* Quo in loco particulam אל idem esse quod *ad*, extra omnem controversiæ aleam est positum. Deinde & notabilis est locus ille, quem supra §. 9. è Psalmo 16: 10. exhibuimus. Quum enim hæc verba in N. T. à Petro adducantur, ut resurrectionem Christi inde probet, addit Petrus de suo Act. 2: 31. Davidem *præscium locutum esse de resurrectione Christi*, ὅτι οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου, οὐδὲ ἡ σάρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν, *quod non derelicta sit in inferno anima ejus, neque caro ejus viderit corruptionem.* Ubi sane Petrus manifeste videtur contradistinguere animam carni, etsi in textu Hebræo non habeatur vox *carnis*, nec in versione LXX. Interpretum; ut ita vocabulum נפש Psalm. 16. non synecdochice totam personam, aut corpus exanime, sed proprie, absque omni tropo, *animam*, alteram compositi partem substantialem, denotare, atque adeo & h. l. שאול ad animam restringi, admodum sit verisimile.

§. XXII. In Novo Testamento etiam alias vocabulum ᾅδης & Syr. שיול aperte ad animam refertur, v. g. Luc. 16: vs. 23. Certum enim est, quod ibi agatur de statu animarum, Lazari & divitis, separatarum à corpore. Uterque vero illic dicitur fuisse ἐν ᾅδῃ, cum eo tamen discrimine, quod ille in sinu Abrahæ refrigerium consecutus, hic vero in tormentis fuerit constitutus. Nec obstat quod dives ille (cujus corpus sepulchro illatum dicitur vs. 22.) *in inferno* OCULOS *suos sustulisse, & clamasse* legitur: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum* DIGITI *sui in aquam, ac refrigeret* LINGUAM *meam, quia crucior in flamma hac* &c. Bene enim Junius in notis: *Etsi*, ait, *Christus historiam narrat, res tamen spirituales describit sub figuris, quas sciebat accommodas esse ad sensum nostrum. Neque enim animæ digitis & oculis præditæ sunt, neque siti laborant, neque mutua colloquia inter se habent. Summa igitur est, fideles animas, ubi à corporibus migrarunt, lætam & beatam vitam extra mundum agere: reprobis vero paratos esse horribiles cruciatus, qui mentibus nostris non magis concipi possunt, quam immensa cœlorum gloria.* Quibus respondent illa Theophili Episcopi Antiocheni (sexti ab Apostolo Petro, ut putatur) l. 4. commentariorum seu allegoriarum in quatuor Euangelia Tom. I. Bibl. Patrum: *Inquirendum est quomodo in parabola Lazari dives in tormentis sit ante judicium: aut quomodo digitum Lazari dicat. Numquid corpora apud inferos sunt? aut ipse, qui aquam desiderat, numquid sitim corporis sentiebat? Hæc autem omnia secundum eos affectus loquitur, quos aliquando pro necessitate corporis gesserat. Cæterum ille ante judicium tormentorum sensus quasi pro loco custodiæ, in quo erat, accipiendus est. Res quippe ipsa in custodia non est absque tormentis.*

§. XXIII. Adstipulari his iterum videntur nonnulli etiam ex antiquioribus Hebræorum Magistris, ut è loco Talmudico, sub finem §. 15. à nobis adducto, liquet. Nec minus Christiani, primitivæ pariter & subsequentis Ecclesiæ, Doctores, quos Patrum nomine salutamus, passim tam ᾅδην quam *infernum* animarum propria faciunt. Irenæus lib. 5. advers. hæreses cap. 31. ᾅδην vocat locum ἀειδῆ, *invisibilem*, in quem migrent animæ defunctorum, & quidem ita, ut illic commorentur usque ad resurrectionem corporum suorum, quam expectent. Tertullianus lib. de anima cap. 55. *Habes & regionem inferum credere, & illos cubito pellere, qui satis superbe non putant animas fidelium inferis dignas -- aspernati*

nati si forte in Abrahæ sinu expectandæ (al. legunt, *expectantes*) *resurrectionis solatium capere debeant.* Et cap. 58. *Omnes ergo animæ penes inferos? inquis. Velis ac nolis, & supplicia jam illic, & refrigeria: habes pauperem & divitem.* Hilarius Pictaviensis in Psalm. 138. *Humanæ ista lex necessitatis est, ut sepultis corporibus ad inferos animæ descendant.* Ambrosius lib. de bono mortis cap. 10. *Satis fuerat dixisse illis* (Philosophis), *quod liberatæ animæ de corporibus ἀΐδην peterent, i. e. locum, qui non videtur, quem locum Latine Infernum dicimus.* Gregorius Nyssenus lib. de anima & resurrectione: *Cum dicerem, transmigrationem animæ ex eo, quod videtur, fieri ad id, quod non videtur* (πρὸς τὸ ἀειδὲς) *nihil putabam me prætermisisse, quod de inferno* (περὶ τοῦ ᾅδου) *quæreretur: nec enim aliud quidpiam mihi videtur tam in externorum scriptis, quam in ipsa divina Scriptura, per hoc nomen significari, in quo animas esse dicunt, præterquam in id, quod obscurum est & inconspicuum* (εἰς τὸ ἀειδὲς καὶ ἀφανὲς) *transitionem.* Hieronymus (qui omnium optime discrimen inter Mortem & Infernum explicasse videtur) ad cap. 13. Hoseæ: *Mors est, qua anima separatur à corpore; Infernus, locus in quo animæ recluduntur, sive in refrigerio sint, sive in pœnis, pro qualitate meritorum.* Joh. Chrysostomus homil. in Pascha: *Vetus Testamentum transitum animæ ex hac vita crebro admodum ᾅδην appellat.* Asterius Amaseæ Episcopus (cujus homiliæ seu orationes cum notis Frontonis Ducæi Parisiis anno 1624. & anno 1648. per Franc. Combefis Græce & Lat. prodierunt) hom. de divite & Lazaro: *Corpus sepulchrum, animam vero infernus habet.* Cyrillus Alexandrinus in cap. 5. Esaiæ: *Quæ est inferni anima? locus potius est infernus, & miserarum animarum carcer horridus.* Gennadius Massiliensis libr. de Ecclesiasticis dogmatibus (qui extat inter libros S. Augustini): *Ante resurrectionem Domini omnes Sanctorum animæ in inferno sub debito prævaricationis Adam tenebantur.* Andreas Cæsariensis comment. in Apoc. 20. Tom. I. Bibl. Patrum: *Mors & Infernus non sunt viva animalia, sicut à quibusdam describuntur, sed mors est separatio animæ à corpore; infernus autem locus est obscurus nobisque incognitus, neque enim locus ille sub sensus venit, qui excipit animas mortuas hinc emigrantes.* Isidorus Hispalensis lib. I. sententiarum seu de Summo Bono cap. 16. *Ante adventum Salvatoris, quanquam sine pœna supplicii, tamen non in cælo, sed in inferno, Sanctorum animæ tenebantur.* Maximus (non ille Taurinensis Episcopus, sed Monachus Constantinopolitanus & Martyr, qui temporibus Honorii Papæ I. & Heraclii Imperatoris vixit) in cap. 2. Dionysii Areopagitæ de Hierarchia Ecclesiastica: Τοῦτο τὸ ἀφανὲς τινὲς ἔφησαν εἶναι τὸν ᾅδην· τοῦτ᾽ ἐστι τὸν ἀειδῆ καὶ ἀφανῆ γινόμενον τῆς ψυχῆς χωρισμόν. *Hoc ipsum quod non videtur, quidam inferos esse dixerunt, hoc est, invisibilem & non apparentem factam animæ separationem.* Georgius Pachymeres seu Pachymerius (cujus paraphrasis in Dionysii Areopagitæ opera per Balth. Corderium Græco-Latine ann. 1633. Antverp. fuit edita) ad ejusdem cap. sectionem 3. §. 7. *Mors in nobis non est omnimoda substantiæ abolitio ---- sed separatio animæ à corpore, animam ad id, quod nobis obscurum est, ducens. Propterea namque & discessus ille animæ à corpore infernus, ᾅδης, dictus est, quasi id quod obscurum est seu inconspicuum* (ἀφανές). Joh. Damascenus in histor. Barlaam cap. 10. *Ac corpus quidem tuum perexiguo sepulchro includetur —— Anima vero tua inferno addicta, in inferiores terræ partes usque ad postremam resurrectionem conjicietur.* Theophanes Cerameus Monachus & Confessor Singrianæ, dein Tauromeniæ Archiepiscopus (cujus homiliæ Græco-Lat. cum notis Fr. Scorsi Paris. ann. 1644. lucem aspexerunt) homil. 8. *Infernus, ᾅδης, dicitur animæ domicilium, à visibili statu ad invisibilem & inconspicuum migrantis.* Theophylactus ad cap. 16. Lucæ: *Quid est infernus, ὁ ᾅδης? Quidam dicunt esse locum subterraneum tenebrosum. Alii autem transitum animæ à lucido in obscurum & immundum dicunt Infernum. Quamdiu enim in corpore est anima, apparet propter operationes suas: postquam autem à corpore emigraverit, invisibilis fit. Hoc igitur dixerunt esse infernum.* Euthymius Monachus Zigabenus seu Zigabonus (qui præter Orthodoxæ fidei dogmaticam Panopliam, commentaria in omnes Psalmos, & 4. Euangelia, scripsit, & sub initium sec. XII. floruit) ad Psalm. 17. *Infernus juxta Græci nominis etymologiam insuavem & injucundum significat mortuorum locum, qui sub terra est. —— Et mors quidem est inferni ministra, mors enim animam dividit à corpore: unde infernus assumens eam continet.*

§. XXIV. Consentiunt denique his (& ex parte non multum dissentiunt) haud pauci è recentioribus Theologis & Philologis. Testimonia è B. Luthero, Matthia Flacio, Davide Chytræo, Jacobo Heerbrando, Salomone Gesnero, Balth. Meisnero, Joh. Gerhardo, Dan. Cramero, Joh. Tarnovio, ut & (quantum ad Reformatos) è Paulo Fagio, Matthia Martinio, Petro Ravanello, aliisque, collegit Dn. D. Grabius libro supra citato. Nos, ut dictis fidem faciamus, unum vel alterum, inprimis integrum Lutheri locum, prolixiorem quidem, verum sententiam nostram egregie illustrantem, hic adscribemus, quæque à D. Grabio omissa sunt, iis addemus. Ita ergo Lutherus in enarrationibus seu commentario in Genesin (cui immortuus est) ad cap. 42: 38. *Necesse est*, ait, *aliud esse Kever, & aliud Scheolah. Sicut autem sepulchrum* (*Kever*) *commune est tam piis quam impiis: ita & Scheolah. Hæc certa res est, & petita ex usu sacrarum literarum, nisi quod hæc est differentia. Sepulchrum, Kever, proprie terra est, quæ effoditur, & in qua conditur corpus mortuum, multi enim moriuntur, qui non humantur, ut qui laniantur à bestiis, aut in crucem aguntur, aut cremantur, illis non conceditur sepultura, & tamen omnes dicuntur descendere ad infernum, ex hac vita. Recte igitur hæc distinguuntur, ita ut sepulchrum sit locus, in quo corpus, ossaque demortuorum reconduntur, certo tempore, certa persona, & loco: Scheolah autem commune quoddam receptaculum, non corporum tantum, sed & animarum, ubi omnes mortui congregantur. Augustinus vocat abdita receptacula animarum, in Enchiridio ad Laurentium* (cap. 109). *Est igitur Chaos illud nobis quidem incognitum, in quo non est differentia locorum, temporum, personarum, quo descendunt etiam hi qui carent sepulchris. Est locus communis, si modo locus dici debet, non pro corpore, sed pro anima. —— Proprie igitur, & definitive Scheolah locus, vel receptaculum est animarum. Qualis autem ille locus sit, infinitis quæstionibus, à veteribus disputatum, & quæsitum est. Nobis hæc differentia sufficiat, quod sicut corpus servatur in terra, ita anima resoluta venit in suum Scheolah. Nec traduntur diversæ Scheolah piorum & impiorum. Alii acute sane disputant, & sunt varia argumenta in utramque partem, quæ me parum movent. In parabola de divite & Lazaro, dicitur dives sepultus esse in inferno, non corporis, sed animæ sepulchro, & tamen de piis aliter sentiendum est, quam de impiis in eadem Scheolah existentibus. Sicut hic inquit Jacob, & supra etiam* (cap. 37: 35.) *Descendam lugens ad filium meum in infernum, item* (cap. 44: vs. 29.) *Deducetis canos meos in infernum. Et de morte piorum certus & clarissimus locus est apud Isaiam, cum inquit: Intrant pii in pacem, requiescunt in cubiculis suis. Item Gen. cap. 15. Tu autem ibis ad Patres tuos, in pace, & sepelieris in senectute bona. Et cap. 25. Abraham collectus est ad populos suos. Hic est Scheolah, id est, locus quidam in quem colliguntur pii, quem appellat Isaias pacem cap. 57. Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua. Ibi sane loquitur de mortuis. Sic ad Josiam dicitur 2. Paral. 34. Jam enim colligam te ad patres tuos, & infereris in sepulchrum tuum in pace: nec videbunt oculi tui omne malum, quod inducturus sum super locum istum. Hæc omnia ex Scriptura sancta manifesta & certa sunt, quod Sancti secundum corpus vadunt in Kefer, sicut Abraham in agro Ephron è regione Mambre sepelitur: secundum animam vero ingrediuntur cubicula sua, in Scheolah, ubi congregantur cum Patribus suis. Ac habent quidem pii infernum, in quem descendunt, sed ut requiescant in eo. Et quanquam cum mœrore descendunt, tamen ad quietem & pacem transeunt. Atque adeo nihil aliud est descensus iste piorum, quam mutatio hujus vitæ in alium statum, ubi amplius non vivitur sub sole, & super terram, sed relicta vita hac intrant in cubiculum, sive stratum suum, in quo dormiunt, & requiescunt, donec corpus & anima rursus copulentur in futura & æterna vita. Itaque Scriptura prorsus nihil habet de purgatorio, sed ait sanctos & justos transire in suum Scheolah, ubi suavissima pace & quiete fruuntur. Justus autem est, qui licet sit peccator, tamen si credit in filium Dei, & accipit absolutionem à peccatis per ministerium verbi, baptizatus est, & Sacramento altaris participavit, vere absolutus & justus est. Huic vero non est paratum purgatorium, sed sepulchrum animæ, Scheolah piorum, pax & quies in cubili suo. Ante Christum dictus est sinus Abrahæ, & eadem appellatione ipse quoque utitur, quam haud dubie ex sermonibus piorum, & Patrum mutuatus est, cum dicit Lazarum translatum esse in sinum Abrahæ. Scheolah autem divitis erant flammæ, atque is status & conditio impiorum soli Deo cognitus est, qui à nobis comprehendi non potest. Corpus vero divitis repositum fuit in Kefer. Hæc mea sententia est de hisce appellationibus. —— Ac tantum quidem nos de receptaculis* corpo-

corporum & animarum cognitum habemus, Kefer esse locum pro corpore: Scheolah vero pro anima dormiente (quiescente a laboribus suis Apocal. 14: 13.) sive piorum, sive impiorum, sed diversa conditione, & qualis ea quies sit, nos nescimus. Idem in operationibus in Psal. 16. Tom. 2. Jen. Lat. f. 171. b. Videmus, Scripturam duo loca tribuere mortuis, foveam corpori, & infernum animæ. Rursus in addition. in locum Hos. cap. 13. Tom. IV. Lat. Jenens. fol. 687. b. Hieronymus dicit, Inter mortem & Inferos hoc interest, Mors est, qua anima separatur à corpore, Infernus, locus in quo recluduntur animæ, sive in refrigerio, sive in pœnis, pro qualitate meritorum. Quod dicit propter Patriarchas, qui in Infernum sese descendere fatentur. Sed qualis sit ille locus, & quid aut qualiter in eo sint, agant, habeant animæ, nescimus, quia Scriptura non dicit. Existimatur sane post resurrectionem Christi nullum esse piorum Infernum, licet pro eo finxerint Purgatorium homines audaces. Sed qui intelligunt, quid sit peccatum per Legem excitatum, & desperationem adducens, ipsi intelligunt, quid sit Mors & Infernus. Et in antecedentibus: Ut Mors corpus occidit, ita Infernus animam rapit. Inde in Scripturis duo ista loca sic distribuuntur, ut (Keber) sepulchrum corpori, (Scheol) Infernus animæ deputetur. Psalm. 6. Non est in morte, qui memor sit tui, in Inferno quis confitebitur tibi? Psalm. 115. Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in Infernum (Hebr. ולא כל־יורדי דומה, nec omnes descendentes in silentium, vel locum silentii). David Chytræus comment. in Genes. 25. num. 2. Diligentissime expendenda est forma verborum, qua Moses de Abraham mortuo utitur: Congregatus est ad populum suum. Docet enim animas piorum non dissipari, ut pecudum animæ evanescunt, sed congregari & colligi ad populum suum, hoc est, in cœtum beatæ Ecclesiæ. Hinc verba Esaiæ c. 56. sumta sunt: Viri sancti colliguntur, & nemo est qui considerat. Antequam veniat calamitas, colliguntur justi, & veniunt in pacem, & requiescunt in cubilibus suis, quia recte ambulaverunt. Sap. 3. Justorum animæ in manu Dei sunt. Teneant autem studiosi in hoc loco piam & simplicem sententiam, de sede & statu animarum post hanc vitam. Cum enim animæ piorum vivant post mortem, & colligantur ad populum suum, necesse est, aliquod receptaculum esse, in quo expertes omnium malorum & beatæ versentur, donec statuto tempore in vetus domicilium corporis renovati redeant. Id hospitium excipiens animas post mortem variis nominibus in Scriptura appellatur. Luc. 16. Sinus Abrahæ, id est, congregatio seu cœtus omnium piorum, qui fide promissionis, traditæ Abraham, salvati sunt. Luc. 23. Paradisus. Sap. 3. Manus Dei. Genes. 42. & alibi שאול, quod non significat locum damnatorum, sed locum proprium beatæ Ecclesiæ, & omnium electorum ad vitam æternam. Joh. Tarnovius comm. in Psalm. 9. שאול significat proprie commune animarum post hanc vitam receptaculum, ut קבר corporum. Theodoricus Hackspanius part. 2. notar. Philologico-Theologicar. in varia & difficilia Scripturæ loca pag. 976. Contra eos, qui שאול de sepulchro accipiunt (Hos. 13: 14.) urgendum, quod recte notavit Lutherus, שאול & מות ita conjungi in Scripturis, ut illud animam, hoc vero corpus spectet, quem vide sis exemplis rem illustrantem. Locum paulo ante adscripsimus. Vid. & D. Abrah. Calovius in Bibl. illustrat. Tom. 2. p. 758. & Joh. Quistorpius in annot. Biblicis ad Psalm. 89: 49.

§. XXV. Audiamus quid & alii viri longe doctissimi de significatione vocis שאול annotarint, ut simul & horum celeberrimorum virorum autoritate & consensu sententiam nostram, in quantum fieri potest, roboremus. B. Dn. D. Georgius Calixtus, Vir summus, & Hebrææ quoque linguæ egregie peritus, in lucubrat. V. T. ad Gen. 37: 35. שאול plusquam sexagies in sacris occurrit, & alias infernum, alias sepulcrum, statum defunctorum, mortem, pernitiem & exitium significat. Græcis ubique (excipe Jezech. 32: 21. & si quis forte alius adhuc locus possit observari) redditur ᾅδης: ut proinde quod Scheol Hebrais, hoc ᾅδης in dialecto Hellenistica. —— Quænam vero singulis locis obtinere debeat significatio, phrasis & res, de qua verba fiunt, & cohærentia textus indicio erunt. Et mox in respons. ad object. Pontificiorum: Respondeo, descendere ad mortuos Scheolah sive in sepulcrum, esse periphrasin mortis, atque adeo nihil aliud, quam in censum mortuorum venire, sive simpliciter, mori. Ita sane non raro sumitur, ut patet è locis supra adductis & explicatis. B. Dn. D. Titius in disputat. de statu animar. separatar. §. 9. Certum est, descendere Scheolah, ad mortuos sive in sepulchrum, Hebræis phrasin esse notantem nihil aliud quam in censum mortuorum venire, sive simpliciter, mori, etiamsi non omnes mortui sepulchrum semper inveniant. Excell. Dn. D. Christianus Noldius, Theologus Hafniensis primarius, in annotationib. & vindiciis ad Concordantias Particul. Ebræo-Chaldaicar. pag. 823. שאול in genere notat statum mortuorum, in quo homines nihil sciant eorum quæ geruntur in hoc mundo. Eccl. 9: 5. Et Smidius in Job. 14: 3. & 7: 9. & 17: 16. addit: non dari locum Scripturæ perspicuum, in quo vox שאול notet sepulchrum, vel locum subterraneum. D. Augustus Pfeiffer. in Dub. vexat. Script. S. pag. 198. Phrasis Jacobæa descendere ad Scheol) notat statum mortis in genere sine illatione necessaria vel sepulcri vel inferni. Et in probatione num. 1. Descendere ad Scheol, est devenire ad eum statum, quem ordinarie utut non semper insequi solet sepultura, id est, mortis. — Plura de significatione שאול attulit Jac. Windet Anglus de statu vitæ functorum, non semper probanda; erudite tamen. Sect. 2. probat שאול designare statum communem vita functorum, quod, præsertim quatenus vox toti phrasi immersa est, verum est. Samuel Bochartus in Hierozoico parte 2. lib. 5. cap. 19. pag. m. 802. שחת (Schachath) sepulcrum sonat, in quo corpus conditur; שאול, Seol, plerumque locum, seu statum animæ à corpore separatæ. Falluntur enim qui nomine שאול nonnisi inferos intelligunt, seu damnatorum locum. —— Uno eodemque momento corpus fossæ destinatur, & anima לשאול, τῷ Seol. Cogor Hebraice loqui, quia Latina vox nulla suppetit, quæ Hebraicam satis exprimat. Et postea: עלוקה aluka, quæ aliis sanguisuga (Prov. 30: 15.) illis (R. Salomoni & R. Menachem) כמשמעו, secundum literalem sensum, est animarum translatio in שאול, Seol, quo nomine tam Paradisum, quam Geennam intelligunt. Quod tam ex Arabica lingua probant, quam ex Midras in Psalmos. Joh. Lightfoot in Horis Hebraic. & Talmud. ad Luc. 16: vs. 26. Sat notum ex Poëtis, ut ᾅδης Græcis, atque inferi Latinis, comprehendant & sedes beatorum & damnatorum, & generaliter denotent statum mortuorum, ad gaudia vel pœnas dispositorum, pro qualitate personarum. Hic elysium bonis, illic tartarus improbis, interposito tantum Cocyto aut Acheronte, aut aliquo tali interterminante chasmate. A tali opinione non multum distant Judæi, in Midras Coheleth f. 103. 2. Deus statuit hoc juxta illud (Eccles. cap. 7: 14.) id est גהינום וגן עדן Gehennam & Paradisum. כמה ביניהם טפח Quantum distant? Palmo. R. Jochanan dicit, כותל Paries interponitur. At Rabbini dicunt שתיהן שוות כדי שיהיו מציעות זו מזו Æquata sunt, ut ex uno in alterum prospiciant. Et in Luc. 23: 45. Quum Salvator latroni pœnitenti pronuntiat, hodie mecum eris in Paradiso, loquitur cum vulgo & ad captum latronis. Futurum scilicet eum in cœlo cum Christo, atque omnibus justis vita functis. Atque ego explicationem istius articuli in Symbolo nostro, κατῆλθεν εἰς ᾅδου, non aliunde petierim, quam ab hoc ipso dicto: addito, quod recurrendum etiam est ad linguam Græcam pro significatione vocis ᾅδου, quæ statum post mortem denotat, beatorum æque ac miserorum.

§. XXVI. Addimus adhuc clarissimum deque Orientali literatura bene meritum Philologum, Christophorum Crinesium, Acad. Altdorfinæ quondam Professorem & Ecclesiæ ibidem Pastorem, cujus in חומש sive exercitat. Hebraicar. πεντεμερῶν parte prima exercitat. 1. quæst. 2. §. 9. & seqq. hæc sunt verba, sententiæ Lutheri & nostræ plane ὁμόψηφα: Cum nuspiam adhibeatur (vocabulum שאול) neque etiam in solemnioribus pompis exsequialibus, quando corpora vita sua functorum, terræ redduntur, sed semper ibi serviat proprium ἐνταφιασμοῦ קבר vel קבורה, ex R. קבר terra operuit, humavit, unde & Chaldæi suum sepulcrum קבר (Kebhar) & Syri קברא & Arabes קברן denominant, proinde necesse est aliud esse Scheol & aliud קבר, sicut νενεχόντως B. noster Lutherus in notis suis ad cap. 42. Genes. p. 643. f. a. concludit. Quid igitur tandem Scheol? Ecce illud tibi Reverendi patris nostri B. Lutheri verbis: Scheol, dicentis, est commune quoddam receptaculum &c. (integrum locum §. 24. exhibuimus). Communem dicit tam piis quam impiis, ex usu Scripturæ, licet rarissime de illis; de his vero frequenter in eadem prædicetur. Et §. 12. Sed ais: In uno Scheol simul existentibus piis & impiis, una etiam & eadem erit eorundem conditio? Absit: illud quidem S. Scriptura edocti affirmamus; hoc vero ex eadem pernegamus. Descendunt sane pii in Scheol, non ut crucientur, sed ut quiescant in eodem. Et quanquam cum mœrore interdum descendant, tamen ad quietem & pacem transeunt. Genes. 15: 15. Esai. 57: 2. Denique §. 16. Proinde concludimus, propriam hujus vocis Scheol significationem esse, quod denotet receptaculum generale animarum omnium omnino hominum, ex corporibus egredientium, in quo bonis bene; malis vero male est —— Et commodius uno verbo nominari posse alio nullo, quam infernus, consentiente Forstero in suo lexico.

lexico. Addit §. 20. (quod & nos obſervari cupimus) *Quod inquirendæ veritatis cauſa, nullatenus vero in gratiam Pontificiorum, limbum Patrum ſibi imaginantium, dictum volumus.* De voce ᾅδης §. 18. hæc notat: *Aδης apud Græcos nuſpiam ſepulcrum, ſed locum cruciatuum infernalium, denotat.* Vid. & Eraſmus Schmidius not. in N. T. ad Matth. 11:23.

§. XXVII. Ex his ergo patet (1) falſam eſſe eorum ſententiam, qui Hebræum Scheol fere ſemper per Sepulchrum vertunt, idemque cum קבר eſſe exiſtimant. Equidem שאול metonymice interdum, vel improprie & metaphorice, pro Sepulchro (quemadmodum & pro ipſa Morte, & adjunctis doloribus infernalibus) uſurpari, non negabimus (quamvis ᾅδης è Crineſii ſententia Græcis nuſpiam Sepulchrum notet) proprie interim & accurate loquendo, aliud Hebræis videtur eſſe קבר *ſepulchrum*, aliud מות *mors*, aliud שאול *infernus.* Id quod vel *ex ipſius vocabuli etymo in ipſa Scriptura manifeſte indicato* patet, *quod eſt* שאל, *i. e. poſtulavit, quia ſatiari nec illud animarum receptaculum nec infernus poteſt, ſed ſemper plura poſtulat: cum contra ſepulchrum, aut locus corporum, vel terra egeſta, vel cadaveribus, vel denique ipſo aëre, ſive alio corpore, facile ſatiari & repleri queat*, ut verba celeberrimi Theologi & Philologi, Joh. Tarnovii (Commentar. in Pſalm. 9. pag. 235. ubi eorum ſententiam, qui Scheol cum voce Kebher confundunt, refellit) noſtra faciamus. (2) Facile ex his cognoſcitur, quid de deſcenſu ad inferos (de deſcenſu, dico, in genere, non de deſcenſu Chriſti, de quo Theologi diſputent) ſeu phraſi Hebræa, *Deſcendere ad inferos*, ſit ſentiendum. Deſcendere nempe ad inferos Hebræis (quemadmodum & Græcis ἔρχεσθαι, κατέρχεσθαι, καταβαίνειν, εἰς ᾅδην, vel εἰς ᾅδου) juxta propriam & genuinam vocis שאול ſignificationem, nihil aliud videtur eſſe, quam ſecundum animam à corpore ſeparatam, in generalem (quantum ad vocem) & indifferentem illum ſtatum, qui mortem hominis excipit, ſive is quietis, ſive cruciatuum, pro vitæ antegreſſæ ratione fuerit, devenire; deſcendere ſive *tranſire* (Geneſ. 15:15.) ad commune illud ψυχοδοχεῖον ſ. animarum receptaculum (quod quidem rectius ſtatus quam locus dicitur, quamvis ejuſmodi ſtatum abſque conceptu alicujus loci nobis imaginari vix poſſimus) quod animas tam piorum quam impiorum in V. T. recipiebat; in quo animæ piorum, *quaſi in faſciculo viventium apud Deum cuſtoditæ* (1 Sam. 25:29.) *ad populum ſuum* (Geneſ. 25:8. Num. 20:24.) vel *ad Patres ſuos* (2 Reg. 22. vſ. ult. 2. Paral. 34:28.) *congregabantur* (locis jam cit.) ſive colligebantur & recipiebantur; in quo *juſtorum animæ* erant ἐν χειρὶ Θεοῦ, *in manu Dei, & non tangebat illos tormentum*, βάσανος (Sap. 3:1.) ubi erant ἐν ἀναπαύσει, *in refrigerio* (Sap. 4:7.) *in pace* (Geneſ. 15:15. Eſai. 57:2. Sap. 3:3.) impiorum autem animæ erant ἐν βασάνοις, *in tormentis* (Luc. cap. 16:23. & ſeqq.) *Prout S. Scriptura edocti generaliter quidem* cum Crineſio (loc. citat. §. 16.) aliiſque hoc *novimus, ſpecialiſſimam interim illius Scheolis* & Deſcenſus ad inferos διαγραφίαν *dare non poſſumus*, ſed Theologis relinquere cogimur. *Nihil aliud eſt Deſcenſus iſte piorum*, ait Crineſius §. 13. & 14. *quam mutatio hujus vitæ in alium ſtatum, ubi amplius non vivitur ſub Sole & ſuper terram; ſed relicta vita hac, intrant in cubiculum ſive ſtratum ſuum* (quod Lutherus ſupra Sepulchrum animæ, German. das Seelen-Grab/ appellabat) *in quo dormiunt & requieſcunt (utpote ab omnibus actionibus & paſſionibus ærumnoſæ hujus vitæ ſoluti) donec corpus & anima rurſus copuletur in futura & æterna vita.* Et Chriſtianus Schotanus, Theologus Reformatus diſp. 4. Catecheſeon ſ. elementor. Theolog. pag. 64. *Deſcenſus ad inferos juxta phraſin antiquam nihil aliud fuit quam animæ ſeparatæ & ſub dominio mortis conſtitutæ in ſuum locum emigratio.* Cæterum *deſcendendi* phraſis à *ſepulcrali differentia* ſumta eſſe videtur, *quia terra eſt deorſum, in qua ſepeliuntur omnes: unde à prima conditione deſcenſus cadaverum, totus reliquus mortuorum ſtatus appellatus*, ut obſervat Matthias Martinius diſputat. in Symb. Apoſt. pag. 139. *Propriam* porro & *genuinam* ſignificationem dum diximus, *figuratam* aliquando & *impropriam*, modo concinnam, huic formulæ competere, non negamus.

§. XXVIII. Unum adhuc quæri poſſet, ubi nempe ſit שאול ſeu Infernus ille, de quo hactenus egimus? Aliqui, etiam ex Veteribus, putarunt, quod Infernus ſub terra ſit, quia non tantum Chriſtus in parabola de divite & Lazaro teſtatur, quod inter Abrahamum Lazarumque in ſinu ejus conſtitutum, & inter locum in quo dives erat, χάσμα μέγα, *Chaos magnum* (ut vertit vulgatus Latinus interpres, quem non temere hic reprehendi vult Hugo Grotius) h. e. magnus hiatus, ſ. vaſtum aliquod intervallum, firmatum fuerit, *ut hi qui vellent hinc tranſire* ad eos, *non poſſent, neque inde huc tranſmeare* (ὅπως οἱ θέλοντες διαβῆναι ἐντεῦθεν, μὴ δύνωνται, μηδὲ οἱ ἐκεῖθεν διαπερῶσιν) Luc. 16:26. ſed & Paulus Eph. 4:4. diſerte infernum vocat τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς. Imo ipſa Scriptura Infernum in ſuperiorem & inferiorem dividere, nec alias etiam de inferno aliter quam de loco aliquo ſubterraneo loqui videtur. Conf. Pſal. 63:10. Eccleſiaſtici cap. 24:45. Philipp. 2:10. Apoc. 5:3. Eadem fuit ſententia Gentilium, ut è §. 20. patet. Sic Lucianus in dial. de luctu, Homerum, Heſiodum & alios ait putare, quod infernus ſ. ᾅδης ſit locus aliquis ſubter terram profundus. Et Plutarchus ad illud Homeri: Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδός δε βεβήκει, *Anima ex membris avolans ad inferos deſcendit*, εἰς τὸν ἀειδῆ, inquit, καὶ ἀόρατον, εἴτε ἀέρα θείη τὶς, εἴτε ὑπόγειον τόπον. Conf. Grot. in commentar. ad Luc. 16. Chriſtiani autem ſequiorum ſeculorum Doctores, quos Scholaſticos vulgo dicimus, ulterius poſtea progreſſi ſunt, ſtatueruntque, infernum non tantum ſub terra eſſe, ſed & in centro terræ (utpote loco à cœlo remotiſſimo) & receptacula diverſa quatuor habere, quorum ſuperius vocarunt *Limbum Patrum*, ultimum *Infernum damnatorum* ſ. Infernum ſpecialiter ita dictum, inter quos poſtmodum & alios duos Limbos finxerunt, Infernum ſine baptiſmo defunctorum ſ. *Limbum infantum*, & *Purgatorium*, atque ita Infernum certis terminis & limitibus circumſcripſerunt. Vid. Dn. D. Grab. in append. apologet. p. 223. ſeqq.

§. XXIX. Verum enimvero (1) etſi Apoſtolus infernum inferiores partes terræ vocare videatur, non immerito tamen dubitant Theologi, utrum proprie verba hæc ſint accipienda an improprie? Neque enim novum eſt, ejuſmodi loquendi modum improprie accipi in Scripturis. Sic David Pſ. 139:15. ait: לא־נכחד עצמי ממך אשר־עשיתי בסתר רקמתי בתחתיות ארץ, *non fuit occultatum corpus meum à te, quando factus fui in occulto*, quando *variis membris decoratus fui in inferioribus terræ.* Non formatus erat David ſub terra, ſed in utero matris, & tamen dicit ſe factum eſſe *in inferioribus terræ*, quia in abſcondito formatus erat, ſicut abſconditum eſt quod eſt in terra. Ita ſane & Patrum nonnulli exiſtimant, de Inferno quoque dici, quod ſit ſub terra, quia ſtatus inferorum nobis eſt abſconditus: quæ autem in abſcondito ſunt, ſ. loco viſui noſtro ſubtracto, ὑποχθόνια Græcis dici ſolent, quia lumen non eſt ſub terra, ſed meræ tenebræ. Quam ob cauſam & τὰ ἐντὸς γῆς, χάος & ᾅδην nominari dixit Plutarchus, & Hippocrates libro de diæta opponit φῶς & ᾅδην, obſervante iterum Grotio loc. citato. (2) Quid juvat multum ſolicitum eſſe de loco, quando de anima à corpore ſeparata eſt ſermo? Spiritualis anima eſt ſubſtantia: de Spirituum autem conditione non eſt judicandum juxta conditionem locorum, ſed ſtatus, in quo verſantur, eſt ponderandus. Equidem & Spiritus creati ſunt *alicubi*, h. e. in loco aliquo, neque enim poſſunt eſſe *ubique*, uno eodemque temporis momento, ſicut Deus, cujus ſubſtantia eſt immenſa. Sic Angelus, qui nunc eſt Helmſtadii, non poteſt ſimul eſſe Romæ vel Hafniæ. Interim non ſunt ad certum locum adſtricti, ſicuti ſubſtantiæ materiales, quales habent determinatum locum, extra quem ipſis bene eſſe non poteſt. Veluti homini extra terram, piſci extra aquam non poteſt bene eſſe; aſt ſubſtantiæ immateriales à loco affici non poſſunt, ſed æqualem ſtatum ſubeunt, in quocunque ſint loco. Sic Angeli boni *ſemper vident faciem Patris qui in cœlis eſt* (Matth. 18:10.) hoc eſt, indeſinenter fruuntur aſpectu ejus atque inde proveniente gaudio & beatitudine, quocunque ſint in loco, ſive in cœlo ſint cum Chriſto, ſive in terra cum hominibus, ſive in aqua cum Jona, ſive in igne cum tribus pueris in fornace Babylonica. Contra mali Angeli infelices ſunt, ubicunque degant locorum. Quando ergo de anima loquimur, de ſtatu potius ſolicitos nos eſſe oportet, quam de loco. Atque inde & ſupra aliquoties diximus, שאול potius eſſe ſtatum animarum poſt mortem dicendum quam locum. (3) Negari nequit, eſſe certum aliquod ποῦ ſ. receptaculum animarum ſeparatarum, tam piarum quam impiarum, verum ubi illud ſit, & per conſequens ubi ſit שאול, de eo nihil diſtincte in Scriptura eſt definitum. *Qualis ſit ille locus, & quid aut qualiter in eo ſint, agant, habeant animæ, neſcimus, quia Scriptura non dicit*, eleganter ſcribit Lutherus loco ſupra citato. *Coram Deo nudus eſt infernus, & nullum eſt operimentum perditioni* (Job. 26:6.) hominibus autem שאול eſt ſtatus ἀειδὴς ſ. inviſibilis, ignotus & abſconditus. Hinc quod S. Auguſtinus de igne infernali ſ. æterno lib. 20. de C. D. cap. 16. ſcribit: *Qui ignis cujuſmodi, & in qua mundi vel rerum parte futurus ſit, hominem ſcire arbitror neminem, niſi forte cui Spiritus divinus oſtendit*, & Joh. Meiſnerus, Vir doctiſſimus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις: *Inferni* (ſpecialiter hodie

die ita dicti, hoc est, inferni damnatorum) ποῦ seu locum *prorsus credimus*, *non tamen Physicum seu corporalem*, *sive ullam aliam hujus universi partem*, *& ut Augustin. lib. XII. de Genes. ad lit. cap.* 33. *dicebat*: Est prorsus inferorum substantia, sed eam arbitror spiritualem esse, non corporalem. -- *Qua vero mundi parte lateat*, *cum Deus scire nos noluerit*, *nec nostrum est curiose indagare.* —— *Ubi ubi sit*, *contenti erimus*, *si sciamus*, *esse tale aliquod receptaculum* &c. (tract. de descensu Christi ad inferos cap. 2. §. ult.) hoc nos de שאול s. inferno in genere dicimus. In his ergo & nos acquiescimus, ac Scholasticis illis Limbolariis (ut voce Plautina cum D. Grabio utamur) suos Limbos & cellulas relinquentes, pro his decernimus

SOLI DEO GLORIAM.

COROLLARIA & Ἐπίμετρα.

I. DE animabus pie defunctorum sub N. T. non amplius legimus, quod ad inferos descendant. Causam hujus rei pluribus dabunt Theologi.

II. Scheol & Limbus Patrum Pontificius plurimum differunt.

III. Scheol quando de locis omnibus subterraneis dicitur, Sepulchrum etiam comprehendere, vel saltem comprehendere posse, non negamus: verum tum Scheol videtur sumi improprie.

IV. Quod si vero Scheol de Sepulchro interdum, metaphorice licet & improprie, usurpatur, per consequens non animæ tantum, sed & corporis receptaculum interdum fuerit.

V. Videtur aliquid humani passus esse S. Augustinus, quando epist. 57. ad Dardanum scribit: *Non facile alicubi Scripturarum inferorum nomen positum invenitur in bono*, & epist. 99. *ipsos inferos nuspiam Scripturarum in bono appellatos potui reperire*; item lib. 12. de Genes. ad literam cap. 33. *Illud nondum me invenisse confiteor*, *inferos appellatos*, *ubi justorum animæ requiescunt.*

VI. Etsi enim Scheol s. infernus, in se spectatus, in bonis haud sit numerandus, cum anima natura sit actus corporis (lib. 2. de anima cap. 1.) & status ille adversus sit primævæ Dei institutioni, qui hominem non ad mortem, sed ad vitam, & quidem æternam, creaverat (Sap. 2: 23, 24.) unde & hactenus infernum ceu rem tristem etiam Sanctissimi quique sub V. T. declinare tentarunt, ut pluribus docent Theologi; extare tamen loca quædam, in quibus vocabulum Scheol neutraliter seu indifferenter, adeoque non de malis tantum, sed etiam de bonis nonnunquam usurpatur, luce meridiana videtur esse clarius.

VII. Sinum Abrahæ, per quem nihil aliud quam status quietis, refrigerii & solatii, intelligendum videtur, passim apud inferos ponunt Patres. Chrysostomus hom. de divite in Luc. 16. sinum Abrahæ diserte vocat Paradisum in inferno existentem. *Dicat mihi aliquis*, ait inter alia, *in inferno est paradisus? Ego hoc dico*, *quia sinus Abrahæ paradisi veritas est sed & sanctissimum paradisum fateor.* Eusebius Emissenus (si is autor est, ac non potius Eucherius Lugdunensis, ut existimat Thomas Hyde in catal. Bibliothecæ Oxoniensis, vel Faustus Rhegiensis, ut Bellarminus putat) hom. 39. in Euangelia: *Abraham*, *sicut & cæteri Patriarchæ & Prophetæ*, *in inferno erant*, *inferni tamen pœnas non patiebantur. Sinus igitur Abrahæ ille locus intelligitur*, *in quo simul collecti Sancti quiescebant.* Vid. §. 7. 22. & 23. disput. nostræ & D. Grab. pag. 175. append. apologet.

VIII. Infernus specialiter hodie ita dictus, receptaculum nempe illud damnatorum, & ratione corporis, & ratione animæ, Hebræis solet dici גיהנם *Gehenna*: quod tamen vocabulum à Servatore nostro demum inventum dicit S. Hieronymus. In N. T. non tantum per *Gehennam* (v. g. Matth. 10: vers. 28.) sed & per τὴν γέενναν τοῦ πυρὸς, *gehennam ignis* (Matth. 18: vs. 9. &c.) τὴν κάμινον τοῦ πυρὸς, *caminum ignis* (Matth. 13: 42.) τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, *ignem æternum* (Matth. cap. 18: 8. cap. 25: 41. epist. Judæ vs. 7.) τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον, *ignem inextinguibilem* (Marc. 9: 45. Matth. 3: 12.) item per τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς, *stagnum ignis* (Apocal. 20: 14, 15.) τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς καὶ θείου, *stagnum ignis & sulphuris* (Apocal. cap. 20: 10. Conf. Apoc. 14: 10. cap. 19: 20. cap. 21: 8.) indicatur. Quo pertinet, quod Deus Angelos qui peccaverunt, σειραῖς ζόφου dicitur ταρταρώσας, h. e. *catenis caliginis præcipites dedisse in tartarum*, 2. Petr. 2: 4.

IX. Judæi Gehennam inter septem res ante mundum conditum creatas numerant. Talmud Babylonicum Massech. Nedharim cap. 4. fol. 39. b. edit. Basil. (ut & Pesachim f. 54. a.): שבעה דברים נבראו קודם שנברא העולם אלו הן תורה ותשובה גן עדן וגהינם כסא כבוד ובית המקדש ושמו של משיח *Septem res creatæ sunt ante creationem mundi*, *nempe Lex Mosaica & Pœnitentia*, *Paradisus & Gehenna*, *Solium gloriæ*, *Domus sanctuarii*, *& nomen Messiæ.* In Targum Canticor. 8: 6. אשא דגהנם, *ignis Gehennæ*, *die secundo creationis mundi*, ביומא תנינא לברייח עלמא, creatus dicitur. Hinc tradunt Talmudici, in historia creationis mundi ad diem secundum ideo non addi וירא אלהים כי־טוב (*& vidit Deus quod bonum esset*) מפני שנברא בו אור של גהנם *quia creatus fuerit in eo ignis Gehennæ*, Pesach. fol. 54. a.

X. Gehennam non impios tantum, sed & sapientes suos Magistros, aliquando experturos, ignem tamen infernalem nequaquam illis esse nociturum, fabulantur Judæi.

XI. In Cod. Talmud. Chagiga sub fin. cap. 3. f. 26. a. edit. Cracov. hac de re ita legimus: אמר רבי אליעזר ת"ח אין אור של גיהנם שולטת בהן קל וחומר מסלמנדרא ומה סלמנדרא שתולד' אש היא הסך מדמה אין אור שולטות בו תלמידי חכמים שכל' גופן אש דכתיב הלא כה דברי כאש נאם ה' על אחת כמה וכמה *Dixit R. Elieser*: *Discipulis sapientum* (h. e. *sapientibus Magistris*, prisci enim Hebræi non *sapientes*, sed *discipulos sapientum* se appellabant) *non nocebit* (dominabitur) *ignis Gehennæ. Et probatur hoc à majori ad minus per Salamandram. Nam cum Salamandræ*, *cujus natura est ignis*, eique *qui sanguine ejus inungitur*, *non noceat ignis*, *quanto minus Sapientibus Magistris* nocere poterit ignis, *quorum totum corpus est ignis? sicut dictum est* (Jer. 23: 29.) *Nonne verba mea sicut ignis? dicit Dominus.*

XII. Judæi Gehennæ tres portas & septem conclavia tribuunt.

XIII. De tribus illis portis in tractatu Talmud. Erubhin cap. 2. fol. 19. a. edit. Cracov. hæc habentur: שלשה פתחים יש לגיהנם אחד במדבר וא' בים וא' בירושלים במדבר דכתיב וירדו הם וכל אשר להם חיים שאולה בים דכתיב מבטן שאול שיועתי שמעת קולי בירושלם דכתיב נאם ה' אשר אור לו בציון ותנור לו בירושלם *Tres sunt Gehennæ portæ*, *una in deserto*, *altera in mari*, *tertia Hierosolymis. In deserto*, *quia scriptum est* (Num. 16: 33.) *descenderunt ipsi*, *& omnia quæ ad eos pertinebant*, *viventes in infernum. In mari*, *quia scriptum est* (Jon. 2: 3.) *de ventre inferi clamavi*, *& exaudisti vocem meam. Hierosolymis*, *quia scriptum est* (Esai. 31: 9.) *Dixit Dominus*, *cujus ignis est in Sion*, *& caminus* (fornax) *ejus in Jerusalem.*

XIV. De septem conclavibus in libro celebri Cabalistico גנת אגוז (*hortus nucis*) parte 2. fol. 39. b. sub tit. שבעה מדורי גיהנם *septem mansiones* s. conclavia aut habitacula *Gehennæ*, hæc invenies: אר"זל כי העונש הנקרי גיהנם הן שבעה מדורין מכוונים לחוטאים כל מדור ומדור לפי חטאו של הנענש וגו' זה למטה מזה והם הנקראים גיהנם ושערי מות ושערי צלמות ובאר שחת וטיט היון ואבדון למטה מכולן שאול והמקום הכולל כל אלו הוא נקרא אר"קא כי בו הם גיהנם ושערי מות ושערי צלמות ובאר שחת וטיט היון ואבדון ושאול *Dixerunt Rabbini nostri felicis memoriæ*: *Pœna peccatorum est Gehenna*, *cujus septem sunt conclavia. Quodque conclave juxta peccatum ejus qui punitur* —— *unum infra aliud. Hæc vocantur Gehenna*, *Portæ mortis*, *Portæ umbræ mortis*, *Puteus corruptionis*, *Lutum cœni*, *Perditio. Infime omnium est Scheol*, infernus. *Locus universa hæc complectens vocatur Arka* (h. e. Terra) *quia in eo sunt Gehenna*, *Portæ mortis*, *Portæ umbræ mortis*, *Puteus corruptionis*, *Lutum cœni*, *Perditio & Scheol.* Addit, *Absalomum*, juxta traditionem Patrum suorum, pœnam sustinere in conclavi secundo, *Korachum* in conclavi tertio, *Jeroboamum* in conclavi quarto, *Achabum* in quinto, *Micham* in sexto: pro diversitate enim delicti variare pœnam Gehennæ, & prout vel levius vel gravius quis deliquerit & puniatur, ita etiam ignem Gehennæ, imo cujusque conclavis (plures enim ignis infernalis species constituit) vel remitti vel intendi.

XV. Ibidem autor hujus libri duplicem Gehennam, ut & duos Paradisos, constituit, inferiorem & superiorem. Verba ejus hæc sunt: שני מיני ערנים הן עליון והתחתון אחד לגוף בזה העולם ואחד לנפש בעולם הבא אחר זה וכמוהו שני מיני גיהנם הן עליון ותחתון אחד לגוף בעולם הזה ואחד לנפש בעולם הבא אחר זה *Duæ sunt species Paradisi*, *Superior & inferior. Unus est pro corporibus in hoc mundo*, *alter pro animabus in mundo* s. seculo *posthac futuro. Similiter duæ sunt species Gehennæ*,

hennæ, ſuperior una, altera inferior. Una deſtinatur corpori in hoc mundo, altera animæ in ſeculo futuro. Addit, *Gehennam inferiorem reſpicere Gehennam ſuperiorem, & pœnam, qua animæ in Gehenna ſuperiori afficiantur, reſpondere pœnæ illi, quam corpora in Gehenna inferiori experiantur,* כי גיהנם שלמטה מכוון כנגד גיהנם של מעלה׃ וכי העונש אשר לנפש מלמעלה׃ הוא כמו שהעונש אשר לגוף למטה׃. Idem de Paradiſo ſuperiori ac inferiori, & utriuſque præmiis, ridicule aſſerit.

XVI. Prov. 30:15. dicitur: לעלוקה שתי בנות הב הב Hirudini ſeu *Sanguiſugæ duæ* ſunt *filiæ*, quæ dicunt, *affer, affer.* Luth. die Eigel hat zwo Töchter / bring her / bring her. Samuel Bochartus, Vir doctiſſimus, per עלוקה non *Sanguiſugam*, ut alias unanimi conſenſu vertunt interpretes (utpote quam non עלוקה *Aluka*, ſed עלקה *Alaka*, Hebræis dici exiſtimat) ſed *fatum unicuique homini ineluctabili Dei decreto impendens*: per duas autem ejuſdem filias, *Scheol & Abhaddon*, Infernum & Perditionem, vel ſi hæc duo putentur eſſe ἰσοδύναμα, *Scheol & Schachath*, Infernum & Foveam, intelligenda eſſe aſſerit. Midraſch Tillim, ſeu commentarius allegoricus in Pſalmos, duas illas filias interpretatur גן עדן וגיהנם, *hortum Edenis* (ſ. Paradiſum) & *Gehennam.* זו אומרת תנו לי צדיקים וזו אומרת תנו לי רשעים, *Ille dicit, date mihi juſtos, hæc vero clamat, date mihi impios* (obſervante R. Salomone apud Bochartum in Hierozoico part. 2. pag. 802.) Satis ingenioſe uterque, dummodo ad mentem Salomonis.

XVII. Theſi nona diſputationis noſtræ inter alia diximus, ταυτολογίαν aliquam, vel, ut mollius loquamur, ἐξεργασίαν aliquam minus commodam, orituram, ſi vocabulum קבר Pſalm. 88:4. pro ſynonymo ſ. שאול habeatur; & utrumque de Sepulchro intelligatur. Senſus enim verborum illorum tum hic foret: *Repleta eſt malis anima mea, & vita mea ſepulchro appropinquavit. Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in ſepulchrum* (nam & vocabulum בור vulgo de Sepulchro accipiunt) *Factus ſum —— ſicut vulnerati dormientes in ſepulchris. —— Poſuiſti me in ſepulchro inferiori* &c. Quæ ſi ita efferantur, vix à ταυτολογίᾳ aliqua liberari poſſe videntur. Non negamus quidem, in Codice Hebræo, quando per periphraſin res deſcribitur, eundem ſenſum diverſis verbis non ſemel tantum vel iterum, ſed aliquoties ſolere repeti: verum notandum eſt, quod non ſemper illud fiat vocabulis plane idem, ſed diverſa plerumque (ſaltem aliquo modo, ne inanis inde ταυτολογία oriatur) ſignificantibus. Quanto rectius verba illa hoc modo intellexeris: *Satiata eſt malis anima mea, & vita mea inferno*, h. e. morti, *appropinquavit. Reputatus ſum cum deſcendentibus in foveam* ſ. *lacum* (Vocabulum בור non præciſe ſepulchrum nec infernum, ſed in genere voraginem aliquam vel capacitatem inferiorem notat, adeoque tam inferno quam ſepulchro convenire poteſt, quamvis, accurate loquendo, ab utroque differat) *Factus ſum —— ſicut confoſſi, jacentes in ſepulchris —— Poſuiſti me in lacu inferiori* &c. Aliud eſt שאול, aliud בור, aliud קבר, aliud בור תחתיות, ſingulas voces ſi conſideres, quamvis, quantum ad rem ipſam, ſimul idem certo reſpectu notent, & periphraſtice Mortem circumſcribant.

T A N T U M.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De Meſſia in ſepulchro non relinquendo ad Pſalm. XVI: 10.

בג״ה



Nter omnes S. Scripturæ libros nullum eſſe abſtruſis myſteriis pleniorem, neque cum ob verborum brevitatem, tum ſententiarum pondus, intellectu difficiliorem Pſalmorum volumine, Interpretes Scripturæ doctiſſimi pridem monuerunt. Nec deſunt qui aſſeverent, cauſam hujus non minimam inde arceſſendam eſſe, quod Pſalmi cum quodam enthuſiaſmo ſeu raptu ſunt conſcripti, unde conſequi neceſſe fuerit, ut ſenſus ſit ſæpe interruptus, & uno ictu tranſitio fiat ad longe alia, adeoque conſequentium & antecedentium conſideratio, quæ in aliorum librorum explicatione magno uſui ſæpenumero eſſe ſolet, hic lectorem haud perinde juvare poſſit. Cæterum quicquid ejus ſit, id longe certiſſimum eſt, Judæorum cœcitatis cauſam minime ultimam eſſe, quod ad lectionem Pſalmorum quoque accedant, præjudicio de Meſſia terreno, ejuſque contra Chriſtianos & quaſvis gentes gerendis bellis, occupati. Facile itaque conjicere licet, quantopere eos in ipſo limine aberrare contingat, & quam procul à ſcopo vero abludant. *R. Abarbenel*, qui peculiari libello משמיע ישועה futuræ liberationis Judaicæ certitudinem evincere, & ex V. T. libris ordine demonſtrare conatus eſt, Pſalmorum argumentum pag. 78. col. 2. conſtituit בגאולה העתידה ונקמת האויבים *in liberatione futura & vindicta hoſtium.* Fatetur quidem: מהם תפלה ותחנונים על בני הגולה והודעות הצרות שבאו׃ *ex illis* (Pſalmis) *quoſdam conſtare precibus & orationibus pro exulibus, calamitatum item, quæ obtigerunt, manifeſtatione*; at de Meſſiæ officio genuino, ejuſque pro hominibus paſſione, morte & glorioſa reſurrectione, nihil unquam ei, quantumvis Pſalmorum librum iterum ac ſæpius legenti, in mentem venit. Neque enim is adduci potuit, ut aliter de Meſſia ſentiret, quam majores ipſius olim eum ſibi finxerunt, nempe quod ſit ἀπαθὴς, & omni moriendi neceſſitate exemptus, Joann. 12:34. Quid igitur mirum, ſi Judæi Meſſiam non tam non inveniunt in divino ſcripto, quam oblatum aſpernantur & ab ejus ſenſu excludunt, adeoque ea loca, quæ de Meſſia agunt & in eo dudum complementum ſuum nacta ſunt, gloſſis ſuis pervertant. Ejuſmodi Judaicarum aberrationum perplexitatem in verbis Pſalm. 16:10. vero & genuino ſenſu ſtabilito, divina favente gratia, diſſolvere animus eſt. Authentici textus verba ſic ſe habent: כִּי לֹא־תַעֲזֹב נַפְשִׁי לִשְׁאוֹל לֹא־תִתֵּן חֲסִידְךָ לִרְאוֹת שָׁחַת׃ Vulg. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Vox נפש *in ſacris* πολύσημος. *Erronea ejuſdem interpretatio in* R. Bechai *taxata.* Sanctius *laudatus. Triplex ejus impropriè acceptæ uſus exemplis confirmatur.* Fr. Junii *interpretatio ut aliena rejicitur. Unde propria & impropria vocis ſignificatio arceſſenda ſit, oſtenſum.* Bellarminus *notatus.* Tò נפש *pro* corpore mortui *poni, fruſtra* Flacius *&* Genebrardus *negant. Idem* Archiepiſcopus *de* funere mortui *ſine Scripturæ ſuffragio accepit.*

Uſus

Usus vocabuli ψυχῆς ab Hellenistis ad Ebrææ vocis amplitudinem extensus. Dictionis שאול *&* ᾅδης *originatio. Significatio illius secundum* Ebræos *&* Drusium. *Usus vocis in Scripturis aliquot exemplis ostensus.* Dn. D. Varenius *laudatus.* Bellarminus, Genebrardus *&* Del-Rio *ob errorem circa vocem* שאול *à doctis reprehensi. Quid* Judæis *vox* חסיד *notet, ex* Jalkut, Kimchio, Abarbenele *ostensum.* LXX. *vim vocis rectius assecuti laudantur. An passivè accipiatur, ut* Fullerus *&* B. Glassius *censent.* Kimchii *super verba* לא תעזוב *&* לא תתן *observatio.* B. Lutherus *atque* Theodoretus *laudati. De dictionis* שחת *sensu* Genebrardi *judicium* Morinus *eam corruptam esse contendens refellitur. Usu ejusdem monstrato, integritas Ebr. textus asseritur.* Schindleri *conjectura ut improbabilis, & Simeonis de Muis responsio rejectæ.*

§. I. CUm omnis fere difficultas, quæ huic negotio subest, in dubia quarundam vocum significatione residet, visum est, antequam in rem, quod dicitur, præsentem deveniamus, &, de quonam hymnus laudatus intelligi debeat, ostendamus, in ejus evolutione primam occupare industriam, & diligenter indagare, quæ significatio propria sit, quæ metaphorica, aliove modo figurata.

II. Ubi initio sese nobis offert vocabulum נפש, quod unam modo partem hominis, *animam* scilicet, *propriè* denotat, *figuratè* vero *tria* alia, quæ quidem huc facere videntur, in multis Scripturæ locis designat. *Primo* quidem *personam* ipsam significat, vel *totum hominem*, cujus pars principalis est: unde *Epiphanius* in Ancorato: ψυχὰς ἢ ἂν ἀκέσῃς, μὴ νομίσῃς πλάσματα. Ἀπὸ γὰρ τῆ ἑνὸς εἴδες ὁ ἄνθρωπος ὅλος καλεῖται. *Animarum fieri mentionem si audiveris, nequaquam figmenta reputes. Ab una namque specie totus homo appellatur.* Comprobari id potest exemplis. Ubi enim Genes. 14: 21. *Vulg.* vertit: *da mihi animas*; in *Ebræo* est הנפש, quod *Græci* recte per ἄνδρας *viros* transtulerunt. Neque aliter vox נפשי *anima mea* accipienda videtur. Num. 23: 10. licet *R. Bechai comm. in L. fol. 179. col. 4. diversum* sentiat. Verba ejus hæc sunt: אמר תמות נפשי מלת נפשי במקום הזה הוא הגוף כי הנפש לא תמות וכן אמר הנפש כי תחטא והנפש האוכלת כי הנפש השכלית איננה חוטאת ולא אוכלת והיו אנו מעידים על הגוף שהוא האוכל אבל מפני שאין הגוף כלום בלא נפש והנפש עקר לכך יכנו הכתובים הגוף בלשון נפש: *dicit: moriatur anima mea. dictio* נפשי *hoc loco denotat corpus: neque enim anima moritur. Atque ita se res habet, cum* (Levit. 5: 1.) *dicitur: anima cum peccaverit; item* (Levit. 7: 18.) *anima quæ comederit: quia anima rationalis neque peccat, neque comedit. Ecce nos confitemur de corpore, quod comedat. Cæterum quia corpus absque anima nihil est, adeoque anima fundamentum, idcirco Scripturæ corpus voce* נפש *insignire solent.* Unde patescit, *Ebræum Doctorem* Synecdochen partis pro parte admittere. Quod autem *R. Bechai* tanquam certum supponit, in eo is fallitur, cum usus loquendi non admittat, ut corpus mori vel comedere dicamus, hæc sane sunt totius compositi. Neque enim vel anima vel corpus mori dicitur, sed homo, cum mors nihil aliud sit quam dissolutio animæ à corpore. Similiter de corpore, quod comedat, affirmare, ratio loquendi respuit, quæ toti potius id tribuit, quam uni duntaxat parti. Unde *Sanctius, Jesuita* hanc regulam in Scriptura consuetam esse docet: *Vox anima eum, cujus est anima, Ebræo idiomate circumscribit, ita ut anima mea, idem sit, quod ego.*

III. Id sane è Philologia Sacra notissimum est, נפש *Ebræis* juxta & *Syris* sæpenumero more pronominum reciprocorum usurpari: Sic Jesai. 5: 14. *dilatat sepulchrum animam suam*, in *Ebræo* est, נפשה, & reddunt illud *Vatablus, Junius, Tremellius* & alii, *seipsum.* Cap. 46: 2. *anima ipsorum in captivitatem abiit*, in *Ebræo* est נפשם, & exponunt LXX, αὐτοὶ *ipsi* Jerem. 51: 14. *juravit Dominus exercituum per animam suam*, in *Ebræo* est, בנפשו, quod interpretatur *R. David Kimchi* בו *per seipsum.* Similiter Matth. 27: 5. ἀπήγξατο, *strangulavit se*, *Syrus* reddidit ܢܦܫܗ ܚܢܩ *strangulavit animam suam*, h. e. *seipsum. Ebr.* 9: 12. Christus introivit in sancta διὰ τῦ ἰδίε αἵματος, *Syrus* ܒܕܡܐ ܕܢܦܫܗ *per sanguinem animæ suæ*, h. e. *suum ipsius.* Imo sicubi *Evangelistæ* & *Apostoli* vocibus ἐμαυτῦ, σεαυτῦ & ἑαυτῦ utuntur, utplurimum *Syrus Interpres* eas exprimit per נפש cum affixo. Ita Matth. 4: 6. *mitte* σεαυτὸν, *teipsum deorsum*; apud *Syrum* est ܢܦܫܟ *animam tuam.* Cap. 19: 12. *qui castraverunt* ἑαυτὺς, *seipsos*; à *Syro* vertitur ܢܦܫܗܘܢ *animas suas.* Vide Actor. cap. 27: 2. Rom. 2: 21. 14: 7. 2 Cor. 2: 1. Quid quod & Græca vox ψυχὴ ab *Hellenistis* eodem modo ampliata, ac idem, quod τὸ נפש *Ebrais* denotat, significare jussa est. Confer Matth. 16: 26. & Luc. 9: 25. Syracid. 2: 17. 29: 15. 37: 8.

IV. *Deinde* neque insolens est acceptio vocis נפש pro *vita.* Sic Genes. 37: 21. *ne percutiamus eum* נפש *anima*, h. e. נכרו *lethaliter.* Exodi 4: 19. *quærentes* את נפשך *animam tuam*; *Targum*: *qui quæsiverunt* למקטלך *occidere te.* Conf. Psalm. 35: vs. 4. Matth. 2: 20. Similiter Esth. 7: 3. *detur mihi* נפשי *anima mea*; *Targum.* שיזב נפשי *liberatio animæ* i. e. vitæ *meæ.* Threnum 5: 9. בנפשנו *in anima nostra afferebamus panem nostrum*, i. e. *cum discrimine vitæ nostræ*, quemadmodum recte vertit *Pagninus.*

V. *Tertio* quoque Scripturarum usu confirmata est voculæ נפש significatio, qua *corpus exanime* designat. Sic Levit. 19: vs. 28. & *incisionem* לנפש *pro anima non dabitis in carne vestra*; *Targum*: על מית *propter mortuum*, & *AbenEzra* affirmat מלת לנפש הגוף המת, *voce* לנפש *nihil aliud innui, quam corpus mortui.* Nec nullo fundamento nititur hæc expositio. Nam pro hoc לנפש *Moses* ipse Deuter. 14: 1. dixit, למת *super mortuum.* Ita cum Num. 6: 1. dicitur: על נפש מת idem est ac: *ad cadaver mortui*; quemadmodum *Tremellius* & *Junius* recte interpretantur, & id etiam *Targum* per suum ד genitivi characterem luculenter docet. Perinde Hagg. 2: 14. טמא נפש *pollutus anima* nihil aliud est quam: *immundus propter cadaver*; unde *Tremellius* & *Junius* interpretantur *immundum ex cadavere*, *Vatablus pollutum mortuo*, *Schindlerus tactu cadaveris pollutum*, & *Osiandro pollutus in anima* est, *qui mortuum attigit, & ex eo attactu pollutus est.* Qua in re premit vestigia *B. Lutheri*, qui vertit: **ein Unreiner von einem berührten Aas.** Consulantur de variis voculæ נפש acceptionibus *Flacius* in Clavi Scr. part. I. sub voce ANIMA, *Schindlerus* in Lexico Pentaglotto, *Rivetus* Comm. in Psal. 16. *B. Slevogtus* disp. de lingua Hellenistica §. V. XII. alii.

VI. Valde autem peregrina est voculæ נפש interpretatio, qua utitur *Junius* in notis ad Psalm. 16: 10. per *animam*, cujus ibi mentio fit, *Christum* intelligens, quasi diceret Propheta, *non es derelicturus animam meam in sepulchro*, i. e. *Christum, qui vivit in me*, Gal. 2: 20. *quia ipse est resurrectio & vita, ac proinde auctor resurrectionis meæ.* Nullus enim Scripturæ locus afferri potest, in quo *animæ* nomen pro *Christo in suis vivente* usurpetur.

VII. Notanter vero dixi §. II. voculam נפש FIGURATE *tria quoque alia significare.* Nullatenus enim probanda est assertio *Bellarmini*, qua contendit lib. IV. de Christo cap. 12. SINE ULLO TROPO *tam animam, quam animal, immo etiam corpus significare*, & quod magis est, *significare aliquid indifferens ad vivum & non vivum*: (quod postremum quomodo stare possit cum eo, quod paulo ante dixerat, *animam nusquam accipi pro cadavere*, equidem non video) cum unius vocis non nisi una significatio propria & principalis, à qua reliquæ dependeant, admitti debeat. Ratio in promptu est, petita è natura vocum, quæ sunt signa rerum & manifestativa conceptuum. Quod si jam æque primo & proprie dictio sonaret diversa, qui fungeretur suo officio, qui manifestaret conceptum? Prorsus quasi hederam suspensam æque vini ac alterius rei vendibilis signum esse contendas.

VIII. Cæterum si nosse velis, quid tandem vocabulum hocce primario & proprie designet, tenendum, triplici potissimum via, docente B. *Hackspan.* lib. I. Miscell. cap. I. primariam & propriam vocis acceptionem indagari posse. *Primo* quidem ex *origine*, cum sc. aut nomen descendit à verbo tanquam simpliciore, aut verbum à nomine. *Secundo* ex *usu Auctorum*, si plerique omnes vocabulo sensu utantur eodem, & quidem frequenter: ratio est, quia impropria locutione non omnes, certe non viri graves temere capiuntur, nec cum illa sit posterior propria, illico mentibus nostris illabitur. *Tertio* ex *harmonia linguarum*, maxime Orientalium, nempe si frequentior illa vocis significatio constanter maneat, & filiæ matris indolem Germanam faciemque minime fucatam referant. Conjungenda autem sunt hæc indicia vel argumenta, & quod singulis non potest, probetur universis.

IX. Jam quod נפש *proprie significet animam*, evincunt hæc omnia. Ac I. sive נפש primitivum statuas, à quo verbum descendit, sive derivativum, descendens à radice נָפַשׁ, hodie inusitata, salva res est. *Ebræis* enim ejus Niphal est *respiravit, animum*

animum aut spem recepit, quo respicitur ad animam vitæ & respirationis causam. II. *usum Auctorum*, eumque magis frequentem, illum, quem diximus, significatum stabilire, nemo negaverit, qui vel à limine saltem hasce literas salutaverit. III. *Consensus & harmonia linguarum* patet. Nam quod *Ebræis* נפש dicitur, id *Chaldæo* est נפש & נפשא; *Syro* ܢܦܫ & ܢܦܫܐ; *Arabi* نفس *Æthiopi* ነፍስ፡ Sic igitur evictum נפש *proprie sumi pro anima.*

X. Quod porro dixi §. V. vocabulum נפש in scripturis etiam significationem *cadaveris* obtinere, id minime ad palatum est *Genebrardo*, qui Comm. in Psalm. 16: 10. existimat, *indocte allegari loca* hanc in rem adduci solita: cum in illis vocula נפש *non pro corpore, sed per synechdochen pro homine mortuo, vel potius per metonymiam pro hominis mortui funere sumatur, pro cujus anima fiebat supremum illud officium*; ubi se invenisse putat non quod pueri in faba, *mysterium sc. curæ antiquæ vivorum pro mortuis, & mortuorum animabus. Unde non reperiri* dicit vocabulum animæ *in hac notione, nisi quando agitur de funeribus & exequiis, quasi illa fierent proprie propter animam, & in favorem animæ, non corporis.*

XI. Quod adfert de *synechdoche*, per quam in locis §. V. allatis נפש pro *homine mortuo sumatur*, in eo consentientem habet *Flacium* part. I. Clav. Scr. sub voce ANIMA; ubi *negari non potest*, inquit, *animam non solere significare cadaver, & quod attinet ad locum Levit.* 21: 1. *omnino videtur ibi significare homines mortuos: nam & mortuos solemus adhuc homines, parentes, aut liberos vocare, per quandam vel synechdochen, vel catachresin.* Verum hisce nihil aliud obtinetur, quam mortuum adhuc hominis appellatione insigniri; quod sicuti nos minime negamus, ita persuasi sumus, נפש cum de mortuo dicitur, satis congrue de corpore intelligi posse, cum *anima mortui* non pro *homine mortui*, sed pro *corpore mortui* commode poni queat.

XII. Altera præsentis vocabuli acceptio, qua *metonymice* pro *hominis mortui funere* sumitur, quam peregrina, omnique prorsus scripturarum exemplo destituta sit, quis non videt? unde si quis eam nullum alium in finem à Genebrardo allatam dixerit, quam ut nimis longe petito mysterio suo de supremo illo officio, quod jam olim in V. T. demortuorum animis exhibitum fuisse perhibet, aliquam apud imperitos veri speciem conciliaret, ne is, nostro quidem judicio, rem, quod dicitur, acu tetigisse videretur. Quare nemo, qui quidem æquus rerum æstimator fuerit, vitio nobis vertet, si & nos in tam arduo negotio nudam Auctoris nostri assertionem, omnis plane probabilitatis expertem, assensu nostro indignam judicaverimus.

XIII. Tantum de vocabulo נפש. Ejus loco LXX. hosque secutis N. T. Scriptoribus vox Græca ψυχὴ frequentatur, de qua in gratiam *Bellarmini*, *qui l. c. multum inter* נפש & ψυχὴν *interesse* dicit, itidem pauca h. l. monenda nobis erunt. Quicquid autem sit de aliis *Scriptoribus Græcis*, certum est, in *hellenistica* (ut vocant) Græcum ψυχὴ ad generalitatem Ebræi נפש adsurgere: quod ne gratis dixisse videamur, LXX. hujus rei testes adducimus, qui in plerisque locis, supra, pro asserenda triplici vocis נפש significatione impropria, è V. T. allatis, Ebræum נפש per suum ψυχὴ constanter reddunt, ubi vocem Græcam Ebrææ latitudinem adæquare si negaveris, insimul *Interpretes* inadæquatæ translationis præter meritum postulaveris.

XIV. Pergimus ad vocem שאול, quam à radice שאל, *petivit, postulavit*, descendere, *Ebræi* uno ore fatentur, & res ipsa loquitur. Videri igitur queat, τὸ שאול sic dici, vel quod *appetat*, &c, ut *Salomo*, Prov. 30: 16. loquitur, *non dicit, satis est*; vel quod præbeat occasionem quærendi, *ubi sit.* Perinde ac Græca vox ᾅδης dicta esse videtur ἀπὸ τὸ ἀϊδὲς, unde & ἄϊδος atque ἄϊδι apud *Poëtas*: quod locum visui nostro subtractum denotet, quale quid ipse *R. AbenEzra* in voce שאול agnoscere videtur, dum Comment. ad Psal. 139: 8. eam idem denotare ait, ac תחתית הארץ *inferiora terræ*, quæ, ut idem *AbenEzra* loquitur, sint הפך השמים *oppositum cœlorum. Alii* tamen *Ebræi*, τὸ שאול explicaturi, ענין הקבר *significationem sepulchri* habere affirmant, uti videre est in libro Radicum *R. Davidis Kimchi*, & Concord. Ebr. *R. Nathanis.* Ille enim adductis aliquot locis, ubi τὸ שאול occurrit, subjicit, ענינם הקבר *significatio eorum est sepulchrum*; hic vero more suo præmittit מה שפירושו קבר *significatio ejus est sepulchrum.* Alii vero inter quos *Joannes Drusius*, Comment. ad Hos. 13: 14. *sæpenumero se* שאול *& mortem mutuo explicare*, asseverant. Unde operæ pretium facturi videmur, si loca quædam adduxerimus, quæ vocis tam ambiguæ, tamque alias generalis significationem illustrent atque restringant. Esai. 14: 11. *magnificentia tua ad scheol detrudetur, & lumbrici te operient*; ubi de sepulchro agi, vel hemistichium posterius arguere videtur, quod h. l. antecedentis est ἐξηγητικόν. *Abarbenelis* ad l. c. verba sunt: כי יצאת מן ההפך אל ההפך קודם זה היה לך גאה וגאון עד לשמים ועתה הורד לשאול תחתית: *ab uno contrario ad alterum te contulisti. Antehac enim tibi fuit magnificentia ad cœlum usque, nunc vero depressa est in inferiorem scheol.* Nempe ut *R. Salomo* docet, τὸ שאול est idem ac מטה, quod etiam, Proverb. 15: 24. confirmatur. Sed ex Psalmis quædam loca intueri è re fore censemus. Psal. 89: vs. 49. *quis vivet, & non videbit mortem, cujus anima eripiatur è manu* שאול, ubi clare constat, posteriorem vocem שאול ut synonymam priori adjici, & nihil aliud significari, quam è censu mortalium, vel moriendi necessitati obnoxiorum neminem excipi. Psal. 49: 15. *sicut pecus in* שאול *ponuntur, mors pascet eos*; ad quæ verba R. David Kimchi: כמו הרועה שאוסף הצאן כן יהיה הרועה שלהם המות שיאספם בשאול: *ut pastor pecus congregat, sic illorum pastor aget, mors eos in scheol congregabit.* Cumprimis notandus venit locus Psal. 86: vers. 13. *eruisti animam meam* משאול תחתיה *è scheol inferiori*; ubi *Kimchi* scribit: פירוש הקבר ובאומרו תחתיה הוא כפל הצרה כי כל שאול הוא תחתיה אלא אמר תחתיה לרבות ויש מפרשים משאול תחתיה מדין גהנם: *Significatur Sepulchrum. Cum vero addit* תחתיה, *afflictionum notatur multiplicatio. Omne enim* שאול *inferius est, sed* τὸ תחתיה *additur emphaseos causa, sive ad exaggerandum. Sunt tamen qui de judicio gehennæ accipiant.*

XV. Cæterum utut infitias ire nolimus, τὸ שאול *sepulchrum sæpius* notare: collatio tamen locorum docet, quandoque repugnare textum, quo minus ita vocem שאול stricte interpretemur. Sane *Jacobum Patriarcham* sibi persuasisse, *Josephum* à bestia dilaceratum fuisse, cum filii ejus tunicam sanguine imbutam ipsi offerrent, ex Genes. 37: 33. liquido constat. Cum vero is omnes consolationes aspernatus, se lugentem ad filium שאולה *in scheol* venturum conqueratur, patet, eum voce שאול minime *sepulchrum* (in quo filius, utpote à bestiis opinione ejus consumptus, haud erat) intellexisse, sed potius ad *mortem* vel *statum mortuorum* respexisse, quo mox filio similis futurus esset, vitæ usura ob mœrorem amissa. Atque hic ὁμόψηφον habemus *Dn. D. Varenium*, ad Genes. 37: 35. ita disserentem: *sufficit communis mortuorum status, non requiritur idem numero per omnia locus, sive quis tumulo condatur, sive non.*

XVI. Quæ cum ita se habeant, & τὸ שאול *insaturabilis, & semper plus appetentis* significationem importet generalem, diligenter lectori animadvertendum est, quid quisque locus ferat, & num pro circumstantia textus, *sepulchrum*, vel *communis mortuorum status*, vel *calamitas aliqua & miseria cumulatior*, vel denique, ut quidam volunt, ipse *orcus* & βασανιςήριον intelligi debeat.

XVII. Sed hic magno, quamvis irrito conatu insurgunt *Bellarminus*, *Genebrardus*, *Martinus Del Rio*, & reliqui minorum gentium *Pontificii.* Ille quidem, dum lib. IV. de Christo cap. 10. contendit, שאול *significare voraginem, & ordinarie accipi pro loco animarum subterraneo, & vel raro, vel nunquam pro sepulchro.* Iste tum Comm. in Psal. 16. tum in expositione Symboli Athanasiani num. 38. ubi eam vocem *primo, proprie ac per se infernum significare, nec nisi per quendam tropum ad sepulchri acceptionem transferri* dicit. Hic vero omnium audacissimus, Part. I. Adagial. sacr. V. T. digressione secunda pag. m. 213. col. 1. *nullus*, inquit, *in S. Scriptura locus est, in quo* שאול, ᾅδην, *infernum, inferos, cogamur capere pro sepulchro, scrobe, fovea, anima à corpore separatione; vel in genere pro statu mortuorum, aut alio, quam pro animarum receptaculo, metonymice accepto.* Quæ postrema verba addidit, quia præced. pag. 211. col. 1. convictus atque fassus erat, *Ebræum scheol à vulgato interprete aliquando verti voce mortis*, addit tamen, *tunc accipi, non pro separatione animæ à corpore, sed de infelici animarum conditione, quæ in tristi illa mansione, velut in carcere detinentur: atque ita locus ipse (semper enim de loco capit) animabus ipsis quasi quædam mors est. Hoc etiam sensu dicit,* ᾅδην *&* θάνατον *nonnunquam apud LXX. confundi: Ut tunc mors metonymice ponatur pro loco mortuorum istorum, non respectu corporis, sed respectu animæ, cujus à corpore separatæ est receptaculum.*

XVIII. Possemus equidem *Adversarios* luculentis *Sodalium suorum* testimoniis convincere, eisque opponere haud obscuri nominis *partium suarum Doctores*, *Joannem Ferum*, *Hieronymum ab Oleastro*, *Aloisium Lippomannum*, *Cardinalem* Cajeta-

Cajetanum, *Auguſtinum Steuchum*, *Iſidorum Clarium*, *Santem Pagninum*, *Ariam Montanum*, omnes *Lovanienſes Theologos*, qui aut recognoverunt, aut approbarunt Tom. VIII. Regiorum Bibliorum, *Sixtum Senenſem*, *Franciſcum Forerium*, & alios, quorum verba allegantur à *Johanne Rainoldo* in Cenſura librorum Apocryphorum Tom. I. prælect. LXX. LXXI. LXXII. Verum quia *Mart. Del-Rio*, cujus, tanquam alterius Iſmaëlis, manus hoc in negotio ſunt contra omnes, non veretur Catholicos ſuos, in diverſam ſententiam abientes, arguere tanquam *muſtea ſectantes*, *animo non ſatis cauto*, *atque nimis liberaliter ſentientes de ſignificatione vocis Ebrææ*, pag. 209. col. 1. idcirco cominus debellandi ſunt iſti pauci: quod quia abunde præſtiterunt *Joann. Rainoldus* l. c. *Hugo* item *Sanfordus* atque *Robertus Parkerus* Tract. de deſcenſu Chriſti ad inferos lib. II. paſſim, nos eo, velut ſupervacaneo, hac vice ſuperſedemus, benevolum Lectorem huc interim remittentes.

XIX. In altero hemiſtichio primum locum damus voci חסידך, cujus ſignificatio à *Judæis* opponitur voci צדיק. Hinc *Gatakerus* pag. 272. Cinni, ſcribit: *Midras Tehillim ſive commentarius in hymnos*, *ad hymn. CIII. 17. inter* צדיק & חסיד *ſic diſtinguit*, *Druſio referente*, *neque enim mihi codicis datur copia. Juſtus eſt*, *qui juſſa Dei exequitur*, *pius qui plus etiam facit*, *quam jubeatur.* At enim liber laudatus edit. Venetæ ad l. cit. nihil hujus habet, alius tamen *Jalkut* dictus, in quo priſcorum Ebræorum fere commenta exhibentur, ad Pſal. 16. hæc ſuggerit: הקדוש ברוך הוא נקרא חסיד שנאמר כי חסיד אני נאם השם ודוד קורא עצמו חסיד שמרה נפשי כי חסיד אני לא תתן חסידך לראות שחת: *Deus benedictus vocatur* חסיד, *quia dictum eſt* (Jerem. 3: 12.) *quia chaſid ego*, *dicit Dominus. Et David ſeipſum vocat* חסיד (Pſalm. 86: 2.) *cuſtodi animam meam*, *quia ego chaſid.* (Pſal. 16: 10.) *Non dabis* חסידך *videre corruptionem.* Tandem in hæc verba deſinit: אמר רב הונא בשם רבי אלכסנדרי כל השומע קללתו ושותק נקרא חסיד ודוד שמע קללתו לכך נקרא חסיד: *dixit R. Huna nomine Rabbi Alexandri: quicunque audit*, *ſibi maledici*, *& tamen ſilet*, *vocatur chaſid. Atqui David audivit*, *ſibi maledici. Idcirco vocatur chaſid.*

XX. *R. David Kimchi*, comm. in Pſalm. 4: 3. de vocis emphaſi hunc in modum diſſerit: חסיד הוא מי שעושה טובה עם חברו לפנים השורת הדין ודוד עשה עם כמה בני אדם לפנים משורת הדין שהיו עושים עמו רעה והוא היה עושה עמהם טובה: כמו שמצאנו בשאול: *chaſid ille eſt*, *qui proximo ſuo*, *antequam jure id debeat*, *bene facit. Atque ita David erga plures homines ſe geſſit*, *qui cum male ab iis haberetur*, *nihilominus ipſis bene fecit*, *uti patet exemplo Saulis. R. Abarbenel* lib. נחלת אבות ſive comm. in Pirke Aboth cap. V. §. 10. conſentit, dum inquit: הנותן משלו לפנים משורת הדין הוא חסיד *qui largitur de ſuo extra ordinem judicii vel juris*, *ille eſt chaſid. Kimchi* in libro radicum רד׳ חסד eſſe ſcribit: תוספת הטובה ויתרון הגמולות *additionem boni & recompenſationis abundantiam.* Adde *R. Maimonid.* comm. in Pirke Aboth c. 5.

XXI. Sed veram & genuinam ſignificationem ꝫ חסיד LXX. bene expreſſerunt, qui paſſim, tribus tantum locis exceptis, per ὅσιος tranſtulerunt: quam vocem *Græci* haud dubie à *Syris* acceperunt. His enim ܚܣܝܐ, quod per apocopen ꝫ ד à חסיד formaſſe videntur, ἐυσεβεῖν, *probum* & *innocentem*, ſive *erga Numen reverentem*, *erga homines pium* eſſe ſignificat; quocum coincidere videtur ipſa vox χάσιος *Heſychio* uſurpata, quæ peregrinum quid redolens, præter terminationem, nihil habet Græcanicum. Dum vero *Chriſtianorum* nonnulli, inter quos *Fr. Junius* eſt, רד׳ חסיד *paſſivè* interpretari maluerunt, immemores videntur fuiſſe, quod ſimilis formæ nomina, ex. g. נָדִיב *liberalis*, אַבִּיר *robuſtus*, עָרִיץ *violentus* paſſim *activè* uſurpata occurrunt. Unde & רד׳ חסיד non tam eum, *quem Deus benigne habet*, *vel peculiari & immenſa ſua benignitate proſequitur*, (ut *Nicolaus Fullerus* Miſcell. Sac. l. I. cap. 8. cenſet) quam illum, qui *pius*, *probus* eſt, denotat. B. quidem *D. Glaſſius* Onomatol. Meſſiæ Prophet. p. 278. pro ſignificatione paſſiva, qua illum, cui Deus ingentia bonitatis ſuæ contulit beneficia, qui ejus bonitatem expertus eſt, ſignificat, adducit Pſal. 4: 4. חסיד לו *pium ſibi*, *cui bene velit*, ſeu quem amore proſequatur. At enim רד׳ לו ad verbum potius הפלה referendum eſſe, quam nomen חסיד, ex contextu liquet, & optime per *ſegregavit ſibi pium*, exponi poteſt, quemadmodum & *R. David Kimchi* in Comm. monet.

XXII. Cum præterea in textu dicitur: לא תתן לראות שחת *R. David Kimchi* non diffitetur, per verbum תתן antecedens תעוד illuſtrari. Quod enim alias ſæpe inculcat, hic quoque locum obtinere ait: כפל הענין במלות שונות *idem bis dicitur diverſis vocibus*, unde neque id infitias ire poterit *Judæus*, ut ſe mutuo duo verba explicant; ita quoque poſteriori hemiſtichio quaſi fructum neceſſario conſequentem contineri; uti infra cap. 2. oſtendemus: adeoque nec difficile fuerit, quid per לא לראות שחת intelligatur, cognoſcere *B. Lutherus*, locutionis emphaſi deprehenſa, eam ſimili phraſi illuſtrat. Sic enim ait Tom. II. Lat. Jen. fol. 154. *iſtæ negativæ: non relinques*, *nec dabis*; *vehementiores ſunt affirmativis*, *& robuſtius reſurrectionem teſtantur*, *quam ſi dixiſſet*, *educes animam meam*, *& ſervabis Sanctum tuum. Sicut ibi: Maria optimam partem elegit*, *quæ non auferetur ab ea*, *id eſt*, *certiſſima manebit*; *ita hic: non relinques*, *id eſt*, *velociſſime reduces.* Quæ expoſitio plane convenit cum *Theodoreti* ſententia, ut enim ille monuit, ταχεῖα ἀνάστασις *reſurrectio maturata* ante corruptionem verbis laudatis indicatur.

XXIII. Supereſt vox שחת, quæ in Scripturis ſæpenumero pro *fovea* accipitur. Unde ipſe quoque *Buxtorffius* in Concord. Ebr. inter ea exempla, ubi *foveam* denotat, hoc ipſum refert. Sed eos, qui vocem ita vertunt, *Gilb. Genebrardus* comm. in Pſalm. 16. cum eventu pugnare aſſeverat, quia Meſſias foveam viderit, utpote qui per triduum mortis inibi hæſit. Quin *Joannes Morinus*, præf. in V. T. LXX. Interpp. edit. Lutet. anno hujus ſeculi vigeſimo octavo, vocem hanc, ut minus genuinam, ſuſpectam habet, & Judæos hinc corruptionis fontium arguere nullus dubitat. *Si*, inquiens, *codices Ebræos à Rabbinis interpolatos conſulamus*, *univerſus argumentationis Apoſtolicæ contextus diſſolvetur. Ita enim legunt: non dabis Sanctum tuum ad videndum foveam*, *quod non tantum nihil probat*, *ſed certe falſum eſt. Vidit enim Chriſtus foveam & ſepulchrum*, *cum fuerit in monumento more Judæorum ſepultus*, *ſed corruptionem non ſenſit*, *quod Apoſtoli pro viribus demonſtrare contendunt. Depravatio facta eſt literæ* ה *formativæ litura*, *aliaque conſequenter punctorum additione.*

XXIV. Dum literam formativam ה, quam hæemanticam Grammatici vocant, deletam, & alia punctorum additione vocem שחת corruptam eſſe contendit *Congregationis Oratoriæ Presbyter*, videtur ſibi perſuaſiſſe, pro שחיתה, quod à radice שָׁחַת *corrupit*, deſcendit, adeoque *corruptionem* ſonat, Judæorum fraude in codicem Ebræum irrepſiſſe רד׳ שַׁחַת, quod hodie paſſim legitur, & fere foveam denotat. Cæterum ut hic violentas manus Judæos textui intuliſſe dicamus, nihil omnino cauſæ videmus. Non deſunt qui שחת à radice שָׁחַת derivent. Sed ſcire licet, ſi vel maxime vocem שחת à radice שוח, vel, quod fieri poſſe *Kimchi* cenſet, à ישח deducentes, eam *foveam* notare dicamus, cujus uſus Orientalibus, in venatione præſertim longe maximus fuit; textum tamen adhucdum eſſe integrum & incorruptum. Significat enim eadem vox non ſolum ejuſmodi foveam, qua feræ capiuntur, ſed talem quoque, in qua id, quod injectum eſt, perit & corrumpitur. Unde quandoque cum προσδιορισμῷ occurrit. E. g. Jeſa. 38: verſ. 17. מִשַּׁחַת בְּלִי *ex fovea conſumptionis*: interdum vero quamvis abſolutè & ſine determinatione ponatur, *corruptionem* ipſam deſignat, perinde ac Chaldaicam vocem שְׁחִיתָא, quæ *foveam* ſignificat, etiam pro *corruptione* poni poſſe, in Lex. Talmudico affirmat *Buxtorffius*. pag. 2374. Quem vocis uſum cum non ignorarent LXX, etiam ibi, ubi in Ebræo textu רד׳ שחת ſimpliciter occurrit, διαφθορὰν reddiderunt, uti ex Job. 33: 28. patet: Ebraica enim פדה נפשי מעבור בשחת vertunt: σῶσον ψυχήν μȣ ꝫ μὴ ἐλθεῖν εἰς διαφθοράν. Conf. Jon. 2: 7. Pſal. 55: 24. Atque ſic LXX. Interpp. (quos Apoſtoli Act. 2: 29. & Actor. 13: 35. ſunt ſecuti) non caſu, vel errore, quod alias apud ipſos literarum ſimilitudine deceptos fieri ferunt, רד׳ שחת per διαφθορὰν verterunt, quaſi, ut *Schindlerus* Lex. Pentagl. f. 1822. cenſet, pro שחת *corruptio*, quod à שָׁחַת *corrupit* deſcendit, acceperint; ſed de induſtria, & quod שחת, quæ vox alias *foveam*, corruptionis locum notat, ab effectu etiam ipſam *corruptionem* phraſi Scripturæ ſignificet: quam præ priori illa locum in vaticinio obtinere, ex antecedentibus & contextu ſatis clare conſtat. Unde etiam pateſcit, fontem Ebræum adhucdum limpidum fluere, neque *Morinum* probaſſe, per hodiernam Ebræi textus lectionem Apoſtolicæ argumentationi vim ac efficaciam periiſſe. Neque ſic opus eſt, ut ad Judæorum retundendum cavillum, *Chriſtum vidiſſe ſaltem foveam ſeu ſepulchrum*, *cujus corpus triduum in ſepulchro manſit*, reſpondeamus cum Simone de Muis, *exiguum tempus pro nullo cenſeri*, *& ideo Chriſtum dici non vidiſſe ſepulchrum*, *quia triduum tantum in ſepulchro fuit.* Cum Ebraicæ vocis uſus longe fortius Judæorum ἔνστασιν propulſare nos doceat.

CAPUT

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Significatione vocum ambiguarum נפש *&* שאול *ex contextu restricta*, *&* Kimchii *interpretamento rejecto, de objecto vaticinii disquiritur.* H. Grotius *judaizans notatus.* Priscorum Ebræorum *explicatio ex Midrasch Tillim laudata. Contrarium atque prorsus violentum interpretamentum* Kimchii *explosum. Prodigiosam* Judæorum *explicationem* Scholiastes Talmudicus *ridiculè probat.* R. Lipmanni *de* Davide *textum explicantis frivolum commentum.* R. Bechai *laudatus.* Davidem *objectum oraculi non esse probatur.* R. Lipmannus *fabulam Talmudicam de verme, pios post obitum non rodente, ad pervertendum textum adhibet.* Job. 14: 22. *à* Talmudistis *male intellectus.* Judæorum *superstitio notata.* Dn. D. Geierus *laudatus.* R. Lipmanni *rationes ex textu contra orthodoxam explicationem recensitæ. Psalmi inscriptio* Christianis *nequicquam opponitur. Vocem* עליך ad te, *contra quam* Coccejus *censet, vertendam esse, cum* Riveto Josephus Kimchi *largitur. Ratio, cur divinæ* Messiæ *naturæ non sit facta mentio, sciscitanti* Lipmanno *data.* R. Mosis Haddarschan *de* Messiæ *morte, eamque secutura ἀφθαρσία notabilis sententia, à* B. Helvico *allata. Ejusdem* Judæi *crebra alibi occurrens mentio. Christianorum explicationis quanta præ Judaica soliditas, & insignis inde usus commendatur.*

§. I. ENucleatis ita singulis textus dictionibus, earumque significatione genuina ostensa, ipsum sensum vaticinii verum & genuinum eruere, operosum haud erit. Etsi enim eo, quod verba vaticinii, cumprimis τὸ נפש & שאול ambigua sunt, & diversimodè in sacris usurpari solent, primo intuitu textus difficultate laborare videatur, adhibitis tamen bonæ interpretationis regulis, ratio explicandi vaticinii expedita est. Quod attinet vocem נפשי, alteram hominis partem, *animam* puta, ea hic non indicari, ex contextu liquet. Unde neque *Kimchi* interpretamentum applausum meretur, dum ait: לא תעזוב לרדרת שאול עם הגוף אלא תקימנה אל כבודך *non relinques animam meam, ut illa cum corpore in scheol descendat, sed subsistere eam facies ad gloriam tuam*: sed potius Ebraismo usitatissimo idem significat ac *me*, nempe qui se confestim חסידך vocat. Atque hanc loquendi formulam quam maxime huc quadrare, ne ipse quidem *Kimchi* diffiteri poterit, qui, ut supra Cap. I. §. XXII. audivimus, circa verba Psalmi לא תעזוב & לא תתן πολυθρύλητον illud inculcavit: *una eademque res duabus vocibus significatur.* Quidni itaque de reliquis, quæ se invicem respiciunt, vocibus dicamus, nullam hoc loco esse antithesin, sed subjectum unum idemque, quod in duobus orationis membris totidem diversis exprimitur vocibus, significari, adeoque, quod alias fieri amat, unam vocem alterius esse exegeticam. Consimiliter neque vocis שאול ambiguitas nobis remoram injicit. Ejus enim usitatiorem significationem, quam ipsis *Judæis* קבר *sepulchrum* esse, supra audivimus, hic locum obtinere in aprico est. Non relinqui igitur לשאול idem est, ac in sepulchri potestate non manere, ut more reliquorum hominum, tanquam suum, eum retineat. Atque ut de Apostolica allegatione, quam *Judæi* susque deque habent, jam nihil dicam, hæc significatio vel ex ipsa mentione corruptionis, quam se ibi visurum, h. e. ut denuo Ebraismum exprimamus, experturum negat, elucescit; ut sensus verborum ejusmodi sit: *caro mea*, vel ut *Syrus* reddit, [illegible] *corpus meum tuto procumbet, quia me in sepulchro vel censu mortuorum non relinques, neque permittes, ut in Pio tuo mors effectum ita habeat, ut corpus in cineres dissolvat.* Quod *Græci Theologi* voce διαφθορὰ significanter innui, persuasum habent. Ut enim *Dan. Heinsius* ad Act. 2. observavit, φθορὰν illi esse dicunt, cum à corpore tantum separatur anima; διαφθορὰν, cum corpus sic consumitur, ut sola relinquantur ossa; καταφθορὰν, cum ea quoque dissolvuntur. Unde hæc illorum est sententia: φθορὰν μόνον ἐδέξατο, διαφθορὰν δὲ ἢ καταφθορὰν ὅλως οὐκ ἐδέξατο. Quam tamen vocum significationem, ut subtiliorem, suis Auctoribus relinquimus.

II. Jam judicare in proclivi erit de objecto hujus vaticinii. Sane *populum Judaicum* illud non esse, quod *R. Lusitanus* in Colloquio Mittelburgensi contendit; neque *Abrahamum*, ut priscos Ebræos sensisse, *R. Salomo* meminit, neque *Davidem*, ut *R. Lipmannus* & *R. David Kimchi* docent, ex contextu & prædicatis liquet, quæ, ut Apostoli magna παῤῥησίᾳ urserunt, in eum, qui id temporis pridem in cineres erat redactus, nequaquam quadrant. Mirari itaque subit, qui factum sit, quod Vir sui nominis, *H. Grotius*, annotat. in Psal. 16. hoc scriptum reliquerit: *sensus historicus* (*latet enim mysticus sublimior, ut in plerisque psalmis*) *est hic: quanquam undique opprimor à Saule, tamen certus sum ex promissione regni mihi facta, non fore ei potestatem me interficiendi.* Sane cum hæc scriberet, non videtur attendisse, quod *Petrus* Actor. 2: 29. vaticinium hoc in Messia complementum suum nactum fuisse, monstraturus, ἀναίρεσιν, sive negationem præmiserat, aperte testatus, fieri non posse ut de Davide accipiatur, quod eventus repugnet, cujus testes vel ipsos Judæos esse tum præsentes permisit, utpote haud ignaros, sepulchrum Davidis id temporis Hierosolymis non vacuum ostendi, in quo ipse adhucdum reconditus sit Rex religiosissimus. Num igitur sensum mysticum & sublimiorem tunc opposuit Judæis Apostolus ad Messiæ è mortuis resurrectionem comprobandam? Id vero qui dixeris? cum alioquin ad historicum, quem *Grotius* vocat, sensum, utpote minus obscurum & magis obvium, *Judæi* haud dubie fuissent provocaturi, ut *Apostoli* eliderent argumentum. Quod cum factum non sit, sed potius illi plane obmutuerint, liquido patet, eos tunc verborum evidentia, sensuque adeo historico vel literali convictos, veritati manus dedisse, & Psalmum ob allatam rationem de Davide nullatenus posse intelligi, firmissime credidisse.

III. Quin ad præcludendam viam omni ulteriori tergiversationi, pro dominica resurrectione testimonio allato ex Ps. 16: vs. 10. Apostolus adhuc alio argumento probandum existimavit, Davidem id de Christo dixisse ad literam, Act. 2: 30, 31. προφήτης, inquiens, οὖν ὑπάρχων, καὶ εἰδὼς, ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεὸς, ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ, τὸ κατὰ σάρκα, ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, προϊδὼν ἐλάλησε περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ, ὅτι οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου, οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν. Ita scripturam ex Scriptura aperit Apostolus & confirmat, qui modus interpretandi longe optimus est, cum ipso *Spiritu S.* meliorem interpretem ne optare quidem liceat.

IV. Valere itaque jusso judaizante *Hugone Grotio*, qui hic nominis sui mensuram haud implevit, ipsos etiam *Judæos* audiamus. Ubi illud cumprimis notandum est, quod *Kimchi* comm. in Ps. 16: 9. notavit: בדרש אחר מיתה מלמד שלא שלטה בו רמה ותולעה: *in Drasch* (vel mystica explicatione) *additur, post mortem, docens, quod non dominaturus ei sit vermis.* Respicit *Kimchi* ad Midrasch Tillim, ubi fol. 15. col. 4. ad verba Psal. 16: 9. אף בשרי ישכון לבטח *etiam caro mea habitabit tuto*, hæc legimus: אמר רב יצחק לאחר מיתה שלא שלטה בו רמה ותולעה: *dixit R. Isaac, post mortem, quod non dominaturus ei sit vermis.* In quo dicto multum præsidii nonnulli *Christiani* interpretes ponunt, adversus *Judæos* pugnantes. Sed ut infra patescet, cum ad quosvis pios alii *recutiti* extendant, nullo successu inde eos convincere allaborant. Id tamen observationem meretur, quod largiuntur, de eo sermonem esse, quod post obitum demum in eo sit futurum. Quæ sententia è diametro contraria est interpretamento *Kimchii*, qui contra, quam à bono interprete fieri oportuit, textui de suo temere prorsus & violenter aliquid infulcit, nempe בעודני בחיים *cum adhuc in vivis sum.* Qui sensus verborum si esset, non præcise τοῦ בשר vel carnis, quæ anima egressa, sola tumulo inferenda est, mentionem fecisset, sed aliter sermonem fuisset instituturus. Nempe ut Psalm. 4. ult. אישן *dormiam* dixit, ita h. l. אשכון *habitabo*, utpote adhuc anima & corpore unitis, dicturus fuisset. Quod cum factum non sit, liquido patet, *Kimchium*, à priscis dissidentem, textui vim facere manifestam, & veri nominis *Messia* repudiato, commento suo se pascere, neque sic plus ex hoc psalmo fructus percipere, quam *majores* sui, qui ad fabulas conversi, Scripturas invitas ad quælibet tanquam parodias trahunt, &, *occultata clave cognitionis*, quod *Pharisæis* dudum *Salvator* exprobravit Luc. 11: 52. per suas interpretationes evacuare, indignisque modis lacerare solent.

V. Cujus

V. Cujus depravationis singulare specimen in libro *Jalkut* ad Pſ. 16: 10. exhibent. Sic enim ibi legimus: תנו רבנן ז׳ לא שלטה בהם רמה אברהם יצחק יעקב משה ואהרן מרים ובנימין אברהם יצחק ויעקב דכתיב בהו בכל מכל כל משה ואהרן דכתיב בהו על פי השם מרים אמר ר׳ אליעזר אף מרים מתה בנשיקה ומפני מה לא נאמר בה על פי השם מפני שגנאי הדבר בנימין דכתיב ידיד ה׳ ישכון לבטח עליו ויש אומרים אף דוד דכתיב אף בשרי ישכן לבטח: *ut Doctores nostri tradiderunt, septem sunt, quibus vermis non est dominatus: Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Moses, Aaron, Mirjam & Benjamin. Abrahamus, Isaacus & Jacobus, quia scriptum est de illis: de omni, ab omni, omne. Moses & Aaron, quia scriptum est de illis: juxta os Domini*, (Deut. 34: 5.) (Num. 33: 38.) *Mirjam: dixit R. Elieser, etiam Mirjam est mortua per osculum. Eccur verò de illa non dicitur: juxta verbum Domini? eo quod turpe esset. Benjamin, quia scriptum est* (Deut. 33: 12.) *dilectus Domini habitabit tuto super eum. Sunt etiam, qui dicant hoc de Davide, quia scriptum est* (Pſalm. 16: 9.) *etiam caro mea quiescet tuto.* *Oedipo* hic opus sit, qui edoceat, quomodo de tribus *Patriarchis* probari queat, eos post mortem à vermis dominio immunes fuisse. Recipit hoc in se *Scholiastes Talmudicus* in Beth Israel fol. 78. col. 4. ad cap. 1. Bava Bathra; sed eo successu, ut idcirco omnibus risum debeat. Sic enim ille: באברהם וה׳ ברך את אברהם בכל ביצחק כתיב ואוכל מכל ביעקב ויש לו כל כלומר לא חסרו שום טובה: *de Abrahamo* (dictum est:) *& Dominus benedixit Abrahamo in omnibus* (Geneſ. 24: 1.) *De Isaaco scriptum est* (Gen. 27: 33.) *& comedi de omnibus. De Jacobo* (Geneſ. 33: 11.) *& sunt mihi omnia; quasi dicat: nullum bonum eis deerat.*

VI. Etsi vero tam futile hoc omne sit, & tam ridicule singula probent *Judæi*, ut cum ratione insanire videri queant, R. tamen *Lipmannus* libro Nizzachon num. 299. haud obscure testatur, se calculum suum his adjicere, dum in *Davide* complementum Pſalmi constituens, eo unice vires omnes intendit, ut probet, si vel maxime *David* in cineres redactus sit, id tamen cum verbis Pſalmi neutiquam pugnare: unde lib. cit. num. 273. hunc in modum scribit: ידוע שכל הנברא מתחת לרקיע מארבע יסודות נברא וכל דבר סופו לחזר ליסודו כי זה גלגל העולם בכל הנבראים ואין זה גנאי וחסרון שחלק העפר הלך וחוזר אל יסודו וכן גוף דוד חוזר אל העפר: *manifestum est, quod omne creatum sub expanso ex quatuor elementis constet, & unumquodque in suum principium resolvatur. Hæc enim rotatio mundi est in omnibus rebus creatis. Neque enim id turpe est, vel defectum redolet, si pars pulveris ad suum principium redeat. Atque ita corpus Davidis in pulverem est redactum.*

VII. Eo *Lipmannum* sive stupor, sive ἀμετρία τῆς ἀνθολκῆς abripit, ut etiam ea, quæ *Judæi* alias pro veritate agnoscunt, negare videatur. Quod enim homo moritur, & corpus ejus corrumpitur, id peccato *Adami* acceptum ferendum esse, illi largiuntur. *R. Bech.* comm. in Leg. fol. 12. col. 3. ר״זל המקובלים מפי הנביאים שאלמלא שחטא אדם היה חי לעולם: *Dd. nostri l. m. ex ore Prophetarum id hauserunt, Adamum, nisi peccasset, in æternum victurum fuisse.* Quod fol. 16. col. 2. repetit, & Chaldaica quoque paraphrasi confirmat, dum ait: אלולי לא חטא אדם היה קיים נצחי לעולם בגוף ובנפש: *nisi peccasset Adamus, in æternum substitisset, tam corpore, quam anima.* Cum igitur homo in pulverem redigitur, postquam peccavit, non apparet, quomodo hoc non sit לגנאי sive *turpe*; cum id non ex naturæ inevitabili necessitate vel Dei prima intentione, sed culpa hominis fiat: quemadmodum & *Davidis* corpus idcirco pro communi hominum sorte corruptioni obnoxium fuit. Quod cum diserte sibi contingere neget is, qui in Pſalmo loquens introducitur, dum se lætari affirmat, quod corpus suum secure quiescat & procumbat, cum in sepulchro non sit relinquendum, neque in cineres redigendum more aliorum hominum; eo ipso clarissime patet, Davidem neutiquam de seipso esse locutum. Ille enim, qui in sepulchro ita mansit & relictus est, ut corruptionem ibidem senserit, ecquid prærogativæ habuit præ aliis, ob quam tantopere gaudere possit? Respondet *Lipmannus*: על הרשעים נאמר אך בשרו עליו יכאב לענין רימה ותולעה כמו שאפי׳ בע״זה באיוב וזה לא שלט בדוד ועל כן אמר בשרי ישכון לבטח: *de impiis dictum est* (Job. cap. 14: 22.) *sed caro super ipsum dolebit, nempe de verme, ut in Jobo, Deo auxiliante, explicaturus sum. Atque hic Davidi non est dominatus, idcirco dixit: caro mea habitabit tuto.* Respicit ad *Ebræorum* commentum, qui in *Talmud*, Massechet שבת cap. 1. scriptum reliquerunt: קשה רימה למת כמחט לבשר החי: *mortuo* (impio) *gravior est vermis, quam acus carni viventis.* Conf. *Lipmannus* num. 299. ubi adducto etiam, licet parum congrue, in eandem sententiam loco Eſa. cap. 66. ult. subjicit: גבי צדיקים הוי אפכה דאמר דוד אך בשרי ישכן לבטח: *cum justis res aliter habet, quia David ait: caro mea habitabit tuto.*

VIII. Cæterum, ut ex textu liquet, non intelligitur ejusmodi quid, quod omnibus piis commune est, sed quod uni soli competit, qui non ideo se lætari affirmat, quod caro sua post obitum à vermis fictitio morsu sit immunis, sed quod ille in sepulchro vel mortuorum statu tantisper non relinquendus, donec obnoxius fiat corruptioni, cui alias pii æque ac impii solent esse expositi. Quod vero fabulatur cum suis *Lipmannus*, vermem impiis in sepulchro ita molestum esse, ut hinc dolorem sentiant, piis non item; non magis ex Jobi 14: 22. eliciet, quam ex eodem lib. cap. 21: 33. solide deducet, mortuo adhuc sensum aliquem esse, quo dulcedinem aliquam percipiat. Utrobique enim figuratus sermo est, ubi verba nequaquam secundum literam intelligenda esse, res ipsa docet, & quidam *Ebræorum* dudum fassi sunt, qui מליצה גמרצה *vehementi rhetorica* vel *prosopopœja* id fieri agnoscunt. Ejusdem igitur hoc *Lipmanni* commentum monetæ est, cujus est illud, quod ex *Antonio Margarita* refert scripturæ Interpres dexterrimus, *Dn. D. Geierus* cap. VI. §. 17. de luctu Ebræorum, *Judæos* credere, defuncti & terra obruti nares à mure morderi, cujus clamorem ne ii, qui ultimo honore illum prosecuti sunt, audiant, eos scissione vestimenti super sepulchro facta, magno cum strepitu ac vociferatione è cœmiterio diffugere.

IX. *Judæorum* itaque commento exploso, manet ratum ac firmum, nullo modo vſ. 10. de *Davide* accipi posse, quippe qui dudum, more aliorum hominum computruit. Unde necessario relinquitur, de alio verba tam emphatica intelligenda esse, cujusmodi extra eum, quem nos recepimus, *Messiam*, in quo solo, sicut reliqua Prophetarum vaticinia, ita & hæc ipsa cita è mortuis resurrectio exactissime complementum suum nacta est, ne fingi quidem potest. Hoc vero ne *Lipmannus* admittere cogatur, quædam in ipso Pſalmo contineri causatur, quæ ut de *Christo* verba vaticinii accipiamus, vetent. Sic enim lib. Nizz. num. 8. ad cap. 3. Geneſ. scribit: רוצים לפרשו על הנוצרי וטעות הוא שהרי מזמיר לכל הפחות שנים שנאמר נפשי גם לחסידך ועוד שמתחיל מכתם דוד ואמר לפניו טובתי בל עליך וזה לא יוכלו לפרשו על הנוצרי: *volunt* (Christiani) *de Nazareno eum explicare, sed id erroneum est. Ecce enim meminit, quoad minimum, duorum, quia dictum est: anima mea, & Sanctum tuum. Præterea incipit Pſalmus: michtam David. Et ante eum* (verſ. 10.) *ait: bonitas mea non est* עליך. *Atque hoc de Nazareno nequeunt accipere.* Et num. 273. prolixius ostendere conatur, de Messia nostro in Pſalmo minime agi, ita enim ibi: כל זאת מפרשים הנוצרים על חנוצרי ור קדקו מקיא דכתיב לפניו אף בשר ישכון לבטח ואומרים אם כל זאת על דוד קאי והא כתיב עפר אתה ואל עפר אתה תשוב והנה טעו מדרך ישר שהרי בראש המזמור מזמיר דוד את שמו ועל עצמו מסיים שמרני אל כי חסיתי בך ואמרת להשם וגו׳ ואף בשרי ישכון לבטח וגו׳ ולא תעזוב נפשי וגו׳ ולא תתן וגו׳ כל הענין על עצמו קאי ותמיה איכבה אינם מבינים שכל אלה הדברים לא שייך אחת באלהות כגון שמירה וחסייה וטובתי בל עליך: *hoc omne Christiani explicant de Nazareno, & scripturam minutim excutiunt, quia ante scriptum est: etiam caro mea habitabit tuto. Dicunt si hoc omne Davidem respicit, ecce scriptum est* (Geneſ. 3: 19.) *pulvis es, & in pulverem reverteris. Ecce autem à via recta abludunt. Initio enim Pſalmi David meminit sui nominis, & in se ipso quoque finit. Custodi me Domine, in te enim speravi, & dixisti ad Dominum &c. Etiam caro mea habitabit tuto &c. Non relinques animam meam &c. neque permittes &c. Omnia hæc ipsum* (Davidem) *respiciunt. Demiror etiam, eos non intelligere, quod nihil horum ad Deitatem pertineat, qualia sunt: custoditio, fiducia, & bonitas mea non ad te.*

X. Sed hæ rationes ejusmodi sunt, ut quædam illarum nostram sententiam non modo non infirment, sed etiam stabiliant. Sane inscriptio Pſalmi irrito conatu nobis opponitur, quæ est: מכתם לדוד. Priorem vocem dum LXX. στηλογραφία verterunt, מכתב legisse videntur; *Hieronymum* autem, qui *humilis & simplicis* transtulit מך תם in suo codice habuisse, conjectura haud improbabilis est. Descendit vero à כתם, quod *aurum optimi coloris* designat, nec, ut *Kimchi* vult, carminis aut instrumenti musici genus est, sed idem notat ac *insigne aureolum.* Habere id nominis videtur Pſalmus ab argumento prænobili, quod instar pretiosissimi auri sit, perinde ac *Proverbia Arabica Alis* ob insignem suam præstantiam inscribuntur شذرة الالس *aureolum morum*, veluti *Lud. de Dieu* animadverſ. in h. l. docet. Sive enim *Messiam* tanquam Ecclesiæ caput, pro se & corpore suo precantem, sive *Davidem* tanquam Prophetam pro seipso orantem & de *Messia* vaticinantem introduci dicamus, hunc gloriosum titulum meretur

meretur Psalmus, & nullo modo nobis obstat, quod *David* suum nomen præmisit. Nihil enim aliud inde sequitur, quam Psalmi Auctorem secundarium non esse *Salomonem*, vel *Asaphum*, sed *Davidem*, qui non suopte motu, sed instinctu & afflatu divino illum consignavit, & ut Propheta, quod multis seculis post futurum erat, prævidit. Atque hæc *Judæos* minime assequi, eo minus mirum videri debet, quo illi abjectius de Psalmorum volumine sentiunt; quippe quod pro scripto Prophetico haud agnoscunt, sed eo usque etiam nonnulli deprimunt, ut tantum non vulgaribus odis illud æquiparent. Confer *Abarbenelem.*

XI. Consimiliter neque id, quod vers. 3. habetur, טובתי בל־ עליך nobis obicem ponit, quo minus de *Messia* nostro Psalmum interpretemur. Si enim עליך τὸ, quod *Aquila* ἐπὶ σε, *Vulg. ad te* reddiderunt, cum ipsis *Ebræis* nonnullis pro עריך, scriptura haud invita, accipiamus, tam apte in *Messiæ* id officium quadrat, ut vix aliud sit prædicatum, quod magis concinnè ei tribuatur. Sensus enim est: *bonitas mea non ad te pertingit*, sive obedientia mea, & quod ego bonum præsto, non Deo sed Sanctis prodest. Non sane hoc durum est & coactum, ut *Coccejus* comment. in h. l. arbitratur, sed & modo loquendi scripturæ conforme, & *Messiæ* officio congruum. Quin *Andreæ Riveto*, comment. ad h. l. adeo probatur hæc interpretatio, ut præ aliis sibi eam arridere affirmet, *eorum*, inquiens, *quæ præcedunt & sequuntur consideratio facit, ut vulgata mihi videatur, ut antiquitate, sic etiam acumine aliis præferenda, quæ etiam Ebræa verba minus inflectit. Qua interpretatione retenta, connexio cum præcedentibus erit non solum perspicua, sed etiam jucunda.* Quid quod hanc explicationem, quam Parentis sui *Josephi* esse *R. David Kimchi* ait, etiam, ut non contemnendam, annotationibus suis in librum *Michlal Jophi* haud ita pridem inseruit *R. Abendana*, cum ait: יש מפרשים הטובה שאני עושה איננה מגעת עדיך אלא לקדושין אשר בארץ: *sunt qui sic interpretantur: bonum, quod ego facio, ad te non pertingit, sed ad Sanctos, qui in terra sunt.*

XII. Neque tandem est quod *Lipmannus* demiretur, *Christianos* haud intelligere, nihil eorum, quæ recensuit, ad Deitatem pertinere; aut inde, quod נפשי & חסידך commemorat, sibi persuadeat, de Messia nostro non posse accipi. Cum enim hoc Psalmo de divina natura *Messiæ* nequaquam agatur, sed potius de *Messia* homine, cujus statum exinanitionis illa in sepulchrum deportatio quasi obsignat; postquam etiam statu, si qui fuit, pœnali se liberatum iri lætatur: quid mirum, si omissa divinitatis expressa mentione, *Messias* nunc Deo confidere, nunc ab eodem auxilium & custodiam expetere legatur. Sane ut Deum Dominum suum vocat vers. 2. & voluntatem Dei se facere profitetur Psalm. 40: 8. ita hic *Christianorum* explicationem erroneam haud esse, sed veram, satis constat. Licet etiam *Ebræi recentiores* plerique omnes, pro sua incredibili pertinacia, ejusmodi quid de Messia credere renuant, nonnulli tamen proniores fuisse feruntur ad admittendum hoc dogma. Uti enim *B. Helvicus* Tom. IV. Disputat. Giess. IV. §. 51. testatur, *R. Moses Haddarschan super Psalmum* 49: 10. *inquit*: *hic versus dictus est de Rege Messia, qui morietur, ut Patres redimat & postea vivat in æternum, nec videbit corruptionem, sicut sapientes, qui moriuntur.* Fuisse nominis hujus *Scriptorem Judaicum*, palam est; laudatur enim ille non modo *P. Galatino* lib. VIII. cap. 11. de A. C. V. *Hieronymo de S. F.* in Ebræo-mastige pag. 60. sed etiam *R. Abarbeneli* Comm. in Genes. 49: 10. ut de *Christianissimis*, ceu loquitur *Schickardus* in Bechin. Happer. pag. 32. ejusmodi libris necdum desperandum videatur. Quicquid tamen ejus sit, nobis hoc nunc sufficit, quod illa *Judæorum* communis explicatio, nullo fundamento nixa, seipsam evertat & textui repugnet, nostra vero tam solide utriusque instrumenti libris fundetur, ut nihil sit, quod æque nostram mentem afficiat, ac consensus ille prædictionis & eventus, qui ex utriusque collatione elicitur. Unde fit, ut fide vera Messiam, vel in ipsa morte, tanquam præsentem intuentes, per ipsius gloriosam resurrectionem de nostræ carnis resuscitatione ad vitam æternam certi reddamur, *μηδὲ τοὺς ἐν ᾅδου καθόδους δειλιῶντες*, ut cum Athanasio Orat. de incarnatione Verbi Dei pag. 59. loquamur. Cum non descendamus *ἐκ καταδίκης*, vel *legis condemnatione*, sed ut corpus peccati exuentes, cum Christo triumphemus. Uti enim Apostolus nos solatur: *εἰ πιστεύομεν ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἀπέθανε καὶ ἀνέστη, οὕτω καὶ ὁ Θεὸς τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ ἄξει σὺν αὐτῷ.* 1. Thess. 4: 14.

F I N I S.



JOH. FRISCHMUTHI DISSERTATIO

De Messiæ manuum & pedum perforatione ad Psalm. XXII: 17.

בה״שי:

DISSERTATIO DE MANUUM PEDUMQUE MESSIÆ PERFORATIONE

ex Psalmo XXII: 17.

§. 1.



Quod de sui temporis hæreticis jam olim Irenæus, Ecclesiæ Christianæ Doctor antiquissimus, est conquestus lib. III. c. 2. *Cum*, inquiens, *ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte se habeant, neque sint ex autoritate*, id & superiori seculo, & hac nostra ætate Pontificiis, qui Vulgatæ Versioni αὐθεντίας novum titulum & elogium vendicaturi textum Ebræum originarium elevarunt, merito exprobrarunt Protestantes Theologi. Alii tamen illorum impudentius, alii nonnihil modestius se gerunt. Quidam enim Judæos in odium *Christianæ fidei studiose depravasse & corrupisse multa loca Scripturarum* docuerunt, atque ita Jacobus de Valentia, Episcopus Christopolitanus, præf. in Psalmos, & Melchior Canus, lib. 2. cap. 13. de Locis Theologicis, senserunt. Alii vero pauca duntaxat loca integritatem amisisse contenderunt. Inter eos qui ita sentiunt, primas tenet Robertus Bellarminus, qui etsi lib. II. de V. D. cap. 2. iis, qui Cardinalis judicio, *zelo quidem bono, sed non secundum scientiam*, studiose codicem depravatum esse asserunt, dicam scribit, & cum Driedone negat, Judæorum malitia eum esse corruptum; quo minus tamen integrum illum esse, & purissimi fontis nomenclaturam eidem præ Vulgata Versione competere, Calvino, Kemnitio & Majori largiatur, *errores obstare*, ait, qui *partim incuria & negligentia librariorum, partim Rabbinorum ignorantia irrepserint.* Inter illa loca ab eodem Cardinali refertur Psalm. 22: 17. de quo ita l. c. scribit: *Nemo Christianorum est, qui non legat, foderunt manus meas & pedes meos, textus vero Ebraici legunt*, כָּאֲרִי, *id est, sicut Leo, non foderunt, quod dicitur* כָּרוּ. Equidem infitias haud imus, jam olim & hodienum fuisse complures, qui Judæos hujusmodi corruptionis insimularint. Ipse Mohammed multis retro seculis eos accusavit, in Alcorano, Surata III. ubi ait: من الذين هادوا يحرفون الكلم عن مواضعه *Quidam ex eis, qui sunt Judæi, delent verba de locis suis.* Unde Philippus Guadagnolus, Theologiæ & Arabicæ linguæ Professor Romanus, in Apologia, pro Christiana religione, qua respondetur ad objectiones Ahmed filii Zin, Alabedin, Persæ Asphahensis cap. VI. Ebræam editionem ab originaria puritate in paucis deficere probaturus, sic scribit: *Loci aliqui vel temporum injuria, vel alicujus nequitia, vel Scriptorum incuria videntur à prima sinceritate excidisse, tum in Ebræa editione, tum etiam in LXX. Interpp. Versione. In Ebræa quidem (ut aliqua breviter saltim recenseam) Psalm. 21. in quo agitur de Christi passione & crucifixione legunt Judæi* כארי. *at Vulgata nostra Latina & cæteræ legunt, foderunt manus meas &c. in quo potest suspicari, mutationem factam Judæorum injuria, ne de Messia crucifixione redarguti viderentur. Verum potius scriptorum incuria talem errorem irrepsisse existimandum est, propter affinitatem literarum. Facile enim potuit pro* כרו *scribi* כארי *mutato Vau in Jod & addito Aleph.*

§. 2. Quin ex Protestantibus ipsis, qui pro originalis textus integritate & αὐθεντίᾳ tantopere pugnant, quosdam deprehendas; qui fraudem hic Judæorum subesse, conjecturam faciunt. Josephus enim Scaliger, Epist. CCCCLXXII. περὶ תקון סופרים, inquit, (id est, correctionibus Scribarum) *mihi constat, non omnes locos, quos Judæi à veteribus Criticis mutatos dicunt, ab ipsis interpolatos fuisse. Id facile probari potest. Unum fortasse aut alterum contaminarunt, ut ὤρυξαν τοὺς πόδας μου καὶ χεῖρας μου. Nam quomodo hodie legunt, nullum commodum sensum concipiunt.* Legerat videlicet Vir maximus, quod lib. VIII. cap. 17. de A. C. V. scriptum reliquerat P. Galatinus, *Scribæ*, inquiens, *dictionem* כרו *id est foderunt, in* כארי *quod sicut leo significat, mutantes, Scripturam simul & sensum perverterunt.* Atque hunc Galatinum B. Hunnium quoque secutum esse, dum perspicuam textus depravationem vocavit, B. Helvicus testatur. Quin manus violentas textui esse injectas, non tam suspicatur, quam pro certo affirmat Joh. Forsterus Lex. enim Ebraico fol. 394. *Ego*, inquit, *in ea sum sententia, quod sentiam, vocem hanc à Judæis, mox à Christi passione depravatam, quando hic locus à Christianis illis objiceretur, ut prophetiam hanc in Christo impletam, convincerentur, sicut plures in scriptura locos aut obscurasse, aut omnino depravasse verisimile est.* Ut Junium, Gesnerum, Chamierum aliosque jam silentio prætereamus. Quæ an ita se habeant, ut nefandi sacrilegii Judæi jure argui possint, & ideo Ebræus textus purissimi fontis nomen non mereatur, accuratius inquirere decrevimus; eadem opera demonstraturi, perforationem manuum pedumque omnino verbis allatis significari, adeoque prophetiam illustrem crucifixionis Domini nostri à Davide esse æternæ memoriæ proditam.

CAPUT I.

Cujusmodi hostes τὸ כלבים *&* עדת מרעים *denotent, exponitur.* כארי *ex duabus vocibus per Synæresin coaluisse, Avenarius docet. Alia explicatio A. Moro & Pocokio probata, qua ex anteced. ἀπὸ τοῦ κοινοῦ verbum repetatur. L. de Dieu, ex Syriasmo* כארי *interpretans, eam pro infinitivo cum suffixo habet, &* deturpando me, *vertit. Gesnerus participium in regimine positum esse ait.* Poco-

Pocokius, ne corruptam eam dicamus, pro forma, numeri potius pluralis, apocopen passi, agnoscendam opinatur. M. Marini, & B. Ziegleri commenta adducta. Cur Avenarii sententia improbanda. Cur item altera minus verisimilis, quam B. D. Glassius valere jussit. L. de Dieu glossema & Aquilæ Versio Ebraicæ vocis emphasin haud satis exprimunt. Gesneri opinioni Grammatica refragatur. Neque ut Pocokii conjecturæ adstipulemur, ulla nos necessitas adigit, neque Marini & Ziegleri hariolationes alicujus momenti. R. Salomonis, AbenEsræ & Kimchii interpretamenta ex ipso textu impugnata.

§. 1. TOtum Comma 17. Psalmi, in codice Ebræo ita legitur: סְבָבוּנִי כְּלָבִים עֲדַת מְרֵעִים הִקִּיפוּנִי כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי׃ Verba priora, *Circumdederunt me canes, cœtus malignorum me circumdedit.* nihil difficultatis habent: conqueritur enim Messias, qui loquitur, de hostium suorum multitudine, quos duum generum esse ait, *canes*, & *impiorum cœtum*. Illa voce minores, sed acerrimi omnium significantur, milites nempe, Christum variis modis vexantes, altera vero Judæorum illudentium & ad mortem usque eum persequentium caterva, qui orbe undique conserto Dominum cinxerunt. Majoris id indaginis est, quid reliqua verba sibi velint, quæ post accentum Atnach ita in codicibus excusis leguntur: כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי׃, & Judæi nihil aliud sonare dicunt, quam *sicut leo manus meas & pedes meos.*

§. 2. Scriptionem istam literarum Ebraicarum veram esse & genuinam neque eam à Judæis corruptam, nonnulli contendunt. Vertunt igitur: *foderunt sicut leo.* Atque ita ex כרה *fodit* & ארי *Leo*, eam compositam esse, part. 3. Grammatic. docet Avenarius. Alii vero voci כארי non fodiendi significationem tribuunt, sed idem ac *sicut Leo* eam sonare, largientes, verbum proxime antecedens הקיפוני non *circumdandi*, sed *fodiendi* notionem habere volunt. Quam sententiam ex recentioribus Cl. Vir, Alexander Morus, pag. 92. Exercit. Genevens. defendit, neque improbat Edoardus Pocokius c. 4. Miscellan. Eam se aliquando secutum, tandem vero, quod partim Masoræ autoritatem, partim vero plerasque versiones obstare videret, valere jussisse, B. D. Glassius, lib. 1. Philol. Sacr. tr. 1. refert.

§. 3. Vir Cl. & de Orientalibus linguis optime meritus, Ludovicus de Dieu, animadvers. in h. l. perinde esse ait, sive כָּאֲרוּ sive כָּאֲרֵי legamus. Verba ipsius adducere non gravabor. LXX. *reddiderunt* ὤρυξαν *foderunt. Unde colligunt viri eruditi epentheticum esse* א, *non radicale, pro* כָּרוּ *à* כרה *fodit. Malim esse radicale, quod censuit Aquila, ubi vertit* ᾔσχυναν *fœdarunt. quod sensu idem est, cum foderunt. Confodiendo enim fœdarunt. Proprie* αἰσχύνειν *est pudefacere, & idipsum Syris est* ܒܐܪ *בַּאַר. Ferrarius pudefecit.* ܐܬܒܐܪ *אֶתְבַּאַר verecundatus est. Unde 1. Cor. 6: 5. pro* πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, *in ignominiam, (pudorem, turpitudinem) vobis dico. Syrus habet* ܠܒܗܬܬܐ ܗܘ ܐܡܪ ܐܢܐ ܠܟܘܢ. *Sic & ex Rabbinis David de Pomis producit* באור, *vertitque turpe. idem quod* בעור. *permutatis enim gutturalibus* א *&* ע, *quippe ejusdem fere pronuntiationis.* בעור *&* מבוער *Rabbinis est fœdum, turpe inquinatum.* מעשים מבוערים *opera turpia.* אשה מבוערת *mulier fœda, deformis. Sensus ergo proprie est, deformarunt manus meas & pedes meos. At quid de* כארי *statuendum dicemus? Ne ea quidem lectio mendosa est. Est enim* כַּאֵר *infinitivus Piel, ejusdem sc. conjugationis, cujus & Syrorum* ܒܐܪ, *quod supra attulimus. Inde fit regulariter cum affixo primæ personæ* כָּאֲרִי *manente Kamez, quia valet Patach sequente Dagesch. Vertas licet, deturpando me manibus ac pedibus meis. vel deturpando mihi manus meas ac pedes meos, quod construitur cum antecedenti præterito.* עֲדַת מְרֵעִים הִקִּיפוּנִי *congregatio maleficorum circumdederunt me. Quin si infinitivum præteriti significatione accipere velis, quo nihil est Ebræis usitatius, præsertim ubi alia præterita antecedunt, quod hic fit, recte vertas, deturparunt mihi manus meas &c. unde liquet, perinde omnino esse, an* כארו *an* כארי *legatur.*

§. 7. B. Gesnerus Comment. in h. l. probabile esse ait, legendum esse כָּאֲרֵי, unico puncto in fine addito, ut sit forma regiminis, posita loco absolutæ כָּאֲרִים. Edoardus Pocokius, Vir itidem Clarissimus, pro plurali haberi posse censet כארי quod ea forma occurrat, qua & alias nomina pluralis numeri, nota pluralitatis abjecta in י desinere solent: ex. gr. חורי Gen. cap. 40: 16. החצי 1. Samuel. 20: 38. שלישי 2. Sam. 23: 8. הכרי 2. Reg. 11: 4. עמי Jos. 15: 63. Cantic. 8: 2. Arbitratur igitur etiam formam illam absolutam pl. numeri, quæ abjecto ם in Jod desinit, & cujus etiamnum in codice sacro quædam extant exempla, frequentiorem olim fuisse, ut ita potius illa forma hic agnoscenda sit, quam ut vocem à Judæis corruptam esse dicamus, vel eorum etiam admittamus interpretamentum, quod Kimchi, autor alias sobrius & gravis, hic vero ut qui maxime ineptus, pro vero venditare nullus dubitat.

§. 8. Marcus Marinus, in Arca Noë fol. 332. col. 2. non Jod in fine, sed Vau minutum agnoscens pro verbo quidem habet, כארו, punctum tamen insertum ait ad stigmata clavorum Christi significanda. Consimiliter Bernhardus Zieglerus, Ling. Ebr. Professor quondam Lipsiensis, mysterium inibi quæsivit, *quod Spiritus sanctus tacite istis literis numerum annorum voluerit præfinire, quando Christus crucifigendus esset, videlicet inde à Prophetia post* 1230. *annos, quæ supputatio cum tempori ita respondeat (nam totidem esse annos à Psalmo scripto ad Christi passionem, consulto ita scriptum esse omnino contendit*, ceu refert Forsterus Dictionar. Ebr. pag. 394.

§. 9. Quod Avenarii sententiam attinet, quam planissimam simplicissimamque vocat D. Helvicus, Vind. LL. V. T. p. 18. eamque exemplis allatis ex scripturis probat, ubi duarum vel plurium vocum in unam datur Synæresis, nescio, an satis solide illa ita probetur. Etsi enim insolens in Sacris non est, ut ex duabus dictionibus una aliqua fiat, ut tamen una litera simul servilis & radicalis sit, id minime receptum est. Et cum textus Originalis integritatem longe aliter tueri possimus, omnino tutius fuerit, illam explicationem missam facere, ne Judæis ansam præbeamus cavillandi, Christianos, ut fidem suam statuminent, novam & nulli Ebræo Grammatico auditam sententiam excogitasse. Sed nec altera illa explicatio hic recipienda videtur. Etsi enim verbum נקף, à quo non minus, quam verbo הקיפוני יקף deduci alias potest, *perfodiendi* significationem habet Job. 19: 26. perinde ac Arabicum نقب, & Chaldæus quoque nonnullorum judicio, sono verbi vicini adductus sic reddidit: נָכְתִין הֵיךְ כְּאַרְיָא אִידַי וְרַגְלָי׃ *mordent sicut leo manus meas & pedes meos*: quia tamen ex usu scripturæ כפל הענין במלות שונות *significatio duabus vocibus duplicari solet*, id quod in Psalmis ipse Kimchi sæpius inculcat; multo probabilius est verbum הקיפוני non minus ac סבבוני *circumdandi* significationem hic habere; & hoc de canibus, illud de cœtu improborum Spiritum sanctum usurpasse, ad indicandum, Messiam undiquaque ita circumseptum esse, ut nulla omnino elabendi eidem esset relicta rima.

§. 10. Sed nec ulla nos necessitas compellit, ut Ludovici de Dieu explicationem recipiamus, & à Syriaca lingua hic vocis Ebrææ significatione petita, vertamus *fœdando me.* Etsi enim & Aquila, qui anno à Christi ascensione vixdum centesimo exacto, suam versionem edidisse perhibetur, vocem Ebræam per ᾔσχυναν reddidit, quod verbum de *fossione* accipi posse, ex illo Homeri, Iliad. Σ.

—— χερσὶν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον,

probant, ut & Virgiliano illo, Æneid. IV.

Unguibus ora soror fœdans & pectora pugnis.

Item lib. II.

—— Quæ causa indigna serenos
Fœdavit vultus?

minimè tamen sic satis vocis Ebrææ emphasis exprimitur. Verbum enim Græcum, quod Homeri Scholiastes per κατύβρισε reddidit, & Poëtis fere profanis est receptum, cum cruentationem quovis modo factam denotare volunt, longe generalioris est significationis, quam ut hic, ubi de manuum pedumque perforatione sermo est, vim vocis Ebrææ expresserit. Sive igitur Aquila idcirco ita verterit, quod existimarit, quia verbum חפר *fodere* & *ignominiam* significat, verbum כרה itidem utrumque denotare, ceu Ludovicus Capellus auguratur, Critic. Sacr. lib. V. cap. 5. sive ut ipsius Antagonista, Dn. Buxtorfius docet, quod כארו sumpserit pro בערו, Vind. Ebr. Verit. part. 2. cap. 8. certum tamen est, id, quod Spiritus sanctus intendit, non esse satis expressum. Verbum Ebræum enim quod hic occurrit, non minus ac ipsum verbum כרה Psalm. 40: 7. Exod. 21: 6. ὀρύξειν denotat, cujusmodi maxime solet esse περιπαταλευομένων, ceu infra ostendemus.

§. 11. Con-

§. 11. Consimiliter nec Gesneri opinio applausum meretur, ceu ipse B. D. Glassius ostendit. Repugnant puncta voci substrata, quo minus pro voce in regimine posita τὸ כָּאֲרִי habeamus. Neque formæ absolutæ nomen esse, quod Mem abjecerit, satis docent ipsorum Ebræorum de lectione vocis observationes, quas ad probandam veram & genuinam sententiam in medium sumus allaturi. Quæ etiam conjecturam Marini & Ziegleri mysterium in Jod quærentium, nullam esse, satis comprobant.

§. 12. Nunc explicationem, quam hodienum communiter recutiti sequuntur, audire operæ pretium fuerit. Eam ubi sine præjudicio quis perpenderit, fateatur oportet σφαλόν τι eos fovere. R. AbenEsra sic scribit: טעם כארי דבק עם הקיפוני כארי שהקיפו כאריה ידי ורגלי כי בהם יוכל לברוח: *Sensus vocis* כארי *cum verbo* הקיפוני *cohæret, quia nempe instar leonis manus meas & pedes meos circumdederunt, iis enim posset effugere.* R. Salomo כארי ידי ורגלי כאלו הם מרוכאים בפי ארי וכן אמר הזקיהו כארי כן ישבר כל עצמותי: *Sicut leo manus meas & pedes meos, tanquam si ore leonis essent contriti. Atque sic Hiskias* (Esai. 38: 13.) *ait: Sicut leo confregit ossa mea.* Multo adhuc prolixior est Kimchi, qui, ut in exemplari Veneto Superiorum permissu edito habetur, Psalmum de captivitate Babylonica interpretatur, in exemplaribus vero haud castratis & Michlal Jophi, cum Constantinopolitanæ, tum Amstelodamensis editionis hunc in modum commentatus legitur: כי הקיפוני כמו האריה שמקיף בזנבו ביער וכל חיה שתראה אותה העגולה לא תצא משם ממורא האריה ומפחדו ויראתו ויאספו ידיהם ורגליהם וימצא האריה טרפו בתוך עגולתו כן אנחנו בגלות בתוך העגולה לא נוכל לצאת ממנה שלא נהיה ביד הטורפים כי אם נצא מרשות הישמעלים נבוא ברשות הערלים והנה אנחנו אוספים ידינו ורגלינו ועומדים יראים ופוחדים כי אין לנו רשות לברוח ברגלינו ולהלחם בידינו והנה כאלו ידינו ורגלינו בנחושתים: *Quoniam circumdederunt me tanquam Leo, qui cauda sua in sylva circulum describit, quem, quodcunque viderit animal, haud inde egreditur præ metu leonis. Ac præ timore ipsis incusso manus pedesque suos colligunt, adeo ut leo in circulo suo prædam suam inveniat, ita & nos in exilio nostro, medio inclusi sumus circulo, unde egredi non possumus, quin in manus prædantium incidamus. Ismaëlitarum potestate exeuntes in manus incircumcisorum incidimus, ideoque manibus pedibusque pavidi & territi coram ipsis stamus, quia neque pedibus effugere neque manibus pugnare possumus, & sunt manibus nostris & pedibus quasi compedes injecti.*

§. 13. De populo Judaico Psalmum non agere, ex ipso contextu probatu haud est difficile. Loquitur enim inibi quidam, qui habet fratres, id quod non tam toti populo, quam uni ex illo individuo competit, ut reliqua prædicata, quæ itidem unius subjecti sunt, prætereamus. τὸ כארי vero non sonare idem *ac sicut leo*, ex eodem solidissime demonstrari potest. Postquam vs. 13. dixisset, *circumdederunt me vituli multi, robusti Basan circumdederunt me*, vs. 17. iterum de hostium suorum crudelitate conquestus, *circumdederunt*, inquit, *me canes, cœtus malignorum me circumdederunt.* Cum ita quater se hostium multitudine totum circumdatum esse dicat, eccui verisimile fiet, eum dicturum esse, manus pedesque suos tanquam à leonibus circumdari? Num tam præpostera gradatione Sp. S. usum esse, dicemus? Numquid ille, qui circumcirca se ab hostibus inclusum fatetur, non eo ipso & manus & pedes simul innuit? Num Leo alibi in sacris dicitur circumdare manus & pedes? Prædæ inhians Leo καταπατεῖ, at eam nactus lacerat potius & comminuit, quam ut circumdet. id quod ex ipso Psalmo, vs. 14. liquet, qui *leonis os suum aperientis, rapientis & rugientis* mentionem faciendo, prædicata illius, omnium animantium principis, longe alia suggerit, quam, *manus pedesque alicujus circumdare.* Cum itaque vs. 14. Leonis jam ante sit facta mentio, omnino vel solum id facit suspicari, τὸ כארי hic aliam habere significationem, *quam leonis.* Id quod jam ex ipsis Ebræorum Masorethis, nobis hic suffragantibus, uberius ostendemus.

CAPUT II.

Masoretharum labor multiplex & decumanus. Eorundem observatio circa vocem כארי, *Codex Ebræus MSS. Bibliothecæ Salanæ laudatus. Masoræ parvæ circa eandem vocem annotatio, quam Episcopus Nebiensis & Polanus satis assecuti sunt, quanto usui sit adversus Judæos disputanti, exemplo B. Hackspanii docetur. Alia observatio Masoræ magnæ. Capito, Johannes Isaacus, Galatinus, Andradius, Veltuykius veræ lectionis αὐτόπται. Masora textualis Judæis opposita. τῶν LXX. Arabis, Syri & Æthiopis consensus & Aquilæ Versio Christianis favet. unde* א *in verbo* כארו, *quod ex Arabica lingua illustratur. Kimchi, Schickardus & Tanchum laudati. Jod finale in verbis pl. numeri proclivi errore Scribarum alias occurrere, Avenarius & Judæi ostendunt.* כארו *in codice Complutensi restitutum. Cur in Venetis editionibus idem non sit factum, Amama ostendit. Cur in Anglicano Opere* כארי *Cl. Waltonus retinuerit.* כארו *textui inserendum, Cl. Morus frustra negat. Eam lectionem genuinam esse novo argumento ex Judæorum libris collatis confirmatur. Kimchii rationes Keri & Ketif pollicitum cum AbenEsra & aliquid monstri alere, ostenditur. Lectionem Christianorum nulla ratione infringere potest. vs. 30. Ps. 20. illustratus. Ad Judæorum objectionem de pœnis Judaicis ex ipsorummet libris responsum. Crucis pœna quæ. à quo ea Christo irrogata. Cur data opera locum à Judæis corruptum negemus. Origo variæ lectionis, quæ cum fonte purissimo minime pugnat. Cl. Hottingerus & Epiphanius laudati. Patres nobis ὁμόψηφοι. Hieronymi de fonte rivulo præferendo sententia.*

§. 1. Ebræorum Critici, Masorethæ, qui multis retro seculis, multorum annorum stupendo labore omnes versus, dictiones & literas numerarunt, & quoties, quo loco, qua forma, quæque dictio in Scriptura inveniatur, incredibili industria annotarunt; de hac voce כארי ejusmodi observationes nobis reliquerunt, quas & Pontificiis, integritatem textus Ebræi desiderantibus, & Judæorum recentiorum commentatoribus, tam ineptum interpretamentum nobis obtrudentibus, merito opponimus. Ad Numer. 24: 9. hæc legimus :ד׳ בי קמצין ב׳ פתחין Vox כארי *quater occurrit in sacris, bis vocali Kamez insignita, & toties vocali Patach.* Quam observationem veram esse deprehendimus. Cum Patach legitur Num. l. cit. & Ezech. 22: 25. Cum Kamez, Psal. 22: 17. & Esai. 38: 13. Quæ duo postrema loca in codice MSS. Bibliothecæ Salanæ Es. 38: 13. adducuntur. In illo enim hæc Masorethica nota legitur: כארי ב׳ קמ׳ וסימניהון שויתי עד בקר כארי כן ישבר כל עצמותי כי סבבוני כלבים עדת מרעים הקיפוני: optandum est, alteram quoque partem, quæ *Legem & Hagiographa* complectitur, non deesse. Est enim exemplar antiquum in magno folio & Pergameno descriptum, ubi Ebraico textui Chaldaica Paraphrasis subjicitur, cujusmodi se exemplar Argentinæ vidisse, Cl. Buxtorfius epistola ad Cl. Hottingerum testatur. Cum igitur, quod dolendum, istius partis non detur copia, id hic diligenter notandum, quod iidem Critici ad Psalm. 22: 17. in codice Basileensi aliisque inculcarunt ב׳ קמצין בתרי לישני שויתי עד בקר: *Duo Kamez habent diversis significationibus.* Nempe hoc Psalmo, & Esai. l. cit. ubi habentur verba: שויתי עד בקר. Ubi sciendum est, Masorethas non voluisse, duas voces simul in gemino significatu esse, ut apud B. D. Glassium, l. 1. Phil. Sacr. pag. 130. Augustinus, Episcopus Nebiensis, & Amandus Polanus docent: sed vocem illam, ita vocali Kamez insignitam, sub duabus significationibus occurrere in codice sacro, neque utrobique unum idemque significare.

§. 2. Quæ Judæorum propria confessio ejusmodi est, ut, ceu proximo superiori seculo R. Elias Germanus, in libro *Massoreth Hammasoreth*, eam ægerrimè tulit, & cur Masorethæ diversam significationem voci כָּאֲרִי bis occurrenti attribuerint, est demiratus, ita recentioribus Judæis oculi doleant, si adversus eosdem urgeas eam rigorosius. Exemplo id illustri comprobare juvat. Annus jam agitur secundus & vigesimus, quod inclutæ Altorphinæ decus, Th. Hackspanius, b. m. cum nonnullis lingg. Orientalium Studiosis Snettæ (quo nomine tribus miliaribus Altorphio distans vicus venit) synagogæ illius Magistrum Ebraicorum librorum lustrandorum causa invisit. Facta ibi mentione Messiæ, ejusdemque pro humano genere passionis & crucifixionis, quam David Psalm. 22. prædixisset, negavit Judæus, quicquam inibi de Messia contineri, aut aliter כארי vertendum, quam, *sicut Leo.* Tum Hackspanius Maso-

Masoretharum annotationem hunc in modum in recutitum retorsit: Si τὸ כארי, quod in Scripturis bis cum Kamez, sub duabus significationibus occurrit, Esaiæ c. 38: 13. fatentibus vestris Doctoribus, idem ac *sicut leo* denotat, fieri nequit, quin aliud quid per τὸ כארי Psal. 22: 17. significetur. Nisi igitur tu aliam ab illa, qua leonem notat, significationem mihi ostenderis, vel falsitatis tuos Criticos insimules, vel herbam porrigas, adeoque nobiscum fatearis oportet, vocem illam perforationem innuere, quam manuum pedumque mentio omnino requirit. Ad quam objectionem, cum nihil suppeteret, quod responderet Rabbi, vir alias doctissimus, ut vel ex ejus frustra MSS. postmodum repetentis epistola Ebraica patet, ne aqua ipsi hæsisse videretur, arrepto codice MSS. *Nizzachon*, argumenta R. Lipmanni inde produxit, probaturus, de nostro Salvatore non posse intelligi Psal. 22. Quorum argumentorum occasione tandem liber ille in Christianorum manus pervenit; quod ipse etiam Hackspanius epistola dedicatoria commemorat.

§. 3. Præter hoc Judaicum testimonium ex Masora parva allatum, aliud ex Masora magna Alphabetica nobis in promptu est, quod veram scriptionem vocis hujus vexatæ nobis suggerit. In litera enim Aleph, R. Jacobum Chaiim codicum emendatissimorum exemplaria aliter se habuisse scribit: במקצת ספרים מדויקים מצאתי כתוב כארו וקרי כארי *in quibusdam libris accuratè correctis inveni scriptum* כארו, *& lectum* כארי. Cum ipse Judæus asseveret, sic in quibusdam libris se legisse, ecquis dubitabit, verum id esse, quod Christiani itidem, se suis oculis usurpasse, ajunt. Capito in Institutionibus suis Ebraicis lib. 1. cap. 13. testatur, *se apud Vangiones olim in membranaceo ac vetustissimo libro margini hanc vocem inscriptam invenisse.* & Joh. Isaacus contra Lindanum, lib. 11. pag. 202. *Idem ego*, inquit, *ipsa veritate & bona conscientia testari possum, quod hujusmodi Psalterium apud avum meum viderim, ubi in textu scriptum erat* כארו, *& in margine lectum* כארי adde Galatinum lib. 1. c. 8. de A. C. V. & lib. VIII. 17. Andrad. defens. Concil. Trid. lib. 4. qui itidem se ejusmodi exemplaria vidisse, asseverant. Consimiliter Gerardum Veltuyckum adducit Genebrardus comm. in h. l. qui ejusmodi librum viderit.

§. 4. Sed ne Judæi excipiant, se Christianis in propria causa testantibus fidem habere non posse, age, tertium testimonium Judaicum ex Masora textuali ad l. Numeror. cit. afferamus, ubi de Psalm. 22: 17. monetur, כארו כתיב *in textu scriptum esse* כארו. fatentur igitur apertè, τὸ כארו, quod hodie in illorum libris neque in textu neque in margine apparet, fuisse olim in textu scriptum. Cum ipsi Judæi toties testimonium perhibeant lectioni, quam nos propugnamus, nullum supererat dubium, eam veram esse & genuinam, maxime, cum & LXX. interpretes multis annis ante Christum natum in suo codice sic legerint, quippe qui ὤρυξαν reddiderunt, quos secuti sunt alii, Syrus, ܒܙܥܘ, Arabs ثقبوا, Æthiops ቀነዉ. Singuli *perforationem* intellexerunt. Etsi vero Aquila ἤσχυναν vertit, eo ipso tamen & ille, quamvis Judæorum partibus, utpote proselytus alias studeret, haud obscurè docuit, se in codice suo verbum pluralis numeri legisse, non nomen aliquod cum præfixo similitudinis, ceu Judæi recentiores legere solent.

§. 5. Sane quo minus pro verbo pl. numeri eam vocem habeamus, neque א medianum, neque finale Jod prohibet. Quod illam attinet, ea non est epenthetica, vel ἀνομάλως inserta, uti complures censent, sed est radicalis & arguit, radicem ejus non esse כרה sed כור, quam in præterito כאר scribendam esse, neminem ignorare sinunt similis formæ verba apud Ebræos. Etsi vero in codice Ebræo illud verbum hodie crebrius haud occurrit, dubium tamen nullum est, si antiqui Ebraismi plura monumenta extarent, æque inibi τὸ כור, ac verbum כרה, repertum iri. Fidem huic rei facit lingua Arabica, quæ voces Ebraicas semel duntaxat occurrentes sæpenumero illustrat. In illa enim, quod bene monuit doctissimus Pocockius, non tantum usitata est radix كرى quæ Ebræorum radici כרה respondet, sed & verbum كار, quod Ebræorum כור vel כאר refert, & *fodiendi* significationem habet. Ut enim ex Alfiruzabadio constat, الكور est *effossio terræ.*

§. 6. Si vero cuipiam id durum videatur, quod verbo quiescenti Ain, præteriti temporis, א sit insertum, is R. Davidem Kimchium audiat in Michlol, f. m. 35. כשנאמר קם בש האלף נחת ביניהם והיא עין הפעל וער נעמן וקאם שאון הנה במלרת וקאם אותיות השרש שלשתן ועין הפעל נחה כמנהגה והקוף קמץ וכן המשפט בקמה וקמו: *Cum dicimus* קם *reddit Aleph quiescens inter illas literas, & illa est verbi media radicalis. Cujus rei certissimum signum est* וקאם שאון (Hos. 14: 16.) *Ecce enim in verbo* וקאם *literæ radicales sunt tres & media radicalis quiescit more suo & Kuph habet Kamez, & sic idem fit in* קמה *&* קמו. Atque illud Aleph in aliis quoque occurrit exemplis, ceu patet ex voce שאטים Ezech. 28: 24. ראמות Prov. 24: 7. שאטות Ezech. 16: 57. ut adeo Cl. Schickardus haud immerito monuerit in Horologio, *præteritis quiescentium rectius assignari medium Aleph, quam Vau.* Quod & suo suffragio probat Tanchum, qui sic scribit: אן חק כל קם וסאיר באבה אן יכתב באלף מתל הדא לאנהא כלהא פיהא סואכן לינה ואנמא תרך דרך אסת כפאפא ואתכבאלא עלי דלילה אלחרכאה: קם τὸ *& reliqua ejusdem ordinis verba scribenda sunt per* א, *ut h. l. quia in omnibus sunt literæ quiescentes tenues, quod tamen omittitur facilioris pronuntiationis gratia, & quod indicio vocalium innitantur.*

§. 7. Neque quo minus pro verbo pl. numeri τὸ כארי habeamus, litera finalis Jod hic magis obstat, quam alias, cum vitioso scribarum ductu, qui ob similitudinem utriusque literæ inter scribendum facilè contingere potuit, pro Vau in fine Jod est scriptum, cujus exempla plura collegit Avenarius, lib. 3. pag. 585. Grammat. Ebraicæ, ubi nihilominus Judæi non aliter, vocem accipiunt ac legunt, quam si Vau fit positum, ceu ex Esr. 10. vs. ult. patet. Ibi enim licet in textu sit scriptum נָשְׂאֵי, Masorethæ tamen annotant, נשאו ק, hoc est, legendum esse, נָשְׂאוּ Quin in Michlal Jophi prorsus etiam ita scribitur cum Vau. Quid ni igitur & hic, ubi, non nisi scribæ lapsu, breviori linea Jod pro Vau scripto, codicum discrepantia enata, & pro כארו in quibusdam codicibus vox כארי substituta est, similiter vocem pro כארי tertia persona, accipiamus? Maxime cum ipsi Judæi hujus lectionis, ceu genuinæ & antiquæ, reliquerint testimonia, & ut eam quasi postliminio restituerent, Christianis, notis suis Masorethicis præbuerint occasionem.

§. 8. Factum sane haud temere est, ut in editione illa insigni & celebri Complutensi, anno superioris seculi XV. Cardinalis Ximenii sumtibus procurata, τὸ כתיב quod olim in textu, aliquamdiu in margine exhibebatur, ipsi textui iterum insereretur. Quod idem in sequentibus editionibus Venetis contigisset, nisi hinc Judæorum invidia & pertinacia, illinc Christianorum pusillanimitas & præposterus metus obstitisset, ceu Cl. Amama refert, Antibarb. Biblici pag. 461. *Ex quo*, inquit ille, *superiori seculo literas Ebraicas, ringentibus Judæis, didicere Christiani, incrementa sumsit pertinacia, adeo quidem, ut nihil Christianis gratificari voluerint. Æmulatio magna orta est inter typographos nec non correctores Judæos & Christianos. Atque in hoc certamine præpotuere Judæi. Namque Christianorum animos metus damni fregit. Ausus enim fuit Judæus quidam, corrector editionis cujusdam Venetæ, denuntiare Bombergo, cum is locum hunc ad fidem correctissimorum codicum, quos R. Jacob Ben Chaiim notat, restituere vellet, se procuraturum apud suos, ne ullum exemplar istius editionis emeretur. Id quod ex Cl. Drusio sæpe me audire memini. Quam pauca vero Bibliorum Ebraicorum exemplaria etiamnum inter Christianos divendantur, Bibliopolæ optimè testabantur. Atque ita hujus qualiscunque defectus, quem in hodiernis codicibus agnoscimus originem, librariorum descriptorum incuriæ; conservationem vero ejusdem, partim Judæorum pertinaciæ & ambitioni, partim nostrorum typographorum pusillanimitati & Christianorum socordiæ adscripserim.*

§. 9. Quin ne in nitidissimo quidem Opere Anglicano τὸ כארי remotum est. *In nostra editione*, inquit Cl. Waltonus, Apparat. Prolegom. VII. de Textuum Originar. auctoritate & integritate, *secundum Biblia Interlinearia, quæ secuti sumus, est* כארי, *at notavimus cum Circello, qui ad Keri refert, quod inter varias lectiones Ebraicas in Tomo nostro ultimo cum* כארו *exprimitur.* Potuisset autem id fieri optimo jure, ut in textum כארו referret, nisi Biblia interlinearia sequi voluisset. Quod enim Cl. Morus, Exercit. Genevens. p. 93. ait: *Si quis præ studio viis omnibus confirmandi nostram fidem* כארו *retinere voluerit, non habebit nos nimium dissentientes, modo non jubeat hanc lectionem in textum transire. Non enim ea est vel R. Chaiim, vel Joannis Isaaci, vel Gerhardi Veltuyckii autoritas, ut iis assensum accommodare ilico debeamus. Non alii autem, quam hi tres referunt, se legisse ita scriptum, in quibusdam duntaxat exemplaribus & forsan recentioribus*, in eo, quod pace ipsius dictum velim, fallitur. Præter tres illos, quos commemorat, alios idem testari, se vidisse supra §. 3. vidimus. Consimiliter illam lectionem contextus, & Masora diversis locis probat, Hieronymus, aliique Patres, LXX. Syrus, Arabs & Æthiops agnoverunt, ut adeo lectionem כארו antiquam & genuinam, alteram autem כארי recentiorem, & ex sola

ex sola confusione ג ׳ cum ו ex similitudine literarum ortam esse, ne dubitandum quidem sit amplius.

§. 10. Quin ex aliis Judæorum monumentis idem demonstrari posse, mirum, nondum deprehendisse viros in libris Judaicis versatissimos. Ex collatione enim utriusque libri Midrasch Tillim, & Jalkut id observavimus, Judæos agnovisse pro lectione genuina τὸ כארו. In Midrasch Tillim fol. 21. col. 2. edit. Venetæ, hæc legimus: כארי ידי ורגלי רבי יהודה אומר שעשו לה כשפים כארי ידי ורגלי לפני אחשורוש: mutila verba esse adducta, nemo facile ex contextus serie collegerit. In Jalkut tamen, edit. Cracoviensis, part. 2. fol. 97. col. 4. imprudentes, quod occulere solent, produnt, veluti ex seq. apparet: כארי ידי ורגלי ר׳ יהודה אומר עשו לי כשפים הוכרו ידי ורגלי לפני אחשורוש ר׳ נחמיה אומר הווכרו ידי ורגלי לפני אחשורוש: Nihil jam de illo dicemus, quam ridicule verba Estheræ adsignent, de qua Psalmum ineptè explicant, refragante vs. 7. 9. & 25. qui non admittunt, ut de fœmella exponatur. Illud jam saltim quærimus, nisi hic Judæi legissent כארו vel כרו in textu, eccur illi loco vocis כארי, verbum tertiæ personæ Conjug. Hophal, הוכרו bis adhibuerint? Nemo hic diffiteri potest, manifestum & non contemnendum pristinæ, ejusque genuinæ scriptionis & lectionis argumentum ipsos Judæos nobis suggerere, quam studiose licet & certo consilio dissimulet, hic tamen ut sorex se prodidit incredula & pertinax Judæorum natio.

§. 11. Dixi studiose & certo consilio eos lectionem כארו dissimulare. R. David Kimchi quidem præfat. in Josuam fidem suam his verbis obstrinxit: אכתוב טעם כתוב ולא קרי וקרי ולא כתוב כאשר אוכל לתת טעם לשניהם כל אחד ואחד במקומו: *Tradam rationes scripti quod non legitur, & lecti, quod non scribitur, quantum quidem potero dare rationes utriusque, singula suis locis*: sed ut compluribus locis rationem dederit variarum lectionum egregiam & omnes minutias Grammaticas accurate excusserit, hic tamen Kimchi juxta & AbenEsra animadvertentes crucem Romanam, cui nos Messiam secundum hoc oraculum affixum esse docemus, propriis notis & ὑσιώδεσι, describi, solo Keri textui inserto, alteram lectionem quam כתיב vocant, & Christianis favere vident, prorsus omiserunt: Christianis tamen propterea, quasi mendoso codice sint usi, vel contra exemplarium probatissimorum consensum ita legerint, quidquam exprobrare minime ausi sunt, quod utique facturi fuissent, nisi conscientia essent convicti, & ipsa Masora, ab illorum parte stare emendatissimos codices. R. David Kimchi ad Psalm. 110. quod Vulgatum secuti pro עַמְּךָ *populum tuum*, mutatis punctis עִמְּךָ *tecum*, legant, indignabundus hunc in modum eos taxat: איך יוכלו לחזק טעות איש אחד כנגד רבים כי ממזרח שמש ועד מבואו ימצא הספרים עמך בפתח העין: *Quomodo possunt unius viri errori adversus multos insistere? Nam ab ortu solis ad occasum ejus usque, in omnibus exemplaribus legitur Ain dictionis* עמך *cum Patach?* At hoc loco de exemplarium consensu, quæ ubique terrarum nonnisi כארי exhibeant, nihil prorsus meminit, quod sane facturus fuisset, nisi alteram quoque lectionem in pluribus exemplaribus contineri, eamque textui consentaneam esse scivisset.

§. 12. In comm. enim ad l. cit. Christianorum Interpretamentum reprehendens hunc in modum scribit: מלת כארי ידי ורגלי אמרו כרו מלשון כי יכרה האיש בור שתקעו המסמרות בידיו ורגליו כשתלו אותו והטעה אותם הפסוק ונפשו לא חיה: *Dictionem* כארי *ita explicant, ut fossionem denotat, ceu* (Exod. 21: 33.) *dicitur: cum foderit vir puteum, eo quod clavis manus & pedes ejus transfixerunt, cum ipsum suspenderunt. Sed in errorem eos induxit versus* (Psalm. 22: 30.) *& animam suam non vivificavit.* Sed hoc falsum est. etsi enim cum B. Luthero, comm. in Psalm. verba illa, contra quam in Versione Germanica eidem placuit, ubi vertit, die so kümmerlich leben/ de Messia seipsum in mortem tradente quidam acceperint, id quod Esaias cap. 53: 12. reddidit: הֶעֱרָה לַמָּוֶת נַפְשׁוֹ, alii vero de homine vulgari, qui animam suam in vita non conservaverit, intelligant, ut post alios D. Hoornbeckius lib. 6. c. 1. contra Judæos verba explicat, non tamen ideo vocem Ebraicam *perforationem* significare dicunt Christiani, sed quia illius propria & genuina est significatio, quam h. l. textus poscit, & antiquissimæ Versiones agnoverunt.

§. 13. Cum igitur Kimchio nihil aliud suppetat, quo lectionis כארו veritatem impugnet, patet, eum aliosque recutitos nihil potuisse excogitare, quo modo Christianos falso id de Messia crucifixo intelligere, probarent. Nonnemo Judæorum apud Munsterum, complementum horum verborum ita impugnat: דבר זה לא היה בישראל לתחוב המסמרות ברגלי וידי אדם הנסקלין והנתלין כי נמסרו ארבע מיתות לבית דין סקילה שריפה הרג וחונק הרג בסייף וסקילה זו חמורה משריפה ושריפה חמורה מסייף וסייף מחונק ואין נמצא שאדם צווה לתחוב במסמרות בצליפה כי אם לתלות המגדף והעובד ע״ז שנ׳ קללת אלהים תלוי ואומרים חכמים שהאיש נתלה ואין האשה ומצות הנתלין אחר שסוקלין אותו משקעין את הקורה בארץ והארץ יוצא ממנו ומקיף שתי ידיו זו על זו ותולין אותו כמון לשקיעת החמה ומתירין אותו מיד והעץ שנתלה עליו נקבר עמו: *Non erat more apud Israëlitas receptum, ut clavi figerentur in lapidatorum & suspensorum manibus & pedibus. Nam tradita sunt quatuor genera mortis Synedrio, lapidatio, combustio, occisio & strangulatio. Occisio fit gladio & est lapidatio gravior combustione, & combustio gravior gladio & gladius durior strangulatione. Non autem invenitur, quod homo clavis figi debeat ad crucem; sed suspendendus est blasphemus & idololatra, quia dictum est* (Deuter. 21: 23.) *maledictio Dei suspensus. Et dicunt Sapientes, masculum non fœminam suspendi. Et suspenduntur in hunc modum: Postquam lapidarunt eum, demittunt stipitem in terram, è quo protenditur lignum, & conjunctis duabus manibus suspendunt eum versus occasum solis, & solvunt eum paulo post, & lignum in quo suspensus fuit, sepelitur cum eo.* Sed hæc scribenti Judæo in mentem haud venisse videntur ea, quæ majores ipsius in Talmud, Massechet Sanhedrin, fol. 41. 1. Maimonid. Hilkot Sanhedrin cap. 14. num. 13. & alibi prodiderunt? מ׳ שנה קודם החורבן בטלו דיני נפשות: *quadraginta annis ante, quam* (Hierosolyma) *vastaretur, judicia criminalia sunt ablata*; quæ plane conveniunt cum confessione illorum, Joh. 18: 31. ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα. Qua utique apertè testantur, aliquot ante excidium annis se potestatis, supplicio supremo afficiendi reum, fecisse jacturam.

§. 14. Cum itaque id temporis, quo Christum passum esse, diffiteri nequeunt, potestatem capitalium suppliciorum sibi ablatam ipsimet fateantur, non est, cur mirentur, quomodo supplicio non Judaico, sed Romano, crucis nempe, cui propria, imo ἰδιαίτατα sunt clavi in manus pedesque defixi, eum affectum esse dicamus. Admirandam potius Dei dispensationem hic agnoscere illorum esset, quippe qua factum, ut illis tum essent subjecti, quibus ejusmodi esset supplicium receptum, quale Messiam affectum iri, Vates divinus pridem prædixerat, & ipse Dominus ante satis quoque suis discipulis inculcaverat. Matth. 20: 19. Neque hic fidem Euangelistarum in dubium vocare eis licet, quasi Judæis id supplicii attribuerint. Etsi enim Lucas cap. 24: 20. dicit: παρέδωκαν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ἄρχοντες εἰς τὸ κρίμα καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν, non id tamen ita intelligendum est, quasi judicis more sententiam ipsi pronuntiarint, jurisdictionem exercuerint, & ipsum affigi mandaverint, sed quod effecerint, ut crucifigerentur, dum nempe ᾐτήσαντο ἀναιρεθῆναι αὐτὸν, Act. cap. 13: 28. verbo igitur ἐσταύρωσαν ita hellenisticè ibi usus id Lucas expressit, quod Ebræi efferunt in Hiphil. Unde haud inviti Judæo largimur, pœnam crucis Domino nostro, ut seditionis autori falso accusato fuisse irrogatam non à Judæis, sed à Pilato, id quod non modo locus tribunalis docet, in quem Pilatus processit, Joh. 19: 13. sed & ministri, per quos supplicium est exactum, milites nempe Romani, ipsa pœna Romani juris propria, (quam seditionis crimini leges Romanas statuisse, Paulus, V. Sentent. tit. XXII. notat, pro qua nunc furcam in Pandectis legi, crucis usu in suppliciis per Constantinum sublato, Grotius ad Matth. 27: 26. monuit) titulus crucis à Pilato dictatus, & ab ipso postulatum defuncti corpus. Quin Ethnici quoque scriptores hoc itidem testantur, ut ex Tacito apparet, *auctor*, inquiente, *nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.*

§. 15. Atque ita voci Ebrææ vera & genuina sua significatio est vindicata, quam analogia fidei, antiquorum commentaria & versiones, codicum Ebræorum collationes, antecedentium & consequentium consideratio, ipseque adeo eventus optimus interpretandi magister, efficacissime probarunt. Eam licet negent Judæi recentiores omnibus modis obfuscare & detorquere annitantur, ut tamen majores illorum literas י & ו (quæ ex Ebrææ linguæ genio, proclivi tum scribarum, tum Interpretum, ob similitudinem illarum, errore confundi queunt) certo consilio permutasse dicamus, nondum possumus adduci. Ecquomodo enim illos in tot regiones dispersos in codicum omnium Ebræorum corruptionem conspirasse, dixerimus? Num, si ejusmodi quid intendissent Judæi, ipsos consensuros fuisse arbitrabimur, ut Masoretharum annotationibus id insereretur, quod cum ipsorum instituto apertè pugnat, & Christianis arma adversus Judæos suppeditat? num Chaldæi interpretis versionem, quæ & ipsa *fossionis* meminit, tamdiu toleraturos quispiam dixerit? Num in aliis vaticiniis non idem ausi fuissent, quæ Messiam, ipsiusque officium, descri-

describunt? Sane etsi hoc inter Pontificios nonnulli studio Latinam versionem evehendi affirment, alii tamen ipsis contradicunt. Ex illorum numero prodeat Andradius, cujus, lib. 4. pro Concilio Tridentino, verba hæc sunt: *Qui Ebræa piè & religiose tractant, multo in illis ampliora de Christo testimonia, quam in Latinis & Græcis offendunt.* Et iterum: *Cum nullam ex Ebrais voluminibus invidiam Christo conflare queunt, illustrioraque ex illis, quam ex Latinis propter linguæ præstantiam argumenta ad eorundem coërcendam impietatem petantur, non video sane, qua ratione corrumpi ab illis potuissent. Qua de causa inquit Hieronymus, se pudere contentionis nostrorum, qui Ebraicam arguunt veritatem, Judæi contra se legant, & quid pro se sit, nesciant viri Ecclesiastici.*

§. 16. Itaque minime dubitandum censemus, humana aliqua, eaque *ἀδιαβλήτῳ* infirmitate, ob figuræ literarum Jod & Vau affinitatem, pro כָּאֲרוּ à scriba quopiam כָּאֲרִי esse exaratum. Cum vero litera א itidem non satis attenderetur, ut pro prima potius quam media radicali haberetur, facile fieri potuit, ut exemplaria quædam, nulla ectypi cum archetypo facta collatione, & Jod ita vitiose scripto, multiplicarentur. Quandoquidem vero in aliis codicibus כארו reperiebant, quorum antiquitate & reverentia ducti τὸ כתיב loco suo movere dubitabant, utramque vocem in diversis exemplaribus inventam, exhibendam censuerunt, כארו in textu retento, כארי in margine posito. Illud igitur vocarunt Ketif, hoc Keri. Licet vero temporis progressu, Judæi exemplaria describentes intra textum τὸ Keri receperint, & Ketif aliquamdiu in margine exhibuerint, tandem plane omiserint, Masorethæ tamen, quorum institutum erat, facere סיג לתורה *sepem legi*, hic quoque suam epicrisin circa hanc vocem diversimode scriptam minime supprimentes, aperte testati sunt, כארו scriptum esse. Quo ipso an scriptum cum scripto comparantes, voluerint codicum emendatorum aliam scriptionem & librariorum peccatum indicare, velut Cl. Coccejus auguratur; an vero lectum à scripto, ut alios facere amant, distinguere, hic nobis perinde est. Illud enim sufficit, nequaquam divinam dormitasse providentiam, aut ita vocabulum periisse, ut vera lectio saltem inter variantes lectiones non possit deprehendi, aut non ipsi Judæi, qui *studentibus Christianis codices portant*, veram & genuinam lectionem nobis indicent.

§. 17. Quæ cum ita se habeant, aperte constat, exinde non probaturum Impium Mohammedem, Judæos textum Ebræum studio mutilasse, quod eadem veritate de Judæis affirmat impostor ille, qua, Christianos N. Test. textum corrupisse perhibet. Nempe ideo criminis hujus alios insimulat, ut eo majorem applausum inveniat, se ideo missum, ut omnia restituat. Neque Bellarminus & ipsius hyperaspistes hinc evincent, textum Ebræum purissimi fontis nomen amisisse. Varia enim lectio, quæ ut Kimchi Præfat. ad Jos. fatetur, orta est ex מחלקת הספרים vel *codicum discrepantia*, non pugnat cum puritate, maxime cum vera lectio, tot idoneis testibus, Ebræis juxta & Christianis interpretibus, ad nos delata evidentissime ab altera dignoscatur. Licet igitur Judæi moderni lectionem alteram, eamque rejectaneam adhuc recipiant, inde tamen non sequitur, textum Ebræum esse corruptum, qui sane non uno & altero exemplari Judæorum, sed omnibus, quotquot obtineri possunt cum observationibus Masorethicis æstimari debet. *Num propterea*, (verba sunt Cl. Hottingeri thesaur. Philolog. lib. 1. cap. 2.) *quod olim Marcionitæ scripta N. T. sacra indignè tractarunt, iis alia addiderunt, alia detraxerunt, Ecclesiæ veri codices corrupti erant censendi?* Negat Epiphanius: εἰ καὶ μὴ, inquit, contra Marcionitas pag. 148. ἐᾶς τὰ γεγραμμένα, ὡς εἶχεν ὑπὸ τοῦ σωτῆρος εἰρημένα; ἀλλὰ οὖν γε σώζονται οἱ τόποι ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τῆς ἁγίας ἐκκλησίας. *Etsi tu* (Marcion) *non relinquas Scripturam, quemadmodum pronuntiata est à Servatore, servantur tamen loca ista in Euangelio sanctæ Ecclesiæ.* Et pag. 151. οὐδὲν ἡμᾶς ἀδικήσει τοῦτο, κἄν τε γὰρ αὐτὸ περιεκόψη, οὐκ ἀφ' ἡμῶν ἀπέκοψεν, ἀλλὰ ἑαυτὸν, καὶ τοὺς αὐτοῦ ἐζημίωσεν. ἱκανῶς γὰρ ὁ καὶ αὐτοῦ ἔλεγχός ἐστι διὰ πλειόνων μαρτυριῶν. *Nihil hoc nobis nocet. Etsi enim* (Marcion) *abscidit illud, non abscidit à nobis, sed se suosque damno affecit: satis enim refutatur testimoniorum pluralitate.*

§. 18. Cum igitur ita nulladum sit probata corruptio loci hujus, & ipse Bellarminus lib. 2. de V. D. cap. 11. largiatur, *negari non posse, quin fontes Scripturarum præferendi sint rivulis, quando constat, fontes non esse turbatos*, illud adhuc firmum fixumque manet, Ebræum textum esse authenticum, cui exemplo non minus absurdo, quam novo & inaudito Tridentini aliique Latinam Versionem non modo æquarunt, sed & præposuerunt. Longe aliter de illo judicarunt prisci Doctores Ecclesiæ, ex quibus nunc solum Hieronymum audiemus, qui Epistola ad Suniam & Fretelam sic scribit: *Sicut in N. T. Si quando apud Latinos quæstio exorta est, & inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum: ita in V. T. quando inter Græcos Latinosque varietas est, ad Ebraicam recurrimus veritatem; ne quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis.* Et Epist. 102. ad Marcellam: *Quibus displicet fontis unda purissima, cœnosos bibat rivulos.* Unde patescit, tam abjecte de Ebraico textu ejusque studio id temporis minime sensisse doctissimum & Judæorum informatione identidem usum Hieronymum, uti hodie Pontificii Dd. quorum antesignano Bellarmino lib. 2. de V. D. cap. 10. ad textum *Ebræum recurrere* est idem ac *à Rabbinis hostibus suis mendicare veritatem.* Quod sane nunquam Cardinalem dicturum fuisse arbitramur, nisi hoc modo scenæ serviens Latinæ Versionis prærogativam stabilitam esse, sibi persuasisset.

F I N I S.



JOH.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De unica Messiæ pro reatu se tradentis hostia ad Psalm. XL: 7. seqq.

PARS I.

הקדמה:



EA libri *Psalmorum* præstantia est & dignitas, ea rerum inibi contentarum ubertas & sublimitas, ut totius Canonis V. T. quem Ecclesia olim Judaica possedit, & nobis Christianis in manus tradidit, pars tertia, alias כתובים vel *Hagiographa* dicta, aliquando antonomasticè *Psalmorum* nomine veniat, veluti ad *Luc. c.* 24: 44. haud obscuri nominis doctores observant. Quin tanti quoque Mohammedistæ illum librum faciunt, ut in Alcorano semel, iterum ac tertio ejus facta mentione, ipsius originem non minus, atque legis Mosaicæ, divinam commemorent. Surata enim III. cui titulus: النسا de *mulieribus*, est, Deum loquentem introducunt: وآتينا داود زبورا *& dedimus Davidi Psalmos*, nempe *inspirando*, quomodo impostori illi Mohammedi Deum inspirasse quædam fabulantur. Et alibi quoque, Surata الشعرا de *Poëtis*, ad eundem librum provocat his verbis: انه لفي زبر الاولين *certè hoc scriptum est in Psalmis antiquorum.* Sed licet maximi faciant eum Mohammedistæ, inter Θεοπνεύστους libros ei minime ultimum locum assignent, & usum ejus aliquem admittant, dum Surata II. cui titulus est, العمران, scribunt: وانزل التورية والانجيل من قبل هدى للناس *& misit Testamentum vetus & Evangelium antea in directionem hominum*; tantum tamen abest, ut nucleum deprehendant Psalmorum, ut ad eum ne penetrent quidem, sed, æque ac Judæi, in tam pretioso, & auro contra non caro libro, cæcutiant, & argumentum Psalmorum præcipuum omnino ignorent, ac à scopo abludant. Quanto felicius nucleum illum indagarunt prisci Christiani, quos Græcorum tulit Ecclesia, qui de Psalmis ita loquuntur, ut rem acu tetigisse omnino videantur. Nempe, ut in *Hippolyti Episcopi Romani Præfatione ad Psalmos, in Catena quadam Bibliothec. Florentin.* docetur, inibi continetur ἀνατροπὴ τῆς περὶ θυσιῶν Μωϋσέως νόμου, καὶ εἰσαγωγὴ τῆς καινῆς διαθήκης. Quod uti in genere de libro Psalmorum asseritur, ita negari nequit, vix ullum hymnum Davidicum esse, in quo id evidentius appareat, quam Psalmo 40. in quo, ut sacrificiorum Mosaicorum ἀδυναμία & imbecillitas ostenditur, & cultus Levitici in se spectati dignitas & fructus elevatur; ita ipsum novi fœderis Μεσίτην Messiam loquentem introducit, qui se in S. literis prænominatum, & ad expiationem peccatorum destinatum, ea demum præstiturum pollicetur, quæ tot retro annis sacrificia efficere nequiverunt; nempe ut λύτρον ἰσόῤῥοπον persolvens Deo satisfaciat. Ad quem locum cum Apostolus Ebr. 10: 3. seqq. contra Judæos disputans provocet, & præcipua hujus Psalmi verba Christo accommodet, quæ de Davide verificari nequeunt; ex Ebræo tamen textu, qui versione Græca alias evidentior, nervosior & divinior esse dicitur, eum haud in medium afferat, sed τῶν Oʹ Versione, quæ uti alibi, ita & hoc loco archetypo suo haud ita exacte respondere putatur; ideo operæ precium facturi videmur, si eundem locum aliquanto exactius pensitemus, & in utriusque inter se collati sensum penitius inquiramus.

Verba Ebraica habent ita:

Psalm. XL: 7. 8. 9.

זבח ומנחה לא חפצת אזנים כרית לי עולה וחטאה לא שאלת: אז אמרתי הנה־באתי במגלת־ספר כתוב עלי לעשות־רצונך אלהי חפצתי ותורתך בתוך מעי:

Versio Græca LXX. Interpp.

ΘΥσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι (ὠτία δὲ μοι κατηρτίσω, ὠτία δὲ κατεσκεύασάς μοι, ὠτία δὲ ἔσκαψάς μοι.) Ὁλοκαύτωμα (ὁλοκαυτώματα) καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ ᾔτησας (ἐζήτησας, εὐδόκησας). Τότε εἶπον, Ἰδοὺ ἥκω· ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ, Τοῦ ποιῆσαι τὸ θέλημά σου, ὁ Θεός μου, ἠβουλήθην, καὶ τὸν νόμον σου ἐν μέσῳ τῆς καρδίας (κοιλίας) μου.

Paraphrasis Chaldaica

ex Opere Biblico Anglicano.

נִכְסָא (α) וְדוּרוֹנָא לָא (β) צְבִיתָא אוּדְנִין לְאַצָּתָא (γ) פּוּרְקָנָךְ כְּרִיתָא לִי עֲלָתָא וְקוּרְבַּן חַטָּתָא לָא שְׁאֵלְתָּא: (δ) הֵידֵין (ε) אֲמָרִית הָא עָלֵית לְחַיֵּי עָלְמָא כַּד אֶעֱסוֹק (ζ) בִּמְגִלַּת סִפְרָא דְאוֹרָיְתָא (η) דְּאִכְתִּיב אֲמַטְּלָתִי: לְמֶעְבַּד רְעוּתָךְ אֱלָהַי רְעֵיתִי וְאוֹרָיְתָךְ (θ) כְּלִילָא בִּמְצַע מְעַיָּי:

Opus Hispan. וְדוּרוֹנִיתָא (α) צְבֵיתָא (β) פֻּרְקָנָךְ (γ) הֵידֵין (δ) אֲמָרֵית (ε) בִּמְגִילְּתָא דִסְפַר אוֹרָיְתָא (ζ) דְּאִתְכְּתִיבָא אֲמְטוּלְתִי (η) (θ) omiss.

Immolationem & oblationem noluisti; aures ad auscultandam salutem tuam (Op. Hisp. ad auscultandum præcepta tua) perforasti mihi; holocaustum & oblationem peccati non postulasti. Tunc dixi: Ecce ingrediar ad vitam æternam, quando studuero in volumine libri legis, quod scriptum est propter me. Facere voluntatem tuam, Deus meus, volui, & lex tua in medio viscerum meorum.

Versio Syriaca.

ܕܒܚܐ ܘܩܘܪܒܢܐ ܠܐ ܨܒܝܬ. ܐܕܢܐ ܕܝܢ ܢܩܒܬ
ܠܝ: (ܦܓܪܐ ܕܝܢ ܐܠܒܫܬܢܝ) ܘܡܩܪܒܬܐ ܓܡܝܪܬܐ
ܕܥܠ ܚܛܗܐ ܠܐ ܫܐܠܬ ✣ ܗܝܕܝܢ ܐܡܪܬ ܗܐ
ܐܬܝܬ: (ܗܐ ܐܢܐ ܐܬܐ ܐܢܐ) ܕܒܪܝܫ ܟܬܒܐ ܟܬܝܒ
ܥܠܝ ✣ ܠܡܥܒܕ ܨܒܝܢܟ ܐܠܗܐ ܨܒܝܬ:
ܘܢܡܘܣܟ ܒܓܘ ܡܥܝ ✣

Sacrificia & oblationes noluisti, aures autem perfodisti mihi: (corpore autem induisti me) & holocausta perfecta, quæ pro peccatis, non postulasti. Tunc dixi: ecce veni, (ecce ego veniens ego) quia in principio librorum scriptum est de me. Facere voluntatem tuam, Deus, mihi libuit: & lex tua in præcordiis meis (in medio ventris mei).

Arabica.

لم تشا ذبيحة وقربانا ✣ واعددت لي جسدا ✣ فتحت مسامعي ✣ ومحرقات لاجل الخطية

الخطية لم تسر بها ✻ حينئذ قلت هانذا قد
جيت ✻ مكتوب في راس الكتاب ✻ ان اعمل
بمسرتك يا الله ✻ ناموسك داخل قلبي ✻

Noluisti sacrificium & oblationem: & præparasti mihi corpus: aperuisti aures meas, & holocaustis pro peccatis non es oblectatus. Tunc dixi: ecce me, jam veni; scriptum est in capite libri, ut faciam voluntatem tuam, ô Deus: lex tua intra cor meum.

Æthiopica.

መሥዋዕተ፡ ወቍርባነ፡ ኢፈቀድከ፡
ሥጋከ፡ አንጽሕ፡ ሊተ። መሥዋዕተ፡
ዘበእንተ፡ ኃጢአት፡ ኢሠመርከ፡ ወእቱ፡
ጊዜ፡ እቤ፡ ነየ፡ መጻእኩ። ውስተ፡ ርእሰ፡
መጽሐፍ፡ ተጽሕፈ፡ በእንቲአየ፡ ከመ፡
እንግር፡ ፈቃደከ፡ መከርኩ፡ አምላኪየ፡
ወሕግከኒ፡ በማእከለ፡ ከርሥየ።

Sacrificium & oblationem nolui: corpus tuum purificet mihi. Sacrificio, quod pro peccato, non acquievi. Tunc dixi: ecce venio. In capite libri scriptum est de me: ut annuntiarem voluntatem tuam molitus sum, Deus meus: & lex tua etiam in medio ventris mei.

Latina Vulgata.

Sacrificium & oblationem (α) *noluisti: aures autem perfecisti* (β) *mihi. Holocaustum & pro peccato* (γ) *non postulasti. Tunc dixi: Ecce venio* (δ) *in capite* (ε) *libri scriptum est de me, ut facerem* (ζ) *voluntatem tuam: Deus meus, volui, & legem tuam in medio* (η) *cordis mei.*

(α) *Oblationem Minha* Munst. *Sacrificium & sertum tibi non placet* Castal. *Victimam & sacrificium non amas.* Zwingl. (β) *fodisti* Vatabl. *perfodisti* Munst. Trem. & Fr. Jun. *aurem mihi vellicas*, Zwingl. *aurem mihi vellis, te victimas & piacula non postulare*, Castalio. (γ) *Expiationis hostiam* Zwingl. (δ) *Dixi ergo: En ipse veniam*, Zwingl. *Ergo ita dico: En adsum, mecum scriptum libri volumen ferens*, Castalio. (ε) *in volumine libri*, Vatabl. Ar. Montan. Munst. Pagninus. *in prima pagina libri* Zwingl. (ζ) *mihi tuam, mi Deus, voluntatem exequi placet, tuam legem in imis habenti visceribus*, Castal. *ut faciam, quod tibi placitum est, ô Deus meus, quod & mihi probatur.* Zwingl. (η) *in medio viscerum meorum*, Vatabl. Zwingl. *in visceribus meis.* Trem. & Jun. *in medio ventris mei*, Hieron. & Opus Hispan.

Bohemica.

Obêtj3 Howadek / à Obêti suche / neoblibils: (Obêtj à Daru nechtêl sy) Ale Ussy mi otewrzel. (Têlo sy mi z pusobil) Zápala à Obêtj za Hrzich nezadal sy. (zapalnich Obêtj / anj Obêtj za Hrzich sy neoblibil) Tehdy rzekl sem: Ay gdut' / w Knihach psano gest omnie / (gakoz w Knihach psano gest omnie) abych czinil Wuli twau / Boze mug / Libost mam: nebo zakon twug gest uprostrzed Wnitrznosti mych.

Dalmatica seu Slavonica

ex editione Jana Dalmatskeho Witteberg. excusa.

OFfri, inu shpishni Offri tebi nedopadeo: (inu Daru né si ti hotil) ali Ushessa si ti meni odpèrl (ampak Tellu si ti meni perpravil) Ti nezhesh ni shganiga Offra, ni Offra sagréh (shgani Offri, inu Offri sagréh, tebi nedopadeo). Tedaj sim jest djal: Pole, jest pridem, v'Buquah stoji od mene (nervezh) pissanu. Tvojo volo, moj Bug, jest rad sturim (de imam sturiti, Bug, tvojo Volo) inu imam tvojo Postavo v'moim Serci.

Translatio Germanica

Vetus Noribergensis, Anno 1483. edita.

DU woltest nicht das Opffer und Oblat / aber du hast mir vollmachet die Ohrn / und du hast nicht geheischen das gantz Opffer umb die Sünd; Do sprach ich: Sih / ich kumm / in dem Haubte des Buchs ist geschrieben von mir / mein Gott / daß ich thät deinen Willen / und ich wolt dein ee in Mitt meines Hertzens.

Melior & elegantior B. Lutheri.

OPffer und Speiß-Opffer gefallen dir nicht / aber die Ohren hast du mir auffgethan / Du wilt weder Brand-Opffer noch Sünd-Opffer. Da sprach Ich: Sihe / Ich komm / im Buch ist von mir geschrieben / deinen Willen / mein Gott / thue Ich gerne / und dein Gesetz habe Ich in meinen Hertzen.

CAPUT I.

DE OBJECTO PSALMI.

SUMMARIA.

Interpretum super Objecto Psalmi dissensus. Judæorum, Salvatorem nostrum ab eodem excludentium, varia commenta. Calvini, Marlorati & Felini de Davide, ex ingenti periculo aut morbo liberato, falsa Psalmi explicatio. Buceri ejusdem de quolibet sanctorum incongrua acceptio. Theodoreti & Arnobii præposterum ad allegorias confugium. Plurium sententia, Psalmum sensu literali de Davide, mysticè vero de Christo agere, adducta. Sensus literalis quid? & unde cognoscatur? Ex dicentis scopo, συναφείᾳ textus, & ἀναλογίᾳ Scripturæ, Psalmum Christo literaliter convenire, evincitur. Pontificiorum & Calvinianorum veritate convictorum sententia. Dissentientium exceptiones perpenduntur. Jac. Capelli, Dialogum statuentis, expositio, à Coccejo explosa. Simeonis de Muis, Kimchii vestigia legentis, confutatio. Vocum כתוב עלי *torsiones Judæorum violentæ. AbenEsræ interpretamentum ponderatur. Jonæ Schlichtingii Judaizantis commentum refellitur. Emphasis* עלי *evolvitur. Verbum* באתי *Schlichtingium malè explicasse ostenditur. Psalmi Objectum esse* C H R I S T U M *in sensu literali concluditur.*

§. 1. TAm insignem igitur, & singulari consideratione dignissimum locum explicaturi, primum omnium de *Psalmi Objecto* agendum existimamus, ne ab initio, & in ipso, quod dicitur, limine, aberremus. Licet vero Psalmus ipse sine controversia sit Davidis, in *Objecto* tamen designando variant Interpretes maximopere: de quo, nisi initio conveniat, nutabit omnis textus explicatio, ut bene in *h. l.* observat *Rivetus*.

§. 2. *Judæos* in eo convenire, ut Salvatorem nostrum ex odio ἀσπόνδῳ ab hoc Psalmo excludant, laborioseque, sed vane, aliud quodvis hujus Psalmi Objectum quærere, ut solum *Christum* evitent, infra ex ipsorummet verbis ostensum ibimus. *R. Salomonem* quendam, quem *Cæcum* appellat, de liberatione ex Ægypto interpretari Psalmum, *Jacobus de Valentia* autor est. *Theodoretus* vero refert, nonnullos Psalmum hunc de *Jeremia* Propheta, alios de *Daniele*, explicasse, hac potissimum ductos ratione, quia uterque in lacum & foveam (Jer. 38. Daniel. 6.) fuerit projectus, exinde mirabili modo liberatus, juxta *Psalmi vs.* 3. Alios etiam de Captivis Babylonem inhabitantibus accepisse, testatur idem *Theodoretus in h. l.*

§. 3. Judæos è Christianis proxime sequitur *Calvinus* cum nonnullis asseclis suis, qui, nescio qua fronte, verba Psalmi denegant Ei, cui ipse Spiritus S. per Apostolum in N. T. manifeste

nifeste ea tribuit. Hinc Judæos potius, quam Christi Apostolos illi sequi videntur. *Calvinus* enim totum hunc Psalmum, nulla prorsus facta mentione Salvatoris nostri, de *Davide*, ex ingenti periculo, aut morbo gravissimo liberato, explicat, teste *Exposit. Cathol. ab Henr. Stephano edita.* Calvinum etiam *Marloratus* sequitur, & Prophetam hic de se disserere, quin & in genere de quibusvis electis ea dici posse, pronunciat, *quod in arcano Dei libro non nisi de iisdem scriptum sit, ut Dei compleant voluntatem.* Hæc & *Bucerus* confirmat, asserens, de quolibet sanctorum hæc scripta esse; ad Christum autem applicari, quia, quod de quolibet Sanctorum scriptum est, præcipue Christo, tanquam capiti, competat. His etiam *Grotium* annumerat *D. Calov. in Annot. ad Psal. contra Grotium in h. l.* Ejusdem quoque furfuris est, quod *Aretius Felinus in Explan. hujus Psalmi* habet, Davidem nempe ex ingenti periculo ereptum in toto Psalmo verba de seipso facere: & quanquam in illis, quæ supra à nobis adscripta sunt, verbis, Davidem Christi typum simul gerere negare non ausit, de Davide tamen potius, quam de Christo ea explicare ipsi placet. Hanc communiter *Calviniani* plerique sequi solent sententiam, uti ex recepto inter eos, & quotidiano usu approbato *Psalterio Bezæo-Marotico Goudemelico, Calvinismi pupilla & Sirene*, apparet, quod *Ambr.* **Lobwasser** *JCtus, vir alioquin bonus & Lutheranæ religioni addictus, sed dono discretionis destitutus*, non inique judicante *B. D. Dannhaw. Hodom. Sp. Calv. Phant. VI. §. 25. pag. m.* 1177. è Gallico idiomate in vernaculum nostrum transposuit. Illud enim nucleum, sidusque Christum, sicut in aliis multis, ita & in hoc Psalmo omittit, ut ex inscriptione, seu summario, huic Psalmo præfixo, liquet, quod tale est: **David lobt Gott von wegen der Hülff / die Er ihm gethan / und schleust / daß dieser seelig sey / der auff den HERRN wartet / verkündiget ihm selber Vergebung seiner Sünde / durch den Gehorsam des Messiæ / wie den solches ausgeleget wird im 10. Cap. der Epistel zu den Hebræern. Darnach gelobet er / daß er Gott loben und ihn anruffen wolle in seiner grossen Noth / mit starckem Vertrauen / er werde erhöret werden / auff daß Gott darumb gelobt werde.**

§. 4. Ex *Patribus* etiam nonnullos de hoc Psalmo parum congrue sensisse miramur. *Theodoretus* enim Psalmum hunc se accipere dicit *eleganti figura, in qua, quæ ipsi Davidi acciderunt, referantur in omnem hominum naturam, quæ spem resurgendi à Deo Salvatore nostro accepit*: verba autem Psalmi nostra de Christo quidem, tanquam capite nostro, explicat, sed eo sensu, *ac si ille heic nostra dixerit; verè autem gentibus, quæ salute dignatæ sunt, & ab errore liberatæ, convenire* dicit, *Davidi vero per translationem, quia Spiritu Prophetico hæc præviderit. Arnobius* etiam allegorice Davidem de seipso loqui putat, eumque orare, ut Deus *educat cogitationes ejus è lacu miseriæ & luto libidinis* &c. & sic in plurimis verba Psalmi allegorice de Davide explicat.

§. 5. Communis plurimorum, tam veterum, quam recentiorum, opinio est, Psalmum hunc *sensu literali* de *Davide, mystice* vero *de Christo* intelligendum & explicandum esse. Talem fovit sententiam *Jansenius Episcopus Gandavensis, Heresbachius JCtus, Esrom Rudingerus*, & alii, quos calculo suo comprobat *Estius, Comment. ad Ebr.* 10. ita scribens: *Nobis magis probabile est id, quod Jansenius, & alii docti, sentiunt, Davidem de seipso loqui toto Psalmo, sed ita, ut in Christum respexerit, ejusque in his, quæ scribit, sicut in aliis multis, typum gesserit: ut proinde fateamur, ea, quæ heic ab Apostolo citantur, longe perfectius in Christum competere, quam in Davidem, licet sensus in Davidem literalis sit, in Christum mysticus tantum.* His adstipulatur etiam *Simeon de Muis Doctor Sorbonensis*, qui tale hujus Psalmi format argumentum: *Psalmus hic pendet à superioribus, continetque gratiarum actionem, quam vir sanctus, defunctus gravi morbo, aut alio ingenti periculo, Deo habuit. Sed quoniam David Christi imaginem gerebat, ipsiusque afflictiones & patientiæ exemplar quoddam erant, ac veluti præludium eorum, quæ Christus erat passurus, idcirco D. Paulus in Epist. ad Ebr. cap.* 10. *quædam hujus Psalmi ad Christum transfert.* Nec dissentiunt è Calvinianis *Pellicanus, Pareus, Rivetus*, quorum posterior in *Comment. sup. h. l.* ita suam explicat mentem: *Existimo, eorum sententiam propius ad sensum genuinum accedere, qui censent, Davidis verba per totum quidem Psalmum resonare; sed quia David debuit esse Christi Pater secundum carnem, ideo nonnunquam Filii verba paterno jure sibi vendicare, eaque ita proferre, quasi ad se, propter carnis cognationem, pertinerent.* His adjungendus est *Munsterus*, qui verba: *in volumine libri scriptum est de me*, ita exponit: *in lege Mosaica scriptum est de me, & de quocunque alio homine, ut faciamus voluntatem tuam, Domine. Et hæc verba*, inquit porro, *potissimum competunt Christo, cujus typum David gerit.* Nec *Neo-Photinianis* hæc displicet sententia, nominatim *Enjedino & Schlichtingio*, uti ostendit *D. Calov. in Annot. ad Psal. contr. Grot. l. c.* His omnibus nuper accessisse *Arnoldum in Concil. V. & N. T. ad h. l.* refert *D. Gejerus Comment. in hunc Psalmum.*

§. 6. Ut autem constet, quid in genere his sit respondendum, notandum est (1.) *quid sit sensus literalis?* (2.) *quomodo ille cognosci debeat?*

§. 7. *Sensus literalis* Ebræis vocari solet פְּשׁוּט. Unde *R. Abarbenel Comm. in Leg. fol.* 49. *col.* 3. ait: באו המדרשים אבל בלתי מתישבים על פשוטו של מקרא: *Occurrunt explicationes mysticæ, sed in sensu Scripturæ literali minus fundatæ.* Idem non incongrue מַשְׁמָע *auditus*, audit: est enim *sensus literalis* proprie is, qui *auditis verbis* primum concipitur. Solet autem *sensus literalis* accipi dupliciter: (α) *Stricte*, & est is sensus, qui ex propria verborum significatione, sine ullo Tropo, immediate colligitur; sive: quem ipsa proprietas verborum præ se fert. Talis *sensus literalis*, qui cum τῷ ῥητῷ coincidit, spectatur quidem & in Psalmo nostro, ubi scilicet plura propria, & Figuris ac Tropis non involuta verba, ponuntur; sed ille à nobis heic non attenditur, tum quia in Psalmo non est continuus, sed in multis figurate & tropice propositis apta & concinna quærenda est διάνοια; tum quia hic sensus non opponitur *sensui mystico*, de quo tamen hic potissimus est sermo. (β) *Sensus literalis* accipitur etiam *late*, pro eo, qui proxime à Spiritu S. intenditur in iis, quæ verba immediate significant, sive verba illa sint propria & à tropis libera, sive tropis affecta. Huic opponitur *sensus mysticus*, qui aliò ex intentione Spiritus S. refertur, quam ad id, quod verba immediate significant. *Vid. B. D. Glassius Philolog. S. lib. 2. part. 1. tr. 2. sect. 1. art. 1. p. m.* 259. *seqq.*

§. 8. Talis autem sensus literalis *cognoscitur* (1.) ex *Scopo* dicentis (2.) ex Συναφείᾳ textus (3.) ex Ἀναλογίᾳ Scripturæ.

§. 9. Jam igitur hæc ad nostrum accommodabimus Psalmum, ut tandem certo constet, *quisnam* hic loquatur, & de *quonam* hic *sensu literali* agatur. Quod si ergo *dicentis Scopum* recte pensitaverimus, facile apparebit intentio dicentis, quippe qui disertis verbis testatur, sibi propositum esse, sistere & enarrare τὰ θαυμάσια seu *mirabilia Dei*, & *cogitationes Dei de nobis ineffabiles*, quæ ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν κτιστῆς φύσεως, *Mysterium* scilicet *voluntatis divinæ*, secundum beneplacitum ejus, de quo *Paulus* agit *Eph.* 1: 9. quodque ὁμολογουμένως μέγα appellat 1. Tim. 3: 16. Hunc dicentis Scopum confirmat Συνάφεια textus. *Antecedentia* enim dicti nostri, Mysterii hujus, sive decreti voluntatis divinæ, constitutionem; *Consequentia* vero causam & constitutionis rationem explicant: quibus omnibus ipsa decreti hujus manifestatio & executio clarissimis subjungitur verbis. Accedit apertum *Scripturæ S. testimonium*, Ἀναλογία & explicatio manifestissima: clarissimis enim verbis *Epistola* ad Ebr. cap. 10: 5. testatur, dictum nostrum protulisse ac dixisse *Christum mundum ingressurum.* Patet ergo, verba ac *sensum* hujus Psalmi *literalem* ipsius *Christi* & *de ipso Christo* esse, adeoque non Davidem sub sua persona, sed per os Davidis Christum ipsum Deum Patrem alloqui, & pronunciare, se mundum esse ingressurum: imo in Psalmo induci, quasi recens factum hominem, & de suo munere disserentem. *Conf. B. D. Glass. Gram. S. lib. 3. tr. 3. p.* 573.

§. 10. Fallunt ergo & falluntur maxime, qui *scopum* & intentionem Davidis in hoc Psalmo esse, *agere Deo gratias, pro liberatione ex morbo, aut alio ingenti periculo*, clamitant. Dicunt quidem, sed non probant, assertique sui idoneam nullam adferunt rationem. Ostendendum sane ipsis est, de quonam periculo, aut morbo gravi David agat, quo tempore, & quomodo illa omnia facta & peracta sint, priusquam sensum mysticum accommodent. Sensus enim mysticus applicari non potest, nisi literalis prius clare & aperte, cum omnibus suis circumstantiis, sit cognitus. Quomodo enim ignotus typus ad antitypum commode applicabitur? Deinde non potest Psalmus hic *ad omnes omnino electos & fideles literaliter* extendi; hoc enim modo hic sensus literalis esset sensus mysticus, cum alius literalis Davidi primo & proprie (juxta ipsorummet, qui hoc statuunt, propriam confessionem) competat, adeoque de electis & fidelibus hic ageretur *mysticè*, quatenus scilicet David ipsorum omnium gereret typum. Ast vero mystice hic de Christo agi iidem etiam contendunt, & sic seipsos intricantes, quid statuant, nesciunt.

§. 11. Quid? quod dissentientes plerique, imo (nisi Apostolo contradicere velint audacissime) omnes, causam suam per hoc deserant, quando συνάφειαν textus nobis relinquunt. Concedunt enim, & concedere coguntur, verba à nobis superius proposita, *recte ab Apostolo de Christo allegari, rectiusque Ei, quam Davidi, competere.* Quanquam autem nonnulli & hæc verba de *Davide* literaliter explicare conentur, miserrime tamen sese torquentes nil aliud efficiunt, quam ut manifestam textui se intulisse injuriam, probent; uti quivis facile animadvertit, etiamsi explicationem Apostoli verissimam & clarissimam non attenderit. Quomodo enim David adventum suum opponere potuit sacrificiis & holocaustis? *quomodo sacrificia Deo amplius non placere penitus affirmavit, cum tamen commune cum ceteris sacrificandi mandatum à Deo habuerit, idque præterire nec potuit, nec voluit*, recte annotante *h. l.* ipso *Beza.* De quo etiam paulo post prolixius erit agendum. Ubi, & in quo *libro* de Davide scriptum est, eum scilicet esse *venturum in mundum, voluntatemque Dei* & legem perfectissime *impleturum?* Et licet multi certum librum, in quo de Davide scriptum fuerit, assignare conentur, ridiculos tamen & vanos eos esse, paulo post ostendetur. Imo, cum plurimi eorum, qui hæc de *Davide* literaliter explicant, habeant: *corpus adaptasti mihi*, ostendant etiam, quomodo *corpus Davidi sit adaptatum*; vel minimum, quomodo *aures* singulari & peculiari modo *perfossæ* ipsi fuerint; de quo uberius suo etiam loco disquiremus. Possent etiam hujusmodi alia plura, in hoc Psalmo enucleanda, & apte ac concinne de Davide explicanda, dissentientibus proponi, si ex solis hisce refutandi essent; sed cum clarissima, & omni exceptione major ἀναλογία Scripturæ S. nostram sententiam validissimis roboret argumentis, operæ illi facile supersedebimus.

§. 12. Sed audiamus etiam ipsos ex cordatioribus *Pontificiis* nobiscum sentientes plurimos, qui, veritatis vi coacti, non possunt, quin suos etiam complices accurate refellant. Ex his nominamus *Genebrardum, Bellarminum, Jacobum de Valentia*, qui vetustiores, *Haymonem, Ludolfum Carthusianum, Brunonem, Remigium, Lyram, Hugonem Cardinal.* & alios plures secuti, Psalmum nostrum de Christo per literalem sensum exponunt. Hinc & *Bartholomæus Petri Estium* suum clarissimis corrigit verbis, in *Additiuncula* ad verba ejus superius allegata, dicens: *Videtur multo expeditius, si Psalmum accipiamus tanquam vocem ipsius Christi, literali sensu, ita tamen, ut prima & tertia parte Christus de suo corpore loquatur, & quæ vers. 7--12. complectitur, loquatur ex sua ipsius, tanquam capitis, persona. Quanquam etiam prima & tertia partes de Christo capite recte & commode possint exponi.* *Calvinum* quoque nonnulli saniores corrigunt discipuli. Inter hos eminet doctissimus *Junius Parallel. Sacr. lib. 3. sup. Ebr.* 10. ubi prolixe hanc pertractat materiam, & sensum literalem Christo competere clare ostendit. Accedit & ipse *Piscator Herbornensis in Notis ad h. l.* qui tres hujus Psalmi partes facit: *Primam*, in qua agatur de angustia Christi in monte Oliveti, quomodo in ea constitutus, & ex eadem tandem liberatus sit; in *secunda*, dicit, enumerari beneficia erga humanum genus & Ecclesiam, in Genere, & in Specie; *tertiam* agere, ait, de cruciatibus & pœnis in cruce, quomodo Salvator ex iis sese liberari petat, annexa petitione contra hostes. Ingenue etiam *Beza in Annot. ad verba illa*: οὐκ ἠθέλησας *Ebr.* 10: 5. testatur: *Hoc*, inquiens, *non potest Davidi convenire, quæcunque subterfugia quærantur.* His addi possent alii, si autoritatibus solis esset vincendum. Unicum adhuc audiamus *Rivetum*, qui & ipse facere haud potest, quin tandem fateatur: *Davidem l. c. loqui nomine Filii Dei in mundum venturi, non solum, ut in assumto corpore Patri per sacrificium satisfaceret; sed etiam, ut voluntatem & benignitatem ejusdem annunciaret mundo, tanquam summus Propheta, aliosque non solum exemplo suo, sed etiam jussu & mandato, ad idem officium præstandum impelleret.* Quibus verbis totam hujus Psalmi summam inclusisse omnino videtur. Quod *Socinianos* attinet, illos proprio etiam jugulari gladio, videmus apud *D. Calov. in Annotat. ad Psalm. contr. Grot. super h. l.*

§. 13. Nec est, quod quis objiciat: verba Psalmi nostri, superius proposita, posse quidem *Christo* competere, quia Apostolus eadem de ipso usurpet, ut tamen cetera, antecedentia & consequentia, *Davidi* secundum sensum literalem remaneant; uti alias in Scriptura S. fieri videmus, quod scilicet sermonis objectum in una, eademque, eaque media, oratione, mutetur. Et sane effugio hocce rem totam se expedivisse putant, qui Davidem Psalmi hujus Objectum constituere nituntur. Sed obstat συνάφεια textus; reclamat antecedentium & consequentium accurata consideratio, quæ satis clare demonstrat, omnia in toto hoc Psalmo parili filo & stylo proferri; prædicata in eodem cohærere omnia, ita, ut de quo prædicetur unum, de eodem & cætera enuncientur: nec digressionis, aut mutationis Objecti signum apparet ullum, quod tamen certo fieri solet, quando alias Scripturæ sermo ad novum aliquod Objectum convertitur.

§. 14. *Jacobus* quidem *Capellus Observat. ad Ebr.* 10: 5. Psalten in persona Christi Psalmum pronunciasse largitur; sed *dialogum* quendam ita admittit, ut sex prioribus versibus *hominis fidelis*; sequentibus vero quinque versibus *Filii Dei*; & reliquis, ad finem usque, iterum *fidelis* verba habeantur. Sed merito deseritur, &, suppresso quamvis nomine, solide refellitur, à suæ religionis socio *Joanne Coccejo, Comment. in Psal.* 40. *Ut*, inquiente, *Davidem alia in persona sua, alia in persona Christi, loquentem exaudiamus, minus simplex est. Et non commode id fit, nisi ubi dialogismus & personarum distinctio est. Hic vero nihil tale; &, ut, quod sentio, dicam, connexio inter versum quintum & sextum non videtur satis esse cohærens, sed abruptior saltus, à persona propria ad alienam, Christi, suscipiendam, si non sit continens Christi oratio.* Atque ita cum eodem *Coccejo* extra dubitationem ponimus, annon integer Psalmus de Christo debeat exponi? Nihil sane inibi occurrit, quod Christus de se dixisse non potuerit, vel ab ipso alienum sit. Contra vero quædam ibi ejusmodi sunt, ut in solum *Messiam* quadrent, reliquos homines non item.

§. 15. Omnibus vero illis, qui nobis contradicunt, repugnat contextus, & in eo verba: *in volumine libri de me scriptum est.* Quæ verba peculiare omnino Objectum, & à reliquis, quorum Psalmis antecedentibus facta est mentio, distinctum. Quemadmodum igitur *Apostolus Act.* 2: 29. argumentum ex textu affert, quod *Psalm.* 16. de Davide nequeat intelligi; nempe, quia prædicatum *corruptioni non obnoxium esse*, in Davidem, pridem in cineres redactum, haut quadret; sic facili negotio ex *Psalm.* 40: 7. probari potest, Psalmum hunc in Davide verificari haud potuisse, quod de ipso *in volumine libri scriptum esse* dici nequeat. Quod enim nonnemo etiam ad Genes. 49: 10. respici posse censet, id contortum est, & à veritate alienum, locutionisque hujus emphasi haud consentaneum. Quamvis etiam *Simeonem de Muis* supra, Psalmum à superioribus pendere asserentem, audiverimus; minus tamen congrue eum sensisse, & Judæorum vestigiis præpostere institisse, censemus. Nempe *Kimchius* eum seduxit, qui *Comment. in Psal.* hunc diserte scribit: זה המזמור בענין שני מזמורים הקודמים לו: *Hic Psalmus cum duobus proxime superioribus ejusdem est argumenti.* Consimiliter dum Davidem post liberationem à morbo ita precatum esse contendit, iterum præeuntem *Kimchium* male secutus est, cujus *loc. cit.* hæc sunt verba: ואמר אותו המדוכא אחרי הרפאו יתן תהלה לה' יתברך: *Pronunciavit eum* (Psalmum) *attritus*, (quam bene, si de illo, qui Esai. 53: vs. 4. מדוכא appellatur, intelligeret!) *postquam convaluit, Deum benedictum laudavit.*

§. 16. Longe aliter vero res habet, ceu supra docuimus, &, ut de Davide agi in Psalmo, negemus, cumprimis etiam כתוב עלי דו nos inducit. Ecquomodo enim asseruerit David, *de se in Codice sacro scriptum esse? R. David Kimchi* quidem verba illa ita interpretatur: כמו כתוב עלי ועל אחד מבני עמך: *Sicut scriptum est de me, & unoquoque populi tui.* Quo vero collineet, *R. Salomo Comment. in loc. cit.* suo indicat commento: ביום מתן תורה כענין שני ועתה׳ אם תשמע בקול יהוה: *Illo die, quo Lex data est, quemadmodum dictum est* (Exod. 23: 22.) *si obediveris voci Domini.* Neque abludit ille, qui ab *AbenEsra* memoratur his verbis: אמר רבי מורינוס כידיד ידבר כנגד ישראל וזה רמז לדבר אבותינו בסיני נעשה ונשמע: *Dixit Rabbi Marinus, Davidem hæc dixisse de Israële. Atque hoc Majorum nostrorum verbum indicat in Sinai*, (Exod. 24: 7.) *faciemus & obtemperabimus.*

§. 17. Sed merito ipse *AbenEsra* negat, Davidem totius Israëlis nomine hæc locutum esse, cum in textu nulla, quæ id suadeat, ratio, contineatur. Neque tamen per illud velamentum, quod Judæorum oppansum est oculis, ille ipse verum Objectum deprehendere potuit; sed in Davide etiam solo & unico substitit. Verba ejus hæc sunt: הנכון בעיני אומר זה בעד נפשו כי בעת צרתו נדר נדר וצוה לכותבו שישיר שיר חדש ועתה באתי לשלם הנדר והנכון שהנדר הוא לעשות וזה כל חפצי: *Mihi videtur, hoc eum* (Davidem) *pro seipso dixisse. Tempore enim afflictionis suæ votum vovit, & suo scribæ præcepit, ut novum canticum caneret. Et nunc* (inquit) *ego veni ad persolvendum hoc votum. Et votum hoc persolvendum est, & in hoc omnis mea voluptas consistit.* Quam vero frigidum hoc commen-

commentum est, æque ac *Kimchii* & *Marini*! Manifestam sane vim verbis faciunt, qui sensum male ita detorquent, ne verum Objectum agnoscere cogantur.

§. 18. Neque rectius Judæis sentit *Jonas Schlichtingius*, quamvis Christianus haberi velit. *Comment.* enim in *cap.* 10. *Ebr.* Davidem itidem de seipso loqui contendit, & ad Deut. cap. 17: 16. seqq. ubi quomodo se Rex gerere debeat, docetur, respicere putat: *David*, inquiens, *peculiari ratione primus ab ipsomet Deo institutus fuit populi ipsius Rex, inque ejus posteris regale solium perpetuo mansurum erat: ideo de se illic scriptum dicit; non quod de illo nominatim, & tanquam de Davide, scriptum esset, sed quod de illo scriptum esset, tanquam de Rege.*

§. 19. Ecquomodo vero David *de se in volumine libri scriptum* affirmet hoc, quod aliis, adeoque omnibus omnino Judæorum regibus, agendum erat? Num Scriptura id, quod plurium est, & illis omnibus observandum incumbit, aut cui plures obnoxii sunt, sic uni, & ita appropriat, ut de illo id determinate scriptum esse in Codice S. tale quid asseveret? Et licet *Judæi* nostro affingant loco, qui, ne verum sensum suscipiant, quævis promiscue comminiscuntur, & sic inepte etiam ad promissionem populi olim à Deo factam alludi censeant; *Chaldæus* item *Interpres* verba eum in modum intellexerit: *Schlichtingio* tamen, ne similem erraret errorem, merito usus Scripturæ aliud persuadere debuisset, quæ, cum aliquid peculiare & unius proprium & ἀξιομνημόνευτον opus describere intendit, quod ab uno illo sit præstandum, *particulam* על & περὶ adhibere solet; ut vel ex Matth. 11: 10. discere potuisset, ubi vaticinium Malach. 3: 1. *de Johanne* loqui, & de eodem perscriptum esse, Salvator noster affirmat. At Deut. 17. nullum est vaticinium, neque aliquid, quod peculiariter præ reliquis Regibus Davidi competat, habetur, ut de se εἰδικῶς scriptum esse dixerit. Unde ne *Judæorum* quidem ulli Psalmum ita explicare placuit, quia haud dubie viderunt, hoc loco de legibus illis, quæ peculiariter Regem, ut Regem, respiciebant, & ne intumesceret, vel potestate sua abusus prævaricaretur, datæ erant, sermonem esse non posse. *Photinianus* vero ne admittere cogeretur, Psalmographum ex intentione divina Messiæ meminisse, novam illam & contortam explicationem in medium attulit, nullo negotio explodendam.

§. 20. *Particula* enim על (cui respondere apud Græcos diximus præpositionem περὶ) hoc loco cum suffixo Jod occurrens, & objective accipienda, idem significat, ac *de me*; quam particulæ hujus πολυσήμυ significationem inter alia esse ostendit *B. D. Glassius Phil. Sacr. lib.* 3. *tr.* 6. *can.* 12. *n.* 11. *p. m.* 775. Atque hoc significatu Genes. 41: 15. 1. Reg. 10: 6. Esai. 2: 1. occurrit. Notat vero hic, ut quivis præjudicio non occupatus facile animadvertit, μοναδικῶν aliquem, ubi alii excluduntur à consortio ejusdem prædicati. Nempe *Messias* is est, de quo *Scriptura testari* dicitur Joh. 5: 39. & *omnes Prophetæ*, Act. 10: 43. *Quo* Euangelicam lectionem ex Esai. 61: vs. 1. seqq. de Messia agentem, recitante, illud adimpletum est, Luc. 4: 21. & qui aperte testatus est Joh. 5: 46. περὶ ἐμȣ̃ ἐκεῖνος ἔγραψεν, nempe Moses in Pentateucho, seu libro Legis.

§. 21. Quemadmodum vero *Schlichtingius* voculam עלי male interpretatus est, dum ea Davidem ad Deut. 17. respicere asseveravit, quæ potius ad Prot-Euangelium & promissiones alias insigniores collineat, in quibus nempe de Messia, ejusdemque operibus & beneficiis agitur, e. g. Genes. 3: 15. 12: 2. 22: 49: 10. Deut. 18: 18. &c. ita similiter *Jonas* ille de verbo באתי minus recte sensisse deprehenditur, neque vim ejusdem est assecutus: *Ipsum*, inquiens, *hoc veniendi verbum sensum mysticum indicat. Quorsum enim veniebat David, cum hæc verba sensu literali diceret? Itaque sensu literali significat, præsto sum, paratus sum, accinxi me ad obsequendum tuæ voluntati. Sensu vero mystico & proprio designat Christi in mundum adventum & apparitionem, ut divinam voluntatem assequatur.* Sed hoc iis *Schlichtingius* persuaserit, quibus idiotismus Ebræus haud ita notus est, ut falsum à vero discernere nequeant. Norunt vero sanctæ linguæ periti, *promtitudinem* illam, quam *Schlichtingius* h. l. notari verbo באתי contendit, Ebraice significari voce הנני Genes. 22: 11. Quæ cum h. l. licet absque suffixo, appareat, nihil causæ est, cur nonnisi *promtitudinem* aliquam denotare τῷ באתי dicamus, quod alias ex usu Scripturæ *accessum* significare solet, quem & hic literaliter designat, non mystice. Merito igitur usitata vocis significatione retenta, alterius naturæ, divinæ nempe, προϋπαρξις nobis in mentem venit, ut sic Messias *venisse*, vel *natus* esse dicatur (ita ipse *Apostolus* c. 10. Ebr. *ingressum in mundum* interpretatur) ut *antea fuisse* intelligatur, Joh. 1: vs. 1. 2. 9. 10. 11. 12. Galat. 4: 4. Quod cum *Photinianis* minus placeat, utpote Christum Deum φύσει esse negantibus, *Schlichtingius* sic nudam aliquam accommodationem in textu esse, minime intentionem divinam Autoris θεοπνεύςȣ de Messia literaliter agendi, obtinere conatur. Sed quam irrito conatu hæc moliatur, ex iis, quæ hactenus dicta sunt, sufficienter patet.

§. 22. Nonnulli omnia hujus Psalmi contenta de Christo accipere ex eo verentur, quod vers. 13. עונות *peccatorum gravissimorum* ejusmodi fiat mentio, quam Salvatori nostro, peccatorum omnium experti, tribuere aut accommodare horrendum sit. Querelam enim ibi autor Psalmi instituit maximam, quod *peccata sua se comprehenderint, caputque suum transcendisse visa sint; imo capillorum numerum superaverint.* Hinc *Jacobus Capellus Observ. in Epist. ad Ebræos* eo delabitur, ut τὸ עונותי *pœnas meas* commodissime notare posse dicat, quas nostro loco subierit.

§. 23. Sed non est, quod tantopere reformident, peccatum, vel ex eo resultantem reatum intelligere: facile enim constat, qualia hic Salvator intelligat peccata; ea scilicet, quæ sibi, à peccatis alias purissimo, ratione generis humani, tanquam *sponsori* & *piaculari victimæ*, incubuerunt, quæque ipse sponte sua in se recepit, & pro quibus, tanquam pro suis, ac propriis, ipse pœnas sustinuit. Jure igitur, meritoque conqueri poterat Salvator, omnia & singula, quæ humanum genus unquam commisit, aut commissurum erat, *peccata, se corripuisse, caput suum, capillorumque numerum* multitudine & gravitate *superasse* &c. Erat enim Ipse talis coram justissimo vindice, Deo, hostia, quæ *totius mundi gestabat peccata*, Joh. 1: 29. & *in quam Deus omnium hominum peccata conjecit*, Esai. 53: 4. seqq. *Vid. B. Gesnerus & Tarnovius in Psal. Passional.* Alii etiam verba hæc Davidis non esse, vel ex eo patere dicunt, quod nullam prorsus, commemoratis peccatis gravissimis, subjungat remissionis petitionem, cum eandem, uti alias solicite, ita omnino in hoc loco observasset David, si de suis peccatis, & exinde natis periculis & incommodis maximis, ipse sensu literali fuisset conquestus.

§. 24. Nec *imprecationis*, quæ in hoc occurrit Psalmo, tanta difficultas est & asperitas, ut eam *Salvatori mitissimo* tribuere nefas sit. Nam, uti bene notat *B. D. Glassius de Stylo Prophet. c. II.* sæpissime *futura à Prophetis* (quidni & à Christo?) *pronunciantur forma optandi, imperandi atque imprecandi.* Et quidem quod *imprecationem* attinet, ea in hoc passu non ex privato odio, vel affectu, mala hostibus suis optando, provenit; sed eventura mala, more Prophetico, certo ea prænunciantur: sicut & in ipsis Psalmis hujus rei plura occurrunt exempla, v. g. Psal. 59: 6. seqq. esse *imprecationem Christi in Judam proditorem suam*, patet ex Act. 1: 20. Conf. Psalm. 69. *Non* ergo *malevolentiæ voto ista à Christo dicuntur, sed spiritu prævisa prædicuntur*, notante *Augustino in Psalm.* 78.

§. 25. Certum igitur, immotumque manet, quod à nobis superius est assertum; *Psalmum nempe hunc sensu literali & primo ab ipso Messia, per os Davidis, de seipso fuisse prolatum*: nec alius *Psalmi Scopus*, aut *Objectum*, urgentibus demonstrari potest rationibus. Quos enim συνάφεια *textus* deserit, & quibus ἀναλογία *Scripturæ* contradicit, illi *scopum dicentis* alienum haut facile exsculpere, nec nisi per petitionem ejus, quod (ut vocant) in principio est, probare poterunt ac demonstrare.

CAPUT II.

DE SACRIFICIIS.

SUMMARIA.

Tredecim Sacrificiorum species à R. Bechai recensitæ. De eorundem divisione R. Maimonidis sententia. Discrimen Sacrificiorum חטאת & אשם *juxta R. Abarbenelem. Quid* זבח *in genere notet exponitur. Sacrificium* שלמים *è sacrificiis cruentis haud postremum, quale fuerit? R. Dav. Kimchii & R. Abarbenelis sententia. Variæ Sacrificiorum denominationes & epitheta.* Τὸ זבח *pro* השלמים *poni probatur. Græci cur* θυσίαν σωτηρίȣ *verterint? Quid*

Quid Chaldæi per נכס *&* דבח *intelligant? Aliorum Interpretum opiniones expenduntur. Vocis* מנחה *originatio spuria & genuina. R. Kimchii sententia probata, qui radicem ejus obsoletam censet. Eam Arabibus adhuc usitatam esse ostenditur. Mincha quid? Ejusque præparatio & oblatio. Preces apud Ebræos Minchæ substitutæ, & earum præ omnibus sacrificiis prærogativa. Dignitas τοῦ* עולה. *Ejusdem oblatio. Geminus agnus cum gemino Mincha singulis diebus oblatus.* Christus *per eundem præfiguratus. R. Abarbenelis commentum explosum. Judæorum vanum desiderium restitutionis cultus Levitici. Sacrificia omnia in domo Sanctuarii offerenda fuisse ipse R. Maimonides ex Sacris probat. Sacrificium* חטאת. *Ejusdem ab interpretibus expositio. Ebræorum inter* חטאת *&* אשם *distinctio. R. Abarbenelis sententia & observatio. Τὸ* חטאת *typus sacrificii Christi singularis. R. Bechai & R. Abarbenelis sententia. Cur Deus sacrificia noluisse dicatur? Fons Ebræus cum versione Æthiopica & Græca ponderatur. Sacrificia an à Deo primo instituta sint? Judæi perperam negantes. Quæ sacrificiorum prima intentio? R. Abarbenelis sententia. Pontificiorum, sacrificium Missæ propugnantium, opinio; sacrificia scilicet ab hominibus esse inventa. Socinianorum & Arminianorum, religionem naturalem statuentium, cum Pontificiis circa hanc quæstionem consensus. Cur sacrificia à Deo instituta esse, dicendum sit? Pontificiorum, vi veritatis convictorum, ingenua confessio. Veræ sententiæ probatio & confirmatio. Gentilium sacrificiorum è κακοζηλίᾳ origo. Patriarcharum sacrificia an ex privato arbitrio celebrata? Mandatum primum de sacrificiorum ritu Adamo à Deo datum. Ipsorum Judæorum, sex præcepta Adamum accepisse statuentium, consensus. Quomodo Deus sacrificia nolit, cum ipse eadem instituerit? R. Bechai; it. Simeonis de Muis, Munsteri & Pellicani Judaizantium, opinio. Triplex sensus, quo Deus sacrificia nolle in Scripturis dicatur. Deus sacrificia non vult συγκριτικῶς, ἐλεγχτικῶς & ἀρνητικῶς. Deum hoc loco nolle ἀρνητικῶς dicendum. Sacrificiorum ad adventum Christi usque duratio. Illis cessantibus* Messiam *advenisse infallibilis conclusio.*

§. 1. Postquam ita Psalmi Objectum verum & unicum, *Messiam* scilicet, ex ipsis textus visceribus eruimus, nunc recta ad verborum explicationem progredimur, & sensum verum ac genuinum illorum itidem indagaturi, de *Sacrificiis*, quibus Deum delectari & placari, vel usum illorum exposcere *Messias* negat, primum agemus.

§. 2. Notum autem est ex sacris literis, *Sacrificia* V. T. fuisse admodum multa & varia. Unde *R. Bechai Comment. in Pentateuch. fol. 126. col. 3.* tredecim numerat sacrificiorum species, ita scribens: דע כי כל מיני הקרבנות הם י"ג חמשה מהם באות מהקמח והן מנחת סולת מנחת מרחשת מנחת חלות רקיקין וכלן נקראין קרבן השמונה מהם הם בעלי חיים והם עולה חטאת אשם תודה שלמים בכור מעשר פסח: *Sciendum est, tredecim omnino sacrificiorum species fuisse: Quinque illorum farina (purissima) constabant, e. g. oblatio similæ, oblatio in clibano, vel sartagine, vel craticula cocti, & placenta tenuis; atque hæc omnia nomine Korban veniebant. Octo vero illorum erant animalium, e. g. holocaustum, oblatio pro peccato, oblatio pro delicto, confessionis sacrificium, pacificum, primitiæ, decimæ, Pascha. R. Moses Maimonides* vero *cap. I. Hilkoth* מעשה הקרבנות sic de sacrificiis scribit: כל הקרבנות של מיני נפש חיה באו בחמשה מינין בלבד מן הבקר ומן הכבשים ומן העזים ומן התורים ומן בני היונה וקרבנות בין של צבור בין של יחיד ארבעה מינין עולה וחטאת ואשם ושלמים: *Sacrificiorum, quæ animalibus constant, tantum quinque species sunt: nempe de bove, ovibus, capris, turturibus & pullis columbæ. Sacrificia vero sive publica, sive privata, quadruplicia sunt: holocaustum, sacrificium pro peccato, pro delicto & pacifica.* Et hæc posteriora etiam in nostro conspiciuntur textu. Quamvis enim τὸ אשם expresse ibi non habeatur, & in se distingui possit ab חטאת; quia tamen nullum *peccatum* sine *reatu*, & contra, est, nullum etiam אשם sine חטאת erit, notante *Cl. Varenio, Decad. Bibl. in Levit. cap. V. p. 30. R. Abarbenel* etiam *Comment. in Leviticum fol. 229.* de utriusque discrimine hunc in modum disserit: חטאת ואשם שניהם באים כאחד על חטאת אם לא שחטאת הוא על חטא לרוע שחטא בשגגה והאשם הוא הבא על הספק אם חטא ואם לא חטא ואין עמהם לא נסכים ולא מנחה: Τὸ חטאת *sive sacrificium pro peccato, &* אשם, *pro reatu, instar unius habentur: nisi quod peccatum, vel* חטאת, *pro notorio peccato offeratur, per ignorantiam commisso; sed* אשם *pro dubitatione, an peccaverit, nec ne? Neque his adjungitur libamem vel Mincha.*

§. 3. Primum autem, quod in nostris verbis occurrit, sacrificium, dicitur זֶבַח, quæ vox suos natales radici זבח *mactavit* debet. Sicut autem τὸ *mactare* aliquid generale est, & tam sacris, quam profanis rebus competit; ita & τὸ זֶבַח tam de profana, quam de sacrata mactatione usurpatur. Hinc *R. Elias Germanus in libro Radicum R. Davidis Kimchii* animadversionem hanc non contemnendam exhibet: רוב לשון זביחה אינו בא רק על שחיטת קרבנות לה"ש או ל"עז לבד בשתי מקומות נמצא בתורה על שחיטת חילין ויזבח יעקב ויזבח בלק וכן במלכים בענין ארוניה: Τὸ זבח *plerumque non nisi de sacrificiis, Deo benedicto, vel idolis, oblatis, usurpatum occurrit. Duobus tantum locis in Lege de re minime sacra usurpatur: Et mactavit Jacob* זבח (Gen. 31: 54.) *& mactavit Balak* (Num. cap. 21: 40.) *Atque ita in libro Regum, ubi de Adonia agitur* (1. Reg. 1: 9.)

§. 4. Quamvis autem vox זבח generalis admodum sit, non ita tamen late patet, ut ubique in Scriptura omnia omnino sacrificia, eorumque species, sub suo complexu generico contineat. Nam uti *Rab. Abarbenel, Comment. in Leg. p. 226. col. 2.* notat: יש קרבן שאינו זבח והוא קרבן העוף כי אין בו שחטה והמנחה גם כן שנקראת קרבן ואיני ב"ח שיפול בה שם זבח הנה אם כן הקרבן יותר כולל ממזבח כי הוא לאמר על כל דבר נשחט ונזבח שיתקרב על המזבח ועל העוף ועל המנחה עם היות שלא יפול בה שם זבח: *Est oblatio, quæ non involvit mactationem, nempe oblatio avis. Nulla enim ibi est mactatio. Mincha quoque vocatur Korban, neque tamen illa rei viventis est, in quam cadat mactatio. Ecce, cum res ita habeat, Korban adhuc generalius nomen est, quam Sebach: dicitur enim illud de omni re mactata, & sacrificio altari imposito, etiam de ave & Mincha; licet illi non competat nomen sebach.*

§. 5. Hinc patet τὸ זבח ea tantum respicere sacrificia, quæ *mactatilibus* constabant, quæque *mactando* peragebantur, & dici possunt *cruenta* seu *sanguinea. Vid. D. Gejer. Comment. in Psal.* Hinc *R. Abarbenel Comm. in Leg. p. 226.* ait: הזבח יאמר על ה"בח הנשחט ונקרב ע"ג המזבח כי הזביחה הוא שם השחיטה כמו שאמר וזבחת מבקרך ומצאנך כאשר צויתיך: Τὸ זבח *de animali mactato dicitur, & super altari oblato. Ibi enim mactatio illa jugulatione quadam fit, sicut ait: & mactabis de bove tuo & pecude tua, sicut præcepi tibi* (Deut. 12: 21.)

§. 6. Unde ipsum זבח variis *sacrificiorum mactatilium* nominibus conjungitur. Nam vocatur *Pascha* זבח־פסח Exod. 12: vs. 27. item זבחחג הפסח *sacrificium festi Paschalis* Exod. 34: 25. Inprimis occurrit זבח שלמים *sacrificium eucharisticum* seu *pacificum*, Lev. 3: 1. quod *Syrus* quoque interpres appellare solet ܕܒܚܐ ܕܫܠܡܐ *sacrificium pacis*, & *Arabs* eundem in modum ذبيح سلامة *hostiam pacis* vocat; Græcis θυσία σωτηρίας est, quia pro pace, incolumitate, salute ac beneficiis accipiendis Deo offerebatur, ut *Buxtorf. in Lex. Ebr. min.* explicat; vel quia *retribuebatur* Deo pro beneficiis acceptis, eoque sensu *sacrificium retributionis* appellatum esse dicit *Schindlerus in Lex. Pentagl. in rad.* שלם *retribuit.* Vocatur etiam alias *sacrificium sanctitatis*, seu *integritatis*, uti *Chaldæus* vertit, נכסת־קודשיא, eo, quod solis sanctis, seu mundis, id offerre, de eoque participare & comedere liceret. Cujusmodi autem id sacrificium fuerit ex *R. Davidis Kimchii* verbis constat, quæ in *Libro Radic.* ita habent: זבח השלמים הדם ואמורים למזבח וחזה ושוק לכהנים ושאר הבשר והעור לבעלים: *In sacrificio, quod* שלמים *appellatur, sanguis & partes oblationis altari cedebant, pectus & armus sacerdotibus. Reliquam vero carnem cum cute ipsi offerentes accipiebant.* Et subdit: זה הזבח שלם ביניהם כן מפורש בספרא: *Hoc sacrificium pacem inter eos denotabat, uti in libro Siphra explicatur.* Nempe sive תודה *confessio* esset, aut נדר *votum*, sive נדבה *voluntaria donatio*,

natio, ſubinde offerentes de ſacrificiis communicarunt, & ita *pacis* ſignum inter Deum & ipſos erat. *R. Abarbenel f.* 229. *col.* 1. de eadem ſacrificiorum ſpecie hunc in modum ſcribit: מי יתן ידעתי שלמים למה היה חלק מהם נשרף על גבי המזבח וחלק מהם נאכל לכהנים והשאר כלו נאכל לבעלים ואמנם בחטאת ובאשם לא היה דבר מהם נאכל לבעלים אלא קצה נשרף על המזבח וקצתם נאכל לכהנים אבל העולה היתה כלה נשרפת ואין לבעלים ולא לכהנים חלק נאכל ממנו כלל: *Scire pervelim, eccur pars pacificorum combuſta fuerit ſuper altari, pars quædam à ſacerdotibus comeſa, reſiduum vero totum ab offerentibus abſumtum: ſed in ſacrificio pro peccato & delicto nihil quicquam offerentibus ceſſerit, ſed una pars combuſta, altera à ſacerdotibus comeſa fuerit: Holocauſtum vero totum combuſtum fuerit, adeoque nec ſacerdotibus, nec offerentibus quicquam de illo ceſſerit?* Atque his ſubdit: החלופים האלה א״א שלא תהיה להם סבה הכרחית וקיימת: *Neceſſariam & ſolidam cauſam hujus permutationis ego nullam fuiſſe arbitror.* Sed licet nos rationem reddere certam nequeamus, haud dubie tamen Deo hujus facti ſui conſtabat ratio.

§. 7. Celebre etiam eſt זבח התודה *ſacrificium confeſſionis & laudis*; quod ſicut cum שלמים quoad rem idem fuit, ita ſæpiſſime etiam זבח התודה שלמים vocatur, Levitic. 7: 13. 15. Erat etiam זבח הימים *ſacrificium dierum*, quod certis diebus & certo anni tempore inſtituebatur: cui affine erat זבח משפחה, quod à tota *familia* aliqua certo celebrabatur tempore, uti videre eſt ex 1. Samuel. 20: 6. 29. Vocabantur etiam ſacrificia זבי תרועה *ſacrificia clangoris*, Pſal. 27: 6. hoc eſt, ut *Kimchi* explicat, זבחים עם תרועה ושבח והודאה: *Sacrificia, quæ additam habebant ſonoram Dei celebrationem*; muſicam ſcilicet tam vocalem, quam inſtrumentalem, tubas, cymbala, maximumque cordis gaudium & oris jubila. De quibus Apoſtolus loquitur Ebr. 13. His reſpondebat זבח גדול *ſacrificium magnum*, ſolenne & magnificum, quale *Philiſtæi* de *Simſone* triumphantes celebrarunt, Judic. 16: 23. & quale *Jehu* Baalitis promittebat 1 Reg. 10: 19. conf. Ezech. 39: 17. Notum etiam eſt ſacrificiorum nomen, quo זבחי צדק *ſacrificia juſtitiæ* inſigniuntur; nempe Pſal. 50: 5. חסידי יהוה quæ ſcilicet juſto, ac legi Dei conformi modo offerebantur, puta ex fide, qua ſola juſta, Deoque accepta erant. *Vid. D. Gejer. in Pſalm.* 6: 6. & *Kimchium*, qui ſacrificia juſtitiæ appellat illa, *quæ cum vera pœnitentia conſiſtebant*, & *opponuntur* לזבחי רשעים *ſacrificiis impiorum*, ubi animus malus eſt, & quævis peccata nihilominus patrant, licet ſpeciem ſanctitatis habeant. *Conf. R. Bechai fol.* 228. *col.* 3. *comm. in Legem.*

§. 8. Quemadmodum vero ſacrificia illa, quibus τὸ זבח conjunctum vidimus, plerumque erant השלמים *pacifica*, adeo ut ipſum זבח loco illorum nonnunquam poſitum eſſe videatur; ita in hoc *Pſalmo* noſtro idem זבח pro illa *pacificorum* ſpecie poſitum eſſe contextus ſatis comprobat. Ab aliis enim ſacrificiis duobus עלה *holocauſto*, & חטאה *ſacrificio pro peccato*, quaſi diſtinctum recenſetur, adeoque *certa ſpecies*, nempe ſacrificium שלמים ſeu *pacificationis* hic innuitur; quippe quod alias cum addito זבח שלמים appellari paulo ante vidimus.

§. 9. Et hanc ſententiam noſtram *Græci LXX. interpretes* quoque innuiſſe videntur, quando in verſione ſua θυσίαν σωτηρίας poſuerunt, digitumque hac ratione ad ſacrificium εὐχαριστικόν, quod pro pace, incolumitate atque beneficiis offerebatur, & illud ipſum שמלים erat, intenderunt. Conf. 1. Sam. cap. 11: 15. ubi Iſraelitæ percuſſis Ammonitis זבחים שלמים obtuliſſe leguntur. Nec abnuunt *Chaldæi* interpretes, de quibus *R. Elias Germanus ad locum ſuperius cit.* ait: ומתורגמין ונכס ושאר מתורגמין בלשון דביחה זולת מעטים מתורגמין לשון נכס אבל רוב לשון שחיטה מתורגי לשון נכס: *Interpretes Chaldæi habent* נכס: *Reliqui vero utuntur verbo* דבח; *exceptis paucis, qui* נכס *adhibent. Plerique tamen* τὸ שחט *per* נכס *transferre ſolent.* Sive enim נכס ſive דבח attendas, utrumque reſpondebit verbo זבח: illud quidem ratione ſignificationis, qua generaliter *mactare, jugulare, ſacrificare* denotat; hoc vero præterea etiam ipſa origine. Sicut ergo τὸ זבח tanquam genus pro certa ſpecie poni ſupra oſtendimus; ita nec Chaldæorum interpretatio huic aſſerto refragabitur. *Syrus* retinet radicem ܕܒܚ à qua ܕܒܚܬܐ *victimam, ſacrificium* format; quem & *Arabs* ſequitur, quia ipſi etiam radix ذبح quæ originem ſuam τῷ זבח debet, in frequenti eſt uſu. *Slavonus* autem videtur ſuum *Offri* deſumſiſſe ex *Germanico* Opffer/ cui & literarum & ſignificationis ſimilitudine reſpondet, adeoque cum eodem, tanquam genus aliquod omnibus ſacrificiorum ſpeciebus commune, hoc loco pro certa ſpecie poni, non repugnat. Sed *Bohemicus* Paraphraſtes naturam τῷ זבח proximius inſpexiſſe videtur: ſicut enim ſupra diximus τὸ זבח proprie adhiberi de *mactatilibus* ſacrificiis, quæ *cruenta* quoque, ſive *ſanguinea* appellare liceat; ita ille τὸ זבח eundem in modum [illegible], dicens: Obětj z howadeť/ *ſacrificia de pecudibus*, ſeu *mactatilibus*, quæ ipſa ſunt ſacrificia cruenta, quorum primaria ſpecies erat ſacrificium שלמים dictum. *Æthiops* præterea non male ſolicitus eſt, ut ſacrificium hoc à profanis diſcernat, illudque *ſoli vero Deo competere* oſtendat; ideoque adhibet vocem መሥዋዕት፡ quæ *ſacrificium ſoli vero Deo debitum notat*, vi radicis ſuæ ሦዐ፡ *ſacrificavit ſoli vero Deo. Vid. Nobiliſſ. & Clar. Dn. Ludolfi Lexic. Æthiop.* Aſt vero ſi τὸ שלמים proprie *ſacrificium ſoli vero Deo debitum* fuiſſe dixerimus, haut procul à ſcopo noſtro & veritatis tramite aberrabimus. *Græci*, quos ſecutus eſt *Scriptor divinus* Ebr. 10: 5. θυσίαν ponunt, quæ vox proprie ipſam ſacrificandi actionem & ſolennitatem deſignat, quæ in re divina facienda cernitur, feriaſque ſimul indicat, quæ ſacra comitari & illuſtrare ſolent. *Vid. Lexic. Scap. ad hanc vocem.* Ex quibus omnibus ſatis clare apparet, *varios* etiam Pſalmi noſtri *interpretes* nobis haut adverſari, ſed potius pollicem premere, quando τὸ זבח ſacrificia השלמים denotare diximus.

§. 10. Alterum ſacrificium מנחה appellatur; quod unde derivetur, & quid proprie denotet, interpretes diu, multumque diſceptarunt. *Sebaſtianus Munſterus ad cap.* 2. *Levitic. Alterum*, inquit, *genus ſacrificiorum vocatur apud Ebræos* מנחה, *quaſi oblatio conſolationis, ut Racanati putat; aut quaſi munus placationis, ſecundum autorem Zeror Hammor.* Paulus vero Fagius, *quidam*, inquit, *deducunt à verbo* הנחה, *quod adducere ſignificat & offerre; alii ab* הינה *recreando, ſeu placando.* Similiter *Forſterus Lex. Ebr. pag.* 489. à נחה deducit, & ſic מנחה dictum cenſet, quod *ſenſim & cum pompa quadam portetur, vel ducatur*, Geneſ. 32. At nemo horum autorum rem acu tetigit. *R. Davidi Kimchio* tamen, vocum cenſori haud imperito, tandem ſuboluit, primam literam non eſſe ſervilem, ſed radicalem; quem *Schindlerus, Buxtorfius & Caſtellus* ſunt ſecuti: unde in *libro Radicum* ille ad radicem obſoletam מנח hanc vocem refert, & literam ה non pro radicali, ſed ſervili habet; licet initio aliter ſenſiſſe videatur. Sic enim *loc. cit.* ſcribit: המלה הזאת אומרים כי המם שרש ויתכן לומר כי המם נוספה ושרשו נחה וזה קרוב לענין מנחה מענין נחה כמו שנקראת גם כן ארוחה מענין ארח אבל לא ניכל לברר האמת מפני הקבוץ שלא מצינו במקרא ולמה שנהגו לקרוא במשנה מנחות בשוא תחת המם דומה כי המ״ם שרשית וכן היא הקריאה בפי הכל מנחות אם כן המם שרש כמו שתאמר מן גבעה גבעות כן תאמר מן מנחה מנחות ואם תהיה המ״ם נוספת היה ראוי לוי מנחות בחירק תחת המ״ם כמו מצוה מצות: *Dictionis hujus literam Mem radicalem eſſe perhibent. Dicendum vero eſt, eam addititiam eſſe, ut radix ejus ſit* נחה, *atque hæc ſignificatio affinis eſt voci Mincha, ſignificationem ducendi habenti. Quemadmodum etiam* ארוחה *viaticum, à vocabulo* ארח *iter fecit, deducitur. Sed non poſſumus veritatem declarare, quia in Scriptura pluralem numerum non invenimus. Quandoquidem vero in Miſchna legunt* מְנָחוֹת, *ut Scheva ſub Mem ſit, ideo videtur Mem radicale eſſe, & ſic omnium ore legitur Menachoth. Quæ cum ita ſe habeant, Mem radicale eſt: ut enim dixeris ex* גִּבְעָה, גְּבָעוֹת, *ſic ex* מִנְחָה, מְנָחוֹת. *Si vero Mem ſervile eſſet, cum Hirek fuiſſet legendum ſub Mem, ut dicitur à* מִצְוָה, מִצְוֹת.

§. 11. A poſteriori igitur *R. Kimchi* collegit, literam primam eſſe radicalem, adeoque verbum non imperfectum, ſed perfectum eſſe, cui originem ſuam τὸ מנחה fert acceptam. Quod etſi hodie apud Ebræos haud reperiatur, ſed ejus inuſu dudum linguæ Ebraicæ peritis fuerit ignota: unde etiam Ebræi, quos *Munſterus* laudat, tam diverſimode de originatione ejus ſentiunt, & in alia omnia abeunt; omnino tamen olim eis receptum fuiſſe credibile eſt, & inde ſatis liquido conſtat, quod *Arabibus* etiamnum ſit in uſu. His enim τὸ منح *dedit, donavit*, ſignificat: unde מנחה *donum.* Quæ cum ita ſe habeant, nihil cauſæ eſt, quamobrem ad *Hiphil*, ut quidam recentiores Grammatici volunt, referamus, & formam hanc illius naturam referre contendamus. Sane cum prima litera hic radicalis ſit; nomina vero ex illa conjugatione orianda ab initio aucta ſemper ſint, in aprico eſt, non ex *Hiphil*, ſed prima conjugatione *Kal* illius originem eſſe acceſſendam.

§. 12. Vi igitur ſuæ originis מנחה ſignificat *omne munus vel donum*, uti videre eſt ex Pſal. 72: 10. Confer Genel. 32: vſ. 13. 18. cap. 43: 11. Judic. 3: 15. Ex uſu tamen Scripturæ & Legis ceremonialis crebriori ſignificat *munus dapale*, ſeu *donum ex fructu terræ*, ex farre, oleo, thure & ſale conſtans. Unde *R. Salomo in Levit.* 24: 9. ait: כל דבר הבא מן תבואה בכלל מנחה הוא: *Omne id, quod venit ex proventu frumenti, in gene-*

in genere Mincha est. Et sic sacrificium hoc est incruentum, & à priori distinctum.

§. 13. Quomodo vero illud olim parari consueverit, id ex priscorum Ebræorum monumentis *R. Moses Maimonides, cap.* 13. *Hilk. Hakkorbanoth* fuse ostendit. Sic enim infit: מצות עשה לעשות כל מנחה במצוותה האמורה בתורה וכיצד עשירת הביתי כהן גדול מביא עשרון שלם ומקדישו והוצהו בחצי עשרון שבמקדש שאף על פי שהיא קריבה חציין אינה מתקדשת לחציין ומביא עמה שלשת לוגין שמן שנאמר בשמן העשרה להוסיף לה שמן כנסכי הכבש ובולל הסולת בשמן וחולטה ברותחין ולש מכל חצי עשרון שש חלות נמצאו שנים עשר חלות ואחת אחרת היו נעשות וכיצד עושה מחלק השלשה לוגין ברביעית שבמקדש רביעית לכל חלה ואופה החלה מעט ואחר כך קולה אותה על המחבת בשאר רביעית השמן שלה ואינו מבשלה הרבה שנאמר תופיני בין בשל ונא ואחר כך חולק כל חלה וחלה לשנים באומד כדי שיקריב החצי בבקר והחצי בערב: *Præceptum affirmativum est, ut unumquodque Mincha ita fiat, velut in Lege faciendum præcipitur. Et quomodo id paratur? Pontifex adfert decimam partem Ephæ, & dividit illam dimidio, quod in sanctuario habetur. Etsi enim eam jam dum divisam adferat, tamen non est ad dimidiam partem sanctificata. Adfert etiam secum tres logos olei,* (logus mensura liquidorum apud Ebræos fuit, tantum, quantum sex ovorum testæ, capiens) *quia dictum est: oleo facies illud* (Lev. 2: 7.) *ut oleum ei addas in libaminibus agni. Et oleo similam perfundit, & miscet eam, in cibum eorum. Et depsit de dimidio similæ sex placentas, ut in universum duodecim fiant; & una post alteram conficitur. Ecquomodo vero? Tres logos dividit quarta parte Hin, vase in sanctuario existente; quartam partem unicuique dat placentæ, & paulum eam coquit, & deinde assat super sartagine: in reliquas itidem quartam partem olei mittit. Non autem nimium coquit, quia dictum: cocturæ* (Levit. 6: 21. al. 14.) *ut inter coctum & crudum medium sit. Postea vero unamquamque placentam dividit in duas partes, mensuratione quadam, ut dimidiam partem mane offerat, dimidiam vesperi.* Videatur idem *Maimonides loc. cit.* ubi omnia prolixe ostendit.

§. 14. Offerebatur autem מנחה quotidie, maxime tempore *pomeridiano*, aut *vespertino*, sole jam declinante. Quanquam & *matutino* tempore Mincha oblata legatur 2. Reg. 3: vs. 20. & Numer. 28: 8. ubi etiam מנחת הבקר dicitur; *vespertino* tamen tempore usitatior & frequentior fuit. Hinc duplex constituebatur, *magna & parva*: *magna* erat, quæ incipiebat hora sexta & dimidia (ante primam nostram); parva ab hora nona & dimidia (post horam tertiam nostram) peragebatur. *Vid. Castell. in rad.* מנח. Hinc ipsum *vespertinum tempus* מנחה appellatum fuit, uti ex 1. Reg. 18: 29. patet; imo, pro ratione duplicis oblationis, diversum tempus pomeridianum metiebantur Judæi, precesque suas plerumque iis horis instituebant. Sic tempore *Minchæ magnæ* precatus est Petrus Act. 10: 9. *parvæ*, Petrus & Johannes, Act. 3: 1. & Centurio Actor. 10: 3. Destructo autem Templo secundo & sacrificiorum nidore evaporante, Judæorum Dd. communi suffragio Minchæ substituerunt *preces*; de quibus vid. *Buxtorf. Synag. Jud. c.* 10. Hinc moderni etiam Judæi loco sacrificiorum suas *benedictiones & preces* recitant, & mane ac vesperi suum שמע ex *Deut.* 6. loco *jugis sacrificii* offerendi deblaterant. Unde *R. Bechai in Kad Hakkemach. fol.* 80. *col.* 2. ad preces illas ita hortatur: הוו זהורין בתפלה שאין לך מדה אחרת יפה הימנה שהוא גדולה מכל הקרבנות: *Orationis vos meminisse volo: Virtus enim nulla ea pulchrior est; quandoquidem omnibus oblationibus est major.* Alias Mincha vocabatur etiam תמיד *sacrificium juge*, seu quotidianum & continuum, quia quotidie & continuo, nulla die prætermissa, offerebatur. Hinc *Græcis Interpp.* θυσία ἐνδελεχισμοῦ *sacrificium assiduitatis*; *Josepho* καθημερινὴ *lib.* 3. *Antiqq. cap.* 3. & *Philoni* ἐνδελέχεια *lib. de Victim.* dicitur.

§. 15. *Græci* Interpretes τὸ מנחה per προσφορὰν exponunt, quos & *Autor Epist. ad Ebr. c.* 10: 5. sequitur, qui alias τὸ מנחה per δῶρον explicasse videtur, cap. 5: 1. cap. 8: 3. Unde non male *Bohemus* interpres in Ebr. c. 10: 5. ipsam προσφορὰν per Dar / δῶρον, *donum*, interpretatus est, cum alias in Psalmo nostro ad illam oppositionem, qua מנחה tanquam sacrificium incruentum, aliis sacrificiis cruentis opponitur, digitum intendens posuerit: Obětj suche *sacrificia sicca, vel incruenta.* Quod enim מנחה sacrificium *incruentum*, seu munus dapale & donum ex fructu terræ, proprie fuerit, paulo ante ostendimus. Hinc *Slavonica* seu *Dalmatica* translatio, quam Bibliotheca Salanæ nostræ instructissima exhibet, non incongrue τὸ מנחה per *shpishni offri*, *oblationes cibarias*, exprimit. Sive enim τὸ *shpishni* ad *German.* Speiß / sive ad *Bohemicum* Spjsnie / referas, utrumque ad cibum, seu res cibarias, respiciet. Quod si prius attendere velis, convenit cum *B. Lutheri* versione, qui Mincha *German.* Speiß-opffer reddidit; sin posterius, *shpishni offri* erunt *oblationes*, seu *sacrificia, ex penu & cella nostra depromta*, quibus Deo O. M. ciborum & edulium optima & præstantissima, quæ nosmet ipsi nostro usui quotidiano, ex larga ejusdem gratia, recondidimus & reservavimus, offerimus. Alii interpretes Orientales τὸ קרבן adhibent, quod tanquam genus omnibus omnino competit sacrificiis, juxta illud *R. Abarbenelis comm. in Levit.* שם זבח ושם קרבן אינם נרדפים כל זבח הוא קרבן ולא התהפך: *Nomen Sebach & nomen Korban non sunt Synonyma. Omne enim Sebach est Korban; sed non vice versa.* Sic *Syrus* habet ܩܘܪܒܢܐ quod vi vocis *oblationem* proprie, i. e. quicquid ad Deum ab hominibus accedit, adeoque illi offertur, denotat. Est enim à rad. ܩܪܒ *accessit*, *propinquus fuit.* Hunc sequitur *Arabs*, qui habet قربانا à rad. قرب, quod ipsi in *Conj. V.* significat *aditum affectavit*, *accessit ad Deum*, *eum propitium sibi reddere studuit victima*, *Deo obtulit*, *illius propinquitatem gratiosam*, *& affinitatem quasi, affectavit & procuravit*; adeoque τὸ قربان emphasin haut aspernandam habet, & totam sacrificiorum rationem, seu finem, propter quem suscepta fuere, eleganter exponit. Arabico non absimile, tum quoad literas, tum quoad significationem, videtur esse *Græcum* κάρπωμα *donum*, quod ad placandum, & gratiose proximum reddendum Deum, offertur, i. e. *sacrificium*, *victima*; imo *Eucharistia Christiana*, quæ sigillum est omnino certissimum placati Dei, ejusque gratiæ, hoc nomine venit. *Vid. Castell. ad rad.* קרב. *Æthiops* quoque habet ቍርባን፡ quod ipsi est à rad. ቀረበ፡ *appropinquavit*; in specie *ad S. Synaxin accessit*, *S. Cœna usus est.* in *Conj. IV.* አቅረበ፡ *propinquum reddidit*, *obtulit cibum*, *vel sacrificium*, *aut munus.* Unde ቍርባን፡ *oblatio*, *sacrificium*, aut *donum quodvis*, *quod Deo offertur.* Vulgo quoque *panem & vinum benedictum* in S. Cœna significare notat *Nobiliss. Dn. Ludolf. in Lex. Æthiop. p.* 159. *Latini* interpretes unanimi fere consensu *oblationes* ponunt; unicum si excipias *Castalionem*, qui pro oblatione *sertum* habet. Nec dubium est, eum ad veterum sacrificandi ritum respicere voluisse; præsertim quando illud Actor. 14: 13. ipsi in mentem venit, ubi sacerdos Jovis apud Lystrenses tauros & coronas attulisse dicitur, Paulo & Barnabæ, tanquam Diis, sacrificaturus. Sed sicut ille sacrificandi, victimisque aut nudis, aut vittatis, coronas sive serta imponendi ritus, solis Gentilibus in usu erat, quippe quem à Libero Patre ipsi derivabant, neque alias in Sacris usitatus esse legitur; ita etiam ab hoc loco maxime alienus est. Nam τὸ מנחה non significat *sacrificia mactatilia & cruenta*; sed, uti hactenus vidimus, *oblationes & sacrificia incruenta*, quæ mactatilibus & sanguineis opponuntur: *sertis* vero, vel *coronis*, solæ victimæ & sacrificia mactatilia apud Gentiles ornabantur, uti inter alios plures hujus sacrificandi ritus delineatores *Prudentius* etiam indicat, *Hymn.* 10. περὶ στεφ. ita canens:

> *Huc taurus ingens, fronte torvida & hispida,*
> *sertis revinctus, aut per armos floreis,*
> *aut impeditus cornibus, deducitur.*

§. 16. Tertium sacrificium, in Psalmo nostro expressum, est עולה *holocaustum*, *hostia*, quod ab עלה *ascendit*, *in altum tetendit*, ideo dicitur, quia, extractis extis, integra aræ imponebatur victima, & tota, præter detractam pellem, comburebatur; adeoque sursum per ignem ascendebat, & tandem in auras evanescebat. Unde & *Syrus* vertit: ܓܡܝܪܐ ܡܩܠܝܢܐ *holocausta integra*, à rad. ܓܡܪ *arsit*, *combussit*, & ܡܠܝ *finivit*, *consummavit.* *Græci* una voce vocant ὁλοκαυτώματα, quia *totaliter concremabantur*, & per ignem absumebantur. *Bohemis* dicitur Zapal / quod ipsum accendendi & concremandi actum, connotato simul subjecto, quod accenditur & concrematur, denotat; alias iidem etiam habent Obětj zapalny / quod cum *Germanico* Brand-Opffer congruit.

§. 17. De hujus sacrificii dignitate & excellentia *R. Bechai Comm. in Pentateuch. f.* 126. *col.* 3. ita disserit: יש מהן נאכלין לכהנים כגון חטאת ואשם ובכור ויש מהן נאכלים לבעלים כגון מעשר ופסח ותודה ויש שאינו נאכל לא כהנים ולא בעלים והוא קרבן עולה שאין לבני אדם בו שום חלק אלא כלו לה"קבה וקרבן זה של עולה הוא הנכבד שבכל הקרבנות כלן: *Ex his* (enumeratis sacrificiis)

ficiis) *quædam sacerdos comedebat; cujusmodi erant: oblatio pro peccato, pro delicto & primitiæ. Quibusdam offerentes vescebantur, e. g. decimis, pascha & gratiarum actione. De quibusdam vero nec sacerdos, nec offerens participabat, v. g. de holocausto. Nulli enim mortalium vel tantillum inde gustare licebat; sed soli Deo benedicto hoc cedebat. Atque hoc sacrificium dignitate reliqua omnia superabat.*

§. 18. Quanquam autem uti sacrificia, ita & in specie holocausta, varia ac multa: imo horum nonnulla ipsis gentilibus & alienigenis concessa fuerint; discrimen tamen notabile in oblatione illorum attendebatur, de quo eleganter *R. Moses Maimonides cap.* 3. הלכות מעשה הקרבנות his verbis disserit: שנים שרצו להביא שלמים או עולה בשותפות מביאין בין בנדר בין בנדבה ואפילו עוף יבוא בשותפות ואחד אנשים ואחד נשים או עבדיי מביאין כל הקרבנות אבל חכותים אין מקבלין מהן אלא עולות בלבד שנ׳ ומיד בן־נכר לא תקריבו את לחם אלהיכם אפילו עולות העוף מקבלין מן הכותי אף על פי שהוא עובד ע״כום אבל אין מקבלין מהן שלמים ולא מנחות ולא חטאות ואשמות: *Si pacifica, vel holocausta, offerre junctim duo decernunt, sive voto, sive ex spontanea liberalitate, ea offerunt. Etiam avis ab utroque simul offerri potest in societate ea. Tam à viris, quam fœmellis & servis sic junctim offerri possunt omnia sacrificia. Sed à gentilibus non acceptant sacrificia, nisi holocausta tantum; quia dictum est* (Levit. 22:22. 25.) *& à manu alienigenæ non offeretis panem Deo vestro. Etiam holocaustum avium à gentili suscipiunt; quantumvis idololatriæ sit addictus. Sed non suscipiunt ab illis pacifica, neque Mincha, neque sacrificium pro peccato, vel delicto.*

§. 19. Hinc etiam colligere licet, Holocausta multa voluntarie oblata fuisse. Et quidem voluntarie offerebantur holocausta nunc expiationis causa, nunc gratitudinis ergo, nunc ad obtinendam gratiam apud Deum & beneficium, ut *Lev.* cap. I. & seqq. videre est. Hinc *Kimchi* ad verba Psalm. 20: 4. *recordetur omnium munerum tuorum, & holocaustum tuum incineret*, scribit: בצאתו למלחמה היו מקריבין לו עולות ומנחות בעבורו שיצילהו האל: *Cum in bellum ille exibat, offerebant holocausta & munera, ut illum Deus idcirco eriperet.* Sic 1. *Sam.* 7: *vs.* 9. Propheta עולה כליל *holocaustum totum* obtulisse legitur, cum hostibus imminentibus alias de populo actum fuisset. At quædam non tam hominum arbitratu, vel libera voluntate, quam Legis præscripto, offerebantur certo tempore; cujusmodi illud fuit, quo *geminus agnus*, una cum *Mincha gemino* in singulos dies offerendus erat, *Exod.* 29:42. id vero æque *juge* erat, ac ipsum Mincha; unde *ibid. vers.* 42. עולת תמיד בדורותיכם appellatur. Respiciebat vero ille *agnus* haud dubie *Christum*, *agnum illum* ἄμωμον καὶ ἄσπιλον, 1. *Petr.* 1: 29. & ἄμνον τοῦ Θεοῦ, αἴροντα τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου, *Joh.* 1: 29. quem suo tempore

—— —— ὀξυόδουσιν ἱμαθλαῖς
Σταυρῷ λωβηέντι μετήορον ὀξέϊ κέντρῳ
Χεῖρέ τε καὶ σφυρὰ διαστὰ πεπαρμένον ——

—— —— *rigidisque flagellis*
Mactatum, clavisque manus & crura foratum
In cruce sublimem damnosa ——

omnes Christiani, qui spirituales Sacerdotes Dei sunt, oleo atque vino veræ fidei, oblaturi erant.

§. 20. Nec obstat nobis commentum illud *R. Abarbenelis fol.* 229. *col.* 2. qui aliam quandam hujus rei rationem obtrudere enixe conatur, his verbis: להיות העלה והמנחה מורים על הרמז הנכבד הזה מהשארות נפש כל איש ישראל ודבוקו באלהיו היה ראש הקרבנות והנכבד שבהם התמידין שבכל יום ומנחתם ונסכיהם ועוליהם נאמר בסדר ואתה תצוה וזה אשר תעשה על מזבח כאלו לא היה תכלית ענין המזבח וכוונתו כי אם להקריב עולת התמידין בלבד וצוה שיקריבו אותה שתי פעמים ביום בבוקר ובערב כדרך הסעודות הבאו ערב ובקר כי כן ראוי שיבוא הלמוד למזון הנפש באלו העתות גם שמראת הערב והבוקר מישיר את הנפש לדעת את השם באמצעות תנועת השמש בזריחת הבוקר וביאת הערב כמו שיתבאר בסדר פנחס וכן המוספין היו כלם עולות ומנחתם ונסכיה׳ להיותם מורים על הדבוק שיזכו אליו בני ישראל במועדיהם על ידי אותם העולות וכמו שיתבאר שמה ואמנם המקריב מנחת עולה מבלי מנחה וזבח היה תכליתו בקרבנו תכלית העולה עצמו כמו נדר שזכרתי הנה התבאר מזה כלו תכלית העולה הנקרבת להשם ומנחתה ונסכה ולכן לא היו הבעלים ולא הכהנים אכלים ממנה דבר לפי שהיתה כנגד הנשמה השכלית המיוחדה לבורא שאין ביצירתם ובריאתם חלק לבעלים ולא לכהנים אלא להשם לבדו: *Quandoquidem Holocaustum & Mincha rem excellentem indicabant, animam cujusque Israëlitæ* (post obitum) *superstitem fore, & Deo suo adhærere, præcipuum & maxime gloriosum erat, quod illa perpetua essent, & in singulos dies offerebantur, & Mincha eorum & libamina eorum. Atque de illis dictum est in parascha* תצוה (Exod. 29:38.) *& hoc est, quod super altari facies: quasi altare ad nihil aliud esset extructum, nisi ut illa holocausta perpetua ibi offerantur tantum. Præcepit etiam, ut illa duobus vicibus in singulos dies offerrent, mane & vesperi, more conviviorum, quæ matutina & vespertina esse solent. Ita enim æquum erat, ut qua ratione anima alenda sit, doceatur illis horis, & mane & vesperi animam rectificaret ad agnoscendum Deum motu solis, oriente mane, & occumbente vespera, ut in parascha* פנחס *explicatur. Et omne sacrificium, quod addititium erat, holocaustum erat, & Mincha eorum, & libamen eorum; cum illam adhæsionem significaret, ut digni essent illa in festis suis per ista sacrificia, uti ibi memoravi. At enim qui holocaustum sine Mincha offerebat, illius finis fuit, ut holocaustum per se esset. Ecce ita ex hoc omni patescit finis holocausti Deo oblati, & Minchæ ejus, & libaminis ejus. Idcirco ex eo neque sacerdotes, neque offerentes participabant quicquam, quia animam intellectualem respiciebat, quæ Deo tribuitur, cum in ea creanda, neque sacerdotibus, neque offerentibus, pars quædam adsignatur, sed soli Deo.* Ecquis vero sanæ rationis non videt, quam contorta, lubrica & vana sint hæc pleraque, quæ neque connexionem ullam, neque rationem probabilem involvunt? Nec fieri aliter potest, si unicus sacrificiorum scopus ignoretur aut rejiciatur, qui omnino ille est, de quo *Daniel.* 9: 27. vaticinium illustre habetur: *Salvator* scilicet noster unicus, ante jugi hoc sacrificio tantisper adumbrandus, donec morte sua & מנחה illud *legale*, & זבח aboleret, ut Daniel de eodem l. c. ait, æternæ virtutis sacrificio pro nobis oblato. Quod si vel tandem Judæi agnoscerent & crederent, Deum tam anxie haud essent compellaturi, orantes ex *libell. Precum Venetiis edito p.* 21. his verbis: השב העבודה ודביר ביתך ואישי ישראל: *Cultum adyto templi tui & ignitiones restitue Israëli!* Quo ipso reapse testantur, se adhuc reatum illum sibi incumbentem agnoscere, neque salutem ac *justitiam æternam adductam esse*; quod tamen LXX. hebdomadum intervallo præstitum iri Angelus ipse prædixit, & nos Christiani ex omnium Prophetarum vaticiniis, cum eventus collatione, manifestum esse, plene novimus & nulli dubitamus. Sane ipse *R. Maimonides cap.* 18. *Hilk.* מעשה הקרבנות hunc in modum loquitur: כל הקרבנות כלן בין קרבנות בהמה ועוף בין הקרבנות מנחה מצות עשה להקריבן בבית הבחירה שני׳ שם תעשה כל אשר אנכי מצוך: *De omnibus omnino sacrificiis, sive ex animalibus & avibus, sive ex farina, lex affirmativa habetur, ut illa in domo sanctuarii offerantur, quia dictum est: Ibi facies, quicquid ego tibi præcepi* (Deut. 12: 14.) Quia vero tot retro annis, templo in ruinis nunquam reparandis sepulto, uti ab Angelo etiam prædictum erat *Daniel.* 9: 27. non amplius licet sacrificia offerre, ultro patet, desideria illa frustranea esse, & ipsum *Solem*, ubique lucentem, illas umbras dudum plane sustulisse, nunquam amplius locum habituras. Quin cum ita sacrificia illa uni tantum loco alligata fuerint, consequens est, illorum oblationem minime ex instinctu naturæ fieri, ut infra dicemus.

§. 21. Unicum adhuc superest, cujus in Psalmo fit mentio, sacrificium, nempe חטאת, quod deducitur ab חטא *erravit, quocunque modo; peccavit.* In *Pih.* חִטֵּא *peccatum abstulit, removit, à peccato absolvit, errorem compensavit.* Unde חַטָּאָה vel חַטָּאת est *expiatio, piaculum, seu sacrificium expiationis & pro peccato.* Chaldæus addit קורבן, ita ut קורבן חטאתא sit *oblatio pro peccato*, seu piacularis. *Syrus* elliptice vertit: ܕܚܠܦ ܚܛܗ̈ܐ ܗܘ̈ܝ *quæ vice peccatorum*, scilicet sacrificia sunt vel offeruntur. Ubi tamen notandum est, Syrum hic videri confundere duo distincta sacrificiorum genera, nempe τὸ עולה & חטאה: ita enim ille veluti unum ex duobus conflatum proponere videtur sacrificium, quando vertit: ܘܝܩܕܢ ܓܡܝܪܬܐ ܕܚܠܦ ܚܛܗ̈ܐ ܗܘ̈ܝ ܠܐ ܫܐܠܬ: *& cremata integra, quæ vice peccatorum, vel pro peccatis* (sunt) *non postulasti.* Eundem secutus esse videtur & *Æthiops* interpres, qui eundem in modum habet: መሥዋዕት፡ ዘበእንተ፡ ኃጢአት፡ ኢሠመርኩ፡ *sacrificio, quod, vel quantum, attinet vel spectat ad peccatum, non sum oblectatus. Græci* quoque per ellipsin nominis verterunt, dicentes: περὶ ἁμαρτίας οὐκ εὐδόκησας scilicet προσφορὰν; quam ellipsin evitavit *Slavonus*, offri sagréh; & *Bohemus*, Obětj za hřjchy / *sacrificia pro peccato*, expresse ponentes: quod etiam *B. Lutherus Germanico* Sünd-Opffer expressit.

§. 22. Ebræi alias distinguunt inter חטאה, quod Græcis ἁμαρτία est, & Latinè *sacrificium pro peccato* verti solet; & inter אשם, quod Græci πλημμελίαν vocant, Latini *sacrificium pro delicto.* Quia tamen in quolibet alias delicto & peccatum,

catum, vel aberratio, & reatus deprehenditur, non immerito quæritur, ecquomodo hæc à ſe invicem diſtinguantur? Et ſane differentiæ hujus explicationes varii varias ſuppeditant, de quibus videri poſſunt *Bonfrerius in cap. 4. Levit.* & *Torniellus ſub A. M. 2545. num. 22. R. David Kimchi in libr. Rad.* τὸ אשם ita explicat: קרבן עצמו שמביא על האשם יקרא אשם אם ישחטו אתה אשם והביא אשמו ליהוה: *Ipſum ſacrificium, quod pro delicto* אשם *offertur, appellatur* אשם, *ut cum dicitur* (Levit. 7: 2.) *ſi mactaverint ſacrificium pro reatu, &* (Lev. 5: 6.) *adducat ſacrificium ſuum Domino.* Idem τὸ חטאה ita deſcribit: נקרא קרבן שמביאין על החטא על שמו: *Oblatio, quæ pro peccato offertur, ipſius nomine venire ſolet.* Paulo diſtinctius vero & prolixius de diſcrimine illo agit *R. Abarbenel fol. 229. col. 2.* hunc in modum ſcribens: והחטאת והאשם שניהם היו באים על חטא כמו שביארתי כי החטאת הוא כשין דמן האדם שחטא בשגגה והאשם בהיותו מסופק אם עבר על אותה מבות לא תעשה אם לא עבר ואתה תראה שאין בעולה ולא בשלמים ולא במנחה הבדל מהמקריבין כי שוה הוא הדין שיקריב אותם המלך או שיקריב אותם ההדיוט מעם הארץ אבל בחטאת יש הבדל גדול בין השוגגים הבעלים המקריבים כי אם היה השוגג כהן משוח והוא הכהן גדול היה מקריב פר בן בקר על שגגתו והיה נשרף כלו כמו העולה ולא היו נבדלים אלא כשהעולה היתה נשרפת כלה על גבי המזבח ואמנם פר כהן משוח היו האמורים שלו נשרפים על גבי המזבח ושאר הפר כלו היה נשרף מחוץ למחנה וגם היה הבדל אחר ביניהם והוא שדם העולה לא היה נכנס פנימה להזות על הפרוכת ועל מזבח הקטור׳ ואמנם דם פר הכהן המשוח היה נכנס פנימה בהזות שבע פעמים לפני ייי ואל פנו פרוכת הקדש ואם היה החוטא השוגג כל עדת ישראל היו מקריבים פר בן בקר והיה דינו בכל הדברים כדין קרבן פר הכהן המשיח ואים נשיא יחטא שהוא כולל למלך ולשופטים יקריב שעיר עזים זכר אמנם לא יובא את דמו להזות אל הפרוכת פנימה ולא היה נשרף ממנו אלא האמורים בלבד והנותר ממנו היה נאכל ואם החוטא השוגג היה הדיוט מעם הארץ או ששמע קל אלה ולא הגיד או איש אשר יגע בכל דבר טמא או בטומאת אדם או לבטא בשפתים היה קרבן כל אחד מאלה נקבה מהכנשים או שעירה מהעזים וראוי שיבוקש הסבה התכליתיית בדברים האלה ר״ל מאיזו בתינה נדמה פר החטאת של הכהן המשיח עם העולה תמימה ולמה נמצא יתרון בעולה שהיה נשרפת כלה על גבי המזבח ואין כן פר החטאת שהיה נשרף מחוץ למחנה ונמצא יתרון אחר בפר החטאת שהיה נכנס דמו אל הקדש פנימה ואין כן דם העולה: τὸ אשם & τὸ חטאת *de ſacrificio pro peccato accipiuntur; veluti expoſui. Nempe ſacrificium pro peccato datur, cum homo in peccatum incidit per ignorantiam; pro delicto vero illud eſt, cum dubitat, an tranſgreſſus ſit legem negativam, an non. Atque ita vides non eſſe aliquid diſcriminis in holocauſto, Pacificis & Mincha ex parte offerentium: eſt enim par ratio, ſive ea offerat Rex, ſive homo plebejus. Sed in ſacrificio pro peccato multum omnino diſcriminis eſt, inter eos, qui, cum peccaſſent ex ignorantia, offerunt. Si enim ille per ignorantiam peccans eſt unctus Sacerdos, & quidem Pontifex, offert juvencum pro errore ſuo, qui inſtar holocauſti totus comburebatur, neque ita diſtinguebantur* (hæc duo) *niſi quod holocauſtum combureretur totum ſuper altari. Sane juvencum Sacerdotis uncti quod attinet, partes ſacrificio deſtinatæ comburebantur ſuper altari: quod vero reliquum erat, totum extra caſtra comburebatur. Præterea alia inter illa differentia interceſſit: nempe ſanguis holocauſti non fuit intro delatus, ut aſpergeretur velo & altari ſuffitus; ſed ſanguis juvenci ſacerdotis uncti intro fuit delatus, & ſeptem vicibus coram Domino ſparſus, & ad velum ſanctuarii. Si vero totus cœtus Iſraëlis erraſſet, juvencum obtulerunt, eo plane pacto, quo ſacerdos unctus. Si vero princeps peccaſſet, quo nomine & Rex, & judices continentur, caprarum hœdum obtulerunt; neque ſanguis ejus allatus eſt, ad ſpargendum eum in Tentorio interius; neque de illo aliquid combuſtum eſt, niſi partes* אמורים *tantum: reſiduum vero comedebatur. Si vero is, qui ex ignorantia peccavit, fuit plebejus, ſive quod audivit vocem jurisjurandi, & non indicavit, aut quod ipſe in rem immundam inciderit, aut labiis quid prolocutus ſit, omnium horum ſacrificium ovis fuit, aut capra. Sed ut cauſam finalem harum rerum ſcrutemur, omnino convenit. Hoc eſt, quo tandem pacto, vel reſpectu, juvencus pro peccato ſacerdotis uncti comparetur cum holocauſto perfecto: & cur holocauſtum fuerit præſtantius; totum quippe ſuper altari combuſtum eſt. Aliter vero cum juvenco agebatur, extra caſtra combuſto. Alia adhuc deprehenditur præſtantia juvenci pro peccato, quod ſanguis ejus in ſanctuarii interiora ferebatur, cujuſmodi quid haud fiebat holocauſto.*

§. 23. Nec contemnenda eſt *R. Abarbenelis* obſervatio, qui *fol. 463. col. 3. ab initio fere* hoc de חטאת annotat: אין בכל הקרבנות קרבן שטעון הזית דם באצבע אלא חטאת בלבד שנ׳ בה וטבל אצבעו בדם: *Non eſt ullum ſacrificium, cui ſanguinis aſperſio mediante digito ſit alligata, niſi illud, quod pro peccato offertur, quia dictum eſt* (Levit. 4: 6.) *& intinget digitum ſuum in ſanguinem.* Et *fol. 464. col. 1.* ait: אין למזבח בא אלא דמה והשאר נאכל לזכרי כהונה כבשר חטאת הבהמה: *Sacrificii pro peccato non niſi ſanguis ad altare defertur; quicquid vero ſupereſt, à ſacerdotibus maſculis comeditur, ſicut caro ſacrificii pro peccato ex jumento.*

§. 24. Fuit ergo חטאה certa ſpecies piamenti legalis, cujus effectus alias dicitur χάρις, καταλλαγή, δικαίωσις, quæ opponuntur τῇ ἔχθρᾳ, ὀργῇ, κατακρίματι. Et tale חטאה ſive περὶ ἁμαρτίας (*Rom. 8: 3. 2. Cor. 5: 29.*) præfiguravit lytrum illud Chriſti, vel ἀντίλυτρον, quod ſolum ad effectum illum proportionatum eſt. Eſt enim hoc demum τιμὴ, *pretium magnum & honorificum, 1. Corinth. 6: 20. cap. 7: 23. 1. Petr. 1: verſ. 19.* cum ſit ab eo præſtitum, qui eſt μονογενὴς τοῦ Θεοῦ, *Joh. 1: 14.* Hic ſe obtulit Θυσίαν καὶ προσφορὰν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, in odorem fragrantiæ, *Epheſ. 5: 2.* & ſic victima eſt כֹּפֶר, ἀντίλυτρον, ἀντάλλαγμα, *Matth. 16: 26.* Scribit quidem *R. Bechai, fol. 228. col. 3. comm. in Pentateuch.* על כן באה מצות הקרבנות מאת יתעלה להיות לפניו כפרת עונותינו שיתעשת לנו האלהים: *Ideo præceptum de offerendis ſacrificiis à Deo datum eſt, ut coram ipſo ſint peccatorum noſtrorum expiatio, & nobis fiat propitius Deus.* Sed licet infitias ire nolimus, ad ſacrificiorum oblationem peccatorum remiſſionem ſubſecutam fuiſſe, *Levit. 4: 20. ſeqq.* minime tamen putandum eſt, vi & virtute illorum carnalium ſacrificiorum id contigiſſe, quaſi illa efficacia, & ſuapte natura ſufficientia media fuerint, cum pro illorum temporum duntaxat conditione ordinata extiterint, ut quoties animal ejuſmodi mactatum offerebatur, is qui offerebat, teſtaretur ſibi mortem deberi, ſe lytro & reconciliatione egere, & aliud ſacrificium adumbrari. Unde etiam *R. Abarbenel f. 229.* ſcribit: סמך ידו על ראש העולה לרמוז שתעלה על המזבח העולה במקומו: *Ideo manum ſuam capiti holocauſti impoſuit, ut ſignificaret, illud aſcendere ſuper altare loco ſui ipſius.* Neque tamen in umbratico illo ſacrificio videntur ſubſtitiſſe, quaſi ſic illius virtute & merito juſti jam & Deo reconciliati eſſent; ſed eo ipſo ad verum ἐξιλασμὸν reſpexerunt, cum Deus τὴν προσφορὰν τοῦ Χριστοῦ ἠθέλησεν, ἐν ᾧ θελήματι ἡγιασμένοι ἐσμὲν. *Hebr. 10: 7. 10. ſeqq.* veluti diſputatione altera oſtenſum ibimus.

§. 25. Supereſt jam, ut ad dicti noſtri ſenſum ulteriorem demonſtrandum, quidnam illa verba: לא שאלת & לא חפצת ſibi velint, diſpiciamus. Si *Ebræum* fontem reſpicias, ſenſus verborum illorum hic erit: *ſacrificium & oblationem non voluiſti*, non deſideraſti, iis non delectatus es, neque ea tibi placuerunt; *holocauſtum & ſacrificium pro peccato non quæſiviſti*, non expetiiſti, non requiſiviſti. Vel, ut *Æthiops* præ aliis notanter exprimit, ኢሠመርከ፡ *non acquieviſti.* Verbum enim ሠምረ፡ reſpondet fere verbo *acquieſcere*, & Græcorum εὐδοκεῖν, quæ & *oblectari & contentum eſſe* ſignificant, notante *Nobiliſſ. Dn. Ludolfo in Lex. Æthiop.* Unde & ሥምረት፡ *benevolentia, affectus, benevolus, placitum, oblectatio, votum, deſiderium*, quæ omnia inde naſci videntur, quando in re aliqua *acquieſcimus contenti*, nec aliud quid expetimus. Et ſic diſplicentia rei alicujus exinde videtur oriri, cum non invenimus id, quo contenti eſſe poſſimus, & ideo relicta hac re in alia animi acquieſcentiam quærimus: ea vero inventa, nihil aliud amplius expetimus; ſed in ea ſola re defixi, ſuaviſſima animi voluptate, ex ſatisfactione appetitui noſtro facta, fruimur. Dicendum igitur erit, Deum non *acquieviſſe & contentum* fuiſſe ſacrificiis; ſed aliud quid expetiiſſe, quo ſufficienter contentus eſſe, inque eo ſuaviſſime acquieſcere poſſit. Unde videndum erit, qua ratione & in quem finem Deus ſacrificia inſtituerit: nempe non eum in finem, ut iis pro peccatis noſtris, tanquam *lytro ſufficienti, contentus*, in iis *acquieſceret*; ſed ut, ſaltim ad tempus duratura, typus & umbra ſint *ejus, in quo Deus, ſufficienter contentus, ſuaviſſime erat acquieturus*: qui ipſe eſt *Meſſias* noſter, de quo ſolo Deus publice teſtatus eſt, Matth. 3: 17. οὗτός ἐστιν, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

§. 26. Sed hic non paucos videmus, qui ex eo, quod Deus ſacrificia non poſtulaſſe dicitur, inepte colligunt, ea, *ne inſtituta quidem eſſe à Deo; ſed ex hominum arbitrio & inſtitutione demum promanaſſe contendunt.* Sunt hi primo *Judæi*, qui nulla non effingunt commenta, ne *Salvatorem* noſtrum ſacrificiis illis præfiguratum fuiſſe, admittere & credere cogantur. Unde *R. Abarb. f. 228. col. 3. comm. in Leg.* talem ſacrificiorum originem enumerat: אדם ובניו הקריבו קרבנות לחשבם שבהם היו עובדים לאלהים כי בשרפם על המזבח החלב והכליות מהקרבן היו כאלו הקריבו

הקריבו קרבם וכליותיהם עצמם שהם כלי המחשבה וכן הכרעים כנגד ידיהם ורגליהם של המקריבים והיו זורקים את דם הקרבנות במקום דמם ונפשם ומודים לפניו יתברך שכן ראוי שישפך דם המקריב ונשרף גופו על חטאתו לולי חסד השם שלקח ממנו בתמורה וכופר קרבן ההוא שהוא דמו תחת דמו ונפשו תחת נפשו: *Adamus & filii ejus ſacrificia ideo immolarunt, quod ſibi perſuaderent, ſe hoc pacto Deo ſervire. Cum enim ſuper altari adipem & renes ſacrificii comburerent, perinde (putabant) fore, ac ſi ſua ipſorum inteſtina offerrent, quæ cogitationum ſunt inſtrumenta. Conſimiliter crura, manus, pedeſque offerentes deſignabant, qui ſe ſanguine animalis conſpergebant, Deo confitentes, æquum eſſe, ut immolantis ſanguis ob peccatum ita effunderetur, & corpus ipſius uſtularetur, abſque Dei ſi eſſet miſericordia, qui nunc ſanguinem & vitam hujus ſacrificii accipit loco peccantis. Idem loc. cit. fol. 228. col. 4.* de ratione ſacrificiorum ita pergit: הכוונה הראשונה בה היא כדי לחתקרב אדם לאלהיו ולהכנע לפניו ויאמין במציאותו ואחדותו והשגחתו שהיא הכוונה אשר בעבורה הקריבו אדם ונח קרבנותם האמנם להיות השלמות האנושי דבק בנפשו והוא כפי האמונות והדעות האמתיות הכוונה הראשונה הנזכרת יותר תמצא בתפלה ובהשכלה והידיעה האמתית ובשאר המצות המכוונות לזה התכלית והכוונה ממה שתמצא בהקרבת חלב ידם ושרפת גופי הב"ח וע"כ צוה הקבה במצות הקרבנות להשגת הדבוק האלהי וידיעתו באמת מפני שהיו כל בני אדם מורגלים בעבודת הקרבנות ותהיה קשה עזיבת המורגל בהחלט: *Prima intentio ſacrificiorum eſt, ut homo ad Deum propinquet, ſe coram eo humiliet, & credat, eum eſſe unum Numen, quod rerum curam habeat. Eadem enim de cauſa ſacrificarunt Adamus & Noah. Cum vero hominis perfectio in anima maxime conſiſtat, quæ fidem cum vera cognitione requirit, magis ſane intentio prima invenitur in precibus, intelligentia, ſcientia & reliquis præceptis, quæ huc collimant, quam in adipis & ſanguinis oblatione, item combuſtione animalium. Ea igitur de cauſa Deus ſacrificia in cultu divino præcepit, quod cum plerique omnes mortales ſacrificiis adſueviſſent, difficile erat iis prorſus valedicere.* Et hic habemus illam cauſam, ex mente Rabbinica, cur Deus etiam ipſe tandem ſacrificiorum cultum Iſraëlitis præceperit. Imo & hoc ſubjungitur à Judæis, quod Deus ſacrificia, tanquam remedium peccati, peccantibus Iſraëlitis, conſtituerit, כשיצא ממצרים ובאו לפני הר סינה ושמעו התורה והמצות לא ציה השם דבר מענין הקרבנות אבל צוהו בעניני האמנות והמעשים המשובחים אשר אמנם כאשר יעשו העגל יראה השם יתברך שרירות לבם הרע ובכל יום ויום חטאו לפיו הוצרך לתקן להם רפואה למחלתם: *Cum ex Ægypto egreſſi veniſſent ad montem Sinai, & audiſſent legem & præcepta, nihil admodum de ſacrificiis eis inculcavit, ſed fidem duntaxat & bona opera popoſcit. Ceterum ex quo fabricarunt vitulum, & Deus cordis illorum malitia perſpecta ſenſit, quod in ſingulos dies eſſent peccaturi, fieri non poterat, quin morbo illorum remedium conſtitueret.* Quod & *R. David Kimchi* confirmat his verbis: אלו לא חטאה ישראל במדבר לא צוה אותם האל יתברך על הקרבנות: *Si non peccaſſet Iſrael in deſerto, non præcepiſſet eis Deus benedictus ſacrificia.* Quæ quidem verba videntur Deum ſacrificiorum autorem conſtituere; ſed ſi penitius ponderentur, Deum tanquam autorem *primum* & inventorem ſacrificiorum omnino excludunt, cum ſacrificiorum conſtitutionem ad illud demum tempus rejiciant, poſtquam Iſraëlitæ in deſerto peccarunt. Aſt vero ſacrificiorum cultus longe antea in uſu erat. Ergo Deus ante illam conſtitutionem ſacrificiorum ſolennem in deſerto ſacrificia non inſtituit; ſed hominum inventum fuerit neceſſe eſt. Et ſi *R. Abarbenelem* penitius conſiderare velimus, dicendum erit: Deum, juxta Judæorum ſententiam, ſacrificia ab hominibus prius excogitata & in uſum recepta, cum videret, difficile eſſe, iis prorſus valedicere, per Accidens quaſi in remedium peccatorum conſtituiſſe, ut ex re, per ſe haud bona, bonum tandem finem eliceret. Sed faciamus, Deum non fuiſſe primum ſacrificiorum autorem, (quod tamen ut concedamus haut neceſſe eſt) ſufficiet tamen nobis contra ipſos Judæos, ſi adſeruerint, ſacrificia fuiſſe *peccatorum remedia.* Nam ſi remedia peccatorum fuerunt ſacrificia, dicant Judæi, qua vi & ratione peccata deleverint: an vi ſibi intrinſeca & propria; an aliena? Nam quod peccata iis, qui legitime ſacrificia celebrarunt, remiſſa fuerint & nos concedemus; ſed cujus intuitu & vi, an ſacrificiorum, tanquam typorum & umbrarum; an vero ipſius antitypi & præfigurati, veraque fide apprehenſi *Meſſiæ*, tanquam *unici Mediatoris Dei & hominum*, diſquirimus, affirmamuſque poſterius tam diu, donec illi contrarium idoneis evicerint rationibus. Nec enim noſter nos deſeret textus; quin potius invictum hoc ſuppeditabit argumentum: ſi ſacrificia per ſe ſunt remedium peccatorum, uti Judæi contendunt, ſequitur eoſdem nullam habere peccatorum remiſſionem; cum Deus hoc peccatorum remedium nolit acceptare, aut in eo acquieſcere. Unde ergo aliud miſeri ſument peccatorum remedium, niſi ad *Salvatorem* noſtrum confugerint, extra quem nulla eſt ſalus? Alia abſurda ex ineptis his commentis elicere non laborabimus, cum cuilibet facile patere poſſint.

§. 27. Sed ad *Chriſtianos* nos convertamus, & quamnam ex iis nonnulli ſacrificiorum originem adducant, videamus. Non enim putandum eſt, omnes qui glorioſo Chriſtianorum nomine ſuperbiunt, veritati ſuum adjicere calculum; ſed magna eorum pars ſæpe in contrarium abire ſolet. Sic Judæos potius quam veritatem ſequuntur *Pontificii* non pauci, qui ſacrificiorum originem humanæ adſcribunt rationi. Ita *Bellarminus lib. 1. de Miſſ. cap. 20.* aperte pronunciat: *Sacrificia non eſſe in lege Moſaica inſtituta, ſed ex lege naturæ ortum habere, ceu id pateat ex ſacrificiis Abelis, Job & aliorum.* Quod etiam *Becanus de tripl. ſacrif. lib. 1. cap. 1. n. 4.* confirmat, Abelem cum fratre hunc cultum ex dictamine rationis didiciſſe dicens. His non adverſatur *Eſtius Comment. in Ebr. 10.* ſcribens: *Ea, quæ obtulerunt Abel, Abraham & alii ante legem, nec veteris nec novæ legis erant inſtituta, Deo tamen placita, propter offerentium devotionem.* Imo *Thomas*, doctor ille angelicus, ſua hanc ſententiam confirmat autoritate, cum *part. 3. Sum. q. 60. art. 3.* ait: *Sicut in ſtatu legis naturæ homines nulla lege exterius data, ſed ſolo inſtinctu movebantur ad Deum colendum; ita & interiori inſtinctu determinabatur eis, quibus ſenſibilibus ad cultum Dei uterentur.* Nec doctorem ſuum deſerunt diſcipuli, inprimis *Didacus Nugno Capezudo in part. 3. Thom. q. 83.* ubi controverſiam hanc ita decidit: *multo probabilius, quam oppoſitum eſt, quod ſit naturale præceptum, obferendi Deo ſacrificium propriiſſime dictum.* Confer, ſi libet, ex aliis quamplurimis hujus rei aſſertoribus *Gregor. de Valent. lib. 1. de Miſſæ Sacrif. cap. 4.* ubi cum Patriarchas, tum Gentiles, ex recta naturæ inclinatione compulſos, ſacrificaſſe ſtatuit. Sed cave, hujus rei rationes à nuda veritate poſtules, ſplendidum *Miſſæ ſacrificium* illud aſſertum tuetur, de quo tam opima Papicolis cedit portio. Præferenda igitur illis Quæſtionis pars negativa eſt, ne ſacrificium Miſſæ negetur, ſed obtineatur (α) nullam poſſe eſſe religionem, ſine viſibili aliquo ſacrificio proprie dicto (β) cultum non præceptum, ſed ſponte ſua ab hominibus receptum, non eſſe ſtatim ἐθελοθρησκείαν. Aſt ſicut Pſalmus noſter dicit: *Deum nolle ſacrificia, iiſque non delectari*; ita & *ſacrificium Miſſæ* tale erit commentum, quod Deus *nec vult, neque eo delectatur.*

§. 28. *Socinianis* quoque negativa hæc arridet aſſertio; ut & *Arminianis*, ſicut ex ipſorum antesignani *Sim. Episcopii* apertis verbis videre eſt, qui *lib. 1. Inſtit. Theol. de religione naturali cap. 2.* ita diſſerit: *Abelem fide ſola, nullo præcepto divino adductum, id eſt, rationis rectæ ſolius inſtinctu judicaſſe, Deum ſacrificiis colendum eſſe.* Et *cap. 5.* ait: *Deum ritum iſtum, etiamſi forte optimus non videretur (neque enim, inquit, credibile eſt, Deum ſanguine & cæde innocentium animalium delectari: quæ ratio forte etiam ſufficit, ut credamus, ritum hunc ab ipſo Deo imperatum non fuiſſe) tamen, quia ex tam religioſo animo proveniebat, gratum habere voluiſſe, & ut porro ſemper uſitaretur, pro benignitate ſua permiſiſſe, adeoque poſtea tandem etiam cariſſimo populo ſuo injunxiſſe ac præſcripſiſſe.* Et hoc idem plane commentum eſt, quod paulo ante ex *R. Abarbenele* recitavimus. Et ſane tam *Sociniani*, quam *Arminiani*, idem cornu hic inflant de *religione naturali*, qua juſtos primævos ſuis viribus per legem naturæ, ſive per obedientiam operum, quatenus eſt fœtus, partus & proprietas naturalis fidei, ſalvatos eſſe uterque volunt. *Vid. D. Calov. Socinisſm. Profl̄ig. p. 701. & Conſid. Arminianiſmi p. 181. ut & Sam. Rhetorfortis Examen Arminianiſmi pag. 502.* Cui aſſerto favet illa de ſacrificiorum origine ſententia. Nec dubitandum eſt, Socinianos ſententiam ſuam à *Pelagio* hauſiſſe, qui deliria illa, à *Phariſæis* orta, propagavit, uti non inique cenſet *Urſinus in Miſcell. lib. 5. p. 276.*

§. 29. Præferenda autem eſt ſententia illa, qua ſacrificia ἀπὸ μαντείας ſeu *ex inſtitutione divina* ortum traxiſſe, ſtatuitur, quam & nonnulli *Pontificiorum*, veritate convicti, amplexi ſunt, ut *Hugo Victorinus, Lyra, Rangolius in 1. Reg. 1: 3. Corn. à Lapide, Janſenius in Pentateuch. Aloyſius Novarinus n. 365. ex Lipmanno.* Quibus & *Suarezius* accedit *part. 3. ſum. Thom. art. 1. diſt. 71. ſect. 8.* qui aperte dicit: *Nullum eſſe præceptum naturale, ex quo ſufficienter colligi poſſit, determinationem illius, ad talem modum, cultus, ſcilicet per ſacrificium, eſſe omnino neceſſariam ad morum honeſtatem.* Et ſane, nullam ratio humana invenire poterat ἀναλογίαν inter Deum ſpiritua-

ſpiritualem, & inter ſacrificia carnalia; inter Deum ſumme miſericordem, & inter cruentam victimarum mactationem. Quomodo enim Deus ſanguine innocentium animalium delectaretur, tam rationi humanæ, quam juri naturæ congruere haut videtur, niſi ipſum Dei præceptum ſcrupulum hunc eximat. Unde apud plurimas hodienum gentes receptum eſſe videmus, ut ſtudioſiſſime caveant, ne aliquod animalculum innocens affligant, aut etiam, in proprium quamvis commodum, occidant; ſicut Orientales populos pleroſque, & tantum non omnes, adeo & ipſos Turcas, Perſas, Indos, & alios barbaros, ſancte & ſtricte hoc, quaſi juris naturæ præceptum, obſervare, ex hiſtoriis eorum ſatis conſtat. Unde gentiles etiam idololatræ non ſuæ rationis ductu, ſed divini alicujus præcepti perſuaſu, ad ſacrificiorum cultum inducti fuere, quando Jovem, aut alium quendam Deum, legiſlatores ſuos in ſacrificiis faciendis informaſſe credebant; uti inter alia videre eſt in primo ſacrorum Romanorum fundatore *Numa*, qui ſimulato cum *Ægeria Nympha* colloquiorum commercio, Romanos ad ſacrificandum induxit. *Vid. Val. Max. lib.* 1. *c.* 3. *Arnobius l.* 5. *adv. Gentes.* Scilicet non poterat ipſis ſacrificiorum conſtare ratio, niſi oraculorum, aut divina quadam autoritate deceptis. Quod ſi vero de primis apud gentiles ſacrificiorum fundatoribus quæras, unde illi, qui alios hoc cultu deceperunt, id habuerint, ut ſacrificia commendarint; annon vel illi, tanquam ſapientiores, vi luminis naturæ & rationis judicio ad ſacrificiorum inſtitutionem inducti fuerint? Reſpondemus, acceſſiſſe κακοζηλίαν illam, qua mundus in pleriſque ſolet imitari Eccleſiam, inſtigante præprimis diabolo, turpiſſima illa Dei ſimia, qui gentiles oraculorum auctoritate decepit, & primis ſacrificiorum fundatoribus apud gentiles ſacrificiorum ritum ex κακοζηλίᾳ ſuggeſſit, uti non inique judicat *Rivetus Exerc. XLII. in Geneſ.* Alias ſi ſolæ rationi res permittenda, & recto rationis judicio exſculpenda fuiſſet, illa potius contrarium ſuaſiſſet; ſcil. non eſſe Deum colendum his hujuſmodi, quibus ille aut non egeret, utpote αὐτάρκης; aut qui ſanguine fuſo ac odore graveolenti non delectetur, uti nervoſe concludit *D. Dannhaw. Hodom. Pap. Phant. X. p* 641.

§. 30. Abſit etiam, ut ſanctiſſimos illos *Patriarchas* in primo primæ Eccleſiæ flore, ſuo duntaxat arbitrio, ac privata intentione, ſacrificandi ritum excogitaſſe ſtatuamus. Qui enim illi ἐθελοθρησκείας, Deo ſemper & maxime inviſas & adverſas, ſuo exemplo probarint? Quomodo ſacrificia ex fide, tanquam alias Deo haut placitura, offerre poterant, ſi verbum & voluntatem Dei de iis non perceperunt? Imo quomodo typum illum, quem omnia referebant ſacrificia, & cujus gratia unice inſtituta erant, in ipſis invenerunt ſacrificiis? Typum namque illum tam non potuerunt vi rationis ſibi relictæ invenire in ſacrificiis, quam ipſam de Meſſia promiſſionem ſuo excogitare arbitrio. *Vid. B. D. Gerhard. Tom. III. LL. Theol. de Leg. Cerem. & forenſ.* §. 14. & *D. Dorſch. in Myſaria Miſſæ contr. Herberum cap.* 1. Relinquitur ergo, divinitus omnino patefactum ac præceptum fuiſſe ſacrificiorum ritum: nimirum, ut typus unici ſacrificii propitiatorii, in ara crucis offerendi, iiſdem proponeretur, & homines ad ulteriores de Meſſia cogitationes & diſquiſitiones, veramque in eundem fidem & fiduciam, invitarentur, paſſionemque ac mortem ejuſdem cruentiſſimam ex umbra æſtimarent.

§. 31. Quod ſi autem quis porro inſtet, determinatumque tempus, aut perſonam, à nobis requirat, quo, aut cui ſacrificiorum ritus ab initio divinitus fuerit mandatus; nos, quamvis ex S. literis id producere κατὰ τὸ ῥητὸν haut poſſumus, nihil tamen impedit, quo minus verbis *Hugonis à S. Victore in Geneſ.* reſpondeamus: *Deum docuiſſe Adamum cultum divinum, quo ejus benevolentiam recuperaret, quam per peccatum tranſgreſſionis amiſerat, ipſumque docuiſſe, filios ſuos dare decimas & primitias.* Quid? quod Judæi, inviti quamvis & taciti, ipſimet hoc fateri cogantur. Nam, uti poſt *Jalkut* & *R. Bechai* ex *R. Maimonide Hilk.* מלכים *cap.* 9. patet, Judæorum recepta ſententia hæc eſt: על ששה דברים נצטווה אדם הראשון על עבודה זרה ועל ברכת השם ועל שפיכות דמים ועל הגלוי עריות ועל הגזל ועל הדינים הוסיף נח אבר מן החי שני׳ בשר בנפשו לא תאכלו: *Sex res ſunt impoſitæ homini primo: idololatriæ vitatio; Numinis benedictio; fuga homicidii, illiciti concubitus, rapinæ; & judiciorum adminiſtratio. Addidit Noachus abſtemium à carne cruda. Dictum enim eſt* (Geneſ. 9: 3.) *carnem cum ſanguine non comedetis.* Nos ſacrificiorum cultum præcepto illo primo omnino inſtitutum eſſe dicimus, cum ex oppoſito colligi poſſit, qualis Dei veri cultus verus Adamo à Deo fuerit præſcriptus. Notanter igitur & eleganter concludit *B. D. Gerhard. ad cap.* 4. *Geneſ.* his verbis: *Adamus in peccatum prolapſus, & ad judicium Dei propterea citatus, in tanta fuit conſternatione, ut ne paſſerculum quidem mactare, aut ſacrificare fuiſſet auſus, niſi expreſſum mandatum accepiſſet. Ex eſu pomi prohibiti in ſummam miſeriam ſe præcipitatum videbat; ecquis credat, in illo dolore & conſternatione ipſum privato arbitrio ſacrificare fuiſſe auſum?*

§. 32. Sed jam ulterius progrediemur, & paucis quoque expendemus, cur Deus in Pſalmo noſtro dicatur *nolle ſacrificia*, cum tamen ea ab ipſo fuerint inſtituta? Ubi variæ iterum variorum occurrunt ſententiæ. Quidam, qui Pſalmum de Davide explicant, dicunt: Deum à Davide, propter beneficia collata; non poſtulaſſe ſacrificia, ſed obedientiam; quippe quæ magis, quam ſacrificia, ipſi placeat, juxta illud 1. *Sam.* 15: 22. & *Jerem.* 7: 22. *ſeqq.* Ita ex Judæis *R. Bechai fol.* 229. *col.* 3. *Comm. in Leg.* docet his verbis: אמנם רצונו הוא שנשמע בקולו ולא נחטא ולא נצטרך לקרבנות אבל שנביא קרבנות ולא נשמע בקולו לא צוה הקרבנות הללו ועל זה אמר הנביא ולא צויתי על דברי עולה וזבח ומצינו בכתוב מפורש הנה שמוע מזבח טוב ומקרא מלא אמר דוד ע״ה זבח ומנחה לא חפצת אבל מה אתה חפץ שנשמע בקולך זהו שאמר אזנים כרית לי עולה וחטאה לא שאלת מן הידוע שעקר הקרבנות הוא שמוע בקול השם יתעלה ומזה הזכיר מיד כי אם את הדבר הזה צויתי אותם לאמר שמעו בקולי: *Sane voluntas ejus eſt, ut ipſi obtemperemus & non peccemus, neque ſacrificiis egeamus. Sed ut offeramus ſacrificia, & ei haud obtemperemus, minime mandavit hæc ſacrificia. Atque de hoc Propheta ait:* (Jer. 7: 24.) *non præcepi ſacrificia & holocauſta. In Scriptura quoque expoſitam videmus hanc rem:* (1. Sam. 15: 21.) *obtemperare melius eſt, quam ſacrificium; & Scriptura plena eſt. David quoque, ſuper quem ſit pax, ait: Sacrificia & oblationes non voluiſti. Sed quidnam tu vis? ut tibi obtemperemus. Atque hoc eſt, quod ait: aures mihi perforaſti, holocauſtum & pro peccato ſacrificium non poſtulaſti. Eſt enim in confeſſo, quod ſacrificiorum fundamentum in eo conſiſtat, ut Deo obediamus. Et hujus etiam ſtatim meminit* (Jerem. 7: 23.) *ſed hoc eſt præceptum, quod eis dedi, dicendo: audite me.* Et ita quoque *Simeon de Muis comm. in Pſalm.* exponit, dicens: *Senſus eſt, propter tot beneficia, quæ in me contuliſti, non vis ac poſtulas ſacrificia; neque tu propter ſacrificia me beneficiis affeciſti; ſed vis potius, ut tuam exequar voluntatem, quod quidem his ſignificat verbis:* aures perfodiſti mihi, *h. e. aures cavas feciſti, ut te audirem, atque auſcultarem tuæ voci. Non negat quidem ſimpliciter, Deum velle ſacrificia; illa enim ſciebat lege Moſaica eſſe præcepta: ſed comparate loquitur, affirmatque, Deum obedientia magis, quam ſacrificiis, delectari.* Similia quoque habet *Munſterus comm. in h. l. Execratur Deus,* inquiens, *ſacrificia, etiam à ſe præcepta, quando per ſe, & abſque cordis fiunt pietate. Acquieſcere autem & auſcultare præceptis Domini, quod hic per aurium perfoſſionem innuitur, id Deo ſemper eſt gratum, & acceptius omni ſacrificio. Pellicanus* ideo Deum ſacrificia nolle putat, quia ſit ſpiritus, & in fidei ſanctitate ac veritate colendus; ſacrificia vero ideo à Deo eſſe inſtituta, ut populum ſuum Deus abſtraheret & detineret ab idololatria: quod manifeſto Rabbinorum commenta ſapit.

§. 33. Sed ſicut ſupra *Cap. I.* evicimus, Pſalmum hunc non de Davide, ſed Chriſto, literaliter agere; ita & hoc loco merito illos repudiamus, qui ad Davidem hæc verba trahunt. Notandum ergo eſt ex *Jacobo Capello loc. cit.* & *B. Höpfnero Comm. in h. l.* (quem poſteriorem etiam citat *D. Gejerus Comm. in h. l.*) Deum in ſacris literis tripliciter dici *nolle ſacrificia.* (α) συγκριτικῶς vel *comparative Pſal.* 51: 18. *Hoſ. cap.* 6: 6. quod ita explicat *Rivetus comm. in loc. noſtrum*, videlicet: *hæc intelligi de externis ſacrificiis, à fidelibus etiam oblatis, quæ non dicuntur abſolute à Deo non requiri; ſed comparate, quia cultus ſpiritualis longe eſt excellentior, & longe præferendus externis ritibus & umbris. Non itaque mirum eſſe, ſi comparatione cultus ſpiritualis externa ſacrificia, quæ pædagogica erant, ad internum cultum, dicantur non magnifieri à Deo, ſed Deum per ſe & principaliter requirere cor hominis; ſacrificia vero externa tantum per accidens, eo, quod ſubſerviant interiori cultui, ſintque quaſi ſtimuli quidam pietatis religioſæ. Et ſic ſæpe externa ſacrificia extenuari* (pergit ille) *ut quod præcipuum erat, præferretur.* Atque hoc modo obedientia toti cultui Levitico præfertur, qui duobus ſacrificiorum ſpeciebus exprimitur, cum *Marc.* 12: 33. Dominus ait: Τὸ ἀγαπᾷν τὸν πλησίον ὡς ἑαυτὸν πλεῖόν ἐστι πάντων τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ τῶν θυσιῶν. Sed hanc ſolutionem huic non convenire loco recte idem exinde oſtendit *Rivetus*, quod hic non fiat oppoſitio inter cultum externum & internum, ſeu ſpiritualem; ſed inter ſacrificia, holocauſta, donaria, & inter *corpus Chriſto aptatum*, ut in eo faceret Patris voluntatem.

§. 34. Dein-

§. 34. Deinde (β) etiam Deus dicitur *nolle sacrificia* ἐλεγκτικῶς, *redarguitive*, si scilicet absque fide & pœnitentia, cum intentione meriti, oblata fuerint, *Esai.* 1: 11. *Jer.* 6: 20. *Amos.* 5: 21. *Quibus dictis:* (sunt verba *B. D. Gerh. Tom. IV. LL. Th. de Sacram.* §. 73. *p. m.* 600.) *reprehenduntur & refutantur falsæ opiniones, quas homines externis illis ritibus, neglecta promissione & fide, affingebant, quasi ex opere operato prosint, si vel maxime non adsit interior conversio & vera fides, unicum Christi sacrificium respiciens.* Hinc est, *ut ait Rivetus*, quod Prophetæ illa rejiciant, non quatenus erant instituta à Deo, sed ut à sceleratis hominibus vitiata erant, & ob impias eorum conscientias profanata. Quamvis autem hic sensus multis Scripturæ competat dictis; nostro tamen haud convenit loco. Non enim, si vel maxime ipsum Davidem respiciamus, facile quis dixerit, sacrificia ab eodem non postulata fuisse, eo, quod is sine fide & pœnitentia, & cum intentione meriti, non habito respectu ad sacrificium & meritum Messiæ, illa offerre soleret. Multo minus igitur in ipsum Salvatorem nostrum hæc quadrabunt. Præterea dicendum quoque foret, sacrificia Deo à piis in V. T. recte & legitime oblata, moderno adhuc tempore esse imitanda & celebranda, & Christum adventu suo non nisi ea destruxisse & sustulisse sacrificia, quæ ab impiis offerri soleant. Quod sane loco nostro haut convenit, nec facile quis, etiam ex ipsis adversariis, id admittet.

§. 35. Denique Deus *sacrificia nolle* in Scripturis dicitur (γ) ἀρνητικῶς, *prorsus negative*, seu, ut *Capellus* dicit: *Prophetice* & prædictive; videlicet adventante imagine cessaturas fore umbras. Et hic sensus hujus est loci, uti clare constat ex applicatione *Autoris Epist. ad Ebr.* qui in eo totus est, ut ostendat, sacrificia V. T. fuisse *umbras* tantum unici & *veri sacrificii* Christi, pro peccatis satisfacientis, adeoque impossibile fuisse, ut sanguine taurorum & hircorum peccata tollerentur, sed necessario ipsum Messiam advenire debuisse in carnem, & ipsum peragere id, quod per sacrificiorum typum de ipso prædictum & præfiguratum fuerat. Nec enim audiendi sunt illi, etiam è Christianis, qui, *teste Estio ad Ebr. X.* dicunt: *sacrificia Deo ideo non placuisse, ut omnium hominum peccata per ea tollerentur*; hoc enim virtuti meriti Christi maxime detrahit; &, si sacrificia valuerunt ad aliquorum hominum peccata tollenda, potuissent utique multiplicata tandem omnium peccata tollere. Ast vero hoc loco exponitur τὸ ἀδύνατον Legis, eique opponitur χάρισμα Christi & ipsius Dei Patris, mundum sibi in Christo reconciliantis: quod cum fieri non potuit sanguine taurorum & hircorum, Deus suo ipsius Filio misso, in forma consimili carnis peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnavit peccatum in carne, ut jus illud legis compleatur in nobis, *Rom.* 8: 3. 4.

§. 36. Non ergo voluit Deus sacrificia & oblationes in V. T. nempe ut ante Christum peccata expiarent; nec in N. T. ut post Christum amplius durarent. Unde *Genebrardus* tempus V. T. respiciens, ait: *Quæ omnia* (sacrificia) *Deus noluit, i. e. accepta non habuit, neque probavit pro sese, sive ratione illarum rerum; sed duntaxat quatenus fiebant ex obedientia erga se & fide in venturum Messiam, ad usque correctionis tempus.* Et *Bartholomæus Petri in addit. ad Estium in Ebr. X.* tempus N. T. respiciens, quæstionem hactenus excussam ita decidit: *Fortassis propositæ Quæstioni sufficiet, si dicatur, quod Christus per illa verba*: noluisti, &c, non placuerunt, *pronunciet, cessaturam Legem ceremonialem, &, quæ per eam præscribebantur, sacrificia; cessatura autem omnia hac ipsius adventu, sicut figura cessare debet præsente veritate, quam præsignabat, utpote quæ deinceps falsam significationem sit habitura, idque in materia cultus divini, eaque de causa Deo merito displicitura.* Atque huc *B.* etiam *Augustinus* collineat, cum *in Explic. hujus Psalmi* ait: *Quare illa noluit; quare primo voluit? Quia illa omnia, quæ verba erant promittentis, & verba promissiva, cum venerit, quod promittunt, jam non enunciantur.* Dispallescite igitur sacrificia, tanquam verba promissiva & umbræ! En ipsa promissa veritas & imago advenit. Ast vos jam dudum evanuisse video. Ergo venit ille, quem expectastis, *Messias* scilicet & *Salvator noster*; nec opus est, ut alium expectemus, (*Matth.* 11: 3.) Proinde: יתעלה שמו לעולם עולמים א"א:

COROLLARIA.

I. Usus linguæ Æthiopicæ, quem hactenus paucissimi, & quidem duce demum *Viro Nobiliss. Dn. D. Ludolfo*, præclaro summi Bocharti elogio, non Germanorum modo, sed etiam omnium Europæorum linguæ ejusdem peritissimo, animadvertunt, longe maximus est, ut merito plures in eam singulari amore ferri debeant. Ope enim illius idiomatis voces complures Ebraicas, tanquam ex captivitate Babylonica, vel potius ultima Æthiopum sub cancri sidere degentium plaga, in Judæam postliminio reduci, & earum vocum adhuc obscuram significationem indidem illustrari, exemplis haud paucis ostendi queat. Τὸ כִּלְאַיִם Ebræis *heterogenea* notare, cum ex diversis speciebus unum conflatur, nempe cum bruta coëunt, vel diversa semina, vitesve, aut lana cum lino commiscentur, quæ lege ceremoniali vetita erant, ex Scripturis notissimum est. Haud perinde tamen notum est, unde ea vox descendat. Ne ipse quidem *L. de Dieu*, sagax cæteroquin vocum censor, & Æthiopum linguam haud infeliciter sæpenumero in subsidium vocans, hic se expedire novit, dum ad *Lev.* 19: 1. scribit: *Ter in hoc versu occurrit* כלאים, *nec significare aliud videtur, quam duas diversas species inter se mixtas, sive animalium, sive herbarum, sive lanificiorum. Unde dictum sit, non est facile conjicere.* Ipse Edmundus Castellus in Lexico Heptaglotto, secutus Schindlerum, Buxtorfium, aliosque, ad radicem כלא eam vocem refert; sed cum illa *claudere* significet, nulla ratio apparere videtur, quamobrem originem ejus inde arcessamus. Nulli itaque dubitamus, originem ejus rectius ex Æthiopica lingua peti, in qua ክልኤ፡ vel ክልኤ፡ fœm. ክልኤቱ፡ Plur. masc. ክልኤቲ፡ fœm. ክልኤት፡ *duplicem, geminos, duos* significat. Sic Psal. 149: 6. *gladius, cujus geminum os est*, sive *anceps*, δίστομος, dicitur ኲናት ዘክልኤ፡ አፉሁ፡

II. Ebræorum משפחה *familiam* notare, tralatitium est. Thema vero vocis primitivum ne ipsis quidem Ebræis notum est, utpote quod in sacris nullibi occurrit. At Æthiopibus est ሰፍሐ፡ *expandit, dilatavit, emisit.* Inde משפחה quasi è viro & muliere prima generis *extensio.*

III. מכרותיהם Gen. 49: 5. *Machæræ illorum* vel *gladii*, minus recte vertitur à Rabbinis, quos Christiani commentatores sequuntur. Vox enim ista non Persica, ut Grotius vult, neque Græca, ut R. Eliezer, cap. XXXVIII. Pirke sentit, qui Jacobum maledixisse filio ait בלשון יוני *Lingua Græca*; sed plane Æthiopica est. In hac lingua enim መከረ፡ *consultavit, consilium habuit, machinatus est*, significat. Unde מְכֵרוֹת *consultationes, pactiones.* Quæ significatio contextui omnium optime congruit, & præ altera, quæ fingitur, notione, in eum quadrat: ut vel ex vocibus subsequentibus vs. 6. בסודם *in arcanum illorum* & בקהלם *in cœtum illorum*, ubi nempe consilia agitari solent, satis abunde constat.

IV. Deut. 32: 28. de Judæis dicitur גוֹי אֹבַד עֵצוֹת הֵמָּה *gens periens consiliis ipsi sunt*, & additur ואין בהם תבונה *& non erit ipsis intelligentia.* Possit אבד *stulta* verti, si ad Æthiopicam vocem respicias. አበደ፡ enim *insanire & amentem esse* significat, Matth. 5: 22. Et ita Jer. 4: 9. כאבד לב המלך *peribit cor regis*, itidem hoc significatu explicari commode posse per *stultescet*, Ludov. de Dieu non male arbitratur.

V. Inter beneficia, quæ Messias hominibus exhibiturus sit, & hoc refertur Esai. 61: 1. quod annunciaturus sit vinctis פְּקַח־קוֹחַ *omnimodam apertionem*, ut Lexicographi interpretantur. Solet vero illa vox dupliciter explicari. (1.) ut, licet duabus scribatur dictionibus, tamen pro una habeatur, geminatis constante duabus radicalibus, ut sic *gemina* vel *omnimoda apertio* notetur. Ac ita in Michlal Joschi perhibetur esse: שם בהכפל העין והלמד כמלת בתלתול ופירושו פתוח *nomen, duplicata secunda & tertia radicali, ut in voce* פתלתול *& significare apertionem.* (2.) ut duæ sint dictiones: atque ita lib. cit. scribitur: יש לפרש שענינו שתי מלות ויהיה קוח מקור מן לקח ומשפטו פקח לקוח כלו' לפתוח אותם ולקחתם מהגלות והרי"קם כתב כי קוח הוא שם בית הסהר נקרא כן לפי שהאסורים לקוחים וכלואים שם ופירוש פקח קוח לפתוח להם בית הסהר: *Explicari & hunc in modum potest, ut pro duabus dictionibus habeatur, & sit* פקח *infinitivus, ex* לקח, *cum* פקח *esse debeat, quasi dicat, ut ex captivitate illos liberet. Sed Joseph Kimchi scribit,* קח *esse nomen carcerem designans ita dictum, quod vincti*

vincti ibi clausi teneantur, & sensus sit ל פקח קוח *ad aperiendum ipsis carcerem.* Si hoc modo explicetur, haud longe ea vox ab Æthiopica ሞቅሕ፡ aberit, quæ notat *compedem, vinculum*, Matth. 5:25. à radice ሞቅሐ፡ *ligavit, vinxit, catenas injecit, compedibus strinxit.* Unde & ቤተ፡ሞቅሕ፡ *carcerem* significat, Matth. 11: 2. cap. 14:10.

VI. Vocem מַלְאָךְ notare *legatum* vel *nuncium*, eaque de causa & Angelum sic appellari, à functione, quam Deus ipsi imponit, communis & recepta est sententia. Ast radicem לאך frustra quæsiveris. Occurrit tamen ea apud Æthiopes ለአከ፡ *legavit, misit nuncium.* Unde ለአክ፡ *minister, famulus,* & ለአካን፡ *Apostoli*, nec non መልአክ፡ *Angelus, Legatus, Præses.*

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIONIS
Ad Psalm. XL: 7. seqq.
PARS POSTERIOR.
PROOEMIUM.



SUada illa ac medulla sacræ eloquentiæ, *Chrysostomus*, causas enarraturus, ob quas V. T. difficilius sit, quam Novum, *Tom. III. Operum, homil. 2. de Prophetiarum obscuritate, fol. 816.* inter alias & hanc recenset: οὐχὶ τῇ ἐγχωρίῳ φωνῇ ἔχομεν τὴν παλαιὰν διαθήκην παρ' ἡμῖν γεγραμμένην, ἀλλ' ἑτέρᾳ μὲν συνετέθη γλώττῃ, ἑτέρᾳ δὲ ἔχομεν αὐτὴν ἀναγινωσκομένην ἡμεῖς. Τῇ γὰρ Ἑβραίων φωνῇ παρὰ τὴν ἀρχὴν συνεγράφη· ἡμεῖς δὲ αὐτὴν τῇ Ἑλλήνων παρελάβομεν γλώττῃ. Ὅταν δὲ γλῶττα ἑρμηνευθῇ εἰς ἑτέραν γλῶτταν, πολλὴν ἔχει τὴν δυσκολίαν, καὶ ἴσασιν ἀκριβῶς, ὅσοι πολλῶν γλωσσῶν εἰσιν ἔμπειροι, πῶς οὐ δυνατὸν, πᾶσαν τὴν σαφήνειαν τῆς φωνῆς τῆς ἐν τῇ οἰκείᾳ φύσει κειμένης μετενεγκεῖν εἰς τὴν ἑτέραν μεταβάλλοντας γλῶσσαν. Τοῦτο οὖν αἴτιον τῆς δυσκολίας τῆς ἐν τῇ παλαιᾷ διαθήκῃ γέγονε. *Non habemus nativo nostro idiomate scriptum apud nos V. T. sed alia quidem lingua compositum est, alia vero nos illud legendum habemus: siquidem à principio Ebraico conscriptum est idiomate; nos autem Græca lingua expressum accepimus: cum vero in alteram linguam interpretatione translatum fuerit, maximam habet difficultatem. Atque hoc probe sciunt, quicunque multas linguas callent, fieri non posse, ut pari perspicuitate sententias omnes ex nativa sua lingua in alteram interpretando transferamus. Hæc igitur causa difficultatis extitit in V. T.* Quod vir sanctissimus negat, pari perspicuitate sententias omnes ex nativa sua lingua in alteram interpretando transferri, id cum alias sæpenumero, tum hoc loco LXX. interpretes suo exemplo docent. Quorum versio cum à litera longius recedere videatur, quam par erat, & docti viri multo aliter & diversas quoque voces eos in suo codice legisse, quam hodie in Ebraico fonte reperiuntur, contendant, adeoque ea versio non per omnia cum Ebræo convenire, neque plenam intelligentiam Scripturæ suppeditare, dicatur; jam nunc reliquorum verborum vaticinii nostri sensum indagaturi, accuratius cum ipsum fontem Ebræum, tum ex eo derivatos versionum rivulos, invicem comparando, quid super iis recte, vel secus, interpretes docuerint, expendemus.

CAPUT III.

SUMMARIA.

Locus Esai. 1: 12. à Theodoreto explicatus, cum Psal. 40:7. comparatur. Ecquid discriminis inter utrumque sit, ostensum. Verborum אזנים כרית לי *παρερμηνεία Judaica & Bezæ, notata. Verus sensus verbi* כרה *loco parallelo illustratus ab ipso Kimchio. Cur Calvini glossa sit rejicula? Ad Legem Mosaicam Exod. 21: 2. alludi à Messia probatur. Quid juris herus in servum habuerit apud Ebræos? R. Moses Mikkozi laudatus. Quid in auris perforandæ ritu* ἀξιομνημόνευτον *fuerit, ex Abarbenele ostensum. Juvenalis & Scholiastæ illius de eodem in Syria recepto ritu testimonium. Cl. Bochartus laudatus. Arabibus & Indis haud ignota perforatio auris. Quando perforatio, & à quo peracta fuerit apud Ebræos, ex Abarbenele & Maimonide ostensum. Reciprocus heri & servi amor ad Messiam applicatus. Cur Alexandri Mori interpretamentum verbi* הגישו *minus conveniat? Bechai in* הרלה *mysterium nequicquam quærit. Ipsa locutio Ebraica expenditur, & significatio. Judæorum prodigiose delirantium commenta super hoc loco, ex libro Jalkut adducta, explodúntur. LXX. Interpretum, Syri item Arabis & Æthiopis à fonte Ebraico discrepantia. Morini & Bellarmini, Piscatoris, item B. Glassii, B. Hackspanii, Schlichtingii & Vossii diversæ opiniones, super Ebræi fontis & versionum dissidio, adductæ. Mori sententia examinata. Ezechielis Vaillanti & Ludov. Capelli novæ de LXX. Interpp. Versione sententiæ, paulo post considerandæ, adducuntur.*

§. 1. CUm Esaiæ cap. 1: 12. Deus adipem agnorum, & sanguinem taurorum & hircorum, se aversari asseverat, Patrum Græcorum minime postremus *Theodoretus ad loc. cit.* hunc in modum scribit: Διὰ τούτων μέντοι Προφήτης, μᾶλλον δὲ διὰ τούτου λαλήσας Θεὸς, καὶ τὰς περὶ πλημμελείας, καὶ τὰς περὶ ἁμαρτίας, καὶ τὰς τελειώσεις θυσίας, καὶ τὰς ὁλοκαρπώσεις ἐξέβαλε. *His plane verbis Propheta, vel Deus potius per Prophetam, omnes, tum pro delicto & peccato, tum perfectionis & holocausti hostias, repudiavit.* Totidem nempe sacrificia, quot Psalmo nostro supra vidimus, recensens Theodoretus, eorum abrogationem, veluti præcipuæ cultus Levitici partis, ibi intelligi fatetur, cum sanguinem brutorum Deus repudiare, & illum nolle dicatur. Gemellus itaque fere locus ille propheticus fuerit huic nostro Davidico, utpote in quo idem significatur, quod ibi Esaiam docere, Theodoretus affirmavit.

§. 2. Hoc ipso tamen illi nostrum vaticinium est dissimile, quod non nude sacrificiorum imbecillitatem, & in divinis oculis exiguum valorem indicat, sed adhuc alterius etiam meminit, qui id omne, quod à sacrificiis illis umbratilibus & typicis frustra Judæi tam diu expectabant, largissime præstitit, & ab-

& abunde. Is nempe eſt *Meſſias*, quem in textu loqui ſupra evicimus, & qui gemina ſacrificiorum ſpecie elevata, iisque, velut ad placandum Deum inutilibus, rejectis, Deum Patrem his verbis alloquitur: אזנים כרית לי *aures perfodiſti mihi.* Qua locutione quid ſignificetur, Judæi, & Chriſtianorum nonnulli, minime penetrant. *R. Davidis Kimchi* verba *comm. in h. l.* hæc ſunt: כרית פתחת לי שאשמע לקולך *Verbum* כרית *idem ſignificat, ac aperuiſti* (aurem), *ut tibi obtemperarem.* Similiter & *R. Salomo*, & ex eo *Kabhvenaki*, ait: אזנים כרית עשיתם הלולות למשמע: *Aures fodiſti, feciſti eas perforatas ad audiendum.* R. *Aben Eſra* quoque non abludit: לא בקשת זבח רק כרית לי אזנים שאשמע בקולך כמו הזה שמוע מזבח טוב: *Non poſtulaſti ſacrificium, ſed tantum aurem mihi fodiſti, ut auſcultarem voci tuæ, ſicut idem* (1 Sam. 15: 22.) *auſcultare melius eſt ſacrificio.* Et *Simeon de Muis comm. in h. l.* meminit *R. Moſis* cujuſdam, qui ad verbum כרית adverbium לא ſubaudit, ita, ut neget is, qui in Pſalmo loquitur, ſibi aures fuiſſe apertas. Sed nimis hoc argutum eſt. *Theod. Beza* quoque Ebraicam & Græcam phraſin expendens *comm. in Ebr. X.* ita ſcribit: *Docilem & obſequentem me ad audiendum reddidiſti.* Subjicit porro: *Ita enim deſcribitur in capite noſtri perſona, quæ ſit fœderis noſtri ratio, nempe fide percipere Evangelium, quod ab iis unis præſtatur, quibus Deus aures cordis aperuit, ut Act. 16: 14. cum natura omnes cœci ſimus.*

§. 3. Sed mirum eſt, *Bezam*, virum alias doctum, & in explicandâ phraſi ſacra haud adeo infelicem, tam procul hic à veritate ablusiſſe. Etſi enim יעיר לי אזן *excitabit mihi aurem Eſai.* 50: 4. & פתח אזן *aperuit aurem vſ.* 5. ejusmodi animi apertionem ſignificet, qua obturatio excluditur, & qua quis ſe docilem ac promtum ad capeſſenda juſſa, præbet; minime tamen hic de illa, quæ piis alias hominibus eſt communis, ſed ad aliud quid à Pſalte alluditur, ubi verbum כרה adhibetur, quod *Kimchi* explicaturus ſcribit: מן כי יכרה איש בור *habere ſignificationem ejusmodi qualis ibi occurrit, ubi fons fodi dicitur* (*Exod.* 21: 33.) quod verbum minus eſſe dicitur, quam חפר; hoc enim *in latum & profundum eſt effodere*, annotante *Edmundo Caſtello in Lexico Heptaglotto*; כרה vero ſimpliciter etiam notat *perforare inſtrumento.*

§. 4. Scire igitur licet, dum verbum hoc cum nomine אזנים conſtruitur, Meſſiam hic ad certum reſpicere ritum, quo ſcilicet, ſecundum legis Moſaicæ præſcriptum (Exod. 21: 2. & Deut. 15: 16.) *herus ſervo ſuo ſubula, vel fibula, aurem perforavit ad januam*, ad ſignificandum ſervitutem conſtantem, quam is ſuopte motu lubens in ſe ſit deinceps ſuſcepturus. Etſi enim & *Calvinus in expoſitione Catholica* affirmat, coactam argutiam eſſe, ſi perforationem aurium per ritum illum antiquum explicare velimus, cum potius Davidi purgatas fuiſſe aures, locutio innuat, ut nempe melior eſſet legis interpres, quam alii ex vulgo; minime tamen vel illius vel aſſeclarum ejus verbis movemur, cum non obſcuri inter Reformatos viri nobis ſuum calculum ultro adjiciant, & verbo כרה conſtructo cum אזנים eam ſignificationem tribuant, quæ verbo רצע in lege Moſaica, omnibus conſentientibus, competit.

§. 5. Quem Ebræorum ritum ut accuratius perpendamus, omnino operæ videtur eſſe pretium. Ex ejusdem enim notitia de Meſſiæ ſermone judicare, eumque rectius intelligere, in proclivi erit. Id autem ex Ebræorum monumentis conſtat, herilem & patriam poteſtatem minorem fuiſſe apud illos, quam apud Romanos. Ebræo enim ſanguine oriundi corpus alias neque in heri, neque in patris fuit poteſtate, teſte *R. Moſe Mikkozi in* ספר מצות גדול *præcepto affirmativo* 132. *fol.* 195. *col.* 2. שנינו בפי המקדיש שדהו החרי' אדם בנו ובתו ועבדו ושפחתו העבדים או שדה מקנתו הרי אלו אין הרמין שאין אדם מחרים דבר שאין גופו שלו: *Legimus in Talmude, Maſſechet* קדשים *cap.* 8. *cujus initium* מקדש שדהו, *eum, qui hominem conſecrat, filium ſuum, vel filiam ſuam, ſervum vel ancillam Ebrææ proſapiæ, aut agrum ejus, non poſſe devovere illos. Neque enim quisquam poteſt aliquid conſecrare, cujus corpus non eſt in ipſius poteſtate.* Licet autem hero ſic in ſervum Ebræum nullum jus necis competeret, ſi tamen ſervus ille manumitti nollet, & ita herum, ſuamque ipſius uxorem, vel liberos ex ea genitos, tam impenſe amaret, ut etiam libertati, quæ ſeptimo quoque anno ſervo offerebatur, ſervitutem ulteriorem præferret, auris ſervi illius, vi legis Moſaicæ, ſubula perforanda erat ab hero publice, magiſtratus præſcitu, ad oſtium. Nempe, ut *R. Abarbenel ad loc. cit.* ſcribit: שיתנצל מזה לפני בית דין ויתפרסם שאינו רוצה האיש הזה ואינו מחויק בו בחנופה ורמאות כנגד המשפט האלוי: *Ut ſe coram magiſtratu defenderet, & publice demonſtraret, quod exire vir iſte nolit, quod ipſum non retineat per fraudem & dolum.* Cui ſervituti tantiſper deinceps obnoxius erat, donec annus iterum Jubilæus appeteret, vel heri ſui mors ſervitute illum iterum eximeret. Ita enim diſerte *R. Moſes Maimonides Hilk.* עבדים *c.* 3. *ſect.* 7. מכרוהו בית דין ועבר שש ולא רצה לצאת הרי זה נרצע ועובד שנת היובל או עד שימות האדון: *Ubi Synedrium eum vendiderit, & ſex annorum ſervitute finita noluerit egredi, ecce tunc perforatur auris, & usque ad annum Jubilæum ſervit, aut donec dominus obierit.*

§. 6. Et hic *aures perforandi* mos ab Ebræis ad alias quoque gentes derivatus videtur. Ejus enim veſtigia adhuc in *Syria* tempore *Juvenalis* ſuperfuerunt, quod apud eundem *libertinus* teſtatur *Satyra* 1. his introductus verbis:

> *Cur timeam, dubitemve locum defendere, quamvis*
> *Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ*
> *Arguerint, licet ipſe negem* —— ——

Ad quæ verba *Scholiaſtes vetus* notat: *pertuſis auribus ſigna libertinorum celare non poterant.* Vel, ut *Cl. Bochartus Hierozoic. tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 6. *pag.* 781. explicat: *priſtinam ſervi conditionem & genus ex Syria fruſtra diſſimularem, cum id palam doceant aures, quæ mihi pertuſæ ſunt, dum in Syria ſerviebam.* Quin & in *Arabia* idem receptum fuiſſe, *Petronius in Satyrico* confirmat, dicens: *circumcide nos, ut Judæi videamur, & pertunde aures, ut imitemur Arabes*, nempe *ſervos*, de quibus ibidem agitur, ubi paulo ante atramento voluerant infici, ut viderentur ſervi Æthiopes. Imo ad *Indos* quoque perveniſſe aurium perforationem, teſtatur *Rex Æthiopiæ Claudius, in Confeſſione Fidei*, dicens:

ግዝረትሰ፡ ዘብነ፡ በኅሌ፡ በልማደ፡ ሀገር፡ ከመ፡ ከጥባተ፡ ገጽ፡ ዘኢትዮጵያ፡ ወኑባ፡ ወከመ፡ ሰቀሬተ፡ እዝን፡ ዘሰከአ፡ ሀንደ፡ *Circumciſio eſt apud nos ſecundum conſuetudinem regionis, ſicut inciſio faciei in Æthiopia & Nubia; & ſicut perforatio auris apud Indos.*

§. 7. Nec operam luſuri videmur, ſi, quid ipſi Judæi ad hunc ritum obſervant, in medium attulerimus. Uti *R. Abarbenel* ad legem illam memorat, ſervo non prima vice, vel animo haud ſatis deliberato ſervitutem ſe continuaturum aſſeveranti, auris perfodiebatur, ſed tunc demum, cum iterum ac ſæpius teſtatus fuiſſet, ſe, quod herum impenſe amaret, nolle dimitti. Sic enim *Abarbenel ad loc. cit.* ſcribit: והתנה הכתוב שלא יאמר אותו פעם אחת אלא פעם אחר פעם וזה הוא אם אמור יאמר שיאמר זה באמירות רבות אהבתי את אדני כי טוב לי עמו: *Scriptura docet, non ſemel duntaxat eum hoc dicere, ſed iterum, ac ſæpius. Atque hoc innuitur verbis: ſi dicendo dixerit, nempe ſi iteratis vicibus hoc dixerit, herum meum amavi, quia bonum eſt mihi cum ipſo agere.*

§. 8. Præterea & iſtud in lege illa memoratu dignum eſt, quod *R. Abarbenel fol.* 178. *col.* 4. monet: ורצע אדניו ר"ל לא השליח ב"ד אבל אדניו מעצמו ירצע את אזנו במרצע לפני כל באי שער עירו בפרסום ומשם והלאה יעבדו לעולם: *Et perforabit dominus ejus, q. d. non Synedrii legatus, ſed ipſemet dominus ſubula perforabit coram omnibus, qui urbis ejus portam ingrediuntur, publice. Ex eo tempore & deinceps ei ſubinde ſerviebat.* Idem teſtatur *Maimonides cap.* 3. *Hilk.* עבדים *ſect.* 9. האדון הוא רוצע בעצמו שני ורצע אדניו לא בנו ולא שלוחו ולא שליח בית דין: *Dominus ipſe perforabat* (aurem), *quia dictum eſt: & perforabit herus ejus, non filius ipſius, nec legatus ejus, nec Synedrii legatus.* Quæ duo & in noſtro loco obſervationem merentur ſingularem, & id nobis quoque ſuggerunt, Meſſiam, qui hoc loco ſibi aures à Deo perforatas commemorat, ſervitutem lubenti animo, & quaſi deliberato, ob inſignem, quo in herum ſuum amore ferebatur, ſuſcepiſſe, & ipſum Deum illum, inſtar ſervi, auribus quaſi perforatis, ad miniſterium vel ſervitium nobile, volentem elegiſſe & deſtinaſſe. Neque illud hoc loco ſilentio prætereundum eſt, quod *loco cit. R. Moſes Maimonides* porro ſcribit: אם הוא אוהב את רבו ורבו אינו אוהבו אינו נרצע שני כי טוב לי עמו: *Si herum ſuum amat, contra herus ipſius illum non item, non perforatur* (auris) *quia dictum eſt: eſt enim mihi bonum cum eo.* Et ſic reciprocus inter utrumque amor fuit, quo videlicet in Deum Meſſias ferebatur, ut eum deſerere nollet, & vice verſa Deus eum ſibi elegerat, ut nulli alii comparandum. *Alexander* quidem *Morus ad loc. cit.* nobis hic repugnat: *nulla*, inquiens, *hic alluſio eſt ad ſervilem ritum, niſi forte, quatenus dominus ſervum offerebat Diis, judi-*

judicibus אלהים. *Aquila & Symmachus* πρὸς τὸν Θεὸν, *LXX.* πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ Θεοῦ, *ubi legitur* והגישו *Vulg. offeret eum, prædicto Exodi loco, quod respondet iis, quæ hic subjiciuntur continenter, oblatione semel peracta corporis Jesu Christi.* Ast verbum Ebræum הגישו h. l. non respicit Christum vel illius oblationem, sed circumstantiam saltem in ritu hoc significat, quæ servum dimittendum respiciebat, & in locum judicii adducendum, ut ibi solenniter pluribus consciis & tanquam testibus futuris, ulteriorem servitutem in se reciperet. Ad ritum vero illum alludi nequicquam *Morus* negat, ut supra vidimus.

§. 9. *Rabbi Bechai comm. in Exod.* 21: 7. סוד *arcanum* quoddam crepat, quod se observasse scribit his verbis: יש לך להבין עוד כי יש במלת הדלת סוד ועל כן נזכר המלה בלשון ידיעה והגישו אל הדלת וכן מצינו במשנה תורה ונתת באזנו ובדלת וכו׳: *Amplius intelligendum tibi est, in voce* הדלת *esse arcanum, & idcirco eam habere* ה *notificativum, cum dicitur: & adducunt eum ad* הדלת. *Et sic in Deuteronomio* (cap. 15: 17.) *reperimus: & dabis in aurem ejus, & in* הדלת *&c.* Sed mysterium, quod in voce הדלת scrutatur, nihil, nisi inane est commentum & ex ה, quod notificativum appellant, nihil colligi posse, exinde patet, quod illud alias sæpius otiosum est, & nihil emphaseos plane involvit.

§. 10. Potius illud mysterium, vel ס״ד עמוק *profundum arcanum*, quod in משפטים sive *legibus* contineri *R. Abarbenel* affirmat, in ipsa phrasi laudata quærimus, quæ constans & voluntarium servitium, & ab ipso Deo, velut hero Messiæ, probatum, complectitur; quod jam in textu Messias in memoriam sibi revocans, seipsum ita loquentem introducit, ut antithesi instituta inter sacrificia reprobata, & se præfiguratum, & in libro prænunciatum, jam semet ipsum sistat, qui, sacrificiis plane ex se & sua natura nihil valentibus, per aquam & sanguinem venerit, 1. Joh. 5: 6. Atque sic oppido emphatice ponitur particula אז *tunc*, videlicet subinnuens, *tunc*, cum sacrificia adeo parvi faceret Deus, & ex illorum oblatione secundum se parum commodi in homines redundare posset, *tunc*, inquam, Messiam non tam dixisse, quam reapse & ipso documento, seipsum scilicet offerendo, comprobasse, se venire: de quo dudum quoque in libro sit scriptum, quid ab eo nobis sit expectandum, adeoque ipsum demum ea, quæ ad expiationem necessaria sunt, præstare, & λύτρον veri nominis Deo, loco hominum, exhibere.

§. 11. Qui sensus cum haud dubie verus sit & genuinus, ab eo tamen adeo procul absunt Judæi, ut plane ridicula allegorico illo suo scribendi genere lectori obtrudant. In *libro Jalkut, part. 2. col. 1. ad Psalm.* 40. hæc verba legimus: אז אמרתי הנה באתי דרש רבא אני אמרתי עתה באתי ולא ידעתי שבמגלת ספר כתוב עלי כתיב הנה שתי בינותיך הנמצאות וכתיב התם מצאתי דוד עבדי היכן מצאתיו בסרום: *Verba* אז אמרתי *Rabba allegorice explicat: Ego dixi, nunc veni, & ignoravi, in volumine libri de me scriptum esse: Ecce duæ filiæ tuæ inventæ* (Genes. 19: 15.) *& ibi* (Psalm. 89: 21.) *scriptum est: inveni Davidem, servum meum, ubi eum inveni? Sodomæ.* Nempe, si Dîs placet, ubi de duabus filiabus Loti sermo est, Davidis fit mentio. Quam absonum hoc sit, & ab omni veritate alienum, per se satis patet. Neque scriptionem illam ad *Psalm.* 89. referre potest recutitus, cum id temporis vix ulli libri sacri fuerint scripti, præter Pentateuchum, & forte librum Jobi.

§. 12. Ejusdem farinæ & æque futile illud est commentum, quod libro *Jalkut l. c.* subjicitur: אמר דוד רבונו של עולם כתבתני בספרו של אדם הראשון דכתיב גלמי ראו עיניך ועל ספרך וכו׳ לפיכך צריך אני לומר שירה לפניך שנאמר אז אמרתי הנה באתי ואין אז אלא שירה שנאמר אז ישיר משה אמתי לעתיד לבוא שני שירו לה׳ שיר חדש: *Dixit David, Domine mundi! scripsisti me in libro hominis primi. Scriptum enim est* (Psal. 139: 16.) *informe meum viderunt oculi tui, & super libro tuo &c. Atque idcirco mihi canticum canendum est coram Te, quia dictum est: Tunc dixi: ecce veni. Neque usurpatur* אז *nisi de* novo cantico, *quia dictum est: Tunc cecinit Moses* (Exod. cap. 15: 1.) *Ecquando? Id adhuc futurum est; Dictum enim est:* (Psal. 33: 3.) *Cantate Domino canticum novum.*

§. 13. Quam inepte & ridicule de vocula אז hoc loco loquuntur! Quam parum succi ex tam pretioso & ubere fonte elicere norunt stupidissimi Judæi, ex quo è contrario Christiani longe uberrimum fructum percipiunt! Hi enim vaticinium hoc cum complemento conferunt, & deprehendunt, quomodo sacrificiorum usus eviluerit, & cessarit, ut Messiæ hostia omnium sacrificiorum defectum suppleverit, ita, ut nullius amplius carnalis sacrificii usus, vel Levitici cultus restituendi spem Judæis concipere liceat. Ecquæ enim illorum sit necessitas, postquam verum τῆς εὐωδίας καὶ εὐδοκίας sacrificium, sive זבח רצון *sacrificium benevolentiæ, & bonæ voluntatis* se stitit, & tot retro annis omnes typos reapse cessare jussit? Ut hoc loco ipsum *sacrificium* subintelligamus, quando Messias ait: בָּאתִי לַעֲשׂוֹת רְצוֹנְךָ *Veni ad faciendum voluntatem tuam*, sive ut alii efferre solent, SACRIFICIUM *voluntatis tuæ vel beneplaciti*, & fidei analogia & contextus omnino nos inducit & persuadet.

§. 14. Quid per *aurium perforationem* Messias hic significare voluerit, inde patet, nempe se à Deo instar servi, cujus aures in obsignationem servitutis perforatæ sint, habitum, jam jussa Dei capessere velle, & sacrificiorum loco id præstiturum, quod nullum illorum hactenus efficere potuit. Notatur igitur ejusmodi mancipatio, qua Christus ad id operis quasi notatus, signatusque est, instar voluntarii servi.

§. 15. Sed illud hic multum doctoribus negotii facessit, ecquomodo *LXX. Interpretes*, quos ipse *Apostolus Ebr.* 10. secutus est, verba Ebraica אזנים כרית לי quæ *aures perforasti mihi* sonant, transferre potuerint σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, *corpus mihi adaptasti. Syrus* etiam, contra quam alias fere fieri solet, magis versionem hic, quam originalem textum est secutus, dum vertit: ܦܓܪܐ ܕܝܢ ܐܠܒܫܬܢܝ: *corpore induisti me*; & *Arabs* واقتنيت لي جسدا *corpus mihi acquisivisti. Æthiops* vero neutrum penitus expressit, dum vertit: ሥጋከ፡ አንጽሕ፡ ሊተ፡ *Corpus tuum purificem mihi.* Qui interpretes omnes, non minus atque ipse *Apostolus*, σῶμα, *corpus*, ibi reddiderunt, ubi in Ebræo textu legitur אזנים *aures.* Hinc *Morus loc. cit. Certe*, inquit, *corporis adaptatio nihil habet commune cum aure perforata. Sed neque necesse est, Psalten eo respexisse: Dixisset quippe, aurem, non aures. Unica enim perforari solita. Neque Aben Esra, nec Kimchius, neque Chaldæus, neque Syrus eo retulerunt. Simpliciter à Deo aures dicuntur perfodi, ut aperiri labia, cum fiunt dicto audientes, nec obsurdescunt, vel obturantur.* Varii itaque varia sunt commenti, & diversas hujus mutationis dederunt causas. Quidam, uti *Johannes Morinus, Blesensis, Præfat. in LXX. Versionem*, ingentem & manifestissimam corruptionem in textum Ebræum irrepsisse, clamitant. Quin tantum abesse contendit Oratorianæ congregationis presbyter, ut cum Apostolo conciliari is queat, ut, quam instituit demonstrationem, penitus labefactet. Neque *Bellarminus* multo aliter de loco nostro sensisse videtur, cum LXX. Codicem Ebræum habuisse contendit, ubi *corpus*, non *aures*, scriptum fuerit.

§. 16. *Johannes Piscator* arbitratur, pro אזנים LXX. legisse עצם, quæ vox proprie *os*, synecdochice *corpus* significat. A qua sententia non alienus esse videtur *B. D. Glassius, Rhetor. Sacr. l. 5. tr. 2. c. 7.* ubi sic eos legisse *probabile esse* dicit. Idem etiam affirmat *B. Hackspanius in Notis Philolog. super h. l. Jonas* vero *Schlichtingius comm. in c. 10. Epist. ad Ebr.* adhuc longe aliter de textus Ebræi mutatione disserit: *Videtur*, inquiens, *dicendum esse, aut aliam etiam olim fuisse lectionem Ebraicam, quam illa est, quæ nunc extat, præsertim si aliqua sit vicinitas nominum, quibus aures & corpus in Ebræo significantur; aut versionem Græcam hoc loco, quemadmodum & aliis in multis, fuisse mutatam.* Et paulo post idem *Schlichtingius* hunc in modum pergit: *in Ebræo legitur* אזנים *aures; huic voci reperienda est aliqua similis, seu quod ad literarum figuras attinet, vicina, (nam similitudo punctorum vocalium, quæ antiquitus vix unquam scribebantur, ut hodieque in Ebræorum fit libris, non est hic requirenda) quæ corpus significet. Talis autem dicitur vox Geviah, quæ sæpissime in Sacris occurrit. Tolle enim ex dictione Osnaim primam literam aleph, quæ excidere haud difficulter potuit, reliquæ literæ non sunt absimiles illis, quæ vocem* גויה *corporis significationem, constituunt, quod facile agnoscent, qui literis Ebraicis utramque vocem pingere voluerint. Sed peritiores ea de re amplius cogitent.* Novissime quoque *Isaacus Vossius*, Vir longe celeberrimus, *Dissert. de Translat. LXX. Interpp. cap. 21. Vel*, inquit, *vocabulum Ebræum non aures tantum, sed & corpus significat, ut verterunt LXX. Interpretes; vel corruperunt locum Judæi, ut tam manifestam tollerent Prophetiam.*

§. 17. Alii vero interpretes non tam Ebræum fontem corruptum, vel causam diversæ locutionis in eo quærendam esse volunt, quam in ipsa Versione Græca, in quam pro voce ὠτία potuerit irrepere vocabulum σῶμα, veluti cum *Gesnero Osiander* olim sensit. Atque his accensendus venit *Alexander Morus*, qui in eruditis alias *notis in loca N. T. ad Ebr.* 10: 5. scribit: *Scripserant forte Græci ὠτία, quod à sciolis mutatum est in σῶμα. Sed quare? quia illo toto Psalmo* 40. *David gratias*

gratias agit Deo de salute sibi corporis restituta. Putarunt igitur, dicere Davidem: corpus mihi firmum, integrum & sanum reddidisti. Nam id interdum est כרה *nec modo perfodisti.*

§. 18. Sed hæc omni dubio haud carent. Davidem enim toto hoc Psalmo gratias agere Deo de salute sibi corporis restituta, id commentum est, superiori disputatione explosum. Græcos vero Interpretes ὠτία scripsisse, quod sciolus aliquis in σῶμα mutaverit, id æque facile rejicitur, ac asseritur, velut ipse *Morus*, adhibita particula dubitandi *forte*, haud obscure fassus est. Paulo post etiam rationem haud contemnendam adducturi sumus, quam ob rem hæc Mori conjectura sit rejectanea & nullius roboris. Quod vero etiam τὸ כרה idem esse ait, ac *integrum & sanum reddere*, id nemo Ebræorum ei fuerit largitus, cum, quantum nobis quidem hactenus constat, significatio illa plane in Ebraica lingua nova sit & inaudita. Eccur vero locum parallelum non adduxit, si ex usu Scripturæ verbo huic ejusmodi competit significatio? Nempe ita usu venire solet, ut qui textum explicare conantur sine solida Ebraicæ linguæ notitia, miris modis impingant, & eruditioni, cæteroquin haud exiguæ, maculam aspergant fœdam & tantis viris indignam. Nisi plane fallimur, Ebræam vocem ex Græca æstimare voluit *Morus*. Sed licet τὸ ἄρτιος, teste *Suida*, idem notet ac τέλειος, ὑγιής, *perfectus* ac *sanus*, minime tamen de verbo καταρτίζω, quod hic pro כרה usurpatur, idem facile quis asseruerit, maxime cum nomini אזנים adjungatur, cui prædicatum hoc in dicto sensu minime competit. Æque inepte de verbo כרה *Morus* disseruit, ac illi, quos *Corn. à Lapide comm. in Ebr.* 10: 5. p. 273. recenset, *Genebrardus* nempe & *Ribera*, qui אזנים כרית לי *corpus mihi fodisti*, explicant per *fodicasti*, ut figulus solet argillam fodicare & subigere, ut vas suum efformet. Quam hæc à veritate aliena sint & frivola, sic satis patet, ut vel recitasse ea, sit refutasse.

§. 19. Vir quidam doctus, cui *Ezechiel. Vaillanto* nomen est, per ἀμοιβαῖα scripta de nobili & momentosa quæstione, cum *Ludovico Capello* contulit & disputavit, an loca parallela, quæ è V. T. in Novo adducuntur, citentur ab Apostolis & Euangelistis, prout in Græca τῶν LXX. Versione tum temporis habebantur; an vero fuerint de novo sic reddita, ac postmodum in Græcam Versionem LXX. Interpretum, quæ hodie extat, à scribis & librariis, vel novis, aut antiquariis, paulo post Apostolorum tempora, verbatim transcripta, atque infulta? Atque ibi, ut ex *Critica S. Capelli* patet (quippe cui illa quæstio de locis parallelis V. & N. T. inserta est) *Vaillantus* posterius asserens, adductis aliquot locis, tandem hunc in modum concludit: *Desino plures locos tædiose congerere, unicum tantum ex Epistola ad Ebræos adjiciam, tum quia is opinioni meæ confirmandæ plurimum inservit, tum quia is nitori suo restitutus, & illam Apostoli disputationem, & illud Davidis vaticinium, unde hic locus desumtus est, illustrat. Locus ita habet:* Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. *Quæ verba, quia desumta sunt ex Ps. 40. ubi ita scribitur: Holocaustum & sacrificium pro peccato non postulasti, aures autem fodisti mihi, Interpretes crediderunt, corpus aptare & aures perforare, idem hoc loco consonare & conati sunt ea inter se conciliare, ne dissensus illorum Apostoli fidem & argumentationem labefactaret. Et tamen, si verum amamus, fatendum est, eas inter se omnino differre. Ut ergo sincera Apostoli expositio intelligatur, & illi Psalmo sua lux restituatur, intelligendum est, in illis Psalmis, in quibus natura vel officium Christi memoratur, non omnia in illis ad Messiam pertinere, sed eorum partim Davidi excluso Christo, partim quoque soli Christo convenire. Ideo Apostolus certa Messiæ vestigia in illo Psalmo agnoscens, Messiam ibi à Davide sagaciter distinguit, quæ Davidis sunt, Davidi relinquens, & ea, quæ Christi sunt, Christo tribuens, & ad suum institutum accommodans. Exempli gratia, cum Psaltes ait: Tu mihi perforasti aures, scilicet ut voluntas tua in intimos animi sensus penetret, Apostolus intelligens, hæc de Messia dici non posse, qui, cum sit omnis sapientiæ fons inexhaustus, non necesse habuit, ut quis illi aurem velleret, aut aurium meatus, ad recipienda Dei mandata, reseraret; ideo Apostolus sententiam illam relinquit, & eam, quæ proxime ibi sequitur, usurpat, ut, quæ proprie ad Christum pertinens ejus naturam & officium vere exprimat. Ita verba illa Psaltis: Sacrificium & holocaustum noluisti, intelliguntur, Davidi non convenire, cum contra Davidis temporibus totus religionis cultus in sacrificiis & holocaustis consisteret. Quare ea proprie Christo competunt, qui, sublatis è mundo legis umbris & sacrificiis, veritatem & corporis sui oblationem in earum locum substituturus erat. Apostolus igitur hic illius Psalmi paraphrastem agit & verbis illis: Ecce venio, explicationis causa addit: in mundum. Ita enim Christus hoc charactere describi solet:* ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων. *Et quia necesse erat, eum, qui in mundum venturus cælitus, & inter homines habitaturus erat, carnem fieri Joh.* 1: 10. *ideo Deus dicitur hic corpus illi aptare. Et quia Psaltes ait, eum venire, ut faciat voluntatem Dei, Apostolus vs.* 10. *explicat, quæ sit illa Dei voluntas, ut scilicet oblatione corporis Messiæ homines coram Deo sanctificentur. Denique quia Psaltes ait, in volumine libri scriptum est de me, Apostolus locum voluminis illius indicans ita scribit: in volumine libri scriptum est de me, innuens, inquam, principium libri Mosis, ubi Christus describitur in mundum venturus, serpentem attriturus, & juxta beneplacitum Patris, obsequio & oblatione corporis sui, homines in libertatem asserturus. Quare adduci non possum, ut credam, Apostolos divinitus institutos, animi adeo abjecti fuisse, ut maluerint Græculi interpretis errores & lapsus sequi, quam regia via, post Prophetarum vestigia incedere, cum videamus, eos passim alias ab illa Græca Versione secedere.*

§. 20. Aliam adhuc sententiam de Græca Versione ipse *Ludovicus Capellus lib. IV. Crit. Sacr. c.* 18. in medium profert, qua, salva Ebraica veritate, & nulla in fontibus mutatione, vel corruptione admissa, Scribæ culpa aliquid hic immutatum fuisse hariolatur: *Ego*, inquiens, *si conjecturæ locus est, existimarem, LXX. reddidisse & scripsisse* σῶμα δὲ κατηρτίσω μέ σοι, *hoc est, servum me fecisti tibi. Nam* σῶμα *pro servo ac mancipio à Græcis usurpari, ab aliis jam pridem est notatum. Atque hæc est mens Psaltis, quum ait: Aurem perforasti mihi. Nam, ut ab aliis jam est observatum, qui aliquem in perpetuum mancipare volebat, ex Legis Mosaicæ præscripto aurem illi subula perforabat. Sic ergo LXX. Ebræam phrasin* אזן כרית לי *aurem perforasti mihi, Græca aptissime expresserunt,* σῶμα δὲ κατηρτίζω μέ σοι, *mancipium fecisti me tibi. Forte etiam legendum* κατηρτήζω, *hoc est, alligasti, devinxisti, à* καταρτάω, *hoc est, suspendere, alligare; mancipia enim sunt hero suo devincta & quasi alligata, atque ab ejus nutu pendentia, & quasi suspensa. Verum cum scriba non satis caperet phrasin illam* σῶμά μου κατηρτίζω σοι, *maxime de Deo usurpatam, neque videret, quo pacto Deo corpus aptari dici posset, existimaretque, propterea sensum inde exsurgere falsum atque blasphemum, cum Deus sit incorporeus, putavit levi mutatione τοῦ* σοι *in* με *posse corrigi atque emendari locum* ἀκατάληπτον. *Sensus enim jam hic fuerit ex illa correctione,* σῶμα κατηρτίσω μοι, *corpus adaptasti mihi, hoc est, creasti & conformasti sapientissime corpus meum, & illud animæ meæ adjunxisti & adaptasti, sicque me hominem anima & corpore constantem fecisti. Quæ, sive de Christo, sive de Davide, dicantur, verissima sunt in se, & utrique optime quadrant, aptissimeque conveniunt*: at non continent sensum horum verborum: אזן כרית לי aurem perforasti mihi, *neque Davidis, aut Spiritus S. mentem, quum sic locutus est, exprimunt. Sic nullo negotio conciliari possunt hic LXX. Interpretes cum Ebræo textu, reponendo* σοι *pro* μοι, *quod inscitia & temeritate librarii videtur fuisse mutatum, &* με *detractum, quasi supervacaneum.*

CAPUT IV.

SUMMARIA.

Ratio, cur scribæ culpa τὸ σῶμα pro ὠτία in textum irrepsisse, non fiat verisimile, ut Alexander Morus contendit. Duæ item rationes Vaillanto, ex N. T. in Græcam versionem voces infultas esse dictitanti, oppositæ. Lud. Capellum cum Moro commissum, nequicquam σῶμα de servo, vel mancipio, explicare, & vocem μοι, *addito pronomine* με, *sine suffragio in* σοι *violenter commutare, ostenditur. Cur dici nequeat pro* אזנים *in Ebræo fonte lectum olim fuisse* עצם, *vel* גויה, *vel* נרנרת, *ut Piscator cum aliis, Schlichtingius & Grotius persuasum habent. B. Horneji judicium de causa difficulter divinandi, quamobrem LXX. ita verterint. Quot modis* אזנים *legi potuerit? Quomodo LXX. legisse videantur? Quid* אזנים *ex Deut. c.* 25: 13. *& R. Salomone ostensum. Qua ratione eam vocem per* σῶμα *transtulerint LXX. Verbi* כרה *tergemina significatio ex R. Nathane producta. Quam Græci hoc loco respexerint, ostensum.*

Cocceji de versione LXX. sententia, à Vossio indignis modis impugnata, vindicatur, & Ebræi fontis αὐθεντία astruitur. Καταρτίζειν quid Græcis scriptoribus significet? Christianus Schotanus laudatus. Apostolos LXX. Interpretes συγκαταβάσει quadam secutos esse, contra Vaillantum asseritur. Alex. Mori & Lud. de Dieu; de versionis Græcæ hujus loci cum fonte consensu, judicium. Cur Apostolus Græcam Versionem non valere jusserit? Ad Maimonidem frustra provocare Morum ostenditur. Cur aures perfossæ dicantur? Servi Ebræi & Messiæ ab Altingo instituta comparatio.

§. 1. POstquam ita plurium doctorum virorum super hoc loco discrepantes sententias in medium attulimus, consequens est, ut, quid de illis sentiendum sit, ostendamus, & eadem opera, quæ verisimilior, nostro judicio, sit sententia, declaremus. Ut vero de ultimo loco recensitis, quæ in Græca maxime versione causam hujus diversitatis quærunt, primo dicamus, diffiteri non possumus, nullam earum applausum mereri. Quod enim *Alexander Morus* persuasum sibi habet, *scioli cujusdam temeritate σῶμα pro ὠτία irrepsisse*, id vero plane non fit verisimile. Fac, unum, sive audaculum, sive imprudentem, scribam tale quid molitum esse, num propterea dicendum est, tam brevi spatio in reliquos quoque codices ubique terrarum eandem vocem nemine animadvertente vel monente, irrepsisse!

§. 2. Similiter nec *Ezechielis Vaillanti* conjecturam probare possumus. Quo minus illam sententiam amplectamur, facit exemplorum in Scripturis occurrentium diversitas. Si enim ex N. T. & allegatione Apostolica de industria verba in Græcam Versionem translata fuere, ecquid causæ est, quamobrem in quibusdam duntaxat locis id contigit, non in omnibus? Nempe vel reliqua illa exempla testabuntur, ubi adhuc discrepantiæ occurrunt, nullo certo fundamento niti hanc sententiam, adeoque non posse eam pro indubitata venditari. Sane cum prisci Ecclesiæ Christianæ Patres in Judæos stylum stringerent, loca eos non aliter adducere videmus, quam prout hodie in Græca Versione extant. Quam proclive vero fuisset tunc Judæos excipere, si demum ex N. T. in V. illa lectio fuisset illata, perperam scilicet citari Scripturam S. & suos codices repugnare testimoniis illis, atque prorsus adversari.

§. 3. Multo minus vero *Ludovico Capello* adstipulamur, qui LXX. Ebræum textum reddidisse: σῶμα δὲ κατηρτίσω μέ σοι, contendit, quod σῶμα de *mancipio* vel *servo* accepissent. Hoc enim, quod *Capellus* ut certum supponit, merito in dubium vocatur. Unde etiam *Alexander Morus loc. cit.* σῶμα, inquit, *pro servo nunquam legi, neque lectum puto, & miror, à tantis viris hoc sensu acceptum hoc loco. Pollux*: σώματα δὲ ἁπλῶς οὐκ ἂν εἴποις, ἀλλὰ δοῦλα σώματα. *Quod si* σώματα *simpliciter positum non significat servum, multo minus* σῶμα *de servo dicetur. Nam & JCti corpora dicunt de servis, qui tamen de servo uno corpus non dicerent.* Præterea voculæ, quas olim textui uspiam insertas, temporis progressu amissas fuisse, *Capellus* contendit, ipsi haud parum refragantur. Unde cum nullus codex ullum hujus lectionis vestigium hodie exhibeat, neque sic vel utraque, vel alterutra uspiam occurrat, *Capelli* quoque conjecturam valere jubemus.

§. 4. Quemadmodum vero illi, quos commemoravimus, auctores, in Græca versione irrito conatu hactenus laborarunt; ita non desunt, qui simili eventu de causa hujus Ebræi codicis & Græcæ versionis diversitatis, se defatigantes, Ebraicas voces solicitarunt. Sane Christianorum odio Ebræum Codicem violentas manus passum esse, neque ex hoc, neque alio loco unquam probaverit *Morinus*. LXX. vero Interpretes pro אזנים legisse עצם, ut *Johannes Piscator*, aliique contendunt, vel גויה, ut *Jonas Schlichtingius* putat, vel etiam נדנה, ut *Grotius* & alii volunt, haud dubie sine ratione solida adseritur. Ecquæ enim affinitas est literarum אזנים & עצם, ut unam cum altera confuderint interpretes? Num unica litera, eaque finalis ם eos in errorem hunc potuerit inducere? Quam alienus vero ab omni veritate est *Schlichtingii* στοχασμός, cum גויה eos legisse somniat! Aliud quidvis potius legisse eos dixerimus, quam גויה, adeo immane quantum binæ illæ voces discrepant. Sed nec נדנה olim occurrisse probaverint, cum non Ebræa illa, sed Chaldæis & Talmudistis potius recepta vox sit, ut ex Dan. 7: 15. liquet, & illo priscorum Ebræorum in *Talmud, Massechet Sanhedrin fol.* 108. *col.* 1. שלא תהא נִשמתא חוזרת לנדנה: *ne revertatur anima ipsorum in vaginam suam*, ubi de corpore sermonem esse liquido patescit.

§. 5. Quæ, cum ita se habeant, & procul à scopo illi, quos hactenus audivimus, ablusisse videantur, jam nunc dicendum nobis est, ecquænam vera ratio videatur, quamobrem LXX. ita transtulerint Ebræam phrasin, quos Apostolus quoque, ad Psalmum provocans, est imitatus. Quo in negotio tanto facilius nobis veniam lectoris pollicemur, quanto res hæc subinde difficilior est visa, & viris crucem fixit eruditissimis. Uti enim *B. Hornejus* quoque, *expositione literali cap.* 10. *Ebr.* ingenue fatetur: *qui factum sit, ut LXX. pro aures perfodisti, reddiderint, corpus aptasti, id forte explicatu tam facile haud est.*

§. 6. Ut itaque post varias hariolationes & conjecturas aliquid super hoc loco controverso & momentoso afferamus, diffiteri haud possumus, ea quæ vir singularis diligentiæ *Nicolaus Fullerus Miscellan. lib. VI. c.* 5. de voce אָזְנַיִם disputat, occasionem præbuisse nobis de hoc loco cogitandi. Neque illa, quæ *Cl. Altingus* super eodem commentatus est, parum nos confirmasse. Haud immerito igitur lectori perpendendum hoc relinquimus, an justis de causis hodie contendant commentatores, LXX. aliam vocem pro אזנים, aliam item pro כרית legisse in suo codice? Ut hoc adferamus, adduci nec dum possumus, arbitrati, easdem voces, quas hodie in Ebræo textu legimus, & olim quod literas attinet fuisse scriptas. Quod vero non eodem modo, ac nos, easdem sunt interpretati LXX. haud dubie vocalium & inde ortæ significationis diversitate factum est. Τὸ אזנים enim, quod pro diversitate vocalium אָזְנַיִם *aures*, sonat, etiam אֲזֵנִים *instrumenta*, ex usu Scripturæ denotat. Quæ vox *Deut.* 21: 13. occurrit, & in specie ibi ejusmodi instrumentum notat, cujus usus Israëlitis in bello fuit. Sic enim dicitur ibi: *Et paxillus erit tibi* על אזנך *præter arma tua. R. Salomo comm. ad l. c.* docet: כלי תשמיש *instrumentum ministerii* denotare. Ipsi LXX. vero ibi ζώνη verterunt, quæ ex usu antiquissimo Græcorum, teste *Pausania Bœot. p.* 223. *armaturam omnem generatim*, sive *omne genus armorum* significat. Quid mirum igitur, si LXX. h. l. אזנים per σῶμα reddiderunt, cum illud *instrumentorum instrumentum* sit, & à pluribus olim, præsertim *Platonicis & Stoicis*, pro instrumento habitum fuerit & appellatum? Conferatur *B. Hornejus Institut. Ethic. l.* 1. *c.* 8. *p.* 109.

§. 7. Quod vero illi τὸ כרית non per ἔσκαψας, sed κατηρτίζω reddiderunt, neque id sine ratione eos fecisse, putandum est. Cum enim verbum Ebræum כרה, teste *R. Nathane in Concordantiis Ebraicis*, tergeminam significationem habeat, nempe: ענין חפירה אכילה וקנין *fossionis, comestionis & acquisitionis*; ultimam acceptionem præ prima attenderunt. Neque alias illa adeo inusitata est Scripturæ, veluti ex *Hos.* 3: 2. patet, ubi אכרה לי idem est, ac *acquisivi mihi*. Etsi igitur LXX. ad incarnationem Messiæ, Psalmum hunc minime referendum duxerunt, sensu tamen, neque plane incommodo, neque Ebræo textui penitus repugnante, pro illius temporis ratione, interpretes, non prophetæ, hoc vaticinium verterunt. Unde *Joannes* quoque *Coccejus, præfat. ad Respons. Judaic. de Fide Ebraicæ Veritatis*: *Ego*, inquit, *fateor, eos aliquando dixisse, quod à Spiritu Prophetæ est. Tale est quod Psalm.* 40. *exposuerunt*, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. *Hoc enim voluit Spiritus S. Attamen ubique eos assecutos esse mentem Spiritus S. mihi non liquet. Imo liquet, ne in illo quidem loco assecutos esse. Nam Ebraica: aures mihi perforasti, aliquid amplius dicunt, nempe ipsum venisse in corpore, ut* δοῦλον ἐξουσίαν ἔχοντα τοῦ τιθέναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ.

§. 8. Quid ad hæc *Coccei* verba *Isaacus Vossius* respondeat, & quantopere is Ebraicam veritatem elevet, ex sequentibus apparet verbis, quæ pag. 10. Respons. ad objectiones Theologi Leydensis leguntur: *Quam ridiculum*, inquit, *quod pertendit, hodiernam Rabbinicam interpretationem*, aures perforasti mihi, *meliorem esse, aut amplius quid significare, quam significet LXXviralis & Apostolica*, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι! *Tantum abest, ut Judaica versio sensum Apostolicum contineat, ut ne illum contineat, quem eruere conantur.* Καταρτίζειν *nunquam significat perforare.* Quæ verba tam docto viro excidisse nollem. Ecquomodo enim Ebræum textum, eumque authenticum, nunc *Rabbinicam interpretationem*, nunc *versionem Judaicam*, vocat? Numquid Rabbini Ebraici textus autores sunt, quem divinæ autoritatis esse fatentur *Origenes, Hieronymus & Augustinus*? Quam item ab omni veritate alienum est illud, quod idem *Vossius epist. ad Christianum Schotanum pag.* 137. perscripsit: *Illi*, inquiens, *codices, quos portant Judæi, muti sunt & obsignati. Sunt instar tibiæ, quæ sonum non edit. Tota illorum anima & spiritus transfusus est in tralationem*

tionem Græcam, quæ gentibus in Christum credentibus per Apostolos tradita est. Inutiles sunt Codices Ebræi, nisi spiritum à Græca tralatione accipiant, & ut olim Græca tralatio vitam debuit Ebræis exemplaribus, ita nunc, postquam lingua Ebraica periit, muta & mortua sunt Ebræa exemplaria, nisi à Græca tralatione animentur, & ab ea vitam & spiritum recipiant.

§. 9. Num autem Ebræi codices ex eo tempore, quo in alias linguas transferri cœperunt, muti sint & obsignati, ex quibus tot versiones sint ortæ, & ad quos, quoties discrepantia & dubium occurrit, & antiqui, & recentiores provocarunt subinde scriptores? Ecquando vero hoc contigisse dixerit *Vossius*, cum instar tibiæ sonum non edentis esse cœpit codex Ebræus? Cum ad versiones conciliandas Ebraicus textus consulendus veniat sæpissime, & is veluti regula & cynosura sit translationis, oppido patet, *Vossium* haud parvi criminis reum se fecisse, dum etiam sanioribus Pontificiis, pejus in Ebræum fontem debacchatur. Sane summi viri omnes, qui pietatis & eruditionis laude eminuerunt, quotquot Protestantium Ecclesiæ tulerunt, per quos Deus extinctam lucem accendit, & retinuit, retinetque, omnes, inquam, una voce spiritum Dei in Ebraicis fontibus mirifice emicantem adorant, cujus splendorem nulla unquam versio assequi potuit, ut bene *Christianus Schotanus* Vossio respondit *Diatriba de autoritate Versionis Græcæ, pag. 7.*

§. 10. Etsi igitur τὸ καταρτήζειν non significet *perforare*, sed ἄρτιον ποιεῖν, *aptum instructumque facere*: item *luxata membra in artus reponere*, ut *Ægineta* docet; & *Galeno*, ὁ καταρτισμὸς, dicatur, ἡ μεταγωγὴ ὀςῶν ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν τόπου εἰς τὸν κατὰ φύσιν, *traductio ossium ex loco præternaturali in naturalem*; neque אָזְנַיִם *corpus* notet, nec dum tamen sequitur, quod *Vossius*, *Morinum* secutus, sibi persuadet, locum hunc Judæos corrupisse, ut tam manifestam tollerent prophetiam. Eccur enim in aliis quoque idem illi non fecissent? Nemo sane hactenus mutationis, vel corruptionis ejusmodi eos convicit, qui tam superstitiose se in conservando codice subinde gesserunt. Hinc neque *Capello* (prono cæteroquin ad suspicandum lectionem aliam, quam quæ in Ebræo extat textu,) *in Crit. Sacr.* ubi in discrepantiarum causas inquirit, quicquam de Ebræi textus aliqua mutatione suboluit, sed potius incorruptum & incontaminatum esse illum, suo annuit silentio, nonnisi de Versionis LXX. Interpp. *lectione sollicitus.*

§. 11. *Ezechiel* quidem *Vaillantus*: *Adduci*, inquit, *l. c. non possum, ut credam, Apostolos divinitus institutos, animi adeo abjecti fuisse, ut maluerint Græculi interpretis errores & lapsus sequi, quam regia via post Prophetarum vestigia incedere, cum videamus eos passim alias ab illa Græca versione secedere.* Sed hoc in loco nostro, Apostolum errore Græcorum interpretum abreptum esse, vel animi fuisse abjecti, minus recte dicitur. Ille enim pia quadam συγκαταβάσει, & sancta prudentia versionem secutus est, ubi parum, aut nihil ad rem intererat, utrum textum Ebræum an Græcam versionem sequeretur. Nempe, uti *Capellus loc. cit.* non male loquitur, ad sanitatem nihil interest, utrum ex rivo, an ex ipso fonte bibas, quando ex utroque salutaris doctrinæ aqua hauriri potest; ex rivulo omnium notissimo petere eam maluit, quam ex fonte, omnibus fere ignoto, maxime cum Græcæ versionis verba appositissima essent ad Apostoli institutum, & sic notaretur obedientia Messiæ incarnati, adaptatio corporis ad obsequium crucis, & redemtio generis humani gloriosa, dum sacrificium ἱλαστικὸν illud extitit. Atque hinc *Morus loc. cit.* ait: *Undeunde fluxerit error LXX. dextre ac feliciter abutitur Apostolus* οἰκονομικῶς *recepta cuicuimodi Græca interpretatione. Non pedibus modo, sed toto corpore dicebantur olim senatores in sententiam descendere, non auribus modo, sed toto corpore dicitur hic Christus fuisse obediens, cum descendit in crucem.* *Ludovicus* quoque *de Dieu ad loc. cit. Sensus*, inquit, *optime quadrat, & vere ibi Spiritus S. scrutatus est profunditates Dei. Perfodit ipsi aures Pater, i. e. servum ipsum sibi eum fecit, quando corpus ipsi adaptavit; quamobrem Apostolus Phil. 2: 7. eum formam servi tunc assumsisse ait, quando hominibus similis est factus.*

§. 12. Licet itaque verba Ebraica verbis Græcis non ita prorsus conveniant, rem tamen ipsam LXX. divina directione dixisse omnino videri possint, dum illi expositionem potius, quam versionem usquequaque respondentem, dederunt, ubi adhuc, ut *Chrysostomus loc. cit.* dicit: Ἐδεήθησαν τῆς διὰ τῶν πραγμάτων ἐκβάσεως, ἵνα σαφεστέρα γένηται ἡ προφητεία. *Opus habuerunt rerum eventu, ut prophetia clarior evaderet.*

§. 13. Quandoquidem vero ita LXX. aliis punctis vocem אזנים legisse videntur, ut Ebræam dictionem אָזְנַיִם non expresserint; N. tamen Testamenti Scriptores quandoque, ubi versio Ebræo fonti haud respondet, Ebræum textum sequi solent, seposita versione Græca, nonnulli suscitantur, quamobrem non Apostolus hic, vel postliminio, pro σῶμα adhibuerit ὠτία? Rationem hujus rei reddere conatur *Alexander Morus*, notis laudatis *ad Ebr. 10. Propria*, inquiens, *fuit hoc in loco ratio, cur Apostolus emendare nollet interpretationem Græcam receptam in vulgus: nec modo quia Christo non tam aures, quam pedes perfossi sunt, & manus; sed etiam quia servo, si Sacerdos erat, non perforabatur auris, quo sic pudefieret, nec redire posset ad dignitatem suam, ut ex Maimonide discimus. Hoc igitur Christum facere, dicentem, aurem perforasti mihi, ea maxime in Epistola, in qua summum ejus sacerdotium enarratur, minus opportunum erat, certe creare poterat scrupulum in animis infirmiorum Ebræorum.*

§. 14. Sed neque hic *Morus* rem acu tetigisse videtur, dum ideo Apostolum pro σῶμα noluisse ὠτία ponere affirmat, quod minus opportunum esset, in ea epistola ponere, quæ summum ejus sacerdotium enarraret, & facile scrupulus nasci infirmis posset. Scribit quidem *R. Maimonides*, ad quem provocat Morus, *Hilk.* עבדים *cap. 3. §. 8.* עבד עברי כהן אינו נרצע מפני שנעשה בעל מום והרי הוא אומר ושב אל משפחתו לחזקה שהיה בה ואינו שב לשררה שהיה בה: *Servi Ebræi sacerdotis* (auris) *non perforabatur, quia alias maculam contraheret. Ecce vero ille Legislator ait: & redibit ad familiam suam* (Levit. 25: vers. 42.) *Unde præsumtio est, in illa ipsum fuisse, neque tamen ad dominium iterum redit, cujus particeps fuit.* Sed quid inde conficitur? Num inde sequitur, Apostolum ne in *metaphorica* quidem significatione potuisse hanc phrasin Messiæ adaptare? Num quia manus, pedesque Messiæ perfossi erant, phrasi hac non potuit indicari ejusdem voluntaria servitus, quam instar Ebræi servi, ex ferventissima Ecclesiæ dilectione adiit & sustinuit? Hæc sane causa nulla est Apostolici facti, dum noluit vocem ὠτία substituere pro σῶμα. Potius igitur id dicimus, Apostolum retinuisse vocem versionis Græcæ, quod & suo instituto esset apta, probaturo, *nos voluntate Dei sanctificatos esse per oblationem corporis Jesu Christi semel factam*; Ebr. 10: 9. ubi Christi obedientia τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ dicitur esse, & peccato holocaustisque opposita perfectum ἱλασμὸν habere significatur, qui sacrificiis minime competit. Præterea quod Ebræo textui contrarium haud continebat. Quod etiam supra idem *Morus* regessit §. 15. *cap. III. Aurium perforationem cum corporis adaptatione nihil habere commune*, in eo multum is aberrat, cum perforatio illa corporis, formationem, sive ejus usum ad ministerium minime excludat, sed bene cum eadem subsistere queat. Neque est, ut Morus Kimchium & Chaldæum nobis objiciat, apud quos de aurium perforatione nulla facta sit mentio. Ecquis enim ignorat, eos sæpius maxime ubi de Messia sermo est, vim phraseos sacræ haud penetrasse?

§. 15. Neque inde huic explicationi aliquid metuendum fuerit, quod non *auris perforata*, sed *aures* hoc loco dicantur *perforatæ*, ut iterum *Morus* objicit. Fieri enim potest, ut emphaseos causa pluralis sit adhibitus, ad denotandam servitutem singularem, eamque perennaturam. Pluralem alias auxesin apud Ebræos sæpius notare, ex Philologia sacra notissimum est, & exemplis id pluribus ostendit & confirmat *Tarnovius, Exercit. Bibl. pag. 99.* Unde non male *Jacobus Altingius Dissert. Philolog. VI. ad Psalm. 40. §. 50.* concludit: *Quemadmodum Servus Ebræus, cui auris perforata erat, habebat corpus adaptatum ad servitutem, hero gratissimam, servo desideratissimam, uxori servi utilissimam, neque nisi cum vita heri, servive, terminandam; sic corpus Messiæ à Deo datum fuit tale, cujus ministerium, in obeunda Mediatione, Patri esset acceptissimum, ipsi Messiæ exoptatissimum, & propter utriusque, Patris 1. Tim. 6: 16. & Messiæ Rom. 6: 9. Apoc. 1: 18. immortalitatem nunquam terminandum, sed in seculo æternitatis post glorificationem Ecclesiæ consummandum Ephes. 5: 25. 26. 27. Simili autem cum Græcis loquendi modo usus est Esaias cap. 49: 5.* ועתה אמר יהוה יוצרי מבטן לעבד לו: *Et nunc dicit Dominus, formator meus ab utero in servum sibi. Nam quia Messias non factus, uti servi Ebræi, sed natus est servus (unde ingrediens mundum, corpus sibi adaptatum ait, Ebr. 10: 5.) Patrem habuit formatorem sui corporis ad servilem illam conditionem, non secus, ac si perforatis auribus effictus, efformatusque fuisset. Adeoque ex dictis hactenus satis evidens fit, Psaltis & Apostoli, Messiam loquentem introducentium, consensus, & utriusque expressionis emphasis ac plenitudo.*

 CAPUT

CAPUT V.

SUMMARIA.

Tergemina verborum, in libro de me scriptum est, *Thomæ de Aquino παϱεϱμηνεία allata. Theophylacti item & Riberæ interpretationes adductæ.* במגלת ספר *&* ἐν κεφαλίδι τοῦ βιβλίου *recte transferri* in capite libri *Ludovicus Tena contendit. Syri, Arabis & Æthiopis consensus. In veram & genuinam significationem vocis* מגלה *inquiritur, allata explicatione autoris Michlal Jophi. Quid* קלף *&* גויל *ex R. Maimonide ostensum.* מגלה *&* volumen *&* initium ejus *simul notare, nequicquam asseverat Ludovicus Tena. Quid* מגלה *proprie significet? Locutionis, qua Dominus ἀναπτύξας & πτύξας fuisse dicitur, ratio allata. Vocis* גליון *originatio ostensa. Vossii explicatio vocis κεφαλίς. Cur eam* בראשית *notare, & κεφαλίδα* primum volumen *significare, negandum sit? Fulleri gemina hariolatio super origine vocis κεφαλίς. R. Elias laudatus. Cur Fullero, metathesin literarum statuenti, adstipulari nequeamus? LXX. κεφαλίδα de rebus rotundis usurpare ostenditur. Symmachus & Suidas laudati. Kimchii explicatio vocis* מגלה. *B. Lutherus, Drusius, Amama & Glassius laudati. Ebræorum de usu* מגלה *sententia. Quid* מיים *significet ex R. Maimonide ostensum. Variorum interpretum consensus. Vocis antiquæ Germanicæ* Ee *usus à B. Mentzero ostensus. Totius dicti, ejusque veri sensus brevis ἀνακεφαλαίωσις, & eucharistica conclusio.*

§. 1. Verborum, ut *Vulgatus* habet, *in capite libri scriptum est de me*, explicationem exhibituri, merito illud vulgo tritum Comici ingeminamus: *quot capita, tot sententiæ.* Adeo enim interpretum, illorum cumprimis, qui, linguarum notitia destituti, Scripturam sibi interpretandam sumpserunt, exegemata hic variant, ut vel solum hoc exemplum, sacris aliquando operaturo, incitamento esse debeat, ut mature Linguarum sacrarum notitiam accuratiorem sibi acquirat, ne aliquando procul à Spiritus S. mente abludens, vanis commentis deinceps se pascat, & sæpius pro auro carbonem, quod dicitur, inveniat.

§. 2. Inter eos, qui acumine quidem mentis præstabant, necessariis tamen ad Scripturæ S. explicationem subsidiis destituebantur, principem locum omnino obtinet Scholasticorum facile princeps *Thomas de Aquino*, de quo *Ludovicus Tena* testatur, quod per *librum* illum intellexerit *Christum*, *secundum humanam naturam*, in quo scripta sint omnia necessaria ad nostram salutem, non alio atramento, quam sanguine proprio: de quo libro etiam intelligit illud *Esai.* 8: 1. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis.* Secundo, ut idem *Tena* testatur, librum hunc *de libro vitæ* intelligit (qui est in Deo notitia prædestinatorum) quorum primus est Christus. Fatetur tamen, eundem *Thomam*, quia ratio illa metaphorica est, & à sensu literali recedit, ideo *libri* notione intelligere *Psalterium Davidis*, in cujus *capite*, id est, *Ps.* 1: *vs.* 2. scriptum sit, *quod faciat voluntatem Patris*, illo versu: *Sed in lege Domini voluntas ejus.*

§. 3. Alii, inter quos *Theophylactus* est, intelligunt dictum *Genes.* 1: 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Fr. Ribera* vero dictum *Genes.* 2: 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, quod dictum cum *Eph.* 5: 32. confert, ubi *sacramentum magnum* esse dicitur. Quin, quod mireris, *Ribera* nullus dubitat asserere, verbis *Mosaicis*: *Quamobrem relinquet* &c. significari Christi adventum, siquidem Patrem in cœlis reliquit, ut hominibus in terris prædicaret.

§. 4. Quod *Thomam* attinet, commentum ejus tergeminum uniusmodi est, nempe ἀπϱοσδιόνυσον. Ecquomodo enim Christus intelligi queat per *librum*, in quo tamen de eo testimonium habeatur? Quomodo *vitæ liber* intelligatur, qui, ut metaphoricus est, ita h. l. minime quadrat? Multo minus Psalmorum liber intelligetur, utpote tum temporis literis minime consignatus. Consimiliter *Theophylacti* & *Riberæ* explicationes longe duriores esse, quam ut recipi queant, res ipsa loquitur.

§. 5. Hi, dum Versionem Latinam, ex Græca oriundam, secuti sunt, & ei inhærere solent, *initium libri* intellexerunt. Unde factum, ut nunc ad libri *Geneseos*, nunc *Psalmorum exordium* quasi respici sibi persuaserint. Verba Ebraica enim במגלת ספר LXX. ἐν κεφαλίδι τοῦ βιβλίου, Vulgatus, *in capite libri*, verterunt. Quam Vulgati versionem, licet erroneam, Pontificii tamen catervatim sequuntur, & non ultima eorum pars de phrasi Ebraica & Græca, ut cœcus de coloribus, judicat. Ne ipse quidem *Ludov. Tena* excipiendus venit, *in Complutensi Academia primarius Theologiæ Professor, Regalium Collegiorum administrator, sacrorum Bibliorum interpres*, qui *Comment. in Ebr.* 10. *fol.* 436. hunc in modum scribit: *Statuendum est, lectionem Vulgatam Pauli hic retinendam esse, scilicet, in capite libri, vel capitulo libri, ut LXX. legunt, (idem enim est sensus) tum quoniam illius est, tum quia tota Ecclesia illam amplectitur, neque discordat ab originali Ebræo. Nam Ebræa vox* מגלה *duo significat, volumen, & ejus initium, unde volvi incipit. Imo significantius vertere LXX. in capitulo, vel initio libri, quam Ebræi, in volumine libri, vel membrana, qua libri solent scribi: hoc enim est magis generale, illud vero specialius, præcipue, quoniam quod in capite libri scribitur, etiam continetur in volumine libri.*

§. 6. Etsi vero alii quoque interpretes vocis Græcæ κεφαλίδος significationem respexisse videantur, dum *Syrus* ܒܪܺܫܶܗ ܕܟܬܳܒܐ ܟܬܝܒ ܥܠܝ: *in capite, seu principio libri, scriptum est de me*; *Arabs* في راس المصحف vel الكتاب & *Æthiops* ውስተ፡ ርእሰ፡ መጽሐፍ፡ *in capite, vel principio libri*, in dem Haubte des Buchs/ uti habet *Versio vetus Germanica Noriberg.* verterunt; illos tamen non tam fontis, quam Versionis Græcæ rationem habuisse certum est, in qua cum κεφαλὶς βιβλίου occurrat, *initium libri* voces illas significare perperam sibi persuaserunt. Cum vero illas idem hoc loco notare jusserint Interpretes LXX, quod apud Ebræos vox מגלה significat, in utriusque vocis veram & genuinam significationem accuratius inquirendum ducimus.

§. 7. Scire igitur licet, vocem מגלה, quæ à verbo גלל *volvit*, descendit, proprie & vi originis suæ, significare *volumen, librum convolutum.* In *Michlal Jophi ad verba Jerem. cap.* 36: 2. hæc glossa legitur: מגלה גליון יקרא הקלף או הגויל שיכתוב אדם עליו ובסמכו המגלה להספר ר"ל שיכתוב אדם עליה ואז תקרא ספר: *Nomine* מגלה *&* גליון *veniunt cortex & pergamenum, cui quis aliquid inscribit. Dum vero voci* מגלה *jungit dictionem* ספר, *vult indicare, aliquid ei inscriptum esse. Tunc enim vocatur liber.* Cum vero sic מגלה per קלף vel etiam per הגויל à *R. Salomone Aben Melech* explicetur, haud operam lusuri videmur, si, quid illis duabus vocibus Ebræi intelligant, ostenderimus.

§. 8. Ita vero *R. Moses Maimonides part.* 1. *operis Jad. Hilkot* תפלין *sect.* 6. loquitur: שלש עורות הן גויל וקלף ודוכסוסטוס כיצד לוקחין עור בהמה או חיה ומעבירין השיער ממנו תחלה ואחר כך מולחין אותו במלח מעבדין אותו בקמח ואחר כך בעפצא וכיוצא בו מדברים שמכווצין את העור ובהוקים אותו וזה הוא הנקרא גויל ואם לקחו העור אחר שהעבירו שערו וחלקו אותו בעביו לשנים כמו שהעבדנין עושין עד שיהיה שני עורות אחד דק הוא שממול השיער ואחר עבה והוא שממול הבשר ועבדו אותו במלח ואחר כך בקמח ואחר כך בעפצא וכיוצא בו זה החלק שממול השיער נקרא קלף וזה שממול הבשר נקרא דוכסוסטוס: *Tres pelles sunt, nempe* גויל *&* קלף *&* דוכסוסטוס. *Quomodo? Pellem bestiæ alicujus accipiunt, & auferunt primo ab ea pilos, deinde sale eam saliunt, postea pellem aptant farina, galla & similibus rebus, quibus eam indurant & contrahunt. Hæc vero species vocatur* גויל. *Deinde accipiunt pellem, sublatisque pilis dividunt eam secundum crassitudinem ejus in duo, ita ut fiant ex ea duæ pelles, una tenuis, quæ nempe versus pilos est, & altera crassior, quæ est versus carnem, hasque similiter aptant sale, farina, galla & similibus, vocaturque tunc ea pars, quæ versus pilos erat,* קלף, *altera vero, quæ versus carnem,* דוכסוסטוס.

§. 9. Ex quibus patet, quid Judæi nomine מגלה intelligant, nempe *pellem, cui inscriptum sit aliquid*; unde ספר appelletur. Mirum vero est, *Ludovicum Tenam* dicere, *vocem Ebræam duo significare* (1.) *volumen* (2.) *initium ejus.* Quæ

Quæ postrema significatio adeo non potest dici propria vocis מגלה ut loca occurrant, quæ eam significationem fictitiam penitus respuant. *Esdræ* enim 6: 2. dicitur: *Inventum est* מגלה חדה *volumen unum*, ubi *initii* notio in illam vocem minime quadrat. Potius, & originis sui ratione, & Scripturæ usu, nihil aliud voce מגלה significari dicendum est, quam *chartam volubilem*, adeoque αὐτολεξεὶ esse *volumen*, quod apud Ebræos non in paginas distinguebatur, ut alias fieri solet in libris; sed in orbiculum, cylindri instar, convolvebatur. Cujus moris librorum convolvendorum phrasis *Evangelistæ* nos admonet, *Luc.* 4: 17. & 20. ubi *Dominus* in Synagoga fuisse dicitur ἀναπτύξας & πτύξας τὸ βιβλίον. Eadem enim tunc ratione exemplar Legis convolvebatur, atque hodie in pergameno illud exaratum Judæi complicant in suis Synagogis. Atque ad eundem morem haud dubie spectat vox גִּלָּיוֹן *Esai.* 8: *vers.* 1. ab eadem radice גלל derivata. Quod enim nonnulli à גלה deducendam contendunt, ut *revelationem* sonet, id minus recte dicitur, & ipsum *Dagesch forte* satis comprobat, à geminata potius radice, quam quiescente ultima radicali ה esse. *Græci* eam verterunt χάρτην; in quibusdam vero exemplaribus est κεφαλὶς, uti apud *Eusebium* videre licet.

§. 10. Quæ vox κεφαλὶς cum & heic occurrat, & loco Ebraicæ dictionis מגלה posita sit, nonnulli Græcos hanc cum voce גלגלת confudisse perhibent, invito *Vossio*, qui, Versionis patrocinio suscepto, hunc in modum scribit, *cap. XX. de Tralat. Interpp. Videamus nunc*, inquiens, *quid sit* κεφαλὶς βιβλίου. *Euthymius ad Psal.* 40. *seu, ut ipse numerat, XXXIX.* κεφαλίδα *interpretatur* εἰλητάριον, *à quo non abeunt ceteri antiqui Patres, qui uno consensu pro volumine vocabulum hoc accepere. Sane sic sumitur, cum absolute ponitur Esd. 6: vs. 2. Sed vero vel ipsum vocabulum manifeste indicat, aliam significationem in prima fuisse origine. Itaque nequaquam dubitandum, quin* κεφαλὶς βιβλίου *non de quolibet libri volumine, sed de primo saltim sit accipiendum. Olim enim libri, perinde ac nunc, lignorum fasciculis compingebantur, ita ut multa volumina, vel multi scapi colligati, unum tantum conficerent librum, præsertim si is esset prolixior. In tali fasciculo primum volumen, tanquam caput libri,* κεφαλὶς *vocabatur. Cum itaque dicit Christus:* ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ, *intelligit, in ipso primo volumine, & in ipsa Genesi, scriptum esse de se.* Κεφαλὶς *itaque* βιβλίου *est volumen* בְּרֵאשִׁית, *quod Aquila ad verbum verterat* ἐν κεφαλαίῳ, *vel, uti alii habent,* κεφαλίδι.

§. 11. Urget *Vossius* primam originem vocis, & negat de quolibet volumine eam accipiendam esse. *Primum* igitur *volumen* intelligendum esse contendit, nempe בראשית; sed jam supra ostendimus, etiam ibi vocem usurpari, ubi notio *primi* locum obtinet nullum. Deinde neque id constat, id temporis, quo Psalmus est conscriptus, codicem Ebraicum in ejusmodi פרשיות seu *sectiones*, fuisse distinctum. Nulla igitur videtur ratio fuisse, quamobrem κεφαλίδα h. l. *primum volumen*, aut præcise *capitis*, vel *primi* significationem habere, dicamus.

§. 12. Sunt sane, qui cum *Nicolao Fullero*, *Miscell. Sacr. l. II. cap.* 10. censent, fieri posse, ut ab *Ebræo* כפל vel *Syriaco* ܟܦܠ aut ܟܦܠ derivetur, & notet id, quod minime est ἁπλῶμον, id est *expansum* vel *extensum*, sed διπλῶμον, *compositum*, *convolutum*: Vel, ut idem *Fullerus*, non improbante *Amama*, docet, à קלף, quod *Syris*, *Chaldæisque corticem* proprie, *Rabbinis membranam*, denotat; nempe ut *R. Elias in Thisbi* docet: נקרא העור שכותבין עליו קלף לפי שנקלף ממנו השער כלשה אשכנ פרגמנט ובלעו פירגמינו: *Cutis, cui inscribunt aliquid, dicitur* קלף, *quia inde pili sunt abrasi: Lingua Germanica* Pergament/ *barbara pergameno.* Atque inde facta *metathesi* literarum, dictum esse κεφαλὶς, pro κελαφὶς, quomodo alias plura ex Oriente vocabula, Græca veste induta, conspiciuntur. Ita enim, ut *Amama* quoque docet, ex גֵּר fecerunt γειώρας, *Exod.* 12: 19. ex תֵּבָה Θίβη, vel Θῆβη, *Exod.* 2: 3. ex שהרונים σιρῶνες.

§. 13. Ceterum cum alias ipsis Græcis vox κεφαλὶς recepta sit, adeoque ante etiam, quam Versio Græca adornaretur, in usu fuerit, ut ad *metathesin* fugiamus, nulla nos ratio moverit. Quomodo *Aristoteles* eam vocem acceperit, ex 2. *Rhetor.* patet, ubi *Philosopho* pro *capitis tegumento* usurpatur, ἐκ τοῦ, inquienti, περίσχημα κεφαλὶς, καὶ χιτῶν δύω καὶ ἁρμόζει, καὶ ὑποδυμάτα δύω ἁρμόζει. Sed usus apud profanos autores attendendus haud ita fuerit, cum satis esse queat, si quomodo alias LXX. vocem usurparint, constet. Illi vero, cum etiam *in ædificiis ea, quæ rotunda* sunt, hoc nomine appellent, ut ex *Exod.* 26: 32. 27: 17. 36: 54. 38: 27, 28 *Num.* 3: 36. 1 *Reg.* 7: 30. 2 *Paral.* 3: 5. patet, videri omnino queat, non tam pro *initio*, quam *rotunda capitis* forma LXX Interpretibus τὸ κεφαλὶς in usu fuisse. Nec heic refragatur *Symmachus* & *Aquila*, qui εἴλημα transtulerunt, quod haud dubie *Suidas* respexit, dum ait: κεφαλὶς βιβλίου ὑπέρ τινες εἴλημα φασίν.

§. 14. *R. David Kimchi in lib. Radicum*, postquam derivata verbi גלל recitasset, subjicit: הכל ענין סבוב וכן נקראת האגרת מגלה לפי שגוללין אותה: *Omnia significata idem ac circumdare, vel in circulum formare. Et ita epistola quoque* מגלה *vocatur, quia eam complicant.* Cum itaque ad hujus vocis Ebraicæ מגלה significationem exprimendam LXX. τὸ κεφαλὶς adhibuerint, & alias etiam χαρτίον, quæ postrema vox *volumen in bacilli formam convolutum* significat, alii quoque εἴλημα dixerint, dubitare haud licet, optime reddidisse *B. Lutherum*, cum simpliciter vertit: Im Buch ist von mir geschrieben. Et cum in Ebraico textu dictum sit: במגלת ספר, sciendum est ἐκ περισσοῦ, κατὰ πλεονασμὸν loquelam esse, uti post *Drusium* & *Amamam B. Glassius lib.* 3. *Philol. Sacr. tract.* 1. affirmat. Sed ita liquido apparet, quam vocis κεφαλίδι significationi parum congruat notio *initii*, & quam inepte de voce מגלה *Ludov. de Tena* judicarit, dum supra eam idem etiam ac *initium* significare contendit. Similiter *Isaacus Vossius* frustra בראשית provocat, quasi sectionem illam peculiariter respexerit Messias: Ipsi enim *Judæi* in *Talmud, Masfechet Gittin, fol.* 60. haud obscure contrarium asseverant, dum dicunt: התורה כלה אקרי מגלה דכתיב במגלת ספר *Tota lex vocatur Megillah, quia scriptum est* (Psal. 40: 7.) *in libro legis.* Atque ita ipsis fatentibus, vox illa plura complectitur. Neque tantum alluditur ad ea vaticinia, quæ in *Genesi* de Messia habentur; sed & ad omnia alia, quæ *Moses* literis consignata reliquit, & in quibus de beneficiis ejusdem agitur, & illa sive typis adumbrantur, sive vaticiniis prænunciantur.

§. 15. Denique de voce מעים observatu digna sunt *R. Mosis Maimonidis* verba *part.* 1. *cap.* 46. *More Nebochim* hunc in modum disserentis: *Vox* מעים *sumitur vel generaliter, vel specialiter. Specialiter quidem de intestinis; generaliter vero de quovis membro interno, & per consequens de ipso quoque corde, id quod evidenter apparet ex eo, quod dicitur: Et lex tua in medio* מעי *viscerum meorum.* Hinc *LXX.* verterunt: ἐν μέσῳ τῆς καρδίας μου, quos secutus est *Arabs*, ponens: وسط قلبي *intra cor meum.* Lutherus: In meinem Hertzen. Slavonus: *v' moim Serci.* Alias *Græci* etiam habent: ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου, quod forte respexit *Syrus* interpres, dicens: ܒܓܘ ܡܥܝ *in medio ventris mei*; & *Æthiops*, qui itidem habet ውስተ፡ ከርሥየ፡ *in medio, vel intimo ventris mei.* Nec inepte *Bohemus* vertit: u prostředⴜ Wnitrznosti mych/ *in medio intimorum meorum. Translatio vetus Germanica habet*: Ich wolt dein Ee in Mitt meines Hertzens/ ubi quid antiquum Germanorum vocabulum Ee significaverit, manifesto patet, nempe idem est ac modernum Gesetz/ *lex*, vid. *B. D. Mentzerus ad artic.* 4. *Aug. Conf.* Sensus igitur dicti nostri hactenus explicati breviter erit talis: *Voluntas tua, ô Pater*, (inquit MESSIAS) *ab æterno erat, ut genus humanum in peccata prolapsum*, non *sacrificiis tibi expiaretur, justitiæque tuæ & majestati læsæ per ea satisfieret; sed ut tantum essent typus mei, tanquam veri & unici pro totius mundi peccatis* sacrificii. *Hinc quoniam ipse poscor, ut qui dederam consilium, feram etiam auxilium, assumtaque humana natura profundissime exinanitus, tibi, tanquam* servus *fidelissimus, obediens fiam usque ad mortem crucis; En! adsum.* Ecce venio, *arduum redemtionis humani generis opus sponte suscepturus, voluntatemque tuam observaturus & completurus.* Pro quo immenso & stupendo beneficio, quod *Messias* noster benignissimus nobis miseris peccatoribus sponte præstitit: יתעלה שמו לעולם עולמים א"א:

SAM. ANDREÆ DISSERTATIO De Præsidio Ecclesiæ Militantis ad Psal. XLVI: 1-8.

B. C. D.

DISQUISITIO THEOLOGICA, DE PRÆSIDIO ECCLESIÆ MILITANTIS DUM PRÆSENS ADEST JEHOVA ZEBAOTH, SECUNDUM

Psalm. XLVI: vers. 1-8.



OMnino magnificus hic est Psalmus & magnifica Domini opera magnifice in argumentum fiduciæ & exultationis summis etiam in periculis enarrat, quem in odam *spiritu* (ut *Calovius* non abs re ait) *plenam* redegit *Lutherus*, cujus initium, **Ein veste Burg ist unser GOtt** **ꝛc.** quæ sæpe in istis Germaniæ superiori & hoc seculo bellis, maxime religionis causa gestis, à militibus in castris decantata, mire mentes erexit auxilii divini præsentia & fiducia atque animos addidit, ipso rhythmi & melodiæ genere huc subserviente. Unde factum ut creverit hostium indignatio ob hanc ipsam odam eo usque ut Comes quidam cum eandem audiret, cantari dixerit: **Ich will helffen die Burg zerschiessen oder will nicht leben.** Sed triduo post morte repentina exstinctus, uti *Matthiæ in theatro historico in Carolo V.* ex *Pantaleone* refert.

II. Quod si præsentia tempora spectemus & cum superioribus contendamus, certe non unum trepidationis argumentum occurrit, non una etiam ratio ut animum illa potissimum divini auxilii præsentia, dum præsens adest Jehovah Zebaoth Exercituum Dominus, erigamus, qui etiam tum quando maxime abesse videtur, non abest nec deserit suos, sed post tenebras lucem sperantibus ceu sol justitiæ illucescit benignus, cum curatione plagarum in alis ipsius, atque ubi gentes fremunt & populi meditantur inane, Reges una consistunt & conspirant ac Proceres consultant simul, opinione sua contra gentem abjectam, contra gentem distractam & depilatam, reipsa contra Jehovam & contra Christum ejus; si vel nutent omnia, terra commutet locum & montes depulsi loco in ima maria dimoveantur, tamen ipse immobilis & immutabilis rivis fluminum solatii lætificat civitatem suam, & cum in medio ejus sit, efficit ut non dimoveatur, illam appetente matutino tempore adjuvans & edendo vocem demonstrans, quod quantumcunque fremant gentes seque regna moveant, terra nihilominus ad ejus nutum liquescat, diffluant & in nihilum recidant momento, quæ persuasione prudentiæ & potentiæ humanæ ac virium fiducia in magnam excreverant molem & non nisi tempus opportunum exspectare videbantur, ut veluti ἀπὸ μηχανῆς ad opprimendos incautos emitterentur. Huic scopo meditatio hujus Psalmi inserviet, cujus pericopiam priorem, vel si mavis partem, nunc in timore Domini expendere animus est. Adsit ille qui nobis est receptus, & robur, auxilium in angustiis præsentissimum, addat nobis fidem, addat fiduciam, ut illa vere sit ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων & huic innixa spes contra spem sub spe credentis non confundatur! Imo det clavem cognititionis, ut diligenter scrutando pretiosum à vili discernamus, & efficaciam solatii divini in Scripturis se exserentem reipsa sentiamus & ea erigamur!

TITULUS *vers.* 1. est. למנצח לבני קרח על עלמות שיר׃ seu *Tremellio & Jun.* interpretibus: *Magistro symphoniæ in posteris Korachi ad acutam symphoniam canticum.*

Habet hic aliquid peculiare על עלמות quod etiam 1 *Chron.* 15: 20. occurrit, & pro diverso ad voces conjugatas respectu aut ejusdem radicis, diversimode redditum. *Chaldæus Interpres* fabulis Judaicis insistens sic ταῦτα φράζει, לשבחא על ידיהון דבני קרח ברוח נבואה בזמן דאתכסי אבוהון מנהון והנון אשתזבו ואמרו שירתא׃ i. e. *In laudem per manus filiorum Korachi spiritu prophetico quo tempore absconditus erat ab illis Pater eorum & ipsi salvi evaserant atque sic hoc canticum dixerunt.* Cum enim ex *Numer.* 26: 11. constet atque ex genealogiis quoque Levitarum, in illa Korachi πανωλεθρίᾳ quæ *Numer.* 16. describitur, liberos ejus non fuisse mortuos, hinc Magistri primum pro acumine suo excogitarunt modum, quomodo fuerint cum terra dehisceret conservati. *Raschi* certe, quod primum consilii participes rebellionis adversus Mosen, postpœnitudine ducti resipuerint, locum eis altiorem in Gehenna paratum fuisse dicit ubi considerent. Tum videntes fieri in hoc Psalmo mentionem terræ locum commutantis & liquescentis, & carmen tribui filiis Korachi על עלמות i. e. (ut explicant) *super absconsione*, ad Korachum Patrem terra obrutum & sic conspectui subductum id glossa ridicula retulerunt. *Græci*, ὑπὲρ κρυφίων; & sic *Vulgata*, *pro arcanis* vertunt. Sic & *Augustinus ad h. l. in finem pro occultis pro filiis Chore*: & non solum *Chore calvitium* interpretatus, sed & mira quadam ratione nos ad montem Calvariæ deducens *Chore* Christum in mysterio significare ait, & *filios Chore* illos quos ad se crucifixus

fixus adduxit. Quasi ita demum spiritus nos hic vivificaret, si nescio quos *filios Chore* mystice hic constitueremus. Sed & *in occultis istis* occultum Psalmi argumentum invenit. Qui omnes ad radicem עלם quæ *abscondere* significat, respexerunt. *Symmachus* vero ad עולם quando ὑπὲρ τῶν αἰωνίων reddit. Nam עולם in plurali etiam עולמות habet licet masculina terminatio frequentior sit. *Aquila*, ὑπὲρ νεανιοτήτων, vel (uti *Chrysostomus* legit) νεοτήτων, ad puellas respiciens quæ *Cant.* 1: 3. עלמות dicuntur. *Luth.* von der Jugend q. עלמות per עלומים fuisset exponendum. *Grotius* vero non incommode hæc per appositionem cum filiis Korachi connecteret, quasi in specie in horum numero illi designarentur qui erant על עלמות *puellis præerant* i. e. qui *chorum puellarum canere docebant*, si de eo ex 1 *Chron.* 15: 20. satis constaret, uti supponere videtur. Nam secundum *R. Salomonem Jarchi* illo loco æque ac hic עלמות est שם של כלי שיר *nomen instrumenti Musici.* Quomodo id etiam accipiunt *Avenarius* in Lexico, *Gesnerus*, *Backius*, quibus *Calovius* adstipulatur. Et idem voluisse credo qui ceu nomen proprium retinuerunt *Belgæ*, op Alamoth. *Diodati*, *sur Alamoth*, qui etiam cum *ad locum Chronicorum* notasset esse terminum Musicum significationis ignotæ, tamen *in Notis ad titulum Psal.* 6. significationem determinare conatus est, quando tres tonos Musicos vult *hoc* & *Scheminith* ac *Almuthlabben* designari. *Altum* quidem per *Scheminith*, *Bassum* per *Alamoth* & *Tenorem*, qui inter duos illos medius est, per *Almuthlabben.* Prout etiam *Calvinus* ac *Coccejus*, *super Alamoth.* Sed in explicatione non conveniunt. *Calvinus* duas tantum sententias refert, vel fuisse *musicum instrumentum*, vel *initium celebris & novi carminis.* Quarum posteriorem præfert quæ & inter Hebræos *Aben-Ezræ* est, cui עלמות est שם פיוט *nomen carminis* alicujus. At *Coccejus* cum *Foordo* (qui certe Psalmos diligenter scrutatus est quoad circumstantias non ita ab aliis consideratas) de *genere Musices* accipit & נגינה subintelligit, ut sit *musica virginea* vel virginum sive puellarum. Quæ tamen qualis sit *Coccejus* in medio relinquit. Sed *Foordus in præf. expos. Psalmorum*, ubi de tonis quoque Musicis accurate disserit, contra quam *Diodati* putat, cum *Tremell. & Jun.* עלמות de *alto* accipit, *ad acutam symphoniam.* Et quoniam in loco Chronicorum בנבלים additur, atque ibi *Hemani Kehathitæ*, hic *filiis Korach* tribuitur, censet, hunc *Hemanem nabliis toni alti moderatorem* fuisse. Nam עלמות ipsi *tonus virgineus* est, cui *bassus* minime quadrat, prout tamen *Diodati* existimat, procul dubio τὸ עלמות ex significatu *abscondendi* exponens de tono obscuro qualis *bassus est*, quem *Foordus* per שמינית designari putat, quia *octavam* descendendo quærit, cum *Diodati* in ea voce *altum* quærat, quia *octavam* ascendendo intelligi putat. Hunc ergo alterum tonum gravem seu *bassum* dicit *Foordus* magistrum habuisse *Ethanem* vel *Jeduthun* Meraritam, qui *cithara aliisque pulsatilibus* cecinerit. 1 *Chr.* 16. & 25: 3. *Psal.* 4. 6. 12. 54. 55. 61. 67. *in titulis.* Tertium tonum medium s. *tenorem* præfectum habuisse *Asaphum Gersonitam* qui *cymbalis æneis aliisque flatilibus instrumentis* cecinerit 1 *Chron.* 15: 19. & 16: 5. *Esr.* 3: 10. *Psal.* 5. & 53. in titulis. Sed quo nomine hic tonus designetur, non exprimit. Quod enim *Diodati* τὸ עלמות לבן *Psal.* 9: 1. eo refert, id *Foordus* potius existimat initium notæ alicujus cantilenæ fuisse. Cui simile quid mihi etiam magis de עלמות cum *Aben-Esra* probatur, genus scilicet eo carminis aut melodiæ designari. Qui vero recenter in Gallia Psalmorum versionem Gallicam geminam *secundum Hebræum textum* & *Versionem Vulgatam* inter Pontificios ediderunt, illi על עלמות ex Vulgata *pseaume pour les secrets* verterunt quidem, sed ex Hebræo de instrumento musico accipientes *lyram* nescio quo fundamento reddunt, *sur la lyre.* Sed de titulo plus satis.

ARGUMENTUM porro Psalmi non parum illustrat si constet quo tempore & qua occasione sit scriptus. Et quidem *Theodoretus* jam olim tres sententias recensuit; nonnullos existimare, præsentem Psalmum in *Gog & Magog* compositum esse; alios vero, *in Achaz & Phakee*; alios *in Ezechiam & Assyrium.* Quas omnes rejicit, & ipse Psalmum cum priori connectens hæc ad initia N. T. & Evangelii frustra frementibus gentibus & dæmonibus propagationem refert (prout etiam *Versio Syriaca* facit) tale dans argumentum. *Postquam prædixit superior Psalmus Ecclesiam ex impiis gentibus collectam reginam fore ostenditque ejus filios totius orbis principes futuros: declarat hoc loco tumultus qui in principio prædicationis facti sunt, consurgentibus adversariis & fideles impugnantibus. Deinde verbis adumbrat quo pacto eorum cœtus, qui persecutionem passuri sunt, fretus & munitus spe divina irruentes procellas despecturus sit.* Interim de *Gogi & Magogi* bellis *Kimchius*, de *Achazo & Pekah* & *Rezin* Foordus *accipiunt*, qui Jesaiam prophetam, aut alium temporis istius autorem hujus Psalmi dicit & ad collationem ejus cum historia prophetica 2 Reg. 16: 5. & Jes. cap. 7. & 8. provocat. Quibus *Theodoretus* ultima opponit. *Dicant igitur* (inquit) *qui referunt Psalmum ad Gog, vel qui hunc Achazo congruere dixerunt, quomodo illis historiis hæc quadrent*, auferens bella usque ad finem terræ! *Non enim eorum tempestate omnia bella sedavit, sed temporibus Gog & Magog sola Palæstina pace potita est, sub Achaz vero nec tota Palæstina, sed sola tribus Juda. Nam Phacee filius Romeliæ Assyriorum impetum passus est.* Ubi quod de *Gogo & Magogo* & *pace Palæstinæ* dicit, id secundum interpretationem ejus eorum quæ *Ezech.* 38. & 39. leguntur est intelligendum. Putat enim, agi ibi de gentibus Scythicis, quibus & aliæ se sociarint, post reditum è captivitate Babylonica, concitantibus eas quoque finitimis, in Palæstinam cum exercitu profectis, cum quibus duce Zorobabele fuerit pugnatum & de manubiis earum templum postea ædificatum. Quod sane est historiam sine auctore ex conjectura potius fingere quam narrare. Cur autem rationem istam non etiam tertiæ sententiæ *de Ezechia & Sanheribo* opposuerit, miror, cum æque tum sola Palæstina pace potita sit. Sequitur tamen hanc nihilominus non abs re cum *Aben-Esra Calvinus*, quibus illud משבית מלחמות עד קצה הארץ *auferens bella usque ad finem terræ* non obstat quandoquidem הארץ solam Palæstinam, etiam propter ה demonstrativum, potest designare.

Certum vero simul quod Psalmus hic possit *accommodari fidelibus omnis temporis, maxime tamen Ecclesiæ N. T. in cujus gubernatione Dei gratia maxime evidens est: quæque sola ut durissima certamina & motus populorum vidit, ita & ultimam victoriam in exaltatione DEI exspectat*, uti *Coccejus* bene observat. Adeoque minime complementum ejus integrum jam in adventu Domini Christi Ecclesia vidit, uti *Theodoretus* existimat ac secundum historiam & figuram inde probare intendit, *quod primum quidem toparchiæ & particularia regna eversa fuerunt, ob quæ homines nec modica quidem pace fruebantur atque tempore Christi singulis regnis per Imperium Romanum subversis omnium hominum aures Evangelii præconibus fuerint aptatæ, securos enim veluti in uno regno excurrisse & salutarem doctrinam hominibus attulisse: quodque si quis per figuram hæc intelligere velit, videbit belli contra Ecclesiam cessationem pacemque hominibus à Deo præstitam.* Nam licet Christo tempore Augusti nato magna fuerit ubique pax, tamen Ecclesia tum nondum erat collecta, in cujus medio Deus esset tanquam civitate Dei, quami dum terra movet ac mentes lapsant, rivi fluminis Evangeli lætificarent, quod sub Tiberio demum, Claudio & sequentibus Imperatoribus, ubi Evangelium ad gentes late propagatum est, fuit factum, licet nec tunc quidem illa fuerit ubique pax, multo minus sub persecutionibus gravissimis belli contra Ecclesiam cessatio. Rectius ergo ad Constantini M. tempora retulisset, nisi venenum tum in Ecclesiam esset infusum. Verius autem ut ad nullum tempus restringatur, omni tempore quo Ecclesia oppugnatur psalmus hic argumentum solatii & munimentum spei in futurum ex comparatione judiciorum Dei priorum præbeat, quo sic cum Davide dicamus: זכרתי משפטיך מעולם ואתנחם *Psalm.* 119: 52. Itaque & nunc secundum hunc Psalmum, in quo I. *Fideles* vs. 2-10. Tum II. *Deus*, vers. 11. & denique III. rursum *Fideles* vs. 12. loquuntur, dicendum nobis

Vers. 2. אלהים לנו מחסה ועז עזרה בצרות נמצא מאד׃
Deus nobis est receptus & robur: auxilium in angustiis præsentissimum.

Tria hic per gloriationem fiduciæ de Deo adversus timorem in discrimine dicuntur, quod sit *receptus*, quod sit *robur*, quod sit auxilium in angustiis præsentissimum. Deum *primo* appellant nomine אלהים cujus singulare אלוה σέβασμα seu Numen supremum notat cujus ὑπεροχὴ & ἀνυπεύθυνον majestas maxime in patrandis stupendis operibus ab omnibus est agnoscenda. Quam emphasin hoc loco ex *vs.* 11. sequenti colligo. Lubens adstipularer illis qui hanc vocem ab אלה *jurare*, *adjurare* derivant, ut proprie notet eum, cujus est אלה h. e. cujus est exsecrationem pronunciare atque ita obligare conscientiam ad sui quæstionem sub comminatione judicii, nisi ה mappikatum in אלוה secundum rationem linguæ obstaret, cui insolens est vocem in ה mobile desinentem à radice quæ in ה quiescens aut defectivum desinit derivari. Derivationi ergo Arabicæ acquiesco tantisper donec melior detur. Sed Celeb. *Cocceji* tamen sententiæ non refragor, qui plurale non sine recordatione mysterii esse ait, *trium qui sunt unum*, cui significando

cando aptiſſimum eſt & ſine cujus intuitu inſolens foret ei & adjectiva & pronomina & verba pluralia (addo & ſingularia) reſpondere etiam cum de vero Deo agitur. *Geneſ.* 1: 26. & & 3:22. & 11:7. & 20:13. & 35:7. *Deut.* 5:24. *Joſ.* 24:19. aliiſque locis ſimilibus. Adeoque & hic idem myſterium ſubindicari. Sed & ſecundo huic Deo tribuunt, quod ſit מחסה *receptus*, quod eſſet, uti *Vulg.* habet, *refugium*, Græci, καταφυγή. *Lutherus* tamen maluit **zuverſicht** / & *Galli Pontificii* quoque *ſecundum Hebr. eſperance* verterunt. Poſſunt tamen hæc duo bene inter ſe conſiſtere, quoniam hic Deus non ſimpliciter dicitur מחסה ſed cum reſpectu ad fideles qui ad eum in anguſtiis confugiunt, לנו מחסה *nobis eſt receptus*, quod ſine *fiducia* & *ſpe* fieri nequit, adeoque indicatur *ſatis eſſe in Deo præſidii ad ſuos ſervandos illiſque dare idoneam ſperandi materiam*, prout emphaſin recte exponit *Calvinus.* Alias enim מחסה abſolute poſitum ſatis evidenter in uſu S. Scripturæ demonſtrat eſſe id proprie σκέπην, καταφυγήν, *latebram*, *perfugium*, quorſum quis ſe ob tempeſtatem ingruentem vel aliud incommodum recipit, aut locum in eo tutum quærit. Cujus generis ſunt *alæ Ruth.* 2:12. *Pſal.* 36:8. & 61:5. & *umbra Jeſ.* 30:3. & locus ad quem quis ſe ab imbre recipit, *Jeſ.* 25:4. tum *rupes* & *petræ*, *Job.* 24:8. & *Pſal.* 104. *verſ.* 18. Tribuunt autem 2. etiam quod ſit עז *robur*, non adeo in ſe reſpectu omnipotentiæ quam in nobis quatenus *confirmator noſter ut ſtemus & minime ſuccumbamus in periculis & tentationibus*, prout recte *Coccejus.* Significat enim robur in agendo efficax ad victoriam & in ſuſtinendo invictum, gratiam Dei confirmantem & ſuſtentantem in malis ingruentibus. Denique 3. quod ſit עזרה בצרות נמצא מאד *auxilium in anguſtiis præſentiſſimum*; vel *promptum valde*, uti poſt *Diodati Coccejus*, vel, *auxilium in tribulationibus invenitur valde*, ut *Calvinus.* Sic נמצא cum עזרה recte conſtruitur & auxilium quod præſto eſt, notat ut 1 *Chron.* 29: 8. *Jeſ.* 65. 1. Neque cauſa ſufficiens fuit, ut, quaſi נמצא pro נמצאות poſitum eſſet, *Græci* & *Vulgata* id ad צרות referrent. *Gr.* βοηθὸς ἐν θλίψεσι ταῖς εὑρούσαις ἡμᾶς σφόδρα. *Vulg. adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* Enallage enim hæc durior eſt altera illa generis qua videri poſſet dicendum fuiſſe נמצאה quod עזרה fœmininum ſit. Nam hæc *enallage* ſimplex, ut *Gen.* 4:7. altera vero illa duplex & *numeri* & *generis* foret. *Galli* tamen *Pontificii* huic inſtiterunt quando *ſecundum Hebr.* reddunt: *il nous a ſecourus puiſſamment dans nos plus grandes afflictions.* Quomodo etiam *Lutherus*, **eine Hülffe in den groſſen Nöthen die uns troffen haben.**

Demonſtratio.

UTique veriſſimum eſt, Deum, & Deum triunum eſſe ad quem fidelibus ubi tribulationes ingruunt ita cum fiducia *perfugium* eſt, ut ſimul *robur* ſit & *auxilium promtum valde.* De *primo* dubium nullum eſt, quin fideles afflicti, memores fœderis divini in Chriſto ſponſore ſecum gratioſe initi, ſive ab hominibus deſerti penitus, ſive etiam aliquid adhuc præſidii ab hominibus exſpectantes; nuſquam tutius perfugium quam in Deo uno & trino, Patre, Filio & Spiritu Sancto reperiant. Homines reſpiciunt, vident eos vel voluntate vel facultate deſtitui, & ſi vel maxime velint & poſſint, mutabiles tamen, ſive metu ſive aliis rationibus quandoque impediri, ut receptum vel inviti denegent, vel etiam conceſſum nolint amplius indulgere. Quod ſi eo caſu perfugium non eſſet Deus cujus terra eſt & omnis plenitudo ejus, quorſum fugerent deſperabundi? Qui poſſent (ut illi de quibus Apoſtolus *Hebr.* 11:37, 38) oberrare cum ovillis & caprinis pellibus, deſtituti, afflicti, male habiti, in deſertis errantes, & montibus ac ſpeluncis & cavernis terræ. Qui poſſent in intimum carcerem, pedibus nervo adſtrictis, conjecti, media etiam nocte cum Paulo & Sila *Act.* 16:24, 25. orantes hymnos canere Deo, niſi Deus ipſis eſſet perfugium & receptus? niſi gratia Domini Jeſu Chriſti, & charitas Dei & communicatio Spiritus S. cum ipſis foret? In quo *ſecundo* & *robur* illud *tolerantiæ* ſe exſerit, quo niſi divinitus ſuſtinerentur, ſuccumberent dubio procul; Tum & *robur ſpiritus heroici*, quo pauci quandoque vim plurium non ſuſtinuerunt ſolum ſed etiam ſuperarunt. Certe roboris haud parvi res eſt, direptionem eorum quæ nobis ſuppetunt cum gaudio excipere *Hebr.* 10:34. non minoris, ſummo gaudio ducere quoties in varias incidimus tentationes *Jac.* 1: 2. maximi, ne crudeliſſimis quidem perſecutoribus iraſci, benedicere maledicentibus, Deum ubique præſentem, etiam in tormentis & tortoribus, ſpectare, atque vel in mediis flammis eundem laudare. Id quod martyrum & confeſſorum antiqua & hodierna quoque exempla ſæpius confirmarunt, non minus ac victoriæ, ſive hoſtium Panico terrore, ſive ſtulta illorum confidentia, ſive impetu cœco adjuvante, de iiſdem reportatæ. Cujuſmodi (ut antiquiora taceam) hiſtoria Huſſitica, Germanica, Gallica & Belgicæ Fœderatæ plurima ſuppeditat. In quo denique 3. etiam *auxilium* illud *in anguſtiis promtum valde* evidenter conſpicitur, ſi vel non ſtatim liberatio ab oppreſſione ſuperveniat, res diutius in arcto ſit, neque ſol neque ſidera cum Paulo in ſalo hoc fluctuantis ſeculi navigantibus ad complures dies appareant, tempeſtas non parva incumbat & impoſterum ſpes omnis ſalutis videatur ablata *Actor.* 27:20. Nam certe robur inſigne fidei ad ſuſtinendam ſpem contra ſpem requiritur *Rom.* 4:18, 20. Cujus indicium eſt quod ſequitur

Verſ. 3. על כן לא נירא בהמיר ארץ ובמוט הרים בלב ימים:
Idcirco non timeremus, ſi commutaret terra locum; aut ſi dimoverentur montes depulſi in ima maria:

Et verſ. 4. יהמו יחמרו מימיו ירעשו הרים בגאותו סלה:
Tremerent, lutoſæ fierent aquæ cujuſque illorum; commoverentur montes elatione ejus maxime.

Poſſunt quæ *vſ.* 3. dicuntur cum proprie tum metaphorice accipi. *Proprie*, ut locutio hyperbolica ſit & ſenſus ut in illo *Horatii*: *Si fractus illabatur orbis &c.* uti poſt *Calvinum Coccejus* obſervat. Nam & ita *Chryſoſtomus* παραφράζει dum pericula intolerabilia deſignari notat. Qui vero *metaphorice* exponunt non ad idem reſpiciunt. *Auguſtinus*, prout antea ex imperitia ſermonis Hebræi, fruſtra emphaſin in tribulationibus *quæ nos inveniunt* quæſiverat, ita hic *montes in cor marium tranſlatos* de Chriſto & Apoſtolis Judæos deſerentibus & ad gentes per Evangelii prædicationem tranſlatis, nimis inepte exponit. Bene tamen, quod ipſe diffiſus huic allegoriæ, *Forte monti huic de ſeipſo dixit* &c. præmittat. *Coccejus* autem quoque quadantenus huc accedit, quando ex *Apoc.* 8: 8. de commotionibus Iſraëliticæ politiæ & Judaici populi diſperſione inter gentes accipit, quæ ſe habeat inſtar motus terræ & lapſus montium in mare. At *Theodoretus* hic *montes* de dæmonibus *in cor maris* i. e. abyſſum conjectis explicat, quando illorum delubra everſa & ipſi conantes perturbare homines non ſine motu tamen & turbis repreſſi ac in nihilum redacti. Quæ omnia levi fundamento inniti evidens eſt & proprie potius accipienda, licet *Cocceji* ſententia ceteris præferenda. Nam & ſequitur

Verſ. 4. *Tremerent, lutoſæ fierent aquæ cujuſque illorum; commoverentur montes elatione ejus maxime.* Quod perinde *proprie* & ſimul *metaphorice* exponi poteſt, de maris gentium commotione, bellis, ſeditionibus, tumultibus & ſimilibus, ſecundum *Coccejum*, qui tamen minus recte hunc verſum cum ſequentibus connectit, cum melius cum verſu præcedenti cohæreat, præſertim quando סלה *Selah* eum claudit, quod pauſam facere ſolet. Non enim *Trem.* & *Jun.* ſatis convenienter vocem hanc appellative reddentes cum ipſo textu conjunxerunt, ut hic, *maxime.* Nota enim potius Muſica eſt vocis ſternendæ & remittendæ index ut tanto majori attentione præcedentia conſiderentur. Quorſum & illud Græcorum διάψαλμα facit, & τέλος ſeu *finis*, quomodo in oratione Habacuci c. 3. reddunt. *Auguſtinus* autem æque ac *Theodoretus* hæc de turbis & tumultibus qui ob prædicationem Evangelii excitati fuerunt apud Epheſios, Lyſtris & Derbæ, Philippis, Theſſalonicæ, Athenis & Corinthi atque in Actis commemorantur, exponunt. Et prout *Auguſtino*, *montes* hic ſunt *montes ſeculi quibus caput Diabolus*, *ſic Theodoreto* ſunt *dæmonum agmen ob ſuperbiæ faſtum & inſolentiæ elationem.* Τὸ יחמרו autem gemino modo intelligi poteſt, uti *Kimchius* notat. Vel ut reducatur ad חמר *acervum* & ſint גלים *fluctus*, vel ad חמר *lutum* Jeſ. 57: 20. & Hab. 3: 14. ubi τὸ חמר *Luth.* **Schlamm** reddit & *Theodoretus* per *equos*, ſacratos Apoſtolos intelligit. *Galli Pontif.* non ineleganter: *Quand l'ocean pouſſeroit ſes vagues avec un horrible bruit & qu'il feroit trembler les montagnes par la hauteur de ſes flots.* Error vero *Vulgatæ* τὸ בגאותו reddentis *in fortitudine ejus*, *Auguſtinum* quoque in errorem induxit, ut quæreret, *Cujus? Nunquid nam maris an potius Dei?* & *Gallos* coëgit, ut hoc additamento ſenſum *Vulgatæ* ambiguum ſupplerent, *par la puiſſance du Seigneur.* *Lutherus* recte & eleganter. **Wann gleich das Meer wütet und wallet und von ſeinem Ungeſtüm die Berge einfielen. Sela.**

De-

Demonstratio.

EX fiducia auxilii divini oritur confidentia & animus metu humano vacuus, qualis nonnisi in illum cadit qui Deum semper etiam in turbine, etiam ubi abesse videtur, ubi res negligere humanas & omnia veluti in chaos itura videntur, cernit præsentem, cum Christo capite suo dicens: *propono mihi Jehovam jugiter: quia à dextra mea est, non dimovebor. Psal.* 16:8. Quoad enim homo rerum humanarum conversiones, imminentium pericula, terram quasi dehiscentem, montes lapsantes & strepentes, sic aspicit & humanitus contemplatur, ut non ad Deum assurgat, illum videat de nube prospicientem, quando Pharao persequens maxime ipsis fugientium vestigiis inhærere videtur *Exod.* 14: 22, 23, 24. mirum haud est si omnia fuitura credens ipse nusquam consistendi locum inveniat atque animo linquatur. Ast ubi Divino robore & auxilio spem suam sustinet in Deo suo roboratus ac divinæ voluntatis conscius omnes istas conversiones veluti certo consilio evenientes, prædictas, haud perpetuo duraturas, læto eventu terminandas contemplatur, verum sentit robur & æs triplex circa pectus, non metuens, quantumcunque etiam omnia ruere videantur. Quale *Athanasio* erat cum populum Alexandrinum dissipatum & à Juliano Apostata post Persicam victoriam extrema quævis metuentem, erigeret: *Nubecula est* (dicens) *cito pertransibit. Sozom. lib. 5. cap.* 14. Quale *Luthero* seculo superiori, cujus multæ voces magnanimitatis veræ indices leguntur, illa imprimis, qua se contemplatione nubium in libero veluti aëre suspensarum nec tamen ruentium confirmat. Quale *OEcolampadio* cum ad *Hedionem* scriberet: *Enitendum nobis, ut infractus sit animus, si quando bella ingruant & sævire cœperit solutis vinculis Lucifer. Usque in hunc diem non nisi exilii præludia experti sumus. Nempe ægre ferunt quidam homunculi, parvæ autoritatis minorisque Christianismi libertatem Evangelicam cui parum assueverunt: nondum ventum ad sentes, flagella, crucem, fel atque cætera. Paremus animos, imo oremus ut quacunque hora nos vocarit Christus, non cessemus, & ne verbo quidem; certi, felicitatem præcipuam vitæ hujus, periclitari nomine Christi. lib. 4. Epist. OEcolamp. & Zwinglii:*

Istis autem aquis strepentibus & turbatis aliæ opponuntur lenius fluentes.

Vers. 5. נהר פלגיו ישמחו עיר אלהים קדש משכני עליון: *Flumen, rivi ejus, lætificant civitatem Dei; sanctissimum locum, habitacula excelsi.*

Non video quid impulerit *Coccejum* ut non acquiesceret constructioni receptæ de *fluvio* cujus *rivi lætificent urbem Dei*, quæ sit *sanctuarium tabernaculorum excelsi* uti *Calvinus* ultima reddit: Vel uti *Lutherus* metaphoram de rivis lætificantibus exprimere voluit. **Dennoch soll die Stadt GOttes fein lustig bleiben mit ihren Brünnlein / da die heilige Wohnungen des höchsten sind.** Nam in eundem sensum alii quoque interpretes, licet affixum in פלגיו alii ad *Deum*, alii ad *civitatem Dei*, plerique tamen & rectius ad נהר præcedens retulerint. Prius à *Diodati* factum, qui non sine trajectione: *La riviere, les ruisseaux de Dieu resjouiront sa ville, le saint lieu des demeures du Treshaut.* Alterum à *Luthero*, **dannoch soll die Stadt GOttes fein lustig bleiben mit ihren Brünnlein /** &c. Tertium ab *Anglis* non sine supplemento: *There is à river, the streams where of shall make glad te city of God, the holy place of the tabernacle of the most High.* Quo non opus esse putarunt *Galli & Belgæ*, sed quasi פלג ינהר esset scriptum non נהר פלגיו verterunt. *Les ruisseaux de la riviere resjouiront la ville de Dieu, qui est le sainct lieu des habitacles du Souverain.* **De beekskens der riviere sullen verblijden de Stadt Godts / het Heyligdom der wooningen des Alderhoogsten.** Et *Galli Pontificii* quoad cætera non ineleganter: *Les eaux du fleuve ne laisseront pas de couler paisiblement dans la cité de Dieu, dans la demeure sainte du Treshaut*, ad Jes. 8: 6. aquasque Siloah respicientes, quod & à *Calvino* factum. Emphasin tamen hi in voce פלגיו latentem neglexerunt, quam *Theodoretus* singulari observatione dignam putavit, quando (utut *versioni Græcæ*, quæ versum dividit & ultima, ἡγίασε τὸ σκήνωμα αὐτοῦ ὁ ὕψιστος, *sanctificavit tabernaculum suum altissimus*, uti *Vulgata*, ac si scriptum fuisset Hebr. קדש משכנו עליון reddit, insistens) de priori membro ait, quod οἱ τρεῖς (*tres interpretes* vertunt, qui quales sint nescio, nisi *Aquilam, Symmachum & Theodotionem* designet) reddiderint σαφέστερον & apertius, τοῦ ποταμοῦ αἱ διαιρέσεις (sic *editio* 5. habet, prout in variis lectionibus editionis Wechelianæ in folio anni 1597. notatur, cum *Græca* communis ὁρμήματα, i. e. *impetus*, uti *Vulgata* reddit, legat) εὐφραίνουσι τὴν πόλιν τοῦ θεοῦ, *Fluvii divisiones lætificant civitatem Dei*, atque id de fluvio prædicationis Evangelicæ in plures rivos, uti olim ille paradisi fluvius, diviso exponit. Ὁ μὲν γὰρ ἔδραμε πρὸς Ἰνδοὺς ὁ δὲ πρὸς Ἱσπανούς. καὶ ὁ μὲν τὴν Αἴγυπτον, ὁ δὲ τὴν Ἑλλάδα κατέλαβε. καὶ ἕτεροι μὲν τὴν Ἰουδαίαν ἐπισδὴθησαν ἄρδειν, ἕτεροι δὲ Συρίαν καὶ Κιλίαν, ἄλλοι δὲ ἄλλων ἐθνῶν τὴν γεωργίαν ἐνεχειρίσθησαν. h.e. *Hic enim cucurrit ad Indos, hic vero ad Hispanos: ille rursus Ægyptum, hic Græciam occupavit, & alii Judæam irrigare jussi, Syriam alii & Ciliciam, aliis denique aliarum gentium cultura mandata est.* A quo non multum abit *Augustinus* qui ὁρμήματα seu *impetus* fluvii retinens, ita de inundatione illa Spiritus Sancti in die Pentecostes & fluminibus aquæ vivæ ex *Joh.* 7: *vers.* 38, 39. explicat, ut lætificationem hanc prædicationi Evangelicæ tribuat, cum locuti sunt linguis & prædicare Evangelium gentibus cœperunt. Longius abit *Chrysostomus* qui ad providentiam in suppeditandis copiose bonis refert, quasi fluvius hic τὸ δαψιλὲς τῆς χορηγίας τῶν ἄνωθεν δωρεῶν καὶ τὸ ἀκώλυτον καὶ τὸ ἐκκεχυμένον *profusam, copiosam & inoffensam bonorum supernorum suppeditationem* denotaret, perinde acsi diceret; καθάπερ ἐκ πηγῶν ἡμῖν ἅπαντα ἐπιρρεῖ τὰ ἀγαθά. ὥσπερ γὰρ ποταμὸς εἰς μυρία σχιζόμενος μέρη, τὴν ὑποκειμένην ἄρδει χώραν· οὕτως ἡ τοῦ θεοῦ πρόνοια πανταχόθεν ἐπιρρεῖ, δαψιλῶς φερομένη καὶ ῥοιζηδὸν ἐπιοῦσα καὶ πάντα πληροῦσα. *Tanquam ex fontibus omnia nobis bona profluunt. Quemadmodum enim fluvius qui scinditur in millenas partes, subjectam regionem irrigat: ita Dei providentia omni ex parte influit, abunde promanans, cum susurro perfluens & omnia implens.* Quæ si ad providentiam Dei specialem & suppeditationem bonorum & benedictionum spiritualium, unde non securitas solum & auxilium certum sed spirituale etiam gaudium ad fideles redeat, secundum ea quæ apud eundem *Chrysostomum* sequuntur, referantur, generalius quidem dicta erunt sed tamen ad scopum facient.

Verum *Coccejus* hic plane singularis etiam ipsam constructionem sine ulla necessitate mutavit, dum existimabat קדש hic omnino superlativum inferre: *sanctissimum tabernaculorum altissimi.* Cum ergo civitas Dei vel Ecclesia, in qua per gratiam habitat, non sit tabernaculorum sanctissimum, sed aliud sanctius per ἐνσάρκωσιν detur, hinc τὸ קדש cum נהר construxit, quasi scriptum fuisset קדש משכני עליון נהר פלגיו ישמחו עיר אלהים *Sanctum Dei est fluvius cujus rivi lætificant civitatem Dei.* Et si id durius videatur, aliter quoque reddi posse monet. Nempe, vel per ἀσύνδετον, *Fluvius rivi ejus & sanctum Dei lætificant civitatem Dei.* Vel, *Fluvius rivi ejus*; nimirum *sanctum Dei.* Quorum utrumque mihi priori durius videtur. Unde & ipse, licet urgeat, Christum esse *sanctissimum tabernaculorum altissimi*, in quo habitat θεότης σωματικῶς *corporaliter*, eundemque *fluvium Joh.* 4: *vers.* 14. huic tamen non multum insistit, sed ad *flumen spiritus* S. Joh. 7: 38, 39. Ezech. 47: 1. seq. Apoc. 22: vs. 1. ejusque *rivos* διαιρέσεις τοῦ πνεύματος 1 Cor. 12: 4. deflectit atque locum Jes. 12: vs. 3. huc quoque refert. Imo receptæ constructionis *sensum notabilem* dicit, quando civitas Dei h. e. Ecclesia vocatur sanctissimum tabernaculorum altissimi, quia in illa habitat quoque libentius & verius quam in ullo tabernaculo carnali, ibi vivit, ibi operatur, eam domum exornat, ibi solus residet & præsidet, eam domum repurgat, ibi splendidus & magnificus cognosci & requiri vult.

Demonstratio.

EST hæc insignis Ecclesiæ præcipue N.T. proprietas quod veluti *civitas Dei* (quomodo etiam dum in terris militat appellatur *Psalm.* 87: 3. *Jes.* 60: 14.) & quidem sanctum tabernaculum altissimi 2 *Cor.* 6: 16. non χειροποίητον sed ἀχειροποίητον, cujus structura de vivis lapidibus surgit 1 *Petr.* 2: *vers.* 5. etiam dum obrui fluctibus videtur atque omnia extra eam ac circa eam nutare, lapsare, strepere, turbari, tremere ipsa tamen immota consistens etiam lætetur rivis fluvii eam perpetuo irrigantis. Quorsum pertinet illa promissio, portæ inferorum non superabunt eam. *Matth.* 16: 18. Quoniam enim corpus quoddam mysticum est, cujus interiora non possunt à vi externa turbari, imo nitidiora fiunt & incrementum capiunt, si exteriora corrumpantur & vitium faciant, 2 *Cor.* 4: 16. quoniam spiritu quodam vivo animatur & regitur qui

qui per verbum veluti λόγον ἔμφυτον *Jac.* 1: 21. intime animos afficit, reficit, sublevat, sustinet, propellit, & per varias istas ἁφὰς τῆς ἐπιχορηγίας, *suppeditatas commissuras Eph.* 4: 16. quæ in fructibus æque ac donis Spiritus S. se exserunt, fideles omnes per communionem sanctorum veram in unitate spiritus per vinculum pacis compingit, fieri non potest quin inde lætitia singularis oriatur *Rom.* 14: 17. Inde etiam in vinculis hymni *Act.* 16: 25. in cœtibus preces adeo ardentes & fervidæ ut etiam locus orationis inde commoveatur. *Act.* 4: 31. in tormentis ac gravissimis suppliciis animus præsens, exultans, hilaris ad ipsam usque hostium derisionem. Vide *Prudentii hymnos* περὶ στεφανῶν maxime illos *in Laurentium* & *Romanum* martyres, & memorabile exemplum *Theodori Confessoris* inter gravissimos cruciatus Psalmum canentis, ut ipse Salustius præfectus metueret ne Julianus Apostata cum ministris crudelitatis suæ tandem omnibus ludibrio essent, de quo *Socrat. l.* 3. *c.* 16. *Theodoret. l.* 3. *c.* 11. & *Sozom. l.* 5. *c.* 19. Inde tanta in legendis, audiendis, meditandis Scripturæ S. fontibus oblectatio, ut nulla persequentium violentia obstrui potuerint vel etiam hæreticorum fraude turbari & conspurcari, quantumcunque tot voluminum millia, per *traditores* conquisita, fuerint combusta, quantumcunque lectione earum interdictum, quantumcunque pseudo-evangelia, & Pseudo-Epistolæ ab Ebionitis, Cerinthianis, Cainæis, Manichæis confictæ. Hic fluvius, hi rivi, tum & superioribus quoque seculis inde à Waldensium tempore eousque lætam reddiderunt civitatem Dei, ut nec Principes puderet notas ejus vestibus præferre V. D. M. I. Æ. nec quicquam esset quo animi summis in periculis magis erigerentur.

Postquam vero lætum civitatis Dei statum propter Dei inhabitantis præsentiam & rivos de flumine manantes eandemque irrigantes *vers.* 5. descripserat Psaltes, ejus stabilitatem in quocunque motu per robur Dei auxiliantis porro evidentius refert.

Vers. 6. אלהים בקרבה בל תמוט יעזרה אלהים לפנות בקר:
Deus est in medio illius, non dimovetur illa; adjuvat illam Deus ab appetente matutino.

De præsentia illa Dei gratiosa qua in Ecclesia se manifestat proculdubio loquitur, licet non sine respectu ad illam שכינה super arca & Cherubinis qua stante templo primo in sanctuario præsentiam manifestabat. Unde *Chrysostomus* & *Theodoretus* hæc ad tempora N. T. referentes, de Christo exponunt atque huc loca *Matth.* 28: 20. & 18: 20. referunt, ubi ἐν μέσῳ αὐτῶν, τῷ בקרבה hic respondet. *Augustinus* vero etiam emphasin adhuc singularem hic invenit, *medium* mathematice quasi de centro quodam accipiens. Nam postquam negasset id esse localiter intelligendum; *Quid est* (inquit) *in medio ejus? tanquam Deus in uno loco stet & circumdent eum qui credunt in eum. Ergo ambitur loco Deus & lata sunt quæ circundant, in angusto est qui circumdatur! Absit. Nihil tale cogitetis de Deo, qui nullo capitur loco, cui sedes est conscientia piorum. Et ita sedes Dei est in cordibus hominum, ut si homo ceciderit à Deo, Deus in se maneat, non quasi cadat, non inveniendo ubi sit. Magis enim te sublevat ut in illo sis quam ut in te incumbat, ut si te subduxeris, cadat. Ille si se subduxerit, cades tu: tu te si subduxeris, non cadit ille:* tandem concludit; *Quid ergo est Deus in medio ejus? Hoc significat, quod æquus est omnibus Deus & personas non accipit. Quomodo enim illud quod in medio est paria habet spatia ad omnes fines, ita Deus medius esse dicitur æqualiter omnibus consulens.* Verum hæc subtilitas tum à contextu aliena est, ubi non dicitur quod Deus sit קרב, *medium*, vel quod sit בקרב *in medio*, sed quod sit בקרבה *in medio ejus*, nempe *civitatis Dei*, affixo ה ad vocem עיר respiciente: tum ab usu Scripturæ, ubi τὸ קרב *medium* id est *intimum* cum respectu ad exteriora solet notare. Vid. *Ps.* 64: 7. ubi קרב איש de *interioribus Viri* & *Ps.* 103: 1. ubi קרבים similiter de *interioribus* accipiuntur. Nam & hic notatur intima illa & singularis Dei præsentia gratiosa quæ anima & cor Ecclesiæ est eam animans & sustinens. Unde *Chald.* שכינתא דיי בגוה *Præsentia Dei* (quam שכינה vocant) *est in medio ejus.* GOtt ist bey ihr drinnen / uti sensum recte expressit *Lutherus.*

Unde non *movetur* vel *dimovetur.* Monet *in Lexico Coccejus* מוט minus esse quam נוע quod in gradatione sequatur *Jes.* 24: 19, 20. Solet autem מוט pedi alias tribui *Ps.* 38: 17. & 66: 9. & 94: 18. ubi eidem τὸ סעד opponitur quod per στηρίζειν, ἀντιλαμβάνεσθαι βοηθεῖν Græci reddere solent. Estque tempus vindictæ & retributionis quando pes dimovetur *Deut.* 32: 35. quod de tali dimotione intelligendum, quam lapsus & ruina sequitur, cujusmodi illa qua fundamenta terræ moventur *Jes.* 24: 19, 20. Et talis etiam hic intelligitur. *Elle ne sera ebranlée*, ut *Galli Pontificii* post *Diodati*, qui *jamais* addit, *elle ne sera jamais ebranlée*, melius quam *Gallica* communis, *elle ne bougera point*, quæ tamen *vers.* 7. sequenti τὸ מוט quoque per *ebranler* reddit. *Lutherus* propositionem negantem in affirmantem per æquipollentiam convertit, quoad sensum non male, darum wird sie wohl bleiben/ transferens. Indicatur autem hoc ipso tum Ecclesiæ veræ totius electorum stabilitas & immobilitas qua præservatur etiam dum concuti videtur & lapsura non à ruina solum sed & à declinatione ad ruinam, tum singulorum fidelium per illud στερέωμα electionis, vocationis, justificationis, sanctificationis, 2 *Tim.* 2: 19. *Rom.* 8: 29, 30.

Nam *adjuvat illam Deus ab appetente matutino.* Ubi commentum *Chald.* Interpretis à limine removendum, qui ad merita Abrahami respici putat & preces quas ille matutino tempore pro ea fuderit sic παραφράζων. יסיענה יי בזכותיה דאברהם דצלי עלה לעדני צפרא *adjuvabit eam Deus propter meritum Abrahami qui oravit pro ea tempore matutino.* Nam cum nihil de eo in Scripturis legamus quod Abrahamus pro Ecclesia oraverit tempore matutino, illam pro justis Sodomæ intercessionem huc referunt *Gen.* 18. quam tempore matutino factam ex collatione vers. 16. 23. 33. & c. 19. 1. 27. colligunt. Imo & *Psalmum* 89. quem Abrahamo non solum *Chaldæus interpres* sed quoque Rabbini communiter tribuunt quia appellative illud איתן האזרחי sumunt de *forti* quodam *orientali*, qualem Abrahamum esse putant propter fortitudinem in pugna cum quatuor regibus demonstratam *Gen.* 14. & quod ex oriente venerit ex Chaldæa in Palæstinam migrans. Quorsum & locum *Jes.* 41: 2. respicere existimant, commenta commentis tegentes ne perpluant. Quod in Hebræo est לפנות בקר LXX. per πρὸς πρωὶ πρωὶ reddiderunt, alii (ut *Chrysostomus* notat) περὶ τὸν ὄρθρον, rursum alius, τὸ νεῦσαι πρωΐαν vertit, exigua quoad sensum discrepantia. Cum vero *Vulgata* hic *mane diluculo* habeat, *Augustinus* alia procul dubio versione usus quando legit, *adjuvabit eam Deus vultu suo* (q. לפנות ad Deum spectaret) *ut respiciat mane.* Quem *vultum* de *demonstratione* ejus exponit. *Quando se demonstrat Deus* (quærit) *ut vultum ejus videamus? Jam commemoro. Didicistis præsentem Deum, didicimus per opera. Quando ab illo aliquid adjutorii accipimus, ita ut omnino non dubitemus à Domino nobis esse concessum, vultus Dei nobiscum est.* Quæ quidem in se vera, hic tamen aliena sunt. Phrasin ejusque emphasin *Calvinus* ad promtitudinem auxilii refert, quod Deus ad opem ferendam semper sit paratus. *Conspectus* enim *auroræ* secundum ipsum tantundem valet acsi dixisset, quotidie simulac sol terris exoritur. Rectius tamen *Coccejus* eam ex locis parallelis exposuit, ubi vel eodem modo occurrit, ut *Exod.* 14: 27. ubi aquæ maris rubri ad alveum suum reversæ dicuntur לפנות בקר *appetente matutino.* Præcesserat autem v. 24. Deum prospexisse ex columna ignis in exercitum Ægyptiorum באשמרת הבקר *in custodia matutina* i. e. ultima noctis vigilia. Et sic *Jud.* 19: 26. Vel cum aliis construitur. Sic לפנות ערב de Isaaco *vespera appetente* egresso ad meditandum in agro *Gen.* 24: 63. Cui subjungitur consequens, *occasus solis* in illo qui pollutus se lavare tenebatur לפנות ערב *Deut.* 23: 11. Confer *Ezech.* 43: 17. Hinc colligit idem *Coccejus* τὸ לפנות בקר reddi posse *usque ad appetens mane* h. e. per totam noctem hujus seculi; usque ad extremum dum appetat lux vitæ æternæ. Vel etiam in ea respectum esse ad exemplar liberationis ex Ægypto *Exod.* 14. adeoque designari 1. statum Ecclesiæ. Habet aliquando noctem in qua timet nonnihil sed quæ in lucem desinit. 2. Statum hostium Ecclesiæ, qui perpetuo sub regno tenebrarum sunt & Deum non cognoscunt & ad lucem non perveniunt. 3. Brevitatem & levitatem tentationum quibus fideles in hac vita sunt obnoxii, secundum loca parallela *Psal.* 30: 6. *Jes.* 17: 13 R. David Kimchi locum Zach 14: 7. quoque huc refert, ubi tempore vespertino lux promittitur. Omnino ita est. Sed & commode huc spectat illa desiderii fidelium descriptio Psalm. 130: 6.

Demonstratio

Licet tempore persecutionis & judiciorum quæ à domo Domini incipiunt, Deus quasi à populo suo abesse videatur, tamen nihilominus *adest in medio ejus* præsentiam suam gratiosam in fidelibus quoad interiora eorum, fidei, charitatis, spei, tolerantiæ, patientiæ, contemtus rerum mundanarum, desiderii rerum cœlestium incrementa insignia manifestans. Hinc etiam *non dimovetur*, cum stabilitas Eccle-

clesiæ & membrorum ejus non in flore externo, potentia, pace externa, tranquillitate, sed in pulchritudine illa interiori, de qua *Ps.* 45: 14. sit quærenda. Ubi si vel nutare, & titubare eam hic inde contingat non sine lapsu, non tamen fundamenta ejus moventur ut ruina sequatur. Tantum abest ut latebræ, exilia, fuga in desertum, præsidii & auxilii humani privatio aut decrementum eam *dimoveant*, ut potius confirment ac stabiliant maxime. Nam *auxiliatur ei Deus appetente matutino.* Desiderio fidelium per noctem tribulationis sæpius ingeminantium, שמר מה מלילה שמר מה מליל *Jes.* 21: 11. Custos Israëlis respondet promissione illa auxilii לפנות בקר, excitans eos simul ut ad signa temporum attendant, quoniam liberatio non semper ἀπὸ μηχανῆς ex improviso venit & derepente illucescit. Præcedunt gradus quidam, radii lucis ex obscuro prorumpentes, quorum conspectus ἀποκαραδοκίαν firmat & fideles in spem erigit meliorem. Sunt quædam operum Dei magnorum præparationes, in quibus est aliquis appetentis auroræ conspectus. Ad has qui respiciunt, vident Deum præsto ad auxilium esse atque luce appetente lætantur. Ah quando tandem, ô Domine, eris nobis auxilio לפנות בקר atque densam illam caliginem, quæ Ecclesiam Tuam involvit discuties! Quando respicies ad nos & facies ut ad Te indesinenter respiciamus! Ne dicant alii, imo ne dicamus & nos ὀλιγόπιστοι: איה אלהינו: איה אלהיך

Sequitur porro

Vers. 7. המו גוים מטו ממלכות נתן בקולו תמוג ארץ:
Frementibus gentibus, moventibus se regnis, edit vocem suam, liquefit terra.

In prioribus argumentum fiduciæ in futurum produxerat, jam illud statui præsenti & præterito applicat, ut quod dixerat vivo experientiæ sensu confirmet, quæ connexionis ratio *Calvino* quoque probatur. Quando vero *Galli Pontificii* recentiores eam quoque ad ipsam constructionem extendunt & hunc versum cum sequenti connectunt vertendo; *que les nations fremissent, que les royaumes sont ébranlez: que la terre s'entr' ouvre avec un grand bruit; Le seigneur des armées est avec nous* &c. certe falluntur in hac alias eleganti expressione quando *vocem terræ* tribuunt, cum tamen tum dicendum fuisset non בקולו sed בקולה, ut alia quæ obstant taceam. *Vox* hæc *Dei* est. Unde *Græci* addiderunt, ὁ ὕψιστος. Quam æque recte *Calvinus* ad *promissiones* ac *Chaldæus* interpres ad *legem* datam retulit. Melius *Coccejus* 1. ad prædicationem Evangelii quæ diminuit cœtum hostium & excitat concertationes mundi. 2. ad verbum judicii prænuntiatum à Prophetis, pronunciatum à fidelibus, in infideles, quod in ore duorum testium V. & N. T. est. Quod *Augustinus* quoque prædicationi Evangelii applicat, *Theodoretus* ad veritatem rerumque ipsarum testimonium & omnis generis miracula refert. *Chrysostomus* per ἀνθρωποπάθειαν exponit, cum præcedat, ἔκλιναν βασιλεῖαι, sequi, ἔδωκε φωνὴν q. αὐτοβοεὶ τὰς πόλεις εἷλε, quia Deum semper ut armatum introducit, qui alias non clamore sed nutu & sola voluntatis efficacia vincit. *Strepitus* vero *gentium & mota regna* idem de oppugnatione civitatis Dei recte accipit, quod etiam post *Ab. Esram* aliosque *Calvino & Coccejo* placet. *Theodoretus* tamen & *Augustinus*, propter illud ἔκλιναν, *inclinata sunt regna*, de conversione & motu salutari & inclinatione ad adorandum, sed non recte, accipiunt. Neque Lutheri sensum per omnia probo, qui המו & מטו & תמוג tanquam tria effecta q. ad vocem Dei editam refert. **Die Heyden mussen verzagen / und die Königreiche fallen / das Erdreich muß vergehen wann er sich hören lest.** Evidens videtur idem in priori membro dici quod *vers.* 4. & *Psal.* 2: 1, 2. atque tumultus innui se contra civitatem Dei efferentium. In posteriori autem, *edit vocem suam liquefit terra* idem quod *Psal.* 2: 5. 9. & *Amos* 9: 5. De tali enim voce sermo est, quam effectus in terra consequitur, & quidem mirabilis. Nam terram aquis dissolvi haud adeo difficile, sed eam ut metalla & rem solidam liquefieri, solo vocis nutu & quidem vocis non integre sonantis, id dignum admiratione. Posterius exinde colligitur quod hic non dicatur נתן קול ut alias *Psal.* 18: 4. 104: 12. *Joel.* 2: 11. Sed נתן בקולו ut *Psal.* 68: 34. Ubi ב *Coccejo* partitivum videtur, ut innuatur, non edi vocem totam sed tanquam שמץ דבר susurrum verbi *Job.* 26: 14. qui *terram* ex Apocalypsi de regno bestiæ exponit. *Liquescere* vero per *consumi, desolari, corrumpi, perire*, ut cera videtur liquescendo diffluit. Quod si *terra* sint τὰ πλήθη *turbæ hominum*, uti *Chrysostomo* quoque ex *Gen.* 11: 1. videtur, id de ea intelligendum, ut maxime compacta consensu & adversus Civitatem Dei consiliis ac machinationibus in magnam molem unita est. Quæ Deo exsurgente & vocem judiciorum edente momento dissolvitur & dissipatur, quo *Raschi*, תמוג pro per הנעה seu *motum* explicans, locum quoque 1 *Sam.* 14: 16. non male refert.

Demonstratio.

Loquitur experientia per Orientem & Occidentem, strepere nunc quoque gentes & regna ad eundem modum, in Gallia præsertim & Anglia, moveri. Sed nondum vocem illam edi audimus, imo potius tempus silentii esse videtur, post quod non unum *Væ!* exspectandum *Apoc.* 8: 1. 13. Atqui jam edidit vocem antehac & non una moles quæ adinstar aggeris bene compacta surgebat, dissoluta diffluxit ad illius nutum qui tollit in altum ut lapsu graviore ruant. Neque obscura sunt eam in rem in Germania an. 1552. & 1631. in Gallia an. 1574. & 1588. ac 1589. in Anglia an. 1588. & 1605. exempla. Neque silebit *Ps.* 50: 3. *Jes.* 42: 14. Interim in silentio & spe donec loquatur exspectemus *Ps.* 85: 9. atque ut silentium rumpat tandem suspiriis ardentibus expetamus ad exemplum fidelium *Ps.* 83: & *Jes.* 64: 12. Est enim insuper gloriationis denique argumentum.

Vers. 8. יהוה צבאות עמנו משגב לנו אלהי יעקב סלה:
Jehova exercituum nobiscum est, locus editus est nobis Deus Jahakobi maxime.

Vox hæc est fidelium in præsentia & auxilio Jehovæ exultantium atque spem suam sustentantium fore ut quantumcunque gentes strepant & regna adversus civitatem Dei moveantur, tamen eo solum vocem edente, terra diffluat, liquescat, & montes etiam maximi, sive hostium potentissimorum sive consiliorum humana calliditate in immensum se efferentium in mare cadant ac in nihilum recidant. Atque his verbis veluti epiphonemate quodam prior pars Psalmi æque ac totus Psalmus clauditur, in cujus fine eadem recurrunt. Testantur autem illa fidem 1. *de præsentia Jehovæ*, etiam tum quando abesse & populum suum dereliquisse videtur. *Jehova exercituum nobiscum est.* Antea Deum sibi repræsentaverat ut אלהים *judicem, vindicem & Numen adorandum* vers. 2. 5. 6. ut עליון *Excelsum & sublimem*, nunc etiam ut *Jehovam* & quidem *Jehovam Zebaoth*, Deum constantem, immutabilem, potentissimum, *vere principem militiæ, Deum ordinis, Deum gentium multarum, cujus ea hæreditas sunt, cui oportet totum mundum subjici, ad quem venient omnes gentes ut adorent eum. Psal.* 86. 9. *Vid. Psal.* 24. *Jer.* 3: 19. uti *Coccejus* ad *vers.* 11. respiciens emphasin exprimit. Alias צבאות magna varietate in aliis Scripturæ locis cum יהוה, cum אלהים cum אלהי cum יהוה & אלהי cum יהוה אלהים cum יהוה הארון cum ארני יהוה cum יהוה אלהי conjungitur. Et cum plerumque צבאות simpliciter dicatur, quandoque etiam additur ה emphaticum הצבאות *Hos.* 12: 5. *Amos* 3: 13. Quid vero צבאות in tali constructione sit non adeo planum esse videtur. Unde tanquam nomen proprium retinuerunt quandoque interpretes *Jes.* 1: 9. quæ verba *Rom.* 9: 29. citantur, εἰ μὴ κύριος Σαβαὼθ ἐγκατέλιπεν ἡμῖν σπέρμα. Quidam etiam ipsum nomen צבאות per se nomen divinum constituere crediderunt & sic in ordine decem nominum divinorum Hebraicorum cum *Hieronymo in Epist. ad Marcellam* collocarunt ut assererent, *quando per appositionem vel* יהוה צבאות vel אלהים צבאות dicitur, tum non recte reddi *Deus* vel *Dominus exercituum.* Sed potius retenta voce Hebræa per *Deus* vel *Dominus Zebaoth* verti. Ita inter alios Cl. *Leusden. Philolog. Hebr. diss.* 31. *pag.* 368. & 396. qui tamen non explicat quo sensu Deus possit non solum *Deus exercituum* sed quoque *Deus exercitus* dici per appositionem. Nam ratio, quia multorum exercituum est Dominus qui ipsi ad nutum semper inserviunt (quorsum angelos *Psal.* 103: 21. & *Gen.* 2: 1. astra & sidera, imo & alios exercitus qui ad puniendos impios adhibentur, locustas, bruchos cæteraque animalia perniciosa refert) prioris solum est, non posterioris. Neque enim Deus hic ipse exercitus est, & si ad dominium referas, appositio illa tamen per ellipsin erit explicanda. Ergo melius ut cum *Buxtorf. de nomin. Dei Hebr.* §. 58. dicamus in illis locis vel esse enallagen nominis absoluti pro constructo cujus exempla in *Thes. l.* 2. *c.* 4. plura habet; vel ellipticam & concisam locutionem pro יהוה אלהי צבאות ut integre legitur *Amos* 4: 13. & 5: 27. Id quoque inprimis notandum צבאות non ad istos quos volunt exercitus saltem non perpetuo nec præcipue, referri, sed ad Ecclesiam militantem in multos exercitus divisam, quibus adversus hostes, sive carna-

nales ſive ſpirituales pugnantibus Deus adeſt eoſque vel ducit, vel, caſtra metantes tuetur. Phraſis autem inde orta videtur, quod cum Iſraël populus Dei primum ex Ægypto educeretur, exiret tanquam exercitus quidam Dei in multas turmas ſecundum tribus diviſus, quæ צבאות יהוה vocantur *Exod.* 12: 41. Nam & ipſe Deus eductionem populi ſui promittens, notanter את צבאותי את עמי ובני *exercitus meos populum meum* conjungit *Exod.* 7: 4. Quaſi ducem ejus ſe ferens, quem etiam columna nubis & ignis ducebat. Adeoque fundamentum ſolatii in hoc epitheto quo Deus *Jehovah Zebaoth* dicitur, non adeo eſt in regno potentiæ ipſius, ubi omnes creaturæ ad imperium ejus præſto ſunt, quam in regno gratiæ quærendum. Id quod etiam loca prophetica demonſtrant. Præ cæteris evidens ille *Jeſ.* 9: 6. קנאת יהוה צבאות תעשה זאת׃ *Zelus Domini Zebaoth faciet hoc.* An zelus Jehovæ competit quatenus angelos & locuſtas & bruchos pro exercitu, & non potius, quatenus regnum in populo ſuo habet, eundem videt afflictum, undique obſeſſum & veluti in anguſtias compulſum, turmas diſperſas & diſſipatas furore hoſtium jam inſultantium & quaſi debellatum foret ἐπινίκιον canentium, ut liberet, ut erigat, ut educat, ut colligat & populi ſui miſereatur? Vid. *Joel.* 2: 18. Hoc certe reſpectu dicere *Jehova Zebaoth nobiſcum eſt*, in ipſo nomine argumentum præſentiæ oſtendit & animum addit militantibus in hac terra, prout eundem dejicit querela, *non egrederis cum exercitibus noſtris. Pſal.* 44: 10.

Eo majori confidentia igitur 2. etiam fidem teſtantur *de auxilio Dei præſentis adeo luculento ut triumphus ſequatur.* Sic *Coccejus* accipit verba. *Sublimatio eſt nobis Deus Jacobi*; nempe non tantum ut ſalvi ſimus ſed etiam ut triumphemus. Quam emphaſin ex locis parallelis *Job.* 5: 11. & *Jeſ.* 9: 10. *al.* 11. colligit. Sed cum משגב fere *locum ſublimem editum & elatum* ſignificet, quid ni & hic metaphora eadem notet idem quod מחסה & מגדל עז *receptum & turrim robuſtam Pſalm.* 61: 4. quod צור מעון & סלע *rupes quæ inhabitatur & petra, Pſal.* 71: 3. quod מגדל עז *turris robuſta Prov.* 18: 10. præſertim quoniam ibi ſequitur, *eo currit juſtus* ונשגב *& in edito collocatur*, ut *Tremell. & Jun.* bene reddit.

Demonſtratio.

Quid vero magis ad tranquillitatem animi facit in ejuſmodi turbis, ubi omnia perſtrepunt tumultibus, aquæ turbantur, terra movetur, lapſant montes in cor marium, fremunt gentes, movent ſe regna, atque ingentes rerum converſiones, metus & pericula in futurum mentem conturbant quam cor ſurſum vertere animoque in cœleſtibus verſari, elevari mente *ſublimi* & in *Jehova Zebaoth* præſente, in *Deo Jacobi*, qui fœdere arctiſſimo populo ſuo conjunctus corroborari, deſpicere hæc inferiora omnia & inter tela ignita undique ingruentia & immiſſa extra jactum teli verſari? Qui ſic affectus, vere dicere poteſt *Selah* & pauſam facere, qua durante ſecurus attendat ad mirabilia divinæ providentiæ opera ac mox lætus exſurgat ad ea celebranda. Nam *primo* de *præſentia* quidem Dei ut eſt *Jehova Zebaoth*, Deus æternus, conſtans, verax & immutabilis, idem ille ſemper ipſe, *Ehjeh aſcher Ehjeh, qui erit id quod erit*, *Exod.* 3: 14. fidelibus etiam ſcrupulus quandoque oritur animumque illa Eccleſiæ deſolatione, iſto hoſtium triumpho clamantium ערו ערו עד היסוד בה׃ *nudate, nudate: quantiſper fundamentum ejus erit in ea Pſal.* 137: 7. dejectum angit graviſſime. Unde illa Gideonis ad ſalutationem angeli fœderis querula reſponſio, ויש יהוה עמנו ולמה מצאתנו כל זאת׃ *ſi eſt Jehova nobiſcum, at quare obvenit nobis totum hoc? Jud.* 6: 13. Verum eximi poteſt ſi attendatur 1. Deum hunc de cujus præſentia gloriantur fideles, eſſe אל מסתתר *Deum abdentem ſeſe*, etiam dum ut ſervator Iſraëlis agnoſcitur *Jeſ.* 45: 15. quatenus ſcilicet judicia ejus ſunt imperſcrutabilia & viæ imperveſtigabiles, maxime tum quando judicium à domo ejus incipit. 1 *Petr.* 4: 17. Hinc quoniam per ἀνθρωποπάθειαν ſe ad locum ſuum reverſurum denuntiat *Hoſ.* 5: 15. ut populum ſuum, ſive morbum & ulcus ſuum necdum agnoſcentem, ſive medelam ejus ab Aſſyrio aut alio Rege & præſidio humano exſpectantem, ad agnitionem erroris ſui & quærendum illum qui præſto eſt deducat, reipſa quoque abeſſe & populum ſuum projectum deſeruiſſe videtur. At non abeſt ſed latet; non abiit ſed brachio potentiæ, quod alias exſerere ſolebat, contracto veluti manibus complicatis ſedet וחכה *& exſpectat* ut gratiam faciat ſuis & ad miſerendum ſe efferat. Jeſ. 30: 18. In quo ipſo poſtmodum potentiam, ſapientiam, juſtitiam & miſericordiam ſuam eo luculentius manifeſtat, quando evigilat qui viſus erat tanquam dormiens, hoſtes ſuos percutit retro & opprobrium perpetuum eis indit Pſal. 78: 65, 66. Gloriæ ejus cedit ut minime agere videatur quando maxime agit & cunctando rem reſtituit. Quod Maximi olim cognomen Q. Fabio qui ſcutum Imperii dictus peperit, ut pateretur Hannibalem urere agros, dum ipſe per munita exercitum ducens illum ſenſim in anguſtias compellebat, argumento etiam in humanis id gloriæ cedere: id certe in Deo T. O. M. eo plus gloriam ejus illuſtrat quo minus ex neceſſitate id omne agit, quo magis efficax providentia ejus etiam prophetis & ſanctis in obſcuro eſt quando hoſtibus fræna laxat ut libero quaſi impetu ad ruinam populi ſui ferantur. *Habac.* 1: *vſ.* 10-17. Sed & 2. cum *præſentia* ejus, ut dictum, non in exterioribus ſed in interioribus Eccleſiæ ſit quærenda, quando quidem eſt בקרבה *in medio ejus*, in interioribus ejus, intime ei adeſt, hæc quoque eo magis ſe tum exſerit quo minus in oculos mundanos & carnales incurrit. Dum pace externa & abundantia omnium rerum & ſecura tranquillitate civitas Dei florere videtur, quia numero incolarum abundat, cultus externus feliciter procedit, devotio externa fervet: Deum ſibi ſæpe putat præſentem, quando jam receſſit aut in eo eſt ut ſe ſubducat, quia videt abundare hypocritas, cultum internum externo haud reſpondere, frigere internam & veram devotionem dum externa oculos aliorum afficit & ipſos vere fideles torpentes quandoque per ſecuritatem carnalem & contagium malorum veluti quodam lethargo oppreſſos detinet. Non ſic ſpiritus ille vitalis *Ezech.* 1: 20. qui verum præſentiæ divinæ indicium eſt tunc animat Eccleſiam ac poſtmodum, quando tempeſtate ingruente metus humanus, animus rebus terrenis & vitæ commoditatibus addictus, religio in ſupremis labris natans, diffidentia, indifferentia, prophanitas, turbam eorum qui ſolo nomine in caſtris Eccleſiæ ſunt, à veris militibus ſecernit qui conſtantia in profeſſione veritatis, contemtu periculorum jacturæ rerum omnium, ignominiæ, pænarum damni & ſenſus temporalium, & ipſius etiam mortis, tanquam veri Confeſſores & Martyres, animo ſemper præſenti demonſtrant Deum ſibi gratioſa ſua præſentia adeſſe. Denique 3. cum *præſentia* hæc *Jehovæ Zebaoth* ſit, qui Eccleſiæ ſuæ veluti *exercitui* adeſt, non exiſtimandum eam certo alicui loco alligatam eſſe. Si candelabrum loco ſuo moveatur & tenebræ alicubi ingruant, non ideo abeſt exercituum Dominus, ſed caſtra movit, exercitum in loca ubi gloriæ ſuæ expedire novit, ſubduxit. Itaque ſi laboret alicubi Eccleſia, vel etiam opprimatur penitus, electorum ſuorum ſemper eſt memor, locum præſentia ſua gratioſa deſerit, non cœtum, quem vel diſſipatum alibi colligit & ei de hoſpitio proſpicit, vel in latebras compulſum corroborat, animat, ut ad ſanguinem uſque reſiſtens inviſibilia præferat fluxis, atque conſtantia ſua ſemen quoddam ſpargat novum, ex quo in ipſorum hoſtium numero nova quædam progenies exſurgat, & etiam rebelles converſi gratioſæ hujus præſentiæ capaces reddantur. Pſal. 68: 19.

Quod ſi etiam *ſecundo* attendamus quam Eccleſia perſecutionis tempore ſæpe in anguſtias compellatur, ſive coacta in cœtum, ſive fugiens & diſſipata, atque mira quadam tum ratione & conſilii copiam & evadendi pericula vias & evaſionis ſucceſſum reperiat, nonne argumento evidenti eſt, quod *Deus Jacobi* ei fuerit *locus editus & ſublimatio?* præſertim cum eo caſu ubi res in arcto eſt eo majori fiducia fideles ſoleant ſe ad Deum ſuum ceu protectorem & liberatorem recipere, ejus auxilium agnoſcere, ſe illius præſidio tutos lætari eidemque corde humili & devoto gratias agere. Quo ipſo hoc præſidium & liberatio differt ab eo quod improbis etiam quandoque per longanimitatem & tolerantiam Dei obtingit. Eſt enim & hoc ex eorum numero de quibus Regum ſapientiſſimus, his omnibus quemadmodum reliquis omnibus evenire, *Eccl.* 9: 2. Prout ergo cauſa non ſupplicii ſimilitudo martyrem facit ita quoque non evaſionis ſimilitudo; ſed cauſa, ratio & ſcopus efficit ut *Deus Jacobi locus editus & ſublimatio* in ſingulari liberatione fuiſſe credatur. Non loquar jam de illis quæ humanis conſiliis proſpicientia aut calliditate temperantur, ſed de iſtis quæ vim quandam ſuperiorem evidentius demonſtrant. Cujuſmodi illa *conjurationis fulminalis in Anglia detectio an.* 1605. cujus anniverſaria celebratio merito *die V. Novembris* injuncta peculiari officio in hodiernum uſque diem ſervata merito eſt. Fuiſſe enim in iſta detectione manum Dei evidentem ad conſervationem Regis, familiæ Regiæ, Procerum in Parlamento congregatorum, Eccleſiæ & reipublicæ omnes circumſtantiæ demonſtrant 1. Periculum inſtans, quod vix una nox interceſſit inter detectionem & tempus quo facinus fuerat executioni mandandum facile, nemine tale quid vel per ſomnium ſuſpicante 2. Periculi magnitudo & gravitas, dum omnia jam erant præparata & nonniſi momentum executionis exſpectabatur, Fawkio cum igniario funiculo in antri illius Plutonis ingreſſu deprehenſo, cui partes accen-

accendendi pulveris pyrii erant demandatæ. 3. Periculi incrementum, quod licet conjuratorum plurimi essent, omnes tamen fidem silentii servarent, nemo in facinore adeo horrendo tot innocentium quos ruina domus erat oppressura commiseratione tangeretur, vel ullum conscientiæ remorsum sentiret: & cum tandem aliquod indicium esset factum, id adeo parvi momenti erat, ut propemodum sperneretur. 4. Mira detectionis ratio, quod cum unus conjuratorum ad amicum aliquot ante diebus schedam sine nomine misisset rogans ut Parlamento abesset, quia *terribilem conventus iste ictum esset sensurus nec visurus percutientem* (ut Thuan. lib. 135.) solus Rex id quod res erat suspicatus fundamenta ædium ubi Parlamentum haberi solet, jusserit scrutari & sic casu quasi evaserit periculum quod in ruinam Ecclesiæ & reipublicæ erat comparatum. Hoc unicum exemplum illustre sufficiat. Nos Deum oremus, ut deinceps quoque nobiscum sit, neque exercitus suos palantes deserat, sed veluti Deus Israelis non secundum carnem sed secundum spiritum, fidelibus oppressis aut inter spem & metum dubiis, receptus sit, locus editus & sublimatio ad laudem gloriosæ suæ gratiæ in Christo Jesu! Amen.

M. JOH. HELV. WILLEMERI

DEUS OPTIMA FIDELIUM PORTIO,

ad Psalm. LXXIII: 25, 26.

עִמִּי עֵשׂוּ

Ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίε.

Textus Authenticus:

מַי־לִי בַשָּׁמָיִם וְעִמְּךָ לֹא־חָפַצְתִּי בָאָרֶץ׃ כָּלָה שְׁאֵרִי וּלְבָבִי צוּר־לְבָבִי וְחֶלְקִי אֱלֹהִים לְעוֹלָם׃

Chald.

מַן כְּוָתָךְ דִּילִי בִּשְׁמַיָּא אֱלָא אַתְּ וְעִמָּךְ חַבְרָא לָא צְבֵיתִי בְּאַרְעָא אִשְׁתֵּיצָא גוּשְׁמִי וְלִבְּבִי תַּקִּיפָא דְבָחֵין לִבְּבִי וְחוּלָקִי אֱלָהָא לְעָלְמָא׃

Quis similis tui, qui meus es in cælo, nisi tu? proinde tecum socium non volui in terra. Consumptum est corpus meum & cor meum: fortis est qui probat cor meum, & pars mea Deus in æternum.

Syr.

܀ ܡܢܘ ܐܝܬ ܠܝ ܒܫܡܝܐ ܥܡܟ܂ ܘܡܢܘ ܨܒܝܬ ܒܐܪܥܐ ܕܐܚܕܬ ܐܝܕܝ ܝܡܝܢܐ܂

܀ ܘܓܡܪ ܠܒܝ ܘܒܣܪܝ ܘܥܘܫܢܗ ܕܠܒܝ ܡܢܬܝ ܒܐܠܗܐ ܗܘ ܠܥܠܡ܂

Quid est mihi in cælo tecum, & quid optavi in terra, ut apprehenderis manum meam dexteram, Et consumtum sit cor meum & caro mea, ac robur cordis mei? Portio mea in DEO est in sempiternum.

LXX. Interpp.

Τί γὰρ μοι ὑπάρχει ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ παρὰ σοῦ τί ἠθέλησα ἐπὶ τῆς γῆς; ἐξέλιπεν ἡ καρδία μου καὶ ἡ σάρξ μου, ὁ θεὸς τῆς καρδίας μου, καὶ ἡ μέρις μου ὁ θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα.

Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? defecit cor meum & caro mea: Deus cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.

Vulgata Latina *ex ista LXX. est desumta, eidemque hic exacte respondet, nisi quod vocem carnis præmittat vocabulo cordis.*

B. Lutherus *Paraphrasi* Vinariensium *illustratus:*

Wenn ich (ô allerliebster Heyland) nur dich habe / (wenn ich deiner Gnad und Beywohnung in meinem Hertzen versichert bin) so frage ich nichts nach Himmel und Erden (auch nichts nach allen Creaturen in denselben / welche meine Seele durchaus nicht sättigen / stillen / beruhigen / noch das höchste erwünschte Gut der ewigen Seeligkeit mir geben können: Sondern du / du / mein getreuer Erlöser kanst dieses allein thun) Wenn mir gleich Leib und Seel verschmacht / (wenn ich neben vielfältiger Traurigkeit der Seelen Jammer und Elend / auch endlich in Todes-Angst komme) so bist du doch / GOtt / allezeit meines Hertzens Trost (mein starcker Felß des Heyls / darauff ich mich im Leben und Tode wider alle Höllen-Pforten gründen kan / Matth. 16:18.) und mein Theil (im Lande der Lebendigen / Psal. 142: 6. mein köstliches Erbtheil in Himmlischer Freud und Seeligkeit / welches ich alle dem weit vorziehe / was die Gottlosen zu ihrem Theil in der Welt empfahen / Luc. 16: 25. Ich habe das beste Theil erwehlet / das soll in Ewigkeit von mir nicht genommen werden.)

Lutherus in Translatione prima a. 1524. Witteb. edit.

Wen hab ich ym Hymel? und auff erden gefället myr nichts wenn ich bey dyr byn. Meyn fleysch und meyn Hertz ist verschmacht / Gott ist meyns hertzen hort und meyn teyl ewiglich.

I.



Oquitur hic Asaph, suo & Davidis nomine. Uterque autem in hymnis conscribendis peculiari instinctu divino gavisus est: nec ullum de authentica istorum auctoritate debet esse dubium.

Ea quæ Asaphum, ejusque præclare gesta concernunt, convenienti ordine licet cognoscere ex *D. Gejeri Tom. 1. in Psalm. pag. 994.* Cui ob Korachitarum exemplum & primarium literæ ל significatum non improbanda videtur sententia B. Hopffneri de Davide, hujus etiam Psalmi Autore secundario. Nos hanc satis antiquam intricatissimamque controversiam hic missam facimus: cum summa jam ingenia in eadem decidenda satis laborasse intelligamus. Merentur de nobili isto sacratioris Philologiæ argumento legi B. Dorscheus *Pentad. Disp. XII. §. 35. seqq. p. 407.* B. Gerhardus *Exegesi L. de Script. §. 141. Tom. I. LL. p. 58. b. Harm. Ev. c. 157. p. 522. a.* D. Calovius *Tom. I. Bibl. illustr. p. 930. a. 1062.*

a. 1062. b. B. Waltherus *Centur. Miſcell. p.* 521. Nec non D. Rivetus *prol. in Pſal. pag.* 14 Polus *Vol. II. Synopſ. Crit. c.* 478. *l.* 58. Henr. Mollerus *prælect. in Pſ. p.* 411. *a.* 629. *a.* Hottingerus *Theſ. phil. p.* 495. Druſius *quæſit. per epiſt. p* 30. 35. Gatakerus *Cinni p.* 118. Ut & Sixtus Senenſ. *lib.* 1. *Biblioth.* Poſſevinus *lib. II. Bibl. cap.* 77. Morinus *exerc. bibl. p.* 273. Bonfrerius *in præloq. ad Script. S. c.* 7. *pag.* 26. in pr. Lorinus *proleg. in Pſalt. tom. I. c.* 2. *in Act. Apoſt. p.* 50. & in peculiari ſcripto anno 1541. de hac materia edito *Alexander Aleſius.* Recte de Jobi libro Gregorius M. *Cum rem cognoſcimus, qui ſcriptorem quærimus, quid aliud agimus, niſi legentes literas de calamo ſatagimus?* Theodoretus vero auſus eſt dicere: *Quid mea refert, hujus* (Davidis Pſalmi) *omnes, an illorum nonnulli ſint, cum univerſos Spiritus S. afflatu conſcriptos fuiſſe compertum ſit?* Equidem & Rivetus aſſerit, *de αὐθεντίᾳ Pſalmorum nunquam in Eccleſia dubitatum eſſe*: verum hujus contrarium exemplo Nicolaitarum, Samoſateni ac Gnoſticorum monſtrat profligatque B. Gerhardus *Exegeſ. de Script.* §. 144. *t. I. LL. p.* 59. *b.* Nobis hic jam ſufficit, Aſaphum dici הַחֹזֶה 2 *Paral.* 29:30. Videntem illum ſive Prophetam inſignem, divino Spiritu afflatum.

II. Peritura improborum bona ſibi negligenda recte duxit Pſaltes; omnia vero conſilia bene beateque vivendi ac recte faciendi ad ſolum DEUM retulit. Hunc ſibi auctorem Ducemque elegit, & ex omnibus expetendis rebus, ut ſummum maximumque bonum, ſolum ſibi DEUM amandum ſumſit. Hic enim *optima fidelium portio*: omnis mali expers, ac infinita in ſe bona continens, omnes animi ſenſus mira ſuavitate perfundens: ab ipſa quippe DEI inexhauſta bonitate profecta, Chriſtique merito ac precibus impetrata; nobis in verbo oblata, fidelique apprehenſione poſſeſſa, atque æternum ſine ullo amittendi metu in lætiſſima quorumvis bonorum ubertate tenenda.

III. Deſignat vero ſigillatim David nomine cœli terræque totum hoc Univerſum, atque cum iſtud, tum ſuas etiam vires admodum exiguas expendit, ac iſtis omnibus cum DEO diligenter collatis, apud animum ſuum ſtatuit, unicum firmiſſimumque ſui præſidium in amando ſolo DEO vera fide quærendum.

IV. Primum inter DEI opera cœlum primo loco conſiderat Aſaph, uſus memorabili interrogatione מִי לִי בַשָּׁמַיִם *quis mihi in cœlis?* Nullus mihi in ampliſſima cœli machina ſpatioſiſſimoque ſiderum receptaculo eſſe poteſt loco petræ ſeu firmi, cui innitar, præſidii; vice partis ex hæreditate amœniſſimæ æternumque ſufficientis, aut argumentum etiam amoris gaudiique veri, in omne ævum duraturi. Nullus omnino datur in toto, quem vocant, ſuperiori mundo, qui exoptatum mihi deſiderium, deſideratam ſæpius opem, opulentam adeo hæreditatem ferre poſſit & conferre. Cum nec ullus in cœleſti felicitate angelus, nec ulla alia, utut formoſiſſima, in cœlo creatura meum explere deſiderium, res confirmare nutantes, aut reſtituere ablatas, pari atque Tu, DEUS glorioſiſſime, potentia poſſit, ſimilique ſatis prompta benignitate velit.

Nota ſatis, pluribuſque linguis communis eſt interrogationis vis ſignificandi negative, quo conf. B. Glaſſius *phil. S. Lib. IV. tr.* 1. *p.* 645. (845.) *Lib. V. tr.* 2. *c.* 5. *p.* 553. (1448.) Quæ tamen negatio præfixos ſibi limites hic agnoſcit. Nec enim omne omnino auxilium conſtitutis ſive in cœlo ſtellis, ſive in beatitudine angelis hic denegatur; ſed ſummum ſolum, quod à ſeipſis eodem cum DEO modo habere finguntur. Sua enim certa & grata ſatis miniſteria angeli pariter atque aliæ cœleſtes creaturæ nobis quotidie præſtant.

V. Interrogandi vox penes Ebræos מִי eſt, adhibeturque proprie de perſona, perinde ut Latinorum quis? quiſnam? 1. Sam. 12:3. cap. 25:10.

Rectiſſime igitur Chaldæus per מַן, Junius & Tremellius per quis reddiderunt. Cum quibus etiam in prima Tranſlatione B. Lutherus faciebat: Wen hab ich im Himmel? LXX. Græci & hos ſecutus Interpres Latinus Vulgatus, Arabs, Æthiops, ut & Syrus aliique voculam מִי, ut interrogativum rei hic ſumunt, intelliguntque primario de rebus in cœlo creatis quibuſcunque. Sed ita מִי pro מָה poni falſo exiſtimant: cum מִי in Scriptura S. nunquam niſi de perſona dicatur; juxta illud R. Dav. Kimchi in ספר שורשים f. 69. cap. 1. edit. Venetæ והכלל שלא תמצא מי כי אם על חי מדבר *Nunquam invenies* מי, *niſi de perſona dictum.* Non deſunt tamen, qui מי in ſenſu optandi hic ſumant, ut *Henr. Mollerus prælect. in h. l. p.* 640. *Oratio*, inquit, *eſt optantis, qualis illa* 2. *Sam.* 23:15. *&* *Pſ.* 4:7. *qui verſus plane cum hoc congruit. Ita igitur reſolvenda eſt oratio: Quis mihi det, ut ſim in cœlo & cœleſtibus bonis perfrui poſſim?* Conſentit *R. Jac. Abendana* ſpicil. ad h. l. ויתכן לפרשו כלי חסרון ופירושו מי יתן לי היותי בשמים עמך כי לא חפצתי בארץ Poteſt exponi ſine defectu, *eo ſenſu: utinam apud te in cœlo eſſem! terram enim nullus deſidero.* Verum primaria interrogandi ſignificatio hic retinenda: ſecundarius optandi ſenſus particulæ מי in Exod. 16:3. 2 Sam. 15:4. c. 23: vſ. 15. Pſal. 4:7. Pſal. 14:7. aliiſque locis paucioribus poſt ſequens verbum conceſſus, hic ob adjunctum לי & ſubintelligendum חפץ negatur. R. Abendana negat quidem aliquem in oratione defectum, ipſe tamen addit יתן להיותי, inde accentus atnach vim diſtinguendi non attendit, ex altero hemiſtichio vocem עמך huc trahit, ibidemque ו ſine ratione negligit, & cœlum gloriæ intelligit.

VI. Quæ priori jungitur vox לִי ſignificationem ſatis prægnantem habet. Primario quidem ut alias ſæpius, ita hic quoque *mihi* denotat, referturque ad perſonam Pſaltis, & cujuſcunque fidelis. Poſtmodum vero ל ſeorſim conſideratum vel infert commodum, & notat *pro*, quis pro me ſive in mei commodum in cœlo? vel deſignat auxilium, hoc ſenſu, quis mecum, quis meus opitulator in cœlo?

De ל commodi ſignificativo pronunciat recte Flacius *P. II. Clav. Script. col.* 268. Dativo ejuſmodi ſignificatur aliquid in alicujus commodum, gratiam; aut damnum vel odium fieri. Quod ſequentia Scripturæ loca confirmant Geneſ. 23:8. Exod. cap. 14:25. c. 18. vſ. ult. Num. 25:13. Joſ. 7:10. cap. 10:14. Judic. 6:31. 2. Sam. 16:20. cap. 20:6. Job. 7:3. cap. 12:11. Pſalm. 80:7. Pſ. 120:6. Pſ. 122:3.4. Pſ. 144:2. Prov. 31:8. Cant. 1:8. c. 2:10. c. 4:6. Jeſ. 31:8. Jer. 15:8. Ezech. 37:11. Hoſ. 8:9. Mich. 1:11. c. 2:6. 11. Zach. 9:9. Auxilium vero denotat ל in ſequentibus Scripturæ locis Geneſ. 31:42. Pſ. 56: vſ. 10. Pſ. 118:6. Pſ. 124:1.2. Cant. 6:3. Male tamen ſcrutinio & deſiderio legis div. ſe in cœlis aliquem pro ſe interpretem angelum obtinere poſſe contendit, merito bonæ actionis confiſus, *R. Abendana* in ſpicil. inquiens מי לי בעבורי בשמים מלאך מליץ כאשר עמך לא חפצתי בארץ כלומר שאם לא אחפוץ בך ובתורתך בהיותי בארץ לא אמצא מליץ טוב בעדי בשמים:

VII. Suprema orbis hujus creati pars, altero mundi die producta, aërem, aquam atque terram ſpatioſiſſimo ambitu ſuo complectens, hiſque divino munere lucem & diverſi generis operationes largiſſime impertiens, ſtellas vaſtitatis immenſæ, virium prorſus mirandarum, ſplendoris glorioſi, motus velociſſimi pariter ac ordinarii, durationis tandem conſtantiſſimæ in ſeſe continens. Ebræis proprie שמים dicitur; ut alias pluribus demonſtratum. Hic vero præter ætherem ea voce aër ſimul intelligitur, adeoque omne illud, quod in hoc Univerſo nomine ארץ ſive globi, ut loquuntur, terraquei non comprehenditur.

Gentiles itaque ſolem, vel ipſum etiam Diabolum, adorent: multa miraque ſibi aliiſque de reliquis etiam planetis & ſtellis, quas vocant, fixis certo certius polliceantur Aſtrologi: avium volatum cæteraque ſolicite obſervent auſpices aliique, naturæ arcana curioſius & ſine divina directione ſcrutantes; fidelis firmam in perituris hiſce fiduciam non collocat, nullam ſine DEO opem inde ſibi pollicetur, tantum abeſt, ut conſtanti in iſtud cœlum amore propendere debeat. Sed nec in ipſo gloriæ regno ullus ſanctorum angelorum aut beatorum Cœlitum datur, qui ſine æterni Numinis nutu aliquam fidelibus opem ferre poſſit, aut pari cum DEO fiduciæ atque dilectionis cultu affici debeat. Quem poſtremum ſenſum rectiſſime etiam *Raſchi* attendit, inquiens: מי לי בשמים שום מלאך שבחרתי לי לאלוה לא בחרתי אלא אותך:

VIII. Aliquem in iſta oratione defectum omnes facile intelligunt; ſed non eodem modo ſupplent. Rectiſſime eum ex ipſo loci contextu eruunt, qui verba חפצתי עמך huic etiam priori hemiſtichio inſerunt: Quis mihi in cœlo *tecum deſiderabilis?* cujus æque ac tui deſiderio tenerer? Qua comparativa locutione magnam æterni Numinis corporumque cœleſtium diſparitatem eleganter oſtendit Aſaph, quod loco infra DEUM longe inferiori omnia in cœlis bona ſint conſtituta, nec amorem noſtri mereantur, nec poſitam in iis fiduciam firmiter conſervent.

Optime *Aretius Felinus in h. l. p.* 400. *Quis mihi in cœlis,* ſubaudi, *præter te arrideat?* Præiverat ex Ebræis feliciſſime *R. Aben Eſra & R. D. Kimchi* Comm. in Pſ. f. 54. b. ed. Iſnenſ. anno 1542. אין לי חפץ בשמים אלא בך כי בבעלי האמונות הרעות יש מאמינים בשמש או באחר מהכוכבים ואני אין לי חפץ אלא בך לבדי לא שמתי לך שותף לא בשמים ולא בארץ *Non eſt mihi deſiderium in cœlo niſi tui. Quia inter infideles ſunt, qui credant in ſolem aliamve ſtellam; Ego autem Tui ſolius deſiderio teneor: neminem tibi ſocium adjunxi, ſive in cœlo, ſive in terra.* Eadem more ſuo ſed conciſius, indeque obſcurius, repetit *R. Sal. ben*

Melech in מכלול יופי f. 177. c. 4. Consentit *Simeon de Muis in h. l.*, *B. D. Wellerus atque D. Gejerus*, Chaldæus כותך אלא את adjecit, quis *sicut tu?* qui meus es in cœlis, *nisi tu?* præter te? Theander verbum substantivum una intelligit, sensu possidendi, Wen hab ich im Himmel? Cum Chaldæo faciunt J. Tremellius: quis mihi in cœlis *præter te?* Qua exceptiva propositione omnia in cœlis constituta, velut creatori directe contradistincta, ab eo fiduciæ & dilectionis divinæ modo recte excludunt.

IX. Perspicuum nunc sensum habent, quæ in altero de terra hemistichio subjiciuntur. Nimirum nulla in terris re æque ac DEO sive cum DEO delectari sese profitetur fidelis, animi excelsissimi. Equidem vocem עִמְּךָ gemino vicissim sensu exponunt Interpretes. Semel עמך velut per accentum Dominum à sequente voce distinctum, simplici proprioque sensu conjungendi sive comitatus reddunt, & tecum, scilicet ubi constitutus fuero. Ubi tecum per fidem in spe, æternumque in re firmiter conjunctus, & unus cum te Spiritus fuero, non desidero terram & bona terræ maxima. Aliter vocem עמך cum לא חפצתי conjungere poterimus, isto satis convenienti sensu: terram terrenaque bona, utut præstantissima, nequaquam tecum simul aut etiam æque ac te, desidero, te solo vere Summo Bono contentus acquiesco: non simul tibi DEO & mammonæ ex acquisitione, possessione vel usurpatione injusta servio. Quia Christo cum Beliale, luci cum tenebris nulla est communicatio. Quin etiam terræ bona ad degendam hanc vitam necessaria, nequaquam eo desiderio expeto, quo Te tuaque in verbo ἐρρετῷ τε καὶ ἀῤῥητῷ beneficia. Hæc omnibus mundi thesauris antepono longissime, conf. Matth. 10: 37. cap. 13: 44. 46. Luc. 14: 26.

Prima interpretatio ellipsin verbi substantivi frequentissimam supplet, atque B. Luthero in prima translatione placuit: Wenn ich bey dir bin. Postrema interpretatio sensum peculiarem exæquandi particulæ עם continet, quo nonnunquam idem valet ac pariter, æque ac. Quo conferenda sunt loca Jobi 9: 26. Psal. 120: 4. Psal. 143: 7. Cohel. 2: 16. cap. 7: 11. Accedit huc Chaldæus reddens ועמך חברא לא צביתי. Illa tamen sententia, quæ עם exclusive sumit, & ab isto fidelis animæ desiderio ac amore omnes creaturas excludit, potior videtur, ut optime Theander reddiderit: HERR / wenn ich nur dich hab / Te nimirum, quem nunc post superatam animi tentationem intelligo solum & esse & largiri nobis in universum omnia.

X. Ipsummet desiderium significanti voce חָפַצְתִּי exprimitur. Notat ea alias nonnunquam actum voluntatis simplicem, sine peculiari delectatione, 1 Sam. 2: 25. Psalm. 40: 7. Frequentissime tamen & proprie vehemens desiderium, propensionem intimam, complacentiam cordis, quietem animi jucundissimam affectumque tenerrimum, quo interna amoris viscera intime commoventur erga rem amatam, puta Sponsam, Genes. 34: 19. Deut. 21: 14. Esther. 2: 14. cap. 6: 6. Jes. 62: 4. gemmas Prov. 3: 15. cap. 8: 11. Jes. 54: 12. ipsamque legem divinam, Psal. 1: 2.

Esse autem Deum fidelium sponsum, esse Christum unionem & gemmam pretiosissimam, alibi docetur.

XI. Flagrantissimum hunc affectum voce לא David terrenis denegat, adeoque ex oppositorum lege eleganter declarat, quod extremum erga terrena fastidium, summam erga peritura mundi bona nauseam, maximamque eorundem detestationem, si cum DEO divinisque conferat, animo concipiat.

Ea non quærit, appetit aut desiderat, sed penitus contemnit, aversatur, abominatur, er fragt nichts darnach / ut Megalander indicat. Cognitus Philologorum canon: negatio contrarii vehementius affirmat; quo conf. B. Glassius *phil. Lib. III. tr. 3. cap. 20. pag.* 286. (583.) *tr. 5. cap. 20. p.* 480. (724.) D. Geier *T. I. in Psal. pag.* 4. 146. *Medit. mort. T. II. pag.* 17. *Tom. III. pag.* 68. *Omnipræs. div. pag.* 53. Sigillatim de vi negandi cum verbo חפץ confer Deut. 21: 14. c. 25: 8. 2 Sam. 15: 26. Psalm. 109: 17.

XII. Fidelium itaque desiderium in solo DEO est defixum, nequaquam simul, multo minus potissimum, omnium minime solum in carnalibus, in caducis, sive, ut Asaph loquitur בָאָרֶץ. Particula ב ad præcedens verbum חפץ tanquam affectus sive χετλιαστικὸν pertinet, jubetque vocem ארץ penes Latinos in quarto casu efferre, non desidero terram.

Exempla verbi חפץ cum ב eo sensu conjuncti habentur Gen. 34: 19. Num. 14: 9. 1 Sam. 18: 22. cap. 19: 1. Qui ב convertunt *in*, vocemque ארץ Latine in sexto casu ordinant, naturam verborum affectus negligunt, & defectum non necessarium vocis מְאוּמָה aut similis introducunt, reddentes: non desidero *quicquam* sive aliquid in terra.

XIII. Vox autem אֶרֶץ notat mundum, quem vocant, inferiorem; non orbem tantum habitabilem, ut תֵּבֵל; nec certam alicujus patriam regionem; aut quadam dicendi excellentia Palæstinam, ut alias: sed integrum globum terrestrem, ex diversissimis cum regionibus, tum aquarum collectionibus constantem, adeoque præter humanum genus, innumeros terra marique thesauros, opificiaque DEI præstantissima divino beneficio in sese continentem. Singula etenim in cœlo & in terra, quocunque boni nomine veniant, si ad Summum Numen referantur, sunt velut aquæ guttula ad mare profundissimum, velut nihilum ad magnum Pan illum, Sirac. 43: 29. aliquando suis omnia in omnibus gloriose futurum. Cujus intuitu uti bona cœli terræque nihil sunt, ita etiam à fidelibus nihili fiunt, non expetuntur, quin contemnuntur prorsus ac abominanda habentur, si sine DEO, si invito summo rerum arbitro, si contra optimum Numen possideantur ab improbis possideantque eosdem.

Talis est in terris indigena, eritque in cœlo proselytus, secundum illud Talmudicum *Joma cap. 5. ab init.* יציבא בארעא וגיורא בשמי שמיא Elegantissime bonorum ingenium similitudinibus depingit ὁ νῦν ἐν ἁγίοις Hulsemannus: *Sicut cunæ formosissimæ non delectant infantem, sine matre lactante; non palatium viduam, mortuo marito; non cœcum arx aurea, absente lumine; non cibi corpus, absente anima: ita nec orbis pium, sine DEO.* Vocem ארץ aliter explicat *R. Dav. Kimchi* ad h. l. וכארץ רוצה לומר בארבע יסודות׳ כי יש עובדים המים׳ וכן רוח והעפר *Per* ארץ *intelligit quatuor elementa. Sunt enim qui colant aquam, aërem atque terram.* Plura complectitur h. l. ארץ à cœlo distinctum, ut si cum cœlo conjungatur, universa mundi bona atque opera inferat, non exclusis opibus, honoribus, amicorum consiliis & quibuscunque aliis hominum in terra præsidiis. Ea singula fidelis non desiderat, ut minime removeantur sola terrestria, quibus stulta gentilitas divinitatem affinxit, idola. Breviter, crassiorem tantum falsorum Numinum cultum, non subtiliorem illum multiplicem reprehendit Rabbinus.

XIV. Ab externis mundi bonis, ad charissimam homini vitam propriumque sui corpus, bona arctissimo sibi nexu conjuncta, Psaltes progreditur. Nec ista quicquam valent, DEUM si respiciat fidelis. Nec ista DEO solum amando præponenda; quin potius, ubi DEO vitæ necisque arbitro, visum fuerit, lubentissimo animo in morte relinquenda Φιλαυτία ἔχθρα θεοφιλίας. Non solum honorem proprium fugere, amorem sui nimium declinare, voluntatem DEO repugnantem compescere; sed ipsam etiam vitam pro Christo, pro fratribus profundere decet fideles. Utut corporis vires frangantur, animi vigor deficiat, ipsaque mors membra multiplici miseria ac ægritudine confecta, feretro ac sepulchro imponat & in pulverem redigi permittat; firma tamen fidelium in firmissima petra, Christo, fiducia manet, lætissima eos cœlestis hæreditatis portio manet. Ab isto in quacunque fortuna firmissima sibi præsidia petunt & ornamenta pulcherrima expectant.

XV. Hæc in suis veluti partibus aliquanto penitius cognituri, insistimus vestigiis ab Asapho nobis relictis. Is vero monstrat primum *gravissimam sui afflictionem*, deinde *firmissimum DEI præsidium.* Afflictionem vocat *consumtionem*, cum universi *corporis*, tum sigillatim *cordis.* Cum magna sui incrementa, eximium corporis robur & faciei decus videant ostententque improbi vers. 7. verus DEI cultor ob varias, quibus cum conflictatur, vitæ hujus ærumnas, deficientem animi vigorem experitur, corpus sensim sensimque tabescit & tandem penitus consumitur.

Ita enim כלה præter simplicem finiendi seu absolvendi significationem, notat *deficere*, uti deficit *oculus* ex fletu nimio Thren. 2: 11. aut circumspectione nimis attenta, in DEI sive auxilium Psal. 69: 4. sive verbum Psal. 119: 82. Similiter *animus* divinis intentus deficit ex ardentissimo Psal. 84: 3. Inde designat tabescendo *absumere*, ut libidinosus carnem perdit Prov. 5: 11. ut gramen virorem amittit Jes. 15: 6. Significat etiam *evanescere*, ut *nebula* Jobi 7: 9. à radiis solaribus facillime discussa Sap. 2: 3. ut *nubes*, quas etsi gravidas cito arctoi boreæ dissipat impetus: ut *fumus* Ps. 37: 20. Ps. 102: 4. à vento facile diffusus Sap. 5: 25. aut ut ipsa *hominum vita*, ex ira DEI Ps. 90: 7. præ mœrore hominum Ps. 31: 11. celerrime evanescens. Infert interdum *consumtionem* hostium Ps. 18: 38.

Pf. 71: 13. utpote Syrorum 1 Reg. 22: 11. Amalekitarum 1 Sam. 15: 18. Gibeonitarum 2 Sam. 21: 5. Israëlitarum Jer. 5: 3. c. 9: 5. Thren. 2: 22. Ezech. 22: 31. qualem DEUS iis erat comminatus Exod. 35: 5. Jos. 24: 20. Atque ita sæpe denotat *penitus extirpare*, plane corrumpere & è medio tollere: quale supplicium Cananæis 2 Reg. 13: 17. 2 Paral. 8: 8. omnibusque impiis Psal. 59: 14. paratum. Conf. *M. Georg. Cruciger in harmonia lingg. Cardinal.* Pii vero non tantum in provecta ætate virium suarum imminutionem, defectum, absumtionem, evanescentiam & omnimodam consumtionem experiuntur, eoque nomine DEUM in subsidium vocant Ps. 71: 9. sed & quocunque vitæ tempore confictum manus Domini Psal. 39: 12. gravissimæ Psal. 32: 4. fide quidem sustinent, suam tamen imbecillitatem, & cum maxime fidei viriumque spiritualium, tum corporis quoque ac naturalium facultatum defectum intelligunt digneque æstimant. Facit huc corporis egestas, nuditas, peculiaris fidelium calamitas, amicorum perfidia, inimicorum insidiosa, hostium publica afflictio. Recte igitur כלה transtulit *Lutherus* per **verschmachten** / *Chaldæus* per שיציא quod perdere, consumere notat: *Syrus* per ܣܦܩ quod perficere & plene consumere significat: *Æthiops* חלק adhibuit, quod aliis est divisit, ipsi defecit, consumtus fuit. Idemque expresserunt LXX. voce ἐκλείπω quam sæpe de mortuis adhibuerunt Gen. 49: 33. Psal. 18: 38. & 104: 29. quos etiam Plato vocat ἐκλείποντας. Non præ mœrore, sed desiderio deficiendi significationem eligit *R. Sal. Jarchi* inquiens: כלה שארי נתאוה בשרי ולבבי לך כלה שארי לשון תאוה כמו כלתה נפשי לישועתך *Desiderat caro & cor meum te, nam* כלה *notat desiderare*, uti *Psal.* 119: 82. Consentit *Aretius Felinus* loco supra citato, dum ait: *defecit Caro & cor meum* subaudi, *præ nimio desiderio DEI, ut sit simile Psal.* 84: 3. Sed אין טעם וריח בפירוש הזה contrarium ostendit oppositio felicitatis impiorum vers. 7. & fortunæ adversæ piorum, vers. 11. 14. 22. assertæ. Locus Psal. 119: 82. à Raschi inconvenienter adductus, propter v. 83. pro nobis facit; nostro autem prorsus non respondet locus Psal. 84: 3. à Felino allegatus, quia gratissimum ibi objectum animæ præ desiderio deficientis recensetur, hic non item. Ut ne silentio involvamus, dudum ab eruditioribus observatum esse, locutioni huic deesse particulam conditionalem si, utut, quamvis aut similem. Ita B. Lutherus: **Wann mir gleich Leib und Seel verschmacht.** Consentit רשב"ם atque רד"ק voce כשיכלה. Similem conditionalis particulæ defectum agnoscunt Literati in Gen. 42: 38. Lev. 10: 19. Deut. 30: 8. 2 Reg. 5: 13. Psal. 39: 12. 40: 6. 46: 4, 7. 68: 2. 72: 16. 91: 7. 139: 17. Prov. 1: 5. aliisque Scripturæ locis.

XVI. Corpus vocat שְׁאֵר à שאר reliquus, residuus fuit. Notat ea vox quamcunque *carnem*, quæ est *reliqua pars* animalis post animam, dicente D. Förstero. Suum vero corpus nominat Asaph habita ratione potiori afflictionis propriæ, apud fideles hic gravioris; quam alienæ, apud improbos isthic & rarioris & levioris. Quin & suam cuique fideli calamitatem divinitus adsignatam docet, eidemque peculiare fiduciæ robur opponendum recte monet.

Adhibetur שְׁאֵר primum *de carne viva*, animæ contradistincta, utpote corpore humano, quod consumit libidinosus Prov. 5: 11. affligit avarus cap. 11: 17. depascit tyrannus Mich. cap. 3: 2. 3. Jerem. 51: 25. Inde etiam designat *coctam* aut coquendam brutorum carnem, alimento hominum inservientem Exod. 21: 10. qualem Israëlitis in deserto DEUS dedit Ps. 78: vs. 26. 29. Refertur postmodum μετωνυμίας tropo ad *propinquos* necessitate sanguinis junctos, velut unum trahentes sanguinem, aut ex eadem carne prognatos: & sic cum viva carne ipsam simul animam denotat Lev. 18: 6. 12. 13. cap. 20: 19. cap. 21: 2. cap. 25: 49. In nostro autem loco שאר primam propriamque significationem retinet, notatque corpus humanum, quod quamvis non contaminet atque perdat libidinis, avaritiæ aut tyrannidis malum, ob adhærentem tamen peccati labem gravissimis est expositum periculis, subitaneis corruptionibus, intensissimis doloribus, diuturnis morbis & mille mortis generibus.

XVII. Afflictionem magis auget membri in humano corpore præcipui peculiaris designatio. *Cordis* enim sigillatim mentionem injicit, tanquam *præcipuæ corporis humani partis, vel carnis nobilissimæ, animæque sedis primariæ: quæ juxta Philosophos est primum vivens & ultimum moriens, qua deficiente vel tabescente, deficit tabescitque totus homo*, ut accurate loquitur *D. Gejerus Tom. I. in Psalm. p.* 1495.

XVIII. Nunc oppositum afflictioni præsidium DEI firmissimum contemplabimur. Id primum voce צור exprimit Divinus Vates. Notat autem צור proprie *rupem* fortissimam seu terram ex lapidibus arctissimo naturæ nexu velut colligatam, probe fundatam, præ alia eminentem Ps. 27: 5. Ps. 61: 3. natura munitam adeoque propugnaculo adversus incursationes, fossas atque expugnationes hostium aptissimam. Transfertur postea eleganti metaphora ad omne id cui velut petræ inaccessæ & arci inexpugnabili tuto licet confidere, quod nulla novercantis fortunæ aut hostium oppugnantium vis potest expugnare.

Lutherus in prima translatione optime reddit **Hort** / quasi **hoher Ort** / **ein fester und wolverwahrter Ort.** Postea transtulit **Trost** / redundantem ex rupis hujus inhabitatione fructum præcipuum respiciens, consolationem cordis; uti Chaldæus probationem & confirmationem ejus; quam posteriorem etiam Syrus expressit. LXX. Interpretes, hosque secuti Arabs, Æthiops, & Vulgatus Latinus vocem צור reddiderunt DEUS, debitam nec rei, nec verborum curam habentes.

XIX. Nec rupem tantum dicit DEUM, sed *cordis* sui rupem: id enim adjecta, fiduciæ plena, vox לבבי indicat. Cordis debilitationi animique deliquio suo opponit solidam eminentemque petram ac arcem divinam: huc afflicta avis fugitivis fidei speique alis iter dirigit Proverb. 18: 10. hic divino sub præsidio tutissime latet, hic verum cordi gaudium nascitur, hic efficacissima in Christo consolatio, vita ex & in DEO, salusque æternum duratura obtinetur. Concludimus D. Ambrosii verbis: Felix cui portio DEUS est, quia totius naturæ possessor est; effectus videlicet totus quidam cum DOMINO Dominus. א"אס

M. JOH. PHIL. PFEIFFER
DISSERTATIO
De Dæmonio meridiano ad Psal. XCI: 6.

I. N. J.

§. I.

Dicit sanctus Vates, Psalmo XCI. (XC.) v. 5. & 6. juxta Hebraicam veritatem: *Non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu, & מקטב ישוד צהרים Mikheteb jaschud zahoraim*, id est, *ab excidio* (quod) *vastabit meridie.* Quæ ultima verba Translatores & Interpretes passim exponunt, per dæmonium meridianum. Sic enim LXXII. Græci: οὐ φοβηθήσῃ ἀπὸ φόβου νυκτερινοῦ, ἀπὸ βέλους πετομένου ἡμέρας, ἀπὸ πράγματος ἐν σκότει διαπορευομένου, ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ. *Non timebis à timore nocturno, à jaculo volante die, ab actione* (negocio) *in tenebris perambulante, à collisione* (ruina), *& dæmonio meridiano.* Cum quibus & consentit Æthiopicus Interpres. Similiter & Arabicus: *Haud*, inquit, *metues terrorem noctis, neque sagittam volantem in die: neque negocium transiens per tenebras, neque casum & dæmonium meridiei.* Vulgatus etiam Latinus: *Non timebis —— à sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano*: Symmachus autem: *Non timebis* —— συγκύρημα δαιμονιῶδες μεσημβρίας, hoc est, *casum* s. sortem *dæmonis meridiei.* Ante hunc Aquila legit: —— ἀπὸ δηγμοῦ δαιμονίζοντος μεσημβρίας, *à morsu* s. ictu *dæmonizantis meridie.* Syrus habet: *Non timebis terrorem mortis, neque sagittam volantem in die. Neque verbum, quod incedit per tenebras, neque ventum flantem meridie.* Quo ipso tamen à cæteris non dissentit, quia ventum intelligit, à dæmone excitatum: Cum respexisse videatur, sicut & ipse David, ad locum Hiobi 1. v. 19. Et habeat pro se vocabulum רוחא *Rucha.* Hebr. רוח *Ruach*, quod & πνεῦμα, id est, *spiritum* significat, & ἄνεμον, *ventum*, quin & *spectrum.* Luc. 24: 37. 39. Denique omnes veteris Ecclesiæ doctores, istam lectionem & interpretationem servarunt: *A dæmonio meridiano.* Idem vero esse videtur, *Ab incursu & dæmonio meridiano*: ac, *Ab incursu dæmonii meridiani*, quo Aquila & Symmachus tenderunt. *Ab incursu* autem significat vehementem, acrem, apertam & importunam infestationem. Nam Hebraice est *Mikheteb*, hoc est, *à ruina, excidio, exterminio, devastatione.* Græcum σύμπτωμα, alii morsum, alii excidium, alii interitum commorientium, & simul ruentium exponunt. Hieronymus in Comment. ita: *Melius est dicere Græce* ἀπὸ συμπτώματος. *Σύμπτωμα autem dicitur eventus, hoc est quando non speramus, & aliquid novi evenerit. Aut* σύμπτωμα *dicitur, quando simul multi cadunt.* H. l.

II. Quodnam autem hoc loco per dæmonium meridianum intelligatur, non admodum constat. Nonnulli habent id, pro dæmone seu spectro illo, quod Empusa vocatur. Fuit hoc Veteribus spectri quoddam genus, quod se in omnes formas mutabat. Sic enim de eo canit Epicharmus, in Nuptiis Hebes:

> Ἔμπουσα δένδρον, βοῦς, ἔχιδνα γίγνεται,
> Λίθος, μυῖα, καὶ γυνὴ δ᾽ ὡραία τις
> Καὶ πάνθ᾽ ὁπόσα λῇ, καὶ ὅσα συμφέρει.
>
> *Empusa, planta, bos fit, atque vipera,*
> *Lapisque, musca, pulcra & illa fœmina.*
> *Quicquid capit, vel denique illi conferat.*

Aristophanes eam apparuisse dicit Dionyso, pergenti ad inferos, in Ranis, Actu I. Scen. VI. ubi Xanthias his utitur verbis:

> Καὶ μὴν ὁρῶ νὴ τὸν Δία, θηρίον μέγα.

Inquit Bacchus: ποῖόν τι; Respondet Xanthias: Δεινόν παντοδαπὸν γοῦν γίγνεται.

> Τοτὲ μὲν βοῦς, νυνὶ δ᾽ ὀρεύς, τοτὲ δ᾽ αὖ γυνὴ
> ὡραιοτάτη τις. Bacch. ποῦ ᾽στι; φέρ᾽ ἐπ᾽ αὐτὴν ἴω.
> Xanth. Ἀλλ᾽ οὐκέτ᾽ αὖ γυνή ᾽στιν, ἀλλ᾽ ἤδη κύων.
> Bacch. Ἔμπουσα τοίνυν γ᾽ ἐστί. Xanth. πυρὶ γοῦν λάμπεται
> Ἅπαν τὸ πρόσωπον, καὶ σκέλος χαλκοῦν ἔχει.
> Bacch. Νὴ τὸν Ποσειδῶ, καὶ βολίτινον θάτερον.

Id est: Xa. *Per Jovem, video prægrandem beluam.*

> Ba. *Qualem?* Xa. *Horribilem, quæ in omnes se variat modos.*
> *Nam modo fit bos, modo mulus, rursum fœmina.*
> Ba. *Erit ergo quoddam spectrum* (Empusa.)
> Xa. *Ignita facie.*
> *Refulget. Et crus alterum est ipsi æneum.*
> Ba. *Ita per Neptunum, & stercoreum crus alterum.*

In quos versus Scholiastes Græcus, ita commentatus est: Ἔμπουσα τοίνυν] φάντασμα δαιμονιῶδες, ὑπὸ Ἑκάτης ἐπιπεμπόμενον καὶ φαινόμενον τοῖς δυστυχοῦσιν. ὃ δοκεῖ πολλὰς μορφὰς ἀλλάσσειν, καὶ οἱ μέν φασιν αὐτὴν μονόποδα εἶναι, καὶ ἐτυμολογοῦσιν οἱονεὶ ἐνίποδα, διὰ τὸ ἑνὶ ποδὶ κεχρῆσθαι, ὅταν τοῖς κατοιχομένοις ἐναγίζουσιν. ἔνιοι δὲ αὐτὴν τῇ Ἑκάτῃ, ὡς Ἀριστοφάνης. Id est, *Empusa, est spectrum dæmoniacum, quod ab Hecate immittebatur, & apparebat calamitosis, quod in varias formas se mutare putabatur. Et nonnulli quidem dicunt eam unipedem esse, & ideo dictam, quod uno pede incederet. Alii vero sic ipsam appellatam tradunt, quod in varias formas se mutaret. Existimabatur autem etiam meridianis horis apparere, cum defunctis inferiæ ferrentur.* Item in ista: Καὶ σκέλος χαλκοῦν] ἔνιοι δὲ, inquit, ὄνου σκέλος λέγουσι. Διὸ παρ᾽ ἐνίοις καλεῖσθαι ὀνόκωλον. Τὸ δὲ ὅλον φησὶ Κράτης βολίτινον δὲ ὄνειον. βόλιτος γὰρ κυρίως τὸ τῶν ὄνων ἀποπάτημα· τὸ αὐτὸ δὲ καὶ βόλβιτος. *Quidam vero dicunt, eam habere crus vel pedem asininum, propter quod aliqui eam vocant Onocolum: quæ omnia dicit Crates——*βόλτινον *vero* σκέλος *vocat* (Aristoph.) *hoc est, crus asininum.* βόλτιον *enim proprie dicitur ipsum asinorum excrementum, sicut &* βόλβιτος. Ex Aristophane autem ejusdemque Scholiaste, idem recenset Suidas, & Varinus in Lex. hac voce. Hesychius similiter in Lex. sed paucioribus: Ἔμπουσα, ait, φάσμα δαιμονιῶδες, ὑπὸ Ἑκάτης ἐπιπεμπόμενον, καὶ ὥς τινες, ἑνὶ ποδὶ χρώμενον. Ἀριστοφάνης δὲ τὴν Ἑκάτην ἔφη Ἔμπουσαν. *Empusa spectrum dæmoniacum, quod immittitur ab Hecate. Atque ut quidam* (dicunt) *uno pede utens* (altero scil. æreo aut hujusmodi. *Aristophanes vero Hecaten vocat Empusam.* Autor Etymologici magni: Ἔμπουσα φάντασμα δαιμονιῶδες, ὑπὸ τῆς Ἑκάτης πεμπόμενον, ὃ δοκεῖ πολλὰς μορφὰς ἀλλάσσειν. Ἔμπουσα δὲ παρὰ τὸ ἐμποδίζειν, ἢ ἀπὸ τοῦ τὸν ἕτερον πόδα χαλκοῦν ἔχειν. ἢ ὅτι ἀπὸ σκοτεινῶν τόπων ἐφαίνετο τοῖς μυουμένοις. ἐκαλεῖτο δὲ αὕτη καὶ ὀνοκώλη. ἄλλοι δὲ λέγουσιν, ὅτι φάντασμα ἦν τῆς Ἑκάτης τοῖς δυστυχοῦσι φαινόμενον. *Empusa, spectrum dæmoniacum, ab Hecate missum. Quod varias formas assumere putabatur. Dicitur autem Empusa ab impediendo, seu, quod alterum pedem habeat æreum. Vel quod è tenebrosis locis apparebat iis, qui sacris erant initiandi. Vocatur autem etiam Onacle. Alii autem inquiunt, spectrum quoddam fuisse Hecates, quod apparebat calamitosis.* Rursus Aristophanes ejus meminit in Concionantibus, paulum à fine, ubi juvenis:

> οὐκ ἐμέγ᾽ ait, ἀλλ᾽ Ἔμπουσά τις.
> *Non me, sed Empusa quædam*, scil. trahit.

Inque eum viciſſim Scholiaſtes: Ἔμπουσά τις] ἣν καλοῦμεν ὀνοσκελίδα. θέλει οὖν εἰπεῖν δαίμονα. *Empuſa] quam nunc vocamus onoſcelidem.* Adhuc & Euſtachius in λ Odyſſ. prope fin. Ἔμπουσαι γάρ φασι φάσμα δαιμονιῶδες, ὑπὸ Ἑκάτης πεμπόμενον. οἵ τινες μὲν ὀνόκωλιν λέγουσιν. οἱ δὲ ὀνόσκελιν. *Empuſam etenim dicunt ſpectrum dæmoniacum; ab Hecate miſſum, quod quidem Onocelin vocant: alii vero Onoſcelin.* Hinc Lucian. in Comment. de Saltationibus: Ἴδοις τ' ἂν οὖν, inquit, αὐτοὺς πρὸς τὸ αὐτὸν ὠκέως διαλλαττομένους, καὶ αὐτὸν μιμουμένους τὸν Πρωτέα, εἰκάζειν δὲ χρὴ καὶ τὴν Ἔμπουσαν τὴν ἐς μυρίας μορφὰς μεταβαλλομένον. Hoc eſt, *Videbis igitur ipſos eodem in tempore ſubito, in illam transfigurari ſpeciem, atque ipſum referre Proteum. Quin & Empuſa exemplum conferre oportet, quæ ſeſe in innumerabiles vertit formas.* Ob eandemque cauſam Gregorius Nazianz. in στίχοις qui reperiuntur inter ejus Arcana, quæ edidit David Hœſchelius Auguſt. Græce; eam partem animæ, quæ irrationalis eſt, cum Empuſa comparat, illam ſic alloquens:

Ἔμπουσα, μαινὰς, ὦ τάλαινα καρδία,
Ἔμπουσα, μαινὰς, ποῖ φέρῃ ταῖς ἡδοναῖς,
περιβλέπουσα πανταχοῦ τὰ πλήσιον;
οὐ σωφρονήσεις; κτλ.

Hoc eſt.

Empuſa inſana, ô miſerum cor,
Empuſa furioſa, quo ferris cupidinibus,
Circumſpiciens, ubique quæ vicina ſunt?
Nonne ſapies?

Et Demoſthenes in Orat. de Corona, ante med. ait, Æſchinis matrem, cui ipſe Leucotheæ nomen mutaſſet, appellatam fuiſſe Empuſam: eo quod quæſtus gratia, quidvis & faceret & pateretur. Verba ejus hæc ſunt: τὴν δὲ μητέρα σεμνῶς πάνυ, Γλαυκοθέαν ὠνόμασεν, ἣν Ἔμπουσαν ἅπαντες ἴσασι καλουμένην, ἐκ τοῦ πάντα ποιεῖν καὶ πάσχειν δηλονότι, ταύτην τῆς ἐπωνυμίας τυχοῦσαν. *Matrem autem perquam graviter Glaucotheam nominavit, quam Empuſam omnes ſciunt fuiſſe vocitatam: Indito nimirum ex eo nomine, quod omnia & faceret & pateretur.* Aliam iſtius nuncupationis cauſam ſuppeditat, autor ille incertus Vitæ Æſchinis, quæ cum aliis inſerta eſt Operibus Demoſthenis. Scribit enim de eadem ipſius matre: Ταύτην δὲ ἐκ σκοτεινῶν τόπων τοῖς παισὶ καὶ ταῖς γυναιξὶν ὁρμωμένην, Ἔμπουσαν ὀνομασθῆναι. *Quæ quidem, cum ex tenebroſis locis ad pueros, & mulieres cum impetu prodiret, Empuſa fuit nominata.* Cujuſmodi quid, etiam de Hecate dicit Apollon. Rhodius, lib. III. Argonaut. vſ. 1212.

Κευθμῶν ἐξ ὑπάτων δεινὴ θεὸς ἀντεβόλησεν.
Severa Dea, ex intima latebra venit.

Evagrius quoque lib. VI. Hiſt. Eccl. cap. XII. Empuſæ meminit, dum ſcribit, Mauritii Imp. matrem, narrare ſolitam, ſæpe larvam, quam Græci Ἔμπουσαν vocant, infantem de loco in locum moviſſe, tanquam illum voraturam: minime tamen ei nocere potuiſſe. Legitur etiam aliquando in plurali numero Ἔμπουσαι. Velut apud Dionyſium Alexandrinum, qui in Orbis deſcriptione, vſ. 723. & 724. de Mari Caſpio ſermonem faciens, ſcribit:

φύει μὲν κρύσταλλον, ἰδ' ἠερόεσσαν ἴασπιν,
ἐχθρὴν Ἐμπούσῃσι, καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι.
Gignit ſane cryſtallum, atque viridem jaſpin,
Infeſtam Empuſis, & aliis terriculamentis.

Quod ex eo repetit Euſtathius in K. Odyſſ. fol. 1659. lin. 28. At Theodoretus in Eſai. cap. 13:21. *Onocentauros*, inquit, *veteres quidem* ἐμπούσας, *qui autem nunc vivunt appellant* ὀνοσκηλίδες. Philoſtratus lib. IV. in vita Apollon. Tyanæi, in med. ingeſta mentione Nymphæ cujuſdam τῶν Ἐμπουσῶν *Empuſarum*, obſervat eas eſſe, quas λαμίας καὶ μορμολυκίας, h. e. *lamias & mormolycias* vulgo haberent. Videri præterea poſſunt de Empuſa, Harpocration Rhetor. in Lex. Lil. Gyraldus, Syntagm. XII. Deorum. Raderus ad Q. Curt. lib. VI. cap. VII. Johan. Bourdelotius in Petronium, pag. 114. ad illa verba Satyrici: *Noctu dieque non alio genere Furiarum.* D. Antonius Ponce Santa cruz, in Prælectionibus Valliſoletanis, ad librum Hippocratis de morbo ſacro, text. 17. Fortun. Licetus in Encyclopedia ad Aram Lemniam Doſiadæ, Poëtæ vetuſtiſſimi & obſcuriſſimi, ad illa verba Ἐμπούσας νόμος. pag. 124. & (qui hos citavit) Laurent. Ramierez in Not. ad Chron. Luitprandi, fol. 355, 356. nec non Cœl. Rhodig. lib. XXIX. Lect. antiq. cap. V. Martin. Delrio Diſquiſit. Magicar. lib. II. Quæſt. XXVII. Sect. II. fol. 135. item Petrus Gregor. Tholoſan. Comment. in lib. VII. Synt. art. Mirab. cap. XIV. pag. 469. Syntagm. Juris univerſi lib. XVI. cap. V. num. 15. Philippus Camerarius in Operis ſucciſiv. ſ. Meditat. hiſtor. cap. LXX. Cent. I. & alii plures. Cum quibus conferendus eſt Natalis Comes, lib. III. Mytholog. in Hecate, & lib. VIII. in Proteo. Item Eraſm. Roterod. Chil. II. Cent. II. Adag. LXXIV. Porro nomen Empuſæ forte hinc ortum eſſe videtur à muliere quadam ſaltatrice, quæ celerrimo pedum, totiuſque corporis motu, varias rerum formas ſpectantium oculis objiceret. Non ſecus atque veteres, ipſum quoque Proteum rerum variarum ſpeciem induiſſe fabulati ſunt: non aliam ob cauſam, quam quod ſaltando omnium rerum, omniumque animantium formas referret. Ita ut & aquæ humorem, & leonis iracundiam & pardali feritatem, & ignis celeritatem, & arboris agitationem, motionis pernicitate imitaretur. v. Natal. Comes, Mytholog. lib. cit. VIII. in Proteo. Quod mirum non eſt, ſiquidem & Demetrius quidam ſaltator apud Lucianum, adeo ſaltando excelluit, ut ſaltaret Martis & Veneris concubitum, qualem deſcribit Homerus. Ita, ut ſolem, qui dolos patefecit, Martem coëuntem ac Venerem cum eo irretitam opera Vulcani, deoſque inſpectantes atque videntes expreſſerit. Vel etiam, ceu habet Euſtathius in λ Odiſſ. fol. 1684. lin. 26. Empuſa ſpectro nomen dedit, ὅτι εἰδεχθής τις σφόδρα ἦν γυνὴ, διὸ καὶ φοβερὰ τοῖς βλέπουσι γεγονέναι μυθεύεται. *Quia deformis fuit valde, propter quod etiam terribilis fuiſſe perhibetur à mythologis, iis qui eam viderent.* Præterea ſimili locutionis genere, fuit & Empanda dicta Paganorum Dea quædam, autore Feſto. Igitur, ut ad inſtitutum noſtrum tandem deveniamus, cauſa, quare in præſenti loco Pſalmi, per dæmonium meridianum Empuſam intelligant, eſſe videtur, locus ille, quem citavimus à Scholiaſte Ariſtophanis, in quo Empuſam deſcribens, eam dicebat inter alia quoque δαιμόνιον μεσημβρινόν, id eſt, *dæmonium meridianum.* Et quod hæc ſæpe meridiei tempeſtate, hominibus ſe præbuerit conſpiciendam. Item quod in deſertis oberraret, quæ in ſcripturis meridionalem plagam, atque adeo meridianum tempus videntur ſignificare, Jobi 1: 19. & alibi, ubi meridies & deſertum pro iiſdem videntur uſurpari, quo referunt, quod in Ruſſia orientali, non admodum abhinc diu ſub meridiem ruri meſſis tempore ſolitus fuerit obambulare dæmon, habitu viduæ lugentis, operariiſque, uni vel pluribus, niſi protinus viſo ſpectro in terram proni conciderent, bracchia fregerit & crura, quemadmodum habetur in quadam Epiſtola, ſcripta ex illis partibus, anno 1581. ad Davidem Chytræum, excuſa Spiræ, etiam anno 1581. atque idem recenſet Petr. Gregor. Tholoſan. lib. XII. de Rep. cap. XX. & Philippus Camerar. in Operis ſucciſivis, cap. LXX.

III. Verum vero dubium valde eſt, an hoc recte ad eundem locum Pſalmi referatur. Initio namque conſtat, quod Empuſa non tantum ſpectrum meridianum ſit appellandum, cum & nocturnum à veteribus dicatur. Sic enim autor ille incertus, quem paulo ante adduximus, in vita Æſchinis narrans matrem ejus fuiſſe Empuſam vocatam, quod ex tenebroſis locis cum impetu egrederetur, addit: ἐπεὶ νυκτερινὸν φάντασμα, ἡ Ἔμπουσα, *quoniam Empuſa nocturnum ſpectrum eſt.* Et, quod ſi Empuſa eſt Hecate, ſane quoque ſpectrum præcipue matutinum ſtatuenda erit. Ea enim (Hecate) apud Apollon. Rhodium l. c. etiam ſub auroram apparuiſſe legitur, vſ. 1223.

ἤδη φόως νιφόεντος ὕπερθεν
Καυκάσου ἠριγενὴς ἠὼς βάλεν ἀντέλλουσα.

Jam lucem ſupra nivoſum
Caucaſum proſpergebat exorta è tenebris aurora.

Poſtquam ſcilicet Hecate cum ſuis ſubterraneis canibus, per prata oberraſſet. Ad eundem modum Virgilius, lib. VI. Æneid. dum de deſcenſu Æneæ ad inferos agit:

Voce, ait, *vocant Hecaten, cœloque ereboque potentem.*
Ecce autem primi, ſub limina Solis & ortus,
Sub pedibus mugire, & juga cœpta moveri
Sylvarum viſaque canes ululare per umbram,
Adventante Dea.

Deinde, non ſolum Empuſa petere dicenda eſt meridiem, hoc eſt, deſerta loca, ſed & dæmonia fere cuncta. Sic, ut alia nunc prætermittamus, ferociſſimorum dæmonum copia maxime habitavit in horto, utpote deſerto etiam loco, ubi ſepulcrum

pulcrum Jamnis & Mambres erat, uti refert Palladius in Macario. Nec non dæmonum genus, Lamias, si distinctæ sunt ab Empusa & hujus phantasmatibus, in desertis habitasse Libyæ, colligitur ex Historia Lybica Dionis, ubi adhuc hodie multa spectra. Pan quoque in sylvosis montibus, novem rusticos ligna secantes interfecit acuto cantu, & diro furibundi sui corporis adspectu: & plures interfecisset, nisi eum ἄρτεμις ἀγροτέρη compescuisset (hoc est, dæmon fortior, imbecilliorem) velut respondit Oraculum Dodonæum in Branchidis, apud Eusebium, Præparat. Euangel. lib. V. Quin quod Raphaël Asmodæum ablegarit in desertum, Tob. 8: 3. Et Salvator noster à diabolo tentatus fuit *in deserto.* Matth. 4: 1. Porro, cur non aliud, potius dæmonum meridianorum genus hic intelligi statuitur, quam hoc, scilicet Empusa? Notum quippe est, quod & Faunus inter alia, censeatur inter dæmonia meridiana, arva peragrantia. Sic de eo Ovidius lib. IV. Fastorum, ad Palem:

Tu Dea pro nobis fontes fontanaque plura
Numina, tu sparsos per nemus omne Deos.
Nec Dryadas nec nos videamus labra Dianæ
Nec Faunum medio *cum premit* arva die.

Et Horatius lib. III. Ode XVIII.

Faune Nympharum fugientium amator,
Per meos fines & aprica rura
Lenis incedas.

Simile quid de Pane quoque constat, ex Theocriti Idyll. I. vs. 15.

Πὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμιν
Συρίσδεν. τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες.

Jam circa meridiem, non fas est nobis
Fistula canere. Pana metuimus namque.

Additur etiam mox versu 17. quod tum maxime iracundus ac formidabilis crederetur:

Τανίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται. ἔντι γε πικρὸς
Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

Tunc fessus (à venatione) *requiescere solet, estque amarulentus,*
Et illi semper acerba bilis in naribus sedet.

Denique nullum evidens vestigium, è veterum scriptorum monumentis afferri potest, quo sententia de Empusa confirmari possit.

IV. Alii, verba hæc de dæmonio meridiano interpretantur de peste, quæ aperte & per diem grassetur, nec ab occultis causis: similiter ut per negocium quod ambulare dicitur in tenebris, pestem intelligunt, nocturnam & latentem. Verba illorum sunt: [*A dæmonio meridiano*] *A peste, quæ aperte grassatur, non ab occultis causis.* Item: *pestem, sive grassetur noctu, sive die, non formidabis.* Rursus in Parodiis Heroicis, ad dictum Psalmi versiculum:

Et vacuo curres animo, discrimina noctis
Nulla perhorresces, nec formidare diurnas
Fas erit, aut missas, nervo stridente sagittas.
Nec metues cæca tectam caligine pestem,
Nec quæ luce palam media grassatur.

Atque hæc sententia quidem, ut non omnino rejici, ita nec prorsus sustineri potest, si hinc excludantur dæmonum insidiæ & insultus, quorum hic potissimum ratio in Psalmo habetur. Etenim, quamvis & de peste, verba ista Davidis possint intelligi, nondum tamen evictum est, eum tantum de peste loqui, ut alia excludat pericula & tentationes, quibus frequenter dæmones, indultu Dei, homines infestant. Sed loqui videtur de quovis periculo, sive latente sive manifesto, de hostibus item hominis, tam clandestinis quam apertis: qui, quoniam potissimum sunt dæmones, igitur & præcipue illi hic intelliguntur. Hæc enim initio, causa esse videtur, quare mox de Angelis sanctis vers. 11. seq. subjiciatur, qui utpote tutelares, dæmonibus hominibus adversantibus, à parte piorum se opponunt. Conferantur quæ de tutelaribus & Geniis scripserunt veteres, Christiani ac Gentiles, quos partim citat Gebhart. Elmenhorst. in observ. ad Arnob. f. m. 14. partim Petrus Crinitus lib. IX. de honesta disciplina, cap. III. Prolixe vero Petrus Gregor. Thollossan. Comment. in lib. VI. Synt. artis mirab. cap. XI. Deinde expresse Paraphrastes Chaldæus in expositione Psalmi 91: vs. 15, 16. injicit mentionem Dæmonum: *Non timebis,* inquit, *à timore dæmonum, qui ambulant in nocte, à sagitta angeli mortis quam emittit interdiu, à morte in tenebris ambulante, à caterva dæmonum, qui grassantur in meridie.* Ulterius & Theodoretus Comment. in h. l. scribit: *Non modo hostes, qui cernuntur, verùm etiam eos, qui non videntur superabis. Porro ob spem in DEO fixam, & nocte supervenientes insidias declinabis, & interdiu impetus ab hostibus factos, & audaciam habens, utpote qui à DEO custoditur, timorem exiges, neque meridie pugnabis, sed dæmonum insidias effugies, cæleste auxilium nactus.* Nec dissentiunt Hieronymus & Augustinus in Psalmi h. l. Gregorius Nazianz. orat. de sacro Baptismo, quæ est XL. & alii inter veteres. Unde illi demum recte nobis statuisse videntur, qui dicunt à Propheta Regio in hoc versiculo Psalmi, quem tractamus, duo enumerari pericula sive damna ab hominibus, impendentia. Ab hominibus vi aperta & dolosis machinationibus; à dæmonibus quoque latenter & palam, idque noctis & meridie potissimum tempore; aliquando solo pavore spectrorum & terriculamentorum, aliquando etiam à dæmone pestilente afflata lue, vel alio damno dato ab eodem. Quamvis damna ab hominibus impendentia referantur ad illa quæ immittuntur à dæmonibus. Unde & Gregor. Nazianz. vicissim, loco proxime allegato, conjungit timorem nocturnum cum dæmonio meridiano, omissis intermediis: & dæmonum ista duo damna, primo & quarto loco posita, ut significet etiam ea, quæ homines damna inferunt, non sine dæmonum ope inferri. Hoc enim sensu adducit verba Psalmi: καὶ περὶ τοῦ Δαβὶδ εὐαγγελίσθητι, οὐ φοβηθήσῃ ἀπὸ φόβου νυκτερινοῦ, ἀπὸ συμπτώματος, καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ. *Audi etiam quid tibi læti nunciet David: Non timebis, inquit, à timore nocturno, ab incursu & dæmonio meridiano.* H. l.

V. Sed quid est, quod in singulari dicatur ab Interpretibus Dæmonium; cum plura spirituum istorum sint genera? Notandum igitur est eodem modo id fieri, quo alias in singulari etiam Satan dicitur, & comprehenduntur plures, Lucæ 11: vs. 18. Sic Matth. 22: 11. fit mentio ἀνθρώπου, *hominis,* tanquam unius in singulari, cum per eum plures sint intelligendi, ceu patet ex vs. 14. ejusdem cap. cum dicitur. *Multi sunt vocati.* Et observavit idem Hieronym. in h. l. *Unus iste omnes, qui sociati sunt malitia intelliguntur.* Et Augustin. lib. contra Donatist. cap. II. *In hoc uno homine non vestito veste nuptiali, grande quoddam corpus figuratur omnium malorum.* Simile locutionis genus occurrit 1 Reg. (Samuel.) 11: 27. ubi de populo Israël extat: καὶ ἐβόησαν ὡς ἀνὴρ εἷς. *Et clamarunt quasi vir unus.* Quia unus erat omnium consensus. Apostolus 1. ad Corinth. 1: 12. ait: ἕκαστος ὑμῶν λέγει. *Unusquisque vestrum dicit,* id est aliqui. Eodem sensu accipiendum est quod dicitur cap. VII. ejusdem Epist. vs. 37. ὃς δὲ —— κέκρικεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. *Qui vero —— decrevit in corde suo.* Et 1 Thessal. 5: 11. καὶ οἰκοδομεῖτε εἷς τὸν ἕνα, *ædificate alius alium.* Nempe per tropum illum, qui vocatur Synecdoche, cum numerus singularis ponitur pro plurali, quandoquidem ex unitate omnis numerus constat. Utpote qui nihil aliud est, quam totum quoddam ex unitatibus collectum. Pariter, ut è contrario numerus pluralis adhibetur pro singulari, Genes. 32: 28. ubi Angelus Domini ad Jacobum: ὅτι, inquit, ἐνίσχυσας μετὰ θεοῦ καὶ μετὰ ἀνθρώπων δυνατός. *Quoniam prævaluisti cum DEO & hominibus potens.* Cum unus tantum esset (secundum apparentiam) homo. Et Matth. 2: 20. legitur: *Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri,* numero plurali: cum versu proxime antecedente, Herodes solus defunctus dicatur. Amplius, ideo quoque singulari numero dici videtur: *A dæmonio meridiano,* quia ut plurimum, experientia teste, spectra dæmonum singularia apparent.

VI. Rursus, cur meridianum appellatur? sane non tam ideo quod in locis meridianis, & ipsis meridionalibus horis appareant hujusmodi spectra, quam præcipue, ut occasio indicetur, qua arrepta hominibus magis insidientur quam alio tempore: quia homines circa meridiem cibo ac potu repleti, à dæmonibus incautiores & somnolentiores, facile supprimuntur. Ita Diabolus Jobi filios oppressit tempore meridiano, cum pranderent, Jobi 1: 19. Origenes, vel quicunque autor est Commentarii in Job. h. l. *Hæc,* ait, *scientes sancti, atque horum memores, quod ipso meridiano tempore, hora prandii, ruina occupati sunt filii Job, atque mortui, oraverunt ad DEUM conservari, sicut à negocio in tenebris ambulante, ita & à ruina, & dæmonio meridiano. Sicut enim in noctis tenebris, sic similiter in medio meridie pluriores dæmonum tentationes se demonstrant, quam cæteris temporibus.* Theodoretus in Psal. h. l. *Verisimile,* inquit, *est, ut hominum insidiatores, post cibum atque satietatem, veluti ad paratam*

 prædam

prædam concurrant, & eos qui cœlesti cura orbati sunt, facile superent. Aliter paulo Hieronym. Comment. in h. l. in sensu mystico tropologico scribit: *Quid ergo dicit, à dæmonio meridiano? Quoniam Abraham angelos susceperat in meridie* (Genes. 23.) *& Joseph fratres suos* (cap. 43.) *ad prandium invitaverat in meridie: Sancti enim erant & Abraham & Joseph, & propterea convivium eorum in clara luce erat, & sole perfecto. Propterea pascunt in meridie. Et ego, si plenam habuero scientiam scripturarum, licet hora tertia sit, tamen pasco vos in meridie. Denique & sponsa in Cantico Canticorum* (cap. 1.) *dicit: Ubi pascis —— ubi cubas? in meridie? videtis, quoniam sponsus non pascit, non recumbit in hora tertia, sed in meridie. Ubi pascis, ubi cubas: ubi te invenio? ubi delitiis frueris, ubi te possum invenire ô sponse meus? vis me invenire: in meridie invenies. Id est, in scientia perfecta, in bonis operibus, in claro lumine. Quoniam ergo habemus angelum lucis* (2 Cor. 11.) *& ipse similat habere se lucem, nos meridiem: propterea etiam diabolus transformare habere se meridiem. Quando hæretici quasi mysteria aliqua promittunt, quando regna cœlorum, quando continentiam, quando jejunia, quando sanctitatem, quando renunciationem sæculi promittunt meridiem. Sed quoniam non est Christi lumen, non est meridies, sed dæmonium meridianum.* Et Augustinus, qui itidem in Psal. h. l. *Sunt*, ait, *qui ignorantes peccant, sunt qui scientes peccant. Qui ignorantes peccant, à timore nocturno supplantantur: qui scientes peccant, à sagitta volante per diem percussi sunt. Hæc autem, cum in gravibus persecutionibus fiunt, quousque perveniatur, tanquam ad meridiem, quicunque illo calore ceciderit, tanquam à dæmonio meridiano cadet. Et multi à calore isto ceciderunt —— quia fervente persecutione dictum est, torqueantur Christiani, donec negant quod Christiani sunt: cum antea solerent confessi percuti, ad hoc postea torquebantur, ut negarent. Et cum omnis reus tam diu torqueatur, quam diu neget, Christianorum confessio torquebatur, negatio dimittebatur. Erat ergo tunc magnus æstus persequentium, quicunque in illa tentatione ceciderunt, tanquam a dæmonio meridiano ceciderunt.* Denique S. Bruno Astensis, verba ista Psalmi de dæmonio meridiano ita exponit: *Erat autem*, inquit, *hora sexta, & crucifixerunt eum* (Jesum.) *Unde & hic* (in Psalm.) *dicitur, à dæmonio meridiano. Nisi enim populus ille iniquissimus à dæmonio duceretur, & vexaretur, hoc malum tam magnum facere non potuisset.* H. illi.

§. VII. Nihilominus videntur Interpretes verba hæc sua de dæmonio meridiano, attemperasse ad communem hominum de hujusmodi spectro (vel spectris) opinionem. Illam tangit Theodoretus Comm. in Psal. h. l. *Cæterum*, ait, *dæmonium meridianum posuit* (Propheta juxta LXXII. imprimis, & alios Interpp.) *secundum opinionem, quæ apud multos invaluit.* Hieronym. Comment. h. l. eandem paulo durius reprehendit, inquiens: *Dicunt quidem multi, quia sunt dæmones & meridiani, & hoc vulgo dicitur. Cæterum ego dico simpliciter: quoniam dæmonium eo tempore potestatem habet in nos, quando peccamus, sive mane peccaverimus, dæmon ingreditur in nobis; sive vespere, sive nocte: quacunque peccaverimus hora, Dæmon ingreditur in nobis. Videtis ergo, quod frivolum est, quod vulgo dicitur.* Quam forte opinionem auxit, quod in Scripturis mentio fiat certi cujusdam Angeli seu dæmonis ὀλοθρεύοντος *perditoris*, Exod. 12. vs. 23. & quidem *nocturni*, vs. 12. Item Angeli, qui *una nocte* occidit, è castris Assyriorum, centum octoginta & quinque millia. Esa. 37: 36. In quem locum Hieronym. ita: *Centum octoginta quinque millia fortissimorum virorum, ab uno Angelo una nocte cæduntur, & absque vulneribus occisorum mors sæva discurrit: excludens à corporibus animas Dei voluntate.* Sicut igitur hic unus tantum fuit Angelus, qui noctu adeo ingens excidium patravit: ita quoque opinio orta creditur, de certo quodam dæmonio, quod meridie exterminationis seu excidii causa foret. Quod autem præsertim luis alii hic meminerint, & idem exemplum docet, & testatur experientia, ac memoriæ produnt historiæ, quod spectra terrifica soleant apparere, quotiescunque pestis, aut alii hujusmodi morbi homines invadunt. Sic in Salinis Peruanis pone flumen Consatam, Indis apparuit aliquando spectrum gigantea mole, sed ventre secto & eviscerato, ulnis gestans binos infantulos, & dira denuncians evanuit. Contempsere rudes populi, eo quod sole lucente apparuisset: sed minas secuta horrenda lethi lues confirmavit, teste Chieza Part. I. Hist. Perua. cap. XXIV. Refert etiam Procopius lib. II. de Bello Persico, cum ingentem illam & admirandam luem, quæ Cosdrois & Justiniani tempore Orbem totum depopulata est, describit, visos in humana specie dæmones versari in publicis privatisque locis, & obvios percussisse, quosque percussissent, eos confestim morbo correptos (virulento nimir. & ardenti afflatu. Unde ab Hebræis istiusmodi domones vocantur *Meririm* & *Rheschaphim*, id est, exitiales, & ardentes seu igniti) & aliquibus vigilantibus, claro die, aliquibus in somniis noctu, id contigisse. Insuper & Philostratus autor est, lib. IV. de Vit. Apollon. Ephesi dæmonium quoddam spectrum, pedem disseminasse, idque in forma senis mendici, peram gestantis paniceis frustis refertam, laceram & sordidam vestem gerentis quem Apollonius Tyanæus, ad expiandam civitatem cum detexisset, jussit lapidibus obrui, quod factum est; Et sublatis deinde acervis lapidum, ait in ejus locum inventum esse, canem tanquam molossum, magnitudine tanta, quanta maximi leonum esse solent, quasi rabidi canis spumam emittentem: & ita liberatam à peste civitatem. Postremo Seneca, grassantem pestem describens, Oedip. v. 172. & seq. ait:

Tænarii vincula ferri
Rupisse canem fama, & nostris
Errasse locis: ——
Vaga per lucos simulacra virum
Majora viris. ——

T A N T U M.

JOH.

JOH. CAR. BEYER
DISSERTATIO
De Peste diurna & nocturna ad Psal. XCI: 5, 6.

בעה״נוא:

PRÆLOQUIUM.



NUnquam in majore pretio sunt, magisque expetuntur medicamenta, quam cum maxime imminent, aut affligunt morbi. Et privilegiorum aut immunitatum tunc maxime habetur ratio, quando onera multa aut gravia alios premunt, aut opprimunt. Hinc & inter homines tunc inprimis fumant altaria, Deo dicata, cum res sunt trepidæ: & qui divinæ bonitatis ac tutelæ certiores facti sunt, tanto frequentius ad hanc reflectuntur animo, quanto magis illius usus & necessitas apparet. Ita cum pestis grassatur, & vicina depopulatur oppida atque pagos, majori cum attentione meditari solemus, & vel publicorum templorum, vel privatarum ædium parietes resonare jubemus *Psalmum nonagesimum primum*, qui quasi φυλακτήριον quoddam adversus pestem vulgo habetur; animos profecto humanos ad fiduciam in Dei cura & custodia ponendam erigit, & spem superandorum periculorum procreat, alit atque auget. Inter cætera vero Psalmi verba ea cumprimis notantur, quæ versu 5. & 6. leguntur; quæ tamen & ipsa diversis eruditorum cogitationibus in diversos sensus trahi pridem cœperunt: unde operæ pretium esse putavimus, si præcipuis *interpretationibus* adductis & expensis, *eam* denique sententiam, quæ *præ reliquis tenenda* sit, adstruamus; & paucis Aphorismis ea quæ ad *praxin* Christianam attinent, subjiciamus. Quod ut bene vertat, Deus faxit! Ea vero, quæ diximus, verba, in textu authentico sic leguntur:

לֹא תִירָא מִפַּחַד לָיְלָה מֵחֵץ יָעוּף יוֹמָם׃ מִדֶּבֶר בָּאֹפֶל יַהֲלֹךְ מִקֶּטֶב יָשׁוּד צָהֳרָיִם׃ Quæ LXX. Interpretes ita transtulerunt: οὐ φοβηθήσῃ ἀπὸ φόβου νυκτερινοῦ, ἀπὸ βέλους πετομένου ἡμέρας, ἀπὸ πράγματος ἐν σκότει διαπορευομένου, ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ. Xantes Pagninus & Bened. Arias Montanus hanc exhibent versionem: *Non timebis à pavore (timore) noctis, à sagitta, (quæ) volaverit per diem. A peste, morte, quæ) in caligine ambulabit, à peste, quæ vastabit in meridie.* Vulgatæ autem versionis hæc sunt verba: *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* Denique Lutherus noster in vernaculam sic transtulit: Daß du nicht erschrecken müssest für den Grauen des Nachts/ für den Pfeilen/ die des Tages fliegen/ für der Pestilentz/ die im Finstern schleichet/ für der Seuche die im Mittag verderbet. Præter hos autem Metaphrastas, alii plures Paraphrastæ, & sensus verborum scrutatores, in varias sententiarum formas divisi fuerunt, de quibus jam porro dispiciemus.

CAPUT I.

In quo variæ interpretum sententiæ exhibentur.

SUMMARIUM.

§. 1. *Aperta, ab obscuris in textu, separantur.* 2. *Terribilia quatuor in textu memorata.* 3. *Sententia* prima, *quæ terribilia illa, seu omnia, seu aliqua*, de spiritibus malis *interpretatur. Chaldæi interpretis, R. Sal. Jarchi, Lyræ de* דבר *&* קטב, τῶν *LXX. Æthiop. & Arab. Interpr. Symmachi, Aquilæ, Patrum, speciatim de* Dæmonio meridiano. *Affinis gentilium traditio de* Empusa. *Judæorum de dæmone* Meriri, *de* Angelo mortis, *eorumque apparitionibus.* 4. *Sententia* secunda, *quæ textum totum de* peste *exponit, Gesneri, Selnecceri, H. Molleri. Chr. Corneri, Sim. Muis, Hammondi.* 5. *Sententia* tertia, *quæ* pestem & alia mala *indicari docet, L. Osiandri, Glossatorum Vinar. H. Grotii.* 6. Quarta *sententia* allegorias *varias complectens, Anonymi, B. Lutheri, Til. Heshusii, Ad. Siberi, Bernhardi, & PP. veterum, Hieronymi, Chrysostomi, Augustini, Arnobii jun.* 7. Quinta, *de malis quibuslibet hic significatis, Fr. Junii, J. Cocceji, G. Genebrardi, Bellarmini, Scaligeri, Six. Amamæ, B. M. Geieri.* 8. *Diversitas sententiarum, de vocibus* לילה *&* יומם *item* אפל *&* צהרים, quatuor differentiis diei *&* noctis: *de peste* privata & publica.

§. I. CErtum est, atque extra dubitationis aleam positum, verba hæc ipsius *Dei* auctoritate & nomine enunciari, atque adeo potentissimi, benignissimi ac veracissimi Numinis promissionem maxime lætabilem continere. Certum etiam, verba hæc dicta esse *homini fideli*, qui in Deo reconciliato, tanquam causa omnium bonorum, acquiescit; aut *habitat in abscondito altissimi, & in umbra omnipotentis commoratur, ac dicit de Jehova spe sua & arce sua, Deo suo, in quo speret*: juxta vers. 1. & 2. Certum & hoc est, offerri hoc loco, quod metui periculorum periculisque ipsis alias subeundis opponatur; id enim verba לֹא תִירָא *non timebis*, manifeste indicant. Sed quæ sint illæ metus causæ? quænam pericula? à quibus immunem fore hominem fidelem affirmat Psaltes, & per eum Spiritus S.? obscurius est, variisque interpretum sententiis aut conjecturis expositum. Itaque in illis quidem, quæ ex se clara sunt, non morabimur: de his vero, quæ diligentiorem curam postulant, in timore Domini disquiremus.

§. II. Quatuor autem sunt nomina malorum, quæ in textu Ebræo memorantur, & à quibus immunitas promittitur homini pio: 1. פַּחַד לָיְלָה. 2. חֵץ יָעוּף יוֹמָם. 3. דֶּבֶר בָּאֹפֶל יַהֲלֹךְ & 4. קֶטֶב יָשׁוּד צָהֳרָיִם. quæ vulgo vertuntur: 1. *pavor noctis.* 2. *sagitta volans per diem.* 3. *pestis, quæ in caligine ambulat.* 4. *pestis quæ vastat in meridie.*

§. III. Circa hæc autem singula atque omnia magna est varietas interpretationum apud Auctores. Nam *primo* sunt, qui per verba illa, seu omnia, seu aliqua, denotari putant spiritus malos, quorum vis & insidiæ alias metuendæ sint hominibus. Huc pertinet Paraphrastes *Chaldæus*, qui textum sic exponit: *Non timebis à pavore Dæmonum noctu ambulantium, à sagitta angeli mortis, qui vastat in die; à morte,* [peste mortifera] *quæ in tenebris ambulat: à cœtu Dæmonum, perdentium in meridie.* Et R. *Salomo Jarchi*, qui cum ad versum 4. notasset, offerri homini, in Deo confidenti, clypeum aut parmam, qua cingatur (ac tutus reddatur) quando imminent ei *quatuor spiritus* mali; postea ad vers. 5. & 6. progre-

gradiens, *sagittam* interpretatur *de Dæmone volante sicut sagitta*; & sequentia nomina דבר & קטב dicit esse *nomina Dæmonum, quorum alter noceat noctu, & alter noceat in meridie.* Salomoni huic, quoad posteriorum duorum verborum interpretationem, adstipulatur etiam *Lyra*: licet priora, quæ versu 5. habentur, de hominibus inimicis exponat. Sic enim is textum nostrum integrum παραφράζει: Non timebis à timore nocturno, i. e. *à latronibus & prædonibus, qui de nocte solent invadere.* A sagitta volante in die, i. e. *invadentibus de die cum sagittis, quod fuit impletum, quando Amalechitæ venerunt ad pugnandum contra Israël in deserto: Exod. 17. qui fuerunt sagittarii; sicut Esau, à quo descenderant. Genes. 36 Quod autem Esau fuerit sagittarius, patet Genes. 27. ubi dixit ei Isaac: sume arma tua, pharetram & arcum. Mose autem orante, fugati fuerunt Amalechitæ, Exod. 17.* A negotio perambulante in tenebris &c. *In Ebræo habetur, à deber deambulante in tenebris, & queteb vastante in meridie. Et dicit hic Rabbi Sal. quod deber & queteb sint nomina Dæmonum, & primo (ex) eis permissa est potestas magis nocendi in tenebris, secundo vero magis in meridie, sive de clara die. Et videtur dictum ejus satis probabile: quia, sicut erant Angeli sancti deputati ad protectionem populi Israel, ut supra dictum est, & apparebit infra: ita à Deo permissi sunt Angeli mali ad tentandum populum. Et illi, qui erant in populo sancti & boni, à tentationibus istorum divinitus sunt protecti. Et quantum ad istos loquitur hic Psalmista: mali vero in illo populo fuerunt plures dejecti in peccatum per Dæmonum tentationes: ut patet in fabricatione vituli. Exod. 32. & in aliis eorum malis, ut patet libro Num. in pluribus locis.* Circa ultimum vero textus membrum interpretes varii concesserunt in eam sententiam, ut de malo spiritu formaliter sermonem esse crederent. Sic enim ipsi LXX. ut jam ante recensuimus, δαιμονίȣ μεσημβρινȣ͂, mentionem fecerunt, & Vulgatus Latinus vestigia illorum secutus, vertit; *Non timebis à Dæmonio meridiano.* Similiter *Æthiopicus* & *Arabicus* Interpretes, *Symmachus* quoque & *Aquila*, *dæmonium meridiei*, aut *meridianum*, aut *morsum dæmonizantis meridiei* hic observant. Taceo Patres, qui Græcam versionem sectantes, *dæmonii meridiani* quoque nomen retinuerunt. Unde alii porro, gentilium traditionibus conjunctis, ad peculiare genus spectrorum, quod se in omnes formas mutet, atque *Empusa* appelletur, nomen illud referunt. Vid. *Erasmus* in adagio: *Proteo (Empusa) mutabilior Chil. II. Cent. II. ad LXXIV.* item *Cælius Rhodig. L.L. Antiqq. Lib. VIII. cap. XXXVIII.* Judæi autem, qui in doctrina de spiritibus, eorumque apparitionibus, non minus fabulosi sunt, quam Ethnici, formam ipsam externam, aut imaginem spirituum apparentium exhibere ausi sunt; prout autor libri לקח טוב excidium illud (קטב) cujus mentio fit h. l. dicit esse *excidium dæmonis Meriri, quem qui conspicatur,* inquit, *non manet in vivis, sive homo sit, sive bestia, sive animal quodcunque. Habet enim spiritus iste caput vitulinum, atque cornu ex fronte prominens, dominiumque suum exercet à decimo septimo die mensis Thammus usque ad nonum diem mensis Af.* Nec absimile est, quod in *Avoda Sarah* legitur de *Angelo mortis*, quod *totus plenus sit oculis.* Et additur: *Tempore decessus ægroti stat ad cervicale ejus cum gladio districto in manu sua, in qua gutta fellis* (vel veneni) *dependet. Quamprimum ægrotus ipsum videt, trepidat, & aperit os suum, & tum inspergit ei guttam illam in os. Ab illa moritur, ab illa fit fœtidus, ab illa flavescit ejus facies.* Taceo, quæ *de fletu canum*, cum Angelum mortis videant, (cujus fundamentum petunt ex *Exod.* 11: 7.) comminiscuntur. Ac videri potest *B. Hackspanius in Sill. Dispp. de Angel. Dæm. Nom.* §. 42, 43. *pag.* 257. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

§. IV. Alii omnia ista quæ *vers.* 5. & 6. habentur, referunt ad pestem: prout *Salomon Gesnerus* in h. l. commentatur, & per *timorem* quidem *nocturnum* intelligit *panicum terrorem hominum adversus pestis luem, qui in peste præcipuum malum sit: per sagittam volantem in die, ipsam pestem, quam Deus, tanquam velocissimam sagittam, ejaculari videatur, quæ in omnes angulos regionum atque urbium, inque ædium quoque penitissima conclavia penetret, deque uno corpore per halitum & levissimum contactum in vicinum trajiciatur.* Reliquis verbis pestem iterum *à circumstantia temporis, quo plurimum sævire solet*, depingi putat; nempe quod *nocturnis in tenebris propter absentiam lucis horror augeatur, ut etiam ob divini caloris defectum, venenum magis magisque accumuletur: circa meridiem vero ob nimium æstum plurimi quoque peste corripiantur.* Similiter jam ante Gesnerum *Nic. Selneccerus* in explicatione Germanica hujus Psalmi, pestem hic describi, tradidit; & *Henricus Mollerus* ad h. l. scripsit; *Pestem* à Psalmista & *terrorem nocturnum & sagittam volantem per diem appellari: Et quia hæc veneni transmissio fortior sit, & sæpius accidat tempore nocturno & meridie, ideo addi: A peste in tenebris grassante & excisione, quæ vastat in meridie: sextum itaque versum explicare præcedentem absque figura, uti mos sit Psalmographis.* Confer *Christoph. Cornerum*, qui, cum alias adduxisset interpretationes, sic tandem finit: *Omnes hæ descriptiones metaphoricæ recte pestilentiæ congruunt.* Sic etiam *Simeon Muis* in Comm. interpretationibus variis versus 5. allatis: *Ego*, pergit, *propter sequentem versum, qui hujus tantum videtur esse expositio simplex, id est absque figura, crederem; utrumque membrum hujus versus ad pestem quoque esse restringendum.* Nec abludit *Hammondus*, nisi quod peculiariter ad Angelum, qui pestem infligat, respici putat: *His omnibus*, inquiens, *Psaltes intelligit Angelum peste grassantem de quo 2 Sam. 24. ubi Deum ad preces & sacrificia Davidis placatum, Hierosolymæ pepercisse legimus.*

§. V. Alii pestem simul, & alia mala externa atque corporalia hic conjunctim, licet per distincta verba, proponi contendunt; prout *Luc. Osiander* in sua paraphrasi, pestem vers. 5 nomine *sagittæ volantis* metaphorice indicari; sed vers. 6. planius exprimi statuit; timorem nocturnum vero ad *noctem nemini amicam, ac tenebras nocturnas, quibus audacissimi etiam facile terreantur*, refert. Et *Glossatores Vinarienses* vers. 6. de *lue pestilentiali* exponunt, quæ *noctu pariter & interdiu homines sanos subito invadat atque occidat*: præcedentis vero versiculi verba priora, quæ *de pavore noctis loquuntur*, exponunt de *spectris* & *somniis noxiis*, aliisque *nocturnis malis*; ad posteriora autem exponenda, quibus mentio fit *sagittæ volantis*, referunt B. Lutheri Glossam marginalem: **Allerley Unrecht zeiget er mir an / es sey Gewalt / Unrecht / List / Tück / Frevel /** &c. *Hugo Grotius* item verba vers. 5. cum Lyra interpretatur de *latronibus* partim, partim de *apertis præliis*; vers. 6. autem de nomine דָּבָר; *videtur*, ait, *intelligi pestis & alii morbi, quorum causæ latent*; denique excidium vastans in meridie exponit de *ardore solis, qui multis sit lethalis, iter facientibus, maxime in locis illis Syriæ & vicinis.*

§. VI. Sunt etiam, qui allegorice interpretantes Psalmum, quatuor hic *periculorum gradus* faciunt. *Timorem nocturnum quamlibet crucem* interpretantur, *quæ nocte terreat magis, quam interdiu. Sagittam volantem repentina & inopinata pericula, quæ non provideri, nec propter celeritatem facile præcaveri & averti possunt. Pestem grassantem in tenebris, sophistarum insidias & occultas machinationes, consultationes aut fœdera. Pestilentiam prædantem in meridie, tyrannorum crudelitatem & sævitiam, quam exercent in pios,* interpretantur. *Atque his diversis malorum gradibus significari* ajunt, *Deum adversus omnia pericula præsto adesse suis.* Meminit hujus explicationis *H. Mollerus* l.c. & addit, *B. Lutherum duos priores gradus paulo aliter interpretari. Nam,* inquit, *timorem nocturnum intelligit de Pharisaicis hypocritarum odiis adversus Doctores & discipulos Evangelii: Sagittam vero volantem interdiu de fulminibus excommunicationis, quæ adversus pios & recte sentientes edunt; item execrationes & decreta tyrannica.* Extat autem ille Lutheri discursus in summariis super Psalterium Tom. VI. Altenb. fol. 135. & verba sunt prolixiora, quam ut hic memoranda viderentur. Proxime ad Lutheri sententiam accedunt *Tilemannus Heshusius*, & *Adamus Siberus*, quorum hic sequentibus utitur verbis: Nocturni terrores, φόβ@ νυκτερινὸς, *Cainitarum, qui adversantur veritati, odia sunt occulta*: Sagittæ, quæ interdiu volant, τὸ βέλ@ πετόμενον ἡμέρας, *eorundem convitia, maledicta, diræ, & execrationes, ac leges, pice & sulphure æterno scriptæ.* Pestis caliginosa, τὸ πρᾶγμα ἐν σκότει διαπορευόμενον, *concursationes, consilia & machinationes clandestinæ*: Lues meridiana, τὸ σύμπτωμα καὶ δαιμόνιον μεσημβρινὸν, quod alias ex opinione publica ita appellatur, *infestationes manifestæ tyrannorum, & principum bustuariorum; præterea flexiloqui cavilli & argutiæ, spinosa argumenta nectentium. Bernhardus* autem, cujus mentionem fecerat Lutherus in sententiis suis, hæc quidem reliquit: *Latrones, qui nobis optima quaque furantur, quatuor sunt: Hebetati intellectus socordia, tollens nobis scientiam veritatis: hic latro apud Psalmistam dicitur negotium in tenebris. Indomita carnis lascivia, rapiens meritum integritatis, & dæmonium dicitur meridianum: Favorabilis auræ jactantia, tollens plenitudinem sanctitatis, & dicitur sagitta volans in die.*

die. Vitæ hujus amor & appetentia, reperiens præmium æternitatis, & dicitur timor nocturnus: Hi sunt latrones Syriæ. Eadem vero in explanatione Psal. 91. sermone VI. prolixius proposuit, tandemque ad generalem statum Ecclesiæ facta applicatione, docuit; quod *Timor Nocturnus novellam adhuc Ecclesiæ plantationem exercuerit, quando omnis, qui occideret servos Dei, arbitrabatur, se obsequium præstare Deo. Demum persecutione cessante, & die reddita, turbavisse eam gravius & afflixisse Sagittam Volantem, quando exierunt aliqui de Ecclesia, inflati spiritu carnis suæ, inanis & volatilis gloriæ cupidi, & volentes sibi facere nomen, linguas suas magnificando, diversa & perversa dogmata fabricaverunt.* Porro *ipsa Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum & Tenebrarum Negotium transiisse*; &c. & sic denique *superesse, ut reveletur homo peccati, filius perditionis, Dæmonium non modo diurnum, sed & Meridianum, quod non solum transfiguratur in Angelum lucis, sed extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Hactenus Bernhardus, cujus postrema summatim huc redeunt; quod per timorem nocturnum *infestationes tyrannorum*; per sagittam volantem, *hæretici*; per negotium tenebricosum, *hypocritæ*; per dæmonium meridianum *Antichristus* intelligi debeant. Imo vero & Patres veteres, allegoriis delectati, verba Psalmi nostri, quisque pro suo captu exposuerunt. *Hieronymus*, (si quidem is auctor est totius libri Commentariorum) sequentem in modum disserit: *Non timebis à timore nocturno. Quod dicit, hoc est: licet in errore fueris, quæ nox est, tamen non timebis, quia habes scutum veritatis.* Item ad verba: *A sagitta volante: sagitta volans Diaboli*, ait, *videtur mihi sermo esse hæreticorum & Philosophorum; isti enim lucem scientiæ promittunt, & dicunt se habere diem, & non possunt decipere, nisi lucem promiserint. Verum lux ista, quam promittunt, de ardentibus sagittis est: Et propterea dicitur; A sagitta volante in die.* Rursus ad verba Latinæ versionis: A negotio &c. *sagitta quidem*, inquit, *volat quasi in die, sed negotium est perambulans in tenebris.* Denique in explicatione verborum: *Ab incursu & dæmonio meridiano; per meridiem* quidem intelligit *scientiam perfectam in bonis operibus, in claro lumine*; ideoque porro incursum Dæmonii meridiani eo refert, quod, *quoniam nos habemus meridiem, propterea etiam Diabolus transformetur in Angelum lucis, & ipse simulet, habere se lucem; habere se meridiem.* Et addit: *quando hæretici quasi mysteria aliqua promittunt, quando regna cælorum, quando continentiam, quando jejunia, quando sanctitatem, quando renunciationem seculi, promittunt meridiem, sed quoniam non est Christi lumen, non est meridies, sed Dæmonium meridianum. Chrysostomus* quoque in Homil. ad h. l. per timorem nocturnum *tentationes Diaboli, quas immittit in damnificationibus, in detractionibus*: per sagittam volantem in die, *laudem humanam, quæ etiam ipsa percutit, ut elatione pereat*: per negotium perambulans in tenebris, *negotia, quæ rationabilia videntur esse Christianis, & sunt tenebrosa*, (seu mala:) denique per Dæmonium meridianum, *Dæmonem* ipsum intelligit, quatenus *incendit suos insultatores*, (apostatas, seu paganos,) *ut recedat Christianus à fide, vel verecundia perfusus confundatur Christianus esse. Augustinus* in Comment. ad h. l. scribit: *Tentationes ignorantiæ, timor nocturnus; peccata scientiæ, sagitta volans per diem. In nocte enim ignorantia intelligitur, in die manifestatio. Sunt qui ignorantes peccant, sunt, qui scientes peccant. Qui ignorantes peccant, à sagitta volante per diem percussi sunt. Hæc autem cum in gravioribus persecutionibus fiunt, quousque perveniatur tanquam ad meridiem, quicunque illo calore ceciderit, tanquam à Dæmonio meridiano cadet. Arnobius* autem junior ad unum vitium impuri amoris aut libidinis quatuor illa nomina refert. *Hoc etiam*, ait, *in isto Psalmo* (est), *ut non timeamus à timore nocturno: Libidinosæ scilicet voluptatis, cujus sagitta volat per diem; quod enim in aspectu luminis concupiscitur; hujus negotium in tenebris perpetratur, aut in ruina, aut in Dæmonio meridiano perficitur.* Itaque *alius* quidem mala illa orthodoxæ doctrinæ seu religioni formaliter opponi putat, & ad errorem atque hæresin revocat. *Alius* motiva ad peccandum, & inprimis ad apostasiam, designari statuit. *Alius* ad actus peccaminosos quoslibet, qui vel ab ignorantibus, vel à scientibus committuntur; *Alius* ad certam peccati speciem, nempe libidinis, pertinere putat.

§. VII. Hac via alii longius progressi, facilius autem rem expedituri, mala quævis terribilia, & hominibus impendentia aut occurrentia, designari docuerunt. Ita *Franc. Junius* ad vers. 6. annotat: *Sensus hujus versus & præcedentis est: Non timebis ab ullis apertis, occultis, internis, externis, corporeis, aut spiritualibus malis.* Et *Joh. Coccejus* in Comm. suo scribit: *Corporales, spirituales, privatæ, communes, occultæ, publicæ plagæ hic denotantur, quarum exsecutor est inprimis Diabolus, qui gaudet hominum pernicie.* Tom. II. Op. fol. 364. Ex Pontificiis *Gilb. Genebrardus* verba Psalmi sic exponit: *Quicquid contingere potest mali, sive per noctem, sive per diem, sive ex insidiis, sive aperte, id minime nocebit. Bellarminus* quoque hanc verborum interpretationem affert: *Non timebis ulla pericula, neque nocturna, neque diurna*: atque hanc tanquam simplicissimam laudat, & Scaligeri consensu confirmat *Sixtinus Amama* in Antibarb. Bibl. Lib. III, pag. 833. Sic autem *Scaliger lib. 1. Epist. pag. 95. Istis quatuor generibus complectitur omnia, quæ hominibus imminent, aut metuenda sunt, uti mortalium vita multis malis obnoxia est.* Similiter ad Bellarminianam & Scaligerianam sententiam aperte accedit B. D. *Geierus* in Comm.

§. VIII. Cæterum etiam occasione verborum לַיְלָה & יוֹמָם, item אֹפֶל & צָהֳרָיִם interpretes dividuntur in partes. Quidam enim quatuor illis vocabulis totidem periodos diei ac noctis distincte designari putant, videlicet *medium noctis, diluculum, vesperam & meridiem.* Scaliger ipse l. c. scribit: *Quia Ebræi* τὸ νυχθήμερον *quadrifariam partiuntur, in vesperam, mediam noctem, in mane & meridiem; per noctem intelligit mediam noctem, per crepusculum, vesperam: & ait, nunquam per totum diem quicquam eorum, quæ hominibus impendent, metuendum esse illi, quem Deus tutum ab his omnibus præstat.* Idem tradunt & Homiletici quidam, juxta quos לַיְלָה est *medium noctis*, יוֹמָם idem quod *mane* seu diluculo, אֹפֶל *vespera*, & צָהֳרָיִם *meridies.* B. Geierus per אפל intelligit *umbram noctis mediæ*, ac *verosimilius esse putat, noctem mediam & diem medium opponi versu 6. quam vesperam & meridiem*: priore autem versu *mentione tum noctis, tum diei generatim comprehendi credit tempus omne, quod periculosum esse potest, sive clam, sive palam.* Sunt etiam, qui occasione nominum, quibus indicatur differentia temporis, distinguunt inter pestem *privatam & publicam*, quarum illa *clam*, aut velut per insidias, invadat singulos; hæc quasi aperta vi *sæviat* ac simul multos inficiat, & stragem late edat. Vid. *Isidorus Clarius* ad h. l. in Bibl. Crit. Angl.

CAPUT II.

Quo sententiæ hactenus recensitæ examinantur, atque ea, quæ de peste, interdiu ac noctu lædente, verba exponit, confirmatur.

SUMMARIUM.

1. Difficultas *certum aliquid h. l. statuendi.* 2. Allegoricæ *interpretationes verius accommodationes sunt.* 3. *Examen sententiæ, quæ textum de* spiritibus malis *exponit. Dissentit* Aben-Esra, *nec plane favent Chaldæus & Auctor* לקח טוב. *Quid* קטב *apud Kimchium? anne h. l. Metonymia? Quid* דבר *&* קטב *in scriptura? Rabbinorum* ὀνοματοθεσία Dæmonum. *Lyræ paralogismus.* Dæmonium meridianum *ab Hieronymo explosum.* LXX. & Vulgatus *textum* Ebræum *male secuti.* 4. Timor noctis *non præcise* latrones *notat, sed terribilia quævis nocturna.* Sagitta volans *h. l. non dicitur esse hominum.* Occasio erroris *Lyræ.* 5. Grotianæ *interpretationis de* apertis præliis, *infirmitas. Item de* ardore solis. *Sol* pungens *Psal.* 121. 6. *Sententiæ, quæ textum de* quibuslibet malis *exponit,* rationes. Sagitta *de variis malis. Cæterarum textus vocum* latitudo. 7. *Sententiæ, quæ textum de* peste *interpretatur,* fundamenta. דֶּבֶר *in scriptura semper* pestem *notat.* דֶּבֶר *anne idem quod* negotium? Pestis *apud Germanos* das Ding: *Græcis,* θάνατος: *convenientia cum* דֶּבֶר verbum. 8. קֶטֶב morbus, קֶטֶב מְרִירִי Deuter. 32: 25. Lyra *corrigitur.*

gitur. רֶשֶׁף propriè *pruna*: alias *pestis*: non *Dæmonum princeps*. 9. Interpretationis textus *de peste*, *confirmatio*; & ad rationes cæterarum responsio. דבר *ambulare*, quo sensu dicatur. *Pestis* tanquam *mulier venefica*. קטב *vastans*. 10. *Pavor nocturnus & sagitta volans per diem*, de peste intelligenda. Pestis, *tela Phœbi*. Apollo peste puniturus, *Noctis formam* assumit. *Sagittæ volantis* cum *laqueo venatoris* affinitas. *Terror* de *peste* usurpatus. 11. Conjectura de *auctore* & *occasione* Psalmi præsentis. 12. *Conciliatio trium* interpretationum de nostro hoc loco. 13. Judicium de *quatuor periodis* νυχθημέρε hic indicatis: item de ratione *exortæ ac propagatæ* pestis, pro *diversitate periodorum* diei ac noctis. 14. Discrimen pestis *privatæ* & *publicæ*, an h. l. indicatum? Rationes pro *affirmativa*. Versio *Lutheri*. Verba, *diei ac noctis*, *tenebrarum* & *meridiei*, de *obscuritate* & *evidentia* rerum aut actionum. *Vastator in meridie*. *Jerem.* 15: 8. *Vastare*, annon de publica strage aut clade? 15. *Difficultates* allatæ sententiæ. *Literæ sectandæ* necessitas. הלך de quolibet incessu. שדר vastatio seu perditio *unius* æque, ac plurium 16. Conjectura de respectu ad *Pestem nocturnam Ægyptiacam* & *diurnam Judaicam*. 17. Modesta *conclusio* capitis.

§. I. Circa enumeratas interpretationes facilius est ostendere difficultates, quibus singulæ premuntur, quam unam aliquam certam ac determinatam sententiam sic adstruere, ut à difficultatibus omnibus liberetur. Quemadmodum tamen aliæ præ aliis infirmiores sunt, ac majoribus difficultatibus obnoxiæ, ita remotis incertioribus, veram sententiam, quoadusque licuerit, investigare, inventamque stabilire conabimur.

§. II. Nempe allegoricæ Patrum ac recentiorum Doctorum sententiæ, de quibus §. VI. diximus, non tam sensum ipsum verborum, quam accommodationem quandam exhibent. Verba enim textus nostri, neque alias extra contextum ex prima impositione sua, aut proprietate literæ, neque h. l. vi contextus, res ejusmodi significant, quæ vel veræ religioni directe opponuntur; vel ad ἀποςασίαν, aut peccata morum directe respiciunt, ac vim motivam habent; vel, tanquam ipsa peccata, à scientibus aut ignorantibus committuntur; vel speciatim ad peccatum lasciviæ sive libidinis pertinent: quod cuivis erudito Lectori, & Scripturarum scrutatori manifestum esse arbitramur. Unde non est, cur in his prolixius immoremur.

§. III. Inter cæteras autem, sicut *primum* locum occupat ea sententia, qua per verba textus ipsos *spiritus malos* denotari creditur, ita ab hujus examine ordientes, non parum in ea deprehendimus difficultatis. Nam (1), si καὶ ἄνθρωπον disputandum sit, Judæos Judæis, atque auctoritates auctoritatibus opponere possumus. Scilicet *Aben Esra* ad verba מפחד לילה & sequentia, scribit: *A casibus noctis* (non timebis), *neque à casibus diei, qui volant sicut sagittæ.* Et porro דבר de *peste* exponit, quæ, *si sit à causa frigida*, *noctu magis* grassetur; *si à calore* profecta, *in meridie* potius sæviat. Porro קטב dicit idem esse atque *excisionem*, juxta illud Hoseæ: *Ero excisio tua, ô inferne.* Quod si etiam Chaldæam paraphrasin, & quæ ex libro לקח טוב adducta sunt, rectius æstimemus, constabit, nomina *pavoris*, *sagittæ*, דבר & קטב non tam in casu recto exponi de spiritibus malis, quam de actionibus aut effectibus eorum, cum expressa quidem relatione ad illos, velut causas efficientes: prout de *Hammondo* etiam vidimus, quod textum quidem de peste interpretetur, sed habito respectu *ad Angelum peste grassantem*: quod ad præsens non pertinet. Interim etiam de R. D. *Kimchi* novimus, quod vocabulum קטב interpretetur *de morbo*, *qui subito invadit hominem*, *& ipsi est lethalis*. Conf. *Dn. D. Sauberti Palæstr. Theol. Philos. Disp. de adoratione Angelorum* §. 5. pag. 56. (2.) Non est quod dicatur, per metonymiam h. l. fieri, ut nomen effectus (morbi) causæ efficienti (Diabolo) tribuatur. Prius enim ostendendum est, quod nomina illa פחד & חץ: item דבר & קטב, causæ excidii in casu recto tribuantur ex usu loquendi. Non enim omnia omnium effectuum nomina causis efficientibus illorum effectuum tribuit usus loquendi. Reliquis itaque Rabbinis abnuentibus, cur unum aut paucos hic præferamus, causæ nihil est. Quod si (3.) Scripturam consulamus, equidem voce דבר *pestem* significari non negamus, atque infra de eo plura dicemus. Quod autem *dæmonem malum* significet, nullum exemplum apparet. Altera autem vox, קטב, ex prima impositione, denotare creditur *excisionem* aut *excidium*; juxta quosdam, *rem* aut *instrumentum*, quo mediante aliquid succiditur aut destruitur, (quæ metonymia est) v. g. *stimulum acutissime perfodientem*; aut generalius, *quicquid pertundendo & perfodiendo repente penetrat impetu vehementissimo, ut cuspis acuta solet*: sic ergo & *luem intime penetrantem*, aut *morbum*, *qui subito homines corripit & perimit*, significare potest ac solet. Vid. *Rivetus*, *Tarnovius & J. H. Ursinus ad Hos. cap.* 13: *vs.* 4. sed quod dæmonem malum significet, nullo Scripturæ loco constat. De Rabbinis vero, Dæmonum nomina *citra necessitatem multiplicantibus*, atque ita errori non uni ansam dantibus, vid. *Hackspan. in Sylloge*, Disp. *de Angel. Dæm. Nom.* §. 48. pag. 259. Itaque quicquid de eo sit, quod Lyra l. c. addit, *sicut Angeli sancti deputati fuerunt ad protectionem populi Israel*, *ita à Deo permitti Angelos malos ad tentandum* (*affligendum*) *populum &c.* unde porro sequi putat, angelos malos tanquam *vastationis* aut pestis causas spectari debere; hic certe nihil relictum est, quo probet, *Deber & Queteb* esse ipsorum Dæmonum nomina. Quod attinet ad *Dæmonium meridianum*, cujus Græci & Latinus, Interpretes, mentionem faciunt, (1.) notandum est, quod scribit Hieronymus ad hunc Psalmi locum: *Dicunt quidem multi*, *quia* (quod) *sunt dæmones & meridiani*, *& hoc vulgo dicitur. Cæterum ego dico simpliciter: quoniam* (quod) *dæmonium eo tempore potestatem habet in nos*, *quando peccamus. Sive mane peccaverimus*, *Dæmon ingreditur in nobis*, *sive vespere*, *sive nocte*: *quacunque peccaverimus hora*, *Dæmon ingreditur in nobis. Videtis ergo*, *quod frivolum est*, *quod vulgo dicitur* (2.) quod LXX. Interpretes, quos sequitur Vulgatus Latinus, Ebraicam veritatem non satis diligenter sectati fuerint. Quemadmodum enim, quod occasio vocis πϱάγματ☉ hic adhibitæ non alia est, quam quod pro דֶּבֶר legerunt דָּבָר; ita vox δαιμονίς hinc in versionem illam irrepsit, quod pro יָשׁוּד legerent יָשֵׁד. Videatur *Grotius* ipse & *Mollerus* ad h. l. *Gerhardus* in exeg. Loc. I. §. 337. p. m. 359.

§. IV. At nunc *secundo* videbimus de eo, quod Lyra פחד לילה sive *timorem noctis*, de *latronibus aut prædonibus noctu invadentibus*, *sagittam in die volantem de invadentibus de die cum sagittis*, exponit. Nempe priora illa verba פחד לילה si originem & vim significandi spectes, multo latiora sunt; & vel *pavorem nocturnum*, vel *noctem* ipsam *pavidam* aut *meticulosam* denotant, ea loquendi forma, qua substantivis duobus conjunctis, atque altero in regimine posito, alterutrum eorum, seu prius, seu posterius, adjectivam significationem habet: qua ratione porro pavor nocturnus metonymice ponitur, pro re terribili, quæ causa pavoris nocturni, aut tempore nocturno est; quemadmodum *mors in olla* esse dicebatur, cum venenum mortiferum inesse crederetur: 2 *Reg. cap.* 4: 40. Quibus observatis, cum præter *latrones*, qui quidem dicuntur *de nocte surgere*, *ut homines jugulent*; alia multa sint, quæ pavorem homini tempore nocturno incutiant, v. g. tenebræ ipsæ, spectra, & varia hominum Dæmonumque terriculamenta; jam non apparet, quamobrem verba illa præcise ad latrones, qui de nocte invadunt, restringenda sint. Neque est, quod fundamentum interpretationis quæratur in verbis sequentibus, sive in vi oppositionis inter *timorem noctis* & *sagittam volantem in die*: quasi videlicet, & hoc posteriore loco denotetur diurna invasio hostium armatorum (eorumque sagittariorum,) & sic etiam priore loco invasio hominum armatorum nocturna. Nam hoc potius est, cujus probationem desideramus, quod sagitta volans de die ad homines jaculatores præcise pertinere creditur. Equidem non negamus, vocem חץ proprie acceptam, speciem quandam armorum denotare, qua homines alii adversus alios uti solent: simul tamen hic etiam observamus, vocem illam h. l. poni sine addito, aut non expresso supposito jaculante, unde potius credas, eam ad *venatorem* illum spectare, de quo vers. 3. sermo erat. Quanquam enim & illo nomine *Pharaonem* Israelitarum persecutorem intelligi putet Lyra; manifestum tamen est, eum isthac hypothesi niti, quod Psalmus præsens una cum seqq. usque ad CI. à Mose consignatus fuerit; ideoque, quæ in eo habentur, ad historiam Mosaicam exitus ex Ægypto, & periculorum itineris per desertum, sint referenda.

Quod

Quod si hypothesis illa cadat, quam non nisi levis conjectura suffulcit, & verba Psalmi 99: 6. evertunt, uno velut lapsu totam structuram ruere necessum erit. Ac vel ipsum initium Psalmi docet; verba non esse ad tempus & fata populi Israelitici adolescentis restringenda.

§. V. Itaque *tertio* Grotiana interpretatio, quæ Lyranæ quodammodo vicina est, nunc expendi debet. Nempe *timorem nocturnum* & ipse *de latronibus*; *sagittam* vero *volantem per diem*, *de apertis præliis* exponit. Illic ergo clandestinas insidias innuit; hic, etsi ad sagittarios non restringat prælia, homines tamen inimicos ac manifeste invadentes designat: ita, ut *noctis & diei* nomina non proprie, sed improprie, ad differentiam eorum, quæ occultis machinationibus, & quæ vi aperta fiunt, indicandam, adhiberi statuat. Verum ita potius apparet, tanto minus eum habere causæ, quapropter ad latronicia ac militares incursus verba restringat; quanto minus vel hypothesin Lyræ de auctore & natalibus Psalmi suam facit; vel alias literam in vocibus לילה & חץ sectatur, sed tropum non unum in verbis admittit. Quod ergo in seqq. per nomen דבר intelligit *pestem & alios morbos, quorum causæ latent*; post paulo examinandum erit, ubi de ea sententia, quæ textum de peste exponit, dispiciemus. Interim h. l. denique observamus, quod Grotius קטב seu *excidium vastans in meridie*, *de ardore solis* exponit, *qui multis sit lethalis*, *iter facientibus*, *maxime in locis illis Syriæ & vicinis*. Sane, nisi nota esset Viri consuetudo, qua singulares sententias affectat potius, quam cogente necessitate à receptioribus recedit; mirum foret, quo pacto interpretatio ista in mentem illi venerit, quam usus loquendi respuit, qui קטב nuspiam de *ardore solis* usurpat. Neque oppositio congrua est inter *pestem aliosque morbos*, *quorum causæ latent*, & inter *ardorem solis*. In textu oppositio manifesta est inter דבר באפל, יהלך & inter קטב ישוד צהרים, Itaque licet videatur pro Grotio posse excipi, quod קטב significet aliquid, quod pungendo, aut fodiendo, aut modo simili penetrat ad interiora, & sic dolorem aut perniciem affert; qua ratione etiam de sole eadem vox adhiberi possit, qui & ipse dicatur *pungere*, aut *percutere*, *Psalm*. 121: 6. & *Jonæ* 4: 9. ex adverso tamen observandum est, quod verbum נכה, non autem קטב ibi legatur. Et aliud est, vocem posse aliquo sensu adhiberi, aliud, ejus sic adhibitæ exempla dari in usu loquendi; atque adesse fundamentum, unde concludi possit, eam eodem modo in certo loco Scripturæ accipi debere. Quod autem ad locum *Psal*. 121. attinet, ibi oppositio fit inter *solem interdiu*, & *lunam noctu lædentem*; (prout alias inter *æstum diurnum* & *gelu nocturnum* oppositio fit, Genes. 31: 40.) Inter solis æstum diurnum autem & morbos, quorum causæ latent, non apparet oppositionis exemplum aut sufficiens ratio: Quanquam & illud Grotianæ interpretationis imbecillitatem ostendit, quod, cum intelligeret, solis ardorem rarius fieri lethalem hominibus, verba textus restringit (1.) ad *iter facientes*, de quo nihil in textu legitur (2.) ad *loca Syriæ & vicina*: quippe intelligens, alibi, & in locis septentrionalibus, solis non esse eum ardorem. Itaque hoc non est sensum efferre ex dictis Scripturæ, verum inferre illis de suo.

§. VI. Supersunt tres sententiæ, quarum *una* textum de peste præcise atque unice interpretatur; *altera* illum de peste quidem distincte, non tamen unice, sed præter pestem etiam de malis externis aliis loqui; *tertia* generatim, & velut confuse aut indeterminate, mala quælibet, quovis tempore aut modo occurrentia denotari statuit. Inter has postrema quidem facillima videtur, quippe quæ non solum prolixum ac generale solatium aut securitatem plenam, imminentibus licet multiplicibu periculis, promittit, tantoque magis amabilis est; verum etiam peculiaribus his nititur rationibus: (1.) quod *pavoris nocturni* conceptus late admodum pateat, & ad quævis mala, quæ noctu accidere possunt & solent, se extendat (2.) quod similiter *sagitta volans per diem*, casus diurnos quoslibet, qui non advertentibus obtingunt ac lædere possunt, significare videatur, prout non solum *pestis*, sed & *fames* atque aliæ plagæ divinitus immissæ, *sagittarum* nomine veniunt: Vid. *Deut*. 32: 23, 24. *Ezech*. 5: 16. *Psal*. 64: 8. Conf. *Psal*. 7: 14. & 38: 3. verum etiam h. l. *clypeus & parma* vers. 5. velut ad excipiendas sine damno sagittas immissas destinata, medium commune securitatis in quibusvis periculis denotet. Unde etiam (3.) vox דֶּבֶר, quam Vulgatus *negotium* vertit, alii *verbum reale Dei*, *quod effertur & immittitur ab irato Deo*; alii *rem perdentem*, interpretantur; mille malorum genera complecti videtur. Et denique (4.) voce קֶטֶב *perditionem*, aut omne illud, quod excisionis seu perditionis causa est, significari, credi potest.

§. VII. Illam autem ex adverso sententiam, quæ textum integrum de *peste* exponit, fatendum est, non carere suis fundamentis. Scilicet huc pertinet primo ac præcipue, quod vocabulum דֶּבֶר quod versu 6. habetur, sine dubio *pestem* significat. In hoc omnia loca Scripturæ conspirare, neque unum, qui hanc significationem non admittat, obstare dixeris. Imprimis vero notanda sunt loca, quibus דבר inter plagas quidem divinitus immissas refertur, sed tamen à bello, fame, bestiis venenatis, aliisque malis publicis distinguitur, ac pro contextus ratione, non aliter, quam de morbo contagioso, aut lue exitiali, mortem subitaneam inferente exponi potest. vidd. LL. *Exod*. 9: 3. ubi cum addito dicitur דֶּבֶר כָּבֵד מְאֹד *pestis gravis valde* fuisse, qua bruta perierint. 2. *Sam*. 24: 13. & 15. 1 *Reg*. 8: 37. 1 *Paral*. 22: 12. & 14. ubi *Angelus Domini* non dicitur in casu recto דֶּבֶר, sed tanquam ejus mali inferendi minister, describitur: *Jerem*. 21: 6. ubi dicuntur *Homines & animalia* בְּדֶבֶר גָּדוֹל *pestilentia magna mori*. Adde vers. 7. & 9. *cap*. 24. vers. ult. *Ezech*. 5: 17. *cap*. 7: 15. *cap*. 12: 16. *cap*. 14: 19, 21. *cap*. 38: 22. Neque ergo de primitivo vocis דֶּבֶר, tanquam derivativæ, laborandum, aut significatio דֶּבֶר דָּבָר, quod idem est, ac loqui, urgenda est. Quod si vel maxime h. l. דָּבָר דֶּבֶר cum vulgato vertas *negotium* (qui pro דֶּבֶר, דבר legisse putatur) tamen κατ' ἄνθρωπον valet, quod pestis non una lingua, *res*, in malam partem, aut *res mala* κατ' ἐξοχὴν appellatur, prout *Forsterus* in Lexico Ebr. fol 161. observavit; Germanos, cum de homine peste infecto loquuntur, dicere: **Er hat das Ding am Halß.** Conf. *Buxtorff*. in Lexic. Min. pag. 131. Et *Simeon Muis* in Comment. ad locum nostrum fol. 550. scribit: *Germanos communi rei vocabulo pestem appellare audivi*: *scio Gallis generali morbi nomine vocari*, la maladie. *Itaque fortassis existimet aliquis, illud Græci & Latini Interpretis*, *à negotio*, *nihil aliud esse*, *quam à re in genere*, *hoc est*, *à peste*: *eoque modo de industria ab illis versum*. Cæterum *R. Kimchi* in lib. Radicum docet, דבר *cum sex punctis significare mortem*. Et constat, LXX. Interpretes sæpius vertisse, θάνατον. Alias novimus allusiones Doctorum quorundam in interpretatione vocis דֶּבֶר pro peste acceptæ, ad vocem דָּבָר v. g. **Gott ists um ein Wort zuthun** &c. **Wann die Pest einreist / so ist davon viel redens etc. fromme Hertzen sollen viel mit Gott reden etc** *Causa pestis est contemtus verbi*. Deber **die thätliche Straf-Predigt / Gottes Macht-Spruch und Donner-Stimm.** Vid. Bakius Comment. ad h. l. Item, *quod sit res à Deo educta & decreta*, *vel quod abducat omnis status & generis homines* &c. Sed de his ne quidem opus est hic agere pluribus. *Grotium* tamen quod attinet, qui דֶּבֶר dicit esse *pestem* aut *morbos alios*, *quorum causæ latent*; non putamus assequi vim vocis, nisi morbum sua natura lethiferum & subito interimentem indicari, concedat. Atqui morbi, quorum causæ latent, non præcise sunt morbi subito perdentes aut lethiferi.

§. VIII. Similis est ratio vocis קֶטֶב, de qua *R. Nathan* in Concord. Buxtorffianis, quod sit חולי מה או כריתה, *morbus quidam vel excidium*. Et R. D. *Kimchi*, *Kateb*, ait, *genus est infirmitatis repente interimentis*, *pestis aut excisio*. Et *Joh. Reuchlinus* lib. 2. de Rud. Ebr. קטב דָּבָר interpretaturus, docet, quod sit *Ægritudo contingens homini*, *& percutiens eum*. Similiter *Mercerus* in Lex. Pagn. *Luem*, *excidium*, *exterminium*, verti posse, tradit. Unde & illud, quod *Deut*. 32: 25. habetur, קֶטֶב מְרִירִי, *Junius & Tremellius* exponunt de *lue amarissima*, *Vatablus de peste amarissima*, *sive morbo exitiali*, *qui cito enecat*; *Tirinus* de *ægritudine amara*; alii de *plaga aculeata*, *exitio venenato* &c. Vid. *Matth. Polus in Synopsi Crit. SS. Interpret*. Quod autem *Lyra* exponit de *morsu avium*, nempe quod præcedenti voce רֶשֶׁף aves significari crederet, id nullius roboris est, acpotius ostensum à *Reuchlino*, *Mercero*, *Buxtorffio*, *Ed. Leigh* & aliis, quod רֶשֶׁף *prunam seu carbonem ignitum*, *& metaphorice anthracem* seu ulcus pestilentiale denotet; aut *morbum ardentem instar carbonis*, *inflammationem* &c. Unde & R. *David* in Habak. 3. רֶשֶׁף inquit, *idem est*, *quod* דֶּבֶר *pestis & ægritudo comburens & cito perimens*. Conf. B. *Joh. Tarnovium* ad Habak. l. c. p. 86. Quod autem vocabulum רֶשֶׁף *Diabolum significet*, *Vulgatæ versionis Latinæ Patroni nobis ostendant*; *siquidem*, *quam Ribera habet h. l. num*. 27, 28. *Hieronymi*, (*si modo ejus est*) *incerta conjectura*, *nihil probat*, *cum*

cum petat principium, quod sit ille ipse Dæmon, qui principatum tenet inter alios, quique in Paradiso locutus est mulieri, & ex maledictione Dei accepit nomen, cum רשף *sit repens ventre. Falsissimum enim hoc est, & forsan illud cum* רֶמֶשׂ *confundit. Ut taceam, non unum Dæmonem ibi esse reprobatum in Genesi, sed etiam totum ejus semen*: verba sunt Tarnovii l. c. *Christophorus Castrius* autem, etsi in Riberæ sententiam concedere videri velit, tamen ita concludit: *Significat ergo Reseph metonymicωs, stragem pestilentialem, & undique grassantem, atque obvia quæque vi ignea adurentem & funestantem, qua Deus hostes sui populi excidit.* Quid autem opus est metonymia, ubi nondum constat, quod absque ea & magis proprie, de Dæmone, pestis causa, vox accipi debeat?

§. IX. Sunt ergo & דָּבָר & קֶטֶב certa plagarum divinitus immissarum species, non autem ipsi Dæmones mali, aut certa Dæmoniaci gregis individua; nec mala tristia & exitiosa quæcunque, sed *pestis* aut lues contagiosa, qua animantia ipsique homines affliguntur, ac funditus perduntur. Quod si enim vel maxime concedatur, vocem דָּבָר, spectata origine, posse *rem perdentem* quamlibet denotare; quia tamen ex usu loquendi, qui merito prævalet, atque in Scripturis quidem frequentato aut perpetuo, *Pestilentiam* speciatim denotat, non est, cur hinc recedamus. Nam & Latina voce *pestis* audita, licet pro ratione originis latius patere possit significatio, atque ex vi vocis Græcæ πεσεῖν aut Latinæ *pessum*, (unde vox *pestis* descendere creditur) quodlibet denotare videatur, quo res perditur aut perit; tamen contagiosam luem potius, quam aliud quicquam concipimus, nisi contextus aut aliæ circumstantiæ necessitatem imponant, ad aliam discedendi significationem. Quando autem τὸ דבר de peste exponi debet, quid obstat, quo minus etiam τὸ קטב eodem sensu accipiamus? Nam & usus loquendi favet, nec repugnat derivatio: neque, admissa συνωνυμίᾳ, ταυτολογία metuenda est, præsertim quod nihilominus, licet דבר & קטב idem significent, differentia quædam atque oppositio locum habeat inter *pestem in tenebris ambulantem* & *pestem in meridie vastantem.* Dicitur autem דבר *ambulare* (in tenebris) prout alias dicitur *ambulare*, seu *ire ante faciem Domini*, *Hab.* 3: 5. Est enim pestis velut servus armatus irati Numinis, exequens voluntatem Domini. Et alias *ignis*, *grando*, *nix*, *vapor* & *ventus turbinis* dicuntur *facere verbum Dei. Psalm.* 148: 8. Nec infrequens est, inanimatis rebus, quibus Deus utitur, tanquam instrumentis, actiones potentiæ locomotivæ animantium atque hominum tribui. B. D. *Heinr. Hopfnerus* in Comm. ad h. l. Ps. 91. p. 60. *pestem* introduci judicat tanquam mulierem veneficam, & sic *ei tribui infectionem*, *quæ fit per contagium.* Eadem vero, nomine קטב appellata, recte etiam dicitur *vastare*, propter ingentem stragem, quam edere solet; quodque civitatum aut societatum publicarum statum felicem subruit ac evertit, urbes ac regiones depopulatur, bona singulorum confundit, aut dissipat &c. Quod ad differentias temporum *diei* & *noctis* &c. attinet, quarum mentionem facit textus; de iis mox videbimus.

§. X. Interim stantibus his, quæ diximus, etiam *quinti* versiculi verba *de peste* exponenda videntur: scilicet ut (1.) tanto manifestior ac firmior sit nexus duorum versuum, si dicatur, posteriore versu exprimi apertius, quod priore insinuatum ac figuratum seu adumbratum fuerat, ut supra ex Gesneto audivimus (2.) verba ipsa *pavoris nocturni*, & *sagittæ volantis in die*, specialem quandam relationem ad pestem habere videntur: nempe, ut *Gesnerus* monuit, quod non solum nomine *pavoris* illud denotetur, quod in peste præcipuum malum est, quando nihil magis corporum contagionem causat aut promovet, quam terror panicus; verum etiam, quod *sagittæ volantis* vox de *peste* frequenter accipiatur, & affectionem quandam pestis, nempe celeritatem infectionis & propagationis, congrue exprimat. Nec negari potest, quod *Gesnerus* l. cit. adjicit: Pestem etiam à Poetis *spicula* & *tela Phœbi* sive solis appellari, & *Homerum* Iliad. A. in descriptione pestis, quæ exorta est in exercitu Græcorum, βέλος ἐχεπευκὲς, *telum amarum* illam nominare, vs. 51. Nam & mox vers. 53. leguntur hæc verba:

Ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ᾤχετο κῆλα θεοῖο

Per novem quidem dies in castris ferebantur missilia Dei.

Et versibus 381, 382, 383.

Ἧκε δ' ἐπ' Ἀργείοισι κακὸν βέλος. οἱ δέ νυ λαοὶ
Θνῆσκον ἐπασσύτεροι· τὰ δ' ἐπῴχετο κῆλα θεοῖο
Πάντῃ ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν.

Immisit vero Græcis (Apollo) *pestiferum telum: turba autem*
Moriebantur frequentes, & ferebantur missilia Dei
Passim per ampla castra Græcorum.

Teli quoque cum peste similitudinem apud *Artaxerxem* in ep. ad Hippocr. Med. observavit *Langius* in Polyanthea. Et Turcarum Imperator Legato Ferdinandi I. Imperatoris, discessum ex metu pestis grassantis meditanti, per ministrum respondit: *An nesciret, pestilentiam sagittas Dei esse, quæ à proposito scopo non aberrarent?* &c. vid. *Phil. Caroli in Notis ad Agell.* L. V. cap. X. p. 301. Imo vero etiam l. c. Homeri vers. 47. legimus, quod Apollo, cum Græcos peste punire vellet, νυκτὶ ἐοικώς, *nocti assimilatus* iverit: unde illud, quod de pavore noctis docet Gesnerus, his nonnihil illustratur. Quod autem ad Scripturas attinet, etsi nomina *pavoris nocturni* & *sagittæ volantis*, aliis exemplis non possint ostendi speciatim de peste enunciari: videri tamen potest sufficere, quod sub istis generalioribus & plagas plures denotantibus nominibus pestis revera contineatur, atque hic ex sequente versu 6. constet, *pavorem* τῷ דבר seu *pestis*, & *sagittas* τῷ דבר seu *pestis* indicata fuisse: prout alias præmissis nominibus communioribus, alia, quæ sequuntur, specialiora id efficiunt, ut ipsa quoque præcedentia generaliora non de toto genere (aut omnibus, ad quæ se alias extendit conceptus vocum,) intelligi, sed ad aliquid magis determinatum restringi debeant. Neque etiam prætereundum est, quod quemadmodum versu 3. conjungebantur *laqueus* venatoris & *pestis corruptionum* seu corrumpens (דְּבַר הַוּוֹת) ita vers. 5. & 6. conjungi videantur *sagitta volans* (à venatore emissa) & דֶּבֶר sive *pestis*; quorum nominum alterum sit evolutio alterius. Et alias constat, Deum, cum populo Israelitico *bellum* pariter ac *pestem* minatus esset, *Deuter.* 32: 25. simul addidisse, quod *foris* quidem *gladius*; *domi* autem, aut *in cubiculo*, *terror* abreptus sit *juvenem* & *virginem*, *infantem* & *senem.* Similiter Esai. 17. vers. ult. Deus, prædicens cladem Assyriaco exercitui immittendam, his verbis utitur: *Tempore vespertino, ecce terror! cum nondum illuxerit mane, nemo aderit.* Ubi *Tremellius* & *Junius* in Notis terrorem illum referunt ad *missionem Angeli Jehovæ* 2. *Reg.* 19: 35. & 2. *Chronicor.* 32: 21. & infra (apud *Esa am*) cap. 37. Clarius etiam in rem præsentem *Lyra* commentatur ad verba: *In tempore vespere, ecce turbatio. Quia*, inquit, *percussio dicta facta fuit de nocte, quæ incipit à vespere.* Et rursus ad verba: *In matutino, & non subsistet. Quod Sennacherib*, ait, *in mane videns plagam sui exercitus, fugit.* Pertinet huc etiam, quod Auctor libri Sapientiæ cap. 18. scribit de strage Ægyptiaca primogenitorum, tempore eductionis Israelitarum ex servitute: *Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo veloce cursu media esset, omnipotens tuus sermo è cælis; è throno regali præcisus bellator in medium interitui adjudicatæ illius terræ desiliit, ut gladium acutum, ferens mandatum tuum non simulatum, qui consistens implevit omnia morte; cælum quidem pertingens, sed etiam in terra ambulans. Tunc repente & visa somniorum gravium exturbarunt eos, & institerunt timores inopinati. Et alius alibi prostratus semimortuus patefaciebat, quam ob causam moreretur. Nam somnia, quæ turbaverant eos, hoc ante indicaverant, ne ignorantes, cur male afficiebantur, perirent.* Atqui utramque illam stragem de morbo pestilentiali divinitus (nec sine miraculo quidem) immisso interpretatus est *Josephus* Lib. II. *Antiqq* cap. V. & Lib. X. *cap. II.* quem alii plures sequuntur. Itaque si quoad istos casus *terror nocturnus* ad malum pestis speciatim relatus est; quid mirum, si in hoc Psalmi loco eodem referatur?

§. XI. Imo vero, neque illam conjecturam improbabilem deprehendimus, qua viri quidam docti existimant, Psalmum hunc 91. consignatum fuisse intuitu pestis illius gravissimæ, quæ Davidis senescentis tempore contigit: de qua 2. *Samuel. cap.* 24. & 1. *Paralip.* 22. videri possunt. *Ita Simeon Muis* in Comment. p. 547. scribit: *Ego sane existimo, hunc Psalmum esse communem formulam precandi, à Davide conscriptam occasione horribilis illius pestis, quæ in Judæa grassata est. Cur sic existimem, si quis quærat, respondebo, quod ad illam historiam verba & sententiæ Psalmi omnes facile congruant.* Præivit autem ei *Henr. Mollerus*, & quod ille subdubitanter tradit, hic *sine dubio* pronunciavit, simulque monuit, *Prophetam*, auctorem Psalmi, *in specie ad illam pestilentiæ sævitiam respicere; licet consolationes ejus ad omnes calamitates in genere humano sint referendæ.*

§. XII. Atque hac etiam ratione inter tres illas sententias quarum §. VI. mentionem fecimus, conciliatio locum invenire posset:

possit: scilicet, quod verba textus nostri, ex intentione auctoris, proxime quidem & immediate ad malum *pestis* spectent; mediate vero, ad mala quælibet perniciosa, seu per insidias invadentia, seu aperta vi irruentia, referri possint. Ita sane existimamus, quanquam doctiores alios hic audire, quam dubium ipsi definire malimus.

§. XIII. Sed cum denique de differentiis temporum לילה & יומם, item באפל & צהרים agendum est, sane admodum infirma est eorum sententia, qui quatuor periodos νυχθημέρου distincte denotari putant: quos etiam B. *Geierus* inter alia hoc modo refellit, quod אֹפֶל non tam vesperam, quam *noctem* plenam & *caliginem crassiorem* denotet. Et præterea fatendum est, voces יומם & צהרים non ita adæquate distingui, ut prior illa idem præcise denotet, quod *mane*; & sic à posteriori voce, *meridiem* significante, differat. Habent Ebræi ad matutinum tempus significandum vocabula alia, v. g. שַׁחַר & בֹּקֶר: sed יוֹמָם potius *interdiu* significat, ipsamque meridiem, una cum antemeridianis & pomeridianis horis diei suo ambitu complectitur. Similiter vespera Ebræis עֶרֶב dicitur, atque appellationis ratio est, quod tunc *lux* cum *tenebris commisceri* incipiat. Et conjunguntur עֶרֶב וָבֹקֶר וְצָהֳרַיִם *Psal.* 55: 18. Neque adeo לילה *noctem mediam* determinate, sed *noctem* simpliciter denotat. Ambo autem hæc יומם & לילה conjuncta, exhauriunt quidem νυχθήμερον, ac nullum tempus dici excipiendum indicant: non autem matutinum tempus & mediam noctem distincte aut præcise denotant. Vidd. *Psal.* 1: 2. it: 42: 4. Jes. 1: 8. *Jer.* 9: 1. *cap.* 14: 17. Sensus itaque potius fuerit; quod *nec noctu*, *neque interdiu timenda sint pavor aut tela pestis perdentis aut exscindentis.* Multo minus autem eorum sententiæ audemus subscribere, qui modos diversos disseminatæ aut propagatæ pestis scrutantes, ita mentem suam ad distinctas illas periodos diei ac noctis referunt, ut Psalmi auctorem eodem sic respexisse putent, ut pestis sub nomine *pavoris nocturni* denotare debeat pestem, medio noctis tempore, mediante terrore spectrorum, inflictam: eadem sub nomine *sagittæ per diem volantis*, significet luem, ex nebulis matutinis venenatis oriundam; rursus sub nomine *pestis in caligine ambulantis*, denotet contagium, opera ministrorum Satanæ in tenebris circumeuntium propagatum; denique sub nomine *excidii in meridie vastantis*, significet μιασμάτων venenatorum, solis meridiani ardore ex terra extractorum, à Satana autem collectorum, dispersionem inter homines. Nolumus in Medicorum castra transire, atque inde arcessere, quæ de his disputari possunt & solent: sed tantum fundamenta hujus interpretationis in verbis illis, in quibus quæruntur, nulla esse deprehendimus, & quod res est, ἄνευ παθῶν pronunciamus.

§. XIV. Quod autem occasione verborum illorum, atque expressæ distinctionis temporum, pestis *privatæ* & *publicæ* discrimen indicari quidam putant; plus probabilitatis habet. Nempe (1.) ipse Megalander *Lutherus* his præivisse videtur, quando in versione Germanica verba versus sexti sic reddidit: **für der Pestilentz die im finstern schleichet; Für der Seuche/ die im Mittag verderbet**: quorum illud quidem pestem, privatim aut occulte sese insinuantem, ac velut adrepentem, hoc, pestem publice grassantem, & uno velut ictu multos sternentem denotare videtur. Deinde (2.) negari non potest quod verba & phrases, quæ ad literam de *die* ac *nocte*, *tenebris* ac *luce* aut *meridie* loquuntur, admodum frequenter adhibeantur ad significandam rerum aut actionum obscuritatem & evidentiam: prout *Psal.* 37: 6. fidelibus promittitur, quod Deus causam eorum justam educturus sit *in meridiem*; i. e. quod in conspectum publicum sit producturus, ita ut cuilibet fiat perspecta. Et *Deut.* 22: 28. itemque *Job.* 5: 14. *palpare in meridie* idem est, atque errare in his, quæ clarissima & evidentissima sunt. Ex adverso in *tenebris* geri aut fieri dicitur, quod privatim, secreto aut occulte fit; v. g. *Matth.* 10: 27. Christus ait: *quod dixi vobis in tenebris* (secreto aut seorsim), *dicite in luce*; (prædicate publice.) *& quod vobis dixi in aurem, in tectis prædicate.* Item 1 *Cor.* 4: 5. *Dominus manifestabit abscondita tenebrarum*, (i. e. secreta, quæ occultantur aut clam habentur), & *revelabit consilia cordium.* Conf. *Es.* 16: 3. *Zeph.* 3: 5. *Joh.* 3: 20, 21. Porro (3.) speciatim favere videtur ei sententiæ, quod *Jer.* 15: 8. mentio fit *vastatoris in meridie*, quem Lutherus in versione vernacula dixit: **Einen offenbahren Verderber.** Et Vinarienses in Glossa: **Den König zu Babel/ der das Jüdische Volck mit offentlicher Gewalt angreiffen wird.** Consentiunt *Lyra*, *Maldonatus*, *Grotius*, *Calvinus*, *& Oecolampadius*; ex nostris autem *Bugenhagius* quoque & *L. Osiander*; nisi quod postremus hunc ipsum vastatorem de *peste* exponens, hanc exhibet παράφρασιν: *Immittam pestem huic populo* &c. & ad verba proxime sequentia: *Immittam repente civitati (Jerosolymæ) terrorem*; (*id est pestis, quæ subito grassari incipiet, horribilem trepidationem inter cives, præsertim matronas, excitabit*). Quamvis enim hæc, quam peculiarem Osiander habet, sententia ei relinqui possit: tamen, si ex consensu tot interpretum, *vastator in meridie*, vastator est, palam & libere, magnoque cum impetu irrumpens & vastans; credas, *pestem* quoque, quando in *meridie vastare* dicitur, non qualemcunque, seu quomodocunque invadentem designari, sed quæ publice grassatur, stragesque late edit. Ne dicam denique (4.) quod ipsum verbum *vastandi* non tam privatam, aut quasi pedetentim factam singulorum perditionem, quam publicam, & ad multos simul cum violentia diffusam, denotare videatur.

§. XV. Habent hæc, ut diximus, probabilitatem: sed tamen difficultatem quoque habent, si spectemus, *primum* quidem, quod significationes verborum, *noctis* ac *diei*, *tenebrarum* & *meridianæ lucis*, cum pro obscuritate & claritate rerum accipiuntur, non sunt propriæ, sed metaphoricæ; quas præ illis propriis amplecti in interpretatione locorum Scripturæ, citra necessitatem non licet. Atqui hic non apparet necessitas. Est quidem metaphora aut prosopopœia, cum pestis *ire* aut *ambulare* dicitur; verum hujus etiam agnoscendæ fundamentum certum est, quando ex antiqua & firmissima illa regula: *Talia debent esse prædicata, qualia permittuntur à suis subjectis*: hic autem ratio subjecti, *pestis*, de qua τὸ *ire*, aut ambulare prædicatur, non permittit, ut intelligamus actum eundi aut ambulandi proprie dictum, qui est rei animatæ, & ad potentiam locomotivam pertinet: unde necesse est, prædicatum hoc, alio aut tropico sensu accipi debere. Quoad illa autem verba, quæ tempus, ac speciatim *diei* ac *noctis* distinctas peridos, *tenebras* nocturnas, aut *lucem* diei proprie significant, non postulat ratio subjecti, ut, cum illa prædicati loco occurrunt, propria significatio deseratur. Revera enim citra tropum de peste dici potest, quod interdiu & noctu homines invadat, quod in tenebris nocturnis & luce diei metuenda sit. Itaque quicquid de eo sit, quod alias pro ratione certi contextus, verba *noctis & tenebrarum*, obscuritatem; *diei* autem & *meridiei* verba, evidentiam rei aut actionis significant; item, quod phrasis; *vastare in meridie*, aliquando vastationem publicam, magnoque impetu factam denotat: hic tamen plane eodem modo exponi debere, non videmus: quemadmodum & verbum הָלַךְ latius patet, quam Germanorum **schleichen/** quippe de quolibet incessu, etiam virili & gravi adhiberi solitum: שָׁדַד quoque in respectu ad unam personam etiam adhibetur *Psalm.* 17: 9. *Proverb.* 19: 26.

§. XVI. Forte autem hic excipiet aliquis; licet verba ipsa & phrases sigillatim spectatæ necessitatem illam deflectendi à litera, ad agnoscendam distinctionem inter pestem *privatam & publicam*, non inferant; eam tamen ideo saltem admittendam esse, quia textus revera inter *pestem duplicem* distinguat, *alteram*, quæ noctu; *alteram*, quæ in meridie noceat: Itaque cum de peste, quæ noctu, & quæ interdiu nocet, dici non possit, quod, quantum ad rem attinet, alia atque alia pestis sit; quin potius revera una pestis utroque tempore grassetur, ac nulla pestis sit, quæ vel solo tempore nocturno, vel diurno solo, homines adoriatur aut prosternat: Si autem inter pestem privatam & publicam distinguentes, ea applicemus, quæ de peste *in tenebris ambulante*, & quæ de peste *in meridie vastante* dicuntur; ipsa experientia & medicorum præstantissimorum consensu suffragante, *duas* revera *pestis species* deprehendi, & rem omnem fore expeditam.

§. XVII. Ac fatendum est sane, non inepte hæc dici; imo assensum mereri, si satis certum esset, quod Psaltes noster l. c. duas distinctas pestis species memoret. Verum hoc illud est, quod supra dicebamus, eum Pestem diversimode quidem, quoad varias affectiones v. g. terribilitatem, celeritatem, itemque quoad diei ac noctis, tenebrarum & lucis vicissitudines, quibus ea pariter metuenda sit, describere; sed quod pestem in distinctas species dispescat, non apparere; ac potius דבר & קטב rem eandem h. l. denotare, prædicata autem talia esse, quæ pesti, sive privata sit, sive publica, vere conveniant. Vid. quæ sub finem §. XV. diximus.

§. XVIII. Probabilior itaque fortasse fuerit sententia, si dicatur, auctorem Psalmi ad *duo* insigniora & populo Judaico notiora *exempla pestis* respicere, quorum alterum noctu, alterum interdiu contigit: nempe (1.) ad *pestem veterem Ægyptiacam*, quæ noctu immissa fuit, & ubi *pavorem noctis* ab Auctore libri *Sapientiæ* c. 18. peculiariter memoratum audivimus. Nam tunc etiam *pestis obambulasse in tenebris* non incongrue dicitur, cum *percussor noctu obambularet per terram Ægy-*

Ægypti, & occideret omne primogenitum in terra Ægypti, cum homines, tum etiam jumenta. Exod. 11:4, 5. *cap.* 12:12. & 29. (2.) ad *pestem Israeliticam*, postquam David numerari populum jusserat, immissam, 2. *Samuel.* 24. & 1 *Chron. cap.* 22. quam certum est interdiu, subitoque irruisse, per vicos late stragem dedisse, ac vastitatem effecisse, ita, ut sub imagine *telorum interdiu volantium*, & tanquam *excisio vastans in meridie*, commode declarata credatur.

§. XIX. Sed quicquid sit de hac sententia, quam non ignoramus difficultatibus aliis esse obnoxiam, (& inter alia quidem, quod mors hominum illorum, cum Ægyptiorum, tum Assyriorum, divinitus percussorum, ab interpretibus quibusdam non tam morbo pestilentiali, quam alterius generis plagæ, quæ fulminum ictibus ἀνάλογος fuerit, adscribatur: quod h. l. prolixius pertractare non licet:) Illud est, quod præcipue hic dicturi eramus, consultius nobis videri, si vocabula, tempus diurnum ac nocturnum proprie denotantia, in hac significatione temporis retineantur; ac de peste, seu interdiu seu noctu imminente, insidiante, aut sæviente accipiantur. Quanquam deinde negandum non sit, pestem, cum illam, quæ privata; tum istam, quæ publica dicitur, hoc ambitu contineri; quæque in contextu promittitur, tutela Numinis, eam utroque casu valere: sicut etiam jam ante monuimus, quod verba, quæ de peste immediate & formaliter agunt, virtualiter tamen ac mediate ad mala alia, imo tristia quælibet, recte referantur. Sed hic disquirendum erat de ipso verborum sensu literali, quem huc redire credimus; *Non esse, cur homo, Deo deditus, sibi metuat à peste, seu noctu, seu interdiu impendente, ejusque terroribus ac subita incursione, vi & noxa.*

M. MICH. BOCCII
DISSERTATIO
De Ornamento Festi ad Psalm. CXVIII: 27.

JOVA JUVA!



Abbi ille celeberrimus Eliezer Hammodai, quando vidit, non solum Sabbatum, sed alia quoque festa divinitus instituta, parvi ab impiis hominibus æstimari, in omnes istorum contemptores his verbis utitur invectivis: המחלל את קרשים והמבזה את המועדות אף על פי שיש בידו תורה ומעשים טובים אין לא חלק לעולם הבא s. *qui despicit sacra & contemnit festa solennia, tametsi in manu ejus sit lex & opera bona, non tamen partem habebit in seculo futuro.* Quibus Judæorum reliquias ita ad religionem quandam deduxit, ut sententiam hanc non aliter hodienum adhuc habeant, ac si in ipsis Scripturis inveniatur, divinisque annumeretur oraculis. Licet quidem hic illa longe inferioris extet autoritatis, quippe cogitationes divinæ ab humanis immane quantum discrepant; eam tamen si ex divino Scripturarum fonte haustam esse dicimus, non incongrue dicimus. Notum enim est, & omnibus ex 20:10. Exod. constat, Deum non solum ordinarium Sabbathi diem, septimum scil. cujusque hebdomadis, præ omnibus diebus profestis celebrari mandasse, suoque mandato observatu dignum adjecisse MEMENTO; sed alia quoque festa populo suo servanda instituisse, ut beneficia, quæ à Bonitate divina acceperat, in sempiternam memoriam ipsi revocaret. Observari jussit *Festum Paschatos* X. die mensis אָבִיב, qui B. Luthero X. Aprilis est, quo memoria transitus Domini per Ægyptum, & admirandæ liberationis & eductionis ex Ægypto celebrabatur, Exod. 12:vs. 17. Recolendum quoque mandavit *Festum Pentecostes*, seu septimanarum, ita dictum, quod quinquagesimo die post Pascha, legis promulgatio in monte Sinai facta est, uti videre licet Levit. 23:16. 21. Quæ duo tandem excipiebant σκηνοπηγία seu *Festum Tabernaculorum*, qua solennitate in memoriam peregrinationis in deserto, in tabernaculis & scenis habitabatur, ib. vers. 34. & 42. Hunc divinum morem sanctiores postmodum Judæi imitati multa alia festa sanciverunt, quibus confluebant, ingentia DEI beneficia deprædicabant, & pro istis sacrificia offerendo, DEO agebant gratias. Quo denique factum, ut superstitiosi, & traditionibus humanis plus, quam divinis adhærentes Judæi quemvis ferme diem, quo boni quid vel ipsi operati fuerint, vel acceperint, sacrum facerent, ut adeo mirum jam non sit, quod סַקְבָּא דְשַׁתָּא רְגָלָא (Kidduschin fol. 81. col. 1.) s. ulcus anni festum dixerint, dum eo tempore edebant, bibebant, convivabantur, & ita festa profanando magis, quam sanctificando peccabant, ut merito Rabbi hic in ejusmodi festorum contemptores, cur gravius aliquantum inveheretur, haberet. Nos vero, quamvis Hammodai hujus autoritate nihil moveamur, ut festa nostra majori devotione recolamus; magni tamen ejus supra adductam sententiam æstimamus, quippe & quæ inter seria DEI hinc inde in Sacris sparsa mandata invenitur, quibus sanctificationem festorum magna cum devotione ac cura celebrare jubemur, ut inter alia ex Psalm. quoque 118:27. nobis constat. Quorum verborum sensum è fonte recte eruendum atque explicandum in præsens exercitii gratia nobis proposuimus. Ne vero ἀμεθόδως procedamus, distinguimus totum negotium in IV. Capp. quorum I. varias versiones cum Textu authentico, II. Verborum Homonymiam; III. Diversa autorum placita de h. l. IV. variarum sententiarum discussionem tradat. Nostro faveat DEUS ipse labori!

CAPUT I.

Exhibens diversas Versiones.

§. I. PEregerat David in præcedentibus hujus Psalmi versibus Deo gratias, quod superatis adversariis regiam potestatem summa omnium voluntate acceperit; atque postquam ab innumerabili gratulantium multitudine in atria templi deductus, victimas Deo obtulerat, vaticinabatur de futuri Messiæ partim rejectione & passione, partim etiam de ejusdem resuscitatione atque exaltatione; nunc comitantem ipsum in templum populum ad solennem lætitiam magna cum acclamatione adhortatur: *Constituite*, inquiens, *festum in condensis usque ad cornua altaris.* Quæ verba B. Lutherus Germanice expressit ita: **Schmücket das Fest mit Meyen / biß an die Hörner des Altars.** Ubi procul dubio Theander, seposito fundamentalis Textus proprio sensu, mysticam verborum significationem ad nostram Pentecostalem solennitatem statim applicare voluit, ubi cessis umbris, & præsenti corpore nostra templa betularum frondibus undique exornare consuevimus; præsertim cum incideret in vocem, quæ etiam frondes in genere significaret, ut eum excusat B. Franzius in h. l. Quemadmodum enim Judæi V. T. (dicere quasi voluit) in festivis solennitatibus multa & prope innumerabilia ad templum offerebant sacrificia, quibus DEO gratum ostendebant animum, ac internam cordis sui lætitiam significabant: Ita quoque vos DEI Judæorum cultores in N. T. postquam sacrificia V. T. desierunt, de qua cessatione ipse R. David Kimchi vaticinatus est, scribens in Ps. c. כל הקרבנות בטלים לעתיד לבוא

templa

templa vestra in hisce diebus solennibus, frondibus, ornate exterius, interius autem vestra corda & corpora, quæ Spiritus S. templa vocantur 1 Cor. 3: 16. multis DEO propter Christum gratis sacrificiis atque ornamentis condecorare, in DEO gaudete, & lætamini magnopere. Quo respexit etiam D. Selneccerus, quando verba nostra explicatione quadam voluit illustrare, ita inquit: Gott ist unser GOtt / dem wir dienen / und schmücken Jhm zu Ehren das Fest mit Meygen / biß an die Hörner des Altars / das ist / (uti tandem adjicit,) freuet euch alle / es ist alles lustig / grün und schön. Sic Biblia Vinariensia: Schmücket das Fest / der geistlichen Laubrüst / welches wir allhier auff Erden allezeit im Geist feüren sollen und wollen / Zach. 14: 16, 18, 19. nemlich durch gläubige Betrachtung / daß wir als Frembdlinge in Hütten wohnen / und allhier keine bleibende Städte haben / sondern nach dem Himmlischen Vaterlande trachten / Ebr. 11: 13, 14. Solches Fest schmücket mit Meygen / biß an die Hörner des Altars) lasset uns frölich seyn in Wort und Glauben / und also GOtt loben und preisen in Christo / welcher unser Altar ist / Esa. 56: 7. Sed nos de vera ac genuina explicatione solliciti esse cupimus, non de usu & applicatione quacunque.

§. 2. Vulgata Versio aliter habet. Sic enim reddidit: *Constituite diem solennem in condensis usque ad cornua altaris.* Sed quia ad Græcam interpretationem magis, quam ad authenticum Textum respexit, eam tanquam minus probam & accuratam non recipimus. Alii, qui propius aliquanto ad originalia accedere sibi videntur, ita verba reddunt: *Ornate festum frondibus usque ad cornua altaris.* Piscator, cui etiam in hoc adstipulatur Junius, ita vertit: *Ligate sacrificia festi funibus, &c.* Frantzius de Interp. S. S. pag. 579. ita habet: *Ornate festum implicationibus*, id est, *condensationibus sacrificiorum, &c.* Nonnulli ita volunt: *Devincite agnum funiculis, usque ad cornua altaris.* Quidam vero, qui non aliena fide, sed propriis oculis in ipsum Fontem introspexerunt, quos inter etiam Beza fuit, ea sic exponunt: *Adductum agnum, festo sacrificandum, ad altaris cornua funibus devincite*; qui & in sua Paraphrasi h. l. ita: *Eja frondes cadite, Eja flores spargite, obligatæ cornibus stent ad aras victimæ.* Ant. Flaminius ita ex Hebræo convertit: *Redimite solennitatem frondibus, &c.* conversa ita explanat: die tam læto & fausto redimite atria templi frondibus festis usque, &c. Alii alias plane habent expositiones, quas partim, quia cum Hebræorum Verborum sensu ac significatu non conveniunt, seponendas, partim eas, quæ genuino sensui non reclamant, retinendas esse merito ducimus; præsertim eam, quam Beza, item & Junius, perpensis omnibus Textus Hebraici voculis, ponunt, optimam si statueremus, non ἀτόπως loqueremur.

§. 3. Insuper quoque videre possumus, quas de verbis hisce nostris meditationes habuerint LXX. quando ea Græcis exprimere debebant. Reddiderunt enim ea hoc modo: συστήσασθε ἑορτὴν ἐν τοῖς πυκάζουσιν, ἕως τῶν κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου, h. e. *constituite diem festum in densis usque ad cornua altaris.* Ubi συστήσασθε ἑορτὴν nonnullis significat, quod ex diebus profestis festum sibi aliquem constituere debeat populus, & quidem ἐν πυκάζουσιν, in magna frequentia & densa multitudine, stante & replente atria templi usque ad cornua altaris. Interpretantur ita LXX. Hebræam vocem בַּעֲבֹתִים, cujus significatio vid. seq. cap. per vocem πύκαζον, quod Adj. Particip. est, à verbo πυκάζειν descendens, quod inter alia etiam congregare, densare significat. Vid. Lex. Budæi. Quem locum Poëta quidam Græcus ligate ita reddidit:

Πρὸς τοῖς τοῦ βωμοῦ κέρασιν δεσμεύετε ταύρους,
Ταύρους καλλίστους ἔγνων ἐπιβώμια ῥέζειν.

§. 4. Hisce rivulis ad ipsum Fontem deducti, reperimus in eo hæc verba: אִסְרוּ־חַג בַּעֲבֹתִים עַד־קַרְנוֹת הַמִּזְבֵּחַ i. e. (sicuti Tremellius exprimit) *ligate sacrificium festi densis seu contortis funiculis usque ad cornua altaris*; sive: *Sistite animalia die festo mactanda per totum atrium templi, & illa, ne fuga de salute sibi prospiciant, undique in atrio* (in Sanctum enim, quod Sacerdotibus tantum licebat, populo introire nefas erat) *alligate.* Rabbi Davidem Kimchi citat Tarnovius super hæc verba ita commentantem: הביאו הכבש קשור בעבותים עד שתביאוהו לקרנות המזבח כלומר להקריבו לפני והקרבן כבש יקרא הגלפי שבחגים יקריבו אותם גרוש: i. e. adducite agnum devictum densis funiculis, donec obtulerint illum ad cornua altaris, quasi dicat: Vos agnum adducite & ligatum tenete, usque dum ad altare offeratur & sacrificetur. Chaldæus Interpres ita expressit: כְּפִיתוּ טַלְיָא לְנִכְסַת חַגָּא בְּשׁוֹשְׁלָוָן עַד דְּתַקְרְבִינֵיהּ וְתִדּוֹן אַדְמֵיהּ בְּקַרְנַת מַדְבְּחָא i. e. *ligate tenellum agnum ad sacrificium festi catenis, donec eum sacrificaveritis, & effuderitis sanguinem in cornua altaris.* Sed verborum Hebræorum omnium multiplex significatio prius inquirenda nobis erit, si in re ipsa felices expectare velimus successus, quod in sequenti capite optime fieri poterit.

CAPUT II.

Continens verborum exegesin.

§. 1. UT eo facilius in genuinum hujus dicti sensum perveniamus, lubet quodlibet vocabulum seorsim evolvere. Ubi primum se offert vocabulum אסר, quod 1. significat *incipere, instruere, inchoare*, uti videre est ex 1 Reg. 20: 14. quando Abia ex Propheta quærebat: quis יאסר מלחמה *inchoabit bellum?* item 2 Paral. 13: 3. ויאסר אביה את־המלחמה *& instruxit vel incepit Abia bellum.* 2. Imprimis vox אסר denotat *vincire, ligare, obligare*, quo sensu legitur cum י Paragogico Gen. 49: 11. ubi Patriarcha ita de Messia vaticinatur: אסרי לגפן עירה. item Esa. 22: 3. אסרו *vincti sunt.* Et de hoc verbo multa nomina tam substantiva, quam adjectiva descendunt, quæ omnia ligationem aliquam secum important. Præprimis verbum אסר *ligandi* significationem sustinet, quando post se habet nomen זיקים *compedes*, ut patet ex Psal. 148: 8. vel יתרים *restes*, quemadmodum Simson à Delila convinciebatur, Judic. 16: vs. 8. aut נחשתים *catenas*, sicuti usurpatur Ps. 149: 8. sive substantivum עבת *funis.* Quæ vox multas etiam admittit acceptiones. Denotat enim (1.) *tortile quodcunque*, sive sit è lino, sive ex arborum ramusculis, sive aliunde præparatum; quemadmodum Judæi festum tabernaculorum in scenis, è densis palmarum, betularum aliarumque umbrosarum arborum frondibus constructis extra templum jubebantur celebrare, Lev. 23: 4. (2.) In specie עבת significat *contortum funem*, adeoque *densum*, uti Judic. 15: 13. Esa. 5: vs. 8. (3.) Metaphorice etiam significare videtur *consilium & machinationem, arcte contortam & cohærentem* juxta Es. 5: 8. aut *labores impositos & servitia*, quibus decussis truncatisque obsequium simul omne detrectatur & cessat, ut Psal. 11: 13. legimus: Abrumpamus vincula eorum & projiciamus à nobis funes eorum. quo sensu nonnulli vocem hanc, etiam Psal. 129: 4. extantem interpretantur. Hos. 2: 4. Neque omittendum est prorsus, quod nomini vinculorum præfixum sit ב, quod quandoque redundat, ut Job. 16: 10. בחרפה Prov. 9: 5. Non raro denotat *causam instrumentalem*, quam Latini nude & absque *eum* efferunt; Hebræi vero hoc faciunt addendo ב, quod quidam per *cum* explicant, quidam per *in.* Hinc & in N. T. sæpius legimus hunc Pleonasmum, Matth. 3: 11. ἐγὼ μὲν βαπτίζω ἐν ὕδατι ἐν πνεύματι ἁγίῳ, pro ὕδατι, πνεύματι ἁγίῳ, ubi ἐν ex Hebraismo redundat. Vid. Philolog. Glass. lib. IV. Tract. 1. pag. 863. Item clarissimi Dn. M. Laurenti, Rectoris ad Johannem in deserto, Explic. Analyt. super Matth. c. 3: vs. 11. Ubi obiter observamus, ab hac radice vocabulum אִסָּר אִיסָר & אִסָּר *Assar, Assarium*, descendere, quod significat nummulum monetæ vulgaris nimium, uti videre est ex Massechet Cholin c. ultimo, in Mischna, ומה אם מצוה קלה שהיא כאיסר אמרה תורה למען ייטב לך והארכת ימים קל וחמר על מצות חמורות שבתורות h. e. *Quid igitur? Si in præcepto levissimo, quod vix assarii est* (a) (h. e. si in præcepto illo, quod de re minima ac velissimi pretii agit, quæ asse vel assario comparari potest) *adjicit Scriptura hanc promissionem, ut bene sit tibi, & prolonges dies*; quanto magis valebit hoc de præceptis gravioribus, quæ sunt in lege.

§. 2. Etiam vocula חג, quod à verbo defectivo חוג, *feriari, festum celebrare*, item *tripudiare*, descendit, multipliciter in Script. S. accipitur. *Modo* enim, & *proprie* significat *festum* ac *solennem festivitatem*, uti ex Deuter. 16: 14. constat quo dicitur: ושמחת בחגך, *& lætaberis in die festo tuo*; Amos 5: 21. חגיכם *Modo* etiam *sacrificium festi, & hostiam, quæ die festo immolatur*, quo significatu adhibetur, Exod. 23: 14. & 18. quando DEUS per Mosen ita dicit: שלש רגלים תחג לי בשנה Simili modo legimus Esa. 29: vs. 1. חַגִּים יִנְקֹפוּ *festa excident*, i. e. *sacrificia festorum mactent*, Mal. 2: 3. חג dicitur habere פרש, i. e. *stercus, fimum*, quem Græci κόπρον appellant, quando DEUS dicit פֶּרֶשׁ חַגֵּיכֶם. ubi dubio procul non *festum*, quippe quod ventre caret, sed *sacrificium die festivo mactandum & immolandum* indicatur. Ut alia loca, in quibus eandem habet significationem, prætereamus. Chaldæus Interpres parvum quasi commentarium super

(a) *Deut.* 22: 6.

super hanc voculam scribit, quando veram ejus significationem, quam hoc in loco sustinet, exprimit. Ponit enim pro Hebræo חג vocem Chaldaicam טליא *agnum*, quæ, licet quidem alias etiam admittat significationes, dum & nomen loci est, 1 Sam. 16:4. & quandoque *pro tenello puero* adhibetur, quemadmodum Hebræi נער *puerum* pro *agno* usurpant, uti Zach. 11:16. proprie tamen (uti hic loci) *agnum*, seu *quodcunque pecus tenellum* denotat. Descendit enim à voce Hebræa טלה, qua *agnus* indicatur, ut Esa. 65:25. זאב וטלה ירעו. Item 1 Sam. 7:9. טלה חלב אחד, h. e. *agnum lactis unum*, i. e. *lactantem*.

§. 3. Et hoc pacto populum comitantem ipsum David adhortatur, ut multa sacrificia die Festo immolanda afferat, & liget ea densis ac contortis funibus עד־קרנות המזבח, *usque ad cornua altaris*. Ubi particula עד non Subst. illud est, quod Job. 20:4. & Es. 64:9. *æternitatem vel seculum* notat; nec ea, quæ significat *spolium* vel *prædam*, Genes. 49:27. multo minus degenerat hic in Adv. temporis & significat *donec*, uti Numer. 20:10. Sed est *Præpos. qua tam loci quam temporis transitus* indicatur. Quomodo alias varias constructiones admittat, & tam præfixa, quam suffixa in se recipiat, vid. Buxt. in Lex. Hic transitus ad locum notatur. Jungitur enim Subst. קרנות *cornua*. Quæ vox etiam una est ἐκ τ͂ πολλαχῶς λεγομένων. Accipitur enim vel *proprie* vel *improprie*. *Proprie* significat *cornu*, ut Genes. 22:13. & alibi. *Improprie* si sumitur, significat per Metaphoram (1) vel *potentiam*, ut Psal. 75:11. קרני רשעים *cornua impiorum*, i. e. *vim*, *potentiam*, Psalm. 89:25. קרנו *cornu ejus*, vel *regnum forte & potens*, ut Dan. 7:7. קרנין עשר i. e. *cornua decem*, quæ decem regna significant. (2) *Robur*, eo, quod animalia cornuta in cornibus robur suum habeant, Dan. 8:9. קרן אחת i. e. cornu unum. (3) *Radios splendentes*, quales in facie Mosis Israëlitæ videbant, Exod. 34:29, 30. seu quales è manibus DEI promanabant, Hab. 3:4. (4) *Cornua altaris Hierosolymitani*. Ea erant capitella quædam ferrea, cornuum instar in aræ quatuor angulis in altum projecta, cum excavatis foraminibus, per quæ sanguis & libamina alia infundebantur, quæ postmodum per canalem subterraneum descendentia in torrentem Kedron defluebant. Et hæc capitella, inquit Genebrardus, cornua imitantia erant vel ad decorum, vel ad mysterium aliquod factum; vel etiam, ut animalia jam sacrificanda, Deoque per impositionem manuum dicata illis alligarentur. Sacra postmodum, ob Numinis reverentiam, quæ si quis peccator prehendebat, tanquam asylum, tutus erat à periculo, vid. 1 Reg. 1:51. nisi si quis scienter ex malitia & destinato consilio enormiter peccaverat; ejusmodi enim homo etiam ab altari rapiebatur, quod Dei mandatum Exod. 21:14. & exempla comprobant, 1 Reg. 2:29. 2 Reg. 11:15.

§. 4. המזבח adhuc reliquum est, quod in statu præfixo hic ponitur; habet enim præfixum ה emphaticum, quod interdum ἀνεμφάτως nominibus adjungitur, uti Deuter. 8: vers. 3. על־הלחם, quod Christus Matth. 4:4. ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ absque articulo repetit. Sic Lev. 18:5. dicitur האדם, *homo*, Apostolus autem Rom. 10:5. per ἄνθρωπον sine articulo effert. Hic vero aliqua emphasis potest latere, quasi diceret David המזבח *ipsius altaris*, tanta multitudine afferte sacrificia, ut repleant atria, vel adusque cornua *ipsius altaris*. Quod & LXX. observarunt per Art. τ͂ θυσιαστηρίου id exprimentes. מזבח alias est vocabulum auctum, gerens in fronte מ, & descendit à verbo זבח, *sacrificavit*, *mactavit*. vid. 1 Reg. 3:3. Genes. 31:54. Et quia in radicalem desinit, est gen. Masc. sed flectitur tamen forma fœm. ut מזבחות *altaria*, quasi *sacrificatoria*, Num. 23:1. Commune apud Rabbinos est proverbium: כמזבח כן כהניו, quale altare, talis sacerdos. Bereseh. Rab. sect. 80. Et tantum de vocum Homonymica evolutione. Accingimus nos nunc ad

CAPUT III.

Objiciens nostræ explicationi contraria.

§. 1. Verum si nobis quis objiceret: Verbum אסר quidem significat *ligare*, *convincire*, *alligare*; secundum tamen substratam materiam, & pro diversitate objecti ligabilis diversimode est reddendum. Exemplum sit ex Psal. 105:22. ubi לאסר extat, nec tamen significat *ad ligandum*, quippe Josephus, de quo ibidem agitur, tanquam novellus Magistratus longe inferior erat, qui Principes & Seniores in aula vinculis ligaret; sed bene exponitur à LXX. per παιδεῦσαι, uti & alibi fecerunt, nimirum Hos. 10:10. ubi לאסרם, per ἦλθε παιδεῦσαι αὐτοὺς &c. exposuere. Ut nihil dicam de B. Luthero, qui locum hunc per unterweisen interpretatus est, à cujus versione ab omnibus totius Saxoniæ Theologis approbata, ob laici infirmitatem temere recedendum non est. Jam cum hic nulla de re liganda sit sermo, sed de *festo*, quod nullo fune potest alligari; & verbum אסר aliam possit habere significationem, uti exemplo comprobatum est, relinquitur, quod h. l. non denotet *ligare*, sed aliud quodpiam, quod materiæ substratæ sit conveniens & aptissimum, quod h. l. festo erit *ornare*. Id quod etiam Tossanus voluit, & ipse Theander Lutherus in sua versione Germanica id retinuit, quando reddidit: **Schmücket das Fest 2c.** qui & alios aliter hunc versiculum exponentes constanter rejecit, quando alicubi dixit: **Die Jüdischen Rabbinen lesen also: Bindet das Osterlamb mit Seilen 2c. da wir also Deutschen: Schmücket das Fest mit Meyen. Sie machen aus dem Wort חג (welches eigentlich ein Fest oder Feyertag heisset) ein Osterlamb durch eigenen Durst. Und obs gleich anderswo so erfunden würde/ so mögen sie doch hie nicht solches erweisen 2c.** Hinc liquido constat, voc. אסר h. l. optime posse exponi per *ornare*. Cui & adstipulatur Franzius de Interpr. Scripturæ S. p. 597. qui verba Hebræa ita vertit: Ornate festum implicationibus.

§. 2. Pergere quis posset obstando, vocabulum חג nullo modo significare h. l. *sacrificium*, aut *victimam die festo mactandam*, sed *festum ipsum*, uti Amos 5:21. in hoc significatu legitur, & alibi passim. Adeoque male facis, quod istud h. l. per hostiam festo immolandam exponas, cum nec consimile testimonium ex Scriptura possit adduci, in quo eandem sustineat significationem; & ita ex proprio cerebello fingis tibi ex festo victimam die festivali sacrificandam, quod h. l. B. Lutherus Judaicum appellat figmentum. Et quod locum Esa. 29: vers. 1. ubi חגים ינקפו legitur, citas, & exponis per *sacrificia festorum excident*; dico, quod etiam ille aliter explicari possit, ita ut juxta Aben Esram verbum נקף intransitive sumatur, pro *festa* (non sacrificia festorum) *excidentur* h. e. *cessabunt*. Deinde, cur à tam noto, & in omni expositione probe observando Theologorum axiomate sine ulla prægnanti causa aut necessitate solus tuam deflectis sententiam, & literam deserendo impropriam quæris significationem, cum propria (quæ hic est impropriæ semper prævaleat? Quare firmissime posset quis argumentari:

> Si vocabulum חג nullibi in Scripturis habet significationem sacrificii, ac si figmentum est aliam h. l. quærere, &, si sine evidenti causa litera non est deserenda, nec figurata significatio proprie anteponenda, sequitur, quod propria significatio, quod est festum, hic sit retinenda, nec figurata aliunde adsciscenda.
>
> Atqui de vocabulo חג verum est prius. E. & verum erit posterius.

Antecedentis probatio inde constat, quod nullibi alia habetur, nec ulla alia in antea allatis exemplis datur; deinde, quod Lutherus ipse, cujus autoritas apud omnes multum valere debet, figmentum appellat, si quis Judæorum חג aliter exponat; tandem, quod contra omnium Theologorum regulam est, quando dicunt: Non est deserenda litera & significatio propria, sine evidenti causa aut necessitate. Hinc & hujus antecedentis firmam habebis rationem.

§. 3. Porro objiceret quis mihi Cajetanum, qui vocabulum עבתים de frondibus exponit, hinc & inde per atria templi ligatis ad altare usque, & diceret, esse non posse, ut *funis* hic locum inveniat, quia חג quod extra controversiam *festum* significat, isto non indiget. Cum enim אסר denotet *ornare*, uti §. 1. hujus cap. ostensum, & חג *festum*, uti præc. §. probatum fuit, verbum עבתים non potest h. l. non significare *frondes*.

§. 4. Nec est, (posset quis ultimo nobis objicere) si vel maxime velletis dicere, hunc Psalmum à Judæis decantatum fuisse Festo פסח seu Paschatos, uti Matth. 26: vers. 30. videre est, ubi ὑμνῷ dicitur. Imprimis hoc elucescit, si verba hunc vers. præcedentia inspicimus, & conferimus ea cum verbis Matth. 21:9. ubi turba, quæ Christum Hierosolyma ingredientem præcedebat & sequebatur, iisdem verbis excipiebat, congratulabatur, & acclamabat: Ὠσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου! Ὠσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις! Et vers. 42. istius cap. Christus ipse vers. 22. hujus Psalmi Judæis, quorum nonnulli istum fortasse sine judicio modo decantarant, explicat. Ergo nullæ betulæ, nullæ frondes eo tempore pullulare & progerminare potuerunt. Verum licet hic Psalmus festo Paschatos in cantum festivalem fuerit adhibitus; frondes tamen betularum aut aliarum arborum sur-

surculi atque rami Judæis esse potuerunt, quod videmus in ingressu Christi Hierosolymitano, ubi comitum nonnulli ramos de arboribus cædebant, & sternebant istos in via, Matth. 21: 8. Tandem si quis rigorosius aliquanto Tremellii, vel Junii etiam autoritate fretus nos vellet urgere & dicere, hunc & alios quosdam Psalmos, qui inscripti sunt *pro torcularibus David* (ut nonnullis placet) conscriptos esse in festum tabernaculorum; quod & Theophylactus in cap. VII. Joh. docere videtur. Si itaque hic præsens Psalmus decantatus fuit ἐν σκηνοπηγίοις Judæorum, utique frondes betularum, aut aliarum pulchrarum arborum rami & folia Judæis festivitates suas celebrantibus præsto esse potuerunt. Et si esset (pergere quis posset) qui regerere auderet, festum tabernaculorum in plateis sub dio peragendum fuisse; quid, quæso, vellent sibi hæc verba; *usque ad cornua altaris?* Hic nobis opponens posset respondentem agere, & dicere, hæc verba idem velle, ac si etiam altaris cornua, seu ipsum altare frondibus vel cornulis frondosis debeant Judæi ornare, illique decorum conciliare betulis, quemadmodum nos in templis nostris altaribus facere consuevimus. Quod omnibus versionibus, cum Germanæ Lutheri, Latinæ vulgatæ, & Græcæ, tum ipsi Hebraicæ non videtur contrariari. Hæc itaque nobis objiciens posset nos hoc Dilemmate, tanquam frondium complicationibus aut funibus, illaqueare: Aut Psalmus hic à Judæis decantatus fuit festo Paschatos, aut festo tabernaculorum. Si festo Paschatos, nihilominus Judæi frondes habere potuerunt, quia aliam Solis positionem & terræ constitutionem habent Palæstini in Oriente, aliam Saxones versus Septentrionem habitantes. Sin vero festo tabernaculorum, aut in actibus istius præparatoriis, vel appendicis instar accessoriis; iste fuit adhibitus, omnino debuit mandatum DEI Levit. 23: 40. expressum observari, quo jubebantur Judæi per 7. dies in scenis habitare, ut recordarent tabernaculorum, in quibus 40. annos in deserto vixerint. Quare his omnibus firmissime præsuppositis constanter retineri posse videtur tam vulgata, quam B. Lutheri aliorumque versio, ubi ita datur: *Ornate festum frondibus* &c.

CAPUT IV.

Subjiciens ad objecta responsiones, ut & nostram de verbis hisce opinionem.

§. 1. VErum enimvero, ut ad omnia hactenus nobis objecta succincte respondeamus, & subjiciamus tandem nostram opinionem breviter, distincte procedendum est. Ad §. 1. c. præc. igitur dicimus, quod vocabulum אסר etiam h. l. secundum substratam materiam significet *ligare*. Quandocunque enim istud cum voc. עבתים in S. S. legitur, nullam aliam, quam *ligandi* significationem sustinet, aut proprie sustinere potest. Dicis, חג esse substratam materiam, resp. ita quidem esse, sed h. l. denotare non *festum*, sed *sacrificium festo mactandum*, uti in §. seq. probabimus. Exemplum, quod ex Psal. 105: 22. ad stabiliendas varias verbi אסר significationes petitur, nihil efficit, quia & ibidem eadem significatio stare potest, licet de legum vinculis, & ad obedientiam, vel ad pœnam quoque vinctura Metaphorice adhibeatur, ad exaggerandam Josephi autoritatem, qui non inferior aliis, sed secundus à Rege erat, Gen. 41: 40. seq. vid. Tarnov. in Exerc. Bibl. pag. 399. item D. D. Geierum in Psal. 105. pag. 555. & recte B. Lutherus illud per **unterweisen** exposuit, partim, quia LXX. qui more suo verbum יסר (quod *erudivit* significat) cum nostro אסר confuderunt atque commutarunt, hoc per παιδεῦσαι verterunt partim etiam, quia *vinculis legum aliquem ligare* est idem ac *erudire aliquem, castigare*, & h. l. *aulicos corruptos mores ad moderationem reducere*, vid. Magnif. D. D. Geier. l. c. Tossani quoque autoritas nos nihil movet, quia, quod hic statuit, non statim bene statutum statuendum est, præsertim ubi explicatio ejus Fonti Hebræo reclamat, uti h. l. videmus. Quod autem B. Lutherus aliter verterit, defenderitque suam sententiam, sciendum esse dicimus 1. nos non disputare de applicatione quacunque, sed de vero ac genuino Hebræorum verborum sensu, & an ea in Bibliis κατὰ τὸ ῥητὸν extent. 2. Lutherum non ita statuentes refutare, sed Judæorum nonnullos, qui ex חג præcise agnum Paschalem faciunt, cum nos de quovis sacrificio in genere illud intelligendum velimus, quæ duo non omnino sunt eadem. 3. B. Lutherum hæc exponere de solo festo tabernaculorum, & quidem spiritualiter, ita ut phrasin quidem V. T. esse dicat, rem vero N. T. intelligi, (quod nihil aliud est, quam mystica verborum applicatio, de qua nos non loquimur.) Ergo Lutherus non est contra nos, bene tamen contra Judæos. Tandem dum D. Franzius citatur, committitur Fallacia Compos. & Divis. omittuntur enim hic non omittenda; nimirum ita Franzius ait l. c. *implicationibus*, i. e. *condensationibus sacrificiorum*; quæ ipsius explicatio omnino oimttenda non est. Et licet Franzius ostendat, quomodo versio Lutheri possit defendi; non tamen statim asserit eadem, uti ipse non videtur sentire, hunc versum de verbo ad verbum à B. Luthero fuisse redditum. His itaque probe observatis facile potest cognosci, quid sentiendum sit de illa sententia §. 1. cap. præcedentis adducta.

§. 2. Si quis pergere vellet opponendo, vocem חג nullo modo significare *sacrificium die festo sacrificandum*, sed *festum ipsum*, nec ullum aliud in S. S. simile exemplum dari posse, is male pergeret. Nam quot quæso exempla §. 2. c. 2. adduximus, quibus nihil aliud denotari potest, quam victima festo immolanda. Ubi enim festum habere potest *adipem*, cum tamen *adeps* de festo dicatur Exod. 23: 18. Numne etiam festum in se continet *stercus* ac *fimum*, uti legimus חג habere, Mal. 2: 3. ubi DEUS stercus חגים festivorum scil. sacrificiorum super Judæorum facies dispergere minatur. Uti hujus loci explicationem perspicuam nobis suppeditat Doctissimus Abarbanel in hunc locum cujus verba propria apponere non pigrabimur, quando dicit: ואומרו וזרתי פרש על פניכם פירשו המפרשים שהוא זבל הבהמות מלשון ואת פרשו וכן אמר פרש חגיכם שחגים יאמר על הכבשים כמו חגים יגרופו חלב חגי עד בקר כאלו.אמו שפרש דבהמות והכבשים שהוא הדבר היותר נבזה שבהם יזרה על פניהם כי כמו שאתם בזיתם את שמי כן אני אבזה אתכם ושזהו אומרו ונשא אתכם אליו רוצה לומר שיהיו נבזים ונמאסים בפרש ההוא ויותר נכון לפרש שבעבור שדבר בקרבן ובמנחה שהיו מקריבים מגואלים אמו הנני גוער לכם את הזרע וזהו כנגד המנחה ואמנם כנגד הקרבן אמר וזריתי פרש על פניכם חגיכם רוצה לומר שאותם החגים והקרבנות שהיו מקריבים לפנו יזרם על פניהם כארון המואס במתנת עברו שמזרה אותה על פניו: i. e. Et quod dicit: *& spergam fimum super facies vestras. Explicant Interpretes, quod sit stercus bestiarum ex significatione loci sequentis, & fimum ejus,* (Exod. 19: 14.) *& ita dicit fimum festorum vestrorum, quia festa dicit de agnis, quemaddum dicitur, festa jugulabunt* (i. e. agnos festorum, Esa. 29: 1.) *Adeps festorum usque ad matutinum tempus,* (Exod. 23: 18.) *Ac si dicat: quod stercus agnorum, bestiarum, quæ est res magis contempta inter eos spergetur super facies eorum, quia, quemadmodum vos contemsistis nomen meum, ita ego contemno vos, & quod hoc sit, quod dicat & tollet vos ad se, vult dicere, quod erunt contempti & spreti per fimum illum, & magis rectum est explicare, propterea quia loquitur de sacrificio & munere, quod offerant polluta, dicit: Ecce, perdo vobis sementem, & hoc dicitur in respectu ad munus, & sane in respectu ad oblationem dicit, & spargam fimum super faciem vestram, fimum festorum vestrorum, vult dicere, quod illa sacrificia festiva & oblationes, quas offerebant coram eo, sparsurus sit super facies eorum, sicut Dominus spernit munus servi ejus, qui spargit illud super faciem ejus.* Hæc Abarbanel. Cæterum quod חג etiam significet festum, & exemplum ex Amos 5: 21. accersitum sit verum, nos non negamus, sed quod h. l. sacrificium festo mactandum per Metonymiam Subj. pro Adj. non possit notare, nondum probatum fuit. Et B. Lutherus incongrue adducitur, dum eandem expositionem, quam nos acceptamus, Judaicum appellare dicitur figmentum, quod tamen ipse Theander de Judæorum Interpretatione vult dici, qui per חג intelligunt solum agnum Paschalem. Locus iste Es. 29: 1. nullo modo potest intransitive explicari, cum נקף significet *Active jugulare, excidere, &c.* Ubi etiam not. חגים non *festa* denotare, sed *sacrificia festi*, uti Buxt. in Lex. sub voc. חג annotat. Nec nobis obstat communis illa Theologorum regula de non deserenda litera, quæ adeo multas admittit limitationes, ut nihil supra. Nos 1. dicimus, probandum esse, an nos deseramus literam, Hebraicam nimirum, an potius eam assequamur atque amplectamur, cum apud verba Hebræa constanter manendum esse dicamus. 2. An hoc propriam significationem retinuisse mereatur, si אסר עבתים *ligare funibus* per *ornare betulis*, explicem, quæ duo tamen conjuncta nihil aliud possunt proprie indicare, nec ullus in Scripturis invenitur locus, quo aliter usurpentur, quam *ligare* restibus, &c. Et posito horum duorum proprio significatu, necesse est poni in vocabulo חג etiam his convenientem significationem, cui competant *ligare & funis*, quod *festi sacrificium*, quia, (quod jam dictum) alibi חג dicitur habere *adipem & fimum.* Relinquitur ergo hunc Theologorum Canonem intempestive hic inseri, cum duorum

rum vocabulorum propria defendatur significatio, alterum vero his necessario debeat congruere. Hisce itaque bene consideratis, totum argumentum §. 2. cap. præc. positum labefactari videmus.

§. 3. Nec Cajetanus quicquam efficit, qui per עבתים *frondes per atria hinc inde alligatas* intelligit, deceptus procul dubio aliena vocabuli חג significatione, quod *festum* illi significat. Dato enim uno falso, sequuntur plura. Perperam namque אסר pro *ornare*, & חג pro *festo* accipit., hinc fit, ut עבתים in aliam, licet minus bene, trahat significationem. Exemplum profertur ex Lev. 23: 40. ubi frondes & ramos denotari volunt; item & Nehem. 8: 15. citatur, quo eandem sustinere dicunt significationem. Sed breviter respond. in his locis omnibus non invenitur plur. num. sed singularis עבות quos inter diversa datur ratio. Ergo his nondum satis evictum est, vocabulum nostrum בעבתים reddendum esse *frondibus*; Nos vero antea plura loca, in quibus *funes* notet, adduximus. Et quod Gajetanus & alii licet magni viri statuunt, illud omnibus etiam esse statuendum, non sequitur. Attendendum enim est, non quis dicat, sed quid dicatur, & verba rebus, non personis æstimanda sunt, nec multitudo errantium parit errori patrocinium. Ad §. 4. cap. præc. possumus resp. hunc & alios quosdam Psalmos & festo Paschatos, & festo tabernaculorum fuisse decantatos, uti Junius ipse lib. 1. parall. 37. & alii, qui hunc ritum norunt, asserunt. Jam quæ consequentia hæc esset: Judæi festis Paschatos & tabernaculorum ad manus habuerunt ramos & frondes. E. & istis festum ornarunt, usque ad cornua altaris? Et recte si citati inspiciantur Autores, colligi potest, eos non absolute loqui, sed comparate, *præsertim in festo tabernaculorum*, inquiunt. Dilemma quoque nos minime ferit, cum mala inferatur Disjunctio, nec partium enumeratio sufficiat. Disjungit enim, quæ non erant disjungenda; & secundum festum prorsus omittit, nempe Pentecostes seu septimanarum, Lev. 23: 16. His omnibus festis Psalmus hic decantatus fuit, semperque frondes Judæi habere potuerunt, sed non statim verba Hebræa volunt: Ergo *eas in ornamentum festi adhibuerunt*. Quapropter hæc dicta si rite objectionibus applicantur nulla earum contra verum verborum Hebræorum sensum valebit quicquam.

§. 4. Perpensis tandem, & bene consideratis omnibus, nostra de verbis hisce propositis opinio hæc est; quod nimirum אסר h. l. significet proprie *ligare*; חג Metonymice *sacrificium die festivo mactandum*; עבתים *densos funes*: & idem sit, ac si dixisset Psaltes: *Ligate sacrificium festi funiculis usque ad cornua altaris*; alii, qui verba per *ornate* seu *constituite festum frondibus* exposuerunt; vel fide LXX. Interpretum ea verterint; vel statim ad festivitatem nostram Pentecostalem, & ad mysticum Altare Nov. Testam. spiritualiter applicarint. Ad quod altare Mysticum, nempe JESUM CHRISTUM, etiam nostra cordis sacrificia, nostrasque meditationes jam conclusuri alligamus. Cui sit laus & gloria sempiterna.

אנס"ו

M. JOH. PASCHII
DISSERTATIO
De SELAH philologice enucleato.

בס״ד.

Πρόθυρον.



Pte & decore *Judæorum Magistri* scribunt *DEUM* præ cæteris mortalibus *TRES* amare *Homines*: מי שאינו כועס: ומישאינו משתכר: ומישאינו מעמיד על מרותיו: h. e. *Eum, qui non irascitur; & Istum, qui se non inebriat; & Illum, qui non insistit proprietatibus sive affectibus suis, id est qui non mordicus suæ indulget sententiæ.* Quod *ultimum* sicuti *humanæ imbecillitati* & propensioni apprime placet, ita *nudæ veritati* & *solidæ eruditioni* è diametro contrariatur atque officit. Pertinax enim & cerebrosus homo *veritatem reconditam* nec *profunde* satis eruit, nec *accurate* expendit, neque ad lydium συναλλοσκοπίας lapidem *prudenter* æstimat; Sed quod semel ἐκ τῆς προπετείας placuit, id semper ex cœco impetu & vana ἀναμαρτησίας umbra arridet, quia sic *vult*, *jubet*, *stat* pro ratione voluntas. Hoc sicuti per varias *artes* atque *scientias* rationi subjectas occurrit, ita nec *sacra Hermeneutica* illo destituitur obstaculo, ut ob præconceptam *opinionem*, partium *studium* & lubricam aliorum *Auctoritatem* sæpe prohibeatur, quo minus in dubiis vexatisque *Philologematibus* plus ultra progredi & certioris veritatis *fastigium* assequi possit. Etiamsi autem *sacra Philologia* quoad *credendorum agendorumque perspicuitatem* nec *rationi* & sapientiæ *humanæ*, nec *auctoritati* Magistrali, nec *placito* Majorum substet, sed *Domino Doctori suo*, *Spiritui S.* gloriam obsequii debeat. Tamen in *profundis vaticiniorum sensibus*, *phrasibus* ac *vocibus* evolvendis à Sanctis DEI Viris nondum ita occupata est, ut in bello præda, sed omni seculo atque ætati aliquid investigandum superest. *Sigillatim* illud ab *Interpp.* explicati meretur *nomen*, quod à Sanctissimo Psalte *Davide septuagies & semel*, & ab *Chabbacuco ter* usurpatum, & *B. Luthero*, ut jacet in *fonte*, sic in versionis *rivulo* semper relictum legitur; *SELA* dico. Cum vero *Interpretum Scripturæ* conditio non una sit. *Alii* enim ex *Synagoga Judaica*, *alii* ex *schola Christiana* originem ducunt. In *illa* eminent partim *Targumici*, partim *Rabbinici* Glossatores. In *hac* se commendant tam *Lutherani*, quam *Pontificii* & *Reformati* Expositores. Non omnium eadem mens est in *vocis* SELA *ortu & sensu determinando*, aliter enim *Judæi*, aliter *Christiani* nos, sed citra fidei jacturam atque discrimen erudiunt, quæstio enim hæc non est *de fide*, sed circa *fidem*, non dogmatis *Thetici*, sed meletematis *hermeneutici*, non est de rei significatæ *existentia*, sed de vocis significantis *sententia*. In *cujusmodi vocis* analogo *sensu* accipere licet, quod libet, *quodque judicio Grammatico* & *Logico* quam proxime congruit. Nemo igitur nobis jure succensebit, si pro *libertate Academica* id nobis placere dicamus, quod *aliis* displicet, usuque nondum receptum & comprobatum est. *Utemur* quidem (liceat *Senecæ* (a) verbis uti) *via veteri*, sed si *propiorem invenimus*, hanc munitam dabimus. Nam qui ante nos ista moverunt, non *Domini* nostri, sed *Duces* sunt; non *Dictanitores*, sed *Senatores*. Et, si rigidis displicemus *Arbitris*, sufficiat nobis placuisse *DEO*, qui amat veritatis cupidos & affectibus vacuos, quod *ab initio* & semper nos solatur.

(a) *lib. 1. Epist. 23.*

PARS

PARS I.

Varias Interpretum Glossas ἱστορικῶς dinumerat.

GLOSSEMA I.

Reperiuntur magni Nominis multique judicii VIRI, qui vocis SELAH dubium vexatumque sensum ignorare, quam prostituere malunt.

EXEGEMA.

§. I. EQuidem non indigito illam *rudium* atque *rudentium Hominum inscitiam*, qua res omnino intelligendas & cognoscendas turpiter nesciunt. Neque famosos illos *Ignorantiæ Fratres*, Monachos, (b), qui *nihil scire* aut *pauca de Christo, Maria* & *S. Francisco* nosse pro *Summo* habebant *Bono*. (c) Sed illam intendo *ignorantiam*, quæ rerum *sublimium*, *subtilium* & *difficilium* est, dicique potest nunc *pia*, quæ *mysteriorum* causas ignorat; nunc *provida*, quæ *pericula* famæ aut vitæ dissimulat; nunc *erudita* quæ modeste seipsam agnoscit, eoque declinat rerum *dubiarum ac incertarum determinationem*. Sic *Jobus* (d) de operibus Creationis in universum pronuntiat *exiguam particulam viarum Dei nobis esse cognitam*. *Lindanus*, *Onuphrius* atque *Baronius Historiæ Ecclesiasticæ* ἄδηλα libenter agnoscunt, ejusque defectus satis deplorant. *Judex Romanus* ob divisa suffragia olim pronuntiabat: *Non liquet* (e). *Cardanus* Medicinæ doctam ignorantiam satis exposuit in *labyrintho contradicentium Medicorum*. Quilibet Philosophorum in sua arte habet, quod doctæ ignorantiæ latum campum aperit.

§. II. Cumprimis *Sacra illa Philologia* plurima in S. codice offendit *dubia*, quæ *vexata* sunt atque manent. Inter quæ eminet vox *SELAH*. Sed *gordium* hunc *nodum* exquisitissimi quidam *Philologi* potius intactum *relinquere*, quam *implicare* maluerunt. Sic *B. Sal. Gesnerus* & *Heshusius* in vocabuli hujus sensu determinando Judicia sua suspenderunt. Quod *Joh. Capnio* (alias *Reuchlinus*) Criticorum *Primicerius* in *concordantiis* imitatus, non tam *suam*, quam *Judæorum* de hac voce opinionem exposuit. *B. Martinus Gejerus* (f) opinatur non posse *solidi quid* afferri, proinde ex adductis *Aliorum* conjecturis id, *quod probabilissimum* est, eligendum suadet. *B. Sal. Glassius* (g) *Sixt. Amama Optimus Scripturæ S. Vindicator* dictus, nostrum SELAH inter *dubiæ* significationis *voces* refert. *Venerabilis noster Senior* ANDR. SENNERTUS (h) de hac voce quidem *Aliis Aliud* placere dicit, sed *certi aliquid* heic afferri posse graviter dubitat.

§. III. Nos lubens meritoque *Tantis* tamque *modestis Judiciis* nostrum subscriberemus ἐπέχειν, nisi jam ex instituto hanc in rem & liberius *commentandum esset*. Quia igitur nobis semel placuit *loqui*, nunc non convenit *tacere*. Loquendum enim & tentandum. *Tentando* Trojam quondam venere *Pelasgi*. Nullum *quoque* heic est *periculum fidei aut morum*, quin tuto opinari, eamque certitudinem adspirare queamus, quam consequi licet & par est. *Accedit*, quod tum demum aliquid rite ignoremus, aut asseverare verecundemur, quando cum ratione verosimili, aut alio quocunque plausibili consilio sententiam nostram stabilire non sufficimus. Sed vero illud hic tantum abest, ut metuamus, ut potius & mentem & rationes nostras inferius numerandas ac benevole ponderandas proponamus.

GLOSSEMA II.

Dantur quoque Auctores, qui τῷ SELAH per notam & emphasin æternitatis aut perpetuitatis vertunt.

EXEGEMA.

§. I. INter *Targumistas* (qui sc. paraphrases *Psalmorum & Prophetarum Chaldaicas* consignarunt) facile primus, qui huic glossemati subscripserat, est *Raf Jose* aut *Joseph*, *paraphrastes* Hagiographorum, ut videtur, felicissimus, alias סְגִי נְהוֹר πολυφθεγγής cognominatus (forte ob mentis *perspicaciam*, vel ut *Hottingerus* (i) conjicit, κατ' ἀντίφρασιν sic dictus, quasi oculis corporis infirmus atque adeo luscus & cœcus fuerit.) Prælaudatus ille *Josephus* vocem SELAH in *Psalmis* ubique transfert per לעלמין l. לעלמי עלמין in *secula seculorum*. Quam sententiam *Jonathan*, *Prophetarum Interpres* Chaldaicus, Filius *Uzielis*, qui fuerat *Hillelis* constantissimus discipulus vel *præparaverat*, vel non omnino deseruerat; nisi quod *Josephi* לעלמין cum ellipsi quadam, & τὸ סֶלָה cum hoc supplemento exposuerit: בגבורת עלמין i. e. *in fortitudine seu potentia seculorum s. æternitatis*. Quod est περιφραστικὸν *Messiæ* nomen (k). Clarius in duobus (*) Chabbacuci commatibus idem SELAH sub hac περιφράσει effatur *Jonathan*: מימרך קיים לעלמי, i. e. *Verbum tuum* (h. e. *Messias* λόγος *tuus*) ὦ *Deus! hoc ita decrevit atque constituit in æternum*. Non secus *Syrus Interpres* nostrum SELAH *aliquando* vertit, quam per לעלם sive *in æternum*. Quamvis *idem Interpres* hanc versionem non ubivis locorum repetat, sed sæpenumero plane omittat.

§. II. Ex *Rabbinis* unus instar omnium est *Raschi* sive *R. Sal. Jarchi* (l), qui vocem SELAH in *Chabbacuci* precibus expositurus amplectitur paraphrasin לעולם *in seculum*. Similiter *R. Abr. Aben Ezdra* (m) inter alias conjecturas sibi quoque placere dicit istam τῷ סלה expositionem, quæ fit per לנצח *in æternum*, quod ex quibusdam *hymnorum* locis ad hunc sensum explicatis probat, videl. ex Psalm. 81: 8. Hab. c. 3: 3. 13. Eandem mentem propugnat *R. Sal. Ben Melech* (n) quando *æternitatis & seculi* sensum substituendum docet. Simile quid sentiunt *Mardochai Nathan*, aliique. Quorsum etiam facit Judaica traditio ex domo *R. Eliasar Ben Jacob*, cujus *Ben Melech* (o) & *Galatinus* (p) ex *R. D. Kimchi* meminit, quod omnis locus, in quo reperitur נצח, סלה, ועד, non habeat intermissionem, sed *in seculum & in secula seculorum* significet. Exempla, quæ adducit, sunt de נצח Esa. 57: vers. 16. de סלה Psalm. 48: 9. de ועד Exod. 15: 18. Huic favet *pium illud votum*, quod *clausulis librorum Ebræi* adjicere solent: אמן, נצח, סלה, ועד quod *abbreviate* sic scribunt: א"נסו. Et sic quoque *Jehudæi* claudunt *Epitaphia* sua, uti *Basileæ Sebast. Munsterus* (q) hæc verba lapidi inscripta legit: נשמתה תהא צרורה בגן עדן א. א. א. סלה h. e. *Sit anima ejus ligata in paradiso, Amen, Amen, Amen, in sempiternum*. Et *Heidelbergæ* lapis est ante 300. ferme annos sculptus, cujus inscriptio in hæc desinit verba: מנוחתה בצרור החיים עם שאר צדקניות א. א. א. סלה h. e. *quies ejus sit in fasciculo vitæ cum reliquis justis mulieribus*. Hinc *Venerabilis meus Edzardi* non semel *Chaldaicos Paraphrastas*, *Rabbinicos Interpretes & Judaicas preces* atque *epitaphia* observare inculcavit, quippe quæ סלה per נצח omnium commodissime verterent atque intelligerent. *Denique* His suffragari videtur *B. Hieronymus* (r) & *Aquila*, qui τὸ Selah per *semper* verti voluerunt.

§. III. Quamvis ad *Horum Autorum* sententiam præcipue decurrere nobis visum & constitutum sit infra, non possumus tamen non subindicare causam, quæ nos ab *Illorum* intimiori necessitudine & admissione retrahit. Nihil enim pro sua causa adducere habent, nisi *opinionis antiquitatem*, parcam & in nonnullis exemplis hiulcæ connexionis *accommodationem*. *Sicuti* vero *multitudo errantium errori non patrocinatur*, ita nec *Chaldæi* aut *Judæi* semper penitiorem textus aut vocabuli cujusdam sensum assecuti sunt, quod plurima *de Messia* loca probant. *Neque* illa *æternitatis & seculi* glossa singulis τῷ SELAH exemplis sine trajectione & absurditate applicari potest. Evolve sis *Psalm.* 32: 4. 52: 5. 81: 8. καὶ τὰ λοιπὰ, & applica *æternitatis* sensum, videbis! Neque per triplex *Habacuci* Selah salva veritate intelliges *æternitatem* aut *secula seculorum*, quia *hæc oratio* res facti *præteritas* non *æternas* prædicat atque celebrat. *Præterea* quomodo radices & formales significatus *Chaldaici* עלמין, *Syriaci* עלם & *Rabbinici* עולם aut נצח cum nostri סלה *radice* סלה vel סלל conveniunt? Sane nec *materialiter* & quoad literas, nec *formaliter* & quoad sensum concordant. *Illæ* enim *durandi*, *hæ sternendi & exaltandi* conceptum pariunt. Quod cum advertisset *R. David Kimchi* (s), maluit voce Selah indicari *elevationem* aut *exaltationem* vocis, quasi esset à rad. סלל i. e. *extulit*, *exaltavit*.

(b) *V. Rud. Hospinian. de Orig. Monach. c. LXX. Adde Keckermann. Præcogn. Philos. lib. I. cap. III.* (c) *Conf. Voetium Vol. III. Disp. de Ignor. docta P. II. §. 1.* (d) *Cap. XXVI. vers. ult.* (e) *Conf. Reg. Lib. 20. & 21. ff. de LL.* (f) *Comment. in Psalm. David. ad Psalm. 3. Expl. vers. 3. p. 38. 39.* (g) *Phil. S. lib. III. Tr. VIII. Can. VI. p. m. 639.* (h) *In Psalm. pœnit. II.* (i) *Thesaur. Philol. p. 262.*

(k) *Conf. Esa. 9: 6. & L. 9. Luc. 1: 35. 1. Corinth. 1: 24.* (*) *Cap. 3: 9. 13.* (l) *In vs. 9. c. 3. Chabbacuci.* (m) *Super vers. 3. Psalmi 3.* (n) *In Michlal Jophi ad Psal. 3. p. 164. col. 4.* (o) *l. c.* (p) *Arc. Cath. Verit. lib. XI. c. 5. p. 685.* (q) *Bibl. Sacr. ad Habak. c. III. p. 552.* (r) *In Op. Hisp. Tom. III. ad Psalm. 3: 3. adductus.* (s) *De quo illud testantur B. Joh. Tarnovius in Enarrat. Psalm. 3. Et Buxtorffius in Lex. Ebr. & Chald. ad rad. סלה pag. 511.*

Accedit quod multi *Rabbinorum*, dum suas sententias afferunt, *ipsi* sui immemores nunc *hoc* nunc *aliud statuant*, nihil quicquam *probent*, animi *pendeant*, eoque sic Lectorem in ancipiti *relinquant* (t). Recte igitur huic sententiæ absolutum addere calculum veremur.

GLOSSEMA III.

Sunt vicissim alii, qui vocem SELAH assertive explicant per ita est, verum & certum hoc verbum est, profecto, Amen!

EXEGEMA.

§. I. HAnc sententiam *R. Abr: Aben Esra* post varias animi dubitationes pro rata & certa habet. Cum quo conspirare videtur *R. Dad. Kimchi*, (u) quasi אמר סלה i. *dictum Sela* stabiliendi promissi causa adduceretur, ut instar sigilli, quod certitudinis loco alias suffigi solet, *valeret*, quo Deus se id oratori servaturum obligat, quod *Patribus* sancte pollicitus erat. His adstipulantur *Junius* atque *Tremellius*, qui, cum in prima Bibliorum editione vox *Selah* αὐτολεξεὶ fuisset retenta, in posteriori *illam* pro commoditate textus in *adverbium* intendendi & asseverandi transtulerunt, ac si esset καθ' ὑπερβολὴν καὶ ἐξοχὴν intelligenda. Hinc loco τοῦ *Selah* in Psal. 3: 3. positum *plane*. In Psal. 3: 5. 9. 4: 5. 20: 4. 21: 3. 47: 5. Hab. 3: 9. 13. *maxime*. In Psal. 4: 3. 9: 17. 24: 6. 44: 9. Hab. 3: 3. *summe*. In Psal. 9: 21. 52: 5. 7. 55: 8. *vehementissime*. In Psal. 60: 6. 66: 15. 88: 11. *potentissime*. In Psal. 68: 8. 20. *excellentissime* &c. Similiter *B. D. Luc. Osiander* (w) in castigatione vulgatæ versionis (quæ vulgo τὸ SELAH plane omittit) humiliori typo scripsit *Selah*, & in parenthesi explicuit per *profecto*. *Denique* & illi huc collimare videntur, qui dicunt *Selah* esse vocem, qua alicui *felicitas* optatur, quasi coincideret cum nostro usitatissimo *Amen*, quod in V. T. *trigesies sex*, in N. T. *quadragies sex*, & ubique *cum voto* occurrit omnibusque nostris precibus in calce annectitur. Sic *Paul. Fagius* (x) observat tres esse voces, quibus *Ebræi* apprecantur rebus suis felicitatem & successum, videl. סלה, שלום & אמן. Inde fortasis est, quod formulæ precum Judaicarum sic desinant in סלה, uti nostræ in אמן. Alias τὸ *Amen per rasche tebbot* pie sic resolvitur, quasi *Redemptor* nobis diceret: אני מלך נוצרים id est, *Ego Rex Judæorum*; Cui *nos* respondemus: אדני מלך נאמן hoc est, *Dominus est Rex fidelis* (y). De cætero certum est hac voce *Amen formaliter* neque *juramentum*, neque *felicem successum*, sed tantum *assertionem* seu *consensum* & voti *complementum* exprimi (z).

§. II. Sed nulla *probandi causa* hujus sententiæ *Patronis* incidit aut revera suppetit, qua illud, quod dicunt, *vel in speciem* probare possent. Nulla quoque *radicis & accidentium Grammaticorum* analogia illis adducitur, qua longius hanc petitam significationem excusarent aut præcaverent. Nec video, cur non illo sensu etiam *vox Sela* extra *psalmos* & *hymnos* collocari potuisset? Quinimo si omnibus *Selarum* locis talem asseverandi *sensum* affricares, nil sæpe absurdius & inconvenientius explicasses. Nam quando *Psaltes* Psalm. 4: 3. quærit: *Quousque diligetis nænias? quousque conquiretis mendacium?* Tu si hoc adjectum Sela interpretaturus esses per *Verum* hoc & *certum est?* Sane hiulca & dissoluta hinc emergeret συνέπεια καὶ συνάφεια. Nisi fortassis inusitato & *Ebræis* inaudito exemplo per *apostrophen* subaudire velis integram hanc periodum: Denn das ist gewiß und wahrhafftig / daß ihr Eitelkeit und Lügen lieb habt. Quod μεταφρασικῶς per te significabit SELAH. Scilicet! Addatur ejusdem *Psalmi* vers. 5. *Psal.* 89: 49. Ubi similiter *Selah* non *affirmative*, sed *negative* vertendum occurrit. Concedo tamen τὸ SELA περιφρασικῶς per *illas glossematis formulas* כן הוא & אמן non semel diduci & declarari posse; A παραφράσει autem *Rhetorica* ad μετάφρασιν *Grammaticam* N. E. C.

(t) *Cæteræ rationes, quibus Paul. Episc. Burgensis hanc sententiam impugnat, videri possunt apud Joh. Forsterum in Hebr. Dictionario pag.* 548. (u) *l. c.* (w) *ad Psalm.* 3. *vers.* 3. *pag. m.* 487. (x) *ad Num.* 5. *vers.* 22. *quem notavit B. Gejerus ad Psalmi* 3. *Explic. vers.* 3. *pag.* 38. (y) *Conf. B. Waltherus in Off. Bibl. pag.* 19. *B. Glassius Phil. S. lib.* 11. *tr.* 2. *s.* 3. *pag.* 304. 308. (z) *V. B. Danhauerus Disp. in Rom.* 9: 36. *cap.* 3. *quæst.* 6. §. *ult.*

GLOSSEMA IV.

Sunt quoque non pauci, qui SELAH pro dictione encliticа poetica & supervacua habent.

EXEGEMA.

§. I. HI illi sunt, qui voculam *Selah* duntaxat pro *non-significativa notula* venditant. Ex quibus præcipui: *Paulus, Episcopus Burgensis* (aa) qui, postquam *æternitatis & perpetuitatis* expositionem cum ratione rejecerat, mox sine ratione vocem SELAH *significativam* esse negat. *B. Joh. Forsterus* (bb) itidem nostrum SELAH pro *dictione enclitica, paragogica, Poetis familiari* & in *carmine usitata* accipit, quasi non *significative*, sed tantum *ad supplendum modulamen cantus* ponatur. Hinc *illud* cum *copula vau* aliisque *syllabis* atque *voculis* in *Psalmis* sæpenumero otiosis, nullaque significandi necessitate, sed tantum, *carminis gratia* positis paria facere opinatur. Quin & ipsius *radicis* סלה significationem hoc innuere censet, quasi à *Poeta* adhibitum fuerit, ut *carminis pes* in *strata hac via* longius iret & progrederetur, modulatio cantus atque numerus suppleretur. *B. Nicol. Selneccerus* (cc) quoque *encliticam* hanc mentem sequi nostrumque *Selah* pro voce nullius certæ rei indicativa habere videtur. Quod & *Val. Schindlerus* (dd) itemque *Kircherus* (ee) faciunt.

§. II. Cæterum qua fronte hi *Autores* annuere possunt *Selah* esse *vocem poeticam*? cum *genera* Psalmorum & *Poesin Ebræam* se ignorare libenter agnoscant. *Perinde* est, ac si ego dicerem *Han-lu* esse *Chinensium vocem Poeticam*, cum tamen *Sinicam poesin* plane ignorem. *Deinde* continuativus accentus voci *Selah* adscriptus satis arguit illam non esse *encliticam* & *à textu discretam* particulam, sed vi propii sui sensus ad textum omnino pertinere. *Porro* videtur hoc asserto *Canonica* Scripturæ *perfectio* corrumpi, huic enim nihil *adimi* nihilque *apponi* debet, nedum ut πλεοναστικὴ κεραία t. *superflua* vox (ein poetisch Füll-Wort) ex Autoris Spiritus S. debilitate *sive* penuria interseri fingatur (ff). Neque est, quod B. *Forsterus* ad radicem vocis Selah provocet, quam aut סלה aut סלל esse supponit, hæ enim radices vi etymi neque poeticos pedes, neque supervacuam viam, neque modulationem cantus, sed proprie viam aggesta terra *sternendam & elevandam* significant. Sic Prov. 15: 19. dicitur *via justorum* סללה *bene strata*, non cantata. Conf. Esaiæ cap. 57. vers. 14. cap. 62. vers. 10. Ubi non de *cantione*, vel vocis prolongatione, sed miserorum hominum *commoda & bene digesta statione* sermo est. Nihil igitur hoc ad supervacuam illam sententiam facit. *Postremo* sicuti *Paulus Burg.* imperite statuit dari in *Nomenclatura Ebræa dictiones* cum otio *encliticas*, ita inique supponit *voces encliticas* promiscue *sine sensu & usu* venire. Cum tamen *Græcorum*: τε, μὲ, πῶς, νῦν, τινὸς, σφῶς, φημὶ, ποθὶ &c. *Latinorum*: *que ne, ve* &c. expresse contrarium probent. Et si *hi Autores* nobis dederint *similes* in L. S. *encliticas*, tunc vinctas manus dabimus.

GLOSSEMA V.

Nonnulli vocem SELAH epiphonematice reddunt ad sensum exclamationis, admirationis, attentionis aut suspirii.

EXEGEMA.

§. I. R. *Dav. Kimchi* ab hac sententia non procul abludit, quando סלה à rad. סלל deducit, & per *elevationem*, quod superius monitum, exponi posse credidit. *Joh. Calvinus* æque indicem digitum ad *Rad.* סלל intendit, eorumque opinionem probabilem esse dicit, qui hac voce *elevationem* in cantu notari putant, ita ut *canendi modulus sententiæ aptatus*, & concentus cum re vel subjecta materia conjunctus fuerit. *Henricus Mollerus* (gg), *Reformatus* ille in hanc quoque descendere videtur sententiam, quando τὸ *Selah* ad *Musicam* pertinere & *melodiæ* potius, quam *rebus ipsis* convenire existimavit. *Petr. Ravanellus* (hh) itidem vertit per *elevationem*, quia, inquit, *Cantor, ubi ad hanc* vocem

(aa) *In Additione* 3. *sup. Ps.* 46. (bb) *Diction. Heb. p.* 548. *seq.* (cc) *in Comm. ad Ps.* 3: 3. (dd) *in lex. Pentagl. sub rad.* סלה (ee) *in Concord. V. T.* (ff) *Audi, quid Sp. S. interminetur Apoc.* 22: 19. (gg) *In suis super Psalmos* 3. & 9. *prælectionibus.* (hh) *in Biblioth. S. sub voce Selah.*

vocem pervenerat, attollebat vocem suam, & hoc signum erat: gravem ibi sententiam contineri, in quam animus intendendus erat. Francisc. Vatablus (ii) *Lutetiis Paris. Prof. Ebr. Ling. Catholicus* pariter annotat *voce Selah* significari *elevationem & exclamationem*, quasi in illis locis ubi ponitur, signum sit excitandæ vocis & animi maxime intendendi. Quod itidem ex praxi *Cantorum Judaicorum* probare satagit. Pro varietate textus autem *Vatablus* suam *exclamationem* variat. Ita *Psalmi 3. vers. 3. Sela* sic vertit: *ó gravem calamitatem meam!* Psalmi 20, commatis 4. *Selah* (kk) ad hunc tenorem exprimit: *Quam magnum est offerre oblationem Deo gratam; magni momenti est holocaustum à Deo probari & preces ab eo exaudiri!* Psal. 21. v. 3. *Selah* ita circumloquitur: *O magnam & admirabilem Dei benevolentiam erga Davidem! &c.* Ad *Hujus* exemplum *Nonnemo Selah* reddidit Ach ja!

§. II. Sed ὡς ἐν παρόδῳ heic observandum, quod versio illa *Vatablo* plerumque tributa non sit per omnia *Vatabli*, sed *Tigurinorum Theologorum*, utpote *Leonis Judæ* (ex Judæo Zwingliani), *Theodori Bibliandri*, *Petri Cholini* & *Rudolphi Gualtheri* (ll) *Henricus Stephanus* autem hujus erroris causa est, eo quod illam *Parisiis* per hanc inscriptionem ediderit: *Cum versione & notis Vatabli.* Quæ inscriptio Ipsos etiam *Hispanos* decepit, Quibus *illa Versio* adeo placuit, ut *Salmanticæ* eam typis recudendam curaverint, quam tamen, si scivissent *Reformatorum* esse, ad orcum potius damnassent.

§. III. *Matthæo Polo* (mm) Criticorum facile *Principi* inter alias conjecturas hic qq. τȣ̃ *Selah* sensus arridet, quod non tantum *Musicæ* sed & *exclamationis & attentionis* nota sit, ac si ad ejusdem recitationem aut cantionem mens elevata fuerit, q. d. *O magnam blasphemiam! an sic licet providentiam Dei in dubium vertere?* Pro qua sententia statuminanda videtur *Polus primo* ad *Rad.* סלל quasi *Selah* pro *Sellah* esset; deinde ad *ritum Judaicorum Cantorum* atque *Lectorum* audacter provocare, quasi *Cantores* in locis hisce decantandis una cum corpore vocem s. *gaudii* s. *mœroris* causa intendissent, eoque signo mentes suas aliorumque ad attentiorem contemplationem istorum, quæ canebantur, excitassent. *Lectores* autem admoniti fuissent, quod ibi, ubi *Selah*, *Psalmista* mentem elevaverit. Similiter *Matth. Flacio* (nn) illa semper probata est sententia, quod Selah & *vocis* & *animi* in adjuncto versiculo canendo *intensionem* adhibendam esse indicet. *Eduardus Leigh*, (oo) *Eques L. A. M. & Aulæ Magdal. Oxon. Præpositus* similiter censet Selah denotare *elevationem sive excitationem*, & quidem vel *mentis* ut *attendat*, vel *vocis* ut *intendatur*, vel etiam *utriusque*. Cæteri *Exclamatores* transeant.

§. IV. Posset equidem τὸ *Selah ex horum Autorum mente* intellectum facile comparari cum *Nostrorum Musicorum praxi*, qui, quando ad *textum laude & attentione dignissimum* decantandum perveniunt, extemplo *totum Chorum cum fundamento diducto & instrumentis tam inflandis quam pulsandis conclamare* jubent. Quod *Tutti*, *Levano*, *allegro*, forte, frisch *Musicis Italis* aliisque vocatur. Sed conjectura hæc *nullam probandi causam* habet, neque *divinior* atque *devotior* illa *Musices Ebrææ* ratio cum nostra *leviori* ullum comparationis terminum habet, quia *illa* jampridem antiquata cum ipso cultu exolevit, & nil nisi textum legendum reliquit. Frustra igitur *Vatablus* atque *Polus* ad *Ritum Judaicum*, quem nesciunt, provocant. *Deinceps* si *Ebræorum Selah* cum *Italorum Levano* contendis, dic mihi, quid *Italorum piano* apud *Ebræos* æquivaluerit? Hæc enim duo apud *Musicos* in relato usu consistunt. *Præterea* Vox *Selah* continuam habet *accentuationem*, ergo non potest esse *nota musica* à textu discreta, sed oportet, ut ad textum pertineat, quod eleganter & accurate monet *PFEIFFERUS* (pp). Et mirari me subit, cur *Reformatorum plerique* hanc voculam *Selah* ad *Musicam Ebræam* tam presse relatam velint, quam *tamen* alias odio & despicatui habent Ipsorum plurimi. Sic *Joh. Henr. ALSTEDIUS*, qui κατ᾽ ἀναγϱ. SEDULITAS ipsa fuit, morose statuit, (qq) Illos *Synagogam* pridem sepultam refodire, qui *Instrumenta Musica* tuentur. Quia vero *Hic* seipsum sedulo corrigit, nostra correctione vix indiget; dicit enim alibi (rr) quod per *Musicam Instrumentalem* pædagogia & Infantia veteris populi neutiquam postliminio introducatur. Interim fateor *hujus glossematis* sensum quoque in nonnullis casibus bene adhiberi posse, sed *vim etymi* & *intentionem Spiritus S.* hoc ipso plenissime exprimi diffiteor.

GLOSSEMA VI.

Multis iisque Gravissimis Viris perplacet significatio generalis pausæ, quæ totius chori vocem & instrumenta silere, nunc autem devotissima præcedentium verborum consideratione opus esse commonefecit.

EXEGEMA.

§. I. NOli *Horum* generale & improvisum silentium cum *Antecessorum* sonora atque conclamata *voce* commiscere, ne diversæ, Ipsis *Auctoribus* renuentibus, consonent sententiæ. Licet enim *utrobique* tam in *glossemate præcedenti*, quam *præsenti* mentis excitandæ & attentionis indicandæ causa agatur, *Illi* tamen istud sub *vociferationis*; *Hi* sub *silentii* lege intellectum volunt. Mens igitur horum *Autorum* eo recidit, ut *Selah* pro signo primario vocis & soni subito reprimendi habeant, quo represso universus populus ad proxime decantata ceu singularia & ἀξιομνημόνευτα verba animum defigere jussus sit.

§. II. Noster *megalander Lutherus* (ss) huic judicio suum addidit calculum, cum scribit: Selah bedeutet ein Stillhalten und fleißiges Auffmercken. Quam hypothesin pio admodum commentario ibidem illustrat, ita quidem ut nemini illam velut *apodicticam* obtrudat, sic enim desinit: Daß sey meine Meinung von dem Wort Sela/ doch halt ein jeglicher was Er wil/ ich bins wol zu frieden. *B. Joh. Tarnovius* (tt) itidem hanc sententiam & omnium maxime *verisimilem* & derivationi τȣ̃ Selah (à סלה stravit,) *optime congruam* statuit. A quibus necdum dissentiunt Nostrates *Theologi omni nostra laude majores.* Ita enim τὸ Selah explicandum sumpsit *Summus noster CALOVIUS.* (uu) Ita *Optimus noster DEUTSCHMANNUS* (xx). *B. JOH. OLEARIUS* (yy). *Maximus & harum rerum peritissimus PFEIFFERUS* (zz).

§. III. Ast *Hæc* sunt illa *veneranda Capita*, quorum *consilia* instar *oraculi* æstimo, quorum *judicia* omni exceptione *majora* habeo, ut mihi nunc religio sit *Tot Tantisque Viris* vel *nutu* refragari. Nil causæ igitur habeo, quod huic sententiæ opponam, nisi quod mihi *pia* magis, quam *vera* videatur.

GLOSSEMA VII.

Alii voculam SELAH pro Charactere Musicæ vocalis finiendæ, & instrumentalis inchoandæ æstimant.

EXEGEMA.

§. I. HAnc opinionem fovere videtur *D. Marcus Marinus Brixianus* (aaa) *Canonicus Regularis.* Cujus mens ita concipienda, ac si *Selah* fuerit signum altioris vocis in cantu, ad quod cum pervenirent Musici, TANTUM organa pulsari debuerint. Et ob id *SELAH* fere semper in illis *Psalmis* poni credidit, qui מזמור h. e. *cantiones & voce & organo per vices decantandæ* inscribuntur. Cætera autem *Psalmorum* exempla hac ἐπιγϱαφῇ destituta & nihilominus voce *Selah* donata sic excusat, quod ibi *Selah* suppleat metri *defectum*, & animum excitet ad sublimitatem eorum, quæ dicuntur, considerandam.

§. II. Sed mera hæc est *conjectura*, quæ, quia nulla solida stipatur ratione, per seipsam titubat. Occurrunt etiam *Psalmi* (bbb), in quibus *instrumenta* musica *enchordica*, *crustica* & *pneumatica*, ad laudem Dei producenda jubentur, & fortassis etiam adhibita fuerunt, ut tamen nulla inibi fiat τȣ̃ *Selah* mentio, quod *vocum pausam* & *instrumentorum sonitum* argueret. *Sæpe*

(ii) *In Not. ad Psalm. 3. vers. 3. pag. 71.* (kk) *pag. 91. seq.* (ll) *Quod ostendunt Fr. Joh. Maria, Mag. S. A. Palatii Tom. I. libb. expurgand. pag. 46. Serarius Prolegom. Bibl. c. 18. qu. I. p. 98. & Observ. ad Riveti Isagog. c. 12. num. 10. seq.* (mm) *Synops. Critic. Vol II. part. prior. in Psalm. 3. ad v. 3. p. 526.* (nn) *Clav. SS. col. 1140.* (oo) *In Critica Sacr. Observ. V. T. ab Henrico Middoch latinitate donata p. 158.* (pp) *Dub. Vex. Loc. XLIX. de voce vex. Selah Prob. II.* (qq) *in Theol. Cat. p. 678.*

(rr) *In Triumph. Bibl. p. 155.* (ss) *Tom. III. Witt. Germ. fol. 24. a. Tom. I. Jen. Germ. f. 479.* (tt) *In Enarrat. Ps. 3: p. 69. & 70.* (uu) *in Bibl. Illustr. ad ps. 3: v. 3. 942.* (xx) *Disp. Theol. de Secunda Triadosoph. ex ps. 67: v. 3-8. §. 3.* (yy) Biblischen Erklährung/ im III. Theil *ad Ps. 3: v. 3. p. 25.* (zz) *Dub. Vex. Loc. XLIX. Decis.* (aaa) *Arca Noe s. Thesauro L. S. novo sub lit.* ס *fac. 9. Matth. Polus l. c. quoque alicujus anonymi in Genes. meminit, quod eandem sententiam tueatur.* (bbb) *Ps. 98: 5, 6. 150: 3, 4, 5, &c.*

Sæpe etiam *Psalmi* (ccc) *pœnitentiales*, *passionales* aliique *queruli* illud SELAH insertum habent, ubi tamen Judæos *Instrumenta* adhibuisse mihi non fit verosimile. Accedit, quod *Brixianus* confundat זמרה cum מזמור, *illud* quandoque *Psalmodica instrumenta*; *hoc* duntaxat *canticum numeris atque cæsuris artificiose distinctum* arguit (ddd). Reliqua *Brixiani* παραφθέγματα ex superioribus facile divelli possunt.

GLOSSEMA VIII.

Postremo dantur Nonnulli, qui vocem סלה *nunc per* ΔΙΑΨΑΛΜΑ, nunc εἰς τέλος *vertendum ducunt.*

EXEGEMA.

§. I. SEptuaginta *Interpretes* in Græcanica sua Psalmorum versione loco *Ebraici* סלה plerumque majusculis literis ΔΙΑΨΑΛΜΑ collocant, sed *Chabbacuci* סלה εἰς τέλος vertunt. Quid vero διάψαλμα denotet, inter *Autores* non bene convenit. *Suidas, Monachus ille Byzantinus & Grammaticorum unus instar omnium* illud exponit ἐναλλαγὴν μέλους, h. e. *mutationem cantus*. Quam sonorum & melodiæ mutationem amasse quoque videntur *Hieronymus*, (eee) *Cassiodorus* & Vir sui nominis *Grotius* (fff). *Genebrardus* illud vertit *musicæ varietatis exordium*. Alii *sensus novi initium*. Alii *pausationem Spiritus*. Alii *rythmi distinctionem* aut *commutationem metri*. *B. Försterus* (ggg) vertit *distinctæ continuationis quietem*. Quorsum τὸ τέλος collimat, quasi tam διάψαλμα, quam τέλος quandam *finis connotationem* dicant, ut sensus sit finiri ibi cantum aut rythmum novumque esse inchoandum. Quod inter alios quoque placet *Ludovico de Dieu* (hhh), & *B. Joh. Micrælio* (*).

§. II. Sed his *Mutatoribus* contradicit *genuinus* & vocis SELAH *primitivus significatus*. Quid enim סלה *stravit*, aut סלל *aggeravit, exaltavit* ad mutationem cantus? *Deinde* videntur *Diapsalmistæ* supponere *voculam Selah* semper in *fine versuum* hærere; cujus tamen contrarium αὐτοψία indicat. *Quatuor* enim exstant *loca*, ubi in *medio* commatum legitur *Selah*, videlicet *Psal.* 55: 20. 57: 4. *Chab. cap. Ebr.* 3. *Germ. Luth.* 4: 3. 9. *Denique* illud monendum duxi, quod ex falsa hac aut male intellecta sententia fluat, quicquid *alii* de *prosodico* aut *musico* vocabuli *Selah* sensu supposuerant aut tradiderant supra. Cum tamen *inconsutilis* sit *sequela*: Διάψαλμα significat *notam Musicam*, Ergo *Selah* denotat *pausam*; Nam *à non distributo ad distributum N. V. C. Tantum* de tot tantisque *Sententiarum* divortiis dixisse sufficiat.

PARS II.

Probabiliorem sententiam ἑρμηνευτικῶς *demonstrat.*

GLOSSEMA UNICUM.

SELAH est nomen DEI significativum, quod excelsam & summe celebrandam Illius T. O. M. Numinis Majestatem in nonnullis Psalmis, hymnis atque canticis sacro-Ebræis pro liberrima Spiritus S. οἰκονομίᾳ *septuagies & quater denotare atque exprimere videtur.*

EXEGEMA.

§. I. HÆc est illa *sententia*, quæ nobis, *salvo meliori feliciorique judicio*, serio & semper arrisit. Sicuti autem *hoc asserto* superiores opiniones neutiquam obliteratas volumus, ita neque nostram mentem *alicui* morose obtrudimus. Quilibet enim, quod libet, statuat. Attamen *nullum* à bona mente tam alienum fore existimamus, qui non certiora producenti faveret, piisque conatibus adstipularetur. Sed ne quis nobis id exprobret, quod Ἄθεος *Galenus* Θεοπνεύστῳ *Mosi*: *Tu multa dicis, sed pauca probas*. Igitur σὺν Θεῷ annitemur ex *singulis* adducti glossematis verbis *singularia* elicere argumenta, quæ illud, quod probandum, repente & breviter demonstrent.

§. II. Quamvis allatum *glossema* primo obtutu *Logicam* τῆς SELAH *definitionem* præ se ferre videatur, *hanc* tamen nec *intendimus*, nec *intellectam* volumus, sed quia *grammatico* genere & *hermeneuticis differentiis* usi fuimus, nulla nisi *hermeneutica* hinc dari exspectarique debet *delineatio*. Neque illud saltem obtinet in *voce significante* SELAH, sed idem quoque valet in *re significata*, DEO. DEUS enim est, de *Quo & Creaturis Ens*, *Essentia*, *Substantia & Spiritus* ceu summa *genera* neque συνωνύμως, neque ὁμωνύμως, sed ἀναλόγως prædicantur. Ita, ut *Deo* πρώτως & *absolute*, *Creaturis* δευτέρως & per *dependentiam* aut *analogiam intrinsecæ attributionis* conveniant, quod eleganter & accurate adversus *Scotistas* aliosque *Scholasticos* atque *Philosophos* observat *Summe Reverendus DN. D. JO. ANDR. QUENSTEDT* (iii.) DEUS etiam *ille* est, qui *prædicamentorum ordines* atque *classes* tanquam *Substantia increata* in infinitum transcendit, & à reliquis creatis substantiis *ratione subjicibilitatis & prædicabilitatis* ineffabiliter distat. Inde est, quod neque SELAH neque DEUS tanquam *ens Augustissimum* angustis *definitionum Logicarum* cancellis adæquate *includi* possit, *comprehendique* debeat. Ut tamen integrum maneat atque decorum *Philologis* DEUM quoad *Essentiam*, *Nomina* & *Attributa* sua grammaticis lineis utcunque *adumbrasse*.

§. III. *Dicis*: DEUS per SELAH notatus est φῶς ἀπρόσιτον (kkk), ἡ πατὴρ τῶν φώτων, παρ᾽ ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα (lll). *Ergo* nec *grammatice adumbrari* debet. *Respond. Paulus* atque *Jacobus* completam & adæquatam Essentiæ Divinæ *comprehensionem* Mortalibus perbene denegant, quo ipso lexicam Nominis Divini *apprehensionem* Hermeneuticis nullatenus adimunt. Similiter *Apostoli* DEUM considerant *essentialiter* & καθ᾽ αὐτό; *Grammatici* DEUM concipiunt *notionaliter* & καθ᾽ ὑμᾶς. *Sed à negata intimiori penetratione ad negandam qualemcunque DEI denominationem* N. V. C. *Dicis*: *Logicus* quoque DEUM, non secus atque *Grammaticus*, *notionaliter* æstimat. *Resp.* Hoc falsum. Sicuti enim *Logica* Accuratioribus Philosophis est *pars Philosophiæ*, & ad *analogiam disciplinæ practicæ* tractari potest, ita RES *suas creatas* per ὁρολογίαν, ἀξιωματολογίαν καὶ διανοιολογίαν tam artificiose & apposite *nuncupat*, *ordinat & comparat*, ut *Infinitum* illud atque *increatum* Ens Logices capsulis atque classibus tam *intensive* quam *extensive* dispar sit. Neque valet hæc sequela: DEUS *Grammatice*, Ergo quoque *Logice*, & utrobique domestice accurateque tractari potest. Nam *Lexicographia Grammatica* ab ἀκριβείᾳ *Logica* multopere distinguitur. Ibi enim *voces*, heic *termini* usurpantur; Ibi *natura*, hic *ars* dominatur. *Grammaticus* igitur DEI Nomina quidem recte *scribere*, *derivare*, *construere & pronuntiare* docet, sed *Logicus* non æque bene DEI *Genus* proximum, *Prædicamentum directum*, *prædicationes* univocas, & *definitiones* accuratas formare sufficit. Itaque nostrum *Glossema* nil nisi *Grammaticam & Philologicam*, quam *Inscriptio* promisit, sectatur ἀπόδειξιν, eamque nunc sine mora aggredimur.

§. IV. De industria *Ebræum* סֶלָה *Latine* scripsimus SELAH, non *Salah* per *obliquum* (mmm), *impurum & dilutum* (nnn) aut *aliud* quodcunque (Æ) (ooo), quia *Segol* Ebræis (E) *breve* est (ppp). Neque *SELAH* sine (H) nos scribere oportuit, qui (ה) *finale* sine *Mappik* & *Vocali* apud *Ebræos* quidem semper quiescit à *lectione*, non autem à *scriptione*. *Exscribendum* ergo, non vero *legendum* illud etiam in Latio putavimus.

§. V. Jam ad *factum*, quia *curia* jam satis intelligit *jura*. Dicimus I. SELAH est NOMEN. Idque *primo* ratione cognitionis *Biblicum*; quia nobis non nisi ex V. Test. Ipsius *usus*, *status* & *significatus* innotescit. *Deinde* ratione significationis *Politicum*, quia titulum *Divinæ Majestatis* & supereminentis dominii exprimit. *Præterea* ratione veritatis *Logicum*, quia est vox significativa ex impositione sine tempore, cujus nulla pars significat separatim, quæque cum verbo *est*, *erat* vel *erit* denotat verum vel falsum. *Denique* ratione rectitudinis & puritatis *Grammaticum*, quod heic ex instituto probandum (α) ἀποφαντικῶς & *ex cæterarum oratio-*

(ccc) *Psalm.* 32: 4, 5. 39: 6. 12. 85: 3. 59: 6. 14. (ddd) *Quod notat Casp. Waserus in Psalm.* 60. *pag.* 12. (eee) *In Epist. ad Marcellum tom. IV. f.* 42. (fff) *Comm. ad Psal.* 3: 3. (ggg) *L. c. p.* 548. (hhh) *Animadv. ad Psal.* 3: 3. *Præterea hujus* διαψάλματος *causa Vid. Corderium fol.* 42. & 52. (*) *Lex. Phil. p.* 375.

(iii) *Theol. Didact. Polem. part.* 1. *cap. VIII. sect. II. q. I. p.* 293. (kkk) 1. *Tim.* 6: 16. (lll) *Jac.* 1: 17. (mmm) *Uti id vocat Joh. Avenarius in Gramm. Ebr. Part. I. pag.* 3. (nnn) *Sic illud appellat Joh. Buxtorffius in Epit. Grammat. Ebr. p.* 4. (ooo) *Hunc valorem τῷ Segol tribuunt Nicolaus Petræus D. & Prof. Haffniens. in Compend. Grammat. Ebr. p.* 9. *B. Wilh. Schickardus in Instit. Ling. Ebr. p.* 7. (ppp) *V. Venerab. Nostrum Seniorem Dn. Andr. Sennertum in Gramm. Ebr. Trostiana p.* 5. *Dn. D. Pfeifferum in Methodo Ebr. p.* 7. *Dn. Henr. Opitium in Atrio Linguæ S. p.* 34.

orationis partium remotione. Non enim *Selah* est *pronomen*, neque *verbum*, neque *participium*, neque *adverbium*, neque *præpositio*, neque *conjunctio*, neque *interjectio*. Siquidem nulla adductæ partis *nota*, *forma*, *species* aut *similitudo* adduci potest, quæ sibi τῷ SELAH salva *lexicographia* & *analogia Grammatica* assimilare aut vendicare possit. (β) καταφατικῶς, tam ex *Nominis Grammatici definitione*, quia τῷ Selah potest præponi vel **ein/ der** vel **die** vel **das**; quam ex *accidentium quorundam* in Nomine alias considerandorum *applicatione*. Sic SELAH est *Nomen* (א) ratione *formæ* vel *nudum*, si à rad. סָלָה i.e. *calcavit*; item *æstimavit*; item *despexit*, illud deduxeris: vel leviter *auctum*; si id à rad. סלל, i.e. *elevavit*, *extulit*; ortum trahere dixeris. (ב) Est nomen *formæ regularis*, utriusque radicis particeps. Nam à סָלָה statim descendere *potest aut nudum nomen* סֶלָה ad formam פֶּחָה *Ducis*, *Principis*; סֶלַע *rupis*, *saxi*, *petræ* &c. aut סֶלָה ad analogiam formæ כְּתָב *Scripturæ*; קְרָב *prælii*. Quoniam vero τῷ סֶלָה ad hunc tenorem scripto propter *Soph Pasuk* semper adjectus est *accentus regius Silluk* aut *atnach*, igitur per leges Grammaticas *scheva* mutandum in *Segol*. Quod si vero τῷ סֶלָה à סָלַל derivare mavis, similiter id per pronum obtinebis alveum. Nam à סָלַל descendit nomen (licet nobis nunc inusitatum) סֵל, quod imitatur formam צֵל ,גֵּר ,חֵן ,קֵן &c. Huic nudo סֵל si ה *paragogicum* præcedente *kametz* suffixeris, itemque τῷ ל *dagesch forte*, quod jacturam alterius *lamed radicalis* abjecti compenset, indideris, recte formasti סֶלָּה. Sed quia hoc pacto vocula סֵל crevit, novamque syllabam accepit, corripienda est *vocalis longa*, & *tsere* mutandum in *scheva*. Hoc *scheva* autem ubique propter accentus regios *Silluk* & *Atnach* mutatur in *Segol*. *Sed ubi manet Dagesch?* Illud vel ob *euphoniam*, vel ob *accentum tonicum*, vel ob summam DEI *lenitatem*, *clementiam* & *simplicitatem* connotandam ubique locorum negligitur atque excluditur. Eoque sic per *formam* utrobique *regularem* deduximus & conformavimus nostrum regulare סֶלָה, quod erat demonstrandum. (ג) Est *nomen masculini generis*: *Quia* semper construitur cum aliis *nominibus*, *verbis*, *participiis* & *pronominibus*, quæ hujus generis sunt, sic Psalm. 24: vs. 10. hæc reperitur constructio: הוא מלך הכבוד סלה i.e. *Hic est Rex Gloriæ SELAH* q.d. *Hic Selah est Rex gloriæ*. Cætera loca id probabunt clarius, quæ, sis, evolve. *Quia* significat *Nomen* & יהוה שילה & איש *Viri* & *Herois*, imo *Ipsius DEI*, qui cumprimis *Se* sub forma *Viri* Hominibus manifestavit, sicut & ipse Filius Dei in Natura Humana assumpta potius *perfectiorem* & *masculum*, quam *sequiorem* & *fœmineum* exprimere voluit sexum. *Dicis? Terminatio* ה *præcedente kametz arguit Selah esse fœminini generis. Dico*: Generis discretio, ex *terminatione desumpta*, perquam anceps & fallax est, sic enim יְהוָה, יָהּ, לַיְלָה &c. quoque forent *fœminina*, quod falsum. Deinde ה *paragogicum* nominibus masculinis suffixum non mutat *genus*, sed auget *nomen*, idcirco *tonum* non secum aufert, sed relinquit in præcedenti syllaba, ut סֶלָה fit, maneatque vox milel. *Dicis? In Deo non datur sexus differentia. Ergo nec generis discretio. Dico*: Nos non æstimamus *generis discretionem physicam* aut *logicam*, sed *grammaticam*, quæ *directe* ex vocis significantis habitudine, *indirecte* ex rei significatæ perfectione fluit. Reliqua Nominum accidentia, utpote *articulus*, *numerus*, *casus*, *declinatio* & *comparatio utrum* & *quomodo* nostro *Selah* conveniant, mox ex dicendis intelligetur.

§. IV. *Dicimus* II. SELAH *est nomen* DEI. Etiamsi Deus sit ἀκατάληπτος, *incomprehensibilis*, πάντως ἀνώνυμος (qqq), & *nomine*, *quod totam rei nominatæ essentiam perfecte & adæquate exprimat*, destitutus; Nonnulla tamen in *sacro* Scripturæ κειμηλίῳ coruscant *Nomina*, quæ *soli DEO competunt*, Ipsum à rebus creatis *distinguunt*, Ipsiusque *existentiam* luculentissime *comprobant*. Sunt autem *Divina* ista *Nomina* vel ab *Essentia*, vel ab *Attributis*, vel ab *Operibus* DEI desumta hæc: (1) יהוה, quod à *radice* Ebr. היה aut Chald. הוה *existit*, *fuit* &c. derivatum) significat *Ens à*, *in & per se* essentialissimum. (2) אהיה, quod (itidem à *rad.* היה) denotat *Ens*, *semper idem* & immutabile. (3) יה, *nomen primitivum* & à cæteris essentialibus Nominibus DEI prorsus *distinctum*, arguit *Ens*, *quod promissionibus & comminationibus dat infallibile esse*. (4) אלוה vel אלהים quod (*à rad. Arabica* אָלַה *coluit*, *adoravit*) designat *Numen honorandum*, *venerandum*, σέβασμα. (5) יהוה צְבָאוֹת, quod (à rad. צבא *militare*, *turmatim concurrere*, ordine & tempore constituto *ministrare*) exprimit *Dominum omnipotenter & cum ordine regentem*. (6) אֲדֹנָי, quod (à rad. אֶדֶן i.e. *basis*, *fundamentum*, *sustentaculum*) exhibet *Dominum*, *statorem* & *Conservatorem* omnium. (7) אֵל, quod (à *rad.* אַיִל *fortitudo*, *virtus*) indicat Deum *fortem*. (8) שַׁדַּי, quod (à rad. שַׁד *mamma*, *uber*, *pinguedo*) dicit DEUM *Nutricium* & *Cibatorem omnium*. (9) שמים, quod (à *rad. antiquata* שָׁמָה, quam notasse quondam *altus fuit*, testatur *Arabicum* سمي refert DEUM *Cœli Creatorem*, *Possessorem* & *Gubernatorem* summum. (10) עֶלְיוֹן, quod (à *rad.* עָלָה *altus*, *excelsus fuit*, à quo etiam aliud DEI nomen est עַל vel עֵל *excelsus*, *altissimus*. Hos. 7: vers. 16. cap. 11: 7.) signat Deum *excelsum*, *altissimum*, ὕψιστον (rrr). Hæc sunt *decem* illa DEI *Nomina*, quorum *tria* priora *Essentialia Judæi* nominant עצמיות, *septem* posteriora *Accessoria* כנוים seu cognomina. *Nostri* quidem סֶלָה heic nulla injicitur mentio *expressa*, *implicatur* tamen illud in significatione *noni decimique Nominis*, & DEUM T.O.M. à *Majestate* & *Eminentia sua* cumprimis denominat, ut proinde *novum* & *undecimum Divinorum Nominum locum* id sibi jure vendicet. Quod vero SELAH nomen DEI sit, id probatum damus (α) *ab Excellentia radicum*, quæ non nisi summum important supremi Entis significatum. Nam סָלָה tria significata habere dicitur *Val. Schindlero* (sss): (1) *calcavit*, *conculcavit*, *stravit*, *prostravit*; & hoc sensu expresse Deo tribuitur Psal. 119: v. 118. (2) *per metonymiam* in *piel*: *comparavit*, *æstimavit*, *laudavit*. (3) Per *metaphoram*: *sprevit*, *respexit*, *dejecit*, *execratus*, *abominatus fuit*, *abrogavit*, *&c.* Quod & quomodo hæc significata *Excelsi Dei* fulgidissimam *Majestatem* indicent, nemo non videt. Pariter סָלַל significat *elevavit*, *exaltavit*, *alte disposuit*. Et licet proprie *viam* aggesta terra *sternere* & *elevare* significet, deinceps tamen *latiori extollendi significatione* sumitur passim *v. g. Psal.* 68: 8. quod *Targum* reddit קלסו *laudate*. *Prov.* 4: 8. *Exod.* 9: 17. &c. (β) ab *Eminentia attributi*, *per etymon indigitati*, quod est summa *Majestas*, cujus intuitu omnia *supra*, *intra* & *infra* cœlum prosternuntur in genua, *eamque* adorant atque extollunt. Sin quis *crimen læsæ Majestatis* commiserit, is *conculcatur*, *dejicitur* & *abrogatur*. Imo tantum hoc est *axioma* atque *elogium*, ut nulli, nisi DEO, id citra blasphemiam tribui queat. (γ) à *Divinitate Nominum*, *prædicatorum aliorumque operum*, quæ non modo τῷ *Selah* in textu proxime *circumstant*, sed & plenissime *explicant*. Rimare, si placet, omnia loca, & miraberis. v.g. In *Psalmo* 3: vs. 3. increpat *Psaltes* desperatos consolatores, qui animæ Ipsius denegarunt omne auxilium באלהים סלה *in DEO*, qui tamen est *excelsus* & vers. 5. gloriatur *David* se ex monte *sanctitatis* exauditum fuisse à SELAH. Par ratio est in *reliquis locis*, si cætera sunt paria, de quibus mox inferius.

§. V. *Dicimus* III. SELAH est *nomen Dei* PROPRIUM. Nam *singulare* & *incommunicabile* id esse deprehendimus (1) *sensu Logico*, quia plane non potest prædicari de pluribus *univoce* & *cum sui multiplicatione*, Deoque ita *proprium* est, ut nulli extra Deum id salva *pietate* & *veritate* imponi queat; (2) *sensu Grammatico*, quod sigillatim inde probamus, (α) quia *numerum pluralem* nullibi admittit, (β) *statum constructum* declinat, (γ) *He articulare* respuit, (δ) *affixo pronominalia* negligit. En veri nominis proprium Nomen, quod tam *communi*, quam *appellativo Nomini* opponitur! *Dicis? Nomen* SELAH in Scripturis S. quoque tribuitur (1) *Filio* tertio *Jehudæ* (ttt), (2) *Patri Salu*, qui genuisse dicitur Filium *Simri* (uuu), (3) *Filiis Ben-Jamin Sallu*, *Sallai* (xxx), (4) Metropoli ad fines *Arabiæ Petrææ* in regno *Moab* sitæ (yyy). *Ergo* SELAH non est nomen *soli Deo* proprium. *Dico*: Fallit TE σχῆμα τῆς λέξεως in *primo* & *quarto* nomine adducto, *Filius* enim *Jehudæ* appellatur שֵׁלָה (*pacificus*.) *Urbs* montibus & deserto circumsepta scribitur סֶלַע (quasi in *petra* sita). Quid vero *hæc nomina* sic scripta ad nostrum סֶלָה, cujus nec *scriptionem*, nec *originationem*, nec *significationem* attingunt. *Deinde* falleris per ἀνακόλουθίαν. Non enim sequitur: *Selah* & *Salu* vel *Sallu* in una eademque *origine* & *significatione* conveniunt. Ergo quoque Res significatæ coincidunt. Sic enim *Jehuda*, *Israël*, *Josua*, *Jesus*, *Siracides* Dii & *Salvatores* essent, quod *absonum*! *Denique* videtur SELAH potius CONCRETE & *adjective*, quam *abstracte* & *substantive* vertendum esse. *Applicatio* enim

(qqq) *Uti eleganter docet Damascenus lib.* 1. *Orth. fid. cap. XIII. statim ab initio f.* 51.

(rrr) *Hæc Nomina uberius declarata invenies apud B. L. Albert. Vogt. in Deliciis sacris p.* 8. *& seqq.* (sss) *Lex. Pentagl. col.* 1221. (ttt) *Genes.* 38: *vers.* 5, 11, 14. *cap.* 40: *vs.* 12. 1 *Paral.* 2: 3. *Num.* 26: 20. (uuu) *Num.* 25: 14. (xxx) *Neh.* 11: 7, 9. (yyy) 2 *Reg.* 14: 7. *Es.* 16: 1.

enim concreti sensus (*Exaltati*) multo facilior est *abstracto* (*Exaltatione*) ad singula loca, maxime ubi *Selah* explicat aut illustrat *Nomen* opusque Dei præcedens. *Dicis? Nomen proprium nunquam est adjectivum, sed semper substantivum. Dico*: Hoc non ubique est verum. *Contrarium* enim docet (1) *Ebræorum Asarjah*; (2) Græc. εὐφροσύνη (3) Latin. *Augustus*, quem Germani minus recte vertunt zu allen Zeiten Mehrern des Reichs / non enim ab *augendo*, sed *Majestate & Reverentia* Ipsi præstanda nomen habet. Hinc *Græci* olim *Augustos* appellabant Σεβαστὸς, id est, *Venerandos. Augustum Cæsarem* nuncupabant Σεβαστὸν καίσαρα (zzz). (4) Germ. Gottlieb. Hæc enim & plura alia Nomina *Propria* sunt ab *adjectivis* profecta, ut tamen *Substantiva* subaudiantur.

§. VI. Dicimus V. SELAH est nomen SIGNIFICATIVUM, quod nunc *appositione*, nunc *expositione* Deum ἑρμηνευτικῶς illustrat. Illud probamus (α) *ex significativa derivatione*, quia à talismodi descendit *radicibus*, quæ confusum de Deo conceptum & verbale signum potentiæ cognoscenti immediate repræsentant. Si igitur fons *humectat*, quidni & rivulus? (β) *ex regulari formatione*. Formatum enim est *Selah* adinstar *Nominis cujusvis significativi*, proinde non realiter aliquid *notat*, ut limes confinia, linea pausam; sed *verbaliter* aliquid *significat*, ut עליון, *DEUM Excelsum*. (γ) *Ex accentuatione*. Vocabula enim, quæ τὸ Selah immediate præcedunt, ubique secum portant *accentus Ministros*, sæpissime *Munach*, rarius *Tiphchah*. Sed nusquam videbis *accentum Principem*, nullibi *Regem*. Cum igitur *Grammatici* recte vereque doceant *Reges* distinguere, *Principes* subdistinguere, *Ministros* sententiam continuare; Nemo sane, nisi Turbator, nostrum *Selah* ex εἱρμῷ τοῦ λόγου sive vinculo orationis eripiet. (δ) Ex *formali omnium locorum significatione*. Nam si TIBI, *Optime Lector!* nostra de significatione τοῦ Selah mens vel ex hoc capite adhuc displicuerit, quod non omnibus *Selarum* locis DEUS adæquate atque concinne applicari queat, faxo, ut per *singulos Latinæ declinationis casus*, consentiente ipsa συνεπείᾳ ἢ συναφείᾳ, DIVINUS ille sensus ὀφθαλμοφανερῶς pateat. Hæc enim illa loca sunt, in quibus nomen SELAH (א) *Nominative* vertendum. Psalm. 3: vers. 5. *Voce mea ad DOMINUM clamare volebam* (Ebr. אקרא), *& exaudivit me de monte sanctitatis suæ* (quis?) SELAH, i. e. DOMINUS ille EXCELSUS. Ubi *adjectivum* סלה vel per παράφρασιν ἐπιθετικὴν exponit, vel per ἐμφασιν ποιητικὴν illustrat *nomen substantivum* יהוה. Psal. 7: 6. *Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat & conculcet humi vitam meam*: (Hic in fonte stat *accentus regius atnach*, qui *duobus punctis* Latinis distinguit *Inimici violentiam* à Dei *vindicta*, ad quam provocat seqq.) *Et gloriam meam in pulvere habitare faciat* (quis?) SELAH. Hoc enim DEUS *vi Majestatis suæ* solus potuisset, ut Tanti Regis fama vel *infamis* vel *nulla* esset. Psalm. 24: 10. *Quis est Rex gloriæ?* Mox sibi ipsi κατ' ἀνθυποφορὰν respondet *David*: *Hic est Rex gloriæ SELAH*, i. e. Sublimis, Majestaticus atque summe celebratus *Messias*. Psalm. 46: 8. *Insuperabilis munitio* (Ebr. משגב) *est nobis Deus Jacobi* (quis ille?) סלה, h. e. Excelsus. Summus. Idem vers. 12. repetitur. Psal. 47: 5. *Selegit nos in hæreditatem suam, ceu præeminentiam Jacobi, quam dilexit* (quis?) סלה, *h. e.* Summe celebrandus Deus. His adjungantur cætera loca, nempe *Psalmi* 48. *versiculis* 8. 49: 16. 50: 6. 52: 7. 55: 20. 57: 4. 59: 14. 62: 9. 68: 20. 76: vs. 4, 10. 77: 10. 81: 8. 89: 5, 38. (ubi Semen promissum & solium confirmatum dicitur esse *Selah*, i. e. *Messias* summe desideratus.) *Chab. c.* 3: 3. In his enumeratis locis *Selah* nunc יהוה nunc אלהים, nunc cætera *Nomina, prædicata & attributa Divina* non nisi in *nominativo* vel per *adjectionem*, vel *appositionem* vel *explicationem* illustrat.

(ב) *Genitive* nostrum *Selah* accipi videtur in Psalm. 75: 4. in quo *Asaph* se confirmaturum *promittit columnas EJUS* sc. *SELAHi* s. DIVINI NOMINIS. Pariter in Psal. 87: 3. ubi *Hierosolyma* tanquam Ecclesiæ N. T. *typus* inter alia idcirco laudatur, quod *gloriosa prædicentur in hac civitate DEI* סלה, vel (per declinationem Latinam) SELAHi, i. e. *Excelsi*.

(ג) *Dative* SELAH flectendum duco in Psal. 4: 5. ubi *David* commendat *patiendi silentium* his verbis ודמו סלה, i. e. *& silete, tacete* SELAHO i. e. *summo rerum Arbitro DEO*. Cujus regulæ exemplum *Ipse David* de se sistit Psalm. 62: 2. ubi ait: *Profecto ad DEUM est silentium animæ meæ*. Eadem flectio recurrit Psal. 66: 4. יזמרו שמך סלה Omnis terra psallet Nomini Tuo (vel per *appositionem*, vel *expositionem*, vel *adjectionem*) SELAHO. Similiter Psal. 68: 33. *David* Regna Terræ Psallere jubet ארני סלה *Domino Selaho*.

(ד) *Accusative* aut *transitive* nostrum *Selah* interpretaberis sequentibus in locis: *Psal.* 54: 5. Ubi ait Psaltes: *Et non ponunt DEUM* לנגדם *(coram se)* סלה, h. e. *SELAHUM*, qui habet ἔκδικον ὄμμα. *Psalm.* 44: 9. *NOMEN Tuum in æternum celebramus SELAH.* h. e. *excelsum*. Psalm. 84: 5. *Beati laudabunt TE SELAHUM*. Psal. 88: 11. *Aut mortui surgent & laudabunt TE SELAHUM?*

(ה) *Vocative* plurima vertenda sunt *loca*. Quod solers atque felix Interpres in illis potissimum commatibus observare habet, ubi *Divinus Psaltes Devotusque Chabackuk* DEUM per *apostrophen* in secunda persona alloquuntur. Non autem SELAH in omnibus *Vocativorum* locis æqualiter se verti sinit, alibi enim cum *intentione laudis Divinæ*, alibi cum votiva *apprecatione*, alibi cum supplici *intercessione* &c. illud *exclametur* oportet. Sic

(α) *Cum laudis sensu* τὸ *SELAH* accipiendum reor in *Psalmi* 3. *tmemate* 9. Ubi *David* DEUM his affatur verbis: *Super populum Tuum benedictio Tua, ô SELAH*, i. e. *Gloriosissime & Benedictissime Deus! Psalmi* 67: 9. *Lætabuntur & jubilabunt populi, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis, ô Selah*, i. e. *Justissime DEUS. Psalmi* 21: 3. Ubi *Selah* ad hunc tenorem accipitur: *ô Magnificentissime DEUS! Psalmi* 32: 5. SELAH, *ô Tutissime DEUS! Psalm.* 61: *vers.* 5. Selah, h. e. *ô Præsentissime DEUS!* Psalmi 85: versu 3. Selah, id est, *ô Benignissime* DEUS!

(β) *Cum ardentissimo voto* atque *suspirio*, in *Psalmi* 84: *commate* 9. Ubi *Psaltes* DEUM sic invocat atque vovet: *Orationem meam auribus percipe ô DEUS Jacob Selah*, i. e. *Clementissime! Psalmi* 88: 11. Ubi *Psaltes* tentatus suspirat per interrogationem h. m. *Aut mortui surgent & laudabunt TE, ô* SELAH, h. e. *Gloriosissime* DEUS! *Psalm.* 140: 9. Ubi *David* ita precatur: *Ne tradas, DOMINE, desideria Impio. Sceleratas cogitationes ejus ne progressum habere finas, alias exaltabuntur*, ô Selah, h. e. *Potentissime* DEUS! Quorsum etiam recidit *finale* illud *suspirium Davidis Psalm.* 9: 21. *Constitue, DOMINE, Præceptorem Ipsis, ut agnoscant gentes, quod Homines ipsi sint*, ô SELAH, h. e. *sine TE orari, ô summe Deus!*

(γ) *Cum pia meditatione & admiratione*. Sic Regius ille atque Egregius Propheta *David* in Psalmo 9. SE, suo & Ecclesiæ nomine. DEO gratum exhibiturus meditatur vs. 16. *judicia DEI*, erga *Improbos lata*, eaque vers. seq. 17. *Aliorum* quoque meditationi piæ commendat. Quo facto *idem hoc incisum* hac exclamatione (præmisso *accentu Regio Atnach*) concludit: הגיון סלה. h. e. *Proh meditationem!* ô SELAH! q. d. *O Immortalem DEUM!* quantam mihi judicia TUA materiam mirandi suppeditant! Dum mihi ob oculos pono tragicos *Regum*, multorumque *Populorum* hostiliter me aggredientium exitus, videlicet *Achitophelis*, *Saulis* & degeneris mei Filii *Absolonis*. Atque hæc est illa *meditatio*, quæ *admirationem, devotionem, humillimas grates* in corde *Davidis* divinitus excitavit. Huc quadrat *SELAH Chabacuci vers.* 9. *insertum*, & *vs.* 13. *appositum*; Utrobique enim obtinet *hic admirationis sensus*: O *Fortissime* & *Potentissime* DEUS!

(δ) *Cum seria lamentatione & conquestione*. Sic *Psal.* 39: vs. 6. dolet *David vices Hominum*, quod ipsorum *vita nil nisi vanitas* sit, ô SELAH! q. d. das sey GOtt geklagt. Idem sensus recurrit vers. 12. ejusdem Psalmi. *Similiter Psal.* 88: 8. queritur Psaltes: *Et omnibus fluctibus Tuis afflixisti me*, ô Selah! i. e. ô *Severissime Conculcator atque Prostrator! Pariter Psal.* 89: 46. hic sensus occurrit, ubi *David summam Messiæ Exinanitionem* deplorat sequentibus: *Decurtasti dies juventutis ejus, & obvelatum reddidisti Eum cum pudore*, ô SELAH, h. e. *Justissime Deus!* Adde huic versiculo versum 49. ejusdem *Psalmi* manente eadem explicatione.

(ε) *Cum singulari confidentia*. Utpote *Psalm.* 46. in quo *Psaltes* insuperabile veræ Ecclesiæ præsidium (Eine feste Burg) descripturus *versiculo* 4. sic exclamat: *Sonent sane & turbidæ fiant aquæ ejus, & tremant montes in summitate sua, ô SELAH*, Cui sc. in silentio & spe firmiter adhæreo.

(ζ) *Cum sincera exprobratione & detestatione*. Sic *Psalmo* 4: 3. Religiosissimus *David* Proceres aulæ suæ increpat, quod mendaces delationes, calumnias, falsa testimonia de Rege coram

(zzz) *Conf. Eduardum Simonium in Chron. Cathol. P. VI. ad A. M.* 3978. *p.* 76. *Add. AM.* 3981. *p.* 77. *Vid. Actor.* 25: 21, 25. *ubi Nero appellatur* Σεβαστὸς, *quem Rex Agrippa cap.* 26: 32. καίσαρα *vocat.*

coram populo confingant. Quocirca *per apostrophen* ad DEUM ita provocat: O SELAH, q. d. *O immortalem DEUM! quis tantæ malitiæ, tantarum persecutionum, conspirationum finis erit?* Germani hanc ellipsin sic supplebunt: **Das vergeb euch GOtt.** Huc quoque digitum intendit *Asaph*, quando *Psalm.* 82: 2. Magistratui vitium ἀνθρωποληψίας dissuadet h. m. *Quousque facies impiorum sumitis?* ô SELAH! h. e. Tu *Optime & Summe Rerum Arbiter judica!* Dehinc *Execrationis sensum* prodit *Psalmi* 49: *versus* 14. Ubi *Psaltes* ait: *Hæc est via* (consuetudo) *stultorum talium* (divitum hujus mundi): *Et tamen post eos* (sc. Surgentes posteri hac via) *ore suo delectantur*, ô SELAH i. e. *omnipotens & æterne DEUS! Tu hæc vides, Tu vindicabis tantam & adeo incorrigibilem hominum stultitiam.* Huc referre licet *Psalmi* 52: *versiculum* 5. in quo David Proditoris *Doëgi* aliorumque Calumniatorum indolem his verbis exprimit: *Diligis malum præ bono, & mendacium præ loqui* (sive præ quam quod loquaris) *justitiam*, ô SELAH! q. d. *O mi DEUS! quanta est Hominum perfidia atque malitia! plus enim fidei dant Terræ Regibus, quam Tibi omnium Creaturarum* Domino. His adjunge *Psalm.* 59. vers. 6. 62: vers. 5. *Psalm.* 140: *versum* 4. 6.

(η) *Cum divina obtestatione & stipulatione.* Quando *David* calumnias & persecutiones superaturus agit præ cæteris cum DEO per *protestationem & imprecationem* in *Psalmi* 7. *commate* 6. ad hunc sensum: *Si injuriam fecero Bonis, Tu me deleto*, ô SELAH! Itidem *Psalmi* 50: *vs.* 8. DEUM testatur, quod voluerit in *solitudine permanere*, hinc desinit per ô SELAH, q. d. *Hoc Tu scis, qui omnia cognoscis.* Huc quam commodissime facit *Psalmi* 66. *tmema* 15. Ubi Deo promittit *Psaltes* lautissima holocausta cum hac exclamatione: ô SELAH! *Cui sc. hæc servata volo.* His accense *Psalmi* 60. *comma* 6. *Psalmi* 32: *versum* 5. &c.

(ι) *Ablative* nostrum SELAH efferendum videtur in *Psalmi* 3. *inciso* 3. Ubi *David* exilio & persecutione afflictus de hostium suorum dicteriis conqueritur his verbis: *Multi dicunt animæ meæ non esse salutem* (vel auxilium) *ipsi* באלהים סלה *in DEO SELAHO.* Germ. **Bey dem Allerhöchsten und Barmhertzigsten GOtt.**

§. VIII. Atque hæc sunt *exstantiora loca*, in quibus *casuum flexio* ocularem facilemque subministrat *Selahi* sensum. Tu, *Benevole Lector*! in residuis locis ad similem modum haut gravatim perge, & solem veritatis in manu quasi geres. Dicis? *Germanica Lutheri Versio hanc declinationem vel jam datam vel adhuc dabilem in nonnullis locis difficulter admittit.* Dico: Non ex *rivulo*, sed *fonte* bibendum. *Ebræus* enim textus solus est, qui ex *constructione*, *accentuatione*, *idiotismo & phrasiologia* has nobis casuum motiones promptissime subdidit. *Dicis*: *Insolentes sunt in Scriptura talismodi Apostrophæ atque Ellipses per vocativum efferendæ, quia Lingua S. interjectionibus & particulis exclamandi, lamentandi, admirandi & obtestandi &c. destituitur.* Dico: Dantur omnino *apostrophæ* in arduis, miseris, seriis vel etiam iniquis, exprobrandis & execrandis casibus ad DEUM directæ, & tam in *principio*, quam *medio* & *fine* periodi usitatæ. Exempla harum *Apostropharum* (1) ab *initio periodi* obveniunt Psalm. 3: 1. 12: 1. 74: 1. 10. 144: 3. (2) In *medio*, ut *Psalm.* 92: 16. צורי **mein Hort.** *Esaiæ* c. 8: 8. עמנואל O **ImmanuEl.** (3) In *fine periodi*, ut *Psalm.* 9: 17. O *meditatio! Psal.* 73: *vs.* 18. 84: 4. 92: 1. **du Höchster!** 118: 15. (4) *Utrobique* tam *in principio*, quam in *fine versiculi*, ut *Ps.* 84: 9. 118: 15. Mirum igitur non est τὸ SELAH nunc antegredi, nunc sequi *querelas, obtestationes, execrationes, confessiones & mirabilium speculationes*; quippe quæ *DEI Majestatem* subito implorandam & semper invocandam docent. Cætera *Vocativorum efferendorum* discrimina ex toto sermonis nexu supplenda commendat *Spiritus S.* in *Psalm.* 9: 17. per *Higgajon*, quo ipso τὸ SELAH sensum pie indagandum voluit. *Dicis? Si SELAH est nomen significativum, cur igitur non omnes versiones illud translatum habent?* Respondetur. *Edmund Castellus S. T. D. Regiæ M. à sacris. Linguæ Arab. apud Cantabrigienses Prof. atque Ecclesiæ Christi Cantuariensis Præbendarius* (aaaa) observavit *Orientaliores* Metaphrastas (nec raro Syros) illud nomen plane omisisse; *Interpretes* autem *Occidentales fere* omnes illud retinuisse. Quod, cum *res* facti & diffusæ inquisitionis labor sit, à nobis prius *fidem*, quam *revisionem* obtinuit. Causa omissionis hæc assignari potest: quia *Orientaliores* supposuisse videntur τὸ SELAH esse notam *Musicam & metricam*, cujus usus in *versione* perit. Inde factum puto, quod nec *vulgata versio* illud nomen transtulerit, nec *Joh. Brentius* hinc explicuerit. Similiter *Biblia Germanica* antiqua *Norimbergæ* per *Anton. Kobburgeram* A. C. 1483. edita idem nomen ubique omiserunt. Cæteræ autem *versiones Septentrionaliores & Occidentaliores* post liberatum lucis Evangelicæ nitorem emissæ hoc nomen integrum suo loco collocant.

§. IX. Dicimus V. *Selah non tantum est nomen DEI essentiale, sed & personale.* Tribuitur enim (1) *Patri*, Creatori, Conservatori & Perditori Psalm. 89: 5. 46. 39: 12. 48: 8. 59: 14. 67: 5. 75: 4. 76: 4. (2) *Filio*, Salvatori, Psalm. 9: vs. 21. 24: 10. 89: 38. (3) *Spiritui S.* Lætitiæ spiritualis Moderatori Psalm. 32: 7. Linguarum Datori 87: 6. &c. Sic vox *trilitera* סלה *unitatem* Essentiæ & *Trinitatem* Personarum indicat, quod uberius declarare nobis nec licet, nec vacat.

§. X. Dicimus VI. *SELAH significat Excelsam DEI Majestatem.* Non enim SELAH *essentiam* DEI simpliciter indicat, ut אהיה, יה, יהוה; neque duntaxat DEI *existentiam* probat, ut cætera attributorum operumque Divinorum Nomina; neque *Thronum Divinæ Majestatis* detegit, uti שמים; neque *Excellentiam Altissimi DEI* subinnuit, ut עליון; sed *summam illam potestatem* infert, quam DOMINUS ille Altissimus ubique in regno *potentiæ*, *gratiæ & gloriæ* cum *Magnificentia*, *Dignitate & Veneratione* à Creaturis cognoscenda exercet. Hoc sensu *Selah* pluribus enucleatum dedit *purpuratus ille Propheta David* in Ps. 97. integro. Eundemque nostri Selah sensum genuinum esse probat (α) *Vis & significatio etymi*, cujus intuitu *Selah* dicit DOMINUM *Excelsum*, *supremum*, *magni æstimatum*, *summe celebratum*, *maxime laudatum*, qui non modo potest *sternere* impios & *exaltare* pios; sed & *destruere* omnia & tamen *Excelsus* manere. (β) *Addita Nominis Divini determinatio* sat perspicua, quando SELAH dicitur *beare* animas Ps. 3: 3. *Exaudire* vs. 5. *Benedicere* vs. 9. *Rex gloriæ* Ps. 24: 10. *DEUS* Jacob Ps. 46: 8. *Deus Judex* Ps. 50. 6. Adde, si placet, per accommodam declinationem cætera loca, & constabit veritas. (γ) *Parallelismus similium DEI Nominum.* Sic Ps. 9: 3. vocatur עליון. Ps. 148 13. dicitur נשגב exaltatum (sc. Nomen). Es. 57: 15. רם ונשא excelsus & sublimis (sc. Deus). Luc. c. 1: 76. προφήτης ὑψίστου. c. 2: 14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ. c. 1: 31. Υἱὸς ὑψίστου. vs. 35. δύναμις ὑψίστου.

§. XI. Dicimus VII. *Nomen SELAH saltem in Psalmis, hymnis atque canticis sacro-Ebræis occurrit.* Quod probatur (1) à *libera Spiritus S. inspiratione*, qua Amanuensibus sacris voces atque res, quas voluit, dictitavit ita, ut nulla κεραία ibidem otiosa reperiatur. (2) *Ab usu hujus nominis*, quippe quod *Poetis* sacris in oratione versa *Psalmorum*, *hymnorum & canticorum* tantum familiare fuisse videtur. Quomodo differant *Psalmus*, *hymnus* atque *canticum*? id *Hieronymus* (bbbb) docet, nempe *Psalmus* (stricte sic dictus) erat excitatus cantus Musicorum cum Instrumentis; *Hymnus* erat pius Musicorum cantus sine instrumentis. *Canticum* erat cantilena ab universo populo non sine *lege & modo* cantata. Quod vero *Davidicus* ille ספר תהלים *s. Liber laudum* nunc dicatur *Psalterium*, illud non ita accipiendum, quasi omnes illæ *Laudes* sint in *Psalmos stricte tales* redactæ, absit! sed à potiori fit denominatio, cum plures inibi contineantur *Psalmi*, quam *hymni* aliique *cantus* sacri sine instrumentorum strepitu decantandi. (3) *ab Exemplo aliarum vocum.* Sic שילה non nisi in uno Genesios cap. 49: 10. &c. reperitur. Denique illud hac occasione monendum, quod, licet *Selah* non *totidem verbis* alibi in prosa occurrat, legitur tamen passim *æquivalentibus* verbis, quod paulo ante probatum.

§. XII. Dicimus VIII. *SELAH in Psalmis* παχυλῶς *sic dictis & Chabakuci cantico reperitur septuagies & quater, illic LXXI, hic III. vicibus.* Loca hoc ordine se excipiunt. Ps. 3: 3. 5. 9. 4: 3. 5. 7: 6. 9: 17. 21. 20: 4. 21: 3. 24: 6. 10. 32: vs. 4. 5. 7. 39: 6. 12. 44: 9. 46: 4. 8. 12. 47: 5. 48: 9. 49: 14. 16. 50: 6. 52: 5. 7. 54: 5. 55: 8. 20. 57: 4. 7. 59: 6. 14. 60: 6. 61: 5. 62: 5. 9. 66: 4. 7. 15. 67: 2. 5. 68: 8. 20. 33. 75: 4. 76: 4. 10. 16. 77: 4. 10. 16. 81: 8. 82: 2. 83: 9. 84: 5. 9. 85: 3. 87: 3. 6. 88: 8. 11. 89: 5. 38. 46. 49. 140: 4. 6. 9. 143: 6. Chab. c. Ebr. 3: 3. 9. 13.

§. XIII. Dicimus IX. *Nomen SELAH septuagies in fine versuum* stat, *quater in medio sedet.* Illius finalis stationis causæ hæ sunt: quia (1) *Spiritui S.* Θεοπνεύστῳ sic placuit. Si DOMINUS voluit, dicere plura nefas! (2) *Accentus Regius distinctivus Silluck* hoc Nomen ἐμφατικώτατον ornare & ad finem protrahere debuit. (3) *Meditatio* tam Augusti & semper *adorandi*, nunquam sine intimo cordis elogio *dimittendi*, & aliquanto diutius *pensitandi* Nominis finem periodi efflagitavit. *In medio* versuum residet SELAH *quater*; nempe *Psalmi* 55. *commate* 20. 57: 4. *Chab.* c. Ebr. 3: 3. 9. idque non

(aaaa) *In Lex. Heptagl. col.* 2535.

(bbbb) *In Epist. ad Ephes. c.* 5. *T.* 9. *Op. f.* 115. *A.*

non cum *silluk*, sed *semel* cum *merka peschuta* & *mahpach* superno ante *pesik*, *ter* cum *athnach*, qui medietatem versuum per *colon* distinguere solet. Efferendum vero hoc medianum SELAH ubique est in *casu recto*; *ter* per nominativum, *semel* & ultimo loco per vocativum. Et hujus positionis caussam præter liberam *Spiritus S.* οἰκονομίαν indagasse est delirasse.

§. XIV. Hæc nostra sunt animi sensa breviter & incitato calamo concepta, quæ non nostri sed veritatis ergo expendi merentur. Sicuti autem Targumistarum *Æternitatem*, Rabbinorum *Certitudinem*, Reformatorum *Exclamationem*, Nostrorum Theologorum *Pausam* & *attentionem* cum nostra sententia (licet κατὰ μετάληψιν) facile conciliari posse largimur; Deus enim ille *Excelsus* etiam est *æternus*, *certus*, & *dignus*, Cujus Nomen cum *attentione* & tacita *meditatione* inter canendum aut legendum extollatur. Ita Illi à nobis nimiopere dissident, qui Nomen SELAH cum B. Glassio pro *Interjectione*; Cum Tremellio & Junio (cccc) pro *Adverbio*; cum B.B. Saxo-Vinariensibus Theologis (dddd) pro *devoto NB*, aut *indice marginali*, aut *asterisco*; cum B. Schindlero (eeee) pro *dictione sine sensu*, *voce enclitica & metrica & musica*, *nec regularem nominis formam nec significationem habente*; cum B. Joh. Michaëlis (ffff) pro *Nomine Dei appellativo* &c. agnoscunt & agnosci volunt. His enim reclamant omnia argumenta pro nobis superius adducta. Sed

Quilibet interea statuat, quæcunque placebunt.
Si modo sint *vero consona*, sintque *pia*.

(cccc) *In Interpp. V. T. per omnia loca, fol.* 197. *& seqq. Adde Joh. Piscator. in Scholio ad Psalm.* 3: *vers.* 3. *pag.* 14. (dddd) *In Bibl. Germ. ad Psal.* 3: *vs.* 3. *p.* 497. (eeee) *In Lexico Pentaglotto col.* 1221. (ffff) *In Dissert. Philolog. de Voce Selah Membr.* 1. §. 22.

CORNEL. HASÆI
PARABOLA SALOMONÆA
DE
CONVIVIO SUPREMÆ
SAPIENTIÆ
Ex Proverb. IX: 1-12.
ANALYSI VERBORUM & POSITIONIBUS THEOLOGICO-PHILOLOGICIS ILLUSTRATA.

ANALYSIS PARABOLÆ SALOMONÆÆ
DE
CONVIVIO SUPREMÆ
SAPIENTIÆ.

§. I.



UTi concio gravissima summæ Sapientiæ, superiore recitata cap. 8. opponitur orationi illecebrosæ *Meretricis*, capite descriptæ 7. ita in hac parabola cap. 9. convivium instructum à *Regina Sapientia* convivio opponitur *Mulieris Moriæ*. *Illud* describitur à vs. 1. ad vs. 13. *Hoc* inde usque ad finem capitis.

II. De illo partim *Sapientiæ* memoratur *apparatus* vs. 1-3. partim ejus exhibetur *Oratio* vs. 4-12.

III. Ad *apparatum* pertinet (1) *structura palatii* pro excipiendis hospitibus vs. 1. (2) *Alimentorum procuratio*. vers. 2. (3) *Famulitii ablegatio* ad invitandum convivas. vs. 3.

IV. *Exstructio* magnifici *ædificii* (a) memoratur in *genere*, *Sapientia summa ædificavit domum suam*: (b) explicatur *specialius*; *Et excidit columnas suas septem*, vs. 1.

V. *Apparatus convivalis* constat non solum (1) procuratione *victus salubris*, sive *res esculentas* spectes; *mactavit mactationem suam*: sive *poculentas*; *temperavit vinum suum*: sed & (2) accumulatione *omnium* ad cœnam *rectam* eamque *regalem* requisitorum; *Etiam instruxit mensam suam*. vers. 2.

VI. In *emissione famulitii* ad invitationem convivarum nota (a) *personas*, quarum opera Sapientia ad eam rem usa est; *Misit puellas suas*: (b) *Locum*, ubi invitatio peracta est; *Vocavit in pinnaculis celsorum urbis*, vs. 3.

VII. *Sermo* Sapientiæ partim *invitatorius* est, & per ministerium suarum puellarum directus *ad homines ad convivium vocandos*, vs. 4-6. partim *institutorius* & ad *puellas* directus, quæ invitare debebant vs. 7-12.

VIII. Sermo *prior* habet (א) *compellationem*; *Quis fatuus? Expers cordis?* (ב) *Invitationem* ipsam, vs. 4. 5. (ג) *Adhortationem*, vs. 6.

IX. *Invitat* Sapientia tum ad *accessum* ad se & in domum suam; *Fatuus divertat huc*, vers. 4. *dicit ipsi*, sc. destituto corde; *Venite*: tum ad *cœnæ* à se præparatæ *fruitionem*; *Vescimini de cibo meo*, *& bibite de vino*, *quod temperavi*, vs. 5.

X. Hortatio partim *proponitur*, ratione cum *fugiendorum*; *Relinquite stultitias* sive *fatuos*; tum *faciendorum*; & *incedite in via prudentiæ*: partim *suadetur*, à magno bono inde proventuro; Et *vivite* vs. 6.

XI. Sermo *institutorius* Sapientiæ puellas invitatrices informat partim de *personis*, quæ invitandæ sunt vs. 7, 8, 9. partim de *summa doctrinæ*, quam prædicare debeant vs. 8, 9, 10.

XII. *In-*

XII. *Instructio* de *personis* eas docet, cum qualesnam *cavere* debeant & sibi relinquere, vs. 7, 8. pag. 1. tum vero quosnam *vocare* è contrario. vs. 8. p. 2. & vs. 9.

XIII. In parte *prima* instructionis de *personis* vide (a) earundem *descriptionem*. Sunt enim eæ cum *Irrisor*, tum *Improbus*. (b) *Officia* circa illas *negligenda*; (c) *Caussas moventes*. vs. 7, 8. pag. 1.

XIV. *Officia* omittenda enumerantur *tria* (1) *castigatio*, (2) *demonstratio vitii*, (3) *redargutio*, ibid.

XV. *Caussæ moventes* indicantur *duæ* (א) à *convitio* irrisorum & improborum; quod inde metuendum est; *Qui castigat irrisorem, lucratur sibi ignominiam*, & qui *improbo demonstrationem facit vitii sui*. (ב) Ab *odio*, quo prosequuntur suos reprehensores; *Ne redarguas irrisorem, ne oderit te*. vs. 8. p. 1.

XVI. In parte *altera* instructionis de personis, distingue itidem (a) *commonstrationem earundem*, sunt enim eæ cum *Sapiens* tum *Justus*. (b) *Officia* circa eas *observanda*. (c) *rationes moventes*. vs. 8. p. 1. & vs. 9.

XVII. *Officia* heic pariter sunt *tria*. (1) *Demonstratio convincens*. vs. 8. (2) *Communicatio donorum*, quibus illi deficiuntur; (3) *Informatio* vs. 9.

XVIII. *Rationes* vero *permoventes* itidem sunt duæ. (1) ab *amore*, quo illi prosequuntur suos doctores; *Demonstrationem fac sapienti, & diliget te*, vs. 8. (2) à *fructu* insigni *ædificationis*, quem apud homines consequentur ejuscemodi; *Da sapienti, & sapiens fiet adhuc insuper: notifica justo & addet doctrinam*, vs. 9.

XIX. In parte *altera* institutionis de *summa* prædicationis, *partim* illa *sistitur*, vs. 10. partim argumentis roboratur persuasoriis vers. 11. & 12.

XX. Summa *prædicationis* à famulabus Sapientiæ ad homines invitandos habendæ docet. (1) quinam sit *primus sapiendi actus*; *Initium Sapientiæ Timor Jehovæ*. (2) *in qua re sita* sit vera *prudentia*; *Et cognitio S. S. est prudentia*. vs. 10.

XXI. *Argumenta persuasoria* promuntur tum à *bonis* salutaribus ex consuetudine *familiari* cum summa Sapientia oriundis. vs. 11. tum à *proprio* vel *lucro* vel *damno*, quod sibimet ipsi unusquisque pro diversitate sui studii conciliabit. vs. 12.

XXII. *Bona* ex commercio familiari cum Sapientia promanantia sunt (1) *Longa vita*; *Nam in ME multiplicabuntur dies tui*: (2) conjuncta cum longævitate *jucunditas*: *Et addent Tibi annos VITÆ*. vs. 11.

XXIII. *Bonum* malumque *proprium* sic exhibentur, ut *illud* Sapientia *promittat* veræ *sapientiæ Studiosis*; *si sapiens factus sis, tuum erit*: *Hoc* vero *comminetur* τοῖς ἐμπαίκταις; *Et sit irriseris, solus feres*. vs. 12.

Positiones Theologicæ & Philologicæ

PARABOLAM SALOMONÆAM

De

CONVIVIO SUPREMÆ SAPIENTIÆ ILLUSTRANTES.

CAP. IX. PROVERBIORUM.

Ad vers. 1.

I. PEr *Sapientiam* heic neque cognitionem *habitualem* hominum, neque *essentialem* DEI, sed *personam* intelligi, vel sola illa prædicata *personalia* evincunt satis, quæ illi cum cap. 1. vs. 20-33. & cap. 8. integro, tum commatibus 3. prioribus hujus cap. 9. attribuuntur.

II. Personam autem hanc non Beatam Virginem *Mariam*, quod quidam è *Pontificiis* vellent, apud quos quotannis in ejus honorem cap. 8. Proverbiorum d. 5. mensis Augusti, teste Corn. à *Lapide*, publice prælegitur, sed τὸν λόγον, *Filium DEI* esse, partim ex iis, quæ cap. 8. de æterna ejus & *generatione*, vs. 22, 24, 25. & *unctione*, vs. 23. coll. cum Psal. 2: vs. 6, 7. affirmantur, partim ex locis iis N. T. perspicuum est, ubi ille *Sapientia & Dei & fidelium* dicitur, Luc. 7: vs. 35. 11: 49. coll. cum Matth. 11: 19. 23: 34. 1 Cor. 1: 24, 30.

III. Dicitur vero חכמות *Sapientiæ*, hic & cap. 1: 20. ac si tu dicas, *Sapientia summa*, vel *Sapientia sapientiarum*, non solum, quia *thesauri omnes sapientiæ & scientiæ in eo reconditi sunt*, Col. 2: 3. sed & quia sapientiæ omnis in creaturis rationalibus, inprimis autem in hominibus electis, fons & auctor est. 1 Cor. 1: 30.

IV. Neque tamen ineptas putamus cogitationes eorum, qui hic simul cogitant de *Patre & Sp. S.* Ut quemadmodum Deus unus & trinus vocatur *Sancti* vs. 10: & alias sæpe nomina & epitheta obtinet in numero plurali, ita hic vocabulum plurale חכמות *Sapientiæ* denotet *tres illos, qui unum sunt, testantes in cœlo*, 1 Joh. 5: 7.

V. *Domus Sapientiæ*, opposita domui infelici *Adulteræ*, de qua cap. 7: 8, 11, 27. non est *corpus* vel humanum in genere, quod *Grotius* vult, vel illud τοῦ λόγου speciatim, quod *Bungo* placuit; neque *Academia*, à Salomone, (quod ex h. l. *Pineda* exsculpsit) juxta domum Regiam Hierosolymis exstructa, nec *templum* denique ipsum *Salomonæum*, sed ejus ἀντίτυπος, domus spiritualis DEI, hoc est, *Ecclesia*, sive *militans* in terris, præprimis sub Oeconomia N. T. sive *triumphans* in cœlis. Vide Psal. 5: 8. 23: 6. 27: 4. 36: 9. 52: 10. & conferto 1 Cor. 3: 16, 17. 6: 19. 2 Cor. 6: 16. 1 Tim. 3: vs. 15. 2 Tim. 2: 20. Hebr. 3: 6. item Joh. 14: 2, 3. 2 Cor. 5: vers. 1, 2.

VI. Exædificatio domus, quæ hic à *Sapientiis*, vel à Sapientia *suprema* peracta dicitur, eadem alias vel DEO in genere, vel speciatim DEI *Filio* tribuitur. Zach. 6: vs. 12, 13. Matth. 16: 18. 1 Cor. 3: 9. Hebr. 3: 3, 4.

VII. Quum *columnarum* magnus sit in ædificiis cum exornandis tum stabiliendis usus, adhibitarum in eam rem ab omni ævo in structuris splendidioribus, Exod. 26: 32, 37. Jud. 16: vers. 25: 26. 1 Reg. 7: 2, 6, 15. Esth. 1: 6. Id quoque in genere heic videtur indicari, *Sapientiam*, ceu architectam peritam domui suæ de *fulcris* & *ornamentis* egregie prospexisse, quum paravisse *septem columnas*, & quidem eas *excidisse* dicitur.

VIII. Sunt autem *columnæ* illæ, à domo ipsa, tanquam quoddam ejus decus & stabilimentum distinctæ, non VII. *Sacramenta*, quorum nullum in scripturis fundamentum est, nec *sensus* totidem, si scilicet V. illis, qui vulgo numerantur, cum aliis *vocem* & *memoriam* addas, quod miramur Hugonem *Grotium* velle potuisse, nec VII *artes liberales*, quod *Aben-Esra* nugatus est, neque VII *Synagogæ* in monte Sionis, in quorum uniuscujusque medio columna fuerit, in quam Doctores verba facturi ad Populum adscendebant, uti quidam Hebræorum magistri tradunt, sed potius sunt illæ *Animæ* fidelium præ cæteris *robustiores* & sapientiores, sive τέλειοι & *Viri in Christo*, qui tanquam *vivæ columnæ* per distincta VII. N. T. tempora Ecclesiæ DEI, universæ decus ingens atque infirmioribus multum roboris conferunt. Proverb. 10: vs. 25, 30. Gal. 2: 9. Apoc. 3: 12.

IX. Tametsi autem definitum numerum *septenarium* sæpe alias pro indefinito poni, *copiæ* alicujus & *perfectionis* denotandæ caussa, negandum haud temere sit; Gen. 4: 15. Levit. 26: 18. Psalm. 79: 12. 119: 164. Prov. 6: 31. 24: 16. Es. 4: 1. 26: 25. Job. 5: 19. agnoscendum tamen quoque profecto & illud est, hoc illum loco, non minus ac in typis & vaticiniis quam plurimis aliis V. T. vel cum maxime respicere & connotare posse VII illas temporum *periodos*, secundum quas Spiritus S. in Apocalypsi Fata omnia Orbis & Ecclesiæ, quæ & una & septiformis est, digessit. Exod. 12: 15. Lev. 23: 41, 42. Lev. 16: 18. Jos. 6: 4, 15. Psal. 12: 7. Zach. 3: 9. Ut adeo, si hanc domum de Ecclesia militante N. T. accipias, significetur, illam per omnes septem ætates suos habituram *lapides vivos*, qui præ cæteris *in fide fundati & stabiles permaneant, nec dimoveantur à spe Evangelii, quod audiverunt*, Col. 1: 23. 1 Petr. 2: 5. Vide *August.* de C. D. XVII. 4.

Ad vers. 2.

X. Ut טבח טבחה hic non minus, quam Gen. 43: 16. in genere accipere licet de *mactatione & coctione quorumvis altilium*, ita vicissim nihil obstat, quo minus & de *immolatione* intelligas *Victimæ cujusdam sacrificalis*, quæ cum emphasi *victima* dici possit *Sapientiæ supremæ*. Ut adeo in hac parabola idem videatur significari, quod in illa de *Filio prodigo* per τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν, *juvencum illum saginatum*, quem Pater *adduci mactarique* jubet, ut *sumptis epulis lætari possent*; Luc. 15: 23. *Caro* nimirum Christi crucifixa, quæ *vere cibus est, quamque ille dat pro mundi vita*. Johan. 6: vs. 51, 55.

XI. Consimiliter *vinum*, quod suis propinat Sapientia, hic non minus ac in institutione S. Cœnæ emblema videtur esse *sanguinis* Christi, qui *vere potus est*, Joh. 6: 55, 56. & *quem ille effudit pro multis in remissionem peccatorum*. Matth. 26: 28.

XII. Neque ex voce מסך colligere licet, pro more Orientalium, τὴν ἀκρατοποσίαν haut facile admittentium, Sapientiam convivis suis *merum* non apposuisse, nisi aqua temperatum. Sicut

Sicut enim Græcorum *μίσγειν* & *κερᾷν* usurpantur ab *Homero* & ab aliis simpliciter, pro *infundere* & *bibendum porrigere*, tametsi proprie *miscere* significant, ita & vocis hujus Hebrææ parilem esse usum ex Es. 5:22. clarum est. Eodem modo & apud Latinos *Martialis*, Epigr. XIII. 108.

Misceri decet hoc à Ganymede *merum.*

XIII. *Fercula* cætera & oblectamenta convivalia, quorum cogitatio hic, præter *carnes victimales* & *vinum* injicitur, dum Sapientiam *insuper*, ceu scitam aliquam convivatricem, *suam* audimus *instruxisse mensam*, facile nobis in memoriam revocant *reliqua* omnia *bona melioris Testamenti*, cum *gratiæ* tum *gloriæ*, quæ Dominus Jesus una cum *carne* & *sanguine* suo, & propter eorum tum *crucifixionem* tum *fusionem*, sic suis impertitur, ut eorum in hac quidem vita jam lætum aliquem gustum, in futura vero plenissimam percipiant satietatem. Confer Matth. 22:4. cum Luc. 14: vs. 17. & vide porro Psal. 23:5. Jes. 25:6. 55:1, 2. Cant. 5:1.

XIV. *Mensam* vero his onustam beatamque cœlestibus Sapientiæ lautitiis, si cum *Mercero* aliisque *tabulas* existimes adumbrare *verbi divini*, me quidem judice non ineptiveris. Eæ enim certæ sunt, quæ vivificam hanc carnem & potum lætificum una cum omnibus Christi beneficiis salutaribus famelicis illis & sitibundis animabus, quibus in domo Sapientiæ accumbere datur, palam repræsentant atque largiter offerunt.

Ad vers. 3.

XV. Uti porro feminæ principes ex præscripto τ͂ πρέποντ͡ος famulatui suo familiariori personas amant adhibere sui sexus, quemadmodum ab exemplis Rebeccæ, Filiæ Pharaonis, Abigaëlis, Estheræ & aliarum patet, Gen. 24:61. Exod. 2:5. 1 Sam. 25:42. Esth. 4:4. ita illi, quorum opera Regina Sapientia in adducendis ad se & communionem suam hominibus utitur, quales magno interpretum consensu olim *Prophetæ* & *Apostoli* fuere, hodieque *Doctores verbi & Pastores* sunt, sub schemate *puellarum* vel *ancillarum* introducuntur: Confer Psal. 68:12, 26.

XVI. Atque videtur hoc emblemate sexus blandioris Spiritus S. voluisse uti, non solum, quia ratio allegoriæ id postulabat, sed & ut ministros hoc schemate virtutum commonefaceret, quarum puellæ generosiores, quæ in Reginarum comitatu & contubernio sunt, exemplum adfulgere solent, *obsequii* inprimis promtissimi, *affabilitatis* vorticordiæ & castæ denique *munditiei*. Psalm. 123:2. Jes. 52:7. 1 Thess. 2:7, 8. Apoc. 14:4.

XVII. Quando jam Sapientia vel ipsamet, vel per suas puellas *fecisse præconium* קרת מרומי על־גפי *super pinnaculis celsorum urbis* dicitur, non tam cum quibusdam putamus *locum* significari cœnæ, *quo* convivæ vocati sunt, quam cum aliis *locum* prædicationis ipsius, *ubi* scilicet illa facta est.

XVIII. Fuisse autem hoc præconium plane *publicum* patebit, si per *Urbem* non solum *Hierosolymas*, & per *celsa*, *Templum*, Synagogas, cæteraque loca frequentatiora publicorum conventuum, perque *pinnas* vel alas *celsorum*, templi Synagogarumque *suggestus* & cathedras, aut *tecta* domorum, in quibus DEI Filius & ipsemet & per discipulos suos docuit Evangelium, Matth. 10:27. Sed, quod percommode posse fieri putamus, per *Urbem* præterea *mundum* habitabilem aut *Imperium Romanum*, quod est *Urbs illa magna*, *in qua Dominus noster crucifixus est*, Apoc. 11:8. Per *Celsa* vero *urbis præcipuas* mundi *civitates*, *Romam*, *Athenas*, *Corinthum*, *Ephesum* similesque, & per *pinnacula* denique *celsorum*, Urbium prætoria, palatia & curias, e. gr. *Prætorium Romanum*, Phil. 1:13. *Areopagum* sive vicum Martium *Atheniensem*, Act. 17:19, 22. & ex hoc genere loca celebriora alia intelligamus.

XIX. Etsi vocem גפי, husquam extantem alias, non inepte quidam cum R. *Nathane* exponant per aliam ejusdem soni & organi, גבי *celsitates* vel *eminentias* significantem, attamen, quia harum jam mentio exstat in voce sequente מרומים, rectius illam *Mercerus* & alii à *Chaldæis* putant sumtam, τὰ πτερύγια sive *alas* גפין appellantibus.

Ad vers. 4.

XX. Formula loquendi, qua Salomon hic & passim utitur, לב *cor* pro *animo* ejusque *sapientia*, & חסר לב *destitutum corde* pro *amente* ponens, veteribus etiam Romanis perusitata fuit, teste ipso *Cicerone* Tuscul. quæst. I. 4. *Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo excordes, concordes, vecordesque dicuntur: Et Nasica ille prudens, bis Consul, CORCULUM, & egregie cordatus homo catus Ælius sextus*; scil. ab *Ennio* Poëta ita dictus, uti legitur apud eundem *Cic.* de Orat. I. 45. Adde illud *Plauti* in Milite glorioso, Act. III. scen. 1. vers. 188. de muliere meretrice;

Cui sapiat pectus, nam COR non potest, quod nullum habet.

Et illud *Furii Bibuli* de *Catone* Grammatico:

En COR Zenodoti! en jecur Cratetis!

Ad vers. 5.

XXI. Quum vs. 2. cum *Vino* conjunctæ fuerint epulæ mactando paratæ, præstiterit forte hic לחם non significatione stricta de *Pane*, ex terræ frugibus confecto, sed latiori de *victu quovis* esculento, quemadmodum *vinum* de *potulento* accipere adeoque hunc locum convertere: *Venite*, *edite* de *CIBO meo.* Sicut alias etiam vel lacticinia, & arborum fructus nomine לחם veniunt. Prov. 27:27. Jer. 11:19.

XXII. Τὸ ב in vocibus בלחמי & ביין non videtur hic redundare, quod Sal. *Glassio* visum, sed pro מן poni, & tum *partitionem* denotare, ut Lev. 22:4. tum κοινωνίαν & *corporis & sanguinis Christi*, dum ex *eodem uno pane* & vino *participamus omnes*, 1 Cor. 10:16, 17.

XXIII. *Vesci* autem de *cibo* Sapientiæ, & *bibere de vino*, quod illa *temperavit*, est id facere, quod opus est facto, ut fames sitisque spiritualis tollatur, nempe ut habeas filium DEI cum beneficiis suis omnibus per mortem partis in te manentem, ad participationem plenam & lætificam justitiæ & vitæ. Id vero est *credere in eum*, *quem misit Pater.* Johan. 6: vs. 29, 35, 40.

Ad vers. 6.

XXIV. Licet vocem פתאים sensu *concretivo* accipiamus pro hominibus *fatuis*, non tamen hic, quod Matt. *Geierus* putabat, *objectum* desiderabitur *deserendum.* Illud enim sunt certe *fatui* non minus ac eorum *fatuitates*, sensu abstractivo. Nimirum illos, qui antequam à sapientia vocarentur, *fatui* quoque vel *simplices* fuerunt, vs. 4. jam ea non vult tales porro manere, sed mutare mores suos rationemque vitæ omnem, adeoque relinquere deinceps fatuos omnes, cum quibuscunque suis stoliditatibus, neque quidquam cum iis habere commercii. Confer 1:15, 22. 4:14, 15. Psal. 1:1. 1 Cor. 15:33.

XXV. וחיו Et *vivite* rectius de *promissione* Vitæ veræ & in emphasi sic dictæ, quam cum quibusdam de *præcepto* aliter ac nuper factum est vivendi, intelligitur. Confer Prov. 4:4. & 7:2.

Ad vers. 7.

XXVI. מומו in membro posteriore hujus commatis rectius construitur cum participio מוכיח *demonstrans*, quod proxime antecedit, quam cum participio לוקח *accipiens*, quod ex membro priori repetendum foret, adeoque melius de *vitio* accipitur, cujus improbo, qui eo laborat, demonstratio fit, quam de *macula* convitii, qua qui improbum corripit, ab eo adspergitur.

Ad vers. 8.

XXVII. Ne severa Pauli monita, 1 Tim. 5:20. 2 Tim. 4:2. & perpetua Virorum Dei, immo ipsius *Christi*, malos objurgantium exempla cum hoc præscripto Sapientiæ; *ne increpa derisorem*, *ne oderit te*: adversa fronte pugnare videantur, observandum, illud (1) non de *quibusvis* promiscue peccatoribus, inter quos sane & *fatui illi excordesque*, quos ipsa Sapientia vocat vers. 4. sed de לצים *scurris*, *irrisoribus*, & רשעים *impiis*, *damnatis*, hoc est, profanis & pertinacibus veri omnis bonique contemtoribus, quales sunt ἐμπαῖκται, κατὰ τὰς ἰδίας αὐτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι τῶν ἀσεβειῶν, *illusores*, *qui secundum proprias concupiscentias ambulant impietatum*, 2 Petr. 3:3. Jud. vs. 18. neque (2) de iis *occultis*, sed in apertam lucem protractis spectatisque, adeoque (3) non de redargutionibus omnium *primis*, sed iterum iterumque frustra *repetitis*, iisque (4) non tam *publicis*, ad cœtum quendam, in quo cum malis commixti sunt boni, apud quos admonitio salutaris suum potest fructum nancisci, quam de *privatis* ad unum alterumve profanum, extra locum sacrum constitutos, idque (5) magis *indulgendo* & veniam quandam faciendo, ut ne putes reprehensionem seriam irrisorum semper & ubique æque necessariam, quam stricte *injungendo* & præcipiendo, hic ab ea enunciatum esse. Confer. Prov. 23:9. Sirac. 32:6. Matth. 7:6.

XXVIII. Tantum abest, ut stulti sint, quod vulgo putant, qui reprehendi se miti animo patiuntur, ut qui non amore sincero prosequitur, à quibus amice corrigitur, sapiens dici non possit. Rectissime & ad mentem supremæ Sapientiæ *Seneca*: *Admoneri bonus gaudet. Pessimus quisque correptorem asper-*

asperrime patitur lib. III. de Ira. cap. 37. Confer Psalm. 141: 5. cum Prov. 27: 6. 28: 23. & Amos. 5: 10.

Ad vers. 9.

XXIX. Modum Hebræorum loquendi, quo לקח λαμβάνειν, *capere* tantundem ac *discere*, ut Prov. 1: 3. & נתן *dare* idem valet ac *docere*, ut hoc loco, Helladi quoque & Latio non incognitum fuisse, Joh. *Drusii* observatio est. Confer Luc. 1: 77. Sic *Melibæus* apud *Virg.* Ecl. 1: 19.

Sed tamen iste DEUS qui sit, DA, Tityre nobis.

Atque hinc factum, ut παράδοσις *traditio* pro *doctrina* accipiatur: 1. Cor. 11: 23. 15: 3. 2. Thess. 2: 15.

Ad vers. 10.

XXX. Aurea hæc gnome, qua *Timor Jehovæ* esse *initium sapientiæ* docetur, tanto *Philosophis*, hoc est, sapientiæ Studiosis & amatoribus omnibus debebat esse commendatior, quanto magis Spiritus DEI ostendit, disci eam satis vel doceri nunquam posse, dum non solum eam per religiosissimos Viros *Hiobum* cap. 28: 28. & *Davidem* Psalm. 111: 10, 11. inculcandam, sed & per *Salomonem* Regum sapientissimum iterum iterumque repetendam, imo eam ceu quandam summulam non solum totius libri Proverbiorum cap. 1: 7. sed & universæ *Doctrinæ Euangelicæ*, à ministris Sapientiæ hominibus salvandis tradendæ, hoc loco proponendam duxit. Conf. Deut. 10: 12. & Eccles. 12: 13.

XXXI. Tametsi interpretatio eorum, qui vocem קדושים *neutraliter* accipiunt, de *rebus sanctis*, & per *scientiam sanctorum*, *Theologiam* sive cognitionem rerum sacrarum intelligunt, quæ vere בינה *Intelligentia* sit, præ ceteris disciplinis omnibus, absurditatis ullius argui non possit, facere tamen cum iis malumus, qui *masculine* accipiunt, idque non *subjective*, pro *scientia*, qualis in sanctis Angelis & Hominibus, DEI ministris est, sed *objective* pro *cognitione Sanctorum*, h. e. personarum divinarum, quæ sunt *Jehovah*, de quo in membro priore agitur. DEUS enim verus, qui unus & trinus est, etiam in plurali SANCTI dicitur, æque ac in *Institutione juventutis Salomonæa* ex Eccl. 12: 1. eum sæpe in num. pl. CREATORES dici monuimus. Confer Prov. 30: 3. Jos. 24: 19. Dan. 7: 27. Hos. 12: 1. cum Jes. 6: 38. Apoc. 4: vs. 8. *Cognitio* autem recta horum SANCTORUM, qui *tres & unum sunt, inque cœlis testantur*, vera *intelligentia*, immo *prudentiæ* omnis salutaris fons ac compendium est. Joh. cap. 17: 3. Col. 2: 2, 3.

Ad vers. 11.

XXXII. Et possunt sane iidem hi SANCTI, *Pater, Sermo & Spiritus S.* subintelligi percommode, quando nunc porro in *tertia persona plur. activi* legimus :ויוסיפו לך *Et addent tibi* sc. Sancti illi, quorum cognitio vera prudentia est, *annos vitæ.*

Ad vers. 12.

XXXIII. Emphatico isthoc verbo אם חכמת חכמת לך *Si sapiens fueris, sapiens eris Tibi*, Sapientia suis quidem discipulis breviter idem dixit, quod Pater ille *Plautinus* filio proprium colenti agrum hisce suggerere voluit pluribus, in *Mercat.* Act. 1. Sc. 1. vs. 71, 72.

Tibi aras, Tibi occas, Tibi seris, Tibi eidem metis;
Tibi denique iste pariet lætitiam labos.

XXXIV. Quemadmodum & Imperator M. *Antoninus* eleganter expressit, quod sequitur: ולצת לבדך תשא *Sive illuseris, solus feres*: quando lib. IX. τῶν εἰς ἑαυτὸν sect. IV. dixit: Ὁ ἁμαρτάνων ἑαυτῷ ἁμαρτάνει. Ὁ ἀδικῶν ἑαυτὸν κακοῖ, κακὸν ἑαυτὸν ποιῶν.

XXXV. Quum vero jam *Cognitio* recta veri *Dei* cum ejusdem sincero *Timore* conjuncta tantas habeat tum *hujus* tum *futuræ vitæ promissiones*, vehementer utique optandum fuerit, ut, quotquot *Sapientiæ æternæ* audire *discipuli*, & jam nunc *accumbere Mensæ in domo ejus instructæ*, *vescique victima ejus mactata*, & *bibere vinum* avemus, *quod illa miscuit*, præmisso severo cordis nostri scrutinio, affirmare de nobis singulis idem liceret, quod de se *Obadiah* ad *Eliam* dixit: *Servus tuus timet Dominum ab infantia sua.* 1. Reg. cap. 18: 12. Aut, si id minus testari de nobis ipsimet audeamus, ob summam cordis nostri fraudulentiam, ille saltem, *qui corda scrutatur & explorat renes*, hoc nobis testimonium perhiberet, quod de *Hiobo* ad Satanam, accusatorem fratrum perpetuum, pronuntiavit: *Advertistine animum tuum ad servum meum Hiob? Vir integer est & rectus, TIMENS DEI, & recedens à malo!* Hiob. 1: 8.

M. DAV. WENDELERI
DISSERTATIO
De quatuor Absconditis ad Prov. XXX: 18, 19.

PRÆFAMEN.



Rave suscipimus negotium, nostris impar humeris. Dum enim illa Quatuor abscondita ex Prov. cap. 30: 18, 19. scrutamur, & argumenti gravitatem invenimus & quoque intricatas multorum de genuino horum verborum sensu dissertationes. Nam statim de auctore horum verborum magna inter interpretes lis versatur, dum quidam Salomoni, quidam vero Aguri, cujus initio capitis mentio fit, hæc verba solent adscribere. Atque ita statuunt plerique Judæi, Salomonem Agur illum esse, Thalmudistæ, apud R. Salomonem in Eccles. 1. Rabbi Levi in h. l. qui *Salomonem dictum Agur ait, propter verba, quæ complevit in colligendo hoc libro, sicut seipsum vocat Ecclesiasten, propter verba collecta in libro Ecclesiastis, ac Filium vomitionis & congregationis, quod colligendo intra seipsum & congregando de cogitationibus in concionibus magnis, aliis communicavit, & voluerit copiose proponere Prophetiam.* Et similiter Rabbi Salomo notat, Salomonem vocari Agur filium congregationis, quia colligit omnem sapientiam & collectionem. Cui sententiæ suum quoque adjicit calculum Cornelius à Lapide in h. l. *Verba Aguris*, inquit, i. e. *Salomonis*, *qui fuit Agur* i. e. *congregans*: *& filius Jake* i. e. *vomentis*, *quia ipse suam sapientiam hic congregavit, eamque in paucos quaternarios contraxit, ac suam mentem sensusque in Deum collegit, ut ejus lumina divina abunde hauriret, eisque plenus illa deinde aliis pleno ore eructaret, tanta abundantia, ut eam evomere videretur, perinde ac fornax non absurde, sed eleganter dicitur vomere scintillas & ignes, quia illos copiose ejaculatur*, & Virgilius ait: *Umbo vomit aureus ignis.* Quam sententiam præter ipsum adhuc amplectuntur, Beda, Lyranus, Hugo, Arboreus, Dionysius, Peltanus & alii. Verum probabilior mihi eorum sententia esse videtur, qui Agur virum fuisse doctum, sapientem & integrum Salomonis tempore credunt, cujus idcirco dicta huc vel Salomon vel alius aliquis postea retulerit. Non enim credibile est, cur Salomon tantum in versibus adeo paucis nomen non modo suum, sed & juxta adversariorum judicium parentis mutare voluerit. Quapropter iis adhæresco, qui Agur filium Jake censent celebrem fuisse virum juxta ac sapientem, & horum dictorum esse auctorem, uti *B. Lutherus*, *Philippus Melanchton*, *Magnificus Dn. D. Geierus*, *Theologus de Ecclesia Christi meritissimus in* Comment.

Comment. ad h. l. Glassius Phil. Sacr. l. 4. tract. 3. Oecolampadius, Theod. Peltanus, Junius, Tremellius, Piscator, Cornelius, Jansenius & alii credunt. Inquis autem, sic non amplius Salomonis, sed Aguris quoque erunt dicenda Proverbia: sed respondemus cum summe Reverendo D. Geiero in Comment. Prov. in Prolegom. Non infringunt hæc, Salomonem præsentis libri esse auctorem, si quis ex Lipsio, Scaligero, Aristotele, Seneca insigniores seligat sententias vel flosculos (quod sane fecerunt non pauci) annon sententiæ illæ manent Lipsii, Scaligeri &c. ut ut in unum corpus vel epitomen ab alio redactæ fuerint sive Franc. Swertio sive Jacob Bouchereau Parisino, sive Itabyrione. Sic si Aguris recte noster Salomo recensuit, & concinnius forte, si non emaculavit, attamen disposuit aut ordinavit, atque inter sua ipsemet numeravit, an propterea Salomo non suo jure manebit scripti præsentis auctor? Postquam hæc enucleavimus, jam ipsam aggredimur explicationem & sequamur, quos dudum habuimus, præcursores. Si minus recte ambulaverimus, erigat nos illud dictum, quod Salomon 1. Regum. 8: vers. 46. 2. Paralip. 6: 36. Eccl. 7: 21. exprimit: אשר לא יחטא אין אדם errare humanum est. Tu autem, Summe Deus,

Salebras inter & tenebras iter
Ostende rectum, & erutum sequacibus
Erroris undis, prævio lucis Tuæ
Splendore deduc veritatis in viam.
Te nempe ab uno pendeo spe, te Deum
Unum & salutis columen cognosco meæ.

Textus Originalis.

שְׁלֹשָׁה הֵמָּה נִפְלְאוּ מִמֶּנִּי וְאַרְבָּעָה לֹא יְדַעְתִּים׃ דֶּרֶךְ הַנֶּשֶׁר בַּשָּׁמַיִם
דֶּרֶךְ נָחָשׁ עֲלֵי־צוּר דֶּרֶךְ־אֳנִיָּה בְלֶב־יָם וְדֶרֶךְ גֶּבֶר בְּעַלְמָה׃

THESIS I.

MUltas hic ut evolvamus versiones, haud operæ precium duco. Qui eas desiderat, potest consulere Biblia vulgo Complutensia dicta studio & sumptibus Franc. Ximenii, Cardinalis & Archiepiscopi Toletani edit. Anno M. D. XVII. Antwerpiana sive Regia Hispan. opera Bened. Ariæ Montani Anno M D LXXII. Parisiensia sive Gallica, per Anton. Vitre, M DC XLV. Londinensia sive Anglicana Polyglotta Briani Waltoni, Anno M. DC. LVII. Addantur Biblia Buxtorfii Commentar. Ebr. Interpr. Illustr. Targumim sive translationes: Onkeli Jonathanis, Jerosolymitana, Syra, Arabica, nec non Persica Jacobi Tawusi: Quæ omnes in Bibl. Polyglottis reperiuntur. Extant præterea Græcæ Versiones: LXX. Interpretum, Aquilæ Theodotii, Symmachi, Latinæ: Vulgata, Hieronymi, Pagnini, Vatabli, Munsteri, Osiandri, Tremellii, Junii &c. Germ. Beat. Lutheri, Dietenbergii & aliæ.

THESIS II.

שְׁלֹשָׁה הֵמָּה נִפְלְאוּ מִמֶּנִּי] Tria sunt abscondita à me, Chald. reddit occulta ut & Tremellius & Piscator, Vatablus, Tria sunt excellentia & supra captum meum. Hoc loco Masculinum ponitur pro Neutro. Ebræi enim cum Neutro destituantur, illud modo per Masculinum, modo per Fœmininum exprimere solent. LXX. reddiderunt Τρία δέ ἐςιν ἀδύνατά μοι νοῆσαι. Ubi ἐςὶ ponitur pro εἰσί. Frequens est Græcismus Atticis, ut Neutris pluralibus respondeat verbum singulare, cujus Regulæ exempla multa in Textu Sacro & aliis auctoribus passim occurrunt. v. g. Ephes. 5: 13. Τὰ δὲ πάντα ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦται, pro φανεροῦνται & Plutarcho in Libr. περὶ τῆς τῶν παίδων ἀγωγῆς, ἀνεξάλειπτα περιάπτει ὀνείδη, & aliis. Aquila vertit ἐθαυμαςώθησαν mirificata sunt à me, i. e. mirabiliora sunt, quam ut ea possim intellectu assequi. Quam ob causam Agur verbum נִפְלְאוּ usurpat, quo innuat intellectus insufficientiam ad plenam rei cognoscendæ explorationem secundum singulas suas causas & conditiones. Nam licet Aquilæ volatus in aere, via navigationis in mari nullam difficultatem habere videantur; cum opera in se expedita prorsus & perspecta sint, tamen cur non per hoc aut aliud obstaculum impediantur, id non modo supra suum agnoscit captum, sed & plane se nescire, palam profitetur Agur.

THESIS III.

וְאַרְבָּעָה לֹא יְדַעְתִּים] *Imo quatuor* sunt, *quæ ignoro.* (ו) h. l. non tam significationem copulandi quam corrigendi obtinet. Vulgatus quidem ut ex LXX. exponunt per Et, uti etiam id frequentissime significat. Verum h. l. aliquid singulare innuere, & quasi se Agur corrigere voluisse patet ex ipsa analogia Textus. Nam non tantum tria supra captum suum esse agnoscit Agur, sed & plane ea quatuor ignorare fatetur, Ubi per אַרְבָּעָה non nomen ordinale quartum uti vulgatus habet & LXX, sed cardinale quatuor intelligitur, quod videre licet ex verbo יְדַעְתִּים cum affixo plurali (ם) ubi sane si ultimum esset ordinale, istud, non ista, esset dicendum. Et hujus Epanorthoseos exempla alibi etiam in hoc libro obvia sunt ut Prov. 6: 16. sex sunt quæ odit Dominus וְשֶׁבַע תּוֹעֲבַת נַפְשׁוֹ imo septem sunt abominationi animæ ejus. Sic quoque in N. T. particula καὶ usurpatur Actor. 7: 43. καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ. imo bajulastis tabernaculum Moloch. Vid. Glass. Philolog. Sacr. lib. 4. tract. 1. observ. 7. p. m. 877. Cæterum particula לֹא non, est particula negandi satis obvia, alias pro לֹא scribitur 1 Sam. 2: 16. & 20: 2. in triginta quoque Locis juxta Masorethas cum Vau לוֹא Chaldæus suo utitur לָא Syr. ܠܐ. Omnibus temporibus excepto Futuro primo præponitur. Vid. Buxt. Lexicon, imprimis autem Excellent. Dn. Sennertum, Academiæ Seniorem Venerandum in Disput. de Sceptro Judæ.

THESIS IV.

דֶּרֶךְ הַנֶּשֶׁר בַּשָּׁמַיִם] Viam aquilæ in Cœlo. Nonnulli per vestigium exponunt ut Cornelius à Lapide & Mercerus. Via, inquiunt, id est vestigium aquilæ in cœlo. Verum destituitur hæc expositio omni fundamento. Non enim Agur miratur aquilam, quod nullum in cœlo vestigium relinquat, sed volatum & robur aquilæ, quod, cum pennas habeat, uti Aldrovandus & Bochardus in Hierozoico observant, firmitate ac duritie insigni, sola tamen inter aves recta via, non obliqua, ut aves cætero usque ad supremum aerem feratur. Præterea, si juxta Mercerum דרך per vestigium esset exponendum, quoque vers. 20. ubi de adultera usurpatur vestigii, non vero agendi rationem haberet, quod tamen valde esset inconveniens, & ipsi textus analogiæ contrarium.

THESIS V.

נֶשֶׁר] Significat Aquilam, Regem avium, uti Pindarus eam vocat Isthm. Od. VI. οἰωνῶν ἀρχὸν & in Olymp. οἰωνῶν βασιλῆα. Epiphanius in Physiologia cap. VI. Ἔςι γὰρ ὁ ἀετὸς βασιλεὺς τῶν ὀρνέων. A Latinis Poëtis eodem ornatur encomio Martial. Lib. 5. Epigram. 56. *Dic mihi quem portes volucrum regina Claudianus Præfatione in tertium Consulatum Honorii. Volucrumque potens & fulminis hæres.* Et hoc titulo ideo gaudere videtur Aquila, quia juxta Theodorum Heraclensem in Psalm. 102. δοκεῖ βασιλεύειν πετεινῶν ἁπάντων Philosophus lib. 9. Hist. Animalium refert vulgo fuisse persuasum, Aquilæ cum Trochilo eo certamen esse, quia καλεῖται πρέσβυς, καὶ βασιλεύς. Sed ridiculum est putare, aquilam scire, Regis nomine vocari trochilum ab hominibus Græcis; ac propterea credere, aviculam illam regnum affectare. *Vid. Joh. Vossius in L. III. Idololatriæ pag.* 1139. Quod ad Radicem hujus Nominis spectat, maxime inter auctores controvertitur. Rabbi Bechai, citante eum Bochardo & Buxtorffio, in Comment. Genes. 2. deduci vult à Chaldæo נְשַׁר quod decidere est, idque ex eo, quia decennio ad elementum ignis usque advolans aduritur & decidit in mare, & tunc renovatur vita ejus. Hinc Cabbalistæ ajunt נֶשֶׁר notativum esse vocum נְפִילָה אֵשׁ רוּחַ i. e. Casus, ignis, aer, sed hæc Rabbinismum olent; Rabbini enim fabulosi & fabularum sunt architecti. Ejusmodi commentum est Saadiæ apud Kimchium in Psalm. 103. & Esai. 11. הנשר יעוף על כל העופות ויעלה מאד על פני רקיע השמים ויקרוב לחום האש היסודי ויפול עצמו בים מרוב חום ויתחדש ויעלה אבר וישוב לימי עלומיו בן כל עשר עד מאה וכשיגיע למאה יעלה כמנהגו ויפול בים וימות שם:
Aquila volat sublimius, quam ulla avium & firmamentum versus multum effertur, donec ad ignem elementarem accesserit. Tum vero calore æstuans in mare se dat præcipitem & renovatur, & plumæ ejus renascuntur, & redit ad dies juventutis suæ: atque id fit singulis decenniis usque ad annum centesimum, quem ubi attigit, illa de more sursum effertur, & in mare præceps decidit & ibi moritur. Alii derivatum volunt

volunt à שור quia נשר videtur alludere ad illud verbum. Constat enim quam acuto visu Aquila gaudeat, adeo ut quoque pisciculos minutos videre dicatur in æquore natantes, etiam cum in tantum subvecta, ut oculos prope frustretur humanos. Hinc quoque Jobus cap. 39: vers. 30, 31, 32. perspicacem aquilarum visum commendat, quod cum in rupibus altissimis suos faciant nidos, inde etiam contemplentur escam suam. Quæ derivatio licet à multis haud negligatur, tamen potius Bocharto calculum nos adjicimus, qui ex نسر quod est rostro vellicare: & منسر rostrum dici posse arbitrabatur, idque proprie esse radicis avis. Inde appellari volunt Arabes, uti ex Damire & Alcamo Arabibus affert, quia rem rostro carpit & vellicat. Inquis autem, alias rapaces aves quoque rostro vellicare experientia docet. Verum rapacium Principi, dicit Bochartus, id speciali jure tribuitur; quia rostro est magis adunco & eo carpit fortius. Vide de hac avi notatu digna plura apud Vossium l. c. & Franzium Histor. Animalium.

THESIS VI.

בַּשָּׁמַיִם in cœlo] LXX. πετομένε i. e. volantis. Alii interpretes reddiderunt ἐν ἐρανῷ. Vox utraque cum Græca tum Ebræa varie in sacris literis accipitur. I. SUMITUR METONYMICE pro ipso DEO Psalm. 73: 9. Opponunt cœlis os suum & lingua eorum pervadit terram, id est, licenter & impune in DEUM blasphemias eructant, & in humanum genus contumelias. Sic Magistro Judæorum dicunt: כָּל מַעֲשֶׂיךָ יִהְיוּ לְשֵׁם הַשָּׁמַיִם Omnes actiones Tuæ fiant in nomine Cœli h. e. DEI. Pari modo vox Græca in N. T. accipitur Luc. 15: vers. 15. Πάτερ ἥμαρτον εἰς τὸν ἐρανόν. cap. 20: 4. Τὸ βάπτισμα. Ἰωάννε ἐξ ἐρανῦ ἦν, ἢ ἐξ ἀνθρώπων. Hujus dicta plura vide apud *Glassium Phil. S. Tract. I. cap. 3. p. m.* 1074. II. METAPHORICE (1) pro divina gloria & Majestate infinita, quia φῶς ἀπρόσιτον lux inaccessibilis 1 Tim. 6: 16. vocatur, ratione similitudinis à cœli magnitudine, splendore, decore, pulchritudine & præstantia desumpta. Ita sumitur, cum DEUS dicitur habitare in cœlo Psalm. 2: 4. Deuter. 26: 15. (2) pro spirituali DEI regno ac felicitatis statu, quo Angelis & hominibus se manifestat & communicat, uti pluribus in locis id Glassius Rhetor. S. tract. 1. cap. 10. p. m. 1208. probat. (3) Proprie significat tum corpus cœleste, extimum illud elementa claudens & ambiens ac siderum stellarumque receptaculum Genes. 1: 8, 14. Psal. 8: 4. Esai. 14: 13. tum Regionem aëream quæ supra nos est: & hoc vel conjunctim cum cœlo stellato Genes. 1: 8. vel separatim ab eo adeoque solum aërem Psal. 8: 19. Matth. 6: 26. Et de hoc cœlo loquitur Agur, quando viam Aquilæ miratur. Miratur autem eam non immerito, quippe tam mira avis hujus est in volatu agilitas ac robur, ut inter ipsas quoque nubes se quandoque condat vel ut Oppianus habet, *ut aërem volatu superet & sublimius evadat.* Quorsum etiam facit Æliani observatio *lib. 14. cap. 10. aliæ*, dicentis, *aves volandi idcirco diverticulis flexionibusque in cœlum efferuntur, quod recto non possunt: sola aquila directo volatu in sublime fertur, &c.* Hinc bene Kimchi in Jer. 49: 16. observat eandem volare גבוה מכל העופות omnibus avibus excelsius. Et Aben-Ezra quoque in Jobum אין עוף שיגביה יותר ממנו Nulla est avis, quæ sublimius sese attollat. Quapropter Johannes Evangelista, qui altius prioribus volans, à divinitate Christi orsus est, huic aliti comparatur. Vid. B. August. in prolegomenis in hunc Evangelistam; item in serm. 34. & lib. 1. de consensu quatuor Evangelistarum; Excellent. Thomasium Polyhistorem Summum in Disp. de Insignibus Quatuor Evangelistarum habita.

THESIS VII.

דֶּרֶךְ נָחָשׁ עֲלֵי צוּר] Viam Serpentis super petram. De Aquila progreditur Agur ad serpentem & fatetur, se etiam ejus viam ignorare. Nam magnam sane cuivis hoc animal injicit admirationem, quod, cum pedibus & pennis omnimodo destituatur, nihilominus ubivis se movere valeat, nec saxa sive petras curet, sed eas lubricando serpat & currat: imo altas rupes, arbores, domos sine scalis vel clavis subito conscendat: Hinc Nicander ait:

> Προχμαλάθ' αἱμασιάς τε καὶ εἰλύες ἑρέχσι.
> *Saxa petunt, sepesque cavernarumque latebras.*

Et Delrio *Tom. II. Adagiorum pag.* 304. *Tanta volubilitas & implicatio est, tot ambages, tanta spirarum contortuplicatio serpentis cum explicat orbem & cum insidiatur, vel exitio se eripit, ut neque initium neque finem motus ejus queas deprehendere.* Cæterum disquiritur inter ipsos Philologos, unde ortum ejusmodi via procedendi serpens nactus fuerit, idque ex Gen. 3: 4. probare satagunt, ubi DEUS serpentibus maledictionem imposuit: SUPER VENTREM IBIS. Ex quo dicto multi serpentem in Creatione quadrupedem fuisse putant, aut saltem Draconum instar bipedem, & pertinere ad pœnam, quod hodie serpit in ventrem, cui sententiæ quoque ipse Megalander Lutherus favet, quando dicit, *quod prius erectus incesserit instar galli gallinacei.* Hocce adhuc notandum insufficienter à Magnis alioquin Viris צור super petram exponi de terra, quod Agur admiretur viam serpentis super terram, sed maxime incommode. Nam super terram vestigium relinquit & impressionem, non autem super rupem asperam & aridam, quæ serpenti non cedit aut suppetias fert, sicut arena vel gramen. Nam super saxa & petras mire progreditur, ut difficile prorsus sit, eundem illic investigare ex gressibus relictisve notis.

THESIS IX.

דֶּרֶךְ־אֳנִיָּה בְלֶב־יָם] Viam navis in corde maris. Mercerus & Lavaterus exponunt in medio maris. Verum enimvero cor multis in locis idem significat quod intra, nec semper præcise medium notat, v. g. Ezech. 27: 4. ubi Tyrus dicitur sita in corde maris, cum tamen à continente non procul distaret. Et sensus ibi est, intra mare urbem illam fuisse positam. Matth. 12: 40. Sic erit Filius hominis ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, h. e. in terra sive intra terram nempe in sepulchro. Quod si tamen juxta Mercerum idem significaret ac medium, attamen phrasis hæc in medio vel nihil addit nomini, cui adjungitur, vel non præcise ipsum medium, æqualiter ab extremis distans significat, sed idem valet ac in & inter, v. g. Genes. 45: 6. Jam biennium fames est בְּקֶרֶב in medio terræ h. e. in terra. Neque enim in medio tantum præcise, sed hinc inde in terra fames erat. Sic in N. T. Matth. 13: 25. Seminavit zizania ἀνὰ μέσον τῦ σίτε in medio tritici h. e. inter triticum, Luc. 17: 11. & aliis in locis. Miratur itaque Agur viam navis in mari: quod navis grandibus sarcinis onerata, mari veluti piscis innatet & ad libitum naucleri se circumagat, & velorum remorumque beneficio intra angustum temporis spatium multa emetiatur in mari millia & ad regiones devolvatur remotissimas: quin & ventis, procellis & fluctibus sulcando obluctetur, eosque calcando subigat. Vid. prolixe de hac Magnificus Dn. Geierus l. c.

THESIS X.

Ultimo tandem loco quartum aggredimur absconditum, quod Agur admiratur, & hoc est דֶּרֶךְ גֶּבֶר בְּעַלְמָה vestigium Viri in Virgine. Postquam Agur aërem, terram & aquam miratus fuit, accedit quoque ad ipsum hominem. Cum vero homo varias circa actiones versetur ex his omnibus illam viam miratur, quæ occupata est circa matrimonium vel speciei propagationem, quam satis non potest ipse Agur admirari. LXX. interpretantur καὶ ὁδὸς ἀνδρὸς ἐν νεότητι & vias viri in adolescentia. Hinc quoque quidam hos secuti עלמה hic sumunt non concretive sed abstractive pro עֲלוּמוּת i. e. adolescentia vel pueritia. Sed recte suspicatur Franciscus Lucas in Notis hic LXX. primo vertisse νεοτίδι i. e. juvencula, quod postea corruptum sit ἐν νεότητι i. e. in juventute indeque forte derivatum τὸ in adolescentia, quod multi habent codices vulgati. Hæc enim mutatio & lapsus uti vicinior, ita facilior & pronior est, quam ex עַלְמָה adolescentula in עלמות adolescentiam, quæ nunquam locum potest habere, cum in omnibus à vitiis purgatis exemplaribus עַלְמָה reperiatur. Quod nomen virginem notat, illibatam, occultam, domique caute adservatam, sicut id tum origo vocis עלם reconditus fuit, tum nominis usus clare satis docet, inspectis locis ubi adhibetur, nempe Gen. 24: vs. 43. de Rebecca virum nondum cognoscente Exod. 2: 8. de Mirjam. Jes. 7: 14. de matre Immanuelis: & in plur. de tympanizantibus Psalm. 68: 26. sponsum cælestem depereuntibus Cant. 1: 3. 6: 8.

THESIS XI.

Judæi & Judaizantes, ut Cajus Mercerus, Drusius & alii negant semper virginem incorruptam in Scripturis notare sed quandoque etiam virginem corruptam significare contendunt, idque ex h. l. præcipue probare satagunt, atque ita admodum im-

impudice hunc textum exponunt. *Quemadmodum*, inquiunt, *Aquila*, *ſerpens*, *navis*, *nullum ſibi veſtigium relinquunt in aere vel in petra*, *vel aquis*, *ſic etiam qui mulierem jam corruptam compreſſit*, *nihil relinquit*, *ex quo concubitus dignoſci poſſit*. Hoc ſibi vult illud: *Et Via viri in muliere vel adoleſcentia.* Hinc B. Jacobus Martin. *de tribus* אלהים *c.43. p.239. Judæi*, *inquit*, *negantes perpetuo* עלמה *virginem ſignificare*, *valde ſe oblectant & gloriantur in loco Prov.30:18. Mercerus quamvis in ſuo Comm. in Prov. adoleſcentulam voce* עלמה *vocari arbitratur nudam*, *ætatis tamen habita ratione non virginitatis*, *eamque hic ſonare adoleſcentulam nuptam*, *corruptam vel temeratam*, *recte tamen ſubjungit Judæos hinc nihil habere præſidii ad obtinendum ut apud Iſa. cap. 7. vox* עלמה *non ſit virgo*, *ibi enim eam ſignum eſſe oportere*, *quod non eſſet*, *ſi nupta Meſſiam paritura diceretur.* Sixtinus Amama in Antib. Bibl. l. 3. pag. 594. inquit עלמה h. l. non virginem ſed devirginatam puellam denotari, nonnulli contendunt, inter quos Mercerus, Druſius & alii.

THESIS XII.

Argumentantur autem Judæi & Judaizantes ita: In quo Scripturæ loco nomen עלמה additur Viro textuſque vel verſus immediate conſequens agit de adultera, in eo non poteſt ſignificare puram virginem, ſed adulteram. Atqui Proverb. 30. עלמה additur viro contextuſque vel verſus immediate conſequ. agit de adultera. E. Reſp. (1) Duplex in hoc Argumento eſt medius terminus, prior deſumitur ex verſu 19. in quo Nomen עלמה viro jungitur, poſterior ex verſ. 20. ubi agitur de adultera. In verſ. 19. in verbis illis: Veſtigium viri בעלמה Judæi ut h. l. pro virgine corrupta & deflorata uſurpetur, demonſtrent ex aliquo Scripturæ loco, עלמה ſcortum vel adulteram ſignificare, cum à Spiritu S. ſemper in S. Codice pro innupta & incorrupta uſurpetur. (2) Poſito, Agur in his verbis de ſcorto vel adultera agere, loqueretur nihilominus de ejuſmodi ſcorto, quod ſeſe pro virgine gereret, nemoque ſciret eam ſcortum eſſe. Nihil, inquit B. Lutherus Tom. VIII. Jenenſ. Germ. fol. 142. *lucrarentur Judæi*, *niſi pro virgine haberent*, *quoque virgineum ſcortum atque nomen gerat*, *ſeque pro virgine venditet*, *licet ſcortum ſit*, *vocis autem abuſus non tollit ejus propriam & genuinam ſignificationem.* (3) Non dicitur hic abſconditam eſſe viam cum עלמה ſed בעלמה i. e. amorem in, erga vel circa עלמה ſeu virginem. Unde ita probabitur hic עלמה virgo non virgo, vel vocem hanc h. l. nativam & propriam ſuam ſignificationem amittere? An omnis Via Viri in עלמה meretricia & fœdæ libidinis eſt? Et licet talis eſſet via impuri & libidinoſi viri, an propterea omnis illa, in quam fertur appetitus impuri hominis, impura eſt & meretrix. An ſcortatio vel amiſſa virginitas adeo inexplicabilis & abſcondita eſt? Adeoque rationes Judæorum nullius momenti ſunt & omni ratione deſtituuntur. Qui plura deſiderat, conferat B. Lutherum l. c. B. Jacobum Martini l. c. Danhawerum Chriſtoſophia pag. 414. Mullerum in Judaiſmo pag. 636. Summe Reverendum Dn. D. Geierum l. c. Excellent. Dn. D. Quenſtedium in Colleg. in Loca Difficiliora & alios.

THESIS XIII.

Miratur itaque Agur viam viri in virgine quippe qui dies noctesque occupatus eſt circa virginem, quam impotenter amat, varias artes ac inſidias inſtar aquilæ, ſerpentis ac navis excogitat, quo potiatur virgine illibata & incorrupta, cui vel licito vel illicito vult copulari modo. Nam in virginem honeſtam nec defloratam magis ardet amore, quam proſtibulum, ad quod via non tam difficilis eſt, quippe quod ſponte vel ſeſe offert, vel facile omnino ſui facit copiam ambienti. Hæc itaque in præſenti de hujus dicti ſenſu literali dixiſſe ſufficiant. Cæterum reſtaret adhuc, ut quoque aliquid de myſtica explicatione adderemus, verum ne falcem in meſſem alienam admittamus, cum potius hoc ad Theologos ſpectet, quos hic Benevolus Lector conſulere poteſt, præprimis Franzium in Hiſtoria Animalium B. Gerh. Magnificum Dn. D. Calovium in Bibliis Illuſtratis & alios. Nos hic ſubſiſtimus, ut, ſi fortaſſe non ſubtiliore vena apparuit, nec ſingula ad amuſſim exaciata deprehenderint omnes, veniam dent juvenilibus auſis, moniti meliora ſequemur. Interim memores iſtius πολυθρυλήτου Ebræorum, qui, quando innuere volunt, pro quavis re gratias eſſe agendas DEO, proverbialiter dicere ſolent דהאי פיתא ברין מאריה benedictus ſit Dominus hujus particulæ. Noſtram operam ſuſceptam & jam ad finem perductam particulam divinæ benignitatis cenſemus, proinde nos quoque grato pectore exclamare oportet:

ברין מאריה דהאי
פיתא



CORN.

CORN. DE HASE
DISSERTATIO
De Institutione Juventutis Salomonææ ad Eccles. XI: 9, 10. XII: 1-17.

ANALYSIS INSTITUTIONIS SALOMONICÆ DE
OFFICIIS JUVENTUTIS,
Ex Eccles. cap. XI: 9, 10. XII: 1-7.

§. I.



IN hac Pericope Rex Coheleth juventutem cum *dehortatur* à malo, cap. 11. vers. 9, 10. tum *adhortatur* ad id quod bonum atque isthac ætate dignum est, cap. 12. vers. 1-7.

PARS PRIMA.

§. II. Malum, à quo sibi cavere juvenes vult, est vel *turpe* illud, *reatus* sive culpæ, cap. 11. vers. 9. vel *triste*, *pœna*, vers. 10.

§. III. In dehortatione contra malum generis *prioris* est partim *συγχώρησις ironica*, quæ vim habet seriæ interdictionis, vers. 9. pag. 1. partim *ratio movens* opposita vers. 9. pag. 2.

§. IV. *Concessio* illa *apparens* & specie blanda habet (1) *allocutionem* personæ, cujus hic *institutio* suscipitur; O *juvenis*: (2) Orationem, quæ ad illam dirigitur, in qua vide tum *quid* juveni permitti videatur, nempe (a) *studium voluptatum*; *Lætare & bene habeat te cor tuum*: (b) *petulantia* & animi in suis sibi consiliis & lubidinibus placentis *arrogantia*; *Et ambula in viis cordis tui & in aspectibus oculorum tuorum*: tum *quo tempore* & *quamdiu*; *in pueritia tua & in diebus juventutis tuæ*, vs. 9. pag. 1.

§. V. Ratio contrarium suadens continet (1) *veritatem* generaliorem, alias complexam speciales, videlicet (α) *fore* olim certo *judicium*: (β) in eo *DEUM* futurum *judicem*: (γ) *quosvis* etiam *juvenes* coram eo citatum iri: (δ) judicandos *de omnibus & singulis*, quæ tanquam vel voluptatibus dediti, vel δοκησίσοφοι & sibimet Suffeni cogitaverint, dixerint, patraverint: *At super omnibus illis vocabit TE Deus in judicium*: (2) *Officium* circa veritatem isthanc à juvene requisitum; *Noveris*, ô juvenis, quod te Deus vocabit vs. 10. pag. 2.

§. VI. Dehortatio à malo generis *posterioris* (א) *proponitur*, ubi vide tum *malum ipsum*, quod duplex est, vel *ægritudo animæ*, vel *cruciatus corporis*; tum *officium* circa utrumque præscriptum; (α) *Et remove mœrorem vel indignationem à corde tuo*; (β) & *transmove malum à carne tua* (ב) *confirmatur*, à brevi juventutis duratione & communi cum luce auroræ fugacitate: *Nam adolescentia & auroræ vanitas*. *vers.* 10.

PARS ALTERA.

§. VII. Adhortatio *ad bonum* habet (1) *præscriptionem officii contrarii*. cap. 12. vers. 1. pag. 1. (2) *argumentum persuasorium*, à variis senectutis ingravescentis incommodis depromptum. vers. 1. pag. 2. & seqq. usque ad vers. 8.

§. VIII. In *illa* observa, cum *quid* præcipiatur; *Itaque memento*, ô juvenis, *creatorum tuorum*: tum *quonam* illud exigatur *ætatis tempore*; *In diebus juventutis tuæ*, vers. 1. pag. 1.

§. IX. Quæ hic *incommoda* recensentur *senii*, vel *generalia* sunt, & *personam* hominis integram *conditionemque*; vs. 1, 2. vel *specialia*, & *corpus* potissimum nobilioraque ejus *membra*, concernentia. vers. 3-7.

§. X. Incommoda *generalia* (1) verbis exponuntur *propriis*, ita ut partim indicetur *quotidie ea recursura*; *dum non veniunt DIES mali*: partim, haut temere desitura, sed *per annos* quandoque *integros duratura*: *Et accedunt ANNI, de quibus dicas*: *Non est mihi voluptas in istis*, vers. 1. pag. 2. (2) phrasibus illustrantur *figuratis*, vers. 2.

§. XI. Atque *his* quidem significatur (a) *defectus* quarumvis *lætitiarum*, vel ex rebus per naturam gratissimis percipi solitarum, sive *diurnarum*; *Dum non obtenebrantur Sol & Lux*: sive *nocturnarum*; *Et Luna & stellæ*: (b) *Abundantia* quarumcunque *miseriarum*: *Et redeunt nubes post pluviam*, vers. 2.

§. XII. Corporis *infirmitates speciales* sunt vel *artuum* potissimum *externorum* vers. 3, 4. 5. vel partium *internarum* magisque vitalium. vers. 6, 7.

§. XIII. Vide *illarum* (1) *metaphoricam* & coloribus variis, secundum diversam ipsarum naturam atque indolem, depictam *recensionem*, vers. 3, 4, 5. pag. 1. (2) interjectam *rationem* vers. 5. p. 2.

§. XIV. Symptomata *hujus generis* numerantur XII. (1) *Manuum* brachiorumque *tremor*; *Quo die tremunt custodes domus*: (2) *Crurum* pedumque *distorsio* & imbecillitas; *Et incurvati sunt robusti*: (3) *dentium* exesorum *caries & paucitas*; *Et otiosæ sunt molitrices, quod raræ sunt*: (4) Aciei *oculorum obtenebratio*; *Et caligine laborant videntes per fenestras*: vers. 3.

§. XV. (5) *Difficultas sermonis*; *Et clausa sunt duo ostia versus forum* vel plateam: (6) *Respirationis* labor & *angustia*; *quum submissa est vox molitionis*: (7) *Inopia somni* & quietis; *Et surgit ad vocem aviculæ*: (8) *βαρυηκοΐα* vel *aurium gravitas*; *Et deprimuntur omnes filiæ cantillationis* vers. 4.

§. XVI. (9) *Vertigo capitis*, qua fit, ut ambulantes omnia

tuta timeant; *Etiam ab alto metuunt & formidinibus in via*: (10) Capillorum *canities*; *Et floret amygdalus*: (11) *Corporis* totius & *membrorum* inprimis præ aliis *agilium stupor* atque torpor: *Et oneratur* vel bajulatur *locusta*: (12) *appetitus* denique cujuscunque *cessatio*; Et *dissolvitur appetentia*, vel *impeditur acquiescentia*. verf. 5. pag. 1.

§. XVII. *Ratione* adjecta probat, se non frustra juvenibus ista comminatum omnia, ab inevitabili scilicet *mortis*, quæ per hæc obrepentis senectæ mala paullatim accelerari & promoveri solet, *certitudine*; *Nam abit homo ad domum suam secularem*: cum qua quidem morte *reliquum hominis* conjungit, quod post eam vulgo sequitur; *Et tum circumeunt in foro plangentes*. vs. 5. p. 2.

§. XVIII. Recensio vitiorum *abstrusiores* partes simulque *vitaliores* adficientium complectitur (1) Symptomata proxime *ante mortem* corporis *antecedanea*. vs. 6. (2) *Dissolutionem hominis* integri. vs. 7.

§. XIX. *Symptomata ejuscemodi* memorantur IV. (א) *Medullæ* in spina dorsi & *nervorum* omnium *paralysis*; *Donec non elongetur*, vel contrahatur *funis argenteus*: (ב) *Cerebri* corruptio; *& quassetur lenticula aurea*: (ג) cessatio *venarum* ab actione naturali, seu *stagnatio sanguinis*; *& frangatur hydria ad fontem*: (ד) *pulsus* abolitio in *arteriis*; *& quassetur rota ad puteum* vel cisternam. vs. 6.

§. XX. *Hominis integri dissolutio* describitur secundum *utramque*, ex qua constat, *partem*, terrestrem & cœlestem, vers. 7.

§. XXI. De *corpore* docetur, cum *quonam* abeat; *Et redeat pulvis ad terram*: tum *cujusnam* fuerit *naturæ*; *ut fuerat*; terra scilicet. vs. 7. p. 1.

§. XXII. De *Anima* vero cum itidem, *quo reversura* sit; *Et spiritus redeat ad DEUM*: tum *unde* suam traxerit *originem*; *Qui*, puta DEUS, *dedit eum*. vers. 7. pag. 2.

POSITIONES PERICOPEN HANC ECCLESIASTÆ ILLUSTRANTES.

Ad cap. XI. vers. 9.

I.

Equidem inde nihil quidquam bonis moribus periculi metuimus, si cum B. *Luthero* & paucis sequacibus hæc verba: *Lætare ô juvenis in juventute tua &c.* accipias pro seria concitatione ad gaudia, præsertim iis limitibus circumscripta, quos eis cordata VIRI pietas à cogitatione seria secuturi *Dei judicii* & recordatione frequente *Creatoris* nusquam non nostris rebus præsentis, ex verbis posuit consequentibus.

II. Malumus tamen heic ironiam & fictam quandam indulgentiam agnoscere, non tam exemplo & auctoritate plerorumque interpretum, quam his quidem rationibus permoti, (1) quod inter ea, quæ existimes permitti, sit quoque illud, *ambulare in viis cordis sui & in adspectibus oculorum suorum*, quod à scriptura ingentis vitii loco haberi, adeoque sensu sumi sequiori solet. Num. 15: 39. Job. 31: 7. Jes. 65: 2. Jer. 18: 12. Ezech. 11: 21. (2) quod ratio addita ab universali & severo Dei judicio videatur accommodatior ad metum animo incutiendum, quam progenerandam lætitiam. Neque (3) ætas juvenilis voluptatum per se satis avida & in rebus hujus seculi exultans tam ad eam rem calcaribus egere quam freno videatur. Consentit Sal. *Glassius* Philol. S. p. m. 1107.

III. Habet autem ejuscemodi ironica & vel per ludibrium, vel per indignationem adhibita concessio vim seriæ cujusdam dehortationis, uti ex collatione similium locorum Proverb. 6: 9, 10. Matth. 26: 45. Apoc. 22: 11. perspicuum est.

IV. Neque præter rationem hic ea formula usus Rex sapientissimus est. Tum enim *ingenium* arguere hominum *juvenum*, qui monitoribus asperi sunt, & vix quidquam arduum unquam magno serio secum agi patiuntur; tum *rei* notare *indignitatem* voluit, sarcasmis nimirum & explosionibus excipiendæ, si quis illicitis sese ac perituris mancipare voluptatibus *propriasque* sectari cœcæ mentis *cupiditates* amet. Confer Eccl. 2: 1, 2. Prov. 26: 12. 28: 26.

V. Aptius ergo B. *Piscator* vocem וְדָע per adversativam **aber wisse**/ quam B. *Lutherus* per copulativam **und wisse**/ interpretatus est, agnoscente & sequente Augusto *Varenio*, in *Murænulis* pag. 101.

VI. In illa phrasi, וִיטִיבְךָ לִבְּךָ major quædam emphasis inesse videtur, quam his quidem verbis exprimitur Germanicis: **Und laß dein Hertz guter Ding seyn**. Uti enim *cor bonum* Hebræis *cor lætum* significat, Jud. 16: 25. 1 Sam. 25: 36. ita *cor bene faciens* alicui tantundem est, ac aliquem *lætum faciens*, Prov. 15: 13. Adeoque hic non hoc tantum dicitur: *Cor tuum lætum esto*, sed, *cor tuum te lætum faciat*, h. e. Noli tantum clam & *in sinu* gaudere, quod dicitur, sed animo tuo lætabundo ita obsequere, ut gaudia, quæ intus alis, vultu quoque & gestibus prodas, & totus, quantus es, tam corpore quam animo, omnibus lætitiis incedas.

VII. *Novisse* venturum *DEI judicium* adolescentes jure merito jubentur. Scire enim quivis facile *potest*, ob claritatem in hominis conscientia elucentem, Act. 24: 25. Rom. 2: 14-16. & tenere firmiter *debet*, ob maximum ejus pondus, Apostolo in epistola ad Hebr. 6: 2. inter ea referente, quæ constituunt τὴν ἀρχὴν τοῦ Χριστοῦ.

VIII. Quod si vero *DEUS* non senes solum virosque, sed *juvenes ad unum omnes de moribus suis & actionibus omnibus in judicium adducturus* est, qua ergo fronte audent *nonnulli* dicere, *nullam* ad judicium fore *resurrectionem impiorum*? Aliam certe mentem sedisse regio Ecclesiastæ, claret ex collatione cap. 3. vers. 16, 17. cum cap. 12. vers. 14.

Ad vers. 10. cap. XI.

IX. Quum porro DEUS in hominem *integrum* non solum *temporalibus* animadvertat judiciis, sed & *æterno* illo suo *& corpus & animam perditurus sit in gehenna*, Matth. 10: 28. commode ex isthac de judicio divino commonefactione hæc jam seria cohortatio educitur, ut ergo juvenis & *cordi* & *carni suæ* à *malo cavere* studeat.

X. Ab eo utique cauturus sibi est, quisquis cum à *peccato* in genere, tum speciatim à *concupiscentiis juvenilibus*, inprimis à *luxurie* & *philautia* caverit. Hæc n. *ægritudinum* omnium & morborum tam *mentalium* quam *corporalium* infelix sunt scaturigo. De doloribus animum adfligentibus vide Gen. 3: 7, 8, 10. Psal. 25: 7. Proverb. 14: 13. Eccles. 7: 7. Rom. 6: 20, 21. De morbis & cruciatibus *corporis* Gen. 3: 16--19. Hiob. 13: 26. 28. Proverb. 7: 23. 23: 29, 30. Joh. 5: 5. 14. De *utrisque* Deuter. 28: 15. 21. 22. 27. coll. cum vers. 28, 29. Psalm. 107: 11, 12, 13, 17, 18.

XI. Vocem שחרות malumus cum Joh. *Coccejo* de *aurora*, quam cum aliis de *pueritia* vel *adolescentia* interpretari, quæ ab aurora hic sic distinguitur, ut cum ea, cui Psalm. 139: vers. 9. *alæ* adscribuntur, ratione *repentini occasus* sui comparetur. Adstipulatur *Varenius*, verba ita convertens: **Denn die Jugend und Morgenröhte sind gleich eitel**; & post quædam *Aben Esræ* in hanc rem citata addens: *pro aurora nos concludimus ex usu vocis* שחר *& contradistinctione* הילדות.

Ad Cap. XII. vers. 1.

XII. Verba זכר את-בוראיך recte vertuntur: *Recordare CREANTIUM Te*, scil. τὴν אלהים, ex versu antecedente. Estque hujus numeri pluralis usus parilis Hiob. 35: 9. Psalm. 149; 2. Jes. 54: 5.

XIII. In eo hi magistrum secuti sunt *Mosen*, apud quem Creator hominis primi, FACIAMUS, ait, *hominem in Imagine* NOSTRA, *ad similitudinem* NOSTRAM. Gen. 1: 26. Cujus mysterii explicatio extat Psal. 33: 6. Ubi propheta in negotio creationis distincte memorat JEHOVAM, VERBUM *ejus*, & SPIRITUM *oris ejus*.

XIV. Uti sola DEI *invocatio* quandoque totam notat λατρείαν λογικὴν, quæ *in spiritu* fit *& veritate*, ita *Recordatio* DEI unius ac trini, tanquam & *Conditoris*, à quo omnia es habesque, & *Judicis* tui, cui factorum omnium reddenda est ratio, præsupponit accuratam *cognitionem* virtutum & consiliorum ejus, involvit gratam & iterum iterumque repetitam operum ac beneficiorum ejus *reminiscentiam*, & indivulso nexu post se trahit *amorem* castum enixumque, *reverentiam* filialem, *imitationem* gnavam, *obsequium* promtum & fidele, & quidquid denique D. Paulus erga Sospitatorem exigit, quando 2. Tim. 2: 8. ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ Ἰησοῦν Χριστὸν, MEMENTO *JESU Christi*, exclamat, *excitati ex mortuis*, *ex semine Davidis*, *secundum Evangelium meum*.

XV. Quo sensu Servator *singulis diebus suam peculiarem* κακίαν adscribit, Matth. 6: 34. ubi *Lutherus*: **Es ist genug/ daß ein jeglicher Tag seine eigene Plage habe**/ eodem *Solomoh*

mob hic tempus ſenectutis variis obnoxiæ moleſtiis, ימי הרעה *dies malitiæ* appellat. conf. Eccl. 7: 15. 9: 12. Facit huc illud *Comici*, Men. V. 11. 6. ſq.

Ut *ætas mala* merx mala eſt tergo!
Nam *res plurimas peſſimas*, cum advenit affert.
Quas ſi autumem omnes, nimis longus ſermo ſit.

Ad verſ. 2.

XVI. Ad vitandam tautologiam, ſeceſſio ab illorum facienda ſententia eſt, qui per *obſcurationem ſolis & luminis Lunaque & ſtellarum* ſtatuunt imbecillitatem *viſus externi*, ſenſim & quibusdam veluti gradibus augeſcentem, intelligi debere. De ea ſiquidem deinde agitur, quando verſ. 3. *tenebris laborare videntes per feneſtras* dicuntur.

XVII. Neque tamen felicius exiſtimamus alios de *internis microcoſmi luminibus & imminutione intellectus, memoriæ ac judicii* cogitare. Vix enim ac ne vix quidem oſtendere poterunt, quænam mentis facultates potiſſimum per *Solem & Lunam*, & quænam per *Lucem & Sidera* deſignatæ ſint.

XVIII. Satius itaque fuerit, cum *Grotio*, *Pembello*, *Cartwrighto*, *Gejero*, aliis per *obtenebrationem ſolis atque lucis*, qualis nempe, ſi à *Sole* ejusque radiis diſtinguatur, *Lux* eſt vel diluculi vel crepuſculi, fugam & *abſentiam recreationum* omnium *diurnarum*, at per *obſcurationem Lunæ & aſtrorum*, *diſceſſum gaudiorum* quorumvis *nocturnorum* intelligere, accedente præſertim uſu Scripturæ, ſæpenumero per ortum occaſumve ſolis atque ſiderum tempora vel læta vel triſtia adumbrantis. Eſ. 6: 5. Eſ. 13: 9, 10. 60: 20. Ezech. 32: 7, 8. Joël. 2: 10.

XIX. Atque ſic contra per *reditum nubium poſt pluviam* commodiſſime, non tam catharrorum duntaxat fluxus & refluxus, quam *adflictionum* omne genus & miſeriarum perpetua *ſucceſſio* denotabitur, quando, ut in cœlo pluvio, nube una diſſipata ſtatim ſequitur alia, & velut *unda ſupervenit undæ*. Ut, quemadmodum ex Pſal. 42: 8. *abyſſus* dicitur *abyſſum* excipere, ita, proverbio ſatis uſitato, in ſenibus capularibus, nunquam non querulis, *nubes* dicatur *poſt imbrem redire*, quum apud juvenes magni animi & bonæ ſpei plenos ſuccedere *poſt nubila Phœbus* ſoleat. Conf. Joël. 2: verſ. 2.

Ad verſ. 3.

XX. Per *Cuſtodes domus* (in qua quidem parabola, ad exemplum *Eliphazi* Themanitæ Hiob. 4: 19. homines dicentis *habitare* בתי-חמר *domos luteas*, & *Apoſtoli*, cui 2 Cor. 5: 1. mortale hoc corpus vocatur ἡ ἐπίγειος ἡμῶν ΟΙΚΙΑ τοῦ σκήνους, ſcita humani *corporis & domicilii* cujusdam comparatio eſt) aptius *brachia manuſque*, ὅπλα ſcilicet illa ἀμυντήρια, uti *Galenus*, vel ὄργανα τῶν ὀργάνων, uti alii appellarunt, quam vel *coſtæ*, vel *caput*, ſenſuum ſedes, intelliguntur.

XXI. *Crura pedeſque*, bini nempe τοῦ μικροκόσμου Atlantes, non male אנשי החיל *Viri roboris* vocantur, neque ab hac ſimilitudine multum abit illa, Cant. 5: 15. *Crura ejus COLUMNÆ MARMORIS*, *fundatæ in* BASIBUS *aureis*. Rationem utriuſque ex Gen. 32: 25. & Pſal. 147: 10. petere, & quæ porro de illorum vel *incurvatione* vel *diſtorſione* dicuntur, conferre cum iis licebit, quæ Jeſ. 35: 3. & Hebr. 12: 12, 13. de *genibus nutantibus & labantibus* legimus.

XXII. Picturæ *dentium*, inprimis *molarium*, cum putrium & exeſorum, tum excuſſorum vel numero *imminutorum*, ob quod malum ſenibus *Frangendus miſeris gingiva panis inermi eſt*, oppone illam ſanorum & incolumium, Cant. 4: 2. 6: 5. *Dentes tui* (a) *ut grex ovium ſtatura æqualium*, (b) *quæ adſcenderunt ex lotione*, (c) *quæ omnes gemellipare, & orba non eſt in eis.* Quo quidem perelegante emblemate eorum juſta *æqualitas*, *candorque* niveus, & ſeries *contigua*, deprædicantur.

XXIII. Per אֲרֻבּוֹת *feneſtras* rectius Oculorum orbitas, vel *foramina* illa cranii, quibus eos incluſit Conditor, ex Zach. 14: 12. quam *conſpicilia*, quorum uſus an jam ævo Salomonis obtinuerit valde dubium eſt, denotari putabis. Tametſi vero ab hac *videntium per feneſtras caligine* peculiari Numinis indultu immunis fuerit *Moſes*, Deut. 34: 7. ea tamen ſeneciones laborare ut plurimum, ut, quod ille ait, *malæ ætatis vitio minus ſincere utilitatem oculis obtineant*, commonſtrant exempla Patriarcharum *Iſaaci* & *Iſraëlis* Gen. 27: 1. 48: 10. Pontificis M. *Eli*, 1 Sam. 3: 2. Prophetæ *Ahiah*, 1 Reg. 14: 4.

Ad verſ. 4.

XXIV. דְּלָתַיִם in numero duali aptiſſime ſignificant *duo labia*, quæ ſunt veluti totidem *valvæ* januæve oris exterius conſpicuæ, per quas vir *foras* prodit & ſe conſpiciendum *in froe* præbet, juxta illud vetus: *Loquere, ut te videam.* Qua metaphora Scriptura quoque utitur Hiob. 41: 5. Pſalm. 141. 3. Mich. 7: 5.

XXV. Quod de קוֹל הַטַּחֲנָה *voce molitionis* ejuſque *depreſſione* dicitur, malim ut *novam* moleſtiam ætatis ſenilis à priori, cujus tamen ſimul cauſſa ſit, diſtinguere, adeoque potius de *ſtrepitu reſpirationis*, (quæ *circulari* motu peragitur, aërem attrahendo & reddendo, nec non in ſenibus, ob cordis & pulmonum imbecillitatem, *ſubmiſſior* eſſe & loquelæ parere difficultatem ſolet,) quam de *ſtridoris dentium*, cujus cæteroquin in formandis vocibus canoris & articulatis uſus eſt, *exilitate* interpretari.

XXVI. Sive vocem צפור de *volucribus* in genere cum *aliis*, ſive cum *Bocharto* ſpeciatim de illa *lucis ave*, *gallo*, accipias, utrobique innuetur, irrequietum ſenem ſomnique naturalis & tempeſtivi expertem, *ſummo mane* è lecto prodire familiæque quietem turbare, quando ſcilicet vel *aves ceteræ* garrire & cantillare incipiunt, quibus hoc commune eſt, ut *cum primo diluculo* ſurgant, feris, quæ noctem fere inſomnem ducunt, tum altum ſtertentibus, Pſalm. 104: 20-22. vel tempus adeſt *gallicinii*,

Undique quo *criſtata ſonat*, plaudentibus alis,
Inque ſuum miſeros excitat *ales* opus.

De qua re confer. Marc. 13: 35. cum 16: 68. 72. Ut adeo, qui, quod hic dicitur, de *ſtridore paſſerculi* vel leviſſimo explicant, quo ſenex è ſomno excitetur quam facillime, non ſatis ad id, quod ſtatim de *ſurditate* ſequitur, attendiſſe videantur.

XXVII. Uti enim certe *Barſillai* ille octogenarius ſe *ſurdaſtrum* profeſſus eſt, quando 2 Sam. 19: 35. ad Davidem Regem ait: *Num audire potero amplius vocem cantorum &* CANTATRICUM? ita, quando hic adfirmatur à ſene *depreſſum*, hoc eſt, vel nullo vel exili pretio habitum iri *omnes filias cantici*, hoc eſt Muſas, puellaſve artis Muſicæ inſigniter peritas, idem plane miſero malum prædici exiſtimandum eſt. Ne enim, quod alii faciunt, de *auribus* ipſis & earum ad os loquentis *incurvatione* cogitemus, facit addita vocula כָּל *omnes*, quæ non tam *auribus* quam *cantantibus* convenire videtur.

Ad verſ. 5.

XXVIII. Verſio membri primi *Piſcatoriana*, wann ſie ſich auch für den Höhen fürchten werden/ præferenda eſt illi *Lutheri*: Daß ſich auch die Höhen fürchten. Ita namque verba ſonant Hebraica: וגם מגבה ייראו. At membrum ultimum *Lutherus* felicius videtur parentheſi concluſiſſe, & tanquam rationem antecedentia confirmantem ita vertiſſe: Denn der Menſch fähret hin da Er ewig bleibt / quum *Piſcator* verterit: Wenn der Menſch hingehet in ſeyn ewig Hauß: ac ſi novum ſenectutis malum memoraretur, cum prioribus & conſequentibus una ſerie conjungendum.

XXIX. *Sophoclis* lepores, ſenem caneſcentem in *Electra* jam ἠνθισμένον, *floribus tinctum*, jam λευκανθὲς κάρα, *caput albis conſperſum floribus* vocantis, non inepte cum hac Salomonis *florente Amygdalo* conferuntur, ceu ſymbolo ſenii præmaturi, quum *Intempeſtivi funduntur vertice cani.* Neque multum illud Germanorum abludit: Die Kirchhoffs-blumen fangen ihm ſchon an auff dem Kopffe herfür zu wachſen.

XXX. De ænigmate *Locuſtæ bajulatæ vel oneratæ*, judicium nuperum celeberrimi *Witſii* placet, Exercit. Acad. VII: §. 22. „ *Ego*, ſcribentis, omiſſis operoſis aliorum commentationibus quæſitisque ſubtilitatibus, cum COCCEJO arbitror, „ per locuſtam commode ſignificari poſſe membra, quæ in ſtatu ſuo naturali præ ceteris levia ſunt ac ſua ſponte ſe erigunt, „ ſicut locuſta incitatiſſime ſalit, in ſenio autem flacceſcunt, „ deprimuntur & ſuſtentatione egent, ſic ut ſibi ipſi totique „ homini oneri ſint. „ Niſi quod expendi cupiam, an non Eccleſiaſtes, quum adhuc ſub aliis figuris ſigillatim præcipua membra repræſentaverit, jam ſub finem per locuſtam animalculum integram adumbrare corporis humani compagem voluerit. Multæ enim idoneæque ſunt rationes, ob quas *juvenile* quidem *corpus* cum *locuſta ſaliente*, at *ſenile* cum *preſſa* ac *oneri ſuccumbente* comparari poſſe videatur. Speciem aliquam *onuſtæ* taliter *locuſtæ* habet in illis *Plauti*, Merc. IV: 1. 6. ſeq. Doripa: *Atque eccam, incedit tandem*, *Quin is ocyus?* Syra anus: *Ne-*

Nequeo mecastor, tantum hoc oneris est, quod fero. D. *Quid oneris?* S. *Annos octoginta & quatuor.*

XXXI. Sitne id quibusdam concedendum, vocem הָאֲבִיּוֹנָה hic *capparim* notare, merito dubitaverimus, utut τοὺς ἑβδομήκοντα & *Vulgatum* consentientes habeant. Primo ea proprie & primario significat *desiderium*, tum vox אֲבִיּוֹנָה, quæ *Rabbinis* putatur esse *capparis*, alia habet puncta, & teste denique *Buxtorffio* in Lex. Talm. col. 12. ipsi Rabbini distinguunt inter האביונות והקפריסין *baccas* sive minutos arborum fructus & *cappares*: Multo ergo simplicius hic de *abolitione* omnimoda *appetitus*, cum cibi potusque, tum quoque Veneris & aliarum rerum cogitabimus. Sic optimus senex *Barsillai*: *An dignoscere possum inter bonum & malum? Num gustare poterit servus tuus, quid comedam & bibam?* 2 Sam. 19: 35.

XXXII. *Domus* hominis *secularis* בית עולמו si *corpus* spectes, *sepulcrum* est, quod & *domus* notione venit Jes. 14: 8. 57: 2. & in quo nobis usque ad diem mundi extremum *Nox est perpetua una dormienda*, si *animam*; vel *cœlum* notare potest vel *infernum*. Luc. 14: 9. 26. 2 Cor. 5: 1.

XXXIII. Τοῖς סופרים *plangentibus*, *qui* post mortem senis *in platea obambulant*; præter amicos & consanguineos, quibus ille flebilis occidit, aliosque, quum effertur, in exequias prodeuntes, utique & מקוננות *præficæ* & threnodi accenseri possunt, olim in funeribus compita omnia lamentis atque planctibus complentes. Confer. Jer. 9: 17-19. cum Mat. 9: 23. 11: 17.

Ad vers. 6.

XXXIV. Sicut adhuc Concionator regius in allegoria versatus *domicilii* est, ita nunc non absurde quibusdam putatur ad aliam transire, à *fonte & instrumentis haustoriis*, quæ tamen domus bene constitutæ quoque insignis pars sunt, desumtam, ut senex, cujus *interna* operationum vitalium *organa*, morte imminente, paullatim deficiunt & corrumpuntur, cum *scaturigine* sensim *exarescente* comparetur, & cum *cisterna*, cujus supellex præcipua, uti sunt *funis* ductarius, trochlea sive *rota situlaque* & *hydria*, diffracta & deformata est. At ut ne tamen in hoc subsistatur sensu generaliori, quod *quidam* faciunt, sed porro cum cura dispiciatur, cui potissimum parti figura unaquæque applicanda sit, omnino summa illa Solomonis cum sapientia tum eloquentia judicamus dignum esse.

XXXV. In tanta autem & Davorum & Oediporum ænigmata hæc solvere conantium multitudine hi quidem præ ceteris rem acu, quod ajunt, tetigisse videntur, qui per *funem argenteum* non medullam solum spinalem, sed una totum illud sensuum atque motuum instrumentum, *nervorum* scilicet vel in ipso cadavere *splendidorum* atque *albicantium* texturam, cum *fibrillis* suis omnibus & *tendonibus*, ceu totidem unius funiculi *filamentis*; per *phialam auream* pretiosam illam spirituum animalium officinam, *Cerebrum*, simul cum membranis, quæ illud permeant & ambiunt, *meninge* præsertim, quæ *colorem Auro propiorem* habet, quam ulla pars corporis alia; per מבוע *fontem* sive scatebram, *dextrum cordis ventriculum*, & per כד *cadum* sive urceum ejus, *venas*, verum propriumque sanguinis vas & conceptaculum, inprimis *magnam* illam, quæ *cava* dicitur; per בור *cisternam* puteumve, *sinistrum cordis ventriculum*, & per גלגל *rotam* ejus, *Aortam* sive arteriam magnam; adeoque per *confractionem hydriæ ad fontem*, *cessationem venarum* ab usu naturali *sanguinem in cor refundendi*, & per *conquassationem rotæ ad puteum* ἀσφυξίαν vel *inhibitionem palpitationis* in arteriis, intelligunt. De qua re Medici pereruditi, Joh. *Smith*, Londinensis, qui hic cornicum confixisse oculos videtur, *Pictura senii Salomonica* inspicienda, vel saltem Matthæus *Polus* in iis consulendus est, quæ in *Synopsi Criticorum* ex hac ingeniosa in hunc locum, qui semper inter δυσνόητα scripturæ numeratus est, Dissertatione excerpsit.

XXXVI. Jam, sive τὸ *ketibh* secutus, in membro primo hujus versus legas, עד אשר לא יִרָחֵק à רָחַק *elongatus fuit*, sive Masoretharum correctionem marginalem adoptans, vocem יֵרָתֵק substituas, à רָתַק quod *alligandi*, & in Niphal, secundum quosdam, *dissolvendi* & q. d. *decatenandi* (Galli dicerent *dechainer*) significatum habet, idem ferme sensus, idemque propemodum nervorum morbus inde emerget.

XXXVII. *Conquassatio lenticulæ aureæ* haut incongrue *rupturam* membranæ illius cerebrum continentis notabit, quam ἰατρῶν παῖδες vel ob siccitatem naturalem, vel ex humoris excrementitii abundantia, quum mors imminet, sæpe accidere testantur. Neque tamen quenquam prohibemus de ea quoque cerebri *imbecillitate* cogitare, qua fit ut senes παλίμπαιδες *delirare* incipiant & in ægro corpore *ægram mentem* circumferre.

Ad vers. 7.

XXXVIII. *Nabales* omnes & *Nebulones* athei, qui vel olim vel nuper *animam cum morte extingui* statuentes, hanc quoque sententiam belluinam Regi Salomoni impingere non verecundati sunt, nunquam videntur verba hujus versus animo vel attento vel veritatis studioso perlegisse. Audirent rectius & propius ad mentem Salomonæam philosophantes, *Euripidem*, *Epicharmum*, *Senecam*, *Arrianum* & ipsum denique sectæ Epicureæ patriarcham, *Lucretium*, cui vis veritatis hæc ἀξιομνημόνευτα expressit:

Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terras, & quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cœli rellatum templa receptant.

XXXIX. *Reditus Spiritus ad* DEUM non est *virtutis* vel efficaciæ cujusdam, nescio cujus, quam vocant *divinæ particulam auræ*, *in* DEUM ipsum *resolutio*, quale quid, qui hæc opinionum monstra alunt, itidem *Spiritui bestiarum* tribuunt, sed significat *mentis* post mortem corporis (quod anima destitutum nil nisi particularum terrestrium acervus adeoque *merus pulvis* est) superstitis *accessum ad* DEUM, tanquam omnium, sive bonorum sive malorum, quæ in corpore mortali peregit, *judicem*, Conf. cap. XI: 9.

XL. Quum porro *Spiritum* illum DEUS *dedisse* dicitur, in oppositione corporis, quod *terra fuit*, non ad *primum* solum hominem, sed universum genus humanum respici, adeoque *immediatam animæ cujusvis humanæ* à DEO, *patre Spirituum*, *creationem* doceri existimandum est. Conf. Heb. 12: 9. cum Jer. 38: 16. & Zach. 12: 1.

JOH.

JOH. FRISCHMUTHI DISSERTATIO De Evangelio ex Sione egressuro ad Esa. II: 1. & seq.

בג״ה
תורה שמציון תצא:

Sive

DISSERTATIO DE EVANGELIO EX SIONE EGRESSURO

Ex Esa. II: 1. seq.

הקדמה

§. 1.



PRiscorum Ebræorum in Talmud, Massecheth Sanhedrin, cap. 10. fol. 89. Edit. Venet. de Prophetarum in vaticiniis edendis more hæc verba leguntur: סגנון אחד עולה לכמה נביאים ואין שני נביאים מנבאים בסגנון אחד: *argumentum unum obvenire potest aliquot Prophetis; verum nunquam duo Propheta vaticinantur eodem stilo*, sed ut R. Abarbenel illorum mentem declarat uberius: בשנוי המלות ותוספות הביאור *mutatis vocibus & addita illarum ἐξηγήσει*. Hoc ideo fieri idem Judæus affirmat, quod cæteroquin futurum sit, ut videantur מגנבים דברים *verba aliis surripuisse*. Exempli loco in medium adducitur Michæas, qui cum cap. 4: 1. idem vaticinium, quod Esaias cap. 2: 1. protulerat, in medium afferat: אין הפרש מה שנזכר כאן למה שנזכר שמה כי אם בשנוי המלות ותוספות ביאור וחתם הנבואה ההיא מיכה באמרו כי כל העמים ילכו איש בשם אלוהיו ואנחנו נלך בשם ה׳ אלהינו לעולם ועד: *Nihil discriminis deprehenditur inter id, quod hic* (à Michæa) *memoratur, & quod ibi* (ab Esaia) *refertur, nisi quod verbis nonnihil mutatis & explicatione addita, Michæas tandem vaticinium obsignat his verbis: omnes gentes ibunt in nomine suorum Deorum, nos vero ibimus in nomine Dei nostri in æternum.*

§. 2. Infitias ire nolumus, in *proferendo* vaticinio aliquid discriminis utrobique observari, sed oppido exiguum, & tale, ut causam ejus scrutari, ipse Abarbenel curiosum magis esse existimet, quam necessarium. Unde ipsemet comm. ad Esai. 2. ait: אין ראוי שנשעה בדברי שקר בתת הסבה למה אמר על הגוים ונהרו אליו ועל העמים אמר לכו ונעלה כי הנה מיכה אמר ונהרו אליו עמים והלכו גוים רבים והוא המורה שגוים ועמים הם שמות נרדפים ויאמרו על כלל האומות וכן נהרו והלכו ענין אחד: *Non est quod falsa sectantes causam reddere conemur, cur* גוים *sc* נהרו *jungatur, &* עמים *verbis* לכו ונעלה *Ecce enim Michæas c. 4. ait:* נהרו אליו עמים & הלכו גוים רבים. *Quo ipso docetur,* גוים *sc* & עמים *synonyma esse, & in genere de gentibus dici: Atque ita verba* הלכו & נהרו *unum idemque significant.* Sed, si vel maxime iisdem prorsus verbis & eodem ordine positis Michæas, qui imperante Rege Ezechia, vaticinatus est, oraculum protulisset, quibus ante eum Esaias, qui Usia ad gubernacula sedente, primus illud protulit, necdum tamen inde consequeretur, alterum alteri aliquid sublegisse. Hoc sane nemo nisi DEI providentiam ignorans, asseruerit. Quin potius, cum utrobique unus idemque Prophetarum inspirator sit Spiritus sanctus, cujus instinctu & afflatu potius, quam ἰδίῳ θελήματι, ut Petrus 2. Epist. 1. loquitur, sancti DEI homines elocuti sunt, eidem autori primario concentus imputari debet, qui per diversa quamlibet organa locutus, subinde sibi consonus, etiam diverso tempore majoris certitudinis causa eadem verba usurpasse potuit, sine ullo crimine autoris secundarii. Illa vero, quæ Esaias c. 2: 1. hunc in modum recenset, penitius perpendere jam animum induximus.

הַדָּבָר אֲשֶׁר חָזָה יְשַׁעְיָהוּ בֶּן־אָמוֹץ עַל־יְהוּדָה וִירוּשָׁלָם׃ וְהָיָה בְּאַחֲרִית הַיָּמִים נָכוֹן יִהְיֶה הַר בֵּית־יְהוָה בְּרֹאשׁ הֶהָרִים וְנִשָּׂא מִגְּבָעוֹת וְנָהֲרוּ אֵלָיו כָּל־הַגּוֹיִם׃ וְהָלְכוּ עַמִּים רַבִּים וְאָמְרוּ לְכוּ וְנַעֲלֶה אֶל־הַר־יְהוָה אֶל־בֵּית אֱלֹהֵי יַעֲקֹב וְיֹרֵנוּ מִדְּרָכָיו וְנֵלְכָה בְּאֹרְחֹתָיו כִּי מִצִּיּוֹן תֵּצֵא תוֹרָה וּדְבַר־יְהוָה מִירוּשָׁלָם׃ וְשָׁפַט בֵּין הַגּוֹיִם וְהוֹכִיחַ לְעַמִּים רַבִּים וְכִתְּתוּ חַרְבוֹתָם לְאִתִּים וַחֲנִיתוֹתֵיהֶם לְמַזְמֵרוֹת לֹא־יִשָּׂא גוֹי אֶל־גּוֹי חֶרֶב וְלֹא־יִלְמְדוּ עוֹד מִלְחָמָה׃

Vulg. ita vertit: *Verbum, quod vidit Esaias filius Amos super Judam & Jerusalem. Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & elevabitur super colles: & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Jacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.*

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

In sensum verum & genuinum vaticinii inquiritur, & interpretum cum Ebræorum tum aliorum commenta excutiuntur.

§. 1. QUod de locis quibusdam Scripturæ, nonnemo recentiorum Doctorum affirmat, *illa satis claro jubare incessura esse sæpius, absque Interpretum sinistra explicatione foret*, id & hoc nostro loco merito conquerendum nobis venit. Nulla hic insuperabilis, vel saltim magnam remoram injiciens difficultas occurrit: nihilominus tamen quidam Interpretes nodum in scirpo quærere videntur & sensum, qui, adhibitis legitimæ interpretationis mediis, facile deprehenditur, de industria quasi pervertunt & corrumpunt. Ut igitur in rem præsentem, quod dicitur, veniamus, & verum genuinum sensum ostendamus, scire licet, cum mons domus Domini dicitur נָכוֹן, radicem כון, unde τὸ נָכוֹן oriundum est, πολύσημον esse. Uti enim Rabbi Nathan, autor Concordantiarum Ebraicarum docet: כל לשון הכנה וכיון ותכונה ונכון וכל הנגזר ממנו איך שיובן: *Omnia significant vel aptationem, vel dispositionem, vel rectum & firmum esse, & quod inde derivatur, pro ratione contextus intelligendum.*

§. 2. Etsi vero varia significata illa alias habet, facile tamen conjicere est, quodnam illorum locum hic obtineat, & quam longe Arabs à scopo Prophetæ abludat, dum vertit: *mons Dei erit* طاهر *purus.* De puritate enim vel sanctitate nihil omnino hic dicitur, ut ex sequentibus patescet. Nisi velimus suspicari Arabem, qui Græcos fere sequi solet vocem ἐπιφανὴς ظاهر cum ظ punctato vertisse, quæ vox *manifestum, conspicuum* denotat, & sic editorum culpa & punctum omissum in litera, & versionem inde spuriam subsecutam esse. Consimiliter Interpres cæteroquin non contemnendus, Forerius, cujus commentarium Operi Critico Anglicano inseruerunt, nimium sibi indulget, & nodum gladio secare præsumit, dum violenter textum, insuper habita distinctione antiquissima, interpretatur. Postquam enim dixisset, sensum esse hunc: *præparatus erit mons diebus novissimis*, tandem hunc in modum scribit: *Possumus etiam participium* נכון *posthabita distinctione Rabbinorum cum præcedentibus conjungere. Verbum quod vidit Esaias &c. & erit in postremis temporibus firmum seu ratum, cujus firmitudo atque certitudo postremis temporibus comprobabitur q. d. non brevi, neque diebus nostris adimplebitur. Quare vertere poteris, & erit in novissimis dierum destinatum. Quod autem verbum hoc* כון *in hac significatione dicatur, apparet ex Gen.* 41: 31. נכון *decretum est verbum ab Jehova, & festinabit facere.*

§. 3. Miror hæc docto viro excidisse, eumque tam violentam, & ne fando quidem auditam glossam in medium producere ausum fuisse. Ecquid futurum dicemus, si hunc in modum tam antiquam, tam longo seculorum cursu tot interpretibus approbatam lectionem distinctionemque in dubium vocemus? Sane si totum contextum expendisset accuratius, & sequentium verborum rationem habuisset, haut dubie longe aliter de sensu vaticinii judicaturus fuisset. Adeo enim hæc explicatio à contextu aliena est, ut eum perlustrans animadvertere queat, longe alium sensum verborum esse, quam Forerius sibi persuasit. Imo vero nullo modo fieri potest, ut τὸ הדבר referatur ad τὸ נכון, utpote quod potius ad τὸ חזה referendum esse, ex contextu evidenter probatur. Æque sane hic impingit Forerius, τὸ דבר ad vocem נכון referens, ac Hieronymus, qui τὸ דבר de verbo substantiali interpretatur, quod tamen de re divina revelata intelligendum esse, sequentia verba arguunt. Consimiliter Johann. Coccejus, Considerat. Respons. Judaicæ cap. 10. rem acu minime tetigit. *Intelligitur*, inquiens, *eum montem, de quo hoc dicitur, futurum fuisse montem domus Domini, quo tempore hoc futurum erat, ut præpararetur vel exaptatus fieret*, totam potius phrasin נכון בראש ההרי׳, quam vocem נכון seorsim, considerare debuisset. Nempe de monte, cui templum Domini superstructum erat, dicitur quod ille sit in *vertice montium, & in excelso supra colles futurus.* Unde satis patescit de præparatione aliqua vel exaptatione hic simpliciter minime agi. Judæi prisci, qui sæpius ad literam vaticinia accipere solent, hic risum debent. In Medrasch Tillim enim super Psalm. 88: vers. 1. hæc verba legimus. עתיד הק״בה להביא לסיני ולתבור ולכרמל ולתן ירושלים בראשן שני׳ והיה הר בית הזה בראש ההרים: *Futurum est, ut Deus S. B. adducat Sinai, & Tabor, & Carmel, dabitque Jerusalem in capite illorum, sicut dictum est: erit mons domus hujus in vertice montium.* Et in Talmudh, Massechet, Bava Bathra, cap. 5. hæc scripta reliquerunt: עתיד הק״בה להגביא ירושלים שלש פרסאות למעלה שני׳ וראמה ושבה תחתיה מה תחתיה שלש פרסאות אף למעלה שלש פרסאות: *Deus Benedictus elevabit Hierosolymam tribus leucis, quia dictum est*, (Zach. 14: vers. 13.) *& exaltabitur & sedebit sub se. Ecquid significat* תחתיה? *tres leucas. Ergo etiam supra se tres leucas habet.*

§. 4. Sed quis Messiæ temporibus miraculum tam leve, tam vile, à Deo exspectet? Quorsum enim id fieret, cum mons quo altior, sublimiorque est, tanto accessus ad culmen ejus difficilior molestiorque fit. Quid? quod editiora & evectiora loca fulminibus, tonitrubus & ventis magis obnoxia sunt, & è contrario magis tuta & grata sunt depressa. Qualis mediocris collis, Sion sine dubio fuit. Merito igitur crassam hanc & absurdam explicationem cordatiores valere jubent Ebræorum Interpretes, qui plurima in vaticiniis על דרך משל sive *parabolice* ipsimet monuerunt. Unde Rab. Moses Maimonides in More Nebochim recte scribit, דע כי מפתח הבנת כל מה שאמרוהו הנביאים ז״ל וידיעת אמתתו הוא הבנת המשלים ועניניהם ופירוש מלותיהם: *Scias licet, clavem universorum quæ Prophetæ dixerunt, & veritatis cognitionem consistere in intellectu parabolarum, rerum, & illorum verborum explicatione.* Nempe ne id, quod metaphorice explicandum venit, literaliter accipiamus. Atque hoc Kimchi in comment. suo ad Mich. cap. 4. observavit, quanquam ob velamentum Mosaicum, quod Judæorum oculis impendet, necdum penitus penetraverit vaticinii sensum & elevationis genuinam causam, ita scribens מה שאמר נכון ונשא לא שיהיה ההר ההוא גבוה בגופו ממה שהיה אלא שהגוים ינשאוה ויכבדוה ויבואו לעבוד בו לשם השם נכון ונשא; *non sic intelligi debet, quasi mons ille in se & sua substantia sit elevandus vel altior futurus, sed quod gentes honore eum affecturæ & venturæ sint ad DEUM colendum in eo.* Et Rabbi Abarbenel. לא נחשב שיהיה הר הבית השם נכון ונשא ברוממות מקומי וכמעלת בנין הבית בלבד: *Non est, quod cogitemus, montem domus Domini locali aliqua altitudine elevatum iri, & tantum ratione structuræ.*

§. 5. Cujusmodi itaque elevatio illa sit futura, sic satis patet, nempe *Metaphorica*, qua mons domus Domini sit *dignitate & æstimatione* superaturus omnes alios montes, hoc est, maximam præ aliis omnibus gloriam, &, ut ipse Rabbi Salomo fatetur, חשיבות *dignitatem* habiturus. Rabbi Aben-Esra ad verba dicta hunc in modum scribit. ידוע כי הר הבית איננו גבוה והנה הטעם שיצא שמו עד למרחוק ומכל הפאות ישובו אליו כאלו יהיה בראש כל ההרים ויהיה נשא מגבעות עד שיראוהו כל יושבי ארץ: *In aprico est montem templi non elevari. Ecce autem sensus est, nomen ejus ita percrebescet in longinquas oras, ut ab omnibus angulis sint ad eum accessuri, tanquam in omnium montium capite constitutum, & omnibus collibus altiorem, ita ut eum omnes terrarum incolæ sint visuri.* LXX. Interpretes ἐμφανὴς transtulerunt. Aquila vero & Symmachus ἕτοιμος ἔσαι τὸ ὄρος τοῦ οἴκου κυρίου *paratus erit mons domus Domini.* Qui sane cornicum oculos configendi nullam causam habuerunt, cum LXX. sensum magis respicientes quam verba recte textum transtulerint. Syrus vero Interpres Ebraicam veritatem expressurus literam retinuit ܛܘܪܐ ܕܒܝܬ ܡܪܝܐ ܡܬܩܢ

§. 6. Montem Moriam, in quo Isaacum Abrahamus immolare voluit, intelligi, docet R. Abarbenel, libello Maschmiah Jeschuah. pag. 8. זהו המוריה שבו נבנה המקדש *Hic mons est Moria, in quo ædificatum est sanctuarium.* Sed cum gentes tam frequentes, &, ut Abarbenel verbi נהרו emphasin explicat, בקיבוץ *catervatim*, ad eum montem ituræ dicuntur, de monte ipso secundum se tantum intelligi non posse, videtur, quippe ad quem gentes alias accedere haut permittebantur. Sensum itaque illius circumlocutionis esse apparet; Ecclesiæ DEI, temporibus Messiæ, tantam fore gloriam, ut omnes etiam gentes ad eam se aggregaturæ sint, atque ita fiat, ut mons domus DEI cunctis cæteris montibus excelsior, & sublimior habeatur, & aliis religionibus antefeNeque illud mirum videri debet, quod ritibus & exercitiis Judaicis gentium conversio exprimatur. Cum enim id temporis, quo Propheta de Messiæ ætate vaticinatus est, non nisi unica religio vera, eaque Judaica in mundo vigeret, religio

ligio quoque quam gentes professuræ erant, iis titulis describitur, licet Judæi & gentes tunc unum eundemque cultum divinum habituræ essent. Quod vero montem domus Domini improprie etiam intelligi posse dicimus, cum tamen mox subseqq. verbis τῷ Sion proprie accipiendum sit, à Scripturæ loquendi ratione alienum non est. In eodem enim contextu unam eandemque vocem proprie & improprie sæpius occurrere, ex Joh. 10: 15. Rom. 8: 3. 2. Corinth. 5: 21. liquido patescit.

§. 7. Quando autem hoc sit futurum, exprimitur per אחרית הימים *diebus extremis.* Quibus verbis quid significetur, non penitus conveniunt Interpretes. Petrus Galatinus lib. 5. de Arcanis Cathol. Verit. cap. 2. illud tempus intelligendum verbis his contendit, quod fuit à tempore Cyri Regis Persarum, usque ad destructionem templi secundi, probatque illud ex Jerem. 49: vs. 39. ubi per captivitatem Elam, Cyri, utpote Persæ, captivitatem intelligit. R. David Kimchi ad h. l. aperte dicit כל מקום שנאמר באחרית הימים הוא ימות המשיח *ubicunque extat* באחרית הימים, *ibi tempora Messiæ intelliguntur.* Pluribus autem locis phrasis occurrit Num. cap. 24: 14. Deut. 4: 3. cap. 31: 29. Mich. 4: 1. Jerem. 23: 20. cap. 48: 47. Ezech. 38: 16. Dan. 10: 14. Hos. 3: 5. & Genes. c. 49: 1. Alphonsus quoque Tostatus ad Genes. 49. ait: *Dies Messiæ vocantur in scripturis novissimi tam secundum Prophetas quam scriptores Novi Testam. ratio est, quia illud novissimum est vel ultimum, in quod omnia tendunt & finis est.*

§. 8. Verum enim vero etsi hac nomenclatura Spiritus S. frequentissime de Messiæ ætate loquens utitur, quemadmodum & hoc loco omnino ad eam respicere Prophetam, materia subjecta testatur, ne tamen tam universaliter asseramus, subinde Messiæ tempora ea innui, exempla obstant. Dicendum igitur potius est, notari ea *tempus illud, quod id, de quo tunc agitur, consecuturum est sive sit ante tempus Messiæ, sive post, sive sit ipsum tempus Messiæ, sive finis seculi.* Sicut Fr. Ribera ad cap. 4. Mich. & Casp. Sanctius ad cap. 2. Actor. recte docent. Atque ita in Nov. Testam. quoque usurpatur. ex. gr. ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν Ebr. 1: 1. ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις 2. Tim. 3: 1. Actor. 2: 17. ἐν ὑστέροις καιροῖς 1. Tim. 4: 1. ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων 1 Petr. 1: 20. Longe rectius etiam Kimchio explicavit voces illas R. Salomo Aben Melech in Michlal Jophi באחרית הימים יש בקרוב ויש ברחוק כמו מלת אחר וזה ענינו וכשיכנסו לארץ לרשתה אמר להם ברוח נבואה קצת מאשר יקרא אותם יש בחלוקת' ויש במלחמות עם אויביהם Hoc est, *voces* באחרית הימים *perinde ac dictio* אחר *cum de propinquo, tum de longinquo tempore usurpantur. Sensus vero hic est: Jacobum per Propheticum Spiritum prædixisse eis, quod eis partim in dividunda terra, partim in bellis cum hostibus gerendis eventurum esset.* Atque hoc ipsum bene monet Tostatus, comm. in Sam. 23. his verbis. *Patet Genes. 49. quod non vocentur dies Messiæ dies ultimi, tanquam ipsis conveniat hoc specialiter, quia ibi dicit, ut annunciem vobis quæ ventura sunt in novissimis diebus, & tamen sub nomine benedictionum dicti sunt eventus futuri Israëlitarum, quorum plurimi inceperunt immediate post introitum in terram Canaan, & tamen vocantur dies illi novissimi, quia multum distabant à tempore, quo ista dicebat Jacob. Sic etiam patet, quia B. Johannes canonica prima cap. 2. dicit, filioli, novissima hora est, cum tamen jam transierat Messiæ adventus.* Patescit insuper significatio ex Daniel. cap. 2. cum enim vs. 28. dixisset Propheta: DEUS revelavit Regi, quid futurum sit באחרית יומיא, vs. 45. id explicat per אחרי דנה *post hæc.* Commodius igitur per comparativum *posterioribus*, quam per superlativum *postremis*, redduntur, quia aliud tempus non excludunt, quemadmodum etiam אחרונים Genes. 33: 2. non postremos sonat, sed posteriores, sequitur enim statim: Rachel & Josephum אחרונים positos esse, cum tamen idem de Lea & filiis Rachelem antegressis dicatur.

§. 9. His ita expositis constare puto, quid de Abarbenelis sententia sit sentiendum, in libro Maschmiah Hajeschuah f. 8. col. 1. ad priora hæc nostri vaticinii verba sic scribentis: אי אפשר לפרשה על בית שני לפי שהנביא אמר והיה באחרית הימים וידוע שמזמן ישעיהו שנבא הנבואה הזת עד שעלו מבבל לבית שני לא היו כי אם ק"ע שנה ואיך יקרא אחרית הימים אבל היא בלי ספק לימות המשיח: *Non potest hæc Prophetia explicari de templo secundo, quia Propheta ait: & erit in diebus postremis. Notum autem est, quod à tempore Esaiæ, qui hanc Prophetiam edidit, usque ad solutionem captivitatis Babylonicæ non fuerint nisi 170. anni elapsi. Ecquomodo igitur dixerit in diebus postremis? Haud dubie de Messia (venturo) loquitur.* Potest utique de secundo templo intelligi, quia ex Scriptura & Michlal Jophi ostendimus, tam de propinquo, quam longinquo tempore illam locutionem usurpari. Quid quod inter illam ætatem, qua hoc vaticinium prolatum est, & illud tempus, quo ei complementum suum constitit aliquot secula effluxerunt. Frustra igitur de alio tempore, quo adhuc venturus sit Messias, locutionem accipiendam esse Judæus contendit.

§. 10. Quid montis domus Domini ad summum fastigium dignitatis elevationem sit secuturum, Propheta exponit, cum omnes gentes mutua cohortatione se ipsas exstimulaturas ait, dicentes: *eamus ad domum* DEI *Jacob, ut doceat nos vias suas!* &c. Quæ ratio loquendi cum ab Israëlitarum consuetudine sit desumta, qua Hierosolymam ire, & inibi in templo sacerdotes populum docentes ac Prophetarum oracula explicantes audire sunt soliti, satis patescit, literam tam rigide urgendam non esse, ut Judæi faciunt, cum gentes Sabbatis, noviluniis & solennioribus diebus festis, tantum itineris emetiri haud potuerint. Nempe hoc referendum est ad eam scripturæ consuetudinem, qua illa aliquid dicendum prædicit, quod tamen non tam ita totidem verbis dici, quam fieri debet, ut cum Psalm. 22. legimus, *partiti sunt vestimenta mea sibi* &c. cum ipso Christo quamlibet tacente, milites diviserint sortem. Ita & hoc impletum est, cum gentes conversæ in actu exercito potius, quam in actu signato (ut Scholastici loquuntur) dixerunt, *ascendamus*, & salutarem Messiæ doctrinam quaquaversum frequentissime susceperunt.

§. 11. Cum dicitur: *quia ex Sion egredietur Lex & verbum Domini Hierosolymis.* Primo notanda sese offert multiplex vocabuli תורה usurpatio, quæ quadruplex ferme afferri solet. 1. Notat quamcunque constitutionem sive ordinationem rei alicujus, sic Num. 6: 13. dicitur תורת הנזיר *Lex separati.* 2 Sam. 7: 19. David dicit וזאת תורת האדם *& hæc est lex hominis.* Targ. וְדָא חֲזְיָא לִבְנֵי אֱנָשָׁא Et hoc *conveniens filiis hominis*, q. d. ita inter homines solet fieri, pro quo habetur 1. Paralip. 17: 17. כתור האדם juxta ordinem hominis, ita ut idem sint תורה *Lex &* תור *ordo.* 2. Notat tantum quinque libros Mosis, qui alias à Rabbinis specialiter vocari solent תורה בכתוב *Lex in scriptura*, ut contradistinguatur Legi orali, quam vocant תורה שבעל פה 3. Notare etiam omnes Vet. Testam. libros, ajunt qui apud Judæos עשרים וארבעה viginti quatuor dicuntur. Atque ad hoc stabiliendum Schindlerus in Lexic. Pentagl. p. 808. Targum super cap. 5. Cantic. adducit, his verbis: בעשרין וארבעה ספרין דאוריתא *in viginti quatuor libris Legis.* Verum cum hæc verba in edit. Basileens. non habeantur, nec in Venet. ita legantur, minus recte sic loquuntur. Textum autem ex edit. Venet. adducit Amplissi. atque Excellentiss. Dn. Præses, Promotor, Fautor & Præceptor meus æterno animi cultu devenerandus, in dissert. Anno 1665. de Scripturæ S. in Leg. Prophet. & Hagiographa divisione, habita, h. m. ועסיק בעשרין וארבעה ספרין דאוריתא ופתגמי נבואה וכתיבי *Et occupatus est in viginti quatuor libris, qui sunt Lex, & verba Prophetiæ & Hagiographa.* Ex quibus quid sentiendum sit, satis patescit. 4. Demum quamcunque doctrinam sive institutionem notat; sic Proverb. 13: 14. תורת חכם Targ. נימוסא דחכימא *Doctrina sapientis, fons vitæ.* Hancque significationem obtinet vi ἐτύμου; derivatur enim ex radice ירה quæ in Hiphil *docuit* significat. Vi igitur derivationis תורה significat doctrinam, quæ monstrat finem sive metam & viam: sive sit sermo homini indicans debitum suum, quod faciens vitam consequatur, sive sit sermo monstrans peccatori viam & rationem accipiendi justitiam donatam, quæ est justitia DEI. Quemadmodum vero τὸ תורה de utroque dicitur, ita etiam νόμος Lex. unde νόμος ἔργων & νόμος πίστεως Rom. cap. 3: 27. cap. 8: 2. appellatur.

§. 12. Causam autem, cur dicatur Lex è Sion egredi, R. Abarbenel his indigitat verbis. והנה תלה התורה בציון לפי שהיה המקום ההוא מכוון לשער השמים לרדת שמה השפע העליון עד שהמקום ההוא חייב להשלימות לעם היושב עליו והעם לא היה משלים אותו וכבר הפליגו ז"ל בביאור הדבר הזה אמרו בויקרא רבה כל פעולות טובות ונחמות שעתיד הק"בה ליתן לישראל אינן אלא מציון עוז מציון שנאמר מטה עוזך ישלח ה' מציון' ישועה מציון שנ' מי יתן מציון ישועת ישראל שופר מציון' שנ' תקעו שופר בציון' ברכה מציון שנא' יברכך ה' מציון' טל וחיים מציון שנ' כטל חרמון שיורד על הררי ציון' סיוע מציון שנ' ומציון יסעדך' תורה מציון שנ' כי מציון תצא תורה' העידו בזה ששלימות המקום יהיה מביא כל הטובות והנחמות האלה על האומה והוא היה מקור התורה ולכן נהרו אליו כל הגוים: *Ecce suspendit legem Sijone, propterea quod locus iste destinatus esset ut sit porta cœli, qua descendat influxus supremus, usque adeo ut locus iste perfectioni populi, qui habitat in eo, deberetur, populus vero non perficiat eum. Et jam pridem patres nostri b. m. summam diligentiam adhibuerunt in explicatione verborum horum. Dixerunt in comment. in Le-*

in Levit. omnes actiones bonæ & consolationes, quas Deus *Ben-Israëli daturus est, non sunt aliunde nisi ex Sion. Robur ex Sion, ut dicitur* Psal. 110: 2. *virgam fortitudinis tuæ mittet Dominus ex Sion. Salus ex Sion, ut* Psalm. 14: 7. *Qui dabit ex Sion salutem Israël? Tuba ex Sion, ut* Joël. 2: 1. *clangite tuba in Sion. Benedictio ex Sion, ut* Ps. 128: 5. *benedicet tibi Dominus ex Sion. Ros & vita ex Sion, ut* Ps. 133: 3. *Sicut ros Hermon qui descendit super montes Sion. Auxilium ex Sion, ut* Psal. 20: 3. *& de Sion fulciat te. Lex de Sion, sic* Jes. 2: 3. *quoniam ex Sion progredietur Lex. Probant ex hoc, quod perfectio loci istius adductura sit omnia bona & consolationes has super gentes, & ille fons legis sit futurus, & propterea fluent ad eum omnes gentes.* Apparet ex hisce, Ebræos ipso loco superbire, quasi suapte natura apto, ut hominum perfectio adhuc inde pendeat, & demum gentes ideo ad eum frequentissimæ accedant. Sed בפני הבית שני *ipso adhuc secundo templo stante*, quicquid hic à Propheta est prædictum, impletum vidisse majores illorum, satis abunde constat. Euangelium enim, quod ipsius Messiæ regni robur est, &, uti dicitur Ps. 110: 2. Sione est emissum, Hierosolymis primum prædicatum, & ibi exordio facto, in alias regiones propagatum fuisse, loca Luc. 24: 49. & Act. 1: 4. neminem amplius dubitare sinunt, licet Judæi hic longe alia comminiscantur & quælibet somnient.

§. 13. Quod vero ipsum sensum verborum attinet; non male ad illa verba Kimchius scribit: זה דברי הנביא לא דברי העמי׳ כלומר למה יאמרו הגוים לכו ונעלה ויורנו מדרכיו כי מציון תצא תורה ומצוה לכל העמים והמורה הוא מלך המשיח ועליו אמר ושפט: *Hæc verba sunt Prophetæ, non populorum, quasi dicat: Eccur gentes dicturæ sunt, ite, ascendamus, ut nos vias suas doceat? quia Sione egredietur Lex, & præceptum ad omnes populos. Doctor vero ipse Messias est, & de eo porro dicitur, & judicabit.* Quod ipse Kimchi fatetur, Messiam Doctorem fore illius doctrinæ, quæ Sione & Hierosolymis ad gentes sit exitura, id ambabus manibus acceptamus, cum eventus id etiam satis comprobarit, Messias enim noster non modo omnibus admirantibus docuit Johan. 7: 42. in templo Hierosolymitano conf. Luc. 4: 21. sed & inde in totum terrarum orbem ringentibus licet Judæis, verbum Euangelii est egressum, & per Apostolos fons viventium aquarum, tanquam per suas fistulas, in totum terrarum orbem est delatus. Quod ut singulare quid & memoratu dignum Propheta prædixit. Ne enim Judæi hic carnales pro sua consuetudine verba textus ad Legem Mosaicam duntaxat restringerent, non dicitur quod ibi sit תורה verbum, sed quod inde egrediatur, ut sic quisquis verbum Euangelii perceperit, licet sit apud Garamantas & Indos, is montem Domini conscendisse censeatur.

§. 14. Hoc cum Judæi ægerrime ferant, tam clara verba ut alio detorqueant, omnem lapidem movent. R. Lipmannus enim num. 321. libri Nizzachon, postquam de Synedrio, ejusque in decidendis causis potestate disseruisset, qua fieri possit, ut quod hodie pro mundo habebatur, ab aliis alio tempore pro immundo rite declaretur. tandem huc nostrum vaticinium trahit: על זה נאמר מציון תצא תורה ר״ל תצא דבר תורה היום שלא יצאה אתמול זה שאמר הכתוב ושאבתם מים בששון ממעיני הישועה ות״י אולפן חדשה לאפוקי מן הכופרים המפרשים על חדוש ישו שהרי אמר ושאבתם מים בששון ואין לנו עצבון בחדוש תורתו אלא על חדוש תלמידי חכמים נאמר: *Hoc ipsum indicant verba* (Esa. 2: 3.) *ex Sion egredietur Lex, q. d. aliquid quod legem spectat, egredietur, quod heri non est egressum. Hoc ipsum est, quod scriptum est* (Esa. 12: 3.) *haurietis aquam cum exultatione è puteis salutis. Atque Jonathan interpretatur doctrinam novam, ad excludendos abnegantes, qui de novitate Jesu accipiunt. Ecce enim ait: haurietis cum lætitia. Sed nobis legis ejus novitas est dolori. De novitate igitur discipulorum sapientum loquitur.*

§. 15. Haut multo aliter sensum verborum antecedentium depravare conatur R. Salomo, sed ei ipse R. Abarbenel eo nomine dicam scripsit hunc in modum. הנה רש״י ז״ל בפרושיו עשה היעוד הזה דבר קטון בענינו כי הוא כתב שכאשר יתאמנו הגוים כדברי ריבות יאמרו זה על זה לכו לחכמי ירושלים ונביאיו ויגידו לנו דבר המשפט ואם כן יהיה מה להם עוד לכלי מלחמה ותמהתי מכבוד תורתו איך חשב בזה שהרי הכתוב אומר בשם העמים בערבוביא יאמרו לכו ונעלה אל הר ה׳ ואל בית אלקי יעקוב ויורנו מדרכיו ונלכה בארחותיו ולא אמר זה על דיני ממונות כי אם על הגיירות וקבלת האלהות על עצמם: *Ecce Raschi b. m. in suis expositionibus hanc promissionem elevat, & significationem ejus. Scripsit enim, quod, postquam gentes crediderunt, alter ad alterum in controversis causis sit dicturus, ite ad sapientes Hierosolymitanos & Prophetas ejus, ut indicent nobis quid juris sit, & hoc modo nulli usui erunt instrumenta bellica. Sed hanc interpretationem miratus sum, quomodo sibi persuadere potuerit. Ecce enim Scriptura nomine populorum ait, quod omnes mixtim & confuse dicturæ sint, ite, ascendamus in montem Domini & domum* Dei *Jacobi, ut nos vias suas doceat, & in semitis ejus ambulemus. De causis itaque pecuniariis hoc non locutus est, sed gentilismo relinquendo, quo verum* Deum *agnituri sint.* Sane dum vocem דרך adhibet, quæ ubi homini tribuitur, כל חפצו ועסקיו *omnem voluptatem & studia* ejus designat, hic ubi Deo tribuitur, ad speciale quid, veluti sunt *causæ pecuniariæ* restringi illa minime potest, sed potius doctrinam ejus, & rationem vivendi à Deo præscriptam, veluti Psalm. 25: 4. significat.

§. 16. Hic eadem opera & R. Lipmanni & R. Salomonis commentum Abarbenel explodit, & simul ita Judaicæ pertinaciæ collum nudat, ut in id gladium veritatis vibrare queamus. Fatetur hic recutitus, quod alii tamen propugnant, hic non esse sermonem de Lege Mosaica, aut causis secundum eam decidendis, sed de doctrina, quam gentes recepturæ sunt convertendæ, & quæ non è monte Sinai, sed monte Sion sit oriunda; neque solos Judæos spectet, sed quasvis etiam gentes. Unde diversam doctrinam esse oportet à Lege Mosaica. Hanc eam esse dicimus, quam in Prophetarum libris Deus subinde, quantumvis sublimi & nonnihil involuto dicendi genere, prædixit, unde ab omnibus penitus ante vaticiniorum complementum non est intellecta. Quin Apostolus, Actor. 10. Christo jam in cœlos evecto, illorum sensum non satis assecutus videtur, donec per Spiritum intus loquentem & experimento attestantem didicisset, quomodo Prophetiæ de Gentibus in Ecclesiam recipiendis intelligendæ essent. Atque hæc causa est, quamobrem Rom. 16: vers. 25. Euangelium vocet μυστήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον. item Coloss. 1: 26. ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων. Et σοφίαν ἐν μυστηρίῳ ἀποκεκρυμμένην 1 Corinth. 2: 7. non quod absolute & simpliciter ignotum fuerit, sed respective vel comparative, quod ante Messiæ adventum quoad modum & circumstantias aliquid occulti habuerit. Hinc factum etiam est, ut duo discipuli non ante recte perceperint Scripturæ sensum in vaticiniis de Christo & ejus regno, donec Christus Luc. 24. eam explicando aperuisset. Quam apertionem etiam, ut necessariam ad Scripturæ V. T. intellectum, Patres requirere solent.

§. 17. Cum vero Euangelium תורה *doctrina* nominatur, & דבר יהוה *verbum Domini*, quod ex Hierosolymis & Sione תצא *egressurum* sit, observatu dignum est, quod R. Moses Maimonides in Moreh Nebochim, part. 1. cap. 23. de verbo יצא monet, illud exitum corporis è loco in locum alium significare, & deinde transferri ad ostensionem vel manifestationem rei incorporeæ, vel operis alicujus divini, quod ex hoc ipso Prophetico loco Esa. 2. comprobat. Sed hanc operis Divini manifestationem solennem, & Euangelii in totum terrarum orbem egressum Judæi agnoscere renuunt. Quin hodieque eodem invidiæ spiritu agitantur, quo olim Majores illorum, Apostolis vivis, sunt correpti, & ut hi omnibus modis cursum Euangelii inhibere studuerunt; ita illi necdum cessant convitiis illud proscindere. Unde malitiose Euangelium nunc און גליון nunc עון גליון vel *iniquitatem revelationis* appellant. Academias vero nostras, ubi de Euangelio disputari solet, בי אבירן *domum perditionis* vocare solent. Quam blasphemiam, ubi metu Christianorum manifestare minime sustinent in libris excusis, hiatu relicto, manu demum sua suis exemplaribus adscribere solent, veluti in Talmud Massechet Schabbath. cap. 9. & En Israel, fol. 72. b. semel, iterum ac tertium videre est. Eam dissimulare non potuit R. Elias Germanus in Lexico, quod Thisbi vocat pag. 17. הנוצרים קורין לתורה החדשה שלהם איונגליון כרפי על הגימל והוא בלשון יון בשורה טובה ורבותינו הסכו שמו און גליון והוא לא נכון: *Christiani novam legem, quam habent, vocant Euangelium, litera Gimel Raphata. Significat vero lingua Græca bonum nuncium. Doctores nostri nomen ejus inverterunt,* און גליון, *sed id minus recte fit.*

§. 18. Quemadmodum vero R. Elias Germanus majorum suorum impietatem improbat, ita optandum erat, ut is juxta cum aliis recutitis illam doctrinam Messiæ, quam gentes sperare dicuntur Esai. 42: 4. exactius expendisset, & nostro Salvatori eam per Apostolos & Euangelistas annuncianti fidem habuisset. De Propheta post Mosen apparituro R. Albo c. 18. lib. 3. Ikkarim ita scribit. הנאמר לאדם על פי השם בלי אמצעות נביא אין כח ביד נביא לבטלו ואפילו בהוראות שעה וזהו שאמרו שהנביא שאומר לעבור עבודה זרה אפילו לשעה אין שומעים לו אבל אם יאמר שנחלל שבת או שנעבור על אחת מן המצות בהראות שעה או בענין שלא יהדום שרשי הדרת ראוי שנשמע לו משום שנאמר אליו תשמעון:

תשמעון: *Id quod immediate homo ex ore Divino accipit, sine Prophetæ interventu, antiquare Propheta nequit, quantumvis necessitatis casus id velit. Atque hoc est, quod dixerunt, quod Propheta, qui idololatriam suadeat, assensum non mereatur. Sed si dicat, Sabbati die operari licitum esse, aut præceptum divinum transgredi, urgente necessitate, ita tamen ut legis fundamentales articuli haut violentur, obtemperandum ei est, quia dictum est* (Deut. 18: 18.) *ipsum audietis.*

§. 19. Cum vero Judæus ita fateatur, Deuter. 18: 18. id præcipi, ut patulas aures præbeant Prophetæ, quem DEUS, Mose legislatore non minorem, excitaturus sit, si nihil Decalogo vel legi morali contrarium doceat, licet præcepta alia, quale de Sabbato colendo est, in necessitatis casu ob dilectionem proximi, non eo rigore, quo solebant, observarentur: diligentius id expendere deberent, utrum noster Salvator, qui magnus ille Propheta est, & diserte profitetur, se non eo nomine venisse, ut legem destruat, vel abroget, sed potius ut impleat, quicquam docuerit in Euangelio suo, quod legi Mosaicæ vel minimum repugnet. Maxime cum etiam id commemoret, Mosen de se esse testatum, quod loco ex Deuteronomio adducto factum est. An item Euangelium ejus non ejusmodi doctrina sit, quæ lege Mosaica peccatoribus longe gratior sit, id quod de Messiæ doctrina in Medrasch Koheleth, cap. 11: 2. ab ipsis Judæis admissum est, cum in hæc verba erumpunt. תורה שלמד האדם בעולם הכל הוא לפני תורתו משיח *Lex, quam homo hoc seculo discit, multo minor est lege Messiæ.* Præterquam etiam, quod is miraculis stupendis, & omnem humanam, vel creatam virtutem excedentibus, suæ doctrinæ fidem fecit, id Judæos merito movere debeat, quod, post mortem ejus, templum destructum est, plane ut Messia exciso, futurum Dan. cap. 9: 24. prædixit, & inde gentium plurimarum conversio, tot locis Scripturæ prædicta, est secuta. Neque ullius momenti est, quod objiciunt, eum nova doctrina Legem Mosaicam sustulisse. Tantum enim abest, ut hoc verum sit, ut potius etiam stabiliverit, & à frivolis glossis Judæorum vindicatam, pristino vigori restituerit. Quod à Messia præstitum iri, in Bereschit Rabba sect. 98. pag. 62. col. 1. dudum est ab antiquissimis Ebræis concessum, ubi diserte ipsius muneris fore affirmant, מחבר דברי תורה ומחזר טעותיהן *quod verba legis explicet, & errores illorum redarguat.*

§. 20. Quum dicitur ושפט בין הגוים וגו׳ *& judicabit inter populos*, consequens istius *verbi Domini egressus* significatur. Dupliciter vero verbum שפט (cujus latior apud Ebræos usus est, quam Latinos 𝔷 judicare) explicari solet ab Interpretibus. 1. ut sit idem ac imperare, vel *dominari*, quomodo Genes. 19: 9. accipitur, & hoc modo Messiæ dominium denotetur, quo etiam in medio inimicorum potenter dominatur Ps. 110: 2. 2. ut significet, *judicare*; quæ significatio hic aliena non est. Messias enim judicat, non quidem disceptando causas civiles, sed spiritualiter, cum per verbum suum peccatores ita arguit & docet, ut deposita bellorum armorumque cupiditate, omnes nocendi appetitus exuant & deponant. Atque hanc expositionem, ut haut improbabilem recipimus ob sequentia verba, cum ait: *& concident gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces*, quibus nihil aliud, quam pacis studium tanquam effectus illius Judicii innuitur. Quemadmodum contra, vomerum in gladios transmutatione alibi, Joel. 3: 10. bellorum in pacis locum succedentium novitas & incendium significatur. Tempore vero Messiæ illa minus frequentia fore, saltim minus placere debere, seq. verba comprobant: *non sumet gens adversus gentem gladium, & non discent ultra bellum.* De quibus sub finem cap. 11. agendum erit.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Judæorum objectiones, quibus, Messiam nondum venisse, ex textu probare satagunt, expenduntur.

§. 1. ETsi, ut hactenus vidimus, vaticinii sensum eruere haut ita laboriosum sit, maxime, si cum aliis oraculis & ipso eventu illud contendas: Judæi tamen turpiter eo abutuntur, & fictitii sui Messiæ adventum adhuc dum sperandum esse, inde statuminare satagunt, ceu ex Lipmanni Nizzachon apparet, ubi pag. 126. hæc verba legimus. אגב גררא אפרש עוד ראיות מישעיהו שלא בא משיח כי בראשו כתוב והיה באחרית הימים נכון יהיה הר בית יהוה בראש ההרים ונשא מגבעות ונהרו אליו כל הגוים והלכו עמים רבים ואמרו לכו ונעלה אל הר יהוה אל בית אלהי יעקב וגו׳ הרי מבואר שבסוף העולם יהיה בית המקרש של אלהי יעקב נכון וגם שמה נזכרו אותות שלא נתקיימו עדיין שנא׳ וכתתו חרבותם לאיתים פי׳ לעבודת הקרקע׳ וחניתותיהם למזמרות פי׳ לעבודת הכרם׳ כי יתבטלו המלחמות לאחר שנתישבה מלכות המשיח כמו שמסיים ולא ישא גוי אל גוי חרב ולא ילמדו עוד מלחמה וכן האותות דבסמוך לא נתקיימו עדיין וכו׳ *Obiter explicabo etiam rationes ex Jesaia, quod nondum venerit Messias, quandoquidem in principio scriptum* (c. 2: 2.): *& erit in extremitate dierum constabilitus mons domus Domini in vertice montium, & exaltatus præ collibus, & confluent ad eum omnes gentes. Et ambulabunt populi multi atque dicent: agite, ascendamus ad montem Domini & ad domum* DEI *Jacob &c. Ecce clarum & perspicuum est, quod sit in fine mundi mons domus sanctuarii* DEI *Jacob stabilis futurus. Miracula quoque commemorantur, quæ necdum sunt impleta, ut cum dicitur; Et contundent gladios suos in ligones, sensus est, propter culturam agri, & lanceas suas in falces, scilicet propter culturam vineæ. Imo cessatura sunt bella, postquam invaluerit Regnum Messiæ, secundum id, quo finit: & non extollet gens contra gentem gladium, neque discent amplius bellum. Sic quoque signa quæ in fine commemorantur, nondum sunt impleta &c.*

§. 2. Sic etiamnum Judæi in tenebris plusquam Cimmeriis hærent, neque inde facile eximentur, nisi dociliores verba cum eventu componere incipiant. Quod tanto minus ab iis sperare licet, quanto illi proniores sunt ad omnia, quantumvis clara, secundum præconceptam suam opinionem detorquenda. Quin ibi etiam fabricari promissionem aliquam solent, ubi ne minimum quidem vestigium illius apparet. Quod ut magis patescat, R. Abarbenelis fundamenta, quæ in verbis Esaiæ pro suæ fidei veritate se reperisse visus est, intuebimur, eademque opera R. Lipmanni adducta commenta excussuri.

§. 3. Sic igitur in libello, quem Christianis ex professo opposuit משמיע ישועה, is loquitur יעד הנביא בזה הנבואה ה׳ היעודים האחד בנין בית המקרש העתיד ושיהיה נכון וקיים ר״ל מתמיד עדי עד שלא ישוב ליחרב עוד והוא אומרו נכון יהיה הר ביתהשי בראש ההרים ונשא מגבעות שמלת נכון תאמר על הדבר הקיים והמתמיד להיותו נכון על מתכונתו: *Propheta in hoc vaticinio quinque promissiones protulit. Prima est sanctuarii futuri structura, & quod firmum & stabile sit futurum, hoc est, subinde durans & nunquam destruendum. Atque hoc innuit verbis* נכון יהיה וגו׳ *dictio enim* נכון *dicitur de re stabili & durante, cum sede sua subsistit.* Sed quis à se impetrabit, ut credat, Prophetam, qui stante templo primo vaticinatus est, saltu tot seculorum facto, voluisse de templi tertii, nunquam alias divinitus promissi, sed à Judæis conficti, diuturnitate agere, præteritis & structura & excidio secundi templi, quod diutius quadringentis annis stetit, & cujus alias gloria Judæorum animum erigere DEUS voluit Hagg. 2: 8. seq. Fac vero Tō נכון *stabilitatem* h. l. connotare, num ad tertium templum ideo referendum fuerit? Hoc tantisper negamus, donec ex textu rationem adduxerit. Quod ut præstare nequit, ita nihil causæ est, quamobrem non supposita etiam illa, quam urget, significatione, spiritualiter hoc intelligamus. Cæterum נכון h. l. stabilitatem vel durationem minime notat, utpote quod cum seqq. verbis, *in vertice montium* demum constructum explicandum est, & quum Prophetis alias solenne sit, posterioris hemistichii verbis idem, quod antecedentis verba præ se ferunt, repetere, nihil aliud tota phrasi נכון בראש ההרים innuitur, quam quod verbis נשא מגבעות significatur, summa scilicet *celebritas* sive *claritas* vel *gloria*, ob quam etiam gentes undiquaque advolaturæ, & nomen suum ad verum Deum colendum sint professuræ.

§. 4. Secundam Promissionem daturus, bene quidem monet, de elevatione templi locali vel corporali, quod prisci sibi persuaserant Judæi, sermonem non esse, nihilominus inepte id contendit Abarbenel, omnes omnino gentes eo simul convolaturas esse, quæ, non tam ob montem quam sanctitatem templi, idololatriæ in excelsis exerceri solitæ valedicturæ, sint eo venturæ לקבל האמונה האלהית *ut in Deum verum credant.* Quæ gentium universalis conversio cum necdum facta sit, inde Messiam venisse, negat concludi. Cæterum ejusmodi quid ex textu haut probabitur, neque ex particula כל id hic colligere licet, quippe quæ etiam restricte sumi solet. Conf. 2 Sam. 16: 22. Matth. 3: 5. Luc. 2: 1. Id vero est, quod acceptamus, dum ad verba gentium: *ut nos doceat vias suas, & eamus in semitis ejus*, scribit, ר״ל שלא יהיו כבני ישראל שקבלו את התורה ולא הלכו כדרכיה אבל הם כשיורה להם דרכיו ילכו באורחותיו: *q. d. non futuri sunt ut filii Israëlis, qui legem*

quidem

quidem acceperunt, ſed in viis ejus non ambularunt, ſed illæ gentes cum docuerit eas vias, in ſemitis ejus ambulabunt. Quod dudum impletum eſſe, vel ſola hiſtoria Apoſtolica docet, ubi renuentibus Judæis credere, gentes promptæ verbum Evangelicum ſuſcepiſſe memorantur.

§. 5. Tertia promiſſio juxta R. Abarbenelem eſt. שבימים ההם כל עמי הארץ בארצותם לגויהם ממרינה ומרינה ככתבה ועם ועם כלשונו ילמדו לשונם לקרא בשם השם ויכנו את האלוה ברוך הוא בשמו וכמאמר צפניה הנביא כי אז אהפוך אל עמים שפה ברורה לקרא כלם בשם השם׃ וזהוא אמרי כאן לכו ונעלה אל הר ה׳ כי אותו השם הנכבד יהיה שגור וידוע בפיהם מסכים ליעוד הנביא ויהיה השם למלך על כל הארץ ביום ההוא יהיה השם אחד ושמו אחד וזכר שיתנו העמים סבה על הערתם זארת באמרם כי מציון תצא תורה ודבר ה׳ מירושלים׃ *Quia illis diebus omnes populi terræ in ſuis locis, juxta gentes,* (Gen. 10: verſ. 31.) *ſingulæ provinciæ juxta ſcriptionem ſuam,* (Eſther. 3: verſ. 12.) *ſinguli populi ſecundum linguam ſuam, diſcent vocare nomen Domini, & Deum benedictum ſuo nomine cognominaturi ſunt, ſecundum Zephaniæ prophetæ dictum* (c. 3:9.) *quia tunc convertam ad populos labium purum, ut nuncupent omnes nomen Jehovæ. Atque hoc eſt quod dicit hic: Ite aſcendamus ad montem domus Domini. Quia nomen illud glorioſum erit promtum & cognitum in ore illorum. Atque eo collineat Propheta* (Zach. 14: 9.) *& erit Dominus Rex ſuper totam terram: illo die erit Dominus unus & unum nomen ejus. Meminit etiam Propheta cauſæ hujus exhortationis illarum, dum ajunt: Quia è Zion egredietur Lex & verbum Domini Hieroſolymis.*

§. 6. Quod Rabbi Abarbenel cum dicto Michææ, locum Zach. 14: 9. comparat, & Meſſiæ tempore utriuſque complementum viſum iri docet, in eo ipſi non minus adſtipulamur, quam ubi etiam Joëlis 3. effuſionem Spiritus DEI de eodem tempore gratioſo intelligendum, affirmat. Illud vero eſt dolendum, quod cum tribulibus ſuis in cortice adhuc hærens, nucleum promiſſionis ne attingat quidem. Cum n. l. Zachar. cit. dicitur: *illo die Jehovah erit unus, & nomen ejus unum,* quomodo illud Judæi intelligant, Rabbi Aben-Eſra oſtendit, cum hunc in modum ſcribit. הוא שם הנכבר הנורע על יד משה עברו ויקרא בפי כל ככתבו׃ *eſt nomen glorioſum per Moſen ſervum ejus manifeſtatum, quod tunc quilibet ore ſuo, prout ſcribitur, enunciabit.* Fingunt itaque, tunc quaſque gentes nomen DEI τετραγραμμάτον juxta literas pronunciaturas eſſe, quod hactenus per aliud nomen, ארני, fuit enunciatum. Sed hoc longe exilius eſt, quam ut promiſſionis divinæ amplitudinem exhauriat. Neque enim ſatis eſt, ut uno eodemque ſono nomen DEI pronuncietur, quod hodieque non minus Chriſtiani Ebraice docti, quam Judæi faciunt, ſenſu tamen tantopere diſcrepantes. Sed illud hoc loco innuitur, Meſſiæ tempore, idolis ſublatis, DEUM ſolum Regem fore, uno etiam nomine appellandum. Nempe cum ante aliud atque aliud nomen DEO tribuerint, & aliud atque aliud de eo dixerint, Meſſiæ ætate, in cultu divino conſenſuras gentes, ſignificat, juxta Pſalm. 86: verſ. 9. & ita quod Propheta Zephanias ait loc. cit. בשכם אחד *uno humero*, ſive ut Græci reddunt, εἰς ζυγὸν ἕνα Deum ſunt culturæ, hoc eſt, *conſentientibus animis & ſtudiis*, eumque tanquam Salvatorem & Dominum ſuum agnituræ, à quo & appellari velint.

§. 7. Quartam promiſſionem recenſiturus hunc in modum R. Abarbenel ſcribit. אמרו ושפט בין הגים והוכיח לעמים רבים והוא חוזר לדבר ה׳ מירושלים אשר זכר כי דבר השם ונבואתו בימים ההם ישמור ויוכיח בין הגוים ואפשר גם כן לפרשו על הר השם כי שמה ישבו כסאות למשפט והבית ההוא בקדושתו וברוח נבואה שימצא שמה ישפוט בין הגוים ויוכיח לעמים רבים׃ *Dum* ait, *& judicabit inter gentes & arguet populos multos, & hoc reſpicit ad verbum Domini Hieroſolymis egreſſurum, cujus meminerat. Quia verbum Domini & Prophetia ejus illo tempore cuſtodiet, & arguet inter gentes. Sed poteſt etiam explicari illud de monte domus Domini. Ibi enim throni erunt ad judicium, & illa domus in ſua ſanctitate, & ſpiritu Prophetiæ, ibi reperiri ſolito, inter gentes judicabit.*

§. 8. Non pugnabimus cum Judæo, dum hoc judicium, & hanc correctionem ad verbum Hieroſolymis egreſſurum, referendum docet: eodem enim recidit, ſive hoc ad Meſſiam ut cauſam principalem, ſive organon ejus, verbum Hieroſolymis egreſſurum, referamus. Omnino enim illius verbi egreſſi effectus eſſe videtur, gentibus ad bella, & inordinatos pronis motus, aliam vitam ſuadere, qua pro bello pax, pro idololatria veri Dei cultus, pro peccatis virtutum ſtudium ipſis in poſterum curæ ſit. Quod vero etiam illas Judiciorum ſellas crepat, & Hieroſolymitanum in dubiis Synedrium iterum conſulendum, intelligi poſſe ait, id vero eſt futile, & ab ipſomet Abarbenele ſupra exploſum: quandoquidem non de jure aliquo dubio explicando, quod Judæos concernebat, ſed de doctrina, quæ gentibus æque & Judæis communis futura erat, agitur. Merito igitur priorem explicationem, utpote contextui convenientiorem, præferimus, & Evangelii verbique divini virtuti, tribuendum eſſe exiſtimamus id, quod à Propheta hoc loco memoratur. Quæ cum dudum in gentibus ſe exeruerit, etiam fruſtra eam ab ipſis Judæis jactari, conſtat, ad evincendum hoc, Meſſiam necdum veniſſe.

§. 9. Sed nunc quintam, eamque ultimam promiſſionem expendemus, quam Abarbenel ait eſſe eam, שהיה שלם הארץ בזמן ההוא וכמו שאמרו וכתתו חרבותם לאיתים וחניתותיהם למזמרות ולא ישא גוי אל גוי חרב ולא ילמדו עוד את מלחמה ומיכה המורשתי בספרו הנבואה הזאת הוסיף בה ביאור באמרו וישבו איש תחת גפנו ואיש תחת תאנתו ואין מחריד שהתם צבאות דבר׃ ר״ל שרוב המלחמות בין הגוים הם בסבת חלוף הדתות כמלחמות ארום וישמעל ילכן בהיות שיקראו כלם בשם ה׳ ויכנעו לתורתו ומצותיו ישבו בטח בדד מבלי גזל וחמס איש תחת גפנו ותחת תאנתו ולא איש תחת גפן ותאנה אדם אחר לפי שהשם צבאות דבר והם נשמעים למצותיו ולדבריו ולכן לא ישמע עוד חמס בארצם שור ושבר בגבולם׃ *Quia ubique terrarum pax erit illo tempore, quemadmodum dixit, & conflabunt gladios ſuos in ligones, & haſtas ſuas in falces, neque tollet gens contra gentem gladium, neque diſcent amplius bella. Præterea Michæas Moraſtites, dum hanc Prophetiam enarrat, adhuc explicationem addit, dicendo: & quiſque habitabit ſub vite & ficu ſua, neque erit, qui terreat, quia Dominus Zebaoth dixit: q. d. maxima pars bellorum inter gentes ex diverſitate religionum oriuntur, ut bella Chriſtianorum & Turcarum teſtantur. Idcirco cum omnes nomen Domini ſunt invocaturi & ad legem & præcepta ejus ſe humiliaturi, tuto habitabunt ſine rapina, & violentia, quiſque ſub ſua, non autem quisque ſub alterius hominis vite & ficu, quia Dominus Zebaoth hoc dixit, & illi obtemperabunt ejus mandato. Idcirco non amplius audietur rapina in terra illorum, & vaſtatio in finibus eorum.*

§. 10. Hæc ultima ratio, quæ Judæos cumprimis etiamnum in incredulitate ſua detinet, ut apud Menaſſem Ben Iſraël lib. III. cap. 2. de Reſurrect. mortuorum, videre eſt, ejuſmodi eſt, ut facile retundi queat. Neque enim hoc ita intelligendum, omnes omnino homines ubique terrarum, nullis excluſis, gladios in vomeres eſſe ſimpliciter converſuros, & vi quadam irreſiſtibili ad pacis ſtudium motum iri: ſed eam verbi Sione egreſſi efficaciam fore, ut homines eo moti gladios in ligones, haſtas in falces converſuri ſint, nempe ii, qui locum eidem reliquerunt eique obicem non poſuerunt. Verbi igitur divini duntaxat proprietas ita deſcribitur, qua futurum ſit, ut miraculum habeatur, ſi per illud non reddantur homines piiſſimi ſimul ac manſuetiſſimi, & mutata indole belluina, inter ſe affectibus, ſtudiis conjunctiſſimi reddantur. Quod ſane, ſi non alio tempore, primis ſaltem Meſſiæ temporibus, perfecte completum & protinus conſummatum eſt, cum aliquot myriades Judæorum, antea mutuis odiis flagrantes, derepente ita in pacis & concordiæ leges conſenſerunt, ut unum cor fierent & una anima, omneſque ſuas facultates in commune conferrent & diſtribuerent Actor. 2: 44. Neque quiſquam aliquid eorum, quæ habebat, ſuum eſſe diceret. Actor. 4: 32. Quibus cum gentes itidem acceſſiſſent, odium, quod pluſquam Vatinianum inter illos erat, ita exſpiravit, ut in eandem amicitiam coaleſcerent, & ita, quod Eſaias cap. 11. dixit, lupus cum agno, pardus cum hædo in gratiam rediiſſe videretur. Quod ſi vero Judæi literam pertinaciter urgere pergant, qua gens alteri litem nullam moturа, gladium nullum in aliam ſublatura perhibetur, id recolendum ipſis fuerit, Scripturis ſæpe numero *non ultra* facienda aut futura dici, quæ raro aut minus, quam antea, frequenter facienda ſint, & futura. Sic Geneſ. 32: vſ. 28. dictum eſt: *non vocaberis ultra Jacob, ſed Iſraël erit nomen tuum,* cum tamen quandoque & illo nomine eum appellatum poſtea fuiſſe, conſtet.

§. 11. Ex hiſce ſic conſtat aperte, quam frivolis Judæi etiamnum utantur rationibus ad probandum, Meſſiam necdum veniſſe. Qui cum verba rigide ad literam interpretantur, textum violenter torquent, & abſurditatem non vulgarem incurrunt. Quod doctis viris, Caſaubono, Scaligero, aliiſque tantopere probatus Maimonides probe animadvertit, quum Hilk-Melachim cap. ult. de temporibus Meſſiæ longe rectius ſenſit, ſic ſcribens: אל יעלה על הלב שבימות המשיח יבטל דבר

ממנהגו

ממנהגו של עולם או יהיה שם חדוש במעשה בראשית אלא עולם במנהגו הולך וזה שנאמר בישעיהו וגר זאב עם כבש ונמר עם גדי ירבץ משל וחידה כל שיוצא כאלו הדברים הכתובים בענין המשיח הם משלים ובימות המשיח יודע לכל איזה דבר משל ומה ענין רמוז בהן: *Noli arbitrari, diebus Messiæ quicquam de mundi consuetudine cessaturum esse, aut res creatas mutatum iri. Sed mundus in sua natura subsistet. Quod vero dicitur* (Esai. 11: 3.) *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, id parabolice & ænigmatice est dictum. Omnia ejusmodi dicta de diebus Messiæ rationem habent Metaphoræ, & diebus Messiæ manifestabitur omnibus, ecquid ea parabola denotet, & quid significet.* Novimus nos Christiani jamdudum, quis verborum sit sensus, neque ulteriori manifestatione à Messia Judæorum, sive alio Propheta præstanda opus est. Nempe, ut supra diximus, nihil aliud denotatur, quam pacem, concordiam, & consensionem mutuam ex veritatis cognitione profecturam esse, sublatis odiis & invidia, ut sic non aliter homines, antea inimici, invicem agant, quam si lupus cum agno habitet, cum vitulo stabuletur leo.

الحمد لواهب العقول

CRISTOPH. LOCHNER

DISSERTATIO

De loco Classico ad Esai. VII: 14.

ESAI. VII: 14.

Hebraica veritas habet:

הנה העלמה הרה וילדת בן וקראת שמו עמנואל:

S. Matthæus vertit:

Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ.

Jonathan Chaldæus παραφράζει:

הא עלמתא מעדיא ותליד בר ותקרי שמיה עמנו אל:

Syrus habet:

ܗܐ ܒܬܘܠܬܐ ܒܛܢܐ ܘܝܠܕܐ ܒܪܐ ܘܬܩܪܐ
ܫܡܗ ܥܡܡܢܘܐܝܠ ܀

LXX. reddunt:

Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ.

Vetus Interpres Latinus expressit:

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.

Recentior Interpres transtulit:

Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabis, ô virgo, *nomen ejus Himmanuelem.*

B. Lutherus interpretatus est:

Siehe/ eine Jungfrau ist schwanger / und wird einen Sohn gebären/ den wird sie heissen Immanuel.

CAPUT I.

De textus συνάφεια.

I.



Ic est ille in Veteri Testamento celeberrimus, atque à Christianis semper in deliciis habitus locus, clare & perspicue de miranda Messiæ nostri, DEI filii, ex intemerata Virgine nativitate vaticinium complectens.

II. Hanc tamen explicationem, toti textui convenientissimam, veritatis jurati hostes Judæi, nullo modo perferre possunt ac volunt: Sed, omnes malitiæ suæ nervos eo unice intendunt, ut adversus Solem nebulas obducant, & tenebris suis tantam lucem offuscent.

III. Hoc ut eo facilius perficiant, variis viis, rem aggrediuntur. Atque inter cætera in ipsius textus συνάφειαν impetum facere plane non erubescunt. Proinde contendunt, nostram explicationem ne tantillum quidem Prophetæ scopum attingere, quippe, cui non propositum fuerit, in illo capite septimo, de Messia ex Virgine nasciturо agere, sed plane ad aliud, & quidem unice ad liberationem ex calamitate qua tum temporis populus Israeliticus cruciabatur, digitum intendisse.

IV. Nos vero tanquam pro aris & focis pugnantes, omnino hoc tuemur, longe alio spectare totius contextus ordinem. Siquidem, regnum Judaicum, imperante Achaso, ex familia Davidis oriundo, magnis erat periculis expositum, eo quod duo potentissimi Reges, videlicet Resin Rex Syriæ, & Pekach Rex Israëlis adversus illud pactum & consilia iniverant; id agentes, ut Achasum cum toto populo Judaico perderent, filium vero Tabal Judæis Regem constituerent. Hinc alter alterum sic alloquebatur: נעלה ביהודה ונקיצנה ונבקיענה אלינו ונמליך מלך בתוכה את בן טבאל: *Ascendamus in Jehudah & tadio afficiamus eam, & dissectam adjungamus eam nobis; & constituamus Regem in medio ejus filium Tabal.*

V. Mox, ingenti obsidione Hierosolymam premendo, detrimentum non exiguum Achaso inferebant; cæsis ad internecionem per spatium unici tantum diei, uti 2 Parap. 28: 6. & 8. habetur, centum & viginti millibus hominum: Abductis insuper in captivitatem trecentis millibus mulierum, puerorum & puellarum. Eapropter Achas cum populo universo terrore gravissimo perculsus, suspicabatur, jam de se subditisque actum esse, atque imminere templo, Sacerdotio & Politiæ supremum exitium, neminemque porro aut ex se natorum, aut è tota familia Davidis oriundorum, thronum regium occupaturum. Deliberatum enim ratumque esse sciebat, inter illos Reges, propositum de delenda Regia stirpe, & præficiendo Judæis Rege quodam Tabal qui fortasse peregrinus erat, & è Ducibus Samariæ aut Syriæ, Judæorum hostibus infensissimis trahebat genus. Hinc igitur tantus metus, tanta trepidatio orta, ut & Rex & subditi nescirent plane, quo se vertere deberent, atque, ceu ipse roph ta loquitur וינע לבו ולבב עמו כנוע עצי יער מפני רוח *Commovebatur animus illius* (Regis) *animusque populi illius, sicut commoventur arbores sylvæ propter ventum.* In hac consternatione cum Rex omnisque populus versaretur, benignissimus Deus fidelem nuncium Prophetam Esaiam ad illos ablegat, cum mandato, significaret, ne horum amborum Regum exercitum extimescerent. Etenim, non in eorum potestatem tradendos, multo minus ab iis delendos, sed potius auxiliante Deo è hostium manu ipsos liberandos esse. Quo autem hujus rei tanto certiores fierent, idcirco ex abundanti Propheta Achasum accuratissime commonuit, ut ejusmodi signum à Deo desposceret, unde indubitato conjicere posset, omnia illa à se prædicta certo certius eventura. At vero Rex, vel ex stolida confidentia, quasi fides sua major esset, quam ut hisce talibus fulcris indigeret,

geret, vel ex hypocritica quadam ſanctitate, quam præ ſe ferebat, illud facere recuſavit, eam cauſam prætexens, ne forte hac ſua petitione Deum pertentet. Qua in re graviter illum deliquiſſe, dubitari nequit. Nam, non tentat Deum, qui ipſo mandante, & optionem offerente, ſignum aliquod extraordinarium expoſcit. Quamobrem, *juſſus, ut peteret, obedientia debuit explere præceptum*, merito inquit in hunc locum Hieronymus. At Rex hypocrita fingebat pietatem, cum nihil minus quam pius eſſet:

Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & umbra
Cum ſit triſte habitu, vultuque, & veſte ſeverum:

ceu eleganter ait Juvenalis Sat. 14.

VI. Hiſce itaque perceptis, Eſaias tandem ſermonem ſuum ad domum David dirigit, inquiens: שמעו נא בית דוד *Audite nunc domus David*, pariterque eorundem incredulitatem, impietatem, ut & abjectiſſimum timorem culpando, ait: המעט מכם הלאות אנשים כי תלאו גם את אלהי quorum verborum ſuperſunt Veterum Græcorum, Aquilæ & Symmachi interpretationes, apud Druſium in Fragmentis eorundem pag. 390. Nam Aquila tranſtulit: Μήτι ὀλίγον, ἀπομοχθεῖν ἄνδρας ὅτι μοχθεῖτε καὶ τὸν θεόν μου. Symmachus vero: Μὴ οὐκ αὐτάρκες ὑμῖν κοπτοῦν ἀνθρώπους ὅτι κοπτοῦτε ἔτι καὶ τὸν θεόν μου. Latine vero verba Prophetæ ſonant: *An parva res eſt præ vobis, fatigare homines, quod etiam fatigatis Deum meum?* Pergit mox Propheta: לכן יתן אדני הוא לכם אות id eſt: *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum*: Innuens nimirum ſignum, quo niti poſſent, Deum illos è manu hoſtium liberaturum, ſtirpemque regiam ab interitu vindicaturum; minime vero ſignum quod quotidie ſe offert, ſed potius aliquod novum, inauditum, ſingulare, miraculum inquam, magnum, quod inſigne præberet argumentum immenſæ potentiæ atque miſericordiæ Dei; quod Regis Judæ & omnium habitatorum animos trepidos confirmaret, confirmatisque fiduciam adderet, eos liberos evaſuros, neque in poteſtatem hoſtium perventuros, multo minus inter eos extraneum quempiam imperio potiturum.

VII. Tandem ſubjungit illud vaticinium præclariſſimum, de Meſſiæ virginea Matre, & de ejuſdem miraculoſa nativitate; atque ex eo egregia certe liberationis argumenta deducit, quibus commonſtrat, quam facile Deo ſit, Judæos è truculenta hoſtium manu eripere, ereptisque priſtinam libertatem reſtituere: Hæc enim, ſi ad formam redigantur, Propheta inculcat:

Illud Regnum, atque ea ſtirps, unde proditurus eſt Servator populi Iſraëlitici Meſſias, ad ejus usque nativitatem nulla ratione poſſunt extingui.

Atqui Meſſias Servator populi Iſraëlitici proditurus eſt è Regno Judæ, atque ſtirpe Davidica.

Ergo Regnum illud, atque ea ſtirps, nulla ratione poſſunt extingui.

Et per conſequens, vanus atque inanis eſt conatus Syriæ & Iſraëlis Regum, adverſus utrumque, vana quoque & inanis eſt trepidatio Achaſi & populi Judaici, ob titiones iſtos fumigantes. Sed & ſimul alterum hoc inde fluit argumentum:

Quicunque poteſt facere per infinitam ſuam potentiam illud quod majus eſt, nimirum ut virgo pariat; poteſt etiam per eandem efficere quod minus eſt, ut nempe ab hoſtibus liberentur Judæi.

Atqui Deus per infinitam ſuam potentiam facere poteſt illud quod majus eſt, nimirum ut virgo pariat.

E. idem tanto magis efficere poteſt quod minus eſt, ut nempe ab hoſtibus liberentur Judæi.

VIII. Secutus eſt igitur Eſaias noſter, hac in parte, illum cæteris quoque Prophetis non infrequentem ordinem: Progrediendo ſcilicet à liberatione temporali, ad redemtionem ſpiritualem. Dum de externis hoſtibus illorumque propulſatione loquens, ſimul Immanuelis admirandam conceptionem & ortum ex Virgine incorrupta atque integra clare diſtincteque prædicit.

IX. Nimirum, hæc Prophetarum perpetua eſt conſuetudo, ut Meſſiæ mentionem injiciant, quoties ſingularem aliquam & eximiam è magnis calamitatibus miſeriisque populo Iſraëlitico liberationem pollicentur, & ut veteres de eo promiſſiones renovent. Quippe huic promiſſioni erat quoque vera ſalus populi Iſraëlitici unice innexa, & in ea omnis illius felicitas continebatur, quin & cæteræ corporales beatitates ejus tantum ſolius intuitu concedebantur. Unde & tamdiu Deus populum illum cum regno ſalvum voluit, quoad Meſſias exhiberetur, novum regnum ex Judæis pariter ac gentilibus conflatum, conditurus. Atque hinc vere intelligitur ſenſus aurei dicti, quo Apoſtolus 2 Cor. 1: 20. pronunciat quod in Jeſu Chriſto Servatore noſtro, omnes promiſſiones ſint τὸ ναὶ καὶ τὸ ἀμήν. *Etiam & Amen.*

Sic igitur, ex hoc ſuaviſſimo totius contextus concentu, pulchre confirmatur noſtrum aſſertum; Vati divino in animo fuiſſe, Meſſiæ ex Virgine nativitatem prædicere, quicquid etiam Adverſarii noſtri contradicant.

CAPUT II.

De Signo.

I. QUoniam vero hæc ſacroſancta veritas Judæis incredulis eſt ſudes in oculis, hinc nihil intentatum relinquunt, quo illam corrumpant. Atque imprimis vocabulum אות ſollicitant, contendentes illud idem valere, ac ſignum nudum liberationis à periculo quod duo Reges Reſin & Pekach, Achaſo intentabant, proindeque abſurdum itemque abſonum videri, explicare vocem de ſigno aliquo multis ſeculis poſt illam liberationem eventuro.

II. Hoc igitur eſt quo ſe quam maxime tuentur; atque ut tanto melius in vim hujus objectionis inquirere poſſimus, eam tali ſyllogiſmo includimus:

Quodcunque ſignum non eſt mirificum, ſed proprie tale, & demonſtrativum, illud præcedit rem quam deſignat:

Atqui ſignum quod Deus promittit domui David, non eſt mirificum ſed proprie tale & demonſtrativum.

E. præcedit rem quam deſignat.

Majoris aſſertionem firmo ſtare talo contendunt. Minoris robur inde arceſſunt: Quoniam in textu habetur vocabulum אות: quod, *ſignum*, *characterem*, ſive *memoriale* tantum denotet. Nam ſic R. Mordechai Nathan in Concordantiis verbum אות per סימן h. e. *ſignum* exponit: eademque ratione Abarbenel interpretationem inſtituit, inter alia pag. 19. col. 3. inquiens: והתבונן אמרו אות לא אמר נס ולא פלא וגם לא אמר מופת לפי שלא היה עתיד לחדש הקב"ה על זה דבר נסיי יוצא מאד מהמנהג הטבעי ביון שאחז ואנשיו לא שאלואותו ומבלתי שאלה לא היה אחז ראוי והגון לשיעשה לו. גם מופלג ואם נמלט ממלך ארם וממלך ישראל היה בזכות חזקיהו בנו ובזכות אבותיו ובזכות העיר ירושלם: id eſt: *Signanter adhibet Propheta vocem* אות *nec uſus eſt voce* נס *aut* פלא *nec etiam verbo* מופת (quæ vocabula proprie miraculum, aut rem inuſitatam ſignificant:) *quia ſcilicet Deus Benedictus nihil inſoliti, & valde naturalem ordinem ſupergrediens effecturus erat. Non enim Achas & viri ejus id expetierant, atque citra petitionem non erat dignus Achas cui miraculum ingens fieret, atque ejus liberatio à Rege Syriæ, & à Rege Iſraëlis, accepta ferenda erat merito Hiskiæ filii ejus, & merito Majorum ipſius itemque merito urbis Hieroſolymitanæ.*

III. Ad hoc argumentum quædam monenda veniunt. Quod igitur ad minorem attinet, illico agnoſcimus, eam cum annexa probatione nullius momenti eſſe. Siquidem nos ſacræ paginæ plane aliud edocent, ſcilicet vocabulum אות non tantum congruere cum ſignificatione nudi ſigni, ſed etiam cum ſignificatione prodigii, ac oſtenti. Exemplum habetur Exodi 4: 8. ibi his verbis DEUS Moſen alloquitur: והיה אם לא יאמינו לך ולא ישמעו לקל האת הראשון והאמינו לקל האת האחרון *Et erit ſi non crediderint tibi, neque auſcultaverint voci ſigni primi, ut credant voci ſigni alterius.* Eodem pertinet ejuſdem capitis comma 17. ואת המטה הזה תקח בידך אשר תעשה בו את האתת: *Et baculum hunc accipias in manum tuam, quo facies ſigna.* His conjungendum ejuſdem capitis comma 30. executionem horum ſignorum proponens: וילך משה ואהרון ויאספו את כל זקני בני ישראל וידבר אהרון את כל הדברים אשר דבר יהוה אל משה ויעש האתת לעיני העם: *Et ivit Moſes & Aharon, & congregaverunt omnes ſeniores filiorum Iſraël. Et locutus eſt Aharon omnia verba hæc quæ locutus eſt Dominus ad Moſen, & fecit ſigna coram populo.* Pertinet quoque huc locus Pſalm. 74: 9. אתותינו לא ראינו אין עוד נביא ולא אתנו יודע עד מה: *Signa noſtra non videmus, non eſt amplius Propheta, neque nobiſcum, qui cognoſcat usque quo.* In quo poſteriori loco, אות pro prodigio accipi, ipſe Rabbi Salomon confitetur.

IV. Neque aliam ob cauſam quam ad eam pro qua nos pugnamus, ſignificationem innuendam, Scriptores Divini in Codice ſacro vocem אות, cum nomine מופת, quod *prodigium* notat, aliquoties notanter conjunxerunt. Ceu factum deprehenditur. Deut 4: 34. 6: 22. 7: 19. 13: 2. 26: 8. 28: 46. 29: 3. 34: 11. Nehem. 9: 10. Pſalm. 135: 9. Eſ. 8: 18. 20: 3.

20: 3. Jerem. 32: 20, 21. Similiter, ob parem rationem, interdum quoque verbo אותות *Signa* significanti, nomen הגדלות quod verbum *magnitudinem* notat, addiderunt, ceu Josuæ 24: 17. videre est.

Probato hactenus satis superque significationem prodigii & ostenti non esse alienam à vocabulo אות superest, ut ostendamus, neque alio sensu hoc loco accipi posse. Id quod faciemus, textus cohærentiam vocando in subsidium.

VI. Etenim cum Achaso Propheta annunciasset, ut à Summo DEO signum aliquod insitatum, sive è cœlo, sive è terra exposceret, ille vero huic mandato morem gerere neglexisset, ipse DEUS se daturum esse signum pollicetur, signum omnia miracula, quæ in cœlo & in terra evenire possent, superaturum; dum scilicet virgo intacta universi hujus mundi Immanuelem & Salvatorem esset paritura. Hinc Tertullianus libro adversus Judæos, sic eos alloquitur: *Præstruxit enim fidem incredibili rei* (Propheta,) *dicendo, quod signum esset futurum: Propterea, inquit, dabitur vobis signum: Ecce virgo concipiet in utero & pariet filium. Signum autem à Deo, nisi novitas aliqua monstruosa fuisset, signum non videretur.*

VII. Quoniam vero allati argumenti infirmitatem, Judæorum nonnulli ultro agnoscunt, hinc aliud, & uti quidem opinantur magis efficax in medium afferunt, quod ex natura signi depromtum est, cujus eam volunt perpetuo naturam ac indolem esse, ut re quam designat, prius sit tempore. Lipmannus p. 124. ועתה פקח עיניך וראה שנתן לו אות על הדבר שאירע תוך ס״ה שנים ומעתה על כרחך עיבר העלמה שהוא האות הצריך להיות קודם הדבר שניתן עליו האות והנה הנוצרי היה יותר מת׳ שנים לאחרי כן בסוף בית שני: Hoc est, vertente Eruditissimo Viro Sebaldo Schnellio: *Nunc itaque aperi oculos tuos, & vide, quod Propheta Regi Achas signum dederit de re, quæ contingeret intra quinque & sexaginta annorum spatium. Ergo jam, velis nolis, imprægnatio juvenculæ, quæ signum erat, necesse est fuerit ante eam rem, cujus signum dabatur. At Nazarenus, post hæc vixit annis plus quam quadringentis, sub finem scilicet templi secundi.* Ex his sequens fluit collectio:

Quodcunque signum non præcedit rem quam designat, illud non potest referri in numerum signorum.

Atqui signum à Propheta promissum, quod scilicet העלמה *paritura sit Immanuelem, non præcedit rem, quam designavit, puta liberationem Achasi à duobus Regibus Rezin & Pekach:*

E. illud signum non potest referri in numerum signorum.

In hoc syllogismo majorem extra controversiæ periculum positam opinantur Judæi: minorem, quæ nostra sit, nihil ad se attinere existimant.

VIII. Enim vero, nos ad syllogismi istius majorem propositionem respondemus, distinguendo inter signum Prænunciativum sive antecedens, & inter signum Remorativum aut consequens. Prænunciativa signa vocamus, quæ nullam vim habent cum promittuntur, sed rem eventuram respiciunt, eamque præcedunt: Quale signum fuit, quod DEUS Gideoni in spem certam futuræ victoriæ proposuit, Jud. 6. At signa Remorativa sive consequentia sunt, quæ propter miram constantiam & fidelitatem promittentis, eandem vim obtinent cum promittuntur, qualem obtinere dicuntur postquam completa sunt. Talis signi exemplum clarissimum habetur Exodi 3: 12. Ibi enim DEUS Mosi Israëlitarum Duci pollicetur, se in confirmationem atque certitudinem missionis illius ad Israëlitas, daturum esse signum, quod tamen nihilominus non nisi post exitum eventurum erat, nam sic habent verba DEI Optimi Maximi: וזה לך האות כי אנכי שלחתיך בהוציאך את העם ממצרים תעבדון את האלהים על ההר הזה: *Et hoc tibi signum, quod ego miserim te, cum eduxeris populum ex Ægypto, servietis Deo super monte hoc.* Atqui, hoc erat sane signum consequens missionis, & non antecedens. Interim tamen minime dubitare poterat Moses de summi DEI auxilio, illum promissum suum aliquando impleturum, quippe colligebat secum: cum DEUS ipse qui suprema veritas, fidem faciat, Israëlitas ei post egressum in monte illo servituros, necesse utique esse, ut eductio ex Ægypto eveniat. Neque aliud judicium de illo signo ferendum, quod Sauli jam in Regem inuncto Samuel dedit, 1 Samuel. 10: 1, 2. his verbis: הלא כי משחך יהוה על נחלתו לנגיד בלכתך היום מעמדי ומצאת שני אנשים עם קבורת רחל: *Nonne quoniam unxit te Dominus super hæreditatem suam in Ducem: Cum iveris à me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel.* Nimirum, etiam hoc signum Sauli datum est post unctionem ejus, & quidem eam ob causam, ut indubitato crederet, DEI jussu illam inaugurationem esse factam. Pertinet huc similiter locus ex 1 Reg. 22: 28. ubi Micha veritatem prædictionis suæ ex eventu adstruit, inquiens: אם שוב תשוב בשלום לא דבר יי׳ בי *Si plane reversus fueris cum pace, non loquutus fuerit Dominus per me.* Sic signum calamitatis jam ingredientis prænunciatur in futurum Sacerdoti Eli 1 Sam. 2: 34. Similiter uni ex Ducibus Regis Israëlis statuitur signum in futurum 2 Reg. 6: 2. Propheta quoque Jeremias futurum signum Judæis in Ægypto degentibus prænunciat cap. 44: 29, 30. Quin DEUS ipse statuit eventus esse signa vaticiniorum Deut. 18: 21. seq. Quam legem sibi dixisse deprehendimus Jeremiam Cap. 28. Quibus recte perpensis, probe de nostro Esaiæ loco scripsisse deprehenditur Galatinus l. 7. de arc. Cathol. Ver. Cap. 15. *Non obstat magna distantia temporis, cum ita signum remorativum in magna distantia præteritum respiciat, sicut prognosticum futurum. Et decuit certe signum hoc in magna distantia dari, ut Achaz, qui verbo Dei incredulus fuit, ita signum illud à seipso longinquum haberet, sicut nec ipse mente credebat. Illi tamen, qui ab eo descensuri erant, tandem illud videre debebant. Ideo signum non ei, sed domui David datum fuit.*

IX. Ex hisce igitur locis manifesto apparet, distinctionem inter signum antecedens & consequens qua Adversariorum objectionem infringere laboramus, bene se habere; neque quicquam prohibere, quo minus ea hic loci militet.

X. Majore ergo dimissa, ad Minorem transeamus, quæ sic concipiebatur: *Atqui signum à Propheta promissum, quod scilicet* עלמה *paritura sit Immanuelem, non præcedit rem quam designavit, puta liberationem Achasi à duobus Regibus Rezin & Pekach.*

XI. Quantum vero ad hoc Assumtum attinet, dicendum: Verum quidem esse, promissum illud virginis pariturae signum, non præcessisse rem, liberationem nempe Achasi à duobus Regibus, sed nec necesse fuisse, ut illam præcederet. Siquidem hoc signum non soli Achaso, sed toti domui Davidis promissum est. Quin & promissum est, non tantum tunc temporis vitam agentibus, sed quoque in sequuturis temporibus ad Christi adventum usque nasciturus. Atque hoc exinde probatur, quia versu 13. diserte Propheta de Domo Davidis sermonem habet, & postmodum in versiculo sequente vocem לכם *vobis* ad nomen בית *Domus* respicientem, subjicit, quo ipso indicat ad Domum Davidis promissum pertinere. Sic itaque ratum esto, quia ac universam Davidicam Domum attinebat Divinum de signo miraculoso promissum, futuris æque ac præsentibus dari potuisse, idque tanto magis, quoniam Achasus & cæteri Judæi, mandatum de signo aliquo à Summo hujus universi Rectore petendo, insuper habuerunt.

CAPUT III.

De voce עלמה

I. Postquam de voce אות hactenus disseruimus, jam quoque nobis, ad verbum עלמה porro progredi convenit. Hæc enim est illa vox, cujus genuinam, quam in universo cæteroquin V. T. Codice habet, significationem, & ubi præter hunc Esaiæ locum, sexies tantum legitur, puta Gen. 24: 43. Exod. 2: 8. Psal. 68: 22. Prov. 30: 19. Cant. 1: 3. & 6: 8. hoc tamen loco per summam protervitatem Judæi admittere recusant. Hinc illam plane evertere & in alium sensum quam quem Spiritus Sanctus intendit, detorquere nunquam desistunt. Unde contra nos tali ratiocinio utuntur.

Quodcunque nomen commune est omnibus fœminis minorennibus, cujuscunque etiam status atque conditionis sint, sive maritatæ, sive vitiatæ, sive inviolatæ illæ fuerint: illud non designat simpliciter & speciatim virginem illibatam.

Sed nomen עלמה *apud Esaiam, est commune omnibus fœminis minorennibus, cujuscunque etiam status ac conditionis sint, sive maritatæ, sive vitiatæ, sive inviolatæ illæ fuerint.*

E. nomen עלמה *non designat simpliciter & speciatim virginem illibatam.*

Minorem confirmaturi Judæi, asseverant, vocem עלמה in Sacris etiam de adultera prædicari, idque Proverb. 30: 19. ubi Regum sapientissimus Salomon, se non nosse דרך גבר בעלמה *viam viri in* עלמה profitetur. Cum enim in versiculo mox subsequenti adulteræ mentio injiciatur: כן דרך אשה מנאפת

מנאפת *Sic via mulieris adulterium committentis.* Itaque verbum עלמה eodem ſenſu in priore verſu accipi oportere contendunt. Audiamus hic Lipmannum, ſed prout plene ac emendate ex correctione Ampliſſimi Domini Præſidis apud eum legendum eſt; nam excuſus liber & vitio laborat, & lacuna: מצינו בהדיא לשון עלמה על בעולה שנא׳ במשלי שלשה המה נפלאו ממני וארבעה לא ידעתים דרך הנשר בשמים דרך נחש עלי צור דרך אניה בלב ים ודרך גבר בעלמה והדבר ידוע שבעולה המזנה שאין להכיר בגופה אבל בתולה שזינתה מכיר הבועלה אחרי כן ועוד יש לבדוק בתולה אם זינתה כחביות יין בדאיתא בכתובות שיש להושיב הבתולה על החור של החביות למעלה שקורין שפונטן אם יצא הריח של יין דרך גופה בעניין שמריחין אותו מפיה אז היה בעולה ונקובה ואם לאו לאו: Hoc eſt: *Manifeſte reperimus vocem* עלמה *uſurpatam de compreſſa, cum in Proverbiis dicatur:* Tria abſcondita ſunt à me, & quartum non cognovi: via aquilæ in cœlis, via ſerpentis ſuper rupem, via navis in medio maris, & via viri in עלמה. *Et res nota eſt, quod ſi maritata ſcortetur, id non poſſit notari in corpore ejus, at ſi virgo ſcortetur, facile hoc deprehendit, qui poſtea rem cum illa habet. Amplius licet quoque explorare virginem num ſcortata ſit, per cadum vini, prout habetur in Ketuvot. Nimirum imponenda virgo foramini ſuperno dolii, quod vocant* den Spunten. *Quod ſi odor vini pertranſeat corpus illius, ita ut in ore percipiatur, pro vitiata & corrupta, ſin minus pro illibata habenda.*

II. Hujus vero aſſerti falſitatem ut perſpicuam reddamus, illud principio urgemus, quod ſi עלמה ſit nomen commune omnibus fœminis minorennibus, tum omnino conſequens eſſe, nullum in univerſa Hebraica lingua ſuppetere vocabulum, quo vere Virgo ſignificetur, id quod in linguam tam ſanctam, & à qua reliquæ omnes, quodammodo natæ ſunt, minime cadere poſſe videtur. Neque enim voces נערה & בתולה allegare licet, quippe prima tantum eſt ætatis vox, & quoque conjugatam denotat. Altera vero בתולה, viduatam lugentemque vita defunctum maritum Joel. 1: 8. innuit. Nec aliam ob cauſam vocabula בתולה & נערה pro virgine uſurpata, quibuſdam limitibus ſumma cum cura circumſcribuntur. Uti cum Geneſ. 24: 16. illis de Rebecca adhibitis ſignanter adjicitur; ואיש לא ידעה *& vir non cognoverat eam.* Optime S. Hieronymus Comment. in noſtrum Eſaiæ locum; *Quantum cum mea pugno memoria, nunquam me arbitror Alma in muliere nupta legiſſe, ſed in ea quæ virgo eſt, ut non ſolum virgo ſit, ſed virgo junioris ætatis, & in annis adoleſcentiæ.* Idem optimus Pater ibidem illud quoque teſtatur, lingua Punica quæ ab Hebræa originem habet, verbum עלמה proprie virginem ſignificare. Notanda inſuper ſunt iſta Galatini l. 7. de arc. cathol. ver. cap. 15. *Tria ſunt apud Ebræos vocabula idem fere ſignificantia, videlicet* עלמה בתולה נערה: נערה: *enim ſolum ætatis reſpectum habens puellam ſive adoleſcentulam ſignificat, tam virginem quam corruptam.* בתולה *vero ad virginitatem duntaxat reſpectum habens, virginem ſignificat, ſive adoleſcentula ſit, ſive anus.* עלמה *autem ad utrumque reſpectum habens, ad adoleſcentulam ſcilicet & ad virginitatem, & adoleſcentulam & virginem deſignat. Quapropter mulier ſive juvencula ſit, ſive annoſa, quamdiu virgo eſt,* בתולה *appellari poteſt: Quamdiu autem juvencula eſt, ſive virgo ſive corrupta ſit* נערה *nuncupatur:* עלמה *autem nulla vocari poteſt, niſi & juvencula ſit, & virgo intacta.* Quod vero in noſtro Eſaiæ loco עלמה virginem innuat, præter ea quæ hactenus in medium attulimus, adhuc amplius confirmant Chaldaica Paraphraſis, item verſio LXX. Interpretum, & Syriaca tranſlatio. His accedit Aquila, cui עלמה dicitur ἀπόκρυφος. Neque quem morari debent Symmachus & Theodotion, qui per νεᾶνις expreſſerunt: nam hoc in fraudem Chriſtianorum, favorem autem Judæorum, fecerunt illi Apoſtatæ. Non penitus contemnendum inſuper pro genuino vocis עלמה ſignificatu, ex ipſis Judæorum principiis ſuppeditat Raymundus Martini in pug. fidei part. 3. diſt. 3. c. 7. n. 1. videlicet quia העלמה cum ה initiali emphatico ter tantum occurrat in ſacris literis, puta Geneſ. 24. Exod. 2. & in hoc Eſaiæ loco: cum autem prioribus duobus locis, etiam Judæis omnibus fatentibus, virginem incontaminatam ſignificet, eapropter non poſſe non eandem acceptionem in Eſaiæ loco militare. Denique urgeri quoque poteſt vox עלם unde movetur fœminini generis verbum עלמה. Nam עלם haud uſpiam quoque aliter in ſacris literis quam de juvene cælibe, &, (ceu Cl. Buxtorfius in Lexico Hebraico exponit) *qui domi in parentum cura latitat*, accipitur. Videri poſſunt, loca 1. Sam. cap. 17: 56. & cap. 20: 22.

III. Illud vero quod Judæi argutantur, quoniam Prov. 30. in commate 20. Salomo ſermonem habeat de adultera, ergo quoque in præcedenti commate de eadem illum verba feciſſe, atque ſic per conſequens vocem עלמה adulteram & corruptam ſignificare poſſe, ineptiſſimum eſt. Ecquæ enim, malum! hæc illegitima vis inferendi eſt, fieri in poſteriore verſu ſcorti mentionem, ergo idem accidere in priore? Imo vero nos contra reputando omnem rationem vehementer flagitare aſſerimus, ut עלמה in illo Proverbiorum loco de pura virgine & incorrupta itidem ut in aliis Scripturæ locis accipiatur. Scilicet, id ſibi obſcurum eſſe dicit Salomo, quomodo vir virginem honeſte ambiens, eam ſingulari DEI Providentia ſibi concilier, & devinciat in perpetuam vitæ ſocietatem. Eſt enim profecto admirandum, ſecretis cœleſtis providentiæ ductibus, ſæpe virum fœminamque, qui ſe nullis ante oculis uſurparunt, & nec beneficio aut injuria inter ſe noti, brevi tempore animis coaleſcere, & conjugium fœduſque amoris contrahere, nullo unquam tempore divellendum. Quanto autem magis concluſa tenetur עלמה, tanto mirabilior via viri eſt circa eandem, qua illi ſe ſuoſque amores commendare poſtulat, unde cum aliis præſens abſens eſt, virginem autem amatam dies noctesque amat, eam deſiderat, eam ſomniat, eam exſpectat, de ea cogitat, eam ſperat, ea ſe oblectat, denique totus cum ea eſt, quoniam plane eſt ſuus. Unde exempli gratia huc referre ſolent Theologi illud quod de Amnone 2. Sam. 13: 1, 2. legitur: *Fuit autem poſt hæc, cum Abſalomo filio Davidis ſoror pulchra eſſet nomine Thamar; ut deamaret eam Amnon filius Davidis: Adeo ut præ anguſtia Amnon conflictaretur morbo, propter Thamaram ſororem ſuam, quia virgo erat:* (q. d. ideoque arctius more virginum ſervabatur) *unde occulta videbatur ratio in oculis Amnonis, faciendi ei quicquam.* Quapropter merito B. Lutherus noſter in margine ad Proverbiorum locum annotat: Liebe iſt nicht auszudencken noch auszuſprechen. Si ita verba interpretemur, ſalva ſunt omnia, & conſtat veritas dicto. At, ſi ex adverſo Judæos audiamus explicatores, frigebit ſententia, via enim viri ad ſcortum quid habet occulti vel admirandi, quod intelligi vel capi non queat? Quippe corpus proſtituunt meretrices, idque ſæpe palam in meritoriis tabernis, ut via viri ad tales nihil adeo abſconditi habere dici poſſit aut debeat. Inde iſtiuſmodi propudia ab aperta corporis vulgatione *proſtibula* nuncupantur. Atque iſta quam dedimus, Proverbiorum loci explicatio, plana eſt & facilis: nec aliter eum tractant Magni & cum veneratione à nobis nominandi Theologi, Calovius, Glaſſius, Quiſtorpius, Mullerus, Helvicus; è Reformatis Hornbeckius, alii: ut proinde in illa interpretatione acquieſcendum eſſe videatur. Quare quod præter Burgenſem, Weidnerum, Salmeronem, Cornelium à Lapide, imprimis quoque Ignatius Landrianus in libro de Virginis partu part. 2. p. 397. vehementer contendit, Salomonem, in Proverbiorum de quo agimus loco, *lectione literali aperte, & remota omni parabolica figura in verbis & rebus prophetice deſcribere myſterium incarnationis Dei nomine viæ viri, id eſt Dei in virgine; atque dicere, hoc penitus ſibi eſſe occultum & ignotum, quomodo Deus in utero virginis concipiatur homo, & ex utero virginis pariatur homo & Deus, qui eſt Emmanuel:* id nondum à nobis impetramus, ut plane pleneque ei credamus. Interim, non dimoveri nos patimur à ſententia quod vocabulum עלמה virginem proprie uniceque ſignificet, idque tanto magis, quia ipſa vocis origo ſummopere id flagitat. Eſt enim עלמה à radice Ebræa עלם quæ in Niphal ſignificat, *latitavit, abditum, abſconditum, occultum fuit*, atque hæc ſignificatio transfertur ad nomen inde derivatum עלמה ut ſcilicet (quod S. Hieronymi è quæſt. Hebr. in Geneſ. verbis dicimus) notet *virginem nimia diligentia cuſtoditam, ut ἐπίταſις virginitatis innuatur, ut nempe & virgo ſit, & abſcondita.* Hoc eſt, ea virgo ſignificatur, cujus virginitas & pudor ſalvus & occultatus eſt, & nondum cognitus per publicam nuptiarum celebrationem. Vel habet reſpectum vox ad mores & inſtituta Judæorum, qui virgines ſuas domi aſſervabant, atque hoc pacto procorum effugere jubebant oculos. Ut עלמה ſic appelletur, quaſi ſecluſa à viro, à viris ſeorſim educata, domi adhuc latitans, neque nuptum propalam educta. Cæterum, ritum illum Judæorum, virgines ſuas retinendi domi, & à virorum aſpectu arcendi, more ſuo, hoc eſt inſigniter & præclariſſime expoſuit Vir Summus, & Academiæ hujus ſolidum æternumque Decus, Venerabilis Præceptor SAUBERTUS, in Diſputatione de Haalma matre Immanuelis, §. 10. ſeqq. ſive Palæſtræ Theologicæ pag. 146. ſeqq. à quo quædam ad conciliandum huic diſſertationi ornatum ſpeciemque nobis mutuari fas eſto. Sic autem ipſe: *Ritus ille Judæorum virgines ſuas retinendi domi & à virorum aſpectu arcendi patet ex 2. Macchab. 3: verſ. 19.* Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant; Sed & virgines, quæ

quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam. *Ad quæ Glossa Ord.* Virgines quæ conclusæ erant, h. e. de domibus parentum non exibant, ratione verecundiæ & pudicitiæ virginalis. *Et 3 Maccab.* 1: 15. Inclusæ virgines in thalamis cum parentibus prorumpebant. *Ubi Bellarminus, antiquitatis imperitus, nescio quas Judæorum moniales somniat. Expressa enim ibi fit mentio thalami, qui apud paganos quoque erat locus in interiori parte ædium educationi virginum earumque asservationi dicatus, ubi præside matre, vel inspectrice aliqua lanæ deditæ erant: nec ex eo liberabantur, nisi die nuptiarum aut desponsationis, teste Euripide in Phœn. v.* 1663. *& seqq. Imo nec alias pedem exinde efferre permittebantur, nisi ad solemnem festivitatem vel ad propinquos: idque tamen jussu & permissu matris, nec non comitante vel nutrice aliqua, vel custode, vel utroque; quales etiam ipsas perpetuo sectabantur, erantque vel senes severi & fideles, vel eunuchi. Quod ex Plauto, Terentio, aliisque satis notum est. Et istiusmodi Thalamus alias dicebatur etiam Gynæconitis, perhibente Æmilio Probo, & παρθενὼν teste Euripide in Phœn. v.* 88. *&* 201. Hactenus Patronus laudatissimus, quibus addi possunt, quæ disserit flos eruditorum Isaacus Casaubonus Exercit. 1. ad Apparat. Ann. Baron. n. 53.

CAPUT IV.

De Persona τῆς עלמה.

I. SEd nunc porro de Persona illius עלמה videndum, quando circa eam quoque definiendam Judæi nequitiæ suæ plurimum indulgent, totique in eo occupati sunt, ut ejusmodi fœminam nobis obtrudant, quæ nequaquam in numerum virginum potest referri. Quamobrem vocem עלמה modo de Prophetæ, modo de Regis Achasi uxore, explicant: Et de uxore quidem Prophetæ accipiunt R. Salomo Jarchi comment. in Esa. 7: 14. Lipmannus, pag. 124. Menasse ben Israël in Conciliatore Prophetarum, pag. 13. & Autor libri חזוק אמונה quem MS. asservat Clarissimus Nobilissimusque DN. PRÆSES noster. Sufficiat Menassis verba, quæ laudatus DN. PRÆSES benigne nobis suggessit, & ex Hispanico (neque enim in alia lingua extat Conciliator Prophetarum) in Latinum idioma transtulit, hic adduxisse. Sic vero ibi: *Qualis sit illa puella* (cujus Es. 7: 14. mentio fit,) *non declaratur, sed non est dubium fuisse uxorem ipsius Prophetæ Esaiæ, cujus filii* (prout cap. 8: 17.) *dicitur, fuerunt in signum domui Israëlis.* Causam vero præcipuam, hujus opinionis allegant, verba quæ apud Esaiam 8: 2. sequuntur: ואעידה לי עדים נאמנים אוריה הכהן ואת זכריהו בן יברכיהו ואקרב אל הנביאה ותהר ותלד בן ויאמר יהוה אלי קרא שמו מהר שלל חש בז: *Quamobrem adhibui mihi testes fideles, Urijam Sacerdotem, & Zachariam filium Jeberechiæ. Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me, voca nomen ejus Maher-schalal-chas-bas.*

Quibus ex verbis nectunt tale argumentum:

Si, inquiunt, Propheta accessit ad Prophetissam, sequitur illam fœminam sub voce עלמה *in cap. septimo indicatam, esse illius uxorem.*

Atqui Propheta accessit ad Prophetissam;

Sequitur ergo istam fœminam sub voce עלמה *in cap. septimo indicatam, esse illius uxorem.*

Sic Judæi argutantur. Eandem vero sententiam, non tantum sequitur Socinus, in Lectionibus Sacris pag. 37. sed &, quod factum dolemus, plane suam fecit. Vir cæteroquin Summus, & incomparabilis, Hugo Grotius, sic in Matthæi l. 23. commentans: *Infans* (de quo Esaiæ 7: 14. sermo) *est ipsius Esaiæ filius, natus ex ea, quæ virgo adhuc editi vaticinii tempore, testibus Uria ac Zacharia adhibitis, Esaiæ nupsit, quæ & ipsa προφῆτις fuisse indicatur. Sicut autem cum Regem accederet Esaias, jussus erat secum ducere filium suum, cui Schearja sub boni ominis nomen, ad spem Judæorum excitandam inditum fuerat, ita huic infanti duo nomina sunt imposita, primum quidem Emmanuel, quo ostenderetur Deum ita adesse Esaiæ ejusque liberis, ut quæ verbis signisque per ipsos essent prænotata, eadem certo evenirent: Deinde vero Maherschalalchasbas, qua voce significabatur brevi imminere Assyrii adventum ad spoliandam Syriam ac Samariam.*

II. Enim vero, hoc neutiquam sive Judæis, sive iis qui in castra eorum transeunt, concedendum est, Esaiam in septimo capite de propria conjuge loqui, atque capitis octavi vers. 2, 3, 4. esse exegeticos illius de Alma paritura vaticinii. Equidem non diffitemur, oppido difficile evadere, si quis definire velit, ad quem proprie illa quæ Esaiæ 8: 2, 3. dicuntur attineant: nec desunt inter Theologos etiam nostros, & è quibus Reverendum Walterum in Harmon. Biblica pag. 584. laudasse sufficiat, qui non vere & actu ipso, rem istam accidisse, sed tantum per visionem Prophetæ oblatam esse perhibeant. Ratio præcipua hujus asserti in eo fundatur, quia testes quos rei præsentes adhibuisse dicitur Propheta, tum cum ista evenirent neutiquam extabant in vivis, & proinde verisimile fiat, non historiam sed propheticam divinationem narrari. Nempe Urias, cujus mentio fit, non fuit ille summus Sacerdos, de quo 2 Reg. 16. legimus, nam is homo impius erat, atque in gratiam Regis Achas, multa nefanda & legi divinæ plane contraria perpetravit. Sed vero innuitur alius ejus nominis Pontifex, Schemajæ filius, Jeremiæ cap. 26: 20. & Josepho lib. 10. Antiq. c. 11. memoratus; qui centum annis Esaia fuit posterior. Pari ratione neque Zacharias tum vitam agebat. Nam aut intelligitur Zacharias Jojadæ filius, qui Jeberechiæ quoque filius audit, atque hic centum annis Esaiæ ætatem antevertit, ceu ex 2 Paral. 24: vers. 20. constat. Aut intelligitur Zacharias Propheta. At iste non nisi post captivitatem Babylonicam vixit, atque sic universis trecentis annis post Esaiam demum lucis usura frui cœpit.

III. Neque vero licebit Judæis excipere, & dicere, alios longe præter à nobis indicatos, & potius Esaiæ coævos testes indicari. Etenim ipsum Talmud in Maccoth Cap. illu hen hallokin, locum Esaiæ de illis ipsis testibus accipit, quos significari ex aliquorum Christianorum Doctorum sententia, fecimus indicium. Locum Talmudis affert Raymundus Martini in Pugione, pag. 585. quem, quia sic operæ pretium est, una cum illius versione huc exscribimus.

דכתיב ואעידה לי עדים נאמנים את אוריה הכהן ואת זכריה בן ברכיהו ובי מה ענין אוריהו אצל זכריה אוריה במקדש הראשון שנ' וגם איש היה מתנבא בשם יי' אוריהו בן שמעיה מקרית היערים וינבא על העיר הזאת ועל הארץ הזאת ככל דברי ירמיהו וישמע המלך יהויקים וכל גבוריו ויוציאו את אוריה ממצרים ויביאוהו אל המלך יהויקים ויכוהו בחרב וזכריה היה במקדש שני אלא תלה הכתוב נבואתו של זכריה בנבואתו של אוריה באוריה כתוב ביה לכן בגללכם ציון שדה תחרש וירושלם עין תהיה והר הבית לבהמות יער בזכריה כתוב ביה עוד ישבו זקנים וזקנות בחרזבות ירושלם ואיש משענתו בידו מרוב ימים עד שלא נתקיימה נבואתו של אוריה הייתי מתירא שמא לא תתקיים נבואתו של זכריה עכשיו שנתקיימה נבואתו של אוריה שמח אני בידוע שנבואתו של זכריה מתקיימה:

Hoc est: *Scriptum est Esaiæ* 8: 2. Et adhibui mihi testes fideles Uriam & Zachariam filium Barachiæ. *Et quæ est materia Uriæ apud Zachariam? Urias namque fuit in Sanctuario primo, sicut dictum est* Jer. 26: 20. Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini Uriah filius Schemajah de Kriath Jearim, & prophetavit contra civitatem, & contra terram istam, secundum omnia verba Jeremiæ: & audivit Rex Jehojakim, & omnes fortes ejus &c. Et eduxerunt Uriam ex Ægypto, introduxerunt eum ad Regem, & percusserunt eum gladio. *Porro Zacharias fuit in secundo templo, sed Scriptura sacra suspendit prophetiam Zachariæ, à prophetia Uriæ: In Uria quippe scriptum est* Mich. 3: 12. Propterea Sion quasi ager arabitur: & Jerusalem in acervos erit, & mons Domini bestiis sylvæ. *In Zachariæ vero cap.* 8: 4. *scriptum est*: Adhuc habitabunt senes, & vetulæ in plateis Jerusalem & vir cui baculus in manu sua propter multitudinem dierum suorum. *Cum nondum esset impleta prophetia Uriæ, timebam quod forsan non impleretur prophetia Zachariæ. Nunc autem ex quo impleta est prophetia Uriæ, gavisus sum, quia scio quod prophetia Zachariæ implebitur.*

IV. Verum, quicquid sit de ista difficultate, circa adhibitos testes, quam nos doctioribus magisque ingenio valentibus, expendendam relinquimus, illud saltem clarum expeditumque reddere conabimur, nequaquam Esaiam de proprio filio accipiendum esse. Etenim verbum קרב quod ipse adhibuit, proprio formalique suo significatu, minime omnium genialis tori usum infert, sed nudam ac simplicem ad alterum accessionem, aut rei alicujus approximationem, ceu exempla numero longe plurima, quæ plena manu Kimchius ad hanc radicem congessit, liquido evincunt. E cujus penu pauca quædam depromentes, provocamus ad loca Exod. 14: vers. 20. ולא קרב *& non accessit alter ad alterum tota illa nocte.* Deuter. 15: 9. קרבה שנת השבע *appropinquat annus septimus.* Psal. 69: 9. קרבה אל נפשי *accede ad animam meam.* 2 Reg. 16: 12. ויקרב *& accessit Rex ad altare.* Plura apud Kimchium videantur. Quin, quod caput est, pro eo cum Esaias dixit ואקרב אל הנביאה Chaldæus habet ועלית לות נביאתא prorsus

prorsus uti LXX. quoque reddunt: καὶ προσῆλθον πρὸς τὴν προφῆτιν: quæ translationes omnem maritalem copulam excludunt, & nihil nisi amicam visitationem, quam Propheta instituerit, relinquunt.

V. Neque est, ut contraria opinantes, nimium vocem נביאה sive *Prophetissa*, urgeant, eoque contendant, omnino de Esaiæ conjuge sermonem haberi. Nam nos respondentes, negamus ac pernegamus, in universis sacris literis vocem נביאה uspiam de mera prophetica uxore usurpari. Notat enim semper fœminam cui super communium mulierum sortem evectæ, revelationes extraordinariæ divinitus obtigerunt, & quæ res futuras prænunciandi pollet facultate. Quippe hoc elogio decorantur solæ, Mirjam soror Aaronis & Mosis, Exod. 15: vers. 20. Debora Heroina, Judic. 4: 4. & Hulda 2 Chron. 34: vers. 12. Præterea, vel hanc ob causam non quadrat vaticinium de Alma, in Esaiæ conjugem, quia erat jam ante editam hanc prophetiam Esaiæ filius aliquis, & quidem adultus, cui nomen Schearjasub, quem à Deo jussus est comitem assumere Propheta, cum Achaso iret in occursum c. 7: 3. At, ceu Judæi ipsi volunt, vel minimum Alma fœminam minorennem significat; ut sic propria vineta cedant homines illi, & suæ hypothesi adversa doceant.

VI. Hinc adeo aliqui inter Judæorum Interpretes, sententiæ, quæ per ה Alma Esaiæ uxorem intelligi vult, absurditatem deprehenderunt, nec eam dissimulant. Nempe Kimchi ait: והעלמה הזאת היא אשת הנביא או אשת אחז והוא הנכון כי אם היתה אשת הנביא אומר הנביאה כמו שאמר ואקרב אל הנביאה ועוד שאמר מלא רחב ארצך עמנואל משמע כי בן מלך היה: Id est: *Haalma ista uxor prophetæ est: aut potius Achasi, quod certius est. Quod si enim intelligeretur uxor prophetæ, nuncuparetur prophetissa q.d.* Et accessi ad prophetissam (8: 3.) *Insuper cum dicit:* plenitudo latitudinis terræ tuæ (8: 8.) *enunciat, quod filius Regis sit futurus.* Idem sentit Do. Abarbenel: ורש"י פירש הנה העלמה הרה על אשת הנביא עצמה והיה הסימן שתלד בן ושהיא תקרא שמו עמנואל לסימן שיעזרם ה' ויפלטם וקשה לפי' הזה שקראה עלמה והיה ראוי שיקראה נביאה כמ"ש עליה ואקרב אל הנביאה כמו שאמר אחר כך ולכן ראוי לפרשו על אשת אחז או בתו: Id est: *Raschi explicat hoc:* Ecce Haalma concipiet, *de ipsa uxore prophetæ, & esse signum illud, quod paritura esset filium atque vocatura nomen ejus Immanuel in characterem, quod Deus adjuturus esset ipsos ac liberaturus. Quæ interpretatio difficultate non caret, eo quod ipsam quam vocat* Alma, *rectius vocaret prophetissam: q.d. de ea:* Et accessi ad prophetissam (8: 8.) *uti postea locutus est. Igitur rectius exponitur de uxore Achas aut filia ejus.* Debemus observationem istorum dictorum, eorundemque interpretationem insigniter Reverendo optimoque Præceptori nostro Dn. D. SAUBERTO, qui disput. de Haalma cap. 1. th. 7. prævivit, quod grata mente profitemur.

VII. Sed, nec illa melior ac sanior est opinio, quæ τὴν Alma uxorem Regis Achasi, filiumque ex ea natum Hiskiam fingit: quo alii Judæorum inclinant. Atque ad hanc profligandam, liceat nobis iterum ab eruditione Præceptoris nostri subsidium petere, qui Abarbenelis ista nobis recenset verba: הספק הראשון שאם היתה העלמה אשת אחז יהיה הבן הנול' חזקיהו בנו והוכיח שכבר היה נולד קודם זאת הנבואה וזה חלוף לא יתכן וגו' ואני משיב על זה שכבר פירשתי שלא היה עמנואל חזקיהו כי כבר היה נולד תשע שנים קודם מלוך אחז אביו Et iterum: כי הנה השם הזה אינו אליה אם כי כפי השנים ועם זה אין ראוי שנחשוב שהבן הזה שקראו עמנואל היה חזקיה כי הנה חזקיהו נולד קודם מלוך אביו תשע שנים כי הנה אחז מלך י"ב שנה וחזקיהו כשמלך היה בן כ"ה שנה וידמה שהיתה הנבוא' הזאת אחר עבור שנתים שנים למלכות אחז: Priorem locum sic vertit: *Dubium primum est, quod si Alma hæc fuerit uxor Achasi, esset puer natus filius ipsius Hiskias. Atqui obstat, quod jam fuerit natus, antequam edita esset hæc prophetia. Ergo pro hoc non quadrat &c. Ad hoc respondeo ego, quemadmodum explicavi, quod Immanuel non fuerit Hiskias: Hic enim natus erat novem annos ante quam regnavit Achas pater ipsius.* Alterum hoc modo: *Particula Haalma non determinat nisi annos. Igitur ne cogitemus, quod filius illius vocatus Immanuel fuerit Hiskia. Hic enim natus erat jamdum antequam regnaret pater ipsius novem annos. Quippe Achas regnavit XII. annis: Hiskia autem ex quo regnabat, natus erat annos XXV. Et videtur quod prophetia ista fuerit edita post, duobus annis ab imperio Achas præterlapsis.* His addimus nos verba Petri Alphonsi tit. 7. Dialogi adversus Judæos, adducta Cl. Josepho Voisinio in notis ad Pugionem Raymundi p. 590. *Eo namque tempore,* inquit, *quo hæc ad Achas dicta sunt, jam erat Rex ipse, & filius ejus Ezechias novem annos transierat: die etenim prima regni Achas, erat ipse Rex 20. annorum, & regnavit annis 16. Ezechias autem filius ejus qui ei proximus in regno successit 25. annos habebat, quando regnare cœpit. Novem itaque annos habebat Ezechias, quando pater suus Rex effectus est. Hæc igitur, de qua agimus, prophetia, nec propter uxorem Achas, nec propter Ezechiam filium dicta est.* Nec minus utile fuerit afferre in medium verba Socini ex libro supra allegato. *Quod quidam, quemadmodum Justinus in colloquio cum Thryphone Judæo de ipsis Judæis sui temporis affirmat, ajunt puerum illum, qui Immanuel vocari debeat, esse Ezechiam, Achasi, qui tunc regnabat, filium, unde consequeretur, merito ac proprie terram Judæ illius esse, dictum fuisse, cum is ejus terræ Rex fuerit, id nullo modo admitti potest. Quandoquidem cum Ezechias regnare cœpit, jam annorum 25. erat. Achas vero cujus tempore prædictio ista facta est, regnum per sedecim tantum annos tenuerit, adeo ut etiamsi velimus in ipso regni Achasi initio, uti quidem verisimile est, ista prædicta fuisse, necesse futurum sit, ut Ezechias, qui statim Rex post patris mortem extitit, tunc jam novem annos natus esset, cum ipsa prædictio esset facta. Quomodo igitur Ezechias is puer esse potuit, qui post prædictionem istam est natus?*

VIII. Superest igitur sola explicatio quam Abarbenel commentus est; quod nimirum Alma apud Esaiam sit aut alia Achasi Regis conjux, aut ipsius filia. Tendunt huc paulo ante illius Scriptoris recensita verba, & amplius quoque ista: האות הזה הוא אמרו הנה העלמה הרה ויולדת בן וקראת שמו עמנואל רוצה לומר שאשת אחז או בתו אשר אהבה היתה הרה בתחלת הריונה ואולי לא ידע עדיין זה אחז והודיעו שהיא הרה ויולדת בן ושהיא מעצמה תקרא שמו עמנואל וזה יהיה לו אות וסימן שיהיה הש"י עמו ובעזרתו ויצילהו מיד המלכים האלה: Subjicimus iterum Excellentissimi Doctoris SAUBERTI versionem: *Signum illud, hoc est, quando dicit:* Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Immanuel, *nempe quod uxor Achas aut filia ejus, quam amaverat, conceperit ab initio imprægnationis, idque forte nesciverit hactenus Achas. Itaque indicavit ei, quod ea conceperit, & paritura esset filium, & ipsa vocatura nomen ejus Immanuel. Idque ipsi fore signum & characterem quod Deus cum ipso futurus sit, eumque adjuturus ac erepturus è manu istorum Regum.* Addendum his quod porro scripsit Abarbenel: העלמה היתה אשת שנית שלקח לו אחז אחרי אמו של חזקיהו וילד הזה יהיה בנה או שתהיה עלמה כמו שאמרתי בתו של אחז שתהיה נשואה זה ימים מעטים והיתה עלמה קטנה בת המלך אהובה לפניו ועליה ניבא שהיתי הרה שלא היה יודע עדיין: *Sed Alma fuit conjux secunda, quam duxerat Achas post matrem Hiskiæ: & natulus ille fuit hujus filius. Aut Alma uti dixi, filia fuit Achasi, quæ fuit maritata exiguo hoc dierum spatio, fuitque minorennis filia regis, adamata antea ipsi. De ea vaticinatur, quod sit gravida, id quod hactenus ignoraverat.* Cæterum, ista majori facilitate rejiciuntur, quam in medium fuere prolata. Finxit enim istam sive alteram Achasi conjugem, sive filiam, Abarbenel ex sese tanquam araneus: quæ si facultas conceditur, jam cuique proclive, quadrata rotundis permutare. Nihil de secunda Achasi conjuge, nihil de ejus filia sacris literis proditum est. Quibus silentibus aliquid in re tam ardua definire velle, hominis Judæi, hoc est, gnaviter impudentis est, non nostrum.

IX. Quod reliquum, si quis ceu par est, remotis præjudiciis, cum cura Esaiæ vaticinium expendet, constabit, non tantum nec in Prophetæ, aut in Achasi vel filium vel nepotem, sed nec in ullum alium ψιλὸν ἄνθρωπον illud quadrare, quocunque tandem is censeatur nomine. Is enim, de cujus conceptione ac nativitate agitur, vocandus, hoc est, reipsa futurus erat Immanuel, sive Deus nobiscum, quod vel ipse Grotius vi veritatis coactus ad Matthæi I. 22. commentans, diffiteri non potuit: cujus locum integrum, quia simul novæ alicui Judæorum objectioni, quæ & ipsa ad præsens institutum facit, & seorsim alias commemoranda fuisset, occurrit, exscribemus. Sic vero Grotius: *Objiciunt Judæi Dominum nostrum isto Emmanuelis nomine non appellatum. Quibus Tertulliani verbis respondeo:* Sonus Hebraicus quod est Emmanuel suæ gentis est, sensus autem, ejus quod est Deus nobiscum, ex interpretatione communis est. Quæro ergo an ista vox, nobiscum Deus, quod est Emmanuel, exinde quo Christus illuxit, agitetur in Christo: & puto ex toto non negabis. Nam, qui ex Judaismo credunt Christo, ex quo in eum credunt, Emmanuel cum volent dicere, nobiscum Deum esse significant. Atque ita constat, jam venisse illum qui prædicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel venit, id est, nobiscum Deus. *Certe qui Prophetas non supine legit, nescire non potest vocatum iri aliquo nomine, dici ab illis eum, qui non eo*

vocis

vocis sono sit appellandus, sed cujus rebus celebrandis vox ista conveniat. *Loca passim occurrunt*, *Es.* 1: 26. 9: 6. 56: 7. 60: 14. 62: 4. *Jerem.* 3: 17. & 23: 6. *Ezech.* 48: 35. *Zach.* 8: 3. *Ideo ubi Es.* 14: 20. *est* יקרא *Chaldæus habet* יתקים *manebit*: & *Lucas citans dictum locum Es.* 56: 7. יקרא *vertit*, ἐςὶν 19: 46. *Tale est infra* ναζαραῖος κληθήσεται, & ὑιοὶ θεοῦ κληθήσονται. Verum enim vero nec filius Esaiæ, nec filius Regis aut nepos, nec quisquam alius mortalium, vere est Immanuel sive Nobiscum Deus. Quippe notat nomen hoc, si, ut cum Grotio loquamur, *perfectior ejus significatio attendatur*, aut potius, si attendatur vera, propria & genuina illius significatio, divinæ & humanæ naturæ personalem unionem; sic enim exponit Matthæus μεθ' ὑμῶν ὁ θεός, & plenius adhuc modoque augustiore Johannes 1: 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν *Verbum caro factum est*, & *habitavit in nobis*, seu, τὸ σκῆνος humani corporis sibi extruxit, & in scena hujus mundi nobiscum conversatum est. Atque probe notandum, Es. 8: 10. non tam appellationem ipsam Immanuel proponi, quam ad eam alludi. Sic enim habent verba: *Ineatis consilium & dissipabitur*: *loquimini verbum & non stabit*, *quia* כי עמנו אל *nobiscum Deus est*. Si ipsum nomen Immanuelis proponeretur, oporteret aliud adesse verbum, quod à nomine isto regeretur. Unde Chaldæus qui cap. VII: 14. cap. VIII: 8. vocem עמנואל retinet, in vers. 10. vertit בסעדנא אלהנא *Deus noster in auxilio nostro est*.

X. Porro Immanueli tribuitur dissipatio consiliorum & fœderum quæ iniverant multum inter se diversi populi, ut hac ratione populus Dei citra metum ac pavorem adversus inimicos potentissimos consistere, & sese tueri queat, ob hunc optimum maximumque defensorem. Sic enim sonant verba Prophetæ cap. VIII: 9, 10. רעו עמים וחתו והאזינו כל מרחקי ארץ התאזרו וחתו התאזרו וחתו עצו עצה ותפר דברו דבר ולא יקום כי עמנו אל: *Consociamini populi & conterimini*; *aurem præbete quotquot estis in locis longinquis terræ*: *accingimini & conterimini*, *accingimini & conterimini*: *inite consilium*, & *irritum fiet*: *loquimini verbum*, & *non existet quia Immanuel*. At quis inter homines talis tantusque erat, cujus viribus tantopere Judæi niterentur? utique eam confidentiam non nisi Deus præstare potuit, qui suorum sola spes, & unicum refugium.

XI. Atque hic postquam pro viribus Divino suffulti præsidio, non infeliciter ceu speramus, cum Judæis depugnavimus, receptui canimus, nostræque dissertationi finem imponimus piis elegantissimisque S. Cypriani verbis, aut si quis alius est Autor Sermonis de nativitate Christi, qui operibus ejus inseritur. *O Domine*, *quam admirabile est nomen tuum*, *vere tu es Deus*, *qui facis mirabilia. Non modo mundi hujus staturam* (fortasse legendum *structuram*) *admiror*, *non stabilitatem terræ*, *cum eam complectatur volubile firmamentum*, *non singulos dies*, *non lunæ defectum & incrementum*, *non Solem semper integrum*, & *laborem ejus perpetuum*, *non temporum vicissitudines in quibus quædam arent*, *quædam virent*, & *quæ mortua modo videntur*, *deinceps reviviscunt. Miror Deum in utero virginis*, *miror omnipotentem in cunabulis*: *miror quomodo verbo Dei caro adhæserit*, *quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit.*—— *Novum est & inauditum*, *quod in materni angustias uteri*, *circumdedit intra se fragilis caro virtutem altissimi & ordinem rerum cursumque naturæ mutavit sapientia Dei*, & *ubique divinitas dilatata*, *plenitudinem sui vasi infundens exiguo*, *sic est*, *circumdata muliebri utero*, *ut cum universa ambiret*, *implens omnia*, *excedens cuncta*, *intra se omnia continens*, *extra universa complectens.*

GLORIA TIBI DOMINE JESU!

SAM. ANDREÆ
DISSERTATIO
De Nativitate Immanuelis, ad Es. VII: 14.

THESIS I.



Uamvis *Jesaias Propheta*, illorum qui in canonem V. T. relati, tempore haud sit primus, si Judæorum traditioni fides habeatur, qui, contemporaneum ejus Hoseam, hunc vaticinando præcessisse putant, secundum illud *Hos.* 1: 2. תחלת דבר יהוה בהושע *Primum allocutus est Jehova Hoseam*: tamen eundem antecellere reliquos omnes, & rerum, & sermonis, sublimitate, utut אלו ואלו דברי אלהים חיים *hæc & hæc* (secundum Hebræorum parœmiam) *verba Dei vivi sint*, apud omnes in confesso est. Nam etiam illud temporis privilegium, contra gentis suæ traditionem, doctissimus Judæorum *Abarbanel in præf. Comm.* sui *in Jesaiam quæst.* 1. eidem vendicavit, & in vaticiniis de Christo Jesu atque gratiæ per eundem dispensatione, (unde prophetarum præstantia præcipue æstimanda) ubertate & amplitudine, sublimitate & evidentia, cæteros, citra ullam tamen canonicæ auctoritatis inæqualitatem, longe exsuperat & transcendit.

II. Hæc procul dubio causa *Chrysostomo* fuit, ut *hom.* 40. *in* 1. *ad Corinth.* eundem τὸν προφήτην τὸν μεγαλοφωνότατον, *magniloquentissimum prophetam* appellaret: & ut *à quibusdam Evangelista quam propheta potius diceretur*, observante *Augustino lib.* 18. *de Civitate DEI cap.* 29. Quem ad *Hieronymum* respicere *Vives* in notit ad h. l. recte existimat. Is enim non solum *in præfat. translationis* Esaiæ ex Hebraica veritate, ad Paulam & Eustochium sic censet, *quod non tam propheta dicendus sit quam evangelista*; *cum universa Christi ecclesiæque mysteria ad liquidum ita prosecutus sit*, *ut non putes eum de futuro vaticinari sed de præteritis historiam texere*; sed & *in proœmio comment. in Esaiam ad Eustochium*, eundem *Evangelistam & Apostolum* nominat, non sine vaticiniorum ejus elogio insigni, quod *universa Domini sacramenta præsens scriptura contineat*, & *tam natus de virgine Emmanuel quam illustrium patrator operum atque signorum*, *mortuus ac sepultus & resurgens ab inferis*, *Salvator universarum gentium prædicetur*: imo *quicquid sanctarum est scripturarum*, *quicquid potest humana lingua proferre & mortalium sensus accipere*, *isto volumine contineatur.* Cum quibus ista *Athanasii in synopsi* plane conspirant: Τὸ πλεῖσον τῆς προφητείας αὐτοῦ ἐςὶν εὐαγγελία περὶ τῆς ἐνσάρκου παρουσίας τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ καὶ ὧν ἀνεδέξατο δι' ἡμᾶς παθῶν. *Plurima pars prophetiæ ejus*, *Evangelium est*, *de adventu Verbi Dei in carnem & de passionibus*, *quas nostri gratia suscepit.*

III. Sit ejus rei nunc argumentum, illustre vaticinium quod *cap.* 7: 14. habetur, ubi natus de Virgine Immanuel clara sic prædictione demonstratur, ut quasi digito signari, atque divinus ille vates, qui gloriam Messiæ viderat capite præcedenti sexto, *Joh.* 12: 41. eandemque pluribus epithetis sequenti *cap.* 9: 6, 7. expresserat, hic non de futuro loqui sed veluti præsentem intueri, videatur. Cum tamen, quæ Judæorum pervicacia est, in hujus quoque vaticinii interpretatione antiquum obtineant, ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες, *Act.* 13: 45. atque in omnes formas se vertant, ne ejus complementum agnoscere, ac Messiam pridem ex Virgine natum, secundum illud ipsum, co-

cogantur fateri: operæ pretium fuerit, [præsertim cum memoria nativitatis hujus nunc recurrat atque solenniter in Ecclesia soleat celebrari] scrutari illud paulo accuratius, mentemque genuinam Prophetæ adversus detorsiones gentis incredulæ & occœcatæ asserere & in aprico locare, ad confirmationem fidelium & hostium confusionem.

IV. Neque ab hoc instituto me deterret, quod actum agere videar, cum id in omni propemodum opere contingat, atque ea simul sit, hinc Scripturarum plenitudo & potentia, inde Spiritus quo acti prophetæ hæc scripserunt, libere spirantis efficacia, ut nec illa, nec hic, scrutantem destituant, sed τὴν τοῦ πνεύματος καὶ δυνάμεως ἀπόδειξιν quærentem sic ducant, ut quod quærit inveniat, nec pœnitendo labore fatigetur. Adde, quod utile sit easdem quoque repeti sæpius demonstrationes & à pluribus tradi, quoniam ad certitudinem id quoque conducit, atque hæc ipsa sacræ militiæ arma, quæ ad destruendas ratiocinationes & omnem sublimitatem sese adversus cognitionem Dei extollentem, in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo, adhibentur, ipso usu poliuntur.

V. Egerint ergo, præter Commentatores in Jesaiam & Matthæum, jam pridem & luculenter de hoc loco, *Justinus Martyr in dialogo cum Thryphone Judæo, Irenæus lib. 3. c. 24. Tertullianus adversus Judæos cap. 9. Euseb. demonstr. Evang. lib. 7. c. 1.* ex antiquis; & ex posterioris ævi scriptoribus ac recentioribus, qui nunc ad manus sunt, *Hieronymus à S. Fide lib. 1. contra Judæos c. 4. Bibl. Pat. Tom. 4. p. m. 756. Galatinus lib. 7. c. 14. & 15. Helvicus Disp. Giessens. Tom. 4. pag. 332. & seq. Junius in parallelis lib. 1. par. 4. Gomarus Operum Tom. 1. p. 6. Muller. Judaism. Part. 1. lib. 1. c. 19. Jac. Martini de tribus Elohim lib. 3. cap. 43. Cloppenburch in syntagm select. disp. 9. pag. 571. Hoornbeek contra Judæos lib. 3. c. 1. pag. 222. & seq. Maresius syllog. disp. select. Part. 2. p. 463. & seq.* ac omnium fusissime & accuratissime *in dubiis Evangelicis Spanhemius Part. 1. Dub. 34.* Non inutile tamen fuerit, horum vestigia legendo, quæ illi erudite congesserunt digerere, quæ præcipua videntur, hic ὡς ἐν τύπῳ exhibere, & ad convictionem Judæorum ita urgere, ut fidei Christianæ veritas de errore & mendacio triumphet. Quod dum aggredior, gnarus, quod sine Numine nihil sit in homine, benignissimum Servatorem veneror supplex, ut is mentem manumque regat totamque hanc disquisitionem ad gloriam suam dirigat.

VI. Ipsa Prophetæ verba, de quibus nunc agitur, sic *l. c.* habent. לָכֵן יִתֵּן אֲדֹנָי הוּא לָכֶם אוֹת הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן וְקָרָאת שְׁמוֹ עִמָּנוּ אֵל׃ Quæ à *Tremellio & Junio* ita redduntur: *Idcirco dat Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabis, ô virgo, nomen ejus Himmanuelem.* Sed simpliciter vertas licet: *Idcirco dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo illa concepit & parit filium & vocabis nomen ejus Immanuel.* Quæ etiam versio retineri posset, nec ullum veritati præjudicium afferret, non magis certe quam quod *Jes. 9:6.* puer natus dicatur qui tot seculis post demum erat nasciturus, nisi *Matthæus* Evangelista *c. l. 23.* citando hunc locum prophetæ, versionem Græcam, licet cum aliqua immutatione, approbasset, quæ in futuro reddit. Διὰ τοῦτο δώσει κύριος αὐτὸς ὑμῖν σημεῖον. ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ. Unde & nobis sic reddenda: *Idcirco dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabis nomen ejus Immanuel.*

VII. Ostendamus nunc primo, quæ mens fuerit genuina prophetæ in hac tam solenni denunciatione, quo sic postmodum evidentius appareat, complementum ejus non alibi quam in B. Mariæ partu virgineo esse quærendum. Christiani ergo, Evangelistam, ducem infallibilem, secuti, constanter tenent, Messiæ hic nativitatem futuram ex virgine prædici, atque nomine *Immanuelis* eum ceu θεάνθρωπον, in quo Deus cum homine conjunctus, proponi. Judæi contra reclamant & utrumque negant, non unam hoc vaticinium aliter explicandi & applicandi rationem comminiscentes; quorum adeo sententiæ & effugia prius sunt ad examen vocanda, ut his veluti præsidiis nudati, nec habentes quo se vertant, convincantur facilius, & ad agnoscendum in Jesu Christo ex B. Virgine Maria nato & vero Immanuele, complementum, vel sponte se vertant, vel inviti compellantur.

VIII. In quatuor autem sententias diversi feruntur, quas nonnulli eorum ita proponunt, ut rem quasi in medio relinquant, contenti quidvis potius sequi quam Christianorum admittere interpretationem. Quidam hoc signum de partu conjugis Achasi, alii de partu filiæ ipsius, alii rursum de partu uxoris prophetæ Jesaiæ exponunt. Denique sunt qui negant opus esse ut signum hoc in partu quæratur, cum potius in futura populi è manu hostium liberatione ejusque prosperitate secutura consistat. Quæ cum nemo Judæorum majori specie proposuerit & objecerit, atque adversus Christianos urserit, eorum saltem qui mihi visi, quam *Abarbenel*, cum hoc potissimum congrediar, certus, ubi hujus fuerit satisfactum objectionibus, de reliquis facilem victoriam fore. Persequar autem illum κατὰ πόδα, ut dici solet, atque quæ is fusius *in Commentario ad hunc locum* totumque hujus prophetiæ contextum disseruit, contracta in pugillum excutiam & quam parum cohæreant verbisque prophetæ ac scopo conveniant, liquido demonstrare conabor.

IX. *Primum* itaque interpretes accusat, *quod dum exaggerare voluerint rationem hujus signi, hæserint in prophetiæ explicatione. Quosdam enim eorum hanc constituisse in eo quod juvencula quædam concepisset, nullo hominum ejus conscio; Alios, quod filium paritura esset, cum nec id esset notum dum is in utero matris clausus. Alios in eo, quod quamprimum puer hic esset natus, butyrum & mel esset comesturus; & si quæ his similia commenta: donec tandem Christiani contenderint, signum hoc in partu virginis, dum virgo esset, constituendum. Sibi vero, cui omnia ista aliena videantur, visum esse ab istis deflectere atque rationem hujus signi* בשלמות i. e. *simpliciter exponere.* Ubi facile istum patimur in suos invehi, quorum illæ sunt דעות & speculationes inanes, quas rejicit. Neque spernimus tamen illud in quo conveniunt, *signum* hic aliquid singulare & ostentum significare, quod vel præter ordinem naturæ, vel saltem, citra prophetæ denunciationem, ignotum, esset futurum, licet ipse, cornicum oculos confixurus, ut alias, sic hic quoque ab his deflectat & ad nova commenta delabatur, *signi* rationem fingens talem, cui totus contextus repugnat, ut jam jam videbimus.

X. Nam *secundo* prolixus imprimis est, ut quid hic אות sit, exponat, atque longam ingreditur *de signis* disputationem, ex vocum emphasi & proprietate evincere laborans, de signo memoriali unice loqui prophetam, adeoque nihil hic esse quod in conceptu aut partu singulare sit quærendum. Quæ disputatio cum fundamentum interpretationis Evangelicæ concutere videatur, non sic obiter est prætermittenda. Itaque 1. *Voces distinguit quibus* signa *apud Hebræos solent denotari, nempe* אותות & מופתים, נסים & פלאים נפלאים מסות & מפלאות *atque his vocibus in scripturis*, ait, *designari*, הדברים אשר יעשו הנביאים בכח האל ית׳ כנגד הטבע *ea quæ prophetæ virtute divina contra naturam faciunt. Hæc dici* אותות *in historia decem plagarum Exod. 4:8. Et* מופתים *ibid. vs. 21. Et* נסים *vel* מסות (*quæ idem significant*) *Deut. 7:19.* Et פלאים *Dan. 12:6. Psal. 119:129. Cui quandoque* נ *addatur, ut sit* נפלאים, *Psalm. 139:14. quandoque* מ *ut sit* מפלאות *Job. 37: vers. 16.*

XI. Sed in his non semel lapsus est. 1. Quod נסים & מסות idem significare ait, eousque ut exemplum τῶν מסות afferens, id etiam quoad נסים sufficere putet, in eo sane fallitur. Nam non solum radice differunt, cum נס à נסס sit & מסה à נסה, sed etiam significatione. Siquidem נס in Scripturis *signum* notat, & quidem fere semper tale quod tollitur & in altum erigitur, quale *vexillum* esse solet, quem significatum egregie exponit & illustrat *Arnold. Bootius Animadvers. sacr. lib. 1. per totum.* Nam etiam *Num. 26:10.* ubi videri posset τὸ נס *ostentum* significare, tamen ad eundem respicitur *vexilli* significatum, ad exemplum luculentum designandum, uti *Trem. & Jun. in notis h. l.* observant. Neque hic, ubi de usu vocis in S. Literis sermo est, attenditur, quod נסים Rabbinis soleant *miracula* significare. At מסה proprie *tentationem & explorationem*, in Scripturis denotat, idque semper, etiam ubi nominis proprii naturam induit, nec dari potest exemplum, ubi eandem cum נס significationem habet. Nam utique 2. frustra locus *Deuter. 7:19.* in hanc rem citatur, cum non de signis sed de tentationibus loquatur: המסות הגדלות אשר ראו עיניך *Probationum illarum maximarum* (sc. recordare) *quas viderunt oculi tui.* Sic *Raschi* exponit, cui המסות h. l. sunt נסיונות *tentationes.* Sic *Kimchi* apud *Aben Melech in Michlal Jophi ad h. l.* שהיה הק״בה בוחן אותם במכתיו אם יעמדו ברשעם אם לא ושרשו נסה׳ *eo quod Deus exploraverat eos plagis suis, anne essent in improbitate sua perstituri, vel non. Radix autem est* נסה. Et 3. reliqua quoque loca sequentia omnia impertinentia sunt. Quoniam in nullo eorum agitur de opere quod virtute divina fit à prophetis. Nam *Dan. 7:4.* sermo est de mirabilibus legis divinæ, & *Psal. 139:14.* ac *Job. 37:16.* de mirabilibus providentiæ divinæ. Claudicat ergo initium hujus de signis ab *Abarbenele* motæ disputationis.

XII. Qui

XII. Qui 2. observat, *causam fere terrorum maximorum esse mirabile quiddam, aut admirationem, quæ hominum animos percellat. Joel.* 2:26. *Deut.* 28: 59. *Hinc eosdem existimasse, voces istas* אות, מופת *&c. primo & per se nil aliud quam miraculum significare i. e. res à cursu naturæ ordinario alienas. Sed male. Nam* אות *idem quod* סימן *i. e. signum esse, sive id naturaliter sive ex instituto significet. Sic dic de stellis & luminaribus cœlestibus. Gen.* 1:14. *iride, circumcisione, phylacteriis, notis vexillorum, & ipsis literis alphabeti. Eodem sensu in hoc ipso propheta occurrere cap.* 8: 17. *Ecce ego & nati quos dedit mihi Dominus,* לאותות ולמופתים *in signa & in ostenta. Non enim nativitatem eorum fuisse miraculosam, sed nomina solum signum & notam fuisse. Idem in* מופת *patere quod proprie rationem bonam, pulchram & firmam notet. Unde etiam demonstrationes* מופתים *dicantur. Ejusgeneris, natos Jesaiæ & Ezechielem fuisse Ezechiel.* 24: 24. *& cap.* 12: 11. *eo quod esset argumentum firmum & signum infallibile eorum quæ ipsis erant obventura.* &c. *Etiam in* נס *id patere quod* הבחינה והנסיון *probationem & explorationem notet à* נסה, *& de consuetudine dicatur* 1 *Sam.*17:40. *& de re fixa in quam omnes oculi convertant. Jesai.*11:10.12. *Sic denique* פלא *notare rem mirabilem, Jes.*9:5. *Thren.*1:9. *aut absconditam, Deuter.*30:11. 2.*Samuel.*1:26. *Levit.*22:21. *Num.*6:2. *nec quicquam significari quod ab ordine naturæ sit alienum.*

XIII. In quibus rursum multa sunt, quæ censuram merentur. 1. Quod cum de significatione propria ꝟ אות ageretur, & quale illud *signum* notaret, quæreretur, ipse simul operose & frustra de נס & מופת & פלא disputet. Nempe existimabat, se eo fortius conclusurum, si de his idem quod de אות ostenderet. Num vero id assecutus sit, mox videbimus. 2. Quod rem miram terroris causam constituat indefinite. Nunquam enim res mirabilis terroris causa est per se, sed per accidens, quando nempe eandem non tam miramur quam stupemus & veluti damnum nobis afferentem spectamus. Loca vero quæ affert, rursum nihil ad rem faciunt, quando in priore, *Joel.* 2: 26. alius mirabilium Dei effectus, nempe laus & celebratio, proponitur; in posteriore *Deut.*28:29. plagæ Israëlitarum mirabiles simpliciter recensentur. 3. Quod *hinc factum dicit, ut homines putarent* אות, מופת, נס & פלא *primo & per se miracula seu res à cursu naturæ ordinario alienas significare.* Unde enim hoc probat? Et quinam sunt illi, qui ita putant? Si suos intelligit, ipsi pro se respondeant. Sin Christianos, negabunt. Quis illorum in hoc loco ex sola voce אות argumentum desumsit? Et quid ad illos pertinet in hac controversia, quid נס מופת aut פלא significet. Dari *signa naturalia & ex instituto* agnoscunt, & אות latius patere quam ut semper rem admirandam, nedum à cursu ordinario naturæ alienam, notet. In hoc autem loco tale quid notare ex circumstantiis & contextu evincunt. 4. Quod אות & מופת in sermone prophetico *Jes.* 8:17. & apud Ezechielem argumentum solum firmum & signum infallibile velit significare. Aliud ex aliis locis, ubi de missione prophetarum ac signis & ostentis eorum agitur, patet, quorum quædam ipse *Abarbanel* supra §. X. allegavit. Num enim plagæ Ægyptiæ non fuerunt אותות signa, & tamen præter cursum naturæ ordinarium virtute divina per Mosen & Aharonem patrata? Imo quid אות sit, ex ipso propheta discat, *Jes.*7:11. & 20:3. & 38:22. Tum 5. Quod uti supra נס & מסה confudit, ita hic נס à נסה derivet, invita Grammatica, quam vocem ne quidem huc pertinere, antea ostensum. Denique 6. quod פלא ita velit rem mirabilem & absconditam notare, ut nihil significetur quod ab ordine naturæ sit alienum. Nam quid significaret, aliunde fuerat petendum. Nempe ex *Exod.* 15: 11. ubi Deus עשה פלא dicitur quod mare rubrum fidisset & Pharaonem cum exercitu submersisset, quod utique miraculum erat. Et *Psalm.* 78: 12. ubi Deus in terra Ægypti dicitur fecisse פלא i. e. miracula. Etiam *Jes.*9:5. ubi Messias פלא dicitur non sine respectu ad miraculum. Adeoque cum res quæ præter ordinem naturæ fiunt eo magis sint mirabiles, cur non ꝟ פלא primam significationem dicemus, ut ad hæc referatur?

XIV. Sed 3. *concedit tamen, has quatuor voces,* אתו, מופת, נס & פלא *quandoque de miraculis dici & rebus quæ præter naturam fiunt. Verum ista quæ minus à cursu naturæ ordinario deflectunt* אותות *vocari eo quod sint signum minus firmum ad confirmandam aliquam prophetiam. Hinc conversionem baculi Mosis in serpentem & aquarum in sanguinem* אותות *dici Exod.* 4:9.30. *eo quod non essent miracula satis valida, cum Magi Ægyptii similia fecerint.* אבל להיותם סימן מה בדבר נקראו אותות, *sed cum signum essent ejus quod dicebatur,* אותות *dicta fuisse.* Atque sic interjectis similibus non sine iteratione eorum quæ jam dixerat de מופת, נס & פלא, denique concludit: *etiam hoc loco* אות *non necessario significare rem aliquam, quæ præter ordinem naturæ fiat, sed signum, quæ sit prima vocis* אות *significatio, quæ dicatur de signo quod ex electione & instituto in aliquo opere significat, & de naturali, & de miraculoso, quod contra ordinem naturæ datur.*

XV. Quæ omnia prævaricationem manifestam exhibent. Quo jure enim asserit, אות etiam tum quando miraculum propheticum notat, designare illud quod minus à cursu ordinario naturæ deflectit? Num illa signa Mosis erant minus firma ad confirmandam ejus missionem? Utique contrarium ex eventu patet. Credidit enim populus. *Exod.*4:31. Tum quoque conversio aquarum in sanguinem non est unum illorum duorum signorum quæ *Exod.*4:9. אותות vocantur. Fuit tamen אות, & miraculum perinde validum ac reliquæ plagæ Ægypti, quæ, citra discrimen, אותות & מופתים vocantur, *Psal.* 78:43. Quod dum negat Rabbinus, quam parum à blasphemia abest? Fuerint Magi Ægyptii conversionem baculi in serpentem & aquarum in sanguinem imitati, sed בלהטיהם præstigiis suis i. e. באחיזת עינים *oculos* solum *ludificantes*, ut *Aben Esra* recte exponit. Num ideo minus miraculosum fuit id quod Moses & Aharon fecerunt? Ait quoque hæc signa fuisse סימן מה בדבר *signum ejus quod in re erat.* Idem dixit ac si nihil dixisset. Nam quid est illud מה בדבר sub quo mentem suam abscondit? An ullus tam perfrictæ frontis est, qui negare ausit, etiam illa duo signa, fuisse signa miraculosa præter naturæ ordinem per potentiam divinam producta, ut argumentum essent, Mosen & Aharonem veros prophetas vere à Deo vocatos, ut populum servitute Ægyptiaca liberarent? Cadit ergo distinctio quam hic finxit *Abarbanel*, inter signa miraculosa, quasi illa quæ אותות vocantur minus à cursu ordinario naturæ deflecterent. Cadit hypothesis de prima ꝟ אות significatione, quam admitterem, si nobis radicem ejus indicasset. Imo vel hac admissa, tamen conclusio disputationis tam operosæ corruit, אות in loco Prophetæ de quo agimus, non necessario rem præternaturalem significare. Nam licet אות aliud quid, etiam primario, significet, tamen si illa significatio hic non quadret, frustra hæc hypothesis urgetur.

XVI. Verum *tertio* idem *Abarbanel* porro præcedentia hujus prophetiæ inde à vs. 10. sic explicat ut viam sternat simul ad commodiorem ejus detorsionem. Summa huc redit. *Cum Achas ad illam prophetæ promissionem, quod consilium regum Syriæ & Israëlis irritum esset futurum, tacuisset, fidem minime habens, & literas ac dona ad Regem Assyriæ ut sibi suppetias ferret, misisset, iterum ad Jesaiam de hoc Achasi negotio verbum Domini esse factum*, vs. 10. Et addidit Jehovah loqui ad Achasum dicendo. *Nempe ad Jesaiam de Achaso. Jonathanem autem vertisse.* Et addidit Propheta Domini. *Qua ratione, vel esset ellipsis nominis* prophetæ, *aut prophetæ nomen mittentis tribueretur, quod tamen alienum. Dictum autem Achaso* vs. 11. Pete tibi signum à Jehovah Deo Tuo. *Quo monitus, ne vel à Baal Ekron, vel aliis gentium Diis, vel etiam Rege Assyriæ, auxilium requireret, sed potius à Deo suo qui mundum sustentet & populi Israelitici curam habeat atque omnipotens sit. Et quidem ut sponte sua, idque sibi tantum, nemine alio conscio peteret signum,* שיכיר בו אמתת דבר הנביא *ex quo agnosceret veritatem denunciationis propheticæ. Addi vero*, sive profundum pete, sive altum sursum, *ut nempe, petitum suum vel in corde ignaris omnibus abscondat, vel alta voce audientibus omnibus prodat. Posse tamen etiam de conditione ipsius signi, ut id vel ex alto vel ex inferioribus detur cum Tanchuma exponi v. g. de resuscitatione alicujus mortui aut de signo aliquo in cœlo edendo.* Tum Achasum dixisse vs. 12. Non petam & non tentabo Jehovam. *Idque* vel sensu malo *negando providentiam Dei specialem, q. d.* Non petam אות *signum, ut voluisti,* שהוא סימן וראיה קטנה eo *quod signaculum & argumentum est parvi momenti*: neque tentabo: לא אנסה נס *quasi opus haberem ut mihi daretur quod multo majus est. Nihil enim horum Deo convenit.* Vel sensu bono, *ut experimentum daret, se de potentia Divina satis persuasum esse, ideoque nolle Deum, petendo signum, tentare. Cum vero hæc tentatio minime esset vitiosa, qua quis cuperet de voluntate Dei edoceri, anne hoc vel illud esset facturus, ideo Prophetam respondisse vs.* 13. Audite, agite domus Davidis, *sic alloquendo Achasum & propinquos ejus* ואנשיו *& homines ejus, quoniam omnes illi domus Davidis,* (*eadem fere phrasi qua Moses filios Levi alloquitur,* Numeror. 16:8.) *subjungendo*: an parum vobis est fatigare homines quod etiam fatigatis Deum meum? *arguendo sic hypocrisin eorum, quod non contenti homines fallere, verbis aliud loquendo dum aliud pectore*

pectore clausum est, eosque sic molestia maxima afficere, dum verbis confidere solent, etiam nunc simili modo cum Deo agant. Vel eos redarguendo, quod non contenti virtutem hominum i. e. prophetarum imminuere, eos mente captos & dementes vocando, etiam Deum fatigent, defectum aliquem potentiæ ipsi tribuendo. Quorum prius tamen præfert.

XVII. Hic autem, missis cæteris, ea solum notemus quæ ad scopum præsentem faciant, & in quibus *Abarbanel* figmentis indulsit, tantum ut posset eo commodius τῇ ὑποθέσει δουλεύειν. Nam 1. Quam dilutum est, quod שאל לך *pete tibi*, ita explicat, quasi Achasus his verbis jussus sit *sibi tantum, nemine alio conscio*, signum petere? Solet pronomen in tali constructione sæpius πλεονάζειν, uti *Glassius Gramm. Sacr. p.* 184. exemplis ostendit, ut sic *pete tibi* idem sit quod *pete tu*, uti לך לך *Genes.* 12:1. & 22:2. & קם לך *Jos.* 7:10. & הבו לכם 2. *Sam.* 16:20. Et quando emphasin includit, solet commodum aut damnum notare, & quid vel in gratiam aut odium fieri. Ita de idolis apud hunc prophetam dicitur, אשר עשו לכם *quæ fecistis vobis* i. e. in usum vestrum, *Jesa.* 31:8. Sic & hic, *pete tibi* est *pete tuo bono*, *pro te*, ut inde experimentum capias. Tibi *tantum*, *nemine nescio*, ex phrasi hac nonnisi exsculpi potest. Verum & hic jam intendit instillare, agi toto hoc capite de signo occulto & privato, adeoque nec illud vs. 14. aliud esse. 2. Notandum est, agnoscere eundem, *signum*, quod Achasus petere jubebatur, fuisse tale ex quo agnosceret veritatem denunciationis propheticæ & promissæ liberationis. Eo ipso enim non fuit nudum signum memoriale, adeoque nec tale fuit illud, quod postea, cum ipse nollet petere, datum. 3. Notanda etiam audax in העמק או הגבה interpretatio, quod ipse ad petitionem tacitam aut claram refert. Quamvis enim העמק quandoque, etiam apud hunc ipsum Prophetam, cap. 29:15. *abscondere* significet, hic tamen id nullatenus quadrat, cum τῷ הגבה opponatur, quod nusquam *prodere* aut *clara voce* aliquid *proferre*, semper *efferre se* & *exaltare*, imo hic vel maxime significat, quoniam למעלה additur. Unde diffisus interpretationi suæ, alteram ex Tanchuma adjecit. Ut taceam, everti per hoc commentum, prius quod in לך quærebat. Si enim clara voce petere jubebatur, quomodo nemine conscio? 4. Quod de אות, *signum & argumentum parvi momenti* notante, rursum ingerit, & ex verbis Achasi, qui simpliciter dixerat, לא אשאל, nulla *signi* facta mentione, elicit, æque violentum est, ac quando נס in אנסה, novum illi significatum affingens, quærit, quasi נסה esset נס seu *miraculum quærere*, de quo jam supra §. *XI.* & *XIII.* monitum.

XVIII. Insuper *quarto*, idem *Abarbanel* tandem sic ad vs. 14. delabitur, & verba, *Propterea dabit ipse Dominus vobis signum*: ita exponit, ut de *signo* hoc moneat, *observandum esse*, *dici* אות i. e. *signum*, *non* נס, *neque* פלא *neque* מופת, *eo quod Deus in negotio hujus signi nihil novi erat facturus, quod magnopere à cursu ordinario naturæ abiret, quandoquidem Achasus & homines ejus id haud postulaverant. Citra petitionem autem, Achasus haud dignus erat, cui aliquod eximium miraculum fieret, cum si evasurus esset manus Regum Syriæ & Israëlis, id merito filii Ezechiæ, Majorum & civitatis Hierosolymæ esset futurum, possetque ipsi sufficere quod evaderet, etiamsi non fierent ipsi signa & ostenta & miracula insignia. Propterea dicit*, dabit Dominus vobis signum *i. e.* סימן *signum memoriale vel notam, ne hæc prophetia oblivioni à vobis tradatur.*

XIX. Ubi rursum hypothesin de אות, jam antea sed frustra inculcatam, repetit, quasi hoc minus quid quam נס & פלא & מופת notaret, (quæ supra §. XIII. & XV. eversa) quo sic inferat, in hoc signo, quod ipse Dominus daturus erat, nihil fuisse quod à cursu ordinario naturæ abiret. Atqui quale signum Achasus petere jussus erat, tale signum Dominus erat daturus, uti imprimis patet ex לכן *propterea* q. d. Tu non vis petere signum, malens incredulus manere quam confirmari. Ergo dabit Dominus tamen signum *Vobis*, nempe toti Domui Davidis. Tu non vis petere tibi signum à *Domino Deo Tuo. Ipse Dominus* tamen dabit. Neque alienum videtur, τὸ לכן etiam hic ea emphasi accipere qua alibi cum asseveratione effertur, ut sit idem quod *sane*, *omnino*, prout *Genes.* 4:15. & *Jer.* 5:2. Syro & Anglis interpretibus eam significationem in loco posteriori agnoscentibus. Sic enim tum recte, uti alias in vehementi & seria denunciatione, לכן sonabit, *sane dabit Dominus ipse vobis signum.* Cum ergo *signum* illud quod Achas petere jussus erat, tale fuerit, ex quo [fatente supra §. *XVI.* ipso *Abarbanele*] agnosceret veritatem denunciationis propheticæ, hoc quoque quod Dominus daturus erat, ejusdem generis fuisse, necesse est. 2. De signo aliquo eximio agi etiam illud אדני הוא *ipse Dominus*, testatur, quoniam *Dominus ipse* hoc erat daturus. Nam si nil aliud voluisset propheta quam quod *Abarbanel*, reclamantibus licet suis, fingit, nudum hic signum memoriale promitti, ne obliviscerentur prophetiæ, quid opus erat dicere לכן יתן אדני הוא לכם אות *Sane dabit Dominus* IPSE *vobis signum.* Annon illud הוא plane redundaret, nisi, & respiceret petitionem signi rejectam, cui hoc quod dandum erat, opponitur, & simul quoque eximium signum notaret? Non tulit vim ejus *Abarbanel*; unde manifesta prævaricatione, in exegesi hæc verba explicans, bis illud הוא omisit, exponens eadem sic quasi scriptum esset, לכן יתן אדני לכם אות Quod malæ causæ indicium est. 3. Dum infert, Deum nil novi in hoc signo, quod à cursu naturæ ordinario abiret, facturum fuisse, quoniam Achasus & homines ejus id haud postulaverant: innuit, non solum si postulassent, id futurum fuisse, sed &, verbis שאל לך, Achaso injunctum fuisse, ut tale quid postularet. Cujus 4. indignitatem frustra, & merita filii ac Majorum ejus & civitatis Hierosolymæ, præter meritum allegat. Poterat enim hoc signum ab ipso Domino in convictionem, aut ad ostendendam potentiam & benignitatem dari, etiamsi non in gratiam postulantis, imo non postulantis, daretur. Denique 4. non dabatur hoc signum Achaso, sed לכם *vobis*, nempe Domui Davidis, adeoque nulla in eo gratia, quæ Achaso fieri crederetur.

XX. Quibus ita præmissis, *quinto* demum exponit, quodnam fuerit hoc signum, idque, quoniam non reperit, ubi pedem figat, duplici ratione. *Prima* est, signum hoc fuisse, *quod uxor aut filia dilecta Achasi prægnans fuerit, non ita diu à conceptione, & Achasus id forte necdum sciverit, indicari ergo, quod esset prægnans, & paritura esset filium, & ipsa sponte sua ipsi datura nomen Immanuelis, in signum & memoriale, quod Deus cum ipso eique auxilio esset futurus, eundemque è manu horum Regum liberaturus. R. Salomonem Jarchi quidem exponere de ipsa uxore propheta, & signum in eo quærere, quod filium paritura ipsique nomen Immanuelis esset impositura, in memoriale quod Deus ipsis esset adfuturus eosque liberaturus. Sed obstare, quod* העלמה *vocetur, cum* נביאה *fuisset dicenda, ut postea cap.* 8:3. *Præstare igitur, ut de uxore Achasi aut filia exponatur, quam* העלמה *vocet, eo quod adhuc oppido juvencula esset. Nam puerum eodem sensu* עלם *& puellam* עלמה *vocari, sive virgo sit, sive maritata, sive uxor, sive innupta, cum hæc vox non alium nisi ad ætatem respectum habeat. Atque exinde haud convenire, ut filius hic quem Immanuelem erant vocaturi, Hiskias fuisse credatur, siquidem is novennio ante regnum patris natus. Achasum enim* 16. *annos regnasse, & Hiskiam* 25. *annorum fuisse, cum ad regnum perveniret, atque probabile videri, hanc prophetiam altero à regimine Achasi anno jam completo contigisse. Sed hanc* עלמה *fuisse uxorem secundam Achasi, quam post matrem Hiskiæ duxerit, ejusque filium fuisse hunc puerum. Vel hanc* עלמה, *prout dixerit, fuisse filiam Achasi, inde à paucis diebus nuptam, atque hanc puellam parvulam, filiam regis dilectam, tum coram ipso fuisse, de qua prædixerit, quod esset prægnans, quod necdum erat notum, & quod paritura esset filium & ipsa instinctu divino nomen ipsi Immanuelis impositura, ut esset signum & nota ejus quod circa bellum, quod tum imminebat, erat eventurum. Forsan etiam* וְקָרָאת & vocabis, *ad Achasum esse referendum, ut* ת *sit* תיו הנכח *Thau secundæ personæ, non* תיו הנקבה *thau nota fœminini, quo indicetur, quod quantumcunque improbus esset, ipsemet tamen sic eum esset vocaturus. Simile autem signum reperiri* בנשיא [legendum est בנביא] *in propheta qui ex terra Juda venit & Josiæ nativitatem prædixit dicendo*: Ecce filius nascetur domui Davidis, nomine Josia. *Esse autem illud de ratione prophetiæ ut quid exprimat maxime particulare, cujusmodi hic, quid futurum esset indicare, simulque prædicere & testari, quale nomen esset imponendum, cum id sit liberæ electionis & voluntatis.*

XXI. Quæ omnia si expendantur, multa sane occurrunt quæ animadversionem merentur. Nam 1. Quod ad signi rationem hic refert, indicium quod עלמה illa fuerit prægnans, de quo forte nihildum Achaso constiterit, in eo sibi non constat. Antea enim id rejecerat, & hoc quoque recensuerat in istis, de quibus dixerat, הם כלם דרכים זרים אצלי *omnis ista exponendi ratio coram me aliena est*, uti supra §. IX. indicatum. 2. Quod R. Salomonem, עלמה de uxore prophetæ exponentem, refellit, in eo cum *Kimchio* facit, & nos onere levat, hanc sententiam evertendi, quæ aliorum quoque Judæorum est. Sic enim *Rabbi Lipman. in Nizzachon ad h. l. num.* 225. העלמה היתה אשת הנביא *Hæc* עלמה *uxor Prophetæ erat.* Ratio tamen qua æque ac *Kimchi* utitur non magni momenti

menti est. Supponit enim uxorem prophetæ non aliter quam נביאה seu *prophetissam* potuisse vocari, uti *cap.* 8: 3. Quod & in se infirmum, & hic plane non probabile. Quod si enim propheta ad Achasum de uxore sua loqui voluisset & inde signum petere, אשתי *uxor mea* dixisset, non הנביאה *prophetissa* quod indefinitum erat & alio etiam poterat referri.

XXII. Potius dixisset, uxorem prophetæ non potuisse עלמה vocari. Posito enim sed non concesso, hanc vocem non præcise virginem incorruptam notare, tamen uxor prophetæ ne quidem juvencula dici poterat, cum ex ea jam antea sustulisset filium Schearjaschubum qui cum patre jussus est Achaso obviam ire, si non ut collega jam patri datus, prout *Mullero* videtur, saltem adultior tamen quam ut mater ejus *juvencula* potuerit dici. Quod ut declinent Judæi, fingunt Jesaiæ duas uxores fuisse. Ex prima Schearjaschubum fuisse natum. Ex altera עלמה juvencula, primo Immanuelem, biennio ante regum interitum, dein Maherschalalum Chaschbazum, anno ante interitum. Sed ejus commenti nusquam in historia fundamentum reperiunt. Potius etiam ursisset, filium prophetæ non potuisse Immanuelem hunc esse, cum de eo postmodum *cap.* 8: 8. מלא רוחב ארצך *implebunt latitudinem terræ tuæ*, dicatur. Hoc enim [uti *Kimchius* notat] משמע כי בן מלך היה *indicat, filium Regis fuisse.* Sed noluit in eo Rex Salomonem deserere, qui verba ista *cap.* 8: 8. retulerat ad tribum Judæ, sicut & ipse *Abarbanel* facit, quamvis ipsi non admodum placeat, Jehudam dici *Immanuelem*, sed potius, Prophetam, postquam de exercitu Sanheribi dixisset, quomodo terram esset occupaturus, quasi consolationis loco, עמנו אל *At nobiscum Deus*, subjicere existimet, fingens, ubi ad objectiones Christianorum *in comment. in cap.* 7. respondere conatur, quod illi qui hæc verba *cap.* 8: 8. ad Immanuelem (de quo cap. 7: 14. agitur) referunt, non ארצך proxime præcedens, sed מטות כנפיו cum eo construant, quasi ibi de exercitu Immanuelis ageretur, quod recte, ait, textui manifeste repugnare. Cum vero ipsi Judæi non ferant hoc vaticinium de uxore & filio Jesaiæ exponi, quid de *Grotio* dicemus, qui sensum literalem eo refert?

XXIII. Verum 3. quod *Abarbanel* עלמה ait juvenculam esse nec præcise virginem notare, sed ad nuptam & innuptam indifferens esse, id dicit quidem, sed ex conjugato עלם non satis probat. Dicat respectum ad ætatem; ex origine tamen simul notabit virginem intactam κατάκλειςον, καὶ ἀπόκρυφον, quales illæ 2 *Maccab.* 3: 19. Est enim à עלם *abscondidit*, unde tam עלם quam עלמה quod & pueri & puellæ in gynæceo dum ætas tenera esset, solerent educari. Neque in Scriptura aliter quam de virgine sumitur, uti infra ostendetur. Sed 4. hæc hypothesis necessitatem ipsi imposuit, ut aliud figmentum & quidem geminum excogitaret. Horum unum est, Achaso aliam conjugem præter matrem Hiskiæ fuisse, ex qua hunc Immanuelem susceperit. Alterum, eidem fuisse filiam juvenculam dilectam istis diebus nuptam & tum prægnantem, quæ filium Immanuelem esset paritura. Ubi enim quicquam horum legitur? An hæc tam certa sunt, ut ne quidem illud אולי, quod de conceptione ab Achaso ignorata usurpat, hic fuerit adhibendum? Historia sine testibus haud est scribenda. Dicat ergo nobis, ubinam vel vola vel vestigium hujus secundæ conjugis aut filiæ Achasi extat? Ego vero dicam, cum nusquam commemorentur, nec fuisse. Quamvis enim multa alia in historia regum prætermissa sint, hoc tamen haud prætermissum fuisset, cum ad intelligentiam hujus vaticinii vel maxime faceret, uti bellum Regum Syriæ & Israelis cum Achaso, Sanheribi expeditio & clades, Ezechiæ morbus, sanatio, miraculum & cum Legatis Babylonicis congressus, ac similia haud omissa, in quibus perpetuus est inter historiam & narrationem propheticam consensus. Ut nunc alia mittam, facile his figmentis opponenda, quæ cum simul stare nequeant, ab Abarbanele tamen conjunguntur. Nisi enim geminos nobis dare velit Immanueles, alterutrum eligat oportet, aut conjugem Achasi, aut filiam fuisse hanc quæ עלמה vocatur. Quod dum non audet, nos nec uxorem ejus, nec filiam, fuisse, concludimus.

XXIV. Insuper 5. quod totam *signi* rationem in impositione nominis *Immanuelis* collocat, tanquam memoriali quodam ejus quod circa bellum erat eventurum & promissæ liberationis, eamque impositionem ab ipsa עלמה instinctu divino peragendam, fingit, in eo rursum somniis suis indulget ac parum sibi constat. Annon enim frustra tum adeo solenni exordio usus fuisset propheta, לכן יתן אדני הוא לכם אות *Sane dabit Dominus ipse vobis signum*, quo majus quid innui antea monitum? Et quid opus fuisset vel conceptionis facere mentionem, si nihil in eo singulare? Sufficisset utique & clarior tum signi ratio fuisset, si propheta dixisset, אשתך vel בתך ילדרת בן וקראת שמו עמנו אל *Uxor tua aut filia tua pariet filium & vocabis nomen ejus Immanuel.* Et quorsum tum cætera quæ sequuntur & de hoc puero dicuntur, *butyrum & lac comedet* &c. quæ ad signi hujus rationem pertinere adeo evidens fuit, ut Rex *David Kimchi* id omne in hoc constituerit scribens: מהו האותי חמארת ודבש יאכלי כלומר מיום שנולד יאכל לרעתו חמאה ודבש וכל דבר מתוק שיקריבו לפניו הוא יפתח פיו לו ויקחנו ואם יקרבו לפניו מאכל רע ימאסנו ויסגור פיו לו ולא ירצה בו: id est. *Quodnam est signum hoc? Butyrum & mel comedet, q. d. ex qua die natus erit, certa cum discretione. Butyrum & mel aliudve dulce ubi oblatum fuerit, os suum aperiet & recipiet. Sin cibus aliquis malus seu ingratus offeretur, aversabitur, os claudet, neque gratum habebit.* Inepte quidem & per meram fictionem. In eo tamen melius quam *Abarbanel*, qui illam discretionem boni & mali pariter ad cibos retulit, sed tanquam effectum consuetudinis comedendi dulcia proposuit. In quo nihil singulare, quod non omnibus pueris & infantibus sit familiare.

XXV. Tum 6. quod de instinctu divino in impositione hujus nominis, quatenus id à matre imponendum, supponit, non solum nutat, si *Kimchio* credamus asserenti, moris fuisse ut matres filiis nomina imponerent, sed ab ipso *Abarbanele* evertitur, quando citra necessitatem ullam וקראת ad Achasum refert, & inter תיו הנכח *Thau præsentiæ* id est *secundæ personæ* ac תיו הנקבה *Thau fœmininum* distinguit, imo illud huic contradistinguit. Sive enim voluerit hisce, nomen ab Achaso fuisse imponendum, sive solum, nomine jam à matre imposito, hunc filium fuisse etiam ab Achaso, quantumvis impio, appellandum, atque sic exprimendam ore ejus auxilii divini promissi agnitionem, illud de instinctu divino cadit. Si prius, Achasus jam imposuit, non uxor aut filia, hoc Immanuelis nomen. Sin posterius, quærat jam fundamentum istius instinctus & ὀνομαθεσίας maternæ. Ratio enim linguæ haud permittit, ut hæc vox וְקָרָאת sic punctata, simul masculina & fœminina sit. Nam ת quidem in ea est *thau secundæ personæ* sed simul est, *thau fœmininum*, cum ita punctatur. Uti enim תָּ ex אַתָּה *Tu*, m. sic תְּ ex אַתְּ *Tu*, f. efformans est secundæ personæ præteriti, quarum utraque sola punctione distinguitur. Vid. *Altingi Grammat.* §. 114. Adeoque cum וְקָרָאת hic legamus, non וְקָרָאתְּ, fœmininum sit oportet. Aut si enallagen fingat, jam non ad uxorem aut filiam poterit referri.

XXVI. Denique 7. exemplum Josiæ cujus nativitas pariter prædicta 1 *Reg.* 13: 2. huc plane non pertinet. Siquidem probandum *Abarbaneli*, quod hæc prædictio nativitatis & expressio nominis Josiæ usquam אות vocetur. Imo præcedit prophetia vers. 2. & vers. 3. sequitur מופת seu signum in altari findendo & effundendo cinere. Tum quoque ostendendum, quodnam sit istud cujus illa fuerit aut potuerit esse signum. An destruendi cultus idololatrici vitulorum Jeroboami? Atqui sola nativitas pueri regii, etiam *Josiæ* appellati, non poterat id significare. Si vero addatur, quod de ipso prædicitur ossa combusturum esse sacerdotum super altari, jam non id signum, sed prædictio est destructionis. Sed vel maxime ratio nominis *Josiæ* mystica, cum re cujus illa signum dicitur conveniens, perinde ac *in Immanuel* est demonstranda. An id autem fecerit *in Commentario* suo in *Prophetas priores Abarbanel* hic, jam non dispicere licet, quoniam is haud ad manus est. Alias ab aliis eadem diversimode exponitur. *Hieronymus de nominibus Hebr. Josia* (inquit) *cujus est sacrificium domino, vel salus Domini, vel fortitudo Domini.* Quæ satis remota sunt, dum אֹשִׁיָּהוּ sic vel ex אִשֶּׁה *sacrificium* & יָהּ *Dominus*; vel ex יֵשַׁע *salus* & יָהּ uti ישעיהו seu *Jesaias*, vel ex עֹז *robur* & יה componitur, atque hac postrema ratione cum nomine *Usia* (עֻזִּיָּהוּ) confunditur. Nostræ tabulæ vernaculæ, quæ Bibliis præfigi solent, quando reddunt **wesentlicher HErr/** ex יֵשׁ & יָהּ; sive **des HErrn Grund oder Feuer** ex תּוּשִׁיָּה & יָהּ aut ex אֵשׁ & יָהּ composuisse videntur. Quorsum etiam *Ravanellus* inclinat, *ignem Domini* aut *incensum* seu *thymiama Domini* reddens. Sed cur non æque ex יאש & יה propius componere liceret, ut quasi *spretum & abjectum à Domino* notaret, propter miserum fatum quo periit. Certe *Abarbaneli* hæc etymologia magis debet placere qui caput 53 Jesaiæ de hoc Josia exponit.

XXVII. Jam *altera* ratio *Abarbanelis*, qua hoc *signum* audacter interpretatur, perinde venit examinanda. Hanc ipse, quod sciam, primus commentus est, ne quid ad copiam effugiorum deesset, quamvis putet Rex Salomonem quoque in eam inclinare, neque aliter proposuit fere quam ut quantum posset, valeret. Ea autem hoc *signum* demum vers. 15. *quærit, ut*

ut signum *sit* ipsa liberatio *quæ populo verbis expressis vers.* 16. *& vers.* 17. *sed mystice vers.* 15. *promittatur.* Quod ut obtineat, supponit, *ipsam prosperitatem & successum quandoque* אות *vocari. v. g. Psal.* 86. *vers. ult.* עשה עמי אות לטובה & *Jes.* 37: 30. וזה לך האות *Atque ita hic à Jesaia signum in ea prosperitate constitui, quæ & tum, & temporibus Hiskiæ depulso Sanheribo erat futura. Hinc dici*, butyrum & mel comedet, *ut duæ liberationes designentur, & quid Deus populo esset facturus. Butyrum enim & mel esse res dulces & suaves. Posse autem hoc referri vel ad unumquemque incolam secundum vers.* 22. *vel ad puerum hunc, in signum scilicet, quod prout ipse comedet butyrum & mel, ita quisque incolarum. Istas autem duas liberationes designatas nomine butyri & mellis, post exponi. Primam vers.* 16. *intelligendam de præsenti & imminente excidio Peka & Rezini. Alteram vers.* 17. *de Sanheribi profligatione.*

XXVIII. Sed in hoc suavi commento & signis mellitis non ita se oblectasset *Abarbanel*, si non in solis verbis חמאה ודבש יאכל hæsisset, sed ad sequentia etiam, nempe לדעתו מאוס ברע ובחור בטוב attendisset. Anne enim hæc ullis fidiculis ita torqueri possunt, ut ad populum relata sensum dent commodum? Hinc ipsemet illa ad puerum retulit, & quamvis hanc, tanquam expositionem aliam *signi* proponat, priorem tamen conjunxit & ad eam regressus est. Unde sibi ipse etiam contrarius est, præsertim cum eandem priori quoad signi rationem opponat, שאין האות ההוא הריון העלמה ולדתה כי אם שיתן להם אות לטובה בהצלתם וגו *signum hoc non esse conceptionem aut partum virginis, sed quod Deus ipsis esset signum in bonum daturus, dum eos è manu hostium liberaturus.* Hic jam quis stuporem Judæorum miretur, & rationem prophetæ in proponendo hoc signo cum illo quod Abarbanel fingit, conferat. Ille Achasum mandato Dei signum petere jusserat, ex alto vel de profundo. Cum renueret, aliud domui Davidis ipsum Dominum daturum denunciaverat. Subjunxerat immediate, *Ecce virgo concipiet* &c. In quibus detorquendis, ut signum inveniret, magno labore Abarbanel fuerat versatus. Et tamen tandem deserit hæc omnia, atque omnis ista solennis denunciatio desinit in *signum* non tale quale vel *Abarbanel* hic significari contenderat, sed ejusmodi à quo totus contextus abhorret, transferendo nempe prædicatum ad subjectum cujus nec vola nec vestigium in hoc versu habetur. Adde 2. quod secundum ipsum verba hæc *butyrum & mel comedet*, hoc *signum*, figurate exponant, adeoque *signum* sit ipsa liberatio, cujus tamen signum constituitur, nempe sui ipsius signum.

XXIX. Quod vero 3. hunc vocis אות significatum in locis Psalm. 86. vers. *ult.* & *Jesai.* 37: 30. quærit, in eo æque fallitur, ac quando *Rex Salomonem* sibi ὁμόψηφον citat. In primo David petens fieri secum *signum in bonum*, utique hoc *signum* ab ipso *bono* distinguit. Illud etiam tam *Aben-Esra* quam *Raschi* de signo miraculoso exponunt, quorum hic, id tum non datum sed ad tempora Salomonis dilatum fingit, quando portæ ad preces ejus & verba quæ 2 *Chron.* 6: 42. habentur, miraculose fuerint patefactæ. In altero apud Jesaiam, *signum* quidem non videtur esse miraculosum, est tamen revera miraculum, cum sine miraculo haud sit datum aut potuerit dari, nec quisquam tum esset qui, Sanheribo Hierosolymam obsidente, non miraculo simillimum crederet, anno uno sponte natum & anno altero sponte renatum comedere atque sic anno tertio serere, metere ac vineas plantare. Nihil ergo in his locis pro Abarbanele præsidii, qui perinde ad Raschi frustra provocavit, qui causam quidem inde petit cur הוולד seu *natus* hic butyrum & mel sit comesturus שתהא ארצנו מלאה כל טובי *eo quod terra nostra omni bono repleta erit*, sed neque hoc ad populum ejusque prosperitatem significandam indefinite refert, multo minus in eo *signi* rationem ullatenus quærit, de quo tamen præcipue inter nos & Judæos disputatur.

XXX. Mittamus nunc istos ὁδηγοὺς τῶν τυφλῶν τυφλοὺς, & postquam hoc vaticinium à frivolis Judæorum glossis vindicavimus, ad genuinum ejus sensum eruendum & asserendum, favente eodem Immanuele, qui hucusque pro gloria sua pugnantibus auxilium præstitit, intrepide accingamur, quandoquidem nondum ita repulimus adversarios, quin redituri sint & pugnam restauraturi. Mens ergo prophetæ ea est, quam jam supra §. VII. indicavimus, nempe prædici hic futuram Messiæ ex Virgine nativitatem tanquam signum luculentum, atque simul eundem quoad personam suam describi, quod verus Immanuel, θεάνθρωπος, Deus & homo, humilis & altus simul esset futurus. Cujus complementum, cum Judæi nusquam ostendere queant, nos in Jesu Nazareno, Servatore nostro & vero Messia, ex B. Virgine Maria post conceptionem miraculosam ita nato, ut Deus in carne conspicuus fieret, atque persona τοῦ λόγου sibi carnem nostram integram, excepto peccato, uniret, adeoque sic esset *Immanuel* & *Nobiscum* conjunctus *Deus*, demonstramus, simulque hanc veritatem Evangelicam ex verbis & toto Prophetæ contextu probamus.

XXXI. Primum argumentum in genere desumitur exinde, quod hic res aliqua singularis & insolita & mirabilis futura prædicatur & tanquam signum detur, quæ non possit alteri quam huic & hujusmodi Messiæ nativitati quadrare. Non insistimus τῷ הנה *Ecce*, aut voci אות nudæ, sed ut in tali contextu istis circumstantiis locatæ, qua tale *signum*, imo majus, promittitur, quale Achasus petere jussus erat. Hic enim petere jussus erat aliquid ex alto vel profundo, nempe aut ostentum in cœlo aut prodigium in terra. Id sub prætextu quasi nollet Dominum tentare, spreverat hypocritice, non sine manifesto reatu, quem Propheta תלאה *molestiam* seu defatigationem appellat, qua nempe Deo προσφορίζοντι novum onus imponatur, ut ferre cogatur quasi hanc benignitatis suæ repulsam, ut dum velit ipse confirmare eum signo & eligendi potestatem faciat, nolit, quæ emphasis ex *Jes.* 1: 14. *Jer.* 6: 11. & 20: 9. colligitur. Ergo ne hæc repulsa in ignominiam non solum prophetæ sed ipsius Dei redundaret, aut Achasus & qui cum ipso erant, putarent, cum potestas eligendi facta esset, rem sui arbitrii manere quandocunque signum petere vellent: ideo subjungitur, לכן *Cum res ita se habeat*, quo constet infidelitatem hominum fidem Dei nunquam inutilem aut irritam reddere *Rom.* 3: 3. *propterea sane dabit Dominus ipse vobis signum.* Si dubitastis de potentia ejus, hoc illam demonstrabit. Si de fidelitate & veracitate in complemento promissionum aut constanti affectu erga populum quem semel elegit, nec in eum statum redigi patietur, ut de eo actum esse videatur, hoc vel maxime dubitationem tollet. Ortum enim futurum Messiæ spectate, nasciturí ex Virgine sic ut verus Immanuel futurus sit. Hoc signum simul ex alto erit & ex profundo, imo longe majus quam vos unquam petere potuissetis. Demonstrabit hoc Deum semper vincere & etiam tum quando repulsam ab hominibus pati videtur, non pati. Non dat vobis signum quod in oculos Vestros incurrat, nec dabit. Obtulit vobis signum petendum quasi ex arbitrio. Sprevistis. Tamen aliud dabit quod semper dat & jam olim dedit. In Messia omnium promissionum ejus est complementum, hic altum cum profundo conjunget, & assumendo carnem humanam, & homines Deo, Deum hominibus reconciliando. Hoc ipse Dominus dabit vobis sponte sua, quod nemo petere potuit cum à consilio ejus æterno pendeat. *Vobis* dabit præcipue *domui Davidis*, ex quorum posteris est nasciturus, ne inanis Vos interitus imminentis metus teneat. Hæc mihi post attentam considerationem connexio præ cæteris placet, maxime cum videam huc nos ducere haud absimilem Servatoris, licet in dissimili casu, responsionem *Matth.* 16: 4. Neque illa quæ *Forerius ad h. l.* ex collatione temporum Jesaiæ & Christi affert, displicent, dummodo non propheta quasi occasionem hinc cepisse de Christo loquendi, sed potius tanquam legatus Dei, eos quos alloquebatur huc simul respicere voluisse, dicatur.

XXXII. Jam alterum argumentum ex voce עלמה petere licet, agi nempe hic de partu virgineo, adeoque de nativitate JESU Christi ex Maria Virgine, cum nullus alias partus virgineus unquam datus sit, aut dandus. Robur autem argumenti in eo consistit, quod עלמה hic Virginem intactam notet. Et cum Judæi hinc argumentum contra nos desumant, vera hujus vocis significatio est asserenda. Quod priusquam fiat, obiter notandum, *in explicatione fidei Christianæ* Hebræo-Latina, quam *Munsterus Evangelio* suo *Matthæi Hebraico* præfixit, *pag.* 13. singularem occurrere observationem. עוד תמצא בקבלה בתרגום יונתן שהמם של העלמה מם סתומה ודאי הוא רמז שהיא היתה בתולה קודם לידה ואחר הלידה *Invenies denique in Cabbala, in interpretatione Jonathan, quod* ם *in* העלמה *id est puella, sit mem clausum, quod certe nil aliud significat, quam quod ipsa fuerit Virgo ante partum & post partum.* Unde id hauserit, nescio. Saltem in Targum Jonathanis ipso, nil tale exstat, qui העלמה sine ulla nota per היא עולמתא reddit.

XXXIII. Cæterum emphasin hujus vocis tam interpretes quam commentatores non uno modo expresserunt, aut perinde agnoverunt, vocem ipsam absolute *Virginem intactam* notare. Jam olim à *Tryphone* reprehensa versio Græca quæ

παρ-

παρθένος reddit, cum νεᾶνιν *juvenculam*, *adolescentulam*, habito ad ætatem respectu, significet, & à *Justino Martyre* defensa. Atque ita reddiderant *Theodotion* Ephesius & *Aquila* Ponticus, proselyti Judæi, & *Symmachus* Ebionæus, quos ceu hic Judaizantes notant *Euseb. Demonst. Euang. l.* 7. *c.* 1. & *Irenæus l.* 3. *c.* 24. Neque defuerunt ex nostris, qui *adolescentulam* verterunt, & cum putarent rem hic in salvo esse, & partum virgineum B. Virginis tamen posse ex contextu demonstrari Judæis, ut hanc quæstionem philologicam declinarent, ex superabundanti sunt largiti, עלמה ex vi absoluta vocis non proprie *virginem* intactam sed *juvenculam* solum aut *adolescentulam* significare. Quo nomine *Calvinus* imprimis & *O Ecolampadius* cum *Castalione* acri censura pridem notati sunt à *Feuardentio*, monacho igneo & satis ardente, ubi strenue convitiandum, in *Notis ad Irenæum l. c.* Nam cum hanc ceu à Judæis ortam & Ebionitis ac Carpocrati probatam interpretationem rejecisset, subjicit: *Et de illis quidem nihil mirum, cum vel Christum nunquam susceperint, vel susceptum semel, penitus postea abnegarint. At nostra tempestate, in ipso Christianarum regionum meditullio, quosdam, qui se gloriæ Christi omnium maximos & sincerissimos assertores venditarunt, extitisse, qui Judaicam & Gnosticam hanc impietatem, tanto martyrum sanguine extinctam, ab orco revocarent, apud posteros fidem vix inveniet. Calvinum intelligo, qui Judæis de nomine* העלמה *Haalmah, concedit, quod postulant, videlicet de adolescentula viro cognita intelligendum: & O Ecolampadium, Judaice & Gnostice transferentem:* Ecce adolescentula illa prægnans & pariens filium: *atque impurum Castalionem communi voce ad corruptam & incorruptam interpretantem:* Ecce puella prægnans filium pariet.

XXXIV. Quos deinde quinque argumentis coarguere conatur. 1. Quod uti נערה apud Hebræos adolescentulam sed tam virginem quam corruptam: בתולה, virginem duntaxat, sive anus decrepita sive adolescentula sit, sic העלמה *solummodo adolescentulam virginem, eamque cum ἐπιτάσει intactam, hominibus absconditam & occultam notet, ut ipsum etymon indicet.* 2. Quod cum duobus aliis locis העלמה cum articulo, Rebecca Genes. 24. & Mirjam Exod. 2. *vocentur, quod intactæ absconditæ & viris non cognitæ essent, procul dubio & tertia hæc, qua de agitur.* 3. Quod LXX. Interpretes παρθένος reddiderint, non νεᾶνις aut παιδίσκη. 4. Quod Jonathan Usielis filius reddiderit: *Ecce virgo. Consentit etiam* (sic pergit) Euangelium Matthæi *Syriaca lingua i. e. Hebraica dialecto vulgari primo scriptum, Isaiæ locum ita reddens:* Ecce enim virgo. *Lingua quoque Punica (quæ profecto Arabica est) Haalmah proprie virgo appellatur: ut non sine mysterio* (ita concludit) *totius mundi redemptoris genetricis integritas, omnium linguis celebretur.* Et 5. denique urget, quod *insigne prodigium, miraculum retroactis seculis inauditum signumque non vulgare* hic promittatur, cujusmodi esse nequeat *juvenculæ desponsatæ quotidianus prægnatus & partus.*

XXXV. Nempe fluctus in simpulo, quos componere, etiam in illorum gratiam qui *Calvinum judaizantem* sæpius in ore habent, haud abs re fuerit, antequam ad argumentum ex hac voce desumtum reditus fiat. Et quidem de *Castalione* nil dicam, cujus versionem, sæpius aberrantem dum sermonis Latini elegantiam captat, nemo nostrum defendet. *Calvini* & *O Ecolampadii* mens exponenda solum est, ut ignis hic fatuus extinguatur. Quid prior senserit, ex *commentario ejus in Jesaiam* & *Harmonia* patet, ubi de hoc vaticinio agit. *In commentario* hæc verba sunt quæ calumniæ occasionem dederunt. *Quanquam vox* עלמה à עלם *deducitur, quod significat abscondere, eo quod virginum pudor & verecundia non ferat ut in publicum prodeant: quia tamen Judæi de hoc vocabulo multum litigant: & negant eo virginem significari, quod Salomon ipsum usurparit pro puella quæ adamatur, nihil opus est in ista voce insistere. Concedamus sane illis* עלמה *vocari* [adolescentulam, id enim deesse videtur] *aut puellam & ad ætatem referri hoc nomen, ut ipsi volunt* (*tamen scriptura sæpe eo utitur, quum de virgine sermo est*) *res ipsa omnes eorum calumnias satis per se refellit. Ecquid enim mirum dixisset propheta, si de puella locutus esset* &c. *Satis igitur constat* (sic finit) *ipsum loqui de virgine, quæ non erat ordinario naturæ ordine, sed ex gratia Spiritus sancti conceptura.*

XXXVI. Verum in *Harmonia ad cap.* 1. *Matthæi*, postquam hoc vaticinium & applicationem Euangelicam adversus Judæos insigniter asseruisset, tandem hanc rursum de significatu vocis עלמה quæstionem attingit, & de ea fere ad eundem modum disserit, ut quoad locum Prov. 30. minus adhuc Judæis concedat. *Nunc* (inquit) *diluendum restat illorum cavillum in voce* עלמה. *Proterve exagitant Matthæum, qui Christum ex virgine natum probet, cum nomen Hebraicum simpliciter puellam notet; nosque subsannant, qui voce perperam reddita decepti, credamus ex Spiritu sancto natum esse, quem propheta tantum dicit fore puellæ filium. Atqui primum nimiam rixandi libidinem in eo produnt, dum nomen de puella viro cognita intelligendum urgent, quod passim virginibus Scriptura tribuit. Convenit etiam etymologia. Nam absconsionem sonat, qua notatur virginalis pudor. Locum unum adducunt ex Proverb. cap.* 30. *vs.* 19. *qui tamen nihil illis suffragatur. Illic de puella quam adolescens deperit, loquitur Salomo. Atqui non protinus sequitur corruptam esse cujus amore ardet adolescens: imo conjectura in diversam partem magis esset probabilis. Deinde, ut de nomine concedam quod postulant, res tamen evincit ac fateri cogit de partu mirabili & insolito loqui Prophetam &c.*

XXXVII. Quæ autem *O Ecolampadii* fuerit sententia, ex *Commentario* ejus *in Jes. ad h. l.* apparet ibi postquam reddidisset: *ecce adolescentula* illa *prægnans & pariens filium*, & contra Judæos ursisset, voce *Ecce* non vulgare significari miraculum, concludit. *Igitur aut virginem fateantur incorruptam, aut miraculum indicari negent. Deinde* [subjungit] *& nomen* העלמה *adolescentula, pro incorrupta accipitur in scriptura: ut de Rebecca legitur & de ea quæ violata est in campo. Et non solum significat virginem, sed & juvenculam idoneam partui. Nam* עלם *significat adolescentem, & additione* ה *adolescentulam. Hebræi in uno loco de corrupta exponunt, Proverb.* 30. *ubi legitur de via viri in adolescentula. At non videtur bene: sunt enim & artes inspiciendi ventris, & majori pudicitia scriptura loqui solet. Sed rectius mysterium illud ineffabile præcognoscitur. Minus enim notum est rationi humanæ quam volatus aquilæ in cœlo &c.*

XXXVIII. Quid jam in his omnibus est quod tantam exaggerationem, qualis illa *Feuardentii*, mereatur? Fatetur uterque, Messiam ex Virgine nasciturum hic prædici, adeoque עלמה virginem designare. Asserunt עלמה etiam alibi pro incorrupta adolescentula in Scriptura sumi, ne quidem illo ipso loco quem Judæi tantopere urgent Proverb. 30. excepto. *Calvinus* insuper dicit עלמה à עלם derivari, ut pudor & verecundia virginalis notetur. Quid ergo est, ob quod cum Judaizantibus & hæreticis sint componendi qui Judæos ex propriis eorum hypothesibus convincunt? Et quid impietatis in eo, concedere vocem עלמה non præcise vi originis suæ virginem notare, sed *ad ætatem referri hoc nomen*? credere, *nil opus esse ut in ista voce insistatur, cum res ipsa satis Judæos refellat?* putare, τὸ עלמה *non solum significare virginem sed & juvenculam idoneam partui*, sic tamen ut hic in loco de quo agitur, etiamsi *adolescentula* reddatur, tamen fatendum sit Judæis, *virginem incorruptam* indicari? Num Christianæ religionis fundamentum ab originali & absoluto significatu vocis עלמה pendet? Atqui Judæi & Judaizantes sic reddunt & à Patribus reprehensi. Sane duo cum faciunt idem non est idem. *Calvinus* & *O Ecolampadius* dum de absoluto concedunt, ad ætatem referri proprie, monent simul, & alibi & hic de adolescentula incorrupta intelligendum. Ergo plane alio sensu & scopo quam olim Ebionitæ, & Interpretes proselyti. Neque hæc Judaica aut Gnostica impietas est vocanda, quæ mysterium pietatis non minus firmiter adversus Judæos adstruit; aut martyrum sanguine extincta dicenda, quæ causam pro qua martyres sanguinem fuderunt, firmius confirmare conatur.

XXXIX. Apologiam pro istis *Hieronymus in Comment. ad h. l.* pridem scripsit, cujus verba cum sine nomine sibi vindicaret *Feuardentius*, nempe quod עלמה *solummodo adolescentulam virginem eamque cum ἐπιτάσει intactam hominibus absconditam & occultam* notet, ad præcedentia quoque attendere debuisset, & à calumnia abstinuisset. *Et revera* (inquit) *ut cum Judæis conferamus pedem, & nequaquam contentioso fune præbeamus eis risum nostræ imperitiæ, virgo Hebraicè* בתולה *appellatur, quæ in præsenti loco non scribitur, sed pro hoc verbo positum est* עלמה *quod præter LXX. qui posuerunt* παρθένος, *omnes adolescentulam transtulerunt. Porro* עלמה *apud eos verbum ambiguum est, dicitur enim & adolescentula & abscondita id est* ἀπόκρυφη. Et paulo post. *Ergo alma non solum puella vel virgo, sed cum ἐπιτάσει virgo abscondita dicitur & secreta, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit. Lingua quoque Punica, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, proprie virgo alma appellatur.*

XL. Hæc etiam vel sola sufficient, quo *Feuardentii* rationes

nes aërem ferire pateat. 1. Si העלמה *adolescentulam virginem* significat: Ergo *adolescentulam*, & eo magis *virginem* quoniam *adolescentula* est. Tum 2. עלמה non solum cum articulo duobus illis locis *Gen.* 24: 43. & *Exod.* 2: 8. sed & sine illo, reliquis ubi occurrit *Psal.* 68: 26. *Prov.* 30: 18. *Cantic.* 1: 3. & 6: 7. *virginem* notare, ne quidem *Calvinus* aut *OEcolampadius* negant. Judæi quoque ipsi de solo Proverbiorum loco litem movent, sed incassum, cum *via viri in virgine* comparata ad astum meretricium adulteræ, artes notet quibus pudicitiæ virginum insidias struentes utuntur, quod etiam *Gomaro* placet. Porro 3. quod versiones spectat, in Jonathane est עלמתא vox ex עלמה formata, ad Evangelium autem Matthæi Syriacum frustra provocat, cum id nemo viderit unquam. Sed versionem Jesaiæ Syriacam potuisset potiori jure allegare, ubi pro עלמה legitur ܒܬܘܠܬܐ *virgo*, cum qua Arabica convenit tali voce utens quæ *virginem intactam* maxime proprie exprimit. Quas versiones si inspexisset *Feuardentius*, non dixisset *Linguam Punicam*, quam de Hebræorum fontibus manare *Hieronymus* asserit, *profecto Arabicam* esse. Denique 4. abstinuisset, miraculum & monstruosam novitatem ex *Tertulliano* aliisque Patribus adversus *Calvinum* & *OEcolampadium* urgere, qui idem, nec minus fortiter, adversus Judæos urserunt.

XLI. Qua ratione cum satis assertum & deductum sit argumentum, quod ex voce עלמה desumitur, addo solum tertium ex ultimis prophetæ verbis: *Et vocabis nomen ejus Immanuel.* Ubi cum וקראת diversimode accipiatur, & etiam apud Matthæum diversa lectio, καὶ καλέσεις & καὶ καλέσουσιν, extet, (de qua & expositione Grammatica vocis קראת *Gomarus* egit accurate) hoc ipsum monet, impersonaliter sumendum, *Et vocabitur.* Sic & *vocabis* simul & *vocabunt*, poterunt eadem voce designari. Id vero majoris momenti, *vocare* hic idem quod *esse* denotare, uti *Jes.* 9: 6. *Zach.* 8: 2. & alibi. Vide *Seldenum de Synedr. lib.* 2. *c.* 7. Itaque *vocabitur* nomen ejus Immanuel, idem est quod *erit Immanuel*, hoc ipsum quod illa vox significat, nempe *Deus qui nobiscum erit*, nobiscum conjungetur. Qua ratione ab adventu & nativitate talis Immanuelis, etiam maxime argumentum non solum solatii, tempore illo quo hoc vaticinium edebatur, poterat desumi, sed etiam terroris adversus Achasum & similes ex domo Davidis hypocritas, quibus hæc denunciatio post gravem increpationem fiebat. Ipsa enim vox *Immanuelis* innuebat quoque omnipræsentiam Dei qui venturus erat in carnem, quod esset nobiscum, adeoque & simul attenderet ad istos prætextus inanes, graviter suo tempore vindicaturus. Quæ omnia confirmare fusius atque ad שבעה כתולים sive *septem objectiones* Abarbanelis, quibus Matthæum Evangelistam oppugnat, simul respondere, alias quoque, quas *Lipmannus* in suo *Nizzachon* habet, expendere institueram, atque complementum evidentius in conceptione & nativitate Servatoris ex B. Virgine Maria demonstrare. Sed cum intra angustias compellar, in aliam id differo occasionem.

XLII. Unicum addidisse ἐπίμετρον suffecerit, narrationem memorabilem quam *Suidas* in voce Ἰησοῦς & ex illo *Mornæus* de *Verit. Relig. Christ. cap.* 30. affert, cui si tanta hodie apud Judæos fides posset ex ipsorum tabulis & monumentis conciliari, quanta asseveratione à Theodosio Judæo temporibus Justiniani Philippo cuidam mercatori Christiano exposita, ne magnum inde Christianismo in convincenda gente incredula accederet stabilimentum. Hæc vero ita habet: *Erant in templo Hieros. Sacerdotes ordinarii XXII. quorum aliquo ex vivis excedente, cæteri alterum in ejus locum suffragio cooptabant. Accidit igitur ut Jesus propter singularem ipsius pietatem & doctrinam, ab iis eligeretur, & quia ex more, parentum nomina in acta referenda erant, accersi jusserunt: verum quia Joseph paulo ante obierat, Maria sola accessit. Rogata igitur quod patri Jesu nomen, concepisse se ex spiritu Sancto testata est & verba angeli ad ipsam &c. Obstetrices quoque retulit, quæ ex improviso puerperæ adfuerant. Quibus accurate perquisitis & comprobatis, nomen ipsius in sacerdotum album relatum fuit his verbis: JESUS FILIUS DEI VIVI ET VIRGINIS MARIÆ. Fuit autem*, dicebat Theodosius, *liber ille servatus ex Hierosolymitano excidio indeque Tiberiade asservatus, ubi absconsus latet. Et ego*, inquit, *tanquam unus ex primoribus, quia qua sum apud nostros auctoritate, nihil me celatur, sæpius vidi legique, ut credere jam possis, quod in Judaismo hæream, per ignorantiam veri non fieri, sed per eam dignitatem quam apud nostros obtineo, alias forte non sim adepturus.* Quæ *Mornæo* quidem *admodum verisimilia* videntur, ego tamen suo loco relinquo.

תם ונשלם׃ שבח לאל אשר יולד ממרים׃



SAM.

SAMUELIS BOHL
GRYPHENBERG. POM.
COMMENTARIUS
BIBLICO-RABBINICUS
Super
ORATIONEM TERTIAM
Esaianam capite 7, 8, 9, 10, 11, 12. absolutam.

AD ADMODUM REVERENDUM,

CLARISSIMOS, & EXCELLENTISSIMOS VIROS,

DN. JACOBUM FABRITIUM,
S. S. THEOLOGIÆ DOCTOREM,

Illustriss. Duc. Pomer. à concionibus aulicis, Pomer. Orient. Superintendent. General. & Consistor. ejusdem Præsidem.

DN. M. JOHANNEM MICRÆLIUM,

Scholæ Stetinensis Rectorem, Theologum & Philosophum insignem.



Nnus jam est, Viri admod. Reverend. clariss. & excellentiss. Pater, Domini, fautores & amici honorandi, cum in Academia Regiomontana, extra Prophetias Danielis & Malachiæ, & Epistolam ad Romanos, quarum hanc Syriaco, istam Ebraico, illas Chaldaico prælegebam idiomate, etiam Prophetam Esaiam, iisdem diebus diversis horis integre explicabam. Distribuebam tunc temporis Prophetam hunc in certas Orationes seu conciones, ad quarum imitationem studiosi quidam auditores mei Ebraico idiomate publice in auditorio Theologorum habebant Orationes. Ego enim nunquam adduci potui, ut crederem, Prophetam hunc optimo ordine thema propositum, non per certa argumenta ad confirmandum id, quod propositum erat, facientia tractasse. Hinc inter prælegendum ad calamum solebam dictare vim argumentorum, & quomodo singula ad scopum præfixum collimarent, demonstrare.

Animadvertebam tunc, meos conatus à Patribus Academiæ non improbari, sed multo magis, præsertim à celeberrimo Theologo, COELESTINO MISLENTA, cui ratio judicii de tali studiorum genere & modo adhuc est integra, etiam apud exteros commendari, quod ipsum Auditorium majus, in quo ad eum ordinem dispositæ Orationes habebantur, sæpissime isto Phœbo & reliquis Academiæ luminaribus collustratum testari potest.

Postquam vero celeberrimæ huic Academiæ valedixeram, & jam in Pomerania, tua mensa, domo, & rara Bibliotheca Excellentiss. D. D. Fabriti, cum inæstimabili

meo commodo frui ceperam, cepi etiam ea quæ in infantia Regiomonti balbutiveram, in pueritia Stetini curiosius animo revolvere. Adducor tandem, ea quæ animo volveram, calamo ſcribere, & vobis Viri admodum Reverende & clariſſimi exhibere. Hinc facilius condonabitur mihi, ſi in hoc Scripto quædam quæ minus apte venire videbuntur, occurrant. Studui ego, ut textui & contextui, præſertim autem MIHI ſatisfacerem, num aliis ſatisfecerim, ignoro. Ego autem malo audire ſimplex & rudis Scholaris, qui anxie cavet ne à verbis ſui Præceptoris diſcedat, imo (quod à ruſticis, tumidis, famoſis, invidis, & rudiſſimis quibuſdam aſinis veteranis, בחורים & adoleſcentibus Eccleſiæ Chriſti ſurgentibus affingi ſolet) hæreticus & opinioniſta, modo mei Præceptoris Spiritus S. veſtigiis & ſenſui, magis, quam multorum & ſibi non conſtantium Doctorum, & fœtidas ſeu ad minimum ſuffuratas merces exponentium & vendentium Mercatorum, inſiſtam fideliter; quam callidus, verſutus & exercitatus diſputator; qui tanta tumet eruditione, ut etiam ex quovis quidvis (mundus enim vult decipi) elicere valeat. Hinc Lectori præter ſimplicem & verum ſenſum Prophetæ, quem ex lingua ſancta, & nexu argumentorum hauſi, nihil promitto. Nihil importavi, omnia exportavi, quid enim juvaret fontem limpidiſſimum ſuis vel aliorum ſordibus turbare. Rabbinorum explicationes allegavi, partim ut iis, qui ad lectionem Rabbinorum ſe accingunt, exiguo meo miniſterio ſuccurrerem, & quod ſæpe magis textui ſatisfaciant, quam ipſi Chriſtiani, demonſtrarem. Hinc Comment. hunc vocavi BIBLICO-RABBINICUM, ut fatear, me plane ab opinionibus & variis controverſiis Commentatorum hærere non poſſe; ſed ſimpliciter textum & ſenſum Spiritus ex textu eruere voluiſſe more Judæorum, qui Scripturam per Scripturam communiter explicare, & ex proprietate linguæ diſputare ſolent. Et ſi modo proprietatem & naturam ſanctæ linguæ probe fuerim ſecutus, non puto facile me labi potuiſſe. Clare enim loquitur Spiritus, modo linguam Spiritus ex fundamento recte, accurate, & probe calleamus. Jam 6. ſunt anni, quando primum in Academ. Wittenbergenſi ſub Clariſſim. VIRO MARTINO TROSTIO Præceptore meo honorando, linguæ ſanctæ dabam operam, duo quando publice & privatim Hebraico ſeu Rabbinico idiomate Regiomonti habitis Diſputationibus aliquot præſidebam, & tamen ingenue fateor, me nondum id in linguæ hujus genio notaſſe, quod ſine diſpendio ignorare non poſſumus. Si ergo lapſus ſim, labi me fecit accuratiſſimi ſcrutinii linguæ ſanctæ nondum adhibita ratio.

Hinc eſt, quod Viri celeberrimi, pater, Domini, & amici honorandi, hunc Commentarium veſtro nomini non inſcripſerim, ut, ſicuti communiter fieri ſolet, grati animi vel remunerationis (quam utique vobis debeo) ſignum oſtentem, ſed ut vos qui optime ſtudiorum meorum noviſtis finem, & hujus Commentarii intentionem, pro novitio commentatore apud bonos, pro veſtra prudentia loquamini. Impudens videbor, quod ego non beneficiorum remunerationem, ſed augmentum quæram, novi quod hoc vobis ſufficere non poſſit. Si autem omnino ſignum gratitudinis ſit exhibendum, ecce R.P. abituriens Chirographum meum, in quo publice tibi debere me fatear, quantum autem cum incertum ſit, non expreſſi, in eo enim quod ſatis prædicare non poſſum, nolo eſſe verboſus. Quoad vixero, vobis & veſtris ero ad omnis generis officia, obſervantiam, honorem & amorem obſtrictus. Vos favete, valete. Dabam Stetini 25. April. Anno 1636.

RVD. & E.O.

SAMUEL BOHL.

I M-

IMMANUEL KONING,

SACRO-S. THEOL. DOCT.

Pomeraniæ Episcopalis generalis Superintendens, &c.

SUO

SAMUELI BOHLIO Salutem & pacem, à salutis & pacis principe, Jesu Christo, Immanuele nostro.



Rofunda & accurata illa linguarum Orientalium cognitione, Clarissime & præstantissime Dn. Samuel Bohli, amice dilecte, quam in Disputationibus & Orationibus publice Regiomontani habitis, & Commentario tuo in Orationem tertiam Esaianam, deprehendo, mirum in modum sum delectatus. Et licet censorem Scriptorum non agam, attamen indefessum tuum studium, & acumen literatissimi & felicissimi ingenii mirari & deprædicare satis non possum. O quam multi, magni, & clarissimi nominis Theologi, ejusmodi modum & methodum explicandi textus Biblicos, convincendi adversarios, & convertendi hæreticos, jam pridem à multis seculis anxiè desiderarunt & exoptarunt: Quanquam propter defectum linguarum teste B. Luthero metam præfixam attingere non potuerint; Sensus quippe non est importandus in Scripturas, sed exportandus ex Scripturis. Et Boni Commentatoris officium est, *scribit Hieronymus in Apologia contra Jovinianum*, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille, quem interpretatur, exponere; alioqui si contraria dixerit, non tam Interpres erit, quam adversarius illius, quem nititur explicare. *Hoc ut assequatur* SOLIDA AC PERFECTA *linguarum cognitione, inprimis Commentatori sacrarum literarum maximè necessaria est, ut textus succinctam & perspicuam analysin proferat, phrasesque & dictiones obscuriores ex ipsis fontibus & locis parallelis explicet, ne propter obscuritatem Delio, quod ajunt natatore, vel Oedipo opus sit. Quibus si conjungatur nunquam satis laudatum, & tutissimum (quanquam laboriosissimum) exercitium antecedentium & consequentium, nescio quid in ejusmodi commentario jure desiderare etiam argutus Momus possit.*

In hoc genere Commentariorum, quod omnium optimum & sufficientissimum est, totis viribus studioque indefesso laborarunt Patres orthodoxi. Et quamvis sub Papatu Clerus indoctus, & minus Catholicus, in solius Latialis linguæ cognitione acquieverit, singulari tamen S. S. gratia, opera ac diligentia B. Lutheri, Philippi, Bugenhagii, & aliorum piè in Christo defunctorum Patrum, studium linguarum & contextuum, maximo cum Ecclesiæ, & purioris religionis fructu effulsit, & adhuc fulget & splendet in dulcissima nostra Patria, Deo sit laus, quam hactenus unquam.

Et sane hæc est vera & certa methodus interpretandi & explicandi textus Biblicos, quam B. Lutherus sedulo & serio commendat passim in scriptis suis, uti videre licet in Proœmio illius super Esaiam. Ad explicationem hujus Prophetæ, *inquit*, duplici cognitione opus est, Grammatica & ea quidem CERTA & PERFECTA, quam me non habere, ingenue fateor, & desideratur etiam in aliis magnis Ecclesiæ Doctoribus, in Augustino & aliis. Magis tamen necessaria est altera cognitio, nempe historiarum sacrarum; Hanc enim, si alterutra carendum sit, malim habere, *Hæc ille: Legatur etiam aureus ille Tractatus celeberrimi quondam Theologi D. Franzii b. m. Præceptoris mei fidelissimi*, De interpretatione sacrarum Script. *item D. Joh. Tarnovii Præfatio in Haggæum, & multi alii.*

Quorum consilium & vestigia cum studiose imiteris, linguæque proprietatem certam & perfectam, cum contextu conjungas, & sic utramque & Grammaticæ, & historiarum sacrarum certitudinem in Commentario tuo observes; non potui non studium & laborem tuum probare. Inprimis cum videam ad thema probandum omnia per certa Argumenta nervose esse ex visceribus textus disposita, teque non alienis plumis ornatum, vel aliorum sententiis involutum incedere, multo minus Doctorum utiles labores & interpretationes perstringere; verum more Professor. locos communes explicationi ipsi inserere, non autem more concionatorum homilias scribere. Neque ingratum sed potius jucundum est, quod Judæos Rabbinos allegas, illosque quasi aliud agens Latinitate donas, & num literam rectè sequantur, proprietatemque linguæ firmiter teneant, investigas. Sic n. cum Judæis procedend. esse graviter docet B. Luth. T. 2. Jen. p. 238. quando scribit:

Darumb wil ich auß der Schrifft erzehlen die Ursach/ die mich bewogen zu gläuben/ daß Christus ein Jüde sey/ von einer Jungfrawen gebohren/ Ob ich vielleicht auch der Jüden etliche möchte zum Christen Glauben reitzen. Denn unsere Narrn/ die Bäbste/ Bischöffe/ Sophisten und Münche/ die groben Eselsköpffe/ haben bißhero mit den Jüden gefahren/ daß/ wer ein guter Christen were gewesen/ hette wol möcht ein Jude werden. Und wenn ich ein Jude gewesen were/ und hette solche Tölpel und Knebel gesehen/ den Christen Glauben regieren und lehren/ so were ich ehe eine Saw worden/ denn ein Christen. Denn sie haben mit den Jüden gehandelt/ als wenn es Hunde und nicht Menschen weren/ Haben nichts mehr können thun/ denn sie schelten/ und ihr Gut nehmen. Et paulo post: Ich hoffe/ wenn man mit den Jüden freundlich handelte/ und auß der heiligen Schrifft sie seuberlich unterweisete/ es solten ihrer viele rechte Christen werden/ und wieder

wieder zu ihrer Väter / der Propheten und Patriarchen Glauben treten ; davon sie nur weiter geschrecket werden / Wenn man ihr ding verwirfft / und so gar nichts wil seyn lassen.

Pag. 475. Ja auch alle / die ohne Sprachen sich die Schrifft haben unterwunden außzulegen: Und ob sie gleich wo recht geredet haben / sind sie doch der Sachen nicht gewiß gewesen ; ob dasselbige recht an dem Orthe stehe / da sie es hindeuten. Also / daß ich des ein Exempel zeige: Recht ists geredet / daß Christus Gottes Sohn ist. Aber wie spöttisch lautet es in den Ohren der Widersacher / da sie den Grund führeten auß dem 110. Psalm / Tecum principium in die virtutis tuæ. So doch daselbst in der Hebräischen Sprache nichtes von der Gottheit geschrieben stehet. Wenn man also mit ungewissen Gründen und Fehl-Sprüchen den Glauben schützet / Ists nicht ein Schmach und Spott der Christen bey den Widersachern / die der Sprach kündig sind : Und werden nur halßstarriger im Irthumb / und halten unsern Glauben mit gutem Schein für einen Menschen-Traum.

Was ist nun die Schuld / daß unser Glaube so zu schanden wird ? Nemblich / daß Wir die Sprachen nicht wissen / und ist hie keine Hülffe / denn die Sprachen wissen. Ward nicht S. Hieronymus gezwungen / den Psalter von newen zu verdollmetschen / auß dem Ebreischen / umb des willen / daß / wo man mit den Jüden auß unserm Psalter handelt / spotten sie Unser / daß es nicht also stünde im Hebreischen / wie es die unsern führeten.

Weil dann nun den Christen gebühret / die H. Schrifft zu üben / als ihr eygen einiges Buch / und eine Sünde und Schande ist / daß wir unser eygen Buch nicht wissen / noch unsers Gottes Sprach und Wort nicht kennen: So ists noch vielmehr Sünde und Schande / daß wir nicht Sprachen lernen. Sonderlich / so uns jetzt Gott darbeut / und gibt Leute und Bücher / und allerley / was dazu dienet / und uns gleich darzu reitzet / und sein Buch gern wolte offen haben. O wie froh solten die lieben Väter gewesen seyn / wenn sie hetten so können zur heiligen Schrifft kommen / und die Sprachen lernen als wir können ; Wie haben sie mit so grosser Mühe und Fleiß / kaum die Brocken erlanget / da wir mit halber / ja schier ohn alle Arbeit / das gantze Brodt gewinnen können. Wie schändet ihr Fleiß unsere Faulheit. Ja wie hart wird Gott auch rechen solchen unsern Unfleiß und Undanckbarkeit / &c. &c. &c.

*Hoc aureum & salutare B Lutheri consilium, quotus quisque est, qui admittit: Lutheri discipulos se profitentur fere omnes, sed paucissimi Imitatores. Magnis sumtibus, summo studio flagranti desiderio & dulci periculo pro politia soli conservanda & amplianda addiscit hic Gallicam, ille Italicam, iste Hispanicam linguam &c. Pro politia sacra vero propaganda & exornanda, paucissimi inveniuntur, qui aliquid studii, laboris & sumptuum, in excolenda ipsius Dei Christi & Prophetarum lingua impendunt. Et deplorandum est, quod illi, qui avide linguas Orientales desiderant & callent, nescio ferè quibus scommatibus & convitiis afficiuntur. Hinc illa egregia nomina Opinionist*en / Newling / Klügling ; *Hinc tot persecutiones, diffamationes, exercitiorum publicorum & privatorum prohibitiones, & judicia sinistra. Quam sortem, si nondum expertus es, certo tandem experieris. Interea macte sis animo, & in explicando Esaia omnes nervos intende. Deus benedicet tuis studiis, & recompensabit abunde. Si quos audis meliora & certiora ex fontibus & contextu afferentes, teque paternè admonentes, illorum sequere consilia. ALIOS, PLACITA SUA ET NUDAS AUTORITATES urgentes, remitte ad agnatum tuum eximium, & de Ecclesia Christi optimè meritum Theologum D. Joannem Pomeranum b. m. qui teste Luthero, primus in orbe Psalterii interpres dici meritus est. Hic in Epistola dedicatoria ad Fridericum Electorem Saxoniæ ita scribit :* Non gravatim ergo audiam dicentes dum mea legunt. Hæc potuissent brevius dici, illa alio ordine, alicubi interpretatio nobis non placet, &c. Permittam enim illis, ut commodius & melius omnia interpretentur, modo ex Scripturis sacris, & servato contextus ordine, id, quod ego feci. Nam eos, qui ex suo sensu interpretantur, *aut EX COMMENTARIIS ALIORUM*, & quidvis pene in singulis quandoque versibus dicunt, sive cohæreat cum præcedentibus, sive non cohæreat, nihil moror, Habeat eos quisque quo loco velit. *Plura in hunc sensum jam non addo. CHRISTUS JESUS, qui dono variarum linguarum Apostolos suos instructos, in universum orbem terrarum ablegavit, confirmet opus bonum quod operatus est in te, & tua dona augeat, ut ad usum Ecclesiæ, & studiosæ juventutis ejusmodi Scripta quam plurima per te prodeant, quod animitus precor & opto. Teque protectioni divinæ commendo. Coslini 28. Martii, Anno 1636.*

PARS

PARS I.

CAPUT I.

De Scopo & occaſione totius orationis tertiæ ESAIANÆ.



Ratio tertia ESAIANA exordium habet in capite ſeptimo, finem vero & concluſionem in capite 12. incluſive. Conſiſtit autem in tractando hoc themate: REX ACHAS NON TIMEAT ET CONFIDAT IN HOMINE, SED TIMEAT ET CONFIDAT IN DEO VERO.

Occaſionem huic negotio præbebat Rezin, Rex Aram, & Pekah Filius Remalia, Rex Iſraël, qui conjunctis armis Judah & Hieruſalem infeſtabant; Et ita quidem, ut Rex Achas ſat alias animoſus in prævaricando, depoſita omni confidentia, ut arbores ſylvæ à vento, cœperit moveri, & metu perculſus, quid facto opus eſſet, fuerit incertiſſimus. Hinc Deus, qui mortem Peccatoris, ad Tiglat Paleſcher de fœdere ſollicitantem legationem meditantis, & ita Iſraëliticorum Regum veſtigia legentis, videre ferebat graviter, Eſaiam Prophetam, cum plenaria conſolationis & liberationis inſtructione, ad trementem ablegabat, ut & præconceptam legationem revocare, & Meſſiæ unice niti diſceret.

Hæc autem erat ſumma omnium dictorum & dicendorum הִשָּׁמֵר וְהַשְׁקֵט.

Quæ quidem nos pro vera propoſitione totius orationis reputanda ducimus; at in ſubſequenti tractatione, Deo volente idem lucidiſſime probabimus.

Cum autem inſtituti noſtri ratio, præter diſpoſitionem, & argumentorum nervum, poſtulare videatur, genuinum etiam ſenſum argumentorum, oppoſitionum, reſponſionum Spiritus ſancti verbis conceptarum, proponamus; Libet non tantum textum originalem interpretari: ſed & Rabbinorum Judæorum inprimis placita expendere, eaque partim, ut ruborem multis interpretum Chriſtianorum, qui nihil minus quam interpretari; nihil magis, quam labi, conſuevere, excutientia, partim ad magis contra hoſtes Meſſiæ vigilandum, nec amplius cum non auditis in judicium eundum, monentia; Sed propria ipſorum verba, ſine additamento ridiculorum affectuum, audiendum expetentia, Doctorum, & inprimis T.R.D. Reverende Pater judicio exponere.

Occaſionem quod attinet & ſcopum, quem ſibi præfixit Eſaias, proponit ea Spiritus Sanctus in 4. verſibus prioribus, unde de occaſione hoc; de Propoſitione ipſa ſequenti agemus capite. Sic ſonant verba Spiritus Sancti, *VVajihi bime Ahas ben Jotam ben Uſſiahu melech Ihudah, alah Rezin melech Aram upekach ben Remaliahu melech Iiſchrael Jeruſchalaim lammilchama aleha vvolo Jacol lihillachhem aleha.*

Hic primum nobis tempus definitur, quando habuerit hanc Orationem Eſaias, ſub imperio videlicet Achas. Operæ autem pretium facturi ſumus, ſi certum tempus regni hujus rei aſſignemus. Non difficile illud eſſe poteſt, & expediemus, modo prius allegata verba Latinitate vera donaverimus. Sic autem interpretamur. *Accidit, ut tempore Achas, Filii Jotam, filii Uzziæ, Regis Juda expeditionem faceret Rezin, Rex Aram, & Pekah Filius Remaliah Rex Iſraël contra Jeruſalem, ad bellum gerendum ſeu pugnandum contra eam, at non poſſet expugnare eam.*

Vocem עלה explicavimus per expeditionem facere. Lutherus, zog herauff. Interpretes, qui ex voce עלה, quam vertunt, aſcendit, altitudinem & elevationem loci naturalem colligere volunt, ſuo ſenſu abundare patimur. Si autem non alias compertum eſſet, Jeruſalem ex natura loci ſitum eſſe elevatiorem aliis, ex locis ſimilibus diceremus, Vocem עלה, de exercitu uſurpatam, ſignificare expeditionem facere: ſicut de plantis, crevit; de ſorte, cecidit, & allegaremus id quod extra multa loca occurrit Joſuæ 10: verſ. 33. אָז עָלָה הוֹרָם Tunc expeditionem faciebat ſeu movebat exercitu in Lachis: ſed quæ hinc concludenda, ſunt in aprico. Phraſes לַמִּלְחָמָה עָלֶיהָ & לְהִלָּחֵם עָלֶיהָ diſtinximus, ut oppugnare & expugnare. In priori ponitur Nomen pro Infinito, ut in hoc ipſo capite ſimile licet invenire exemplum: vel, ſi mavis diſtinguere inter bellum continuum & ſpecialem hanc obſidionem, ל explicandum per *propter*, ita ut ſit ſenſus: Movebat exercitu in Judæam ſeu contra Jeruſalem, quia bellum erat ei cum ea.

Vox נִלְחַם in conjug. 1. paſſ. in ſcriptura ſacra conſtruitur vel cum עִם vel אֵת: item ב & עַל. Cum iſtis conſtructa ſignificat bellum gerere, ſive victoria, ſive proprii exercitus ſtrages inſequatur; cum עַל autem voti importat ſucceſſum. Sic fere iiſdem verbis legimus ordinem obſidionis deſcribi Joſ. 10: verſ. 34. ויחנן עליה הילע ומחליו obſidebant & capiebant eam. Conferatur cum hoc loco Jerem. 21: vſ. 2. ubi ſi accurate inſpexeris locum, itidem de victoria Nebucadnezaris, quam timebant Judæi, agit. Et ne diutius hiſce immoremur, hoc inprimis nos movere debebat, quod Deut. 20: vſ. 19. Spiritus ſanctus interpretem quaſi ex profeſſo agat hujus vocis להלחם עליה לתפשה ubi quod הלחם עליה idem ſit, quod, לתפשה evidenter demonſtratur.

Quæritur autem hic in ſpecie à Rabbinis, quare vox יכול ſing. num. cum duobus Regibus plur. num. conſtruatur. Aben-Ezra dicit, quod Sp. digitum intendat in Pekah, quia ſcriptum eſt *nacha Aramal Ephraim.* Unde tale necti poſſet argumentum: Si Rex Aram, tantum ut confœderatus ſeu ſocius, cum Rege Iſraël venerit, partem principalem obtinet Pekah, cui omnes erunt actiones & paſſiones, ut Generaliſſimo campi Duci adſcribendæ. Rabbi Kimchi refert vocem hanc ad Rezin, quia, inquit, הוא עקר המלחמה והוא הביא עמו פקה וכן אמר עלה רצין נראה כיהוא חעקר id eſt: Rezin erat radix belli, nam iſte adduxerat ſecum Regem Pekah. Et quoniam dicitur, Aſcendit Rezin (primo loco poſitus) videtur, quod iſte fuerit fundamentum.

Alter horum neceſſe eſt erret, ſi mordicus ſua defendere velit uterque. Unde autem probabitur, quod Rex Aram venerit tantum, ut ſocius & confœderatus? Quod enim A. F. allegat נחה ארם על אפרים, tantum abeſt, ut ſententiæ ejus patrocinetur, ut potius eam deſtruat & convellat. Ex principiis enim Aben-Ezræ verba allegata ita explicantur: Rex Syriæ cum Rege Iſraël נחה conſedit. Hinccine ita colligeremus? Rex Rezin in ſuam ſocietatem traxit Regem Pekah, & ideo jam non ſolus eſt Rex Rezin, O Ahas, qui te & tuos petat, ſed & cum eo Pekah, invertendo argumentum.

Sed utut ſit, ambo fuerunt acerrimi hoſtes. Rezin Elath ſibi ſubjugabat, Pekah uno die vicies mille homines trucidabat, & ita tractabat fratres, ut & ipſe Deus ob hoc Prophetam exprobrantem ablegare neceſſe habuerit. Quod autem hic vox יכל in ſingulari numero ponitur, eſt, quia cum עלה, quod cum proxime ſequenti ex uſu etiam aliarum linguarum convenit, unum ſeu idem denotat ſubjectum. Accedit hoc, quod in iis, quæ diſtributionem admittere nata ſunt, elegantioris Orationis & Emphaſeos ergo declarandæ pro plurali ſoleat poni ſingulare, ita ut hic dicerem: Et neuter illorum poterat voti ſui fieri compos. Unde in capite 16. poſterioris Regum pro יכל vides יכלו. Scriptum enim eſt ibidem וְלֹא יָכְלוּ לְהִלָּחֵם.

Mirantur autem Judæi, Genealogiam hujus impii Achas expreſſam: ſubnectunt rationem à pietate & juſtitia Patrum deſumptam, ex quo & cauſſam derivare volunt, quod Rezin & Pekah prævalere non potuerint. Totam eam ſubtilitatem non invidemus quidem, ſed ob magis neceſſaria eam præterimus.

Jam recta progredimur ad definiendum certum tempus hujus Orationis habitæ. Primum principium firmum eſſe poteſt, quod fuerit in principio Regni. Confirmat hoc ſapiens Aben-Ezra, cum inquit: זאת הנביאה היתה בתחילת מלכות אחז: i. e. Hæc Prophetia facta eſt in principio Regni Achas; magis autem Scriptura ſacra. Conferatur enim caput 15. cum 16. 2 Reg. ex quibus colligitur, quod tempore Jotam cœperint & Rezin & Pekah infeſti eſſe Judæis, ſed à Deo, forſan ob integritatem Jotam, prohibiti fuerint. Quam primum autem hic Achas abſolutam & plenariam dominandi poteſtatem adeptus ſit, ſtatim cœperit calcare viam Regum Iſraëlis, & filium ipſi Molech offerre. Ob hæc ſcelera vero confortaverit Rex cœlorum Regem Rezin & Regem Pekah, quorum iſte ſeorſim primum (ut apparet ex 2 Paral. 27.) multos duxit captivos Damaſcum, & magna clade proſtravit Judæos: Hic centum & 20. millia trucidavit uno die, & ſpoliis Samariam implevit.

Poſthæc arctior unio interceſſit inter Rezin & Pekah, cujus vigore petiere Jeruſalem, quamvis conatu irrito. Factum hoc eſſe apparet anno regni circiter tertio Achas: & hoc ipſum ita imus demonſtratum.

An-

Annus 16. Jotam est 18. Pekah, quia 2 Reg. 15. in anno secundo Pekah, filii Remaliah, Regis Israël, creabatur Rex Jotam: Et cum crebra hic soleat fieri commixtio annorum inchoatorum & inchoandorum, dicitur merito 16. annus Jotam, est 17. Pekah. Ergo vigesimus Jotam est vigesimus primus inchoatus Pekah, quia anno vigesimo scil. completo trucidatus legitur ab Hosea: Ergo Pekah anno circiter 4. Achas obiit. Necesse est ergo statuamus, anno tertio Regis Achas habuisse hanc orationem Prophetam Esaiam, quia scriptum est: Antequam puer &c. Hoc eodem anno interemptum etiam esse apparet Regem Rezin. Nam tempus expeditionis Tiglat Paleser in Syriam & Palestinam utrique Regi lucem ademit. Conferatur cap. 15. & 16. 2 Reg. Versus autem 30. 2 Reg. 15. bene est ponderandus, & non sine singulari acribia cum 1. versu capitis 17. conferendus.

Huc usque Reges oppugnantes & tempus oppugnationis: sequitur status & conditio Regis impugnati, qui non leviter etiam circumstantiarum rationem bene pervolvendam monet. Sic Spiritus sanctus ויגד לבית דוד נחה ארם על אפרים וינע לבבו ולבב עמו כנוע עצי יער מפני רוח׃ Et cum annunciaretur Domui David in hunc modum: Requievit Syrus super Rege Israël, tunc movebatur cor ejus, & cor populi ejus, sicut moventur arbores sylvæ à vento.

Requievit Syrus super Rege Israël, idem est, ac si dicerem: Copias conjunxit Rex Syriæ cum Rege Israël: sive enim ארם pro Rege, vel pro tota natione sumam, perinde est: & ita Ephraim.

Inprimis in hoc exprimitur, quomodo ad hoc nuncium se gesserit Rex Achas, nempe ut male conscius & arbor sylvestris, quæ citius & facilius quam fertilis moveri solet, ut notant Judæi.

בית דוד reddimus Domui David, familiæ David, seu Regi Achaz: idem enim est, ac si hodie in vernacula dicerem: Dieses ward zu Hofe angesaget/ vel ut cum modernis Germanis, nescio, quo alias stercore non sua linguam conspurcantibus loquar: Dieses ward gen Hofe avisiret. Non est, quod hic Rabbi Salomo rationem dare conetur, quare nomen Regis non expresse ponatur. Nec R. Kimchium extrema urget necessitas, ut confugiat ad promissiones Dei, Davidi & semini factas. Etiamsi enim hic Achas fuisset piissimus, quæ necessitas dicere לבית אחז Achas enim vivebat, & domus seu familia Davidis nondum erat deleta.

נחה ארם על אפרים exprimere etiam voluimus per, *Rex Syriæ copias conjunxit*, cum Rege Israël, seu, ut Lutherus sensum respiciens vertit: Die Syrer verlassen sich auff Ephraim.

Explicationi nostræ adstipulatur Rabbi Salomo, cum dicit נתחבר מלך ארם על מלך ישראל לבוא אלין Univit se Rex Aram cum Rege Israël, ut contra te veniant, & expresse addit, נחה esse לשון נקבה gen. fœm. in quo consentientem habet Kimchium. Quod autem & Rabbi Kimchi & Aben-Ezra particulam על Synonymam faciant voci עם, verum quidem est in loco, quem allegant ex lege Moysis

ויבואו האנשים על הנשים

Et veniebant viri cum mulieribus. Num vero hic locum habeat, ambigimus. Nam castra metari seu obsidere sine adjuncto nomine loci exprimitur per חנה. Hoc quidem negare nolumus, quod quoad sensum optime dicat eruditissimus Kimchius. *Machane Aram im machane Ephraim chana nacha, calomar Bau ad Karob liru schalaim.* Exercitus Syrorum cum exercitu Israëlitarum castra metantur seu demiserunt se, sed non ותנעו אוהליהם ונחו שם לצור על ירושלם ולהלחם עליה׃

Quis enim negantem Rezin jam tum, cum nunciaretur adventus hic hostilis, fixisse tentoria, & obsidionem inchoasse, convinceret solidissime, & non magis manus daret asseveranti, tunc nuncium factum esse Achas, cum in procinctu & via ad obsidendum Jerusalem Rezin esset cum Pekah.

Cum ergo dicitur Die Syrer verlassen sich auff Ephraim/ idem, quasi nuncius tremebundus Regem Achaz ita inclamasset: Jam jam est, quod timeamus & trepidemus. Nam Rex Syriæ, cum sciat, Regem Israël cum suis copiis sibi strenue affuturum, intrepidus tuam, ô Achaz, petit Regiam. Illos, qui vocem נחה per castra metari in masculino efferunt, ut idoneis locis parallelis destitutos, præterimus.

Suo etiam sensu abundare pateremur eruditissimum Musculum, nisi ille aliorum carpendo versiones suam substituere laborasset. Sic enim vertit: *Duxit Syrus ad Ephraim.* Sed non ignotum esse potest insigni huic viro, nunquam Ellipses esse fingendas, nisi extrema nos urgeat necessitas. Quid enim est istud dicere נחה sine י ducere significat: eadem enim facilitate & nos responderemus נחה ex sententia etiam Judæorum Fœmininum, significat quievit, quia scriptum est: *Nacha Ruach Elohim al Elischa*: item, *nacheta schaketa col haarez*, id est, Spiritus Eliæ quiescit super Elia, & in pace manet omnis terra. Sine respectu ergo contextus & locorum parallelorum Lingua nihil prodest, sed obest.

Istos autem non hic omnino contemnendos esse existimamus, qui ex 15. cap. 2 Reg. sese nobis, & inprimis versioni Divi Lutheri opponentes, evincere satagunt, tempore Jotam hanc armorum conjunctionem cœpisse: non posse ergo hoc ipsi Achas ut novum, & merito suo terrorem incutiens denunciari. Fatemur aliquid roboris huic telo inesse, modo probari posset: in tota Scriptura vel semel נחה pro obsidione usurpari; & non aliud esset, regnum cum patre conjunctum, & solitarium, patre defuncto. Aptissimus, qui mihi visus, locus apparet esse Esai. 7: 19. Sed quis non videt, ibi agi de jam subjugatis, & deprædationi emancipatis Judæis, qui se ad hostes non habere possunt, ut convincendi, sed ut devicti, & diurnam spoliorum distributionem ex se hostibus suis permittentes: Unde & ibidem rectissime vox נחו, vertitur per sich legen: נח enim quiescere vel diu in loco manere significat: quod de obsidione Rezin in hac historia dici non poterit. Quamvis ergo ante inaugurationem Achas hæc conjunctio facta, & suo pondere multis sat gravis fuerit; hic tamen inprimis unionem arctiorem factam esse, ut dicamus, necesse est.

Hoc est, quod non sine emphasi illud, quod in 15. cap. jam dictum erat, in 16. 2 Reg. post inaugurationem Achas, & ejusdem satis exprobratam à Deo vero aversionem repetitur. Quod enim ante hac filiabus intulerant, idem jam matri minantur, consilio novo & fœdere redintegrato: quare fama quasi detruncatis verbis matri imminens periculum denunciare videtur. Cur autem vox Ephraim hic sumatur pro Israëlitis, edisserit nobis eruditissimus Aben-Ezra: *Baabhor heiot hammelech al aseret hasschabatim bit chilla me Ephraim.* Nam primum Regem Israëlitarum Ephraimitam fuisse sacra testatur Scriptura.

Denunciatione hac facta, Rex Achas multum timuit, & hunc timorem non sine notanda Emphasi exprimit Spiritus sanctus. Et inprimis Figura Rhetorica, nobis dicta Icon, turpitudinem tremoris ejus involvit, ut testantur Rabbi D. Kimchi & Salomon Jarchi.

קול אילני סרק נשמע מקול אילני פירי i. e. Vox arborum sterilium magis auditur, quam fertilium.

Et arguitur in hoc cor Achas, in adversis ultra fidem tremebundum; in secundis vero elatum & adamantinum.

Moneremus hic etiam quidquam de constructione hujus figuræ, nisi & hæc alii tractatui reservaremus: nec jam ad ultimum in occasione hujus Orationis, Deum Israël videlicet intervenientem, properaremus.

Mandatum DEI ad Esaiam his describitur verbis: *Waiomer Jhova el Jaschajahu ze na likrat Achas atta uschear jaschuh bincha el Kaze taalat Habbereca haeljona el masillat sedeh cobes.*

Jehova vero dixit ad Esaiam (me) exi nunc tu, & Schear jaschub, filius tuus, ad unam partem, seu terminum atque ductus piscinæ, seu stagni superioris, ad viam agri fullonis.

Esaias hæc describit, & tamen dicit: & dicebat Dominus ad Esaiam: Et hoc fit ex idiotismo linguæ sacræ, ubi pro Pronomine poni solet Nomen proprium, vel Appellativum. Et cavillationi hostium veritatis sese exponunt illi, qui in controversiis cum Hæreticis hæc negare pergunt. Exempla, ne similes iis videamur, qui nivem albam esse, multis rationibus evincere student, studio omittimus. Idem ergo est ac si dixisset: Dominus vero ad me dicebat. Quamvis enim hic, & sine omni absurditate nomen Esaiæ retineri possit; cum Spiritui sancto, summa tribuenda sit autoritas, placuit tamen illud, obiter monere.

Schearjaschub est filius Esaiæ. Impositum ei forsan hoc nomen in signum reliquiarum convertendarum. Si enim divisim vertas, significat: Reliquiæ convertentur seu revertentur. Nolumus hic facere cum Rabbi Salomon, qui שאר ישוב extra respectum contextus explicare deprehenditur: Dicit enim

שארית מעט שישובו אלי על ידך והם כבניך׃

Exiguus numerus eorum, qui ad me revertentur per te: & isti ceu filii tui. Si hic ageremus Scholiasticos, Monachos, de mola asinos, crederemus in gratiam Magistri, nivem esse nigram, & tibi, ô Salomo, assurgeremus. At בן significat filium; ab hac naturali significatione non patiatur avelli se prudens, nisi absurditatis ratio suaserit contrarium. Et hoc ipsum in omni explicatione tam est necessarium, quam pium & honestum dici

dici meretur: magis inhærere Spiritus ſancti verbis, quam hominum mendaciis & præſumptionibus.

Intendit quidem hic Rabbi in diſcipulos, qui Eſaiam procul dubio ſunt comitati: ſed hujus circumſtantiæ enucleationem, ſuo relinquimus Magiſtro; præſertim Jonathani, Chaldæo paraphraſti.

Illi vero, qui pro בן ſubſtituunt בין ut torqueant textum, & ad diſcipulos ſapientiæ Eſaiæ transferant, rotam pro axe quærunt. Unde de his ipſe AbenEzra dicit: Illi, qui dicunt, quod vox בנך à בינה ſapientia illis deficit בינה ſapientia ſeu cognitio Grammatica.

Optime ergo facere nobis videmur, ſi contextum probe ponderantes, & AbenEzram ſequuti, Schear-Jaſchub habeamus pro vero filio Eſaiæ. Non enim hoc ſufficere arbitramur ad evincendum: fuiſſe hunc diſcipulum Eſaiæ, quia בן pro diſcipulo aliquando venire videtur: ex quo principio etiam diſcipuli Prophetarum vocari ſolent filii Prophetarum.

Quantum autem valere poſſit & debeat Rabbi Kimchi ſententia de duobus filiis Eſaiæ, infra videbimus, hic ſimpliciter eam allegamus.

שני בנים היו לישעיהו האחד שמו שאר ישוב לאות ולסימן כי שאר יהודה ישובו עוד אחר הגלות ולאכן עשרת השבטים שלא שבו אחר שבעין ועדין לא שבו א״עף שעתידין לשוב ועוד כי לא מהרו לגלות יהודה כאשר עשרת השבטים הבן האחר קרא שמו מהר שלל חש בז לאות ולסימן עשרת השבטים שכמהרו לגלות קודם שבט יהודה Duo, inquit, erant filii Eſaiæ: Unus: vocabatur Schear-Jaſchub, in ſignum, quod Judæi poſt captivitatem ſint reverſuri; ſed non ita decem tribus, quæ poſt 70. annos non redierunt, quamvis futurum ſit, ut revertantur: Ita, quia Judæi non tam cito in captivitatem ibant, quam Iſraëlitæ, ſeu decem tribus, qui citius quam tribus Juda in captivitatem migrabant.

Reliqua in hoc verſu occurrentia nulla laborant difficultate, quare ſimpliciter hac de re audiamus Judæos noſtros, qui loci naturam & conditionem optime nobis deſcriptam reliquerunt: ita tamen, ut non negligatur etiam ſacra Scriptura, quæ ter piſcinæ, ſeu lacus hujus ſuperioris facit mentionem; & ſitum ex circumſtantiis hiſtoriarum nobis commode ob oculos ponit. Rabbi Kimchi ſuper vocem תעלה/ היא אמת המים הנמשכת מן הברכה והיא עשויה בבנין אבנים שמו המטר מכונסין בה ואמר העליונה כי שתי ברכות הין: id eſt, Juxta aquas, deductas ex lacu, & facta ſtructura lapidea, in qua aquæ pluviales congregantur, & dicitur ſuperior, quia duæ ibidem fuere.

Hoc ipſum confirmat & AbenEzra, qui in hunc modum ita תברכה תקוה מקום חיבור מימי הגשמים ורבי/ אמר/ שנקראת ברכה כן בעבור שמימיה ממקום מבורך Quod AbenEzra allegat ſententiam quorundam, qui piſcinam hanc ideo dictam volunt ברכה quia eſt ex loco מבורך benedicto, eſt forſan aliquid. Nam dicitur alias, quod alter lacus mirum in modum rubeat, & antiquitus ablutorum ibidem ſacrificiorum ſigna teſtetur. Sed utut ſit, ſolet dici, ברכה Piſcinam vocari à benedictione, quia Dei benedicentis eſt multiplicare piſces, & capere multiplicatos. Eſt illud religioſa ſua conſideratione venerabile: ſed ſi penitius rem introſpiciamus, à depreſſione terræ nomen ſortitum eſſe deprehendimus.

Et certe, quos etiam extra hæc myſteriis vacare juvat, latiſſimus exhilarat campus demonſtrandi, quare in eo præcipue loco, & non alio Eſaiam Regi Achas occurrere voluerit Deus: annon, ut ſimul commonefieret ablutionis Spiritualis, ſordibus pollutiſſimus Achas: Et in conſideratione aquarum rubentium reſpectus ad Sactificia & Meſſiam inculcaretur impio peccatori? Vel, ut (teſte R. Salomon & Tareum) ager fullonis erat, ubi veſtes ſeu panni abluti ad Solem exſiccarentur: Ita hic etiam Achas metu & terrore hoſtium jam quaſi madefactus, & prope rigens; ad Solem juſtitiæ & benignitatis JESUM MESSIAM ſeſe vertere, ejuſque caloris vi & efficacia meliorem mentem & correctiores mores aſſumere moneretur. Sed hæc non ſunt Commentatoris. Nos properamus ad ipſam Propoſitionem.

CAPUT II.

De Propoſitione.

PRopoſitio totius hujus Orationis conſiſtit in quinque his ſyllabis הִשָּׁמֵר וְהַשְׁקֵט.

Lutherus/ Hüte dich und ſey ſtille. Sic etiam Cald. Hi ipſum ſenſum reſpiciunt. Non omnino autem ſunt contemnenda, quæ ſcribit Rabbi Salomo: *Hiſch ſchamer ſceb bſchalom cijain al ſchmaravv*, Mane in pace, ſicut vinum ſuper fæcibus ſuis. Fundamentum hujus explicationis exhibebit nobis R. D. K. *Tſe Ibaddo milra lpıcach peraſchmuhu jnian ſchmarim clomar ſcheb, al ſchmarecha cnachat jajin hajoſcheb al ſchmaravv*: id eſt, Hæc vox tantum habet accentum in ultima, quare explicanda eſt etiam per aliam ſignificationem, ſignificationem inquam, fæcium, q. d. Reſide, mane ſuper fæcibus tuis, ſicut manet vinum ſuper ſuis fæcibus. Ita, ut juxta Rabbi Saadiam idem ſit, quod השמר מעשות מלחמה id eſt, Abſtine à faciendo bello, compeſce / והשקט וגו teipſum, & non timeas.

AbenEzra מלרע מגזרת שמרים כמו ושוקט הוא על שמרין והטעם מלשון השמר שב על שמרין כי לעולם השמר שמירה הוא מלעיל id eſt; Habet accentum in ultima, propterea nomen habet à fæcibus, ſicut alias in Scriptura legimus (Jerem. 28.) Iſte ſedebat ſuper fæcibus ſuis (agitur de Rege Moab ſecuro) & ſenſus eſt: Maneto ſuper fæcibus tuis (ſicut vinum manet generoſum, quod non alienis fæcibus impoſitum, de vaſe in vas fundi ſolet.) Nam ſemper השמר habet ſignificationem cavendi, quando accentum habet in penultima.

Putant ergo hi Doctores, quod aliud ſit השמר accentu exiſtente in ultima, aliud in penultima: Unde Buxtorfius in concordantiis Hebraicis explicat per *conſide in fæcibus*: quamvis forſan dubitaverit: Eundem enim locum explicat in præcedenti pagina per *cave tibi*. Accuratiſſimus a. Ebraiſta, Valent. Schindlerus, in Lexico pag. 1898. de hac voce ſimpliciter, quid ſtatuendum, ediſſerit, cum inquit: Inde (puta à voce שמרים) verbum Eſai. 7: 4. Et dices ad eum השמר eſto tranquillus & quieſce, ne timeas, cor tuum non molleſcat. Accentus in ultima diſtinguit ab הִשָּׁמֶר לְךָ cave tibi, quod ſemper accentum habet in penultima, quaſi שב על שמריך mane ſuper fæcibus tuis &c. Allegat autem in ſequentibus tecto nomine verba Rabbinorum.

Senſus juxta hos Doctores talis eſt: Vinum ſuum ſaporem retinet, ſi conſervetur ſuper fæcibus ſuis: Sic tu, ô Achas, modo non movearis, & loco tuo exeas, & ita teipſum ex vaſe quaſi in vas fundas, manebis integer & incolumis.

Nolumus cum his viris magnis diſputare; nec enim conſultum putamus, hic demonſtrare, neceſſario accentum requiri in ultima: Quod a. in aliis locis Scripturæ inveniatur in penultima, fieri ob vicinitatem accentus alterius. Item in 17. locis tantum occurrere; ibi autem ſequi monoſyllabum לך; in Jobo monoſyl. אל; in libro Samuelis autem נא: Opponere enim nobis poſſent id, quod dicitur Deuter. 24: vſ. 5. הִשָּׁמֶר בנגע ubi ob monoſyllabum accentus retractus dici non poterit. Et regeremus tum monoſyllabum accentus dici non penacutum huic ſubjacere regulæ, niſi magis neceſſarium eſſet, verum ſenſum jam ſcrutari penitius.

Duo tunc erant, quæ Achas ob mala nova meditabatur & animo volvebat: Potentia hoſtium; & Fiducia in auxilio humano: cor enim ejus non erat rectum cum Deo ſuo. Memoria recolebat inſignem cladem & vulnus, quod inflixerat Pekah: ob oculos verſabatur verſutia Regis Rezin: cogitabat ergo vim vi, & quidem auxilio Regis Aſſur, depellere: ad Deum autem Iſraël tantum aberat, ut oculos intenderet, ut potius hunc omni potentia exutum reprobaret. Cum ergo dicit Eſaias השמר hoc vult: O Rex Achas tu times, & cor tuum, ut folium arboris, commoveri cœpit, & propter hoſtes infenſos deſperabundus, multa animum tuum ſentis diſtrahere: Non reſpicis opus manuum Domini; ſed multo magis Regis Aſſur; & ita quidem, ut ad eum legationem meditari non erubueris. Tu Rex Achas vinum eſſe potes in oculis Dei tui, & Dei patrum tuorum: certo autem aceſces, imo fœtere te facies coram excelſo, ſi non placeat conſidere in fæce propria, ſed aliena, ut Aſſyriaca: muta quæſo hoc conſilium, & Jhova erit Deus tuus.

Hoc vix negari poterit, quod ſedere ſuper fæce in Scriptura ſumatur, contentum eſſe ſuo; ſecurum & tutum manere in ſtatu ordinis ſui. Nam ita dicit Jeremias cap. 48: 1. *Schaanan Moab minnuuravv, vvſchoket huh al ſchmaravv vvlo hurak miccli el celi.* Et ad hoc magis confirmandum, adduci etiam poſſet Propheta Zephanias: ſed ſufficit. Ille, qui aliena auxilia appetit, alienæ inſidere fæci ſine omni dicitur abſurditate.

Perpendite autem quam ſuccincta brevitate hoc D. Luth. expreſſerit: **Hüte dich.** Hanc enim eſſe mentem ejuſdem, conſpicuum eſt ex eo, quod Regem Achas non ad timorem, ſed confidentiam movere ſtudeat Propheta. Ut autem Spiritus Sanctus clariorem explicationem hujus obſcuræ primum viſæ dictionis involveret, & ſimul, quid ergo agendum, ſuggereret, ſtatim ſubjungit השקט. Aben Ezra

Ezra subintelligit נפשך Stelle dich selbst zu frieden. Utut autem sit, in priori vocabulo in sensu exprimitur, quid non agendum; hic quid agendum, nempe sperandum in Deum.

Vox autem השקט in Scriptura S. solet nobis proponi, ut exordium veræ fidei; imo ut ipsa fides. Unde opus justitiæ vocatur Es. 30. *Ubbhaschket ubhbitcha tihie gburtachem.* In quibus verbis sat clare natura vocis השקט describitur, ut, quid clarius fieri possit, vix videamus. Succenturiatur id, quod dicitur Esaiæ 32. *VVhajah maaseh zdakah schalom vvaabodat hazzdaka HASCKET vvabetach ad olam.* Qui certe, locus cum præcedenti collatus, firmissime probat verum sensum quæsiti. Nam Domini mandatum erat: Credite & sperate in Deum. At Israël respondebat, Non: sed velociter ibimus equis, & velocissime equitabimus. Hic inniti fulcimento humano opponitur השקט, quod ideo dissuadetur ipsi Achas, quasi diceretur: Hoc unum erit necessarium, ut tu Achas non misceäris cum fæce aliena, sed exspectes & speres in Dominum Deum tuum: ipse faciet. Hoc quivis, qui non oscitanter totum contextum percurrerit, pro solo scopo Spiritus S. habebit: & præsertim, cum & alia loca parallela hoc ipsum, quod volumus, testari non videantur, sed deprehendantur; & ita quidem, ut si omnibus aliis subsidiis destitueremur, fortissime nos sublevaret, quod sequitur.

Ne timeas, & cor tuum non mollescat. Hæc cujus quæso effecta? Fidei. Extra fidem enim non est, quod confidamus, quod speremus: abest enim Christus: Si hic non præsto est, quid, quod gaudeamus? Hæc Propositio digna est, quæ probe menti nostræ insculpatur: videbimus enim, quam ordinarie omnia tela & scuta ex ipsa sint deprompta. Sed illud docebit nos Propositionis hujus confirmatio.

CAPUT III.

De confirmatione, & in specie, de primo Argumento.

ARgumenta omnia ad propositum scopum ita collimant, ut Rex doceatur, conatum suorum hostium esse irritum: media, quæ humana suppeditaverat ratio, esse media ruinæ: transcendere Deum solum hominum cogitata & facta. Immo nullam viam hominibus patere ad salutem, tam corporalem, quam Spiritualem, nisi per Christum. Hæc ruditer ita delineata, patescent accuratius Lectori, in speciali argumentorum resolutione.

PRIMUM ARGUMENTUM desumptum est ab impotentia hostium, quod tamen hic absolute non esse sumendum, evincunt facta sat magna Regum Rezin & Pekah: sed in judicio Dei, & hominum Deo soli innitentium, consideratorum. Impotentia hæc miris emphasibus describitur. Vocantur enim hi ambo Reges *Tsanbot Haudim haaschenim*, id est caudæ titionum fumigantium. Non dignatur eos Deus nomine *Udim*, sed *Tsanbot haudim*, ut nihil deesse possit, quod in conspectu Achas extenuet potentiam potentum. Hic advertat Achas, & discat à quibus timuerit.

R. Kimchi explicat hic, quid sit אור; ex qua descriptione colligere poterimus, quantus & qualis coram Deo fuerit exercitus ille. Sic dicit: האור הוא עץ שמנדרין בו האש ובו כרי רז"ל ליטול אוד מבין העצים ואינו עשוי להדליק אלא שנשרף מאליו מעט כשמנדרין בו האש תמיד וכנשרף עד שחוז' קטן שאין ראוי לאוחזו בוד ולנדר בו האש משליכין אותו לצד אחר והוא עשן וילקאונב האוד Quantum ergo ex his verbis colligere possimus, est אור Rab. D. Kimchio idem, quod rutabulum: vel, ut proprie loquar, quod Pomeranus ein Raeckstock appellat, omne lignum, quod adhibetur ad digerenda ligna in foco, & ipsum, cum lignum existat in extremitate, seu cauda una, tam diu quidem usibus pristinis aptatur, quam diu superest, quod manus sine adustione tangere potest: postea autem removetur & præter fumum nihil fundit, & spectatori spectandum relinquit. Quam explicationem à Judæo datam, cum similis Phrasis in Scriptura non occurrat, grata mente suscipimus.

Ut autem eo melius cognosceretur, in quonam hi Reges conferantur cum caudis titionum fumigantium; Ecce Spiritus sanctus statim subjungit *Bochori aph Rzin vvastram uben Remaljahu.* In excandescentia iræ Rezin & Syrorum & filii Remaliæ. Sunt ergo hi Reges titiones, rutabula, Raeckstöcke/ ob iram suam, qua ardebant. Sed quid juvabat eos? ignem iræ suæ promovebant: & sic inter alia se commodum Deo exhibebant lignum, quo iram suam conservaret, & materiam ad intensius urendum digereret. Posteaquam vero jam ob diuturnum usum fere absumpti erant, removebat eos Deus. Et ita hic, ut jamjam removendi, & ad usus Dei imposterum inepti, ipsi Regi Achas proponuntur. Unde tale necti debet argumentum.

Si Reges illi, qui Jerusalem obsidionem minantur, non urere, sed fumigare tantum possunt: Immo, si tantum sunt rutabula, Raeckstöcke/ quibus ad tempus Deus ad puniendos Judæos est usus; Rex Achas non timeat flammam eorum; sed fiduciam collocet in Deum, qui misit eos: Et id eo magis, quia is supremus eorum director merito audire debet.

CAPUT IV.

De secundo Argumento.

HInc tale est secundum argumentum: Rex Achas non timeat Reges; sed speret in Deum: quia intima consilia ipsorum Deo decervicata sunt, & fumo jamdum destinata. Consilium, quod decreverant hi Reges, non in ore omnium erat. Tam stulte enim illos egisse, quis credat, ut quod secretum ad tempus esse volebant, patefacerent aliis sine discretione? Merito ergo Regem Achas ad respiciendum ad eum, qui est καρδιογνώσης, movere debebat arcani hujus consilii detectio. Sic autem Spiritus sanctus: Propterea quod decreverit contra te Syrus malum, Ephraim, & filius Remaliah, in hunc modum dicentes.

Vocem יעץ, ut sæpissime significantem decrevit, & ita hic reddere placuit. Vocem vero לאמר in hunc modum. Sensum autem hac in parte voluimus exprimere: לאמר enim est judicium subsequentis consilii & decreti, suo tempore manifeste publicandi.

Apparet autem, quod hujus decreti duplex statuenda sit executio: Una ex parte Syrorum, qui devastare omnia: Altera ex parte Israëlitarum, qui è medio sui Regem Hierosolymis constituere, & duo regna iterum conjungere laborabant. Quod quidem non ita acceptum volumus, quasi & Rex Aram in hunc de novo ungendum Regem conferre nihil debuerit. Nota enim est Figura Rhetorica, qua subjectis diversis diversa attribuuntur prædicata: non ut distributive; sed collective, & prædicentur & subjiciantur; quamvis ordo collocationis veram videatur fecisse distributionem. Et cum sciamus, paucos sanæ Rhetoricæ (alias enim semi vel sesquidocti Philosophastri & distinctionibus Magistralibus tumentis manuductoris Rhetorica prophana, etiam sacris & Propheticis orationibus, quas illis legere non contigit, sufficere vulgo putatur) operam navasse, placet hanc exemplo alio ex alia Oratione Esaiana illustrare Es. 5: 13. *cbodo mte raab hamono ziche zama.* Hic duo disjunguntur subjecta; homines nobiles & ignobiles: illis minatur רעב; his צמא; cum tamen & *Cbodo*, & *Hamono* utroque supplicii genere affecti sint.

Et quam infestus Deus ipsis Regibus fuerit, potuisset etiam Achas exinde satis colligere, quod ne nomine quidem eos dignatus fuerit Deus; dum Syriam pro Rege Syriæ ponit, & Ephraim pro Israëlitis. Et ne ambiguitatis suboriretur quædam suspicio, & se involvere Reges demonstraret; nominat quidem Regem Israel, at non nomine proprio, sed patrio רמליה. Consilium, seu decretum ipsum ita sonat: *Naaleh bihuda Unkizenna vvabhkiennah elenu, vvnamtich melech btocha et ben tobel.* Rabbi D. Kimchi explicat vocem יהודה per ראש יהודה, ut sensus sit: Expeditionem faciamus contra Jerusalem, & tandem tædio afficiamus eam. Nam super vocem נקיצנה ita commentatur Aben Ezra: *Adsche jakuzu miphpanenu naasch lahem zur adschejakuhu miphpanenu vvijiphtehu lanu*, id est faciemus eis obsidionem, donec tædio afficiantur, & nobis portas aperiant: Et, ut Targum addit, ut nobiscum unum fiant regnum. Hinc enim statim fluit *vvnabhkiennahelenu*, & divisim trahemus ad nos.

Lutherus sensum respiciens vertit: Wir wollen hinauff zu Juda/ und sie auffwecken/ und unter uns theilen. Miranda enim & pudenda erat securitas Jerusalem, quod ex damno proximarum filiarum sua mala dimetiens, rebus suis melius non cœperit providere mater. Quinam autem loco Achas sit constituendus Rex, indicatur similiter à Propheta, & vocatur בן טבאל. Hoc enim erat consectarium: si Jerusalem cœpissent, commendantis personam induissent, bono in oculis suis victores.

Quis-

Quiſnam fuerit ille filius טבאל incertum eſt, & ſine omni diſpendio ignorare poſſumus. Judæis placet, certum monſtrari individuum, in quo audaciores ſe præbent. Jonathan המתרגם, qui in genere טבאל explicat per טב אלינו, id eſt, lingua Chaldaica כשר לנא. Placet nobis. Fundamentum Rabbinorum ex Cabala: quod me adducit, ut credam, eo uſque eſſe provectos, ut טבאל reſolverint in טב bonum, & אל non: innuentes talem Regem Judæis eſſe præficiendum, qui ſordeat coram habitatoribus terræ. Sed ne hoc quidem videtur rationabile.

Rabbi Salomo confugit ad גמטרא ſpeciem Cabalæ. Dicit enim *Bgematria ſchel othioth Albam Tabelhu* רמלא. id eſt, In dimenſione, ſeu Geometria literarum Albam, Tabel eſt Remalia. Quid ſint literæ Albam clarius proponit Rabbi D. Kimchi, *vvieſch mporſchim tabel* רמלא *balphabeta daalbam.* Dicit hic de Alphabeto Albam, cujus ſtatum hic obiter inſerere placet.

Si Alphabetum Ebraicum in duas diſpeſcatur lineas æquales, ſuperior litera venit pro inferiori; & è contra, in hunc modum:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת

Hic videmus ט ſibi ſubjectum habere ר; ב vero מ; א, ל & contra ל ſuperioris litteræ induere naturam. Rideant hæc multi, & ego rideo. Antea autem ſolvant dubium illud, quod Jer. 25: vſ. 26. occurrit, ubi mentio fit Regis ששך, ſi non ad alteram quandam ſpeciem Cabalæ, literarum videlicet אתבש recurrere velint. Hic autem eſt ordo iſtius ſpeciei. Iterum duæ formandæ ſunt æquales lineæ. Alphabetum autem Ebraicum à dextra exordiendo, poſt כ à ſiniſtra in inferiori linea continuando, integre ſcribo: reliqua ut in priori. Sic ponitur

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ת ש ר ק צ פ ע ס נ מ ל

Et ſic ששך eſſet בבל. Obiter hæc inſerere placuit, alias ſpecies hujus artis ſtudio omittentes.

Non tantopere Judaicam hanc prudentiam extollimus, ſed tantum cum per occaſionem vocis טבאל ad ſpecies iſtas Cabalæ ſimus delapſi, Doctis judicandum relinquimus, annon veſtigia quædam hujus artis in Scriptura appareant.

Utut autem Cabbaliſticæ rationes ſeſe habeant, num Remalach quidam dictus fuerit filius Tabeel, nec ne, parum intereſt. Nam & ita Aben-Ezra dubitare incepit, cum ita de hoc filio Tabeel: *VVhannacon ſchebuh ſchem Rabb gadol mi Iſrael ume Ephraim.* Verum eſt, quod nomen ſit magni Ducis ex Iſtaël aut Ephraim: Quam ſententiam etiam vix poterimus repudiare. Alias, ſi ab opinionibus ſtandum eſſet; dicerem, fuiſſe eum Sichri ex Ephraim; potentem quendam in Ephraim. Conjecturæ rationes ſunt: quia Sichri occidit filium Regis, dictum Maaſiab, & Ariskiam principem domus, & Elcana ſecundum à Rege: quod procul omni dubio ideo fecit, ne in promiſſo faſtigio honoris eſſent, qui obeſſent. Deinde hoc etiam probabile eſt: Non fuiſſe hanc mentem regibus iſtis, ut cum abſoluta poteſtate Judææ alius præficeretur Rex: habuiſſent enim, quod ſibi & ſuis ſubditis metuerent; ſed tantum PRÆSIDEM, ſeu vicarium, qui utrique homagium fidelitatis præſtaret.

Non enim adduci poſſum, ut credam, Regem Rezin adeo dementatum fuiſſe, ut tantum commodo Pekah, ejuſque conſanguineorum ad regium culmen evehendorum dignitati, & non potius ſibi & ſuæ ditionis emolumento geſſerit bellum. Nam cum idipſum commode ob Regis confœderati potentiam fieri non poſſet, paſſus fuiſſet quidem ad tempus & hunc ex communi prædari, uſque dum ſeſe melior utrinque regnum ad ſe rapiendi obtuliſſet occaſio. Cui autem eum locum commodius commendare potuiſſent, quam Duci generali: Sichri autem eum fuiſſe, vix ire poſſumus inficias. Si enim in ſemine Regio Iſraëlitico conſenſiſſet Rezin, periculum fuiſſet, ne invaderet tandem regnum patrium, & eo fultus etiam bello Syros infeſtaret. Putamus ergo non hoc conſilium fuiſſe Regum, ut Regem, regia authoritate ex regio ſanguine pollentem, conſtituerent in Jeruſalem; ſed magis Præſidem, qui utriuſque Viri authoritatem tueretur. Vox enim מלך Ebræorum ſumitur etiam pro quovis Domino loci. Hinc in libris Joſuæ ut & Moſis inter potentiſſimos etiam Reges Scriptura facit mentionem Regum unius civitatis; qui forſan tantum pollebant, quantum hodie præfectus principis, conſul, vel his æquipollens perſona, cui etiam vicarium Dominium incumbit. Sed, ut diximus, conjectura eſt, quam nemini de jure obtrudere debemus.

Ut autem Achas magis confirmaretur in hoc argumento, Ecce Deus ipſe fortius vinculum cum præcedenti connectit, quo ita conſtrictum teneat Regem, ut nulla via elabendi ſuperſit; dum ſe non tantum ſcire eorum arcana profitetur; ſed & eadem in fumum vertere velle promittit.

CAPUT V.

De tertio Argumento.

Tertium argumentum deducitur à potentia Dei irritum faciendi conſilium; & voluntate ejuſdem robur eorum infringendi. Sic textus: *Co amar Adonai Jhova Lotakum vvolo tihich*, i. e. ſic dicit Dominus Jhovah, non conſiſtet nec fiet. Rabbini noſtri hic faciunt Ellipſin vocis עצה. Sic enim Aben-Ezra: *Tſot haeza ci cen hitſcir, lmala Jaazucbar hodaticha ci col boal im lo intſcar haſchem lolam huh bcoach.* Hoc, ſcil. conſilium; quia ideo ſupra meminit conſultationis. Et jam ſcito, quod omne verbum, niſi addatur Nomen, ſemper Nomen habeat in ſe potentia. Ex hac Regula, ad maxime periculoſas, Eclipſin textui inferentes, ellipſes vitandas, explicatio D. Lutheri in Neutro accipit robur, **Es ſol nicht beſtehn / noch alſo gehn.**

Judæi hic legunt Adonai Elohim, ne cogantur legere Adonaj, Adonaj: Nos autem Adonai Jhovah. Sic & in aliis locis, ut in ביהוה, ב eſt inſignitum patach: non legendum bajhovah; ſed vel bihovi, vel cum Judæis badonaj. Non enim facimus cum iis, qui ſpeciales regulas de punctatione נכלם ante vocem venerabilem tradere ſolent. Sed hæc obiter.

Quomodo autem conſilium illud conſiſtere non poſſit: & ex quo principio Regi Achas firmius inculcetur, in ſubſequentibus verbis demonſtratur. *Ci roſch Aram Dammeſchek vvroſch Dammeſchek Rezin Ubhod ſchiſchſchim vvchameſch ſchanah jechat Ephraim meam.* Nervus argumenti in hoc eſt: Rezin eſt Dominus Damaſci: Damaſcus autem eſt metropolis Syriæ. Ergo Rezin non eſt Dominus Jeruſalem; & Jeruſalem non eſt metropolis Syriæ.

In his verbis latet vera ſapientia veri Dei, & eximius ornatus Rhetoricus. Rezin putabat, ſe jam eſſe Regem ſupremum Hieroſolymitarum, qui, quem vaſallum vellet, conſtituere poſſet. Introducitur ergo ſuccincta reſponſione repulſus, ſic antehac ſecum loquens: Rex ego, Jeruſalem ſubjugavi: quare te, ô filii Tabeel, ego cum conſenſu confœderati mei dilecti, Domini & Regis Pekah, decrevi, conſtituere ejus loci Præſidem: ut ita, ſicut Damaſcus in Syria metropolis mea eſt; ita Jeruſalem in Juda eodem nomine ſub imperio meo venire queat. Dominus autem ſua conſilia cogitatis Regis opponit: Rezin non erit Rex Jeruſalem: non conſtituet illic vaſallum: ſed ex gratia mea, quam diu voluero, eſt Rex Syriæ. Et hoc mutatis mutandis de Rege Iſraël intellectum volumus.

Hunc Scopum dictorum Dei viderunt etiam ipſi Judæi. Hinc R. Kimchi *Lo jihu hem Roſch vvamelech hiruſchalaim cmo chaſchbhu ci Dammeſchek hu Roſch mamlechet Aram vvroſch Dammeſchek huh Rzin vvlo jiihie Roſch Jruſchelaim.* Non erunt illi caput & Rex in Jeruſalem, ſicut quidam opinantur. Nam Damaſcus eſt metropolis regni Syriæ; & Rex Damaſci eſt Rezin: ſed non eadem ratione erit etiam Rex Jeruſalem. R. Salomo: *Roſch Aram hajah Dammeſchek vvein Iiruſchlaim immah cullam vvroſch Dammeſchek Rzin Bdammeſcek Jihiuroſch vvlo hiruſchalaim vvgam Pekach.* id eſt, Metropolis Syriæ eſt Damaſcus; ſed non ſimul Jeruſalem cum ea: & caput, ſeu Rex Damaſci eſt Rezin; ſed Damaſci, non autem Jeroſolymæ: & ſic etiam Pekah & decem tribus, &c.

Cognitum autem habebat, cum quo ingenio conflictaretur, quare ab interitus horum Regum, & ſubjecti populi prædictione ſuam propoſitionem verificare pergit. Nam certum terminum duobus iſtis Regibus prædefinit, ſi quando fieri poſſet, ut Achas converteretur, & ad Deum verum Iſraëlis reſpiceret. Sic inquit: Et adhuc 65. anni &c. Hic apparet quaſi nullam pœnam minetur Deus Syris: At ſi modo vera formetur lectio, res erit ſalva. Sic autem legimus: *Adhuc ſunt 65. anni, quando cum Ephraim deſinet eſſe populus: quare metropolis Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Remalia,* q. d. O Achaz, certum eſt, Rezin Jeruſalem ſuis Pomeriis non eſſe adjecturum: Eſt enim mea gratia, quod ad tempus maneat Rex Syriæ; ſed non ita Rex Jeruſalem: Quomodo enim homo

ſine

ſine me, à quo omnia dependent, regna mundi occupare poteſt. De Ephraim, ſeu Rege Iſraël anxium te habet cura, quia laborat iſte tuam ſuæ adjicere ditioni: at ſine cauſa. Nam poſt 65. annos non jure populi gaudebit. Cum ergo hæc ita ſeſe habeant, quod de Rezin dixi, de Pekah etiam accipito. Manebit, ſeu eſt ille Rex Samariæ, metropolis Ephraim, & præterea nihil.

Quamvis ergo ne vix quidem (ut apparet) videatur pœna Syrorum; ſub pœna tamen Iſraelitarum eandem vere includi credimus. Unde Judæi ita formant lectionem, ut יחת cum præcedenti voce רצין hic quidem omiſſa, ſed ex præcedentibus poſt יחת ponenda, & cum ſequenti voce אפרים, antequam locum ſortiri debet, per ſubintellectum ו componenda. Et hoc aliis ſimilibus exemplis, ubi etiam ו omiſſum ſubintelligitur, probatum eunt; modo non nimis multis ambiguitatibus in Scriptura videretur dare locum: quamvis alias hac in parte veritas ipſa hic ſeſe non obſcure inſinuare videatur.

R. D. K. *Clomar Rezinvva Aram jechat im Ephraim mihiot tſe im tſe*, id eſt, Rezin & Syria deficiet cum Syria eſſe ad invicem. Et notanter addit: ויהיה חסר אפרם ויו השמוש כמו שמש ירח ורבים Deficit ו ſervile ante Ephraim (allegat ex Joël cap. 2.) כמהו Sicut alias dicitur Sol, Luna, id eſt, Sol & Luna, & aliis locis ſimilibus. Statim ſubjicit ופירוש יחת רצין הנזכ׳ כי עלין היה מדבר ואל ארם כי הוא יחת ואפרים גם כן מהיות עם ולא יהיה ראש רצין אפי׳ מארם וגמ ארם ואפרים מעם His verbis fortius conſtringit contradicere volentem. Nam provocat ad illud, quod in hoc verſu ſermo ſit de Rezin & Aram, cum quo in communionem pœnæ etiam rapiat Regem Pekah. Ut, hæc cum veritate congruere, magis demonſtraret, allegat alia verba hujus capitis: *jiſſa & chel Dameſcek vvet ſchlal ſchomron miphne meled Aſſchur.* In ſuper allegat alium locum ex Eſa. 17. verſ. 3. quem verſum ob certas cauſas hic totum adſcribimus. *Niſchbat mibzar me Ephraim umamlacha mi D Dammeſchek uſchar Aram bichbod bne Iiſrael jihiu num Jhovah Zebaoth.* Quidnam hinc fluat, ſi bene conferantur loca cum locis, erudito Lectori committimus. Non dicam de Jehovah Judæorum; imo totius regionis poſt captivitatem, & in N. T.; ut tantum hoc proponamus, quomodo anni illi 65. cum hiſtorica veritate congruant. Et ſicut incepimus, ita etiam merito continuamus commentarium Judæorum noſtrum: præſertim cum ſciamus doctiſſimos quandoque Judæos multis aſinis videri rudiſſimos, ut ſentiant, ea quæ exſcripſere, Magiſtrum ſuum ab his mutuaſſe. Primo loco ponimus Aben-Ezra. ובעוד כאומר כאשר עוד נשארו שנים ויהיה כן ותוספ׳ הבית כב בטרם ותחלת זה החשבון משנת הרעש שהיה בימי עזיהו שהתנבא עמוס וישראל גלה יגלה וכמוהו ויהי מקץ ארבעים שנה ויאמר לאבשלום Quæ de ב in בעוד dicit, ſuo loco revidebuntur: Quoad ſequentia ita explicamus. Initium hujus ſupputationis ſumendum eſt ab anno commotionis terræ, quæ erat tempore Uzziæ; Quia Amos vaticinatus eſt: Iſraël certo ibit in captivitatem.

Prævidit procul omni dubio ſapiens hic Rabbi, hoc difficultatem generaturum in ſpeculationibus multorum, quomodo fieri poſſet, ut ſumatur terminus alienus, & tamen elapſis jam his ejus termini annis, completorum ſeu complendorum nomine veniat. Voluit ergo aliud exemplum ex Scriptura adducere, in quo ſimiliter alienus terminus ſumatur, neceſſe eſt. Extat autem Exemplum illud 1 Samuel. 15. ubi de Abſolom dicitur, quod poſt 40. annos licentiam ſimulatum votum perſolvendi exoraverit à patre Rege: cum tamen initium 40. annorum iſtorum non ſupputari poſſit à reductione Abſolom ad patrem: Sed aliud quoddam ex textibus ſimilibus indagari debet. Et hoc D. Luth. bene notavit, cum ita ad **viertzig Jahren** commentatur: **Dieſe viertzig Jahr rechnen wir von der erſten Salbung Davids/ denn er iſt zwantzig Jahr geſalbet/ und zehen Jahr Verfolgung gelitten/ und im dreiſſigſten Jahr König beſtetiget und angenommen.** Ex quo loco Rabbi noſter hoc deducere cupit: Quod non infrequens ſit in Scriptura, aliud conſtituere principium Chronologicum, quod cum re & perſona, quam tractat, non ſemper undiquaque conveniat. Et cum inciderimus in Chronologiam ſacram, ubi alienum principium ſæpe venire pro proprio annotavimus, libet hic ex D. Gans, quem allegat Conſtantinus l'Emper. ad Chronologicas diſcrepantias multum facientia hic adſcribere. Sic allegatur: *Zarich atta Idaat ſcherubh, ſchenot malcei Jiſrael hem nimmim al pi ſchnoth malce Jhuda Adſchecaaſcher jimloch melech Jiſrael bſuph ſchana achat mimmalce bet David ubbroſch haſchſchana ſchelhammelech habbah Jachaſchob lo ſchnataim Uclal tſe tikkach bjadeha ſchehaccatubh cno mdakdek biſchnot malce Jiſrael Rak derech haccatub bmikze haſchanaim aſcher lo hiſchlimu limnotam bſchanot tmimot Ulpaamim lo jimneb otam clal gam ſchne rabbot aph ſchello hiſchlimu nechesbhu lſchanim lhammelech ſcheabhar al hammelech ſchebbah*: Neceſſe habes ſcire, complures annos Regum Iſraëlis numerari ſecundum annos Regum Juda: Adeo ut cum Rex Iſraelis regnabat ſub finem anni alicujus Regum ex familia Davidis, & initio anni Regis ſequentis, ipſi duo anni adſcribantur. Deinde hanc Regulam in manum tuam accipias: Scripturam ad annos Regum Iſraelis minutatim non attendere: verum hanc eſſe Scripturæ conſuetudinem in quibusdam annis imperfectis, ut eos tanquam perfectos numeret: quandoque vero eos nullo modo numeret: quin etiam multos, licet imperfectos, cenſeri binos, reſpectu Regis defuncti, & Regis ſuccedentis. Sed hæc obiter.

Ut igitur redeamus ad præſens negotium & dubium ſolvendum, Aben-Ezra quidem ſufficere videtur: ſed majoris evidentiæ ergo & reliquos juvabit allegaſſe. Rabbi David Kimchi *VVchesbon ſchisſchim vvchameſch ſchana enomatchil minubuah tſu ſchehare batſtſe happerek nolad habben ſchennikrah Immanuel vvamar bterem jedah hannaarkro abi vvimmi jiſſa & chel dammeſcek vvet ſchlal ſchomrom liphue melech aſſchur vvcen amar bimlacim vvajiaal melech Aſchſchur el dammeſchek vvajjitpſchah vvaigalleh kirah vvet Rezin Hemit ellah peruſcho ubhod ſchischſchim vvchameſch ſchanah minubuath Amos Schehitnabbeh al Dammeſchek vvamar vvſchibbarti & briach Dammeſchek vvgomer vvgillu & Aram Kirah amar Jhovah vvcen hitnabbe al galuth Iiſchrael Hajeta nbuath Amos lpi haches bon biſchnat ſchebah Eſre lirobham melech achad vvarbaim Umnachem aſar hare achad vvachamiſchſchim Uphpachiahu ben Mnachem Schnataim hare chamiſchſchim vvſchaloſch Upekach "ט hare "עג vvhoſchea ben ella ט' vvats galu Iiſchrael hare צ"ב chesbon mcovvvvan vvlo caſchabhnu ו' chadaſchim litscariahu vviareach jamim lſchallum.* Videmus hic, quod fuſe rem tractet Kimchius: Sic autem interpretanda verba ejus. Supputatio 65. annorum non inchoanda à Prophetia hac, quia in hoc capite naſcitur puer, qui vocatur Immanuel; & dicitur: Antequam &c. Nam ita legimus in libris Regum (puto 2 Reg. cap. 16: verſ. 9.) Expeditionem faciebat Rex Aſſur contra Damaſcum, & cœpit eam, & duxit captivam in Kir: ſed Rezin occidebat. Et hic eſt ſenſus ejus: Et adhuc 65. anni à Prophetia Amos, qui vaticinatus eſt contra Damaſcum, & dixit (Amos 1.) Et frangam vectem Damaſci &c. & captivos ducent Syros in Kir, dicit Dominus; Et ita vaticinatur etiam de captivitate Iſrael. Nam facta eſt prophetia Amos juxta computum anno 17. Jerobeam filii Joas, Regis Iſraël: Jerobeam enim regnavit annos 41. Menachem 10. ſum. 51. Pekaliah, filius Menachem 2. ſum. 53. Pekah 20. ſum. 73. Et Hoſeas, filius Ellah 9. cujus tempore Iſraëlitæ ibant in captivitatem. ſum. 82. Detrahe 17. & remanent 65: computus perfectus. Nam non numeramus 6. menſes Zachariæ, & unum menſem Sallum.

Accurata ſat ſunt hæc omnia: Antequam autem concludamus, placet etiam audire Rabbi Salomo. *Chaſchub minnbiat Amos ad ſcheggalu aſeret haſchſchblatim vvattim zaem "סה ſchanim Nbuat Amos haita ſchte ſchanim liphne ſchenitnaggah Uzziahu ſchennemar B Amos ſchnataim liphne haraaſch vvuzziahu nitnaggah Eſrim vvchameſch ſchanim hare "ו'ו כו ſchel jotam ו"ו ſchel Achaz, vvcheſch ſchel Chitskiahu ſchennemar vvajlicdu biſchnat ſcheſch lchitskiahu hajah ſchnat teſcha Ihoſchea vvajigal & Iiſrael Aſchur hare ſchiſchſchim vvchameſch uminjan ſimano chaluto ſchel Uzziahu Ben Amazia al Jhuda Ephſchar lomar vvhalo Uzziahu vvirobham malcu cachat lpi cheſchbon ſchettimza bſepher mtacim ella ſchemmelech malcut mnogaat biſchnat Eſrim vvſchebah lmolco nitnaggah vvhu malach chamiſch ſchim uſchtaim ſchanah vve ephſchar limnot Ubhod ſchiſchſchim vvchameſch ſchanah hahuh ſcheamar Iſchajahu nbuah tſu ſchehare bime Achats amra vvhem galu biſchnat ſcheſch Lchitskiahu vvcen mporaſch bſeder olam ſchamma haccatub linbhuato ſchel Amos* Per aliam viam eundem petit ſcopum Rabbi Salomo. Et cum audiamus, eum ante hac Latinitate donatum eſſe, ſuperſedemus hac interpretatione, cum etiam ad eundem ſcopum, adducta ſimul authoritate libri cujuſdam, vocati ספר עולם collimet. Quod autem ex 2 Reg. 15: 30. objici poſſet, levius eſt, quam ut in

re-

resolvendo illo dubio immoremur, præsertim, si regulam Chronologicam infra memoratam repetamus. Fundamentum ergo omnium est istud: Propheta Amos de captivitate Syrorum vaticinatus est cap. 1: 5. De Israëlitica autem cap. 4: 3. & hæc certo implebantur post 65. annos. Quamvis enim Syria & Israël non eundem habeant terminum: quia tamen captivitas Israël ultimum sortita est terminum, merito etiam Syriacam comprehendit. E. g. Fingo mihi, hodie Prophetam exsurgere, qui in nomine Domini vaticinetur, post 50. annos verbum Domini submovendum esse ex Pomerania & Marchia: Accidat autem, ut Marchia (dicto absit pondus) post 30. annos interminatum experiatur; Pomerania vero complete post 50. annos primum eodem malo mactetur; Tunc non erro, si dicam: Et adhuc 50. anni sunt, & verbum Domini carum erit in Marchia & Pomerania. Sic etiam hic loquitur Spiritus sanctus, quasi dicat: Adhuc manet prius decretum de captivando Aram & Israel post 65. annos. Si hanc Phrasin; Adhuc sunt 65. anni, quando &c. Ebraica Phrasi reddere velim, non pecco, si dicam עוד ששים וחמש.

Quid ergo, dicat aliquis, particula ב. Legitur enim בעוד Hoc est, quod quærimus: & non simpliciter secundum mentem AbenEzræ volumus, ut ב in בעוד sit idem, quod in כשרם sed plus involvere, ita ut dicam: Et in adhuc: sive Es bleibt noch beym vorigen / da Amos von 65. Jahren geweissaget hat / innerhalb welcher Israel und Syrien nicht mehr Völcker Recht / Herrligkeit und Privilegien geniessen werden. Et hoc vi particulæ ב hic dictum volumus.

Anni autem 65. procul omni dubio ex traditione tunc fuerunt cogniti, quos Propheta voluit Regi in memoriam revocare, & ita nervum argumenti ei intendit. Si post annum, vel ad summum duos, Terra Israëlitica & Syriaca non tantum à Regibus suis Rezin & Pekah derelinquenda (occidebantur enim ambo) imo si parum restet, quando & subditi horum Regum in captivitatem ibunt, quomodo capient te Rezin & Pekah, & suis subditis te subjugabunt, ut unum regnum fiat cum Ephraimitico, seu Samaritano.

Et hoc argumentum insigni concludit Epiphonemate, involvente simul causas & rationes argumentorum priorum. אם לא תאמינו כי לא תאמנו Hic suboritur apparens quædam obscuritas & interpretandi difficultas. Lutherus rectissime: Gläubet ihr nicht / so bleibet ihr nicht: quæ certe explicatio cum sensu originali in sensu concordat. *Im lo taminu*, si non credideritis, id est, si adeo sitis obcœcati, ut tam firmis & evidentibus argumentis fidem adhibere nolueritis, *lo teaménu*, non consistetis, i. e. in captivitatem ducemini, non eritis stabiles. Apparet hic כי esse superfluum, sed ingeniis forsan male consistentibus. Nam superfluum visum כי ducit nos ad cognitionem vocis, non sine Emphasi hic omissæ.

Primum enim notetur, Prophetam hic habere verba, qui non tremebundus verba ex charta legens, sed plenus zelo Dei, ex manu Dei apprehensus & confortatus, coram Achas peroraverit; in qua Oratione post argumentum supra memoratum in hunc modum Auditores affatur: אם לא תאמינו כי אל תאמינו Nisi tam evidentibus rationibus moveamini, ut unice Deo innitamini, quid sperandum seu timendum potius, quam captivitas & motus sempiternus? Vox תאמנו significat hic: consistetis, stabiles & ab hostibus inaccessi permanebitis. Confer 2. Paralip. 20: 2. ubi Josaphat tali Oratione suos milites ablegat: *Haminu Bihovah elohechem Utamenu haminu binbhiavv vvhazlichu*, id est, Credite in Jhovah Deum vestrum, & consistetis; & Prophetis ejus, & prospere agetis. Reduces ex pugna victores salutabimini omnes, & ab hostibus spolia reducet animosus. Quis hic non videt, oppositionem esse harum propositionum, quas unus idemque Spiritus per diversa organa proponere voluit. Ibi enim si credatis, omnia erunt salva; si non credatis, de vestra salute erit actum.

Certum est quidem, ellipses non esse fingendas, nisi extrema nos urgeat necessitas. Hic certe nos urget: Nam aut hic ellipsis est; aut כי superfluum est. Falsum autem posterius. Quis enim Spiritum veritatis, fontem omnis sapientiæ in verbis reformet, & vivat: Verum ergo prius. Nunquam enim facere volumus cum obscuris illis Interpretibus, qui, nescio quas, detorsiones & paradoxa Spiritui S. affingunt. Omnia enim in iis verbis clara, modo linguam Spiritus intelligat lector: Omissa vox est אות, vel æquipollens. Sensus ergo: si non creditis, signum est, quod non permansuri sitis stabiles. Hæc clara, simplex & oblucida est verborum interpretatio, quam etiam nostri Judæi confirmare videntur. AbenEzra חסר מלת דברו והטעם בקשו אות על כן כתיב אחריו ויוסף י״י שאל לך אות והנה יראה כאשר אמר הנביא אם לא יאמינו שלא ענה וטעם כי לא תאמנו בעבור שאין אמונה בכם כמו ויאמנו דבריכם Deficiunt, inquit, quædam, & sensus completus est: Petite signum. Hinc est, quod infra scribitur; & perrexit loqui Dominus de petendo signo. Videtur enim, quod postquam Propheta dixisset אם לא תאמינו non responderit Achas. Interpretatio vocis תאמינו, quia non est fides in vobis. Quantum colligere possumus, talem nobis obtrudit Orationem Judæus: Nisi credideritis, petite signum; nisi & hoc, non est in vobis vera Religio. At quod intendit Rabbi, non assequitur. Nam vox יוסף, quam addidit in sequenti versu, non est nota iteratæ postulationis; sed novi generis argumenti. Sicut n. in prædictorum argumentorum genere hoc unice egit Deus, ut Achas fideret Deo, nec timeret ab hominibus: Sic hic omnibus oppositionibus, etiam tacitis (quæ impossibilitatem, seu impotentiam Deo exprobrarent) occurrit, dum se ultra hominum cogitationes agere, & supra naturam operari posse demonstrat.

Unde sic differunt hæc ab istis, sicut argumentum, & argumenti irrefutabilis apodixis. Cur enim plus adscribamus Deo, quam Propheta enarrat, præsertim cum planior & directior nobis via patescat ad sensum?

R. Kimchi: *Im lo taaminu ldibbre elleh Lammah huh tse lpi scheen attem nemanim vvkajamim beemunat hael*, id est, Quæ est alia causa, quod non credatis, nisi, quod non firmi seu stabiles sitis in vera religione. Sed vox אם non admittit talem detorsionem. Commode autem alias vocem תאמנו explicat per קיום. Dicit enim *Injan Kijum cmo memavv nemanim.* Significatio vocis est stabilitatis seu certitudinis; sicut dicitur in Scriptura: Aquæ ejus נאמנים certæ & stabiles: sive enim (ut apparet) ad certitudinem, sive stabilitatem respiciat, parum interest. Nam inter pœnas Judæorum in captivitate & certitudo Religionis non minima est eorum, quæ minatur Deus. Sed non veremur, ne hæc explicatio nostram refellat, modo styli Prophetici accurata habeatur ratio.

Hucusque ejusmodi argumenta sunt pertractata: Achas non timeat; sed speret: quia hostes sunt impotentes, cito perituri, ne titionibus quidem fumigantibus, sed caudis titionum tantum similes, à Dei nutu pendentes, & cum omnibus subditis miserrime delendi: Deus autem, καρδιογνώςης, omniscius, eorum consilium in fumum vertens, te defendens, & tibi optime volens.

Jam ad secundum genus Argumentorum, in quo evidentibus, ineffabilibus & humanam rationem transcendentibus signis Regem erigere Propheta, & suas theses Sole meridiano clariores reddere ipse Deus allaborat.

CAPUT VI.

De Quarto Argumento generali à signo petendo.

Textus ita sonat: *VVajioseph Jhovah dabberel Achats Lemor schaal lcha oth meim Jhovah Elohecha Hamek schaala: O hagbeah lmála.* Quomodo locutus sit Deus cum Achab, liquet ex contextu narrationis, nempe per Esaiam. Diversos a. modos loquelæ Dei ad homines reservabimus ad commodiorem textum Propheticum. Hic habemus suffragantes Judæos, qui loqui hoc, factum esse dicunt ministerio Esaiæ על ידי ישעיהו

Vox יוסף reddi debet ulterius, seu continuanter, sequendo Lutherum, qui ita expressit hanc narrationem: Und der HErr redet abermahl zu Achas. Nam in L. S. loco Adverbiorum usitatissime etiam ponitur verbum, ita ut verbum vicarium occupet locum verbi proprii, & verbum proprium ad infinitum redigatur. Dicendum erat: Et loquebatur עוד ulterius, sed loco Adverbii ulterius, seu particulæ continuandi, ponitur verbum continuandi, quod cum vicarium sit, occupat Fut. 2. verbi proprii locum; & è contra verbum proprium occupat infinitum. Sed hæc, hic obiter delibata, istis, quorum est extra pediculosam illam, & ex aliis exscriptam Analysin accuratius idiotismum linguæ demonstrare, exemplis pluribus pertractanda relinquimus.

Et quanta hæc fuerit Dei nostri benignitas, hominem indignissimum suis dignari oraculis, iisque repetitis, allegare, non commentatoris, sed concionatoris est officium. Nos simpliciter sensum oraculorum indagantes, pie verbis propriis proprie inhiamus. Dicitur autem: Pete tibi signum à Domino

mino Deo tuo; quasi diceret: Non hoc volo, ut reprobatis reliquis hominibus tantum in me oculos convertas, sed multo magis in Jhovam Deum tuum. Vocat eum Jhova, quia hoc erat nomen discretivum ipsius Dei Israëlis, quo facile dignoscebatur ab idolis gentium. Miserrimus Achas, ut alias factum ab eo esse legimus, forsan in has delapsus est argumentationes: Si Aram & Israel tantopere florent, ut & alia regna suis pomœriis adjicere pergant, utique Dii, quos colunt, erunt veri tutores & defensores servorum suorum: vel, cum satis habeam compertum, adhuc fortiorem esse Deum Assur, converto me jure ad servum ejus Regem Tiglat Pallesér.

Ne autem scrupulus vexaret Regem de non obtinendo petito, addit Propheta vocem *Elohecha*, quasi diceret: Jhova ille, qui eduxit Israelitas ex terra Ægyptiaca, defendit eos, cum faciem mare, terga hostes terrore concitabant, ille, inquam, est Deus tuus, modo tu quiescas & fidas. Interim tamen nihil detraho regulæ illi, quam non sine operæ pretio hic adscripturus sum: Quod in Scriptura multa dicantur, non ut sunt, sed, ut antea erant, vel futura sunt postea; vel esse volunt, vel videri. Quo sensu sane diceretur DEO TUO, id est, qui Deus tuus, seu patrum tuorum antea fuit. Sed sic forsan laberemur. R. D. K. sic commentatur: *Jadah schello hajah maamin bdibhre hael vvhu azmo hociach schelloh hajah maanin scheschschalach malacim el melech Aschschur vvamar lo aleh vvhoschieni miccaph melech Aram Umiccaph melech Jischrael hakkamim alaj vvimhajah maamin bidbbharha El lo hajah Oseh cen vvlo scholeach lo schochad ellah mittoch schello batach bdibre hael schehibhticho mehem schalach schochad lmelech Aschschur laatsor lo mehem.* Ad voces ה' אלוהיך *Amar lo Elohecha aph al pi schehu, lo hajah maamin bo amar hu elohecha ci huh schpatcha mijad elleh hammlachim vvgomer.* Scivit, quod non crederet Achas verbis Dei: Nam seipsum evidenti argumento jam prodiderat, quod non crederet, dum misit legatos ad Regem Assur, & rogavit eum, ut expeditionem faceret, & liberaret se ex manu Regis Aram & Regis Israel. Nam si credidisset verbis Dei, non ita egisset, nec misisset munus Regi: sed ex eo principio, quia non fidebat verbis Dei, qui erexerat eum contra hostes, misit munus Regi Assur, ut sibi opitularetur. *Deum tuum.* Quamvis ipse Achas incredulus erat, ut demonstraret hunc Deum Israel fore Judicem & liberatorem ejus ex manu Regum illorum &c. Realia hæc sunt sat commode posita: si autem vocem Elohim, ut apparet, deducat à Judicio vel justitia Dei juramenta observantis, nos aperte habet contradicentes. Nam Elohim nec ab אלה juravit, nec ab alia quadam radice Hebræis hodie usitata descendit. Verum hoc pueris etiam in schola Hebraica non potest esse ignotum: in illo enim est ה quiescens, in hoc autem ה mobile. Et facile credimus, nunquam hæc doctissimo Kimchio in mentem venisse; alludere autem magis ad sonum voluisse.

Monetur ergo Achas, ut petat signum à Deo suo, ab eo, inquam, qui nullatenus gratiam suam subtracturus ei erat: Ratio signi autem (quod certe magnum est) Regi Achas relinquitur libera, quam velit esse & habere, sive in supremis, sive in infernis: Unde in nomine Domini ita eum affatur Esaias. Hamek schala ô hagbeah lmala. Luther. **Es sey unten in der Helle / oder oben in der Höhe /** Sensum expressit. Scopus: Si, ô Achas, tanta te Deus prosequitur gratia, ut & tui causa supra in cœlis aliquid contra morem, & infra in terris contra usum communem creare velit, cur non illi soli adhærebis?

In verbis allegatis Spiritus Sanctus multos ludere audimus, sed vere ludibrio se exponent vere sentientium, dum Lutherum nostrum, nescio quantæ inscitiæ, arguere non verentur, quod hic ad literam, quam illi male docti non intelligunt, non vertisse rem ipsam videatur. Lutherus autem vocem **Hell/** non eo sensu sumit, quo multi eam sumere deprehenduntur: sed audiamus cum Luthero consentientes Judæos: Nam Rabbi S. ita infit: *Schaal oth baamike thom Lhachjoth lcha meth ô hagbeah lmala lischol oth baschschamaim* id est, Pete tibi signum in profunditatibus Abyssi, vel in infimo terræ, ut exsuscitet tibi mortuum; aut eleva sursum, seu alta pete, ut postules signum in cœlis. Ubi quoad realia utrobique idem est sensus. Et sane multi moverentur hic ad alium discursum descendere, & aperte dicere, omnes novatores, commentatores, & interpretes sensum Spiritus & verbum ejusdem non probe esse assecutos, sicut Lutherus & Chaldaicus paraphrastes. Et, cum dignus sit, qui allegetur, Eccum שאל די יתעביד לך נס על ארעא או די יתעביד לך את בשמיא Explicationem suggerent Rabbini.

Posset deinde urgeri textus ipse, & ex absurditatis evitatione demonstrari id, quod in quæstionem venit. Hoc enim primum dari peteretur, oppositionem esse hoc in loco ejus, quod supra; & ejus, quod infra est. 2. Masoretas non tam fuisse in punctis, quam in consonantibus seu litteris corrigendis occupatos. Primum non possumus ipsis denegare. Particula enim או inter alias id concedere nos jubet, & ita quidem, ut *Hagbea* & *Hamek* justissimos se offerant arbitros: הַגְבֵּה pro determinatione habet למעלה Quid ergo הַעְמֵק annon locum inferiorem? Sed objici posset vocem Hebraicam, Latinis significantem infernum, seu locum infernum sub secunda radicali habere non ּ sed ; Verum id est, unde etiam שאולה accentu in penultima existente invenitur Ez. 31. ter; Numer. 16. bis; Genes. 42. semel Gen. 34. bis: In ultima autem Gen. 37. in quibus locis (in his enim tantum in tota Scriptura occurrit) legitur שאולה per Schevah, Cholem & Cametz. Contextus autem hic evidenter evincit legendum esse שְׁאָלָה, ut salva maneat oppositionis ratio. Quod autem Masorethæ hæc non annotarunt, inde factum esse constat, quia illi magis erant in litteris, quam punctis occupati: vel, quod magis ad rem facere videtur, & שאול & שְׁאָל infernum significare dicendum est.

De Occasione enim sphalmatis ex accentu regio agere jam non lubet. Et quænam quæso explicatio huic loco magis est accommodata, quam hæc ipsa, de qua agimus, nostra. Nam שאלה cum ּ sub secunda nunquam significet petitionem, ut vulgus interpretum explicare solet, sed cum ּ sub eadem. Et hoc agnoverunt Judæi, qui vocem hanc non pro Nomine, sed pro verbo & in specie Imperat. sumpsere. Hinc R. S. שאל שאלה כמו id est, שאלה idem est, quod (Dan. 9.) שמעה סלחה *schmáa slácha* Audi, propitius esto. Ratione positionis res est salva: sed interim tamen aliud est dicere: Domine audi; Domine propitius esto; Domine adverte aures, & fac &c. Rabbi K. & A. E. uno ore vocant שאלה Imperativum. Unde hic; *Hamek schaalah zivvvvui acher zivvvvui blo debek vvavv vvcamohu Hitacha Hemini*, id est, Hamek schaalah Imperativus est post Imperativum sine copula ו, sicut alias scriptum est (puto Ez. 41.) Congregator petito dextram; ponito, petito sinistram.

Videte quæso, quam gnavos se præbuerint magni hi viri in indagandis locis Scripturæ. Sed ne hoc quidem satis congruere videtur. Nam copulam aliquando omitti non negamus, & præsertim jubente id necessaria emphasi, ubi in posterioribus, semper plus inducitur, quam fuit in priori: ut in utroque allegato exemplo demonstrari posset: juxta quam viam hic non dicendum fuisset *Hamek schaala; sed schaala Hamek.* Et miramur, quod hi viri, cum sat commodum sensum proponant, tamen in hoc labi potuerint; præsertim cum coævitatem punctorum Ebraicorum cum Luthero & Rabbinis negare eos compertum. Sit R. K. ita: *Hamek lischol tsu tizze* id est, profundus esto ad petendum, quodcunque vis, ut det tibi.

Hiccine *schaala Ziffui.* Nam per infinitum jam exprimit: & si ita, ubi tunc similis forma huic in infinito, quæ ad præsens negotium accommodari posset? A. E. eandem cum Luthero sententiam fovet, nisi quod schaala habeat pro Imperativo, quem in sensu exprimunt per tempus infinitum. Quod illos attinet, qui vocem *schaala* explicant per petitionem (nescimus autem an dentur tales) eamque vocant nomen, cum frusto panis ablegatos ad vicinum nostrum præterimus. Neque enim juvat negare album esse nigrum. Cum ergo vox schaala nunquam significet petitionem, in Imperativo posita, novum & Scripturæ insuitatum modum dicendi parit: econtra vero opponatur ei vox למעלה quæ se habet ad *Hagbea* sicut *schaala* ad *Hamek.* Concludimus ergo non tantum *school*, sed etiam *schaal* locum inferum significare. Quamvis enim similia loca non occurrant in Bibliis, tamen ita hic explicanda vox jam sat sæpe memorata. Nam & omnium consensu Hebraice doctissimus Jonathan paraphrastes, Hieronymus patrum eruditissimus, Lutherus ex versione sua celeberrimus & forsan alii, quos videre non contigit, imo, quod maximum est, contextus & oppositionis ratio totum hoc suadent.

Quam multa autem vocabula semel tantum in Scriptura occurrentia ex solo contextu veniant explicanda, doctis est notissimum. Jam ergo ad verba ipsa, quæ ita interpretabor: *Hamek* profundum fac esse, *schaala* in locum inferum, *ô hagbea* aut excelsum fac esse *Lemala* in locum excelsum, id est, **Bitte dir ein Zeichen / es sey im Himmel / oder unten auff Erden:** Et ita hoc jubetur Achas petere, quod à sensibus humanis remotissimum, & arte humana factum esse nulla ratione dici potest. Nam vis argumenti in hoc consistit: si Deus ea tibi velit præstare, quæ petis, quæcunque etiam

ea

ea ſint, ſive ſint à ſenſibus & cogitationibus humanis necne, ſpera in Deum, & non pergito refractari ei.

Hic concludendum eſſet caput præſens, ſed ſupereſt adhuc reſponſio Achas, quæ extremam olet perverſitatem hominis à Diabolo obſeſſi. Non petam, inquit, & non tentabo Jehovam. Hypocriſis deſperatæ malitiæ arguit hominem: Non dicit Deum meum, ſed Jehova, tacite murmurans & oggañiens; ſi eſſet Deus meus, non tale onus bellicum meis humeris impoſuiſſet.

Sic uno ore explicant Judæi. Rabbi D. Kimchi, *Coltſe hajah maat haemunah vvaph alpi ſchehu amar bilſchon haemuna Cilo Inaſſe hael aph al pi cen gannabih jadah Lbabo Cilo amar ellah mimmaat haemuna vvgomer.* Totum hoc erat fidei abſentia, quamvis enim verbis fidelibus uteretur, quod non tentare vellet Dominum; Propheta tamen cor ejus cognovit, quod non loqueretur, niſi ex fidei totali privatione. *Rabbi Salomo* clarius explicat: *VVlo anaſch en Rzoni ſchehis Kaddeſch ſchmo al jadi.* Non eſt mea voluntas, ut per me nomen ejus ſanctificetur. Sed unde, dicet aliquis, ſcire poſſumus, ex malevolo affectu Regem Achas petere noluiſſe: Reſpondetur ex reſponſione prophetæ, qui, cum Spiritu Dei actus omnia, quæ ſuæ Legationis erant, perſpiceret, notare etiam poterat ſubdolam mentem Regis doloſi.

Quod ipſum Rabbi Aben-Ezra bene obſervavit, qui ſuper hæc verba ita commentatur *Mittſchubat hannabih jadanu Ci machſchboth Achats Hajeta Lraah vvtaamo lo erze liſchol ul naſſoth ci edah ſchelloh jucal aſot ſcheſchſchoel mimmennu*, id eſt, Ex reſponſione Prophetæ novimus, quod cogitationes Achas fuerint malæ. Sic enim voluit dicere: Nolo petere & tentare; nam ſcio, quod non poterit facere, quod peto ab eo. Rectiſſime hic Aben-Ezra. Nam quorſum Propheta tam acriter domum David reprehendiſſet, ſi ex humilitate & devotione vera reſpondiſſet Achas: Quid opus erat exprobrare illud, cujus reum nondum convincere potuiſſet? Sed hæc magis ferient oculos contradicentium in reſponſionis datæ evolutione, in qua

CAPUT VII.

Circa ſeveram increpationem Domus David, & hujus Regis à potentia Dei deſumptum generale proponit argumentum, quod in ſequentibus per ſpecialiores explicat & deducit evidentias. Sic eſt formandum: Deus poteſt magis & majus facere quam homines mente comprehendere poſſunt. Non ergo Tu, ô Achas, maneto incredulus; & in conceptibus tuis de impotentia mea hærere ne pergito: ſed crede & ſpera in Deum, & homines non time.

Hic ſcopus Argumenti ex ſequentibus conſpicitur verbis: *Schimhu nah bet David Hamat miccem haloth anaſchim ci talu gam Elohaj.* Audite ergo Domus David: nonne ſufficit, quod homines quædam non poſſe ſciatis, ut Deo inſuper opera impoſſibilium humanorum præſcindatis. *Hic aures* advertendæ ſunt, ſi dextre maxime controverſa verba ſequentia explicare velimus. Lutherus noſter, **Iſts euch zu wenig / daß ihr die Leute beleidiget / ihr müſſet auch meinen GOTT beleidigen?** Hoc **beleidigen /** Dei reſpectu conſiſtebat in eo, quod Achas Deum omnipotentem eſſe ſuo non permittebat comprobari exemplo; ex quo etiam & hæc ſpecies **des Beleidigens /** reſpectu hominum fluebat, quod forſan Achas in conſpectu multorum adſtantium ab Eſaia fuerit increpatus, quibus certe non exiguus dolor fuit, quod Rex eorum, cum audirent, media tam facilia ſibi exhiberi, tamen ne petere quidem volebat ſignum. Fuiſſet enim contra reputationem regiam coram delirante (ſic enim Prophetas vocabant impii) ſtare, & ad quaſvis propoſitiones directe reſpondere. Hinc enim non immerito gravis dolor occupabat ſubditos, quod Achas & ſe, & ſubditos in perniciem detruſurus tacebat. Ut autem rem ipſam penitus ex fundamento proponamus, ſingula verba & phraſes bene perpendemus. Dicitur *ſchimhu bet David* plurale conſtruitur hic cum ſingulari, quia בית eſt nomen collectivum. Quæritur hic primum, cur Eſaias, ſeu Spiritus ſanctus non dixerit: Audi nunc ô Achas; cum ipſo enim eidem jam res erat. Quid alii dicant, inſtituti noſtri ratio non permittit, ut evolvamus: Quid autem Judæi, ecce brevibus Rabbi Kimchi: *Bet David Lgannoto*, dicit Domus David: ad dehoneſtandum & confundendum Regem Achas, non vocat eum nomine proprio. Et ut ſuæ ſententiæ faciat fidem, alia dicta Scripturæ allegat, ubi idem factum eſſe demonſtrat 1 Samuel. 22: 12. *Schmah nah ben Achitob* verba Saulis Regis ad Achimelech Sacerdotem in excandeſcentia iræ ſuæ.

Inprimis autem notatu digniſſimus locus eſt, quem ex 4. libr. Moſis allegat K. cap. 16. Tam enim eſt huic noſtro ſimilis, ut non dubitem Spiritum ſanctum ex lege (fundamentum enim eſt religionis) præmiorum & pœnarum ſuarum verba repetiiſſe, & mutuaſſe. Sic enim ibidem per Moſen ad Korah: *Schimhu nah bne Levi Hamat miccem ci hi hibhdil elohe Jiſchrael Lhakrib etchem elavv* Audite nunc filii Levi; Num parum vobis videtur, quod Deus Iſrael ſuperavit vos ex toto cœtu Iſrael, ut ad eum appropinquaretis. Sic & in noſtro textu dicitur: Audite nunc Domus David &c. Unum enim delictum, videtur hic & derelinquentem & derelinquentis totam familiam inviſam reddere. Ibi ad Korah, vos filii Levi: Hic ad Achas, Domus David, q. d. Quid mihi & vobis, ô Filii Levi, quod vos tantopere extulerim: Peſſimus enim ſacrilegus es tu, ô Korah: Sic & hic, Quid mihi & Domui David ô Reges Juda, quod vos ſedere fecerim in ſolio patris veſtri David: peſſimus enim Apoſtata & nebulo es tu ô Achas. De voce הלאות & tota ſententia tale eſt Judæorum judicium: Rabbi K. *Scheen attem manunim babem vvtachas bu bilbahbchem ci hu nilah vvchalaſch milhakim & dbaravv vvhaloth hajigiah bidbarim o bipholoth.* Quod vos non creditis eis (id eſt, nec Deo, nec Prophetis) & cogitatis in corde veſtro; quod Deus eſt defatigatus & imbecillis, & non poſſit ad effectum ducere ſua verba. Nam & הלאות & היגועה dantur, & in verbo & opere. Sic & Aben Ezra. *Haloth dabar ſchello jucal laaſotho vvhinne taamo baabor ſcheattem mlachim vven Adam cnegdchem tachaſchbhu ci cen derech haſchſchem*, id eſt, הלאות inducit rem, quam nemo facere poteſt, & hic eſt ſenſus: Propterea, quod vos Reges eſtis, & nihil in homine vili, reſpectu veſtri, putatis; quod ita etiam ſit comparatum cum DEO.

In Kimchiano judicio hoc reformamus, quod, ut apparet, per אנשים Prophetas ſimpliciter intelligat, cum in genere ad omnes homines referendam eſſe aptiſſime evincat contextus. Hoc autem imprimis in quæſtionem venire meretur, num vox הלאות idem ſignificare poſſit, quod **einem etwas unmüglich halten /** exempli gratia, Num hæc Germanica verba, **Jch gleub es ihm nicht zu / Es iſt ihm unmüglich /** Ebraice recte reddantur per הלאיתי אותו vel אלאנו &c. Si enim hæc regularia eſſe evincantur, res tota ſalva eſt: Nam contextus id omnino ſuadere videtur. Quoad idiotiſmum Linguæ, teſtantur de puritate Rabbini ſupra allegati. Rabbi Mardoch in concordantiis, qui de voce לאות ita dicit: כל לשון לאות שפירוש יגיעה א׳ עומס ubi in ſpecie vox עומס grave onus ſignificare ſolet. Sed hic obſcurus videtur teſtis; provocemus ergo ad teſtem omni exceptione majorem, Scripturam videlicet, ex cujus teſtimonio primo hoc liquet. In 1. conjugatione ſignificare defatigari, & amplius non poſſe, ut Gen. 19: 11. & defatigabantur *VVajilu limzo happatach*, non poterant invenire oſtium: Ita etiam in prim. paſſ. Eſaiæ 1. נלאיתי נשא defatigatus ſum, id eſt, non poſſum ferre, **Jch kans nicht mehr leiden.** In conjugatione tertia autem, in qua propoſita vox הלאות occurrit; ſignificat primo injuriam & malum inferre alicui, Mich. 3: 6. ubi Deus fons omnis bonitatis filios Iſrael ita alloquitur מה הלאיתיך **Was hab ich dir zu leid gethan.** Deinde ſignificat etiam reputare & efficere aliquem laſſum, impotentem, **einem ein ding nicht zutrawen.** Videamus inſignem illum locum Jerem. 12: 5. dignus ſane, qui hic integre & ſcribatur & explicetur. Sic Propheta: *Ci & raglaim razta vviialucha vvech tahareh & haſſuſim.* Si tu cum peditibus curras, & te faciant laſſum, quomodo æmulaberis equos. Hæc verba teſte Jonatane Paraphraſte pro reſponſione redduntur Prophetæ Jeremiæ de injuria conquerenti. Per quem autem? Per Spiritum ſanctum; cujus inſtinctu priora verba corrigit, & quaſi invitus, & ſuum & Dei veri ſtatum & injuriam deplorat. Hinc poſtquam in 4 verſu inchoaſſet etiam Dei meminiſſe, ita ejus mentionem continuare videtur, ut ſe pro typo ſemper ingeſſiſſe merito dici poſſit. Incidimus in hunc locum, juvabit forſan, digne eum explicaſſe, & ex ejus explicatione ſenſum clarum dubii noſtri propoſuiſſe. Scopus Jeremiæ præfixus eſt, ſuam miſeriam coram Deo effundere: mox Spiritu impulſus cogitur etiam Dei injuriam conteſtari, cum dicit: Dicunt, fidem & mercedem noſtram non videt (Deus) Inſignis erat hæc injuria, omniſcium Deum reputare ignorantem, & quidem à proprio populo. Ambo ergo & Deus & Jeremias, ut actores hic concurrunt. Nam ex abſcondito theſauro ſapientiæ ſe immiſcere voluit huic actioni, ut Jeremias diſceret: A malis bona ſperanda non eſſe, nec ſummo Deo. Actor & Judex iterum concurrunt, quare Spi-

Spiritu S. ſuggerente ſententiam deciſivam fert ipſe Propheta. Si cum peditibus curras, & iſti fatigant te, quomodo æmulaberis ſeu miſceberis cum equitibus? Hæc de Deo & Jeremia vigore contextus ſunt explicanda: Utriuſque enim cauſſa hic nobis proponitur. De DEO, ſi cum peditibus curras, & defatigabunt te, diceretur. Si Judæi, quos decebat te noſſe & tibi adhærere, ita te tractent, ut omnem ſcientiam tibi quaſi præſcindant, & gubernationem generalem, quid facient alii, qui te non noverunt, & idolis tantum immolarunt. Et tunc הלאות idem, quod nicht zu trawen/ ſeu reputare impotentem. Sic enim videtur argumentari Propheta, ſed ita, ut ſibi ſimul ſufficientiſſime reſpondiſſe, certum ſit. Nam ea ratione ſic invertebatur argumentum: Si tibi, ô Jeremia, ad quos miſſus es Propheta, & quos ire decet ad normam legis Dei tui, tantopere ſunt infenſi & graves, ut præ vita mortem eligas; quid fiet, ſi cum ſuperbis in Ephraim, ſeu puris gentilibus converſeris: qui equites dicuntur, propterea, quod veloces ſunt ad tangendum terminum & metam iniquitatum ſuarum. Hic ילאו ſignificat & defatigare, & impotentem putare ſeu facere. Ita etiam in præſenti loco Eſaiano, ubi Deus ob ſupinam illam ſcrutandi rationes negligentiam, & impotentiſſimam Regis Achas opinionem de Dei potentia fatigatus, unico illo & fortiſſimo à partu virginis deſumpto argumento priorem partem confirmationis concludit, & ita cum ſubſequenti connectit, ut non diverſa, ſed unum; non diſcrepantia, ſed concomitantia videantur.

CAPUT VIII.

SIc, ita favente Deo, progredimur ad Argumenti Generalis jam memorati ſpecialiorem enucleationem, quæ hoc abſolvitur Syllogiſmo. Si Deus contra & ſupra omnem rationem abſoluta ſua potentia hoc efficere poteſt, ut virgo pariat, & Meſſiam ex mundo mittat liberatorem: quidni etiam te, ô Achas poterit liberare ab hoſtibus tuis, etiamſi jamdudum in faucibus ipſorum hærere videaris. Hoc eſt illud ſignum, quod non rogatus Deus Regi Achas ſeu domui David dedit, ſeu potius in memoriam revocavit. Hoc eſt illud ſignum, quod & ex cœlo & inferis Deus conſpicuum reddidit; & cum ne unam quidem ejuſdem partem eligere vellet Achas, utramque exhibuit Creator. Hoc eſt illud ſignum, quod facere debebat ad *Haſchket* & veram fidem in iis, ubi oculis conſpicua omnia videntur eſſe erepta. Hoc eſt illud ſignum, quod teſtabatur non Deo illud, quod hominibus, eſſe laborem.

Hoc eſt illud ſignum, quod non ut futurum ſimpliciter & abſolute, nec ut præteritum; ſed ut Indefinitum Chriſtum Jeſum, heri, hodie, & cras, & in ſecula eriturum Salvatorem deſignat. Quam enim Futura prædicentur, certo tamen reſpectu ea fieri videmus. Hoc eſt illud ſignum, ad cujus memoriam contremiſcis, ô Satan, vacillant portæ inferorum, & Jeruſalem verum gaudet indeſinenter. Nam ſignum eſt, quod ipſe Dominus dabat, incredulum Achas comminuebat, & fidelem Hiskiam confortabat. Nos ergo, antequam hoc oraculum ponderandum elevemus, ne illotis manibus veniſſe videamur, præviis precibus ad ſigni hujus datorem omnia, quatenus poſita ſunt & ſeſe reſpiciunt, contemplabimur.

Primum dicit לכן. Quare, particula hic eſt compenſativa & conſecutiva, & antecedentia reſpicit, ut effectus cauſam. Notamus enim hic, in Scriptura poſt Num parum &c. & conjunctionem Ut, etiam requiri לכן ut effectus certus, quem Dei introducit diſpoſitio, ſignaculum & futuræ repræſentationis judicium. Sic Numer. 16. & quibuſdam aliis locis Scripturæ idem videmus fieri: quamvis etiam in certis locis modo diverſo. Hic ergo לכן eſt, quaſi ἀπόδοσις, incredulitatis, impio Regi oppoſita. Hujus enim Propoſitio hæc erat: Deus non poteſt facere, quæ peto; nec poteſt Jeruſalem (totum enim regnum hoſtibus meis inundatum eſt) liberare de manu Regum duorum. Dei autem reſponſio: לכן Quare, id eſt, cum tu ſpeculationibus tuis me omnipotentia exuas, non dignus es, cum quo agam: ſed ut habeas, quod te in die iræ & judicii accuſet, en tale ſignum, quod & te de mea potentia convincat, tuam apoſtaſiam ſimul exprobret; & te, ô ſtipula arens conſumat; Interea autem de conſervanda domo David teſtetur luculentiſſime.

Studio nos omnibus iſtis proprietatibus ſenſus prolixius inhæremus, ut his conceſſis, poſteriora ex his principiis fluentia, à materia litigandi abſoluta eſſe pronuntientur. Nam omnes eas proprietates hujus ſigni, cum ex textu deriventur, ut authenticas & minime rejiciendas habemus. Sed hæccine cauſſa, quod dederit Deus ſignum, quia Achas fuit incredulus? Maxime, quod tale, quod & utramque ſpeciem electionis præſentatæ jam præſentaret, imo tale, quod nec Achas petere volebat. Notanda hic, quæ R. Kimchi: מעצמו אף על פי שאתם אין חפצים בו והוא יתתננו לכם כדי שתאמינו בו על ברחכם׃ Et ſic cum eo & alii. Senſus eſt: Sponte etiam, ſi vos non volueritis, dabit ſignum, ut inviti vos credatis ei. Signum ergo hoc IDEO DABATUR UT CREDERET etiam INVITUS ACHAS: & latent hic Dei indignantis criteria, quibus ultima hac objectione VITAM & MORTEM Regi Achas propoſuiſſe certum eſt.

Pergit Spiritus ſanctus: Dabit Dominus Hoc vobis in ſignum. Vocem הוא expreſſimus per Hoc: per nos autem licet etiam explicare per IPSE: Dabit Dominus IPSE vobis ſignum. Noſtræ autem tranſlationis rationem ſuppeditat contextus, in quo הוא illud, vocatur virgo concipiens & pariens filium. Sine tamen diſpendio ſenſus veri utrumque ſtare poteſt, quamvis unum ſit neceſſarium.

Quomodo autem Deus dare potuerit, quod ſemper à condito mundo fuit, virginem videlicet parientem: Nam & Abraham, Iſaac & Jacob, nobis, & poſteris noſtris, ea virgo fuit, eſt, & erit prægnans, merito diſquiritur. Facile autem ſolvuntur omnia, ſi ſtatum Achas penitius inſpiciamus, &, nec Meſſiæ adventum cum omnibus beneficiis ſerio credentem, nec ſacrificia in reſpectu mittendi Salvatoris tractantem, & Deum Iſraël cum Diis gentium conferentem examinemus. Huic ergo in memoriam fuit revocanda promiſſio, ut & Apoſtaſias, & incredulitatis, ſtulti timoris, fatuæ ſpei in homines reus commonefieret.

Et ut ſignum ipſum eo melius diſcernere poſſemus, præmittit Sp. S. vocem ECCE, præter id, quod novæ rei indicium eſſe ſolet, hoc loco digitum intendit ad arduæ rei conſiderationem. Hoc ergo eſt ſignum, VIRGO CONCIPIENS ET PARIENS FILIUM, ET VOCANS NOMEN EJUS IMMANUEL. Sic autem continuatur verſio: Quare dabit Dominus ISTUD vobis in SIGNUM, nempe VIRGINEM PARIENTEM FILIUM, q. d. ſatis eſt jam tecum, ô Achas, diſputatum; convici te argumentis à mea potentia, & hoſtium certo tibi prædicto exitio: jam cape tibi tandem hoc. Audiviſti de ſemine mulieris ex traditione Patriarcharum; fore ut naſcatur, qui non ſimul ſit etiam SEMEN viri. Hoc te movere debebat: hoc te per argumenta meæ bonitatis & ineffabilis potentiæ certum reddere poterat & poteſt.

Revoco ergo tibi hæc in mentem, ut cogites, ſuperflua fuiſſe, quæ tecum antehac egi: debuiſſes enim ex hoc uno principio ſcire, quod iſte, qui poteſt facere, ut virgo pariat, tantum etiam valeat, ut, quod in tuis oculis ineluctabile malum videtur, boni rationem induere queat.

Reſtrictionis ה articularis in utroque requiſita convenientia aliqua ex parte nobis obeſſe videntur. Non dicemus hic, Articuli nomine h. l. ה venire non poſſe, ſed Emphaſεως: ita ut ſit aliud ה articulare & ה Emphaticum. Ex quo hoc intenderetur, ut unum illud Individuum, quod jam notum erat, hic monſtraretur. Non diſputabimus hic de Accentu Rhebia, ex quo multi concluderent, hoc voluiſſe Deum, ut primum audiretur ſignum, VIRGO: deinde vero determinaretur, qualis, nempe concipiens & pariens. Nam accuratis (quos hodie per Dei gratiam, ne Judæis quidem credentibus) vix ſufficere viderentur. Quare nos hanc rationem ſuppeditamus, quæ & facilis, & directa, & nullis ambiguitatibus eſt involuta, & dicimus: Subſtantivum & Adjectivum in reſtrictione ה articularis conveniunt, niſi alterutrum ſit Nomen Proprium; vel æquipollens Adjectivum Subſtantivo, ponendo in regimine. Hic Subſtantivum eſt virgo, Adjectivum concipiens & pariens filium. Sed quis hic non videt, concipiens & pariens æquipollere cum conceptrice & partrice (ita loqui liceat) filii. Hinc forma יולדה regularis pro more mutatur in יולדת. Sed ad rem ſpecialius. Occurrit 1. VIRGO in Ebr. עלמה Alma. Hanc deſcribimus ita: quod ſit fœmina, quæ nondum virum cognovit. Hæc nondum complete ſcripſimus, & ecce R. Kimchi, inſignis ille molitor: העלמה איננה בתולה Alma non eſt virgo. Quid ergo? אלא עלמה כמו נהרה תהיה בתולה או בעולה Sed Alma idem quod juvencula, ſive ſit deſponſata, ſive adhuc virgo. Ergo ex judicio hujus Kimchi ſignificat, etſi deſponſatis attribuatur, juvenculam.

Quid? Si Judaizaremus Kimchi, & ex tuis principiis diſputantes, teipſum convinceremus? Filium ergo natum, nec poſſe eſſe filium Eſaiæ, vel Regis. Nam unicum illud ſubſidium, quod ex Proverbiis quærunt, etiam partim ex principiis Kimchianis rueret. Ibi enim dicitur דרך גבר בעלמה via viri in Alma, id eſt, juvencula: Hinccine corruptam argueremus. Nam hoc certe non eſt נפלא, ſeu à ratione humana abſconditum,

ditum, & quidem ſapientiſſimo Agur obſcurum, quænam ſit via viri in deſponſata, ſeu nondum corrupta. Non Salomonis, ſed ruſtici ego mirarer admirationem. Annon ego convenientius dicerem ex principiis Kimchianis: עלמה eſt juvencula, quæ viro quidem deſponſata, ſed nondum copulata: In hoc enim caſu Salomo dicere poteſt, eſſe ſupra rationem ſuam viam viri in juvencula: **Wie wunderlich ein junger Bräutigamb / dem noch nicht zugelaſſen / bey der jungen Braut allzeit zu wohnen / ſich gebehre und verhalte.** Sed hæc obiter ob Kimchium. Reliqui Judæi negant idem quod iſte, ita tamen ut unicus ille locus ex Salomone pro negantis ſtet fundamento. Miramur autem, quod Rabbi Salomo tam dubius in hæc bene notanda verba erumpat: Sunt explicantes, quod hoc ſignum ſit, quia virgo fuerit, quæ non apta ad partum, ſeu parere non viſa. Procul omni enim dubio fuere Judæi antiqui, qui, cum de virgine audivere concipiente & pariente, nec genitam, nec parientem, quod viderint alii, ſtatuerunt: Voce enim hoc myſterium multis erat abſconditum & latens. Sed cum hac in parte à Judæis obcœcatis vix certi aliquid reportare valeamus, ad Scripturam ſacram me confero, ut ibi diſcam, quid עלמה ſignificet. Quater autem vox עלמה tantum in tota Scriptura occurrit (1) Geneſ. 24: verſ. 15. ubi dicitur de Rebecca, quæ certò virgo fuit, & ut virgo ab Iſaaco ducta eſt. (2) Exod. 2: 8. de ſorore Moſis, quæ adhuc apud matrem deliteſcens, fratris apparentem mortem graviter ferebat. (3) in Prov. 30: 19. Quem locum cum ſedulo urgeant Judæi, merito integrum explicamus. Sic Agur, ſeu Salomo ſub perſona ejus: שלושה המה נפלאו ממני וארבע לא ידעתים: דרך הנשר בשמים דרך נחש עלי צור דרך אניה בלב ים ודרך גבר בעלמה id eſt, Tria ſunt abſcondita ſeu mirabilia mihi, & quatuor non cognovi: Via aquilæ in aëre; Via Serpentis in petra; Via navis in medio maris; & via viri in adoleſcentula.

Hæc proponit Agur, ut abſcondita, & hominibus incognita. Unde Rabbi AbenEzra נפלאו explicat per נעל מו. Rabbi Levi, Ben Gerſom autem, per, non relinquere veſtigium. Sic ſenſus eſſet: Veſtigium aquilæ in aëre; Serpentis in petra; navis in mari; viri in juvencula non apparet. Hic ergo argumentaremur: via viri in vetula non apparet: Nam in ſexagenaria forſan parum videbitur, num fuerit vir cum ea. Sed etſi ad inveſtigationem ſponſi, quam integritati ſponſæ ſimulato amore intentat, trahere velint, nihil proficient. Et lubet hic inſerere, quid de hoc loco ſentiam.

Puto, quod vere Rabbi Levi Ben Gerſom ſenſum in generalibus ſit aſſecutus: nempe non veſtigium videri rei præteritæ. Ex hoc enim principio ita explicamus locum: Via aquilæ in cœlo; via navis in mari; Via colubrum in petra notari non poteſt: Nam ſi in arena ſerperet, compareret tractus, at non cum in petra: Sic etiam via viri in virgine matura viro. Ponam exemplum. Vir גבר, qui jam ad maturos annos pervenit, vulgo in mundo ſolet cogitare de ſocia & conjuge. Hic multæ obſervantur (ut dicitur) formæ: Illi procera, iſti curta; illi rubens, iſti pallida; illi Pomerana, iſti extera placet virgo. Tandem cum in loco certus eſt, contemplatur hanc, illam, iſtam filiam, Doctoris, Mercatoris, Opificis. Tunc dico: via iſtius viri erat in filia Doctoris, Mercatoris, Opificis, &c. in hac & illa. Quis autem illam viam dignoſcet? Nam per cogitationes nemini notas tantum calcatur. Quis enim Iſaaci viam in Rebecca cognoviſſet, niſi palam & publice eandem demonſtraſſet per ſervum?

Myſticum etiam ſenſum hic non ſine ratione commendaremus, niſi jam ſatis probatum eſſet, עלמה eſſe nondum cognitam. Nam quod Judæi explicent per נערה, videant, ne hoc ipſo ex manibus dilapſa tela nobis ſuppeditent: Et dum ex maſcul. עלם aliquod ſuæ ſententiæ quærunt patrocinium, forſan magis ſemet confuſos ſero deplorabunt. Nam vox עלם in maſculino, bis tantum in tota Scriptura occurrit, ubi tantum de juvene nondum deſponſato & uxorato uſurpatur.

Sed dum hæc quærimus, occurrit Judæorum Objectio, ex ſequenti verſ. 40. cap. 30. Prov. ex quo aliquod ſententiæ fulcimentum ſubſtitui poſſe videtur. Sed neutiquam. Nam diceremus, Oppoſitionem ibi eſſe adulteræ ſeu corruptæ, & virginis puræ. Et quod magis rem tangit: conferri ibidem non adulteram cum virgine ſeu juvencula; ſed adulteram aut ſcortantem levem perſonam cum via viri, quarum neutra ab hominibus cognoſci poteſt. Nam via viri conſiſtit in cogitatis & ſpeculationibus ducendæ ſociæ; adulteræ in ſubſtituendo partu ſpurio. Quis enim cognoſcet, partum eſſe à marito, an ab alio? Nam, ut textus teſtatur, illa os ſuum detergit, & non eſt, inquit, iniquitas in manu mea. Nunc ergo ad Propoſitum עלם cujus Fœminin. עלמה oppoſitum ſexum notat, invenitur 1. Sam. 17. de Davide nondum conjugato ſeu uxorato: cap. vero 20. de armigero Jonatanis. Qualis eſt ergo ſexus Maſculinus, talis & Fœmin. Iſte extra conjugium, ita & hic.

Sequitur vox הרה, quæ determinat virginem illam ſignantem. Explicavimus *concipientem*: Nam vere eſt participium, & non præteritum, quod ex ſubſequenti יולדת ſatis liquet. Non autem de nihilo eſt, quod Indefinitam conceptionem hic inculcet Propheta: Prævidit enim Spiritus ſanctus, quod per tot annos Eccleſiam noſtram infeſtavit. Hoc nolumus quidem infringere, rem ipſam futuram eſſe; quia futura eidem attribuuntur prædicata & proprietates: ſed hoc volumus tantum obtinere; Generaliter verba Prophetæ ad talem virginem, quæ concepit & peperit, ſeu concipiet & pariet; id eſt, concipientem & parientem eſſe trahenda, quia præter linguæ ipſius idiotiſmum ſuadet idem nobis rei veritas. Futura ergo rem ipſam: Indefinita rei commoda & ſcopum inducunt. Hinc facilis eſt reſponſio ad illud, quod dicit Rab. S. עתיד הוא כמו מצינו באשת מנוח שאמר לה המלאך והרית וילדת בן id eſt, הרה Futuræ eſt ſignificationis, ſicut videmus in uxore Manoach (Judic. 13.) ad quam dicitur ab Angelo: Et concipies & paries filium. Extra hoc enim, quod ibidem jamdum Præteritum per ו converſivum ſignificationem Futuri induit, & hoc notetur, quod certum ibi Individuum digitis monſtretur, cui futura res prædicitur: Hic Participium maneat, & illa virgo, cujus filius futurus erat omnibus notus, Meſſias, ſemen illud mulieris benedictum, ut ſignum cum filio notetur: quamvis realis partus verè futurus erat, & non jam præterierat, ſeu factus fuerat. Magis autem quadrat exemplum, quod ex Geneſ. 16. cap. allegat idem Salomo: *Hinnach hara vvjoladt ben* Ecce tu gravida, & pariens filium. Nam exinde clarius videmus, הרה Participium eſſe, & non Præteritum. Ex quo & hoc conſtaret, quod, ſi Judæi probare poſſent, tunc temporis, vel ante, vel poſt peperiſſe virginem, tunc etiam impletum fuiſſet vaticinium: Nam Futur. ſequens æquipolleret tunc Præſenti, & in Novo Teſtamento de Chriſto antitypo allegatum eſſe diceremus.

Cum hoc הרה arctiſſime connectitur יולדת, de prioris teſtans ſtatu & conditione. Cujus autem Filii fuerit Genetrix, hic diſcutiendum venit. Nam cum dicatur ſignum eſſe VIRGINEM CONCIPIENTEM ET PARIENTEM FILIUM, neceſſe eſt, ut determinemus & demonſtremus, qualis hic fuerit: vi namque relationis & de matre certiores evadere poterimus. Hic Filius talis eſt, qui non habet patrem in terris, ſeu ἀπάτωρ: Si enim habet patrem terreſtrem, non virgo; ſed conjunx, vel ſcortum diceretur peperiſſe. Hoc agnoviſſe etiam R. S. Jarchi, non levia ſunt argumenta, quæ credamus, ſuadent. Utut a. ſit ex remotione falſi pueruli verum facillime inveniemus. Sublevabunt nos hac in parte ipſi Judæi. R. Ab. E. *VVrabbim hiſchtabbſu vvameru ci Immanuel huh chitski ahu vvtſe lo jitcan ſcheim amarnu ſchetsſoe hannbuah hajetahbitchillat malcut Achats hinne col malcuto ſcheſch eſrim ſchanah vvcaaſcher met hajah chitskiahu ben Eſrim vvchameſch ſchanah* i. e. multi anxie torquent hæc ad *Hiskiam*, filium Achas, quod Immanuel iſte ſit *Hiskias*: At illud nullo modo rectum. Nam ſi dicamus, Prophetiam hanc factam eſſe in initio regni Achas; totum regnum autem 16. annos durabat, & cum moreretur, fuit Hiskias natus 25. annos. Idem hoc refutat etiam Salomo Jarchi: יש פותרים שעל חזקיהו נאמר ואי/ אפשר שהרי כשאתה מונה שנותיו תמצא שנולד חזקיהו לפני מלכית אביו תשע שנים id eſt, ſunt, qui explicent de Hiskia: at quomodo poſſibile eſt? Nam ratio Chronologica aperte contradicit, quia numerantes annos Hiskiæ, videmus, quod Hiskias natus ſit ante regnum Patris novem annos. Unanimi ergo conſenſu ab Hiskia hoc vaticinium removent noſtri Judæi: Nam & ipſe mirari non ſatis potuiſſem, qui Judæi, accuratiſſimi partim Chronologi tam turpiter ſe dare potuiſſent.

Deinde antequam filium hunc verum ex faſciis ſuis explicatum producamus Lectori, adhuc duo removendi ſunt filii, quos ingerere nobis ſatagunt Judæi noſtri. AbenEzra ita dicit: *VVhajaſchar benai Scheimmanuel hubben Iſchajahu gam cen maher ſchalal chaſch bats vvhaed vvaekrab el hannbiah vvgomer*, id eſt, At rectum videtur mihi, quod Immanuel fuerit filius Eſaiæ: Sic etiam *maher ſchalal chaſch Baz*. Nam ſcriptum eſt: Et acceſſi ad Propheti ſſam. Sic etiam Schear Jaſchub, & quivis inter eos ſic vocatus fuit ob ſignum rei futuræ. Sic Immanuel vocatur ob præſens DEI auxilium, &c. Maherſchalal, quia prope erat tempus captivitatis Samariæ: Schear Jaſchub, quod quidam ex Iſrael ſint convertendi ſeu reverſuri. Et ecce, confirmat hæc omnia, quod dicitur (cap. 8.

(cap. 8. Esa.) Ecce, ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, &c. Sic & D. Kimchi, *Haalma hats tsot huh eschet hannabi ó Achas.* Virgo (quam ob annorum quantitatem ita dictam contendit) hæc est uxor Esaiæ, vel etiam uxor Achas. Quidni etiam Hiskiæ? Tam certi sunt hi homines in assignando Scripturæ verum sensum. Nam movit Kimchium, ut statueret illud, quod dicitur; Accessi ad Prophetissam: Hoc vero, quod dicitur; Latitudo terræ tuæ ô Immanuel: At, sive Judæi filium faciant Esaiæ, seu Achas, errare videntur; dum rationem signi extenuare præsumunt: Nam filius Esaiæ non filius *haalma*; nec filius Achas; sed ordinaria via sunt prognati. Hinc sequeretur etiam, Esaiam duas uxores habuisse: Nam postquam genuisset שאר ישוב filium primum, non amplius potuit dici עלמה, præsertim, cum tempus sex annorum ad minimum interveniat, necesse sit: & totum illud etiam ex concessis Judæorum. Sed facile possent super inductam alteram coniugem juniorem concedere Esaiæ: quare hæc præterimus, & simpliciter primum tuemur argumentum, quod ea ratione non dici potuisset filius עלמה seu virginis: Rationem autem signi, sicut in principio hujus capitis incepimus, post explicata explicanda, magis magisque enodatam proponemus, & simul, nec Esaiæ, nec Achas filium nomine signi venire posse, demonstrabimus.

Si ergo omnes & Judæorum & Christianorum & Ethnicorum libros evolvimus, nunquam inveniemus virginem peperisse, quam Bethlehemi Mariam. Ex quo consectarium est: hunc filium MARIÆ JESUM NAZARENUM DOMINUM ET SALVATOREM esse FILIUM HAALMA. At quomodo iste post 700. annos circiter natus signum esse Achas potuerit, partim evolutum est; partim explicabitur in subsequentibus.

Sequitur וקראת & vocans nomen ejus Immanuel. Non hic accipiendum est קראת pro perfecto, quod ob ו conversivum futurascat; quamvis in Novo Testamento, ubi alia ratione allegatur, ita legatur; sed pro Participio Fœmin. ita ut sensus sit: *Illud Signum* dabit, nempe VIRGINEM CONCIPIENTEM ET PARIENTEM, ET VOCANTEM NOMEN EJUS IMMANUEL. Quod autem talis forma in Participio Fœm. usitata sit, probat Aben Ezra ex cap. 5. Exod. *VVchatat amcha* Populus tuus patiens est: Ut & extra hunc locum ex Genesi & aliis sat conspicuum evadit. Non probamus ergo, quod D. Kimchi scribit: *Karaht derech zivvvvui ci hannabhi hajah mzavvvve schettikrahschmo cen ci mijom schejiivvvvaled jiihe lacem schalom vvjibie hael immachem lacen tikra schmo jmmaauel* id est, קראת est genus dicendi Imperativum, quia Propheta jussit eam ita vocare filium, quoniam à partu ejus, seu impositione nominis ejus pax erit, & Deus vobiscum benedicet vobis. Quamvis enim non absurdum foret, ita imperare, tamen hoc in loco vix videtur probabile. Non enim directus est sermo ad certam personam, sicut quidem in aliis locis Scripturæ usu venit: sed simpliciter ob oculos ponitur virgo, hoc & illud faciens, pariens, &c. Et cum Kimchius ipse doceat, consuetudinem hoc obtinuisse in populo Jhuda, ut matres imponerent nomen filiis, ad quid requiritur mandatum, nisi ad imponendum tale & tale nomen; quod nec hic locum habere potest, cum signum adeo evidens esse debeat, ut virgo fato concipiat, pariat & vocet nomen. Nam idipsum etiam sensit Salomon Jarchi, cum dicit: קראת שמו עמנואל שיהא צורנו אמנו וזה אות שהרי נערה היא ולא נתנבאת מימיה ובזו תשרה בה רוח הקודש וזה הוא וגום/ Huc usque evidenter descripta est nobis virgo pariens, & vocans filium Immanuel; quod nomen concludit signa in virgine matre, & exorditur signa in filio nato; hunc vocatum, & istam vocatam respiciens. Est autem nomen signi, quod gratiam Dei, & unionem ejus cum hominibus inducit. Agnoverunt hoc Judæi, qui ideo dictum hunc filium Immanuel asserunt, quod Deus hoc nomine gratiosissimæ suæ præsentiæ dare voluit argumentum: Unde dicunt, quod vivente Immanuele pax & securitas fuerit in terra Jhuda. Quas explicationes in genere non reprobamus; sed multo magis in Jesu Nazareno Deo & homine veneramur. Etenim postquam hic communicavit carni & sanguini, & filius hominis inventus est; nos omnes cum vero Deo per suam carnem copulavit, ut, sicut Deus factus est filius hominis; ita homines è contra filii Dei effici potuerimus. Hoc quidem parum ferire potest Judæos, quod dicamus: Immanuelem illum non esse filium Achas, vel Esaiæ, quia nec illius, nec hujus filius dici possit θεάνθρωπος. Nam, quamvis vere per hunc filium cum Deo reconciliati uniamur; Non tamen simpliciter vox hæc HOMINEM DEUM esse evincit: quia in signum, quod Deus cum hominibus per mediatorem jam in gratia contentus, eos sibi filios adoptet, & cum ipsis perpetuo sit & operetur, nomen hoc recens nato filio impositum esse, etiamsi fuisset nudus homo, negari non potest: Sed cum Mediator ille Messias sit necesse est, fieri non potuit, ut homo tanti operis & salutis esset signum. Hinc in Novo Testamento filius hic vocatur Jesus; quia salus per Christum, & gratia per mediatorem in omnes homines redundavit: Salus autem illa non nisi per eum, qui Immanuel: Nam extra hunc Deus noster ignis ardens & consumens est. Immanuel ergo & Jesus se habent ut nomen & cognomen, ut fons & rivulus: sicut alio loco id fusius sumus explicaturi.

Audiamus jam etiam breviter, quænam de hoc Immanuele dicantur. *Chemah udbasch jocel ldato maos barah vbachor battob.* Quomodo hæc velint filio Esaiæ, & Achas adscribere & explicare Judæi, audiemus. A. E. *Lpi dati schebaoth chemah udbasch jocel ei en minhag hajladim schejioclu bet Lidtam* i. e. juxta sententiam meam dico, quod esus butyri & mellis fuerit signum: Nam non est mos puerorum, ut edant circa partus tempora.

Vere non est mos, nam ab uberibus matris pendent: & hic tamen puer edet butyrum & mel, antequam terra Israel (sic enim cohærent juxta Judæos omnia) à Regibus suis derelinquenda, id est, duobus primis annis. Rabbi Salomó (שתהא כל טוב לרעתו מעוס ברע ובחור בטוב refert ad fertilitatem terræ. Sed ex principiis Judaicis loquor) ne quidem post multos, nedum duos annos tanta sequebatur fertilitas. Aut ergo Rabbi Salomo, necesse est, ut disjungat duos hos versus; aut absurdum revocet. Non erramus ergo, si hæc דרך משל id est, per metaphoram, seu allegorice dicta esse statuamus: Nolentes, volentes subsidium ferent Judæi: Nam R. K. sic in hæc verba commentatur: *Clomar mijom schennolad jucal ldato chemah udbasch vvcol dabar matok schejiakribu lpanavv huh jiphtach pivv lo vvjikkchennu, vvim jakribu lpanavv maacal rah jimasennu vviisgór pivv lo vvlo jirzebo* id est, quasi diceret: A die, quo nascetur, poterit distinguere inter butyrum & mel, & omnem rem dulcem, adeo, ut si adduxerint ei illud aperiat os suum & accipiat illud. Si vero obtulerint ei cibum malum, reprobabit illum, & claudet os suum, & non volet illum. Et statim in subsequentibus allegat versum de electione boni & mali. Cum ergo hic Judæus transferat hæc etiam ad cognitionem filii nati; quidni & nos ad eandem certo respectu ablegemus contradicentes. Ne autem injuriam faciamus textui, simplicem & planum hunc esse verborum sensum dicimus: Butyrum & mel comedet, id est, *Nascetur in terra Judæorum verus homo, & gratiosus erit cuivis.* Quia scit reprobare malum, & eligere bonum; i. e. *Quia ipse à peccatis purus, non ad auditum aurium, nec ad visum oculorum, sed in justitia & omniscientia judicabit omnes.* Placet illorum expositio, qui sub esu hujus cibi significari putant veram pueri nati humanitatem. Eruditum autem & sagax hujus seculi ingenium, ut fieri solet, disputare poterat de ratione miraculi, quia Achas etiam non præmonitus, hominem fore puerum natum, vel nasciturum, vix credidisset. Quibus tamen non inepte responderetur; nihilominus necessarium fuisse, ut inculcaretur impio Regi vera nati humanitas: Desperatæ enim malitiæ nebulo, parumque Deo credens Achas potuisset Esaiam arguere mendacii, vel ad minimum erroris reddere suspectum, dum suis rei narratæ absurditatem ab impossibilitate partus virginei infixisset. Sic enim delirasset ratio: Virgo parere non potest: Aut enim videbitur virgo, aut revera est: Si videbitur ergo, non העלמה: Si est, non potest esse homo, quod natum; sed phantasma: quia hominem homo ex homine generare debet: Ergo Esaias fallit. Hoc ergo non vulgaris cujusdam miraculi habebat specimen, quod virgo mera verum hominem prædicetur paritura.

Sic quidem juvare placuit eam sententiam, ita tamen, ut, quid nobis videatur addendum, subingeramus. Primo quidem Locum, terram videlicet Canaan: Nam res erat ut demonstraretur, simul domum David permansuram, & in terra Jhuda Messiam proditurum. Obstare videtur captivitas Babylonica. Ita est, videtur; at non est: Nam diversitas causæ diversum etiam genuit effectum. Nunquam REX JUDA, quivis etiam sit, ductus fuisset in captivitatem, si huic Oraculo candide credidisset. Et, nihil obstante contrario, ne incredulitas Regum Dei fidem tollere diceretur, res ita est disposita, ut & Reges patriam occuparent, & in ea Messias ex virgine nasceretur. Vis argumenti autem in hoc nervo consistit: Messias seu *Puer natus erit verus homo: verus homo partus est virgineus. Nascetur in terra tua ô Achas, & quidem, quod jam satis est vulgatum, ex stemmate Regio Davidis:* Ergo

Ergo terra hæc non deſeretur in æternum: nec domus David deſtruetur ante nativitatem filii virginis. Peccatum quidem & iniquitas ſordens ejecit Reges Juda ad tempus ex terra illa: at ut verbis Dei perpetua ineſſet veritas, rediere, & ſedes priſtinas recepere. Sed hæc aliis ulterius pertractanda relinquimus: Præſertim cum Lector exigere videatur, quanam, probabili ad minimum, ratione evincere coner, locum nativitatis ſubincludi. Audiat ergo, ſed eum, qui hæc paulo fuſius ob majorem evidentiam, tractare tenetur.

Mel in ſacra Scriptura deſcribitur nobis 1. ut cibus incolis terræ ſanctæ vulgatus. Geneſ. 43: verſ. 1. inter *tſimrat haarez* id eſt, illud, quod de terra, ut ſpeciale commendatur, numeratur etiam MEL. Conferatur cum hoc loco Deuter. 32: verſ. 13. 1 Sam. 14: verſ. 27, 30, 45. 1 Reg. 14: 3. Judic. 14. 2 Sam. 17. 2 Chronic. 31: 5. Jerem. 41: 8. Ezech. 16: 19. & 27: 27. 1 Sam. 14: 27. Sic etiam ex parte Butyrum. Hinc ultra octies vocatur terra ſancta, terra fluens lacte & melle: Ex lacte Butyrum coagulatur, unde etiam Butyrum dictum. Hinc dicere poſſum: Butyrum & mel comedet, idem eſt quod erit Judæus: Nam & à cibo nationes denominari ſatis eſt compertum. Et ut tranſmarina monſtra, & ejus generis homines taceam, cum ſub ſpecie veri multa forſan lateant mendacia: Ecce propono Rugianos noſtros. Si Germanice dicerem: Er wird Tollatſchen eſſen/ Reſponderet alter: So wirds ein Rugianer ſeyn. Ignoſcat Lector, quod talibus ſimilibus rem illuſtrem: omnia enim evidentiæ ergo allegantur. Sic Boruſſorum (honoris ergo, non ſine jucunda recordatione eos voco) eſt diverbium: **Laß ihn nur erſt Glümſe ſchmecken/ ſo wird er Luſt haben im Lande zu bleiben.** Hinc phraſin hanc edoctus ſtatim audit de puero Boruſſo agi, ſi legit, Das Kind aß Glümſe. At ridebunt me, qui non niſi magna obſcuris ſuis in volucris lectori objicere ſolent: Quare ab exemplis hiſce ad Scripturam ſacram judicem controverſiarum omnium appello. Videatur 1. Ezech. 16: vſ. 13. In hoc deſcribitur (1) ſtatus Judæorum ante vocationem Abrahami verſ. 1, 2, 3, 4, 5. (2) commiſeratio Dei in Abrahamo eos vocantis, & jam nubiles ſibi deſponſantis 6, 7, 8, 9. Hinc deſcribitur majeſtas, qua ſponſus & Dominus deſponſatam honoravit. Hanc ex Germanica, omnibus Latinis, quas mihi videre contigit, præferenda verſione Lutheri ita deſcribit Ezechiel: **Jch badet dich mit Waſſer/ und wuſch dich von deinem Blut/ und ſalbet dich mit Balſem/ und kleidet dich mit geſtickten Kleidern/ ꝛc.** id eſt, ego myſteria mea tibi manifeſtavi, ut pro omnibus gentibus ex vero Deo eſſes conſpicua. Nam hæc omnia ſummatim docet verſ. 13. **Summa/ du wareſt gezieret mit lauter Gold und Silber/ und gekleidet mit eytel Leinwand und geſticktem/** id eſt, omnia, quæ populum magnificare nata ſunt, tibi aptavi. Quod certe impletum eſſe in Iſraëlitis tam in Ægypto, quam inprimis cum tam ſtupendo modo ducerentur per Mare Rubrum & deſertum. De hinc pergit Propheta; **Du aſſeſt auch eytel Semmel/ Honig und Oel/ und wareſt uber auß ſchön/** i. e. Tu ducebaris in terram Canaan, **und bekameſt das Königreich/** id eſt, Tu vere ad Regiam dignitatem evehebaris: Nam ex tuo ſanguine tales ſurgebant Reges, qui etiam omnibus finitimis jura & Leges dabant: quare etiam fama Nominis tui longe lateque ſe diffundebat: quod ex hiſtoria & Davidis & Salomonis intelligi poteſt. Hic judicet Lector, annon verſus 13. deſcribat poſſeſſionem terræ Canaan, quæ ex mellis copia ſæpe commendatur. 11. Aſſumatur cap. 4. Cantic. verſ. 9, 10, 11. **Du haſt mir das Hertze genommen/ meine Schweſter liebe Braut/ mit deiner Augen einem/ und mit deiner Halßketten eine. Wie ſchön ſind deine Brüſte/ meine Schweſter liebe Braut/ deine Brüſte ſind lieblicher den Wein/ und der Geruch deiner Salben ubertrifft alle Würtze. Deine Lippen/ meine Braut/ ſind wie trieffender Honigſeim/ Honig und Milch iſt unter deiner Zungen/ und deiner Kleider Geruch iſt wie der Geruch Libanon.** Hic Meſſias affatur Eccleſiam Sponſam ſuam: in hac inter alia hæc commendat; quod Mel & Lac ſit ſub lingua ejus. Hoc quidem myſterium ſapit, & elogia Dei excelſi tantum extollere videtur: at non ita ſimpliciter & nude eſt procedendum: indigitat enim ſimul ſponſus, cujas ſit ſponſa, nempe Judaica.

Deinde etiam deſcribitur nobis mel, ut ſumma ſapientia, gratia, & eloquium Dei noſtri. Conferatur Pſal. 81. & 19. & 119. Hinc, ut ſaporem mannæ negligamus, edere mel, Prov. 24. idem eſt, quod ſectari ſapientiam, & media ducentia ad eam; Unde nimium mellis edere, eſſe nimis ardua ſectari, apparet ex vſ. 27. collato cum 16. cap. 25. Prov.

Et hæ ſunt cauſæ, quæ impulerunt ad interpretationem eam, quam ſupra dedimus: Naſcetur verus homo in terra Judæorum: I a ut, quod ex poſterioribus eſt colligendum, ſimul involvatur profectus ejus in ſapientia & prudentia. Hoc non obſcure innuitur, cum pergit Propheta לדעתו מאוס ברע ובחור בטוב ex uſu mellis & butyri non pullulat ſapientia, non diſcrimen boni mali. Liquet ergo, non tantum proprie verba hæc de humanitate ejus & patria, ſed & metaphorice de *gratia & lenitate ſervatoris*, de BONITATE *& miſericordia* accipienda eſſe. Unde Aben-Ezra: Dulce eſt bonum. Sic enim congrue reſpondent ſequentia לדעתו בחור בטוב ומאוס ברע id eſt, ut ſciat ipſe eligere bonum, & reprobare malum: Ineffabilis ſapientia divina, ut in Prophetis ſolet, multa ex poſteriori, priori in ſenſu addenda, ſubingerit. Nam ſi ſub ſimplici literali Spiritus mente, ſublimior & divinior rei lateat ſenſus, pro more, in ſubſequentis rei, quaſi apodoſi, inferenda infert. Dictum antea ſub melle & butyro, extra patriam Meſſiæ latere etiam bonitatem & miſericordiam ejus. Probat hoc Spiritus, cum dicit: **Daß Er wiſſe böſes zu verwerffen/ und gutes zu erwehlen.** Quid hic dicendum; Eſus butyri & lactis cauſa eſt tantæ diſcretionis? Cogimur ergò hæc verba ita interpretari, ut priora ab obſcuritate liberent, & ineffabilem miſericordiam & divinam gratiam, ſub mellis & butyri nomine nobis inculcent. Sic enim fluunt puri fontes: Judæus hic (Meſſias) gratioſus erit, & vi iſtius gratiæ novit, quid gratia dignum, quid indignum: Et ita etiam te peſſimum Achas reprobare ſciet, niſi credas. Nam & odorem mortis ad mortem Meſſiam eſſe poſſe, tua te docet relligio.

Et ſic bona pars hujus vaticinii & argumenti explicata eſt. Ubi non poſſumus non meminiſſe eorum, qui Judæis hic cedendum eſſe putant. At cedendum quidem eſt, & ita quidem, ut ſi utrumque ſano ſenſu ſtare poſſet, ſepoſita noſtra ſententia, in gratiam fratrum Meſſiæ & Regis noſtri Judæorum placita amplecteremur. Non enim leviter me movit mos & conſuetudo Prophetarum V. T. qui ſub involucro quodam Meſſiam nobis exhibere ſolent. Sic ſub Coreſch ſæpe latet Chriſtus, ſub Iſraël & David idem Servator, ut & ſub Salomone & aliis, imo ita aliquando latet, ut niſi Novum Teſtamentum allegaſſet dictum pro Chriſto, de eodem agere vix videre potuiſſemus; Hinc eſt ut non raro de typo & antitypo idem prædicatum ſit veriſſimum, quandoque ex natura typi diſtinguendum. Sic 1 Chron. cap. 17. agitur vere de Salomone, allegatur enim de eo, interim tamen allegatur etiam de Chriſto Hebr. 1.

Vera ſunt hæc omnia, nec enim Judæos falſis explicationibus in veritatis viam ducere juvat, deterrentur magis, ſi ſua in petra, noſtra in arena ædificata eſſe ſenſerint. Imo nihil derogaret autoritati Novi Teſtamenti, ſi tempore Achas virgo quædam concepiſſet, & ut præfigurans partum Mariæ, filium in lucem edidiſſet.

Dicerem ego, & quidem ex locis ſimilibus facta comparatione, in Eſaia inveniri typum, in Matthæo antitypum, non errarem, nec me erroris convinceret, qui modo dextre Scripturam accipere didiciſſet. Non ſine cauſa enim Vetus Teſtamentum umbram futurorum bonorum habuiſſe dicitur.

Verum enim vero, extrema nos urget neceſſitas, præſens argumentum, in quo propoſitum eſt, vigore conſervare. Nam nec tunc puer natus eſt, & ſi natus ſit, non natus eſt ex virgine, ſed vel ex uxore Eſaiæ, vel Achas, vel alia quadam matre. Nam העלמה TANTUM ſignificat juvenculam nondum cognitam.

Prævideo quidem, quid ſapientiores Judæi poſſent regere. Haalma eſſe quidem juvenculam, antea nondum à viro cognitam, ſed jam ut conciperet primum cognoſci cœpiſſe. Nam ne & hoc quidem ſufficere arbitramur. Quia dum concipit cognita, non concipit ut virgo, ſed ut cognita, quæ niſi jam fuiſſet, virgo manſiſſet. Demonſtratum eſt illud abunde ex oppoſitione Maſculini עלם. Quamvis etiam libenter fateamur virginem in ſancta lingua vocari בתולה, nihil tamen obſtat, quo minus etiam vocetur העלמה, ſicut apud Germanos incorrupta juvencula vocari ſolet, Jungfraw/ Magd/ junge Dirne. Quod enim in Germania Octuagenariæ, & quæ alterum pedem habent in ſepulchro, etiam vocentur Junge Frawen/ verba puto eſſe honoris, cum niſi communis experientia, certo tamen ducentriplicatæ rugæ faciei prodant contrarium. Et forſan hac in parte convenit Germanis cum Judæis, qui etiam cognitam forſan honoris gratia dici volunt העלמה. Sed ſicut illi, ita & hi idoneis deſtituuntur authoribus. Hoc quidem aliud eſt, quod

quod in Germanica lingua Octuagenaria nondum cognita vocetur, Eine Jungfraw / eine alte Magd / eine alte Dirne / hanc enim eadem ratione in Ebraica lingua vocare possem בתולה הבא בימים id est, virginem quæ jam venit ad dies, id est, virginem jam senio confectam, sed non העלמה הבא בימים quia eo ipso, quo est העלמה, juxta tenorem Scripturæ non est senior, sed juvencula, & quidem virum non passa.

Jubemur ergo, adigimur, cogimur & impellimur, hæc omnia, tantum, simpliciter, pure & absolute referre ad JESUM NAZARENUM Virginis immaculatæ filium, ut signo suum relinquatur pondus. Non enim prætereundum est, quod ipsimet Judæi in ratione signi non conveniant, vident enim & deprehendunt, nec miraculum esse, nec miraculi nomen mereri, si in conjugio, filium peperisse dicatur mulier.

Hinc allegante Aben-Ezra, Haggaon putat, signi formam esse זכר, id est, quod Esaias prædixerit, juvenculam non parituram fœminam sed masculum, sed hic homo magnificus alias, non est dignus hic cui respondeatur. Similis farinæ etiam est, quod Aben-Ezra ex sua sententia nobis proponit. Rab. K. autem allegat parentem suum, qui signi rationem ponit in electione boni, & reprobatione mali. Sic enim verba parentis allegat. / וכדי שתאמין זהיתן לך האל זה האות מאתה כי מיד שיולד הנער יבחר במאכל טוב וימאס ברע i.e. Et ut credas, ecce illud dedit tibi Deus in signum, quod puer statim post partum eliget cibum bonum, & malum reprobabit. Responsio petatur ex antedictis.

Rabbi Salomo signum dicit esse שהרי נערה היא quod juvencula sit mater; In quo certe parum abest à veritate, & ambigere incipio, quid de hoc Magistro statuendum sit, in hæc enim verba inter alia erumpit ויש פותרים שזה האות שעלמה היתה ואינה ראויה לוולד id est, sunt qui explicant, hoc fuisse signum, quod juvencula fuerit. Multi hic dubitabunt, num refutet vel illustret hanc sententiam, statim enim subjungit ואינה ראויה לוולד quæ certe verba, nisi vitium typographicum insit, fere non video, quomodo aliter explicari queant, quam per, sed illa, vel & illa non est apta ad pariendum puerum, & ita sensus sit completus iste, Virgo quæ alias parere non potest, pariet, & hic miraculosus partus virgineus signum esse potest.

Huc usque sat prolixe ex Judæis datus est verus sensus oraculi hujus magni, ubi quod in initio dictum, hic reassumendum & brevibus recapitulandum esse putamus, ut vis argumenti eo magis elucescat: Si DEUS POTEST FACERE (quod tu Achas Judæus existens credere debebas) UT VIRGO PARIAT, QUIDNI ETIAM FACERET, UT JERUSALEM AB HOSTIBUS INTACTUM RELINQUATUR, QUICQUID CONTRA DELIRET RATIO.

Nec habet parens Kimchii, quo rideat Christianos, quod hominem post quadraginta demum annos natum Regi Achas in signum datum esse doceant. Nam ut supra evictum est, Iratus Deus loquitur contra Achas, & in memoriam revocat ei prima principia religionis Judaicæ, ubi de Deo credi debebat illud, quod Apostolus omnes cogitationes nostras excedere dicit. Ut autem rudis hic Regulus ante pedes haberet, quod tangere & palpare poterat, insigni Epiphonemate totum hoc argumentum concludit Spiritus sanctus cum dicit; כי בטרם ידע הנאר מאוס ברע ובחור בטוב תעזב האדמה אשר אתה קץ מפני שני מלביה id est, *Imo antequam puer sciret reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra illa, quam tu detestaris, à duobus regibus suis*, quasi diceret: Satis est jam inculcatum tibi, quod decretum de sexaginta quinque annis adhuc inviolatum maneat.

Tantæ te esse pervicaciæ, ut patria sacra, religionem, & principia in dubium vocare non verearis! Sed esto, interea tamen, quæ dixi, evenient. Et hoc insuper habeto, adhuc duo sunt ad summum anni, quando Reges sunt extirpandi, qui jam contra te surrexerunt. Si hæc sese ita habeant, quomodo consilium ipsorum consistet? quomodo novum Regem pro te ungent, &c.

Diligenter autem omnia in hoc versu sunt ponderanda, ut argumenti ratio, quam prioribus omnibus tanquam extremum movens certis de causis insevimus, eo magis lectori, ob oculos versari queat. Et primo quidem הנער. Non otiose ergo quæritur, Num puer hic sit idem, qui antea dicebatur Immanuel. Sic sentiunt Judæi, & irrefutabile hinc nectunt argumentum, quod quomodo totaliter solvi possit, nondum vidi. Non enim prævalere debent illusiones textus sacri, qua lectori ambæ aures multis ambagibus opplentur.

Verum utut sit, sive idem sive alius quidam puer sit, periphrastice hic nobis proponitur tempus derelinquendæ terræ. Nam puer anno ætatis secundo generaliter incipit cognoscere discrimen boni & mali. Hic ergo est sensus. Si O Achas, animus tuus dolosus nondum acquiescere potest; Ecce & hoc addo, quod si jam natus esset, & esset הנער, antequam secundum annum attingeret, Reges isti extirpabuntur.

Hinc vocem ידע per *cognosceret* explicare volui similis significatu Futuri secundi in Scriptura frequens est, modo instituti ratio permitteret, Grammaticalibus tantum inhærere. Videbuntur quidem hæc multis obscura & detorta, sed non ita, si modo textus probe & dextre legatur & repetatur. Nam tum puerum talem non natum esse, satis, ut puto, evictum est. Nam si hæc omnia animum fluctuantem Regis nondum compescere potuissent, repetit Deus determinate magis exitium Regum hostium, & ita duplex dubium impio homini eximit, alterum de vera humanitate filii virginis, alterum de certo exitio Regum infensorum.

Et nisi hæc sat probe percipi possunt, sine omni absurditate dicatur, hic agi de puero in genere, quasi dicerem: Ehe ein Knab möchte reden lernen / id est, innerhalb zweyen Jahren. Nec obstat ה vulgo sed falso dictum Emphaticum, est enim ה articulare, cujus certe naturæ cognitio sat est necessaria, quamvis cum publico malo Ecclesiæ hæc soleant non sine suspicione pudendæ ignorantiæ rideri. Nec sufficiens ratio me confundere posset, si הנער indefinite sumerem, quia etiam in lege Mosis Numer. 11: vers. 27. ita sumitur: Et currebat הנער, & nunciabat Mosi, &c. Hic vestrum Emphaticum seu demonstrativum, monstrate ergo puerum, quinam fuerit. Ego explico, Es lieff ein Junge / und sagts Mosi an / sive hic fuerit puer Mosis, seu Simeonis seu Levi parum refert, indefinite enim accipitur.

Particula כי hic non est simpliciter redditiva. Et ne de significatione ꝫ imo huic loco competente ambigere videar, loca similia lubens prætereo, quid enim juvat in Sole accendere candelam.

Hoc obstare videtur, quod eadem reprobatio mali, & eadem electio boni tribuatur huic puero, quæ Immanueli. Sed nota est figura Rhetorica dicta allusio, ubi sæpe eadem phrasis diversam significandi sortitur intentionem. Hæc fundamentaliter, & ex locis similibus explanare jam non est animus. De Regibus extirpandis, quos profugos interimi oportebat, res est salva, modo probe ponderetur historia eorum.

CAPUT IX.

PARS SECUNDA

De Argumento Sexto.

SEcunda pars continet argumenta appetentiam subsidii humani, & in specie Assyriaci dissuadentia, desumpto medio termino ab infelicissimo & contrario effectu. Thema enim in parte prima ita formabatur: Rex Achas NON TIMEAT ET SPERET, cur non timeat, primo, docuit, cur non SPERET secunda pars explicabit.

Sic pergit Spiritus sanctus: יביא יהוה עליך ועל עמך ועל בית אביך ימים אשר לא באו למיום סור אפרים מעל יהודה את מלך אשור id est, *Adducet Jhovah super te & super populum tuum, & super familiam tuam dies, quales non fuerunt ab eo die, quo Israël seu Ephraim deficiebat à Jhuda, cum Rege Assur.*

Vis argumenti hæc est: Tu Achas inniteris baculo Assyriaco, sed ille baculus tuo aptabitur dorso. Nam cum Rege Assur omnia mala tua terra sentiet. Hinc enim statim sequitur in textu והיה ביום ההוא ישרק יהוה לזבוב אשר בקצה יאורי מצרים ולדבורה אשר בארץ אשור: ובאו ונחו כלם בנחלי הבתות ובנקיקי הסלעים ובכל הנעצוצים ובכל הנהלולים: Hæc terrorem incutere nata sunt verba. Spiritus sanctus in historia Regum expresse dicit, Regem Achas advocasse in sui subsidium Regem Assur, Rex Achas ob hoc à Deo ministerio Esaiæ fuit graviter reprehensus, & tamen hic idem Spiritus dicit: DOMINUS adducet Regem Assur. Tam bene cedere solent advocata auxilia humana. Sic enim interpretamur allegata verba præcedentia: *Et erit post illud tempus*, id est, quando jam Assur terram Israël fuerit ingressus, *sibilo signum dabit Jhovah muscæ, quæ est in extremitate fluviorum Ægypti*, id est, exercitum obsequentissimum ex Ægypto, cui etiam Judæi sæpe sunt innixi, conscribet, *& api quæ est in terra Assur*,

id est, præsidiario exercitui Assyriaco. *Et venient & considebunt omnes ipsi* scil. exercitus totus ex Assyriis, Ægyptiis &c. *in vallibus desertis, in cavernis petrarum, in omnibus spinetis & in omnibus arboribus vilibus.*

Hæc ultima verba in Ebraica lingua laborant quadam difficultate, quare versio primo bene ponderanda, & quid sibi velint arbores istæ, demonstrandum erit, nam præter hæc res ipsa & argumenti ratio sat est evidens. Audiamus, quod super hæc verba commentati sint Judæi.

Primo occurrit נחלי הבתות, quod ex alio interprete vertimus *vallibus desertis.* AbenEzra explicat per מקום שמם / מגזרת ואשיתהו בתה id est, locum desertum, & simili exemplo ex Esaiæ capite 5. hoc ipsum probare satagit. Rabbi Salomo in eadem fere est sententia. R. Kimchi autem נחלי הבתות vocat ערי אשר בעמקים id est, civitates, quæ sunt in vallibus, alias in desolationis prædicato cum reliquis concordat.

Secundo occurrit נקיקי הסלעים, quæ explicavimus per *cavernas petrarum.* R. Salomon נקיק vocat נקרת הצור effossionem petræ. Kimchius iterum sensum respiciens vocat *civitates munitas quæ in petris.* Sensus ergo est talis: *Exercitus prædictus omnes civitates occupabit.* Notetur hic obiter emphasis illa, qua civitates non munitæ & in vallibus sitæ vocentur *valles desertorum*, quia procul omni dubio & tunc in Judæa civitates ignobiles gravissimo sunt onere pressæ, quæ pressuræ (ut cum modernis oppressis sympatriotis loquar) facile ex vallibus amœnitatis valles desertorum facere potuerunt. Et ut lector optime intelligat, quid sint נחלי הבתות & נקיקי הסלעים quæ ab Assyriis tunc temporis obsidebantur, capiat exemplum ex patria nostra. Hæc habet valles desertorum, urbes videlicet non munitas & minores, in quibus hodie tres domus desertæ unam excipiunt salvam: Habet etiam cavernas petrarum, quæ per Dei gratiam adhuc quadantenus florent, donec extremam injustitiam ferre impatiens Judex aliter res disposuerit.

Tertio occurrit vox הנעצוצים, quam explicavimus per Spineta. AbenEzra הנעצוצים vocat אילנים אין id est, Arbores steriles. Rabbi Salomo vocat להם פיר מקים חסירים id est, locum veprium, & in vernaculam suam, quam ego nondum intelligo, transfert, & simili loco Scripturæ ex oppositione ברוש, ignobiles arbores esse evincit. Unde etiam Divus Lutherus vocat eas Hecken.

Quarto loco occurrit vox נהלולים quæ juxta interpretem quendam reddimus *arbores viles.* Schindlerus in Lexico pag. 1080. vocat eas dumeta. Rabbi Kimchi itidem arbores viles. Et nec AbenEzra huic textui in hoc casu satisfacere videtur. Missis ergo interpretibus vocem ex Etymo suo metiamur. Radix ejus est הָלַל claruit, nituit, hinc dico descendit auctum ab initio per Nun. נהלולים arbores significans decoras & illustres. Quamvis enim הלל significet etiam inglorius fuit, à qua significatione prædictus Schindlerus נהלולים vocat ingloria ligna, nulla tamen nos urgeri necessitate, à primitiva significatione discedere, præsertim cum hic totus contextus inducat oppositionem nobilium & ignobilium. Sic opponebantur civitates non munitæ munitis. Et hic opponuntur arbores viles, decoris, ut ita exhauriatur quasi universitas habitatorum, qui sunt vel magni vel parvi, & doceat Spiritus sanctus, neminem fore immunem ab ingruente calamitate Assyriaca.

Et explicatio ea literalis quam de arboribus decoris dedi non caret sua authoritate. Nam D. Lutherus etiam nobiscum facere videtur, cum נהלולים vocat Büsche / quos den Hecken opponit. Item Targum Jonathanis quod vocat eas בתי תושבחתא domos gloriosas, prächtige Häuser / ad sensum respiciens.

Jam recta progredimur ad sensum verum, seu jam dum dati explicationem clariorem, quæ unice nervo argumenti supra posito conservatur. Hinc Rabbi Kimchi tali nos informat discursu. מאלה המלכים לא תפחד אבל עוד יביא יי עליך ועל עמך ועל בית אביך ימים אשר לא באו וגומ׳ id est, *Ab istis Regibus nolito timere, nam adhuc super te*, &c.

Hoc est quod voluimus demonstrare: moneri Achas, ut non metuat sibi à Rezin & Rege Israel, nec speret in Assur, quia cum Assur omnia mala sibi ipsi certo sit adsciturus. Vocem את enim hoc loco placuit efferre per *Cum*, ne proprietati linguæ aliquid derogaretur.

Tempus calamitatis hujus de quo vaticinatur Propheta ex textu nobis describit AbenEzra his verbis כאשר הגלה שומרון ודמשק אז יבא סנחריב אל יהודה id est, Postquam Samaria & Damascus captivatæ fuerint, tunc veniet Rex Sennacherib contra Jhuda.

Dispescit autem Propheta mala prædicta ita, ut nihil sicut ex speciali enumeratione partium jam notum est, sanum mansisse dicatur.

Primo enim dicit עליך malos dies adducet Dominus contra te seu super te, id est, te Regem Achas. Impletum hoc est, 2. Chronicor. 28: vs. 20, 21, 22. 2. עמך super populum tuum. Impletum hoc fuit non tantum, cum adhuc in vi vis esset Rex, sed & cum jam dudum erat defunctus. 3. בית אביך i. e. Domum patris tui, id est, ut explicat Rabbi Salomo, על חזקיהו בנך המולך אחריך ולפי שהוא צדיק לא קראו בנו *super Hiskiam filium tuum regnantem post te, quem non vocat filium ejus, quia justus erat.*

Ephraim sumitur hic pro decem tribubus, causa supra est allegata. Hinc Rabbi Kimchi addit: מיום שיחלק המלכות כי אז החלו הרעות לבא על ישראל id est, *ab eo die, quo regnum fuit divisum, nam tunc mala incipiebant venire super Israel.* Perpetua enim bella enervabant habitatores, & macerabant ipsos reges. Hæc mala autem quæ jam prædicuntur, superabunt præterita omnia sua mole qua prement. Et quidni premerent cum Dominus exercituum sit Dux belli Regis Assur. Hinc vocem ישרק Kimchius explicat per יעיר רוחם id est, *excitabit spiritum ipsorum*, seu *confortabit eos.* Nam sicuti insecta à vento in certam plagam acta esse legimus: ita etiam hic Exercitus Assyriacus, qui muscis & insectis assimulatur, à Spiritu Domini fuit quasi intrusus in terram Jhuda. Sed hæc ex sententia Kimchii. Si enim vocis naturam penitius introspiciam, video quod hac voce obsequium vocatorum inferatur. Quem enim sibilo voco, de eo sum certus, quod venturus sit, alias enim comiter vel per me vel per alios esset invitandus. Confirmat hæc Scriptura, vocem hanc ex nostra sententia explicans, Esai. 5: 26. ושרק לו מקצה הארץ id est, Gentem *advocabit ab extremitate terræ.* Sequitur והנה מהרה קל יבא id est, *& ecce cito velociter veniet.* Hic discat Achas, quanta moles sit malorum Deum habere infensum. Infensus enim creator, omnes creaturas contra invisum sibi confortat.

Nam vocatur egregius iste exercitus apis & musca non tantum ob ingentem copiam, & damni inevitabilis non animadversam primo necessitatem, sed etiam ob totius exercitus respectu Dei statum & conditionem. Unde tale nectendum erat argumentum. Si tanta cohors militum, quorum impetum tota terra ferre non poterit muscarum tantum nomine veniant, quantus erit Deus ipse offensus, qui Spiritu suo in terram tuam ô Achas flavit eas. Quod autem talis musca describatur, quæ sit בקצה יאורי מצרים, ideo referente Salomone factum, quia ארץ מצרים עשויה יאורים שאין הגשמים יורדים שם אלא נילוס עולה ומשקה id est, *Terra Ægyptiaca absolvitur seu abundat rivulis, quia nunquam ibidem pluit, sed Nilus irrigat terram.* Sic etiam refert R. D. Kimchi לפי שעובדי האדמה מתקנים יאורים בכל מקום להשקות אדמתם id est, *Quia agricolæ parant sibi rivos in omni loco, ut irrigent terram suam.*

Respexisse ergo videntur hi Magistri ad phrasin ipsam, qua id, quod in terra quadam est frequentissimum, sumi solet pro terra tota. Quare ut magis rem tangat Kimchius, refert hanc phrasin ad agricolas, qui agriculturam suam derelicturi proponantur, studio perdendæ terræ Israel. Sed utut sit, brevibus res est explicanda. Musca est Exercitus, ita & Apis. *Apis autem in terra Assur*, id est, Exercitus ille conscriptus ad multitudinem apium, *postquam transvolabat Ægyptum*, i. e. postquam Assur Ægyptios, de quo alibi gloriatur, subjugaverat, *secum traxit muscam*, id est, Ægyptios, quos partim inopia clangorem tubæ Assyriæ sequi jusserat. Vocatur ergo musca rivulorum Ægypti, ut tropus non deducatur. Muscæ enim vi Solis, in locis, in alvei speciem, depressioribus & (ut supra Magistri nostri monuerunt) ad tempus aqua Nili impletis, generari possunt. Idem ergo, mea quidem sententia, est musca יאורי מצרים, quod miles ex Ægypto oriundus. Quod enim muscis loca sunt depressiora, aquis Nili interdum plena, id sunt militibus Parentes Ægyptii, & hæc explicatio est de simplici & plano. Hæ copiæ conjunctis viribus infestabant terram sanctam, & quidem duce Assur, qui idcirco non sine causa alibi dixit: *Nonne duces seu capitanei mei Reges sunt? Annon sicut Carcemisch, ita Calno, certissime sicuti Arphad, ita Hamat, sicuti Damascus, ita Samaria &c.*

Hinc enim versus ובאו satis effectum tantarum copiarum nobis describit, cum in eadem allegoria permanens Spiritus, locum Apibus & Muscis appropriatum, pro tota terra sancta & omnibus incolis sumit, sicut in censura versionis est demonstratum, quæ certe & hodie nos Inquartationis effectum docere potest.

Subsequentes versus omnes usque ad finem capitis 7. juxta computationem Hebraicam in hoc sunt, ut depingant nobis effectum muscæ & apis murmure suo terram sanctam implentium, ita

ita tamen, ut quod obscurius innuisse videri poterat, in versu ביום seu 19. clarius explicet Spiritus sanctus, cum dicit: ביום ההוא יגלה אדון/ יבתער השכירה בעברי נהר במלך אשור את הראש ושער הרגלים וגם את הזקן תספה: id est, Tunc *radet Dominus novacula conductitia*, id est, *hominibus transfluvialibus, cum Rege Assur venientibus, caput & crines pedum: Imo & ipsam barbam TU absumes.* Quid sibi hæc velint, facile prævidet Lector. Nos ergo simpliciter Rabbinorum placita expendimus. Rabbi Kimchi super hæc verba ita commentatur: זה הוה במגפ/ אשרהיה במחנה אשור כשבא לירו שלם אחר שכבש כל ארץ ישראל ויצא מלאך י״י ויך במחנה אשור והמשיל המגפה לתער לפי שהתער משחית השער מכל וכל כך היתה המגפה רבה בהם ובגדוליהם: id est, *Factum hoc est in clade, quæ facta est in castris Assur, cum veniret prope Jerusalem, postquam subjugasset totam terram Israël, & egrederetur Angelus Domini, & percuteret castra Assyriorum. Assimulatur autem clades hæc novaculæ, quia novacula ex omni crines tondet, & ideo facta est magna ruina, in Rege & Magnatibus ejus.*

Nimis immisericordem hic agit Kimchius tonsorem, qui hoc tondere pro crinibus, capiti ipsi destinatum esse autumare vix poterit. Intelligit enim ipsam phrasin, ut opinor. Sed audiamus primo reliquos. Aben-Ezra idem sentit: משל על יציאת מלאך השם והרג מחן/ אשור id est, *Similitudo desumpta est ab egressu Angeli Domini, qui interemit exercitum Assur.* Sic etiam quamvis obscurius videtur sentire R. Salomo.

Puto autem deceptos hoc esse phrasi גלח הראש radet seu tondebit caput, quod illi de detruncatione & abscissione capitis accepere, ego autem de nuda crinium tonsura non sine ratione explicavi. Videatur 4. lib. Mosis c. 6: vs. 9. ubi Naziræo injungitur tonsura capitis his verbis: וגלח ראשו & *tondebit caput suum.* Quid hic quæso tondere caput! Non certe caput abscindere, sed crines. Hinc enim sequitur ושער הרגלים i. e. & crines pedum. q.d. Non tantum crines capitis sed etiam crines pedum. Et hoc agnovit Kimchius. His prælibatis videamus, num recte dicantur de Assur & exercitu ejus. Argumenti ratio, quantum ego quidem video, non permittit interpretari de Assur, idiotismus linguæ contradicit, experientia ipsa divisum statuere jubet, contextus ad Regem Jhuda totum versum referre videtur.

Achas mercede conduxerat Regem Assur, ut sibi opitularetur. Hoc mercede conducto Rege jam utitur Deus contra Achas & domum ejus. Vocatur novacula, quia ita tondebat capita Judæorum & calvitium extremi mœroris judicium etiam Magnates dehonestaret. Vere enim tunc ex Esaiæ c. 15. dici poterat de Judæis: *In cunctis capitibus calvitium, & omnis barba radebatur*; quæ phrasis ex collat. loci cujusdam in Ezechiele magis innoscet R. Kimchi & Salomo Jarchi השכירה non vertunt per *conductum*, sed magnam & bonam; sed Aben-Ezra hoc refutans nostram juvat sententiam cum inquit: יש מפרשים השכירה הגדולה ואמרו כי כמוהו גם כן שכיריה בקרבה ולפי דעתי שהשכירה גם כמו בכות האכילה והוא מגזרת שכר שיקח בעל התער בעבור שהי חדה מאד כי זאת היא אומנותו: id est, *Sunt qui* השכירה *explicent per* הגדולה *& dicunt, quod similis locus sit Jer. 41:26. At juxta sententiam meam nomen est forma* האכילה *aucta & initio per* ה, *& dicitur à mercede, quam accipit habens novaculam, eamque ex arte sua acuens.*

Sed utut sit, ad devitandas prolixitates dicimus השכירה est nomen Fœm. cum ה relativo, articulare enim esse non potest, quia præcedens Substantivum non habet ה ejusmodi. Eadem hic proponitur novacula, quam Rex Achas mercede conduxerat.

Caput ergo quod tonderi debebat est Rex. Sic nostri Magistri unanimiter: quamvis in individuo errent. Hoc autem non tantum Achas fuisse, sed & Filium Hiskiam contextus & historiæ evidentia evincit. *Crines capitis magnates sunt. Crines pedum sunt crines pudendorum teste Kim.* שער הרגלים הוא שער הערוה והוא כנוי להמון העם *Crines pedum crinis pudendorum est, & ita vocatur vulgus.* Aben-Ezra indeterminate explicat per כל גבור ושר ונגיד id est, omnem Heroem, principem & ducem.

Cogitet autem Lector, quam pudendo nomine populus prævaricator hic notetur, nempe crine pudendorum. Talis videlicet erat vulgus, qui ne conspectu oculorum dignandus erat.

Barba notat Sacerdotes; ornamentum enim regni erant. Sed si penitius rem contempler, deprehendo sub hac ipsa denominatione latere crimen. Cor, oculus, os Regis esse debebant, sed degeneraverant in barbam. Sic omnes Sacerdotes & Concionatores degenerant in barbas Regum, cum non ore & constanti corde, sed spectabili tantum forma externa, & moribus politicis se præbent conspiciendos.

Non sine causa mirum videri poterit; cur pro יספה reperiatur in textu / תספ, cum tamen convenire debebat cum יגלח. Sed omnis exulabit obscuritas, si modo Prophetam hic loqui perpendamus. Huic enim solemne est, à tertia ad secundam personam facere digressionem stylo tali majestati dicendi competente. Ita in Oratione secunda Esaiana capite secundo, Propheta hic à tertia ad secundam dilabitur Personam, cum ad Deum conversus dicit ואל תשא להם. Et econtra alibi Jacob à tertia ad secundam orationem suam transfert Personam. Meminerimus ergo Prophetam coram Achas stantem enumerare mala Assyriaca imminentia Regi, & in ipso actu raptum quasi ut convertat se ad eum, de quo cum Achas egerat, & quidem cum barbæ mentio incidebat, tunc enim simul mentem Prophetæ perversi mores Pastorum cruciabant, quasi diceret: Der König in Assyrien / wirds in allen Ständen ziemlich kahl machen. Ja eben du König in Assyrien wirst auch meines Ordens Leute (welches ich nicht ohne sonderliche Bewegung reden kan) gantz dünne machen.

Illi qui verba hæc וגם את הזקן תספה vertere conantur; & etiam cum barba finis erit, caveant sibi, ne impingant in Grammaticam Ebraicam. Quænam solitudo hanc tonsuram sit exceptura, in quinque sequentibus versibus explicatur, quos cum unius sint argumenti etiam simul vertere & explicare lubet. והיה ביום ההוא יחיה איש עגלת בקר ושתי צאן: והיה מרוב עשות חלב יאכל חמאה כי חמאה ודבש יאכל כל הנותר בקרב הארץ: והיה ביום ההוא יהיה כל מקום אשר יהיה שם אלף גפן דאלף כסף לבמיר ולשית יהיה: בחצים ובקשת יבא שמה כי שמור ושית תהיה כל הארץ: וכל ההרים אשר במעדר יעדרון לא תבא שמה יראת שמיר ושית והיה למשלח שור ולמרמס שה: id est, *Et post hæc educabit vir vitulam armenti, & duas gregis minoris. Et ex superfluo istius lactis quod paratur edetur butyrum, quia butyrum & lac edet omnis, qui derelinquetur seu supererit in terra. Nam tunc temporis ille locus, in quo sunt mille vites mille venientes argenteis vepris & spina*, id est, maxime spinosus & vepribus corruptus erit. *Telis & arcu ingrediendum est; nam tota regio erit vepris & spina. Et in omnes montes, qui sarculo sarriebantur, non venias, præ timore spinæ & vepris. Et erunt immissioni bovis & conculcationis gregis minoris.*

Omnia hæc ad eum collimant scopum, ut solitudinem & vastitatem totius regionis nos doceant. Videamus ergo primo, quid de his versibus sentiant Rabbini, deinde quid nobis videatur, subjungamus. R. D. Kimchi tempus assignat huic solitudini, cum inquit גם זה בימי id est, Et hoc factum est tempore Hiskiæ. חזקיהו ואמר שיהיה שלום וברכה בארץ ומרוב הברכה יגדל איש עגלת בקר ושתי צאן ודי לו כמו אם יהיו לו עדרים מהם בזמן אחר כי זמן ברכה יהיה בימים ההם: i.e. *Et dicitur quod erit pax & benedictio in terra, & præ multitudine benedictionis enutriet vir vitulam armenti seu gregis majoris & duas gregis minoris, & satis erit ei, quasi ex eo genere totos greges antea habuisset, quia tempus benedictionis erit in diebus istis.*

Cum autem in explicandis his posterioribus nimis prolixi sint Judæi, rei autem evidentia eam vix requirere videatur, brevibus quid mihi videatur enarrabo. Dico ergo, agi hic de vastitate & solitudine terræ sanctæ, quæ incursiones & inquartationes hostiles excipere debebant. Hæ describuntur à signis suis.

Primum desumitur à vitula una ex majori, & duabus ex minori grege, cum enim dicit שתי צאן subintelligit teste Aben-Ezra שיות, vel mea sententia significatio similis voci עגלת est reassumenda & reiteranda, quasi dicerem: Ein Kalb oder Junges auß der grossen / und zwo Junge auß der kleinen Herde / sive ovium sive caprarum. Signum hoc certe est inopiæ & copiosæ familiæ diminutionis, quod Paterfamilias tria tantum capita ex grege alat, quæ in cibum sufficere possint toti familiæ, quæ etiam ex reliquiis lactis butyro vesci possit. Nam tum agros nemo colet, quo pascere quæso & vitam sustentare poterunt, nisi melle silvestri? Hoc ut dixi, judicium est absentiæ habitatorum, unde merito secundum signum desumitur ab esu mellis, quod sylvæ suppeditant. Nemo tuto agros colebat, & pauci forsan erant residui huic culturæ operam dantes. Unde tertium signum desolationis à devastatione vinearum desumptum subnectit Propheta, cum prædicit loco uvarum vel vitis vepres & spinas surrecturas esse. Paucitas habitatorum hujus mali causa erat, ex qua spinæ & vepres undique terram deformabant, ut quasi in pugnam cum cætulo hominum ire posse non immerito dicantur. Tela enim & arcus facere poterant ad depellendos & trucidandos venatos insidiatores & feras, quæ communiter terras derelictas & incultas occupare solent. Vel si mavis dicere per pragmotopœiam hic describi multitudinem & magnitudinem spinarum, quæ requirere videbantur, ut armatum haberent, qui removeret, me habes consentientem. Nam hoc ipsum comprobat etiam quartum signum desolationis, de-

desumptum ab hortis ad voluptatem Dominorum factis & comparatis. In montibus enim quibusdam certa parabantur loca, quæ non vomere & ligone, sed sarculo potius subigebant opulenti, ut voluptati & amœnitati deambulationis inservire possent. Hinc contra viatores & greges seps muniebat hortos, præsertim autem sepes ex spinis & vepribus complebantur, quamvis fundamentum lapidibus erat munitum. Horum munimentorum & hortorum prædicitur ruina & corruptio, hinc dicit Propheta. *Non venias illuc pro timore vepris & spinæ*, q.d. Ante hac vepris & spina arcebat pecora & jam spinæ & vepres Dominis ipsis aditum prohibebunt, & quod interdictum erit possessoribus pecori erit liberrimum, & gregi qui antehac beneficio spinarum arte sepi impositas intercludebatur, natura surgentium recludetur aditus.

Hæc omnia facilia & clara sunt, nec enim consultum judico in probando hoc sensu prolixius immorari, modo argumenti hujus sexti accurata habeatur ratio: TANTUM ABEST, O ACHAS, UT QUOD TIBI ELEGISTI IN FULCIMENTUM SIT FIRMAMENTUM UT POTIUS CEDAT IN OFFENDICULUM ET RUINAM TIBI TUO FILIO ET TUIS SUBDITIS. NAM REX ASSUR SUB SPECIE OPITULATORIS ERIT DEVASTATOR ET TORTOR TUUS, ITA UT DESOLATIO TOTAM TUAM TERRAM DEFORMET. Cur ergo speras in Rege Assur, tanto hoste, & cur times à Rege Aram, cujus exitium jam satis superque tibi est depictum.

CAPUT X.

De Septimo Argumento.

SEptimum argumentum est declaratio Sexti, & infallibilem medium terminum desumit ex ore veri Dei. Ita formamus argumentum. *Tam certum est Assyriaca mala te, tuam domum, & tuos subditos juxta tenorem meæ Prophetiæ, quam jam audivisti tacturæ, quam certum est, Regem Assur Regem Aram & Regem Israël subjugaturum. Posterius tibi est infallibile, ideo enim ablegasti, qui fortiorem iis in tui subsidium deducant, in hoc etiam non falleris. Nam & ego in mandatis habeo, ut ex eo fundamento te liberem à metu. Imo signo quodam* posterioris hujus *certitudinem mihi inculcavit Jhovah. Ergo & prius. Nam eodem tempore cum injungebat mihi, ut cum testibus fidelibus me conferrem ad Prophetissam, tunc etiam addebat quædam de vastatione Jhuda per Regem Assur, ita tamen, ut ne & huic subjugatio urbis Jerusalem sit promissa, sed totaliter à Deo denegata; cur ergo times ab Aram & Israël tuæ regiæ, cum nec Filius tuus habeat, quod suæ timeat ab Assur potentiore.*

Hoc argumentum respectu specialioris sui elucidationis dignum est, quod probe ponderetur. Nam ita constringit Regem Achas, ut quo se vertere potuerit, non videam. Absolvitur autem octo prioribus versibus subsequentibus, ad novum viam parantibus.

Singulis ergo versibus dextre explicatis ad enodationem partium descendemus. Ita interpretamur initium capitis. *Nam cum diceret ad me Dominus, accipe tibi chartam patentem magnam, & scribe in ea humano stylo:* מהר שלל חש בז *Et ego mihi in testes fideles vocarem Uriam sacerdotem, & Zachariam Filium Jeberechiahu, & accederem ad Prophetissam, quæ conceperat & pepererat filium: Et diceret Dominus ad me: voca nomen ejus* מהר שלל חש בז. *Nam antequam sciat hic puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferet*, id est, Man wird wegnehmen *robur Damasci & spolium Samariæ ante Regem Assur. Tunc addebat etiam Dominus hac habere ad me verba, videlicet: Propterea, &c.* Hæc prius sunt enodanda. Quod ו vertimus *Nam cum*, ratio suadet contextus. Antecedentia volunt, ut explicetur per *Nam*, consequentia & in specie ו versus sexti subintrudit *Cum.* Notandum autem est in eodem contextu hæc verba coram Achas habuisse Esaiam, nec temere divellenda esse capita. Jussum se esse primo refert accipere גלין, quam vocem reddimus *chartam* seu *membranam patentem*, Germanis modernis, Ein Patent/ unde Targum vocat לוח Kimchius vocat אגרת epistolam. Rabbi Salomo & Aben-Ezra producunt synonimum מגלה à convolvendo ita dictum volumen. Probare nititur suam sententiam Aben-Ezra, & cum Jod obstare sibi videat, ita infit. יש אומרים ממגלה והנה יוד תחת דגש וככה דליו שוקים id est, sunt qui determinant à מגלה, & ecce jod pro dagesch, simile exemplum ex Prov. Salom. cap. 26. דליו שוקים at quis non videt ibi דליו descendere à דלה & non à דלל. Quamvis ergo sensus tolerari posset, non tamen ferenda esset derivatio. Est ergo, ut diximus / גלין publica charta ein Patent/ & quidem גדול magna. De hac voce Kimchius ita sentit ובאומרו גדול והוא לא צוה לכתוב בו אלא ארבע תיבות אולי היו דברים רבים והיה ענוכם זה למהר שלל חש בז או לא היו אלא ארבע תיבות אלה: והגליון היה גדול למשל על ארץ ישראל כמו שהיה הגליון גדול והכתב בהמעט כן היתה ארץ ישראל רחבת ידים והיושבים בה מעט שגלו י׳ השבטים והיתה הרבה רובה: id est, *Cum dicit* גדול, *& ipse non jussit scribere, plures quam quatuor dictiones; At forsan plures fuerunt res, quæ sub significatione* מהר שלל חש בז *venire potuerunt. Forsan etiam fuerunt quatuor istæ dictiones. Literæ patentes autem, seu volumen magnum fuit, ad similitudinem terræ Israël. Nam sicuti epistola patens magna erat, & pauca inveniebantur in ea Scripta; Sic fuit terra Israël ampla & lata, sed habitatores ejus numero pauci. Nam decem tribus ibant in captivitatem; quam magna excipiebat terræ solitudo.*

De hoc גלין allegat Aben-Ezra etiam alios, cum dicit: ואחרים אמרו כי גלין יחיד מגליונים והוא בגד והכתיבה במלאכת גליונים רקום: id est, *Alii dicunt, quod* גלין *sit appropriatum voci vestem significanti, & Scripturam factam esse opere* acupictoris vel figuratoris.

Sed ab hac ambiguitate liberabimur, cum quid sit חרט אנוש, demonstravimus. Explicavimus in versione per *Stylum humanum.* Humanum autem stylum vocamus, *quando homo proprie penna, vel alio quopiam instrumento scribit, & non in visione sibi scribere videtur. Hinc veritas rei non imaginariæ, sed veræ subinducitur, ut sicuti Achas priori parti credebat, ita etiam alteri de jure fidem habere posset.*

Sic Rabbi Kimchi sentire videtur, dum in hæc verba ita commentatur: ופירוש בחרט אנוש/ לפי שהיה זה במראה הנבואה אמר לו שיכתוב זה בחרט אנושכלו שלא יחשוב כי זה שצוה לא לכתוב במראה הנבואה לבד אלא שיעשה כן ממש בעבור הנבואת מעליו יכתוב זה בחרט אנוש כי אותו שהוא נכתב בחרט אנוש במראה הנביאה אינו בחרט אנוש כי אינו מעשה ממש כמו שהלך ישעיהו ערום ויחף ולקח הושע אשת זנונים והעביר יחזקאל תער על ראשו ועל זקנו כל זה היה במראה הנבואה/ לפיכך אמרלו וכתוב עליו בחרט אנוש למהר שלל חש בז והמלות האלה כפלע נין במלות שונות והכפל לחזק הענין ולמהרו/ ויונתן תרגם ברהט אנוש כתב מפרש: id est, *Propterea, quod erat hoc in visione Prophetica, dicitur illi, ut scribat hoc stylo hominis, quasi diceret: Ne reputetur, quod totum illud, quod Esaiæ injunctum est, pro visione Prophetica tantum, sed quod etiam factum sit aliquid palpabile, & sensibus externis expositum, propter Propheticam visionem, quam habuit, & dicatur* בחרט אנוש. *Nam illud quod scriptum erat stylo hominis in visione Prophetica non erat stylo hominis. Non enim erat opus palpabile, sicuti cum ibat Esaias nudus & discalceatus. Et Hoseas duxit scortum, & Ezechiel novaculam transire fecit super caput & barbam suam. Totum hoc fuit in visione Prophetica, propterea dicitur illi*, & scribe in eo stylo humano מהר שלל. *Et vocum harum significatio duplicatur sub diversis vocibus. Et duplicatio est ad roborandam significationem & ad demonstrandum festinationem. At Jonathan Chaldaice explicat pro* כתב מפרש.

Clarius totam rem & succinctius describit R. Sal. במכתב אשר ירוץ כלאנוש הקורא בו אפילו אנוש כלשהוא ואפי/ אינו חכם וכן תירגם יונתן כתב מפוש: id est, *Tali Scriptura, quam velociter & sine hæsitatione, quisquis etiam ille sit, etiamsi non doctus sit*, legere potest. Germanice ita explicarem: Solche Schrifft und Buchstaben schreibe auff den Brieff oder Taffel/ welche auch der Einfältigste/ der nur lesen kan/ verstehen möge.

Removentur ergo hic characteres secretiores, nam res hæc toti populo notissima esse debebat, nullis ergo involvenda erat involucris. Et hinc conjicimus, גלין non fuisse vestem; sed aliud quidpiam, sive charta fuerit, sive lignum, sive lapis. Describitur nobis ut patentes literæ, Germanice; Ein Patent/ welches kurtz/ rund und klar berichtet/ wovon der Handel sey.

Verba ipsa, quæ totam rem declarabant, hæc erant: מהר שלל שח בז, Chaldaic. Interpret. מוהי למבז בזה ולמעדי עדאה Lutherus, Raubebald/ Eyle-Beute. Ecce ne unicus quidem, quem ego viderim Judæus, tam accurate Scripturam hanc explicavit, quam Lutherus; compositas enim voces sensum respiciens, singulari artificio hic substituere voluit, ut Grammaticæ proprietati, & vero sensui sua constaret integritas. Nam si juxta Grammaticam has voces explicem, מהר & חש nomina sunt masculina, quamvis hoc participale simul dici meretur. Non ergo מהר habemus pro Infinito vel Futuro, sed pro Nomine. Quod autem non למהר sed מהר sine ל, huic גלין non inscriptum esse dixerim, inde est quia ל non pertinet ad voces scriptas seu scribendas, sed ad scriptionem ipsam, & re-

& regitur à verbo כתב, unde nec in impoſitione nominis filii Propheti ſſæ videas eſſe repetitum. Sollicito autem de loco ſimili, oportune occurrit capitis 37. Ezechiel: verſus 15. ubi Deus Prophetam jubet in ligno ſcribere יהודה, & eadem ratione, voci ſcribendæ ל præfigi animadverto, lego enim: וכתוב עליו ליהודה *& ſcribe in eo non Lihuda, ſed Ihuda.* nam ל non ad Jhuda ſed ad נתוב pertinet.

Agnovit hoc Caldæus, qui מהר reddit מוחי, quamvis in חש, quod nomen Participale eſt, errarit. Nos autem cum Luthero: *Expeditus ſpolii*, id eſt, Ein Raubebald/ id eſt homo qui velociter & ſtrenue ſpoliis inhiat, *accelerator prædæ* ein Eylebeute/ id eſt, Qui prædam ſpoliorum ſuorum cum impetu ad ſe rapit. Notabatur hoc nomine Rex Aſſur. Huic enim hoc nomen congrue aſſignabatur, ut ſemetipſum in ſubſequentibus verſibus explicat Spiritus ſanctus.

Mandato huic divino parebat Eſaias, & quæ in viſione ſua viderat, jam palam & publice proponit. Dum teſtes duos fide dignos adhibuit, & eis viſionem ſuam explicavit.

Notandum autem hic eſt genus dicendi contractum, quod quomodo huc quadret, eruditus Lector facile obſervabit.

Num autem ſcripſerit, Eylebeute/ Raubebald/ ante vel poſt advocationem teſtium, non adeo clare exprimitur. Dicimus autem in præſentia teſtium ſcripſiſſe Eſaiam. Nam ſtatim poſt mandatum, quod in Prophetica viſione ad Eſaiam factum erat, dicit Propheta: *Et adhiberem, &c.* & tunc apparet etiam ſcripſiſſe eum מהר שלל חשבז. *Nam in Spiritu nihil ſcripſit.* Poſt viſionem autem adhibuiſſe ſe ait teſtes, quibus procul dubio totam rem declaravit, iis præſentibus Scripturam exaravit, & cum iiſdem non ſine mandato ſpeciali ſeſe, ad Propheti ſſam contulit, & recens nato filio nomen impoſuit.

Teſtes vocantur Urias & Zacharias. *Urias vocatur* הכוהן, *Zacharias vero filius Jeberechia*, Uriam dico fuiſſe eum, qui ad mandatum Achas ædificaſſe legitur altare 2 Reg. 16: 11. ibi cum iiſdem ſyllabis vocatur הכוהן אוריה Urias Sacerdos. Hic quamvis mandatum Dei tranſgreſſus ſit, tamen meretur dici נאמן id eſt, glaubwürdig. Nam non quæritur hic, quemnam reſpectum habeat ad Deum, ſed ad homines. Hic erat Sacerdos, ſi Sacerdos, pollebat autoritate, ſi hoc, fide erat dignus. Nam fide nemo dignior ex toto populo terræ ſanctæ adhiberi poterat. Et cum obſequentem ſe præberet Regi Achas, in aula inſignis erat exiſtimationis, hinc favor populi, qui ex favore magnatum favorem ſuum metiri ſolet, facile quamvis errantem excipiebat. Talem ergo in Uria Eſaias adhibet teſtem, qui apud populum & Regem omni exceptione erat major.

Zacharias non fuit iſte, qui anno ſecundo Darii vaticinatus eſt, & patrem habuit ברכיה Berechia, & avum עדו Iddo; Nec iſte qui vocatur 2 Paral. 24: 20. בן יהוידע: ratio enim Chronologica utrobique non reſpondet; ſed alius quidam Zacharias dictus filius יברכיהו, quod nomen diverſum eſt à nomine Patris Zachariæ Prophetæ. Hunc autem Zachariam vocat A. Ezra אדם גדול virum magnum. Ex ordine politico hunc fuiſſe puto, ut ita in ore & perſonæ Eccleſiaſticæ & Politicæ rei conſiſteret veritas. Neceſſe autem eſt dicamus, fuiſſe hunc Zachariam in vivis, cum hæc peragerentur. Et occurrit nomen hoc 2 Paral. 29. Vocatur enim eo nomine Avus Hiskiæ, qui ſocer fuit Regis Achas. Hic certe fuit נאמן auctoritate pollens, & fide dignus. Videte quæſo, quales teſtes Deus elegerit, tales videlicet, quos ſciebat Regi Achas eſſe familiares, & toti populo acceptos, ſi quo modo fieri poſſet, ut Achas incredulitatem ſuam & pudendam ignaviam cum vera fide & ſedula meditatione verbi Dei commutaret.

Si qui alii ſunt, qui forſan hic multa involucra & obſcuras tergiverſationes quærunt, videant, ne detorſionibus ſuis Scripturam flectant & reflectant, & ex claro libro tenebris obtectam chartam fingant, & Eccleſiæ obtrudant. Sed extra Rabbinos alios examinare, mei non eſt inſtituti. Audiamus ergo quid Rabbi Kimchi doceat Lectorem: אלה הם דברי הנביא ואעפ״ שלא זכר כתיבת הגליון ידוע הוא כי כתבו כמו שצוה לו האל׳ id eſt, iſta (de אעידה *loquitur*) *ſunt verba Prophetæ & etiam ſi non fiat mentio ſcriptionis* הגליון, *indubitatum tamen eſt, quod ſcripſerit Propheta, ſicut à Deo erat juſſus.* Et ſtatim ſubjungit: ועוד עשה נו ואף על פי שלא ראינו שצוה בו האל׳ העיד עליו עדו/ כלומר החתים בו העדים שתהיה נבואה זו כתובה וחתומה כי כן עתידה להיות בקרוב/ ואוריה נתנבא בימי יהויקים וזכריהו בשנת שתים לדריוש/ ואף על פי ששניהם היו בימי ישעיהו/ ורע/ רבותי/ ז״ל שלאהיו בזמן אחד שאמרו וכי מה ענין אוריה אצל זכריה אלא אוריה נתנבא פורענות ציון שדה תחרש וזכריהו נתנבא נחמות עוד ישב זקנים וזקנות וגו Recenſet primo Rabbi noſter, quod nec legamus mandatum Dei de aſſumendis teſtibus, quos tamen adhibuit Propheta. Adhibuiſſe autem eos putat, ut doceret brevi ſubſecuturum complementum. Non otioſe autem quærit, qui conveniat Urias & Zacharias, cum hic anno ſecundo Darii, iſte tempore Jhojakim vaticinatus ſit. Nihil autem reſpondet, reponit Magiſtrorum ſuorum opinionem de Uria vaticinante mala & Zacharia prædicente bona, & in ſpecie allegant locum Zach. 8: v. 4. In hunc fere modum ſimiliter commentatur Rabbi Salomo, ita tamen, ut clarius quid velit, proponat. In eo autem concordare videntur, ut hi teſtes non pro veris & ſenſibus expoſitis, ſed pro imaginariis, & cum hæc gererentur, non amplius ſuperſtitibus habeantur. Sic enim conciliari poſſe putant difficultatem Chronologicam. Simpliciter ergo adſcribo verba Salomonis Jarchi על גם באותן הימים בימי יהויקים אותי פורענות שני עדים נאמנים האחד לבשרם רעה העתיד/ לבא עליהם אוריה הכהן שהרגו יהויקים שנא/ וגם אישהיה מתנבא וגו/ ואת זכריהו בן יברכיהו/ בשנת שתים לדריוש עוד ישבו וגו/ Mutilate hæc ſtudio allegavi. Comparat autem inter alia Eſaiam cum Amos. Hic etenim prædixit captivitatem, iſte libertatem. Sic etiam Zachariam & Uriam quorum vaticinia recte allegat.

Sed quicquid dicant, aperte errare hos Magiſtros in propatulo eſt. Urias eſt ille Sacerdos, qui in gratiam impii Achas ædificabat altare. Zacharias autem avus Hiskiæ. Hi etiamſi ambo deſperatæ malitiæ fuiſſent, tamen teſtes fide digni eſſe potuerunt populo & Regi. Hos ambos Propheta ſecum vere & non imaginarie duxit ad Propheti ſſam. Zacharias autem Propheta, nondum erat natus, cum Eſaias ibat ad propheti ſſam. Alter ille Zacharias 2 Paral. 24. fuit filius Jojadah, & hic jam dudum erat denatus. Sed clara ſunt hæc omnia, quid enim juvat, cum Judæis viam variis gyris deformare.

Pergit Eſaias & narrat, iviſſe ſe cum adhibitis teſtibus ad Propheti ſſam. Quæſtio ergo hic ſuboritur; Num vere & realiter, vel num tantum in prophetica viſione ad Propheti ſſam ſe contulerit. Reſpond. *Vere & realiter Eſaias ivit ad Propheti ſſam; Poſtquam enim inceperat ſtylo hominis ſcribere, ibat etiam & redibat pedibus hominum*, id eſt, *humanis.*

Meminerimus, Eſaiam hic ſtare coram Achas, & inter alia agere de Excidii Syrorum & Iſraelitarum certitudine. Hanc ſigno corroboraturus, narrat ſe juſſum eſſe ire ad Propheti ſſam, cujus filium in ſignum rei certò eventuræ vocaverit מהר שלל חש בז. Et ne dubitaret, ecce tales adhibuit teſtes, qui in oculis Regis & totius populi maxime eſſent precioſi. Cogitet quæſo eruditus Lector, ſi pure ſomniis & viſionibus ſuis Propheta Achaſum voluiſſet movere, quonam quæſo excipiendus fuiſſet ſarcaſmo aulico. *Somniator, cum imaginario tuo partu imaginarium effectum portendente diſcede, Apage, Deliramenta.*

Quæritur 2, Num vox אקרב concubitum involvat; Reſpondemus, quod non. Hoc quidem fatemur בא, נגש &c. ut & קרב de conſuetudine conjugali ſæpe in Scriptura uſurpari, ſed cum certo diſcrimine. Nam inter alia vox קרב etiam ſæpiſſime venit pro nudo acceſſu. *Propheta ergo non concubuit cum Propheti ſſa, ſed venit ad Propheti ſſam.*

Obſtare videtur, quod vox קרב cum ſequitur ותהר ותלד ſemper in Scriptura ſumatur pro concubitu. Reſpond. Contrarium eſt verum. Et cum cardo negotii in hoc verſari videatur, placet hoc fundamentaliter proponere. Gen. 4. c. 16. c. 29. c. 38. 2 Sam. 11. 1 Paral. 9. leguntur Eva, uxor Kaini, Lea, Bilha, Thamar, *Hanna*, &c. ex viris concepiſſe & peperiſſe, qui viri non קרבו ſed באו vel ידע eas. Hinc talem formamus regulam: *Quando legitur mulier concepiſſe & peperiſſe, tunc in Scriptura ſemper adhibetur vel vox* ידע *vel* בא, *nunquam vero* קרב. Ergo hic קרב non concumbere, ſed venire ſimpliciter ſignificat. Iſtud patet ex inductione omnium exemplorum, hoc itidem. Nam in Scriptura קרב ſignificat quidem *aliquando*, rem habere cum fœmina, ſed non talem, quam excipit proles; Et ut multa dem, קרב haberi poteſt pro exordio בא & ידע, ita tamen ut immediate ſine בא & ידע fœtum ex קרב nuſpiam conſpici credamus. Hinc Lutherus vocat aliquando hoc קרב berühren/ ſich zu Einer thun/ Gen. 20: 4. Deut. 22. Sic Lev. 18: 14. interdicitur viro conjugio uxoris fratris patris ſui non tantum, ſed etiam acceſſu ad eam libidinoſo. Verſ. 19. itidem non tantum coitus, ſed & libidinoſus acceſſus prohibetur. Nam immundum ne tangere quidem fas erat. Tale judicium ferendum etiam eſt, de loco Levit. 20: 16. Ezech. 18: 5.

Hæc non ideo à nobis dicuntur, ut acceſſum libidinoſum Eſaiæ adſcribamus, ſed tantum ut demonſtremus, vocem קרב nunquam pro tali acceſſu ſumi, quem immediate ſequatur partus. Eſaiæ enim neutrum adſcribimus, nam ſimpliciter eum ad Propheti ſſam veniſſe, quæ jam pepererat, ſtatuimus. Hinc enim Lutherus: Und ging zu einer Prophetinnen/ Pro-

Prophetiſſa autem hæc, *fuit mulier quædam, quæ Spiritu Prophetico erat afflata*, & cum nomen ejus proprium hic non exprimatur, de eo parum ſumus ſolliciti, Lutherus **zu einer Prophetinnen/** non **zu der Prophetinnen.**

Novi quod homines ſint, qui partim ex Targum partim ex N. de Lyra novam & difficilem hic fingunt opinionem, & Prophetiſſam pro MARIA VIRGINE habent, dum (quod allegabo infra) ex Targum hæc in viſione facta eſſe putant. Hinc ſequitur מהר שלל eſſe Jeſum Nazarenum Mariæ & Dei filium, qui de peccato, morte & Sathana triumphavit. Novam voco eam, quia antequam legerem N. De Lyra, nunquam mihi locum hunc conſideranti & pervolventi talis in mentem venit; novam vero non niſi mihi vocavi, ſic & difficilem. Nam difficilem voco, quia meum ſuperat captum. Video enim, quod Salvator noſter talis ſit triumphator, at quomodo ex hoc dicto prophetico roboretur, non capio. Et non mirum eſt, video enim Caſparum Sanctium Jeſuitam, hominem alias in divinis literis ultra ſortem doctum, doctiſſimis ſuis meditationibus non rimari auſum tantum myſterium; ſed tantum admiratum. Sic etiam audio, Thomam de Aquino hic hæſiſſe.

Ne ergo non ſatis accurate myſterium hoc tractando, ſublimitatem rei imminuiſſe dicamur, in ſimplicitate verborum permanentes, quod ante pedes eſt, roboramus. *Prophetiſſa eſt quæ habet Spiritum propheticum.* Sic deſcribitur in omni loco Scripturæ, ubi occurrit, & diſſimile exemplum non datur. Exod. 15: 20. Judic. 4: 4. 2. Reg. 34: 22. Nehem. 6: 14. *Nam Prophetiſſa non ideo dicitur Prophetiſſa, quia maritus ejus Propheta eſt, ſed quia ipſa vaticinatur.* Hinc liquet, quod ſat incertum ſit; Num hæc Prophetiſſa fuerit uxor Eſaiæ, nec ne, ſi enim fuerit, neceſſe eſt habuiſſe Spiritum Propheticum. Quicquid autem ſit, ſive fuerit conjunx Prophetæ, ſive non, Prophetiſſa fuit, quæ pepererat puerum, & hunc recens natum puerum vocat in præſentia teſtium Eſaias מהרשלל חשבז.

Lubet jam etiam audire Judæos noſtros; AbenEzra טעמו רמז לשכיב / כמו אל תגשו אל אשה: id eſt, Vox קרב eſt idem quod שכב contribuit, & ſimilem locum allegat ex נגש; ſupra autem hæc ſunt refutata. Subjungit ſtatim אשת הנביא ונקראתכן בעבור שבעל / נביא או גם היא היתה נביאה: id eſt, *Uxor Prophetæ eſt hæc Prophetiſſa, & vocatur ita, quia maritus ejus erat Propheta, vel quia etiam ipſa eſt vaticinata.* Poſterius hoc verum eſt, prius magna laborat difficultate. Kimchius היא אשתו וקראה נביאה לפישהיתה אשת נביא Hic Kimchius non eſt Kimchius; nimis enim rudem hic agit molitorem. Hæc Prophetiſſa peperiſſe dicitur filium. Hunc filium multi ex Pontificiis Scriptoribus habent pro Chriſto, ſic & N. de Lyra; Verum quam ſemel ſumus profeſſi ſupra ſimplicitatem, hic denuo nobis ipſis commendamus. Igitur cum Luthero hunc filium habemus non pro Chriſto, ſed Prophetiſſæ cujuſdam, quæ tempore Eſaiæ vere & realiter filium concepiſſe & peperiſſe legitur. Lutherus tom. 3. Jenenſ. p. 313. *Alterum* inquit *ſignum, cujus duæ ſunt partes*, Tabula & filius, QUI GEREBAT PERSONAM REGIS ASSYRIORUM. Miror certe, quæ cauſa, quod tam multi novitii, qui partim ſibi ipſis non bene conſtant, ſine omni ratione à Luthero recte ſentiente diſcedant.

Ut inſtituto noſtro ſatisfaciamus, lubet iterum audire Judæos: AbenEzra dicit: זה הנער נולד קודם שתי שנים שתגל/ שומרון. Recte, nam ex ſubſequenti verſu collegiſſet hæc coridon, nedum eruditus commentator. R. K. לא נקרא שם הנער בד/ תיבות האלה כאחד אלא אמר שיקראו שמו מהר שלל או חש בז כישני הזוגות ענין אחד פעם יקראו אותו מהר שלל ופעם יקראו אותו חש בז: id eſt: *Non vocatum eſt nomen pueri hujus quatuor his diſtinctionibus ſimul, ſed dicitur tantum, quod vocatus ſit aut* מהר שלל, *aut* חש בז, *nam utraque biga* ut ita loquar, *eandem habet ſignificationem.* Aliquando *ergo vocatus* מהר שלל, aliquando vero חשבז. Verum ubi Kimchi particula *aut* in textu?

R. Salomonem, ut typorum Ebraicorum habeamus rationem allegare non poſſumus. Putat autem iſte, hunc puerum eundem eſſe, qui antea Immanuel dicebatur. Ex hoc forſan, (commentatium enim ejus jam dudum Latinitate donatum eſſe audio) N. de Lyra & reliqui Scriptores ſuum hauſerunt errorem, quod cum Immanuelem hunc unum eſſe puerum docuerint. Fundamenta ejus ſat ſunt firma, modo principia ſibi conſtarent. Nam ut diſcurſum format, impoſſibile eſt, uno anno naſci duos filios ex una matre, & quidem ut alter aliquot dies vel ſeptimanas anticipet. Sed quid ſi gemelli fuiſſent, Salomo. Sic ludere placuit.

Videte autem ô Judæi, quam frivolum ſit Immanuelem præcedentis capitis habere pro filio Eſaiæ, ſi מהר שלל ſit frater ejus, vel idem. At idem eſſe non poteſt, præſertim apud eos, qui העלמה ab הנביאה diſtinguere norunt, & dubiis præſumtionibus fidem roborari neutiquam poſſe ſciunt. Illud ſignum deſumebatur ex principiis primis religionis Judaicæ, hoc in oculos incurrebat, ut ex omni parte inexcuſabilis foret Achas.

Eos a. qui hunc filium nudæ Prophetiſſæ cujuſdam fuiſſe ex eo principio negant, quia in hoc ipſo non fuit completum ſignatum, remittimus ad Hoſeam cap. 1. Ibi eſt *Iezreel* filius Prophetæ, ibi *Loruchama* filia Hoſeæ, ibi denique *lo amni.* In Eſaia *Schear Jaſchub* & *Maher Schalal*, & jam colligant, quæ hinc ſunt concludenda.

Nec enim complementum in Filio Prophetiſſæ quærimus, ſed ſignum, complementum in Rege Aſſur firmiter ſtatuentes. Non poſſumus autem non meminiſſe Targum, quod multis Scriptoribus anſam hic errandi ſuppeditaſſe credimus ואסה'ד קדמי סהירין מהמנין ית לותיא דאמרית לאיתאה בנבואת אוריה כהנא והא .אתו אף כל כן נחמתא דאמרית לאיתאה בנבואת זכריה בר יברכיה אנא עתיד לאיתאה: Hic fons eſt errorum tam veterum Pontificiorum, quam novitiorum quorundam Interpretum. Alter enim ex altero exſcribens verba, ſenſum dicti non adeo ſollicitè curavit, modo ineptiarum ſibi contradicentes ſtrenue arguere potuerit. L. de Lyra noſter ita vertit: *Et conteſtatus ſum ex parte mea teſtificationes malas quas dixi venturas in Prophetia Uriæ Sacerdotis. Ecce futurum eſt quoque ſi omnem conſolationem quam dixi venturam in Prophetia Zachariæ filii Barachiæ ego adducturus ſum.* Num recte, judicet Lector. Sequuntur hunc Paraphraſtem ex parte Judæi noſtri. Videntur autem adſcribere verba hæc ipſi Deo, & non Eſaiæ. Sed quis non animadvertit hanc detorſionem. Sed quicquid ſit juvabo hanc, quam vocant, detortam ſententiam, quantum potero; ut rei veritas eo magis feriat oculos contradicentis. Dico ergo:

Apparet, quod verſus 1. & 2. verba Dei ſimpliciter contineat. De primo non eſt dubium, præcedit enim ויאמר, de ſecundo, quia in eodem manet contextu, idem ferendum eſt judicium. Nam ואעידה non explicandum per Præteritum: *Et adhibui mihi, &c.* ſed per Futurum, *& adhibebo.* Quæ n. eſt ratio, quo אקרב habeat ו converſivum, & non אעידה, ſi ad unum determinanda ſunt ſubjectum. Apparet ergo ita formandam eſſe interpretationem. *Nam cum dixerat ad me Dominus, accipe tibi literas patentes magnas, & ſcribe in eis ſtylo hominis*, חש בז מהר שלל, *Ego n. adhibebo teſtes fideles, &c.* qui tecum ex uno ore tam mala quam bona ſunt vaticinaturi, *& ego Propheta accederem, &c.* Regula Ebraiſtarum quorundam de alternatione Futuri ſecundi cum Præterito ſubvenire & opem ferre nequit. Regula enim illa eſt excogitata, ad ſublevandos rudes reſpondentes, & ſine certa limitatione doctis nota nunquam eſt aſſumenda.

Satis, ut puto, contra meipſum arcum intendi, imo ipſe ego ſat aculeata jam ſuppeditavi tela, ſed evitanda ſunt. Regula enim Ebraiſtarum talis eſſe debet: *Futurum ſecundum venit pro præterito, cum præcedit & ſequitur præteritum, taliter & taliter &c. affectum.* Ulterior & prolixior rei demonſtratio Grammaticorum eſt.

Et quid ſi ex abundanti darem, verſum ſecundum eſſe Dei, quia futurum ſecundum non habet ו converſivum, at annon inde ſequeretur, verſum 3. qui habet ו converſivum eſſe alterius cujuſdam verba habentis, nempe Prophetæ, qui quæ geſta ſunt, narrat.

Quidnam autem hic puer ſignaverit, docet Propheta vſ. 5. *Quia antequam noverit iſte dicere: Pater mi & mater mea, auferetur robur Damaſci & ſpolium Samariæ ante Regem Aſſur.*

Placet hic primum allegare Rabbinos, emphaſin vero, & verum ſenſum ſubnectere deinceps. R. Kimchi ita commentatur: זמן אחד הוא זה עם מה שאמור למעלה בבנ אחז בטרם ידע הנער וגו/ ניאז יחל לדבר הנער ותחילת דיבורהוא שיקרא אבינ ואמו כי בזה הרב/ ירגילוהו התחלה id eſt, *Unum & idem tempus eſt, quod ſupra aſſignabatur filio Achas. Antequam ſciat, &c. Nam circa id tempus incipiunt pueri loqui. Initium autem loquelæ in pueris ſolet id eſſe, quod vocant patrem & matrem ſuam, nam id primum ſunt edocti.*

Rabbi Salomo ſuper ישא את חיל דרושק allegat verſ. 9. cap. 16. 2. Regum ייתפש / ינעל דמשק id eſt, *Et expeditionem faciebat Rex Aſſur contra Damaſcum, & capiebat urbem ſuper* אחשלל לאחר שנהרג פקח ומלך הושע עלה עליו שלמאנשר שומרון vero ita: מלך אשור וגו ושוחר הוא שלל שומרון כל אלה בשכת ארבע לאחז id eſt, *Poſtquam Pekah eſſet trucidatus*, Et 2 Reg. 17: 3. & 6. *Contra Hoſeam aſcenderet Salmanaſſer Rex Aſſur, &c. Hoc fuit ſpolium Samariæ. Omnia autem hæc facta ſunt anno quarto Regis Achas.*

Verum

Verum Scriptura narrat 2. Reg. 17. Hoſeam anno 12. Achas demum regno Samariæ eſſe potitum; Vel ſi ex fontibus curioſe eruas id, quod dici ſolet, anno 12. Achas regnaſſe Hoſeam, regnum ejus enim immediate mortem Pekah excepiſſe; Hoc autem anno quarto vel quinto circiter contigiſſe. Hæc tamen manet difficultas, quomodo excidium Damaſci cum ruina Samariæ Chronologice concordent. Nam Tiglatpaleſer veniſſe videtur anno quinto Achas circiter, & Damaſcum captivaſſe 2. Reg. 16: 9. Salmanaſſerem vero anno nono Hoſeæ Samariam cepiſſe. Si ergo annus 9. Hoſeæ, cum anno 5. Achas concordet, res eſt ſalva. Sive hic diſtinguatur inter annos tributarios vel liberos, omnia hæc juxta R. S. anno 4. Achas facta eſſe non credo. Dabo ego Salomoni id quod petit, nempe oblationem munerum ſpolia Samariæ hic vocari. Quid vero inde? Oblatio illa facta eſt anno 12. Achas, qui fuit annus primus tributarius Hoſeæ. Idem autem aſſignatur tempus auferendorum ſpoliorum Samariæ, quod roboris Damaſci. *Quia antequam ſciat &c.*

Ex his nectit Lyra objectionem, quod puer iſte fuerit CHRISTUS probantem. Dicit enim (*poſtquam, etſi alio modo difficultatem Chronologicam allegarat*) Igitur propter iſta tenent Doctores Catholici communiter, quod illud, quod dicitur in hoc capite de puero prædicto non ſit intelligendum ad literam de filio Eſaiæ.

Reſponderem quidem cum Thoma de Aquino: *quod iſta ſpoliatio Samariæ, de qua hic agitur, non fuit illa, quæ facta fuit nono anno Hoſeæ & 6. Ezechiæ, ſed iſta, quæ fuit per Theglathphalnaſar, quæ præceſſit iram, quia facta fuit in diebus Phaceæ, ſecundum quod dicitur* 4. Reg. 15. In diebus Phaceæ Regis Iſrael venit Teglatphalnaſſer, & cepit Ahion, &c. *Et hoc fuit, antequam puer natus ſciret vocare patrem & matrem*, niſi ſcirem Thomæ de Aquino ita os eſſe obturatum, ut Phariſæi audientes hæc obmuteſcant merito. Nam ex plenitudine abundantiæ ſapientiæ ſuæ ita reſpondet: *Hoc dictum videtur nimis favere errori Hebræorum, qui dicunt, quod in iſtis tribus caſibus*, forſan verſibus 7. 8. 9. *non ſit mentio de Chriſto.*

Ne ergo & me tricis quorundam Chronologorum, & ſubtilitatibus diſtinctionum Magiſtralium involvam, N. de Lyra antiqua ſua lyra oberrare permitto. Et ne judicio Hebræo maſtigis fiam obnoxius, ſimpliciter ex textu veritatem depromam.

Diſputatio hæc Chronologica & Magiſtralis facile nos potuiſſet avellere à textu. Non enim dicitur: Spoliationem Damaſci & Samariæ per Regem Aſſur, factam eſſe, ſed ſimpliciter narrat, auferendum eſſe robur Damaſci & ſpolia Samariæ, non à Rege Aſſur, *ſed ante eum* לפני enim explicavimus per ANTE. Sic octies in Geneſi uſurpatur, ter irrefutabiliter. Hinc talis eruitur ſenſus. *Antequam ſciat puer iſte vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur robur Damaſci, & ſpolium Samariæ, antequam venerit Aſſur*, de quo dixi, quod devaſtaturus ſit terram Jhudah.

Robur Damaſci Kimchius vocat /נכסי דמש facultates Damaſci, i. e. nervum rerum gerendarum. Hoc robur auferebatur, quando Rex Syriæ (Damaſcus enim ut mater pro tota Syria ſumi poteſt) expeditionem faciebat contra Regem Jhudah, tunc ipſe exhauriebat theſauros ſuos, gloriam populi ſui eligebat ad pugnam. Superveniens ergo TiglatPilleſer, vires Syrorum exhauſtas deprehendebat, & ita ablatum eſt חיל robur, das fürnembſte auß Damaſco, antequam venirent Reges Aſſur.

Quid enim de his quaſi conjunctis hic ſit ſermo, contextus evidenter nos docet. Argumentum eſt tale: *Si cum Rege Aſſur omnia mala ſint infeſtatura te & tuum filium*, c. 7. *noli eum advocare in ſocietatem tuam.* Reſpondere poterat Achas, *Atqui ego voco eum, non contra me, ſed pro me, contra Regem Aram & Iſrael.* Reſpond. *Bene ſi adeo ſis, ô Rex, ſollicitus de exitio horum Regum putas enim ſalvis iſtis, tuam Regiam ſalvam non fore; ſcito enervandos hos eſſe partim ante adventum Regis Aſſur, qui totaliter eos ſubmovebit. Quod autem mala nova, de tot millibus Captivis, & in Samariam abductis Judæis & ſpoliis te torqueant, præter rem eſt. Nam antequam venerit Aſſur, ſpolium Samariæ auferetur, & tibi reſtituetur.*

Vocem ישא impersonaliter ſumpſi, licet autem etiam referre eam ad puerum, qui dici poteſt auferre ſpolium Samariæ, cum in ſignum ablationis iſtius natus eſſe dicitur, Judæi ex ſimilibus locis dicunt ſtare pro Participio.

Supra datæ noſtræ explicationi videtur obſtare emphaſis nominis impoſiti. Nam puer iſte debebat eſſe ſignum velocis prædatoris, & feſtini ſpoliatoris; & ſic ut ſupra dictum eſt repræſentabat Regem Aſſur. Reſpond. Verè repræſentabat hunc ipſum, *hinc quicquid verborum, feſtinationem includentium excogitari poterat his reperimus.* Nam Rex Aram adventum Regis Aſſur ſubolens, ſuis civibus non pepercit, ſed contributionibus enervavit, ut ſuo exercitui robur, Aſſyriaco autem vacuas ædes relinquere poſſet.

Sic Iſraelitæ ex Prophetia Odedi agnoſcentes, quod excandeſcentia iræ Domini, 2. Chron. 28. argumento procul omni dubio à futuris malis Aſſyriacis deſumpto, ſit afflictura terram ſuam; Confœderatos, ſeu cito fœdere eidem jungendos noluerunt detinere Regi Aſſur, ne anſam hoſtiliter ſecum agendi ſuppeditaſſe, dicerentur. Conſideret autem Lector, annon is merito velox ſpoliator vocandus eſt, cujus abſentis etiam gratia ſpolia reſtituuntur, cives emunguntur, ut ipſe adveniens parum præter homines inopes invenire poſſit. Ponamus caſum, quem Deus clementiſſime avertat: Turca expeditionem facit contra Germanos, Principes ergo Germanorum deliberant de copiis eidem opponendis, decernuntur tandem cuilibet principi tot & tot legiones, tanta & tanta ſumma auri. Intolerabile hoc onus ita gravat ſubditos, ut ante adventum etiam Turcæ extremam inopiam profiteantur, & contra continuationem expenſarum ex impoſſibilitate proteſtentur. Hiccine dicere potero ישא חיל אשכנז לפני תורך id eſt, ablata eſt potentia Germanorum, ante Imperatorem, i. e. antequam veniat ipſe Imperator Turcicus, qui quæ ſuperſunt exuget. Et ita reſpectus non tantum ponendus eſt in vaſtatione Regis Aſſur præſentis, ubi ceu torrens omnia ſecum rapiebat, ſed & ante adventum, in quo Samaria & Damaſcus convenire poſſunt.

Huc uſque antecedens argumenti noſtri generalis, ſequitur jam conſequens, quod eadem firmari veritate Propheta inculcat. *Tunc*, (id eſt, cum acciperem ea, quæ tu Achas pro veris habes) *pergebat mecum loqui Deus* in hunc modum: *Propterea quod ſpernit populus hic aquas Siloh, quæ leniter fluunt, & delectatur Rezin & filio Remaliahu. Ideo ecce Dominus contra vos adducet aquas fluvii, quæ fortes ſunt & magnæ, nempe Regem Aſſur* & quidem *cum omnibus ſuis glorioſis, & inundabit omnes alveos ejus, & tranſibit omnes ripas ejus. Et mutationibus corrumpet Jhudah, inundabit & tranſibit, imo uſque ad collum pertinget, ita ut ſit extremitas alarum ejus terra tua ô Immanuel.*

Rabbi Kimchi hæc omnia ita interpretatur: *Ci hajuh bihudah ubiruſchalaim rabbim, ſchehajuh rozim bmalcut Pekach ben Rmaljahu, vvhaju moaſim bmalcut bet David, lpi ſchehajta jad malcut Ephraim takpha, umalkut bet David chaluſcha bime Achats, vvtſacar im bem Rmaljahu Rzin, lpi ſcheſchſchnehem jachad haju nilchamim bihudah, vvhimſchil malcut bet David lme haſchſchiloh, haholchim laat, ſchehuh nachal katan, umemav holcim bnachat, cen malcut bet David, loh hajah lahem coach Lhareah. Loojebehem Rzin uben Remaljahu. Umſus & Rzin, jihu ſaſim uſamchim immahem, im jihu hem molcim biruſchalaim.*

Grammaticalia propriis ſuis literis merito adſcribimus, ומשוש שם סמוך למלת את/ וכן מקום לא ידע אל ה״ריו אינה לתוספת ענין שהרי הוא התחלת דברים *Jaan aſcher aſu cach, vvcach* וטעם למה שאמר *ieaſeh lahem cach vvcach, cmo vvajiſſa Abraham & enavv, vvrabbim camohu. Amar hannabhi, dibber elai Jhovah, ci baabhor ſceſchſamach libbam im hannilchamim im malcut bet David, jippla bjjad kaſchim mehem, vvhemmachaneh Aſchſchur. VVhimſchil oto lme hannaar haazumim vvharabbim caaſcher hem mitgrabbrim baarez, vvajiiſchiphu col aſcher jaabhor alehem, cen melech Aſchſchur, Umachanehu barabh, ſcheccibbeſch col erez Jhudah. tſulate Iruſchalaim. VVet col cbodo, Huh chelo haggadhol, ſchehitcabbed bo al col ammim, vvcibbeſch otam tachat jado. VVala al col aphikav Aph alpi ſchehaaphikim hem amakim. VVamar vvala cneged erez jiſchrael, ſchehih gbohah miccol haarazot* ר״ז *ſcheccol haarets timmaleh mehem. Cmo ſchehaaphikim mleim majim, vvod mrubbam jelcu al col gdot haaphikim, vvhem ſiphte haamakim lmalah, ſchehem gbohim min haamakim vvchalaph tirgem vvahar. Adzavvvvar iaggiah, Himſchil Iruſchalaim Iroſch hagguph. Ucſchehammaim maggiim ladam ad zavvvvar, hinnehhuh Karobh Itaboah bahem, vvim jitgabbru maat jaabhru roſcho, vvajiitbuh bahem, cen melech Aſchſchur bbooh ad Jiruſchalaim, hajah cmo hammajim hammaggiim ad zavvvvar, vvhajeta Iruſchalaim krobhah Ihiccabeſch, lule rachame hael. Uctirgem Jonatan ad zavvvvar juggiah ad Iruſchlem jimte. VVhajah motot cnaphav, hadageſch huh Ithefron Nun* /מונטו

ין

מן נטה ו"ל נטות מוגנהו והית פשתותו יהיה מלא׳ ורחב של ארץ יהודה כלה/ ואמר עמנואל שהוא הבן הנולד לאחז לאותו כי לא תכבש/ כלו/ אתה׳ עמנואל שאתה בירושלים בן יכירו כי עמהם האל שתנצל מיד מלך אשור כי כל שאר ארצך תהיה מלאה מהם/ ובדרוש הם מוטות התרנגול א/ מס/ בכנפיו א/ מס/ באכלוס סנחריב מלא רחב ארץ יהודה: ſenſum Spiritus ſancti ſat commode expreſſit Kimchius, quare ab eo potius, quam à me accipiat eum Lector. *Multi* inquit *fuerunt in Ihudah & Jeruſchalem, qui favebant Regi Pekah, cujus imperium expetere videbantur. Hinc ſpernebant regnum domus David, propterea quod vires regni Iſraelitici erant majores regni Judaici ſub Achas. Et mentionem facit Scriptura filii Remaliah, qui eſt Rezin, propterea quod ambo iſti bellum ſocium gerebant contra Judæos. Aſſimulat autem regnum Domus David aquis Siloh, quæ leniter fluunt, propterea quod torrens parvus fuit, & aquæ ejus deorſum fluebant. Sic regnum David non valebat nocere hoſtibus ſuis, Rezin & filio Remaliah. Ad* ומשוש *Gaudebunt & lætabuntur cum ipſis poſtquam regnaverint in Jeruſalem*, vel potius, *animus eſt videre eos adminiſtrare regnum in* Jeruſalem, Grammaticalia quædam ſtudio hic omittimus, modo modus dicendi ולכן הנה probe percipiatur. *Propterea quod illi ſic fecerunt, ita fiet eis.* Vel Dominus dixit ad me, *Propterea quod delectantur ipſi oppugantibus domum David, cadent ſeu trucidabuntur à truculentiori ſcil. militibus Aſſyriacis. Aſſimulatur autem Exercitus Aſſyriacus aquis fluminis, quæ fortes & multæ, quia prævalent in terra, & omne quod occurrit inundant, ſic etiam Rex Aſſur, & magnus ejus exercitus erat*; quo ſubjugabat excepto *Jeruſalem totam terram Ihudah.*

Ad כבודו *Gloria tota eſt exercitus magnus, nam per eum glorioſus prædicabatur inter omnes gentes, & per eum populus ſubjugabat.*

Quamvis alvei ſint profundi, tamen dicit עלה, *reſpectu terræ Iſrael, quæ fuit elevatior omnibus* regionibus. Vult dicere: *Terra implebitur militibus Aſſyriacis, ſicuti torrentes implentur aquis. Et quod dicit; Quod præ multitudine ibunt ſuper omnes ripas alveorum; quæ ſunt labia ſeu oræ ipſis vallibus elevatiores, involvit ſimul omnes urbes munitas. Significatio Vocis* חלף eadem eſt quæ & עבר. Ego puto quod non, ſed hinc enim author titulorum in חיבל או שחרת תירגומו, concordantiis Ebraicis de voce חלף ſic docet: כל מה שפירושו העברה או תמירה או התחדשות או כריתא. Hic aſſumo ſignificationem כריתה & תמורה. Pergit noſter: *Comparat Jeruſalem cum capite corporis; Nam ſicuti cum aquæ tangunt collum, homo ſubmerſioni proximus eſt. Si enim parum accreverint, tranſcendent caput ejus, ut ſubmergatur. Sic etiam Rex Aſſur cum veniret Jeruſalem, ſimilis erat aquis tangentibus collum, hinc Jeruſalem urbs deditioni proxima, niſi miſericors Deus avertiſſet.* Hinc Targum. *Uſque ad Jeruſalem veniet.* Ad מוטות Grammaticalia quædam habet, quæ Lector ipſe facile diſcernet. Poſthac. *Tu extendiſti exercitum ejus, verum ex ſuperbia cordis ejus, jam dilatio ejuſdem eſt plenitudo latitudinis terræ tuæ ô Immanuel. Et dicit Immanuel (hic erat filius Achats) in ſignum quod Jeruſalem non ſit capiendum*, q. d. אתה ענואל, puto ineſſe vitium typographicum & legendum eſſe עתה עמנואל *Nunc nobiſcum eſt Deus, quia tu ô Immanuel es in Jeruſalem, quæ urbs ideo ex manu Regis Aſſur eſt liberanda, quamvis tota regio militibus Aſſyriacis oppleta ſit.*

Alii Immanuel ſumunt pro terra ſancta, quæ hic ita vocetur, ob præſens Dei auxilium. Reliquos Judæos redimendi temporis ergo præterimus, & notatu maxime digna ponderamus.

De aquis Siloh R. S. ita מעין הוא ושמו גיחון. *Siloh fons eſt, & vocatur etiam Gihon.* Non autem hic Gihon eſt, qui ex Paradiſo egrediebatur, ſed iſte qui deſcribitur 1 Reg. 1: 33. & 38. vel 2 Paral. 32: 30. addit enim ושלח legendum eſſe puto שֶׁלַח propago, quod nomen appellativum tandem progreſſu temporis degeneravit in proprium. Ratio, cur Rex Achas aſſimuletur Aquis Siloh, ſubnectitur 1 *Scherazu lhaſchebhet malcut bet David bime Achats lpekach ben kmaljabri.* Id eſt, *Nam voluerunt reducere ſeu transferre regnum domus David tempore Achats ad Pekah filium Remaliah.* A. E. vocat aquas eas גוליהמים או שישלחם אדם או מים שיגדלו שלחים כמו שלחיך פרדס רמונים שלח & גיה Et ſic alludit ad vocem עליהם refert idem Magiſter ad Judæos, cum dicit: *Al anſche Ihudah Koſchrim al Achats.* Id eſt, contra viros Judæos, qui ſe contra Achas collegerant. Quod de extremitate alarum dicitur à Judæis quibusdam perplacet. Omnia hæc clara ſunt, modo accipiatur textus de Judæis, qui moleſtiarum variarum pertæſi, pro naturali & legitimo Domino ſæpe exterum expetiſſe creduntur.

Vis argumenti ſpecialis hæc eſt: *Tui ſubditi ita ſunt diſpoſiti, ut mallent ſe dedere & parere Regibus Aram & Iſrael, quam tibi ô Rex eſſe ſubjecti. Hinc ſpernunt tuum Imperium, & tacite conſpirant cum hoſtibus. Extremam enim hi tantum reſpiciunt pompam & magnificentiam. Ob hoc peccatum & ſcelus graviter affligentur ab eo, quem tu tibi in ſubſidium vocaſti Regem Aſſur, & plaga eatenus te ipſum Regem tanget, ſicuti corpore male affecto caput languere ſolet. Si ergo tui ſubditi ô Achas, tam gravem meriti ſint reprehenſionem, quia te Regem ſuum naturalem ſpernunt, & metu majorum malorum præſidium alienum expectant. Quo quæſo mactandus eris ſupplicio, qui abjecto & repudiato* METUO DEO, *ad Aſſur hoſtem tuum confugiſti.* Hoc eſt ſpeciale argumentum, Generale manet ut ſupra eſt formatum.

CAPUT XI.

De octavo Argumento.

OCtavum argumentum maxime emphatice, præcedentia ſeptem argumenta concludit, & inſigni Epiphonemate exornat; Nam ſic Spiritus ſanctus agit in Prophetis, ut unum ex altero fluere merito dicatur.

Robur argumenti hujus generalis in hoc conſiſtit: Omnia conſilia ET ACTIONES HUMANÆ, SIVE SINT TUA O REX, SIVE TUORUM SUBDITORUM, SIVE REGIS ARAM SIVE ISRAEL, IMO IPSIUS ASSUR, SIVE SINT CONTRA TE SIVE PRO TE, OMNIA inquam, EA SUNT STULTA, RIDICULA VANA & IRRITA.

Hæc fluunt ex præcedentibus; Nam conſilium de advocando externo ſubſidio irritum eſſe ſatis jam evictum; Actiones ſuorum hoſtium vanas eſſe ſatis probatum. Regis Aſſur machinationes contra Iſrael Jhudah, & Aram proſpere ſuccedentes, contra Jeruſalem vero ſtultas eſſe ſatis erat demonſtratum. Imo perfidiam ſubditorum quorundam, Achas detectam publice jam audiverant omnes. Hinc gravi ſarcaſmo Propheta invehitur in Aſſyrios, Syros, Iſraelitas, imo ex parte ipſos Judæos. *Confringamini populi, & conſternamini, aures advertite, omnes qui eſtis de longinquo, accingatis vos & conſternemini, accingatis vos & conſternemini.* Lutherus: Seyd böſe ihr Völcker; Optime, nam רע ſignificat etiam malum eſſe, ad exprimendam emphaſin autem ego ſubſtitui *Confringamini*, quaſi d. Berſtet von Zorn ihr Völcker/ und erſchrecket/ ja nembts zu Ohren/ an welchem Orth ihr auch ſeyd; Rüſtet euch und erſchrecket/ Rüſtet euch/ und ſeyd ſo eyfferig/ daß ihr auch ewer ſelbſt nicht mehr mächtig ſeyd.

Involvuntur ergo huic verſui omnium hominum extrema conſilia, machinationes, cogitationes contra cœtum Judæorum, & in genere contra Deum; Et ſarcasmo ſat duro jubet in propoſito pergere, & ita experiri cum quo confligentur numine. Quem autem ſucceſſum ſint ſortitura omnia, ſequens docet verſus: Beſchlieſſet einen Rath/ aber es ſol nichtes darauß werden. Berahtet euch unter einander/ wie ihrs wollet angehen/ aber es ſol nicht beſtehen. Stecket alle die Köpffe zuſammen/ und pfleget Klugheit: Es iſt doch einer der ewer Narrenkappen die Schelle wird anſchürtzen. Denn Immanuel der Jüden Gott/ weil Er alles in ſeinen Händen hat/ wird euch zu ſchanden machen/ und nach ſeinem Willen doch alles richten.

Quæ ſuper hoc commentetur Aben Ezra, ex jam dictis habet Lector, Salomo ſcopum non ferit, Kimchius tantum ex parte.

Vocem מרחקי Chaldæus optime expreſſit per בכל די בסיפי ארעא Fundamentum petatur ex Grammatica.

Verſus decimus, quantum ego quidem video, eſt ציור, ſed cum indignatione & ſarcasmo conjunctus. Quaſi Propheta in nomine Domini exurgens, ita omnes bellatores alloqueretur, & ad prœlium contra Eccleſiam ſarcasmo provocaret: Huy nu ihr Krieger/ thut euch zuſammen; Entrüſtet euch/ ja berſtet von Zorn/ Ja höret nur fleiſſig zu/ was man euch ſaget; Seyd zornig/ erſtarret/ Rüſtet euch/ entrüſtet euch/ ringet/ ſpringet/ rauffet/ lauffet/ thut was ihr nicht laſſen könnet Beredet euch unter einander/ wie ihrs machen wollet; Ihr werdet doch alle drüber zu Narren werden/ denn wir haben auff unſer Seiten unſern Gott den Immanuel.

Væ ergo illi parti bellatrici, quæ non vere dicere potest: HIC EST IMMANUEL. Ea autem, quæ externas copias & multa fœdera, etiam cum diversæ religionis hominibus, quibus fidit, tantum respicit, etiamsi cœlestis sit religionis, illa ipsa est, quæ non dicere potest IMMANUEL sed IMMANUADAM, vel ut Syriacum adhibeam idioma *Amanenosch*, Homo est nobiscum.

Rationem hujus theseos statim subjungit Propheta, cum quid in visione sibi revelatum sit, edisserit: *Ci coh amar Jhovah elai, bchetskat hajjad, vvijsreni millechet bderech haam hatstse lemor: lo tomrun Kescher, lcol ascher jomar haam hatstse Kascher, vvet morao lo tiru, vvlo taarizu.*

Hi versus proprie quidem directi sunt contra Judæos quosdam, qui cum Aram & Israel tacite conspirabant, verum in hoc stricta via non simpliciter mansisse Prophetam, sed simul respectu involvisse ad populum totum Judaicum Assyriaco etiam baculo innitentem, ut dicamus, suadet circumstantia, qua adhuc Prophetam ad omnes extremitates terræ conversum audimus.

Ponderemus ergo verba Prophetæ, quæ cum præcedenti versu cohærere Kimchius fatetur הטעם בכי למה שאמר כילא תקום עצתם על ירוש׳ *Ratio, cur consilium de subjugando Jerusalem stare non possit.* Hæc ratio talibus describitur verbis: *Quia sic dixit Dominus ad me in apprehensione manus, seu manu forti cum me erudiret, ne viam populi hujus calcarem.*

Primo videndum quid חוקת היד, Aben Ezra eruditissime hæc monstrat: *Caascher hitchatstsek alai hannbuah, cmo hajeta alai jad Jhovah.* Ad eundem fere modum Rabbi S. *Bhitgabber hannbuah alai, cschehosiph ldabber elai bdabar tse, cmo schecatubh lmala, vvaioseph vvgomer. Ubilschon tse amar ichetskel. VVijad Jhovah alai, chetska Ischon nbuah.*

Hi ergo habent robur manus pro Prophetia ipsa, & in specie pro puncto isto, cum impressio Prophetica est fortissima. Et hæc omnium clarissimus Kimchius succincta brevitate proponit: *Pirusch bchetskat hajjad bchotsek hannbuah.* Id est, significat Phrasis hæc בחוקת היד robur Prophetiæ, id est, punctum illud temporis, in quo impressio est in Prophetis fortissima.

Propheta ergo hac voce docet, se non temerario ausu extremitates terræ irrisisse, sed Prophetico instinctu. Lutherus: **Als fasset er mich bey der Hand.** חוק etiam apprehendere & tenere in Scriptura significare solet. Idem ergo diversis tantum characteribus dicit Lutherus, q. d. *In fortissima impressione, cum viderer manu ipsius Dei excelsi a via hujus populi abduci.* Optime ergo hic vertit Lutherus. Via populi est juxta Kimchium *derech hammoasim, bmalcut bet David, mipphne morah hammlachim haelleh*, id est, *Via spernentium Regnum domus David*, præ timore Regum *istorum.* Rabbi S. restringit ad *Schebnah* & collegam tempore Hiskiæ. Verum errat Salomo, Kimchius in generalibus textui satisfecit.

Vocem יסרני *erudivit me*, Aben Ezra sumit pro Futuro, sic enim infit רגשות הסמך לבלוע היוד id est ס habet dagesch, quia prima radicalis jod est abjecta.

Hinc haberem egregium exemplum, ubi Futurum etiamsi non habeat ו conversivum, modo præcedat præteritum, pro præterito venit, quod ob versum 2 capitis 8. bene notandum est. Quamvis autem excellentissimi orbis Christiani Rabbini Schindlerus & Buxtorf. vocem hanc habeant pro præterito conjugationis secundæ, non tamen satis videre possum, quo jure ante נ sit zere & non patach. Ad singularia enim exempla, nisi extrema nos urgeat necessitas, recurrendum non est. Præsertim autem cum A. Ezra formatio ab allegatione multorum exemplorum, ubi jod similiter absorbetur sit acceptabilis, & multi alii dubium movere possent de ו convertente significationem Præteriti in significationem Futuri secundi, quod tempus locum hic habere posse vix dixeris. Sed hæc obiter.

Pergimus jam, & hinc formamus secundum argumentum speciale in hunc modum: *si in fortissima impressione Prophetica* (quod certe ad demonstrandam rei gravitatem factum sit oportet) *Deus sua quasi manu me a via populi istius abduxerit, procul omni dubio pessima illa erit via.* Detestetur ergo eam omnis, qui Deum Israel timet.

Via hæc in subsequenti versu clarius nobis delineatur. *Ne dicatis* LIGA, *ad omne, quando dicit* populus LIGA, *nec sicuti hic populus timeatis*, neque *formidetis.*

Hic opponitur populus istis, ad quos hæc verba habentur. Hos vocat Aben Ezra המשכילי/ id est, prudentes, quos Propheta *Jochiach schello jjkschru al Achats, vvjaschubu jm melech Aschschur, vvtsetaam, vvet morao, vvhinneh hub dabak jm melech Aschschur hannitscar lmalah*, id est reprehendit, ne ad exemplum Achas, cum Rege Assur conspirarent, neque timorem ejus timerent.

Vocem ejus refert Kimchius ad Rezin & Pekah, allegat insuper eos, qui hæc de tempore Hiskiæ accipienda esse urgent.

Verum cum hac in parte Judæi sibiipsis parum constent; nos simpliciter sensum eruemus. Alloquitur autem Propheta auditores suos, & imprimis eos, qui nondum, consilio illo bruto, de præferenda devotione Israelitica fascinati, quid faciendum erat, ambigebant.

Liga est confœderatio, qua duæ vel plures partes Fœdus de mutua concordia ineunt. In specie autem, qua de mutuis subsidiis, & tutelis conveniunt contrahentes.

Periculosis autem fœderibus multoties se Deo invisos faciebant Judæi, dum partim Assyriacæ, partim Aramicæ, partim Israeliticæ, partim Egyptiacæ gaudebant, insidere feci. Hinc tot graves invectivæ Propheticæ in confœderationes & ligas malas, sic tempore Achas, cum Judæi animadverterent Aram & Israel multis potiri victoriis, Regem Achas vero communiter succumbere, meditabantur fœdus Israeliticum & Aramicum; Postquam vero audivissent, Regem Assur ceu potentiorem tot populos subegisse, animum vertebant ad fœdus Assyriacum.

Reprehendit ergo Propheta hanc animi levitatem & inconstantiam, & monet pios, ut non timorem ejus, scil. *populi istius, quem toties stulti fœderis arguerat*, timeant, id est, ne ad exemplum reliquorum animum despondeant, & etiam ligas & fœdera immotis DEI promissionibus præferant. Idem ergo est, ac si dixisset: *Populus hic paratus est, cum quolibet inire colligationem, modo aliquid securitatis inde sperari possit in speciem.* Hinc quocunque res caderet, tutos se fore opinabantur Judæi. Et forsan non pauci fuerunt, qui etiam non erubuerint suadere קשר שני המלכיות colligationem duorum Regnorum, Judaici puta & Israelitici, ut sub uno rege regerentur ambo.

Verum non sine causa לכל vertere volui, non *ad omnem*, sed *ad omne*, q. d. **Gebet nicht ewer Jawort zu einem jeglichen Dinge / in welchem diß Volck vom Bunde saget /** vel *ne suffragiis vestris approbetis omnia* in omni, quo vulgus fœdus commendat.

Hæc regula Prophetæ digna est, quæ omnibus imprudentibus consiliariis in aulis Principum opponatur. Ubi communiter ingruente calamitate non deliberare solent de placando Deo irato, sed de firmandis fœderibus, de modo adhærendi parti robustiori. Et deplorandum sane, quod sæpissime generosissimi viri, pediculosissimis distinctionibus ex Politica Ludimagistri cujusdam desumptis, ita se moveri patiantur, ut etiam major ratio Scripti, quam totius cujusdam provinciæ non raro haberi deprehendatur. Prævaleat autem Regula Prophetica: *Ne dicatis* LIGA, *ad omne id, quando dicit populus iste LIGA.* Vos qui authoritate, prudentia, & diuturno rerum usu superatis vulgum, ne eo quæso corripiamini terrore quo tremet vulgus, sed ad sublimiora animum vestrum sublevetis. Ad quæ? inquis, Respondet Propheta: *Jhovah Dominum Exercituum illum sanctificate, iste sit timor & robur vestrum, seu terror vester.* Consilium hoc est Judæis, & nobis hodie est saluberrimum. 1. Dicit *Jhovah Zbaot* illum sanctificate, ubi notandum, quod hæ duæ voces non cohæreant ut substantivum & substantivum, sed ut substantivum quod per Ellypsin amissum אלהי in sensu semper repetere debet.

Hinc jubentur 2. sanctificare. Sanctificatio hæc consistit *bmorah ubhmaariz*, nam in eum modum Spiritus sanctus semetipsum explicavit. Sanctificamus ergo Deum cum religioso cultu, ipsum veneramur, & ipsum vere timemus, omnemque fiduciam in ipso collocamus.

Hæc sanctificationis descriptio fluit ex ipso textu. Achas metuebat sibi, & ut folium arboris tremebat, cum duo Reges Jeruschalem infestabant; Ergo non sanctificabat Jhovah exercituum, sed exercitum Assur, quem advocabat. Nolebat credere promissionibus ejus, & omnipotentiam Dei suo non permittebat comprobari exemplo. Non ergo sanctificabat Dominum, &c. Sic populus Judaicus timebat, tacitas conspirationes cum hostibus alebat; Nunc cum Aramæorum, nunc Assyriorum cupiebant uniri copiis; Dei autem exercituum ne mentio quidem interserebatur. Hoc certe non erat legere vestigia patrum, qui suo Deo unice placere studebant. Et hoc ipsum relationis ratio omnino postulare videbatur, quam non frigide urget Malachias cap. 1. *Si Dominus ego*, inquit Jhovah, *ubi timor meus?* Hinc est, quod Jacob Dominum patris

tris sui timorem ejusdem vocaret; Et ne phrasis hæc simpliciter referatur ad eum pavorem, quem ob vivum adhuc parentem prætendère potuisset Laban, vers. 53. jurat Jacob בפחד יצחק *per Pavorem Isaaci*, id est, per verum Deum. Hinc DEUM HABERE, & tamen NON TIMERE DEUM, contradictio est in adjecto. Rabbini hic non habent, quæ notatu digna sunt, מעריץ autem explicant partim per robur.

Habent se autem sanctificatio, timor, terror & robur, ut totum & partes. Totum est sanctificatio, hæc constat ex timore & robore. Deum enim timens, ejusque innitens robori sanctificat Deum.

Versus 15. & 16. concludunt partem secundam Orationis hujus tertiæ. Ita sonant: *Nam iste erit sanctificatio, & lapis percussionis, & petra offendiculi, duabus domibus Israël; Imo laqueus & tendicula civibus Hierosolymitanis. Nam impingent ex iis multi, & cadent & confringentur, illaqueabuntur & capientur.*

Hic duas classes exhibet nobis Scriptura; Unam bonorum, alteram malorum. Pediculosus Grammaticus Aben-Ezra hic nobis movet turbas, dum hos versus transferre conatur ad Regem Aschur. Sic etiam superstitiosus concionator Rabbi Salomo refert hæc ad tempus sui Schebnah, & sic etiam ex parte Kimchius. Quis autem non videt, quod ille dicatur fore מקדש, quem sanctificare debebant Judæi, ex קדשם enim מקדש exurgit.

Quoad phrasin explicandam magis placent Judæi, מקדש enim habent pro loco inaccesso, & probe munito. Sic enim Aben-Ezra מקדש מקום שילך אדם אליו להגדל בו ולהבצר i. e. *Mikdasch locus est, ad quem homines confugiunt, ut magnificentur & præsidio muniantur.* Hinc sensus talis: *Illis qui sanctificant Jhovah Deus erit refugium, ita ut tuto sub umbra alarum ejus quiescere possint.* Tale Mikdasch tu ô Jhovah Zabaoth vere es, vere tu Jesu Nazarene præsidium tale vocaris.

Nam qui sanctificat Dominum non timet hostem, non curiose sectatur confœderationes: *Sed etiamsi*, inquit, *ruant montes, Dominus Exercituum mecum est.* Omnia ergo consilia fiunt salutaria, si cum sanctificatione Jhovah Zabaoth (qui quicquid in rerum natura est, pro suo צבא uti potest,) sit conjuncta. Stultæ consequenter, vanæ, ridiculæ & mere pueriles sunt machinationes, quas Magnates contra hoc מקדש meditari solent.

Altera classis est malorum, eorumque vel continuative vel ad tempus. Utriusque generis affectiones satis superque describit nobis Propheta.

In genere autem commemorat, eundem Jhovah ipsis fore lapidem, qua voce allusit ad significationem vocis מקדש. Nam sicuti teste Kimchio *est*: ארמון ומקום מקדש משגב שישגב אדם Sic etiam lapis durum quid & solidum est, quod etiam munitiones inaccessas ferre potest, ita ut אבן fundamentum esse possit & מקדש.

Verum cum ex hac classe quidam non scandere sed irruere, non cacumen intueri, sed penetrare, non gradus ejus sed caput calcare volunt, fit ut lapis ille evadat in lapidem læsionis & petram offendiculi.

Verum ut totum hoc fundamentalibus explicemus, monstramus primo, *Quanam sint duæ domus Israël.* Nam his lapis læsionis juxta tenorem Prophetiæ imminet. Et facilis est responsio. Domus Jacob est tota familia Israëlitica; Hæc domus tempore filii Salomonis dispescebatur in duas domos, & hinc, quamvis altera sæpissime, nomine Domus Jhuda veniat, ambæ vocari possunt Domus Israëlis. Et sic explicat Aben-Ezra per Distinctionem, quam subnectit מלכות ישראל ויהודה Rabbi non admittimus. Kimch. ex una parte intelligit הבוטחים בו ורוצים במלכות בית דוד / המואסים id est, *sperantes in Deo, & adhærentes domui David.* Ex altera vero במלכו/ בית דוד ובוחרים במלכות בן רמליהו: id est: *spernentes regnum domus David, & amplectentes regnum filii Remaliah.* Verum quicquid coacervetur distinctionum de rebellibus Hiskiæ, mihi prior & simplex placet explicatio.

Deus enim vere evadebat in lapidem offensionis, petram læsionis, domui Achas, Pekah & Hoseah, imo rete & tendiculam ipsis civibus Hierosolymitanis, cum supra nominatæ Domus non credebant Deo, sed ad varias ligas confugiebant, & humana præsidia tutelæ Dei sui præferebant.

Nam pro eo quod rite adeundus erat lapis ille, qui in medio viæ erectus stabat, illæ aliud quærentes, in hoc lapide impegerunt. Hinc enim lapis hic dicitur צור מכשל petra offendiculi. Nam ea via, quæ ad auxilia petenda hominibus patet, tota hoc lapide est tecta, ita ut aliorsum ad auxilium properans, certo hic ruat & impingat. Præsertim autem ii gravissima ruina conteruntur, qui hunc lapidem cognoscentes eum aliis scrupulis postponunt. Ea enim ratione in molesta arena defatigati, proni in caput delapsi opprimuntur.

Prærogativa quædam hic concedi videtur civibus Jerosolymitanis, dum lapis iste his describitur ut laqueus & tendicula; hanc enim commodius evitari posse docet ratio. At miseram hanc prærogativam, æquales peccatores communiter eodem supplicio affici solent.

Rete & tendiculam hanc habitatoribus Hierosolymitanis tendebant mala exempla vicinorum. In conspectu erat Rex desperatæ malitiæ; Hunc tam amicabiliter tractans Deus, hincque favere eidem visus multis, erat ansa dubitandi, de vero sanctificandi genere. Et ita Deus non in momento puniens, sed Regi diu indulgens hic dicitur rete & tendicula. Fit autem hoc non culpa Dei, sed vitio hominum. Iste per se & in se מקדש est, per accidens autem, & ob cadentes homines מכשל.

Notandum autem, in vers. 16. non absolutam & universalem, sed particularem describi ruinam, ut doceatur, multos ex iis quibus Deus rete visus erat, & quibus ut lapis offendiculi primo intuitu exhibebatur, salvandos, conservandos & non conterendos esse. Hinc utitur voce רבים, cum Spiritus sanctus ita hoc argumentum concludit: *Et multi* (non omnes) *in iis* (id est, inter eos) *impingent, & cadent & confringentur.* (intellige in genere sumptas duas domus.) *Et illaqueabuntur* (רבים & / יושב יר׳ hic reassumendum) & capientur.

Referenda sunt hæc omnia, non tantum ad mala temporalia, de quibus explicatio primo quidem est accipienda) nam omnia optime quadrant; sed etiam (phrasium quarundam ratio jubet) & inprimis de æterno illo exitio, quod omnibus merito formidabile esse debet.

יהוה צבאות hic est Messias, & si lubesceret, etiam sine ope Novi Testamenti contra Judæos idem stabiliremus. Sed concludenda est hæc pars secunda, & argumenti capitis hujus facienda est recapitulatio. NIHIL HUMANA RATIO, CONSILIA, ACTIONES, MACHINATIONES SINE DEO VALENT. TU ACHAS, ET VOS RELIQUI BELLATORES VESTRIS VIRIBUS CONFOEDERATIONIBUS, PRUDENTIÆ ET CALLIDITATI INNITIMINI. ERGO STULTA OMNIA SUNT QUÆ VOS IMO QUÆ EXTERI MEDITAMINI, VOSMETIPSOS RUINÆ ET EXTREMÆ CALAMITATI DEVOVEBITIS, JERUSALEM AUTEM TE ETIAM O ACHAS NIHIL AGENTE QUAM DIU VOLUERO SALVUM MANEBIT.

Hucusque firmissima audivit Achas argumenta, contra timorem, contra Ligas illas externas & periculosas. Nos ad tertiam partem properamus.

TERTIA PARS.

CAPUT XII.

De Argumento Nono.

Tertia pars argumenta sumit ab exemplo, pœnis, præmiis, ira & gratia, & ita mixtæ sunt promissiones comminationibus Dei.

Nonum argumentum, quod primum in hac parte est, illustrissimum est. Solennissime proponitur, tali claret majestate, ut totus mundus, nedum sceleratus Achas eo fuerit dignandus.

In hoc enim introducitur ipse Messias; & quidem ut verba faciens ad Esaiam & populum. Prophetæ enim omnia, quæ in visione impressa sunt, non aliter recitare possunt, ac si ex charta legerent, unde de Jeremia testatur Scriptura, quod ex ore suo legerit & dictarit amanuensi. Sic verba Messiæ ita ei erant infixa, ut quia antitypus suus erat, ne usitatam formulam כהאמר hoc loco præmiserit.

Argumentum generale ita est formandum: Si ego (qui verus Deus & Jhovah Zabaot sum) spem meam, (quia homo ero) in Deo colloco, quid ni miserrimus homo Achas faceret.

Hæc ulteriori indagine digna sunt; Quare hos sequentes versus 9. quos Christo ipsi adscribimus ex fundamento placet interpretari. Versus 17. ita sonat: צור תעודה חתום תורה בלמודי id est, *Liga contestationem, obsigna legem in discipulis meis.* Dicitur 1. cal, צר & alius quidam נצור custodi. Aben-Ezra סתום occulta, Kimchius קשור.

Sic

Sic & ego interpretatus sum, & D. Lutherus: Binde zu. Propheta antea steterat coram Achas volumine suo explicato & aperto, hoc enim תעודה, seu verba illa, ad quæ testes adhibuerat Propheta, continebat. Jam vero allegat verba Messiæ, jubentis ut literas explicatas colliget, daß er seinen Brieff nur immerhin zusammen wickele / es sey doch an Achas nichts zuschaffen.

Hic idem Propheta Esaias multa coram Achas de CHRISTO concioni suæ insperserat, præsertim vero inculcaverat principia prima religionis Judaicæ, de virgine pariente. Imo Christum ipsum, ut odorem vitæ ad vitam, & odorem mortis ad mortem proposuerat. Hoc certe præstitisse necesse est ita, ut תורה seu Mosen, qui de CHRISTO similia vaticinatus manu tenuerit. Vel nisi more Professorum Academicorum exemplar legis descriptum in manu gestarit, & ex eo suam Prophetiam (ob ejusdem Spiritus authoritatem) corroborarit; certissime tamen tota concio ita fuit disposita, ut fundamenta תורה & veræ religionis Judaicæ quilibet attentus auditor ex ea legere potuerit.

Propter hæc Messias seu Jhovah Zebaot ita pergit: *Obsigna legem in discipulis meis*, q. d. *Mi Esaia; Ne pergito immani illo monstro verba habere, nam* תורה *Lex doctrina & religio vera non impletur. Non ergo etiam erit periculum, ne in eo & ejus complicibus obsignetur, quod de veris Dei cultoribus Moses prædixit. Obsigna ergo eam legem in meis discipulis, qui cum majori devotione Mosen & Prophetas sunt amplexuri*: q. d. Mein lieber Esaia / du hast hie wenig gehör / wickele nur immerhin deinen Brieff zusammen / zu welchem du hast Zeugen erbeten. Was aber sonsten die Lehre antrifft / so du auß Mose genommen von Christo / und wie man sich allein auff Jhn verlassen solle / die wird hie wenig Platz finden; Meine Jünger aber und Christen im Newen Testament / werden sie was höher halten. Hie ists schon verloren Wesen.

Talem nexum, quamvis in persona errent Judæi nobiscum probant. R. Kimchi, אמר אין לי אלא לצרור ולחתום התורה בלימודי כלו׳ עם למודי שלא יראוה אחרים אלא התלמידים כי האחרים אינם רוצים לא לראות ולא לשמוע דברי תורה: *Nihil magis facto opus est, quam ut complicem & colligem* תורה *in discipulis meis. Dicit autem in discipulis. Quia illud reliqui non observant, nam ii nec videre nec audire volunt verba Legis.*

Q. Num hæc de discipulis Esaiæ & reliquis piis Judæis sumi possint. R. Optime. Nam (parum interest sive hic pro Judaizante habear nec ne) ut R. Salomo monet: יראי שמים נקראים לימודי י״י *Qui Deum timent, vocantur Dei discipuli*, & ita consequenter etiam Esaiæ ceu Dei legati. Nec obstat quod ex R. Salomo & aliis obstare videtur, non digna sunt ista literis. Verum ita, ut quod principale est, & ad contextum quam proxime accedit, præferatur. Hoc est, quod de Christi discipulis supra allegavi. Hi principaliter sunt ii quos in N. T. in omnem terram emittebat, deinde etiam discipuli Esaiæ, qui simul sine omni absurditate Dei discipuli vocari debent. Verum ut dixi ut scopus principaliter sit Christus & Christiani. Christus enim ita vult inferre: *Esaia, tu habes discipulos & pios auditores, verum tam pauci sunt, ut vix sub numerum cadant. Vides quidem, quod* תורה *in iis incipiat obsignari, at contemplare meos, ut dicentur, discipulos, Horum respectu hos reputa pro nullis, quos informas discipulos.*

Hoc enim certum est, ad Esaiam sermonem esse directum, quem sub persona Messiæ ad semetipsum convertit Propheta. Tacitam autem oppositionem præsentiscens Jhovah Zabaoth hic diluit. (Sic enim Esaias in visione, in qua hæc acceperat, tegerere potuisset.) Quid TU JHOVAH EXERCITUUM memoras discipulos: Quid narras obsignationem. Nos tui sumus discipuli; Ego, filii mei, & multi pii in populo. Tu alios extra nos informas Judæos? Respond. Bene, estis vos discipuli mei, at non soli. Nam cum Ego tuus Esaia antitypus carnem sum assumpturus ex ea, quam Regi Achas proposuisti, virgine, vocabo mihi discipulos, qui in omnes angulos terræ emisi legem deosculabuntur, quam Judæi moderni tam pervicaciter conculcant.

Hinc pergit Messias וחכיתי ליהוה *Nam & ego præstolabor Dominum.* Mi bone Deus, quomodo tu sperare, quomodo præstolari potes Jhovam, cum sis ipse Jhovah, exercituum Deum? At tunc cum carnem induero, & sicut tu ô Esaia in Judæa sum concionaturus. Hinc describit magis ipsum Deum, cui se fidere jamdum affirmaverat. *Occultantem* inquit *faciem suam à domo Jacob*, & addit *illum* inquam *præstolabor* q. d. *Ne mireris quod dixi, memet esse, qui Deo confisurus sit, & tamen egomet Jhovah exercituum Deus sum.*

Nam ut ab omni ambiguitate libereris adde & hoc, quod ille ipse Deus sim, qui hodie abscondit faciem suam à Domo Israel, quem præstolabor ego, quamvis ipse sit, qui te jam instruit Prophetam, Jch wil auff ihn warten / Jch wil mich auff ihn verlassen; und wann er schon seine Hülff auffschieben möchte / werd ich mich doch nicht / wie Achas zu Menschen wenden.

Hinc robur accipit argumentum supra propositum: *Si ego, qui sum Jhovah Zabaoth, ideo præstolari volo Deum, eique fidere*, QUIA HOMO FACTUS SUM. *Quidni Achas, qui nudus homo est, hoc idem non faciat.*

Et hoc eodem vinculo firmius colligatur ratio relationis (de qua supra) inter Deum & hominem, Dominum & Servum, Servum autem esse Messiam, testatur Scriptura.

Quid contra hanc nostram explicationem murmurent Judæi, parum refert. Et etiamsi in persona Christi discordent, in multis tamen nos sublevabunt.

Communiter enim hunc versum cum quibusdam Pontificiorum scriptorum Esaiæ adscribunt, unde A. Ezra: *Elle dibhre hannabhi, scheamtin, ad schehaschschem jitten lo rschut, lgallot sudo*, id est, *Verba hæc sunt Prophetæ, qui expectavit, qui distulit, usque dum licentiam impetraret à Deo manifestandi secreti sui.*

Verum vocem חכה pro fiducia & spe in Deo collocanda sumi, testatur Psal. 33: 20. Et quod חכה in hoc loco non per omnia idem sit, quod Rabbinorum אמתין, satis comprobat contextus.

Quæ de reprobatione impiorum, vel etiam de clauso libro Mosis & Prophetarum hic dici possent, studio omitto. Nam plane in ea sum sententia, quod, si verbis utor: GLOSSÆ ORDIN.) Lex & Prophetæ, *eatenus* usque ad Johannem sint ligati, UT NON INTELLIGANTUR; & non potius, quia à cuntumaci populo, & stulto clero non sunt probe explicati, mera illusio sit veri Dei, qui infra ad legem dubios remittit, imo juxta legem probandos esse Doctores præscribit.

R. Salomo hæc verba simpliciter Esaiæ adscribit, & de futura salute domus David hic agi putat. *Amar Ischajahu; Ani hammchacceh Livohah hammastir panavv measereth hasschbhatim, vvkivvvviti lo lammet dibhre eloah, ul hosohiah & bet David.* Quatenus ut verba Esaiæ non incompetentia & quæ ideo à persona Prophetæ mutuari potuisset Messias, probamus; verum principaliter hic sub propria persona verba habere Esaiam negamus, quamvis auditorem imperitum pro verbis Prophetæ habuisse ea non est improbabile. Nam non placet, quod Targum, Kimchius, R. Salomo, A. Ezra, cum quibusdam ex Christianis versum hunc pro respons. Prophetæ habeant. Et nescio sane, quid N. de Lyra insigni alias Hebræo mastygi, & malleo omnium simplicitatem textus Biblici tuentium, in mentem venerit, quod hic cum Judæis foverit sententiam. Cum facile perpendere potuisset, quod proprio in hoc casu jugularetur gladio, quo tot doctissimos homines sine capite domum remisit, nempe; *Hæc sententia falsa est, quia favet errori Ebræorum.*

Verum satis ut puto claritas contextus affulget cuilibet, videatur supra Antypophora.

Hæc audiens Esaias in has potuit dilabi cogitationes *Tu Jhovah Zabaoth præstolaberis? Tu Deus sperabis in eo, qui abscondit faciem suam à domo Jacob? Tu es ipse idem, qui abscondit faciem suam. Meum est sperare, confidere cum pueris meis, quos mihi Dominus dedit in signum & portentum in Israel.*

Quare magis notanter & significantius Messias seu Ihovah Zabaoth respondet, & humanitatem suam Esaiæ ob oculos ponit: *Ecce ego, & pueri quos dedit mihi Ihovah, in signum & portentum in Israel sumus à Ihovah* Deo *exercituum habitante in monte Zion.* q. d. Noli putare Esaia, te scriptione tua libri, impositione omnium portentosorum, item te solum cum paucis piis sperantibus in Deo, solum esse signum in Israel. Nam ET EGO, imo IPSE EGO, ECCE EGO, qui tecum ut Ihovah Zabaoth loquutus sum, & cum discipulis meis me in Deo sperare professus sum, etiam à DOMINO ZABAOTH POSITUS sum insignum in Israel.

In hoc versu iterum Lutherus comprobavit, qualis sit interpres; Alii hic de vera versione litigent, cur מעם יהוה in fine reperiatur, disceptent. Lutherus decidit: Siehe / hie bin ich / und die Kinder / die mir der HERR gegeben hat / zum Zeichen und Wunder in Jsrael / vom HErrn Zebaoth / der auff dem Berge Zion wohnet. Constructio ita formanda: Siehe / hie bin ich / neben den Kindern / die mir der HErr gegeben hat / vom HErrn Zebaoth / der auff dem Berg Sion wohnet / zum Zeichen und Wunder in Jsrael.

Ergo & Messias & Discipuli sunt à Jhovah, & sic Epistola ad Ebræos commodius ratione argumenti probandi explicari potest.

potest. Nam ibidem talis est propositio. Sie kommen alle von einem / beyde der da heyliget / und die da geheiliget werden / darumb schämet er sich auch nicht sie Brüder zu nennen. Pro confirmanda hac Propositione allegatur vs. 23. Psal. 22: 3. Psal. 18. Ich wil mein Vertrawen auff ihn setzen / in hoc enim cum hominibus ceu fratribus convenire debebat. Tandem autem allegatur versus præsens. Tum quæro, quomodo hinc fraternitas Christi probari queat, nisi quia ut homo sperabat, & ratione unius dantis, unius patris erant filii.

Notandum autem vocem ילדים non tantum sumendam esse pro filiis naturalibus, sicuti sæpe ita, & in specie in Genesi usurpatur; sed etiam pro discipulis, qui à Præceptore eruditi gignuntur. Hinc dico: Vox ילדים in S. aliquando significat juvenes artibus operam dantes, junge Studenten. Tales quærebat in populo captivo Nebucadnezar, Daniel. 1. Hinc describuntur per משכילים בכל חכם, junge verständige Gesellen; Nam ab uberibus matris pendentes, & pueri parvi, qui nullis sunt initiati artibus inepti sunt ad ministerium Regum. Tales ילדים erant juvenes consiliarii Rehabeam, 1 Reg. 12. Junge Leute / so zwar mit complementen und Allmod / und auffschneiden / und frembden Sprachen / sich dem König angenehm machten / auch für sich selbst gelärte Studenten waren / ob sie schon nicht tüchtig waren in Regiments sachen etwas zu schliessen. Conferat. cum his c. 2. Es. ילדי נכרים &c. Imo ipsi Judæi nobiscum faciunt R. Salomo הם תלמידים id est, *Hi erant discipuli, quos ceu filios* שהביב עליו כבנין *amabat.*

Studio huic rei prolixius inhæsi, cum sciam, esse qui quæ probavi, negare solent. Nec possumus hic præterire Kimchium, qui super hunc versum commentans. EGO ET PUERI MEI ad nuda opera trahere cupit, cum inquit: *Maasim scheasiti loot cmo ctibat haggillajon, ukriat schemoth hajjladim schaariaschub, umaher schalal, Chasch bats.* Verum ut demonstratum est. Messias tales adhibuit phrases, quæ ab Esaia desumptæ esse videntur, ut quod Esaias prætendere poterat, in majori evidentia demonstraret Christus.

Ne existimet autem Lector, quod torqueam hunc locum ob Epistolam ad Hebræos ad Christum; Nam non obesse scio, quo minus in N. T. allegetur dictum aliter, atqui in V. est perceptum; sed credat, me simpliciter textui & contextui inhærere. Nam versum צור Esaiæ sanus adscribere non potest, hinc enim Rabbi S. repetendum vel reassumendum putat כה אמר יהוה. Hoc capio quidem, quod semetipsum Propheta ita alloqui potuisset, at quod hoc loco idem factum sit constanter nego.

Versum וחכיתי *Nam præstolabor*, adscribunt ut supra recensui Esaiæ; at repugnat ו causale, rationem enim ille dare tenetur, qui loquitur, cur in למודים obsignanda sit תורה, nempe quia ipse, qui loquitur cum Esaia, cum discipulis suis sit præstolaturus, nec ad exemplum Esaiæ auditorum irritaturus Dominum. Hinc dico: Cujus sunt למודים, ejus sunt etiam ילדים, & si hoc obtinuero, habeo quod volo.

Notanter nobis describitur יהוה צבאות per השוכן בהר ציון *habitantem in monte Zion, quia* teste Aben Ezra hoc ipso magnitudo dilectionis Dei innuitur, ubi enim Deus habitat, non immerito ipsa gratia & misericordia Divina habitare dicitur.

Quomodo C. & Apostoli fuerint signa in Israel aliis tractandum relinquo. Tam enim hæc sunt obvia, ut puer palpare, nedum eruditus Commentator & Scripturæ Doctor investigare & explicare posset.

Potuisset autem movere Esaiam id, quod Messias nondum natus erat. Unde consectarium, Judæos esse excusandos, quamvis se præstent immorigeros; Non posse eos certos esse de vera religione, differenda ergo esse omnia ad adventum Messiæ. Quare præscribit modum, juxta quem Doctrina Judæorum, cum sua doctrina in certitudinis ratione & fundamento ipso pro una & eadem reputari debet, ut ita Judæi magis magisque sint inexcusabiles, nisi ita sicut Apostoli תורה sive veram religionem amplectantur, & hominibus non innitantur. *Et memorabilem subnectit instructionem, tam ad id, quod seductoribus respondendum, quam ad id, quod sibimet semper præfixum & infixum habere debebant.*

Prima describitur vs. 20. *Quare si dixerint vobis*, Wo man zu euch wird sagen / *consulite Pythonicos & hariolos*, &c. Respondete: *Nonne populus suos Deos consulere solet, pro vivis sæpe mortuos.* Primum incisum magnum facile intelligitur, posterius sic circumloquimur. *Hoc est jus gentium ut qualibet natio peculiarem suum Deum consulat, etiamsi sæpe contingat, ut consulens & is pro quo consulitur, consulto Deo sint potentiores, nam illi vivunt, hic non itidem.* Et juxta hanc formam, ipsum Deum in Jeremia legimus suam argumentum formasse; sed de his infra.

Occurrunt in hoc versu vocabula bene notanda, & primo quidem אובות. Vox hæc in sacra S. sumitur aliquando abstracte, aliquando concrete. Levit. 20: 27. 1 Sam. 28: 7. & aliis multis locis. Videtur mihi autem, cum hac specie divinationis ita esse comparatum, ut humi jacentes divinatores ex pulvere missitarint Futura. Hanc conjecturam habeo ex Esa. 29. vers. 4.

Puto autem Judæos ut Sympatriotas accuratius hæc nobis esse descripturos. Jonathan Paraphrastes vocat eos בדין, obscurum per obscurius proponens, nisi in hoc nobis forsan suppeditet lumen, quod vocat eos דמנצפין. Rabbini super hunc locum nimis sunt parci. Juveni autem in lege Mosis super cap. 19: 13. Levit. R. Salomo ita comment. בעל אוב זהפיתום המדבר משחיו & ita respexisse puto hunc Rabbi ad modum vaticinandi, cum humi prostrati in arena murmurabant. A. Ezra super eundem locum Levitici, allegat locum ex Job. 32: 19. אובות חדשים & dicit quod הם עיקר זאת האום id est, *quod utres novi sint hujus artis fundamentum*, forsan quia בעלי אוב instar obsessorum soliti sint turgescere, vel quia vere à Diabolo obsessi, responsa dederunt.

Hæc omnia videntur probabilia, contrarium autem allegare videtur. Constant. l'Empireur, ex Cod. de Idolol. cap. 6. sect. 1. de Pythonico, hæc quæ sequuntur ab ipsomet in Latinum conversa: *Pythonicus stans notum suffimentum adolet, virgamque Myrthi manu tenens agitando offert*, atque incantationem loquitur, *verbis apud* illos *notis, donec consulens audiat, ac secum aliquis loqueretur, ipsique de interrogatis responderet, verbis è terra prolatis, voce admodum submissa, ac si auribus non perciperetur, sed eam cognitione assequeretur. Similiter qui cranium cadaveris accipit, eique suffitum facit, & in eo augurium captat, donec videat, ac si vox prodiret, eaque valde submissa, quæ ipsi responderet.* Forsan in hoc respicitur ad אוב abstractum, quod אוב concreto post suffitum inpulvere jacenti respondeat.

ידעוני à quo plurale textus nostri ידעונ R. Salomo super Lev. 19. describit, quod fuerit המכניס עצם חיה ששמה ידוע לתוך פיו והעצם מדבר id est, *Adhibens os animalis, cui nomen luduja medio oris sui, & os loquitur.* Aben Ezra מגזרת דעת שינקשו לדעת העתידות ab ipso vocis etymo definit, & addit quædam de expressa prohibitione hujus mendacii, quo hominibus imponebant. Nam si Pyton in affirmando, errare non poterat hariolus in negando, & sic mulus mulum scabebat. Constant. l'Empereur ex Cod. de Idolol. ידעון *imponit os avis, cujus nomen* ידוע *ori suo*, & *suffitum facit, aliaque opera peragit, donec procidat instar Epileptici, loquaturque ori suo, ea quæ ut fiant futurum est.*

Hi ידעונים & אובות explicari videntur per מצנצפים & מהגים, *sic ut* אובות *cum* מצפעפ, ידעונים *cum* מהגים conveniat. Vel quia teste Rabbi S. sit לשון גנאי הוא שאף הדבור אין בהם אלא כעופות הללו שמטפטפי בקולם לשון ציפצוף והגא נופל בעופות *sit vituperium, quo Propheta doceat, Doctores illos populi ne hominum quidem, sed tantum avium voce uti, imo parvulorum seu infantum, quibus loquendi potestatem nondum concesserint anni*; Vel ut vere sit modi prædicendi seu vaticinandi descriptio, qui in ציפצון consistat.

המהגים vocat Aben Ezra שיעשו לאחר שיהגו, *qui faciunt ut alii meditentur & mussitent.* Hi forsan cum ידעונים conveniunt, & ה, relativi nomine ut & in המצפצפי venire facile credo. Ansam autem dederunt hi viri vulgo meditandi & speculandi, qui fiat, ut quod textui huic propinquum est, non sicuti reliqui Prophetæ confœderationes Regi dissuadeant, vel quia, (quod cum vocis natura quadrat) tam obscuris & homonymis seu æquivocis responsis miseris imposuerunt; Quia, in dubium verba tantorum virorum vocare nefas erat, sedulo de vero sensu oraculorum cogitarunt & meditati sunt. Num autem ab hac voce מהגים *magus* Latinorum descendat, videant alii.

Ab his hominibus, qui à gentibus descendentes in magno pretio apud Judæos erant, cavendum monet Messias. Si enim hoc principium amplexi sint, non facile deviabunt imbecilles. Non autem alloquitur, ut Judæi ex parte putant, suos discipulos Esaias, sed ministerio & per os Esaiæ Christus ipse habet verba ad omnes auditores Esaiæ. Nam hi ab aulicis Achasi, qui mores suos Idololatrico Regi submittebant, & ad exemplum impii Domini suam vitam componebant, adducebantur ad magos, & remittebantur ad Pythonicos. Hi consulti, non respondebant: Mane super tua fece Achas, confide Deo tuo, sed fœdera fœdera clamitabant stulti. Sic autem cohærent omnia: *Audivistis jam, quod ego ipse Messias speraturus sim in Jhovah.* Et

Et hoc ipsum satis superque per os mei Prophetæ vobis inculcavi. Prævideo autem Regem Achas cum aulicis suis, imo multos etiam successorum ejus in regno, suos Magos, & honoratos mendaces meis Prophetis esse prælaturos, ita ut veritas dictorum Propheticorum à consensu Pythonicorum pendeat. Hinc sæpe audietis responsa: Consulite Pithones, & videte, num ex uno ore cum Prophetis sint vaticinaturi. At vos, qui certitudini veræ & meæ religionis inhiatis, ex propriis principiis vestrorum opponentium refutate perversos: Bene consulemus Deum, at istum, qui nationis nostræ est, nam vestra principia dictitant, cuilibet nationi peculiaria esse præposita Numina. Si ergo ex his principiis sæpe contingit, ut mortuos adorent vivi; date & nobis, ut nostrum Deum veneremur, sive in oculis vestris sit falsus, sive verus.

Difficulter proprietas linguæ & contextus aliam paraphrasin tolerat.

ידרוש explicari, per consulere solet, ratio petatur ex Grammatica. Rabbinorum Paraphrasin prætereo, quamvis non indigna sit sententia Kimchii & Salomoni de בָּאָה quæ examinetur; verum nos properamus ad secundam partem instructionis.

Ad legem & attestationem; Quod si juxta hoc verbum non dixerint respondete, *Quod ei* verbo *non insit veritas* discretio boni & mali veri & falsi.

Hic versus continet secundam partem instructionis Messianæ, & docet, quid præcognoscendum, ut via veræ religionis & spei in Deo collocandæ calcetur legitime.

Difficulter hoc poterimus monstrare, nisi prius versionem veram à contortis vindicaverimus.

Eruditissimus commentator Wolffg. Musculus subolet hic quandam in dicendi genere difficultatem, unde à vulgata versione discedit. לו enim pro להם coactius ipsi videtur, quam ut ferat linguæ simplicitas, accedit quod אשר לו *cui*, vel *ei* significet; Aliam ergo substituit: *Ad legem & testimonium*, אם לא i. e. *si non*, si noluerint quæsitum ire ad legem & testimonium, יאמרו כדבר הזה *dicant* (**Laß sie immerhin sagen**) *verbum hoc, cui non est aurora.* **Laß sie immerhin bey ihrer alten Abgötterey bleiben.** Fateor ego, probabilia hæc esse omnia, at non decet eum עבר sumere pro עברו, qui respuit accipere לו pro להם.

Verum quo minus & ego cum Musculo faciam, est accentuationis ratio, quæ non permittit talem quam Musculus infert divisionem, unicum enim exemplum Deut. 11: 27. ubi similis accentuatio occurrit totam ejus machinam labefactat. Hic Zakephkaton (:) facit distinctionem, pro ministris habet 1. Munach. (ֽ) 2. Pasta (ו) 3. Maphach (ֿ) ubi hoc non dividit sed conjungit. Novi quod ante hoc seculum nulla fere ratio accentuationis sit habita, putaverunt enim docti, Judæis Musicis hos esse relinquendos. Verum quicquid sit, sive ad tenorem horum accentuum Choralem, Figuralem vel alium cantum intonarint; sive antiphonas, Responsoria; Introitus, Kyrie Paschale vel Pentecostale juxta has notas formaverint, ego puto, QUOD QUAM DIU IN ACADEMIIS NOSTRIS NON PROPONITUR ET INCULCATUR VERA RATIO ACCENTUANDI, NEGLIGITUR ETIAM RATIO DISTINGUENDI, ET ITA CERTITUDO EXPLICATIONIS SCRIPTURÆ. Quantum autem obsit ignorantia veræ accentuationis, suo exemplo probavit Musculus. Ego certo, quam diu nondum accuratissimam ejus rationem habeo, non tam certus esse possum, quam cum, quod quærendum, fuero adeptus. Sed hæc obiter. Quoad nostrum institutum. Phrasis *si non?* in Scriptura accentu regio debet insigniri. Et hoc video ex quibusdam exemplis, ubi Zakephgadol (״) tipcha (ֽ), pazer (ֿ) huic distinctioni inservire solent. 2 Sam. 20: 26. Job. 9. Jer. 42. In Jobo occurrit capite 24. Munach (ֽ), sed non absolvit incisum, completur enim à subsequenti אפוא. Zach. 11: 12. itidem videtur facere talem distinctionem, at cum (ֽ). Et allubesceret audire Musculum in c. 33. Exodi explicare אִם־אֵין פָּנֶיךָ הֹלְכִים. Imo Kimchii explicatio tolerabilior est, qui hunc versum ita interpretatur. *Per legem & testimonium*, **Warlich! Bey Gott!** *si non*, id est, certe, *loquentur juxta verbum cui non sit aurora.*

Placet autem hic Lutherus: **Werden sie das nicht sagen so werden sie die Morgenröthe nicht haben.**

Ego ergo simplicem & planum sensum in simplici & plana quæro expositione: *Ad legem & testimonium.* Omnia facta & dicta ipsorum in Canone legis & testimonii sunt probanda. Accentus magnus Rex & Dominus Atnach hic facit incisum majus. Si dixerint, juxta verbum hoc, res est salva, si juxta testimonium judicaverint, non errabunt. At, *Si non dixerint juxta verbum hoc*, nisi ea locuturi sint, quæ cum Mose & vera religione & testimonio meo concordent אשר אין לו respondere vel signum est, *quod in eo* verbo *non sit discretio boni & mali.* Ellypsis vocis אות in Scriptura est usitata, & ne in aliis exemplis inquirendis laborem, ecce c. 7. Es. quod præ manibus est אם לא תאמינו כי לאתאם / quod ibi כי hic אשר. Verum ne & hoc Lectori videatur peregrinum, quare in nostro quem jam tractamus, manemus textu. Hic necessum habet quivis fateri, ante הלא in sensu assumendum esse *Respondete*, vox enim הלא hic impertinenter poneretur: Sic etiam ante אשר merito ressumimus *Respondete*. אשר enim impertinenter hic insereretur. Quod autem אשר & לו hic non faciant relativum, ipse textus & contextus, imo detortæ interpretationes in hoc casu ab interpretibus datæ probant. Judicet Lector qui sine præconcepta opinione accedit.

Indagato ergo vero sensu, proximum est ut quædam vocabula in versu occurrentia explicemus. Occurrit autem primo תורה sive lex תורה est doctrina tam legalis quam Euangelica, quam Deus populo suo per Mosen & Prophetas ante Esaiam tradidit. תעודה est illa contestatio seu testimonium, quod scriptum erat in גליון seu literis illis patentibus, ad quos Esaias adhibebat testes. Hoc enim fuit proba omnium Judiciorum humanorum de exitu belli Aramici, Israelitici, & Assyriaci. Quomodo autem pro tota Scriptura sumi possit תעודה ego non video, & si res sit forsan salva; Nam ego in Scriptura deprehendo verbum Dei seu Scripturam vocari דברי, עדות, אמרי אל, אל תורה &c. nunquam vero תעודה.

דבר communiter significat verbum, aliquando etiam rem ipsam, hic utrumque. שחר proprie significat auroram, hic discretionem boni & mali, & ita consequenter ipsam veritatem. Nam oriente aurora incipio dignoscere tenebras à luce, & lucem à tenebris. Hinc qui non habet legem & testimonium, non potest de rebus Judaicis, exitu belli Assyriaci, fœderibus ineundis distinguere. Sic hodie, qui non loquitur כדבר הזה i. e. cum Scriptura, in rebus Theologicis explodendus. Nam Pythonici, harioli, garrientes, & vere מהגים, sunt Scotus, Thomas, Lombardus, Occam, Oliverius Maillardi, cum omnibus Magistris nostris, & nostris Magistris, hic, ille, iste, ipse, magnus, incomparabilis, sagax, gravis, præstans & excellens Theologus, cum ab hoc canone dimoveri se patiuntur, & distinctionibus Magistralibus ex bursa quadam Pontificia petitis Theologiam veram deformant. Vere מהגים sunt, nam faciunt ut alii noctes & dies meditentur, & tamen subtilitatem distinctionis animadvertant minime.

Hujus instructionis commodum metitur Messias contrario incommodo, quod istos, qui ad legem & testimonium se conformari non patiuntur, obruit. Minantur enim duo isti sequentes versus, omnia mala, tenebras, caligNem, famem, defectum omnium bonorum, istis, qui derelicto vero Deo & lege ejus conferunt se ad Pythonicos, garrulos, mussitantes, hariolos &c. Mala autem hæc invehit sacra S. dando rationem, cur ipsis non sit שחר seu aurora, & ex malo effectu pessimam describit causam. Sic sonant versus ועבר בה נקשה ורעב והיה כי ירעב והתקצף וקלל במלכו ובאלהיו ופנה למעלה: ואל ארץ יביט והנה צרה וחשכה מאוף צוקה ואפלה מנדח

Magnos & multos exercitatos Ebraistas hi versus detinuere, nec facili pede progredi commentatorem passi sunt. Ne ergo & ego ex præcipitantia aliquid statuam, quod sibi undiquaque non constet, allegabo fideliter Judæorum placita, & nisi & hi me ab omni dubio liberare poterunt, sublevabit diligens textus & contextus consideratio. AbenEzra super versus hos ita commentatur: *Jesch omrim, ci hinnehjamim baim, schehaobbher beeretz Jhudah, vvhuh mihuda jihe niksche vvraebh mipbne chel Sanchrib, vvccaascher jire, ci lo joschio malco vvlo abodah tsarah schelloh, ots jiphne lmala, Ihitpallel lelohe haschschamaim. Ulpi dati, schehuh al chel Sanchribh, schejjabor berez Jhudah, vvjaduah ci machane gadol jirabh.* Super ומלכו *huh melech Aschschur, vvaascher jiphne lmala ulmitta jire haccol choschek.* Super מעוף *cmo eretz Ephata cmo choschech. Super* מנודח *mphutstsar, cmo vvhanniddaschim, vvjitcam ci huh cen* ומעוף *aphelah mnuddach, baabhor, schehuh Uschon tsacar.*

Ex aliorum sententia hic noster dicit, quod transiens seu peragrans terram sit Judæus, qui fame affligatur ob exercitum Regis Assur, & cum videat, nec Regem nec Idololatriam suam vindicare se posse, ad DEUM verum se convertat.

Ex propria autem sententia dicit, quod peragrans terram sit exercitus Assyriacus, qui cum magnus & copiosus esset in terra Jhudah cum fame confligari necesse habuerit.

Regem putat esse Regem Assur. מעוף sumit pro tenebris, מנודח facit synonimum מפזר. Et ita ut vides Lector, hic constructio-

ſtructionis viam non monſtrabit Kimchius פירוש בארץ, בה clomar, mi ſchejaabor bah nikſche שהרי זכר למעלה כהר ציון vvraebh, jihe ci lo jimza baarez mah jocel, Vlpiruſch nikſche kſche jomo, cmo im lo lbeti likſche jom. והיה, כי ירעב, ci caaſcher lo jadab mah jaaſeh vvlo jadah eza lnaphſcho, ci jirrah vvhitkazzeph, vvkillel bmalco, ſcheen lo coach lhoſchioh, ci haraabh miphne milchemet ojibim. באלוהו, beeliſim ſchehajah obhed, vvcaaſcher jirrhe, ſcheen lo etſer mitſtſe umitſtſe למעלה ופנה jaſchubh leel jitbarech ſchejaatsrehu id eſt, *Qui peragrabit terram triſtis & famelicus, non inveniet quod edat.* נקשה ex ſimili loco Jobi explicat per afflictum & ſaturum calamitate.

Super והיה כי ירעב, *& cum quid facto opus ſit ignoraverit, nec conſilium ſibi ipſi ſuppeditare potuerit, eſuriet, iraſcetur & maledicet Regi ſuo, propterea quod non valeat liberare eum ex calamitate.* אלוהיו *idola, quæ antea coluit, & cum animadverterit, quod utrobivis nervus auxilii ſit præciſus, revertet ſe ad verum DEUM*, (benedicatur), *ut opituletur ei.*

Zara et chaſchecha, Zukah et aphelah Kimchio eſt *caphul binjan bmillot ſchonot*, unum & idem ſub diverſis vocabulis. & addit ופירוש מעוף חשך כמו ארץ עיפתה כמו אופל כי שניהם שורש אחר להם: *dico idem ſignificantia vocabula ad exemplum loci cujuſdam in Jobo ſunt conjuncta.* אפלה מנורה *cmo laaphela, clomar jireh azmo mnuddach el hachoſchech*, q. d. *videbit ſeipſum* deturbatum ad caliginem & tenebras. Rabbi Salomo brevibus cohærentiam contextus depingit, & poſtea ſic infert. ועבר בה *haobher bootha hadderech Scheozbe et Jhovah, vvſomcim al mal ce Mizraim*, i.e. *Agitur de calcante viam eorum, qui dereliquerunt Deum, & innixi* ſunt Regi Ægypti.

נקשה מורע קשה נקשה ורעב:

nikſchah bzaroth Kaſchot vvraebh ci Koſchi umazok vvraebhiaaboh alehem bime mazor ſchaloſch ſchamim, ſchezzar melech ſchomrom. ירעב וקלל והיה כי. *Baaglim ubaalim ſchehajuh obdim lahem.* ופנה למעלה *lbakkeſch meet Jhovah vvlo jiſchma ci jitchattem gezer din.* ואל ארץ יבי׳. *Ulai jimza etſer, aſcher ſchalach malachim Hoſcheah ben Ella el Sub melech Mizraim* והנה צרה *ci loh jaatsrehu, vvgam ſchebhnah jazah Iſcancribh Iraach loh* עוף צוקה / עיפו / ציקה ואפלה מנורה *al ide aphelah huh mnudnach, ſcheccen iſchon nidduch nophel baaphelah.* & poſt allegatum dictum Scripturæ, *vvhaaphelah hem muuddachim.*

Non parum hi Magiſtri me ſublevabunt, præſertim cum iis feliciſſimum interpretem Lutherum adjunxero. Hic ita: **Sondern werden im Lande umbher gehen / hart geſchlagen und hungerig. Wenn ſie aber Hunger leiden / werden ſie zürnen / und fluchen ihrem Könige und ihrem Gotte / und werden über ſich gaffen / und unter ſich die Erde anſehen / und nichts finden / denn Trübſall und Finſternuß. Denn ſie ſind müde in Angſt / und gehen irre im finſtern.**

Concedendum ergo mihi erit agi hic de pœnæ determinatione, quæ incredulos, & juxta legem ſuos mores & dicta non conformantes, ſed Pythonicos & hariolos conſulentes manet. Obſtare videtur, quod hi verſus & nomina & verba ſingularis numeri contineant, cum tamen cum יאמרו præcedentis verſus convenire debebant. Verum hoc non obſtante res ſalva eſt. Nam nota eſt regula Grammaticorum: *Singulare in Scriptura ponitur aliquando pro plurali, ad demonſtrandam ſeu involvendam diſtributionem.* Et ſane non caret hoc ipſum ſpeciali emphaſi, qua quaſi in individuo, omni legis viam tranſgredienti tales tenebras imminere prædicitur; quaſi dicitur: **Es wird ein jeglicher unter denen / ſo ſich nach dem Geſetz und Gezeugniß nicht gerichtet haben / geſchlagen und hungrig daher gehen.** Qui exempla parallela deſiderat, legat Scripturam, & in copia habebit, quod quærit.

Ego ergo ut ſanctæ ſimplicitati ſtudeam, in timore Domini ad maxime controverſos verſus explicandos me accingam. Dico primo. ועבר בה. *Nam propter illud vagabitur*, **Denn wegen der Sünde wird ein jeglicher herumb wallen.** Vocem בה alii referunt ad auroram, commodam forſan parit explicationem, at mihi videtur diverſitatem generis repugnare. Alii explicant de terra Judæorum, ut ſupra ex Rabbinis audivit Lector, & congrue ſatis; Nam עבר cum ב ſignificat *Tranſire, peragrare*, &c. Ego autem in hoc paſſu exercitii gratia Rabbinis oppoſui, quamvis quod ego ſciam, omni deſtituar authoritate. Tentare autem volui & dicere בה relativum, non habet in textu, ad quod referatur; ut ex ſubſequentibus ſumatur, nimis eſt coactum; Non autem fundamentum ex Relativo, ſed relativum ex fundamento eſt diducendum. Fœmininum autem venire in L. S. pro Neutro perſpicuum, contextum huic ſententiæ favere manifeſtum eſt.

Primus gradus pœnæ eſt vagatio & ſedis veræ incertitudo. Incertus enim Deus incertum importat cultorem. Additur ועבר בה נקשה. *Nam vagabitur propter illud induratus*, optime Lutherus: **geſchlagen.** Quomodo Rabbini hanc vocem ſumant, ſupra propoſui, ego explico per *Induratum*, **der geſchlagen / und nicht weiß / wo ihm der Kopff recht offen iſt.** Nam iſte, qui veritati divinæ non aſſentitur, aſſurgit autem mendaciis Diabolicis, tandem induretur neceſſe eſt; Hinc non videt, audit, & ſentit, præterquam quod ſibimet ſe ex omni parte non conſtare deprehendit. Sequitur ורעב *Et vagabitur propter illud induratus &* famelicus. Hæc fames reſpicit non tantum abſentiam cibi corporalis, quam juxta Judæorum ſententiam milites Aſſyriaci inducebant; ubi illi qui antehac FOEDERA FOEDERA, PYTHONES PYTHONES crepatant, fame partim ſunt enecti; quam inprimis privationem veræ conſolationis, unde talia adhibentur vocabula, quæ animum angoris & deſperationis plenum depingunt. Eſurit ergo omnis, qui cibo vero & proprie dicto ſpirituali, id eſt, verbo Dei deſtituitur.

Hanc tamen ſolam manere non permittit ejus affectio: Nam Propheta addit והיה כי ירעב והתקצף id eſt, *Et erit cum ob famem ſeipſum ad iram concitaverit.*

Sic ſenſum Spiritus ſancti nos aſſequi puto. Lutherus: **Wenn ſie aber Hunger leiden / werden ſie zürnen.** Accentus Rhebia (ₒ) inciſum abſolvit, & antecedens concludit. Grave ſane onus hoc eſt, quod deſperatum animum premere debebat. Nam non tantum privabuntur omni eo, quo corpus & anima ſuſtentari ſolet. Sed etiam ipſe homo armatur contra ſe, ut ſibi ipſi vim inferat, Arma ipſa ſunt ira, & intemperies. Hæc intemperata ira obveniebat Judæis non tantum cum ob Exercitum, quem illi ſtultis ligis avertere conabantur, imo ligas ipſas, animi ſtupiditatem recolentes, ſemetipſos macerabant; ſed & cum ex patria lege auxiliatricem Dei dextram cum hoſtibus eſſe, ſentirent. Tunc enim ab Idolis, & Rege ſuo deficiebant, & ad ſe jamdum corrupto animo depravatos redibant. Propheta pergit וקלל במלכי ובאלוהיו id eſt, *Tunc maledicet Regi ſuo & Diis ſuis.* **Alßdann wird ein jeglicher unter ihnen ſeinem Könige / dem er zuvor zu gevallen gegläubet hat / was Er gläubete / und den Götzen fluchen.** Sero ſapiunt Phryges, ſero ſapiunt Judæi, ah utinam & non ſero ſaperent Germani. Rex cui populus maledicet eſt Rex Jhudah Achas & Rex Iſraël Hoſeah, quæ impia monſtra illicitis confœderationibus ſe, ſuos, ſuam terram & omnes ſubditos exitio devoverunt. Hoc ſubolens hic populus, videbat enim ſe partim in obſeſſis urbibus, partim in aperto campo affligi, Regi & idolis in corde maledicebant Eb קלל flocci faciebat, contemnebat, & ſputo dignos judicabat. Nam ſperatum auxilium nullibi comparebat, שחר diſtinctio boni & mali jam aufugerat, omnia mala externa & interna Pythones accumulaſſe deprehendebat. Deſperatio animum, cor, oculos & omnia membra occuparat.

Sic videlicet ſunt tractandi, qui à lege & teſtimonio Prophetarum diſcedunt, & veram ſapientiam extra Deum ſtulte venantur. Hinc enim INCERTITUDO, DUBITATIO ET INCONSTANTIA, quam ſequentia vocabula deſcribunt ופנה למעלה: ואל ארץ יביט **und werden über ſich gaffen / und unter ſich die Erde anſehen /** id eſt, **ein jeglicher unter ihnen.** Signum hoc ſolet eſſe animi incerti, fluctuantis & perverſi. Si autem cum Judæis ſupra allegatis ex voce למעלה ſurſum, hoc eſt colligendum, quod populus in medio calamitatis ad Deum verum ſe converterit, bona præmittenda eſt limitatio. Nempe in memoriam vocaſſe eos Deum patrum ſuorum, qui antehac ex denſioribus tenebris, & caligine eripuit Patres, verum cum jam indurati, & pectore inſulſo omnium latrinarum ſordibus oppleto tremuerint, novam Neutraliſtarum Ligam confirmatum iviſſe, & ita eatenus ſe ad verum Deum convertiſſe, quatenus non cedere poſſet in præjudicium humanorum ſubſidiorum. Nam & hæ cogitationes animos eorum ſubinde ſubibant, Si Rex Aſſur tantæ ſit perfidiæ, ut pro auxiliatore veniat direptor, alium novimus liberatorem, Regem puta Ægypti. Sic ſolet ingenium humanum eſſe affectum, ut & Deo & Diabolo inſervire ſtudeat, ſic enim ab utraque parte ſecuritatem ſibi pollicetur. At quid dicit Scriptura והנה צרה וחשכה *& ecce anguſtia & tenebræ*, præ anguſtia quæ ſupra recenſui animo meditabantur, anguſtiæ anguſtias excipit.

Hæ anguſtiæ & tenebræ ſatis evincunt, quodlibet genus pœnarum duas ſuppliciorum ſpecies continere, & ita in ſe dupli-

plicatum eſſe. צרה referimus ad anguſtias corporales, ſeu eas qui circa corpus humanum verſantur, in quas ſpes auxilii humani populum deturbabat. חשכה *tenebras* referimus ad calamitates ſpirituales, & eas quæ circa animam verſantur, in quas præcipites dabat contemptus legis & תחורה. Ubi enim non eſt שחר, nec שמש ſeu ſol eſſe ſolet. Sol non exoritur niſi præcedat aurora, pœnas pœnarum deſcribit nobis Propheta.

Et ut corporalia mala magis exaggeraret, addit מעוף צוקה. Hic Caſpar Sanctii tua ſublevante opera indigemus; hæc dicis non eſſe obſcura, multis forſan videbitur contrarium, qui ad id eruditionis faſtigium non ſunt elevati.

Rabbini quos ſupra allegavi, habent מעוף pro tenebris, & ſynonimum ejus faciunt חושך, ſic & alii. Cum enim מועף ut ajunt vel putant ſignificet *obſcuratum* neceſſario מעוף obſcurationem ſignificabit. צוקה minori laborat difficultate.

Quamvis quidem non libenter à communi ſententia diſcedam, placet tamen, quid mihi vero proximum videatur, afferre; Judicium eſto penes Lectorem. Primo dico vox מעוף ex communi & generali conſenſu omnium Doctorum eſt à radice עוף. 2. Vox ſeu radix hæc 5. habet ſignificata, etiam quod ego ſciam, nemine contradicente. De prima ſignificatione Author titulorum in concordantiis ita ſcribit כל לשון התעופפות שפירושו התנועה היותר קלה שאפשר: Significatio ergo ejus, teſte hoc authore prima, motum involvit celerem, & ita tam avolare, quam advolare ſignificat. Advolandi exemplum habes Eſaiæ 6. & 60. Sicut autem in L. Latina *advolare*, aliquando *cito venire* ſignificat; ita etiam in lingua ſancta. 3. Ab hac radice deſcendit Nomen auctum ab initio per מ, & eſt מְעוּ·ף, in reg. מְעוּ·פ· 4. Hæc forma eſt uſitata. Nam Rabbi D. Kimchi in Michlol expreſſe eam ponit, & multa ſimilia vocabula allegat Job. 10. Eſai. &c. ubi ſimiliter in regimine (ּ) mutatur in (:). Jam judicet Lector, an non de jure teneat (niſi ad minimum probabilis ſaltem obſit ratio) primæ inſiſtere ſignificationi, & מעופ explicare per advolatum, ea enim ratione mihi ipſi ſatisfacio, textui vim non infero, & quod optimum eſt contextus & fons ipſe purus fluit. Sic enim מעופ צוקה ſignificat *incrementum & acceſſionem anguſtiæ*, quæ ex צרה fluere debet. Calamitas enim niſi mitigetur vel aboleatur, non manet in antiquo gradu, ſed in dies accreſcit & aſcendit. Quoad rem ipſam Judæi mecum ſunt in eadem opinione, cum per maximam calamitatem explicant. Vox hæc ſemel tantum occurrit, ergo parallela loca adducere non teneor, ſi per defatigationem explices, eundem concipies ſenſum. Reſtat adhuc אפלה מנדה phraſis ſatis torta, retorta & contorta. Judæorum explicationem vide ſupra, aliorum in omnium manu ſunt. Liceat hic iterum libere fateri, quid de hac phraſi meæ tenuitati & ſimplicitati videatur; ita tamen, ut quod reliquis placuiſſe, & mihi ſæpe non diſplicuiſſe ingenue fatear.

Præcognoſcendum autem, quod ſpiritualia hic exaggerentur, ſicut in præcedentibus corporalia; & ita חשכה jam vocat אפלה מנדה, id eſt, *caliginem compactam intruſam*. Tenebræ in diſperſione admixtum lumen habere videntur, verum cum ad unum quaſi locum protruduntur, lux perit, & caligo generatur. Videmus id in nubibus, quæ coire ſolent, & terribilem parere atrorem. Pomeranis vocatur **upgeſchwarckede Wulcke: Wenn veele Schwarcke tho hope ſtöten / ſo kümpt eine dicke und düſtere Wülcke.** Ita hic caligo denſiſſima & palpabilis vocatur, quæ ex intruſione חשך generatur: **Eine uberauß und groſſe Finſternuß.** Faciliorem expoſitionem per me aliis licet fingere, videant autem ante omnia, ut proprietati linguæ & contextus ſatisfiat, & nervus boni argumenti non diſſolvatur. Hoc unum inconveniens videtur ex mea explicatione pullulare, quod אפלה Fœmininum conſtruatur cum Maſculino מנדח, R. אפלה eſt gener. Communis. *Nam ea Fœminina, quæ ad copiam ſermonis ex Maſculino ejusdem ſignificationis formantur plerumque utroque Genere venire ſolent.* Exempli gr. גן in Maſculino Genere ſignificat hortum, ſic enim גנה Fœmininum. In plural. גנות in Propheta Amos cap. 9. vſ. 14. conſtruitur cum Maſculino. Non certe hoc fit ob enallagen Generis, qua ſe omnes rudes tueri ſolent, ſed quia à גן maſculino ejuſdem ſignificationis eſt motum. Hinc גנות & Maſculinum & Fœmininum eſt, & אֹפֶל caliginem ſignificans, movet ſeipſum in Fœmininum, אֲפֵלָה, hoc ratione terminationis eſt Fœmininum, ratione ſignificationis Maſculinum, & ita commune ſortitur genus: Ecce quam facilia ſunt omnia, modo proprietas linguæ recte examinetur, cujus proprietatis ignorantiæ omnes meos errores, ſi qui ſint, & quos monitus lubens correcturus ſum, adſcribo. Ex his omnibus apparet, ita hunc verſum eſſe interpretandum: *Nam propter illud vagabitur quilibet* vel populus, *induratus & famelicus; & poſtquam eſuriverit, & ſeipſum irritaverit, maledicet Regi ſuo & Deo ſuo*, ſeu Diis ſuis, *& ſi faciem ſurſum vertat; vel ſi eam deprimat verſus terram, tunc erit anguſtia & tenebræ, imo advolatus anguſtiæ* maxima anguſtia, *& caligo intruſa* denſiſſima caligo.

Hæc omnia Meſſias minatur iis, qui ad legem & teſtimonium ſuos mores, dicta, facta, & conſilia non informant. Experti ſunt hoc Judæi & Iſraëlitæ temporibus Regum Jhudah & Iſraël ante captivitatem Babylonicam. Experti ſunt idem (quamvis de hoc hic proprio non ſit ſermo) in captivitate Babylonica. Experiuntur tenebras iſtas hodie Judæi, Theologi, Juriſtæ, Pontifices, Imperatores, Principes, cum non ad præſcriptum canonicum & regulam legis Divinæ ſuas profeſſiones, Imperia, terras, diœceſes adminiſtrant. Non poſſunt proſpere agere. Nam non Talmuth & fabuloſi ſcriptores Judæos, non exoticæ linguæ aulas Principum, non bulla Pontificalis & decretalis Eccleſiam Romanam, non bilmille & inter ſe diſcrepantes Patres, Theologos, in via veritatis continere poſſunt, niſi תורה & lex Divina in omnibus actionibus, conſiliis, & deciſionibus habeatur pro norma.

Pro concluſione hujus argumenti noni, Meſſias ſalutari ſolamine reficit habitatores Jeruſalem. Quo ſane ſolamine multa comprehendit, quæ Meſſiæ generalem diſpoſitionem totius belli, omniſcientiam, &c. Regi Achas vero extremam inſaniam aſſignant, Regis Aſſur potentiam limitant, imo plane confringunt. Hinc enim ita colligere poterat auditor: *Si Rex Aſſur Jeruſalem civitatem jam toties oppugnatam, & omnibus pene viribus exhauſtam expugnare non poteſt, ſequitur, quod voluerit.* 2. *Quod prohibitus ſit. Hoc factum eſſe oportet à ſuperiori. Quis autem potentior Aſſur*, Reſponſ. *Iſte qui hæc diſpoſuit & prædixit*, ergo fœdus non ineundum eſt cum Aſſur, *ſed cum omniſcio illo diſpoſitore Meſſia cui unice innitendum erit.*

Hæc deſcribuntur nobis in ſubſequentibus duobus verſibus, qui ſane probe ſunt ponderandi: *Ci lo muaph laaſcher muzak lah, caeth hariſchon Hekal arza tsbu lon, vvaarza Naphtali, vvhaacharon hichbid. Derech bajjam, Ebher hajiar, den, galil haggoim, Haam haholchim bachoſchech rau or gadhol, joſchbe beerez zalmavet or aagah alehem.*

In his verſibus tacitam objectionem diluit, quæ ita formanda erat: *Si tanta eſt futura calamitas, ut magis, magisque creſcat & accreſcat, ſequitur quod Jeruſalem præ anguſtia & tædio obſidentium* manus hoſti ſit daturum; Si hoc? Religio quam tu incalcaſti *ad unice innitendum DEO vero, ad devitandos Pythonicos finem habebit.* Reſpondet ergo: *Jeruſalem non capietur, & etiamſi daret manus victas*, (quod Rex Aſſur, de quo jam ſermo eſt, non experietur, ſed Rex Babel) *non tamen propterea mea ceſſabit doctrina. Nam erit, quod via maris & reliquæ regiones, quæ in veſtris oculis cum habitatoribus ſuis evanuerunt*, iterum *magnum videant lumen, & cum Jeruſalem ſubleventur.*

Antequam autem ſupra allegatos verſus explicemus & exponamus, lubet audire Rabbinos. Nam & hi verſus non minori laborant, (primo intuitu) difficultate, quam duo ſuperiores. Aben-Ezra או תה העיפה וחשיכה לא תהיה לירושל, שהציק עליו האויב id eſt, *Talis caligo & obtenebratio non feriet Hieruſalem, cum hoſtis urbem obſederit, & addit* ויש אומרים
כי לא יוכל הצר לעופ אל ירושלם אשר הציק לה כעת הראשונה
כי כפעם הראשונה שבא מלך אשור הקל ארץ זבולון ונפתלי וכפעם
אחרון / הכביד לכלו/ הגליל ותכ: היות גוי על ישראל כמו אחריך
בנימין בעמיך/ העם/ אלה הם אנשי ירושלם שהולכים במסילותיה
כעור שלא יראה כפני הצער:

Ex textu diſtinguit inter duplicem adventum Regis Aſſchur. Phraſes quæ alias explicat, exponam infra.

Rabbi Salomo hic multa habet, quare ob inopiam typorum Hebraicorum ſimpliciter ea Latinitate donabimus. Scribit autem ſuper כי לא מועפלאשר מוצק לה ita. *Rex Aſchur, qui conſtitutus eſt, ut turbet & affligat terram veſtram non delaſſabitur nec tædio afficietur. Hic etenim ter contra vos veniat. Primo, tempore Pekah, cum cepit Ajon, Maecha, Abhel et Kadeſch, & confinium terræ Naphtali, & captivitas hæc facta eſt anno quarto* Achas. *Deinde anno duodecimo excitavit DEUS Iſraëlis ſpiritum Pul Regis Aſſur, qui abduxit Rubenitas, Gadditas, & dimidiam tribum Manaſſe, de quo conſuli poteſt liber Chronicorum.* Hæc *captivitas facta eſt anno* 12. *Achas, cum primum Hoſeah filius Ellah inciperet rebellare, juxta id quod dicitur*: Et invenit Rex Aſſur in Hoſea confœderationem Ægyptiacam, *poſtquam ſervituti & devotioni ejus 8. annos fuerat addictus. Quamvis autem in Scriptura*

ſacra

ſacra horum annorum expreſſus calculus non inveniatur, invenitur tamen in סדר עילם. *Tertio venit anno ſexto Hiskiæ, qui fuit annus nonus rebellionis Hoſeæ, cum Samaria metropolis & regiæ ſedis civitas expugnabatur, & omnes in captivitatem deportabantur. Et hoc eſt quod dicitur. Quia non* eſt defatigatio illi hoſti, qui premit terram Iſrael. Poſt aliquot verba, quæ cum Superioribus confert, ita pergit: *Media captivitas tolerabilis erit ſicut & prima, quam levem fecit Rex Aſſur, abducendo tantum terram Zabulon & Naphtali. Nam primis vicibus præter duas & dimidiam tribum ultra Jordanem nihil deportavit. Verum in ultima expeditione ceu ſcopis omnia ſemovit, &c.* דרך הים *ſunt illi, qui juxta mare Tiberiadis habitant, & ſunt incolæ terræ Naphtali, nam ſcriptum eſt,* Mare & meridies hæreditas ejus. עבר הירדן *ſunt Rubenitæ & Gadditæ; qui in ſecunda captivitate deportabantur.* גליל הגוים *eſt tota terra Iſrael,* העם ההולכ ים *ſunt habitantes in Jeruſalem, qui verè dici poſſunt ſedere in tenebris, cum ob exercitum Aſſyriacum horror & tremor occupaverat totos.* Phraſin ex Hiskiæ verbis demonſtrat. ראו אור גדול, *Habitatores Jeruſalem viderunt lucem magnam, cum audirent, Regis Sennacherib Exercitum ab Angelo* eſſe proſtatum.

Rabbi David Kimchi ſimiliter multa habet, unde eadem de cauſa Latinitate eum donabimus. כילא מועף *Non putabit Iſrael ſe eſſe in tenebris, in anguſtiis & preſſura, cum primum terra infeſtabatur.* Quaſi diceret: *Parum commovetur Iſrael, ob captivitatem Zabulon & Naphtali.* Grammaticalia hic occurrentia prætereo, niſi quod מואף pro tenebris Magiſtrum hunc habere, ſignificem. הקל *Competit hoc ei qui abduxit terram Naphtali, videlicet Tiglathpaleſer, qui & Rubenitas & dimidiam tribum Manaſſe, imo Zabulon & Naphtali deportavit. De captivitate Rubenitica & Gaditaca videatur liber Chronicorum, de captivitate vero Naphtali liber Regum,* ubi etiam de Zabulon ut conjunctis legere licet. והאחרון הכביד. *Competit hoc ſimiliter captivanti eos, videlicet* Sanchribh, *qui reliquas tribus deportavit. Et dicitur* דרך הים עבר הירדן גליל הגוים *propterea quod Jeruſalem remanſit, & non ſubjugatum fuit in medio terræ exiſtens. Recenſentur præterea loca quæ ſunt in finibus terræ Iſrael. Hinc etiam Jordanus, in terminis Iſrael eſt. Nam & Jhudah tempore Hiskiæ primum peſſime habere cœpit, quamvis ſubitaneo terrore conſternatus Sanchribh, nolens volens eam reliquerit.* Quæ miſtice explicant Judæi, non digna ſunt quæ legantur, ego ex iis quæro tantum literam. De populo ambulante in tenebris dicit. *Cum Rex Aſſur properaret ad obſidendum Jeruſalem, Judah & Benjamin ſedebant in tenebris; Cum vero Angelus Domini caſtra Aſſyriorum percuteret, viderunt lucem magnam.*

Hi jam allegati Judæi, quamvis ſpecioſe omnia Lectori proponant, præter eos quos AbenEzra allegat, ſenſum verum non ſunt aſſecuti, & vim argumenti non ſenſerunt. In his refutandis non ero occupatus, cadet autem omnis ſiniſtra expoſitio, cum ego ſimplicem & planum ſenſum Lectori exhibuero. *Quamvis non futura ſit defatigatio*, id eſt, deditionis principium *ei* ſcil. civitati, quam ego Eſaias vobis digitis monſtro, *cum erit anguſtia*, id eſt, obſidio. Vera hæc eſt verborum expoſitio, & ignoſcet Lector, quod ad demonſtrandam ſimplicitatem & veritatem expoſitionis; ex ipſa Grammatica, & primis principiis rem diducam.

מועף omnium conſenſu eſt à יעף, ſi ſunt qui diſſentiant, formabunt ab עוף. Quicquid autem ſit ego formo à יעף quod ſignificat *laſſum & defatigatum eſſe*; Huic nomen auctum ab initio per מ, formatum ex conjug. 3. paſſiva ad formam מוסר, cujus 1. radicalis jod etiam in ו ſchureck mutata eſt, & ſignificat *defatigationem.* Eſto autem ſignificet aliis *obſcuratum*, *obſcuratus* per me licet, hic ſignificat *defatigationem* quæ *prima deditioni principia ſuppeditare ſolet.*

מוצק eſt à radice יצק fudit, vel ſi magis ipſi ſignificationi vis conſultum à radice צוק, Hinc nomen formæ מועק quod in Fœminin. in S. invenitur, ibi enim etiam ſecunda ו eſt abjecta, & ut dicam quod res eſt. *Ea verba quæ habent 1. radicalem jod & ſecundum* ו, *& in formatione & in ſignificatione ſolent alternare*, unde ſignificatio ſæpe ſumitur ex 2. formatio ex prima, quod ipſum etiam hujus loci eſſe non ſine certis ſtatuo rationibus. Hoc מוצק ſignificat aliquando *effuſum* cum Participium conjug. 3. Paſſiv., aliquando autem ut hoc in loco ſignificat *anguſtiam* tam quæ dicitur Germanis **ein Enge /** quam **ein Trübſall.** Sic ſumitur Job. 36. רחב id eſt, **Ein weiter Raum (darunter /** לא מצוק תחתי **keine Enge Ein Glück / (darunter kein Unglück.)** Obſeſſi enim vere dicuntur eſſe in anguſtia, hinc enim *ad anguſtias redigi* Latini ſumere ſolent pro parte, quæ ut victas manus det, proxima eſt. Opponuntur hic מוצק & מועף, *ex* מוצק *fit* מועף, ubi in civitate & urbe obſidione cincta ſimul conveniunt, certum eſt eam eſſe deditioni proximam, ſic in Jeruſalem tempore Sancherib *Muzack* erat, at non *Muaph.* Cum obſideretur ab Aram, faſtuoſi bellatores נקיצנה id eſt מועף inducemus ei clamabant, at vix quidem מיצק.

Eventus & rei hiſtoricæ veritas cum explicatione hac convenit. Nam cum faſtuoſæ & contumelioſæ legationes à Sanchribh Jeruſalem ibant terrorem incuſſuræ & conſequenter defatigaturæ, non aſſequebantur, quod intendebant. Fames obſidionem diuturnam non comitabatur, non ſubditorum multorum diſſidia Regem ſollicitabant, cito advolabat Rex Aſſur, citius avolabat Sanchribh, avolabat ſane, & vento vilior habebatur in oculis filiæ Zion, quæ poſt ſtultum Thraſonem manus complodebat. Nam Angelus Domini caſtra Aſſyriorum diſperdens, conſilium in arena ſumere jubebat bellatores. Siccine ſolemus civitatibus ciere defatigationem, quando tumultuoſis legationibus eas allatrantes, cum ignominia obſidionem ſolvere cogimur. Hoc ſane eſt quod Propheta dicit כי לא מועף לאשר מוצק לה. Videbitur autem venire, qui reaſſumat quæ ſupra de כה relativo diſputavi. *Relativum* videlicet *non eſſe fundamentum Nominis, ſed Nomen vel ei æquivalens eſſe fundamentum Relativi.* Benè omnia. Hic autem diverſa eſt ratio, cogitet Lector ubi Orationem hanc habens ſteterit Eſaias, non certe in Germania, Stetini vel Berolini, ſed in ſuburbio vel prope illud, nempe juxta agrum fullonis, ubi in conſpectu illuſtriſſima illa civitas omnibus erat, ubi Academia illa totius Orbis terrarum digitis monſtrari poterat. Ibi ſane Eſaias non ſtetit ut timidus Poſtillator vel Poſtilliſta, ſed ut Spiritu ſancto actus generoſus concionator, qui ſæpe externis geſtibus auditorem movere ſolitus eſt. Hic digitum intendens in Jeruſalem, Spiritu Dei impulſu, *illam ipſam quam ibi videtis urbem* cœpit dicere Rex Aſſur non capiet. Nam non ſtatim ſequitur; Urbs cingitur, urbs coanguſtatur, ergo etiam expugnatur, & in manus hoſtis venit: **Es gehet nicht auff einander / die Stadt wird angeblaſen und geängſtiget / derhalben muß ſie ſich auch ergeben.**

Et ſane ea quæ in medium protulimus cum contextu commode conveniunt. Argumentari potuiſſent auditores Eſaiæ, Audimus ô Propheta, quod Rex Aram & Iſrael Jeruſalem non ſubjugaturi ſunt, & forſan *tandem tandem* cum toties ſimus exhauſti, eſt occupanda. Reſpondet Propheta per negationem, cui ſimul involvit elegans exemplum, quod præ manibus erat, à Zabulon & Naphtali deſumptum, cum inquit כעת הראשון הקל ארצת זבולן וארצת נפתלי והאחרון הכביד **Als zu erſt / da es im Lande Naphtali und Zabulon leicht hergieng / hernacher aber ſehr ſchwer ward.** Non ita *inferre vult Propheta*, agetur cum Jeruſalem, nam hic obſervabitur contrarium. Ibi levis erit calamitas in initio, accreſcebat in fine, hic erit gravis in initio, decreſcet autem in fine. Eventus reſpondit, nam adveniens Sanchribh omnes habitatores terrere volebat, Hinc faſtuoſa illa allegatio exemplorum & Deorum à ſe ſubjugatorum, hinc ignominioſa Dei Iſraelis cum Deo vero comparatio.

Hunc ſenſum pro vero habemus. Quamvis enim Kimchius alium ſubingerat, qui ſane ſat videtur probabilis, non tamen reſpondet contextus, non cohæret cum Populo vidente lucem & in tenebris ſedentibus. Hoc autem in ipſo merito commendamus, quod naturam מועף & מוצק optime indagarit, & quamvis corruptam nobis propoſuerit.

Statum Naphtali & Zabulon ſatis deſcriptum reliquerunt nobis Judæi ſupra allegati; conferatur cum his Scriptura & res erit ſalva. Nos properamus ad enodationem ſequentium, utpote דרך הים, עבר הירדן גליל הגוים. Prius autem circumſpiciendum eſt, num hæc cohæreant cum הכביד, vel num conjungenda ſunt cum העם. Illud ſuadent interpretes plerique, hoc vero accentus (R.) Athnach, & Euangel. Matthæus. Juxta hunc ita erit formanda explicatio, *ſicut priori tempore, cum alleviabat terram Zabulon*, i. e. cum Rex Aſſur videbatur tantum oneribus inutilibus terram exonerare: **Da mans dafür hielte / es were nicht groß daran gelegen / wann ſchon dieſelben Leute würden weggeführet /** & deinde aggravabat, i. e. cum Rex Aſſur terram totam onere ſuo premebat **Da es an die / ſo ſich zuvor umb den Schaden ihrer Brüder wenig bekümmert hatten / auch kam.** Hic הכביד abſolutè ponitur, oppreſſus enim non nominatur expreſſe הכביד ergo hic non reſpicit Zabulon & Naphtali. Nam 2. Reg. 15. Tiglatpaleſer tempore Pekah abduxit Naphtali in Syriam, Lutherus: **daß gantze Land Naphtali.** Quid cum captivis ageret Rex, hi abducti ſemel deinceps abduci non poterant. His præſuppoſitis ita pergo: *Via Maris trans Jordanem, Galilæa gentium,*

tium; Populus ambulans in tenebris vidit lucem magnam, iis qui in terra maxime tenebrosa habitant, lux est exorta.

Via maris sunt homines juxta mare viventes, præsertim Zabulon & Naphtali. Hinc est quod Jacob Genes. 49. Zabulon habitaturum prædixit לחוף ומים. Vides ergo, ad devitandam tautologiam non esse hæc cum הככיר conjungenda, ut Verbum & Accusativus.

עבר הירדן Sunt homines cis & ultra Jordanem habitantes, *cis* respectu horum, *trans* respectu illorum. / גליל הגוי est Galilæa gentium, sic dicta, *quod eam diversæ gentes Ægyptii Arabes & Phœnices incolerent. Imo quod Tyriis & Sidoniis aliisque gentibus vicina esset ad aquilonem, & in ea parte Salomon concessisset Tyriorum Regi urbes. Eadem dicitur Galilæa superior, in tribu Naphtali sita; alia fuit inferior, in tribu Zabulon, circa Tyberiadem & stagnum Genezareth*, vide tabulas Chirographicas & fundamentalius hæc cognosces.

Et sane non vereor cum ipsis, / גלילהגו habere pro terra sancta, quia omnes Gentes גוללות adjacent ipsi terræ. Duplex enim ut ita loquar tunc erat orbis terrarum, alter Ethnicus, Judaicus alter. Hinc גליל יהודה necessario est terminus Gentilis, è contra גליל הגוים est terminus Judaicus. Nec obstat, quod Salomo donasse legitur Regi Hiram civitates בגליל / unde dictum sit גליל הגוים, nam ibidem tantum innuitur, ubinam civitates donatæ sitæ fuerint, nempe in termino regni Salomonis, qui Regni Hiram procul omni dubio fuit affinis. Hæ terræ dicuntur & erant *Populus ambulans in tenebris*, id est, obrutus multis & magnis calamitatibus.

Mirum autem videri poterat, qui subjectum cum sui determinatione non uno absolvatur versu, videtur enim hoc ipsum obstare, quo minus recte dicam, viam maris esse subjectum. Verum repetatur modo supra allegata objectio tacita, & res erit salva. Sic autem ibidem inferebamus nos pro Judæis: *Si tanta obscuratio & calamitas nos omnes obruet, Jerusalem tandem capietur; Si hoc mutabitur religio, quam ex te & tuis Prophetis ô Messia haurire debebamus.* Respondet Messias: *Non subjugabitur Jerusalem*, & posito, *non tamen quod timetis, modo in fiducia vera permaneatis, vos tanget. Nam & illa terra quæ jam captivata est, & in vestris oculis jam plane deleta veram religionem ex me discet, & ex me fonte inexhausto sapientiam veram hauriet. Si ergo ea gens, quæ jam sub jugo Assur est inter discipulos meos numerabitur. Quidni magis vos Judæi, qui ab Assur non capiemini, mihi attendentes, & mea vestigia legentes sperabitis in Deo vero.* Hinc postquam à simili dissimili, Jerusalem ab Assur non esse occupandum docuisset. In hæc verba erumpit דרך הים עבר הירדן גליל הגוים Et statim Orationem quasi suspendit. Attentus auditor mirabitur, quid sibi velit abruptus ille sermo, quid sibi aliis Phrasibus ex parte repetitæ regiones, & de novo superadditæ terræ. Hinc reassumit Orationem, & subjecta superiora non tantum magis determinat, sed & prædicato inexspectato amplificat. *Populus ambulans in tenebris*, id est, גליל גוים & עבר הירדן sunt Populus ambulans in tenebris & hic populus *vidit lucem magnam.* Imo *habitantibus in terra maximè tenebrosa lux exorta est.*

Quomodo, *inquies*, Naphtali & Zabulon videre potuit lucem magnam, cum semel tribus illæ deportatæ, non redierint ex Assyria. Explicandum ergo est, quid sit LUX. Ut varias significationes in sacra Scriptura usitatas hic taceamus, allegamus eam quæ est hujus loci, & *gaudium & liberationem à malo, & veræ cognitionis excellentiam includit.* Huic significationi opponuntur, vocabula & Phrases, tenebras, calignem, atrorem, &c. significantes, & contrariam seu oppositam sortiuntur significationem. Exempla utriusque in Jobo & Esaia sat multa sunt, cum non controvertatur de his. Lubens reticeo alleganda.

Hæ terræ viderunt lucem partim cum Sanchribh caderet, tunc enim liberabatur Jerusalem, partim cum post captivitatem Babylonicam superstitibus & reducibus videre contigebant templum secundum, & restauratum cultum divinum, maximè autem cum Dominus noster Jesus Christus in carne prædicabat Euangelium, tunc enim vere LUX MUNDI oriebatur, tunc etiam iis, qui in umbra mortis sedebant, affulsit hujus lucis claritas. Hanc explicationem non hausi primario ex Matthæo Euangelista, sed ex contextu, ne Judæis videar ex præconcepta opinione textum pro lubitu detorquere. Nam אור גדול Lux magna est dicenda ea lux, quæ affulsit & Jerusalem, & reliquis locis descriptis. Liberatio ab Assur tantum beabat Judæos seu Hierosolymitanos, viderunt ergo lucem, at non eam magnam, habebant enim, à quibus sibi semper timebant. Videbatur lux, cum reduces in terram sanctam templum reædificabant; At gaudium hoc non erat tanti ut אור גדול vocandum esset, videatur liber Esdræ, & dexterrime dijudicabuntur omnia. Tunc autem vere erat אור גדול, cum Jesus Nazarenus sub templo secundo & Hierosolymis, & in terra Naphtali & Zabulon, in Capernaum &c. viam veritatis doceret. Tunc hostes lingebant pulverem pedum Messiæ, tunc vere reducebantur in terram sanctam. Et tunc tu ô Naphtali, quæ post Assyriacam cladem nunquam perfecte שחר seu auroram senseras, videbas oriri Solem.

Vocantur autem hæc loca, seu habitator eorum non יושבי בארץ צלמות, sed העם ההולכים id est, *populus ambulans in tenebris.* Nam / בשיי בארץ צלם sunt Gentes. Sicuti enim terra gentium vocari solet in Prophetis מדבר, *desertum* respectu terræ Israel; sic etiam terra umbræ & caliginis densissimæ, respectu terræ tenebrosæ. Eruditus Judæus difficulter hæc concedet, dicet enim occurrere hoc loco Figuram Rhetoricam, quam ego in mea Rhetorica sacra vocavi auxesin, & *est quando res & phrases, idem vel simile quid, aut cognatum, aut ortum cumulantur posterioribus semper plus inferentibus.* Eatenus ergo jam explicata de gaudio ob interitum Assur, idem de spe ob aliam liberationem futuram quatenus pro scopo principali retinetur Christus. Nam liberatio ab Assur, typus futuræ salutis per Christum. Liberatio hæc realiter tantum beabat Hierusalem, nam nihil præter eam urbem supererat, quod non devastatum. Sic salus per Christum tantum Ecclesiam, Hierusalem antitypum concernit. Et sic Deo sit laus; absolutum do argumentum novum ab exemplo Christi desumptum.

CAPUT XIII.

De Argumento Decimo.

ARgumentum decimum pullulat ex nono, & cum fuerit illud bimembre; partim enim demonstrabatur: *Ipsum Christum speraturum*, partim vero *Jerusalem nec ab Assur multo minus ab Aram & Israel* esse occupandum, hic eadem ratione duæ partes constituuntur; *Una de certitudine incarnationis Christi*; Altera *de certitudine liberationis ab Assur.* Hinc vis argumenti in hoc nervo consistit. *Si tantum abest, ut Rex Aram & Rex Israel capiat Jerusalem, ut nec Assur, qui utrumvis debellabit eam subjugare queat, & ne hoc quidem tempore successo restitui in Regno Achas, insuper & hoc immotum maneat, quod Messias, qui formam & modum veræ spei Christianæ vel Judaicæ per me præscripsit, & nos omnes ad* תורה *remisit, certò sit venturus in carnem, qui ut novisti Achas filius tuus sit oportet; Noli advocare Regem Assur, nec timeto Regem Israel & Syriæ, sed spera in Deo, & crede Messiæ.* Sicut autem à / צור תעור, id est, *Liga contestationem*, usque ad עליהם cap. 9: 1. Messias verba habuit; ita jam ab הרבית *multiplicasti* exorditur Esaias loqui sub persona propria, & quæ proposuerat Messias, reassumere, & evidentiori explicatione collustrare.

Habent se autem verba Esaiæ ita, ut sub typo corporali Christus nobis apertissime exhibeatur. Edoctus enim Propheta, quod in Christo & ejus discipulis sit obsignanda Lex, ita loquitur, ut semiattentus etiam Lector animadvertere possit, mutuare Esaiam verba ab actionibus corporalibus, & sublimata & ab omnibus imperfectionibus liberata, & majestate hominibus non competente adaucta transferre ad spiritualia. *Multiplicasti seu evexisti populum*, in eo ubi *non multiplicasti gaudium*, q. d. Du erhebest warlich dein Volck / in dem stück / in welchem du Ursach zur Freude nicht gegeben hast / i. e. Tu pacem polliceris Jerusalem, pax tale est, in quo tu hunc populum non gaudere fecisti, nam perpetuis bellis eum afflixisti. Quod autem phrasis *in* eo ubi, in tali dicendi genere soleat & possit omitti, testatur Psalm. 53: 6.

Parum curo hic Masoram, Masorethæ male hic viderunt, quod לא pro לו positum esse putaverint. Et si pro nostro habitu ex לא interrogativum fingeremus, tandem nihil remaneret, quod non detorqueri posset.

גוי est populus Jhudah, item populus supra nominatus, & in tenebris ambulans, & ita simul involvitur respectus ad דרך הים גליל הגוים &c. & consequenter ad illum populum, qui in N. Testamento luce Euangelii collustrabatur.

Et hoc sane Jerusalem mirum in modum evehebatur, in quo reliquis omnis gaudendi ansa sat erat præcisa. Pax erat nullibi, ubivis autem armorum strepitus. Hinc R. Salomo dicit / נעשו גדול *Judæi magnificati sunt apud omnes gentes, cum tanta signa iis facta esse audiverint.* Imo Proverbium facti sunt, *ob id quod tam potens Rex cum rubore obsidionem solvere sit coactus.*

Ita cum revertebantur ex captivitate Babylonica magnificiebant *in eo in quo Deus alias gaudium non multiplicaverat*, quod

quod tam mirabiliter ex tenebris captivitatis vindicatos, in lucem libertatis protrahebat omnes, unde & multi ex gentilibus hos comitantibus jure Proselytarum usi sunt. Inprimis autem multiplicabatur & evehebatur hic Populus, in quo & terra Naphtali & via maris cum eo conveniunt, & vigore textus convenire debent; cum Christus in carne prædicaret Evangelium pacis, & in synagogis Judæorum Legem & Prophetas explicaret. Tunc enim *in eo* extollebantur, *in quo* Deus gaudium non multiplicaverat, nempe in luce Evangelii, quod Scribæ & Pharisæi & stulti Doctores & cœci Doctores tenebris densissimis involverant. Nam ob lucem & verum sensum Scripturæ, non habebant Judæi, quod gauderent. At cum Sapientia illa Essentialis, lumen de lumine Christus Dominus noster doceret, tunc גוי multiplicabatur, ita ut tentorium antiquum vix sufficere videretur Ecclesiæ matri Judaicæ, tunc terra sancta maritabatur, & in maritantibus filiis lætabatur.

Supra mentionem fieri Masoræ, quæ pro לא *non* legit לו ei. Hinc Kimchius; לו i. e. *ei Populo quem magnificasti.* Puto autem dubitasse ipsum Kimchium de veritate correctionis Masorethicæ, cum hæc verba subjungit: אבל לאויביהם לא הגדלת אבל המעטת i. e. *Verum hostibus ejus non magnificasti sed minuisti gaudium.* Quicquid autem sit, ego lego לא *non*, & Masorethas præter necessitatem hic correctionem instituisse fateor.

Gaudium hoc describitur à duobus similibus. *Gaudent coram te, sicut gaudere solent in messe; lætantur, sicut lætari solent, qui dividunt spolia.*

Antequam pervolvamus duo similia, prius considero adjunctum gaudii, quod sit *coram illo*, qui supra sermonem habens jam modo loqui cessarat; videlicet Messia. Non leve hoc est argumenti pondus, quod non simpliciter gaudium hoc sit referendum ad Hierusalem, quod casum Sanchribh concernebat, sed principaliter ad illud, quod omnes ex luce Evangelii concipere debent.

Unum simile desumptum est à messoribus, qui non sine gaudio & exultatione jam dudum speratam segetem metunt, & in horrea sua comportant.

Alterum à triumphatoribus, qui ob læta spolia tripudiare solent. Ad hoc simile dicit R. Salomo, quod Hiskias thesauros Cus & Ægypti acceperit, unde merito gaudium in Jerusalem esse exortum, juxta id quod in distributione spoliorum concipi solet.

Nescio quorsum hoc referam, nisi digitum intendat in munera legatorum exterorum, quæ à Regibus suis ablegati post mirabilem liberationem, & magnum miraculum Hiskiæ obtulerunt.

Verum utut sit causam gaudii verius nobis describet Propheta in versu 3. *Quando jugum oneris ejus, & baculum humeri ejus, virgam* inquam *exactoris prostraveris sicut in die Midian*, id est, Tunc gaudebunt, cum Tu Jhovah Zebaoth velocissime & sine auxilio humano, jugum quo onerabatur, baculum quo percutiebatur, virgam, qua adigebatur, semoveris & confregeris.

Judæi hic sobrii sunt; *Jugum imponebant Reges Assur, Achas ferebat, Hiskias renuebat*; Deus enim, cum Hiskiam amaret, facile ei omnia prospere succedere permisit.

Dies Midian sumitur in Scriptura pro subitanea & inopinata clade, & talem in Assur deprehendimus, cujus exercitus in una nocte ruinæ devovebatur. Hinc etiam allegante Kimchio, in Psalm. 85. oratur inter alia contra Assur, ut *faciat ei Deus*, sicut *Midian*, i. e. ut cito & velociter confringat, prosternat & deturbet Assur.

Hæc cum superioribus & inferioribus cohærent, quare sicut supra involvebatur antitypus, ita & hic ex ratione universalis & magnæ lucis. Nam in hac subitanea clade Assyriaca depingitur nobis salus, quæ per Christum facta est. Sine armis Judæorum cadebat Assur, Diabolus conculcatus est sine operibus nostris. Angelus Domini mittebatur, ut trucidaret exercitum Assyriacum; Angelus faciei Domini prostrabat omnem exercitum infernalem, sed hæc concionatores melius noverint pertractare. Ego accingo me ad explicationem versus quarti, in quo modus & ratio hujus victoriæ Christi & debellationis Diabolicæ & Assyriacæ fusius declaratur. *Nam quamvis omne bellum bellatoris* fiat *cum* commotione, *strepitu, & vestis* bellatoris *sit polluta sanguine, tamen erit* hoc *combustioni* quæ est *depastio ignis.* Jn andern Schlachten da hat das Getümmel überhand/ da kan man vor wrinschen der Pferde / von geschrey der wiedereinander tretenden nichts hören. Da siehet man / wie die Kleider mit Blut besudelt seyn; Aber hie wirds eine andere Gelegenheit gewinnen. Hie wird das Fewr alles in allem seyn. Fewr wird hie seyn das Schwerd des Uberwinders. Sic explicat Kimchius.

סאון habent ex parte pro נצחון סוס נוצה alii pro מלחמה. Quicquid autem sit hæc vox in Scriptura nullibi reperitur, quare juxta contextum & materiam substratam est exponenda. Significabit vi istorum vel bellum vel victoriam; utrumque collimat ad scopum.

Kimchius talem ex hoc versu infert sensum. *Hoc bellum non erit sicuti reliquæ pugnæ, nam in aliis præliis certat bellator strepitu equorum*, & allegat locum ex Job. 39. *Sic etiam* רעש *strepitus lancearum*, & allegat locum ex Job. cap. 41. *Et sic etiam in reliquis præliis vestes solent pollui sanguine. At hoc totum est simile combustioni*, id est, *depastioni ignis. Quia percussit Angelus Domini, &c.*

Distinctionem ejus inter combustionem animæ & corporis studio omitto, subinfert enim fabulas & opiniones Judæorum.

Aben-Ezra, postquam præcaverat, ne סאון derivaretur à סאה paucis at accurate rem tangit, dicit enim: והטע/ על מיתרת סנחריב ביד מלאך כנשרפים i. e. *agitur de strage exercitus Sanchribh facta per Angelum, ubi quasi fuerunt combusti.*

Sensum puto hos Judæos probe assecutos. Certum enim est, Angelum non gladio occidisse Assyrios, sed procul omni dubio ita, sicuti alias alii à Deo percussi leguntur. Nam cum illi Spiritus sint, & ignis etiam sæpe dicantur, ut ignis trucidant jugulandum.

De Lamed nota hoc loco similitudinis, seu potius æquivalente similitudini, in eadem enim voce eadem significatione venire compertum est.

Nec est, quod moveat nos היתה Fœmininum male cum סאון conveniens, melius autem cum שמלה concordare visum, nam היתה hic est Neutrum & refertur ad istud, quod salutem procurare debebat. Denn es sol zugehen/ denn es sol oder wird seyn.

Particula כי & ו simili significationis genere venire solent, contextus, quam dedi, interpretationem requirit.

Hic iterum typus suo antitypo optime respondet: Ignis furoris Messiæ subjugavit Sathanam, & robore, seu succo ignis stipulam, cohortem exuit infernalem. Non ibi lanceæ, non hinnitus & strepitus equorum & armorum. Similia dissimilia & quæ ad exaggerationem hujus triumphi faciunt, ego concionatoribus relinquo.

Fundamentum salutis & triumphi, tam ab Assyriaco quam Infernali hoste, describitur in versu 4. & 5. *Nam puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Et erit dominium in humero ejus, & vocabitur nomen ejus mirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater æternitatis, princeps pacis. Ut multiplicetur dominatus, & pacis ejus non sit finis, super solio Davidis & super regno ejus, ut restauret illud, & corroboret illud, in judicio & in justitia, ex hoc nunc & usque in seculum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.* Si quæ minus dextre in hac versione videantur esse posita, ipsam censuram sumant ex infra dicendis, seu dicti hujus exegesi.

Supra in versu *Liga contestationem*, dixi de exordio sermonis Messiæ, quod ita de se & suis discipulis loquutus sit, ut Esaiam & ejus discipulos seu sedulos auditores non excluderet; Sic respondens Esaias agit quidem de corporalibus beneficiis, quæ exhibenda ex verbis Messiæ proponit; at ita tamen, ut ceu docilis & attentus discipulus sensum verborum Christi respiciens & imitans semper magis & principalius spiritualia & æterna bona introducat. Varia *dices* sunt hæc commenta; Quomodo enim solide convinces, sub typo principaliter exhiberi & in hoc textu introduci antitypum.

De typo, videlicet bello Assyriaco, & miraculosa liberatione res est salva. De typo videtur negotium aliquantulum intricatius, quamvis ex oratione Messiæ, cui verba Esaiæ respondent firmum necti possit argumentum, studio id prætereo, ut modo demonstrem, in quinto & sexto versu subjectum tractationis ita nobis describi, ut brutum animal si legere posset, distingueret facile & corrigeret contradictiones. Nam qui hic describitur nobis est verus Deus; versus qui describunt hunc verum Deum cum præcedentibus cohærent, & videntur de unico salutis duplicis authore agere.

Rex Hiskias proprie loquendo hic non est typus, sed umbra. Mutuantur enim tantum quædam circumstantiæ temporis & affectiones Regis futuri. Et taliter constitutum esse oportet, nam quando antitypus, cujus typus deficit & evanescit primario proponitur, tunc talia sunt inferenda, quæ typo vel quasi nunquam competere possunt. Hinc ad modum argumentationis Messianæ superioris ita infert Propheta.

Sunt quidam, qui pollicentur ſibi omnia bona ex filio Regis Hiſkia. Pius enim & attentus ad cultum divinum, & ita Dei captavit miſericordiam. Vera ſunt hæc, & ego ipſe in viſione magna & multa de hoc novo Rege accepi, jugum enim quod portat pater, filius abjiciet, &c. At miſerum hunc Hiſkiam. Jam ex tuis verbis Jhovah exercituum percepi te naſciturum Regem noſtrum. Si hoc verum eſt, non miror quod hoſtium tam ſpiritualium quam corporalium conatus fiant irriti; Quod populus in tenebris ſedens viſurus ſit lucem, ſi tu LUX INACCESSA incarneris.

Dictum hoc ſane tanti eſt ponderis, ut aliquando prolixius ei immoremur. Ignoſcat ergo Lector, quod veritatem inquirens, etiam latebras domus perreptem.

Tentabo ergo, num cum Judæis hoc dictum referre poſſim, & quidem probabiliter ad Hiſkiam. Juvabo ego pro viribus ſententiam eorum, ut ſi forſan hæc legerint Judæi, Chriſtiani ex præconcepta opinione diſputare, mentiri non pergant. Dico ergo cum Aben Ezra: *Fundamentum bonorum prædictorum eſt pietas pueri nati. Scimus, quod cum veniret Sanchribh, Hiſkias fuerit natus annos 39. Vocatur autem hic puer*, reſpectu habitæ Prophetiæ.

Addo de meo. Non obſtat vox ילד, quo minus Hiſkiam habeam pro ſubjecto tractationis; Nam ילד ſignificat non tantum puerum parvum; ſed etiam juvenem & virum. Si verum eſt, quod dici ſolet, Lamech occidiſſe Cainum, trucidavit ילד. Sic enim demortuum vocat. Joſeph natus annos 17. vocatur ילד Gen. 37. Imo viri florentis ætatis vocantur 1 Reg. c. 12. ילדים. Et quis neſcit diſtinguere relationis habitudinem.

Cum Kimchio dico, contextum omnino id ſuadere. Nam Hiſkias fuit ipſe Rex, ſub cujus regno exercitus Aſſyriacus eſt proſtratus.

Nec obſtat quod Targum & alii Judæi hoc dictum de Meſſia quodam explicarint. Ea facilitate qua illi affirmarunt, nos negare novimus. Et quis diſputare ſolet authoritatibus? Pediculoſus rixator, qui ſua mala ab aliis accepta, at iis iterum, ſi poſſit, injungit.

Quod ילד & בן conjungatur, nihil facit ad rem, dico cum Kimchio כפול ענין במלות שונות. Qui hæc negat, vel tautologias inſimulat, næ is linguæ ſacræ ignarus eſt. Non autem facio cum iis, qui ad diſtinguendum Sexum hanc repetitionem factam eſſe autumant. Miſeri forſan fuerunt inter Judæos peccatores, qui modum dicendi Propheticum, non probe capientes, talia quæſiverunt effugia.

Pergo & dico cum Kimchio; *Principatus erat ſuper humerum Hiſkiæ.* Nam (ſummatim verba ejus refero שבט & מטה erant in humero Achas, / משר vero ſuper humero Hiſkiæ. Achas enim erat tributarius, Hiſkias jugum abjiciens, dominium Aſſyriacum omnino reſpuebat. Phraſis hæc & explicatio eſt plana & ſimplex, nullis contorta ambiguitatibus. E. g. Dux quidam Hungaricus devictus, homagium præſtat Imperatori Turcico, Ducali dignitate ex gratia ſuperioris eidem manente. Hic dux gubernat, leges ſancit, promulgat &c. At Dominatus non eſt ſuper humero ſuo; ſed Imperatoris Turcici, reſpectu enim ejus habet מטה & שבט non autem משרה.

Si ſint, qui ex Targum urgeant obſervationem legis & mandatorum, dico impletum hoc eſſe in Hiſkia, cum curſores in puncto inſtaurandi cultus divini totam ditionem Hiſkiæ peragrabant.

Hactenus firmiter & ut puto irrefutabiliter demonſtravi, puerum natum eſſe Hiſkiam, jam me accingo ad nomina, quæ totam meam machinam labefactare videntur. Et cum R. Salomo dico; ויקרא שמו הק"בה שהוא מפליא עצה ואל גבור ואביעד קראשמו של חזקיהו שר שלים כי שלום ואמת יהיה בימיו id eſt, *Deus benedictus, qui eſt mirus in conſiliis, Deus fortis, Pater æternitatis vocabit Hiſkiam* principem pacis.

Noli quæſo hæc vocare contorta & diſtorta, vel prius affer rationem ad minimum ſaltem probabilem יקורא ſumitur quidem aliquando imperſonaliter; at non cum & Nominativus & Accuſativus expreſſe ponuntur. Non ſufficit dicere יקרא ſumitur aliquando imperſonaliter, Ergo hic; contrarium eſt verum. Accedit regula Grammatica *verbum activum præcedit*, Nominativus *ſequitur*, *Accuſativus finem facit*. Sicut barah creavit verb. *Elohim Deus* Nominat. Et *haſthſchamain* cœlum & Accuſ. & innumera exempla alia. Novi etiam quænam exceptiones hanc regulam ſoleant comitari, at demonſtret Lyranus cum complicibus, hic, & doceat quare facienda ſit exceptio. Sed mortui non mordebunt.

Dabo autem ex abundanti, quod tamen non convictus, ſed ſuæ ſententiæ principali ceu alteri propugnaculo fidens & hoſtem in propriam cædem alterum cedens facio.

Succurro ergo caſtello, cui præſidet Aben Ezra, & dico *nomina illa non ſunt vocantis, ſed vocati* qui fuit Hiſkias. Hiſkias dictus fuit פלא. Quia השם עשה פלא בימיו id eſt, *Nam Deus faciebat magnum miraculum in diebus ejus.* Nam (utor verbis Kimchii) שב שמש אחרנית *Sol retroceſſit* ſeu gradum retraxit. Hujus rei gratia enim tot Legati mittebantur ad Hiſkiam, qui rationem hujus miraculi in aula Hiſkiæ explorarent.

Hiſkias eſt יעץ *ſeu conſiliarius.* Nam adventante Aſſur, qui in ditione Hiſkiæ tantam cladem ſenſit, deliberabat cum magnatibus de reſiſtendi mediis, vel quia conſilium Dei conſtitit in Hiſkia, in Sanchribh autem fuit confuſum.

Hiſkias fuit & אל & גבור. אל fortitudinem, aliquando fortem ſignificat. Vel ſi quod in plurali negari non poteſt, in ſingulari in dubium vocetur, dico *Abſtractum pro concreto ſuperlativum gradum infert.* Non autem is tantum fortiſſimus dicitur, qui in ſe & in ſuo corpore robur exercere poteſt, ſed & qui fortem habet confœderatum, Hiſkias habebat pro tali confœderato DEUM verum, hic delebat Exercitum Aſſur. Dicis אל גבור ſunt conjuncta, ego nego, conjuncta ſunt quidem, quatenus vocabula unum & idem ſignificantia ad robur ſignificationis hic conjunguntur, non autem quatenus ſe habere poſſunt ut Subſtantivum & Adjectivum, & ſignificare DEUM fortem. Accentus Munach, quod Schindlerus putat, non ſemper connectit, ſed aliquando etiam disjungit. Exemplum in ſimili fere caſu habes Dan. 1. ubi *Chananja* & Daniel diſtinguuntur per Munach & Zakeph katon, ſicut hic אל & גבור. כְּדָנִיֵּאל חֲנַנְיָה אֵל גִּבּוֹר

Imo ſi hæc darem, quod tamen facere nolo, notum eſt, quod nomina rebus & perſonis ſoleant imponi, non quæ cum eſſentia ipſorum conveniant; ſed quæ rei geſtæ ſignum vel memoriam repræſentant. Exempla in Hoſea & in hac noſtra Oratione ſunt obvia. Sic Hiſkias (dicerem ita, ſi hæc darem) dicitur אל גבור, quia præſertim in eo demonſtravit Deus, quod ſit אל גבור, dum hoſtes ejus in una nocte compeſcuit; ſed talibus ambagibus merito ſuperſedemus.

Quod Hiſkias גיבור ſeu fortis fuerit, nemo ut opinor, negabit. In hujus enim fortitudinis ſignum procul omni dubio vocatus fuit חזקיהו, quaſi dicas ROBUSTUS.

Hiſkias fuit אבי עד, nam ut AbenEzra dicit נמשכה מלכות בית דוד בעבורו id eſt, *Regnum Domus propter eum eſt protractum.* Studio hic omitto AbenEzram ex Eſai. 57. nam & me & ſe prodit incongrua allegatione. Ego explico per *patrem temporis longi* non æternitatis. Nam in T. S. non datur vocabulum, quod abſolutam denotet æternitatem. Hiccine autem *pater temporis* dici poteſt, cujus gratia tempus prolongatur, illud enim tempus dici potuit Hiſkias feciſſe & generaſſe quaſi.

Nicolaus de Lyra putat corrumpi literam ſi *vocabit* pro *vocabitur* dicam. Ratio, nam 70. Interpretes, qui fuerunt Hebræi & literari viri verterunt *vocatur.* Quid nobis Nicolae Septuaginta Interpretes. Ego dico, ſi *hæc ſit 70. quam hodie in manibus habemus interpretatio ſeu verſio, nulla eſt ineptior.*

Dicis, allegatur illud dictum, quod cum hoc cohæret in N. T. de tempore Chriſti. Reſpondet Lutherus: *Matthæus hunc locum*: Populus ſedens. citavit cap. 4. *ex 70. interpretibus. Nihil autem mutavit, quam quod generalem ſententiam NB. ex ſpeciali fecit, & trahit hanc lucem, de qua hic dicit ad præſentiam Chriſti in Capernaum. Ubicunque enim Chriſtus eſt, ibi lux eſt. Sed hujuſmodi interpretationes & allegationes non faciunt ad pugnam, ſed ad exhortandum, ſicut illud Pauli ad Galatas de Iſmaele & Iſaac. Ejuſmodi multa ſunt ab Apoſtolis citata, non ad pugnam, ſed ad augendum & ornandum. Neque enim ſolum ii qui in Naphtali ſunt, ambulabant in tenebris, commode tamen ad eos detorquetur.* Hæc ille.

Videmus ergo allegationem illam Euangeliſtæ non facere ad pugnam; Econtra dicerem, magis facit ad pugnam, quod hæc ſententia: *Zelus Domini* exercituum *faciet hoc* Eſai. 37. & 2. Reg. 19. in negotio Aſſyriaco allegetur, quod quantum lumen huic noſtro dicto conferat, Lector novit.

Satis jam pro Judæis diſputavi. Hæc enim putavi firmiſſima eſſe, quæ nobis objici poſſent. Jam contra Judæos ex viſceribus textus & contextus probabo, *ſubjectum tractationis principaliter eſſe talem hominem, qui ſimul eſt Deus verus.*

Primo autem dico: Nomina hæc teſte AbenEzra ſunt nomina pueri nati. Ita demonſtro: Vox ויקרא eſt ſumenda imperſonaliter, ſicut alias ſæpe activa pro imperſonalibus venire ſolent. Hic neceſſario venit, quia deeſt Nominativus. Quod autem deſit Nominativus, ita probo. Si eſſet hic Nominativus, eſſet vel *Peleh* vel *Joez*, vel *el gibbor*, vel *abbiad*, vel *Sarſchalom*, aut nec hoc, nec illud, nec ipſum, nec iſtud. Ergo nullum & neutrum. Quod nec illud nec iſtud &c. probo hac regula Grammatica: *In Scriptura nunquam poſt* קרא שמו *vel æquivalens invenitur Nominativus, ſed præcedit vel ſubintelligitur,*

poſt

post schem autem occurrens casus est Accusativus. Hæc procul omni dubio sensit Ab. Ezra, unde non facere voluit, cum iis, qui hæc nomina vocanti adscripserunt.

Porro dico hæc nomina cohærere, ita ut simul & conjunctim sint sumenda. Ut autem in eo fortiter teneam Judæos, in quo victas manus nobis dandas spero, dico אל גבור est nomen unius & solius Dei, quod Hiskiæ nequaquam competere potest. Nam idem est אל גבור in dicto hoc, qui in capite decimo describitur, ut מכה percutiens *Israelem* יהוה *verus & essentialis Deus* קדוש ישראל *Sanctus Israel.*

Hic idem vocatur גבור in eodem loco capitis decimi. Non patior hic disjunctionem, conjuncta sunt אל גבור ut Substantivum & Adjectivum.

Obstare videtur, quod אל גבור in plurali videatur hominibus competere, ita ut ii אלי גבורים vocentur Ezech. 32: 21. Lutherus: Davon werden sagen in der Hellen die starcken Helde mit ihren Gehülffen. Hoc videtur machinam meam labefactare. Verum respond. in allegato loco אלי & גבורים, non habent se ut Substantivum & Adjectivum, sed ut Substantivum & Substantivum, & explico אלי גבורי per *arietes fortium*, id est, Reges populi bellicosi. Si litem intendat opponens ex eo quod י Jod sit omissum, quod tamen necessario, & expresse ponendum erat, resp. Jod hic implicite quiescere, & si nec hoc morosum retundat, esto אֵלִים plural. significans fortes & cum in Regim., hic inveniatur sumi substantive, & significare *Fortes robustiorum*, id est, Reges Dii populi robusti. Imo si *Dii fortes* expresse inveniretur, ne hoc quidem obstaret. Quæritur enim, num in singulari numero אל גבור in tota Scriptura sacra vel semel tantum extra hunc locum, de quo disceptatur, de homine prædicatum reperiatur. De Deo autem vero ad minimum ter invenitur. Deuter. 10: 17. האל הגדול הגבור והנורא conferatur Nehem. 9: 32. Jerem. 32: 18.

Ex quo & illa objectio cadit, quod גבור in Scriptura sacra non ponatur ut Adjectivum. Nam in jam allegatis locis expresse & determinatione ה articularis legis quod הגבור adjectivum sit, etsi non negem sæpius venire גבור substantive quam adjective.

Nec est quod disjunctionem urgeas, & petas probationem, quare אל גבורי non sit divellendum. R. proba quare non sit conjungendum, & ut satisfaciam Lectori & mihi, dico ideo quia in cap. 10. idem nomen repetitur, ut conjunctum & veri Dei Israelis idioma. De conjunctione infra plura.

In apodixi hac de אביעד verba multa non faciam, ex Aben Ezra quidem allegantem locum Esaianum probarem עד significare hic æternitatem. At non decet Judæorum opinionibus particularibus ita moveri, ut, modo illi dixerint, statim irrefutabile esse putemus. Verum si aliquid roboris insit, jam jam cum me ad explicationem dicti accingo, monstrabo. *Nam puer natus est nobis, filius datus est nobis*, id est, Messias nascetur certo, verus homo. Tempus mutatur ob umbram, ita ut simul certitudo rei futuræ inducatur, quod Futurum תעשה satis evincit. Hiskias erat etiam puer natus, & filius datus. *Et fuit principatus super humero ejus.* Ecce prius præteritum verificabatur in umbra, posterius in vero antitypo.

Nam Hiskias, cum hæc concio haberetur, nondum erat Rex, unde nec imperium habere poterat. Christus autem jam tum regebat, dominabatur. Nihilominus tamen concedendum est, ab Hiskiæ jugum Assyriacum abjicientis circumstantiis & affectionibus hic phrasin esse mutuatam. Hiskias שבט & virgam Assyriacam cum משרה commutabat. Explicationem autem phraseos vide supra. Huc usque nativitas & regnum Messiæ, ubi pium esse puto, cum patribus & concionatoribus vere dicere. ילד est Christus respectu humanitatis, בן vero respectu Divinitatis.

Jam sequuntur nomina pueri nati. *Et vocatum est nomen ejus* יועץ פלא id est, *miraculum consiliarii*, i. e. Qui tale consilium dedit, quod in admirationem sui Angelos & Diabolos imo omnes homines merito trahit. Consilium hoc erat de salvando genere humano. Hic ratio disceptet, hic Philosophi litigent, quomodo opposita illa *Justitia & misericordia* in Deo facta sint unum. Tempera temperamentum ex Bartholo, Baldo in judice affer exemplum, deficient te omnes rationes, si eruditus disputator, quæ sentis, reprobarit. Et hæc phrasis desumpta esse videtur ab Hiskia, qui cum magnatibus suis, de præscindendis mediis exercitus Assyriaci conservandi fovebat consilia sane Regia. At miserum hunc consiliarium, nisi Angelus certasset, Hiskias certo succubuisset.

Ex his ita specialiter infert Propheta: *Habemus* Messiam *puerum natum, hunc juxta visionem meam novi Assyriacum jugum esse abjecturum, & bonis consiliis civitatem suam sublevaturum.* At tu qui mecum verba habuisti, vere diceris. *Puer natus* NOBIS, filius *datus* nobis. *Tu enim certe nasceris, & nobis donandus venies.* Tu es miraculum consiliarii. *Te mecum loqui in visione, Te esse Jhovah Zabaoth, & tamen sperare in Jhovah Zabaoth, & in carne habere discipulos.* Hæc sane abstrusa sunt consilia.

Secundum nomen est אל גבור *Deus fortis*, & involvit executionem & robur exequendi consilii dati. q. d. *Tu dabas consilium tale, quod sine auxilio non erat: Cum enim ex Lege Mosis audiverim Jhovah Zabaoth ibidem vocare* האל הגבור, *jam autem in visione satis sum instructus & edoctus, te esse Jhovah Zabaoth, & certo te nasciturum. Unde sequitur Te puerum natum esse verum Deum, & consequenter te quæ volueris exequi posse.*

Hoc nomen prodit fallacias eorum, qui hoc dictum literaliter de Hiskia agere putant. Nam Hiskiam vel alium hominem in Scriptura hoc nomine vocari non compertum, at Deum exercituum ita dici supra est probatum. Et sic solet agere S. S. quando nos vult docere, alium extra eum, qui in oculos incurrit, & quasi palpari potest, nobis proponi.

Tertium nomen est אביעד, & significat *Patrem æternitatis*, & est nomen Essentiæ Divinæ. Unde sæpe ille UNUS DEUS extra quem non est alius PATER vocatur עד significat hic æternitatem ab ante & post, (ut ita loquar;) Nec obstat quod עד aliquando significet tempus certum & diuturnum, ex Esaia enim convinci potest significare עד etiam absolutam æternitatem. Quænam significatio autem hujus sit loci, indicat contextus. Ille est אביעד qui est אלגבור. Ergo divinum hoc sit nomen oportet. אבי hic sumitur pro authore, & ita אביעד significat *autorem seculi.*

Dicas & hoc nomen mutuatum esse ab Hiskia, verum si ab עד denominare voluero hinc hominem, magis congrue voco cum בן עד filium temporis diuturni, quia propter eum tempus prolongabatur. Voluit autem S. S. hoc nomine inprimis hic uti, quia fundamentum est אלגבור, Nam ut demonstraret, hunc puerum non factitium esse Deum, sed verum & unicum illum יהוה *æternitatem* non tantum, sed & *æternitatis constitutionem & fundationem* eidem adscribit.

Quartum nomen est שרשלום *Princeps pacis* sic vocatus puer natus, quia pax quævis etiam illa, & cujus generis sit, ex hoc ceu fonte, propter hunc ceu causam principalem fluit & hominibus applicatur. Quamvis & hoc quidem Hiskiæ applicari posse videatur, tamen non sufficit ad tanti nominis impositionem. Illud, quod post sat gravia bella Hiskias tandem aurea pace frui potuerit.

Hucusque nomina pueri nati, jam ad finem impositionis talium nominum, seu potius ad affectum omnipotentiæ &c. nos accingimus. Propheta sic infit: למרבה המשרה ולשלום אין קץ i. e. *ad multiplicationem dominatus, & ad non finem pacis*, i. e. Dominium ejus multiplicetur, & pax ejus non finiatur. Ideo videlicet erit dominatio super humero ejus, ideo necesse fuit, ut esset Deus fortis, imo author seculi, ut Dominium potenter augeret, & (quod nulli Monarchæ contigit) pacem perpetuam & æternam conservaret.

Præter morem occurrit hic in medio ם clausum, pro למרבה, etiam legimus in omnibus exemplaribus למרבה. A. Ezra dicit דרך דרוש juxta eam viam, quam calcare solent quidvis ex quovis extrahentes; *Factum hoc est, quod* ם *in medio vocis scribatur quasi esset in fine, quia Sol retrogredebatur, cum laboraret Hiskias.* Benè Ab. E., nam tunc prolongatum ם signum erat prolongati regni & vitæ. Orthodoxi rationem ex Lyrano solent exscribere, *quia Christus, de quo Scriptura hic loquitur, natus fuit contra cursum naturæ ex virgine clausa.*

Aliis magis placet *quia regnum Christi in omnibus angulis mundi multiplicari debebat.* Nec absonum foret dicere, quadrangularem formam hic Prophetæ visum scribere, quia 4. sunt Euangelistæ, qui regni hujus fidelissimi fuerunt Secretarii.

Ego dico Mem est clausum, quia non aperuerunt illud Scribæ errantes. Fuit enim in primo codice scriptum להרבה *ut multiplicaret* Messias, vel si mavis dicere למרבה *ad, seu propter multiplicantem* Masorethæ supervenientes non ausi sunt corrigere, sed in margine veram formam posuerunt.

Hic enim est perpetuus mos apud Masorethas, ut cum viderint sphalma Scribæ, illi non in textu sed extra textum in margine notarint & correxerint, ne viderentur aliquid mutasse. Hæc est ratio, quare tam multa secula hoc ם fuit clausum. Placent tamen piæ cogitationes, & devotæ meditationes religiosorum Doctorum.

Quodnam autem regnum sit, quod S. S. prædixit multiplicandum, subjungit Propheta cum dicit: *super solio Davidis & in regno ejus* scil. erit pax & multiplicatio. Ergo Rex erit Davidis successor seu ex semine ejus. *Ad restaurandum illud*

illud & ad roborandum ex hoc nunc, & usque in secula. Restauratio & confortatio tribuitur puero nato. Hoc regnum est Christi, quod ipse in carnem veniens ex variis mutationibus collapsurum instaurabat, unde in N. T. appropinquatio regni cœlorum solemnis est.

Notabile autem est, quod dicit Propheta, *Ex hoc nunc & usque in seculum*, ubi seculum pro æternitate sumitur. Difficulter hæc concedent Judæi, adducent enim simile exemplum ex Oratione Hannæ. At quid si, Judæi, instaret aliquis, & diceret עד־עולם *significare semper nullo dato dissimili exemplo, æternitatem, quando præcedit* מעתה At satis hoc dictum ab aliis est evolutum, modo hic notetur, negandum non esse ab Hiskia phrases at probe sublimatas, desumptas & adhibitas esse, *Multiplicabatur Dominium Hiskiæ quando jugum Assyriacum abjiciebat*, ea enim ratione evadebat in absolutum Dominum. *Pacis ejus non erat finis*, quia coram Esaia optabat, ut tantum esset pax & fides in tempore suo. Dici etiam poterat, confirmasse regnum in justitia & judicio, cum cultum divinum, & procul omni dubio leges fundamentales restauraret, & de novo quasi promulgaret.

צדקה seu justitia, cujus tractationem uberiorem infra exhibebo, est justitia per Christum acquisita; משפט vero est justitia ad exemplum Christi informata, & bona opera subincludit.

Supra egi de certitudine involuti antitypi, dixi ibidem infra esse demonstrandam certitudinem. Sic probo: Secundus, 3, 4, 5, & 6. versus cohærent, & ex omnium suffragio unicum habent subjectum tractationis; Atqui vs. 5, & 6. necessario & ut puto irrefutabiliter habent pro objecto Deum fortem & creatorem omnium natum hominem; si hoc concesseris, quod utique dare teneris, res est salva, de typo enim parum erimus solliciti. Et sane illi versus se habent ad hos ut effectus ad causam, ut consequentia ad antecedens, ædificium ad fundamentum.

Emphatica superest hujus argumenti, vel potius dicti conclusio: קנאת יהוה תעשה זאת: Zelus Domini exercituum faciet hoc, id est. Ille qui supra ut Dominus Deus exercituum loquebatur, faciet hoc. Vocatur autem קנאת seu scelus, quia ut R. Salomo putat קנא לציון על אשר יעץ עליה ארם ופקח תעשה זאת *Quia Aram & Pekah decreverunt mala contra Jerusalem, zelabitur Dominus pro Zion.*

Vocem זאת *illud* refert Kimchius ad dominium & salutem futuram, nam blasphemiæ servorum Regis Assur ad iram commovebant summum dominum. Targum hanc sententiam ita explicat במימרא דיי תתעבד דא *Per VERBUM Domini fiet hoc.* Ubi videtur agnovisse Jonathanem / יהוה צבא *esse* מימרא seu logon. Optarim quidem & ego Jonathanem credidisse Trinitatem & consequenter etiam λόγον coessentialem, verum credidisse hoc Jonathanem, mihi esto articulus fidei, quem etiam sine ratione credere teneor. Hic obiter Regulam insero: *Vox* מימרא *Memra in Targum non semper significat λόγον essentialem.* Hoc quidem dicere possum, si logon essentialem exprimere vellem lingua Chaldæorum, supponerem מימרא sicut apud Syros מלתא apud Arabes כלמה. Sed hæc obiter, ne trita illa & falsa opinio magis invalesceret.

Judæi supra allegati hunc zelum adscribunt Deo, pro Zione contra Assur, & reliquos hostes Judæorum. In hoc sane non errant, nam eadem hæc sententia 2 Reg. 19: 3. Esa. 37. repetitur, & ad statum belli Assyriaci applicatur. Verum fundamentum non est negligendum, quod est SALUS ECCLESIÆ per Christum acquirenda, & ipse PUER NATUS, qui & DEUS & homo est.

קנאה Zelus est amor & indignatio, amor respectu boni adamati, indignatio respectu bonum turbantis: Hæc vox explicatur nobis Cantic. 8. עזה כמות אהבה קשה כשאול קנאה *Fortis est amor ceu mors, durus est zelus sicut infernus.* Mors omnia solvit, infernus effugi non potest.

Juvenis Ethnicus nisi adamata potiatur, mortem sibi accelerat, miles procum suæ dilectæ vocat ad duellum furiosus. Christus sponsus noster, diabolus, mundus sunt nostri proci. Ex repudiatis procis fiunt insidiatores & hostes. Hierusalem pro tempore nondum adeo se averterat à sponso Messia, sicut scortum illud impudicum Israel. Aderant ergo ex procis facti osores, calumniatores, erant, qui cujus amore frui non dabatur, exitium & mortem sponsæ minabantur. Hæc non fert Sponsus, præsertim cum sui contumeliosa & infamis mentio sponsæ exprobratur. Et sic etiam Deo juvante absolvimus argumentum decimum, quod ut supra est formatum hic reassumendum. Versus autem 5, & 6, cum 4, 3, & 2. sic sunt connectendi.

Si Messias certo nascetur propter Judæos, verus homo. Si idem sit verus Deus mirabilissimus in operibus, in amore ardentissimus, inflammatus ad vindicandos suos, & ID IN HISKIA FILIO ACHAS ALIQUO MODO ADUMBRARE VOLUIT, *certo ab Aram & Israel* (nam potentioris regis jugum abjiciet Hiskias) *liberabitur Jerusalem*, ratio connexionis est: *Quia puer natus, est Deus fortis, potens* facere ultra id, quod assequimur mente. Specialiora argumenta in hoc generali occurrentia eruditus Lector ipse formabit.

CAPUT XIV.

De Argumento undecimo.

UNdecimum argumentum sumitur ab exemplo Israelitarum, qui etiam non sperarunt & graviter luerunt; sicut argumentum decimum desumptum erat ab exemplo sperantis & prospere agentis Messiæ.

Generale argumentum ita est formandum. *Israelitæ non sperabant in Deo, sed sperabant in hominibus, igitur graviter sunt afflicti, & quos putabant esse confœderatos amicos, sentiebant re ipsa abjuratos esse hostes: Ergo si tu Achas etiam non speres in Deo, sed timeas & speres in Rege Assur, iratum numen simili mali successus ordine Judæos conturbabit.*

Ad hoc argumentum faciunt versus 18, à 7. cap. 9. exordiendo, & in 4. cap. 10. finem faciendo. Brevissimis ergo omnia *Verbum misit Dominus in Jacob, & cecidit in Israel:* Quod jam decretum est de perverso populo Israel, non fiet irritum, jam enim videtis, in quo rerum discrimine versentur Israelitæ.

דבר est Aben Ezræ נבואה & גזירה, Kimchio הרעה. & fundamentum tangit hic Rabbi. Verbum enim erat de malis inferendis, Amos & alii portitores hujus verbi erant.

Mittere verbum est idem, quod alicui per aliquem, aliquid significare *Et cecidit in Jacob.* Idem dicitur במלות שונות, nisi quod involvatur clarius Prophetiæ explendæ initium.

Argumentum speciale Deus minabatur Israelitis mala, & ecce sicuti dixit, ita erunt. Sic quæ tibi dicit & minatur O Achas Deus tuus certo te tangent, versus 8.

Nam experientur totus populus Ephraim & cives Samariæ, illud quod in fastu & magnitudine elatione *cordis dixerunt: Lateres ceciderunt, verum quadris saxis reædificabimus, sycomori excisæ sunt, verum cedros substituemus.*

Fastus Israelitarum verba Prophetarum supprimebat, & ita ratiocinabatur; *Esto veniant mala quæ prædixisti Propheta, at quid inde; Si enim videamur in hoc facere jacturam, in alio lucrabimur. Nam firmæ nobis confœderationes cum vicinis. Aram est frater noster, Philistæi socii nostræ Ligæ. Et si Jhuda & totum regnum Davidis, à nostris militibus devastaretur, & nos ipsi cogamur contribuere, parum interest, nam novimus modum & viam instaurandi & confortandi Regnum illud.*

Totus populus est Israel; Ephraim & habitator Samariæ ostendit speciem seu tribum Ephraim, penes quam regnum Israelitarum erat.

Lateres non tantum cecidisse dicuntur, cum Assur depopularetur agros, ut putat Aben Ezra, sed tunc cum ipsimet cogebantur ire in militiam, & pugnare contra Judæos, ubi sane magna regni mutatio magnum damnum intulit Israelitis. Et ut brevibus agam, dico Lateres sunt bona exigua, גזית significat bona eminentiora, sicut sycomori arbores ignobiles opponuntur cedris arboribus nobilioribus. Aben Ezra vocat שקמים / תאנים רעים wilde Feygen. Sic autem forsan ogganivit populus Prophetæ Amos. *Hem multa tu deliras, tu mala ominaris sine causa. Quid enim est, quod nos adeo affligere queat. Morte Regum terres, parum vel nihil facis, si moriatur hic, ecce nobilior alter. Clade civium nostrorum multo minus movemur. Nam si ceciderint ex parte nostra centum, mille ex parte adversa capitivabimus. Tu Amos non intelligis Politica principia, ignoras, quomodo sit procedendum in avertendis periculis omnibus & singulis, si alter Rex sit hostis, alter est confœderatus, & ita ex omni parte nobis optime providimus.*

At successus harum Ligarum Israelitarum eleganter nobis depingitur in versu subsequenti. *Quare* invictos reddet *exaltabit Dominus hostes Rezin contra ipsum & inimicos ejus* varios reddet, *miscebit.*

Aben Ezra / צרי רצין הם אשור *Hostes Rezin sunt Assyrii.* Inimicos autem dico Israelis sunt Aramæi & Palæstini. Nam subjugati Syri in opprimendo Israel juvarunt Assur. Hic oculis fecit

fecit vanitas Ligarum & confœderationum, Israël cum Syris de mutuo succursu & bello ex socio pepigerat fœdus, superveniebat Assur, & confœderati evadebant in hostes. Vocem יסכסך explicavi per *miscebit seu varios reddet*. Hanc mixtionem statuisse videtur R. Sal. cum dicit יסכסך את אויביו זה בזה גויבנוי ארם ופלשתים בישראל וישראל זהבזה id est, *miscebit hostes* Israëlis *hunc contra seu cum illo, gentem contra gentem seu cum gente Aram & Philistiim cum Israël, & Israëlitas alterum cum altero.*

Sic autem mea sententia hoc in loco misceri dicuntur hostes, quando ex confœderatis fiunt adversarii, & ex uno pullulant plures.

Vocem עליו refero ad populum Israël, sic etiam relativum in אויביו Israëlitas respicere debet.

Argumentum speciale taliter hinc fluit: *Si propter confœderationes illicitas, etiam ex amicis & confœderati fieri solent hostes, confœderationes tales sunt vitandæ.*

Qua ratione tale damnum ex confœderationibus senserint Israëlitæ, subsequens nos docet versus 11. *Syri ab ante, & Palestini à post, ut affligant Israël in omni loco.*

Ab *ante* & *post*, hic non proprie opponuntur ut prius & posterius, sed juxta Aben-Ezra ut מזרח & מערב ארץ ישראל לישראל, id est, *id quod terræ Israël est ab ortu, & id quod ei est ab occasu.* Quæ de incursionibus Syrorum & Philistæorum hostilibus ante bellum hoc dici possent, studio omitto. Videtur enim hic dici de hostili affectu Syrorum post adventum seu in adventu Regis Assur.

In omni hoc non cessat furor ejus, nam adhuc manus ejus est extensa. i. e. Hæc pœna nondum sufficit, restat adhuc gravior. Furor non respicit *hostes*, sed *ipsum Deum.* Totum hoc incisum Deo esse adscribendum apparet ex collatione cap. 5. Esaiæ.

Præmittitur autem ipsi aggravationi pœnæ enorme scelus populi. Vers. 12. *Et populus non revertitur ad percutientem se,* nec JHOVAH Deum exercituum quærit.

Grave sane hoc erat peccatum, & conatus stultissimus, quod populus venerabatur baculum & virgam, & erigentem seu percutientem ne quidem respiciebat.

Deploranda erat hæc obstinatio. Populus ideo percutiebatur, quia non quæsiverat Dominum, & tamen dum percutitur eundem non quærit.

Tacitam objectionem: *Non potuit Israël quærere Dominum, nam Rex ipsorum Pekah & Prophetæ falsi id vetabant,* diluit Deus versu subsequenti. *Quamvis exciderit; Deus ex Israël caput & caudam, ramum & juncum die uno. Senior & Princeps sunt caput; Propheta autem docens mendacium est cauda.*

Excisionem hanc non possum referre ad tempus captivitatis, sed ad tempus motuum Tiglatpaleser, ubi *Hion Abel Betmaecha, Jonaha, Kedes, Hazor, &c.* captivabantur. Circa id tempus enim occisus fuit Pekah. Non potuit autem conjuratio, & subsequens cædes fieri sine remotione principum seu consiliariorum eorum, qui cum Rege quotidie conversabantur, & ita in *uno die* remoti sunt, Rex & consiliarius & Propheta falsus.

Caput Scriptura interprete est Senior & Princeps.

Cauda est Propheta docens mendacium. Vocatur autem Propheta talis cauda, tum, quia in immanis bestiæ cauda, id est, totius regni Prophetis Regi gratissimis robur erat, i. e. authoritas, quæ facile omnium consiliorum etiam pessimorum roborabat coram populo decreta. Tum quia adulabantur Regi. **Fuchsschwäntzer/** tales sunt omnes Prophetæ moderni, qui gravia scelera imperii & terrarum & urbium non expresse carpunt. Non otiose autem quæritur, num אגמון & כפה, pertineant ad caput vel ad caudam. Videtur autem magis convenire caudæ, אגמון, & capiti כפה, quia teste Aben-Ezra כפה *est* ירוע נר/ צמח *&* אגמון *est* שורש. Verum ego ad neutrum refero, cum cauda & caput satis sit determinatum à Spiritu sancto.

כפה est frons arboris, אגמון junctus in aqua crescens. כפה seu ramus erant viri juvenes in aula Regis; **Junge Auffschneider/** qui coram populo speciosis phrasibus, etiamsi rationem belli non habuerint perspectam, consilia & confœderationes Regis approbarunt: **Ihr Mayest. habens wol getroffen.** Si terram nostram ex ea parte infestet hostis, ecce confœderatus ille, si hanc, ecce confœderatus iste. Hi videbantur frondes esse in oculis vulgi, אגמון sunt sordidi helluones in aula, **Alte Außsäuffer/** qui non consulendo sed calumniando, Regis intentionem promoverunt. *Servivi jam*, forsan dixerunt *tot & tot Regibus* puta evacuando poculo, *at nunquam tam prudentem veneratus sum Regem.* Quid jam reliqui Reguli sunt respectu nostri ? &c.

Hi omnes uno die sunt excisi. Hoseah enim præcavisse præsumitur, ne superesset, qui ex animo trucidato Regi faveret, & ejus mortem vindicaret.

Hi posteriores autem, nempe כפה est אגמו expresse seu explicatione à Spiritu sancto non nominantur, hinc etiam in ratione quare exciderit eos Deus, non repetitur eorum mentio, nisi consequenter, & implicite.

Nam ductores populi hujus seductores erant, & ducti ab iis erant seducti vel *qui beatum prædicabant hunc populum, errare faciebant eum, & qui beati prædicati erant, confundebantur.*

Vocatur Rex, consiliarii & falsus Propheta in aula rectificatores seu ductores, non quod vere fuerint, sed quod merito esse debuerint. Unde Kimchius והם בעיניהם מאשרים.

Tales fuerunt etiam in Jhudah Esa. 3. *O popule mi* מאשריך *qui constituti erant, ut in recta via te ducerent* מתעים *errones & alios errare facientes sunt; nam semitam viarum tuarum* בלעו *confundunt.* Hinc dico מבלעים sunt homines, qui, qua via incedendum sit, ignorant.

Maledictos eos ductores & doctores, qui aliis viam præmonstrare volunt, quam ignorant. In Israël confundebatur via populi, quando plurima pars Prophetarum, ad exemplum aulicorum fœdera suadebat, exigua autem eorum spem divinam, submurmurabat.

Huc usque præfixa peccata, jam continuatio & aggravatio pœnarum. *Propter hæc non lætabitur Dominus super electis ejus, nec pupillorum & viduarum ejus miserebitur.*

Includit hic versus & יד נטויה & ex parte effectum dictorum malorum.

Juvenes sunt electi, & flos imperiorum, regnorum, regionum & civitatum, hi prædicuntur delendi. *Gaudere super aliquo*, dicitur Deus, quando videt id ad nutum & voluntatem suam dirigi, sicut è contra dicitur *Dolere & contristari.* Item quando benefacturum se alicui promittit. Sic flebat Christus super Jerusalem, in signum futuræ devastationis. Utrumque hic locum habet, & ex intentione Spiritus sancti hic assumendum.

Exempla phraseos in Scriptura sunt obvia, Esaiæ 65. וגלתי בירושלים וששתי בעמי, *ego in populo meo, & in Jerusalem gaudebo & lætabor.* Quis ille populus. In quo ברכה erat. Sic allegante eodem Kimchio Genes. 6: vers. 6. ויתעצב על לבו **Es verdroß Gott von Hertzen.** Cur gaudebat Deus propter Jerusalem ? Quia volebat ei benefacere, videbat enim התירש באשכול sic contristabatur, quando volebat immittere diluvium, quia videbat יצר רע. Sic in loco præsenti, & quem habemus præ manibus dicitur Deus non lætari, id est, prædicitur quod magna mala sit illaturus, unde nec favorabilium personarum rationem se habiturum minatur.

Potuisset autem hic objici. *Voluit misericors Deus populus hic redire ad te, sed fuit retractus à malis ducibus. Demortuo enim Peka impio, sceleratissimus substitutus est Hoseas.*

Respondetur ergo ad hoc, populum ipsum esse in culpa, quia hypocrisi & mendaciis indulgeat; & ita tacite populus consensus in cædem, expresse autem extremæ malitiæ, quæ & sub piis & impiis regibus & ducibus se exeruerit & exerat, insimulatur. *Quia totus populus* est *simulator & malitiosus, & os cujusvis loquens stultitiam.* Hic removetur omnis culpa à Deo, & transfertur ad populum, qui describitur 1. quod sit חנף simulator. Simulator autem teste Aben-Ezra est, הוא ברו טוב ותוכו רע *qui ab intra malus, ab extra vero bonus.*

At nondum absorbet ea descriptio totam naturam hujus vocis. In Scriptura enim sacra describitur abstractum ejus ut vitium, ex quo omnia reliqua pullulare solent, hinc sæpe concretum pro ipsis peccatoribus venire videmus. Imo si naturam ipsius vocis penitius indagemus, pro formali ratione ut ita dicam peccati haberi deprehendimus. Et *est quando aliter est res ipsa, ac nos prætendimus.* Sic nescio in quo peccato non talis subingeratur à peccante hypocrisis.

Secundo describitur, quod sit מרע i. e. non tantum per se malus, sed & alios ad malefaciendum movens & impellens.

Tertio, quod habeat os loquens stultitiam & est stultitia omnis cogitatio, verbum & consilium, quod succo naturali (sic loquitur ex primitiva significat.) destituitur.

Tales stulti & /משחות seu corruptores erant Israëlitæ, quia præ se ferebant quidem ardorem cultus divini, at re ipsa pessimi erant Idololatræ. Cum Baalim scortabantur, Dei auxilium expetebant, at à confœderationibus abire nefas esse ducebant. Conqueri poterant de malis Regibus, at ipsi, Deo teste erant pessimi subditi, hypocritæ & alios male agere facientes. Hinc argum. speciale ita formamus: *Quamvis ego in Pekah & primariis ejus complicibus* caput & caudam *immanis illius monstri, & bestiæ horrendæ, quæ etiam populum meum confœderationes am-*

amplecti docuit; Tamen meus populus non est ad me reversus. *Nam omnino totam suam naturam ita depravarunt, ut præter hypocrisin, mendacium nihil supersit, Hinc quicquid prætendant, nugæ sunt. Si objiciant impium Regem statim substitutum nihil dicunt, nam eorum hypocrisis meliorem & digniorem non expetit. Consensit pars populi in cædem Pekah, altera pars gratulatur sibi de uncto Hoseah.*

Hæc sane tanta sunt, ut à concepta furoris sui indignatione Deum retrahi non patiantur, sed magis, ut manum suam magis extendat, movent. Hinc statim subnectitur aggravatio pœnarum in subsequ. versibus septem.

Vs. 17. *Nam ardet sicut ignis impietas, & veprem & spinam absumet, imo flagrabit etiam in perplexitatibus sylvæ, ut sicuti fumus in aëra eleventur.*

Vs. 18. *In furore Domini Dei exercituum obscurabitur terra, & fiet populus pabulum ignis, nemo alteri parcet.*

Vs. 19. *Et præscindet dexteram, & tamen esuriet & edet de sinistra, & tamen non saturabitur, quilibet carnem brachii sui comedet.*

Vs. 20. *Manasseh Ephraim, & Ephraim Manasse, & illi conjunctim Jhudah, in omni hoc nondum cessat furor ejus, nam manus ejus adhuc est extensa.* Cap. 10: 1. *Væ decernentibus decreta iniqua & scribis* causam *doloris scribentibus.*

Vs. 2. *Ut flectant tribunal pauperum, & judicium pauperum populi mei rapiant, & sint viduæ spolium eorum, & pupillos deprædentur.*

Vs. 3. *At quid facietis in die visitationis, & tumultus* desolationis, *quæ à longinquo ventura est. Ad quem confugietis, & unde subvenietis gloriæ vestræ.*

Vs. 4. *Excepto eo, quod incurvabitur gloria eorum sub vincto, etiam sub occisis* ipsi quorum erat gloria i. e. milites gloriosi *cadent.*

Ex his verbis colligimus pœnarum aggravationem, & manus Dei adhuc extensæ effectum, qui in omnes Israëlitas redundabat. Et ne subditi haberent, quo se ob malum magistratum tuerentur, & pessimæ suæ causæ ex legibus publicis & totius regni recessibus quærerent patrocinium, minatur etiam Legislatoribus & judicibus grandem pœnam, ut ita subditi discerent, & magistratum politicum Deo subjectum, eique contra Deum nullatenus esse parendum.

Prænotanda hic est Figura Rhetorica, quam dixi *interpretationem*, & est *obscurius propositæ, vel multis metaphoris involutæ sententiæ, per proprias & naturales phrases elucidatio.* Exemplum hujus figuræ in propositis habemus versibus, & in specie usque ad מאכלת אש, quam elucidatio ipsa statim excipit.

Primo dicit *Ardet ceu ignis impietas.* Aben-Ezra דמה הרשע לאש שיאכל המבער והשמיר והשית הם הרשעים id est, *Impietas assimulatur igni, qui cum ardet, edere dicitur*, vepris autem & spina, homines sunt impii.

Bene omnia, nam hic versus non loquitur de peccato ipso, sed peccati pœna. Idem approbant R. Sal. & Kimchius.

Vocantur autem impii vepris & spina, non tantum, quia non prosunt, sed & aliis obsunt. Ea ratione vocantur etiam סבכי perplexitates non tantum, quia in Israël cum impium vocabas, totum populum qui se ceu condensa in sylvis, in terris & urbibus habeat, sed quia *sicuti* סבכים *proprie sunt arbusculæ intricatæ & perplexæ, quæ sylvas & arbores excelsas cingere solent, & ita sunt complexæ, ut ardente una altera statim etiam inflammetur.* Hinc cedri & abietes facillime etiam concipient ignem, &c. Applicatio ad impios facilis est.

Dicitur autem in textu, quod *eleventur sicut fumus elevari solet.* Ad verbum ita textus originalis: *Et elevant sese ipsos elevationem fumi.* Sie gehen auff wie ein Rauch. Arbor combusta ubi manet? Er gehet im Rauch auff. Modus dicendi est tritus & notus. כ deficere testatur Kimchius חסר כ"ף הדמיון, testatur idem contextus & phrasis. Inter alia super hunc locum in hæc verba erumpit Kimchius: *Non omnis qui ascendere videt fumum, videt etiam ignem.* Hoc ipsum bene in nos Germanos quadrat, de quorum terra etiam ex sequenti versu 18. dici poterit:

In furore Domini Dei *Exercituum obscurabitur terra, & fiet populus esca ignis.* Deus exercituum ignem accendebat, & lignis inutilibus puta populo terræ illum alebat. Cum Paterfamilias irascitur, tota domus videtur invertenda, cum autem efferbescit Deus, obscuratur tota terra. Aben-Ezra dicit כמו (de נעתם loquitur) כלשון קדר חושך גם זה דבק בעבור העשן הנזכר לתעלה id est, *significat atrorem, tenebras, & nascuntur ex fumo.* Ex quo discimus, quomodo ex עברת י"י fervore & excandescentia Domini possit obscurari tota terra, nempe quando pabulum ignis, homines impii ceu fumus ascendunt. Voluit enim Spiritus sanctus manere in eadem allegoria.

Cum igne absumitur una domus, nedum tota civitas, hem quæ caligo fumum nascentem comitari solet; Hinc sæpe fit, ut ignis, quem præ atrore & densa nube non senserat accurrens, improvidum abripiat & consumat. Hinc ubi terra ita obscurata est, accurrentes parum proficient. Nam res geruntur, non ut homines stulti decernebant, non ut ligæ pollicebantur, non ut perjuria suadebant, sed ut ignem disponens Deus ordinabat. Hinc se mutuo infestare solent miseri, in tenebris & densa caligine vix frater fratrem agnoscet, & hoc est, quod subsequens incisum docet; *Nemo suo fratri parcet*, Kimchius, *Non sufficiet malum quod inferent hostes, accedit & id, quod est domesticum.*

Generalis hæc sententia in subsequentibus clarius explicatur: *Nam præscindet dexteram, & tamen esuriet, & edet de sinistra, nec tamen saturabitur, quilibet carnem brachii sui comedet*, Aben-Ezra דרך משל בעבור מלחמות שיעשו ביניהם והם אחים כאלו הם גוף אחד Dexterrime hæc explicat Judæus, nam bella intestina erant inter fratres, quæ sunt membra corporis unius. Unde R. Salomo sensum respiciens sic exponit: *Et spoliabunt se invicem à dextris & sinistris hinc inde.*

Vocem יגזור ego explicavi per *præscindet*, Kimchius per חטף sensum respiciens. De sensu non est, quod sim sollicitus, consulantur nostri sympatriotæ, illi docebunt, quid sit comedere carnem brachii.

Meminerimus autem nos comedere carnem brachii nostri, cum proximum nostrum ita opprimimus, ut omnes contributiones & exactiones, imo ipsas deprædationes à nobis ad ipsos ablegamus quasi, imo contra ipsos devorandos fauces nostras ringimus. Erit autem, cum caro brachii nostri defecerit, robur nostrum ita debilitabitur, ut evanescamus.

Versus autem vigesimus docebit nos, quam congrue sint explicata hæc, quæ de oppressione fratrum diximus: *Manasse comedit Ephraim, & Ephraim Manasse, & illi conjunctim Jhudah, in hoc nondum cessat furor ejus*, nam *adhuc manus ejus est extensa.*

Aben-Ezra זה פירוש הפסוק שהוא למעלה i. e. *Hic versus explicat superiorem seu præcedentem.* Nam quod monet Kimchius Ephraim & Manasse fratres erant, & tamen bellis se infestabant. Ex Ephraim creabatur Rex Israël, Manasse graviter id ferens zelabatur, Jhudah florens, præ Israël frequentabatur, hoc invidens & Ephraim & Manasse, omnia media nocendi Jhuda acceptabant, &c. Et sic videmus, quomodo obscurata sit terra in furore Domini Dei exercituum, dum tenebras terræ immittens, non permisit acute videre, quæ gerebantur.

Supra egi de tacita objectione, quam ingerebant de malo magistratu Israëlitæ. Hactenus prima satis est discussa, jam ad alteram, qui ita à Deo Israëlis solvitur. *Esto* Israëlitæ, *sint judices & scribæ vestri tanti nebulones, ut etiam contra legem meam decernere & leges promulgare non erubescunt; Tamen vos estis inexcusabiles, nam vos novisse oportet, quod ego generalissimus omnium feudorum audiam Dominus ex quo principio mihi magis erat parendum, quam impio magistratui. Et hinc vos Judæi, qui vos ab Achas seduci prætendere possetis, cavete ne tali objectione vos mihi exosos reddatis.*

Exercitium jurisdictionis ejusmodi proponit in versu 1, 2, & 3. capitis decimi *Væ decernentibus decreta iniqua, & Scribis, qui* causam *doloris* laboris *scribunt.*

Ut flectant tribunal pauperum, & pervertant judicium pauperum populi mei, & fiant viduæ spolium eorum, & pupillos deprædentur.

Describuntur in duobus his versibus mali judices & legislatores à suis affectionibus jam jam enucleandis. Præfigitur autem iis particula הוי quam in versione explicavi per *Væ*, revera autem seu in rei veritate non est hic particula הוי idem quod אוי Væ, sed simpliciter execrandi, Germanis, Pfuy die Richter an/ solten die Macht haben/ daß sie euch wider mein Wort etwas solten auffbürden.

Judæi vim argumenti hujus non senserunt, quamvis in phrasibus explicandis non adeo sint absurdi; Aben-Ezra הוי vocat לשון קריאה, in quo in genere mecum facere Judæum certum est.

חוקקים Kimchius vocat דיינים, id est, Judices, quos cum Aben-Ezra opponit /מכתבי, & distinguit eos ut Judices, & judicum scribas. Ego autem מכתבים habeo pro interpretibus juris, & pro iis, qui ex חק seu lege jura dicunt. Sic apud nos hodie חוקקים sunt ii, penes quos est summa rerum, & ita potestas decernendi, & leges promulgandi, unde non tantum hac voce notantur Reges & Principes, sed & status Regnorum & Imperiorum: Item Landstände.

מכתבים autem sunt dicti vulgo Juristæ, Judices vulgares seu subjudices, qui à Superiori habent jurisdictionem concessam. Item Academici, qui in causis gravioribus ab exteris consulti, ut Judices vel quasi decernunt. In hoc loco autem חוקקים erant Rex & ejus prædecessores cum consiliariis regentibus. מכתבים Seniores tribuum Levitæ Sacerdotes, qui ex Scripto Jure populum docebant, imo ex Mose male explicato probabant, fœdera talia, quæ Reges sui inivissent & licita & approbanda esse.

Decreta vocantur חקקי און *statuta iniqua*, quia cum Mose non concordabant, hæc vocantur à Judæis quibusdam שטרו און item שטרות מזויפין *literæ falsæ & falsatæ*. Ego autem inverto, & dico עמל *esse* שטרות מזויפין עמל enim proprie significat laborem, hic autem causam laboris & molestiæ. Nota enim est regula Ebraica: Quod sæpe nomina seu res ipsa ponantur pro causa rei. Qui ergo detorquet legem, & alienum ei sensum affingit, næ is כתב עמל *laborem scribit.* Ellypsis אשר hic est facilis.

Decernebant autem Reges, & ii penes quos summa rerum erant nova decreta, cum videbant, Legem Moisis tam claram esse, ut detorsiones vix pati posset. Hinc forsan distinctio ea quæ adhuc cum magno malo Ecclesiæ & Reipublicæ hodie in ore semidoctorum est. *Hoc verum est juxta jus divinum, at jure Cæsareo aliter est decernendum*, quasi jus Cæsareum, provinciale & quo nomine etiam veniat, extra circumstantias loci & populi, & nationis, à jure divino discedens, à jure & non potius ab extrema in justitia denominationem habere mereatur. Et hæc ipsa decreta nova non sine corruptione & depravatione proposita sunt populo. Cur autem, sequens docet versus:

Ut flectant torqueant tribunal pauperum, & ut vellicent propositionem miserorum populi mei, &c. Aben Ezra cum plerisque Commentatoribus explicat hæc verba de falsis decretis & judiciis contra viduas & pupillos, qui ne verbo quidem contra hiscere audent, at quo minus ego in eam discedam sententiam, est contextus, & vox ipsa מדין, quæ viduis & pupillis convenire non potest.

Nam מדין est nomen auctum per Mem & non cum præfixo Mem, & significat tribunal. Dicuntur autem מחוקקים & מכתבים flectere seu הטוה tribunal, quando non ferunt, etiam eos, quorum est suo modo de re judicare, & liberam sententiam profiteri.

Nam דלים & עניי עם hoc in loco non sunt & vocantur, quia exhausti sunt bonis corporalibus; Ditissimos enim hoc nomine venire in S. S. videas, sed quia respectu superiorum autoritate destituebantur seu potius spoliabantur ea, quam de jure possidebant. Et ita sic dicuntur, non quod reipsa fuerint, sed quod à superioribus id esse sunt coacti. Hinc ego vigore textus & contextus (alias enim interpretationes sat commodas in hoc loco excogitari posse non nego) incisum subsequens ita verto:

Ut vellicent propositionem miserorum populi mei. Vellicare hic idem est, quod *carpere*, *invertere*, **durchhechlen / verhönen / striguliren.** Propositio est sententia, seu judicium de re proposita latum, miseri populi, ut supra dixi, sunt homines, quibus est etiam concessum libere sententiam suam proloqui: **Wann Klein Städtische Abgesandten gen Samaria auff des Reichstag kamen / und auß heiliger Einfalt ihr** votum **auß dem Gesetz Moysis gaben / hat man sie außgelachet / und ihre Meynung durchgehechlet.** Non intelligebant scil. hi Politicam, non peregrinati erant in Syria, & pileum novo modo capiti aptare non didicerant. Et hoc erat, quod cum magnates Syr. mores jamdum amplexi erant, tam facile ipsos Aramæos & Syr. advocarint, & fœdus pepigerint cum iis. Ex hoc fluebat illud, quod sequitur in textu *Ut fiant viduæ spolium eorum, & pupillos deprædentur.* Aulici, consiliarii, & optimates in regno quid agendum, jam decreverant, advocantur Legati civitatum, ut tantum audiantur. Nervus rerum gerendarum erat contributio & exactio, civitatibus imponebatur intolerabile onus. Contributionum exactores erant optimates, qui Legatos ex vicis & parvis oppidis non tam ad consultandum, quam ad consilium subscribendum advocaverant. Penes hos commissarios procul omni dubio fuit etiam dispositio, qui cum Rege & optimatibus ita rem disposuerunt, ut cives jam satis enervati detruderentur in militiam. Duplici jure id fiebat, uno subjectionis, quo omnes juvenes cum Rege militare tenebantur, necessitatis altero, qui enim ab injustis scribis erant suis opibus spoliati, sequebantur castra, ut ex rapto cum cæteris vivere possent. Viri in militia pereunt *hinc viduæ hinc pupilli*, qui domos inhabitabant. Duces cum suis in expeditionibus inquartarunt se (sic loqui liceat hodie) apud viduas & pupillos. Amissus erat nuper maritus, & pater, jam diripiuntur, quæ supersunt. Si alia hæc omnia interpretari velint de injuriis privatis, quas viduæ & pupilli derelicti in judiciis experiri solent, faciant cum certo discrimine, ne textui huic, & argumento ipsi fiat injuria.

Posthæc facit Spiritus sanctus digressionem ad pœnam eorum, & insigni interpretatione declarat superiora. *At quid facietis in die visitationis & tumultus, qui à longinquo veniet? Ad quem confugietis, & unde subvenietis gloriæ vestræ?* Unde gloriosos vestros, id est, ubi duces inquartabitis: **Wie von wollet ihr nun ewer Obersten Ubermuth und Pracht ferner erhalten.** Viduas & pupillos jam dudum vestra devoravit petulantia. *Hæc* (sic ait Aben Ezra) *tunc fecistis, at quid cum Deus peccata visitabit, facietis.*

שואה teste R. Salomone est חורבן, accurate ergo loquendo erit *devastatio.* Et *dies devastationis*, sit oportet illud tempus, in quo Deus per suos conscriptos milites Israel devastaturus est. Hic dies enim & hoc tempus vere est יום פקודה dies præfecturæ seu visitationis, quem sibi generalissimus præfectus reservavit, suæque rationi reposcendæ destinavit.

כבור sive gloria, sunt duces & exercitus gloriosus, seu principaliter ii, ob quos exercitus gloriosus prædicabatur.

Modus dicendi hic specialis occurrit, dicitur enim ליום פקדה, & additur לשואה ubi in posteriori repetendum est יום, cujus ל in signum expresse est reiteratum, cujus exempla parallela, & alio modo effecta non possum hic inserere.

Non tantum hic placet monstrare, quod quæstioni huic vel quasi, (nihil aliud est enim, quam expressa negatio) vera subnectatur responsio, quamvis non interrogandi animo, sed demonstrandi, nihil ipsis superesse, loquutus fuerat Dominus. In responsione hac pœna determinatur gloriæ regni Israel, ut omnes habitatores discerent, majorem & sublimiorem esse Deum, qui etiam inferiores Magistratus suæ Censuræ subjiciat, adeoque præ illis timendum, cum inquit:

בלתי כרע תחת אסיר ותחת הרוגים יפולו: Hic versus multas creavit molestias interpretibus. Aben Ezra sic explicat לא ימלט רק שיכרע תחת אסיר ויפל עצמו תחת הרוגים כאילו הוא הרוג כמוהם.

Ex hoc errorem suum hausit Vatablus, sic enim superiora explicanda verba sunt: *Nemo evadet, nisi qui incurvabitur sub vincto, & semetipsum projecerit inter occisos, quasi ipse sicut alii esset occisus.* Et cum his quoad sensum, concordant verba Vatabli. Kimchius sic interpretatur: *Præter id quod illi populus meus non sunt, etiam non audiunt me, quare sub vinctis incurvabuntur.*

Parens Kimchii, filio allegante, sic vertit: Propterea quod non incurvaverunt sese, ideo vincientur & trucidabuntur.

R. Salomo בלתי כרע explicat per *ubi non cubat pecus & pascit*, & intelligit locum & terram peregrinam, in quam sint abducendi Israelitæ; Quæ omnia ex Targum desumpsit.

At quid juvat textum detorquere, ego ita explico. *Præter id*, seu excepto eo, *quod incurvabitur*, id est, gloria eorum *sub vincto*, id est, במקום אסיר, *etiam sub occisis*, id est, ut alii occisi *cadent.* כבור construitur cum כרע, vox יפלו autem, cum iis quorum est כבור? Facilia sunt omnia, modo textus & contextus ipsaque lingua probe examinetur.

Et sic etiam Deo sit laus; absolvi argumentum XI. desumptum à pœnis eorum, qui hominibus innixi sunt, & graviter puniti. Nunc cum bono Deo, accingo me ad argumentum XII. generale & antepenultimum.

CAPUT XV.

De Argumento duodecimo seu antepenultimo.

Argumentum duodecimum depingit nobis Regem Assur, ratione missionis, ratione intentionis mittentis, ratione intentionis missi.

Si Rex Assur sit virga furoris mei, qua ad percutiendum improbos utor, ille ipse potentia seu potestate, qua armavi eum, abutetur, & ad subjuganda omnia regna mundi erit intentus (quod ex expressis ejus verbis, quæ contra Hiskiam evomet, cognosces). *Noli ergo sperare in eo, sed in Deo, qui ipsum ablegabit, & majori pollet authoritate.*

Versus quintus capitis decimi exorditur, & hunc, quem diximus Assur describit à vocante, *Heu Assur virga furoris mei, nam baculus qui est in manu eorum* Assyriorum, *ira mea est.*

Habet

Habet se hic versus ut res & rei ratio, si enim baculus, qui est in manu Assyriorum, sit ira Dei, necessario Assur erit virga furoris Domini.

Vocem הוי habent quidam Judæorum pro לשון קריה, & si ipsis לשון קריה idem quod German. Wolauff / Huy / quod ad excitandum præliatorem, item dormientem adhiberi solet, res est salva.

Facilis est explicatio versus hujus, nec video, quomodo vel ad dextram vel ad sinistram declinare possis, si supra datam versionem amplectaris, nisi forsan מטה habens pro participio conjugat. 3. Activ., dicas in hoc versu contineri & vocationem, & vocationis abusum, cujus forma & ratio in sexto & septimo versu repetatur. At ut dixi, in hoc versu omnia sunt facilia.

Postquam autem vocatio ipsa est descripta, subjungitur terminus *ad quem*, seu quorsum sit emittendus Assur, nempe ad גוי חנף Hinc in versu sexto dicit Spiritus: *Contra populum hypocriticum* simulatorem *ego mittam eum, & super populo, cui irascor, ego mandabo ei, ut strenue depopuletur, & acriter deprædetur, & ut conculcet illum, sicut lutum platearum.*

Hic describitur nobis terminus ad quem, nempe גוי חנף populum simulatorem. Hic populus non tantum erat populus Israel, sed juxta contextum loquendo erat etiam & principaliter JHUDA. Ille quidem, ut plane subjugandus, hic ut opprimendus tantum depingitur *Spoliare spolium, & deprædari prædam*; ego ex idiotismo linguæ verti per *strenue depopulari, & acriter deprædari.* Non obstat autem, quo minus etiam dicatur: Assur spoliare spolium, id est, idem, quod illi antea ab egenis & pupillis extorserant. Sic hodie jubet milites spoliare spolium, quod antehac injuste possessores acquisiverunt, & prophanatione etiam nominis divini suis usibus aptarunt.

Ne moveat autem quendam, quod Deus dicatur jubere deprædationes; nam hic expressa sunt verba, quæ non distinctione subtili detorqueri debent. Deus vere mandat, vere jubet, vere injungit, vere præcipit, ut bellatores populum iræ suæ omnibus bonis & facultatibus exuant. Si ergo pace cupiant frui Germani, ad hunc Deum se convertant, certo certius quod petunt, habebunt. Qui inquartatos milites domo sua exire vult, ducem & capitaneum solet adire, non ipsos milites.

Nota Masorethica in hoc versu vult in voce ולשימו pro י substituere ו ex Grammatica, & recte.

Hucusque vocatio Dei, jam sequitur vocationis abusus versu 7. nobis descriptus: *At ipse non ita cogitabit, & cor ejus non ita reputabit, nam ad perdendum intentus erit, & ad exscindendum gentes non in paucitate.*

Vocem בלבבו explicavi per *intentus erit*, sic usurpatur 1. Sam. 2. כאשר בלבבי Wie ichs gerne haben wil / als ichs meyne.

Hic versus docet nos, in quonam deviaverit Rex Assur à vocatione divina, in eo videlicet, quod suum privatum commodum quærens, super omnes Reges se extulerit, & ita fastu suo ipsum Deum irritaverit. Et sane in quonam circulos suæ vocationis transilierit Rex fastuosus, sequentes narrant versus.

Nam cogitat dicit: *Nonne duces mei omnes, Reges sunt*, quasi diceret; Mei duces omnes regia pollent authoritate. Nam quos devici Reges, mea jam castra sequi, & legionibus præesse coguntur. Aben Ezra שהיו בתחלה שרים הנם מלכים על גוים:

Quod ipsum Aben Ezræ effatum nobis non contradicit, subordinata enim est explicatio. Quando enim Rex Assur, regna & regiones occupaverat, necesse habuit ex ducibus præsidentes, & Legatos residentes devictis præficere, qui regia authoritate in devotione conservabant subditos. Hinc omnia prospere succedebant, ut non sine causa dixerit Rex in versu 9.

Annon sicut Carchmisch ita Calno? vere sicut Arphad ita Hamat, certissime sicuti Damascus, ita Samaria.

Calno & Carchmisch nomen habent à fundatoribus. Kimchius dicit: אלה על נהר פרת ממלכות ארם וכבשם מלך אשור: id est, *Hæ sunt urbes juxta fluvium Prat, & pertinent ad Regnum Aram, Rex Assur autem subjugavit eas.* Addit quomodo in Amos Calno *Calneh* vocatur. Rabbi Salomo habet has urbes pro Aramicis; parum ego sollicitus de his urbibus, & quo nomine alias veniant, sufficiat mihi nosse, esse urbes ab Assur subjugatas, à quarum subjugatione fastuose argumentatur ad aliarum speratam deditionem, sicut clarius monstrat idem vs. 10. *Sicuti invenit manus mea regna idoli, & sculptilia eorum plura erant, quam sunt in Jerusalem & in Samaria.* Et sculptilia eorum, id est, *quamvis sculptilia eorum.*

Regna idoli vocat omnia regna subjugata, quibus non אל sed אליל attribuit; Et quidem facit hoc בלשון גנאי *vituperii causa*, nam omnium devictorum Regum Deos habet pro אליל nihilo, & in eo putat omnes convenire, quod sint אליל, quia nemo ut infra dicit, suos cultores è manibus Assyriacis liberare potuit. Es sind alle Lumpen Götter gegen meinen Gott. מ in מירושלם verti *præ seu plura quam*, confirmat hoc præter contextum, etiam David Kimchi, qui sic explicat: שהיו חזקים מירושלם ומשומרון id est, *quæ fuerunt fortiora, quam in Jerusalem & Samaria.* Sic autem infert Assur: Ego devici tot regna, in iis inveni multos Deos, verum omnes fuerunt אליל respectu mei, quem colo ego. Si ergo tot Dii, qui numero superant Deos Samariæ & Jerusalem, non potuerunt liberare suos, quomodo quæso pauci illi Dii, qui in Samaria & Jerusalem sunt, mihi resistent. Ac quod de Samaria jam dico, re expertus sum, quare quid Jerusalem sibi promittere possit, jam accipiat:

Certe sicuti feci Samariæ, & Diis inutilibus ipsorum; sic faciam Jerusalem, & ipsorum Diis dolorosis.

Aben Ezra hic monet sermonem esse de Sanchribh, quod ipsum facile ex contextu probamus. Nam Assur in hac Oratione sumitur aliquando pro Tiglatpilneser, Salmanasser, item pro Sanchribh, prædicata autem hæc subjecta facile distinguunt. Hic autem talis Rex introducitur, qui victa Samaria Jerusalem occupare studeat.

Deos Samariæ vocat אלילים, quia jam comprobarant se non posse suos cultores tueri. Deos autem Jerusalem vocat עצבים, quia prædicit Assur, reipsa Hierusalem liberari non posse, quamvis deditio prorogetur, nihil magis præstare eos Deos, quam quod obsessis inferant dolorem, reipsa autem tandem deficere necessum habeant.

Notandum autem est, cogitationes has seu verba Regis juxta veritatem historicam intelligenda esse. Hunc supra præcessit יאמר *dicet* seu *cogitabit*, & præsertim actus determinatur ad Hierosolomitanam obsidionem.

Verum quid Deus responderit, & in quonam exorbitaverit, fusius versus sequentes monstrant.

At erit, cum perfecerit Dominus totum opus suum, in monte Zion & in Jerusalem, visitabo ego fructum magnitudinis cordis Regis Assur, & coronam *ornatum sublimitat oculorum ejus.*

Hic involvitur 1. Necessitas, ob quam Deus Assur contra vocationem agentem conservaverit, nempe, opus erat, ut ipse Dominus poculum suæ iræ prius propinaret Jerusalem. Ex quo elucet singularis longanimitas veri Dei, qui aliquando homines malos non tantum non punit, sed & confortat, ut modo ipse populum iræ suæ digne prius castigare possit.

Phrasis *cum perfecerit Dominus*, eadem est ac si dixisset כי אבצע אני *quando ego perfecero.*

Dei opus erat, quando Assur affligebat Judæos, at Assur opus erat, quando fastuose oculos suos attollebat, & sibi omnia ista adscribebat, ut infra audiemus.

Hinc bene distinguitur id, quod in Assur puniri debebat, nempe *fructus magnitudinis cordis ejus.* Nam ut Kimchius loquitur מחשבתו הרעה עשה פירות. Fructus iste, quem faciebat cor ejus elatum, consistebat ut R. Salomo loquitur כהתהלל בכחו *in fastuosa jactatione & gloriatione roboris & potentiæ suæ.*

תפארת proprie significat *Ornatum*, Ornatus autem *sublimitatis oculorum ejus* ut putat Kimchius, est hoc, quod היה מתפאר בה לפני אדם *jactaverit se coram hominibus* R. Salomo vocat גסות רוח in sensu sat commodo.

At mihi videtur esse רום עיניו Ein weites und hohes Absehen / nach grossen und hohen dingen; Hinc תפאר/רום עיניו mihi est, Das pralen und großsprechen / von den künfftigen grossen Thaten / so er verrichten wil. Verum in quo consistat hic fructus & corona sequens versus declarat. *Nam dicit* Assur: *Robore manus meæ feci, imo sapientia mea, nam prudens sum, quare terminos* immutabo, *removebo, & facultates ipsorum diripiam, & ceu fortis deturbabo sedentes.*

In hoc versu occurrunt phrases & vocabula primo intuitu visa obscura, liceat ergo eis aliquantulum immorari.

Primo occurrit אסיר גבולות עמים *Ego removebo terminos gentium* seu populorum. Sensum puto hujus esse; *Postquam ego mea potentia effeci, ut regna gentium mihi cesserint, faciam etiam mea prudentia, ut imposterum nemo devictorum regum, seu potius incolarum dicere* possit: Hucusque se extendit terminus regni mei, hucusque tui, &c. *Nam ego absolutus Dominus, absolutam denominationem regnorum devictorum ab Assur imperabo.*

Aben

Aben-Ezra putat, quod hoc עתיר seu Futurum in sensu æquipolleat זמן עומד tempori præsenti, At mea quidem sententia præter omnem necessitatem, nam bellis præpeditus Assur, nondum juxta prudentiam suam disposuerat omnia.

Explicationem autem, quam ego supra tradidi, confirmat Kimchius, qui prolixa paraphrasi hæc exponit, inter alia sic dicit: לפי שכבש כל הארצות כאלו הסיר כל הגבולות, idem dicit, quod ego, nisi forsan nimis inclinet ad significationem Præteriti.

Secundo occurrit vox עתידותיהם, quæ vox à Masorethis, vel potius ab iis, qui Masoram non intellexerunt, mire est exagitata. In Bibliis Venetianis impressis Anno ש״ע memoriali השיכנו incluso, juxta computationem Judaicam in margine lego ועדותיהם. In Francofurtanis lego in margine עתיהם. In Vatabli Bibliis in margine lego ועתודותיהם. Et ita cum sic variet Masora, tutissimum erit, illud retinere, quod exhibet textus, & cum Luthero עתידותיהם vertere, Ihr Einkommen / vel, Ihre Schätze so sie gesamblet haben zum Vorrath.

Kimchius succurrere videtur aliqualiter Masoræ, & dicit, כתוב בי״ד וקרי בו״ו *scribitur per jod & legitur per vau*; sed quicquid sit, sive scribatur per י vel ו eadem manet explicatio. Ego autem quid mihi de hac voce videtur, in exegesi vocis sequentis שושתי declarabo.

Occurrit tertio vox שושתי, quæ cum in hoc loco tantum videatur occurrere diligenti indiget scrutinio. Kimchius dicit, hanc vocem esse ex conjugatione quadrata, & descendere à שסה diripuit. Item prius ש esse Schin, posterius Samech. Sensus talis exurgeret: *Ego thesauros ipsorum diripiam.*

Si autem hic liceret corrigere Masoram in Venetianis Bibliis, ego dicerem in ea esse mendum typographicum, (*protestor autem de novitatis suspicione*) & transpositionem literarum commissam esse errore Scribæ, pro ח enim ponendum ד, & è contra, ita ut in Masora pro ערותיהם legam עתודיהם id est, *arietes ipsorum*, i.e. Reges seu Dominos.

Deinde reassumerem שושתי, & utrumque *Schin* esse assererem, radicales esse dicerem ששא, vel per alternationem huic linguæ non inusitatam ששה. Hinc formarem in conjug. 2. שִׁשֵּׁא quod occurrit Ezech. 39: 2. & significat, *persuasit, decepit*, Einen herumb führen / Einen schütteln daß er nicht weiß / wo er recht ist. Deinde notum est, Dagesch forte in conjug. 2. aliquando per ו compensari, & dicerem שׁוֹשֵׁא, insuper quod supra dictum, non infrequens est, א 3 radicalem ut ה in fine abjici, ita ut formam cum verbis *Lamed He*, ut ante decennium solebant ex Rabbinis loqui Grammatici, commutet. De expresso exemplo hujus permutationis ex Ezech. 45. non agam, ne videar, quod exercitii gratia hic dico aliis præferre velle. Sensus autem talis ex ea explicatione flueret.

Nam hircos ipsorum scil. עמים *ego seducam*, Ich wil ihre Böcke oder ihre Könige / so mir schon in meiner devotion sind / mit sincerationen, und andern listigen Rencken dermassen bey dem Hörnern herumb führen / herumb drehen und tummeln / daß sie nicht wissen sollen / wie mit ihnen gespielet werde.

Hoc sane erat prudentiæ, quod Reges sub specie confœderationis & fraternitatis primum sibi devinciret, devinctos autem ceu devictos deturbaret, hinc sequitur ואוריד כאביר יושבים *verum deturbabo ceu fortis sedentes*; q.d. Qui sedebant in soliis suis, mea astutia circumveni; circumventos fortitudine mea ex soliis suis dejiciam.

Vox כאביר iterum à Masorethis correcta est, substituerunt enim illi כביר א omisso. Puto autem fieri id præter omnem necessitatem. Hoc forsan movit quod non כַּבִּיר sed כְּאַבִּיר scriptum invenerint. At quid inde? eadem est lectio; (quamvis fateor Scribam in omittendo Schevah errasse) Nam כְּאַבִּיר non lego *ceabhir*, sed *cabbhir*, ita ut A post c aliquantulum prolongetur, nam schevah sub כ legitur non ut E, nec ut proprie ut A, sed habet tantum tendentiam ad a, quam in scriptione Latina exprimere non possum. Non dicam vestigium hic comparere linguæ Syriacæ, in qua א nunquam ante se schevah fert, sed ut abjiciatur præcedens, solet suam vocalem ad præcedentem rejicere. Alii enim putarent, me digitum intendere in Regem Assyriace loquentem, de cujus dialecto simus incertissimi.

Mecum facit in compositione hujus vocis, Rabbi Moses sacerdos, qui allegante Aben-Ezra explicat per כגבור id est, ceu heros. Sic etiam Lutherus noster, Wie ein Mächtiger.

Kimchius sat dubius est, dicit autem inter alia, vocem hanc compositam esse ex כביר & אביר, & factum hoc esse ad augendam significationem, forsan ita est hæc vox composita, sicut Kimchius ex קמח & קמחי est magnus & insignis molitor.

יושבים sunt Reges in soliis sedentes. *Stulti illi*, vult dicere Assur, *sedebant in suis soliis, & dominabantur potenter, mea calliditate autem moveri se sunt passi, quare nihil superest, nisi, ut ab eo, à quo ceu callido & versuto mendace sunt seducti, ceu à potente heroe deturbentur omnes.* Hoc tibi cape ô Achas; *Si enim sub simulata fraterna conjunctione lateat crudelis animus omnia evertendi, caveto tibi* Rex Jhudah *ab Assur.*

In vs. 14. magis magisque intentio impii, & cor superbum depingitur, ne Achas haberet, quo excusatet ignorantem. *Et invenit ceu nidum manus mea* robur *facultatem populorum*; *Et sicuti auferuntur ova derelicta, sic totam terram* mihi *collegi, nec fuit qui moveret alam, nec qui aperiret os aut hisceret.*

Kimchius dicit הקן מופקר ונעזב לכלעובר *Ad Nidum cuivis liber patet aditus.* Et hac ratione involveretur facilitas occupandi. Puto autem ego, simul involvi inexpectatum successum. Sicut enim incidere solemus in nidum, quem non quæsivimus; sic etiam Assur ea regna subjugabat, quæ nunquam putarat occupanda esse.

Tentavit enim multa calliditas Regis, quæ fortitudo ejus numquam experiri ausa fuisset. Hinc dicitur in posteriori inciso: *Et sicuti colliguntur ova derelicta, sic ego totam terram collegi.* Consequens hoc erat, & ipsam Regum turbationem excipere debebat. Stultissimi enim Reges fidei Assyriacæ suos commendabant, & quasi aves suos pullos, imo sua ova derelinquebant.

Faciunt idem omnes duces & principes, qui quid sint obliti, alienæ fidei suos subditos subdunt, & nihil minus, quam principes esse se, hoc ipso demonstrant. Hos rideat Assur, dignos sane, quibus caput aperiatur, imo calcaneus magis erigatur.

At sæpe fit, quia Deus cor principibus ademit, & superiora crimina eo modo ulcisci constituit. Sic etiam Assur prospere agere fecit, quem autem, cum ipse hæc sibi & non superiori, vehementissimo sarcasmo irridet vs. 15. *Num gloriari* decet *securim contra* vel supra *eum, qui secat cum ea*; *Num jactabit se serra, contra* seu supra *ipsum, qui levat* seu trahit *eam. Quasi elevaret virga eos, qui ipsam extollunt. Cum baculus elevatur nihil* est seu proficit *lignum.*

Respondet in hoc versu Deus Regi Assur Sarcasmo tali stulto digno, & gravi reprehensione superbiam & vesaniam Regis Assur castigat.

Cogor autem ante verum sensum hic iterum vindicare versionem לא עץ, cum constet hanc phrasin ab interpretibus mire esse contortam. Rab. Salomo dicit לא העץ הוא המרים אלא האדם הוא המתים כהרים מטה id est, *Non lignum, sed homo extollit.* Aben-Ezra ההרמה למרימים לא לעץ. *Cum elevatur baculus, elevatio non est adscribenda ligno, sed elevanti.* In sensu tolerandi sunt hi Magistri. Ego autem puto, liberum esse hic profiteri, quæ de hoc loco sentiam.

Ita autem explicavi: כהרים i.e. *cum elevatur* מטה i.e. *baculus* לא *nihil est* עץ *lignum.* In ratione elevationis parum consideratur, sive baculus sit lignum sive aliud quid, sed multo magis ipse qui elevat.

Sic in Rege Assur non consideratur, quod sit Rex Assur, quod sit sapiens, quod sit potens, quamvis Deus ea sapientia, ea potentia, eo Rege Assur, sicut qui elevat virgam, ligno utitur, sed qui misit potentem, prudentem & callidum Regem Assur. Egregius autem hic est sarcasmus, qui impossibile & absurdum, quasi usitatum & frequentissimum exhibet. Et convenit cum eo, quo hodie dux suum militem desidem & stultum posset exagitare: Recht Soldat / wenn deine Hellbart empor gehoben wird / so kanstu sagen / Sie hat dich in die Höhe geführet / denn sie ist scharff / lang / und hat nicht allein Holtz / sondern auch Eysen.

Sarcasmum hunc excipit Mysterismus, quem sequens versus decimus sextus describit: *Quare immitteret Dominus, Dominus* inquam Deus *Zabaoth pinguedinibus ejus maciem, & vice gloriæ ardendo ardebit, sicut ignis ardet* item hi subsequentes.

Vs. 7. *Nam Lux Israël fiet ignis, & sanctus ejus flamma, & comburet & depascet veprem & spinam ejus in die uno.*

Vs. 18. *Et gloriam sylvæ ejus, & carmeli ejus totaliter absumet, & erit sicuti quando fugit vexillifer.*

Vs. 19. *Reliquæ autem arbores sylvæ ejus paucissimæ erunt, ita ut puer etiam eas numerare posset.*

Quid Spiritus S. in his versibus velit, facile cognoscit Lector, ego pauca explicabo, quæ interpretatione ulteriori indigere videbuntur.

Pinguedines Assur Aben-Ezra vocat גדולי אשור magnates Assur. Verum est hoc, at ita ut robur & potentia ejus non excludantur.

רצון seu maciem vocat Kimchius המות *mortem*, & allegat *Pſ.* 106. *immiſit maciem animæ ipſorum*, id eſt, *mortem.*

Phraſin תחת כבדו ego verti per *vice gloriæ*; R. Salomo vertit: *ſub veſtibus*, dicit enim תחת בגדיהן יהיו נשרפין הבגדים הם מכבדים את הארם: id eſt, *ſub veſtibus combuſti erint Aſſyrii. Veſtes ornant hominem.* Si hæc vera eſſent, inſignis inde amor Dei eluceret, quod in uſum & ſpolium Judæorum veſtibus illæ ſis percuſſit.

Verum quicquid ſit ego verti *vice gloriæ*, quod textui maxime correſpondet. Nam antea magnificus ille & ſplendidus exercitus coruſcabat auro & argento, animi accenſi erant, ipſos cœlos transvolandos. Ad hos igneos ergo animos, ad has pompas illuſtres, ad velocem & quaſi volantem exercitum alludit Spiritus ſanctus, cum gloriam illam igne prædicit conſumendam. Gloria exercitus conſiſtebat in magnis ducibus, & fortibus præliatoribus. Horum voces erant *Venire, videre, vincere.* Jam invertuntur omnia, *Ignis venit, urit, conſumit, & perdit cito citius in una nocte.*

Gloria hæc in vſ. 17. opponitur LUCI ISRAEL. Lux Iſrael autem proprie loquendo eſt ipſe MESSIAS, cujus gratia populus Iſrael & magnificandus & illuminandus erat. Hæc lux lucet ſuis, reliquis autem mutatur in ignem & non tam lucet quam comburit. Omnia enim, quæ hujus lucis non ſunt, vepris & ſpina ſunt, quod ſuo deteſtabili exemplo ſatis ſuperque Aſſyrii comprobarunt. Hi ſucco fidei veræ deſtituebantur, & fervor faſtus jam prope omnia membra exſiccarat, Judæi undiquaque hæc non intellexerunt, alter enim אור ישרא, vocat angelum, qui ad percutiendum Aſſur erat emiſſus, alter autem dicit *lucem Iſrael* eſſe *legem, in qua ſedulo Hiskias meditatus eſt.*

Kimchius autem optime contextum expendens hanc lucem eam eſſe dicit, quæ ſupra exhibebatur, *ut illis qui in tenebris ſedent, exoriens,*

Cum autem additur: *Et ſanctus ejus in flammam*, non tantum כפל ענין במל, שונות, ſed etiam prius inſigniter exaggeratur.

Et TREMENDUM ſane eſt, quod LUX ISRAEL evadere poſſit in IGNEM, & SANCTUS EJUS, id eſt, Iſraelis in flammam. Et optandum, ut illi, qui ex cap. 6. Eſaiæ Τελοσάγιον illud venerandum ſæpe allegant, etiam ex fundamento ipſo, *quidnam ſit SANCTUS* explicarent.

Verſu 18. mentio fit *gloriæ ſylvæ & Carmeli ejus.* Hanc phraſin Aben Ezra ita explicat: משל שהיו רבים כאילני היער והכרמל id eſt, *Per metaphoram hæc dicuntur, quia Aſſyrii erant in tanta multitudine, quanta ſylvæ & Carmel eſſe ſolent.* At quicquid ſit, ego dico ſylva ſignificat totum exercitum, ſicut in eadem metaphora ſignificare etiam poteſt civitatem, arbores ergo ſunt homines in exercitu & civitate degentes, quorum quidam cedri, quidam abietis, quidam ſpinæ nomine venire merentur. Quod autem addatur *Carmel*, fit ut intendatur ſignificatio, & glorioſiſſimus ille exercitus probe depingatur. Nam, exempli gratia, Sodoma erat ſylva at non Carmel, Jeruſalem autem tempore Davidis magis erat Carmel quam ſylva. Nam teſte Scriptura & David Kimchio כרמל הוא מקום חעבוד שבו שרות וכרמים Quæ Rabbi Salomo ad Aſſur applicans vocat רבוי חיילותיו. Ibi enim licebat ſpectare generoſos Duces, ſcintillantes galeas, vibrantes verſicolores criſtas, diſtantes vario opere chlamydes, & pretioſis intenta velis Principum tabernacula.

Sylva & Carmel ut quantum & quale recte diſtinguuntur. מנפש עד בשר ſignificat *ab anima ad corpus.* Non opus eſt cum Kimchio diſtinguere hic inter combuſtionem animæ & corporis. Melius enim hac in parte noſtra curamus, quando cum Aben Ezra dicimus: שהכחידם כדמו שרפה *quia interitus ipſorum ad ſimilitudinem combuſtionis eſt impletus.*

Dicerem quidem, modum eſſe dicendi, qua adverbium *totaliter* exprimitur. At cum videam me deſtitui, requiſitis Scripturæ locis ſimilibus, malo literaliter totam phraſin explicare, & de interitu animæ & corporis interpretari. Anima enim jamdum erat in faucibus Sathanæ, ſupererat corpus, quod in clade illa Angelica eidem devovebatur. Interiora autem & exteriora corporis, ſimpliciter Spiritum ſanctum opponere voluiſſe, vix ac nevix quidem eſt veriſimile.

Cum dicitur והיה כמסוס נוסס, idem eſt, ac ſi diceretur Germanice; Wenn der Fänrich der Fahne (welcher die Soldaten geſchworen) davon läufft / folgen die Knechte balde nach. Cum viderint פגרי המתים ſeu אתם continuo ſe conjicient in pedes, & in confuſione aufugient. Hæc omnia ſolide explicat Kimchius: והיה מחנהו כמו מחנה שימס נוסאחנם id eſt, *Caſtra Aſſyriaca ſimilia erunt iis, in quibus vexillifer liquefactus* quaſi *aufugit.*

Elegans hic occurrit alluſio ad interitum, qui factus eſt per ignem, voce ימס. Vexillifer eſt talis perſona, in quem omnes oculos intendunt; Tanta multitudo Aſſyriorum proſtrata digna erat, ad quam oculi levarentur, & ad cujus liquefactionem reliqui fugerent. Et quidni *reliqui ſeu ſuperſtites numerus erant*, id eſt, ſubjecti numero, imo tali, quem & puer concipere ſeu ex tempore è prætereuntibus colligere poſſet.

Si quis hic delectetur Rabbinica veritate, dicat decem tantum remanſiſſe ex exercitu Aſſyriaco, quia puer communiter ad denarium numerum tantum pervenire ſolet. Colliget & idem ex eo, quod י poſt non eſt tam magnum, quam ante ה, neceſſario ergo 10. tantum remanſiſſe dicendum eſt. Sed credat, qui volet. Ego propero ad penultimum argumentum.

CAPUT XVI.

De Argumento decimotertio ſeu penultimo Argumento.

ARgumentum decimum tertium deſumptum eſt ab iis, qui ex damno & malis ſpem in hominibus radicatam inſequentibus, meliorem mentem aſſumpſerunt. Et in genere reſpicit ipſos Judæos & Iſraelitas, qui ex perfidia Aſſyriaca diſcent, *non eſſe ſperandum in hominibus, ſed multo magis in Deo vero.*

Vis argumenti generalis in hoc conſiſtit. *Si poſt cladem Aſſyriacam, etiam Iſraelitæ ex parte ſint ſperaturi in Deo. Tu Achas prudentius agito & ante cladem ſpera in Deo* patrum tuorum.

Humana autem ratio ſic objicere potuiſſet. *Decretum de advocando Rege Aſſur jam non eſt factum, irritum ergo fieri nequit.* Et quid præterea: *Etiamſi enim ne nos quidem advocaſſemus Aſſur; tamen compertum eſt, illum meditari bellum in Iſraelitas & Syros, & conſequenter in nos ipſos. Pangendum ergo erit cum eo fœdus, ut adveniens, non hoſtiliter ſed amice nos tractet.* Quare Dominus reſpondet, & ex conceſſis principiis (Regem Aſſur venturum non vocatum, non erat, quod concedendum) ſolandi animo eos aggreditur, ſi quo modo fieri poſſet, ut pertinax Aſſur mentem mutaret, & de vera fide in Meſſiam disquireret.

Vſ. 20. qui primus eſt in hoc argumento, exemplum futurum depingit: *Et erit in die iſto, reſiduum Iſraelis & evadens ex domo Jacob, non perget inniti ſuo percuſſori* ſeu percutienti ſe, *ſed innitetur Jhovæ ſancto Iſraelis in veritate.*

R. D. K. hanc paraphraſin ſubnectit. *Cum Achas innitetetur Regi Aſſur, & hic percuteret eum tributis, quo ſane valde eum oppreſſit. Aut percuteret eum bello, (nam poſtea bello oppugnavit eum) hinc cognoſcatur, quod non ſit innitendum homini, quia neceſſe eſt, ut ipſi ſerviatur, & ipſe imponit tributum. Cum autem non continuo pendit, vel alias apud dominum potentiorem male audit, pugnat cum eo & plagas ei infert, verum juſtum eſt ſperare in Domino Deo exercituum, nam ille præter* INNITI *ab homine nihil expetit, quare cum Hiskias inniteretur Deo huic, Deus* percuſſit Aſſur, *& exploratum eſt* Deum *eſſe ſanctum in Iſrael.*

Dignus ſane eſt hic diſcurſus, qui adſcriberetur, quamvis deficiat in eo, quod mentionem Iſraelitarum negligat, & Achas abſolute & indeterminate pro exemplo alleget. Hoc ſane verum eſt, quod Achas non ſit excludendus, inter alia enim ſic inferre vult. S. S. Ja wenn du Achas möchteſt nach der Aſſyriſchen Niederlage / ſo ich dir ietzt beſchrieben / ſelbſten noch leben / ſo würdeſtu anders Sinnes ſeyn. Jetzt wollet ihrs nicht gläuben / daß die Könige von Aſſyrien ſolcher haare ſeyn; Ita tamen ut Oratio non ab Achas ſimpliciter ſemoveatur, & transferatur ad alium.

Eſt cœtus domus Jhudah, ille enim reſpectu decem tribuum, *fidem Iſraelis*, diutius conſervavit. Et vox *Iſrael* ſæpe ſumitur in Prophetis pro Jhudah, ubi interpretes de Iſrael quatenus Jhudah opponitur, explicarunt.

Evaſio domus Jacob idem eſt quod, *Evadens ex iis qui ſunt ex domo Jacob*, & notat Iſraelitas, qui non tam reliquiæ Iſraelis, quando filii externæ domus & familiæ Jacobi dici merebantur. In tali enim oppoſitione *Jacob* ſignificat carnalem patrem, *Iſrael* ſpiritualem, unde Paulus dicit, non omnes eſſe Iſraelitas, qui ex Iſrael ſunt. Evadentes ergo non tantum dicuntur ideo, quia ab Aſſur non ſunt captivati, & occiſi; ſed &, quia ſeſe à reliquis incredulis ſepararunt, ad montem Sion ſe contulerunt, ut tuti eſſent ab hoſte. Unde poſtea à Nebucadnezare cum reliquis Judæis in Babiloniam ſunt translati, & cum iis in terram ſanctam redierunt. Et hæc eſt cauſa, quod in N. T. quorundam ex tribu Naphtali &c. mentio injiciatur המכה eſt teſte

Aben

Aben Ezra אשור Rex Assur R. S. percutientem vocat מלכי מצרים. At hic respiciendus est Dux & Dominus.

Vs. 22. explicat vs. 21. cum dicit: שאר ישוב שאר יעקב אל אל גבור. *Pauci convertentur imo pauci ex Jacob ad Deum fortem.*

Schear Jaschub R. S. vocat *reliquias eas, quæ ex illis ad Deum redierunt.* Kimchius: *Quia tempore Hiskiæ plurima pars Israelitarum abducta est, propterea dicit* שאר ישוב. q. d. *illud quod remanserit ex Israel convertetur.*

Quicquid autem sit, ego dico שאר ישוב phrasis est, qua alluditur ad nomen filii Esaiæ, de quo supra dictum est, quod fuerit signum *Judæorum ad Deum revertentium*, & notat hic Judæos, quorum שאר id est, *pauci* convertendi sunt ad Dominum. Et sic שאר opponitur שאר יעקב seu Jhuda Israeli. Ratio autem cur non dixerit S. S. שאר יהודה aut שאר ישראל ut supra, est hæc: Quia verbum sequens, videl. ישוב satis indicat, de quo institutus sit sermo, nempe de eo שאר, quod in versu superiori introducebatur.

Vocatur à Jhovah, cui innitetur שאר in hoc loco אל גבור, & est idem, qui supra descriptus est ut ילד ילד. Vocantur autem eo nomine, quia potentissimum Monarcham prostravit.

Quæ jam jam sunt enumerata, accuratius explanabit versus sequens. *Nam quamvis futurus sit populus tuus ô Israel, sicut arena maris: tamen pauci convertentur ex ipso, consumptio enim conciso copiosa fert justitiam.*

A. Ezra talem sensum infert: *Qamvis Israel in tanta copia fuerit in diebus istis, quanta est* arena maris, *tamen non manebit superstes, nisi qui conversus fuerit ad Deum.* R. K. *Etiamsi fuerint multi, sicut arena maris,* vocabitur tamen שאר, *qui convertentur.* כי כשהלך הרבע המעט יקרא שאר id est, *Nam quando abiit seu interempta est plurima pars, residuum vocatur* שאר. Et post pauca. *Hæc dicuntur de* 10. *tribubus, quæ abductæ sunt, cum Jhudah & Benjamin tempore Hiskia ad Deum converterentur, à quo etiam ex Manu Regis Assur sunt liberati.* Hæc Judæi, placet autem jam ex ipso textu verum sensum subnectere. Dico autem 1. Versus hic non est directus ad Hiskiam, sicut putat R. Salomo, sed ad Jacob Patriarcham jamdudum demortuum.

Objici enim potuisset, *si pauci convertendi sunt, pauci itidem remanebunt in terra, plurimi excidendi, plurimi damnandi; Ubi robur & adimpletio promissionis facta patribus, quod semen ipsorum cum arena maris certaturum sit.* Quare convertitur Oratio ad eum, cui hæc promissio est facta & inprimis Gen. 28. & in hunc modum respondetur: *Quod tibi Jacob est promissum reipsa præstabitur. Nam semini tuo hæc promissio facta est, non ergo semini Sodom & Gomorrhæ. Dedi filiis tuis terram hanc, multiplicabuntur etiam ut cum arena maris certare poterint. Ergo esto, sint jam tui filii sicut arena maris, tamen tantum pauci jam servabuntur.* Conferatur cum hoc versu cap. 9. Epistolæ ad Rom. & egregia argumentandi forma prodibit.

Ratio hujus propositionis, quamvis non videatur, suppeditatur in subsequenti inciso, in quo simul ratio involvitur, quare tantum pauci sint servandi, quam ipse lector facile eruet, ego incisum illud ita verto: *Nam consumptio decisa* **Ein solches Verderben/ dem Gott gewiß Maaß und Ziel gesetzet/** *inundans* est, id est, copiose fert secum *justitiam.* Supersedeo jam multorum interpretum explicatione, videatur modo Esai. 66: 12. & vox שוטף erit facilis. Reliquæ autem phrases explicantur in versu subsequenti: *Nam consummationem* eamque certo modo *limitatam faciet Dominus Jhovah Deus exercituum in medio totius terræ.*

Hic dico cum Kimchio כליון חרוץ versus præcedentis, est idem quod כלה ונחרצה hujus versus Fundamentum est regula Grammatica. *Quod duo substantiva vel quasi, sæpe per* ו *copulativum æquipolleant Substantivo & Adjectivo*, exemp. gr. Esa. 1. און ועצרה id est, *iniqua* congregatio &c.

Cogitemus autem, quænam fuerint causæ, quod Deus tam multos ex populo suo exciderit, & partem eorum æternæ damnationi devoverit, partem autem afflictionibus temporalibus ad se reduxerit. Omnia hæc ex diligenti scrutinio duorum horum versuum innotescent. Hic sufficiat vim argumenti specialis annotasse. *Si mala, quæ Judæos & Israelitas vexarunt, veri Dei dispositioni subjaceant, & iste pro sua ineffabili prudentia moderetur omnia, tu Achas spera in eo, qui & tua mala, quæ te jam urgent immutare & auferre valet.* Generale autem argumentum manet, ut supra est formatum.

Jam progredimur ad ipsam anthypophoram: *Quare sic dicit; Dominus Jhovah* Deus exercituum, *nolito timere ô popule mi, qui inhabitas Zion, Assur baculo quidem te percutiet, & virgam contra te elevabit in via Ægypti.*

Hæc percussio juxta A. E. facta est *cogitationibus Assur & non re ipsa*, unde R. Sal. factum hoc esse *ore blasphemo per Rabschake.* Kimch. autem habet *pro vera percussione*, & distinguere videtur *inter percussionem & occisionem* q. d. *non occidet te, sed cædet.* Kimch. non errat, cum constat de principio illo, quod jam alloquatur Deus non tantum Jerusalem; sed & vicinas urbes & vicos. Alias enim si Jerusalem hic alloqueretur Deus, explicanda essent hæc ipsa de coangustatione, quæ vere fuit Jerusalem virga cædens. Sed clara sunt hæc. *Via Ægypti* est modus ille, ad quem olim percussi sunt Israelitæ. Non dicit autem *percutiet te in via Ægypti*, sed *elevabit virgam in via Ægypti*, id est, cogitat de subjugando te, & devovendo æterno jugo.

Cur autem intentio Assyriorum Regis sit præpedita seu disturbanda potius, sequens docet versus 25. *Nam adhuc valde modicum est, quando consumpta erit ira & indignatio mea ob scelera eorum.*

Duplicatur hic significatio כמעט *paucitatis* להמעיט הזמן. Dicitur autem *consummari ira Dei, quando ob peccata juste indignatus est, & quod in ultione intendit, reipsa est executus.* Conferatur Ezech. 5: 13.

Vocem תבליתם *ego verti scelera eorum* scil. Judæorum, R. Sal. dicit esse לשון תבל id est, *significat, ejus induvit* confusionem præter naturalem. Et ita ת habet iste pro prima radicali, & denotarentur gravia scelera eorum, quorum non erat tantis se polluere sordibus. At ego formo à בלה 1. radic. ב & non כ sicut quidam putant. ב autem legunt *Kimchius, Munsterus, R. Sal., Codex Francofurtanus, Vatablus,* item *Buxtorfius* in Bibliis magnis. Et hinc תבלית mihi idem est, quod *veteris hominis fructus* **zerlumpete und zerlappete verdorbene Wercke/** quæ nomina peccatis competunt.

Et cavendum est ne cum quibusdam Judæis referatur vox hæc ad Assyrios, sed multo magis Judæos, unde Lutherus noster: **So wird die Ungnad und mein Zorn uber ihre Untugend ein Ende haben.** Quid hæc excipiat vide versu sequenti.

Ut excitet contra eum Dominus Deus *exercituum flagellum juxta percussionem Midian, in petra Orebh, & baculus ejus super mare, & elevet illum sicut elevabat eum in Ægypto.*

Versus hic facillime intelligitur, cum historia Judic. 7. & interitus Pharaonis recte expenditur. In illa enim cognosces quid sit petra Orebh, quam subito Midianitæ sint prostrati. In hoc, quomodo aquæ redierint, & suffocaverint Pharaonem, postquam Deus manum suam levaret ad mare. Ex his enim locis Judæi recte locum hunc interpretantur. Vox ergo מטהו non ad Assur, sed ad ipsum Deum est referenda. Et sane eventus in omnibus respondit, legatur in S. mors Sanchribh, & accurate omnia quadrare deprehendetur.

Consequens hujus excidii erat liberatio Judæorum, qui in versu 27. describitur, *Et fiet in die illo, ut auferatur onus ejus à collo tuo, & corrumpatur jugum præ pinguedine.*

Pia est sententia eorum, qui שמן de Christo explicant, dixerunt enim hæc ex Targum Jonathanis, qui מפני שמן explicat per קדם משיחא, quamvis vix credam, Jonathanem tantæ fuisse discretionis, ut hæc ad Messiam Dei filium applicaret, & non potius ad Messiam filium Achas.

Clara autem erunt omnia, cum quid sit מפני / שמן digne explicaverimus, Aben-Ezra dicit טעם שי תגבר יהוד *sensus est, quod Ihudah corroborari & augeri debeat*, refert ad ipsum collum. Kimchius post prolixum discursum in hæc verba erumpit: *corrumpitur jugum Sanchribh propter* שם / ישראל. Hic enim cum Rabbi Salomo & aliis, explicant locum de uncto Hiskia, cujus uncti Regis precum gratia Sanchribh sit prostratus. Verum quicquid, ego ut textui satisfaciam, refero שמן seu pinguedinem ad ipsum jugum. Et dico inesse huic voci metaphoram desumptam à rebus, quæ præ pinguedine fœtere & corrumpi solent. Rex Assur potentissimus & felicissimus erat Monarcha, sinistris successibus nondum erat correptus, pinguis ergo erat ille, pingues erant ejus duces. Hæc pinguedo consistebat in potentia, & consequenti fastuosa gloriatione. Obœsi enim homines non solum per se sunt pingues, sed externa forma, continuo flatu oris, & anhelis mussitationibus quales sint, satis docent. Contingere etiam solet, ut subitanea, & inopinata morte mactentur. Applicatio ad Assur facillima est. Quomodo ergo jugum dici possit pingue, supra declaravi, & forsan melius intelligent hæc nostri sympatriotæ, qui bene norunt, quid sint pinguedines Domini bellum gerentis.

In versibus sequentibus describitur nobis via Regis & exercitus Assur versus Jerusalem. Et perpetuis figuris Rhetoricis usque ad vs. 32. oratio continuatur.

Venit contra Ajath, transit Migron in Micmasch lustrabit arma sua. Transierunt vada, certe in Gebah pernoctarunt, territa est Rama, Gibat Saul fugit. Fi-

Filia Gallim hinni voce tua, adverte Laisa, quæ misera es in Anathot. Fugit Madmena, habitatores *vallium collegerunt se.*

Adhuc diem persistet in Nob, & deinde statim *levabit manum suam, contra montem filiæ Zion, collem* inquam *Jerusalem.*

Rhetorica hæc est descriptio itineris Assyriaci versus Jerusalem, & introducitur rumor sparsus, qui sane necesse est ut variet ita in personis. E. gr. Si incursionem latronum quorundam ex Polonia describere vellem, Rhetorice possem dicere: *Jam sunt Stolpæ, transierunt Cimboum, ut Slavæ arma lustrent,* &c.

Effectus autem & consequens describitur in ultimis versibus duobus; *Ecce Dominus Jhovah* Deus *Exercituum deramificat seu præscindit frondes cum truculentia, & sublimes statura exscinduntur, & excelsi* humiliantur. *Et decutit frondes sylvæ ferro, at libanus* per FORTEM *cadet.*

Hi duo versus de Excidio Assur & Israelitarum & Judæorum agunt, prior quidem de Assur, posterior autem de Judæis & Israelitis.

Ego simpliciter textum perpendens sic explico: *Ramus est amputatus cum fortitudine seu truculentia, cum nobilissimi exercitus Assyriaci ab Angelo prosternerentur.* Adhibet autem metaphoram desumptam ab arboribus, quæ frondibus ornari solent. Ut ergo significaret, non tantum *gloriosos illos* nobiles, sed & consequenter *ipsum robur & nervum belli* esse infringendum, subjungit ורמי הקומה גדעים. Et consequens infallibile subnectit והגבהים ישפלו. Sic cadit gloria Assur, exercitus est trucidatus, quid jam Assur? Miserrimus, qui etiam tandem à filiis quos genuerat est interemptus. Ecce Achas, cui innixus es.

Versus autem ultimus clare docet, quid Israelitis ingruat. *Et decutit* inquit, *perplexitates sylvæ.* Quid sit סבכי היער supra est expositum, notat autem hoc in loco idem subjectum, quod cap. 10. nempe Israel q. d. Assur sol zwar seinen Lohn haben / doch sol Israel auch nicht frey außgehen / sondern der HErr wird fortfahren / wie er schon angefangen hat. Dicitur autem excisionem hanc fore בברזל ferro quod proprie ego accipiens, in Israelitis satis superque impletum esse autumo, & metaphorice adhuc hodie in omnibus Judæis consummari certum est. Tandem etiam ipsos Judæos perstringit, & talem pœnam eis prædicit, quæ maxime tolerabilis est, *modo sterent in Deo,* ut ita ipse Deus hoc in ultimo versu parasceven præmiserit ad ultimum, & omnia argumenta superiora reassumens argumentum. *Et Libanus* i. e. *templum Hierosolomitanum,* & omnis cultus Judaicus *cadet,* i. e. abrogabitur, per FORTEM seu Magnificum, i. e. Messiam, Ratio: *Nam exibit surculus ex caudice,* &c. Proximum quidem videtur, explicari posse hunc locum de Rege Babel, qui templum Hierosolymitanum destruxit, At male ea ratione salvaretur contextus, & cohærentia capitis decimi cum undecimo, in quo per totum caput Argumentum ultimum digna sane tanto oratore majestate pertractatur, ad quod brevissimis elucidandum me accingo.

PARS ULTIMA.

CAPUT XVII.

De Argumento Ultimo.

ARgumentum decimum quartum, ultimum & fortissimum est, & desumitur à Christo vero Deo Regi Assur, Aram & Israel opposito, & ita est formandum:

Esto ô Achas, placeant tibi fœdera? at attende, quænam fœdera sint expetenda, talia videl. quæ sunt *fortia, indissolubilia, inita cum tali, qui & sanguinis necessitudine & jamdudum probata integritate & fide, imo vera divinitate, justitia, omniscientia, misericordia universali, & sanctæ concordiæ & pacis conservatione perpetua se commendat. Talia autem tu cum eo, quem tibi per totam concionem seu Orationem hanc inculcavi Messiam, modo ipse velis, pangere potes; Et si hæc feceris non ut jam fit, falleris, nam tanta iste est bonitate, ut & peregrinos, qui non sunt ex cognatione ejus, & ad regni sui consortium vocet, & æternitate & felicitate beet.*

Cohæret autem caput 11. cum 10. quam cohærentiam prolixe demonstrat Kimchius, Ego autem cohærentiam partim in ipso generali argumento delineavi. Pauca hæc addo: *Dicebatur in superioris capitis fine frondes esse præscindendas ex Assur, sublimes statura succindendas. Iterum Libanum esse exscindendam, ut cecidisse dicatur per Fortem. Demonstrandum ergo erat, quinam surculus loco frondium reflorescere, & qualis virga loco succisorum truncorum assurgere debeat, ut ita hoc signo inter alia etiam sublimes oculi de depressione commonefierent. Vis autem argumenti generalis, alia præter eam quam supra dedi, non est fingenda. Hæc enim sunt occasionalia, illa autem fundamentalia.*

Nam egredietur virga ex caudice Isai, & surculus ex radicibus ejus fructum faciet.

In hoc versu describitur Christi Jesu Nazareni adventus in carnem, stemmatis imminutio, & externa paupertas.

חוטר significat Germanis ein Reiß. גזע autem est pars arboris dissectæ, super terram relicta & eminens. Illud explicat Targum per מלכא Regem, hoc alii putant dare denominationem Nazareno.

גזע & שרשים habent se ad Isai, ut granum, & quod ex grano progerminavit, unde שרשם Targum explicat per בני בנוהי, radices ergo Isai non sunt Abraham, Isaac & Jacob, sed David & Nathan, qui ex Isai ceu grano facti sunt radices, & cum in David regnum defecerit, Nathan enim & sequentes filii post ablationem regni ad tempus principes fuerunt, sed tandem dignitas imminuta evanuit, ita ut radices non arborem sed גזע procreasse viderentur. Spes enim ad regnum recuperandum erat nulla, unde Maria Virgo, quæ proprie est גזע nupsit fabro lignorum.

Modus dicendi est Propheticus, Figura Rhetorica in hoc versu occurrens est consecutio.

Arg. special. taliter exurgit: *Timuisti Achas cum audires quod* עלה *ascenderet contra te Rex bellicosus cum confœderatis, jam audi quod pro te* יצא *exibit ex tuis consanguineis Rex alius, quod dignus sit cui innitaris, audies in subsequentibus. Hic cape tibi, quod Assur cum Cedris excisus nunquam reflorescat, hic autem ex trunco sit germinaturus.*

Notandum hic R. Salomo & R. Kimchi caput hoc explicare de Messia. R. Salomo post demonstratam connexionem dicit: *Prophetam erigere voluisse Hiskiam* שיבע מלך המשיח שיגאלם, Kimchius autem post alia talem discursum format: *Ne miremini, quod* פלא *seu magnum miraculum in Hiskia exhibuerim, nam adhuc majus tempore Messiæ adducam.* Aben Ezra nescio quare tam breviter caput hoc percurrat, de Messia autem, verum dubitanter loquitur. Opera ergo danda, ut succincte cum reos habeamus fatentes, totum caput explicetur.

Et requiescet super eum רוּחַ יְהוה i. e. *Spiritus Jhovah; Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ* cognitionis *& timoris Domini.*

In hoc versu describitur Jesus Christus ut verus Deus, & homo ineffabilibus donis Spiritus sancti, vi personalis unionis dotatus.

Argumentum speciale sic formandum est: *Antehac audiebas Achas, quod* נחהארם עלאפרים *contra te, jam attende & gaude* quod נחה רוח יי׳ על המשיח pro te. *Eorum confœderatio est humana, hæc divina, ibi caro hic spiritus, &c. à te moveat prudentia Assur hic Spiritus sapientiæ, ejus potentia, hic Spiritus roboris,* &c.

רוחי׳ non dicitur hic idem, qui requievisse legitur super Saule 1. Sam. 16. & aliis, *ubi significabat gratiam & dona Spiritus sancti, sed est ipse præsentissimus Spiritus Jhovah, qui non à Christo sicut à reliquis discedere potest.*

Et habet se רוח יהוה *ad* רוח חכמה &c. ut principium ad principatum, ut dator ad datum, ut Deus ad Dei donum. Vocatur alias hic רוח יי æternus Spiritus *in Epistol. ad Hebr. Spiritus Christi, qui Christum excitavit ex mortuis in Epistol. ad Rom.* Imo *apud Euangelistas* pater habitans in C.

Unde tale argumentum speciale exurgit: *In (Aram), Israel, & Assur* est רוח הארם, *sunt enim homines, at in Messia tuo* est רוח יהוה, est enim verus Deus.

Hucusque filius Davidis descriptus est ut verus Deus, jam demonstrabitur etiam brevibus, quibusnam donis ineffabilis dotanda prædicetur ejus humanitas.

Primo tribuitur ei *Spiritus sapientiæ & intelligentiæ.* Præmoneo, hic vocem *Spiritus* sumendam esse non ita, ut sumebatur in priori inciso ante Athnach, proprie loquendo. Quomodo autem חכמה & בינה distinguantur, puto suppeditare ipsam analogiam vocis seu potius Etymologiam, nempe *ut antecedens &* consequens, ut *primum* & *à primo ortum.* Sic videtur etiam sumi alibi קנה חכמה קנה בינה, quamvis Christo hæc omnia non ad mensuram data sunt, ut quoad sensum David fatetur.

Hic Assur נבונותי, hic Regis impii חכמתי evanescat. Adverte aures Achas, & veræ sapientiæ inniti discito.

Secundo

Secundo attribuitur Christo *Spiritus consilii & fortitudinis.* Aben-Ezra impudentissimo calamo scribit, competere hoc Hiskiæ. Pudeat tam eruditum Judæum jam insulse loqui. Hoccine sufficit, Hiskias fuit robustus, ergo subjectum est tractationis, conjungenda enim sunt omnia.

Hic iterum cadit כוח ידי אשור, quod jactabat cap. præcedenti. Hic in nostro Messia, non tantum est consilium, sed executio. Multa decernebat Assur, quæ ad effectum nunquam deducebantur.

Tandem adscribitur Messiæ *Spiritus cognitionis & reverentiæ Domini.* Ultimum hoc dicit surculum illum Isai esse unitum cum vero Deo. Nam cognitio & reverentia Jhovah homini per se non competere potest. Hinc Christus dicit in Evangelio, neminem posse patrem novisse, nisi cui filius revelaverit. Et nemo Deum magis revereri potest, quam qui est unicus Dei filius, per quem Pater recte dicitur glorificari. Conferatur cum hoc *ex epist. ad Hebr.* phrasis ἀπὸ τῆς εὐλαβείας.

Quomodo hic argument. spec. formandum sit, ipse Lector sentiet.

Ex hoc loco forsan in cantico Chorali *Veni creator Spiritus* Spiritum sanctum vocarunt veteres *Septiformem munere.* Non rideo hos, quamvis S. S. sit melliformis munere, sed potius gratulor iis, quod ad 7. digitos, septem illa munera tam accurate numerarint.

Fundamentaliter rem ipsam aggrediens dicat, opponi hic Messiam Regi Assur, & reliquis cum quibus Achas fœdera inire gestiebat Achas. In hac oppositione pergit S. S. in vs. 3.

Nam olere ejus est propter reverentiam Domini, unde nec secundum visionem oculorum, nec secund. auditum aurium reprehendet.

Olere ejus הריחו communiter contra Lutherum explicant interpretes per *sagacem reddet*, verum sine ratione, הריחו *autem est tempus infinitum conjugat.* 3. *Activ. cum affix.* ו 3. *personæ.*

Olere hic est idem, quod *accuratissime, infallibiliter, & citra omnem errorem cognoscere.* Unde Aben-Ezra *sensus oculorum & aurium falli potest, at non ita sensus odoris.*

Et explicationem istam confirmat contextus, *Unde non secundum*, &c. Alii de re judicant, at vel visa vel audita, extra hanc enim (*si novos judices, qui nec de audito nec de viso homine judicia nescio ex quo odore* ferre solent, excipias) judicandi rationem, mancum & sinistrum judicium esse oportet in humanis rebus. At Messias hic non indiget visu nec auditu tali, judicat enim ex omniscientia.

Sicuti autem per *olere* illud, recte & pie *omniscientiam Christi* probo, sic יראת יי fundamentaliter pro fundamento istius omniscientiæ habeo. Cum enim Messias fuerit unitus cum vero Deo, ipsi etiam proprie imo propriissime Dei reverentia competere potest, quæ ex cognitione solida fuit.

Reverentiæ nomen non desumptum est ab hominibus, & translatum ad Deum, sed è contra. Malach. 1. à Deo ubi perfecta est reverentia, quæ alibi ad imperfectam & umbratilem timorem humanum solet tranferri. Deus proprie generat, Deus proprie olet, *metaphora hæc non est desumpta à canibus*, Deus proprie audit, Deus proprie videt. Quomodo autem hæc fiant, nobis est impervestigabile, *ruditer, late, imo latissime loquor*, umbra quædam est eorum in hominibus. Per me autem licet, aliter hac de re juxta Aristotelem judicare, modo id non fiat juxta Scripturam. Quale argumentum speciale hinc fluat contra Achas, & quomodo Christus hic mundanis Regibus opponatur, quivis novit.

Effectus omniscientiæ Christi describitur in subsequ. vers. *Quare judicabit in justitia pauperes, & in æquitate* argumentabitur, *disputabit pro humilibus in terra, & percutiet terram baculo oris sui, & Spiritu labiorum suorum occidet impium.*

Vs. 5. *Nam justitia est cingulum lumborum ejus, imo fides cingulum lumborum ejus.*

In his versibus proponuntur inprimis res & personæ judicandæ. Res judicanda dicitur ארץ i. e. Terra, & notat omnes homines malos & bonos in terra viventes.

Hæc dicitur *judicanda* seu *percutienda baculo oris Messiæ.* Errat hic Kimchius, qui terram sumit pro *malis* tantum; Nam שבטפיו i. e. *baculus oris Messiæ est verbum Dei, quo percussit & pios & impios.* Peccatores pœnitentes fiunt inde נדכי רוח, quorum Deus vi promissionis suæ miseretur; Impœnitentes autem percutiuntur & indurantur.

Personæ judicandæ vocantur רשע דלים *item* ענוי ארץ & דלים. *seu exhausti, pauperes judicandi sunt in justitia.* Dicuntur autem דלים ob inopiam & defectum propriæ justitiæ, dicuntur ergo judicandi in justitia, cum miseri peccatores ad Dei justitiam confugiunt, & ex ea vestes salutis sibi parari petunt. *Est autem justitia hoc in regno Christi nihil aliud, quam* mera misericordia, *quæ justitiam Christi nobis præter meritum nostrum imputat.* Hinc toties David confugit ad justitiam Dei, i. e. ipsam misericordiam. Cum mihi enim ceu Christiano confertur vita æterna, confertur ea ceu à justo judice *ut Paul. loquitur.*

ענוי ארץ judicandi dicuntur במו שור R. Sal. putat esse לשון נחוך. Prius autem enodandum, quid sint ענוי ארץ. *Sunt illi humiliati ex contritione, & submittunt se Dei justo judicio*, nec *sibi prætextum quendam rectitudinis, qua mediante caput erigere possent, arrogant.*

Hi ergo, ut supra dixi, judicandi sunt במישור. Hoc autem significat aliquando planitiem, aliquando rectitudinem, aliquando videtur etiam involvere lenitatem & mansuetudinem.

Hic significat rectitudinem, & planitiem. Nam Sceptrum Christi dicitur שבט מישור, hoc sceptro autem pascit suos Jesus, erit ergo *judicare, in* מישור *idem, quod judicandi pravitates & curvitates dicere rectas.* Sic nos à foro iræ, appellamus *forum rectitudinis*, i. e. *planitiem*, i. e. *regnum Christi*, ubi contra omnia principia rationis etiam sceleratissimus nebulo, modo fiat, ענ, & ad מישור Christi se conferat, sanctus dicendus est: *Hoccine Sathan in oculis tuis sudes?*

Tandem judicandus etiam proponitur רשע, *nomen habens à perpetuo fremitu & murmure.* In hoc enim impii cum mari spumanti conveniunt. Hic dicitur occidendus / ברוח שפת *Spiritu labiorum Christi.* Posset quidem hic dici, *impium occidi*, cum peccatorum reus contrito corde veniam petit, at contextus suadet, de damnatione impii, sic enim & permanemus in prima vocis significatione, & omnes effectus judicii Christi recte absolvimus. Hoc interim est addendum, mortificationem hanc seu potius occasionem fieri etiam per verbum in hoc mundo, ubi publice declarantur contumaces, rei æternæ mortis, ubi hæretici hoc verbo ceu gladio Spiritus profligantur, imo ipse Antichristus, quem tamen proprie & principaliter nolo esse hic subjectum tractationis, est confundendus.

Fundamentum justi judicii descriptum est supra in vers. 5. sensum ejus Aben-Ezra sic format: הנה הצדק לא יסור ממנו כל ימיו בכל מעשיו Et ita perpetuitatem & constantiam justitiæ ejus insinuat. *Rab. Sal. & Targum explicant hunc versum de justis Christum Regem ceu cingulum undiquaque cingentibus. K. Justitia & veritas quam apprehendit, robur ejus erunt ne vacillet*, & addit, המפוק כפל במלות שונות. Ego autem dico, latere in hoc versu Figuram Rhetoricam dictam auxesin, quam supra descripsi. Cum ergo dicit: *Et erit justitia cingulum lumborum ejus*, vult dicere: Ille perpetuo erit misericors, צדק enim hic ita sumendum est sicut supra. In Deo autem respectu nostri nulla est misericordia, nisi per Christum, sine quo Deus perpetuo nobis adversatur, seu nos aversatur. *Cingulum est signum obeundæ expeditionis*, tota autem Christi expeditio erat, ut quæreret & salvaret amissum. Cum autem additur: *Imo fides cingulum lumborum ejus*, indicatur certitudo & perpetuitas salutis, & promissionis semel factæ. Talis promissionis certitudo & constantia hinc inde in Prophetis inculcatur, unde Hiskias etiam optat, ut אמת *manet tantum in diebus suis.*

Hinc tale fluit argum. *Injustissimus est Assur, sub specie enim opitulationis*, ut audivisti, *veniet, & te, tuumque filium Hiskiam miris modis coangustabit. Reliqui etiam Reges ut satis expertus es, perfidi sunt. Ille autem, quem jam toties tibi inculcavi, Messias, est justissimus, & misericordissimus, adeoque facile errata tua condonans. Quare magis innitere ei, quam Assur* &c. Et confirmat hoc argumentum miris modis illud, quod in versibus sequentibus proponitur, & infra formabitur.

Vs. 6. *Et habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, imo vitulus, leunculus & saginata pecora simul* scilic. accub. *& parvus puer ducit ea.*

Vs. 7. *Et vacca & ursa* amice simul *pascent una, fœtus eorum accubabit, & leo sicuti bos fœnum comedet.*

Vs. 8. *Et delectabit se infans* lactens *super foramine aspidis, & super cavernam basilisci manum suam mittet.*

Vs. 9. *Non male agent, neque corrumpent in toto monte Sanctitatis meæ. Nam plena erit terra cognitione Dei, sicuti aqua mare tegentes*, sicuti mare opertum aquis.

Omnes hi versus sat commode, ut finis rei accipi possunt, ita ut pro *&*, ponam *ut.*

Tractationem autem horum instituam & generalem & specialem:

Generalis theoria docet nos, quomodo in genere hi obscuri versus sint accipiendi. Audiamus ergo, quid Kimch. referat: *Sunt qui dicunt, quod tempore Messiæ immutandæ sint naturæ animalium & bestiarum, & convertendæ in eas, quæ fuerunt tempore creationis, & in arca Noah. Nam si ab initio leo dilacerasset pecus, corrupta fuisset creatio. Et quid quæso edit leo, & cætera animalia carnivora. Carnem sane non ederunt, defecisset enim in ipsa generatione, quia tantum mas & fœmina procreati sunt. Neque illa edere suum distulerunt, usque dum multiplicarentur, quæ dentibus dilacerari possunt. At vere ederunt herbam agri, usque dum multiplicarentur bestiæ. Et sic* semper *fuit natura eorum disposita ad edendum carnem. Sic etiam in arca, si ibidem animalia carnivora carnem edissent, plane defecisset cibus ex mundo, duos enim annos perseverabant in arca. Nisi forsan dicere velis, ideo ex septem puris esse assumpta, ut cibus essent carnivoris.*

Sunt etiam, qui hæc omnia parabolice explicant, quod lupus, pardus, ursus, leo significent iniquos oppressores & direptores, quia illi se habent ad infirmos, sicuti animalia carnivora ad reliqua; Agnus vero, vitulus, vacca, & hædus significent humiles seu mansuetos terræ, unde iste sensus eliceretur, quod in diebus Messiæ alter alterum non læsurus sit. At hæc explicatio male quadrare videtur, cum in textu dicatur: Non male agent nec nocebunt in toto monte Sanctitatis meæ. *In diebus autem Messiæ erit pax in toto mundo juxta id, quod scriptum est*: Et contundent gladios suos in vomeres &c. Esaiæ 2. *Item Et excidetur* arcus belli Zach. 9. *Certum ergo est, naturas animalium non mutari, nam vorabunt carnem sicuti faciunt hodie. At his promittitur Israëli, quod malæ bestiæ non debeant nocere in terra Israël, hoc enim est quod dicitur*: Non nocebunt in toto monte Sanctitatis meæ. *Et ratio subjicitur* quia terra plena erit cognitione Dei. *Et sensus est, quod boni futuri sint, & observaturi viam Dei, quare non dominabitur seu nocebit ipsis bestia mala, imo ne quidem jumentis seu pecori eorum. Quod ipsum est juxta promissionem Dei, factam per Mosem Doctorem nostrum,* super quo pax sit, *cum dicitur*: Ego amovebo bestiam malam ex terra. *Et licet peragrent terram, non tamen nocebunt.*

Hucusque Kimchius, ex quo generaliter Judæorum opinionem facile hauriet Lector, verum utut sit, ego brevibus super hos versus in genere ita commentor.

Primum autem dico, Implendos esse hos versus tempore Messiæ, & hoc prius ipsum nobis & Judæis est commune, unde Targ. dicit ביומוהי דמשיחו.

Deinde dico alludi hoc loco ad Legem Mosis, ubi observationi mandatorum hæc annectitur promissio, quod malæ bestiæ terræ promissæ non sint nocituræ. Principium hoc iterum habeo commune cum Kimchio. At hic, quod Kimchius non credet, observandum est, Messiam oportet legem implere. Ejus ergo *principaliter* tempore, & in actu eminentiori hæc prophetia est adimpleta, hinc dicitur in textu: *Parvus puer ducet ea.* Ut in speciali theoria demonstrabo.

Tertio dico, animalia hæc allegorice significant homines, in quo Kimchius iterum mecum facit. At ego addo animalia illa carnivora habere se ad mansueta seu cicurata ut *Gentes* ad Judæos. Allegoriam in genere agnovit Kimch. nisi ergo inusitatissimam fingere velit hyperbolem, mecum facere tenetur. Obstare videtur, quod talis concordia & unanimitas inter Gentiles & Judæos nondum sit visa, nam quot hodie lupi infestent agnos, quot leones vorent hœdus, quot pardi decipiant pecora saginata, nemini ignotum esse potest.

At res erit salva, si modo textus prope ponderetur. *Non corrumpent* inquit, *in toto monte Sanctitatis meæ.* Quis autem non corrumpet? Leo, Pardus, Lupus, &c. Qualis leo, pardus, lupus, &c.? Ille qui habitat cum agno, qui edit stramen sicut bos. Quando ergo Constantinus Magnus convertebatur ad fidem Christianam, vere dicere poteram: *Leo* edebat stramen, quamvis hoc non de omnibus leonibus & Imperatoribus affirmare possim. Nihil dicam hic de linteo Divo Petro in Actis in visione exhibito, ut modo me eo citius ad specialiorem theoriam horum versuum conferam.

Dicitur 1. de lupo, quod sit cum agno in uno eodemque diversorio mansurus. Naturam vocis גר, si ex fundamento recte cognoveris, ah quam multa & magna hinc fluunt, ego cogor ista præterire. Nolo cum Lyrano hæc transferre ad Paulum, quem ex Genesi, ubi de Benjamin dicitur, quod sit lupus rapax, hic subjectum tractationis probat. Nam ego sub nomine lupi introduci puto gentilium quosdam, quorum natura magis lupina quam humana erat. Tales lupi erant Philistiim, qui ovile Judaicum, ut nocerent, circumdederunt; Quod autem hi ab Apostolis sint conversi, acta docent.

Et pardus cum hædo accubabit. Pardus seu נמר, describitur in Scriptura, *ut animal habens* חברברות *seu maculas varias Jer. 13. & commendatur à velocitate pedum Habacuc.* 1. Hoc animal notare puto Samaritanos, seu illos homines, quibus terram Israël replevit Rex Assur; & tempore Christi sunt conversi.

Imo vitulus, leunculus, & saginatum pecus simul scilicet accubabunt; כפיר est *leunculus qui desiit esse* גור *seu catulus.*

Continuatur hoc ipso allegoria, ubi diversissimæ naturæ & religionis homines in regno Christi prædicuntur coadueniendi, ita ut unio illa spiritualis transferatur etiam ad sobolem, ut in versu 7. infra audiemus. Hic notetur, כפיר leunculum patrem prædantem sequi, ipse enim per se ad prædam accelerandam non est aptus, significabuntur ergo hac voce illi Reges & Gentes, quos Assur in suam societatem traxerat. Sed hæc ex me sunt, non valeant ergo, sed permaneatur in genere in eo, quod Gentium conversio hic doceatur.

Horum animalium pastor vocatur נער קטון *parvus* puer. q. d. *Tam cicurata, mansueta, & pacifica invicem erunt, ut non opus sit viro pastore, sed parvo puero, quem sequantur.* At si simpliciter sensus hic admittendus esset, procul omni dubio dixisset S. ונער קטון ינהגם sicuti supra in cap. decimo, ונער יכתבם, *Nam in Ling. Hebraica accuratissima danda est ratio, cur hoc & illud ponatur, præcedat, sequatur.*

Hic autem dicitur in textu, *Et parvus puer ducens eos*, non ut *parvus puer eos ducere posset.* Hunc puerum parvum dico esse Messiam, qui quamvis esset in forma Dei, tamen *formam servi imo* parvi pueri *assumpsit, & sicuti ille, ita & hic carni & sanguini communicavit.* Parvus hic videbatur & dicebatur: *Quid filius ille Josephi, quid à fabro ligni prognatus Nazarenus? Unde huic tanta scientia?*

Hunc parvum puerum secuti sunt arietes gentium, Tauri Basan, pascua ejus elegerunt. Verum S. S. in versu subsequenti melius nos docebit effectum.

Et vacca & ursa simul *pascent, simul accubabunt fœtus eorum, & leo ceu armentum stramen* edet.

Nota hæc sunt animalia, in eorum ergo descriptione non laborabo, *Leo procul omni dubio notabit Monarchas.* Vacca & ursa se habent, ut maxime diversa animalia, hæc enim ei sanguinem exugere solet, & ita exanimare.

Vs. 8. *Et delectabit se*, ludet *lactens super foramine aspidis, imo in cavernam basilisci manum suam ablactatus ponet.*

Aben-Ezra חור non habet pro loco ubi aspides latent, & Germanis significat **Ein Schlangenloch**. Sed pro serpentis פהאו אף *ore aut naso.* Si hoc verum est, פתן non est serpens, sed *vipera*, cui in Scriptura aures attribuuntur, principaliter autem ideo, quia serpentem significat נחש.

Reliqui Judæi habent חור pro habitaculo vel nido aspidis, ita ut in subsequenti inciso idem diversis vocibus iteretur. In הדה autem dicit Aben-Ezra stare ה pro י, & tantum hoc unicum exemplum occurrere. Verum ego dico, *alternationem quiescentium in infinitum non esse extendendam.* Habeo ergo הדה pro speciali radice, quæ alibi, sicut id multis etiam aliis contigit, non occurrit, & significare *ingerere manum. Foramen enim Basilisci* procul omni dubio tantæ fuit capacitatis, ut parvulus manum extendere, & quæ in foramine quærit apprehendere queat. Cum Aben-Ezra ergo חור habeo hic pro *ore & naribus*, & hoc miris modis rem amplificat, & sensui optime correspondet. Kimchius quidem de foraminibus domus, in quibus latent serpentes, & hac occasione à parvulis ludentibus attrectantur, multum agit. Verum facit parum ad rem. Optimum forsan est illud, quod inter alia dicit: *Inimicitia in principio decreta cum* homine, תסתלק **wird auffgehoben seyn/** *in diebus Messiæ in tota terra Israël &c.* Quamvis enim ipse Kimchius sensum non assequatur, ducit me tamen ad scrutinium penitius. Ita ut non verear dicere: *Serpentes & basilisci hoc loco non notant Gentiles, sed diabolos.* Nam non dicitur sicuti supra: *Simul accubabunt, pascent* &c. sed *ludet parvulus super foramine aspidis* &c. Dico ergo Apostoli, qui dicebantur & vere erant יונקים lactentes, sic ludebant cum Diabolis, ut iis obturarent os, & aures. Sic tractabant eos, ut obmutescerent, nec audire cuperent nomen Jesu benedicti. Sic nos & hodie manum nostram in latibula Satanæ & ita Basilisci mittimus, cum robur & potentiam ejus despicimus, & ipsius fraudes detegimus.

Jam adverte aures Sathan, narrabo tibi, quæ præcordia tua coangustabunt. Nosti tu rudes & indoctos pastores, qui dicendi sunt lactentes, valent illi jubere te exire ex obsessis, autho-

authoritate regni Christi. Tam potentem principem mundi cedere cum rubore, & lingere quasi pulverem pedum illius; cujus calcei sunt laceri, caligæ ex corio & membrana propriè consutæ. Hic est triumphus noster in Christo, cujus vigore gaudere possumus, quod tu infernalis Draco nostris pedibus calceris. Sic luditur cum Satana, hem quoties & annis puer Diabolo insultat, cum admittitur enim primo ad Cathedram Ecclesiasticam, mirum est, quod præ indignatione, quam contra te serpens veterator concipit infans, suggestum non concidat. Invideto ergo, quod mutare non potes. Audito enim verba promissionis, quæ te etiam ex parte concernunt.

Non malefacient, nec nocebunt in toto monte Sanctitatis meæ. Quomodo hæc de animalibus supra nominatis accipi debeant, supra demonstravi. Judæi autem ex parte hunc versum nonum restringunt ad serpentes, viperas, &c.

Non possum autem approbare idem, quare cum indeterminatim hæc dicantur, & animalia & in specie serpentes horum prædicatorum esse subjecta autumo.

Dicis; *Sathan malefacit toto monte Sanctitatis, ubivis tentat seducere imbecilles.* Prævidit hanc objectionem Spiritus sanctus, hinc notanter subjicit כי מלאה הארץ דעה את יהוה כמים לים מכסים. Hæc est ratio superiorum, nempe *cognitio Dei.* Hæc respicit animalia supra nominata, ut scutum & unionis vinculum, Diabolos autem ut gladius percutiens. Cum enim illa animalia sint una pascua habitura cum agnis in una eademque terra, i. e. Ecclesia, sequitur quod hæc cognitio utrique sit communis. Diabolo autem hæc cognitio magis obest. Nam cum illi hic non leguntur in societate pacifica cohabitaturi, & tamen nec hi malefacere possint, & quidem vi promissionis, sequitur quod illi sint tuti ab ipsis, qui hanc cognitionem Dei recte sibi applicarunt. Hinc videmus, Sathanam esse adoratum, ne male ageret. Nam homines verum Deum non norant, unde merito Diabolum, ne malefaceret, adorarunt. At nos, qui per Dei gratiam verum Deum cognoscimus, sumus מלאים דעת את יי quare Sathan nobis nocere non potest.

Cognitio hæc insigni amplificatur simili, quod à mari aquis impleto desumpsit S. S. Nam sicuti mera est contradictio, *mare esse* & tamen *aquis non esse impletum*, sic eadem ratione contradictionem implicat. *Esse in regno Christi*, & tamen *Deum non novisse.*

Hæc quæ aliquantulum obscurius dicta esse videntur, clarius in 7. sequentibus versibus explicantur:

Nam erit in die illa, Radix Isai, quæ stat, ut sit vexillum gentibus, illam gentes quærent, & quare erit qui es ejus gloria.

Versus hic docet nos vocationem gentium, quæ fundamentum est amicissimæ istius cohabitationis supra memoratæ. Et ita argumentum speciale differam ad finem capitis, quia totum caput explicat rationem animalium.

Singula autem probè sunt ponderanda. Christus dicitur hic, *Radix Isai*, quod non est absurdum, unde Kimch. explicat per היוצא משורש ושי. Neque tanta circumscriptione opus esse reor; præ pedibus enim est, quod quæritur, nam Isai est granum, Christus ergo est radix. Nec obstat quod supra dicebatur, Christum facturum esse fructum ex radicibus Isai, quos David & Nathan esse dicebam, diversus enim respectus omnem tollit contradictionem. David enim fuit typus Messiæ, & alio respectu pater. Sine diverso enim respectu nec potuisset dici Isai granum, sed frons, innumeros enim habet avos & atavos &c. qui ea ratione commodius radices Christi ex grano Adami dici possunt. Respectus ergo cum primis est referendus ad regnum, quod præter Davidem in linea Christi nemo administravit. Nam Salomo non est pater Christi. Et qui novit Christum dici filium Davidis, cum posset dici in 13. generatione nepos, noverit etiam, quomodo hic dicatur radix Isai.

Hæc radix comparatur cum signo militari, *ad quod confugiunt dispersi, quod sequuntur prœliantes, à quo denominantur numerati.* Et vere Christo competit, antehac quidem principaliter erat signum Judæis, cum autem incarnaretur λόγος stetit etiam gentibus, ut & illi ad Christum confugerent, Christum sequerentur, & ab eo nomen Christianorum sortirentur. Hinc dicitur: *Illam gentes quærent.* Profligatus miles aciem suorum non accuratius cognoscit, quam ex signo, hoc quærit, inventum sequitur, & legibus seu juri istius se subjicit. Applicatio est facilis. *Et quies ejus erit gloria.* Quies ejus in lingua sancta vocatur מנחתו. Hæc vox autem inter alia etiam significat *locum quietis* sicut dicitur. *Hæc est quies mea,* &c. Placet autem ex parte hic Lutherus, qui hunc versum ita explicat: *Post mortem gloriose regnabit.* Illos autem, qui locum stationis gloriosum fore hic describunt, ablegamus ad contextum. Radix Jessæ describitur sicut signum, quousque stat & non convolvitur, bella notat, convolutum autem pacem, & si contingat, ut subsequatur victoria, gloria & triumphus in convolutione ejus. מנחתו ergo respectum habet non ad locum cui infixum erat vexillum, sed ad cessationem stationis publicæ & sensibus expositæ. Quamvis autem, exempli gratia Augusti vexillum convolveretur, & ita quasi quiesceret, cum devictis hostibus universus mundus de pace sibi gratulabatur, non tamen inde sequebatur cessatio Dominii seu imperii. Nam per antecedens bellum parta erat victoria, & acquisitum rerum Dominium, quod venerabantur non tantum devicti, sed & alii, qui ultro se devotioni tam gloriosi imperii devoverunt. Sic Christus, postquam resurrexisset à mortuis ad cœlos conscendisset, visibilemque sui præsentiam nobis subtraxisset, recte dicitur quiescere, non quidem, quod gubernationem Ecclesiæ & suorum abdicaverit, sed quod devictis hostibus Sathana & morte nihil reliquerit, quod actiones Christi, quatenus radicis Isai in carne præsentis requireret. Nos gentes enim adhuc hodie manibus plaudimus, jubilamus & psallimus Deo nostro glorioso. Christum unsern Heyland / ewigen Gott / Marien Sohn / preisen wir in Ewigkeit. Versus 11, 12, 13, 14, 15, 16. continuant insignem illum & inauditum confluxum Judæorum & gentium ad regnum Messiæ.

Doleo sane, quod charta typographum deficiens, ab insignibus hisce, & maxime expetentibus explicationem me abstrahat.

Brevissimis ergo notetur, vocem שנית *secunda vice* respectum habere ad eductionem ex terra Ægypti. Concedunt hoc Judæi, unde Kimchius rationibus etiam vult probare, Non posse hæc *secunda vice* referri ad liberationem Babylonicam. Dicendum hic esset de conversione Judæorum, quæ in festo pentecostes facta est. Disputandum esset hic incidenter de futura conversione Judæorum, quam ego, quicquid in contrario *credendo* hujus vel alterius loci pacti sint homines, ex Scriptura certo modo firmiter probari posse puto, verum ut supra conquestus sum, ab explicatione horum removeor.

Cum ergo non detur hæc fundamentaliter ventilare, malo tacere, quam superficialem tractationem instituere.

Argumentum speciale, quod hinc fluit ita est formandum. *Assur omnia regna sibi voluit subjugare, non ut populum devictum conservaret sed exterminaret &c. Messias autem non tam vult subjugare, quam reipsa possidet & magis conspicuè redimet omnes Gentes & Judæos, quorum hos præcipue sibi habebit commendatos, dispersos enim etiam ex quatuor angulis terræ congregabit, & congregatis pacem æternam firmabit, & ita quidem, ut non tales æmulationes, quas hodie experimur, tunc temporis deplorare liceat. Nam & diversissimæ naturæ, complexionis, & religionis homines iste conciliabit, adeo ut videri potuisset, citius lupum cum agno concordiam inituram, quam illos, ipsos. Si hæc ita sint ô Achas, Noli timere ab Aram & sperare in Assur, sed time & spera in Deo tuo.*

CAPUT XVII.

De Conclusione.

Conclusio totius Orationis, quam Dei beneficio jam absolvi, absolvitur capite 12. & ultimo, Ob eandem causam, quam supra recensui, brevissimis erit percurrenda.

Continet ea canticum, quo alluditur ad illud, quod cecinerunt post exitum ex Ægypto, apparet illud ex ultimis verbis capitis superioris, ubi sic concludebatur argumentum כאשר היתה ביום עלותו מארץ מצרים. Hinc etiam ex eodem principio alluditur ad defectum aquarum, quem miraculis Deus supplevit, jam autem convertenda prædicitur in fontes salutis, qui perpetuo fluentes, perpetuum potum sitientibus exhibent.

Et hoc inprimis observatu dignum est, quod propositio totius Orationis hic repetatur. Expressis enim verbis in ea legimus אבטח ולא אפחד id est, SPERABO ET NON TIMEBO, quæ sane verba summam totius Orationis continent. Unde his prænotatis facilis est conclusionis explicatio.

F I N I S.

AD LECTOREM.

1. R*Abbin. allegat. in principio frequentius, quam in fin. partim ob incommoditatem scriptionis Ebraicæ characteribus Lat. Schevah enim ab initio non legitur ut e breve sed aliquando ut a, e, i, o, &c. nec tamen illud exprimere valeo, est enim tendentia ad vocal. in Schevah ab init. &c. Unde innumeras deflexiones videbit Lector, partim quia typi Ebraici in tanta copia Stetini non habentur.* 2. *Salomonem dixi non esse patrem Messiæ natur., secutus Lutherum, fateor autem, ipsum me non scrutat.* 3. *Argumentorum numerus in principio est major & cumulatius introductus, exegit hoc Spiritus sancti intentio, quamvis fateor, ad unum generale multa habens membra commodè reduci potuisse.* 4. *Scripsi hæc juvenis, & fateor cum ad medium Orationis devenirem, delassatas esse manus meas, ita ut nisi typis jam quædam fuissent divulgata, ego intra duorum annorum spatium vix ac ne vix quidem Commentario super Scripturam admovere ausus fuissem manus. Causa est unica & sola, quod in scrutinio accuratissimo arcanorum hujus linguæ sanctæ deficere videbar. Hinc in Grammaticis expres. habeo errorem, quod alios secutus 2. vers. cap. 8. Esaiæ adscripserim, qui Deo adscribendus erat. Iste enim nominabat testes vivos, cum quibus realiter Esaias ad Prophetissam ivit. Si autem alii recte Prophetas potuerint explicare sine accuratissima cognitione linguæ sanctæ, est quod mirer. At videtur astare, qui mihi occinat illud:* Mundus vult decipi ergo decipiatur. *Lector fave, vale.*

M. JOH. ANDR. LENCERUS
SUB
JOH. FRISCHMUTHO
DISSERTATIO
De prosopographia Messiæ ad Es. IX: 6. seqq.

בהשי:



Ux illa, Dei Ter Opt. Maximi gratia, iterum appetiit, qua *magni Dei nostri & Salvatoris*, JESU CHRISTI natales celebrare, & τὸ ὁμολογουμένως μέγα τῆς τοῦ Θεοῦ ἐν σαρκὶ φανερώσεως μυστήριον grato pioque animo venerari solemus Christiani. Quod dum facimus, fieri non potest, quin simul doleamus, ab utroque tam alieno animo Judæos esse, ut veri nominis Messiam ממזר *spurium*, תלוי *suspensum*, & truncato nomine ejus dulcissimo, ישו, hoc est, uti illi blasphemi explicant, *execrandæ memoriæ* virum appellitent; nos vero Christianos, qui eum utpote non ψιλὸν ἄνθρωπον, sed & φύσει Θεὸν colimus, ludibrio habeant, tanquam המשתחוים להבל וריק ומתפללים ללא יושיע: *invocantes vanitatem & stultitiam, & eum adorantes, qui non potest salvare*, uti, à typographo relicto hiatu, Judæi manu libro precum Ebraicarum p. 28. col. 1. edit. Venet. inserta hæc verba, non sine horrore legimus: quin & ea, quæ ad sanctissimum & ipsis Angelis venerabile illud ἐνσαρκώσεως mysterium ex sacris adstruendum afferri solent, velut doctrinam erroneam, &, uti ipsi loquuntur ex Jerem. 10: 15. מעשה תעתעים rideant & detestentur. Nempe ut Messiam & hominem & Deum esse credant, à se adeo non impetrare possunt recutiti, ut rationem poscere, cur in una eademque persona geminas illas naturas, humanam unam, alteram divinam, convenire posse negent, perinde esse dicant, ac si interroges, cur non Centaurus, hoc est, dimidia parte homo, dimidia equus; aut vir pariter & fœmina esse possit. Quam impiam cavillationem inde maxime proficisci deprehendimus, quod præconcepta opinione de Messia, Rege terreno, fascinati, Scripturam necdum, qua decet diligentia, scrutantur & expendunt, sed majorum suorum deliriis, & aliquot retro seculis confictis detorsionibus verius, quam explicationibus inhærentes, oraculorum divinorum sensum non tam ex verbis divinis, quam Doctorum suorum sublestæ fidei traditione hauriunt. Quem diuturnæ incredulitatis Judaicæ fontem jam olim indice quasi digito ostendit Justinus Martyr, Dialogo cum Tryphone Judæo p. 266. tom. 2. Ἐὰν μὴ, inquiens, τῶν διδαγμάτων τῶν ἑαυτοὺς ὑψούντων καὶ θελόντων Ῥαββὶ Ῥαββὶ καλεῖσθαι, καταφρονήσητε, καὶ μὴ τοιαύτης ἐνστάσεως καὶ νοῦ τοῖς προφητικοῖς λόγοις προσέλθητε, ἵνα τὰ αὐτὰ πάθητε ὑπὸ τῶν ὑμετέρων ἀνθρώπων, ἃ καὶ αὐτοὶ οἱ προφῆται ἔπαθον, οὐ δύνασθε ὅλως οὐδὲν ἀπὸ τῶν προφητικῶν ὠφέλιμον λαβεῖν. *Nisi doctrinas eorum despexeritis, qui seipsos efferrunt, Rabbi Rabbi appellari volunt, eaque animi alacritate & mente ad prophetica accesseritis scripta, ut eadem proferatis ab hominibus vestris, quæ & ipsi Prophetæ sunt perpessi, nullum prorsus poteritis è Propheticis doctrinis percipere fructum.* Sane hinc fieri, ut pro vero, genuino & salutari sensu verbi divini, putida cerebri sui commenta & somnia recipiant, res ipsa docet. Fidem faciat vel solum illud prodigiosæ depravationis specimen, quod exhibent ad celebre vaticinium Esaiæ 9: vs. 6, 7. Ubi etsi geminæ illius substantiæ gigas tam graphicè depingitur, & utriusque in eo naturæ prædicata tam clara extant, ut Christianorum sententiam solide inde confirmare queas, nihilominus ductu suorum interpretum manifestam vim inferre textui malunt, quam παρερμηνείαν majorum relinquere. Eam hoc Exercitio Academico lectori ob oculos ponere mihi nunc est decretum: Quod antequam faciam, verba Ebraica, quibus Propheta populum meticulosum & hostium adventu perterritum solari, & ei animum addere voluit, exhibenda duxi: כִּי יֶלֶד יֻלַּד־לָנוּ בֵּן נִתַּן־לָנוּ וַתְּהִי הַמִּשְׂרָה עַל־שִׁכְמוֹ וַיִּקְרָא שְׁמוֹ פֶּלֶא יוֹעֵץ אֵל גִּבּוֹר אֲבִי־עַד שַׂר־שָׁלוֹם׃ לְם רַבֵּה הַמִּשְׂרָה וּלְשָׁלוֹם אֵין־קֵץ עַל־כִּסֵּא דָוִד וְעַל־מַמְלַכְתּוֹ לְהָכִין אֹתָהּ וּלְסַעֲדָהּ בְּמִשְׁפָּט וּבִצְדָקָה מֵעַתָּה וְעַד־עוֹלָם קִנְאַת יְהוָה צְבָאוֹת תַּעֲשֶׂה־זֹּאת׃ Vulgatus ea sic reddidit: *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitia à modò & usque in sempiternum, zelus Domini exercituum faciet hoc.*

CAPUT

CAPUT I.

Exordii in oraculo Prophetico emphasis. Kimchi & B. Glassius laudati. Augustini Steuchi sinistrum de geminata locutione Ebræorum judicium. ילד *&* בן *an ἰσοδυναμεῦλα. R. Lipmannus male Christianos παρερμηνείας accusat. Quomodo ille cum Rabbi Abendana textum explicet. Interpp. de argumento cap. 9. Esai. sententiæ. B. Chemnitii explicatio probata. Novum illud quidem, sed Scripturæ conforme interpretamentum verborum* הקל *&* הכביד *Judæis oppositum. Rabbi Abarbenel frustra negat stante templo secundo Judæis ullam fuisse lucem. Rabbi Lipmanni & Abendanæ ratio, cur de Nazareno intelligi nequeat textus, confutata. Proprio gladio jugulati Interpp. Ebræi. Principatus in humeris quid? Hiskiæ male tribuitur. Grotii glossema rejectum. Nec Abarbenel nec Chaldæus locutionis emphasin penetrarunt. Expositio Judaica contorta. Ebræum textum non esse corruptum contra Bell. & Erbermannum ex Masora ostenditur. Duplex textus depravatio Judaica retunditur. Gemina loca de Messia in* רבית *omissa. Ex eodem libro testimonia, Chaldæi, item Aben Ezræ, & priscorum Ebræorum consensus recentioribus Judæis opponuntur. Gatakeri de divisione nominum* פלא *&* יועץ *sententia & Grotii judaizantis opinio rejecta. Alius Grotii super voce* יועץ *error explosus. B. Lutherus Arianismi accusatus vindicatur. Unde Græcæ Vers. & Ebræi textus nimia discrepantia. Genebrardus & Cappellus laudati.* אבי *cur Græci* ἄξω *verterint. Grotii, Aben-Ezræ, Lipmanni & Abarbenelis interpretamenta confutata. Vocis* אבי *in sacris significatio. Sanctius & B. Glassius laudati. Unde Aquilæ versio prava vocis* עד. *Abarbenelis exceptio confutata. Titulus* princeps pacis *Hiskiæ minus convenit. Idem fatente Judæo recentiori Redemptori Messiæ competit.*

§. 1. IPsum Exordium vaticinii ejusmodi est, ut lectorem eo attentiorem reddere voluisse Propheta videatur. Ait enim ילד ילד לנו בן נתן לנו *Puer nobis natus est, filius nobis datus est*; Ad quæ verba Rabbi David Kimchi scribit: כפל הענין במלות שונות *Duplicatur significatio diversis verbis*, vel ut B. D. Glassius lib. 4. Philol. Sacr. tr. 11. observ. 15. reddit, *identitas significationis est in repetitis vocibus.* Ubi cave otiosam tautologiam statuas, ceu Augustinus Steuchus non dubitavit asserere, cum non βαττολογίαν, sed peculiarem, eamque emphaticam rationem loquendi Ebræorum inde cognoscas, qui eam fere occurrere monent, לחוק הענין *ad corroborandam significationem*, ubi aliquid magni momenti à Spiritu S. traditur. Etsi vero voces ילד & בן ita explicari solent, ut prior dictio referatur ad humanam Messiæ naturam, secundum quam est γενόμενος ἐκ γυναικός, Gal. 4: 4. & παραπλησίως μετέσχεν αὐτῶν (αἵματος καὶ σαρκός) Ebr. 2: 14. בן vero antonomastice de illo accipiatur, quem Psal. 2: 7. se genuisse Deus testatur, qui jus communicandæ hæreditatis habet, Joh. 1: 12. unde de divina natura fere accipiunt Theologi B. Gerh. Exeg. p. 1147. B. D. Glass. conc. 1. part. prim. Postill. Prophet. Hoc tamen loco contra Judæos urgere nolumus, hoc ipsis maxime considerandum relinquentes, non vulgarem Regem hic describi, sed aliquem singularem & qui solium Davidis sit præ reliquis stabiliturus, ut in æternum Davidicæ progeniei duret imperium. Ecquis vero alius ille sit, quam verus Messias à Judæis per contemtum ab eis Nazarenus appellatus, in quem omnia omnino Messiæ requisita competunt? Quod cum illi præfracte negent, & non minus hæc verba ac alia Salvatori, invito textu, accommodari clamitent, operam minime lusuri videmur, si illorum in medium allatis rationibus, quas ex hoc capite collegerunt, ostenderimus, nostram sententiam genuinam esse & textui maxime conformem, illorum contra à veritate alienam & prorsus contortam.

§. 2. Primum omnium igitur R. Lipmannum audiemus, qui gloriosi militis instar, in libro *Nizzachon* triumphum, quem de devictis Christianis deportaverit, maximopere jactat, & nos pro sua κακοηθείᾳ numer. 226. his verbis exagitat: כאן הרבו הנוצרים לטעות וקראו להנוצרי אל גבור אבי עד וגו׳: והנה זה כמנהגם לתפוס אות אחת בלי ראות מה שלפנים ומה שלאחור כי פרשה זו מחובר על של מעלה איך שהגלה מלך אשור את ישראל ומלך יהודה ניצל שני הקל ארצה זבולון וארצה נפתלי כלו׳ גלות הראשון היה קל וכתיב האחרון הכביד דרך הים עבר הירדן גליל הגוים כלו׳ שהיה מרובה מן הראשון ואחרי כן אמר הצלת חזקיהו מלך יהודה שהיה בנושל אחז שנאמ׳ יושבי בארץ צלמוה כלו׳ שהיה מלך יהודה מתירא מפני מלך אשור שנ׳ יום צרה ותוכחה ונאצה הום הזה ועל הצלתם נא׳ כאן אור נגה עליהם: *Hic Christiani maximopere errant, Nazarenum Deum fortem, patrem seculi vocantes &c. Ecce vero more suo agunt, unam vocem arripiendo, ut tamen, quid antecedat vel subsequatur, haud attendant. Hujus enim sectionis idem argumentum est ac antecedentium, nempe quomodo Rex Assyriæ abduxerit Israëlem, & Rex Judæ sit liberatus, quia dictum est* (c. 9: 1.) הקל ארצה זבולון וארצה נפתלי q. d. *prior captivitas levis est, & scriptum est* האחרון הכביד דרך הים עבר הירדן גליל הגוים *q. dicat, major est priori. Postmodum vero agit de prospero successu regis Juda, filii Achas, quia dictum est, habitantes in umbra mortis. Nempe Juda maximopere Regem Assyriæ extimuit; quia dictum est* (2 Reg. 20: vers. 19.) *dies afflictionis & corruptionis & contumeliæ. De liberatione vero eorum dicitur, lux splenduit super eos* v. 2.)

§. 3. Equidem sæpenumero insuper habito scopo & contextu Judæos sibi suisque Magistris plurima indulgere, & proterva scripturam truncandi, depravandi, & pro arbitrio, cabalistica quadam & allegorica ratione torquendi licentia à sensu vero abludere, longe rectius conqueri possumus, & nisi aliud esset agendum, id facile ostenderemus. Sed in eo jam sumus occupati, ut crimen nobis impactum abstergamus. Quod ut fiat, hujus ipsius capitis, unde nostrum oraculum est depromptum, & ad cujus argumentum Lipmannus provocat, exordium intuebimur, quod ita habet: כי לא מועף לאשר מוצק לה כעת הראשון הקל ארצה זבולון וארצה נפתלי והאחרון הכביד דרך הים הים עבר הירדן גליל הגוים: העם ההולכים בחושך ראו אור גדול יושבי בארץ צלמות אור נגה עליהם: De horum verborum sensu tum demum rectius constabit, cum præcedentis capitis ultima verba viderimus, quæ ita habent: *Et terram aspiciet, & ecce tribulatio, tenebræ & obscuratus angustia, & caligine impulsus.* Quibus minis severissimis Deus consolationem suam addit, verbis ante recensitis. Judæi quidem & ex recentissimis R. Jacob Abendana, cujus annotationes in Michlal Jophi nuper cum elogio Dn. Buxtorfii & Professorum Leidensium Amstelodami sunt excusæ, priorum verborum ex mente Kimchii hunc esse sensum ait: לא היתה הצרה הראשונה כשהגלם פול מלך אשור כצרה הזאת כי בפעם הראשונה הקל ולא הגלה אלא זבולון ונפתלי וזה האהרון הכביד סנחריב: *Illa calamitas, qua Rex Assyriæ Phul in captivitatem eos abduxit, dissimilis huic est, quia in priori illa leniter egit, neque abduxit, nisi Zebulon & Naphthali, hac posteriori autem aggravavit Sancherib.* Consimiliter Christiani nonnulli Interpretes utroque verbo הקל & הכביד ad geminam illam hostium in Israëlem invasionem respici putant, unam leviorem 2 Reg. 25: 29. alteram graviorem, 2 Reg. 17: 6. cum omnibus hostiliter vastatis, Israëlem in Assyriam abduxit. Atque hi iterum variant: Alii enim ad *literam* seqq. verba de liberatione ex illa captivitate, sensu *mystico* autem sive *accommodativo* de luce per Messiam donanda agere contendunt. Alii vero simpliciter & literaliter de Messia intelligenda esse docent, eo maxime adducti, quod *lucem magnam* Evangelii doctrinam esse, ipsum complementum, & sacri scriptoris autoritas nos minime dubitare siniat, Matth. 4: 15. Quæ posterior explicatio, in Harmonia Evang. B. Chemnitio probata, priori præferenda videtur.

§. 4. Sane de liberatione aliqua ex captivitate vel hoste regni Judaici sermonem esse, nondum est ostensum, neque necessarium, ut duo illa verba dictum in modum explicentur. Ludovicus enim de Dieu alia vocum illarum significatione in sacris observata, ejusmodi versionem adornavit: *Sed non adferetur obscuritas ei* (terræ) *cui allata est angustia, sicut tempore primo ignominiam dedit versus terram Zabulon & terram Naphthali. Sic postremo* (tempore) *gloriam dabit via maris trans Jordanem in confinio gentium.* Quæ autem est illa gloria? *populus sedens in tenebris &c.* Quæ explicatio & contextui & verborum tenori conformis videtur. particulam enim כי, quæ ut dictio ἀνθετική 2 Sam. 16: 17. occurrit, longe rectius huc quadrare videtur, quam si pro αἰτιολογική eam habeas. Consimiliter verborum הקל quod 2 Sam. 19: 43. Ezech. 22: 7. *vilipendere* & הכביד, quod Jer. 30: 19. *honorare* denotat, eadem hic significatione accipi commodissime possunt, ut hunc sensum gignant: tractum illum, gentibus vicinum, & ab

& ab Hierosolyma, cultus divini sede remotum, peculiari mactatum iri honore, nempe ut magnam videat lucem, quod etiam factum est tum, cum sol justitiæ, Malach. 4: 2. & Lux gentium Es. 49: 6. Messias, frequentioribus concionibus eum nobilitavit & insignioribus miraculis est dignatus. Ut falsum sit, quod R. Abarbenel pag. 8. col. 3. Maschmiah Jeschua scribit: כמו שכהו עיניו מראות כן בבית שני לא תיתה ליהודים אורה ושמחה מהנבואה ורוח הקדש אהרון הכרובים ושאר הקדושות שחסרו להם: *Ut oculi ejus* (Isaaci) *caligarunt, ita tempore templi secundi Judæis nec lux fuit, neque lætitia ex prophetia, arca, cherubim & reliquis sanctitatibus, quibus caruerunt.* Nempe πώρωσις illa, quam velut æs triplex circa intellectum habent, subinde obstitit, ne luce vera Joh. 1: 9. Messiæ afficerentur, sed ejus loco umbram potius, (cujusmodi omnia illa sunt, quæ R. Abarbenel recensuit) expetentes, tenebras magis diligerent, quam lucem Joh. 3: 19.

§. 5. Uti igitur nulladum apparet ratio, cur verba Prophetæ ראו אור גדול *viderunt lucem magnam*, & אור נגה עליהם *Lux splenduit super ipsos*, de aliqua liberatione temporali, illa nempe, qua Hiskias captivitatem à Rege Assyriæ intentatam evasit, intelligi debeant: ita & seqq frustra Lipmannus adversus nos urget: הרי מבואר שבימי אותו הילד היה שלל של חיל גדול והיה לשרפה ואימתי היה זה בימי הנוצרי אלא על חיל של מלך אשור קאי כדפיי שהרגום המלאך וזהו השריפה וחזקיהו ודורו לקחו השלל: *Ecce in confesso est, illius pueri ætate magnam fuisse prædam exercitus in combustionem. Ecquando vero in diebus Nazareni contigit? Sane de præda Assyriæ Regis loquitur, veluti dictum, quod Angelus illos occiderit. Et hoc ipsum innuitur voce* השריפה *combustione. Hiskias quoque & illius coætanei spolio potiti sunt.* Supra laudatus R. Jacobus Abendana, annot. in Michl. Jophi in eundem fere sensum scribit: זה מחנה אשור אשר הכה מלאך ה׳ מאה ושמנים וחמשה אלף בלילה אחד והיו לשרפה מאכלת אש כי היתה גוף קיים ונשמה נשרפת לא כאשר המלחמות אשר ילחם הלוחם ברעש הסוסים ושמלה מגוללה בדמים אבל זאת לא תהיה בה לא חרב ולא רעש ולא דמים: *Castra Assyriorum hic intelliguntur, quæ Angelus Domini percussit centum octoginta quinque millia una nocte, qui combusti & igne absumti sunt. Corpore enim superstite, anima combusta est, non ut in reliquis bellis fieri solet, ubi miles strepitu equorum pugnat, vestibus sanguine imbutis. Hic enim neque gladius, neque strepitus, neque sanguis locum invenit.*

§. 6. Hæc Lipmannus & Abendana ex R. Salomone, qui per eos, *qui in tenebris ambulant*, cives Hierosolymitanos, & *visionem lucis* casum & ruinam Sancheribi intelligit, desumpserunt. Sed hæc explicatio est conficta, ceu patet ex ipsa textus inspectione. In eo enim ne minima mentio Hierosolymæ, vel tribus Judæ, facta est, sed duarum tantum tribuum Regni Israelis, quæ ob impietatem suam olim contemtæ, aliquando reliquis præferendæ, adeoque honorandæ, lucem magnam sint visuræ. Quod vero R. Lipmannus urget vocem שלל prædam, quæ non Nazareni, sed Hiskiæ ætate distributa sit, in eo quoque is fallitur. Propheta enim illius tum distributæ minime meminit, sed lætitiæ ob lucem illam orituræ magnitudinem exaggeraturus, ait, tantam eam futuram, quanta solet esse illorum, qui copiosa messe uberem fructum perceperunt, aut copiis hostium pulsis, spolia opima sint nacti. Atque ita de Hiskia, ejusque hoste Assyriorum Rege, sermonem Esaiæ fuisse, vox שלל nequaquam evincit. Consimiliter nec verba proxime antecedentia de insigni illa Assyriorum strage per angelum edita intelligenda esse, vox שרפה probat, quippe quæ ad animam, ut Abendana docet, minus quadrat. Sane ad tempora Messiæ, quibus omnem hostium conatum irritum fore Propheta ait, referenda verba illa una cum antecedentibus esse, non potest esse obscurum ei, qui ea cum subseq. confert, ubi tanquam victoriæ autori puero illa adscribuntur.

§. 7. Atque ita de Messia loquitur Propheta, qui etiam nomina illius recenset, ex quibus, cujusmodi is sit futurus, colligere debeamus. Sed R. Lipmannus in Christianos iterum telum vibrat: תקשה להם לפי ושו שנ׳ שמו לשון יחיד ולא נאמר לשון רבים הלא מזכיר ששה שמות: *Objice illis ad explicationem istius: quia dictum est* שמו *in singulari, non in plurali; nonne sex nominum facit mentionem?* Ergo ne vox שמו obstat, quo minus illa gloriosa epitheta Messiæ attribuamus? At hoc minime dixerit, qui Scripturæ rationem loquendi haud ignorat. Ecquem enim latet, plures voces pro uno nomine haberi? Es. 8: 3. dicitur, voca nomen ejus מהר שלל חש בז: & Exod. 34: 6. Deus appellatur אל רחום חנון ארך אפים ורב חסד ואמת: Deinde recolendum est, nomina quædam esse δεικτικά, quibus sæpius διακριτικῶς aliquid insignitur: quædam περιφραστικά, quæ cum alicui imponi dicuntur, non tam cotidiano usu eum ita appellandum esse significatur, quam reapse talem eum, qualem nomen præ se fert, futurum, ut ita *vocari* & *esse* ex usu Ebræorum plane ἰσοδυναμοῦντα sint; confer *Excellentissimi Dn. Præsidis Patroni mei summi* Disp. de nomine Messiæ glorioso ex Jer. 23: 6. th. 16. & de non speranda arcæ fœderis restitutione ex Jer. 3: 15. cap. 2: th. 12.

§. 8. Ejusdem farinæ est, quod Lipmannus contra nos urget his verbis: בימי הנביא ישעיהו כבר היה הילד בעולם כמו שנ׳ ילד ילד לנו בן נתן לנו ולא אמר יולד וינתן לנו כמו שנאמר למעלה הנה העלמה הרה ויולדת בן והנוצרי לא היה עד בית שני: *Prophetæ Esaiæ ætate jamdum in lucem editus erat puer ille, quia dicitur: puer natus est nobis, filius datus est nobis. Neque ait, nascetur & dabitur nobis, quemadmodum supra* (cap. VII.) *dictum est: ecce virgo concipiens & pariens filium. Nazarenus vero non fuit, nisi demum stante templo secundo.* Idem nobis opponit R. Abarbenel, com. in h. l. הנה אמרו ניתן לנו מורה שכבר היה נילד וניתן באותו זמן ואיך יפורש על ישו שהיה אחר כך יותר מת״ק שנה: *Ecce cum ait: datus esse nobis, eo ipso docet, id temporis eum natum datumque fuisse. Ecquomodo igitur, de Jesu explicant, qui plus quam quingentis annis post demum extitit?* At ex eo, quod Esaias præterito est usus tempore, colligi nequit, de Salvatore nostro textum non posse intelligi. Ecquid enim in sacris magis obvium est, quam ut ibi, ubi de rebus futuris Prophetæ agunt, adhibeant verbum præteriti temporis? Attestante R. Salomone, com. in Esai. 42: 6. כן לשון הנבואה לדבר על העתיד כאלו עשוי: *Ita mos fert prophetiæ de futuro loqui, tanquam jamdum esset factum.* Et R. D. Kimchi, com. in Ps. 4. 1.: בנבואות יאמר עבר במקום עתיד שהדבר כאלו נעשה: *In vaticiniis præteritum loco futuri ponitur, quia res perinde se habet, ac si jam contigisset.* R. Bechai, fol. 14. com. in Legem idem fatetur aperte, & id fieri מדרך הנבואה *ex more prophetiæ* asseverat. Eccur igitur & h. l. ita Vatem loquutum, & usitata enallage temporis usum esse, obstinati homines dissimulant? Nempe ut habeant, quod veritati opponant, quæ tam evidenter in Christianorum explicatione animadvertitur, ut contra Judaica interpretatio absurda sit, quæ se ipsam facile destruit & evertit.

§. 9. Videamus saltim, quid post Judaicarum controversiarum continuatores antiquiores, R. Salomonem & Kimchium, commentus sit recentior, R. Abarbenel in h. l. *fol.* 23. *col.* 1. ita ille: ילד ילד לנו נאמר על חזקיה וכאלו אמר הנה התשועה הגדולה הזאת מפלתו של סנחריב לא תהיה בזכות אחז המלך עתה כי אם בזכות חזקיהו בנו שימלוך אחריו ועל זה אמר כי ילד ילד לנו ורצה לומר כי הילד שכבר נולד והוא חזקיהו שהיה הבכור לאביו לא נולד בצדקתו של אחז ולא לתועלתו אבל נולד לנו לתועלתנו ואותו הבן הש״י נתנו לעמו בני יהודה ותהי על שכמו כיון שלא יטה שכמו לסבול עול מלך כמו שעשה אחז אביו שהיה משועבד אליו ושלח אליו מנחה וחזקיהו לא יהיה כן אבל תהיה על שכמו המשרה שהוא המלכות בלי השתעבדות: *Cum ait, puer natus est nobis, de Hiskia loquitur, quasi dicat, ecce magna hæc salus, quam ex casu Sancheribi percepimus, non erit ex Achasi sanctitate, hac ætate regnantis, sed Regis Hiskiæ filii ejus, post eum ad gubernacula sessuri. Ideo enim dicitur puer natus est nobis, quasi dicat, puer hic jamdum natus, nempe Hiskias, primogenitus Patris sui, non ob justitiam Achas est natus, neque ad ipsius emolumentum, sed nobis est natus, & ad nostrum commodum, quem Deus populo suo, filiis Judæ dedit. At super hujus humeris principatus erit, quasi dicat, tergum suum is minime submittet jugo Regis Assyriæ, velut Achas fecit, qui ei subjectus erat, & dona misit. Hiskias non ejusmodi erit, sed super humeris suis principatum habebit, hoc est regnum absque servitute.*

§. 10. Cæterum, num Hiskiæ sanctitate & pietate Deus motus dicitur, ut, tam potenti hoste profligato, Hierosolymam defenderet? Id vero in textu haud memoratur, sed ob Davidem servum suum se auxilio futurum urbi, Deum 2 Reg. 19: 34 legimus. Deinde & id aperte falsum est, Hiskiam ejusmodi regem fuisse, qui alterius jugum humeris suis non receperit, & tantum principatum gesserit. Numquid Hiskias onus illud extranei jugi in se non recepit, 2 Reg 18:14. ad quod se ipsemet obtulit his verbis: אשא את אשר תתן עלי *feram quicquid mihi imposueris*? Annon trecenta argenti, & triginta auri talenta Regi Assyriæ misit, ut tributarius & ut exacerbatum hostem placaret, ipsas etiam valvas & columnas templi muneris loco exhibuit? Ecquomodo igitur ab omni subjectione immunem Hiskiam hic tanta elogiorum copia describi dixerint Judæi? annon major verborum emphasis est, quam ut Hiskiæ conveniat? Quem, si pacatum regni statum respicias, multis parasangis post

poſt ſe reliquit Salomo, qui, etſi bellum nunquam viderit, ac ſubditi ipſo imperitante 2 Reg. 4: 25. in ſumme deprædicata & mirifica ſecuritate ſubinde degerint, nunquam tamen is elogium *principis pacis* eſt adeptus. Longe alium igitur hic intelligendum per *puerum*, ſic ſatis patet. Et cum Judæi neminem habeant, cui hoc prædicatum una cum aliis ſeqq. vere convenire, oſtendere queant, illud omnino nobis firmum manet & fixum, Meſſiam eſſe illum, de quo Eſaias h. l. eſt vaticinatus.

§. 11. Neque obſtat ſequens in textu locutio, ותהי המשרה על שכמו *& fuit principatus ſuper humero ejus.* Ad quam R. D. Kimchi ſcribit: הלא לא נזכר שכמו אלא לענין עבודה כמו ויט שכמו לסבול *nonne vox* שכמו *humerus ejus, de ſervitute duntaxat uſurpatur, ut cum dicitur*: (*Gen.* 49: 15.) *& extendit humerum ſuum ad portandum*? Sane id lubentes fatemur, alibi ſic minime loqui Scripturam, ut humeris principatum attribuat: cap. tamen Eſai. 22: 20. tribui humeris videmus clavem domus Davidis; quibus verbis Kimchi ait indicari כי הוא ישא ויסבול ויכלכל דברי המלכות: *quod portet & curet ea, quæ ad regnum ſpectant*; conſimiliter & hoc loco *per principatum in humeris*, peculiaris cura, quam ipſe habiturus ſit Meſſias, intelligitur, quod ideo tanquam memorabile recenſetur, quod alias fere illud onus in alios derivari ſoleat à Regibus & Principibus. Qua occaſione vero Propheta ita cap. IX. ſit locutus, idem Kimchi his verbis exponit: לפי שאחז היה עובד למלך אשור והיה סובלו על שכמו כי זה הילד לא תהיה עבודה על שכמו אלא משרה: *Quia Achas Regi Aſſyriæ ſervit, hic puer autem humeris ſuis nullam ſervitutem, ſed principatum habiturus eſt.* Cenſet itaque, Judæus, Hiskiam ſic parenti ſuo opponi, quod vanum eſſe commentum ex dictis patet. Rectius dicitur, Eſaiam reſpexiſſe ad ea, quæ verſu 4. habentur: ubi *jugum oneris & virgam humeri confregiſſe Deus dicitur*, ut populo libero ab iſtis nunc nihil metuendum ſit, quippe cui ejusmodi filius ſit datus, qui αὐνυπόθυνος ipſemet regni habenas ſit moderaturus. Quod enim H. Grotius ait, ſignificari πορφυρογέννητον, qui ab ipſis cunis purpuram ferat regiam, ut in regnum natus, id phraſi minime convenit, nec ejusmodi quid eſt, quod non in quemvis etiam degenerem cadat filium. R. Abarbenel adhuc aliam explicationem vocis משרה affert, אפשר גם כן במשרה התורה והתעוד, כמו שתרגמו יונתן שיהיה דבק באלקיו ובתורתו ולא יהיה על יו שררת האללים ועבודת: *Poteſt etiam accipi de legis principatu, velut Jonathan explicavit, ut ſit ſenſus, eum Deo legique ejus adhæſurum eſſe, idolorum vero principatum nullum agniturum.* Sed hanc interpretationem allegoricam, cui alias Chaldæus eſt deditus, textui minus eſſe conformem, ſatis ex Prophetæ verbis liquet, quibus tanquam aliquid filii peculiare recenſet, non illud, quod ei cum aliis regibus eſſe queat commune, quale eſt, Deum timere, & legi ejus præſtare obedientiam.

§. 12. Atque ad prærogativam illam, quam ille puer habiturus ſit præ reliquis hominibus, referenda ſunt etiam nomina illa, quibus eum appellandum Propheta ait ſequentibus verbis: ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי עד שר שלום eorum ſenſum hunc eſſe dicimus Chriſtiani: *& vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater æternitatis, princeps pacis.* Sed hic difficile dictu eſt, quantopere Judæi textum torqueant, dum כנוים ſive *epitheta* illa pleraque omnia Deo tribuenda eſſe docent, filio illi naſcituro non item, adeoque non tam ad prædicatum, quam ſubjectum ea pertinere contendunt. Audiatur R. Abarbenel, qui cæteris Judæis palmam ingenii dotibus creditur præripere, ita vero ille: כפי דעת יונתן ורש"י ושאר המפרשים כל אלה הם תארים להקדוש ברוך הוא מלבד שר שלום שהוא היה תואר המיוחד לחזקיהו יהיה שיעור הכתוב בו ויקרא שמו האל הגדול שהוא פלא יועץ אבי עד הנה הוא יתברך יקרא שמו של חזקיהו שר שלום כי שלום ואמת והיה בימיו ויש ראיה לדבריהם ממה שנכתב מלת ויקרא היוד בח"ירק והריש בק"מץ והנוצרים העתיקו ויקרא הקוף בק"מץ והרש בצ'רי שיקרא כן בפי הבריות ואמרו שכן העתיקו שבעים המעתיקים: *ſecundum Jonathanis, R. Salomonis & reliquorum Interpretum ſententiam omnia illa epitheta Deum benedictum reſpiciunt, excepto ultimo, princeps pacis, quod eſt Hiskiæ tribuendum, ut Scriptura videatur dicere: & vocabit Deus magnus, qui eſt admirabilis, conſiliarius, pater æternitatis; Ecce Deus benedictus Hiskiam principem pacis vocabit, quia pax & veritas erit ipſius diebus* (Eſai. 39: 8.) *robur illorum verbis accedit inde, quod vox* ויקרא *jod cum chireck habet, & Reſch eſt camezatum. Chriſtiani vero vertunt verbum* ויקרא *tanquam Kuph Kamez habeat, & Reſch zere, quod ſit ita appellandus ab hominibus, & dicunt, ita etiam tranſtuliſſe* LXX. *Interpretes.*

§. 13. Etſi vero interpretatio illa eſt plurium Ebræorum Interpretum, & ipſius etiam Kimchii; erroneam tamen eam eſſe, ipſa ratio loquendi Scripturæ recepta arguit. Non quidem, ut magni nominis vir cenſet, ideo, quod more Ebræis inſolito, nominativo verbum præponitur (id enim velut ex Gen. 21: 3. 22: 14. patet, inſolens non eſt) ſed quod vox שמו *nomen ejus* ſecundum judaicam ſententiam nuncupantis nomini præmittitur, quod uſui Scripturæ ita aperte repugnat, ut omnia exempla, quæ quidem hactenus intueri licuit, gloſſam Judæorum violentam eſſe clamitent, utpote in quibus inter nomen nuncupantis & nuncupati שמו medium locum occupat, & ita illud nomen, quod vocem שמו ſubſequitur, ubique nuncupato tribuitur, nuncupanti non item; confer Gen. 16: 5. 21: 3. 22: 14. Exod. 2: 22. Ruth. 4: 17. 1 Sam. 1: 20. 2 Sam. 12: 25.

§. 14. Deinde quam violentum illud eſt, quod tot una ſerie occurrentia nomina dicunt eſſe, ut autor Michlal Jophi loquitur, כנויים לאל יתברך *attributa Dei benedicti*, excluſo ultimo *princeps pacis*, quod ſolum ſit שם הילד *nomen pueri*! Sane cum omnium illorum attributorum par majeſtas ſit, & illa ita immediate ſe invicem ſequantur, ut inter ultimum & penultimum nomen non major accentus, quam *Tiphcha*, reperiatur; nihil cauſæ eſt, quamobrem ultimum nomen à prioribus ita divellant. Id enim ut faciant, accentus illius officium minime poſtulat, quippe quod ſæpenumero tam ignobile eſt, ut ille otioſus nihil diſtinguat, ſed inſtar reliquorum ſervorum ſaltim moneat, ſententiam ad proximum inciſum usque eſſe continuandam.

§. 15. Quod vero R. Abarbenel Ebræorum Interpretum explicationem inde ſtatuminari, & præ noſtra ſententia veritati conſentaneam eſſe ait, quod Reſch Kamez habet, & ita rectius ad Deum vocantem referri arbitratur; iterum id ſe ſcire diſſimulat, quod Ebræis uſitatiſſimum eſſe, eum latere non potuit. Nempe etſi in Ebræo textu verbum ויקרא conjugationis primæ Kamez habet; inde tamen minime ſequitur, id neceſſario active ſumendum & ad Deum referendum eſſe. Scriptura enim ita ἐλλειπτικῶς activo verbo utitur, & ſubintellecta aliqua voce indefinita, paſſivam quoque ſignificationem admittit, quæ cum altera activa plane coincidit. Confer Lev. 13: 45. Judic. 1: 17. 2 Sam. 2: 16. Eſa. 44: 5. & Eſa. 62: 2. Atque huc apte quadrat exemplum, Gen. 48: 2. ויגד ליעקב *& nunciavit Jacobo.* Ad quod, ut haud ita pridem *Venerandus Dn. Præſes* lectione publica ex Autore Michlal Jophi monuit, ſubintelligenda eſt vox המגיד *nuncians*, ubi קצר המקרא *Scriptura brevitate utitur*, velut ibi Rabbi fatetur. Confer etiam R. D. Kimchium ad Mich. 4: 3. & R. Salomonem ad Gen. 48: 2. Atque perinde ibi eſt, ſive vertas: *& nunciavit* (nuncians), ſive: *& nunciatum eſt.* Et quemadmodum Græci ibi rectiſſime reddiderunt ἀπηγγέλη τῷ Ἰακώβ; ita hic quoque Ebraiſmi gnari, verbum ויקרא (ad quam ſubaudiendam eſſe viderunt vocem קורא vel ſimilem) bene verterunt καλεῖται. Hanc Ebræorum loquendi rationem, quam מקרא מסורס *ſcripturam abbreviatam* vocant Rabbini, cum non intelligerent Pontificii, textum Ebræum à Judæis corruptum eſſe, male ſuſpicati ſunt, ut videre eſt apud Bellarminum, lib. 2. cap. 2. de V. D. quam crambem toties coctam non dubitavit quoque apponere Vitus Erbermannus, in lib. quem inſcribit, Bellarminus vindicatus, tom 1. lib. 1. de verbo Dei cap. 3. de editit. S. Scripturæ §. 2. pag. 53. ſummæ in Ebraica literatura ignorantiæ & pertinaciæ documento relicto. Maſora ſane falſitatis convincit Pontificiorum ſententiam, utpote quæ pridem monuit, verbum וַיִּקְרָא ſexies occurrere in Scriptura, deficiente particula את, quæ nota falſa eſſet, ſi ex paſſivo verbo hic activum formaſſent Judæi. Confer Maſoram magnam fol. 54. b. & parvam ad cap. 35. Gen.

§. 16. Uti vero Judæorum explicationi adverſatur verborum ſeries & constructio, ita conſimiliter eandem non admittit Prophetæ ſcopus, qui eſt, filium illum, qui naſciturus ſit, deſcribere. Eccur enim hic in Deum tot epitheta congereret Propheta? Reſpondet quidem R. Lipmannus: ומה שהזכיר כאן כל כך שמות הרבה להש"י זהוא להבטחת הנבואה: *Ideo tot nominum Dei Benedicti meminit, ut eo magis vaticinio fides habeatur.* At nullo modo hoc probabile eſt. Cur enim alias non æque multa nomina in vaticiniis cumulantur, ſed vel ſolum יהוה, vel יהוה צבאות, vel שדי aut ſimile occurrit, ubi aliquid certo eventurum Deus promittit?

§. 17. Rabbi David Kimchi itidem ea ad Deum reſtringit: לענינים מורים על דבר חזקיהו *propter ejusmodi res, quæ Hiskiam concernebant*, R. Abarbenel rationem tot titulorum redditurus ita infit: ראה הנביא כפי דעת יונתן והמפרשים לתאר את הש"י

השׁ"י בתארים האלה בזה המקום לפי שהם מתיחסים כפי הפעולות אשר עשה בזמן חזקיהו אם פלא על שם הפלאות שעשה במפלת סנחריב וברפואה חזקיהו ובהשבת צל השמש אחורנית ואם יועץ לפי שעצתו נתקיימו ולא עצת סנחריב וכמו שאמר עוצו עצה ותופר והמשורר אמר ועצת ה' היא תקום ואם אל לפי הוא האל האמתי ולא כמאמר סנחריב מי בכל הארצות אשר הצילו את ארצם מידי ואם גבור לפי שהראה גבורתו במפלתו של סנחריב ואבי עד כלומר אבי הזמן והנצחיות ולכן היה בידו להוסיף על ימי חזקיהו ט"ו שנה: *Ut Jonathan & Interpretes docent, Propheta Deum tempore Hiskiæ deſcribere voluit illis titulis, eo quod eos ſibi vendicat pro ratione operum illorum, quæ Hiskia imperitante fecit. Nempe mirabilis dicitur propter illud opus, quo Sancheribum proſtravit, ſanationem item Hiskiæ, & regreſſum umbræ Solis. Conſiliator, quia conſilium ejus perſtat* (Eſ. 46:10.) *& non Sancheribi, quemadmodum ait*: (Eſ. 8:11.) *conſiliamini conſilium, & diſſipabitur. Et cantor ait* (Prov. 19:21.) *Conſilium Domini ſtabit, vocatur Deus, quia verus Deus eſt, & non ut Sancherib ait* (Eſai. 38.) *non liberarunt dii gentium terras è manu mea. Fortis, quia robur ſuum in proſternendo Sancheribo demonſtravit. Pater æternitatis, q. d. Pater temporis & æternitatis, atque ideo penes ipſum erat diebus Hiskiæ XV. annos addere.*

§. 18. Ita ſibi viſus eſt R. Abarbenel ſingulorum nominum rationem ritè indagaſſe, quamobrem iis Deus hic ſit inſignitus: cum tamen revera nihil, quod ad textus explicationem faciat, ſed tantum ingenii ſui commenta attulerit. Deo, qui ob varia opera variis nominibus appellari poteſt, nomenclaturas illas tribui poſſe, minime ſufficit; ſed id maxime hic ſpectandum eſt, quid Scripturæ uſus ferat, contextus circumſtantiæ poſcant, & Scriptoris ſcopus velit. Alias & ultimum epitheton, quod Judæi Hiskiæ tribuunt, Deum reſpicere, dici queat, quod Interpretes plures Ebræorum non admittunt, licet Abarbeneli non videatur abſonum. Subdit enim is כפי דרך הזה גם שר שלום נוכל לפרשו על ה"שי שהוא שר ואדון השלום: *Hoc modo poterimus etiam verba* שר שלום *de Deo benedicto explicare, quia ille princeps & dominus pacis eſt.* Ergone nullum omnino nomen ſupererit, quo nuncupari debeat ille ילד & בן, de quo tamen tam emphatice loqui incepit Propheta? Ne opus quidem eſſe, ut id ſtatuamus, Abarbenel poſt R. Salomonem cenſet, unde ita ſcribit: ויהיה אומרו ויקרא שמו לא קריאת שם ממש אלא לשון גדולה ושררה כמו ויקרא שמו בבית לחם ועשיתי לך שם אף כאן ויקלא שמו וטבעו בעולם מלשון ואגדלה שמך: *Cum ait* ויקרא שמו *non intelligenda eſt ſimpliciter nominis impoſitio, ſed habet magnitudinis & dominii notionem, quemadmodum* (Ruth. 4: 11. 14.) *& vocetur nomen ejus in Bethlehem. Et faciam* (1. Paral. 17: 8.) *tibi nomen. Ita hic quoque ſenſus erit: nomen & natura ejus magnifiet in mundo, ex ſignificatione* (Geneſ. 12: 2.) *nomen tuum magnum faciam.*

§. 19. Sed loca hæc minime eſſe parallela, ſatis patet ex ipſa collatione illorum. Nam Ruth. 4. nullum nomen ſubſequitur, quod ad filium natum referre queas: at hic plura immediate ſubduntur, quæ ex uſu Scripturæ non niſi filium ſpectare poſſunt. Unde hoc gloſſema eſſe à Judæis confictum apparet. Sane parum ei tribuendum eſſe, ipſe R. Abarbenel prodit, qui textu diu multumque detorto & vexato, tandem lectoris arbitrio relinquit, utrum majeſtaticam illam nomenclaturam Deo vocanti tribuere velit, an Hiskiæ. Ita enim is pergit: סוף דבר אם תרצה לפרש כל השמות האלה על חזקיהו תוכל עשותו כי מדרך הלשון לצרף שמות ה' יתברך עם יראיו וחושבי שמו כי חזקיהו הרצון בו חוזק האל וישעיהו תשועת האל וצפניהו צפנות האל וכן מצאנו צורי שדי שהוא שם האל לגמרי וגם שם האל מצאנו לבני אדם כמו אלי מואב ואבי עד ירמוז לחיים הנצחיים או שנמשך המלכות בעבורו או שהרביץ תורה בישראל כמו שאמר אשר העתיקו אנשי חזקיהו מלך יהודה או שיפורש מלת עד לשון שלל ירמוז שלל סנחריב שבא לידו כמו שפי' ואם תרצה לפרש כל התארים האלה על ה' יתברך הרשות בידך ויהיה ענינם כפי יחס הפעולות אשר עשה בזמן ההוא: *Summa rei eſt, ſi volueris omnia iſthæc nomina de Hiskia explicare, poteris id facere. Linguæ enim hujus mos eſt, nomina Dei illis adjungere, qui eum timent, & nomen ejus verentur. Hiskias enim ſignificat robur Dei, Eſaias ſalutem Dei, Zephanias abſcondita Dei. Atque ita reperimus Zuri, Sadai, quod nomen Dei eſt abſolutè. Atque ita in hominibus reperimus Dei nomen. e. g. Eli, Moab,* אבי עד *vero vitam æternam ſignificat, aut, quod regnum propter illum prorogetur, aut quod legem Dei in Iſraele docuerit, veluti dictum eſt* (Prov. 25:1.) *quæ tranſtulerunt viri Hiskiæ, Regis Judæ. Aut explicabitur vox* עד *ſignificatione prædæ, & notabit prædam Sancheribi, quam cepit. Si vero omnia epitheta iſthæc de Deo benedicto velis accipere, itidem tui erit arbitrii, & ſignificabunt iſta opera, quæ illo tempore fecit.*

§. 20. Sed nos quoque lectoris judicio relinquemus, ecquid de hoc interpretamento ſentiendum ſit, quo Judæus optionem dat lectori, utram diverſarum explicationum velit amplecti, ubi tamen ex textu ſatis patet ejuſque circumſtantiis, utramque eſſe falſam & à Judæis eo ſaltim allatam, ut habeant, quod pro Chriſtianorum eaque antiquiſſima explicatione ſubſtituant. Ex Judæo quærere libet, num hoc loco tam anceps textus ſit & perplexus, ut certo ſciri nequeat, quo referri illa debeant nomina? id vero minime alii Ebræi dixerint. Sane ipſum puerum naſciturum, ſi non omnibus nominibus (quod tamen ſatis dilucide ex textu patet) ſaltim ultimo inſigniendum ſignificari, ne quidem antagoniſtæ noſtri diffiteri poſſunt. Et cum ad Hiskiam id nominis detorquere velint, qui tamen, ut ex ſupra dictis patet, tam ſplendidi nominis minime capax eſt, ecquid aliud ſequitur, quam noſtram explicationem veram eſſe & genuinam, recutitorum vero falſam, ſpuriam & in Chriſtianorum odium confectam?

§. 21. Dixi, à Judæis eam in odium Chriſtianorum eſſe confectam. Aliter enim antiquos Ebræos ſenſiſſe, & de Meſſia vaticinium propheticum interpretatos eſſe, ex monumentis illorum probari poteſt. In libro לבות ad Geneſ. cap. 41: 44. & in præfatione איכה רבתי locum hunc de Meſſia explicatum eſſe, patet ex iis, quæ Raymundus Martinus, Pug. fidei, part. 3. diſtinct. 111. cap. 14. exinde recenſet: Eadem ad verba provocat P. Galatinus, de A. C. V. lib. III. cap. 19. & 26. & Cl. Helvicus tom. IV. Gieſſenſ. diſp. V. th. 19. & ita gemino iſto loco probant, olim ita fuiſſe ab Ebræis textum hunc intellectum. Quod utrumque tamen teſtimonium in exemplari, annis abhinc XII. pro Bibliotheca *Salana* Venetiis comparato iterum ac ſæpius mihi inquirenti non occurrit. An in Cracovienſi editione etiamnum extet; an vero & ibidem, uti ſuſpicari licet, Judæorum fraude ſit omiſſum, videant illi, quibus ejus inſpiciendi datur copia. Extat tamen in eodem libro, Deſarim Rabba, fol. 196. col. 3. illuſtris locus, hic minime prætereundus: אמר לו הקב"ה עד עכשיו יש לי להעמיד מלך המשיח שכתוב בו כי ולד ילד לנו: *Dixit ei Deus benedictus: modo conſtituturus ſum Regem Meſſiam, de quo ſcriptum eſt: parvulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis*; Similiter Chaldæus Interpres de Meſſia textum accepit, dum reddidit: משיחא ושלמא יסגי עלנא ביומוהי: *Meſſiam, & pax diebus ſuper nos creſcet.* Pugnat etiam pro noſtra ſententia imprudens R. Aben Eſra, qui, licet cum cæteris Ebræis neget, verba de Meſſia intelligenda eſſe, vi tamen veritatis eo adactus eſt, ut repudiata contribulium ſuorum ſententia qui non niſi unicum epitheton *Princeps pacis* pueri nomen eſſe perhibent, ſcripſerit ita: הנכון בעיני כי כל א"ה שמות הילד *mihi videntur omnia illa nomina puero competere.* Ita eſt, ſapiens AbenEſra! non Dei puerum filiumque appellaturi, ſed pueri ibi promiſſi & appellandi omnia illa ſunt epitheta, id quod majores tui dudum faſſi ſunt in Talmud, Maſſechet Sanhedrin, cap. XI. Beth Iſrael, fol. 121. col. 3. Jalkut part. 2. num. 237. fol. 37. col. 2. Licet & illi non ad Meſſiam, ſed tecum ad Hiskiam ea referendo ſatis comprobarint, hanc detorſionem non heri demum aut nudius tertius eſſe natam.

§. 22. Poſtquam ita Judæorum interpretationem falſitatis ſufficienter convicimus, & quam textui & ſcripturæ modó loquendi conformis Chriſtianorum ſit ſententia, oſtendimus, glorioſa illa Meſſiæ epitheta ſeorſim & ordine quoque expendemus. Sex in univerſum nomina operibus ac virtuti Meſſiæ debita jam olim S. Hieronymus com. in h. l. agnovit, ubi perinde, ac B. Lutherus in Verſione Vernacula, voces פלא & יועץ ſeorſim legit, & eas, *admirabilis, conſiliarius* reddidit. Hoc factum eſſe indignatur Thomas Gatakerus, Londinas, Diatriba de N. Inſtrumenti ſtylo c. 3. *Miror*, inquiens, *qua ratione adducti Interpretes duo illa vocabula* פלא & יועץ *à ſe invicem diſpeſcuerint, ſecus quam in reliquis factum eſt, Chriſto ibidem tributis appellationibus, ut* mirabilis *pro uno attributo,* conſiliarius *pro altero habeatur. Meliore conſilio mihi videntur LXX. qui feruntur Interpretes conjunxiſſe* θαυμαστὸς βουλευτὴς, *(neque enim verum eſt, quod Petrus Cluniacenſis l. 2. ep. 2. nomina iſta tam ſublimia, ne Regi ſcandalum objicerent, reſtituiſſe) & Caſtellio pariter, admirabilis conſiliarius. Nam quod Hieronymus vult* אל & גבור *quoque ſejungi, ut jam non quatuor aut quinque etiam duntaxat, ſed ſex conſtituantur appellationes, vix quenquam opinor, adſtipulatorem habiturum.*

§. 23. Cæterum non eſt, cur vir doctus id miretur, cujus aliqua ratio habetur in ipſo textu. Τὸ פלא enim, quod accentum *Teliſcha gedola* habet, abſolute poſitum eſt, minime conſtructum; perinde ac vox יועץ, quæ accentu *Paſchta* inſignita eſt abſolute poſita cenſeri debet. Seorſim igitur ac diſtinctim eas legendas eſſe, ſi nihil aliud, accentus regius probat,

bat, quo diverso utraque est affecta, secus quam in sequentibus contigit vocibus. Atque ita in universum quinque appellationes Messiæ habentur, quarum priorem פלא Hiskiæ tribui, Judaizans Grotius censet, *ad significandas summas, quæ in eo futuræ sunt, virtutes.* Num vero vel pietate, vel alia virtute, major Davide fuit Hiskias? Ecquomodo igitur cum eo comparatur 2 Reg. 18: 3. Quo pacto is præ aliis Regibus sit hoc nactus singulare elogium? Vox פלא autori Concordantiarum Ebraicarum dicitur, significare id, אשר יעלם מציאותו אשר תרחק ותקשה השגתו או סבתו: *Cujus essentia latet, quam apprehendere nequeas, aut causam ejus.* Et cum Judic. 13: 18. angelus nomen suum esse ait פלאי, ipso Kimchio Interprete is indicat, illud esse מפורש ומובדל מדעתך אותו *quod scire vel assequi nequeas.* At num in Hiskia quicquam fuit, quod quis capere nequiverit? Quanto rectius igitur de Messia hoc acceperis, in quo illud secretum est, quod angeli cupiunt introspicere, 1 Petr. 1: 12. & illud *mirabile* quod cœli confitebuntur. Psal. 89: 6. Quin ut ratione suæ personæ & essentiæ hoc nomen meretur, ac vere θαυμάσιος est, quod novimus Christiani, ita ipso Judæo, Flav. Josepho teste, ratione operum id nominis ei competit, quippe qui eum vocat παραδόξων ἔργων ποιητὴν, *mirabilium patratorem*, lib. XVIII. cap. 4. de Antiq. Jud.

§. 24. Uti vox יועץ distincta & cum antecedente voce פלא minime constructa est, ita multominus ea ad sequentes voces אל גבר referenda est. Unde iterum Grotius non unum errorem errat, dum vertit: *Consiliator Dei fortis, id est, qui in omnibus negotiis consilia à Deo poscat, per Prophetas scilicet.* Atqui ut sequentia nomina ibi finiuntur, ubi regius accentus locum habet, ita hic vox יועץ accentu *Paschta* insignita secundum se sine alterius concursu epitheton constituit Messiæ. Et num hæc vox eum tantum significabit, qui à Deo per Prophetas consilia poscat? Quam hoc omnibus vulgaribus etiam Regibus Ducibusque populi receptum fuit, ut in magni momenti negotiis & adversitatibus Dei voluntatem requirerent! Plus indicari, & de alio, quam Grotius persuasum habet, textum loqui satis totus contextus docet, & ex ipsorum Judæorum explicatione patet. Cum vero neminem Judæi & judaizantes nominare queant, in quem competat, recte de Messias interpretamur, qui, uti Apostolus loquitur 1 Cor. 1: 30. ἐγενήθη ἡμῖν σοφία. Et qui *Sapientia Dei* substantialis ante mundi conditum hoc elogium habuit. Confer Proverb. 8: 22. seqq.

§. 25. Tertium nomen est אל גבור, cujus binas voces in casu non obliquo, ut Grotius censet, sed recto positas esse, accentus docet. Similiter diversa & distincta nomina eas non constituere, id arguit, quod, cum reliqua nomina accentu regio finiantur, vox אל accentu Munach, ministro tantum, insignita est. Unde eam cum voce גבור, quæ *sakephkaton* habet, conjungendam, & *Deus fortis* in casu recto vertendam esse, colligitur. B. Lutherus, qui in versione vernacula, Krafft/ Held reddidit, Arianismi insimulatur à Jesuita Forero, Manual. Lutheran. part. 2. pag. 181. seqq. quo tamen eum haud fuisse contaminatum, ea, quæ Tom. VIII. Jen. Germ. de Christi divinitate scripta reliquit, satis abunde probant, ubi vocem אל GOTT reddidit. Etsi igitur antea Held vertit, minime tamen inde concludere licet, eum tunc minus orthodoxe sensisse de Messia: cum in versione nativam vocis significationem, alibi, ubi altera cura in vocis emphasin inquisivit, communissimum & passim in Scripturis obvium usum respexerit.

§. 26. Nunc qua ratione factum sit, ut longissime ab Ebræo textu discedere videantur LXX. Interpretes, inquirendum est. Illi enim textum Ebræum reddiderunt: καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, quo ipso magnam inter Ebræum textum & Græcam translationem esse discrepantiam in aprico est. Gilbertus Genebrardus, Comm. in Psal. 95. de suo Græcos *magni consilii angelum interposuisse* ait, *ut docerent, oraculum pertinere ad Messiam, non Deum Patrem, ut quem nemo Angelum dixerit, quod à nullo mitti possit, cum non sit novum, ut Messias, tanquam à Patre missus, angelus testamenti Mal. 3: 1. angelus in quo est nomen Dei. Exod. 23: vs. 20, 21. vocetur.* Cæterum Lud. Cappellus, lib. IV. Crit. Sacræ, cap. 4. cum verba, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, Ebraicis פלא יועץ אל גבור respondere dixisset, hæc subjicit: *Consilium posuerunt pro consiliario, deinde magnum pro admirabili, nam qui admirabilis est, magnus est, & alibi hæc vox sic redditur ab illis, nempe Numer. 6: 2.* הַפְלִא לִנְדֹּר μεγάλως εὔξηται, &c. 15: 3, 8. לְפַלֵּא נֶדֶר μεγαλῦναι εὐχὴν. אל *autem &* אלהים *idem pene sunt,* אלהים *autem sæpe de angelis dicitur, itaque* אל גבור *potuit ab iis reddi* ἄγγελος, *aut vero etiam vocem* גבור *non legerunt.* Et lib. III. Crit. c. 5. ita loquitur: *quia* אלים *&* אלהים *aliquando in Scriptura sumitur pro angelis, propterea* אל גבור *reddiderunt* ἄγγελος, *nempe (ut recte notat Hieronymus) non ausi de puero dicere, quod aperte Deus appellandus sit, & cætera, sed pro his sex nominibus posuisse, quod in Ebræo non habetur.* Quæ conjectura Cappelli non est prorsus improbabilis. Quod vero alii Græci libri horum loco habent θαυμαστὸς σύμβουλος, Θεὸς ἰσχυρὸς, illa, utpote recentiora, ex translatione Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis hausta videntur, id quod cum Sixtino ab Amama etiam Cappellus asseruit.

§. 27. Quartum nomen est אבי עד *Pater æternitatis*, pro quo in LXX. Interpretum Versione legimus; ἄξω γὰρ εἰρήνην, ubi pro אֲבִי עַד illi אָבִיא עַל legisse videntur. Hoc splendidum nomen iterum Grotius pervertit, & sibi more suo plus justo indulsit, dum scribere non dubitavit: *Pater seculi est, qui multos post se relicturus sit posteros, & in multum tempus.* Quod commentum æque ac Judæorum glossema frigidum est. Rabbi Aben-Ezra, cum Hiskiam אל גבור vocari prohibuisset, שנמשכה מלכות בית דוד בעבורו *quod domus David propter eum substitit*, subjicit: עד טעם עד הוא לשון התמדה כמו שוכן עד *significationem continuandi, ut* (Esai. 57: 15.) *habitans æternitatem.* At quantillum id temporis spatium est, quod ad gubernacula Hiskias sedit? num tam paucorum annorum intuitu tam insigne epitheton illum nactum esse dicemus? R. Lipmannus illud de Deo explicans ait, sensum ejus esse: מה שאני מבטיח הצלחת הילד עתה היכולת בידי ולקיים אחר זמן: *Quam pueri prosperitatem promitto, illa jam in meis est manibus, ut eam posthac possim præstare.* Quæ explicatio hic supponit, nomenclaturam illam subjecto competere, quod supra est explosum. R. Abarbenel omnes rimas, quibus elabi, & Christianorum explicationem declinare queat, conquirens, עד idem etiam significare posse ait ac שלל סנחריב שבא לידו *Spolium Sancheribi, quod cepit.* Quomodo עד Genes. 49: 27. & alibi accipitur. Sed quomodo Hiskias אבי עד dici meretur, qui illius hostium excidii & spolii nunquam causa fuit?

§. 28. Ut de vero & genuino epitheti hujus sensu constet, sciendum est, אב in sacris diversimode accipi. Ut Sanctius monet ad h.l. eum denotat, *qui genuit*, & *qui instruit.* Observante B. D. Glassio, ὀνομαλογ. Messiæ pag. 182. eadem vox notat illum, *qui alicujus rei autor, inventor, scaturigo & origo est*, uti ex Gen. 4: 20. Joh. 8: 44. patet. Vox עד, (quam pro עוד legisse videtur Aquila, dum πατὴρ ἔτι reddidit) dictione עולם ἐμφατικώτερος, *æternitatem* significat, Exod. 15: 18. Esai. 57: 15. unde R. Abarbenel ait: ירמוז חיים נצחיים *indicat vitam æternam.* Adeoque ipso Judæo testante, πατὴρ τῆς ἀφθαρσίας, τῆς ζωῆς αἰωνίου significatur. Quod sane in Messiam optime quadrat, quippe qui, ut B. D. Glassius lib. 5. Phil. Sacr. v. 1. c. 7. locutionem explicat: *Credentes beata æternitate glorificat.* unde eum ut φωτίσαντα ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν Apostolus 2 Timoth. 1: 10. introducit.

§. 29. Excipit Rabbi Abarbenel ad nostram explicationem: אם קראו בן איך קראו אבי עד: *Si eum filium vocat, ecquomodo eum vocat Patrem æternitatis?* Quasi vero uni eidemque subjecto diverso respectu diversa prædicata non queant attribui; & qui secundum eam nativitatem, qua Bethlehemi natus est, pueri nomen habere, secundum alteram, qua est מקדם מימי עולם Mich. 5: 2. Pater æternitatis possit vocari? Nempe hoc ipsum est, quod recutitos tot seculis in summa ista cæcitate detinet, quod Messiam nudum hominem tantum fore, persuasum habent, & ut Majores illorum, quod Christus se æqualem Deo fecisset, facinus morte expiandum duxerunt, Joh. 19: 7. ita illi etiamnum eadem persuasione præoccupati, ne divinitatem illius admittere cogantur, textum quamvis depravatione ut obscurent, nihil faciunt reliqui. Cum LXX. reddidissent, πατὴρ τοῦ αἰῶνος, Christianos quosdam τοῦ μέλλοντος explicationis gratia addidisse, Cappellus censet. Arabs Græcam quoque versionem secutus reddidit: *Pater futuri seculi.*

§. 30. Superest ultimum epitheton, שר שלום *Princeps Pacis*, quod رئيس السلامة *Dominus Pacis*, Arabs reddidit. Ebræi, qui hoc unicum epitheton puero filioque nascituro relinquunt, quem Hiskiam esse ajunt, eum sic vocari docent, שתהיה שלום בימיו: *quod ipso regnante pax esset futura.* Vel ut Aben-Ezra ait: שלום יהיה לשרותו: *ipsius imperio pax sit ferenda accepta.* Ab his iterum nihil abit Grotius, qui Regem Hiskiam sic vocari ait, *quod esset Princeps pacificus & in pace victurus.* At num is, qui turbulentissimis temporibus vixit, cum Philistæis bellum gessit, eosque debellavit, tandem in angustiis constitutus, potentissimum hostem, Regem Assyriæ excidium & captivitatem minitantem, nequicquam

quam multis muneribus placare ſtuduit, tam glorioſo titulo præ aliis præditus eſt dicendus? Quum ab omni veritate alieniſſimum hoc ſit, & *princeps pacis* potius dici debeat, qui merito ſuo pacem facit, rectius ad Meſſiam illud referendum eſſe, iterum patet, quippe qui ille eſt, per quem pacem habemus cum Deo Rom. 5: 1. qui ipſe pax noſtra eſt. Epheſ. 2: 14. Atque de Meſſia hoc attributum intelligendum eſſe Judæus, libro עיר גבורים largitus eſſe videtur, cujus effato, ut B. Hackſpanius, vir de Orient. literis optime meritus, Theologiam Talmudicam antehac obſignavit, ita idem capitis primi finem eſſe volumus: אחרית לאיש שלום היינו צדיקים שרדפו אחר חשלום בעה"ז לכן זוכים לכיתות של מלאכי השרת שיוצאים לקראתם ואומרים יבוא שלום גם זוכים ביאת הגואל הנקרא שר שלום וכתיב למרבה המשרה ולשלום אין קץ: *Reliquiæ ſunt homini pacifico* (Pſal. 37:37.) *h.e. juſtis, qui pacem ſectantur in hoc mundo. Idcirco digni ſunt cœtu Angelorum, qui eis in occurſum eunt, dicentes, veniat pax. Quin & digni ſunt adventu Redemtoris, qui vocatur Princeps pacis. Et ſcriptum eſt: ad multiplicandum imperium & pacis non eſt finis.*

CAPUT II.

Locus pro ſententia Chriſtianorum ex libro Gale Raſia, *Galatino ſæpius citato, at* ὑποβολιμαίῳ. *Ejuſdem nominis liber à Julio Ottone conſcriptus ſubleſtæ fidei, indicio B. Hackſpanii. Rabbinorum expoſitiones inter ſe committere, & linguæ proprietate & vaticiniorum contextu gloſſemata Judæorum refutare, ſatius eſt, quam nullius autoritatis teſtimoniis Judæos urgere. Waltoni & Amamæ in verbis Aben-Ezræ explicandis lapſus Quid* למרבה המשרה *ex R. Aben-Ezra & Kimchio oſtenſum. Abarbenel male verba ad Hiskiam torquet.* עד עולם *diverſimode uſurpata. Cur æternitatem hic notet. Eam invito accentu & Kimchio interpretatur Abarbenel. Enucleatio vocum* משפט *&* צדקה. *Iis Meſſiæ ſpiritualia beneficia adumbrat Propheta. Abarbenel & Kimchi invicem commiſſi. Cur de ſpirituali regno intelligendus textus, quem de terreno loqui, R. Lipmannus nequicquam probat.* קנאה *quid. R. Lipmanni ratio retuſa. Aben-Ezræ ſententia ſuper* ם *clauſo exploſa. Galatinum, criminis falſi inſimulatum à Buxtorfio Patre, Filius abſolvit. Scriptionis illius antiquitas ex Talmud & R. Salomone oſtenſa. Quid Judæorum judicio denotet. R. Bechai Cabbaliſticum modum explicandi, & alterius Ebræi de Meſſiæ adventu ſententiam eventus falſitatis arguit. Chriſtianorum, Cunæi, Galatini, Avenarii, Schindleri & Helvici de myſterio illius literæ diverſæ opiniones. Quid Lipmannus eis opponat. An à viro* θεοπνεύστῳ *ea ſcriptio orta. R. Eliæ & Capelli conjectura repudiata. Grotii & Voſſii ſuper eadem opinio. Cur dedita opera Judæos ita literam formaſſe, ſuſpicio ſit. Veterum Judæorum mens ab Abarbenele expoſita. In literarum figuris variandis Judæorum mos.*

§. 1. CUm ἐνδοξότατον illud attributum, *Princeps Pacis*, in Hiskiam minus quadret, utpote cui decumanis bellorum fluctibus diu multumque jactato paucorum annorum pace frui licuit, unde in ſubditos parum commodi redundaſſe potuit, inde utique ſequitur, de alio vaticinium agere, quam vulgari Rege: adeoque Meſſiam potius pro vaticinii hujus ſubjecto habendum eſſe. Agnoviſſe id dicitur Rabbenu Hakkadoſch, apud Galatinum, lib. III. de A. C. V. cap. 9. in libro גלי רזיא, ubi omnia epitheta, de quibus ſupra egimus, Meſſiæ largitus, eum præterea Emanuelem vocandum, & Deum hominemque futurum, perhibuiſſe legitur. Sed forſan liber iſte, quem ſuppoſititium viri docti arbitrantur, tantundem apud Judæos autoritatis obtinet, quantum alius ejuſdem nominis liber גלי רזיא, conſcriptus à Profeſſore quondam Altorfino, cui Julio Ottoni nomen erat, qui, relicto Judaiſmo, Chriſto nomen dederat. Non parum ſane eidem nonnulli eruditiſſimi Viri tribuunt, & quod ipſæ quoque paginæ codicis Talmudici allegentur, ubi pro religione Chriſtiana multa præclara habeantur, fieri non poſſe contendunt, quin ſint ipſiſſima Judæorum teſtimonia.

§. 2. Cæterum Cl. Hackſpanius, ὁ μακαρίτης, cui non nemo ex eodem libro quædam teſtimonia oppoſuerat, hunc in modum ad *Dn. Præſidem*, qui ipſum αὐτόγραφον laudati Hackſpanii mecum communicavit, aliquot retro annis ſcripſit: *Evolve in publica Bibliotheca Talmud, expende omnia, ſi inde eviceris, quod ille intendit, magnus mihi eris Apollo. Quo autem felicius id præſtes, evolve Julii Conradi* גלי רזיא *unde febricitans ille in hanc miſeriam incidit. Superſunt, Deo ſit laus, libri, quibus Julius Conradus Otto uſus eſt, quæ in Talmud invenire non potuit, margini adſcripſit, & pro doctrina Talmudica venditat. Ignoſcat ipſi Deus, quia Norimbergenſibus turpiter fucum fecit, & ſpartam quam honeſtiſſimam, procul dubio male ſibi conſcius, præpropere deſeruit. Quid futurum fuiſſet, ſi hic ſubſtitiſſet diutius?*

§. 3. Cauto itaque opus eſſe arbitramur, ne ejuſmodi teſtimoniis adverſus Judæos utamur, quæ apud illos nullius autoritatis ſunt, Chriſtianis vero ſubleſtæ fidei arguuntur. Longe ſatius omnino eſt, ut eos textu Scripturæ conſtringamus, & illorum δὶς διὰ πασῶν diſtantia opponamus ipſis interpretamenta. Id quod in explicandis reliquis verbis vaticinii ſumus facturi, quæ licet Meſſiæ excellentiam itidem inſignem complectantur: à Judæis tamen perinde ac antecedentia inepte ac violenter ad Hiskiam detorquentur, veluti infra pateſcet.

§. 4. Quod attinet vocem למרבה, R. Aben-Ezra ita eam explicat: יתכן היות מרבה שם כמעשה או פועל מהבנין הככר הנוסף כמשפט: Priorum verborum hunc ſenſum eſſe ait Cl. Waltonus, pag. 23. Proleg. III. Apparat. Bibl. Anglican. *par erat, ut hoc* (quod Solis umbra retrogreſſa eſt) *cederet ad magnitudinem nominis ejus.* Sed hac verſione, quam ex Antibarbaro Biblico Sixtini Amamæ hauſit, ſenſum verborum Ebraicorum minime eſt aſſecutus. Longe aliud vult Rabbi, nempe hoc: *Vocem* מרבה *eſſe nomen, forma* מעשה, *aut participium conjugationis gravis auctæ* (Hiphil). De nominis vero magnitudine, quam Hiskias nactus ſit, ne γρῦ quidem ibi Aben-Ezra habet, ſed geminam duntaxat ſententiam Grammaticorum recenſet, quorum priorem, ut veriſimiliorem R. David Kimchi quoque amplexus eſt in comment. his verbis: הוא שם והוא סמוך לפיכך הוא נקוד בצרי: *Eſt nomen, & quidem conſtructum, ideo per Zeri punctatur.* Nempe quia conſtruitur cum ſequenti voce המשרה, quæ uti autor Michlal Jophi eam explicat: מענין כי שרית עם האלהים: *Significationem principatus habet* (ut Gen. 32: 28.) *quia Princeps fuiſti cum Deo.* Et cum litera ל hic nominis caſum formet, in vulgata verſione minus commode redditur: *Multiplicabitur imperium*, cum ſenſus ſit: imperium ampliſſimum & pacem omnis omnino finis expertem fore, nempe illius pueri, cujus ante tot epitheta Propheta recenſuit.

§. 5. Sed nunc Judaicum gloſſema, quo Rabbi Abarbenel textui tenebras offundere ſatagit, in medium afferemus: מאמר הנביא עוד למרבה המשרה ולשלום אין קץ הוא כאומר למי יקרא זה השם שר שלום או כל השמות שנזכרו או מי הוא אשר יתגדל שמו הנה היא למלך המרבה המשרה ושאין קץ לשלומו שהוא חזקיהו ואמר זה לפי שהמלכים יש מהם שיתוסף מלכותם ושררתם כבושם ארצות שלא כבשו אבותיהם ומהם שיהיה הדבר בהפך שתקטן מלכותם בידם מפני שיאבדו חלק או חלקים ממנה ולכן אמר שחזקיהו תהיה כל כן הצלחתו במלכות שהוא יהיה מרבה המשרה בידו ועם היות שרבוי המשרה יעשו המלכים מתוך המלחמות הנה זה לא יהיה כן כי יהיה לו שלים לאין קץ: *Quod vero Propheta ait* למרבה המשרה ולשלום אין קץ: *Vult hoc indicare: Qui nomine hoc*, Princeps pacis, *vocabitur, aut omnibus illis, quorum eſt facta mentio, aut cujus nomen magnifiet,* (tribus hiſce modis textum torquere Judæos, ſupra vidimus) *ecce ille Rex erit multiplicans principatum, & pace nunquam finienda fruetur. Atque is eſt Hiskias. Hoc ideo ait, quia Reges quidam ejuſmodi ſunt, ut regnum ſuum & imperium augeant, cum regiones à majoribus ſuis non ſubactas in ſuam redigunt poteſtatem. Quidam vero contra ita ſe gerunt, ut eorum regnum ſua ipſorum culpa minuatur, eo quod ejus vel unam vel plures partes deperdant. Ideo ait, Hiskiam tam felicem fore in regno, ut etiam ſua ipſius virtute principatum ſit multiplicaturus. Et licet Reges regnum multiplicent per bella; huic tamen nullum erit. Fruiturus enim eſt pace perpetua.*

§. 6. Ita R. Abarbenel lectori glaucomam ob oculos ponere ſatagens, Prophetam ea dixiſſe comminiſcitur, quæ ex illius verbis nemo alius, ne Judæus quidem facile collegerit.

De

De Hiskia Esaiam non vaticinatum esse, inde liquet, quod ipsi sermo est de eo, cujus & principatus, & pacis nullus futurus sit finis. An vero ea Hiskiæ Regis virtus fuit, & felicitas, ut Judaici regni fines accessione regionum extenderit auxeritque? an ille solium regnumque Davidis, judicio & justitia administrata, in æternum stabilivit? Equidem thronus illius vix centum annis post obitum ejus constitit, & ad hoc usque momentum visibile illud solium regium sibi restitui frustra sperarunt Judæi, ut de alio, quam vulgari Rege, locutum esse Esaiam ipso meridie sit clarius. Atque hinc factum credo, quod emphaticam illam locutionem מעתה ועד עולם sibi obstare sentiens, eam itidem prava explicatione eludere conatur, ita commentatus: ואמרו מעתה ועד עולם אין פירושו שכן יהיה תמיד עד נצח כי הנה מנשה בנו הרשיע לעשות והמפרשים פירשו מעתה ועד ע״ם שחזקיהו חיה בעולמו כמו שאמר בשמואל וישב שם עד עולם שפירושו עולמו של שמואל ומפני שחזקיהו חיה חמשים ושתים שנה כמו שנזכר בספורו לכן אמר מעתה ועד עולם כי עולם נאמר על היובל ובאלו אמר מעתה ועד חמשים שנה לפי שעד אותו גבול היה כסא דוד במשפט ובצדקה לא יותר מזה ומסכים לזה אמרו חכלים ז״ל פרק במה בהמה יוצאה אימתי תמו זכית אבות בימי חזקיהו: *Verba* מעתה ועד עולם *non ita sunt intelligenda, quod subinde & in æternum ita futurum sit. Ecce enim Menasseh filius ejus improbe egit. Et interpretes explicant verba, quod Hiskias in seculo suo vixerit, velut de Samuele dictum est* (1. Sam. 1: 22.) *& habitabit ibidem in æternum, quod idem notat ac quoad Samuel vixerit. Quia etiam Hiskias vixit 52. annos, velut in illius memoratur historia, idcirco ait* מעתה ועד עולם. עולם *enim de anno jubilæo dicitur, & perinde est, ac si dixisset: ab hoc tempore usque ad 50. annos, quia ad illud usque tempus solium Davidis in judicio & justitia fuit, non diutius. Atque huic convenit, quod Sapientes l. m. dixerunt, capite* במה בהמה, *ecquando merita Majorum expirarunt? diebus Hiskiæ.*

§. 7. Equidem vox עולם quandoque designare durationem non perpetuam, sed longam & per aliquod tempus non interruptam, patet ex Exod. 21: 6. Lev. 25: 10. ubi servus serviturus dicitur עד עולם, qui tamen anno jubilæo liber exire poterat à subjectione herili. Unde ibi nonnisi spatium ad insignem aliquam periodum notare potest. confer lib. 3. Ikkarim c. 16. ubi pluribus exemplis R. Albo docet; ea notari זמן מוגבל *determinatum tempus.* Cæterum hoc loco ejusmodi determinatum tempus minime significari, ex contextu constat, qui imperium & pacem ejus finem habere negat: & cum de regno Messiæ sermonem esse contra Judæos evictum sit, eo ipso quoque satis apparet, עולם, quod cujusque rei integram durationem significat, ex natura rei, velut Albo loquitur, לפי נקומו & substratæ materiæ explicandum, hic æternitatem notare. Illius enim regnum ita לעולם durat, ut etiam *nunquam sit desiturum.* Confer Dan. 2: 44. & c. 7: 13. Quem loquendi modum ipse Gabriel Luc. 1: 33. quoque ex Daniele traduxit. Cum enim dixisset: βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακὼβ εἰς τοὺς αἰῶνας, ad excludendam omnem ambiguitatem, subjicit: καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσαι τέλος. Quo ipso haud obscurè significat, regnum ejus duratione infinita æternum fore.

§. 8. Ipse R. Abarbenel animadvertisse videtur, עתה עד עולם non quadrare ad tantillum regni Hiskiæ spatium exprimendum. Unde prorsus violento modo textum explicare conatur: יותר נכון אצלי לפרש מעתה ועד עולם שהוא נסמך ומקושר עם מה שיאמר אחריו קנאת ה׳ צבאות תעשה זאת ועניינו שמה שקראו בזה למלכות ישראל מהחרבן והגלות ולסנחריב מהמפלה והקלון הנמרץ ולחזקיהו מההצלה והכבוד העצום שהסבה יותר עצמית והיותר גדולה לכל הדברים האלה היתה קנאת ה׳ שקנא על שמרדו בו בנו ישראל וקנא גם כן על מה שחרפו וגדפו סנחריב ויאמר הנביא כי כן דרכו של הקדוש ברוך הוא להשפיל גאים עדי ארץ ולהגביה שפלים ולהעביר גלולים מן הארץ לפי שאל קנא הוא ובכל דור ודור אם יתנו בני אדם אל לבם יבואו דברים כאלה מפארת השגחתו ועל זה אמר מעתה ועד עולם קנאת ה׳ צבאות תעשה זאת ולכן אמר תעשה בלשון עתיד כלומר שכן תעשה הקנאה אלקית תמיד: *Mihi illud magis arridet, ut verba* מעתה ו״ע עול׳ *cum sequentibus verbis,* hoc faciet zelus Domini, *conjungantur & hic sensus emergat: nominis ejus, quo regnum Israëlis vocarunt ab excidio & exilio, & Sancheribum à casu & ignominia vehementi, & Hiskiam ex liberatione & gloria magna, causa potissima est zelus Domini, quo excanduit, cum filii Israëlis contra eum rebellarunt, & etiam exarsit, cum Sancherib eum blasphemavit. Et dixit Propheta: ita solet Deus elatos humiliare ad terram usque, & humiles exaltare, & idola de terra auferre, quia est Deus zelotes. Quin omnibus seculis, ubi homines ejusmodi res facere decreverint, providentia ejus ita curabit. Atque ideo ait: ex hoc tempore & in seculum zelus Domini ita faciet, quasi dicat, zelus Domini nunquam non hoc faciet.*

§. 9. Sed hoc interpretamentum uti novum est, & nulli alias Ebræo Interpreti probatum: ita illud coactum esse ipse etiam accentus arguit Sakephkaton, qui haud obscure docet, verba מעתה ועד עולם, ad antecedentia esse referenda potius, quam subsequentia. Unde R. David Kimchi evidentia textus adductus ad antecedentia illa spectare affirmat. Expresse enim pronomen זאת refert ad vocem המשרה vel amplitudinem regni, adeoque totum illud frivolum commentum & detorsionem violentam R. Abarbenelis penitus se ignorasse satis comprobat, quanquam & illum vana persuasio occuparit, regnum visibile & mundanum intelligendum hic esse, quod ejus stabilimentum futurum sit במשפט ובצדקה *judicio & justitia,* quibus יכון הכסא ותקום המלוכה *thronus stabiliatur & regnum subsistat,* ut Comm. in h. l. Kimchi, loquitur.

§. 10. Quod attinet vocem משפט, R. Levi ea id notari ait, ad quod jus nos obligat. at צדקה esse ait, quod exigit virtus perfecta, ut suum cuique tribuamus, sive ad jus pertineat, sive benignitatem. Schindlerus in Lexic. Pentagl. fol. 1521. monet, ubi hæ voces junguntur, illam de fontium coërcitione, hanc justorum defensione esse accipiendam. Sane id usus Scripturæ docet, quod ubi pii Reges ritè suo officio functi memorantur, eis tribuatur משפט וצדקה *judicium & justitia.* Confer 2. Reg. 10: 9. 1. Paral. 18: 14. Sed sciendum est, uti aliàs Prophetis solenne est, לדבר על דרך משל *parabolicè loqui,* adeoque Spiritualia Dei beneficia figuris & typis adumbrare: ita hic quoque verbis illis, perinde ac Jer. 23: 6. velut typicis ac symbolicis, spirituale regnum Messiæ ejusque beneficia in credentes redundatura significari. Is enim, cui est *judicium,* Ezech. 21: 12. & qui ἀντονομαςικῶς *justus* appellatur, Es. 53: vs. 2. cui ut Regis filio *justitia* est data, Ps. 72: 1. quem cum *justitia* Deus vocat, Esai. 42: 6. qui est *justitia nostra,* Jerem. cap. 23: 6. æternam *justitiam* adducit, Daniel. 9: 24.

§. 11. Hæc cum R. Abarbenel penetrare non posset, iterum Prophetam aliquid dixisse fingit, cujus in textu nec vola extat, nec vestigium. Ita enim scribit: זכר משלמותו שעם כל תוספת מלכותו ורבוי שררתי לא יתגאה על אבותיו הראשונים אבל יהיה בעיניו יושב על כסא דוד ועל ממלכתו להכין אותו ולסעדה כאלו אינו המלך כי אם אדם עומד במקום דוד להכין כסאו וממלכתו ולסעדה לא בתוקף מלחמות כי משפט וצדקה: *Quantæ perfectionis ille sit, meminit, nempe licet & regnum ipsius & dominium haud parva accessione locupletatum sit, nihilominus majoribus suis se minime præferendum existimabit, sed videbitur sibi sedere in throno Davidis & regno ejus ad stabiliendum & confirmandum illud, tanquam ipsemet non sit Rex, sed duntaxat vicarius Davidis, ut stabiliat ejus thronum & regnum, non bellorum virtute, sed judicio & justitia.* Sed de excellentia potius Regis & prærogativa hic Esaiam loquutum esse, quam humilitate totus contextus docet, neque ipse Kimchi diffitetur. Ejus verba habent ita: שלא תמוט מלכותו ומשרתו מעתה ועד עולם ואף על פי שיהיה לו הפסק בימי הגלות עוד תשוב לקדמותה: *Ne regnum & dominium ejus vacillet ab hoc tempore & in seculum. Etiamsi etiam illud tempore captivitatis cessat, pristino tamen suo statui restituetur.*

§. 12. Atque hic Judaicorum errorum haud postremus se exerit manifestissime, quod omnino sibi Kimchi persuadet, visibilis illius regni perpetuitatem promitti, quam sententiam etiam R. Lipmannus l. cit. ex textu se probaturum confidit, his verbis: קאי על בית דוד ולא על אותו ילד בלבד ותדע שהרי נאמר לשון נקבה להכין אותה ולסעדה שהוא לשון נקבה על מלכות זרע המשיח שיקים מזרעו נאמר וזה יקום במשפט ובצדקה: *De domo Davidis intelligendum est, non de puero illo tantum. Scias enim licet, in fœminino genere dici* להכין אותה ולסעדה *Hoc fœmininum respicit regnum seminis Messiæ, quod à posteris ejus excitabit, & hoc stabit in judicio & justitia.* Sane non de puero illo solo, sed domo Davidis & regno textum loqui, haud inviti fatemur, quippe quæ illo imperante sit stabilis futura. Sed id minimè fit plurium è Messiæ posteris successione, uti Judæi sibi imaginantur, nec administratione regni visibilis & terreni; sed invisibilis & spiritualis, quod Davidi promissum esse, omnino novisse poterant, si verba vaticinii nostri & 2. Sam. 7: 15, 16. Psal. 89: 20. Jer. 33: 17. hoc suo calamitoso & diuturni exilii statu diligentius expenderent. Deprehensuri enim tum essent, nisi promissionem divinam vacillare, velint asserere; necessum esse, ut modo spirituali, contra quam sentiunt, inde ab eo tempore dicant adimpleri, quo Messias noster, qui depressa stirpe Davidica, velut surculus è trunco Isai, omnibus ramis & flore externo destituto egressus, Esai. 11: 1. non vi & armis, sed verbo suo, tanquam sceptro ex Sione emisso, regnum est auspicatus. Is Davidis σκηνὴν, πεπτωκυῖαν instauravit, & τὰ κατεσκαμμένα

αὐτῆς

αὐτῆς erexit, ut Apostolus ex Amos. 9: 11. loquitur Act. 15: 16. hodieque post gloriosum suum in cœlos ascensum, domum Jacobi, Luc. 1: 33. hoc est, quosvis credentes (etiam ex aliis gentibus, velut advenas, domui Jacobi insertos, Esai. cap. 14: 1. 44: 5. qui Gal. 3: 29. σπέρμα τῦ Ἀβραὰμ appellantur) potentissime regat & tueatur. Atque hoc dicitur facere קנאת יהוה *Zelus Domini*, h. e. flagrans & ardens ejus amor erga suos. Neque enim ipsa vox קנאה de solius iræ, sed & amoris affectu dici solet, quod Kimchi lib. radicum negare nequit, cum scribit: ענין הקנאה ידוע והוא קרוב לענין החמוד: *Significatio vocis* קנאה *nota est, & non procul abest à significatione desiderabilis.*

§. 13. Ecquid nunc obstat, quominus vel tandem aliquando ad se redeant Judæi, & nobiscum in Jesum credant, postquam tot seculis alium Messiam frustra expectarunt? R. Lipmannus id his verbis prodit: שנאמר שאותו הילד היה להכין ולסעדה כסא דוד וממלכתו ואדרבא הנוצרי ובני אמונתו מעקרים בית דוד ויהודה: *Quia puer ille dicitur stabilire & fundare solium Davidis & regnum ejus, cum contra Nazarenus, & qui in eum credunt, domum Davidis & Judæ extirpant.* Idem nostro Salvatori exprobrat Rabbi Maimonides, cap. 11. Hilkot מלכים, ubi eum causam esse ait, cur Israel partim perierit gladio, partim in varias mundi regiones sit dispersus. Sed hoc rectius illi suæ incredulitati, & majorum suorum adscripserint impietati, qui non dubitarunt se posterosque suos ad reatus pœnam obligare, Matth. 27: 25. dum verum Messiam ignominiosa morte affectum juxta prædictionem Psalm. 118: vers. 22. repudiarunt ac rejecerunt. Qui tantum abest, ut exitii illorum causa sit, ut eorum conversionem omnibus modis quæsierit, & pertinaciam lachrymis copiosis deplorarit, Luc. 19: 47.

§. 14. Ad ultimam vaticinii hujus partem explicandam nihil memoratu dignum Rabbi AbenEsra in medium attulit: rationem tamen sibi dandam existimavit, quamobrem litera Mem in medio vocis למרבה præter morem sit clausa. Sic enim ille: דרך דרש הסופרים ה"מם סגור בתוך המלה והיה ראוי להיותו בסוף רמז לאות השמש ששב הצל לאחור: *Scribarum mysticus est modus explicandi, cur Mem in medio vocis clausum sit, quod ita in fine pingendum erat. Nempe signum suggerit umbræ Solis retrogressæ.* Sed nugæ sunt. Ecque enim literæ ejus figuræ cum isto miraculo affinitas? Eadem sane hoc facilitate rejicitur, qua asseritur. Videbimus igitur, num alii veriora attulerint. Raymundus Martinus, part. 3. distinct. 1. c. 9. Pug. fidei &, qui hujus vitula aravit, P. Galatinus, de A. C. V. lib. 3. cap. 19. ex Talmud, Massecheth Schabbath cap. 12. hæc verba citant: מם סתומה מאמר סתום *Mem clausum rem clausam notat.* Sed tale quid toto illo capite legi, Buxtorfius, Pater, Lexic. Ebr. p. 702. negat: Filius tamen Anticritic. part. 2. cap. 4. pag. 482. ad eadem provocat & probaturus scriptionem illam antiquiorem esse, quam ut à Masorethis recentioribus demum ita immutata sit, ea ipsa verba, quæ Galatinus attulit, Capello opponit. Unde an alio codice sit usus, in quo hæc verba legerit, an vero Galatini fide nixus, sic quoque antagonistæ assertum infringi posse sibi persuaserit, parum liquet. Extat tamen in Talmud, Massechet Sanhedrin, cap. 11. p. 94. edit. Venet. locus, ex quo de antiquitate hujus scriptionis judicare liceat. Quærit ibi R. Tanchum: מפני מה כל מ"ם שבאמצע תיבה פתוח וזה סתום: *Eccur omne Mem in medio dictionis apertum est, hic vero clausum?* Quin & R. Salomo, comm. in cap. 9. Esai. refert ex mente Doctorum, cum Hiskiam Angeli indignum censuissent, qui ad Messiæ dignitatem eveheretur, scripturam clausam fuisse. & comm. in Massechet cit. oraculum vel *filiam vocis* auditam fuisse, רזי לי רזי לי *secretum meum est, secretum meum est!* cujus sensum esse ibi perhibet: נסתרות שלי הן ואני יודע על מה מעכב: *Ista arcana sunt mea, & ego novi, quamobrem nectam moras*, nempe in mittendo Messia.

§. 15. Secundum R. Salomonem igitur & plures alios Ebræos figura illa literæ loco insolito designat, tempus adventus Messiæ esse occultum, id quod R. Bechai fol. 58. col. 2. comm. in Leg. adstruit, dum clausam esse literam ait: לרמוז כי המעלה והמשרה של ישראל סתומה בזמן הגלות: *Ad indicandum excellentiam & principatum Israelis esse clausum tempore captivitatis.* Ubi tamen merito mireris, qui factum sit, quod idem Bechai, fol. 21. col. 1. ex voce למרבה, quo anno Messias futurus sit, colligere non dubitarit, ut ex seq. patet: לא תמצא מיתה בתולדות שם כמו שתמצא בדורות הראשונים מאדם ועד נח ויתכן להיות בזה טעם בעבור שמלכות בית דוד בא משם ומשיח בן דוד לא יהיה בו מיתה אבל הוא עתיד שיהיה לעולם כי מעת בואו יהיה תת"לז שנים לתשלום האלף הששי והוא כמנין למרבה המשרה שחשבון ם סתומה ת"ר ואחר תת"לז יכנס מיד באלף השביעי שכלו שבת וחיים נצחיים ועליו אמר דוד עליו השלום חיים שאל ממך נתת לו ארך ימים עולם ועד: *Non invenies mortis mentionem in generationibus Semi, uti prioribus illis ab Adamo usque ad Noachum. Atque hujus rei oportet sit ratio, quod domus Davidis inde venit, & è domo Davidis Messias filius David, hinc in eo non est mors, sed in æternum futurus ille est. A tempore enim adventus ejus ad complementum millenarii sexti erunt octingenti triginta & septem anni, qui numerus est secundum illud* למרבה המשרה. *Valor enim τῦ* ם *est* 600. *Post* 837. *vero annos extemplo ingredietur millenarium septimum, qui totus erit Sabbathum & vita æterna. Atque de eo David ait l. m. (Psalm. 21: 5.) petiit à te vitam, dedisti ei dierum longitudinem seculi & æternitatis.*

§. 16. Secundum hujus Rabbi Cabbalisticum computum
ל 30 incertum esse nequit vel absconditum tempus adventus
ם 600 Messiæ. Si enim inter hunc & millenarii sexti comple-
ר 200 mentum, octingenti triginta & septem anni esse de-
ב 2 bent, quot videlicet conficiunt literæ vocis למרבה, se-
ה 5 quitur, Messiam tot annis ante venturum esse, quam
—— millenarius sextus finiatur. Quandoquidem vero, ipsis
837 Judæis fatentibus, hodie à millenarii sexti exordio plus quam quadringenti anni sunt elapsi, duobus fere abhinc seculis secundum dictum calculum venisse Messiam oportuit. Atque ita ipse R. Bechai, qui ante tria secula, & quod excurrit, ad plures abiit, si adhuc esset superstes, sui interpretamenti vanitatem agnosceret, non minus ac ille Rabbi Esaias, qui, ut Cl. Schickardus pag. 114. משפט refert, Messiam anno proximo superiori sexagesimo quarto venturum suis persuasit.

§. 17. Nunc Christianorum quoque sententias variantes de literæ illius figura audiemus. Sunt enim & illorum complures, qui μυστηριώδες τι cum P. Cunæo, lib. 1. de R. E. c. 17. sentiunt. P. Galatinus, lib. 4. de A. C. V. cap. 19. ipsos ab edito oraculo ad Messiæ adventum annos, nempe sexcentos denotari docet, quæ tamen sententia cum chronologorum calculo minus convenit, ab Interpretibus exploditur. Alii regni Messiæ inconcussam stabilitatem indicari eo arbitrantur, quod litera illa non habeat exitum. Confer Joannem Avenarium, lib. III. Gram. Ebr. p. 403. Nonnulli, quod dilatabilis litera sit, regnum Messiæ intra sanctæ terræ limites minime conclusum, sed inter gentes auctum iri docent, uti Schindlerus in Lexico Pentaglotto pag. 1685. Nec defuere, qui nomen Virginis מִרְיָם inde elicerent, quod in principio & fine Mem habeat. Quin & virginitatem illibatam illius, quæ clauso utero pepererit, indicari docuerunt, ut Cl. Helvicus, Vindic. Loc. Script. p. 232. quam sententiam sibi impugnandam sumsit R. Lipmannus. Cum enim dixisset: מם סתומה לפי שנסתם הקץ מתי יהיה זמן ריבוי המשרה: *Mem clausum esse, ut designet tempus, quo imperii amplitudo sit futura, occultum esse.* Sequentibus verbis Christianos sugillat: לאפוקי מן הכופרים שפי' ע"ל האם הנוצרי ולפי טעות' מ"ם כן העלמה ראוי להיות סתומה: *Ad hæreticorum explicationem excludendam, qui de Matre Nazareni accipiunt, juxta errorem illorum Mem in voce* עלמה *claudi oportuit.*

§. 18. Sane, cum Judæi ita excipiant, & sibi persuadere queant, ejusmodi argumentis nos niti, aliis destitutos, parum consultum esse videtur contra illos hanc scriptionem urgere, maxime cum nulla ratio appareat, cur eam à Propheta, vel viro θεοπνεύστῳ profectam esse dicamus, & per figuras & situm literarum mysteria adumbrare, infra Sp. Sancti majestatem esse videatur. Ex Ebræis R. Elias in libro Masoreth Hammasoreth, orat. 1. ex more Scripturæ id factum esse infitias ivit, miratus quomodo Mem in medio dictionis clausum esse dicant, cum secundum כתיב duæ voces sint, לָם רַבָּה *ipsis multiplicavit imperium*, vel לָם רָבָה *ipsis crevit.* Non alienus ab hac sententia est Ludovicus Capellus, Crit. Sacr. lib. III. c. 5. ubi hariolatur Scribam aliquem putasse scribendum esse לם רבה *ipsis multiplicavit imperium*, & perinde esse arbitratur, sive legas לָם רַבָּה sive לְמַרְבֵּה Juxta priorem lectionem scriptum esse, Christum multiplicaturum fidelibus imperium, quatenus eos facit in hac vita secum spirituales Reges & Sacerdotes, quæ dignitas in immensum augebitur in vita futura. Secundum posteriorem lectionem amplitudini imperii ejus & pacis non erit finis, sensum planum esse, nempe Domini nostri Jesu Christi imperium & pacem, quam suo sanguine peperit, fore æternam.

§. 19. Cæterum cum in Sacris τὸ לם pro להם non occurrere, Cappellus largiatur, ecquomodo hic Scribam ita legisse potuit conjecturam facere? Infitias quidem ire nolumus, in describendis codicibus voces quasdam immutatas esse & divisas. unde qui ὑψώσαν αὐτοῖς, vel ut Hieronymus legit

legit αὐτῦ, reddiderunt, pro למרבה in suo codice למרפא vel לו מרפא videntur legisse: מרפא enim idem est ab ὑγίεια. At divisionis istius nulla apparet ratio, quam nec Græci, nec Chaldæus, nec vetus Interpres Latinus agnoverunt. Illi enim conjunctim legerunt, reddendo *μεγάλη ἡ ἀρχὴ αὐτῦ*, ut ὑγίειαν αὐτῷ ab ipsis interpretibus Græcis haud profectum, sed recentius glossema esse videatur: Iste סגי רבו *multum creverunt*: hic: *multiplicabitur ejus imperium.* Quin & Masora parva nihil aliud annotavit, quam ק׳ למרבה hoc est, vocem illam, ut integram dictionem cum Mem aperto legendam esse. Unde alterutrum dicendum videtur, vel errore quodam librario primum contigisse, ut ם in medio dictionis scriberetur, ubi postmodum Judæi mysterium quærere non dubitarunt, id quod H. Grotius annot. in h. l. & Joh. Gerard. Vossius lib. 1: cap. 13. de arte Gram. verisimile esse judicant: vel, eos de industria literam illam ita aliquot abhinc seculis scribere cœpisse, ad significandum, tempus Messiæ adventus occultum esse. R. Abarbenel mentem suorum Doctorum sic explicat: מ״ם למרבה היא סתומה ולא נמצא במקרה באמצע המלה מם סתומה כזאת ובספר עזרא מצינו בהפך פתוחה בסוף המלה הם פרוצים ז״ל נתנו טעם לדבר כי המשרה שלמלך המשיח היא סתומה עתה וחומות בית המקדש הם עתה פרוצים וכאשר תפתח המשרה ותגלה בימות המשיח אז יסתמו חומות בית המקדש הפרוצים: *Mem in voce* למרבה *est clausum, cujus simile exemplum in Scriptura non extat. Et in libro Nehemiæ* (cap. 2: 13. *invenimus contra apertam literam in fine dictionis* הם פרוצים. *Sapientes l. m. rationem dederunt, quia Messiæ principatus jam clausus est, & muri domus Sanctuarii, aperti. Quum aperietur principatus, & revelabitur diebus Messiæ, tunc muri domus Sanctuarii claudentur.* Sane cum Ebræis insolens non sit, literarum inversione, majuscula & minuscula figura, ita aliquid subindicare, ceu patet ex Tiberiade Buxtorfii: ecquis negabit, hic fieri potuisse, ut data opera ita litera ad significandum mysterium scripta fuerit à Doctoribus, cum suorum, qui Messiæ videndi desiderio tenebantur, tempus adventus ejus curiose computandi pruritui obicem ponere, & omnem operam in cognoscendo illo vanam esse & irritam, indicare vellent. Hic cum temporis, tum chartæ angustiis exclusi colophonem imponimus.

DEO SIT LAUS.

JOH. FRISCHMUTHI

DE PRIMO, QUEM JUDÆI IN VERI NOMINIS

M E S S I A

EXIGUNT,

C H A R A C T E R E

Ex Esai. XI: 1.

DISSERTATIO.



MEmorabilis plane, & quæ cum Judæis disputaturo usui esse queat, R. Abarbenelis est assertio, fol. 27. com. in Prophetas de cap. 11. Esaiæ זכר הנביא בנבואה הזאת עשרה תוארים שימצאו במלך המשיח והם תנאים הכרחיים במלכותו ובגאולה העידה שבמלתם אי אפשר שיהיה הוא משיח ולא שתקרא גאולתו גאולה אמתית: *Propheta in hoc vaticinio decem meminit proprietatum, quæ sint futuræ in Rege Messia. Atque illæ conditiones in regno ejus & futura liberatione tam sunt necessariæ, ut sine eis neque Messias esse queat, neque redemtio ejus esse vera.* Patescit enim ex illa, celebrem illum Judaicæ incredulitatis errorumque avitorum propugnatorem, quo hodie recutiti non aliter, ac olim Goliatho Philistæi, superbiunt, ea in medium ibi afferre, quæ de persona & officio Messiæ populus Judaicus credit, & cujusmodi Salvatorem præstolentur, nobis aperire. Quin non modo in sententia Judaica fortiter asserenda, sed & in Christianorum strenue impugnanda omnes ingenii nervos intendit, ut nihil ejus, quod de Messia Vates prædixit, Salvatori nostro competere, sed alium adhuc, Judæorum videlicet σωτῆρα, expectandum esse, evincat. Unde haud abs re me facturum existimavi, si decem illorum, quos ex cap. 11. Esaiæ collegit, Messiæ Characterum primum, qui est de *Prosapia* ejusdem, considerandum mihi sumerem. Maxime cum quæstio de genealogia Christi nobilissima, vetustissima, prorsusque dignissima sit, quæ à piis hominibus non segniter cognoscatur, uti summus Vir, Isaacus Casaubonus, Exercit. I. num. 30. ad Apparat. Annalium judicat, qui etiam ægre fert, Cardinalem Baronium, in tantæ molis Annalium fronte gravissimum argumentum vix leviter attigisse, & ut eruditis harum rerum intelligentibus se probaret, non multum curasse. Quapropter alio tempore de illa accurate se acturum ipsemet ibi pollicetur, quod ab ipso, utpote Viro ab omni eruditione instructissimo, ut præstitum esset, omnino optandum erat. Est enim ejusmodi ζήτημα, pro quo, tanquam pro aris & focis identidem Christiani decertarunt, & quod magnis difficultatibus implicari, Rei literariæ principes fatentur. Ad quas minuendas quantum vaticinii Esai. 11. commatis primi explicatio conferre queat, jamnunc periculum facere constituimus.

CAPUT I.

Plurium Ebræorum Doctorum testimonia, qui Messiam pro vaticinii hujus objecto habent H. Grotio opponuntur. παρερμηνεία *ejus uti R. Mosis Haccohen & Aben Ezræ ab ipso Abarbenele explosa.*

Significatio vocis חטר *asserta. Dictio* נצר, *quam Latinus & Arabs Græcos secuti florem vertunt, à Pontificiis ad Mariam malè applicatur. Vera ejus significatio allata. H. Grotii hallucinatio in male applicata voce* גזע. *Eam Græcis & Arabe melius Kimchi explicat. Neque AbenEsra emphasin ejus assecutus. Verbum Chaldaicum* יתרבי *quid. Buxtorf. laudatus. Opinio erronea Marci Antonii de Dominis & Smalcii textu Prophetico impugnata. R. Abarbenelis ratio, quamobrem Christus intelligi nequeat, & ejusdem ad responsionem Christianorum exceptiones adducuntur. Cur Josephi genus etiam Christum attineat, contra Judæos ostenditur. Unde Mariæ genus liqueat. Legis Num. 36: 8. sensus genuinus. Usus ejusdem ab Ebræis ad Athenienses manavit. Ratio cur illa apud Judæos post terræ divisionem non sit antiquata, ut Talmudistæ & Rabbini volunt. Finis ejusdem expositus. Grotii de Talmudistarum effato opinio. Alia conjectura. An Maria ἐπίκληρος fuerit. Argumenta pro negativa sententia. Alia item pro affirmativa. Cur in ea jus ἐπικλήρων valere debuerit. Salvatoris nostri ex Davidis semine ortus certitudo. Talmudistarum de eodem testimonium allatum. Abarbeneli cavillum remissum.*

§. 1. VErba Oraculi divini Esa. 11: 1. habent ita: וְיָצָא חֹטֶר מִגֶּזַע יִשָׁי וְנֵצֶר מִשָּׁרָשָׁיו יִפְרֶה: *Et egredietur virga de trunco Isai, & surculus de radicibus ejus crescet.* Ad quæ verba R. AbenEsra scribit: רובי המפרשים אמרו כי זה המשיח: *Complures interpretes de Messia sermonem esse asseverant.* Sane plerique omnes recentiores Ebræorum commentatorum, R. Salomo, Kimchi, Abarbenel, Arama, quibus ipse assentitur Lipmannus in Nizzachon, ita interpretantur, & prisci Ebræi magno consensu de Messia acceperunt. Non modo enim in Talmud Hierosolymitano, Massechet Berachot, cap. היה הקורא, Messiam è domo regia, de Bethlehem Juda esse, ex h. textu probant, sed & in Bereschith Ketanna & Bereschith Rabba ad Genes. 49: 8. hoc capite de Messia sermonem esse, largiuntur. Quin in Midrasch Tillim ad verba Psal. 72: vers. 1. *da judicia tua filio regis* ita legimus: זה מלך המשיח שני ויצא חטר מישי: *Hic est Rex Messias, quia dictum est: & egredietur virga de stirpe Isai.* Nec Chaldæus interpres, Jonathan in diversum abit, qui expresse ꝯ מְשִׁיחָא *Messiæ* facit mentionem. Pudeat igitur Grotium, quod plane nulla antiquitatis habita ratione tam prodigiosæ audaciæ crimine se constringere nullus dubitavit, ut ipsis Judæis deterius reliquerit interpretamentum, *redit*, inquiens, *ad Ezechiæ laudes, sub quibus sensu sublimiore latent Messiæ laudes.* Num vero in sensu literali Propheta de Rege Hiskia loquitur? Id ne Abarbenel quidem ei fuerit largitus, לפי שחזקיהו כשנאמרה זאת הנבואה כבר היה בן עשרה שנים ואיך יאמר עליו ויצא חטר שמורה שיולד ויצא לעולם אח״כ ימים רבים: *Quia Hiskias prolata hac prophetia decem annos fuit natus. Ecquomodo igitur dixerit:* ויצא *& egredietur? quæ verba docent, multis diebus post ipsum esse nasciturum.* Quin etiam reliquorum prædicatorum sublimitatem obstare dicit huic Grotianæ detorsioni verius quam explicationi, eamque ut intolerabilem & מרוחקה מאמתת *à veritate alienissimam* penitus in suæ religionis viris damnat & rejicit acerrimus quamvis Christianorum antagonista.

§. 2. Valere itaque jubeamus tam insignem errorem errantes interpretes, quibus ex Ebræis accensendi sunt duo, Rabbi Moses Haccohen, & AbenEsra, qui comment. in h. l. verbo יצא Esaiam usum esse ait, כי קטן היה כאשר היה זאת הנבואה: *Quia parvulus erat (Hiskias) cum ita vaticinaretur.* Nobis sensum verum & genuinum scrutaturis dubium nullum est, postquam de Assyriorum excidio egisset Esaias, eum ut populum soletur, ad promissionem de Messia progredi, deque eo tam clarè & emphaticè vaticinari, ut singula ferè verba evidentem emphasin habeant. Gemino autem nomine Messiam insignit. Primum eum vocat חֹטֶר quæ vox nonnisi h. l. & Proverb. 14: 3. occurrens significat *virgam* vel *baculum*, unde & AbenEsra, eam explicaturus ait: מגזרת תרגום מטה: *ex Chaldaica derivatione virgam significat,* quam transtulerunt LXX. ῥάβδος, Arabs قضيب Alterum nomen est נצר, quod Kimchio interprete significat ינק או ענף *plantam teneram vel ramulum.* AbenEsra notari eo ait, סעיף ונצר נתעב: *ramum & abjectum surculum.* Græcos, qui ἄνθος reddiderunt, Arabs est secutus, qui نور, & Vulgatus, qui *flos* vertit. Unde factum, ut de Virgine Maria concipiente τὸ חטר acciperent, uti in Joh. de Rhada part. 3. controvers. 4. art. ult. est videre. Quin Sanctius quoque Patrum consensu, Mariam hic intelligendam docet, quam tamen glossam contextus satis refellit. Neque Græca vox florem significat, sed βλάστησιν, ut Hesychius docet, *germinationem* vel *surculum.* Conf. Esai. 60: vs. 21. ubi Græci transtulerunt vocem נצר per φύτευμα.

§. 3. Originem hujus virgæ & surculi Propheta demonstraturus, eam esse ait מִגֶּזַע יִשָׁי *è trunco Isai*, ut habet Vers. Vulg. quam Grotius probat his verbis: *Recte! quia amissione tribuum, & tot hostium incursionibus valdè accisæ erant res domus Davidicæ.* At ecquis id temporis, familia Davidis etiamnum florente, Rege potentissimo adhuc superstite, prosapiam Isai trunco comparari dixerit? Respicit Propheta ad rem futuram מאחר זמן רב *longo tempore post*, ubi ex illa prosapia attrita oriturus sit surculus, veluti ex trunco abjecto. Emphasin Ebrææ vocis neque Græci neque Arabs expressit, dum ille ῥίζα, hic اصل adhibuit, quas etiam usurparunt, ubi vocem שרשיו transtulerunt, deficiente commoda voce, quæ dictioni גזע responderet. De hac Rabbi David Kimchi bene: העץ נקטף ושרש נשאר בארץ יקרא גזע: *arbor succisa, cujus radix adhuc in terra superest, truncus appellatur.* Minime itaque AbenEsra emphasin ejus exhaurit, dum idem notare ait ac זרע *semen.* Hoc non simpliciter denotat, sed ejusmodi familiæ, cui tantum non senium & occasus instat, quo ipsius Kimchi verba referas, dum scribit: מצרי הגזע יעלו הנצרים: *è trunci lateribus surculi ascendunt.*

§. 4. Atque hæc satis comprobant, quo Propheta respexerit, nempe ad ejusmodi tempora, quibus Messias, regio splendore, quem David familiæ primus intulerat, ablato, oriturus sit ex homine privato, illo stemmate non amplius ramis luxuriante, sed iis denudato, & cum familia illa alias tam illustris ex singulari Dei dispensatione ad conditionem vilem abjectamque esset redacta. Dum de surculo dicitur מִשָּׁרָשָׁיו יִפְרֶה, Chaldæus יתרבי habet, quod cur in Opere Anglicano *ungetur*, transferatur, nihil causæ video. In Ebræo est יִפְרֶה quod *crescet* significat. Buxtorf. in Lexico Talmudico Chaldæi mentem declaraturus idem esse ait ac עתיד דיתגלי ויתרבי *futurum est, ut manifestetur & magnificetur.* Est vero id cumprimis notandum, quod etiam surculi משרשיו *de radicibus ejus* meminit, hoc est non illius insititii, sed nativi, qui filius sit, non respectu legali, vel solo connubii lege, sed per veram generationem & materno etiam avitoque sanguine genus ex Isai stemmate ducturus. Quod alibi, ubi scriptura minus figurate loquitur, clarissime exprimitur, cum Messias פרי בטנו *fructus ventris ejus* vocatur Psalm. 132: 11. & egressurus ממעיו *ex lumbis ejus.* Quæ & ejusmodi alia dicta vetant asserere, Messiam legalis duntaxat patris respectu egressurum è radice Jesse, ut Marcus A. de Dominis, lib. VI. de R. Ecclesiastic. cap. I. contendit, sive ut Smalcius, p. 186. de Divin. Christi docet, *ideo eum Davidis filium esse, quod ex ea natus sit, quæ desponsata erat viro ex Davidis familia oriundo.*

§. 5. Ex textu, quem ita hactenus explicavimus, R. Abarbenel primum veri nominis Messiæ characterem sive proprietatem eruit, nempe כי יחוסו ומשפחתו שיהיה מזרע דוד מגזע ישי החסיד ונצר משרשיו השלמים דוד ושלמה: *Quod genealogia & familia ejus sit ex semine Davidis, ex trunco Isai pii, & surculus ex radicibus ejus perfectis Davide & Salomone.* Quibus ut in thesi consentimus, ita in hypothesi immane quantum nos discrepamus. Nobis enim de nostro Salvatore explicantibus, illi de venturo Messia, quem tot seculorum & tam ærumnosum exilium luentes frustra expectarunt, interpretantur. Hinc R. Abarbenel suum glossema obsignaturus ita scribit: אחרי שהנבואה הזאת אי אפשר לפרשה כפי אחד מהדעות האלה מבואר הוא שלא נאמרה כי אם על קבוץ הגליות ועל משיח צדקינו מהרה יגלה וזו היא הכוונת הכוללת בנבואה הזאת: *Postquam sectio hæc non potest explicari secundum ullum modum sententiarum istarum* (neque de Hiskia, neque de Zerubabele, neque de Nazareno) *patescit, quod non agat illa nisi de captivorum reductione & Messia, justitia nostra, cito revelando, de quo totius prophetiæ agit scopus.*

§. 6. Sed

§. 6. Sed hujus commenti vanitas satis ex contextu refelli-tur, quod ubi eo deventum erit, patescet. Nunc quibus artibus in oppugnanda genealogia Christi utantur, recenseamus, nempe iisdem, quæ jam olim à majoribus illorum gentiles & hæretici mutuati sunt, hodieque nos adoriuntur. Si, inquiunt, Christus virginis filius est, ecquid ad eum genus pertinet Josephi, qui eum minimè genuit? Deinde si è matre censeri is debet, è tribu Levi potius quam Judæ eum oriundum esse patet inde, quod Luc. 2:36. Maria dicitur cognata Elisabethæ esse, quæ ex prosapia Aaronis erat, Lucæ cap. 1:5. Quin ipsorum Evangelistarum dissensum objiciunt, quod in ipso librorum suorum limine alter alteri contradicat, ut cap. 2. videbimus. Sed in præsenti R. Abarbenelis audiemus rationes, quibus probare satagit, Prophetam de Christo minime loqui. Ita vero ille: הדעת הג׳ ממפרשי הנוצרים הנה בהיות עקרו ויסודו מכת הנמנעות שלהם טבע קיים מבואר הוא שלא יכוין אליו הנביא בנבואתו כי ישו לא היה מגזע ישי אם הוא לא היה בן יוסף בעל מרים אמו לפי שהשתעפות המשפחה אשר אתם מישי מאיש אל איש אינן נוגעה אל מרים כ״א אל יוסף בעלי כמו שביאר מאטיאו השליח באבין גיליו שלו ואם הוא לא היה אבי ישו אם כן לא היה ישו גזע ישי וכבר נתקשו חכמיה׳ בדבר הזא ונדחקו לומר שהנשים בישראל לא היו נשואות כי אם לבני שבטם כמו שצוה משה בבנות צלפחד וחייבו מזה שבהיות יוסף איש מרים מזרע דוד שתהיה אשתו מרים גם כן ממנו ושלכן היה בנה בן דוד ומזרעו והטענה הזארת אין לה על מה שתסמך לפי שמה שצוה משה לא היה כי אם בבת יורשת נחלה כבנות צלפחד כדי שלא תסוב נחלה משבט אל שבט וכן ביארה תורה ומי הגיד להם שהיתה למליה נחלה לשתיפול בה הדין ההוא ועוד כי אף שתהיה יורשת נחלה היה אפשר שתנשא לאחר משבט יהודה ולא היה מחויב שהיה מזרע דוד כי כמה אוכלסן וכמה משפחות היו בשבט יהודה כל שכן שהדין ההוא לא נהג אלא באות דור טפני חלוקת הארץ שהיתה עתידה להיות כמו שקבלו חכמים ז״ל ובא מבואר בסוף מסכת תעניות הלא תראה שאחרי מלחמת פלגש בגבעה נתנו ישראל בנותיהם לבני בנימין וגם דוד שהיה משבט יהודה הלא לקח לו לאשה את מיכל בת שאול שהיתה משבט בנימין ויהושפט מלך יהודה הלא נשא את בת אחאב שהיה משבט אפרים ובאלה בזמן בית ראשון רבו ממפור כל שכן וכל שכן בבית שני שלקחו נשים מצריות אדומיות והורקנוס המלך הכהן לה׳ מבני חשמונאי נשא בת תלמי מלך מצרים ואנטיפטר אביו של הורודוס נשא אשה אדומית ואם בזה היו פרוצים כל שכן לשישא איש משבט אחר אף שבבית שני לא נעשתה חלוקת הארץ שלא נתחלקה לשבטים ולא היה אם כן ביניהם חשש ולא תסוב נחלה משבט אל שבט ולכן גם בת היורשת נחלה לא תתחייב להנשא לאיש משבטה: *Quod tertiam sententiam attinet, quæ est Interpretum Christianorum, ecce cum illa nitatur ejusmodi fundamento, quod res ipsa respuit, patescit, prophetam in suo vaticinio eo minime respexisse. Jesus enim non fuit de semine Isai, nisi fuerit filius Josephi, mariti Mariæ, matris suæ, eo quod series familiæ, quæ ab Isai deducitur viritim, Mariam nequaquam tangit, sed Josephum, maritum ejus, veluti Matthæus Apostolus in suo Evangelio id explicat. Si vero ille non fuit pater Jesu, etiam hic non fuit stirpis Isai. Jam pridem vero eorum Doctores se torserunt, ut dicere coacti sint, fœmellas Israëliticas non nisi suarum tribuum viris nupsisse, quemadmodum mandavit Moses filiabus Zelophchad,* (Numer. 36: vers. 8.) *& inde sequi ajunt, quandoquidem Joseph Mariæ maritus ex semine Davidis erat, uxorem quoque ejus Mariam ex eadem extitisse, atque ideo filium quoque ejus filium Davidis filium fuisse, & de ejus posteris. Sed hæc ratio subsistere nequit. Lex enim Mosaica illas tantum filias spectat, quæ erant* ἐπίκληροι, *veluti filiæ Zelophchad, ne hæreditas de tribu in tribum devolveretur. Atque ita etiam Lex ipsa explicat. Ecquis vero eis manifestavit, talem fuisse Mariam, ut illa idcirco teneretur? Præterea, si vel maxime illa esset* ἐπίκληρος, *alius tamen è tribu Juda eam ducere potuisset, neque necessarium erat, ut è Davidis prosapia is esset oriundus, tot cœtibus & familiis in tribu Juda existentibus. Quid quod illud jus nonnisi id temporis locum obtinuit, propter partitionem terræ futuram, uti Dd. l. m. tradunt, & ex fine Massecheth* תענית *de jejunio clarum est. Annon vides, post bellum illud pellicis in Gibea Israëlitas filias suas dedisse filiis Benjamin, & Davidem, qui ex tribu Juda fuit, duxisse Michal, filiam Saulis, ex tribu Benjamin oriundi, Josaphatum item Regem Judæ duxisse filiam Achabi ex tribu Ephraim? Ejusmodi exempla tempore templi primi suppetunt infinita. Quanto minus vero dubitare licet de ætate templi secundi, qua uxores duxerunt Ægyptias Edomæasque. Hyrcanus, Rex & Dei sacerdos, ex Chasmonæis oriundus, duxit filiam Ptolomæi, Regis Ægyptiorum. Antipater, pater Herodis, duxit Edomæam. Et cum jam tum latrones fuerint, quanto magis illis receptum fuit, ut alii ex aliis tribubus sibi jungerent uxores. Quid, quod post exstructum templum secundum nulla amplius terræ divisio erat, qua tribubus pars sua cederet, adeoque illis anxiis esse haud licebat, ne* (Numer. 36:9.) *hæreditas de tribu in tribum devolveretur. Atque idcirco neque illa virgo, quæ fratre carebat & patrimonii hæres erat, tenebatur nubere viro è tribu sua.*

§. 7. Tanto diligentius vero hæc nobis expendenda sunt, quanto crebrius Judæi ea Christianis solent occinere. Sane Rabbi Lipmannus tanti isthæc facit, ut pro תשובה נצחית *invicto argumento* habeat, num. 8. lib. Nizzachon, cum ait: אם לא היה אביו מה שייך יחוסו להנוצרי: *Si* (Josephus) *non fuit pater ejus, ecquid attinet prosapia ejus Nazarenum?* & num. 227. אם ירצו לומר שהנוצרי בא ממשפחת דוד צריכים להודות שיוסף הוא אביו: *Si velint dicere, Nazarenum ex prosapia Davidis esse oriundum, fateantur oportet, Josephum ipsius esse parentem.* Cæterum etsi genus, quod inde ab Abrahamo usque & Davide deducit Matthæus, in Josepho desinat, qui pater naturalis Christi haud fuit, tamen quia matrem, ex qua Christus natus est, illi μεμνηστευμένης meminit, quam etiam in matrimonio Josephus retinuit, à Christo nequaquam alienum genus Josephi existimari debet. *Quin, si ea vis legis est,* (verba sunt H. Grotii) *ut partus viduæ ex agnato defuncti viri conceptus in omne jus defuncti succedat, non aliter, quam si ex ipsius genitura ortum traxisset, quidni id quod sine humana opera ex legitima illius conjuge natum est, quasi ipsius solo divinitus insitum, ipsius proprium censeatur? Atque hinc est nimirum, quod non tantum ab Evangelii scriptoribus Josephus pater Christi, nuptiis videlicet patrem demonstrantibus, nominatur, sed & Christus omnia obsequia atque operas illi præstitit, quæ expectari possunt à filio in sacris paternis constituto. Quod si ubique gentium adoptivi liberi ex ejus gentis, cui velut insiti sunt, nobilitate censentur, quanto justius omnia jura gentilitia Josephi, ac promissiones divinæ, ipsius majoribus factæ, ad Dominum Jesum pertinebant?*

§. 8. At non inde solum Christus ex semine Davidis est, quod Josephus, matris sponsus, inde oriundus erat, sed vel maxime ideo, quod ejus mater ejusdem stirpis & genere ei proxima erat. Quam Josephi & Mariæ agnationem licet Matthæus, Ebræis in Palæstina Ebraice scribens, ut hypothesin in vulgus notam reticuerit, ut tamen ita se habere credamus, lex illa ex Numer. 36: vers. 8. allata, omnino nos inducit. Præcipit ea, ut virgo nubat לאחר ממשפחת מטה אביה *uni de familia stirpis paternæ*, sive ut Græci: Πᾶσα θυγάτηρ ἀγχιστεύουσα κληρονομίαν ἐκ τῶν φυλῶν υἱῶν Ἰσραήλ, ἑνὶ τῶν ἐκ τοῦ δήμου τοῦ πατρὸς αὐτῆς ἔσονται γυναῖκες. Quod etiam tunc jussu divino filiæ quinque Zelophchad; totidem filius patrui sui nubentes, adimplerunt. Unde constat ex eo tempore, lege & consuetudinem receptum fuisse apud Judæos, ut בת יורשת הנחלה *filia hæres*, sive ἐπίκληρος, sanguine proximo nuberet, quatenus ob sanguinis reverentiam per gradus in Levitico prohibitos eis licebat. Quam legem per Phœnicas ad Athenienses, uti alias plures pervenisse ex Lib. XII. Diodori Siculi constare videtur, ubi hæc legimus: τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικαζέσθω ὁ ἀγχιστεύς. Unde ad verba Phormionis:

Lex est, ut orbæ, quæ sint genere proximi,
Iis nubant, & illos ducere eadem hæc lex jubet.

Donatus ita commentatur: *Orba proximo nubat, orbam proximus ducat, lex Attica est.*

§. 9. Dixi, filiam, hæredem, genere proximo nupsisse. Ubi id, quod in Jalkut ad h. l. habetur שבטים הותרו לבא זה בזה *concessum fuit tribubus ut inter se matrimonia jungerent*, negare, animus non est, quod tot exemplis probari potest. Utraque enim manu largimur Abarbeneli, sæpenumero tribus duas inter se matrimonia junxisse, non Levi modo & Judam, quod Epiphanio, Hæresi LXXVIII. visum, sed alias quoque, uti exempla ab ipso Abarbenele allata satis comprobant. At cum unigenitis & patrimonii hæredibus aliter se rem habuisse, ipsa ratio lege expressa arguit, quæ est, ne bona avita mancipii jure ad extraneos deveniant.

§. 10. Duo vero hic Abarbenel excipit. Primum est, non constare, Mariam virginem ἐπίκληρον fuisse. Deinde legem illam Mosaicam, attestantibus Talmudistis, nonnisi ad tempus in usu fuisse, nempe ante stabilitas possessiones in Palæstina. Ut vero ad hoc postremum prius respondeamus, non diffitemur, in Talmud, Massechet תענית cap. 4. En Israël fol. 141.

fol. 141. ita legi: דבר זה לא יהא אלא נוהג בדור זה בלבד: *non alio seculo hæc lex usum obtinuit, præterquam illo, quo lata est.* Cæterum fuisse hanc legem non עולמית & *perpetuam*, sed לשעה קודם ינהלו *ad tempus* antequam terram possiderent, *latam*, ut R. Bechai docet, sive ut R. Gerundensis loquitur בדור הנוחל את הארץ בערת החלוקה:, qua veritate affirment, nullus video. Præterquam enim quod tempore Jephte Judic. 11:1. adhuc eam valuisse constat ex iis, quæ Kimchi ad l. cit. docet, ubi matrem ejus, quod hanc legem violans alterius tribus viro nupserat, זונה dictam fuisse refert, in Babylonico quoque exilio eam sancte observatam fuisse, fidem faciunt ea, quæ Tob. 7:14. leguntur: *Credo, ideo Deum vos venire fecisse ad me, ut illa conjungeretur cognationi suæ secundum legem Mosis.* Ecquomodo scriptorem illum moris sibi incogniti, aut saltim pridem observari desiti, hujusmodi mentionem fecisse, ullo modo est verisimile? Quid, quod Philo quoque legem illam, ut perpetuam, refert, & Josephus eam temporariam fuisse minime meminit. Finis igitur illius, quod ex specie facti, quod se Mosi obtulerat, Num. l. c. definitum est, minime erat, cavere, ne ante terræ divisionem tantum hæreditas de tribu in tribum devolveretur, sed ut subinde & tribuum & familiarum distinctio esset, usque ad Messiæ tempora, ad cujus cognitionem illa Judæos quasi manu duceret. Quem dum hodie illi ita expectant, ut prodromus Messiæ, Elias, tribus, & uniuscujusque Judæi prosapiam indicet, rem plane invertunt, & argumentum, quantum in se est, inutile reddere satagunt.

§. 11. Ut itaque alias sæpenumero, ita & hic sublestæ fidei est assertio Talmudistarum, quos ex variis Jurisconsultorum sententiis ea, tantum retulisse auguratur Grotius, quæ tempore collectionis factæ moribus invaluerant, omissis aliis, à quibus discessum erat. Judicent vero eruditi, an conjectura illa fallat, si dicamus, Judæos sensum legis depravare voluisse, ad quam Christianos primorum seculorum, veluti suæ religionis stabilimentum provocare, illi haud ignorarunt.

§. 12. Quod attinet quæstionem an Maria ἐπίκληρος fuerit, tria cumprimis pro negativa sententia urgeri solent. Primum hospitium Bethlehemiticum, deinde paupertina oblatio turturum Luc. 2:24. quæ ejus esse dicitur, cui tantum non erat in bonis, ut agnum offerre posset. Lev. 12:8. Denique ipsius Christi assertum Matth. 8:20. quo se habere negat, ubi caput inclinet. Sed ad hæc facilis est responsio. Lucas minime pecuniam vel bona parentibus fuisse negat; sed loca saltim hospitii ab iis qui prævenissent, occupata fuisse commemorat. Oblationem quod attinet, eam tenui conditioni, qua Maria constituta erat, (utpote μνηστευθεῖσα homini de plebe) congenerem fuisse, haud negabimus, neque tamen inde eam extreme pauperem fuisse sequitur, cum & alii mediocris conditionis homines similem oblationem exhibuerint. Matth. 8. Christus de se loquitur, tempore longo post, quam Maria nupserat Josepho, ubi auspicatus ministerium suum bonorum nullam habuisse rationem credibile est.

§. 13. Fuisse vero Mariam non sola dote contentam, sed præterea patrimonii hæredem, nonnulli etiam inde colligunt, quod neque in scripturis, neque alibi uspiam fratris Mariæ fiat mentio, sed solum sororis. Deinde quod ei Nazarethi domus dicatur fuisse, quod quomodo refelli queat, negat se videre Cl. Vossius §. 14. dissertat. de genere Christi. Quod vero R. Abarbenel instat, si vel maxime Maria ἐπίκληρος fuerit, necdum sequi necessarium esse, ut ita nuberet Josepho, cum alii complures in eadem tribu fuerint, qui illam æque ac Josephus potuissent ducere, id plane frivolum est, & legis Mosaicæ sensum eum nondum penetrasse arguit. Illa quippe hoc vult, ut virgo, quæ non esset ἐπίπροικος, sed ἐπίκληρος, non modo extra tribum, sed ne extra familiam quidem nubat. Patet hoc ex voce משפחה, quæ licet ut Kimchi in libro Radicum monet, nunc שבט *tribum*, nunc גוי *gentem* significat, tamen pro materiæ diversitate vel circumstantia textus etiam πατριὰν, συγγένειαν denotat, quam significationem hoc loco obtinere, inde liquet, quod voci שבט dictio משפחה est addita.

§. 14. Quin si Ruth, fœmina extreme egena, nuptiarum spe ad Boozum, ut genere proximum, se contulit, etiam Maria haud ita opulenta Josepho potuit nubere, cum quod à consuetudine nollet recedere, tum quod promissiones divinas posteritati Davidis factas magni faceret, ob quas vel solas jus τῶν ἐπικλήρων in ea valere debuit. Neque est, ut R. Abarbenel nobis פרוצים, sive famosos illos *latrones* & legum divinarum violatores objiciat. Illi enim populo Judaico jamjam in suum ruente exitium, paulo ante excidium urbis demum invaluerunt, non virginis Mariæ ætate, qua, teste Josepho, magna adhuc religione usi Judæi τὸ ἀκριβὲς περὶ τοὺς γάμους observarunt.

§. 15. Nec desunt, qui Mariæ prosapiam inde quoque colligant, quod, cum Luc. 2:31. ἕκαστος (quæ vox utrumque sexum complectitur 1 Cor. 3:8. Gal. 6:5. Rom. 14:15.) ad suam se civitatem contulisse dicitur, Maria quoque Bethlehemum migrasse memoretur tanquam ad locum, quæ genti familiæque suæ obvenisset: cum alioquin in alia aliqua familiæ suæ urbe profiteri debuerit. Sed quid mirum, his Judæos non moveri, quorum majores nullis omnino κελτηείοις, non prosapia omnibus nota, non miraculis stupendis adduci potuerunt, ut Messiam nostrum reciperent. Nobis Christianis id longe certissimum est, eum perfectissima ratione ex stirpe Davidis fuisse, qui Apostolum tanta παρρησίᾳ, ut rem notoriam & extra omnem litem & controversiam positam, Ebræis in memoriam revocare videmus, c. 7:14. Epist. ad Ebr. non δῆλον, sed πρόδηλον esse, inquientem, ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ κύριος ἡμῶν. Quod etiam alibi consimili libertate inculcat Rom. 1:3. 2 Tim. 2:8. Cui testatissimæ veritatis effato, uti prisci Ebræi obloqui non potuerunt, ita recentiorum quidam assentiri videntur, quod eum Bethlehemi natum esse, aperte profitentur, confer. R. Gans in Zemach p. II. Quin in ipso Talmud, Massechet Sanhedrin cap. 4. hodieque testimonium nostræ sententiæ probandæ idoneum deprehendimus, ubi hæc legimus: ישו קרוב למלכות *Jesus regno* (eccui nisi Davidico?) *propinquus fuit.* Quod sane nunquam dicturi fuissent, nisi Evangelistæ ex libris genealogicis tunc apud Ebræos singulari studio asservari solitis prosapiam Christi solide adstruxissent & comprobassent, ut ἀναμφισβητήτως filius Davidis ab omnibus haberetur. Unde existimare licet, qua fronte & qua veritate nostram sententiam ut fabulosam & omni fundamento destitutam perstrinxerit R. Abarbenel. Sane si ea, quæ ad fictitium suum Messiam ille in medium affert, ad veritatis limam exegerimus, ipso meridie clarius elucescet, paucis immutatis, optimo jure Judæo suum cavillum à nobis remitti his verbis: הנך רואה אתה שדבריך ופרושך הבל וריק על כן אמרתי לא אזכר ולא אדבר עוד בשמם כי הם דברים בטלים מפארת עצמם: *Ecce vides, verba tua & interpretamenta esse vanissima. Idcirco decrevi mecum illorum non amplius meminisse, neque de illis loqui. Sunt enim in se nihil aliud, quam meræ nugæ.*

CAPUT II.

Improbus Judæorum labor in oppugnando genere Christi & exaggeranda ἀσυμφωνίᾳ *Evangelistarum. Hujus prætextu incredulitatem Judaicam excusare nititur R. Albo Hispanus. Pugnam, quam inter Matthæum & Lucam esse Judæi somniant, quomodo Interpretes declinent. Non, qui ab utroque Evangelista recensentur, iidem & multinomines fuere. Matthæum regium, Lucam sacerdotale Christi genus referre, Scriptura vetat asserere. Neque ratio genuina geminum stemma conciliandi est, si Josepho duos patres, unum naturalem, alteram legalem tribuas, cum Africano & Ambrosio, quæ sententia sola traditione nititur. Matthæum jus successionis, Lucam jus sanguinis spectasse, ut Grotius existimat, nec phrasi scriptoris sacri satis congruum est, neque rationibus satis firmis innititur. Luc. 3:23. Joan. Pricæus sine MSS. suffragio emendat. Geminus locum illum exponendi modus. Maldonatus alterum nequicquam rejicit. Abarbenel laudatus. Vossii* ἐπίκρισις. *Cur sententia illa, Matthæum genus Josephi, Lucam vero Eli, parentis Mariæ genus referre, sit præferenda. Quamobrem Judæorum axiomati, materna familia non est familia, in Christo non sit locus. Non improprie eum ex stirpe Isai esse, contra Episcopium ostenditur. Quot modis Mariæ genus constet, Epiphanii dicto concluditur.*

§. 1. NOn alium fidei Christianæ articulum esse, in quo oppugnando plus operæ Judæi posuerunt, quam hunc de Christo Salvatore nostro, cum ex dictis conjicere licet, tum ex iis, quæ jam nunc subdere constituimus, clare patescet. Neque enim satis habent recutiti, rationes excogi-

cogitasse, quamobrem vaticinia V. T. de Christo nequeant intelligi, sed præterea de ἀσυμφωνίᾳ N. T. quiritantes, Evangelistas sibi turpiter contradicere causantur. Atque hinc esse ajunt, quamobrem nullus Judæus, qui judicio valet & in scripturis minime hospes est, eis fidem possit habere. Ejusmodi querela in libro Ikkarim serm. 3. cap. 25. pag. 93. R. Joseph Albo Hispanus fidei quoque nostræ incertitudinem nobis exprobrare conatur, quam expendere accuratius, omnino operæ pretium esse arbitramur. Ita vero ille: וכל שכן שיקשה עליו להאמין בדברים שבאו בתורת ישו ובראותו שהדבר אשר שמוהו שרש ועקר לאמונתם והוא שישו היה משיח בן דוד אינו ידוע אצלם אם היה בן דוד ואם לאו כי פרק א׳ מאונגיליו מאטיב מיחס את יוסף בעלה של מרים או ארוסה לפי דבריהם לשלמה ודוד ואומר עליו שהיה מזרע המלוכה ובפרק שלשה מאונגילו לוקא אומר עליו שלא היה מזרע המלוכה ומיחס אותו לנתן בן דוד ושני היחסים אלה הם אינם אלא ליוסף: אין זה יחס יוסף מועיל לישו כלום ומהיכן נודע יחס מרים וכן היהודי שהוא בקי בספרי הקדש ולואה הכתובים שהם מביאים באונגילו ובשאר ספרים לראיה הם שאינם מורים על ראיתם כלל איך יוכל להתאפק להאמין בדבריהם: *Quanto minus vero* (Judæus) *à se impetrare potest, ut credat eis, quæ in lege Jesu habentur, ubi videt illud, quod pro suæ fidei fundamento posuerunt, nempe Jesum esse Messiam, filium Davidis. Nondum sane apud eos constat, utrum filius Davidis sit, nec ne. Cap. enim primo Evangelii sui Matthæus prosapiam Josephi, mariti Mariæ, aut uti volunt, sponsi ejus, illorum sententia deducit à Salomone & Davide, & eum ex semine regio esse ait. Capite tertio vero Evangelii sui Lucas eum negat ex semine regio esse, & genus ipsius ad Nathanem filium Davidis refert, quæ duæ genealogiæ nonnisi Josephum concernunt. Hæc Josephi vero genealogia nihil quicquam ad Jesum attinet. Unde vero constat Mariæ prosapia? Judæus, qui in libris sacris minime hospes est, & videt, quæ in Evangeliis, reliquisque libris probationis loco afferunt, nihil quicquam probare, ecquomodo tandem verbis illorum fidem habere potest?*

§. 2. Necdum nobis constare, utrum noster Messias filius Davidis sit nec ne, id exinde R. Albo minime probaverit, quod diversas genealogias Evangelistæ recensent. Qui, etsi pugnare videntur, tamen revera minime pugnant. Lucas quippe minime negat, Josephum ex regio stemmate fuisse oriundum, licet is aliam lineam eamque diversam per Nathanem ad Davidem recenseat. De qua re licet diversimode sentiant Christiani, nequaquam tamen ideo incertum est Christi genus, quod, ut Centuriatores Magdeburgenses lib. 1. cent. I. cap. 10. loquuntur: *in aliquibus partibus, quæ parvi sunt momenti, aliqui adhærescant & maneant scrupulosi scrupuli*, ita ut, amissis pridem tabulis, post tot secula in conciliando stemmate quod est apud Matthæum & isto, quod Lucas posuit, veterum & recentiorum scriptorum ingenia desudarint. Quorum diversis opinionibus allatis, quid statuendum videatur, & quam nullius momenti Judæorum sint objectiones, ostendemus.

§. 3. Fuerunt qui dicerent cum Augustino, Lucam non alios recensere, quam ipsum Matthæum, saltim quod binomines essent, eos aliter à Luca fuisse appellatos. Cæterum etsi exempla plurima binominorum in sacris occurrant, huic tamen loco id minus congruit, eo quod parentes, avi, proavi, abavi, atavi, tritavique aliter subinde appellati fuerint, quam à Matthæo. Quod uti ex πολυωνυμίας causa accidisse nemo prudens dixerit, ita de industria Lucam eos voluisse eo nomine appellare, quo Matthæum abstinuisse viderat, nullo modo est credibile.

§. 4. Alii igitur causam diversitatis illius hanc esse existimarunt, quod Matthæus regium Christi genus, Lucas sacerdotale voluerit enarrare. Unde Ambros. in cap. 3. Lucæ: *Quod per Salomonem Matthæus generationem derivandam putavit: Lucas vero per Nathan, alteram regalem, alteram sacerdotalem Christi familiam videtur ostendere.* Idem sentiunt Hilarius, Julius Toletanus, Baronio laudati, Annal. Ecclesiastic. apparat. §. 38. vide quæ in hanc sententiam memorat B. D. Chemnitius cap. 3. Harm. Evang. aliique. Sed hæc sententia cum aliis oraculis pluribus propheticis, tum, nostro, ex Esaia deprompto huic aperte repugnat, quæ ex tribu Juda & stirpe Isai Messiam oriundum esse, constanter affirmant. Quid, quod cap. 8. Ebr. Leviticum sacerdotium prorsus à Christo Apostolus removet. Neque Mariam ex tribu Levi ortam esse inde sequitur, quia Elisabeth ejus esse dicitur συγγενής. Ad id enim satis est, Elisabethæ matrem vel aviam ex tribu Judæ fuisse, aut patrem Elisabethæ ex cognatione Mariæ junxisse sibi uxorem.

Nonnulli hoc modo se difficultati mederi posse sperarunt, si Matthæum Josephi naturalem, Lucam vero legalem genealogiam recensere dicerent. Ut ita Josephus duos habuerit patres, unum naturalem, à quo genitus sit, alterum legalem, cui genitus sit secundum jus Leviratus à Deo, Deut 25. præscriptum. Sed hi, qui Jacobum apud Matthæum, & Eli apud Lucam pro fratribus uterinis habent, iterum variant. Quidam enim cum Africano, qui ducentesimo & vigesimo post Christum anno vixit, Heli primum mortuum, & Jacobum postea ex vidua ejus genuisse Josephum censent. Nonnulli vero contra sentientes, Iacobo mature defuncto, ab Eli uxorem ejus ductam esse ajunt, quomodo illi, qui è Salvatoris nostri genere se ortos asserebant, & vulgo δεσπόσυνοι, sive *Dominici* appellabantur, docuisse perhibentur. Quam sententiam, repudiata Africani, etiam Ambrosius in cap. 3. Lucæ est amplexus, *juxta præscriptum*, inquiens, *legis veteris duo fratres diversos filios uterinos ex una uxore generarunt. Traditur enim Mathan, qui à Salomone genus duxit, Jacob generasse filium, & uxore superstite decessisse, quam postea Melchi accepit uxorem, ex quo generatus est Eli. Rursus Eli fratre sine prole decedente Jacob, copulatus est fratris uxori & generavit filium Joseph, qui juxta legem Jacobi filius dicitur: quoniam semen defuncti fratris frater juxta legis veteris seriem suscitabat.*

§. 6. At enim, ut B. Chemnitius recte monet c. 3. Harm. solo traditionum titulo absque ullo testimonio hæc ita docentur ab Africano. Inter quem & Christum temporis intervallum facile famæ adulterationem aliquam pati potuisse, nemo facile ibit infitias. Quid quod ipse Africanus, quem Vossius virum doctrinæ excellentis, & studii de Ecclesia bene merendi indefessi appellat, Grotius vero non tam diligentia, quam judicio & linguarum cognitione destitutum, labi potuisse censet, hanc sententiam haud quaquam pro indubie vera tradit, sed saltim ea aliam meliorem non apparere censet: εἴτ' οὖν, inquiens, οὕτως, εἴτ' ἄλλως ἔχει, σαφεστέραν ἐξήγησιν οὐκ ἂν ἔχοι τις ἄλλως ἐξευρεῖν, ὡς ἔγωγε νομίζω. Unde nemini religio esse debet ab eadem discedere, maxime ubi etiam rationem aliam viderit, ob quam illa non facile queat admitti, nempe, quod lex illa Mosaica Deut. 25. non promiscue de quibusvis fratribus ex diversis familiis oriundis agat, sed illis qui eodem patre prognati in eadem habitant domo.

§. 7. Tam antiquam & tam multis eruditis Viris receptam conciliandi rationem valere jussit H. Grotius, & pro ea longe aliam substituit. Nempe persuasum ille habet, Josephum filium Eli à Luca dictum esse, quod esset ejus filius naturalis. Matthæum vero eundem à Jacobo genitum dicere, aliqua juris fictione, quod bonorum esset hæres. Ut adeo à Matthæo spectetur juris successio, & præcipue jus ad dignitatem regiam, à Luca vere jus sanguinis. Et quandoquidem 1 Paralip. 3: 16. Sedekias, qui Jechoniæ patruus fuit, filius Iechoniæ appellatur ob successionem, etiam non repugnare censet, si is, quem Iacobum genuisse Matthæus refert, filius dicatur ob successionem in dignitatem regiam. Conf. annot. Grot. in Luc. 3: 23.

§. 8. Cæterum neque hæc sententia omni caret difficultate. Vocent Latini parentes adoptivos genitores, per aliquam κατάχρησιν. Dicatur τεκνοποιήσασθαι Xenophonti in Laconica Rep. qui alium virum ad uxorem admittit, ut ipse secundum Laconica instituta partus pater dicatur. Appelletur etiam apud Ebræos genitus ex fratre mortui ipsius mortui semen: necdum tamen H. Grotii sententiæ adscribimus nostram. Matthæus enim verbo ἐγέννησε usus, haud obscure indicat, se in genealogia sensu restrictiori eam accipere, & ita patrem determinare, ut nonnisi de generatione naturali debeat intelligi. Neque par ratio esse videtur verbi γεννᾶσθαι, quo utitur Matthæus, & filium esse, quod scriptori Paralipomenon usurpatur. Hæc appellatio longe latior est illo verbo, eo quod υἱῶσις pluribus modis fieri solet, non generatione solum, sed & adoptione, arrogatione & affinitate. Quo minus itaque verbum illud à propria significatione absolvamus, & tam duro & scripturis insolenti modo accipiamus, illud adhuc obstat, quod nondum evidens urgensque ratio sit allata à Grotio. Ut jam nihil dicamus de eo, quod Judæus sit negaturus, exemplum ex 1 Paral. 3: 16. huc quadrare. Etsi enim Zedekias 2 Reg. 24: 19. appelletur דודו, patruum tamen ea voce significari, R. Abarbenel minime concesserit, com. enim ad l. cit. ait: אמר דודו לא להיותו אחיו של יהויקים כי אם שהיה אהובו של מלך בכל ולכן המליכו ודודו הוא מגזרת דודי לי ואני לו: *Appellat eum* דודו *non quod frater esset* ꝗ *Jojachin, sed quod esset Regi Babylonis in amoribus. Est enim ex illa significatione, qua dicitur* (Cantic. 2: 16.) *dilectus meus mihi, & ego illi.*

§. 9.

§. 9. Sed Grotius se non conjecturis, sed liquidissimis rationibus adductum ait, ut ita statuat: *Nam*, inquit, *qui regnum obtinuerunt, quod erat τῶ πρωτογόνων, privato nemine admixto, recenset Matthæus. Deinde* Ιεχονίας, *inquit*, ἐγέννησε τὸν σαλαθιήλ. *Atqui eundem Jechoniam ob sua merita sine liberis ex hac vita exiturum non obscure Jeremias prædixerat Jer. 22: 30. Quare cum eidem Salathieli (nam cur diversos putemus, non video) Neri parentem adscribit Lucas, privatum hominem, Matthæus Jechoniam, apertissimum est, à Luca jus sanguinis, à Luca jus successionis, & præcipue jus ad regiam dignitatem spectatum, quod jus sine liberis mortuo Jechonia, & si qui alii erant à Salomonis posteris, ad Salathielem, caput familiæ Nathanis legitimo ordine devolutum est.*

§. 10. Sed quæ Grotius hic ut certa supponit, controversia minime carent. Quod enim Jer. 22: 30. prædictum esse ait Jechoniam sine liberis ex hac vita exiturum, id ex voce עֲרִירִי colligit, quæ Kimchio, R. Natham, & Chaldæo interpreti idem significare dicitur atque יחיד בלא בנים, quos etiam Syrus interpres sequitur, qui habet: *Scribite virum istum* ܟܬܘܒܘ ܠܗ ܓܒܪܐ *proclamatum sine liberis.* At LXX. ἐκκήρυκτον transtulerunt, quod idem notat ac *præconis voce ejectum*, quo Hesychius respexisse videtur, qui per ἀπόβλητον *abjectum* explicat, & ipse Arabs interpres, qui رجلا مرذولا *virum despectum* vertit. Nec Aquila in diversum abit, qui ἀναύξητον *non crescentem* denotare ait, & R. Salomoni com. ad Gen. 15. adstipulari videtur, asseveranti, τὸ ערירי habere לשון חרבן *sensum destructionis*, adeoque sic pro circumstantia textus *extorrem*, *vacuum & abdicatum* potius significat, quam *sterilem* aut *improlem*. Sane idem etiam ex textu haud obscure constat, ubi τὸ יצלח eodem versu non sine singulari emphasi posita, cum *infortunatum* fore indicat. Cur vero Grotius Salathielem, cujus mentionem facit Matthæus, eundem esse credat, qui occurrit in Genealogia Lucæ, nihil causæ videmus, cum nihil novi sit, pluribus in diversis lineis idem nomen competere.

§. 11. Ut igitur, quæ optima conciliandi stemmatis utriusque ratio sit, ostendamus, Lucam audiemus, cujus mentem cum R. Albo supra non sit assecutus, eum Josephi genealogiam itidem ad Davidem referre, & Matthæo in os contradicere, sibi persuasit. Verba ejus cap. 3: 23. habent ita: καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλί. In quo loco difficili, & quo se plures exercuerunt, an minima licentiositate puram putam expediendi rationem invenerit Cl. Pricæus, dum sublata parentheseos nota, non ὡς sed ὃς legendum, conjecit, inductus locis duobus, Act. 7: 20. & Luc. 2: 36. ubi post ἦν ponitur relativum, nondum equidem affirmare possum, maxime cum τὸ ὡς Versiones antiquissimæ, habeant, & pronominis in nullo MSS. extet vestigium. Verba suo ordini & integritati relicta, hunc sensum gignere ajunt: *Et ipse Jesus erat incipiens annorum triginta, existens, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Eli.* Ubi illud in quæstione est, utrum vox ultima τοῦ Ἡλὶ regatur ab υἱὸς, an vero υἱοῦ. Si priori modo intelligas, posita parenthesi non post ἐνομίζετο, sed post Ἰωσὴφ, hæc verborum series erit; ὁ Ἰησοῦς ὢν ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ, (υἱὸς) τοῦ Ἡλί. Si vero alter magis placeat, hæc constructio emerget: ὁ Ἰησοῦς ὢν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ, (υἱοῦ) τοῦ Ἡλί. Illum priorem modum exponendi, quo υἱὸς nepotem significat, à suæ ætatis viro per quam erudito traditum commemorat, sed ut subtiliorem & coactum improbat Johannes Maldonatus: fatetur tamen Jesuita, *si verus esset, nullum quæstioni locum relictum iri.* Sed sive verba, sive sensum respiciamus, nihil coactum apparet. Neque id absonum videri debet, Christum, qui patrem secundum humanam naturam minime habuit, & cujus matris in genealogia, reliquarum fœminarum more apud Judæos recepto, mentio nulla fiebat, avi materni *filium* dici, hoc est nepotem. Quod à scripturæ usu adeo alienum non est, ut ipse R. Abarbenel ad 2 Reg. 24. diserte dicat: אין להפלא מאשר פעמים יקראהו הכתוב צדקיהו בן יאשיהו כי כמו שוברתי הני הבנים יקראו בנים: *Noli mirari, quod interdum scriptura Zedekiam filium Josiæ appellet, quemadmodum enim dixi, nepotes quoque filii appellantur.*

§. 12. Si vero posteriori modo accipiamus, tunc vox deficiens non ad Christum, ut priori modo factum, sed ad Josephum relata, generum notabit τοῦ Eli, perinde ac Naëmi nurus suas Ruth 1: 13. vocavit *filias*. Cui tamen interpretationi prior præferenda idcirco Clarissimo Viro, J. Gerhardo Vossio, videtur, quod ex more Scripturæ magis sit, ut quis natura avi, quam ἐπιγαμβρεύσεως lege, soceri sui filius dicatur: maxime cum in ipsa genealogia à Matthæo contexta exempla præsto sint, ubi quis eum genuisse dicitur, qui ipsius est nepos vel pronepos, salva recti sermonis ratione, fatente ipso Grotio.

§. 13. Eos, qui ita alterutro modo Lucam cum Matthæo conciliant, facillime se expedire, H. Grotius fatetur: at à recto sermone usuque alienum esse arbitratur, in generis recensione, nullo adhibito discriminis signo, rem adeo diversam communi voce indicare, nempe *filium* & *nepotem* vel *generum*: neque ordinem illum perpetuum pati, ut τοῦ Ἡλὶ referatur ad id, quod erat remotius, nempe Ἰησοῦς. Cæterum in Scripturis insolens non esse, ut eadem phrasis ad diversa subjecta relata diversimode accipiatur, vel ex Joan. 14: 20. 17: 11. 18. patet. Quin unicam quoque vocem quandoque in eodem contextu de diversis diversimode efferri, ex Gen. 37: 35. liquet, ubi omnes *filiæ* surrexisse dicuntur ad solandum Jacobum, ubi tamen τὸ בנות præter unicam filiam Dinam, nurus quoque Jacobi denotat. Unde in Rabboth fol. 54. ad l. cit. legimus: אין אדם נמנע מלקרא לחתנו בנו וכלתו בתו: *Nemo prohibetur generum suum vocare filium, & nurum suam filiam suam.* Præterea eodem 3. capite Lucæ, non una omnium eorum, qui recensentur, est habitudo, quippe, ubi vers. 38. Adamus dicitur τοῦ Θεοῦ, cujus tamen filius non erat ea ratione, qua Seth Adami, quod Syrus quoque observavit, qui cum in reliquis τὸ ܒܪ adhibuisset, tandem ubi ad Adamum ventum est; aliter sermonem instituens, eum ܕܡܢ ܐܠܗܐ *à Deo esse* ait.

§. 14. Quæ cum ita se habeant, quid mirum, si una eademque vox aliter sumatur respectu Eli, vel Christi, aliter respectu majorum Eli: vel si remotior vox Ἰησοῦς arcessatur? maxime cum constet, Christum esse ἀπάτορα, & ejus aliam rationem esse, quam reliquarum γενεῶν. Quapropter dicendum omnino arbitramur, Lucam Josephi genus minime enarrare, uti Albo supra sibi persuasit, id enim à Matthæo jam ante præstitum erat; sed per lineam Nathanis ad Davidem ducere prognationem Eli, qui pater Mariæ, socer Josephi, & Christi avus fuit maternus. Quæ sententia inde etiam probabilior esse apparet, quod omnino durum, imo absurdum esse videtur, Evangelistas Josephi geminam texere voluisse genealogiam, & genus Mariæ majorum, quod cognovisse maximi momenti erat, prorsus præteriisse. Ecquid attinet dicere, adhuc aliter Josephi genus, quod per Nathanem à Davide legaliter trahat, referri, quod Matthæus jamdum per veram generationem eum trahere à Davide, ostenderat? Quanto magis necessarium erat ad majorem Christi prosapiæ certitudinem, ut Lucas alteram genealogiam, nempe Mariæ afferret, ut sic Judæis ansa cavillandi præscinderetur, ad id, ut Christus ex semine Davidis sit prognatus, non satis esse, Josephum ab eo descendere, utpote, qui tantum putativus pater ejus sit, non φύσει: sed omnino requiri, ut ex Matre quoque prosapiæ Davidis ortus sit, cum solum matrimonii vinculum civile, quod Iosepho cum Maria intercessit, γέννησιν illam Messiæ ex Isai stirpe nequaquam evincat.

§. 15. Hoc cum ita à Luca factum sit, nihilominus Iudæi adhuc excipiunt: משפחת אם איננה משפחה *familia matris non est familia*, sive ut in Juchasin pag. 55. legitur, איננה קרויה משפחה *non vocatur familia*, & ita hoc evincere volunt, totam rationem πατριᾶς à patre dependere, non à matre, & idcirco, etiamsi evictum sit, Mariam ex Isai stemmate esse, negant sequi, Christum ejusdem stirpis esse, eo quod patrem is non habeat naturalem. Etsi vero, ut ex Esd. 2: 62. patet, in populo Iudaico illi, qui maternæ stirpi fidem fecerant, paternæ non item, à sacerdotio fuisse remoti leguntur, ut minus idonei; res ipsa tamen testatur, intelligendum hoc esse de iis, qui paternum genus habent. Quia vero Christus secundum humanam naturam ἀπάτωρ fuit, & ἄνωθεν καὶ διὰ γαστρὸς ἀνθρωπείας ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τῶν ὅλων γεννᾶσθαι αὐτὸν ἔμελλε, uti Iustinus cum Tryphone Iudæo loquitur, æque proprie ex stemmate Davidis Christus oriundus est, ac alii, qui utroque parente inde suam duxerunt originem. Neque enim Simonis Episcopii sententia, lib. 3. Instit. cap. 2. applausum meretur, fieri, inquientis, *non poterat, ut Jesus esset ex stirpe Davidis, quam improprie. Ex virgine enim nasci debeat, quæ proprie familiam non habet, nec genus aut stirpem facit. Dicis at, si virgo illa ex familia Davidis erat, ejusdem familiæ fructus ejus censeri debebat. Respondeo, fructum virginis nunquam censeri fructum ejus, sed semper parentis sive patris fructum. Mulier enim non facit personam, sed si innupta est, ex persona patris censetur, si nupta, ex persona vel sponsi vel conjugis.* Quandoquidem hoc exemplum plane singulare est, quo virtus divina id, quod alias humanæ est operæ, extra ordinem supplevit, & ut virgo jamdum in familiam regiam sponsi, ex Davide oriundi, trans-

translata Messiam conciperet, & in lucem ederet, effecit; clarum inde evadit, nihil obstare, quo minus proprie eundem ex stirpe Davidis esse dicamus, præsertim cum & ipsa virgo ex eadem stirpe esset, quamvis per aliam, ducalem nempe lineam, ad Nathanem, filium Davidis, ejus prosapia refe-ratur.

§. 16. Atque ita omnino liquet, Christum ex stirpe Isai, & *γνήσιον* filium Davidis esse, contra quam R. Abarbeneli & R. Albo visum est. Quibus sciscitantibus: מהיכן נודע יחוס מרים *unde Mariæ genealogia constat?* respondemus, bifariam eam à nobis cognosci. 1. apodictice ex Luca, qui genus parentis Mariæ virginis per lineam Nathanis ad Davidem & Abrahamum usque ad communem generis humani satorem, cui in Paradiso promisso de semine mulieris Genes. 3:15. facta est, deducit. Deinde per consequentiam ex ipso Matthæo, cum enim ex stemmate Davidis & Abrahami Josephum esse ait, id ad virginem Mariam quoque pertinet, quam is secundum legem duxit, quod Matthæus tacite innuit, dum in ipso libri sui limine se *βίβλον γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ* se recensiturum profitetur, & nihilominus in Josepho subsistens, eum virginis Mariæ *ἄνδρα*, sive sponsum appellat. Unde satis patet, eum ex illa hypothesi hæc scripsisse, quod Mariam secundum legem genere proximo & agnato nubere oportuerit. Ex quibus cum constet, quomodo *εὐαγγέλιον* cum *ἐπαγγελίᾳ* Esaiæ 11:1. conveniat, *εὐχαριστοῦμεν Θεῷ τῷ προασφαλισαμένῳ διὰ τῶν δοκούντων βραχέων ῥημάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ παριστᾶν πάσης γραφῆς τὴν ἀλήθειαν*, ut Epiphanii verbis, Hæres. LXXVIII. concludamus.

PARS SECUNDA.

DE SECUNDO, TERTIO ET QUARTO QUOS IN VERI NOMINIS MESSIA JUDÆI EXIGUNT, CHARACTERIBUS, DISSERTATIO

Ex Esai. XI: 2, 3.



Quemadmodum Judæi in illis, quæ secundum Prophetici Oraculi tenorem de genere & prosapia Messiæ docent, & ejusdem primum characterem, vel proprietatem appellare amant, Christianorum applausum merentur: ita contra in eo commiseratione potius digni sunt, quam assensu, cum tam obstinato animo scripturis & veritati obluctantur, ut adhuc vana venturi Messiæ spe se lactare malint, quam ex Davidis stemmate Jesum nostrum oriundum, in quem & primus, & reliqui genuini characteres competunt, recipere. Neque enim illud, cujus obtentu huic vaticinio suum complementum, templo secundo stante, constitisse negant, vel tantilli est momenti, ut idcirco in sua incredulitate perseverandi justam habeant causam. R. quidem Abarbenel ad l. cit. scribit: לפי שיעקב אבינו נתן המלכות והממשלה באומה אל שבט יהודה בחר דוד עבדו ויעדו שכסאו יהיה נצחי לעד ומפני זה יתויב שיהיה המושיע מזרעו שלדוד ולא מזרעו אחר וישב במקומו ובכסאו ויקרא בשמו ומזה יראה שלא נתקיימה הנבואה הזאת בזמן בית שני כיון שלא היו מלכיה אז מזרע דוד כי אם פעמים מזרע אהרון הכהן ופעמים משאר השבטים וגם מן הגרים כהורודוס וזרעו שהיתה אמה אדומית: *Quia Jacobus, pater noster regnum & dominium in populo tribui Judæ dedit, Davidem servum suum elegit & ei promisit, thronum ejus æternum fore, idcirco oportet, ut redemptor de Davidis semine sit, non alio, ejusque loco sedeat & throno, quin etiam nomine illius appelletur. Ex quo apparet, stante templo secundo, hoc vaticinium non fuisse impletum, quandoquidem id temporis non erant ex semine Davidis, sed interdum ex reliquis tribubus, & ex proselytis, ut Herodes & posteri ejus, cujus mater erat Idumæa.* Cæterum quod tempore templi secundi nemo solio Davidis visibili insedit, exinde non sequitur, hoc vaticinium non fuisse impletum, quandoquidem, ut alibi docetur, neque Patriarcha tale quid prædixit, neque Davidi est promissum, fore, ut Messias ipsius terreno solio potiatur, neque etiam textus propheticus quicquam hujus præ se fert. Quod vero Abarbenel urget, Messiam appellandum quoque esse nomine Davidis, ne illud quidem ex Jer. 30:9. & aliis locis recte colligitur. Ecquis enim ignorat, Scripturam sæpenumero uni alterius nomen tribuere ob typum & similitudinem, ad rem tali modo significatam potius, quam ut nomen exquisite dictum intelligi debeat, ceu exemplis ostendit B. D. Glassius, Phil. sacr. lib. IV. tr. 3. observ. 19. Æque sane in hæc Abarbenel hallucinatur, ac ibi, cum sententiam Cabbalistarum propugnat, qui recepta de transmigratione animarum, vel Metempsychosi opinione asseruerunt, שמלך המשיח יהיה דוד עצמו כי נפש דוד תתגלגל במלך המשיח ולכן הוא עצמו ימלוך בישראל: *Regem Messiam ipsissimum Davidem fore, animam quippe ejus in Regem Messiam devolutum iri, & ipsummet Regem Davidem Israëli imperitaturum.* Quam monstrosam, & Scripturis adversam sententiam comm. ad cap. 25. Deuteron. statuminare nititur. Cui tamen illud potius hic recolendum erat, quandoquidem terrenum solium neque Messiæ dignitati respondet, neque ejus officium aliquod in oculos incurrens imperium poscit, de longe alia & excellentiori *ὑπεροχῇ* Prophetam agere, quam illi somniant. Nempe non illo terreno & temporali regno, sed spirituali & per Davidicum adumbrato. Quod cum tot retro seculis, sceptro fortitudinis ex Sione emisso, Psal. 110:3. Salvator noster sit auspicatus, Judæis in hodiernum usque diem sospitatorem suum nequicquam expectantibus, oppido clarum inde evadit, Christianos cum Apostolo lætabundos dicere posse, ex Joh. 1:41. *εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον ὁ Χριστός!* Cujus asserti veri-

veritatem magis illustratum iri confidimus, ubi alias quoque proprietates suos, quas recutito fatente, Messiæ Esaias tribuit, Christo convenire ostenderimus.

CAPUT I.

R. Aben-Melech & Aben-Esræ super verbo נחה *observatio. Quid apud LXX. Interpp. eo significetur.* רוח יהוה *Ebrais priscis & Baal Hatturim est Spiritus Messiæ. R. Salomo laudatus. Emphasis verbi* נחה*, quam B. Snepfius asserit, stabilita. Aben-Esræ & Grotii detorsiones notatæ. R. Abarbenel secundum Messiæ characterem ex vaticinio plausibilem eruit. Quid Judæo, ne veritati manus dederit, fuerit impedimento. Prophetiæ ablatæ causa gemina adducta. Tempore Christi eam restitutam esse, probatur. Chrysostomi observatio contra Judæos. Scholasticorum in probandis 7. Spdonis irritus labor; Prisci Ebræi sex Messiæ proprietates ex textu elicientes, rectius senserunt Aben-Esra & Grotio. Tertius Messiæ character ab Abarbenele venturo Messiæ male vendicatus. Nostro Messiæ eum competere ostenditur. Insignita Judæorum malitia. R. Maimonides & R. Gersomides invicem committuntur. Unde quarti ab Abarbenele ex vaticinio allati Messiæ characteris sinistra explicatio sit orta. Allatis versionibus, Græca, Latina. Arabis, Syri, Chaldæi, Grotii, Aben-Melech, B. Glassii, Sanctii explicationes verborum* וַהֲרִיחוֹ בְּיִרְאַת יְהוָה׃ *expenduntur. Ex duobus interpretamentis alterum contextu, Aben-Esræ & priscorum Ebræorum suffragio stabilitum. Etiam characterem quartum dextre intellectum Christo convenire, probatur.*

§. 1. VErba vaticinii, ex quibus tergeminum Messiæ characterem vel conditionem Abarbenel elicit, commate 2. & 3. ita habent: וְנָחָה עָלָיו רוּחַ יְהוָה רוּחַ חָכְמָה וּבִינָה רוּחַ עֵצָה וּגְבוּרָה רוּחַ דַּעַת וְיִרְאַת יְהוָה׃ וַהֲרִיחוֹ בְּיִרְאַת יְהוָה וְלֹא לְמַרְאֵה עֵינָיו יִשְׁפּוֹט וְלֹא לְמִשְׁמַע אָזְנָיו יוֹכִיחַ׃ *Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & timoris Domini. Et odorabitur timorem Domini, & non secundum aspectum oculorum judicabit, neque ad auditum aurium suarum arguet.* Ad primum verbum in Michlal Jophi Judæi scribunt: מלרע שלא כמנהג *præter morem in fine accentum habet*, quod alias, utpote verbum media radicali quiescens, Milhel esset. Rabbi Aben-Ezræ super illo hæc est annotatio: על משקל ושבה אל בית אביה מהשניי הנראים׃ h. e. *eadem hujus verbi forma est, ac vocis* ושבה, (Levit. 22:13.) *est ex verbis quiescentibus secunda radicali.* Significationem quod attinet, gemina alias illa esse solet, ut testatur R. Nathan in Concord. Ebraicis, nempe מנוחה ונחת *quietis & descensus.* LXX. etsi diversimode illud vertunt: cumprimis tamen nunc respondet verbo ἀναπαύω, ut h. l. nunc καταβαίνω, ut Job. 17: 16. & 36: 16. quod ἀνθρωποπαθῶς de Spiritu sancto dicitur. Vocatur ille רוח יהוה *Spiritus Domini* ab essentia divina quam eandem cum Patre & filio habet. De quo notanter Judæi in antiquo libro Bereschith Rabba ad Gen. 1:2. loquuntur: רוח אלהים מרחפת על פני מים זו רוח של משיח׃ *Spiritus Dei aquarum superficiei incubans est Spiritus Messiæ.* Quod in Baal Hatturim ex eodem libro ad I. Gen. cit. repetitur his verbis: זו היא רוח של מלך המשיח ורוח אלהים׃ *hic est Spiritus Regis Messiæ, & Spiritus Dei.* Nempe idem Spiritus qui in historia creationis aquis dicitur incubuisse more alitis ovis suis incubantis, eaque suo calore foventis, sive ut R. Salomo glossatur, כיונה מרחפת על הקן *sicut columba nido suo incubat*, ille super Messiam dicitur quiescere, non ad tempus, movendo eum ad aliquod factum heroicum, ut Simsonem & Phineen, sed eum in modum, ut totius sui muneris tempore ei adsit, & donis singularibus exornet.

§. 2. Hunc in sensum verbum ונחה accipit etiam B. D. Snepfius, com. in h. l. *Cum*, inquiens, *de ipso Spiritu verba facit significanti verbo usus est, dicens, Spiritum requiescere super eo, vel quod Spiritus Domini à Christo nunquam discedat, sicut ab hominibus cæteris, qui peccatis suis eum contristant; vel quod Spiritus Christo proprius aliis communicetur; vel quod Spiritus non sit ei datus secundum mensuram. Illa enim omnia in hoc verbo latere videntur.* Si vero Judæi vel maxime negare velint vocis emphasin, ipse tamen contextus eam satis stabilit. Idem enim surculus Jesse, super quem Spiritus Domini quieturus dicitur, appellatur *radix Isai.* vs. 10. *fons salutis* cap. 12: 3. Cujus beneficio tanta Dei cognitio sit secutura, ut ea sit terra plena futura, & pax Ecclesiæ tanta, ut agni & armenta cum ipsis lupis, ursis, leonibus recubent. cap. 11: vs. 5. Unde satis liquet, Aben-Ezram falli, dum non aliter hoc intelligendum contendit, quam illud כתוב על יהושע בתורה *quod in lege* (Numer. 27: vers. 18.) *de Josua est scriptum.*

§. 3. Hugo quoque Grotius emphaticam significationem urget, dum *perpetuo ipsi aderit*, reddit, licet in vaticinii objecto aberret, ad Hiskiam verbum detorquens. Chaldæus interpres תִּשְׁרֵה *residebit*, transtulit. Syrus, stabilem Spiritus sancti super Messia mansionem indicaturus, verbo in Ebræo textu extanti, alterum quod Chaldæus habet, addendum censuit, dum reddidit ܬܬܢܝܚ ܘܬܫܪܐ *requiescet & residebit.* Arabs verbo تحل utitur, quod idem notat ac *subsistet.* Omnes ad constantem illam Spiritus Sancti in Messia operationem videntur respicere, quæ ejusmodi sit futura, ut ille omnium *Prophetarum* idcirco facile princeps sit habendus. Ipse Rabbi Abarbenel in hunc sensum præclare, & contra quam vulgus Rabbinorum solet, commentatur: התנאי הב׳ הוא במדרגת נבואתו שתהיה בעליונה שבמדרגות הנבואה וכמו שדרשו חכמים ז״ל על הנה ישכיל עבדי ירום ונשא וגבה עד מאד ירום מאברהם ונשא ממשה וגבה ממלאכי השרת וכמאמר זה הנביא עליו הן עבדי אתמוך בו בחירי רצתה נפשי נתתי רוחי עליו עד שמפני נבואתו יהיה יודע סתרי לבות בני אדם כמו שנאמר לא למראה עיניו ישפוט ולא למשמע אזניו יוכיח ושפט בצדק דקים ר״ל שיהיה שיפט את האמת ולא כפי המפורסם וכל זה מורה על מעלת נבואתו ועליה נאמר כאן ונחה עליו רוח ה׳ ומזה התבאר שלא נתקיימה נבואה הזאת לא בחזקיהו כי הוא לא היה נביא ולא בדור בית שנית כי לא היתה בהם נבואה ולא רוח הקדש כמו שקבלו חכמים ז״ל׃ *Secunda proprietas concernit propheticam ipsius prærogativam, quæ summa futura est. Quemadmodum & Sapientes l. m. id significarunt expositione allegorica verborum* (Esai. 52: 13.) *exaltabitur, elevabitur, & sublimis erit valde. Exaltabitur præ Abrahamo, elevabitur præ Mose, sublimis erit præ angelis ministerii. Et secundum hoc dictum Propheta ait* (cap. 42: 1.) *Ecce servus meus, innitar ei, complacuit animæ meæ, dedi Spiritum meum super ipso. Quin tanta erit prophetiæ ejusdem, ut cordis quoque humani arcana sit cogniturus, sicut dictum est* (cap. 11: 3.) *non ad visionem suorum oculorum judicabit, neque ad auditum aurium & in justitia tenues judicabit, q. d. judicaturus est secundum veritatem, & non prout manifestatur. Quæ omnia prærogativam prophetiæ ejus innuunt. Et de ea hic loquitur, dum ait: & requiescet super eo Spiritus Domini. Ex quo patescit, hanc Prophetiam impletam non esse in Hiskia, utpote qui non fuit propheta, neque tempore templi secundi, quia tunc neque Prophetia fuit, neque Spiritus sanctus, veluti Dd. l. m. tradiderunt.*

§. 4. Sane interpretamentum hoc, nisi ex autore suo & verbis ultimis, quibus vaticinium tam insigne Christianis eripere satagit Abarbenel, æstimemus, prorsus Christianum est. Ecquid enim aliud afferri potuisset, ad Messiæ dignitatem magis exaggerandam vel graphice explicandam, quam eum quibusvis Prophetis, quin ipsis angelis, excellentiorem fore, vel ut Apostoli verba usurpemus Ebr. 1: 4. παρ᾽ αὐτοὺς διαφορώτερον ὄνομα κεκληρονομηκέναι? Hoc uti vis veritatis Abarbeneli expressit, ita optandum erat, eum Majorum suorum autoritate non ita fuisse fascinatum, ut absque præjudicio rem altius repetendo, & nostri Messiæ historiam æquo animo expendendo, quam apte in eum hæc proprietas competat, intelligere potuisset. Qui uti bene animadvertit, hoc prædicatum in Hiskiam minime quadrare, quod H. Grotii acumen capere non potuit, ita genuinum oraculi objectum deprehendere fuisset ei in proclivi. Quod cum Prophetam, eumque καρδιογνώστην fore largitur, eo ipso propius à veritate abest, quam alii, nonnisi belli ducem somniantes. Ne tamen rem acu prorsus tangeret, illa de doctorum suorum infallibilitate erronea persuasio vetuit. Quibus asserentibus, templi secundi tempore neque Prophetiæ, neque Spiritui sancto locum fuisse, Talmudici codicis ductu cœcam fidem habendam censuit vir* cæteroquin sagacissimus.

§. 5. Cujus aſſerti falſitatem oſtenſuri id quidem minime diffitemur, aliquot ſeculis, ab Eſdræ nempe ætate, cui Prophetarum ultimus Malachias σύγχρονος fuit, Prophetiam ceſſaſſe. De quo defectu 1 Machab. 9: 28. ſic legimus: καὶ ἐγένετο θλίψις μεγάλη ἐν τῷ Ἰσραὴλ, ἥτις οὐκ ἐγένετο ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης αὐτοῖς. Qui autor etiam meminit, ſi quid difficilis controverſiæ fuiſſet, id indefinitum fuiſſe relictum, μέχρι τοῦ παραγενηθῆναι προφήτην, ut videre eſt 1 Machab. 4: 46. quod eodem libro cap. 14: 41. dicitur, ἕως τοῦ ἀναστῆναι προφήτην πιστόν. In Seder Olam Sora pag. 167. ubi de tribus ultimis Prophetis loquuntur, ſic ſcribunt: באותו הזמן פסקה נבואה מישראל היא שנת ג' אלפים ארבע מאות ושמונה לבריאת עולם מכאן ואילך הט אזנך ושמע דברי חכמים: *Illo tempore ceſſavit Prophetia ex Iſraële, anno ter milleſimo, quadringenteſimo & octavo creationis mundi. Ex eo tempore & deinceps aurem tuam inclina & obtempera ſapientibus.* Quibus ultimis verbis cum etiamnum, ut ἐποχῇ, uti ſoleant Judæi, Doctorum ſuorum autoritatem commendaturi, fieri ſolet, ut illorum dictatibus acquieſcentes, parum ſolliciti ſint de tempore Prophetiæ reſtitutæ, & cauſis illius ſublatæ. Duas vero cumprimis obſervaſſe videmur. Prima eſt, quod Prophetæ cum primi tum ſecundi templi tam clare de Meſſiæ adventu & officio eſſent vaticinati, ut jam à populo nihil magis requireretur, quam ſingularis attentio ad terminum illum, quem ſancti Dei homines tanti ſoſpitatoris apparitioni præfixerant. Ad templum enim quod vocant שני *ſecundum*, eum venturum Prophetarum ultimus Malachias cap. 3: 1. monuerat, & brevi quidem illud præ primo illuſtratum iri Haggai cap. 2: 7. prædixerat. Altera eſt, ut eo magis illuſtris & conſpicua eſſet illius reſtitutio, & Spiritus ſancti effuſio, tempore Meſſiæ non perexiguis ille perſonis contenta, Zachariæ, Annæ, Simeonis Luc. 1. & 2. ſed ad juvenes, ſenes, ancillas extendenda, & à Joële prænunciata, cap. 2: 28. Actor. 2: 17. Quæ demum ſubſecuta eſt illam unctionem Meſſiæ noſtri, qua is, antonomaſtice idcirco χριστὸς dictus, præ conſortibus *oleo lætitiæ* perfuſus eſt, ut Pſal. 45: 8. prædictum, hoc eſt πνεύματι ἁγίῳ καὶ δυνάμει, Actor. 10: 38. ita ut eum pro magno Propheta habendum eſſe, miraculoſis operibus convictus populus publice profiteri minime dubitaverit, Luc. cap. 7: 16.

§. 6. Neque nos dubitare ſinit de complemento vaticinii illa illuſtris apparitio Spiritus ſancti, qua uti Joh. 1: 33. legimus: Baptiſta vidit πνεῦμα καταβαῖνον καὶ μένον. Ubi Meſſias, רוח הנבואה *Spiritum Prophetiæ* (ut Chaldæus h. l. reddit,) οὐκ ἐκ μέτρου accepit, Joh. 3: 43. & ſic eum unctum eſſe, publico teſtimonio probatum eſt. Cujus unctionis, ut actionis non tranſeuntis, ſed inde à conceptione ad mortem uſque permanentis efficacia inde quoque elucefcit, quod Chriſtus ipſe multa prædixit, & Apoſtoli ejuſdem de futuris ſunt vaticinati. Confer Matth. 16: 21. c. 24. & 26: 2, 13, 14. Luc. 18: 31. cap. 19: vſ. 43. Joh. 6: 70. 21: 18, 19. Actor. 11: 28. 2 Theſſ. 2. Quæ ſi adhuc infitias ire Judæi velint, vel illud ſolum expendant, quod adverſus eos Orat. II. ex Matth. 26: verſ. 13. urgendum cenſet Chryſoſtomus, ubi factum mulieris pretioſa aqua Dominum perfundentis toto terrarum orbe prædicatum iri prædixit. *Utrumne*, inquit ſanctus pater, *mentitus eſt, an dixit verum? Interroga Judæum, & ſi millies perfricuerit frontem adverſus hanc prædictionem, non poterit oculos attollere. In omnibus enim Eccleſiis appellari mulierem, audimus. Sunt conſules, duces, viri, mulieres, nobiles, illuſtres, ſplendidi in omnibus urbibus, & in quamcunque orbis partem deveneris, ſummo cum ſilentio audiunt omnes hujus mulieris officium. Neque eſt ulla mundi plaga, quæ factum ignoret.* Præſtitum ſane & id à Salvatore noſtro eſt, quod Matth. 26: 68. Judæi eum irriſuri poſtularunt, χριστὲ προφήτευσον! Magno enim adhuc ſuo malo experiuntur, quam fatidica demonſtratione ab eodem dictum ſit, ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος, Matth. 23: 38.

§. 7. Ad abundantiſſimam divinorum donorum collationem, in partes quaſi deducendam, reliqua Prophetæ verba ſpectant, ex quibus Scholaſtici vulgo ſeptem Spiritus ſancti dona probare ſolent. Sed cum illi numero ſeptenario non tam textus authenticus, quam verſio duntaxat Græca & Latina faveat, manifeſto patet, quo fulcro illa ſatis alioquin operoſa Doctorum nitatur diſputatio. Oſtendit hoc ipſum Guilielmus Ameſius, Medull. Theolog. lib. II. cap. 20. §. 20. *Fruſtra*, inquiens, *ſemetipſos fatigant, qui VII. Spiritus dona ſtatuunt ex Eſai.* 11. *eademque ſollicite diſtinguunt à virtutibus ac ſingulorum proportionem ad aliquam virtutem ſatagunt demonſtrare. Neque enim ſeptem tantum ſunt Spiritus ſancti dona, quamvis non plura (imo nonniſi ſex) ibi numerentur, quia præcipua tantum & maxime regia dona ratione ſubjecti ibi commemorantur, (agitur enim de Chriſto) cæteris per Synecdochen ſubintellectis. Neque illa, quorum ibi ſit mentio, reapſe diſtinguuntur à virtutibus, ſed metonymice omnes virtutes deſignant per ſuas cauſas.*

§. 8. Igitur ingenioſis alioquin Doctoribus rectius priſci ſenſerunt Ebræi, qui in Bereſchith Rabba ad Gen. 49: 8. non plures quam שש מדות המשיח *ſex Meſſiæ proprietates* hic obſervarunt, quas tamen poſteri illorum male intellectas, alio detorquere ſatagunt. Aben-Ezra, qui de Hiskia Eſaiam ſermocinari perſuaſum habet, reliquis quinque proprietatibus prætermiſſis, ſuo commento fidem hac una facere conatur, כי גבור היה חזקיהו כי כן כתוב: *quia Hiskias fortis erat. Ita enim de illo ſcriptum eſt.* At quodnam præ aliis regibus is edidit fortitudinis ſpecimen? Quid reliquis fiet prædicatis, quæ longe auguſtiora eſſe, quam ut Regi huic competant, ipſe Aben-Ezra ſatis oſtendit ſuo ſilentio? Non ſane Propheta loquitur de Hiskiæ in divinis ſapientia, Ebræis מרכבה dicta: neque notitia ejuſdem in naturalibus, quam Ebræi בראשית appellant, ut Grotius perſuaſum habet. Neque enim de habitu aliquo naturali & humana opera & experientia acquiſita, ut R. David Kimchi ſentire videtur, ſed longe altiori, extraordinaria & plane ſingulari communicatione.

§. 9. Audiemus iterum R. Abarbenelem, tertium Meſſiæ characterem inde probaturum: התנאי השלישי מחכמתו כמו שאמר ונחה עליו רוח ה' רוח חכמה ובינה רוח עצה וגבורה רוח דעת ויראת ה' וגלה הנביא בזה מהאמר דרוש אמתי והוא שכאשר נתבונן נמצא עם השלמיות השכליות דבקום ונמשכים אחריהם חסרונות האחד שהאיש השלם בעיוניות יסכל ידיעת המדיניות לפי שבהיות השכל האנושי טרוד בעיוני תמעט חשגתו במעשי וחסרון השני שנמצא תמיד השלם בשכל המעשי בעצותיו ותחבולותיו שלא יהיה בעל גבורה כחוזק האברים כי כמו שזכר הפילוסוף על המעט והזרות ישלים הטבע אדם אחד בכחות הגופיות והשכליות יחד והחסרון הג' הוא שהשלם בחכמה ובעיון ומפליג בו ימצא על הרוב נוטה מדרך האמונה התוריות ועל זה אמר שלמה ואל תתחכם יותר למה תשומם ויעד הנביא כאן שמלך המשיח בשלמות חכמתו להיותה בדרך נס לא נמצאו עמה אחד מהחסרונות האלה כי הוא בהשתלמו בשכל העיוני ישתלם גם כן בתבונה שהוא פועל השכל המעשי ועל זה אמר ונחה עליו רוח ה' רוח חכמה ובינה ר"ל שברוח אלהין קדישין ועל דרך הפלא ימצא בו רוח שיכלול יחד החכמה העיונית והבינה המעשית גם לא ימצא בו החסרון השני כי יהיה רוחו רוח עצה וגבורה כלומר שבהיותו בעל עצה ונבון תחבולות יקנה יהיה גבור כארי גם לא ימצא בו החסרון השלישי כי בהיותו שלם ברוח דעת תתחבר בו גם כן יראת השם: *Tertia conditio eſt ex ejuſdem ſapientia, quemadmodum ait: & quieſcet ſuper eo Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritus conſilii & roboris, ſpiritus ſcientiæ & timoris Domini. Quibus Propheta manifeſtat rem veriſſima expoſitione. Nempe, quemadmodum conſtat, intellectualibus perfectionibus quidam adhærere ſolent defectus. Primus eſt, quod is, qui ſpeculationibus præſtat, in ſcientia politica minus valet, eo quod intellectus humanus ſpeculatione detentus, in praxi debilitatur. Secundus defectus eſt, quod ſubinde obſervetur, eum, qui practico intellectu & conſiliis eminet, membrorum robore nequaquam præſtare. Ut enim Philoſophus teſtatur, rariſſime & præter morem natura hominem unum viribus corporis & intellectus ſimul beare ſolet. Tertius defectus eſt, Quod is qui ſapientia præditus eſt & in ſpeculativa excellit, plerumque etiam à fide quam lex divina exigit, declinat. Atque idcirco Salomo ait,* (Eccleſ. cap. 7: verſ. 17.) *Ne nimium ſapiens ſis, ut quid deſolaberis? Idcirco Propheta hic promittit, in Regis Meſſiæ miraculoſa ſapientia nullum ejuſmodi fore defectum. Sed fore ut & ſpeculativo intellectu & practico ſimul excellat, ſapientia ſpeculativa & prudentia practica. Deinde neque in eo futurum defectum ſecundum. Spiritum enim ejus fore ſpiritum conſilii & roboris. q. d. cum in conſiliis prudens ſit futurus* (Proverb. 1: verſ. 5.) *fortis etiam inſtar leonis erit. Neque tertius in eo defectus erit. Ipſe enim, cum in ſpiritu ſcientiæ ſit perfectus futurus, etiam timore Domini præditus erit.*

§. 10. Probamus id maximopere, quod chariſmata iſthæc in Meſſia modo plane ſingulari & miraculoſo abſque ullo defectu, qui in terrenis regibus obſervatur, eſſe docet: at eum iterum tota, quod ajunt, via errare, dolemus, quod ſuo Meſſiæ, qui nullus eſt, ea vindicare conatur, ita ſcribens: גם התנאי המופלא חזה לא נמצא בימי חזקיהו ולא באנשי בית שני כי הוא מיוחד ומסוגל להמצא במלך המשיח: *Etiam hæc admiranda conditio neque Hiskia imperitante eſt inventa, neque in illis viris, qui ſtante templo ſecundo vixerunt, ſed in Rege Meſſia, cujus eſt propria, invenietur.* Niſi N. T. Scripturæ omnem fidem abrogaret, tale quid minime fuiſſet ſcripturus. Num enim is qui ſupra ætatem ſapiens, annos duodecim natus ipſos Docto-

Doctores in sui admirationem rapuit, Luc. 2: 47. qui ὡς ἐξουσίαν ἔχων docuit, Matth. 7: 29. δυνατὸς λόγῳ καὶ ἔργῳ ἐναντίον τοῦ Θεοῦ καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ. Luc. 24: 19. Cujus suadæ similem unquam se audisse negant Judæi. Joh. 7: 46. qui à Deo nobis factus sapientia 1 Cor. 1: 30. omnem Dei voluntatem annunciavit, Joan. 1: 18. & quid, ut vitam æternam assequamur, facto opus sit, docuit, & complementum similis vaticinii Esai. 61: 1. cum stupore auditorum in seipso Luc. 4: 21. ostendit, num, inquam in eo quicquam adhuc desideres, quod te de objecto prophetiæ non dubitare sinat. Equidem fortitudinis Spiritum vel sola miracula comprobant, quæ cum Messias noster cum stupore videntium pro arbitrio, Matth. 8: 2. Joh. 5: 21. edidit, tum Apostoli in ejusdem nomine patrarunt Act. 3: 6. Nempe non ea vulgaria, sed ne fando quidem audita, Joh. 9: 32. 15: 24. cujusmodi sunt dæmones ejicere, sedare maris tempestatem, pane haud ita multo aliquot saturare millia, morbos chronicos, eosque omnem Medicorum opem eludere solitos, verbo abigere, Joh. 5: 8. Matth. 9: 6. Quæ cum plurima, eademque in publico ad suam manifestandam gloriam ediderit, Joh. 2. satis evidenter patet, eum esse, quem spiritu sapientiæ & reliquarum virtutum imbuendum Esaias tanta verborum emphasi prædixit.

§. 11. Sed ea Judæorum est & pertinacia & malitia, ut hæc prorsus respuant, & miracula quoque aversentur. Etsi enim ex iis, quæ in איכה רבתי, fol. 60. col. 1. legimus, satis patescit, signa quædam, ex quibus Messias, ultra communem sortem hominum acturus, agnosci posset, priscos admisisse: veluti de Akiba ibi refertur, eo quod Pseudo Messias ille, *Ben Cosiba* dictus lapides balistæ uni genubus imposito, in hostes projecisset & ita multos interfecisset, virum illum, forsan præstigiis seductum, & *Spiritum fortitudinis*, de quo Esaias loquitur, male applicantem, exclamasse, היינו מלכא משיחא *Hic est Rex Messias!* Moses tamen Maimonides, Hilkot Melachim, cap. 11. scribere nullus dubitavit: אל יעלה על דעתך שמלך המשיח צריך לעשות אותות ומופתים ומחדש דברים בעולם או מחייה מתים וכיוצא בדברים אלו שהטפשים אומרים: *Noli tibi persuadere, necessarium fore, ut Rex Messias signa edat & miracula, & aliquid novi faciat in mundo aut mortuos excitet &c. veluti stulti asseverant.* Quæ vel sola verba illud elogium, quod Cl. Cunæus aliique eruditi impertiti sunt Maimonidi, *eum ineptire desiisse*, non ita simpliciter ei tribui posse, satis superque evincunt. Quin illud quoque probant, de Messia longe rectius Gersomidem sensisse, parascha בלק, asserentem, Messiæ miracula fore למעלה מנפלאות המשיח *ipsis Mosaicis miraculis majora.*

§. 12. His ita de tertio charactere Messiæ ventilatis, ulterius progressuri, quid de quarto R. Abarbenel sentiat, audiemus. Illum vero ex commate tertio evicturus, ita prolixe libello, Maschmia Jeschua, differit: התנאי הרביעי הוא שיהיה מלך המשיח כובש את יצרו ונבדל תפרד מהתאוות הגשמיות וידוע כי מחמשת החושים החצוניים היותר גס ועב מהם הוא חוש המשוש אשר לגסותו הוא חרפה לנו ובו נפלו אזהרות העריות כלן ואחריו בגסות הוא חוש הטעם שהוא גם כן משוש מה אלא שהוא מיוחד בדברים הנטעמים ובו נפלו אזהרות המאכלות אסורות ושני החושים האלה לא יוחסו בספרי הקדש לאלוה יתברך מפני גסותם כמו שזכר הרב המורה והנביאים כלם גם החכמים השלמים היו מתרחקים מהם מפני חרפתם כי רבה היא אמנם החוש השלישי שהוא הריח הוא יותר רוחני ולכן ישיג מושגיו בהתרחקו מהם ויוחס אליו יתברך כמו שאמר וירח ה׳ את ריח הניחוח והבאת החוש והצאת החוש הזה הוא דבר נאות למלכים ויועצי ארץ כמו שאמר ממשל באתי לגני אחותי כלה אריתי מורי עם בשמי עד שנזכר בדברי הימים בסיפור מיתת אסא מלך יהודה ויקברוהו בקברתיו אשר כרה לו בעיר דוד שכיבוהו במשכב אשר מלא בסמים וזנים מרוקחים במרקחת מעשה וישרפו לו שרפה גדולה עד למאד ואמנם שני החושים הנשארים שהם הראות והשמע הם יותר רוחניים ולכן ישיגו מוחשיהם מהרחק יותר רחוק והיו שני החושים האלה יותר מתיחסים ומיוחדים להשגת החכמה ועל זה אמר שלמה אזן שומעת ועין רואה ה׳ עשה גם שניהם ולהיות חוש השמע יותר מיוחד לזה אמר אוזן שומעת תוכחת חיים בקרב חכמים תלין הנה אם כן מחמשת החושי׳ שנים מהם המשוש והטעם הם גסים גסים ועבים ושנים מהם הראות והשמע דקים רוחניים וחוש הריחה אמצעי בניהם ולכן זכר הנביא כאן שמלך המשיח לא די שלא היה נטייתו אחרי שני החושים הגסים כשאר בני אדם אבל אף בענין הריח שהוא יותר דק מהם לא ישתמש ממנו כיתר המלכים לתכלית התענוג וגסות הרוח כי אם לעבודת השם יתברך וזהו אמרו והריחו ביראת ה׳ וזכר שאף משני החושים הדקים הרוחניים לא ישפיט בהם אל כך וזהו לא למראה עיניו ישפוט ולא למשמע אזניו יוכיח: *Quarta conditio est, ut Rex Messias suam concupiscentiam compescat, & cupiditatibus corporalibus non indulgeat. Notum enim est, quod ex quinque exterioribus sensibus crassior sit tactus, qui etiam idcirco nobis est dedecori, & ob illum interdicta de (non revelanda) nuditate sunt facta. Proximus vero ab eo sensus gustus crassior est, qui itidem tactus quidam est, sed circa illas res, quæ gustui sunt aptæ, atque ob illum facta sunt interdicta de cibis vetitis. Hi duo vero sensus in sacris Deo benedicto non attribuuntur ob suam crassitiem, ut Doctor perplexorum commemorat. Quin etiam omnes Prophetæ, & Sapientes perfecti procul eos habent, ob illorum insignem turpitudinem. At tertius sensus magis spiritualis est, & idcirco etiam sua sensibilia è longinquo attingit, quemadmodum dictum est:* (Gen. 8: 21.) *& odoratus est Dominus odorem quietis. Atque hujus sensus operatio etiam Reges & terræ consiliarios decet, quemadmodum ait parabolizans* (Cantic. 5: vers. 1.) *veni in hortum, soror mea Sponsa, collegi myrrham meam cum aromate meo. Ideo, ut in historia de obitu Assæ regis Juda* (2 Paralip. 16: 14.) *dictum est, & sepeliverunt eum in sepulchris suis, quæ foderat sibi in civitate David, & accumbere fecerunt eum in lecto, quem impleverunt aromatibus, omnimodis odoramentis pigmentatis in pigmentario opere, & combusserunt eum combustione magna. At duo reliqui sensus, visus nempe & auditus magis sunt spirituales, & idcirco sensata sua eminus etiam attingunt & ad sapientiam acquirendam magis apti. Hinc Salomo ait* (Proverb. 20: 12.) *aurem audientem & oculum videntem Dominus utrumque fecit. Et quia sensus auditus adhoc magis est aptus, ideo ait* (Proverb. 15: 31.) *auris audiens increpationem vitarum in medio Sapientum commorabitur. Ecce ita ex quinque sensibus duo tactus & gustus sunt crassi, duo vero illorum visus & auditus sunt tenues, spirituales, Odoratus vero inter eos medius est. Ideo Propheta hic meminit, Regem Messiam non tantum duos illos crassiores sensus non esse secuturum, ut reliqui mortales, sed & odoratu, qui tenuior est illis, more reliquorum Regum ad delicias & spiritum crassiorem non esse usurum, sed ad cultum divinum. Atque hoc innuit, dum ait: & odorari ejus in timore Domini. Quin meminit etiam, eum duobus sensibus tenuioribus nixum non tantopere judicaturum. Hoc enim in illis verbis habetur: Non ad oculorum visionem judicabit, neque ad auditum aurium arguet.*

§. 13. Quæ de quarto Messiæ charactere Judæus in medium affert, haud obscure docent, eum in Persona Messiæ maximopere errare, utpote quem, instat ψιλοῦ ἀνθρώπου, ejusque ἁμαρτωλοῦ, frenum concupiscentiæ suæ injecturum tradit. Atenim cum is ut ex Scriptura novimus, sit חסיד, ὅσιος, Psalm. 16: 10. קדש קדשים *sanctissimus* Dan. 9: 24. צדיק *justus*, alios justificans Esai. 53: 11. & ἅγιον illud quod ex virgine Maria natum est, Luc. 1: 35. nullius peccati reus, Joan. 8: 46. ἄκακος ἀμίαντος κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν Ebr. 7: 26. fieri non potuit, quin à veritate multum abluderet Judæus, textum de fomite peccati vel vitiosa concupiscentia in Messia explicans: cujusmodi quid in Messia minime fore, ex dictis patet. Quæ de tribus sensibus differit, qui Deo tribuantur בלשון בני אדם vel ἀνθρωποπαθῶς, quæ item de reliquis duobus sensibus gustu & tactu tradit, suo loco relinquimus. Videri de iisdem possunt A. Gellius, cap. 2. lib. XIX. N. A. & ibi citatus Aristoteles. Sed hæc ad nostrum institutum jam parum faciunt. In eo enim occupati sumus, ut videamus, quo sensu de Messia dicat Propheta וַהֲרִיחוֹ בְּיִרְאַת יְהוָה:, quandoquidem Abarbenel à scopo Prophetæ ablusit.

§. 14. Sane & hic interpretes, in alia omnia concedunt. LXX. reddiderunt, ἐμπλήσει αὐτὸν Πνεῦμα φόβου τοῦ Θεοῦ, quem secutus est Latinus: *replebit eum Spiritus timoris Domini.* Et Arabs: *Spiritus timoris Domini* يملاه *replebit eum.* At Syrus ܘܢܢܗܪ ܒܕܚܠܬܗ ܕܡܪܝܐ *& fulgebit timore Domini.* Chaldæus ויקרביניה לדחלתיה *& applicabit eum ad timorem suum Dominus.* H. Grotius uti alias, ita & hic, nimium sibi indulget. *In Ebræo*, inquiens, *est consolari ipsius* (*id est solatium*) *in timore Domini sive pietate, pro pietate sua in maximis periculis Deo confidet.* In Michlal Jophi ita legimus: הרי״קם פירש ענין דביר ר״ל דבורו יהיה ביראת ה׳ וכן לרוחתי לשועתי ר״ל דבורו תמיד יהיה ביראת השם: *R. Joseph Kimchi explicat in significatione locutionis, q. d. ejus sermo erit in timore Dei. Et ita* τὸ לרוחתי Thren. 3: 56. *sonat*, q. d. *sermo ejus subinde erit in timore Dei.* B. D. Glassio, lib. 5. philol. sacr. tr. 1: cap. 7. *verbum* הריחו *simplicissime omnium de sacrificio propitiatorio in obedientia usque ad mortem crucis patri præstito* (quam ait vocari Prophetæ timorem Domini) *intelligitur.* Casp. Sanctius, interpres alias Scripturæ haud è multis, scribit: *Verisimilius mihi est illud nomen* הריחו esse *in præterito conjugationis Hiphil, & propter Vau-*

Vau converſivum explicandum eſſe per futurum. *Tunc vero verbum ad Spiritum ſanctum refero, tanquam ad ſuppoſitum, in hanc ſententiam: requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, & Spiritus idem olere faciet Chriſtum timorem Domini, id eſt, quocunque aut opere, aut loco, odorem emittet ex ſe timoris Domini.*

§. 15. In quo ultimo interpretamento præterquam quod ſignificationem verbi, ut infra patebit, minime penetraſſe videtur, illud quoque diſplicet, quod והריחו pro præterito habet, cum tamen potius infinitivus ſit, qui, vau converſivi minime capax, quandoque ex uſu ſcripturæ cum affixo loco verbi finiti ponitur. Uti Job. 9: 27. אם אמרי pro אם אמרתי. Atque ita h. l. pro futuro poſitus eſt infinitivus, nequaquam præteritum, ut Jeſuita cenſet. Eadem vero vox ut de ſacrificio propitiatorio accipiatur, ſcopo hujus Prophetæ & circumſtantiis textus haut ita eſt conſentaneum. Conſimiliter neque הריחו *conſolationem*, neque *locutionem* ſignificat. Ut vero ad ſenſum ejus verum & genuinum propius accedamus, ſcire licet, verbum laudatum nomini additum cum ב conſtructo, ubi Deo tribuitur, denotare idem ac *acceptare & gratum habere*, uti Lev. 26: 32. Amos 5: 21. videre eſt, quemadmodum ad Gen. 8. ult. in Michlal Jophi teſtantur etiam Judæi his verbis: קבלה ברצון וערבה Atque ita ſignificabit, Meſſiam *pietatem pro ſacrificio boni odoris* habiturum, eaque delectatum iri.

§. 16. Etſi vero hæc interpretatio Scripturæ loquendi modo conveniat: videtur tamen contextus aliam ſignificationem nobis . . . . non qualiscunque & tenuis, ſed accurata & falli neſcia, qua ipſam pietatem & tacitum cultum perſpicere queat. R. David Kimchi quidem com. ad l. cit. ita ſcribit: לפי שהריח היא הרגשה קלה אומר לדבר קל שבהרגשה ריח וכן מרחוק ריח מלחמה כאשר ינתק פתיל הנעורת בהריחו אש וכן אמר והריחו ביראת השם כלומר במעט הבנה ירגיש בני אדם הטובים והרעים ולא יצטרך ליראת עינים ולמשמע אזן בשפטו בני ערם ולהוכיח אותם כי מרעתו ומתבינתו יבין מעשיהם במעט התבוננות: *Quia odoratus ſenſus facillimus eſt, res quæ facile percipi poteſt, verbo odorandi exprimitur, exempl. grat.* (Job. 39: 25. *è longinquo odorabitur bellum.* (Judic. 16: 9.) *& rupit, quemadmodum rumpitur filum ſtuppæ in odorando ipſum ignem. Atque ita ille ait: & odorari ejus in timore Domini, q. d. homines malos & pios facili negotio ſentiet, neque opus habebit viſione oculorum, vel aurium auditu, cum homines judicabit & arguet. Ipſemet enim cognoſcet hominum opera etiam levi aliqua intellectione.* Atque ita, quam facile & abſque difficultate hominis pietatem & improbitatem ſentire, eamque, intelligere Meſſias queat, Propheta ſignificare voluiſſe Kimchio videtur.

§. 17. Aliter tamen ſapiens Aben-Ezra judicavit, veluti ex ſequentibus ejus patet verbis: פעמים תטעה הרגשת האזן שישמע ואין קול גם העין תטעה שיראה לה הנח שהוא נע רק הריח לא תטעה והריחו כאלו יריח הרבר ביראת השם שיש לו לא ישפוט כאשר יראה לעיניו ולא כאשר ישמע: *Quandoque ſenſus auris errat, ubi tamen nulla vox eſt, & oculus errat, dum videre ſibi aliquid videtur quieſcens, quod tamen movetur. Sed ſenſus odoratus non ſolet aberrare. Odorari enim ejus, tanquam odoretur rem aliquam in timore Domini, cujus eſt judicare non ad oculorum viſum & aurium auditum.* Ita non de facilitate cognoſcendi, ſed cognitionis infallibilitate & certitudine, ſive acri judicio Eſaiam agere, Aben-Ezra arbitratur, & Vatablus, Foreirus aliique doctiſſimi viri aſſeverant. A qua explicatione haud abit Cl. Vir, Sixtinus Amama, Antibarb. Biblic. lib. 4. pag. 653. Cujus verba digna ſunt quæ adſcribantur: *Ad rerum naturam penitius pernoſcendam olfactus magis, quam viſus vel auditus valet. Nam multa ſimulata & efficta oculorum ſenſum & auditum fallunt, cujusmodi admirandas res omnium ſeculorum artifices repræſentarunt. At vero odor ipſe, quod ex interioribus rerum virtutibus & facultatibus, una cum ſubſtantiæ parte aliqua remiſſus proferatur, uniuscujusque rei naturam præcipue oſtendens minime omnium ſenſatorum fallit. Atque huc adeo illud pertinet, quod de natura & arte Philoſophi tradidere, artem rerum ſpecies imitari poſſe & referre, motum vero & vitam ipſam non poſſe referre. Inter vitæ vero & motus genera odor ex rebus remiſſus numeratur. His ergo verbis: & odoratus ejus in timore Domini erit, maxima cognoſcendi, ſentiendi & judicandi vis indicatur, non feret judicium ex aſpectu vel auditu auris, id eſt, non ex apparentia & ſignis externis, quæ fallere ſolent, ſed de uno quoque ſecundum illud, quod in eo, infallibili judicio quaſi odorabitur, faciet arbitria.*

§. 20. Sane hoc interpretamentum ſatis ex contextu probatur, quippe qui negat, Meſſiam aurium oculorumque judicio fretum judicaturum, utpote quod fallat, ſed eum ipſam pietatem odoraturum, ſive rem alias abditam cogniturum eſſe. Atque ita eluceſcit quoque, quam invito textu Sanctius והריחו ad Spiritum ſanctum referre conetur, quod ad Meſſiam ejusque in cognoſcendis etiam hominum arcanis ſingularem præ aliis Prophetis & viris ſanctis, & admirabilem prærogativam potius ſpectat, veluti priſcos Ebræos quoque intellexiſſe, ex Talmudico codice Maſſechet Sanhedrin, capite XI. & Jalkut ad hunc locum clarum eſt.

§. 21. Cum enim, imperante Cæſare Adriano, famoſus quidam planus, pro Meſſia ſe jactans, ex vaticinio Num 24. verſ. 17. Bar Cocheba, *filius ſtellæ* appellari vellet, & Rabbi Akiba Hagg. 2: vſ. 7. *adhuc modicum & movebo cœlum & terram, & adducam deſiderium omnium gentium*, de eo explicaret, Judæi periclitaturi, an verus eſſet Meſſias, אמרו ליה במשיח כתיב דמורח ודאין נחזי אי מורח ודאין כיון דחזיוה דלא מריח ודאין קטלוהו: *dixerunt, de Chriſto ſcriptum eſt, quod olfaciens judicaturus ſit, videamus, an iſte hoc modo judicare poſſit. Et cum id ab illo præſtari non poſſe, animadverterent, eum occiderunt.* Negat quidem hoc Rabbi Moſes Maimonides, Hilkot מלכים cap. 11. רבי עקיבה חכם גדול מחכמי משנה היה והוא היה נושא כליו של בר כוזיבה המלך והוא היה אומר עליו שהוא המלך המשיח ודמה הוא וכל חכמי דורו שהוא המלך המשיח עד שנהרג בעונות כיון שנהרג נודע שאינו ולא שאלו ממנו חכמי לא אות ולא מופת ועקר הדברים בכה הן שהתורה הזאת חוקיה ומשפטיה לעולם ועולמי עולמים: *Rabbi Akiba, magnæ eruditionis vir & ex Miſchnæ autoribus, qui arma geſſit filii Coſeba, Regis*, (ita poſtmodum, quod libertatem promiſſam non præſtitiſſet, *filius mendacii*, appellabatur) *eum Meſſiam eſſe, ipſe ſibi perſuaſit & cum eo omnes illius temporis Doctores. Tandem is ob peccata ſua interfectus eſt. Quo occiſo, demum innotuit, talem minime eſſe. Neque tamen Doctores ab eo ſignum vel miraculum petiverunt. Cujus rei ratio eſt, quod Lex hæc* (Moſaica), *ſtatuta ejus & judicia, in ſecula & ſecula ſeculorum ſunt duratura.* Similiter gloſſator ejus, & hyperaſpiſtes, qui ab animadverſione Rabbi Abrahami, filii Davidis vindicare conatur Maimonidem, it infitias, unquam tale quid factum eſſe. Negat etiam à Judæis occiſum eſſe illum impoſitorem, quem, ut Chriſtus Joh. 5: 43. prædixerat, in nomine proprio venientem Judæi amplexi erant. לא אינהו קטלוהו כי למה יומת מה עשה: *Non eum occiderunt, ecquid enim deſignaverat, morte dignum?* Sed, ſive hoc verum ſit, & illi hoc verbum והריחו proprie acceptum impoſtori attribuerint, ſive à veritate alienum, & illi duntaxat confinxerint, parum id jam noſtra refert. Nobis enim ſatis illud eſt, pro prædicato Meſſiæ habitum hoc olim fuiſſe, quod codex Talmudicus atteſtatur. Illud vero recte intellectum noſtro Meſſiæ competere, ex locis pluribus, Joh. 1: 47, 48. cap. 2: 24. 21: 16. Luc. 5: 22. 7: 39. ſeqq. liquet, ut ſole meridiano clarius ſit quartum hunc characterem ſecundum ſenſum ſuum genuinum Salvatori noſtro teſtimonium exhibere. Quod vero Maimonides l. c. contra eundem porro ſcribit: אין מוסיפין עליהן ולא גורעין מהן וכל המוסיף או גורע או שגילה פנים בתורה והוציא הדברים של מצות מפשוטן הרי זה ודאי בדאי ורשע ואפיקורוס: *Nihil eis* (præceptis divinis) *addere licet, neque demere, neque impudenter contra legem agere, neque extra ſenſum literalem præcepta deducere. Ecce qui hæc facere non dubitat, is manifeſto mendax eſt, impius & Epicureus*, id nequicquam Chriſto exprobrat, quippe, qui nec venit, ut Legem ſolveret, ſed ut impleret. Matt. 5: 17. Quicquid etiam, ipſo in mundum miſſo, de ceremonialibus legibus antiquatum & abolitum eſt, id nequaquam evincit, aliquid contra legem divinam à Chriſto eſſe factum, cum umbræ ſaltim ceſſarint, præſente corpore. Quin ſi vulgaris Propheta veniat, &c, ut R. Albo ſerm. 3: cap. 18. Ikkarim ſcribit, dicat: שנחלל או שנעביר על אחת מן המצות בהוראת שעה או בענין שלא יהרוס שרשי הדת ראוי שנשמע לו משום שני אליו תשמעון *Sabbatum violemus, aut unum præceptum transgrediemur, urgente neceſſitate, aut in negotio quod non evertet legis radices, æquum eſt ut illum audiamus*, quanto magis æquum erat, ut Chriſto legem moralem minime abroganti, ſed vindicanti potius à perverſis Judæorum interpretamantis auſcultarent. Quo in cœlos evecto, quid mirum, ſi in locum ceremonialis legis alia ſit ſubſtituta. Legem enim Moſaicam non eſſe immutabilem, ut Maimonides contendit, ſed cadere in eam שנוי *mutationem*, R. Albo lib. cit. variis locis docet & exemplis probat. Cujus ſententiam cum & Rabbi Abarbenel amplexus ſit, cap. 3. de fund. Fidei, non abs re fore cenſemus, eam h. l.

h. l. adduxisse. *Etiamsi non variabitur lex ex parte dantis, neque in se ipsa juxta perfectionem suam, tamen fieri potest, ut cadat in eam mutatio ex parte accipientis, ut Deus aliquando augeat, diminuat & mutet legem vel totam, vel ex parte pro ratione istius, quod convenit recipientibus. Nonne videmus, eum primo dedisse præcepta peculiaria, neque consensisse eum vesci carne? At Noacho dedit alia præcepta & carnem concessit, & Abrahamo tradidit mandatum circumcisionis, atque Mosi superaddidit alia multa præcepta. Quare statuta varientur pro ratione temporum, atque prout conducit accipientibus: quemadmodum medicus expertus infirmo morbi initio tenuem præscribit diætam, deinde cum remisit se morbus, illud quod antea prohibuerat, jam permittit, neque hoc est vitium in præscriptione medici, sed magna prudentia. Simile quid videtur in statutis legis ejusque præceptis; non enim absurdum est, ut in ea cadat mutatio atque variatio pro ratione recipientis & temporis necessitate.* Hæc de Legis mutabilitate ipse R. Abarbenel.

PAULI SLEVOGTI DISSERTATIO

De morbis & doloribus Messiæ ad Esai. LIII.

בהנו״א:

I.

PRophetiam, quam *Esaias* à versu 13. Cap. 52. usque ad finem Cap. 53. edidit, de non alio, quam Messia, ejusque passione ac morte, intelligendam esse, Christiani nihil dubitant. Et hoc tam manifeste liquet, ut istud etiam *Talmudistæ* concesserint & veteres Rabbini. nam in Gemara מסכת סנהדר׳, quum de Messia quæritur: מה שמו, quod est ipsi nomen? id datur responsi: רבנן אמרי חוורא דבי רבי שמו שני אכן חלינו הוא נשא ומכאובינו סבלם ואנחנו חשבנוהו נגוע מוכה אלהים ומענה. *Magistri nostri dicunt, quod nomen ejus sit, leprosus de domo Rabbi. Quia dicitur: verè morbos nostros ipse tulit, & dolores nostros bajulavit. at nos reputavimus ipsum plaga (leprâ) affectum, percussum à Deo & humiliatum.* Ubi vs. 4. c. 53. ceu patet, ad Messiam applicatur, & nomen ejus, חוורא h. e. leprosus, ex eo statuitur, quia נגוע dicitur, à נגע lepram aliquando significante. Et *Aben Ezra*, etsi in פי׳ ad h. l. fluctuat ac difficultatem magnam agnoscit; tandem tamen consensum veterum Ebræorum cum Christianis non diffitetur: ורבי׳ פירשוהו על משיח בעבור שאמרו קדמונינו יזל כי ביום שחרב בית המקדש נולד משיח: *multi exponunt de Messia propterea, quod Majores nostri, piæ memoriæ, dixerunt, eo tempore, quo domus sanctuarii desolata est, natum fuisse Messiam.*

II. Nihilominus tamen recentiores Rabbini totam Prophetiam hanc de populo Israelitico intelligunt, & quidem secundum eum statum, in quo inde à desolatione Urbis ac Templi versatur. Sic enim *Abarbanel*, in על ישעיה scribit: חכמי הנ וצרים פירשו על אותו האיש שתלו בירושלם בסוף בית שני שהיה לדעתם בן האלוה ית׳ שנתגשם בבטן העלמה: אבל ר״שי והר׳ יוסף קמחי ובנו הרב רבי דויד קמחי כלם פה אחד פירשו הנבואה הזאת כלה על משיח: *Doctores Christianorum explicant hoc de isto viro, quem suspenderunt Hierosolymis, circa finem domus secundæ, qui fuit secundum eorum opinionem Filius Dei & assumsit humanam naturam in utero virginis. Sed R. Salom. Jarchi & R. Joseph Kimchi, & Filius ejus R. David Kimchi, omnes, uno ore explicant Prophetiam hanc de Israele.*

III. Quadruplex autem damnum heic prædici ait, quo Judæos à Gentilibus affectum iri in exilio suo, Propheta prævíderit. האחד מין הרעות הגו פגיות שהיו עושים ומסבבים להם ועל זה אמרי אכן חלינו. הוא נשא ומכאובינו סבלם *Primam speciem*, inquit, *malorum corporalium, quibus Ethnici afflixerunt Judæos, illis exprimunt verbis, quando dicunt: verè morbos nostros ipse (Israel) portavit & dolores nostros bajulavit, morbos nempe, quos illi Nos intulimus & dolores, quos causavimus.* De hac specie agi putat vs. 4, 5. 6. המין השני מהרעות שהיו מקבלים בממונם מתוך המסים וארנוני׳ ורת והג זל והעושק שהיה ישראל עשוק ורצוץ כל הימים ועל זה אמר נגש והוא נענה כי נגש הוא בממון ונחברו אם כן יחד שני מיני הרעות בממון ובגוף ועל זה אמר נגש והוא נענה כלומר גזול ועשוק בהיותו נענה בגופו ועם כל זה לא יפתח פיו אבל היה כשה לטבח יובל שיול יכו אותו להרגו ולא יצעק כן היו ישראל סובלים הרעות הג ופניות ושו תקים. *Secunda species malorum eorum est, quæ Israel accepit non amplius in corpore, sed potius in Facultatibus, dum tributis, decimis, rapinis & fraudibus oppressus atque fractus est, omnibus diebus suis. Et huc respicit Propheta, quum dicit: oppressus fuit & ipse afflictus. quia oppressus fuit exactionibus facultatum suarum, & sociatæ sunt ea ratione simul & semel duæ malorum species, quarum una facultates, altera corpus concernit. Propterea dixit: oppressus est & ipse afflictus, q. d. spoliatus est & oppressus exactionibus, quum jam tum satis esset afflictus in corpore suo. & in his omnibus non aperuit os suum, sed fuit sicut agnus ad mactationem adductus. Uti enim agnus, dum abducunt eum, ut mactent, nullam vocem edit: ita etiam Israel mala ista portavit & siluit*, vs. 7. Porro המין השלישי מרעות הגלות הוא שלא היה בישראל מלכות ולא ממעולה ולא משפט ועל זה אמר באמת מעוצר וממשפט לוקח. *Tertia species malorum, quæ Israel in Exilio perpetitur, ea est, quod Israel neque Regnum amplius, neque dominatum, neque sceptrum judiciale habet. Et de hoc Propheta loquitur, à dominio, inquiens, atque à judicio sublatus est*, vers. 8. Nam עצר הוא מל כות ומשפט הוא יסנהדרין *per* עצר *nil aliud, quam Regnum, per* משפט *autem synedrium indicatur.* Denique המין הרביעי כהרעות שסבלו ישראל בגלות כי גם אחרי מותם וקבורתם היו רשעי האומות באישן לילה ואפלה מוציאים אותם מקבריהם כדי לגזול תכריכיהם ולחרף ולגדף נופותיהם ובפרט אם היה היהודי עשיר שהיו חושבים סכלי האומות שירד אחריו כבודו ועשרו ולכן היו משליכים אותו מקברו כפגר מוכם ומניחים אותו ערום נגד השמש *Quarta species malorum, quæ Israelitæ portarunt in exilio, est, quod etiam, quum mortui fuerunt & sepulti, impii Gentiles eos noctu & in tenebris extraxerunt è sepulcris suis, & non solum indumentis suis spoliarunt, sed etiam corpora eorum dehonestarunt & ignominia affecerunt. Et in particulari vel speciatim, si Judæus fuit dives, persuasum habuerunt stolidi Gentiles, una cum ipso descendisse quoque gloriam & divitias ejus. Projecerunt igitur eum è sepulcro suo tanquam cadaver contemptibile, ut coram sole jaceret nudus.*

IV. Quod primam malorum speciem attinet, ea desumitur potissimum & probatur ex vers. 4. Is autem sic habet: אָכֵן חֳלָיֵנוּ הוּא נָשָׂא וּמַכְאֹבֵינוּ סְבָלָם *verè morbos nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit.* In quibus Christianorum nonnulli nomina חליים & מכאובים de morbis & doloribus corporis, verbum autem נשא auferendi significatione accipiunt, ut sensus sit: morbos & dolores à corpore nostro abstulit & sanavit. Cujus interpretationis fundamentum ex Euangelio petunt. *Matthæus* enim, quum cap. 8: 15. aliquot morborum genera recensuisset, quæ Christus sanaverat, mox id factum esse addit, ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου. Unde constare videtur, *Esaiæ* locum de corporis languoribus, quos

quos Chriſtus in aliis ſanavit, ipſe autem nequaquam in ſeſe ſuſtinuit, intelligendum eſſe, nec trahendum ad peccata vel morbos animæ.

V. Alii autem omnes pro certo habent, de ſpiritualibus Meſſiæ beneficiis potius heic agi, quam de corporalibus, aut de miraculis, quæ in ſanandis ægrotis edidit, ut ita eo ſenſu morbos noſtros portaſſe dicatur, quatenus peccata noſtra per imputationem in ſe ſuſcepit, eaque paſſione ac morte ſua pro Nobis expiavit. Et hoc modo Græcos etiam hunc locum intellexiſſe, ex verſione eorum liquet. Sic enim reddunt: οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται. Quod vero *Matthæus* hoc vaticinium allegat, ubi de corporis languoribus agit, non alia fieri ratione dicunt, niſi quatenus corporis illa ſanatio eo ſpectavit, ut animi quoque morbi ſanarentur.

VI. Hæc Chriſtianorum ſententia eſt, quam propterea referendam duximus, ut nunc Rabbinorum vanitas & ineptiæ tanto facilius pateſcant, qui de populo Iſraëlitico heic agi, eumque noſtros Gentilium morbos portaſſe credunt. Quare autem & quomodo portarint, ut explicaret *Aben-Ezra* in פי׳ ad h. l. ita ſcrribit: אנחנו היינו מחליאים והוא היה נושא מכאובינו שהיינו מכאיבים אותו היה סובל: ubi gentiles inducit hoc modo loquentes: *Nos ii ſumus, qui ægrum effecimus Iſraëlem & Iſraël portavit morbos noſtros. Nos ii, qui eum dolore affecimus & ipſe bajulavit.* Qui ſermo quum ambiguus ſit, ut non omnino liqueat, an de cauſa Phyſica loquatur, an vero de morali, paulo poſt ſubjungit: השם הכהו וענהו עד הנכון שהחליים לאוין לבוא עלינו בעבור כי תורתינו הכל הבל ובאו על ישראל שתורתם תורת אמת: *Deus percuſſit Iſraëlem & afflixit eum, quouſque ordinatum fuit; quippe morbi, quos conveniens erat, venire ſuper nos, propterea quod lex noſtra tota nil niſi vanitas, venerunt ſuper Iſraëlem, cujus lex eſt lex veritatis.* Quod eodem modo etiam *R. Sal. Jarchi* exponit: חלי שהיה ראוי לבא עלינו הוא נשאן *morbum, quem ſuper Nos venire par erat, ipſe portavit.* Quibus id voluiſſe videntur, Gentes, quod tam atrociter puniti ſunt Judæi, cauſam extitiſſe in genere morum, & in ratione culpæ ſic ſe habuiſſe, ut, niſi illæ peccaſſent, Judæis non fuerit luendum.

VII. Cujus aſſerti vanitatem videns *Abarbanel*, ut oſtendat acumen ſuum & quod plus ſapiat cæteris, contraria via incedit, & Gentiles affirmat, calamitatum, quas Judæi perpeſſi ſunt, cauſam extitiſſe in genere phyſico. His enim verbis non ſolum *Aben-Ezram*, *R. Sal.* atque alios tacite perſtringit, ſed ſuam etiam exponit ſententiam: חליינו הוא inquiens, אכן נשא ומכאובינו סבלם ופי׳ הכתוב הזה ואמתו אצלי אינו כדברי המפרשים כי כנוי חליינו ומכאובינו אינו לאומות לפי שהם היו הראויים להיות חולים ונכאבים אבל ענינו שהפעולות פעמים ייוחסו לפועלים אותם ופעמים ייוחסו למקבלים אותם ולכן נאמר שמעתי את תפלתך תפלה לעני לפי שהעני והמתפלל הוא פועל התפלה ונאמר והביאותים אל הר קדשי ושמחתים בבית תפלתי שייחס התפלה לש״י לפי שהוא מקבל אותא וכן אתא הוא מלכי אלהים שר״ל המלך הנולך עלי ונאמר ואני נסכתי מלכי רוצה לומר המלך שהמלכתי אני תחת ידי וכן במהפכת סדום ועמורה פעמים מיחס אותה לעל הפועל אותה ונאמר כמהפכת אלהים ופ׳ם על המקבל כמהפכת סדום ועמורה כן הענין בחליני ומכאובינו אפשר שיהיה הכנויבו למקבל החלי והמכאוב והוא החולה החוליים אשל כנו ואפשר שיהיה הכנוי לפועל החולי ומסבב אותו ומפני שזכר למעלה איש מכאובות וידוע חולי שנאמר על ישראל יבארו המלכים והאומרים ההם עתה מי היה הסבה להיות ישראל בגלות חולים ובעלי מכאובות ואמר אכן חליינו הוא נשא ר״ל בלי ספק החליים שהוא נשא בגלות אנחנו היינו סבתם והמכאובים שסבלו היו מכאובינו רוצה לומר כאבים נמשכים אליהם ומסובבים ממנו: *Quum Propheta dicit: Vere morbos noſtros ipſe portavit & dolores noſtros bajulavit, expoſitio ſcripturæ hujus & veritas, meâ quidem ſententiâ, non eſt, uti communiter volunt Interpretes; quoniam relativum in* חלינו ומכאובינו *non eſt referendum ad Gentiles, quaſi illi fuerint digni, qui ægrotarent atque dolerent: ſed ita potius res habet, quod actiones interdum reſpiciunt & denominant agens, interdum reſpiciunt & denominant patiens. Atque ita dicitur: audivi orationem tuam. Ubi actio refertur ad agens, oratio ad orantem. Dicitur etiam: adducam eos ad montem ſanctum meum & lætificabo eos in domo orationis meæ* (*Eſai.* 56: *verſ.* 7.) *ubi actio, nempe oratio refertur ad Deum, qui eſt objectum ejus. Sic quoque quum dicitur: Tu es Rex meus, Deus,* [Pſal. 44: vſ. 5.] *ſenſus eſt: Tu es Rex regnans ſuper Me. Et ſi dicitur, Ego unxi Regem meum,* [Pſal. 2: verſ. 6.] *Perinde eſt ac ſi dicatur, unxi Regem, quem regnare feci ſub Me. Eodem etiam modo* [Jerem. 49: verſ. 8.] *ſecundum ſubverſionem Sodomæ & Gomorræ; actio refertur modo ad agens, modo ad patiens: ad agens, ſi dicitur, ſecundum ſubverſionem Dei: ad patiens, ſi dicitur, ſecundum ſubverſionem Sodomæ & Gomorrhæ. Non aliter ſe res habet cum* חלינו & מכאובינו [apud Prophetam.] *Poſſum enim interpretari, quod affixum reſpiciat patiens vel ſubjectum, quod morbum & dolores ſuſcipit, ut is ſit ægrotans morbis, qui ab iis denominatur ægrotare & dolere. Poſſum etiam interpretari, quod affixum reſpiciat agens vel eum, qui morbum cauſat. Id enim, cujus Propheta ſuperius meminit, vir dolorem & expertus morbum, quod de Iſraële dictum fuit, nunc explicant* [Gentilium] *Reges, & dicunt, quis ille ſit, qui cauſat, quod Iſraël in exilio ægrotet atque doleat. Verborum enim, vere morbos noſtros ipſe tulit, hic eſt ſenſus: abſque dubio morborum, quos ipſe tulit in exilio, Nos cauſa fuimus, & dolores, quos portavit, fuerunt dolores noſtri, hoc eſt, fuerunt ipſis attracti & cauſati à nobis.*

VIII. Ea igitur *Abarbanelis* eſt ſententia, quod, האיש, vir ille, de quo Propheta agit, non ſit alius, quam populus Judaicus: Deinde quod morbi atque dolores, quibus Judæi ſunt obnoxii, dicantur noſtri, quia Nos eorum cauſa ſumus: Denique quod morborum ac dolorum nomine, per quandam Metaphoram, calamitates ſint intelligendæ, quas Nos Judæis afferimus. Et hanc ſententiam ſuam ſuperſtruit principio Philoſophico, quod actiones referantur tam ad agens, quam ad patiens & modo hoc denominent, modo illud.

IX. Pateſcent hominis nugæ, ſi principium iſtud, quantum opus eſt impræſentiarum, explicuerimus. Sciendum itaque I. quod actio & paſſio à parte rei ſint idem motus vel idem actus, ſicuti docet *Ariſtotel. 3. phyſ. cap. 3. t.* 18. An autem ratione diſtinguantur, in ordine ad diverſa connotata, ut ita habeant diverſos conceptus formales, quemadmodum docet *Ariſtot. c. l.* ταῦτα γὰρ, inquiens, ἕν μέν ἐστιν, ὁ μέν τοι λόγος οὐχ εἷς, *unum quidem ſunt, ratio tamen una non eſt*: & prolixe probat *Suaretz Diſp. Metaph.* 49. *ſect.* 1. An vero ne ratione quidem diſtinguantur & ita formaliter idem ſint, ut unum duntaxat conceptum formalem habeant, ſed cum duplici denominatione, quemadmodum acclive & declive formaliter idem ſunt, & unum conceptum habent, qui aſcendenti exprimitur nomine acclivis, deſcendenti nomine declivis, ſicut contendit *Mendoza Diſput. Metaph.* 16. *ſect.* 4. iſtud ad hanc cauſam, quam quidem nunc agimus, nobis perinde eſt, & ſufficit, ſi conſtet, quod idem ille motus ab agente emanans, quatenus ſubjectum intrinſece afficit, vocetur paſſio, quatenus vero agens actu agens denominat, vocetur actio. Paſſio enim ut paſſio, & concepta ſub ea ratione, qua diſtinguitur ab actione, eſt τὸ τοῦδε ἐν τῷδε, actus patientis, ut in quo: actio autem ut actio & concepta ſub ea ratione, qua diſtinguitur à paſſione, eſt τὸ τοῦδε ὑπὸ τοῦδε, actus agentis, ut à quo.

X. Sciendum II. quod actio & paſſio ſint in paſſo, non in agente, ut iterum docet *Ariſtot. Metaph.* 9. *c.* 9. ubi ὅλως, inquit, ἡ κίνησις ἐν τῷ κινουμένῳ, *motus omnino in eo eſt, quod movetur, operatio ædificandi, in eo, quod ædificatur, & actus texendi, in eo, quod texitur. & 3. Phyſ. cap. 3. t.* 18. φανερὸν, ὅτι ἐστὶν ἡ κίνησις ἐν τῷ κινητῷ, *manifeſtum, motum in eo eſſe, quod movetur. & 3. de anima c. 2. t. 140. Actio & paſſio non in agente eſt, ſed in eo, quod patitur.* Quod adeo verum, ut etiam actio immanens, quæ formaliter in agente manet, à quo elicitur, ipſi tamen non inſit, ut agens eſt, ſed ut paſſum. Quum enim dicitur quod actio immanens inhæreat agenti, non eſt ſenſus, quod inhæreat illi, quatenus eſt agens, ita ut ratio inhærendi ſit eſſe agens, & potentia receptiva ſit ratio agentis, hoc enim implicat contradictionem; ſed is eſt ſenſus, quod actio illi rei inhæreat, quæ agit; & quod tunc eadem res ſimul agens ſit & patiens, quamvis, juxta Ariſtotelem, diverſa ratione. Hæc igitur propoſitio, actio immanens inhæret agenti, in ſenſu compoſito falſa eſt, quia facit hunc ſenſum, actio immanens, quatenus eſt actio, inhæret agenti, quatenus eſt agens, quod falſum: in ſenſu diviſo autem eſt vera, tunc enim nil aliud dicit, quam quod actio inhæreat tali patienti, quod ſimul etiam eſt agens.

XI. Sciendum III. quod actio denominet tam agens, quam patiens, illud quidem extrinſece, hoc autem intrinſece. De actione patet, quum enim dicat eſſentialem reſpectum ad agens, & ſit ratio formalis, per quam agens conſtituitur actu ſecundo agens, illi etiam denominationem tribuit, quemadmodum omnis ratio formalis id denominat, cujus ratio formalis eſt: & quum formaliter ſit in patiente non agente, extrinſece etiam illud denominat ſaltem. De paſſione eodem modo liquet, quoniam illa eſt ratio formalis patientis & illud afficit intrinſece; igitur intrinſece etiam denominat. Ita eadem ædificatio

ficatio tribuit Architecto denominationem ædificantis, ædificio denominationem ædificati. Eadem scriptio dat scribæ denominationem scribentis, & libro denominationem scripti, quo actu enim Architectus ædificat, eodem actu domus ædificatur: quo actu scriba scribit, eodem liber scribitur, hoc tamen de actionibus transeuntibus, uti vocant, accipiendum: Immanentium vero paulo alia ratio est. Immanentes enim & vitales in hoc quidem conveniunt cum transeuntibus, quod duplicem quoque denominationem tribuunt, extrinsecam & intrinsecam: sed in hoc discrepant, quod intrinsece denominant agens vel potentiam vitalem, extrinsece vero objectum. ita intellectio denominat potentiam intellectivam & objectum intelligibile: visio potentiam visivam & colorem visum. qua enim intellectione intellectus intelligit objectum, eadem intellectione objectum intelligitur, & qua visione oculus videt colorem, eadem color videtur, ita quidem, ut intellectum intelligere objectum & objectum ab intellectu intelligi, oculum videre colorem & colorem ab oculo videri, sint realiter idem.

XII. Hoc igitur, sicut hactenus explicuimus, si vult Abarbanel, quando actiones nunc ad agens, nunc ad patiens, referri, illudque denominare scribit, nihil est, quantum quidem ad præsens, quod desideremus; sed tunc causam suam parum juvat. Ita enim exempla, quæ rei explicandæ adhibuit, si Regulæ superius expositæ accommodantur, illius scopo non inserviunt. quod manifestum fiet, si ea consideraverimus ordine. quantum itaque ad locum Esai. 56:7. oratio est actus immanens. hinc agenti dat denominationem orantis, objecto, orati. qua enim oratione homo orat, eadem DEUS oratur. sic Psal. 2:6. Unctio est actus transiens. unde ab ea agens dicitur ungens, passum autem dicitur unctum, & qua unctione agens ungit, eadem patiens ungitur. nec aliter se habet subversio Jer. 49:18. ea enim ad Deum relata tribuit denominationem subvertentis, ad Sodomam, subversæ: & qua subversione Deus subvertit Sodomam, eadem subversione Sodoma subvertitur à DEO. nam hæc sunt realiter idem. planum itaque hoc.

XIII. Sed quando *Abarbanel* progreditur & vaticinium *Esaiæ*, חלינו, *morbos nostros ipse portavit*, מכאובינו *dolores nostros bajulavit*, ex hac doctrina declarare nititur, palam extra oleas vagatur & maximas nugas agit. Morbus enim & dolor non sunt actiones, sed potius actionum termini. De morbo constat ex *Aristotele*, qui eum *libro Categor. c. 8. t. 1.* διάθεσιν vocat, & ad prædicamentum qualitatis refert. quod Medici etiam magno consensu probant, vid. *Sennert. l. 2. Inst. Med. part. I. s. 1. c. 1.* de dolore autem ostendendum est. Eum *Galen.* quidem per sensationem tristem definit. unde *Archan. Mercen. in dilucid. Philosoph. natur. p. 392.* consequi putat, dolorem formaliter actionem esse quod sensatio sit actio, & sentire sit agere, ex sententia Aristotelis. Sed alii id ex Galeno colligi posse propterea negant, quia dolorem non simpliciter dixerit sensationem, sed sensationem tristem. Unde quum ad dolorem duo concurrant, apprehensio objecti, quatenus est sensibile, & apprehensio ejus, quatenus est molestum; volunt, dolorem formaliter non in apprehensione objecti positum esse, sed in molestia, quæ ex objecti apprehensione oritur. Ut adeo Galenus, quum dolorem dixit sensationem tristem, effectum definiverit per suam causam, quem definiendi modum *Aristoteles* improbavit *lib. 6. Topic. c. 6.* ubi dolorem ex eo negat per διάστασιν vel separationem partium natura conjunctarum definiendum, quod διάστασις vel separatio illa sit ποιητικὸν effectivum, doloris. quicquid tamen sit, manet interim dolorem formaliter in molestia positum esse, qui ex objecti perceptione oritur, & propterea, perinde atque etiam morbum, nil nisi suum subjectum denominare, ut id dolere dicatur, quod dolorem sentit, non quod dolorem infert, id ægrotare, quod morbo est affectum, non quod morbum causat.

XIV. Sin autem *Abarbanel* se neget hoc voluisse, & propterea semet ita explicet, quod eatenus morbi ac dolores apud *Esaiam* dicantur nostri, quatenus eorum causa fuimus, quemadmodum Rex DEI dicitur, quem DEUS instituit & regnare fecit; ne sic quidem ineptire desinit. Diversa enim est ratio, quum Deus Regem dicit esse suum, quem Regem fecit, & quum in rebus naturalibus efficiens sibi effectum appropriat. hoc enim sæpe ab usu loquendi adeo alienum est, ut vel aurium convitio rejiciatur. quis enim de morte Petri audiens, mortem intelligat, qua Paulus est mortuus, & quam Petrus Paulo intulit? aut de lepra Naamanis legens, intelligat lepram, qua Gehasi laboravit, & quam munera à Naamane accepta causarunt? frustra igitur est *Abarbanel*, non minus, atque alii Ebræorum, quorum sententiam ipsemet supra rejecit.

XV. Ex quo manifestissime omnibus patet, quod Judæi, quamcunque tandem viam insistant, nihil tamen invenire possint, quo vel colerent saltem istud de populo suo Gentilium peccata portante commentum. quod profecto Christianorum sententiæ magnum pondus addit, dum constat, quod Judæi nec suam sententiam commode explicare, nec nostram ullo specioso argumento oppugnare possint. Istud autem ex superioribus liquet, hoc paucis est ostendendum. Non majori autem judicio *Abarbanel* nostram sententiam oppugnat, quam suam ante probavit. quod enim Propheticum hoc vaticinium de Christo accipi nequeat, ex eo deducere nititur, quia Propheta dicit: לא תואל ולא הדר ונראהו ולא מראה ונחמדהו נבזה והדל אישים איש מכאובות וידוע חלי וזא שהמאמרים האלה כלם מורים שהוא היה בטבעו עכור ומכוער שחוריי חלוש המזג רפה ההר כנה ווה כולו כפי מה שספר מעגינו הוא בלתי אמתי כי הוא היה בחור וטוב נחמד למראה אף כי חכמיהם אמרו שהיה שוה המזג נאכיות האיזון ואם אמר זה על מותו הנה כל אדם כשימות זיו אפוהו ישתנה ולא נאמר מפני זה שהיה משחרת מאיש מראהו ותארו מבני אדם וכן לא תאר לו ולא הדר שהם תארים יאמרו על החי ההמה המורגל שיקראהו איש מכאובות וידוע חלי היו החליים שהיה רגל בהם: *non forma ei erat, nec decor, vidimus eum & non aspectus, quem desideraverimus. Contemtus fuit & desitio virorum, vir dolorum & expertus morbum. qui hoc enarrant, illi omnes docent, quod fuerit natura turbidus, fœdus & deformis, atrabiliarius, constitutionis & temperamenti debilis. idque totum juxta id, quod commemorat (Propheta) de illo. Sed hæc in Christum non conveniunt quippe qui fuit juvenis, pulcher, & desiderabilis aspectu, adeo ut etiam sapientes (Christianorum) dicant, quod habuerit temperamentum ad pondus, æquali qualitatum gradu constans. nec est, quod velint id ad mortem Christi referre, siquidem commune hoc est omnibus hominibus, ut si mortui fuerint, faciei suæ splendorem mutent. unde non potest dici, intuitu hujus, quod corruptus fuerit aspectus ejus præ viro, forma ejus præ filiis hominum. ita enim forma & decor de vivo dici solent. Et usitatum est, ut vir dolorum & expertus morbum is dicatur, qui talibus assuevit.*

Quibus ita videtur argumentari: is de quo Propheta loquitur, fuit deformis, melancholicus, constitutione & temperamento corporis vitioso: sed Christus non fuit talis: E. Christus non est is, de quo Propheta loquitur. Majorem probat ex verbis Prophetæ, Minorem ex confessione Christianorum. sed posito prophetam ejusmodi hominem describere, qui sit fœdus, melancholicus & temperamenti vitiosi, quomodo hoc stabit cum communi sententia Judæorum, quod heic Propheta agat de populo Judaico secundum eum statum, in quo hodie est? non itaque heic exprimitur naturalis constitutio nascentis, sed conditio potius & species patientis. Depingitur nimirum Messias, non qualis fuerit ratione temperamenti naturalis, sed qualis fuerit tempore passionis, proxime ante mortem, malitia & improbitate Judæorum. Is enim, licet naturali constitutione ac temperamento pulcher extiterit & desiderabilis aspectu, rabie tamen Judæorum adeo fœdatus est, ut, præ cruore, squalore, ac cruciatu & doloribus, dignitas ac præstantia ejus agnosci non posset. Unde dictus est vir dolorum, non tam à consuetudine patiendi, quam à passionis vehementi sensu. quemadmodum, אִישׁ מָוֶת *vir mortis* dicitur, non qui assuevit mori aut etiam mortem mereri, sed qui vel semel facinus patravit morte dignum: & חֲתַן דָּמִים *Sponsus sanguinum*, non qui assuevit circumcidi, sed qui semel fuit circumcisus, juxta Aben-Ezram. quomodo autem morbum expertus sit Messias, quem tamen unquam ægrotasse, nemo dicet, explicabitur in discussione argumenti, quod sequitur.

XVII. Hoc autem quærit Abarbanel, כאמרו אכן חליינו הוא נשא ומכאובינו סבלם in verbis: *vere morbos nostros ipse tulit & dolores nostros bajulavit.* de quibus ita scribit: זת א"א לפלשו על נפשות הצדיקי' שהיו בגיהנ' בחטאת אדם הראשון שפטר והוציאם משם כי העונש הנפשיי לא נקי' חלי כ"ש שיאמ' עילו הוא נשא וסבלם כי אף לדעתי לא יאמ' שהאלוה סבל ונשא עונשי גיהנם ופשט הכתוב מורה שהוא קבל על עצמו אותם החליים שהסיר מהם ולכן אמר ואנחנו חשבנותו נגוע מכה אלהים ומעונה לפי שהוא עצמו לא היה נגוע ומוכה ואם יפרשו זה על מותו והייסורין שנתנו לו יקשה אמרו חליינו ומכאובינו כי המות אשר היהודים סבבו לו לא היו חליים ומכאובים כל שכן באמלו ובחבורתו נרפא לנו כאלו יאמר שהיה להם חליים ומכאובים והוא לקחם על עצמו וסבלם ובזה נרפא להם: *quidam dicunt, quod interpretanda sint de animabus justorum, qui fuerunt in Inferno propter peccatum primi hominis, quos redemit & eduxit inde. Jam pœna spiritualis non dicitur morbus. unde etiam de eo dici non poterit: ipse portavit, & bajulavit eos. nec dicturos opinor, quod Deus portarit ac bajulaverit pœnas Infernales. nam literalis scripturæ sensus docet,*

quod

quod morbos, quos abſtulit ab illis, portarit in corpore ſuo. & ideo dicit: nos reputavimus eum plagis affectum, percuſſum à Deo & humiliatum propterea quod ipſe corpore ſuo non fuit afflictus & percuſſus. Sin autem expoſuerint hoc de morte ejus & caſtigationibus, quas dederunt ipſi; difficultatem habebit ſermo: morbos noſtros & dolores noſtros. nam mortis, qua eum Judæi affecerunt, cauſa non fuerunt morbi & dolores. Nec minor difficultas erit in ſermone: livore ejus ſanitas fuit nobis. perinde enim eſt ac ſi dicat (Propheta) illos habuiſſe morbos ac dolores, hunc autem eos ſuſcepiſſe corpore ſuo & portaſſe, unde illis ſanitas obtigerit.

XVIII. Quibus, noſtra ſententia, hoc vult, Prophetam loqui de eo, qui paſſiones corporis ſuſtinuit, non animæ, quia morbus, dolor & livor corpus afficiunt, & propterea ea, quæ prædicit, accipi non poſſe de Chriſto, qui pœnas ſuſtinuit ſpirituales, nec de Deo, qui corpus non habet, nec de morte Chriſti, qui non morbo obiit, ſed violentia Judæorum eſt occiſus. Quod de animabus apud Inferos degentibus profert, quoniam ex Papiſmo hauſtum videtur, eo remittimus. iſtud autem, an & quomodo DEUS pœnas ſenſerit Infernales, ad ſuperiorem Cathedram pertinet. Cætera huic includimus ſyllogiſmo: qui non eſt paſſus morbos corporis, non etiam eſt is, de quo Propheta loquitur: Chriſtus non eſt paſſus morbos corporis; E. Chriſtus etiam non eſt is, de quo Propheta loquitur. Minor patet, Chriſtus enim nunquam ægrotavit. Major probatur, quia is, de quo Propheta agit, portavit חליים, at vero חלי nihil aliud ſignificat, quam corporis morbum. Sed negatur Major. quod attinet ejus probationem, falſiſſima ea eſt. nam חלי in Ebraiſmo non tantum corporis morbum ſignificat, ſed quandoque etiam animi ægritudinem, imo interdum notat in genere quamvis miſeriam & ærumnam. quod dum Lexica noſtra non ita tradunt, aliquo modo evolvendum eſt. ſic autem deſcribitur avarus Eccl. cap. 5: 16. omnibus diebus vitæ ſuæ in tenebris comedet & in ira multa וְחָלְיוֹ ubi Raſchi annotat וחליו כמו וחלי והוי"ו יתירה כמו וי"ו של חייתו & putat dici וחליו pro והלי ita ut ו ſit paragogicum, quemadmodum dicitur חיתו pro חית, hoc ſenſu: in ira multa & in ægritudine. R. D. Kimchi diſſentiens à Raſchi putat, ו non eſſe paragogicum, ſed affixum & facit hunc ſenſum; in ira multa, quæ eſt infirmitas & ægritudo ejus. Aben Eſra ſic explicat: סרוב עסי קיו ועמלו לקבץ ממון לא יאכל עד בוא הלילה והוא מלא כעסוחלי הנפש שהוא פחד præ multitudine negotiorum ſuorum & laboris ſui, quibus occupatur in coacervandis divitiis, non cibum capiet, niſi nocte ingruente, quod fit cum magna indignatione & morbo animæ, hoc eſt, ſollicitudine & pavore. Inter quos, uti patet, quanquam non omnino convenit; in eo tamen conſpirant, quod חלי hoc loco non corpus ſpectet, ſed animum. Ita quod Jerem. 16: 4. dicit: בְּמוֹ תֵי תַחֲלֻאִים יָמֻתוּ mortibus ægrotationum morientur; R. D. Kimchi perinde eſſe ait, ac ſi dicat, בחלי רעב ימותו, morbo famis morientur. Eccl. 6: 2. ſi quis habeat magnas divitias, & extraneus fruatur illis, Salomon חלי רע morbum malum, vel ut vulgatus exprimit, miſeriam magnam eſſe, ait. his & aliis locis חלי non corporis morbum ſed vel animæ ægritudinem, vel in genere miſeriam & calamitatem ſignificat, ipſis etiam Ebræis fatentibus, quorum authoritatem Abarbanel non ſubterfugiet. argumentatur igitur à particulari: חלי interdum ſignificat morbum corporis E. etiam hoc loco.

XIX. Quod autem in hac Prophetia pro corporis morbo non ſumatur, in proclivi eſt oſtendere. Ipſe enim *Abarbanel*, quum ſuperius ſuam exponeret ſententiam, חלי non proprie accipiendum putavit, ſed Metaphorice pro miſeria. Hoc igitur, quod veriſſimum eſt, dum heic negat, & ita, ut ſcenæ ſerviat, contradictoria profert, non noſtræ iſtud, ſed ipſius cauſæ officere debet; maxime, quando alii Ebræi à noſtris ſtant partibus. jam autem *AbenEſra* pro nobis pronunciat, & טעם מכאובו וחלי dicit eſſe צער הגלות hoc eſt, dolorum & morbi nomine accipiendam Exilii miſeriam & anxietatem. Et conſentit David *Kimchi*, qui חלי interpretatur per צער שהיו סו בלים ישראל בגלות h. e. per miſeriam & anxietatem, quam portavit Iſrael in exilio, item per עול הגלות jugum exilii. quæ quum ita ſint, falſum eſſe liquet, quod *Abarbanel* aſſeruit חלי corporis morbum hoc in loco ſignificare.

XX. Uti autem ipſum in præcedenti argumento non ſolum Linguæ uſus arguit, ſed contra eum ipſi quoque ſtant Ebræi: ita fieri etiam deprehendemus, quando argumentum ſumit ex particula למו verſ. 8. quod hoc modo proponit: אין יאמרו שנאמלו הכתובים האלה על ישוע הנוצרי ושעל מותו נאמר כי נגזר מארץ חיים כי הנה הכתוב אומר מפשע עמי נגע למי ומלת למו היא לשון רבים ויורה שהפרשה על רבים נאמרה לא על יחיד שאם לא כן היה לו לומר מפשע עמי נגע לו וראוי שתדע שמעתיקי הנצרים לבורחם מהספק הזה העתיקו מלת למו בלו: *non potuerunt dicere quod hæ ſcripturæ loquantur de Jeſu Nazareno, & quod de morte ejus ſint dicta, abſciſſus eſt è terra viventium, nam ecce ſcriptura dicit: à prævaricatione populi mei percuſſio* למו*. dictio autem* למו *habet ſignificationem pluralis numeri, & docet ſectionem hanc de multis eſſe dictam, non de uno. alioqui Prophetæ dicendum fuiſſet, à prævaricatione populi mei percuſſio* לו *ei. & operæ pretium eſt, Te ſcire, quod tranſlatores Chriſtianorum, ad evitandum hoc dubium, reddiderint vocem* למו *per* לו *ei.* in quo veſtigia premit aliorum. ante eum enim *AbenEſra* למו pro להם eſſe ſcripſit: מפשע עמי יבא הנגע לָהֶם בעבור מלת למו שהוא כמו להם *à prævaricatione populi mei veniet plaga ipſis, propterea autem, ipſis redditur, quod dictio* למו *eadem eſt cum dictione* להם. Nec diſſentit *Raſchi.* qui ſi למו ita plurale eſſe volunt, ut nunquam ſit ſingulare, uti velle oportet, ne ſit argumentum à particulari, turpiſſime hallucinantur. Non autem per Ebraiſmum fieri dicimus, ut למו pro לו plurale pro ſingulari adhibeatur, rei nempe amplificandæ cauſa, quemadmodum reſponderunt Tarnovius & Troſtius: ſed potius, quoniam למו duplici ſuffixo conſtat, מ & ו, quorum alterum pluralem, alterum ſingularem notat; inde etiam fieri aſſerimus, ut למו nunc de uno nunc de pluribus dicatur. expreſſe hoc docet *Michlol Kimchi* pag. 266. Lat. edit. Venetæ in 8. מו הוא כנוי הכסתרים בהתחבר עם הפעלים והשמות והמלים ויש מו כנוי היחיד הנסתר כי המ"ם והו"ו כמו שכתבנו יש בו סימן רבים וסימן יחיד כי המ"ם סימן הרבים הנסתרים והו"ו סימן היחיד הנסתר לפיכך יבוא על הרבים ועל היחיד ויתחברו שניהם בכנוי הרבים כי ידברו עליהם בכלל ופרט וכן על היחיד פעמים, מו *eſt affixum plurale tertiæ perſonæ in compoſitione cum verbis, & nominibus, & particulis: eſt etiam* מו *affixum ſingulare tertiæ perſonæ. nam* מ *&* ו *ſicuti ſcripſimus, eſt ſignum plurium & ſignum unius. Tertiam enim pluralem* ב*, tertiam ſingularem* ו *notat. idcirco occurrit* מו *de pluribus & de unico. & conjunguntur ambo illa in affixo plurium, quia loquuntur de illis in univerſali & particulari & ſic etiam de unico interdum.* Item quoque *Elias* tradit in מהלך R. Moſis Kimchi libr. 3. cap. 4. נמצא מי לכנוי הנסתר היחיד *invenitur* מו *uſurpatum pro affixo tertiæ perſonæ ſingulari.* Etſi autem uterque exemplum, de quo jam quæſtio eſt, communi Judæorum errore, pro plurali habent; id tamen noſtro inſtituto nihil obeſt. ſufficit enim, quod non ſolum concedunt, ſed etiam exemplis probant, מו quandoque ſingulare eſſe, & de uno individuo dici. per quod *Abarbanelis* argumento alterum crus frangitur. qui ſic argumentatur: ubi affixum, למו uſurpatur, ibi ſermo non eſt de uno individuo, quale eſt Jeſus Naz. ſed de pluribus: in præſenti loco affixum למו uſurpatur: E. in præſenti loco ſermo non eſt de uno individuo, quale eſt Jeſus Nazarenus, ſed de pluribus. Majoris falſitatem ex *Michlol Davidis* & Mahalach *Moſis*, *Kimchiorum*, monſtravimus, quia למו interdum etiam eſt ſingulare. non poſſunt igitur probare *Rabbini*, quod למו heic ſignificet plures: nobis autem ſingulariter ſumi contendentibus expeditiſſima eſt probatio: quia omnia reliqua ſunt ſingularia, אִישׁ, הוא, הו, לו, מִמֶּנּוּ, בּוֹ, ו.

XXI. Et licet vſ. 9. nomen plurale occurrat, quum dicitur, בְּמוֹתָיו in mortibus ejus, unde *R. Lipmannus in Nazzachon* evinci putat, de Chriſto ſermonem non eſſe, qui ſemel tantum fuit mortuus, non ſæpe, quum ita ſcribit: אין הפירוש כאשר דימו שישכיל עבדי קאי על אדם אחד אלא הוא קאי על כלל אחד שיש בו רבים תדע שנאמר ואת עשיר במותיו ולא אמר במותו ואדם אחד אי אפשר שימות פעמים *non eſt explicatio, ut putant, quod Prophetia de ſervo prudenter agente, intelligenda ſit de uno homine, ſed potius eſt intelligenda de cœtu uno, in quo ſunt multi. quod inde cognoſces, quia dictum eſt: & cum divite in mortibus ejus, non autem in morte ejus. fieri enim nequit, ut unus homo aliquoties moriatur.* Tamen, quum affixum ו ſingulare ſit, certum etiam, eſt de uno individuo ſermonem eſſe, non de pluribus. quod autem בְּמוֹתָיו *in mortibus* ejus, dicitur, pro בְּמוֹתוֹ *in morte* ejus, per Ebraiſmum fit, & plurale adhibetur pro ſingulari, ad auxeſin & amplificationem, quemadmodum enim, בְּהֵמוֹת beluam ſignificat, quæ ratione vaſti corporis inſtar multarum eſt, & חָכְמוֹת ſapientiam, quæ varia ac multiplex: ita Chriſti mors dicitur מוֹתִים propter varias ærumnas & calamitates, & quia non uno mortis genere eſt extinctus.

XXII. Dum igitur Abarbanel nec ſuam ſententiam probare, nec noſtram evertere poteſt; manet Prophetam de Meſſia loqui, ſicuti non ſolum Chriſtiani credunt, ſed etiam docent *Chaldæus* Interpres, & *Talmudiſtæ*, & *Rabbini veteres*, teſtante, præter *AbenEſram* ſuperius adductum, etiam *R. Moſe Alſchech* ad hunc locum: הנה רז"ל פה אחד קיימו וקבלו

כי על

כי על מלך המשיח ידבר *Ecce Rabbini nostri piæ memoriæ uno ore stabiliunt, confirmant & tradunt, de Rege Messia* [Prophetam] *loqui*: unde ad Messiam merito jure referimus, quod de Israele heic dictum Rabbini recentiores putant, quod videlicet ipse justus eos morbos & dolores tulerit atque sustinuerit, quos nos peccatores ac injusti ob peccata ferre debebamus. nempe sicuti Esaias prædixit, החלאים והמכאובות שהיינו ראויים אנחנו לקבלם כפי פשעינו נשא וסבל אותם אותו צדיק בעדינו: *morbos & dolores, quos ut nos portaremus, dignissimi eramus, propter prævaricationes nostras, ipse justus pro nobis tulit & portavit*, ut loquitur *Abarbanel* in secunda Expositione hujus Prophetiæ, ubi eam *Josuæ* accommodat. Ipse morbos nostros tulit, שלא מחמרת שפל ותו בא לו אלא מיוסר היה ביסורין להיות כל האומות מתכפלוה ביסוריו *quod ipsi non propter suam abjectionem obvenit, sed castigante (Deo) fuit in istis castigationibus, ut omnes gentes castigationibus ejus expiarentur*, ut loquitur *R. Salomon*: atque לא זה בעונו אלא בעונינו id factum est, *non propter impietatem ejus, sed propter impietatem nostram.* ut R. *David Kimchi* scribit.

XXIII. Per quæ hactenus deducta concidit Abarbanelis commentum de illis speciebus malorum, quæ Judæos in exilio suo passuros esse à Gentilibus, Propheta prædixerit. quoniam enim heic non de Israele agitur, sed de Messia; quemadmodum quæ de morbis & doloribus sunt dicta, in Judæos minime congruunt, sicuti visum est; ita nec ea, quæ sequuntur, ipsis accommodari queunt. ad Christum autem si referimus, omnia sunt plana. Posteaquam enim Is miseriam nostram, quam Propheta per morbos significat, in se suscepit; Deus ipsum percussit &, ut constaret, quod id non propter sua, sed propter nostra peccata sit passus, diserte additur מִפְּשָׁעֵינוּ propter prævaricationes nostras, & מֵעֲוֹנֹתֵינוּ propter iniquitates nostras. neque enim מֻכֵּה אֱלֹהִים percussum DEUM interpretamur, uti Christianis Abarbanel affingit, ita scribens: מכה אלהים ומעונה רוצ' לומר שהוא היה אלהים ונגוע ומכה ומעונה, *volunt* (Doctores Christianorum) *dici*, מכה אלהים ומעונה, *quia fuerit DEUS & plagis affectus & percussus & humiliatus*: aut etiam uti R. Lipmannus grammaticatur: שנאמר מוכה אלהים הרי שה"ש' הכח את האמור כאן ול' טעו תם שהנבואת קאי על אלהיהם היה להיות איפכא מוכה לאחר אלקי' ולא לפני אלקים *quod dicitur*, מונה אלהי', *ecce eum, qui heic commemoratur, DEUS percussit. Nam secundum eorum errorem, qui prophetiam hanc ad DEUM suum referunt, dicendum fuisset, DEUS percussus, non percussus DEUS, vocem enim, percussus, postponi oportuisset voci, DEUS, non præponi.* Scimus enim מֻכֵּה heic in Regimine positum esse, nec divinitatem Christi, quam clarior scriptura docet, inde exstruunt Christiani. sed quum dicitur percussus à Deo, id significatur, quod propterea, quia nostra peccata in se suscepit, pro iis etiam Deo pœnas dederit. unde concidit prima malorum species, quam Abarbanel commentus est. De reliquis itaque nullum negotium. Sive enim נִגַּשׂ vers. 7. unde secundam exsculpsit speciem, cum vulgato interpretemur, oblatus est, ut Christus sub ratione victimæ describatur, maxime, quia sequitur comparatio agni: sive reddamus cum aliis, exactionibus oppressus vel arctatus est, ut describatur sub ratione Fidejussoris, qui propter nostra, atque adeo propter aliena debita urgeatur; nihil tamen hujus in Judæos congruit. unde concidit secunda species. tertiam propterea rejicimus, quod sensum pervertit, &, à judicio sublatus est, per hypallagen interpretatur, judicium ab ipso sublatum est. vel igitur, מֵעֹצֶר וּמִמִּשְׁפָּט לֻקָּח de victoria accipiendum est, quod ex angustia & judicio liberatus sit & sublatus ad dextram Patris, quemadmodum multi veteres intellexerunt & B. etiam Lutherus, ut ita לקח transferendi significatione sumatur, ceu sumitur Genes. 5:24. & 2. Reg. 2:5. vel de morte capiendum est & executione sententiæ, quod post coarctationem & latam sententiam לֻקָּח (per crucifixionem) è medio sit sublatus. quemadmodum ipse Christus explicare videtur Joh. 12:31. & 32. quam interpretationem quanquam magni viri ex eo improbant, quod לקח non involvat ulla ratione aliquam in altum sublevationem; sufficit tamen, quod aliquando significet è medio tollere. quam significationem nemo negabit, qui Jer. 15:15. & 1. Reg. 19:14. penitus introspicit. ut ita Propheta genus, speciem autem mortis Johannes expresserit. quod quartam speciem attinet, eam *Abarbanel* ex vers. 9. deducit, sed ita insulse, ut nihil supra. nam, tradidit cum impiis sepulcrum ejus, tantundem esse vult, atque, *sepultos indumentis spoliavit, extraxit è sepulcris, & soli expositos ignominia affecit.* quod quis non rideat? nolumus autem definire, quid velle Prophetam putemus, in tanta sententiarum diversitate. *B. Lutherus* hunc sensum fecit: sepultus est, ut impii, & mortuus, ut dives. cujus contrarium evenisse videtur. mortuum enim esse ut impium, & sepultum ut Divitem, historia Euangelica testatur. *Vatablus*: dedit sepulturam suam cum impiis, & cum divite in morte sua. & vult, mortuum in monte Calvariæ, ubi de impiis supplicium sumitur sed sepultum in sepulcro divitis, Josephi ab Arimathia. quæ assertio quidem vera est, sed cum textu non congruit. Quippe qui divitem cum morte & impios cum sepultura conjungit. *Junius & Tremell.* per sepulchrum intelligunt sepeliendum, per sepeliendum autem, crucifigendum, trucidandum, & postea sepeliendum. per divitem intelligunt Pilatum. in mortes eorum, dictum putant hoc sensu, ut sanguis ejus super ipsos & ipsorum filios veniret. quæ coacta videntur. dura enim est Metonymia, sepulchri pro sepeliendo: & dura synecdoche sepeliendi pro crucifigendo & sepeliendo, ut cætera taceamus. *Hieronymus & alii* de vi & efficacia passionis & mortis Christi accipiunt & יִּ dedit, vel ad Messiam referunt hoc sensu: morte & sepultura sua dedit atque lucrifecit Patri suo impios & opibus potentes: vel ad patrem, hoc modo: dedit sc. Filio, propter mortem obedienter susceptam, numerosam Filiorum sobolem & in ea etiam impios ac divites, qui minus apti videbantur ad Euangelii jugum. *Græci & cum iis August. ac alii Patrum*, volunt hæc duo, impios & divitem, item sepulturam & mortem per ἐπεξήγησιν conjungi & pro eodem sumi, ut sit sensus: tradidit eos vicissim, pro eo nimirum, quod ipsum occiderunt, ultricibus Romanorum manibus, à quibus etiam duriter tractati sunt. manifesta sunt 70. Interpretum verba: δώσω τοὺς πονηροὺς ἀντὶ τῆς ταφῆς αὐτοῦ, καὶ τοὺς πλουσίους ἀντὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, qui sensus ex eventu haustus. revera enim sic factum. quoniam impii Judæi Christum morti tradiderunt, ideo eos vicissim tradidit Romanis. Alii, inter quos *Constant. L'Empereur in Antidoto Abarb.* ita exponunt: tradidit nempe populus Judaicus cum improbis sepulcrum ejus; sed ipse fuit cum divite in mortibus suis. Plures tamen cum Nostratium, tum Pontificiorum improbos pro improbitate & divitem pro divitiis accipiunt, quasi dixerit Propheta: dedit Christus impietatem nostram in sepulcrum suum, & divitias suas per mortem suam. quicquid horum sit, concidit quarta species malorum ab Abarb. conficta.

M. JOH.


M. JOH. ANDR. DANZI.

JUDÆI PROPRIO GLADIO JUGULATI ad Eſai. LIII.

י״ע

Bene celeberrima Judæorum antiquitas caput Eſaiæ LIII. exponit de Meſſia Filio Davidis.

§. I.



ANtequam ipſos producam Autores, præſuppono (1) totam iſtam Sectionem à cap. 52. vſ. 13. ad finem cap. 53. eſſe conjungendam: præter Aben-Eſram, qui והנכון בעיני כי כל הפרשה דבקה *rectum*, inquit, *mihi omnino videtur, Sectionem hanc cohærere totam*, confitentur Rabbi Salomon Jarchi, R. Seadia, Ramban, Baal hatturim, Kimchi, Abarbanel, aliique. (2) Præſuppono, duarum vel plurium Expoſitionum non niſi unicam veram eſſe & genuinam. Quænam illa ſit, pronunciat Judæus Rabbi Salomon F. Vergæ, his verbis: (a) כל פסוק בלשון עברי סובל כל צורה שירצה המצייר אבל הצורה האמיתית במה יתאמת הלא הוא אם נמשכו שאר הפסוקים על הצורה ההיא: id eſt, *Quicunque in lingua* Ebræa *verſus unamquamque admittit formam pro diverſa formantis voluntate; at forma vera in quo ſtabilitur? nonne in eo, ſi juxta illam & reliqui protrahantur verſus?* verbo, quæ contextui innititur, &, quod addi poteſt, Viris infallibilibus ac θεοπνεύςοις debet ſuam originem. (3) Commentatores Allegoricos ad ſuam probandam allegoriam ea ſæpe numero adducere Scripturæ loca, quæ id literaliter ſignificant; ita ipſos Talmudicos v. g. in negotio ἀνθρωποπαθείας commendat ſubtilis ille מורה נבוכים Perplexorum Doctor RAMBAM Part. 1. cap. 46. (b) inquiens: לזה תמצאם בכל התלמוד והמדרשות נמשכים כפי פשוטי דברי הנבואה: id eſt. *Inde invenies, illos in toto Talmud & Medraſchot literalem verborum Propheticorum ſequi ſenſum.* Quo in caſu non ut דורשים, ſed ut מפרשים ſunt aſſumendi.

§. 2. Inter celeberrimos primas tenere Doctores Talmudicos, nemo erit Judæorum, qui negabit. Quum ſacratiſſimum iſtud Opus Scripturæ non modo comparent, ſed & certo reſpectu præferant. Præter citata à Cl. Buxtorf. (c) de hoc atteſtata, alia quædam de novo producam, ex iis potiſſimum, contra quos vel impræſentiarum diſputamus; vel qui, etiam Chriſtianis docentibus, deſiiſſe dicuntur nugari, depromta. Rabbi Salomon (d) דברי חכמים׳ שעשו סייג לתורה נתנו מרועה אחד׳ כל דבריהם דברי אלהים חיים הוא אמרם ורועה אחד נתנם משה מפי הגבורה: *Verba*, inquit, *Sapientum, qui legi fecerunt ſepimentum, tradita ſunt ab uno Paſtore. Omnia eorum verba Dei ſunt viventis verba, ipſe dixit ea, & unus Paſtor Moſes tradidit ea ex ore Potentiæ.* RAMBAM nominatus à Rabbi Aſſe, qui confecit Opus Talmudicum ordine omnibus inde usque ad Moſen (e) addit: (f) ומשה רבינו מפי הגבורה. נמצא שכולם מהשם אלוהי ישראל: id eſt, *Moſes vero accepit ex ore Potentiæ. Conſtat igitur, omnia illa eſſe à Domino Iſraelis.* TARGUM ad Eccleſiaſt. 12: 12. (g) ait: ורבני סנהדרין מרי הלכתין ומדרשין דאיתיהיבו על ידוי דמשה נביא׳ id eſt, *& Doctores Synedrii docuerunt ritus ac Expoſitiones Allegoricas, quæ tradita ſunt per Moſen Prophetam.* ABEN-ESRA ad Exod. 24: 12. ubi Deus Moſi, & dabo tibi, inquit, tabulas lapideas והתורה והמצוה atque legem & præceptum, lege de Scriptura expoſita, ad והמצוה *præceptum* ita commentatur: (h) תורה שבעל פה כי כל המצות נתנו למשה בסיני בימים שעמד בהר׳ id eſt, *Lex Oralis; nam omnia illa Præcepta tradita ſunt Moſi in Sinai iſtis diebus, quibus conſtitit in monte.* ABARBANEL ad l. c. (i) לוחות האבן ירמוז לתורה שבכתב שהיו כתובים כלליהם על הלוחות מלמד ספר התורה שכתב אחר כך והתורה והמצוה היא מקובלת מפה אל פהי ואמרו אשר כתבתי להורותם חוזר על שני הדברים אשר זכר שעל הלוחות אמ׳ אשר כתבתי שכתב בהן על דרך הפלא עשרת הדברות ועל הפירוש המקובל אמר להורותם ר״ל שילמדהו זה כדי שהוא עליו השלום מפיו ילמד את העם ויורם את הדרך ילכו בה ואת המעשה אשר יעשון׃ id eſt, *Tabulis lapideis indigitat Legem ſcriptam, cujus ſumma tabulis fuit inſcripta; indicans librum Legis, quem conſcripſit poſtea. Lex vero, & Præceptum eſt ea, quæ per traditionem infallibilem propagata eſt oretenus. & quod ulterius dicit: quæ ſcripſi ad docendum ea, refertur ad duas iſtas res, quarum meminerat. nam de Tabulis inquit: quæ ſcripſi, quia inſcripſit iis mirabili modo Verba illa decem. de Expoſitione vero illa per traditionem accepta ait: ad docendum ea, q. d. ut doceat eam hic, ut ſit ſuper ipſum Pax; Ore ſuo* (ſ. oretenus) *doceat populum, illisque oſtendat viam, qua irent, atque opera, quæ ſint facturi.* Hunc textum tali explicatum modo vide in (k) Talmude ipſo, citatum à (l) Cl. Buxtorf. l. c. Ad ejusdem capitis Exod. 5: 27. haud diſſimilia leguntur in (m) Jalkut his verbis: כשבא הק״בה ליתן את התורה אמרה למשה על סדר המקרא והמשנה והאגדה והתלמוד שנ׳ וידבר אלהים את כל הדברים עפילו מה שישאל תלמיד ותיק לרבו אמר ליה הק״בה לך ולמדה את בני ישראל א״ל משה רבונו של עולם כתוב אתה לבניך א״ל מבקש אני ליתן אותה לבם בכתב אלא שגלוי לפני שעתידים אומות העולם לשלוט בהם וליטול אותה מהם ויהיו בני כאומות העולם אלא המקרא אתן להם בכתב והגדה והמשנה והתלמוד על פהי ויאמר יי׳ אל משה כתוב לך זה המקרא כי על פי המשנה והתלמוד שהן מבדילים בין ישראל ובין אומות העולם׃ id eſt, *Quum veniret Sanctus ille Benedicendus daturus legem, dixit eam Moſi ad ordinem Pentateuchi, Miſchnæ, Aggadæ & Gemaræ, ſicut dicitur: & locutus eſt Dominus omnia iſta verba; (n) etiam quod diſcipulus ac puer* (legendum puto תינוק) *rogaret magiſtrum ſuum. dicente autem ei Sancto illo Benid. Abi ac doce eam filios Iſrael; reſpondet ei Moſes: Dominator Mundi! ſcribe quæſo filiis tuis. Qui reponit: quærerem quidem eam tradere vobis ſcriptam; verum quia manifeſtum eſt coram me, dominaturas illis Gentes hujus Mundi, abrepturasque eam ab illis, eſſent filii mei inſtar Gentium hujus Mundi. ideo Scripturam dabo illis ſcriptam; Aggadam vero, Miſchnam, ac Gemaram oretenus. Nam dixit*

(a) שבט יהודה *fol.* 41. 2. *lib.* 4. *fin. ſeqq.* (b) *fol.* כ״ט 1. *lib.* 10: 11. *Edit. Sabion. in fol. A. M.* שי״ג *Chr.* 1553. (c) *Synag. Jud. Recenſ. Op. Talm. pag.* 221. *ſeqq.* (d) *ad Eccleſi.* 12: 12. *B. B. fol.* תת״עב *b. lib.* 26. 49. 50. (e) *quos ab hoc usque ad Hillel, ordine retrogrado, & paucis mutatis recenſet Venerandus Acad. Sen.* ANDREAS SENNERTUS, *Præcept. noſter omni colendus obſervantia. Exercit. Phil. III. de Cabbala, pag.* 156, 157. (f) *Præfat. in* משנה תורה *fol.* 2. *cap.* 2. *lib.* 34, 35. *Edit. Ven. An. M.* 5310.

(g) *Bibl. Buxt. fol. cit. l.* 3. *f.* (h) *Bibl. Buxt. f.* צ״א *a. l.* 3. *f.* (i) פירוש התורה *f.* קפ״ח *col.* 1. *l.* 20. *ſeqq. Edit. Ven. A. M.* ר״נו. (k) *Maſſechet* ברכות *f.* 5. *col.* 1. *l.* 10. *ſeq. Ed. Amſt. Benevenisti.* (l) *Recent. Op. Talm. p.* 224. (m) *Paraſ.* תשא *f.* ק״יא *col.* 1. *med. num.* ת״ה *l.* 29. *ſeqq. Edit. Crac.* (n) *Exod.* 20: 1.

dixit Dominus Moſi (o): *Scribe tibi, ſc. Scripturam, ſed oretenus Miſchna ac Gemara* doceatur, *ut differentiam conſtituant inter Iſraëlitas & Gentes hujus mundi.* His conſentanea vid. ap. Cl. Buxt. ll. cc. (p)

§. 3. Atque huic doctrinæ in omnibus eſſe acquieſcendum, præter divinam originem docebunt ſeqq. MAIM. l. c. (q) inquit: כל הדברים שבתלמוד הבבלי חייבין כל ישראל ללכת בהם׃ id eſt, *juxta ſingula verba, quæ in Talmude Babylonico, omnes incedere tenentur Iſraëlitæ.* Item (r) אסור לסור מהם שני לא תסור מן הדבר אשר יגידו לך ימין ושמאל׃ id eſt, *prohibitum eſt, recedere ab illis, quia dicitur* (s): *Non recedes ab iſto verbo, quod annunciaverint tibi dextrorſum aut ſiniſtrorſum.* Alibi idem Autor (t): זו מצות חכמים שנצטוינו מן התורה לשמע מהן שנ׳ על פי התורה אשר יורוך־ולפיכך חייב אדם לחזור בהן ביותר׃ id eſt, *hoc eſt Præceptum Sapientum, de quibus lege divina nobis mandatum eſt, ut audiamus, ſicut dicitur: juxta illam doctrinam, quam te docturi ſunt. —— atque propterea tenetur homo cavere ſibi in illis majorem in modum* (vel, ob *magis* ·/. dictum illud Eccleſ. 12: verſ. 23.) Quæ verba ultima procul dubio ex Talmude deſumſit, cujus integer locus in מסכת עירובין (u) talis eſt. דרש רבא מאי דכתיב ויותר מהמה בני הזהר עשות ספרים הרבה וגו׳ בני הזהר בדברי סופרים יותר מדברי תורה שדברי תורה יש בהן עשה ולא תעשה ודברי סופרים כל העובר על דברי סופרים חייב מיתה שמא תאמר אם יש בהם ממש מפני מה לא נכתבו עשות ספרים הרבה אין קץ׃ id eſt, *in Concione quadam dixit Rabba: quid eſt, quod ſcriptum extat: & magis ab illis, mi Fili, tibi cave, facere libros multum &c.?* Reſp. *fili mi, cautus eſto in verbis Scribarum, magis quam in verbis Legis. Quia inter verba Legis ſunt, quæ facias, aut non facias; verba Scribarum autem quicunque fuerit transgreſſus, mortis reus eſt. ne forte dicas: ſi eſt in illis ſolidi* (w) *quid, quare non ſcripta ſunt?* Reſp. *facere libros multum non eſſet finis.* Aliam omiſſæ ſcriptionis cauſam ſupra §. 2. audivimus ex Jalkud, quam & alii à Buxtorf. ll. cc. adducti approbant. Cæterum Gloſſa ad cit. Talmud. locum verba עשה יש בהן ולא תעשה ponit hæc (x): שאין בהן חווב מיתה אבל דברי סופרים חייבין מיתה על כולן כדכתיב ופורץ גדר ישכנו נחש׃ id eſt, *ſunt inter illa* (legis verba) *in quibus nullus mortis reatus* (tranſgreſſoribus imminet); *verum de ſingulis verbis Scribarum rei fiunt mortis in univerſum, juxta id, quod ſcriptum eſt* (y): *& qui perrumpit ſepem, eum mordebit ſerpens.* (z)

§. 4. Verum quia Talmud plura Statuta politica legeſque Forenſes ad Rempublicam ſpectantes Ebræam tradit, objiciet (expertus loquor) Judæus, in his fidem Tulmudi habendam, non item in expoſitionibus Scripturæ. Sed quam parum hac proficiet exceptione, quilibet novit, cui cognitum, quod Talmudem legis ſcriptæ *Commentarium* conſtituant, in hunc finem traditum, ut quæ in Scriptura vel conciſe & obſcure dicta ſint, vel contradictoria videantur, in eo explicentur dilucide ac infallibili veritate. Hoc demonſtravit Cl. Buxtorf. ll. cc. (aa) ex מצות גדול aliiſque ad oculum. Ego de meo addo ſequentia. MAIMON. initio Præfat. l. cit. (bb) כל המצות שניתנו לו למשה בסיני בפירושן ניתנו שני ואתנה לך את לוחות האבן והתורה והמצוה׃ תורה זו תורה שבכתב והמצוה זה פירושה וצונו לעשות את התורה על פי המצוה והמצוה זו היא הנקראת תורה שבעל פה־והמצוה שהיא פירוש התורה לא כתבה אלא צוה בה לזקנים וליהושע ולשאר כל ישראל שנ׳ את כל הדבר אשר אנכי מצוה אתכם אותו תשמרו לעשות וגו׳ ומפני זה נקראת תורה שבעל פה׃ id eſt, *Omnia Præcepta, quæ tradita ſunt Moſi in Sinai, cum Commentario ſuo tradita ſunt, ſicut dicitur* (cc): *& tradam tibi tabulas lapideas, & Legem ac Præceptum. Legem i. e. legem ſcriptam; & Præceptum, hoc eſt, illius Commentarium. Præcepitque nobis præſtare Legem juxta præſcriptum Præcepti, quod Præceptum vocatur Lex Oralis.* & mox (dd): *cæterum Præceptum illud, quod eſt Commentarius Legis iſtius, non ſcripſit, ſed præcepit de eo Senioribus & Joſuæ, reliquiſque omnibus Iſraëlitis, ſicut dicitur* (ee): *Omne iſtud verbum, quod ego præcipio vobis, illud obſervabitis ad faciendum &c. atque propterea dicitur Lex Oralis.* Ibid. interpoſitis quibuſdam (ff) העתיקו איש מפי איש מפי משה רבי׳ מסיני גם יתבא׳ מהם דברים שגזרו חכמים ונביאים שבכל דור ודור לעשות סייג לתורה כמו ששמעו ממשה רבינו כפי׳ שנ׳ ושמרתם את משמרתי עשו משמרת למשמרתי׃ id eſt, *Tranſtulerunt quilibet ex ore alterius inde ab ore Moſis Doctoris noſtri de Sinai. etiam clare expoſita ſunt ab ipſis verba, quæ deciderunt Sapientes ac Prophetæ omnium ſeculorum, ut facerent Sepimentum Legi, ſicut audiverant à Moſe Doctore noſtro perſpicue, quando dicitur: & obſervabitis obſervationem meam,* id eſt, *facite cuſtodiam obſervationi meæ.* Quo cum conſentit ABARBANEL, (gg) inquiens: התורה השגיחה על התקון לתקן ההפסד שהיה אפשר שיגיע בחלוף הדעות והמחלוקות ושתעשה התורה תורות רבות׃ *Lex* (verbis Deut. 17: 11.) *curam habuit correctionis, ut corrigeret damnum, quod inveheretur per diverſitatem illam ſententiarum, & diſſenſiones, ex una Lege* qſ. *multis factis.* In antecedentibus dixerat (hh): משרבו תלמידי שמאי והלל־רבו המחלוקות בישראל ונעשתה תורה הש״י כשתי תורות׃ הנה בארו שעקר הדת ופירושה היה במושב הסנהדרין׃ id eſt, *Ex quo auctis diſcipulis Schammaj & Hillelis creverunt diſſenſiones in Iſraël, factaque Lex Dei benedicendi inſtar Legum duarum; ecce declararunt, fundamentum Legis ejuſque Expoſitionem fore in conceſſu Synedrii.* Poſtea dicit (ii): כמו שניתן לסנהדרין להיותם מורי התורה כן ראוי שינתן לחכמי הדורות׃ *Sicuti conceſſum eſt Synedrialibus, ut ſint Doctores Legis; ita conveniens, ut concederetur etiam Sapientibus iſtorum Seculorum.* Paucis interjectis, ita loquitur (kk): הנה משפט הסנהדרין יהיה באחד מג׳ אופנים אם שיאמרו כן שמענו וכך קבלנו הלכה למשה מסיני׃ ואם שפירשו התורה על פי הכתב בפי׳ אמיתי׃ ואם שיגזרו מה שראוי לעשותו כפי צורך השעה וצורך המקום אף שלא יהיה כפי התורה׃ ולהיות ענין משפטם נכלל בגי המינים דאלה־על המין הב׳ שהוא הפירו׳ והביאור על דברי התורה אמר ושמרת לעשות ככל אשר יורוך על פי התורה אשר יורוך׃ ר״ל שלא יחשוב בעצמו לומר פירושי הוא נאה ומתישב יותר מתקבל מהפי׳ אשר הסנהדרין עושין׃ אבל ישמור עצמו מזה כי אם לעשות כפי מה שיורו ויפרשו על פי התורה שיורו הם כי הוא הפירוש האמיתי אין עוד מלבדו׃ id eſt, *Ecce jus Synedrii futurum erat in uno* (ll) *ex tribus modis, ſive ſi dicerent: ita audivimus, atque ita per traditionem accepimus morem à Moſe è Sinai: ſive ſi exponant legem ad præſcriptum Scripturæ, Expoſitione vera* (mm): *ſive ſi decidant, quod factu conveniens pro temporis ac loci neceſſitate, etiam quod non ſit juxta Scripturam. Quumque argumentum juris ipſorum tribus iſtis contineatur generibus, —— de ſecundo genere, quod eſt Expoſitio ac Declaratio in verba Legis, dicit* (nn): *& obſervabis, ut facias juxta omne, quod docuerint te,* item: *juxta præſcriptum doctrinæ, quam te docuerint, v. d. ne* quis *cogitet apud ſe, dicendo: Expoſitio mea pulchra eſt & ſolida, magiſque accepta, quam ea, quam dederunt Synedriales. Sed caveat ſibi ab hoc; nam ſi faciendum juxta id, quod docuerint & expoſuerint, ad præſcriptum doctrinæ illius, quam illi docent, quia iſta Expoſitio vera; non eſt amplius extra eam alia vera* (oo). Adverte ad hæc animum Abarbanel! & contra teipſum pronunciata memineris. recordare etiam, quæ in recenſione ſententiæ Rabbi Sal. ad h. l. (pp) à te approbatæ ſcripſeris, (qq) nim. שלא יאמרו על ימין שהוא שמאול ועל שמאל שהוא ימין ממה שיגידו הסנהדרין מה שישמעי ויקבלו בקבלתם׃ ולא גם כן על מה שיפרשו על פי התורה כי בזה וכיוצא בו חלילה וחלילה להם מרשע שיאמרו על ימין שהוא שמאל ועל שמאל שהוא ימין לא כפי האמת גם לא כפי מחשבת השואל׃ אבל אמרו זה על מה שיגזרו הם כפי צורך השעה וכו׳׃ *quod non dicturi ſint de dextera, eam eſſe ſiniſtram, aut de ſiniſtra, eſſe dexteram, in eo, quando pronuncient Conſiſtoriales id, quod audituri ſint, vel accepturi per traditionem. Neque etiam in eo, quod exponerent ad Præſcripum Scripturæ, quia in hoc huicque ſimilibus abſit, abſit inquam ab illis hæc impietas, ut dicant de dextera, quod ſit ſiniſtra; aut de ſiniſtra, quod ſit dextera, neque ſecundum rei veritatem, neque etiam ſecundum*

(o) *Exod.* 24: 27. (p) *Rec. Op. Tal. pag.* 222, 223. *Synag. p.* 63. *Conf. pag.* 55, 56. (q) *f.* 2. *col.* 3. *l.* 7. (r) *l. c. col.* 3. *l.* 48. (s) *Deuter.* 17: 11. (t) הלכות ברכות *cap.* 6. §. 2. *f.* 65. 2. *Conf. idem* בספר המצות *f.* 2. *cap.* 1. *f.* 3. *cap.* 1. *l.* 20. *ſeqq. Edit. Ven. in fol.* (u) *fol.* 212. *l.* 14. *ſeqq. Ed. Amſt.* (w) *R. Sal. ad text. cit.* צורך *neceſſitas.* (x) *l. c. col.* 4. *l.* 9. *ſeqq.* (y) *Eccleſ.* 10: 8. (z) *Conf. omnino ad h. l. Rab. Sal. B. B. fol.* תת״ע *b. l.* 3. *ſeqq.* (aa) *Synag. pag.* 49. *ſeqq. pag.* 67. *Rec. Op. Talm. p.* 223, 225. (bb) יד חזקה *fol.* 2. *col.* 1. *l.* 3. *ſeqq.* (cc) *Exod.* 24: *verſ.* 12. (dd) *l. c. l.* 8. *ſeqq.* (ee) *Deut.* 12: 32.

(ff) *l. c. col.* 2. *l.* 44. *ſeqq.* (gg) פירוש התורה *fol.* שס״ו *col.* 41. *l.* 5. *ſeqq.* (hh) *l. c. col.* 1. *l.* 19. *ſeqq.* (ii) *l. c. col.* 2. *l.* 42. *ſeqq.* (kk) *l. c. col.* 3. *l.* 1. *ſeqq.* (ll) *l.* 27. *ſeqq. ait:* ואולי אמר לא תסור מן הדבר על כל ג׳ ההוראות הנזכרות שבכולם לא יסור מן הדבר אשר יגידו לך ימין ושמאל׃ (mm) *l. c. l.* 13. *ſeqq.* (nn) *Deut.* 17: 10, 11. (oo) *Conf. Maim. l. c. f.* 2. *cap.* 1. *l.* 6. (pp) *Bibl. Buxtorf. f.* ר״ט *col.* 1. *l.* 41. *ſeqq. Verba ipſa è Buxtorf. citata vid. Synagog. pag.* 63. *quorum originem Abarb. l. c. cap.* 3. *l.* 45. *Doctoribus libri* ספרי *adſcribit.* (qq) *l. c. f.* שס״ז *cap.* 1. *l.* 8. *ſeqq.*

dum opinionem interrogantis. Sed dixerunt hoc de eo, quando sententiam pronunciaturi sint pro necessitate temporis &c. Neque AbenEsra habet, quod contra hæc excipiat. Ille enim præterquam quod Talmudicos (non Targumistas, ut quidam putat) crebro (rr) nominet מעתיקי הדת *Translatores Legis*; talem ipse casum format: (ss) אם מצאנו שני טעמים לפסוקים והטעם האחר כדברי המעתיקים שהן כולם צדיקים נשען על אמתם בלי ספק בידים חוקים וחלילה חלילה מלהתערב עם הצדוקים האומרים כי העתקתם מכחשת הכתוב והדקדוקים רק קדמונינו היו אמת וכל דבריהם אמת. *Si invenerimus duos sensus de quibusdam textibus, quorum unus juxta verba Translatorum, qui fuerunt omnes justi; innitamur horum veritati absque dubio manibus firmis. absit enim, absit, ut commisceamini cum Sadducæis, dicentibus, illorum Translationem Scripturam corrumpere & Grammaticam. Sed antiqui illi nostri fuerunt Verissimi, singulaque eorum verba veritas.* Cave obliviscaris horum AbenEsra, quum in expositione capitis Es. 53. citas hos tuos Antiquos p. m. Si oblitus fuerit, revocemus ei in memoriam, cum duobus aliis locis, quorum primus ex hac ipsa Præfatione (tt) petitus, citatis ap. Buxtorf. locis (uu) ubi vid. Modo obs. verbum סמך ibi forte melius reddi *inniti.*

§. 5. Sufficienter nunc, ut puto, celeberrima Talmudistarum apud Judæos autoritate demonstrata, (quam tamen ob nullum alium finem tam prolixe adstructam volui, nisi ut Christianus disputans contra Judæum, testimonium è Talmude allatum, elevantem aut rejicientem ex desperatione vel malitia, habeat, quo eum adigat ad assensum, atque compellat,) produco nunc ipsa verba pro Christianis in Expositione capitis Esai. 53. contra Ebræos aberrantes militantia, quæ cap. 11. במסכת סנהדרין (ww) ita recensentur: מה שמו (של משיח) דבי ר' שילא אמרי שילה שמו שן עד כי יבא שילה דבי ר' ינאי אמרי ינון שמו שן' יהי שמו לעולם לפני שמש ינון שמו דבי ר' חנינה אמרי חנינא שמו שן' אשר לא יתן לכם חנינה (xx) וי"א מנחם בן חזקיה שמו שן' כי רחק ממני מנחם משיב נפשי ורבנן אמרי חיורא דבי רבי שמו שן' אכן חליינו הוא נשא ומכאובינו סבלם ואנחנו חשבנוהו נגוע מוכה אלהים ומעונה: i. e. *Quodnam est nomen ejus* (Messiæ, voce immediate præcedenti nominati)? *familiares R. Schilæ dixerunt: Schilo; quia dictum est* (yy): *usque dum venerit Schilo. Familiares R. Jamai asserebant, Jinnon fore ipsius nomen, quia dictum* (zz): *sit nomen ejus in æternum, ante Solem Jinnon nomen ipsius. Familiares R. Chaninæ dicebant: Chanina ejus esse nomen, quia dictum sit* (a): *quia non daturus sum* (Ebr. אתן) *vobis Chanina* (i. e. Gratiam). *Sunt etiam, qui dicunt, Menachem F. Hiskiæ nomen ei esse, quia dictum* (b): *nam longe abest à me Menachem* (consolator) *reficiens animam meam. Sed Doctores dixerunt: Percussus è familia Magnatum, est nomen ipsius, quia dicitur* (c): *Certe morbos nostros ipse portavit, & dolores nostros bajulavit ipsissimos, atque nos æstimavimus ipsum* נגוע מוכה אלהים *atque afflictum.* Quare in Expositione חיורא דבי רבי à Glossa ordinaria, & qui eam secuti sunt, Christianis (d), recedam, imitatus potius R. Nathanem (e), requirenti dabimus rationem.

§. 6. Quum proximam forte sedem à Talmude assignent Judæi libro רבות, statim aliquod ex eo testimonium huic Talmudico adjungam, quod legitur רות רבתי (f) sequentibus verbis: ד"א מדבר במלך המשיח: גשי הלום קרובי למלכות: ואכלת מן הלחם זו לחמה של מלכות: וטבלת פתך בחומץ אלו הייסורין שן' והוא מחולל מפשעינו i. e. *Expositio alia. loquitur de Rege Messia. Accede huc, i. e. appropinqua ad regnum. Ut comedas de isto pane, qui est panis Regni. Et intingas portionem tuam in acetum, istæ sunt castigationes, quia dicitur: atque ipse dolore affectus est ob prævaricationes nostras.* A quo non adeo alienum, quod ex Pesikta citari solet hunc in modum: כשברא ה"כה עולמו פשט ידו תחת כסא הכבוד והוציא נשמש המשיח וכרת שלו אמר לו תסבול ייסורין למרק עונם ההוא דכתיב אכן חליינו הוא נשא אמר לו אסבול אותם בשמחה: i. e. *Quum crearet Sanctus ille Bened. mundum suum, extensâ manu suâ sub solium gloriæ, eduxit animam Messiæ cum ipsius caterva, qui interroganti ipsum: bajulabis castigationes ad abstergendum eorum* (Israelitarum) *iniquitates, juxta illud, quod scriptum est: Certe morbos nostros ipse tulit &c.? respondit: bajulabo eas cum gaudio.*

§. 7. Nunc, antequam ad alia excurram adducenda testimonia, dispiciendum prius, num hæc, quæ jam adducta sunt, id probent, cujus causa sint allegata. Ego dico, quod maxime. De Messia agere, nemo nisi contra expressa verba negabit: ubique enim clara facta est ejus mentio. Et ne quis ea de Filio Josephi loqui autumet; consideret (1) hujus in toto isto Talmudis (*) capite allegato nullam penitus planam fieri mentionem; quod certe eo potissimum loco, ubi ex instituto de negotio Messiæ tractatur, omitti nequaquam debuisset. Contra Messiæ F. Davidis creberrima ibi injecta fuit mentio. (2) De Eo in communi illa Doctorum sententia agitur Messia, de quo præcedentes egerant Collegæ singuli. Atqui istos de Messia F. Davidis agere, tum institutum, tum omnia evincunt loca è Scriptura citata. Quis Judæorum unquam tam captæ mentis fuit, ut assereret, in gratiam unius homuncionis ad breve victuri tempus, universam hanc conditam fuisse mundi machinam? quæ, illo mortuo, cui usui esset? quis è contra ulla veritatis specie negaret, istum Messiam, de quo Genes. 49. sermo, cui omnes adhærebunt Gentes (g); & qui non tantum ante creatum Solem extiterit (ut pulcre Gloss. Talmud. עד שלא נברא annotat), sed & duraturus sit in æternum; in quo & per quem requiem sint inventuri Israelitæ &c. alium esse, quam Davidis filium? nam certe Josephi Filio nec Gentes obedient, quin interficient potius, ex communi Judæorum commento, nec æternum ejus durabit regnum, sed illo post breve vitæ tempus in bello cum Gog & Magog interfecto, ad Davidis perveniet Filium (h). Neque etiam sub ipso requiem habebunt; sed nil nisi bellorum tempestatem iniquissimam. (3) Ita nec Locus è Rabboth citatus de Josephi filio loquitur; quum hic neque è posteris Ruth, sed Ephraimi; neque Regno fruiturus, sed in ejus occupatione moriturus tradatur. Davidis vero filius & è posteris Ruth esto, Davidis nimirum hujus pronepotis; & regno potiri dicitur in æternum (i). (4) Pesikta itidem de eo loquitur Messia, qui jam inde ab orbe condito sub solio Majestatis divinæ absconditus fuerit, Israelitasque revera ab eorum absterserit iniquitate: quod similiter non Josephi Fil. sed Davidis competit. Vid. Psalm. 110: 1. coll. Abkat Rochel lib. 1. part. 1. fol. 3. cap. 3, 4. R. Seadj. ad Dan. cap. 7. Bibl. B. f. ת"תצ cap. 2. lib. 13. 11. f. Pirke Eliesser cap. 3. Mich. 5: 1. Psalm. 72: 17.

§. 8. His auditis, conferamus nos ad Jonathanem Paraphrastem, qui itidem Messiæ hanc tribuit Prophetiam clarissime, vertens: הא יצלח עבדי משיחא ירום ויסגי ויתקוף לחדא כמא דסברו ליה בית ישראל יומין סגיאין דהוה חשיך ביני עממיא חיזוהון וזיוהון מבני אנשא כן יבדר עממין סגיאין עלוהי ישתקון מלכין ישוון ידיהם על פומהון וכו' i. e. *Ecce prosperabitur servus meus Messias, extolletur, crescet, ac invalescet valdè. Sicut expectarunt ipsum domus Israel dies multos, quibus contabuit inter Gentes eorum aspectus, ac splendor à filiis hominis; ita disperget Gentes multas, obtumescent de Eo Reges, manibus ipsorum oribus impositis,* &c. Hactenus quidem recensita verba nemo aliter torquebit, quin de Messia F. Davidis dicta fateatur: לפי שעל משיח בן יוסף שימות בתחילת ענינו ומלחמותיו אי אפשר שיאמר ירום ונשא וגבה מאד כי הוא לא יגיע לאותה המעלה הרמה ולא יתמיד נה: *quia de Messia F. Joseph morituro sub initium negotii sui ac bellorum, impossibile est, ut dicatur: extolletur & ele-*

(rr) *V. g. ad Thr. 1: 3. Bibl. Buxt. fol.* חת"נג *a. l. 5. f. ad Lev. 19: 19. l. c. fol.* ק"לו *a. l. 52. Conf. Præfat. in Leg. l. c. f. 2. col. 3. l. 3.* (ss) הקדמה *l. c. col. 4. lib. 5. f.* (tt) *Bibl. Buxt. fol. 2. col. 3. l. 21. 20. fin.* (uu) *Synag. Jud. pag. 62. Rec. Op. Talm. p. 222.* (ww) *Fol. 98. 2. l. 23. seqq.* (xx) *In* הליכות עולם *c. 3. init. dicitur, per hanc locutionem, quoties occurrat, indigitari R. Nathanem. d. Talm. Hier.* ברכות *f. 5. c. 1. l. 11. 12. Ed. Ven. hanc sententiam adscribit R. Judin F. Ajbo.* (yy) *Genes. 49: 10.* (zz) *Psal. 72: 17.* (a) *Jer. 16: 13.* (b) *Thr. 1: 16.* (c) *Esai. 53: 4.* (d) *Gerson in Chel. pag. 127. Cocc. Excerpt. Gem. p. 359. 380. Buxtorf. Lexic. Talm. col. 724. L'Emp. Not. ad Ab. Proph. 30. ex Esai. p. 51. Anth. Hulsem. Theol. Jud. pag. 452. P. Slevogt. Disp. Ac. Phil. Part 3. Disp. 2. th. 1. p. 915. Conf. Grot. ad Es. 53: 4.* (e) *In* מוסף הארוך *fol.* ס"ד *col. 1. l. 5. f. ubi reddit:* נגוע חלאים גדוליי חיורא נגע־רב כלוי גדול (f) *F. 46. c. 4. l. 11. f. text. Ed. Amstel.*

(*) *Vid. eod. f. pag. 1. lib. 9. 11. 13. 15. 21. 36. 38. pag. 2. lib. 2. &c.* (g) *Vid. Kimchi ad Jerem. 23: 5. Bibl. Buxt. fol.* תק"מח *a. lib. 4. fin.* ממלל יופי *fol.* ק"ח *cap. 4. lib. 24. 23. f.* שבט יהודה *fol.* נ"ב *a. lib. 18, 19. post Esai. 2: 2. Mich. 4: 23. Zachar. 9: 10. Psalm. 72: 7. 9. 10. Daniel. 7: 14. &c.* (h) *Vid. Abarban. in Esai. fol. 78. cap. 4. lib. 50. seqq. fol.* רצ"ד *cap. 3. lib. 3. seqq.* ומיתת משיח בן יוסף אין ראוי שיחשוב אדם שתהיה מקרית אלא בהשגחת השם שכדי שתחזור המלוכה לזרע דוד ימות משיח בן יוסף במלחמה: (i) *Conf. Daniel. 7: vers. 14. Jerem. 23: 5. cap. 33: 15. Zach. 9: 9. &c.*

& elevabitur, ac altus erit valde; Siquidem ipse Eminentiam istam supremam nunquam attinget, multo minus perpetuabit eam. Hæc ipse Abarbanel (k). Quæ Paraphrastis mentem similia Eminentiæ verba exprimentis satis declarant. Verum posteriorem Vaticinii partem de justo quodam in genere exposuisse, nonnulli censent: è quibus Abarbanel ita inquit (l): וגם יונתן בן עשה שפירש הפסוקים הראשונים על מלך המשיח ושאר פסוקי הנבואה על בחירי צדיקיא׃ *Atque ita etiam Jonathan fecit, qui exposuit primos aliquot versus de Rege Messia, reliquum vero Prophetiæ textum de selectissimis Justorum.* Sed insigniter mentitur magnus ille Doctor. Nam (1) Justorum in plurali tanquam primarii hujus Vaticinii Objecti nusquam meminit per totum caput; sed levi quandoque eorum facta mentione, statim redit ad Subjectum illud primarium; de quo (2) talia effert Prædicata, quæ de nullo alio intelligi possunt ac debent, nisi Messia F. Davidis. De hoc enim non de justis in genere, credunt Judæi, istum Gentibus omnibus devictis, earumque spoliis distributis, ac populo suo plenarie è captivitate liberato, ædificaturum templum profanatum, omnesque Gentes, pace in terris multiplicata, ad Dei deducturum cognitionem, omnibus ipsi obsequentibus observanter. Ita Maim. (m) עם יעמוד מלך מבית דוד ועשה והצליח ונצח כל האומות שסביביו ובנה מקדש במקומו וקבץ נדחי ישראל הרי זה משיח בודאי׃ Idem Maim. alibi (n) אמנם ימות המשיח הוא זמן שתשוב המלכות לישראל ויחזרו לארץ ישראל ויהיה אותו המלך גדול מאד ובית מלכותו בציון יגדל שמו וזכרו יהיה מלא הגוים יותר מן המלך שלמה וישלימו אותו כל האומו׳ ויעבדוהו כל הארצות לצדקו הגדול ולנפלאות שיהיו על ידו וכל מי שיקום עליו יאבדהו השם יתעלה וימסור אותן בידו׃ Cui consentit ex communi suffragio Rabbi Sal. F. Vergæ (o) his verbis: אמונתנו ואמונת כל יהודי שאם יבא אדם ויקבץ נדחי ישראל ויבנה מקדש וכל העמים יאספו אליו ויקרא כולם בשם אל אז נאמר כי הוא משיחנו׃ (p) Atqui ea omnia h. l. de capitis hujus Objecto enunciat Jonathan. Adducamus potiora, procedentes juxta ordinem versuum: quinto inquit: והוא יבני בית מקדשא דאתחל בחובנא אתמסר בעויתנא ובאולפניה שלמא יסגי עלנא׃ תקיפי עממיא כאמרא לנכסתא ימסר וכרחלה דקדם גזזא שתקא ולית לקבליה דפתח פומיה ממלל מלא׃ מיסורין ומפורענו יקריב גלותנא ופרישן דיתאבדן לנא ביומוהי מן יכול לאשתעאה ארי יעדי שולטן עממיא מארעא דישראל וימסר ית רשיעיא לגהנם וית עתירי נכסיא דאנסו במותא דאבדנא משעבוד עממיא ישזיב נפשהון יחזון בפרענות סנאיהון יסבעון מבזת מלכיהון׃ בחוכמתיה יזכי זכאין בדיל לשעבדא סגיאין לאוריתא׃ בכן אפלג ליה בזת עממין סגיאין וית נכסי כרכין תקיפי יפלג עדאה חלף דמסר למותא נפשיה וית מרודיא שעביד לאוריתא (q) Præterea ex adductis observare licet (3) de tali ipsum loqui subjecto, quod [*a*] impios damnare, & [*b*] alios justificare possit; atque in cujus diebus [*c*] innumera existant miracula: id quod de unoquoque pronunciare justo (ad mentem Judæorum spectato) nefas est dicere. De Messia autem F. Davidis singula & Scriptura & Ebræis testibus dicuntur verissime. De singulis unicum adducemus. De primo ita legitur in Pesikto Rabb. (r) אמר השטן לפניו הק״בה רבונו של עולם הראהו לי אמר לו בא וראה אותו וכיון שראה אותו נזדעזע ונפל על פניו ואמר בודאי זהו משיח שהוא עתיד להפיל לי ולכל שרי אומות העולם בגיהנם שני ובלע המות לנצח ומחה ה׳ אלהים דמעה מעל כל פנים׃ Alterum quod attinet, de eo ita loquitur ALSCHECH (s) citatus ab Excell. D. EDZARDO l. c. (t) הצדיקים יאמרו לו (למשיח) הנה אנו על שאנו צדיקים שם ה׳ נקרא עלינו אך גדול שמך משמינו כי מה שאנו צדיקים אתה הוא צדקנו שעל ידך אנו מושפעים שפע ליקרא דיקים ואם כן כל זכות הקרא אנו בשם ה׳ הוא בסיבתך כי אתה צדקינו׃ In 3. demonstrando operam suam nobis offert Abarb. adversarius alias nominis Christiani rigidissimus, qui in Esai. 11. (u) ita inquit: התואר והתנאי הששי הוא בענין הנסים והנפלאות שיעשה מלך המשיח כנגד הטבע כי מפני דבקותו בש״ית יעשה אותות ומופתים בשמים ובארץ וכבר נבא הנביא יואל שבזמן הגאולה תתרבה הנבואה והנסים בקרב הארץ שנ׳ והיה אחרי כן וגו׳ ונתתי מופתים בשמים ובארץ וגו׳ (w)

§. 9. Mente Jonathanis jam declarata, restat, ut etiam de ipsius apud Judæos autoritate & celebritate dicamus aliquid, ut constet, num ejus assensu commode contra dissentientes populares suos uti queamus, & quo cum successu. In Tractatu Talmudico מגילה (x) legimus: תרגום של נביאים יונתן בן עוזיאל אמרו מפי חגי זכריה ומלאכי וגו׳ i. e. *Translationem Prophetarum Jonathan F. Usiel eloquutus est ex ore Haggæi, Zachariæ, & Malachiæ.* Id sive literaliter intelligat Judæus, (quod vix crediderim), qs. amanuensis instar ex ore Prophetarum dictantium, ut Baruch recitante Jeremia c. 36: vers 4. seqq. suam conscripserit Versionem; sive quod illorum translatio tamdiu oretenus fuerit propagata, donec hic Jonathan scripto eam comprehenderit; utroque modo infallibilitatem ei concedant, necesse est. Quum de veritate sermonum illorum à Baruch conscriptorum nemo ambigat; neque illis de Traditionibus suis dubitare sinant supra memorata Doctorum monita. (2) Quanto hic reliquis omnibus fuit præstantior, tanto ejus doctrina verior. Atqui Talmudistarum celebriorum omnium &c. & quanto magis amplectenda erit, illis cum eo, ut jam vidimus, consentientibus? de Minore nos dubitare non sinit effatum Talmudicum (y), quod extat בבא בתרא in hanc sententiam: תנו רבנן שמוני׳ תלמידי׳ היו לו להלל הזקן שלשים מהם ראוים שתשרה עלהן שכינה כמשה רבינו שלשים מהם ראוים שתעמוד להן חמה כיהושע בן נון עשרים בנוניי׳ גדול שבכלן יונתן בן עוזיאל קטן שבכולן ר״ין בן (z) ׃ מאחר דקטן שבכולם כן גדול שבכולם על אחת כמה וכמה׃ id est, *Docuerunt Doctores nostri, octoginta discipulos fuisse Hilleli Seniori, quorum triginta digni fuerint, in quibus resideret Divina Majestas, ut in Mose, Doctore nostro. Triginta eorum digni habiti sunt, ut in commodum eorum Sol consisteret, ut Josuæ filio Nun. Viginti fuerunt intermedii. Maximus omnium fuit Jonathan F. Usiel; eorum autem minimus Rabban Jochanan, F. Saccaj. Jam cum omnium minimus tantus, quantus non erit omnium maximus?* (3) Quo quis magis in scribendo compositi animi est, eo certius assequitur veritatem; Atqui de Jonathane tradunt Talmudistæ (aa) בשעה שיושב ועוסק בתורה כל עוף שפורח עליו נשרף׃ *quod qua hora sederit, in lege occupatus, omnes ipsum prætervolantes aviculæ fuerint combustæ.* Quod ænigma in שבט יהודה (bb) ita solvitur: בשכל שכל דעת משובש הפורח בשכל היה נשרף כשהיה החכם ההוא עוסק בתירה ר״ל שהיה משיג האמת ודוחה השקר׃ *quod omnis sententia futilis, subvolans in intellectum exusta quasi fuerit, illo Sapiente Legi vacante, id est, quod veram scripturæ mentem sit assecutus, falsa rejecta.* (4) Ad cujus Expositionem loca controversa, & intellectu impossibilia diriguntur tuto, ac explicantur solide, illius expositio vera sit & infallibilis, necesse est. Atqui Judæis talis est Jonathanis. E. Minor elucescit tam ex respons. Jonathanis, Filiæ vocis data, approbataque à Talmudicis; quam ex illa Talmudis satis trita formula: אלמלא תרגומא דהאי קרא לא האי ידענא קאמר׃ *nisi Targum illius textus esset, nesciremus quid diceret.* Illa legitur במסכת מגילה his verbis (cc): יצתה בת קול ואמרה מי הוא זה שגילה סתריי לבני אדם עמד יונתן בן עוזיאל על רגליו ואמר אני הוא שגיליתי סתריך לבני אדם גלוי וידוע לפניך שלא לכבודי עשיתי ולא לכבוד אבא אלא לכבודך עשיתי שלא ירבו מחלוקו׳ בישראל׃ id est, *Exeunte Filia Vocis ac interrogante: quis ille est, qui manifestavit Arcana mea hominibus? erigens se Jonathan F. Usiel in pedes suos, respondit: Ego sum ille, qui revelavi mysteria tua hominibus. Manifeste notum est Tibi, quod non in meum honorem fecerim, neque in honorem Patris mei; sed ad Tuum honorem, ne multiplicarentur variæ expositiones in Israele.* His atque talibus Judæo demonstratis, velit nolit, acquiescat in Paraphraseos Expositione, ni omnem doctrinæ suæ machinam velit dirutam.

§. 10. Jam conferamus nos ad librum זהר, cujus tantam apud

(k) *In Esai. f.* ו״ע *cap. 4. l. 50. seqq.* (l) *l. c. f.* ט״ע *col. 1. l. 7, 8.* (m) הלכות מלכים *cap. 11. fol.* תש״סג *a. l. 25, 27. seqq.* (n) פירוש המשניות *Sanhed. fol. 120. col. 1. l. 27. seqq.* (o) שבט יהודה *fol. 52. 1. l. 17. seqq.* (p) *Conf. Talmud. Jerus.* ברכות *fol. 5. cap. 1. l. 23. Ed. Ven.* שבט יהודה *l. c. l. 20, 21.* (q) *Versionem per se facilem, quam angustia paginarum, cui leges nostræ nos adstringunt, non admittit, V. in Op. Angl. aut Theol. Jud. Huls. pag. 321. seqq.* (r) *Fol. 62. Edit. in quarto, citante Excell. & ultra Germaniæ fines merito suo Celeber. D. ESDRA EDZARDO, meo ultra biennium Præceptore quovis Obsequii cultu honorando. Conf. Antiq. in Jerem. 23. pag. 1. col. 1. l. 27, 28. col. 2. l. 11, 12.* (s) *In Jerem. fol. 91. col. 2.* (t) *Pag. 11. l. 13. seqq.* (u) *fol. 27. col. 4. l. 15. seqq. Edit. Amstel.*

(w) *Conf. Maimon.* פירוש המשניות *Sanhed. fol. 120. col. 1. l. 30.* (x) *Fol. 3. col. 1. l. 7, 8. in* שבט יהודה *fol. 52. 1. l. 15. dicitur scripsisse* ברוח הקודש *agitante Spiritu Sancto.* (y) *Fol.* קל״ד *1. l. 12. seqq.* (z) *Cujus admiranda ac stupenda eruditio latius recensetur ibi l. 16. 21. &* מסכת סופרים *cap. 16. hilc. 8. fol.* י״ג *col. 3. l. 19. seqq.* (aa) בבא בתרא *l. c. l. 22.* (bb) *Fol.* נ״ו *2. l. 15. cujus inveniendi ansam mihi præbuit Exc. Dn. DASSOV. P. P. meus hinc ante triennium Præceptor in his studiis meritissimus.* (cc) *Fol. 3. p. 1. l. 10. seqq.*

apud Judæos autoritatem propria (per DEI Gratiam) experientia didici, quantam vix ullius. Certe ad jam adducendum ex eo locum quidam magnæ eruditionis Judæus, illo aliquoties cum summa attentione perlecto, inter cadentes obmutuit lacrymas; quum propositis ipsi à me antea variis Scripturæ locis promte soleret respondere. Ipsa autem verba sunt seqq. (dd) בשעת' דאמרין ליה למשיח צערא דישראל בגלותהון ואינון חייבייא די בהו דלא מסתכלי' למנדע למריהון ארים קלא ובכי על אינון חייבייא דבהו ה"חד והוא מחולל מפשעינו מדוכא מעונותינו' תבין אינון נשמתין וקיימין באתרייהו' בגנתא דעדן אית היכלא חדא דאקרי היכלא דבני מרעין כדין משיח עאל בההוא היכלא וקארי כל מרעין כל כאבין כל יסוריהון דישראל ייתון' וכלהו אתיין עליה' (ee) ואלמלא דאיהו אקיל מעלייהו דיש' ונטיל עליה לא הוי בר נש דיכיל למסבל ייסוריהון דישר' על עונשי דאורייתא הה"ד אכן חליינו הוא נשא וגו' בגין דלית חושבנא לאינון ייסורין דקיימין עליה דבר נש בכל יומא וכלהו נחתן בעלמא בשעתא דאיתיהיבת אורייתא וכד הוו ישראל בארעא קדישא באינון פולחנין וקרבנין דהוו עבדי הוו מסלקים כל אינון מרעין ויסורין מעלמא' השתא משיח מסלק לון מבני עלמא עד דנפיק בר נש מהאי עלמא ומקבל עונשיה כמה דאתמר' id est, *Qua hora narrarunt Messiæ angustiam Israelis in eorum captivitate, illosque reos esse, quod inter ipsos, qui non animadvertant cognoscere Dominos suos; elata voce flevit ob peccatores istos, qui inter ipsos; hoc enim est, quod scriptum extat* (ff): Et ipse dolore fuit affectus ob prævaricationes nostras. *Post redeuntes animæ illæ in suis consistent locis. In horto Eden est palatium quoddam, dictum palatium ægrotorum; in quod ingrediens Messias, clamat: Omnes morbi, omnes dolores, omnes Israelitarum castigationes veniant: venerunt omnes super ipsum. Et nisi ipse allevatis ab Israelitis sibi imposuisset, nullus fuisset hominum, qui potuisset portare castigationes Israelitarum propter pœnas legis. Hoc est, quod scriptum est* (gg): Veruntamen morbos nostros ipse portavit *&c. Eo quod innumerabiles sint pœnæ, quæ constanter imminent filio hominis quotidie; quæ omnes descenderunt in hunc mundum, qua hora lex data fuit. Equidem existentibus Israelitis in terra sancta, per cultus istos & sacrificia, quæ fecerunt, abstulerunt omnes istos morbos, & castigationes ab hoc mundo. Hac hora Messias aufert eos à filiis hujus mundi, usque dum ex eo exeat homo, suscipitque pœnam illius, prout jam dictum est.*

§. 11. Habemus hic iterum bis citatum nostrum Esaiæ caput de Messia. Sed num de filio Davidis? puto, quod maxime. Si quidem (1) de eo hic agitur Messia, qui in horto Eden dicitur delitescere. Atqui ille Davidis Filius est (hh), quem tam anxie expectant Talmudistæ. Existimo enim omnino eandem hic recenseri historiam, (ut sunt Talmudicæ) quæ habetur (ii) במסכת סנהדרין, quam, quia præter commendationem nostri Autoris, & novum nobis de hoc capite præbet testimonium, non pœnitebit adscribere, hujus tenoris: ר' יהושע בן לוי אשכחיה לאליהו דהווי קיימי אפיתחא דמערתא דרבי שמעון בן יוחי אמר ליה אתינא לעלמא דאתי אמר ליה אם ירצה ארון הזה אמר ר' יהושע בו לוי שנים ראיתי וקול ג' שמעתי אמר ליה אימת אתי משיח אמר ליה זיל שייליה לדידיה והיכא יתיב אפיתחא דרומי ומאי סימניה יתיב ביני עניי סובלי חלאים וכולן שרו ואסירי בחד זימנא איהו שרי חדואתר חד אמר דלמא מיבעינא דלא איעכב אזל לגביה אמר ליה שלום עליך רבי ומורי אמר ליה שלום עליך בר ליואי אמר ליה לאימת אתי מר אמר ליה היום אתי לגבי אליהו אמר ליה מאי אמר לך אמר ליה שלום עליך בר ליואי אמר ליה אבטחך לך ולאבוך לעלמא דאתי' id est, *Rabbi Jehosua F. Levi incidit in Eliam stantem ad Ostium speluncæ Rabbi Simeonis F. Jochai, cui dixit* (kk): *Egone venturus ero in futurum seculum? qui, si Dominus iste voluerit, respondit. Dixerat Rabbi Jehosua F. Levi, duobus tantum visis, trium audivi vocem. Interroganti tum illi, quando Messias venturus sit, respondit: Abi rogaturus id illum ipsum. Sed ubinam? sedet ad portam, Romam versus.* [*Glossa margin. lib.* 13. *f.* לא כפתח רומי ממש אלא גן עדן הוא כנגד כל העולם וקאמר ליה דבאותו צד של גן עדן שכנגד פתח רומי משיח שרוי id est, *non in porta Romæ proprie sic dicta; sed Paradisus dicitur respectu totius mundi. Dixit itaque ei, quod in isto Paradisi latere, quod ex adverso sit portæ Romanæ, habitet Messias.*] *Sed quodnam ejus signum? Sedet inter pauperes, morbis oneratos,* [Glossa (ll) ad voces סובלי חלאים notat: מנוגעים והוא נמי מנוגע דכתיב והוא מחולל מפשעינו וכתיב וחליינו הוא נשא: id est, *plaga affectos; & ipse quoque affectus est plagis, juxta id, quod scriptum est* (mm): Atque ipse vulneratus est ob prævaricationes nostras; *iterumque scriptum est* (nn): Et morbos nostros ipse portavit.] *Omnibus autem solventibus ac obligantibus simul, ipse uno soluto, idem obligat, dicens: ne forte quæsitus, in mora siem. Iste abiens ad eum, dixit ei: Pax Tibi, Domine mi, ac Doctor mi! qui respondit: Pax tibi sit, fili Levi! regerenti ipsi: quando venturus est Dominus, respondit: Hodie. Qui reversus ad Eliam, rogatus: quid dixit tibi? respondit: Pax (dixit) super te sit, fili Levi. Cui Elias: promisit tibi & Patri tuo seculum futurum.* Davidis hic Fil. indigitari, non modo tota affirmat pagina, toties ingeminando (oo) voces בן דוד; sed & potestas, quæ ei adscribitur, nim. vitæ æternæ concessio, cuicunque voluerit. Elias quæsitus propria autoritate nihil audet promittere, sed respondet: si Domiuus ille [Glossa marg. שכינה (pp) per quam optime intelligit Rabbi BECHAI (qq) הכבוד, inquiens: אשרה בו הכבוד שהוא שכינה & mox: לבאר כי הכבוד היה שם שהוא השכינה' Evidentiora hæc erunt, si conf. ABEN-ESRA qui (rr) האדון inquit הוא הכבוד הוא מלאך הברית' & KIMCHI (ss) qui ad l. c. האדון ait: הוא מלך המשיח והוא מלאך הברית] voluerit, simulque ad Messiam eum remittit; cujus responsionem illi datam ita etiam explicat, ut sibi suoque Parenti vitam æternam promissam cognosceret. Quis autem hanc potestatem unquam tribueret filio Josephi? num hic major dicatur Elia? (2.) De eo loquitur זוהר, qui plus valeat, quam ullus hominum. Id quod iterum de Josephi Fil. intelligi nequit. Quum hoc non tantum Messiam Fil. Davidis; sed & Patres statuant majores. (3.) De eo loquitur, qui suppressos suis sublevavit Israelitas oneribus. Id quod iterum Josephi filio non competit; quum hic ipse propriis dicitur oneribus succumbere. E. de filio Davidis.

(dd) *In* שמות *col.* ש"עט *lib.* 48. *seqq. Edit. Lubl. in fol.* (ee) *col.* שף *lib.* 1. *seqq.* (ff) *Esai:* 53. 5. (gg) *Esai.* 53: 4. (hh) *Vid.* שבט יהודה *fol.* 50. 2. *lib.* 4. *fol. Edit. Amstel.* (ii) *fol.* 98. *pag.* 1. *lib.* 28. *seqq.*

(kk) *De qua vide in* שברת *fol.* ל"ג *b. lib.* 26. *seqq.* (ll) *l. c. lib.* 10. *fin. seqq.* (mm) *Esai.* 53: 5. (nn) *l. c. vers.* 4. (oo) *Vid. lib.* 9, 11, 13, 15, 21, 36. (pp) *Conf. Proverb.* 8: 12. *coll. Joh.* 1: 14. *Apoc.* 21. *vers.* 3. (qq) *cit. Buxtorf. L. T. col.* 2398. (rr) *Bibl. Buxtorf. fol.* תש"ה *col.* 1. *lib.* 8. 7. *fol.* (ss) *ibid. fol.* תר"צד *b. lib.* 4. 3. *fol.*

ALB. CLINGII DISSERTATIO De Offilegio circa fepulchrum Chrifti ad Efai. LIII: 9.

ע״ש

OSSILEGIUM CIRCA SEPULCHRUM CHRISTI

Ex Efaiæ cap. LIII: verf. 9.

CAPUT I.

Exhibens Textum Authenticum cum nonnullis verfionibus hic conferendis.

Textus Authenticus:

ויתן את־רשעים קברו ואת־עשיר במתיו:

V. LXX.

Καὶ δώσω τοὺς πονηροὺς ἀντὶ τῆς ταφῆς αὐτοῦ, καὶ τοὺς πλουσίους ἀντὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ.

V. V.

Et dabit impios pro fepultura & divitem pro morte fua.

Targ. Jonath.

וְיִמְסַר יָת רַשִׁיעַיָא לְגֵיהִנָם וְיָת עַתִירֵי נִכְסַיָא דַאֲנַסוּ בְמוֹתָא דְאַבְדָנָא׃

Et tradet impios in gehennam, & divites fubftantiis qui vim attulerunt, morte exitiofa.

V. Syr.

ܝܗܒ ܪ̈ܫܝܥܐ ܠܩܒܪܗ ܘܥܬܝܪܐ ܒܡܘܬܗ܀

Contribuit impius ad fepulcrum ejus & dives ad mortem ipfius.

V. Arab.

واجازي الاشرار عوض دفنه والاغنيا عوض موته

At rependam iniquis pro fepultura ejus & divitibus pro morte ipfius.

CAPUT II.

THESIS I.

GEntem Judaicam, cui DEUS non fine fingulari providentia τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ commifit, pro Suorum condendis exuviis haud parum follicitam, fumtus fæpe circa fepulcra plus jufto feciffe, teftantur non una vice hiftoriæ, afferentes, quod folita fuerit integras m. petras ac rupes, quas magna copia regio Hierofolymitana inprimis offerebat, perfodere, ibidemque cavernam quatuor cubitorum fupra fex i. e. ut colligit *Cafaub.* Exerc. 16. cont. *Baronium*, n. 98. longam fex, latam vero quatuor cubitos excifam ita diftinguere, ut octo vel tredecim excavata conditoria pro fingulis corporibus reponendis unaquæque familia poffederit. Conf. *Cafaub.* l. c. *Gerh.* in Harm. Evang. cap. 6. Magnif. D. D. *Quenftedt.* elegantem Tr. De Veter. fepultura.

THESIS II.

Iccirco uti fumme gloriofum erat, imo non improbabile κειμήλιον æternæ falutis acceptæ, ut pro *Salomone*, Regum in toto hoc univerfo fapientiffimo, loquuntur Quidam Eruditorum, Patrum inferri fepulcris, ac cum illis unam eandemque catholicam poffe expectare refurrectionem corporis: ita *Jojakim Jofiæ* filii & Regis Judæ fortunam experiri inter dedecora vitæ haut ultimum erat. Jer. 22: 19. conf. *Rambam* de ftatu Synedr. cap. 14. ut & *Rabbi David Kimchi* verba in 1 Reg. 11: 30. ubi inter alia clare docet, offa morte violenta affectorum demum, carne alibi confumta, Patrum demandata fuiffe fepulcris. Magnif. *Dn. D. Deutfchm.* pec. difp. de fepult. Chrift. §. IX.

THESIS III.

Quæ fingula, fi circa Chrifti fepulcrum examinantur, nos facile docent Providentiam divinam omnino fuper corpore filii Dei demortuo vigilaffe, ne vinculo naturali rupto privaretur triduana in corde terræ quiete feu fepulcro, cui juxta decretum divinum illud citra periculum fubfecuturi fœtoris erat inferendum; cogitaverat equidem populus Judaicus, Chrifti Salvatoris noftri hoftes ἀσπονδοι, jamjam de inftituenda corporis abjectione, militibus illud traditurus, ne fcilicet terræ mandaretur, fed cum reliquis maleficiorum corporibus in terra aëri iniquo, beftiis ac avibus in cibum relinqueretur; verum enim vero cogitaverant; corpus enim non minus his quam *Jofepho* Arimathæo tradebatur, qui extra urbem, part. ob nitorem & fanitatem, part. ne contaminarentur, *Menoch.* ad Matth. 8: 28. *Druf.* præt. l. 1. ad Matth. 27: 7. tunc temporis in horto ad occidentem, non procul à loco erectæ crucis fito, fepulcrum fuum magnis fumtibus excidendum curaverat. Et fic omnino fcriptura ad utrumque fuit impleta, dicens: ויתן את־רשעים קברו ואת־עשיר במתיו Efaiæ l. c. *& dedit impiis fepulcrum ejus & diviti poft mortes ejus.*

THESIS IV.

Circa quæ verba offilegium *bono cum Deo* inftituturi, *totum hoc* cap. cit. Efaiæ, inter alia, *fplendidum aliquod exinanitionis Chrifti, qua paffionem, mortem & fepulturam vaticinium effe* præfupponimus, uti non minus D. D. *Chriftianos* hinc & hinc citand. quam ipfos Talmudiftas, quorum auctoritatem ne quidem in dubium, teftibus *Rabbi Sal.* ad Ecclef. 12: 12. *Abarb.* פירוש התירה fol. קפ״ח col. 1. l. 20. feqq. Edit. Ven. &c. vocare Judæi hodie audent, confentientes habemus in Talm. cap. XI. במסכת כנהדרין fol. 98. 2. l. 23. feqq.

רבנן

ורבנן אמרי חיוורא דבי רבי שמו שני אכן חליינו הוא נשא ומכאובינו סבלם ואנחנו חשבנוהו נגוע מוכה אלהים ומעונה: i.e. *sed D D. dixerunt: percussus è familia Magnatum, est nomen ipsius* (Messiæ, cujus in anteced. fit mentio) *quia dicitur* (Esaiæ 53:4.) *certe morbos nostros ipse portavit, & dolores nostros bajulavit ipsissimos, atque nos æstimavimus ipsum* נגוע מוכה אלהים *atque afflictum.* Et cum proximam forte sedem à *Talmude* adsignent Judæi libro רבות statim aliquod ex eo testimonium huic *Talmudico* adjungam, quod legitur רות רבתי fol. 46. cap. 4. l. 11. f. text. Ed. *Amstel.* sequentibus verbis: ד"א מדבר במלך משיח· גשי הלום קרובי למלכות· ואכלת מן הלחם זו לחמה של מלכות· וטבלת פתך בחומץ אלו חייסורין שני והוא מחולל מפשעינו: i.e. *Expositio alia. Loquitur de Rege Messia. Accede huc i.e. appropinqua ad regnum, ut comedas de isto pane, qui est panis regni, & intingas portionem tuam in acetum, istæ sunt castigationes, quia dicitur: atque ipse dolore affectus est ob prævaricationes nostras.* Καὶ μὴν δὴ ταῦτα. Et quis vellet credere, Prophetam in hac exinanitionis descriptione Messiæ omisisse sepulturam, quæ hoc loco per vocem קברו alia inter ab eo indicatur. Designat autem vox hæc Ebr. ejusmodi locum proprie, ubi exanime quoddam quiescit corpus, uti & hoc loco sumitur contra *Calvinum, Marlor. Scultetum*, aliosque, ut infra audiemus, qui per קבר à קבר metaphoricum intellectum volunt sepulcrum, ita ut notet eine Vergrabung oder Verscharrung des Elendes und der Schmach/ so einem hart anlieget.

THESIS V.

Quo autem clariora & planiora dicti hujus verba qua etymologiam & seorsim considerata lucent, eo acrius qua σύνταξιν & orationis complexum exercent Interpp. ita ut quidam insignes Philologi & Theologi haut veriti ingenue confiteri se incertos esse, quæ mens Prophetæ, hincque melius τὸ ἐπέχειν apprehendere, quam falsa adserere, conf. B. *Geier.* Disp. in loc. Esa. & ex eo *Alvar.* h. l. Quidam dationis *Subjectum* in verbo נתן latens, Deum percutientem, vs. 5, 11. ut *Calvinus*, vel ipsum Messiam propter scelera & peccata populi vulneratum à Deo atque percussum, ut *Joh. Tarnov.* constituunt; Alii plane relicto populo ad totam S. S. Trinitatem recurrunt, quia datio hæc donum est, opusque ad extra ideoque indivisum, hunc in modum: Et dedit, vel impersonaliter juxta versionem Genevensem & Belgicam, datum est à Patre vel Messia ipso, aut S. S. Trinitatis collegio &c. Verum enim vero quia nulla harum explicationum difficultate ac obscuritate careat, planiorque sine omni ferme detorsione Textus de populo fluat, utpote cujus mentio immediate præcessit (נגע למו plaga, dicente Propheta, erit illis &c.) dicimus optime verba de illo intelligi, literamque Vau nullo modo vel pleonastice vel copulative hic, uti alias adsolet, sumi, sed esse notam αἰτιολογικὴν, seu causalem, ita ut populus ideo plaga fuerit afficiendus, ויתן, quia (conf. de hujus particulæ causalitate Gen. 2: 29. 20: 3. 30: 27. Psal. 60: 12. & 108: 13.) dederat in cogitatione sua militibus, de quibus infra, sepulchrum Christi, i. e. insepultum omnino relinqueretur corpus ejus, datum dein præter spem & Eventum diviti, postquam omnia consummata &c. Et hæc verbi hujus Emphasis in sacris non est infrequens, quando inter alia *tanquam actionem*, juxta *Glass.* Gramm. Sac. Can. XI. de verbo, *effectumque notans de permissione seu concessione ejus quandoque intelligendum est*, ut rem ex multis confirmat Gen. 31: 7. Exod. 12: 23. ut & Psalm. 16: 10. ubi Messias causam redditurus de carnis suæ quiete in hæc verba erumpit. לא־תתן non dabis, seu concedes denn du schon darauff gedacht/ ne sanctus, seu Filius tuus ἀναμάρτητος videat, vel sentiat corruptionem in sepulchro, fieretque cadaver, conf. vers. 9. & res circa nostrum Textum fiet clarissima. Et cur conclusisset Propheta vers. 9. tam emphaticis verbis de Christi ἀναμαρτησίᾳ, nisi rationem redditurus, cur populi plaga futura, quia scilicet, non contentus Messiam excidisse è terra viventium, & simul cum impiis latronibus cruci affixisse, tanto scelere circa sepulchrum sese inquinaverat, corpus Christi non tam diviti, quam impiis traditurus. לא inquit Propheta, injustitia remota, מרמה בפי nullus dolus in ore ejus post mortem scilicet, inventus fuit. Quæ singula ex historia passionis ad oculum patent, ipseque Centurio cum reliqua turba eorum, qui simul accesserant ad spectaculum illud, custodiendumque Jesum crucifixum & viderant, quæ contingebant, rem confirmat, quando Deum glorificans, reversus ad populum adstantem, nec non militem dixit: ὄντως, ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν. Luc. 23: vers. 47: 48.

THESIS VI.

Quod vero nunc attinet voculam את subjacet illa non minus quam plurimis explicationibus, ita ut etiam inter omnes ferme Interpp. vix duo aut tres in ea exponenda conspirent. Sed videbimus. LXX. Græci, nec non *Jonath.* Targ. agnovere illam ut notam casus Accusativi, quando Ebræa καὶ δώσω τοὺς πονηροὺς vel וימסר ית רשיעיא reddidere. Pro עם, ut legitur Genes. 5: 22. (בדחלתא דיי *Targ.*) Exod. 1: 1. Esai. 23: vers. 17. 28: 15. 40: 14. & alibi, conf. *Glass.* Grammat. S. de præposit. את *Buxtorf.* Thesaur. Gramm. lib. 2. cap. 12. pag. 457. posuere *Vatablus & Pagninus*, ut observant B. *Geier.* l. c. & Magnif. Dn. D. *Calovius* Bibl. illustr. h. l. hincque *Osiander*: *Et dabitur cum impiis sepultura ejus & cum divitibus in morte ejus* i. e. *morietur & sepelietur non aliter atque quisquam impius vel dives, qui aliis suas facultates &c.* conf. *Luth.* Gloss. marg. B. *Joh. Tarnovii* expositionem h. l. nec non *Cram.* Schol. Prophet. p. 363. Per locum autem, quo Christi corpus eandem cum maleficis fortunam experiri debuit, laudati Auctores montem Calvariæ, ubi de noxiis ac damnatis carnifices supplicium sumere solebant, hincque *Golgotha* sive Schädelstet/ quod ibidem multa essent crania, nominatus, intelligunt; Alii denique, tanquam tertii casus notam, vocabulum hoc pro אל vel ejus vicario ל positum esse adserunt, quomodo *Buxtorf.* in Lexic. Ebr. Chald. sub h. v. Thes. Gramm. Ebr. cap. 12. reg. 1. pag. 657. nec non h. l. *Forsterus, Cloppenb. Junius & Piscator* &c. in Sacris recurrere ajunt. Loca autem in rem à nobis evoluta sunt alia inter ex multis sequentia. Genes. 7: 9. 8: 21. 27: 40. 29: 15. Exod. 23: 25. 33: 19. Lev. 13: 49. 16: 15. Num. 22: 6, 11, 12. Judic. 11: 20. 1 Reg. 2: 18. 13: 4. 31. 2 Reg. 18: 19. 22: 14. 3 Reg. 1: 15. 6: 21, 31. Job. 2: 14. 26: 4. Psal. 29: 11. Jer. 20: 15. Ezech. 44: vers. 11. Mal. 2: 2. &c. Ex quibus nunc facile colligendum, quale significatum nobis placeat, scilicet esse voculam את h. l. Dativi notam, quicquid etiam de regula illa Grammatica, quod Artic. את sequens verba, Dativum requirentia, sit nota Dativi pro אל, habendum sit, cum enim fundamento destituatur, meam non facio, contentus ejusmodi me adduxisse loca, in quibus veritas ad oculum patet & ostenditur, quid de reliquorum assertis sentiendum. Provoco ad censuram sententiæ, utpote quæ nec contra fidei analogiam, nec eventui contraria: Scimus enim sine detorsione Textus Christi corpus, à Josepho terræ mandatum, gentilibus custodiendum à Judæis alia intercessisse, imo illos sepulturæ interfuisse, ut hinc non male LXX. Vulg. nec non Arabs voces ejusmodi adhibuerint, quæ sepulturæ indicant curam.

THESIS VII.

Gentes itaque sunt illi רשעים, (à rad. רשע quod ratione etymi ac proprie irrequietum esse notat, semperque, observante Förstero, culpam importat,) sive impii, quibus tanquam Romanis militibus corpus Christi tum ad interficiendum, tum sepeliendum custodiendumque primum fuit traditum, licet à Josepho aliisque hominibus piis exsecutio qua sepulturam peracta fuerit, ut infra de divite audiemus. Vocantur autem milites h. l. impii, quia, natione gentiles, nomineque impiorum, Actor. 2: 23. imo peccatorum, Gal. 2: 15. olim appellati tam crudeliter cum Christo patiente egerunt, ut vermis & non homo visus etiam pessimis, qui alias in piorum periculis oculos pascere consueverunt. Uti enim improbi alias semper eo omnes animi nervos intendunt, quo cogitationibus, ore & opere piis noceant, & aquæ instar turbidæ modo hoc, modo illo effluant malo, vel ut *Aben-Esra* cit. *B. Wellero* Comm. in cap. 53. Esai. loquitur, non permanent במתכנת אחת in eadem constitutione: ita etiam hos, qui gentiles erant & Christum crucifixerunt, irrequietos vel maxime fuisse unicuique ex historia passionis patet, quando unus cum altero nequitia, aut in cruciatibus excogitandis decertavit quasi. Et licet juxta alios h. l. concretum pro abstracto non sine emphasi, qua mortis & passionis Christi fructum, positum esse dici possit, ut vult *Glass.* Gramm. S. Can. 2. de nom. *Bernhard Ziegl.* genere non minus, quam Theologico-Philologica eruditione insignis Vir, ac Lipsiæ Prof. P. hunc in modum Text. nostrum reddens: Messias ist arm gestorben/ daß er uns reich mache/ und hat unser gottlos Wesen in sein Grab verschorren oder verschlossen. *B. Wellerus* l. c. pag. 78. qua sensum: *Christus non solum peccata nostra in sepulchrum suum abdidit, ne nos* &c. conf. *Bibl. Vinar.* h. l. & *B. Geier.* disp. cit. §. 23. Verum quod attinet horum

Viro-

Virorum sententias respondemus ac dicimus, (1) non esse, ut h. l. ob emphasin statuamus tropum, cum juxta *Lutheri* assertum Tom. 3. Jen. de serv. arbitr. p. 195. *nullus tropus in ullo loco scripturæ admittendus, nisi id cogat circumstantia verborum evidens, & absurditas rei manifeste in aliquem fidei articulum peccans, sed ubique inhærendum simplici, puraque & naturali verborum significationi, quam Grammatica & usus loquendi habet.* (2) Si abstractum pro concreto ratione significationis h. l. assumendum esset, vel unica Versio cardinalis illud ipsum vertendo expressisset, quod tamen non est factum, ut ex omnium inductione patet. Chald. ut quædam adferamus, habet ית רשיעיא Syrus, cui non parum fidei tum ob antiquitatem, tum haut improbabilem convenientiam cum Textu Ebr. tribuimus, ܠܪ̈ܫܝܥܐ Arabs الاشرار &c. (3) Res eodem redit, nec quicquam piis meditationibus, quas hic fovent Eruditi, decedit, sive dicamus juxta fontes, Judæos Sepulcrum Christi militibus tradidisse, sive Christum nostra peccata secum in sepulcro ad nostri salutem quasi consepeliisse, effectus manet idem. Confer Theologos, & videbis, quod peccata nostra submersa & in sepulcro obsignata consepelitio spiritualis in renatis, nec non sepulcrorum nostrorum consecrationem peractam excipiat nostri vivificatio, quicquid etiam de verbis Prophetæ sentiant Interpp.

THESIS VIII.

Explicato etiam receptionis subjecto nempe militum, considerandum sese offert res exhibita, quam Spiritus S. nomine קרבו exprimit nilque aliud indicat, quam sepulcrum proprie ita dictum, ut parag. IV. supra audivimus, Versionesque, de quibus paulo post, ut & haut pauci Interpp. nobiscum sentiunt, licet quidam sint, qui vocem Synechdochice, ut *Junius & Cramerus* Schol. Proph. cit. p. 363. sumere suadent, ita ut insimul passio antegressa & subsecuta mors hic veniant includenda, dicendumque militibus non minus vivum Christi corpus, quam mortuum traditum fuisse à Judæis. LXX. insuper reddidere vocem Ebr. per ταφῆς, quod sepulturam notat à θάπτω sepelio, usurpaturque Matth. 27:7. de illo loco, qui consilio Pharisæorum & Sacerdotum inito pro argenteis à Juda proditore in templo abjectis emtus, vocatusque ager figuli propter portam figulorum. conf. *Dilh.* Eccl. Sacr. dict. 3. pag. 103. cessit peregrinis in sepulcrum. Versio porro Syriaca Textum Ebr. Arabica contra V. LXX. sequitur, nec non Vulgata. *Targum. Jon.* vertit לגהנם in Gehennam, sive rectius Gehennæ tradet impios, respectum sine dubio habens cum *Reim. Martino* in pugion. fid. pag. 430. ad infernum, qui per Metaphoram in Sacr. Gehenna appellatur (α) propter acerbitatem & fletum, quia in valle Hinnomi, possessoris nomine הנום & גיא sic dicta, Israëlitæ idololatræ, more Amonitarum, solebant olim per ignem inaudita quadam immanitate infantes traducere, (an tantum ad februandum juxta Rabb. & salutem infantum disquiritur. conf. *Seld.* de diis Syr. Edit. Jenens. Syntagm. l. c. VI. p. 189. *Kircher.* in Oedip. Ægypt. in Pantheo, *Gerlach.* heilige Ascher-Mittwoche c. 3. th. 2.) & Molocho, cum septem cameris juxta *Jalkut* R. *Simeon* & *Kimchi* nec non delineationem *Kircheri* l. c. exstructo, offerre idolo 4. Reg. 23: 10. unde etiam non solum locus alia inter תפת ob tympana, ne parentes aut alii puerorum ejulatus, candentibus idoli brachiis, ex ære factis, impositorum audirent, pulsata motaque appellabatur, sed etiam infernus Gehenna ignis τοῦ πυρὸς ignis seu ignita, Matth. cap. 5: 22. audit. (β) propter horrorem & fœditatem, quia locus ille citatus stercorum cadaverumque ibidem abjectorum gravi anhelitu dein dehonestatus, ipsoque rerum adspectu horribilis inferni squalorem & cruciatum teste ac interprete infallibili Christo repræsentabat. conf. *Casp. Sanct.* Comment. ad Esai. 5: 14. & Actor. 1: 19. & collige ex dictis, quantam lucem non capiat Marc. cap. 9: 48. ubi & ignis, qualis erat in isto loco propter sacra Molochi & vermium, quibus cadavera scatebant, fit mentio. Sed ἅλις μὲν δὴ τούτων. Pergo ad alterum dicti hemistichion, quod ita habet: ואת־עשיר במתיו &c.

THESIS IX.

Cum autem in superioribus dictum sit verbum נתן respectum habere ad populum, quilibet nunc videt illud hic loci omnino ἀπὸ κοινοῦ repetendum esse, ita ut non minus milites ratione sepulturæ & custodiæ, licet qua illam res aliter ceciderit, quam Josephus ratione sepulturæ tantum corpus Christi exanime acceperint. Est itaque עשיר hic, divitem alias notans & ab עשר descendens, 2. Sam. 12: 1, 2. seq. Psal. 45: 13. Eccles. 10: 6. non Gubernator, seu Pilatus, ut vult *Piscator* & *Junius*, voxque sumitur Eccl. cit. vs. 20. illamque accedens מלך explicat, multo minus Judæi juxta *Augustinum* & citat. *Corn. à Lapide*, sed Josephus Arimatheensis, cui Pilatus corpus Christi, à Judæis jamjam ex concessis Joh. 19: 31. de cruce sumendum & à militibus cum reliquis duobus, quæ adhuc viva atque de cruce jam sublata in terra ossifragio necabantur, tollendum, oder weg zu schaffen / sepeliendum permisit, ne remanerent in cruce sabbatho corpora juxta interdictum Domini, Deuter. 21: 23. quod magnus erat dies, Joh. cit. Et huic viro pio ac diviti, ut expresse ab Euangelista appellatur, adjunxit sese Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte (πρῶτον prima duntaxat vice) ferens mixturam myrrhæ & aloës ad libras ferme centum, h. e. centum obolis ægineticis comparatam. Notat enim ἡ λίτρα præter significationem libræ ut ponderis, certum etiam numismatis genus, quod obolus vocatur ægineticus, ut hoc observat B. *Schmidt.* in animadv. ad N. T. in Johann. cap. 5: vs. 39. Et si de centenario pondere (hundert Pfund) sumeretur vocabulum λίτρας, qui tot libræ unguenti (ein gantzer Centner) in unum corpus unguendum insumi, Nicodemusque tantum pondus, quod hic de eo dicitur, ferre potuisset? Attulit vero hic vir hanc mixturam nulla alia de causa, quam ut corpus acceptum, linteis involutum aromatibusque inunctum Josephi sepulcro simul cum aliis ejus Amicis ac sectatoribus reconderet & quidem juxta Judæorum mortuos sepeliendi morem, de quo quædam haut plane inutilia hic recensere, temporis, dicti ac memoriæ Christi inprimis ratione sic exigente, non erit, ut spero, ingratum.

THESIS X.

Ægroto scilicet animam exhalante Judæi adstantes (α) inter alia vestes suas lacerabant, conf. *Buxt.* Lex. Talmud. pag. 2146. synag. Jud. c. 35: 49. *Wilhelm. Schick.* in משפט המלך s. jure reg. Ebræor. c. 6. th. 19. p. 135. quo Judæorum mentem ex *Maimonidis* Hal. Ebhel. init. c. 8. exponit, B. *Geieri* versionem in aureo de L. E. tr. cap. 22. §. 17. nec non Excell. Dn. Röhrenseen optime de ritu scindendi vestes disserentem in disp. quadam olim hic habita. (β) oculis mortui compressis, (ut & mortem esse somnium, aut ei simillimam indicarent & caverent, ne horror aliquis circumstantibus oboriatur, cum terribile sit cum apertis oculis mortuum adspicere) ore, membrisque reliquis ad pristinam naturalemque corporis formam compositis lavabunt illud, ablutumque (γ) inungebant, de quibus utrisque conf. R. M. B. Maim. V. 2. op. tr. de L. E. cap. 4. th. I. &c. Fuit autem insuper triplex in primis apud Judæos, qui ritum hunc ex Ægypto Palæstinæ intulisse videntur *Kirchm.* lib. 1. c. 8. p. 60. unctionis corporum causa (1) *physica*, ut putredo & fœtor à corpore diutius arceretur, (2) *civilis*, quia hic honor honoratis inprimis & Regio stemmate prognatis exhibebatur, hinc, ut *Cic.* scribit, *cautum erat lege, ne servi in funere ungerentur*, conf. LL. XII. *Tabb. servilem uncturam prohibentes* & qui primus omnium erat nominandus, Magnif. Dn. D. *Quenstedt* copiose & ut solet, summo cum judicio accurateque hac de re disserentem cap. V. pag. 80. de sepult. Vet. Denique (3) *mystica*, ut scilicet esset testificatio fidei de corporum resurrectione, ἀφθαρσίαςque futuræ symbolum. (δ) tandem facie sudario obtecta, corpore vestibus induto, pedibusque ac manibus fasciis sepulcralibus revolutis mortuum terræ, omnium matri, demandabant. Et hæc singula, exceptis vestium & laceratione & induitione, à Josepho, Nicodemo, aliisque inprimis sexus fœminei, observata fuisse ex vita non minus consuetudine, quam amore ac observantia erga Christum, ex Euangelistis ὀφθαλμοφανερῶς patet.

THESIS XI.

Ut autem tandem concludamus, dicimus, ultimam vocem במתיו nullo modo posse reddi: Christum posuisse cum divite mausoléa sua, ut esset vox hæc juxta *Oecolamp. Forsterum*, *Mercerum* in Lex. Pagn. *Schmidt*, *Helvic.* vind. loc. V. Test. p. 255. *Rivetum.* h. l. à במה excelsum esse. Obstat enim huic interpretationi analogia vocis Grammatica, ut Philologus noster *Sennertus* Philol. Exercit. ἐπ. exercit. V. th. VIII. p. 57. rectissime contra sententiæ hujus amatores observat, notumque insuper ex Concord. vocem במות excelsa XXII. vicibus in sacris cum Kamez & non cum Scheva, uti h. l. affixis etiam & regimine accedentibus occurrere, conf. Theologum nostrum *Seniorem* in Bibl. illust. h. l. fol. 2696. nec non *Hacksp.* h. l. in notis

in notis Philol. Theolog. &c. Multo autem minus hic infinitivus exsculpi potest juxta *Schnepf. in mori ipsum*, *seu*, *dum moreretur*, cum suffixum h. l. sit nominale, non verbale, & legendum כְּמוֹתוֹ, vid. Numer. 33: 39. Deuter. 34: 7. & lege Grammaticos. Ut nihil dicam de corruptione, quam tamen hoc asserto Interpp. hi introducere haut verentur, conf. *Corn. à Lapide* & *Musc.* h. l. Est itaque eorum sententia optima, qui dicunt esse vocem hanc plural. num. cum suff. nom. à sing. מורת constr. מות Mors, hinc abjecta term. plur. masc. & accedente suffixo fit במתיו in mortibus suis; seu rectius post mortes ejus. Pluralis autem h. l. adhibetur præter calamitates varias, Ezech. 28: 10. nulla alia de causa, quam ut partim Judæorum vel centum mortibus haut contentorum, ἄσπονδον & insatiabile, post mortem etiam Christi, odium indicetur, partim, quod magis placet, quia Christus morte sua omnium hominum mortes, ratione acquisitionis, morte sua æternum expiavit & ex asse persolvit, quod non rapuerat, Psal. 69: 6. nullam enim iniquitatem fecerat, neque dolus in ore ejus fuit, ut versum nostrum Christi Patruelis claudit rationem dans, quam inique circa Christi sepulcrum agere Apellæ sibi proposuissent, illud non soli Josepho primum, sed etiam militibus committentes, ostendentesque, se etiam post mortem, qua alias in vivis pastus livor quiescit, noluisse per omnia Christi innocentiam, suamque ac propriam mentis perversitatem salutariter agnoscere, atque hanc insuper illa sibi applicata omnibus modis detestari.

THESIS XII.

Et sic collegimus, auxiliante Deo, circa Christi sepulcrum ossa veræ sententiæ, si non per omnia qua dignitatem, modo qua utilitatem, veritatem & memoriam Jesu Christi, Salvatoris ac Intercessoris nostri æterni. *Dedit* itaque seu *concessit* (populus Judaicus) *& improbis* (militibus juxta eorum livorem & mentem nequissimam) *sepulcrum ejus* (Christi, jam pro omnium hominum peccatis, morte æterna luendis, demortui,) *& diviti* (Josepho & sociis) *post mortem ejus*, partim ut sepeliretur, partim usque ad tertium diem obsignato lapide muniretur, ne quando venirent discipuli &c. Matth. cap. 27: 64. sed ô stultitiam! Christus, cujus mortem & sepulcrum pie jam meditamur, vivit regnabitque, impiis interim in lacu infernali cum divite Epulone & diabolis vel centum, sed frustra, mortes quærentibus, cum electis in æternum, cui sit cum Patre & Spiritu S. laus, honor & gloria in secula.

BRAND. HENR. GEBHARDI

STERILIS SIONIS PER CHRISTUM FACTA VISITATIO ad Esai. LXVI: 7.

ה״ לע״ ה״

יה׳ נעם יהוה אלהינו ומעשה ידינו כונוה עלינו ומעשה ידינו כוננהו אכ״יר:

Textus, quem discursui nostro substernimus, est versus 7. cap. 66. Esaiæ.

בטרם תחיל ילדה בטרם יבא חבל לה והמליטה וכר:

Cum nondum parturiet, peperit, cum nondum invadet dolor eam, jam posuit marem.

§. 1.



Quod in proposito textu de improprie dicta generatione sermo sit, Judæi nobiscum æquo animo fatentur. Quæstio itaque est, utrum de politica an Ecclesiastica generatione vaticinium loquatur. Illam Judæi agnoscunt: neque enim aliter possunt, siquidem salvas volunt esse suas de secularitate imperii Messiani hypotheses. De Ecclesiastica vero generatione recte exponunt Nostrates, Novi Testamenti splendore collustrati. Eandem amplectuntur nonnulli Judæorum, ii præsertim qui allegoricis expositionibus delectantur, in quos illud Hesiodi commode usurpes,

Πολλάκι καὶ κηπουρὸς ἀνὴρ μάλα καίρια εἶπε.

Nam quanquam ridiculas ipsorum allegorias non multum moramur, tamen cum in iis interdum inveniamus, quod Virgilius in Ennii stercore, non inanem omnino laborem esse arbitramur, quem in ruspandis ipsorum fimetis sumimus, dummodo quasdam inveniamus margaritas, quas cum proximo communicare possimus.

2. Atque ut ordine in evolvendo textu progrediamur, primo Parentes inquirimus. Mater est ZION STERILIS, *vs.* 8. conf. *cap.* 54: 1. sive JERUSALEM. Eam subjecti loco ponendam hic esse, affirmat Kimchi ממשיל ירושלם לאם וישראל לבנים *comparat Solymam cum Matre*, *Israëlem cum Filiis*. Idem sentiunt R. Salomon, AbenEsra, Abarbenel. Satis bene, nisi politicam intelligerent Matrem, aut Metropolin, quam Hierosolymam Messiæ tempore fore autumant. Medr. Till. *Psal.* 36. §. 4. עתיד ירושלם להעשות מטרופולין לכל הגוים *Tempore Messiæ fiet Jerusalem metropolis omnium gentium.* Quo in sensu metropoli suæ etiam politicæ filiæ tribuuntur. vid. *Jos. cap.* 15. *versu potissimum* 45. Latini colonias dicunt. Sic & nomen Virginis urbi dari nondum occupatæ docet Benmelech in Michl. J. *in cap.* 23. *Esai.* קורא העיר בתולה קודם שיכבשוה ותהיה ברשות אחר כי היא כבתולה קודם בואה לרשות בעל *Vocatur civitas Virgo antequam subjugetur & in alius Domini veniat potestatem. Dum urbs expers est alieni dominii, vocatur virgo.* Ita Sion 2. *Reg.* 19: 21. ita Judaica politia *Thr.* 1: 15. vocantur virgines, quia nondum passa Dominum peregrinum. Eodem modo Virgo Israëlis dicitur cecidisse, nunquam resurrectura *Amos.* 5: 2. nimirum politico modo, cum interea spiritualis surrectio & instauratio ipsi non denegetur, *cap.* 9: 14, 15. Ex quibus liquet, non infrequens esse politiam in Scripturis vocari Matrem, quæ quando tranquillum tenet imperium & felici rerum successu utitur, dicitur נוה ומענגה *decora & delicata*, *Jer.* 6: 2. aut filios parere, cum fines dominii sui dilatat: sterilis vero esse, cum civibus exhauritur. vid. *Esai.* 23: 4.

3. Verum in hoc politico sensu Sion hoc loco non sumitur, utpote quæ modo politico nunquam instauranda est, *Daniel.* 9: 26, 27. (conf. Dn. M. Rosenovii, Senioris Acad. nostræ Venerandi, *Tractatum de* 70. *hebd.* §. 84.) cujus tam sceptro quam sacris & in hoc capite Esaiano prædicitur interitus, *cap.* 4: 6. quæque ab isto suo excidio ad hoc usque tempus in perpetuis jacuit ruinis. Sed intelligitur mystica Jerusalem, cœtus sanctorum, varia persecutione ante πανολεθρίαν Solymæam pressus, sub imagine externæ civitatis & hic & alibi sæpius à DEO propositus. Hæc enim cum ante excidium à CHRISTO esset visitata ac singulari spiritus gratia fœcundata

cundata per annunciationem Evangelii Mater totius terrarum orbis fuit facta. Hunc mysticum respectum Judæi in rebus agnoscunt quam plurimis. Sic Terra Canaan præfigurat Ecclesiam, Ir Gibb. *fol.* 113. *cap.* 3. הצדיקים נקראו ארץ חפץ על דרך שנ' ואתם תהיו לי ארץ חפץ *Justi vocantur Terra, uti patet ex* Mal. 3: vs. 12. *Vos eritis terra oblectationis.* Eandem figuram præfert Sanctuarium; id quod Judæi more Cabbalistico huic symbolo involverunt ממקדשי תחלו דרשו רז"ל אל תקרי מִמִּקְדָּשִׁי אלא מְמֻקָּדָּשַׁי *Quod exstat* Ezech. 9: 6. *Mimmikdaschi, à Sanctuario meo incipite, Cabbalistæ legunt, Mimmekyddaschai, à Sanctis meis* vid. Ir Gibb. *pag.* 89. *cap.* 1. Non secus & Jerusalem & Sion externæ, internæ & Spiritualis politiæ umbram gesserunt. Latere hanc mysticam significationem in irregulari punctatione vocis יְרוּשָׁלַםִ censet Bechai *fol.* 188. *cap.* 4. זהו סוד הלשון בשם ירושלם המורה על שנים כלשון עינים אזנים וכיוצא בהם ואות יוד שחסר הוא בירת המקדש של מעלה *Mysterium est in punctatione vocis Jeruschalaim. Dualitatem enim significat, ut Ænaim duos oculos, Osnaim duas aures & i. g. a. Jod, quod deficit, innuit Sanctuarium superius.* Habet punctationem Dualis, quanquam in se duale non sit, cum ם pertineat ad vocis literas radicales.

4. Sic & per Sionem veros fideles mystice intelligi manifestum est ex hoc loco Autoris Ir Gibb. *fol.* 123. 2. כי בחר בציון היינו באבות שהיו מצוינים במצות וזהו שאמר אוה למושב לו כי האבות הן המרכבה *Cum dicitur* Psalm. 132: vers. 13. *Quia elegit DEUS Sionem, intelliguntur Patres (Mezujanim) signati præceptis. Idem quod porro dicitur: Appetit sibi in habitationem, Patres respicit, qui sunt DEI currus.* Apparet utrumque locum de fidelibus Ecclesiæ membris expositum esse, in quibus DEUS habitat *Joh.* 14: 23. tanquam in templo, 1 *Cor.* 3: *vers.* 16. Ex quibus apparet, non rejicere Judæos distinctionem, quæ est inter ארץ של מעלה & ארץ של מטה inter משכן של מעלה & משכן של מטה inter ציון וירושלם של מעלה של מטה inter מקדש של מעלה & של מטה *Terram superiorem & inferiorem. Tabernaculum & Sanctuarium superius & inferius, Zionem & Solymam superiorem & inferiorem*, ac proinde tanto æquius ferre posse eandem distinctionem à Paulo usurpari *in Ep. ad Gal.* 4: *vers.* 25, 26. ex quo loco noster textus non parum potest accipere lucis. Distinguit ibi inter τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ Hierosolymam, quæ tunc aliquam adhuc politiæ formam habebat, conformatam ad ceremoniales & forenses leges Mosaicas, *servientem*, vers. 25. *genitam ex ancilla*, vs. 25. *secundum carnem*, vs. 29. *maritum habentem*, vs. 27. *persecutricem*, vs. 29. *non venturam in partem hæreditatis æternæ*, vs. 30. Et inter τῇ ἄνω Ἱερουσαλὴμ *superiorem Solymam*, cœtum fidelium in Judæis superstitum. *Matrem conversarum gentium*, vers. 26. confer verba textus: *liberam ex libera*, vers. 26, 30. *genitam spiritualiter*, vs. 27. *sterilem, persecutione pressam*, vs. 29. *hæredem*, vs. 30. Cum autem certum sit dari superiorem Solymam, eamque à Propheta intelligi: eadem vero duplex sit, vel triumphans, vel militans, ex contextu porro non difficulter patescit, utra intelligatur. Ac primo quidem extra dubium est, non intelligi arcem Sionis, sed incolas. Dicitur enim in textu patere. Porro, non typicos incolas, qui tum aliquam adhuc sceptri partem tenebant: Ii enim his, quos Propheta consolatur, opponuntur, tanquam pessimi hypocritæ *vs.* 5. ex opere operato salutem aucupante *vs.* 3. non præscripto sed invento cultu DEUM afficientes *vs.* 4. Sed antitypicos, eosque non triumphantis Ecclesiæ, cujus non est parere amplius *Luc.* 16: 29, 30, 31. Sed militantis: dicuntur enim ἐν φόβῳ ἢ τρόμῳ audire verba DEI *vs.* 5. persecutionem pati à suis fratribus secundum carnem, *vs.* 5. nempe invisibilem illam veram Ecclesiam ex Apostolis & paucis fidelibus constantem, quæ per prædicationem Euangelii tot gentes postea regeneravit.

5. Hujus figuram gerebat שרה העקרה *Sterilis Sara* ἡ ἐλεύθερα, ut testatur Paulus *Gal.* 4: *vs.* 22. Eandem agnoscunt Judæi teste Aut. Ir. Gibb. *fol.* 49. *cap.* 2. עקרותם של אברהם ושרה היא רמז לעקרותה של ציון שנ' הביטו אל אברהם אביכם ואל שרה תחוללכם כי אחד קראתיו ואברכהו וארבהו כי נחם ה' את ציון וגו' פי' שאעפ"י שקראתיו אחד ע"ד יש אחד ואין שני גם בן ואח אין לו ואעפכ"י וארבהו אחר כך ולמה כי נחם ה' את ציון כלומר שיהיה סימן לציון: *Sterilitas Abrahæ & Saræ figura fuit sterilitatis Sionis quod patet ex* Esai. 51: 2. *Respicite ad Abraham Patrem vestrum, & Saram generatricem vestram. Unum ipsum vocaveram, benedicebam autem ipsi, multiplicavique ipsum: nam misertus est Dominus Sionis, &c. Sensus est: Etiamsi vocaveram ipsum tanquam unum individuum, cui nec secundus, nec filius, nec frater, ut* Eccles. 4: 8. *tamen multiplicavi ipsum postea; At quare? quia misertus est DEUS Sionis; q. d. ut ipse figura esset Sionis.* Similia ferme habentur *fol.* 124. *c.* 2. כמו שאלו העקרות נפקדו כמי כן הקב"ה לעתיד יפקוד את ציון העקרה כד"א רני עקרה לא ילדה *Quemadmodum steriles illæ Matriarchæ visitatæ sunt: Sic DEUS in plenitudine temporis visitabit sterilem Sionem, ut dicitur* Esai. 54: 1. *Canta sterilis, quæ non peperisti.* Cæterum Judæis apostatis blandum nomen Sionis ad se placet transferre. Pessime vero: neque enim in illos cadere potest, sive vocem sumas politice, sive mystice. Non, si politice, pro republica labefactata. Sic enim vel ii dicerentur SION STERILIS, qui vixerunt ante vastationem Solymæ, vel qui post eam. At non in illos quadrat nomen: Sequeretur enim Sionem jamdudum politico modo instauratam esse. Debuit enim impleri vaticinium eo tempore quo adhuc vigebant sacrificia, *vers.* 3, 4. quo templum adhuc & urbs stabant *vs.* 6. Nam priusquam Solyma vastetur, promittitur ipsi sobolis multiplicatio, *vs.* 7. conf. §. 13. Neque in hos, qui ab excidio ad hoc usque tempus passim exulant. Quia enim externa politia Sionitica post Vespasiani & Adriani victorias jam plane cessat, Judæique ex urbe Hierosolyma & arce Sione in omnes terrarum angulos dispersi sine Rege sine Principe misere serviunt, quomodo Sionis nomen sustinebunt, cum Sion, si politice spectetur, nihil aliud sit, quam Respublica secundum Leges Mosaicas instituta umbram ferens spiritualis politiæ Messianæ? Quæ quidem umbra dudum evanuit, postquam corpus exhibitum. Non enim terminus *Sterilis* est alienans sed imminuens tantum, notans concussam & labefactatam politiam. Alias sequeretur eam appellationem Ecclesiæ dari non posse, quæ quanquam obscuretur interdum, nunquam tamen desinit esse Ecclesia. Porro appellatio Sionis in ipsos cadere non potest, si vocem sumas mystice pro cœtu Sanctorum. Ipsimet enim ingenue fatentur nullos Justos aut Sanctos hodie inter ipsos esse superstites. Medr. Till. *Psal.* 31. §. 1. בשעה שישראל נכנסין לבתי כנסיות ואומרים לפני הקב"ה גאול אותנו אומר להם יש צדיקים ביניכם ויראי שמים והם אומרים לשעבר בימי אבותינו בימי משה ואהרן בימי שאול ודוד היו בהם צדיקים אבל עכשיו מפני עונותינו נאספו ממנו שנ' מפני הרעה נאסף צדיק *Cum Judæi ingrediuntur suas Synagogas fusisque precibus redemtionem suam exoptant: Interrogat ipsos DEUS, an dentur inter ipsos justi an DEI timentes? Respondent illi: Olim Patrum nostrorum ætate, Mosis, Aharonis, Saulis, Davidis fuerunt in Israële justi: at nunc propter peccata nostra sunt sublati à nobis, ut dicitur* Esai. 57: 1. *Propter malum tollitur justus.* Cum ergo nomen STERILIS SIONIS neque hodiernæ Judæorum colluviei, neque iis qui ante Solymæ excidium partem sceptri tenuere, tribuere possimus, reliquum est, ut illud cum Paulo ad cœtum Apostolorum referamus, matrem spiritualem tam Judæorum quam Gentium, *Gal.* 4: 26.

6. Matris hujus sponsus, ex quo soboles suscipienda, est JEHOVA. Ir Gibb. *fol.* 124. *cap.* 2. בזמן שתהיה נפקדת ציון העקרה לא ימסור הקב"ה הדבר ביד שליח כי הוא בעצמו ובכבודו יהיה נפרע מהם שנ' פורה דרכתי לבדי *Cum visitanda erit sterilis Sion, non committet DEUS negotium ministro, sed ipsemet in gloria sua vindictam capiet ab ipsis ut dicitur Torcular calcari solus*, Esai. 63: 3. Idem nimirum, qui Saram sterilem, Sionis typum, visitaverat *Gen.* 21: 1. Id enim non obscure innuit Propheta *vs.* 9. האני אשביר ולא אוליד *Num ego qui tot Matribus sterilibus pariendi facultatem concessi non concederem sterili Sioni meæ facultatem regenerandarum gentium?* Si inspicimus *cap.* 18. *Gen.* in quo Saræ sterili filius promittitur, invenimus vocem JEHOVA personaliter sumi, non essentialiter. Qui enim ibi Saræ filium promittit, est Jehova Angelus, ut patet ex collatione *vs.* 1, 2, 3, 9, 10, 13, 14. Legatus autem DEUS supponit Legantem DEUM ejusdem essentiæ, ejusdemque majestatis. Porro cum Angeli appellatio neque Patri, neque Spiritui S. in Sacra Scriptura tribuatur, manifestum est secundam divinitatis personam intelligi. Veteres Judæi posuerunt huic Angelo nomen שכינה i. e. *habitatio.* Propterea fecisse auguror, ut significarent ipsum aliquando σκηνώσειν *Joh.* 1: 14. *habitaturum esse in corpore organico tanquam* ἐν σκηνῇ *aut* במשכן *in tabernaculo.* Tabernaculum Mosis & templum talem inhabitationem præfigurarunt, *Joh.* 2: *vers.* 19. *Col.* 2: 9. Cum autem eadem persona visitatura sit Sionem sterilem, quæ Saram visitaverat, videmus quæ persona in nostro textu intelligatur, nempe Secunda, Filius DEI, Angelus Fœderis, venturus אל היכלו *in templum suum Mal.* 3: *vs.* 1. Quo in loco Judæi Messiam haut inviti agnoscunt. Hoc forte respectu antiquiores Schechinam vocarunt אב המון גוים ואב אחד לכלנו *Patrem multarum gentium & Patrem omnium nostrum*, Ir *fol.* 49. *cap.* 3. ut & Abraham typum tulisse Messiæ videretur, quemadmodum Sara Sionis. Hoc respectu Psal-

Psalmum 45. de spirituali CHRISTI conjugio agentem de Schechina interpretantur, quem alii de Messia exponunt. Ir *fol.* 45. *col.* 1. הוצק חן בשפתותיך דרשו ר"זל מקרא זה על השכינה והקב"ה נותן מחן שלו להמתהלכים לפניו בתמים ש"ן חן וכבוד יתן יהוה להולכים בתמים *Quod est* in Psal. 45: 3. *Funditur gratia in labris tuis: Antiqui explicuerunt de Schechina. DEUS enim est qui dat de gratia sua* (Johann. 1: 16. χάριν ἀντὶ χάριτος) *iis qui ambulant coram ipso in integritate, uti dicitur* Psalmo 84: 12. *Gratiam & gloriam dabit DEUS iis qui ambulant in integritate.* Kimchi eundem explicat *de Rege Messia* והשגל שהיאהמלכה היא על מלך המשיח המשל על כנסת ישראל שתהיה גבירה על כל אומות ואמר שמעי בת לכל אומה ואומה שלא יעשו אלא רצון מלך המשיח כי הוא אדון לכלם *Conjux* vers. 10. *quæ est Regina, mystice notat Ecclesiam Israeliticam, quæ AUGUSTA erit omnium gentium. Dicit autem* vers. 9. *Audi filia de omnibus & singulis nationibus, innuens, eas imperia Messiæ lubentissime executuras, utpote qui erit omnium gentium Dominus.* Quod si itaque Judæus Judæo non contradicit, ut asserit Bechai *fol.* 42. *cap.* 2. *lin.* 8. *a. fin.* Schechina erit Messias.

7. Ex hoc sponso prolem suscipiet sterilis Sion. ילדה *peperit* המליטה זכר *posuit marem.* Phrasis desumta ab avibus ut *cap.* 34: 15. de merula usurpatur. Utraque vox de generatione mystica loquitur. Judæis politica acceptio magis placet. Tribuum ex omnibus terrarum angulis recollectionem innui asserunt. Reliquorum nomine loquatur Raschi, cujus hæc sunt verba יתקבצו בנים לתוכה אשר היתה שוממה מהם ושכולה והרי הוא כאלו ילדתן עכשיו בלא חבלי יולדה כי כל האומות יביאום לתוכה *Congregabuntur filii in media Solyma, quibus antea fuerat exhausta atque orbata. Ita quidem speciem præbebit ac si eos peperisset sine doloribus puerperii. Omnes enim gentes eos in mediam Solymam adducent.* Verum, ut solent, umbras captant Iudæi. Corporale regnum ipsis nuspiam promissum est, sed tantum sub corporeis figuris spirituale regimen propositum. Si per partum reductio tribuum est intelligenda, eam jam factam esse oportet, quia quod hic sterili Sioni promittitur, debuit impleri antequam vastaretur Solyma vid. §. 13. Mysticam certe generationem intelligi necesse est, sive conversionem tam gentium quam Israëlitarum apostatarum, quæ per prædicationem Apostolorum fieri debebat. Ejusmodi mysticam generationem cum alibi concedant Iudæi, quid est, quod hic nolint admittere? Ir *fol.* 46. *cap.* 3. *fin.* זהו שאר"זל ואעשך לגוי גדול וכאן אי אתה זוכה לבנים היינו להכניס הבריות תחת כנפי השכינה שהוא כאלו ילדם שלמדו מהנפש אשר עשו בחרן וגלוי היה לפניו שלא יוכל עוד להכניס תחת כנפי השכינה לפי כך צוה לו לטלטלו מורה בין אנשים צדיקים המקבלים תוכחה *Hoc est quod dicunt Rabbini nostri, felicis memoriæ, ad verba: Et faciam te in gentem magnam* cap. 12. Genes. vers. 1, 2. *Hic non poteris gignere filios, id est homines convertere & sub alas Schechinæ congregare* (Matth. 23: 37.) *hoc enim idem est ac si eos genuisset, quemadmodum docent nostri ex verbis* vers. 5. cap. 12. Genes. *Et animas, quas fecerunt in Charan. Sciebat ipse quod non posset plures ad veram Ecclesiam adducere, propterea jubebatur in exilium abire ad homines justos, redargutionis patientes.* Uti regenerationem, sic etiam secundam creationem statuunt. Medr. Till. *in Psalm.* 102. *fin.* תכתב זאת לדור אחרון וכי עדין אומה עתידה להבראות שהוא אומר ועם נברא אמר ר' יוסי ברבי שמעון זה הדור של מרדכי שנברא בריה חדשה ורבנן אמרי אלו הדורות שהן כמתים במעשיהם ובאין ומתפללין בראש השנה וביום כפורים ואתה בורא אותן בריה חדשה: *Scribatur hoc in generationem posteram* (sunt verba Psalmi 102: 19.) *& populum adhuc creandum. An vero creandus adhuc est aliquis populus, qui hoc loco intendatur? Dicit Rabbi Josi autoritate Rabbi Simeonis, quod intelligatur ætas Mordechai, quæ creata est nova creatura. Rabbini autem dicunt intelligi illos, qui sunt quasi mortui in operibus suis & veniunt & adorant coram te in principio novi anni, & die expiationis, & Tu creas eos novam creaturam.*

8. Soboles quæ partu hoc spirituali excluditur, dicitur זכר Vox masculum notat. Vocem זכר adhiberi propterea ait Kimchi *in h. l.* כי הוא טוב וחזק מן הנקבה ובו ישמחו יולדיו יותר מן הנקבה כן יהיה אותו הדור שתהיה להם הישועה *quod masculus plerumque validior est fœmella, eoque magis gaudent Parentes quam puella. Talem etiam fore illam generationem, quibus ventura salus.* Profert hoc Iudæus ex præconcepta de secularitate imperii Messiani opinione. Interim concedere possumus quod ad fortitudinem promissæ sobolis respectus habeatur, non quidem in corporeo bello sed spirituali manifestandam. In quo infirmiores cum fœminis comparantur: si vero qui desideriis suis resistunt, cum viris mascule pugnantibus Ir *fol.* 22. *cap.* 2. בזמן שהאדם מתגבר על יצרו אז הוא נקרא איש כאר"זל אשרי איש ירא ה' וכי איש ולא אשה אלא אשרי המתגבר על יצרו כאיש אבל ברשעים הוא אומר נשתה גבורתם היו לנשים *Cum homo resistit cupiditatibus suis, vocatur Vir, uti dicunt Rabbini nostri f. m. ad verba* Psal. 112: 1. *Beatus vir qui timet Dominum. Quare dicit Vir, non vero mulier? ad innuendum eum esse beatum qui in oppugnandis & compescendis cupiditatibus suis virum se gerit. Contra de improbis dicitur* Jerem. 51: 30. *Luxata est fortitudo eorum, facti sunt fœminæ.* Hoc sensu si sumitur vox זכר non excludit fœminas, uti alias etiam בן tam late usurpari solet teste Abarban. *in Esai.* 49: 15. האשה היא נקבה ומבנים אשר תוליד מהם נקבות *Virago fœmina est, & sic ex FILIIS quos parit quidam sunt fœminæ.*

9. Cum manifestum, sermonem hic esse de generatione mystica, facile apparet, quinam filii intelligantur. Proselyti sunt, qui tam ex Judæis quam Gentibus ad cœtum Apostolicum erant accessuri. Illi enim dicuntur Quasimodogeniti Jalk. chad. *fol.* 53. *col.* 4. גר שנתגייר כקטון שנולד דמי *Proselytus qui convertitur similis est puero recens genito.* Ib. *pag.* 141. *cap.* 2. לעת"ד לבא יביאו האומות כמנחה למשיח בני ציון הנולדים שם וה"ה לחצפים לראותה דומים כמי שנולדו: *Futuro tempore afferent Gentes munera Messiæ, Filii illi Sionis, qui ibi sunt renati, juxta illud quod dici solet: Qui desiderant Solymam videre similes sunt iis, qui nascuntur.* Ir *fol.* 19. *col.* 3. בעל תשובה צריך להתדמות כאלו היום נולד *Qui pœnitentiam agit animum inducere debet, quod eo ipso die sit natus.* Est dictum Rabbinorum usu tritum & frequenter allegatum. *f.* 69. *col.* 3. nonnihil mutatum affert בערת שמתגיירין הרי הן דומין לתינוק המתחיל לכנס תחת עול התורה *Cum convertuntur proselyti similes sunt puellis, qui sub jugum Legis incipiunt succedere.* Iidem vocantur etiam nova Creatura 2. *Cor.* 5: 17. *Gal.* 6: 15. Medr. Till. *Psalm.* 18. §. 2. מי שמוחלין לו עונותיו נעשה בריה חדשה *Cui remissa sunt peccata sua, illa est nova creatura factus.*

10. Quandoquidem vero plerique Judæorum oblatam ab Apostolis adoptionem malitiose spreverunt, nullum dubium est, quin per prolem, quæ hic ex Sione nascitura dicitur potissimum intelligendæ sint Gentes quas loco rejectorum Judæorum DEUS in fidem accepit. Qualis gentium accessio jam olim promissa erat Abrahamo, *Genes.* 12: 3. *cap.* 13: 16. *cap.* 16: 5. ad quæ loca ita commentantur Judæi Jalk. chad. *f.* 54. *cap.* 1. רמז והתברכו ונברכו ורמז והיה זרעך כעפר הארץ הכל רמז לגרים *Cum dicitur & benedicent sibi; Et benedicentur; & erit semen tuum sicut pulvis terræ, omnibus his promissionibus innuitur proselytorum accessio.* Confer *Rom.* 4: 18. εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν κατὰ τὸ εἰρημένον· Οὕτως ἔσαι τὸ σπέρμα σε. Benedictio nonnisi per Messiæ meritum gentibus acquiri poterat, qui propterea *Ps.* 21: 6. dicitur positus ברכות *benedictiones* teste Autore Schochar Thobh. *in h. l.* תשיתהו ברכות לעד והתברכו בו כל גוים פי' זהו תשיתהו ברכות *Ponis ipsum benedictiones i. e. quod dicitur* Psal. 72: 17. *Et benedicentur in eo omnes gentes.* Utrumque Psalmum de Messia agere largiuntur Judæi, vide *loc. all.* ut & Kimch. Et quid mirum gentibus pro Judæis talem benedictionem obtigisse, cum ipsæ Messiam acceperint, quem Judæi repudiabant. Id quod non obscure ipsi Judæi fatentur ולא קם כמשה עוד נביא בישראל אבל באומות קם וחשיב שם *Non surrexit amplius in Israele Propheta qui Mosi fuisset similis: at in gentibus surrexit, & inter eas fuit æstimatus.* Ita illud de Christo Propheta vaticinium prolatum *Deuter.* 32: 10. explicatur in Jalk. chad. *p.* 137. *cap.* 1.

11. Ut autem Gentes per conversionem membra Ecclesiæ veræ Israëliticæ fiunt, ita & nomen & dignitatem Israëlitarum verorum DEUS ipsis assignat כל שנתגייר לשמו של הקב"ה אמר הקב"ה הרי הוא שקול עלו באחד מישראל שן' הקהל הקהל אחת וג"ו ולא עוד אלא ששקול עלי כלוי שן' ובא הלוי וגו" אמר משה רבש"ע הגר הזה הוא כלוי א"ל גדול הוא לפני שנתגייר לשמי ראה כמה טובות עשיתי לישראל עד שלא קבלו תורתי וזה בא מעצמו לכך שקול הוא עלו כישראל וכלוי *Quicunque fit proselytus ob nomen DEI, de eo dicit DEUS: Sane ille tanti à me æstimatur, quanti unus ex Israele, ut dicitur* Numer. 15: 15. *Turba, una lex &c. Imo quanti Levita,* Deut. 14: 29. *Et venit Levita &c. Dixit Moses: Domine mundi, tantine erit proselytus, quanti Levita? Respondit DEUS. Certe magni à me habetur, quia propter nomen meum proselytus factus. Perpende, quanta beneficia præstiti Israelitis, cum tamen illi vix receperint meas leges. Hic autem sua sponte accedit: Propterea hic tanti mihi est quanti Israel aut Levita.* vid. Jalk. chad. *p.* 54. *c.* 4.

12. Proin-

12. Proinde ut nomen cum Israëlitis ita & Patrem communem habent Abrahamum, cujus filii sunt non quidem *κατὰ σάρκα*, sed *καὶ ἐπαγγελίαν* Gal. 3: 29. Sic Pater Proselytorum dicitur Jalk. chad. *p.* 54. *c.* 4. אביהם כי אב המון גוים נתתיך שהוא למפרע ר"ת נג"ה שהיה אב לגרים: *Abraham dicitur, quod Pater multarum gentium sit constitutus. Quæ verba in Hebr. textu quoad literas initiales si eas ordine retrogrado legeris efficiunt* נגה splendor, *quo innuere volunt ipsum esse Patrem Proselytorum.* Nempe non dicitur Pater eorum ratione naturalis generationis, sed ratione spiritualis, eo quod est אב לכל הבאים אחריו באמונתו Michl. Joph. *in cap.* 2. *Malach.* Pater omnium *τῶν στοιχούντων τοῖς ἴχνεσιν τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ πίστεως αὐτοῦ.* Ut Paulus loquitur *Rom.* 4: 12. Unde etiam vocatur שורש האמונה וראש כל המיחדים *Radix fidei & omnium unum verum DEUM credentium* Bech. *fol.* 27. *col.* 1. ולכך לא מל אברהם עד צ"ט שנה שלא תנעול דלת בפני גרים הבאים *Ac propterea non circumcisus est Abraham usque dum natus esset 99. annos, ne præcluderet januam proselytis venientibus.* Jalk. chad. *l. c.* Confer *Rom.* 4: 9, 10, 11, 12.

13. Quod Ecclesia Apostolica gentes sit regeneratura, videmus. Additur in textu aliqua determinatio, quæ adhuc excutienda est. Est autem hæc, quod paritura sit בטרם תחיל *antequam parturiat.* Improprie hoc sumendum esse res ipsa docet, uti ex dictis constat. Est autem locutio tropica de gravissimis periculis usurpari solita. Sic *Esai.* 37: 3. באו בנים עד משבר ואין כח ללידה *filii venerunt ad os matricis & vis non adest ad partum*, Hiskias inquit cum à Rabsake obsideretur. vide & *Psalm.* 48: 7. *Esai.* 13: 8. *cap.* 42: 14. *cap.* 49: *vers.* 24. *Mich.* 4: 9, 10. Quod de quibuslibet doloribus ac periculis vox sit accipienda docet phrasis addita בטרם יבא חבל לה *antequam ipsi veniat dolor.* Dubium autem est, utrum per hanc determinationem modus aut tempus partus innuatur. Kimchi putat innui celerrimam pariendi rationem, utrobique explicans per פתאום *celeriter.* AbenEsra putat dolores partus hac particula excludi, dicens idem esse quod בלי טורח *sine dolore.* Sic & Rabbi Salomon. Verum hæc sententia omnes dolores ac pericula excludit, quod tamen non permittit textus. Urgemus contra ipsos propriam significationem particulæ בטרם *antequam*, quæ rem non plane negat, sed aliquod temporis spacium ipsi profert. Omnino itaque videtur determinari tempus partus, quod videlicet Ecclesia non paucos ex gentibus & barbaris per verbum sit regeneratura priusquam incidat in gravissimas illas persecutiones, quas Christus ipsi imminere prædixerat, tum quando ipse perpessurus esset mortem, ut *Johann.* 16: 21. tum post eam, & potissimum appropinquante obsidione Solymæa *Luc. c.* 21: *vers.* 20. & *Matth.* 24: 8. Atque ita dictum hoc videtur esse *ὀξύμωρον*, & prima fronte sibi repugnare, ut tamen si tropus vocum rite sit evolutus, nihil ipso sit jucundius. Confirmat hanc expositionem paraphrastes qui reddit עד דלא ייתי זוע חרבנא *antequam venerit commotio excidii.* Sic & Christus prædixit Apostolis suis *Marc.* 13: 8, 9. *ἔσονται λιμοὶ καὶ ταραχαί· ἀρχὴ ὠδίνων ταῦτα.*

14. Quod si vero jam ante vastationem Solymæ factum est regenerandarum gentium initium, necesse est Messiam tanquam sponsum sterilis Sionis, jam ante excidium Solymæ fuisse exhibitum. Non enim parere eos potuisset, nisi per hunc sponsum suum fuisset fœcundata. Largiuntur hoc antiquiores Judæi teste AbenEsra *in cap.* 53. *Esai.* qui ita scribit ad v. א'מרו קדמונינו ז"ל כי ביום שחרב בית המקדש נולד משיח *Dixere Veteres f. m. quod eo tempore quo vastata est domus secunda jam fuerit natus Messias.* Imo tot jam signa Judæorum oculis obversantur, quæ tempus nativitatis Messianæ præteriisse uno ore clamant, ut propterea multi ipsorum dubii ac suspensi teneantur, nescientes quid de tempore adv. Mess. amplius statuere debeant. Kimchi sæpius exclamat כמה הגיע זמנו *quoties tempus ipsius advenit!* Raschi culpam tarditatis ipsius conjicit in nostra peccata dum *in cap.* 11. Sanhedr. ad verba Eliæ scribit: ומאחרי שני אלפים תורה היה דינו שנולד מלך המשיח ומעונותינו יצאו מהם מה שיצאו *Post duo millia annorum legis Messiam nasci necesse fuisset, at propter nostra peccata, quæ multa sunt, tot anni elapsi sunt.* Abarbanel distinguit inter tempus nativitatis ejus, & tempus revelationis. Illud præteriisse concedit, hoc adhuc imminere מי ידע אם נולד משיחי אז ונתכסה ממנו הגאולה עד עת בא דברו יתברך *Quis scit forte jam natus est Messias, redemtio autem adhuc supprimitur, donec veniat verbum DEI benedicendi;* vide ipsum *in cap.* 2. *Hos.* Alias nota est apud ipsum distinctio inter tempus אפשרי & tempus מיגבל illud, cum per pœnitentiam tempus constitutum potest præverti. Hoc, quod à DEO constitutum. vid. Abarban. *in cap. Es.* 55: *vers.* 6. *cap.* 60: 22. *cap.* 61: 11. Quam doctrinam his Esaiæ verbis *cap.* 6: 12. imprimere voluerunt זכו בעתה אחישנה inquiunt, *si digni fuerint* אחישנה *accelerabo illud tempus.* לא זכו בעתה *sin minus, suo constituto semel tempore redemtionem exhibebo.* Tempus autem illud soli DEO esse notum. vid. Ir Gibb. *p.* 49. *c.* 4.

15. Verum enimvero talem distinctionem non novit Scriptura. Imo nihil magis adversatur textui nostro quam ineptum hoc dogma. Si enim Messias ex Sponsa sua gignere debuit filios jam ante vastationem Solymæ certe non tantum natus erit, sed & revelatus per operationes suas ob quas in mundum missus. Et si per opus regenerationis suæ gentibus jam ante excidium debuit innotescere, quomodo Judæis potuisset occultari, in quibus ipse natus, educatus, in quibus docuit, miracula patravit? Enimvero Chaldæus interpres diserte fatetur Messiam jam ante excidium Solymæ fuisse revelatum עד דלא ייתי עקא תתפרקו עד לא ייתי זוע חרבנא איתגלי משיחא *Antequam veniat angustia, ipsi redimentur, antequam veniat commotio excidii, revelabit se MESSIAS.* Ita hunc locum, quem jam nonnihil mutatum invenimus in Bibliis Buxtorfianis, ex Talmude adduxit Hieronymus quidam conversus Judæus, in Schebh. Jehud. *pag.* 52. *cap.* 1. Cum itaque diserte dicatur quod ante excidium Solymæ jam sit revelatus Messias, miram vero hodiernam Judæorum impudentiam quod autoritati Jonathanis obloqui non erubescant, quem tamen tradunt שהוא רוח הקודש *quod ex divina inspiratione scripserit.* Ib. Accedit quod Rabbi Haccohen scribit adducente Abarban. *in Zachar. cap.* 10: 8. כל הנבואות נתקיימו בבית שני *omnia vaticinia impleta sunt cum adhuc staret domus secunda.* Eundem testatur sequi AbenEsram. Ib. Uterque profecto magni nominis Rabbini quibus obloqui nefas. Jam vero כל הנביאים לא נתנבאים אלא בימות מלך ה"מ *omnes Prophetæ primario de Messia vaticinati sunt.* Sanhed. chel. *fol.* 99. *col.* 1. *lin.* 26. quod dictum sæpius repetitur ab aliis. vid. Abarbanel. Maii. hai. *pag.* 63. *cap.* 4. Jalk. chad. *pag.* 143. *cap.* 1. Oportet itaque Messiam jam ante Solymæ excidium natum revelatumque esse. Conf. *Luc.* 21: 22. *ὅτι ἡμέραι ἐκδικήσεως αὗταί εἰσι* (ימות נקמה) *τοῦ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα.* Non enim tantum de nativitate sed & revelatione vaticinati sunt Prophetæ.

16. Si Messias ante Solymæ excidium debuit nasci, revelari, gentes convertere, quis alius erit verus Messias, quam JESUS NAZARENUS? Nullus certe alius ostendi potest. Hic enim Sterilem Sionem h. e. exiguum Apostolorum gregem suo afflatu ita fœcundavit, ut in omnes terræ fines emissi, gentes per verbum prædicatum regenerarent Messiæque filios facerent. Aut ergo hunc pro vero Messia accipiant Judæi, aut alium ostendant, qui ante excidium Solymæ gentes Abrahæ filios fecerit. Fatentur illi tempore Messiæ idola destructum iri. Schochar Thobh. *Psal.* 31. §. 2. עתיד הק"בה לתן ממש ב"ע לעתיד לבא והיא באה ומשתחוה להק"בה ואח"כ היא בושה לע'בדיה אר פנחס עתיד הק"בה ליתן פה ל'ע ומדברת לפני עובדיה לעתיד לבא יאומרת להם הנחתם לחיי עולם קונה שמים וארץ והשתחויתם למי ש"ן עליו פה להם ולא ידברו ועשיתם את הטפל עיקר *Temporibus Messiæ daturus est DEUS Idolis aliquid soliditatis* (quæ alias nihil sunt 1 *Cor. cap.* 8: 4.) *ut veniant & incurvent se coram DEO Sancto benedicto, & postea ea pudebit cultorum suorum. Dixit Rabbi Pinchas: Daturus est DEUS idolis facultatem loquendi, ut loquantur coram cultoribus suis tempore Messiæ, dicantque illis: Reliquistis vitam mundi* (Joh. 1: 4.) *possessorem Cæli & terræ, & coluistis illud de quo dicitur* Psalm. 115: 5. *Os ipsis, & non loquuntur, atque ita ex accessorio fecistis principale.* Annon hoc factum est tempore Jesu Nazareni cum Augustus Delphicum oraculum immolata Hecatomba de successore consuluisset. At primo quidem tacuit, iterata vero hostia dixit:

Me puer Hebræus Divos DEUS ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum,
Aris ergo dehinc taciti discedite nostris.

Quos versus ex Platina & Petro Martyre allegat Ioh. Lætus *Histor. Univ. cap.* 1. *Sect.* 2. Fatetur Abarbanel quod DEUS opera Messiæ se omnibus terræ nationibus manifestare constituerit, vide ipsum *in cap.* 51: 6. *Esai.* ככר הודעתיך במאמר ישועת משיחו שהק"בה ברא את המין האנושי לתכלית ידיעתו והכרת אלהותו כמו שאמר כל הנקרא בשמי ולכבודי בראתיו והנה בהיות כל עמי הארץ בארצותם לגוייהם יושבי חושך וצלמות באמונותיהם ודתיהם שונות כוונות יאת דתי המלך ה' צבאות אינם עושים ולזה גזרה החכמה האלהית שיבא זמן שהמין האנושי בכללו יכיר אמונתו ואמתת אלהותו באופן שלא תהיה בריאתו לבטלה *Jam tum docui te in tractatu Jeschuot Mischicho, quod DEUS Sanctus Benedictus genus humanum creaverit, eo fine,*

fine, ut cognosceret se & divinitatem suam, uti dicitur Esai. 43: 7. *Omnis qui invocat nomen meum, ad gloriam meam creavi ipsum. Et quia omnes gentes & nationes terræ habitant in tenebris & umbra mortis, sacris & legibus iisque mendacibus diversa, à legibus Jehovæ reis exercituum alienæ, idcirco decrevit sapientia divina, ut tempus veniret, quo genus humanum universum cognosceret rationem cultus divini & veritatem deitatis suæ, ne genus humanum frustra omnino creasse videretur, &c.* conf. *Actor.* 17: 30, 31. At annon temporibus Jesu Nazareni omnibus gentibus veritas est manifestata? Annon id ipsum ante excidium Solymæ factum? Κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος inquit Christus apud Matthæum *cap.* 24: 14. conf. *Marc.* 13: 10. Quam exacte hæc impleta sit prædictio, eventus postea docuit. Lubet addere insigne testimonium Hieronymi de amplitudine Christianismi suæ ætatis, adducente Læto *in Hist. Un. Per. Græc. cap. 5. Sect. 2. Solitudinem patitur & in urbe (Roma) gentilitas. Dii quondam nationum cum bubonibus & noctuis in solis culminibus remanserunt. Vexilla militum crucis insignia sunt. Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat; jam & Ægyptius Serapis Christianus factus est. Marnas Gazæ luget inclusus, & eversionem templi jugiter pertremiscit. De India, Perside Æthiopia monachorum quotidie turmas suscipimus. Deposuit pharetras Armenius. Hunni discunt Psalterium: Scythiæ frigora fervent calore fidei: Getarum rutilus & flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentare & ideo forsitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religione confidunt.* Ex quo videre est, quanta Christianus grex, ante Solymæ excidium ubivis gigni cœptus, brevi ceperit incrementa.

§. 17. Quanquam autem Jesus Nazarenus juvenis mortuus est, & post resurrectionem ad cœlos ascendit; tamen & ante ascensionem suam & post eam plurimos filios genuit, imo adhuc gignit per verbum suum mediante ministerio Apostolorum eorumque successorum. Ii sunt omnes, qui in Jesum Nazarenum credunt, verum DEUM & mysteria sancta ab Ecclesia docti, Discipuli mystici, non naturales filii, quales Paulus genuit *Gal.* 4: 19. τεκνία μου οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν. Tales mysticos filios etiam Judæi agnoscunt Bech. *fol.* 167. *cap.* 2. כל המלמד את חברו מעלה עליו הכתיב כאלו ילדו *Quicunque docet proximum suum id eodem loco habet scriptura, ac si eum genuisset* Ir *fol.* 32. *c.* 4. אר"ז שהתלמידים קרוין בנים וכל החכמים כאחים זה לזה והמבזה רבו מבזה לקרובו ושירט שריטות בבשרו דהיינו קרובו: *Dicunt veteres f. m. Discipuli vocantur filii. Omnes autem Doctores sunt sicut fratres inter se invicem. Qui spernit Doctorem suum, spernit cognatum suum, & incidit incisuras in sua carne, ipse enim est ipsius proximus. fol.* 93. *cap.* 1. ולא יחלל זרעו בעמיו וג"ו היינו שהתלמידים קרוין זרעו כארז"ל שהתלמודיב קרוין בנים *Quod dicitur Levit.* 21: 15. *& ne profanet semen suum in populis suis: Per semen mystice intelliguntur Discipuli. Ita enim dixere veteres f. m. Discipuli vocantur filii.* Constat ex his tantum esse inter docentes ac discentes vinculum, ut cum Scripturæ tum Rabbinorum stylo se invicem vocent propinquos, fratres, filios, semen. Opponimus hoc commode Abarbaneli, qui ut evincat *cap.* 53. *Esai.* de Jesu Nazareno explicari non debere; scribit, אם פירשו יראה זרע על הנמשכים אחרי דתו הנה אלה לא יקראו זרע בכל הכתוב *Si, videbit semen, explicare voluerint de sectatoribus doctrinæ ipsius, nusquam certe illi vocantur semen in tota scriptura*, vid. *in h. l.* conf. §. 10. Annon recte in ipsum retorquere possumus verba, quæ de nobis dicit *in c.* 53: 3. ממיעוט בקאותו בכתבי הקודש קרה לו זה *Propterea quod parum versatus est in scriptis sacris, accidit ei hoc?*

18. Quandoquidem igitur JESUS NAZARENUS est verus Messias, quem Propheta ex Sione sterili mysticos filios progeneraturum ajebat, certe omnes genuini ipsius sectatores & discipuli, proles ipsius mystica erunt. Atque ut illi per hanc regenerationem Messiæ & Sionis filii facti, ita etiam ab his mysticis Parentibus nomen suum gerunt. Nam *nomina sua mutare* דרך המתגיירים כענין שכתוב לעבדיך יקרא שם אחר *mos Proselytorum est ut apparet* ex Esai. 65: 15. *Et servis tuis vocabitur nomen aliud teste Bech. fol.* 38: 3. Ut itaque Messiæ fideles, antequam carnem assumeret, & in Angeli forma sæpius appareret, ab hoc אל dicebantur ישראל *Israël*, ut testatur ipse Esaiæ 48: 12. וישראל מקוראי *Israël à me nominatus*, conf. *Gen.* 32: 29. ita & postquam in carnem venisset nomen Israëlis veris ipsius filiis hæsit. Ut enim ii, qui similes sunt Abrahamo quoad fidem, vocantur semen Abrahæ, ita & qui Israëli, Israël. Fundamentum talis appellationis est fidei ac morum similitudo, ut docet Paulus *cap.* 4: 12. *Rom.* conf. *Joh.* 8: 39. Εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε ἄν. Nec dissentit hic Abarbanel ita scribens in Masch. Jesch. *p.* 19. *l.* 3. האומות יכנו אותם הנביאים כפי מעשיהם הלא תראה שהנביא ישעיה קרא לבני דורו קציני סדום עם עמורה ויחזקאל אמר כנגד ישראל זאת חטאת סדום אחותך ולא היה ישראל אח סדום במשפחתם כי אם במעשיהם *Prophetæ nationibus respectu operum suorum nomina imponunt. An non vides quod Esaias vocet homines sua ætate viventes Primates Sodomæ, populum Gomorræ* c. 1: 9. *Et Ezechiel dicit de Israële: Hoc est peccatum Sodomæ non ratione consanguinitatis, sed ratione similitudinis morum.* Stylo N. T. vocantur οἱ ἐν κρυπτῷ Ἰουδαῖοι, περιτομὴ πνεύματος, Ἰσραὴλ κατὰ πνεῦμα. *Rom.* 2: 28, 29.

19. Quia illi qui Jesu Nazareno adhærescunt, & olim & nunc veri ac genuini sunt DEI filii mystici, necesse est Judæos cum qui olim Apostolicam persequebantur cœtum, tum qui hodie Christianam Ecclesiam convitiis proscindunt, injuriis onerant, non esse veros DEI cultores nec nisi nomen Israëlitarum possidere, ἐν τῷ φανερῷ καὶ κατὰ σάρκα Ἰουδαίους, & propterea rectius nomine Edumæorum, Ammonitarum, Midianitarum, aliorumque veræ Ecclesiæ persecutorum nominibus appellandos. Veris Fidelibus in textu è diametro opponuntur dicti *vers.* 5. אחים שנאים *fratres osores*, המנדים ἀποσυναγώγους ποιοῦντες *Joh.* 16: 2. Sunt ergo Judæi non veri filii Messiæ, sed spurii, qui non ducunt mysticum sanguinem ac robur ex Messia sed ex Satana, ut Christus dicit *Joh.* 8: 44. membra τῆς τοῦ σατανᾶ συναγωγῆς, *Apoc.* 3: 9. Hinc non mirum, quod DEUS ipsos plane deseruerit עד שישים חומה בינו רבינם שלא יראם עוד *prorsus ut posuerit DEUS murum inter se & ipsos, ne eos amplius videat*, ut scribit Abarbanel de ipsis *in cap.* 7. *Amos. v.* 7. Non mirum, quod vera destituantur sapientia, cum eam nunquam ex ore Messiæ Doctoris à DEO missi voluerint audire, בזמן הגלות נסתמו מקורות החכמה שני ואבדה חכמת חכמיו *Tempore captivitatis præclusi sunt fontes sapientiæ, ut dicitur* Jer. 49: 7. *Periit sapientia sapientum.* Non mirum, quod DEUS ipsorum preces non exaudiat, ut queruntur לאחר החרבן ננעלו שערי תפלה *Post excidium clausæ sunt portæ precum.* vid. Ir *fol.* 55. *col.* 2. cum se DEI inimicos præbeant, Messia & ipsius Ecclesia blasphemandis, ac quantum in ipsis est persequendis.

20. Quod itaque Judæi suis precibus efficere non possunt, nostrum est nostris intercessionibus ipsis à DEO impetrare, nimirum, ut velamen ipsorum oculis tandem adimatur, ut videant Messiam jamdudum in orbe per tot miraculosa opera revelatum, veramque sapientiam, ad quam obtinendam non opus est longinqua peregrinatione, assequantur. Neque precibus tantum ipsorum conversionem urgere æquum est, sed manus etiam admovenda operi, mediaque dispicienda, quibus ad veram superiorem Solymam reduci possint. Ita promissiones de reductione Judæorum in patriam antiquam, quos illi corporali modo impletum iri persuasi sunt, DEI ope spiritualiter implebimus.

Θεῷ δόξα.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De non speranda Arcæ fœderis restitutione ad Jerem. III: 14.



Nter Judaicæ fidei Paradoxa, quibus diuturni hujus, quod luunt, exilii mala & calamitates lenire quodammodo & edulcare, seipsos vero misere decipere solent mortalium pertinacissimi, non ultimum obtinet locum, quod falso persuasum habent; futurum, ut, cum Messias ipsorum apparuerit, cultu Levitico de integro introducto, *Arca* quoque *fœderis* cum aliis vasis sacris in locum pristinum restituatur. Ne hoc eis affingere, vel quod ex fæce Ebræorum nonnulli dixerint, doctoribus male tribuere videamur, audiemus *Rabbi Abarbenelem*, celebrem Judaismi ὑπερασπιστὴν, cujus commentarium in *Danielem*, Christianis maxima ex parte oppositum, in solatium suorum extorrium & Messiam anxie præstolantium contribulium prelo novissime, anno nempe 1652. iterum subjecit *Rabbi Menasseh Ben Israel*, Archi Synagogus Amstelodamensis. Ita vero ille ad *caput* 9. *vers.* 24. *Danielis* fol. 64. col. 1. ubi de ungendo *Sancto sanctorum* agit, commentatur: הכלים האלהיים שהיו בקדש בקדשים שהם ארון ברית השם הלוחות כתובות באצבע אלהים וספר תורת משה שהיה נתון בזוו של ארון וצפחת שמן המשחה שהיה אצלו אותם הקדושות כלם נגנזו בחרבן בית ראשון דשוב העבותה ליושנה ובשוב השם את שיבת ציון ישובו כלם באופן שיהיה קדש הקדשים בבית השם בכל כליו וקדושתו: *Vasa divina, quæ erant in Sancto sanctorum, arca nempe fœderis, tabulæ digito Dei exaratæ, & lex Mosis in latere arcæ posita, ampulla unctionis, quæ itidem erat sanctis illis rebus addita, omnia hæc, cum templum primum destrueretur, abscondebantur. Ubi vero cultus in pristinum redierit statum, & Dominus captivitatem Sionis* (*Psal.* 126: 1.) *converterit, omnia hæc restituentur, ita ut Sanctum Sanctorum sit in domo DEI futurum cum omnibus vasis & sanctitate sua.* Huic Judæorum sententiæ si opposueris verba Ieremiæ cap. 3: vers. 16. ubi Propheta negat, Messiæ temporibus *arcæ fœderis* futuram mentionem, dici verbis non potest, quam varia comminiscantur, ne veritati herbam dare, vel spem suam abjicere cogantur. Et cum vel ex solius hujus oraculi depravatione Iudaica, tanquam ex ungue leonem, quod dicitur, cognoscere, & Iudæorum ad incitas quamvis redactorum pertinaciam conspicere liceat: operæ me pretium facturum existimavi, si vaticinium istud, in quo explicando, fatente ipsomet *Rabbi Arama*, *Comment. in Pentateuchum fol.* 101. *col.* 1. נבוכו כל המפרשים *Omnes Interpretes* (Iudæorum) *sunt perplexi*; considerandum mihi sumam, idque à Rabbinorum σκληροκαρδίων detorsionibus pro virili vindicem. Quod si, *Benevole Lector*, per ætatem huic operi impar, voto tuo hoc primo ingenioli mei specimine non usquequaque satisfecero, meminisse TE volo, Virum Clarissimum & Scripturæ Interpretem felicissimum, *Sixtinum Amamam*, *lib.* 1. *cap.* 14. *Antibarb. Biblici* conquestum esse, *multa in libris Propheticis sibi subsidia adhuc deesse.* Unde tanto minus vitio mihi vertendum erit, si illis, quæ ad difficiliorum locorum explicationem requiruntur, non abunde instructus accedam, aliis & ætate & eruditione me majoribus hic non spicilegium aliquod, sed segetem uberem demetendam relicturus.

CAPUT I.

Argumento, quod ex capite III. Jeremiæ vers. 15, 16. Christiani formant, adducto Ebræorum celebriorum Rabbi David Kimchii, Rabbi Salonis, Rabbi Abarbenelis, & Rabbi Aramæ, explicationes diversæ ordine recensentur, &, quam irrito conatu in sua castra Prophetam reluctantem trahere conentur Cadmæi fratres, ad oculum demonstratur.

§. I.

VErba, quibus non minus ac alii Prophetæ, ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενος *Jeremias* de tempore *Messiæ* & *arca fœderis* est vaticinatus, sic habent: שובו בנים שובבים נאם יהוה כי אנכי בעלתי בכם ולקחתי אתכם אחד מעיר ושנים ממשפחה והבאתי אתכם ציון: ונתתי לכם רעים כלבי ורעו אתכם דעה והשכיל: והיה כי תרבו ופריתם בארץ בימים ההמה נאם יהוה לא יאמרו עוד ארון ברית יהוה ולא יעלה על לב ולא יזכרו בו ולא יפקדו ולא יעשה עוד: בעת ההיא יקראו לירושלם כסא יהוה ונקוו אליה כל־הגוים לשם יהוה לירושלם ולא־ילכו עוד אחרי שררות לבם הרע: בימים ההמה ילכו בית־יהודה על בית ישראל ויבאו יחדו מארץ צפון על־הארץ אשר הנחלתי את־אבותיכם: Quæ verba hunc in modum transferri solent. *Convertimini filii rebelles, dixit Dominus, quia ego patronus fui vobis. Et assumam vos, unum de civitate, & duos de familia, & introducam vos Sion. Et dabo vobis pastores ex sententia animi mei, qui pascent vos sapientia & intelligentia. Eritque cum augescetis & fœtificabitis in hac terra, temporibus illis dictum Domini, ut non dicant amplius arca fœderis, neque veniet in animum, neque recordabuntur ejus, neque recensebunt, neque fiet amplius. Tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini: & recta confluent eo omnes gentes ad nomen Domini Jeruschalaima, neque sequentur amplius sententiam animi sui mali. In diebus illis ibit domus Juda ad domum Israel, & venient simul de terra aquilonis ad terram, quam sortiri feci patres vestros.* Vaticinium hoc à Christianis adversus Iudæos urgeri *Rabbi Abarbenelem* minime latuit. Comment. enim ad d. l. ait: מזו ילחמו עלינו הנוצרים לומר שלא ישוב עוד ארון ברית השם למקומו: *Exinde contra nos argumentum Christiani depromunt, dicentes, arcam fœderis non amplius redituram in suum locum.* Sane huic probando satis verba allata sunt idonea. Quin, cum arcam, quæ quondam in bello à Philistæis capta, divina urgente Nemesi paucorum mensium spatio ab ipsis hostibus quamlibet invitis restituenda erat, tot jam seculis desiderent, neque illo Scripturæ dicto eam reducendam esse, probare queant: eis sufficere hoc poterat ad spei, quam habent, vanitatem ostendendam. Verum cum præterea claram literam conspicantur de antiquanda penitus, & ex hominum memoria quasi delenda arca fœderis tempore Messiæ; evidentia tamen ipsius nihil moti, textui obluctari & manifestam vim inferre malunt, quam DEO gloriam & veritati manus dare, quid inde aliud colligere est, quam eos in talem caliginem mentis incidisse, ut cœcutiant in mero meridie, & in eis impleatur, quod divinus vates Esaias est vaticinatus cap. 6. vers. 9, 10. Dabimus operam, ut in quas angustias Iudæi hic conjiciantur, nemo non deprehendat. Argumentum Christianorum est tale: Si tempore Messiæ nulla est futura mentio arcæ, de eaque ne cogitaturi quidem sunt mortales, tanquam de re adhuc necessaria, eam non sunt visitaturi, quin si ne conficienda quidem illa erit amplius; sequitur omnem illam spem, qua hodieque de arca reducenda se lactant Ju-

Judæi, fruſtraneam eſſe ac nullam. Sed verum eſt prius, E. & poſterius. Veritatem antecedentis infra capitis 2. ex viſceribus textus ſtabiliemus, ubi oſtenderimus, quam adverſis frontibus Judæi in pervertendo ſenſu vaticinii concurrant.

II. Primum vero locum merito aſſignamus *Rabbi Davidi Kimchio*, Scripturæ alias Interpreti haut è multis, & *qui*, (verba ſunt *Pauli Fagii* in clauſula comment. *Rabbi Davidis Kimchii* in Pſal. 10. priores à ſe verſorum) *quod literam & vocum idiomata attinet, plus lucis ac utilitatis affert, quam multorum aliorum Scriptorum, etiam Chriſtianorum lectio, abſit invidia dicto*, niſi ubi odio religionis Chriſtianæ veritati indicit bellum. Quod à *Fagio* omiſſum addendum omnino fuiſſe, vel ſola explicatio, quæ ſequitur, evincit. Illa vero hæc eſt: אף על פי שתירבו ופריתם בארץ לא יקנאו בכם הגוים שיבואו להלחם בכם והצטרכו לצאת למלחמה וארון האלהים עמכם כמו שהיה מנהגם שהיו מוציאים הארון במלחמה ובימים ההם לא יצטרכו לזה כי לא יהיה להם מלחמה עוד: *Etiamſi futurum eſt, ut creſcatis, & multiplicemini in terra, gentes tamen vobis non invidebunt, nec bellum vobis inferent, neque neceſſe vobis erit cum arca fœderis in bellum egredi, quemadmodum olim fieri ſolebat, ubi arcam educebant in bellum. Sed illo tempore hac minime opus habebunt, cum eis bellum ſit futurum nullum.* Arbitratur igitur *Rabbi David Kimchi* arcæ fœderis *abrogationem* à Propheta non intimari *ſimpliciter*, ſed *ſecundum quid*; ſive non tam negari ejus *exiſtentiam*, quam *uſum priſtinum*, quo nempe arcam in hoſtium terrorem, & ut ſuis animum adderent, in aciem ſecum attulerunt. Cæterum etſi *R. Menaſſeh Ben Iſrael*, *Conciliat. quæſt. 7. in Levit. p.* 195. hanc explicationem itidem recipiat, eaque *divino Jonathani* (Chaldæum intelligit Interpretem) uſurpata multum glorietur, nihil tamen ſolidi ei ineſt: ubi enim in textu veſtigium apparet de bello? ubi de invidia, quæ in gentibus non ſit futura? Quomodo Propheta hic prædixerit, arcam non amplius eductum iri in bellum, cum DEI juſſu, poſtquam ſemel in terram Canaan ingreſſi ſunt, nunquam eam eduxerint? Quod 1 Sam. 4: 4. Iſraelitæ in anguſtiis conſtituti arcam accerſiverunt, id DEI injuſſu factum eſt, qui longe alium arcæ uſum Ebræis oſtenderat. Exod. 25. Et quantum ex hiſtoria Regum pateſcit, ex quo Salomo arcæ in Sancto Sanctorum certum domicilium aſſignavit, in talem uſum nemo eam inde produxit. Sane *R. Abarbenel* ingenue fatetur, in interpretamento *Kimchiano* eſſe ἐδὲν ὑγιές. Hinc non ſolum Comment. ad l. cit. id. aperte rejicit, ſed etiam libello משמיע ישועה, ubi ex inſtituto contra Chriſtianos diſputat, quid de eo ſentiendum ſit, p. 34. col. 3. his verbis docet: הנך רואה שכל אלה היו דברים היצונים כי בכתוב לא יזכר המלחמה ולכן לא נתיישב לי פירוש הזה עם היות שנטה אליו יונתן: *Ecce ipſe animadvertis, quod omnia hæc (Kimchii) verba à Prophetæ ſcopo maxime abludant. In textu enim nulla ſit belli mentio. Et ideo hæc expoſitio mihi non probatur, etiamſi Jonathan quoque eo inclinet.*

III. Numquid vero *R. Abarbenel*, meliore ſubſtituta interpretatione, rem acu tetigit? Nequaquam. Omnes quidem ingenii nervos intendit, ut ſe plus Kimchio vidiſſe demonſtret; ſed cum præjudicio & affectu occupatus accedat, quæ duo rectam interpretandi rationem maximopere impediunt, quid tandem boni ab eo exſpectare poſſimus? Quæſtione tertia, quam cap. 3. Jer. explicationi præmittit, verbis Prophetæ allatis, non dubitat ita ſcribere: הנה זה ייעוד רע ונתישת התו רה ואין זכרו הכתוב לטום: *Ecce hæc promiſſio mala eſt, & legem convellit. Ecquomodo igitur in bonum Scriptura ejus faciat mentionem?* Fatetur nempe Judæus, ſi textum, prout noſter intellectus ſuper illius verba fertur, interpretemur, eum aliquid mali Judæis, neque fidei illorum ſatis conſentaneum videri prædicere. Et cum hoc modo legem Moſaicam convelli falſo ſibi perſuadeat, obtorto quaſi collo aliorſum Prophetam trahit, atque ipſum velle, litera Scripturæ teſtatur. Ut vero & in ſuam ſententiam Lectorem adducat, neque animum ipſius experiatur alienum, multa ante de uſu arcæ in V. T. præfatur, quam textus explicationi ſe accingat. Sic enim infit: ענין הכתוב אצלי הוא שבזמן בית המקדש הראשון בהיות ישראל נמשכים אחרי שרירות לבם היתה כל קדושתם בבית המקדש ובארון האלקים אשר שם יזה אם בשמירת ישראל שבהיותם זכאים היה הארון שומר ומגין בעדם ובהיותם חוטאים היה הארון אשר בתוכם סבת חרבנה ואיבודם כי היה הארון ממשיך ההשגחה האלהית בעניני האומה עד שמפני זה נקרא ארון ברית ה׳ למה שהיה בו ספר התורה שהם דברי ברית הברכה והקללה וכמו שאמר מר״עה לקוח את ספ״ר התורה הזה ושמתם אותו מצד ארון ברית ה׳ אלקיכם והיה שם בך לעד כי אני ידעתי את מריך וגומר וגם היתה קדושת הארון לאוהרת הפרשים שבדעתם ששם ארון ברית ה׳ יפחדו מלפניו וייראו מלחטוא ויבאו להתפלל נגדו על כליחתם להיותו מעון השכינה וגם היה שם הארון לאלה ולשבועה וכמ״ש שלמה בתפלתו אשר יחטא איש לריעהו ונשא בו אלה להאלתו ובא אלה לפני מזבחך בבית הזה ואתה תשמע השמים ועשית ושפטת את עברך וגומר וגם היה הארון אצלם להתפלל נגדו בעצור השמים ולא יהיה מטת או בבוא דבר או מגפה או מלחמה על הארץ ופקדם האלקים בהתפללם שמה וכמו שנזכר בתפלת שלמה: *Mea de hujus dicti ſenſu ſententia hæc eſt. Tempore primi ſanctuarii omnis Iſraelitarum cordis ſui ſententiam ſequentium ſanctitas conſiſtebat in domo ſanctuarii & arca, quæ inibi erat. Atque cum Iſraelitæ pie vivebant, arca eos cuſtodiebat & protegebat. Ubi vero peccabant, erat eis excidio & perditioni. Arcam enim peculiaris* DEI *in populum providentia comitabatur. Inde enim vocabatur arca fœderis Domini, quia continebat librum legis, hoc eſt, verba fœderis benedictionis & maledictionis, quemadmodum dixit Dominus noſter b. m. (Deut. 31: 26.) Sumite librum legis iſtius, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini veſtri, & ſit tibi contra te in teſtem, quia ego novi rebellionem tuam. Præterea arcæ fœderis ſanctitate in ſpecie illi admonebantur, ut præſentem eam metuerent, atque adeo à peccatis ſibi caverent. Cum etiam Dei habitaculum eſſet, coram ea orarunt ad impetrandam peccatorum remiſſionem. Quid, quod etiam arca ibi erat propter execrationem & jusjurandum, quemadmodum Salomo ait* (1 Reg. 8: 31.) *cum peccaverit vir in proximum ſuum, & exegerit ab eo juramentum ad adjurandum eum, & venerit juramentum ad facies altaris tui in domo hac, & exaudies in cœlis, & facies, & judicabis ſervos tuos &c. Similiter arca erat apud eos, ut coram ea precarentur, ſi cœlum eſſet clauſum. Sic enim ait* (verſ. 35.) *cum clauſum fuerit cœlum &c. Item ſi venerit peſtis, plaga, vel bellum* (verſ. 37.) *precibus illorum locum reliquit. Uti ex Salomonis oratione eſt videre.* Hoc fundamentum ſecuturæ explicationi præmittendum duxit *Rabbi Abarbenel.* Verum uti illud ſolidum non eſt, ſed arenoſum & infirmum, ita ſponte ſua concidit, ſecumque rapit, quicquid eſt ſuperſtructum. Ut jam nihil dicam de eo, quod omnem Iſraelis ſanctitatem in domo ſanctuarii conſtitiſſe ait recutitus, fallitur & fallit, dum tradit, arcam in ſanctuario extitiſſe propter jusjurandum, & coram ea illud dici ſolitum fuiſſe. Longe aliter ſe rem habere fatebitur, quicunque à præjudicio immunis verba Salomonis perpenderit. Petit videlicet inter alia Rex poſt hominum memoriam ſapientiſſimus, ut ſi quis in proximum ſuum aliquid iniquius admiſiſſe arguatur, eamque ob cauſam in templum tum recens exſtructum venerit, ſive quod בעל הדין *Pars litigans* eum compulerit, ut jusjurandum dicat, uti *Kimchi* explicat, ſive quod חייבו הדין להשביעו *Judex ei juramentum detulerit*, ut *Abarbenel* ſentit, DEUS controverſiam ita dirimere velit, ut qui inſons eſt, ſuſpicionem effugiat; qui autem veri criminis reus fuerit, ſuo peccato pœnas debitas luat, & infortunium illud, quod ſuo ſibi capiti juramento imprecatus eſt, ſubeat. *Rabbi Abarbenel* Com. ad 1 Reg. 8. non multum abit, & extra æſtum diſputationis cum Chriſtianis conſtitutus ſenſum verborum Salomonis eruit longe diverſum ab illo, quem comment. ad Jeremiæ vaticinium ſcenæ ſerviturus exſculpere conatur. Sic enim ejus verba habent: בקש שלמה שיסלה השם ית״ אל אשר התפלל אליו בבית חהוא הוציא מן הכלל אם יחטא איש לרעהו והתחייב אליו בשבועה ויבוא לשבע לפני המזבח כי אם ישבע לשקר לא יסלה השת ית בעד חטאתו כי אחרי הוא מעל בקדושת הבית אינו ראוי שתבית יכפר עליו וזהו ואתה תשמע השמים ושפטת את עברך להרשיע רשע: *Petiit Salomo, ut* DEUS *ei condonare velit, qui in domo iſthac precatus fuerit, excepto illo, qui in proximum peccaverit. Rogat enim* DEUM, *ne illum, qui, ubi juramentum fuerit delatum, falſo juraverit, impune ferre ſinat, quia in domus ſanctitatem eſt prævaricatus, indignus ſit, cui in templo fiat remiſſio. Atque hoc innuunt verba ejus* (verſ. 31.) *tu exaudies in cœlis, & judicabis ſervos tuos, ut condemnes impium.* Nullam hic fecit mentionem jurisjurandi coram arca dicendi, quod ad altare templi exterius fieri ſolebat, haud dubie בעזרת ישראל *in Populi atrio*, in quo Regem Salomonem ſtetiſſe nonnulli volunt, quanquam *Rabbi Abarbenel* ad verſ. 22. ſcribat: בא בחצר הכהנים לפני מזבח הנחושת המקודש שותר מעזרת ישראל: *veniſſe Regem in atrium ſacerdotum, in quo altare æreum, quod ſanctius erat atrio Populi.* Quicquid hujus ſit, pateſcit inde, Abarbenelem finxiſſe ſaltem hoc, coram arca fœderis Ebræos juraſſe, ejusque ſanctitate à perjurio abſterreri jurantes fuiſſe ſolitos: cum de arca fœderis, quæ in aditu intimo repoſita nullum mortalem niſi Pontificem, eumque nonniſi anniverſario expiationis feſto admiſit, altum in toto textu ſit ſilentium.

IV.

IV. Postquam igitur initio statim tam turpiter se dedit *Rabbi Abarbenel*, facili negotio conjecturam capere poterimus, cujusmodi ipsa sit futura explicatio. Hic vero iterum recutiti verba exhibebimus, ne non satis eum videamur assecuti, eorumque postea versionem ὁμόφωνον subjungemus. Ita vero ille: והנה זכר הנביא שבזמן הגאולה העתידה תהיה הקרושה בקרב ישראל כ״כ שלא די שבזמן קבוצם בהיותם אחד מעיר ושנים ממשפחה יהיו צדיקים וטובים וישרים בלבותם אבל גם אחרי שירבו ויפרו בארץ שברב עם תתמעט הקדושה ויראת אלהים הנה עכ״ז לא תזוז מהם הקדושה עד שבימים ההם לא יאמרו האנשים ארון ברית ה׳ כמזכירים הברית שכרת ה׳ עמהם ושהוא בארון כדי שיפחדו מלפניו כי הם בקרושתם לא יצטרכו אל ברית ולא ידברו בו וגם האנשים היחידים לא יעלה על לבם שהקדושה בלבד תמצא במקום הארון כי בכל מקום שהם יהיו מקודשים וכן לא ילכו להשבע שבועה ואלה במקום הראשון במקדש כנגד הארון כי הנה בכל מקום יהיה מוקטר מוגש לשם ה לא במקום הארון בלבד ועל זה אמר ולא יזכרו כי הזכירה היא לענין השבועה וכן לא יעשו תפלת צרכיהם כנגד הארון ולא יהיו נפקדים שם במטר ובבריאות ונצחון האויבים כי בכל מקום יהיו עיני ה׳ עליהם לטובה ועל זה אמר ולא יפקדו מלשון פקד ה׳ את עמו לתת להם לחם ולפי שאמר שבזמן ההוא לא יצטרכו לזכרון ארון ברית ה׳ ר״ל הברית אשר כרת עם ישראל להיות פחדו נגד עיניהם אמר עתה ולא יעשה עוד שחוזר לברית ה׳ אשר זכר יאמר שבימים ההם לא יזכרו הברית אשר כרת עמהם מימי קדם בברכה ובקללה וגם לא יעשה ברית אחר בניהם לפי שכל ירושלים יהיה במדרגת הארון בקרושה וכבוד עד שבעת ההיא יקראו לירושלם כסא ה׳ ולא בלבד ישראל אבל גם משאר האומות יקוו אליה כל הגוים לא להלחם עליה ולא גם כן להתעדן במעדיניה אלה לפי שיהיה ירושלם לשם ה׳ בקרושתם ולא ילכו עוד רוצה לומד בני אדם כלם אחר שרירות לבם הרע ומפני זה לא יאמרו ארון ברית ה׳ כי הנה יתבטל מהם היצר הרע גם שתהיה הקרושה כל כן בארץ שכמו שהיה בימים הראשונים הארון במדרגת הקדושה לכל כן תהיה ירושלם כסא ה׳ שהוא רמז לגלגל העליון המקיף בכל שיניעהו הקרוש ארון הוא בלי אמצעי מי כן השגיח בירושלים ולזה תקרא כסא ה׳ כמו שאמר השמים כסאי: *Ecce Propheta docet, tempore futuræ liberationis tantam sanctitatem in Israëlitis fore, ut non tantum integri & pii sint futuri, cum* (Jerem. 3: vers. 14.) *unus ex urbe, & duo ex familia congregabuntur, sed postquam etiam multiplicati fuerint & creverint in terra. Cum enim alias crescente populo timor DEI & sanctitas minuatur, ab illis tamen ea minime recedet, usque adeo ut illo tempore homines non sint dicturi: arca fœderis Domini, tanquam memores fœderis, quod cum eis percussit, & in arca est repositum eo fine, ut sibi ab eo metuant. Illi enim in sanctitate sua non habebunt opus fœdere, neque de illo loquentur. Quin nec homines sibi persuadebunt in loco arcæ duntaxat reperiri sanctitatem, sed ubicunque illi exstiterint, sancti erunt. Atque sic non ibunt jurisjurandi & execrationis causa, in locum sanctuarii primum, ubi coram arca dici solebat, quia in omni loco* (Mal. 1:11.) *sacrificabitur & offeretur nomini DEI oblatio munda &c. non in loco arcæ tantum. Hinc ait, & non recordabuntur, quia recordatio hic significat juramentum. Et sic coram arca non petent necessaria, neque pluviam, neque sanitatem, neque victoriam de hostibus: ubique enim oculi Domini erunt super illos in bonum. Hinc ait, & non visitabunt, quod affine est significationi verbi, dum dicitur* (Ruth. 1:6.) *Et visitavit Dominus Populum suum dando eis panem. Quandoquidem dixit, id temporis eos non opus habituros meminisse arcæ fœderis Domini, h. e. fœderis cum Israële initi, ut ipsum timeant, ideo subjungit: & non amplius fiet, nempe fœdus Domini, cujus meminerat. Ut sensus sit: Eo tempore eos non recordaturos fœderis, quod olim Dominus iniit, benedictionem & maledictionem complectens. Neque aliud fœdus percutient invicem, quia tota Hierosolyma tunc arcam ratione sanctitatis & gloriæ aquabit, ita ut eo tempore Hierosolymam sint vocaturi thronum Domini. Quin non tantum Israël, sed reliquæ etiam gentes ad eam confluent, non ut contra Israëlem vel pugnent, vel voluptatibus etiam ejus fruantur, sed quia Hierosolyma in sanctitate sua nomen Domini habet. Neque ibunt amplius, q. d. omnes homines post mali sui cordis dictamen. Atque ideo non dicent: arca fœderis Domini. Ecce enim cessabit ab eis figmentum malum, & tanta erit sanctitas in terra, ut quemadmodum olim omnium rerum sanctissima arca fuit, ita id temporis Hierosolyma sit futura thronus Domini, quo innuitur; uti sphæra suprema, quæ omnia ambit, immediate à DEO movetur, sic etiam Hierosolymæ curam Deum habiturum, & propterea ea vocabitur thronus Domini, quemadmodum ait* (Esaiæ cap. 66: vers. 1.) *Cœlum solium meum &c.*

V. Tam operosus est *R. Abarbanel* in explicando vel detorquendo verius hoc vaticinio, ut obtineat שאין הכוונה שבזמן הגאולה לא ישוב ארון ברית השם אל מקומו: *Quod Prophetæ intentio haud sit, docere, arcam fœderis tempore redemtionis in locum suum non esse restituendam.* Sed laterem lavat Judæus, veritati cornua tanta pertinacia obvertens. Quod de *Kimchii* interpretamento supra affirmavit *Abarbenel*, à scopo Jeremiæ id esse alienum, id consimiliter de explicatione *Abarbenelis* asserimus, utpote ex qua patescit, ipsius æque ac *Kimchii* oculis velamentum esse oppansum, ut non possit verum sensum perspicere, quem in harum literarum luce videmus Christiani. Ut alia, quæ censuram merentur, & quorum falsitas infra cap. 2. detegetur uberius, hic mittamus; quod contendit, verba ולא יזכרו *& non recordabuntur*, intelligenda esse de sacramento, & sic negari in textu, coram arca jusjurandum amplius dictum iri; est commentum Judæi, cui uti fidem facere nequit, ita merito supra id explosimus. Plus iis indicari, liquido patescit cum ex usitata verbi significatione, quæ absoluta & simplex, omnimodam oblivionem arcæ innuit, tum ex sequentibus ולא יפקדו *& non visitabunt*, quibus negat Jeremias, eam uti antea usui futuram. Unde patescit, ad verbi hujus significationem illustrandam ἀπροσδιονύσως afferri locum Ruth. 1. vers. 6. Ibi enim gratiosa DEI visitatio describitur, qua commeatum DEUS populo fame diu afflicto dedisse refertur: hic vero homines non amplius visitaturi arcam dicuntur. *Rabbi David Kimchi* in libr. Radicum postquam exempla adduxisset, in quibus פקר rad. occurrit, hæc verba subjungit: כלם והדומי להם ענין זכירה והשגחה על דבר: *Hæc omnia & similia significant recordationem & providentiam alicujus rei.* Sane ubi DEO tribuitur, pro textus circumstantia significat vel *benefacere* vel *punire*. Sed tale quid hic neutiquam significari, ex textus constat συναφείᾳ, ubi non Deo tribuitur, sed iisdem, qui arcæ non sunt recordaturi, eandemque non amplius visitaturi dicuntur. Et quilibet Ebraice doctus animadvertit, invito textu futurum *Kal* ויפקדו explicari ab *Abarbenele* per præteritum *Niphal* ונפקדים. Unde *Rabbi Salomo Aben-Melech* in Michlal Jophi & *Rabbi Salomo Jarchi* ad h. l. ajunt, *idem esse ac* ולא יזכרו *non recordabuntur*. Porro quemadmodum id enixe dedit operam *Rabbi Abarbenel*, ne in Judæorum causæ pernitiem duo isthæc verba arcam respicere videantur, ita similiter sequentia pervertit verba ולא יעשה עוד *& non amplius fiet*, ubi subdole subaudiendum contendit *fœdus*, cujus tamen itidem in textu nulla facta est mentio. De arca loqui ibi Prophetam, agnovit *Kimchi*, nec diffiteri potest *Rabbi Salomo*, dum è longinquo aliquid subintelligendum accersit, sic scribens: ולא יעשה מה שנעשה בו כבר בשילה שהביאוה במלחמה עם פלשתים בימי אלי: *Et non fiet amplius, quod olim in Silo arcæ accidit, dum eam in bellum eduxerant, quod gerebant cum Philistæis tempore Eli.* Quam explicationem tamen, veluti רחוק מאר & textui haud conformem, Abarbenel supra rejicit.

VI. Quemadmodum vero is, qui veritati studio refragatur, varias elabendi rimas quærit, nuspiam tamen ubi pedem figat, invenit; ita *Abarbenel* dubitabundus & priori explicationi diffisus, aliam mox subjungit, quæ sic habet: ואפשר לפרש אל יאמרו עוד ארון ברית ה׳ שחוזר אל הרועים אשר זכר שירעו אותם דעה והשכל ולא יצטרכו לאיים את הבעלי דינים לומר להם גורו לכם מהארון אשר שם ברית ה׳ הברכה והקללה ואמר ולא יעלה על לב הבעלי דינין עצמם ושלא יאמרו נירא נא את ארון ברית אלקים ולא נחטא ואמר ולא יזכרו בו על השבועה והאלה כמו שפירשתי ואמר ולא יפקדו שלא תהיה פקידת לירושלם מפני ארון הברית אשר שם כמו שהיו עושים בזמן הרגל ולא יעשה עוד שם ביניהם רוצה לומ׳ פועל מגונה לפי שבימין ההם תרבה כ״כ הקדושה ויראת החטא שלא בלבד בבית המקדש יבאו העמים לעלות ולראות כי הנה כל ירושלם יהיה מקום קדושה ויקראו לו כסא ה׳ ולכן יתקבצו אליה כל הגוים בשומעם קדושתם ובני ישראל אשר זכר לא ילכו עוד אחרי שרירות לבם הרע ולכן לא יצטרכו לבקש מחילת חטאיי לפני הארון לא ללכת להשבע שמה על כל דבר פשע כמו שזכר זהו פירוש הפסוקים האלה אצלי: *Potest etiam fieri, ut verbis* non dicent amplius arca fœderis Domini *iterum ad Pastores respiciat, qui eos pascent scientia & doctrina, & non necesse habebunt eos litigantes terrere dicendo: metuite vobis ab arca, in qua est fœdus Domini, benedictio & maledictio! Hinc dicit, non cogitabunt litigantes de ea, nec dicent, timeamus arcam fœderis Domini, ne peccemus. Verba vero,* & non recordabuntur, *de juramento sunt intelligenda, veluti explicavi. Quum vero ait:* & non visitabunt, *sensus est: & non ibunt Hierosolymam propter arcam fœderis, quæ ibi erat, veluti diebus festorum solebant.* Et non amplius fiet *inter eos, q. d. opus turpe, quia id temporis sanctitas adeo crescet & timor peccati, ut populi non tantum in domum sanctuarii sint ascensuri ad videndum, sed tota Hierosolyma sit locus sanctitatis, quam vocabunt solium Domini. Atqui idcirco omnes gentes confluent, ubi audierint Israë-*

Iſraëlitarum ſanctitatem, quorum meminit, & non obſequentur cordi ſuo malo, & ideo non opus habebunt coram arca petere peccatorum remiſſionem; vel propter quodlibet facinus ibi jurare, ut ſupra mentionem fecit. Hæc mihi verſuum illorum videtur explicatio. Bene Judæus ait, *ſibi* videri hunc ſenſum eſſe, quo ipſo ſatis indicat, ſemet etiamnum fluctuare, & hoc interpretamentum conjecturam eſſe novam. Sane abſque *Abarbenele* fuiſſet, nemini mortalium de hac explicatione conſtitiſſet, ita tota eſt conficta, & ad glaucoma oculis legentium objiciendum ab eodem allata, qui, ne aliquid religioni Judaicæ adverſum inibi contineri primo ſtatim intuitu animadverteretur, tam perfrictæ frontis eſt, ut more majorum ſuorum ea neget ſcripta hic eſſe, quæ Solis radiis ſunt exarata: id quod *Tryphoni Judæo* dudum exprobravit antiquiſſimus Pater *Juſtinus Martyr* his verbis: ἃ διαῤῥήδην ἐν ταῖς γραφαῖς φαίνονται ἐλέγχοντα αὐτῶν τὴν ἀνόητον καὶ φίλαυτον γνώμην, ταῦτα τολμῶσι λέγειν μὴ οὕτω γεγράφθαι. *Quæ aperte in ſacris literis videntur inſipientem eorum, & qua ſibi admodum placent, ſententiam carpere, ea non ita ſcripta eſſe dicere audent.* Sed textum, quem violenter torquet, Judæorum perſuaſioni revera repugnare, capite ſecundo clariſſime oſtendemus; in quod reſponſionem ad hoc poſterius deliramentum *Abarbenelis* jam rejicimus.

VII. Vidimus hactenus in expoſitione vaticinii ſudantem *Abarbenelem*, cui jam ſuccedat *Rabbi Iſaacus Arama*, qui *Comment.* in *Pentateuchum* itidem verborum Jeremiæ reliquit explicationem, ex qua de Judæorum ingenio & occœcato intellectu poſſis judicare. Legitur illo libro laudato, *fol.* 101. *col.* 1. & ſic habet: ירצה כי בקבץ אותם הקבוץ השלם שתזכיר ובהיותם רועים שם דעה והשכל יקנו מהשלמות שיעור רב ועצום עד שלא יעשו עוד בכל אשר היו עושים עד הנה כי בכל ימי הצלחתם היו פונים אחרי שרירות לבם והמה רצים איש לביתו לכרמו ולשדהו וליתר עסקיו ומשליכים אחרי גוום מצוות ה׳ חוקותיו ותורותיו והטובים שבהם בנוח עליהם הרוח אומרים ברית ה׳ והיה עולה על לבם שמץ דבר טוב ומזכירין אותו מזמן לזמן או יפקידוהו מפקידה לפקידה ולא יעשה עוד דבר ממה שאמר או שעלה על לבם או ממה שזכרו ופקדו לעשות כי כל חסדם כענן בקר וכטל משכים הולך אמנם בימים ההם ובעת ההיא תהיה האמורה והזכירה וההפקידה תמידית מחוברת עם העשייה השלמה לא יפרדו מהם כלל ליפנות אחרי שרירות לבם הרע ולא יאמרו עוד ארון ברית ה׳ ולא יזכירוהו ולא יפקידוהו באופן שלא יעשה דבר ממה שיזכרו ויפקדו ויעלה על לבם כי כאשר יקראו בפיהם לירושלים שהיא כסא ה׳ ומקום ארון ברית כן יוציאוהו אל מעשה עד שיקוו כל הגוים אליה בשם השם ולא ילבו עוד אחרי שרירות לבם הרע: Senſus eſt: *vult indicare, quod, ubi congregatio illa univerſalis* (Judæ & decem tribuum) *ſit futura, & Paſtores ſcientia & doctrina eos paverint, inſignem ſint nacturi perfectionem, qualem hactenus in omnibus operibus ſuis non habuerint. Omni enim tempore, quo proſpere agebant, cordis ſui ſunt ſecuti ſententiam, & quilibet domum ſuam, vineam, agrum, & negotia ſua curæ habuit, neglectis penitus præceptis & ſtatutis divinis. Qui vero inter eos erant meliores, dum ſuper eos recumbebat Spiritus, faciebant quidem mentionem fæderis Domini, & pauxillulum boni de die in diem cogitabant, aut ſubinde viſitabant*; ſed opere ipſo non demonſtrarunt. *Pietas enim illorum* (Hoſeæ 13:3.) *erat ſicut nubes matutina, & ros manicans valde. Cæterum illis diebus verba illorum ſubinde cum opere ipſo erunt conjuncta, nec invicem ſeparabuntur, nec cordis ſui mali ſententiam ſequentur. Neque amplius dicent: arca fæderis Domini, neque ejus recordabuntur, neque eam viſitabunt, ut non id quod cogitarunt vel memorarunt, fiat. Quia ſicut vocabunt Hieroſolymam ore ſuo thronum Domini, & locum arcæ fæderis; ita etiam opere ipſo hoc demonſtrabunt, donec omnes gentes ad eam in nomine Domini ſe conferant, & ceſſent cordis ſui mali ſententiæ indulgere.*

VIII. Hæc *Arama*, qui perinde ac ſi quæ attuliſſet, omni dubio carerent, hoc tandem epiphonemate claudit: סוף דבר כל הנביאים פה אחד נבאו על צורך חזרת השבטים ויחידיהם אל מושבן: *Summa rei eſt, omnes Prophetæ uno ore prædixerunt, omnes tribus earumque ſingula individua neceſſario ad ſedes priſtinas reduci debere.* Cæterum cum Aramam non è textu veram ſententiam elicere, ſed potius nugas ſuas eidem obtrudere ſine præjudicio vaticinium legenti ſuboleat, idcirco jam nunc eadem opera, qua ſenſum nativum prophetiæ ſumus indagaturi, ejuſdem Rabbini detorſionem cum reliquis refellemus.

CAPUT II.

In ſenſum verum & genuinum vaticinii inquiritur, & utriuſque, cum Judaicæ, tum veræ explicationis facta collatione, quam malè illud ad analogiæ Scripturæ, experientiæ, & divinæ Oeconomiæ contrariam liberationem in pervertendis ſacris literis audaciſſimi Judæi detorqueant, oſtenditur.

§. I. POſtquam cap. 3. Jer. cum de decem tribuum, tum de tribus Judæ idololatria Deus eſt conqueſtus, verſ. 14. decem tribus, ut *Vatablus* vult, vel, quod veriſimilius, tribum Judæ his verbis alloquitur. שובו בנים שואבים נאם יהוה כי אנכי בעלתי בכם: *Convertimini filii refractarii*, vel *rebelles*, (ut Kimchi explicat) *ait Dominus, quia ego vir veſter, ſive Dominus veſter.* Ita verba כי בעלתי בכם reddidit S. Hieronymus in comment. quem ſequuntur *Carthuſianus*, *Cornelius à Lapide*, *Caſtrus* & alii interpretes. B. Luth. Jch will euch mir vertrauen. Ex Ebræis R. *Abarbenel* בימים הראשונים הייתי בועליך וגם תעתה באחרונה אקח אתכם בהיותכם בתכלית המיעוט ודלות: *Diebus primis fui maritus tuus, & factor tuus. Et jam hoc poſtremo tempore demum vos aſſumam, cum ad paucos eſtis redacti. R. David Kimchi* ſic explicat: אבעל בכם אחר שגרשתי אתכם *Maritus veſter ero, poſtquam vos expuli.* Cæterum allatam verbi בעלתי ſignificationem locum hic obtinere negat *R. Joſeph Kimchi*, ceu filius ejus *R. David* teſtatur, Comment. ad h. l. his verbis: אדני אבי ז״ל פי׳ בעלתי קצתי לפי שהוא קשור בבית וכן אנכי בעלתי בם ודמה אותו בזה הענין בלשון ערבי: *Dn. Parens meus b. m. explicavit vocem* בעלתי *per* קצתי *faſtidivi, quia conſtructum eſt cum Beth, quo ſenſu accipienda ſunt verba* (Jer. 31:32.) ego בעלתי בם, & *in hac ſignificatione verbum hoc in lingua Arabica ſumitur.* Unde idem *Rabbi Joſeph* regulam reliquit, quæ, citante *R. Davide Kimchio* in libro Radicum, ſic habet. כל לשון בעילה שהוא דבק עם בית הוא לשון גנאי *Ubicunque radix* בעל *cum Beth conſtruitur, ibi in malam partem accipitur.*

II. Etſi vero, ut doctiſſimorum Interpretum, ipſiuſque adeo *B. Lutheri* conſenſum inſuper habeam, eumque Ebræi Doctoris ſententiæ poſtponam, non temere me adduci patior, facere tamen non poſſum, quin, quæ pro *R. Joſephi Kimchii* ſententia dici queant, hic commemorem, lectoris judicio rem totam relicturus. Jer. 31:31. & 32. hæc leguntur verba: *Ecce dies veniunt, dixit Dominus, & exſcindam cum domo Iſraël, & cum domo Juda novum fædus, non ſecundum fædus, quod pepigi cum Patribus eorum in die, quo apprehendi manum eorum ad educendum eos ex Ægypto, quia illi irritum fecerunt pactum meum*, ואנכי בעלתי בם, quæ vulgo reddi ſolent, *& ego dominatus ſum eis, ait Dominus.* Unde B. Lutherus: Und ich ſie zwingen muſte. Cæterum præterquam quod *dominandi* ſignificatio Prophetæ ſcopo refragari, & omnem inter vetus & novum fœdus diſcrepantiam tollere videtur; autor quoque epiſtolæ ad Ebræos cap. 8:9. dum hoc Jeremiæ teſtimonio utitur, laudata verba reddit. κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, λέγει κύριος. *Et ego deſpexi eos, ait Dominus.* Syrus interpres ܘܐܦ ܐܢܐ ܫܛܬ ܒܗܘܢ *Et ego ſprevi eos.* Hinc viri docti hariolantur LXX. Interpretes, quorum verſionem hic ſecutus eſt Apoſtolus, procul dubio habuiſſe codicem Ebræum, in quo ſcriptum fuerit געלתי *faſtidivi*: & non diffitentur, lectionem hanc meliorem eſſe, & Apoſtoli inſtituto percommode aptari poſſe, veluti uterque *Capellus*, *Jacobus*, Obſervat. ad l. c. & *Ludovicus*, Critic. Sacr. p. 61. cenſent. Quid vero opus eſt eo delabi, ſi dicamus, radicem בעל pro diverſitate conſtructionis aliam atque aliam habere ſignificationem & cum *accuſativo* idem ſignificare ac *maritare* Eſ. 62:5. cum præfixo ל *dominari*, 1. Paral. 4:22. cum præfixo ב *aſpernari*, Jer. 3:14. cap. 31:32. quam verbi ſignificationem apud *Arabes* quoque receptam eſſe, ubi cum ب præfixo conſtruitur, docet exemplum بعل الرجل بالامراة *faſtidivit vir mulierem ſuam.* Quod dictum Angliæ decus, *Edoardus Pocokius*, Miſcell. c. l. ex *Rabbi Joſepho Kimchio* in medium attulit. Confer librum *Michlal Jophi* ad h. l. ubi *Rabbi Salomo Aben Melech* ad Arabes provocat. Quid vetat ergo, quo minus jam verborum noſtri loci ſenſum dicamus eſſe talem: *convertimini rebelles, ait Dominus, etſi vos faſtidivi vel reſpui?* Particulam enim כי quandoque

doque idem eſſe ac *etiamſi*, caret dubio, & exemplis id probat *Sixtinus Amama*, Antibarbar. Biblic. lib. 2. ad Geneſ. cap. 8: verſ. 21. Sit hac de re penes pios doctosque judicium.

III. Hanc ſeriam ad pœnitentiam invitationem ſequuntur hæc verba: *& aſſumam vos unum de civitate, & duos de familia, & introducam vos in* Sion. Non deſunt, qui exiſtiment, Prophetam ſecundum literam vaticinari de reditu Judæorum ex Babylone. Sic ſenſerunt *Theodoretus*, *Hugo*, *Thomas*, *Judæi*, quorum facit mentionem S. Hieronymus com. ad h. l. & *Jacobus Tirinus*, qui in eandem ſententiam citat *Euſebium* lib. 2. Demonſt. cap. 54. Sed longe aliter ſentiunt *S. Hieronymus*, *Lyranus*, *Carthuſianus*, *C. à Lapide*, *Caſtrus*, *Vatablus* & alii, qui tempora Meſſiæ Prophetam reſpicere ajunt. Quam ſententiam inde probant, quod in textu non fiat ſermo de reditu duarum tribuum è Babylone, ſed ex Idololatria, nec ibi unus aut duo redierint, ſed quadraginta duo millia, trecenti & ſexaginta, exceptis ſervis & ancillis, quorum erant ſeptem millia, trecenti, triginta ſeptem. Præterea quod reliqua, quæ ſequuntur & cum antecedentibus ſunt connexa, in idem tempus optime quadrent, qualia ſunt, *arcæ fœderis oblivio*, *& converſio gentium.* Nec Interpretes Ebræi hic diſſentiunt, qui magno conſenſu de tempore Meſſiæ verba explicare ſolent. Quid, quod vetuſtiſſimi Judæi ea ipſa quoque Meſſiæ ætati convenire ſunt faſſi. In *Talmud* enim, *Maſſecheth Sanhedrin*, cap. 2. fol. 111. nitidiſſimæ illius editionis Venetæ, quam inclytiſſimo Heroi & immortalis gloriæ Electori, *Johanni Friderico* (cujus ſummum cum veræ religionis, tum omnium literarum promovendarum ſtudium hoc anno Jubilæo grata mente recoluimus) fert acceptam noſtrum Athenæum, diebus Meſſiæ verba hæc applicantur. Poſtquam enim ibi in *Gemara* dictum eſt, *ex tot millibus Ebræorum nonniſi duos in terram Canaan perveniſſe*, (Joſuam & Calebum) verbis *Jeremiæ* allegatis, ſubjunguntur hæc verba: אמר רבא וכן לימות המשיח שני וענתה שמה כימי נעוריה וכהיום עלותה מארץ מצרים *Dixit Rabba, ſic quoque erit diebus Meſſiæ, quia dictum eſt* (Hoſ. 2: 15.) *& reſpondebit juxta dies juventutis ſuæ & ſecundum dies adſcenſionis ex Ægypto.* adde ibi gloſſam *Rab. Salomonis* & librum *Jalkut.* ad Hoſ. l. cit.

IV. Si de tempore Meſſiæ præſens textus loquitur, veluti Ebræi largiuntur, & id temporis, tam pauci ſunt recipiendi Judæi, cur igitur univerſalem reductionem hodie ſperant? In hoc ſane ſibi non conſtant & idcirco varias hujus loci reliquerunt perverſiones. In *Gemara* ad dictam Maſſecheth hæc legimus אמר ריש לקיש דברים ככתבן אמר לו רבי יוחנן לא ניחא ליה למרייהו דאמרת עלייהו הכי אלא אחד מעיר מזכה כל העיר ושנים ממשפחה מזכין כל המשפחה *Dixit Reſch Lakiſch*, *verba illa* aſſumam &c. *debent intelligi*; *uti ſcripta ſunt. Dixit ad eum Rabbi Jochanan*, *non eſt gratum Domino illorum*, *quod ſic loquaris*: *ſed unus dignam urbem reddit*, *& duo omnem familiam.* quæ verba cum *Lipmannus* quoque in Nizzachon fol. 119. citaſſet, ſubjungit: וקיימא לן כרי יוחנן *Eſt traditio nobis*, *qua ſecundum Rabbi Iochanan ſentire tenemur.* Nempe cum alias textus Judæorum opinioni adverſetur, tam ineptum & alienum verborum ſenſum jubentur recipere. Rabbi David Kimchi veterum mentem hanc fuiſſe perhibet בזכותן יצאו כלם מהגלות *ob dignitatem illorum paucorum omnes ex captivitate egredientur.* Cæterum valere juſſa hac explicatione novam ille affert in Comment. h. v. אפילו יהודי אחד יהיה לבדו בעיר מערי הגוים משם אקחנו וכן אם יהיו אפילו שנים לבדם באומה אחת משם אקחם ואומה נקראת משפחה כמו ואם משפחת מצרים לא תעלה וכן כל משפחות ממלכות צפונה: *Etiamſi unicus Iudæus tantum ſit in urbe gentium*, *tamen eum inde ſumam. Etiamſi duo in uno populo, tamen inde eos capiam. Populus ſignificatur voce* משפחה *uti in verbis* (Zachar. cap. 14. verſ. 18.) *Si familia Ægypti non adſcenderit &* (Jerem. cap. 1. verſ. 15.) *familiæ regnorum Aquilonis.* Sed ſoli Kimchio in mentem venit textum hypothetice explicare, quem reliqui categorice explicandum eſſe uno ore affirmant, & ſic literæ docet *συνάφεια*.

V. Quod ad ſimilem fere locum Ezech. 20: 34. & ſeqq. *Rabbi Moſen Mikkozi* dixiſſe, refert *Rabbi Lipmannus*, *l. c.* מסתפינא מהאי קרא *Metuo mihi ab hoc textu*, id Judæis Jeremiæ verborum Interpretibus accidere videmus, qui abhorrent ab eis, & cum verum ſenſum, qui fere palpabilis eſt, opinioni Judaicæ repugnare deprehendunt, difficultates ſibi fingunt in textu, ut eum eo facilius pervertere queant. Suomet exemplo hoc comprobat *Rabbi Abarbenel*, ſic ſcribens l. c. אין ענין לזה עם אמרו כי תרבו ופריתם ועוד שאין יסכים כי תרבו ופריתם עם מה שאמר סמוך לזה ולקחתי אתכם אחד מעיר ושנים ממשפחה: *Non apparet*, *quid ſibi velint verba: cum creveritis & multiplicati fueritis. Et præterea ecquomodo dicta verba conveniunt cum eo*, *quod huic eſt conjunctum*: *& aſſumam unum de civitate & duos è familia?* Cum ita aqua hæret *Rabbi Abarbeneli* in commentis excogitandis cæteris Judæis fertiliori, tandem comminiſcitur, ceu ſupra *cap.* 1. §. 4. audivimus, Jeremiam dixiſſe; Judæos non tantum pios fore, cum pauci fuerint, ſed etiam ubi creverint. Atque ita exemplo inaudito ad verſ. 14. explicandum aliquid accerſit ex verſ. 17. Cæterum verſui 14. commodus ſenſus competit abſque verbis è verſ. 17. petitis, quæ non Judæos ſpectant, ſed Gentes. Sive de congregatione diſperſorum Judæorum ab exilio Babylonico illum accipias (quo tamen modo explicandum textum ipſi negant Judæi,) ſive de vocatione nonnullorum Judæorum ad Eccleſiam eum intelligas, opus minime eſt, neque fert contextus, ut aliunde ad ſenſum ejus complendum aliquid petatur. Quod ſi poſteriori modo cum maxima Chriſtianorum Interpretum parte textum interpreteris, vox *Sion*, quæ montem alias Hieroſolymis ſignificat, in quo Regia Davidis ſita erat, notabit *Eccleſiam*: quæ ſignificatio ſæpe ab interpretibus inculcatur hoc Canone: *Prophetæ de Sion & Ieruſalem proprie dicta id eſt urbe Iudaica*, *& Myſtica*, *id eſt Ecleſia*, *quaſi una eademque loquuntur*, *& ab illa ad hanc aſſurgere ſolent.* Etſi vero Iudæi negant, *Sion* ita accipi: nobis tamen Chriſtianis eſt certiſſimum, qui novimus, & eventum comprobare, & ſuomet ſuffragio ſignificationem hanc confirmare Apoſtolum, Ebr. 12: 22. Quin, ſi non de liberatione ex captivitate Babylonica, ſed de tempore Meſſiæ textus loquitur, (veluti Iudæi fatentur) alio modo, quam quo Chriſtiani ſolent, explicari verba Prophetæ non poſſunt; quandoquidem illa redemptio, quam tertiam Iudæi vocant, & hodienum expectant, vana eſt perſuaſio Iudæorum, veluti alibi demonſtratur. Senſus E. verborum talis erit: paucos *ex vobis*, *qui ſubinde à me deficitis*, *in Eccleſiam ſumam*: quo ipſo nihil aliud ſignificatur, quam quod Eſaias cap. 1. verſ. 9. cap. 10. verſ. 22. prædixit, DEUM Iudæorum reliquias ſalvaturum, cæteris ob contumaciam & impietatem rejectis. Quibus teſtimoniis utitur Apoſtolus, Rom. cap. 9. verſ. 27. & 29. probaturus, DEUM ex gentilium primitiis & Iudæorum reliquiis collegiſſe Eccleſiam, de quibus videantur Theologi.

VI. Dicis: ſed durum ita videtur, Prophetam Judæos ad pœnitentiam adhortantem tam ſubito ad aliud tempus ſermonem ſuum convertere, ſuoſque auditores ita alloqui, perinde ac ſi tantiſper victuri eſſent, donec illa in ipſis implerentur. Reſpondemus: Imo vero id receptiſſimum eſt Prophetis, ut derepente ad aliud raptu Prophetico transvolent. Hoc uti à *Salmerone*, *Ribera*, *Sanctio*, *Menochio*, ipſoque adeo *B. Luthero* eſt inculcatum, ita Judæi ipſi hoc diffiteri non poſſunt. *Rabbi Abarbenel.* f. 159. Comment. in Ezechielem diſerte, דרך הנבואות כן הוא שפעמים תבוא הנבואה לנביא על ענין אחר קרוב ומיד יודיעהו ענין אחר ממנו שהוא לזמן רחוק או לאחרית הימים: *In Prophetiis id uſitatum eſt*, *ut quandoque Prophetæ ea obveniat de re brevi eventura*, *& extemplo aliam ſubjiciat*, *quæ longo demum tempore poſt*, *aut in extremis diebus eſt implenda.* Minime igitur novum vel inſolens videri debet, ſi ex abrupto ad tempora Evangelii ſe convertat Jeremias, eaque ipſis prædicat, quibus aliquot ſeculis poſt ſuum demum conſtitit complementum.

VII. Quid paucis illis tunc ſit futurum, Vates his verbis edocet: *Et dabo vobis Paſtores ex ſententia animi mei*, *qui paſcent vos ſcientia & intelligentia.* Per Paſtores intelligit *Rabbi David Kimchi* פרנסי ישראל עם מלך המשיח. *Gubernatores Iſraelis*, *qui cum Meſſia ſunt futuri.* Sed uti in Meſſiæ perſona turpiter errant Judæi, ita hic fieri nequit, quin hallucinentur. Nempe non Magnates intelliguntur, qui Regem terrenum ſint comitaturi, ſed *Doctores*, uti ex vocibus דעה והשכיל *ſcientia & intelligentia*, tanquam *effectu* illorum, eſt colligere. *Atque hi ſunt Apoſtoli*, *& Apoſtolici viri*, (uti loquitur S. Hieronymus) *qui paverunt credentium multitudinem non in judaicis ceremoniis*, *ſed in ſcientia Chriſti & doctrina.* Quo tempore etiam impleri cœperunt verba, quæ in textu noſtro ſubſequuntur.

VIII. Ea ſic habent: *Eritque cum augeſcetis & fœtificabitis in hac terra*, *temporibus illis dictum Domini*, *ut non dicant amplius: arca fœderis Domini*, *neque veniet in animum*, ne-

neque recordabuntur ejus, neque visitabunt, neque fiet amplius. Hic sane suo se indicio instar soricis prodit *Rabbi Abarbenel*, cui, uti sudes in oculis sunt hæc verba, ita ut commento quopiam ea cæteroquin clarissima obfuscet, omnem movet lapidem. Diserte scribere nullus veretur: זה פסוק זר מאד באומרו שלא יזכרו עוד ארון ברית השם *Hic versus oppido paradoxon quid sapit, dum dicitur: & non recordabuntur arcæ fœderis Domini.* Eccui Judæi causam non suspectam reddat tam ingenua confessio? Quod tam emphatice Propheta docet, id alienum peregrinumque esse homini carnali & ceremoniarum veterum tenacissimo videtur. Unde se emphasin istam capere posse, iterum negat his verbis: יראה הכתוב מלופל מאד באמרו לא ואמרו עוד ארון ברית השם ואחר שנית ולא יעלה על לב שלישית ולא יזכרו בו רביעית ולא יפקדו חמשית ולא יעשה עוד ומה ענין העשייה זאת מי יתן וארע: *Videtur versus maximopere conduplicatus, dum dicitur: & non dicent amplius, arca fœderis Domini: secundo, non adscendet in cor: tertio, & non ejus recordabuntur: quarto, & non visitabunt: quinto, & non amplius fiet. Ecquid sibi vult hæc factio? hoc scire pervelim.*

IX. Quod scire tantopere expetit recutitus, mox edocebimus. Interea id, in quo scriptura itidem modum ei excedere videtur, alias quoque haud infrequens esse, ei in memoriam revocamus. Est Rabbinorum, ubi in sacris unum idemque diversis vocibus inculcatur, πολυθρύλλητον, *Abarbeneli* quoque non ignotum כפל הענין במלות שונות לחזק הדבר: *Duplicatur res duabus dictionibus ad roborandam rem vel emphaseos causa.* Et מנהג הלשון פעם לחזק בשתי מלות פעם בשלש *solet quandoque scriptura duabus, quandoque tribus dictionibus emphasin indicare.* Qui præjudicio non fascinatus jam perpenderit tot πανομοίων & ad unum idemque collineantium verborum seriem, is aliter judicare nequit, quam arcæ abrogationem ἐμφατικῶς significari: maxime ubi notaverit, quod verba, *non dicent amplius, arca fœderis*, eosdem respiciant, quos se assumpturum DEUS pollicetur. A Prophetarum enim more alienum non est, ut sermonem secunda persona inchoatum tertia pertexant. Sane hoc Jeremiæ receptum fuisse, *Rabbi Abarbenel* pag. 35. col. 3. lib. *Maschmiah Jeschuah*, ad idem caput, his verbis annotat. דבר הנביא בכתובים האלה כנגד ישראל פעם לנכח פעם לנסתר דרך הנבואות *Alloquitur Propheta Israelem istis verbis quandoque secunda, quandoque tertia persona, uti in vaticiniis fieri solet.* Hæc cum ita se habeant, sensus verborum laudatorum erit: illos qui pastorum opera edocti tum fuerint, arcæ fœderis nullam habituros rationem, neque vel oraculi petendi causa amplius eam esse adituros, quippe qui tum longe uberiorem rerum divinarum scientiam acceperint, quam ut arca ulterius opus sint habituri.

X. Vidit hoc ipsum, sed quasi per transennam, in densis alioquin hærens tenebris, *Rabbi Menasseh Ben Israel*, qui, *Concil.* pag. 196. hæc verba reliquit. *Si attendamus in tabernaculo aut templo locum, in quo divinitas considebat, fuisse arcam*, (unde Exod. 15. vers. 22. Et loquar tecum à superiori parte operculi è medio Cherubinorum) *comperiemus, hic dicere Dominum, antea quidem arcam receptaculum divinitatis fuisse, at temporibus Messiæ non unum aliquem templi locum fore divinitate repletum, sed hanc gloriam toti urbi Hierosolymis datum iri, ut, quicunque in ea sint, Propheticum Spiritum habeant. Quod clare ostendunt verba: Eritque cum augescetis in terra illis temporibus dictum Domini. Non dicent amplius, arca fœderis Domini, sed vocabunt Jeruschalaima solium Domini. Et illo sensu optime versus præcedens alteri connectitur. Non nominabunt amplius arcam: quid ergo? nominabunt civitatem Hierosolyma, solium Domini. Faciunt pro hac expositione Prophetarum, testimonia, quæ inter hoc est, implebitur terra cognitione Domini* (Habac. 2: vers. 14.) *& vaticinabuntur filii tui & filiæ tuæ* (Joel 3: vers. 1.) Hæc Rabbi *Menasseh*, qui etsi vaticinia, quæ nos dudum impleta novimus ex Joh. 7: 43. & Actor. 2: vers. 17. adhuc implenda contendens communem errorem cum reliquis Judæis erret, propius tamen à veritate abest, dum oppositionem in textu nostro restringit ad *scientiam*, quæ (secundum Samaritanorum quoque opinionem (uti ex Joh. 4: vers. 25. patet,) ætate Messiæ major futura est, quam quæ antea erat: adeoque paulo tolerabilius errat, quam *Rabbi Abarbenel* & *Rabbi Arama*, quorum iste fingit, eos non amplius necesse habituros ob singularem sanctimoniam, ut *fœderis* sint memores, vel, (dat enim optionem tam diversa eligendi) ut pastores *arca mentione* à perjurio dehortentur jurantes: ille vero invito textu sensum esse ait; non recordabuntur amplius arcæ vel fœderis, ut non etiam reapse bona opera sint præstituri; quo magis alienum quid à Prophetæ scopo ne excogitari quidem poterat. Ita vertigine laborantes Rabbini verba torquent, & perinde, ac si integrum sit, textui voces pro libitu intrudere, ad suam præconceptam opinionem trahere solent. Ejusmodi detorsionum singularis artifex *Rabbi Abarbanel* ad verba ולא יעשה עוד *Et non amplius fiet*, nunc ברית *fœdus*, nunc פועל מגונה *opus turpe* subaudiendum arbitratur. Insolens quidem non est, ut quandoque ex præcedentibus ἀπὸ κοινοῦ aliquid Interpres repetat, vel etiam ex sequentibus ad antecedentia revocet; verbi causa Prov. 13: 1. verbum שמע Malach. 1: vers. 10. particulam חנם Deuter. 17: vers. 16, 17. vocem מאד &c. sed id tum demum fieri debet, cum contextus, scopus dicentis, & subjecta materia id poscunt, quæ omnia quum turpissime neglexerit alias satis perspicax *Rabbi Abarbenel*, fieri non potuit, quin desultoria quadam, & in interprete minime probanda levitate nunc vocem ברית nunc פועל מגונה infulcire contenderet; minime id facturus, si, ut arcæ abrogationem omnimodam significari crederet, à se impetrare potuisset. Subjectum, de quo *Jeremias* agit, non sane *fœdus* est, quippe cujus hic non nisi in obliquo fit mentio, & eatenus, quatenus *arca* ab eo denominari solet. Multo minus v. פועל מגונה *opus turpe*: sed *arca*, de qua sola Propheta loquitur: *non*, inquiens, *dicent amplius arca fœderis*, non mente *de ea cogitabunt*, *non* verbis *ejus recordabuntur*, nec actu ipso *visitabunt eam.* Superest, ut dispiciamus, an de eadem negativa hæc enunciatio itidem sit intelligenda: *& non amplius* יעשה; quam crucem figere *R. Abarbeneli*, supra audivimus. *Franciscus Junius* vertit: *& non magnificabitur amplius arca*: cujus significationis exempla adducit Deut. 32: 6. 15. 1 Sam. 12: 6. Neque multum abit *Franciscus Ribera*, qui, ne textus arcam olim, cum Enoch & Elias venerint, Judæis iterum monstrandam esse negare videatur, loci hujus sensum imprudens enervat, dum Comment. in Hag. 1. pag. 604. contendit, *Prophetam tantum dixisse, arcam non ita esse colendam, aut in pretio habendam, ut tempore legis scriptæ. Junio* novitatem exprobrat Cl. *Helvicus*, non quod plane novam verbi significationem confinxerit (nam & Kimchi illam in libro Rad. fatetur.) sed quod locum hunc aliter, quam interpretes hactenus consueverunt, interpretari præsumpserit. Hinc ille B. *Lutheri* versionem secutus *pag.* 273. *Vind. Loc. V. Test.* docet, verbum עשה hoc loco idem significare ac *sacrificare*, allatis exemplis. Genes. 18. vers. 17. Exod. 29: 10. In eandem sententiam etiam allegari solent ab aliis, Exod. cap. 10. vers. 25. Levit. 16: 9. Num. 6: 11. cap. 8: vers. 12. Jud. 13: 15. 1 Reg. 18: 23.

XI. Cæterum etsi negare nolumus, verbum עשה notare quandoque apud Ebræos *sacrificare*, perinde ac τὸ Facere *Virgilio* Eclog. III.

Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

In quæstione tamen adhuc est, an hic ista significatio vocis locum obtineat? Hactenus sane observavimus, verbum illud Ebræis cum addito aliquo sic usurpari. Exemp. grat. Psal. 66: 15. אעשה בקר עם עתודים *bovem offeram cum hircis.* 1 Reg. 12: vers. 27. לעשות זבחים *ad offerenda sacrificia*, adeoque significationem istam videtur verbum illud sortiri ex substrata & determinata materia, quod alias secundum se vel absolute positum est generalioris significati. Unde *Rabbi David Kimchi* in libro Radicum illud explicans ait: הקנין האסיפה והתקון הכל הוא מעשה *Acquisitio, collectio, præparatio verbo* עשה *solet denotari.* Cum v. hoc loco Fut. 3. Pers. *Niphal*, quod, uti *Masorethæ* annotant, tricies & sexies in Codice Sacro occurrit, absolute ponatur, (quo pacto nunquam, quod sciamus, sacrificii oblationem significat) & LXX. Interpret. simpliciter reddiderint ποιηθήσεται, haud immerito quæritur, annon rectius transferatur; *& non amplius fiet*, quam *& non amplius sacrificabitur?* Prior sane explicatio contextui conformior esse videtur, ex quo haud obscure patet, de arca sermonem esse Prophetæ. Neque tamen putandum, sic minus Judæorum sententiam labefactari. Notatur enim, arcam, quæ inter ceremonialia & umbras futurorum ultimum minime erat, non amplius *iri confectum.* Quod sensisse videtur Theologus & Philosophus Clarissimus *Jacobus Martini*, *Propria, inquiens, hujus verbi significatio, quæ hoc loco unice retineri debet, est parare, perficere. Genes. cap. 1: vers. 31. cap. 2: vers. 2.* Confer. lib. 3. de tribus Elohim cap. 32.

 XII.

XII. Addit Propheta, quid tum præterea sit futurum *Tempore illo*, inquiens, *vocabunt Jerusalem solium Domini.* Quod adhuc implendum arbitrantes Judæi tempus illud, quo Hierosolyma reædificanda hoc nomine insigniatur, exspectant. Fugit vero & hic eos ratio, somniumque illorum stabilit phraseologia non sedulo expensa, & superficietenus introspecta. Sciendum enim est, quod DEUS passim in Scripturis nomenclaturam rebus aut personis quibusdam indi jubeat, non habita ratione nominis aut nomenclaturæ istius, sed solius sensus sive rei: Vel ut *Ribera* loquitur ad cap. 2. Hos. vers. 15. *in Scripturis res hoc aut illo modo vocari dicitur, non tam quod nomen illud sit habitura, quam quod conveniat ei, quod nomine significatur.* Confer loca seqq. Esai. 1. vers. 26. c. 60. vers. 14. c. 62: vers. 2, 4, 12. Jerem. 19: vers. 6. Zach. 8: vs. 2. Atque hinc *S. Chrysostomus Hom. 5. in Matthæum*, Judæis, qui negabant, vaticinium Esai. 7: vers. 14. de nostro Messia loqui, quippe quem Immanuelem vocatum nuspiam legamus, sic respondet: ἔθος τοῦτο τῇ γραφῇ τὰ συμβαίνοντα πράγματα ἀντὶ ὀνομάτων τιθέναι, οὐδὲν οὖν ἄλλο δηλοῖ τὸ καλέσουσιν Ἐμμανουήλ, ἢ ὅτι ὄψονται θεὸν μετ' ἀνθρώπων. hoc est, *Scripturæ in more positum est, rem ipsam ponere loco nominum. Nihil aliud ergo innuitur verbis: & vocabunt Immanuel, quam eos DEUM visituros cum hominibus agere.* Nec tantum in sacris hoc obtinet, ut *vocari* idem sit ac *esse*, sed etiam profanis auctoribus idem est receptum. Apud *Homerum* enim *Juno* ad *Somnum* Iliad. ξ.

—— Ἐγὼ δέ κέ τοι χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων
Δώσω ὀπυιέμεναι καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν
Πασιθέην. ——

Ego tibi Gratiarum ætate florentium unam tibi in matrimonium dabo, atque ut vocetur uxor tua, Pasitheam h.e. ut *fiat* uxor tua. Ubi *Eustathius* ad l. cit. Τὸ δὲ ὀπυιέμεναι καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν, αὐτῆς ἐννοίας εἰσὶν, *In matrimonium dari & uxorem vocari, eundem sensum habent.* Consimiliter ad verba *Delphidos* apud *Theocrit.*

—— καὶ γὰρ ἔλαφρος
Καὶ καλὸς πάντεσσι μετ' ἠϊθέοισι καλεῦμαι.

Lect. Theor. cap. 3. Is. Casaubonus sic scribit: καλεῖσθαι *hic accipio*, ut τὸ εἶναι *potius quam* τὸ κατηγορεῖσθαι vel λέγεσθαι *significet.*

XIII. Ne vero quis accipiat, phraseos hujus vim nos demonstrare ex illis, quorum auctoritatem Judæi non agnoscant, en Judæum quoque veritati testimonium perhibentem! Ad verba Ezech. 48. vs. ult. *nomen civitatis ex die illo Dominus ibi*, R. Salomo sic commentatur. לא יקרה לה שם אחר אלא שם הראשון שהיה לה מיום שעקד אברהם את יצחק בנו שם: *non alio vel diverso nomine, sed primo* (Hierosolyma) *vocabitur, quo* appellabatur, cum *Abrahamus filium suum ibi ligavit.* Ubi rem tantum agnoscens phrasi significatam, expresse negat, ipso nomine, *Dominus ibi*, urbem insigniendam esse. Quod si igitur novam appellationem phrasis illa minime importat, nihil causæ est, quamobrem Judæi tempus exspectent, quo urbs illo nomine novo appellanda, & ut *R. Abarbanel* supra loquebatur, peculiarem curam Deus istius sit habiturus, cum antequam illa in cineres redigeretur, res ipsa ei convenerit, Messia nostro Θεανθρώπῳ in ea veluti throno sedente & ministros suos in totum terrarum orbem emittente, uti Castrus verba interpretatur, quale quid diebus Messiæ futurum, ipsimet docent Judæi *R. D. Kimchi* ad 2. Esai. diserte: מציון תצא תורה ומצוה לכל העמים והמורה הוא מלך המשיח: *Ex Sion egredietur lex & præceptum ad omnes populos, & Doctor ipse futurus est Rex Messias.* Haudquaquam tamen dissimulamus, *Vatablum*, *Lyranum* & alios cum *Hieronymo* non tam de ipsa urbe Hierosolyma, quam Ecclesia Jeremiæ verba intelligere, quæ tum impleta fuerint, *cum omnes perfecta mente credentes essent thronus Domini, & nequaquam Dominus sedebat super arca testamenti & Cherubim, cui prius ab illo populo dicebatur, qui sedes super Cherubim, manifestare*, veluti laudatus pater loquitur. Quam explicationem minime rejiciendam esse, vel sequentia verba ostendunt.

XIV. *Et congregabuntur* אליה *ad eam omnes gentes in nomine Domini* ירושלים *in Jerusalem, & non ambulabunt post* שרירות *cordis sui mali.* Locutionem, quæ pleonasmus sapere videtur, Rabbi David Kimchi in Comment. sine necessitate explicat subintelligendo verbum, hunc in modum, מה שאמר לירושלים אחר שאמר אליה רוצה לומר שאמר אחר לחברו נלך לירושלים ולא ילכו עוד אחרי שרירות לבם הרע: *quando ait* in Jerusalem, *postquam jam dixerat*, ad eam, *vult dicere: alterum alteri dicturum esse, eamus Hierosolymam*, (ubi intelligit urbem Hierosolymam, ad quam tamen gentes omnes non confluxerunt, sed ad Ecclesiam) *neque amplius sequentur cordis sui mali* שרירות *cogitationes.* Sic enim per מחשבות nonnulli, alii per חזק, *duritiem* explicant. Vid. *Kimchi* in libro Radicum. Est autem sensus perspicuus: eopse nempe tempore paganos & à vero Dei populo alienos (hos enim absolute posita vox גוים denotare solet) valere jussa idololatria, & persuasione falsa de Deorum multitudine, & impietate pristina, verum Deum frequentes agnituros esse. Quam gentium conversionem Esai. 2: vers. 2. Zephan. cap. 3: vers. 9. & aliis pluribus locis prædictam, dudum esse impletam, in vulgus constat. Dum *Kimchi* subjungit לא ישראל ולא הגוים *Neque Israël neque gentes secuturos cordis sui mali cogitationes*, bis impingit. Primum enim phrasin illam ad Judæos quoque refert, contra, quam textus poscit, qui de gentibus agit. Deinde falso sibi persuadet, concupiscentiam ex hominibus post Messiæ adventum radicitus extirpatum iri, ut sanctitatem perfectam & omnibus numeris absolutam sint nacturi. Quod commentum est aliorum quoque Judæorum confundentium secundum Messiæ adventum cum primo. Sic *Rabbi Bechai* fol. 220. col. 3. Comment. in Pentateuchum *scriptionem legis in cor, Jerem. 31: vers. 33.* quæ peculiarem Dei gratiam denotat, qua futurum sit, ut non modo verbum audiant, sed etiam operationem efficacem ejusdem sentiant, explicat per בטול יצר הרע *ablationem concupiscentiæ malæ.* & *R. Abarbenel* fol. 401: col. 3. Comment. in Pentateuchum de tempore Messiæ affirmat, quod homo יהיה באותו מדרגה שיולד בה אדם הראשון *sit in eo integritatis gradu futurus, quo Adamus fuit.* Longe aliter veteres in Talmud, Masfechet Sanhedrim fol. 191. col. 2. אין בין עולם הזה לימות המשיח אלא שיעבור מלכיות בלבד: *Non est discrimen inter mundum hunc & dies Messiæ, nisi servitus regnorum*, quod in hoc mundo servimus exteris Regibus, diebus Messiæ nulli nisi Messiæ. Et Rabbi *Maimonides* cap. ult. Hilk. Melachim §. 1. אל יעלה על הלב שבימות המשיח יבטל דבר במנהגו של עולם: *Noli putare, diebus Messiæ quicquam de eo, quod alias in mundo fuit, cessaturum.* Tam belle conveniunt in hac de Messia quæstione.

XV. Maxime præterea ad evincendam illam, quam Judæi expectant redemtionem Rabbi *Abarbenel* abutitur verbis vers. 18. *Diebus illis ibit domus Juda ad domum Israël, & venient simul de terra aquilonis ad terram, quam sortiri feci patres vestros*, ad quæ ille hunc in modum commentatur: כלם יבואו בגאולה יחדיו ואמר מארץ צפון לפי שהוא רמז לעשרת השבטים שהגלו שמה ואלו ואלו בית יהודה ובית ישראל יבאו על הארץ אשר הנחלתי את אבותיהם שהיא ארץ ישראל ואמנם אמרו ילכו בית יהודה על בית ישראל פירשו המפרשים שהוא כמו עם בית ישראל ע"ד ויבאו האנשים על הנשים והנכון בעיני שהוא כפשוטו שימלוך בית יהודה על בית ישראל ולא יהיו עוד לשני ממלכות: Sensus est: *Omnes simul venient, cum liberabuntur. Et ait, ex terra aquilonis, quia istis verbis innuit decem tribus, quæ eo sunt abductæ. Hæ nempe omnes & domus Juda venturæ sunt ad terram, quam sortiri feci patres illorum, quæ est terra Israëlis. Verum cum ait;* Ibit domus Juda על בית ישראל *explicant Interpp.* על per עם cum *domo Israëlis: quemadmodum usurpatur in verbis* (Exod. 35: vers. 22.) *& venerunt viri* על נשים *cum mulieribus. Mihi vero sensus esse videtur literalis, quod domus Juda in domum Israël principatum sit habitura, neque amplius duo sint & diversa regna futura.* Ita ille non contemnendam observationem de particula על, quam quandoque idem ac *cum* significare, *Kimchi* monet, & locus Jerem. 50: vers. 4. haud obscure comprobat, hic rejicit, eo fine, ut eo verisimilius textum ad suam sententiam de adhuc speranda liberatione decem tribuum detorquere possit.

XVI. Cæterum si vers. 18. de קבוץ גליות *congregatione exulum Judæorum* & decem tribuum à Salmanassere abductarum liberatione adhuc futura agit, ostendant tandem Judæi, ubi hodie locorum illæ degant. Sane à *Belgis*, *Anglis*, *Hispanisque* toto fere terrarum orbe perlustrato nihildum, de iis est compertum. Quid, quod ipsi Judæi suam hic ignorantiam fatentur. *Rabbi D. Kimchi* ad cap. 31: vs. 15. Jerem. diserte: לא שבו עד משגלו כמו שגלו יהודה ובנימין מגלות ראשון מבבל ורשות שבטים לא שבו עוד ולא נודע מקומם: *Non sunt reversæ decem tribus, quemadmodum Juda & Benjamin ex prima captivitate redierunt. Neque reduces factæ illæ sunt, neque de loco, ubi degant, quicquam novimus.*

R. Abar-

R. Abarbenel Comment. ad l. c. non diſſentit : גלו בגלות עשרת השבטים ולא שבו ולא נודע מהם דבר אם הם קיימים אם לא: *Abductæ ſunt decem tribus, neque reverſæ ſunt, & nihil de iis eſt compertum; ſuperſint ne illæ adhuc, nec ne.*

XVII. Licet vero ita ingenue fateantur, nihil ſibi de earum conditione innotuiſſe; ſolent nihilominus ſibi ſuiſque perſuadere, omnino eas adhuc in Palæſtinam reducendas eſſe, id quod tum demum ſit futurum, ubi Meſſias advenerit. Ejuſmodi prodigioſæ credulitatis exemplum præbet *R. Abarbenel*, dum loco citato ſic ſcribit. בימים האלה אשר כתבתי זה ראיתי בכתב אמתי שהביאו בני המערב ההולכים היום ממלכות פורט"וגאל לארץ הודו להביא הבשמים שהעידו שראו שמה יהודים הרבה והביאו כתב מיד חכם אחד מהם והם אומרים שהמה מבני יהודה ובנימון מאותם שגלה סנחריב מערי יהודה קודם חרבן ירושלים ע"י נבוכדנצר כמו שנזכר בסדר עולם ושהניח אותם אחרי הררי חשך ושהם לא שבו בבית שני ואמרתי אני אל לבי שלהיותם שמה קרובים במושבותם ל"י שבטים שהגלה סנחריב לכן ניבא פה ירמיהו ועליהם אמר שבשובה את שיבת ציון יתחברו שמה אלו לאלו תהו ילכו בית יהודה על בית ישראל ויבאו יחדיו מארץ צפון על הארץ אשר הנחלתי: *His ipſis diebus, cum hæc ſcriberem, vidi in ſcripto veraci ab Occidentalibus ablato, qui hodie è regno Portugalliæ in Indiam proficiſcuntur, ut aromata inde advehant, quod confirment, ſe ibi multos vidiſſe Judæos. Attulerunt etiam literas manu cujuſdam Sapientis ex illis perſcriptas, qui perhibent, ſe ex poſteris Judæ & Benjamin eſſe, quos Senacherib ante excidium Hieroſolymorum à Nebucadnezare factum ex urbibus Judæ abduxit, veluti in Seder Olam memoratur, ſeque relictos ab ipſo eſſe poſt montes caliginis, neque tempore templi ſecundi rediiſſe. Dixi igitur in animo meo, cum ibi ſedibus ſuis vicini ſint decem tribubus, quas Sancherib abduxit captivas, idcirco Jeremias de iis vaticinatus hic dixit, futurum, ut cum Dominus reduxerit captivitatem Sionis, hi cum illis conjungantur. Atque hoc eſt, quod ait Propheta; ibunt domus Juda ad domum Iſrael, & venient ſimul ex terra Aquilonis in terram, quam ſortiri feci.*

XVIII. Faſtis & genealogiis Judæorum dudum turbatis & ſublatis penitus, de certa proſapia gloriantibus, ſeque inde uſque à prima captivitate ſuperſtites eſſe affirmantibus, fidem habere, & illorum liberationem ex præſenti loco colligere, id vero eſt ſtuporis Judaici. Ait quidem Jeremias, *Judam cum Iſraele ex Aquilone* h. e. Chaldæa, *in terram patriam rediturum eſſe*: ſed num propterea ſequitur: ergo adhuc poſt tantum temporis intervallum omnium omnino tribuum in patrias ſedes eſt ſperanda reductio? Hoc eſt ſuam ſententiam adverſus Chriſtianos מפשוט הכתוב כפי השכל הישר כדרך המתוכחים *ex ſenſu literali more diſputantium juxta verum intellectum confirmare*, quod ſe facturum recepit *R. Abarbenel*? Nullam ſane rationem attulit, qua probari queat, verba laudata neque de tempore templi ſecundi, neque de *ſpirituali* quadam liberatione loqui. Quod cauſatur, גאולת בבל לא היתה שלמה כי אם פקידה חלושה: *redemptionem ex Babylonia non fuiſſe perfectam*, ſed *particularem* duntaxat, & quorundam *viſitationem*, id falſum eſſe pateſcet ex iis, quæ infra dicentur. Fatemur quidem ultro, omnes tribus ſimul turmatim in Palæſtinam minime rediiſſe. *Fl.* ſane *Joſephus* lib. XI. c. V. Antiq. Jud. teſtatur, ſua ætate præter tribum Judæ & Benjamin ſub imperio Romano fuiſſe, δύο, inquit, φυλὰς εἶναι συμβέβηκεν ἐπί τε τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης Ῥωμαίοις ὑπακουούσας· αἱ δὲ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσὶν Εὐφράτου ἕως δεῦρο μυριάδες ἄπειροι καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι. *Duæ tantum tribus per Aſiam & Europam ſub Romano degunt imperio, decem autem tribus nunc quoque ultra Euphratem ſunt infinita hominum millia, quæ vix eſt numero comprehendere.* Atque hinc magni nominis viri arbitrantur, eas tribus ſucceſſu temporis cum reliquis gentibus ita commixtas fuiſſe ut à vero DEI cultu ad idololatriam & mores Ethnicorum prorſus defecerint. Confer *P. Cunæum* de Republ. Ebræor. l. 1. cap. 10.

XIX. Cæterum etſi Iſraëlem vel integras decem tribus rediiſſe, in ſcripturis nuſpiam diſerte legamus: dubitandum tamen non eſt, ſigillatim multos ex iſtis omnibus eſſe reverſos, qui nempe diverſis temporibus tribui Judæ ſe aſſociarant. Teſtatur *Joſephus*, lib. VIII. c. 3. A. I. *ad Roboamum confluxiſſe ex tota Iſraelitarum ditione Sacerdotes & Levitas, & quotquot è reliqua plebe erant boni ac juſti, patrias ſedes reliquiſſe.* Adde 2. Paralipom. 11: 13. cap. 15: 9. cap. 30: 11. & cap. 31: 9. ubi complures ſe tribubus Judæ & Benjamin commiſcuiſſe docemur. Neque diffiteri hoc poteſt *Rabbi Abarbenel* fol. 47. col. 3. Maſchmiah Jeſchuah: נכנסו במלכות יהודה מבני שמעון וגם קצת משאר השבטים: *Ingreſſi ſunt in regnum Judæ quidam de tribu Simeonis, & nonnulli de reliquis tribubus.* Atque non hos duntaxat, ſed etiam alios ex illis, qui pridem abducti fuerant à Salmanaſſere, una cum tribu Juda rediiſſe, dubitandum non eſt. Sane cum Cyrus, qui omnibus Judæis patriæ repetendæ dedit facultatem, non tantum Babyloniis & Aſſyriis, ſed etiam Perſis & Medis imperitaverit, & ita omnes XII. tribus in ejuſdem regno tum degerint, nihil obſtare potuit, quo minus omnes ad priſtinas ſedes mearent, aut ſaltem liberatio illa ex parte DEI שלמה *perfecta* vocari poſſet. Quod enim complures בעלי ממון התאחזו כל כך בארץ עד שלא רצו לעלות לארץ ישראל *ditiores tam firmam ſedem fixerant in illis locis, ut propterea nollent adſcendere in terram Iſraëlis*, veluti *Rabbi Abarbenel* præfat. Comment. in libros Regum fatetur de Judæis in Ægypto degentibus, id voluntati DEI populum ſuum liberaturi nihil derogat. Quod nonnulli redierint exinde liquido conſtat, quod Judæi ex Babylonia reduces ſacrificium obtulerint pro δωδεκαφύλῳ Eſdr. 6: 17. cap. 8: 35. minime id facturi, ſi jam tum omnes veræ religioni peregre nuncium remiſiſſent. Confer ad Act. 26: 7. B. D. *Joh. Tob. Majorem*, hujus Academiæ haud ita pridem Profeſſorem celeberrimum.

XX. Nec ſilentio prætereundum eſt illud, quod R. *Aben-Eſra* Comment. ad cap. 10. Zachar. vſ. 10. ingenue fatetur; יהודה ויוסף הם באים מאשור אל בית שני *Juda & Joſeph venerunt ex Aſſyria ad templum ſecundum.* Ubi voce *Joſeph* ex uſu ſcripturæ intelligit illos, qui erant ex X. tribubus. Vide Pſal. 80: 2. & 81: 6. ad quem locum *R. Kimchi* ait, כל ישראל נקרא בשם יוסף *totus Iſrael vocatur nomine Joſephi.* Dicam quidem hic ſcribit Comment. ad l. c. *R. Abarbenel R. AbenEſræ* his verbis: הר"אע בעקשתו כתב יהודה ויוסף הם הבאים מאשור אל בית שני: *R. AbenEſra perverſe ſcripſit, Judam & Joſephum ex Aſſyria ad templum ſecundum perveniſſe.* Sed minime eum erroris convincere videmus, cum ſaltim ſuam probat pertinaciam Abarbenel, qui ferre eos non poteſt, qui ejuſmodi dicta de reditu in Palæſtinam aliorſum referunt, quam ad imaginariam illam, & in cerebello Judæorum natam liberationem, & cujus ſcopus eſt peculiari & hactenus ſæpe adducto libello oſtendere, שאי אפשר שיפורשו הנבואות על הגאולה רוחנית כדרך הנוצרים ולא על זמן בית שני: *quod fieri nullo modo poſſit, ut vaticinia de redemptione Spirituali explicentur, veluti interpretari ſolent Chriſtiani, vel de tempore templi ſecundi.*

XXI. Id igitur jam nobis datur negotii, ut videamus, ecquid obſtet, quo minus alterutro modo verba Jeremiæ explicentur. Non deſunt inter Chriſtianos, qui illa de reditu Judæorum ex Aſſyria intelligant. *Caſp. Sanctius* Comment. ad cap. 8. Zachar. vſ. 13. *rediiſſe*, inquit, *non paucos de Iſraël cum duabus tribubus, indicat Jerem. cap. 3: 18. ibit domus Juda ad domum Iſraël & venient ſimul de terra aquilonis, ad terram, quam dedi patribus veſtris.* Provocat ad ſimilem locum, Jer. 50: 4. *in diebus illis venient filii Iſraël & filii Juda ſimul*, quem *Rabbi David Kimchi* ſic explicat: כשגלו עשרת השבטים מפוזרים כמו שכתוב בדברי חזקיהו ועל אותם בני ישראל אומר שגלו עם יהודה והם יצאו עמהם כשעלו מבבל על ידי כרש מלך פרס: *Quum decem tribus ſunt adductæ, remanſerunt in terra pauci diſperſi, veluti in hiſtoria Hiskiæ & Joſiæ legimus, & de illis Iſraëlitis, qui cum Juda captivi abducti erant, loquitur Propheta, quod cum his ſint redituri, cum Babylone Cyri Regis Perſarum beneficio egreſſi fuerint.* Dicis: ſed alia videtur ratio vſ. 18. c. 3. Jer. quippe ubi dicitur hoc futurum בימים ההמה *diebus illis*, Meſſiæ videlicet, de quibus immediate antecedentia agunt. ℞. Supra §. 3. audivimus, etſi verſ. 15. & 16. omnes interpretes de Meſſiæ ætate explicent: verſ. tamen 14. nonnullos ita de Meſſiæ diebus interpretari, ut reditus ille ex captivitate, qui congregationem ad Eccleſiam N. T. adumbravit, non penitus excludatur. Et ſecundum hanc interpretationem nihil abſurdi fuerit dicere, Prophetam reſpicere ad exitum מצפון *ex Aquilone*, quam vocem his verbis explicat *R. David Kimchi* ad vſ. 13. cap. 1. Jer. היא בבל שהיא מורחית צפונית לארץ ישראל: *Babylon intelligitur, quæ ſita erat reſpectu terræ Iſraelis verſus ortum æſtivum.* Neque huic ſententiæ obſtat pronomen. *Relativa* enim *interdum referunt ea, quæ remotius diſtant, licet adſint propria, ad quæ videri poſſint referri*, uti *B. D. Glaſſius* Philol. Sacr. l. 3. tr. 2. Can. X. loquitur. Malunt tamen *Lyranus, Carthuſianus, Vatablus, Caſtrus, Corn. à Lapide* & alii cum *S. Hieronymo* Jeremiam interpretari de redemtione ſpirituali. Sic enim laudatus Pater com. ad loc. cit. loquitur: *Hoc proprie in Chriſti adventu completur, quando de duodecim tribubus euangelio crediderunt relinquentes terram aquilonis duriſſimi frigoris, & à diaboli imperio recedentes tunc receperunt terram repromiſſionis, quam pollicitus fuerat patribus illorum.* Confer eundem Epiſt. 129. de terra repromiſſionis agentem.

 CAPUT

CAPUT III.

De Tempore Arcæ fœderis amissæ. Quò fuerit delata? An ante Urbis & Templi excidium sit occultata? Ubi & à quonam id factum perhibeant Judæi? An in templo secundo iterum extiterit? An ante diem novissimum Judæis convertendis iterum sit monstranda, uti docet Fr. Ribera?

§. I. HActenus Judaicarum detorsionum allato exemplo vidimus, quam variis modis sensum scripturæ Ebræi pervertant, ubi illa Christianorum fidem statuminat. Reliquum est, ut quæ porro de Arca ejusque occultatione tradunt, excutiamus. De ablatione Arcæ *Robertus Scheringhamius*, annot. in Tit. Talmudicum *Joma*, fol. 102. *incertum*, inquit, *est, quo Arca fuerit delata, aut ubi deliterit. Talmudistæ tradunt in Babylona cum reliquis ornamentis fuisse portatam.* Sane hæc ita asseruntur à Talmudistis in Gemara ad d. tit. cap. 5. fol. 23. ubi multis de ea disputant. Nonnemo illorum ablatam fuisse probare satagit ex Thr. 1: 6. *egressus est, filia Zion omnis decor ejus.* Alius ex 2. Paral. 36: 10. *anno vertente misit Rex NebucadNezar & adduxit eum (Joachimum) in Babyloniam cum vasis desiderabilibus domus Domini.* Quidam urget 2. Reg. 20: 17. *Non remanebat quicquam* &c. Sed *R. Juda* ibidem asseverat, Arcam cum reliquis vasis nequaquam abreptam, sed de industria ante templi excidium occultatam fuisse. Atque hunc sequitur *R. Abarbenel*, qui comment. in Dan. pag. 64. col. 1. confidenter ait, ידענו שלא נלקח עם הכלים שלקח מלך בבל *Nos novimus, Arcam cum reliquis vasis, quæ Rex Babylonis abstulit, non fuisse abductam*; & comment. in 1. Reg. 8. כפי קבלת ח"זל הוא אשר גנזו המלך יאשיהו בחורבן בית קדשינו ותפארתינו והוא העתיד להגלות בביאת משיחינו: *juxta traditionem Dd. nostrorum l. m. Josias Rex Arcam abscondidit tempore desolationis domus sanctitatis nostræ, & decoris nostri, quæ iterum revelabitur, ubi Messias noster apparuerit.*

II. Nolunt sane videri Ebræi, ac si sola traditione asserto fidem facere velint; provocant enim ad textum scripturæ. In *Jalkut*, part. 2. fol. 162. col. 3. hæc verba legimus: מי גנזם יאשיהו המלך גנזם מה ראה שגנזם מצא כתוב יולך ה' אותך ואת מלכך וגו עמד וגנזם שנא ויאמר ללוים המבינים לכל ישראל תנו את ארון הקדש בבית אשר בנה שלמה *Ecquis illa* (arcam & reliqua vasa) *abscondit? JOSIAS. Quamobrem? scriptum invenit*, (Deut. 28: 36.) *abducet te & Regem tuum &c. Hinc occultavit, quia dictum est*, (2. Paralip. 35: 3.) *& dixit ad Levitas erudientes Israelem: ponite arcam sanctitatis in domo, quam ædificavit Salomo.* Eousque hæc sententia inter Judæos invaluit, ut magnum illum *R. Mosen Maimonidem* quoque dementaverit, qui elogio suo, quod docti Christiani ei impertiti sunt, nequaquam respondens, *hic ignorasse videtur, quid hoc sit, non ineptire.* Sic enim Tom. 3. Operis Jad, Hilkot Beth Habechira, cap. 4. §. 1. loquitur בעת שבנה שלמה את הבית וידע שסופו ליחרב בנה בו מקום לגנוז בו הארון למטה במטמוניות עמוקות ועקלקלות ויאשיהו המלך צוה וגנזו במקום שבנה שנ' ויאמר ללוים המבינים לכל ישראל דקדושים לה' תנו את ארון הקדש בבית אשר בנה שלמה בן דוד מלך ישראל אין לכם משא בכתף עתה עבדו את אלהיכם וכו' ונגנז עמו מטה אהרון והצנצנת ושמן המשחה וכל אלו לא חזרו בבית שני: *Eopse tempore, quo ædificavit templum Salomo, minime ignarus, aliquando id destructum iri, peculiarem locum extruxit ad abscondendam arcam infra in profunda & tortuosa specu. Postmodum jussu Josiæ Arcam in istam reposuerunt, quia dictum est* (2. Paral. cap. 35: 3.) *& dixit ad Levitas docentes totum Israelem; date arcam sanctitatis in domo, quam ædificavit Salomo, filius Davidis, Rex Israelis. Non vobis onus in humero, nunc servite Domino Deo vestro. Et occultarunt cum ea virgam Aaronis & urnam & oleum unctionis, quæ omnia tempore templi secundi defecerunt.* Explicationem dicti 2. Paralip. 35. allatam *R. Abarbenel*, com. in Dan. p. 64. col. 1. confirmat his verbis: הוא פירוש אמתי כי אם לא כן מה היה צואתו לשום את הארון בבית אשר בנה שלמה כי כבר היה שם ארבע מאות שנה: *Hæc explicatio vera est & genuina. Si enim res aliter haberet, eccur præcepisset, ut arcam ponerent in illam ædem à Salomone ædificatam, ubi jamtum annis quadringentis fuerat?* Confer eundem Abarbenelem, com. in Hag. 1. p. 277.

III. Cæterum eadem facilitate facti hujus rationem potuisset invenire *Rabbi Abarbenel*, qua *R. David Kimchi* eam animadvertit. Sic enim hic ad l. cit. loquitur: אולי הוציא מנשה משם כאשר שם הפסל בבית האלהים: *Forsan Menasseh inde eduxit Arcam, cum idolum sculptile in templo Domini locari curavit.* Subdit quidem יש לתמוה היאך לא החזירו שם אחר הכנעו ושב בתשובה והסיר הסמל מבית השם: *Mirum est, eum, postquam pœnitentiam egit & idolum removit, Arcam non in suum locum restituisse.* Sed etsi certam intermissæ restitutionis causam reddere nequit Judæus: minime tamen propterea aliquid fingere, & clara verba scripturæ ad sua commenta torquere fas est, veluti hic *R. Abarbenel* facit. Longe ipsum candore & veritatis studio superare videtur, Talmudistis alioquin addictissimus, *R. Salomo*, qui comment. ad 2. Paralip. 35: 5. sic scribit: לפי פשוטו שהעבירו מנשה ואמון את הארון וישימו תחתיו פסילים כדמוכח לע"ל במנשה וישם פסל הסמל וגו' לפיכך צוה יאשיהו להושיבו וליתן הארון במקומו אשר בנה שלמה ורבותינו אמרו שאמר ללוים לגנוז שם: *Juxta sensum simplicem & literalem dicendum est, Menassen & Ammonem loco movisse arcam, & substituisse idola, ut supra de Menasseh ostendimus* (2. Paral. 33: 7.) *& posuit idolum sculptile. &c. Propterea mandavit Josias, ut Arcam in suum locum transferrent, quem ei fabricandum curaverat Salomo. Rabbini vero nostri dixerunt, quod hac ideo ad Levitas dixerit, ut arcam absconderent.*

IV. Dixerunt hoc Rabbini nugis suis abblandientes, quos textus ipse satis refellit. Neque enim de domuncula תחת הקרקע hoc est, *subterranea*, & in profunda & tortuosa specu confecta loquitur, sed adyto vel receptaculo in sancto sanctorum, quod arcæ ibi locandæ, non occultandæ fieri curavit Salomo, uti patescit ex 1. Reg. 8: 6. *Et duxerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini ad locum suum* אל דביר הבית *in adytum domus, in sanctum sanctorum sub alas Cherubim.* Voce enim דביר notatur בית הפנימי *interior domus*, sive, ut Chaldæus interpres, 1. Reg. 6: 19. reddit, בית כפורי *domus expiationum*, quod die expiationis Pontifex eam ingrederetur, cui opponitur הבית החיצון שנקרא היכל *exterior domus, quæ templum vocari solet*, uti *R. Kimchi* docet lib. Radicum.

V. Ex his satis abunde constat, quantopere ineptiant Judæi, commentum de arca abscondita ex sacris literis probaturi, qui sententiam suam haud parum suspectam faciunt, dum modo Regi *Josiæ* id tribuunt, modo Jeremiæ *Prophetæ*. Sic enim *Gorionides* l. 1. cap. 3. p. 12. edit. Cracoviensis fabulatur: ותהי על המזבח האש תמיד עד הגולה השנית והארון איננו כי לקחו ירמיהו הנביא עליו השלום עם כל היריעות אשר עשה שמה עבר השם במדבר ויעלה הר נבו וימצא שם מערה ויתנם בתוכה והכהנם אשר היו בימים ההם בימי ירמיהו רדפו אחריו לראול מה יעשה בארון וביריעות למען הכיר את המקום ויבט ירמיהו הנביא אחריו וירא אותם ויקצוף וישבע לאמר חי השם כי לא יודע המקום לאחד מהם עד בא אליהו עבד השם בימים האחרונים הוא ישיב את הארון אל מקומו אל קדש הקדשים אל תחת כנפי הכרובים: *Et fuit super altari ignis subinde usque ad alteram captivitatem: sed Arca non erat ibi, quippe quam Jeremias Propheta, super quem sit pax, cum omnibus tentoriis, quæ fecerat Moses in deserto, in montem Nebo tulerat. Ibi inventa est spelunca, in quam abdidit arcam. Cum v. Sacerdotes id temporis viventes Jeremiam sequerentur, ut viderent, quid arca & tentoriis esset futurum, & locum observarent; Jeremias respexit, iisque visis, succensuit & juravit dicendo: vivit Dominus, non innotescet hic locus ulli illorum, donec veniat Elias servus Domini, diebus posterioribus. Ille Arcam in locum suum in sanctum sanctorum sub alis Cherubim referet.*

VI. His, quæ *Gorionides* narravit, consentanea traduntur ab autore 2. lib. Maccab. cap. 2: 5. seqq. qui asseverat, Jeremiam dixisse, tantisper *locum illum, ubi recondita fuerit arca, incognitum fore, donec populum suum sit Deus congregaturus*, quæ sane eandem fabulam sapiunt Judaicam, neque obscure arguunt, librum non esse θεόπνευστον, quippe qui ejusmodi quid affirmat, cui eventus repugnat, cum Arcam fœderis inventam fuisse post reditum ex Babylonia, probari nequeat, etiamsi satis probabiliter id dici posse, cum Melch. *Cano*, lib. 2. de L. T. cap. 11. & *Ribera* in Hag. 1. arbitretur *Torniellus*, Annal. ad an. 3610. Frustra etiam est *Bellarminus*, dum lib. 1. de V. D. cap. 15. ait, *Jeremiam non locutum fuisse de illa congregatione, quæ fuit tempore Cyri, sed vel de tempore novissimo, quod proxime diem judicii præcedat, ut vult Epiphanius in vita Jerem. vel mystice intelligendum esse, arcam apparituram, id est Christum in carne venturum in nova populi congregatione.* Mysticam significationem intendisse autorem libri, prorsus non fit probabile, & facile ostenditur ex verbis illius, eum itidem sententiam fovisse Judaicam.

VII. Longe rectius sentire videntur illi, qui statuunt, Arcam undiquaque auro obductam à Chaldæis fuisse direptam, id

id quod Judæi lib. 4. Esr. cap. 10: 22. fatentur. Et cum etiam alia vasa Esr. 1. restituta leguntur à Cyro, Arcam tamen minime illorum numero fuisse comprehensam, Judæi magno consensu affirmant. In *Mischna Massechet Joma* cap. 5. §. 2. hæc legimus: משניטל הארון אבן היתה שם מימות נביאים ראשונים ושתייה היתה נקראת גבוהה מן הארץ שלש אצבעות ועליה ה״ה נותן: *Ex quo abducta est arca, lapis ibi erat à diebus priorum Prophetarum & lapis fundationis fuit vocatus, altus è terra tribus digitis, & super ipsum locabat thuribulum.* Et cum l. cit. §. 1. introitum Pontificis describentes in sanctum sanctorum, dixissent, eum facie in meridiem versa sinistrorsum ivisse prope velum עד שהוא מג״ע לארון *donec ad Arcam venisset, R. Obadias de Bartenora*, comment. in Mischnam fol. 124. col. 3. id ita intelligendum esse docet, ut venisse dicatur Pontifex: למקום ארון ולא לארון ממש דבבית שני לא היה שם ארון *ad locum arcæ, non simpliciter ad arcam, quia in templo secundo arca deficiebat.*

VIII. Nec parum roboris sententia hæc de arca amissa accipere inde videtur, quod *Josephus* lib. 7. cap. 24. ἁλώσεως, ubi triumphum Romani Imperatoris & spolia Judaica recenset, mentionem facit *Mensæ aureæ, Candelabri & Legis* Judæorum, *Arcæ* non item. *Augustinus* quidem *Torniellus* ad annum M. 1885. contendit, omnino Arcam in triumphum Titi ductam fuisse, servarique imaginem hujus Romæ. Sed negant hoc ipsum *Abulensis*, q. 4. in cap. 25. Exodi. & *Fr. Ribera*, lib. 2. cap. de Templo. *Quæ*, inquiens, *in arcu Titi sculpta est, non arca est, sed mensa illa aurea, cujus mentionem fecit Iosephus, ubi etiam candelabrum cernitur.*

IX. Neque illa, quæ interpres quidam Scripturæ celeberrimus urget ad probandum, Arcam in templo extitisse, pertinaci satisfaciunt adversario. 1. *De nova*, inquit, *aspiciantur verba Zachariæ Prophetæ, cap. 8. & seqq. usque ad 22. hæc: Sic dicit Iehova exercituum, & confortentur manus vestræ, qui auditis in diebus istis verba hæc ex ore ipsorum Prophetarum, qui locuti sunt in die, qua fundata est domus Iehovæ exercituum, ut templum ipsi ædificaretur. Sic dicit Iehova: adhuc venient populi & habitatores urbium magnarum, ibuntque habitatores unius ad alteram atque dicent: Eamus eundo, ut deprecemur faciem Iehovæ. Ecce, Lector, mentionem facit FACIEI IEHOVÆ. Facies utique Iehovæ est arca propitiatorii, ubi Deus sedebat inter duos Cherubim Psal. 99: vs. 1. & ibi volebat audientes certa singulari ratione exaudire. 1 Reg. 8: 30. Hinc illud Esai. 1: 11. Ut quid mihi multitudo victimarum vestrarum, dicit Iehova, satur sum, cum veniretis ante conspectum meum, vel, uti conspiceremini coram me. Utique ubi est templum Iehovæ & Arca cumprimis cum Cherubinis, ibi est facies Iehovæ. Si quis has loquendi phrases comparare non gravatus fuerit cum phrasi Zach. 8: 20. is fatebitur, Arcam in secundo templo deesse non potuisse.* Sed quod pace magni viri dixerim, τὸ *Facies, Iehovæ* arcam ibi denotare, collatis quamlibet locis adductis, neque ex phrasi apparet, nec quisquam facile id fatebitur, nisi qui contextum non rite perpenderit. *Deprecari faciem Domini*, idem ibi est, ac ipsum Dominum deprecari: id quod olim tam *oratione*, quam *sacrificiis* fieri solebat, etiam citra respectum ad Arcam. Confer. 2 Sam. 13: 12. 1 Reg. 13: 6. Pal. 45: 13. &c. Pergit autor laudatus: *In passione aulæum distinguens sancta à sanctis sanctorum rumpitur, vel scinditur in duo (2 Paral. 3: 14.) Matth. 27: 51. id quod omne vanum esset, nisi habuissent in sancto sanctorum Arcam.* Ecquid vero scissioni aulæi cum Arca fœderis? Potuit utique deficiente quamlibet Arca, aulæum scindi, quippe ab illa plane distinctum. Atque ita nihildum allatum fuit, quo evidenter probari queat, in templo secundo Arcam quoque fœderis fuisse.

X. *A. Torniello*, Annal. sac. ad an. M. 3610. probabile videtur, Arcam eodem tempore fuisse inventam, quo ignis sacer 2 Machab. 1: 19. &c. Cæterum sic figmentum figmento cumulatur. *Fr. Ribera* prope consummationem seculi Judæis manifestandam Arcam perhibet, com. in Hag. 1. p. 604. Sed explodit hanc sententiam laudatus Annalium conditor, *quorsum*, inquiens, *obsecro, Arcæ fœderis revelatio in fine mundi, aut novæ legis temporibus, quando constat, cunctas V. T. figuras esse impletas penitusque antiquatas?* Recte igitur factum à Lyrano, qui cum effatum Jer. c. 2: vers. 16. cum autore lib. Mac. conciliare nequiret, respondit: dictum librum à multis Apocryphum reputari, adeoque minime ἀξιόπιστον esse. Quod si Pontificiis hodiernis idem asserere liceret, ad tam ridiculas & Judaicis figmentis affines opiniones minime delaberentur.

JUSTI WOLFG. SYBURGII

DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA ad Jer. III: 23.

בג״ה:



Ateriam, quam è subsequenti textu originali לפי עניות דעתי exponendam suscepi, describit Propheta Ieremias, secundus in ordine Prophetarum posteriorum, quod Prophetas majores attinet. Hæc enim est divisio Librorum Canonicorum V. T. ab Ebræis recepta, qua distribuuntur in tres ordines, seu partes principales, nempe in תורה *Legem* 1. נביאים *Prophetas*, & 2. כתובים *Scripta Sancta*, quæ 3. *Hagiographa* nobis dicuntur. 1. תורה continet libros Mosis numero quinque, unde חמשה חומשים proprie quinque quinta Ebræis.

2. נביאים Nomine Ebræi non solum intelligunt illos, quos Græci & Latini Prophetas vocant (excepto Daniele, quem Hagiographis adnumerant) verum etiam omnes, qui ante ipsos post Mosen prophetarunt & scripserunt, subdividuntque eos in

נביאים אשונים *Prophetas priores*, qui dicuntur 4. libri historici, utpote *Liber Josua, Liber Judicum, II. Libri Samuelis*, qui pro uno libro, *totidemque Regum*, qui similiter pro uno primitus recensiti, & postea in duos distincti.

&

נביאים אחרונים *Prophetas posteriores*, quorum itidem quatuor sunt, videl. *Jes. Jerem. Ezech. & XII. minores.*

3. כתובים *Scripta* subintellige ברוח הקדוש *per Spiritum sanctum*, comprehenderunt olim libros novem, sc. *Psalmos, Job, Proverbia, Canticum, Ecclesiasten, Librum Esther, Danielem, Esram, Chronica*, ubi Esra *Nehemiam* quoque complectitur. Liber *Ruth* ad Librum Judicum, propter historiæ continuationem, fuit relatus, & *Threni* ad Ieremiam, propter eundem autorem. Autores Masoræ sæpe his literis תנך

utuntur, indicium illis facientes, vocem aliquam in Lege, Prophetis & Hagiographis occurrere.

Tempus, quo prophetavit *Jeremias*, deſcribitur nobis in צמח דוד his verbis. *Jeremias* filius Chalalkiæ Propheta, vaticinatus eſt Anno 13. Regis Joſiæ, uti conſignatum eſt initio libri ejus. *Auguſtinus* lib. 18. cap. 33. de C. D. exiſtimat, floruiſſe ſub *Anco Martio* apud Romanos. Idem lib. 2. de Chriſt. doctr. narrat, Platonem audiviſſe, in Ægypto, Jeremiam docentem, ſed hunc errorem poſtmodum correxit lib. 2. retract. cap. 4. & l. 8. de C. D. cap. XI. ſcribit: Platonem annis, poſt Jeremiam, centum eſſe natum. Accuratior calculus eſt, ſi dicamus, inter Ieremiam & Platonis natalem, circiter ducentos annos interceſſiſſe. Vero autem ſimile eſt, Platonem libros Moſis & Prophetarum legiſſe, atque ex illis non pauca in uſum ſuum convertiſſe, uti probat *Euſebius* l. 2. præp. Evangel.

Materiæ noſtræ in hoc commate *diviſionem* quod attinet, latet illa in ſecunda parte hujus capitis, in qua parte, cum Propheta agat hortationem ad converſionem Iſraëlitarum, ut ſcil. relicta Idololatria revertantur ad cultum DEI, hortationis hujus confirmatio à promiſſionibus DEI dependet, quarum ſunt ſeptem. 1. Condonatio peccati. 2. Reductio è captivitate ſpirituali. 3. Miſſio fidelium doctorum. 4. Abrogatio jugi legis ceremonialis. 5. Vocatio gentium. 6. Converſio ipſorum. 7. Receptio in cœlum, ad fruendum æterna beatitudine.

In ſexta promiſſione latet propoſitum comma, eſtque ea converſio Iſraëlitarum, quæ declaratur duobus modis. Ab adjuncto, & ab effectis. *Adjunctum* eſt perſeverantia in fide. Quæ perſeverantia amplificatur à contrario, videlicet antegreſſa perfidia.

Effecta indicantur ſex (1.) amica conſenſio tribus Judæ, cum decem Tribubus, in colendo vero DEO. (2.) adoptio. (3.) invocatio veri DEI. (4.) fletus propter commiſſam idololatriam. (5.) profeſſio veræ religionis. (6.) confeſſio ſtultitiæ in colendis idolis, quam in propoſita materia deplorant ex idolorum vanitate, ſignificantes, infirmam fuiſſe eorum doctrinam, quoniam fundamentum doctrinæ, non erat ſolidum, cum iis corruere neceſſe erat, quod רבי יוחנן הסנדלר bene intellexit quando dicit: כל כניסה שהיה לשם שמים סופה לעתקים: אין סופה לעתקים / ושאינה לשם שמים id eſt, *Omnis Eccleſia, quæ fit propter DEUM (verum ex non idolis) confirmabitur (erit durabilis) Quæ vero non fit propter DEUM, non durabit perpetuo ·/. huic erit perpetuus turbo.* Nunc antequam ulterius progrediamur, varias tranſlationes conferamus.

Textus Originalis.

ירמיה ג כג

אכן לשקר מגבעות המון הרים אכן ביהוה אלהינו תשועת ישראל׃

R. Sal. Jarchi.

אכן לשקר שמרנו מגבעות והמון הרים שעבדנו ע״ז שם אכן באמת׃

Onkeloſi.

אכן לשקרא פלחנא על רמתא ולא להנאה אתרגשנה על טוריא ברם במימרא דיי אלהנא פרקן ישראל׃

Verſio LXXII.

Ὄντως εἰς ψεῦδος ἦσαν οἱ βουνοὶ καὶ ἡ δύναμις τῶν ὀρέων, πλὴν διὰ κυρίου τοῦ θεοῦ ἡ σωτηρία τοῦ Ἰσραήλ.

B. Luth.

Warlich / es iſt eitel Betrug mit Hügeln und mit allen Bergen. Warlich / es hat Iſrael keine Hülffe / denn am HErrn unſerm Gott.

His ita inter ſe collatis recta progredimur via ad ipſam nominum Explicationem.

אכן *Vere*] eſt adverbium aſſeverationis & confirmationis. Rabbi Mardachai Nathan ſignificationem ejus eſſe, dicit אמת הדבר וקיום מציאותו ·/. *Veritas rei & ſtabilitas exiſtentiæ ſeu ſubſtantiæ ejus.* Geneſ. 28:17. Exod. 2:14. 1 Sam. 15:32. 1 Reg. 11:2. Job. 32:8. Pal. 82:7. Eſai. 45:15. 49:4. 53:4. in quibus duobus poſterioribus, *Junius* adverſative vertit, ſed male.

Convenit hoc adverbium אכן cum אמן, cujus vocis etymologiam, verſionem & ſignificationem, brevitatis ſtudioſi, ſilentii ſipario involvemus. ὡς ἐν παρόδῳ notamus, quod Talmudiſtæ, ſuorum hominum ſomnolentiam, in Oratione carpentes, triplex dicant eſſe Amen:

יתומה pupillum
חטופה ſurreptitium &
קטיעה ſectile.

Pupillum vocant, cum quis precatione tenetur, nec intelligit, quod reſpondet.

Surreptitium, cum ſurripit, & dicit Amen, antequam abſolvatur precatio.

Sectile, cum ſecat in duas partes, nempe oſcitanter audiens, & alias res agens.

Hæc Caninius, & ex eo Guido Fabricius, in Dictionario Syro-Chald. voce אמן.

Veteres Ebræi ita explicarunt כל העונה אמן יתומה יהיו לו בנים יתומים: חטופה יתחטפו ימין קטופה יתקטפו ימין כל האמריך באמן יאריכון לא ימין ושנותיו: i. e. *Quicunque reſpondet Amen PUPILLARE, ejus liberi erunt pupilli: ACCELERATUM, accelerabuntur vel celeriter tranſibunt dies ejus:* qui vero *PROLONGAT ſive diu moratur in pronunciatione Amen, prolongabuntur dies ejus & anni ejus.* Non nimium tamen etiam morari debebat populus in productione Amen, id enim pro ſuperſtitioſo errore reputatum fuit. Unde illud כל העונה אמן יותר מראי אינו אלא טיעה: *Quicunque reſpondet Amen magis quam ſat eſt, id nil niſi error eſt.*

Conveniunt autem fere cum iis, quæ 1 Cor. 14: vſ. 16. à Paulo dicuntur: ex quo loco patet, receptum fuiſſe in primitiva Eccleſia, ut populus poſt recitatas preces, reſponderet *Amen*: quod neminem recte dicere ait, qui preces non intellexerit. Eſt enim *Amen* vox fidei, certam exprimens aſſeverationem & aſſenſum. Hinc *Amen ſuper benedictione dicere*, eſt ea, quæ orantur, approbare, ſibique applicare.

Sunt & alia aſſeverationis adverbia apud Ebræos: (1.) אבל *vere, imo, certe.* Geneſ. 17:19. 42:23. R. Kimchi in Lexico de hac voce ענינו אמת *ſignificatio ejus veritas.* LXX. reddunt ναί.

(2.) אך *profecto, certe.* Gen. 29:14. Job. 14:22. Pſal. 73:1. & 85:10. Eſ. 45:24. Oſ. 4:4. Jon. 2:4.

(3.) כי Cauſalis particula, quandoque אמה ſeu vere ſignificat. Eſ. 7:9. Thren. 4:18. Oſ. 7:6. 8:6. Cum particula interrogativa הכי eodem modo interpretatur Aben-Ezra Geneſ. 27:35. 29:15. Conjunctionem כי pro *certo* etiam poni dicunt in formulis jurandi. 1 Sam. 25: verſ. 34. כי אם נותר לנבל Warlich es wäre dem Nabal überblieben.

Apud Græcos 1. ναί Matth. 11:26. *profecto.*
2. ἦ μὴν Ebr. 6:14. *vere, profecto*, citato autem loco, ut jurantis particula ponitur.
3. τὴν ἀρχὴν Joh. 8:25. *primo omnium, uno verbo, quod caput eſt.*
4. ἀλλὰ quod aliquando ſignificationem βεβαιώσεως habet Johan. 16:2. Heinſius in Exercit. ſuper Nonnum pag. 475. per אכן *vere* explicat, ex Job. 32:8. ubi quod in Ebr. אכן eſt Chaldaic. בקושטא *in veritate.* LXX. ἀλλὰ reddunt.
5. γὰρ Actor. 16:37. *ſane, profecto, revera.*

לשקר, *mendaces, fallaces.*] pro להשקר particulæ enim כלב ante Nomina & participia frequenter extrudunt ה Emphaticum, ejuſque punctum, qualecunque fuerit, recipiunt. Dicitur *frequenter*, non *ſemper*, quod contra *Bellarminum* notandum. Legitur enim poſt has, expreſſus articulus, ut להגרים *peregrinis* Ezech. 47:22. Vox שקר eſt Millel, quoniam finitur in ſægol, eſt immutabilis quoad vocales, in ſtatu Regiminis, quia eſt ſex punctorum; eſt nuda quia nulla additur litera ex האמנתי; eſt perfecta, qn. deſcendit à R. perfecta שקר *mentitus eſt, fallaciter dixit, vel egit.* Significatio eſt *mendacium, falſitas* & adverbialiter *falſo, mendaciter, falſis de cauſis.*

Hac nota potiſſimum Babylonii fuerunt inſigniti, ut Rabbini teſtantur. Cum enim quidam celebris Rabbi videret nubes volitantes, de quibus Zach. 10: vſ. 1. dicebat ad collegam: *Diſcedamus hinc, veniet pluvia.* Cum non veniret, dicebat: כי היכי דמשקרי בבלאי היכי משקרי מטרייהו *Sicut mentiuntur Babylonii, ſic quoque mentiuntur pluviæ ipſorum.* Sed quod ibi de Babyloniis, id merito de omnibus Judæis dici meretur, quoniam ex mendaciis toti conſtituti videntur, ſibique perſuaſum habent, nos tanquam imprudentiores, in omnibus fidem adhibere, haut memores illius quod in Commentario

mentario יַלְקוּט dicto, Zach. 10. legitur: הרוצה לשקר ירחיק עידיו: *Qui vult mentiri, procul removeat testes suos.* **In die Weite ist gut lügen.**

Cum igitur ii sint, ut si mendacium dicant vel scribant, solentes more suo faciant, nobis hoc remedium quam commendatissimum habemus, ut iis minorem fidem adhibeamus, secundum illud Rabbinicum כך עונש של בדאי אם אומר ודאי אינו בדאי: *Talis est pœna mendacis, ut si quando dicat verum, illud non sit sufficiens, i. e. ut ei non credatur.* Nugis illorum qui delectatur, legat Talmud, librum illum, qui doctrinam & scientiam Judæorum, & quicquid Juris divini, vel humani apud ipsos est, comprehendit. Sacris enim literis non contenti, quia sibi persuasum habent (secundum R. Maimonidis sententiam, qui quamvis inter recentiores Ebræos principem obtineat locum, etiam judicio antiquorum Rabbinorum, nihilominus infensioribus Christianæ Religionis hostibus, non magnopere probatur, cum videatur quandoque Talmudis autoritatem convellere & Christianorum interpretationes, in locis quibusdam propheticis statuminare. Unde quoque factum est, ut liber ejus מורה נבוכים *Doctor perplexorum* dictus, passim in Gallia flammis, à Judæis, fuerit adjudicatus) sacras literas esse mancas & mutilas, Mosen in perfectam legem tradidisse, ideoque traditiones Judaicas esse pernecessarias, scripturæque tanquam obscuræ & mancæ, omnino assuendas, legique scriptæ multis parasangis anteferendas, & ut clarius proponi possit, quanti faciant & vulgo commendent traditionum suarum furorem & deliria, in medium producam ipsius *Rabbi Salomonis Jarchi* verba, quæ in Comment. super 17. cap. Deut. ita habent: אפילו אומר לך על ימין שהוא שמאל ועל שמיל שהוא ימין וכל שכן שאומר לך על ימין ימין ועל שמאל שמאל *i. e. Si dixerint* (Doctores) *tibi super dextra quod sit sinistra, & super sinistra, quod sit dextra, idem esset ac si dixissent tibi, super dextra quod sit dextra, & super sinistra quod sit sinistra.* Deinde etiam Rabbi Bechai scribit: Si Rabbi dixerit noctem esse diem, diem noctem, album nigrum, nigrum album, credendum. Absurda autem illa commenta, frivolæ & impiæ traditiones, minime cum sacris literis consentiunt, multo minus, ut iis palmam præripere possint. Absurda quidem non sunt omnia, quæ obtutu primo talia videntur, prisca enim gens Judaica, pro more omnium Orientalium, mysteria, per figuras & ænigmata, per jucundas & ingeniosas enarrationes, fabulis non absimiles, explicabat, ut simpliciorem plebeculam hujusmodi quasi illecebris alliceret, ingeniosum etiam lectorem diligentius exerceret, ut scribit Buxtorffius l. c. Nihilominus ex uno atque altero loco patet satis absurdorum in Talmud reperiri. Ibi enim Deus quotidie orare dicitur, at quem orat, cum superiorem se non habeat? Idem serio lachrymare dicitur, quod orbem Hierosolymam exciderit. Ergone tanta in Deum cadit imprudentia, quam lachrymosa sequatur pœnitentia? Adserunt Verpi ibidem: Adamum centum & triginta annos Hevam non cognovisse, sed Dæmones & spiritus genuisse. Itane Creatura corporea ex se generabit incorpoream? Adamum tantæ fuisse staturæ, ut capite cœlos attingeret. Adamum fuisse creatum bifrontem & ex posteriore ejus parte fœminam efformatam. Frivola etiam inveniuntur. An die Sabbathi candelam emungere liceat? an lignum, die Sabbathi, in fornacem, sponte illapsum, comburere liceat? An stanti intra domus januam, extra domum, meatus laxare minores, ut Rabbini loquuntur, sive mejere, liceat? an si equus vel asinus, parte pudibunda vas aliquod confringeret, equi vel asini Dominus noxam illam præstare deberet? Quæ quæstio tanti visa fuit Apellis momenti, ut rejecerint in adventum Messiæ, qui eam sit exacte discussurus.

> Judæos aliquoties in hac Dissertatione Apellas nominavi, sed mutanda hæc appellatio, motus *Heinsii in Ossileg. L. Hellen.* rationibus. Is enim innuit, Horatii ætate Romæ notum fuisse Judæum, cui Apellæ nomen erat, atque ita non statim nomen hinc appellativum formandum, quasi dicas sine pelle. Primum enim dici oportuisset *impellis*, ut *imberbis* &c. Inde *a* particula privativa longa est, non brevis; demum in compositione non nuda ponitur, sed *ab* pro ea substituitur, ut *absimilis, abnormis.*

Nonnulla insuper impia adferenda. Deum causam esse omnium peccatorum, eumque quotannis hircum, pro peccatis à se commissis, immolare: Eum in cœlo Diabolum docere & cum Leviathan, non secus ac puella cum pupa ludere. Verum non opus esse censemus portentosam istam opinionem, istam insaniam & δεισιδαιμονίας ἐπιτιμίω admotis convellere argumentis, tanta enim & tam evidens est ejus absurditas & sacrilega vanitas, ut eam retulisse refutasse sit. Quare utimur verbis Epiphanii loquentis de Ptolemæo hæretico ejusque sodalibus lib. 1. contra hæres. Tom. 2. hæres. 33. contra Ptolemaitas. Ubi postquam inseruit insanam Ptolemæi Epistolam, subjungit hanc suam de ea censuram Epiphanius. *Quis vero*, inquit, *horum verborum hujus impostoris ac sodalium ejus insaniam sufferet? Neque enim quisquam ex veteribus tragicis Poetis, neque qui secuti sunt, imitatoriis moribus præditi, Philistionem dico & Diogenem, qui incredibilia scripsit, & alii omnes, qui fabulas conscripserunt ac decantarunt, tantum mendacium effingere potuerunt, velut hi audacter contra suam ipsorum vitam ducti, horrenda sibi ipsis construxerunt, & mentem hominum ipsis credentium in stultas quæstiones & genealogias nunquam finiendas conjecerunt, ipsi ea quæ in manibus sunt, non scientes.* Hæc Epiphanius, cui autori minus ingenue attribuitur à Bellarmin. lib. de Reliquiis cap. 3. scriptum de Prophetarum vita, in quo opere multa habentur Talmudica commenta & somnia, & inter alia etiam de vita nostri Prophetæ Jeremiæ. Vide R. C. censuram pag. 240.

> Hæc superius commemorata, apposite dici poterant contra Judæorum mentiendi imprudentiam & fabulosæ vanitatis insaniam.

מגבעות à collibus] est plurale Fœmininum, cum præfixo מ à singulari גבעה, collis quod est Gen. F. ortum à Masculino inusitato גבע. Scheva ortum ex Sægol masculino, mutatur ut ipsum Sægol finale, nempe in formatione pluralis numeri in Kametz, & quoniam posterius Scheva ob has causas mutatur, redit prius postliminio. Significat h. l. *collem.* Aliquando etiam Metaphorice accipitur Genes. 48: 26. *Benedictiones patris tui prævaluerunt super benedictiones genitorum meorum, usque ad desiderium collium æternorum.* Quod Chaldæus ita transfert: ברכהא דאבוך יתוספן על ברכת דלי בריכו אכהתי חמידו להן רברביא דמין עלמא i. e. *Benedictiones patris tui addantur benedictionibus, quibus mihi benedixerunt patres mei, quas desiderarunt magnates, qui fuerunt à seculo.* Alii per colles æternos intelligunt Patriarchas, Prophetas & illustres Sanctos, qui cæteris hominibus, ut colles vallibus, præstant: per desiderium autem horum collium æternorum Christum intelligunt, quem illi desiderarunt. Commodius תאוה per terminum exponitur (à תאה determinare, non אוה desiderare) ut sit sensus; Usque ad terminum collium seculi, h. e. donec moveantur colles, qui perpetuo immobiles sunt.

Qua ratione Esai. 54: 10. gratiæ divinæ fœdus collibus & montibus immotis comparatur.

המון Multitudo] Vocabulum hoc descendit à Rabbi המה tumultuatus fuit, *strepuit, perstrepuit, fremuit.* המון significat etiam *fremitum, strepitum, sonitum, tumultum, turbam, copiam.*

הרים Montium] est plural. numeri. G. M. à singulari הר mons. Est nomen imperfectum ab inusitata R. הרר, in plur. est הרים, ubi Kametz est propter ejectum Dagesch compensativum, litera enim ר dicitur gutturalium æmula quoad Dagesch. Per Synecdochen idem etiam est quod urbs, sive arx in monte sita, alta & munita 1. Reg. 16: 24. Et emit ההר montem Samariæ. Targ. כרכא *arcem.* Deinde etiam per Metaphoram הר idem est, quod res aut *persona magna, res alta, excelsa, excellentes.*

1. *Cœli* Psalm. 18: 8. *Fundamenta* הרים *montium commovebantur* pro quo habetur 2. Sam. 22: 8. השמים Fundamenta cœlorum moverunt se.

2. *Reges fortes*, magnates, regna Mich. 6: 2. audite הרים *montes litem Domini.*

Montium nomina quod attinet, ea nunc varia in sacris reperiuntur. Rabbi Elieser dicit: Sanctum Benedictum septem montes condidisse, & ex omnibus illis nullum selegisse, nisi montem *Sinai*, juxta illud Psalm. 78: 17. *Mons in quo volupe est habitare.* Atque hic est Mons in quo Liber Pater (Moses fortasse, uti erudite ostendit *Gerardus Joannes Vossius* Theol. Gent. lib. 1. cap. 30.) educatus dicitur, & in Arabia situs est. Unde Diodorus in III. ait deportatum εἰς Νύσαν τῆς Ἀραβίας. Idemque docet in IV. Ac præivit huic Homerus in hymnis

> Ἐστὶ δέ τις Νύση ὕπατον ὄρος ἀνθέον ὕλῃ,
> Τηλοῦ Φοινίκης σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων.

> *Nysa jacet quædam, mons silvis floribus altis*
> *Phoenice procul, Ægypti stagnantis ad undas.*

Nam inter Phœniciam & Ægyptum, five Arabicum finum, Arabia eft fita, inque Arabia Petræa, eft tum defertum Sin, tum mons Sinai, ubi Deus inter tonitrua & fulmina Legem fuam tulit. Atque vocali mutata, literisque trajectis, ex Sina habet Nyfa. Ut verifimile fit, Liberi pueritiam ftatui in Arabia, quia Mofes XL. annis in Arabiæ deferto egit, inque deferto imprimis celebrari montem Nyfam, propter celebritatem Sinai montis, ubi lex promulgata. Quando igitur dicit Textus: *Vere mendaces erant Dii, quorum aras in collibus & montibus innumeris frequenter obibamus*: indicat hic loquendi modus, aliquid præceffiffe, in quo Judæi vanam fuiffe norunt Idolorum fidem, quando ab ipfis in tot rerum anguftiis nihil habuerunt levamenti, illud autem eft à Babylonico exercitu paratum infortunium. Collis autem & montes per Metonymiam, pro Deorum altaribus impiisque facris ufurpantur, quia in montibus, ut è Jeremia fæpius accipimus, obiri folebant nefariæ religionis facrificia. Neque nuda Metonymia, quippe ipfi montes pro Diis habuere Cappadoces & Daci, ut Strabo & Maximus Tyrius teftantur. De Carmelo monte fic Tacitus in fecundo Hiftoriarum: Eft Judæam inter, Syriamque, Carmelus. Ita vocant montem Deumque nec fimulacrum Deo aut templum. *Sueton. in Vefpaf. cap.* 5. Apud Judæam Carmeli Dei oraculum confulentem. Et longe his antiquior Scylax Caryandenfis: Κάρμηλος ὄρος, ἱερὸν Διός. Carmelus mons locus delubrum. Significat & montem & Deum effe, & Dei fedem ac fanum. Nullum enim in eo Templum, ut *Tacitus* indicat fed ipfe mons Carmelus quafi Templum erat numinis, imo & corpus ejus. Nam Carmelus Deus conftabat genio loci & vafto montis corpore. Verifimile autem eft, hanc opinionem paulatim irrepfiffe ex eo, quod Elias Thisbites hic habitarit, fcholamque habuerit, ut quidam prodidit Joannes Hierofolymitanus Patriarcha, de inftitutione primorum Monachorum fub veteri lege, fane, prope eum facerdotes Baal ab Elia occifos, legimus 1 Reg. 18. Ac Eliæ Difcipulum Elifæum hic aliquandiu fedem fixiffe, cognofcimus ex 2 Reg. 2: & 4. Quia igitur Prophetæ tanti hunc locum elegére ad incolendum, facraque præftanda, eo diu ille pro Sancto habitus eft, gratioremque in eo fore muniri cultum, judicatum.

Ex his omnibus, & cæteris fimilibus dictis, apparet, Prophetam Jeremiam omnimodo Idololatriam deteftari, quod *Vafquez* merito obfervare debuiffet, quando in tertiam partem Thomæ q. 25. difp. CX. cap. 2. ita inquit: *Non folum imago depicta & res facra, auctoritate publica in cultum Dei expofita, fed quævis etiam alia res mundi, five inanima & irrationalis, five rationalis, ex natura rei, & fecluso periculo, rite cum Deo, ficut imago ipfius adorari poteft.* Si quæras, quodnam intelligat periculum? Refpondet eodem capite: *Periculum non effe ex natura rei, fed ex quorundam hominum rudi ignorantia, alioquin autem nullum periculum effe illis, qui fincere rem quamlibet & Deum in ea confiderantes, ipfam adorarent.* Et hoc quidem, *fi fiat*, dicit, *eximiæ Religionis opus effe; tunc ergo*, inquit, *nullo modo dignitatem ipfius rei creatæ, attendentes, in folum Deum affectum noftrum intendere: ipfi vero creaturæ fignum & notam fubmiffionis, ofculo aut inclinatione præbere, nec inane, nec fuperftitiofum, fed eximiæ Religionis opus erit.*

Huic Scholaftico Propheta nofter omnino contrarius dicit, vanum effe, fiduciam in mendaces collocare. Et hæc monita Jeremiæ fub Jofia Rege acciderunt, quo tempore multa quæ fuperiorum Regum vel incuria vel impietate à Religione exciderant, inftaurata funt. Eo etiam tempore repertus effe dicitur, inter farta tecta templi liber legis, quo lecto, horror maximus injectus eft animis, cum proponerentur illa fupplicia, quæ liber ille legis violatoribus minabatur. Hujus legis violatores, liber ille, ipfis ob oculos pofuit Ifraelitas, qui reprehenfi funt, quod vitulum in eremo colerent, & quod Jeroboami vitulos ofcularentur, quamvis fe id facere profiterentur in honorem Domini Dei Ifraelis, in illum folum affectum fuum intendentes, creaturis vero illis figna tantummodo & notas fubmiffionis, ofculo & inclinatione præberent & facrificia, quæ offerebant vitulis, appellarent facrificia Jehovæ. Dominus, ait per Prophetam Hof. 8: 13. *Pro facrificiis donorum meorum, facrificarunt carnem & comederunt, at Dominus non voluit ea, nunc igitur recordabitur iniquitatis eorum & vifitabit peccata eorum.* Et poftea idem Propheta Hof. 13: verf. 2. in peccatis eorum hoc etiam ponit, quod *dicerent fanctificantibus hominibus, ut vitulos ofculentur*, id eft, colerent. Rabbi נשק eft talis vox quæ ad Deum vel Deaftrum relata, omnem cultum fignificat 1 Reg. 19: 18. Iob. 31: verf. 27, 28: quemadmodum, quando de fubditis dicitur, notat omnia fubjectionis officia, Gen. 41: 40. 1 Sam. 10: 1. Et diferte etiam Mofes edicit Deuter. 4: 15, 16, 17, 18, 19. *ne vel ullam Deo imaginem faciant, vel Soli aut Lunæ aut Stellis fe incurvent.* Non modo non toto corpore procumbant, fed nec inclinent corpus, quod minus eft, nimirum ne talibus geftibus paulatim eo adducerentur Iudæi, ut pro Deo ifta colerent. Et Petrus Cornelio Actor. 10: 26. & Angelus Iohanni Apoc. 19: 10. & 22: 9. interdixerunt, ne ipfos adorarent.

Hac admiffa Vasquezii doctrina, habebunt in promtu defenfionem adoratores quadrupedum, & reptilium, herbarum & arborum & fiderum, ipforum etiam Dæmonum, dummodo profiteantur, fe in folum Deum affectum fuum intendere, creaturis vero illis figna & notas fubmiffionis exhibere adeoque in eis & cum eis Deum adorare, & eas cum Deo adorare, una & eadem adoratione latriæ, ut docet Vasquetz.

Antiquitas Iudaica hoc religiofius præcarit, fiquidem cultus extranei nomine Noachidis, feu univerfo humano generi, fecundum Ebræos, interdictus, non modo faxorum, ftipitum, ftatuarum, imaginum, fed etiam qualifcunque Angelorum, corporum cœleftium, Elementorum, aliusve cujuscunque creaturæ cultus, five qua pro Numine fupremo ipfa habeatur, five qua veluti intermedia, ad fupremum colenti placandum, invocetur. Imo ut intermedia numina, coli folitas fuiffe à Gentilibus, creaturas fic credebant, ut nec aliter à quoquam eorum aliquam cultam crederent fuiffe, quod ex fermone etiam facra eliciunt. Egregius eft ad hanc rem Maimonides, *More Nebochim* part. 1. cap. 36. ואתה יודע כי כל שעובד זרה לא יעבדה דאה שאין אלוה בלעדיה דמה' *Nofti quicunque fuerit extraneo cultu affuetus, eum non ea fententia, eo cultu uti, ac fi Numen non effet aliud præter id, quod colit. Neque enim five ex ipfis qui olim colebant cuipiam venit in mentem, five ex eis, qui colent in pofterum in mentem veniet, figuram five ex metallo, five ex faxo, five ex ligno confectam, fuiffe ipfum Cœli & telluris creatorem, gubernatoremque. Sed ita eam colunt, quatenus imaginem induit alicujus rei, quæ velut intermedia fit inter ipfos & DEUM benedictum*, ficut & ipfe explicat, ubi ait, Jerem. 10: 7. ubi & Rabbi David Kimchi prolixior eft. *Quis, id eft, non timebit ô Rex Gentium? Tuum enim eft imperium. Etiam apud omnes fapientes gentium & in omni imperio eorum non eft fimilis tui. In uno autem* (בנאחת ubi ἅμα feu pariter apud Helleniftas & in vulgata fubftituitur,) *defipiunt & ftulti funt*, doctrina vanitatis (eorum) *lignum eft.* Atque alibi Mal. 1: 11. ubi vide ad hanc rem Sal. Jarchium & David Kimchium: *In omni loco incenfum offertur nomini meo, & oblatio munda, quia magnum nomen meum inter gentes. Ubi caufa prima ex eorum fententia indicatur. Neque fane de ea quifpiam ex legis noftræ Magiftris diffenfit.* Hactenus ille, qui receptam etiam Talmudicorum Gemar Babylon ad tit. Sanhedrin cap. 7. fol. 56. & 57. de cultus extranei difcrimine, quo ad Noachidas attinebat, fententiam viter hic eft amplexus.

בן נח שעבד עבדע זרה הייך והוא שיעבור כדרכה וכל ע"ז שבית דין של ישואל ממיתין עליה וכל שאין ביתדין של ישראל ממיתין עליה אין בן נח בחרג עליה ואף עלפי שאינו בהרג אסור בכל ואין מנחין אותו להקים מצבה ולא לטעת אשרה ולא לעשות צורות וכיוצא בהן לגוי: *Noachides, qui cultu utitur extraneo, reus eft, modo fcilicet juxta affuetum ritum colat. Nam ubicunque ultimo fupplicio punitur in foro Ifraelitico cultus extraneus, ibi Noachides, ob fimilem cultum, gladio plectendus erat. Et ubicunque in foro Ifraelitico morte non punitur ejusmodi cultus, neque ob fimilem, gladio plectitur Noachides. Cæterum tametfi gladio non fuerit plectendus, interdicitur ei nihilominus omnimodus cultus extraneus. Neque permittitur ei five ftatuam erigere, five Lucum plantare, five Imagines facere, five quæ funt id genus alia, ne quidem etiam ornatus caufa.* Loquitur de Noachide feu Gentile Hierofolymis, alibive in Ebræorum veterum ditione. Ifraelita autem ultimo fupplicio, minime ob cultum extraneum puniebatur, nifi five propalam ac difertis verbis DEUM fibi novum invocaret, five *adoratione*, five *immolatione*, five *fuffimento*, five *libamine*, five *cultu*, *qui peculiaris erat Numini commentitio*, five *cultu Numini vero proprio*, illum, idque faltem velut Numen coleret. Cuicunque igitur ficto DEO five expreffa invocatione divinitatem apud Ebræos tribueret Noachides, five ex illis quatuor prioribus ritu aliquo faceret, five cultum aut Numini fanctiffimo aut Idolo ipfi peculiarem atque proprium adhiberet, ultimo puniendus erat fupplicio.

Ita

Ita se nempe habuit disciplina eorum sacra, pura atque incontaminata. Cæterum hanc nemo nescit moribus per quam adversis sæpius interpolatam esse fœdatamque. Ante templi primi maxime excidium. Seculis enim illis, pro vario hominum perversorum affectu atque dominantium libidine ita Idololatria seu cultus extraneus subinde apud eos recruduit, ut nullum ferme ejusdem genus non sit etiam publice admissum. Tandem vero post templi primi excidium gens toties icta eousque sapuit, ut nihil magis atque cultum extraneum, idque ex Majorum disciplina, quam mali temporis anterioris mores nimium sæpe obumbrarant, sed delere nequibant, velut pestem gravissimam ante alias execrandam fugerent.

Occurrunt quidem subinde apud scriptores veteres de Judaico Angelorum & Astrorum cultu aliquo etiam post secundi templi excidium testimonia, sed quæ conjecturæ potius sunt, nec temere admittendæ.

Ex cæteris omnibus hæc gravissima fuit contumelia, qua ὀνολατρεία Judæis primum tributa, sic enim Democritus historicus apud Suidam in Ἰȣδας, *Asini caput aureum adorabant, tertio quoque anno capiebant hospitem, eumque offerebant, carnes item minutatim dissecabant, atque ita interficiebant. Cornelius Tacitus lib. 5. hist.* de Judæorum origine & moribus. *adscensere*, scribit, *Judæi Mosi Duci, atque omnium ignari, fortuitum iter incipiunt: sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exilio totis campis procubuerunt; cum grex asinorum agrestium, è pastu in rupem nemore opacam conscendit; secutus Moses conjectura herbidi soli largas aquarum venas aperuit.* Et paulo post: *Effigiem animalis, quo monstrante, errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere.* Sed totum hoc commentum est deductum ex vitiosa interpretatione versiculi vigesimi quarti cap. 36. Gen. Ibi Moses Hebræorum principum familiam describens. *Is est*, inquit, *Ana, qui invenit* אתהימים *in deserto, cum pasceret asinos Zibeonis, patris sui.* Hæc verba אתהימים cum deberent legi *eth haiemim*, id est, mulos, multi h. l. legerunt *eth hajamim*, id est, maria, aquas. Alii putant: *Jamim* maria appellata, iisdem enim literis scribuntur *maria*, quibus nunc hic sermo descriptus est. Et volunt, illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, quæ juxta idioma linguæ Ebraicæ, maria nuncupantur, quod scil. stagnum repererit, cujus rei inventio in eremo difficilis est. *Diodorus Tharsensis* ὁ σύρ⊕ καὶ ὁ ἑβραῖ⊕ τ̃ Ἰαμεὶν ὕδωρ βέλοντας λέγειν ἀντὶ τ̃ εὗρε πηγὴν ἐν ἐρήμῳ. Id est, *Syrus & Ebræus aquam Jamim vocare solent, hoc est, invenit fontem in deserto.* Hæc itaque cum Ethnicis innotescerent, more suo quædam mutabant, quædam addebant, quod Anæ erat adscribendum, Mosi adscribebant ac asinis, in auxiliis præmium, divinos attributos honores, mentiebantur. Sed hæc missa sint. Concludimus contra Vasquezium hoc Judæorum monito: כל המודה בע"ז כופר בכל התורה כולה ובכל הנביאים ובכל מה שנצטוו הנביאים מאדם הראשון ועד סוף העולם וכל הכופר בע"ז מודה בכל התורה כולה ובכל הנביאים ובכל מה שנצטוו הנביאים מאדם ועד סוף העולם: *Quicunque cultum extraneum exhibendum esse professus fuerit, certe is renunciat non modo Legi universæ, sed & universis Prophetis atque Imperatis, quæcunque acceperint Prophetæ ab Ada hominum primo, usque ad finem seculi. Quisquis autem cultui extraneo renunciaverit, is professione agnoscit Legem universam, uti & Prophetas universos & Imperata quæcunque acceperint Prophetæ ab Ada usque in finem seculi.*

ביהוה אלהנו] *In Domino DEO nostro.* Literæ וכלב cum nominibus divinis aliquam patiuntur punctorum crasin. De hisce nominibus non prolixe agam. Videatur interim erudita illa dissertatio de incommunicabilitate admirandi & singularissimi nominis יהוה, quam Argentorati habui sub Præsidio Magni mei quondam Præceptoris Dn. D. Dorschei, ad cujus pedes ultra quinquennium sedi. Ut tamen aliquid potius repetiisse quam dixisse videar, in hisce Nominibus triunitatem personarum latere, probabo, quod Mysterium, tribus pronunciatis continetur.

I. Quod unus tantum sit verus DEUS & nullus alius præter eum.

II. Nec tamen Pater tantum verus DEUS sit, sed Filius simul & Spiritus Sanctus.

III. Quod Pater, Filius & Spiritus Sancti inter se revera distinguantur.

Ultimum in hac Diatribe brevitatis ergo præteribo, quippe etiam manifestissima Patris, Filii & Spiritus Sancti distinctio ex universa scriptura. Quod unitatem DEI attinet, probatur ea tam ex V. quam N. T. Sicut enim Deut. 4: 35. dicitur יהוה הוא האלהים אין עוד מלבדו Deut. 6: 4. שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד

Ubi duas literas majusculas ע & ד mysticum quid notare censent Cabbalistæ. Sic enim ajunt: ע"ין וד"לית גדולה הרי עד והוא אתם עדי נאם יהוה וגם הק"בה הוא עד לי לישראל כד כתיב והייתי עד ממהר: id est, *Ain & Daleth, hic majusculæ sunt, unde illis conjunctis efficitur dictio* עד id est, *testis: atque hoc est, quod dicitur Esa. 43: 10. Vos testes mei estis. Quia etiam DEUS sanctus benedictus testis est Israelitarum, sicut scriptum est Mal. 3: 5. ero testis velox, attenditur sc. ad mutuum illud Dei & populi testimonium.*

De quo dicto ita Rabbi Sal. Jarchi loquitur: יי שהוא אלהינו עתה ולא אלהי האומות הוא עתיד להיות יי אחד שנאמר כי אז אהפוך על עמים שפה ברורה לקרוא כלם בשם יי ונאמר ביום ההוא יהיה יי אחד ושמו אחד id est, *Dominus dicitur, quoniam ipse nunc est DEUS noster, & non DEUS Gentilium, ipse erit unus Dominus* (super terram) *quia dicitur Zoph. 3: 9. Tunc reddam populis labium electum, ut invocent nomen Domini, & deinde dicitur Zach. 14: 9. in die illa erit Dominus unus & erit nomen ejus unum.*

Psal. 86: 10. אתה אלהים לבדך. Quem locum Aben-Ezra ita παραφράζει: הגוים ישפרו גדולתך ויודו כי אתה אלהים לבדך ואלהיהם אינם אלהים id est, *Gentibus placebunt mirabilia tua & celebrabunt Te, quoniam tu solus DEUS & DEUS eorum non est DEUS.* Rabbi Sal. Jarchi hinc unitatem Dei probare voluit, quando recensuit opera veri Dei & gloriam, quam etiam omnes gentes nomini ejus offerre coguntur: באמר עשה נפלאות אתה לבדך עד שלא נבראו המלאכים נבראו השמים והארץ לפיכך יכבדו כל הגוים לשמך:

Ita quoque Marc. 12: 32. scriptum est εἷς ἐςὶ Θεὸς καὶ οὐκ ἔςιν ἄλλ⊕ πλὴν αὐτȣ̃, & Joh. 17: 3. ἵνα γινώσκωσί σε τ̃ μόνον ἀληθινὸν Θεόν. Ubi Pater dicitur μόν⊕ ἀληθινὸς Θεὸς, sed non μόν⊕ πατὴρ est ἀληθινὸς Θεὸς, verum & Filius 1 Ioh. 5: 20. & Spiritus sanctus 1 Ioh. 5: 7. quia est cum oppositione personali ad Patrem & Filium ἓν cum Patre & λόγῳ. Et Pater est μόν⊕ ἀληθινὸς Θεὸς, sed non μόνως, & cum exclusione eorum, qui in illa μονάδι & ἑνότητι concurrunt. Vid. 1 Cor. 8: 6. Eph. 4: 6.

Notandum deinde, quamvis Scriptura etiam Angelis & hominibus nomen אלהים interdum tribuat; tamen eos nec veros Deos usquam dici, nec esse, sed ὁμωνύμως tantum ita appellari.

Deitatem autem Patris ut multis adstruamus, non opus erit, cum nemo eam neget. Sed nec de divinitate Spiritus Sancti tanta quæstio est, quanta de divinitate Filii, cum & hæc præcipue hodie impugnetur.

Divinitas igitur Filii Dei *quinque* constituitur modis.

1. Ex V. T. ubi ut Deus verus & naturalis describitur, vel nomine Dei Israelis, Domini exercituum & simili appellatur, ut Psalm. 2: 7. ubi considerandum, quod ibi non sit sermo, sive facta fuerit promissio de Rege terreno, aut Angelo creato, sed intelligendus sit *Jehova verus, natura Deus* æternus æterni Patris Filius, *Rex in Sion*, cui serviant omnes Reges & Judices terræ, de *quo Rege in Sion, clare dicitur, quod sit Jehova, qui est Dominus omnium gentium*, cui omnes confidant, quodque in eo, vera fide apprehenso, habeant salutem. Signanter *dicitur, quod sit filius Dei, à Deo genitus ab æterno.* Nulla enim in Deo est differentia, vel ulla immutatio temporis. Tempus divinum est ipsa æternitas. *Dixit ad me*, scil. unum, non ad multos, Filius meus es tu unicus. *Ego genui te* ילדתיך quod verbum non mulieribus solum, sed & viris tribuitur. *Hodie* non significat certum ac temporalem diem sed diem æternitatis 2 Petr. 3: 18. nulli παραλλαγῇ aut τροπῆς ἀποσκιάσματι obnoxium Jac. 1: 17. Est itaque evidentissimum & firmissimum testimonium vel de divinitate Christi, ut vel inde omnes Judæi statuerint, & Doctrina Ecclesiæ Israeliticæ fuerit famosissima, *Christum esse verum Dei filium.*

Hunc Psalmum Rabbi Lipmannus in suo libro quem נצחון inscripsit, hoc modo pervertit: יבאו הרבה נוצרים להטיח דברים צלפי מעלה לאמר שיש בן אלוה שנולד ומפרשים על הנוצרי' ושעות הוא בידם כי כל המזמור מוכיח שעל דוד עצמו קאי שנאמר התיצבו מלכי ארץ ורוזנים נוסדו יחד על יהוה ועל משיחו ננתקה את מוסרותימו וגו כלומר למרת במלכותו &c. *Adventant multi Christiani, ad proferendum verba contra DEUM, dicendo, quod sit filius DEO, quod natus DEO & exponentes de*

de Nazareno. Sed hic error in manu eorum, quoniam totus Psalmus declarat, quod ad Davidem pertineat, quemadmodum dicitur: CONGREGATI SUNT REGES TERRÆ ET PRINCIPES CONSULTARUNT PARITER ADVERSUS DOMINUM UNCTUMQUE ILLIUS, DISRUMPAMUS VINCULA EJUS, quasi vellet dicere, ut rebelles simus in regnum ejus. Et dicit: *DOMINUS SUBSANNABIT ILLOS* &c. huc usque: *ET CONSTITUI REGEM MEUM SUPER MONTEM SION? MONTEM SANCTUM MEUM.* & hic est David. *Ecquando enim regnavit Nazarenus super Sion?* Deinde ait cantor Psalmi: *DOMINUS DIXIT AD ME, & hic est David, cum quo locutus est Deus, & quis fuit sermo (FILIUS MEUS ES TU) manifestum est, quod David sit ille Filius.* Et amplius dicitur: *HODIE GENUI TE. Ecce dies nativitatis erat diebus cantoris Davidis. Et quomodo errant, ut exponant eum de facto, quod accidit sub finem templi secundi? Et ulterius vox* ילדתיך *non pertinet nisi ad matrem, quæ parit filium. Sed de Patre necesse est dicere* הולדתיך. *Verum* ילדתיך *quod hic dicitur non est de significatione nativitatis, sed significatione genealogiæ, quod genealogia illius* (Davidis) *ad regnum pertineat, & hoc ex significatione, & professi sunt natales juxta genealogias,* במרבי א׳ י״ח Ita Judæi ubi ubi possunt textus Scripturæ nobis eripiunt, juxta illud R. Salomonis ad Psal. 21:1. רבותיכו פתרוהו על מלך המשיח ונכון לפותרו עוד על דוד עצמו לתשובת המינים שפקרו בו: i.e. *Magistri nostri exposuerunt illud de Rege Messia, rectum tamen porro fuerit, si explicetur de Davide ipso, quo respondeatur hæreticis, qui hoc loco abutuntur.* Vid. D. Helvici T. 4. Disp. Giss. Disp. VIII. & D. Dorschei Diss. II. in Pentad.

Τὸς χρισιανὸς apellant נוצרים vel מינים teste Rabbi Mose Majemonide in Hilchot Tepsilla & Berachot Cohanim c. XI. & quod per מינים intelligat תלמורי ישו patet ex Berachoth fol. 28. col. 2. & ex Roschaschana fol. 17. 1. ubi Rabbi Sal. Iarchi ad vocem מינים adfert hanc explicationem. תלמורי ישו הנוצרי אשר הפכו דברי אלהים חיים לרעה i.e. *Discipuli Jesu Nazaræi, qui pervertunt in malum verbi DEI vivi.*

Secundus Locus, qui Filii Dei divinitatem adstruit est Esai. 35:4. qui textus, ut & totum caput, diserte loquitur de adventu Messiæ. Patet id ex ipsius Christi verbis Matth. 11: vs. 4. ubi ex hujus Prophetiæ impletione discipulis Iohannis demonstrat, se Messiam esse. Hic Iudæi à litera recedunt, quando inter alios *R. Kimchi* ita scribit: אז תִּפָּקַחְנָה ישראל שהם בגלות כעורים וכחרשים וכפכחים וכאלמים: *Tunc aperientur, nempe oculi Israëlitarum, qui in captivitate vel exilio potius similes sunt cæcis, surdis, claudis & mutis.* Depravationis hujus initium factum est à *Chaldæo*, qui similitudinis præfixum inseruit, adeoque עִוְרִים reddidit כְּסַמְיָן ac חֵרְשִׁים quoque כְּחֵרְשִׁין: quam eandem sententiam *Maimonides* amplectitur in *Doctore perplexorum part. 1. cap. 2.* ubi satis audacter ait, פָּקַח *TANTUM dici de revelatione cognitionis vel scientiæ, non vero de apertione visus corporalis*: hanc enim fovet hypothesin, Messiam, nulla editurum miracula.

Tertius Locus est Zach. 2:8. ubi bis quidem ipse Dominus exercituum dicit, se ad Iudæos venturum esse, & missum adeo à Domino exercituum. Quis autem alius is est, quam Christus? Ille enim est, qui servitute oppressos liberavit, qui in medio hominum habitavit, & ad quem gentes adjunctæ sunt. Christus ergo est Dominus exercituum, non minus, quam Pater, qui eum misit.

Secunda Classis continet ea, quæ ex V. & N. T. simul, ubi quæ de Deo Israëlis in V. dicuntur, Christo aptantur in novo. Inter alia dicta, brevitatis ergo hæc perpendenda existimo Esai. 40:3. & Mal. 3:1. quæ verba, de Johanne, viam Christo paraturo, intelligenda sunt, & de eo in N. T. allegantur dicta, Matth. 3: 3. Luc. 3:3. Joh. 1:23. Locus autem Malachiæ citatur Matth. 11:10. Luc. 7:27. Marc. 1:1. Argumentum tale est: Cujus anteambulo erat Johannes Baptista, cuique viam parandam esse, tum clamabat, tum ipse parabat, is est Dominus (ארני) & Deus Israëlis; Dominus cujus erat templum. At Johannes erat &c. E. Christus est Dominus (ארני) & Deus Israëlis, Dominus, cujus templum ipsum erat.

Rabbi Lipman. pro more stomachabundus fert, dictum Mal. 3:3. Christo tribui, quando ita scribit: הנה גם זאת פירשו הנוצרים על הנוצרי כב מנהגים אשר אינם רואים במא מרבר העניין והלא בהדיא משיים וישב מצרף ומטהר כסף וטיהר כל בני לוי וזיקק אותם ככסף והיו להג ישי מנחה וערבה לא מנחה יודא וירושלים כימי עולם וכשנים קדמניות׳ נמצא שהכל על גאולת יודא וישראל נאמר/ ומלאך הנביא ידע טעתום ועך הוא אומר׳ אני יהוה לא שניתי ואיככה יאמר שמתח לא לאהיה בו גוף וגשמות/ ועוד שחתם רבריו ואמר זכרו: תורת משה וגו/: לאפוקי מהם שיהיה תורה חדשה: *Ecce etiam hoc interpretantur Christiani de Nazareno secundum consuetudinem suam, quod non videant, de quo textus loquatur. Numquid enim non satis aperte finit: sedebit conflans & purgans argentum, & purgabit filios Levi, & excoquet eos sicut argentum, ac offerent Domino munus & dulcis erit illi oblatio Iudæ & Israëlis, sicut in diebus seculi & annis antiquis. Et hinc apertum, omne hoc, de liberatione Iudæ & Israëlis esse dictum. Malachias autem Propheta prævidit errorem illorum, & propterea ait: Ego Dominus non mutor. Et quomodo hoc dicitur, si non ab initio statim corpus habuit. Et amplius obsignavit prophetiam suam: Mementote Legis Mosis &c. nimirum adversus illos, quibus bona Lex fuerit.*

Tertia Classis ex N. T. suggerit singulatim ea, quibus Deus benedictus, Deus verus aut simili modo vocatur, ut Luc. 1: vers. 76. *Tu vero, puerule, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, ut pares vias ejus, & des cognitionem salutis populo ejus.* Et supra de eodem Angelus ita dixerat: *Erit* (Johannes) *magnus in conspectu Domini multosque Filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum: nam ipse præcedet in conspectu ejus cum spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios & contumaces ad prudentiam justorum, ut præparet Dominus populum accommodatum.* Hic diserte Christus nunc altissimus, nunc Dominus Deus Israël vocatur. Videantur reliqua dicta ut Joh. 1:1. 20:28. Act. 15:28. Rom. 9:5. 1 Tim. 3:16. Tit. 2:2. 1 Joh. 5:20. His addantur illa, ubi periphrastice idem dicitur, sic *primo*, vocatur *Dominus gloriæ* Actor. 7:1. 1 Cor. 2:8.

Deinde, appellatur, *primus & ultimus*, qui rursus nemo est nisi unus ille Deus Esai. 44:1. 48:12. ac ita seipsum Christus vocat Apoc. 1:17. 2:8. 22:12.

Tertio, dicitur *Rex Regum & Dominus Dominantium*, & hæc periphrasis unius Dei 1 Tim. 6:15. Apoc. 17:14. 19:16.

Quarto, vocatur *Filius DEI*, nec simpliciter, sed *unigenitus*, Joh. 1:14:18. 3:16. 4:6. *proprius* Rom. 8: vs. 32. *Verus.* 1 Joh. 5:20. & tantæ excellentiæ, ut præ eo Angeli ipsi, non filii, sed ministri sint. Ebr. 1:14. Talis autem non potest esse adoptivus filius, sed naturalis seu ex ipsa Dei essentia genitus.

Quarta Classis argumentorum ab attributis divinis desumitur: quorum primum est *Æternitas*, & expresse ea Christo tribuitur Mich. 5:2. in quo dicto nec dictio מקדם nec vox מימי repugnat, quo minus æternitas proprie dicta hinc colligatur. Nam מקדם, quod passim de diebus antiquis intelligitur, indifferenter se habet ad id, quod initium in tempore sumpsit, & quod nullum agnoscit initium temporis, adeoque verti potest: *à quondam, à principio, ante principium*, scilicet mundi, quod alias dicitur πρὸ καταβολῆς κόσμου. Voces autem מימי עולם determinate important æternitatem, quam ex mundi initio æstimat, atque ea ipsa DEI æterni est descriptio, quod fuerit מעולם vel מיום, antequam mundus, antequam dies esset ullus. Quod vocem מוצאות attinet rectius longe familiæ competere, Photiniani propter numerum plur. existimant, ubi, multæ longaque serie deductæ generationes vel egressiones quam nativitati singulari. Sed resp. Causa pluralis est generationis divinæ perfectio, quam quidem, pro ratione subjecti, crebro Ebraismus hoc modo innuit. V. g. Psal. 48. ult. *Dominus judicabit populos* במישרים *in rectitudinibus & justitiis*, justissime. Exod. 38: vers. 30. *ponis in pectorali judicii* אורים ותמים illuminationes *& perfectiones* i. e. *Vatablo* interprete, illuminationem & perfectionem summam. Sic quoque מעזים Dan. 11: 8. maximam fortitudinem & חכמות, Proverb. 9:1. summam importat sapientiam. Rabbi Lipmannus, ut solet, hoc dictum Michæ ita ad alienum sensum torquet, quando scribit: כל זאת מפרשים הנוצרים על הנוצרי ושקר מתנבאים שהרי אין ממשלתו על ישראל שיאמינו בו או יראוהו או יעבדוהו: ועוד שאמר בגאון יהוה אלהיו שיש לזה אלה ואין בעצמו אלה ואף לפי טעותם שאומרים שעל בשר נאמר א״ב תקשה להם הלא נמצא הבשר מקדם מימי עולם: ועוד שישנו אחים למלך זה ועוד הלא בשעת לידתי לא אירע דבר ורק על שעת מותו אמרים שמלך ועוד שאין ממשלתי אפסי ארץ: ועוד שהפרשה מסיימת: והיה שארית יעקב בגוים בקרב עמים רבים כאריה בבהמות וגוי עד וטרף ואין מציל וגוי עד וכל אויביך יכרתו והנה כל זה עריין אינו אלא הכל קאי על מלך המשיח שהוא מזרע דוד שנולד בביתלהם וגוי: וממרט יצא המושל ומצאתיו מקדם כמו שנא ולפני שמש ינון שמו לבן יתנם לשון מתנה כלו ימתינו בגלות עד עת יולדה זהו ציון כמו שנאמר בפרש של מעלה חולי וגוחי בת ציון כיולדה וגוי וכתיב בישע: &c. *Omne hoc exponunt Christiani de Nazareno & mendacium proponentes. Nam ecce non regnum*

regnum ejus super Israël, ut crederent in eum, aut timerent eum, aut inservirent ei. Et amplius de quo dicit: In sublimitate Domini DEI sui, *is habet* DEUM *nec ipse* DEUS *est. Quamvis etiam error ipsorum (locum habeat) dicentes: Quod de carne dictum sit. Si ita est, interroga illos, num inveniatur caro ab olim ante dies seculi: Et ulterius, suntne etiam fratres huic Regi, & ulterius, num tempore isto generationis*, (Nazareni) *non evenit illud. Tantum de tempore mortis ejus dicunt, quod regnarit, & ulterius quod non regnum ejus sit ad fines terræ. Ulterius finit ista sectio: & erunt reliquiæ Jacobi inter gentes, in medio populorum multorum, sicut leo inter bestias* &c. eo usque. Dilacerans nec est redimens &c. & omnes hostes tui exscindentur. *Et ecce totum hoc hactenus non contigit, sed pertinet ad Regem Messiam, qui est de semine Davidis, nati in Bethlehem, & de semine illius prodibit Dominator, cujus egressiones sunt ab ante: sicut dicitur*: ante solem sobolescit nomen ejus לכן יתנם *est significationis* מַתָּנָה *exspectatio, quasi dicerent manebunt in captivitate per tempus parturitionis. Hæc Zion est, de qua dixit præcedente capite*: Dole & ingemisce, filia Sion, sicut parturiens &c. *Et in Esa. scriptum est*: Doluit & simul peperit Sion filios suos. Et residuum fratrum ejus redibit ad filios Israël, i. e. *erunt in universum Israël, & non duo populi, & non erunt amplius divisi in duo regna, sed Messias dominium habebit ad fines terræ, sicut dicitur: Dominabitur à mari ad mare, à fluvio ad fines terræ* והיה זה שלום qs. *diceret hæc erit illa pax, ut dictum est superius*: Et erit in novissimis diebus aptatus mons domus Domini in vertice montium &c. Ibunt gentes quamplurimæ &c. conterent gladios suos in ligones, & hastas in falces, nec tollet gens manum contra gentem, nec amplius bellare discent. *Exinde responsio ad omnes pœnas, quas prædixit* (Micha) *& etiam probatio, quod Messias nondum venerit.*

Reliqua attributa, brevitatis ergo prætereo.

Classis quinta, est ex operibus divinis, inter hæc opera hoc quoque pertinet: propria autoritate, vera miracula facere, quod soli Deo convenit Psal. 72: 18. & hoc Christus fecit: ברוך יהוה אלהים אלהי ישראל עשה נצלאות אבדו: à mortuis suscitavit Joh. 2: 19. Dæmones ejecit Marc. 9: 25. in nomine suo idem facere Christus mandavit. Non possum, quin ultimo adscribam verba R. Lipmanni, eorumque versionem, ut pateat quam perverse explicet Psalm. 72. אמרו הנוצרים מלך וכן מלך זהו האב והבן והנה אינם מבינים הונן הדבר על אופניו שהרי המשורה מתפלל לאלהיו שיתן משפטו למלך וצדקתו לבן מלך ונמצה מבואר שאין במלך ובבנו צד אלחות: ועוד והיאן במרשים וירד מים ועד ים ומנהר עד אפסו ארץ אימתי היה הנוצרי מושל בכל העולם וכן מה שנאמר וישתחין לך כל מלכים כל גוים יעכרוהו זה לא נעשה לו ולא לכל בני אמונתו ועוד אין שייך על אלהות ויחי ויתן לו מזהב שבא ויתצלל בעדו תמיד וגם לא כתקיים עריין יהי פסה בארץ בראש הרים ירעש כלבנון פריו המזמור נאמר על שלמה המלך ע״ה ועל מלך המשיח שיעמוד מזרעו וכן מסיים המשורר ברוך אלהים אלהי ישראל עושה נפלאות לברו לאפוקי אלהי האומות: *Dicunt Christiani, Rex & filius Regis, qui sunt Pater & filius, sed ecce illi non intelligunt decorem rei super circulos suos, vide enim autor Psalmi petit à Deo suo, ut det judicium suum Regi & justitiam suo filio Regis. Et relinquitur declaratum, quod non in Rege & filio ejus vestigium divinitatis. Deinde quomodo hoc exponunt*: Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos terræ? *Quando dominatus est Nazarenus per universum mundum? similiter quod dicitur*: incurvabunt se coram Te omnes Reges, omnes populi tibi servient. *Hoc non factum est illi, & non ulli qui fidei illius adhærent. Præterea quomodo convenit Deo*: & vivet & dabit ei de auro Saba & orabit pro eo perpetuo, *& illud etiam hactenus non est impletum*: erit particula frumenti in terra, in vertice montium perstrepet sicut Libanus fructus ejus. *Psalmus dictus est de Rege Salomone, super quem pax sit, & Rege Messia, qui de posteris illius prodibit, & sic finit Psalmi Autor*: benedictus sit Deus, Deus Israëlis, qui patrat mirabilia solus, *ad explodendum Deos gentium.*

Sed Psalmum hunc Messiæ conditionem describere in confesso est apud omnes, qui rite expendunt, ea quæ ibi leguntur, alii homini competere non posse, unde etiam Chaldæus Paraphrastes illa verba vers. 17. *Benedicentur in eo omnes gentes*, ita reddidit: ויתברכון בזכיתיה כל עמיא: *& benedicentur per justitiam ejus omnes gentes.* Ubi per eum Chaldæus paraphrastes intelligit Messiam è Davide oriundum; sicut aperte dixerat 10: 1. הלכת דינא למלכא משיחא: ./. *constitutiones judicii tui da Regi Messia.* Hæc similiaque testimonia probant dogma Christianorum de Messiæ meritis, quæ eo minus Judæi negare debent, quod etiam Patriarcharum merita posteris profuisse ex justitia Dei (qua distinguitur à benignitate) doceant. Atque ita non sufficit Judæis, dicta scripturæ de Filio Dei in alienum sensum torquere, sed insuper variis nostrum Jesum, proscindunt convitiis, eumque volunt esse ממזר *spurium*, neque talem, qui esset ממזר כפק *spurius dubius* ./. qui ex ejusmodi nuptiis natus, ut in dubio restaret utrum mater ante viro alteri legitime nupta esset, an legitime divortio separata, aut ubi ejusmodi quid aliud eveniret. Neque eum dicunt esse Mamzerem, qui ex institutis scribarum seu majorum מדברי סופרים talis esset, quemadmodum ubi fœmina, quæ virum suum, alienis in terris demortuum esse, audiet, novo juncta fuerit marito, & priori redeunti prolem pepererat, & quia sine dolo, secundæ nuptiæ factæ essent, ideo non ex lege, sed ex instituto majorum Mamzerem prolem hanc habuere. Mamzerem igitur dicunt esse ודאי seu manifestum, i. e. de quo liquido constaret, eum esse turpitudinis seu incesti coitu prægnatum. Multa dicteria in D. Jesum, verum Dei filium producere non opus erit, sufficiat potulisse ex Rabbi Lipmanno §. 347. Judæum ad Christi doctrinam conversum, his verbis contra Judæos disserentem: אתם אומרים בעלינו לשבח שהם משתחוים להבל וריק וזה בגימטריא כמניין ישו ואתם אומרים ומתפללים ללא יושיע: i. e. *Vos dicitis in Alem Jeschabbeach incurvant se coram vanitate & inanitate* וריק *atque hoc in Geometria vel Arithmetica est juxta numerum* ישו. *Dicitis quoque & invocant eum qui non est servator.* Respicit autem conversus ille Judæus ad precationem inter Ebræos hodieque usitatam, quæ his verbis incipit עלינו לשבח *super nos sit laudare.* In hodiernis vero precum formulis, hæc verba non sunt expressa sed cum lacuna extant hoc modo: עלינו לשבח לארון הכל גדולה ליוצר בראשית שלא עשנו כגוי הארצות ולא שמנו במשפחות האדמה שלא שם חלקינו בהם וגורלינו בכל המונם שהם משתחוים ...... אנו משתחוים לפני מלך מלכי המלכים: *Super nos sit celebrare Dominum universi & dignitatem dare formatori Bereschith* (seu qui in principio omnia creavit) *quod non fecerit nos tanquam gentes terrarum, nec posuerit nos in familiis hujus regionis, neque collocaverit partem nostram inter illas, & sortem nostram tanquam* (sortem) *omnis illorum populi, qui incurvant se ------ Nos vero adoramus Regem omnium Regum.* Hiatum sic supplendum esse docuit Virum Cl. Vorstium conversus quidam Judæus להבל וריק ומתצפללים ללא ישיעה *adorant vanitatem & inanitatem & invocant eum qui non servabit.* Hæc verba non solent clara voce proferre, sed inter orandum mussitare vel corde celare. Quod autem dicit וריק *& vanitatem*, eundem continere numerum cum ישו eo innuit literas cujuslibet vocis conficere 116 id abunde arguit, vanissimos omnium mortalium hos esse calculatores, quod, ubi nihil serii & solidi promere possunt, in numeri paritate mysteria venentur.

Restat ultima nostri commatis vocula ישראל, quod nomen Jacobo superadditum Genes. 32: 28. In Etymol. *Hieronymus* fallitur, dum hoc deducit à יָשַׁר אֵל, ut idem sonet, quod *rectus Dei*, cum sit à שָׂרָה *Dominium obtinuit*, & jod non sit radicalis litera sed Heemanthica. Ratio hujus nominis in ipso textu additur כי שרית עם אלהים quod Chaskani ita reddidit: נעשית שורה למלאכים בשררה וממשלה אבל לא עליהם: i. e. *Tu magnus princeps factus es, ut etiam in principatu & dominatu cum Angelis possis coæquiparari, sed non superabis illos.* Tanto igitur genere cum natus sit populus Israël, merito nobis essent præferendi Israëlitæ hodierni, si indubitato ortum suum patriarchæ Jacobo deberent, sed quam inde laudem mereantur, illam portentosa religionis opinione, δεισιδαιμονίᾳ ἐπιτομῇ & variis mendaciis conspurcarunt. Populus Israël à Deo ab utero erat electus *Esai.* 44: 24. i. e. à principiis, ab incunabilis, q. d. Ego te adjuvi, ô Israël, à tui ortu, puta, primum tuum parentem Abrahamum liberavi, & eduxi de Ur Chaldæorum, deinde proximum tuum parentem, unde nomen sortiris, puta Jacobum sive Israëlem in utero adjuvi, dum ibidem luctando cum fratre Esau, illi prævaluit, & nascendo tenuit plantam ejus, qs. qui eum esset supplantaturus. Sed nunc propter sanguinem quem effuderunt & idola quibus polluerunt terram, merito illos odio Deus prosequitur, sicut enim opifices in suis officinis, ebrii in tabernis, adulteri in ganeis, ita impii Israëlitæ non in templo, non in urbe sancta, non in proborum domibus, sed in Ægypto & Assyria, in domibus idolorum inveniebantur. Sed perveni ad littus, ideoque.

ABR. CALOVII DISSERTATIO De Selenolatria ad Jer. VII: 18. & XLIV: 17.

CAPUT PRIMUM.

§. I.



Ntequam rem ipſam aggrediar, Textum ſacrum, in cujus evolutione jam laboro, ſum præmiſſurus, qui habetur apud Jerem. cap. 7: 18. הַבָּנִים מְלַקְּטִים עֵצִים וְהָאָבוֹת מְבַעֲרִים אֶת־הָאֵשׁ וְהַנָּשִׁים לָשׁוֹת בָּצֵק לַעֲשׂוֹת כַּוָּנִים לִמְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם וְהַסֵּךְ נְסָכִים לֵאלֹהִים אֲחֵרִים לְמַעַן הַכְעִסֵנִי׃ Vulgata: *Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam provocent.* Et c. 44: vſ. 17, 18, 19. כִּי עָשֹׂה נַעֲשֶׂה אֶת־כָּל־הַדָּבָר אֲשֶׁר־יָצָא מִפִּינוּ לְקַטֵּר לִמְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם וְהַסֵּיךְ־לָהּ נְסָכִים כַּאֲשֶׁר עָשִׂינוּ אֲנַחְנוּ וַאֲבֹתֵינוּ מְלָכֵינוּ וְשָׂרֵינוּ בְּעָרֵי יְהוּדָה וּבְחֻצוֹת יְרוּשָׁלִָם וַנִּשְׂבַּע־לֶחֶם וַנִּהְיֶה טוֹבִים וְרָעָה לֹא רָאִינוּ׃ וּמִן־אָז חָדַלְנוּ לְקַטֵּר לִמְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם וְהַסֵּךְ־לָהּ נְסָכִים חָסַרְנוּ כֹל וּבַחֶרֶב וּבָרָעָב תָּמְנוּ׃ וְכִי־אֲנַחְנוּ מְקַטְּרִים לִמְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם וּלְהַסֵּךְ לָהּ נְסָכִים הֲמִבַּלְעֲדֵי אֲנָשֵׁינוּ עָשִׂינוּ לָהּ כַּוָּנִים לְהַעֲצִבָה וְהַסֵּךְ לָהּ נְסָכִים׃ Vulgata: *Sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro, ut ſacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos & patres noſtri, in urbibus Juda, & in plateis Jeruſalem: & ſaturati ſumus pane, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo ceſſavimus ſacrificare reginæ cœli & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame conſumti ſumus. Quod ſi nos ſacrificamus reginæ cœli, & libamus ei libamina: numquid ſine viris noſtris fecimus ei placentas, ad colendum eam, & libandum ei libamina.* Adde ex hoc ipſo capite verſum 25.

§. II. In quo textu expendendo ut rite verſemur, primum de ipſo objecto cultus hic deſcripti, & deinde de modo illud objectum colendi tum apud Judæos tum apud alios populos recepto, videbo. Quod objectum ipſum attinet, nimium quantum diſcrepant interpretes, & quemadmodum in ipſius vocis מלכת origine aſſignanda, ita quoque in objecto exprimendo non conveniunt. De altera enim voce שמים, ut hic ſimus ſoliciti, nulla apparet cauſa; quippe de qua in præſenti non controvertitur; tantum de origine ejus ingenue fateor, ab eorum parte me potius ſtare, qui, derivationibus ex אש ומים, vel ex מים & שם, vel ex מים & שאה aliiſque rejectis, potius ejuſdem, uti in aliis quoque vocibus feliciter fit, natales ex Radice apud Arabes adhuc uſitata سما, quæ ſignificat *altus, ſublimis fuit, eminuit, extulit*, accerſunt, quam quod putem, Arabes talia themata, de quibus ſermo eſt, occaſione vocabulorum apud Ebræos occurrentium & Radice deſtitutorum inde derivaſſe. Conſule hanc in rem, ſi placet, Vener. *Dn. Parent.* Bibl. Ill. Tom. I. p. 219. *Hotting.* Smegma p. 70. Lexic. Harm. & Analect. P. 1. p. 145. & 258. *Pocockii* not. miſcell. pag. 34. ſeq. *Dickinſ.* Delph. Phœn. alioſque.

§. III. Nos igitur potius ad vocem מלכת exponendam nos convertimus, quam alius à לאך, alius ab הָלַךְ, alius à מָלַךְ deducit, ut adeo, dum, pro tali diverſo aſſignatæ diverſæ radicis ſignificatu, diverſimode etiam hanc vocem exponi videas, cauſam tantæ diverſitatis inveſtigare deſinas. Audiamus vero primo loco eos, qui per voces, מלכת השמים, *ſtellas in genere, univerſum cœli exercitum* ſeu *res cœleſtes* indicari autumant. Prodeat R. David Kimchi, qui in Bibl. Baſil. ad cap. 7. Jerem. non ſolum hanc vocem à לאך deduci, ſed etiam ſtellas ea intelligi aſſerit. Ita vero ille: למלכת השמים חסר אלף ופירושו כמו מעשה השמים כלומר לכוכבים׃ i. e. *in* מלכת השמים *deficit Aleph, & exponitur per opus cœlorum q. d. ſtellis.* Clarius exponitur hæc ſententia, expreſſa etiam radice, in מכלל יופי in l. c. fol. 114. col. 11. ubi hæc habentur: חסר אלף ושרשו לאך ענין מלאכה ופירושו כמו מעשה השמים כלומר לכוכבים׃ i. e. *Deficit aleph, & radix ejus* לאך *eſt, ex ſignificatione operis, explicari autem debet per opus cœlorum q. d. ſtellis.* Hiſce addantur ea, quæ laudatus Radak. in Jerem. c. 44: 17. notat: רוצה לומר למעשה השמים והם הכוכבים מלאכת האל יתברך והוא חסר האלף וכן האחרים אשר בפרשה׃ i. e. *Vult dicere, operi cœlorum, & illud ſunt ſtellæ, opus Dei benedicti, hoc loco autem deficit Aleph, ſimilique modo reliqua ſunt explicanda, quæ in eadem ſectione leguntur.* Confer eundem quoque in Libro Radic. pag. 243. Ad hanc expoſitionem provocat R. Abarbenel, quando ad cap. 44. Jer. fol. 143. col. 2. ita ſcribit: חשבו המפרשים שמלכת השמים הוא שם נאמר לכל הכוכבים שהם מעשה השם ומלאכתו אשר ברא ושחסר האלף במלכת השמים׃ i. e. *Putant interpretes, τὸ* מלכת השמים *eſſe nomen de omnibus ſtellis uſurpatum, cum illæ Dei opificium ſint, & opus, quod condidit, & literam* א *deficere in* מלכת השמים. Eundem ſenſum quoque fovere videtur *Syrus*, quando per ܠܦܘܠܚܢ ܫܡܝܐ i. e. *militiæ cœli*, Jer. 7: 17. cap. 44: 17. ſeqq. nec non *Arabs* & LXX. Interpretes, dum ille per: لاجناد السماء, i. e. *copiis cœleſtibus*, Jer. 7: 17. hi ibidem per: στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, i. e. *exercitui cœli*, reddiderunt; qui tamen in altero loco aliter, ut poſtea viſuri ſumus, hanc vocem expreſſerunt.

§. IV. Sic *Junium & Tremellium hanc vocem à* לאך *derivare, ut ſignificet univerſum cœli exercitum, ſeu quicquid viſibile in aſtris creatum eſt*, notat *B. Hulſemann.* Comment. in Jerem. 7: 18. cum, ut ibi ſubjicitur, ipſe Propheta c. 8: 2. quid per hanc vocem intelligatur, explicet, denominans ſcilicet Solem, Lunam, & omnem militiam cœli. Eandem quoque opinionem fovet *Sixtinus Amama*, dum in Cenſ. in Deuter. cap. 11. pag. 284. in margine aſſerit, מלכת השמים eſſe *res cœleſtes*, Jerem. 7. *militiam cœli*, ut ibi quoque LXX. Interpretes habeant, maleque Vulgatam, Reginam cœli, reddidiſſe. Hunc in Antibarb. Bibl. ſuper h. l. clarius ſe explicantem quoque audiemus; Illic enim, poſtquam varias variorum ſententias adduxiſſet, tandem fruſtra talia diſputari monet, & hypotheſin, qua his vocibus vel Lunam, vel Solem, vel aliud quid nonnulli intelligunt, falſam dicit, cum מלכת non reginam ſignificet, ſed Hebræi מַלְכַּת השמים dicant, ut 1. Reg. 10. hic vero eſſe מְלֶכֶת, vocem in ſtatu regiminis poſitam, ab abſoluto מלאכה, quod proprie *opus, laborem* vel *artificium* ſignificet. Idem in der Bybelsche Conferentie Jerem. 7: 18. p. 55. alias ſententias adducit, ſuamque repetit: Eenighe vertalen het / den Coninginne des Hemels, daer door eenighe de Sonne / eenighe den Mane verstaen. Soo moeste het מַלְכַּת Malcath syn. Melechet is eygentlijck Werck, Geneſ. 2: 2. De Grieckſche Oversetters / het Heyr des Hemels. *Piſc.* het Werck des Hemels. *Zur.* het fabrijck des Hemels. *Jun.* de Hemelſche dingen. Als Sonne / Mane / Sterren / etc. onder 8. 2. *Gen.* op de kant / *à l'ouvrage des cieux*, ofte / *à l'armée des cieux*. Liesv. de Coninginne, &c. Sic *Math. Martinius* in Lex. Philol. pag. 1883. ab inuſitato Themate לאך hanc vocem deducens, eam pro מְלָאכָה ex מְלֶאכֶת ſcriptam eſſe, & *opus ſtelliferum, ſtellas, exercitum cœlorum* denotare credit. De quorum ſententia & rationibus infra aliquid monebitur. Huic derivationi & jam adductæ ſignificationi favet quoque *Munſter.* in Jerem. 7. & 44. qui, ut obiter id notemus, cum ſcripſiſſet, Jonathanem τὸ מלכת vertiſſe מיעבד, opus, hinc notatur à *Cl. Polo* in Synopſ. Criticor. in Jerem. 7. cum in Bibl. Polygl. ſit לכוכבת, ſtellæ, qui putat, forte exinde errorem ortum, quod Munſter. vocem præcedentem

dentem לְמְֶעבַר, quæ respondet Ebrææ voci לעשות, acceperit per errorem non levem, quasi vocem מלכת expressisset. Conferatur B. *Friedlibius* Theol. Exeg. pag. 704. qui sententiam de *opere cœlorum* aliis sententiis veriorem esse putat, & confirmari ex cap. 7: 2. asserit, ubi non Luna solum, verum etiam Sol & omnis exercitus cœlorum nominentur. Ita quoque *Biblia Vinariensia* habent: Melechet des Himmels/ Sonn/ Mond und Sterne. Adde quoque *Chrysostomum*, qui, notante Ghislerio in Jer. h.l. Tom. I. pag. 656. hic stellas intelligi, & talem splendidum titulum מלכת השמים ex mente ipsorum, quorum ex ore cultus hic describitur, adhiberi credidit. Cujus verba hæc ibid. asseruntur: τοὺς ἀστέρας ἐνταῦθα φησὶ, στρατιὰν δὲ οὐρανοῦ τίνος ἕνεκεν φησὶ, δεικνὺς ὅτι οὐκ ἐν αὐτοῖς τὸ τῆς δεσποτείας ἀξίωμα ἀλλ' ἕτερός ἐστιν ὁ βασιλεύς· τί οὖν ὅταν λέγῃ τῇ βασιλίσσῃ τοῦ οὐρανοῦ, αὐτόθι κατὰ τὴν ὑπόνοιαν λέγει τὴν ἐκείνων, γάρ ἐστιν ἡ λαλία. id est, *Stellas hic intelligit, militiam vero cœli qua ratione dici, ostendens, quod in ipsis nulla est auctoritatis dignitas, sed alius est Rex. Quid ergo, quando reginæ cœli ait? hoc ex mente eorum profert, quorum illa erat locutio.*

§. V. Plures, quos adferre poteramus, jam allegare supersedemus, & videbimus jam eos, qui voces has reddunt per *ministerium illud supernum cœli.* Ita enim *Forsterus* in Lexic. suo. pag. 196. seq. deducens illud ab הלך *eundo*, ait: *Existimo ministerium illud supernum cœli, quod in hac inferiora habet. Et quia superstitione quadam Judæi imbuti putarunt, à Deo astra ordinata esse, ut actiones & labores gubernarent, factum est, ut sacrificia instituerent, quibus sibi propitia redderent, ut fortunarentur actiones ipsorum.* Hanc ipsam sententiam iisdem fere verbis quoque refert Mercerus, qui postea eidem allatæ subjicit, simplicem sensum esse, si de *Machina cœli, opere* seu *artificio* intelligatur, quem vide in *Pagnin. Thesaur. Lingu. Sanct.* in לאך pag. 1256. A citata sententia haud multum distat B. Megalandri nostri opinio, qui, licet in ipso textu vocem ipsam Ebræam retinuerit, sicque Lectori liberum reliquerit judicium; tamen ad Jer. 44. mentem suam ita exponit, (cujus verba B. *Bugenhagius* in Comment. in Jerem. Latine adducit): Melechet heißt Wirckung/ des Himmels Wirckung ist/ daß er Regen/ Thau/ Schnee/ Frost/ Eis/ Kälte/ Hitz/ Liecht/ Schein/ und Summa/ allerley Wetter giebt. Daß Melechet wohl möchte heissen/ Wetter oder Gewitter des Himmels; Die Jüden haben diesen Gottes-dienst gehalten/ umb gut Wetter willen/ (wie der Text saget/) daß sie Brodt und alle Genüge gehabt haben. Auf daß die Früchte/ von Donner/ Hagel/ Blitz/ Meelthau/ und andern Ungewittern unversehret durch gut Wetter reichlich wüchsen/ und zu rechter Zeit alles wohl bekäme. Solches Melechets Stück ist S. Urban, der sol gut Wetter zum Wein geben/ und S. Alexius, wider den Donner und Blitz helffen/ und dergleichen.

§. VI. Alii quoque, ut & hoc addamus, ceu laudatus *Forsterus*, *Mercerus* & *Ghislerius* referunt, planetas h.l. intelligunt, & ab הלך à *gradiendo* deducunt, quasi gressiles dicas, sicut Astronomi illos errones stellas erraticas vocant. Quæ tamen derivatio paucos habet patronos, nec Senatus Philologorum facile eidem subscribit; literam enim ה radicalem in hac voce elisam, unde probabunt? Cum aliqua ex parte huic sit affinis sententia *Joh. Micrælii*, eandem etiam hic adferre juvat, qui de Regina cœli in Synt. Hist. pag. 175. hunc in modum loquitur: *Molocho succenturiabatur Regina cœli, sive cœli Melechet i. e. integer Deorum & inprimis signorum & planetarum cœlestium exercitus, quem Esaias cap. 45: 11. videtur Gad nominare*; sed quod h.l. neque integer Deorum, nec signorum & planetarum cœlestium exercitus intelligatur, ex infra dicendis patescet; an vero citato ex Esaiæ loco per Gad, id, quod intendit autor, intelligatur, de eo jam non feremus sententiam, poterit videri *Seld.* de Dîs Syris, Synt. 1. cap. 1. pag. 7. b. seqq. *Polus* Syn. Crit. T. III. pag. 635. seq. ubi si omnes sententiæ collatæ fuerint, difficile tamen forsan erit dictu: tu mihi sola places.

§. VII. Post hos proximum locum sibi vendicant illi, qui per מלכת השמים vel *indefinite* per stellam quandam magnam, quæ est in cœlo, exponunt, ut loquitur *Vatabl.* ad Jer. 7. quam sententiam habet Rabbi *Salom. Jarchi*, qui à מלך hanc vocem deducit, ad h. l. Jer. 7. ita scribens: כוכב גדול היו קורין מלכת השמים לשון מלכה: i.e. *stellam magnam vocabant Reginam cœli ex significatione reginæ*: vel *definite* luminare illud magnum, Solem scilicet, intelligunt, quam sententiam verbis *Kimchi* recensere lubet, ad Jerem. cap. 44: 18. ita scribentis: יש מפרשים למלכת משורש מלך ומעניני כלומר כוכב גדול אשר בשמים שהוא מלך על האחרים והוא השמש: id est, *exponunt quidam vocabulum* למלכת *ex radice* מלך, *ut sensus ejus sit, q.d. stellæ magnæ in cœlo, quæ quasi regnat super reliquas stellas, quæ est Sol.* Eandem ita refert *Sal. ben Melech* in מכלל יופי pag. 222. col. 1. ad Jer. cap. 44: 18. יש מפרשים המם שרש לשון מלוכה רוצה לומר לכוכב גדול שבשמים והוא השמש: id est, *exponunt quidam illud ex significatione imperii, ut Mem sit radicale; q. d. stellæ magnæ in cœlo, & illa est Sol.* Sic quoque Interpretum talium sententiam citat *Abarbenel* loco supra cit. dicens: מהם פירשו מלכת השמים על השמש שהוא הכוכב הגדול שבשמים: id est, *Sunt ex illis* (scilicet interpretibus) *qui exponunt* τὸ מלכת השמים *de Sole, quia omnium maxima stella sit in cœlo.*

§. VIII. Cum autem hujus sententiæ patroni, objici posse, facile perspexerint; in nostro loco non esse nomen Masculini, sed fœminini generis, huncque locum non de Sole debere intelligi; Hinc, quo speciosior fiat citata sententia, inter alios *Gatakerus*, teste Polo, perhibet, *Solem voce fœminina connotari*, (חמה Esai. 24: 23.) *alibi autem voce, quæ forma Masculina sit, usu tamen fœminea*, (Nah. 3: 17. ubi habetur שמש זרחה) unde putat, illud quoque hic locum obtinere. Quod etiam vult *Ant. de Guevara* in Annotationibus eruditissimis ad Hab. cap. 1: vs. 16. pag. 79. ubi ait: *Solem Hebræi fœmineo genere dixerunt* שמש, *unde non semel apud Jeremiam cœli Reginam nuncupari comperimus.* Cui sententiæ subscribit quoque Vatablus, qui super Jerem. 7: 17. ita: למלכת השמים i. e. *stellæ præcipuæ, qui est Sol.* Et cap. 44. addit: *Absurdum videri non debet, quod hic per Reginam cœli Sol intelligatur; nam* שמש, *quod Solem significat Hebraice, fœminini generis est.* Et Theod. Beza, Comment. in N. T. pag. 221. ajens: *Græci Solem, (cujus impia veneratio longe antiquissima est)* ἥλιον *vocarunt, quem Hebræi idololatræ (quoniam fœminina voce Solem appellant) reginam cœli passim apud Prophetas nuncupant*, (cui contradicit *Serarius* in Jos. pag. 116. cujus verba infra afferemus.) nec non *Joh. Crellius* in Lib. de Deo & Attribut. Div. cap. XIII. pag: 90. *Videmus*, inquit, *maxime Israëlitas numinis instar Solem adorasse, quem Reginam cœli, ut apud Jeremiam legimus, astricolæ appellant.* Illud ipsum quoque asserit *Estius* in Ann. Aur. pag. 551. ita scribens: *Sunt Hebraice docti, qui retinent Reginæ significationem, & per reginam cœli intelligunt Solem, idque ut videtur, aptissime.* Rationes, quæ pro asserto confirmando proferuntur, infra videbimus & examinabimus.

§. IX. Tertium locum assignamus iis, qui per verba מלכת השמים intelligunt *Lunam.* Audiamus R. *Isaacum Abarbenel.* in Comment. ad cap. 7. Jerem. pag. 106. c. 2. ita scribentem: ענין מלכת השמים ואלקים אחרים הוא שהיו שם עובדים לשמש ולירח ר"ל שהנשים היו עובדות לירח כאילו היא מלכת השמים בתוך הכוכבים והאנשים היו עובדים לשמש כי הוא היה הבעל כמו שאמר למעלה וקטר לבעל: i. e. *quod attinet voces* מלכת השמים *& cultum idolorum, sensus est, quod coluerint Solem & Lunam, q. d. quod mulieres coluerint Lunam, quia illa est regina cœlorum in medio stellarum, & viri venerati fuerint Solem, quia ille est Baal, sicut supra (vers. 9.) dictum est: Et suffiendo Baali.* Clare quoque mentem suam exponit postea: הנשים היו עובדות למלכת השמים שהיא הירח כאילו היא היתה מלכה גבירתם והשמש הוא הבעל ארון בעליהם: i. e. *mulieres coluerunt* מלכת השמים, *quæ est Luna, quasi illa fuerit Regina, Domina illarum. Sed Sol est Baal, Dominus ipsorum maritorum.* Sed quid impedit, quo minus audiamus quoque eundem *Abarbenelem* ad cap. 44. qui, adductis aliorum sententiis de stellis in genere, & Sole supra citatis, tale judicium fert: ואני כבר הודעתיך דעתי שהבעל שהיו עובדים היה בנגד השמש והוא הנקרא מולך כי הוא מלך על כל בני שחץ והאשרה שהיו עובדים היתה כנגד הלבנה והיא גם כן הנקראת מלכת השמים כמי שיכנה הכתוב השמש בשם מולך כן כינה הירח בשם מלכת השמים וכמו שכינה השמש בשם בעל להיותו בערך הלבנה כבעל הנותן מהודו וזיוו על אישתו ככה כינה את הירח בשם אשרה שהיא שם לנקבה כאילו היא נקבת השמש ואליו תשוקתו: *Et ego diu ante tibi sententiam meam aperui, quod Baal, quem coluerunt, instar Solis fuerit, vocatusque sit* מולך, *quia regnet in filios iniquitatis (Job. 41: 25.) &* אשרה, *quam colebant, erat instar Lunæ, sicque etiam vocabatur Regina cœli. Quemadmodum Scriptura Solem cognomine regis designat, sic appellat Lunam nomine τοῦ* מלכת השמים. *Et ut Sol vocatur* בעל, *quia in respectu ad Lunam sit instar mariti, qui de suo splendore & decore uxori suæ communicet, sic etiam Luna appellatur nomine* אשרה, *quod nomen est fœminini generis, quasi illa sit fœmina Solis, & illius desiderio teneatur.*

§. X. *Olympiodorus* quoque, teste *Ghislerio*, Comm. in Jer. Tom. II. pag. 802. ad ista verba LXX. Interpretum, τῇ

βα-

βασιλίσσῃ κλ. hæc apponit: ταύτην δ᾽ ἴσως τὴν καλουμένην ἀφροδίτην ὑπενόουν εἶναι, ἣν καὶ σελήνην καὶ ἑκάτην ἐκάλουν, i.e. *Hanc fortasse intelligebant, quæ Venus dicitur, quam & Lunam atque Hecatem* (hæc enim synonyma esse testantur *Euseb.* de præp. Evang. pag. 113. *Turneb.* T. 1. Varior. Oper. p. 358. seq. *Suidas* T. I. pag. 847. *Vossius* de Idol. L. II. c. 29. *Selden.* de D. S. Synt. 2. c. 2. *Taubmann.* not. in Virg. p. 600, 609, 702. *Ed.* de Herbert. de Rel. Gent. p. 38. seq.) *vocabant.* Cui jungimus *Origenem* L. I. cap. VII. p. m. 684. de Princ. scribentem: *Apud Hieremiam sane etiam Luna regina cœli esse memoratur.* Chrysostomus, licet §. IV. de stellis in genere l. ibi cit. exposuerit; Jer. 44. tamen de Luna non obscure hunc locum intelligere videtur, quando, exprobraturus Idololatris impudentiam & impietatem, quærit: αὕτη βασίλισσα οὐρανοῦ, εἰπέ μοι; θεὸς ποιήσας τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, ἀεὶ ἀκούεις συνεχῶς, καὶ ταύτην βασίλισσαν καλεῖς τὴν σελήνην; *Hæcne quæso Regina cœli? Audis assidue: Deus, qui fecit cœlum & terram: & hanc appellas Reginam, Lunam?*

§. XI. Ita etiam Venerandus D N. *Parens* in Paraphr. Bibl. MSS. Latin. in Jerem. 44: 17. *Recte*, scribit, *Grotius Regina cœli* בעלת βῆλτις, *Luna: Sic Turcæ quoque eam coluerunt, & hodienum colunt.* Sic celeberrimum Philologorum decus, D N. *Joh. Frischmuthius*, in Dissertatione ad Jer. 44. sententiam & expositionem Abarbenelis de Luna his verbis laudat: *Non displicet hæc Judæi expositio, neque quicquam videmus, cur in aliam concedamus sententiam.* Conferatur quoque Compendium Gothan. Histor. Eccles. ubi l. 11. pag. 27. asseritur: *Luna Dea erat, quam Uraniam sive cœlestem* (de qua, uti & de subsequentibus B. Lectorem ad jam citandos autores ablegabo, de omnibus enim seorsim agere nec institutum nostrum, nec Lectoris patientia concedit: videantur igitur de hac *Phavorin.* in Lex. pag. 399. *Junius* not. ad Tertull. p. 42. *Voss.* de Idol. l. 2. c. 21, 24. *Selden.* l. c. Synt. 2. c. 2. & 4. p. 287. seq. *Fuller.* Misc. Sacr. p. 87. seq. *Edoard. Bar. de Herbert.* l. c. pag. 34. seq. & alii) *& Astartem vocabant* (de qua conferri potest *Herodian.* l. V. c. 6. §. 10. & *Bœcler.* not. ad Eund. *Lucian.* de Dea Syria. T. III. pag. 687. seq. *Tertull.* pag. 482. *Euseb.* de Præp. Evang. p. 37. seq. *Suid.* T. I. pag. 458. *Procop.* in Libr. Reg. p. 22. seq. *Phavor.* l. c. pag. 300. *Philastr.* de Hæres. p. 7. 12. *Junius* l. c. *Voss.* l. c. pag. 410. seqq. *Rhodogin.* l. 23. Antiq. Lect. c. 3. *Frischmuth.* l. c. *Selden.* l. c. Synt. 2. c. 2. *Hotting.* Prim. Heidelb. p. 405. seqq. & Hist. Creat. p. 202. seq. *Faber.* L. III. Sem. c. 1. pag. 18. *Scalig.* de Em. Temp. in Fragm. p. 26. seqq. *Fuller.* l. c. l. 1. c. 13. pag. 82. seqq. *Turneb.* l. c. pag. 278. *Ed. de Herbert.* l. c. p. 33. seqq. *Cluver.* L. 1. Germ. Ant. c. 27. *Pfeiff.* Dub. Vex. pag. 588. *Leusden.* Phil. Hebr. Mixt. p. 312. seq. *Kipping.* Ant. Rom. pag. 158.) & *Baltin.* (de qua *Euseb.* l. c. pag. 38. *Leunclav.* Hist. Turc. Pandect. *Voss.* l. c. pag. 411. seqq. *Frischm.* l. c. *Selden.* l. c. p. 288. seqq. *Scalig.* l. c. p. 88. & alii) *& Deam Syriam* (de qua *Voss.* l. c. pag. 612. *Selden.* l. c. Synt. 2. cap. 4. & alii.) *Nec alia Babyloniorum Mylitta* (de qua *Voss.* l. c. L. II. cap. 22. pag. 413. *Frischm.* l. c. *Selden.* l. c. Synt. 2. cap. 2. *Bar. de Herbert.* l. c. pag. 33. & alii,) *& MELECHET, REGINA, Jer. 44: 17. & Miplæzeth* 1 *Reg.* 15: 13. (de qua *Selden.* l. c. Synt. 2. cap. 5. *Vossius* l. c. L. 11. cap. 7. pag. 338. seqq. & alii,) *& Anaitis Persarum* (de qua *Voss.* l. c. l. 11. cap. 15. pag. 382. & cap. 22. pag. 416. *Bochartus* Geogr. Sacr. pag. 222. seq. 277. *Bar. de Herb.* l. c. pag. 34.) *& Arabum Alitta sive Alilath.* (de qua vid. *Herodot.* L. 1. & 3. *Junius* l. c. *Voss.* l. c. L. 11. cap. 23. *Frischmuth.* l. c. *Bochart.* l. c. pag. 224. seq. *Pocock.* Specim. Arab. p. 101. *Selden.* l. c. pag. 253. seqq. *Scaliger.* l. c. *Fuller.* l. c. *Bar. de Herbert.* pag. 34. & alii.) Hanc in sententiam quoque descendit B. *Dietericus*, qui in Antiquitatibus Bibl. pag. 608. arbitratur, nulli melius convenire nomen Reginæ, quam Lunæ, quia sicuti Sol sit Dominus בל, ita Luna בלה Domina, unde Græce βῆλτις & βάαλτις reddi queat, & pag. seq. appellatione מלכת השמים Lunam indicari, vix dubitandum censet. Cum quo consentit Excell. *D. Pfeifferus*, qui in Dub. Vex. pag. 389. & 843. seq. prolixe de hac sententia agit. Sic quoque *Cl. Kipping.* in Recens. Antiq. Rom. pag. 170. nostræ sententiæ favet. Conferatur insuper M. *Eberhard. Mulleri* Dissert. de Baalim & Astaroth §. 137.

§. XII. Hanc de Luna explicationem quoque approbat *Huld. Zwinglius*, dum in Comment. in Jer. 7. scribit: *Hieronymus Lunam intelligit, nec meo judicio temere, cum enim gentis Israëliticæ neomeniæ,* (de quibus videatur *R. Sal. Ben. Melech.* l. c. pag. 65. c. 2. *Abarbenelis* Dissert. de Princip. Ann. adjecta Lib. Cosri. p. 447. seqq. *Scaliger* l. c. prol. p. 28. *Frischmuth.* de Agn. Pasch. §. 7. *Buxt.* Syn. Jud. c. 22. p. 471. seqq. *Lorin.* in Num. pag. 1058. seq. *Mart.* Lex. Phil. pag. 2199. seq. & 2291. seqq. *Drusius* in Proph. Min. pag. 361. seq.) *sacræ essent, proclive fuit Lunæ cultum assumere.* Quem sequitur *Fr. Junius* l. c. ita scribens: *Lunam servitio cinctam velut reginam appellarunt, prout regina cœli apud Ieremiam ab idololatris aliquoties dicta.* Hos excipit *Seldenus* l. c. pag. 245. cujus verba, quippe magnam lucem huic negotio afferentia, integra liceat adscribere: *Ut Belus* (de quo conferatur *Voss.* l. c. pag. 322. seq. *Petitus* V. L. pag. 4.) *Iovem, ita Baaltis Iunonem denotare potest,* βασίλεια βῆλτις *pro eadem memoratur à Megasthene apud Eusebium Scaligerianum, ubi de Nabuchodonosoro. Hanc voluit Hesychius in illo:* Βήλθης ἡ Ἥρα ἢ Ἀφροδίτη, *i.e. Beltes Juno sive Venus est. Terminatio est fœminina Baalis, & uti Baal-Samaim est Jupiter Olympius, ita* בעלת שמים, *Baaleth-Samaim est Juno Olympia, id est, Domina cœli seu Regina cœli, ut diserte vocatur Jer. cap. 7. & 44. atque alibi. Tametsi enim vertant nonnulli* מלכת השמים *Militiam cœli; LXX. tamen nunc* στρατιὰν, *nunc* βασίλισσαν τοῦ οὐρανοῦ *transferunt, quod nomen Junoni & Astartæ proprie convenit, nec Sol magis Rex cœli, quam Luna Regina. Sacra solennia hujus Deæ erant thymiamata & libationes, quod ex citatis Jeremiæ locis patet.* Hactenus Seldenus. Prodeat jam *Ravanella*, cui in Biblioth. Sacr. T. II. pag. 444. quoque occasionem religiose colendi Lunam sumsisse Selenolatræ ex eo videntur, quia apud Judæos neomeniæ sacræ fuerint; nisi potius eam Judæi coluerint ad imitationem gentium. Et insigne talismodi literaturæ decus, G. J. *Vossius*, qui L. II. de Idol. cap. XXI. p. 407. ita: *Sub patiendi autem,* inquit, *principio comprehendebant naturam, quatenus principium est passivum, inque ea Lunam, ac præterea, aëra sive Junonem, quæ sit sociata, Baaltidem seu Beltim, h.e. Dominam, itemque Reginam cœli nominabant.* Idem quoque clare mentem suam explicat pag. 411. ad quem tamen locum, quippe nimis prolixum, Benevolum Lectorem remittere volumus. Cum quo consentit *Faber* L. III. Sem. pag. 10. *Rhodiginus* L. 1. antiq. lect. cap. 19. pag. 44. & *Adrichon.* Theatr. Terr. Sanct. pag. 245. nec non *Ed. Bar. de Herbert.* l. c. pag. 32. qui, sicut Sol in oriente, ex quo omnem religiosum cultum manasse asserit, vocatus fuerit Baal seu Molech & Dominus cœli, ita Lunam h. l. dici Baaltim, Reginam cœli, arbitratur.

§. XIII. Post hos Reformatæ, ut vocant, religioni addictos, nonnullorum quoque Pontificiorum Interpretum consensum adducturi sumus. Prodeat jam *Corn. à Lapide*; licet enim prolixe sententiam suam explicet, tamen, cum multa habeat rem præsentem exponentia, verba ejusdem allaturi sumus. Ita vero ille scribit ad Jer. 7: vers. 17. *Optime Hieronymus & Thomas,* regina cœli, *inquiunt, i. e. Luna, quam Dianam seu Phœben Gentiles vocabant, quasi quæ esset Phœbi, i. e. Solis soror: cœli enim Rex est Sol vel Jupiter. Regina ergo est Luna, ob magnitudinem & splendorem, & quia præest nocti: unde & Luna dicta est à lucendo, quod sola noctu luceat, ait M. Varro, indeque Noctiluca est appellata.* Cum quo confer *Tirinum* in h. l. qui pag. 6609. Lunam reginam cœli vocari asserit ob eximiam magnitudinem, qua nobis apparet, ob splendorem, quo fulget, & ob dominium, quod exercet in hæc inferiora. Cui conformia habet *Maldonatus* in h. l. & semet ex Græcorum & Latinorum sententia ita interpretari adfirmat. Et cum *Ghislerius* in h. l. hujus cultus objectum non solum Lunam fuisse adserat, sed & fundamentum ejusdem præter alia notatu digna apponat, hinc, si eundem quoque adduxerimus, rem B. Lectori non ingratam nos facturos arbitramur. Ita autem in Comm. in Jerem. cap. 7. habet: *Si per Reginam cœli Lunam sumamus, prout à nostris accipitur communiter, facilis est istorum sensus, describitur enim ratio, qua idololatriam specialiter admittebant in colendo Lunam, eidemque offerendo placentas ex adipe frumenti, summo omnium cujuscunque familiæ studio factas, Reginam autem cœli Lunam consueto sibi nomine appellat Jeremias, quod Judæi, ut reliquis astris ad regendum in hæc inferiora potentiorem, usque majorem & splendidiorem ipsorum oculis, cœli regimen illam habere falso existimarunt, multoque magis & terræ. Unde infra cap. 44. bona omnia ex illius cultu sibi provenisse apertis protestantur verbis. Quanquam istud idololatriæ genus, falsaque ista opinio circa Lunæ regimen viderentur mulierum peculiaria esse, in quo & à viris adjuvabantur, ut ex eodem cap. 44. colligere est. Neque enim tantum ignaros Judæos extitisse crediderim, ut Lunæ potius quam Soli regimen tribuerint cœli, majoremque in hæc inferiora potentiam, sed & Solem pariter ut cœli Regem à viris adoratum existimandum est.* Nec multum differt *Augustinus Torniellus*, qui in Annalibus Sacr. & Prof. pag. 176. inter

inter alia scribit, multo probabilius sibi videri, Lunam, quam planetam Veneris, reginam cœli vocatam fuisse, ut quemadmodum recte Sol Rex, sic Luna Regina, & stellæ militia cœli dici consueverint; Quem in sensum *Lorinus* quoque T. III. Psalm p.722. scribit: *Exponere nos oportet, in quo Sol potestatem dici, Luna & stellæ noctis habeant. Habent videlicet in hoc, ut luceat die Sol, Luna stellaque nocte. Philo* (de opif. mund.) *Solem scribit à Deo tanquam magnum Regem diei præfectum; Lunam, cum stellis, nocti, nempe ut Reginam cum ancillis: quo nomine Reginæ usos de Luna loquentes, testis est Jeremias.* Confer ejusdem Com. in Levit. p.623. in Num. p.1058. in Deut. Tom.I. p.164. 165. 616. 626. Nec non *Joh. de Pineda* Comm. in Job. p.665. ubi, sicut Sol cœli rector & Rex sit, ita Lunam cœli Reginam etiam in Sacro sermone cognominatam, & pene ab eisdem cultam & adoratam esse censet, à quibus Sol. Cum quo consentit *Nicol. Serarius* Josues T.I. pag.290. ita scribens: *Magna Lunæ apud Gentiles erat religio aut superstitio potius, ut ex Strabone passim constat, verbi causa L. XVII. semel ac iterum, & Jeremia nostro c.7. vs.18. & c. 44. vs. 19. ubi, quemadmodum apud Horatium carm. sæcul. Regina cœli vocatur, non, ut imperite ait Beza in B. Lucæ 1. vs. 32. Sol.* Hisce denique subjungimus *Franciscum Carriere*, qui in Commentar. in Univ. Scriptur. pag.459. scribit ita: Reginam cœli) *Lunam. Hanc Gentiles vocabant Dianam seu Phœben, quasi quæ esset Phœbi i. e. Solis soror, cœli enim regem faciebant Solem vel Jovem, & reginam Lunam ob magnitudinem & splendorem, & quia præest nocti, unde & Luna dicta est à lucendo, quod sola noctu luceat.* Confer versionem Danicam, quæ ita: pag. 142.: Himmelens Dronning) Maanedén/ Diana kaldit af Hedningene Hvis Konge er Solen eller Jupiter/ i. e. REGINÆ COELI) Lunæ, quæ Diana vocatur à Gentilibus, cujus Rex (seu maritus) erat Sol sive Jupiter.

§. XIV. Hic tamen silentio non prætereundum, alios aliter hic loqui & mentem suam exponere: quidam enim Reginam cœli explicant per *Venerem*, de qua *Theodoretus* in Comment. in Jer. c.XLIV. p.293. ita: *Reginam cœli vocant Venerem, nam & Græci nuncupant eam Uraniam i. e. cœlestem.* Et *Kircherus* in Panth. p.362. Venerem ob admirabiles effectus Reginam cœli nuncupatam asserit. Refer huc quoque *Cl. Seldenum*, qui postquam l. supra c. de Luna explicasset nostrum locum, & p.247. dixisset: *quid Cœlestis præter Uraniam? quid Urania, nisi cœli regina, i. e. Baaleth-Shamaim, Luna?* Postea tamen p.312. subjicit: *Venus Babylonia Regina indigitabatur cœlorum. Hottingero* placet explicatio per *Junonem*, dum Prim. Heidelb. p.406. ita: *Phœnices*, inquit, *vel absolute Astartem appellarunt* בעלת *Dominam; vel attributive* בעלת שמים, *Dominam cœli; Reginam cœli, Jer. c.7. & 44. id est, Junonem Olympiam.* Nec desunt, qui innui hoc loco putant, Fortunam cœli à Judæis cultam fuisse. Ita *Philastrius* in Lat. Hæres. num. 15. p.6. *Alia est hæresis in Judæis, quæ Reginam, quam & Fortunam cœli nuncupant, quam & cœlestem vocant in Africa, invocabat, eique sacrificia offerre non dubitabat,* & postea: *Ex quo illi fortunæ cœli s. reginæ non sacrificant, ex eo cuncta illis mala & pericula contigisse.* Eadem quoque fere habet *Prateolus*, Elench. Alphab. L. VI. num. 12. simulque rationem cultus ex *Alex. ab Alex.* Gen. diet. L. I. addit, quod, qui religiose illam coluerint, magnis sæpe incrementis se auctos ejus meritis fuisse; qui vero minimo cultui aut despectui habuissent, pluribus incommodis fuisse dehonestatos, crediderint. Ubi quoque illud, quod ejus cultores Jeremiæ, tam nefandæ rei repugnanti, prætexebant, affertur; Tandem *Conr. Rittershusius* h. l. ad *Salvian.* p.351. exponit per Cœlestem s. Uraniam, dum ita scribit: *Quid aliud fuisse videtur illa Regina cœli, cui placentas factas, & sacrificatum fuisse scribit Propheta Jeremias c.7. & 44. quam hoc ipsum Dæmonium, aliis Cœlestis, aliis Cœlestus appellatum.* De quibus sententiis jam visuri sumus.

§. XV. Talia igitur primo intuitu alicui diversissima videri possent, verum, si accuratius rem consideres, non adeo diversa sunt diversaque objecta denotant, ut non uni eidemque convenire possint; nam sicuti alios Deos Deasque apud gentiles variis nominibus exprimi deprehendimus, ita sane circa Lunam hoc ipsum quoque accidit. Apud *Apulejum* pag.259. Luna locuta, & hoc ipsum de sese confessa introducitur his verbis: *Numen meum unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis.* Quod ipsum & agnovit D. *Ambrosius* Ep. XXXI. dum ita scripsit: *Lunam cœlestem Afri, Mithram Persæ, plerique Venerem colunt pro diversitate nominis, non pro numinis varietate.* Cum quo consentit ex recentioribus *Seldenus* l. c. p.264. qui Minervæ, Junonis, Veneris, Lunæ nomina ita, cum ad Asiaticos Deos respexeris, confusa esse dicit, ut qui Minervam Belisamam, Junonem Belisamam, Venerem aut Lunam dixerit, idem semper ipsum dixisse affirmet. Sic & *Scaliger* not. in fragm. Græc. *Phœnicum eandem & Junonem & Venerem & Lunam* esse statuit. Conferatur *Ursinus* quæstionibus Biblicis, pagina 117. Claudat hoc agmen *Antonius de Guevara* Exeg. in Habac. cap. 1. pag. 165. qui quoad hoc, quod plurima nomina eidem subjecto attributa fuerint, ita disserit: *Veneris & Junonis nominibus, adde etiam, & Dianæ & Proserpinæ, Lunæ insuper & aliarum quamplurimarum unius Veneris diversos effectus veteres Physici significaverunt.* Cum quoque exempla, ubi propter unius & ejusdem ficti numinis varias & in variis locis dispersas imagines & variis ritibus cultas, variæ quoque denominationes ortæ & impositæ fuerunt, deprehendamus, nonnulla ob rei affinitatem allaturi sumus; innumeræ enim statuæ, ubique gentium, fictis à superstitiosa vetustate diis, ponebantur; quæ gentilia nomina singulæ capientes, quandoque non aliter ferme discrepabant. Sic *Belum* v. g. jam *Sidonium*, jam *Phegorium*, modo *Babylonium* dictum legimus. Sic Jovi quoque & Apollini, ut alios prætereamus, varia nomina fuerunt addita, tum ille Jupiter Olympius, Latiaris, Cretensis &c.; hic vero Clarius, Delphicus &c. fuit appellatus. Quod cum exemplo D. Mariæ illustret *Franc. Ribera* in Hos. p. 58. eoque similem superstitionem Pontificiorum haud obscure probet, haud abs re fuerit, si ejus verba adduxerimus: *Eadem*, inquit Jesuita, *ratione Babal à locis diversis, ubi templis erectis colebatur, diversa nomina habebat: sicut apud Christianos (si modo in vanis licet uti exemplis religiosis) B. virgo nunc Lauretana invocatur, nunc à Monte serato; nunc ab Amne lupi, aut à Rupe Gallica, cognomen accipit. Ut Behelphegor Num. 25. dicitur, quod in monte Phegor coleretur, —— & ab Accaronitis Behelzebub vocatur 4 Reg. 1. à muscis, quæ ad multitudinem sacrificiorum advolabant:* Quæ ipsa Catalogum alias jam tum nimis prolixum rituum, è Gentilium sacris imitatione pessima assumtorum, augere quodammodo poterunt.

§. XVI. Nunc, ut ad specialiora descendamus, primo ostendemus, Venerem & Lunam hic pro uno eodemque numine sub diverso nomine culto à multis haberi. Et cum Cl. *Bochartus* in Phaleg l.2. c.XIX. prolixe de hoc disserat, quædam ex ipso citabimus, qui, postquam σεληνολατρείαν Arabum adduxerat, ita pergit: *Indicio sit oratio ab illis ad Lunam dirigi solita. Hujus hæc extat formula in Euthymii Moamethicis & in Constantino Porphyrog. de administratione imperii c.15.* ἀλλὰ ἀλλὰ ȣακȣβὰρ ἀλλά. *Cubar* כבאר *proprie magnus est, idem quod* כביר, *unde* Κάβειροι *Dii potes: sed illi Lunam ita vocant quanquam alii Venerem interpretantur. Euthymius ibidem:* τὸ γὰρ κȣβὰρ μεγάλη, ἤτοι Σελήνη καὶ Ἀφροδίτη. Item: καὶ ἡ μεγάλη (εἴτȣν ἡ σελήνη καὶ Ἀφροδίτη) Θεός. *Lunam & Venerem pro eadem habet, quomodo vetus Poëta Philochorus in Atthide apud Macrobium Saturnal. L.3. c.7. Ita Phœnicum Astartem sive Uraniam Philo Byblius, Cicero & alii Venerem interpretantur, & Herodianus Lunam.* Conf. *Saracenica Frid. Sylburgii* & Excell. *Frischm.* l. c. cap.I. Audiamus hic quoque *Hottingerum* Prim. Heid. p.407. ita scribentem: *Est proprie* כבר *fœmin. magnum significans, qualis erat Venus seu Luna, (has enim promiscue sumi recte observat Bochartus.)* Huic adstipulatur *Seldenus*, dum expresse l. c. p.288. ait: *Lunam & Venerem deas distinguere hic non oportet*, & pag.285. *Venus Luna Dea est. Philochorus* quoque *in Atthide*, ut laudatus autor inquit p.284. *Is est, qui Venerem & Lunam eandem esse affirmat.* Nec dissentit Celeberrimus J. G. *Vossius*, qui merito historiæ omnis, & antiquitatis tam sacræ quam profanæ dicitur scientissimus, dum L.II. de Idol. pag.415. ita scribit: *Existimo, eandem esse & Dianam & Venerem; puta Lunam: sed Dianam dici, quatenus illuminat terras, nec luminis ejus vis ulterius expenditur: Venerem autem, quatenus efficax est ad conceptum, generationem, partumque. Ex Horatii carmine seculari utrumque elucet. Ad Dianam pertinet, quod dicitur lucidum cœli decus. Ad Venerem illa:*

Diva producas sobolem, patrumque
Prosperes decreta, super jugandis
Fœminis, prolisque novæ feraci
Lege marita.

Conf. eund. l. c. pag.409. ubi Orienti & Venerem & Junonem sidus illud esse dicit, quod in humorem omnem impe-

rium exerceat; id vero Lunam esse, ex iis, quæ de vi & efficacia Lunæ supra dixerit, satis cognosci adfirmat. Neque silentio prætereundus nobis *Fullerus*, Misc. Sacr. L. 1. c. 13. p. 89. ita scribens: *Quare hinc liquet, sic ubi Astartem legimus esse Venerem, nomen istud non astronomice accipiendum esse pro Veneris Stella inter Solem & Mercurium collocata, sed Theologice scil. pro Luna ex more gentilium Theologorum.* Et quid putes *P. Fabrum*, virum longe eruditissimum, hac de re sentire? ita ille consensum suum declarat, dum l. c. l. 3. p. 38. *sub Astartes nomine Venerem à Phœnicibus, Palæstinis, aliisque Assyriis perinde ac Lunam adoratam fuisse dicit.* Nec non *Ed. Baro* de Herbert, qui l. c. ait: *Venus etiam Lunæ nomen fuit, sed ob symbolicam virtutem.* Conf. *Plutarch.* lib. Amat. & *Strabon.* l. 17. Geogr. p. 934.

§. XVII. Nunc de Junone quædam allaturi, &, an cum Luna quadam ratione conveniat, visuri sumus. De hoc nos edocere poterit *Macrobius*, qui l. 1. Saturn. c. XV. p. 63. ita scribit: *Cum initium mensium majores nostri ab ortu Lunæ servaverint, jure Junoni Calendas addixerunt, Lunam ac Junonem eandem putantes, vel quia Luna per aërem meat, unde & Græci Lunam ἄρτεμιν nuncupaverunt, quasi ἀεροτόμην, quæ aëra secat, Juno autem aëris arbitra est, merito initia mensium, id est, Calendas huic Deæ consecraverunt.* Addere quoque liceat Plutarchum, qui in Quæst. Rom. pag. 282. ita infit: Διὰ τί τὸν μὲν ἐνιαυτὸν τοῦ Διὸς νομίζουσι, τοὺς δὲ μῆνας, τῆς ἥρας; ἢ ὅτι τῶν μὲν ἀοράτων θεῶν καὶ νοητῶν βασιλεύουσι Ζεὺς καὶ ἥρα, τῶν δὲ ὁρατῶν, ἥλιος καὶ σελήνη; ποιεῖ δὲ ὁ μὲν ἥλιος τὸν ἐνιαυτὸν, ἡ δὲ σελήνη τοὺς μῆνας· δεῖ δὲ μὴ νομίζειν ἁπλῶς εἰκόνας ἐκείνων τούτους, ἀλλ᾽ αὐτὸν ἐν ὕλῃ Δία, τὸν ἥλιον, καὶ αὐτὴν τὴν ἥραν ἐν ὕλῃ, τὴν σελήνην. διὸ καὶ ἴουνον ἐπονομάζουσιν τὴν ἥραν, τὸ νέον ἢ τὸ νεώτερον ἐμφαινόντος τοῦ ὀνόματος. i. e. *Cur annum Jovi, menses Junoni consecrant? An quod in Deos invisibiles & soli intelligentiæ notos regnum obtinent Jupiter & Juno: in eos, qui conspectui patent, Sol & Luna? Efficit autem Sol annum, Luna menses. Neque simpliciter censendum est hos istorum esse imagines, sed ipsum in materia Jovem esse Solem, ipsamque in materia Junonem esse Lunam, propterea etiam Heran (s. Junonem) vocant Junon, quo nomine juventutem significant.* Accedat quoque *Apulejus*, qui L. XI. Metam. Lunam lacrymoso vultu sic apprecatur: *Regina cœli —— seu Phœbi soror, quæ partu fœtarum medelis lenientibus recreato, tantos educasti populos.* Jam vero, quæ Dea alia vocatur Phœbi soror, & partui præesse dicitur, quam Juno? quæ hinc quoque vocabatur Juno Lucina, ut patet tum ex Varrone, qui L. IV. p. 19. ita: *Facta à juvando & luce Juno Lucina, à quo parientes eam invocant; Luna enim nascentium dux, quod menses hujus*: tum ex *Catullo*, scribente Epigr. 35.

Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis.

atque *Terentio* in Andr. Act. III. Scen. I. v. 15. ubi Glycerium his verbis introducit:

Juno Lucina, fer opem: serva me, obsecro.

ut & *Plauto*, in Aulular. Act. IV. Scen. VII. v. 10, 11.

Perii, mea nutrix. Obsecro Te, uterum dolet,
Juno Lucina tuam fidem. ———

Vid. *Cicero* L. 2. de nat. Deor. *Tertull.* Libr. de anim. c. 37. 39. *Arnob.* L. 3. *Isid.* L. 8. Epist. *Serv.* in Virg. p. 45. seq. 377. *Taubman.* in Virg. Cir. p. 51. & in Eclog. p. 42. *Idem* in Plaut. p. 186. *Plutarch.* Q. R. p. 282. *Turneb.* in Adverſ. L. 20. c. 31. *Donatus* in Terent. p. 36. Sed revertamur ad nostrum *Apulejum*, qui post citatum locum Lunam ita introducit de sua appellatione loquentem: *Me Junonem alii vocant.* Nec hoc ignoravit *Servius*, qui not. ad L. 1. Georg. p. 118. seqq. ita scribit: *Stoici dicunt, non esse nisi unum Deum, & unam Deam: eandem esse potestatem, quæ pro ratione officiorum nostrorum variis nominibus appellatur: unde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant. Item Lunam eandem Dianam, eandem Cererem, eandem Junonem, eandem Proserpinam dicunt.* Adde *Seldenum* l. c. p. 248. scribentem: *Invocabant & Romæ Junonem, Lunam adloquentes ritu solenni.* Et *Vossium*, qui L. II. de Idol. c. 26. prolixe probat, Lunam & Junonem eandem esse Deam. Nec locus ille *Plutarchi* est hic omittendus, ubi Q. R. l. c. hæc verba habentur: Λουκεῖναν ἥραν καλοῦσιν, οἷον φαεινὴν ἢ φωτίζουσαν. καὶ νομίζουσιν ἐν ταῖς λοχείαις καὶ ὠδῖσι βοηθεῖν, ὥσπερ καὶ τὴν σελήνην. Διὰ κυάνεον πόλον ἄστρων, διά τε ὠκυτόκοιο σελάνας· εὐτοκεῖν γὰρ ἐν τοῖς πανσελήνοις μάλιστα δοκοῦσι: i. e. *Junonem vocant Lucinam, quasi Lucidam diceres: putantque eam in partubus auxilium ferre mulieribus, ut & Lunam. (unde illud:) per cæruleum astrorum polum, perque partus celerantem Lunam. Facillime enim mulieres sub plenilunium videntur prolem eniti.* Conf. *Kipping.* l. c. p. 105. Sed hæc de illis.

§. XVIII. Porro ordo exigit, ut, quid autores de convenientia Fortunæ & Lunæ statuant, adducamus. Audiamus *Vettium Valentem Antiochenum*, qui, citante *Seldeno* l. c. pag. 92. in Anthologiis suis, capite περὶ χρόνων διαιρέσεως ἀπὸ κλήρου τῆς τύχης καὶ δαίμονος, ita scribit: κλῆροι τῆς τύχης καὶ τοῦ δαίμονος σημαίνουσιν ἥλιόν τε καὶ σελήνην. κοσμικῶς γὰρ ἡ σελήνη τύχη ὑπάρχουσα καὶ σῶμα καὶ πνεῦμα περιγειὸς οὖσα, καὶ τὴν ἀπόρροιαν εἰς ἡμᾶς πέμπουσα, τὸ ὅμοιον ἀποτελεῖ κυριάουσα τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς σώματος. Et *Claud. Salmasium* in Diatr. de annis Climact. pag. 125. ita scribentem: κλῆρος τύχης *Luna est locus, ut* κλῆρος δαίμονος *est Locus Solis. Unde & Locum fortunæ Ptolomæus* σεληνιακὸν ὡρόσκοπον *appellat. Sol igitur est Dæmon, ut Luna Fortuna*: & pag. 128. Τύχη *simpliciter Luna est, &* κλῆροστύχης *Fortunæ s. Lunæ locus.* Conf. p. 129. Sic *Faber* in Semest. L. 3. c. 2. p. 27. ait: *nec est, cur ipsi velim hac de re quicquam appositum præter Philastrii Brixiensis testimonium de Cœlesti Africæ, quod illa ipsa fortuna seu Regina cœli sit (Luna nempe).* Et G. J. *Vossius* L. II. c. XLIII. de his ita scribit: *Fortuna creditur esse siderum dispositio tum præcipue Lunaris potestas.* Et postea: *Fortuna est Æther & particulatim Luna.* Nec quoque quoad hoc dissentit *Edoard. de Herbert.* pag. 61. ita scribens: *Hæc satis ostendunt Fortunam, Veteribus, cœli, tum præcipue Lunæ vim in inferiora signasse, atque eo nomine cultam fuisse.*

§. XIX. Nunc ultimo loco accedemus ad Uraniam, probaturi, eandem cum Luna convenire: De hac ita *Herodian.* l. 5. c. 6. Λίβυες μὲν οὖν αὐτὴν οὐρανίαν καλοῦσι, φοίνικες δὲ ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, σελήνην εἶναι θέλοντες. i. e. *Hanc* (sc. Didonem) *Afri Uraniam vocant, Phœnices Astroarchen, Lunam esse affirmantes.* Nec hoc ignoravit *Vossius*, dum l. c. p. 408. inquit: *Primum de gentibus dicam Orientis, quæ Uraniam s. Lunam coluerint.* Neque dissentit *Fullerus*, ita scribens Misc. Sacr. p. 87. *At quid tandem Urania? Egone multis morer Lectorem, crediderim Junonis esse Epitheton, aut etiam Veneris (ut docuimus) pro Luna usurpatæ.* Nec contrarius est *Scaliger*, qui l. c. p. 27. ita inquit: *Herodotus τὴν οὐρανίην ab Arabibus Alilat dictam scribit: quod profecto Lunam corniculatam significat. Nam etiam hodie* هلالة, ἀλιλὰτ τὸ φεγγάριον: i. e. *Lunam* μηνοειδῆ *& nascentem vocant, cum secundo die à coitu visionis suæ potestatem facit, ut loquitur Vitruvius.* Quod approbat quoque suo calculo Cl. *Seldenus* l. c. p. 289. dicens: *Luna ipsissima est Urania.* Et Fr. *Junius* not. ad Tertullianum p. 42. hæc notans: *Lunam Alilath, i. e. Deam Dearum ac velut magnam matrem, itemque Uraniam lucentem appellarunt.*

§. XX. Claudat agmen biga testium, πολυωνυμίαν, qua Luna gavisa fuit, egregie adstruentium, quorum unus ipsam Lunam, sese ut πολυώνυμον declarantem, introducit, qui est *Apulejus* L. XI. Metam. p. 259. *Me primigenii Phryges Pessinunticam nominant, Deûm Matrem; Hinc autochthones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem, Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam. Siculi trilingues Stygiam Proserpinam; Eleusinii vetustam Deam Cererem; Junonem alii; Bellonam alii, Hecatem isti, Rhamnusiam illi, & qui nascentis Dei Solis inchoantibus radiis illustrantur Æthiopes, Ariique, priscaque doctrina pollentes Ægyptii ceremoniis me (prorsus) propriis percolentes appellant vero nomine Reginam Isidem.* Alter est *Kircherus*, qui apud sæpius laudatum *Frisohmuth.* ita scribit: *Hoc unum ex hisce omnibus hactenus demonstratis collige, Cabar illam Arabum aliam nullam esse, quam communem illam Venerem Asiaticam, Uraniam cœlestem, quam Ægyptii Isidem, Babylonii Dagon, Derceto, Atergatis, Phœnices Astarten, Græci nunc Lunam, nunc Hecaten, Lucinam, Dianam, Proserpinam, aut alio nomine, Arabes Alilath vocant, re eandem, nominibus diversitatem effectuum denotantibus diversam esse.* Et cum *Magnus Celsius* non ineptam talis variæ denominationis rationem subministret, eundem quoque sub finem audiemus: Postquam enim ille in Computo Eccles. notarat, Scandianos in hoc cum cæteris gentibus consensisse, ut Solis ac Lunæ numina, (quorum beneficio omnia foveri, gigni & ali viderint; altero calorem & spiritum; altero humiditatem; utroque aëris, temporumque vicissitudines idoneas administrante) & vetustate prima, & naturæ benignitate optima, & evidentia operationum potentissima, eoque reliquis Diis præferenda putarint; subjicit pag. 71.

Unde

Unde factum est, ut non solum ille (Sol) *Pater Deorum, hæc* (Luna) *magna Mater salutata sit; sed ad eos etiam tanquam primos fontes atque origines, reliquorum Deorum Dearumque nomina & religiones mystice & sub variis fabularum involucris sint relata.* Sed hæc de variis Lunæ nominibus attulisse sufficiat nobis, jam ulterius de titulo insigni, quo *Regina* audit, breviter seq. §. visuris.

§. XXI. Nec enim *Versio Arabica*, quippe quæ Jerem. 44. per [Arabic], *Reginæ cœli*, nec LXX. qui per: τῇ βασιλίσσῃ τῦ ὀυρανῦ, nec *Vulgata*, quæ per: *Reginæ cœli*, l. cit. reddiderunt, quoad denominationem nobis sunt contrariæ, utpote à מלך hanc vocem deducentes, licet lunam non expresse nominantes. Idem facit *Epiphan.* hær. 79. ita scribens: φιμέσθωσαν ὑπὸ ἱερεμίε αἱ τοιαῦται γυναῖκες, καὶ μὴ θροείτωσαν τὴν οἰκεμένην, μὴ λεγέτωσαν, τιμῶμεν τὴν βασίλισσαν τῦ ὀυρανῦ, id est, (prout exponit *Janus Cornarius*) *compescantur ab Hieremia tales mulieres, & ne turbent orbem terrarum. Ne dicant, honoramus reginam cœli.* Quam denominationem Lunæ assignatam fuisse tam diu putamus, quam diu nobis aliud objectum, cui talis cultus præ Luna conveniat, nobis fuerit monstratum & probatum. Ubi nec hoc silentio prætereundum est, eandem apud profanos quoque Scriptores nomine Reginæ salutatam fuisse. Prodeat *Horatius*, qui Carm. secul. vers. 35, 36. ita canit: *Siderum Regina bicornis audi Luna puellas.* Sic *Homerus* in Hymn. in Lun. qui vulgo eidem adscribitur: Χαῖρε ἄνασσα θεὰ λευκώλενε δῖα σελήνη, *Salve regina Dea albiluna Diva Luna.* Sic quoque *Orpheus* Hymn. in Lunæ suffim. κλῦθι θεὰ βασίλεια, φαεσφόρε δῖα σελήνη, *Audi Dea Regina, lucem ferens, diva Luna.* Ita *Apulejus* L. XI. Metam. pag. 257. lacrymoso vultu apprecatur Lunam, Deam quasi præpotentem: *Regina cœli, sive tu Ceres alma —— seu tu cœlestis Venus —— seu Phœbi soror.* &c.

§. XXII. Et talia de Lunæ cultu allata ex antiquitate etiam late deduci confirmarique possent, si nostri instituti ratio pateretur. Ne tamen sicco pede prorsus eundem prætereamus, paucissima in medium sumus allaturi. Antiquissimum hunc cultum esse, inter alia probare satagunt ex verbis Jobi cap. 31: 26. seqq. ubi, ceu Vulgata reddidit, legitur: *Si vidi Solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare: & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo* &c. Unde colligunt Viri eruditissimi, Lunam tum temporis cultam ab aliis fuisse, è quorum ordine & censu Jobus se his verbis eximat, conf. *Selden.* de D. S. in Proleg. cap. 3. pag. 26. *Vossius* de Idololat. lib. 2. cap. 3. pag. 316. seqq. ubi ex h. l. non tantum vetustatem Idololatrici hujus cultus, sed & ritum ejusdem indicari notat. Addatur *Beza* in h. l. *Lorin.* in Num. 28. pag. 1058. *Estius* in h. l. pag. 335. & præ aliis *B. Dieteric.* in Ant. Bibl. in h. l. de ritu manum deosculandi ex variis autoribus disserens. Cum Jobi loco à multis ad probandam cultus talis antiquitatem cap. 4. vers. 19. Deuter. conferri, notum omnino est. Sic *Hottingerus* Hist. Orient. Lib. 1. cap. 8. pag. 177. Zabaistarum cultum, quem suis Diis & Deabus detulerint, expositurus notat, eundem vel menstruum vel diurnum fuisse. Diurnum verbis *Ali Said Vaheb* adducit, quod *diem primum sacrum fecerint* Soli: *secundum* Lunæ: *tertium* Marti &c. Menstruum ex Msc. lib. *Muhammed ben Isaac* prolixe etiam describit, & inter alia eosdem non solum die VI. mensis primi, taurum *Deæ suæ, Lunæ mactare, eumque præcipitante in occasum die, comedere*; sed & die XX. præter alia solemnia *tres boves admissarios, unum Saturno, alterum Marti, tertium Lunæ mactare*, ibid. pag. 178. refert. Sic *Maimonid.* hos Zabaistas Lunam coluisse, & hinc quoque dixisse, Adamum fuisse Apostolum Lunæ, vocasseque homines ad cultum Lunæ, scribit in Mor. Nev. P. III. pag. 422. Nec *Diodor. Sicul.* hunc cultum, apud homines antiquissimos receptum fuisse, prorsus ignoravit, dum apud *Dion. Vossium* in Not. ad R. Maim. lib. de Idol. pag. 5. scripsit: τὸς ἀνθρώπες τὸ παλαιὸν γινομένες ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγέντας καὶ θαυμάσαντας, ὑπολαβεῖν εἶναι θεὸς ἀϊδίες καὶ πρώτες, τόν τε ἥλιον καὶ σελήνην. Id est, *homines antiquissimos mundum supra se contemplatos, nec absque stupore admiratos Universi naturam, existimasse esse Deos æternos & primos, Solem & Lunam.* Quod confirmat quoque *Scholiast. Aristoph.* qui pag. 650. ita: οἱ βάρβαροι τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην θεῶν μᾶλλον πάντων σέβεσι. Sic *Clemens Alexandr.* in Protrept. dicens: καὶ προσεκύνησαν ἥλιον ὡς ἰνδοὶ, καὶ σελήνην ὡς φρύγες. Idem de Persis notatur apud *Curtium*, quando l. 4. c. 6. hæc scribit: *Cæterum adfirmant Solem Græcorum, Lunam esse Persarum: quoties illa deficiat, ruinam stragemque illis gentibus portendi, veteraque exempla percensent Persidis regum, quos adversis diis pugnasse, Lunæ ostendisset defectio.* Verbis autem citatis, Lunam Persarum *non symbolum, aut insigne, aut omen, aut vaticinium*; sed *protectorem atque præsidem* fuisse, indicari notat probatque ex Herodoto *Freinshem.* in not. ad Curt. qui in Polymn. lib. 7. n. 37. responsum Magorum Xerxi datum adducturus, eos dixisse scribit: ἥλιον εἶναι ἑλλήνων προδέκτορα, σελήνην δὲ σφέων: *Solem Græcorum: Lunam ipsorum* (Persarum) *esse præsidem.* Qui quoque Lib. 4. in Melp. n. 188. de Lybiæ populis hæc notat: θύεσι δὲ ἡλίῳ καὶ σελήνῃ μένοισι, τέτοισι μὲν νῦν πάντες λίβυες θύεσι, *solis autem omnium Deorum immolant Soli & Lunæ, & his quidem universi Libyes sacrificant.* Germanos quoque Lunam veneratos esse videmus ex *Jul. Cæsare*, qui lib. 6. de B. G. pag. 158. de eis scribit: *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur, Solem & Vulcanum, & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt.* Quanti Lunam Romani fecerint, ex eo patet, quod Templum eidem consecrarint. Audiamus *Lipsium* not. ad *Corn. Taciti.* Annal. lib. 15. pag. 1053. ubi sequentia tradit: *Templum Lunæ in Aventino reperio, apud Livium L. XL. Forem ex æde Lunæ, quæ in Aventino est, raptam tulit, &c. Rufus in regione XII. Templum Lunæ in Aventino magnum: Ovidius.*

Luna regit menses, hujus quoque tempora mensis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

De templo Lunæ scribit quoque *Herodianus* lib. 4. cap. 13. §. 7. συνέβη δὲ μετ᾽ ὀυ πολὺ τῆς σκέψεως ταύτης, θελῆσαι τὸν Ἀντωνῖνον, διατρίβοντα ἐν Κάῤῥαις τῆς Μεσοποταμίας, προελθεῖν τῆς βασιλείας, ἀπελθεῖν τε εἰς τὸν νεὼν τῆς Σελήνης, ἣν μάλιστα οἱ ἐπιχώριοι σέβεσιν, id est, *Evenit autem haud multo post, quippe agens Carris, quæ est Mesopotamiæ urbs, Antoninus invisit Deæ Lunæ templum, quod in ea regione distans aliquantum ab Urbe, præcipuo honore ab incolis colitur.* Conf. Ammian. Marcellin. lib. 23. pag. m. 433. Sed hæc sufficiant.

§. XXIII. Supra adductæ de Luna explicationi merito quoque subscribimus, quippe veritati præ aliis adductis sententiis conformi. Causam vero hujus Selenolatriæ quærenti respondemus, hoc, antequam ad speciales descendatur causas, considerandum omnino esse, in cœlestium corporum venerationem maxime proclive fuisse genus humanum, eosque, qui à vero Deo defecerunt, hæc primum sibi numina animo propensissimo adscivisse. Cum enim supremum totius universi Dominum, φῶς οἰκῦντα ἀπρόσιτον, non omnino caperent, cœlestium vero corporum imperium in omnia vitæ commoda non sine religione suspicerent, neque ab eo, quod supremo numini proprium est, impii distinguerent; divinitatem sensu metientes, ad ea objecta, quæ sensibus patuerunt, & lucis, tenebrarum, statæque noctium, dierum & annorum vicissitudinis & tempestatum aliorumque plurimorum effectuum causæ credita fuerunt, colenda impio motu ausuque dilapsi fuerunt. Si quis autem porro de ratione, homines ad cultum Lunæ specialiter impellente, solicitus eandem ex nobis quærat, dicimus, talem ex variis supra citatis autoribus jam tum patere, qui partim ob magnitudinem, splendorem, dominium & influxum in hæc inferiora; partim ex imitatione gentilium pessima; partim occasione neomeniarum, Lunam ita cultam esse autumant. Et cum causam haud postremam Selenolatræ ipsimet, talismodi cultus fructum & utilitatem prædicantes, ceu Hos. 2. quoque de spiritualiter fornicante & Idololatricos cultus sectante populo talis vana & impia persuasio recensetur, apertis cap. 44. Jeremiæ profiteantur & exponant verbis, nos causæ prolixius inquirendæ haud inhærendum putamus, alias non nescii, quantam vim influxui Lunæ in sublunaria rerum naturalium periti adscribant, de qua confer B. *Sperling.* Instit. Physiol. lib. 3. p. 557. B. *Scharf.* Physiol. recogn. p. 430. *Magir.* Physiol. pag. 150. *Peucer.* de divin. p. 363. *Magn. Celsium* l. cit. aliosque.

§. XXIV. Contra allatam vero de Luna explicationem insurgunt quidem multi, qui tamen nos à sententia nostra haud facile dimovebunt. Inprimis *Estius* vires nervosque ingenii pro Solis cultu adstruendo intendit, eumque sequentibus rationibus obtinere allaborat: *Una ratio est*, inquit, *quod Sol longe præstat Lunæ, ideoque principatus Soli erat tribuendus. Deinde Sol Hebræis est fœminini generis, ideoque potius regina quam Rex appellatur. Tertio, quia Sol in Ægypto, ubi id temporis erant Judæi, erat in summa veneratione. Unde etiam civitatem ex ejus nomine ædificatam habebant, quæ vocatur* ἡλιόπολις, i. e. *civitas Solis. Denique, quia si Luna diceretur regina cœli, multo magis consentaneum fuit, Solem*

lem dici Regem cœli, & ut talem venerari. Sed hæc tela nobis omnino videntur obtusa: quod enim primum attinet, scire debebat Estius, eo ipso, dum Lunam h. l. intelligunt alii, non denegari Soli principatum, quod ex supra adductis abunde constat, ubi Sol & Luna inter se comparata fuerunt, vid. §. 9. cap. 1. Constat quoque apud omnes, quod uti Sol diei, ita Luna nocti præsit, eaque ratione quoque principatum obtineat & probet. Et licet Sol, quippe quem instar mariti in ordine ad Lunam se habere, supra dictum fuit, multum splendoris & decoris cum Luna, tanquam uxore sua, communicet, tamen Luna ipsa, quoad influxum in sublunaria, multa sibi vendicat; eam enim à creatore suo vim in hæc inferiora agendi egregiam accepisse, multa nos docent, prolixeque ostendi posset, si opus foret & instituti nostri ratio permitteret. Ut adeo Luna quasi Sol alter, licet minor, fieri dicatur, quod potius Aristotelis, quam verbis nostris, adducere lubet, qui lib. 4. de Gener. Anim. cap. 10. pag. m. 861. ita nos docet: Ἔστιν ἡ σελήνη ἀρχὴ, διὰ τὴν πρὸς τὸν ἥλιον κοινωνίαν, καὶ τὴν μετάληψιν τοῦ φωτός· γίνεται γὰρ ὥσπερ ἄλλος ἥλιος ἐλάττων· διὸ συμβάλλεται εἰς πάσας τὰς γενέσεις καὶ τελειώσεις· καὶ γὰρ θερμότητες καὶ ψύξεις μέχρι συμμετρίας τινὸς ποιοῦσι τὰς γενέσεις· μετὰ δὲ ταῦτα, τὰς φθορὰς, id est, *Luna principium est, propter Solis societatem, receptumque lucis: fit enim quasi alter Sol minor, Quamobrem conducit ad omnes generationes perfectionesque. Calores enim & refrigerationes cum moderatione quadam generationes, sine moderatione corruptiones efficiunt.* Ut adeo non videamus, quomodo Estius, his stantibus, aliquid obtinere possit: nisi ostenderit, tum, quod principatus hac ratione Soli fuerit ademtus, tum quod Lunæ vis in hæc inferiora ab aliis alibi prolixe adstructa denegari & debeat & possit; quod tamen utrumque negamus. Ad illud autem, quod secundo loco urgetur, *cum Sol Hebræis fœminini generis sit, hinc potius Solem reginam quam regem appellari*, respondemus de ipso genere, non adeo esse, ut de fœminino genere ita glorientur οἱ ἐξ ἐναντίας, cum vox שמש in Mascul. genere frequentissime quoque inveniatur adhibita, id quod Biblia S. evolventi patebit ad oculum; evolvantur tantum Gen. 19: 23. cap. 28: 11. cap. 32: 31. Levit. 22: 7. Jos. 10: 13. Psal. 121: 6: Esai. 13: 10. Joel. 3: 4. Eccl. 1: 5. aliaque loca plurima, & res clara erit; ut non videamus, qua ratione tam absolute, nulla adhibita limitatione, à viris eruditissimis hujus vocis genus fœmineum adeo urgeri queat, acsi semper, nullisque exemplis contrariis alterumque genus probantibus, in fœmineo genere hæc vox occurrat; quod tamen non fieri, exempla citata aliaque plurima satis edocent. His stantibus facile apparet, quid de eo sit sentiendum, quod ex hoc asserto deductum fuit: si enim ex tam lubricis fundamentis nostra asserta luberet propugnare, rem eodem, si non meliori, jure inverteremus, & diceremus: שמש est mascul. generis, hinc potius Sol dicendus est מלך Rex, quam מלכת Regina; antecedens non poterunt negare, quippe exemplis plurimis convicti: consequens aut negabunt aut concedent; si illud: contra se ipsos disputabunt; si hoc: habebimus, quod volumus; Et ponamus, ita prius se habere; quis ἀσυλλογισίαν ita argumentantis non deprehenderet: nomen שמש est fœm. generis, hinc quoque in aliis vocibus substantivis Sol fœminino genere est exprimendus; quam multis enim instantiis hoc ipsum assertum infringi queat, vident omnes rerum harum periti. Et cum eadem concludendi ratio esset. Solem ob fœmin. genus potius Deam quam Deum dicendum fuisse, ipsi videant, an ex hac ratione, Solem non pro Deo, sed pro Dea cultum fuisse à gentilibus, sint adstructuri. Monet autem sæpius laudatus *Vossius* libro. 11. Idololatriæ cap. 21. pag. 412. Solem gentibus in Oriente non Deam, sed Deum habitum fuisse: quod expendendum quoque erat Estio. Quod autem tertio objicit. *Solem in Ægypto, ubi id temporis fuerint Judæi, in summa veneratione fuisse*, idque urbe in honorem Solis ædificata probat, dicimus primo, cum diversa sint loca & diversa tempora, quibus talis cultus describitur, hinc distincte nobis loquendum erit; quod enim Judæi, Prophetæ Jeremiæ cap. 44. impie contradicentes, cultumque hunc defendentes, in Ægypto tum temporis fuerint, patet ex συνεχείᾳ & συνεπείᾳ; versu enim primo sermo Dei Prophetæ revelatus ad omnes Judæos in Ægypto habitantes directus fuisse dicitur, & vers. 17. ipsimet Selenolatræ ad cultum olim in urbibus Juda & in plateis Jerusalem factum, fructumque, ceu falso putabant, insignem provocant; quod vero Jerem. cap. 7. Judæi quoque in Egypto fuisse dicendi sint, nemo nobis persuaserit, textusque manifesto docet, Judæos tum temporis in urbibus Juda & plateis Jerusalem cultum Reginæ cœli exhibuisse. Hæc si consideraslet, ut debebat, Estius, non ex Ægypto cultuque Solis ibidem recepto pro Sole hæc argumenta desumsisset. Si enim Judæi, antequam in Ægyptum venerunt, Reginam cœli venerati fuerunt; ut ipsi fatentur, nec demum cultum hunc in Ægypto assumserunt & didierunt, qua ratione ex more apud Ægyptios recepto de tali cultu ita argumentari poterat Estius? Deinde, esto, Solem in summa veneratione in Ægypto fuisse? quid inde? num Estius inde concludere vult: Ergo nullos alios Deos coluerunt: non putamus, ita procedere consequentiam: quod exemplis enim talis connexio infringi possit, videt procul dubio B. Lector, & ipsa historiarum monumenta de Idololatria clarissima nobis hic silentium injungunt. Unius positionem non esse alterius exclusionem, sciunt Logicorum tyrones; quod & hic valet. Ultimum telum haud nosmet, sed umbram potius ferit; nam Solem מלך & בעל שמים, uti Luna בעלת שמים, dictum, & ut Regem quoque cultum fuisse, non eget probatione; ubi enim rerum testimonia adsunt, non opus est verbis: præter ea, quæ supra citata sunt, testimonia, conf. *Frischm.* in h. l. cap. 1. §. 9. *Seld.* de D. S. *Voss.* l. c. *Fabr.* Sem. III. cap. III. id quod & nos prolixius hic deducturi essemus, nisi res manifesta foret.

§. XXV. Nec audimus *Sixtinum Amama*, quin in Antib. B. l. c. vocem מלכת *opus, laborem vel artificium*, non autem *reginam* significare, & literam א deficere contendit. Ubi hoc quidem ei largimur, τὸ מְלֶאכֶת allatam significationem obtinere, ut multa id evincunt loca, sed tum, ut Concordantiæ Ebraicæ sufficienter probant, & *B. Hulsem.* quoque in h. l. observat, litera א non eliditur, ut hinc merito cum sæpius laudato *Frischmuthio* dicamus, cum מלאכת in significatione *operis* plus quam quadragies cum א occurrat, quis fidem fecerit, in solo Jeremia, ex una eademque voce, quinquies literam excidisse? Quando igitur urget, in significatione *reginæ* מְלֶכֶת שמים dicendum fuisse, nec inter omnia ista, quæ ad regulam illam pertineant, ullum esse, quod utroque modo statum regiminis formet: & nos simili jure pro nobis urgere possumus, nullum quoque locum nobis ostendi posse ubi τὸ מְלֶכֶת, excluso א, in significatione *operis* occurrat. Deinde esto, τὸ מַלְכָּה, quando in regimine ponitur, formari per מַלְכַּת, ut exempla talia occurrunt; sed quid inde? an statim inferes, nullam aliam formam agnoscendam esse, sed hanc solam? non enim videmus, cur non duplicem formam quoque in hac voce, ut in גברת & גביה, בהמת & בהמה, ממשלת & ממשלה, potius admittere, quam ad defectum literæ absentis, nulla urgente necessitate, constantique lectione & usu vocabuli repugnante, recurrere debeamus: nec obstat, quod in libris, qui supersunt, absoluta forma non occurrat; quod enim exempla tam in verbis quam nominibus dantur, ubi vel thema ipsum vel nomen extra statum suffixionis vel constructionis non amplius occurrit, in iis tamen quærendis & investigandis secundum regularum & analogiæ ductum opera feliciter collocatur, praxique philologorum communi approbatur: uti igitur bene in statu constr. à לאך dicitur מְלֶאכֶת רֵעֵהוּ Exod. 22: 8 מְלֶאכֶת עוֹר, Levit. 13: 48. ut alia exempla taceamus, ita cur non à מלך simili modo מְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם, & hoc & illo vocabulo simili ratione in regimine posito, dicatur, non apparet: ut adeo illa ex statu regiminis utroque modo formato desumta objectio ob diversitatem vocabulorum per se cadat. Cum igitur nosmet radicem simplicissime absque ullo defectu quæramus, ipsam quoque significationem, rem ipsam, modum loquendi, consensumque eruditissimorum Virorum & Versionum præcipuarum nobis optime faventem habeamus, omnino in nostra sententia persistimus. Ne autem porro objicias, ipsum Prophetam cap. 8. se explicare, quid per hanc vocem h. l. intelligat; dicimus enim, nos illosque, qui à nostra stant parte, minime hoc velle, quasi à Judæis Idololatris tantum Luna cultu impio affecta, reliqua vero, quæ c. l. recensentur, exclusa fuerint; clarissima enim præter allatum & nostrum locum adsunt rerum testimonia; hoc autem est, quod negamus, in citato loco explicari, quid per hanc vocem præcise intelligatur: non enim repugnat, aliis in locis objectorum, quæ culta fuere, chorum adduci; in aliis vero determinate quoddam objectum, cultumque ejusdem peculiarem exprimi, ceu ex plurimis locis abunde constat. Sed nobis progrediendum est ad alia. Esto igitur.

CAPUT SECUNDUM.

§. I. CUm hactenus de objecto idololatriæ Judæorum actum sit, nunc de ipso cultu quædam dicenda supersunt. Uti autem præter alias causas cultus, per sacrificia Deo exhibendus, sacrificantium quoque utilitatem respiciebat, ut scilicet omnia ipsis prospere succederent, de quo *Philo* loquitur, Tom. II. p. 1130. scribens, *causam sacrificiorum* ἑτέραν τῶ θυόντων περιηγεμένην ὠφέλειαν *fuisse*, ubi subjicit: διττὴ δέ ἐστιν, ἡ μὲν ἐπὶ μετουσίᾳ ἀγαθῶν, ἡ δ' ἐπὶ κακῶν ἀπαλλαγῇ. Conf. *Outram.* de Sacr. p. 221. seq. Ita quoque de Gentilibus res certa est, eos etiam inter alia ob hanc causam diis suis sacrificasse. Cujus rei testis potest esse *Porphyrius*, de Abstin. lib. 2. §. 24. apud *Outram.* l. c. pag. 225. scribens: τιμῶμεν δὲ τοὺς θεοὺς, ἢ κακῶν μὲν ἀποτροπὴν, ἀγαθῶν δὲ παρασκευὴν ἡμῖν γενέσθαι ζητοῦντες ἢ προπεπονθότες, εὖ, ἢ ἵνα τύχωμέν ὠφελείας τινὸς κλ. i. e. *Deos autem colimus, vel petentes, ut mala avertant, & suppeditent bona, vel quod jam antea commodi aliquid ab iis percepimus, vel ut posthac consequamur* &c. & lib. 2. de Sacrif. & Diis, atque Dæmon. p. 305. *Tribus de causis Diis sacrificandum est, ut veneremur, ut gratiam referamus, ut necessaria ab ipsis petamus, malaque propellamus.* Hunc in sensum Judæi h. l. dicunt, se tempore Selenolatriæ hujus pane saturatos esse, malumque non vidisse. Sed quæris, idque merito, qua ratione cultum talem ex opinione ipsorum adeo proficuum exercuerint? describitur ille à nostro Propheta cap. 44. ita, *quod sacrificarint Reginæ cœli, libarint ei libamina, & fecerint placentas ad colendam eam.* Ubi ex Authentico textu, quid per כונים, per נסך, perque להעציבה intelligatur, expendendum nobis venit.

§. II. Et quidem, quod originem vocabuli כונים attinet, illud alii pro primitivo habent, alii derivant à כוה, quod in Niphal significat *uri, aduri*, & *collyridas* ad ignem torrefactas intelligunt; sed alii ejus natales ad כן referunt, *aptavit, præparavit, disposuit*, ut ita indicetur, tale edulium à cultoribus magno studio præparatum, & ad cultum dispositum fuisse, quod agnovit etiam *Math. Martin.* dum L. P. pag. 2730. emphasin hujus vocis ita explicat: *Vox Hebræa est à dispositione & paratura* ἑτοιμασία, *quod magna cura pararent. Id enim* כון *sonat*: quem in sensum quoque R. David *Kimchi* in libr. Radic. pag. 222. conjecturam hanc reliquit: ואולי קראם כונים לכוין דעתם ולבם עליהם לעשותם ולתקנם היטב: i. e. *forsitan vocavit eos* (cibos) כונים, *quod suas cogitationes eo referrent, quomodo illos bene conficerent & ordinarent.* Conf. *Pagnin. Schindler. Buxtorf. Hulf.* aliosque. Quod vero significationem attinet, in ea exponenda variant eruditi. Eorum sententia, qua vox hæc significare dicitur *canticum quoddam* ע"ל i. e. ad cultum extraneum vel servitium idolorum directum, haud meretur calculum: Melius *Franc. Jun.* in cap. 44. Jerem. putat, *fuisse liba quædam* ἔκτυπα, *quæ quasdam formas expressas habuerint, pro ratione idolorum, quibus fuerint offerenda*, cum quo consentit *RASCHI.* in Jerem. 7. his verbis: כונים דפוס הכוכב, per כונים *effigies sideris intelligitur.* Ut & *Buxtorfius* Lexic. Ebr. p. 352. ita scribens: *Erant placentæ effigiatæ, effigiem idoli habentes impressam, quod colebatur, & cui offerebantur.* Sic quoque *Grotius* ad Jer. 7. *Salomon Jarchi addit, quod verum puto, in illis libis fuisse Deorum icunculas.* Cum quo facit *Franciscus Carriere*, dum Comment. in Scriptura S. pag. 458. ita scribit: *Faciebant placentas rotundas & stellatas, imprimentes eis figuram stellarum. Hulsius* quoque in Nom. Bibl. כונים per *placentas effigiatas* exponit.

§. III. Deinde *Chrysostomus* hanc vocem per πόπανα exponit. Quid autem per πόπανα innuatur, audiemus *Suidam*, qui ita eadem exponit: Πόπανα, πλακέντια πλατέα καὶ λεπτὰ καὶ περιφερῆ, i. e. *Placentulæ latæ & tenues, & rotundæ*: atque *Hesychium* pag. 779. πόπανα πλακέντια ἀπὸ ἄρτου. Et *Scapulam* in Lexic. pag. 1287. πόπανον, *placentula lata, tenuis & rotunda: cujus usus maxime in Sacrificiis erat.* Vid. *Aristoph.* in Pluto & Thesmophor. *Lucian.* de Sacrif. *Polluc.* lib. 1. cap. 1. nec non *Joh. Scheffer.* Ind. Græc. in Ælian. scribentem ita: πόπανα, *placentarum genus orbiculare & tenue, sacrificiis dicatum*: *Bourdinus* not. in Aristoph. pag. 782. de his ita scribit: τούτοις τοῖς ποπάνοις ἔθος εἶχον αἱ γυναῖκες θεσμοφοριάζουσαι ταῖς θεαῖς προσθύειν τοῦ εὐπραγεῖν καὶ εὐτυχεῖν. Addamus hic conjecturam *Francisc. Junii*, qui l. c. pag. 705. putat, genus hoc liborum ἐκ τύπων, de כונים loquitur, Romanos & Ægyptios à Græcis desumsisse, & vocasse popana, quia τῶν τύπων, i. e. Deorum effigie insignita ea fuisse credit, quibus offerebantur; ubi tamen malumus nos cum *Scapula* l. c. nomen illud deducere à πέπτω, *coquo*. Hanc derivationem adducit quidem etiam *Eustathius* l. c. pag. 152. ubi habet: πέπτω ἢ πέσσω, πόπανον, & pag. 774. ἐκ τοῦ ὡς εἰκὸς, μέσου παρακειμένου πέποπα τὸ πόπανον; videtur tamen magis sequi priorem pag. 437. ubi ita: ἐκ δὲ πόπος καὶ ἄναξ, θείων λέξεων, ὡς προεδεδήλωται, πόπανον τὸ, θεῷ ἄνακτι καθοσιούμενον & pag. 774. πόπανον δοκεῖ οὕτω κληθῆναι, παρὰ τὸ πόπος, ὅ ἐστι θεὸς, καὶ τὸ ἄναξ, ἵν' ἢ πόπανον, ὡς καὶ προερρέθη, τῷ πόπῳ ἄνακτι ὁσιούμενον. Adde *Matthæum Debarum*, Ind. Eustath. inquientem: πόπανον τῷ πόπῳ ἤγουν θεῷ ἄνακτι ἀφορούμενον (ἀφοσιούμενον). Nam πόποι, juxta *Scapell.* l. c. pag. 1365. *Dryopum lingua dicuntur* οἱ δαίμονες, *quasi* τὰ πάντα διοπτεύοντες, *omnia dispicientes.* Id quod etiam his verbis indicat *Eustathius* pag. 98. τοῖς βιαζομένοις τὸν Ὅμηρον καὶ μετάγουσι πρὸς ἑτέρους ποιητὰς τὰ ἐκείνου, ἀρέσκει λέγειν, τὸ ὦ πόποι, ἀντὶ δὲ ὦ θεοί. Ἐπειδὴ εὕρηνται ἐν τοῖς μεθ' Ὅμηρον οἱ θεοὶ πόποι λεγόμενοι οἱονεὶ ἔποπτοι κατὰ τοὺς παλαιοὺς, ὡς τὰ πάντα διοπτεύοντες. Et *Matthæus Debarus* ita scribens: πόποι, ὀνομαλικῶς οἱ θεοὶ οἱονεὶ ἔποποι παρὰ τὸ ἐποπτεύειν. Vid. *Plutarchus* de aud. poëm. *Turneb.* lib. 18. cap. 5. *Martin.* l. cit. pag. 2791. *Hesych.* pag. 779. Addimus hic merito quoque *Caroli Gerardi* conjecturam, cui not. ad *Aristoph.* Plutarch. pag. 71. videtur, fortasse popana fuisse id, quod Homerus οὐλοχύτας subinde appellet, panes nimirum ex hordeo & sale confectos, & ante sacrificium aris infusos, de quibus vid. *Eustathium* pag. 132. seq. 1476. *Debarum* l. c. & *Saubert.* de sacrif. pag. 429. seq. & *Aug. Buchnerum*, Academiæ hujus decus quondam insigne, qui popanum à *Suetonio* in Vespas. cap. 6. *panificium* appellari putat. *Olympiodorus* h. l. intelligit per כונים πέμματα, quod vocabulum tum in genere denotat, quicquid coquitur, tum in specie certum quoddam placentæ genus, ut notat *Scapula* l. c. *Hesychius* in Lex. pag. 746. pemmata ἐδέσματα ποικίλα significare dicit.

§. IV. Sed quid Rabbini hic tradunt? *Kimchius* in Libro Rad. pag. 222. hoc vocabulum ita exponit: כונים פירוש מיני מאכלים שהיו מכינים ומגישים למלאכת השמים ולצלמיהם i. e. *Vox* כונים *significat species eduliorum, quæ præparabant, & offerebant* למלאכת *& idolis suis.* Cum quo consentit quoad hæc *R. Abarbenel* in comm. in h. l. pag. 106. cap. 2. ita scribens: לעשות כונים שהם מיני מאכלים מכינים ומגישים למלכת השמים: *ad faciendum* כונים: *quæ erant species eduliorum, quæ præparabant, & offerebant Reginæ cælorum.* Conf. quoque *Sal. Ben Melech* in Michlal Joph. pag. 122. Quomodo autem Versiones hanc vocem exposuerint? quæris: *Arabs* vertit قرابين, *oblationes, quæ offeruntur Deo, sacrificia, victima*, ut habet *Golius* L. A. p. 1880. cujus radix est قرب quæ in II. Conjugatione, *obtulit Deo victimam*, significat. Vocabulo huic Arabico respondet Græcum κάρπωμα, de quo *Suidas* T. I. pag. 1377. κάρπωμα, θυσία προσφορά, i. e. τὸ κάρπωμα denotat *sacrificium, oblationem*, cum quo consentit *Scap.* pag. 750. Audiamus de hac convenientia Excell. *Frischmuthium*, qui instar omnium nobis esse potest, in Dissert. prior. de unica illa Mess. Host. c. 2. §. 15. ita scribentem: *Arabico non absimile, tum quoad literas, tum quoad significationem, videtur esse Græcum* κάρπωμα, *donum, quod ad placandum Deum offertur, i. e. sacrificium, victima.* Confer quoque Cl. Dn. Præsidis, Fautoris atque studiorum meorum Directoris summopere colendi, Disp. I. de Corban. c. 1. §. 3. *Chaldæus* reddidit per כרדוטין, quod vocabulum duplicem significationem habet; notat enim tum *pallium, amiculum*, & respondet Græco χειριδωτὸς, quod *tunicam manicatam* notat, (de qua vid. *Suid.* T. II. p. 1125. & *A. Gellium* Noct. Attic. L. VII. cap. 12. pag. 293. *Turneb.* Lib. 22. Adv. cap. 15. L. 29. 25. *Taubmann.* in Virg. pag. 892. & Plautin. pag. 843. *J. Meurs.* comment. in Lycophr. Cassandr. p. 249. *Servium, Pompon. Sabin. & Donat.* in Virgil. pag. 1446. *Minell.* in eund. pag. 529. & alios) tum *placentas, liba*, & ita hoc loco. *Versio* των ό hanc vocem כונים exposuit per χαυῶνας, quæ juxta *Hesychium*, & *Suidam* T. II. p. 1117. sunt ἄρτοι ἐλαίῳ ἀναφυραθέντες, i. e. ut explicat *Scap.* L. c. pag. 797. *panes admixto oleo subacti, qua subactione fungosi fieri & laxi creduntur.*

§. V. *Forsterus* in Lex. pag. 369. כונים per collyridas tortas, crustulas, placentas ad ignem torrefactas exponit, & nonnullos, figura fuisse triangulari, scribere recenset, cum quo consentit *Schindlerus* pag. 847. & alii. Et cum *Turnebus* l. IV. adversf. cap. 1. ap. *Taubm.* in not. ad Plaut. pag. 955. de Collyris prolixe agat, eum paulisper audiemus ita scribentem: *Senatus*

Senatus Grammaticorum statuit, Collyras videri parvulos panes mundos, sed & genus fictorum farinaceorum, quæ ut lagana, interdum in sartagine frigantur, interdum cocta per se edantur, interdum ex jure comedantur, ut tabellas paniceas in sorbitiuncula plerunque esitamus. Frigi solitas docent Gram. Græci, qui εἶδος πλακοῦντος interpretantur, & κολλυρίζειν explicant λαλάγγας τηγανίζειν, i. e. *lagana in sartagine frigere, & κολλύρια exponunt λαλάγγια.* Conf. *Suid.* Tom. I. pag. 1489. qui per εἶδος πλακοῦντος. *Hotting.* Hist. Orient. pag. 226. qui per *tortam panis, tortilis placentæ genus*, & *Math. Martin.* l. c. qui per *tortam placentæ*, exponunt; cum hoc consentit quoque *Scapula*, l. c. p. 826. vocemque hanc tali sensu apud LXX. Interpretes 2. Reg. 6. & 13. occurrere ibidem notat.

§. VI. Tandem nonnulli magis ad speciem descendunt, & per כונים intelligunt *placentas Lunatas*, (quales fuerunt σελῆναι), ex quorum numero est *Lyranus*, qui ad cap. 44. Jer. ait: *offerebant panes rotundos, in quibus erat impressa effigies Lunæ.* Cum quo consentit *Ursinus* P. II. Annal. quæst. 22. seq. & *Christoph. de Castro* ad Jerem. 44. hancque sententiam nec nos adeo improbabilem esse judicamus, huncque morem, figuram Lunæ placentis imprimendi, apud Græcos quoque viguisse infra docebitur. Hic tantum addimus, verisimile nonnullis videri, has placentas ad imitationem לחם הפנים i. e. panis facierum, (de quo vid. *Rabbi Abendan.* & *Raschi* ad Exod. 25: 30. *Tirinus* pag. 134. *Glass.* Rhet. S. p. 104. *Hotting.* in Leg. Jur. Hebr. pag. 122. seq. & alios) factas fuisse, ut quemadmodum ille ad veri Dei, ita כונים ad idolorum cultum adhibiti fuerint.

§. VII. Quod porro ad vocem נסך attinet, illa duplicem agnoscit significatum, primo enim notat *tegumentum*, ut Numer. 4: 7. Genes. 38: 14. sive habet ענין כסוי וחפוי, *sensum operimenti & tegumenti*, uti loquitur *R. Sal. ben Melech* in Michl. Joph. pag. 115. cap. I. ad Jerem. 10. & *R. D. Kimchi* in libro Rad. pag. 303. Deinde, & quidem sæpissime, significat *effusionem & libamina*, sive est מענין היציקה והתכה, *ex significatione effusionis*, ut citatus *R. Salomon* loqui amat, & quidem ejus, qua libamen Deo vero vel falso effundebatur, de quo præ aliis audire juvat *Magnificum & Summe Reverendum DN. D. GEIERUM, Susceptorem & Patronum meum omni honoris & observantiæ cultu ætatem devenerandum.* Comm. in Psalm. Part. I. pag. 228. ubi ita scribit: *Verbum* נָסַךְ *& in Hiph.* הִסִּיךְ *est sacrificiale, notatque effusionem libaminis, sive rei liquidæ, in honorem vel falsi Dei; ut Jer. cap. 7: 18. cap. 19: 13. 32: 29. 49: 17. seq. vel veri Dei, ut Numeror. 15: 5. 7. 10. 28: 7. 2. Sam. 23: 16. (aqua Bethl.) 2. Reg. 16: 13. Genes. 37: 14. (oleum Jacobi).* Et hunc in sensum quoque *Megalander* noster hanc vocem per Tranck-Opffer reddidit.

§. VIII. *LXX. Interpretes* τὸ נסך per σπονδὰς exposuisse deprehendimus, de qua voce *Hesychius* ita pag. 869. σπονδὴ, ὁ ἐπιχεόμενος ταῖς θυσίαις οἶνος. *Johannes Grammaticus* quoque, teste *Rhodig.* L. A. pag. 608. Comment. in Hesiodum σπονδὴν, i. e. *libationem* dicit esse *vini affusionem in id, quod immolatur.* Conf. *Suid.* T. II. pag. 793. Solebant enim Judæi, cum sacrificia offerebant, aliquid vini, quod in patina habebant, ad basin altaris effundere, de quo vid. *Otton.* L. R. p. 677. & 143. qui mos effundendi quoque apud Græcos aliasque gentes fuit receptus; tales vero patinas, in quibus vinum afferebant, vocabant Græci σπονδεῖον, de quibus *Hesychius* pag. 859. σπονδεῖον ἀγγεῖον ἐν ᾧ τοῖς εἰδώλοις οἶνον ἐπέσπενδον. Et *Athenæus* Lib. 14. pag. 239. σπονδεῖον ᾧ τὸ οἶνον ἐπισπένδουσιν ἱεροῖς. Conf. quoque *Suidam* T. II. pag. 793. ubi hanc vocem vas, quo vinum in sacrificiis vel conviviis libarint, denotare dicit, sicut Λοιβάσιον ipsis erat vas, ᾧ ἐπισπένδουσι τὸ ἔλαιον τοῖς ἱεροῖς, ut loquitur *Athenæus* l. c. pag. 239.

§. IX. Cæterum, ut hæc ὡς ἐν παρόδῳ moneamus, duplex erat libum, unum aridorum, ut dapium atque ciborum, de quo ita *Athenæus* l. 3. pag. 63. ἑξῆς ἐπεισηνέχθη πλακοῦς ἐκ γάλακτος ἰτρίων τε καὶ μέλιτος, ὃν ῥωμαῖοι λοῖβον καλοῦσι. Hoc libum alias vocabatur πόπανον, Latini illud simpliciter vocant *libum.* Alterum erat liquidorum, ut siceræ, olei & præcipue vini, quod hic quoque locum habet, & hoc vocabatur Latinis *Libum, libamen*, & simpliciter *libatio*, Græcis σπονδή. Quæ libatio erat vel religiosa vel profana. Illa iterum duplex erat, aliaque dicebatur οἰνόσπονδος, alia ἄοινος, de quibus *Stuckius* A. C. pag. 269. Ita vero libare libationes religiosas apud Ethnicos, & inprimis Græcos & Latinos mos erat, ut pro re nata, vel in aram, vel in mensam sacram, vel focum sacrum, vel in mare consecratum diis marinis, aliquid vini vel aquæ, vel alius liquidæ materiæ effunderent, vid. *Turneb.* V. O. T. I. p. 329 L. 11. Adv. c. 7. *Lipsius* Antiq. Lect. L. 3. interdum & sanguinis, ut testatur *Saubert.* de Sacrif. p. 658. Hæc, scil. *profana, libatio erat*, ut ait *Turneb.* V. O. T. I. p. 362. *qua antiqui post epulas uti solebant. Nam pateram*, pergit, *tenentes, ex ea aliquid in honorem Dei venerantes precantesque fundebant; deinde bibebant, venerationeque fiebat.* vid. pag. 368. 386. Tom. II. pag. 94. Videtur igitur omnino locum habere illud, quod sicuti voce כונים sacrificium aridum significatum fuit, ita vocabulo נסך liquidum denotatum fuerit.

§. X. Nec sicco pede prætereundum est verbum להעציבה, quod diversimode exponitur. Cum autem alias hoc verbum *dolore afficere* significet, uti quoque nonnulli hanc interpretationem h. l. retinuerunt, R. David *Kimchi* oppositum eligit sensum, & in ea significatione, qua *gaudio afficere* denotet, id ipsum accipit; ita enim scribit in h. l. על דרך הכנוי ר״ל לשמחה: *per antiphrasin hoc intelligendum est, q. d. ad exhilarandam eam*, cumque literam He raphatam pronominis vicem hic sustinere credat, hinc Mappik, alias huic literæ imprimendum, omissum esse asserit; Secus tamen *Ludov. de Dieu* videtur, qui absentiam τοῦ Mappik He paragogicum potius, quam affixum indicare in Animadvers. suis in h. l. pag. 608. statuit, qui quoque in eo peculiarem fovet conjecturam, quod, hanc vocem ex Æthiopica lingua illustraturus, ubi עצב in Kal significet *pretiosum esse*, eandem verti posse arbitretur per: *pretiose faciendo & libando ei libamina, i. e. pretiosa libamina ei libando*, idque phrasi Ebræa, qua *pretiose fecit & libavit*, pro *pretiose libavit*, dicatur. Verum quicquid sit de hac explicatione, ex Æthiopicæ linguæ collatione adducta, ex qua Philologos eruditissimos alias Radices apud Ebræos non amplius extantes accersere gaudent, hic non sufficientem videmus rationem, quare, cum hæc vox duo significata admittat, & vel דאגה או עמל, *dolorem aut laborem*, vel עבודת אלילים, *cultum idolorum* denotet, ut observat *Buxtorf.* in Concord. Ebr. in hac voce, & *Reuchlin.* in Concord. *R. Mard. Nath.* pag. 662. seq. hic posterior significatio non retineri, verboque huic talis sensus: *ad tribuendum ei honorem simulacri*, adscribi debeat. Sic *Buxtorf.* in Lexic. vocem hanc exponit per: *idololatricum cultum exhibendo ei, vel idola effingendo: Idolorum formam offerendo ei*; honor enim talis *cum effingendo vel imaginem placentis imprimendo, tum religiose venerando*, ab Israelitis huic idolo exhiberi potuit. Adde *R. Abarbenel.* Comm. in Jerem. 44. ubi significationem cultus idololatrici hic statuit, dum ita: מאמר להעציבה אמרו המפרשים שהוא כנוי ועניני לשמחה ואינו נכון אבל אחשוב שהוא יקראו עצבים כאלו אמר לעבדה ברוך צלם: , *Verbum* להעציבה *interpretes, per antiphrasin explicantes, idem significare ajunt, ac ad exhilarandam eam. Hoc vero minus recte dicitur: Mea sententia significationem trahit ex voce* עצבים, *quia idola alias ita vocant, q. d. ad colendam eam instar simulacri.* Conf. *R. Sal-Ben Melech*, l. c. pag. 122. cap. 2. ubi scribit: להעציבה כלומר לעשות לה עצבים והם הפסילים: , *q. d. ad faciendum ipsi* עצבים, *& illa sunt idola.* Ita quoque Piscator reddidit: *effigiando (ad verbum idolificando) illud.* Et Tigurina Versio: *ad effingendam eam.* Sic quoque *Corn. à Lapid. notante Ven. Dn. Parent.* in Bibl. ill. in h. l. per: *ad elaborandum idolum in eis.* Hebræum vocabulum exposuit, *quod in suis placentis effomarint vel impresserint effigiem idoli sui.* Quam rem concludimus verbis, quæ habet *Delrio*, in Adag. T. II. pag. 115. ubi consuetudinem talem adducturus, ita scribit: *Aquila* (in voce עצב) *attendit ad curam & artificium in idolis fundendis, sculpendis, dolandis & deasciandis, quod confirmatur ex Jer. 44: 19.*

§. XI. Non adeo dissimilem cultum, placentarum oblatione, apud Græcos quoque Lunæ exhibitum fuisse, ex variis autoribus & monumentis constat, dum eidem placentas effigiatas, quæ σελῆναι vocabantur, obtulisse leguntur. Percipiemus autem prius, quomodo tales describantur, quamque varie denominentur, quam, quomodo oblatæ fuerint, exponamus. De his σελήναις ita scribit *Hesychius*, l. c. p. 832. σελῆναι, πόπανον τῷ ἄστρῳ ὅμοιον πέμματι. Et *Suidas* Tom. II. p. 726. σελῆναι πέμματα κυκλοτερῆ i. e. σελῆναι *sunt placentæ plane rotundæ*, ubi *Æmilius Portus* in versione *Suidæ* hoc apponit: *Lunæ, placentæ Lunæ figuram & speciem habentes, placentæ lunatæ.* Adde quoque *Matthæum Debarum* in Ind. Eustath. ita scribentem. σελήνη ὁμωνύμως εἶδος πέμματος πλατέος κυκλοτεροῦς. Nec non magnum illud literarum lumen *Is. Casaubonum* Animadvers. in Athen. lib. 11. cap. 12. pag. 812. ubi ita legimus: Græci σελήνας *appellarunt non illas stellulas, quibus ornabant τοὺς φθόεις, sed liborum aliquod genus peculiare.*

§. XII. Ita

§. XII. Ita σελῆναι vocabantur quoque πέλανοι, quod vocabulum & in generali, & speciali acceptione occurrit. De priori testatur *Jul. Pollux* l. 6. cap. 11. p. 324. his verbis: πέλανοι κοινοὶ πᾶσι θεοῖς, κέκληνται δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος ὥσπερ ὁ βοῦς: & *Suidas* T. I. pag. 253. πέλανοι τὰ εἰς θεοὺς πέμματα. Idem T. II. p. 476. postquam de his sequentia notarat: Πέλανος γίνεται τινὰ πέμματα τοῖς θεοῖς ἐκ τοῦ ἀφαιρεθέντος σίτου ἐκ τῆς ἅλω. Δίδυμος δέ φησι κυρίως εἶναι πέλανον τὸ ἐκ παιπάλης πέμμα· ἐξ ἧς πίνονται πέμματα· ἢ καὶ ἀπὸ τοῦ πεπλατῶσθαι· ἢ ὅτι λευκόν ἐστιν· ἢ ὅτι τὸ φανὸν εἶναι, ὅ ἐστι λευκόν· i. e. Πέλανος, *Placenta. Quædam placentæ fiunt Diis ex frumento ex area sublato. Didymus vero dicit*, πέλανον *proprie esse placentam ex tenuissimo farinæ factam flore, ex quo placentæ fiunt. Vel etiam* πέλανον *i. e. placentam vocatam* ἀπὸ τοῦ πεπλατῶσθαι, *quod sit dilatata. Vel quod sit alba. Vel quod sit* φανὸς *i. e. candida*; subjicit: Πέλανοι· πέμματα ἐκ παιπάλης τελέσιν ἀλεύρου λεπτοτέρου, εἰς θυσίαν ἐπιτήδεια· ὡς αὐτός φησι καρπὸν μέλιτι δεδευμένοι· Διονύσιος Θρᾷξ· θεοῖς ἀπαρχαί τινες· i. e. Πέλανοι *Placentæ confectæ ex papale, hoc est, ex tenuissima farina, ad sacrificium aptæ. Ut ipse dicit fruges melle rigatæ. Dionysius Thracibus.* πέλανοι *sunt, Diis primitiæ quædam oblatæ.* Conf. *Aristoph.* in Pluto p. 71. ubi in Scholiis Græc. modus sacrificandi pelanos describitur, ὅτι τὸν μὲν πέλανον ἐν τῷ πυρὶ ἔρριπτον, τὰ δὲ πόπανα, καὶ τοὺς πλακοῦντας καὶ τἄλλα ἐν μέρει τοῦ βωμοῦ ἐτίθεσαν, quem ita quoque ibid. Carol. Gerardus recenset: *Tradunt pelanos sanctificari consuevisse* ἐν τῷ πυρὶ *&* (*quod ait poeta*) ἐν ἡφαίστου φλογί. *Popana autem & alias placentas* ἐν μέρει τοῦ βωμοῦ, *in aliqua parte altaris.* In posteriori autem magisque speciali acceptione hanc vocem, πέλανος, Lunæ cultui assignatam legimus; de qua ita *Suidas*, T. II. p. 726. scribit: ἐν Ἐρεχθεῖ τὰς σελήνας πελάνους εἴρηκεν Εὐριπίδης·

> Καὶ μοι πολὺν γὰρ πέλανον ἐκπέμπει δόμων·
> Φέρουσι σελήναις τὰς δὲ πυρίμου χλόης·

i. e. *In Erechtheo Euripides istas placentas lunatas vocavit pelanos: Etenim mihi multum pelanum* i. e. magnam lunatarum placentarum copiam *emittit ex ædibus. Voca Lunas istas*, istas lunatas placentas *igne meo* coactas, & confectas ex frumento Cereris cognomento *Chloes*. Ita quoque *Math. Debar.* l. c. scribit: πέλανος εἶδος πεμμάτων πλατέων κυκλοτερῶν, ἃ καὶ σεληνοῖα ἐλέγοντο.

§. XIII. Occurrit quoque sæpe apud Græcos scriptores vox φθόις, & per contract. φθοῖς, qua idem cultus lunæ, vocibus jam adductis denotatus, exprimitur. De qua voce *Scholiastes Aristophanis* pag. 72. ita scribit: (φθοῖς) Ἀττικοὶ μὲν μονοσυλλάβως οἱ φθοῖς, ὁ δὲ Καλλίμαχος, φθόϊας ἀντὶ τοῦ πλακοῦντας, πέμματα. Ubi *Bisetus* inter alia addit: φθοῖς πλακοῦς ποιὸς ἐκ πυροῦ καὶ μέλιτος συσκευαζόμενος· ἄδηλον δὲ εἰ κλίνεται ἡ λέξις. Addatur & *Suidas*, cujus T. II. p. 2069. verba cum versione Latina ita se habent: φθοῖς ἐστιν ὄνομα πλακοῦντος πέμματα ἃ τοῖς θεοῖς μετὰ τῶν σπλάγχνων ἔθυον· ἐν ἐπιγράμματι· καὶ τροχιὰν ἐν κανέῳ φθοΐδας σοι ταύτας ἐφ' ἅλωος ὦ δάματερ φέρω· τοὺς φθοῖς μονοσυλλάβως ἔθος λέγειν τοῖς Ἀττικοῖς· i. e. *Phthois est placentæ nomen. Erant autem bellaria, quæ cum visceribus sacrificabant Diis. In epigrammate. Et trochiam. N. L. fortasse jam placentæ genus rotæ simile significat, i. e. orbiculatam placentam in canistro, & phthoidas istas i. e. placentas, aliud placentæ genus, in aream, (ô Ceres) tibi fero.* τοὺς φθοῖς *per unicam syllabam dicere solent Attici.* Conf. *Ejusd.* T. I. pag. 253. & *Hesych.* l. c. His adjungimus ea, quæ de hac voce nobis tradit *Athenæus* L. XI. ubi simul de convenientia vocis hujus cum voce σελήνη loquitur: cumque locus haud parum in quibusdam Editionibus corruptus sit, hinc ex emendato Codice *Casauboni* verba sequentia citamus, quæ hæc sunt: οἱ παλαιοὶ καὶ τὰ περὶ τὴν ἥμερον τροφὴν πρῶτοι διαταξάμενοι τοῖς ἀνθρώποις πειθόμενοι τὸν κόσμον εἶναι σφαιροειδῆ, λαμβάνοντες ἔκ τε τοῦ ἡλίου καὶ τοῦ τῆς σελήνης σχήματος ἐναργεῖς φαντασίας, καὶ τὰ περὶ τὴν ἀνθρώπινον τροφὴν τῷ περιέχοντι κατὰ τὴν ἰδέαν τοῦ σχήματος ἀφομοιοῦν τράπεζαν κυκλοειδῆ κατεσκευάσαντο, καὶ τοὺς τρίποδας τοὺς τοῖς θεοῖς καθαγιζομένους, καὶ τοὺς φθόεις κυκλοτερεῖς καὶ ἀστέρας ἔχοντας καὶ οὓς (alii ὡς legunt) καλοῦσι σελήνας, quæ sic redduntur: *Veteres, & qui primi mortalibus de humano victu constituerunt, persuasi, mundum esse sphæricum, sumtis ex Solis Lunæque figura evidentibus speciebus, æquum judicabant, istorum figuræ assimilare ea, quæ ad humanum victum pertinent. Propterea mensam orbicularem, & tripodes Diis consecratas, Phthoidasque orbiculares & stellas habentes confecerunt, quas etiam Lunas seu Lunatas placentas vocabant.* Quem locum mihi suppeditavit, id quod grato animo hic refero, magnum illud Græcanicæ eruditionis decus, Dn. *Balthasar Stolbergius*, Patronus & Præceptor meus observanter ætatem devenerandus.

§. XIV. Sed quæris, idque merito, quomodo dictæ placentæ lunatæ oblatæ fuerint? cum hoc ipsum *Eustathius* pulcre explicet, ejus verbis, licet prolixis, rem exponere placet, qui pag. 1165. ita scribit: ἰστέον δὲ πολυμαθείας χάριν, καὶ ὅτι βοῦς παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἐλέγετο καὶ τι πέμματος εἶδος ἀφ' οὗ παροιμία τὸ, βοῦς ἕβδομος, ἔχουσα λόγον τοιόνδε. Σελῆναι πέμματα ἦσαν πλατέα κυκλοτερῆ· ἐπὶ δὲ ἓξ σελήναις τοιαύταις, βοῦν φασιν ἕβδομον, ἔπεπτον κέρατα ἔχοντα κατὰ μίμησιν πρωτοφυοῦς σελήνης, ἔθυον μὲν οὖν καὶ ἐπὶ τέσσαρσι ποπάνοις τοῦτον τὸν βοῦν καὶ ἐκάλουν αὐτὸν πέμπτον βοῦν, μᾶλλον μέντοι ἐπὶ ταῖς ἓξ ἔθυον αὐτὸν, ὃς καὶ ἐκαλεῖτο διὰ τοῦτο ἕβδομος βοῦς· ὁ δὲ ταῦτα ἱστορήσας Παυσανίας λέγει, καὶ ὅτι αἱ ῥηθεῖσαι σελῆναι τὰ πέμματα, καὶ πέλανοι ἐλέγοντο. i. e. *Multijugæ vero eruditionis gratia sciendum, à Veteribus etiam quoddam genus placentæ* βοῦς *dictum esse, unde proverbium* (βοῦς ἕβδομος) *ortum, de quo talia traduntur.* Σελῆναι *erant placentæ planæ, rotundæ; post sex vero tales placentas Lunatas bovem, ut vocant, septimum confecerunt, cornua habentem ad imitationem primum nascentis vel exorientis Lunæ. Immolarunt itaque etiam post quatuor popana hunc bovem. & vocarunt eum* πέμπτον βοῦν, *quintum bovem; magis tamen post sex immolarunt illum, qui propterea etiam dictus est septimus bos. Pausanias vero hæc narrans asserit, quod* πέμματα, *quæ* σελῆναι *dicebantur, alio nomine appellata sint* πέλανοι. Ubi inter alia quoque, ut hoc tantum addamus, subjicit, quod ἀμφιφῶντας facibus circumquaque accensis obtulerint, de quo ritu confer. *Athenæus* L. XIV. p. 319. *Jul. Pollux* L. VI. cap. XI. pag. 324. *Hesychius* pag. 84. *Suidas* T. I. pag. 220. *Jonston.* Polyh. T. I. pag. 224. *Scapul.* l. c. pag. 1715. & *Stuckius* A. C. L. I. p. 83. &c. De Bove vero septimo *Pollux* l. jam cit. ita: βοῦς πέμμα ἐστὶ κέρατα ἔχον πεπηγμένα, & *Hesychius* pag. 198. βοῦς ἕβδομος, scribit, μνημονεύει δὲ τοῦ ἑβδόμου βοὸς ὁ τι δὲ πέμμα ἐστὶ καὶ τῆς σελήνης ἱερὸν κλητόδημος ἐν Ἀτθίδι φησί.

§. XV. Cum iis, quæ ex *Eustathio* de tali cultu adduximus, *Suidas* quoque consentit T. I. pag. 253. ubi hæc notat: ἐπὶ δὲ ἓξ σελήναις βοῦν ἕβδομον ἔπεπτον κέρατα ἔχοντα κατὰ μίμησιν τῆς πρωτοφυοῦς σελήνης· ἔθυον μὲν οὖν καὶ ἐπὶ τέσσαρσι ποπάνοις τοῦτον τὸν βοῦν, καὶ ἐκάλουν αὐτὸν πέμπτον βοῦν, μᾶλλον δὲ ἐπὶ ταῖς ἕξ. i. e. ut vertit Æmil. Portus: *Post sex vero Lunas, bovem septimum pinsebant, i. e. faciebant, habentem cornua ad imitationem Lunæ primum nascentis, & primum crescentis; Immolabant tamen etiam post quatuor popana hunc bovem, & ipsum vocabant quintum bovem; Plerumque tamen post sex Lunas hunc immolabant.* Conf. eund. T. I. p. 572. & T. II. pag. 726. Nec hunc ritum silentio præteriit *Erasmus*, qui in Adag. circa supra citatum proverbium, βοῦς ἕβδομος p. 267. ita scribit: *Hinc ortum esse* (sc. proverbium,) *tradunt, quod antiquitus post sextam Lunam bovis imaginem è farina pinsere consueverint, qui septimam Lunam cornibus referret.* Addatur quoque *Hadr. Junius* L. G. qui Selenas putat fuisse pemmata rotunda & lata, iisque sex ordine in struem aggestis impositum fuisse bovem septimum. De quo plura quidem addere poteramus, quæ tamen brevitatis causa jam omittimus, hoc tantum addentes, quod σελῆναι, (in similibus speciebus similis est ratio) haud incommode cum כונים à Judæis oblatis conferri possint; sicut enim hæ σελῆναι fuerunt placentæ, effigiem Lunæ habentes s. Lunatæ, ita & כונים placentas fuisse certum, & Lunæ, ceu primarii cujusdam sideris, formam gessisse, non adeo improbabile est.

§. XVI. Impie autem illud ipsum, quod hic in Judæis improbatur, Pontificii imitati fuerunt, dum illa, quibus insani Judæi Reginam cœli h. l. coluisse dicuntur, fine quoque ipso accommodatò, ad B. Mariam, quæ secundum Pontificios ut Luna inter ignes minores eminet, & in sanctorum choro prioritatem obtinet, transferre non veriti fuerunt. Prodeat præ aliis Archi-Episcopus Genuensis, *Jacobus de Voragine*, qui citante B. *Hulsem.* Comment. in Jerem. pagina 817. in Mariali suo serm. I. lit. R. his verbis de D. Mariæ cultu disserit: *Quando Rex faciem suam alicui abscondit, tunc ipsa Regina maxime suam misericordiam ostendit, quando homo ad ipsam cum vero corde & vera devotione recurrit, unde illud, quod vanæ mulieres dixerunt de Luna, nos exponamus de ista Regina: Sacrificavimus Reginæ cœli, & libavimus ei libamina, & fecimus ei placentas, & tunc saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Debemus Reginæ nostræ sacrificare corpora nostra per mortificationem, & libare corda liquida per quandam lacrymosam compassionem, & offerre ei placentas, id est, conscientias mundas, & tunc ab ipsa saturabimur pane,* id

id eſt, interna refectione, nec videbimus malum pœnæ æternæ, quia acquirimus bonum gratiæ & gloriæ, illi autem, qui eam non habent, penuriam gratiæ & gloriæ; conſumuntur fame conſolationis divinæ & gladio tentationis diabolicæ. Ne quis autem dubius ſit, num hæc Archiepiſcopi ſententia Papiſtis placeat, ſubjicit laudatus Theologus, hoc ipſum Mariale cum Præfatione ad Comitem in Hohenzollern, Epiſcopum Oſnabrugenſem, & approbatione publica rurſus in lucem editum eſſe Anno 1616. qua præfatione ſermones hi vocentur *tuba argentea, clangens, humanæque ſcientiæ nomine celeberrima*, &c. Conf. Eundem in Manual. Aug. Conf. pag. 975. Cumque Pontificii B. Mariam paſſim *Reginam Cœli* denominent, eamque hoc nomine deprædicent, ceu inter alia ex App. Breviar. Rom. in Offic. B. Mariæ patet, ubi pag. 90. glorioſa Regina mundi, & pagina 108. Regina Cœli vocatur. Sic & Bernhardin. de Buſtis lib. 6. tit 3. *Mariam eſſe Reginam cœleſtis regni, ubi plenariam habeat poteſtatem, quicquid voluerit, imperandi* &c. ap. B. Botſacc. in Moral. Gedan. pagina 583. dicit. Et Gabr. Biel, *Deiparæ Virgini Patrem cœleſtem dimidium regni ſui dediſſe*, ap. B. Dannh. in Coll. Decal. pag. 74. ſcribere haud veritus fuit. Conf. Bellarm. Tom. IV. pag. 1187. ſeqq. ubi hanc denominationem tum ex eo, quod omnes beati Reges ſint, tum quia D. Maria vera mater Regis Regum ſit, defendere conatur: quam bene autem id fiat, de eo judicat alia Cathedra. Ex Noſtratibus B. *Chemnit.* in Conc. Trid. de Invoc. Sanct. *Botſacc.* l. c. & Max. Rev. & Excellentiſſim. *Dominus D. Tentzelius* in der Gründliche Rettung der Lutherische Kirchen. cap. 4. pagina 614. aliique hanc in rem videri poſſunt; Hinc multi, hæc aliaque Papicolarum aſſerta conſiderantes, hujus denominationis originem quoque ex locis hiſce Jeremiæ acerſitam ſuſpicantur. Ut alios taceamus, *Sixtini Am.* in Antib. Bibl. pagina 713. conjectura hæc eſt: *Fortaſſis hinc*, ex Jerem. 44. *quoque Pontificii elogium Reginæ cœli beatiſſimæ virgini Mariæ mutuati ſunt.* Gabriel Biel in Can. Miſſ. lect. 8. *Confugimus primo ad B. Virginem, cœlorum Reginam, cui Rex regum dimidium regni ſui dedit.* Et Johannes quoque Rainoldus lib. 1. cap. 1. §. 13. de Rom. Eccl. Idolol. hanc in rem ſequentia annotat: *Quemadmodum Deus Rex cœli nuncupatur, ſic Mariam Papiſtæ cœli nominant Reginam, nec eodem ſolum epitheto, quo Judæi creaturam ornant, præſtantiorem quidem, veruntamen creaturam, ſed etiam honore pari proſequuntur: tum unus ipſorum dicit Regem Regum dimidium regni ſui dediſſe huic Reginæ.* Conf. eund. pagina 79. Qua ratione autem Pontificii reos ſe faciant hæreſeos pridem damnatæ, Collyridianorum ſcilicet, quidque *Petrus Caniſius* aliique Papicolæ contra Noſtrates excipiant, Venerandorum noſtrorum Theologorum ſcripta edocere poſſunt, ad quæ B. Lectorem ablegatum volo.

§. XVII. Cum autem tempus omnino moneat, ut vela ſermonis contraham, & portum reſpiciam, hic acquieſco, majorem in modum rogitans, ut B. Lector ea, quæ allata ſunt, meliorem in partem interpretari, &, ſi quid minus accurate, nec pro rei & Lectoris dignitate tractatum fuerit, tum materiæ difficultati, tum teneræ ætati meæ benevole adſcribere, ſuoque favore hos conatus impoſterum quoque proſequi velit. Sit ita

REGI REGUM ET DOMINO
DOMINANTIUM
LAUS, HONOR ET GLORIA.

M. NIC. PANECII
DISSERTATIO
De Tophet valle Hinnom ad Jer. VII: 31.

בשׁ״ הקב״ה



Allegoricam vocis Gehinnom acceptionem deducimus ex Novo Teſtamento, & quidem Evangelio Matthæi, ubi Meſſias ipſe pœnas infernales, nomine hoc inſignivit, non autem ad quintum & fabuloſum quoddam Evangelium nos convertimus, prout peſſimus Muhamedanorum Propheta ſ. Impoſtor fecit, qui inde integra fabularum plauſtra de ætate Johannis Baptiſtæ item Salvatoris noſtri decerpſit. Ita namque fabulatus de Johanne Baptiſta & præciſe de cauſa mortis ejus, quem cum Elia confundit, idque omnes ipſius Commentatores faciunt. Ita enim Keſſæus in vitis Patrum pag. 132. ait: Quodam vero die præſentes ſe ſiſtebant captivi, quos inter vidit adoleſcentem formoſum, ex filiis Regiis, quem herus ejus obſidii loco habebat. Illa vero accenſa in ipſum amore, in mandatis dedit δεσμοφύλακι, ut honorem ei deferret, ſumptusque ſuppeditaret, & habitaculum amplum aſſignaret. Ipſe quoque noctu ad eam ingreſſus, cum eadem pernoctavit, mane vero in carcerem rediit. Quo cognito Jaſia (ita Johannem appellat) hortatus eſt juvenem eumque officii monuit. Hic autem ipſe juvenis retulit Jezabeli, (quo nomine Herodiam intelligit) quæ propterea ira exæſtuans tandem à Rege obtinuit, ut Johannes occideretur ſ. mactaretur ut ovis. Tandem concludit, ſanguinem Johannis à Rege ſepultum ita ebulliſſe, ut ædes Regiæ & loca vicina eo redundarint, qui plura hac de re deſiderat adeat Hotting. Hiſt. Or. pag. 145. & ſeqq. Quod autem quintum quoddam Evangelium detur, ipſi Arabes luculenter teſtantur: Nam ſic Ahmed Ibn Edris Script. Elencht. pagina 304.
أن الانجيل خمس تعرف النصاري منها اربعة مشهورة والخامس لا يعرف فيه الا القليل منهم *
id eſt: Quia quæ apud Chriſtianos nota ſunt Euangelia; quatuor ubique recepta, quintum paucis, & tandem de quinto ita ſentit: الفصل الخمسي يسمي انجيل الصفوة يذكر فيه الاشيا التي صدرت من المسيح عليه السلام في حال طفولته ينسبه اسطرس عن مريم عليها السلام وفيه زيادة ونقصان وقد ترك فيه كثير من اعلام المسيح عليه السلام ولمه رضي الله عنها ويسوق النجار رضي الله عنه الي مصر ثم عودته الي ناصرة قرية يعني اليها ينسب النصاري Id eſt: Evangelium quintum vocatur Evangelium Infantiæ ubi commemorantur res Meſſiæ, ſuper quo pax, geſta in Infantia, & ad Petrum refertur ab ipſa S. Maria S. q. p. acceptus, ubi multa & redundant & deficiunt. Multa ibidem ſunt ſigna Meſſiæ S. q. p. & illuſtria miracula, com-

commemoratur ibidem adventus Meſſiæ, S. q. p. & Matris ejus & Joſephi fabri lignarii, in quibus Deus acquieſcat, Zaidum (ſic vocatur Thebais Ægypti ſcilicet ſuperior pars) Ægypti, & reditum ejus Nazarethum urbem terræ Sanctæ, à qua etiam denominantur Nazaræi, id eſt, Chriſtiani. Sed miſſis his ex limpidiſſimo fonte Iſraelis, quid de Themate præſenti habendum ſit, hauriemus. Nec de loco Gehennæ diſputabimus, quem tacente Scriptura Sancta nefas eſt præter autoritatem ejus determinare. Nos de nomine atque toto Oraculo Jeremiæ ſolliciti erimus. Deus adſit laboribus noſtris.

Jerem. 7: 31.

וּבָנוּ בָּמוֹת הַתֹּפֶת אֲשֶׁר בְּגֵיא בֶן־הִנֹּם לִשְׂרֹף אֶת־בְּנֵיהֶם וְאֶת־בְּנֹתֵיהֶם בָּאֵשׁ אֲשֶׁר לֹא צִוִּיתִי וְלֹא עָלְתָה עַל־לִבִּי׃

Targum.

וּבְנוֹ בָמַת תֹּפֶת דִּי בְחֵילַת בַּר הִנֹּם לְאוֹקָדָא יַת בְּנֵיהוֹן וְיַת בְּנָתֵיהוֹן בְּנוּרָא דְּלָא פַקֵּדִית בְּאוֹרַיְתִי וְלָא רַעֲוָא קֳדָמָי׃

Verſio Syriaca.

ܘܒܢܘ ܒܥܠܬܐ ܒܬܦܬ ܕܒܢܚܠܐ ܕܒܪ ܗܢܘܡ
ܠܡܘܩܕܘ ܒܢܝܗܘܢ ܘܒܢܬܗܘܢ ܒܢܘܪܐ ܕܠܐ
ܦܩܕܬ ܐܢܘܢ ܘܠܐ ܣܠܩܬ ܥܠ ܠܒܝ *

Verſio Arabica.

وبنوا هيكل طافث الذي هو في وادي بن انوم ليحرقوا بنيهم وبناتهم بالنار الذي لم امرهم به ولم اتفكر فيه بقلبي *

Verſio LXX. Viralis.

Καὶ ᾠκοδόμησαν τὸν βωμὸν τοῦ Ταφὲθ, ὅς ἐστιν ἐν φάραγγι υἱοῦ Ἐννὸμ, τοῦ κατακαίειν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν, καὶ τὰς θυγατέρας αὐτῶν ἐν πυρὶ, ὃ οὐκ ἐνετειλάμην αὐτοῖς, καὶ οὐ διενοήθην ἐν τῇ καρδίᾳ μου.

Verſio Munſteri.

Et ædificaverunt excelſa Topheth, quæ ſunt in valle filii Hinnom, ut comburant filios ſuos, & filias ſuas in igne quod non præcepi, neque aſcendit ſuper cor meum.

Verſio Vulgata.

Et ædificaverunt excelſa Topheth, quæ eſt in valle filii Ennom, ut incenderent filios ſuos, & filias ſuas igni: quæ non præcepi nec cogitavi in corde meo.

Verſio B. Lutheri.

Und bauen die Altar Tophet im Thal Ben Hinnom / daß ſie ihre Söhne und Töchter verbrennen / welches ich nie geboten / noch im Sinn genommen habe.

Verſio Gallica Genevenſis.

Et ont edifié les Hauts lieux de Topheth, qui eſt en la vallée du fils de Hinnom, pour bruler leurs fils & leurs filles au feu ce que je n'ai pas commandé, & à quoi je n'ai jamais penſé.

Jam ſequitur brevis Verborum Analyſis Grammatica.

וּבָנוּ eſt 3. pl. præt. conj. Kal cum præf. ו quod (ּ) habet, quia eſt ante literam בומף vid. Schickard. Reg. 93. not. 5. radix eſt בנה verbum לה״ inde ante augmentum aſyllabicum ה abjectum eſt vid. Schickard. Reg. 84. cum accentu Gereſchaim, qui loco Gereſch eſt poſitus, quia nullum præmittere poteſt ſervum, vid. Waſmuth. in Inſtit. accent. pagina 150. Proprie ſemper denotat aliquid exſtruere; Metaphorice, idem ac procreare liberos; ita enim dicitur Deuter. 22: verſ. 9. יבנה את־בית אחיו unde eſt nomen בֵּן filius quia eſt ædificium familiæ paternæ. Rabbini illud etiam uſurpant pro qualicunque compoſitione. Sic Goliathus vocatur איש בנים 1 Sam. 17: 4. quia fuit מבונה מכל מום compoſitus ex omnibus vitiis vid. Buxtorf. Lex. Talm. pag. 17. Ad quam vocem Maſora parva annotavit. בְּסִיפְרָא quod in hoc libro ſæpius ita punctata adſit. Eandem radicem & ſub eadem notione adhibuit Chaldæus interpres, ut & Syrus apud quem ܒܢܐ etiam proſperari ſignificat, annotante Hotting. in Lex. Heptaglotto ad hanc rad. Eadem uſus Arabs ubi بنى inter varios ſignificatus etiam hunc ſuſtinet in V. conjug. filium appellavit, unde puto derivatum etiam eſſe Ebræorum בֵּן filius vid. Gol. Lexic. Arab. pagina 330. apud Æthiopes ሐነጸ ædificavit idem eſt ut ولد genuit, & ſic commodiſſime בן idem eſt ac יֶלֶד & melius ſeſe omnino hæc derivatio vocis habet, quam ſuperior, quæ filium dicet eſſe idem ac ædificium.

בָּמוֹת excelſa eſt nom. plur. gen. fœm. ſing. eſt בָּמָה, quod ut radicem nominalem ponit Clariſſimus Buxtorf. item Hotting. Arridet tamen nobis radix Arabica قوم coxit illa panem è tritico hinc فوم triticum, panis frumentum omne, nam in ejusmodi ſacrificiis placentas triticeas nonnunquam adhibebant, jam vero literas unius organi facile inter ſe permutari notiſſimum eſt, deinde media ו perſæpe in compoſitis omittitur, additur terminatio fœmininorum ה ָ inde nomen præſens eſt. Chaldæus idem retinuit, & (ָ) Ebræorum pro more ſolito in (ַ) mutavit, vid. Buxtorf. in Lex. Talmud. Tabula de literarum & vocalium permutatione. Syrus habet vocem ܥܠܬܐ quæ eſt ab Ebræorum עלה aſcendit, item holocauſtum obtulit. Apud Arabem extat هيكل templum à rad. quadrilitera هيكل magnus & procerus fuit, unde eſt Ebræorum הֵיכָל palatium, ædificium ſublime, templum, itaque locum excelſiorem & altiorem denotat, ut Theatrum aliquod ſive altare, in quo collocatum eſt idolum. Germani hoc exprimunt per vocabulum **eine Schaubühne.** Hugo Cardinalis in h. l. Excelſa dici inquit non propter loci altitudinem ſ. arborum, quæ ibi erant, id eſt: *Ibi faciebant, quæ ſolebant facere in excelſis. In montanis enim & delitioſis locis & frondoſis ſolebant antiqui ſacrificare, & ideo ab illa conſuetudine dicuntur idola excelſa, quia in excelſis ut frequentius idolis ſacrificabant.* Nos tamen priorem potius aſſumimus ſententiam, quod nimirum in altiori loco conſpiciebantur idola. Græcus uſurpat vocem βωμὸς baſis. Item ara, Synecdochice etiam ſumitur pro ipſo templo.

הַתֹּפֶת Tophet, eſt nomen cum præf. ה demonſtrat. De cujus origine variantes ſunt ſententiæ. B. Hieronymus, Lyra & qui hos ſequuntur, deducunt illud à radice פתה dilatavit, ita ut ſit locus amplus & dilatatus quaſi, Raſchi ab eadem radice ſed ſub notione ſeducere, quia locus ille plurimos ſeduxit; nam radix פתה proprie ſignificat decepit, Deuter. cap. 11: 16. Job. 13: 27. Alii itidem à radice יפה, unde eſt מוֹפֵת prodigium, inde locus prodigioſus erit. vid. Marcus Marinus Brixianus in Arca Noæ. Dicit etiam derivari poſſe à יפה pulchrum eſſe, quia locus fuit & pulcherrimus & amœniſſimus. Longius alii à תִּפְתָּיָא Chaldaico derivantes Dominum exponunt. vid. id. l. c. in voce תפה Hackſpan. Not. Bibl. part. 2. pagina 613. cenſent eſſe primitivum, ſed illud non exponit. Commodiſſima judicio noſtro ſententia eſt, quando illud derivatur à תֹּף tympanum pl. תֻּפִּים quia tympanis uſi ſunt ſacrificuli ne clamores puerorum Parentes audirent, nobiſcum ſentiunt Caſtellus in Lex. Heptagl. Rabbi David Kimchi Pſalm. 27: 13. & Jerem. 7: 31. Buxtorf. Lex. Ebr. p. m. 867. Lex. Talmud. pag. 2623. Hotting. Lex. Heptaglot. pag. 554. B. Lutherus qui in Gloſſa Marginali in h. l. ita ſcribit: **Das** (ſcilicet vallem Gehinnom) **haben ſie hernach Tophet genennet / weis nicht warumb / und den herrlichen Gottesdienſt daſelbſt gehabt.** Et paulo poſt: **Ich laſſe es dabey bleiben / daß es herkomme von Toph / das heiſt eine Paucke oder Drummel. Denn Lyra meldet** Levit. 23. **daß die Kinder Iſrael dem AbGott Moloch (welches war ein ehern Bilde inwendig voller Glut) ihre Kinder in die Arm legten / und verbrenneten. Und die Prieſter mit Paucken und Schellen Klungen / daß die Eltern der Kinder Geſchrey nicht hören ſolten: Alſo mag Tophet ein Drummel-Hauß oder Drummel-Kirche heiſſen und** Jer. 30: 33. **dem König Aſſur eine ſolche Grube bereitet / das iſt / er ſolle verbrandt werden in der Höllen.** Item Joh. 17: 6. **Ich muß ein Wunder (das iſt Tophet) für ihnen ſeyn / ein Drummel-Spiel die meiner**

ner zum Schaden noch spotten/ wie man den mahlet daß die Pfeiffer sein spotten. Hæc ille. Reliqui interpretes, omnes eandem retinuerunt vocem, quia est nomen proprium hujus loci, alias apud Arabes ... sordes unguium & ... repudiavit, detestatus est significat, habet accentum Rhebia.

בְּגֵיא in valle est nomen cum præf. ב. scribitur etiam per (ֵ) sic גֵּיא Esai. 40: 4. item גַּיְא Num. 21: 20. item absque א Jos. 8: 11. Deuter. 34: 6. גַּי absque א novies occurrit annotante Masora parva, scilicet Jos. 18: 8. ubi bis ita occurrit cap. 18: 15. cap. 19: 14. 1 Sam. 13: 15. Nehem. 11: vers. 35. Ezech. 39: 11. Zachar. 14: 5. Coccejus eandem derivat à קָנָא altum esse. Chaldæus per vocem חילת idem exprimit. Syrus habet vocem ... quæ est ab Ebræorum נַחַל vallis, torrens. Arabica vox est وادي vallis à radice ودي. Nec aliam significationem obtinet Græca vox φάραγξ alias barathrum præcipitium notans.

בֶן־הִנֹּם Ben Hinnom. B. Lutherus retinuit eandem vocem in versione germanica, ac si esset nomen proprium: reliqui interpretes omnes vocem בן separate usurparunt, ut nomen appellativum, nisi quod in voce הנם vocales parumper sint transmutatæ. Syrus enim dicit ..., Arabs ... Græcus Ἐννόμ, quam vocem aliqui derivant à radice נחם, ut inde per Metathesin fit הנם B. Hieronymus legit Ennom atque illud ex הִנֵּי & הֵם Ecce eos, id est, idololatras deducit. Tom. 4. Op. f. m. 145. quæ tamen derivatio non potest admitti, cum nomen hoc sit proprium Viri cujusdam, qui vallem istam possidebat, adeoque nulla prorsus allusio ad horrendum istud facinus Judæorum, quod ibidem perpetrabant, locum hic inveniat, accedit & illud, quod tempore Josuæ jam tum vallis ista nomine hoc fuerit insignita. Mihi commoda satis videtur derivatio non quidem ... quod est ab Ebræorum גי הנם, adeoque minus Arabicum sed à vocabulo ... quod dactylum, item vocem submissam, ut & sermonem, qui non intelligitur, significat. Lyra dicit Hinnom esse nomen Hominis vel etiam gratiam sonare, inde legit הנם per ח, quod tamen textui repugnat, ubi constanter per ה extat, Syris quoque appellatur ... Terra milesia item ... Terra Samia, Ethiopes ... & ... fugit & aufugit Psalm. 113: 8. Et inde nomen Gehennæ est, quæ occurrit Matth. 5: 22. Aliam derivationem suppeditat Westhomerus in lib. de tropis Scripturæ S. pagina 78. scilicet à radice Ebræorum עָנָה quod significat afflixit, unde עִנְיָן molestia, quia summæ ibidem sunt afflictiones & molestiæ. Et ne suis destituatur rationibus, provocat ad alias voces, ubi ע in γ Græcorum mutatum est v. g. vox עֲמֹרָה à LXX. interpretibus nominatur Gomorrha, pari negotio ex עִנְיָן esse γεέννα quam allusionem facile largimur, propriam tamen & genuinam vocis derivationem negamus, quia omnes fere interpretes in eo consentiunt, quod Gehenna ab Ebræorum גי הנם derivetur, quia Esai. 30: 33. expresse in illo loco pœna infernalis Regi Assyriorum annunciatur. vid. Excellentiss. Pfeiff. Dub. Vexat. in locis exoticis N. Test. pagina 13. B. Hieronymus in Commentar. in Jerem. cap. 7. vers. 31. ubi ita inquit. Tradunt Ebræi ex hoc loco appellatam Gehennam quod scilicet omnis populus Judæorum ibi perierit offendens Deum. Fuit autem locus amœnissimus atque nemorosus: hodieque hortorum præbet delitias. Sed de his plura vide quæstio. I. vide. etiam Glassius Philolog. S. p. m. 878. & seqq. Martinius in Lex. Philolog. in hac voce

לִשְׂרֹף ad comburendum, est Infinit. in Kal cum præf. ל, radix est שרף & significat, exussit, combussit, incendit, cremavit, sic Levit. 8: 17. Jos. 6: 2. 4. Levit. 16: 28. adeoque hic proprie talem combustionem, non vero tantum februationem, ut aliqui volunt, significat. Chaldæus interpres etiam proprie sic dictam combustionem indigitat adhibita voce יקד quæ de totali combustione adhibetur Levit. 8: vers. 17. Exod. 3: 2. Jerem. 38: 23. 2 Sam. 23: 7. Hanc quoque adhibuit Syrus Interpres, & paria prorsus facit vox ... Arabi usurpata. Sic quoque Græcus innuit combustionem proprie sic dictam per vocem κατακαίειν, cum his concordat B. Lutherus, qui vocem hanc reddit verbrennen / nec non Gallus voce *bruler*.

בְּנֵיהֶם filios suos nomen plur. cum suff. tertiæ pers. nomen Sing. בֵּן à radice בנה, plura vide quæ ad בנו fusius annotavimus.

בְּנֹתֵיהֶם filias eorum est nomen plur. gen. fœm. cum suff. 3. pers. est etiam à radice בנה, ad hanc vocem annotavit Masora parva quod quinquies absque ו reperiatur & Masora magna hæc addit ה׳ ח ס ו״ו וסימ׳ נמסר בסיר ראה id est quinque sunt defectiva absque ו quorum loca trademus in Parascha ראה In Sing. est בת filia in plurali בנות, ac si esset à singulari בנה.

בָּאֵשׁ Igne est nomen cum præf. ב quod ּ habet ob extrusum ה Emphat. vid. Schickard. Reg. 90. Syrus habet vocem ... quæ est ab Ebræorum אור luxit, splenduit, eandem scilicet نار Arabs habet, quæ eandem originem Ebraicam agnoscit.

צִוִּיתִי præcepi est prima præt. conjug. Piel à radice צוה apud Ebræos in Piel tantum in usu, hic ה schevatum mutatum est in י quod in Kal. Chirek in cæteris sæpius (ִ) non tamen semper, inde hic est Chirek. Ab hac derivatur Chaldaica & Syriaca מצוה præceptum Arab. ... præceptum, item ... mandatum, testamentum: Samarit. אצואה Massa farinaecа. Chaldaica פקידה idem est ac præcepit, ubi simul additur vox בְּאוֹרַיְתִי in præcepto meo, quia Deus omnia quæcunque observanda erant, in lege docuerat, & præter hæc præcepta, nihil in cultu divino erat attendendum. Syrus eandem habet, Arabicum ... prorsus paria facit, ut & Græcum, habet accentum (:) cum sit hic terminus propositionis cujusdam simplicis.

עָלְתָה est tertia fœm. sing. præt. Kal radicis עלה, ubi ה in fœm. in ת transiit juxta Schickard. Reg. 83. quæ in Kal ascendit, item abiit, evanuit, in Hiphil vero extulit, obtulit, item accendit, cum de lumine agitur, cujus flamma altum petit. 1 Samuel. 12: 6. הֶעֱלָה נֵרוֹתֶיהָ accendet lucernam ejus. Phrasis Ebræa non ascendit in cor, idem est, ac nunquam in mentem venit. In Chaldaico extat רעוא Benevolentia à radice רְעָה bene velle additur insuper particula קדמי ut sensus sit, nec est voluntas coram me. Syrus interpres utitur voce ... quæ idem est ac Ebræorum עלה. In Arabico habetur فكر cogitavit & quidem in V. Conjug. ita ut sensus juxta Arabem hic sit. Et nunquam illud in corde meo cogitavi. Græcus ita habet & nunquam illud cognitum aut pensitatum est in corde meo. Satis accurate quoque vulgatus phrasin hanc hunc in modum transtulit, nec cogitavi in corde meo, & ita etiam B. Lutherus recte transtulit, Und hab es niemahls im Sinn genommen. Gallus dicit, & quod nunquam cogitavi. Expedita sic verborum analysi, duas quæstiones movebimus, quarum prima ventilabit, quidnam sit vallis Gehinnom, secunda utrum etiam in eadem vere combusserint filios suos Israelitæ.

QUÆST. I.

Qualis fuerit locus Gehinnom.

§. I.

PRimo notandum est quod Tophet & vallis Gehinnom sint prorsus unum idemque. Nam primo locus iste appellatus fuit Gehinnom vel etiam Geeben Hinnom, vallis filii Ennom, de quo utrum sit nomen proprium an vero appellativum, quod gratiam significat ad hanc vocem in analysi diximus. Qui vero iste Ennom s. Hinnom fuerit, & Scriptura Sancta & interpretes tacent, procul dubio Jebusæus quidam erat qui locum hunc possidebat, prout disserit Martinius in Lexico Philologico ad vocem Gehenna: *Dicitur vallis filii Hinnom, tanquam olim possessoris ut æstimatur*. Quia jam tum temporis Josuæ idem nomen vallis hæc obtinuit. Ita sentit Polus Commentario in h. l. quando inquit: *Topheth erat vallis prope Jerusalem, dicta etiam vallis Hinnom, locus erat amplus, ab Idololatris celebratus* &c. Deinde tempore Israelitarum sub Regibus Ahabo, Manasse, Tophet cognominatus est, quia in eodem Idolum Molech erectum est, cui vivos infantes obtulerant, eosque igne combusserant. Ne vero clamorem infantum prorsus miserabilem audirent parentes, Mystæ s. sacrificuli tympanis ludebant, & inde vocatur locus iste במת תפת Excellum s. Sacellum aut fanum tympanorum. B. Lutherus dicit: Ein Drommel-Hauß s. eine Drommel-Kirche. In Esaia vocatur תָּפְתֶּה ab eadem radice תפף יתוף.

Quod

Quod si vox Topheth strictius sumatur tunc non ipsam vallem præcise, sed locum istum excelsum in quo ipsum Idolum erectum erat, denotat. Ita enim Buxtorff. in Lexic. Bibl. pag. III. In ea scil. valle erat locus excelsus, cui תפת nomen, in quo Sacrificuli idololatræ immolabant liberos hominum Idolo Molech, traducendo eos per ignem, sive comburendo eos.

§. 2. Vocatur etiam vallis יהשפט Josaphat Joël. 3: vs. 1. ubi nonnulli per locum istum indigitari locum Judicii extremi statuunt. Ita enim Corn. à Lap. in Matth. 21. *Triumphans scribit, voluit (Christus) transire vallem, Josaphat, ut innueret, in eadem valle, se in die judicii peracturum tremendum omnium hominum judicium: ac sibi fideles ac obedientes cœlo, infideles vero & obedientes inferno adjudicaturum.* Cum vero vallis Josaphat minime sit adeo ampla, ut omnes omnino homines capere possit, adjungit illud Corn. à Lap. in 1 Thess. IV. *Campos ac loca vicina, qua inquit longissime protendi, ac adeo, si opus sit, complanari possint.* Sed hæc sententia nullo prorsus nititur fundamento, nec l. c. Josaphat est nomen proprium, prout LXX. vulgatus, Syrus & Arabs nec non B. Lutherus retinuerunt, sed appellativum, Josaphat enim significat judicium Domini, qua in sententia sunt Hieronymus in Joël. 3. B. Gerh. Tom. 8. loco de Extremo Jud. aliique. Ipse B. Lutherus noster, qui quamvis in versione Germanica illud ut nomen proprium reddiderit, in Comment. in Joëlem sententiam suam ita pronunciat: *Diserte dicit*, scil. Deus, *vocandas gentes in vallem ad Domini judicium, hoc enim significat vox Josaphat, quæ hoc loco non proprie, sed appellative significat./ vid. Tom. 4. Wittenberg.* Igitur minus recte Topheth vel Gehinnom vallis Josaphath cognominatur.

§. 3. Fuit autem locus amœnissimus ad radices montis Moria, deliciis populi Israëlitici dicatus, quem ita describit B. Hieronymus in cap. 10. Matth. Tom. 9. fol. m. 15. *Hæc vallis & parva campi planicies irrigua erat & nemorosa: plenaque deliciis, lucusque in ea idolo consecratus erat, in tantam autem dementiam populus Israël venerat, ut deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret, & rigorem religionis deliciæ vincerent, filiosque suos Dæmoniis incenderent, vel initiarent. Et appellabatur locus ille Gehennom, id est vallis filiorum Hennom. Hoc Regum volumen & Paralipomenon & Jeremias scribunt plenissime. Et comminatur Deus se locum ipsum impleturum cadaveribus mortuorum: ut nequaquam vocetur* בעל תפת *sed vocetur Polyandrium, id est, tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia & pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi sunt, hujus loci vocabulo denotantur. Duplicem autem esse Gehennam, nimirum ignis & frigoris in Job. scil. cap. 24. plenissime legimus.* Hæc ille. Vid. & in Comment. Jer. 7. Es. 20. Et in hac descriptione omnes omnino Interpretes acquiescunt. Vid. Flavius in Cl. Scripturæ S. in voce Gehenna, Martinus in Lexic. Philolog. Lyra in Jer. 7. docet, fuisse locum; qui Siloe fontibus irrigatur, amœnum atque nemorosum, & usque hodie hortorum præbere delicias, Seldenus de Diis Syris Syntag. 1 cap. 6. pag. m. 172.

§. 4. Postea in hoc loco idolum Molochi erexerunt, quia amœnitate loci allecti, videbantur quodammodo durissimum legis jugum, emollire. Primus quidem autor quantum ex Sacris literis constat, qui idolum Moloch erexit, fuit Salomon, dicitur enim 1 Reg. 11. quod coluerit idolum Milcom, & ædificaverit Excelsa Chanos, ut & Moloch Idolo Ammonitarum, quod tamen Deus gravissime prohibuerat. Lev. 18: 21. Sed utrum jam tempore Salomonis infantes suos combusserint, dubitamus, quia Scriptura S. hoc, eo tempore in Israëlitis non reprehendit. Hoc constat quod tempore Hoseæ Regis Israëlis maxime viguerit hoc peccatum. 2 Reg. 18. & tempore Manassis 2 Reg. 21.

§. 5. Tandem locus iste à piissimo Rege Judæ Josia pollutus est, 2 Reg. c. 23: vers. 15. projiciendo illuc cadavera, fimum, stercora ac omnes res immundas, ne amplius horrendæ isti idololatriæ consecratus esset, aut religiosus haberetur.

§. 6. Ab hoc itaque loco denominatus est tristissimus & horrendus suppliciorum æternorum locus, scil. Gehenna. *Nec dubium est* inquit Buxtorf. Lex. Bibl. pag. 112. *quin ista Gehennæ significatio tunc communis & vulgo nota fuerit, ut antiquissimi Judæorum libri, & inter eos Talmudici, testantur, in quibus legitur: Frenduit super eos Princeps Gehennæ dentibus, sunt Sanhedrin cap. 7. fol. 52. & in Nedarim cap. 4. fol 39. Septem res creatæ sunt ante creationem mundi, nempe Lex Mosaica & Pœnitentia, Paradisus & Gehenna, solium gloriæ & domus Sanctuarii & nomen Messiæ.* Ita etiam varia ex Rabbinorum commentis annotavit Raymundus in Pugione fidei f. 484. שאל *est unum ex septem nominibus Gehennæ. Dicitur enim Gehenna, puteus corruptionis, silentium, lutum fæcis, umbra mortis, & terra infima. Inferni spacium protenditur itinere ducentorum annorum, & sic quilibet locus de septem, ac sic inventum est iter totius Gehennæ, bis mille centum annorum.* Hæc ibi. Inde etiam Syrus interpres eandem vocem retinuit ܓܗܢܐ nec non Arabs جهنم inde Kirstenius in notis ad h. l. dicit vocem esse Arabicam, contrarium tamen demonstravimus in Analysi verborum ad hanc vocem. Chaldæus interpres sæpius eandem vocem adhibuit sic Psal. 49: vs. 11. 16. utique Deus redimet animam meam à Gehenna מן גהנם Psal. 50: 21. Esr. 2: 30. Esa. 33: 14. Ps. 56: 24. Psal. 125: 5. 1 Sam. 2: 3. & 9. Hæc de quæstione prima; jam paucis ad Secundum.

QUÆST. II.

An Judæi liberos suos vere combusserint?

§. 1. ANte omnia hic notandum erit, quale idolum fuerit, cur hæc sacra fiebant, & ut paucis nos expediamus, quia instituti nostri non est ex professo Thema hoc tractare, illud ita notamus. Fuit Moloch Idolum Ammonitarum, quod Syro etiam ܐܡܠܟܐ Arabice Emlaca vocatur, quod cultu & notione idem videtur esse cum Ἀδραμέλεχ & per Metathesin Syro ܐܕܪܡܠܟ & Arabice ادرملخ Ardamilech & Anamelech. Derivatur autem vox ab Ebræorum הלך ambulavit, quod nobis inde non probatur, quia prima radicalis ה non abjici, sed constanter retineri solet, melius forsan quis à radice ילך illud derivaret, quia ibidem י Schevatum abjici solet, & sic quemadmodum à ישב est מושב sessio, sic quoque esset ילך מולך, nos priorem derivationem ut optimam retinemus. Ath. Kirch. vocem Ægyptiacam esse putat, ut idem sit ac devastator, inde forsan, quia si minus placaretur, horrendis quidem sacrificiis Regiones vastare crederetur.

§. 2. Plurimi statuunt, per idolum istud scil. Moloch intelligi Saturnum, cui ejusmodi sacra habebantur. Ita enim narrat Philo Byblius, morem fuisse gentilibus illis, cum maxime calamitates belli, famis, pestis, metuerentur, ut *Regis filium, quem præ cæteris diligerent, pro sacrificio mactarent, ad placandam Numinis iram.* Docet idem Sophocles in Andromeda. Herodotus lib. 7. Lact. lib. 1. Instit. cap. 13. & 21. sic & Curtius lib. IV. cap. 3. de Tyriis dicit, quod sacrum multis seculis intermissum repetitur, cogitabant, ut puer ingenuus Saturno immolaretur, quod sacrilegium verius quam Sacrum Chartaginenses à conditoribus (Tyriis & Phœnicibus) usque ad excidium urbis suæ fecissent, ac nisi Seniores obstitissent, quorum consilio agebantur cuncta, humanitatem dira superstitio vicisset. Vid. & Just. lib. 18. cap. 6. Originem horrendi hujus sacrificii, ita Seldenus de Diis Syris pag. 188. deducit: scil. ex annalibus Phœnicum ex quibus Porphyrius apud Eusebium præparat. Evang. hoc excerpsit: *Nimirum Saturnum quem Phœnices Israël nuncupabant, Regem Phœniciæ vetustissimum, ut Regnum suum, à summi imminentis belli periculo liberaret, superosque propitios haberet, unicum quem ex Anobæta susceperat filium regio ornatum fastu, constructam super aram immolasse. Quod exemplum nefaria posteritas non intellectum secuta est. Mirum enim nisi ad Abrahamum & Isaacum filium respiciat commentum illud; hæc ille.*

§. 3. Fuit hoc Idolum Ammonitarum cujus templum apud eosdem Gebal, & in eo Simulachrum lapideum auro obductum & sellæ insidens: utrinque autem duo fœminea simulachra, etiam sedentia ante ipsum ara, in qua sacrificia & suffitus fiebant. vid. Martinus Lex. Philolog. in voce Melcom. Sed tale non erat Israëlitarum Topheth, de quo impræsentiarum agimus, hoc enim longe aliter describunt Sapientes Judæi, ita enim רדק inquit, הוא המלך ושהיה של נחשת ומסיקין אתו מתחתיו וידיו פשוטות וניסקורת נותנין את ילד על ידיו והוא נכוה ונוהם והכומרים מקישין בתפים שלא ישמע האב קול הבן ויכמרו רחמיו תופת על שם התוף הנוס על שם נחמש הבן: scil. fuisse idolum æreum & interius concavum, & intra cavitatem illam fiebat ignis fortis, & quando idolum erat ignitum ponebatur

batur puer qui offerebatur in manibus ejus, & tunc Sacerdotes percutiebant fortiter tympana, ne parentes pueri, audirent clamorem pueri & compaterentur, & ut crederent sine dolore corporis animas evolasse. Buxtorf. ex lib. Jalkut idolum hoc ita describit: *Etsi fuerint omnes domus idololatricæ in ipsa urbe Jerusalem, Moleci tamen fuit extra urbem in loco separato. Quomodo Molech erat factus? Imago erat* (ænea, R. Salom. Jerem. 7: 51.) *habens faciem vituli, manus expansas, instar hominis manus aperientis, ut ab alio aliquid accipiat, intrinsecus excavata. Septem ipsi exstructa fuere sacella, ante quæ imago ista fuerat collocata. Avem sive pullum columbinum offerens, primum sacellum ingrediebatur: Ovem aut agnum, secundum. Arietem tertium: vitulum quartum: Juvencum quintum: Bovem sextum: qui deinceps filium proprium offerret, septimum occupabat sacellum. Hic Molecum osculabatur, donec ignitus fieret instar lucis. Tunc sacrificuli acceptum infantem candentibus Moleci manibus indebant, ac ne parens ejulatum ac clamorem pueri audiret, tympana pulsarunt. vid.* Lexic. Biblic. pag. 111. & 112. vid. Lyra in h. l. B. Lutherus, quem vide ad vocem תפת in analysi, Excell. Pfeiff. Dub. vex. & alii.

§. 4. Huic itaque idolo concrematos fuisse liberos annuit textus noster qui adhibet radicem שרף quæ idem ac combussit significat. Sic Levit. 4: 21. de sacrificio expiatorio usurpatur שרף את הפר & ושרף אתו על עצים Lev. 5: 17. cap. 15: 11. Jesai. 11: 9. 13. ubi de combustione curruum item civitatum usurpatur. Jerem. 39: 5. Psalm. 74: 7. nec aliam per totam Scripturam S. significationem obtinet, quam comburendi, exurendi, incendendi. Itaque ex phrasi hac Prophetæ sufficienter constat eosdem vere fuisse combustos. Accedunt & huc luculenta Rabbinorum testimonia. Ita enim R. David Kimchi in h. l. inquit: במצוה שיקריבו בנים לקרבן ולא דברתי לאחד מן הנביאים ומשר ברתי אברהם לשחוט את בנו לא עלתה על לבי שישחוט אלא להוריע צדקו: id est: *Quod offerunt filios in oblationem. id non locutus sum ad unum ex Prophetis scil. ut id faciant, & quod dixi ad Abrahamum ut mactaret filium suum, non venit mihi in mentem ut revera id faceret, sed ut cognoscerem justitiam & integritatem ejus.* Hæc ille. Sic etiam Rabbi Bechai Levit. 18. scribit: Parentes persuasos fuisse reliquos liberos hoc sacrificio à morte ereptos iri, seque tota vita futuros prosperrimos. Eundem ferme in modum רשי in h. l. commentatur, qui tamen alio in loco idem negat, quod scil. toti combusti fuerint. Nam ita Nachmanides de iisdem docet: ודעת הרשי ז"ל והר"מבם ז"ל שלא היה שורפו אלא העבודה היה להעבירו לבד ומכיון שהעבירו כמו שהיה דרכם להעביר חייב ודעת הרמבן ז"ל שהיה מעבירו בלהב עד שנשמתו יוצאת וראיותיו בפירוש חומש שעשה: id est, volunt autem: *Rabbi Salomon Jarchi & R. Moses filius Majmon quod illum (Pater) non combusserit, sed quod cultus in hoc constiterit ut traduceret eum tantum; Moses filius Nachman statuit, quod per ignis flammam tam diu deduxerit, usque dum egressa fuerit anima ejus. Rationes extant in Comment. Pentateuch. quæ adornavit.*

§. 5. Accedit porro quod in Scripturis vox זבח significat, sacrificium, quod omnino occisione animalium & combustione fiebat, hoc autem vocabulum extat Psalm. 106. ubi David idem idololatriæ genus exaggerat. Inquit enim ibidem ויזבחו את־בניהם ואת בנותיהם לשדים B. Lutherus ita reddidit: **Sie opfferten ihre Söhne den Teuffeln/** ubi itaque proprie radix זבח adhibetur.

§. 6. Propheta Ezechiel, qui idem sacrificium abominandum, pro more suo vehementissime exaggerat, mentionem sanguinis effusi injicit, verba ipsius cap. 16: 36. ita habent וכדמי בניך אשר נתתי להם B. Lutheri versio ita habet: **Und vergeussest das Blut deiner Kinder / welche du ihnen opfferst.** Ergo fuit sacrificium proprie dictum ubi sanguis effundebatur. vid. cap. 23: 39. Consentit hic nobiscum B. Glassius Philolog. S. p. m. 879. item Flacius in Clav. Script. in voce Gehenna. Sic etiam B. Calovius in Bibl. Illustr. in Deut. cap. 18. dicit Phrases illas אכיל מעביר & זבח idem significare, idque probat ex Ezech. 23: 37, 38, 39. vs. 37. dicitur העבירו להם לאכלה B. Lutherus reddidit, **sie verbrandten sie denselbigen zum Opffer** & ובשחטם את־בניהם לגלו ליהם B. Lutherus ita habet: **denn da sie ihre Kinder den Götzen geschlachtet hatten** atque apertissime loco nostro dicitur, quod combusti fuerint. Ex quibus comparet, inquit B. Calovius Cananæos & eorum vicinos solicitos morti dare liberos suos in honorem Deorum suorum. Ita Sepharræos in honorem Adramelechi & Hanamelechi liberos suos igne comburendos dedisse testatur historia 2. Reg. 17: 31. Idem testatur Amos. 5: 26. collatus cum Actor. 5: 48. Levit. 18: 21. Sic quoque Judæus Benjamin testatur in maris Insula quam Chenaragan vocant, etiam in Creta Insula plurimis Phœnicum coloniis ejusmodi sacrificia in usu fuisse. Sic Rex Moabitarum, filium primogenitum in holocaustum obtulit 2. Reg. 16: 3. In Talmud dicitur Matrem inunxisse filium oleo Salamandrio, ita ut ignis ipsi nocere non potuerit, vid. Hieronymum Tom. 5. opif. fol. 132.

§. 7. Sunt autem alii vicissim qui negant quod liberi prorsus combusti fuerint, sed tantum per ignem februati, qui potissimum ad Phrasin Scripturæ sæpius usitatam provocant, ubi adhibetur עבר Hiphil, unde talis sensus manat: & transire fecit באש per ignem. Hoc affirmat etiam R. Majmon. lib. עכום cap. 6. §. 5. Ita etiam illud describit Martinius Lex. Philolog. in voce Melchom. Pater *Filium tradebat Sacerdotibus, qui faciebant duos rogos magnos & inter hos puerum nudis pedibus incedentem traducebant. Et quidam moriebantur, quidam superstites manebant, ac putabant*, si Pater unum ex *filiis traduceret*, reliquos fore salvos, ac Patrem in omnibus felicem. Quod & testatur R. Levi Barselonius qui in hunc modum scribit: *Falsi Flamines Patri prolis spondebant beneficio oblati filii, reliquum ejus semen prospere habiturum, quocunque se verteret, adeoque domi suæ locum habiturum benedictionem & prosperitatem. Utque dolus facilius succederet, nullam initio fixerunt legem, nisi illi, cui præter semen datum, aliud superesset, ne obsequium detrectarent, sive comburendus fuerit plane filius, sive tantum traducendus juxta quosdam interpretes, per flammam ut & certos eos redderent benedictionis & prosperitatis in reliquis, sicque his blanditiis commodius simplices pellicerent. Acclamasse scil. Sacerdotes Patri sacrificanti.* Utile erit ibi.

§. 8. Inde alii Autores dissentientes ita conciliant; utrumque scil. modum in usu fuisse, ita ut quidam, igne tantum februati fuerint, alii vero penitus combusti; vid. Annotat. in Syntag. Seldeni de Diis Syris pag. 249. ubi simul citatur Vossius uterque, quæ sententia cum & testes habeat Rabbinos, admitti potest, modo non prorsus negetur contra autoritatem Scripturæ S. quod nunquam combusti fuerint. In quibus tandem acquiescimus, cum non fuerit nobis animus ex professo de Idololatria Molochi agere.

SOLI DEO GLORIA.

M. THEOD.

M. THEOD. DASSOVII
DISSERTATIO
De Rabbinismo Philologiæ sacræ ancillante ad Jer. XXIII: 5, 6.

PARS I.

בשם משיח צדקנו:

§. 1.

RAbbinismum Philologiæ sacræ ancillari in explicandis dictis V. T. præcipue εἰς τὸ παραζηλῶσαι τοὺς Ἰουδαίους demonstrare impræsentiarum aggredimur, ut ex umbra hac exili de totius corporis elegantia judicari facilius possit. Inprimis itaque, quod caput nostri instituti est, id dabitur, opera, ut quæcunque dicentur, ipsis Rabbinorum verbis confirmata & dilucidata appareant. Faxit Jehova feliciter!

§. 2. Vaticinium ergo nostrum Jeremiæ Prophetæ cap. 23. com. 5. & 6. ita sonat: הנה ימים באים נאם יהוה והקימותי לדוד צמח צדיק ומלך מלך והשכיל ועשה משפט וצדקה בארץ: בימיו תושע יהודה וישראל ישכון לבטח וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו:

§. 3. הנה *Ecce.* Particulam hanc adhiberi h. l. ad denotandum rem miram & novam esse, de qua dicturus erat propheta, dici commode potest, (vid. *Glass. phil. sacr. p.* 713.) inprimis cum etiam emphasis aliarum vocum id velit, de qua in seqq. Præterea tamen hic præmitti illam particulam ad significandum vaticinium hoc futurum esse dici debet; maxime cum *R. Abarb.* scribat in Es. 7: 13. denotare rem, de qua sermo est, fieri debere extemplo, inquiens: האחד שמאמר הנה מורה על הדבר הנעשה מיד בהווה כמו והנה דבר ה' אליו לאמר לא יירשך זה הנה זה בא הנה אל ישועתי אבטח וג'ו לפי שלשון הנה מגזרת הנני ואיך יאמר הכתוב הנה העלמה וג'ו על מה שיהיה לאחרית הימים והיה ראוי שיאמר והיה באחרית הימים וכיוצא מהלשונות האלה שהם לעתות רחוקות: s. Primum est (argumentum contra Christianos) quod vox הנה doceat rem, quæ fit extemplo, in præsenti, sicut dicitur: Ecce autem sermonem Jehovæ ad illum (Abrahamum) dicendo: iste non erit tuus heres (Gen. 15: 4.) Ecce illum (dilectum meum) advenit. (Cant. 2: 8.) Ecce Deus in salutem meam, confidam (Es. 12: 2.) &c. Nam vox הנה derivatur ab הנני, quomodo autem diceret scriptura: Ecce virgo &c. (Es. 7: 13.) de eo, quod futurum erat demum in extremo dierum; tum enim debuisset dicere: & erit in extremo dierum, vel aliam adhibere phrasin tempora futura indicantem. Sed R. *Abarbaneli* si הנה significat tempus præsens addi solet particula זה ut docet *R. Sal. P. Mel. in Michl. Joph.* in 1 Reg. 19: 5. ad verba: והנה זה מלאך scribens: אלא יבאו שניהם למהירות הזמנת הענין כלומר תכף שישן בא אליו המלאך וכו': s. adhibentur duæ istæ voces (הנה זה) ut innuatur subito rem evenisse, ac si dixisset statim, ex quo obdormiverat (Elias) venit ad eum Angelus &c. Præterea vox הנה eo modo ut hic ap. Jer. constructa manifeste designat futurum tempus. Ita dicitur, ut maneamus in propheta nostro. Jerem. 16: vs. 14. הנה ימים באים נאם י"י ולא יאמר עוד חי י"י וג'ו ubi denotatur futurum tempus *juxta Kimchium in h. l.* scribentem: וזה יהיה לימות המשיח בקבוץ גליות: s. hoc eveniet temporibus Messiæ, cum congregabuntur captivæ multitudines. Ita legitur Jer. 30: 3. כי הנה ימים באים נאם י"י ושבתי את שבות עמי quæ sunt *juxta Kimch.* דברים שעתידין לבא באחרית הימים res eventuræ in extremo dierum. Ita Jer. 31: 31. הנה ימים באים נאם י"י וכרתי את בית ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה וג'ו ubi iterum *juxta Kimch.* כל הפרשה עתידה tota sectio est futura. Ita denique Jer. 33: 14. הנה ימים באים נאם י"י והקימותי את הדבר הטוב אשר דברתי ubi iterum *juxta Kimch.* agitur de futuro. Imo ipse *Abarbanel* in prophet. f. 121. c. 3. l. 15. à f. explicat hunc nostrum locum על הגאולה העתידה de redemptione futura; quomodo E. הנה significabit tempus præsens. Quando autem futurum tempus designat vox הנה intelligitur non è propinquo, sed longinquo futurum. Unde recte explicatur per formulam באחרית הימים, quæ contra quosdam Judæos de ימים קרובים accipientes tempus longinquum notat, suffragante *Kimchio* in Es. 41: 23. his verbis: כי בתחלה אמר הבאות לעתיד שלא בזמן רחוק מאד ואחר כך אמר הגידו האותיות לאחור ר"ל באחרית הימים אם תעשו זה s. Nam initio dicit (propheta) הבאות de futuro tempore non adeo longinquo, postmodum autem dicit: הגידו האותיות לאחור vult dicere in extremo dierum, cum facietis hoc.

§. 4. ימים *Dies.* Dies apud Hebræos sumitur pro tempore secundum *R. B. Melech. in M. J.* ad Gen. 25: 33. ad vocem כיום scribentem: כלומר העת הזאת כי יאמר יום על העת s. q. d. hoc tempore; nam dicitur dies de tempore. Cum quo facit *Kimchi* in Es. 47: 9. annotans: ופרוש ביום בעת כמו יום צעקתי בלילה נגדך die i. e. tempore sicut dicitur: die clamo & nocte coram Te (Ps. 88. vs. 2.) Speciatim vox יום de tempore Messiæ accipitur nonnunquam. Unde *Kimch.* in Es. 26: 1. ad voces ביום ההוא ait: כל זה בזמן הישועה Omne hoc intelligitur de tempore salutis. Et in Es. 27: 13. והיה ביום ההוא בזמן הישועה Erit die illo i. e. tempore salutis. Et in Es. 30: 26. cum dixisset ביום כמו בעת die i. e. tempore, subjungit וכן כל ביום ההוא שאומר על עתידה & ita omne ביום ההוא, quod de futuro intelligitur. Ita etiam pluralis ימים explicatur de tempore Messiæ, ceu ex locis ad vocem הנה adductis videre est. Et quidem in h. l. Jeremiæ de tempore Messiæ explicatur à *Kimchio*, dum ille in Es. 27: 6. commentatur: הבאים כלומר הימים הבאים והוא זמן הישועה כמו הנה ימים באים נאם י"י והקימותי לדוד צמח צדיק וג'ו Venientibus i. e. diebus venientibus, per quos intelligitur tempus salutis, sicut dicitur: Ecce dies veniunt, dicit Jehova, & excitabo Davidi germen justum &c. Unde Rabbini frequentissime in suis commentariis vocant tempus Messiæ ימות המשיח.

§. 5. באים *venientes.* Participium ponitur pro futuro (alias etiam pro præsenti ponitur) *Glass.* p. 676. per ellipsin verbi יהיו ut Deut. 2: 4. אתם עוברים sc. תהיו & Es. 19: 7. אשר הוא יועץ עליו sc. יהיה & alibi sæpius. Id autem h. l. obtinere patet ex dictis ad voc. הנה, inprimis ex eo, quod *Kimchius* dicit ad Jer. 30: 3. ubi phrasin הנה ימים באים explicat de futuro pro באחרית הימים quæ formula loquendi occurrit Gen. 49: 1. Es. 21. &c. & à Rabbinis dicitur notare tempora Messiæ, juxta illud. *R. Ab. Esr.* in Hos. 3: 4. Et Abarb. in Es. 2: 2. וכן כתב הרמב"ן בפרשת ויחי יעקב שכל מקום שנאמר בו באחרית הימים הוא לימות המשיח Ita scribit *R. Mos. Bar Nachman* in sectione ויחי יעקב (Gen. 47: 28.) quod ubicunque dicitur in extremo dierum, intelligantur dies Messiæ. Conf. *Kimch.* ad Es. 2: 1. & *Abarb.* in Es. l. c. fol. 7. col. 3. inquientem: ואין כפק שיכוון לימות המשיח כי הם אחרית ימי הצער והגלות לישראל כי לא יצטערו עוד בגלות אחר אבל יהיו נושעים תשועת עולמים Non est dubium intendisse (prophetam) dies Messiæ, qui erunt extremum sive finis angustiæ & exilii Israëlis; non enim affligentur amplius exilio alio, sed salvabuntur salute æterna. Vid. etiam *R. B. Mel. in M. J.* in eund. l. Es.

§. 6. נאם

§. 6. נאם יהוה *dictum Jehovæ.* Formula frequens in prophetis. נאם nomen est vel participium passivum constructum, ut ait *R. Sal. in M. J.* in Psalm. 36: 2. h. m. שם ענינו מאמר ואפשר שהוא פעול סמוך Est nomen significans sermonem, potest etiam esse Pahul constructum. Adhibetur autem ad confirmandam vaticinii futuri veritatem. De nomine autem Tetragram. dicetur inferius.

§. 7. והקימתי *& suscitabo.* Præteritum loco futuri cum Vau conversivo, quod ordinarie præterito præfigitur per Scheva ut Exod. 12: 33. ועבר, propter literam autem gutturalem accipit Patach ut Esai. 19: 16. ועבדתם &c. Id quod in Prophetiis frequens est, juxta illud *R. David Kimchi* in Es. 42: 16. ad voc. עבר במקום עתיד: עשיתים וכמוהו רבים ובדברי הנביאה ברוב העתידות כאלו נעשו: Præteritum est loco futuri, cujusmodi exempla multa sunt, & plerumque in prophetiis futura dicuntur, quasi jam facta sint. Conf. idem in Bibl. Rabb. Buxtorf. f. 494. pag. 2. lib. 10. à part. ult. & fol. 495. pag. 2. lib. 2. à f. Cujus rei dat rationem hanc *R. Salom. Ben Melech in M. J.* fol. 154. col. 1. ad Mich. 7: 8. כי מה שאמר האל יתברך שיהיה הוא קים כאלו היה quoniam, quod Deus benedictus futurum dicit, illud ita confirmat acsi jam factum esset. Adhibetur autem in textu vox הקימותי ad indicandum, hunc suscitandum esse prophetam illum promissum Deuteron. 18: 15. נביא מקרבך מאחיך כמוני יקים לך י"י וגו' ubi ipse *Baal Turim* agnoscit prophetam extraordinarium & cæteris longe majorem inquiens: הפסוק מתחיל ומסיים בנון לומר שידע נ' שערי בינה ויש בו י' תיבות לומר שתשמע לו כמו לעשרת הדברות fol. 271. Versiculus incipit & desinit in Nun, quo innuitur, quod scire debeat 50 portas sciendi; sunt etiam in eo 10. voces, quibus innuitur, quod auditurus sis eum instar 10. præceptorum. Tum & vocabulum hoc de suscitatione veri & fidelis sacerdotis usurpatur 1. Sam. 2: 35. Præterea hic respicitur ad virum illum, qui dicitur הקם על משיח אלהי יעקב 2. Sam. 23: 1. quod explicat *Kimchi* הקם עליון ומלך constitutus ὑψίστῳ & Rex. Suscitatio itaque intelligitur in prophetam, sacerdotem & regem, & simul innuitur, non futurum hunc suscitandum successorem in regno terreno, sed spirituali, quia simul erat futurus sacerdos & propheta. Posset etiam dici suscitationem hanc futuram miraculosam, sicut de tali suscitatione verbum hoc adhibetur Judic. 3: 9, 10. & 11. ut & futuram ex familia Davidis abjecta jam & obfuscata, sicut hoc verbum significat erigere jacentem & infirmum 1. Sam. 2: 8. ut & certissime futuram, quemadmodum etiam significat stabilire & confirmare Genes. 9: 9. Esai. 44: 26.

§. 8. לדוד *Davidi.* i. e. ex posteritate Davidis, ut legitur apud Jeremiam nostrum cap. 22: 30. איש יושב על כסא דוד Erat enim futurus Messias בר דוד *juxta Chaldæum* in versione Hos. 3: 5. dicentem וישתמעו למשיחא בר דוד מלכיהון & obedient Messiæ filio David regi suo. Unde etiam *in Sanh. f.* 89. p. 1. à Talmudistis septies appellatur בן דוד. Huc collimat *Kimchi* in Ezechiel. 37: 25. annotans: המלך המשיח יקרא שמו דוד ולפי שיהיה מזרע דוד קראו דוד Rex Messias appellatur David, quia erat oriundus ex semine David, hinc (propheta) vocat illum David. Conf. id. in Esai. 55: 3. Et *R. Jacob. Abend. in spicil. ad M. I.* ad Mich. 5: 1. ait: וזה מלך המשיח כי מזרע דוד שיהיה מבית לחם יהודה Hic est rex Messias, quoniam ex semine Davidis Bethlechemo oriundo nasciturus erat. Rationem cur ex familia Davidis nasciturus erat, dat *R. Abarban. f.* 27. col. 1. in prophet. h. m. והיה זה לפי שיעקב אבינו נתן המלכות והממשלה באומה אל שבט יהודה כמו שאמר לא יסור שבט מבית יהודה ומכל משפחות בית יהודה בחר בדוד ויעדו שכסאו יהיה נצחי לעד ומפני זה יתחייב שיהיה המושיע מזרעו של דוד ולא מזרע אחר Erit hoc, quia Jacob pater noster regnum & dominium in populos attribuit tribui Jehudæ, dum dicit: (Genes. 49: 10.) non recedet sceptrum à domo Jehudæ. Ex omnibus autem familiis domus Jehudæ elegit (Deus) Davidem, cui promisit, solium ejus futurum æternum; Propterea sequitur, Salvatorem oriundum ex semine David, non ex semine alio. Dum autem in textu promittitur Messias Davidis familiæ, simul promittitur toti Tzioni & Israëli. Erat enim David עקר ראש ממלכת ציון pincipale caput regni Tzionis *juxta Kimch.* in Es. cap. 33: 15.

§. 9. צמח *Germen.* Per hoc Germen intelligitur Messias. Unde *Chaldæus* transtulit ואקים לדוד משיחא צדיקא & suscitabo Davidi Messiam justum. Et *Judæi in quotidianis precibus* Messiam Germen appellant, quando dicunt: צמח דוד עבדך מהרה תצמיח וקרנו תרום בישועתך כי לישועתך קוינו כל היום ב"אי מצמיח קרן ישועה: Germen Davidis servi tui cito fac progerminet, & cornu ejus exalta salute tua (Psalm. 112: 9.) Hanc enim exspectamus quotidie (Genes. 49: 18.) In terra Israël fac progerminet cornu salutis. Tribuitur Messiæ hoc nomen etiam aliis in locis. Ita appellatur צמח י"י Esai. 4: 2. quem locum ad nostrum Jeremiæ cap. 23. ita applicat *Kimchi* ibid. scrib. ופירוש צמח ה' משיח בן דוד כמו שני והקימותי לדוד צמח צדיק Per germen Jehovæ intelligitur Messias filius David, sicut dicitur: & suscitabo Davidi germen justum. Ita vocatur צמח צדקה Jerem. cap. 33: 15. ubi addit *Kimchi* זהו מלך המשיח hic est rex Messias. Ita dicitur מביא את עבדי צמח Zacch. 3: 8. in quem locum scribit *Kimchi* ויש מפרשים צמח זה המלך המשיח אמר א"עפי שזאת הישועה אני מביא לכם עוד אביא לכם ישועה גדולה ממנה בזמן שאביא את עבדי צמח Sunt qui explicant germen hoc de rege Messia. Dicit (Propheta) quamvis hanc salutem allaturus sim vobis, afferam tamen adhuc vobis salutem majorem, tempore quo adducam servum meum Germen. Quem locum *R. Jonathan* etiam transfert de Messia. Ita איש צמח שמו Zacch. cap. 6: 12. qui locus explicatur in *Echa Rabbeti edit. Ambstelod. f.* 68. col. 2. & 3. ubi quæritur מה שמו של מלך המשיח quomodo vocatur Rex Messias? Et paulo post respondetur: ר' יהושע בן לוי אמר צמח שמו שנאמר הנה איש צמח שמו ומתחתיו יצמח: *R. Josua Ben* Levi dixit: Germen appellatur, quia dicitur: ecce virum, cujus nomen est Germen, qui è loco suo germinabit. Imo *in Rabboth edit. Ambstelod. fol.* 26. *col.* 4. *lib.* 7. *à f.* cum loco nostro Jeremiæ confertur h. m. הנה איש צמח שמו וגו' זה משיח ואומר והקימותי לדוד צמח צדיק וגו' Ecce virum cujus nomen est Germen &c. Hic est Messias, de quo dicitur: & suscitabo Davidi Germen justum &c. Est autem in illo Epitheto emphasis singularis. Ostenditur enim hac voce 1. hanc suscitationem Messiæ fore plane novam, quemadmodum germen de novo exit è terra. Unde etiam verbum הצמיח significat idem quod התחדש innovare, sicut pulchre hanc in rem scribit *R. Sal. Ben Mel. in M. I.* fol. 102. cap. 4. ad vocem על דרך משל וכן אצמיח קרן לדוד אצמיח: תצמחנה קרן לבית ישראל כי הדבר החדש הוא כמו הצמח שיתחדש ויתגלה על פני הארץ אחר הסתרו וכן תהיה תשועת ישראל: Per metaphoram intelligitur. Ita dicitur efficaciam ut germinet cornu Davidis (Psalm. 132: 17.) efficiam ut germinet cornu domui Israëlis (Ezechiel. 29: 21.) Nam res nova se habet instar germinis, quod innovatur & revelatur super terram, posteaquam latuerat. Ita etiam erit salus Israëlis. Atque sic huc pertinent omnia illa scripturæ loca, in quibus tempus Messiæ per aliquid novi describitur, v. g. quando dicitur futurum esse שיר חדש Esai. 42: 10. quod explicat *Kimchi* per עת גאולת ישראל tempus redemptionis Israëlis; it. שם חדש f. אחר ut *Kimchi* Es. 62: vs. 2. it. ברית חדשה Jer. 31: 31. de quo *Kimchi* וכל פרשה עתידה tota sectio futura est, ubi & *Abarb. in Maschmia Jeschua* גאולה sive redemptionem intelligit. Ostenditur hac voce 2. nativitatem Messiæ se habituram instar germinis, vel teneræ plantæ è terra succrescentis. Unde *Kimchi in h. l.* inquit: זהו המשיח וקראו צמח שיהיה צאתו בעולם כצאת צמח השדה שהיא רבבה Hic est rex Messias. Vocat autem (propheta) nomen ejus germen, quia egressus ejus in mundum se habiturus erat ut egressus germinis agri, quod in multitudinem excrescit. Cui consonat illud *Abarb. in h. l.* כי יהיה יציאתו במלכות כיציאת צמח השדה מתחת לארץ Erit enim egressus ejus in Regnum, sicut egressus germinis agrestis è terra. Qui *Abarbanel* egregie huc applicat locum Es. 11: 1. inquiens: והו על דרך מה שאמר ישעיהו ויצא חוטר מגזע ישי וגו' Hoc dicitur juxta illud Esaiæ: Et egredietur virga ex succiso trunco Isai. Nam לזה יעד כבאן במלך המשיח שהוא הנצר היוצא משרש ישי propterea promittit hic (propheta) regem Messiam, qui est surculus ille egrediens ex radice Isai. Qui locus de Messia etiam explicatur in *Bereschit Ketanna & Rabba ad Genes.* 49: 8. *Medrasch Till. ad Ps.* 72: 1. *Lipman. in Nizachon, in Talmud. Hieros. Massechet Berachot, cap. Haja Haccore, Rabbi Aben Esra, Jarch. Kimch. Arama, Chaldæo in h. l.* & alibi passim. 3. Quod si ex Gematria aliquid velimus nectere, dici posset voce צמח respici ad omnia loca scripturæ, in quibus Messias dicitur Consolator. f. מנחם. Nam מנחם est per Gematriam צמח, cum utraque vox faciat 138. fatente *Abarb. in Zacch.* 3: 8. *f.* 284. & *f.* 684. *cap.* 1. *l.* 6. *à f.* & *R. D. Kimchi in Zacch.* 3: 8. Itaque Messias intelligitur per germen hoc non autem Zerobabel, vel alius, cum in nullum alium attributa sapientiæ & justitiæ quadrent, de quibus in seqq.

§. 10. צדיק *Justum.* Quod est epitheton Messiæ, juxta *R. Menasse in Concil. in Zacch. p.* 189. Adjectivum postponitur substantivo pro more Hebr. juxta *Rabbi B. Melech in M. I. f.* 15. *c.* 4. *f.* 36. *c.* 4. Unde etiam idem loca ubi contrarium obtinet per הפוך f. μετάθεσιν esse explicanda docet in Hab. 2: 5. ad vocem עבטיט, scribens: ומכלל הפוך כמו טיט עב וכן כל רבים עמים עמים רבים בירקרק חרוץ כמו בחרוץ ירקרק ורבים כמוהם In *Michlol* (scribitur) esse μετάθεσιν, ac si dixisset (propheta) lutum densum. Ita dicitur, omnes multi populi i. e. populi multi (Ps. 89: 51.) fulvo

fulvo auro i. e. auro fulvo, cujuſmodi exempla multa ſunt. Conf. *ib. fol.* 15. *col.* 2. Tribuitur hoc epitheton Meſſiæ etiam aliis in locis, & quidem cum ſubſtantivo צמח in Jerem. 33: 15. ubi vocatur צמח צדקה de quo §. præced. vel ſine eo. Ita legitur Eſai. 42: 6. אני ה׳ קראתיך בצדק quod *Kimchi*, *Chaldæus*, & alii de Meſſia accipiunt. Ita Eſai. 53: 11. יצדיק צדיק עבדי לרבים, de quo loco *R. Alſchech.* inquit: באחד קיימו וקבלו כי לע מלך המשיח ידבר ואחריהם ז״ל נמשך: Unanimiter tradunt & confirmant (Rabbini) de Rege Meſſia ſermonem eſſe, quos ſequemur p. m. Conf. *Abarb. in h. l. Eſai. Raſchi in Sanhedr. f.* 98. *p.* 2. *Aben Eſra in Eſai.* 52. *&c.* Ita Malach. cap. 4: 2. vocatur שמש צדקה, de quo loco ſcribitur in *Rabboth edit. Amſtelodam. f.* 149. *col.* 1. *med.* א״ל לאו אלא עד בא השמש עד שיבא משיח שני וזרחה לכם יראי שמי שמש צדקה, dixerunt ei, non, niſi dum venerit ſol i. e. dum venerit Meſſias, ſicut dicitur: & orietur vobis timentibus nomen meum ſol juſtitiæ. Vocatur autem Meſſias juſtus 1. ob juſtitiam activam ſ. על ידי הנהגתו במשפט וצדקה ut loquitur *R. Alſchech in Jer. fol.* 98. *col.* 2. Erat enim futurus Meſſias למישור Zacch. cap. 4: 7. ſ. *juxta Abarb. in h. l.* מישר את כל העמים ומדריכם במעגלי צדק rectificans omnes populos, & deducens eos in ſemitis juſtitiæ. Erat futurus קדוש מכל ישראל קדוש קדשים ſanctus omnium Iſraëlitarum, ſanctus ſanctorum, ut ſcribit idem in Daniel. 8: 13. מזהיר בעם ומוכיחם *juxta Kimchi in Eſ.* 55: 4. monens populos & redarguens. Erat futurus המורה לצדקה Joël. 2: 23. in quem loc. *id. Abarb.* והוא מלך המשיח שיורה את הדרך אשר ילכו בה ואת המעשה אשר יעשון Hic eſt Rex Meſſias, qui docebit viam, in qua ibunt, & opus quod facient. Erat futurus ille מורה de quo Eſai. 2: 3. ויורנו מדרכיו ונלכה בארחתיו ubi addit *Kimchi*: המורה הוא מלך המשיח Doctor iſte eſt rex Meſſias. Debebat eſſe κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν ſ. נבדל ונפרש מכלל תאוות הנשמיותי ut iterum *Abarb. in Proph. f.* 27. *cap.* 2. *circa fin.* 2. ob juſtitiam paſſivam. Debebat enim exprobrari juxta Pſalm. 89: verſ. 52. ut eſt in *Medraſch Till. ad Pſal.* 18. tergum ſuum dare percutientibus Eſai. 50: 6. quem locum confert cum Eſai. 53: 11. & ſic de Meſſia explicat *R. Aben Eſra* exclamare præ doloribus יבש כחרש כחי Pſ. 22: 16. quod intelligitur de המשיח צדקי in *Peſikta* in h. l. Debebat eſſe שחוק ולעג באומות riſus & ſubſannatio populorum, ut impleretur Pſ. 22. v. nonus, & שבכל יום ויום היו מחרקין שיניהם ומרמזין בעיניהם ומנענין בראשיהם ומפטירין בשפתותיהם שנאמר כל רואי ילעיגו לי יפטירו בשפה יניעו ראש וכל הטזמור ut quotidie acuerent dentes ſuos, & nictarent oculis ſuis, & moverent capita ſua, & dilatarent labia ſua, ſicut dicitur, omnes, qui vident me, ſubſannant me, dilatant labium, movent caput, quo pertinet totus Pſalmus; quæ egregie de Meſſia ita leguntur *in Jalc. in cap.* 60. *Eſai.* Debebat morbos & dolores noſtros portare Eſai. 53: 4. *juxta Medraſch Ruth fol.* 34. *col.* 3. ſicut de doloribus Meſſiæ poſſunt etiam conferri *Rabbi Macir in Aſc. Rochel l.* 1. *part.* 2. *Jonathan Ben Uſiel in h. l. R. Joſe in Siphre Sanhedrin cap. Col. Iſrael.* & *R. Alſchech in Eſ.* 3: 13. Quos dolores, cum ex violata lege emanarent, nullus hominum portare poterat, juxta illud in *Zohar in Exod. fol.* 95. *col.* 3. *l.* 8. *à f.* בגנתא דעדן אית היכלא חדא דאקרי היכלא דבני מרעין כדין משיח עאל בההוא היכלא וקארי כל מרעין כל כאבין כל יסוריהון דישראל ייתון וכלהו אתיין עליה ואלמלא דאיהו אקיל מעלייהו דישי ונטיל עליה לא הוי בר נש דיכיל למסבל ייסוריהון דישראל על עונשי דאורייתא ההדי אכן חליינו הוא נשא וגו׳ In horto Eden eſt locus aliquis, qui vocatur locus ægrotorum. Poſteaquam Meſſias ingreſſus eſt in illum locum, & exclamavit: omnes morbi, omnes dolores, omnes pœnæ Iſraël veniant, tum omnes venerunt ſuper eum. Niſi enim ille levaſſet iis Iſraëlem, & ſibi impoſuiſſet, non potuiſſet homo ullus portare afflictiones Iſraël, ob pœnas legis. Hoc eſt quod dicitur: profecto morbos noſtros portavit &c. (Eſ. 53: vſ. 4.) Debebat enim tollere החטא הקדמוני שממנה נכנסה מיתה peccatum antiquum, unde mors enata eſt, juxta *R. Salomo in Neſe Schalom l.* 9. *c.* 5. *&* 8. & hinc mori, cum peccati remiſſio non ſit ſine ſanguine, ceu dicitur in *Joma cap.* 1. Debebat tollere איבת הנחש הנגזרת בימי בראשית עם האדם inimicitiam ſerpentis cum homine definitam tempore creationis, *juxta Kimchium in Eſai. fol.* 456. *p.* 1. *l.* 3. *à fine*, & *Targ. Hieroſol. in Geneſ.* 3. qui ſerpens erat שטן Satanas ut ſcribit *Aben Eſr. in Geneſ.* 3. 1. Opus E. erat להיותו אמצעי אל שנשיג צדק מהשם ut per illum tanquam mediatorem juſtitiam à Deo nanciſceremur, *juxta R. Albo Iccar. ſer.* 2. *cap.* 28. ut eſſet pro nobis כפרה ſ. λύτρον, שכפר ut expiaret *juxta Jalcuth*, ubi *Eſai.* 53: 12. voces והוא חטא רבים נשא per כפר explicantur, & juſti pronunciaremur per juſtitiam vicariam, ſecundum illud *Rabbi Alſchech in Jerem. fol.* 91. *cap.* 1. *&* 2. כי הצדיקים יאמרו לו הנה אנו על שאנו צדיקים שם ה׳ נקרא עלינו אך גדול שמך משמינו כי מה שאנו צדיקים אתה הוא צדקנו כי על ידך אנו מושפעים שפע ליקרא צדיקים ואם כן כל זכות הקרא אנו בשם ה׳ הוא בסיבתך כי אתה צדקנו: Juſti enim dicent illi (Meſſiæ): Ecce nos; eo quod juſti ſumus, vocatur nomen Dei ſuper nos. Sed majus eſt nomen tuum nomine noſtro. Quod enim nos juſti ſumus, fit quia tu es juſtitia noſtra, quia per Te ſuperabundanter collatum nobis eſt, ut vocemur juſti. Propterea omne meritum, quo vocamur nomine Dei à te eſt ceu cauſa, quoniam Tu es juſtitia noſtra. Noſtra enim juſtitia immunda eſt, quemadmodum teſtatur *Kimchi in Eſai.* 64: 5. ſcribens: כמו בגד עדים שהוא נמאס כן כל צדקותינו אפילו הצדקות שאנו עושים אינם רצויות אלא נמאסות כי אין אנחנו עושים אותם אלא להתפאר בהם ולהתגדל ולקנאת איש מרעהו ſicut pannus menſtruatus, qui ſpretus eſt, ita ſe habent omnes juſtitiæ noſtræ; Etiam juſtitiæ, quas nos facimus, non ſunt acceptæ ſed ſpretæ, quia non facimus eas, niſi ut gloriemur de iis, & extollamus nos, & invideamus alter alteri.

§. 11. ומלך מלך *Et regnabit Rex.* Iterum præteritum pro futuro cum Vau converſ. ut ſup. מלך notat proprie eum, qui habet regnum cum corona, ſeu coronatum regem, & eo ipſo differt ab אלוף. Hinc ſcribit *R. Ben Melech in Michlal Joph. in Geneſ.* 36. *fol.* 13. *col.* 2. ואמרו רבותינו ז״ל כל אלוף מלכותא בלא תגא כלומר אינו חסר מהיותו מלך אלא הכתר כי מלך יקרא כשהוא מוכתר ואלוף שאינו מוכתר Dicunt Rabbini noſtri p. m. Omnis Alluph habet regnum ſine corona, acſi dicerent, nil ei deeſt, quo minus ſit Rex, niſi corona. Nam Melech vocatur, quando eſt coronatus, Alluph autem qui non eſt coronatus. Jam vero eo modo Meſſias rex eſt, ſicut innumeris in locis à Rabbinis מלך המשיח ſalutatur. Unde in *Medraſch Till. edit. Venet. fol.* 9. *col.* 3. *l.* 19. *à fine* legitur: מלך בשר ודם אין לובשין עטרה שלו והק״בה נתנה למלך המשיח שנאמר תשית לראשו עטרת פז Regi humano non imponunt coronam ejus (Dei), Deus autem benedictus imponit eam Regi Meſſiæ, quia dicitur, impones capiti ejus coronam auri purgatiſſimi (Pſ. 21: 4.) Et *R. Joſeph fil. R. Ab. Jechija in Pſ.* 133. *f.* 57. *col.* 4. *lib.* 9. *à f.* ſcribit: כי לעיל אמר שעליו משיח צדקנו יציץ נזרו וכתרו מהמלכות Nam ſupra dixerat (Pſalmiſta) quod facturus ſit (Deus) ut efflorescat ſuper Meſſiam, qui eſt juſtitia noſtra, diadema ſuum & corona regia. (Pſ. 132: 18.) Poterit E. voce מלך ad duo reſpici in nativitate Meſſiæ ſc. quod 1. in carne aſſumpta coronari debuerit, juxta illud Canticor. 3: 11. צאינה וראינה בנות ציון במלך שלמה בעטרה שעטרה לו אמו ביום חתנתו וביום שמחת לבו: de quo loco *vid. Medraſch Schir Haſch.* Quo pertinet quod de *R. Simeone Ben Jochai in Geneſ.* traditur, dixiſſe illum miſericordiam Dei (ita vocatur Meſſias in *Sanhedr. cap. Cheleck*) corpus aſſumpturum in utero mulieris, & coronatum iri in perpetuum in regem antiquum antiquorum. Coronanda autem erat humanitas gloria ſ. corona divina, ut habent verba *in Medraſch Till. cit.* 2. quod naſci ex ſtirpe regia debuerit. Nam מלך debet eſſe è ſtirpe regia, alias non eſt proprie מלך. Et ſic ſimul familia Davidis innuitur. Dicit enim *Joſeph Ben Gorion l.* 6. *c.* 61. *fol.* 77. *p.* 2. *col.* 4. *ed. Cracov.* לא נאה למלוך ביהודה אלא מזרע יהודה מאב ומאם ומן הפרתמים אשר מזרע המלוכה Non convenit, ut aliquis in Judam regnet, niſi ſit ex ſemine Judæ ratione patris & matris, & procerum, qui ſint ex ſemine regis. Et *Abarbanel* inquit in *loc. noſtr. Jer.* הנה בענין המלכות הודיע שיהיה מבית דוד וזרעו ימלוך על כלם Ecce quod ad regnum attinet, indicat (Propheta) futurum (Meſſiam) ex familia Davidis, & ſemen ejus regnaturum ſuper omnes. Hæc de voce מלך. Emphaſis porro ſingularis eſt, dum nomen poſtponitur verbo, quod fit ad confirmandam rem magis. Huc facit illud *R. Ben Melech in M. I. in Eſai.* 59: 17. ad verba וילבש בגדי נקם תלבשת ubi ait: שם כמו מלבוש ואמר השם אחר הפועל לחזק הענין כמו ויצם דוד צום קצף י״י על אבותיכם קצף ומעלה מעל וטבוח טבח והדומים להם: Eſt nomen, & idem eſt ac מלבוש (veſtis). Adhibetur autem nomen poſt verbum ad confirmandam rem, ſicut dicitur: & jejunavit David jejunium (2. Sam. 12: 6.) iratus eſt Deus patribus veſtris iracundia (Zacch. 1: 2.) prævaricabitur prævaricatione (Levit. 6: 2.) macta mactationem (Geneſ. 43: 16.) & alibi. Conf. *Glaſſ. Phil. l.* 3. *tr.* 3. *can.* 32. *&* *Buxtorff. theſ. p.* 475. *ſeqq.* Regulam hanc ad locum præſentem Jeremiæ applicat *R. David Kimchi*, & alia ſimul exempla adjungit inquiens: אמר הכפל לחזק הפעולה כי בזכור הפעולה השם נזכר עמה ובזכור אחריה השם הוא לחזק כמו למען בציע בצע מהמטיר עליו מטר כל בוגדי בגד וכן ומלך מלך Loquitur Propheta duplo, ut confirmet verbum (regnare.) Nam dum verbi meminit, nomen memoratur ſimul; quando autem ei poſtponit nomen, fit ad confirmandum, ſicut dicitur: prædando prædam (Ezech. cap. 22: 27.) ne pluant pluviam (Eſai. 5: 6.) Omnes prævaricantes prævaricationem (Jer. 12: 1.) & ita (hic) & regnabit

rex,

Rex. Indicatur autem hac emphasi h. in l. Messiam fore Regem per totum orbem, & æternum. Hinc statim addit *Kimchi*, quando pergit: כי באמרו מלך ידענו שהוא מלך ובהוסיפו מלך הא לחזק המלכות שתהיה מלכותו בכל הארץ לא בישראל לבד כמו שאמר עליו ומשלו מים עד ים ומן נהר עד אפסי ארץ Nam dum dicit (Propheta) regnabit, novimus futurum regem (Messiam), dum autem addit: Rex, fit ad confirmandum regnum, ut futurum sit regnum ejus in totam terram, non in Israëlem tantum, quemadmodum de eo dicitur: & dominatus ejus erit à mari ad mare, & à fluvio ad fines terræ (Zacch. 9:10.) Hinc etiam dicitur de Messia (Dan. 7: vers. 13.) וליה יהיב שלטן ויקר ומלכו וגו׳ quod explicat de משיח צדקנו *R. Saadia Gaon in h. l.* ita: שיתן לו שלטנות ומלכות ככתוב ואני נסכתי מלכי וכתוב ויתן עוז למלכו וירם קרן משיחו ולא תסור מלכותו ולא תשחת עדי נצח נצחים: quod daturus sit ei (Deus) dominium & regnum, sicut scriptum est: Et ego unxi regem meum (Ps. 2:6.) & scriptum est: & dabit fortitudinem regi suo, & extollet cornu uncti sui (1 Sam. 2:10.) neque desinet regnum ejus, neque corrumpetur usque in omnes æternitates. Quæ verba repetit *ad vers.* 27. dum ait: מלכותו של מלך המשיח מלכות עולם וממשלתו עם דור ודור regnum regis Messiæ æternum erit, & dominium ejus in omnem generationem. Idem confirmatur à *R. Joseph Ben Don Aben Jechija in h. l. Daniel*, qui ita commentatur: ואליו ינתן הממשלה והכבוד והמלכות וכל העמים ואומות ולשונות אליו יעבדו וממשלתו ממשלת עולם אשר לא תסור כראשונים ומלכותו לא חוזק והוא משיח צדקנו אשר יגיע לפני ה׳ Et ei dabatur dominium & gloria & regnum, ut omnes populi, nationes, & linguæ ei servirent; dominium ejus est dominium æternum, quod non desinet priorum instar, nec diffluet. Hic autem est Messias justitia nostra, qui appropinquavit ad Deum. Consentit denique *R. Abarb. in Zacch. f.* 284. *p.* 2. *l.* 12. *à f.* scribens: ייעוד מלך המשיח נאמר בשם זרובבל וכו׳ רוצה לומר מי אתה מלך המשיח שאתה הר הגדול לפני זרובבל כלומר שבערכו ולפניו תהיה אתה הר הגדול כי זרובבל היה פחת יהודה וזה יהיה מלך על כל מלכי האדמה promissio regis Messiæ dicitur nomine Serubabelis &c. Vult dicere: qualis es rex Messia? qui mons magnus es coram Serubabel, q. d. quod in comparatione & respectu ejus futurus sis mons magnus. Nam Serubabel fuit dux Judæ, hic autem erit rex omnium regum terræ.

§. 12. והשכיל & *prosperabitur.* Iterum præteritum loco futuri ut sup. Verbum השכיל significat proprie intellexit, intelligentiam adhibuit, consideravit, attendit ad rem. Ex qua significatione fluit altera, quando significat secundatus, prosperatus est. Audiamus *R. B. Melech in M. I. fol.* 64. *col.* 4. ita disserentem: כל אשר הם תחת השרש הזה הם ענין אחד שהוא השכל והבינה ולשון שכל קרוב לענין השגחה ועיון שנשתמשו בזה רז״ל כאמרם הסתכל בשלשה דברים כלומר הבט ועיין ולפי שהאיש המצליח יבאו כל דרכיו בתבונה כאלו נעשו בשכלו ובדעתו אף על פי שמזדמנים אצלו זולת דעתו ושכלו יקרא משכיל Omnia, quæ sub radice hac continentur, idem significant, intellectum sc. & intelligentiam. Vox autem שכל prope accedit ad significationem providendi, in qua adhibetur à Rabbinis nostris p. m. quando dicunt: הסתכל בשלשה דברים (prospice de tribus) q. d. intuere & considera. Quia autem homini secunda fortuna utenti omnia succedunt sapienter, est acsi omnia fierent intellectu & scientia ejus; quamvis eveniant ei præter scientiam & intellectum ejus, vocatur tamen intelligens sive משכיל. *R. Jachiad. in Dan.* 1. 17. verbum hoc ita explicat, ut distinguat inter השכל המעשי & השכל העיוני scribens: כי נתן להם האלהים מדע מהשכל המעשי בכל ספר והשכל מהשכל העיוני בכל חכמה Nam dederat eis (Danieli & sociis) Deus prudentiam, quæ erat intellectus practici, eamque in scriptis quibusvis, & intelligentiam, quæ ad intellectum Theoreticum pertinebat, eamque in quavis sapientia. Quem duplicem intellectum ad Messiam applicat, & in loco Es. 11:2. proponi de Messia docet *R. Abarbanel in prophet. fol.* 27: *pag*: 1. *col.* 2. inquiens: כי הוא כהשתלם בשכל העיוני ישתלם גם כן בתבונה המעשית והוא אומרו רוח חכמה ובינה רוצה לומר שיהיה כולל בחכמה העיונית ובמעשית יחד Sicut enim excellet (Messias, ut præcedit,) intellectu speculativo, similiter excellet intellectu practico. Hoc est quod dicit (Propheta) de spiritu sapientiæ & intelligentiæ, vult dicere, quod simul excellere debeat sapientia speculativa & prudentia practica. Speciatim hunc locum Esaiæ 11. ad nostrum Jerem. 23. applicat idem *Abarb. ibid. fol.* 121. *c.* 4. his verbis: וכ״שא ישעיהו ונחה עליו רוח ה׳ רוח חכמה ובינה כן אמר ירמיהו ומלך מלך והשכיל Quemadmodum dixit Esaias: & quiescet super eum Spiritus Dei, spiritus sapientiæ & intelligentiæ; Ita dicit Jeremias: & regnabit rex & sapientiæ erit. Atque sic huc pertinent aliquot versiculi ex Prov. c. 8. de substantiali sapientia Dei agentes, v. g. vs. 1. הלא חכמה תקרא ותבונה וגו׳ vs. 11. אני חכמה שכנתי vs. 14. אני בינה לי גבורה Inprimis vox בינה attendi debet, cum cujus verbo (בון) alias etiam verbum השכיל construitur v. g. Dan. 11: 33. ומשכילי עם יבינו & c. 12. 10. והמשכילים יבינו Si ex *Kabalistis* Judæos velimus convincere, addi posset חכמה ובינה esse duas Sephiros, sed per Sephiros s. באמצעותם נברא העולם creatus est mundus, ceu legitur in *Taame Mizuos in præfatione.* Quo posset alludi iterum ad Prov. 8. & quidem vs. 26. בהכינו שמים שם אני & vs. 30. ואהיה אצלו אמון. Quemadmodum alia multa in voce בינה latent mysteria, quæ de בן יה s. filio Dei intelligi possunt, nunc autem prætereuntur. Atque sic verbum השכיל significat intelligentiam adhibuit. Significat etiam deinde, *prosperatus est*, quæ significatio ex priori fluit, ut dictum est. Et quidem h. l. etiam commode per *prosperabitur*, redditur, ut simul respiciatur ad loc. Es. 53. vers. 10. וחפץ ה׳ בידו יצלח & loc. Psal. 45: 5. והדרך צלח רכב על דבר אמת. Et Germanice redditur à *B. Luthero* eleganter: der wohl regieren wird. Quæ translatio confirmatur ex *Ralbag in Proverb.* 8: 14. dicente quod בינה (quæ vox præcipue notatur in verbo השכיל) sit השגת הפילוסופיא המדינית אשר בה יתחדש חבנין באלו הדברים המדיניים איך ינהגו בהם להעמיד הקבוץ המדיני וכו׳ scientiæ politicæ apprehensio, per quam formetur structura s. corpus aliquod in rebus politicis, quomodo gubernari debeant, ut stabiliatur res publica &c. Et sic loco Jeremiæ respicietur simul ad Proverb. 8: 15. & 16. בי מלכים ימלכו וגו׳ Ista autem omnia, quæ ad locum nostrum Jeremiæ, ad vocem השכיל dicta sunt, dici etiam possunt ad locum parallelum Esai. 53: 1. הנה ישכיל עבדי ירום ונשא וגבה מאד quod ישכיל de Messia exponitur *in Tanchuma edit. Mant. f.* 14. *c.* 4. *l.* 14. *in fine Paraschæ*; *Pesicta Zotartha edit. Venet. fol.* 58. *Jalcuth edit. Cracov. fol.* 53. *c.* 3. *l.* 7. *à f. Numer.* 338. & *fol.* 85. *col.* 2. *l.* 8. *Num.* 571. & alibi.

Finitur Disputatio Prima.

תהלה למשיח צדקנו

PARS ALTERA.

בשם משיח צדקנו:

§. 13. ועשה *Et faciet.* Iterum præteritum ponitur pro futuro, cum Vau convers. Verbum עשה significat non solum facere, sed & præterea docere v. g. 1 Sam. 12: 6. י״י אשר עשה את משה & Es. 44: 2. כה אמר י״י עשך Conf. *R. Sal. B. Mel. in M. I. f.* 103. *col.* 2. Significat etiam parare, acquirere multis in Scripturæ locis. Atque sic dicitur h. l. Messiam non solum edocturum esse justitiam, ut prophetam, sed & facturum justitiam (sc. legalem i. e. impleturum legem, pro nobis tamen, ut supra ex *R. Alschech* & *Kimchio* dictum ad §. 10. in f.) ut sacerdotem, imo & acquisiturum (sc. per dolores & mortem, ut supr.) justitiam nostram coram Deo. Si ad combinationem vocum משפט וצדקה respicitur, עשה significat facere magis, quam docere &c.

§. 14. משפט וצדקה *jus & justitiam.* Quod attinet 1. ad vocem משפט, ea non sine causa adhibetur, ut innuatur huc pertinere omnia illa dicta, in quibus משפט & שפט de Messia dicuntur. Tale dictum est Es. 2: 4. ושפט בין הגוים והוכיח לעמים רבים, ubi addit *R. Kimchi* השופט הוא מלך המשיח judex est R. Messias. Cui consonat illud *R. Abarbanelis* in h. l. חשבו המפרשים שהשופט והמוכיח יהיה מלך המשיח Putant interpretes, quod judex & redarguens futurus sit Rex Messias. Vid. *fol.* 7. *p.* 2. *col.* 2. Tale dictum est Es. 9: 6. (כסא דוד) להכין אותה ולסעדה במשפט ובצדקה, ubi explicat *Chaldæus* vers. præced. משיחא דשלמא יסגי עלנא ביומוהי de Messia, cujus tempore pax super nos crescet. Et in *Devarim Rabba f.* 196. *col.* 3. scribitur: אמר לו הק״בה עד עכשיו יש לי להעמיד מלך המשיח שכתיב כי ילד ילד לנו dicit ei Deus benedictus: modo constituturus sum regem Messiam, de quo scriptum est: Nam puer natus est nobis. Conf. *R. Jose Galilæus in Thren.* 1: 16. *Beresch. Rabba in Gen.* 1: *vers.* 44. *R. Haccadosch in Gala Rasaja cit. Galat. l.* 3. *de A. C. V. c.* 19. Tale est Es. 11: vers. 4. ושפט בצדק דלים והוכיח במישור לענוי ארץ, quod explicatur de Messia in *Jalcuth edit. Cracov. fol.* 85. *col.* 2. *l.* 8. *Num.* 571. *Livorn. fol.* 139. *col.* 1. *l.* 11. *Num. eod.* & *Tanchuma edit. Mant. fol.* 14. *col.* 4. *l.* 14. *in f. Paraschæ* ואלה תולדות, & ad locum nostrum Jeremiæ applicatur à *Rabb. Abarb. fol.* 121. *col.* 4. *in Jer.* ita: וכ״מש ישעיהו ושפט בצדק דלים וכו׳ כן אמר ירמיהו ועשה משפט וצדקה בארץ Quemadmodum dixit Esaias: & judicabit in justitia tenues &c. Ita dixit Jeremias: & faciet

faciet

faciet jus & justitiam in terra. Nam juxta eundem *R. Abarb. in Esai. 53. fol. 78. col. 4. lib. 4. à f.* משיח בן דוד יהיה בידו העוצר והמשפט In manu regis Messiæ filii David erit coarctatio & jus. Tale est Esai. 42: 1. ומשפט לגוים יוציא quod interpretatur de Messia *R. Abarban. in prophet. f. 27. col. 3. l. 7. à f.* Tale est ibid. vers. 3. לאמת יוציא משפט, quod explicat *R. Ben Melech in M. I. f. 102. col. 3.* ופירוש לא יכהה ולא יחלש ולא ישבר כלומר לא יתרפה מלעשות המשפט ולפי שאמר קנה רצוץ וגו ידמה כי יהיה רפה וחלש ולא יעשה המשפט לפיכך אמר לאמת יוציא משפט ולא יתרשל ולא יחלש בדבר המשפט עד ישים בארץ משפט Verba ista: non fumigabit, non debilis erit, non franget, hoc volunt: q. d. non remissus erit, quo minus faciat jus. Quia autem dixerat de arundine quassata &c. videbatur futurum eum remissum & infirmum, ut non faceret jus; Propterea dicit (Propheta) revera proferet judicium, neque segnis vel infirmus erit in judicio (i. e. non lente cum eo aget) usque dum posuerit in terra jus. Tale est ibid. vs. 4. עד ישים בארץ משפט quod & *R. Ben Melech l. c.* explicat de Messia, & una *R. Abarban. fol. 27. col. 3. lib. 6. à f. in prophet.* Ut transeamus ad Prophetas alios, pertinet huc dictum Ezech. cap. 21: 32. עד בא אשר לו המשפט, ubi addit *R. Abarb. f. 185. col. 4. l. 14. in prophet.* שהוא מלך המשיח qui est Rex Messias. Ut & dictum Mich. 4: 3. ושפט בין עמים רבים והוכיח לגוים עצמים וגו' ubi addit *R. Salomon in M. I.* השופט' והוא מלך המשיח judex (judicabit), qui est Rex Messias. Denique etiam dictum Mich. 5: 2. ממך לי יצא (שופט) להיות מושל בישראל ubi addunt *R. Abendana in spicil. ad M. I. & R. Kimchi* והוא מלך המשיח, hic est Rex Messias. Atque ita harmoniam cum aliis dictis vidimus. משפט autem significat decretum, statutum, & dispositionem vel rationem, sive est ענין החק ותדת ותכונה, ut loquitur *R. Salomon in M. I. f. 67. 2. it. f. 101. 4.* Hac ratione convenit Messiæ, dum ille quæ Deus constituerat & promulgarat hominibus servanda, pro iis implevit. Nam etiam voces משפט & משפטים pro lege & statutis Dei in Psal. 119. frequentissime usurpantur, & sic respiceretur ad §. 10. sup. Quod attinet 2. ad vocem צדקה, ea etiam in aliis locis sup. adductis, Messiæ tribuitur. Habet autem varias acceptiones, quæ videri possunt *ap. Coccej. in Sanh. & Macc. p. 132.* Communiter Rabbini per eam bonum opus intelligunt. Ita *R. Aben Esra* scribit in Proverb. 1: 3. צדק כולל עבודת אלהים וכל מעשה טוב Tzedeck complectitur omnem Dei cultum, & omne bonum opus. *R. Levi Ben Gersom in eundem locum* vult significare יושר אם בדעות אם במדות, rectitudinem in sententiis & mensuris. *R. D. Kimchi in Bibl. Buxt. fol. 503. p. 1. l. 8. à f.* ait: והצדקה היא לתת לעני ולהלוות וגמילות החסדים ותקון המדות בין לעניים בין לעשירים Tzedaca est, dare pauperi, mutuare, retribuere bonum, & observare mensuram inter pauperes & divites. Si itaque significat justitiam legalem, illa competit Messiæ, qui legem implere debebat, nostri tamen causa, juxta dicta Rabb. §. 10. cit. Cum autem justitiæ etiam faciant mentionem Rabbini, de doloribus & morte Messiæ agentes; hinc passivam non excludere eos patet, de qua itidem dictum §. 10. Quod attinet 3. ad combinationem harum duarum vocum, in illa observante *Schindlero in Lexic. in vocem* צדקה משפט, de sontium coërcitione, צדקה de justorum defensione accipi solet. Et hæc acceptio inprimis videtur esse hujus loci, maxime si repetere hic præcedentia nolimus. Accedit, quod communiter Rabbini de Messia משפט & שפט ita explicent, ut hoc §. audivimus; & quod ipsa etiam vis vocis id velit explicante *R. D. Kimchio in Bibl. Rabb. Buxt. f. 503. p. 1. l. 8. à f.* h. m. והמשפט הוא לשפוט בין שני בעלי ריב להצדיק הצדיק ולהרשיע הרשע בדינו Mischpath est, quando quis judicat inter duos in foro litigantes, ut justum pronunciet, s. absolvat justum, & condemnet reum. Imo facit huc, quod ipsa præterea vox צדקה significet תקון המדות, ut dictum est. Itaque phrasis ista ad Messiam ita applicabitur, ut dicatur eum judicaturum hostes Ecclesiæ suæ, ut pios absolvat, impios condemnet, & contra eos vere credentes defendat, sicut passim in locis ad vocem משפט allegatis ipsi Theologi explicant. Neque obstat, phrasin hanc in ista combinatione etiam de hominibus ψιλοῖς usurpari, v. g. dici 2. Sam. 8: 15. ויהי דוד עשה משפט וצדקה לכל עמו, qui locus fuse explicatur in *Sanhedr. in dine Mammonoth cap. 1.* Vid. *Coccej. l. c. p. 129.* Cum quo loco conf. 1. Reg. 10: 9. 1. Paral. 18: 14. Nam ℞. quemadmodum τὸ regnare dicitur alias etiam de rege terreno, intelligitur nihilominus tamen spiritualiter de Messia: ita etiam τὸ facere jus & justitiam.

§. 15. בארץ in terra. *R. Abendana in spicileg. ad M. J. fol. 2. col. 1.* ita hanc vocem explicat: הארץ נאמר בכלל על כל זה המציאות השפל ובפרט על הארץ היסודית וכאשר יזכר עם השמים נאמר בכללות על כל היסודות ומה שתחת השמים Vox ארץ dicitur in genere de omni ente inferiore, in specie autem de terra elementari; quando autem conjungitur cum cœlo, dicitur in genere de omnibus elementis, & omni, quod sub cœlo est. Differt à תבל, quia תבל כולל כל ארצות הישוב ארץ כולל המדבר והישוב Tevel complectitur omnem terram habitatam, Eretz habitatam & desertam, quæ verba sunt *Rabbi Ben Melech in M. I. f. 2. col. 4.* Est 2. hæc vox generis masc. & fœm. ceu patet ex exemplis à *R. Ben Melech in M. I. f. 99. col. 3.* adductis. 3. De radice ejus disceptant. Audiatur iterum *Rabbi Abend. l. c.* Ita autem pergit: והמדקדקים כתבו שנקראת ארץ מלשון רוץ לפי שהגלגל רץ וסובב אותה והאלף נוסף ואבן כספי בשורשיו אמר שהוא משרש רצץ מלשון עשוק ורצוץ ונקראו כל היסודות ארץ מפני שהם דחוקים בתוך הגלגל רוצצים ומתפוצצים ומתערבים זה בזה בתנועותיהם Grammatici describunt ארץ descendere à verbo רוץ (currere), quia sphæra currat, & circumagat eam (terram), Aleph autem esse paragogicum. *Aben Caspi* vero in suis radicibus scribit esse à rad. רצץ (quassare) ex significatione loci עשוק ורצוץ (oppressus & quassatus. Deuter. 28: 33.) vocari autem ita omnia elementa terræ, quia coarctentur in globo, (terreno), conquassentur, & dispergantur, atque sibi invicem immisceantur in suis motibus. Sed cum hæ explicationes videantur longius petitæ, potius dicitur radicem esse Arabicam ארץ depressus fuit, quia terra sua gravitate in centro in respectu ad sphæram cœlestem deprimitur. 4. Hoc autem loco ארץ significat totum terrarum ambitum, indicaturque quod quaquaversum Messiæ prædicatio personare debeat juxta illud Ps. 19: 5. בכל הארץ יצא קום וגו' Ponitur autem terra pro incolis, cum sensus sit ad homines referendus, trito Hebraismo. Vid. *R. Ben Melech in M. I. f. 15. col. 4.* 5. Scribitur cum Kametz sub ב ad indicandum ה emphaticum exclusum *Schick. hor. reg. 90.* Cumque ה emphaticum alias vocetur הא הידיעה He notificationis, quod indicet דבר ידוע rem notam vel certam, sicut ita interpretantur *R. Ben Melech in M. I. f. 106. col. 1. & 108. col. 2. & R. D. Kimchi in Bibl. Buxt. f. 497. p. 2. l. ultima* dici posset etiam h. l. adhiberi illud ה ad innuendum Messiæ judicium & justitiam fore in hac terra, in qua vivimus, non exspectandam esse tempore Messiæ terram novam, qualem quidam Rabbini in Esai. 65: 18. & cap. 66: 22. somniant.

§. 16. בימיו תושע in diebus ejus salvabitur. Dies rursus ponuntur pro tempore ut supra, quemadmodum etiam in loco parall. Jer. 33: 15. dies pro עת ab ipso propheta explicantur. Litera ש habet - pro ·· juxta *Schick. hor. reg. 138.* Ponitur non sine causa fœmininum genus, ut infra dicetur. Verbum הושיע significat salvavit, salvum fecit. Hoc loco autem emphatice adhibetur, ut indicetur 1. Messiam hunc esse illum, qui aliquoties in V. T. sub dulcissimo nomine ישועה prædictus fuit. In Mose legitur Genes. 49: 18. לישועתך קויתי י"י quod transfert *Chaldæus* לפורקנך סבֵרית י"י redemptorem tuum exspecto Domine, ubi etiam *R. Aben Esra* largitur Caph in voce לישועתך esse referendum לנכח משיח בנו ad Messiam filium ejus (Davidis). E. *Targum Hierosolymitanum* egregie hunc locum ita παραφράζει: אמר אבונן יעקב לא לפורקניה דגדעון בר יואש סכירת נפשי דהיא שעה ולא לפורקניה דשמשון דהוא פורקן עביר אלא לפורקנא דאמרת במימרך למיתי לעמך בני ישראל ליה לפורקנך סכירת נפשי Dixit pater noster Jacob, non exspectat anima mea redemptionem Gideonis, filii Joasch, quæ temporaria, neque redemptionem Simsonis, qui redemptionem fecit; sed redemptionem, de qua dixisti in verbo tuo, quæ futura est populo tuo, filiis Israël, illam redemptionem tuam exspectat anima mea. In propheta Esaia, qui scripsit ספר ישועות (uti ejus liber appellatur in carmine ei adjecto *in Bibl. Rabb. Buxt. f. 510. p. 2.*) legitur cap. 12: 2, 3. הנה אל ישועתי אבטח ולא אפחד כי עזי וזמרת יה יהוה ויהי לי לישועה: ושאבתם מים בששון ממעיני הישועה, ubi *Chaldæus* dicit inter alia: ותקבלון אולפן חדת & accipietis doctrinam novam; id quod ad Euangelium applicari potest. Ibid. cap. 25: 9. legitur: הנה אלהינו זה קוינו לו ויושיענו זה יהוה קוינו לו נגילה ונשמחה בישועתו, quem locum *R. D. Kimchi* cum versibus sequentibus de תשועה per Messiam accipit, & *R. Abarban.* de גאולה, quod idem est. In Psalmis, & quidem Ps. 14: 7. legitur: מי יתן מציון ישועת ישראל, ubi *Chaldæus* vocem ישועה reddidit per פורקנא redemptionem, & *Raschi* לעתיד s. de futuro explicat. In Psal. 119: vs. 166. repetitur locus Genes. 49: 18. לישועתך שברתי י"י, & transfertur à *Chaldæo* eodem modo ut locus Geneseos. Alia dicta huc pertinentia brevitatis amore prætereuntur. Sufficit constare satis nomen ישועה de Messia in V. T. reperiri, de quo libellum ante seculum & quod excurrit conscripsit Judæus conversus *Elchanan Pauli.* Neque hoc Rabbinis ipsis videbitur inconveniens, cum passim ipsimet tempus Messiæ vocent זמן הישועה vel עת הישועה, vel simpliciter ישועה.

Prima locutio extat in *R. Kimchi in Bibl. Buxt. f.* 468. *p.* 1. *l.* 5. *à f. f.* 504. *p.* 2. *l.* 5. *part. med. f.* 506. *p.* 1. *l. ult. &c. R. Ben Mel. in M. I. f.* 108. *col.* 3. *lin.* 7. &c. Secunda itidem in *Kimchi l. c. f.* 506. *p.* 1. *l.* 1. *part. ult. &c.* Tertia in *eod. f.* 499. *p.* 2. *l.* 8. *à f. fol.* 503. *p.* 1. *l.* 9. *in part. med. fol.* 504. *p.* 1. *l.* 3. *init. R. Abarb. in proph. f.* 78. *col.* 3. *lin.* 19. *& col.* 4. *l.* 22. *à f. &c.* Imo in *Machsor edit. Prag. part.* 1. *f.* 51. *col.* 1. *f.* 71. *col.* 1. *f.* 106. *col.* 2. *& alibi passim* Messias ישועה appellatur hac loquendi formula: אבינו מלכנו הצמח לנו ישועה בקרוב Pater noster, Rex noster fac nobis germinet Jeschua brevi; quam formulam alias Judæi in precibus ita exprimere solent: צמח דוד עבדך מהרה תצמיח וכו׳ per צמח intelligentes Messiam, ut dictum §. 9. Quod majus est, ipse *R. Abarbanel in prophet. in Es.* 7. *f.* 20. *p.* 1. *col.* 2. *& in Es.* 53. *f.* 78. *p.* 2. *col.* 2. ut & *autor Tzemach cit. Hoornb. in Teschuf.at. Jehuda f.* 213. Jesum nostrum Nazarenum aliquoties hoc nomine appellitant, quamvis ה omittant, quod tamen nil obstat. Nam & sine ה de hominibus ceu nomen proprium adhibetur, v. g. Esr. 2: 2. 2 Paral. 31: 15. & significatio salvandi per He non tollitur, cum potius sit in litera ע, ceu patet ex voce ישע, quæ sine He tamen salutem significat. Etiam vox ישועה in salutis significatione à Rabb. scribitur sine ה. Ita *Saadias in Seph. Æmunoth f.* 36. *col.* 2. facit mentionem ימי הישוע. 1. עת הישוע & *Mos. de Trana in Beth. Eloh. f.* 117. *col.* 1. Imo *Elias in Tisbi* in voce ישו aperte fatetur, quod alii Judæi propterea ע omittant, ne nostrum Jesum Nazarenum pro Salvatore agnoscere videantur; Quo pertinet illud in precatiuncula עלינו, ubi dicunt de Christianis ומתפללים ללא ישוע adorant (Christiani) eum, qui non est Jeschua f. Salvator, alludentes ad nomen Jesu, & Hebræam vocem ישוע. Adhibetur 2. h. l. verbum הושיע, ut indicetur loca reliqua scripturæ, de Messia agentia, in quibus verbum hoc occurrit, itidem ad nomen ישועה respicere, & optime cum nostro loco conferri posse. Talis est locus Es. 63: 1. אני מדבר בצדקה ורב להושיע, quem ad Messiam applicat *R. Abarb. in proph. f.* 79. *col.* 2. inquiens: שיהיה המשיח פורה ומצליח רב להושיע, Messiam futurum redemptorem & secundatum iri, (futurum) magnum ad salvandum. Talis est cap. eod. vs. 9. ומלאך פניו הושיעם, de quo scribit eleganter *R. Moses Bar Nachman in Exod.* 3. ונאמר ומלאך פניו הושיעם כלומר מלאך שהוא פניו כדכתיב והניחותי לך והוא שנאמר לו ופתאם יבא אל היכלו האדון אשר אתם מבקשים ומלאך הברית אשר אתם חפצים בו f. & dicitur: angelus faciei salvavit illos, q. d. angelus, qui est ipsa facies ejus (Dei), sicut scriptum est: (Exod. 33: 14) facies meæ ibunt, ut quietem dem Tibi; & de quo dicitur (Mal. 3: 1.) & subito veniet ad templum suum dominus, quem vos quæritis, & angelus fœderis, quo vos delectamini. Huc pertinet locus Zacch. 9: 9. הנה מלכך יבא לך צדיק ונושע, de quo in *Baal Turim in Exod.* 22: 10. איירי במשיח accipiendum esse de Messia; Et in *Sanhedrin. cap. Cheleck. f.* 99. *p.* 1. *l.* 14. 15. *in Gem.* dicit *R. Joseph.* ואלו זכריה קא מתנבי בבית שני ואמר גילי מאד בת ציון וכו׳, at Zaccharias vaticinatus est (de Messia, de quo in præced. ibid.) in domo secunda, & dixit: exulta valde filia Tzion &c. Conf. *Jalcuth Chadasch f.* 10. *col.* 4. *Num.* 3. *edit. Lubl. & f.* 8. *col.* 4. *ed. Amstel.* ubi simul ad משיח צדקנו alluditur; *R. D. Kimchi in h. l.*; *R. Abarb. in h. l.* qui ait, regem hic illum intelligi שהוא חוטר מגזע ישי, qui sit surculus ex trunco Isai *fol.* 290. *p.* 1. *col.* 1. *lin.* 2. Et *l.* 28. *in part. med.* inquit: לא תהיה תשועתו בגבורי הסוס ולא בשוקי האיש non erit salus ejus per potentiam equi, vel crura viri; *R. Sal. Jarchi in h. l.* qui scribit אי אפשר לפותרו אלא על מלך המשיח non potest explicari nisi de rege Messia. Nec minus huc referendus locus Psal. 118: 25. אנא יהוה הושיעה נא אנא יהוה הצליחה נא Tacemus loca scripturæ alia. 3. Significat h. l. verbum הושיע salvare salute æterna, fatente ipso *R. Jarchi in Dan.* 8: 14. ubi numerat annos מאז גלו גלות ראשונה למצרים עד יגאלו ויושעו תשועת עולמים במלך המשיח, ex quo tempore migrarunt (Judæi) in exilium primum Ægyptiacum, donec redimendi sint & salvandi salute æterna per regem Messiam. Quo ipse respicit procul dubio ad Es. 45: 17. ubi תשועת עולמים explicatur per עולמי עד. Cui ὁμόψηφα habent *R. Abarb. ad* §. 5. *disp. sup. cit. & Targum Hieros.* salutem per Messiam intelligens oppositam saluti à Gideone allatæ ceu temporali. *Vid. paulo ante.*

§. 17. יהודה וישראל, Juda, & Israël. 1 Juda & Israël intelliguntur de toto cœtu. Hinc verbum תושע est tertia fœm. gen. quia innuit הכנסה f. ecclesiam, juxta observationem *R. Ben Mel. in M. I. f.* 107. *col.* 1. שבענין כנסת ישראל ידבר לשון זכר כנגד העם ולשון נקבה כנגד הכנסה quod in negotio Ecclesiæ Israëliticæ loquatur (scriptura) in genere masculino ad העם populum), & in genere fœminino ad הכנסה (f. ecclesiam.) Conf. *f.* 155. *col.* 2. & *R. Kimchi in Bibl. Buxt. fol.* 496. *p.* 1. *l.* 3. *à f.* 2. Conjunguntur hæ voces, ut indicetur omnes Judæos salvatum iri, juxta illud *R. Abarb. in proph. fol.* 135. *col.* 2. *in med.* חשב הנביא השומע שיהיה מלך המשיח מלך על בני יהודה ולא על בית ישראל ולכן אמר בכמוך כי כה אמר השם לא יכרת לדוד איש יושב על כסא בית ישראל כי כמו שימלוך על יהודה ימלוך על ישראל Putavit (propheta), fortassis cogitabit audiens (hanc prophetiam) regem Messiam regnaturum super Judam, non autem super domum Israël; propterea addit (Es. 33: vs. 17.) non exscindetur Davidi vir sedens super thronum domus Israël. Nam quemadmodum regnabit super Judam, regnabit super Israël. Dum autem Judæos salvatum iri dicitur, includuntur etiam gentiles f. גוים, fatentibus iterum Rabbinis ipsis; כי בתשועת ישראל יהיו נושעים גם כן הגוים Nam salute Israëlis salvabuntur simul gentiles, inquit *R. Kimchi in Bibl. Buxt. fol.* 494. *p.* 1. *lineis ult. in part. med.* כל הגוים יהיו נשמעים אליו omnes gentes obedient illi, ait *id. l. c. f.* 688. *p.* 1. *l.* 6. *à f.* Et proprietas Messiæ est שלא בלבד יכנעו בני ישראל אבל גם שאר האומות יהיו נכנעים תחתיו וכמו שאמר הזקן ולו יקהת עמים ut non solum ei se subjiciant Israëlitæ, sed etiam reliqui populi, quemadmodum dixit senex: & ei erit obedientia populorum (Gen. 49. 10.); quæ verba sunt *R. Abarb. in proph. f.* 28. *col.* 1. *l.* 21. *&* 22. *à f.* Nec minus *R. Alschech in Es.* 42. *fol.* 36. *col.* 1. *l.* 14. egregie hanc in rem ita scribit: כה אמר ה׳ וכו׳ גם פרשה זו על משיח צדקנו תדבר לספר אשר ההשיבו הוא יתב׳ חשיבות נמרץ מטרם יברא העולם למען התכלית אשר יאושרו ישראל והעולם כלו ע״י מלך המשיח Ita dicit Dominus &c. Etiam hæc Parascha de Messia justitia nostra loquitur, ut enarret, quod reputarit (destinarit) eum absolute (præcise), antequam crearet mundum, ob finem, ut beati forent Israëlitæ, & totus mundus per Messiam. Ita in *Pesicta Rabbetha in 4to f.* 62. *c.* 1. *med.* dicit Messias ad Deum, quod dolores cum gaudio velit suscipere, שלא יאבד א׳ מישראל ולא חיים בלבד יושעו בימי ולא אלו בלבד אלא אף נפלים ולא אלו בלבד יושעו בימי אלא למי שעלתי על דעתך להבראות ut non pereat unus ex Israële, & non vivi solum salventur in diebus meis, sed etiam mortui, neque isti salventur tantum in diebus meis, sed & quisque quem volueris adhucdum creare. Atque sic Judæi credunt omnes homines salvatum iri per Messiam, quod tamen de salutis acquisitione intelligendum est, non applicatione. 3 Non sine causa Jehudæ seorsim fit mentio, quamvis alias sub populo Israëlitico hæc tribus contineatur. Nam (1) quia propheta dixerat, Messiam regnaturum ut regem potentissimum & æternum, propterea meminit primario Jehudæ כי עקר המלכות ליהודה, quia fundamentum regni erat penes Jehudam, juxta *R. Kimchi in Bibl. Buxt. f.* 483. *p.* 1. *l.* 10. *à f.* apud quam tribum erat שבט המלכות sceptrum regni Gen. 49: 10. Indicatur E. veniente Messia, de quo dicitur, שבט מישור שבט מלכותך Psal. 45: 7. cessaturum שבט à Jehuda. Solet enim lingua sancta, quando de aliquo præcipue loquitur, seorsim eum memorare, quamvis sub cæteris comprehendatur. (2.) quia Messias ex tribu Jehuda nasciturus erat, hinc etiam huic ante omnia fieri debebat illa promissio. *Vid.* §. 8. *disp. sup.* 4. Pro Israël legitur in loco parallelo Jer. 33: 16. Jerusalem, quod idem est ratione sensus, לפי שירושלם היא עקר ארץ ישראל, quia Jerusalem erat fundamentum (f. civitas principalis) terræ Israël; affirmante *R. Kimchi in Bibl. B. f.* 483. *p.* 1. *l.* 7. *part. ult.* Quod E. urbi primariæ promittebatur, toti Israëli promittebatur; quemadmodum etiam sæpius Tzioni legitur promissus Messias, quæ erat cum Jerusalem civitas una, juxta *R. Kimchi l. c.* nisi quod propugnaculum vocaretur Tzion, juxta *eund. f.* 505. *p.* 2. *l.* 3. *part. ult.* Quod autem Tzioni promittebatur, promittebatur itidem toti populo, cum esset fundamentum regni. *M. I. f.* 105. *col.* 3. *R. K. f.* 494. *p.* 2. *l.* 9. *med.*

§. 18. ישכון לבטח habitabit secure. Observetur hic 1. verbum שכן significare proprie, habitare in tabernaculo, unde & vox משכן denotat tabernaculum. Indicatur itaque quod summo perfusi gaudio victuri sint homines tempore Messiæ exhibiti, utpote Dei amici per eum facti, & hæredes vitæ æternæ constituti. Festum enim tabernaculorum tanto cum gaudio celebratum semper à Judæis est, ut fatente ipso *R. Maimonide in Hilchos Lulaf. cap.* 8. §. 12. 13. *& tr. Succa cap.* 5. qui eam lætitiam non viderit, ille per totam vitam nil viderit læti. Hoc est illud Zacch. 9: 9. הריעי בת ירושלם וגו׳ & illud Angeli Luc. 2: 10. ἰδοὺ γὰρ εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην &c. Observ. 2. verbum hoc usurpari speciatim de gratiosa Dei præsentia, v. g. Exod. 40: 34. Num. 9: 18. unde una indicatur, ita habitaturos esse Jehudam & Israëlem, ac fideles quoscunque, ut gratiose præsentem sibi sint habituri Deum,

Deum, qui reconciliatus per Messiam ad illos iterum sit accessurus, quæ præsentia alias etiam à Rabbinis שכינה appellatur, nomine à nostro verbo derivato. Ita legitur in *Pircke Avoth. cap.* 3. עשרה שיושבין ועוסקין בתורה שכינה שרויה ביניהם, si decem sedent, & operam dant legi Schechina habitat inter eos. Ita *Rabbi Bechai in Pent. sect.* ויגש *ad Hag.* 1: 8. *ad vocem* ואכבדה scribit: q. d. אשרה בו הכבוד שהוא השכינה habitare faciam in eo (templo secundo) gloriam, quæ est ipsa Schechina; Et mox dici ואכבדה ait: לבאר כי הכבוד היה שם שהוא השכינה, ad declarandum, quod gloria (Dei) fuerit ibi, quæ est ipsa Schechina. Conf. *Talm. in Sevachim folio* 118. *pagina* 2. *& Pesachim folio* 56. *pagina* 1. quæ citantur ab *Excellentissim. Dom. Wagens. in illust. opere de Sota pagina* 83. & Brandspiegel. *pagina* 135. *a.* Eodem modo Græca vox σκηνὴ, cum Hebræa conveniens, adhibetur Apoc. 21: 3. quando dicitur: ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν &c. Quales voces cum Hebræa lingua convenientes apud Græcos multæ sunt, v. g. μυστήριον convenit cum סתר, ἀετὸς cum עיט, ἀχέρων cum אחרון, ἀῤῥαβὼν cum ערבון &c. Applicari autem hæc ad Messiam posse, ipsi Rabbini facile largiuntur, imprimis cum statuant, quod tempore Messiæ Schechina sit reditura, quemadmodum tradit *Rabbi Kimchi in Joël.* 3. *vers. ultimo* אמר והי' שוכן בציון גם כן לעולם כי לעולמי עד תהיה שכינתו בציון אחר שתשוב שם בימות המשיח, dicit (Propheta) & dominus habitabit in Tzion, quod etiam intelligitur de perpetuo. Nam in perpetuum erit ejus Schechina in Tzione, posteaquam redierit eo tempore Messiæ. Accedit, quod ipsi Messiæ nostro in Joh. 1: 14. tribuatur verbum σκηνόω cum Hebr. שכן apprime consonans. Observ. 3. Nec dictio לבטח caret emphasi. Nam בטח significat securitatem, sed ejusmodi, quæ ex fiducia s. בטחון erga Messiam nascitur, s. tranquillitatem conscientiæ, qua gaudentes homines subinde τὸ י"י צדקנו sint repetituri & sibi applicaturi. Convenit enim verbum בטח cum חסה, quod de Messia dicitur Psalm. 2: vers. 12. אשרי כל חוסי בו & loc. al.

§. 19. וזה שמו Et hoc (erit) nomen ejus. Suffixum in שמו refertur ad vocem צמח, ad quam etiam suffixa in בימיו & (juxta aliquos) in יקראו pertinet, Rabbinis ipsis passim consentientibus. שם s. Nomen ap. Heb. ponitur pro re ipsa, sive ut legitur in *Nezach Israel. edit. Prag.* 48. *col.* 1. *lib.* 14. השם הוא מורה על עצם הדבר ואמיתתו. Vid. *Glass. phil. sacr. lib.* 4. *tr.* 3. *observ.* 18. Speciatim nomen Dei pro ipso Deo. *Gl. lib.* 5. *tr.* 1. *cap.* 4. *n.* 7. unde frequens est formula Rabbinica: שמו הוא והוא שמו, nomen ejus (Dei) est ille ipse, & ille ipse est nomen ejus. Vide *Rabbi David Kimchi in Esai.* 25: 1. *Rabbi Ben Mel. in M. I. in Psalm.* 8: 2. *Rabbi Berachiel cit. Rabbi Jehuda Muscato in Cosri fol.* 242. *col.* 2. Messias itaque nomen Dei habiturus erit una Deus ipse, ut non intelligatur hic nuda appellatio sine re, ceu etiam in §. *seq.* dicetur. Animadverterunt hoc Rabbini ipsi, dum nomini Messiæ singularem vim & prærogativam deferunt. Bene ait *Rabbi Alschech in Esa.* 42. *fol.* 36. *col.* 2. *l.* 10. א' מהדברי' שקדמו לעולם הוא שמו של משיח כי מאז ראה כי העולם אשר היה חפץ לברא יעותר להתקלקל ותיקונו הוא שמו של משיח, Una ex rebus, quæ antecesserunt mundum, est nomen Messiæ. Nam tum prævidit (Deus) mundum, quem volebat creare, corruptum iri (peccatis scilicet, de iis enim קלקול dicitur ap. *Rabbi Abarbanelem in proph. fol.* 5. *col.* 3. *lib.* 14.) Confirmatio autem (vel à lapsu restitutio) ejus (erat futurum) nomen Messiæ. Et *ibid. fol.* 37. *col.* 3. *lib.* 13. inquit excellentiam s. יתרון Messiæ in hoc nomine consistere. Omittitur quidem in Jer. 33: 16. vox שמו, sed non obstat, cum vel ibi subintelligi possit, vel nihilominus ita explicari, ut sensus idem maneat.

§. 20. אשר יקראו, quo vocabitur. Notandum hic 1. quod quædam exemplaria legant cum Holem τὸ Vau, ut *Biblico-Rabbinicus Buxtorf.* codex, quo usi sunt *Masorethæ*, annotantes ל s. non extare amplius (at cum Schureck aliquoties occurrit), codices, in quibus *Hieronymus* Holem lectum fuisse testatur. Vid. *Gerh. Exeg. fol.* 128. *b.* &c. Quibus à nonnullis accensentur versiones, quæ singularem numerum ponunt v. g. LXX. *Vulg. Tremell.* &c. Quæ lectio potior est, & ab ipso *Hott.* defensa *thes. phil. pagina* 202. ut & ab eodem cit. *Glassio philol. pagina* 155. *Chamier. Panstr. tom.* 1. *pagina* 144. &c. Alia tamen exemplaria legunt ו, ut *Biblia mea manualia Anno* 1525. *accur. Pomberg. Venetiis edita*, *Abarbanel*, *& ipse Buxtorff. qui in Concord.* refert ad יקראו cum Schureck &c. Quibus tamen annumerari nequeunt interpretes, qui per pluralem exprimunt, cum potuerint ad usitatam Enallagen singularis pro plurali respexisse, censente *Hott. l. c. pagina* 171. Hujusmodi diversa punctatio diversorum codicum etiam aliis in scripturæ locis reperitur, v. g. Es. cap. 53: 4. quidam codices recte legunt מכה אלהים cum ֵ sub כ, alii v. g. *Abarbanel Biblia Hamburg.* &c. prave cum ֶ Psalm. 22: 17. quidam legunt כארו, alii כארי, testante *R. Jacob Chajim in Masoræ magnæ serie* אר *ad h. l.* Conf. *M. I. fol.* 104. *col.* 4. ubi exempla extant duo; Ita non minus diversitas consonantium reperitur, v. g. Esai. 57. vers. ultimo alii legunt אמר אלהים, alii אמר יהוה *Kimchio in h. l. folio* 501. *pagina* 2. *lib.* 11. *à f.* Es. 75: 4. alii legunt פרק, alii מרק. *M. I. folio* 109. *col.* 3. &c. In nostro autem loco Jeremiæ diversa illa lectio ratione sensus non obstat. Nam si singularis manet, intelligitur ex præcedentibus Israel על דרך הכלל s. in toto complexu; vocabit eum scilicet universus cœtus Israel. Si pluralis על דרך הפרט s. quod ad individua: vocabunt (eum singuli Israelitæ, juxta tritam regulam: מנהג המקרא כשמדבר כנגד כנסת ישראל כשמדבר בלשון רבים מדבר כנגד הפרטים וכשמדבר בלשון יחיד מדבר כנגד הכלל quando scriptura loquitur de Ecclesia Israelitica, quando loquitur in plurali, loquitur de individuis, quando loquitur in singulari, loquitur de toto complexu. *Rabbi Kimchius folio* 496. *pagina* 1. *lib.* 4. *à f.* Una nobiscum vocem Israel subintelligunt *Ben Mel. in M. I. in h. l. folio* 118. *col.* 4. scribens: ישראל יקרא המשיח בזה השם ה' צדקנו, Israel vocabit Messiam hoc nomine: Jehova justitia nostra; & *Rabbi Kimchi in h. l.* eadem verba ponens. Vel poterit in lectione קרא cum Holem intelligi ellipsis vocis קורא hoc sensu: vocabit eum vocans, quæ ipsis Rabbinis observata est. Audiatur *Ben Mel. in Genes.* 48: 2. *folio* 16. 1. scribens: ויאמר ליוסף האומר ויגד ליעקב המגיד והוא מקרא קצר Dixit Josepho scilicet dicens, annuntiavit Jacobo scilicet annuntians (Genes. 48: 2.) quæ est concisa loquendi ratio. Vel impersonalis potest esse locutio, etiam frequens in scriptura, v. g. Genes. 16: 14. על כן קרא לבאר באר לחי ראי Esai. 9: 5. ויקרא שמו פלא יועץ וגו' Videatur *Vener. Acad. Senior in idiotismis pagina* 25. Quæ etiam fortassis ad lectionem in plurali trahi possent, ut nulla sit textus corruptio, contra *Huntlæum.* Not. 2. Verbum קרא non nudum vocis sonum infert, quasi Messias ita appellandus tantum, non vero talis futurus sit, sed rem ipsam. Hoc sensu adhibetur quoque de Hierosolyma אשר יקרא לך עיר צרק Esaiæ 1: 26. Ita etiam dicitur Esaiæ 56: 7. כי בית י בית תפלה יקרא & cap. 62: 4. כי לך יקרא חפצי בה &c. Unde & *Chaldæus* יקרא Esaiæ 14: 20. per יתקיים *confirmabitur*, transtulit. Dum autem significat vocare, simul respici potest ad significationem prædicandi, (ut sensus sit: hoc erit nomen ejus, quo vocabunt eum, vel quo vocabitur scilicet in Evangelii prædicatione) maxime si locus parall. Jeremiæ 33. conferatur. Not. Cum alias verbum קרא in appellandi significatu cum ב soleat construi, de quo *Buxtorf. in thes. pagina* 451. commode poterit ellipsis τοῦ ב. statui, pro באשר, quæ alias frequens est. *M. I. folio* 46. 1. 58. 3. Not. 4. In loco parallelo Jerem. 33: 16. legitur וזה אשר יקרא לה י"י צדקנו, quæ ita transfert *Hottinger. thes. phil. pagina* 171. hoc erit, accidet, quando vocabit eam (Hierosolymam Messias per Evangelii prædicationem, qui est) Dominus justitia nostra. Quæ interpretatio defendi potest. Nam (1) ellipsis verbi היה frequentissima est, v. g. Genes. 5: 1. זה ספר תולדות scilicet היה &c. Vid. *Buxtorf. in thes. pagina* 489. *& Ven. Acad. Senior in idiot. pagina* 30. Imo pronomina & ipsum pronomen זה hanc ellipsin admittunt *Buxtorf. l. c. pagina* 432. (2.) אשר ponitur interdum pro כאשר, quando. Unde *Rabbi Kimchi folio* 560. *pag.* 1. *lib.* 4. *init. in Jeremiæ cap.* 33: 22. inquit: כף הדמיון וכן s. אשר כמו כאשר חסר כי אשר ראיתם את מצרים היום כמו כאשר est pro כאשר, ut desit Caph similitudinis, sicut deest in illo loco כי אשר וגו' (Exod. 14: 13.). Sufficit ergo poni pro כאשר, de significatione enim (quam habet in illis locis) non sumus soliciti. (3.) Verbum קרא significat etiam vocare, quando ל sequitur, ut Deuter. 2: 11. יקראו להם אמים. Jerem. 3: 17. יקראו לירושלים כסא ה' Jerem. 9: 16. קראו למקוננות. Significat etiam vocare per prædicationem juxta *Rabbi Kimchi folio* 457. *pagina* 1. *lib.* 4. *in Esaiæ c.* 12: 4. scribentem קראו בשמו כמו לעמים בשמו קראו s. ויקרא שם אברהם בשם ה' וזה טעם הודיעו הזכירו קראו בשמו id est, prædicate nomen ejus, sicut dicitur (Genes. 13: 4.) & prædicavit ibi Abraham nomen Dei. Sensus est, indicate, memorate. Nec obstat קרא in his exemplis cum ב construi. Nam quando significat prædicare vel cum ב construitur, vel cum את ut Jos. 8: 34. ואחרי כן קרא את כל דברי התורה, vel cum אל, ut Esaiæ 40: 2, 3. דברו על לב ירושלים וקראו אליה כי מלאה צבאה וגו' קול קורא במדבר וגו' Quæ omnia conveniunt cum nostro לה. Nam ל sæpe ponitur pro

pro ב, *M. I. fol.* 53. *col.* 2. 55. 1. 64. 4. 65. 2. Etiam pro את, quando notat ipſam ſubſtantiam ſ. העצם ſ. מורה להבאת הדבר *M. I. fol.* 12. 3. vel מורה על העצם עצמו כמו מלת אל העצם את *M. I. fol.* 17. 2. Nec minus pro אל poni facile poterit, cum ſenſus idem ſit. Quod ſi autem malimus ſubintelligere vocem שמו, ſenſus erit: & hoc eſt nomen ejus (Meſſiæ), quod prædicabitur (imperſonaliter, vel prædicabit ſc. prædicans) illi (Hieroſolymæ); vel quod prædicabitur in ea. Nam etiam ל ponitur pro ב, ut dictum. Vel quod vocabitur ſc. per prædicationem in ea, aut propter eam ſ. in ejus ſalutem, cum etiam למד תשמש במקום בעבור *M. I. f.* 10. *c.* 3.

§. 21. יהוה צדקנו Jehova juſtitia noſtra. N. 1. Hoc nomen eſſe Meſſiæ Rabbini ipſimet largiuntur. In *Zohar in Gen. edit. Mant. f.* 93. *Cremon. & Lublin. fol.* 63. legitur: ומלכא משיחא דאתקרי בשמא דק"בה, & rex Meſſias, qui appellatur nomine ſancti Dei benedicti. Quod repetitur in *Jalckuth Chadaſch f.* 123. *col.* 4. *Num.* 17. *edit. Lubl. fol.* 121. *col.* 4. *med. Ambſt. Talmud edit. Ambſt. in Bava Bathra c.* 5. *f.* 75. *p.* 2. *l.* 5. tradit משיח דכתיב וזה שמו אשר יקראו ה' צדקנו Meſſias (ſc. vocatur יעל שמו של הק"בה nomine ſancti Dei benedicti) juxta illud, quod ſcriptum eſt: & hoc erit nomen ejus &c. *Medraſch Till. edit. Venet. fol.* 10. *col.* 3. *l.* 19. *à f.* מלך בשר ודם אין קוראין לסגן שלו בשמו —— וקורא למלך המשיח על שמו ומה שמו ה' איש מלחמה ומלך המשיח הה שמו אשר יקראו י"י צדקנו. Regis mortalis ſervus non vocatur illius nomine. —— Vocat autem (הק"בה ſanct. D. ben.) regem Meſſiam ſuo nomine. Ecquod vero nomen ejus? Jehova vir belli. (Ex. 15: verſ. 3.) Quod autem ad regem Meſſiam (attinet, de eo dicitur) & hoc erit nomen ejus &c. *Echa Rabbethi ed. Ambſtel. f.* 68. *col.* 2. 3. מה שמו של מלך המשיח רבי אבא בר כהנא אמר ה' שמו שני וזה שמו אשר יקראו ה' צדקנו דא' ר' לוי טבא למדינתא דשמה כשם מלכה דכתיב ושם מלכה כשם אלהיה טבא למדינתא דשמה כשם מלכה דכתיב ושם העיר מיום ה' שמה ושם מלכה כשם אלהיה שנ' וזה שמו אשר יקראו ה' צדקנו. Quale eſt nomen Regis Meſſiæ? *R. Abba Bar Cahana* dixit: Jehova nomen ejus, quia dicitur: & hoc erit nomen ejus &c. Ita dixit *R. Levi*: bonum eſt provinciæ, ſi appellatur nomine regis ſui, quia ſcriptum eſt: Nomen regis ejus eſt, ſicut nomen Dei ejus. Bonum eſt provinciæ, quæ appellatur nomine regis ſui, juxta illud: (Ezech. 48: 35.) nomen civitatis deinceps (futurum eſt) ibi Jehova. Et cujus regni nomen eſt, ſicut nomen Dei ejus, juxta illud: & hoc erit nomen ejus &c. *R. D. Kimchi in h. l. Jer. fol.* 548. *pag.* 1. *l.* 7. *à f.* ישראל יקרא המשיח בזת השם ה' צדקנו, Iſraël vocabit Meſſiam hoc nomine, Jehova juſtitia noſtra. Et *in Jer.* 33: 16. *f.* 560. *p.* 1. *l.* 1. 2. 3. ולמעלה אמר על מלך המשיח וזה שמו אשר יקראו י"י צדקנו, ſupra dixerat (propheta) de rege Meſſia: & hoc erit nomen ejus &c. Et *in Ezech.* 48: 35. *f.* 639. *p.* 2. *l.* 9. *à f.* Quæ repetit *R. Ben Mel. in M. I. f.* 118. *col.* 4. *Jalcuth edit. Cracov. f.* 65. *col.* 2. *med. N.* 304. *Livorn. f.* 108. *c.* 1. *med. N. eod.* משיח דכתיב וזה שמו אשר יקראו וגו' נקרא על שמו של קה"בה Meſſias (appellatur nomine Dei ſ. קה"בה ut præcedit) juxta illud: & hoc nomen ejus &c. Quod repetit *R. Alſchech in Pſ.* 83. *edit. Ven. in 4to f.* 180. *med.* Et *in Jer.* 23. *f.* 91. *col.* 1. *l.* 16. *à f. & col.* 2. *ab init.* ubi addit: כך המשיח ידמה לו ית' ויקרא שמי ה' צדקנו כי מכך ימשך צדקנו כאשר מה' ושיעור הכתוב עם היות שבימיו תושע יהודה וישראל ישכון לבטח עכ"ז לא יעשו עיקר לקרא לו שם על שם תשועתם ובטחונם כי אם על שם הצדקו' וכשרון הנשפע להם על ידו וזהו ה' צדקנו כי מזה יעשה האדם עיקר מכל טובות העולם הזה Ita Meſſias ſimilis erit Deo benedicto, & vocabitur nomen ejus: Jehova juſtitia noſtra. Nam ex Te (dicent Judæi) protrahetur juſtitia noſtra, ſicut ex Deo ipſo. Conjicit ſcriptura, quod etſi ejus tempore ſalvabitur Jehuda, & Iſraël habitabit ſecure, non tamen primario vocaturi eum ſint hoc nomine ob ſalutem & fiduciam ſuam, ſed ob juſtitiam & rectitudinem, quæ redundat ad eos per illum. Hoc eſt illud: Jehova juſtitia noſtra, quoniam inde ponet homo fundamentum omnium bonorum mundi hujus. Conf. *id. in Jer.* 33. *f.* 98. *col.* 2. *l.* 6. *& in Mich.* 5. *f.* 125. *col.* 1. *l.* 10. *à f.* Idem dictum repetitur ex *Jalckuth in Beth Iſraël ed. Proſtiz. f.* 85. *col.* 2. *med. & Nezach Iſraël ed. Prag. fol.* 48. *col.* 1. *l.* 14. *R. Abarb. in h. l. Jer. f.* 119. *col.* 3. 4. ait: שאמר זה על המשיח שימלוך בישראל כי איך יקרא איתו ה' בשם המיוחד המפורש אליו ית' שלא ישתתף בקריאתו דבר מנבראיו, quod dicat hoc de Meſſia, qui regnaturus ſit in Iſraële. Quomodo autem vocabit eum Deus nomine appropriato ſibi & expoſito, cujus appellatio nulli creaturæ communis eſt? *R. Albo in Iccarim* adducetur inferius. Conf. etiam *Ber. Rabb. in Gen.* 25: 6. *cit. à Magn. D. Calov. in Bibl. ill. T.* 2. *p.* 427. Quia itaque Meſſias appellatur Jehova, hinc firmiter concluditur, eum verum eſſe Deum, cum nomen hoc vero Deo proprium ſit & eſſentiale, juxta 1 Reg. 18: 21. Eſaiæ 42: 8. &c. Id quod iterum nobisbum affirmant Rabbini. *Rabbi Joſ. Albo Iccar. Orat. cap.* 28. inquit: ואולם שם בן ארבע אותיות אי אפשר שיצדק על זולתו כלל בשום צד לפי שהוא שם יאמר עליו יתברך מצד חיוב מציאותו. Sed nomen Tetragrammaton non poteſt ullo modo prædicari, niſi de ſolo Deo, quia hoc nomen de Deo benedicto dicitur propter eſſendi neceſſitatem. *Rabbi Abarbanel in Geneſin folio* 6. *columna* 1. operoſe illud demonſtrans inter alia ait: ועל זה (עצמות יתברך) יורה השם המקודש בן ד' אותיות הנקרא שם המפורש כמו שכתב הרב המורה כי הוא מיוחס אליו ולא ישתתף בזולתו Et de hac (eſſentia Dei benedicti) docet nomen ſanctificatum Tetragrammaton, quod appellatur nomen expoſitum, quemadmodum ſcribit magnus doctor (Maimon). Nam eſt illi proprium, neque tribuitur alii. *Rabbi Iſaac Arama comment. in Pentat. folio* 116. *col.* 1. ſcribit: זה מהידוע כי שם ידוה הנכבר והנורל הוא שם העצם המורה על עצמיותו יתברך. Hoc manifeſtum eſt, quod nomen glorioſum & venerabile Jehova ſit nomen ſubſtantiæ, Dei benedicti ſubſtantiam docens. Ita *Rabbi Maimon in More Nevoch. part.* 1. *cap.* 61. מורה על עצמו יתעלה כאשר לא ישתתף אחד מן הברואות בהוראה ההיא. Dei altisſimi eſſentiam docet (nomen Jehova), quemadmodum etiam non competit creaturæ ulli in iſta ſignificatione. Ita *Rabbi Joſeph Ben Gecatilja in Ginnas Egos*, ubi prolixus eſt in hoc nomine: הוא השם המיוחד לו להוראה גדולה על שם סוד הויותו ונצחיות מציאותו ית'. Hoc eſt nomen appropriatum illi (Deo), in argumentum magnum arcanæ ejus exiſtentiæ & æternæ eſſentiæ Dei benedicti. Ita *R. Aben-Eſra in Eſ.* 42: 8. אני י"י הוא שמי הנכבר כי אין במקרא שם עצם לבדו רק זה לבדו Ego Jehova, hoc eſt nomen meum glorioſum. Nam non occurrit in ſcriptura nomen eſſentiale ſolum, niſi hoc ſolum. Conf. *Rabbi Gerund. folio* 94. *ad Geneſ.* 33. *verſ. ultimo. Rabbi Lipmannus in Nizach. pag.* 162. &c. Unde & à *Maſorethis* appellatur אזכרה (vel dialecto Aramæa in plur. אדכרות) Memorativum, quod eſſentiam Dei in memoriam nobis revocet. Nam Eſaiæ 38: 20. annotat *Maſora parva* ג' פסו' רישי' וסופי' אזכרו' Tres ſunt verſiculi, qui incipiunt à nomine memorativo, & in eo deſinunt. Vid. *Schabbas folio* 103. *pagina* 2. *& Sanhedr. fol.* 102. 2. *ut & Buxtorf. in Lex. Talm. in R.* זכר *&* דכר. N. 2. Emphaſis quoque eſt in voce צדקנו. Nam (1) hac ipſa confirmatur magis, quod ſupra erat dictum, germen hoc fore juſtum, quoniam ſcriptura כפל הענין לחוק הענין geminat ſenſum ad eum magis confirmandum juxta vulgatam Reg. (2) Qui eſt juſtitia noſtra in caſu recto, non poteſt non eſſe verus Deus. Nam ביהוה לי צדקות ועז Eſaiæ 45: 24. ceu argumentatur *Excellentiſſimus Dominus Friſchmuth in diſp. de h. l. cap.* 2. §. 4. Sed Meſſias eſt juſtitia noſtra. E. Minorem Rabbini facile concedunt ex h. l. quo ducti toties eum משיח צדקנו appellitant v. g. *in Jalckuth Ed. Cracov. fol.* 56. *col.* 4. *Livorn. folio* 96. 1. *Peſickta Rabbetha folio* 62. *col.* 3. *&* 63. *cap.* 1. *Saad. Gaone in Dan.* 7: 13. *folio* 890. *pagina* 2. *lib.* 13. *à f. Ephodi ed. Venet. & Sabion. pag.* 2. *cap.* 29. *folio* 106. *col.* 2. *lib.* 10. *à f. cap. Aben in Eſ. f.* 26. *cap.* 4. *folio* 28. *cap.* 4. *folio* 42. *lib.* 10. *init. folio* 64. *cap.* 1. *folio* 78. *cap.* 4. *in Dan.* 9. *folio* 64. *cap.* 1. *&* 2. *Joſ. fil. Ab. Jechija in Ruth folio* 17. *col.* 2. *in Pſalm.* 110. *folio* 51. *col.* 4. *in Pſalm.* 132. *folio* 57. *cap.* 4. *in Pſalm.* 133. *locis iisdem in Pſalm.* 138. *folio* 58. *cap.* 3. *in Dan.* 7. *folio* 109. *col.* 2. *ed. Bonon. Alſchech. in Eſ.* 42. *folio* 36. *col.* 1. *&* 2. *Peruſch Megill. Ruth ed. Mant. folio* 28. *pagina* 1. *Meor Enajim Aſariæ pagina* 3. *cap.* 43. *folio* 139. *pagina* 1. *&c.* Videatur *incomparabilis Præceptor noſter, Excellentiſſ. Edzardus, in Conſenſu antiq. Jud. cum explicatione Chriſtian. in h. l.* (3) Suffixum נו in voce צדקנו indicat applicari nobis debere illam juſtitiam. Nam יקרא הכתוב שם המשיח ה' צדקנו להיותו אמצעי אל שנשיג הצדק מהשם ועל כן יקראהו בשם ה' צדקנו Vocat ſcriptura nomen Meſſiæ, Jehova juſtitia noſtra, quia futurus erat mediator, ut *Nos* conſequamur juſtitiam à Deo; propterea vocat nomine, Jehova juſtitia noſtra, inquit *Albo Iccar. Orat.* 2. *cap.* 28. Hoc ſe conſolari videntur Rabbini ipſi, dum plerumque vel minima mentione Meſſiæ injecta illud צדקנו adjiciunt. Imo aliquoties in *Jalck.* v. g. *ed. Cracov. folio* 56. *col.* 3, 4. *& Livorn. folio* 95. *col.* 4. *folio* 96. *cap.* 1. *&* 2. *ut & in Peſickta Rabbetha ed. in quarto folio* 62. *col.* 1, 2, 3. *& folio* 63. *col.* 1. Deus introducitur Meſſiam appellans משיח צדקי ſ. Meſſiam juſtitiæ meæ. Simili fere modo ait *Joſeph filius Aben Jechija in Pſalm.* 93. *folio* 45. *col.* 3. *l. penult.* הנה נאמנו,

נאמנו מאד כי משיח צדקך, Ecce valde credimus, Messiam esse justitiam tuam (Deus). Quæ intelligunt fortassis ea ratione, quod justitia factus sit à Deo, maxime cum statuant nobis promereri debuisse justitiam. Suffixa enim hujusmodi non modo active, sed & passive significant, s. הכנויים בשמות יפלו על הפועל ועל הפעול, ut ait *Rabbi Ben Mel. in M. I. folio* 94. *col.* 3. Conf. *folium* 154. *col.* 3. *&* *Rabbi Kimchi in Es. folio* 463. *pagina* 2.

§. 22. His ita explicatis, respondebimus ad objectiones, quas contra hanc Messiæ appellationem Rabbini nonnulli movent. Qui nomen hoc Messiæ fore concedent, nolunt tamen admittere futurum illum Deum. Hinc legitur in *Jalckut*, *Alschech*, *Beth Israël*, *Nezach Israël &c. locis sup. cit.* שלשה נקראו על שמו של הק"בה אלו הם צדיקים ומשיח וירושלם צדיקים שני כל הנקרא בשמי ולכבודי בראתיו יצרתיו אף עשיתיו משיח דכתיב וזה שמו וגו' ירושלם דכתי' ושם העיר מיום ה' שמה אל תקראו שמה אלה שמה: Tria appellantur nomine Dei bened. quæ sunt ista: Justi, Messias, & Hierosolyma. Justi, quia dicitur: omnem, qui vocat se de nomine meo, quem ad gloriam meam creavi etiamque feci (scilicet redde aquilo Esai. 43: 7.) Messias, quia scriptum est: & hoc erit nomen &c. Hierosolyma, quia scriptum est: Nomen vero civitatis deinceps (futurum est) Jehova ibi. (Ezech. cap. 48: vers. ultimo) Ne legas שָׁמָּה (ibi), sed שְׁמָהּ (nomen ejus). *R. David Kimchi in h. l. Jerem.* (conf. etiam in Ezech. 48: vers. ultimo) scribit: וזה הקריאה על דרך הקריאה שקרא משה רבינו ע"ה המזבח י"י נסי וקרא יעקב למזבח אל אלהי ישראל כל אחד לפי ענינו הנ צא בו וכן ושם העיר מיום ה' שמה Hæc appellatio se habet eo modo, quo Moses Doctor noster vocavit altare Jehova vexillum meum (Exod. 17: 15.), & Jacob vocavit altare Deum, Deum Israel (Gen. 33: vers. ultimo). Unumquodque pro ratione sui significati; Sicut etiam dicitur (Ezech. 48: vers. ultimo) nomen vero civitatis &c. *Rabbi Moses Gerundensis in Gen. cap.* 33: *vers. ultimo*, inquit: ודע כי המנהג הזה בישראל כן שיקראו השמות בשבחי האל כמו צוריאל צורי כי יגיד הקורא שהאל הוא צורו וכן עמנואל וכן שם המשיח י"י צדקנו ושם ירושלם ה' שמה וכן יעשו בשמות המלאכים גבריאל מיכאל: Scito Judæos nomina formare solere in gloriam Dei, v. g. Zuriel, Zuri. Pronuncians enim nomen fatetur, Deum esse petram suam. Ita dicitur Immanuel, ita etiam nomen Messiæ, Jehova justitia nostra, nomen Jerusalem, Dominus ibi. Ita etiam fit in nominibus angelorum, Gabriel, Michael, &c. *Rabbi Bechai in Pent. folio* 22. *col.* 1. posteaquam dixerat notum esse כי הדבר הדבק נקרא על שם הנדבק בו גם הנדבק על שם הדבק וכו' quod aliquid vocetur nomine illius, cum quo construitur, & vise versa &c. subjungit: והוא שדרשו ז"ל שנקרא שמו של משיח השם צדקנו וכן ירושלים שכתוב בה ושם העיר מיום ה' שמה Atque hoc est, quod Rabbini nostri p. m. docuerunt sensu allegorico, quod Messias nomine Jehova Justitia nostra appelletur, & ita Jerusalem, de qua scriptum sit: Nomen autem civitatis &c. Conf. *Rabbi Joseph Albo Iccar. Orat.* 2. *cap.* 28. Respondemus autem & quidem ad Esai. 43: 7. Vocatos de nomine Dei, esse כל הכתוב לחיים omnem vitæ adscriptum juxta *Kimchium in h. l.* & עם י"י populum Dei juxta *Aben-Esram in h. l.* E. ii non vocantur ut Messias absolute י"י, sed cum apposito. Et recte dicit *Rabbi Alschech in loc. nostr. Jerem.* אם כן מאי רבותיה דמלך המשיח מנייהו כי אחר מעלה זו אין זולתה כמוה Si hoc ita est, (ut justi vocentur nomine Jehova) quænam foret prærogativa regis Messiæ præ illis, quoniam post hanc excellentiam non datur alia illi similis. Ad Ezech. 48: vers. ultimo ℞. Et ibi cum apposito hoc nomen adhiberi, Messiæque rationem denominationis inesse. *Rabbi Kimchio & Gerundensi* eodem modo ℞. niti eos falsa hypothesi quasi Psalm. 24: 6. Deus dicatur Jacob, quod Deus sit Jacobi, & sic etiam Messias Jehova, quia sit Messias Jehovæ, atque sic ex illo dicto regulam suam formare. Addimus ipsum *Rabbi Abarbanelem*, *Kimchii & Bechaji* sententiam rejicere, dicentem fol. 119. *in prophet. in h. l.* ואין זה התר לספק כי אם תוספת זרות Ita dubium non solvitur, sed non nisi anomalia additur. Qui autem ex Rabbinis nomen Jehova Messiæ denegant, alia incedunt via. *Rabbi Saadia Gaon* referente *Aben-Esra in Exod.* 18. vult vocem ה' cum יקראו conjungi debere, & צדקנו esse solum nomen Messiæ. Sed ℞. verbis *Aben-Esræ* הנה הוא מטעה בעל הטעמים ששם תרחה במלת יקראו Ecce pervertit accentuationem, quæ ponit Tarcha (s. Tipcha) in voce יקראו. Alii צדקנו de Messia intelligentes, de justitiæ duratione tantum accipiunt, ut *Rabbi David Kimchi*, vel שבימיו השם מצדיק אותנו, quod Deus nos sit ejus diebus justificaturus, ut *Rabbi Lipmannus in Niz. Num.* 208. *Raschi in h. l.* & *Rabbi Ben Mel. in h. l.* scribens: ישראל יקרא המשיח בזה השם ה' צדקנו לפי שבימיו יהיה צדק י"י כנו קיים תמיד ולא יסור וכו', Israel vocabit Messiam hoc nomine Jehova justitia nostra, quia jugiter erit nobis justitia stabilis, neque recedet &c. Conf. etiam in Jerem. 33: 16. Sed ℞. nomina, quæ ab eventu imponi solent, nihilominus naturaliter & necessario insunt. Ita v. g. Esai. 56: 7. dicitur templum domum precum vocatum iri ab eventu, cum tamen templo τὸ domum esse naturaliter competat. Perinde Deus nos poterit justificare tempore Messiæ, ut nihilominus ille sit justitia nostra. Denique *Rabbi Abarbanel in h. l.* utramque vocem ה' & צדקנו ad Deum refert, de Messia vero dicit שיהיה שמו צמח צדיק כ"מש ועל אותו שם אמר וזה שמו ר"ל צמח דוד אשר יקראו השם צבאות שהוא צדקנו כי הוא יקראוהו בשם השם ר"ל צמח צדיק, futurum ejus nomen Germen justum, sicut dixit (propheta). De illo enim nomine dicit: hoc erit nomen ejus, q. d. Germen David, quod vocabit eum (Messiam) Deus excercituum, qui est justitia nostra. Ille enim vocabit eum nomine Dei, vult dicere, Germen justum. Sed non solum τὸ זה, quod ad proximum refertur, obstat, sed & tota series verborum una cum tot Judæis consentientibus contradicit. Accentus autem Psick indicat non eo modo, ut vult Abarbenel separandas esse illas voces, sed distincte nomen essentiæ & officii proponi. *D. Varen. in Gen. pag.* 86. Quæ de loco Jerem. 33. moveri solent, supra discussa sunt. Atque sic finitur

DISPUTATIO ALTERA ET ULTIMA.

 JOH.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De nomine Messiæ glorioso ad Jer. XXIII: 6.



Quam adversis frontibus Judæi in explicando vaticinio Zachar. 12: vs. 10. concurrant, & in quas angustias ibi præcipui illorum Doctores redigantur, peculiari Dissertatione antehac ostendimus. Parum vero id esse videtur, prout in alio, eoque æque notabili oraculo, Jerem. 23: 6. invicem dissidentes se mutuo adoriuntur, & quasi conficiunt, R. David Kimchi, R. Salomo Jarchi, R. Gerundensis, R. Bechai, & R. Abarbenel, Judaicarum controversiarum continuatores. Cum enim illud omnes omnino Judæi, quos videre quidem licuit, de Messia interpretentur, mirum, quam diversis modis, textus verbis detortis, cæteris mortalibus eum adæquent, negata illius divinitate, quam tamen gloriosa illa nomenclatura manifesto indicari, veri nominis Christiani magno consensu profitentur & agnoscunt. Verba textus authentici hæc sunt: הנה ימים באים נאם־יהוה והקמתי לדוד צמח צדיק ומלך מלך והשכיל ועשה משפט וצדקה בארץ׃ בימיו תושע יהודה וישראל ישכון לבטח וזה־שמו אשר־יקראו יהוה צדקנו׃

Quæ Vulgatus interpres hunc in modum transtulit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus Justus noster.*

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Chaldæi *interpretis & priscorum* Ebræorum *in* Midrasch Tillim, Zohar, Echa Rabba *& Talmudico Codice* Bava Bathra *de objecto vaticinii, nempe Messia,* Jer. 23: 6. *consensus. Neque piis,* Esai. 43: 7. *neque urbi Hierosolymæ,* Ezech. 48: *vs.* 11. τὸ יהוה *tribuitur.* Galatinus *& alii Judæos corruptionis arguunt. Sensus Vulgati illius* אל תקרי *ostensus.* Capell. & Hacksp. *laudati. Integritas loci Ezech. ex Masora asserta.* Kimchii *expositio laudata.* H. Grotii παρερμηνεία *à* Bocharto, *& Judæorum nonnullorum similis depravatio à* Theodoreto *notata. Nominis* יהוה *originatio* Oleastri *explosa & genuina significatio testimoniis* R. Bechai, Gerundensis, Albo, Abarbenelis *& aliorum confirmata.* Episcopii *rationes geminæ, quamobrem constantiam potius, quam essentiam notet, expenduntur.* R. Lipmannus *laudatus. Essentiæ divinæ nomen esse* Tostatus, R. Arama *& ipse* Crellius *asserunt. A LXX. Syro, Arabe, Persa & Samaritano minime est exhausta nominis* יהוה *significatio. Nomen* יהוה *solius Dei proprium esse, verbis Scripturæ & epithetis, quibus à Judæis insignitur, probatur contra Crellium. Maimonides laudatus. Cur* ארני *pro eo legatur. Lectio ejus gentibus nota. Pronuntiatio ejus quæ profanis fuerit. Conjecturæ super LXX. & Symmachi versionibus. B. Lutheri super nomine isthoc judicium. Pro Messiæ divinitate argumentum inde formant Pontificii, Reformati & Nostrates. Quadruplex explicatio spuria,* 1. Kimchi, Salomonis, Gerundensis, Lipmanni & Photinianorum. 2. R. Bechai & Remonstrantium *opinio.* 3. R. Saadiæ. 4. R. Abarbenelis *nova illa quidem, sed violentissima expositio in medium adducta.*

§. 1. De Messia hoc loco agi, Chaldæus interpres haud invitus largitur, quippe qui τὸ *germen justum* transtulit משיחא דצדיקיא *Messiam justorum*, ut Buxtorfii codex habet, vel, ut Galatinus, de A. C. V. lib. III. c. 10. citat, משיחא דצדיקא *Messiam justum.* Neque aliter senserunt prisci Ebræi. In Midrasch Tillim enim, fol. 19. col. 3. ad Psalm. 21. hunc in modum loquuntur: מלך בשר ודם אין קוראים לסגן שלו בשמו והק"בה קורא משיח על שמו ומה שמו יהוה איש מלחמה והמלך המשיח מה שמו אשר יקראו יהוה צדקינו: *Regis mortalis servus non vocatur illius nomine. Deus sanctus benedictus vero Messiam suo nomine insignivit. Ecquod vero nomen ejus? Jehova vir belli,* (Exod. 15: 3.) *Ecquod vero nomen Messiæ? Dominus justitia nostra.* Similiter in libro Zohar, citante Buxtorfio Gramm. Syr. p. 410. huc respiciunt his verbis: מלכא משיח דאתקרי בשמא חק"בה *Est Rex Messias, qui nomine Dei benedicti appellatur.* Neque præteriri debet locus in Echa Rabba in Thren. 1: 16. ubi hæc legimus: מה שמו של המשיח רבי אבא בר כהנא אמר ה' שמו אשר יקראו ה' צדקנו: *Ecquodnam nomen est Regis Messiæ? Rabbi Aba, filius Cahana dixit, nomen ejus est* יהוה, *Dominus, quia dicitur* (Jer. 23: 6.) *Et hoc nomen ejus, quo vocabitur, Dominus justitia nostra.* In Talmud, Massechet Bava Bathra cap. V. & Jalkut ad Jerem. 23: 5. itidem ad Messiam verba referuntur: שלשה נקראו על שמו של הק"בה אלוהם צדיקים ומשיח וירושלים צדיקים שנאמר כל הנקרא בשמי ולכבודי בראתיו אף עשיתי משיח דכתיב וזה שמו אשר יקראו ה' צדקנו וירושלים דכתיב ושם העיר מיום השם שמה אל תקרא שמה אלא שמה: *Tres appellantur nomine sancti benedicti, nempe Justi, Messias & Hierosolyma. Justi, quia dictum est,* (Esai. 43: 7.) *quisquis vocatus est nomine meo & ad gloriam meam, creavi eum, formavi & feci. Messias, quia scriptum est,* (Jerem. 23: 6.) *Hoc est nomen ejus, quo vocabit eum, Jehova justitia nostra. Denique Hierosolyma, quia dictum est,* (Ezech. 48: 8. ult.) *nomen civitatis ex illo die, Jehova ibi, ne legas* שמה *sed* שמה.

§. 2. Cæterum non una & eadem omnium trium locorum ratio est. Quod enim attinet Esai. 43: 7. minime ibi dicitur, justos nomine Dei proprio & in casu recto appellari, sed ab isto, ut dilectos denominari, vel ut populum ejus, adeoque in casu, ceu loquuntur, obliquo. Consimiliter locus Ezech. cap. 48. ult. itidem ἀπροσδιονύσως huc affertur, quippe ubi mens quidem eorum esse videtur, pro שמה legendum esse שמה. Quamobrem P. Galatinus, lib. III. cap. 10. de Arcanis Catholicæ Veritatis, & quidam eum secuti alii corruptionis Judæos arguere nulli dubitarunt. Sed hi non attendisse videntur, hoc exemplum inter lusus & jocos Ebræorum referendum esse, quibus in captandis paronomasiis ingenii sui acumen ostentare solent. Confer sis En Israël, fol. 72. col. 3. fol. 84. col. 2. fol. 74. col. 3. fol. 89. col. 4. fol. 110. col. 1. fol. 109. col. 4. ubi similia exempla occurrunt. In his omnibus & aliis compluribus id observandum venit, quod post Jac. Capellum Th. Hackspanius cap. 2. sect. 1. ad Lipmannum monuit, illud vulgatum Ebræorum אל תקרי *ne legas sic* non esse προσδιαλεκτικῶς sed συγχωρητικῶς accipiendum, adeoque, ut Maimonid. part. 3. cap. 43. More Nebochim docet, allusionem quandam duntaxat esse. Sane nullam hic corruptionem subesse, ipsa Masora satis innuit textualis, quæ ad Ezech. loc. cit. hanc notam apponit: ד׳ ר׳ סף בספי׃ h. e. *quater in hoc libro vox* שמה *versum claudit.*

claudit. Cujus notæ veritatem probat Masora magna finalis, quæ duodeviginti versus in toto Codice Ebræo hac voce in fine affectos esse testatur, & insimul voces initiales eorum suggerit. In cujus observationis veritatem inquirenti quatuor hi seqq. apud Ezech. occurrunt. cap. 29: 13. 35: 21. 40: 1. 48: ult.

§. 3. Prorsus itaque integra adhuc & incorrupta est Ebræa veritas hoc loco, adeoque, ut supra diximus, impertinenter affertur à Judæis ad probandum hoc, Hierosolymam nomine Dei insigniri. Neque enim τὸ יהוה absolute & simpliciter urbi tribuitur, ut incomplexa denominatio, sed ut periphrastica descriptio. qua non hoc innuitur, reapse urbem יהוה appellatum iri, sed gloriam suam Dominum ibi ostensurum esse. Unde R. Salomo negat, Hierosolymam novo nomine insigniendam esse, & Chald. nomenclaturam illam ita παραφράζει: ישרי י״י שכנתיה שמה *habitare ibi faciet Dominus gloriam suam.*

§. 4. Quod vero tertium locum, ex Jer. 23. petitum, attinet, quo nomen Dei tribui Messiæ docent, rectius ad eum provocari, ex iis, quæ inferius dicentur, patebit. De nullo alio vero, quam de Messia, κατ᾽ ἐξοχὴν dicto, textum loqui, cum post priscos R. D. Kimchi fateatur, & verba priora more suo haud inconcinne explicare videatur, interpretationem ejus afferre juvat. Nisi enim ex autore suo eam æstimes, prorsus Christiana videri possit. Sic itaque ille: צמח צדיק זהו המשיח וקראו צמח שיהיה צאתו בעולם כצאת צמח השדה שהיא רבכה כן בהיות צדיק יהיו עמו צדיקים רוב העולם כמו שאמר יפרח בימיו צדיק ואמר והוכיח עמים רבים׃ ומלך מלך אמר הכפל לחזק הפעולה כי בזכור הפעולה השם נזכר עמה ובזכור אחריה השם הוא לחזק כמו למען בצוע בצע ממטיר עליו משר כל בוגדי בגד וכן ומלך מלך כי באמרו ומלך ידענו שהוא מלך ובהוסיפו מלך הוא לחזק המלכות שתהיה מלכותו בכל הארץ לא בישראל לבד כמו שאמר עליו ומשלו מים ועד ים ומנהר עד אפסי ארץ׃ *Germen justum denotat Messiam. Vocat autem eum germen, quia ortus ejus instar germinis ex agro crescentis futurus erat. Cum vero ille justus sit, multi cum ipso justi erunt in mundo. Quemadmodum dicitur:* (Psalm. 72: 7.) *florebit in diebus ejus justus. Et iterum dicitur* (Esai. 2: 4.) *& arguet multos populos. Cum dicitur & regnabit rex, sit illud ad intendendam significationem. Actionis facta mentione, nomen quoque memoratur ipsum. & dum postmodum ipsius nominis meminit, ad significationis intentionem id fit, e. g.* (Ezech. 22: 27.) *ut avare sectentur avaritiam. Et* (Esai. 5: 6.) *pluendo super illos pluviam. Et* (Jerem. 12: 1.) *omnes prævaricantes prævaricationes. Et ita h. l. dicitur, regnabit rex. Sane dum ait regnabit, eo ipso cognoscimus, eum Regem fore. Ceterum hanc quoque vocem addendo, emphasin voluit significare, in regno, quod nempe illud in toto terrarum orbe sit futurum, non sola Palæstina, quemadmodum ait de illo* (Ps. 72: 8.) *dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos terræ.* Hæc de verbis oraculi Judæus commentatus est, multo solidius profecto, quam H. Grotius, qui ipsorum Judæorum glossa longe deteriorem interpretationem nobis obtrudit. Tam illustre enim vaticinium is ad Zorobabelem referre nullus dubitat. Quod cum ad Zachar. 9: 9. idem fecerit, & ideo duo præcipua oracula de Messia alias solo intelligenda, de Zorobabele, novo inter Christianos modo interpretatus sit, acrem eo nomine Cl. Bocharti censuram est expertus, lib. II. cap. XVII. Hierozoici. Et cum in recutitos nonnullos, qui eundem in modum verba Jeremiæ jam olim detorserint, Theodoretus invehatur vehementius, (quorum hodie vestigiis nullus, quantum meminimus, insistit recentiorum Judæorum) idem ut in se dictum putet Grotius, Bochartus æquum esse censet. Verba Patris Græci hæc sunt: Ταῦτα οἱ ἐμβρόντητοι Ἰουδαῖοι εἰς Ζοροβάβελ ἕλκειν ἀναιδῶς ἐπιχειροῦσιν. ἔδει δὲ αὐτοὺς συνιδεῖν, ὅτι οὐ βασιλεὺς ἦν ἐκεῖνος, ἀλλὰ δημαγωγός. καὶ Ἰωσεδὲκ ἐκεῖνος οὐκ ἐκαλεῖτο. οὔτε μὴν ἡ ἑρμηνεία τῆς προσηγορίας πρόσφορος ἐκείνῳ. δηλοῖ γὰρ τὸ ὄνομα, κύριος δικαιοσύνη ἡμῶν. ἢ κατὰ τὴν τοῦ Σύρου ἑρμηνείαν, κύριε δικαίωσον ἡμᾶς. *Hæc fulguriti Judæi,* (id est tam stupidi & attoniti, quam qui fulmine icti sunt) *ad Zorobabelem trahere conantur impudenter. Sed illos considerare oportuit, eum non fuisse Regem, sed populi ducem, neque vocatum fuisse Josedec. Imo nec ei convenire hujus appellationis interpretationem. Significat enim hoc nomen Dominus justitia nostra. aut juxta Syram Versionem: Domine justifica nos.*

§. 5. Antequam vero id ostendamus, qua ratione Messiæ nomen Dei gloriosum competere Judæi doceant, & quomodo argumentum, quod inde pro divinitate illius necti solet, eludere satagant, de origine & genuina ejus significatione paucis agendum duximus. Oleaster à radice הוה originem ejus arcessit, quæ significet *pugnare, præliari.* Sed quia ab hoc etymo deducta vox non magis divinam naturam significaret, quam אלהים, אל, vel שרי, ideo longe rectius à radice sive היה, sive הוה deducitur, quæ *esse* significat. non quidem ideo, quod omnes literæ hujus nominis sint quiescentes, & significent, quod Deus in esse suo quiescat, ut Leonh. Marius sibi persuasit, sed quia Dei essentiam peculiariter denotat. R. AbenEsræ verba sunt ad Exod. 3.: ג׳ שמות הם העצם והגזרה אחת׃ *Tria nomina substantiam notantia sunt ex una radice pullulantia.* Respicit vero is ad vocem אהיה Exod. 3: 14. יְהוָֹה Exod. cap. 15: 3. יָהּ Ps. 68: 5. Medium vero nomen peculiarem significationem habere Christiani juxta & Judæi docent. Triplicem enim, adeoque universam temporis notationem exprimere, & adumbratam immutabilis & æternæ durationis imaginem captui nostro repræsentare, Zanchius de divinis attributis cap. 13. lib. I. contendit. nempe Kamez productum litera ה præteriti temporis, Cholem præsentis, Jod denique futuri indicem esse arbitratur.

§. 6. Sed vocales hoc denotare, haud perinde certum esse videtur, licet ipsum nomen, secundum se & ex usu Scripturæ, Dei essentiam, per se existentem, adeoque infinitam significare, Ebræis haud inviti largiamur. R. Bechai fol. 56. col. 4. ad Exod. 3: 14. diserte ait: בשם המיוחד נכללין שלשה הויות *in nomine Dei proprio continentur tres existendi modi.* Et R. Gerundensis, fol. 94. בעבור שהזמן עבר ועתיד כלו כבורא כהוה כי אין חליפות וצבא עמו ולא עברו מימיו לכום לפיכך יקרא כי כל הזמנים בשם אחד מורה החיוב המציאות׃ *Quandoquidem in Deo creatore futurum totum est instar præsentis, & neque mutatio ulla aut tempus in eo locum habet, neque dies ejus præteriverunt, ideo omnia tempora comprehenduntur uno nomine, quo essendi necessitas innuitur.*

§. 7. Neque abludit ab hisce R. Joseph Albo, qui Orat. II. lib. Ikkarim, sive de fundamentis fidei, cap. 28. hunc in modum scribit: שאר השמות הם שמות נאמרים עליו יתברך ועל זולתו לפי שהם שמות הונחו לו יתברך אם מצד הפעולות ואם מצד בחינה אחרת זולת חיוב מציאות יתברך כמו אלהים המורה על היכולת ועל כן יאמר עליו ועל זולתו כי אלהים יאמר על המלאכים והדיינים וכן אדני המורה האדנות יאמר עליו ועל זולתו וכן בשאר השמות יש שהם על זה הדרך ר״ל שכבר אפשר שיאמרו עליו ועל זולתו אם בשתוף גמור אם בקדימה ואיחור ואולם שם בן ארבע אותיות אי אפשר שיצדק על זולתו כלל בשום צד לפי שהוא שם יאמר עליו יתברך מצד חיוב מציאותו׃ *Reliqua nomina de Deo benedicto prædicantur, & de aliis præter ipsum, eo quod nomina sunt ejusmodi, quæ Deo benedicto competunt sive ratione operationum, sive alio respectu, extra essendi necessitatem Dei. ex. gr.* אלהים *quod potentiam significat, de eo prædicatur, & de aliis quoque, ex æquo. Angelis enim & judicibus tribuitur. & sic* אדני, *quod dominium denotat, de Deo dicitur & aliis. Eadem ratio est reliquorum nominum, quorum quædam se hunc in modum habent, hoc est, quæ de Deo & creaturis affirmantur, sive univoce, sive analogice. Sed nomen* יהוה *non potest ullo modo prædicari, nisi de solo Deo, eo, quod de Deo benedicto dicitur propter essendi necessitatem.*

§. 8. Consimilem in modum scribit R. Abarbenel, fol. 6. comm. in Legem, col. 1. Cum enim duobus modis nomina considerari posse, dixisset. 1. מצדנו *ex parte nostra.* 2. מצדו *ex parte ipsius.* Subjicit: היא מצד עצמותו ומהותו המחויב המציאות שהוא בתכלית השלמות והוא בלתי מושג לזולתו כפי מה שהוא ועל זה יורה השם המקודש בן ד׳ אותיות הנקרא שם המפורש כמו שכתב הרב המורה כי הוא מיוחס אליו ולא ישתתף בזולתו׃ *Hoc modo posteriori consideratur ratione substantiæ & essentiæ suæ necessariæ, quæ consistit in summa perfectione, à nemine alio, nisi à seipso (Deo) apprehenditur, ut in se est. Atque hoc demonstrat nomen Dei sanctum quatuor literarum, vulgo Hamphorasch dictum, uti Doctor perplexorum docet. Hoc enim illi tribuitur, & præter eum nulli.*

§. 9. Sic igitur & res ipsa loquitur, & Judæi magno consensu docent, nomen יהוה Deo competere ratione essentiæ, eamque ita significantissime exprimere, ut eum denotet, qui sit αὐτοφυὴς & per se existat, qui, ut Johannes Apoc. 1: 8. circumscribit, est ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, sive, ut Beza ex MSS. restituit, ὁ ἐσόμενος. Quod prisci Ebræi in Schemot Rabba, τὸ יהוה explicaturi, sic efferunt: אני שהייתי אאני הוא עכשיו ואני לעתיד לבוא׃ *Ego fui, & ego sum nunc, & ego sum futurus,* hoc est, ut Haggaon Raf Saadias, teste R. Abarbenele, com. in Leg. fol. 132. col. 1. explicat, qui est: ראשון ואחרון *primus & novissimus* (Esai. XLIV: 6.) Mirum ergo est, eos, qui Christiani audire volunt, hic nodum in scirpo quærere. Simon enim

Episco-

Episcopius, Remonstrantium antesignanus, postquam se permittere dixisset, ut disquiratur, an ratione essentiæ nomen יהוה Deo tribuatur, negativam sententiam amplecti nullus dubitat, lib. 4. cap. 2. Institut. Theolog. motus hisce rationibus: *quia Exod. VI: 3. Deus diserte dicit, se Abrahamo cognitum quidem fuisse in nomine* אל שדי *Dei omnipotentis, sive sufficientis, at non in nomine* יהוה. *Quomodo vero vel in nomine Dei omnipotentis Deus Abrahamo potuit esse cognitus, si nomen Jehova primo & immediate significat essentiam ipsam divinam? Contrarium potius sequeretur, Deum Abrahamo cognitum fuisse in nomine* יהוה *prius, quam ei erat in nomine* אל שדי, *omnipotentia enim essentiam præsupponit. Ipsa etiam etymologia indicat, dominium potius notari, quam essentiam, si lectionem Ebræorum usitatam & puncta literis subdita attendamus, quando videlicet legunt* ארני. Tandem *constantiam potius, quam simpliciter essentiam* notare, ait.

§. 10. At fallitur Episcopius vehementer; neque rationes illius tanti momenti sunt, ut idcirco communem sententiam, τὸ יהוה essentiam divinam notare, valere jubeamus. Scire enim licet Exod. VI. non tam de ipso nomine יהוה secundum se & simpliciter agi, (utpote quod Abrahamo & aliis Patriarchis non fuisse ignotum, ex Gen. XV: 7. XXVIII: 13. liquet) quam secundum quid. Nempe cum Deus verbis: בשם יהוה לא נודעתי להם negat, se patribus in nomine יהוה innotuisse, non de nuda nominis notitia agit, sed de complemento divinarum promissionum. Phrasi enim Scripturæ hoc ipsum per notitiam intelligi ex Esai. LII: 5, 6. apparet, ubi Dominus ait: *Jugiter tota die nomen meum blasphematur, eapropter cognoscet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse loquebar, ecce adsum.* Nempe innotescit, dum is ipse, qui locutus est, adest, & promissa præstat. Atque hoc ad locum Exod. cit. animadvertit R. Salomo, dum sensum esse verborum ait: לא נכרתי להם במדת אמתות *non innotui illis in virtute veritatis*, h. e. necdum effectum dederam, quod promissiones postulabant. Gen. XV: 13, 14. Neque de significatione vocis יהוה judicium facere licet ex alia, quam ejus loco Judæi adhibent ארני, cum sequioribus demum seculis, & post captivitatem Babylonicam mos ille inolevisse videatur, ut aliter τετραγράμματον legeretur, quam olim factum est, & pro יְהֹוָה diceretur אֲדֹנָי. Sane R. Lipmannus in Nizzachon inter utrumque discrimen agnovit: ה׳ מכתובו הוא לשון הויה וקריאתו לשון אדנות: *nomen tetragrammaton juxta literas, essentiam notat, juxta lectionem, dominium.*

§. 11. Manet itaque, τὸ יהוה esse nomen divinæ essentiæ, quod Alphonsus Tostatus, comm. in h. l. affirmat: *Sciendum*, inquiens, *inter ista nomina quædam importare Deum per modum formæ quædam per modum subjecti. Per modum formæ importatur in his nominibus attributorum, scil. bonus, sapiens, æternus, infinitus, creator, increatus, immutabilis, & sic de ceteris. Per modum subjecti importatur in his nominibus, Deus, & in nomine magno τετραγραμμάτῳ. Quia nomen τετραγράμματον non est nomen alicujus proprietatis attributalis, sed puram notat essentiam divinam. essentia autem per modum subjecti designatur, ut quoddam receptaculum perfectionum, quod licet idem realiter sit, quia in Deo non est subjectum, nec forma subjecti, hoc tamen importatur ex modo significandi nominum,* &c. Et paulo post: *Nomen Domini tetragrammaton signat perfectius, quia ipsam puram essentiam notat sub quadam excellentia maxima, ut est pelagus omnium perfectionum.* Atque hinc R. Abarbenel, com. in Gen. fol. 5. שם ההויה *nomen essentiæ* appellat. Et R. Isaacus Arama com. in Pentateuchum fol. 116. col. 1. hunc in modum scribit: זה מהידוע כי שם יהוה הנכבד והנורא הוא שם העצם המורה על עצמיותו יתברך אשר בו יוכללו כל שאר שמות התוארים אשר נקרא עליהם כי אתה כשתקרא ראובן כבר תכללוהו מצד מה שהוא רופא או סוחר או נגר אמנם כשתקראהו נגר או רופא לא תכלול רק אותו התואר לבד וכן כשנקרא בשם יהוה כבר כללו כל תואריו יתברך: *Hoc manifestum est, quod nomen gloriosum & reverendum*, Jehovah, *sit nomen substantiæ, quæ ipsius Dei benedicti essentiam demonstrat. In quo omnia reliqua nomina denominantia comprehenduntur, quibus ille denominari solet. Cum Ruben aliquem appellas, tunc eo ipso comprehendis, quatenus medicus ille est, aut negotiator, aut opifex. Ceterum si illum appellaveris artificem vel medicum, nihil nisi forma illa innuitur. Consimilem in modum ubi Deum* יהוה *appellaveris, omnia attributa, quibus Deus denominari solet, comprehenduntur.* Atque hoc ne ipse quidem Crellius negare potest, dum c. XI. lib. de Deo & ejus attributis ait: *Nomen hoc unum Deum ita significat, ut diversa ejus attributa naturæ vinculo inter se colligata animis nostris insinuet.*

§. 12. Est autem hoc sciendum, quod, cum vim & significationem ejus, quam vox Ebræa continet, interpretes non satis exprimere possent, diversis eam modis reddiderint. LXX. enim Interpretes ubique fere, quod nomen ad unguem huic respondens deficeret, per κύριον reddiderunt, quos Salvator noster Matth. 4: 7. imitatus est. Syrus pro eo suum ܡܪܝܐ substituit. quod licet itidem quatuor literarum nomen sit, & ut Georgius Amira, præf. in Gram. Siriacam docet, Syris *aliquid mysteriosum* designet, ut ܡܪ innuat ܡܪܘܬܐ *dominationem*, ܪ ܪܒܘܬܐ *majestatem* seu *magnitudinem* ܝ & ܝ ܐܝܬܘܬܐ *essentiam, substantiam seu æternitatem*: voci tamen יהוה minime respondet, neque soli Deo tribuitur, fatente ipsomet Amira. Arabs الرب adhibet. De quo etsi Arabes asserant, بالكلام لا يطلق لغير الله عز وجل *in oratione, non dicitur absolute de alio quam Deo forti & glorioso*, nec illud tamen plane æquivalet. Similiter in Persica versione, quam se Buxtorfii indulgentia possedisse, Hottingerus refert, Exercit. Anti-Morin. pagina 59. ob defectum commodi vocabuli & vocis כדא, quæ Ebræorum dictioni אלהים respondet, latitudinem, ipsum יהוה retinuerunt. Samaritani vero interpretes τετραγράμματον ࠉࠄࠅࠄ reliquerunt decurtatum.

§. 13. Quandoquidem igitur nullus interpretum vocem invenire potuit, quæ nominis יהוה significationem plene exhauriret, palam est, eos Photinianis minime assensos esse, asserentibus, *ratione originis ac nativæ significationis commune esse, veruntamen, tum ob* ἐξοχὴν *significationis Dei evasisse proprium, tum ob id, quod de aliis sive personis sive rebus in se spectatis, nominis instar usurpatum nunquam fuerit*, ut J. Crellius cap. XI. de uno vero Deo loquitur. Negat sane hoc Maimonides, part. 1. cap. 61. More Nebochim his verbis: מורה על עצמו יתעלה כאשר לא ישתתף אחד מן הברואות בהוראה ההיא: *Deum ipsum altissimum designat* (τὸ יהוה) *neque ulli creaturæ competit ista significatione*, nempe quam supra ostendimus, ubi ipsam Dei essentiam æternam, cui τὸ היות vel ὑπάρχειν intrinsecum prorsus esse diximus. Non vero demum Dei nomen proprium evasit, aut creaturis commune esse desiit, sed subinde ejus unius ἴδιον fuit, quod ipsemet testatur Esai. 42: 8. *Ego*, inquiens, יהוה, *hoc est nomen meum.* Conf. Exod. 15: 3. Quin, quod peculiariter notandum est, Masorethæ ideo hoc nomen אַזְכָּרָה vel אַדְכָּרָא appellant, quod illud memoriale sit essentiæ divinæ, & quia Deus ipsi Mosi dixit: hoc nomen ipsi referens, Exod. 3: 15. *Hoc nomen meum in perpetuum, & hoc est memoriale meum in quamque generationem.*

§. 14. Sane cum reliqua nomina Dei, ut Albo supra fassus est, creaturis quoque competant, nempe quod generalem quandam Dei aut rei, quæ pro Deo habetur, notionem declarant, vel ab attributis, fortitudine &c. petantur, nomen יהוה è contrario ita διακριτικὸν est, ut eo Deus Ebræorum à DIS cæteris omnibus discernatur, utpote ejusmodi nomine, in quo non est participatio inter creatorem & creaturam. Hinc factum est, ut non tantum κατ' ἐξοχὴν בן ארבע אותיות τετραγράμματον diceretur, quomodo τὸ אהיה, utut totidem literis constet, non indigitatur, sed etiam שם רבא ויקירא *nomen magnum & pretiosum*, הנכבד *gloriosum.* המפורש *separatum*, quod ab aliis Dei nominibus sit *distinctum & sejunctum*; vel *explicatum*, quod ad ejus vim & emphasin pernoscendam multa explicatione opus sit. המיוחד *proprium*, שם העצם *nomen substantiæ.* שם הגדול והנורא *nomen magnum & venerabile.* Græci ἄλεκτον, ἀνεκφώνητον, ἀπόῤῥητον, ἄφραστον, ῥηθῆναι μὴ δυνάμενον appellant. Hinc Cyrillus, δοκεῖ, inquit, μὲν οὖν κυριώτερον πάντων τῶν ἐπὶ Θεοῦ ὀνομάτων εἶναι τὸ ὄν.

§. 15. Atque hæc causa est, quamobrem ex singulari erga hoc nomen reverentia Judæi illius pronunciatione abstinerent, & aliud, videlicet ארני, substituerent, quod, excepta publica Sacerdotum benedictione, & Sacro piaculari, usurparent. Præter Talmudistas Philo hoc docet, cum illud λέγειν καὶ ἀκούειν ἐν ἁγίοις tantum fas fuisse affirmat.

§. 16. Cæterum seculis antiquioribus nondum receptum fuisse, ut nominis hujus pronunciatione abstinerent, neque gentibus eam occultam fuisse, satis ex scriptura patescit, & exempla Hirami & Rabsacæ 1 Reg. 5: 7. 2 Reg. 18: 22. docent. Atque inde factum est, ut Tyrii, quamvis, qua vocales, nonnihil mutatum pronunciarint יְהֹוָה, quod Philo Biblius Ἰευὼ scribere solebat. Alii vero יָהוֹ, ut Orpheus, per quem in Græciam id nominis manasse dicitur. Cujus Scripturam se-

ſequitur Diodorus Siculus, & oraculum Apollinis Clarii, ac poſtea Gnoſtici. Neque dubitat Grotius, quin, quod eſt apud Origenem τοῦ ἰαωΐα παρ' ἑβραίοις ὀνομαζόμενον legendum ſit ἰαὼ ἢ ἰὰ, ut duo ſint nomina יהוה & יה. Sane cum ipſe Hieronymus nomen hoc IAO legendum cenſeat, qui haud dubie illud alibi etiam ita legi vidit, omnino veriſimile eſt, LXX. quoque Interpretes dum יהוה צדקנו reddiderunt h. l. ἰωσεδὲκ pro ἰαὼ σέδεκ nomen illud formaſſe, an vero omiſſo ſuffixo נו, in ſuo codice legerint יְהוה צֶדֶק, id haud ita certo conſtat. Symmachus vero, qui tranſtulit κύριε δικαίωσον ἡμᾶς, in imperativo Pihel צַדְּקֵנוּ pro צִדְקֵנוּ legiſſe, & codice non punctato uſus nonnullis interpretibus videtur.

§. 17. Quicquid ejus ſit, valorem ejus & uſum in ſacris inpræſenti cumprimis intueri juvat ac penitius perpendere, quem B. Lutherus quoque Tom. III. Germ. Jenenſ. folio 431. b. his verbis deſcribit: Daß die Juden ſo viel von dieſem Namen halten/ und ſo groß ehren/ kommt daher: denn wo der Nam יהוה HErr in der Schrifft ſtehet/ da bedeut er Gott in ſeinem Göttlichen Weſen/ und Majeſtät/ und wird von dem wahren Gott geſagt. Es hat die Ebreiſche Sprach faſt bey zehen Namen/ damit ſie Gott nennet/ unter welchen ihrer viel ſeyn/ damit ſie Gott von ſeinen Wercken nennet. Aber dieſer Name Jehova HERR bedeut allein Gott/ wie er iſt in ſeinem Göttlichen Weſen. Dieſen Unterſchied können wir in unſerer Sprach nicht halten. Wir Deutſchen heiſſens alle Herr/ und können das Wort Herr nicht zwingen/ daß es Gott allein heiſſe/ denn wir heiſſen einen Fürſten/ Herr/ einen Haußvater heiſt man auch/ Herr.

§. 18. Nomen itaque יהוה ejusmodi eſt, ut, cum alias ipſe Deus ſibi illud, veluti proprium, vindicet, ex illo, quod hic Meſſiæ expreſſe tribuitur, divinitatem ejus probare ſoleant Chriſtiani. Sane & Pontificii & Reformati & noſtrates Theologi plurimum argumento inde formato tribuunt. Johannes Maldonatus, annot. in h. l. illud *manifeſtum* appellat, & Bellarminus, lib. 1. de Chriſto cap. 7. primo fere loco ei relicto inter argumenta, quæ ex nominibus veri Dei formantur, Chriſti divinitatem inde comprobat. Quin Joh. Hoornbek. Tom. 2. Socinianiſmi confutati lib. 1. cap. 1. Chriſtum Jehovam etiam, uti Deum appellari, directe ex illis locis conſtare ait, ubi hoc aperte fit, Jer. 23: 6. Eſ. 40: 3. Quanti autem fecerit hunc locum B. Luth., ex verbis illius, quæ Tom. 3. Germ. Jen. I. ſupra cit. leguntur, pateſcit; ubi hunc in modum loquitur: Dieweil die H. Schrifft/ und die Juden ſelbſt/ dazu auch die heilige Väter und alle Schreiber überein ſtimmen/ daß dieſer Name allein und eigentlich der Göttlichen Majeſtät und Weſen zugehöret. So haben wir hie im Propheten Jeremia ein mächtigen ſtarcken Stoß wider die Juden/ und gar ein trefflichen Troſt für uns Chriſten. Denn da wird gantz kräfftiglich gegründet dieſer Artickel unſers Glaubens/ daß Chriſtus wahrer natürlicher Gott ſeye. Ich habe ſelbſt mit den Juden davon geredet/ auch mit den Allergelärteſten/ welche die Bibel ſo wohl wuſten/ daß auch kein Buchſtabe darinne war/ ſie verſtundens/ habe ihn dieſen Spruch vorgehalten: Aber ſie kunten nichts wider mich auffbringen. Zu letzt gaben ſie mir dieſe Antwort und ſagten/ ſie glaubten ihrem Talmud/ das iſt/ ihrer Außlegung/ die ſagte nichts von Chriſto und derſelbigen müſten ſie folgen. Darum bleiben ſie nicht bey dem Text/ ſondern ſuchen Außflucht. Denn wo ſie bey dem Text allein blieben/ wären ſie überwunden. Denn dieſer Spruch ſchleuſt zu ſtarck/ daß dieſer Same Davids ſey ein wahrer natürlicher Gott. Denn er ſoll mit dem Namen genennet werden/ damit der rechte wahre Gott genennet wird.

§. 19. Sunt tamen inter Judæos complures, qui idcirco manus dediſſe videri nolunt, ac tantum abeſt, ut ſepoſito Talmudico codice aquam ſibi hæſiſſe fateantur, ut audacter ad ſcripturam provocent, in qua ſimilia loca extent, ubi nihil minus inde ſequi in propatulo ſit, quam rem illam, cui idem nomen Dei tribuitur, divinitatis participem eſſe. Sic enim R. D. Kimchi com. in h. l. ſcribit: יקראו ישראל יקרא המשיח בזה השם י״י צדקנו לפי שבימיו יהיה צדק יהוה לנו קיום תמיד לא יסור וזו הקריאה על דרך הקריאה שקרא משה רבינו ע״ה המזבח יהוה נסי וקרא יעקב למזבח אל אלהי ישראל כל אחד לפי ענינו הנמצא בו וכן ושם העיר מיום ה שמה: *Dum dicitur* ויקראו *& vocabit eum*, *ſenſus eſt: Iſrael ſic vocabit Meſſiam* (aurem hic arrigite Pontificii, ſcripturas à Judæis hic corruptas eſſe ſubinde clamitantes!) *eo, quod iſtius ætate Juſtitia Dei apud nos perpetuo durabit, nunquam receſſura. Hæc denominatio autem ſe habet eum in modum, quo Moſes doctor noſter l. m. vocavit altare*, (Exod. 17: 15.) *Iehova vexillum meum, & Iacobus* (Gen. 33: ult.) *appellavit altare Deum, Deum Iſraelis. Unumquodque pro ratione ſui ſignificati. Quemadmodum etiam* (Ezech. 48: ult.) *dicitur, nomen urbis ab illa die erit: Iehova ibi.*

§. 20. Clarius, quid ſibi Judæus velit, ex Rabbi Salomonis gloſſa patet, ad cap. 17: 16. Exodi, ſic ſcribentis: הקדוש ברוך הוא עשה לנו כאן נס לא שהמזבח קרוי השם אלא המזכיר שמו של מזבח זכר את הנס שעשה המקום והוא נס שלנו: *Deus ſanctus benedictus fecit nobis hic ſignum, non ut vocaremus altare nomine divino Iehova, ſed ut illi, qui mentionem fecit altaris, inſimul & ſigni veniret in mentem à Deo facti, & hoc ſignum nos ſpectat.* Huic jungemus Rabbi Gerundenſem, ad Geneſ. 33: ultimo, hunc in modum ſcribentem: ויקרא לו אל אלהי ישראל לא שהמזבח קרוי אלהי ישראל אלא על שם שהיה הקדוש ברוך הוא עמו והצילו קרא שם המזבח על שם הנס להיות שבחו של הקדוש ברוך הוא נזכר בקריאת המזבח כלומר מי שהוא אל הוא אלהים לי ששמי ישראל וכן מצינו במשה ויקרא שמו השם נסי לא שהמזבח קרוי השם אלא על שם הנס קרל שם המזבח להזכיר שבחו של הברוך הוא השם הוא נסי ורבותינו דרשו שה״קב קראו יעקב אל ודברי תורה כפטיש יפוצץ סלע מתחלקין לכמה טעמים ואני לישב פשוטו באתי כל זה לשון רש״י והנה צדקו דברי הרב בפשוטו מקרא ויהי טעם לו כטעם קרא בנימין וקורא לך גדר פרץ ודע כי המנהג הזה בישראל כן שיקראו השמות בשבחי האל כמו צוריאל צורי כי יגיד הקורא שהאל הוא צורו וכן עמנואל וכן שם המשיח ה׳ צדקנו ושם ירושלי׳ השם שמה וכן יעשו בשמות המלאכים גבריאל מיכאל: *Vocavit nomen ejus, Deus, Deus Iſraelis, non quod altare vocandum eſſet Deus Iſraelis, ſed quia Deus benedictus ipſi fuiſſet auxilio & eum liberaſſet, ideo vocavit altare nomine vexilli, quo ſcilicet cederet in laudem Dei, memorandam poſtmodum, quoties nominaretur altare, quaſi diceret: Qui Deus eſt, ille Deus eſt mihi, qui vocor Iſrael. Et ſic invenimus, Moſen altare vocaſſe, Dominus vexillum meum, non quod altare Deus dicatur, ſed juxta nomen ſigni appellavit nomen altaris ad memorandam laudem Dei benedicti: Deus eſt vexillum meum. Myſtice expoſuerunt Dd. noſtri, dicendo à Deo benedicto ipſo vocatum Jacobum fuiſſe Deum. Et ſane verba Scripturæ, quæ eſt inſtar mallei* (Jer. 23: 29.) *petram conterens, ad plures ſenſus accommodari poſſunt. Ego vero ſenſum literalem confirmare conſtitui. Hæc tota explicatio eſt R. Salomonis, & ecce verba Rabbini ſecundum ſenſum literalem recte ſe habent. Et ſenſus eſſe videtur, ut ibi, cum dicitur*, (Gen. 35: 18.) *& vocavit eum Benjamin. Et* (Eſai. 58: 12.) *vocaberis ſepiens fracturam. Et ſcire licet, Iſraelitas ſolitos fuiſſe nomina ſua formare in gloriam divinam, exempli cauſa Zuriel, Zuri. Pronuncians enim nomen fatetur, Deum ſuum eſſe auxilium & petram. Idem eſto judicium de voce Immanuel. Quin & MESSIÆ nomen futurum hoc modo dicitur JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA, & Jeruſalem, Dominus ibi, vocanda eſt. Angelica quoque nomina inde facta ſunt, v. c. Gabriel, Michael.*

§. 21. Ex quibus id pateſcit, Judæos nonnullos concedere, nomen Meſſiæ eſſe, *Jehova Juſtitia noſtra*: inde tamen ſequi, eundem ipſum Jehovam eſſe, ſtrenue negare, eo quod id nominis, ut aliquid complexum, ſaltim memoriale ſit beneficii, quod Deus in homines confert, perinde ac altare Moſis dictum eſt יהוה נסי *Jehova vexillum meum*, non quod altare ipſe יהוה ſit; ſed ad indicandum, Deum ipſi fuiſſe opitulatum, & ut in poſterum crebra illius altari impoſiti nominis mentione auxilii ſimul, quod Deus contuliſſet, alii grati recordarentur. R. D. Kimchi docet, nomine iſto Meſſiæ, *Jehova Juſtitia noſtra*, duntaxat *juſtitiæ durationem* intelligi. R. Lipman. vero lib. Nizzachon, num. 208. hoc doceri iſto nomine contendit, שבימיו השם מצדיק אותנו, *quod illis diebus* (Meſſiæ) *nos Deus ſit juſtificaturus.* Quibus gemella docent Socinus & aſſeclæ ejus. Hic enim Meſſiam ſic appellari ait: *quod mundus initio N. T. per eum ſit juſtificandus.* Joan. Crellius vero in Epiſtola quadam, cum, valere juſſa ſententia Socini, (qui nomen Meſſiæ eſſe concedit,) de populo Judaico nomen illud intelligendum eſſe contendiſſet, tandem, ſi vel maxime de Chriſto intelligeretur, ſecuturum negat, Chriſtum, ſeu Germen illud Davidicum, eſſe ipſum Jehovam. *Id tantum*, inquit, *ſignificaretur, germen illud Davidicum cauſam fore mediam ejus rei, quæ nomine iſto, Jehova juſtitia noſtra* (eſt), *exprimitur. Hoc eſt, Jehovam per ipſum juſtificaturum populum ſuum, ut proinde ipſi, hoc eſt, germini illi ex tanto beneficio à Deo per ipſum in populum collato, jure potuerit hoc nomen imponi. Quo pacto etiam Immanuel debuit appellari, non quod ipſemet is eſſet Deus, qui ſit nobiſcum futurus, ſed quia per eum & cum eo Deus eſſet nobis adfuturus, ſeque nobis propitium ac maxime benignum exhibiturus. Quia vero hujusmodi nomina ab eventu ſolent imponi,* quod

quod de hac appellatione, qua de agimus, ex eo ipso, quem citasti, loco constat; ex eo facile est intelligere, ea non desumi solere ex re, quæ cuipiam naturaliter ac necessario insit, quod tamen hoc loco fieret, si germen illud Davidicum diceretur Jehova, quia nempe essentiam Jehovæ in se haberet. Quin illud etiam inde non obscure colligitur, verba illa potius ita esse resolvenda, ut totam enunciationem contineant, quam ut per appositionem tantum elatæ intelligantur. Illo enim modo eventus quidam certus, nempe quod Jehova populum suum justificet, primo ac potissimum significatur; hoc vero modo non principaliter, sed velut accessorie tantum; principaliter enim significaretur, eum esse Jehovam, id quod personæ contineret commendationem, non vero eventum exprimeret: id vero, quod additur, justitia nostra, prioris tantum illustrandi causa adhiberetur.

§. 22. Quemadmodum vero hi, quos hactenus adduximus, Ebræi, & Photiniani argumento Christianorum ideo virtutem probandi denegant, quod τὸ *Jehova justitia nostra* duntaxat monumentum rei futuræ exhibeat, & id, cui nomen imponitur, Dei nomine proprio haud insigniatur, sed ipsa appellatio, per se vim consuetam retinens, summum rerum Monarcham significet, de quo prædicatur, quod aliquid sit acturus: ita contra alii non desunt, qui licet admittant, Messiam absolute vocari *Jehovam*, nihilominus invenisse gloriantur, quomodo Messias *Jehova justitia nostra* appelleatur, ut tamen idcirco, ipsum *Jehovam* esse, minime consequatur. Inter Christianos Remonstrantes, inter Judæos familiam ducit R. Bechai, qui comment. in Pentateuchum f. 22. col. 1. sic scribit: ידוע מדרך הקבלה גם חכמי המחקר מסכימים בזה כי הדבר הדבק נקרא על שם הנדבק בו גם הנדבק על שם הדבק וכן מצינו שכחן של ישראל נקרא ישראל וזהו שכתוב מבקשי פניך יעקב כן דרשו ר"זל יאמר נא ישראל סבא מכאן כי הדבק נקרא על שם הדבר הנדבק והנדבק על שם הדבק ועם זה יתבררו לך כמה עניני שבתורה ואין לך לתמוה אם נקרא המלאך או הנביא בשם המיוחד או מקום המקדש גם כן והוא שדרשו ז"ל שנקרא שמו של משיח השם צדקנו וכן ירושלים שכתוב בה ושם העיר מיום ה' שמה אל תקרא שָׁמָּה אלא שְׁמָהּ וכן המלאכים שנקראים תמיד בשם המיוחד: *Notum est ex Cabbala, & sapientes scrutationis non dissentiunt, quod aliquid vocetur nomine illius, quocum construitur, & vice versa. Et ita reperimus, robur Israëlis vocari Israël. Atque hoc est, quod scriptum extat* (Ps. 24: vs. 6.) *quærentium faciem tuam Jacob. Hoc modo Dd. nostri, b. m. exposuerunt illud* (Ps. 124: 1.) *dicat nunc Israël. Exinde patet, construens vocari nomine constructi, & vice versa. Atque hunc in modum multa tibi manifestabuntur in Lege. Neque est, quod mireris, angelum sive prophetam nomine Dei proprio venire, aut locum sanctuarii. Atque hoc est, quod Dd. nostri l. m. allegorico sensu docuerunt: Messiam nomine, Jehova justitia nostra, appellatum esse. Sic Hierosolyma, de qua scriptum est:* (Ezech. 48. ult.) *& nomen urbis à die illo, Dominus ibi: Ne dicas* שָׁמָּה *sed* שְׁמָהּ, *& sic angeli, qui subinde nomine Dei proprio appellantur.*

§. 23. Cæterum neutram explicationem probat R. Abarbenel, sed Kimchii æque ac Bechai sententia rejecta, aliam & textui, ut sibi persuadet, conformiorem explicationem in medium afferendam censet. Unde fol. 119. comment. in Prophetas, quæst. 4. quæstionem ejusmodi movet: איך יקרא אותו השם בשם המיוחד המפורש אליו יתברך שלא ישתתף בקריאתו דבר מנבראיו והמפרשים אמרו שכן קרא יעקב אבינו אל המזבח אל אלהי ישראל ומשה רבינו קרא אל המזבח השם נסי ויחזקאל קרא לירושלים השם שמה אבל אין זה היתר ראוי כי הדבר יקשה בכלם גם כן: *Ecquomodo Deus suo nomine proprio & separato, cujus alias nulla creatura particeps sit, vocat Messiam? Interpretes ajunt, hoc modo vocasse Jacobum patrem nostrum altare Deum, Deum Israëlis. Et Mosen Doctorem nostrum vocasse altare, Dominus vexillum meum. Ezechielem urbem appellasse, Dominus ibi. Verum hæc solutio non est conveniens. Eadem enim difficultas in omnibus allatis exemplis occurrit.* Videamus igitur, quo successu is, qui cornicum oculos configere præsumit, novam explicationem hic moliatur. כבר זכרתי בשאלות כמה מהקושי יפול בקדושת מלך המשיח ולא שום בריה אחרת בשם השם אל עולם כי הוא השם הנכבד הוא הנקרא המפורש לפי שלא ישתתף בו זולתו ואיך יקרא שם המשיח בזה השם והמפרשים אמרו שמלת יקראו הוזר לישראל שהוא יקרא את המשיח כן ושמשה רביני קרא את המזבח השם נסי ויעקב קרא למזבח אל אלקי ישראל וכן בדברי הנביא יחזקאל על ירושלים ושם העיר מיום השם שמה ואין זהו היתר לספק כ"א תוספת זרות בכל שאר הפסוקים שזכר וראוי לבקש בהם פירוש נכון וי"ם שלא היה שם המשיח אלא צדקינו בלבד לא שם השם ויהיה פירוש הפסוק וזה שמו אשר יקראו השם כי הוא יהיה אז הקורא אותו בשם צדקינו והיותר נכון בעיני הוא שלא אמר הנביא שיהיה שם המשיח לא השם צדקינו ולא צדקינו בלבד אבל שיהיה שמו צמח צדיק כ"מש ועל אותו שם אמר וזה שמו רוצה לומר צמח דוד אשר יקראו השם צבאות שהוא צדקינו כי הוא יקראהו בשם השם ר"ל צמח צדיק והותרה בזה השאלה הד: *Difficultatum, quæ in Regis Messiæ sanctificatione occurrunt, jamdum mentionem feci in quæstionibus. Neque ulla alia creatura invenitur, cui hoc nomen Dei seculi competat. Est enim nomen gloriosum, quod separatum ideo appellatur, quia præter eum nulli attribuitur. Ecquomodo igitur Messias hoc nomine vocabitur? Interpretes dicunt verbum* ויקראו *respicere Israëlem, qui Messiam ita sit appellaturus. Et Mosen sic appellasse altare, Dominus vexillum meum. Et Jacobum vocasse altare Deum, Deum Israëlis. Quin in prophetia Ezechielis dici: & nomen urbis ab illo die Dominus ibi. Sed ita dubium non solvitur, quin anomalia potius alia cumulatur. Alia igitur, eaque rectior quærenda est explicatio. Sunt, qui ita interpretentur, ut nomen Messiæ duntaxat sit justitia nostra, non Jehova simul. hoc sensu: hoc erit nomen ejus, quo Dominus ipsum appellabit. Ille enim tunc ita appellaturus eum est. Mihi vero magis probatur illa sententia, Prophetam neque prædixisse, fore, ut Messias vocetur Jehova justitia nostra, neque simpliciter, justitia nostra, sed germen justum, quemadmodum dicitur* (vs. 5.) *& illud nomen innuit, dum dicit: & hoc nomen ejus, vult dicere, germen Davidis, quod Deus exercituum, qui justitia nostra est, vocabit nomine Dei, h. e. germen justum. Et ita quarta quæstio est soluta.*

§. 24. Ita cerebellum suum frangunt Judæi recentiores in Messiæ nomine glorioso, &, textu violenter detorto, variis modis nituntur ostendere, dignitati ejus ex nomenclatura illa nihil peculiare accedere, neque divinitatem ejus ullo modo probari posse. Quo ipso quandoquidem cum Photinianorum choro unum cornu inflant, & iisdem contra orthodoxos armis fere usi textum depravare satagunt, jamnunc verborum quoque explicatione genuina stabilita, ad illam Judaicam quadruplicem detorsionem respondere, & quantopere οἱ ἐξ ἐναντίας à vero aberrent, ostendere conabimur.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Exempla à Kimchio *nequicquam ad eludendum Christianorum argumentum afferre ostenditur.* R. Josephi Albo *de Nomine Messiæ* Jehova justitia nostra *memoratu digna sententia.* Cl. Hackspanii *erudita observatio, qua* Buxtorfiorum, Helvici, *aliorumque Versio emendatur. Verbis* R. Saadiæ *&* Abarbenelis *in recutitos retortis, Messiæ divinitas probatur. Qua ratione is justitia nostra sit, ostenditur.* Judæorum *de Messiæ, in tollendo peccato, munere memorabilis confessio. Insignitæ cæcitatis illorum causæ à* Munstero *detectæ. Idiotismus Ebræorum, quo* vocari *pro* esse *in Scriptura ponitur, exemplis comprobatur.* Pontificiorum *frivola suspicio de corrupto loco Jeremiæ, ex ignorantia linguæ Ebraicæ nata.* Kimchii *interpretamentum* Ostorodo, Crellio *&* H. Grotio *oppositum. Significatio vocis Justitiæ quæ?* Cameronis *observatio expenditur.* Bellarminus *laudatus.* Grotii *explicatio rejecta.* R. Bechai *sententia de imposito nomine Messiæ explosa. Loci Ps. 24: 6. genuinus sensus à Kimchio ostensus.* B. D. König *laudatus.* R. Saadiæ *explicatio ob neglectum accentum Tarcha* AbenEsræ *improbata, alia ab* Abarbenele *substituta refellitur.* Crellius *& complices cum Judæis &* Socino *commissi. An Jerem. 33: 16.* τὸ Jehova justitia nostra *urbi Hierosolymæ tribuatur, disquiritur. Repudiata sententia* Piscatoris, Cornelii à Lapide, Capelli *&* Abarbenelis, *alia ex textu stabilitur. Judæorum desiderii, ingentis quidem illius sed præposteri, quo germinis adventum exoptant, vanitas.*

§. 1. Quod

§. 1. QUod igitur attinet Kimchii aliorumque ipsius complicum sententiam, scire licet, multum omnino discriminis inter hunc propheticum locum, & reliqua, quæ instantiæ velut vicem ab adversæ partis Doctoribus, Judæis & Photinianis, adducuntur, interesse. Altare enim, quod Moses devictis hostibus gratitudinis suæ declarandæ causa יהוה נסי appellavit, memoriale duntaxat erat auxilii divini, & idcirco ei nomen impositum, ne id hominum memoria facile excideret. Atque ita nomen illud à nudo homine altari impositum nudum זכרון vel ἀναμνημονικὸν erat, neque ad auxilium istud quicquam altare contulit, quippe quod, eo præstito, demum est exstructum. At cum Messiam יהוה צדקנו appellandum esse, Deus ipse ait, qui omnium rerum naturam inspicit, in cujus ὀνοματοθεσίᾳ multum momenti positum est, prædicit, & præterea in textu rationem, quamobrem id nominis Messias habiturus sit, exponit, ipsique adeo Messiæ fundamentum denominationis inesse docet, liquido patet, non unam eandemque denominandi esse rationem utriusque loci. Neque Judæi hoc inficias ire possunt, qui Messiæ beneficio Justitiam se nacturos ultro largiuntur. R. Joseph Albo enim loc. supra cit. ait: ויקרא הכתוב שם המשיח יה״ה צדקנו להיותו אמצעי אל שנשיג הצדק מהשם ועל כן יקראהו בשם יהוה צדקנו: Quæ verba cum sæpius adversus Judæos à magni nominis viris urgeri soleant, neque tamen illi mentem autoris recte assequantur, seorsim aliquid de Versione illorum dicendum venit.

§. 2. Buxtorfius, Pater, in Lexico Ebraico, Radice היה ejusmodi versionem reliquit: *Vocat Scriptura nomen Messiæ, Dominus justitia nostra*, (Jer. XXIII: 6.) *quia erit mediator Deus, per cujus manum consecuturi sumus justitiam à Deo ipso, & idcirco vocat eum nomine, Jehova justitia nostra.* Filius ejus in iteratis editionibus nihil hujus emendandum ratus, eandem versionem Parentis, tanquam apprime cum Ebraicis verbis convenientem, retinuit. Christophorus quoque Helvicus, Tom. IV. dispp. Giessens. X. p. 245. & disp. XIII. pag. 323. eam suam fecit, & hoc inde consectarium elicuit: *En Jehovam, & distinctum à Jehova mediatorem, Jehovam Messiam!* Neque in diversum abit B. D. Glassius, qui insuper allata verba, forsan aliis fidem habens, Maimonidi tribuit, Onomatol. pag. 188. Jacobus quoque Altingius, lib. IV. c. 31. tr. de *Schilo*, nixus verbis אמצעי אל Messiam *Deum internuncium* vocari tradit. Johannes vero Coccejus, com. ad c. VI. Epist. ad Ebr. p. 220. *intermedius Dei*, sive *Deo subordinatus*, vertit, melius tamen *mediator Dei* verti, arbitratur. Josephus denique de Voisin, lib. I. Theol. Jud. cap. 5. idem ac *mediator Dei* semel atque iterum significare, arbitratur.

§. 3. Ac, ne quid dissimulem, libri *Ikkarim* nondum compos, Buxtorfianam hanc Versionem aliquot ab hinc annis itidem eram amplexus. Quod cum ex transmissa disputatione animadvertisset Cl. Hackspanius, meus quondam in inclyta Altorphina fidelissimus Doctor, de illa emendanda aurem mihi vellicavit, *pro jure*, inquiens, *nostræ amicitiæ monendus videbaris.* θ. XV. *offerebat se versio ex libro Ikkarim, & erat tunc in manibus meis Josephi de Voisin Theologia Judæorum, & Tractatus de Trinitate, ubi* אמצעי אל *reddebatur mediator Dei, non mediator Deus, uti quidem visum Cl. Buxtorfio, & post eum D. Glassio, Messiæ nomina prophetica recensenti. Ego tertiam adjiciendam judicabam, quæ* אל *legeret, atque hunc sensum gigneret, ut sit mediator ad id, ut consequamur justitiam. Movebat me locutio, quam notaram ex libro* ראשית חכמה, *nempe hæc:* הם סבות להבאת האדם אל שיהיה רע: *sunt causæ ad deducendum hominem eo, ut malus fiat. Succurrebat locus alius de* על, *ex Saadiæ libro* האמונות *pag. XI. col. 3. circa finem:* הסכמנו כלנו על שהאש שורפת: & *mox* הסכמנו על שהסכין כורת *&c. eligenda jam versio magis proba, nec præcise subsistendum in Versione Buxtorfiana.* Recte B. Hackspanium hariolatum esse, vocem Ebraicam אל ibi aliam significationem habere, neque *Deum internuncium* vel *mediatorem* denotare, ipso inspecto codice, cujus, amicissimi Gramsii, Francof. ad Mœnum Pastoris vigilantissimi, opera, mihi copia est facta, deprehendi. Loco enim citato idem Albo de altari scribit, id *Jehova* נסי vocatum esse להיות כלי אל שנעשה על ידו נסים: *quod organon esset, quo fierent signa*, ubi eadem particula אל sequente præfixo ש, occurrit, neque tamen per contextum *Dei* significationem obtinere potest.

§. 4. Etsi vero אל eum sensum, quem Cl. Viri ibi concipiunt, minime gignit, neque Judæus vel *Deum*, vel *Dei mediatorem* Messiam vocavit; magnum tamen & evidens adhucdum inter utrumque exemplum est discrimen, quandoquidem Judæus ingenue fatetur, Messiam id nominis habiturum esse, להיותו אמצעי אל שנשיג צדק מהשם: *quod per illum tanquam mediatorem à Deo justitiam simus nacturi.* Quale quid de altari dici nequit, etsi R. Josepho Albo ita videatur. Præterea illa confessio ideo notanda venit, quod alias Judæi בזכות מעשיו vel *operum suorum merito* se justificari docent, hic vero Messiæ, quod justi sint, acceptum ferunt. Quod etiam tunc fieri solet, cum, ut apud R. Saadiam Gaonem in c. VIII. Danielis, & R. Abarbenelem comm. in c. VIII. Dan. fol. 13. & 88. col. 1. videre est, eum משיח צדקנו *Messias justitia nostra*, appellant in casu recto. Unde Joannes Coccejus, Resp. ad quæstiones Judaicas pag. 148. *Mirabile*, inquit, *hoc ipsos dicere, & non attendere, quid dicant. Nam qui est justitia nostra, is nobis causa est juris sperandi, petendi & accipiendi vitam æternam.* Nos inde contra Judæos hunc in modum argumentamur: Qui est nostra justitia, est Jehova. Messias est nostra justitia. Ergo Messias est Jehova. Minorem concedunt ipsi Judæi, qui, veluti audivimus, in ore subinde habent, *Messias justitia nostra.* Major propositio patet ex verbis Jeremiæ, & aliis locis Scripturæ, cumprimis Esai. XLV: 24. *Tantum in Jehova*, אָמַר לִי, *de me dixit*, (quæ verba LXX. & Latinus Interpres neglexerunt) *est justitia. In Iehova justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israël.* Ubi Messias loquitur, qui Ps. II: 7. ait: *Iehova dixit ad me.* & Ps. XL: 8. *Ecce venio, de me scriptum est in volumine libri*, & ita ad testimonium Dei provocat. Velint igitur, nolint, fateantur Iudæi oportet, Messiam, quem suam justitiam profitentur, Iehovam esse, adeoque verum & φύσει Deum, nec instrumentalem duntaxat justificationis causam, (ut Rabbi Albo videtur statuere & Photiniani, nominatim Crellius, qui Messiam ideo יהוה appellare docet, quod in eo veluti instrumento verificentur promissiones Dei, non suæ,) sed principalem. Atque hoc exinde satis elucescit, quod causa fidei est, quam adauget Luc. XVII: 5. Marc. IX: 24. & ipsam justificationem virtute propria & non minori, quam ad eam requiritur, operatur. Rom. V: 9. 2 Cor. IV: 21. Coloss. III: 15. Quid, quod eadem causandi ratione, Christus est causa justificationis, qua Adamus mortis & condemnationis. Sed hic principalis est. E. & Christus, qui idcirco etiam *Sol justitiæ* appellatur. Malach. IV: 2. *Oriens ex alto*, Luc. I: 78. *Lux vera.* Ioh. I: 9. *Rex justitiæ.* Ebr. VII: 2. factus ita nobis *justitia*, 1 Cor. I: 30. ut per imputationem ejus simus justi, 2 Cor. V: 20.

§. 5. Judæis quoque radii veritatis oculos illustrasse videntur, dum in libro Nave Schalom, l. 9. c. 5. & 8. ita loquuntur: יוסר החטא הקדמוני שממנה נכנסה מיתה ובימיו תה״ה תחיית המתים וגו׳ וזה היתה הכונה בבריאת האדם להיות נצחי והחטא קנס עליו מיתה ונשלמה הכונה האלהית במלך המשיח החפצי לאדם הראשון: *Tollet* (Messias) *peccatum antiquum, ex quo mors emanavit, & diebus ejus erit resurrectio mortuorum. Atque hoc intenderat Deus in creatione Adami, ut esset immortalis, sed peccatum ei mortem intulit. Intentio itaque Divina completa est in Rege Messia, qualiter in primo homine non fuit.* Sed licet per transennam quasi Judæus aliquid veri perspexerit, quo minus tamen ipsam veritatem plenarie apprehenderit, obstat defectus illorum requisitorum, quæ in explicandis vaticiniis junctim Munsterus exigit. *Nempe*, ut præfat. in Prophetas monet, *qui sibi sumit Prophetas enarrandos, huic multis opus est, nempe Historiarum cujusque temporis notitia, linguæ Ebraicæ perfecta cognitione, Filii Dei incarnati sincera agnitione, fidei certissimis experimentis, quandoquidem quæ illi ad posteritatem scripserunt, metaphoris & tropis involverunt, & libris commiserunt, ut, spiritu explicante, cum magnis commodis exciperentur, porcis autem & canibus contecta manerent.*

§. 6. Manent sane verba hujus oraculi Judæis contecta & minus intellecta. Phrasin enim Scripturæ minime penetrant ob præconceptam opinionem de Messiæ regno terreno, quod etiam hic stabiliri persuasum habent, cum Deus germen justum se excitaturum pollicetur, quod *prospere acturum*, & regnum ita administraturum sit, ut *Juda salvetur*, & *Israël tuto habitet.* Quod *judicium* & *justitiam* sit exerciturum. Quibus verbis alias regis terreni officio suo rite fungentis virtutes & proprietates Scriptura describit, 2 Reg. X: 9. 2 Paralip. XVIII: 14. 2 Sam. VIII: 15. Hinc Schindlerus in Lexico monet, rad. צדק si quando duo ista conjunguntur, tum illud de *fontium coërcitione*, hoc de *justorum defensione* accipiendum esse. Sed hic Judæis recolendum erat, uti alias sacræ literæ Dei beneficia spiritualia figurate & typice designare solent: ita hic sub involucro & cortice phraseos, de rege terreno usurpari solitæ, justitiam spiritualem designari, quam Messias, (qui ἀντονομαστικῶς *justus* appellatur Esa. LIII: 11. & quo occiso, æterna *justitia* adducetur, Dan. IX: 24. quem cum *justitia* Deum vocat, Es. XLII: 6. cui *justitiam* dedit Ps. LXXII: 1. qui in sui agnitione *justificabit*, Es. LIII: 11.) nobiscum communicat. Perinde ac vocabulis ex. V. T. petitis

petitis cultus N. T. describi solet, cum Malach. 1: 11. omni loco ab ortu solis usque ad occasum ejus מנחה oblatum iri Propheta ait, quod tamen, si usum vocis alias receptum, & Mosaicas constitutiones respicias, parum convenire videtur.

§. 7. Frustra etiam recutiti causantur, ideo Messiæ nostro hoc nomen tribui non posse, quod nullibi eum ita appellatum esse legamus. Novimus enim Christiani, & ex scripturæ lectione observavimus, secundum morem ejus dici aliquem vocatum iri nomine aliquo, qui non tam eo vocis sono sit appellandus, quam reipsa talis futurus. Quod Episcopius, Photinianis alias satis æquus, ipsemet diffiteri nequit p. 178. Institut. Theolog. *Deus*, inquiens, *passim in Scripturis nomenclaturam rebus aut personis quibusdam indi jubet, non habita ratione nominis ipsius, sed solius sensus sive rei, sub isto nomine contentæ, divina.* Confer Esai. 1: 26. cap. 9: 6. 56: 7. 60: 14. 62: 4. Jer. 3: 17. Matth. 1: 21. Atque hoc non ignoravit Chaldæus interpres, qui vocem Ebraicam יקרא Es. 14: 20. יתקים *permanebit*, transtulit. Et Lucas cap. 19: 46. idem verbum יקרא per ἐςὶν reddidit. Neque apud profanos autores insolens est, ut καλεῖσθαι pro εἶναι usurpetur, uti disp. ad Loc. Jerem. 3: 16. ex Homero ejusque interprete Eusthatio, item Theocrito ostendimus.

§. 8. Neque hic Crellium audimus, qui loc. cit. simpliciter negat, germen illud Davidicum Jehovam esse & essentiam Jehovæ in se habere, eo, quod ejusmodi nomina, quæ ab eventu imponi solent, cuipiam naturaliter & necessario inesse haud soleant. Ecquis vero infitias ibit cum Esai. 56: 7. dicitur, templum domum precum omnibus gentibus vocatum iri, τῷ templo *domum esse* naturaliter & necessario competere, licet totum complexum, *domum precum omnibus gentibus esse*, ex eventu ita dicatur. Consimiliter *esse Jehovam* illi personæ, quæ Messias est, necessario & naturaliter inest, licet eum *justitiam esse nostram*, non eodem modo ei competat, & ex eventu impositum esse, videri queat.

§. 9. In verbo יקראו duo adhuc notanda veniunt. I. subintelligendum hic aliquid esse, nempe vel, ut Judæi in Michlal Jophi loquuntur, ישראל *Israël*, vel קורא *vocans.* Quo subintellecto verbum commode impersonaliter reddi solet. Frustra igitur Cornelius à Lapide in h. l. Bellarminus lib. 2. cap. 2. de V. D. & ejus hyperaspistes, Vitus Erbermannus, tom. I. p. 53. Bellarmini vindicati, textum Ebræum corruptum esse suspicantur, linguæ sanctæ idiotismum minus assecuti. Alterum est, suffixum ו in verbo, & nomine שמו, ipso Kimchio teste, respicere Messiam vel germen Davidicum, contra, quam Photinianis nonnullis est visum, qui, ipsis Judæis magis cœci, Hierosolymam vel populum Judaicum intelligendum esse contendunt. Ostorodus enim lib. I. Institut. cap. 10. diserte negat, Messiam respicere. Man soll/ inquit, fürs erste wissen/ daß Christus in keinem Ort in der H. Schrifft ausdrücklich ist Jehova genennet worden. Denn der einige Ort/ Jerem. 23: 6. welcher auch repetiret ist. cap 33: 16. kan ja soll nicht von Christo/ sondern von Juda und Jerusalem verstanden werden/ wie ein iedweder/ der den Ort fleissig ansehen wird/ leicht verstehen kan. Neque abludit H. Grotius in h. locum, ubi populum denotari ait, secutus, uti videtur, Joannem Crellium, *à quo multa partim jucunda scitu, partim utilia se didicisse* fatetur, epistola ad eum data. Hic enim cap. XI. lib. 2. de Deo & ejus attributis, & Epistola ad amicum, tam tenaciter propugnat, subjectum enuntiationis non germen sed populum esse, ut ei illud prius pro concesso sumenti hoc vehementer exprobret, eumque fallaciam, quam appellant, compositionis incurrere affirmet. At textus συνάφεια satis comprobat, & plurimi Doctores Ebræorum id agnoscunt, utrumque suffixum ad *germen* excitandum spectare, quod justum & futurum nomine glorioso Dei sit vocandum, יהוה צדקנו, ut paulo post uberius ostendetur.

§. 10. Quid hac ultima voce intelligi debeat, itidem controverti solet. Inter alia significata, quibus gaudet, etiam illud est notandum, quo *jus in rem bonam* denotat. Neh. 2. ult. Quid vero, ubi de Deo usurpatur, designet, Joannes Camero myrothec. ad Rom. 3: 21. ita exponit: *Justitiæ*, inquit, *vocabulum in Scripturis semper notat Dei bonitatem, misericordiam, salutem & redemtionem, nunquam vero adhibetur ad id significandum, quod vulgo justitiam dicimus, nempe affectum illum, quo Deus ad scelera & peccata vindicanda propendet. Ita & judicii vocabula potius adhibentur. Atque hic alludit Apostolus ad id, quod dictum est ab Esai. cap. 56: 1. juxta est Salus mea, ut veniat, & justitia mea, ut reveletur. Ubi Salus & Justitia tanquam Synonyma ponuntur. Sic quum Ebr. 9: 12. dicitur, Christum invenisse æternam redemtionem, fit allusio ad id, quod dictum est à Daniele 9: 24. LXX. hebdomadas decretas esse, ut deleatur iniquitas & adducatur justitia æterna. Ubi justitia idem est Danieli, quod Apostolo redemtio.* Sed cum Christus non modo Apostolo appelletur ἀπολύτρωσις, sed etiam δικαιοσύνη, simpliciter pro æquipollentibus haberi non possunt. Quin si rem ipsam penitius consideres, redemtio illa, quæ interveniente λύτρῳ & liberationis pretio peracta est, se ut aliquid natura prius habet, & sic ut Bellarminus bene monere videtur, *dicitur Christus justitia nostra, quoniam satisfecit pro nobis, & eam satisfactionem ita nobis donat & communicat, cum nos justificat, ut nostra satisfactio & justitia dici possit.* lib. I. de Justific. c. X. Quod non vidisse Grotium, mirum haud est, qui per צדק *justitiam*, aliquam *beneficentiam* intelligit, qua populo Jehova bene fecerit, secutus, uti apparet, Rabbinos, qui צדקה pro חסד *clementia, benignitate & beneficentia* accipientes, voci משפט contradistinguunt; vide Joannem Coccejum Excerpt. Gemar. Sanhedrin cap. I. p. 131.

§. 11. Atque hæc occasione explicationis Kimchianæ de Messiæ nomine, *Jehova justitia nostra*, diximus, quod non tam integram enuntiationem, quam appositionem aliquam præ se fert, & omnino, ut Crellius loquebatur, personæ commendationem continet, dum Jehovam, eumque justitiam nostram esse significat. Perinde ac Esai. 9. ubi Messiæ tot epitheta assignantur, ea omnia per appositionem ei attribui, neminem dubitare sinit textus & verborum perspicuitas.

§. 12. Missa nunc Kimchiana explicatione, quid de R. Bechai interpretamento sentiendum sit, videbimus. In more illi positum est Scripturam quatuor maxime modis exponere. 1. על דרך הפשטו *juxta sensum literalem.* 2. על דרך מדרש *juxta sensum mysticum.* 3. על דרך השכל *secundum intellectualem.* 4. על דרך הקבלה *cabbalisticum.* Nempe cum aliis, inter quos & Gerundensis & Cosri part. 3. p. 249. referendi veniunt, eam Dei verbi amplitudinem esse credit, & hoc principium habet, ad varios sensus eliciendos ex illo, licere per vocalium, consonantium vocumque immutationem & aliis modis verba scripturæ inflectere. Quæ Judaica consuetudo verbum Dei contorquendi, cum à mente Spiritus sancti alienissima eliciat, ne ipsis quidem sanioribus Judæis probatur. Rabbi sane Abarbenel, cum ejusmodi explicandi modum animadvertit, fol. 49. col. 3. com. in Pentateuchum eum his verbis rejicit: באו המדרשים אבל בלתי מתישבים על פשוטו של מקרא: *occurrunt allegoricæ explicationes, sed quæ in sensu literali nullum habent fundamentum.* Et alibi eum iterum repudians scribit: כל התעורות האלה זרים מאד בפשט הכתוב: *omnes illæ sententiæ à Scripturæ sensu literali sunt alienissimæ.* Quibus verbis aperte docet, sensum literalem, è quo solo argumenta efficacia peti posse Bellarmin. quoque lib. III. de V. D. cap. 3. docuit, præponderare & utramque paginam, quod dicitur, facere, ita, ut si aliquid ex verbis, prout noster intellectus super illa fertur, non sequatur, id fundamento destitui censeatur.

§. 13. Sane quod R. Bechai ex Psalm. 24: 6. adducit exemplum, ad hoc, cujus causa adducitur, plane nihil facit. Persuasum habet Judæus, voce Jacobi Deum intelligendum esse, inductus, ut apparet, voce פניך, quod Dei, non Patriarchæ Jacobi, faciem mortales quærant. Hac hypothesi admissa, simili plane modo alia dicta se explicaturum profitetur. Nempe ut Deus dicitur Jacob, qui Deus est Jacobi, ita etiam angelum vocari יהוה, qui hujus est angelus. Messiam vocari יהוה, quia hujus est Messias. Cæterum fundamentum, quo nititur, nullum est, & longe aliter textum secundum literam exponit Kimchius, optimus interpres. Ita vero ille: כנגד האל מדבר המשורר הם שיבקשו פניך בבית המקדש יעקב הם ישראל כל זרע יעקב נקראים בשם יעקב: *Psalmista Deum alloquitur. Illi, qui faciem tuam quærunt in domo sanctuarii, sunt Israëlitæ. Omnes Jacobi posteri nomine Jacobi intelliguntur.*

§. 14. Sensus itaque Scripturæ sic multiplicando eamque torquendo, R. Bechai sua tantum somnia nobis obtrudit, neque evincit, nomen יהוה angelis & Prophetis, ut legatis competere, ut cum Judæis Remonstrantes docent. *Quis horum unquam in suis concionibus & scriptis, quamvis & ipse legatus esset, se appellavit Jehova? aliter informant stilum Es. cap. 43: 10, 11. Vos testes mei, dixit Jehova, Et ego Deus,* uti observat Theologus Cl. D. König/ disp. XV. Loc. XLV. Vindiciar. Sacr. Quin pro Christianis fortissime militat R. Abarbenel, quem nullo modo admittere supra vidimus, ut τῷ יהוה creaturæ tribui dicatur.

§. 15. Quandoquidem vero R. Abarbenel id pro confesso & ἀναντιῤῥήτῳ habet, nomen יהוה solius Dei proprium esse, & ex textu hoc perspicuum evadit, Messiæ illam nomenclaturam tribui, omnino consequitur, Messiam Deum esse. Sed ne hoc consequens recutitus admittere cogatur, in alia omnia concedit.

concedit. Quin ea confidentia sibi textum explicandum sumit, ut geminam glossam in medium afferat, quarum saltim alterutra id se obtenturum sperat, Messiæ Dei nomen gloriosum nequaquam competere. Etsi vero Abarbenel prioris commenti autorem non nominarit, R. Aben Esra tamen, comm. in c. XVIII. Exodi illius meminit, & simul, quam improbabilis sit sententia, ostendit his verbis: אמר הגאון כי השם דבק עם מלת יקראו ושם המשיח צדקנו והנה הוא מטעה בעל הטעמים ששם תרחה במלת יקראו: *Dixit Haggaon, nomen* יהוה *adhærere voci* ויקראו, *& nomen Messiæ esse* צדקנו. *Ecce autem ille erroris arguit autorem accentuum. Est enim Tarcha in voce* ויקראו. Nempe, ut de hoc accentu Ebræi docent כחו להעמיד בקצת *vis ejus est, aliquatenus sistere orationem.* Vel ut iterum loquuntur, מצינו מקראות שהטעם מחלקן: *invenimus loca Scripturæ, quæ accentus dividit.* Et sane ꝙ Tiphcha virtus omnino obstat, quo minus illa Gaonis explicatio locum obtineat. Voces enim ויקראו & יהוה divellit, & inter eas semicolon sensuale constituit. Quod cum R. Abarbenel viderit, Gaonis interpretationem rejiculam esse, haud obscure testatus est. Aliam enim, eamque suo judicio meliorem, explicationem subjicit, sed quæ nihilo solidior est. Quod enim ait, Messiæ nomen fore, *germen justum*, id textus non fert. Hoc ut ostendatur, scire licet, Deum ipsum polliceri, sese Davidi excitaturum esse *germen justum*, (quod sane non tam nominis impositio est, ut Abarbenel vult, quam Subjecti, mox denominandi, quædam descriptio) nempe quod justum sit futurum, & longe dissimile illis regibus, qui hactenus populum diu multumque vexarunt. Et cum illud non prospere modo acturum, sed etiam jus & justitiam administraturum sit, id futurum quoque Propheta prædicit, ut nomine *Jehova justitia nostra* insigniatur. Sane ut sic textus explicetur, ipsum non modo demonstrativum pronomen זה nomenclaturæ illi proximum exigit, sed tota series verborum & cum recentiorum aliorum, tum priscorum Judæorum interpretamenta, qui τὸ יהוה non tam Dei denominantis, quam Messiæ denominati nomen esse magno consensu largiuntur. Quod vero inter τὸ יהוה & צדקנו accentus Psik locum obtinet, eo non ideo separantur penitus invicem, sed ut D. Varenius in Gen. p. 186. docet, salvo euphonico illo accentu distincte duntaxat nomen essentiæ & officii proponitur.

§. 16. Cum vero τὸ *Germen* subjectum propositionis esse, largitur Judæus, eo ipso Crellii, Volkelii & Grotii depravationem explodit, qui novum subjectum interjici contendunt, nempe *Juda & Israël*, vel *populum Judaicum*, ad quod, tanquam propius, rectius referantur verba ultima יהוה צדקנו. Sane cum ipse Crellius fateatur, tum demum hoc fieri, cum nulla gravis ratio obstat, satis patet, ipsius commentum esse frivolum, cum satis gravis ratio jubeat in textu nomen referre ad remotiorem vocem. Et quandoquidem ad Socini librum adversus Wiekum provocat, facere non possumus, quin ex eodem, quod contra Crellium militat, depromamus. Ita vero ille ad argumentum XII. class. 3. *non semper pronomina relativa id referunt, quod propius est, sed id fere, de quo præcipue agitur. Alioqui sæpe sensus loci perverteretur. Nec propinquitas major efficere debet, ut de quoquam sub pronomine relativo id censeatur dictum, quod illi convenire non potest, præsertim cum alius, quamvis non ita propinquus, nominatus fuerit, cui id, quod sub pronomine relativo dicitur, optime conveniat.* Annon vero id, de quo præcipue agitur, est germen justum? Id sane ex toto contextu apparet, & ipsius oraculi exordium comprobat, quo de pastoribus malis Deus conquestus se facturum spondet, ut justum germen succrescat. Unde in populum (cujus secundario fit mentio) commodum sit redundaturum. Quod, qui hic attendere tergiversantur cum Crellio, Volkelio & Grotio, ii, ipso Socino judice, textum manifestissime pervertunt.

§. 17. Solent vero Photiniani in suæ sententiæ subsidium etiam vocare locum Jeremiæ XXXIII:16. ex quo constet, τὸ יהוה צדקנו non tam Messiæ, quam populi vel Hierosolymæ nomen esse. Sunt sane ex Christianis interpretibus nonnulli, qui itidem Hierosolymæ vel Ecclesiæ nomen *Jehova justitia nostra* tribui docent. Piscator Herbornensis in Scholiis super h. l. *hoc est nomen, quo vocabit quisque illam, sc. Hierosolymam, sive N. T. Ecclesiam: Jehova justitia nostra, propter connexionem Christi capitis cum hoc corpore mystico.* Atque hoc fieri *secundario & per communicationem, quatenus Ecclesia constituit corpus Christi, qui vere & proprie est Dominus justitia nostra*, contendit Ludovicus Capellus Spicileg. ad Matth. I: 17. Similiter docet Cornelius à Lapide, *nomen*, inquiens, *Christi, illi impositum* cap. 23.6. *communicatur hic Ecclesiæ.* Quin ipse Abarbenel, sui quasi oblitus, scribere nullus dubitat: אפשר לפרשו על ירושלים וכמו שאמר יחזקאל ושם העיר מיום השם שמה כי מפני שצדק ילין בה מאת השם לכן תקרא העיר ה׳ צדקנו: *Potest de Hierosolyma explicari, quemadmodum & Ezechiel ait: & nomen urbis ab illo die, Dominus ibi,* (c. XLVIII. ult.) *quia enim Domini beneficio justitia in ea erit*, (Es. I:21.) *ideo vocabitur urbs, Dominus justitia nostra.* Tandem vero יותר נכון, *rectius dici* ait, si, solum nomen צדקה urbis nomen fore, dicatur, quo ab ipso Deo insigniendum sit, eodem sc. modo ea disjungens, quo supra textum torquendum sibi sumsit.

§. 18. Cæterum, ut horum vestigiis insistamus, nihil omnino causæ videmus. Textu enim ex Jer. XXXIII:16. penitius considerato, apparet, aliter eum explicandum esse, quam illum priorem c. XXIII: 6. Præterquam enim, quod τὸ שמו *nomen ejus* omissum est, etiam τὸ לה satis docet, id ad proxime præcedentem vocem ירושלים referendum esse. Sensus igitur sic emergit talis: *Ille, qui prædicabit illi, est Dominus justitia nostra.* Quam interpretationem & contextus probat, & complementum Matth. XXIII:37. Neque phrasis repugnat illi interpretamento, quod Helvicus reliquit: *hic, qui vocabit eam,* (erit) *Dominus justitia nostra.* Evidens itaque verborum utrobique est discrimen, neque idem per omnia argumentum & subjectum apparet, licet Crellius videatur aliud sibi persuadere, *reliqui*, inquiens, *sunt duo apud Jeremiam loci, quorum alterum cum præjudicata de re ipsa opinio controversum fecisset, alterum etiam apud quosdam in consortium traxit, ita cæteroquin clarum, ut priorem quoque illum extra controversiam ponere debuerit.* C. XXXIII. enim etiam docetur, quis sit futurus, qui ad veram Ecclesiam populum Judaicum sit allecturus. Cap. XXIII. vero tantum de germine justo agitur Messia. Confer ex nostris B. D. Gerh. Exeg. p. 643; D. Tarnov. contra Socinum p. 746. D. König Vind. Sacr. Loc. XXXIII. p. 189. Jac. Martini l. III. de T. E. c. 19. & alios.

§. 19. Colophonis loco id addendum censemus, Judæos ejusmodi desiderio Messiæ hic promissi flagrare, ut illud צמח *germen*, (veluti *simpliciter* Zach. III: 8. & VI: 12. & cum addito Es. IV: 2. *germen justitiæ vel justum*, appellatur,) subinde in ore habeant. In singulos enim dies ter Deum pro Germinis hujus missione sollicitant, teste Christiano Gersone, cap. 13. de cod. Talmudico. In libello precum Ebraicarum hunc in modum Deum alloquuntur, Messiam in Palæstina oriturum sibi persuadentes: צמח דוד עבדך מהרה תצמיח וקרנו תרום בישועתך כי לישועתך קוינו כל היום מא״י מצמיח קרן ישועה: *Germen Davidis, servi tui, quam ocyssime fac progerminet, & cornu ejus* (Ps. CXII: 9.) *exalta salute tua. Hanc enim præstolamur* (Gen. XLIX: 18.) *cotidie. In terra Israëlis cornu salutis fac, propullulet.*

HEN. JONATH. WERENBERGII
DISSERTATIO
De Jugo Jeremiæ ad Jer. XXVII. & XXVIII.

בה״א

§. I.



Deum olim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως locutum fuisse Patribus in Prophetis testatur *Epistola ad Hebræos cap.* 1: 1. sicut enim *non passus est* apud Gentiles *se esse expertem testimonii Actor.* 14: 17. notitiam sui è Naturæ libro docens: ita electæ ac dilectæ suæ Ecclesiæ per Divinam Revelationem magis *propinquum* semet reddidit *Deut.* 4: 7. & voluntatem suam ad salutem credentium patefecit: *ut ea, quæ homini natura erant obscura, intellectui gratiose illuminato fierent evidentissima.* (a) Non uno autem id factum modo, sed variis, ex *Num.* 12: 6. *seqq.* ad quem locum Epistola ad Hebræos fortasse respicit, (b) patet. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis est servus meus Moses, qui in omni mea domo fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, & in visione, & non per ænigmata & figuras Dominum aspiciet*, Deus inquit ad Israelitas.

§. II. Ex his *Augustinus Steuchus Eugubinus*, cujus verba habet *Hottingerus* (c) quinque genera Prophetiarum colligit. Nimirum במראה *per visionem*; בחלום *in somnio*; בחידות *in ænigmate*; בתמונות *per figuras*; פה אל פה *ore ad os seu per allocutionem divinam.* Quæ allocutio, licet itidem vocetur מראה, ut scilicet à חידות distinguatur; aliis tamen revelationum generibus præstat, indeque *B. Dannhauero* (d) *pecularis & singularis* audit. Sed talis non est, quali Angeli & Archangeli, Deum indesinenter intuentes, gaudent, quod Steuchus sentire videtur. Nam licet ex ejus verbis apud Hottingerum non appareat, illum Mosi expresse visionem Essentiæ Divinæ tribuere (uti quidam volunt, & ex dictis mox allegandis, sequi fere videtur) cum potius dicat: *De genere autem Prophetiæ, quo Moses adeo dignus effectus est, ecce clarum est, quid sit sentiendum. Non enim per visiones, ac somnia quicquam eum prospecturum dicit, sed, familiariter Deo per Angelum* (intelligo increatum) (e) *eum alloquente* rerum veritatem *intellecturum*: Licet quoque aliquid hujus modi cum Angelis Mosi commune fuerit; (f) errore tamen nondum caret Steuchus, dum pergit post nonnulla: *Hoc genus Prophetiæ est, quo Deus affatur sanctissimos Angelos & Archangelos. Prophetia enim appellatur omne cum Deo commercium, omnis consuetudo, omnis confabulatio. Igitur sanctissimi Angeli ab æterna illa sapientia rerum futurarum scientiam, omnemque agnitionem propter continuam assistentiam, & divinam familiaritatem, sacratissimamque amicitiam hauriunt: cujus & Mosen participem se fecisse testatur.* Redolent enim hæc Pontificiorum de speculo Trinitatis dogma: (g) Ut taceam confundere sese Steuchum, & duas diversas sententias de una eademque re afferre: nullo autem testimonio Scripturæ probare posse, quod Deus per Filium sese & futura revelet Angelis.

§. III. Alii aliter modos Revelationis distinguunt, & numerum classium jam augent jam minuunt. *Difficile enim est ob varietatem divinarum revelationum & minus obviam earum specialem rationem illas ad certas classes revocare.* (h) B. Gerhardus (i) planissime, ut omnia, sic distinguit: *Revelatio Divina in V. Test. fuit vel ORDINARIA, vel EXTRAORDINARIA. Ordinaria* 1. *per Verbum*, 2. *per Urim & Thummim. Extraordinaria facta fuit vel vigilantibus, vel dormientibus. Vigilantibus vel per nudas visiones, vel per vocem. Dormientibus per somnia.* Hos inter modos primus per verbum fuit communissimus, alio nomine Prophetia in specie dictus.

§. IV. Definitur autem Prophetia (k) quod sit *Cognitio & revelatio rerum per naturam incognitarum, per Spiritum Sanctum viris Dei inspirata, & ab his per verba & signa auditoribus revelata.* In qua definitione simul modorum distinctio continetur. Nimirum *ad duplex genus* (l) *VERBORUM & SIGNORUM referri possunt. Verba* sunt vel *propria* vel *symbolica.* Ad *signa* pertinet, *nominorum propriorum impositio, visionum Propheticarum oblatio, & actionum Propheticarum expeditio.* Ad ultimum igitur modum commode referimus *JUGUM JEREMIÆ*, quod *jussu Summe Reverendæ atque Amplissimæ Facultatis Theologicæ adductum cap. XXVII. & XXVIII. Prophetiæ ejus* mihi explicandum venit.

Deus, qui verba & facta Sanctorum Prophetarem tuorum ad nostram doctrinam consignari fecisti, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus *Rom.* 15:4. Retege oculos meos, & videbo mirabilia in lege tua *Psalm.* 119: 18. Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua & doce me, quia tu es Deus Salvator meus, & in te sperabo tota die *Psalm.* 25: 4. Amen!

§. V. Sicut utplurimum per verba, quid sibi velint actiones Propheticæ, declaratur: ita nonnunquam nudis signis, non illico adjecta explicatione & applicatione, Sancti Dei Prophetæ voluntatem Dei exposuerunt. E. g. *Ezech.* 12:3. Sic & Jeremias *cap.* 27. jugum illud, quindecim fere annis, secundum quosdam, portavit, deinde in manus legatorum Regum exterorum tradidit, & servitutem & subjectionem omnium populorum, Augustissimo Monarchæ, Nabuchodonosori, à Deo decretam hisce indicari claris iisque perspicuis subjecit verbis.

§. VI. Sed de viro hoc θεοπνεύςῳ nonnulla præmittenda sunt. Patriam ejus fuisse Anathotum, oppidum in tribu Benjamin ex *cap.* 1: 1. constat: Patrem vero Hilkiam ex Kahatitis posteris Aaron oriundum, quippe quibus oppidum Anathot in possessionem *Jos.* 21: 18. datum fuit. An idem fue-

(a) *Inquit Parens noster in Christo venerandus, Magnif. Dominus D. Joh. Olearius Theolog. Univers. Art. IV. pag.* 204. (b) *B. Gerh. Exeges. LL. pagina* 14. *& Magnificus Dominus D. Joh. Adam Scherzerus, Præceptor meus ætatem colendus, Syst. Loc. I. §.* 7. *pagina* 7. (c) *Thesaur. Philolog. lib.* 2. *cap.* 3. *Sect.* 4. *pagina* 573. (d) *Hodosoph. pag.* 13. *Tab.* (e) *Sic enim h. l. exponit B. Gerh. de vita æterna §.* 137. *Tom. ultimo LL. pagina* 348. *Reliquis illius temporis Prophetis loquebatur Deus per visiones & somnia, hoc est, per imagines in phantasia vel vigilantibus vel dormientibus impressas. Mosi autem palam in effigie humanæ naturæ, quam Filius Dei in plenitudine temporis assumpturus erat, apparuit, ac plane familiariter, tanquam amicus cum amico, in illa forma humana cum ipso locutus, faciem suam ipsi ostendit*, (f) *Quod sentit idem Gerh. Exeges. pagina* 14. *& B. Glass. Philolog. S. pagina* 222.

(g) *De quo vid. Gerhard. Loc. de Morte §.* 324. *seqq. Tom. VIII. LL. pagina* 223. *seqq.* (h) *inquit Dominus Calovius System. Tom. I. pag.* 286. (i) *Exeges. loc. cit.* (k) *B. Hulsem. Prolegom. Comment. in Jerem. pagina* 4. (l) *Glass. Philol. S. lib.* 1. *tr.* 4. *Sect.* 1. *Can.* 1. *pagina* 222.

fuerit cum eo, quem Summum Sacerdotem 2 *Reg.* 22: 8. fuisse Scriptura testatur, licet negativa firmioribus niti rationibus videatur, non pugnabimus. (m) Nam Chaldaica Paraphrasis, quam pro se allegant affirmantes, de Principibus quidem custodiæ Sacerdotum, ex Præpositis, qui erant in Jerusalem מן רישי מטרת כהניא מן אמרכליא דהוו בירושלם non autem Summum Sacerdotem illum fuisse dicit. Sufficiat nobis Sacerdotem fuisse Jeremiam, adeoque ordinarium populi Doctorem. Quod tamen ipsi soli non contigit, (n) sed cum Ezechiele commune fuit. (o)

§. VII. Ad vitam ejus & mores quod attinet, inane judicamus commentum quorundam Pontificiorum, (p) qui Patres nonnullos (q) secuti, Jeremiam in utero matris ab omni fuisse culpa mundatum antequam exiisset, & sine omni peccato vitam traduxisse inde colligunt, quia Dominus *cap.* 1: vers. 5. inquit: *Antequam exires ab utero sanctificavi te.* Verbum enim הקדיש *segregavit*, vel *peculiariter destinavit ad aliquid* significat. (r) Nec meliore censu habendum illud quando ex *c.* 16: 2. cœlibem & virginem eum mansisse extorquere nonnulli cupiunt. (s) Sed utut prohibeat Dominus eum ducere uxorem, *neque tamen inde probatur, quod antea nullam habuerit, & quod postea nullam duxerit.* (t) Falsissimum denique est, quod ex supposititio *Victorini Martyris* fœtu de Jeremia adhuc superstite refert *Sixtus Senensis* (u) cum *Tertullianus* & *Hieronymus*, nec non recentiorum plerique eum à populo in Ægypto lapidibus obrutum esse consentiant, qui tamen miracula, quæ de sepulchro ejus recenset *Epiphanius*, (x) ignorant.

§. VIII. Vocatum eum ad munus Propheticum, cum adhuc esset juvenis, inde liquet, quia ultra quadraginta annos officio suo Prophetico fuit functus, (y) & Juventutis prætextu divinam vocationem *cap.* 1: 6. declinare tentat. Qui vero turbatum Ecclesiæ & Reipublicæ Statum, miseriarumque congeriem cogitat, quæ in Sancti Prophetæ tempora inciderunt, molestissimas eum sustinuisse officii partes non negabit: quippe quem tantis opprobriis excruciatum fecerunt duræ cervicis Judæi, eoque impatientiæ redegerunt, ut natali suo maledixerit *cap.* 20: 14.

§. IX. Scripta hujus Prophetæ à Christophoro à Castro recensentur quam plurima, qua fide ipse videat. Nos enim præter Prophetiam & Threnos nullos in Canone Vet. Testam. unquam extitisse credimus, adeoque deperditos ex illo fuisse, integritatique Scripturarum quicquam decessisse constanter negamus. *Quia probare non possunt, quod unquam fuerint in Canone: probare non possunt, quod quicquam eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, præter ea, quæ in nostro Canone sunt, in illis extiterint.* (z) Id notatu dignum, quod Lightfootus ex Babyl. Bava Bathra recenset, (aa) Jeremiam Prophetam primum locum inter Prophetas olim obtinuisse. Verba quæ allegat, sic sese habent: *Hic est ordo Prophetarum, Liber Josuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremiæ, Ezechielis, Esaiæ & duodecim.* Et paulo post: *Cum autem tempore præcesserit Esaias Jeremiam atque Ezechielem, præponendus rite esset Esaias: Cum vero Liber Regum terminaret in excidio, Jeremiasque totus agat de excidio, cumque initium Ezechielis sit de excidio, finiaturque in consolatione, cumque totus Esaias sit de consolatione, conjunxerunt excidium cum excidio, & consolationem cum consolatione.*

(m) *Argumenta in utramque partem legere licet ap. B. Hulsem. Comment. in Jerem. pagina 31. seqq. Poli Synops. Critic. ad cap. 1. vers. 1. Christoph. à Castro lib. 1. Comment. pagina 9. seqq.* (n) *Quod asserunt Biblia Anglicana.* (o) *Ezech. 1: 3.* (p) *Cornelii à Lapide & Menochii.* (q) *Originem, Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, Hieronymum, aliosque, quos citat Christophorus à Castro loc. cit. pagina 14. seqq. & Isagog. cap. 1.* (r) *vid. Dn. D. Pfeifferi Dub. Vexat. pagina 837. & quem ille citat Slevogtum Disput. 2. de Creat. nec non à Castro l. c. pag. 13. seqq. ubi suos tribules deserit. Omnino autem confer Hulsem. l. c. pagina 37.* (s) *Quod facit Ignatius, Hieronymus, Isidorus, Lyra, Dionysius, Maldonatus, Cornelius à Lapide, citati ab Hulsem. pagina 34. & à Castro Isag. loc. cit. & Comment. lib. 1. pagina 305.* (t) *sunt verba Hulsem. loc. cit.* (u) *Biblioth. S. Lib. 6. Annot. 346. ubi hanc opinionem jam ab Hilario damnatam esse ait.* (x) *Libro de vita & interitu Prophetarum, quem suspectum habet B. Hulsem. pagina 33.* (y) *Calvinus Prælect. in Jerem. folio 1.* (z) *Verba sunt Magnif. Domin. D. Scherz. Syst. Theol. Loc. I. §. 20. pag. 19.* (aa) *Hor. Heb. in IV. Evangel. pag. 488. & 901.*

§. X. Sed ut ad JUGUM JEREMIÆ propius accedamus, prout *cap.* 27. & 28. continetur, de tempore hujus Prophetiæ solicitos nos esse decet. Dubium enim non exiguum oritur inde, quod *vers.* 1. *cap.* 27. verbum Domini de fabricando & portando jugo ad Jeremiam in principio regni Jojakim factum: versu vero 3. *& ultimo* illud initio regni Zedekiæ in manus legatorum traditum fuisse dicatur. *Hieronymus* (bb) ergo, *Rabanus Maurus* & *Dionysius* (cc) nec non *Maldonatus* & *Sanchez* (dd) verba *vers.* 1. ad præcedens caput pertinere autumant: præsertim cum Septuagintaviralis versio, qua usus est Hieronymus, hunc versum plane non habuerit. *Sed præterquam* (ee) *quod initio etiam illius capitis eadem χρονολογία extat, ut supervacaneum sit eandem in fine capitis repetere; particula etiam* לאמר *dicendo, aperte hunc versum cum reliquo hoc toto capite conglutinat.* Et quia omnes Hebræi, Chaldæi, Græci & LXX. & Theodoreti codices in editionibus *Bibl. illust.* (ff) legunt, & ad initium capitis 27. referunt hæc verba: ideo mendosum fuisse Hieronymi exemplar alii judicant, atque diversimode dubium hoc solvunt. *Munsterus* (gg) *Menochius* & *Piscator* (hh) Jojakim pro Zedekia scriptum esse autumant; quod tamen propter Scripturæ integritatem admittere haud possumus. *Christophorus à Castro* (ii) *Cornelius à Lapide* (kk) & ex illo *Tirinus* (ll) tempore Jojakimi, cum liberatus esset Jeremias à calumnia, *juxta cap. præced.* 26. à Domino id mandatum, & à Jeremia jugum usque ad tempora Zedekiæ, si non semper, saltem per intervalla portatum, tum vero demum legatis traditum & explicatum fuisse dicunt. *Estius* (mm) id quod *vers.* 2. habetur sub regno Jojakim, quod autem *vers.* 2. habetur sub regno Jojakim, quod autem *vers.* 3. sub regno Zedekiæ dictum & factum esse autumat. *Nostrates* (nn) mandatum initio regni Jojakimi Prophetam à Domino accepisse, quod tempore Zedekiæ Regis exequeretur, asserunt. *Quorum quidem conjectura minime absimilis vero est.* (oo) *Si enim in hac ipsa Prophetia successio Regum Babylonicorum certo numero finitur, patris, filii & nepotis; quidni etiam de futuro Rege Judaico prædicere potuerit Jeremias, priusquam is regni habenas capesseret?* Accedit huic sententiæ *Calvinus* (pp) & rationem affert: *Si quis roget,* inquiens, *cur latere voluerit Deus tanto tempore, quod tandem volebat in lucem proferri, responsio est, id fuisse factum in gratiam Prophetæ ipsius, quo scilicet alacrius perageret munus suum, cum certo cognosceret, quod nemo unquam putasset posse accidere: & certe res erat incredibilis.*

§. XI. Hoc autem mandatum Jeremiam à Domino accepisse ipse *primus versus cap.* 27. indicat, adeoque de Divina hujus Prophetiæ autoritate non est dubitandum. Nam licet procul dubio Jeremias ludibrio fuerit improbis; cum Deus tamen jugo hoc rem abstrusam & olim futuram indicarit, eventu comprobatam, sancta veneratione id ipsum intueri par est. Et quidem duo præcepisse Dominum Jeremiæ videmus 1. *Facienda* 2. *Dicenda.*

FACIENDA his exprimuntur verbis juxta Vulgatum: *Fac tibi vincula & catenas, & pones eas in collo tuo. Et mittes eas ad Regem Edom, & ad Regem Moab, & ad Regem filiorum Ammon & ad Regem Tyri, & ad Regem Sidonis; in manu nunciorum, qui venerunt Jerusalem, ad Zedekiam, Regem Juda.*

§. XII. Jubet nempe Deus, *Primo* facere vincula & catenas, colloque applicare & gestare. מוסרות ומטות. Illud, nempe מוסרות est à radice יסר quod *nimis liberum, insolentem aut insipientem cohibere, coërcere, in ordinem redigere, emendare & quidem realiter & cum effectu* significat, atque tam in bonam quam malam partem usurpatur: cujus si significatum primarium indagare vellemus, idem esset, ac certis limitibus aliquid circumscribere & continere, (Germanice einschräncken / einhalten) & quasi contrarium & סור quod

(bb) *Tom. V. Opp. folio m.* 155. (cc) *cit. à Castro L. III. Comment. pagina 467. qui tamen Dionysium etiam alterius ejusque diversæ sententiæ Patronum allegat pagina 469.* (dd) *cit. Cornelius à Lapide pagina 718.* (ee) *B. D. Joh. Pappus Enarrat. Jerem. pagina 96. b.* (ff) *Vid. Hulsem. in Comment. pag. 627.* (gg) *Tom. IV. Crit. Sacr. Anglic. fol. 5602.* (hh) *ap. Pol. Synops. Crit. Tom. III. pagina 831.* (ii) *Comment. pagina 469.* (kk) *loc. cit.* (ll) *ap. Pol. loc. cit.* (mm) *ap. Polum loc. cit.* (nn) *Bibl. Vinar. pagina 737. B. Hulseman. Comment. pagina 627.* (oo) *sic judicante Pappo loc. cit.* (pp) *Prælect. in Jerem. fol. 212. a.*

quod *declinare*, *recedere*, *limites transilire* significat. Sic & יסר Arabicum est *minuit*. (qq) Fastus enim ejusmodi hominum per castigationem minuitur, ipsique humiliantur, dum adempta libertate quantuli sint, ex correptione discunt. (rr) מוסרות igitur, cujus singularis non reperitur in Scripturis, ejusmodi rem denotant, quæ libertati modum ponit, atque non solum de vinculis & ligaminibus, quibus miseri captivi detinentur, coërcentur, castigantur & humiliantur; sed & de legibus, quorum usus Politicus est, *ut disciplina externa & honestas contra feros & indomitos homines utcunque conservetur.* (ss) *Ps.*2:3. *Jerem.*5:5. adhibentur. (tt) *Targum* habet vocem חנקין arctissima & molestissima vincula, à חנק nimis coarctavit, suffocavit. *Syrus* ܢܝܪܐ quod à Chaldaico ניר aravit, descendit, & jugum boum, item servitutem denotat, nec non de legibus, doctrina & disciplina in N. Test. translatione *Matth.*11:30. *Actor.*15:10. adhibetur. *LXX.* reddiderunt per δεσμὰς vincula, ligamina. *Latini* Interpretes per vincula, jugum, cingula.

§. XIII. Altera vox est מטות descendens à מוט *motus est loco suo vi, nutavit, vacillavit, declinavit, cecidit.* (uu) atque ejusmodi instrumentum seu vinculorum genus indigitat, quod moveri vertique potest, & quo captivi vi moventur, rapiuntur, truduntur, trahuntur & prosternuntur. *Chaldæus & Syrus* vocabula permutant, & quod ille antea adhibuerat, eo hic nunc utitur, viceque versa. *Græcus* textus habet κλοιὰς (quod derivant à κλείειν claudere) ferrea & lignea collaria, quæ collum includunt, & canibus ferisque applicantur. *Vulgatus* per catenas, *Arias Montanus*, per vectes transtulit: *Hieronymus* bojas (xx) fuisse autumat. B. Hulsemannus scribit: (yy) *Hæc vox in specie significat ejusmodi instrumentum versatile, quod vel à collo solet suspendi, vel imponi humeris, cujusmodi instrumentum est penula Hispanica.* (zz)

§. XIV. Unum autem instrumentum utroque vocabulo indicari, inde liquet, quia duæ hæ voces contrahuntur quasi, & *vs.*8. & 11. nec non *vs.*2. & 14. *cap. seq.* unico vocabulo dicuntur על, Jugum, quale jumentis imponere solemus, aut vinculum quoddam aliud, quo bestiæ & captivi ligantur, jugo aratorio non absimile. (aaa) Derivatur nempe id ab עלל, operatus est, diciturque quasi *operatorium* (bbb) *vel quod eo imposito pro libidine quis bestia utatur.* (ccc) Seu ob cognationem hujus verbi cum עלה aut particula על (ddd) *ascendens super collum jumentorum.* (eee) מוסרות igitur in jugo ligamen circa collum; מטות lignum supra cervicem transversum; utrumque vero nec non על metaphorice *servitutem, castigationem & subjugationem* denotat. Id quod ex pluribus Scripturæ locis videmus, indeque quid fabrefactum & portatum jugum indicaverit, facile colligimus. An vero sensus sit: *Fac tibi juga lignea complura, mittenda ad Reges, unum vero gestandum tibi ipsi Jeremiæ, nomine populi*, ut habet *Grotius* (fff) de eo hic non disputabimus. Agnoscimus potius triste fuisse spectaculum, cum Sanctus & innocens Vir Jeremias captivi & bestiæ instar jugum & vincula portaret.

§. XV. *Secundo* præcipit Deus, ut jugum illud ad varios Reges transmittatur, & quidem *per manus Legatorum, qui venerant Jerusalem ad Zedekiam.* De causa hujus legationis varie sentiunt Interpretes. Quidam enim (ggg) quinque his Regibus à Nabuchodonosore Zedekiam fuisse præfectum dicunt, adeoque legatos hos vel novo Regi gratulatos esse, vel ad defectionem eum sollicitasse, autumant. Sed 2 *Reg.*24:17. quem locum citant, id ipsum non apparet. Unde cum B. Hulsemanno & Christophoro à Castro ex historia Sacra tempus & occasionem hujus legationis demonstrari haud posse asserimus. Cum tamen ex *cap.*25:12. nec non 48. & 49. *Jeremiæ* vicinos hos populos à Babyloniis subjugatos fuisse, nec non defecisse Zedekiam *ex* 2 *Paral.*36:13. constet; Propheta noster insuper hic sedulo admoneat, ne tentent detrectare illam subjectionem: *verisimile fit, legatos horum Regum hac de causa venisse ad Zedekiam, ut junctis armis Regis Babyloniæ vim propulsarent.* (hhh) *Politici enim viri temporibus periculosis & difficilibus magis de jungendis fœderibus, quam de placanda ira Dei sunt solliciti.* (iii) Quo supposito, *tenemus nunc consilium Dei, cur Prophetam suum voluerit hæc mandata exponere legatis: quia à prophanis Regibus missi fuerant ad Regem Zedekiam, ut Rex cognosceret meras esse nugas, quod Reges illi sua auxilia pollicebantur: quoniam non erat negotium cum Rege Chaldæo, sed potius cum judicio Dei, cui frustra homines reluctantur.* (kkk)

§. XVI. Pergimus ad DICENDA, quæ Deus ori Jeremiæ ingessit. Hæc quanquam distinctos habeant Auditores, ad quos fuere directa, Legatos nempe exterorum Regum, Regem Judæ Zedekiam, & denique Sacerdotes atque populum; omnes tamen hortantur, ut jugum Regis Babylonis patienti atque æquo animo suscipiant, servitutemque illam haud detrectent. Quo ipso satis aperte declaratur, quid actio illa Prophetæ, fabrefactio nempe & gestatio jugi indicaverit. *Generale argumentum*, quo id suadet Jeremias, est voluntas Dei, dicentis: *Ego feci terram & homines, & jumenta, quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento: & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor, Regis Babylonis, servi mei: insuper & bestias agri dedi ei, ut serviant illi. Et servient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus, donec veniat tempus terræ ejus etiam ipsum, & servient ei gentes multæ, & Reges magni. vs.*5. *seqq.* Huic voluntati obediendum esse docet, cum omnipotentiam divinam, & jus transferendi imperia terrena pro lubitu, describendo: *Ego feci terram, &c.* tum severam pœnam, quæ inobedientes mansura erat, indicando: *Gens autem & regnum, quod non servierit Nabuchodonosor, Regi Babylonis, & quicunque non curvaverit collum suum sub jugo Regis Babylonis: in gladio & in fame & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus: donec consumam eos in manu ejus, vs.*8. In specie autem quodlibet auditorium à seductione præmunit, & serio monet, ut vanis falsisque Pseudoprophetarum dicteriis, quibus pacem & prospera cum liberatione à jugo Babylonico pollicebantur, nullam fidem habeant.

§. XVII. Ex his dicendis pauca quædam explicanda sunt. Nimirum 1. quæritur: *Quomodo Deus dicatur dedisse Nabuchodonosori omnes has terras, cum tamen hic more Tyrannorum imperium per injustas invasiones ampliaverit? Cornel. à Lapide* (lll) respondet: *Dedi, i. e. tradidi, non donavi, sicut res aliena traditur furi aut tyranno. Nec enim Deus hic jus & titulum dedit Nabuchodonosori invadendi Judæam, aliaque regna, cum ob hanc tyrannidem eum postea punierit & everterit.* Sed quia ejusmodi traditio mera est concessio, aut permissio: ideo נתן, ut alia verba activa (mmm) concessionem, qua injustam invasionem denotat, quam DEUS permisit quidem, attamen ad bonum finem direxit, & per hujus Monarchæ potentissimi edictum (nnn) Omnipotentiam suam toti Orienti manifestavit, gentibusque ad veram Ecclesiam properandi januam aperuit. Unde Estius (ooo) *Deus dedisse dicitur, quia sine Dei voluntate nunquam eam occupare potuit: non tamen juste occupavit.* Ubi non possum non notare: neque ex sacra, neque profana historia apodictice probari posse, injuste eum invasisse terram Judæam. Nam 2. *Reg.*23. & 2. *Paralip.*36. Reges Judæ fuisse tributarios Pharaonis Nechaonis constat. Hunc igitur cum vicerit Nabuchodonosor, *Jerem.*46. ea quæ in Syria sibi ille subjecerat, in hujus cessere potestatem, eaque inter etiam Judæa, regnante nempe Jojakimo 2. *Reg.* 24:1. qui ipse vero defecit, Chaldæosque illa defectione in semet evocavit. Pari ratione non propter invasionem hanc punitum fuisse Nabuchodonosorem legimus; sed propter tyrannidem in captivos & superbiam. *Dan.*4. Sed licet invaserit injuste: quid hoc ad Deum, Judæorum aliorumque populorum peccata & malitiam per Chaldæos juste punientem? Confer 2. Paralip. 12: 6. *Grotii* explica-

(qq) *Vid. Schindl. Lexic. hac voce.* (rr) *Unde eruditis cogitandum relinquimus, an* סר *tristis, coarctatus,* סיר *olla &* סרה *cisterna, quæ certis limitibus receptas res continent, ad hanc radicem commode referri nequeant.* (ss) *Form. Conc. Art.VI.p.*717. (tt) *Vid. D. Geier. in Psalm.* 2. *pag.*23. *seq.* (uu) *Forsterus, Schindlerus & Pagninus in Lexic.* (xx) *De quibus Festus Lib. II. Bojæ, genus vinculorum tam lignea quam ferrea dicuntur.* (yy) *Comment. pag.*628. (zz) *Plura lege ap. à Castro. p.*470. & *Corn. à Lapid. p.*718. (aaa) *Sic Chaldæus habet* ניר & *LXX.* ζυγόν. (bbb) *Uti Buxtorf. in Lex. censet.* (ccc) *Ut Mercerus ad Pagnini Lex. notat.* (ddd) *Verbum enim* עלל & *quæ inde derivantur, superioritatem quandam subinnuere videntur, unde & apud Arabes vincire, ligare significat.* (eee) *Quæ Schindleri observatio est ex Num. c.*19:2. *Juvenca super quam non ascendit jugum.* (fff) *Tom. IV. Critic. Sacr. s. Annot. Anglic. p.*5603. (ggg) *Clarius in Annot. Anglic. loc. cit. item R. Salomon ex Lyra citatus à Castro pag.*471.

(hhh) *Hulsem. pag.*628. (iii) *Lucas Osiander in h. l.* (kkk) *Calvinus in h. l. fol.*212. *b.* (lll) *In h. l. pag.*719. (mmm) *Vid. Glass. Gram. S. p.*256. *seqq.* (nnn) *Daniel. cap.*3:29. (ooo) *Ap. Polum. in h. l.*

explicatio: *Dedi i. e. constitui dare* (ppp) hic non videtur locum habere. Nam licet verbum נתן interdum sic exponi debeat, ut *Genes.* 35: 12. (qqq) eo tamen tempore Regem Judæ Regesque vicinos jamjam tributarios Nabuchodonosoris fuisse constat.

2. Quæritur: *Qua ratione impius Rex & Idololatra vocetur Servus Dei?* Nempe tanquam minister, carnifex aut flagellum ad exequendam ultionem & castigandum populum: (rrr)

§. XVIII. Quæritur 3. *Quid velint verba: Etiam bestias agri dedi ei ut serviant illi? Theodoretus, Rabanus, Hieronymus & Thomas* (sss) per bestias intelligunt barbaras gentes. Sed præterea quod non necesse sit ad allegoriam confugere: ipsi illi legati ad quos sermo fiebat, erant barbari. Idem ergo esset ac si Deus dixisset: Dedi omnes terras barbaras in manu Nabuchodonosoris Regis Babylonis servi mei: insuper etiam gentes barbaras dedi ei. Quæ ταυτολογία esset inanis. Quod *Hugo & Joachimus Abbas* (ttt) per bestias *barbaras gentes & seorsim Japonas & alios Indos Romano Pontifici subjiciendos* intelligi cupiunt, vix refutationem meretur. Per nos sane liceat R. Pontificem cum Idololatra, tyranno, & injusto invasore alienarum ditionum & possessionum (secundum ipsos Pontificios allegatos) comparare. At ridiculus est *Grotius* (uuu) dum commentatur: *Bestias agri, i. e. equos, ut iis vehantur Chaldæi; boves, ut machinas & commeatus trahant.* Nam & ejusmodi jumenta Regi Zedekiæ, aliisque à Chaldæis subjugatis erant, quibus tamen Monarchiam Deus haud decreverat: bestiæ quoque agri universum brutorum genus *Genes.* 2. significant. Quare verius dicimus (xxx) esse h. l. hyperbolen, (yyy) qua Deus utitur, ut indicet, se omnia subjecisse Nabuchodonosori, & nihil omnino à servitute & jugo illius excipere, inquiens quasi: Omne vivum dedi illi Monarchæ, ipsas etiam feras bestias (zzz) *Non modo* (α) *oppida, ubi habitant homines, sed & deserta, montes, sylvas, ubi feræ sunt & volucres*: ita, ut nec ulla bestia illius imperium sit recusatura, multo minus homines quos ipse admoneo.

§. XIX. 4. Denique quæritur: *Quis sit filius filii Nabuchodonosoris?* Crucem hic sibimet ipsis figunt Interpretes, quia ex historia patet filium & nepotem patri non immediate successisse. *Quod tametsi ita esset, veritati Propheticæ nihil obstaret, tanquam quæ hoc solum dicit: Judæos servituros filio & nepoti Nebucadnezaris*, respondemus cum B. Hulseman. (β) Interim facem accendet difficultatibus historicis (γ) Vir, dum vixit, judiocisissimus, *Christ. Adamus Rupertus* (δ) *Nabuchodonosoro Magno scribens, successit A. M.* 3389. *Evilmerodachus, sive Evelmaradochus, filius; ut scribunt Berosus apud Josephum L. 1. contra Appionem & Megasthenes apud Eusebium Lib. IX. de Præpar. Euangel. cap. 4. Ptolom. in Canon. Ilvarodanus. Cum scelerate & lascive præesset, post biennium insidiis Neriglissorori, sive Neriglissaris, sive Niricassolassari, sive Niglissaris, (is sororem Evilmerodachi in matrimonio habebat) opprimitur. Regnum capessit ipse Regis interfector, Neriglossorus, Besoldo Assur, vel ex Pseudo-Megasthene Regassar, sed cum non esset stirpis regiæ, id saltem tutorio nomine administravit. Hinc Daniel Evilmerodacho statim supponit Belzasarem, omisso Neriglissare. Hujus igitur Neriglissaris filius, & Nabuchodonosori nepos, è filia Nitocride Belzasar, verus & legitimus imperii Babylonici hæres post Evilmerodachum censeri debet. Et initium regni ejus constitui A. M.* 3391. *Non multo plus quatuor annis imperavit, ut computant eruditiores Chronologi. Occisus est ab amicis, ut auctores sunt Berosus & Daniel; quos adhibuerat convivio, qui antea de eo interficiendo consilium inierant, conspirationis duce Nabonido Medo.* Porro scribit: *Belzasar idem cum Laborosardacho, quod ex Beroso & Megasthene constat: Faciunt enim Laborosardachum nepotem Nabuchodonosori ex Nitocride filia; ejusque successorem Nabonidum, qui idem cum Dario Medo. Nec nos offendere debet nominum varietas: Scire namque debemus, plerumque duum nominum fuisse Reges Orientales, aliterque appellatos, cum privati essent, aliter cum ad Imperium accesserunt. Diversum scribit Josephus; sed qui jubetur hic cedere Babyloniis & Persicis auctoribus.*

§. XX. Sic itaque mandatum divinum ejusque executionem de faciendis pariter atque dicendis exposuimus: Quem autem hæc tam clarissima Prophetia habuit effectum? Tantum abest, ut patheticæ huic concioni aures præbuerint patentes, voluntatique divinæ se subjecerint auditores, ut potius in plane contraria abeuntes, neglexerint consilium Dei, & mendacio plus tribuerint quam veritati. Nam Pseudopropheta Chananias cap. 28. prorsus diversa docere atque suadere non erubescit. Frangit jugum ligneum, Deumque sic confringere velle jugum Regis Babyloniæ, spiritu vertiginis actus, annunciat; reditum captivi Regis Jechoniæ, populique cum illo abducti promittit, foreque ut vasa ablata in templum Domini ante decursum duorum annorum restituantur, satis largiter, sed mendaciter pollicetur. Confutatur itaque hic Chananias gravibus verbis à Propheta Jeremia, qui ex hujus vaticinii eventu veritatem ejus dimetiri jubet, loco lignei jugi ferreum ad præceptum Domini fabricat, & Pseudoprophetæ mortem, qui illum paulo post extinxit, denunciat.

§. XXI. Hic quamvis multa uberiorem desiderent Exegesin, duo tamen tantum brevitatis studio sumemus expendenda. 1. *Tempus* quo hæc contigerunt. Textus sacer inquit *vs.* 1. *Et factum est in anno illo, in principio regni Zedekiæ, Regis Juda, in anno quarto, in mense quinto.* Cum jam principium regni & annus quartus diversa videantur, variæ afferuntur ab Interpretibus (ε) conciliationes. Hieronymum secutus B. Hulsemannus (ζ) scribit: *Suspensionem Catenarum à collo Prophetæ dici factam in principio regni Zedekiæ, & hoc patet ex cap.* 27: 3. 12. *sed confractionem illius jugi per Pseudo-Prophetam demum post quatuor annos contigisse.* Unde *Junius & Tremellius* (η) præfixum ב *per* usque ad *vertunt*: *Cum autem fuisset illud ab anno illo, principio regni Zedekiæ Regis Judæ* בשנה *usque ad annum illius quartum mense quinto.*

§. XXII. 2. Κριτήριον illud, quo veritatem Prophetiæ Chananjæ ejusque missionem à Domino dijudicandam proponit Jeremias, inquiens: *vers.* 8. *Prophetæ qui fuerunt ante me, & ante te, ab initio, & prophetaverunt super terras multas, & super regna magna, de prælio & de afflictione & de peste. Propheta qui vaticinatur pacem, cum venerit verbum ejus, tunc scietur Propheta quod eum misit Dominus in veritate.* Quæ verba torserunt quosdam Interpretes, dum ad omnes Prophetias hoc applicare voluerunt. Sed si ad præsentem statum ex scopo Jeremiæ accommodetur, res illico evadet clarissima. Scilicet propter Idololatriam & horrenda facinora Deus per omnes Prophetas Judæorum genti varia mala, captivitatem, ruinamque totius Reipublicæ minatus fuerat: quas justas Dei minas floccipendentes nefarii homines neque pœnitentiam hactenus egerant, neque à pristina inobedientia cessaverant. In hoc igitur rerum statu, cum Chananias pacem & prospera determinate, absolute & sine ulla conditione prædicaret, omniumque Prophetarum consensui contradiceret, recte urget Jeremias, necesse esse, ut eventus hisce vaticiniis respondeat, comprobetque missum esse vaticinantem à Domino, illumque justam suam voluntatem per servos suos ante denunciatam, immutasse. *Abutuntur ergo hoc & similibus dictis* (θ) *Bellarm. de Notis Ecclesiæ cap. XV. & Papistæ alii in Commentario hujus loci, sibi solis veram Ecclesiam exinde tribuendo, quod quidam inter ipsos sint, qui vera prædicant, ut Brigitta, Gertrudis, Joachimus Abbas, Franciscus Xaverius & alii. Lutherani vero, ipsorum opinione hæretici, nulla habent vera vaticinia. Nam inprimis hæc vaticiniorum perpetua regula est, ne ad impietatem contra verbum Dei scriptum homines inducant, alioquin, etiamsi eventus corresponderit, vitandi tamen sunt, tanquam ii, quibus Deus fideles suos tentari permittit, ut diserte dicitur Deut.* 18. *vs.* 3. Jam si (ι) *in Regno Pontificio Prophetæ aliqui fuerunt, fuerunt vel* Θεόπνευστοι, *qualis Daniel inter Chaldæos (sed ita non sequitur, illos tuam Ecclesiam veram reddidisse. Sicut enim Daniel Ethnicam Babylonem non fecit Ecclesiam: ita nec illi Babylonem Romanam) vel fuerunt* δαιμονόπνευστοι: *qualis Apollonius Thyaneus. Sed talis Prophetia est Diabolicæ Ecclesiæ nota.*

(ppp) *Annot. Angl. p.* 5604. (qqq) *Vid. Glass. Gram. S. p.* 266. (rrr) *Conf. Luc. Osiandr. in h. l. & Dn. D. Joh. Olear. in Ezech.* 29: 20. (sss) *Citati à B. Hulsem. Christoph. à Castro & Corn. à Lap.* (uuu) *Annot. Angl. loc. cit.* (xxx) *Cum B. Hulsem. & Estio.* (yyy) *Vid. Glass. Rhet. S. p.* 468. *seqq.* (zzz) *Vid. Dn. D. Olear. h. l.* (α) *Sunt verba Estii ap. Polum.* (β) *Comment. p.* 629. (γ) *De quibus Commentatores in h. l. & Historicos consule.* (δ) *Observat. in Synops. Besold. min. cap. IV. pag.* 60. *seqq.*

(ε) *Quorum Synopsin vid. ap. Polum.* (ζ) *P.* 636. *Comment. in h. l.* (η) *Nempe in priore Bibliorum Editione vid. Glass. Gr. S. pag.* 666. *& Polum in h. l.* (θ) *Sic eos arguit Hulsem. pag.* 640. (ι) *Sic Cardinalem Bellarminum refutat Magnif. Dn. D. Scherzerus Anti-Bellarm. Disp. V. p.* 390.

M. HERM. PETRÆI
DISSERTATIO
De Κυρίῳ πολυσπλάγχνῳ ad Jer. XXXI: 20.

Τῦ Κυρίυ πολυσπλάγχνυ συνεργῦντος.

§. I.



Si qua unquam est in toto Divinitatis complexu perfectio, quæ nullis circumscripta limitibus, omni prorsus fundo carere videatur; Summam certe Dei beneficentiam talem deprehendimus. Hujus tot prostant documenta, ut stellarum inire numerum & marium aquas pugillo tenere multo sit futurum facilius, quam illa numerando percensere. Inter hæc vero, nisi nos omnia fugiunt, haud postremo erit loco censendum, quod cumulatioribus sint aucti mortales donis, quam quæ vel intelligant ipsi, vel, ubi advertere contigit, æquis oculis conspicentur. Quotus enim quisque illustrandam aliquam disciplinarum suscipit, quin lippitudine laborans, perodiosa aliarum comparatione, eaque non raro pro lubitu instituta, dignitatis prærogativam suæ vindicare contendat. At meliorem tamen procul dubio mentem à Jacobo fallere nescio *cap.* 1: 17. edocti, dona à Patre luminum descendentia summo jure venerantur singula, persuasissimum sibi habentes, quaslibet disciplinarum Philosophicarum ejusmodi esse, ut ferant illud Terentii: Qui utitur illis recte, illi bene. Adhæc sedulo admirantes, en novum Divinæ bonitatis argumentum! eo Deum clementiæ processisse, ut sua nonnunquam vilipendi, quin imo conculcari beneficia patiatur.

§. II. Philologiam, sacram inprimis, donorum divinorum numero esse adscribendam, nemo facile, nisi quem sanæ rationis donum destituit, fuerit inficiatus. Hæc igitur, quantumvis, arrepta quavis occasione, præter omne meritum à nonnullis impetatur, qui locos communes volvunt, & in privato, quod A. Senecæ Epist. 50. placet, circulantur, nulli tamen supplices manus tendit, ut vel sui defensionem suscipiat, vel commendando favorem sibi conciliet. Verum pro tanta opera, quam illis vicariam præstat, qui in sacris desudant, hanc sibi referri gratiam conquesta, Epicteti imitatur oves, vellere, lana, lacte, quantum Pastori profuerint, testatum relinquentes. Nam quid fucatis coloribus? quid phaleratorum dictorum strepitu opus est? ubi ipsa rerum testimonia loquuntur.

§. III. In Articulo de Misericordia Dei ad Homileticam pariter atque Exegeticam Theologiam non contemnendos ex Philologia Hebræa redundare fructus, præsentis erit instituti commonstrare. Abuteremur autem B. Lectoris patientia, si compluribus eundem exemplis obtundere conaremur. Quapropter certum est, quo pacto ὁ Κύριος πολύσπλαγχνος, quod ἐμφατικώτατον Jacobi *c.* 5: 11. epitheton est, ex המו מעי לו decore illustrari & sufficienter intelligi queat, tantum expedire.

§. IV. Præsagit facile animus, quando τὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ Luc. 1: 78. τὸ πλοῦτον τῆς χρηστότητος Rom. 2: 4. τὸ ὑπερβάλλοντα, καὶ τὸ ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον τῆς χάριτος Eph. 2: 7. 3: 8. perscrutanda suscipimus, majus humeris imponi onus, quam cui pares simus ferendo. Nam utut singulis hocce argumentum non semel de die meditandum esse libentes fateamur, vix aliud tamen nobis, quam Simonidi, ut quid aut quale sit Deus, explicaret, rogato, accidere animadvertimus. Quocirca nulli erubescimus hujus verba nostra facere: *Quanto diutius considero, tanto mihi spes videtur obscurior.* Cic. L. I. Nat. Deor. Etenim ὦ βάθος πλούτου· Ecquis est? qui, etiamsi omne vitæ tempus misericordiæ Dei contemplandæ impenderit, non necesse habeat in Chrysosthomi Homil. 11. in Ps. 50. discedere sententiam: *Quanta sit Dei misericordia, nescio, quod grandis sit, novi.* Et quid obstat? quo minus, quod de Deo Thales, de misericordia ejusdem enunciemus: Misericordia Dei est id, quod nec principium habet, nec finem. Vid. Clement. Alexandr. L. 5. Strom. p. 595. p.

§. V. Verum enim vero prout nulla suscipi potest, ipso Platone teste *Epist.* 2. *quæ ad Dionysium est*, *pag.* 1270. *D.* negotiatio quæ aut honestior sit, aut Deo acceptior, quam περὶ τῆς τοῦ πρώτου φύσεως: Ita neutiquam speramus Deo ingratum vel invisum proximo futurum, si mentem omnem in visceribus Dei, illis infinitæ misericordiæ fontibus, penitius cognoscendis locaverimus. Homines quidem, pro curta admodum, qua sunt misericordiæ suppellectile instructi, si quid omnino inde sit erogandum, tantum non stipulari solent quandoque ab eo, cui exhibetur gratia, ut alios id celatum curet, ne largitione in plures prorsus exhauriantur. Deus contra, cum ob immensas divitias nunquam evadat dando pauperior, & ipse sua benefacta prædicat, & decantari ab aliis eadem minime indignatur, ut singuli subinde plura petendi nanciscantur occasionem. Id quod & eam in spem nos erigit, fore, ut ὁ Θεὸς πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει Eph. 2: 4. καὶ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν 2 Cor. 1: 3. misericordiam deprædicaturis ἔλεον εἰς εὔκαιρον βοήθειαν Heb. 4: 16. clementissime largiatur.

§. VI. Hujusmodi autem negotiatione occupati ut in offenso pede progrediamur, primo omnium cum Hug. Grotio, qui in eo totus est, ut viam nobis obstruat, erit decernendum. Contendit hic tantum abesse, ut המו מעי לו Κύριον πολύσπλαγχνον testetur, ut iram Dei manifesto prodat. Scilicet *idcirco conturbata sunt viscera mea super eum*, idem esse autumat, ac si dictum fuisset: *ob hoc vehementer ei succenseo.* Hæc vero ne omni penitus rationis specie destitutus asseruisse videatur; viscera apud Hebræos ad omnem graviorem affectum referri observat. Quæ singula, tum ut causæ consulamus, tum vero maxime, ut à veritate stetur, exactius nobis dijudicanda ac æstimanda esse intelligimus.

§. VII. Metimur nos nostro pede, haud quaquam nescii, qui simus ad tantum Achillem, quem hic adoriri necessitas jubet. Absit gloriolæ capti cupiditate, tanti ex luminis deliquio honorum radios lucisque opinionem assequi studeamus. Magni potius illius Grotii famam indefesso quæsitam studio, ac eruditione singulari partam suggillare religioni ducimus, dicimusque cum Bœclero: Comment. Præf. ad Lector. *Hugoni Grotio hanc impositam à Deo personam esse ad ornanda ea studia, quæ ab instauratis literis segnius & jejunius procedebant.* Neque multum refragabimur, sive cum Wagenseilio *Tel. Ign. Sat. pag.* 95. Virum summi judicii, sive cum Pocockio *Misc. cap.* 5. *p.* 74. Illustrissimum, sive oraculum humanæ sapientiæ & miraculum seculi cum Buchnero *P.* 1. *Epist.* 21. & 25. Grotium appelles, sive aliis eundem titulis ornes magnificentissimis. Sacra tamen, quod dissimulari nequit, subinde ab eo contaminata esse, cum Jac. Laurentii Hugo Grotius Papisans, tum B. Calovii Notæ Antigrotianæ docent luculentissime. Quid? quod, qui præsens oraculum debita attentione expendit, haud cunctanter subscribet B. Calovii judicio: *Annotata Hugonis Grotii sunt pernitiosissima in dictis cardinalibus. Pæd. Theol.* 68.

§. VIII. Primam quidem atque ultimam sibi curam esse putet, qui commentationibus adornandis operatur, ut mentem Autoris, quem illustrare cepit, per verba ejus, tanquam conceptuum signa, investigatam clare proponat. Id vero deprehendimus nihil pensi habitum Grotio, qui textus cohæsionem negligit, contrarium eidem sensum affricat, adeoque in summa

summa luce cœcutiens, Spiritus Sancti mentem pervertere allaborat. Quodsi sciens volensque aureolo nostro vim intulit, ac novitatis studio ingeniive ostentandi causa sollicite excogitavit, quæ aliis crucem figerent; indignatione potius omnium, quam paucissimorum venia dignus censebitur. Sin humani quid passus est, inhumanum certe foret, ab homine hominem animo æquo non tolerari.

§. IX. Sed utcunque hæc se habeant, id nobis doluit vehementer, tanto per Grotium privari solatio miseriis coopertos, & peccatorum vinculis, quæ singulis momentis rumpi cuperent, arcte constrictos. Etenim quamvis cum D. Augustino probe norint: *A Deo irato fugiendum esse ad Deum placatum*; omnem tamen deterriti animum abjiciunt, nescientes quo se vertant, si perpetuo iratum æstu viscera Dei tumultuentur. Aperiri videas Israelitis σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, &, ceu fontes, aquis limpidissimis scaturire: Grotius ea vel obturat, vel ira & bile atra replet. Non fert animus, communem Ecclesiæ consensum auctoritatemve Lutheri, Calovii, Hulsemanni, Schmidii, Cocceji aliorumque, quos nominare ambitiosum, exscribere molestum foret, ad conficiendum Grotium in partes vocare. Hoc mirari subit, qui in hujusmodi inciderit vocabulorum Hebraicorum interpretationem, cujusmodi ne per somnum quidem ullius Rabbinorum animo est obversata. Majus autem haud dubie penes cordatiores unanimis & Christianorum & Rabbinorum consensus, inprimis ubi de vocum significationibus concertatio instituitur, pondus habebit, quam Viri unius auctoritas. De versione LXX. Interpretum suo calculo nostram sententiam comprobantium exponemus deinceps; in præsenti haud abs re fuerit, Judæos peritissimos saltem vocum Interpretes paulisper audire.

§. X. Targum Jonathanis, cujus maxima inter Judæos est auctoritas vid. Hotting. *Exercit. Anti-Mor. pag.* 82. & quod identidem sequitur ac commendat Grotius, tanto ab ipsius opinione latius recedit, quanto à nostris partibus stat propius. Scilicet, vocem מעי, quam is nimium urget, à quo dissidemus, per רחמי convertit. R. D. Kimchi meri amoris injicit mentionem, propterea conturbata Dei viscera exponens, quod pro amore suo pristino Ephraimi sit recordatus. Raschi celeberrimus doctrinæ divinæ interpres nostrum המו מעי non secus ac Hieronymus. Vid. B. Calov. B. I. h. l. pagina 452. cum loco parallelo *Hos.* 11: 8. contendit, לרחם עליו & לבי נהפך עלי לרחם interpretatus. Don Is. Abarbanel folio 130. col. 4. *p.* neutiquam cum Grotio facit, nec de abjectione Ephraimi iraque Dei adversus eum, sed de redemptione textum nostrum accipit, דברים טובים דברים נחומים esse contestatus.

§. XI. Stitimus huc usque Grotium omni penitus, quod nobis quidem liqueat, præsidio nudum. Nec mirandum id adeo est, cum totus contextus illatam sibi detorsionem & injuriam manifesto prodat. Ecquæ necessitas huc accersivit vehementer succensendi notionem? Nonne Ephraim בן יקיר *filius Deo apprime carus*, & ob promissionum religionem magno in pretio habendus ab ipsomet proclamatur? Fuerat Ephraimi posteritas, effusis lacrimis vers. 15. & percusso, in planctus ac doloris testimonium, femore, variis se opprobriis expositam conquesta. vers. 19. Huic solatium impertitur Deus, lacrymas abstergendo, vers. 16. spem esse residuam inculcando vers. 19. & omnes per Dei gratiam conversos vers. 18. atque seria ductos pœnitudine vers. 19. non amplius pudore iri suffusum sancte pollicendo vers. 20. Etenim בן יקיר est filius, juxta Abarbanelem, in pretio habitus, nec amplius opprobria laturus: ex Raschii vero sententia, filius quasi unicus, cui parentes ex voto exhibent omnia, &, quo Chaldæus collineat, filius peculii instar dilectus. Conf. Targum in Deut. 7: 6. 30: 17. Quæ omnia plenius percipiet, quem Jesai. 43: 4. accuratius ponderandi tædium non ceperit.

§. XII. Adhæc ילד שעשעים *natus oblectationum*, propter eum, quem ילד Jes. 9: 5. & שעשעים Prov. 8: 30. esse novimus, Ephraim pronunciatur. Profuerit sane emphasin hujus denominationis paulo enucleatius investigare, ut Deum Ephraimo, quo jam summo se delectari opere profitetur, non *succensere vehementer* contra Grotium pateat. Vocem שעשעים, testibus concordantiis, octies repetitam exhibent Sacra Biblia, sed de intima semper oblectatione, quam ex re adeo chara percipimus, ut eam in oculis feramus, nec meditari, nec satis intueri nos posse arbitremur. Haudquaquam difficiles nos reperient in præbendo sibi assensu, vocabulum, de quo agitur, à radice, ut loqui amant, trilitera שעה *Gratiose respexit Genes.* 4: 5. derivantes, &, radicalibus geminatis, geminari pro more significatum statuentes. David delicias ex verbo Dei ad se redeuntes quinquies hoc vocabulo exprimit *Psalm.* 119: 24. 77. 92. 143. 174. idem plantæ suæ peramabili nomen indit vinitor, cujus solicitam cum maximo gaudio curam gerit. *Jesai.* 5: 7. Filius ipse Dei unigenitus, in quo Patri bene complacitum est, שעשעים nuncupatur. *Prov.* 8: 30. Quid? quod non alia voce ineffabilis Christi φιλανθρωπία, &, quam ex hominum gubernatione capit, oblectatio *Prov.* 8: 31. delineatur. Unde in proclivi est colligere, cur Jonathan per רבי רחים, id est, juvenem tenerrimum, & quasi in visceribus dilectum transferat. Huic igitur Deum uno eodemque tempore, & ideo quidem, quod amantissimus sit, vehementer succensere, non minus est incongruum, quam ferrum ligneum, Deum creatum, Spiritum corporeum, & id genus alia Philosophis credenda obtrudere.

§. XIII. Quid vero hisce reponit Grotius? nihil fere, nisi ut novum propinet errorem nimium Vulgato Interpreti credulus. Nam ילד שעשעים expositurus, Ephraimum statuit, adeo fuisse delicatum, ut Deum se carere non posse crediderit, & pœnitentiam agere, nisi prius obtento reditu, detrectaverit. Quæ si ad §. XI. XII. comparentur, se ipsa periment atque convellent. Nec est, quod unus & item alter strenuus Grotii sectator interrogativam urgeat orationem: *An filius pretiosus mihi &c.* atque hanc negativo esse sensu capiendam contendat: *non est filius pretiosus mihi.* Etenim, ut silentio involvamus eo pacto Grotii mentem deseri, *interrogationes affirmativæ in Scriptura nonnunquam non negant, sed affirmant ibi inprimis, ubi aliquis alterum agnoscit, ut est, & ex dubio se revocat. Sic in aliis etiam linguis: Hem tune es?* Potz b'st du es? *Ita Deus hoc loco secum quasi deliberans ita se ipsum interrogat, an Ephraim sit suus filius, ut serio & gratiose id agnoscat & fateatur. Vid. Seb. Schmid. in h. l. p.* 197. Quæ tamen æque dubia videri poterant, nec suffectura pertinaci adversario, cum absque exemplis lentius disputantur. Quare nostrarum fuerit partium dictis robur addere, quo tanto magis Lutheri quoque versio vindicetur. Prodeat in medium *Jer.* 23: 23. ubi Deus cœlum & terram implens, id est, omnia ad nutum præsentissime gubernans, Pseudoprophetas persuasum habentes, Deum esse è longinquo, nec perspicere, quid in abscondito agatur, contrarium docet. האלהי מקרב אני וגו׳. Frustra quis obtenderit disparitatem exemplorum, cum utrobique eadem sit constructio, neque aliud ה ac in הכן occurrat, utut diversa vocali gaudeat. Id quod ne tyrones quidem Grammatices Hebrææ præterire poterit. Fingamus vero negativum inferri sensum, & omnipræsentia Dei fuerit labefactata, & Apostolus *Act.* 17: 27, 28. insimulatus mendacii. Quamobrem interrogativa oratio: *An Deus de propinquo sum?* in affirmativam potius fuerit resolvenda: *certo certius omnipræsens Ego sum Deus*; aut ipso Grotio interprete: *putastis me tantum cœlestia curare, & non terrestria?* Idem confirmant LXX. Interpretes: Θεὸς ἐγγίζων ἐγώ εἰμι. Vatablus quidem h. l. & Flacius *Clav. Script. P. I p.* 974. מקרב de propinquo explanantes tempore, aliquam elabendi rimam subministrant, sed repugnante textus cohæsione, quod nostrum non est evincere uberius.

§. XIV. Non adeo difficile foret, plura & multo evidentiora in medium exempla proferre, nisi omnium vicem pauca hic supplerent. Quid ad 1 *Sam.* 2: 27. excepturi sint adversæ parti studentes, fatemur nos ignorare, ubi הנגלה נגליתי affirmativa interrogatio sensum negativum haudquaquam admittit. Quocirca & commode Lutherus: Ich habe mich offenbahret/ & Chaldæus Paraphrastes: האתגלאה אתגליתי transtulerunt. Ipse D. Kimchi alii sententiæ cum nostra facili negotio conciliandæ addictior, laudat interpretes, qui ה interrogativum ad verificandum sermonem tantum esse additum opinentur. Ralbag præterea non dissentit, quando & "הא" האמתות esse asseverat, & "הא" התמיה id est, admirationis causa exstare pernegat.

§. XV. Hucusque recitatis, si certum fuisset singula excutere, quæ in multorum versionibus errori obnoxia, & ad initium versus pertinentia occurrunt, multo maxima fieri accessio potuisset. Verum alius nobis præfixus scopus antecedentibus non sinit diutius immorari. De דברי בו quæ disputat Grotius ab instituto, quippe cui parum adversantur, sunt alieniora. Quæ vero de זכר אזכרנו subjicit: *meminero istius pertinaciæ*, per superiora satis diluuntur. Quare in his cum Schmidio: *Comment. h. l. pagina* 198. *Num filius pretiosus mihi est Ephraim? num natus delectationum? quod postquam locutus sum contra eum, recordando recordabor, vel recordari illius debeo*, nos facere professi, ejusque rationem reddituri publice, novum contra Grotii expositionem argumen-

mentum, ex verbis nostra immediate excipientibus deducemus.

§. XVI. Pone veram esse, quam στρεβλότητος convincere sumus conati, versionem: *ob hoc vehementer ei succenseo.* Quid de sequentibus fiet? *miserendo miserebor ejus*, *dictum est Domini*: Num vehementer eidem succenset Deus, erga quem intima misericordia afficitur, quem in utero quasi gestat, & uterino, si ita loqui liceret, (juxta emphasin רַחֲמִים & רֶחֶם) amore se complexurum serio pollicetur? Nobis quidem hoc parum verosimile videtur, neque ipsi Grotio hujusmodi placere commentum poterit. Quod si succensere vehementissimum Dei, nihil est aliud, quam summa in aliquem misericordia tangi; misericordia vero ejusdem vehementem iram involvit; quis non singulari, & quanta potest unquam, maxima cura contenderet? ut Deum haberet sibi semper non subiratum, sed iratissimum, hostibus capitalioribus & ipsi Satanæ divinam misericordiam exoptaturus.

§. XVII. Tanta hujus argumenti vis divinum Grotii ingenium fugere non poterat. Quapropter ad eam elidendam aut potius eludendam, quicquid habet virium, confert. Videns vero à rationibus se prorsus destitutum, ne nullas adducat, crudas fabricatur ac ineptas. Venit in mentem commentanti, ה interrogativum nonnunquam apud Hebræos deficere. Unde clamitat: *miserens miserebor ejus. Hæc per interrogationem legenda arbitror. An omnino misereri ejus possem, qui corrigere se non vult, quamdiu in malis est rebus?* Parum abest, quin fontem corruptionis insimulans, ה interrogativum, quia verior lectio scenæ minus inservit, excidisse profiteatur. Hujusmodi enim Vir alioquin magnifaciendus religioni non habet. Vid. Annot. ejus ad *Jes.* 7: 8. Sed mitior nunc quidem est, nihilo secius insignem fucum facit, ut absque fuco rem eloquamur. Verendum foret, ut nemo non Ephraimita omni salute exciderit, si ad mentem Grotii ה interrogativum excidisse sit statuendum. Adhæc videri posset Deus mentiri nescius toties illusisse ac imposuisse Abrahamo Sodomitis salutem exoraturo, quoties ad imminutum sæpius justorum numerum, si daretur, precibus se relicturum esse locum spopondit. Nam certum illud & minime fucatum CONDONABO, item NON PERDAM, NON FACIAM, si ה præfigatur interrogativum, in subdolum NON CONDONABO, PERDAM, FACIAM, commutabuntur. Væ porro peccatorum mole pressis, si claras ejusmodi ac gratiosas promissiones in acerbissimas comminationes pro lubitu transformandas rugienti leoni permittant. Nobis ne imponat tam manifestus error, quærimus ex Grotio: quodnam ferendum existimet judicium de istiusmodi sequelis? Deus interdum affligi justum patitur, ergo semper; homo nonnunquam scribit, ergo nunquam non scribit. Dixerit sine dubio, lusus esse pueriles. Quapropter & hanc consequentiam, ceu Viro gravi non satis convenientem merito notamus: ה interrogativum est aliquando, imo sæpe, supplendum: ergo semper: ergo hoc quoque in loco, ubi totus contextus diversum clamitare non desinit. Qui ad אשא עיני *Psalm.* 121: 1. idem præfixum subintelligunt, peccant excusatius. In præsenti commate, ubi argumenti nihil videas, idem fieri nec decet nec convenit.

§. XVIII. His expeditis omnibus, ratio, qua niti Grotium §. VI. commemoravimus, examinanda fuerit. Quodsi vel maxime viscera ab Hebræis ad omnem graviorem affectum referrentur, à genere tamen ad certam speciem concluderet, iræ affectum suppositurus. Id unum sequeretur, posse h. l. si scopus orationis ferat, de ira expositionem institui: At utrum debeat, nec ne, quæstio foret longe diversissima, quam sola συνάφεια textus superius pertractata dirimeret atque decideret. Desinet autem admirari, qui leges interpretandi callet, nec, qua ratione determinata homonymorum significatio sit eruenda, ignorat, quod identidem ad contextum provocetur.

§. XIX. Tanta tamen nondum etiam nos premit necessitas, ut rationem Grotii, tanquam sua luce radiantem, cœco assensu ducti admittamus. Si pro vocis usu, quem obtinuerit apud Romanos, contenderet, non tam pertinaci studio obluctaremur. Si quid Græcis vox *viscerum* tropice denotarit, exponeret, res foret utrinque in confesso. His enim σπλάγχνα interanea describere alvi juxta ac pectoris, cor, pulmonem, hepar, lienem, intestina &c. liquet, & in horum quibusdam cum sedes affectuum sit, factum esse, ut viscera per Metonymiam affectus designent, sive iræ, sive, quod frequentissimum est misericordiæ. *Vid. Er. Schmid. in N. T. pag.* 224. *Ed. Leigh. Crit. S. pagina* 302.

§. XX. Suspicamur autem accurata disquisitione non indignum, an apud Hebræos itidem מעים ad omnem graviorem affectum adeoque æstuantem iram referatur? Grotius inglorium ducens diu hærere dubium, asseverat. Supponimus vero illum, ne de verbis ipsius errasse videamur, non omnes intelligere Hebræos & Rabbinorum singulos, sed θεοπνεύστους tantum. In quam deducimur suspicionem, partim quod loca Rabbinorum non sunt adjecta, ut expendi commode queant; partim quia concipimus Grotium ex Bibliis Biblia interpretaturum. Denique parum causæ ejus inserviret, si vel maxime viscerum vox fuisset sensu, quem intendit, frequentata Rabbinis, cum eundem illi ex usu Biblico adscribere non liceat. In Bibliis quidem cordis aliquot affectus viscerum notione repræsentari ultro confitemur, sed, quid factum sit, non quid fieri potuerit, attendentes, de omnibus aut speciatim de ira uspiam reperiri pernegamus.

§. XXI. Fundamento assertionem hanc satis firmo niti, cum singula Scripturæ commata, in quibus viscerum vox pro affectu substituitur, tum usus vocabuli cum Radice המה constructi evidenter probabunt. Apertum satis est, quod *Job.* 30: 27. viscerum motus fervidiorem affectum indigitet, sed doloris intensissimi quem vehementia morbi pepererat. *Vid. Schmid. in Iob. pag.* 1168. nec disparem sensum *Ierem.* 4: *vers.* 19. viscera gignunt, ubi non indignationem contra Deum exponit Propheta, sed suum dolorem intimum quem, clangor buccinæ & belli terram sanctam certissime eversuri clamor expresserat. *Seb. Schmid. in h. l. pagina* 133. & *ipse Grotius h. l. in B. Calov. B. I. T. II. V. T. pag.* 400. *b.* Filia Zion suum testatura affectum, quem ex calamitatibus infinitis à Deo sibi immissis conceperat, lutulenta dicit sua viscera esse reddita, &, ut mare procellosum æstuare, non præ ira, sed præ dolore, lutum quasi, & tristes nebulas excitante. *Thren.* 1: 20. 2: 11. Hactenus ergo ad solum doloris affectum ira vehementiori vacuum vox viscerum refertur.

§. XXII. Eadem Radici המה quoties jungitur, si Jesaiæ 16: 11. exceperis, ubi denuo affectus exprimitur doloris gravioris, *vid.* רש״י *in h. l.*, non nisi amorem intimum summamque misericordiam insinuat. Thesin hanc, quantum sufficiet, probaverit singulorum inductio exemplorum. Similius ovo vix ovum reperias, quam nostro textui Cant. 5: 4. המו מעי עליו respondet. Quæ cum sponsa Christi de Sponso suo eloquatur, non nisi ridicule per iram, aut vehementem aliquam indignationem fueris interpretatus. Et quid ambagibus opus est? Nunquam viscera Deo tributa iram significant, sive σπλάγχνα in N. T. sive מעים in Veteri perpendas. Solus præter nostrum textum Jesaias מעים, *id est*, *viscera* Deo tribuit frementia itidem ac perstrepentia. Sed quæramus ex V. T. Evangelista: quid sibi vox viscerum Deo assignata velit? & misericordiam designari, responsum feremus. Nec potuit ipse Grotius, quin LXX. Interpretibus, & Chaldaicæ paraphrasi Jesai. 63: 15. המון מעיך ורחמיך de benignitatis copia exponentibus calculum adjiceret.

§. XXIII. Non itaque ex nostro cerebro, quid *viscera Dei* significent, exsculpendum est, sed alia Scripturæ loca prudenter sunt conferenda. Quando igitur à Jesaia מעיך exegetice per רחמיך exponi percepimus, merito subveremur, vel latum unguem inde discedere. Subscribimus Glassio potius: Viscera Deo tribuuntur, quibus misericordia & dilectio ejus ardentissima exprimitur. *Rhet. S. pagina* 114. Saltem displicuisse apparet Præpotenti Numini iræ suæ fervorem sub viscerum motu indicare, quemadmodum ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν 2 *Corinth.* 1: 3. quidem nuncupari amat, sed Pater iræ, judiciorum ac ultionum dici noluit. Quamobrem vero id ipsum fiat, curiosa magis quærentibus quam utilia relinquimus.

§. XXIV. Verum, si quis conjecturæ tamen in re tanta locus est concedendus, Patrum testimonia conquirere nihil impedit. Propterea id ipsum accidisse pie creditur, quod *Deus misericordia magis indulgens, quam severitatis tenax est. Vid. Ambros. lib. I. de pœn. cap. II. T. I. pag.* 153. aut quod *miserendi causam & originem sumit ex proprio, judicandi vel ulciscendi magis ex nostro. Conf. Bernhard. Serm. V. in die nat. col.* 60. Scilicet vehementer hominibus succensere est זר מעהשו *Iesai.* 28: 21. qui ארך אפים tardus ad iram *Exod.* 34: 6. sed רב חסד multus ac magnus benignitate, imo רחום וחנון adeo misericors & gratia plenus est, ut posteriora quidem tria nomina, suæ soli misericordiæ vindicata, augustiora multo voluerit esse, quam ut creaturarum ulli communicarentur.

§. XXV. Inflet nunc, cuicunque lubitum fuerit, Grotii tibias nostris labiis nunquam accommodandas, utpote quæ

nil

nil nisi dissonum sonant, & quod à concorde divinorum oraculorum concentu inter σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ καὶ σπλάγχνα οἰκτιρμῶν atque המו מעי לי turpiter abhorret. Dei ergo visceribus, nulla æstuantibus vel ira vel crudelitate, certum est amplius oblectari. Id quod ordine ut procedat, primum cujus viscera, deinde erga quem conturbentur, tum denique ipsum viscerum Dei strepitum meditanda nobis sumemus. Quæ eo tendent singula, ut haud quaquam κύριον δύσπλαγχνον, sed εὔσπλαγχνον, imo πολύσπλαγχνον, aut πολυεύσπλαγχνον, *quæ varia lectio à Curcellæo & Novo Testamento Gissensium Jac. 5: 11. notatur*, à Jeremia considerandum sisti, enodatius declaretur.

§. XXVI. Est autem is, cujus viscera conturbantur, docente id ipsum Dissertationis inscriptione, ὁ κύριος. Quod vocabulum geminam ob causam nobis usurpare placuit; tum quia in Jacobo extabat, tum quia Hebræorum יהוה in N. T. per illud sæpissime efferri meminimus, quamvis semper idem fieri per *Gen. 15: 6. coll. Rom. 4: 3.* asserere non sit integrum. Jehovam vero per pronomen voci מעי suffixum indicari, divinior Vates sub finem commatis nostri contestatur, נאם יהוה repetendo.

§. XXVII. An vero οὐσιωδῶς an ὑποστατικῶς vocabulum יהוה h. l. capiatur, nostrarum novimus haud esse partium determinare. Quamobrem & sententiam Joh. Cocceji, qua asseverat Christum sermonem suum continuare, ejusque commoveri viscera, cum defleret Hierosolyma, & pro crucifigentibus oraret, *Comment. h. l. p. 190. edit. Amstel. A. 1669.* aliis dijudicandam relinquimus. Quæ complures de hoc argumento prolixe sunt commentati, ea si uno fasce omnia complectaris, ille, cujus nomen sanctum est ac incommunicabile, qui æternus est nullique mutationi obnoxius, qui non à judicii & justitiæ, sed inexpectatæ potius misericordiæ attributo describitur, tumultuationem viscerum est expertus, atque, ceu prodigi illius pater, ἐσπλαγχνίσθη *Luc. 15: 20.*

§. XXVIII. Cujus vero gratia vehemens ille divinorum viscerum motus cieatur, ex voce servili לו colligere datur. *Conturbata sunt viscera mea Illi*, h. e. juxta Vulgatum, super eum, *quem quoque pro lingua genio sequitur Interpres Suecus*: öfwer honom; seu, quod Tremellio placuit: propter eum; Aut, quæ Lutheri dictio est; gegen ihm. Quæ versiones non nisi sono quodammodo dissonæ tanto citius nostrum suffragium merentur, quanto rectius לו cum Cant. 5: 4. עליו paria facere intelligimus. Quid? quod particulam על modo *super*, modo *propter*, modo *erga*, prout Latinitas id ipsum exegerit, significare, notius est, quam ut pluribus edisseri sit necesse. Vid. interim Noldii Concordant. partic. & Glassii Phil. S. lib. III. tr. VI. can. XII. p. 547. Nec est, quod sollicite inquiramus: quodnam per pronomen לו subjectum indicetur. Ephraimum indigitari nemini ex initio versus non innotescit. Quod ipsum fortassis in laudes beneficiorum, quæ in Ephraimitas Deus contulit, excursuro latissimum aperire dicendi campum poterit. Quid enim promeruerat Ephraim, quod sibi à Domino dandum postularet? ne tantillum quidem: & sua tamen in ipsum Deus beneficia tantum non prodige magis effudisse, quam liberaliter contulisse potuisset videri. Præterea Ephraim pro summis innumerisque beneficiis mala rependit omnia, benefactorem calcibus quasi petit, amantem proterve deserit, reverendumque despicatui pertinaciter habet; nihilo secius vas hoc iræ, iram thesauri instar sibi colligens, pro longanimitate sua Deus, ultra quam dici potest, tolerat. Adhæc Ephraimum turpissimis modis deformatum ob fœdissima scelera, adeoque æqualibus atque Adama & Zeboim pœnis exponendum Deus Ω σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ! deamat, visceralique, liceat uti stylo Cornelii à Lapide *in Phil. 2: 1. p. 567.* commiseratione erga illum tangitur. Sed ita solet ὁ Κύριος vere πολυεύσπλαγχνος vindictæ gladium miserationis oleo exacuere. Sic *Dii*, prout loquitur Seneca, *L. 7. de Ben. cap. 31. p. 522. beneficia ignorantibus dare incipiunt; ingratis perseverant.*

§. XXIX. Non diffitebimur posse modo proposita, prolixius multo citra omnem Philologiam Hebraicam edisseri. Philologis vero ὀνοματολογίαν vocis אפרים pensitaturis accuratius, nec omnem penitus historiam insuper habituris, eadem meditari in proclivi esse, haud facile quisquam negaverit. Nam in memoriam sibi revocaverint אפרים à פרה *fructuosum esse*, suam non sine omine trahere originem. *Genes. 41: 52.* Dei enim beneficio in tantam Ephraim excrevit multitudinem, ut semen ejus foret מלא הגוים, & ab hoc potissimum primario Josephi filio ob gratiam Dei insigniter conspicuam bene precandi exempla Israëlitæ sumere instituerent. Gen. 48: 19, 20.

§. XXX. Præter hæc observantes, non individui h. l. nec unice tribus viris & opibus pollentis *Grot. in Hos. 13: 1.* esse nomen, sed more Scripturæ, Vid. Balduin. in Zach. 9. p. 621. & Glass. Rhet. p. 463. decem designari tribus, quæ a legitimo Rege religioneque ad vitulorum cultum sub Jeroboamo defecerant, τὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ magis admirabuntur. Quandoquidem domus Israël planta quidem delitiarum Domini, verum inde à longo tempore Ephraim, id est, fructuosa fuerat τοῖς ἔργοις τοῖς ἀκάρποις τοῦ σκότους, pro desideratis uvis fœtidas labruscas, pro משפט nil nisi משפח, pro צדקה denique nil nisi צעקה ferendo. *Ies. 5: 2. 7.* Et nihilominus erga plantam omnibus modis irrigatam, sed fructus facientem deterrimos, strepitum edunt divina viscera, ad quem erunt porro aures arrigendæ.

§. XXXI. Viscera quomodo Hebræis in statu ceu vocari consuevit, absoluto nominentur, certum ex Bibliis non habemus; ad minimum extra regiminis vel suffixorum statum nusquam comparet. Equidem suffixum י, &, quæ alibi occurrunt, alia, in singulari vocem haud extare monent: sed dualisne an pluralis sit numeri, indecisum relinquunt. Significatio longe est certior, quantumvis in radice verbali, quæ inusitata est, parum præsidii inveniat. Ante omnia (1) pro corde, viscerum præcipuo, synecdochice adhibetur. *Ps. 40: 11.* Unde LXX. *Iob. 30: 27. & Thren. 2: 11.* per ἡ καρδία μου convertunt. Quæ ad Lutheri versionem rectius intelligendam observasse non pœnituerit. Nonnunquam tamen cor visceribus contradistinguitur: *Ps. 22: 15.* tum מעים (2) pulmones expriment, quippe in quorum medio cor latere Medici testantur. Præter hæc ea quoque (3) intestina, quæ cibo repleri solent, sive balænæ *Jon. 2: 1: 2.* sive hominum fuerint. *Job. 20: 14. Ezech. 3: 3. 7: 19.* significant. Quo pertinet *Num. 5: 22.* mentionem viscerum aqua amara repletorum injiciens, nec non 2 *Par. 21: 15, 18, 19.* intestina memorans morbo affecta, & per secessum in morbis exeuntia. De utero materno idem usurpari vocabulum *Gen. 25: 23. Jes. 49: 1. Ruth. 1: 11. Psal. 71: 6.* evincunt. Paterna itidem viscera atque lumbos eodem nomine venire ex *Gen. 15: 4. 2 Sam. 7: 12. 2 Par. 32: 21.* haud obscure docetur. Verbo: מעים omnia notant membra interiora, quod ex *Job. 30: 27. Thren. 1: 20. 2: 11. Jes. 16: 11. Jer. 4: 19.* facillime potest firmari.

§. XXXII. Quo sensu tandem viscera Deo attribuantur, id expeditum Theologi contra Cl. Bohlium dederunt; à quorum nos rationibus stantes cum Schmidio h. l. p. 199. viscera Dominum sibi tribuere ἀνθρωποπαθῶς, & cum Junio *in h. l.* pronunciamus, *perstrepunt viscera mea* de Deo humanitus dictum esse à comparatione terrestrium progenitorum. Præterea advertimus magno argumentorum amplificantium numero excidere, qui solis versionibus adhærentes, fontes non consulunt, aut digne satis expendunt, utut de veritate nihil aberrent.

§. XXXIII. B. Lutherus vocem מעים ad cor, cui contradistinguit *Psal. 22: 25.* videtur restringi; sed juxta Hebræos non cor tantum, verum & pulmones, & quotquot viscera, sive minora sive majora sive inferiora, sive superiora in hominibus data, in Deo concipi possunt, misericordia tanguntur, unde procul dubio seria magis Dei misericordia innotescit. Accedit, quod, secundum superius exposita, de utero materno vox מעים frequenter adhibeatur. Quæ observatio Deum matri, fœtum utero gestatum affectu tenerrimo amplectenti simillimum sistit, atque una in memoriam revocat portatum à Deo Ephraimum in utero esse, & gestatum in vulva, *Jes. 46: 3.* ut oblivisci ejus haudquaquam potuerit, si vel maxime suorum genitrices liberorum oblivio caperet. *Jes. 49: 15. 66: 13.* Is igitur per מעי indicatur affectus, quo matrix solet concipere, complecti, fovere, alere, tueri & conservare fœtum, nec minus, quando fœtui mali quid accidit, commoveri. Quo, nisi nos omnia fallunt, respiciunt, quotquot metaphoram à materno amore petitam arbitrantur. Quibus quare reponat Schmidius: *sed cur non à paterno?* is facile conjiciet, qui Deum in nos ita se gerentem, ut nos in nostros filios *Cl. Alex. p. 120.* & paternum affectum sibi *Psal. 103: 13.* vindicare, & מעים de visceribus adhiberi paternis ex superioribus recogitaverit. Ita enim solet Deus suum nobis amorem significaturus gallinarum charitatem, patrum curam, matrem misericordiam maritorumque amorem proferre, non quasi intensius non amet, sed quia his exemplis & regulis non alia sunt amoris majora signa aut argumenta. Nam quod multo magis nos deamet ex *Jes. 49: 15.* &c. elucescit.

§. XXXIV. Finem demum hisce meditationibus vox המו imponet. Quam nec ab המם, nec ab הום, partim propter absens dagesch, partim ob positum accentus, sed ab המה derivandam esse, nemo nescit, nisi qui Grammaticam ignorat. Est autem radix המה ad omnem strepitum & tumultum generalis

neralis. *Sam. Bochart. Hieroz. T. I. p. 809. & T. II. p. 665. Gejer. in Ps. 55: 18. p. 987.* Nam (α) eum exprimit tumultum, quem viscera sponsæ erga sponsum appropinquantem foresque pulsantem non absque perturbatione sentiunt *Cant.* 5: 4. (β) Fremitum maris *Jes.* 17: 12. *Ier.* 6: 22. 50. 12. fluctuumque marinorum *Ies.* 51: 15. *Ier.* 5. 22. 31: 35. 51: 55. ac tantum aliquando, ut lutosæ fiant aquæ *Psal.* 46: 4. designat. (γ) Sonum innuit, quem citharæ *Ies.* 16: 11. & strepitum, quem nablia *Ies.* 14: 1. vel tibiæ *Ier.* 48: 36. concitant. (δ) Legitur de ursorum fremitu *Ies.* 59: 11. de gemitu columbarum, *Ies.* 38: 14. *Ezech.* 7: 16. nec non de canum famelicorum ululatu. *Psal.* 59: 7, 15. (ε) Laboriosas inquietasque avarorum curas, magna cum impatientia, fremitu & cupidinum æstu lucrum noctuque diuque meditantium *Ps.* 39: 7. nervose depingit. (ϛ') Anxium illud studium exprimit, quo adultera fertur, ut perfruatur proposito, *Prov.* 7: 11. 9: 13. verbis usa ad persuadendum accommodatis. (ζ) De gentium præ rabie ac impatientia frementium tumultuatione, *Ps.* 46: 7. hostiumque divinorum, nil nisi arma ac minas spirantium, strepitu *Ps.* 83: 3. usurpatum deprehendas. Nec iverit inficias eandem radicem (η) strepitum animæ, undis quasi agitatæ, ac præ acerbitate dolorum nimiaque anxietate querulas voces emittentis denotare, qui ad *Ps.* 42: 6, 12. 43: 5. 55: 8. 77: 4. attenderit. Sicera porro (ϑ) obrutorum *Prov.* 20: 1. & ipsius vini dolia pertusuri *Zach.* 9: 15. tumultuationem describit. Denique (ι) streperum clangorem, ut & vocem urbis, novo electo Rege, tripudiantis ac præ gaudio resonabilem echo cientis 1 *Reg.* 1: 41. significat.

§. XXXV. Hæc omnia satis evincunt, præter mentem Spiritus S. futurum, si quis Germanorum vocabulo brechen/ aut Suecorum brister/ nimium inhæsurus, argumentis inde, quæ illustrantia vocant & amplificantia, erutis, voce המה ad rerum fracturam, uti ita loquamur, seu rupturam alluderet. Nec enim opus est emendicatis aliunde argumentis, cum voci המה insita adeoque domestica suppetant, tanta se messe offerentia, ut prius in mentem fortassis venerit Philologiæ gnaro cogitare, quomodo de inventis superflua resecet, quam ut de amplificatione angatur, atque ad rem minus facientia sollicite conquirat. Nostrum singula exsequi non fuerit quamobrem digitos tantum ad fontes, unde plenis situlis plura hauriri possint, intendere constituimus.

§. XXXVI. *Prima* radicis המה significatio desponsationem Dei cum Ephraimo cunctisque fidelibus *Hos.* 2: 19. redigere in memoriam poterit, & Κύριον πολύσπλαγχνον sponsorum amore haudquaquam superari, facere testatum. Sponsus enim post primos dies remittit amoris vehementiam; Sponsus autem noster Deus perpetuo nos amat & auget desiderium. Quæ *altera* est, jugi beneficiorum emanatione, ne pios in æternum fluctuatio cruciet *Ps.* 55: 23. divina fluctuare viscera commonefacit, panditque abyssum, ex qua non stillant, sed ultro fluunt inexspectata benevolentiæ munera, ea quidem ratione, ut si illud Clement. Alex. *Pædag. L. 3. cap. 7. p. 236.* huc applicare fas est, ipsa subinde augeatur ac repleatur, quemadmodum ad ubera, quæ suguntur, vel etiam mulgentur, solet lac confluere. Quis est, ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manaverit? *Sen. L. 4. de Ben. c. 4. p. 433.* Scripturæ dicta proposito nostro inservitura, & vere immensum φιλανθρωπίας divinæ pelagus commonstratura, data opera præterimus, munia nostra Adversariorum, Rhetoricorum vel Bibliothecarum Sacrarum Claviumque Scripturæ autoribus relinquentes. Opportune Patrum dicta adderemus, motus misericordiæ divinæ eidem, quod Philologia S. *h. l.* suppeditat, schemati involventium. Sed cum ex iisdem fontibus, ex quibus nobis haurienda forent, à quovis hujusmodi hauriri possint, silentio nemini molesto eadem involvimus, arbitrati quemlibet syncerum Κυρίου πολυσπλάγχνου amatorem suo studio hæc nostra esse haud gravate locupletaturum, & hoc expeditius, quo vel in historiis Patribusve fuerit versatior, vel à locis communibus homileticis instructior, aut plures etiam possederit auctores horum vicem suppleturos.

§. XXXVII. Nos primas tantummodo cogitationes submisistrasse contenti, ad significationem *vid.* §. XXXIV. γ. *tertiam* properamus, quæ hanc nobis paritura videtur periphrasin: Nostis ipsi, ô Ephraimitæ, nabliorum, cithararum ac tibiarum in symposiis vestris usum esse frequentissimum, *Jes.* 5: 12. quæ animos vestros dulce canendo demulceant, à tristitia revocent, curas pellant &c. Sic viscera me mea constrictum quasi dulci melodia tenent, ne iram æstuantem persequar, ac Ephraimum perdam amplius. *Hos.* 11: 9. Non desinunt eadem, suavem excitando sonum, animum meum demulcere, & à rigore justitiæ revocare, ut lætus medieter vestras non adversitates, sed prosperitates exoptatissimas. *Jer.* 29: 11. Nec grave fuerit, textum hunc nostrum declaratura elicere ex ritu, quo citharas olim, *conf. Corn. à Lap. in Jes. p. 194. & in Jer. 48: 38. ac Matth. 9: 23.* nec non tibias in luctu, & puerorum inprimis sepultura, siquidem lugubre quid sonabant, adhibere consueverunt. Neminem enim præterit, quando cognatis aut familiaribus, certis in locis, exequiæ fiunt, & res conclamata est, ad συμπάθειαν superstites commoveri, durissimisque nonnunquam lugubri cithararum tibiarumque funebrium clangore cor adeo mollescere, ut ex petris aqua promanet. Non multum aberat, quin animam agenti Ephraimo, spe salutis fere desperata, citharæ atque tibiæ ultimum vale susurraturæ præpararentur; imo lamenti jam tum vox & fletus amarissimus ex Ephraimitis sibi condolentibus ac filios deplorantibus audiebatur. *Jer.* 31: 15, 18. His paterna Dei viscera κατὰ τὸ πολὺ αὐτοῦ ἔλεος, 1 *Pet.* 1: 3. usque adeo permovebantur, ut præ συμπαθείᾳ singulari lugubrem concentum ederent, non in *Lami*, ut dicunt, sed in lætitiam summam ex declarata misericordia hauriendam desiturum. Namque non minori erant Deo voluptati querulæ Ephraimitarum voces *Jer.* 31: 18, 19. ex contrito corde profectæ, quam nablia & citharæ, quibus honorem Dei recitabat David. 2 *Sam*: 6: 5. Eranthæ voces tibiarum instar, ad quarum strepitum, ut terra quondam fissa est, 1 *Reg.* 40. sic magnam vim motumque vehementem viscera Dei vindictam hactenus meditantia, nunc patiebantur.

§. XXXVIII. Quæ à modo commemorata *proxime distat notio* §. XXXIV. δ. columbarum gemitum Dei visceribus adscribit, ne oppressis Ephraimitis, ut Hiskiæ quondam *Jes.* 38: 14. more columbarum, ab oppressione nomen apud Hebræos gerentium, diutius gemendum foret. Pone non à vero abludere, quæ de columbis ac turturibus tradunt naturalium curiosi, non magis tamen fœmellæ suum erga maritum, vel absentem, vel advolantem desiderium gemitu declarare possunt, quam viscera Dei sincere ingemiscunt, desiderio Ephraimi, fatuæ istius columbæ *Hos.* 7: 11. modo ad Assyrios, modo ad Ægyptios avolantis, nunc vero ad legitimam caveam i. e. ad veram Ecclesiam pœnitudine, ceu alis pernicibus, revolantis. Adscribi hanc in rem merentur Clementis Alex. verba: Admon. ad Gentes. p. 58. *C. Deus ex multa benignitate & clementia hominem retinet & complectitur, sicut, cum pullus è nido excidit, mater avis è nido advolat. Si quando autem serpens pullo devoraturus inhiet mater circumvolat natos, charissima pignora deflens. Deus autem Pater & suum quærit figmentum, & ei, quod lapsum est, medetur, & feram persequitur, & pullum rursus in nidum recipit, ut rursus advolet, incitans.* Quid vero de ursorum fremitu & canum ululatu §. 34. δ. commemoratis fiet? An & hic commoda poterit ad strepitum viscerum divinorum fieri translatio? Absit τὸν Κύριον πολύσπλαγχνον urso comparemus, cum vindictam sumpturus huic bestiæ tantum assimiletur. *Tren.* 3: 10. Nec sub canum imagine Deum concipere per verbum revelatum licet. Venerentur canes Cynopolitani. *Clem. Alex. Adm. ad gent. p. 25.* C. Deus Israëlis canes summopere detestatur *Jes.* 66: 3. Id tantum volumus; nec canum ululatu, nec ursorum fremitu magis commoveri homines, quam Deum fremitu quasi & ululatu quodam viscerum propriorum. Quapropter pergant Phryges Deum hyeme dormire, æstate vero vigilare opinari. Custodem Israëlis per hyemem æque ac æstatem propria excitant viscera, quo minus dormitet, nedum dormiat *Ps.* 121: 4.

§. XXXIX. Hanc quæ sequitur Radicis nostræ significatio, §. 34. ε. ut avarorum ingenium depingit, ita nulli minusquam visceribus Dei videri posset accommodanda. Verum tertium comparationis attendenti facile in mentem venerit, avarorum curas, utcunque maximas, nihil esse ad illas, quas Deus humanis rebus, non universis modo, verum & singulis consulens sustinet. Multo minus in alium & à mente nostra alienum sensum, quæ de adultera dicebantur §. XXXIV. ϛ'. abripi patiemur. Expleat sese Jupiter mulieribus, non minus quam hircus Thmuitarum capris; casta Deus mens est & nullius virtutis expers. *Plut. de orac. defectu p. 423. D.* Nihilo tamen secius vix adultera vocibus magis ad blanditiam compositis in amatorum consuetudinem penitius se immergere, & benevolentiam juvenum colligere annitetur, ac quibus Deus subinde molitus est Israëlitarum animos absque fuco delinire. Erat populus Judaicus, non in Vespasiani tantum argenteo nummo *Sanct. in Jes. p. 54.* muliebri habitu fictus, sed revera mulier perfida & adultera, prouti à Prophetis delineatur. En vero per blandam Dei vocantis vocem *Ier.* 3: 1.

atque

atque non minori amore sua in conversos Ephraimitas inflammari viscera h. l. testantis, quam Israëlitarum forsan cum Ægyptiis *Ezech.* 23: 2. aliisque adulteria quondam, spirituali rupto fœdere, frequentantium.

§. XL. His expedite confectis, age, quæ supersunt, ceptis cogitationibus quoque accommodemus. Equidem non poterant tanto opere tumultuari gentes: neque hostes muscarum numerosissimarum instar Israëliticæ terræ faciem coopperturi, & incolas partim obsidione pressuri, partim apum more infestaturi aculeis, lapides denique omnes lapidibus attrituri, tantum cum fremitu strepitum excitare, quin eundem viscerum Dei tumultuosissimorum ululatus, aut excederet aut exæquaret. Quocirca non erat, cur Ephraimitæ sibi vehementer metuerent, ingruente המון חילים רבים *Dan.* 11: 10. aut conflata contra se hominum perditorum, conspiratione, cum infestanti המון עמים רבים *Jes.* 15: 12. intrepide possent המון מעי יהוה *Iesa.* 63: 15. opponere & המו מעי nostrum magno sibi solatio futurum, cogitando usurpare. Aliis præterea imminentibus quibuscunque periculis animi quietem turbaturis, atque in curas anxiferas præcipitaturis *vid.* §. XXXIV. η. meminisse poterant, parum quieta Numinis σπλαγχνισθέντος viscera esse, & maximis quasi angoribus confici, ne fide præditos exoptata quies deficiat.

§. XLI. Nunc ad ea demum, quæ de strepitu vino confectorum & musti tumultuatione, nec non de civitate tripudiis strepera *per* §. XXXIV. ϑ. dicenda restant provehimur. Ubi monendus est B. L. ne quid de verbis nostris vel erret, vel ambigat, הֹמֶה *Prov.* 20: 1. de sicera metonymice enunciari, ut sicera tumultuans idem sit, atque tumultuantes gignens. Quare hanc explicationem cæteris præferamus, non Lutheri tantum, Pagnini, Junii ac Gejeri *in h. l. p.* 1017. authoritate inducimur, sed rationibus quoque variis, quas longius foret singulas enumerare. Nec, nobis ipsis testibus, à modo recensita notione *Zachar.* 9: 15. admodum abludit. Etenim, si plerosque commentatores, vel Latinos, vel Hebræos consulas, de vini plenorum, non ipsius vini tumultu interpretabuntur, ejusmodi admittentes ellipsin, quam *Ies.* 29: 19. dari quilibet largitur. At cum nulla saltem suadeat necessitas, eandem in præsens quoque comma ingerere, non est, quod à B. Gejeri in *Ps.* 55: 18. pag. 981. m. & aliorum forsan sententia, quos evolvendi copia non est, ullum vestigium discedamus.

§. XLII. Notum autem cuilibet satis est, quam inquieta detur & animi, & linguæ, & membrorum reliquorum in illis commotio, qui vinum meracius largiter sumpserunt. Non minori cum vehementia viscera commovebantur τοῦ εὐεργετοῦντος Θεοῦ, *Clem. Alex. p.* 16. *C.* (cujus alacritas alioquin ad puniendos hostes præfractos intrepidæ ebrii Gigantis in adversarium irruptioni *Ps.* 78: 65. comparatur, Tarnov. in Zachar. p. 1498.) ut afflicta corda Ephraimitarum, postquam iræ divinæ poculum inviti exhauserant, nec ex vino *Ies.* 51: 21. sed amaritudine, absinthio, *Thren.* 3: 15. & tremore *Psal.* 60: 5. fuerant inebriati, misericordia sua, rore illo amœnissimo *Prov.* 16: 18. ceu generoso aliquo vino *Ies.* 55: 1. delitiarumque suarum torrente exsatiaret, *Ps.* 36: 9. *add. Ierem.* 31: 12. *seqq.* hostibus interim suam violentiam resorpturis *Prov.* 26: 6. Equidem Jehova, vel solo elementorum nominis, quæ Grammaticis quiescentia nuncupantur, indicio, mera est quies: at illud tamen à clementiæ suæ visceribus, quæ non secus ac mustum dolio, crebris motibus vim sibi non ingratam inferebant, ægre poterat impetrare, ut ante se darent quieti, quam Israëlitæ, in quos ira fuerat effusa, musto gratiæ facundiores redditi *Zach.* 9: 17. refocillarentur.

§. XLIII. Adhæc summam connotat eadem comparatio gaudium, quod jubilo solent atque festiva voce mero soluti indicare. Profecto Deus ὁ ἐλεῶν ἐν ἱλαρότητι lætitiis omnibus præfundebatur, quod Ephraimum, cujus conversionem tantopere sitierat, denuo posset beneficiis cumulare. *Ier.* 32: 41. Nec ad alium ferme scopum ea collimat oratio, quæ radicem המה istiusmodi strepitum involvere §. XXXIV. ι. commonefecit, cujusmodi à turba civium, novo Rege electo, tripudiantium percipitur. Etenim vix poterant ob injectam sibi pacis perpetuæ spem majoribus incedere gaudiis, Salomone potiti Rege, 1. *Reg.* 1: 41. quam Deus oves Israëlis perditas ad sanctorum cœtum humeris reportaturus. Verius enim longe de ipso, quam de Diis illud Plutarchi *de Adul. & Amici discr. pag.* 63. *E.* asseritur, quod ea sit natura, ut ipsa sua beneficentia delectetur.

§. XLIV. Plura ex Radice המה vix elici queunt, quanquam edisseri pluribus singula potuissent. B. Gejero quidem de strepitu sauciorum ingemiscentium *Ierem.* 48: 36. accipi videtur. *Com. in Ps.* 55: 18. *p.* 981. *m. & in Ps.* 77: 4. *p.* 1375. Sed qui חֲלִלִים id est, tibiarum vid. 1. *Reg.* 1: 40. *Iesai.* 5: 2. *c.* 30: 29. non חֲלָלִים vero sive confossorum fieri mentionem perspiciunt, non possunt non denegare assensum. *Vid. Seb. Schmid. T. II. in Ier. p.* 839. *& versionem B. Lutheri.* Perfacilis autem hujusmodi duarum vocum commutatio est, ubi solæ concordantiæ vocalibus destitutæ consuluntur, magnumque argumentum suppeditat, puncta Hebræorum etiam intra contextum maxime esse necessaria, cum puncta lectio alias obrepere possint vel exercitatissimis.

§. XLV. Multo minus R. המה ploratum castigati filii denotare memorabimus, etiamsi eo tendant, quotquot הֲמִיתוֹ *Prov.* 19: 18. cum forma בְּכִיתוֹ Gen. 50: 4. contendunt, vel, quod nefarium est, הֲמִיתוֹ cum Cajetano, Vatablo & Pagnino substituunt. *Vid. Gejer. in Prov. p.* 990. *f.* Quid enim juvat in tanta certiorum copia, incertis uti ac dubiis, in quibus assensum non nisi precario impetres? Ad extremum המה nihil habere cum illis verbis commune, quæ famem formaliter significent, haud adeo inviti Bocharto *P. I. Hieroz. pag.* 665. largimur, etsi Vulgatum æque ac LXX. *Ps.* 59: 7. 15. hujusmodi in sensum detorquere non habeamus incertum. Quod si ex LXX. Interpretibus juxta tenorem promissi §. IX. quidquam promere velimus, satis poterit argumentorum ex præsentis loci translatione subministrari. Hi enim המו מעי לו per ἔσπευσα ἐπ᾽ αὐτῷ convertunt. Quid σπεύδω sibi velit apud profanos? longius foret exquirere. Sufficiat in versione, quam dicimus, etiamsi variarum radicum Hebraicarum נהר מהר בהל &c. vices suppleat, *Festinandi* notionem obtinere, quam nec tum amittit, quando, intercedente ἐπὶ, casum regit, vel *gignendi*, *Genes.* 18: 6. vel *accusandi* Mich. 4: 1. Nahum. 2: 5. vel *Dandi* h. l. atque *Eccles.* 5: 1. Equidem radicem המה vel seorsim extantem, vel cum מעי constructam, nusquam alibi per thema σπεύδω transferri liquet ex Conradi Kirch. *Concord. V. T. P. I. pag.* 1240. Nam מעי למואב ככנור יהמו *Ies.* 16: 11. sic verti advertas: ἡ κοιλία μου ἐπὶ Μωὰβ ὡς κιθάρα ἠχήσει. Alterum vero radicis המה cum מעי constructæ exemplum per thema θροέω *Canticor.* 5: 5. exponitur. Quæ mirari desinent, qui nec המו מעי de Deo alibi uspiam adhiberi meminerint. Hæc critica sunt, sed misericordiam tamen Dei succurrentem quam celerrime pereleganter describunt. Id volunt LXX: adeo tumultuata erga υἱὸν ἀγαπητὸν viscera Dei fuisse, ut de gratia ipsis primo quolibet momento exhibenda, & hostibus jamjam delendis *Ps.* 80: 15. sollicitum ipsum haberent. Hanc autem festinationem commodam fuisse Ephraimitis minimeque signis iræ conspicuam ἐλεῶν ἐλεήσω haud difficulter evincit.

§. XLVI. Addimus etiamnum pauca ex Chaldaica paraphrasi amplificandi argumenta. Reddit hæc המו per אתגוללו *convolvuntur.* Quo vocabulo vel ad גלי הים hoc est, fluctuum marinorum agitationem respicitur, vel tenerrimus saltem clementiæ affectus insinuatur, quandoquidem & fraternum amorem, quem, viso fratre uterino, celare nequivit Joseph, *Genes.* 42: 30. & maternorum viscerum motus erga dissecandum natum, 1. *Reg.* 3: 26. describit. Quid? quod נכמרו נחומי *Hos.* 11: 8. voce eadem à Jonathane convertitur. Et profecto Deus perpetua charitate *Ierem.* 31: 3. germane fraterneque ἐν σπλάγχνοις Ἰησοῦ Χριστοῦ amabat Ephraimitas, qui de benignitate Dei quantumvis celata, æque ac Jobus, multo poterant esse certissimi. *vid. Iob.* 10: 3. Quid ergo mirum est, viscera misericordiæ divinæ, quæ Ephraimitis clausa hactenus fuerant, sese aperuisse, nec secus ac Josephi æstuasse? Paria de materno amore ex *Iesai.* 49: 15. *&* 66: 13. recitari possent, nisi hic vela contrahere portumque quærere constituissemus.

Δόξα τῷ Κυρίῳ τῷ πολυσπλάγχνῳ.

M. JOH.

M. JOH. ERLMANNI
NOVUM OMNIUM NOVORUM NOVISSIMUM ad Jer. XXXI: 32.

§. 1.



Erba Vaticinii, quod præ manibus habemus, sic fluunt è fonte:

כִּי־בָרָא יְהוָה חֲדָשָׁה בָּאָרֶץ נְקֵבָה תְּסוֹבֵב גָּבֶר׃

Targum JONATHANIS ita habet:

יְבָרֵי חַדְתָּא בְּאַרְעָא וְעַמָּא בֵית יִשְׂרָאֵל יִתְנְהוֹן לְאוֹרַיְתָא

h. e. Interprete Aria Montano in Opere Regio:

Quia ecce creavit Dominus Novum in terra, & populus Domus Israël incumbet Legi.

LXX. sic transferunt:

Ὅτι ἔκτισε Κύριος σωτηρίαν εἰς καταφύτευσιν καινὴν ἐν σωτηρίᾳ σου περιελεύσονται ἄνθρωποι.

Arias:

Quia creavit Dominus salutem in plantationem novam: in salute tua circumibunt homines.

Vulgatus:

Creavit Dominus Novum super terram: FOEMINA CIRCUMDABIT VIRUM.

Lutherus:

Denn der HERR wird ein Neues im Lande erschaffen/ das Weib wird den Mann umbgeben.

Tremellius:

Patrat Iehovah rem novam in terra, Fœmina ambit Virum.

Cum Emanuele Tremellio consentiunt Castalio & Piscator, ut alias jam Versiones silentio præteream. In his à fontibus maxime recedere videmus LXX. viralem: quam secutus Theodoretus hunc locum de *Vocatione Gentium per Apostolos* interpretatur, ita scribens: *Propheta aperte ostendit causam revocationis, cum per eam vaticinetur, futuram novam plantationem; hanc enim mundo attulerant, qui ex ea nati sunt Apostoli, quòd non obscure dicit sermo propheticus: Undiquaque venient homines in salute, hi enim permeantes omnes gentes, per DEI cognitionem illis salutem attulerunt.* Vide Calovium *not. Biblic. Anti-Grot. ad h. l.*

§. 2. Habita vero ita Versionum collatione, necesse jam est, ut & in sensum dicti inquiramus, quem scilicet Propheta his verbis intenderit: Ubi si Commentatores evolvamus, variæ & difficultate minime carentes nobis obveniunt explicationes; quarum ut præcipuas & maximas accuratius pensitemus, est in quo jam desudabimus; & fiet hoc quidem nulla alia de causa, quam ut verus & genuinus sensus eruatur, reprobus autem rejiciatur. Si igitur spectemus verba, de quibus hic maxima intercedit contentio, sunt eorum numero tria. Quæritur enim 1.) quid per τὸ נקבה. 2.) quid per τὸ גבר. & 3.) quid per τὸ תסובב intelligatur. Ubi diversæ occurrunt sententiæ tum Judæorum, tum Christianorum.

§. 3. Inter Judæos R. David Kimchi hoc dictum explicat de Israelitis in captivitate Babylonica, ad Dominum Liberatorem suum redituris: Illi נקבה sunt *Judæi in Captivitate Babylonica constituti*; גבר est *DEUS per peccata amissus*, תסובב *Reditus ad DEUM per pœnitentiam.* Sic enim ait in Commentario:

עתיד לברוא חדשה שת שבי בגלות ימים רבים ומה היא החדשה נקבה תסובב גבר שדרך העולם שהאיש מחזר ומסובב אחר האשה וכן אמרו ז"ל בעל אבדה מחזר על אבדתו ואז הנקבה תסובב אחר אשה כלומר שישובו בני ישר' אל יי' האלהיהם ויגאלם וכן אמר בנבואת חושע ואחר ישובו בני ישראל ובקשו את יי' אלהיהם ואת דוד מלכם ופחדו אל יי' ואל טובו באחרית הימים כה אמר יי'

„ h. e. *Futurum est, ut creet* (DEUS) *Novum, postquam* „ *sedisti in Exilio dies multos. Quodnam vero erit Novum* „ *istud?* Mulier circumdabit Virum. *Vulgo quidem mos pri-* „ *stinis temporibus erat, ut Mas quæreret Fœminam, secun-* „ *dum illud R. R. B. M.* Dominus perditionis (*sive is qui* „ *amisit*) quærat rem amissam, (*seu redire faciat*) suam. „ *Sed tunc Fœmina circumdabit Virum suum, h. e. Redibunt* „ *filii Israel ad Dominum DEUM suum, & redimet eos:* „ *Et sic dicit in Prophetia sua Hoseas* (*cap.* 3: 5.) Et postea „ redibunt filii Israel, & quærent Dominum DEUM & bo- „ nitatem suam in ultimis diebus, sic dicit Dominus.

§. 4. R. Abendana in Michlal Jophi, ad h. l. exponit de terra Israelis, pristinis suis Incolis, Israelitis sc. ab exilio reversis replenda. Ipsi *Fœmina* est terra Israelis; *Vir*, populus Israeliticus; *Circumdatio*, Receptio in pristinas sedes. Ita enim verba ejus sonant:

והנראה בעיני כי גבר הוא שם כלל כמו ואיש ישראל התפקדו ופירושו עד מתי תתחמקין כלומר תהיי מסובבת בגלותך הבת השובבה שבעבור היותך משובה תלבי בגלות על רוב עונך והעירב רבתיעם ישבה כדד היתה כאלמנה ומבלי כניה היא יושבת אבל זה לא יהיה לעולם כי הנה ה' ברא חרשה' כי הנקבה (והוא משל לארץ ישראל) תסובב גבד כלומר תמלא מאנשיה ושבו בנים לגבולם וכן אמר ישעיהו עלוה הדרך כי חלה גם ילדה ציון את בניה ופירש הנמשל בפסוק הבא אחריו כה אמר ה' צבאות עוד יאמרו את הדבר הזה בארץ יהודה ובעריו וגו' ובזה ביאר שהנקבה היא ארץ יהודה נוה הצדק הר הקדש אשר תסובב גבר הוא יהודה שישובו בה וישכנו לעד עליה:

„ h. e. Et prout mihi videtur h. l. גבר est nomen generale, „ sicuti Judic. 20: 17. Et Vir Israel lustrabatur. Adeoque sic „ erit explicatio ejus. Quamdiu circumvagaberis? Ac si dice- „ ret: Eris vagans in Exilio tuo, ô filia aversa. Nam propter „ impœnitentiam (aversionem) tuam, ibis in exilio, ut & „ propter multitudinem peccatorum tuorum. Et civitas im- „ pleta populo habitabit solitaria, sicut vidua erit, & absque „ filiis habitabit: Ast hoc non fiet in æternum, quoniam, „ ecce Dominus creabit in terra Novum; Nam Fœmina (& „ ipsa significans terram Israelis) circumdabit Virum, i. e. „ implebitur hominibus suis, quando revertentur filii ad ter- „ minos suos; Et sic dicit Esaias cap. 66: 8. Quoniam ægrota- „ bat, etiam peperit Zion filios suos; & explicat (hoc) para- „ bolice in versu sequenti: Sic dicit Dominus Zebaoth: Ad- „ huc erit verbum hoc in terra Jehuda, & in civitatibus ejus „ &c. Et hæc est explicatio: Erit Fœmina terra Jehuda, Ha- „ bitaculum Justitiæ, Mons Sanctitatis, quæ (sc. terra) cir- „ cumdabit Virum hunc, nimirum Inhabitatores Jehudæ, in „ qua (sc. terra) habitabunt perpetuo.

§. 5. R. Salom. Jarchi duplici modo hoc dictum interpretatur (1.) de Fœmina procante Virum, cum alias Vir ambire sive procari Fœminam soleat. (2.) ex R. Jehuda Hadarschan, de mutatione status muliebris in virilem, quod futurum, ut mulier sit quasi Vir, & integram etiam hæreditatem auferat ut Vir. Sic enim scribit in Commentario:

הנה חדשה נבראי בארץ שהנקבה תחזור אחר הזכר לבקשו שישאנה לשון ואסובבה בעיר אבקשי וגו' ומשום רבי יהודה הדרשן שמעתי נקבה תסובב להיות גבר אני נתתיך כבת תנוטלת עישור נכסים שבעה אומות משבעים סוף שתטלי הכל כבן זכר שהוא יורש הכל:

„ h. e. Ecce Novum creabitur in terra, Mulier circumibit „ marem, petendo, ut se ducat, vel tranquille (imposterum) „ secum agat: juxta significationem Cantici Canticorum c. 3: „ vs. 2. Et circumibo in civitate, quæram quem dilexit ani- „ ma mea. Sed R. Jehuda Hadarsan: Audivi, quod mulier „ mutabi-

,, mutabitur in Virum, (ita) Ego feci te ſicut filiam, quæ
,, decimam partem bonorum ſumit, è 70. ſc. populis tantum-
,, modo 7. tandem vero ſumes omnia, ut hæres maſculus,
,, qui omnia jure hæreditario poſſidet.

§. 6. R. Abarbanel de hoc dicto prophetico tres affert Interpretationes. (1.) illud explicat de Judæis ambientibus gentes, & innuere vult, Victoriam, quam Judæi reportabunt ab hoſtibus ſuis: Intelligit itaque ſecundum hanc ſententiam per ת׳ נקבה *Imbelles Judæos*, per ת׳ גבר *Hoſtes* & per תסובב *Victorioſam Circumvallationem.* (2.) Exponit de Rahel, quæ precibus ſuis, ad miſericordiam reductura ſit DEUM הק״בה ut filiorum ſuorum memor exiſtat, adeoque Fœmina ipſi eſt *Rahel*, גבר *DEUS*, תסובב *Reductio ad miſericordiam per preces ſeu Orationem.* (3.) Approbat aliorum RR. declarationem, & explicat cum his נקבה de *Populo Judaico*, גבר de *DEO*, & תסובב de *Pœnitentia.* Quæ omnia in Comment. ejus his verbis expreſſa leguntur:

כיהנה ברא ה׳ חדשה בארץ שעם היות שאתה נמשלת לנקבה שימשול בה בעלה לפי שבעלוך אדונים קשים זולתי הנה עתה לא יהיה כן אף על פי שעד עתה תשש כחך כנקבה אתה תסובב לזכר הגבור יותר המושל עליך ותגבר עליו גם שתסובב האומות שהם כגבר מושל בך ובסבתך יבואו לחרבן וכליה ואפשר לפרש נקבה תסובב גבר על רחל שהיתה נקבה שבתפלתה תסובב הגבור האמיתי יתברך לרחם על בניה והוא נמשך כפי המשל שזכר למעלה וקרוב לזה דרשו חכמים ז״ל נקבה על ישראל וגבר על הק״בה שישראל בתשובתו יסובב את הגביר והנורא להיטיב להם:

,, h. e. Quia ecce creabit Dominus Novum in terra. Licet e-
,, nim tu ſimilis es facta Fœminæ, in qua dominium habet ma-
,, ritus ejus. Siquidem ſuper te imperaverunt Domini difficiles,
,, præter me. Ecce nunc non fiet ſic. Quamvis enim debilitata
,, eſt vis tua, ceu mulieris, attamen circumdabis Virum illum
,, robuſtum, qui Dominus tuus erat, & viriliter te geres con-
,, tra eum. Etiam circumdabis Nationes, quæ ut Vir, Do-
,, minium in te exercuerunt; nam propter te venient in deſo-
,, lationem ſive conſumptionem. Aſt hæc (*Fœmina circum-*
,, *dabit Virum*) etiam poſſunt exponi de Rahele. Hæc eſt mu-
,, lier, quæ oratione ſua circumdabit Omnipotentem, verum,
,, benedictum DEUM, ut miſereatur filiorum, hucque re-
,, ferri optime poteſt parabola, de qua ſupra fuit mentio facta.
,, Et prope ad hunc ſc. modum etiam hoc expoſuerunt Sa-
,, pientes RR.B.M. nimirum *Fœminam de Iſrael & VIRUM*
,, *de DEO Benedicto*: Hæc *pœnitentia ſua circumdabit* Om-
,, nipotentem & terribilem DEUM, ad benefaciendum ſibi.

§. 7. Chriſtianorum Interpretationes hic otia nobis faciens collegit B. Dorſcheus *Pentadec. Diſſert. III.* à §. *III. ad VIII.* *f.* 113, 114, 115. Nos omiſſis Autorum verbis, quæ apud ipſum adſcripta invenies, hic ſaltem nucleum ſingularum ſententiarum, quæ numero ſenario comprehenduntur, exhibebimus. *Prima* eſt *Calvini Judaizantis*, adeoque cum Abarbanele (vide præced. §. 6.) de Judæis victuris & oppreſſuris hoſtes ſuos (Chaldæos) exponentis. *Altera* eſt *Pontificiorum* quorundam, ut Hieronymi ab Oleaſtro, Johannis Pinedæ, Caſparis Sanchezii, qui explicant de Synagoga vel Eccleſia Judaica, aliquando adulterio Spirituali à DEO ſeparata, poſtea præter ſpem excitanda, & DEUM inſtar ſponſæ quæſitura. Quæ & Judæorum fere omnium eſt ſententia. Nam etſi de vulgari uxore amplexante vel reducente maritum, à quo diſceſſerat, intelligant, idque impleri inceptum dicant in exilio (ita ר״שי ſupra §. 5. & cum eo Caſtalio apud Matth. Polum *in Synopſi Crit. Vol. III. fol.* 898. qui textum hunc conferens cum Eſai. 4: vſ. 1, 2. ſic ϖαϱαφϱάζει: *Ego Jehova tot Iſraelitas interficiam, ut præ paucitate Virorum ambiant Fœminæ Viros*: *quod novum & inſolitum eſt*: *tamen ex tanta paucitate erunt, qui evadant*) nihilominus hoc etiam de populo Iſraelitico, ad Deum Dominum & maritum ſuum, à quo divortium fecerat, & multis adulteriis ſpiritualibus ſe proſtituerat, revertente explicant. Vid. ſupra R. David Kimchi §. 3. R. Jehuda Hadarſchan §. 5. R. Abarbanel §. 6. Quo etiam abire videtur Jonathanis explicatio §. I. adducta: *Iſrael incumbet Legi* i. e. poſt prævaricationem ſui à Deo, revertetur ad eum per Legis ſtudium. Et hoc Novum illud eſſe dicunt, quod, ut Fœmina, contra omnium pene gentium conſuetudinem, Viri nuptias ambiat, cum id Viri ſemper, aut plerumque faciant, juxta illud tritum proverbium: *Viri ſolent ambire puellas, non puellæ Viros*; Sic & Iſrael Deum ſuum in Lege quæſiturus ſit. Innuere hoc velle videntur adhuc hodie nonnulli Judæorum, conſuetudine apud ſe recepta, qua Sponſa ter Sponſum circumire ſolet, verba hæc Jeremiæ recitans: נקבה תסובב גבר vid. Dilherrum Elect. fol. 92. Mich. Lanckiſch Neupolitter Mahlſchatz. fol. 251. imprimis vero ז״ל Lutherum, in libro שמהמפרש Tom. VIII. Jen. Germ. fol. 133. In quo libro egregie recentioribus iſtis Judæis os oppilavit. *Tertiam* explicationem ſuppeditat *Piſcator Herbornenſis*, quamvis enim ille ante in Calvini inclinabat ſententiam, quando in Schol. ad h. l. talem gloſſam ponebat **Dis iſt die Meinung: Ihr Jüden die ihr ietzund euch gegen die Chaldeer zu wehren gleich ſeyd / wie blöde und verzagte Weiber / werdet in der Wiederkehr aus der Babyloniſchen Gefängnis / ſo wohl gemuthet und kühne ſeyn / daß ihr auch die mächtigen Chaldeer möchtet feindlich umbgeben und überwältigen.**) tamen in Comment. fol. 211. ſuam hanc mutavit opinionem, atque hoc potius ad Eccleſiam Chriſtianam applicavit, quæ etſi debilis eſſe videatur, Viris tamen potentibus, h. e. ſuis perſecutoribus, per confeſſionem fidei reſtitura ſit. *Fœmina* ſcilicet ei eſt N. T. Eccleſia, *Vir* ſunt quilibet ejus hoſtes & perſecutores ex Judæis & Gentibus, *Circumdatio* eſt ſpiritualis Victoria, & penetratio per fidem. Quæ eſt ipſius Abarbanelis nonnihil interpolata ſententia. Nam ut ille per Mulierem intelligit Ephraim infirmum inter Gentes; per Virum autem Gentes Dominatrices (§. 6.) ita Piſcator hoc ad Eccleſiam Chriſtianam applicavit. Ut annotavit Seb. Schmidius *Comm. in Jerem. Part. II. fol.* 202. *Quarta eſt Imman. Tremellii & Fr. Junii*, qui de Eccleſia N. T. Chriſtum complexante intelligunt: Quibus etiam ex Noſtratibus ſubſcribit Jo. Tarnovius *Exerc. Biblic. P. I. Exerc. IV. f.* 294. *ad* 238. *Quinta eſt Ludovici ab Alcaſar Jeſuitæ*; qui de *Euchariſtia, continente corpus Chriſti* explicari poſſe contendit. *Sexta* demum eſt communiſſima omnium fere Interpretum de *Conceptione Filii DEI in Utero B. Virginis* hoc dictum explicantium. Ad cujus confirmationem haut prius deveniemus, quam cæteras quinque ſententias ſervato ordine rejecerimus; Nam quod Judæorum Interpretationes attinet (quas B. Lutherus maximam partem refutavit in ſupra allegato libro שם המפרש *Tom. VIII. Jen. Germ. f.* 133. cui junge Jo. Mullerum *Judaiſm. fol.* 624. *ſeqq.* 661. *ſeqq.* Theodorum Hackſpanium *not. Philol. Theol. ad h. l. P. III. f.* 453. Auguſt. Pfeifferum *Dub. Vex. f.* 855. Jo. Hoornbeekium *de convert. Jud. f.* 453. Anth. Hulſium *Theol. Judaic. L. I. f.* 302.) eæ in Chriſtianorum, qui ab illis ſuas hauſerunt, ſententiis commode ſimul retundi poſſunt: Unus *Abendana* hic aliquid peculiare habet, (vid. §. 4.) quod ex Chriſtianis nemo, quantum novimus, ſuum eſſe juſſerit; ſed quod facile quoque in fumum abibit, ſi quæ circa cæteras Interpretum nænias monebuntur, hic applicare quis voluerit.

§. 8. Primam igitur explicationem *Calvini* de Judæis victuris & oppreſſuris Chaldæos, ut jam non dicam abſurdiſſimam eſſe, ex eo, quod Judæorum in Palæſtinam dimiſſio ſpontanea, neque ſive Babyloniis, ſive Chaldæis, ſive Perſis ulla vis externa à Judæis illata fuerit, ut ad dimiſſionem eorum adigerentur; ſaltem inconvenientiam hujus explicationis inde oſtendam, quod ſic transformet Calvinus nomina duo ſingularia נקבה & גבר in pluralia h. m. Fœmina circumdabit Virum, h. e. *Redigent Fœminæ Viros in anguſtias, ita ut ipſos captivos teneant.* Unde non immerito quærit Hunnius noſter: *quis iſtam licentiam Calvino dedit, tales Metamorphoſes facere, quales profecto nec Ovidius fecit?* prout verba ejus ſonant Calovio ad h. l. allegata. Nec quicquam juvat hic Calvinum enallage numeri. *Utitur* inquiens, *Propheta ſingulari numero quaſi diceret*: *Fœmina una præſtabit uni Viro, h. e. ſinguli Judæi præſtabunt ſingulis Chaldæis. Ita Judæi ſuperiores erunt, quamvis magnum & terribile ſit robur hoſtium.* Nam poſita enallage, poſito etiam, quamvis non conceſſo, hæc omnia ſic ſe habere, prout ille quidem vult ac ſomniat, profecto hoc tale Novum non fuiſſet, quale Textus Jeremiæ urget; Id enim Novum non erat, ut Judæi auxilio divino freti parva manu magnas hoſtium copias in fugam conjicerent, utpote quod temporibus Judicum ſæpiſſime accidiſſe, ex inſpectione S. Codicis v. g. Jud. 7: 15, 16. &c. patet. Hoc vero Novum, de quo Jeremias agit, tale eſſe debebat, quale nunquam fuerat, nec in æternum amplius futurum erat. Quibus omnibus ita bene perſpectis haut dubitamus Piſcatorem Herbornenſem, qui antea quoque hanc Calvini Interpretationem foverat (vid. ſupra §. 7.) ſuam poſtea mutaſſe ſententiam.

§. 9. Alteram *Pontificiorum* (addo & *Calvinianorum*, Parei puta contra Hunnium, Sixt. Amamæ Antib. Bibl. f. 733.) quorundam ſententiam, de Synagoga vel Eccleſia Judaica, ſpirituali aliquando adulterio à DEO ſeparata, poſtea ſponte ſua DEUM præter omnium Gentium conſuetudinem quæſitura, hoc Vaticinium explicantium, optimo iterum jure ut improbam rejicimus. Quia Novum non erat, ut Synagoga Judaica DEUM

DEUM quæreret: fecit enim id, quamdiu ad Idololatriam, aut hæreses non fuit prolapsa. Neque vero Synagoga non prius quæsita, quæsivit unquam Deum. Latet igitur in hac explicatione (ut jam nihil dicamus de eo, quod locus iste non agat de Judæis reprobis, sed jamdum conversis, prout totius capitis contextus demonstrat, imprimis à vs. 16. ad vs. 21. ubi consolationem divinam pro serio conversis Propheta proponit) reconditum aliquod venenum. Quia enim Novitatem in eo consistere dicit, quod, cum alias Sponsus sponsam, Vir fœminam requirat & ambiat, Fœmina seu Desertores Judæi ambiant & quærant Virum i. e. Deum; certe in his verbis nihil aliud nisi Pelagianismum inesse deprehendimus. Hi autem tanti Gratiæ inimici exstiterunt, ut dixerint *hominem sine gratia Dei posse facere omnia mandata divina &c.* teste Augustino *de Hæres. c.* 88. vid. Joh. Gerhardum *Isag. LL. Theol.* pag. 474. & 597.

§. 10. *Tertiam* Piscatoris Herbornensis, dictum hoc de Ecclesia N. T. Viris potentibus per Confessionem fidei restituta, explicantis sententiam quod attinet, non est ut circa eam diu moremur, quia non majoris pretii quam prius rejecta Calvini est, in eo tantum ab illa discrepans, quod quæ Calvinus de Judæis in V. T. non fide sed viribus hostes superantibus intellecta velit, hæc omnia Piscator ad Ecclesiam N. T. referat. Sed parum felici successu. Nam (1.) Ecclesiam superare posse hostes per fidem, nihil est Novi aut prius inauditi, quod tamen hic omnino futurum esse dicitur. Nec (2.) hoc est argumentum redeundi in Palæstinam, si dicatur, Ecclesiam veram, Judæos & Gentiles superaturam, h. e. sibi aggregaturam esse. Imo (3.) est argumentum potius per alias orbis terrarum partes sese diffundendi, & veritatem divinam inter Gentes disseminandi. Nec (4.) גבר in S. literis uspiam Judæos & Gentiles ut veræ Ecclesiæ oppositos notat. (vid. Dorscheum *Pentadec. Disp. III.* §. 26. *f.* 124.) Denique (5.) constat Ecclesia N. T. è Judæis & Gentibus. Si ergo Gentem utramque superare debuisset, semetipsam proculdubio superare necesse habuisset, quod tamen bene dici non potest.

§. 11. *Quartam* Francisci Junii & Emanuelis Tremellii (cui Jo. Tarnovium Theologum Excellentissimum adstipulari è Nostratibus constat) interpretationem de Ecclesia DEI Christum ut Sponsum suum amplexante refutat (*α.*) *Loci, in quo Fœmina Virum circumdatura erat, specificatio.* Novum hoc in terra (sc. Israëlitica) creare Deus voluit. At Circumdatio, qua Ecclesia, Deum Credentes Christum complectuntur, facta est jam inde à collecta Ecclesia in Cœlo: facta est & fit extra Judæam, ubicunque terrarum Deus colitur. (*β.*) *Subjectorum, quibus illa promittitur Qualitas.* Si de Spirituali complexu h. l. esset sermo, quo unusquisque fidelium, & conjunctim universa Ecclesia Christum Deum circumdat, tunc sequeretur, eos, quos Propheta alloquitur, esse nondum conversos, nondum Deum complexos. Sed absurdum est consequens. E. & Antecedens. Ratio consequentiæ. Si enim illi, quos Spiritus S. hac nova circumdatione ad patrios lares repetendos exstimulat, jam sunt Deum complexi, quomodo hoc Novum, quod illi Deum sint complexuri, iis ut Novum, ut singulare incentivum à Propheta proponi potuit? Consequentis autem falsitas ex vs. 18. 19, 20. & 21. hujus Cap. 31. patet. Dicis: per *Fœminam hic intelligi Ecclesiam non Veterem illam Judaicam, sed Novam ex Judæis & Gentilibus tempore Messiæ conflandam.* Resp. Neque sic in Textum nostrum admitti posse hanc explicationem, nisi consequenter, quatenus posito Mysterio Incarnationis, quo Fœmina circumdedit Virum, Maria Christum conclusit utero, etiam futuri sunt ex Gentilibus, qui Mysterium hoc veneraturi Christo perseveranter adhærescent.

§. 12. Restat *Quinta & Ultima* Alcazaris in Ap. 15. explicatio, qui coacte exponit de Eucharistia continente corpus Christi. Quæ glossa sicuti ab ipso Cornelio à Lapide nova ac non literalis, sed Symbolica appellatur, ita & nos eam ut absurdam, imo & contra ipsa Pontificiorum principia pugnantem agnoscimus, adeoque merito rejicimus, imo nec dignam verbulo contradictionis judicamus. Quod vero ejus sententia pugnet cum ipsis Pontificiis, probamus ex eo, quia panis nullam amplius subsistentiam juxta ipsos habens, corpus Christi circumdare non potest.

§. 13. His ita profligatis sententiis falsis, nihil aliud superest, quam ut veram ac genuinam quoque hujus dicti prophetici declarationem confirmemus. Hæc est, de *Christi in utero Virginali circumdatione*: quam suadent inter alia sequentes rationes.

§. 14. I. Egregia Textus *Connexio* per particulam כִּי facta. Hanc verbis Dn. D. Sebastiani Schmidii Comment. ad h. l. T. II. fol. 202. quam nostris proponere malumus *Præcedenti versu* inquit, *Propheta monuerat Ephraimum, ut signa poneret, h. e. ut signa, quæ Dominus dederat & daturus erat, de instanti adventu Messiæ probe notaret, & observaret, quo viæ sese accingeret, & ad Messiam pergeret. Tarditatem autem ingenii humani, & nominatim populi sui, cum nosset & previderet Dominus, ex qua non tam prompte facturus, quod faciendum & signa neglecturus; tarditatem istam redarguit & signum omnium maximum dat partus virginalis, ut saltem hoc audito signo moras amplius non nectat, sed prompte Messiam quærat, amplectatur & sequatur.* Et hinc simul de *Fine*, quem spectat hoc Vaticinium de Circumdatione Viri fœminea, & ex eo, de veritate Interpretationis nostræ ulterius confirmari possumus: Erant nempe Judæi tunc captivitati diuturnæ, clementia Regum, quæ tolerabilem hanc fecerat, jam assueti, adeoque haud magnum desiderium in eis erat patriam revisendi terram, præsertim cum viderent, eam hostium irruptionibus dilacerari ac onerari, fixum itaque locum in territorio Babylonico sibi posuerant, animumque divitiis delitiisque Regionis jamdudum consecraverant. Hæc optime cognoscens DEUS, facile prævidebat, ægre eos persuaderi posse, ut desiderium in patriam redeundi conciperent. Cum igitur ad patrios fines eos invitare vellet, nullum majus argumentum persuasorium per Prophetam iis proponere poterat, quam promissionem & exhibitionem Messiæ, qui eos post infortunia multa, maxima consolatione affecturus esset. Solent enim Prophetæ, quando post afflictionem & captivitatem Judæorum novam quandam consolationem promittunt, admirandam illam Messiæ exhibitionem promittere, uti videre est Es. 7: 13: &c. Mich. 2: 12, 13. Hag. 2: 6, 7. & alibi, quod & h. l. observat Propheta, quasi dicens: Nolite tardare, patrios revisere fines, nam jam haud longe abest tempus, quo exhibebitur Messias qui est חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם Hag. 2: 8. Quia enim Judæi maximam suæ gentis gloriam in mirando Salvatoris ortu posuerant, nullum majus incitamentum eorum animis injicere DEUS potuisset, ut redirent in Judæam, quam ut eis Messiam promitteret venturum: unde suadet, ut, oblivioni traditis omnibus, quæcunque sive tristitia sive gaudio eos in captivitate affecissent, jam unice tantum studerent è captivitate se quam citissime subducere, inque civitatem sanctam recipere.

§. 15. II. Verbi ברא significatio. Hoc enim Vocabulum alias talem DEI actionem denotat, quæ *singularem aliquam divinam virtutem* arguit, & aliquoties in S. Literis, maxime Gen. 1. per tot. de ipsa rerum vel ex nihilo, vel ex inhabili materia, productione usurpatur. Licet vero etiam rei magnæ & admirabilis productionem quamcunque indigitet, Num. 16: 30. quia tamen cum ejusmodi circumstantiis conjungitur, quæ miraculosum quoddam insinuant, non inconveniens erit, si dicamus, etiam illud ad Mysterium *Conceptionis inauditæ* respicere. Hoc verbum ברא in Hebræo, Præteritum quidem est, sed propheticum, ob certitudinem rei futuræ. Unde cum B. Luthero alii Interpretes in Futuro vertunt: Creabit Novum. Er wird ein Neues schaffen.

§. 16. III. *Novitatis*, quam hæc Circumdatio includit, *Notatio.* Dicitur enim in fonte ברא ה׳ חדשה h. e. *Dominus Novum creabit.* Fæmininum Hebr. usurpatur pro Neutro. Novum quid, id sc. quod sequitur נקבה תסובב גבר Et profecto hoc est Novum illud Novorum omnium novissimum, quod solum est sub sole Novum, dicente sic vere ac bene Damasceno l. 3. O. F. c. 1. Hoc enim erat illud ὁμολογουμένως μέγα τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, de quo 1 Tim. 3: 16. & quod ut Novum unice desiderabant fideles V. T. unde Pastores post annunciatam sibi ab Angelo Nativitatem Messiæ dicebant: διέλθωμεν δὴ ἕως Βηθλεὲμ καὶ ἴδωμεν τὸ ῥῆμα τοῦτο τὸ γεγονὸς, ὃ ὁ Κύριος ἐγνώρισεν ἡμῖν, Luc. 2: 15. Huc etiam suo modo omnino pertinet signum stellæ partus virginalis nuntiæ, de qua recte Veteres senserunt, quod Gentilibus salutem annunciaverit, & è Gentilibus primitias in Magis ad Christum adduxerit, prout egregie Dn. Seb. Schmidius in Com. ad h. l. observavit. In hoc vere ac unice consistebat illud Novum, de quo Es. c. 7. 14. לָכֵן יִתֵּן אֲדֹנָי הוּא לָכֶם אוֹת הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן וְקָרָאת שְׁמוֹ עִמָּנוּאֵל׃ Et hoc erat illud ineffabile Novum, de quo pulchre Augustinus lib. 50. Homil. 36. Tom. X. Col. 511. 6. *Quis illam enarret? Fide concipitur, masculus non accedit; uterus Virginis tumet: procedit tanquam Sponsus de thalamo suo: mirabilis ista generatio: mirabilis est humana, quia sine Patre: mirabilis divina, quia sine matre.* Et porro: *Mirabilis mirabiliter natus: nam venit in Virginem, qui erat ante Virginem. Quam creavit, elegit, quam elegit, creavit, attulit Virgini fæcunditatem, non abstulit*

ſtulit integritatem. Adeoque hoc Novum plane abſolute poſitum erat. Novum: Nam novus hic erat homo, ſimul & DEUS. Nova mater, ſimul & Virgo: Nova generatio, ſine ſemine Virili.

§. 17. IV. *Loci*, in quo Circumdatio illa futura erat, *Determinatio*: בארץ in *terra*, videlicet tua, quæ erat Ephraëmitica, ſive terra Iſraëlitarum, uti patet ex v. 5. 6, 15, 18, 21. Ibi enim conceptus eſt CHRISTUS, ut hoc Jeremiæ Vaticinium impleretur. Quam de Conceptionis terra obſervationem B. Bugenhagio imprimis debemus, quam Comm. f. 342. tradidit, vide D. Calovium *in Bibl. Ill. h. l.* Nec eſt cur dubitemus, mentionem Conceptionis hic Sp. S. feciſſe. Cum enim tam accurate alias deſignet locum v. g. Nativitatis, Mich. 5: 2. Educationis Matth. 2: 23. Prædicationis Hag. 2: 7. Malach. 3: 1. & Paſſionis, Zach. 12: 11. non mirari debemus, ſi & locum Conceptionis accurate, quod hic facit, definire voluerit.

§. 18. V. Vocis נקבה *Uſurpatio*: Nam certum eſt (1) h. l. Sexus fæminei ſpeciem humanam notari, non aliam aliquam ex Animantium varietate. (2) Minus à naturali vocis ſignificatione recedi, ſi per נקבה *Unum Individuum* è ſexu fæmineo intelligatur, quam ſi aliqua multitudo hominum ex ſexu utroque collecta, hoc ſexus fæminei nomine per translationem indicetur. (3) B. Mariam θεοτόκον tanquam è ſexu fæmineo lectiſſimam Spiritus S. officinam commodiſſime dici נקבה. In ea enim DEUS T. OPT. M. talia fecit ſingulariter mirabilia, & mirabiliter ſingularia, ut talia non facta nec facienda ſint amplius ſuper terram (prout D. Bernhardus *Serm. 3. in Vigil. Natal. Domin. Col.* 41. ait) *Conjuncta enim ſunt ad invicem DEUS & Homo, Mater & Virgo, Fides & Cor humanum*: Nec eſt ut hic litem intendamus incredulis Judæis, qui non tantum hoc vocabulum Virgini accommodari poſſe obſtinato animo negant, ſed & maximopere illibatam benedictamque hanc Virginem cum Salvatore noſtro blaſphemant, quando eam סְטַתְרָא h. e. *Declinantem* ſc. ad ſcortationes, ſeu meretricem, & ſanctiſſimum ejus filium מַמְזֵר i. e. *ſpurium* appellant, quale quid facit R. Salomo in Sanhedrin, quod & in libro שמוש תהלים legitur. Vid. Dilherrum *Atri. p.* 45. 46. Idcirco merito tales Nebulones, nec refutatione dignos, æſtimamus: quia nos DEI gratia ſcimus, hoc vocabulum in præſenti textum optime de Maria Virgine exponi poſſe. Nam hoc Novum ita Novum erat, ut ab omnibus hominibus in terra pro re nova, inuſitata, ſupernaturali & miraculoſa, imo inaudita, æſtimari deberet, partus ſc. Virginis Mariæ, Eſ. 7: 14. Hæc enim ut Virgo fuit ante partum, ſic & Virgo manſit in partu & poſt poſt partum, juxta verſum:

Virgo manens partum poſt, in, & ante ſuum.

„Etſi enim [verba recito Daniel. Crameri *Schol. Proph. fol.* „225. 226.] Virgo Maria cum Joſepho in Conjugio vixit, „tamen Joſeph eam nunquam cognovit, non quidem ex vo- „to Continentiæ, quod hic quidam fingunt, ſed ex motu „reverentiæ, quam debebat matri talis ac tanti filii, ſicuti „pulchre ratiocinatur Hieronymus: *Si enim Joſeph* inquit, „*ex ſola revelatione Angeli in ſomnis tali reverentia motus* „*eſt, ut non cognoſceret Mariam, donec pareret, quidni mo-* „*tus fuiſſet poſtea, cum audiret Paſtores, Simeonem, Han-* „*nam, Magos, tam divina de puero illo prædicantes.* De- „nique ſic concludit: *Natura eſſe DEUM per genitalia* „*Virginis credimus, quia legimus. Mariam poſt partum au-* „*tem concubuiſſe aut filios ex ipſo ſuſtuliſſe, non credimus,* „*quia non legimus.* Et pulchra eſt meditatio Epiphanii, quam „habet l. 3. Tom. 2. c. 78. De natura Leænæ, quæ non niſi „ſemel tantum in vita parit, quod ad Mariam ſic applicat, „quia Chriſtus Leo dicitur, E. Mariam Leænam dicendam „eſſe, Leænæ autem non contingere ſecundum concubitum „& partum. Huc etiam faciunt alia argumenta, ut de Por- „ta Clauſa, de ם clauſo, itemque de concluſo horto & pu- „teo, quod quidam ex Cant. 4: 12. adſciſcunt. Quæ omnia „contra Antidicomarianitas, quorum Anteſignanus Helvi- „dius, qui ex hac voce נקבה blaſphemat Virginitatem. M. „& contra Jovianum quem D. Auguſtinus Virginitatem S. „Mariæ deſtruxiſſe ait, tenenda ſunt; & credendum Mariam „matrem Domini ἀειπαρθένον manſiſſe. Deteſtanda quoque „eſt Diabolica illa Mahometiſtarum mentiendi libido, qui ut „myſterium Incarnationis J. C. ex pura Virgine nati elevent, „fingunt, non eſſe hoc in ipſorum Gynecæis Novum, ut „Virgo ſine Virili concubitu pariat: Quibus mendaciis non „tantum naturæ & univerſali experientiæ, ſed ipſi inſuper „DEO bellum inferunt, qui hunc unicum Virginis partum „tanquam inſolitum & ſupernaturale miraculum offert Regi „Ahaz, quod omnia alia miracula vincat: Et Gentes om- „nium ſeculorum Virginem parere, ut ἀδύνατον, & rem „omnium abſurdorum abſurdiſſimam uno ore confeſſæ ſunt. „Oroſius enim meminit Romanos cum quæſiviſſent ex Ora- „culo, quamdiu templum Pacis eſſet duraturum, hoc reſponſi „retuliſſe, usque dum Virgo pareret: & Romulum cum ſta- „tuam ſuam erigeret, dixiſſe: illam ſtatuam duraturam eſſe, „donec Virgo pareret, quaſi dicerent, usque in æternum, id „enim plane nunquam futurum confidebant: Quomodo ergo „iſthuc dementiæ progrediuntur Alcoraniſtæ, ut tam impruden- „ter contra communia naturæ principia mentiri auſint? Quod „ſi vero ad Gynecæa ſua provocent, in quibus hoc ſæpe fiat, „fieri id ſæpe non negatur, ſed vel per Marium, vel Eunucho- „rum etiam nonnullorum abuſum. Hactenus *Cramerus.*

§. 19. VI. *Circumdationis Ratio.* סָבַב generaliter quidem *ambitum, amplexum, circumcluſionem & circumcinctionem* ſignificat; quia tamen etiam Concluſio illa partus Virginei in utero ſanctificato eſt סביב ambitus & amplexus quidam, nec id repugnat myſterio. Apud Moſen Exod. 28: 12. & 39: 11. de gemmis ab auri ocellaturis circumambitis vel circuminclu-ſis verbum illud ſumitur. Quid ergo impedit, quo minus etiam generalis ejus ſignificatus reſtringatur ad illum amplexum, quo *DEUS altiſſimus pretioſiſſimæ gemmæ inſtar ab ocellatura auri uterini virginalis conceptus fuit*, ut eleganter loquitur Dorſcheus noſter Pentad. *Diſp.* 3. §. 16. *f.* 118. Chaldæi hoc fieri poſſe non obſcure inſinuant, quando appellationem Menſtrui (סוֹבְתָא) à Verbo illo סבב deducunt.

§. 20. VII. *Circumdati Denominatio.* Vocatur enim גבר h. e. Vir. Quod nomen profecto eſt ſingulare nomen, alias CHRISTO, i. e. Meſſiæ tribui ſolitum, v. g. Gen. 4: 1. Zach. 6: 12. Sed & CHRISTO adhuc in utero materno latitanti appellatio גבר ſummo jure tribuitur. Fortitudinis ſc. & omnipotentiæ æternæ hoc attributum eſt, etiam CHRISTO embryoni vi unionis perſonalis competentis. Hinc Eſ. 9: 5. *Puer nobis natus* CHRISTUS dicitur גבור *fortis, robuſtus, potens*, voce priori cognata. Puer natus hic eſt nomen Perſonæ θεανθρώπε, de qua perſona, nullatenus excluſa ſed perſonaliter incluſa humana natura, in primo genere Communicationis Idiomatum prædicatur Omnipotentiæ attributum divinum ob intimam naturarum περιχώρησιν. Unde *Puer* (conceptus) *natus*, veriſſime & realiſſime eſt גבור vel גבר quam vere & realiter DEUS eſt Homo, & aſſumta Humana natura, cujus πάθος eſt *natum eſſe*, in infinita divina ſubſiſtentia collocata eſt.

§. 21. VIII. *Interpretum meliorum ſive Veterum, ſive Recentiorum Confeſſio.* Exponunt autem hoc Vaticinium è Chriſtianis præprimis Juſtinus in *Dialogo cum Tryphone*, Cyprianus antiquiſſimus Eccleſiæ martyr, cujus prolixiſſima verba de hoc dicto Prophetico D. Dorſcheus *Pentad. p.* 123. adducit. Conſentiunt Auguſtinus *Serm. de Nativit. Domin.* & Hieronymus *Comment. ad h. l.* Rabanus & alii, (quorum mentem devotiſſimus Bernhardus *Homil.* 2. expreſſit) Strabo item gloſſa Ordinaria. E Pontificiis noſtram defendunt ſententiam Liranus, Galatinus &c. Ex Calvinianis Oecolampadius, Zwinglius, Pelicanus, Bullingerus *Comment. h. l.* Et è noſtratibus B. Lutherus, qui quamvis gloſſa marginali hoc dictum intelligi quoque poſſe ſcribat de eo quod legitur Rom. 7: 3, 6. ut ſic accommodationem aliquam allegoricam inſinuet, nihilominus prius poſitam explicationem (quæ noſtra eſt) ceu propriam & literalem accipit & probat. Quod & in libro שם המפרש *T.* 8. *Jen. Germ. f.* 133. *Anno* 1543. è conſenſu Chriſtiani orbis & verborum ἐμφάσει confirmavit. Lutherum cæteri omnes, longo ordine ſequuntur. Nec Rabbinorum antiquiſſimorum nobis deſunt teſtimonia, in quibus eandem cum Noſtratibus ſententiam fovent. v. g. R. Moſes Hadarſan, qui, (ut eſt apud Galatinum *l.* 7. *de Arc. Cath. Verit. c.* 14.) in expoſitione lib. Gen. ſcribit R. Jehoſuam filium Levi ad verbum dixiſſe, *Veni & vide, quia non eſt mos* הק"בה *ſicut mos carnis & ſanguinis*: *Eadem enim in re, qua vulneravit eos, ſanavit illos, juxta illud Jer.* 31. כִּי אַעֲלֶה אֲרֻכָה לָךְ וּמִמַּכּוֹתַיִךְ אֶרְפָּאֵךְ h. e. *quoniam obducam cicatricem tibi, & ex vulneribus tuis curabo te. Et ſic etiam invenies in Iſraël*: *Cum enim peccatum à Virgine ortum eſt, per Virginem iterum tranſitura eſt ad homines medicina, cum ea Virum Meſſiam complexura eſt.* R. Huna in nomine R. Idi & R. Joſuas dixit, quod hic Vir ſit Rex Meſſias de quo dictum eſt Pſ. 2. אֲנִי הַיּוֹם יְלִדְתִּיךָ. Et de eo quoque Eſa. it. c. 62. לְמַעַן צִיּוֹן אֶחֱשֶׁה וּלְמַעַן יְרוּשָׁלַםִ לֹא אֶשְׁקוֹט עַד־יֵצֵא כַנֹּגַהּ צִדְקָהּ וִישׁוּעָתָהּ כְּלַפִּיד יִבְעָר׃ h. e. *propter Sion non tacebo, & propter Jeruſalem non ſilebo donec egrediatur, ut ſplendor, juſtus ejus, & ſalvatio ejus ardeat ut facula.* Hactenus traditio Judæorum, cui & annectenda eſt ejus R. gloſſa, quem ipſi רביני הקדוש h. e. Magiſtrum noſtrum ſanctum appellant, in libro גלי רזייא; Videantur Galatinus l. c. nec non Raymundus Martini *in Pug. fidei Part.* 3. *diſt.* 3. *c.* 19.

§. 22. His itaque in unum omnibus collectis rationibus & adductis testimoniis meliorum Interpretum indubitato dicimus per Fœminam *Mariam* θεοτόκον, per Virum *Christum* θεάνθρωπον, per circumdationem, *ipsius in utero sanctificato complexum* esse intelligendum.

§. 23. Sed huic tamen nostræ tot argumentis confirmatæ sententiæ, totis viribus sese opponit *consummatissimus* alias *Theologus*, B. Jo. Tarnovius l. c. supra §. 8. qui dum Vaticinium istud de Ecclesia N. T. Christum sponsum suum amplexante cum Fr. Junio, & Imm. Tremellio interpretatur, tria potissimum contra nostram sententiam profert! (1) dicit נקבה semper sumi de sexu, nuspiam vero notare Individuum. Sic enim sonant ejus verba *fol.* 297. *Prima Vox* נקבה *sexus totius non unius Individui, non ætatis, non status, non conditionis nomen est, sed omne quod mari in eadem specie, ut principium generationis alterum, in quo gignitur aliquid, opponitur, denotat, quomodo ei in Scriptura innumeris fere in locis ex adverso respondet* גבר *i. e. Mas, qui gignit in alio.* Et idem paulo post fol. 298. *Quicquid ita in natura comparatum est, in omni animantium genere, ut in eo mas possit gignere, marique opponitur,* נקבה *Ebræis appellatur. Jam quia Maria θεοτόκος non est totus sexus fœmineus, nec illa sola est omnis, in specie humana, fœmina, ex hac voce nihil quicquam probari potest illa Veterum sententia; reprobari vero inde potest maxime, præsertim cum de uno Individuo, mari non adjuncto, nunquam usurpetur in Bibliis, nisi tum, quando Eva sexum fœmineum sola in specie humana repræsentabat, ut Adam virilem &c.* Ex his itaque concludere vult: Quæcunque Vox significat sexum, illa non sumi debet de Individuo. Atque נקבה. E.

§. 24. Quoniam vero à Nostratibus ad omnia prolixe est responsum, paucissimis nos expediemus. Negamus itaque cum Theod. Hakspanio *Not. Phil. ad h. l. Part. II. pag.* 781. istam consequentiam: Hæc vox sumitur de sexu. E. non de Individuo, cum opponat non opponenda sed subordinata. Hæc enim non sunt opposita, cum possint cadere in idem subjectum, quod ratione sexus potest esse vel mas vel fœmina, ratione status, uxor vel virgo, juvenis aut maritus. Negamus etiam vocem נקבה semper multitudinis esse notam, qualis est Ecclesia; Verum quidem est, hanc vocem sexum denotare fœmineum, attamen propterea semper multitudinis notam involvere non concedimus, sed & unicuique Individuo quam optime congruere posse affirmamus; imo in Individuo aliquo inter species animantium notare habitudinem, qua ad generationem masculo subordinatur: Quod & probamus ex Gen. 1: vs. 27. & cap. 4: 20. ubi legimus DEUM creasse hominem זכר ונקבה ἄρσεν καὶ θῆλυ h. e. masculum & fœminam, talia nim. Individua humanæ speciei, quæ in distinctis sexibus ad generandum ordinata & apta sunt, quo etiam spectant Gen. c. 6: vs. 16. & c. 7: 3. 9. 17. ubi in arcam ex omni animantium genere & sexu duo ad minimum Individua ad propagationem necessaria introducebantur. Sic Lev. 3: 1. & 6. requirit DEUS, ut קרבן & זבח sint זכר ונקבה i. e. Individua, tam fœminea, quam mascula; & Lev. 12: 7. dicitur, mulierem parere נקבה, quo notari unum Individuum tota materia, propositio subjecta, & res ipsa, ac prædicatum adjectum requirit, siquidem non species, sed Individuum paritur. Confirmatur hoc exemplo analogo vocis עלמה Esai. 7: 14. quæ ut sexum fœmineum, statum item & conditionem Virginitatis, sic simul Individuum, Mariam nimirum, notat. Uti vero non sequitur עלמה [apud Esaiam] significat statum, E. non Individuum: sic quoque nec h. l. colligere licet: נקבה significat sexum, E. non Individuum. Distinguimus itaque cum Hakspanio inter id, quod formaliter sexum significat, & inter id, quod concrete saltem denotat, seu inter vocis notationem, & connotationem: Connotat quidem נקבה sexum, sed non simpliciter notat.

§. 25. Objicitur quidem: *Vocem* נקבה, *quamvis notare possit Individuum aliquando, tamen hic repugnare absentiam* ה *Hajedia.* Resp. Hanc hypothesin non sic semper procedere, ut ubi habeatur ה demonstrativum, ibi & semper intelligatur Individuum; est itaque fallacia causæ, quod ה in lectione semper addatur propterea, ut significet Individuum.

§. 26. Sed excipit ille Theologus: נקבה *descendit à Rad.* נקב *i. e. perforavit, unde & impii Judæi volunt, hoc vocabulum esse tale, quod Virgini omnino non competat.* Verum minus recte explicant deductionem vocis. נקבה quidem derivatur à נקב & aliquid significat, in quo differat mulier à Viro; id vero non statim aliquam corruptionem importat, sed & naturale quoddam sexus discrimen, cum & de fæmella recens nata Lev. 12: 5. usurpetur, quæ ut rem habeat cum Viro impossibile est. Nihil itaque nos impedit Diabolica Judæorum obstinatissimaque pervicacia, quando partum virgineum cum R. Lusitano rem impossibilem, etiam juxta omnipotentiam DEI esse dicunt, seducti forsitan ratiunculis Philosophorum: In tanto enim mysterio, quale hoc erat, quod creare volebat Dominus, ut nimirum Virgo Maria utero suo circumdaret Messiam, & tamen Virgo permaneret, omnes Judæi ac Philosophi obmutescere coguntur, quia DEUS maxime secundum Omnipotentiam potest facere omnia quæ vult, secundum illud: וֵאלֹהֵינוּ בַשָּׁמָיִם כֹּל־אֲשֶׁר חָפֵץ עָשָׂה Psalm. 115: 3. si vero omnia ratione sua investigare vult R. ille Lusitanus cum asseclis suis, dicat nobis, quonam pacto, arida Aaronis virga, una nocte floruit & fronduit, atque amygdala protulit: Et nos deinceps dicemus eis, quomodo Virgo DEI filium conceperit & pepererit. Quare non est ut objiciat aliquis: *Ita nos calumniandi causam præbere Helvidio, aliisque Virginitatis Mariæ derisoribus.* Siquidem Helvidii argumentatio hæc nulla foret: Omnis נקבה parturiens gignit cum גבר: Maria est נקבה parturiens. E. Nam Numeror. 31: 18. est נקבה non cognoscens Virum. Et, si natura ordinem suum servet, omnis etiam γυνὴ parturiens gignit cum ejus correlato, quod est ἀνήρ. Sed vocabulum tamen hoc Mariæ Virgini tribuitur; cum pariens γυνὴ sine ἀνδρὸς concursu vocatur Matth. cap. 20: vers. 24.

§. 27. Hic vero nobis porro objicitur: *Scripturam ipsam* „ *hæc vocabula* accurate distinguere, & quam in N. T. γυναῖκα „ nominat, illam in V. T. appellare אשה & אשר confer „ Gen. 3: 6. 8. 12. & 1. Tim. 2: 14. Gen. 19: 26. Luc. 17: 32. „ Contra quando V. T. habet זכר ונקבה, N. T. ea vocabula „ non amplius nomine ἀνδρὸς & γυναικὸς efferre, sed per ἄρσεν καὶ θῆλυ reddere. Conf. Genes. 1: 27. & Matth. 19: 4. „ Marc. 10: 6. &c. Quibus annotatis liquere, non esse producendum locum, ubi Maria veniat nomine γυναικὸς (id enim non negari) sed ubi dicatur sola θῆλυ. At Resp. hanc Vocabulorum distinctionem non esse perpetuam, vid. Genes. 7: 2. ubi in Hebræo habetur איש ואשתו. LXX. quorum stylum sequitur N. T. vertunt ἄρσεν καὶ θῆλυ. Et גבר vertitur per ἄνδρα, Num. 31: 35. Quapropter si γυναικὸς vocabulum, quod tamen magis ad actum connubialem inclinat Mariæ θεοτόκῳ salva ejus Virginitate tribuitur, quidni potius נקבה, quod minus de eo involvit, illi accommodari poterit: Et hæc forsan potissima sunt, quæ circa hanc vocem urget ille magni nominis Theologus.

§. 28. II.) Ratio quæ nobis ab hoc Autore objicitur desumpta est à vocabulo תסובב cujus Rad. est סבב i. e. *Circumivit, circumdedit.* Hoc dicit esse *tale, quod nunquam in Scriptura S. usurpetur pro concipere & gestare in utero, sed potius tum adhiberi verba* חול, יחם, הרה, *& similia.* Resp. Verbum סבב esse verbum generale & indifferens, adeoque ad omnem omnino circumdationem determinabile; & ita optime uterinæ circumdationi congruere, qua fœtus undique, circumquaque circumscribitur, uti & R. Nathan Mardochai in Concord. optime sic explicavit; quale quid & alii fecerunt Rabbini. Ad hæc Arabs, quem allegat Cornel. à Lapide Comm. h. l. pro *Circumdabit* vertit *Vivificabit*, quod ad officium uteri, δύναμιν ζωοποιητικὴν habentis (dicente Basilio) accedit. Chaldæis autem & Rabbinis סבב *causare* notat, ab intimo complexu, quo causa effectum fovet. Unde conservatio illa causalis, quæ est infantis in utero, etiam commodissime hoc verbo notari potest; vid. Dorscheum Pentadec. *Disp. III.* §. 16. *f.* 118. Adeoque tantum abest, ut nostræ sententiæ hoc verbum obstet, ut potius egregie conveniat; Nam circumire aliquid significat, ut illud in medio contineat, sicuti circulus ambit aream suam, quomodo etiam Mathematici Ebræi verbo hoc utuntur. Et isthoc quidem modo *Virum in utero circumdari angusto*, novum sane sed bene dictum est, prout D. Calovius נ"ע, quem & Seb. Schmidius *in Comm. suo* allegavit, *T. II. p.* 202. observat.

§. 29. III.) Denique rationem profert è vocabulo גבר & dicit: *illud non usurpari de infante recens nato, de quo tamen h. l. sermo sit, nec posse Christo in cunis posito, commode applicari, imo & addit à Script. S. nunquam* גבר *de Infante usurpari.* Ad hoc Resp. itidem negando: Nam si evolvimus Job. c. 3: 2. legimus inter alia etiam verba ista: *pereat nox in qua dictum est* הרה גבר h. e. *conceptus est masculus.* Ubi de embryonibus in visceribus matris adhuc latitantibus prædicatur גבר. Excipit ille (1) *apud Jobum per Virum Infantem intelligi, ex toto contextu patere, quod apud Jeremiam non fiat.* Resp. neque hoc verum esse ex supra dictis §. 20. constat, neque illud quæritur. Dicebatur enim, *naturæ vocabuli* גבר *repugnare, ut tribuatur infanti.* At hoc non repugnare, probavimus ex Jobi adducto exemplo. Dicit (2) *Diversa esse prædicata; Vir conceptus est, & Vir circumdatus est.*

Resp.

Resp. quamvis diversa sint, tamen quoad sensum optime coincidere possunt: Conceptio namque est uterina circumdatio. Porro Gen. 4: 1. אִישׁ vocatur recens in lucem editus puerulus, licet alibi ea vox Virum pollentem designet, quem locum & ipse Theologus iste de Messia accipit. Sed & vocem hanc Onkelos de Caino recens nato usurpat Gen. 4: 1. קְנִיתִי גבר quod etiam Esaias facit, qui Christum puerum nobis natum appellat גִּבּוֹר; cap. 9: 5. Conf. Psalm. 45: 4. Esai. 49: vers. 24.

§. 30. Et hæc de loci nostri vera atque genuina Interpretatione ab objectionibus simul *Theologi celebratissimi* vindicata, dicta sufficiant: Nos finimus in Viro illo, qui pro salute nostra, à Fœmina novo & plane divino opere est circumdatus. Ei sit laus, honor & gloria in sempiterna secula!

JOH. FRISCHMUTHI

DISSERTATIO

De Fœdere Novo ad Jer. XXXI: 31, 32.

PARS I.

Iserum est, non videre, & visu, sensuum omnium nobilissimo, orbatum esse: at non velle videre, cum possis, & de industria oculos claudere, ne lucem videas, id vero extremæ miseriæ linea, & non incertum ἀῤῥωσίας τῆς διανοίας argumentum est. Hujus sane jampridem Judæi pervicaces luculentum præbent documentum, dum, velut majores illorum olim, ne, quam protomartyr, Stephanus ipsis annunciabat, veritatem audirent, aures obturarunt Act. 7: 57. ita etiamnum & aures & oculos studio obstruunt, ne Christi Evangelio locum relinquant, ejusque virtutem percipiant, & diligenti investigatione, qua Deus honorari vult, eum agnoscant. Quin, ne radii veritatis illorum oculos feriant, tot convitiis eam doctrinam, quæ tamen potentia ad salutem est omni credenti, Rom. 1: 16. proscindunt, & tot errorum Scriptores sacros novi fœderis arguunt, ut suis omne desiderium vel quicquam de eodem cogitandi penitus extinguant. Ecquomodo enim illi libro attenderit facile quisquam Judæorum, qui persuasum habeat, ejus auctorem planum, in scripturis hospitem minusque exercitatum fuisse? Prodeat in præsenti vel solus Rabbi Joseph Albo, qui postquam in libro ikkarim, Serm. 3. cap. 25. produxisset loca T. V. Esai. 7: 14. & Jerem. 31: 15. quæ juxta ipsum inepte atque incommode à Scriptore T. N. Matthæo cap. 1: 23. & 2: 18. citari videntur, subjicit וכן פסוקים אחרים הביאום באוונג"ליוש בחילוף מה שהם ובהפך הכוונה שנאמרו עליה במקומה וכל זה ממה שירחיק את האדם מלהאמין שתורת ישו תהיה אלהית׃ *Sic quoque adducunt alios versus in Evangelio modo prorsus contrario & contra intentionem, in qua loco suo fuerunt prolati. Unde est, ut hæc omnia quempiam abducant, quo minus, legem Jesu divinam esse, credat.* In rem eandem, cum ibidem Stephanum ex Act. 7: 14. & Paulum ex cap. 13: 21. erroris, ut Judæus quidem sibi persuadet, convicisset, concludit שלא היו בקיאים בדברי התורה והנביאים *non fuisse eos exercitatos in verbis Legis atque Prophetarum.* Cum itaque & Auctor Epistolæ ad Ebræos cap. 8: 8. alleget locum prolixum Jerem. 31: 31. probaturus, sacerdotium Leviticum & fœdus Mosaicum ejusmodi fuisse, ut aliud illi abrogato substituendum fuerit, & ita pactum novum Evangelicum, quod agnoscimus Christiani, in V. T. fundamentum habere, adeoque aliquando patefactum iri, id perhibeat: operæ pretium facturi videmur, si Propheticorum verborum sensum accuratius indagemus, & quam apposite, quam convenienter ad suum assertum comprobandum Apostolus Propheticum vaticinium accersat, quam contra Judæorum mentem odium veritatis obnubilet, quam insignem demum enervationem & detorsionem verborum & jejunum sensum sibi fingant & nobis obtrudant, ostendamus. Quod, antequam fiat exscribenda huc verba textus nostri censuimus, habent vero illa Ebraice ita: הִנֵּה יָמִים בָּאִים נְאֻם יְהוָה וְכָרַתִּי אֶת־בֵּית יִשְׂרָאֵל וְאֶת־בֵּית יְהוּדָה בְּרִית חֲדָשָׁה׃ לֹא כַבְּרִית אֲשֶׁר כָּרַתִּי אֶת־אֲבוֹתָם בְּיוֹם הֶחֱזִיקִי בְיָדָם לְהוֹצִיאָם מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם אֲשֶׁר־הֵמָּה הֵפֵרוּ אֶת־בְּרִיתִי וְאָנֹכִי בָּעַלְתִּי בָם נְאֻם יְהוָה quæ Vulgatus ita transtulit, *Ecce, dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, in die, quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus:* Apostolus Ebr. 8. ex versione Græca LXX. interpretum vaticinium his ipsis verbis, retentis etiam quibusdam Ebraismis, recenset. Ἰδοὺ, ἡμέραι ἔρχονται, λέγει κύριος, καὶ συντελέσω ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰσραὴλ καὶ ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰούδα διαθήκην καινήν. οὐ κατὰ τὴν διαθήκην, ἣν ἐποίησα τοῖς πατράσιν αὐτῶν, ἐν ἡμέρᾳ, ἐπιλαβομένου μου τῆς χειρὸς αὐτῶν, ἐξαγαγεῖν αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου. ὅτι αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου, κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, λέγει κύριος.

CAPUT I.

SUMMARIA.

Rabbi Abarbenelis de sensu vaticinii Jerem. 31: 31. *ingenua memorabilisque confessio. Ejusdem traditionum* πατροπαραδότων *studium cæcum notatur. Fidei Judaicæ articulus nonus cum explicatione Maimonidis, doctrinæ Christianorum de novo fœdere de industria oppositus. Occasio, qua vaticinium prolatum. Proverbii Judaici origo secundum quosdam. Dies venturi inepte ad Judæorum adhuc venturi sospitatoris adventum referuntur. De originatione vocis* ברית *diversæ C. à Lapide, L. Marii, Kimchii, Grotii, Flacii, sententiæ. Propria ejusdem dictionis significatio stabilita.* διαθήκη *LXX. & Syris quid significet. Usus illius apud JCtos Græcos. Ebr. 9: 16. notionem Testamenti sanctus Hieronymus, Erasmus Cajetanus, Calvinus, Flacius, Beza, Drusius, Codurcus nequicquam solicitant. Cur significatione Testamenti Hellenistis ignota vir divinus sit usus. Kimchii explicatio vocis* ברית. *Ejusdem usus in sacris. Fœderis prioris & novi natura & analogia. Abarbenelis, Menasseh B. Israel, priscorum recutitorum, Kimchii & Abendanæ* παρερμηνεία *excutitur. Rationibus ex tex-*

textu Judæorum glossa refellitur. Cur Evangelicum fœdus dicatur novum. *Val. Smalcius notatus. Locutionis,* manu apprehendere, *emphasis. Significatio verbi* הפרו. *Variis doctorum virorum verbi* בעלתי *explicationibus allatis, genuina significatio ex Arabismo illustratur.*

§. 1. DUm locum hunc illustrem, utpote totum Evangelicum adeoque omnino dignum, qui à Christianis diligentius expendatur, Judæi præoccupato animo interpretantur, & ad stabiliendam suam sententiam de fœdere Mosaico renovando, & restituendo cultu Levitico, afferre solent, facere non possunt, quin se aliquid monstri alere & aliter, quam intellectus noster super illius verba fertur explicare, prodant. Ipsemet Rabbi Abarbenel, quæst. 5. folio 128. com. in h. l. scripsit: זה המאמר מורה שלזמן הגאולה העתידה יתן השם לעמו תורה חדשה אחרת מתחלפת לתורה אשר אתנו והוא בהפך העיקר שנאמין מנצחיות התורה ושלא תשתנה בשום זמן וכבר אויבי השם והאפיקורושים עם המאמר הזה שות שתו השערה ונלחמו עמנו הרבה: *Hoc dictum docet, Deum tempore futuræ redemtionis daturum populo suo legem novam & aliam loco illius, quam habemus. Atqui hoc repugnat fundamento, quod credere tenemur, legem perpetuam & subinde immutabilem fore. Jam pridem vero hostes Domini & Epicuræi oppugnarunt portas,* (Esai. 22: 7.) *& nobiscum bellum acriter gerunt.* Minime diffitetur Rabbi Abarbenel, vaticinium hoc aliquid novi præ se ferre, quod venientibus annis loco Mosaicæ legis hominibus observandum sit. Negat tamen hoc fidei Judaicæ consentaneum esse, utpote quæ aliud credendum exigat. Videtur vero respicere ad preces Judaicas, quibus, ut videre est in libello precum Ebraicarum, pagina 33. editionis Venetæ, inter reliqua recutito sancte credenda etiam hic nonus Judaicæ fidei articulus recensetur אני מאמין באמונה שלמה שזאת התורה לא תהא מוחלפת ולא תהא תורה אחרת מאת הבורא יתברך שמו: *Ego credo fide perfecta, quod hæc lex (Mosaica) non sit obnoxia mutationi, neque alia lex à creatore, cujus nomen benedictum sit, unquam veniat expectanda.*

§. 2. Ita miseri Judæi fidei suæ Symbolo, quod ad ultimum usque vitæ halitum non sine suspiriis, anxietate & ejulatu deblaterant, & in quo se vivere & mori pertinaciter profitentur, hoc ipsum inserendum putarunt, non fore unquam locum alii doctrinæ, quam Mosaicæ, sive ut R. Moses Maimonides, qui quinque abhinc sæculis tredecim istos articulos in ordinem redegit, & sub jactura salutis omnibus veri nominis Judæis credendos exhibuit, scribit, comment. ad Mischnam Sanhedrin עליה אין להוסיף וממנה לא לגרוע לא בתורה שבכתב ולא בתורה שבעל פה: *Ipsi nihil est addendum, neque aliquid detrahendum, neque in lege scripta neque lege orali,* (sive traditionibus *πατρο-παραδότοις*). Nempe neque in scriptura, quoad literas & apices, neque in expositione ac interpretatione, quicquam licet addere.

§. 3. Tam tenaces sunt Judæi etiamnum ceremoniarum Mosaicarum, quamvis πτωχὰ στοιχεῖα sint, Gal. 3: 9. ut licet eas, utpote extorres tot jam seculis, ad præscriptum Legis usurpare non potuerint, nihilominus in eis omnem fere suæ salutis proram & puppim constituant. Tam alieni vero sunt ab illa doctrina, quam Salvator noster ברית חדשה sive καινῆς διαθήκης nomine insignivit, Matth. 26: 28. & de qua hoc loco Jeremiam loqui patet, ut dedita quasi opera Prophetæ se opponant & fidei suæ fundamentum, quod ipsis majores illorum reliquerunt, ipsi etiam divino impulsu acti prophetæ vaticinio præferant, veluti haud obscure ex Abarbanelis verbis est colligere, adeoque velint, talia prophetam haud scripsisse. Quo nomine eos false perstringit B. Lutherus, Tom. VIII. Germ. Jenens. folio 134. Sed cum ea verborum textus evidentia sit, ut Christiani, quos malitiose hostes Domini & Epicuræos appellat, fidei suæ fundamenti adstruendi occasionem commodam inde habeant, in sensum illorum accuratius inquirendum duximus.

§. 4. In rem præsentem, quod dicitur, nobis venturis, paucis ante ostendere visum est, qua occasione Propheta hoc oraculum in medium attulerit. Scire igitur licet, postquam Deus promisisset, post liberationem ex captivitate Babylonica se propitium fore iterum, adeoque, ut populus omnis generis felicitate circumfluat, effecturum; simul futurum esse ait, ut non amplius antiquo proverbio locus sit: *Patres comederunt uvas acerbas & filiorum dentes obstupuerunt.* Nempe cum, ut Aristoteles etiam testatur, Problem. Sect. 7. q. 5. dentes obstupescant, cum aliquid acidum edentes conspicimus, inde proverbium ortum apud Ebræos nonnullis videtur, quo, errata sontium ab insontibus lui significaturi, usi sint. Hoc vero dicterium antiquandum, & quemque suorum ipsius scelerum pœnas subiturum esse, asseverat. Et cum ita de instauranda Hierosolyma egerit, more Prophetis recepto, confestim ad antitypum ejus, nempe Ecclesiam, & Evangelica tempora delabitur. Spirituale vero beneficium annunciaturus ita infit: הנה ימים באים נאם יהוה וכרתי את בית ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & exscindam cum domo Israelis & cum domo Judæ fœdus novum.* Quibus verbis dies Messiæ designat, qui in scripturis dies venturi antonomastice dicuntur. Maxime vero contextus & subjecta materia arguit, eos intelligi, non diffitentibus doctis Ebræis. Qui in eo tamen à vero abludunt, dum ad tempus הגאולתם וקבוצתם *redemtionis & congregationis illorum futuræ referunt*, qua ex omnibus angulis, quo dispersi sunt, convocandi, & Hierosolymam terrenam repetituri sint, ut Rabbi Abarbenel. lib. משמיע ישועה pagina 38. docet. Sed hanc vanam spem esse, vel exinde colligere possent, quod textus de ejusmodi tempore agit, quo etiamnum tribuum Israel & Judæ fuit distinctio. Quæ cum tot seculis cessarit, ipsam quoque promissionem dudum adimpletam esse, in aprico est.

§. 5. Ad rectius intelligendum vaticinium nosse refert, quid verbis וכרתי ברית significetur, & unde tandem nomen illud derivetur. Variant enim hic maximopere doctissimi interpretes. Cornelius à Lapide, commentario in caput 8. ad Ebræos & L. Marius, commentario in Deuteron. 30. à radice בתר *divisit*, originem ejus arcessunt, quia in sanciendo fœdere animalia divisa legantur. Sed hæc originatio applausum haud meretur, cum quod metathesin literarum citra necessitatem supponit, tum quod ritus antiquus phrasi Ebræorum כרת ברית *secavit fœdus*, adeoque verbo potius quam nomine exprimitur, dum fœderis *factio*, & ut Græci etiam loquuntur, διαθήκης ποίησις fœderis *secatio* dicitur. Unde etiam factum est, ut quandoque τὸ כרת occurrat absolute & simpliciter, ut 1 Paralip. 7: 18. & pro *polliceri* usurpetur.

§. 6. Illius ritus primam mentionem fieri observamus Gen. 15: 9. ubi nonnulli Deum ejus auctorem faciunt. Alii tamen, inter quos H. Grotius est, non tam Deum auctorem illius esse, quam illorum temporum receptæ consuetudini illum se accommodasse contendunt. Quicquid ejus sit, illud textus clare docet, sectis animalibus & divisis, Dei vice clibanum fumantem & ignis lampadem transisse inter partes illas, unde Rabbi Abarbenel in l. cit. scribit: אברהם לא עבר בין בתרים כדרך כורתי הברית וכענין מה שנאמר העגל אשר כרתו לשנים ויעברו בין בתריו לפי שאברהם לא נתחייב בברית הזה בשום דבר אבל הקב"ה בלבד יעדו ולכן עברה עשן והאש בין בתריו: *Abrahamus non transivit inter partes more fœdus percutientium, ut dicitur* (Jerem. 34: 18.) *vitulus, quem in duas partes conciderunt, & transiverunt inter illas. Abrahamus enim fœderi huic non erat ullo modo obnoxius, sed Deus benedictus tantum illi promiserat, & idcirco fumus & ignis inter illas partes transierunt.*

§. 7. Idem dividendi animalia & inter partes illorum transeundi ritus tandem ad alias gentes manavit, ut Dictys Cretensis libro primo de Bello Trajano cap. 10. testatur. Macedonibus sic lustrandi exercitum solennis fuit consuetudo, quæ caput mediæ canis præcisæ, & prior pars ad dextram cum extis, posterior ad lævam viæ ponebatur; inter hanc divisam hostiam copiæ armatæ traducebantur. conf. Livium, Decad. IV. lib. 10. Transitu vero illo hoc significatum fuisse volunt, eos, qui fœdus frangerent, dignos fore, qui tali pœna mactarentur. Confer Augustinum lib. 16. de C. D. cap. 14. Cyrillum contra Julianum ultimo libro, qui eum morem fœdus sanciendi Chaldæis fuisse tradit. Rabbi Abarbenel, commentario ad Jeremiam 34: 18. scribit, id factum esse לרמז שיהיו כורתי הברית שניהם עם היותם נבדלים במקומותיהם מדובקים כגון העגל ההוא בהיותו חי שהיה מתאחד מכל צד: *ad indicandum, fœdus percutientes, licet locis suis separatos, fore conjunctos instar vituli vivi, cujus partes antea quam conjunctissimæ erant.* Sed de hujus certitudine nolumus pronunciare, maxime cum alias etiam incertum sit, an subinde omnes illæ ineundi fœderis ceremoniæ, de quibus Gen. 15. agitur, servatæ sint. Sane Deut. 30: 1. ubi fœderis iterati mentio fit, de victimarum divisione, & simul inter partes illarum transitu, nihil omnino legitur, quanquam sacrificia ibi quoque intercessisse, perinde ac Exod. 24. haud improbabile videatur.

§. 8. Ut vero eo, unde delapsi sumus, redeamus, (2.) R. David Kimchi in libro Radicum τὸ ברית ad thema inusitatum ברת referens literam ultimam pro radicali habuisse videtur. Sed huic sententiæ repugnat hoc, quod vox illa fœminini generis est, non futura, si ultimam haberet radicalem. Ipsemet Rabbi tandem non diffitetur, esse, qui eam à radice ברא derivent, quæ, ut ex Ezechiel. 23:47. apparet, *succidere* significat. Atque ita a cædendarum victimarum ritu ברית dici, persuasum habent. H. Grotius tamen Prolegom. in annotat. ad Matthæum, Senes eruditissimos sive LXX. eandem vocem ex illa radice ברא, sed alia notione, natam credidisse, docet, prout nempe idem ac *creare* denotat, τὸ ברא, inquiens, *quod proprie creare significat, similitudinis jure ordinare & διατίθεσθαι significat.* Atque inde factum censet, ut Hellenistæ τὸ κτίζειν ad significatum illum perduxerint, Eccles. 2:16. cap. 39: 29. 41: 1. 9. Sed ut Hellenistas τὸ ברית à radic. ברא derivasse, verisimile haud est, ita neque à ברא, quod *succidere* notat, nomen illud ortum esse, credibile est. Uti enim supra ostendimus, ritus ille tota phrasi exprimitur, qua כרת ברית *fœdus secare*, Ebræi dicere consueverunt.

§. 9. Missis igitur hisce originationibus, veram & genuinam (3.) esse dicimus illam, qua vocem hanc natales suos debere ajunt verbo ברה, non quidem ut *comedere* denotat, quasi ברית inde sit dictum, quia in sanciendis fœderibus aliquando etiam convivia adhibebantur, ut Flacius Præf. annot. in N. T. hariolatur, sed ut idem est ac *eligere.* Atque inde Paulus Fagius, comm. in cap. 29. Deuteron. *fœdus, inquit, Ebræis ברית dicitur, vel à ברה eligendo, quod fœdus, ut Aben Esra scribit est*: הסכמה ודבר שחברו שנים: *mutuus consensus duorum super re aliqua, vel à* ברר *declaravit, quod ipsum fœdus, natura, leges & conditiones ejus debeant omnibus fœderatis declaratæ, notæ & manifestæ esse, ne temere violentur.* Sed quod posteriorem derivationem attinet, haud illa assensum mereri videtur, eo, quod verbum defectivum est, & hujus nominis formam vix admittit. Sane si, quod Ebræis Doctoribus in more positum est, על שקל *ad pondus*, sive פלס *ad stateram*, vel, ut nostri loqui amant, ad analogiam vel formam aliarum vocum tanquam trutinam eam exigamus, deprehendemus, τὸ ברית esse formæ שבית. Quod nomen, ut à verbo שבה oritur, ita τὸ ברית natales suos verbo ברה *elegit*, debere, haud inconvenienter asserere videmur.

§. 10. Atque ita etymon satis prodit, quid ברית tandem significet, & quam minus necessarium sit, cum Herrico Guisardo asserere, ברית esse quasi ברית, nempe quod victimæ percuterentur, cum originaliter *electionem*, vel *voluntatis vel promissi declarationem* sonet, ad quam significationem generalem exprimendam LXX. aptiorem vocem se haud invenire censuerunt quam διαθήκη, quæ à verbo διατίθεμαι, *constituere, legare, pacto addicere*, derivata significat. Factum etiam inde est, ut Syri pro ܕܝܬܩܐ Græcam illam vocem usurparent, & in suam civitatem receptam, ܕܝܬܩܐ *pactum & testamentum* significare juberent. Quæ postrema notio ita propria vocis existimata fuit, ut Græcis quoque JCtis probaretur. Ut enim JCtorum smaragdus, & Salanæ nostræ ingens decus, Dn. Joh. Strauchius, collega & fautor pl. observandus me sciscitantem edocuit, Basilica, ubi de Testamentis agitur, περὶ διαθηκῶν habent. Et in l. 1. ff. *qui testamentum facere possunt*, definiunt διαθήκην hunc in modum: ἐστὶ δικαία βούλησις. Quin veteres Glossæ verborum Juris Græcæ habent; διαθήκη ῥωμαϊκῶς ὀνομάζεται τεσταμέντουμ. & mox: διαθήκη διχῶς ἐκφωνεῖται, ἢ μὲν ἐπὶ θνησκόντων διατάξεως ἢ ἐνταλμάτων χαρακτῆρα φέρουσα, ἅπερ ἢ συνθηκῶν ἐπὶ διαλλαγῇ πολεμίων συνωμοσίαν ἔχουσα. Consimiliter eam suam fecerunt Talmudistæ, qui דיתיקי explicaturi, dicunt esse שטר צואה שכיב מרע: sive *literas mandati vel testamenti decumbentis.* Quibus nempe, quid post mortem de bonis suis relictis fieri velit, significat. Unde in Bava Bathra f. 152. col. 2. dicunt, דיתיקי מבטלת דיתיקי *testamentum* (posterius) *irritum reddit testamentum* (prius.)

§. 11. Sed interpretes Scripturæ hoc torquet, quod vox Ebraica ברית nunquam testamentum notat, cujus alias ea natura est, ut morte testatoris confirmetur. Licet etiam LXX. eam διαθήκην transtulerint; testamentariam tamen ordinationem, cujus complementum & vigor à morte testatoris suspenditur, illi nuspiam intellexerunt, sed simpliciter *fœdus* vel *pactum*, quod proprie τὸ ברית significat. Atque inde in quæstionem venit, quomodo Apostolus, Ebræor. 8. allegato loco Jeremiæ, potuerit cap. 9: vers. 15. occasione hujus vocis ex natura testamenti aliquid colligere & inferre, cum tamen τὸ ברית, atque διαθήκη neque sacræ Scripturæ, neque LXX. interpretibus eo sensu usurpetur. Qui scrupulus tanti momenti visus est, ut Apostolum haud exactius ibi coram crassis auditoribus egisse, dixerit S. Hieronymus; canone inde ejecerit Epistolæ ad Ebræorum auctorem Erasmus & Cajetanus; Pauli esse eam negarit Calvinus; Ebraice scriptam esse infitias ierit Flacius & Beza; & more Rhetorum in voce lusisse dixerit Melchior Canus. Quin Joannes Drusius, *argumentatur*, inquit, *Apostolus à voce Græca* διαθήκη, *qua & Syri utuntur, licet in Hellenistica lingua* διαθήκη *idem sit cum* συνθήκη, *pactum, fœdus, quod Ebræi* ברית *vocant. Sed testamentum nunquam significant.* Quod τὸ ברית nunquam *ultra pacti & fœderis* significationem extendatur, Philippus quoque Codurcus ex Reformato Romano Catholicus contendit & plane aliam versionem verborum Apostolicorum dandam censet. Referente enim Herrico Guisardo, vindic. Testamentum *divina*, inquit, *Apostoli sententia plane aliorsum torquetur ambigua & ancipiti vocum* διαθήκη & διαθέμενος *interpretatione, quæ hoc in loco non significant testamentum & testatorem, qua significatione Jure Civili Romano sumuntur, sed fœdus & fœderatum. Hunc itaque locum, ut tollatur ambiguum, sic vertere, saltem intelligere oportet; Ubi enim fœdus, mors intercedat fœderati necesse est. Fœdus enim in mortuis exprimitur, alioquin non valet, quando vivit, qui fœderatus est.*

§. 12. Sed mirum est, viro docto hæc excidere potuisse, ut participium διαθέμενος passive explicandum diceret, quod Syrus & Arabs active accipiunt, quomodo intelligendum esse, & usus vocis arguit. De fœderato sermonem haud esse, inde liquet, quod, eo defuncto, fœderis vis expirat, tantum abest, ut robur illius morte acquiratur, quæ Testamenti validitatem & effectionem necessario antecedit. Cum enim alias voluntas hominis sit ambulatoria, & viventis nulla detur hæreditas; hinc fit, ut testatoris mors in testamento requiratur. Nec quia Jus civile condendorum testamentorum ignotum Ebræis fuit, quibus donationes inter vivos factæ sint, Genes. 21: 10. cap. 25: 5, 6. nullæ vero mortis causa, sequitur, Apostolum tunc nomenclatura διαθήκη testamentum designare haud potuisse. Sane, ut Apostoli ætate Judæi Romanorum Jurisdictioni subjecti, & illorum & Græcorum Jurium consuetudinumque haud ignari erant, ita humanis exemplis è communi hominum more petitis, admirandum Euangelicum fœdus Apostolus explicaturus, quo rejectis victimis, Messias, fidejussor, seipsum hostiam succedaneam patri obtulit, & ut testator meliores promissiones & hæreditatem æternam legavit, voce διαθήκη notione testamenti omnino uti potuit. Pro se enim habuit naturam ipsius fœderis, (quod à testamento alienum haud est, sed ejus formam induit, dum moriendo Messias promissa confert;) & id temporis receptum usum vocis, quæ amplissimæ significationis est. Hinc Hesychius, cum per συνωμασίαν explicasset, quod, qui fœdus ineunt, συνωμόται sint, & invicem fidem, affectum, opem, jurarint, subjicit: δηλοῖ ἢ διάταξιν, διαίρεσιν, διάθεσιν. Ex quibus patet, vocem πολύσημον esse, & quæ in genere *constitutionem* vel *dispositionem* significat, in specie & fœdus & testamentum notare posse. quam significationem postremam Græcis auctoribus frequentissimam esse, cum ex superioribus patet, tum etiam ea, quæ ex Æschine, Isocrate & Diogene Laërtio adducuntur, comprobant.

§. 13. R. David Kimchi in libro Radicum τὸ ברית explicaturus, קים vel *pactum* notare ait. Et ita sæpenumero in scripturis accipitur de sponsione & restipulatione mutua inter diversos, ut 1. Reg. 3: 12. 1. Reg. 5: 12. sed non modo ejusmodi fœdus significat, quo duo aut plures paciscuntur, sed etiam πρόθεσιν, *propositum* Dei, ἐπαγγελίας, *promissiones* gratuitas & ab omni conditione liberas, stabiles item ejus ordinationes, etiam circa res inanimatas, veluti ex Genes. 9: 9. Jerem. 33: 25. patescit. Ad eundem modum promissiones de Messia citra ullam, quam Judæi somniant, conditionem olim patribus factas Græca vox διαθήκη significare jussa est, veluti ex Luc. 1: 72. Actor. 3: 25. Galat. 3: 15. 17. liquet. Atque ita fœdus, quo Deus ab homine cultum stipulatur, & beneficium promittit, species est duntaxat τοῦ ברית, nec amplitudinem ejus exhaurit. Alias enim, ut dictum, nudum & simplex Dei promissum significat, ubi Deus se aliquid facturum recipit, & alterius consensus vel restipulationis nulla fit mentio. confer Genes. 15: 18. Levit. 24: 8. Num. 18: 19. cap. 25: 12.

§. 14. Quo significatu vero hoc loco occurrat, ex contextu patet, dum novum cum domo *Israelis* & *Judæ* percussurum

surum se ait fœdus & illi cum patribus inito & à majoribus illorum turpiter violato dissimile. Cujusmodi vero illud fuerit, ex Exod. 24. liquet, ubi illud cum circumstantiis recensetur. Nempe solenne & publicum fœdus fuit, pecudum sanguine sancitum & cum populo in deserto initum. Cum enim mediator illius Moses, ut Deuter. 5: 5. Gal. 3: 19. appellatur, Decalogum & reliqua præcepta recitasset, ad imum montis altare Domini jussu ædificatum est, & duodecim columnæ ad numerum tribuum filiorum Israel sunt erectæ. Secuta hinc est sacrificiorum oblatio, quorum sanguine cum & altare & populus auditæ legis observationem recipiens conspersus esset, legislator, *ecce*, inquit, *sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super omnibus verbis istis.* Quemadmodum ibi pecuino sanguine firmatum est fœdus Mosaicum, quo Apostolus Ebr. 9: 18. respexit, οὐδ', inquiens, ἡ πρώτη χωρὶς αἵματος ἐγκεκαίνισται. Ita aliud idque novum hoc loco promittitur, de quo Messias Luc. 22: 20. ἡ, inquit, καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, scilicet ἐγκαινισθεῖσα, ut ejusdem verbi participium, non invito textu, subaudiendum esse Grotius observat. Cujus καινῆς διαθήκης διακόνους se vocant Apostoli 2 Corinth. 3: 6. Bene Oecumenius typum ad antitypum referens, ut figuram ad figuratum propius accedere ostendat, καὶ, inquit, οὕτω φησὶ, θανάτῳ βεβαιοῦται ἡ διαθήκη, ὅτι καὶ ἡ πρώτη ἀντὶ θανάτου αἷμα εἶχε τὸ τοῦ θανάτου σύμβολον. ἐπὶ δὲ τῆς νέας τὸν ὄντως θάνατον ἔχει. καθὰ ἐκεῖνα μὲν τύποι εἰσαν, ἀλήθεια δὲ τὰ ἐν τῇ νέᾳ. Hoc fœdus, cujus, ut κρείττονος μεσίτης Messias Ebr. 8: 6. dicitur, & cujus θανάτου γενομένου εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων τὴν ἐπαγγελίαν λάβωσιν Ebr. 9: 15. Jeremiam hoc loco prædicere, Christiani ex contextu, ipsoque adeo eventu colligunt, invitis & indignantibus Judæis, qui non tam fœdus novum Evangelicum percutiendum, quam veteris Mosaici renovationem sive stabilitionem & majores ad illud observandum vires intelligi, contendunt. Hinc enim Rabbi Abarbenel scribit ad h. l. ענין הברית שיתן להם רצון ונטיה רבה לקיום התורה האלהית ושלא לעבור על מצוה ממצותיה: *Ratio ejus fœderis in eo consistit, quod sit daturus voluntatem & insignem inclinationem ad implendam legem, ne ullum præceptorum ejus transgrediantur.* Neque Rabbi Menasseh Ben Israel, concil. in Lev. q. 7. dissentit, *novum*, inquiens, *fœdus religiosam denotat legis observationem.*

§. 15. Non heri demum aut nudiustertius ita illustrem locum torquere inceperunt recutiti. In Medrasch enim Schir Hasschirim, cap. 2: 30. prisci Ebræi pridem scriptum reliquerunt: חוזרת לחרושה ומתחדשת לישראל שנ' וכרתי את בית ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה: *in novitatem* (lex) *convertetur, & Israeli renovabitur: sicut scriptum est:* (Jerem. 31: 31.) *& percutiam cum domo Israel & cum domo Judæ fœdus novum.* Quam etiam aliquot ab hinc seculis Judæi in hac detorsione propugnanda occupati fuerint, ex castrato illo quidem, sed ope MSS. à Cl. Pocokio restituto commento Rabbi David Kimchi patet, quod ita habet: חדשה היא שתהיה קיימת לא תופר כמו שהופרה הברית שכרת השם עם בני ישראל בהר סיני והערלים שתועים בזה ואומרים כי הנביא נבא על תורה חדשה שעתידה להיות לא כתורה שנתנה בהר סיני כמו שאמר לא כברית אשר כרתי את אבותם והיא התורה חדשה שחדש להם ישו הנוצרי תשובתם הרי אמר ופירש מה היא לא כברית אשר כרתי את אבתם והם הפרו את בריתי וזאת הברית לא יפרוה כי אתן תורתי בלבם ועל לבם אכתבנה שלא תשכח מהם לעולם וכל הענין כמו שמפרש והולך כי לא תהיה חדוש הברית אלא קיומה הרי אומר מלאכי חותם הנביאים בחתימת דבריו זכרו תורת משה עבדי אשר צויתי אותו בחורב על כל ישראל חקים ומשפטים וכל אותה הפרשה עתידה כמו שחתם הנה אנכי שולח לכם את אליהו הנביא הרי אתה רואה כי לא תהיה לעולם תורה חדשה אלא אותה שנתנה בהר סיני כמו שכתוב אשר צויתי בחורב: *Novum dicitur futurum fœdus, quod sit futurum firmum neque irritum reddendum, uti fœdus cum Israelitis in monte Sinai. Incircumcisi in hoc hallucinantur, dicentes, Prophetam de lege nova vaticinatum esse, quæ non sit futura, ut lex in monte Sinai: sicut dicit: non sicut fœdus, quod pepigi cum majoribus illorum. Hanc vero novam legem esse, quam de novo dederit Jesus Nazarenus. Respondetur ipsis. Ecce dicit & explicat, quodnam illud sit; non sicut fœdus, quod pepigi cum majoribus illorum, & ipsi irritum reddiderunt fœdus meum. Hoc vero fœdus illi non irritum reddent. Dabo enim legem meam in interiora eorum & cordi illorum inscribam illam, ne unquam ejus sint immemores. Et sic sensus est omnium, quæ porro explicat. Neque enim erit fœderis novitas, sed stabilimentum ejus. Ecce dicit Malachias Prophetarum ultimus in obsignandis verbis suis* (cap. 44.) *recordamini legis Mosis servi mei, quam præcepi ipsi in Horeb super omnem Israel statutorum & judiciorum. quæ tota sectio futura adhuc continet, sicut obsignat: Ecce ego mitto vobis Prophetam Eliam.* (Malach. cap. 4. *Ecce vides, in æternum non fore legem novam, nisi eam, quæ data est in monte Sinai. Sicut scriptum est* (Malach. 4: 4.) *quam præcepi in Horeb.*

§. 16. Rabbi Jacobus Abendana, haut obscuri hodie nominis Ebræus, & in Belgio etiamnum Judaismi rigidus propugnator, Spicilegio suo ad librum Michlal Jophi itidem pro unius Legis Mosaicæ perpetuitate ex hoc ipso loco disputat. הנה מה שאמר הנביא שיכרות ה' את בני ישראל ואת בני יהודה ברית חדשה לא כברית אשר כרת את אבותם כשהוציאם ממצרי' אין הכוונה שיתן להם תורה חדשה חלילה וחס כי תורתו אשר נתן לנו ביד משה לא תשתנה בשום זמן והיא מורשה לנו כל הימים כמו שנזכר בתורה במקומות רבים ומלאכי חותם הנביאים אשר בסוף נבואתו זכרו תורת משה עבדי אשר צויתי אותו בחורב על כל ישראל חקים ומשפטים וכל אותה הפרשה היא לעתיד כמו שחתם הנה אנכי שולח לכם את אליהו הנביא אבל אמתת הענין הוא שבימות המשיח יכרות ה' את בני ישראל ברית חדשה שתהיה קיומת לא תופר כמו שהופרה הברית שכרית את אבותם בהר סיני לפי שאז יתן השם את תורתו היא תורת משה בקרבם ויכתבנה על לבם שלא תשכח מהם לעולם: *Ecce quod Propheta ait: Deum percussurum fœdus novum cum filiis Israelis & Judæ, non secundum fœdus, quod cum Patribus illorum iniit, cum ex Ægypto eos eduxit, minime hoc vult, se daturum eis legem novam. Absit hoc! quia lex ejus, quam per Mosen tradidit nobis, nullo tempore mutabitur. Omnibus diebus hæreditaria possessio erit, sicut multis ex locis Scripturæ patet. Et Malachias Propheta obsignat, qui in fine Prophetiæ suæ ait* (cap. 4.) *Recordamini legis Mosis, servi mei, quam tradidi in Horeb toti Israeli statuta & judicia. Atque hæc tota sectio adhuc implenda est, quemadmodum etiam obsignat: Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam. Sensus itaque verborum potius est: diebus Messiæ pangendum esse fœdus novum cum Israelitis, idque stabile & firmum, non violandum, veluti illud irritum factum quod cum majoribus eorum pepigerat in monte Sinai. eo quod daturus tunc sit legem suam, nempe Mosaicam, in viscera eorum & inscripturus sit eam in cor eorum, ne illius in æternum obliviscantur.*

§. 17. Atque ita Judæi recentiores negant, hoc loco agi de novo fœdere, & Mosaicum tantum intelligendum contendunt, quod, ut Rabbi Moses Maimonides capite 9. Hilkot יסודי תורה docet, sit עומדת לעולמי עולמים *subsistens in secula seculorum*, & nunquam abrogandum, sed hic stabiliendum dicatur. Eo autem adduci se, ut sic sentiant, plerique omnes fatentur, quod Malachias capite 4: 4. prophetarum libros quasi obsignaturus populum Legis Mosaicæ meminisse jusserit, nempe ut Rabbi Lipmannus, num. 264. libr. Nizzachon censet: לאפוקי מהם שיהיה תורה חדשה *ad excludendam ab eis legem novam.* Sed plane falluntur, dum hoc consequi sibi persuadent. Neque enim voce זכרו *recordamini*, id præcipitur, ut quæcunque Legis Mosaicæ præcepta, nullo modo abroganda esse credant, sed saltem ita populus legem recolere, & eam, omnibus placitis hominum rejectis, ut cynosuram sequi jubetur, cum jam tum Deus præviderit, quanta incrementa humanæ traditiones sint sumturæ, quarum ad Christi usque tempora ad superstitionem usque tenacissimi fuerunt. Quemadmodum igitur de sensu verborum Deuteron. 12: 32. recte scripsit Rabbi Albo, libro 3. capite 13. Ikkarim. הכתוב לא יזהיר אלא שאנחנו לא נוסיף ולא נגרע בדעתינו אל המצות אבל מה המונע שלא יעיה הוא יתברך מוסיף או גורע כשתגזור חכמתו יתברך: *scriptura non prohibet, nisi ne nos ad arbitrium nostrum aliquid addamus præceptis vel detrahamus. Sed quid prohibet, Deum benedictum aliquid vel addere vel detrahere, ubi sapientiæ ejusdem visum est*: sic similiter haud inconcinne dicimus, Deus haud prohibuit, nisi ne ipsius injussu legis Mosaicæ observationem intermitterent. At quid prohibet, Deum per Messiam, (quem Albo כמוהו או גדול ממנו *Mosi similem aut eo majorem fore* largitur,) docere, umbras illas cessare, ubi, qui istis præfiguratus fuit, semetipsum stitit & exhibuit?

§. 18. Sane priscos Ebræos Malachiæ præceptum minime ita interpretatos, novum fœdus Messiæ opera pangendum, & doctrinam longe gratiorem, quam Legem in monte Sinai latam, promulgandum, credidisse, ex monumentis illorum patet. Ut enim in Jalkut ad Psalm. 2. folio 99. col. 2. videre est, Messiam sic à Deo compellari scribunt:

bunt: עלה לכרות לו ברית חדשה *adscende ad percutiendum fœdus novum.* Et in Medrasch Cohelet, capite 11: verf. 2. Messiæ legem tantopere extollunt, ut duriuscule locuti legem Mosaicam הבל לפני תורתו משיח *vanitatem respectu legis Messiæ* fore dixerint. Præterea, si cum hoc vaticinio alia contulerint recutiti, quibus Messias מלאך הברית *angelus fœderis*, appellatur, Malach. 3: 1. datus לברית עם *in fœdus populi*, Esai. 42: 6. & לתורתו *legem ejus expectaturæ gentes* dicuntur verf. 4. (Quæ qui negant de Messia loqui, Rabbi Abarbenel מוכים בסנורים *cœcitate percussos esse* ait,) facile colligere possent, hoc fœdus non Mosaicum fore, aut nudam ejus stabilitionem, cum hoc solos Judæos respexerit, novum non item, quippe cujus & gentes futuræ sint participes. Huc accedit, quod duo montes, Sinai & Sion ratione verbi divini & manifestatæ in iis gloriæ divinæ sibi opponuntur, Exod. 19: 19, 20. Esai. 2: 3. Mich. 4: 2. ut, ceu ibi Mosaicum fœdus initum est, ita hic novum per Messiam sit pangendum: ut ibi terra mota est, ita hic ἅπαξ *adhuc semel* illa movenda fuerit, Hag. 2: 7. Ebr. 12: 26.

§. 19. Sed ipsum textum nostrum penitius inspicientes facile Judaicæ explicationis futilitatem deprehendemus, quam suam etiam fecit Hugo Grotius, *Renovabo*, inquiens, *fœdus meum per prophetas meos*, Nehem. 9: 38. *Solet autem id fieri, ubi pars altera fœdus frangit.* De Mosaico fœdere renovando non agi, sed potius antiquando, alioque substituendo, haud obscure præ se ferunt verba, & Christiano ob allegationem Apostolicam ne dubitare quidem licet. Ipse Grotius tandem hoc fateri cogitur, *ita*, inquiens, *tempora à Deo sunt directa, ut in tempora Christi quadrent exactius, per hunc enim vere non antiquum fœdus renovatum est, sed factum est plane novum & quidem non diuturnum, sed plane æternum.* De hoc vero immediate & in sensu literali agi, verborum contextus docet. Diserte enim Propheta negat, fore illud percutiendum fœdus כראשנה *ut prius.* Cum vero servilis litera כ, ut Kimchi in libro Michlol docet, folio 15. תשמש לדמיון הדבר והוא הרוב *ut plurimum serviat ad comparationem instituendam*, qua alias diversa inter se conferri solent, apparet, non de uno eodemque fœdere, sed de diversis, iisque sibi ἀντιδιῃρημένως oppositis eum loqui, adeoque tunc adhuc expectandum fuisse ברית שנית *secundum fœdus.* Etsi etiam H. Grotius similitudinem illam in eventu spectari dicit, nihilominus contextus haud obscure docet, non ejusdem fœderis diversis temporibus futurum eventum respici, sed fœdus olim initum cum fœdere adhuc ineundo comparari, nempe diebus Messiæ, & hujus longe aliam fore rationem quam prioris. Atque eam, ut infra disp. 2. audiemus, seorsim Jeremias recenset, & prolixe explicat.

§. 20. Maxime vero fœderis diversitatem arguit vox חדשה *novum*, quam & Apostolus ad Ebræos cap. 8. ultimo contra Judæos maxime urget, ἐν τῷ λέγειν, inquiens, καινὴν, πεπαλαίωκε τὴν πρώτην. Minime enim Jeremias usus est verbo חִדֵּשׁ, ut 1 Sam. 11: 14. ubi regnum dicitur *renovari*, quod jamdum Sauli erat collatum, cap. 8. & templum, 2 Paralip. 24: 4. & altare, 2 Paralip. 15: 8. quæ vetustate & temporum injuria ruinam minitantia reparationem requirebant: sed nomine adjectivo utitur, quod hoc loco aliquid novum & hactenus haud ita notum designat. Perinde ac Exod. 1: 8. מלך חדש *rex novus* dicitur venisse, alius nempe ab illo, cui Josephus in amoribus erat. Unde LXX per ἕτερος commodissime transtulerunt, haud ignari, שם חדש *nomen novum*, & שם אחר *nomen aliud pro ἰσοδυναμοῦσι* poni, Esai. 62: 2. 65: 15.

§. 21. Notanter dixi, significari voce חדשה aliquid *novum* & hactenus haud ita notum. Quandoquidem enim Judæi subinde novitatis nomine offenduntur, &, tanquam tota lege Mosaica abrogata, ut imperfectiore, nescio quam legem perfectiorem, & plane novam Messiam tulisse credamus, offendiculo nos sibi esse quiritantur, &, ut in Rabbi Abendana supra vidimus, suum חלילה וחס ingeminant, tanquam rem impiam & intolerabilem moliturі, scire licet, fœdus Evangelicum vel gratiæ, quod hic promitti dicimus, neque legem moralem tollere, neque simpliciter novum esse; quippe quod ipso Mosaico fœdere antiquius originem suam inde usque à primorum parentum lapsu arcessebat, Gen. 3: 15. ubi enim dicitur caput serpentis contriturum semen mulieris, fœderis Evangelici fundus & basis habetur. Sequentibus temporibus, Patriarchis, cumprimis Abrahamo, illud in memoriam à Deo vocatum ex Genes. 12: 3. 18: 18. 22: 18. patet, ubi in Abrahami semine omnes familiæ terræ benedicendæ dicuntur. Atque ibi, ut Paulus Gal. 3: 8. significanter loquitur, Scriptura Abrahamo προευηγγελίσατο, subinnuens, rem novi fœderis Evangelici ibi omnino contineri. conf. Act. 3: 25. Quia vero ita legis & figurarum velamento promissionem & stipulationem operuit, adeoque illud postmodum sub umbris & typis fœderis Mosaici tempore longo quodammodo latuit, dum etsi illius gratiæ substantia eadem esset, quæ hodie tempore N. T. extat, &, ut Apostolus Ebr. 4: 2. ait: ἐσμὲν εὐηγγελισμένοι καθάπερ κἀκεῖνοι; tamen sub modo dispensationis Mosaicæ fuit, & promissionis implementum illius ætatis viri non attigerunt, πόῤῥωθεν τὰς ἐπαγγελίας ἰδόντες, Ebr. 9: 13. neque ὡς νῦν mysterium fœderis eis est patefactum: Eph. 3: 5. ideo Scriptura, quæ etiam tum rem fieri dicit, cum plenius innotescit, vel incrementum sumit, novum fœdus adhuc Deum percussurum ait. Vocatur ergo novum fœdus secundum quid, quod adhuc Messiæ sanguine & morte confirmandum, & nova quadam ratione per Apostolorum prædicationem solenniter per totum terrarum orbem patefaciendum erat. Nec frustra pro אכרת & διαθήσομαι, Apostolus habet συντελέσω, *consummabo* q. d. Deus: *ego perfectum illud faciam*, nempe tunc, quum Messias venerit, cujus erat βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων Rom. 15: 8. Quo tempore cum etiam ea, quæ illo pacto promissa erant, longe copiosius & evidentius præstanda, & fideles longe majorem bonorum abundantiam & sensum habituri essent, quam hactenus experti erant, quid mirum, Prophetam fœdus illud *novum* appellasse?

§. 22. Quæ cum ita se habeant, plane Valentinum Smalcium ratio fugit, dum p. 7. de incarnatione contra Gravverum scribit, *diversa voluntas fuit ea, quam sub Evangelio Deus revelavit, ab ea, quam Prophetæ revelarunt, quod ipsæ voces, fœdus novum, satis indicant.* Haud attendit Photinianus ad vocis חדשה significationem, quam hic locum obtinere diximus. Ecquomodo simpliciter & absolute novum, adeoque aliud à fœdere à Prophetis annunciato sit fœdus Evangelicum, cujus Prophetæ ad unum omnes meminerunt testimonium Messiæ perhibentes, remissionem accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. Act. 10: 43. cum Prophetæ de ventura in nos gratia prophetarint, 1 Pet. 1: 10. Potius id ex voce חדשה sequitur quod ex ea colligit Apostolus, Ebr. 8. ult. legalis fœderis œconomiam veterascere, adeoque aboleri debuisse.

§. 23. Non novum duntaxat fore fœdus Deus ait, sed præterea expresse negat, tale futurum esse, quale illud cum majoribus eorum in monte Sinai initum, postquam ex Ægyptiaca eos captivitate eduxisset. Quæ temporis circumstantia ideo additur, ut, de quo fœdere sermo sit, patescat, nempe non circumcisionis aut alterius, sed Mosaici, cum ex captivitate eos educeret, manu apprehensa. Quam eductionem, ut maximum beneficium, descripturus, *manu se eos apprehendisse*, ait. Qua comi locutione summum illum amorem, quem tunc exeruit, significat. Hinc alii eos non aliter ac filium parvulum, eumque impense carum, à parente, ut firmet gressus, apprehensum; alii, ut ex tetro ac squalido carcere captivum, à liberatore ductum, eos habitos esse volunt, ut summa cura & singularis benevolentia sic innuatur, quam sint tum experti. Sed hanc quamtumvis insignem benignitatem populum Judaicum parvi fecisse, & fœdus violasse, Numen conqueritur. Hoc enim notat verbum הפרו, quod ענין ביטול sive *significationem cessationis* habere, Kimchi docet. Et Græci emphatice reddiderunt, αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου. Adeoque Judæis sic exprobratur, indignis modis eos se gessisse, dum promissis haud stantes fœdus vixdum initum, & stipulationem, quam verbis fecerant, Exod. 19: 8. turpiter violarunt. Unde Deus Exod. 32: 8. *cito*, inquit, *recesserunt è via, quam præcepi*: Quin non modo in deserto sæpius rebellarunt, sed aliis etiam Judicum & Regum temporibus partim Idololatriæ, partim aliis peccatis operam dederunt, & quantum in se erat, plane fœdus irritum fecerunt, ut tandem divinam indignationem, & quæ hinc secuta est, *rejectionem* incurrerint, hæreditatis terræ exsortes fuerint, & in deserto defuncti in requiem ejus haud intrarint.

§. 24. Hanc enim rejectionem verba ואנכי בעלתי בם designare, LXX, & qui hos secutus est Apostolus, Ebr. 8: 9. docent, dum ἠμέλησα αὐτῶν reddiderunt. Interpretes quidem complures, quia τὸ בעל, quod *dominari*, *maritum esse*, proprie, ἔχειν *habere*, significat, anxie hic disquirunt, eccur tam insolita & minus Scripturæ recepta significatione transtulerint senes illi juxta, & Apostolus. Tremellius, &, qui hunc sequitur, H. Grotius difficultatem se declinaturos censent, si in plusquamperfecto redderent: *& ego conjugio conjunctus fuissem.* Et sic in meliorem partem accipiunt, more Ebræorum in-

interpretum, qui אף על פי, *etsi*, ut Kimchi, vel, quod idem sonat Abarbeneli, עם היות, subaudire solent, ut videre est p. 38. col. 2. libelli *Maschmia Jeschuah*. Sensum enim esse ibi tradit, *licet ego ipsos mihi in populum sumere decreverim*. Consimiliter & Chaldæus à Græcæ vocis sensu longe abit, dum אתרעיתי *cupio vos*, *delector vobis*, reddit. Sed cum contextus satis comprobet, in deteriorem partem aliquid commemorari, tanquam illud, quod irato Numine fœderis violationem sit subsecutum, factum inde est, ut, nonnulli hariolati sint, LXX. in suo codice aliter, quam hodie fit, legisse, nempe געלתי, ut Capellus Crit. Sacr. lib. 4. cap. 6. alii בחלתי, ut H. Grotius, comm. in Epist. ad Ebr. 8: 9. *nauseavi*, ut Zach. 11: 8. Quidam vero quibus hæc varia lectio non arrisit, retinendam vulgatam lectionem & בעלתי arbitrantur *de dominio rigoroso*, vel ut B. Hulsemannus comm. in h. l. loquitur, *vindicativo*, intelligendum esse contendunt. Quasi plagis eos coërcere sit coactus, ut Dn. D. Mullerus Judaism. p. 675. explicat, ad eum sensum, quo B. Lutherus reddidit, Und ich sie zwingen muste.

§. 25. Cæterum cum id satis compertum sit, idem verbum apud Arabes بعل cum ب constructum, ut h. l. *fastidire* significare nihil causæ est, quamobrem dubitemus asserere, verbum בעל apud Ebræos pro diversitate constructionis aliam atque aliam habere significationem, & cum accusativo, *maritare*, Es. 62: 5. cum præfixo ל, *dominari*, 1 Par. 4: 22. cum præfixo ב, more Arabicæ linguæ, *fastidire*, *aspernari*, Jer 3: 3. 31: 32. significare, veluti & LXX. & Apostolus expresserunt. Ad quam significationem ex Arab. lingua illustrandam etiam parentem suum, R. Josephum Kimchi, collineasse, R. D. Kimchi commemorat, dum comm. in cap. 3. Jerem. scribit: ארני אבי ז"ל פי' בעלתי קצתי לפי שהוא קשור בב"ת וכן אנכי בעלתי בם ודמה אותו בזה הענין בלשון ערבי: *Dominus parens meus b. m. explicavit vocem* בעלתי *per* קצתי *fastidivi*, *quia constructum est cum* ב, *quo sensu accipienda sunt verba* (Jer. 31: 32.) אנכי בעלתי בם, *atque illud verbum in lingua Arabica similiter se habet*. Quin idem Rabbi hanc regulam reliquit universalem: כל לשון בעילה שהוא דבק עם בית הוא לשון גנאי ור"ל קצתי: *ubicunque radix* בעל *cum* ב *construitur*, *ibi in malam partem accipitur*, hoc est, *fastidivi*. Conf. Diss. de non speranda arcæ fœderis restitutione ad c. 3. Jeremiæ vs. 15. Ipse Joannes Coccejus, quum καζακυελεύσιν aliquam denotare hanc vocem minime negasset, tandem h. l. potius dimissionem & repudium significare ait, Jer. 3: 8. cum Deus dixit, non est populus meus. Hos. 1: 9. Et sic evidentia contextus convictus, largitus est, in deteriorem partem vocem accipiendam esse, licet ejusmodi constructionem talem sensum requirere exemplorum defectu, & quod loca parallela in sacris non suppeterent, pervidere quitus antea non esset, cum illam κατακυελεύσιν in imponendo jugo δογμάτων consistere, haud satis commode contendit.

§. 26. Duram enim illam esse interpretationem, hinc satis liquet, quod jugi dogmatum impositio, quam Coccejus memorat, illam fœderis violationem antecessit. Atqui hic aliquid fœderis frustrationem subsecutum commemoratur. Quod ipsum etiam arguit præfixum Vau in voce ואנכי, quam *conclusive* usurpari, contextus & usus Scripturæ comprobat. Vide B. Glass. Philol. Sacr. lib. 4. tr. 1. ubi plura exempla adducit. Similiter & interpretes Ebraicæ veritati insistentes sic acceperunt, tanquam tale quid recenseatur, quod ex parte Dei contigit, postquam violati fœderis crimine se constrinxerunt. Syrus enim ܡܐܣܬ sprevi, Arabs فوافيت *despexi* Æthiops ተሃየኩዎሙ verterunt. Quæ ultima vox, licet in Opere Anglicano itidem per *despexi* reddatur, tamen ipsam etiam ablationem vel rejectionem notare videtur. Græca versio in nonnullis codicibus ἐμέλησα legit, sensu minus congruo, & rectius ἠμέλησα dicitur, quam lectionem & Apostolus est secutus.

§. 27. Neque tamen putandum est, sic fœderis fractionem, ut rationem adæquatam rejecti fœderis, à Propheta afferri, cum, ut ex antecedentibus patet, ideo lex abroganda fuerit, quod non fuerit ἄμεμπτος sive talis, in qua non aliquid desideraretur. Hinc ברית חרשה *novum fœdus* succedere oportuit. Cujus vocis vim Apostolus expressurus, ἐν τῷ λέγειν, inquit, καινὴν, πεπαλαίωκε τὴν πρώτην ubi verbo πεπαλαίωκη hellenistice usus videtur, cum id significare illud jussit, quod alias Ebræi in Hiphil efferre solent.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De Fœdere Novo ad Jer. XXXI: 33, 34.
PARS II.



Postquam superiore Dissertatione de priori parte vaticinii egimus, genuinam vocum significationem expendimus, earumque proprietatem & emphasin eruimus, Judaizantium & Judæorum detorsiones explosimus, consequens est, ut alteram partem verborum, quibus quasi substantia & nervus fœderis novi continetur, similiter consideremus, & quam parum hic Judæi videant, aut vidisse velint, ostendamus. Nempe postquam Propheta per ἀναίρεσιν indicavit, quod fœdus novum illud non ejusmodi sit futurum, cujusmodi Mosaicum fuit, nunc θετικῶς progreditur, & illius novi fœderis naturam graphice describit, & quam albis, quod dicitur, quadrigis illi præcurrat, verbis significantissimis docet, ut ex sequentibus apparet: כִּי זֹאת הַבְּרִית אֲשֶׁר אֶכְרֹת אֶת־בֵּית יִשְׂרָאֵל אַחֲרֵי הַיָּמִים הָהֵם נְאֻם־יְהוָה נָתַתִּי אֶת־תּוֹרָתִי בְּקִרְבָּם וְעַל־לִבָּם אֶכְתֲּבֶנָּה וְהָיִיתִי לָהֶם לֵאלֹהִים וְהֵמָּה יִהְיוּ־לִי לְעָם׃ וְלֹא יְלַמְּדוּ עוֹד אִישׁ אֶת־רֵעֵהוּ וְאִישׁ אֶת־אָחִיו לֵאמֹר דְּעוּ אֶת־יְהוָה כִּי כוּלָּם יֵדְעוּ אוֹתִי לְמִקְּטַנָּם וְעַד־גְּדוֹלָם נְאֻם־יְהוָה כִּי אֶסְלַח לַעֲוֺנָם וּלְחַטָּאתָם לֹא אֶזְכָּר־עוֹד׃ Quæ interpres vulgatus hunc in modum transtulit: *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum & in corde illorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens, cognoscite Dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus. Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccatorum eorum non memorabor amplius.* Apostolus Græcam Versionem LXX. interpretum secutus his verbis usus est, Ebr. 8: 10. ὅτι αὕτη ἡ διαθήκη ἣν διαθήσομαι τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, λέγει κύριος, διδοὺς νόμους μου εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν, καὶ ἐπὶ καρδίας αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτούς· καὶ ἔσομαι αὐτοῖς εἰς Θεόν, καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μοι εἰς λαόν. καὶ οὐ μὴ διδάξωσιν ἕκαστος τὸν πολίτην αὐτοῦ, καὶ ἕκαστος τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, λέγων, γνῶθι τὸν κύριον. ὅτι πάντες εἰδήσουσί με, ἀπὸ μικροῦ αὐτῶν ἕως μεγάλου αὐτῶν. ὅτι ἵλεως ἔσομαι ταῖς ἀδικίαις αὐτῶν. καὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν καὶ τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Usus particulæ כי *& ejusdem h. l. significatio, vis item pronominis* זאת *ostenduntur. Schlichtingii observatio pessime applicata.* Inscriptionem Legis in cor *Judæi quidam perperam ad Esdræ tempora referunt. Neque feliciori successu Synagogarum multiplicationi eam tribuit Grotius. Prisci Ebræi de Messiæ temporibus hic agi agnoverunt, fatente R. Albo. Ejusdem Rabbini de Dd. suorum dogmate judicium expenditur. R. Becchai & R. Gerundensis glossam & contribulibus & scripturæ repugnare, ostenditur. Hemistichii utriusque unus idemque sensus, contra quam cuipiam visum apud Estium. Emphasin locutionis recutiti plus justo extendunt. Verus ejusdem sensus.* ἐπίκρισις *super interpretamento Schlichtingii. Sensus promissionis*, ero ipsis in Deum &c. *Cocceji observatio laudata. R. Abarbenelis scrupulus super verbis* : non docebit amplius vir proximum suum. *Non de vita æterna, sed diebus Messiæ textum loqui, probatur ex textu. Quid sit* למורי יהוה *Es. 54: 13. Episcopii* παρερμηνεία *notata. Usus verbi* ירע. *Ebraismorum uno eodemque loco cumulus. Cl. Vorstius laudatus. Cur verba*: Ero propitius iniquitati eorum, *Judæi haud penetrent. Vana spes de usu sacrificiorum restituendo. R. Lipmanni objectiones frivolæ. In Messia omnium figurarum legalium complementum exhibitum.*

§. 1. FOederis novi à veteri illo diversitatem significaturus Propheta particula כִּי utitur. Quæ alias causaliter accipi sæpe solet, unde & Æthiops per እስመ *quoniam*, Arabs لأن *Nam.* Syrus ܕܝܢ *vero*, transtulerunt. minime tamen aberrasse is videtur, qui adversative eam reddiderit per *sed*, uti Hieronymus interpretatur. Pronomen vero demonstrativum זאת ad sequentia attendere jubet lectorem, percepturum, quam multis parasangis novum illud fœdus sit vetus post se relicturum. Meminit autem non domus Israëlis & Judæ simul, cum quibus se fœdus percussurum antea dixit, sed solius domus Israëlis, non prout Judæ opposita X. tribus notat, sed prout denotat totam Israëlis posteritatem, ea scripturæ consuetudine, qua interdum verbis plura, interdum brevitatis causa pauciora includi solent, ut recte Schlichtingius observat in h. l. in eo tamen hallucinatus, quod exemplo alio rem illustraturus, dicit, similiter fidei justificationem adscribere Scripturam, ut tamen aliquando fidei alias virtutes conjungat. Quod assertum, ut heterodoxum, pridem ab orthodoxis Theologis est explosum.

§. 2. Verba, *& legem meam inscribam in interiora illorum & in corda illorum indam eam*, Judæi nonnulli, teste Theophylacto, ad Esdræ tempora respicere affirmarunt, qui in lege renovanda & docenda præclaram operam posuerit. Neque his multum absentire videtur H. Grotius, qui sensum verborum explicaturus, *efficiam*, inquit, *ut omnes legem meam memoriter teneant, nempe in sensu primo per multitudinem Synagogarum, quæ structæ illo tempore, ubi ter in hebdomade docebatur*: subjicit tandem: *in sublimiore sensu: Spiritum sanctum dabo Christianis, qui eos doceat, atque hortetur* Joh. 14: 17.

§. 3. Sed num Apostolum Eb. 8. contra Judæos de industria disputantem mysticum sensum, quem Grotius vocat sublimiorem, urgere dicemus, præterito sensu literali eoque obvio, simplici & plano? Sane, si uspiam, Grotius hic aliquid humani passus est; Nam quæ prædicuntur à Jeremia, non Synagogarum Judaicarum multiplicationi accepta sunt ferenda, sed Dei singulari dispensationi, qua modo admirando & singulari, si Abarbenelem audias, כדרך נס *miraculose*, Deus acturus sit. Minime igitur hæc in Esdræ quadrant tempora & vulgarem instituendi rationem. Etsi etiam is, ut dicitur in Chronico Juchasin, fol. 13. החזיר התורה ליושנה *legem in antiquum statum restituit*, de codicis tamen emendatione, sive lege Mosaica memoriæ mandanda sermonem haud esse, sed fœdere novo, diebus Messiæ pangendo, & contextus docet, & vel sola N. T. allegatio Grotium hoc docere potuisset.

§. 4. Longe sane ἐμφατικώτερα verba esse quam ut Grotii jejunum admittant interpretamentum, ipsi Judæi saniores animadverterunt, qui de diebus Messiæ agere Jeremiam, ultro largiuntur. Quomodo prisci Ebræi intellexerint, lib. 3. Ikkarim, cap. 19. his verbis R. Albo declarat. ולאוי ישקני מנשיקות פיהו אמרו להם אין זו עכשיו אבל לעתיד הוא שנ׳ נתתי תורתי בקרבם ע״כ הרי לך מפורש שרעתם ז״ל הוא שכבר ימצא לכל ישראל בעתיד למוד שני כראשון מפי הק״בה בלי אמצעות כלל: *utinam* me osculetur osculo oris sui, (Cantic. 1.) *Dixerunt illis, id jam non fiet, sed posthac, juxta illud* (Jer. c. 31: 31.) *ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Judæ fœdus novum, & dabo legem meam in medium illorum. Ecce sic tibi constat, mentem illorum fuisse, omnes Israëlitas posthac accepturos esse doctrinam alteram, ut priorem, prorsus immediate ex ore Dei.* Etsi vero R. Albo, l. cit. scribit: לפי רעתי אין זה מוכרח מפיי הפסוקים *mea sententia hoc non sequitur ex verbis*, negare tamen nequit, nihil repugnare ex parte Dei, sed hoc תלוי ברצין האל *divini esse arbitrii*, & לא נמנע שימצא לפי העיון התוריי *rationem Legis non impedire, quo minus tale fiat.* Imo nos Christiani novimus, id factum esse, ut, postquam Deus per propheras locutus pridem esset, tandem ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ, Eb. 1: 2. & is, qui in sinu patris sedit, nobis revelarit, Joh. 1: 18. verba Dei locutus. Joh. 3: 34.

§. 5. Cum vero Judæi recentiores *inscriptionem in cor* nondum adimpletam, sed posthac demum veniente Messia complementum suum illam nacturam, persuasum habeant, operæ pretium facturi videmur, si, quomodo hunc textum intelligant, videamus. R. Bechai, comm. in Pentateuchum, fol. 220. col. 1. inscriptione istac legis in cor innui contendit, בטול יצר הרע וחמדת תאות כלן *ablationem concupiscentiæ malæ & instinctus omnia appetendi.* Secutus vero is videtur R. Mosen Nachmanidem, Gerundensem alias dictum, qui ad cap. 30. 6. Deut. hunc in modum commentatur: לימות המשיח תהיה הבהירה הטוב להם טבע לא יתאוה להם הלב למה שאינו ראוי ולא יחפוץ בו כלל והיא המילה הנזכרת כאן כי החמדה והתאוה ערלה ללב ומול הלב הוא שלא יחמוד ולא יתאוה וישוב האדם בזמן ההוא לאשר היה קודם חטאו של אדם הראשון שהיה עושה בטבעו מה שראוי לעשות ולא היה לו ברצונו דבר והפכו כמו שפירשתי בסדר בראשית וזהו מה שאמר הכתוב בירמיהו הנה ימים באים נאם ה׳ וכרתי את בית ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה לא כברית אשר כרתי את אבותיכם וגו׳ כי זאת הברית אשר אכרות את בית ישראל אחרי הימים ההמה נתתי תורתי בקרבם ועל לבם אכתבנה וזהו בטול יצר הרע ועשות הלב בטבעו מעשהו הראוי ולכך אמר עוד והייתי להם לאלהים והמה יהיו לי לעם ולא ילמדו עוד איש את רעהו ואיש את אחיו לאמור דעו את ה׳ כי כלם ידעו אותי למקטנם ועד גדולם ובידוע כי יצר לב האדם רע מנעוריו וצריכים ללמד אותם אלא שיתבטל יצרם בזמן ההוא לגמרי וכן נאמר ביחזקאל ונתתי להם לב חדשה ורוח חדשה אתן בקרבכם ועשיתי את אשר בחקי תלכו והלב החדש ירמוז לטבעו והרוח לחפץ ולרצון וזהו שאמרו רבותינו והגיעו שנים אשר תאמר אין לי בהן חפץ אלו ימות המשיח שאין בהם לא זכות ולא חובה כי בימי המשיח לא יהיה באדם חפץ אבל יעשה בטבעו המעשה כראוי ולפיכך אין בהם לא זכות ולא חובה כי הזכות והחובה תלוין בחפץ: *Diebus Messiæ futurum est, ut boni electio homini ex natura competat. Non desiderabit tunc cor aliquid non conveniens, neque quicquam concupiscet de illo. Atque hoc per circumcisionem hic* (Deut. 30: 6.) *memoratam significatur. Desiderium enim & concupiscentia præputii cordi competunt. Circumcisio vero cordis denotat, hominem nihil desideraturum esse. Plane igitur homo, ut ante peccatum primi hominis fuit, se habebit. Tunc enim natura sua nihil faciebat, nisi quod facere eum decebat, neque contraria appetebat, ut in sectione* בראשית *exposui: Atque hoc ipsum est, quod scriptura per Jeremiam* (31: 31.) *indicat: Ecce dies venient, inquit Dominus; & feriam cum domo Israëlis & domo Judæ fœdus novum: non secundum pactum quod pepigi cum majoribus vestris &c. Sed hoc erit fœdus, quod pangam post dies illos cum domo Israël: Legem meam visceribus eorum indam & cordi illorum inscribam eam. Atque hoc nihil aliud est, quam ablatio pravæ concupiscentiæ & cum cor operatur natura sua quod decet. Idcirco porro ait: Et ero illis in Deum, & illi mihi in populum. Neque amplius quis docebit proximum suum vel fratrem dicendo: cognoscite Dominum. Omnes enim à magno ad parvum cognoscent Dominum. Constat vero cor hominis natura malum esse.* (Gen. 8: 8.) *opus habere, ut discat. Nihil itaque aliud innuitur,*

nuitur, nisi quod concupiscentia id temporis prorsus cessatura sit. Atque ita in Ezechiele (c. 36: 26.) *dicitur. Et dabo ipsis cor novum & spiritum novum indam cordi illorum. Faciam ut in meis præceptis ambulent. Et novum cor indicat naturam ejus, Spiritus vero voluptatem & voluntatem. Atque hoc ipsum est quod Rabbini nostri dixerunt : veniet tempus, cum dicturus sis: nullum in me desiderium experior. Hi dies Messiæ sunt, quibus, nec innocentiæ neque peccato locus erit. Messiæ enim diebus nullum desiderium locum obtinebit, sed operabitur homo natura sua, ut æquum est. Atque idcirco non erit innocentia vel peccatum, quippe quæ à concupiscentia dependent.*

§. 6. Cæterum dum Messiæ temporibus hominis vitam omnino puram, nulliusque inordinati & peccaminosi motus vel concupiscentiæ pravæ consciam fore, Judæi fingunt, propria sua vineta cædunt, & scripturæ haud obscure repugnant. Jam olim enim ipsi in Talmud, Massechet Sanhedrim, fol. 191. col. 21. scripserunt: אין בין עולם הזה לימות המשיח אלא שעבור מלכיות בלבד *non est inter dies Messiæ & hunc mundum discrimen, nisi tantum servitus regnorum.* Et R. Moses Maimonides cap. 11. Hilkot Melachim haud obscure testatur, ejusmodi permutationem, qualem Nachmanides vult, tunc non expectandam esse. Videntur Judæi, ut sic sentiant, adducti esse inde, quod, cum העולם הבא sive *seculum futurum*, quod etiam העתיד לבוא τὸ μέλλον vocant, ipsis dicatur dupliciter, (1.) de tempore Messiæ, (2.) de vita altera post mortuorum resurrectionem expectanda; illi uni assignant, quod alterius est, adeoque ita tempora confundunt & permiscent. Sane scripturam hoc ipso loco eis repugnare & falsitatis convincere illorum hypothesin, patet, quia Deus hic expresse testatur, se fore propitium, & peccatorum non amplius recordari velle, quod cum illa sanctitate, quam sibi imaginantur, nequaquam subsistere potest, ut illa *inscriptione* longe aliud intelligendum esse, quam Judæi volunt, ipso meridie clarius appareat.

§. 7. Nonnulli, teste Wilhelmo Estio, comm. in cap. 8. Ebr. tradunt, priori hemistichio illuminationem mentis ad intelligendam, & posteriori inclinationem voluntatis ad implendam legem significari. Sed nihil causæ est, quamobrem ita utrique hemistichio tam diversum sensum tribuamus, cum longe rectius dicatur, tota pericopa & diversis quantumlibet vocibus, secundum scripturæ consuetudinem unum idemque denotari. Ut enim R. David Kimchi alias sæpius in ore habet, כפל הענין במלות שונות *duplicatur significatio duabus vocibus.* Quod fieri solet לחזק הענין *ad intendendam significationem.* Hinc Vatablus non male observat, *præfixum vau pro, id est, positum esse*, & Jeremiam sic exponere, quid per interiora intelligatur, ut adeo posteriora verba priorum sint ἐξηγητικά.

§. 8. Ut vero de sensu verborum eo certiores simus, singularum vocum significationem penitius scrutari è re fuerit. Scire igitur licet, τὸ קרב *medium*, cum homini tribuitur, & לב *cor*, ex usu Scripturæ hominum animos & cogitationes notare. Unde & Apostolus διάνοιαν αὐτῶν vertit, & Syrus ܪܥܝܢܗܘܢ reddidit. Τὸ תורה vero derivatur à ירה, quod in Hiphil הורה, notat quasi projecta manu demonstrare. Unde Ps. 25: 8. Deo quoque tribuitur, qui peccatores viam doceat, τὸ תורה itaque viæ quasi indigitationem significat, sive institutionem & doctrinam non illam solam legis Mosaicæ, sed & fœderis gratiæ, quod ab Apostolo Lex fidei appellatur, Rom: 3: 27. Hanc divinam doctrinam Hierosolymis exituram, Es. 2: 3. dum Deus interioribus hominum se indituram, & in corda illorum scripturum pollicetur, non qualemcunque communicationem vel promulgationem nudam illius intelligit, sed singularem, & quantum in se est, efficacem concursum, ut mens ad ea, quæ lex illa facienda præcipit, prompta sit & parata, contra quam in V. T. factum est, cum sacerdotes & prophetæ magis exterius legem lapideis tabulis inscriptam docerent. Unde Judæi in Dei amore torpidi & frigidi manserunt: Quam emphasin verborum cum animadvertisset R. Abarbenel lib. משמיע ישועה fol. 38. hunc in modum eam explicat: אתקענה בעט ברזל בצפורן שמיר *infigam vel insculpam eam stilo ferreo, scalpro adamantis* (Jer. 17: 1.) Sed cum ista infixione Judæi, Gerundensis, Bechai, & alii, בטול הבחירה sive *abolitionem electionis* intelligant, perspicuum evadit, eos à vero longe abludere.

§. 9. Jonas Schlichtingius com. in h. l. vim locutionis his verbis declarat: *Quia his verbis describitur fœdus divinum, apparet inde, inscriptionem hanc divinarum legum in mentibus hominum, ex fœderis natura pendere ac proficisci: ideoque hæc verba intra vim & efficaciam accipienda esse, non vero ad ipsum inscriptionis effectum necessario porrigenda, qui semper in libera hominis potestate positus est.* Non male loqui videtur, quod priora verba attinet, tam potenter enim illam fieri inscriptionem, ut nunquam homo resistat, adeoque irresistibiliter infigi legem eam, vetat dicere fidei analogia. At dum ait, *effectum semper in libera hominis potestate esse*, simpliciter nequit asseri. Si enim de homine secundum se & vires naturales considerato loquatur, Pelagianismum locutio sapit. Si vero de eo, quem jam gratia prævenit & viribus supernaturalibus donavit, intelligas, omnino ut sana ea admittitur, cum posita gratia, in hominis facultate situm sit, velit ne locum relinquere operationi divinæ, an vero eidem ponere obicem. Si prius contingit, cor humanum flexile fit & obsequiosum, sive, ut Deut. 30: 6. dicitur, circumciditur à Deo, hoc est, ut Abarbenel loquitur, מוכן לאהבת יהוה *paratur ad dilectionem Dei*, eidem vocanti obtemperat & promissis ejus firmissime adhæret. Atque ita cor lapideum tollitur, & carneum, h. e. sequax donatur, juxta promissionem, Ezech. 11: 19. c. 36: 26. ad quæ vaticinia Apostolus alludit, 2 Cor. 3: 3. Atque ita patet, illam voluntatis actionem nempe electionem minime tolli *hac inscriptione*, ut Judæi sibi persuadent, sed gratiam & vires ejusmodi donari per illam, ut homo, cæteroquin ad spiritualia ineptus, id, quod sibi utile, appetere, adeoque benedictionem eligere valeat: Etsi vero etiam tempore V. T. hoc contigit, cum ibi cor novum itidem creatum sit, Ps. 51: 12. tam exile tamen hoc fuit præ illo, quod Messias novi fœderis mediator contulit, ut ob abundantiam gratiæ, quam majori modio admetitur, imo quam solam ille largitur, Joh. 1: 17. Mose solam Legem dante, plane novum quid esse videatur

§. 10. Effectus hujus *inscriptionis legis in cor* his verbis describitur: *Et ero ipsis in Deum, & illi mihi in populum.* Ebraismum hoc loco esse patet, quo præfixa nomini litera ל verbum substantivum usurpatur, confer Ps. 69: 12. Ps. 73: 19. Ps. 94: 12. Deut. 28: 13. & 44. Locutionem vero illam, quæ Latine, *ego tunc Deus illorum ero, & illi populus meus*, sonat, R. Abarbenel hunc in modum explicat: שלא יבואו להסתר פנים בהסתלקות השגחה אבל תמיד יהיה השם הנכבד לאלהים משגיח בם ושוכן בתוכם: *non vultum suum abscondent, dum providentia eos divina deserit, sed subinde Deus gloriosus ipsorum Deus erit, providens ipsis & in medio illorum habitans.* Sed hoc ipsum, quod notare ait, etiam tempore V. T. locum obtinuit, cum Deo obtemperarunt. Unde aliud quid innuere verba videntur. Etsi enim Exod. 29: 45. Deus Israëlitis gratiam suam eadem locutione addixit, dum ait: והייתי להם לאלהים: *& ero eis in Deum*, hoc tamen loco ut ἐξοχώτερον & διαφορώτερόν τι ea promittit, tanquam novi fœderis insigne bonum, quod majori παῤῥησίᾳ Deum patrem sint vocaturi, Jer. 3: 19. filii ejus futuri, Hos. cap. 1: 10. 2: 1. ut υἱοθεσία illustrior appareat, plane cessante Spiritu timoris & servitutis. Rom. 8: 14, 15. Gal. 4: 6, 7. Nec displicet Joannis Cocceji observatio, qua monet, hæc sono, qui admiranti & gestienti conveniat, efferenda esse, perinde ac Ps. 51. v. ult. *tunc ascendent in altare tuum vituli!* Ubi licet usitatis vocibus loquitur, rem tamen longe præstantiorem Psalmista designat, quasi dicat, tunc longe alii vituli offerentur atque nunc ad altare manufactum immolantur. Ita hic, si pronunciatione sonum juves, sensus erit: tunc demum Deus illorum ero, majoris eis benevolentiæ signa exhibiturus, quam olim, cum per totum vitæ tempus timore mortis servituti obnoxii essent, Ebr. 2: 23. cum tanquam in φρουρᾷ, Gal. 3: 23. vincti erant, Zach. 9: 11, 12. ad quos solvendos se missum esse Messias asserit, Esai. 61: 2.

§. 11. Sed nunc ad reliquorum verborum explicationem progressuri, comma 34. intuebimur, quod doctissimis viris crucem fixit: *non docebit amplius vir proximum suum & fratrem suum, dicendo: cognoscite Dominum, omnes enim me cognoscent à parvo ad maximum usque.* Rabbi Isaacus Abarbenel libro משמיע ישועה ad h. l. scribit: אמרו ולא ילמדו עוד איש את רעהו ואיש את אחיו לאמור דעו את ה׳ כי כלם ידעו אותי למקטנם ועד גדולם הוא זר מאד שיבאו בני אדם לידיעת הדברים האלהיים בלי למוד ושישתוו בידיעה ובחכמה הקטנים עם הגדולים ומה שראוי שיאמר בו הוא שהדברים הטבעיים אינם צריכים ללמוד כי הטבע יפעל אותם מבלי למידה והקטנים המתחילים בלמוד החכמה ידעו אותם כמו הגדולים והמובהקים בידיעה אבל הדברים המלאכותיים והנקנים מכח הטענות וההקשים יצטרכו אלו למוד ולכ״א שתהיה בזמן הגאולה יראת השם וההכנעות לפניו כל כן תקוע בלבות בני אדם כלם עד שלא יצטרכו ללמוד אותה איש את רעהו ואיש את אחיו לאמר דעו את השם לפי שכלם ידעו הידיעה הזאת ליראה

ליראה את השם הנכבד מקטנים ועד גדולם כמו שידעו כלם המושכלות הראשונות שאין השכל מספק בהם דבר ואמר שלא יעשו זה מפחד העונשים כי הוא יתעלה יסלח לעונם ולא יזכור עוד חטאתם אבל יהיה זה לפי שתשתקע יראת השם והכרת אלהותו בלבות בני אדם כלם מפני הנפלאות אשר יראו בעיניהם ולא יספק בה קטן ולא גדול ובילמדנו אמרו בעולם הזה ישראל לומדים תורה מבשר ודם לפיכך משכחים אותה שכשם שבשר ודם עובר כך תלמודו עובר שנאמר התעיף עינך בו ואיננו אבל לעתיד לבוא אין ישראל לומדים אלא מפי הקב"ה שני וכל בניך למודי השם רצו בזה שעתה היה למוד התורה דבר מלאכותיי ועל ידי בשר ודם ולכן לא יעמוד ימים רבים כי הפעולה תתיחס אל הפועל אותה אבל בזמן הגאולה תהיה למידת התורה על דרך נס וזהו אמרם כפי הקדוש ברוך הוא ולכן תתקיים ותעמוד כפי הפועל אותו: *Cum ait: & non docebit amplius quis proximum suum, & fratrem suum, dicendo, cognoscite Dominum, quia omnes cognoscent me à parvo ad magnum: id oppido mirum apparet, homines citra informationem res divinas cognituros esse, & cognitione & sapientia parvos magnis pares fore: de eo dicendum est hoc; res naturales non habent opus ut discantur. Ipsa enim natura eas operatur absque informatione. Et minores, incipientes cognoscere, perinde ac magni & periti, cognoscunt. Sed res artificiales, quæ acquiruntur argumentandi & syllogizandi vi, informationem exigunt. Idcirco ait, tempore redemtionis timorem Domini & humiliationem coram ipso ita cordibus hominum omnium infixum iri, ut ne opus quidem sit futurum, ut quis proximum doceat eam, dicendo, cognoscite Dominum, quia omnes hac cognitione præditi erunt, ut Dominus gloriosus timeatur, à parvis usque ad magnos. Quemadmodum omnes notitias primas norunt, neque cujusquam intellectus dubitat vel minimum de iis. Addit præterea hoc non facturos eos metu pœnarum. Ipse enim altissimus propitius eis erit, nec recordabitur illorum peccatorum. Sed hoc continget, quia infiget cordibus omnium hominum timorem Dei & cognitionem ejus per miracula, quæ in oculos eorum incurrent, neque de iis quisquam vel majorum vel minorum dubitabit. Et in libro Jelammedenu dixerunt: hoc seculo Israel discit legem ab homine mortali, ideo ejus oblivíscitur, ut enim caro & sanguis* (homo mortalis, ut Matth. 16: 17. Galat. 1: 16. usurpatur) *præterit, ita ejus informatio præterit, quia dictum est*: (Prov. 23: 5.) *an volare facies oculos tuos in ipsum, & non ipsum. Sed futurum est, ut aliquando non discat nisi ex ore Dei benedicti, quia dictum est, omnes filii tui docti à Deo erunt*, (Esai. 54: 4.) *Quo ipso significarunt, hactenus legis cognitionem artificialem fuisse, & per homines mortales peractam. Ideo haud ita diu eam duraturam; effectus enim refertur ad suam causam. Sed tempore liberationis fiet legis cognitio miraculoso modo. Et hoc illorum verba innuunt ex ore Dei benedicti. Propterea subsistet & durabit ut causa ejus.*

§. 12. Quemadmodum Abarbeneli, ita aliis quoque crucem fixit hoc vaticinium, quomodo tandem veritas ejus complemento constare queat, quandoquidem in singulos adhuc dies homines erudiri videmus, ut tam effusa, & nullius hominis institutione acquisita rerum divinarum cognitio nequaquam animadvertatur. Lyranus & qui eum sequuntur, eam scientiam, quæ Apostolis data est à Christo, & deinde à Sp. S. intelligendam censent. Sed refragatur contextus, qui à parvis ad maximos usque, h. e. omnes ita doctum iri, perhibet. Wilhelmus Estius, comm. in Epist. ad Ebr. *difficultatem* inquit, *hanc compendio videntur effugere, qui promissionem hanc in futurum seculum rejiciunt, ubi procul dubio omnis cura docendi cessabit.* Ita sane ex Christianis prisci & recentiores Doctores textum explicare nituntur. Theodoretus enim comm. in h. l. sic scribit: τῶν ῥητῶν τούτων τὸ τέλος ὁ μέλλων δέξεται βίος. ἐν ἐκείνῳ γὰρ οὐκ ἔτι δεόμεθα τῆς παρ' ἀλλήλων διδασκαλίας, τῶν πραγμάτων ἐναργῶς φαινομένων καὶ τῶν παθῶν πεπαυμένων. Nec aliter sentiunt Augustinus, lib. de Spiritu & litera cap. 24. Bernhardus, Lyranus, Thomas, & ex recentioribus, Jacobus Capellus annot. in cap. 8. Epist. ad Ebræos. Cl. vir, ad artic. 5. A. C. p. 819. *proprie*, inquit, *& accurate loquendo accipienda sunt de vita futura, non autem vita præsenti.* Matthias item Flacius Synecdochice de inchoata notitia, quæ in altera demum vita perficiatur, sermonem esse ait, annot. in h. l.

§. 13. Sed cum antecedentia & consequentia de N. Testamenti sive Messiæ temporibus agere, evidentissimum ex textu sit, & cumprimis verba quædam immediate sequentia mentionem remissionis peccatorum faciant, cui in hac vita, in altera non item, locus relinquitur; minus commode & impertinenter de perfecta illa, & post resurrectionem demum expectanda absolutissima Dei divinorumque notitia verba intelligi videntur. Subjicit quidem Theodoretus loco citato, ἔθος γὰρ τῇ θείᾳ γραφῇ τὰς προφητείας ἀναμιγνύναι, sed ejusmodi prophetiarum commixtionem hoc loco textus συνάφεια haud admittit. Neque ulla vis aut ratio comparationis apparet, si de cœlesti ageretur felicitate, neque apparet illa occasio, qua sermo de cœlesti beatitudine fieri cœperit, cum de fœderis novi prærogativa hic agatur, quam habiturum sit illud præ veteri. Unde alii complures interpretes aliter textum explicandum esse arbitrantur, ut Fanaticis, verbi ministerium hinc oppugnantibus, respondeant.

§. 14. Sunt, qui cum Hieronymo contendant, hoc loco promitti, non amplius homines ab idololatria avocandos esse, cum idolis sublatis, veri Dei cultus ubique sit locum habiturus, non ita ad idololatriam pronis hominibus, ut olim fuerunt Judæi. Joh. Coccejus ad cap. 32. Deut. verba, *& non docebit amplius*, promissionem ejusmodi esse ait, qua, non amplius *autoritativè* aliquem doctum iri, ut in V. Test. Propheta vaticinetur. Alii non tam de theoretica cognitione sermonem esse, perhibent, quam practica, quæ animum ad opus inclinet & deducat. Quam etiam Chaldæus interpres videtur innuere, dum hunc in modum παραφράζει: דעו למדחל מן קדם יי׳ כלן ילפון למדע דחלתי: *scitote timere Dominum. Omnes discent nosse meum timorem.* h. e. reverentiam, ut verbum ידע 1. Paral. 28: 9. accipitur.

§. 15. Malunt tamen nonnulli hyperbolen aliquam statuere, qua significetur, non paucos mortales, ut in V. T. sed plurimos ad Dei cognitionem majorem perventuros esse temporibus Messiæ. Ipse Kimchi, comment. ad verba Esai. 11: 9. *non perdet in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ mare operientes.* (quæ & ipsa hyperbolen sapiunt,) scribit: כמו שאמר ירמיהו הנביא כי כלם ידעו אותי מקטנם ועד גדולם: *quemadmodum Jeremias ait, quia omnes cognoscent me à parvis eorum usque ad magnos eorum.* Nempe cum in V. T. plurima obscure sub involucris proponerentur, & tunc de Deo diceretur: *certè tu Deus abscondens se, Deus Israël Salvator!* Esai. 45: 15. contra diebus Messiæ omnia sunt evoluta & tam perspicue proposita, ut puer septennis de Deo, Christi persona, ejus merito & beneficiis ex catechesi sua rationem promptius reddere possit, quam multi olim Prophetæ, qui *Christum quidem viderunt, sed non præsentem, intuiti sunt, sed non propè*, Numer. 24: 17. uti ad cap. 10. Epist. ad Romanos loquitur B. Balduinus. Atque ita Messia misso, umbris in veritatem conversis, ac Sp. S. plena mensura effuso, datum nobis est, revelata facie gloriam Domini intueri. Ut ita non opus habeant sic edocti, ut quis de novo eos doceat, & dicat, cognoscite Dominum. Aliud enim est, docere de novo, ut Dominum cognoscas, quo fideles non egent, aliud docere, ut in cognitione Domini proficias, in eumque intimis animi affectibus feraris.

§. 16. Quemadmodum igitur Johannes 1. Epist. 1: 13. parvulis & magnis se scribere profitetur, eos omnia cognovisse, (vs. 20.) & non opus habere, pronunciat, ut quis eos doceat: ita simili hyperbolica locutione abundantem revelationem divinam indicari, cum omnes parvi & magni Deum cognituri sunt, haud incommode dicitur, quam etiam Esaias, cap. 54: 13. locum habere, docet, dum omnes למודי יהוה *doctos à Deo*, sive, ut Joh. 6: 45. redditur, θεοδιδάκτους fore asserit. Ubi præterire silentio haud possumus Simeonem Episcopium, qui Instit. Theolog. lib. IV. cap. XII. sect. 1. locutionem θεοδίδακτοι, explicaturus eandem eo modo intelligendam esse ait, quo quis aleæ, trochi doctus dicitur, ut genitivus non causam efficientem sed objectum circa quod versatur aut occupatur homo, intelligatur. Sed Remonstrantium dux non attendit ad idiotismum Ebrææ Linguæ, quo למודי יהוה dicuntur, *docti à Deo*, מכה אלהים Esai. 53: 4. *percussus à Deo*, ילוד אשה *à muliere natus*, Job. 14: 1. בזוי עם *à populo spretus*, Ps. 22: 7. Qui loquendi modus etiam Hellenistis est receptus, inde Matth. 25: 34. εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου. Neque illud Pauli 1. Thessal. 4: 9. aliter intelligendum venit, ubi Thessalonicenses compellans, ὑμεῖς, inquit, θεοδίδακτοί ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾷν ἀλλήλους. Cum etiam ille, qui à Doctoribus divinitus missis eruditur, vere θεοδίδακτος dici queat.

§. 17. Antequam vero ad alia progrediamur, illud quoque hoc loco meminisse juvat, Apostolum Ebraismos, quos Græci interpretes exhibent, similiter retinuisse. Ut enim Vir Cl. Joh. Vorstius, erudito suo *Philologiæ sacræ* opere, cap. XXVI. observavit, quinque Ebraismorum genera hic occurrunt. Ad imitationem enim Ebraicarum vocum גדול *magnus*, & קטן *parvus*, Græcæ dictiones μέγας & μικρὸς non tantum ætate majores & minores, sed etiam illustres & plebeios notare jussæ sunt. (2.) dum in Ebræo dicitur למקטנם עד גדולם ad similitudinem præfixi מ & particulæ עד τὸ ἀπὸ & ἕως, quæ vulgo

vulgo ad certos loci & temporis terminos figendos adhibentur, sensu copulativo hic usurpantur. (3.) Singularis μικρὸς & μέγας pro pluralibus sunt positi. (4.) Hæ eædem voces ex abundanti more vocis Ebrææ, ubi suffixum ם, quod distributionem Ebræis denotat, apparet, pronomen αὐτῶν receperunt. (5) vox πάντες itidem, ut in Ebræo כלם, per pleonasmum adhibita est, quæ sola potuisset sufficere, etiam non usurpatis vocibus, ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου αὐτῶν. His addimus & hoc, vocem ἀδελφὸς hoc loco, more Ebraicæ vocis אח, *quemvis alium* denotare perinde ac τὸ רע, unde LXX. quum alibi per γνώριμος reddidissent, etiam pro ea πολίτης, ἕτερος, ἕκαστος, substituerunt. confer 2. Samuel. 3: 8. Genes. 31: 45. Exod. 18: 16.

§. 18. Superest ultimum, quod hoc loco recensetur, Fœderis novi bonum, & à Propheta his verbis recensetur. *Quia propitius ero iniquitati eorum & peccatorum illorum non recordabor amplius.* Grotius τὸ כי idem ac *profecto* notare perhibet. Sed rectius B. D. Glass. Phil. Sacr. lib. III. Tract. V. can. 22. *causaliter* explicat, ut sic effectus illius cognitionis divinæ significetur. Notandum vero hic est, non de quacunque agi remissione peccatorum, vel quæ anniversario festo הכפורים contigit, ubi à peccatis suis purificandi dicebantur, Lev. 16: cap. 30. sermonem esse, cum nempe sacrificiis oblatis, הסליחה vel, ut Kimchi explicat, מחילה *condonatio* consequebatur: Sed de tali sermonem esse, qua homo plene reconciliatus expiationem & satisfactionem ejusmodi obtinet, ut, ceu Apostolus, Ebræor. 10: 18. concludit, non sit amplius necessaria προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας.

§. 19. Illam vero diebus Messiæ expectandam, & ante illius adventum ἀνοχὴν potius fuisse, quam ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ex Rom. 3: 26. liquet. At cum is se stitit, eam demum condonationem & ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, Eph. 1: vers. 7. obtinuimus, adeoque peculiare N. Fœderis fructum tunc percepimus. Eo enim pertinet ἀθέτησις ἁμαρτίας. Ebr. c. 9: 26. καθαρισμὸς καὶ τελείωσις τῆς συνειδήσεως, Ebr. 9: 9, 13. ῥαντισμὸς τῆς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, Ebræor. 10: 22. Hinc illius sanguinis pretiosi effusio cum peccatorum remissione tam arcte conjungitur, Matth. 26: 27, 28. quod illa ad priora & dudum elapsa tempora se porrigens, id una præstitit, quod Lex præstare haud potuit, Actor. 13: 38. cap. 10: vs. 43. Nam, ut Rom. 5: 10. legimus, per mortem filii ejus κατηλλάγημεν, ut meritum καταλλαγῆς sit sanguis crucis, Coloss. 1: 20.

§. 20. Cum vero hæc peccatorum remissio, ut Novi fœderis fructus & consequens ita recenseatur, tanquam soli N. T. œconomiæ competat, nec V. T. filii eam obtinuissent, scire licet, ea id fieri scripturæ consuetudine, qua, quæ non eodem gradu, mensura, & abundantia obtingunt, sed excellentiori modo communicantur, alicui à Deo simpliciter dari dicuntur. Perinde ac cum unum alteri præfert, non hoc magis, illud minus affirmat, sed unum omnino affirmat, alterum negat. Quæ si recutiti accuratius scrutarentur, & suum de Messiæ regno terreno, & reditu in Palæstinam præjudicium valere juberent, spiritualia illa beneficia, quæ hic commemorantur, itidem intellecturi essent. Qualia sunt: instructio amplior, quam alibi Scriptura, *visionem*, *somnium*, *prophetiam*, vocat, lux major, mensura uberior Spiritus, remissio peccatorum clarior, & sanctificatio Ecclesiæ singularis. Quæ non servus in domo Dei, Moses, sed Dominus ipse in sua domo, qui gloria secundæ domus, spes & gaudium patrum, Israëlis decus, lumen gentium, Messias benedictus in secula, qui nobis *sapientia*, *justificatio & redemtio*, suo merito peperit nobis atque acquisivit.

§. 21. Quo successu ita Jeremiæ locum pro abrogando fœdere veteri Apostolus adduxerit, ita patet, perinde ut ex Ps. 110: 4. idem Apostolus solidissime contra Judæos cap. 7. disputat. Verba sunt: *hæc juravit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Quo loco Messiam intelligi & plures Ebræi fatentur, (ut videre est in Midrasch Tillim ad Psalm. 18: 17. & R. Saadiæ commentar. ad Daniel. 7: 13.) & ex silentio Judæorum, ad quod Matth. 22. quæstione Salvatoris nostri redacti sunt, constat, licet hodie Judæi in alia omnia concedant, & nunc Abrahamum, nunc alium quendam, Psalmi objectum esse contendant. Cum vero ibi expresse dicatur, jurejurando Dominum sacerdotium non Aaronicum, sed alterius generis, idque (vers. 24.) ἀπαράβατον, & *quod in alios transferri nequeat, neque tempore pereat*, Messiæ addixisse, sequitur, illud Aaronicum non fore perpetuum, neque ex eo tempore, quo illud sit auspicandum, ceremonialis legis ullum amplius usum fore, & consequenter ipsam legem Mosaicam cum sacerdotio abrogandam esse, ut Apostolus Ebr. 7: 12. ratiocinatur, μετατιθεμένης, γὰρ, inquiens, τῆς ἱερωσύνης, ἐξ ἀνάγκης καὶ νόμου μετάθεσις γίνεται. Quemadmodum enim, si præcipua ædium pars, qua earum compages nititur, diruit, totas ædes diruere & à fundamento restaurari necesse est: ita & sacerdotio Aaronico contigit, quod, ut politiæ Judaicæ præcipua pars, omnium reliquorum ad cultum Leviticum sive œconomiam veterem pertinentium rituum nunquam restaurandorum secum traxerit ruinam & abrogationem.

§. 22. Atque hanc observationem & rejectionem Jeremias, licet & ipse ex sacerdotali genere oriundus esset, haud obscure hoc loco prædixit, perinde ac cap. 3: 26. arcæ fœderis nullum amplius usum fore apertissime significavit. Similiter Daniel. c. 9: 27. sacrificiorum cessationem & rejectionem aperte prædixit. Quæ cum jam XVI. seculis, & quod excurrit, adeoque longe diutius, quam illa unquam in usu fuerunt, frustra restituenda à Judæis sperentur, horrendam πώρωσιν illorum arguit, quod etiamnum illa tanti faciunt, ut Deum iis delectari, adeoque de integro Hierosolymis ea offerenda esse persuasum habeant. Quintus jam annus agitur, cum fama quaquaversum percrebuit, Judæorum Messiam apparuisse, mirabilibus operibus tremendum, & ipsi Turcarum imperatori formidabilem. Neque Judæi hic segnes fuerunt, sed alii alios ad excipiendum sospitatorem & occupandas avitas sedes excitarunt. In illius honorem cum hymnum quendam eadem fine quidam Pragensis Judæus conscripserit, & is in Belgio, deinde Silesia, typis excusus sit, quam ceremoniarum tenaces sint & creduli recutiti, ex illo discere licet. §. enim 40. ita ille canit: **Noch mehr haben aus Savat** (Savanaropoli, Mengreliæ oppido) **unsere Brüder geschrieben / wir sollen sich drauff richten. In diesem Jahr werden wir** soche **seyn /** Korbanos **zu schechten / daß** Bes Hammickdasch **ist woren zubereit /** Korbanos **zu bringen allezeit.** Sed quod spes illa decollarit, & quam turpiter illorum Messias se dederit, ut is vitæ usuram apostasia ad Mohammedismum redemerit, ipsis recutitis hodieque extorribus & adhuc sine sacrificiis (ut Hoseas prædixit, cap. 3: 4.) degentibus, notius est, quam gratum. Merito vero mirari subit, eos adhucdum animam cultus divini in ceremoniarum illarum observatione ponere, cum tamen illæ neque intrinsecam bonitatem haberent, neque per se Deo gratæ essent. Quid quod sæpius Deus eas rejecit, & quam nauci eas faciat, diserte est testatus. Ps. 40. dicitur: sacrificium & oblationem לא רצית *non voluisti*, vel, non acquievisti, non gratam eam habuisti. Ad quæ verba Kimchi: תחלת המצות האל לישראל לא היה אלא שישמעו בקולו: *initium præceptorum divinorum non erat, nisi ut Deo obtemperarent.* Sacrificiorum igitur postmodum demum mandatorum exercitio ad cultum alium & spirituali naturæ convenientiorem præparari eos oportuit, ut eo majore desiderio ad Messiæ tempora anhelarent, & ita illud סוד *mysterium*, quod sacrificiis subesse Judæi fatentur, adumbraretur. Neque desunt ex ipsis Judæis, qui hic satis commode de sacrificiis aliisque ceremonialibus loqui videntur. R. Joseph Albo enim lib. III. Ikkarim cap. XIII. hunc in modum scribit: כשנתן הש"י התורה ידע שההנהגה ההיא תספיק עד הזמן ששערה חכמתו שיספיק להכין המקבלים ולתקן טבעם אל שיקבלו ההנהגה השנית א"עף גלהו לאדם וכשיגיע הזמן יצוה בהנהגה השנית: *Quando dedit Deus benedictus legem, sciebat, hujusmodi ritum sufficere usque ad tempus, quo videbat ejus sapientia, satis esse ad disponendum sectatores & ad dirigendum naturam eorum, ut suscipiant alterum ritum, etiamsi nemini patefaciat, quum vero tempus fuerit, imperabit Deus ritum alterum.* Hoc ipsum exemplo illustrare gemino nititur l. cit. prius est à Medico desumptum. Sic enim loquitur: כמו שהרופא יתן הנהגה אל החולה עד זמן משוער אצלו שלא יגלהו אל החולה וכשיגיע הזמן ההוא ושנתחזק כבר החולה מחוליו ישנה הרופא הנהגתו ויתיר מה שאסר ויאסור מה שהתיר ואין לחולה להפלא מזה: *Quemadmodum medicus diætam præscribit ægroto usque ad tempus sibi commodum visum, quod tamen ægroto non indicat; quando autem appetit illud tempus, cum ex morbo suo ægrotus convaluerit, mutabit medicus diætam & permittet, quod prohibuerat, & prohibebit, quod licitum fuerat. Quod ægroto mirum videri haud debet.* Alterum itidem petitum è trivio, dum scribit: כמו שיעשה המלמד עם התלמיד שיגדילהו בתחילה בדבר קל ההבנה עד שיורגל בלמוד מעט ואחר יעתיק איתו למדרגה חזקה ועמוקה שלא היה ראוי אליה בתחלה למודו וקודם שהורגל: *Quemadmodum agit doctor cum discipulo, quem initio quidem imbuit doctrina levi & facili, donec sensim disciplinæ assuescat, postea eum ad solidiorem altioremque gradum deducit, ad quem initio studii sui nondum assuetus, minus aptus erat.*

§. 23. Sed licet quandoque propius à veritate abesse videantur, præjudicium tamen illud, quo occupati sunt, non permittit, ut penitus eam attingant. Atque sic fieri nequit, ut textum recte interpretentur, & vaticiniorum complementum deprehendant. Qui id cumprimis agunt, ut aliquid, quantumvis haud ita solidum, explicationi Christianorum opponant. Suo id exemplo comprobat Rabbi Lipmannus in libro Nizzachon, quem olim Sebastianus Munsterus possedit. Cum enim textus prophetici evidentiam ejusmodi videret, ut Christianorum interpretamentum exinde nulla ratione oppugnari recte posset, eo delabitur, ut Christi protestationem, Matth. 5: 17. nobis opponat. Sic enim scribit: כאן פוקרים המינים ואומרים על ישו נתנבאת שמתנולד נתן להן תורה חדשה ישמץ טבילתם תחת ברית מילה ויום ראשון תחת השבת׳ תשובה לפי דבריהם הנה מכזבים את תורתם שכן כתוב בספר טיעותם׳ לא באתי לבטל דברי הנביאים ותורה אלא להשלימם ויחלפו שמים וארץ ולא יחסר דבר מדברי משה המבטל דבר אחד מדברי משה חסר נקרא במלכות שמים ולדבריהם הרי הוא חסר תורת משה כשבטל המילה ושמירת שבת והרבה מצות: *Hic Hæretici errant, dicendo de Jesu prædictum esse, eum, ubi natus fuerit, legem novam daturum esse ipsis; & hinc Baptismum illorum successisse in locum fœderis circumcisionis, diem primum in locum Sabbathi. Sed juxta propriam illorum confessionem respondebimus. Ecce suam legem ipsimet falsitatis arguunt. In libro enim erroneo illorum* (sic N. T. libros malitiose impii insignire nulli dubitant) *scriptum est: Non veni ad solvendum verba Prophetarum & Legis; sed ad implendum ea,* (Mat. cap. 5: 17.) *cœlum & terra mutabuntur, sed nullum verbum Mosis mutabitur.* (vers. 18.) *Unum verbum Mosis cessare faciens, minimus vocabitur in regno cœlorum,* (vers. 19.) *Jam vero secundum illorummet verba, legem Mosaicam ille antiquavit, cum circumcisionem, præceptum de Sabbatho celebrando, & alia plura, abolevit.*

§. 24. Cæterum cum longe aliud sit, legem solvere simpliciter, & eam ulterius observandam καταργεῖν sive ἀκυροῦν *tollere & antiquare*: aliud vero legis ad tempus latæ complemento præstito reapse, ostendere, umbræ, præsente corpore, nullum amplius locum relinqui, adeoque πληροῦν & ἀποκαθιστάναι; nihil causæ est, quamobrem loca ex N. Test. coacervet Judæus, ut Evangelium sibi ipsi repugnare ostendat. Prius sane à Messia nostro factum esse, nunquam evicerit. Ipsemet enim circumcisus, Luc. 2: 21. Mosaicas stricte observavit constitutiones circa leprosos, Luc. 17: 14. sacrificia offerre juxta legem alios jussit, Matth. 8: 4. festa celebravit, Joh. 5: 1. adeoque quamdiu in terris egit, & ipse legem Mosaicam observavit, & aliis, ut idem facerent, auctor extitit. At enim ex quo omnia illa, quæ implenda erant, jam evenerant, quid mirum, si, ut sole exoriente, astra minora disparent, & nostro conspectui se subducunt, ita Messia suo sacerdotali officio defuncto, & τὸ *Consummatum est*, Joh. 19: 30. pronunciante, sacrificia Mosaica tanquam nulli amplius usui futura, exspirarint? Illa enim ceremonialia, quantum ad vim obligandi attinet, ipso momento illius pronunciationis complementum suum nacta esse, cum verbo, tum opere Messias declaravit & expressit, licet postea tantisper, donec Synagoga honeste sepeliretur, ea, stante templo, frequentarentur. At enim ex quo omnem στάσιν prioris tabernaculi πανωλεθρία sustulit, exinde factum est, ut in nulla orbis parte sacrificia amplius offerri possint, Hierosolymis tantum offerri solita. Atque ex eo tempore veteri fœderi novum est subrogatum, & Ecclesia per gentium vocationem amplificata, cultus ille spiritualis à Prophetis, Malach. 1: 11. & aliis prædictus locum obtinuit.

§. 25. Quid Rabbi Moses Maimonides pro suo in Christum & Christianam religionem odio scripserit de Pseudopropheta, qui legem vel totam, vel ex parte, se soluturum profiteatur, id ex capite 9. Tract. יסודי תורה sive de *Fundamentis Legis* patet, ubi sic loquitur: למדת שאין נביא רשאי לחרש דבר מעתה לפיכך אם יעמוד איש בין מן האומות בין מישראל ויעשה אות ומופת ויאמר שהשם שלחו להוסיף מצוה או לגרוע מצוה או לפרש במצוה מן המצות פירוש שלא שמענו ממשה או שאמר שאותן המצות שנצטוו כהן ישראל אינן לעולם ולדורי דורות אלא מצות לפי הזמן היו הרי זה נביא השקר שהרי בא להכחיש נבואתו של משה ומיתתו בחנק על שהזיד לדבר בשם ה׳ אשר לא צוה: *Percepisti* (ex locis adductis, Deuteron. 29. ultimo & aliis) *non integrum esse Prophetæ ex eo tempore quicquam novi constituere. Idcirco si quis steterit sive ex Gentilibus sive Israele oriundus & patrarit signa & prodigia & dixerit se à Deo missum esse, ut addat præceptum sive tollat, præcepta præcepto explicet, nempe quod nec dum ex Mose percepimus. Aut si dixerit, præcepta illa, quæ nos Israelitæ servare tenemur, non duratura in seculum & generationes generationum, sed esse duntaxat præcepta temporaria. ecce hic Propheta est mendax. Venit enim ut falsitatis arguat prophetiam Mosis, idcirco strangulatione extinguatur, quia præfracte locutus est in nomine Domini, quod minime præcepit.* Sed quam infirmo argumento nitatur Maimonides, dum ex voce עולם & דורי דורות probare conatur Legis ceremonialis immutabilitatem, ex iis, quæ Rabbi Albo, libro Ikkarim, sermone 3. capite 16. disputat, manifestum est, dum infirmitatem argumenti ipsemet agnoscit & voces illas ex rei natura explicandas esse fatetur, quibus quandoque זמן מוגבל *periodus aliqua temporis definita* significetur. Nempe quando de Deo effertur, & is מעולם עד עולם esse dicitur, Psal. 90: 2. ἄπειρον durationem notat, cui τὸ ὑπάρχειν est intrinsecum. Interdum vero durationem ὡρισμένην denotat, quando rebus tribuitur, quarum periodus est definita & nota. Ut cum de Servorum servitute effertur, quæ quinquaginta annorum est, & his elapsis, finitur. Similiter de festo Paschatos, asservatione Mannæ, oleo unctionis & similibus, phrases quidem hæ itidem usurpantur, quæ tamen perpetua haudquaquam esse, à posteriori satis compertum est, dum tot seculis ea cessasse ipsi Judæi fateri coguntur.

§. 26. Quod vero Rabbi Lipmannus objicit, Christum circumcisionem abrogasse, cujus tamen abrogatio in scripturis non denuncietur, ad id respondemus, nihil opus fuisse legem antiquari, quæ ad tempus constituta ipsa temporis maturitate sua evanuit, sicut leges propriæ belli, tempore pacis, exolescunt. Temporariam vero & illam legem fuisse, patet inde, quod ad fœdus illud, quod antiquandum esse Jeremias prædixerat, pertinebat. Eum in finem etiam illa mandata erat, ut ea populus ab aliis gentibus distingueretur, ut aliam eamque Deo gratiorem circumcisionem cordis adumbraret, Jerem. 4: 4. ut typi rationem aliquam haberet sanguinis Messiæ fundendi, cum vero populus Judaicus cum gentibus in regno Christi coaluit, in quo interior potius sive cordis circumcisio valet, quam exterior carnis, & cum ipse Messias sanguinem suum tot seculis præfiguratum fudit, figuræ illæ sua sponte cessarunt, aliis ritibus ad novum fœdus succedentibus. Non igitur Christus solvit legem, vel mutavit, vel alio, quam oportebat, flexit, sed ritus implevit & consummavit, id exhibendo, cujus causa erant reperti, quodque figurabant. Delevit autem eosdem eo ipso implemento ac consummatione, non tollendo legis vinculum, sed causam subtrahendo, propter quam lex ea nata erat, & cui morienti ex primævo decreto erat commoritura, uti præclare Hugo Grotius ad Matth. 5: 17. annotat.

§. 27. Quandoquidem vero, ut ex Lipmanni verbis vidimus, etiam illa non ultima, sed potissima fere Judæorum criminatio est, quod præcipuam cultus divini tesseram, nempe Sabbathum Dominus noster sine auctoritate & ratione sustulerit, ut nec nos Christiani hodie septimum diem debito modo venerari, sed profanari recutitis dicamur, quam hæc cavillatio sit nulla, jam ostendendum venit. Dicitur quidem & Sabbathum ברית עולם *fœdus seculi*, & Judæis בדורותם *in generationibus suis* observandum præcipitur, Exod. 31: 13. seqq. Sed neque hic τὸ עולם ultra politiæ Judaicæ durationem extendendi apparet necessitas, neque aliud vox בדורותם innuit, quam eo usque illud durare debuisse, quousque generationes Judæorum durent. Quandoquidem vero politia & synagoga, extinctis, sublatisque genealogiis, tribus dudum confundi cœperunt, ut hodie, qua quisque tribu natus sit, scire nequeant, nihil causæ est, quamobrem tam anxie diei Sabbathi observationem urgeant, maxime cum, retento eo, quod morale est, dundaxat ceremoniale, quod solos Judæos spectavit, sit abrogatum. Illorum enim sanctitas sic Sabbathum peculiariter l. cit. dicitur, & Deuteron. 5: 15. propterea diem Sabbathi observare jubentur, quod manu valida ex Ægypto sint educti, &, ut nonnulli contendunt, ipso die Sabbathi. Atque præter generalem rationem hanc, specialem & solos Judæos attinentem Rabbi Moses Maimonides libro More Nebochim, part. 2. cap. 31. in medium affert, ut memoria beneficii maneret, *quod largitus est eis requiem à molestia intolerabilium illorum Ægypti onerum.*

§. 28. Sane si septimæ à creatione diei sanctificatio ita præcise necessaria est, & ad morale Sabbathi pertinet, adeo illud indispensabile & æterni juris esset, ut nullo modo, neque necessitatis casu, omitti posset. Atenim ipsi Judæi in Talmud folio 83. Massecheth Joma col. 1. dicunt כל ספק דוחה את השבת *omne dubium pellit Sabbathum*, significaturi, in omnibus illis, in quibus vitæ periculum est, Sabbathum violare licere.

licere. Neque reticendum hoc loco, quod Kimchi comment. in Jos. 6. scribit: קבלו ר"זל כי ביום ז' שנלכדה יריחו יום שבת היה ואף על פי הרגו ושרפו בשבת מי שצוה על השבת צוה לחלל שבת בכבישה יריחו וכן בשאר עירות שהיו ישראל צרים עליהן ואמרו בקבלה עד רדתה אפילו בשבת וכמו שצוה גם כן להעלות עולות בשבת: *Tradiderunt Dd. nostri l. memoriæ septimum diem, quo urbs Jericho occupata est, fuisse diem Sabbathi. Etsi igitur cædibus & incendiis grassati sunt Sabbathi die, nihilominus qui Sabbathum observandum præcepit, is & profanandum illud jussit in subigenda Jerichunte. Atque ita egerunt in reliquis urbibus, quas, ut hostes, Israelitæ persecuti sunt. Per traditionem etiam dixerunt, verba, donec domineris ei*, (Deut. 20: ult.) *etiam de Sabbatho intelligenda esse. Quemadmodum etiam præcepit, ut Sabbathi die offerremus holocausta.*

§. 29. Quæ Judæorum confessio ejusmodi est, ut, diei à creatione septimæ Sabbathum non subinde & necessario observandum fuisse, satis manifestum sit, cum in oppugnandis hostibus nullam temporis rationem tunc fuisse habitam ipsimet recutiti doceant. Fuit ergo in Sabbatho ceremoniale quid, & Juris positivi, quod cum è mero arbitrio præcipientis pendeat, & ipsius auctoritate & voluntate tolli vel mutari queat, non est quod Christianis, qui etiamnum singulis septimanis diem Deo sacrum celebrando Sabbathum servant, ideo dicam scribant, aut criminentur sic illud, utpote ex una die in aliam translatum, profanari.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De Melechet Cœli ad Jer. XLIV: 17. &c.

Q. D. B. V.

PRÆFAMEN.

INter insignia & admiranda supremi Numinis opera, ex quibus maximam ejusdem sapientiam & virtutem cognoscimus, principem fere locum obtinet ingens cœli machina, & in ea tot stupendæ magnitudinis excellentissima sidera, quæ Syrus Philosophus perpendens, in Ode quadam Syra ita deprædicat: ܒܗ ܬܪܥܣܪ ܡܕܝܢܢ ܡܠܝܢ ܬܕܡܪ̈ܬܐ ܒܗܝܢ ܥܡܪܝܢ ܫܒܥܐ ܡܠܟ̈ܐ *In eo* (cœlo scilicet) *duodecim sunt civitates* (h. e. domus duodecim signorum) *plenæ mirabilibus. In his habitant septem Reges* (VII. Planetæ). Et sane incomparabilis illorum pulchritudo, concitatissimus motus cursusque, mirifica in hæc inferiora operatio, qua dierum & noctium vices, quadripartita anni distinctio, caloris, frigoris, serenitatis, pluviarum & tempestatum vicissitudines fiunt, ejusmodi sunt, ut multiplicem ex iis erga hominem redundantem utilitatem demirari, & DEI gloriam apertissime elucescentem deprædicare teneamur. Quam & ipse quoque Psalmographus fassus est; *Cœli*, inquit, *enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Quo Psalmo, cum (Gregorii Nazianzeni verba sunt Orat. XX.) ἥλιος ἐπαινεῖται τῷ Δαβὶδ κάλλος, καὶ μέγεθος, καὶ δρόμου τάχος, καὶ δύναμις, i. e. *apud Davidem laudetur solis pulchritudo & magnitudo, cursus celeritas, & vis ac facultas*, & ita quomodo DEI majestas ex cœlorum siderumque præstantia æstimanda sit, uberius ostendatur, factum est inde, ut Syrus Interpres isti Psalmo hanc memorabilem præfixerit ἐπιγραφὴν: ܠܢ ܐܝܬܝܗ̇ ܬܐܘܠܘܓܝܐ *nobis est Theologia* (hic sc. Psalmus). Dolendum vero est, istiusmodi siderum contemplatione tam perverse usos esse mortales. Neque enim Ethnici modo, quod Apostolus Rom. cap. 1: 24. conqueritur, ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, sed & Judæi in horrendam sunt delapsi ἀστρολατρείαν. Qui cum ex historia creationis Genes. 1: 14. scirent, sidera in usum hominum creata, nihil divinitatis habere, ob quam religioso cultu affici mereantur, sed suam originem, non minus ac alias creaturas, Deo acceptam ferentia, *in cœlo posita esse, ut dividant diem ac noctem: & sint in signa, & tempora, & dies, & annos*: & ab ipso Deo moniti essent, Deut. cap. 4: 19. *ne errore decepti solem, lunam & astra adorarent, quippe quæ omnia in ministerium cunctis gentibus Deus creasset*; factum nihilominus est, ut illi, Ægyptiorum sectatores, felicitatis suæ causam in eorum cultum referrent, & calamitatum suarum originem, ex intermissione ejusdem arcesserent; perinde ac apud alias gentes Ægyptiorum fortunatissima vita, quam indefesso idolorum cultui assignabant, magnum in animis maleferiatorum pondus habebat. Quantopere vero ἀστρολατρείᾳ dediti fuerint Judæi, exinde patet, quod Prophetæ peccatum illud exprobranti בעזות פנים ומצח אשה זונה ענו את ירמיהו *impudenter & meretricia fronte responderint Jeremiæ*, h. in modum:

כִּי עָשֹׂה נַעֲשֶׂה אֶת־כָּל־הַדָּבָר אֲשֶׁר־יָצָא מִפִּינוּ לְקַטֵּר לִמְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם
וְהַסֵּיךְ־לָהּ נְסָכִים כַּאֲשֶׁר עָשִׂינוּ אֲנַחְנוּ וַאֲבֹתֵינוּ מְלָכֵינוּ וְשָׂרֵינוּ בְּעָרֵי
יְהוּדָה וּבְחֻצוֹת יְרוּשָׁלִַם וַנִּשְׂבַּע־לֶחֶם וַנִּהְיֶה טוֹבִים וְרָעָה לֹא רָאִינוּ׃
וּמִן־אָז חָדַלְנוּ לְקַטֵּר לִמְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם וְהַסֵּךְ־לָהּ נְסָכִים חָסַרְנוּ כֹל
וּבַחֶרֶב וּבָרָעָב תָּמְנוּ׃ וְכִי־אֲנַחְנוּ מְקַטְּרִים לִמְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם וּלְהַסֵּךְ לָהּ
נְסָכִים הֲמִבַּלְעָדֵי אֲנָשֵׁינוּ עָשִׂינוּ לָהּ כַּוָּנִים לְהַעֲצִבָהּ וְהַסֵּךְ לָהּ נְסָכִים׃

Quæ Vulg. ita vertit: *Sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri, in urbibus Juda, & in plateis Jerusalem: & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore quo cessavimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus. Quod si nos sacrificamus reginæ cœli, & libamus ei libamina: nunquid sine viris nostris fecimus ei placentas, ad colendum eam, & libandum ei libamina?* Quam responsionem accuratius, quantum per tempus licet, consideraturi, illud maxime indagabimus, ecquid nomine מלכת השמים, cui se cultum divinum exhibituros esse, invito quamlibet Propheta, fœmellæ Israëliticæ vovent, designetur; & quibus nominibus id sideris aliis quoque cœlicolis veniat, paucis dispiciemus. DEUS noster Trinunus dirigat omnia studia nostra in nominis sui divini gloriam.

Sit

Sit igitur in nomine ipsius

EXERCITII NOSTRI

DE

MELECHET COELI

CAPUT I.

§. 1. QUod vero attinet ad nomenclaturam מלכת השמים, uti diversimode eam vertere solent Interpretes, ita quid ea significetur, parum inter se conveniunt. LXX. enim, licet hic reddiderint τῆ βασιλίσσῃ τοῦ οὐρανοῦ, quos & Latinus sequutus est reddendo: *Reginam cœli.* Jer. 7: 17. tamen, per στρατιᾶν τοῦ οὐρανοῦ exposuerunt. Vatablus: *machinam cœli.* Atque hic una cum Pagnino, Schindlero aliisque R. David Kimchium sequutus est, qui comment. ad l. c. ait: חסר אלף ופי׳ כמו מעשה השמים כלו׳ לככבים: *deficit Aleph & idem notat ac opus cœlorum. q. d. stellis.* Quos autores si audiamus, omnia sidera cœlestia coluisse, & sacrificia iisdem obtulisse, dicuntur. A quibus tamen recedit nonnihil Athanasius Kircherus T. I. Oedip. Ægypt. Synt. 4. p. 362. qui certam aliquam constellationem, & siderum congeriem fuisse tradit, sive eæ fuerint Pleiadum, sive Hyadum aut Virgiliarum, quam 1 Reg. 17: 29. סכות בנות *Succoth Benoth*, vocari arbitratur, simulacrum nempe gallinæ cum pullis, cui placentas obtulerint.

§. 2. Cæterum etsi Kirchero in eo facile assensum præbemus, τὸ סכות בנות (quod Gasp. Sanctius aliique Interpp. silentio, ut obscuræ originis idolum, præterierunt) non notare ipsum fanum, quo puellæ hospites operiebantur, ceu J. Seldenus Synt. de DIs Syr. cap. 7. pag. 309. contendit; sed uti veteres Ebræos statuisse, R. Salomo & R. Abarbenel quoque docet, סכות בנות דמות תרנגלת עם אפרוחיה *Succoth Benoth simulacrum gallinæ fuit cum pullis suis*, i. e. δωδεκαμόριον Tauri, in quo Gallina cœlestis sedem sibi fixit; illud tamen nondum Jesuita demonstravit, placentas huic constellationi fuisse oblatas. Neque quicquam causæ videmus, quamobrem voce מלכת, constellationem illam nominatissimam notari dicamus, eamque à Rad. לאך derivemus. Etsi enim magnus Buxtorf. eidem voci assignet, nondum tamen eo adduci possumus, ut huic originationi subscribentes intelligamus plurium stellarum congeriem. Si enim מלכת סבא, *Reginam Sabæ* notat 1 Reg. 10: 3. & 2 Paral. 9: 12. ecquid causæ erit, quare מלכת השמים apud Jerem. non itidem *reginam cœli* vertamus? Et cum præterea מלאכת *opus* plus quam quadragies cum א occurrat; quis fidem fecerit, in solo Jeremia, ex una eademque voce quinquies literam excidisse? Quid, quod ipse Buxtorf. in Concord. Ebr. præter Rad. לאך etiam מלך voci מלכת attribuit, lectoris quasi arbitrio illud relicturus, ad quam Radicem eam velit referre.

§. 3. Quandoquidem igitur Kimchi quoque fatetur, esse inter Ebræos, qui לשון מלוכה vocem explicent, vel ut R. Salomo loquitur: לשון מלכה *significatione reginæ*, nihil nos novi, vel à veritate alieni asserere videmur, si *Reginam cœli* vertendo, Lunam ita à sequiore sexu appellatam fuisse dicamus. Lunæ enim cultum antiquissimum esse, cum ex Jobi cap. 31: 27. patet haud obscurè; tum Maimonides cap. 29. part. 3. More testatur. Ubi de Zabæis, (quorum superstitionibus & ipsum Abrahamum aliquando innutritum fuisse, multi ex eruditis affirmant) ita refert חשבו שאדם איש נולד מזכר ונקבה כאשר בניאדם אלא שהיו מגדלים אותו והיו אומרים שהוא נברא שליח הלבנה ושהוא קרא לעבודת הלבנה: *arbitrantur, Adamum ex masculo & fœmina natum esse, sicut reliqui homines, sed maximi eum faciebant, dicentes, eum esse Prophetam & Apostolum Lunæ, qui eandem colendam esse doceat.* Hunc errorem à Chami posteris ad vicinas gentes derivatum, ipsi quoque Ægyptii, diu est quod enarrarunt. Illi enim, cum solo intellectus lumine, invisibilem DEI O. M. essentiam comprehendere nequirent, conversis oculis animisque ad cœlorum ornamenta splendidissima, motusque eorum mirandos, augurati sunt omnes sublunarium rerum immutationes à duobus principibus astris, Sole & Luna, provenire, quæ duo luminaria magna cum toto anno præ reliquis dominentur, Deos ea esse, existimarunt, Solemque Osiridem, Lunam Isidem vocarunt, & matrem mundi. Ita enim Plutarch. lib. de Iside & Osir. Μητέρα τὴν σελήνην τοῦ κόσμου καλοῦσι καὶ φύσιν ἔχειν ἀρσενοθήλυν οἴονται.

§. 4. Uti igitur Sol Regis nomine venit, ita Luna מלכה Regina dicta est. Quam nomenclaturam quoque hæc, præ reliquis sideribus mereri ipsis visa est, διὰ τὴν πρὸς ἥλιον κοινωνίαν, καὶ τὴν μετάληψιν τοῦ φωτός. γίνεται γὰρ ὥσπερ ἄλλος ἥλιος ἐλάττων, *propter solis societatem, receptumque lucis. Est enim quasi sol alter minor*, uti Aristot. lib. 4. de Gener. Animal. cap. ult. loquitur. Et ut vitalis calor à Sole, ita humor lunæ, tanquam fœminæ, asscriptus est, quod duobus istis rerum constaret generatio. Ut adeo voce מלכת Lunam intellexisse, quam instar reginæ cœli divino cultu prosequendam esse censuerint fœmellæ Israëliticæ, ne dubitandum quidem amplius sit. Et cum Sol appellatus fuerit בעל שמים vel Punice Baal samim, & Luna בעלת שמים *domina cœli*, nuncupata, quæ postmodum aliis Βῆλτις, ut apud Abydenum, vel Βαάλτις dicta, ut apud Philonem Biblium videre est; quidni eadem & מלכת appellata sit? Sane non improbabilis est Abarbenelis sententia, qua rationem impositi nominis redditurus ait: הנשים הי׳ עובדות למלכת השמי׳ שהיא הירח כאלו היא היתה מלכת גבירתם והשמש הוא הבעל אדון בעליהם: *Mulieres coluisse reginam cœli, Lunam nempe, quasi ipsa sit regina, domina illarum, & Sol, Baal, Dominus illarum maritorum.* Sed quid impedit eundem Abarbenelem audire ad cap. 44. Jer. ubi R. Salomonis; R. D. Kimchii & Chaldæi sententia rejecta, hanc, quæ nobis cum Sanctio, Castrio, aliisque communis est, iterum astruit, hunc in modum commentans: השבו המפרשים שמלכת השמים הוא שם נאמר לכל הככבים שהם מעשה ומלאכתו אשר ברא ושחסר האלף במלכת השמים ומהם פירשו מלכת השמים על השמש שהוא הככב הגדול שבשמים ואני כבל הודעתיך דעתי שהבעל שהיו עובדים היה כנגד השמש והוא הנקרא מולך כי הוא מלך על כל בני שחץ והאשרה שהיו עובדים היתה כנגד הלבנה והיא גם כן הנקראת מלכת השמים כמו שיכנה הכתוב השמש בשם מולך כן כנה הידה בשם מלכת השמים וכמו שכינה השמש בשם בעל להיותו בערך הלבנה כבעל הנותן מהודו וזיוו על אשתו ככה כנה את הירח בשם אשרה שהיא שם לנקבה כאלו היא נקרת השמש ואליו תשוקתי: *Opinantur interpretes,* τὸ מלכת השמים *esse nomen, de omnibus omnino stellis usurpatum, quod illæ Dei opificium sint, quod creavit, &* א *deficere in* מלכת השמים. *Sunt ex illis, qui arbitrentur hac voce designari Solem, qui omnium maxima stella sit in cœlis. Cæterum, ego jam ante, quid sentiam, tibi notum feci, quod nempe Baal, quem coluerunt, fuerit respectu Solis, atque is dictus sit Molech, quia ille est rex super omnes filios superbiæ* (Job. 41: 25.) *Ascherah vere* (vox Ebræa alias lucum quoque significat) *cui serviebant, fuit respectu lunæ, quæ & ipsa regina cœli vocabatur, quemadmodum Scriptura Solem nomine Molech appellat, sic vocat Lunam nomine reginæ cœli. Et ut Sol respectu Lunæ Baal dicitur, quod respectu Lunæ sit instar domini, qui de suo decore & splendore uxori suæ communicat, sic etiam Luna vocatur Aschera, quod nomen est fœminini generis, quasi illa sit fœmina solis, quia illius desiderio tenetur* (Gen. 4: 7.) Et com. ad Jer. 7. idem Abarbenel: ענין מלכת השמים ואלקי׳ אחרים הוא שהיו שם עובדים לשמש ולירח ר״ל שהנשים היו עובדות לירח כאלו היא מלכת השמים בתיך הככבים והאנשים היו עובדים לשמש כי הוא היה הבעל כמו שאמר למעלה וקטר לבעל: *Quod attinet voces* מלכת השמי׳ *& idololatriam, res ita habet, quod solem lunamque coluerint. q. d. mulieres adorabunt Lunam, tanquam illa in medio stellarum esset regina cœlorum. Viri autem Solem venerabantur. Ille enim erat Baal, quemadmodum supra* (cap. 7: 9.) *dicebat & suffitum faciendo Baali.*

§. 5. Non displicet hæc Judæi expositio, neque quicquam videmus, cur in aliam concedamus sententiam. Etsi enim τὸ אשרה alias & lucum significat, vel ut Kimchi in lib. radicum loquitur: כל עץ שעובדין אותו או נוטעין אותו לכבוד מי שעובדין אותו יקרא אשרה: *Omne lignum, quod colunt, aut plantant in honorem ejus, quod colunt, vocatur* אשרה, unde & Jud. 6: 25. de simulachro commode accipitur, in specie tamen ipsam lunam ea voce designatam fuisse, minime est improbabile. Sane quadringentos prophetas אשרה, (quos Jesabel 1 Reg. 18: 19.) regia sua mensa in singulos dies dignata est, & cum Prophetis τοῦ בעל, ut docte observat Abarbenel, non sivit in montem Carmel, petente Elia, se conferre) Astartes Prophetas fuisse J. Seldenus asserit, quam ipsam Sidoniæ Deam, Lunam esse, paulo post videbimus.

§. 6. Eadem luna, (cujus phases Ebræi accurate observabant, & inde, quod Neomenias celebrare jubebantur, eo faciliores ad cultum ejus erant) variis etiam gentibus coli solita est, id quod sigillatim ostendemus, ubi Apulejum ante audi-

audiverimus, qui lib. 11. A. A. lacrymoso vultu sic apprecatur Lunam, Deam quasi præpotentem: *Regina cœli, sive tu Ceres alma, frugum parens originalis —— seu tu cœlestis Venus, —— seu Phœbi soror, —— seu nocturnis ululatibus horrenda Proserpina, —— quoquo nomine, quoque ritu, quaqua facie te fas est invocare* &c. Quem etiam paulo infra dignatur Luna his verbis: *En adsum rerum Natura parens, elementorum omnium Domina, seculorum progenies initialis, summa Numinum. Regina manium, prima cœlitum, Deorum Dearumque facies uniformis, —— cujus numen unicum multiformi specie, ritu vario, —— numine multijugo, totus veneratur orbis. Me primigenii Phryges Pessinuntiam nominant, Deum matrem; Hinc autochthones Attici Cecropiam Minervam, illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem, Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam. Siculi trilingues Stygiam Proserpinam; Eleusinii vetustam Deam Cererem, Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecaten: Rhamnusiam alii, & qui nascentis Dei Solis* (expunge Solis, & lege periculo Pricæi, diei) *inchoantibus radiis illustratur Æthiopes, Ariique, priscaque doctrina pollentes Ægyptii, ceremoniis me prorsus propriis percolentes appellant vero nomine Reginam Isidem* &c. Hactenus illa in illo.

§. 7. Nunc seorsim Lunæ cultores recensituri, Afris choragium ducere permittimus. Illi enim semper, ut in proverbio est, aliquid novi afferunt, non tamen hic novam, sed eandem Lunam, apud ipsos offendimus. Vocarunt autem isti Lunam Οὐρανίαν, sive Cœlestem; aut à loco, ubi splendet, cœlo nimirum; aut ab influentia & operatione cœlesti in sublunaria. Producimus testis loco de Afris suis acutissimum Afrum, C. Sept. Flor. Tertull. qui in Apologetico hunc in modum scribit: *Unicuique provinciæ & civitati suus est Deus, ut Syriæ Astarte, ut Arabiæ Dysares, & Norici Belenus, ut Africæ Cœlestis.* Nemo tamen ita perverse sentiat, quod Afri Romana hac voce Cœlestis, aut Græca Οὐρανία dixissent Lunam. Absit hoc! sed Afrorum verbum ita commode potest reddi. De hac Cœlesti videatur P. Pithœus lib. 1. Advers. Subsec. cap. 4. qui Spartian. in 30. Tyrannis, & Marcellin. lib. 22. p. m. 409. aliosque citat, & usque eo dilabitur æternum illud Galliæ ornamentum, ut apud Tertull. in de Virg. veland. pro Cereri Africanæ legat Cœlesti. Sed cum nemini obtrudat στοχασμὸν suum doctissimus & modestissimus Pithœus, liberum cuique relinquitur judicium. Verum dimissis nunc autoribus, pedem proferimus ad lapides lustrandos, insuper habentes Bechererum in pro Antisched. responso ad Apolog. Becm. cap. 32. qui hominis nomen sua sponte exuit, ut saxi indueret, dum lapidibus omnibus, è meliori ævo, à literatis linguamque Romanam callentibus in lucem erutis, atque intense consentientibus, (hæc talia in lapidibus requirit Seneca-Belgicus, J. Lipsius A. Lect. lib. 2. cap. 14.) fidem planissime negaret. Extat autem Romæ monimentum, sed nobis illud exhibuit J. Seldenus Synt. 2. cap. 2. p. 247. his verbis:

INVICTÆ
CAELESTI
AUR. ONESI-
MUS D.D.

§. 8. Afris jungimus Phœnices, de quibus Herodianus lib. 5. cap. 6. fatetur, quod Lunam vocitent Astarten. Λίβυες, inquit, μὲν οὖν αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι. Φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, σελήνην εἶναι ἐθέλοντες, *hanc Afri vocant Uraniam; Phœnices Astroarchen, Lunam esse affirmantes.* Sed unde quæso nobis Astroarche? nonne cum P. Fabro legendum est Astarte? id vero non opus esse dicit μέγα μουσῶν καύχημα, J. H. Bœclerus, in not. ad h. l. quoniam omnino Herodianus noster sequutus fuerit Orpheum, qui etiam Lunam vocavit Ἀστράρχην. Legatur totus apud Cl. Bœcl. locus ut & de Astarte Artemidor. Onecrit. cap. 19. Tertull. Apol. c. 24. Augustin. lib. 7. quæst. super Jud. cap. 16. Fuller. in Miscell. lib. 1. cap. 13. & qui prolixe J. G. Voss. lib. 2. de Orig. Idol. cap. 24. Hanc Sidoniorum Astartem effœminatum Salomonem, postquam

Sapientiam amiserat
Veneris perfidia, quæ in alios non mitior quam in filium
Amantes excæcat ut Amorem;

cum uxoribus τῆς δεισιδαιμονίας ἀρχηγοῖς coluisse, sacra pagina testatur 1 Reg. 11: 3. Cui vero vox Astarte suos debeat natales, Autores in diversas abeunt sententias. Scalig. in conjectan. ita: *Suspiceris*, inquit, *dictam esse à victimarum multitudine.* Philastrius de Hæres. cap. 27. fingit Asthor & Astharoth homines fuisse, quorum figuras post Mosis obitum multum coluerint. Suidas de Astarte ita: Ἀστάρτη, ἡ παρ᾽ Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη ἐκ τοῦ ἄστρου τὴν ἐπωνυμίαν πεποιηκόσιν. *Astarte, quæ apud Græcos Ἀφροδίτη, qui ab astro cognomen imposuerunt.* Etsi vero Voss. lib. 2. cap. 21. de O. & P. Idol. censet, hoc non ita capiendum esse, quasi sit originis Græcanicæ: sed quia & in Orientis linguis simili vel sane non multum absimili ratione Sidus nuncupetur, mens tamen Suidæ, ut & Autoris Etymologici magni omnino esse videtur, id nominis inde derivari. Hic enim diserte in voce Ἀστάρτη p. 158. scribit: Ἀστάρτη, ἡ θεός· ὄνομα εἰδώλου ἐστί· λέγεται δὲ ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ ἄστρου· ἄστρον γὰρ, ἐν τῷ οὐρανῷ ἀνάπλασμα· ἀφ᾽ οὗ τὸ εἶδος καλεῖται ἔχον ὄνομα ἄστρου. Et pergit idem: λοιπὸν παρὰ τὸ ἄστρον ἀστράτη, καὶ ἐν ὑπερβιβασμῷ, ἀστάρτη; ἢ παρὰ τὸ ἀστεράτη, καὶ συγκοπῇ, ἀστράτη. ἔφορος γὰρ τῶν ἄστρων ἡ θεός. Alii ad Ebræos se conferunt, ab iis expetentes originationem vocis Astarte. Deducunt autem eam ex עש *arcturus*, & חור *ordo* ut in singulari unum ex astris gyrantibus, in plurali duodecim signa Zodiaci notet, quam originem tamen respuit litera ה. Nonnulli ex אשתרת quod Deut. 7: 13. occurrit, deducunt, ubi dicitur: ואשתרות צאנך *& gregibus pecudis tuæ.* Ad quæ verba R. D. Kimchi in Lex. אמרו שהם נקבות הצאן *Dicunt esse oves fœmellas.* Et subjicit: ארז"ל למה נקראו שמם עשתרות שמעשרות בעליו שמוכר את הגבנה והצמר והטלאי: *Dixerunt Dd. nostri l. m. eccur vocarunt nomen illorum* עשתרות? *quia opulentos reddunt Dominos suos, qui vendunt caseum, lanam & agnos.* Quam ridicula vero & inepta sit originatio, nemo utique est, qui non facile animadvertat, ubi voces invicem contulerit. Ecquis enim à Rad. עשר dixerit ortum esse עשתרת? Sane æque hic fallitur ac ibi, cum in lib. Rad. vocem אשתרות explicaturus scribit: צלמים עשוים בצורת אשתרות *Idola quæ facta sunt ad similitudinem ovium.* Ad quæ verba R. El. Levita in suis Animadv. ad Kimchii Lex. כי הצלם ההוא נקרא עשתרות אחר שם מקום שהוא בנחלת חצי שבט מנשה ואולי שם היו מצוין אומנים לעשותו: *Ipsum idolum vocatur Astheroth. Aliud nomen loci est in tribu dimidia Menasseh. Forte ibi reperti sunt artifices, qui id fabricari solebant.* Idoli vero nomen esse caret omni dubio. Ostendit id bene Abarbenel ex 1 Sam. 31. & 1 Paral. 11: 20. cum ait: והכלים שמו בבית עשתרות והם הצלמים עשוים בצורה בשתרות צאנם ולכן בדברי הימים במקום עשתות נאמר בית אלקיה שעשתרות הם היו האלהות: *Vasa posuerunt in domo Astharoth, nempe idolorum, ad similitudinem pecudis illorum. Atque ita in lib. Paral. loco* τοῦ עשתרות *dicitur domus Deorum illorum. Astharot enim ibi erant Dii.*

§. 9. Sed licet illam Ebræorum sententiam, qua ovillum aliquod simulachrum perhibetur fuisse, etiam Brixianus Marinus & alii sequantur: nondum tamen illa extra omnem dubitationem posita est, maxime cum hujus opinionis neminem veterum hactenus laudare queant. Et sane usque adeo incertum est, ovis figura idolum illud fuisse, ut Clar. Voss. lib. II. cap. XXI. de Or. Idolol. haud dubitaverit asserere, sibi verisimilius videri, Astarten hanc vel totam piscis, vel partim hominis, partim piscis figuram habuisse, & ita dictam fuisse, quod ex gregibus ovium & caprarum ei sacrificia fierent. In quam sententiam ipse quoque concessit Athanas. Kircherus l. c. Igitur de figura hujus idoli, quod Judæi passim coluerunt v. g. Judic. 2: 13. 1 Sam. 7: 3, 4. haud ita certo nobis constat, quemadmodum & de ipso nomine, cum nihil certi scriptores vetustiores attulerint. Ex recentioribus tamen non contemnendam conjecturam in medium attulit Kircherus sæpius laudatus, Tom. I. Oed. Ægypt. Synt. IV. cap. XIII. ubi dicit, vocem hanc esse peregrinam, & illius gentis, cujus ritus & religionem Judæi sint æmulati, nempe Ægyptiorum. Ubi, licet possit ab Arabico s. Punico الزهرة; melius tamen ab Ægyptiorum voce ϯⲥⲩⲣⲱⲧ *Tisurot* derivari censet, quam in Thesauro Copto-Arabico Venerem interpretatur. Vocat etiam in subsidium linguam Syriacam, qua Venus dicitur ܐܣܬܪܘܬ, vel ut in Nomenclatore Syr. quoque legitur ܐܣܪܘܬ. Maxime vero notanda est descriptio quam Mor Isaac Syrus in Cosmographia Syriaca reliquit his verbis: ܐܣܬܪܘܬ ܗܝ ܚܕܐ ܡܢ ܟܘܟܒܐ ܫܒܥܐ ܡܪܗܛܢܐ ܗܝ ܕܡܬܩܪܝܐ ܝܠܕܬܐ ܐܘ ܡܝܠܕܢܝܬܐ ܗܝ ܕܝܢ ܐܡܪܝܢ ܘܡܪܒܝܢܝܬܐ ܕܟܠܡܕܡ ܕܒܥܠܡܐ ܀ *Astharuth est sidus de septem errantibus, quæ etiam vocatur genetrix & obstetrix,* eo

eo quod ipsa velut mater sit omnium rerum, omnium productrix, omnium quæ in mundo sunt nutrix & conservatrix. Quæ certe vix in aliud sidus magis quadrare dixeris quam Lunam; quæ idcirco variis nominibus apud gentes insignita est. Uti enim Mor Isaacus modo testatus est vocatur ܡܘܠܕܬܐ *quod parere faciat*, vel ܝܠܕܬܐ *quod ipsa pariat omnia.*

§. 10. Hinc etiam apud Assyrios Luna appellata fuit Mylitta, & Arabibus nomine Alilat nuncupatur. De qua Arabum nonnemo, cui nomen est Abensihal Assemoni, in libro de Sectis Religionum in Oriente ita scribit: *Serviebant antiqui inter alios falsos Deos etiam uni, quam* الــلــة *Alilath vocabant, & ajebant illam* القمر *Lunam esse, appellabant autem eam Alilath,* لانها السيدة وملكة الليل *eo quod ipsa Domina sit & Regina noctis.* Cui plane consona scribit Herodotus in Thalia: Καλέουσι δὲ, inquit, Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην Μυλίττα, Ἀράβιοι δὲ Ἀλίττα, Πέρσαι δὲ Μίτραν. *Nominant Assyrii Venerem Mylittam, Arabes Alittam, Persæ vero Mitram.* Arbitratur autem Vossius Mylittam à מֹלֶדֶת genitura s. progenie dictam esse, uti Genes. 47: 6. Ezech. 16: 3. Sed Scaliger, cui nos consentimus, purum putum nomen Chaldaicum esse, nempe ܡܘܠܕܬܐ i. e. Genetricem. Quanquam vero Græcorum Illythyia cognationem quoad sonum habeat cum Mylitta, melius tamen ab Arabum Alilath, (quod Scaliger ab الهلال i. e. Luna nascente) derivari potest. Ut & Judæorum לילית Luna vel nocturnus dæmon (cujus mentio fit Esai. 34: 14.) quæ creditur esse Lamia pueris & puerperiis infesta. Ideo superstitiosi recutiti magno cum fervore hæc verba in parietibus exarant:



procul esto Lilith.

Plura de Lilith apud Eliam in Thisbi. Maimon. More Neb. pag. I. cap. VI. aliosque quos citat Selden. Synt. II. de D. S. cap. II. pag. 250. vide. Ilythiam vero Lunam significare, Cl. quondam in Leucorea Professor Frid. Taubm. Comment. ad Cirin Virg. pag. 51. diserte testatur. Paucis quoque de Mitra, nomine Lunæ eleganti. Dicitur quibusdam à מְתַר magnus, vel juxta Rapheleng. ex Rabbi Saadiæ Pentateucho à mather, quod Persice Genetricem significat. Utrumque commode potest ad Lunam adferri, quæ non solummodo magna est Regina astrorum reliquorum omnium, sed etiam genetrix quarumlibet rerum sublunarium. Notetur ut πάρεργον epitheton Mithræ: τριπλάσιος, quod sane triplicem crucem fixit authoribus. Videantur Selden. l. c. pag. 31. Voss. lib. 2. pag. 351. qui ipsi quoque mire in hac voce exercentur. Forsan dicendum est, per τριπλάσιον Μίτραν intelligi Lunam, quæ centies apud Poëtas dicitur Dea triformis. Sed nunquam contentionis funem cum eo ducam, cui hæc non placent. Faciles igitur alios suo sensu abundare permittimus. Quicquid vero de Mylitta, (ut properemus) proferunt, sive derivent à ولد h. e. *pariendo* sive Alilath à ليل, omnia tamen eo collimant, nomina hæc *Ilithyia*, *Mylitta*, *Alilath*, *Lilith*, *Mitram* esse unam eandemque Deam, Lunam scilicet, aut, uti alii eam vocant, Venerem aut Hecaten, quam à stella Veneris distinguunt.

§. 11. Chaldæis, ne & hos præternavigemus, eadem Luna alio nomine fuit insignita. Dixerunt enim eam Salambo. Hesychius: Σαλαμβὼ ἡ Ἀφροδίτη, παρὰ Βαβυλωνίοις. Non tamen hanc Syram vel Babylonicam appellationem esse, sed à Syro-Macedonibus impositam contendit Gerardus Joannes Vossius lib. 2. de Idol. O. & P. cap. XXI. & multus est ibi in probando. Adi ipsum ut & Cl. Selden. l. c. pag. 285. Alius putat Salambonem dictam esse qs. שלם בו Paciferam. Quo etiam pertinet illud Cocceji ad Joëlem 3: 4. *Sol est hieroglyphicum doctorum & doctrinæ. Luna (quæ luce sua temperat noctem) solatium pacis, quod à politiis est, significat.* Libens prætereo quæ de Salambona Sevilianis olim fœminis culta exposuit Vir Cl. & incomparabilis Criticus hujus seculi Thomas Reinesius in de Deo Endovellico pag. 15. & seqq.

§. 12. Claudant agmen autorum & caput nostrum primum Saraceni, qui lunam, ut Credrenus contendit, *Cubar*, vel, quod Arabicæ linguæ magis consentaneum est, *Cabar* vocarunt. Solennis eorum acclamatio sit hæc: ἀλλᾶ οὐὰ κουβάρ. De qua Georg. Cedrenus ita refert: Πάλαι γὰρ εἰδωλολατροῦντες, καὶ τῇ παρ᾽ Ἕλλησιν Ἀφροδίτῃ λεγομένῃ, τουτέστι, τῇ ἡδονῇ προσκυνοῦντες, καὶ τὸν ἀστέρα ταύτης τὸν Ἑωσφόρον εἶναι μυθολογοῦσι. ἣν δὴ καὶ Κουβὰρ τῇ ἑαυτῶν κακεμφάτῳ γλώσσῃ ἐπονομάσαντες, ὅπερ ἐστὶ Μεγάλη, διέμειναν ἕως ἄρτι τὴν Ἀφροδίτην Θεὸν ὀνομάζοντες. ἵνα δὲ μὴ δόξωμεν πῶς ψευδολογεῖν, σαφηνήσωμεν τὸ μέγα αὐτῶν μυστήριον. ἔχει δὲ ἡ λέξις καὶ Μυστηρίας αὐτῶν, καὶ Παμβεβήλου προσευχῆς οὕτως; Ἀλλᾶ, Ἀλλᾶ οὐὰ Κουβάρ, Ἀλλᾶ, καὶ τὸ μὲν Ἀλλᾶ ἑρμηνεύεται ὁ Θεὸς, ὁ Θεὸς, τὸ δὲ οὐὰ μείζων. Τό τε Κουβάρ, μεγάλη, ἤτοι Σελήνη καὶ Ἀφροδίτη. ὅπερ ἐστὶν τοῦτο. Ὁ Θεὸς, ὁ Θεὸς μείζων, καὶ ἡ μεγάλη. Εἰ τ᾽ οὖν Ἀφροδίτη Θεὸς, καὶ τοῦτο σαφηνίζει, ἡ ἐπαγωγὴ τοῦ τελευταίου Ἀλλᾶ. ἅπερ ἅπαντα ἐπικεκρυμμένως τῇ ἰδιότητι τῆς ἑαυτῶν γλώττης λαλοῦσιν. Textum totum adducendum duxi, ut lector ipse judicare queat, quam recte Cedrenus verba Arabum sit interpretatus, dum vocem كبر Κουβάρ, τὸ οὐὰ vero μείζων vertit, quod postremum tamen nonnisi copulantis præfixi officio fungitur: & quid de eo sentiendum sit, quod Meursius, Seldenus, Vossius, Kircherus, Cedrenum taxant, quem tamen excusat & locum luxatum restituendum arbitratur ὁ νῦν μακαρίτης Μακαρίτης, J. T. Major, ad cap. VII. πρᾶξαπ. Est etiam id notandum, Saracenos, Lunam, quam بعلة سما, vel *Beelte sama*, reginam cœli vocarunt, tanto zelo coluisse, ut etiam insignia in honorem ejus, forma lunæ cornicularis, reciperent; Quæ hodienum apud Turcas in usu maximo sunt. Audiamus L. Alard. in Epiphyll. Philol. cap. XI. ubi dicit, ut Romanis aquila militiæ signum, ita Turcis semiluna est. Id quod à Byzantiis, Justo Lipsio docente, ortum habet. Extant enim Nummi ærei, in quorum una parte Luna media est cum Inscriptione: ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. Itaque ut Atheniensium noctua, aliarum gentium aliud insigne fuit; sic Byzantiorum Luna, quam magnus ille Rex in signa sua transtulit signum victæ gentis, penes quam imperium Orientis esset. Vide Lips. Epist. Quæst. lib. 1. epist. 16. Dissentit quidem à nobis, dissentiunt tamen iterum ab illo alii, qui perhibent, in Hegiræ Mahumedanæ i. e. fugæ Mahumedis ex Mecha, memoriam, quæ biduo post verum Lunæ coitum, in initio nempe mensis Muharam, & anni Arabici lunaris, corniculante jam Luna accidit, esse. Hoc vult princeps ingenii & doctrinæ Josephus Scaliger lib. II. de Emend. Temp. & III. Canon. Isagog. Sed tutissime in tantorum virorum discrepantia cum Seldeno asserimus, ipso Mahumede vetustiorem Lunularum apud Saracenos honorem, usum & cultum fuisse. Id quod non modo ex Lunæ figura & antiquitate patet, verum etiam ex eo, quod lunulæ priscis Ismaëlitarum Regibus eorumque camelis singularia essent ornamenta, & tanquam gentis suæ symbola. Ita enim interpretantur Judæi שהרונים *Sebæ & Salmunæ* Judic. 8: vers. 21. 26. verba Kimchii hæc sunt: השהרונות חלי ירח כרמות, τὸ השהרונות *notat ornamentum, quod habet similitudinem lunæ.* Occurrit Esai. 3: vers. 18. eadem vox, ubi Sanctius aliique videantur, qui omnes de lunulis exponunt. Quæ lunulæ postmodum ab Ismaelitis ad Israëlitas venerunt, & in tanto usu fuerunt, ut vel in capite, vel alia in corporis parte eas gererent. Receptum enim, ut apud alias gentes, ita apud Judæos erat, imagines eorum, quos impense amarent, colere, & gestare mox in annulis, armillis laminis, inauribus; mox in bulla, quam utplurimum de collo usque ad pectus dimitterent, quæ tabulæ cordis vocabantur. Hic ritus obviam se fert apud Prophetas, alibique; neque plura documenta sibi petit. Concludimus hoc caput I. verbis laudati Kircheri cap. 17. *Hoc unum, inquientis, ex hisce omnibus hactenus demonstratis collige. Cabar illam Arabum aliam nullam esse, quam communem illam Venerem Asiaticam, Uraniam cœlestem, quam Ægyptii Isidem, Babylonii Dagon, Derceto, Atergatis, Phœnices Astarten, Græci nunc Lunam,*

Lunam, nunc Hecaten, Lucinam, Dianam, Proserpinam, aut alio nomine, Arabes Alilath vocant, re eandem, nominibus diversitatem effectuum denotantibus diversam esse.

CAPUT II.

§. 1. HActenus de appellationibus idoli, quod licet religiose venerata sunt fœmellæ; non minus tamen ac alii Deastri Gentilium, erat referendum inter אלילים, hoc est, ut Kimchi in libro Radicum explicat הבל ודבר שאינו מועיל *res vanas & quæ prodesse non possunt*, quæ Jon. 2: 9. dicuntur הבלי שוא, constructione ἐμφατικωτέρᾳ, *vanissima, mendacissima vanitates*, uti Plurimum Reverendus & Excell. Dn. D. Musæus, Præceptor meus æternum colendus prælect. in Jonam docuit. Nunc sacrificium ipsum ejusque naturam expendere fert animus. Venit illud nomine pluralis numeri כַּוָּנִים quod alii à כוה derivantes, *collyridas*, seu tortas ad ignem torrefactas, triangulari forma confectas fuisse censent, uti testatur Castrius in h. l. Nonnulli à verbo כּוּן *intendi* deducunt, quod illis cibis conficiendis maximopere & certatim quasi essent *intenti* & defixi, beatos sese existimantes, quod in laboris partem venirent. Quidam potius à verbo levi כון *præparare*, quam gravi, ejus originem arcessunt. R. D. Kimchi in libro Radicum postquam scripsisset פירוש מיני מאכלים שהיו מכינים ומגישים למלכת השמים ולצלמיהם: *Significat species eduliorum, quæ præparabant & offerebant reginæ cœlorum & idolis suis*, mox sequentem subjicit conjecturam: אולי קראם כונים רעתם ולבם עליהם לעשותם ולתקנם היטב: *Forsan vocavit eos (cibos)* כונים, *quod suas cogitationes eo referrent, quomodo illos bene conficerent & ordinarent.*

§. 2. Syrus Interpres in Opere Anglicano reddidit ܠܓܢܐ *lagana*, & Arabs قربين *oblationes.* Sane cum Jeremias cap. 7. diserte faciat mentionem mulierum לשות בצק לעשות כונים *quæ subigunt conspersionem ad faciendum placentas*, τρίβουσι σταῖς τοῦ ποιῆσαι καυῶνας, ut LXX. vertunt, de massa aqua subacta & pinsili, adeoque placenta vox כונים accipi debet. Græci ipsam dictionem Ebræam retinuerunt, dum καυῶνας reddiderunt. quanquam in exemplaribus quibusdam legas χαμῶνας, in nonnullis χαυῶνας. Quam postremam vocem Hesychius explicat ita: ἄρτοι ἐλαίῳ ἀναφυραθέντες *panes oleo commixti*: Olympiodorus πέμματα vertit. Chrysostomus, πόπανα. Quam vocem explicaturus Suidas: πόπανα εἰδικόν, πέμματα ψυχικόν. Item: πόπανα πλακοῦντα, πλατέα καὶ λεπτά, unde *placentulas latas & tenues* eos intellexisse, veritati consentaneum videtur.

§. 3. Præter has placentulas meminit textus τοῦ נסך *libaminis.* Quam vocem Arabs reddidit قرابين, & *alabastra* significare in Opere Biblico Anglicano perhibent, quod à radice قار *orbiculatim excidit*, derivari videtur. Cæterum vocem Ebræam habere ענין יציקת והתכה *significationem effusionis*, Kimchi in libro Radicum monet. Neque ab hac sententia discrepat vox Græca σπονδή, quam LXX. adhibent. Est enim σπονδή, uti Suidas in voce σπονδεῖν loquitur: οἴνου ἔκχυσις ἐπὶ τιμῇ δαιμόνων. Quemadmodum & Latinis fere τὸ *libare* usurpatur. Veneri enim libare idem est ac in honorem Veneris effundere. Sic libare solebant, quod vel in aram fundebant, vel in mensam, quæ loco aræ erat, vel in focum, qui sacer habebatur, vel in honorem deorum marinorum. Quo respicit Ovidius II. Metam.

Isque deos pelagi vino super æquora fuso,
Et pecoris fibris & fumo thuris adorat.

Et Virgil. V. Æneid.

—— extaque salsos
Porriciam in fluctus & vina liquentia fundam,

Et cum voce כונים sacrificium aridum significatum sit, voce נסך liquidum denotari, dubitandum minime videtur.

§. 4. Majoris indaginis quæstio est, ecquid verbo העציבה significarint Judæorum fœmellæ? De eo dicemus, ubi R. Salomonis interpretamentum adduxerimus, quo sensum verborum לעשות כונים exponit. Illud ita habet: דפוס הככב מלכת השמים כוכב גדול חיו קורין מלכת השמים לשון מלכה: Famosæ Societatis Jesu Sacerdos celeberrimus, Athanasius Kircherus Tom. 1. Syntag. 4. cap. 18. Oedipi Ægyptii ita vertit: *Impressus textus*, inquit, *habet*: *Stella Reginæ cœli. Stellam enim magnam vocaverunt lingua Græca reginam cœli.* Ita lynceus ille, & in abstrusissimis rebus eruendis cæteroquin felix Kircherus, in re oppido manifesta hallucinatur, & demiratus, quod Seldenus ex R. Salomone referat, placentulas Reginæ cœli imagine insignitas fuisse, *sibi diligentissime in dicto autore inquirenti reperire non licuisse*, frustra conqueritur. Quid mirum vero est, eum id non deprehendisse, quod glaucoma oculis objectum ipsum videre hic minime sivit, & ut aliud quippiam se videre sibi persuaderet, effecit? Nihil de Græca lingua, in qua stella magna regina cœli dicatur, meminit Jarchi. De impresso textu idem ille Ebræus ne somniavit quidem id temporis, quo nemo natus de eo quicquam mente conceperat. Sane prima vox דפוס non typum aliquem literarum, quibus hodie textus excudi solet, vel ipsum impressum textum, sed simpliciter notat imaginem, iconem nempe τοῦ כוכב stellæ. Verborum igitur Ebraicorum danda ejusmodi versio: *Imaginem stellæ, reginæ cœli. Magnam enim stellam vocarunt nomine Melechet, quod reginam denotat.* Adeoque mens Judæi est, in libis istis Deæ fuisse icunculas. In quam sententiam, ipsi quoque Grotio non improbatam videtur R. Salomonem induxisse verbum העציבה ab interpretibus diversimode explicari solitum. Ad verba enim Scripturæ כונים להעציבה sequens glossema subjungit Jarchi: דפוסים בדמות עצבים: *typos, idolis similes.* B. Lutherus comma 19. ita reddidit: Ach wenn wir Melecheth des Himmels räuchern und Tranckopffer opffern / das thun wir ja nicht ohn unser Männer willen / daß wir derselbigen Kuchen backen / und Tranckopffer opffern sie zu bekümmern. Sane ut alias verbum העציב idem significet, ac *dolore* vel *mœrore affecit*, ceu patet ex Es. 63: 10. P. 78: 40. hoc tamen loco ejusmodi quid non denotari, ipse contextus satis docet. Unde nulli, quod sciam, Ebræorum ita explicare in mentem venit. Quin plane contrariam eidem significationem R. D. Kimchi tribuit, hoc loco sic commentans: על דרך הכנוי ר"ל לשמחה וה"הא רפה ומשפטה במפיק כי חיא לכנוי והכנוי למלכת השמים כי בלשון נקבה זוכר אותה כמו שאמר לה וה"הא רפה במפיק כתבנו הדומים לה בספר מכלל בחלק דאשון: *Per antiphrasin hoc intelligendum est. q. d. ad exhilarandum eam. He est raphatum, quod Mappic habere debebat. Est enim pronomen referendum ad voces* מלכת השמים. *Mentionem ejus fecit in genere fœminino, quemadmodum & ante dixit* לה. *He vero debebat habere Mappic. Exempla similia parte prima Michlal adduximus.*

§. 5. Cæterum hoc interpretamentum neque convenit cum usu scripturæ, neque cum contextu. Unde R. Abarbenel id valere jussit his verbis: מאמר להעציבה אמרו המפרשים שהוא כנוי ועניינו לשמחה ואינו נכון אבל אחשוב שהוא מלשון עצבים כי הצלמים יקראו עצבים כאלו אמר לעבדה בדרך צלם: *Verbum* להעציבה *interpretes, per antiphrasin explicantes, idem significare ajunt, ac* ad exhilarandam eam. *Hoc vero minus recte dicitur. Mea sententia significationem trahit ex voce* עצבים *quia idola alias ita vocantur, quasi dicat, ad colendam eam instar Simulachri.* Longe aliam tamen explicationem invenit Vir Cl. Ludovicus de Dieu. Is postquam dixisset, ה non esse pronomen, ob absentiam τοῦ mappic, ceu supra Kimchio visum erat, sed potius literam paragogicam, novam interpretationem in medium affert: *Nempe τὸ* עצב, in lingua Æthiopica idem significat ac *pretiosum esse*, ut ex Marc. 14: 3. Luc. 12: 23. patet. *Hinc*, inquit, *vertere posses*: *pretiosa faciendo & libando ei libamina, id est pretiosa libamina ei libando. Phrasis est Ebræa, pretiosa fecit, & libavit, pro pretiose libavit, qualem habes Luc. 6: 48.* ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε *fodit & profundavit, pro profunde fodit.*

§. 6. Hanc ingeniosam explicationem viri doctissimi suo loco relinquimus, minime ignari, eum ex Æthiopica lingua Ebræis vocis obscurioribus & semel tantum occurrentibus lucem esse fœneratum. Diffiteri tamen non possumus, cum τὸ עצב alias ut autor concordantiarum Ebraicarum monet, duo significata in Scripturis habeat, primo מה שפירושו דאגה *doloris laborisve*: deinde מה שהוא כנוי לעבודה או עמל אלילים, *cultus idolorum*, nihil causæ nos videre, quamobrem posteriorem significationem verbo huic tribuere dubitemus, & aliter vertamus, quam *ad tribuendum ei honorem simulachri*, id quod cum effingendo, vel imaginem placentis imprimendo, tum religiose venerando, ab Israëlitis fieri potuit. Dixi effingendo id fieri potuisse, quomodo Tigurini intellexerunt, dum verterunt: *fecimus ei placentas ad effingendam eam.* Cujusmodi quid gentibus, quarum simias Judæos sæpius fuisse, liquet, fuit receptum, cum ex farina, saccaro, & mellita siligine Deos fingere, easque comedere vel adorare solebant. Ad ejusmodi impressiones respicit Martialis, lib. 14. Epigrammat. 122. cujus titulus *Pistor dulciarius*:

Mille

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruit, huic uni parca laborat apis.

Latinus tamen Interpres generaliter vertens, ad *colendam eam*, an eo respexerit, incertum est. Verbum Ebræum, quod in Conjugatione tertia hic legitur, Jobi 10: 9. occurrit in secunda ac ut Chaldæus reddidit, *formare* significat. Quam significationem Arabicam vocem عصب habere AbenEsra monuit. Licet vero in ipsa radice hoc se haud observasse scribat Cl. Hottingerus Smeg. Oriental. lib. 1. cap. 7. diffiteri tamen non potest, τὸ معصوب inde derivatum, Arabibus hominem *valde compacta carne, eleganti corporis structura & symmetria præditum notare*, unde & ipsum verbum *formandi* significatione occurrere apud Arabes, AbenEsræ fidem habemus. An vero in tertia conjugatione Hiphil apud Ebræos, itidem *formare* significet, id eo difficilius est dictu, quo rarior verbi usus est in sacris. Id tamen, ut ante monuimus, patet, versionem illorum, qui reddiderunt: *ad commovendam seu contristandam Reginam cœli, ut nostræ miserta calamitatis manum porrigat auxiliatricem*, minime omnium probabilem esse.

§. 7. Cum vero ita divino, eoque soli Deo debito cultu Lunam afficerent Judæi, num idem illi senserunt ac Zeno, de quo Stobæus in Eclogis Physicis. Τὴν σελήνην ἔφησεν ἄστρον νοερὸν καὶ φρόνιμον? Videri queat, tale quid de illis sibi persuasisse Kimchium, quum τὸ העציבה per *exhilarare* reddidit. Sed hoc eos credere Scriptura vetabat, quæ ortum, naturam, & usum Siderum eis exposuerat. Ex qua etiam Judæi, uti apud R. Mosen Maimonidem, comment. in Mischnam Sanhedrin cap. X. patet, articulum quintum fidei Judaicæ exstruxerunt, quo solum Deum εὐλογητὸν colendum esse docent, stellas non item: לפי שכלם מוטבעים על פעולתם אין משפט ולא בחירה: *eo quod illæ omnes sint affixæ suæ operationi sine judicio & electione.* Hinc etiam Rabbi Abarbenel comm. in cap. 7. Jeremiæ scribit: שאין ספק שהיו הרשעים ההם יודעים שהככבים לא ירעו וגם היטב אין בהם אבל היו עושים זה למען הכעים את בוראם: *Illos scivisse, penes stellas neque lædendi neque benefaciendi facultatem esse, sed hoc tantum fecisse, ut creatorem suum irritarent.* Unde insignem improbitatem in eis fuisse oportet, quam vel solum illud Prophetæ obloquendi studium arguit, nullis minis, nullis quantumvis toties iteratis dehortationibus expugnabile, & invito Deo creaturas coli, gnaros, nihilominus in ἀστρολατρείᾳ perrexisse, argumento est, ad malitiæ pervenisse eos fastigium.

§. 8. Cum finem nostro Exercitio Academico imponere chartarum jubeant angustiæ, silentio præterire neutiquam debet, quod Disp. XVIII. Manual. A. C. recenset B. D. Hulsemannus, fœmellarum illarum Judaicarum vocem impiam Deoque abominabilem suam facere haud dubitasse Januensem ArchiEpiscopum, qui Mariæ Virgini honorem divinum asserturus, eam *reginam cœli* vocat, *cui quamdiu invocationis placentas libamus, saturari nos pane cœlesti*, scribit: *eos autem qui eam non honorant, habere penuriam gratiæ & gloriæ, consumi fame consolationis divinæ & gladio tentationis diabolicæ.* Quæ si olim legisset Erasmus adhuc justiorem causam habuisset conquerendi *religionis summam vergere ad ceremonias plus quam Judaicas.* Quas, ut æmulari alias gaudent Pontificii, idque sibi laudi ducunt, ita hic ne idololatrarum quidem sermone uti dubitavit ArchiEpiscopus ad adstruendam similem, & nonnisi Collyridianis, ipsi Epiphanio hæresi 79. pridem notatis hæreticis receptam ἐθελοθρησκείαν.

M. JOH. CLODII

DISSERTATIO

De Magia Sagittarum Nabuchodonosoris ad Ezech. XXI: 26.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM.

Chaldæorum superstitio. Occasio Divinationis à Nabuchodonosore institutæ. Syri error בְּבַר *pro* בְּבַר *legentis. Opinio de* קלקל בחצים *pro sacrificiali actu refellitur.* חץ *unde & quid sit. Junii inconstantia in exsplicanda phrasi dicta.* קסם *est generale respectu sequentium trium actuum. Constructio Verbi cum Nomine conjugato αὔξησιν importat.* קסם *est vocabulum medium & per* Divinationem *recte vertitur. Divinatio quid sit secundum Ciceronem.* קסם *crebrius in deteriorem partem accipitur, quidque tum sit, ex Rabbinis deducitur. Locus Hos. 4: 10. varie explicatur.* Ῥαβδομαντείαν *Israeliticam cum* βελομαντείᾳ *Babylonica male confundi probatur. Quid Seldeno sit* τὸ ἀναβράσαι ῥάβδον *apud LXX. Ritus Magorum in sacris quibusdam virgas myricinas fervefacientium adducitur. Cantio Theogoniæ. Persarum Reges Magiæ initiandi.*

§. I.

Tamenetsi Superstitio fusa est per gentes, & omnium fere animos oppressit, nescio tamen, an ulla gens Chaldææ infamem vanitatis palmam præripuerit unquam. Tanta enim Chaldæorum superstitio, tanta Babyloniorum Idololatria fuit, ut eorum nomina artibus magicis & ritibus superstitiosis ceu propria cesserint. Supersedeo ex profanis asserto fidem conciliare; neque animus est omnia, quæ in sacris monumentis de gentis vanitate prostant, documenta proferre. Sisto unicum ex tribus, quæ de Babyloniorum Monarcha, Nabuchodonosore, annotavit EZECHIEL cap. 21. comment. 26. (Germ. 21.) inquiens; כי־עמד מלך בבל אל־אם הדרך בראש שני הדרכים לקסם־קסם קלקל בחצים שאל בתרפים ראה בכבד: Nimirum Nabuchodonosor ut primum castra movit ex Babylonia, haud dubie bello infestare cogitavit duas gentes, Ammonitarum alteram, alteram Judæorum, idque forte ea fiducia, quod existimabat, fore, ut alterutra se ante dederet, quam ad arma veniret, aut etiam

ut (quod Principes rerum periti ſolent) tum occultiora eſſent conſilia ejus, tum ex rebus propius tentatis & cognitis ſtatueret, in utram harum prius arma convertenda eſſent, id quod ex Arabibus facile poterat reſciſcere. Namque, ut Herodotus prodidit, Reges Babyloniorum in hoc officii genere diligentiſſimos habuerunt adminiſtros Arabas, qui eo quoque nomine, quod conſilia & res finitimorum explorarent, immunes fuerunt ab oneribus apud Ægyptiorum non minus atque Babyloniorum Reges. Ubi vero Nabuchodonoſor partem itineris emenſus fuit, ſtativa elegiſſe videtur, in quibus, uti res & tempus ferebat, conſilia caperet, & quidem, ſi Junio Tom. I. Opp. Comment. in Ezech. folio 975. opinanti credimus, in Batanææ & Syriæ partibus, qua iter erat intermedium aut Philadelphiam (Ebræis *Rabbath* dictam) ad ſiniſtram, aut Hieroſolymam ad dextram petituris. Ibi ergo in bivio omen iſtud, quod dixi, ſuperſtitioſum viæ captavit, idque, ut eo certior redderetur, utram gentem prius adoriri deberet, tergeminum, quorum primum eſt קלקל בחצים, alterum שאל בתרפים *conſilium è Terraphim petitum*, ultimum ראה בכבד *inſpectio jecinoris* (ubi, quod obiter moneo, pro כָּבֵד Syrus legit כָּבוֹד, dum vertit ܚܙܐ ܒܐܝܩܪܗ *inſpexit gloriam ſuam*, contra rationem mutatis aut ſaltem falſo ſubſtitutis punctis.) Hæc vero omnia etſi eodem fine ſuſcepta fuerint, nos tamen in præſenti, ſecluſis poſterioribus, priori curam cogitationemque unice impendemus.

§. 2. Quid igitur ſit קלקול בחצים & quo ſenſu habendum, imprimis ſcire intereſt. Eſſe autem ritum Magicum, confidenter aſſeram, ſimul ac oſtendero futilitatem opinionis atque vim, quam Tremellius & Junius huic phraſi intulerunt. Hi enim cum reddiderint: *terget cultros l. Ebr. diviſorios*, Synecdochice *plurima ſacrificia* denotari volunt in Verſione & Notis folio 243. Nec ſecus Piſcator Herbornenſis *cultros* intelligi exiſtimat, quibus uſi fuerint Sacerdotes in diſſecandis pecudibus ſacrificialibus; ut adeo ſecundum ſententiam illorum *actus ſacrificialis* deſcribatur, in quo Rex Diis ſuis litaturus, eosque ita conſulturus fuerat. Verum ex vano eſt, quod aſſerunt. Ubi enim, quæſo Vos, חץ *cultrum* ſignificat? Nam etſi ſit à חצץ, quod cum חצה quandoque convenit in *dimidiandi* notione, non tamen propterea חץ erit *culter*, eo quod hic *dimidiet vel dividat* cibum aut victimam. Certe ſi Concordantiis habemus fidem, τὸ חץ & חצים in ſacris aliam non habebunt ſignificationem quam *Sagittæ*, *rem in duas vel plures partes ſcindentis & diſſecantis.* Ita enim *ſexies & quinquagies* vocem deprehendo, cui ex Judic. 5: 11. jungam Arquites, ut Vett. vocabant Sagittarios, חצצים ex eadem Radice ſic dictos. Adhæc cur ἐκ μεταφορᾶς phraſin potius explicem quam proprie? Plura non addo, quia opinio ſua ſponte in fumos abit. Ego enim, qui meus ſtupor eſt, *ex ipſius loci natura & aliorum comparatione* ceu *ſimpliciſſimam* hanc interpretationem cum Junio & Tremellio agnoſcere aut amplecti nequeo. Saniorem longe hic ſententiam fovent reliqui Interpretes, qui, quantum mihi conſtat, pæne uno ore & una mente Magicum quid ſubeſſe volunt. Atque, ut verum fatear, nec Junius ſibimetipſi conſtat. Ubi enim l. c. folio 974. verba reddiderat, *tergens cultros*, mox fol. ſeq. tres ait numerari ſpecies Divinationis, quibus Nebucadnezar in conſiliis capiendis uſus fuerit, primam fuiſſe σιδηρομαντείαν, divinationem ex *ferro vel chalybe*, ſecundam εἰδωλομαντείαν, divinationem *ex idolis eorumque oraculis*, tertiam vero *Aruſpicinam.*

§. 3. Cum vero Magiæ fines latiſſimo ambitu contineantur, non erit ut circuitu utamur aut ambagibus, quin potius expreſſo vocabimus nomine DIVINATIONEM, prout, nobis præivit Codex Sacer phraſi לקסם קסם, hæc enim generalis eſt, cui deinde partes ſubjiciuntur, obſervante ad loc. cit. Ezech. Rabbi Iſaaco Abarbanele in Comment. folio 185. a. quando ait: ופי׳ הקסם מהו באמרו קלקל בחצים וכו׳ *Senſus divinationis*, qualis ea ſit, *continetur in verbis* קלקל בחצים *&c.* Et ante eum adhuc expreſſius Rabbi D. Kimchi, cujus Commentarium non pigebit adſcribere, cum non parum lucis phraſi afferat. Ita autem ille: לקסם קסם׃ לראות בקסמיו לאי זה דרך ילך אם לדרך שהיא לירושלם או לאותה שהיא לרבת בני עמון ובאמרו לקסם קסם בא שם הפועל עם הפיעול לחזק הפעולה כמו טבוח טבח והדומים לו שכתבנו ואחר שאמר לקסם דרך כלל פירש הקסם מה הוא ואמר קלקל בחצים וכו׳ hoc eſt, *ad divinandum divinationem, id eſt, ut videat per divinationes ſuas, quanam via ire debeat, utrum via, quæ eſt verſus Jeruſalem, an illa, quæ verſus Rabbath Ammonitarum. Dumque dicitur, ad divinandum divinationem, nomen agentis cum ipſo facto conjungitur, ad vehementiam actionis indicandam, quemadmodum* (Gen. 43: 16.) *ad mactandum mactationem dicitur, & ejus generis alia, quæ notavimus. Et poſtquam dixerat divinationem in genere, deinde exponit divinationem, qua & qualis ſit* (in ſpecie), *inquiens* קלקל בחצים &c. Ubi non ſolum verba hæc à ſequentibus ceu generalia à ſpecialibus diſtinguit, verum etiam auxeſin atque emphaſin conſtructionis Verbi cum nomine conjugato obſervat, cujus exempla plura collegit Buxtorfius in Theſ. lib. 2. cap. 12. Reg. 6. pag 460. B. Glaſſius in Philolog. Sacr. lib. 3. Tract. 3. Can. 32. alii. Et mox laudatus Judæus: וכל זה ממעשי הקסם *iſta omnia* (ſcilicet tria illa Nabuchodonoſoris facta) *ſunt ex operibus divinationis.*

§. 4. Non pœnitebit hic explicare, quid radix קסם in ſua latitudine importet; quam dum ex ſacris literis inquirimus, ἐκ τῶν μέσων eſſe deprehendimus. Eſt enim τὸ קסם (ut verba Magni noſtri GEIERI noſtra faciamus) *rem ignotam reddere planam ac manifeſtam, ſive per media illicita, qualia adhibent arioli, magi aut ſuperſtitioſarum artium cultores: ſive per media licita, ut eſt acrimonia judicii, ſolicite inquirens in rei cauſas, circumſtantias, &c. Priori modo reperies Verbum Deut.* 18: 10. 14. 1 *Sam.* 6: 2. 28: 8. *Ezech. cap.* 21: 21. (qui ipſe eſt locus noſter) 2 *Reg.* 17: 17. *&c. Quorſum pertinet, quod & Pſeudo-Prophetis idem tributum legimus Jeſai.* 44: 25. *Ezech.* 13: 9. 23. 22: 28. *Mich.* 3: 6. 7. 11. *Zach.* 10: 2. *Jerem.* 27: 8. 29: 9. *Poſteriori modo occurrit Jeſai.* 3: 2. *ubi auferre dicitur Deus* קסם *divinantem & Senem. Pariter uſurpari etiam videmus Nomen* קסם *tam de divinatione illicita, Num.* 23: 29. *Deuteron.* 18: 10. 1 *Sam.* 15: 23. *Ezech.* 21: 26. 13: 6. 23. *Jerem.* 14: 14. *quam de licita, quæ per media naturalia aut politica exercetur, ut Proverb.* 16: 10. Hactenus incomparabilis Exegeta Comment. ſuper Proverb. pagina 817. & ſeqq. Qui Latine per *Divinare* & *Divinationem* exprimunt Ebræum קסם, næ illi accuratiſſime rem & nervum tangunt, quum illæ voces non minus de naturali animi ſagacitate, quam magica auguratione & ariolatione caſtiſſimæ Latinitatis Scriptoribus in uſu ſint. Inſtar omnium hic nobis eſſe poteſt Tullius, in duobus, quos de *Divinatione* inſcripſit, libris. Et cum ſemel in Ciceronem inciderimus, lubet ex ipſo audire, quid ſit Divinatio. *Chryſippus*, inquit alicubi in lib. cit. *Divinationem definit his verbis, vim cognoſcentem & videntem & explicantem ſigna, quæ à Diis hominibus portendantur; officium autem ejus eſſe, prænoſcere, Dei erga homines mente qua ſint, quidque ſignificent.* Et alibi de LL. *Divinationem, quam Græci* μαντικὴν, *eſſe cenſeo, & hujus hanc ipſam partem, quæ eſt in avibus cæteriſque ſignis diſciplinæ noſtræ.* Similia habet de N. D. quando μαντικὴν *Græcorum Latine Divinationem* vocari aſſerit; & in de Divinat. iterum: *Divinatio, quam Græci* μαντικὴν *appellant, id eſt, præſenſio & ſcientia rerum futurarum.*

§. 5. Sed hæc in tranſcurſu. Redimus ad verbum קסם, quod frequentius in malam partem accipi, ex ſuperiori inductione conſtabit, ut nimirum ſignet *Divinationem eam, quæ præſtigiis fit aut malorum ſpirituum commercio.* Agnovit illud R. David de Pomis in Diction. hac Radice inquiens: מלה כללת לכל מיני חרטימות לראות את הנולד כמו גיאומנציא נגרומנציא אונומנציא קירומנציא ואחרים זולתם׃ id eſt, *Eſt vox generaliter complectens omnia genera Divinationis, ad prævidendum futura,* (ita enim malo vertere, quam cum Dionyſio Voſſio ad Maimonidis Idololatriam per γενεθλιακὴν) *ut ſunt* γεομαντεία, νεκρομαντεία, ὀνομαντεία, χειρομαντεία, *aliaque præterea.* Rabbi Moſes Maimonides in הלכות עבודת כוכבים וכו׳ cap. 11. §. 6. expoſiturus, quid ſit קוסם *Divinator*, ita infit: זה העושה מעשה משאר המעשיות כדי שישוב ותפנה מחשבתו מכל הדברים עד שיאמר דברים שעתידים להיות ויאמר דבר פלוני עתיד להיות או אינו הווה או שיאמר שראוי לעשות כך׃ hoc eſt, ex Verſione Dionyſ. Voſſii: *Is qui hoc vel illud agit, cogitationibus nulli intentis rei, donec futura prædixerit, ſtatuendo, hoc vel illud futurum, aut iſthuc vel aliud facere oportere.* Et §. ſequ. varia Divinationis genera affert: יש מן הקוסמים שמשמשים בחול או באבנים ויש מי שגוהר לארץ וצועק ויש מי שיסתכל במראה של ברזל או בעששית ומדמין ואומרים ויש מי שאוחז מקל בידו ונשען עליו ומכה בו עד שתפנה מחשבתו ומדבר הוא שהנביא אומר עמי בעצו ישאל ומקלו יגיד לו׃ hoc eſt, iterum interprete Voſſio: *Sunt inter Divinatores, qui utantur arena* (quo ipſo γεομαντείαν deſignare videtur) *vel lapidibus* (en λιθομαντείαν!) *Sunt item, qui humi procumbentes divinent,* (puto hic ἔκστασιν patientes deſcribi) *alii etiam, qui ſpeculum ferreum* (en κατοπτρομαντείαν!) *vel vitreum vas* (en γαστρομαν-

μαντεῖαν!) *inspiciant, ac ubi secum cogitarunt, proloquuntur. Sunt itidem, qui arrepto in manum baculo eidem innitantur, mox terram percutiant, donec cogitata proferant. De hoc Propheta ait;* (Hos. 4: 10.) *Populus meus lignum suum consulit, ut baculus ejus indicet ipsi.* En ῥαβδομαντεῖαν! de qua etiam, licet alio modo explicata, τὸ קסם accipit Rabbi Salomo Jarchi ad Deuteronom. 18: 10. Ita enim ibi: איזהו קוסם האוחז את מקלו ואומר אם אלך אם לא אלך וכן הוא אומר עמי בעצו ישאל וגו׳ hoc est, *quisnam dicitur* קוסם? *qui apprehendit baculum suum atque dicit: ibo, an non?* (id est, interprete Chaskuni, qui metiens baculum digito aut manu alternis vicibus dicit: Ibo, non ibo; atque ita experitur in extremo baculi, utrum ire debeat an non) *& sic dicit* (Hoseas) *populus meus lignum suum consulit* &c. Quanquam citatus Raschius in Commentario ad Hoseam, mutata forte mente, explicuerit de *simulacro ligneo*, secutus Jonathanem.

§. 6. Quanquam vero nobis jam non vacet inquirere in locum Hoseanum qui ex mente plurimorum de ῥαβδομαντείᾳ agit, interim commodum licebit transire ad illud, quod in hoc capite adhuc asserendum, videlicet Divinationem Nabuchodonosoris apud Ezech. fuisse diversi generis ab illa, quæ Israelitis secundum Hoseam tribuitur, quacunque etiam ratione illa explicetur. Mihi enim *Hieronymus & Seldenus* rem præter rationem confundere videntur. Ac Hieronymus quidem Comment. ad Hos. satis aperte contendit, de eodem illic agi genere, de quo egerit Ezechiel, & ibi ῥαβδομαντεῖαν vocat, quod apud Ezechielem βελομαντεία sit, eoque pro iisdem ista duo habuisse apparet. Jungendus Hieronymo è Patribus *Theophylactus* in Hoseam, qui, licet in declarando ipso ritu aliter sentiat, Nabuchodonosorem tamen ῥαβδομαντείᾳ quoque usum fuisse existimat: Itemque ex recentioribus *Hugo Grotius* in Comment. ad Ezechielem, qui nec ipse satis distinguere videtur duas illas Divinationis species, ῥαβδομαντεῖαν & βελομαντεῖαν. Nos, cum nihil cogat à litera abire, eas merito ceu distinctas agnoscimus. Aliud enim sunt חצים, aliud מקל; diversa sunt instrumenta, *Sagitta, baculus s. virga*; diversum quoque intercessisse modum divinandi utrobique, & verisimile est, &, quantum ad Sagittas, inferius paulo demonstrabitur. Opiniones autem de ῥαβδομαντείᾳ Hoseana alibi videri possunt. Nobis enim hic sufficit, nullum ῥαβδομαντείας rituum, prout ab Interpretibus recitantur, cum βελομαντείᾳ Babyloniorum, infra à nobis exponenda, convenire. Nec attinebat, militatum abiturum virga aut *baculo* omen captare belli, in quo pro more *Sagittis* erat pugnandum. Quæ omnia ita sunt comparata, ut βελομαντεῖαν *s. Magiam Jaculorum*, minime vero ῥαβδομαντεῖαν *s. Magiam Baculorum* firment.

§. 7. Quod ad Seldenum, is etsi ῥαβδομαντεῖαν vulgo sic dictam ex loco Ezechielis adstruere nolit, cum neget se satis videre, quomodo τὸ ἀναβέρασαι seu fervefactio, quod LXX. Seniores habent, ad virgas sortium quadret, nihilominus tamen & ipse obelum merebitur, quod ῥάβδον ex LXXvirali Versione acceptare maluerit, quum dicti Seniores, ut infinitis locis aliis, ita etiam hic à fontibus multum recesserint; nisi forte ῥάβδον de Sagitta & τὸ ἀναβέρασαι de expulsione vi æstus facta per metaphoram cum Nonnullis (de quibus infra) velis interpretari, quo ipso discedes à Seldeno, quippe qui propriam retinuit significationem, phrasi τοῦ ἀναβέρασαι ῥάβδους (vel ῥαβδία, ut alii Codd., notantibus Bibliis Anglicanis Polyglottis, legunt) alludi arbitratus ad ritum quendam magicum in sacris, πυραιθεῖα Straboni, Procopio autem πυρεῖα vocatis, quo Persarum Magi virgis myricinis ignem sempiternum tetigerint, suscitarint ac foverint, ubi virgæ illæ tum fervefactæ fuerint. Citat hanc in rem Strabonem libro 15. Geograph. qui ex oculari fide testatur, se Magos in Cappadocia vidisse πῦρ ἄσβεστον custodire, eosque cottidie ingressos in Sacrarium, per horæ ferme spacium accinuisse (Theogoniam, ut Seldenus conjectat, quod Persæ nullum æque in Sacris efficax carmen judicaverint, autore Herodoto libro 1.) & quidem πρὸ τοῦ πυρὸς τὴν δέσμην τῶν ῥάβδων ἔχοντες *fasciculum virgarum ante ignem tenentes.* Et alibi idem Strabo: ῥάβδοις λεπτοῖς ἐφάπτονται *virgis tenuibus tangunt*, quas *myricinas* fuisse Scholiastes Nicandri ex Dione docere potest: μάγοι, inquiens, καὶ σκύθαι μυρικίνῳ μαντεύονται ξύλῳ. καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς τόποις ῥάβδοις μαντεύονται. Apertius autem hunc morem explicat Phœnix Colophonius apud Athenæum XII. Dipnosoph. qui Jambis arguit Ninum, quod apud Magos ignem virgis non attigerit, ut eum exsuscitaret & foveret. Nempe quia ex Persarum instituto Magiæ initiari oportebat, quisquis in regium evehendus erat solium. Verum cum ista & ex ψευδερμηνείᾳ LXX. Seniorum oriantur, & meris nitantur conjecturis, non est ut diutius iis immoremur. Manet interim, קלקל בחצים esse genus divinationis per sagittas, quod aptissima nomenclatura BELOMANTEIAN jam ante nuncupavimus.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Transitio ad modum βελομαντείας. קלקל *quid significet Hebræis. Neque maledictionem neque perditionem hic designare potest.* קלקל פנים *quid sit Ecclesiast. 10: 10. Adjectivum* קלל. *Quod Radix* קלל *levitatem inferat. Duæ sententiæ probabiles de* קלקל. *Opinio de κατοπτρομαντείᾳ, ejusque Patroni. Sententia de levi & veloci motu seu jactu Sagittæ, ejusque defensores. Sententia Hieronymi & sequacium. Mos inscribendi nomina sua sagittis. Polychronius & Hieronymus circa LXX. notantur. Græcorum βέρασαι cum compositis quid sit. An de arcu commode dici queat. Hieronymus de commixtione sagittarum in pharetra vapulat.* בבל *unde sit. Opinio de κατοπτρομαντείᾳ deseritur, & pro βελομαντείᾳ, quæ jactu sagittarum exercetur, pronunciatur, & quidem ex tribus fundamentis. Mater viæ quid Ebræis & cur ita dicatur Bivium. Cur Nebucadnezar in bivio constiterit. Bivia à Sagis & Magis frequentari amant.* קלקל *levem & velocem motum ac conseq. jactum significat. Targum, Syrus, Arabs itemque nonnulli Rabbini de* קלקל בחצים. *An βελομαντείᾳ fuerint additæ imprecationes.* קלל *in Piel maledictionem signat. βελομαντεία Babylonica non est confundenda cum βελοβολίᾳ Jonathanis.*

§. I.

Reposuimus hucusque Magiam Nabuchodonosoris in classe Divinationum, sed à Magia baculorum diversa. Nunc vero altius proferendæ cogitationes ad investigandum modum, quem in βελομαντείᾳ sua observasse Regem Babylonicum verosimile est. Latet ille sub notione קלקל, quæ forma non nisi semel adhuc legitur, puta Eccles. 10: 10. & non solum vi Radicis (קלל) verum etiam ex usu *levitatem* importat, sive ea jam opponatur *asperitati*, sive *gravitati*; ut adeo vel *polituræ*, vel *velocitati v. g. motus* respondeat. Etsi enim ista Radix יפרד לארבעה ראשים dicente Rabbi Nathane in Concordant., id est, *quatuor significata habeat, nimirum maledicendi, levitatis, perdendi & poliendi*, primum tamen hic ἀπροσδιόνυσον esse ultro patet; tertium vero, accurate loquendo non Ebræum & Biblicum, sed Chaldæum & Rabbinicum est; quamvis illud citante Buxtorfio in Concordant. suos & hic & Jerem. 4: 4. inveniat amatores. Ita enim lego apud Rabbi Salomonem Ben Melech in מכלל יופי fol. 133. a. קלקל בחצים בהכפל הפ"א והוא מענין ההרס וההשחתה כמו שאמרו כל המקלקלים פטורין: id est, *Verbum* קלקל *habet primam radicalem geminatam, significatque destructionem & perditionem, quemadmodum dicitur; Omnes* המקלקלים *id est, vastatores sunt immunes.* Ut adeo sensus foret: *perdet sagittis.* Verum quam inconveniens nostro loco sit hæc Chaldaica significatio, vel nuda textus συνέχεια docere valet.

§. 2. Itaque quod ad notionem *poliendi*, pro illa militat locus jam citatus Ecclesiastæ, quo findens ligna jubetur קלקל פנים i. e. *exacuere & polire aciem securis* (hoc enim est פנים, explicante R. Sal. Jarchio per פיהם וחדודם *os earum & aciem earum*), ut R. Nathan non immerito dicat, significationem ejus esse לטוש וחכוך *acuendi & expoliendi.* Facit huc Adjectivum קלל tersus, *politus* instar æris Ezech. 1: 7. Daniel. 10: 6. Alteri autem sensui favet communissima hujus verbi significatio, qua *levitatem* sive quantitativam sive qualitativam (ut barbare loquar) infert. Provoco ad inductionem Conjugationum omnium, provoco ad derivata verbi קל, קלל & קלקול:

ut R. Nathan alteram radicis קלל significationem recte iterum dicat esse לשון קלות *levitatis.* Harmoniam Chaldææ, Syræ, Arabicæ & Æthiopicæ Lingg. lubens prætereo.

§. 3. Atque hic geminus verbi significatus geminam quoque præbuit expositionem Interpretibus de modo Divinationis Babylonicæ, ita ut alius ad κατοπτρομαντείαν vel (ut Junius loquitur) σιδηρομαντείαν, alius ad βελομαντείαν specialim reduci queat. Illi enim, quibus *lævigandi & poliendi* notio placet (placet autem plerisque Interpp. Pagnino, Ariæmontano, Buxtorfio, Bibliis Anglicanis Polyglottis, Belgis &c.) significari volunt *genus divinationis Catoptromanticum, quod augures in splendenti cuspide, velut in crystallo vel ungue, futura inspexerint.* Atque ita tersisse volunt Babylonios sagittas vel ferrum earum, ut splenduerit, inque eo splendore velut in speculo cognovisse, quid voluerint. Exemplum κατοπτρομαντείας habet Spartianus de Juliano, qui Severi adventum & Juliani decessionem per speculum ferreum vidisse memoratur. Quod interpretamentum etsi recentiorum commentum vocitet Del-Rio in Disquis. Magic. lib. V. cap. 2. quæst. 7. sect. 3. pag. 567. Edit. Mogunt. in 4. invenio tamen R. Davidem Kimchium (quamquam non sit paris cum Hieronymo vel LXX. Senioribus ætatis vel autoritatis) jam ita accepisse hunc locum. Ita enim ille in Comm. ad eund. : ופי׳ קלקל כמו והוא לא פנים קלקל והוא שמחדדין ומלטשין פני ברזל החץ עד שיהיה בהיר מאד ורואין בו בעלי הקסם כמו שרואים בבהן או בצפורן לבהירות הצפורן וכן רואים בסיף וכן במראה וכן רואים בככר שיש לו בהירות וכו׳ i. e. *Significatio Verbi* קלקל *eadem est, quæ in verbis : & ipse aciem non* קלקל *acuit* (Ecclesiast. cap. 10: 10.) *& sensus est, quod acuant & poliant aciem ferri sagittæ, donec fiat valde splendida, quam deinde Divinatores inspiciunt, sicut in pollice manus splendorem unguis inspicere solent. Similiter quoque inspiciunt gladium, speculum, jecur candidum* &c. quod totidem verbis exscripsit R. Abarbanel in Comment. l. cit. Ante Kimchium autem Menachem, pro se itidem citans locum Ecclesiastæ, notante R. Salomone Ben Melech loc. cit., itemque loca Ezechielis & Danielis, de ære polito, quod Raschius prodidit.

§. 4. Contra qui τὸ קלקל in significatu *levis & velocis motus* capiunt, atque adeo per *allevavit, leviter & velociter movit vibrando*, explicant, βελομαντείαν præcise defendunt, ejusque modum ita declarant, Nabuchodonosorem, cum dubitasset, utram urbium, Rabbatham an Hierosolymam, adoriri oporteret, sagittas aliquot collectas sive manu in altum jecisse, sive arcu in aërem ejaculatum fuisse, atque adeo eorum casum, dextrorsumne an sinistrorsum recidissent, observasse, ac eo quidem, ut dixi, consilio, ut sorte experiretur, Hierosolyma, quæ ad dextram sita, an Rabbatha, quæ sinistram tenebat, oppugnanda prius foret: quod consilium & κατοπτρομαντείας Patroni agnoscunt, quemadmodum ex toties citato Kimchio iterum disserit R. Abarbenel, inquiens: ובשלשת מיני הקסם האלה ראה נבוכד נצר אם ילך לירושלם שהיתה לצד ימינו או לרבת בני עמון שהיתה לצד שמאלו וכו׳ i. e. *per tres illas Divinationis species vidit Nebucadnezar, an proficisci deberet Hierosolymam, quæ erat ad latus dextrum, num versus Rabbath, filiorum Ammon, quæ erat ad latus sinistrum.* Hæc obiter. Cæterum sententiam istam de jactu sagittarum amplectuntur Cornelius à Lapide Comment. in h. l. Hector Pintus Lusitanus Comment. in eund. loc. pag. 302. 309. Nec displicet Martino Del Rio loc. cit. qui pro illa etiam citat Rabbi Josephum, & probabiliter quoque Paraphrasten Chaldæum; de quibus infra pluribus.

§. 5. Paulo aliter βελομαντείας modum explicat Stridonensis Presbyter *Hieronymus*, Comm. in Ezech. Hic enim quum τὸ קלקל (perinde ut Vulgatus) reddidisset per *commiscuit*, modum divinandi dein ita exponit; *Stabit* (Nabuchodonosor) *in ipso compito, & ritu gentis suæ oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram, & commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus singulorum, ut videat, cujus sagitta exeat, & quam civitatem debeat oppugnare. Hanc autem Græci* βελομαντείαν *seu* ῥαβδομαντείαν *nominant.* Hactenus ille, cujus sententia sagittam cum inscripto Hierosolymæ nomine primum extractam fuisse oportet. Eundem fontem sapere videtur, quod habet Fridlibius Comment. ad h. l. f. 877. *Erat mos Regum Chaldæorum, ut in bellum exituri sagittas magico ritu Astrologorum opere conficerent, urbium & gentium nomina, quas invadere volebant, inscriberent, hinc commixtas invicem, cœco manuum assumtu, quamcunque sagittam capesserent, illius gentem vel urbem primo armis capesserent.* Nec adeo multum abludit Junius l. cit. *Sortes dextra in urnam conjiciebantur. Cum autem binæ inter se sortes comparatæ essent, de obsidione Jeruschalaimorum & Rabbathæ, credibile est, ambabus manibus sortes eductas esse ita, ut quæ sortitio ad dextram futura esset, ea divinitus imperare videretur. Nebucadnezar igitur, sive quisquis ad mandatum ejus urnæ admovit manum, dicitur h. l. ad dextram habuisse illud pyctacium sortitionis (quod divinatio dictum* μετωνυμικῶς*) cui hæc verba inscripta erant* ירושלמה *versus Jerusalem.* Hæc ille. De cætero, quæ morem Vett. attinent in inscribendis sagittis, illasque signando nominibus suis, (cujus rei exemplum affert Themistius Orat. IV. in Sophista) huc non pertinent. Interim Curiosus adire poterit B. Ursinum in Analect. lib. V. n. 27. p. 284.

§. 6. Jo. Seldeni opinionem nolo repetere, cum natales suos nacta fuerit ex LXX.virali Versione, quæ nos parum movet, quippe ab Authenticis tabulis in totum abiens. Etsi enim Polychronius (DelRii fide l. c.) ἀναβράσαι ῥάβδον velit phrasi Ebræa dictum pro *misit seu jecit sagittas*, ἀντὶ τοῦ ῥίψαι βέλη, ταύτῃ γὰρ τῇ λέξει ἐχρήσατο καὶ ὁ Ἑβραῖος, ut verba ejus habent; Hieronymus quoque addat, LXX. hic non tam sensu quam verbis dissentire, cum illud ἀναβράσαι seu *ebullire* nihil aliud sit quam velociter exire sive ascendere; ægre tamen adduci possum, ut credam, LXX. Seniores phrasi impropriissima *jactum sagittarum* exprimere voluisse. Id equidem non ignoro, Suidæ ac Hesychio τὸ βράσαι idem esse quod ζεῖν, ἀναβάλλειν, *bullire, æstuando expellere, vi æstus & agitationis ejicere*; nec abnuerem, ἀναβράσαι accipi posse pro ἀποβράσαι *fervendo seu æstuando exspuere & eructare.* Verum unde fidem facient, Seniores per ῥάβδον intellectam voluisse sagittam? Seldeno certe non persuadebunt. Nec ratio erat, cur ῥάβδον potius dicerent quam βέλος. Denique non adeo commode sive ἀναβράσαι sive ἀποβράσαι dixeris de arcu ejaculante sagittas, aut (secundum Hieronymi opinionem) de manu educente sagittas ex pharetra. De mari, ejiciente ἐκβράσματα, itemque de aqua fervente atque ebulliente, occurrere memini apud Dioscoridem, Philonem, alios; sed ibi æstus locum habet.

§. 7. In hoc sententiarum divortio nobis quoque in compitis velut constitutis divinandum est, quænam Divinationis Babylonicæ via hic loci omnium commodissima & accommodatissima sit. Eam vero dum paulo diligentius excutio, B. Hieronymus oppido displicet. Nullum in textu *Commixtionis* vestigium adest. Diversa vocabula sunt קלל & בלל, à quo ἀναλόγως fieret בלבל, cujus, cum ipsum inusitatum sit in Codice Ebræo, documentum exhibet nomen Regionis, è qua Rex noster βελομάντις oriundus, בבל, priori ל expuncto ἀφωνίας χάριν, ut posterius λάμβδα extrusum est in γολγοθᾶ pro γολγολθᾶ, ab Ebr. גלגל Vid. doctissimus Vir, Samuel *Bochartus* in Phaleg. f. 69. Sed hoc incidenter. Opinio autem de Catoptromantico Divinationis genere nobis videtur esse subtilior quam verior. Etsi enim politura Sagittæ neutiquam aliena sit à Verbo קלקל, (quam proinde etiam Belgæ retinuerunt vertentes: Hy sal sijne Pijlen slijpen) non tamen sine causa in dubium venio, cum eo modo res nimis ambagiosa (cum Agellio loquor) phrasi efferatur, siquidem parum à triplicata abfuerit metalepsi, ferrum Sagittæ polire, pro eo quod est inspicere ferrum Sagittæ politum, indeque augurium facti capere. Accedit, quod sequens phrasis vs. 27. non adeo apta sit futura Divinationi Catoptromanticæ, ubi dicitur *ad dextram fore divinationem*; melius autem βελομαντείᾳ, qua Sagitta nervo velociter excussa ex alto rediens dextrorsum cadit.

§. 8. Quid igitur vetat, quo minus illi præferamus eam, quam modo dixi βελομαντείαν, qua Nabuchodonosor in bivio constitutus ad capiendum omen viæ duas vel tres sagittas in altum ejaculatus fuisse creditur, visurus, dextrorsum an sinistrorsum caderent. Ut autem isthanc βελομαντείαν Catoptromantiæ præferam, non parum me movet *locus stationis*, qui h. l. memoratur fuisse אם הדרך *mater viæ* vel via gemellipara, quæ periphrasis est *Bivii*, siquidem hoc duas quasi videtur parere vias. Ita enim declarant Rabbini, è quibus produco R. Davidem Kimchium ad h. l. נקראת אם הדרך שהדרכים פונים אליה והיא להם כאם והם לה כבנות: i. e. *bivium vocatur mater viæ, quia duæ viæ ad illud divertunt, quibus instar matris est, & hæ illi sunt instar filiarum.* Similiter compilator ejus R. S. B. M. אמצע הדרך שהדרכים פונות לה מזה ומזה נקראת אם הדרך לפי שהיא כאם לדרכים הפונות אליה והם לה כבנות i. e. *medium viæ, quo duæ viæ ab utraque parte divergunt, vocatur mater viæ, ideo quod illud velut mater est viis, quæ declinant ad illud, hæ autem ad illud se habent velut filiæ.* Nec aliud vult Raschius cum suo קא״רפור בלעז, quod *mater viæ* in vernacula vocetur *Quarrefour*. Id vero Gallis *quadrivium* est. Sed quid multa? Bivium h. l. intelligi mox ἐξηγητικῶς docetur per ראש שני דרכים quod est *caput duarum viarum.*

Neque

Neque vero sine ratione in bivio divinationem instituit, quoniam omen viæ captabat ad alterutrum latus, dextrum aut sinistrum, quorum alterum, quod ad dextrum, iter versus Hierosolymam, alterum, quod ad lævum, Rabbatham repræsentabat. Ad utrum ergo latus vel rectius viam sagittæ excussæ caderent, eam ingredi destinavit. Quod si jam κατοπτρομαντείαν instituisset, certe in bivium egredi vix opus habuisset. Etsi enim in vulgus notum sit, quantum biviis tribuant Magi & Sagæ, dum conventicula sua ibi agere perhibentur, omnia tamen magica opera, quale etiam est κατοπτρομαντεία, non nisi in bivio fieri posse, nemo, arbitror, affirmare audebit. Quis enim fando non audivit, Crystallomantas iis, qui furta requirunt, fures in crystallo, speculo &c. domi ostendere?

§. 9. Adhæc *notio* קלקל non est aliena à nostra sententia. Neque enim repugnat, eam de *levi & veloci motu vel jactu* explicare. Prævivit nobis ipse Codex Ebræus Jerem. 4:24. ubi התקלקל de *levi & veloci motu* collium adhibetur, ad quem locum observare juvabit expositionem Jarchianam, quæ ita habet: נתקו ונזרקו ממקומן ועם קלקל בחצים חברו מנחם h. e. *dimovebuntur & dispergentur* (colles) *à loco suo; & Menachem confert hoc cum* קלקל בחצים (Ezech. 21:26.) Quid vero mirum, in simplici conjugatione obtinere significatum, quod in derivata habetur? His denique jungo *Suffragia* tum aliarum Versionum; tum Rabbinorum. Favet nostræ expositioni Targum Jonathanis, quod transtulit phrasin per קשת בגרריא *ejaculatus est sagittas*; favet Syrus, qui legit: ܫܕܐ ܓܐܪ̈ܐ *emisit sagittam*; favet Arabs, qui Regem divinando inquisivisse ait ليسترمي سهما *projiciendo sagittam.* Quibus etiam addendus est B. Lutherus, daß Er mit denen Pfeilen umb das Loß schiesse / qua de re plura habet in glossa marginali. Ex Rabbinis nostram expositionem firmant R. Jonas, R. Joseph Kimchi atque alii, de quibus audiamus autorem Michlal Jophi, hunc in modum disserentem; רבי יונה פירש לשון תנועה בענין הקלות h. e. *Jonas exposuit de motione propter significationem levitatis.* Et mox: כלומר צוה לירות החצים למעלה ואם יפול החץ לצד בני עמון ילך שם וכן דעת יונתן שתרגם קשית בגרריא h. e. *quasi dicat, præcepit* (Rex) *ut ejacularentur sagittas sursum; quod si sagitta ceciderit in latus Ammoniticum, illuc iturus erat. Et hæc etiam est sententia Jonathanis, qui vertit: De arcu mittebat sagittas.* De Josepho Kimchio testatur quoque filius, David, inquiens: וא"אזל כתב קלקל ענין קלות כלומר ירה החצים והפריחם באוויר לראות לאי זה צד יפלו וכו': h. e. *pater meus, f. m. scribit* קלקל *significare levitatem, q. d. jaculabatur sagittas & volare faciebat eas in aërem, ut videret, ad quodnam latus caderent &c.* Nec dissentire videtur R. Salom. Jarchi, quando ad phrasin nostram ita infit: ליהט בלהט חצים זרק חץ כלפי למעלה והיא פונה מאיליה לימין או לשמאל ולמקום שהיא פונה הוא הגורל h. e. *incantavit incantationem sagittarum, jaciendo sagittam sursum versus, quæ declinet ex seipso ad dextram aut sinistram, & ad locum illum, quo declinat, sors est.* Ita ille.

§. 10. Utrum autem βελομαντείᾳ isti *imprecationes & diræ hostium* additæ fuerint, ingenue me nescire fateor. Etsi enim præfracte id inficiari nolim, interim tamen nemo mihi persuadebit, ut ex radicali verbo קלל, quod in Piel sæpissime *maledicendi* habeat significationem Levit. 20:9. c. 24:14. Jerem. 15:10. &c. id affirmem cum Non-nemine in Antiqq. Biblic. fol. *667.* qui postea prolixam digressionem instituit ad locum nostrum de *diris & exsecrationibus Veterum.* Id equidem me non fugit, קלל in Piel esse לשון קללה, ut loquitur R. Nathan, seu *maledictionis* significativum, interim diluta nimis consequentia, ab unius formæ significatione ad alterius velle colligere. Aliud est קלל, aliud קלקל. Homiletis istam observationem atque ἔμφασιν condonabo, Antiquariis autem & Philologis neutiquam.

§. 11. Hæc de βελομαντείᾳ Regis Babylonii, cum qua cave confundas *ejaculationem trium Sagittarum Jonathanis* 1. Sam. 20:20. & seqq. descriptam, siquidem intentio utriusque jactus multum diversa fuerit. Jonathan enim instituto artis licitò in salutem Davidis jaciebat, Nabuchodonosor autem opera Magica eoque illicita urbis exitium quærebat. Rectissime Jonathanis jactum [illegible] R. Salomo in Commentar. ad l. c. Samuel. ejaculatum illum fuisse sagittas למטרה in *scopum*, ut ne puer intelligeret; idque fuisse Davidi signum לנחש אם צריך לברוח *ut augurium caperet, num ipsi aufugiendum esset.* Fusius autem hac de re disserit R. David Kimchi, qui ternarium sagittarum numerum ad tres dies, quibus in agro abditus foret, refert כי שלשת החצים יורה לסימן שלשת הימים שיהיה נסתר בשדה, ne quis forte magicum quid ternario subesse existimet. Et de scopo inquit, Jonathanem misisse sagittas ad latus lapidis Asel להיות לי האבן כמטרה לשלוח שם לי הנער ללקט החצים והדבר שאמר לנער יהיה לך סימן אם הנה אם הלאה כי שמה לא אוכל לדבר פנים בפנים וכו' h. e. *ut sit mihi* (introducit enim Jonathanem loquentem [illegible]) *lapis iste in scopum, ut mittam illuc puerum ad colligendum sagittas, idque, quod puero loquar, erit tibi signum, num huc an illuc eundum sit, quia ibi tecum coram loqui non potero &c.* Sed non est, ut his diutius immoremur, cum Jonathanem à Magiæ crimine sua facile absolvat pietas.

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

Confirmatio sententiæ de Sortilegio. Usus ῥαβδομαντείας *apud Chaldæos, Scythas, Slavos, Germanos veteres &c. Quod* βελομαντεία *etiam aliis gentibus in usu fuerit, licet diversi generis ab ea, de qua hactenus. Sortilegium Arabum tribus sagittis factum. Item Sabæorum. Sammaël Sabæorum & Judæorum quis sit. Arabum* بي سهام *An* βελομαντεία *strictè dicta Tataris usitata fuerit secundum relationem M. Pauli Veneti.*

§. 1.

Exposui hactenus, quid mihi videatur de קלקל בחצים Nabuchodonosoris, ejusque sortitionis modo. *Ad sortium* enim *genera referri hanc divinationis speciem* (sunt verba B. Dieterici in Antiquit. Biblic. fol. *661.*) *satis edocent circumstantiæ; quæ an apud alias quoque gentes usitata fuerit, non constat; referturque inter eas Idololatriæ species, quæ per accidens eveniunt, atque vocatur* נחוש *à* נחש *auguratus est &c.* Etsi vero illius βελομαντείας exempla exacte paria proferre non habeam, alios tamen ejus modos adscribere non pigebit, quod illi procul dubio primam Originem Chaldæis debeant. Nam sicut ῥαβδομαντεία à Chaldæis ad Scythas, ab his ad Slavos, ab his ad Germanos devenit (vid. de Chaldæis Scholiastes Nicandri ex Dione supra citatus, de Scythis & speciatim quidem Alanis Ammianus Marcellin. lib. 31. de Slavis Adam. Bremensis Narrat. Eccles. cap. 6. de Germanis Tacitus de moribus eorum cap. 10. &c.) ita βελομαντεία, cujus tam multa vestigia in veteri & recentiori historia equidem non invenio, quam illius, haud dubie lucem vidit in Chaldæa, unde ad Arabes, Sabæos, Turcas, Persas, Tataros aliasque gentes superstitiosas dimanavit.

§. 2. Divinationis igitur per sagittas documentum mihi occurrit apud antiquos *Arabes*, qui ut de successu & felici eventu itineris ineundi, uxoris ducendæ, vel alius magni ponderis negotii suscipiendi edocerentur, sagittarum ope usi fuerunt. Ritum hujus sortilegii ex Ebnol Athir & Comment. Beidavi in cap. V. Curani Cl. Pocockius ad Specim. Histor. Arab. Abul. Faraji pag. 328. & seqq. explicat in hunc modum: Habuisse illos tres sagittas fasciculo inclusas, quarum primæ inscriptum fuerit أمرني ربي *jussit me Dominus meus*; secundæ نهاني ربي *prohibuit me Dominus meus*; tertiæ autem غفل *nulla nota insignis erat.* Extrahentibus igitur unam, si occurreret illa, quæ juberet, tanquam monente Deo, pergere; si illa, quæ vetaret, desistere à cœptis, sin ἀγράμματος illa, reponere suevisse, donec prodiret, quæ vel jussu præiret vel interdicto occurreret. Atque illam per sagittas divinandi rationem etiamnum apud Muhammedistas manifesta superstitionis antiquæ vestigia servare docet.

§. 3. Arabibus subjicio *Sabæos*, ceu Arabiæ felicis incolas, qui ut superstitiosissima fuerunt gens: ita non mirum, Sagittarum Magiam apud illos in usu fuisse. Ii ergo cum certi esse voluerunt, cultum mystæ & religionem suam Deo placere, id beneficio Sagittæ inquisiverunt. Quia enim menstruum Dei cultum peragebant, in τελεσιουργίᾳ mensis tertii blasphemos pariter & satis ridiculos se præbuerunt, prout rem enarrat Muhammed Ben Isaac in M. S. Nimirum die XXVII. dicti mensis non solum sacra fecerunt Sammaëli (quod Diaboli nomen est, cujus crebra apud Talmudicos fit mentio.

Vid. R. Maimonides in מורה נבוכים l. 2. c. 30. & Buxtorfius in Lex. Talmudico f. 1495.) tanquam Deo الذي يطير النشاب *qui sagittas volare facit*, i. e. qui sagittarum ictum & jactum dirigit; verum præterea Cumar seu Sacrificulus ridicule nimis se gerit. Ipse enim sagittam, quæ ignem ex attritu ligni cujusdam, apud Harranæos frequentissimi, concipit, duodecies ejicit, deinde humi instar canis repit, & ex duobus linis, sagittæ adjunctis, de religionis sinceritate cultusque perfectione judicium facit & conjecturam. Quod si enim lina ista aut vertex ignitus (ita enim vocem دوصبن vertit Hottingerus Hist. Oriental. pag. 270.) extincta fuerunt, inde conjecerunt, cultum sacrificuli & religionem Deo non esse gratam. Sin autem contrario modo evenisset, contrarium tulerunt judicium.

§. 4. Pergerem nunc ad Tataros, vel, ut vulgo efferunt, Tartaros, quandoquidem hos in βελομαντείας exemplum citat Hugo Grotius ad l. nostrum Ezech. ex M. Paulo Veneto de Rebus gestis Tartar. lib. 1. cap. 53. (ita enim corrigendum sphalma pro 43.) verum quia ῥαβδομαντείας potius specimen nobis exhibere videtur, (ut in Autore, Helmstadii Latine edito pag. 78. b. historia sonat,) quam βελομαντείας, dum arundinis mentio saltem fit, malo chartæ parcere, cujus angustia etiam nos hic cursum sistere jubet.

ተፈጸመ::

JOH. GEORG. BUCHEIM

DISSERTATIO

De Μεταμορφώσει Regis Nabuchodonosoris. ad Dan. IV.

PROOEMIUM.

Res secundæ insolescere adeo faciunt homines, ut ausim dicere, feliciorem eum esse, qui adversam, quam qui secundam experitur fortunæ aleam. Ubi enim nimium blanditur, terret; ubi vero adversa est, meliora sperare jubet. Quo magis blanda homini arridet fortuna, quoque magis extollit homines, eo citius in præcipitia incautos trahit. Nam quis nescit, quanti sæpe è summa felicitate, è purpura & sceptro ad ultima miseriarum devenerint? unde hoc? Inde, quod pedem inconstans fortuna stabili loco nunquam figat. Vicissitudines opum, vitæ felicitatisque semper illa minatur. Utinam vero hoc illi perpenderent sedulo, quos in excelsum locum evexit fortuna. Prudentes sane, rerumque fortunæ gnari ita animati sunt, ut, ubi Vota fortunam superare viderint, adversa cogitent; si arridet illa præter spem, memores sint minarum; si in sinum quasi dormientibus dona effuderit, excipiant cum tremore. Sed quid nimium accuso inconstantem incertumque fortunæ lusum? Uti enim communi, ita vera, si christiano sensu explicetur, plerumque dicitur sententia: quilibet fortunæ suæ faber est. *Exempla hujus rei in profanis pariter ac divinis prostant Monumentis. Ex his si unum saltem desideras, ne longius discedamus, en Nabuchodonosorem, quantum Regem! quem, cum divina Majestas ex singulari bonitate ad summum honoris fastigium extulisset, insolescens deinde animus ac tumens in extremum miseriarum calamitatisque statum detrudebat. Dum enim viribus se suis metiri oblitus erat, ecce viribus mox omnibus exutus, inferior omnibus evasit. Quod divinæ Nemesis justitiæque argumentum cum impræsentiarum ventilare animus sit, ut, quid de illa insperata metamorphosi statuendum, intelligatur, Deum statim in partes vocamus, Eundemque supplices veneramur, velit sua Gratia auxilioque nostris qualibuscunque conatibus adspirare, quo juxta censuram Verbi Ipsius proponantur omnia, inque ejus Gloriam vergant feliciter!*

§. 1.

De metamorphosi Nabuchodonosoris breviter atque ita dicturi, ut prætermissis iis, quæ Criticorum hic esse studia possunt, historiæ lux eruatur, hujusque veritati sua constet certitudo, id agemus, ut primum & falsarum explicationum vanitas in aprico ponatur, & deinceps, quid de re ipsa sentiendum statuendumque sit, clarissime intelligi possit. Quod opus quando aggredimur, id forte supervacaneum erit, pluribus hic in antecessum commonuisse, ne quis nostram metamorphosin confundere instituat cum μετεμψυχώσει Veterum quorundam; (sive pro hac sententia Pythagoras, quod plerumque fieri solet, sive quis alius allegetur, quod nunc nostrum non est uberius disceptare cum August. (a) Philopono, (b) & recentioribus, qui Pythagoram non nisi moralem & maxime ἀκύρως ita dictam animarum Transmigrationem asseruisse putant; quamvis tamen explicatio sententiæ vix ac ne vix quidem consentire cum voce sui autoris videatur, & aliunde constet, non unius paradoxi parentem Pythagoram extitisse) cujus assertio cum maxime ipsi rationi adversa sit, & merito movere sui autores poterat, ut ab omni esu carnium abstinerent, ne cognatorum animabus injuria quædam inde accederet, ac *bubulam quis de aliquo suo proavo obsonare posset*; (quod facete Tertull. Apologetici cap. 49.) conf. de

(a) *L. 7. de Gen. contra Manich. c.* 10. (b) *L. 1. de anima ad text.* 53.

de his plura (c) non tamen defuerunt, qui abſurdam opinionem ſuam facere in tantum voluerunt, ut Nabuchodonoſoris Transſmutationem non aliam fuiſſe crederent, quam quæ Pythagoræis ſtatuebatur animarum μετεμψύχωσις. Quo nomine ab Holſtenio citantur Rabbini quidam, qui teſtatur, ſe audiviſſe, quam mordicus hanc de μετεμψυχώσει ſententiam ex hac Danielis hiſtoria defendere ſategerint. Quos vero velim id accuratius aliquanto perpendiſſent, quam toto cœlo diſcrepet, dicere, animam ſeparatam à corpore tranſmigrare in aliud, & affirmare, Corpus ſive totum ſuppoſitum transformari in aliam ſpeciem.

§. 2. Quod ipſum uti nulla explicatione indiget, ita noſtrum potius erit, Veritatem hiſtoriæ contra Origenis errorem (ut Henr. Salmuth (d) atque Origenianos ſectatores taceamus) ante omnia eruiſſe. Cujus Viri uti proclivis alias in errorum devia lapſus fuit, (quamvis non neſciamus, quod excuſatum eundem non modo ex veteribus Ruffinus atque Socrates (e) iverint, quos inter *ille* in apologia pro Orig. ſcripta errores ejus, qui in libris Orig. inveniuntur, à calumniatoribus injectos eſſe affirmat, *hic* conviciatorum nomine ac maledicorum appellare non dubitavit eos, qui, quæ Origenes tradidit, reprehendere ſunt conati; ſed inter recentiores etiam pro defendendo Orig. inprimis laboravit Huetius in Origenianis) ita Allegoriarum ſtudium maxime in eo & plus quam decebat ſemper deprehenſum eſt; unde recte ex Hieron. Ribera (f) *allegoricus* (ſc. Orig.) *ſemper Interpres & hiſtoriæ fugiens veritatem, ita enim amat allegorias, ut earum cauſa ſæpe tollat hiſtoriam, ut liberius dicat, quicquid in buccam venerit.* Quod ſtudium hic ſic ſe exeruit, ut, quæ de Nabuchod. tranſmutatione in ſacris referuntur, non *hiſtorice*, ſed *parabolice* duntaxat narrari, ſubque Regis nomine caſum Luciferi præcipitiumque è Cœlo depingi, ſibi perſuaderet. Qua ſententia nec abſurdius quicquam dici poterat, nec quod ipſam ſcripturæ literam magis everteret, à qua abire velle abſque urgente neceſſitate audacis eſt, & Spiritus S. ſenſum ad ſui intellectus normam exigentis. Bene Hieron. & alii hanc Orig. opinionem eſſe hæreſin pronunciant, cum ex ſimplici narratione ejus facti pateat, hiſtoriam eſſe, & ſcriptura clare dicat, *omnia hæc venerunt ſuper Nabuchod. Regem*, quæ nimirum ipſe ante ſibi in ſomno patefacta pronunciaverat. Ut illud taceam, quod ipſi Ethnici falſitatis reum agere Origenem poſſint, quibus de Luciferi lapſu nihil innotuit, Nabuchod. tamen caſus non uſque adeo ignotus fuit, quo minus Alphæus (g) apud Euſeb. (h) ex Annalibus Chaldæorum Abydeni agnoverit, *Nabuchod. cum intumuiſſet, & ſuper Palatium ſuum aſcendiſſet, divinitus furore correptum eſſe.* Conferantur, qui hujus etiam hiſtoriæ veſtigia apud paganos ſcriptores extitiſſe quondam, teſtes ſunt Simſonius (i) & Schotanus; (l) de Origenis vero errore vide Stengel. (m)

§. 3. Quemadmodum vero gravius omnino hac in parte aberravit Origenes, qui veritatem hiſtoriæ omnem ſua hac ſententia evertere potuiſſet; ita non illi tamen penitus excuſandi ſunt, qui quaſi à latere fidem rei geſtæ petere, eandemque ſubleſtam reddere mala interpretatione ipſius actus metamorphoſeos conati ſunt. Quos inter fuerunt, qui partim nimia ſubtilitate ſeducti, in explicando ſenſu hiſtoriæ defecerunt, partim in enarrando modo & ratione facti durius aliquid ſtatuerunt, circa definitionem tranſmutationis hujus exceſſum committentes.

§. 4. In prima claſſe illos merito collocamus, qui morboſam tantum, quæ & imaginaria ſive melancholica aliis nominanda venit, fuiſſe hanc metamorphoſin Nabuchodonoſ. aſſerunt, ut plerique Patres (*) atque alii. (†) Quale genus ægritudinis ſi Medicos audire placet, oriri ſolet ex perturbata per nimiam atræ bilis copiam phantaſia, ubi homines ſe in lupos, boves, feles &c. commutatos eſſe, falſo ſibi perſuaſum habent, ea omnia imitantes, quæ ejuſmodi animal, quod ſe eſſe imaginantur, agere ſolet: quo modo conſtat, fuiſſe quoſdam adeo mente abreptos, ut ſe habere naſum in prodigioſam longitudinem exporrectum, crederent; alios vero, qui ſe ex vitro vel cera eſſe confectos, ſe fictilem eſſe urceum putarent, unde ſeſſum capientes leviter conſederunt; ut recte Dilherr. in Elect. pag. 232. *Metamorphoſis melancholicæ plures eſſe ſpecies* dixerit, *quam nomina.* Quamvis talis immutatio phantaſiæ quandoque etiam proficiſci poſſit ex hauſtu ſanguinis aut comeſtione cerebri brutorum quorundam. Unde Sennertus (††) *obſervatum & annotatum eſt*, inquit, *à Mart. Weinrichio* cap. 15. de monſtris, *puellam hauſto felis ſanguine, felis naturam ex intervallo induiſſe, & quod id animal in ædibus ſolet, id illam imitatam, voce, ſaltu, geſtu; cum mures in ſilentio venaretur, idque tam diu, dum paroxyſmi vehementia remiſiſſet.* (n) Qua de re vero non Theologorum eſt ex profeſſo diſquirere, utut ex eorum ordine non defuerint, qui hoc in argumento etiam aliquid tentarunt, ut Balduin. (o) Gejerus, (p) Danh. (q) Brochm. (r) ſed id omne ad Medicorum conſiderationem ſpectat, qui de perturbatione phantaſiæ hujusque cauſis inveſtigandis inprimis ſolliciti eſſe ſolent, agnoſcente illud Sennerto. (s) Quorum curæ id etiam decidendum relinquimus, utrum pro eorum opinione veritas militet, qui omnem, quæcunque in hiſtoriis reperitur, metamorphoſin atræ bilis exceſſu & morboſo affectu contigiſſe exiſtimant. Cui ſententiæ alias favent Paulus Ægineta, (t) Avicenna, (u) Langius (x) Hieron. Mercurialis. (y) Qui omnes ſi non alia ratione, exemplorum tamen perſpicuitate convinci facile poſſe videntur, ut ſibi perſuadeant, ſuas partes hic etiam non negligere Diabolum, quod vel à Luth. (z) diſcere atque Brentio (a) Theologis poſſunt, qui huic rei fidem per notiſſima exemplorum documenta fecerunt. Ut id taceam, quod Diabolus ita aliquando illudere ſenſibus, oculiſque offundere tenebras ſoleat, ut removendo rem, quæ antea præſto erat, aliam aut ſe ipſum quandoque, aſſumpta adſcititia forma ſubſtituere mira celeritate conetur; quod idem illos ipſos etiam, quos ſub beſtiarum forma cupit apparere, ferarum exuviis aptiſſime induat; quod denique membris humanis conflatum ex aëre Corpus belluæ circumdare ſoleat. Conf. hac de re Balduin. (b) Biermann. (c) Stengel. (d) Licet id non negem, quod, quæcunque in transformatione rerum accidunt, ut plurimum ægritudini phantaſiam corrumpenti potius, quam præſtigiis diabolicis debeantur, quod negare etiam non audent Schottus & Friderich. ll. cc.

§. 5. Quod tamen nolim de Nabuchodonoſore tranſmutato ſtatuatur, ubi *ſola* affectio morbi, quæ phantaſiam corrumpere ſæpe potens eſt, illum effectum habere non poterat, quem magno ſui detrimento perſentiſcere infelix transformatus Princeps debebat. Quicquid ergo hic ſenſerint plerique Patres, qui, ſi Delrioni (e) fides habenda eſt, negant, Nabuchodonoſorem formam bovis ſeu bovini corporis effigiem induiſſe, ſed duntaxat volunt, ſic mente abalienatum fuiſſe, ut ſe bovem crederet; quicquid etiam pro hac ſententia ſtatuant Hier. Mercurialis, (f) Franc. Valleſius (g) & Pomponatius; (h) non tamen ſufficiunt, ut nobis perſuadere poſſint, non niſi ab ægritudine aliqua profectam eſſe tranſmutationem Nabuchodonoſoris. Placent hic verba Stengelii, qui pro

(c) *Apud Magnificum & Summe Reverendum Dn. PRÆSIDEM, Præceptorem ac Patronum noſtrum devotiſſime Venerandum, in Diſſert. de μετεμψυχώσει Pythag.* (d) *qui hac de re ad Panciroll. rer. memorabil. L. 1. de equis p. 475. aliis 228. Part. 1. conferri poterit.* (e) *Lib. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 13.* (f) *in Proœm. Malach.* (g) *hic quibusdam Alphæus dicitur, aliis Megaſthenes.* (h) *L. 9. de præpar. Evang. cap. penult. XLI. fol. 456.* (i) *in Chronol. Catal. part. 3. p. 110.* (l) *in Bibl. S. Vet. Teſt. de 70. annis Captiv. Babyl.* (m) *de monſtris, cap. 10. add. Schottus in Phyſ. Cur. Lib. 3. p. 509. Corn. à Lap. in Daniel. p. 1308. & Schotanus l. c.* (*) *vid. Delrio in Disquis. mag. p. 190.* (†) *nempe Hier. Mercurial. L. 1. Pract. c. 17. Pomponatius Lib. de Incant. Cap. 12. (de quibus confer B. Gerh. in Loc. Theol. T. 8. de morte §. 156.) & quadantenus etiam Jo. Lud. Vives in Comment. ad Aug. Lib. de Civ. Dei L. 18. c. 18.*

(††) *In Inſt. Med. L. 2. P. 3. Sect. 1. c. 7.* (n) *Plura vid. in Diſput. de Lycanthrop. §. 6. habita ſub Præſid. Summe Reverendi, Excellentiſſimique Dn. D. Samuel. Schelgvigii, Præceptoris mei ac Patroni ſubmiſſe devenerandi.* (o) *in Caſ. Conſc.* (p) *ad Daniel. p. 371. 374.* (q) *in Colleg. Pſychol. Diſp. 1.* (r) *in Syſtem. Theol. T. 2. de morte, cap. 2. Caſ. Conſc. 12.* (s) *in Inſtit. Med. 1. part. 3. cap. 7.* (t) *citantibus Eund. Schotto & Bodino.* (u) *conf. Joh. Friderich. in Orat. de Lycanthr.* (x) *in Epiſt. Medic. 1:70. p. 413.* (y) *conf. de eo Kornmann. de mirac. Vivor.* (z) *in Colloqu. Convival.* (a) *in C. 1. Ep. ad Gal.* (b) *in Caſ. Conſc. p. 555.* (c) *in Diſp. de Mag. Act. pag. 683.* (d) *de Monſtris, quibus addantur Jo. Ad. Oſiandr. in Theol. Caſ. P. 1. p. 549. ſequ.* Voetius *Part. 1. Diſp. Select. p. 938.* Nicolai *de mag. act. p. 133.* Delrio *in Diſqu. Mag.* Schottus *L. 1. p. 113. ſeq. & 126.* Voſſius *de Idol. Lib. 3. cap. 41. p. 945. & Lev. Lemn. L. 2. de Complex.* (e) *in Diſq. Mag. p. 190.* (f) *L. 6. variar. Lect. c. 20. contra quem diſputant B. Gerh. in Loc. Theol. T. 8. & Danh. in Colleg. Pſycholog.* (g) *de ſacra Philoſ. C. 80. p. 461.* (h) *de Incant. C. 12. p. 290. vid Gerh. l. c.*

nobis loquatur, cum exacte negotium dijudicaverit; (i) *modus iſte*, ait, *non ſufficit, & merito dicitur à Cornelio non adæquatus, quia nullus naturalis morbus figuram hominis mutat, neque temperamentum ejus ita efferat, ut per ſeptem annos cibo ferino, & quaſi fera cum ferinis vivat. Neque ſane Regi reliquæ in ſylvis feræ pepercissent, ſi mutatio iſta fuiſſet in ſola illius phantaſia, quam non vidiſſent. Et eſto, protegi à Deo ſic etiam potuiſſet contra vim aliarum beſtiarum, certe neque Daniel, neque cæteri ſatrapæ eum ex aula in ſylvas eliminaſſent, ſi vidiſſent nihil in eo, niſi phantaſiam corruptam; ſed eum domi catenis alligatum aut conclavi cohibitum cuſtodiiſſent, donec ad ſe rediret, ſicut & alii inſani cuſtodiuntur.* Easdem adducit rationes Schottus, (l) cum quo conferantur Danh. (m) Corn. à Lap. (n) Thomas Barthol. (o)

§. 6. Neque vero multum abludit ab hac Eorum, de quibus diximus, ſubtilitate Michaëlis Medinæ (p) & Jo. Vierii (q) ſententia, qua ſtatuerunt, non fuiſſe veram atque realem Regis transformationem in beſtiam, neque quoad animam, neque quoad corpus, ſed mere præſtigiatoriam, factam ſecundum hanc vel illam præſtigiarum Diaboli artem modumque, quod in Lycanthropis tentare hic μυελοπεχνίτης ſolet; idque eo modo factum eſſe, ut ſolum ſibi ac aliis viſus fuerit Rex in bovem mutatus. Vellem vero, id nobis ex ſcriptura legerent Medina & Vierius, quod de Diabolicis præſtigiis in hac metamorphoſi regia tuto ſibi perſuadent. Sane res hæc omnis longe ſuperioris potentiæ erat, & illius opus procul dubio, *qui ut omnipotens*, dicente Auguſt. (r) *omnia poteſt facere, quæ voluerit, ſive vindicando ſive præſtando, quod firmiſſime credendum.* Huic ſoli reſervatum, formam propriam & naturalem hominis in aliam tranſmutare, non vero Dæmoni, qui nihil operari valet ſecundum naturæ ſuæ potentiam, niſi quod DEUS ipſi permiſerit, cujus judicia occulta ſunt multa, injuſta nulla. Et quid? nonne ipſa ſcriptura teſtis eſt, DEO ſoli hanc de Nabuchod. ſumptam nemeſin adſcribendam eſſe, *qui vel mentem ſuperbi Regis turbavit ipſe, vel cauſis ſecundis ſive melancholiæ nativæ vim ſuam reliquit*, ut loquitur Bartholinus. (s) Adde, Diabolo etiam permiſit fortaſſis, ut in ipſo furore verſantem Regem exagitaret magis, & inſtar furioſi & obſeſſi hominis hinc inde per luſtra ferarum duceret propelleretque. Quorum nihil eſt, quod Medina exiſtimat, Regem ſibi atque aliis apparuiſſe tantum, quaſi in bovem mutatum. Ecce enim, *Cor ejus ab humano mutetur*, inquit DEUS, *& Cor beſtiæ ipſi detur, & fœnum ut bos comedat, & capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creverunt, & ungues ejus quaſi avium.* Quæ verba non phantaſiæ quandam corruptionem, ſed permutationem, quæ revera acciderit, nemine non intelligente, inſinuant. Ut illud taceam, quod neque Daniel, neque reliqui hujus Monarchæ miniſtri Regem in ſylvas relegaſſent, ſi animadvertiſſent, eundem, phantaſia corrupta, ſibi tantum videri beſtiam; qualis affectus & ſuperari facile poterat, & ab hominum conſortio Regem dimovere non debebat. Rex ipſe, priſtinæ conditioni & dignitati reſtitutus, ſponte fatetur, *ſenſum ſuum figuramque eſſe reverſam ad ſe*: quam ergo antea ablatam ab ipſo fuiſſe, opus omnino erat. Aliis autem ſi viſus fuit permutatus, non ipſe revera transformatus, tum hæc mutatio quid quæſo erit, quam nuda ſimulatio & ex aliorum duntaxat opinione talis, regia ægritudo. Nec magis ad rem facit, quod *Medina* atque alii id fortaſſe etiam fieri potuiſſe autumant, ut DEUS circa corpus Regis circumponeret figuram quandam beſtiæ, ſub qua cum cerneretur ab aliis, beſtia putaretur: hoc enim ſi verum eſt, neque cor ipſum Regis mutatum fuit, & cor feræ ipſi datum, neque divinæ pœnæ gravitatem perſentiſcere usque adeo impius Princeps potuit; nuda hæc fuiſſet ſimulatio, & ex opinione aliorum tantum divinitus immiſſa vindicta Regem corripuiſſet. (t)

§. 7. Atque ita hactenus defecerant in explicanda re geſta, qui *leviorem*, quam par erat, divinæ Manus vindictam exiſtimantes, neſcio quid aliud, quam metamorphoſin genuinam hic ſibi fingere videbantur; non poſſumus tamen non & iis ſuccenſere, qui *durius* hac in parte decernendo, Nabuchodonoſorem non quidem totum in feram fuiſſe mutatum, attamen *quoad partem* ipſum ſubſtantialem expertum eſſe transmutationem aſſerunt; ſcilicet interius formam hominis, i. e. animam rationalem Regem retinuiſſe, exterius vero mutatum eſſe in figuram bovis anterius, & leonis poſterius, exiſtimant; qua ratione etiam cornibus taurorum more armatus, jubis vero & cauda leonina inſtructus eſſe debuit. Cujus ſententiæ aſſertores habemus Dorotheum (u) & Epiphanium; (x) quibus ſi quid augurari licet, viam erroris ſternere potuit, partim quod verba Textus ipſa habeant: וְעִשְׂבָּא כְּתוֹרִין לָךְ יְטַעֲמוּן *& herbam ſicut bobus tibi in cibum guſtandam dabunt*; (i. e. *dabitur*, vel concedetur herba ſecundum indolem Linguæ S. cum tertia perſona verbi ſine nominativo expreſſo imperſonalem inferat ſenſum, perinde ut in illis verbis: לִבְבֵהּ מִן־אֲנָשָׁא יְשַׁנּוֹן *cor ejus ab homine mutabunt*, i. e. *mutabitur*, à Me ſcil. non ab alio) partim quod Verſio LXX. Interpretum ita legat, καὶ χόρτον ὡς βοῦς ἤσθιε, αἱ τρίχες αὐτοῦ ὡς λεόντων ἐμεγαλύνθησαν, h. e. & gramen quaſi bos comedit; pili autem quaſi *leonum* excreverunt. Quorum prius aliquam Regis cum bobus æqualitatem, poſterius ſimilitudinem cum leonibus inſinuare videbatur; utrumque absque fundamento, cum & interpretatio LXX. viralis cum authentico Textu parum conſentiat, qui pilos non leonum, ſed *aquilarum* nobis recenſet, & ipſe S. Codex hoc eodem loco ſui agat Interpretem, utrumque aſſerendo, tam quod Nabuchod. herbam, uti bos comederit, tum quod capilli unguesque in ſtupendam excreverint longitudinem, qua avibus aſſimilabatur; (ſive id negligentia hominis inſani, ſive copia ſucci atri craſſique, qui continuum incrementum dabat, contigerit, perinde eſt) quod in bovem quadrare non poteſt, qui nec longis capillis, nec unguibus prolixis inſtructus eſſe, nemini non deprehenditur. Qua ratione non poſſumus non induci in eam ſententiam, ut exiſtimemus, verba Textus hoc loco non in ſenſu *abſoluto* capienda eſſe, ac ſi Rex in bovem quoad ſubſtantiam mutatus, herba victitaverit; verum in ſenſu *comparativo*, quod nimirum ipſe comederit herbam, non ſecus ac bos eam comedere ſolet; alioqui non reſtitutus, ſed novus profecto homo creatus appellandus fuiſſet, quod nec ipſe S. Textus admittit. Scilicet victu non humano, ſed belluino paſcebatur Rex, idque exemplo plane ſingulari demonſtratæ per potentiſſimam efficaciam divinæ Vindictæ, qua fiebat, ut qui humano gaudebat temperamento, cibo tamen beſtiarum inpræſentiarum veſci poſſet. Quod ſi cui mirum videri poterit, eum cogitare velim, quod conſtet, etiam Samaritanos columbino ſtercore 2 Reg. 6. prodigum filium furfuribus porcorum ſuſtentare vitam potuiſſe, Luc. 15. & gentem illam æthiopum, quæ Pamphagi dicuntur, herbis tantum & obviis quibuslibet rebus paſci eſſe ſolitam, ſi Plinio (y) fides eſt; ut taceam, illos Arabiæ populos, quos ſerpentibus comedendis fuiſſe aſſuetos, ac inde Ophiophagos dictos, aſſerit Solinus cap. 36. neque jam regia vivendi ratio impoſſibilitatis alicujus accuſari poterit. Liceat illud addere, quod nimium abſurdi videantur, qui Regem & in bovem, & in leonem transformant, nam ex homine, bove, leone triplex monſtrum efficiunt. Quamvis enim demus, aliquam veri hominis partem, imo plures poſſe eſſe membra aliarum beſtiarum; idcirco tamen minime concedimus, omnes ejusdem partes ac membra (inprimis præcipua) poſſe eſſe ſufficiens animæ rationalis inſtrumentum. Unde etiam docere ſolent naturalis hiſtoriæ Scrutatores, Satyras, Centauros & ſimilia monſtra, ſi qua ſunt, potiora membra habere hominis. Imo neque Poëta de Minotauro affirmat, animam hominis Corpus totum bovis fuiſſe, ſed

Semibovemque Virum, ſemivirumque bovem

dicit, quod corporis una pars hominem, altera bovem retuliſſet.

§. 8. Gravius tamen procul dubio lapſus eſt Bodinus, qui (z) & in ſcripto contra Jo. Wier. ſubſtantialem Nabuchodonoſoris ex homine in brutum transmutationem propugnat, aſſerendo, eum aliquandiu in bovem eſſe commutatum, figuramque humanam revera ipſi ademptam. Cui ſententiæ quando illud pro fundamento ſubſternit, quod ipſe S. Textus innuat, *cor ejus ab humano immutandum, & cor beſtiæ ipſi dandum eſſe*, לִבְבֵהּ מִן־אֲנָשָׁא יְשַׁנּוֹן וּלְבַב חֵיוָא יִתְיְהִב לֵהּ nihil tamen efficit; hæc enim transmutatio cordis humani in ferinum

(i) *L. de Monſtris p. 323. ſeq.* (l) *in Phyſ. Cur. pag.* 511. (m) *in Colleg. Phychol. p.* 29. (n) *in Dan. p.* 1308. (o) *in Ep. Medic. Cent. 2. Ep.* 100. *p.* 734. (p) *L. 2. de fide cap.* 7. (q) *L. 1. de præſtig. Dæm. cap. 24. & L. 4. C.* 1. (r) *L.* 18. *de Civ. Dei cap. 18. p.* 591. (s) *in Ep. med. l. c.* (t) *Conf. hac de re* Pruckneri *Vindic. in Daniel. p. 211. ſeq.* Thummius *in Tract. de Sagar. impiet. pag.* 46. *Schottus pag.* 510. *Stengel. l. c.*

(u) *In Synopſi Eccl. Hiſt.* (x) *in Vita Daniel.* (y) *L. 6. hiſt. nat. c.* 30. (z) *in Dæmonolog. L. 2. C.* 6.

num phraſi Hebræa non niſi mutationem cordis, quam *accidentalem* appellare ſolemus, quæ qualitatum, motuum ac operationum in corde peractarum eſt, inferre poteſt. Scilicet Cor in divinis Literis idem eſt, quod Mens & Intellectus, it. quod voluntas & appetitus: quod enim cor eſt in corpore, hoc ratio & voluntas eſt in anima ac toto homine. Cum igitur beſtiæ nec mentem habeant, nec voluntatem, loco mentis phantaſia pollent, quæ eas earumque actus regit, & loco voluntatis gaudent appetitu ferino. Quando ergo S. Textus ait: *Cor feræ detur ei*, idem eſt, ac ſi diceret Spiritus Sanctus, adeo ſpoliabitur Rex omni rationis facultate ac uſu, ut, quantum ad externas actiones, inter illum & beſtias ne tantillum diſcriminis futurum ſit, ita privabitur ſenſu humano, ut pro eo phantaſia feræ detur ei, & appetitus ferinus. Cæterum ſi ſecus ſe res habet, atque ſubſtantialis nihilominus hic intelligitur Transmutatio, oportuiſſet eum, ut in integrum poſtea reſtitueretur, è beſtia in hominem mutatione ſubſtantiali tranſiiſſe, cum tamen ex S. Codice conſtet, Regem ſola ſenſus reſtitutione actuali convaluiſſe: id quod ipſe fatetur, dicens, *& ſenſus redditus eſt mihi*, in quæ verba hæc annotavit *Hieron. quando dicit Rex, ſenſum ſibi redditum, oſtendit, non formam ſe amiſiſſe, ſed mentem.* Poſſem illud addere, quod alii exiſtimant, (ducti verbis illis: *donec ſcias, quod dominetur Excelſus*, hoc eſt, donec ex tua pœna DEUM ſcelerum Vindicem agnoſcas, & ab Eo Veniam poſcas) Regem per intervalla ſaltem aliquem rationis & priſtinæ dignitatis ſenſum habuiſſe; idque ideo accidiſſe, ut intelligeret, ex quo ſtatu decidiſſet, in miſerrimam omnis calamitatis abyſſum prolapſus. Quod ſi cum veritate facti conſentit, tanto durius erit ſtatuere, ſubſtantialem hic interceſſiſſe mutationem, à qua toties repetitus ad humanam eſſentiam regreſſus accidiſſe ſtatuendus eſſet, quoties intervallum aliquod tale Nabuchodonoſori contigiſſet. (a.)

§. 9. Quando vero ſatis hucusque diſceptatum eſt cum iis, qui in explicando ſenſu Spiritus Sancti aut *deficiebant* à veritate facti, aut *exceſſum* committebant, id jam agamus, ut, qualis tandem Regia Transformatio ſecundum ipſam Spiritus Sancti explicationem fuerit, intelligatur. Ubi id fateri neceſſum habemus, quod, quantumvis inficiandum non ſit, in transmutatione regia ad gravitatem mali aliquid addidiſſe morboſam melancholiam, quæ phantaſiam permutaverat, DEI tamen inprimis juſta & à Rege promerita Vindicta ipſum commutarit in beſtiam, ea metamorphoſi, quæ non ſubſtantiam tollebat, ſed facultates Animæ atque Corporis *accidentaliter*, graviſſime tamen immutare deprehendebatur. (*) Niſi enim ipſi eadem Anima manſiſſet, & idem Corpus, non vera eſſent, quæ de ipſo in Dan. referuntur; non fuiſſet idem, qui peccaſſet, ſed bos pro eo, ſicut olim cerva pro Iphigenia, Regis Agamemnonis filia, ſubſtitutus pœnas dediſſet. Addo, ſi non eandem Animam rationalem retinuiſſet, tum ea ut Spiritus mutanda fuiſſet in irrationalem & materialem; imo illa abſente, Nabuchodonoſorem mori, vel nova forma ſuccedente reviviſcere, neceſſum habuiſſet. Et ſi corpus belluinum accepiſſet, tunc anima humana Corpus bovis informaſſet, neque debita ſibi organa habuiſſet, (cum unaquæque forma requirat peculiares & ſibi proportionatas Diſpoſitiones in corpore) quod non magis fieri poteſt, quam ſi anima bovis Corpus hominis informaret. Scilicet in ipſa Anima Regis *Intellectus* mutabatur, cum ipſe ſe putaret belluam, ſylvas adiret ſponte, fœnum ut bos appeteret, hominum reſpueret conſortia, beſtiarum vero eligeret ſocietatem. *Judicium* corrumpebatur, cum non admitteret conſilia, non intelligeret eligere bonum, fugere malum, diſtinguere inter humanas atque belluinas actiones non poſſet. *Memoria* rerum hactenus geſtarum, nec non diſciplinæ à teneris ſibi traditæ penitus interciderant. *Senſuum* humanorum Uſus graviſſime lædebatur, cum quoad *tactum* non ſentiret æſtus ac frigora, roremque Cœli & pluvias ſuper ſe cadentes, aliasque Cœli injurias. Inde evenit, ut veſtes corpori adimeret, nudus incederet, Cibos ferinos, *ſtomacho* jam corrupto, appeteret, iidemque, *palato* vitiato, ipſi ſaperent; tandem ut graminis fragrantiam ſicuti bos, *odoratu* turbato, modis omnibus ſectaretur. Hanc Animæ ſtupendam metamorphoſin ſubſequebatur ultimo Orationis humanæ immutatio; Cui enim Rationis uſus plane ademptus eſt, hunc etiam oris linguæque humanæ uſus deſtituit, ut articulatas humanasque edere voces minime poſſit, nam *λόγος προφορικὸς τοῦ λόγου ἐνδιαθέτου ἐνέργημα καὶ δείκνυμα ἐστί. oratio externa orationis internæ ſoboles atque index eſt.* Quod alii ita efferunt: *Locutio ſequitur imaginativam facultatem: pro ut enim homo vel anima imaginatur, ſic & loquitur*, hoc eſt, *vocem dat.* Ubi igitur ferina eſt imaginatio, uti erat in Rege, ibi & ferina vox. Beſtiarum ergo voces imitatus Nabuchodonoſ., inconditas brutorum more voces ſonabat.

§. 10. Par erat in *Corpore* corruptio: primum enim illud ipſum ligabatur catenis ferreis, quod furioſis menteque captis ac obſeſſis evenire ſolet, ne vel in ſeipſum ſæviret vel aliis etiam vim inferret. Nihil eſt, quod hic Grotius verba Textus: *& alligetur vinculis ferreis*, trahat ad Regnum firmum & inconcuſſum, ſicut ea ſunt, quæ ære & ferro tenentur. Hæc enim allegaſſe, refutaſſe eſt. Parum etiam ad rem facit, quod Lyranus & alii abſurde exiſtimant, verba Textus *allegorice* interpretanda eſſe de ſpiritualibus vinculis, ita ut per vincula *ipſum Dei decretum infrangibile* ac ſententia de ejectione Nabuchodonoſ. è Regno intelligatur. Nam ſane ubi Spiritus Sanctus Hiſtoricum agit, non adeo facile abire ab inſtituto hiſtorici credendus eſt, ut proprium verborum ſignificatum in allegoricum mutatum velit. Id quidem largiar, proprie intelligenda verba non eſſe: *ponam hamum meum in naſo tuo & frænum meum inter labia tua*, (quod Regi Aſſyriorum minatur Deus Eſai. 37: 29.) ſed ut ea nobis objicerentur, cauſæ nihil erat, cum alia plane ſit ratio comminationum & divinarum & enarrationis hiſtoricæ, inprimis ubi reliqua omnia, quæ & antecedunt & ſequuntur, non niſi proprium ſenſum habent. Quem ita amplectimur, ut dicamus, fieri potuiſſe, ut initio inſtar furioſi hominis vincula Regi injecta fuerint, ne vel ſibi, vel aliis violentas inferret manus; ſed cum hæc vincula furorem ejus ac ſævitiam magis deinde exaſperarent, nihilque iisdem ſe proficere, animadverterent miniſtri regii, remotas has compedes eſſe, ut libera Regi permitteretur in ſylvis locisque aliis ſpatioſiſſimis divagatio; quamvis alii opinentur, ipſum ſua ſponte diſruptis vinculis vagam ferinamque elegiſſe vitam, quemadmodum alias Dæmoniacis uſu venire ſolet, ut initio compedibus vincti conſtringantur, poſtea nihilominus, iis diſruptis, in montibus monumentisque vitam degere inſtituant. (b)

§. 11. Quicquid ejus rei ſit, non in eo ſiſtebatur ſumta de corpore Regis Vindicta divina, Victus etiam, greſſus atque habitus priſtini immutatio accedebat. Cibum certe cum beſtiis capiebat, & ad earum etiam ſimilitudinem pronus, manibus pedibusque reptabat, adeoque humum ſpectando non Cœlum ut bos incedebat, more Anthapathitarum, qui inſtar quadrupedum incedere ſoliti fuiſſe memorantur. Idcirco pedes ejus, brachia & manus calloſæ ac duræ fieri poterant, ut bovinis ungulis aut calcibus equinis ambulare videretur. Addunt nonnulli, genuum vertebras Regis fuiſſe inverſas, extrorſum ſcilicet more boum prominentes, ideo, ut pari cum bobus celeritate curreret. Nam ſi genua ipſius introrſum humano more fuiſſent plicata, ad ejusmodi ſaltum celeritatemque Nabuchodonoſorem ineptum fuiſſe arbitrantur. Ita Gellius (c) refert, populos quosdam ſingularis velocitatis veſtigia pedum habere retro porrecta, non ut cæterorum hominum prominentia. An cornua habuerit, quod quidam aſſerunt, nimis incertum eſt, quamvis pictores Regi eadem tribuere plerumque ſoleant. Si cornua quædam adnaſci ei potuerunt, factum id eſſe temperamento humano in ferinum

(a) *Conf. B.* Gerh. *Tom.* 8. *LL. CC. de Morte*, §. 156. Danh. *in Colleg. Pſychol. Diſp.* 1. Brochm. *Tom.* 2. *Syſt. Theol. de morte*, *cap.* 3. *Caſ. Conſc.* 12. Geierus *in Daniel. pagina* 334. *&* 371. Pruckn. *Vindic. in Daniel.* 4. Barthol. *in Ep. Medic.* (*) *Ita ſtatuunt Theologi noſtrates & alii, puta Danhauerus in Colleg. Pſychol. Diſput.* 1. *Controv.* 5. *obj.* 1. *Gerhardus, Balduinus, Brochmannus & Geierus ll. cc. Jo. Andr. Oſiander in Caſ. Conſc. Part.* 1. *pag.* 549. *Chriſt. Matthiæ in Theatro hiſtor. p. m.* 86. *ſequ. Cornelius à Lapide in Daniel.* 4. *Thom. Bartholinus in Epiſt. Medic. Cent.* 2. *Epiſt.* 100. *& in Miſcell. de morb. Bibl. pag.* 68. *Schottus l. c. Wierus de Præſtig. Dæmon.* 1: 18. *&* 3: 1. *Voëtius in Diſp. Select. Part. I. pag.* 941. *& qui primum omnium mihi nominandi fuiſſent, Magnificus DN. PRÆSES in Diſput. de* μετεμψυχώσει *Pythag. cap.* 3. §. 6. *& Summe Reverendus atque Excellent. Dn. D. SCHELGVIGIUS, in Diſſert. de Lycanthrop.* §. 47. *Præceptores ac Patroni mei ſancte ſuſpiciendi.*

(b) *Conf. Marc.* 5: 2. *ſequ.* (c) *L.* 9. *cap.* 4.

num commutato, dicendum est; quo modo in fabulis Actæones cornutos hinc inde reperimus. Id aliis probandum relinquimus, utrum dentes superiores Rex amiserit, quorum materia in cornua missa sit, ut hac ratione boum instar fœnum commodius carpere ac ruminare posset. Capillos quod attinet, illi in morem Aquilarum excreverant, adeo ut totum fere corpus velut palla contegerent. Ubi id maxime disquiri solet, quæ ratio fuerit, quod in morem *aquilæ*, non alterius animalis crines excreverint. Relinquimus hic aliis cogitata sua, qui vel propter felicitatem pristinam Nabuchodonosoris (cum aquila felices successus & victoriam portenderit apud gentes, conf. Josephus L. 3. de Bell. Judaic. cap. 5.) Aquilæ figuram Regi accommodatissimam fuisse autumant; vel propter vires, pernicitatem, audaciam, rapacitatem etiam aquilæ assimilatum Regem arbitrantur. Quo nomine Idem secundum quosdam cum aquilis comparari poterat in scriptura S. (d) Nobis hactenus Vatabli sententia sese probat, qui Nabuchodonosorem quoad pilos similem factum esse aquilis, uti incessu & forma æqualis redditus erat bovi, existimat; idque (α) quidem *ob copiam & Densitatem*: aquila enim toto corpore pilis est densa, iisque quasi involuta, uti Leo suis jubis, præsertim ea, quæ dicitur ossifraga. (β) *ob colorem*: sicut enim pili aquilæ sunt nigri admodum, ita erant & Regis; idque fiebat ex copia Melancholiæ, quæ crassissimam fuliginem exhalat, ex qua pili hi generabantur. (γ) *ob prolixitatem & formam*: nam sicut cristæ in capite aquilæ sunt prolixæ, erectæ, crispæ, horridæ & minaces; sic erant & capilli Regis semper crescentes & nunquam detonsi. *Maldonati* opinio plane hic nullum locum reperit, qua putat, in Rege nihil præter ungues & capillos fuisse immutatum, sed hos solos ferinum in morem excrevisse. Quod ipsum S. Textus & quæ hactenus à nobis dicta sunt, falsitatis facile convincunt.

§. 12. Hanc regii Corporis ligationem mutationemque subsequebatur ejectio ex hominum consuetudine ac conversatione. וּמִן־אֲנָשָׁא לָךְ טָרְדִין *& te ab hominibus*, inquit S. Textus, *ejicient*, ut sensus sit: pristina mox privaberis hominum conversatione, nec eadem imposterum te frui permittent homines, privaberis regia tua dignitate, deturbaberis throno, ne quis posthac te furiosum metuere necessum habeat. Id quod non ex hostili quadam conspiratione Procerum Regni agitatum esse, credi debet, sed vel ab unanimi Reginæ & Filii Evilmerodachi beneplacito, vel ab ipso instinctu Regis, qui phantasia corrupta fugere sponte voluit è consortio hominum, proficisci potuit: quamvis prior sententia magis se nobis insinuet, cum credibile sit, si proprio ausu Rex aufugisset, futurum fuisse, ut per suos postea quæreretur sedulo, aut locis saltem atque claustris includeretur, ne majestati regiæ quicquam decederet. Sane usque adeo nulla hic intercedebat conjuratio, ut si ulla in perniciem Nabuchodonos. fuissent suscepta consilia, illa citra dubium ad internecionem ipsius declinassent, ut cum dignitate vita etiam una Rex spoliaretur.

§. 13. Atque hoc modo spoliatus Rex hominum societate ac consuetudine, cum bestiis conversari incipit, quorum indolem jam ante induerat; ita enim justissimum Numen minatur, וְעִם־חֵיוַת בָּרָא לֶהֱוֵה מְדֹרָךְ *& cum bestia agri erit habitatio tua*. Non prolixe hic disquiremus, quomodo Nabuchod. per septennium cum belluis immanissimis consociatus, commorari potuerit incolumis, ne ab iis discerperetur? *Pererius* equidem existimat, Regem in multis esse assimilatum bestiis, propterea ab iisdem non fuisse læsum, ut animal sui generis, licet novum & monstrosum. Sed quemadmodum id nondum demonstrari potuit, talem intercessisse Mutationem etiam quoad corpus, ut Regis Corpus jam belluinum esse vel ipsis feris quibuscunque etiam, quam maxime ab accuratiori phantastica perceptione alienis, videretur; ita id difficile explicatu est, qua ratione bestiæ omnes tanquam animal sui generis imaginari Regem sibi potuerint, quo minus vel leo, vel ursus, vel pardus ipsi obviam procedentes, adorirentur hanc prædam, aut saltem, quod facere plura animalia solent, appeterent quoque carnem humanam. Hoc magis videtur ad rem facere, si existimemus, singulari Providentiæ divinæ adscribendum fuisse, ut Rex inter ipsas bestias, salvus tamen esset & incolumis, uti Daniel inter Leones illæsus esse poterat; (e) quamvis id factum vix fuerit, ut bestiæ omnes sibi imaginarentur, (quod hic quidam arbitrantur)

(d) *Jerem.* 48: 40. *Cap.* 49: 22. *Ezech.* 17: 3. (e) *Dan. cap.* 6: 21. *sequ.*

Eundem feram esse novam ac monstrosam & omnibus aliis terribiliorem, vel minus idoneam, quæ devoretur. Neque enim miracula statuenda esse credimus præter necessitatem, quæ hic quam maxime fieri debuissent penes quascunque bestias, ut earum phantasia novam mutationem ac corruptionem susciperet. Proinde bestiam agri (cum qua Regi debebat esse habitatio) non indiscriminatim accipimus pro omnis generis fera; cervi etiam, lepores, hinnuli, vulpes & animalcula hujus generis alia, carni humanæ non inhiantia, qualia in hortis regiis aluntur, bestiarum sustinere nomen possunt, cum quibus societatem aliquam inire Nabuchodonos. potuit, non in sylvas præcise ferocioribus animalibus refertas, sed in nemora voluptati inservientia relegatus.

§. 14. En igitur Regem ab humana indole ad belluinam delapsum! En Monarcham ac Principem, tanta satellitum copia, tanta exercitus multitudine hactenus stipatum, nunc omni plane servitio destitutum! Vidimus hominem sub cœlo cubantem, omniumque tempestatum injuriis expositum, qui modo tot sibi extructa habebat palatia, arcesque regias, quique in plumis alternam requiem capere suavissime poterat. Mirati sumus Regem, herbis se satiantem, bestiarumque deliciis delectantem, qui ante cibis longe delicatissimis excipiendus erat. Paucis: conspeximus huc usque belluinam in homine, & humanam in bestia naturam. Quod omne profecto argumentum erat vindicantis scelera Potentiæ divinæ luculentissimum, stupendumque supplicium, de quo usurpare Jacob. Capelli (f) verba liceat: *Modus* (illius) *captus nostri modum superat. Sit sane Lycanthropismus, sit Corybantismus, sit furor melancholicus, modo sciamus, nec hominem reapse in feram mutatum, sed externam figuram, nec essentialem formæ mutationem illum suscepisse, nec tale quicquam à Maleficæ superstitionis hominibus, aut ab ipso Satana præstari posse, quale hic patravit Deus, demonstrandæ Potentiæ suæ & confundendæ Principum superbientium insolentiæ.*

§. 15. Atque sic graviter puniri debebat, qui graviora multo promeritus erat. Neque tantum accidentali mutatione, sed substantiali etiam plecti potuisset, quod Uxori Lothi accidit in statuam salis transmutatæ, (g) & aliis sæpenumero quam plurimis, quorum gravissima delicta transformatione substantiali divinitus punita fuere: quo nomine referre possem inter alia hujus generis complura, quod recenset Joh. Cluverius (h) de homine in canem commutato, cujus verba, si licet, hic apponam, *In finibus Muscoviæ*, ait, *vivebat Vir nobilis genere, dignitate quæstor, nomine Albertus Pericofcius. Hic miseram plebem, si tributa tardius exsolveret, pecoribus & jumentis spoliare suetus, cum domo forte abesset, unica nocte omnem injuste quæsitum gregem amisit. Extinctum subitanea internecione jacuit, quicquid rapuerat, quicquid coëmerat homo improbus. Revertenti peregre nunciat servus, inde uxor cladem divinitus immissam. Adhæc frendere homo blasphemus, sclopetum in Cœlum explodere, nefandas eructare voces! Qui interfecit, devoret: si noluisti me edere, tute edas. Ad furiosos in DEUM latratus guttæ destillarunt sanguinis. Homo confestim in canem versus nigrum, ululando invasit pecudis morticinas, iisque pasci cœpit, ac forsan hodieque pascitur. Non ab auritis tantum, sed ab oculatis accepi testibus, quod narro.* Sed tam stupendum judicii justitiæque divinæ examen Nabuchodonos. non sustinuit, cui tamen quicquid accidit, non nisi ex merito accidere poterat. Certe Rex noster ille erat, qui suæ conditionis humanæque sortis oblitus, qui Dei beneficiorum prorsus immemor, nil nisi grandia spirans, nil nisi propriam fortitudinem, potentiam, honorem, majestatemque immodice jactans, ea omnia, quæ in metamorphosi sua passus est, sibi attraxit, præcipitemque se dedit. En enim occasionem præsentis immutationis, ab ipso Rege subministratam Deo: הֲלָא דָא־הִיא בָּבֶל רַבְּתָא דִּי אֲנָה בֱנַיְתַהּ לְבֵית מַלְכוּ בִּתְקָף חִסְנִי וְלִיקָר הַדְרִי׃ *nonne hæc est Babel magna*, inquiebat, *quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Ubi quidem id inficias minime ibo, quod Babel urbs fuerit per universum orbem celebris, cujus

(f) *In Histor. Sacr. & Exot. ad annum mundi* 3428. *pagina* 241. (g) *Genes.* 19: 26. (h) *in append. ad Epit. Histor. libro* 10. *pagina* 845. *quam historiam etiam allegant* B. Dannhauer. *in Homil. Acad. part.* 2. *pag.* 52. *& Henr. Nicolai de Mag. Act. pagina* 137.

cujus amplitudinem, (i) opulentiam, (l) antiquitatem, fortitudinem ac elegantiam (m) omnes mirabantur. Fateor etiam, non plane de nihilo fuiſſe, quod ad magnificentiam Urbis contulerit Nabuchodonoſ., à cujus prædeceſſoribus cum Turris Babel & Babylon Urbs exſtructa eſſet, à Nimrode ſcilicet ſive Belo, aucta vero à Semiramide, ipſe poſtmodum urbem multis atque illuſtribus amplificavit monumentis, tutamque ab incurſionibus hoſtium crebriſque inundationibus Euphratis præſtitit: ita enim de hac Regis ſollicitudine in amplificanda Urbe Beroſus apud Joſeph. (n) *Veteri urbi*, inquit, *alteram extrinſecus adjecit, tres interiori civitati muros, & totidem exteriori circumdedit, portaſque magnificentiſſimas addidit. Ad hoc juxta paternam regiam, alteram multo ſumtuoſiorem & ampliorem extruxit, & in ea hortos penſiles &c.* Attamen cum idem potentiſſimus alias Princeps ſuis id omne viribus adſcriberet, cum in Palatio ſuo deambulans Urbemque intuens, ſuum Opus illam omnino crederet, de DEO Ejusque in ſe derivata Potentia ne minimam cogitationem ſubiret, dejici de Solio plus quam meritus fuit. Monuerat eum DEUS in ſomnio de ingruente divinitus decreta pœna, at ille urbi ſuæ ejusque robori confiſus, *hoc ſuum* tamen *eſſe Babylon* arroganter exclamat, ludificans quaſi DEUM, qui quidem ante aliquot menſes in ſomnio prædixiſſet, futurum ut ipſe regia majeſtate dejiceretur, neque tamen hactenus expellere Eum potuiſſet, vana fuiſſe hæc ex pelvi fulgura, inexpugnabilem eſſe Urbem Babylon, hactenus non apparere, qua vi quave potentia occupari illa & dignitate privari ipſe poſſit. Sed ecce dum ita in ſinu ſibi plaudit faſtuoſus Princeps, Vox cœlitus delabitur; *cum ſermo adhuc eſt in ore Regis*, audit ſententiam decretoriam: Throno deturbaberis, tuo Babylone, cui hactenus tantopere confiſus fuiſti, ejicieris, omnibus rerum deliciis hominumque ſocietate ſpoliaberis, cum beſtiis erit tua converſatio; verbo: ex humano in belluinum ſtatum atque conditionem tranſibis. Adeo illud verum eſſe cernitur, quod ſapienter Euripides: *Cum videris in ſublime quempiam elatum, ſplendidis gloriantem opibus, ac genere ſuperciliogue ſupra ſortem ſuam faſtuoſum, illius celerem divinitus expecta vindictam.*

§. 16. Non hic nobis prolixa de eo argumento movebitur quæſtio, quamdiu poſt latam decretoriam ſententiam & initium mutationis regiæ in calamitoſa illa conditione vitam tranſigere Nabuchodonoſor debuit. Septem tempora DEUS præfixerat ejus miſeriæ, teſte ipſa S. Scriptura, quo nomine ut longum aliquod tempus indefinite indicatum, quod in S. Codice per numerum ſeptenarium, Perfectionis nempe indicem, ſignificetur, intelligamus, (quam ſententiam nobis perſuadere Calvin. in Danielem, Munſterus & alii allaborant) vel ut credamus, ſeptem tempora poni pro ſeptem ſive hebdomadibus, ſive totidem menſibus, (quod Dorotheus in Synopſ. & Epiphan. in vita Daniel. exiſtimant) hactenus adduci nulla firma ratione poſſumus. Id enim aſſertione non probata ex Sacris nititur, quaſi Danielis Prophetæ precibus & interceſſione ſeptem anni ad ſeptem menſes contracti fuerint, ita ut ſpatio ſeptem menſium Rex vixerit more beſtiarum, his vero finitis menti fuerit reſtitutus, non autem Regno, quo reliquis ſex annis tempus haberet agendi ſeriam pœnitentiam. Sane Rex ipſe omni eo tempore, quo ſegregatus ab hominibus mutatusque vixit, rationis uſum ſibi ipſi adimit, fatendo, & ſe menti ſimul & regno reſtitutum eſſe, verſ. 32. id quod ipſa etiam Comminatio divina verſ. 22. voluerat. Accedit, ſi ſeptem tantummodo menſes, non vero anni in pœnam regiæ inſaniæ divinitus determinati fuiſſent, id ſaltem difficile eſſe explicatu, unde adeo ſubito horrenda illa capillorum atque unguium deformitas attracta fuerit? Quocirca non eſt, ut Scripturam S. hic absque urgente neceſſitate deſeramus, temporis denominatio h. l. procul dubio pro certa temporis dimenſione ponitur, eaque determinata, qua annuum ſpatium indigitatur, more Scripturæ S. recepto, quæ *tempus* appellando Annum haud raro deſignat, quemadmodum videre eſt ex Dan. 7: 25. Cap. 11: 46. pariter uti *annus* ſæpe pro *tempore* ponitur Eſa. 61: 2. Cap. 63: 4. (o)

(i) *De amplitud. Urbis mœniorumque conf.* Joſephi *Antiqu. librum* 10. *& librum* 1. *contra Appion.* Solin. *cap.* 6. Plinium *libro* 6. *cap.* 26. Herod. *libro* 1. *adde etiam Poli Synopſ. Critic. ad Daniel.* 4. (l) *De opulentia Ejus vid.* Diod. Sicul. *libro* 3. (m) *Elegantiam Urbis & in ſpecie Obeliſci Semiramidis narrat Strabo libro* 16. (n) *libro* 1. *contra Appion.* (o) *conf. Glaſſ. in Rhetorica Sacra pagina m.* 464.

§. 17. Septem igitur vicibus curſum ſuum per duodecim ſigna Zodiaci Sol abſolverat, cum finis dierum appropinquaret, quem Scriptura appellat; dierum puta, quos divinum Numen pœnæ regiæ ejusque transformationi deſtinaverat. Tum itaque oculos allevans ad Cœlum, ut Cœlorum Domino de mitiganda auferendaque pœna quaſi ſupplicaret, ecce uſui iterum rationis reſtituitur. In ipſa quidem mentis alienatione per intervalla quandoque adfuiſſe in Rege aliqualem ratiocinandi facultatem, exiſtimamus; idque eo magis, quoniam hoc modo & præteritum, ex quo ceciderat, & præſentem meditari ſtatum poterat; integer tamen amiſſæ rationis uſus reſervabatur plenariæ reſtitutioni, quæ & ſenſationem humanam redintegrabat, & intellectum rationis novo lumine illuſtrabat, & facultates omnes animæ novis dotibus agendique viribus inſtruebat feliciter.

§. 18. Neque vero hunc mentis vigorem priſtina CORPORIS figura ſubſequi non poterat. Rex ipſe, *figura*, inquit, *reverſa eſt ad me*; ſive, quemadmodum alii exponunt, *ſplendor meus reverſus eſt ad me*: Idque ſatis commode, cum non ipſam corporis figuram, ſed ejusdem tantum debitum nitorem ac cultum, ſplendoremque vultus ſui amiſerit. Sane ita quodammodo figura Regi reddebatur, uti in vultu eorum conſpici ſolet, qui ante ob inediam, morbum aut vitam ruſticam ſibi attraxerunt vultum luridum, macilentum, impexum, quale quid legere eſt de Nazaræorum forma Thren. 4: 8. Equidem LXX. Interpretibus id concedimus, ut μορφὴν reverſam eſſe aſſerant; at vero nondum tamen formam inde ſubſtantialem elicere poſſunt, qui hic eorum verſione ſe tuentur: Vox enim μορφὴ nec in hac interpretatione ſemper ſubſtantialem denotare formam, deprehenditur, uti videre eſt ex Dan: 5: 6. τοῦ βασιλέως ἡ μορφὴ ἠλλοιώθη, *Regis*, (Belſazaris puta) *facies eſt* immutata (ſecundum quosdam *ſplendores Regis*) ob inſolitam ejus nimiamque conſternationem, in ſingulis fere membris conſpicuam, ubi frons, oculi, os, genæ atque manus aliam induere videbantur formam, procurante eandem inſperato illo digitorum eruptionis prodigio, id quod non niſi accidentalem quandam in facie Regis Belſazaris mutationem inferebat. Ne illud addam, quod Vocabul. μορφὴ ſæpe etiam in N. T. non ſubſtantialem ſed accidentalem tantum formam innuat, uti Marc. 16: 12. de Chriſto apparente diſcipulis Emaunticis dicitur, Eum ἑτέρᾳ μορφῇ in alia figura oculis eorum viſum eſſe, quod de ſubſtantiali alia forma dici non poteſt, cum Idem quoad ſubſtantiam manſerit poſt Reſurrectionem, qui ante eandem erat: unde & oculi diſcipulorum tenebantur, ut aliam formam ſibi imaginarentur, quam revera eſſet; quod univerſum ex loco etiam parallelo Luc. 24: 16. ſatis ſuperque eluceſcit. Quod ſi ita eſt, quid cauſæ ſit nondum videmus, quare formam humanam ſubſtantialem, non nitorem atque pulchritudinem tantum formæ noſtro Nabuchodonoſori, quem ante demonſtravimus accidentaliter modo mutatum, reſtitutum eſſe aſſeramus.

§. 19. Jamque nihil ſupererat, quam ut in THRONUM etiam regium denuo collocaretur; factumque omnino eſt, ut cum prior vultui majeſtas reddita eſſet, prior etiam ſubditorum veneratio inſequeretur. Collocabant nempe in priſtinum culmen reſtitutum Regem Proceres, tradebat ſceptra Evilmerodachus filius, quem credimus hactenus moderationi Imperii præfuiſſe, aſſiſtentibus Regni Senatoribus. Ita enim interpretamur ipſius verba Regis: *tum Gubernatores mei & Proceres mei requiſiverunt me*, puta, ad gloriam Regnique dignitatem, qua ante pollebam, iterum capeſcendam; non quod Gubernatores Regni ſoli fuerint, qui hactenus adminiſtraſſent imperium: id enim cum uſitata huc usque Perſarum Monarchia, eaque Regum ac familiarum Ejus veneratione propemodum divina, quæ apud Perſas florebat, vix ac ne vix quidem conſentire videtur. Quamobrem Evilmerodacho potius primas partes & ſupremas in hactenus adminiſtrato Regno tribuimus, ut interim verum nihilominus ſit, à Proceribus & Gubernatoribus etiam, tanquam regiis Evilmerodachi huc usque Conſiliariis, requiſitum Nabuchodonoſorem fuiſſe. Hi non pertæſi πολυαρχίας (quod Grotius exiſtimat,) & quæ inde ſequi non raro ſolet ἀναρχίας periculum effugere volentes, non commoti miſericordia & clementia erga Regem, (quod Calvinus putat) ſed ex ordinatione divina & priſtina, quam Regi debebant, veneratione ac obſequio, volente ita procul dubio Evilmerodacho, confirmarunt priorem majeſtatem regiam, maxime cum interpretatio ſomnii à Daniele facta ignota eſſe non poſſet, ſecundum cujus tenorem uti hactenus

ctenus dejectus de solio miserrimeque transformatus Rex fuerat, ita nunc pristinæ conditioni restitutus, Solium etiam regium conscendere iterum & subditorum omnium mereri obedientiam Nabuchodonosor debebat.

§. 20. In quo statu restitutionis quamdiu Rex superstes vixerit, tacente Scriptura Sacra nostrum explicare non est; qui & in eo nihil certi determinare possumus, quod alios in utramque partem sollicitos habuit, utrumne emendationi vitæ ita imposterum Rex studuerit, ut de ejus salute desperare non liceat? Disceptarunt hanc rem in utramque partem Josephus, (p) Dorotheus, (q) Epiphanius, (r) Hieronymus, (s) Theodoretus, (t) August. (u) Lyranus & Carthusianus; nihil tamen determinati statuere omnes etiam illi hic potuerunt, quin Theodor. Hieron. & August. remissionem potius anteactorum delictorum Regis assertum ire, quam æternæ Salutis adeptionem voluerunt, quemadmodum sententiam eorum explicat Sanctius (x) Quicquid sit, Dorotheus certe & reliqui optime sperant de Salute regia, probabile omnino esse existimantes, ut Nabuchodonosor post expertam justissimi Numinis vindictam impetratamque remissionem peccatorum didicerit, cautius in posterum mercari, præcipue quod Daniel Regi ejusque actionibus semper adfuerit, & procul dubio reliquum vitæ regiæ tempus secundum dictamen divinæ Voluntatis moderari haud omiserit: quantumvis Dorothei assertio non satis firma fide nitatur, qui hanc in rem ita: *cum Nabuchodonosor peccatorum suorum remissionem adeptus esset, dedit Propheta Regnum suum, & nec panem, nec carnem comedit, nec vinum bibit, Domino confessus. Nam hoc illi Daniel præceperat, ut leguminibus & herba vescens Dominum placaret*, extra enim Scripturam non temere hic fingere aliquid nobis licitum est, neque Dorothei auctoritas tanta videtur, ut rem nobis persuadeat, cui nullum ipse supponere fundamentum potuit. Neque tamen fortassis non audiendi, qui de salute regia non optima quæque sibi promittunt. Utut enim egregia confessione meliorem animum prodiderit Nabuchodonosor, illa tamen confessio pluribus ante mortem annis edi potuit. Neque obstare poterat, quo minus ad deteriora omnia Rex prolaberetur, qui eadem plus vice simplici fecerat. Quando post expositum à Daniele somnium, *Deum Israëlis Deum Deorum esse & Regum Dominum*, (y) fatebatur, paulo vero deinceps idolatrico cultu suo verum DEUM turpissime deserebat *Dan. c. 3.* Nec eo contentus, cum ereptis è fornace pueris DEUM iterum confessus esset, (z) ad insaniam tamen redibat, qua gravissimum etiam supplicium illud *transformationis suæ* meritus est. Ut illud taceamus, quod Josephus l. c. habet, penes quem etiam fides sit, Nabuchodonosorem contra datam fidem egisse cum Jechonia, ut in carcerem eum concluderet, neque tamen ad Regnum rediens, vinculis suis liberaret. Id certum est, non excusari facile Nabuchodonosorem posse, quod vasa, quæ ex templo Hierosolymitano sustulerat, susque deque habens, Belsazari filio occasionem daret, iisdem in ebriosorum conviviis abutendi. Quæ omnia uti ingenium variabile & inconstans in Nabuchodonosore satis produnt; ita illorum maxime sententiam confirmant, qui non nimis proclives esse ad asserendam salutem regiam videntur. Nobis hic ἐπέχειν placet; neque enim sapere extra Scripturam in hac etiam parte cupimus. Tantum vero de *Metamorphosi Nabuchodonosoris* commentari nobis debilitatæ, nec adhuc plene ab ægritudine sat gravi restitutæ vires, exercitii loco permittebant. Quod reliquum est, DEO UNITRINO, Patri nostro ac Conservatori beneficentissimo, pro concessis viribus atque Gratia, cui & nos inposterum nostraque studia humillimis precibus commendamus, sit LAUS & GLORIA in sempiterna secula, Amen!

(p) *Lib. 10. Antiquit. Cap. 11.* (q) *In Synopsi.* (r) *In vita Daniel.* (s) *Ad Latam.* (t) *In Daniel. 5. circa fin.* (u) *Epist. 122. ad Victorin. & Libr. de Prædest. & Gratia cap. 15.* (x) *In Daniel. cap. 4.*

(y) *Daniel. 2:47.* (z) *Daniel. 3:21.*



M. JAC. DE CLERICE
DISSERTATIO
De Epulo Belſchaſar ad Daniel. V.

בשׂ״ש

CAPUT PRIMUM.

משתה בלשאצר

SYMPOSIUM BELSCHAZAR

ARGUMENTUM.

§. 1. לחם *quid? §. 2. Belſchazar unde, varia ejus nomina. §. 3. Non Nebucadnezaris filius. §. 4. Sed Nepos illius. §. 5. Quo anno id celebratum Convivium? Num nocturnum? §. 6. Comeſſationis locus. Occaſio. §. 7. Coram mille vinum bibit: explicatur variè. §. 8. Verus ſenſus adducitur. §. 9. Convivii progreſſus.*

§. I.



FAſtuoſum iſtud, & luxurioſum impii Regis Convivium, לְחֶם רַב ſacer appellat Codex. Evolvenda vocis ſignificatio eſt. Hæc in Chaldaicis S. Scripturæ ſcriptis, hoc in loco tantum invenitur: licebit ergo ab Ebræa matre ejus arceſſere natales. Notiſſima Ebræis radix eſt לחם veſcendi & oppugnandi ſignificatione inſignita. Hinc לֶחֶם quod tritiſſima notatione (α) panem indicat Ebræis, Chaldæis, Syris; Arabes, carnem hac voce deſignant. Sed & (β) frumentum in S. literis ſub hoc nomine venit, Geneſ. 47:16. & (γ) cœleſte illud Mannæ Donum, Exod. 16:4. 22:29. tum (δ) cujuſvis generis cibus, obſervante רשי כל מאכל קרוי לחם *Omnis cibus dicitur panis*: imo & (ε) illud, quod in oblationem offerebatur Deo, Levit. 21:17. לְהַקְרִיב לֶחֶם אֱלֹהָיו quod Onkelos (a) לְקָרָבָא יָת קֻרְבָּנַיָּא. Tandem, ut alia taceam, & prandium integrum, vel convivium notat, juxta illud (b): כל סעודה קרויה לחם כמו עבד לחם רב: *Omne convivium dicitur* לחם; *ſicut* (accipitur ſcil. Daniel. 1: 1.) *fecit convivium magnum*: ita ſumitur Proverb. 9:5. (c) & apertius in illo לשרוק עושים לחם Prov. 10:19. (d) Poſtremo in ſignificatu adhiberi h. l. vocem לחם manifeſtum ſatis eſt (e); & ſic *ἰσοδυναμοῦντα* habet, in Sacris: מִשְׁתֶּה Geneſ. 19: 3. it. כֵּרָה 2. Reg. 6:23. ap. Rabbinos, סעודה.

§. II. Sed miſſa vocis contemplatione, convivalem luſtrabimus apparatum. Hic omnium primo, opipari ſe ſiſtit autor ſympoſii בֵּלְשַׁאצַּר Hunc dictum cenſet; vel (f) quod בלש איצר או מחבש אוצר inquiſiverit, aut ſcrutatus ſit theſaurum Domus DEI; vel, (g) quod fuerit בל שאח צר Dominus concutens hoſtem. Variis præterea nominibus fuit appellatus Belſchazar. Merodach eundem dici Jerem. 50:2. cenſet Pererius. (h) Sed eo in loco non Regis id, verum idoli nomen eſt, (i) quamvis & hoc nomine inſignitos fuiſſe Reges ex Eſai. 39: vſ. 1. conſtet, imo fortean commune Regum Babyloniæ nomen fuit. (k) Fecit enim ſuperſtitioſa nimis religio, cognomines Deaſtris cultores. Inde Bel, Nebo vel Nebu frequentia adeo fuere nomina. Prophani autem ſcriptores Nabonidum (l) vocant, it. Labinitum (m) filium reginæ Nitocris; Labonidum (n) & Labynitum, imo & (o) Naboandel; Quæ tamen nominum diverſitas neminem movebit, quum ea, & in divinis, & in exteris hiſtoriis non ſit infrequens (p). Accedit Magni illius Scaligeri obſervatio (q) Scito, inquit, omnes Reges Babyloniæ, ad imperium accedentes nomen mutare ſolitos.

§. 3. Quis vero hic Belſchazar fuerit, & quo à Nebucadnezare, Regni & propinquitatis gradu ſit collocandus, variant interpretes. Sequeſtratis opinionibus reliquis, de quibus prolixe Pererius (r), filius ne fuerit Nebucadnezaris an nepos? erit diſpiciendum. Filium qui fuiſſe putant, ipſumque Evilmerodachum, his fere utuntur argumentis (s): I. Quia Daniel in chronicis hiſce Regum Babyloniorum, poſt geſta Nabuchodonoſoris, tranſit ſtatim ad Balthaſar, ergo hic ei proxime ſucceſſit. II. Quia hic vocat eum filium Nabuchodonoſoris, ut patet vſ. 11. 13. 18. idem facit Baruch. cap. 1: 2. III. Quia à Jeremia cap. 50: 2. Balthaſar vocatur Merodach, qui idem eſſe videtur cum Evilmerodach. Huic ſententiæ ferme accedunt, (t) qui Belſchazar filium quidem Nebucadnezaris ſtatuunt, diverſum tamen ab Evilmerodacho natu majore, quem primo loco regnaſſe concedunt.

§. IV. Aſt primo non דברי הימים, ſeu chronicon Regum Babyloniorum conſignaſſe Danielem, recte monet Abarbanel. (u) Deinde patris nomine avum intelligi quandoque, uti & h. l. (x) clarum ſatis eſt. Tandem Merodach Jerem. 50:2. Idolum notare, non Regem, dictum ſupra. (y) Rectius igitur

(a) *Comment. ad Lev. 21:22.* (b) *R. Salom. l. c. vſ. 17.* (c) *Juxta R. Saadia ad l. Dan.* (d) *V. R. Sal. ad l. c. Annot. Belg. ad h. l. & Buxt. in Gr. Ch. praxi. p. 337.* (e) *V. Abarb. Comm. in Dan. f. 34. p. 1. col. 2. Jacchiad. Paraphr. in h. l. p. 90.* (f) *R. Saad. Gaon. ad h. l.* (g) *Geſnerus diſp. n. h. l. th. 8.* (h) *Comm. in Dan. pag. 363.* (i) *V. annot. Belg. ad l. c.* (k) *Ut cenſet C. Sanctius ad Jerem. 50:2. & Daniel. 5. p. 217.*

(l) *Beroſus Alex. Polyhiſtor. & Alphæus ap. Joſ. lib. X. ant. & 1. contr. App. it. Euſeb. l. 9. de præp. Ev. cap. ult. V. L. Emp. not. in Jacch. p. 90.* (m) *Herod. lib. 1. V. Perer. in Daniel. p. 363.* (n) *D. Pol. Lyſ. in Epiſt. Bab. pag. 22. & Rollocus in Daniel. pag. 99.* (o) *Joſ. lib. X. ant. c. 12. V. C. Sanct. in h. l. pag. 217.* (p) *V. Pererius in h. l. p. 363.* (q) *l. 6. de Emend. temp. V. L. Emp. in Jacch. p. 91.* (r) *6. ſent. recenſet ad h. l. à pag. 372. 379. incluſ.* (s) *Ex Cornel. à Lapid. ad h. l. pag. 1315.* (t) *Euſeb. in Chron. Sev. Sulp. lib. 2. H. S. Theod. in cap. 5. Daniel. cit. Perer. ad h. l. pag. 375. 9. Abarb. in Daniel. fol. 34 pag. 1. col.* (u) *Loc. cit. fol. 35. p. 1. c. 1. q. 1.* (x) *V. D. Walth.* ז״צל *Harmon. p. m. 657. Ann. Belg. ad v. 2. not. 8. Abarb. fol. 34. pag. 1. col. 1. Jach. par. ad h. l. v. 2. p. 92. Caſp. Sanct. in Daniel. p. 217.* (y) *§. 2.*

igitur nepotem Nebucadnezaris fuiſſe aſſeritur, (z) partim ob LXX. annorum captivitatis ſupputationem, qui ſecus expleri non poſſunt; partim ob expreſſum vaticinium Jer. 27:7. עבדו אתו כל־הגוים ואתננו ואתבן בנו *Servient ipſi* (Nebucadnezari) *omnes gentes, & filio ejus, & filio filii.* Promittitur hic clare ſatis Nebucadnezari, filio, & nepoti imperium. An autem tertius ſtatim à Nebucadnezare regnarit Belſchazar, dubium faciunt, non contemnendi authores, (aa) qui duos adhuc his interponunt Reges. Aſt eos, vel vi ad tempus occupaſſe Regnum (bb), vel Regulos tantum fuiſſe, aut plane fictos, (cc) veriſimile eſt.

§. V. Celebratum hoc ab Epulone Rege infauſtum ſatis convivium eſſe, Anno Regni decimo ſeptimo (dd), alii tertio (ee) exiſtimant; quum jam exoſæ captivitatis appropinquaret finis, (ff) imo adeſſet poſtremus annus, (gg) ultimuſque anni dies. (hh) Celeberrimus Calviſius (ii) A. M. 3395. Ante C. N. 553. hæc accidiſſe aſſerit. Sed diſſentit parumper Helwicus, qui hæc geſta ad A. M. 3392. P. I. 4156. collocat. (kk) Sed ne extra oleas: Chronologis id diſceptandum relinquemus, quorum eſt, iſtas componere lites. Id peculiariter in textu videtur ambiguum. Cænané fuerit noctu inchoata, vel de die inſtitutum prandium? Prius nonnullis ſuadet, candelabri mentio, vſ. 5. è cujus regione prodigioſa conſignabatur Scriptura, ut ex lumine vicini candelabri legi poſſet. (ll) Sed & LXX. viralis verſio his aliquid conferre roboris exiſtimatur, nam δεῖπνον vertit, quod ſemper per cœnam reddendum eſſe putant. Quamvis equidem haud adeo interſit, utram hic eligas ſententiam, veriſimilior tamen apparet altera. Candelabrum enim licet adfuerit, nondum tamen conſtare poterat, id incenſis etiam inſtructum fuiſſe luminibus. Potuit certe non in uſum modo, ſed & ornatum adhiberi. Quin & aureum id fuiſſe Candelabrum, à Nebucadnezare inter templi vaſa ablatum, & idcirco injectam illius mentionem, cenſent alii. Quicquid hujus ſit, cum in illuſtri, procul dubio, loco, pretioſa collocata ſupellex fuerit è regione exaratam Scripturam eſſe, ut eo melius omnium pateret adſpectui, veriſimile eſt. Aliter R. Saadia Gaon, qui per חלון feneſtram, reddit; ſed id probari non poteſt. Porro LXX. virale quod concernit δεῖπνον, id nihil probat, cum in fonte habeamus לחם. Sed nec δεῖπνον ſemper cœnam notare, ex Homero addiſci poteſt, de quo ejus Scholiaſtes (mm). ὁ ποιητής φησι δεῖπνον, μεθ' ὃ δεῖ πονεῖν. Certe Athenæus (nn) νυκτερινὰ δεῖπνα ad aliorum differentiam dixiſſe videtur. Accedit vſ. 29. quo proclamatos illico honores Danielis eſſe indicatur, aſt id interdiu, non nocte fieri, quis eſt, qui ignoret?

§. VI. Comeſſationis locus היכל fuit, quod h. l. Regium palatium, alibi templum notat. Huic tamen non obſcure contradicunt illi, (oo) qui, dum expugnata Babylon eſt, abfuiſſe Regem aſſerunt: Sed nobis Spiritus Sancti authoritas omni humana aſſertione major eſt. Verum quid tam ſplendido convivio dedit occaſionem? Conſtat certe (pp) urbe jam obſeſſa id inſtitutum. Variæ hac de re variorum conjecturæ (qq) Abarbanel (rr) egregiam ab hoſte victoriam, eo mane reportaſſe Belſchazarem, & idcirco mille illis ducibus, quorum opera in prælio uſus erat, dediſſe epulum, Rabbinica recenſet fide. Si quid tamen in re dubia eligendum, feſtum fuiſſe diem, quem Babylonii obſeſſi licet, celebrarunt, cum celeberrimis viris (ss) commode aſſeri poteſt. Abarbanelis ſive hiſtoria ſeu fabula ex mentione mille procerum ortum habet, cum tamen numerus certus ponatur pro incerto. (tt)

(z) *Cum exc. Walth. l. c. Maldon. Hug. ap. Corn. à Lap.* 1315. *Perer. paſſim, Geſnero in h. l. th. 9. ad 15. Abarban. C. Sanct. 1. c.* (aa) *Beroſ. Alex. Megaſt. Alph. Joſeph. Euſeb. Hier. & Beda ap. Perer. ad h. l. p. 377.* (bb) *Ita Perer. ad h. l. pag. 378.* (cc) *Sic Geſner. ad h. l. th. 16.* (dd) *Perer. pag. 362.* (ee) *Geſn. th. 12. ad h. l. Abarb. fol. 35. cap. 1. q. 2.* (ff) *Vid. Calv. comm. in Daniel. f. 58. pag. 2.* (gg) *C. Sanctius ad h. l. p. 218.* (hh) *Rabbi Gaon ad h. l.* (ii) *In op. Chron. p. 223.* (kk) *In Syſt. p. 16.* (ll) *Ita S. Hier. & cum eo Corn. à Lap. p. 1317. it. Lyra in notis interlinearib. h. l.* (mm) Δίδυμος Ιλ. ω. *v. 124. pag. m. 691.* (nn) *L. 7. V. Scapp. m. 367.* (oo) *Alex. Meg. & Alph. ap. Pererium cit. h. l. pag. 391.* (pp) *Ex Herod. lib. 1. & Xenoph. lib. 7.* (qq) *V. Per. ad h. l. p. 360. ſeq. & Corn. à Lap. 1316. ad h. l.* (rr) *35. pag. 1. col. 2. qu. 2. ex Joſeph. ben Gorion. l. 1. Hiſt. c. 1. V. Sanct. ad v. 1. col. 214. §. 10.* (ss) *P. Lyſero in Ep. Bab. p. 22. D. Wigando Comm. in h. l. f. 163. p. 2. B. Glaſſio Gr. S. l. 4. tr. 3. p. 981. Calvino ad h. l. Pererio p. 367. C. à Lap. p. 1316. Sanctio l. c. §. 12.* (tt) *V. ann. Belg. ad v. 1. not. 4.*

§. VII. Similiter & illa phraſis לקבל אלפא חמרא שתה *coram mille vinum bibit* vſ. 2. diverſimode accipitur. (α) Theodoretus (uu) ita exponit: coram mille vinum ſcil. paratum erat, verbum autem שתה cum ſequenti conjungit oratione, ita & LXX. Sed ea violenter adeo divelli, accentuatio non ſinit. (β) Vulgata verſio reddit: unuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem: Fingunt (xx) omnes duces dignitate fuiſſe æquales, hinc in bibendi ordine, ætatis fuiſſe rationem habitam. Nam alpha dicit Cornelius, & mille notat & dignior, præcipuus. Sed locum, ubi ita accipiatur vel אלף vel אלפא, ſibi reſervat Jeſuita, invidet forte aliis. (γ) (yy) Scholiaſtes cuivis procerum peculiarem fuiſſe craterem exponit. Hoc enim apud Perſas ſolenne eſſe pronuntiat. Aſt, nec vulgatæ nec fontium mentem eo exprimit. (δ) Alii ſingulis Convivarum propinaſſe Cyathum bibonem Regem exiſtimant; verum neque id phraſis dicit, & ingens nimis hyperbole eſt, ne dicam durius. (ε) Rem propius tangunt, qui immoderatum vini uſum hanc phraſin taxare exiſtimant. Quo Megalander Lutherus reſpexit, cum vertit: Und ſoff ſich voll mit ihnen.

§. VIII. Si verba intueamur ipſa, ſenſus facilis erit. קֳבֵל in Ebræo textu occurrit 2. Reg. 15: 10. קֳבָל־עָם quod Chald. reddit קֳדָם עַמָּא coram præſente populo, eodem modo & Danieli adhibetur Cap. 3: 3. קבל צלמא coram, ex adverſo imaginis, & in hoc cap. verſ. 5. item alibi. Eſt igitur hoc in loco ille ſenſus coram, vel è regione procerum ſive menſæ ſive ordini bibiſſe Regem. (zz)

§. IX. Progreſſus infauſti convivii, enarrandus etiam breviter eſt. Ubi incaluere mero, בִּטְעֵם חַמְרָא cum avide & jucunde biberet, (a) conſecrata Numini vaſa, impurus afferri helluo juſſit, ut ſpurca in his elueret ora. Tum decantatæ Deaſtrorum laudes, (b) quos in conviviis præſentes habere in more erat, ſupremo Numini debitam eripuere reverentiam. Sed ſequitur ſuperbos ultor à tergo DEUS. Adeſt inopinato manus decretoriam appingens ſententiam. Hanc מסדי ידא partem manus fuiſſe aſſerit ſacer codex. Verum illa nec DEI proprie, nec Angeli (c) cujuſdam erat manus, niſi aliunde efformatam, hanc ſibi appropriaſſe putemus. Tum hanc ab omnibus conſpici potuiſſe arbitror, tantum abeſt ut ſolius Regis inhæſiſſe Phantaſiæ dicendum. (d) Sed cum hæc aliis curæ fuerint, prolixius his non immorabimur. Ad fatalem deveniendum Scripturam eſt, quæ memorabile hoc reddidit convivium. Diſtincte diſtinctis capitibus de hac acturi, ejus tum materiale, quod vocant, tum formale expendemus, quantum quidem pagellarum permittet anguſtia.

(uu) *Perer. ad h. l. p. 367.* (xx) *C. à Lap. p. 1316. & Sanct. c. 221. §. 18. ad h. l.* (yy) *V. ap. Corn. l. c.* (zz) *V. ann. Belg. & verſ. it. Aben-Ezra ad h. l. Joſ. lib. X. Antiq. cap. 12. 6. Sanct. ad h. l. v. 1. §. 13.* (a) *V. Sanct. ad h. l. c. 222. §. 20.* (b) *Sanctius Com. ad h. l. c. 222. §. 22, 23. Athen. l. 8. Dipnos. V. Perer. pag. 369. & Lyſ. in Ep. Bab. p. 25.* (c) *Gabrielis ut Gaon vult ad h. l.* (d) *Cum Lyra in notis marg. ad h. l.*

CAPUT II.

הכתיבה החומרית

SCRIPTURA MATERIALIS.

ARGUMENTUM.

§. 1. Proponitur quæſtio: Cur Chaldæi Scripturam legere nequiverint? §. 2. Characterem fuiſſe Ebræum. De mutatione Characterum locus ex Sanhedrin. §. 3. Chriſtianorum quorundam & Jarchi ſuper hac re ſententia. §. 4. Talmudiſtarum de eo conjecturæ. §. 5. R. Aſſe & Abarbanelis opinio. §. 6. Verior ſententia ſubjungitur.

§. I. Chaldæam Scripturam cur Sapientes nec legere, nec explicare Chaldæi potuerint, acutiſſima exercuit ingenia. Varia hic dantur ſententiarum divortia, tum Ebræorum, tum Chriſtianorum. Quarum Catalogus quamvis alibi forſan jam conſignatus extet, ex ipſis tamen derivatum fontibus huc proponere, operæ erit pretium, ſic quæ commodiſſima videbitur opinio, eligi poterit facilius.

§. II. (α) Prima eorum (a) ſententia eſt, qui Characterem Ebræum fuiſſe, quem legere non potuerunt Chaldæi, arbitrantur. Sed recte reſpondet Cornelius (b): *Ut demus, fuiſſe Hebraicum, quis credat, neminem Chaldæorum ſcíviſſe Hebraice? præſertim cum Hebraica & Chaldaica tantum dialecto differant, ſicuti Attica & Dorica.* Vexatam admodum quæſtionem, de mutato Ebræorum Charactere, qui demonſtrari ex hoc loco poſſe conjiciunt, falluntur oppido. Verum non jam de notiſſima controverſia diſſeram, id tantum addo, antiquam eam eſſe, & à Talmudiſtis ventilatam. Inſignis hac de re locus in Sanhedrin extat, quem exſcriptum & verſione illuſtratum hic ſiſtere, non tædebit; verba ſic habent: אמר מר זוטרא ואיתים [מר עוקבא בתחילה נתנה תיר] לישראל בכתב עברי ולשון הקידש חזרה ונתנה להם בימי עזרא בכתב אשורית לשון ארמי בירדו להן לישראל כתב אשורית ולשון הקידש והנוחו להדיוטות כתב עברית ולשון אהמית מאן הדיוטות אמר רב חסדא כותאי מאי כתב עברית אמר רב חסדא כתב ליבונאה תניאר] יוסי אומר ראוי היה עזרא שתנתן תורה על ידו לישראל אילמלא לא קדמו משה וכו.

Quæ ſic verto? *Dicit Dominus Sutra, & alii volunt Dn. Ukafa; initio data eſt Lex Iſraeli, in charactere Ebræo, & lingua Sancta, iterum data eſt ipſis in diebus Eſra, in charactere Aſſyriaco, & lingua Syriaca, ſed reliquerunt Idiotis characterem Ebræum & linguam Syriacam. Quinam idiotæ? Reſpondet Raf Chaſda: Cuthæi. Quiſnam Character Ebræus? Reſpondet Raf Chaſda: Character* (d) *Libbonicus. Tradidit R. Joſe dicens: dignus fuiſſet Eſra, ut data eſſet Lex per manum ejus Iſraeli, niſi prævertiſſet eum Moſe, &c.* En tibi ex Talmudicorum lacunis depromptam, de Characterum mutatione, opinionem! redolent certe, quæ pro hac recentiores afferunt, antiquam adhuc originem: Hodiernum characterem Aſſyriacum eſſe, antiquum accepiſſe Cuthæos, Eſram mutationis habendum autorem; nam & illud ſtatuunt Talmudici h. l. שלא נתנה תורה על ידו נשתנה על ידו הכתב *Quia non tradita Lex per manum illius* (Eſræ) *eſt; immutatus eſt per eum Scripturæ S. character.* Prius tamen hanc accidiſſe mutationem, R. Salom. Jarchi in explicatione ad h. l. aſſerit, determinato inſuper ipſo mutationis die. Quærit enim, qui factum, ut cum tot Judæi adfuerint, illis tamen Scripturam in pariete expoſitam legere non liceret? Reſpondet itaque שמע מינה נשתנה להם אותו הכתב באותו היום *Diſce inde, mutatum illis characterem illum* (*conſuetum ante ſcil.*) *illo ipſo die.* Sed meliora monentes, audiat Salomon Talmudiſtas (e) ita illi: כתבוה לא נשתנה הכל עיקר *Scriptura hæc non mutavit elementa.* Id probare volunt ex locutione ווי העמוד ים *Uncini columnarum.* v. Exod. 27: 10, 11. & 38: 10, 11, 12, 17. Columnæ, inquiunt, non ſunt mutatæ, ergo nec ווים mutata ſunt. Firmius nonnihil eſt, quod ex Eſther. 8: vſ. 9. allegant. בכתבם ובלשונם, quid lingua eorum? non mutata eſt; etiam ſcriptura eorum non mutata eſt. Huic ut veriori ſententiæ potiores ſubſcribunt Judæi. (f) Sed quorſum provehimur? Videndum quoque, quid hic ſentiant alii.

§. III. β Altera opinio eſt (g) fuiſſe has extraordinarias literas & inſolentes. Quo inclinare videtur B. Geſnerus. (h) Certe, inquit, ſi Hebræi vel Chaldæi fuiſſent Characteres, à Magis legi potuiſſent.

γ Tertia R. Salomonis eſt, Modernum quidem adhibitum Characterem, ſed eo primum die immutatum, cum ante habuerint alium ab hoc diverſum. Quo de jam ſupra. (i)

δ Quarto per ראשי תיבות ſive initiales tantum literas exhibitam fuiſſe Scripturam, arbitrantur alii (k) ita Machabæi nomen ex initialibus literis Exod. 15: 11. מי כמוך באלים יהוה conflatum eſſe creditur; (l) cum id inſcriptum vexillis Symbolum præferrent. Eleganter etiam ſimile exemplum in voce ROMA oſtendunt Pontificii. Roma enim, ſi per ſingulas literas explicetur, idem eſt, quod Radix omnium malorum Avaritia. (m) Hanc ſententiam à Lapide ut veriſimilem laudat.

ε. Quinto, Genuinam magis, ut cenſet, depromit ipſe: (n) Chaldæi, inquit, & Hebræi ſcribebant ſolas literas conſonantes ſine punctis. Unde Chaldæi neſciebant, quæ puncta hic eſſent ſubſtituenda, ſc. an legendum eſſet Mane, an Mina, an Meno; an Tekel, an Tokel, an Takal, &c.

§. IV. Sed age Judæorum quoque ex Talmud & Abarbanele proponemus ſententias. Quum, inquit Abarbanel (o), non mutare Scripturam Elementa ſatis conſtet. Viderunt Sapientes, ſi ordine debito ſcriptæ fuiſſent hæ voces, facile à quovis potuiſſe legi. In eo igitur conſenſerunt, diverſum fuiſſe ordinem.

ς. Raf. Nachman exiſtimavit, mutatas fuiſſe literas per modum (p) את בש. Ita ששך Jer. 25: 25. per hunc modum notari Babel cum Hieronymo (q) ſtatuunt interpretes. Fuit ergo juxta illius mentem hæc Scripturæ facies.

יטת יטת אדך פינחמרו

ζ. Rabbi Schemuel autem non conceſſit mutationem adeo magnam, ac ſi ipſæ literæ non fuiſſent adſcriptæ, ſed ordinem modo immutatum cenſet, delineationem ejus hypotheſeos ita proponit Talmud:

ממתוס ננקפי אאלרן

Ubi primo primæ, deinde ſecundæ, & ſic porro cujuſvis vocis literæ combinatæ, veram exhibebunt Scripturam.

η. Ejuſdem ſententiam alio proponit modo Abarbanel, & quidem eo, quem communicavit eruditis Menaſſe Ben Iſrael:

מ מ ת ו ס
נ נ ק פ י
א א ל ר ן

Ita literæ non לארכן juxta longitudinem ſed לעמקן juxta profunditatem, ut loquitur Abarbanel, erant legendæ, quod quum ignorarent Babylonii, nec legere nec intelligere propoſitam Scripturam potuerunt.

θ. R. Juchanan conjecturam præterit Abarbanel, qui ſingulas voces retrogrado fuiſſe ordine exaratas, arbitratur. Hanc Talmudica Gemara ita tradit:

אנם אנם לקת ניכרפו

§. V. R. Aſſe vero & Schemuelis rejicit opinionem, tum quod nimiam ea ſtatuat mutationem, tum quod vocem ופרסין divellat. Hinc in ſingulis vocibus priores duas tranſpoſitas fuiſſe literas hariolatur.

נמא נמא קתל פורסין

Subtilitatem hanc tanquam omnium excellentiſſimam laudat Abarbanel. Ita enim materialem quoque, ut vocat, ſcriptionem indicare, dicit; fore, ut dormienti Belſchazar amputetur caput. Ut Rabbinicum conſtet acumen, en ipſius verba: נמא הוא לשון שינה כמו לא ינום ולא ישן ואמר נמא שתי פעמים להגיד לו שתהוה לו שינת עולם לא יקיץ ולא יעור עוד ממנה וקתל הוא ענין הריגה כי התיו מתחלפת בטית וכמו שאמר בליליא קטל בלשאצר מלכא כשדאי ולפי שחתכו את ראשו אמר פורסין ר"ל שיעשו ממנו חתיכות פריסה הגוף והראש: Latine ſic reddi debet: *Vox* נמא *habet ſignificationem ſomni, ſicut ſumitur* (*Pſal.* 121: 4.) *non dormitabit, nec obdormiſcet, dicit autem* נמא נמא *duabus vicibus, ad indicandum ipſi* (*Regi*) *fore ipſi ſomnum æternum, nec expergefactum iri, nec evigilaturum porro ex illo. Vox autem* קתל *ſignificationem occidendi habet, quia thau permutatur loco thet. Quemadmodum dicit* (*Scriptura hoc v. ult.*) *in nocte occiſus eſt Belſchazar Rex Chaldæorum. Et propterea, quod amputarunt caput ejus, dicit* פורסין *h. e. quod fecerint ex illo duas partes ſeparatione trunci & capitis.*

λ. Denique aliam adducit conjecturam Cl. Buxtorfius. י"ל quam R. Samueli adſcribit, diverſo à ſuperiore hic conjunctas fuiſſe autumat literas, tanquam unam omnes conſtituerent vocem, h. m.

מנאמנאתקלופרסין

§. VI. Videndum tandem quid in tanta ſententiarum diverſitate ſit ſtatuendum. Id forte extra controverſiam erit, Chaldæos miraculoſi ſcripti ſenſum explicare non potuiſſe, licet ſimplices voces & legerent & intelligerent. Hinc 1β nodum nonnulli (t) ita ſolvunt. De explicatione, non nuda tantum lectione,

(a) *Joſ. ben Gorion.* (b) *Ad h. l. p.* 1312. *conf. m. Perer. p.* 581. *& Abarb. f.* 34. *pag.* 2. *col.* 2. *ad h l.* (c) *Cap.* 2. *fol.* 21. *p.* 2. *ſub fin. & ſeq.* (d) רשי *Characterem Magnum exponit ad h. l. V. Buxt. Lex. Talm.* (e) *R. Simeon & duo R. Elieſer. l. c. f.* 22. *p.* 1. (f) *V. R. Abarb. in Dan. l. c.* 9. *conf. cap. Cohen. gadol.* (g) *Pineda l.* 5. *de rebus Salomon. c.* 13. *n.* 9. *p.* 515. *ſub fin.* (h) *In h. l. th.* 34. (i) *V. ſupra §.* 2. *§.* 1. (k) *Antonin. Fern. viſ.* 23. *ſ.* 1. *Maldon. it. C. Sanct. ad h. l. col.* 233. 5. *q. §.* 57. *ad §.* 63. (l) *Schik. bech. hap. pag.* 67. *B. Glaſſ. Philol. S.* 5. *pag.* 307. (m) *Alex. Angelus D. in Summ. pag.* 6. *c.* 33. *V. Corn. à Lapid. in h. l. pag.* 1318.

(n) *V. l. c.* (o) *In Dan. f.* 35. *p.* 2. *col.* 2. *v. Maſſ. Sanh. f.* 22. *p.* 1. (p) *V. de eo B. Glaſſ. Ph. S. pag.* 310. *& Gr. S. lib.* 4. *T.* 1. 3. *de Nom. pr. pag.* 981. (q) *Sanct. ad h. cap. col.* 233. *§.* 54. *V. B. Glaſſ. l. c.* (r) *In de Term. vitæ pag.* 190. *V. Celeb. Dn. Senn. in diſſ. de Cabb. pag.* 32. *fin.* 59. *it. B. Dn. Walth. in Harmon. ad h. l.* (s) *Gramm. Ch. Praxi p.* 359. (t) *Bened. Perer. ad h. l. p.* 381.

lectione, intelligendam locutionem esse vers. 8. 25. alibi: Ast nec Scripturam legere, nec sensum ejus explicare potuisse Babylonios aperte asseritur, l. c. Vident id accuratiores, (u) quocirca, neutrum concedunt Babyloniis, quomodocunque id etiam factum modo fuerit. Nam audacter nimis pronunciat Calvinus, (x) prorsus fuisse excœcatos. Illud certe non videbitur absurdum, tali modo exaratam hanc Scripturam fuisse, qui reliquos lateret Chaldæos, soli pateret Danieli, diviniori quippe instructo Scientia. Ut ita Excellentissimo Domino SENNERTI, Præceptoris & Promotoris nostri legam vestigia. Ita ille: (y) *Nec dubium fuerit porro nobis; aut certe absurdi quid, quo majorem fidem suæ lectionis, & interpretationis faceret astantibus Daniel, singulis & ipsis vocibus contra parietem exscriptis, adhibuisse certam quasi clavem, sive legendi rationem quandam cabbalice, ut obvia nunc adeo atque de post facto, ut sic loquar, singulis hæc scriptio esset.*

(u) *Domin. D. Waltherus f. m. in Harm. pagina* 658. *annotatio Belg. ad vers.* 8. *not.* 31. (x) *Comm. ad h. l.* (y) *in diss. de Cabb. pagina* 32.

CAPUT III.

הכתיבה הצורית

SCRIPTURA FORMALIS.

ARGUMENTUM.

§. 1. *De vocibus his in genere.* §. 2. *De voce* מנא *Cur iteratum.* §. 3. *Vox* תקל & תקילת §. 4. *De part.* ופרסן. *Quomodo Medorum & Persarum mentionem eruerit Daniel? opinio Abarb.* §. 5. *An in vocibus illis annorum lateat numerus.* §. 6. *Tragicus Comessationis exitus.*

§. I. EXplicato quantum in re obscura licet, Scripturæ Materiali, Formale restat, vel ipsa vocum significatio. Nos Grammaticam vocum venabimur significationem, relictis quæ alterius fori sunt interpretationibus. Scinduntur hic iterum in diversa autores (a) Primo; Quidam hæc participia pass. esse censent; & reddunt: Numeratum, appensum, & divisum, ita Arab. Alexandrina & Antiochena versio. (b) Lud. de Dieu (c) Numeratus est, appensus est, & dividunt, supple, eum, id est, dividitur vel divisus est. Nam nomina participialia formæ Syriacæ דְּכִין esse censet (d) Secundo alii Imperative explicant: numera, appende, divide. (e) Tertio alii per præteritum activum exponunt, Numeravit, appendit, & diviserunt: atque id optime; tum quia קְרֵב accessit, Dan. 3: 26. & שְׁלֵט Dominatus fuit, vers. 27. ejusdem formæ sunt, adeoque illa inusitata non est, tum quia vocem מְנֵא ipse Spir: S. ita exponit vers. 26. מנה—אלהא appendit DEUS.

§. II. Sed & singulas rimabimur voces. Prima est מנא unde LXX. fecerunt μανὴ, Vers. Vulg. Mane. Radix Ebræa מנה numerare, supputare notat, idem Chaldæa valet, quæ tantum h. l. & vers. 26. occurrit, ubi ex Ebræo- Chaldaismo est מְנֵה Quæritur, cur hæc duplicata vox sit? censent aliqui, altera finem Regni, altera vitæ denotari. Abarbenel duplicem attendi supputationem conjicit, & visitationem; unam infaustam, qua apud Jerem. 25: 12. Dominus minatur Regi; Felicem alteram & exoptatam, qua apud Jerem. cap. 29: 10. Deus solatur Israelem. Ast hæc ἀλλότρια. Ejusdem vocis geminationem facere ad majorem rei certitudinem, notum abunde est. Idem hoc loco fieri, & ipsa res, & interpretum docet consensus. Variat hic Vaticanus Codex, teste à Lapide, (g) nam ille מְנֵה מְנֵא legit, (Mno Mne habet Corn.:) quod male is vertit, numeravit numeratum, cum numerando numeravit sonet, & exactissimam supputationem indicet. Sed hic unius codicis dissensus, constanti nihil officit lectioni, quam merito retinemus, quamvis quoad sensum vix quicquam intersit.

(a) *Vers. annot. Belg. ad h. l. ann.* 75. & *Cornelius à Lapide ad h. l.* (b) *ap. Cornelium à Lapide in Daniel. pagina* 13. 20. (c) *In Daniel.* 5: 25. *pagina* 647. (d) *l. c. & in Grammat. pagina* 197. 198. (e) *Vers. Cornelii à Lapide & annotatio Bel. l. c.* (f) 36. *pagina* 1. *columa* 2.

§. III. Altera vox est תְּקֵל libravit, appendit. Ebræa radix est שָׁקַל unde vulgari mutatione ש in ת præsens descendit verbum, tantum in his locis, cap. 5. vers. 25, 27. obvium. Explicatur vers. 27. per תְּקִילְתָּא appensus es, quod part. est præteriti instar formatum, docente Celeberrimo Domino SENNERTO. (h) Hanc recte Jacchiades (i) παραφράζει נִשְׁקַלְתָּ libratus es; non autem ita commode LXX. quum id tertia persona reddidere: ἐστάθη ἐν ζυγῷ καὶ εὑρέθη ὑστεροῦσα. An autem dies, (k) vel regnum, (l) vel probitas Regis, dicantur librata, nostrum non est definire.

§. IV. Tertia tandem vox est וּפַרְסִין (n) unde LXX. Φαρὲς, efformarunt. Quærit hic Abarbanel (o) quomodo in proposita sententia Medorum & Persarum mentionem, invenire potuerit Daniel? id ut demonstret, ita agit. Quasvis res numero, pondere, vel mensura, determinari, inquit, idem hoc loco observasse הק"בה. Numeravit annos Regni, quod voce מנא notatur. Appendit Regnum in statera, id תקל indicat. Tandem & sicut pannum dimensus est (Ebr. מדד.) Regnum Belschazar, usque ad finem, ubi id abscidit. (Ebr. פרס) Concludit deinde מדי quod Medum notat, derivari à מדד, dimensus est, פרס Persam indicans vero à פרס abscidit, & sic Medorum & Persarum erui posse mentionem. Egregia certe subtilitas, & forsan nimia, quæ plenius apud Autorem legi, si libet, potest. Denotare vocem פרסין non significatum tantum dividendi, sed alludere præterea ad divisores Persas, verisimile satis est; sed Medorum nomen ex subintellecta metiendi voce à Daniele erutum esse, non satis probatur.

§. V. Otiosæ specimen ἀκριβείας & ille (p) edidit, qui ex his vocibus, sed misere antea depravatis, nescio quem annorum numerum eruere fuit conatus. Voces sic mutilatas sistit: Mene, Mene, teCheL Upharsin. Hoc se apposuisse narrat, si forte cuipiam aperturus Deus oculos sit, ut id cum Daniele cognoscere valeret. Certe clausis hunc fuisse oculis oportet, qui in fonte p extare videre non potuit, & diversum Ebræorum Characterum in numerando valorem, ignoravit. Graviter hunc reprehendit Plur. Rever. Dn. D. Waltherus (q) ὁ νυῶ ἐν ἁγίοις.

§. VI. Tragicum tandem convivalium lauticiarum videmus exitum. Breviter, sed graphice hunc Spiritus Sanctus depingit vers. ultimo: ביה בלילא קטיל בלשאצר מלכארי כתריא. Eadem nocte, quæ fatale id epulum excepit, non vero subsequente anno demum interfectum Regem esse, hic satis claret. Tum & id erroneum est, benigne acceptum à Cyro Belschazarem, eumque Caramanniæ præfectum. (s) An autem à propriis interfectus ducibus fuerit, (t) Gobrya scilicet & Gabala, cum id Sacris non contrarietur literis, nec nos negabimus. Abarbanel vino somnoque sepultum in Regio interfectum palatio narrat. Hic helluonis finis, cujus

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub orcum.

תם ונשלם

ברוך אל לעולם:

(g) *pag.* 1320. (h) *Chald. pag.* 36. (i) *pag.* 101. (k) *Hieron. Maldon. V. ap. Corn.* (l) *Id. vult Calvin. folio* 68. *pagina* 1. *ad h. l.* (m) *Arab. Alex. it. ap. Corn. it. Abarb. Pero pagina* 382. *it. Rollocus* 129. (n) *V. Chald. Celeb. Senn. pagina* 36. (o) *folio* 36. *pagina* 2. *col.* 1. (p) *ap. B. Walth. in Miscell. Cent. pagina* 286. (q) *h. l. pagina* 287. (r) *uti ex Guevar. Alcazor in Ap.* 16. *vers.* 12. *ait Vers. Cornelii à Lapide pag.* 1322. (s) *Jos. lib.* 1. *contra App. ex Beroso.* (t) *V. Calv. folio* 48. *pagina* 2. *Wigand. è Xenoph.* 7. *folio* 172. *pagina* 2. *item Cornelius à Lapide* 1323. *Abarb. folio* 35.

JOH.

JOH. BEN. CARPZOVII DISSERTATIO

De Filio Hominis ad antiquum dierum delato. ad Daniel. VII: 13, 14.

בעזרת המלמד לאדם דעת:



QUæstio pridem Christianis Doctoribus contra Judæos mota est, *an Daniel inter Prophetas numerandus?* quippe quem Judæi ex Prophetarum numero excludere videbantur, quando ejus librum ad Hagiographorum classem Prophetis contradistinctam retulere. Cæterum notissima quidem est distinctio librorum Biblicorum omnibus Hebræorum Rabbinis comprobata, in תורה *Legem*, נביאים *Prophetas*, & כתובים *Hagiographa*, quam non pauci Christianorum interpretum CHRISTUM quoque haut improbasse, ex *Luc.* 24: 44. non abs re colligunt; hinc tamen perinde non sequitur, eos, quorum scripta in Hagiographorum classe reponuntur, à Judæis negari esse Prophetas, quam nemo facile dixerit, exinde, quod Lex à Prophetis distinguatur; Mosen ejus autorem, quem Prophetarum Principem & Patrem omnes sancte venerantur, Prophetam non esse. Quare ipse Rabbi Moses Majemonides *part.* 2. *More Neboch. cap.* 45. *folio* 122. *col.* 1. & in Buxtorfii versione *pagina* 319. cum de distinctis prophetiæ gradibus disputat, deque gradu secundo, quo hagiographa putat edita, egisset, ac Danielem medium inter Proverbia, Ecclesiasten, Psalmos, Ruth & Estherem disposuisset, diserte monet: ואלו גם כן יקראו נביאים בכלל *ipsi vero illi etiam generatim Prophetæ vocantur.* De qua re ex instituto, Danielis præsertim causam agens, Rabbi Abarbanel *Comment. in Daniel. font.* 2. *palm.* 1. *folio* 16. *col.* 3. *sequ.* Nobis eo minus de hoc dubium, quo clarius ipsum novimus à CHRISTO Prophetam salutari Matth. 24: 15. De CHRISTO sane clarissime vaticinatur, ut hinc in admirationem ejus raptus Cunæus *libro* 3. *de Republ. Hebr. cap.* 7. *pagina* 336. scripserit, *vaticinandi virtute neminem præ Daniele esse. Docet enim*, inquit, *quo tempore sit venturus Messias, & regum edisserit sequentium seriem, annosque numerat; &, ne quid desit, etiam prænuntia addit signa.* Fateor, me quoque ejus authenticum & Canonicum Codicem mirum in modum delectasse, ut, cum sacra Biblia merito meæ à puero deliciæ fuerint, inprimis tamen me amore sui tenuerit Daniel, cui idcirco primitias studiorum sacrorum dicare decrevi, Academiæ, quæ me hucusque fovit, valedicturus. Expendere placet ejus Oraculum *capite* 7: 13, 14. de quo magnifice sentit Pet. Molinæus *libro* 4. *Vatis cap.* 23. *pagina* 345. *Hac prophetia*, inquit, *nulla est illustrior, aut plura pandens mysteria. Atque haud scio, an in toto Veteri Testamento caput ullum inveniatur præstantius, & majori cum cura expendendum. Videtur Daniel sublimiori quodam afflatu correptus, penetravisse in arcana divina, ad fidem Christianam pertinentia. Ex hoc capite Christus sumpsit titulum, quo ipse se frequenter nuncupat, se vocans Filium Hominis. Innuens se esse illum Filium Hominis, qui de Cœlo descensurus est in nubibus, & mundum judicaturus, ut prædicitur Danielis cap.* 7: *vers.* 10. & *vers.* 13. Nempe insignem illam visionem de Filio Hominis ad antiquum dierum in nubibus cœli delato hoc Oraculum describit, & integrum sic habet in fontibus:

חָזֵה הֲוֵית בְּחֶזְוֵי לֵילְיָא וַאֲרוּ עִם־עֲנָנֵי שְׁמַיָּא כְּבַר אֱנָשׁ אָתֵה
הֲוָא וְעַד־עַתִּיק יוֹמַיָּא מְטָה וּקְדָמוֹהִי הַקְרְבוּהִי׃ וְלֵהּ יְהִב שָׁלְטָן וִיקָר
וּמַלְכוּ וְכֹל עַמְמַיָּא אֻמַיָּא וְלִשָּׁנַיָּא לֵהּ יִפְלְחוּן שָׁלְטָנֵהּ שָׁלְטָן עָלַם
דִּי־לָא יֶעְדֵּה וּמַלְכוּתֵהּ דִּי־לָא תִתְחַבַּל׃

Vulgata reddit: *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit: & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur.*

Cæteras versiones omitto, cum nihil instituto nostro conducant. Res enim nobis potissimum cum Hebræorum Rabbinis erit, sed ita, ut *Capite primo* Analysi textus Logico-Grammatica paucissimis præmissa, *Capite secundo* eas Rabbinorum interpretationes, in quibus Judæorum amicus cum Christianis consensus vulgo quæritur, & *Capite tertio* aperta Judæorum deliramenta, expendamus. Quod ut felix faustumque jubeat esse Deus, ardentissimis ab eo precibus contendimus.

CAPUT I.

Analysis textus Logico-Grammatica.

§. I.

QUoad analysin & explicationem textus, omnia jam occupavit Magnificus *Dn. Geierus*, maximi nominis nostri temporis Theologus, in exquisitissimo in Danielem Commentario, in quo ut maxima minima totius libri, ita hoc quoque Oraculum sic enodavit, ut nihil addi posse videatur. Quare de venia securus toto hoc Capite vestigia viri summi presse legam: quod statim in limine monere visum fuit, ne me plagii alicujus quis forte insimulet. Profiteor enim lubens & gratus, per quem profecerim.

§. II. *Scopus* Danielis in hoc textu est, describere revelationem sibi de Messiæ in gloriam adventu, hoc est, de ejus exaltatione, in visione nocturna factam. *Partes* duæ sunt: *Exordium* & *Narratio*. *Exordium* frequentata ipsi hactenus formula constat: *Aspiciebam in visione noctis*, qua (1) actum, (2) modum, (3) tempus visionis suæ exprimit. In *Narratione*, præmissa demonstrandi vocula *ecce*, describit (1) personam, quæ fuit *quasi filius hominis.* (2) actionem, quod *venerit cum nubibus Cœli.* (3) terminum ad quem, quod *ad antiquum dierum venerit, & in conspectum ejus adductus sit.* (4) consequens, quod est occupatio regni, descripti (α) à Majestate, quod *ei potestas, & honor, & regnum datum sit.* (β) à subditis, quod *omnes populi, tribus & linguæ ipsi serviant.* (γ) ab adjuncta duratione, quod *potestas ejus sit potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.*

§. III. Singula ordine expendenda, ac primum de Exordio, quod hic perinde ac in antecedentibus narrationibus *vers.* 2, 4, 6, 7, 9, 11. haud dubie singularitatis cujusdam debitæque attentionis causa præmisit. Desumptum est quasi ab encomio secuturæ narrationis, quæ minime inter aniles fabulas censenda, sed pro ardua maximique momenti revelatione sibi Prophetico more facta habenda sit.

§. IV. Hinc (1) *actum* functionis Propheticæ designat consueto Chaldaismo: חָזֵה הֲוֵית *videns fui.* Ubi quoad constructionem Buxtorfius *in Gramm. Chald. Syr. lib.* 2. *cap.* 15. *pagina* 310. notat, Participia verbo substantivo juncta cum præterito facere periphrasin præteritorum, reddendumque adeo: *Vidi* vel *videbam.* Est autem hoc *videre* fere pro-

proprium Prophetarum, & communiter eam mentis ſeu phantaſiæ in ſomno operationem denotat, quæ objecta certa, rem aliquam repræſentantia, complectitur; Unde חֲזָיָא *propheta*, qui & Hebraice olim dictus fuit רֹאֶה & חֹזֶה *videns*. Conf. Targum 1. *Sam.* 9: 9. 2 *Sam.* 15: 27. *cap.* 25: 11.

§. V. Ab eodem verbo nomen חֶזְוָא deſcendit, quo hic (2.) *modum* ſuæ viſionis Daniel indicat. Notat enim *Viſionem* non tantum *opticam*, ſed & *propheticam*, & ſumitur hoc poſteriori ſenſu nunc *paſſive* pro aſpectu alicujus rei, qualis ea aliis aſpicientibus apparet aut videtur, ut infra *hoc Cap.* 7: 20. ubi חֶזְוַהּ *aſpectus ejus* (cornu) *major reliquis* oſtenditur; nunc *active* pro viſione rem aliquam apprehendente, & ſic inter ſpecies apprehenſionum Propheticarum numeratur, de quibus videantur B. Gerhardus *Exeg. Loc. de Script. S.* §. 13. Petr. Molinæus *lib.* 1. *Vatis cap.* 9. *pag.* 24. 25. & alii: Ita Hornbeck *de convinc. & conv. Jud. pag.* 44. 45. triplicem recenſet modum, quo ſe Deus olim revelavit, modo ſcilicet intellectuali, phantaſtico & ſenſuali; & ſecundo modo ſe revelaſſe ut plurimum Danieli demonſtrat. Quod autem in plurali loquitur בְּחֶזְוֵי *in viſionibus*, eo ipſo viſionem excellentiſſimam ac plane ſingularem ſignificat, juxta Glaſſii regulam, *lib.* 3. *Philol. Sacr. tr.* 1. *can.* 24. *pag.* 88. (439.)

§. VI. Tandem (3) *tempus* commemorat, quo ſibi iſta viſio oblata ſit, dum חֶזְוֵי לֵילְיָא *Viſiones noctis*, hoc eſt *nocturnas* vocat, per ſolennem Hebraiſmum aut Chaldaiſmum, quo duorum ſubſtantivorum in regimine poſitorum alterum eſt loco adjectivi, quam Regulam exemplis pluribus declaratam habes apud Buxtorfium *lib.* 2. *Theſ. Gram. c.* 3. *pag.* 345. & Glaſſium *l.* 3. *Philol. S. tr.* 1. *can.* 8. *p.* 33. (401.) Eſt autem viſio nocturna, quæ *noctu* ſive dormienti, ſive etiam vigilanti obtingit, quo tempore homines à negotiis ſtrepitibusque diurnis quam maxime vacant, & ad receptionem inſpirationum divinarum atque ad attentionem ſunt aptiſſimi. Conferri hic meretur elegans libellus Jac. Andr. Cruſii *de nocte & nocturnis officiis, tam ſacris, quam profanis*, ubi paſſim inſignia noctis commoda in rebus præſertim gravioribus expediendis laudat.

§. VII. Ab Exordio jam tranſit Propheta ad ipſam viſionis enarrationem, per particulam Chaldaicam אֲרוּ quæ in hoc ſolo quidem capite, ſed quinquies tamen reperitur, nempe vſ. 2. 5, 6, 7. & hoc 13. ac æquipollet Hebræorum הִנֵּה *ecce*, de quo paſſim Philologorum obſervationes proſtant, è quibus unum inſtar omnium laudaſſe ſuffecerit Glaſſium *l.* 3. *Philol. S. tr. V. can.* 15. *pag.* 466. (713.) Nec inſuper habenda litera ו particulæ præfixa, quæ cum ipſa vocula: וַאֲרוּ *Et ecce*, majorem emphaſin infert. Sic namque & rem ſive viſam quaſi præſentem exhibere, & certitudinem ejus confirmare, & ad attentionem atque admirationem excitare voluit.

§. VIII. His ita præmiſſis Narratio ſuccedit, in qua (1) *Perſona* Danieli viſa, fuit כְּבַר אֱנָשׁ *quaſi filius hominis.* Ubi primum de præfixo כ quæritur, utrum ſit כי האמת *Kaph veritatis*, ut *Hoſ.* 4: 4. 5: 10. an vero כי הרמיון *Kaph ſimilitudinis*, ut *Pſal.* 1: 3. 143: 6. Poſterius nos affirmamus, etſi non deſint, quibus videatur prius apud Polum *in Synopſ. Criticor. ad h. l.* Non enim verus homo fuit, qui Danieli in hac viſione apparuit, ſed φάντασμα quoddam hominis ſpeciem referens, quemadmodum nec veras beſtias vidit quatuor Monarchias adumbrantes, ſed imaginem earum phantaſiæ ſuæ oblatam. Neque obſtat veritas humanitatis CHRISTI hic præfigurata. Aliud enim eſt *res ipſa præfigurata*, aliud *rei illius præfiguratio.* Adhæc Meſſias tum nondum verus homo, vel jamjam incarnatus, ſed ſuo demum tempore incarnandus erat. Poſito igitur, ipſummet DEI filium Danieli *ut hominem* apparuiſſe, qualiter & ab Abrahamo *Gen.* 18: 2. & Jacobo *Geneſ.* 32: 24. viſus eſt, nondum tamen dicendus eſſet *verus homo*, ſed *tanquam homo*, ſeu *inſtar hominis* fuiſſe ut inter tempus V. & N. Teſtamenti debitum remaneret diſcrimen. Quanquam nulla nos cogit neceſſitas, ut talem ipſius Meſſiæ præſentiam hic ſtatuamus, quali vel Abrahamus vel Jacobus fruebatur; cum ſufficiat ejus in Viſione facta prophetica repræſentatio.

§. IX. Porro de nomine בַּר ex Hieronymo obſervat Galatinus *lib.* 3. *de Arc. Cath. Ver. c.* 5. *fol.* 123. diverſa ſignificare, quandoque *filium*, quandoque *diſciplinam* ſive *doctrinam*, quandoque *frumentum*, quandoque *purum* ſive *mundum*, quandoque *electum.* Hic tamen extra dubium eſt, primum ſignificatum obtinere, & æquipollere Hebræo בֵּן *filius*, quo ſenſu & Hebraice legitur *Pſal.* 2: 12. & *Prov.* 31: 2, 5. adeoque בַּר אֱנָשׁ idem eſt ac בֶּן אָדָם *filius hominis*, hoc eſt *homo*, prout illam circumſcriptionem pro abſoluto nomine poſitam videmus *Num.* 23: 19. *Job.* 25: 6. Alias de nomine בֵּן aut בַּר *filius*, quos Hebraiſmos faciat in ſtatu regiminis poſitum, videatur Glaſſius *lib.* 3. *Philol. S. tr.* 1. *Can.* 36. *p.* 131. (472.) *ſeqq.*

§. X. Nomen denique אֱנָשׁ *hominis*, cum quo illud בַּר *filius* hoc loco conſtruitur, vi ſuæ radicis אָנַשׁ *miſer fuit*, proprie *miſerum* vel *vulgarem hominem* deſignat, plane uti Hebræum אָדָם cui איש *Vir ſtrenuus* opponitur. Ita R. David Kimchi *in lib. Schoraſchim Rad.* אדם, & ex eo R. Sal. Aben Melech *in Michlal Jophi ad Pſal* 4. *fol.* 164. *col.* 3. בני אדם ההמון בני איש הגדולים *Filii hominis ſunt plebeji; Filii autem viri ſunt Magnates.* Sciendum tamen, ſignificationem hanc, qua בַּר אֱנָשׁ aut בֶּן אָדָם *hominem vulgarem & plebejum* notat, tantum eſſe χετικὴν, & tunc valere, quando ſummates & inferiores inter ſe conferuntur, ut *Pſal.* 49: 3. 56: 2. 57: 10. 83: 5. Cum vero abſolute ponitur, ſimpliciter notat eum, qui ex Adamo ſuam habet originem & naturam aliis hominibus ὁμούσιον, ut hac appellatione, non homo homini, ſed vel DEO, vel angelo, vel feræ aut beſtiæ opponatur. Et ſic Ezechiel ſæpius *cap.* 2: 1. 3. 6. 8. 3: 1. *ſeqq.* item Daniel *Cap.* 8: 17. בְּנֵי אָדָם *filii hominis* dicuntur, ut inter Angelorum commercia, quibus fruebantur, conditionis humanæ recordarentur. Quanquam ejus denominationis varias rationes allegant Rabbini, quas ſummatim recenſet Rabbi Jac. Abendana *in Spicilegio ad Michlal Jophi Ezech.* 2. *fol.* 127. *col.* 1. quem huc tranſcribere non pigrabimur: יש אומרים שנקרא יחזקאל בן אדם כדי שלא יתגאה ויחשוב עצמו כאחד המלאכים לפי שראה המראה הגדולה הזאת. ורד״ק אמר לפי שראה פני אדם במרכבה הודיעו כי ישר וטוב הוא בעיניו והוא בן אדם לא בן ארי׳ה ולא בן שור ולא בן נשר על הדרך הנרמז באותם. ויש אומרים שנקרא בן אדם לפי שראה המרכבה ועלה למעלת מלאכי מרום כאלו אמר אין כאן ילוד אשה אלא זה. והרר״א כתב בעבור שגלה יחזקאל מהארץ הקדושה נקרא בן ארם רוצה לומר בן ארם הראשון שכמו שהוא גורש מגן עד כן יחזקאל גורש מירושלם ומבית ה׳ שהי׳ה שם כהן: *Sunt qui dicunt, Prophetam Ezechielem ideo vocari filium hominis, ne propter hanc viſionem ſeſe efferret, ac æquipararet Angelis. R. D. Kimchi ait, Deum notum facere ei, quod gratiam adeptus ſit apud ſe, quod filius hominis ſit, ſeu ab homine prognatus, non vero à leone, bove, aquila &c. Alii ferunt, ideo vocari filium hominis, quod curru, quem viderat, aſcenderit ad Angelos altiſſimos, ac ſi dixiſſet (Deus,) nullus hic eſt natus ex muliere niſi hic. Don Jizchak Abarbanel vero ſcribit: quia Ezechiel deportatus fuit ex terra ſancta, ideo vocatur filius hominis, nempe primi illius hominis Adami. Nam quemadmodum is expulſus fuit ex Paradiſo; ita Ezechiel expulſus eſt ex Jeruſalem & Sanctuario, ubi fuerat Sacerdos.*

§. XI. Sic igitur ſenſus eſt, Danieli, cui hactenus diverſarum ferarum phantaſmata in viſione apparuerant, jam veri alicujus hominis imaginem oſtenſam fuiſſe. Quæ quidem eminus Meſſiam portendebat, qui revera filius hominis futurus, etſi æternus DEI filius eſſet, ex muliere humanam naturam aſſumturus *Gal.* 4: 4. *Heb.* 2: 14. *Joh.* 1: 14. 1 *Tim.* 2: 16. *&c.* Quare ne pro Angelo, vel phantaſmate quodam: vel pro nudo DEO ſpeciem ſaltem hominis gerente, non vero reipſa facto homine haberetur, gaudere voluit nomine υἱοῦ ἀνθρώπου *filii hominis*, quod ipſa textus noſtri phraſi expreſſit Syrus *Matth.* 9: 6. 10: 24. 11: 19. 16: 13. 27, 28. *&c.* Conferatur, quid de hoc titulo, quo ſemet ipſum frequentiſſime Chriſtus inſignivit, Doctiſſimus Ligtfootus obſervarit *Hor. Hebr. & Talm. in Matth.* 16: 13. *pag.* 374. 375. Qualis ergo revera futurus erat, talem in viſione eum hic conſpicatur Propheta.

§. XII. Vidit autem illum (2.) *Venientem cum nubibus Cœli.* Sic enim ait: עִם עֲנָנֵי שְׁמַיָּא אָתֵה הֲוָה *Cum nubibus cœli veniens erat.* In quibus verbis fit egregia oppoſitio inter reges & regna mundi, quæ humi tantum & in mari ſe exerunt, juxta *vers* 2. *ſeqq. hujus cap.* & inter hunc Filium Hominis ſuperius in nubibus vectum, cujusmodi alias vehiculum ſoli tribuitur Deo in Sacris, 2 *Sam.* 22: 12. *Pſal.* 18: 12. *Pſal.* 97: 2. *Pſal.* 104: 3. *Ezech.* 1: 4. *Cap.* 16: 3, 4. *Deut.* 33: 26. *Eſ.* 19. 1. *Nah.* 1: 3. *&c.* Adventus igitur hic deſcriptus plane ſingulare quid & majeſtatem ab omnibus mundi regnis diſtinctiſſimam infert. Quod iterum CHRISTO convenientiſſimum eſt, qui non tantum nube amictus apparuit *Apoc.* 10: 1. ſed & ea tanquam vehiculo in Cœlum aſcendit *Act.* 1: 9. in nube etiam olim rediturus *Matth.* 21: 30. 26: 64. *&c.* Quod ipſum ſatis argumento eſt, adventum Meſſiæ in carnem hoc ſpectaculo non ſignificari, quippe qui humilis & abjectus, non Majeſtaticus fuit. Aut ergo adventus in gloriam, aut reditus

reditus ad judicium intelligitur, quorum utrumque cum cœli nubibus ſiſtunt citata loca.

§. XIII. Ne tamen hic ambigui hæſitemus, additur (3.) *terminus ad quem*, qui eſt עַתִּיק יוֹמַיָּא *antiquus dierum*, per Hebraiſmum ſic dictus, perinde uti *plenus dierum*, *ſatur dierum*, *vir dierum &c.* dici ſolet. Eſt autem deſcriptio viri grandævi, quem in ſolio Regali ac judiciali ſedentem Propheta ſuperius *verſ.* 9. viderat; quique, uti recte R. Solomo Jarchi annotavit, הק"בה *Sanctum benedictum illum*, hoc eſt DEUM OPTIMUM MAXIMUM repræſentabat. Hic enim eſt אֱלֹהֵי קֶדֶם *Deus antiquitatis*, i. e. *æternus*, *Deut.* 33: 27. dierum orbis omnium durationem excedens, qui dies omnes, à ſole per ipſum condito factos, anteceſſit, omnis initii, mutationis, ac finis expers, *Malach.* 3: 6. *Jac.* 1: 17. Quæ quidem deſcriptio etſi DEO triuni conveniat, commodius tamen hic ad DEUM Patrem ſolum referetur, ut accuratè Danieli delineatum credamus, quod ipſe CHRISTUS poſtea de ſuo ad Patrem abitu dixit *Joh.* 14: *verſ.* 12, 28. 16: 28. *&c.*

§. XIV. Unde manifeſtum eſt, hanc viſionem non de adventu CHRISTI ad judicium ultimo; ſed de glorioſo ejus in regnum ingreſſu loqui. Non enim ad homines in terram, ſed ad antiquum dierum in cœlum venire; non in conſpectum hominum judicandorum, ſed in conſpectum Patris adduci, Meſſias cernitur. Atque hac gemina phraſi, idem ſignificante, glorioſa in cœlum aſcenſio exprimitur à Daniele; primo quod עַד עַתִּיק יוֹמַיָּא מְטָה *usque ad antiquum dierum pervenerit*, nempe non tam locum quam ſtatum mutando; deinde quod קֳדָמוֹהִי הַקְרְבוּהִי *in conſpectum ejus obtulerint eum*, ubi per conſuetum idiotiſmum tertia pluralis, absque expreſſo nominativo, imperſonalem ſignificatum infert, ac ſenſus eſt, *exaltatum eſſe Meſſiam ad dextram DEI*, qui ipſum à dextris ſedere juſſerit *Pſal.* 110: 1.

§. XV. Eſt enim hoc (4.) *Conſequens* adventus hujus in cœlum, occupatio nimirum regni ſumme Majeſtatica & vere divina, omnem mundi gloriam tranſcendens; quippe quæ cum aſcenſione in cœlum immediate conjungitur. Hæc uti Prophetæ ob animi oculos clare conſpicienda in viſione ponebatur, ſic luculenter in hac narratione explanatam dedit.

§. XVI. Vidiſſe ſe ait (α) *Majeſtatem*: וְלֵהּ יְהִב שָׁלְטָן וִיקָר וּמַלְכוּ *Et data eſt ei poteſtas, & gloria, & regnum.* Ubi tria vocabula non niſi Regi congrua, שָׁלְטָן *poteſtas*, quâ abſolutum in ſubditos dominium cum jure vitæ & necis innuitur, *Dan.* 3: 33. יְקָר *gloria*, qua quis ob ſingularem eminentiam reſplendeſcit, & magni apud omnes æſtimatur, *Dan.* 2: 6. 4: 27. 5: 18. 20. מַלְכוּ *regnum*, quo quis Monarchica in ſubjectos autoritate pollet, neminemque ſupra ſe alium ſuperiorem agnoſcit, *Pſal.* 22: 29. Quæ ideo hic conglomerantur, ut tanto plenius incomparabile, ampliſſimum, perfectiſſimum, & uno verbo, vere divinum exprimeretur imperium. Dum vero hæc ad Meſſiæ exaltationem referuntur, יְהִב לֵהּ *datum ei* id novimus non quoad κτῆσιν, quam in primo conceptionis momento habuit, ſed quoad χρῆσιν, & plenarium exercitium, quod ad dextram Patris evectus demum incepit.

§. XVII. Obſervat (β.) *Subditos*, eosque tum à *multitudine*, tum ab *officio* deſcribit. Ratione *multitudinis* vocat כֹּל עַמְמַיָּא אֻמַּיָּא וְלִשָּׁנַיָּא *omnes populos, nationes, & linguas.* עַמְמַיָּא *populi* ſunt, qui toto aliquo comprehenduntur regno. אֻמַּיָּא *nationes* arctius quodammodo appellantur familiæ ampliores, ab una אֵם *matre*, ſtemmate originem trahentes. לִשָּׁנַיָּא *Linguæ* ſunt populi, qui diverſis utuntur idiomatibus. Adeoque maxima hominum nec numeranda multitudo his nominibus ita junctis deſignatur, quæ eadem ſerie ſimiliter occurrit *Dan.* 3: 4, 7, 31. 5: 19. 6. 25. Ratione *officii* illis tribuit ſervitutem exaltato huic Regi ſuo præſtandam: לֵהּ יִפְלְחוּן *ipſi ſervient*, quod futurum de debito & jure magis, quam de eventu vel facto accipiendum, q. d. His omnibus incumbebat, ut ſervirent ei cultu religioſo, qualis debetur Numini. Ita namque verbum פְּלַח in ſacro codice uſurpari de cultu non politico, ſed religioſo, (ſive is per errorem deferatur numini fictitio, ſive pro merito cadat in verum Deum) conſtat ex *Dan.* 3: 12, 14, 18, 28. *Cap.* 6: 17, 21. *Cap.* 7: 27. *Eſr.* 7: 24. quæ plenaria omnium locorum, ſi noſtrum annumeremus, eſt inductio, è quibus de uſu verbi hujus Chaldaici Biblico conſtare poteſt. Ea vero quam apte conveniant Meſſiæ regno ſive Eccleſiæ ex Judæis pariter & gentilibus poſt ejus in cœlum aſcenſionem collectæ, nemini non eſt perſpectiſſimum. Conferatur *Pſal.* 2: 8. 19: 5. 22: 29. *Rom.* 10: 18. *Eph.* 1: 20. *Apoc.* 19: 16. *&c.*

§. XVIII. Tandem (γ.) *adjunctam Regni durationem* laudat, phraſi cum poſitiva, tum remotiva. *Poſitive* ait: שָׁלְטָנֵהּ שָׁלְטָן עָלַם *Poteſtas ejus poteſtas ſeculi*, h. e. dominatus ejus eſt æternus, de quo idiotiſmo vide Buxtorf. *Gr. Chald. lib.* 2. *c.* 3. *pag.* 244. idque mox repetit: וּמַלְכוּתֵהּ *& regnum ejus*, ſcilicet, quod ἀπὸ κοινοῦ repetendum: מַלְכוּת עָלַם *eſt regnum æternum*, de qua ellipſi vocum conjunctarum ex membro præcedente repetendarum vide Glaſſium *lib.* 4. *Philol. S. tr.* 2. *obſ.* 11. *pag.* 722. (901.) *Remotive* ait de שָׁלְטָנֵהּ *dominatu ejus*: דִּי לָא יֶעְדֵּה *qui non auferetur*, quo ipſo translationem, aut depulſionem ab adminiſtratione removet, qualem DEUS Nebucadnezari interminabatur *Dan.* 4: 28. idemque & hic repetit, cum de מַלְכוּתֵהּ *regno ejus* addit: דִּי לָא תִתְחַבַּל *quod non corrumpetur*, quo ipſo omnem ſive internam, ſive forinſecus illatam perturbationem removet, qualis ſolet mundanis regnis accidere, in quibus ſæpe ob ſubditorum impatientiam, novitatisque aviditatem, ingentes excitantur turbæ, & ipſæ regiminis formæ mutantur, Monarchica in Ariſtocraticam, vel Democraticam converſa. Talis corruptio huic Regno non metuenda, utpote non mundano, ſed *regno DEI viventis & permanentis*, quod לָא תִתְחַבַּל *non diſſipabitur*, *Dan.* 2: 44. 6: 27. Atque hæc iterum nullo negotio ad regni Meſſiani æternitatem applicabuntur, de qua conferantur *Luc.* 1: 33. *Heb.* 12: 28. 2 *Petr.* 1: 11. *&c.* Et tantum de Analyſi & ſenſu textus.

CAPUT II.

Conſenſus Rabbinorum cum Chriſtianis, ejusdemque accuratius ſcrutinium, quatenus vel repudiandus, vel admittendus.

§. I. Succedere jam debebat cum vindicatio textus & demonſtratio eorum, quæ hactenus ſubinde indicata ſunt, agi nimirum de non alio, quam de Meſſia, ejusque glorioſa exaltatione; tum evolutio doctrinarum, quæ de CHRISTI JESU, veri Meſſiæ naturis, perſona, officio & ſtatibus in Claſſico hoc loco pulcherrime fundantur. Cujusmodi opera poſt perpetuos in Danielem Commentatores egregie defuncti ſunt ex inſtituto B. Dan. Cramerus *Claſſ.* 2. *Schol. Prophet. Vatic.* 7. *pag.* 320. *ſeqq.* & B. Jo. Henr. Urſinus *in Parall. Evang. Cap.* 20. *pag.* 98. *ſeqq.* item Jo. Schröderus *in throno regali CHRISTI, Fundam.* 7. *pag.* 274. *ſeq.* Feuerbornius *Faſc.* 1. *Diſp.* 3. *pag.* 218. Hülſemannus *in Vindiciis Artic.* 29. *pag.* 71. *ſeqq.* atque alii plures, quin & è Pontificiis Anton. Fernandius *in viſionib. Vet. Teſt. Viſ.* 24. *fol.* 656. *ſeqq.* &c. Sed animus nobis non eſt, in hunc nos demittere Oceanum, ſed ſpecimen ſolum dare profectuum, quos in Philologia fecimus, & oſtendere, quid hinc ſubſidii non tantum ad enucleationem verborum textus hujus, ſed & ad eorum vindicationem, & veritatis aſſertionem in controverſiis præſertim anti-Judaicis ſperari poſſit. Nam ſæpe videas ad Judæorum conſenſum provocari ab iis, qui Judæorum ſcripta ſatis non penetrarunt: ſæpe etiam Judæorum ſententias ab illis impugnari audias, qui eas nondum ſatis exploratas habent, ſed vel ab aliis accepere minus fideliter relatas, vel ſaltem fando audiverunt. Utrumque igitur nunc agam, *partim* in Judæorum, qui videri poterat, conſenſum cum Chriſtianis, *partim* in eorum diſſenſum, & apertam textus Danielitici depravationem inquiſiturus. Ac *prius* quidem in præſenti, *poſterius* in ſequenti Capite ſic exequar, ut *illic* imaginario perſonatorum amicorum conſenſui larva detrahatur, *iſtic* vero adverſariorum aperto Marte cum Chriſtianis confligentium ſtrophæ & argutiæ clarius innoteſcant.

§. II. Initio itaque negari nequit, Judæos communiter hunc textum interpretari de Meſſia, qui Danieli כבר אנש *tanquam filius hominis* cum nubibus cœli ad antiquum dierum delatus apparuerit. Unde R. Abarbanel *Comm. in h. l. fol.* 50. *col.* 1. licet ipſe in alia omnia, ut oſtendemus, abeat, non tamen id negare auſus, diſerte hunc communem interpretum Judaicorum conſenſum profitetur: והמפרשים פירשו כבר אנש על מלך המשיח כאילו הוא איש אחד שיבא לדין לבקש על עמו: *Cæterum Interpres*, inquit, *hæc verba*: *TANQUAM FILIUS HOMINIS*, *interpretantur de Rege Meſſia, veluti qui vir unicus ſit, venturus ad judicium, ut pro populo ſuo intercedat.*

§. III. Pari

§. III. Pari modo R. Jehuda Leo bar Bezaleel *in Nezach Iſraël fol.* 38. *col.* 3. המשיח הוא מתעלה על הענן כדכתיב וארו עם ענני שמיא כבר אנש שזה נאמר על המשיח: *Meſſias longe ſublimior eſt nubibus, quemadmodum ſcriptum eſt: ET ECCE, CUM NUBIBUS COELI TANQUAM FILIUS HOMINIS VENIT; ſiquidem hoc ipſum de Meſſia dictum eſt.*

§. IV. Horum quidem confeſſio ſatis clara perſuadet nobis, ne de vulgari illa nobiſcum faciente Judæorum ſententia dubitemus. Sed placet tamen, ordine intueri teſtimonia illorum, qui locum de Meſſia accipiunt, ut eo melius de iis judicium ferre valeamus. Sunt autem Judæorum alii *Cabbaliſtæ*, alii *Talmudici*, alii *Medraſchici*, alii denique *Literales*; & horum omnium excutienda ſunt ſcrinia, ſi de conſenſu hoc conſtare debeat.

§. V. Prima ergo claſſis *Cabbaliſtarum* eſt, quorum affectata obſcuritas faceret, ut ipſos plane omitteremus, niſi Galatinus *lib. VII. de Arc. Cath. Verit. cap. XIV. fol.* 415, 416. & ex eo Helvicus in Elenchis Judaicis, *Tom. IV. Diſp. Gieſſenſ. Diſp. IV.* §. 34. *pag.* 91. teſtimonium *R. Simeonis ben Jochai*, Cabbaliſtarum, ut vulgo creditur, celeberrimi, è libro *Sohar* ſuggeſſit. Is *antiquo dierum* ex hoc Danielis loco זעיר יומין *juniorem dierum* contradiſtinguit, utpote quem Propheta tanquam filium hominis ad illum accedere viderit, quem ait è fœmina clauſo utero egreſſum, paratum & aptum, ut ſit Princeps altiſſimus, atque hunc eſſe מלכא משיחא *Regem Meſſiam.* Verba ipſa legantur apud Galatinum *loc. cit.*

§. VI. Secunda claſſis eſt *Talmudicorum*, quibus ad unum omnibus extra dubium ponitur, Danielem hic loqui de Meſſia, cujus glorioſum adventum cum cœli nubibus futurum annunciet. Illuſtris locus eſt in Talmudis Babylonici Maſſecheth Sanhedrin *f.* 98. *col.* 1. & exhinc in Beth Iſraël *part. II. fol. CXCVI. col.* 4. atque in Jalkut *part. II. num. DLXXVI. fol. LXXXII. col. I. & num. MLXV. fol. CLVI. col.* ubi conciliatio traditur inter Danielem & Zachariam, quorum ille Meſſiam cum nubibus cœli glorioſe, hic miſere cum aſino adventurum prædixerit. Verba Gemaræ Talmudicæ hæc ſunt: אמר רבי אלכסנדרי רבי יהושע בן לוי רמי כתיב וארו עם ענני שמיא כבר אינש אתה וכתיב עני ורוכב על חמור זכו עם ענני שמיא לא זכו עני ורוכב על חמור: *Dixit Rabbi Alexandrinus, R. Joſuam ben Levi commiſiſſe inter ſe hæc duo loca,* Daniel. 7:13. *Ecce in nubibus cœli velut filius hominis veniet: Et* Zach. 9: vſ. 9. *Veniet pauper & vectus aſino. Sic autem conciliaſſe: Si digni fuerint Judæi, veniet in nubibus cœli; Sin indigni, veniet pauper & vectus aſino.*

§. VII. Tertia claſſis eſt *Medraſchicorum*, quos jure dixeris Hebræorum Poſtillatores. Hi à Talmudicorum ſententia eo minus recedunt, quo certiores ſunt, eam ex Veterum Homiliis in Talmudem introductam. Nam totidem verbis legitur in *Bereſchith Rabba*, antiquo Medraſch *R. Moſis had-Darſchan*, teſte Raimundo Martini *part. III. Pugion. Fid. Diſt. III. Cap. XVI. n. I. fol.* 656. pericopam integram transſcribente, in qua Zachariæ vaticinium de Meſſia aſino inſidente, ad illuſtrandum vaticinium Jacobæum de pullo aſini viti alligando *Geneſ.* 49: 11. attulerat. Hinc quærit: והלא כבר נאמר על המשיח וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתה הוה *Numquid vero non pridem de Meſſia dictum eſt: Et ecce cum nubibus cœli tanquam filius hominis veniens erat?* Et reſpondet: זכו ישראל עם ענני שמיא לא זכו ורוכב על חמור: *Si digni fuerint Iſraelitæ, implebitur Danielis vaticinium de adventu Meſſiæ in cœli nubibus; ſin indigni, implebitur Zachariæ prophetia de adventu ejus ſuper aſino.*

§. VIII. Aliud ex Medraſch Tanchuma affert R. Simeon *part. II. Jalkut, num. DLXXI. fol. LXXX. col.* 2. quod itidem ex Bereſchith Rabba recitat Raimundus *part. III. Pug. Fid. Diſt. III. Cap. IX. num. VI. f.* 601. מי הוא ענני זה משיח שנאמר חזי הוית בחזוי ליליא וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתה הוה ועד עתיק יומיא מטא וגו׳ *Quis eſt Anani,* (quaſi *nubeus* dictus) cujus fit mentio 1 *Paral.* 3:22? *Hic eſt Meſſias, utpote de quo dicitur: Videbam in viſione noctis, & ecce cum* (ענני) *nubibus cœli tanquam filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit. &c.*

§. IX. Adhuc unum addo ex Medraſch Schocher Tobh. *f. IV. col.* 2. quod idem etiam Raimundus ex Medraſch Thillim recenſuit *part. III. Pug. diſt. III. Cap. VIII. n. II. f.* 592. מסופרים הם עניני מלך המשיח בחוקה של תורה ובחקן של נביאים ובכתובים בחוקה של תורה שנאמר בני בכורי ישראל ובחקן של נביאים שנאמר הנה ישכיל עבדי ירום ונשא וגבה מאד מה כתוב בתריה הן עבדי אתמוך בו בחקן של כתובים שנאמר נאם יי׳ לאדני שב לימיני וגו׳ עד מרחם משחר לך טל ילדותיך נשבע יי׳ ולא ינחם אתה כהן לעולם עד דברתי מלכי צדק וכתוב אחר אומר וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתי הוא ועד עתיק יומיא מטא וגו׳ *Narratæ ſunt materiæ Regis Meſſiæ, & myſteria ejus in ſcriptura Legis, Prophetarum & Hagiographorum. In ſcriptura Legis, ſicut dictum eſt* Exod. 4:23. *FILIUS MEUS PRIMOGENITUS MEUS ISRAEL. In ſcriptura vero Prophetarum, ſicut dictum eſt* Jeſ. 52:18. *ECCE INTELLIGET SERVUS MEUS, EXALTABITUR, ET SUBLIMIS ERIT VALDE. Quid poſtea ſcriptum eſt? ECCE SERVUS MEUS, SUSCIPIAM EUM. In ſcriptura denique Hagiographorum, ſicut dictum eſt* Pſ. 110:5. *DIXIT DOMINUS DOMINO MEO, SEDE AD DEXTRAM MEAM, &c. uſque ad: DE UTERO, de AURORA TIBI ROS INFANTIÆ TUÆ: JURAVIT DOMINUS, ET NON POENITEBIT EUM, TU ES SACERDOS IN ÆTERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHIZEDECH. Et alia ſcriptura dicit* Daniel. 7:13, 14. *ET ECCE CUM NUBIBUS COELI TANQUAM FILIUS HOMINIS VENIEBAT, ET USQUE AD ANTIQUUM DIERUM PERVENIT, &c.* Similia paſſim apud Raymundum & Galatinum excerpta offendas.

§. X. Quarta denique claſſis eſt *Literalium*, quos inter primas tenent notiſſimi illi, quos Biblia Targumico-Maſorethico-Rabbinica Baſileæ excuſa junctim exhibent conſpiciendos *fol.* 490. *fac.* 2. In his R. Salomo Jarchi: כבר אנש אתה הוא מלך המשיח: ועד עתיק יומיא שהיה יושב במשפט ודן את האומות: מטא הגיע: ולה יהיב שולטן ולאותו בן אדם נתן ממשלת: *TANQUAM FILIUS HOMINIS: hic eſt Rex Meſſias. ET USQUE AD ANTIQUUM DIERUM: qui ſcilicet conſedit in judicio, & populos judicat. PERVENIT: Chaldaicum* מטא *idem notat quod Hebraicum* הגיע *pervenit. ET EI DATA EST POTESTAS: nempe illi ipſi filio hominis ad ſe venienti dedit antiquus dierum regnandi potentiam.* R. Aben Eſra: ויאמר רבי ישועה כי זה כבר אנש הוא המשיח ונכון דבר: *R. Joſua aſſeruit, per hunc, qui tanquam filius hominis apparuit, intelligendum eſſe Meſſiam, & hæc aſſertio eſt ſolida.* R. Saadia Gaon: וארו עם ענני שמיא כבר אינש אתי זהוא משיח צדקנו והלא כתוב על משיח עני ורוכב על חמור אלא יבוא בענוה כי לא יבוא על סוסים בגאות ואשר כתב עם ענני שמיא והנה עם ענני השמים הם מלאכי צבא השמים זו היא רוב הגדולה שיתן הבורא למשיח ככתוב עם ענני שמיא אז הוא גדול במשל כן עתיק יומין לבושיה כתלג חיור ושער רישיה כעמר נקי במשלי בני אדם: ועד עתיק יומין הקרבוהי כדכתיב נאם יי׳ לאדני שב לימיני וגו׳: ולה יהיב שולטן שיתן לו שולטנות ומלכות ככתוב ואני נותן עוז למלכי וכתוב סכתי ממלכו וירם קרן משיחו ולא תסור מלכותו ולא תשחרת עדי נצח נצחים: *ET ECCE CUM NUBIBUS COELI TANQUAM FILIUS HOMINIS: Hic eſt Meſſias, Juſtitia noſtra. Sed annon de Meſſia ſcriptum eſt* Zach. 9:9. *Pauper & equitans ſuper aſino? Enimvero innuit Zacharias, venturum eſſe in humilitate, non enim venturus eſt ſuper equis cum faſtu. Quod autem Daniel ſcribit, venturum eſſe cum nubibus Cœli, intelligit per nubes cœli angelos exercitus cœli. Hæc nempe ſumma erit Majeſtas, quam Creator Meſſiæ conferet, ſicuti ſcriptum eſt: cum nubibus cœli, tunc erit maximus. Similiter parabolice Antiquus dierum in antecedentibus introducitur tanquam veſte nivis inſtar candida amictus, & cujus crines inſtar lanæ puræ in capite fuerint, id quod humano tantum more de DEO enunciatur. ET USQUE AD ANTIQUUM DIERUM ADDUXERUNT: nempe ſecundum id quod ſcriptum eſt* Pſalm. 110:1. *Dixit DOMINUS DOMINO MEO, ſede ad dextram meam &c. ET EI DATA EST POTESTAS, ſenſus eſt, Deum ei dominium & regnum dediſſe, prout ſcriptum eſt* Pſalm. 2:6. *Ego unxi Regem meum. Et iterum* 1 Samuel. 2:10. *Et dabit fortitudinem Regi ſuo, & extollet cornu Meſſiæ ſui. Neque auferetur regnum ejus, neque deſolabitur uſque in ſecula ſeculorum.*

§. XI. His ſuccedit *R. Joſeph Jacchiades*, cujus paraphraſin in Danielem cum verſione & annotationibus Conſtantinus L'Empereur ab Oppyck edidit. Is poſt Hebræam textus Chaldaici tranſlationem idem gloſſæ loco obſervat *pag.* 129. והוא משיח צדקנו אשר יגיע לפני ה׳: *Cæterum hic, qui tanquam filius hominis viſus eſt, eſt Meſſias, Juſtitia noſtra, qui perveniet in conſpectum DEI.*

§. XII. Atque hæc ex omni genere Rabbinorum deprompta ſunt teſtimonia, quæ facile in immenſum augere liceret, ſi obvia convaſare undecunque vellemus. Nam & Hornbeckius *lib. II. de Convincen. & Convert. Judæis Cap. I. p.* 174. quem-

quendam obſcuri nominis Judæum allegat, qui in amica Diſputatione anno M DC XLIV. edita Danielem de Meſſia loqui faſſus ſit; & Excellentiſſimus Dn. L. Eſdras Edzardus, Doctor apud Hamburgenſes famigeratiſſimus, meusque per annum & quod excurrit Præceptor fideliſſimus, eoque filiali cultu nullo non tempore proſequendus, ex Talm. Chagiga *fol.* 14. *col.* 1. Targum *Pſal.* 80: 18. Aben Eſra *in Pſalm.* 80: 16, 18. alia congeſſit, *ad Pſ.* 110. *fol.* 5, 6. Sed ea, quæ attulimus, inſtituto noſtro abunde ſufficiunt.

§. XIII. Jam ſpecioſa hæc ſunt primitus conſpicienti, & talia, quæ cum vera & orthodoxa Chriſtianorum expoſitione apprime conſentire videri poſſint. Annon enim iſta plane ad Chriſtianorum mentem dicuntur, *Danielem hic de Meſſia vaticinari*? At enimvero ridebit Judæus, ſi quis hæc teſtimonia contra ipſum pro Chriſtianiſmo adduxerit. Nam de Meſſia hic agi, nullus Judæorum negabit; negabit autem, agi de JESU Nazareno, quem nos Meſſiam Chriſtiani colimus, Judæi vero execrantur. Quanquam enim ipſi in ſingulorum vocabulorum deſignatione, & quoad omnes viſionis circumſtantias inter ſe non conveniunt, aliis perſonam tanquam filium hominis in cœli nubibus apparentem de Meſſia, aliis de populo Iſraelitico accipientibus, uti & circa Antiquum dierum nonnulli privatis ſuis opinionibus gaudent; conveniunt tamen quoad generalem conceptum, qui eſt Meſſiæ adventus, cum redemptione populi Iſraelitici, & auſpicio regni Judaici conjunctus, quem futurum adhuc præſtolantur, adeoque prophetiam nondum impletam; ſed de Meſſia adhuc venturo loqui, ad unum omnes credunt.

§. XIV. Hinc unico hoc principali Syllogiſmo tota res expediri poteſt:

Qui viſionem hanc Danieli factam de Meſſia utopico, imaginario, nondum exhibito, ſed adhuc venturo, & terrenum carnalis Iſraelis regnum inchoaturo exponunt; illi non conſentiunt cum Orthodoxa Chriſtianorum expoſitione.

Atqui Judæi, quorum teſtimonia vel producta ſunt hactenus, vel afferri adhuc poſſunt, viſionem hanc Danieli factam de Meſſia utopico, imaginario, nondum exhibito, ſed adhuc venturo, & terrenum carnalis Iſraelis regnum inchoaturo exponunt.

Ergo Judæi, quorum teſtimonia vel producta ſunt hactenus, vel afferri adhuc poſſunt, non conſentiunt cum orthodoxa Chriſtianorum expoſitione.

§. XV. *Majorem* nemo inficiabitur, quisquis doctrinam Chriſtianam de Meſſia, DEI & Mariæ filio pridem exhibito, & poſt exantlatum redemptionis laborem ad dextram DEI Patris exaltato hac viſione fundatam expenderit; quam tantum abeſt, ut confirmet, ut potius directe elevet & impugnet, quicunque dixerit, Meſſiam hic prædici, qui nondum venit, ſed venturus adhuc eſt: qui non θεάνθρωπος, ſed ψιλάνθρωπος eſt: qui non totius mundi Ethnicorum & Judæorum, ſed tantum Judæorum Rex eſt: qui non ſpirituale regnum per verbi prædicationem & adminiſtrationem ſacramentorum pridem exorſus, ſed terrenum regnum armis corporalibus propugnandum ſuo demum tempore, cum advenerit, inchoaturus eſt &c.

§. XVI. *Minor* de Judæis citerioribus ſubſumit, qui poſt Romanam Urbis ac Templi everſionem in ſenſum reprobum dati, ſcripturam quidem ſacram, ſed perverſe tractant, eaque ad ſuæ impietatis placita defendenda & ad patrocinium infidelitatis abutuntur. Horum enim teſtimonia nobis ſola proſtant, cum Veterum, qui ante vel circa CHRISTI tempora vixere, nulla hodie ſuperent, niſi quod poſt abſtruſiora Cabbaliſtarum monumenta in Talmude & antiquioribus Medraſchim atque homiliis ſententiæ Veterum iſtorum ſubinde ex reſiduis ſchedis compilatæ, non tamen ſine compilatorum depravationibus exſtent, adeo ut licet plurima hinc pro adſtruenda veritate lector, ſi cum judicio accedat, eruere poſſit, in colligendis tamen teſtimoniis, quæ aperte pro Chriſtianorum doctrina faciant qualia hæc eſſe vulgo judicantur, fruſtra deſudet.

§. XVII. Probamus ergo *Minorem*, tum *in genere* à communi omnium Judæorum doctrina de venturo ipſorum Meſſia, prout illam unus inſtar omnium, qui hanc materiam excuſſerunt, conſulendus Buxtorfius *in Sinagoga Judaica toto cap.* 36. *pagina* 438. *ſequ.* (quod in noviſſima editione eſt *cap.* 50. *pagina* 717.) planiſſime expoſuit: huic enim omnia Moſis & Prophetarum oracula, quæ de Meſſia loqui concedunt, accommodant; tum *in ſpecie* per ſingulas Judæorum claſſes eundo, quorum hactenus attulimus teſtimonia, quæ de non alio, quam Utopico Judæorum Meſſia intelligenda eſſe, ſtrictim oſtendemus.

§. XVIII. De *Cabbaliſtis* quidem ſemper honeſtius, quam vulgo ſolet, judicamus; dolemus ſaltem, quod non ſoluta ſatis ſint eorum ænigmata, quæ multa nobis myſteria Veterum longe modernis rectius de Meſſia ſentientium recluderent, ſi intelligerentur. At quod allatum *Rabbi Simeonis ben Jochai* teſtimonium attinet, id ſola nititur Galatini fide, quando Raymundus Martini, quem expilare alias Galatinus ſuevit, illud prorſum tacuit. Etſi vero Galatini fidem, licet multis ſuſpectam, jam non ſollicitabimus; nondum tamen certo conſtat, utrum *ex hoc Danielis loco* antiquum dierum cum juniore dierum Rabbinus ille commiſerit? In ipſis ſane verbis, prout à Galatino recitantur, nulla viſionis Danieli factæ mentio: nec ipſe Galatinus huc verba trahit, ſed Helvicus, qui locum apud Galatinum invenerat, & ſola mentione antiqui dierum ſibi perſuadebat, Danielem à Doctore Cabbaliſtico illuſtrari. Verum iſta mentio id non evincit, quicquid de eo ſit, quod primitus forſan ex Daniele mutuo accepta denominatio. Nam (1) Scopus Cabbaliſtæ eſt, diſcurſu illo imaginem DEI homini concreatam definire, & planum facere, quid verbis illis: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram, tanquam ſimilitudinem noſtram*, Deus voluerit. (2) Non de *antiquo & juniore dierum*, ſed de *antiquo & juniore facierum* initio loquitur: תא חזי מה בין עתיקא לזעיר אפין *Adverte, quidnam interſit inter antiquum & juniorem facierum*; quos tamen poſtea cum antiquo & juniore dierum eosdem dicit: ובההוא זמנא יתער עתיק יומין רוחא דנפיק מן מוחא סתימאה ובדשליף דא כל רוחין דלתתא יתערון עמיה ומאן אינון כתרין קדישין דזעיר אפין: *In tempore autem illo expergiſcetur antiquus dierum, & ſpiritus, qui egreſſus eſt de utero clauſo. Cum vero ipſe ſurget, omnes etiam ſpiritus ſurgent cum illo. Et quinam ſunt illi? Hi nimirum qui donati ſunt coronis ſanctis junioris facierum.* (3) Alia omnia voluiſſe Cabbaliſtam, arguunt ea, quæ Illuſtris Autor Cabbalæ denudatæ *in Apparatu part.* 1. de אריך אנפין *pag.* 152. *ſeqq.* de זעיר אנפין *à pagina* 312. *usque ad paginam* 328. de עתיק יומין *pag.* 636. *usque ad paginam* 640. prolixe congeſſit, quibuſcum & figura XII. arborum Cabbaliſticarum, ejusque illuſtratio conferatur *part.* 4. *Apparatus illius pagina* 233. *ſeqq.*

§. XIX. Porro quod Helvicus R. Simeonem ben Jochai ante natum CHRISTUM vixiſſe putat, in eo fallitur. Nam fuit ille unus è R. Akibæ diſcipulis, quem ejus præceptorem conſtat in bello Adriani contra Judæos tribus & ſexaginta circiter annis ab urbis & templi excidio, adeoque poſt centum & triginta minimum annos à nato CHRISTO, pectinibus ferreis dilaniatum periiſſe. Poſt hujus demum obitum emerſit hic R. Simeon ben Jochai, fuitque σύγχρονος adeo R. Jehudæ & R. Joſe, quibuſcum de magnificentia Urbis Romæ paulo liberius collocutus, mortis ſibi propterea ab Imperatore Romano adjudicatæ periculum miraculoſa in ſpecu, in qua cum filio per integrum duodecennium latitarit, ſuſtentatione evaſiſſe traditur in Maſſech. Schabbas *fol.* 33. *col.* 2. Atque in hac ſpelunca confeciſſe eum fingunt librum *Sohar*, quod tamen pia fraude ſic ab autoribus ſaltem excogitatum, ut major libro autoritas conciliaretur, concedit R. Abraham Sachut *in Juchaſin fol.* 42. *col.* 1. ubi illum à תלמידיו ותלמידי תלמידיו *diſcipulis ejus diſcipulorumque diſcipulis* diu poſt Magiſtri obitum, ad ejus tamen mentem, de qua ipſis per continuam traditionem conſtabat, concinnatum ſcribit. Illud certum eſt, nemini Judæorum ante ſeculum CHRISTI decimum tertium de hoc libro quicquam innotuiſſe, ipſis confitentibus Rabbinis, & ex recentioribus quibusdam hiſtoriis ibidem commemoratis novitatem obſervantibus iis, qui librum legiſſe volunt. Quare, ut ad ſcopum deveniamus, ſic infero: Aut ipſe R. Simeon ben Jochai autor eſt teſtimonii Cabbaliſtici à Galatino laudati, aut alii mille annis citeriores. Si ille, (quamvis id non conceſſerim,) non alium Meſſiam in animo habuit, quam Utopicum, cum ipſe animum in CHRISTUM & Chriſtianos cum cæteris illius ævi Rabbinis infenſiſſimum haberet, de quo Juſtinus Martyr *Dial. cum Tryphone f.* 323. 335. & Euſebius *lib.* 4. *Hiſt. Eccleſ. c.* 8. *f.* 122. & *c.* 15. *f.* 132. *ſeqq.* legendi. Sin hi, eo minus de eorum mente Judaicis obvoluta tenebris dubitandum, quo magis nobis modernorum poſt-Talmudicorum falſa de Meſſia perſuaſio perſpecta eſt.

§. XX. *Talmudicorum* teſtimonium aperte loquitur Judaiſmum. Ex inſtituto enim ibi in Gemara de adventu Meſſiæ diſputatur, quando tandem futurus ſit, poſtquam pene deſperandum, extrema omnia paſſis. Præſupponunt autem, JESUM Nazarenum, והיה הדין מבירת ונהרג משיח לעצמו נראה אשר פכה

סבה שישראל נחרב בחרב *qui viſus ſibi ipſi ſit Meſſias eſſe, ſitque occiſus à Synedrio, ac cauſa fuerit, ut Iſraël gladio devaſtaretur*, non eſſe Meſſiam, quem expectent ſibi promiſſum, quippe qui non ſit diſperſurus, ſed collecturus populum ſuum. Conglomerantur igitur in illa diſputatione varia Rabbinorum effata, in quorum tamen nullo acquieſcere poteſt animus illorum de Meſſiæ adventu tantopere ſollicitus. Inter ea eſt & conciliatio dicti *Jeſai.* 60:22. אֲנִי יְהוָה בְּעִתָּהּ אֲחִישֶׁנָּה *Ego Dominus in tempore ſuo accelerabo illud*; quod ſibi ipſum contradicere videbatur, dum in eo Dominus Redemptorem & *acceleraturum*, & *ſuo tempore* miſſurum promittat: quæ duo ſic compoſuiſſe R. Joſuam ben Levi: *Si digni fuerint, accelerabo; ſi indigni, ſuo tempore*, R. Alexandrinus refert, atque hac occaſione addit, ſe ab eodem didiciſſe rationem eodem modo Danielem & Zachariam, quorum uterque de eodem Meſſiæ adventu, ſed alter glorioſo, alter paupertino vaticinatus ſit, conciliandi, verbis in teſtimonium huc ſuperius allatis. Unde ad oculum patet, de quonam Meſſia iſta Talmudici acceperint. Cæterum hic R. Joſua ben Levi, ad cujus autoritatem Rabbi Alexandrinus in Talmudica Gemara provocabat, floruit circa annum DCCCCLXXX. millenarii quarti ſupputationis Judaicæ, h. e. ſeculo poſt CHRISTUM natum tertio currente, & eſt idem ille, quem vivum in paradiſum tranſlatum, ibidemque cum Meſſia de ipſius adventu collocutum ſomniant, quam fabulam vide ſis, prout integram è Talmudicis recenſuit Dn. Præſes *in Notis ad Schick. Jus Regium pag.* 475, 476. ex ea enim de ejus teſtimonio rectius judicabis.

§. XXI. Atque id circa *Medraſchicorum primum* ſimiliter tenendum, quippe quod cum illo Talmudicorum idem, & perinde ut ibi in Gemaram, ita hic in Bereſchith Rabba tranſlatum eſt. *Secundum* ſimpliciter præſupponit, Danielem hic locutum de Meſſia, ex cujus verbis Chaldaicam vocem eamque conſtructam ענני *nubes* unice decerpit, quicunque illius autor eſt, & ad nomen proprium ענני *Anani* more Medraſchicis uſitato accommodat, confirmaturus hinc, Anani eundem cum Meſſia eſſe. Hinc argumentum: Qualem Meſſiam Judæus intelligit per Anani 1. *Paralip.* 3:22. talem putavit deſignari à Daniele. Sed Utopicum &c. (quod patet.) Ergo. *Tertium* ex immediate ſequentibus proditur. Statim enim in Medraſch Schocher Tobh elenchus contra Chriſtianos è verbis *Pſalm.* 2:7. ad quæ iſta notata fuerant, æternam Meſſiæ divinitatem & generationem à DEO probantes, diſerte annectitur. De tali ergo Meſſia intelligi volunt allata in hoc teſtimonio loca Moſis, Prophetarum, & Hagiographorum, qui non ſit æternus DEI filius, & in quem Chriſtiani non credant.

§. XXII. *Literales* tandem, quos recentiores omnes, nec eorum ullum novimus, qui non poſt mille demum annos ab exhibito vero Meſſia ſurrexerit, nemo judicaverit, cum de Meſſia loquuntur, alium intelligere, quam imaginarium illum, quem fruſtra tot idololatricis votis & infidelibus ſuſpiriis expectant. Neque id diffitentur ſuperius memorati, modo cujuſque gloſſam integram conſulamus. R. Salomo Jarchi expreſſe addit: האומות דימה כחיות וישראל דימה כבן אדם על שם ענותנים ותמימים: *Gentiles aſſimilavit beſtiis & feris, ſed Iſraëlem aſſimilat filio hominis, propterea quia ſunt mites & perfecti.* R. AbenEſræ gloſſa, mutile, ut ſupra fecimus, adduci ſolita, ſic habet integre: ויאמר רבי ישועה כי זה כבר אנש הוא המשיח ונכון דבר רק הוא עם הקדש שהם ישראל: *Aſſeruit R. Joſua, per hunc, qui tanquam filius hominis apparuit, intelligendum eſſe Meſſiam, quod ſolide quidem aſſeruit, modo populus ſanctus, qui eſt Iſraël, ſimul connotetur.* Addit poſtea expreſſe: תוכל ללמוד מזה הכתוב כי כל הנעשה בארץ גזירות שמים הם ואמרתי שזה כבר אנש הוא ישראל שהוא שם המין בעבור שאמר דניאל על עתיק יומיא ודינא יהב לקדישי עליונים והטעם לעשות נקמה בחיה הרביעית: *Poteris ex hoc textu diſcere, quod ea omnia, quæ in terra fiunt, cœlitus ſint decreta. Dixi autem, per hunc, qui tanquam filius hominis apparuit, intelligendum eſſe Iſraëlem, (eſt enim nomen Speciei,) propterea quia Daniel de antiquo dierum dicit* vſ. 22. *Et judicium datum eſt Sanctis altiſſimi, cujus ratio eſt, ut vindictam ſumant de beſtia quarta.* R. Sahadia Gaon expreſſe verbis ſuperius allatis annectit: כאשר כתבתי ואמרתי אין מלכות אחרת אחרי ישמעאל ככתוב וביומיהון די מלכיא אינון *Prout ſcripſi & dixi, non fore aliud regnum poſt Iſmaëliticum* (quam hoc Meſſiæ, adeoque demum deſtructo regno Mohammedano futurum) *veluti ſcriptum eſt* Daniel. 2:44. *in diebus autem regnorum illorum &c.* Et ſic Rabbi Joſeph Jacchiades quoque addit: ואליהו הנביא יקרבהו לפניו *Et Elias Propheta* (quem ſub arbore vitæ in paradiſo etiamnum ſedere, & Judæorum bona ac mala opera in commentarios referre fingunt,) *ipſum coram hoc adducet.* En! Rabbinos ſuarummet gloſſarum in ipſo contextu interpretes optimos.

§. XXIII. Similiter è *R. Abarbanelis* contextu mox videbimus, quo ſenſu Interpretes, quos ipſe allegat, *filium hominis* de *Meſſia* expoſuerint, de Meſſia nempe, qui cum advenerit, Papam Romanum de dimittendo populo ſuo, æque uti Moſes olim Pharaonem, compellaturus ſit. Sed quid de *R. Jehuda Leone bar Bezaleel?* Is toto illo libro *Nezach Iſraël* hoc unum agit, ut Judæos hodiernos, diuturna & tot jam ſeculis continuata captivitate preſſos erigat, &, ne vel ad Chriſtianos deficiant, vel de Meſſiæ adventu plane deſperent, certitudinem & neceſſitatem redemptionis Iſraëlitarum ex hac ultima & graviſſima captivitate, argumentis undecunque conquiſitis demonſtret. Floruit circa confinia hujus & ſuperioris ſeculi in Synagoga Pragenſi, imperante Rudolpho.

§. XXIV. Ita ſcilicet Judæi ad unum omnes teſtimoniis illis, quæ nobis conſenſum aliquem promittunt, reipſa meras nugas agunt, & viſionem Danieliticam nullatenus de Meſſia, de quo accipienda eſt, interpretantur; ſed ad Meſſiam ſuum, hoc eſt utopicum, imaginarium, nunquam futurum, non abſque CHRISTI & Chriſtianorum contumelia detorquent. Non tamen idcirco prorſum hæc teſtimonia ſpernimus, veluti in ſolidum negligenda; habent certe ſuum uſum haud contemnendum tum contra *Novaturientes hæreticos*, tum contra *ipſoſmet Judæos.*

§. XXV. *Priorem uſum* egregie cernimus in Anti-Grotianis Magnifici Dn. D. Calovii *Tom. II. Bibl. Illuſtrat. V. Teſt. fol.* 619. ubi non *Grotium* modo, qui totam hanc viſionem de populo Romano nullum intra ſe habente Regem, ſeque coram DEO, regum & regnorum judice, velut ad accipienda mandata ſiſtere juſſo expoſuit; ſed & *Jo. Henricum Bieſterfeldium* atque *Henricum Meerbotium*, qui principem terrenum, quem ipſimet deſignare neſciunt, per filium hominis intelligi comminiſcuntur, in ruborem his in ſubſidium vocatis teſtimoniis dedit, quaſi ipſis deteriores Judæis, qui agnoſcant, hic de Meſſia agi, etſi id per excœcationem ſuam peſſime applicantes, cum illi contra vaticinium in alia omnia trahant, nihilque ibi de Meſſia annunciatum hariolentur.

§. XXVI. *Poſteriorem uſum* ſic obtinebimus, ſi in conflictu cum Judæis (1.) abſtrahamus initio à quæſtione, utrum hoc Danielis vaticinium completum ſit, nec ne? deinde (2.) ex conceſſis diſputemus, objectum Prophetiæ eſſe Meſſiam, cujus ibi regnum adumbretur; porro (3.) ex ipſo textu definiamus, qualem Daniel Meſſiam, & quale ejus regnum prævideric futurum; atque ſic demum (4.) ad applicationem procedamus, inquiramuſque, utrum ea potius Meſſiæ, quem Chriſtiani colimus pridem exhibitum, an vero ei, quem ſibi Judæi fingunt adhuc venturum, conveniant? quo labore ſi digne fuerimus defuncti, (5.) oſtendamus tandem, veteres Rabbinos, à quibus, hoc oraculum agere de Meſſia, recentiores traditione acceperint, illum Meſſiam intellexiſſe, cui vere hæc viſio conveniat, quem cum advenientem Majores reprobarint, in iſta deliramenta prolapſos, quibus etiamnum faſcinati implendum adhuc credant vaticinium, adeoque (6.) confirmemus, jam olim illud impletum eſſe. Et hoc conſilio ſane optimo & ſaluberrimo Excellentiſſimus Dn. L. Edzardus atque alii peritiores id genus teſtimonia ubertim conquiſivere.

CAPUT III.

Rabbi Lipmanni contra Chriſtianos, & Rabbi Abarbanelis pro Judæis diſputantium ſtrophæ, earumque diſcuſſio.

§. I. Luſtratis hactenus Rabbinis, qui in explicanda hac Danielis viſione conſenſum cum Chriſtianis præ ſe ferunt; ad illos nunc pergimus, qui aperte diſſentiunt, neque ullo verborum fuco fallunt, ſed ediſſerunt libere, quid, circa ſcopum & argumentum hujus Oraculi, Judæi omnes credant, vel credere certe debeant. Status quæſtionis eſt: An Daniel *de Chriſtianorum Meſſia* vaticinatus, adeoque *in JESU CHRISTO viſio hæc jam adimpleta* ſit; an vero *de Meſſia* quodam egerit, *qui nondum venit*, ſed *à Judæis etiamnum expectatur*, donec veniat, & Iſraëlitas ex diuturno exilio libera-

liberatos suo regno restituat? *Prius* Christiani contra Judæos; *Posterius* Judæi contra Christianos affirmant. Quod si ergo Judæorum conatus penitius intueri volupe sit, utrumque perquirendum, *tum* quid contra nostram Christianorum expositionem, *tum* quid pro sua Judæorum interpretatione adferant.

§. II. Sic autem in hoc argumento versabimur, ut, ne Andabatarum more depugnemus, duos nobis præcipuos seligamus ex Hebræorum Polemicis, quorum alter ἀνασκευαστικῶς in Christianos irruat, alter κατασκευαστικῶς Judaicam sententiam defendat. Prius agit *R. Lipmannus* in libro *Nizzachon*, cujus editionem Hackspanio, emendationem Wagenseilio debemus; Posterius R. *Isaac Abarbanel* in libro *Majéne hajeschuah*, Constantinopoli primum aut Ferraræ, dehinc elapso sæculo integro Amstelodami ante duos & triginta annos iterum excuso. Utrumque verbotenus in scenam prodire jubebimus, & quæ in eorum commentis notanda erunt, strictim animadvertemus.

§. III. Primus igitur prodeat gloriosus ante victoriam Triumphator, *R. Lipmannus*, cujus thesis anti-Christiana hæc est: *Errant Christiani, quando hanc Danielis visionem de JESU Nazareno exponunt.* Ita enim ipse eam stricturis suis præmisit, *numer.* 329. *pag.* 179. cum verba textus nostri recitasset: זאת פירשו הנוצרים על הנוצרי באומרם ארם בא מן השמים ומעתה תקשה להם: *Hanc pericopam Christiani exponunt de Jesu Nazareno, quando eum dicunt hominem de cœlo venisse; sed illis contradicere atque os obturare paratus sis.* Argumenta postmodum præit, quibus Christianos erroris posse convinci putat, quorum sex numero totus hic ejus elenchus exhibet, ordine, quo se invicem excipiunt, perpendenda.

§. IV. *Primum* argumentum petit à denominatione subjecti sive personæ Danieli visæ, quæ Jesu nostro non conveniat, quippe qui non *filius viri*, qualis hic dicitur, sed *mulieris* à nobis habeatur: הרי בהדיא אמר כבר אנש וידוע שאנש לשון זכר ומלשון אנשים הוא נמצא מבואר שהנזכר כאן בן איש הוא ויש לו אב שהוא אדם ולא יכולים לפרשו על אם הנוצרי דא"ך הוי ליה לומר כבר נשא שהיא לשון נקיבה נשים: *En! expresse dicit Propheta: TANQVAM FILIVS ÆNASCH; Atqui notum est,* τὸ *ÆNASCH esse generis Masculini; & significare viros. Ergo manifestum est, eum, qui hic memoratur, esse filium viri, & habere patrem, qui sit homo. Neque hoc possunt de Matre Jesu Nazareni exponere; id enim si Propheta voluisset, dicendum ei fuisset: TANQVAM FILIVS NESCHAJA, hoc enim nomen fœmininum est, & mulieres significat.*

§. V. Assumo argumentum: *Qui non est filius viri, de eo hæc Danielis visio non loquitur. Atqui Jesus Nazarenus* (ex Christianorum mente) *non est filius viri. Ergo de Jesu Nazareno hæc Danielis visio non loquitur.*

Major falsa est, in cujus probatione sycophantiam aperte committit. Noverat satis, (1) τὸ אנש esse שם המין *nomen speciei*, ut R. Aben Esra observabat, & fœminam æque ac virum comprehendere, plane uti Hebræum nomen אדם, reddendumque adeo, *filium hominis*, non *filium viri*. Noverat, (2.) *filium hominis* per Hebraismum dici *hominem*, eum etiam, qui ex hominibus prognatus non est, tantum abest, ut eum non designet, qui ex muliere, etsi sine prævio viri congressu, natus est verus homo. Syrus certe, ferente sic linguæ idiotismo, *Adamum*, primum hominem, qui nec patrem nec matrem habuit, sed à DEO è terræ gleba creatus est, ܒܪ ܐܢܫܐ *filium hominis*, hoc est verum hominem vocat. *Rom.* 5: 15. 19. ubi & CHRISTUM cum Adamo collatum eodem nomine appellat. Addo (3.) si ponamus, per τὸ אנש intelligi *virum*, accipiamus vero individualiter de primo omnium parente Adamo, quemadmodum Vulgatus loca *Genes.* 11: 5. *Deuter.* 32: 9. *Coh.* 3: 21. *Jer.* 32: *vs.* 19. & forte alia exposuit, nemo Christianorum (in *Minore*) negaverit, Jesum esse filium Adami (*Luc.* 3: 38.) primi omnium viri, non quidem vi benedictionis matrimonialis *Genes.* 1: 28. protoplastis concessæ procreatum, (siquidem non vi δυνάμεως πλαστικῆς animantibus communis procreatus est) sed vi οἰκονομίας gratiæ post lapsum dispensatæ, qua ex Adamo ejusque posteris descendit, quæ est benedictio specialis & promissio Euangelica, unde non naturali, sed supernaturali Spiritus S. virtute atque ἀσπόρως conceptus & ex Maria virgine natus est. Sed cum ista captum irregeniti Judæi superent, sufficit (4.) in phrasi textus superius exposita subsistere, atque Majorem, qualis debebat poni, sic emendasse: *Qui non est filius hominis, de eo Danielis visio non loquitur.* Jam probet *Minorem* Rabbi, si ipse VIR est.

§. VI. *Secundum* argumentum sumit ab universalitate Regni & amplitudine dominii Messiæ collati, quæ nostri JESU regno haud conveniat, utpote per universum mundum non diffuso: ועוד הרי מסיים מיד ועד עתיק יומיא מטה וליה יהיב שולטן ויקר ומלכו וכל עממיא אומיא ולישניא ליה יפלחון שולטניה עלם די לא יעדיה ואין אמונת הנוצרי בכל העולם ואעי' על קברו אינם מושלים: *Propheta porro statim determinate enunciat: Et usque ad antiquum dierum pervenit, & data ei est potestas, & gloria, & regnum, & omnes populi, nationes & linguæ ei servient, potestas ejus est æterna, quæ non deficiet. Atqui religio Christiana sub Jesu Nazareno non est in toto mundo; usque adeo, ut ne sepulchrum quidem ejus sit in Christianorum potestate.*

§. VII. Assumo:

Cujus Regnum non est in toto mundo, de illo non agit hæc visio Danielis.

Atqui Jesu Nazareni regnum non est in toto mundo.

Ergo de Jesu Nazareno non agit hæc visio Danielis.

Pro limitatione *Majoris* distinguendum (1.) inter regnum *Spirituale & terrenum.* Non de hoc sed illo Major loquitur. Neque aliter Judæus accepisse videtur, quando (2.) in *Minore* Regnum Jesu vocat אמונת הנוצרי *fidem Nazareni*, sive religionem Christianam, Christianis hic iterum concedens, quod animo negabat, Jesum Nazarenum habere regnum spirituale, quod verbo administret, & adversus hostes defendat, atque à quo vicissim Rex ex verbo agnoscatur, invocetur & colatur. Posito igitur, Ecclesiam Christianam esse regnum Jesu, non tamen, inquit, tale regnum est, quale Propheta vidit Messiæ datum, cui omnes populi, nationes & linguæ serviant. Quam *Minorem* (3.) non sine aculeo *probat* à denegato ipsis in sepulchrum Regis sui dominio. Nempe, quæ ejus ætatis superstitio erat, etiamnum in Papatu frequentata, tot peregrinationes Christianorum ad loca sancta, & inprimis ad sanctum Domini sepulchrum, videbat suscipi, tot noverat expeditiones ad occupandam Palæstinam & vindicandum sepulchrum Jesu Christi emissas, atque in recenti memoria ei adhuc erat magna strages à Saracenis illata, qua omnem copiam ingrediendi in Domini sepulchrum tam religiose cultum amiserant Christiani, non nisi auro infidelibus persoluto precario intromittendi. Ejus apud Rabbinos quoque non infrequens mentio. R. Abarbanel *in Majene hajeschuah font. XI. Palm. VIII. fol.* 76. *col.* 1. כל הנוצרים מאווים בארץ ההיא להיות שם חליית קבר אלהיהם: *Omnes Christiani terram illam Sanctam cum desiderio petunt, quia ibi sepulchrum Dei ipsorum custoditur.* Iterum *in Comment. ad Obad. vers.* 1. *fol.* 255. *col.* 1. בירושלם כל קדושת דת הנוצרים וקבר ישו אלהיהם ומפני זה כבר פעמים אחרות אחרות התעוררו לכבשה לזאת הסבה עצמה: *Jerosolymis est omnis sanctitas religionis Christianorum, & sepulchrum Jesu, DEI ipsorum, atque ideo jam olim aliquoties ad occupandum eum locum hac ipsa de causa sese accinxerunt.* Hanc igitur jacturam salse Christianis objicit Lipmannus, & veluti subridens Minorem nulla indigere probatione sic ostendit, tantum abesse, ut regnum Jesu Nazareni universale sit, ut potius locum ipsius cultui vel maxime destinatum occupent non subditi, sed regni ejus hostes subditos à cultu arcentes. Non ergo ad extremos demum fines terræ abeundum, ut inquiratur, an omnes populi, nationes & linguæ Nazareno serviant? cum in ipsa quasi regia ei servitium denegetur. Hic nervus est argumenti Judaici, qui (4.) observato saltem linguæ idiotismo, quo futurum יפלחון *servient* non de facto vel eventu, sed de jure & debito exponendum notabamus, nullo negotio inciditur, adeoque Majorem, si vi textus concedi debeat, cæteroquin negandam sic informamus: *Cui non tale regnum datum est, cui omnes omnino in mundo populi, nationes & linguæ se de jure submittere debeant, de illo non agit hæc visio Danielis.* Jam iterum probanda Minor. Quæ responsio è Philologia unice petita nobis in præsenti sufficit, ne (5.) opus sit, pluribus de regno JESU CHRISTI, ejusque natura, deque ejus universalitate disserere, quæ ridebit potius Judæus, quam ut cum attentione excipiat.

§. VIII. *Tertio* ad subjecti denominationem relabitur familiari Judæis ἀμεθοδείᾳ, atque sic arguit: ועוד שאמר כבר אנש ולטעותם כבר אלוה מיבעי ליה: *Porro & hoc Christianis obstat, quod Propheta ait, hunc sibi visum fuisse tanquam filium hominis. Atqui juxta errorem ipsorum dicere potius debuisset, fuisse tanquam filium DEI.*

§.IX. Assu-

§. IX. Assumo:

Qui non est filius hominis, de eo Daniel hic non agit.
Atqui Jesus Nazarenus (ex sententia Christianorum) *non est filius hominis*, (sed filius Dei.) *Ergo.*

In quo argumento (1.) bene se habet, quod responsionem ad primum argumentum admittit, & Minorem, quod urgebamus, probare aggreditur. Probat autem (2.) ita, ut puerulis Christianorum obvia sit responsio, qui Jesum nostrum DEI simul & hominis filium confitentur. Notamus saltem, (3.) dicendum minime fuisse ex Christianorum sententia, *tanquam filium Dei*, quod illis imputat, non enim *qua DEI filius* exaltatus est, sed *qua filius hominis*. Etsi enim persona θεάνθρωπος exaltationis subjectum est, consideranda tamen est secundum illam naturam, quæ capax est exaltationis. Secundum divinam naturam nihil Christus accepit in tempore, nihil ex gratia habet à Patre, sed omnia per naturam, & Majestatem suam semper cum Patre exercet; adeoque secundum eam, hoc est, qua *DEI filius*, adduci ad antiquum dierum, sessurus ad DEI dextram, non potuit. At sicuti secundum humanam naturam dona & majestatem divinam in unione accepit, & secundum eam quoque acceptæ hujus divinæ Majestatis usurpatione plenaria se evacuavit: ita & secundum illam, hoc est, *qua hominis filius*, in exaltatione ad DEUM Patrem adductus est. Mere ergo sycophantatur Judæus, cui (4.) non male confessio Synedrii male Jesum nostrum blasphemiæ condemnantis objicietur. Cum enim is diceret: *Videbitis FILIUM HOMINIS sedentem à dextra DEI, & venientem in nubibus Cœli*; quærebant omnes: *Tune ergo FILIUS DEI? Matth.* 26: 63. agnoscentes nimirum, *Filium hominis à dextra DEI sedentem & in nubibus venientem*, de quo Daniel hic, (in quem oculos se intendisse aperte innuunt,) locutus fuerat, & *Filium Dei* converti, quasi dixissent: Tune es *Filius ille hominis*, de quo Daniel, qui est *Filius DEI*, verus nempe *Messias*? Quam observationem debemus Joh. Ligthf. *Hor. Heb. & Talm. in Joh.* 5: 27. *pag.* 1014. quem huc omnino confer, nam & eundem locum *Joh.* 5: 27. *Pater dedit filio potestatem faciendi judicium*, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου *quia filius hominis* est, cum textu nostro confert, quem Salvatorem verbis istis respexisse, non abs re conjicit. Eadem idem Ligthfootus notavit ad illa Stephani *Act.* 7: 56. *Video cœlum apertum, & filium hominis stantem à dextris DEI*, quibus eloqui putabat Protomartyrem, se jam videre illud Danielis in JESU adimpletum. Videatur ipse *Horis Hebr. & Talmuth. in acta Apost. pagina* 77.

§. X. *Quartum* argumentum ex Visionis interpretatione ab Angelo interprete ejus infallibili Prophetæ data depromit, in qua diserte ad Israeliticum populum referatur, quod cum palmarium sit, paulo operosius in illo desudat: ועיד שאמר המלאך לדניאל בפתרון מן החלום הזה ורבותא די מלכות תחים כל שמיא והיבת לעם קדישי עליונין מלכיתיה מלכות עלם· נמצא שהחלום לא קאי על אדם אחד לבד כי אם על עם אחד וזהו ישראל שיהיה מלכותם מלך בן מלך עד סוף העולם וממשלתם יהיה בכל העולם· ובעל כרחם עם קדישי עליונין לא יוכלים לפרש כי אם על ישראל שהרי כאן אמר בתוך הפתרון שמלך העשירי וזהו טיטוס לקדישי עליונין יבלא פי׳ יציק עד עידנין ופלג עידן׳ וכן כתוב בסופו כששאל המלאך ללבוש הבדים עד מתי· קץ הפלאות והשיבו למועד מועדים ותצי המועד ואין אומה במצוק עידן עידנין ופלג עידן אלא ישראל· גם אין ספק שמלכות עלם הנאמרת למעלה שזהו להביא צדק עולמים שנאמר למטה בסי׳ ש״לב ושם נאמר עם דניאל שזהו ישראל׳ נמצא מבואר שעם קדישי עליונים המה ישראל ולהם יהיבת מלכות כל שמיא מלכות עלם הכתוב למעלה: *Ulterius contra Christianos est, quod Angelus Danieli ait in interpretatione somni hujus* (vers. 27.) *ET AMPLITUDO REGNI SUB OMNI COELO DATA EST POPULO SANCTORUM ALTISSIMI, CUJUS REGNUM EST ÆTERNUM. E quo consequitur, hoc somnium non agere de unico duntaxat homine, sed de uno populo, eoque Israelitico, quorum regnum ad finem usque mundi successivum & dominium in universum mundum, sit futurum. Cæterum hunc populum sanctorum altissimi, velint nolint, non tamen possunt, nisi de Israele interpretari. Nam hic in media interpretatione dicit Angelus*, (vers. 27.) *Regem decimum, qui est Titus, sanctos Altissimi contriturum, hoc est afflicturum usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Id quod similiter & in fine libri hujus* (cap. 12: 6, 7.) *scriptum est quando angelus virum lineis indutum interrogabat: USQUE QUO FINIS MIRABILIUM? is vero respondebat: Usque in tempus, & tempora, & dimidium temporis. Atqui nullus populus per tempus, tempora & dimidium temporis in afflictione constitutus est, præter Israeliticum. Adhæc Regnum illud æternum, quod superius memoratur, sine dubio est illud, de quo inferius dicitur*, (cap. 9: vers. 24.) *allaturum esse justitiam æternam, quo de agetur Numero 332. Atqui hoc ibi vocatur Populus Danielis, qui est Israel. Ergo manifeste sequitur populum sanctorum altissimi esse Israelem, eidemque datum esse regnum universale & æternum, quod superius descriptum est.*

§. XI. Assumo:

Angelus visionem hanc non de Jesu Nazareno, sed de populo Israelitico exponit.
Ergo visio non de Jesu Nazareno, sed de populo Israelitico agit.

Antecedens quoad utrumque membrum probatur. Quoad *prius*, quia non de unico homine, sed de populo integro exponit. Ergo non de Jesu Nazareno, qui unicus homo est. Quoad *posterius*, quia ex collatione tum cum *versu* 25. *hujus capitis*, & *cap.* 12: 6, 7. tum cum *cap.* 9: 24. patet, populum sanctorum Altissimi esse Israelitas. Hæc summa est prolixioris illius elenchi.

§. XII. Sed Respondeo, (1.) per instantiam ad probationem prioris membri: Angelus de populo integro visionem exponit, non de unico homine, Ergo nec de Messia Judaico, quod contra omnes Judæos. Quicquid ergo hic exceperit, id sibi à Christianis quoque responsum putet. (2.) Κατ' ἀλήθειαν, Angelus populo integro datum esse dicit regnum, eo modo, quo alias unico Nebucadnezare regnante regnum Chaldæis datum, unico Cyro & Dario regnante regnum Persis datum, unico Alexandro regnante regnum Græcis datum dicitur. Sic ergo & populo sanctorum Altissimi, hoc est, Christianis datum esse regnum dicit Angelus, quando datum illud est CHRISTO, eorum Regi. Id ergo tantum (3.) controvertitur, an per hunc populum *Christiani*, an vero *Judæi* designentur? Nos *Christianos* intelligi asserimus, de quibus *Psal.* 110: 3. quippe qui sunt populus JESU CHRISTI sanctus, electus, è mundo segregatus, sive in militante, sive in triumphante ecclesia vivant 1 *Pet.* 2: 9. 2 *Thess.* 1: 10. *Apoc.* 11: 18. 13: 7. 20: 6. *&c.* Lipmannus contra (4.) pro *Judæis*, seu populo Israelitico confert ex iisdem Angeli verbis *versum* 25. ubi Titum Vespasianum prædixerit ad tempus, tempora, & dimidium temporis afflicturum populum sanctum, quemadmodum & *cap.* 12: 6, 7. repetatur, quod nulli populo, præterquam Israelitico, congruat. At grande postulatum est, *Regem decimum* esse *Titum*; quid, quod ne Regi quidem decimo, sed לאחרן *alii* post decem Reges consurgenti illa in populum sanctum crudelitas adscribitur? quis calculum *temporis, tempora, & dimidii temporis* tam exacte Rabbinum edocuit, ut nullum populum præter Israeliticum tam diu afflictum sciret? Pridem Nostrates demonstrarunt, Angelum de antichristo locutum, eoque cum Orientali *hoc cap. versu* 24, 25. tum occidentali *cap.* 11. *&* 12. quorum uterque sanctum Jesu Christi populum satis crudeliter affligat. Circa supputationem temporis hic indicati incertam, etsi illa ab aliis aliter atque aliter instituatur, tutissimum fuerit τὸ ἐπέχειν. Quod vero tandem (5.) populum hunc eundem putat cum illo, qui *cap.* 9: 24. *Populus Danielis* dicitur, falsa hypothesis est. Ibi namque *populus Danielis* ratione communis tum sanguinis, tum religionis sic dictus, de quo sollicitus fuerat Daniel, subjectum est, cujus respectu DEUS tempus LXX hebdomadarum determinavit, circa quarum decursum venturus sit Messias; hic autem *Populus sanctus* ille est, qui exhibitum Messiam suum Regem, eundemque religiose colit & veneratur, ex universis populis, nationibus & linguis colligendus; adeoque ibi *Judæi*, hic *Christiani* intelliguntur. Neque τὸ להביא צדק עולמים *adducere justitiam æternam* ibi de populo Danielis, sed de Sanctissimo ungendo, hoc est, de Messia, de Jesu tunc è populo Danielis nascituro enunciatur, cujus ideo nomen est יי׳ צדקנו *Jehova Justitia nostra, Jer.* 23: 5, 6. 33: 15, 16. (6.) Lipmanni argutiæ, ad quas hic provocat, sic habent *Num.* 332. *pag.* 182. Angelum ibi destructionem templi secundi & captivitatem, in qua hodienum vivunt, prædicere post LXX. hebdomodas futuram, (hactenus bene; male autem, quod sequitur:) ואותו גלות לכלות הפשע ולחתם חטאת ולכפר עון ולהביא צדק עולמים ר״ל ביאת משיהנו שיתקיים מצות הש״י עם עמו עולמים: *Atque in illa captivitate erit, ut consummetur prævaricatio, & obsignetur peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia æterna, hoc est, adveniat Messias noster, qui servabit præcepta DEI cum populo suo in æternum.* Notat ergo, vaticinatum ibi fuisse Danielem de Messia ex hac demum ul-

ultima captivitate prodituro. Quod ad examen revocare, hujus loci non est. Conferantur Autores, qui de LXX. hebdomadis Danielis scripserunt.

§. XIII. *Quinto* à perpetuitate & æterna duratione regni Messiæ hic prædicta argumentatur, quippe quæ JESU nostro nequeat applicari: וראיה ברורה מכאן שלא בא משיח עדיין כי לכשיבא לא יפסוק מלכותו: *Sed exinde argumentum sumitur manifestum, quod Messias nondum venerit, nam cum advenerit, regnum ejus non deficiet.*

§. XIV. Assumo:

Cui non competit perpetuitas regni, de eo in hoc textu non agitur.

Atqui Jesu Nazareno non competit perpetuitas regni.

Ergo.

Sic enim interpretor verba Judæi, etsi per ambages demum ad hoc argumentum descendat, atque aliud à Messia nondum exhibito vel inclusum vel præmissum velit hoc modo: *Messias nondum venit. Jesus Nazarenus venit. Ergo Jesus Nazarenus non est Messias, ac consequenter hæc visio Danielis, cujus Objectum est Messias, de Jesu Nazareno non agit.* Verum cum Majorem hujus circuli sui à duratione regno Messiæ à Daniele hic attributa, nulli, qui pro Messia unquam habitus est hactenus, applicabili probet, satius est, tot Judæi sophismata ad unicum illum syllogismum reducere, cujus *Minor* simpliciter falsa est. Probetur, Jesu Nazareno non competere perpetuitatem regni. Nihil probat, quam communiter objiciunt, mors ejus; non enim mortuus tantum, sed & resurrexit: quid? quod eum in hac visione Propheta post resurrectionem demum ascendentem in cœlum & regnum æternum ab antiquo dierum accipientem viderit. Nihil probat devastatio & excisio tot ecclesiarum orientalium, quarum sedes & domicilia occupavit Mohammedana impietas; Particulares enim sunt ecclesiæ quarum interitus nihil derogat perpetuitati ecclesiæ catholicæ atque universali, adversus quam portæ inferorum non valebunt, *Matth.* 16: 18. Neque hæc regni Jesu Christi perpetuitas de sola militante ecclesia, sed potissimum de triumphante prædicatur, nullum in omnem æternitatem unquam damnum aut decrementum passura.

§. XV. *Sextum* denique argumentum quasi corollarii loco Christianis solvendum, si possint, ex angelica visionis hujus interpretatione contra doctrinam de Messia pridem exhibito, deque Jesu Nazareno, quod sit Messias, objicit: ואשר תועים הנוצרים ומהפכים התורה ואומרים שכבר בא משיח והו הנוצרי הלא זה מפורש על חיותא רביעיתא שזה מלכותם שכבה יטעי שנאמר להשניה זמנין ודת: *Quod vero Christiani errant, & legem pervertunt, ac dicunt, Messiam pridem venisse, eumque esse Jesum Nazarenum, annon hoc de bestia quarta, quæ ipsorum Monarchiam significat, enunciatum est, eos nempe ita erraturos? Sic enim dicitur* vers. 25. *Conabitur mutare tempora & legem.*

§. XVI. Indignum fere, quod assumatur, assumo tamen:

Quam doctrinam inter execranda Christianorum facinora numerat Angelus, ea erronea est.

Atqui doctrinam de Messia pridem exhibito, deque Jesu Nazareno, quod sit Messias, inter execranda Christianorum facinora numerat Angelus.

Ergo doctrina de Messia pridem exhibito, deque Jesu Nazareno, quod sit Messias, erronea est.

Ad Minoris probationem ex *vers.* 25. desumtam, nego (1) conatum mutandi tempora & legem de *bestia quarta*, quæ Romanorum Monarchiam designabat, enunciari. Tribuitur enim alii post decem reges quartæ Monarchiæ consurgenti, per cornu parvum bestiæ illius denotato *vers.* 24. Nego (2) hunc regem, cui iste conatus attribuitur, esse *Christianos.* Ipse Lipmannus (licet male) hæc attributa Tito Vespasiano transscripserat, ceu modo vidimus §. 10. & 12. cur jam ad Christianos transfert? Diximus autem, ea omnia, quæ *vers.* 24. & 25. habentur, Antichristo Orientali, sive Mohammedi competere. Nego (3.) mutationem *temporum* de זמן משיח *tempore Messiæ* accipiendam, quasi illud, cum futurum adhuc sit, per doctrinam de Messia pridem exhibito in præteritum mutetur. Longe rectius ea ad epocharum mutationem referetur, qua illas à morte Mohammedis, aut à fuga ejus supputant Mohammedani, item ad mutationem annorum solarium cum lunaribus, quos Hegiras vocant, ad mutationem Sabbathi aut diei dominicæ in diem Veneris &c. Nego (4) mutationem *legis* significare legis Mosaicæ cum Evangelio JESU CHRISTI commutationem, vi cujus Christiani Jesum Nazarenum pro Messia colant. Longe rectius de statutis qua sacris, qua profanis interpretabimur, quæ Mohammedes pro lubitu, & prout ratio status exigere videtur, immutat. Nihil ergo pro sua *Minore* affert, quod speciem solum probationis habeat. Atque adeo nihil obtinuit hoc ariete, quo antecedaneis argumentis subvenire voluit Lipmannus.

§. XVII. Mittamus igitur hunc inepte gloriosum, suis nudatum armis, & alterum nunc producamus *R. Abarbanelem*, qui pro Judæis catascevastice depugnat. Nam operose hoc unum agit, ut totam hanc visionem de Messia adhuc venturo, & Judæos ex captivitate hac liberaturo agere, per omnes circumstantiarum minutias deducat. Quem ideo ad verbum paulo diligentius huc transferemus, quia eum à quoquam Latio donatum (etsi totius libri versionem aliquoties publice Guilielmus Henricus Vorstius promiserit,) vel ejus saltem interpretationem plenius relatam nondum novimus, in animadversionibus tamen subinde interspergendis eo breviores futuri, quo ipse est prolixior, ne in immensum hæc exercitatio excrescat.

§. XVIII. Cæterum illius in Danielem commentarium, ex *Jes.* 12: 3 mutuo accepto titulo מעיני הישועה *Fontes salutis* inscriptum esse, vel ex *Rabbinica Bibliotheca* Buxtorfii *pag.* 347. aut ejus magnam partem expilatoris Plantavitii *num.* 386. *fol.* 597. constat. Alludens enim ad mansionem Israëlitarum Elimiticam, in duodecim fontes & septuaginta palmas eum dispertivit. Hanc autem visionem *fonte* 8. *palma* 9. *fol.* 49. *col.* 3. & *seqq.* persequitur, cumque istam palmam ei unice destinarit, statim commentationem suam sic exorditur: אחרי שזכר דניאל מה שימשך מן הדין העליון וההשגחה האלהית אשר תקום במלכות שדי בחרבן אומת הרשעה וביטול שולטנות שאר האומות זכר אחר כן שגם ימשך מאותו דין אלהי גאולה האומה הישראלית ופדיונה כבודה וממשלתה: *Postquam Daniel meminerat, quid e judicio supremo & providentia divina proveniat, quæ in regno Omnipotentis consistet in devastatione gentis pessimæ, & extirpatione potestatum cæterorum populorum; jam porro meminit, quod etiam ex illo ipso judicio divino liberatio populi Israëlitici, ejusque tum redemptio, tum gloria & dominium sequatur.* Habes ergo hic in limine thesin Judaicam, visionem hanc Danielis agere de redemptione populi Israëlitici adhuc futura, quam cum Messiæ adventu conjunctam paulo post ostendet.

§. XIX. Pergit hinc statim ad exponendum Danielis exordiolum, cujus hanc reddit rationem: ולהיות זה ענין ומחזה בפני עצמו אמר בו חזי הוית בחזוי ליליא להגיד שבאותה לילה העצומה ראה זה ג״כ כי היו הדברים סמוכים ומתקשרים זה בזה: *Cumque hæc peculiaris aliqua res & visio sit per se seorsim consideranda, hinc præmittit: VIDENS FUI IN VISIONIBUS NOCTIS, ut eo significet, se hoc quoque in illa ipsa nocte vidisse. Nam res hic descriptæ inter se conjunctæ, atque invicem quasi copulatæ fuerunt.* Ubi animadvertere liceat astutiam Rabbini, qui sic lectoris animum occupare voluit, ad imbibendam sententiam mox secuturam præparandum; quasi Propheta ipse hoc exordio insinuet, hanc visionem cum præcedentibus partim conjungendam, partim ab iis distinguendam. *Distinguendam* esse, quia distinctum habeat objectum, novum videlicet regnum ab antea repræsentatis diversum, unde eandem formulam repetierit Propheta, qua ante-memorata visionis objecta, maxime quartam bestiam à prioribus distinxerit. *Conjungendam* tamen, eo modo, quo se invicem bestiæ in ejusdem noctis visione conspectæ, quatuor Monarchias adumbrantes, exceperint, ut quemadmodum deleta Monarchia Babyloniorum succedebat secunda Medorum & Persarum, extirpata hac succrescebat tertia Græcorum, & hac intereunte exurgebat quarta Romanorum; ita hoc quintum Israëlitarum regnum, quod hæc ultima pars visionis præfiguret, per Messiæ adventum non prius inchoandum credatur, quam Romanorum imperium, quod etiamnum duret, funditus sit eversum. De quo ordine, & successione regni Israëlitici locum imperii Romani ipse mox pluribus agit.

§. XX. Saltem enarratio textus ejusdemque partitio ei videbatur præmittenda, quam ita instituit: והוא אמרו וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתי הוה עד עתיק יומין מטה וקדמוהי הקרבוהי והנה נתן גם בדבר הזה משפטים עתידים להיות׳ הא׳ וארו עם ענני שמיא׳ הב׳ כבר אנש אתה׳ הג׳ ועד עתיק יומין מטה. הד׳ קדמוהי הקרבוהי׳ הה׳ ולה יהב שלטן ויקר ומלכו וכל עממיא אומיא ולשניא ליה יפלחון׳ והו׳ שלטניה שלטן עלם די לא יעדה ומלכותא די לא תתחבל׳ וראוי לפרש על מה יורו כל אחד מהענינים האלה כפי הנמשל: *Sic autem habet ipsius prophetæ sermo: ET ECCE CUM NUBIBUS COELI QUASI FILIUS HOMINIS VENIEBAT, ET USQUE AD ANTIQUUM DIERUM PERVENIT. ET IN CONSPECTUM EJUS*

EJUS OBTULERUNT EUM &c. In quo sermone suo aliquot rerum futurarum Propositiones dedit. Prima est: ET ECCE CUM NUBIBUS COELI. Secunda: QUASI FILIUS HOMINIS VENIT. Tertia: ET USQUE AD ANTIQUUM DIERUM PERTIGIT. Quarta: IN CONSPECTUM EJUS OBTULERUNT ILLUM. Quinta: ET DEDIT EI POTESTATEM, ET GLORIAM, ET REGNUM, ET OMNES POPULI, NATIONES, ET LINGUÆ IPSI SERVIENT. Sexta: POTESTAS EJUS POTESTAS ÆTERNA, QUÆ NON AUFFERETUR, ET REGNUN EJUS QUOD NON CORRUMPETUR. Harum rerum unumquodque quid doceat, merito per comparationem accuratius instituendam exponendum est. Ex his de methodo futuræ tractationis constat, quam sibi talem proposuit Abarbanel, ut post vindicationem suæ sententiæ circa scopum & sensum visionis, convenientiam singulorum verborum cum sensu Judaico in singulis hisce sex memoratis partibus ordine demonstret. Suntque adeo duo tractationis membra principalia, *Vindicatio* & *Declaratio.* In *illa* argumentum ab ordine & *συναφείᾳ* textus urget; ex *hac* aliud ab exacta visionis cum adumbrata, quæ putatur, Judæorum liberatione convenientia ultimate conficitur.

§. XXI. *Vindicatio* hæc est: ואומר שמאשר זכר הנביא ראשונה חרבן רומי ואחריו זכר גאולת ישראל ותשועתו למדנו בלי ספק שכן יהיה בעתיד שראשונה תחרב רומי ואחרי כן יתגלה מלך המשיח אמרו בפרקי ר"א שלש מלחמות של מהומה עתידין בני ישמעאל לעשות באחרית הימים שנאמר כי מפני חרבות נדדו א' בים מפני חרב נטושה וא' בשדה שנאמר מפני קשת דרוכה וא' בכרך גדול של רומי שהיא כבדה משתיהם שנאמר ומפני כובד מלחמה ומשם בן דוד יצמח ויראה באבדן של אלו ושל אלו ומשם יבא לארץ ישראל שנאמר מי זה בא מאדום חמוץ בגדים מבצרה׃ גלו בזה שעיקר המלחמות אשר יהיו בזמן הגאולה העתידה יהיה עם אומת אדום וגלו עוד שבראשונה תחרב רומי ואחר כן יבא מלך המשיח ולכן זכר דניאל ראשונה חרבן רומי ואח"כ גאולת ישראל׃ *Dico igitur, ex eo, quod Propheta primo quidem devastationis Romæ, & postea redemptionis Israelis salutisque ejus meminit, nos absque dubio discere, ita aliquando futurum, primo quidem vastatum iri Romam, ac postea demum Regem Messiam appariturum. Consentiunt in eo Veteres in Pirke Rabbi Elieser, cum dicunt: Tria bella tumultuosa olim in diebus ultimis Mohammedani gerent, juxta vaticinium* Jesaiæ cap. 21: 15. *QUONIAM A FACIE GLADIORUM FUGERUNT; Unum erit in mari, de quo ibi Propheta:* A FACIE GLADII EVAGINATI. *Alterum in agro, de quo pergit:* ET A FACIE ARCUS DISTENTI. *Ultimum in urbe magna Roma, quod præcedentibus duobus longe gravius futurum est, de quo addit:* ET A FACIE BELLI GRAVISSIMI. *Atque dehinc Messias Filius Davidis efflorescet, & utriusque partis* (Mohammedanorum & Christianorum) *interitum intuebitur, indeque in terram Israeliticam perget, quo illud spectat* Jesaiæ cap. 63: 1. QUIS EST ISTE VENIENS EX EDOM, RUBEFACTUS VESTES DE BOZRA? *Hac illi, quibus aperire nobis voluerunt, quod inter bella tempore futuræ redemptionis gerenda primarium cum populo Edomæo* (hoc est, Romanis vel Christianis) *futurum sit: sed & hoc simul aperuerunt, initio Romam vastatum iri, & postea demum Regem Messiam adventurum esse. Atque ideo hic Daniel quoque primo desolationis Romæ, & postea demum redemptionis Israelitarum meminit.*

§. XXII. In hac vindicatione tum *ipsum argumentum*, tum *ejus illustratio* expendenda. *Argumentum* petit ab ordine, quo ista Danieli in visione obvenerunt, quem sine dubio & in complemento asserit observatum iri. Jam negare equidem non possumus, post interfectam demum bestiam quartam, eversamque adeo Romanorum Monarchiam, hæc quæ de filio hominis ad antiquum dierum delato in præsente textu commemorantur, à Daniele conspecta fuisse; negamus tamen consequentiam Majoris: *Quo ordine hæc visio Danieli obvenit, eo etiam adimplenda est*; cujus gratia sequentia notasse juvat. (1.) Prophetis multa in visionibus eventura ostenduntur, quæ tamen non eo ordine eveniunt, quo ostenduntur. Vidit Daniel deletis omnibus bestiis, quendam quasi filium hominis ad antiquum dierum adduci, & eo ordine, quo vidit, visionem descripsit; at nullibi dicit, filium hominis hac visione significatum non nisi deletis omnino bestiis adducendum. Itaque semper distinguendum inter *ordinem visionum* & *rerum*; de qua distinctione confer B. Danhawer. *Hodosoph. Phænom.* 8. *pag.* (536.) 760. Ipsi id Rabbini agnoscunt tritissimo illo: אין מוקדם ומאוחר במקרא *Non est prius & posterius in scriptura*, hoc est, Ordo historiæ aut visionis non necessario determinat de tempore historiæ. Vide Rabbi Aben Esram *ad Gen.* 11: *fol.* 13. *col.* 1. & Midrasch Koheleth *fol.* 86. *col.* 1. (2.) Scopus cujusque visionis Propheticæ diligenter investigandus, videndumque, utrum res ipsa solum, absolute & simpliciter, an vero cum suis circumstantiis, sive omnibus, sive quibusdam commonstretur. Inprimis caute distinguendum inter *rem futuram*, & *rei futuræ tempus.* Vidit Daniel in visione hac *rem ipsam*, hoc est, quid futurum esset, non autem vidit *tempus*, hoc est, quando esset eventurum, quippe quod aliunde inquirendum relinquitur. (3.) Si ordinis ratio habenda fuisset, hæc visio præcedenti bestiæ quartæ fuisset immiscenda, siquidem Monarchia Romanorum cum maxime florente adimpleta fuit; sed tanquam peculiaris & à præcedentibus distincta describitur, quod ipsimet Abarbaneli ad Prophetæ exordiolum observatur, §. 19. (4.) Ratio validissima dari potest, cur, cum Messiæ regnum florente Romanorum imperio cœperit, hoc tamen ordine sibi repræsentatum & viderit, & descripserit Propheta? Nempe ideo mundanis regnis omnibus separatis hoc sistitur, ne huic quicquam commune cum illis opinemur. (5.) Addi & alia potest ratio, cœpisse sub Romana Monarchia regnum Messiæ, sed post deletas demum Monarchias omnes die ultimo ad *ἀκμὴν* perventurum, 1 *Cor.* 15: 25. *sequ.* quam rationem non improbandam prorsus judicat Magnif. Dn. D. Geierus, quem vide *Comment. ad Dan. h. l. pag.* 552.

§. XXIII. *Illustrat* hoc argumentum Veterum consensu, cui alias inter probantia locum non ultimum tribuere solent. Hoc inprimis testimonio de tribus bellis Mohammedanorum, in quorum ultimo Roma evertenda, & Christiani penitus extirpandi, sibi Abarbanel sæpius gavisus est, idque totidem verbis repetit inferius *Fonte* 11. *Palm.* 8. *folio* 76. *columna* 2. item in Comment. ad Prophet. Poster. *Jesa.* 21: 16. *fol.* 39. *col.* 2. & *Jesa.* 63: 1. *fol.* 90: *col.* 4. ac passim alibi. Quam vana vero hæc sit traditio, & quam perverse ex *Jesa.* 21: 16. confirmetur, pridem ostendit Guilielm. Henric. Vorstius *in Animadv. ad Pirke Elieser. pag.* 203. *seqq.* ubi plura huc facientia congessit, omnino digna quæ conferantur. Quibus si jungantur ea, quæ Dn. D. Aug. Pfeifferus *in tract. Philol. Anti-Rabbin. in Obad. pag.* 30. *sequ.* de bello hoc ultimo Abarbaneli tantopere laudato annotavit, non est, cur verbum addamus.

§. XXIV. Sequitur *Declaratio*, & ipsiusmet visionis, eique applicatæ interpretationis diligentior quoad sex superius enumeratas propositiones deductio. *Prima* est de *nubibus Cœli*, quibuscum adventum Messiæ & redemptionem Israelis comparari dicit.

האומנם אמר וארו עם ענני שמיא שייחס תשועת ישראל ובאתו לענני שמים להעיר על ג' ענינים אמתיים הא' שתשועתם תבא אחרי כובד הצרות ותוקף המהומות ולכן אמר שהיו באים בתוך ענים שצר ואור חשך בעריפיהם לפי שהעננים מונעים זריחת השמש על הארץ ומביאין החשך שהוא משל הצרות וכמו שאמר איוב תשכון עליו עננה יבעתוהו כמרירי יום ואמרו חז"ל היושב בתעניתו אם נתכסו שמים בעבים סימן רע לו שנאמר סכות בענן לך מעבור תפלה וע"ד הסימן נאמר ונראתה הקשת בענן שהיה הענן מורה על הסכנה והקשת וכן נאמר ענן גדול ואש מתלקחת בתוך הברד הנה אם כן העננים מורים על הצרות ולכן אמר דניאל שתבוא תשועת האומה עם ענני שמיא כלומר מתוקף הצרות והחושך והב' שהביא עם ענינים מורה על מהירות התנועה לפי שהעננים בסבת הרוח שיניעם ובזמן מועט יתנועעו מרחוק גדול וכמו שנאמר באליהו הנה עב קטנה ככף איש עולה מים ועם היותו המרחק גדול אמר אליהו אמור

Cæterum dum ait: ET ECCE CUM NUBIBUS COELI, *eo ipso salutem Israelis & Messiæ adventum appropriat nubibus cœli, ut de tribus rebus certissimis admoneat. Primo, quod salus eorum ventura sit post gravissimas demum angustias, & vehementissimos tumultus. Atque hinc venire illos* (Israelitas) *ait in medio nubium, quia* angustia *illis est*, & lux obtenebrata est in cœlis *eorum*, (Jesa. 5: 30.) *quoniam nubes splendorem solis super terra impediunt, & tenebras afferunt, quod ipsum adumbrat angustias, quemadmodum Jobus* (cap. 3: 5.) *ait:* Habitet super illum diem nubes, terreat illum æstus diei. *Dicunt hinc etiam Rabbini, malum signum esse in jejunio sedenti, cum cœlum nubibus obtegitur, juxta illud* (Jerem. 3: 44.) Operuisti te nube, ne oratio transeat. *Et juxta hoc signum dicitur* (Gen. 9: 14.) Et

אמור אל אחב מסור פן יעצרך השגם לפי שידע שתנועת הענן היא מהירה ואמר הנביא וחסדכם כענן בקר וכטל משכים הולך אם כן הורה על מהירות ביאתה אומרה מארצות הגלות אל ארץ ה' בזמן מועט ולכן אמר עם ענני שמיא. והג' שרמז הוא שתהיה ביאתם בהשגחת ה' ית' והנהגת כבודו וכמו שאמר הנה אנכי בא אליך בעב הענן וה' הולך לפניהם יומם בעמוד ענן ולפי שבימי הצלחתם היו ענני הכבוד סוככים אותם לכן הודיע שבזמן הגאולה ישובו למדרגותם ויבאו עם ענני שמיא כל זה נכלל במשפט הראשון:

Et apparebit iris in nube; *ubi nubes de operimento pariter & de iride docet. Similiter* (Exod. 9: 24. & Ezech. 1: 4.) *dicitur*: Nubes magna & ignis involvens sese in medio grandinis. *Hæc cum ita se habeant, nubes utique angustias designant, idcirco & hic Daniel salutem populi dicit cum nubibus cœli adventuram, quasi diceret adventuram è vehementissimis angustiis & tenebris.* Secundo *idem illud*: *CUM NUBIBUS, notat accelerationem motus, ideo, quia nubes per ventum, qui illas movet, exiguo temporis spacio quam remotissime dimoventur, ceu ex historia Eliæ patet* (1 Reg. 18: 44.) *ubi dicitur*: Ecce nubes parva tanquam vola viri ascendit è mari: *cumque illa adhuc longissime remota esset, dixit Elias Famulo suo*: Dic ad Achabum, liga currum & ascende, ne remoretur te forte pluvia. *Noverat enim, motum nubis esse celerrimum. Similiter Propheta* (Hoseas Cap. 6. 4.) Et misericordia vestra ut nubes matutina, & tanquam ros matutino tempore cadens. *Quod cum ita sit, notare voluit* (Propheta hac nubium mentione) *festinum populi adventum è terris captivitatis in terram Domini, brevi temporis spatio futurum; Atque ideo dicit: CUM NUBIBUS COELI.* Tertio *innuit, adventum eorum per providentiam Divinam & gloriosum DEI optimi maximi ductum fore. Quemadmodum Deus* (Exod. 19: 9.) Ecce ego, *inquit*, venio ad te in densa nube. *Item* (Exod. 13: 21.) *dicitur*: Et Dominus ibat ante eos interdiu in columna nubis. *Cum ergo tempore liberationis eorum* (ex Ægyptiaca servitute) *nubes gloriæ eos circumdederit, ideo & hic indicat, futurum, ut tempore* (ultimo) *redemptionis ad excellentiam suam quasi postliminio redeant, & veniant CUM NUBIBUS COELI. Hoc omne comprehenditur in prima Propositione.*

§. XXV. Omnia hæc ad applausum composita & speciose dicta. Neque inconcinnam fatemur collationem in se spectatam, qua *cum nubibus cœli* venire idem est, ac venire *ex afflictionibus*, venire *motu celerrimo*, venire *sub protectione divinæ gratiæ*, prout singula parallelis biblicis haud inepte exornantur. Sed observamus tamen: (1.) Similia non probant, sed rem probatam illustrant. Quod si ergo de sensu, quem Abarbanel intendit, certo constaret, commode is ad hunc modum deduceretur; jam cum præcipuum ejus argumentum, quo vindicare illum allaborabat, discussum sit, discutiuntur & hæ nubes. (2.) Visiones Propheticæ vel sunt nuda ὁράματα, quæ res futuras *citra figurarum involucra* repræsentant, vel ὄνειρα συμβολικά, *somnia figuris involuta.* Etsi vero negari nequit, hanc Danielis visionem ad posteriorem classem referendam; tenendum tamen in hac ipsa discrimen aliquod. Quædam enim figuræ mere symbolicæ sunt, h. e. ænigmata per continuam comparationum evolutionem solvenda, cujusmodi erat somnium archidapiferi Pharaonis *Gen.* 40: 16, 17. quædam vero expressam rei, qualis revera futura est, imaginem admixtam habent, cujusmodi erat somnium archipincernæ, quatenus sese Pharaoni à cyathis stare vidit, quippe quod revera sic evenit, *ibid. vers.* 11. 21. Et talis hæc est Prophetæ visio, non obstante, quod antecedens visio quatuor bestiarum mere symbolica fuerit, siquidem hanc ab illa ob rei adumbratæ singularem præeminentiam in non paucis distinctam cognovimus. (3.) A propria significatione vocum ad figuratam transiri non debet, quamdiu illa locum habere potest. Atqui nubes proprie dictæ conspectæ sunt in ascensione CHRISTI à discipulis magno numero in monte præsentibus, *Act.* 1: 9. quod etsi jam rideat Judæus, fateri tamen cogetur, cum implebitur, quod ipse in nubibus ascendens DOMINUS prædixit *Matth.* 26: 64.

§. XXVI. *Secunda* Propositio est de *Filio hominis*, quatenus populum Israëliticum ex captivitate ultima per Messiam liberandum præfiguret. Eam sic enodat:

והמשפט הב' הוא אמר כבר אנש אתה וכיון בו כוונות ג"ב [ג"כ] עם להודיע שתתמעט האומה עד הקצה האחרון כמו שנאמ' ואבדתם בגוים ואמר ואכלה אתכם ארץ אויביהם ובפרשת כי תוליד בנים נאמר ונשארתם מתי מספר בגוים אשר ינהג ה' אתכם שמה עד שאמר הנביא שיהיו אחד מעיר ושנים ממשפחה' ולרמוז לזה אמר כבר אנש אתה כלומר כאילו הוא אדם אחד בלבד לא עם וקבוץ עמים רבים כשאר היה וכיון בזה עוד שיבא בשפלות ודלות מופלג לתוקף צרותיו כי לכן אמר כבר אנש שהוא מגזירת אנוש ומתיאש והוא ג"כ תרגום כבן אדם ולא אמר כבר גברא שהוא תרגום איש המורה על המעלה כי אם כבן אדם הנגזר מאדמה וכמאמר הנביא כן משחת מאיש מראהו ותארו מבני אדם ואמר נבזה וחדל אישים ומה טוב אמרו אתה אחרי שאמר כבר אנש שגלה שישראל יבא מעצמו לאדמת הקדש מפני שיגרשו מארצותם לגוייהם ויתהלכו מגוי אל גוי וממלכה אל עם אחר ולא ישקטו ולא ינוחו עד באם אל ארץ ארמתם ועל זה אמר באמת כבר אנש אתה. והמפרשים פירשו כבר אנש על מלך המשיח כאילו הוא איש אחד שיבא לדין לבקש על עמו:

Propositio secunda est, cum dicit: TANQUAM FILIUS HOMINIS VENIT; quo ipso iterum singularia aliqua intendit. Significat nempe, populum usque ad extremum terminum imminutum iri, juxta illud: (Lev. 26: 38.) Et peribitis inter gentes, & consumet vos terra inimicorum vestrorum. *Sic in Parascha Tolidh banim* (Deut. 4: 27.) *dicitur*: Et remanebitis homines numero pauci inter gentes, quo vos Dominus deducet, *usque adeo ut Propheta dixerit*, unum ex urbe, & duos è familia *fore.* (Jer. 3: 14.) *illud ergo ut innueret, ait hoc loco: TANQUAM FILIUS HOMINIS VENIT; quasi dixisset: Venit veluti unicus tantum homo, non tanquam populus aut integra aliqua multorum congregatio, qualis olim fuerat. Porro eodem ulterius quoque innuit, eum in extrema vilitate & tenuitate ob angustiarum, quas sustinuit, vehementiam venturum. Ideo namque dicit, TANQUAM FILIUS* (אנש) *ÆNASCA, hoc est* hominis plebeji & abjectissimi, *qua ratione etiam per* (כן אדם) ben adam *reddendum. Non vero ait*: tanquam filius (גברא) gabra, *quod notat idem ac* (איש) Jsch, *& simul excellentiam infert; sed ait*: tanquam filius (אדם) adam, *hoc est, hominis è terra excisi. Huc illud Prophetæ*: (Jesa. 52: 14.) Sic corruptus est præ (איש) viro aspectus ejus & forma ejus præ filiis (אדם) hominis. *Item* (Cap. 53: 3.) despectus est, & abjectus inter (אישים) viros. *Quid vero tandem sibi vult τὸ* venit? *Postquam scilicet dixerat*: tanquam filius hominis, *nunc aperit quoque Israëlitas à seipsis ad terram sanctam venturos, eo quod è terris suis hactenus ad gentes expulsi fuerint, &* (more Patriarcharum, Psal. 105: 13.) *de gente ad gentem & de regno ad populum alium migrarint, neque tranquille requiescere potuerint, donec ad suam patriam venirent. Atque ideo vere ait*: tanquam filius hominis venit. *Cæterum Interpretes communiter hunc* tanquam filium hominis *venientem de Rege Messia exponunt, quippe qui futurus sit vir unicus, venturus ad judicium, ut pro populo suo intercedat.*

§. XXVII. Summa dictorum huc redit, tria & in hac propositione significari, populum nempe Israëliticum adveniente Messia fore (1.) *tenuem*, quippe (כבר) instar unius hominis, (2.) *abjectum*, instar (אנש) hominis plebeji, (3.) *liberationis sitientem*, indeque avide ad terram sanctam perrecturum, quæ emphasis in verbo (אתה) lateat. Sed observanda eadem, quæ jam ad primam propositionem notavimus, cum hic perinde Judæus præsupponat, quod nondum satis probatum, nedum evictum est, valitura quoque consimiliter in sequentibus, in quibus negatam hypothesin asserendo pergit. Addimus præterea speciatim de hoc membro (1.) Si mera in hac propositione attributa designantur, quodnam ergo est subjectum, cujus hæc attributa sunt? Populus Israëliticus est, inquit. At ubi ejus mentio? nullibi sane in tota hac visione memoratur, & nisi subjectum statuatur *filius hominis*, nihil erit, de quo ista omnia prædicentur. (2.) Fatetur Rabbi, Magistros communiter per filium hominis intelligere *Messiam*, nec ipse abnuit, uti ex sequentibus patet, quando alternative ait: עד האל יגיע האומה או המשיח לקבל ממנו המלכות *Usque ad DEUM pertinget populus aut Messias, ut ab eo regnum accipiat.* Verum hac ratione unius vocis plures erunt sensus literales, & *filius hominis* nunc Messiam, nunc populum ejus, nunc certa populi attributa, attenuationem & vilitatem, notabit. Quod si hæc sibi subordinari statuat, intelligi Messiam cum suo populo tantopere attenuato & abjecto, (quemadmodum R. Aben Esram sententiam R. Josuæ exposuisse audivimus, *Cap.* 2. §. 22.) probare adhuc tenetur, cum sola assertio non sufficiat. (3.) Alii Hebræorum Doctores, dum regnum Israëliticum per filium hominis designari affirmant, invertunt potius, & rationem sive nominis, sive emblematis hujus non in tenuitate & despectu, sed in Majestate & dominio quærunt, quasi propterea sub imagine filii hominis sistatur, quia sicuti homini dominium in cætera animalia competit, ita Israëlitæ adveniente Messia in cætera mundi regna dominaturi sint, quæ ratio est *R. Isaaci ben Abraham*, teste

teste Mullero *in Judaismo pag.* 899, 900. Pari modo *R. Salomonem* jam supra vidimus in humanitate & perfectione quæsivisse collationem. Cum his ergo & cæteris complicibus transigat Abarbanel, & ante sibi de eorum assensu prospiciat, quam nobis sua commenta persuaderi posse speret. (4.) Nobis literæ inhærentibus nulla sollicitudo circa ullum comparationis tertium negotium facessit, quando Messias noster tanquam filius hominis Prophetæ visus, vere filius hominis est, & in hac forma apparuit ad DEI dextram exaltandus, *Phil. cap.* 2: 7.

§. XXVIII. *Tertia* Propositio agit de *antiquo dierum*, ad quem filius hominis deferebatur; cujus interpretatio ita habet:

והמשפט הג׳ ועד עתיק יומין מטה׳ ותמהתי מהרל״בג שפירש כבר אנש על מלך המשיח ופירש ועד עתיק יומיא מטה על הישיש אשר ברומי או על האפיפיור שילך מלך המשיח לפניו לשאול ממנו שלח את עמי ויעברו את אלהיהם כמו ששאל משה מפרעה שאלה דברי רוח הם כי הנה הכתוב אומר ועתיק יומין יתיב על הב״ה והוא קדש ואיך יפרשו אותו על חול כ״ש שעינינו הרואות שהיום הזה כבר ספו תמו מן בלהות כל היהודים שהיו בתוך בני אדום ומה א״ך לישיש אשר ברומי או לאפיפיור לעשות להם אבל אמתת המאמר הזה להגיד שהגאולה העתידה לבא לא תבא מכח המערכה העליונה שיחייב אותה ולא תהיה שפע משרי מעלה כי הפועל האמתי הזה הוא אלהינו ואין עוד אחר וכמו שנאמר בשיר האזינו לי נקם ושלם וגו׳ כי ידין ה׳ עמו ראו עתה כי אני אני הוא ואין אלהים עמדי וגו׳ ואחשוב שעל זה אמר כי אשא אל שמים ידי ואמרתי וגו׳ ובלעם אמר דרך כוכב מיעקב שהוא כלו להגיד שלא תהיה הגאולה כפי המערכה והנביא אמר אנכי אנכי ה׳ ואין מבלעדי מושיע ואמר גואלינו ה׳ צבאות שמו קרוש ישראל הנה על זה אמר עד עתיק יומיא מטה רוצה לומר שהאל בעצמו יושיעם ויגאלם אין עוד מלבדו כי עדיו יגיע האומה או המשיח לקבל ממנו המלכות לא משר ומלאך אחרי או כבר נוכל לפרש ועד עתיק יומיא מטא שישובו ישראל בתשובה שלמה לפניו ויבאו עדיו להתחנן לי ושהוא על דרך שובה ישראל עד ה׳ אלהיך עם היות שכבר הוכיח רבי יהושע בפרק חלק שלא תהיה התשובה תנאי עצמי כגאולה וכן אמרו גם כן בויקרא רבה פרשת אם בחקותי אמר רבי אלעזר אם אין ישראל עושין תשובה אינן נגאלים שנאמר בשובה ונחת תושעון רבי יהושע אומר בין עושין בין אינן עושין כיון שהגיע הקץ מיד נגאלין שנאמר אני ה׳ בעתה אחישנה ופסוק מלא הוא בדברי דניאל מסיים ליה לרבי יהושע שנאמר עד די אתא עתיק יומין ודינא יהיב לקדישי עליונים וזמנא מטה ומלכותא החסינו קדישין הנה תלה הענין בזמן הקץ המוגבל:

Propositio tertia est in his verbis: *ET USQUE AD ANTIQUUM DIERUM PERGIT. Ubi miror R. Levi ben Gersom, qui cum illa verba*, tanquam filius hominis, *de Rege Messia exposuisset, hac*, usque ad antiquum dierum pertigit, *de Sene decrepito Romæ residente, sive de Papa interpretatur, coram quo Rex Messias compariturus sit, postulatum ab eo*: dimitte populum meum, ut serviant DEO suo, *quemadmodum Moses id à Pharaone olim postulavit. Sed verba inania sunt. Scriptura enim, cum* (vs. 9.) *ait*: Et antiquus dierum sedit: *loquitur de DEO Opt. Maximo, qui Sanctus est, & quomodo interpretabuntur illud de profano? præsertim cum oculi nostri videant, attritos pene consumptosque esse jam hodie Judæos omnes, in medio Edomitarum* (h. e. Christianorum Papæ Romano subjectorum) *viventes; quid ergo rebus sic stantibus Seniori Romano sive Papæ demandari poterit, ut illis faciat? Enimvero sensus sermonis hujus verus est, significare, quod futura Israëlis redemptio ventura non sit virtute dispositionis cœlestis, quæ illam necessitet, neque ex influxu Principum superiorum eventura; sed veram causam efficientem esse DEUM nostrum, & nullum præterea, quemadmodum* (Deut. 32: 35. seqq.) *in Cantico Mosis dicitur*: Mea est ultio & retributio, &c. Quia judicabit Dominus populum suum. Videte nunc, quod ego sum, & non dii mecum &c. *Quo & illa* (vs. 40.) *pertinere puto.* Nam levabo ad cœlum manum meam & dicam &c. *id quod totum indicat, redemptionem nullatenus juxta siderum dispositionem fore. Similiter apud Prophetam*, (Jesai. 43: 11.) Ego, ego DOMINUS, & non est præter me Salvator. *Item*: (Jesai. 47: 4.) Redemptor noster, Dominus exercituum nomen ejus, Sanctus Israëlis. *Atque adeo & hoc loco Daniel ait*: Usque ad Antiquum dierum pervenit, *hoc est, DEUS ipsemet per se eos salvabit & redimet, neque ullus præter hunc solum: Nam ad eum usque sive populus, sive Messias pertinget, ut regnum ab eo, non ab Archangelo, aut alio quodam angelo accipiat. Vel possumus eadem verba*: *ET USQUE AD ANTIQUUM DIERUM PERVENIT, sic etiam interpretari, quasi futurum, ut Israelitæ per seriam pœnitentiam, quam coram DEO sint acturi, usque ad ipsum perveniant, ejus imploraturi gratiam, quod ex illo* (Hos. 14: 2.) *confirmari posset*: Revertere Israël USQUE AD DOMINUM DEUM tuum. *Quanquam Rabbi Josua in Capite Chelek*, (quod ultimum est in Massecheth Sanhedrin,) *disputat, pœnitentiam non fore conditionem essentialem redemptionis. Qua de re etiam in Vajikra Rabba, Parascha Im bechuckotai, legitur: Dixit Rabbi Eliefer: Quod si Israelitæ pœnitentiam non agunt, non redimuntur, quia dictum est*, (Jesai. 30: 15.) In quiete & requie salvi eritis. *Rabbi Josua ait: sive agant, sive non agant pœnitentiam, postquam terminus aderit, statim redimuntur, quia dictum est* (Jesai. 60: 22.) Ego DOMINUS, in tempore suo accelerare faciam illud. *Extat & in Daniele versus integer pro sententia R. Josuæ, quando dicitur* (vers. 22.) Donec venit Antiquus dierum, & judicium datum est sanctis altissimi, & tempus advenit, & regnum possidebunt sancti. *En! ut rem istam determinato tempore simpliciter futuram definivit!*

§. XXIX. Quæ in his Rabbi de Antiquo dierum commentatus est, (1.) vera sunt in thesi. Rectissime enim Ralbagum, qui Papam Romanum intellexerat, refutat, & de DEO optimo Maximo exponendum esse docet. At (2.) falsa sunt in hypothesi, in qua uterque amice conspirant, quasi de redemptione Judæorum è temporali miseria per utopicum Messiam procuranda sermo sit. Circa modum saltem & processum redemptionis hic ex utriusque sententia significatum in partes secedunt, illo talem in hac Danielis visione traditam fingente, qualis erat Mosaica ex Ægypto, ut Messias Mosis, Antiquus dierum, h. e. Papa Romanus Pharaonis personam referat, cum noster contra tota hac propositione non nisi seriam Judæorum pœnitentiam judicet describi, & ingeniose satis provocet ad locum propheticum *Hos.* 14: 2. ubi similis phraseologia. Scilicet (3.) novum populi redimendi attributum hic observat, fore *pœnitentem*, perque hanc suam pœnitentiam impetraturum redemptionem tam diu desideratam. Simul tamen (4.) negare nequit, quæstionem de adventu Messiæ, à pœnitentia dependente, nondum esse decisam. Ipse equidem in affirmativam propendet, cum plerisque modernorum, de quibus vide Dn. Præsidis notata ad Schickardi *Jus Regium p.* 473. item Lightfootum *Hor. Hebr. & Talm. in Matth. cap.* 3: 2. *p.* 211. at tanta ipsi autoritas quoque R. Josuæ, ut impugnare ejus sententiam de adventus termino, non conditionato sed absoluto, non audeat. Unde anxius hic & dubius hæret, præsertim cum videat, posito adventus Messiæ termino absoluto, totam hanc Commentationem suam in fumum abire. Cæterum (5.) vera utique est ista R. Josuæ assertio in thesi, & si ad Jesum nostrum applicetur, cum statu illius ævi, quo nascebatur, optime congruit. Conferantur Hornbeck *lib. II. de Convert. Jud. cap. I. pag.* 194. *seqq.* Hulsius *part. I. Theol. Judaic. pag.* 235. *seqq.* Altingius *lib. IV. Schilo c. XI. pag.* 252. &c.

§. XXX. *Quartam* Propositionem de oblatione in *conspectum Antiqui dierum* paucis absolvit:

והמשפט הד׳ הוא וקדמוהי הקרבוהי וגלה בזה שמלאכי שלום העומדים ראשונה במלכות יליצו טובה על ישראל ויבקשו עליהם רחמים וכמו שאמר ובעת ההיא יעמוד מיכאל וגומר ובמקום שהיה ישראל מרוחק מהשם יתברך וכמאמר המשורר למה השם תעמוד ברחוק הנה הם הקריבוהו אליו ויגש אליו יתברך וכבר נבא זה ארוננו משה והשבות אל לבבך בכל הגוים אשר הדיחך השם אלהיך ושבת עד ה׳ אלהיך לפי שבהיותם בגלות הם נרחים ומרוחקים מהשגחתו ועוד ישובו ויקרבו אליו׳ והענין הקורבה הזאת אינה מקומיית אבל שיתדבקו בו וגם תשוב שכינתו בתוכם וכמו שאמר על ידי יחזקאל וכרתי להם ברית שלום ברית עולם יהיה אתם ונתתים והרבתי אותם ונתתי את מקרשי בתוכם לעולם:

Propositio quarta est: *ET IN CONSPECTUM EJUS OBTULERUNT EUM. Quibus verbis indicat, angelos pacis, qui in regno primas tenent, pro Israëlis salute interpellaturos, & gratiam divinam illis conciliaturos esse, prout inferius quoque* (Cap. 12: 1.) *habetur*: tempore illo stabit Michael &c. *Hi loco ejus, quod hactenus à DEO elongati fuerant Israëlitæ, juxta illud Psaltis*: (Ps. 10: 1.) Quare, DOMINE, stabis in longinquo? *sic eos facient ad DEUM benedictum appropinquare, ut Deus illis vicissim prope sit? Qua de re quidem Dominus & Magister noster Moses vaticinatus est*, (Deut. 30: 1, 2.) Reduces te ad cor tuum in omnibus gentibus, quo te expulit DOMINUS DEUS tuus, & converteris usque ad DOMINUM DEUM tuum;

Nam

Nam dum in exilio degunt, expulſi ſunt, & à Providentia Divina remoti, tunc autem iterum revertentur, & ad ipſum appropinquabunt. Hæc tamen appropinquatio non localis, ſed talis erit, qua DEO ſolum adhærebunt, tum etiam, quà in medium ipſorum divina præſentia revertetur; prout ipſe DEUS per Ezechielem (cap. 37: 26.) *ait*: Et pangam cum iis fœdus pacis, fœdus æternum erit eis, & ponam illos in terra mea, & multiplicabo eos, & dabo ſanctificationem meam in medio eorum in æternum.

§. XXXI. Hic obſervare liceat (1.) Harmoniam Judæo-Papiſticam in exegeticis, quoad ſubjectum offerens à Daniele expreſſim non commemoratum, quod utrique ſupplent, *angelos* ſubintelligentes, etſi poſtmodum aliter applicant, & Judæi de interceſſione & miniſterio, quod redimendo Iſraeli præſtent; Papiſtæ vero nunc de ſervitio angelorum CHRISTO exhibito, (ſic Cornel. à Lapide *in h. l. folio* 1339. *Angeli*, inquit, *obtulerunt Chriſtum Patri*;) nunc de mutua opera ſacrificulis Miſſaticis conferri ſolita exponunt, quemadmodum teſte B. Chemnicio *part. 2. Exam. Conc. Trid. de Miſſa folio* 337. Monachus quidam Auguſtanus ſic verbis iſtis abutebatur: *Angeli in nubibus Cœli filium hominis obtulerunt in conſpectum antiqui dierum. Ergo quando Chriſtus in Miſſa à Sacerdote ſacrificatur, tunc ſimul etiam in nubibus cœli ab ipſis angelis ſacrificatur. Et ideo Canon dicit: Jube hæc perferri per manum ſancti angeli, in conſpectum Majeſtatis tuæ.* (2.) Harmonia eorundem conſpicitur in dogmaticis, quoad doctrinam de angelis, quos ſuos apud Deum interceſſores, & gratiæ divinæ conciliatores facit hic Rabbi Abarbanel, faciunt & Papiſtæ eis ideo cultum deferentes, quem nec Judæi denegant. Conferantur Gilbert. Gaulmynius *lib. 2. Notar. de vita & Morte Moſis cap. 4. pagina* 299. *ſeqq.* Joſeph. de Voiſin *lib. 1. Theol. Judaic. cap. 5. pag.* 55. *ſeqq.* Julius Bartoloccius de Celleno *part. 1. Biblioth. Magnæ Rabb. folio* 191. *multiſque ſeqq.* latiſſime; inprimis vero Magnif. Dn. D. Geierus *in Conformitate Judæo-Papiſtica, cap. 2. de Angelis §. XVI. pag. 11. ſeqq.* (3.) Negari nequit, nonnullos Patres, interque eos Juſtinum Martyrem *Dial. cum Tryphon. folio* 238. Auguſtinum *Serm. 178. de Tempore, Tom. 10. Opp. folio* 307. &c. miniſterium angelorum agnoſcere hic connotatum, non repugnante Scriptura *Pſalm.* 68: *verſ.* 18, 19. non tamen eſt, cur iis nos anguſtiis conſtringamus, cum idiotiſmus linguæ ſupra obſervatus imperſonalem ſignificatum admittat. (4.) Ipſi Judæi in anguſtias rediguntur, dum ſuæ huic ſententiæ obſtare vident locum alium *Jerem.* 30: 21. qui DEO ipſi adductionem Meſſiæ tribuat, cum quo hunc Danielis de miniſterio angelico advenienti Meſſiæ præſtando ſic conciliant *in Medraſch Tillim* apud Raymundum Martini *Part. 3. Pug. fid. Diſſ. 3. cap. 1. §. 10. fol.* 504. הא כיצד המלאכין מכניסין אותו עד מחיצתן והב"ה פושט ידו ומכנים אותו אצלו לכן נאמר על מלך המשיח והקרבתיו ונגש אלי: *Ecce quomodo* (utrumque ſimul ſtare poteſt, ut angeli adducant, & ut ipſe DEUS appropinquare faciat? Reſpondetur:) *Angeli introducunt ipſum usque ad medium eorum*; (ita vertit Raymundus; malo: *uſque ad tabulatum ſuum*; id enim eſt מחיצה de certo tabulato, ſeu conclavi angelico etiam alibi uſurpatum, v. g. Bechai *ad Paraſch. Chucka folio* 186. *columna 3. Deus expulſurus eſt Principem angelum* ממחיצתו *è tabulato ſuo.*) *Deus autem tunc ulterius extendit manum ſuam, & introducit eum ad ſe. Propterea dictum eſt de Rege Meſſia*, (quem tamen angeli adducturi à Daniele ſiſtuntur:) *Ego appropinquare eum faciam, & accedet ad me.* (5.) Quod Rabbi *appropinquationem* hic denotari ait non מקומית *localem*, ſed aliam, quæ in mutatione ſtatus conſiſtat, recte ſe habet in theſi, hypotheſis autem & applicatio ab ipſomet facta perinde, ut in tota hac pericopa, eſt perverſiſſima. (6.) Quoad citata Scripturæ teſtimonia, committitur in ſingulis παρερμηνεία quædam: Nam *Dan.* 12: 1. per Michaelem non intelligitur creatus, ſed increatus fœderis angelus, qui eſt ipſe Meſſias; *Deut.* 30: 1. reductio promittitur è Babylonica Captivitate; & *Ezech.* 37: 26. Eccleſia, N. T. depingitur, cum qua DEUS fœdus ſuum pepigit, quippe quæ eſt *Iſrael non juxta carnem, ſed juxta ſpiritum*; *quando ſanctificatio ejus in medio credentium facta eſt in perpetuum*, uti ad eum locum ſcribit Hieronymus *lib. 11. in Ezech. Tom. 5. folio* 513.

§. XXXII. *Quintam* Propoſitionem de *collata Majeſtate* paulo operoſius perſequitur, quia ceruſſa opus erat, ut ſingula convenire crederentur populo Iſraelitico; more tamen ſuo ingenioſe eruit:

והמשפט החמשי הוא אמרו ולה יהב שלטן ויקר ומלכו וכל עממיא וגומר ר"ל שבזמן ההוא יזכו ישראל לכל הדברים שנעדרו מהם בגלות׳ וידוע ששלשה סוגי רעות היו להם׳ האחד שלא היה בגלות כח ואומץ לב כי הנה נתחדש להם חלשה ומורך לב גדול כמו שנאמר בקללות והנשארים בכם והבאתי מורך בלבבם וגומר ובמוסר האחרון נאמר ובגוים ההם לא תרגיע ולא תמצא מנוח וגומר׳ והסוג השני מהרעות שתחת היותם בני ציון היקרים המסולאים בפז אהרי היותם בגלות נחשבו לנבלי חרש גלה כבודם ויקרם וכמאמר הנביא נבזה וחדל אישים איש מכאובות וידוע חולי וגו׳ וראוי היה להיות כן כי הנה כבוד ה׳ ויקרו היה ארון ה׳ ושכינתו אשר בתוכם ובהלקחו מאתם גלה כבוד ישראל והיה למשיסה יעקב וישראל לבוזים וכמאמר כלת עלי בחכמתה אי כבוד גלה כבוד מישראל אל הלקח ארון האלהים׳ והסוג הג׳ מהרעות הוא שתחת היות להם על אדמת הקדש שבט ומלכות ומחוקק מבין רגליו הנה בבואם בגלות מלכה ושריה בגוים הלכו בשבי לפני צר אין עוד להם מלך ושר ועליו נאמר במוסר האחרון יוליך ה׳ את מלכך אשר תקים עליך אל גוי אשר לא ידעת וגו׳ והיית למשל ולשנינה וגו׳ והנביא אמר כי ימים רבים ישבו בני ישראל אין מלך ואין שר לפי שבכל מקום אשר דרכה כף רגליהם היו עבדים לכל ממלכות הארץ ועם היות להם שבט מראשי גליות שבבבל הנה המלכות נעדר מהם׳ הנה שלשת סוגי הרעות האלה ייעד דניאל שיבטלו מהם ועליהם אמר ולה יהב שלטן ויקר ומלכו׳ כי באמרו שלטן רמז אל הכח ואומץ הלב אשר תתחדש אז בהם וכמו שאמר במגילת אסתר אשר ישלטו היהודים המה בשונאים ונאמר עד אשר שלט האדם באדם גם נעריהם שלטו בעם אין אדם שליט ברוח אשר זונה שילטת כלם הם לשון חוזק ואומץ לב׳ וכנג׳ הבזיון הדבק בנפש בהיותם בגלות אמר דניאל שיהיה להם בזמן ההוא יקר שהוא הכבוד והמעלה׳ וכנגד העבדות והעדר המלכות אשר היה להם אמר מאז יזכו למלכות וגם יהיה מלכותם כל כך עליון וכולל שכל עממיא אומיא ולשניא ליה יפלחון ר"ל יעבדום אליו ויהיו נכנעים תחתיו׳ וכאשר פירש המלאך לדניאל אמר ומלכותא ושולטנה ורבותא די מלכות תחות כל שמיא יהיבת לעם קדישי עליונים אמר במקום יקר רבותא למי שהיוקר והכבוד אינו כ"א ענין גדולה ורבנות כמו מה יקר חסדך אלקים מאשר יקרת בעיני נכבדת ויקר פדיון נפשם וזולתם וביאר גם כן שהמלכות והשלטנות והיוקר הזה הוא בעולם הזה אמרו תחות כל שמיא:

Propoſitio quinta eſt, cum ait: ET EI DEDIT POTESTATEM ET HONOREM, ET REGNUM, ET OMNES POPULI &c. *Senſus eſt*: *Recuperaturos eſſe Iſraelitas omnes res illas, quibus in exilio caruerunt. Atqui tria malorum genera eos conſtat perpeſſos eſſe.* Unum *eſt, quod in exilio virtute & fortitudine cordis deſtituuntur. Summa enim debilitas & mollities animi ipſis* (quotidie quaſi) *renovata eſt, prout in maledictionibus* (Levit. 26: 36.) *dicitur*: Et reſiduis inter vos inducam mollitiem in cor eorum &c. *Et in poſteriori Epanorthoſi* (Deut. 28: 65.) *dicitur*: Et in gentibus illis non requieſces, neque invenies requiem &c. Alterum *malorum genus eſt, quod loco ejus, quod eſſent antea* filii Zion (היקרים) pretioſi æſtimati auro puro, *nunc poſtquam in exilio verſantur, reputati ſunt ut lagenæ teſtaceæ* (Thren. 4: 2.) *migravit enim & gloria & pretioſitas eorum, adeo ut juxta Prophetam* (Jeſai. 53: 3.) *facti ſint* vir deſpectus & abjectus inter viros, vir dolorum, & expertus morbum &c. *Neque aliter decebat eſſe, quoniam gloria Domini* (ויקרו) *ejusque decor, erat Arca fœderis, & quæ in ea præſens aderat, Divina Majeſtas. Hac igitur ab iis ablata migrabat Gloria Iſraelis, fuitque* in direptionem Jacob, & Iſrael prædantibus (Jeſai. 43: 24.) *id quod per ſapientiam ſuam probe cognoſcens nurus Eli filium ſuum vocabat* Icaboth, dicendo: migravit gloria ex Iſrael, eo quod capta eſſet arca DEI, (1 Sam. 4: 21.) Tertium *malorum genus eſt, quod loco ſceptri & regni, & Legiſlatoris* (Geneſ. 49: 10.) *quæ omnia habebant in terra ſancta, nunc deportatis in exilium, Reges & Principes inter gentes in captivitatem abierunt ante hoſtem,* (Thren. 1: 5.) *adeoque non amplius regem & principem habent. Qua de re Moſes* (Deuteron. 28: 36, 37.) *in poſteriori Epanorthoſi*: Abducet te Dominus, *inquit*, & Regem tuum, quem conſtitues ſuper te, ad gentem, quam non noſti, &c. & eris in parabolam & in dicterium &c. *Idem prædixit Propheta* (Hoſ. 3: 4.) Quia dies multos manebunt filii Iſrael abſque rege, & abſque principe. *Siquidem ubivis locorum, ubi planta pedum eorum ambulavit, ſervi omnibus terræ regnis fuerunt, & quamvis ſceptrum quadantenus habuerint ab Æchmalotarchis Babylonicis, Regno tamen deſtituebantur. Nunc ergo Daniel tria illa malorum genera teſtatur ablatum iri, deque iis ait*: Et ei dedit (שלטן) poteſtatem, & (יקר) decorem, & (מלכו) regnum. *Dum enim* (שלטן) poteſtatem *nominat, reſpicit & virtutem & fortitudinem cordis, quæ tunc in illis renovabitur, plane uti in libro Eſther* (c. 9: 1.) *dicitur*: quia (ישלטו) dominabuntur Judæi ipſi in oſores ſuos. *Item* (Coh. 8: 9.) *dicitur*: tempore quo (שלט) dominatur homo in hominem. *Item* (Neh. 5: 15.) Etiam pueri (שלטו) dominati ſunt in populum.

Item (Coh. 9: 8.) Non (שליט) dominatur homo in ſpiritum. *Item* (Ezech. 17: 30.) mulier meretrix (שולטת) dominatrix. *In omnibus illis locis vox* dominii *ſive* poteſtatis, *virtutem & fortitudinem cordis aut animi infert. Porro vice ignominiæ animæ, quamdiu in exilio vivunt, adhærentis, Daniel pollicetur, habituros illo liberationis tempore* (יקר) honorem & gloriam *atque* dignitatem. *Ac denique loco ſervitutis & carentiæ regni, qua in exilio laborant, promittit tunc reſtitutum iri* (מלכו) regnum, *& regnum quidem ſummum & ampliſſimum adeo ut* omnes populi, nationes & linguæ eum colant, *hoc eſt, ſerviant, eique ſe ſubmittant. Cæterum cum viſionem Angelus Danieli inferius,* (verſ. 27.) *exponeret ac diceret*: Et regnum, & poteſtas, & magnitudo regnorum ſubter omne cœlum dabitur populo ſanctorum Altiſſimi; *loco vocis* יקר pretioſitas *ſive decor, adhibet nomen* רבותא magnitudo, *ſiquidem pretioſitas & gloria non niſi magnitudinem & dignitatem ſignificat, ut in illo*, (Pſal. 36: 8.) מה יקר quam pretioſa eſt miſericordia tua, ô DEUS. *Item* (Jeſai. 43: 4.) Ex quo (יקרת) pretioſus fuiſti in oculis meis, glorioſus fuiſti. *Item* (Pſalm. 49: 9.) Et (יקר) pretioſa eſt redemptio animæ ipſorum. *Atque ita in aliis locis. Quod vero regnum, & poteſtas, & pretioſitas in hoc ſeculo adhuc reſtituenda ſint, id ſimiliter aſſerit, cum dicit*: ſubter omne cœlum.

§. XXXIII. Quemadmodum Abarbanel ad præcedentem propoſitionem multa paucis dixerat, ita ad hanc pauca multis eloquitur, quæ eo tendunt, ut tria illa in exilio amiſſa (1.) παῤῥησίαν, (2.) autoritatem, (3.) ſceptrum, Judæis aliquando reſtitutum iri confirmet. Nititur autem omnis confirmatio abuſu Philologiæ, dum in eo cumprimis occupatus eſt, ut poſt hiſtoriam amiſſæ priſtinæ gloriæ, ex parallelismo verbali probet, tria illa, quæ dixerat, vocibus à Daniele uſurpatis, שלטן ויקר ומלכו denotari poſſe. Intendiſſe vero hoc Danielem, atque ea in hoc ſeculo, finita captivitate, certo reſtituenda, nude affirmat. Jam (1.) concedimus hiſtoriam amiſſæ in exilio gloriæ, neque tot verborum ambagibus indigebat, cum rerum haberet teſtimonia. Damus libenter, Judæos non commemoratorum modo, παῤῥησίας, autoritatis, & ſceptri, ſed & plurimorum aliorum naufragium feciſſe, & bene Rabbinum provocaſſe ad Jacobi Patriarchæ de amittenda omni Majeſtate vaticinium *Gen.* 49: 10. editum, quod uti longe melius huc quadrat, quam Jeſaiæ de Meſſiæ paſſione & morte peſſime ab ipſo depravata prophetia *cap.* 53: 3. ita admonere Judæum merito poterat temporis adventus Meſſiæ pridem præterlapſi. Vetus Judæorum cantilena, de Æchmalotarchis Babylonicis, quam toties occinunt, quoties hoc Patriarchæ vaticinio de ablato à Juda ſceptro urgentur, ab ipſomet Abarbanele ſic repudiatur, quod ambabus amplectimur, indeque concludimus: Ergo pridem Meſſias venit, ſceptro pridem ablato, & conſequenter hæc Danielis viſio de Meſſia nondum exhibito, ſed exhibendo, & regnum Iſraeliticum redintegraturo non agit. (2.) Concedimus uſum vocabulorum שלטן ויקר ומלכו *poteſtatis & decoris & regni*, qualem per concordantias evolvit; negamus tamen hic obtinere eo ſenſu, quo hæc vocabula ad populum Iſraeliticum accommodat. Atque adeo (3.) deſideramus aſſertionis primariæ, Danielem de reſtitutione harum rerum loqui, probationem, quæ ita potius fieri debebat, ut ex parallelismo reali ante omnia confirmaretur, iſta Judæis certo reſtitutum iri. Verum de hoc altum ſilentium. (4.) Unicum illud è contextu pro ſententia ſua affert, quod dan͏da illa ab angelo dicuntur populo תחות כל שמיא *ſub omni cœlo*; Ergo, inquit, reſtituenda adhuc in hoc ſeculo. Sed formulam hanc eſſe limitativam ſubjecti, non prædicati, & regnum conferendum deſcribere ab amplitudine & univerſalitate, tum ordo & ſtructura contextus, tum accentuatio evincit, quæ illam cum ſubjecto per Paſchta conjungit, & per Sakephkaton à prædicato diſtinguit. Et quid plura? annon Angelus idem iſta formula expreſſit, quod Daniel in textu noſtro dixerat: כל עממיא אמיא ולשניא לה יפלחון *omnes populi, nationes, & linguæ ei ſervient*? quod ipſe Abarbanel hic de amplitudine regni exponit. (5.) Si de exaltatione Meſſiæ noſtri verba accipiantur, prout ſuperius in analyſi oſtendimus, puriſſime omnia fluunt, nec ullum horum nominum ſignificatum proprium tranſgreditur.

§. XXXIV. Reſtat *ſexta* eaque ultima Propoſitio de *regni duratione & perpetuitate*, quam non minori ſtudio detorquet:

והמשפט הוי היא אמרו שלטן עלם די לא יעדה ומלכותא די לא תתחבל ורמז שהמלכות ההי הזה אשר בארץ אשר תהיה לישראל לא יעבור כענין ד׳ מלכיות שזכר שיפסקו ועברו כלו כעשן ימיהם אבל ביאר בזה שענין הגאולה העתידה לא יבאו ישראל בגלות אחר כי לא תהיה זאת הגאולה כגאולת מצרים או כפקידת בבל שעשו והצליחו ואחרי כן חטאו לאלהיהם ובאו לידי גלות וחרבן לא תהיה כן העתידה ששלטנותה תהיה נצחית לנצח נצחים וכמו שנבא ישעיה עורי עורי ציון לבשי בגדי תפארתך ירושלם עיר הקדש כי לא יוסיף יבא בך עוד ערל וטמא והנה אמר ערל על בני אדום שאינן נמולים וטמא על בני ישמעאל שאע״פי שהם נמולים הם טמאים לנפש אדם ועליהם אמר הנביא בסוף ספרו ר״ל על אדום ועל ישמעאל המתקדשים והמטהרים אחר אחד בתוך שהם בני הישמעאלים ועל בני אדום אמר אוכלי בשר החזיר השקץ והעכבר ואמר שאלו ואלו יתמו מן הארץ והוא אמרו יחדיו יסופו נאם ה׳ ואמר עוד נשבע ה׳ בימינו ובזרוע עזו וגו׳ ויחזקיאל אמר לא אשמיע עליך כלימת גוים וחרפת לאומים לא תשא עוד ולרמוז על הנצחיות הזה אמר כאן שלטניה שלטנות עלם ואמרו ומלכותא די לא תתחבל אפשר לפרשו שהוא כפל ענין במלות שונות ויותר נכון אצלי שמלכות ישראל לא תשחת עוד לפני האלקים ולא יוסיפו עוד לחטוא כפעם בפעם לקראת נחשים כי יסיר ה׳ את לב האבן מבשרה ואל ישובו לכסלה ובזה האופן תתקיים מלכותם ושלטנם׳ וכבר נבא גם כן ירמיה הנביא ע״ה הנה ימים באים נאם ה׳ וכרתי את ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה לא כברית אשר כרתי את אבותם ביום החזיקי בידם להוציאם מארץ מצרים אשר המה הפרו את בריתי ואנכי בעלתי בם נאם ה׳ וזאת הברית אשר אכרות את בית ישראל אחרי הימים ההם נאם ה׳ נתתי את תורתי בקרבם ועל לבם אכתבנה והיתי להם לאלקים ואתם תהיו לי לעם ולא ילמדו עוד איש את רעהו ואיש את אחיו לאמר דעו את ה׳ כי כלם ידעו אותי למקטנם ועד גדולם כי אסלח לעונם ולחטאתם לא אזכור עוד וכמה מהפסוקים בנבואות מעידום על זה ועליהם אמר פה ומלכותא די לא תתחבל שהוא רמז לחבלת והשחתת העונות מלשון ותשחת הארץ שתרגומו ואתחבלת ארעא:

Propoſitio ſexta eſt, cum ait: POTESTAS EJUS POTESTAS ÆTERNA, QUÆ NON AUFERETUR, ET REGNUM EJUS, QUOD NON CORRUMPETUR. *Hic indicat, quintum hoc Regnum, quod terrenum quidem, ſed Iſraeliticum erit, non periturum inſtar quatuor illarum Monarchiarum, quarum meminerat, & dixerat fore, ut ceſſent & tranſeant*, conſumptis inſtar fumi earum diebus, (Pſalm. 102: 4.) *At cum Iſraelitico ſe aliter habiturum tradit, nempe Iſraelitas poſt futuram redemptionem in aliud denuo exilium non reducendos. Non enim illa redemptio ſimilis erit redemptioni Ægyptiacæ, aut liberationi Babylonicæ, ubi rebus ſecundis uſi poſtea in DEUM ſuum peccarunt, atque in exilium & deſolationem traditi ſunt. Non, inquam, talis erit futura redemptio, ſed poteſtas ejus erit æterna, inque omnes æternitates duratura, prout Jeſaias quoque* (cap. 52: 1.) *vaticinatus eſt*: Evigila, evigila, ô Zion, inque veſtimenta gloriæ, ô Jeruſalem, civitas Sancta, quia non veniet in te amplius incircumciſus & immundus. *Ubi quidem per* incircumciſum *Ædomæos ſive Chriſtianos intelligit, qui non circumciduntur; per* immundum *vero Iſmaelitas, ſive Mohammedanos, qui licet circumcidantur* (quoad corpus,) *qua animam tamen immundi & polluti ſunt. Utroſque hoc eſt Chriſtianos pariter & Mohammedanos, idem Propheta ſub finem libri ſui* (cap. 66: 17.) *reſpicit, cum ait*: Sanctificantes ſe, & purificantes poſt unum in medio, *hi enim ſunt Mohammedani; de Chriſtianis vero dicit*: Comedentes carnem ſuillam, & abominationem, & murem. *Utroſque, hos pariter & illos, inquit e terra ſummovendos, & ideo addit*: ſimul conſumentur, dicit DOMINUS. *Porro huc locus apud eundem* (cap. 62: 8.) *ſpectat*: Juravit DOMINUS per dextram ſuam, & per brachium fortitudinis ſuæ &c. *Item illud Ezechielis* (cap. 36: 15.) Non audire faciam in te amplius ignominiam gentium, & probrum populorum non portabis ultra.

Hanc ergo perennitatem ut innueret noſter, dixit hic, Poteſtas ejus poteſtas æterna. *Quod vero addit*: & regnum ejus, quod non corrumpetur, *id forte non male per* ἐπεξήγησιν *exponi poterit; mihi tamen longe rectius videtur, innui, non amplius periturum coram DEO regnum Iſraeliticum, neque eos porro, uti antea, peccaturos in occurſum auguriorum*, (Num. 24: 1.) *nam amovebit Deus cor lapideum ex carne eorum, & ad ſtultitiam non revertentur.* Pſal. 85: 9.) *Atque hoc modo regnum & poteſtas eorum ſtabilietur. Cæterum de eadem re vaticinatus quoque eſt Jeremias Propheta, qui in pace requieſcat* (cap. 31: 31. ſeqq.) Ecce dies veniunt, dicit DOMINUS, & pangam cum domo Iſrael, & cum domo Juda fœ-

fœdus novum. Non ſecundum fœdus, quod pepigi cum patribus eorum die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypti, qui ipſi irritum fecerunt fœdus meum, & ego dominatus ſum iis, dicit DOMINUS. Hoc autem eſt fœdus, quod pangam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit DOMINUS: dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in DEUM, & illi erunt mihi in populum. Neque ultra quisquam docebit proximum ſuum, aut fratrem ſuum, dicendo: Cognoſce DOMINUM; ſed omnes cognoſcent me à minimo usque ad maximum eorum, dicit DOMINUS, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius. *Quin & aliquammulti adhuc textus Prophetici de eodem teſtantur. Atque de his ait noſter hoc loco*: Et regnum ejus, quod non (תתחבל) corrumpetur; *quo verbo ad corruptionem & perditionem peccatorum reſpicit, eodem ſenſu, quo* (Geneſ. 6: 11.) *dicitur*: ותשחת & perdita fuit terra; *cujus loco in Targum extat*: ואתחבלת & corrupta fuit terra.

§. XXXV. Perpetuitatem ergo regni Iſraelitici per Meſſiam reſtaurandi, qua à cæteris quatuor Monarchiis diſtinguatur, hac propoſitione aſſeri, eandemque duobus fundari ſcribit, *DEI* ſcilicet *protectione*, & *Iſraelis renovatione*, quæ duo repetitione illa innuantur, quando nec *poteſtas auferenda*, nec *regnum corrumpendum* dicitur. Quam ad rem denuo philologia ſua abutitur, & in Targumicam verbi התחבל ſignificationem, quam *Gen.* 6: 11. obtinet, inquirit, eamque huc applicat. Sed leve illud; majoris momenti eſt perverſio teſtimoniorum Propheticorum, quæ in ſubſidium vocat. Animadvertimus tamen (1.) *in genere*, non aliena fore hæc teſtimonia ad illuſtrationem textus noſtri, modo ipſe de veri Meſſiæ regno dextre exponatur, cum ſingula de Eccleſia Novi Teſtamenti loquantur. At cum Abarbanel textum ad Utopicum quoddam regnum detorqueat, non poteſt non hæc Prophetarum Oracula ſimul perverſe eo trahere. (2.) Eadem hæc vaticinia, diverſo ſcopo ſollicitat: nam quatuor priora *Jeſ.* 52: 1. *cap.* 66: 17. *cap.* 62: 8. *& Ezech.* 36: 15. ad probandam divinam protectionem; ultimum *Jer.* 31: 31. *ſeqq.* ad confirmandam renovationem Iſraelis adhibet. Neutrum male, ſi hypotheſis valeret; Nunc quoniam initio illa deſtructa eſt, nec male hæc teſtimonia ſic in Judæos retorqueri poſſunt. Nam (3.) quod *in ſpecie* locum *Jeſ.* 52: 1. concernit, agit is de Zione & Jeroſolyma ſpirituali, ſive, ut verbis Hieronymi *lib.* 14. *Comment. in Jeſa. Tom.* 5. *fol.* 190. efferamus: *Omnia, quæ promittuntur Sion & Hieruſalem, non ut Judæi ſomniant, ad lapides illius, & cineres favillasque dicuntur, ut inſtauretur in priſtinum ſtatum; ſed ad populum Hieruſalem.——Eadem & de Eccleſia poſſumus dicere, quæ viſio pacis & ſpecula.——Sanctitatis ei & continentiæ præmia promittuntur, ut nequaquam per eam tranſeat incircumciſus & immundus. Quod non ad carnis conciſionem atque præputium, ſed ad operum immundiciam ſive mundiciam referri poteſt, ut incircumciſos & immundos vocemus, qui corporis voluptati & libidini ſerviunt.* (4.) In altero loco *Jeſa.* 66: 17. tantum abeſt, ut Mohammedani per *Sanctificantes & purificantes ſe*, & Chriſtiani per *ſuillam, abominationem & murem comedentes*, intelligantur, ut potius ipſorummet Judæorum ſit deſcriptio. Loquatur iterum pro nobis idem Hieronymus *lib.* 18. *in Jeſa. Tom.* 5. *fol.* 256. *Arguit*, inquit, *ſermo divinus populos Judæorum, imo Scribas & Phariſæos, quos & Dominus arguebat dicens: Vos eſtis qui juſtificatis vosmet ipſos coram hominibus &c.* quæ quidem ſemet ſanctificantium & mundantium paraphraſis pluribus ibi eſt à Beato Stridonenſium Patre protracta; de comedentibus autem ſuillam & abominationem, mox addit: *Qui hæc opera faciunt*, (recenſuerat enim peccata, quæ ſub auſpiciis N. T. inter Judæos graſſari cœperunt) *voluntate & ſceleribus, cum his ſunt, qui carnem ſuillam comedunt, & omnia quæ lege prohibentur, & murem, quem nos glirem vocamus, vel juxta Orientis provincias μυόξας. Et illi igitur, qui hæc comedunt, & hi qui exercentes omnem turpitudinem, talia agunt, quæ & ethnici forte non faciunt, conſumentur.* (5.) Ad locum *Jeſa.* 62: 8. audiemus denuo laudatum Presbyterum *lib.* 17: *f.* 234. *Hæc de futura*, inquit, *in regno cælorum accipimus beatitudine; vel certe eccleſias in toto orbe diviſas intelligimus, in quibus plantati, poſtea in domo domini florebimus.* (6.) Pari modo ad locum *Ezech.* 36: 15. commentatur *lib.* 11. *in Ezech. Tom.* 5. *fol.* 507. vanas eſſe Judæorum fabulas de gemmata & aurea, quam expectant, Jeroſolyma, monetque ad ſpiritualem intelligentiam tranſeundum, juxta quam & extremas partes Jeſaiæ interpretatus ſit. De Eccleſia igitur JESU CHRISTI exponit, liberanda olim *à gentium ignominia & populorum probro*, hoc eſt, ut ipſe loquitur, *à preſſuris, qualis ſub Diocletiano & Maximiano in toto orbe perſecutio fuit, per quam proſcriptæ ſunt eccleſiæ atque vaſtatæ: quando ſubſannaverunt eccleſiam omnes gentilium & hæreticorum gentes per circuitum &c.* (7.) Hanc Vaticiniorum iſtorum interpretationem ex Hieronymo producimus, non quod ſperemus ullum Rabbinorum ejus autoritate, quam averſantur, convinci poſſe; ſed ut fontes aperiamus reſponſionum. Sufficiat enim, verum ſenſum *παρερμηνείαις* Iudaicis oppoſuiſſe, cujus vindiciæ cum prolixiores, tum paulo ab inſtituto noſtro remotiores forent. Si tamen ullus Prophetæ locus ex allegatis diligenti conſideratione dignus, ingens certe operæ pretium eſſet, (8.) Vaticinium *Jer.* 31: 31. *ſeqq.* de novo fœdere, quod nobis in Abarbanelis diſcurſu expendendum ſupereſt, & pro futura, quam ſperant, Iudæorum renovatione urgetur, attentius contemplari; ſed iſthanc provinciam pridem occupavit Celeberrimus Dn. Joh. Friſchmuthus, editis in Academia Jenenſi ante octennium binis de eo Diſputationibus anti-Rabbinicis, ad quas Lectorem remittimus, in portu jam feliciter conſiſtentes.

§. XXXVI. R. Abarbanel cum iſta omnia ſic, uti fideliter eum transſcripſimus, abſolviſſet, concludit tandem his verbis: הרי לך פירוש המראה בכל חלקים על בוריה: *En! tibi Commentarium in hanc viſionem quoad omnes partes clariſſime concinnatum!* veriora forte locuturus, ſi pro על בוריה *clariſſime* (quod & *pro virili* ſonare poteſt) inſerta unica litera ſcripſiſſet על בוריתא id eſt, *ſtolidiſſime.* Quanquam enim ingenium minime ſtupidum hoc commentario prodidit; revera tamen in ipſum quadrat illud Apoſtoli ex *Jeſa.* 33: 18. accommodatum: *Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi diſputator hujus ſeculi?* οὐχὶ ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου; *nonne infatuavit DEUS ſapientiam mundi hujus?* 1 *Cor.* 1: 20. Nos in ſimplicitate fidei merito divinam Veritatem ſemel agnitam firmiter tenemus, utque illa nobis propria & perpetua maneat, gratiam DEI optimi Maximi devotiſſime imploramus.

תוש"לבע

JOH. FRISCHMUTHI

Evidens demonſtratio Meſſiam ſecundum computum Danielis pridem apparuiſſe ad Dan. IX: 24.

בה״שי

DISSERTATIO

De Vaticinio Dan. IX: 24.



Um Tryphone Judæo prolixe Dialogo quodam diſputans, & Chriſtianæ religionis veritatem contra eundem acriter propugnans antiquiſſimus Eccleſiæ Chriſtianæ Doctor, Juſtinus Martyr, ἔρως, inquit, ἔχει με τῶν προφητῶν. Quibus verbis ſuum in V. T. libros amorem teſtatus, quanti illos faciat, oſtendit, longe nempe majoris quam Socinus, qui *lectionem V. T. non neceſſariam & parvi momenti cenſuit*, lib. de autor. Scripturæ cap. 16. & Schlichtingius, qui *Evangelio magis attendendum, quam legi*, Apoſtolum docere voluiſſe tradit, comm. in Ep. ad Ebr. cap. 1. pag. 79. & Smalcius, *qui parum conſuit curandum, quid de Dei cultu prophetæ dixerint*, lib. adverſ. nova monſtra Smiglecii. p. 79. Atque ſic antagoniſtæ ſuo ſignificandum quoque duxit pater laudatus, ſe nullatenus extimeſcere, cum ipſo in arenam deſcendere, & vel ex ipſis Prophetarum monumentis, tanquam ex Judæorum principio, diſputare. Nihil enim æque ſibi jucundum accidere ac utile videri, quam vaticinia illorum expendere, atque adeo λόγον βεβαιότερον, ut Apoſtolus 2 Pet. 1:21. V. T. ſcripta appellat, in rem ſuam vertere, utpote in quibus ipſiſſima Chriſtianæ fidei capita contineantur, quod aperte Paulus faſſus eſt, cum ſe nihil extra Moſen & Prophetas dixiſſe Act. 26: 22. aſſeruit. Sane illis oraculis, quibus de Meſſiæ officio & perſona agitur, Judæorum de Meſſia ut Rege terreno & Salvatore mundano præconcepta opinio tam evidenter evertitur, & hinc ita illi confunduntur, ut, quod cum ſpecie veritatis dicant, illis amplius ſit minime reliquum. Ea vero vaticinia, quæ χρόνου προσημασίαν habent, & indice quaſi digito illud tempus quo Meſſias venire debuit, demonſtrant, ut Chriſtianæ religionis veritatem inſigniter ſtabiliunt & confirmant, Judæorumque κρυσφύγετα efficaciſſime redarguunt, ita verbis dici haud poteſt, quam timide eadem tractent, quam violenter textum torqueant & quam abſurda comminiſcantur, ut vim rationum, quæ inde deduci ſolent, declinent: Et cum duo cumprimis illuſtria ejuſmodi oracula in Scriptura habeantur, Geneſ. 49: 10. & Dan. 9: 24. ſeqq. utrobique omnem lapidem movent, ne id inde ſequi videatur, quod ex verbis illorum Chriſtiani colligunt. Quin ut glaucomam ob oculos ponant lectoris, ne tempus Meſſiæ adventui deſtinatum clapſum eſſe ſentiat, eo inſaniæ erupit induratæ omnemque medicinam reſpuens gens Judaica, ut à diligentiori verborum conſideratione & putandis temporum rationibus horribili decreto & execratione ſuos abſtrahere omnino conetur. In Talmud enim Maſſecheth Sanhedrin c. 11. fol. 97. legimus: תפח רוחם של מחשבי הקיצים *Exſpirent animam, qui temporis articulos ſupputant.* R. Lipmannus in Nizzachon num. 334. adhuc fervidius תפח נשמתם בגהנם של מחשבי הקיצים *In Gehenna illorum anima pereat, qui tempora ſupputant.* Confer etiam R. Maimonidem in יד החזקה cap. ult. ſub finem ſect. 2. ubi Veterum exitium minitans interdictum commemoraturus id ſuo calculo quoque approbat, dum לא יחשב הקיצים *ne terminos quiſpiam ſupputet*, de integro ſancit. Quin ea quoque comminiſcuntur, quibus ut tanti momenti oracula vileſcant & nauciſiant, de induſtria efficere velle videntur. Atque inter illa merito referas hoc, quod non diffitente R. Abarbenele, fol. 120. com. in Pentaceuch. patriarcham Jacobum tempus Meſſiæ adventus manifeſtaturum divinitatem deſtituiſſe, priſci fabulati ſunt in Talmud, Maſſechet Peſachim cap. 4. En Iſraël fol. 91. ne ſcilicet illud, quod occultare Deus voluerit, in notitiam hominum veniret & ille grandævus ſenex imprudens revelaret. Neque multo aliter in Danielis loco claſſico egerere ſolent. Hujus enim Prophetæ παράφρασιν ne Chaldæus interpres, uti in reliquis libris, adornaret, divinitus prohibitum fuiſſe perhibent דאית ביה קץ המשיח *quia in eo finis Meſſiæ contineatur*, ut eſt in Talmud, Maſſechet Megilla, cap. 1. fol. 3. En Iſraël fol. 141. Nempe Deum labore tempus Meſſiæ interpretandi vel inquirendi per angelum interdixiſſe Danieli ex cap. 12: 4. illi contendunt. Et hoc in antiquo libro Bereſcit Rabba fol. 61. col. 2. Edit. Venetæ haud obſcure præ ſe ferunt, ubi hæc verba legimus: רבנן אמרים בא לגלות להם ארת המץ ונתכסה ממנו רבי יהודה בשם רבי אליעזר בר אבינה שני בני אדם נגלה להן הקץ וחזר ונתכסה מהם ואלו הם יעקב ודניאל ואתה דניאל סתום וחתום יעקב את אשר יקרא לכם באחרית הימים: *Rabbini noſtri dixerunt, voluiſſe eum* (Jacobum) *finem aperire, qui tamen non ei revelatus erat. R. Juda nomine R. Elieſeris filii Abina, dixit; duo ſunt, quibus finis erat revelatus ſed denuo notitiæ illorum ereptus, Jacobus nempe & Daniel. Et tu Daniel claude & obſigna.* (Dan. 12: 4.) *Jacobus vero, dicam vobis, quid futurum ſit vobis diebus noviſſimis* (Gen. 49: 1.) Ex quibus ſatis abunde conſtat, eos ægerrime ferre, ut quis in Scriptura indaget tempus illud, quo de Meſſiæ adventu judicandum ſit, ſed illud occultum & omnibus ignotum eſſe velle. At quanto aliter Prophetas quondam ſe geſſiſſe, ex 1 Pet. 1: 11. novimus Chriſtiani! Illi enim, Apoſtolo atteſtante, de tempore gratioſo Meſſiæ vaticinati ſunt, ἐρευνῶντες εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν ἐδήλου τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ, προμαρτυρόμενον τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας. Nempe uti in V. T. המועד vel προθεσμία tempus præſtitutum ſuum קץ vel *finem & terminum* habere dicebatur, ita in N. T. τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου vel *plenitudo temporum* memoratur, qua præſente Meſſias filius Dei miſſus eſt, veluti Galat. 4. vſ. 4. legimus. Ejuſmodi terminum temporis, quo *viſionis & prophetiæ* finis futurus, & omne illud, quod per figuras adumbratum & per Prophetas de Meſſiæ adventu, & beneficiis prædictum erat, ſuum complementum nacturum ſit, angelus quoque Danieli manifeſtavit. Quem cum priſci Judæi, ut ex Talmud Maſſecheth Megilla ſupra patuit, admiſerint, & in Danielis libro contineri, ingenue faſſi fuerint, recentiores nihilominus Judæi id unice agere ſolent, ut alium verborum ſenſum, quam illa præ ſe ferunt, inde eliciant. Quam irritus vero conatus eorum ſit, diſſertatione hac oſtenſuri, divinamque veritatem penitius conſideraturi, cœleſtis oratoris ſermonem eo, quo protulit, idiomate lectori ob oculos anteponendum exiſtimavimus. Qui verſ. 24. cap. 9. hunc in modum ſe habet: שָׁבֻעִים שִׁבְעִים נֶחְתַּךְ עַל־עַמְּךָ וְעַל־עִיר קָדְשֶׁךָ לְכַלֵּא הַפֶּשַׁע וּלְחַתֵּם חַטָּאוֹת וּלְכַפֵּר עָוֺן וּלְהָבִיא צֶדֶק עֹלָמִים וְלַחְתֹּם חָזוֹן וְנָבִיא וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים: Quæ vulgatus interpres ita vertit:

vertit: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, & consumatur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum.*

SUMMARIA.

R. Aben Esræ & R. Lusitani de vaticinii obscuritate sive difficultate querelæ & ad illas responsum. R. Abarbenelis παρερμηνεία *allata. Qua occasione oraculum divinum prolatum sit, contra Abarbenelem disquiritur. Locus Jer. 29: 12. à glossa Abarbenelis vindicatus. Qua ratione responsum divinum petito Danielis conveniat, & quantopere R. Abarbenel à scopo Prophetæ aberret ostensum.* איש חמודות *quid? Ejusdem recutiti interpretamentum novum allatum. Septimanam hoc loco septennium notare contextu & Rabbinorum testimonio probatur. Cur ea nomenclatura usus sit angelus, Abarbenelis non contemnenda conjectura. Verbi* נחתך *à Judæo detorti significatio inquiritur. Avenarii aliorumque opinio rejecta & alia Chaldaismum in subsidium vocans, probata. Priscorum Ebræorum in explicando loco Es. 55: 7. insignis lapsus occasione verborum* עיר קדשך *ostenditur. R. Menassis Ben Isr. & Abarbenelis de peccatis exilio expiandis commentum explosum. De verbi* לכלא *sensu diversæ opiniones Menassis Ben Isr. Cocceji, B. Lutheri, R. Aben Melech, Syri, Arabis, Græci interpretis. Nec verbi* לחתם *in textu Ebræo diversam lectionem, neque Arabis, Syri & Græci interpretis dissidium sensum variare ostenditur. L. Capellus laudatus. Vocis* לכפר *genuina significatio. Nicolai Abrami glossa ventilata. Judaica illa quidem sed non improbanda expositio ex Aruch allata Judæorum priscorum in Talmud de vocis* כפר *significatione confessio recentioribus opposita, R. Abarbenel ob detortam præfixi lamed significationem notatus. R. Abarbenel, Aben Esra, Abendana, Saadias Gaon in explicanda significatione* justitia seculorum *inter se commissi. Verus sensus stabilitus. Obsignatio visionis & prophetiæ quid? Stante templo secundo eam contigisse contra quam Abarbenel sentit, ostenditur.* Unctio sancti sanctorum, *quam primo de interiori adyto templi, de Lege, & Israële dubitabundus explicarat, tandem de Messia accipi posse, Abarbenel fatetur. Hunc ante templi excidium venire debuisse ex communi id temporis in singulos dies eundem expectantis populi opinione probatur.*

§. 1. QUod attinet hoc oraculum divinum, in quo explicando maximopere variant cum Ebræorum tum Christianorum interpretes, R. Aben Esra comm. in 9. Dan. hunc in modum scribit: פירוש אלה השבועים קשה מאד *explicatio LXX. septimanarum illarum longe difficillima est.* Et R. Lusitanus in Colloquio Mittelburgensi *temerarium esse* pronunciat, *interpretari Danielem, suamque interpretationem se pavescentem insinuaturum duntaxat*, profitetur. Quo ipso satis prodit, quo animo ad tam insigne oraculum explicandum recutitus accedat, nempe meticuloso, & quid ab eo expectandum sit. Sed cum difficultas, quam recutiti causantur, dupliciter intelligi queat, vel de sensu verborum literali eruendo, vel de rei prædictæ ostendendo eventu, citra ullum temeritatis crimen vaticinii explicationem interpres susceperit. Etsi enim in Chronologicis quædam vel plane ἄπορα vel δυσνόητα occurrere videntur ob defectum monumentorum Persicorum, ut unde annorum istorum memoratorum calculus præcise inchoandus & per quorum ætatem atque imperia deducendus sit, haud ita aperte constare videatur; adeoque magna adhuc contentione de vexata quæstione, initio nempe medio & fine septimanarum velitentur chronologi & interpretes: complementi tamen veritas eo nomine haud periclitatur, neque idcirco in dubium ullo prætextu vocari sensus verborum potest, cum ad fidem hujus oraculi exactissima certitudo chronologiæ necessaria haud sit. Quin à quocunque tandem restaurandæ urbis aut templi edicto numerandi exordium sumpseris, sive Cyri, sive Darii, sive Artaxerxis, LXX. illæ septimanæ, (in quarum periodo omnia illa insignia, quæ à vs. 24. usque ad finem capitis 9. eventura dicuntur) multis retro seculis elapsæ deprehenduntur, ut ex singulorum apparet enumeratione.

§. 2. Quod vero sensum verborum attinet, neque ibi insuperabilis aliqua difficultas nobis obicem ponit. Quin potius mediis interpretandi adhibitis, si textum expendamus accuratius, omnino & illum haud difficulter obtinebimus, maxime si eventum, optimum Magistrum in consilium adhibeamus, quod ut fieret, ipse Angelus Dan. 12: 4. videtur voluisse, dum obsignare librum jussit *usque ad tempus finis*, ἕως καιρȣ̃ συντελείας, sive donec hæc eveniant, & scripta cum rebus ipsis & eventu comparentur. Cui monito nos morem gerentes optime edoceri illud possumus, quod Aben Esræ crucem fixit אם הכל לשבח או לגנאי *an omnia in laudem, an vero in turpitudinem hic commemorentur?* & quam vere scripserit R. Abarbenel, qui majorum suorum vestigiis insistens, quid angelus hic revelaverit, explicaturus, scenæ servit his verbis: לפי שבא המאמר הזה סתום וקצר מאד ביארו אחר כן כמו שאפרש והסתכל שהמלאך הביא לדניאל סבות עצומות בגלות הארוך אשר יבוא אחרי השבועים שבעים שיחתך המלכות מעמו ומעירו: *Quia hoc dictum obscurum est & breve, ideo explicat postmodum illud, veluti ostendam. Adverte autem, quod angelus Danieli fortes rationes attulerit hujus longi exilii post LXX. septimanas venturi, quo regnum à populo ejus juxta & urbe sit abscindendum.* Nempe lectori persuadere satagit, statim ipso vaticinii hujus exordio diuturnum exilium prædici populi Judaici, quo tot retro seculis in hunc usque diem miseri plectuntur. Quæ παρερμηνεία Judaica paulo post excutietur.

§. 3. Jam de occasione, qua hoc oraculum Propheta protulit, quædam præmittenda duximus. Eam R. Abarbenel ostensurus, hanc fuisse ait, quod cap. 8. 10. de mille & trecentis diebus ab angelo edocto Danieli scrupulus exortus fuerit, quasi illi promissioni divinæ Jer. 29: 10. repugnet, dum elapsis LXX. annis captivitatem finiendam Propheta prædixit. Ad eximendum itaque illum scrupulum, angelum ea quæ cap. 9. 24. habentur, protulisse, docet. Cæterum Prophetam ob verba C. 8. 10. subdubitasse de promissione divina, id vero Judaicum commentum est, cum potius is se divinas Scripturas scrutatum ad annorum numerum attendisse scribat, quibus, uti Jer. 25: 11. habetur, Hierosolyma in vastitate jacere debeat. Hinc precibus Deum venerari instituit, ut peccatorum populi gratia facta, eum Babylone educere, & beneficium verbis initum re comprobans, templum & urbem reædificanda curare velit. Et longe rectius in Michlal Jophi scribit Aben Melech: בראות דניאל בשנת אחת לדריוש שמלך על בבל אחרי מות בלשצר שלא נתקיים דבר מזה הייעוד ירא ופחד שמא גרם חטא עמו לעכב הגאולה על כן סדר תפלתו והתודה חטאתו וחטאת עמו: *Cum Daniel videret anno primo Darii, qui Babylone regnavit, mortuo Belthasare hujus promissionis nihil dum esse impletum, metuit ne peccatis populi sui liberatio sufflaminaretur. Idcirco preces suas ita fudit, ut cum sui ipsius tum populi sui peccata confiteretur.* Et hoc eo ardentius peragebat, quo certior erat, non irritas fore suas preces, quippe quas Deus, tandem appetente illo termino temporis, se exauditurum esse; Jer. 29: 12. pollicitus erat.

§. 4. Scribit quidem R. Abarbenel לא אמר זה על פקידת בית שני כי אם על הגאולה העתידה שיהיה באחרית הזעם עם תקות תחיית המתים ולכך אמר מיד וקראתם אותי והתפללתם אלי ואין זה הייעוד רק צווי שיתפלל אליו: *Hæc non dixit de visitatione templi secundi, sed de liberatione futura, quæ erit novissimum iræ* (Dan. 8: 19.) *cum exspectatione resurrectionis mortuorum. Atque ideo ait statim, & invocabitis me & orabitis ad me. Minime vero hæc promissio est, sed præceptum, ut preces fundant.* Sed hoc causæ plane desperatæ documentum est, cum R. Abarbenel suæ religionis hominibus spem facturus redemtionis ex hoc diuturno exilio, Jeremiam loqui negat de visitatione gratiosa ante templum secundum facta, & præterea verbis illis mandatum potius quam promissionem contineri contendit. Æque sane hic Judæus delirat, mandatum aliquod precum fundendarum somnians

& in eo futuram liberationem collocans, ac si quis 1. Sam. 8: vs. 18. mandatum divinum haberi dixerit, cum nuda prædictio saltim utrobique sit ejus, quod aliquando futurum erat, ut vel obiter textum intuenti apparet. Nempe de liberatione immediate captivitatem Babylonicam secutura ibi sermo est, cum exulibus spem facit, fore, ut fortunam lautiorem iterum Deumque magis propitium experiantur. Quæ etiam adeo non decollavit, ut Deus Cyri non tantum in Persia vel Chaldæa, sed per totam Asiam regnantis animum stato tempore ita moverit, ut Judæis redeundi & ædificandi templi urbisque indulserit facultatem. Atque Danielem precantem, ne Deus ob populi peccata promissionem hanc irritam esse sinat, hanc juxta rem & alias magni momenti res Angelus ita edocuit, ut plusquam petiverat Propheta à Deo acceperit, nempe de temporali liberatione solicitus responsum accepit: non de hac magnopere sis sollicitus, nam & spiritualem obtinebis, quæ in ipsam æternitatem se extendet. Quod omnino notatu dignum est, si scire expetas איך היתה התשובה הזאת מכוונת לענין השאלה *quomodo responsum cum quæstione conveniat*, ut Abarbanel sciscitatur.

§. 5. Perinde sane hic Abarbanel hallucinatur, atque ibi, cum Danielem ad locum Jerem. 25: 15. collineasse contendit, ubi omnibus gentibus calicem propinare jubetur. Ab ipsa, quod dicitur, janua aberrat, cum pro maximis beneficiis à Messia exspectandis, pœnas à Gentibus sumendas præstolatur, & eas significari perhibet. Quod πρῶτον ψεῦδος ejusmodi est, ut inde totum ejus interpretamentum contortum evadat & textui manifeste repugnans. Antequam vero hoc aggrediamur, scire licet, Angelum divinitus ut oratorem ad Danielem informandum ablegatum, orationem suam ita auspicatum esse, ut rationem aliquam etiam hujus legationis reddiderit verbis: כי חמודות אתה Quæ verba Abarbenel explicaturus hunc sensum gignere ait אתה חומד וכוסף לדעת דברים *tu enim rerum sciendarum flagras desiderio.* Cornel. à Lapide: *summe expectans restitutionem populi captivi.* Sed nihil causæ est, quamobrem à B. Lutheri versione recedamus, qui Lieber Mann reddidit. Locutione enim illa elliptica, qua איש subaudiendum venit, perinde ut, docente Aben Esra, Psalm. 109: 4. in verbis אני תפלה subaudiendum venit, Danielis dignitas innuitur, quam autor Michlal Jophi per בעל המעלות וחמודות הטובות explicat. Et ut Daniel. 10: 3. לחם המורות *panis desideriorum* significat panem *ex adorea factum, candidum & regium*: ita *vir desideriorum* est *carissimus, in pretio habitus.* Græcis ἐπιθυμητός. Neque insolens est, ut ejusmodi substantiva v. g. מחמדים Cantic. cap. 5: 16. ברכה Genes. 12: 2. תאוה Genes. 3: 6. per adjectiva in superlativo efferantur, sed ipsum Ebrææ linguæ idiotismum sapiunt hæc exempla.

§. 6. Post compellationem illam blandiorem, qua illa apparitione perterritum Danielem nonnihil erigere & solari voluit angelus, quid Prophetæ manifestarit & ecquisnam sensus verborum sit, hunc in modum R. Abarbenel edisserit: ראה שתהיה הפקידה מכל אומה לע׳ שנה כמו שאמר ישעיה על צור שתיה אחת מאלה ונשכחת צור ע׳ שנה גם בבל למלאת ע׳ שנה אפקוד על בבל ובסוף הדברים אמרו את כל הכתוב בספר הזה אשר נבא ירמיהו ללמדך כי כאשר פקידת בבל לע׳ שנה כן יהיה פקידת שאר האומות כי כן גזרה החכמה האלהית להמתין זה המספר׃ וראינו שאמר בקללות שבע בחטאתיכם גם בכל אדם בפרטיותו מצאנו פקידתו לזה המספר מהשנים וכן אמר דוד ימי שנותינו בהם ע׳ שנה׃ ומפני זה חשב דניאל שחטאת עמו יהיה מורק ושוטף בזה המספר מע׳ שנה של גלות בבל ולכן הודיעו המלאך שאין הדבר כן בערך אומת ישראל כי עלתה רעתם לפניו וחטאתם כי כבדה מאד ולא נרצה עונם בע׳ שנה כשאר האומות כי המתין להם ע׳ אם ישובו ואם לאו יפרע מהם׃ אמנם לישראל לא ע׳ שנה בלבד ימתין רק ע׳ שנה שבע פעמים ואחר כן יחתך מלכותם ויפסק ממשלתם וישובו לגלות אחר לכלה פשעם וזהו שבועים שבעים ר״ל אין ענין שבעים נחתך על עמך כמו שחשבת רק שבעים שנה שבע פעמים יחתך עליהם הנה התבאר יחס תשובה אל השאלה מהשבועים והנה השבועים האלה הם מן שנים העולים לת״צ שנה והם בלי ספק מחורבן בית א׳ עד חרבן בית שני כי היו ע׳ שנה של גלות בבל ות״ך שנה שהתמידה בית שני בבנינה הנה יהיו כלם א״כ ת״ץ שנה כמו שפירש הגאון וכן פירשום ח״ז בסדר עולם׃ והוצרך להודיעו זה מפני שדניאל היה חושב שאחרי שובם מבבל באותה הפקידה ספו תמו כל עונותיהם וישובו בנים לגבולם׃ *Vidit Propheta, visitationem omnium populorum LXX. annis duraturam esse, veluti Esaias ait* (cap. 23: 15.) *de Zor: Et oblivioni tradetur Zor LXX. annis. De Babel etiam dicitur* (Jerem. 25: 12.) *Et cum impleti fuerint anni LXX. visitabo Regem Babel. Et sub finem verborum: cum ait* (vers. 13.) *omne scriptum in libro hoc quod prophetavit Jeremias, ut te doceat, quod, uti visitatio Regis Babel post LXX. annos est futura, sic reliquarum gentium sit futura. Ita enim divina sapientia decreverat hunc numerum expectandum esse. Et vidimus in maledictionibus dici* (Levit. 26: 18.) *septies in peccatis vestris. Præterea in specie in cujusque hominis visitatione hunc annorum numerum invenimus* (Psal. 90: 10.) *cum David ait: Dies vitæ nostræ sunt 70. anni. Idcirco & Daniel sibi persuaserat, populi sui peccatum abstersum iri & ablutum 70. annorum exilio Babylonico. Idcirco angelus eum certiorem facit, rem in Israëlitico populo longe aliter se habere, quia* (Jon. 1: 2.) *illorum malitia ante eum ascenderat, peccatum eorum aggravatum valde* Genes. 18: 21. *neque eorum delictum 70. annis expiatum est ut reliquarum gentium. His enim 70. annis expectavit, an resipiscere vellent, nisi hoc facerent, se ab iis sese abstracturum. Cæterum Israëlem quod attinet, non tantum 70. annos præstolatus est, sed septies 70. annos. Et postea regnum illorum auferendum & in aliud exilium eos conjiciendos esse voluit ad complendas prævaricationes. Atque hoc denotatur per 70. septimanas, q. d. non ita illæ super populum tuum decretæ sunt, ut tibi persuasisti, sed septies 70. anni decreti sunt. Ecce ex his liquet responsio ad quæstionem de septuaginta. Ecce vero septimanæ illæ annorum sunt, & 490. annos conficiunt, qui haud dubie inde à templi primi excidio ad vastationem secundi numerantur. 70. enim annis duravit captivitas Babylonica, 420. annis stetit templum secundum in suo ædificio, ut 490. anni emergant, ceu Gaon interpretabatur. Atque ita etiam Dd. nostri l. m. in Seder olam sentiunt. Hoc vero ipsi significandum erat, quia Daniel censebat, ex captivitate Babylonica redeuntibus per visitationem eandem consumtas esse omnes iniquitates illorum, & posteros illorum ad sedes suas perventuros esse.*

§. 7. Quod numeri septenarii in pœnis infligendis quandoque mentio fiat & ratio habeatur, ex eo neutiquam colligere licet Abarbaneli, & hoc loco tantum de pœnis alioque, quod adhuc dum luunt, exilio sermonem esse. Neque omnia quæ recensentur, לגנאי vel *turpitudini* & vitio dantur, quum quædam & honorifica & fructuosa sint, cujusmodi est *unctio sanctissimi & æternæ justitiæ adductio*, ut infra contra Aben-Esram demonstrabitur. Multo minus vero in eo applausum meretur Judæus, dum septies 70. annos Judæorum pœnitentiam, Deum expectaturum esse, ex verbis Angeli colligit, cum illud tempus dicatur definitum, intra quod urbs restauranda aliaque memorabilia eventura sint. Inter quæ & Politiæ Judaicæ, quam æternam fore credebant, πανωλεθρίαν post excisionem Messiæ futuram eadem opera angelus Prophetæ indicavit. Neque in eo veritati litat Abarbanel, dum Danielem sibi persuasisse ait, populi peccata 70. annorum exilio expiatum iri, cum is solam Dei misericordiam & gratiam in ore habeat, ut ex antecedentibus satis apparet, ubi petit à Deo, ut למען ארני *propter Dominum*, nempe Messiam, Mediatorem illum generis humani, iram moderari & benignitatem exercere atque adeo peccatorum gratiam facere velit, ceu hoc pie & analogiæ fidei conformiter credi, ad hunc locum orthodoxi contra Judæos & Photinianos docent.

§. 8. Sed nunc propius ad rem ipsam & textum accessuri, quid R. Abarbanel porro vel recte, vel secus, scripserit, videbimus. De LXX. septimanis locutus non male scripsit: השבועים אלה הם מן השנים העולים לת״ץ שנה *illæ septimanæ annis constant, & summam 490. annorum conficiunt.* R. Aben Esra ad h. l. itidem docte: הם כמו שבע שבתות שנים *ita septimanæ intelligendæ sunt, ut septem sabbata annorum* (Levitic. 25: 8.) Equidem ut alibi שבוע *septimana* est, quæ septem dies complectitur, & Daniel. 10: 2. notanter cum apposito *septimana dierum* vocatur; Ita h. l. nomenclatura *septimanæ* non nisi de annis accipi potest. Subjecta enim materia & eventus non admittit, ut de vulgari septimana intelligamus. Cum enim urbs & templum reædificanda dicuntur septem septimanis, fieri non potest, quin septimanas annorum Angelum innuisse dicamus, cum alias spatium 7. hebdomadum vulgarium sive dierum, longe angustius sit, quam ut tantæ molis opus in eo perficiatur. Consimiliter nec 62. vulgares septimanæ ejusmodi sunt, ut omnia, quæ infra recensentur in textu, tantillo spatio evenisse potuerint.

§. 9. Sed, cum, ut supra vidimus, in hoc ὁμοψήφους habeamus R. Abarbenelem & Aben Esram, non est, ut hoc operose probemus, contra alios, qui vel hebdomadas *seculorum*, vel *Jubilæorum*, vel *decenniorum* intelligendas esse contendunt. Maxime cum ultra duas illas septimanarum species Scriptura alias admittat nullas, & negata una specie septimanarum nempe dierum, necessario septimanæ annorum intelligendæ sint. Præterea etiam R. Abarbanel rem acu tetigisse videtur, dum hariolatus, cur angelus septimanarum nomenclatura usus sit, non שנים *annorum*, aut זמנים *temporum*, ut

in

in aliis visionibus, idcirco ita eum locutum esse ait, quod 70. annis in exilio Babylonico Judæos hæsuros & בעון שנות שמטות שבטלו *peccati, quo annos intermissionis cessare fecerunt*, pœnas daturos Jeremias prædixisset. Ubi impletum sit, quod Legislator multo ante (Levitic. 26: 34.) minatus erat: *tunc placebunt terræ sabbata sua.*

§. 10. Quanto vero Abarbanel hic propius à veritate abest, tanto longius ab eadem abstrahitur in explicandis reliquis verbis commatis 24. Commentum ejus videbimus: המה עשו בית להשם ברשות כורש ובמדה אשר נתן להסא להים לעשותו ולפי שלא הטיבו דרכם המעו מאבותם פסקה ממשלתם ונחתכה מלכותם ועליו אמר שבועים שבעים נחתך וגו׳ ר״ל שאחרי ת״ץ שנה מגלות בבל ועמידת בית שני יחתך ויפסק הצלחתם וכבוד ירושלים ואין החתוך הזה רק שיבואו בגלות אחר כיום הזה כי ענין חתוך ר״ל הפרד ואם תפרש נחתך נגזר כדברי המפרשים יפורש הכתוב כן אחרי השבועים שבעים נחתך ונגזר מאת הק״בה על עמך לכלה הפשע וגו׳ כי אחרי שלא שבו בתשובה נגזר שיבואו בגלות למרק עונותיהם גם אפשר לפרש נחתך העם מן העיר והעיר ממנו באופן שלא ישבו בארץ ה׳ והארץ תעזב מהם כי זהו ענין החתוך והפירוד שיהיה בימיהם: *Illi sibi templum Regis Cores indultu exstruxerunt, & ad illam mensuram, quam Deus illorum dedit. Quia vero vitam suam non emendarunt & præ majoribus suis prævaricati sunt, dominium illorum cessavit, & regnum illorum abscissum est. Et de eo dicit* (Daniel. c. 9: 24.) שבעים שבועים נחתך &c. *q. d. post* 490. *annos à captivitate Babylonica & exstructionem templi prosperitas illorum & gloria Hierosolymæ exscindetur & cessabit. Et hæc* החתוך *vel excisio nihil aliud notat, quam quod in aliud exilium sint venturi illo die.* Τὸ התוך *enim separationem significat. Si vero significare dixeris, idem ac decretum est, ut interpretes explicant, Scripturæ sensus erit: post LXX. septimanas decretum est divinitus super populum tuum, ut consummetur peccatum &c. Quia postquam ii non resipuerunt, decretum est, ut in exilium veniant ad peccatum abstergendum. Præterea verba* נחתך על העם *possunt explicari, ut populus ab urbe & urbs ab illo separari dicatur, eum in modum, ut in terra Domini non sint amplius habitaturi, sed hæc ab illis relinquenda sit. Hoc enim significatur per* τὸ נחתך, *nempe separatio, quæ illorum diebus futura.*

§. 11. Quanta Judæorum sit pervicacia, quam incredibilis in torquendis vaticiniis malitia, vel ex solo hoc commento patet, quo verba Danielis tam indignis modis pervertit R. Abarbanel. Ecquis unquam, sine præjudicio accedens, ejusmodi sensum vel somniavit, qualem nobis Judæus obtrudere conatur? Quandoquidem vero sensum verbi חתך genuinum indagasse plurimum in hoc vaticinio explicando refert, haud abs re fore arbitramur, si penitius in illum inquiramus, maxime cum neque ipsum verbum alibi in sacris occurrat, neque aliquod derivativum, ex quo de significatione ejus judicare liceat, reliquerit. Hariolari igitur solent Viri docti, quid h. l. significet. Ut Magnif. Dn. D. Gejerus, comm. in h. l. testatur, confertur à nonnullis cum נזע *succidit*, ab Avenario cum נתך, *liquavit*, ut sit idem, ac *liquido pronunciavit.* Qui etiam hoc addit, singulare verbum adhiberi constructum cum nomine plurali, ut intelligatur, illas septimanas tam certo implendas esse, ac si esset una. Alii tamen potius ad Scripturæ usitatam enallagen referre malunt.

§. 12. Quod sensum vero verbi dictum attinet, eundem ex recentioribus quoque Doctoribus nonnulli probant, *verbum*, inquientes, נחתך, *à liquando est, liquido determinatæ sunt hebdomades vel unaquæque illarum.* Sed hæc Avenarii sententia uti nova est, & Ebræis Doctoribus ignota, neque verbo נתך satis congrua, ita alii probabilitate majori vocis significationem illustrant ex Chaldaica Lingua, qua Danielem sua in Prophetia uti nullus dubitaverit. Nempe Chaldæis חתך est idem *ac scindere, exscindere, incidere, decidere.* Et Esth. 4: 5. negotia dicuntur מִתְחַתְּכִין *decisa.* Rabbinis quoque ita usurpari, auctor libri Michlal Jophi testis est: הרגילו רז״ל בזה הלשון באומרם חתיכה של בשר: *assueti sunt Dd. nostri laudatæ memoriæ huic vocabulo, dum dicunt, incisio carnis.*

§. 13. Quæ cum ita se habeant, licet τὸ נחתך sit dictio ἅπαξ λεγομένη, & ut Aben Esra solet loqui, non habeat אח *fratrem* in scripturis, haud difficulter tamen significatio ejus sic eruitur ex textus circumstantiis & reliquorum verborum tenore. Sive etiam metalepsin vel synthesin hic agnoscas, qua, ut B. D. Glassius Canon. 11. lib. 3. pag. 3. Philol. Sacr. docet, in uno verbo duæ significationes concurrunt: sive simpliciter τὸ חתך, ut R. Nathan in Concord. Ebraicis vult, & alios interpretes sentire R. Abarbanel testatur, idem denotet ac גזר *secuit, ordinavit*, quid angelus sibi velit, satis patet. Nempe LXX. septimanas (à sequentium annorum numero decisas) definitas esse, circumscripteque decretas, populo urbique ædificandæ. Arabs per قُطِعَتْ reddidit, quod *amputatum, excisum est*, significat. Græci συνετμήθησαν, quod in *angustum contrahere, decurtare* denotat. Unde haud dubie Latinus: *abbreviatæ sunt.* Quæ versio Interpretibus Ebræi Idiomatis ignaris ansam præbuit quærendi, num Deus piorum precibus inflexus æterno decreto, calamitati hominum subvenire festinarit? Qui nisi prævidisset, suum auxilium longius protulisset. Item si sic breviatæ sunt hebdomades istæ, ut factæ sint è pluribus pauciores, secundum quam veritatem futuræ fuerint pauciores, veluti August. Epist. LXXX. quærit, alii abbreviatas dicunt hebdomadas non solarium sed lunarium annorum. Tantum negotii facessit originalis linguæ ignorantia viris cæteroquin doctis.

§. 14. Cum vero verbum התך in casu recto cum voce septimanæ construatur, apparet, quam vim manifestam textui inferat Abarbanel, dum subjecto propositionis mutato, nunc prosperitatem populi exscindendam, nunc populum separandum esse comminiscitur, & quidem post LXX. septimanarum spatium, sic satis liquet. Scopus sane angeli est indicare, ecquid sit populo & urbe futurum, nempe hanc reædificandam, & populum qui 70. annis Babylone hæserat, suam politiam iterum habiturum, & quidem septuplo diutius, quam in exilio egerat. Quo tempore quid insigne sit post illa tempora, adeoque LXX. septimanarum spatio, eventurum, donec exitium sibi iterum accersat, simul ordine cœlestis legatus exponit. Minime vero, quod Abarbanel inepte contendit, id significat, post LXX. septimanas exilium, idque tam diuturnum eis expectandum esse, donec Messias veniat. Qua fini enim Deus numerum annorum 490. exposuerit tam distincte, quibus elapsis, sint futuri extorres, expectaturi Messiam post secula nemini cognita? An ab omni ratione magis aliquid alienum vel fingi possit?

§. 15. Manet itaque certum & immotum, quod verbum נחתך immediate LXX. septimanas respiciat quæ *definitæ* vel determinatæ dicuntur על עמך ועל עיר קרשך; ubi obiter id monendum, quod notavit B. D. Glassius, Philol. Sacr. lib. 3. pag. 3. can. 8. *Ebræis receptum esse, posteriori nomini suffixum addere, quod tamen respicere solet prius & ad hoc referendum est.* Atque ita angelus cum Daniele locutus עיר קרשך ait, quod Latine nequaquam *urbs sanctitatis tuæ*, sed *urbs tua sancta* efferri debet. Neque enim hic sanctitas Danieli tribuitur, sed urbi, quæ talis erat ante & iterum talis futura ob cultum divinum. Quam rationem loquendi si expendissent Ebræi prisci, longe sobrius & decentius locuturi fuissent in Talmud, Massecheth ברכות cap. 1. fol. 7. dum ridicule ex Es. cap. 56: 7. ubi similis loquendi modus occurrit, collegerunt, ipsum Deum preces fundere, eo quod ibi de templo locutus dicat: בית תפלתי quæ verba illi sonare dicunt: *domus orationis meæ.* Cum tamen simili idiotismo Ebraico suffixum Jod antecedens nomen בית respiciat, utut cum seq. nomine תפלה sit constructum; sensum enim gignit: *domus mea orationi*, vel precibus fundendis destinata.

§. 16. Sed nunc reliquorum verborum detorsionem videamus, quæ non minus ac verbum נחתך simili temeritate depravat Abarbanel, cujus vestigiis insistens R. Menasse Ben Israël de termino vitæ p. 168. hoc interpretamentum reliquit: *post consummationem* 490. *annorum secutura captivitas, qua purgabitur ab idololatria, homicidio & adulterio.* Sed hunc sensum esse verborum nemo crediderit, nisi præoccupatum animum attulerit. Uti enim nihil est in Angelicis verbis, quod dictioni *postquam* respondeat; ita quoque reliquorum verborum tenor aperte Judaico interpretamento refragatur. Cumprimis vero hanc glossam redarguit particula על, quæ à Judæis plane insuper habetur, tanquam illorum sententiæ minus congrua. Atqui super populum & urbem LXX. septimanæ dicuntur definitæ לכלא הפשע ולחתם חטאות ולכפר עון *ut consummetur prævaricatio & finem accipiat peccatum, & expietur iniquitas*, non demum elapsis septimanis, sed ipsa illa dictarum hebdomatum periodo eventura omnia perhibentur. Sane verborum angeli ejusmodi evidentia est, ut in Talmud Massechet נזיר cap. 3. Beth Isr. fol. 24. col. 3. inde prisci probarint, excidium templi secundi post LXX. septimanas fieri debuisse.

§. 17. Ut vero magis genuinus sensus patescat, recolendum est, peccatum tribus nominibus insigniri, quorum significatio emphatica alibi est exposita. disp. 1. de hirco emissario, cap. 1. §. 11. Illis vero nominibus totidem verba apponuntur. Primum est לכלא quod Menasse Ben Israël *ad consummandum* vertit, eo nomine textus à Johanne Coccejo,

Respons.

Responſ. Judaic. pag. 310. qui *ad coërcendum* vertendum contendit, ceu etiam B. Lutherus reddidit: **Dem Ubertreten gewehret werden.** Sane inficias haud imus, כלא ׳דּ *cohibere*, ſignificare; unde כלא *carcer*. Pſ. 119:101. כלאתי רגלי *cohibui pedem meum.* Autor tamen libri Michlal Jophi ſcribit: שרשו כלה והאלף מקום ה״ה ענין כליון: *Radix ejus eſt* כלה, aleph *loco* ה *poſito. Significat vero idem ac conſummatio.* Secundum quam ſententiam verbum לכלא ex ordine verborum quieſcentium Lamed He erit. A qua ſententia minime alienus videtur Magnif. Dn, D. Gejerus, comm. in h. l. eo quod כלא in Pihel nunquam in ſacris occurrat, ſed ſolum in Kal & Niphal, כלה vero crebrius de conſummatione colloquii & iræ uſurpetur. Ut adeo improbabile haud ſit, א in ה mutatum eſſe more literarum quieſcentium, ἀμεταβλήτων, & *conſummationem* denotare. Hinc & LXX. Interpp. συντελεσθῆναι; Aquila τελέσαι; Syrus ܠܡܫܠܡܘ *ad conſummandum*; Arabs لتفني *ut abſumantur, pereant.* Non eum in modum, ut penitus ceſſent peccata, ſed ne hominibus dominentur vel reatus illis imputetur, uti quidam docent, vel, ut alii explicant, quod peccatis violatæ Majeſtati divinæ fecerit ſatis Meſſias, & injuriam reſarciverit. Satis vero ex textu liquet, quo verbum לכלא reſpiciat, nempe non ad עמך vel עיר קדשך ſed פשע. adeoque in caſſum illi laborant, qui exinde aſſerunt, *manifeſto dici, LXX. ſeptimanas* una cum politia & metropoli Judæorum finitum iri.

§. 18. Quod alterum verbum attinet, duplex in eo lectio occurrit, una ſecundum literas, altera ſecundum vocales. Illo modo à verbo חתם deſcendit, & *obſignationem* notabit. Hoc vero à radice תמם derivatum *conſummationem* ſignificabit. Cui poſtremæ lectioni favere videtur, cum punctatio uſitata, quod cæteroquin לַחְתֹּם non לְהָתֵם dicendum fuiſſet: tum uſus verbi in Daniele cap. 8. 23. ubi hæc forma infinitivi itidem occurrit, & *abſolvere* ſignificat. Quam ſignificationem Syrus amplexus eſt h. l. verbo ܠܡܫܠܡܘ, Hieronymus & Vulgata, dum reddit, *ut finem accipiat peccatum*, ſimiliter Vatablus. Priori tamen modo Arabs legit, qui وتختم vertit, ſecutus, ut ſolet, Græcos, qui σφραγίσαι tranſtulerunt. Atque eo inclinat quoque B. Lutherus. utro vero modo legatur, eodem recidere videtur. Cum enim ea, quæ obſignantur, hominum oculis ſubtrahi, & quæ conſummata ſunt, ceſſare ſoleant, liquido patet, neutrum verbum incommodum vel diverſum ſenſum gignere. Unde & Ludovicus Capellus, Crit. Sacr. lib. 3. cap. 8. *cum ſenſus* inquit, *qui ex Cetib oritur, idem ſit & æque commodus cum eo, qui ex Keri naſcitur, fruſtra à Maſorethis ſollicitatur lectio* ק *Cetib.*

§. 19. Tertium verbum eſt לכפר *ad expiandum*, nempe iniquitatem. Quid כפר ſignificet, nunc indagandum eſt. Nicolaus Abramus, Societ. Jeſu Theologus, de LXX. Hebdomadibus Danielis §. 68. pag. 383. ſic loquitur: *verbum hoc duos ſignificatus habet. Eſt enim vel expiare, quod paſſim ſecuti ſunt interpretes: vel picare, pice oblinire. Iniquitas autem pice obſtringi vel adglutinari dicitur, cum tenacius hæret, quam ut poſſit facile aboleri.* Sed oppido fallitur literarum ſacrarum in Univerſitate Muſſipontana interpres, neque enim unquam in ſcriptura, ubi iniquitas verbo כפר additur, aliud quid ſignificat, quam expiationem, ſive ut Kimchi in lib. radicum reddit: הסרת עון *remotionem peccati*, minime vero obſtringi, cum tenacius hæret. Et cum interpretamentum ejus tam alienum ſit à veritate, fieri haud potuit, quin alia haud minus ἄτοπα ſubjungeret. *Ad quam explicationem*, inquiens, *ſi animum applicare vellemus, huc etiam trahi poſſent, quæ ſequuntur: & adducatur Juſtitia ſempiterna, q. peccatis noſtris ſempiterna Juſtitia ultionem intentet.* Ecquis vero animum ſuum applicare velit ad tam ineptam expoſitionem? Neque enim de vindicativa Juſtitia ſermo eſt, ſed illa cujus nos Meſſiæ beneficio participes ſumus, & quæ illis, quorum peccata expiata ſint, neceſſaria eſt, ut paulo poſt videbimus. Dignum memoratu eſt, quod ex Aruch adducit Excell. Dn. D. Gejerus, de vocis uſu, ubi Judæus ſcribit: כל מקום שהוא אמר הריני כפרה זהו פירושו הריני במקומו לסבול עונותיו עלי לקחתי כפרה: *ubicunque dicitur: ecce in me expiatio: ibi ſenſus eſt: ſiſto me in ejus locum, ut portem iniquitatem ejus, q. d. iniquitates ejus in me recipiam.* Quæ explicatio ambabus manibus à Chriſtianis recipitur, haud ignaris, Meſſiæ, cujus mortis in textu fit mentio, id competere, ut peccata aliorum tanquam onus recipiat, & illorum expiationem ſufficientem præſtet, quæ neque Babylonica captivitate, neque alia pœna tolli queunt. Et cum hæc peccatorum *abolitio, conſummatio & expiatio* cum aliis mox recenſendis, humanas vires longe excedentibus conjungatur, & Meſſiæ mors ſtatim ſubjiciatur, tanquam aliquid, cujus virtute hæc omnia ſint futura, clare patet, quam frivola Judæorum gloſſa ſit, hæc eo trahentium, quaſi Judæi exilio ſuo expiationem aliquam peccatorum graviſſimorum præſtent.

§. 20. Meminiſſe cumprimis debebat Abarbenel, quod in Talmud, Maſſechet Joma cap. שבת inculcatur: אין כפרה אלא בדם שני׳ כי הדם הוא בנפש יכפר: *Nulla expiatio eſt ſine ſanguine, ſicut dicitur* (Lev. 17: 11.) *ſanguis pro anima ſatisfacit.* Si itaque loco cit. peccatorum dicitur expiatio intra LXX. ſeptimanas futura, qua, ut Ebræi ſupra vocem explicarunt, alter alterius loco culpam præſtat, & iniquitates illius in ſe recipit, ita ut ſine ſanguinis effuſione illa fieri nequeat: In contextu vero, ut Judæi haud inviti fatentur, Meſſiæ fiat mentio, qui etiam, ut ex eodem eluceſcit, exſcindendus vel interficiendus dicitur: utique Judæorum erat expendere, annon magis res ipſa exigat, ut miſſo commento ridiculo de peccatis exilio expiandis, in Meſſiam oculos convertant, &, annon alibi de ejusdem paſſione & morte gemella inveniantur. Eſ. 53:8. Pſ. 22:17. 69:5. diſpiciant. Longe ſane rectius ſic facturi eſſent, quam ſi omnes ingenii vires intendant, ut textum torqueant, & novo, veteribusque interpretibus nunquam cognito modo, ſuæ præconceptæ opinioni amicum, veritati autem repugnantem ſenſum eruere conentur, ceu R. Abarbenel iterum h. l. illuſtre ſpecimen edidit.

§. 21. Ad ſtabiliendum enim ſuum interpretamentum hunc in modum ſcribit: ויהיה אמר המלאך לכלה הפשע ולחתם חטאי למ״ד לכלה הפשע ושאר הלמ״דין שבפסוק כמו בעבור כמו וישאל דוד לשלום יואב. אמרי לי אחי הוא. ואמר פרעה לבני ישראל. כפי המדקדקין. ואמרו שלשה לשונות לכלה ולהתם ולכפר לפי שבטול השמטות כבר נענש בגלות בבל אמנם שאר העונות החמורות שלשה ג״ע ע״ז וש״ד שעשו כל ימי היותם בארץ לא קבלו ענשום בגלות בבל לקוצר הזמן לכן הוכרח הגלות הארוך הזה לכלה הפשע על ע״ז ולהתם חטאת על ג״ע ולכפר עון על ש״ד הנה התבאר התכלית הראשון. ולפי שביאר הדברים בנבואות בקצור מופלג ורמזים. לכן נסתפק באומרו נחתך החתוך הוא רמז על הפסק המלכות ובא הגלות: *Dixit angelus*, לכלה הפשע, item לחתם חטא, *ut* ׳דּ *lamed in* לכלה *& reliquis vocibus ſignificet idem ac* בעבור propter, *uti* (2 Sam. 11:7.) *& interrogavit David* לשלום *Joab. Dic* לי, *eſt frater meus* (Gen. 20:13.) *Et locutus eſt Pharao* לבני ישראל (Exod. 14:3.) *Tergemino vero verbo utitur, quia ceſſatio annorum intermiſſionis Babylonica captivitate punita erat, at reliquorum graviorum peccatorum, illiciti concubitus, idololatriæ & homicidii, quæ toto illo tempore, quo in terra ſua erant, deſignaverant, pœnam necdum luerant Babylone ob brevitatem temporis. Idcirco hoc diuturnum exilium neceſſario ſubſecutum eſt ad conſummandam iniquitatem, nempe idololatriæ, ad obſignandum peccatum illiciti concubitus & expiandam pravitatem homicidiorum. Ecce ſic primus finis explicatus eſt. Et quandoquidem res in vaticiniis explicat brevitate inſigni, & innuit modo, ſufficit, dixiſſe eum* נחתך, *quod regni ceſſationem & exilii adventum ſignificat.*

§. 22. Ecquid aliud vero R. Abarbenel hoc ſuo commento agit, quam ut de induſtria mentem Angeli pervertat? Sane dum probaturus propter populi peccata, poſtquam 70. ſeptimanæ abierint, longum exilium exantlandum eſſe Judæis, ad Grammaticos provocat, & literam lamed idem ac *propter* ſignificare docet, laterem lavat. Etſi enim illa, ut Kimchi fol. 15. Gram. col. 4. docet, interdum תשמש בענין בעבור *ſignificat idem ac propter*, hoc tamen loco ea ſignificatio minime quadrat, utpote ubi non nomen occurrit aliquod, aut pronomen, ſed verbum infinitivi modi, quod cum præfixo ל gerundium in dum efficere ſolet, uti B. D. Glaſſius l. 3. Phil. Sacr. exemplis multis docet. Neque illa ſignificatio primaria eſt, quam recutitus urget, ſed altera quando, ut idem Kimchi loquitur, illa occurrit, להבאת הדבר על העצם והוא הרוב *ut aliquid ad ſubſtantiam vel ſubjectum referat, id quod plerumque fit.* Neque tam brevi oratione uſus eſt angelus, ut Judæus ſibi perſuadet, neque ut ׳דּ נחתך ad ablationem regni vel exilii adventum referatur, verba textus admittunt, ut quivis, qui Ebræi idiomatis gnarus eſt, facili negotio animadvertit. Quod vero ex tergemino verbo, & totidem illis reſpondentibus nominibus colligit, triplex peccatorum adhuc Judæis exilio luendorum genus eo ſignificari, id totum futile eſt, & nemini Judæorum, niſi Abarbeneli, viſum. cum præter emphaſin vel certitudinem aliquid aliud ſignificari, nemo facile aſſeruerit.

§. 23. Neque feliciorem interpretem in ſequentibus ſe præſtat, quam in antecedentibus, ut ex illis, quæ nunc exhibituri ſumus, verbis apparet באמרו ולהביא צדק עולמים וכוונת המאמר

המאמר הזה היא שכמו שישראל נשתעבדו בגלות מצרים ת' שנה
לתכלית שיתפרסם ביציאתם ממנו אמתת מציאותו ית' והשגחתו ויכולתו
וכמו שאמר על זה למען תדע כי אני השם בקרב הארץ. ואמר למען
תדע כי אין כמוני בכל הארץ והיה הפרסום ההוא כדי שישראל בלבד
יגיע אל קנין אמונתו האמתית ככה היתה רצה לזכות המין האנושי
בראותו כלעמי הארץ כל האמונות משובשות ודתיהם שונות כתכות
ואת דתי המלך ה' צבאות אינן עושין ואינן מרגישין באמונתו ויען וכיען
לא תהיה פעולת ה' בבריאת המין האנושי לבטלה כיון שכל הנקרא
בשמו לכבודו בראו ראה הב"ה בחכמתו העליונה להורות את כל בני
העולם דרך ילכו בה ואת המעשה אשר יעשון באופן שיתמו חטאים
מן הארץ והאלילים כרות יכריתון ויכירו וידעו כי לה' המלוכה ומושל
בגוים ויקבעו בנפשותם אמתת אלהותו ואמונתו כדי שיגיעו אל
התכלית אשר נבראו עבורו והיה זה בהכנעת עמו בגלות הארוך הזה
כדי שביציאתם ממנו בקבוץ גליות והנדחים ותחית המתים יבאו כל
האומות להאמין באלהותו ולקבל עליהם מלכותו ולהיות תכלית זה
עצום מאד וגדול שכל האומות בכלל יקבלו אמינת הש"י הוצרך להיות
הגלות הזה כל כך ארוך כי היה השתדלות מתיחש אל התכלית ואם
היה גלות מצרים ד' מאות שנה כדי שאומת ישראל יקנו אמונתו יתברך
היה ראוי שהגלות הזה יהיה ארוך מאד להיותו כלו אמצעי כדי שכל
אומות יקנו אותי וכמו שאמר הנביא ישעיה עליו השלום והיה באחרית
הימים נכון יהיה הר בית השם בראש החרים וגו' והלכו אליו
עמים רבים וגו' עד שאמר ביום ההוא ישליך האדם את אלילי כספו
וגו ואמר גם כן כל ישבי הבל ושוכני ארץ בנשוא נס וגו' וצפניה
אמר כי אז אהפוך אל עמים וגו' ומאמרים כאלה רבו מלספור בדברי
הנביאים יעידון יגידון שבאמצאות גאולת רישראל יגיעו האומות כלם
לאמתתו ית' וכמו שנ' במוסף ר"ה על כן נקוה לך ה' אלהינו וגו'
לתקן עולם וגו' ונאמר גם כן וידע כל פעול כי אתה פעלתו וגו'
ועל זה אמר המלאך לדניאל להביא צדק עולמים ר"ל שהגלות הזה
הנחתך על עמו ועירו כדי שיבא לעולם צדק עולמים שיהיה לעולמים.
ואפשר שאמר עולמים בעבור תחית המתים שיהיה אז ויסכים צדק
העולם הזה עם צרקה עולם הבא: *Verbis* ad adducendam justitiam seculorum *vult hoc dicere: Quemadmodum Iſraël in Ægyptiaca captivitate CCCC annis in ſervitutem redactus erat, eum in finem, ut egreſſu ejus Dei benedicti exiſtentia manifeſtaretur, & providentia ejus & potentia ejus, & quemadmodum hoc omne dixit* (Exod. 8:19.) *ut ſcias, quod ſim Deus in medio terræ. Et ait, ut ſcias, quod non ſit ſicut ego in tota terra* (Exod. 9:14.) *atque hæc manifeſtatio fuit, ut Iſraël tantum veram religionem acquireret: ſic Deus benedictus voluit genus humanum dignari, ut videret omnes populos terræ, omnes religiones perplexas, leges falſas, mendaces. Hæc jura Regis Dei exercituum in ſua religione neque obſervant neque ſentiunt. Ne autem Dei operatio in creando genere humano ſit fruſtranea, quia omne nomine ejus vocatum ad ſuam gloriam creavit, ideo voluit Deus benedictus ſua ſuprema ſapientia toti mundo viam oſtendere, qua ire debeat, & opera, quæ faciat, ita ut ex terra idola exſcindantur, & cognoſcant & ſciant, quod Dei ſit regnum, & is inter gentes dominetur, & animabus ſuis veritatem Deitatis & religionis ejus infigant, ut finem aſſequantur, ob quem creati ſunt. Et hoc fit in humiliatione populi in hoc longo exilio, ut, cum egreſſuri inde ſunt, captivi & diſperſi colligantur, & mortui reviviſcant, omnes gentes veniant ad credendum Deitatem ejus & ad ſubjiciendum ſe regno ejus. Et cum hic finis magnus ſit, cum omnes gentes in univerſum in ſe recepturæ ſunt fidem Dei benedicti, ideo oportet hoc exilium tam longum eſſe; nam ſtudium, refertur ad finem. Et ſi Ægyptiaca captivitas 400. annis duravit, ut populus Iſraëliticus veram Dei religionem reciperet, omnino æquum erat, ut & hoc exilium diuturnum eſſet, quandoquidem id medium eſt, per quod omnes gentes eam recepturæ ſunt. Quemadmodum ait Propheta Eſaias, ſuper quem ſit pax* (cap. 2. 1.) *& erit noviſſimis diebus mons Domini paratus in vertice montium &c. Et ibunt ad eum populi multi &c. donec dixit* (vſ. 20.) *eo die projiciet homo vana idola argentea ſua &c. Et ait* (c. 18. 3.) *omnes habitatores orbis & incolæ terræ, cum elevabitur vexillum &c. Et Zephanias:* (cap. 3. 9.) *quia tunc convertam ad populos &c. Atque ejusmodi innumerabilia dicta Prophetica teſtabuntur & indicabunt, quod per captivitatem Iſraëlis gentes ſint perventuræ ad Deum verum. Et quemadmodum dictum eſt in additamento novi anni; ideo expectamus te, Domine Deus noſter &c. ut mundum diſponas &c. Præterea dicitur etiam. Et novit omne opus, quod ex te oriatur &c. Idcirco angelus ad Danielem ait: ad adducendam juſtitiam æternam, q. d. quod exilium hoc ideo ſuper populum & urbem ejus deciſum ſit, ut in mundum veniat juſtitia ſeculorum, quæ in ſecula duratura ſit. Fieri etiam poteſt, ut dixerit* עולמים *propter reſurrectionem mortuorum tunc futuram. Convenit etiam juſtitia mundi hujus cum juſtitia mundi futuri.*

§. 23. Qui Ebræorum monumenta verſant diligentius, deprehendunt, Judæorum incredulitatem id efficere, ut de nulla prophetia aliquid certi pronuntiare poſſint. Dum enim omnes ingenii nervos eo intendunt, ut ſenſum verborum pervertant, tandem deſultoria quadam temeritate huc & illuc feruntur, incerti ubi pedem figant, velut hoc loco videre eſt. Quid enim ſit *juſtitiam ſeculorum* afferre, adeo illi non capere poſſunt, ut in alia omnia concedant. R. Abarbenel juſtitiam ſeculorum adducere idem eſſe ait, ac gentes ad fidem Judæorum deducere. Quod commentum ipſius ſolius eſt, aliis Judæis ignotum. R. Aben Eſra, nodum in ſcirpo quærens, vocem Ebræam יביא ſollicitare conatur, ſic ſcribens;
ביאת הצדק הוא שקיעתו כאשר השמש ביאתו הוא שקיעתו על כן
הוא לגנאי: *Quando dicitur* יביא *idem ſonat ac occaſum vel interitum, quemadmodum ſi cum voce* שמש *conſtruitur, talem notat. Atque ideo hoc in turpitudinem vel ignominioſe memoratur.* Cæterum hoc ineptum prorſus eſt & abſurdum, exinde natum, quod præter juſtitiam legalem nullam aliam vult admittere. Num vero ſequitur, verbum בוא cum שמש conſtructum ſolis occaſum notat: ergo idem verbum cum alio nomine conſtructum itidem rei interitum vel ſubmerſionem aliquam notat? Cum locutio illa à Solis motu deſumta ſit, quod à vertice inclinare in terram videatur, in aprico eſt, eam vocem cum adjectione certum aliquid duntaxat ſonare, nec nobis integrum eſſe ad ſimilitudinem ejus, eidem verbo cum alio nomine conſtructo eandem ſignificationem tribuere. Merito igitur R. Aben Eſra deſeritur ab aliis, qui tamen nihil ſolidius afferre queunt. Hinc recentior R. Jacob Abendena, ſpicilegio ad Michlal Jophi ſcribit אז יכנע לבם הערל
וישובו אל השם ויכפר את עונם וישיבם לקדמותן וזהו ולהביא
צדק עולמים: *Tunc cor illorum præputiatum inclinabit, & ad Deum ſe convertent, qui peccata illorum expiabit, & in priſtinum ſtatum eos reſtituet. Hoc enim indicatur, cum ait: Et ad adducendam juſtitiam ſeculorum.* R. Saadias Gaon de ſanctuario, in tertio, quod ſperant, templo futuro accipit, quod ex 1 Reg. 8:13. probare ſatagit, ſeductus voce עולמים quæ ibi occurrit. Sed juſtitiam æternam adducere nihil aliud eſſe, quam vaſa cultus Levitici reſtituere, ſacrificiorum aliorumque ceremonialium rituum uſum de integro ſtabilire populo Judaico, id vero credat Judæus Apella! Sane hæc emphaſin illam phraſeos minime exhauriunt. Neque ſcriptura, ubi illi de converſione hominum vel emendatione morum vel Levitico cultu ſermo eſt, ita loqui ſolet. Longe igitur aliud quid *juſtitiæ ſeculorum* nomenclatura ſignificatur, quod Iudæi pervicaces aſſequi haud valent, quia *juſtitiæ Dei* haud ſunt ſubjecti Rom. 10:3. Nempe juſtitia ſeculorum, hoc eſt, *æterna*, illa eſt, quæ excludit alterius ſuccenturiationem, & in omnem æternitatem, ceu ipſe Abarb. explicat, durabit. Illa vero expiationem divinam conſequitur, & Meſſiæ dono poſſidetur, qui eſt *juſtitia noſtra.* Jer. 23:6. & *æternam redemtionem invenit*, Ebr. 9:12. & *multos juſtificat*, Eſai. 53:11. Atque hoc dudum adimpletum eſt, ſtante adhuc templo ſecundo, ut ἀπροσδιονύσως allegentur dicta Eſ. 2:1. Zeph. 3:9. utpote & ipſa complementum ſuum dudum nacta, velut alibi pluribus oſtenditur.

§. 25. Quam inepte de *juſtitia ſeculorum* R. Abarbenel diſſeruit, tam frivole de *viſionis & prophetiæ obſignatione* ſermocinatur, veluti ex ipſius commento pateſcit, quod ita habet:
התכלית הג' הוא אומרו ולחתום חזון ונביא ואין פירושו שיסתמו הנבואות
אבל בהפך לפי שקודם חרבן בית המקדש ונגנז ארון ברית ה' היה
שם מקום הנבואה והשפע והיו נסים רבים נעשים בבית המקדש
ונביאים רבים היו בישראל אמנם אחרי חרבנו אותותינו לא ראינו אין
עוד נביא כמאמר המשורר אבל בזמן הגאולה העתודה נאמר והיה אחרי
כן אשפוך את רוחי וגו' ונתתי מופתים בשמים ובארץ שיחול השפע
לעיון הנביאי בקרב ישראל ויעשו הנפלאות כימי קדם ולזה אמר
ולחתום חזון ונביא שהנבואות יהיו מפורסמות באותו זמן חתומים
בחותמו של הק"בה ורמז עם זה ג"כ שבא גלות הארוך הזה כדי
שיתקיימו הנבואות והחזיונות שנבאו הנביאים על ישראל מגלותם וגאולתם
ותחית מתיהם כי האו תכלית הנבואות כלם כמו שאז"ל כל
הנביאים לא נתנבאו אלא לימות המשיח וזה היה התכלית הנבואות
ועתה יתקיים ותשוב הנבואה כבראשונה: *Ille tertius finis conſiſtit in hoc, quum ait* לחתום חזון ונביא *& non eſt ſenſus, prophetiam obſignatum iri, ſed plane contrarius obtinet. Ideo, quia ante excidium domus ſanctuarii, & arcam fœderis occultatam, ibi locus prophetiæ & influxus, & multa ſigna fiebant in domo ſanctuarii, multique Prophetæ erant in Iſraële, ſed poſt deſolationem noſtram ſigna noſtra non vidimus, non erat ultra propheta, ut Pſalmiſta ait* (Pſ. 74:9.) *De tempore vero futuræ redemtionis noſtræ dictum eſt* (Joël. 3:1.) *Et erit poſt hæc, effundam Spiritum meum &c. & dabo ſigna in cœlis & in terra, ut influxus propheticus ſuper eis in medio Iſraëlis ſit futurus, & facient mirabilia ut ſeculis prioribus. Et ideo ait, & ad obſignandum viſionem & prophetiam. Prophetiæ enim tunc manifeſtabuntur, quæ ſignaculo Dei erant obſignatæ,*


obsignatæ, & hoc etiam indicat ideo hoc exilium longum, ut prophetiæ & visiones stabiliantur, quas prophetæ de Israëlis exilio, redemtione & mortuorum vivificatione ediderunt. Hic enim finis est omnium prophetiarum, velut Dd. nostri l. m. dixerunt: omnes prophetæ non vaticinati sunt, nisi de diebus Messiæ. Et hic vaticiniorum finis est & nunc implebitur, instar prioris. Atque hic tertius finis est.

§. 26. Quod hanc locutionem attinet, scire licet, non unius modi ob finem sigillo res notari. Quædam enim sigillo insigniri solent, ne quid inde dematur. unde Kimchi in lib. radic. ait חותם יסתיר *sigillum occultat.* Sic Regis Darii & optimatum annulo obsignabatur locus, ne quis inde Danielem extraheret. Et si vero hoc simili Sanctius phrasin illustrare conetur, & eundem in modum adventu Messiæ prophetias ita obsignatas fuisse, perhibeat, ut ab illo tempore nulla amplius de eodem proferri potuerit: rectius tamen facturi videmur, si ad alium obsignationis finem respiciamus. Nempe usu receptum est, ut iis, quæ perfecta sunt & plena, suisque numeris absoluta, sigillum imprimamus, sicut artifices suo consignant nomine opus illud, quod maxime ut perfectum probant. Atque ita Kimchi lib. radic. verba חותם תכנית Ezech. 28: 12. per משלימו ad *finem deducens illud*, explicat. Quæ notio & h. l. quadrat. unde & Syrus ܠܡܫܠܡܘ *ad complendum*, & Aquila πλέσαι transtulit. Neque id abnuit Abarb. dum prophetiam (hæc enim per metonymiam voce נביא intelligenda h. l. venit) manifestatum & impletum iri docet. Atque ita non occultationem aliquam, sed confirmationem intelligi, (cum reali præstatione, velut sigillo, veritas vaticiniorum est munita) largimur; sed tamen in eo miser aberrat, dum etiamnum complementum præstolatur, quod dudum majorum illius tempore omnium in se oculos convertit. Nempe cum visio somniorum & figurarum in visionem oculorum est mutata, & se illis Messias stitit, de cujus diebus, ut Abarb. fatetur, omnes Prophetæ sunt vaticinati. Jam tum enim de eo dixerunt: *Quem descripsit Moses in Lege & Prophetæ invenimus* Jesum. Joh. 1: 45. Et Ipse Messias de se locutus, *scrutamini*, inquit, *scripturas, quia testimonium ferunt de me* Joh. 5: 39. Et Matth. 11: 13. *omnes prophetæ & lex usque ad Johannem.* Quæ omnia sub finem templi secundi contigerunt. Sane, ut recte Aben Esra docet comm. in h. l. : כל הנביאים התנבאו על דבר בית שני *omnes Prophetæ vaticinati sunt de rebus secundi templi.* Fieri itaque nequit, quin & oraculum Joël 3: 1. de eodem intelligamus, quo, veluti ex historia N. T. clare etiam patescit, omne id, quod Joël prædixit, adimpletum est, ut Apostolus suæ concioni fidem inde fecerit, ceu ex Act. 2. liquido patescit.

§. 27. Finem quartum & ultimum, ob quem Judæi in exilium tam diuturnum conjecti sint, R. Abarbenel tandem his declarat verbis: הוא אמרו ולמשוח קדש קדשים וכבר ביארה התורה מהו קדש קדשים שהוא מקום המקדש היותר פנימי לפני ולפנים כי לפי שבבית שני לא נמשח המקום ההוא ולא חלה שמה שכינה אמר שבאותו זמן המקווה יתגלה שמן המשחה שנגנז בחורבן בית א׳ או יעשה בדבר השם שמן המשחה כמו שנעשה במדבר וימשחו בו קדש קדשים לפי שיהיה נצחי וקיים עדי עד כי הנה המשיחה תורה על הבחירה האלהית ועל הקיום והנצחיות ומפני זה לא נמשח בית שני להעיר על מיעוט קיומו לכן אמר שאז יהיה נמשח קדש קדשים. ובחר ממנו ית׳ בחירה נצחית: *Illud fit, dum ait, & ad* ungendum sanctum sanctorum, *qui est locus sanctior interior, quia tempore templi secundi locus ille non est unctus, neque gratiosa Dei præsentia ibi fuit, ideo ait: illo tam desiderato tempore oleum unctionis, quod sub excidium templi primi occultatum fuit, manifestatum iri. Aut conficiet Domini jussu oleum unctionis, ut in deserto factum est, quo sanctum Sanctorum ungatur, ideo quod æternum & stabile sit futurum in æternum. Hæc enim unctio unctionem respicit divinam, & stabilitatem & æternitatem. Atque ideo templum secundum etiam non est unctum, ut nempe quam brevi tempore duraturum sit, indicetur. Atque idcirco ait, tunc sanctum sanctorum unctum iri & Deum in perpetuum illud electurum esse.*

§. 27. Sed hæc iterum Judaicæ vanitatis & somniorum documenta sunt, dum crasso & prorsus Judaico modo de interiori adyto templi & oleo terrestri unctionem intelligendam contendit. Hoc vero non posse intelligi, exinde patet, quia unctio illa excidium templi secundi antecessura dicitur, quod, ut vs. 26. expresse habetur, à venturo principe, sive Romano duce cum urbe evertendum & delendum erat. Et ita quidem, ut ejus restaurandi spes nulla sit futura. ut ita verba de tertio templo intelligat, textus neutiquam admittit. neque alibi ejus ædificandi extat vel mandatum vel promissio. Quo animadverso, ipse Abarbenel, tanquam huic interpretamento diffidens, subjicit: אפשר לפרשו על התורה האלהית *potest etiam explicari de lege divina.* Sed neque hic apparet ratio, quamobrem de lege interpretemur, cum prædicatum ei minus conveniat. Quod vero Abarb. idem significari illa unctione ait, ac שתתפרסם אמתתה *manifestationem veritatis ejus* (Legis), id applausum haud meretur, unde iterum aliter rem aggrediens recutitus, etiam Israëlem intelligi posse censet: גם אפשר לפרשו על ישראל שנקרא קדש ישראל לחשם: *De Israële quoque accipi potest, qui sanctus Domini appellatur.* Licet vero in Scripturis pii homines quandoque sancti appellentur, minime tamen compertum est, aliquem, qui purus homo sit, in casu recto *sanctitatem sanctitatum* dictum esse. Qua locutione summus sanctitatis gradus innuitur. Quod ipsum etiam R. Abarbenelem movisse videtur, ut tandem in hæc verba desineret: או פירוש ולמשוח קדש קדשים על משיח צדקנו ולפי שישראל בכלל נקראו קדשים קדשים תהיו קדש ישראל להשם לכן נקרא המשיח שיהיה קדוש מכל ישראל קדש קדשים: *Aut explicari possunt verba*: ad ungendum sanctum sanctorum, *de Messia justitia nostra* (Jer. 23: 6.) *Et quia in genere Israël appellatur sanctus*, (Lev. 19: 2.) *idcirco Messias, qui omnibus aliis Israëlitis sanctior est, appellatur sanctum sanctorum.* In densis tenebris, quantum vidit recutitus! Sed quam prope à veritate abest, si thesin respicias, tam longe ab eadem aberrat, si hypothesin spectas. Veri enim nominis Messia spreto & repudiato, alium sibi nunquam appariturum fingit. Cum vero ita Abarbenel, Gerundensis & Gersomides de unctione Messiæ hoc ultimum, quod priorum bonorum fundamentum est, intelligant, & vero, ut ex textu patet, omnia illa, puta *peccatorum consummatio & expiatio, prophetiarum adimpletio, justitiæ adductio & sanctissimi unctio* ante LXX. septimanarum exitum fieri debuerint, exinde manifeste sequitur, Messiam pridem venisse, & Judæos frustra hodie alium expectare, quem, ut Trypho olim deliravit, Elias demum manifestaturus & uncturus sit. Pridem enim illud tempus adventus Messiæ destinatum elapsum esse, ex textu manifestum est, quod unctio Messiæ quam hoc loco Abarbenel intelligendam esse admittit, intervallo LXX. hebdomadum fieri debuit. Et, ceu post Josephum etiam Menasses lib. de termino vitæ pag. 175. commemorat, tempore belli Judaici plerique adventum Messiæ sub excidium Hierosolymorum expectarunt, eumque in mediis ærumnis conspectum sui exhibiturum crediderunt.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De LXX. Hebdomadibus ad Dan. IX: 25.



ACutum omnino telum Judæis intorquendum ipsum Don Isaacum Abarbanelem Christianis suppeditare, θ. ult. disp. superiore super nobilissimo vaticinio Danielis c. 9: 24. ostensum ivimus. Si enim per *sanctum sanctorum ungendum*, *Messias, Justitia nostra*, intelligitur, uti R. Abarbanel post multas ambages, tergiversationes, & plura falsa interpretamenta recensita, quibus lectoris oculis glaucomam objicere conatur, ipsa veritate convictus tandem, vel invitus largitur; illa vero unctio intervallo LXX. Hebdomadum (quæ fatentibus Rabbinis celeberr. Abarban. Gaone & AbenEsra, aliisque, 490. annis tunc insecuturis respondent, & super populo Judaico decretæ erant) peragi & complementum suum, stante templo secundo, nancisci debebant; uti textus itidem clare loquitur, & non nisi præjudicio occupatus infitias ire potest: inevitabiliter sequitur, quicquid etiam Judæi hic tricentur & objiciant, Messiam dudum apparuisse. Adeoque sic intra LXX. Septimanas illas completa esse omnia, quæ de Messia intra terram Canaan nasciturо, passuro & resurrecturo ab omnibus olim Prophetis est prædictum, dubitare haud licet. Neque minus reliqua vaticinii verba arma suppeditant, quibus adversus Judæos pugnaturi utantur, id quod nos observasse, ægerrime Judæi ferunt, qui mallent, haud ita arcte huic oraculo insistere & inhærere Christianos. Sic enim R. Abarbenel, comm. in Daniel. p. 65. col. 1. loquitur: הנה חכמי הנוצרים עשו אבן בוחן פנת יקרת מוסד המאמין לאמונתם למה שמצאו בהם עד משיח נגיד ולחתם חזון ונביא וגו׳ ולפי שהוקשה אצלם פשט הכתובים כפי פירוש ח״זל ומורה עליהם הסברה הישרה לכן התעצמו להביא בטולים ולהעיר ספקות על פירושם מהשבועים שבעים: *Ecce Doctores Christianorum fecerunt lapidem electum*, (Esai. 28: 16.) *angularem, pretiosum, fundamentalem, credentis religioni illorum. quia invenerunt in illis (verbis) usque ad unctum ducem & ad obsignandam prophetiam, &c. Et quia sensus scripturæ, quem Doctores nostri tradunt, dubius illis est & difficilis, & contra illos rectiorem sententiam præ se fert; ideo omnibus viribus contendunt objectiones afferre & dubia movere illorum explicationi super LXX. Septimanis.* Sane pars verborum, quibus maxime Christianos niti, Abarbanel refert, vs. 25. habetur, ubi *ad Messiam ducem* septimanæ numerantur. In præsenti igitur textum illum diligentius expendere decrevimus, visuri, an Abarbanel justam causam habuerit conquerendi de Christianis, eos hallucinari, מחסרון הבנת הפשוט מהכתובים *quod sensum literalem scripturarum non assequantur.* Eadem opera ostendemus, nequicquam dissensum illum, quo כותבי העתים sive *Chronologi* in Regum Persarum annis recensendis discrepant, nobis exprobrare Judæos, sed ipsosmet in his verbis explicandis longissime à veritate aberrare, &, quod Christianis objecerunt, eos tantopere variare, & à scopo omni abludere, suo potius exemplo comprobare, & ideo Abarbanelis duriorem censuram mereri, pag. 67. col. 2. comm. in Daniel. האנשים האלה עשו ספורים לא כפיו שהי אבל כפי מה שרצו: *Illi homines sibi historias faciunt, non ut contigerunt, sed ut ipsimet volunt.* Commatis vero, quod laudavimus, vigesimi quinti, verba habent ita: וְתֵדַע וְתַשְׂכֵּל מִן־מֹצָא דָבָר לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת יְרוּשָׁלַם עַד־מָשִׁיחַ נָגִיד שָׁבֻעִים שִׁבְעָה וְשָׁבֻעִים שִׁשִּׁים וּשְׁנַיִם תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה רְחוֹב וְחָרוּץ וּבְצוֹק הָעִתִּים: Vulg. Interpres hunc in modum ea reddidit: *Scito ergo & animadverte: ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum.*

CAPUT I.

SUMMARIA.

Commatis 24. & 25. collatio & illibi contentorum generalis recensio. Sensus locutionis ממוצא דבר. *Cur oraculi hujus ad historiam applicatio sit difficilis. R. Asarias laudatus. Interpretamentorum diversitas unde orta. Judæorum priscorum de Monarchiæ Persarum duratione, ut & R. Abarbenelis de Regum eorundem numero prodigiosa opinio explosa. Locus Daniel. 11: 2. à* παρερμηνείᾳ *Abarb. vindicatus. R. Asarias laudatus. Dissensus Christianorum Judæos nihil juvare ostenditur.* Egressum verbi *de vaticinio Jeremiæ explicari non posse, ipsi Judæi fatentur. Edictorum regiorum varietas. R. Asarias dissidium Christianis nequicquam exprobrat. Frankenb. Scaliger & Petavius laudati. Ratio Scaligeri, cur Cyri edictum intelligi nequeat. Alia item Petavii. R. Asariæ & Grotii super edicti auctore judicium. Nominis Darii homonymia evoluta. Cocceji scrupulus super Josephi, Hystaspidem intelligentis, asserto. Diversi eundem eximendi modi. Cur Darius Nothus intelligi nequeat, ut Scaliger contendit. Ab Artaxerxis edicto ad Passionem Christi 490. annos certo elici, indubium haud esse, Dn. D. Mullerus & Franzius laudati. B. D. Konigii locutionem* מוצא דבר *de promissione Dei accipientis, item Abrami & Petavii diversis modis eandem interpretantium sententia expenditur. Cur Cyri edictum præ aliis hic intelligendum sit. R. Asarias laudatus. Ad Petavii & D. Strauchii objectionem respondetur. Vossii & R. Asariæ de Regum Persarum imperio dubitationes. Cocceji, Hoornbekii & Judæorum de annis non præcise & stricte numerandis sententia. Scaligeriana explicatione verbi* להשיב *rejecta, verus sensus stabilitur.*

§. 1. POstquam Angelus vs. 24. exposuit Danieli, quam insignia opera divina laxata captivitate Babylonica, LXX Septimanarum annalium intervallo sint futura nempe *peccatorum ablatio sive expiatio, & vaticiniorum de Messia adimpletio*: jam ulterius progreditur & Prophetam de abstrusis & reconditis certiorem facturus per ἐπεξήγησιν illa distinctius declarat, sed ita, ut, ceu R. Asarias cap. 41. scribit, lib. citat. שיהיה בהדרגה ולא ישקוד על הטובה לעשותה כלה יחד: *gradatim hæc futura esse, neque simul omnia bona datum iri*, ostendat. Uti vero idem R. Asarias docet, loc. cit. הוסיף הערה *addit Gabriel exhortationem*, qua ad id, quod observandum vult, Danielem attendere jubet. Hoc ipsum enim innuit ותדע ותשכל *scias & intelligas.* Quam attentionem in Propheta hoc legendo Salvator noster postmodum requisivisse legitur, ὁ ἀναγινώσκων, inquiens, νοείτω! Matth. 24: 15.

§. 2. Ut vero locum hunc vexatissimum eo rectius intelligamus, ad sequentia cumprimis respiciendum est. (1.) Ecquid angelus verbis מן מוצא דבר *ab egressu verbi* significet. (2) quid verbo להשיב denotetur. (3.) quis verbis עד משיח נגיד *usque ad unctum ducem* intelligatur. (4.) ecquid mysterii septi-

ſeptimanarum diviſio in VII. & LXII. deſignet. Et (5.) quiſnam ſenſus ſit locutionis *plateas & foſſas ædificatum iri*, ובצוק העתים *& in anguſtia temporum*. Quod primam dictionem מוצא attinet, quæ *egreſſum* ſonat, & voci דבר juncta promulgationem *edicti* notat, ſignificationem ſic ſatis certam & claram habet. At in contextu & applicatione ad hiſtoriam, non ex ſacris modo hauriendam, ſed & profanis quodammodo monumentis illuſtrandam, difficultas haud una exſurgit, & de initio Septimanarum incredibilis opinionum eſt conflictus. Sunt etiam judicioſiſſimi Viri, qui operam illos ludere contendunt, quicunque temporum intervalla hiſtoriis & rebus geſtis accommodant, eo quod tantum ἄπορον ſe ſiſtat, quod à nullo quantocunque ingenio explicetur. Difficultas ex eo cumprimis augetur, quod de Perſarum Regum numero, imperio & annorum duratione, quibus res Judaicæ & LXX. illæ ſeptimanæ implicatæ ſunt, & ſine quibus vix clare explicari poſſunt, haud ita conveniant Hiſtorici. Unde ex Ebræis R. Aſarias, pellectis Joſephi, Xenophontis, Euſebii, Beroſi, aliorumque ſcriptis, quibus de Monarchia Perſarum agitur cap. 41. libri Meor Enajim pag. 33. col. 2. conqueritur: עין בעין נראה איך במנין מלכי פרס ושנותיהם שהוא מעקרי ברור החשבון לא קרב זה אל זה אבל כל אחד מהעדא ומהקם מלכין כפי העולה על רוח: *Ad oculum patet* (Eſai. 52: 8.) *quomodo in numero Perſarum regum & annorum iſtorum qui ſane calculi clari fundamentum conſtituunt, diſſentiant autores & unuſquiſque Reges conſtituat pro libitu.*

§. 3. Atque inde factum eſt, ut tot ſententiæ de LXX. ſeptimanis jam olim fuerint allatæ. Sanctus enim Hieronymus jam tum ſuo ſeculo octo recenſuit, & ſingulas ediſſerit. Benedictus vero Pererius XV. enumerat, eisque refutatis decimam ſextam adjicit ab aliis refutandam. Ab illo tempore adhuc aliæ & itidem diverſæ exortæ ſunt explicationes, ut Cl. Iſaacus Voſſius, Chronol. Sacr. cap. X. vere ſcripſerit: *nulla pars Chronologiæ jam à multis ſeculis magis vexavit humana ingenia, quam quæ de annis Perſarum & Hebdomadibus Danielis agit.*

§. 4. Ita Hiſtoricis diſſidentibus, etiamnum ſuper Perſarum Monarchiæ duratione comitia habentur, & nondum paſſiva ſententia lata, alii plures, nonnulli pauciores illi aſſignarunt annos. Ebræos, plus juſto annos Monarchiæ illius coarctantes, & nonniſi ad XXXIV. reſtringentes, errare, jamdudum oſtenderunt viri docti, & ex ipſis Ebræis R. Aſarias ingenue eſt faſſus. Abraham Zacutus, autor Chronici Juchaſin, pag. 137. col. 1. ſic ſcribit: לפי חשבון הגוים יש חמשה עשר מלכים עד דריוש השני אשר אבד מלכות פרס על ידי אלכסנרוס מוקדן ולפי שטר רבותינו היו ד׳ מלכים: *ut Gentes numerant, XV. Reges uſque ad ſecundum Darium fuerunt, qui jacturam fecit regni per Alexandrum Macedonem: ſed juxta Dd. noſtrorum calculum nonniſi 4. fuerunt.* Rabbi etiam Abarbanel, comment. in Danielem pag. 65. col. 3. ſuorum majorum patrocinium ſuſcepturus hunc in modum ſcribit ad Daniel. 11. הנה הדעת ההוא להיות י״ד מלכים לפרס הוא דעת בוזב והכתוב מכחישו כי המלאך אמר לדניאל במראה ה״ד׳ בשנת שלש לכורש הנה עוד ג׳ מלכים עומדים לפרס וגו׳ והוא המירה שכל המלכים אשר מלכו לפרס אחרי כורש המלך הראשון הוא ד׳ שהם כורש וכמבישה בנו ואחשורוש בעל אסתר ודריוש בנו שנקרא ארתחשסתא ולא היו אם כן י״ד מלכים: *Ecce illa ſententia, XIV. Reges Perſarum fuiſſe, falſa eſt, & ſcriptura eam redarguit. Angelus enim ad Danielem ait viſione quarta, anno tertio Cyri,* (Daniel. 11: 3.) *ecce adhuc tres Reges ſtant in Perſide, quo ipſo docemur, omnes in univerſum Reges, qui poſt Cyrum regnarunt, quatuor fuiſſe. Cyrum, Cambiſen filium ejus, Ahaſwerum Eſtheræ maritum, & Darium filium ipſius, dictum Artachſaſtam, ut minime fuerint XIV. Reges.* Et pag. 70. col. 3. de ultimo Dario nempe loquens, ſic infit: להיות מצד אמו מזרע היהודים ברוכי השם נתן רשות להשלים בנין הבית אחרי כן צוה לבטל בנין הבית כל ימי חייו וכל ימי כמבישה בנו כי היה שנא היהודי׳. אמנם כתוב ומלכות אחשורוש בתחלת מלכותו וגו׳ לפי שנא אחריו אח״ך דריוש שהיה בן אחשורוש והיתה אסתר אמו עדיין בחיים ועוזרת בכל טוב ישראל ואולי שעליה נאמר והשגל מושבת אצלו בדברי נחמיה שעזרהו בדברי׳ ודרוש זה הטיב לישראל בהשלמת בנין הבית ושלח עזרא ללמד את העם תורה ושלח נחמיה לבנות החומה ולפי שהיה מזרע היהודים מזלו רע גם לחמדת לבו על יון קם אלכסנדרוס מוקדן עליו והכהו נפש ויקח את כל ארצו מידו הנה התבאר שצדקו דברי המלאך ומסכים עם דברי חז״ל שאמרו שמלכי פרס מלכו אחר הבית לד׳ שנים *Cum eſſet ex parte matris ſuæ oriundus ex ſemine Judæorum, benedictorum Domini,* (Eſa. cap. 65: 23.) *ideo dedit facultatem ſtructuram templi abſolvendi, poſtquam ea & totius ipſius* (Cyri ſecundi, quem fingit,) *& Cambiſis quoque filii ſui, Judæos odio habentis, tempore ceſſarat. Cæterum ſcriptum eſt:* (Eſdr. 4: 6.) *Et in regno Ahaſweri, initio regni ejus. &c. quia poſt eum venit Darius filius Ahaſueri, & mater ejus, adhuc dum in vivis exiſtens, Iſraelem omnibus bonis juvit: & forſan de ea dictum eſt:* (Nehem. 2: 6.) *& conjux ſedit apud eum, quod eum verbo juvaret. Atque hic Darius Iſraelem beneficiis affecit in templo ædificando, & Eſdram miſit, ut Iſraelem legem doceret. Miſit etiam Nehemiam, ut murum exſtrueret. Quia vero ex ſemine Judaico oriundus erat, aſtrum ejus erat malum. Præterea pro ſuo libitu Graciæ bellum inferenti Alexander Macedo ſupervenit, & eum occidit omneſque ipſius regiones occupavit. Ecce ex hiſce perſpicuum evadit, angeli verba certa, & conſentanea eſſe Dd. noſtrorum l. m. ſententiæ, quæ eſt: Reges Perſiæ poſt ædificatum templum triginta & quatuor annis regnaſſe.*

§. 5. Quam parum in Hiſtoriis Ebræi fidei mereantur, & quantopere in iis recenſendis impingant, ſuomet exemplo R. Abarbanel docet. Quæ cauſa eſt, quod neque in loco Dan. cap. 11: 2. explicando ſe recte gerat, & Regum Perſarum poſt Cyrum quatuor duntaxat fuiſſe inepte ex eo colligit. Minime enim ibi dicitur, tres tantum adhuc in univerſum Reges fore Perſiæ, ſed tres adhuc עומדים, hoc eſt *ſtantes* & robore præſtantes fore, & quartum illis magnitudine ſuperiorem futurum eſſe. Atque hoc R. Aſarias libro cit. part. 3. c. 38. recte monet his verbis: נראה שאמר כי יהיו לפרס מלכים הרבה גבורים וחלשים רשומים ובלתי רשומים כדמיון המלתעות והשנים ובין מספר כלם ימצאו שלשה תקיפים והרביעי הנופל ביד אויביו גדול מכל אשר קדמוהו: *Videtur dicere* (angelus,) *Perſidi fore Reges multos, fortes & debiles, ſignatos & obſcuros, inſtar molarium dentium & vulgarium: inter omnes vero tres fortiores fore, & quartum, hoſtium manu caſurum, omnes ſuos anteceſſores magnitudine anteiturum eſſe.* Bene etiam ſubdit: שאינו מן הנמנע כפי הכתובים היות לפרס מלכים אחרים זולת השלשה או ארבעה שנזכרו: *Per Scripturam Perſarum Reges plures, quam tres aut quatuor, quorum mentio facta eſt, eſſe poſſunt.* Nempe Scriptura Regum Perſarum genealogiam minime texit, ſive, ut iterum Aſarias cap. 34. loquitur: אין כוונתו למנות מלכי פרס וקלכתוב קורות ישראל בימי המלכים ההמה: *non intendit numerare Reges Perſarum ſed tantum, ea literis conſignare quæ illis Regibus, Iſraeli acciderunt.* Atque ita eorum facit mentionem duntaxat שקבלו ישראל מהם טוב או רע: *à quibus Iſrael bene vel male habitus eſt.* Perinde, atque Joſephus Reges omnes Perſarum deſcribere nunquam decrevit, רק לכתוב קורות ישראל בימי המלכים ההמה: *ſed tantum literis mandare, quæ illis temporibus Iſraeli acciderunt.* Ut docte R. Aſarias ſcribit:

§. 6. Fallitur igitur maximopere R. Abarbanel, & ſe in hiſtoriis hoſpitem eſſe teſtatur, dum Perſarum Monarchiæ durationem Regibus in ſcriptura memoratis metiri conatur. Inſignem etiam parachroniſmum committit, ſic ſcribens: לא מלכו בפרס אחרי בלשאצר אד עלכסנדרוס רק ה׳ מלכים שהיו מלכותם נד׳ שנה בין רב למעט *in Perſia non regnarunt poſt Belthaſarem uſque ad Alexandrum niſi quinque reges, ut regnum illorum ſteterit quinquaginta quatuor circiter annis.* Alios enim præter illos extitiſſe, neque quod templi ſtructuram attinet, Darii Codomanni ab Alexandro victi rationem haberi poſſe, Hiſtorici juxta & Chronologi fatentur. Diffiteri tamen nolumus, neque hos uſquequaque convenire. Quidam enim iſtius Monarchiæ durationem 207. annos fuiſſe perhibent, ut Hornius & Boxhornius: alii 229. ut Petavius: nonnulli 230. uti Cluverius cum pluribus aliis. Quidam 231. ut Joſephus Scaliger. Ab his recenter diſſenſum ſuum prodidit Iſaacus Voſſius, qui Chronolog. Sacr. ductu Cipporum Aſſyriorum & Oneſicrati teſtimonii, 253. annis eam duraſſe ſcribit. Plurium igitur ſcriptorum diſſidio perſpecto, merito lib. Meor Enajim, cap. 41. R. Aſarias ſcripſit אם תבקש ליתר חכמיהם תמצא רבים בוחרים כל אחד דרך ומספר לעצמו להוסיף או לגרוע: *ſi reliquos illorum* (Chriſtianorum) *quæſiveris, deprehendes plurimos ſibi ipſi viam & numerum eligere, nunc addendo, nunc minuendo.* Quicquid tamen ejus ſit, Judæos hoc nihil juvat, utpote quibus fatendum eſt, LXX. Septimanas dudum eſſe elapſas, neque Chriſtianis inde aliquid decedit, qui Chriſtianæ religionis veritatem exinde nihilominus comprobare, & promiſſionem de Chriſto ἐν πληρώματι τοῦ χρόνου exhibendo complementum ſuum nactam eſſe, oſtenſum ire queunt. Cum horum diſſenſus non rem ipſam, ſed circumſtantiam duntaxat temporis ſpectet. In qua Prophetia mirum videri non debet, ſi ſententiæ varient, ut ipſe Menaſſeh, B. Iſr. d. T. V. p. 175. teſtatur.

§. 7. Ut vero nulla amplius circuitione uſi ad rem ipſam propius accedamus, Ebræorum ſententiam de initio ſeptimanarum

narum primum omnium expendemus. Rabbi Abarbanel pag. 64. col. 2. in h. locum ſcribit: לא נאמר דבר רק על דבר ה׳ נביאות ירמיהו על הפקידה: *verbum alio referri haud debet, quam ad vaticinia Jeremiæ de viſitatione prolata.* Et Rabbi Jacob Abendanæ ad cap. 9: 25. Danielis verba ſunt: ממצא דבר ר״ל מעת שיצא מפועל דבר ירמיהו על חרבן הבית: *egreſſus verbi ſignificat Jeremiæ vaticinium de excidio templi ſecuturo.* Priſcorum nonnullorum veſtigiis inſiſtunt recentiores quidam, quorum ſententiam ex Seder Olam liber Jalkut, part. 2. pag. 157. his verbis exhibet שבועים שבעה אלא שעשו בגולה ועשו שבועים ששים ושנים מהם עשו בארץ ישראל ואחד מקצתו בארץ ומקצתו בחוצה לארץ: *Septem ſeptimanæ illæ ſunt, quibus in exilio egerunt, & ſecutæ ſunt LXII, quas in terra ſancta exegerunt: atque ita partem illarum extra terram, partem intra eam exegerunt.*

§. 8. Sed hæc ſententia ejusmodi eſt, ut ne doctioribus quidem Judæis probetur. Rabbi Aben-Eſra enim comment. in l. cit. ſciſcitatur איך יערב הגלות עם בית שני *Ecquomodo commiſcebitur exilium cum templo ſecundo?* Rabbi Aſarias in lib. Meor Enajim, part. 3. cap. 41. ait: התערבות הזה אצל רבים לורא כי אמרו מה לאלו עם אלו: *hæc commixtio pluribus plane à veritate aliena apparet, dicentibus, ecquid his cum illis rei eſt?* Et cap. 41. loc. cit. רבינו סעדיה הסכים לדעתינו שאין ע׳ שנות הגלות נכללות בחשבון השבועים שבעים: *Doctor noſter Saadias aſſentitur nobis, LXX. annos exilii haud contineri numero LXX. ſeptimanarum.* Sane non hic intelligendam eſſe prophetiam de re gerenda pridem editam, ſed re adhuc futura adeoque venientibus annis obſervanda. contextus docet. Qui idem & hoc ſatis comprobat, LXX. ſeptimanis nullam contineri vaſtitatem, adeoque minime de tempore excidii ad Cyrum usque agere. Et ſi de re jamdum præterita textus loqueretur, ecquid cauſæ eſt, quamobrem de Jeremiæ potius, quam Eſaiæ vaticinio cap. 44: 28. 45: 13. verba explicent? Merito igitur & Chriſtianorum Doctores antiquiſſimi hanc Judæorum explicationem exploſerunt. Id quod ægre fert Rabbi Abarbanel comment. ad cap. 9. Dan. pag. 28. Idcirco majorum ſuorum ſententiam omnibus modis tueri, & Joſephi autoritatem impugnare ſatagit. cujus argumenta alio die Deo volente, excutiemus.

§. 9. Rectius dicimus, Angelum juſſiſſe Danielem attendere ad edictum à Rege Perſarum promulgando, cujus vigore integrum ſit futurum extorribus Judæis, patrios lares repetere, & de integro urbem exſtruere. Quandoquidem vero non unum, ſed plura decreta emanaſſe leguntur, ideo nunc in quæſtionem venit, ecquodnam edictum hic intelligendum ſit. Quatuor fere enumerari ſolent ab interpretibus. (I.) Cyri Monarchiæ Perſarum conditoris, quem necdum natum Deus per Eſaiam 140. annis ante vaſtatum templum, ſecundum Schotani computum, ad hoc opus denominarat, cap. 44: 28. *Hic dicet Hieroſolymis, funderis, & templo, fundatur!* Item cap. 45: 13. *ipſe ædificabit civitatem meam & captivitatem meam dimittet.* Cujus prædictionis complementum 2. Chron. 36: 22. Eſd. 1: 1. ſeqq. continetur. Memorante enim Eſdra, *anno primo Regis Perſidis ut impleretur verbum Jehova, dictum ore Jeremiæ, excitavit Jehova Spiritum Cyri Regis Perſarum, ut promulgaret per totum regnum ſuum idque etiam ſcripto, dicendo. Sic ait Cyrus Rex Perſidis: omnia regna tradidit mihi Jehova Deus Cœli & ipſe commiſit mihi, ut ipſi ædificem domum Hieroſolymis, quæ ſunt in Juda. Quis eſt in vobis de univerſo populo ejus, ſit Deus ejus cum eo & aſcendat Hieroſolymam quæ eſt in Jehuda & ædificet domum Domino Deo Iſraelis &c.* Alterum edictum Darii auſpiciis emanavit, cujus meminit Eſd. 4. ultimo & 6: 1. Tertium Artachſaſtam autorem habet, cujus Eſd. 6: 15, 16. fit mentio. Quantum denique illud eſſe perhibent, quod Nehemia Hieroſolymam aſcendente, itidem promulgatum ſit, opus ædificii templi reſpiciens. Sed hoc non tam peculiare & diſtinctum edictum, quam indultus Regis fuit, Nehemiam cumprimis ſpectans. Ut ſic tria in univerſum edicta ſtatui debeant. Uti enim cap. 6: 15. Eſdræ legitur. מטעם כורש ודריוש וארתח שסתא *ex mandato Cyri, Darii & Artachſaſtæ*, templum & urbs fundata ſunt.

§. 10. Quandoquidem vero laudati Reges non ſe immediate ſunt ſubſecuti, ſed diverſis temporibus vixerunt, ut R. Aſarias recte ſcripſerit, נחשוב לאפשר כי רבו השנים אשר עברו בין דריוש בונה ב״ת לארתחשסתא בונה החומות *arbitramur, fieri poſſe, ut multi anni inter Darium templum ædificantem & Artachſaſtam muros exſtruentem interceſſerint*, fit, ut de Hebdomadum initio oppidò diverſæ oriantur ſententiæ. Unde & Rabbi Abarbanel, pag. 66. col. 2. comment. in Dan. ſcribit: השבועים שבעים ומתי התחילו וסופם נפלה בהם מבוכה רבות ולא קרב זה אל זה לפי שכלם הסכימו במיתת ישוע אלהיהם אמנם התחלפו בענין התחלה: *de LXX Septimanis, & unde initium earum arceſſendum ſit, ubi finis figendus, difficilis eſt controverſia, neque invicem conſentiunt. Omnes enim conveniunt in morte Jeſu, Dei ſui, ſed in exordio illarum ſeptimanarum diſcrepant.* Quod omnes in morte Chriſti ſeptimanas finiri doceant Chriſtiani, id conſentaneum veritati haud eſt. Sunt enim, qui eas in extremo Hieroſolymorum excidio deſinere perſuaſum habent. Unde Cl. Frankenbergius, Chronolog. Scalig. Petav. hypotheſ. 6. ait: *hodiernorum* inquit, *Chronologorum ſententia vel in paſſione Dominica, vel extremo Hieroſolymorum excidio LXX. Septimanæ finiuntur.* Poſteriorem ſententiam Joſephus Scaliger amplectitur, quod initium & finis Septimanarum ſic unum idemque ſubjectum reſpiciant. Ab eo tamen, ut ſolet, Petavius diſcedit loc. cit. *in paſſione*, inquiens, *potius quam excidio urbis circumſcribi LXX. Septimanas, ſatis ex contextu patet, dum poſt Septimanas VII, & LXII. hoc eſt, Septuageſima ſeptimana Chriſtum occidendum ait. Quod vero ſubjicitur de Romanorum incurſione & urbis devaſtatione, non ἀμέσως neque in continenti futurum ſignificat, ſed quis deinceps, Chriſto nempe exciſo, exitus rerum ſit futurus. Nempe ſacrorum Judaicorum abrogatio & vaſtatio plenaria Hieroſolyma.*

§. 11. De fine ſic haud ita diſceptatur, ut de initio Septimanarum diſquiri ſolet, à quonam decreto illas auſpicari debeamus. Joſephus Scaliger, lib. 6. de E. T. *Rex*, inquit, *iſte eſt Darius Nothus: Et quare ille potius quam Cyrus? Quia Cyri edictum exiguo effectu fuit, hoc autem plenum jus Ebræis templum & Hieroſolyma conſtruendi dedit.* Aliam adhuc rationem, cur à Cyri decreto ſeptimanas numerare minime liceat, Dionyſius Petavius, lib. 12. de D. T. cap. 35. affert, nempe quod anni 490. inde putati, deſinant in Herodis initium, quod alienum ſit, neque contextui conſentaneum, quippe in quo nulla occaſio commoda appareat, quæ id ſuadere poſſit, cum potius finem Septimanarum vel in morte Chriſti, vel excidio urbis ponat.

§. 12. Alii igitur initium Septimanarum ab illo edicto arceſſere malunt, quod Darius promulgari fecit. Ex ipſis Ebræis Rabbi Aſarias cap. 41. part. 3. ita docet: היה ראשיתן למן היום אשר הוחל להתבנות בשנה שתים לדריוש ככתוב בעזרא סוף פרשה ד׳ וסופן כאשר ע״י טיטוס גלינו מארצנו: *Hebdomadum initium incidit in diem illum, quo, anno ſecundo Darii ſtructura inchoata eſt, ut ſub finem ſect. 4. Eſræ eſt ſcriptum. Finis vero illarum fuit, cum per Titum extorres facti ſumus.* Hugo Grotius ad cap. 11. Danielis ſcribit: *edictum intellige Darii illius, cujus Eſdr. 6. mentio. poſt id enim nullum aliud edictum ea de re erat exiturum.* Sed qui Darium ſic intelligunt, iterum variant. Alii enim Darium Hyſtaſpidem, Cyri σύγχρονον, & qui Magis trucidatis, ad culmen regium pervenit equi hinnitu, cum Joſepho intelligunt, uti plerique omnes priſci Doctores, & recentium quoque bona pars. Quæ tamen ſententia Joanni Coccejo diſplicet, *non poſſum* inquienti, *conciliare Eſdram cum Joſepho, qui Artachſaſtam templi ſtructuræ impeditorem* (Eſd. 4: 6.) *vult eſſe Cambyſen, & Darium qui conceſſit, Hyſtaſpidem. Nam quis eſſet Ahaſwerus, Artachſaſtæ Cambiſis anteceſſor?* Ad quem ſcrupulum è medio tollendum, quidam ita reſpondent, ut dicant, Ahaſwerum illum non Perſarum Regem fuiſſe, ſed Medorum, filium Darii Medi, Dan. 9: 1. qui una cum Cyro Babylonem occupavit, & patre Ahaſwero oriundus filium ejusdem nominis reliquerit, velut Iſ. Voſſius docet, Chronolog. Sacr. cap. 10. Alii vero vel duplici nomine eundem regem inſignitum, vel Artaxerxem iſtum Smerdin Magum eſſe, cum Petavio Rationar. Temporum, parte 2. lib. 3. cap. 10. contendunt.

§. 13. At enim ut ſupra vidimus, magnus Chronologiæ Magiſt. Joſephus Scaliger, Sulpitium Severum ſecutus, & alii nonnulli, Darium Nothum, qui Artaxerxis Longimani filio legitimo Iſogæo in capeſſendo regno prælatus fuit, intelligendum contendunt, à cujus ætate ad devaſtatum usque templum & urbem ſint $70\frac{1}{2}$ hebdomades. Quam ſententiam & recentiores quidam Doctores iique eximii viri amplexi ſunt. Sed cum terminum LXX. hebdomadum non tam in urbis vaſtatione, quam Meſſiæ exciſione quærendum, contextus ſuadeat, liquido patet, hanc opinionem cæteris minime præferendam videri.

§. 14. Malunt itaque alii aſſerere ultimi edicti rationem habendam eſſe, quod Artaxerxe imperante, promulgatum eſt. Si enim à Septimo anno Artaxerxis Longimani hebdomadas

madas annorum auſpiceris, exacte paſſionem Domini in CCCCLXXXX annum incidere, B. Horneius θ. 52. diſſert. de autoritate ſcripturæ ait. Quanquam Petavius annum XX. eum eſſe velit, quo iſta promulgatio contigerit. Qui ad hujus Monarchiæ edictum delabuntur, illi fere retro numerando à paſſione Dominica eo perveniſſe ſe, putant. Atenim hoc pacto verum initium deprehendi hebdomadum difficulter poſſe, res ipſa loquitur, & Theologi præſtantiſſimi fatentur. Ut enim Dn. D. Mullerus Judaiſ. refut. c. 10. p. 308. docet: Wer das Jahr nimbt / in welchem Christus unter dem Käyser Tiberio getödtet worden / und zehlet in einem gewissen und wolaus-gerechneten Chronico 483. Jahr / das ist 69. Wochen / der wird den rechten Anfang dieser Wochen finden. Allein da mangelt es / wo wir ein solches gewisses Chronicon finden / darin die Jahr der Könige in Persien recht gezehlet seyn. Idem B. Franzius aſſerit, dum ejuſmodi Chronicon optandum quidem ait, ſperandum non item. Diſp. 10. θ. 58. Schol. Sacrif. Patriarcharum.

§. 15. Hæc divortia ſententiarum & edictorum varietas viris longe doctiſſimis ſcrupulum movet, ut tandem non tam ad Regia illa edicta, quam divinum ſermonem Danielem h. l. collineare perſuaſum habeant. Ita docent Lyranus, Paulus Burgenſes, Vatablus h. l. & Galatinus l. 4. de A. C. V. cap. 15. B. quoque D. Konig. Vind. L. Sacr. Script. diſp. 32. θ. 22. itidem de divino verbo interpretatur, *ego*, inquiens, *quia nihil in vaticinio de edicto aliquo regio in ſpecie expreſſum deprehendo, quin edicta ſubinde mutata, interdum plane retractata & revocata eſſe reperio, cum tamen juxta vaticinantem angelum ab egreſſu hujus verbi opus ſucceſſum haberi & Hieroſolyma reædificari deberet. Dan. 9: 25. putarim, nullo modo attendendum ad edicta humana ſed ad mandatum divinum, & non tam examinandum eſſe tempus reſcriptorum regiorum, quam vaticiniorum propheticorum. Etenim* מוצא דבר *proprie in ſcriptura dicitur, quod prodierit ex ore Domini aut promulgatum fuerit per Prophetas ſuos. Deut. 8: 3. Ψ. 89. 35. Qua ſententia ſtante, referendus erit verbi egreſſus ad Prophetias Aggai & Zachariæ. Per hos enim locutus eſt Dominus anno ſecundo Darii, Hag. 1: 1. Zach. 1: 1. quidam* ביד *efficaciter interprete Cl. Tarnovio in Hag. pag. 9. quod non tantum ligna adduci & domus ædificari Hag. 1: 1. ſed & perpendiculum ſuper Jeruſalem extendi & ſenes atque anus in plateis ac puellis ludentibus repleri deberent Zach. 1: 16. 8: 4, 5. Ergo egreſſus verbi principaliter erit exitus verbi ex ore Jehovæ profecti.*

§. 16. Cæterum etſi Deuteron. 8: 3. מוצא פי יהוה *egreſſus oris Domini* & Pſalm. 89: 35. מוצאה שפתי *exitus labiorum meorum* occurrat, qui utroque loco Deo tribuitur: nondum tamen ſequitur, hic quoque idem מוצא דבר divinum decretum vel mandatum ſignificare. Ratio eſt, quia ibi cum ſuffixo occurrens vox clare exponit, cujus verbum ſit intelligendum, nempe Dei loquentis. At hoc loco aliter ſe res habet, & cum ex contextu, tum ex idiotiſmo ſcripturæ & eventu de locutione hac judicandum eſt. Minime vero eo, quod nihil in ſpecie de aliquo edicto regio aliquid habetur, concludere licet, non de humano ſed de divino edicto h. l. agit. Quin potius ita colligendum eſt: Quandoquidem ſcriptura alibi מוצא דבר *de regio edicto* uſurpat, ut Eſther 1: verſ. 19. ubi Chaldæus reddit דתא מלכא מקדם מהפצא *lex feſtinans à rege*, ideo & hic de ejuſmodi mandato ſermonem eſſe veriſimile eſt. Sed cujus? an Cyri, an vero Darii, vel Artaxerxis? ut de hujus ultimi edicto intelligatur, quidam מוצא דּ dupliciter accipi dicunt. Nicolaus enim Abraham, Jeſuita, in Pharo ait: *ab exitu ſermonis lingua ſancta bifariam accipi poteſt, ut vel operis ad exitum perducti perfectio ſignificetur, vel ſermonis ſive edicti prolatio, qua permiſſum eſt ædificare Civitatem.* Quam diſtinctionem hauſiſſe videtur ex Petavio, lib. 12. de D. T. cap. 32. *Exitum*, inquiente, *ſermonis vulgo ſi accipiunt, ut* מוצא *exitus ſit prolatio ac pronunciatio decreti, quod à Perſarum regibus decretum eſt. Sed quod non unius Regis edictum exierit, in varia tempora hebdomadarum initium diſtrahitur. At ego vocabulum* מוצא *non ſolum edicti promulgationem, ſed amplius aliquid eſſe, nempe id, quod Latina vox proprie ſignificat, veram ac ſeriam decreti illius executionem, ita ut, mora omni impedimentoque ſublato, opus ipſum urgeri, & Hieroſolyma inſtaurari cœperit.*

§. 17. Sed neque etymologia, neque uſus vocis in ſcriptura exigit, ut מוצא *executionem* edicti ſignificare dicamus. Quin potius, ut ratione ſuæ originis מוצא דּ nihil aliud quam *exitum* & cum דבר conſtructum pro circumſtantia textus ut hoc loco *emanationem* vel *promulgationem edicti* denotat: ita ea phraſi nihil aliud mente concipimus, neque ex uſu etiam ſcripturæ aliud eam ſignificare deprehendimus, quam *promulgationem*, præciſo eventu vel executione. Perinde ut τὸ ἐξέρχεσθαι cum voce δόγμα conſtructum Luc. 2: 1. ſimpliciter *promulgationem edicti* Cæſaris ſignificat, executionem vero minime includit, quippe quæ paulo poſt demum, ut aliquid diſtinctum à decreto, & promulgationis conſequens recenſetur. Minime igitur ex voce illa colligere aliquid licet, pro Darii & Artachſaſtæ edictis, quod præ Cyri mandato illa habuerint, cum ad omnia edicta vox iſthæc ſe plane indifferenter habeat.

§. 18. Ut vero de Cyri potius quam reliquorum edicto accipiamus, non tantum adducimur, quod, ut ſupra audivimus, ipſe Deus eum tot retro annis denominavit, urbem templumque illius auſpiciis reſtauratum iri, Propheta dixit, & niſi de illo intelligatur, ſcriptura minus aperte locuta videatur: ſed etiam quod non exiguo ſed oppido magno effectu fuit. Cum enim quaquaverſum Judæis in Palæſtinam redeundi facultatem dediſſet & vaſa ſacra reſtituiſſet, non modo 42260. Judæi reverſi ſunt, ſed & urbem ita reſtaurarunt, ut in *domibus laqueatis* Hag. 1: 4. habitarent, & templi fundamenta poſita eſſent. Licet vero poſtmodum, adverſariorum molitionibus clandeſtinis fabrica templi ad Darii uſque tempora ſufflaminata fuerit, edictum tamen integrum manſit ex parte Cyri. Ut enim Rabbi Aſarias ſcribit: cap. 33. lib. cit. עכבו את הבנין בלתי ידיעת כורש להיותו טרוד במלחמות מאסאגיתי אשר מת בה: *impediverunt ſtructuram, inſcio Cyro, eoque bello Maſſagetico occupato, quo etiam mortuus eſt.* Atque ut idem cap. 18. pag. 84. loquitur: כורש התחיל במצוה לשלחם חפשים ברשיון הבנין אם שלא מרק אותה ודריוש בהיותו לו כורש למופת שכלל את הבית וארתחשסתא בנה חומות ירושלים: *Cyrus inchoavit, mandato ſuo, liberos dimittendo, cum licentia ædificandi, licet opus haud expoliverit. Darius autem, cum Cyrus ei ſigni loco fuiſſet, templum abſolvit. Artachſaſta vero muros Hieroſolymæ extruxit.* Atque ita ut pag. 85. idem Aſarias bene ſcribit: בכלן נתקימה נבואת ישעיהו ובנו בני נכר חומותיך ומלכים ישרתונך: *In omnibus hiſce* (Regibus, Cyro æque ac Dario & Artaxerxe) *vaticinium Eſaiæ*, (cap. 60: 10.) *eſt impletum; & filii alienigenæ ædificabunt muros & reges eorum miniſtrabunt tibi.*

§. 19. Cum igitur Cyro non minus accepta ferenda ſit reſtauratio Reip. Ebraicæ, quam reliquis, Dario & Artaxerxi, haud immerito Rabbi Abarban. ſciſcitatur למה יעשו תחלת השבועות משנת י"ט לארתחשסתא ולא מכורש שהתחיל חרשות לשוב לירושלים ולא מדריוש שהשלים הרשות לבנין הבית: *Eccur ſeptimanarum exordium ponunt in anno 19. Artachſaſtæ, & non auſpicantur à Cyro, qui primus licentiam dedit redeundi, neque Dario, qui licentiam templi ædificandi abſolvit?* Non obſcuri igitur nominis viri docent, edictum quod hoc loco attendere Prophetam Gabriel jubet, eſſe illud primum, quo Cyrus, & redire captivos, (quod verbo להשיב notatur,) & urbem reædificare, permiſit. Dionyſius quidem Petavius, lib. XII. cap. 30. de D. T. eos, qui à Monarchiæ Perſicæ initio hebdomadas numerare incipiunt, minus in hiſtoria exactos, pronunciat. Et D. Ægid. Strauchius, Breviarium Chronolog. cap. 26. quæſt. 8. hanc methodum breviſſimam quidem, ſed in rebus Chronologicis peſſimam eſſe aſſeverat. Sed qui hoc ita improperant, ſupponunt, Regum Perſarum annos plane certos eſſe, quod Græci Hiſtorici conſignarunt & reliquerunt, cum tamen indubitato minime de iis nobis conſtet. Haud ita pridem Iſaacus Voſſius, Chronol. Sacr. pag. 141. monuit, Artaxerxem Mnemonem non 43. ut vulgo, aut 46. ut canon Aſtronomicus, ſed integros 62. annos regnaſſe, quod Dino obſervavit, referente Plutarcho in ejus vita. Rabbi quoque Aſarias cap. 41. part. 3. Meor Enajim, pag. 134. col. 2. ſcribit: הלא ראינו ארתחשסתא מאריך מלכותו יותר מ"לב שנים וזמן לא ידענו כמה: *Annon videmus, Artachſaſtam regnaſſe ultra XXXII. annos, neque tamen quamdiu, novimus?*

§. 20. Cum vero Perſarum Monarchiæ anni non modo diverſimode referantur, ſed ne ex genuinis quidem ut decebat, monumentis Perſarum, ſed extraneis Græcis ſcriptoribus hauriantur, in proclivi eſt colligere, ex illis haud ſatis commode illorum ſententiam impugnari, qui, præeunte ſcriptura ſacra, LXX. Hebdomadas ab illo anno auſpicantur, quo Cyrus regnare cœpit בכיפה *ſub convexitate cœli*, ut Abarb. loquitur, hoc eſt, Babylone capta, Monarcha eſt factus. Quid quod ipſe Rabbi Aſarias cap. 38. ſcribit:

היות

היות המלכים בלתי שוים בערך ובלתי נמנים זה כזה אפשר שיהיו כלא היו: אם לקוצר ימיהם אשר היו *cum Reges Perſarum non fuerint pares neque perinde numerati, fieri poteſt, ut ob brevitatem vitæ ſuæ, tanquam non fuiſſent, habeantur.*

§. 21. Hinc fit, ut docti viri cenſeant, nihil cauſæ eſſe, quamobrem aliud edictum quam Cyri, quo ſolennius aliud haud habemus, quod ſimul להשיב, *ad redire faciendum & לבנות ad ædificandum*, fuerit promulgatum, intelligamus. Licet etiam in ſupputatione difficultas quædam exoriri videatur, minime tamen idcirco huic ſententiæ valedicendum eſſe, Judæi evicerint. In ſimili quippe computo, part. 3. c. Meor Enajim Rabbi Aſarias ſcribit: לכל פנים י"ב שנים איננו עתה ממה שנשים אליו לבנו: *Nullo modo in præſenti 12. annorum eſt habenda ratio* & cap. 41. אפשר שבין זה לזה היו מלכים אחרים משלימי השנים האלה: *Fieri poteſt, ut inter reges illos alii quoque interceſſerint, annorum illorum numerum complentes.*

§. 22. Neque illud prætereundum hoc loco eſt, quod duo clariſſimi Viri, Joannes Coccejus, Reſponſ. Judaic. cap. 52. num. 67. & Joannes Hoornbekius, de converſione Judæorum, lib. 2. cap. 1. monent, non eſſe neceſſe, ut ſtatuamus ipſos annos 490. præciſe incipere cum edicto, & finire cum excidio vel etiam hebdomadas 62. arcte in Chriſti paſſione terminari, ſed ὡς ἐν πλάτει, circumcirca numerum iſtum LXX. Hebdomadum ſpectari. Quibus iterum eo minus refragari Judæi poſſunt, quo ſimiliora his ipſimet tradunt. Ut enim R. Jachiades in h. l. ſcribit: לא גלה הזמן הקצוב בהחלט לכל דבר: *ſcriptura tempus præciſum non revelavit abſolute.* Et alius, לא דקדק המקרא בחשבון *Scriptura in calculo minutias haud ita attendit.*

§. 23. Diximus, haud aliud edictum eſſe, quam Cyri, quod verbo לחשיב commodius deſcribatur. Quod enim illud attinet, cum verbum tertiæ conjugationis ſit, adeoque ſignificationem tranſitivam habeat; merito interpretes ita explicarunt, ut reditum illum, quem Rex ille Perſarum indulſit, ſignificari dixerint. Neque Græcus interpres vim vocis aſſecutus eſt, dum ἀποκριθῆναι tranſtulit, neque Phraſin Ebræam verſ. 26. תשוב ונבנתה ſatis recte expreſſit dum ἐπιστρέψει καὶ οἰκοδομηθήσεται reddidit. Joſephus quidem Scaliger, lib. VI. de E. T. adverbialiter τὸ השיב explicandum contendit, & ut ſub finem hujus commatis תשוב ונבנתה *reædificabitur*, & Malach. 1: 4. נשוב ונבנה *reædificabimus*, ſignificat: ita h. l. τὸ להשיב pro *iterum* poſitis eſſe perſuaſum habet, *Ebraiſmus*, inquiens, *eſt, cujus vel mediocriter periti ſciunt in ea lingua verbum* שוב *id eſt, reverti, ſignificare iterationem ejus verbi cum quo conſtruitur. Quis enim neſcit, revertar & conſtruam, Ebraice dictum, pro iterum conſtruam.*

§. 23. Sed licet faciles largiamur, verbum conjugationis Kal, eo, quo dictum eſt modo, exponendum eſſe, minime tamen hactenus compertum eſt, in conjugatione Hiphil eodem modo id exponendum venire. Neque exemplum 2 Sam. 15: verſ. 25. quadrare videtur ad id probandum. Dicitur enim ibi השיבני והראני. Cum vero preces illæ Davidis, tum exulis fuerint, quibus & reſtitutionem in regnum, & de integro templi videndi facultatem petiit; inde ultro patet, diſparem hujus loci eſſe rationem, neque conjugationem Hiphil à ſua recepta ſignificatione abſolvi poſſe, ſed tranſitiva retenta, reditum populi denotare, quem, Cyri edicto promulgato, in Palæſtinam ſuſceperunt, aliquot annis ante eodem verbo להשיב Jerem. 29: verſ. 10. à Deo promiſſum.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Verborum עד משיח נגיד *detorſio Judaica exploſa. Cur neque* Cyrus, *neque* Pontifex, *neque* Nehemias, *neque* Zerubabel, *neque* Eſdras, *nec* Artaxerxes *hic queant intelligi R. Aſariæ* παρερμηνεία *& violenta gloſſa oſtenſa. Vera & genuina ſententia ſtabilita. R. Abarbenel noſtrum Meſſiam* נגיד *appellari, nequicquam negat. Vocis Ebraicæ emphaſis declarata ex Kimchio. Alia R. Abarbenelis ex primo intervallo LXX. Hebdomadum objectio producta, refutatur. R. Aſariæ, Scaligeri item Petavii, Bezæ, Franzii & Grotii de diviſione Septimanarum ſententiæ expenduntur. Ezech. 45: verſ. 12. à Scaligeri & Grotii gloſſa vindicatus. Magnif. Dn. D. Geierus laudatus. Capelli, Petavii & Junii diverſa, ſuper verbis*, ad Unctum Ducem, *interpretamenta ponderantur. Vocis* Unctus *duplex acceptio. Quid ex illa colligere liceat. R. Abarbenel, ob verbum* חשוב *ſiniſtre explicatum notatus. Verborum* in Anguſtia temporum *genuina ſignificatio ſtabilita.*

§. 1. POſtquam terminum à quo Hebdomadum Angelus ita Danieli expoſuit, & illum certo quodam edicto, quod reditum Judæis indulgendum, & facultatem Hieroſolymam reædificandi contineat, metiendum monuit, jam ultra progreditur, & terminum ad quem ſubdit: עד משיח נגיד *uſque ad unctum principem.* Ad quæ verba R. Aſarias cap. 41. l. cit. ſuſcitatur: מי היה המשיח הנרמז במלות עד משיח נגיד *Ecquis verbis illis: uſque ad unctum principem, ſignificatur?* Ipſe vero hunc in modum reſpondet: אפשר לומר שהיה נחמיה אשר כתב על עצמו צוה אותי להיות פחם בארץ יהודה *Fieri poteſt, ut dicamus, intelligendum eſſe Nehemiam, qui de ſe ipſo ſcripſit:* (Neh. 5: 14.) *præcepit mihi, ut ſim dux eorum in terra Juda.* Sed mox dubitabundus, & ſeipſum quaſi corrigens, ſubdit: או יהיה הרמז על ארתחשסתא עצמו לא לתחלתו מלכותו כי אם לשנת כ"א לארתחשסתא כנראה בעזרא ב' ב': *aut ſignificat, Artachſaſtam ipſum, non initio regni ejus, ſed vigeſimo primo, ut apparet ex Eſdræ 2: 2.* Haud abſimili divinatione R. Abarbanel, comm. in l. cit. pag. 65. col. 4. ſcribit: הוא כורש או כהן גדול או זרובבל *Is eſt vel Cyrus, vel Pontifex, vel Zerubabel.* Aben Eſra tamen de *Eſdra* accipiendum tradit.

§. 2. Ex tam deſultoria levitate, & prodigioſa inconſtantia Judæorum liquido patet, non habere Judæos quo acquieſcant, ſed in omnibus recenſitis interpretamentis ipſoſmet vacillare, & ſubinde de alia adhuc certiore ſententia ſollicitos eſſe. Sane Cyrum intelligi h. l. non poſſe, ex eo conſtat, quod ab ejus edicto Septimanarum numerandarum initium fieri debeat. Tantum abeſt, ut ad illum Regem VII. priores hebdomades ſe porrigant. Hoc commentum eorum eſt Judæorum, qui cum Rabbi Salomone *verbum egreſſum*, vel *edictum*, de Jeremiæ vaticinio inepte intelligunt, uti Rabbi Abarbenel loc. cit. etiam delirat הקב"ה ממהר הפקידה למ"ט שנה שהם ז' שבועות לפי שאז נתן כורש רשות לישראל לבנות הבית ונתן בידם כלי המקדש: *Deus B. accelerat finem operis viſitationis ad 49. annos, qui 7. hebdomada conficiunt. Tunc enim Cyrus dedit facultatem domum ædificandi, & ipſis vaſa ſanctuarii exhibuit.* Quam ſententiam ſupra exploſimus. Abſurdam illam eſſe, reliqui Judæi animadverterunt, qui hariolando nunc *Pontificem*, nunc *Nehemiam*, modo *Zerubabelem*, tandem *Eſdram* ſubſtituunt. His vero ut τὸ משיח nequaquam competere vidit R. Aſarias, cum *uncti* nomenclatura in eos haud quadrarit, neque Artachſaſtam eo nomine hic venire, recutitus ulla ratione evicerit.

§. 3. Conatur quidem textum eo accommodare, Aſarias his verbis: מלות ממוצא דבר יתכן לפי זה שתהיינה מושכות כהנה באלו יאמר עד מוצא דבר משיח נגיד היינו שיעזור הוא על בנין החומות: *Idcirco dictiones iſtæ* מוצא דבר *ad illa ſequentia trahendæ ſunt, quaſi dicat: uſque ad edictum uncti ducis, nempe illius, qui murorum exſtructionem adjuturus eſt.* Sed ut aliquid ex antecedentibus repetamus, neque ſeptimanarum numerus admittit, neque contextus, qui ſatis clare docet, τὸ מן מצא דבר unicum tantum edictum notare, idque reditum ex captivitate & urbis fabricam reſpiciens, à quo Septimanæ inchoari debeant uſque ad unctum ducem. A quo deinceps tantum abeſt, ut aliud edictum hic exſpectandum dicatur, à quo deinceps ſeptimanæ LXII. numerandæ ſint, ut potius unctum eum poſt 62. hebdomadas occidendum eſſe, Gabriel perhibeat. Quam occiſionem quia Judæi tantopere averſantur, & in Meſſiam cadere negant (licet priſci admiſerint, cum Meſſiæ excidium in Daniele contineri faſſi ſunt in Talmud, veluti ex præf. diſputat. prioris ex vſ. 24. patet) ideo fit, ut in alia omnia abeant, & de משיח נגיד tam diverſas & à veritate alienas explicationes adferant, ut eorum cauſam conclamatam eſſe, quilibet conjicere queat. Fruſtra Aſarias igitur iterum ſcripſit: לא הרחיק היות משיח נגיד רומז אם לנחמיה אם לארתחשסתא: *Haud improbabile eſt, Nehemiam vel Artachſaſtam notari verbis* משיח נגיד.

§. 4. Sane

§. 4. Sane neutrum illorum denotari, ex textu insuper contra eos firmissime probamus, quod illis verbis non vulgaris aliquis Dux, Rex, vel Pontifex, externo oleo ungi solitus designatur. Hoc exinde liquet, cum quod τὸ משיח hic absolute, sine suffixo occurrens, unctum κατ' ἀντονομασίαν significat, tum quod voci נגיד praemittitur. Hoc ipsum enim argumento est, τὸ משיח hic minime esse adjectivum aliis tribui solitum, (quippe quod Ebraei substantivo subjicere amant, ut cum Levit. 4: 5. הכהן משיח *sacerdos unctus* dicitur,) sed substantivum, quod unctum κατ' ἐξοχὴν denotat, qui unctionem non habet in figura, ut Josua, Pontifex, filius Josedek, quem Abarbaneli h. l. intelligi, male scribit: כי הוא הקריב בירושלים מיד כשעלו אע"פ שלא נבנתה הבית: *quia ille sacrificia obtulit Hierosolymis, statim ac ascenderunt, licet templum non esset exstructum.* Nempe talis unctus h. l. intelligitur, qui unctionem in re habet & prae consortibus suis est unctus Psalm. 45. praeter mensuram Johann. 3: 34. super quo Spiritus Jehovae est, Esai. 63: 23. & Sp. Domini quiescit Esa. cap. 11: 2, 3.

§. 5. Etsi vero sic Christianorum sententiae textus favet, Judaei nihilominus tripudiant, ac si rationes ex eodem contra fidem nostram complures educere facili negotio queant. Hinc instar triumphabundi lectorem suum R. Abarbanel ita compellat: הראיתיך בעינך חלוף דעותיהם ואמנם כפי פשוטי כתובים ככר יתחייבו ספקות אחרות כפי פירושם אזכרם פה בקצרה יען לעלזנה כליותיך בהשגת האמת *ostendi tibi ad oculum, quantopere sententiis* (Christiani) *discrepent. Sane quod sensum scripturae literalem attinet, secundum eorum explicationem adhuc alia dubia emergunt. Faciam eorum hic breviter mentionem, ut exultent renes tui* (Proverb. 23: 16.), *dum veritatem deprehendes.*

§. 6. Inter illas vero, quibus Christianorum sententiam impugnare satagit, eas cumprimis, quae comma 25. ejusque ad Salvatorem nostrum applicationem spectant, audiemus. Sic enim pag. 67. lib. cit. loquitur: איך יפרשו משיח נגיד על ישוע כי משיח נגיד מורה בבני אדם הממונה להנהיג את אחרים כמו נגיד ומצוה לאומים ולא יוחלט השם הזה עליו ולא נאמר בו לעולם: *Ecquomodo explicabunt* τὸ משיח נגיד *de Jesu? Nomen enim* נגיד *significat inter homines eum, qui aliis regendis est praefectus, ut* (Esai. 55: 4.) *princeps & populi praefectus. At hoc nomen in eum minime quadrat, neque ei unquam tribuitur.* Quod attinet vocem נגיד, quae strictioris significationis est, quam שר, cum haec vox qualecunque imperium, ut Jerem. 38: 4. significet: illa vero in totum populum, ejusque educendi & reducendi jus includat, R. David Kimchi, lib. Radicis significationem ejus sequentibus verbis exponit: נקרא ראש העם נגיד וזאת תהיה לנגיד מפני שהעם שמים פניהם תמיד ופונים אליו בכל עניניהם: *caput vel princeps populi appellatur* נגיד (2. Samuel. 5: vers. 2.) *tu eris princeps, quia illi* (subditi) *subinde in omnibus negotiis ad eum respiciunt.* Eccur vero jam non Salvatori nostro haec nomenclatura competat? Licet is terrenum & in oculos incurrens imperium haud exerceat, neque hominibus pro tribunali sedens jus dicat, eminentius tamen & altioris ordinis dominium ita ei competit, ut eum tot hominum myriades revereantur, & ab ejus nutu pendeant, ut adeo ipsum non minus hoc nomen competat, quod loc. cit. Esaias tribuit, Messiae, quam reliqua: שר שלום, Esai. 9: 6. מושל Mich. 5: 1. נשיא Ezech. cap. 34: 24.

§. 7. Majoris momenti illa objectio videri queat, quam porro movet his verbis: אמרו עד משיח נגיד איך יפרשו זה לע ישוע כיון שלא בא בשבעהשב ועות הראשונית כי אם ת' שנה אחרי כן וככר לחצים הקושיא הזא מאד ועשו הספק בפסוק להשיב ולבנות ירושלם עד משיח נגיד ר"ל שיתמיד בנין הבית עד אותו משיח שלהם ומה שאמרי' שבעה ושבעים שבעה סמכו אותו עם השבועים ששים ושנים כאלו אמר שבועים שבעה ושבועים ששים ושנים תשוב ונבנתה וגו' והפירוש הזה אין לו טעם שלדבריהם היה לו לכתוב ושבועים ששים ותשע ולמה עשה חלוק בשבועות בין השבועים (שבעה legendum) אל הששים ושנים כיון שעל כלם יחד אמר תשוב ונבנתה רחוב: *Dum ait:* usque ad unctum principem, *ecquomodo explicabunt hoc de Jesu, quandoquidem is non venit septem septimanis prioribus, sed quadringentis annis post? Quosdam illorum.* (Christianorum) *haec objectio valde premit, qui in verbis,* להשיב ולבנות ירושלם עד משיח נגיד:, *dubium movent. q. d. structuram templi usque ad illorum Messiam duraturam. illud autem quod Propheta porro dicit,* שבועים שבעה, *conjungunt cum sexaginta duabus, tanquam dicat, septem septimanae erunt & sexaginta duae, & aedificabitur iterum &c. Sed haec explicatio insipida est. Secundum illorum verba enim scribendum ei fuisset, septimanae sexaginta novem, & quamobrem inter septimanas septem & 62. instituisset partitionem, quandoquidem de omnibus in universum dicat:* iterum aedificabitur platea?

§. 8. Sed videamus ad recutiti argumentum, quod huic in modum se habet. Quo intervallo Christus non venit, illud de eodem non potest intelligi. At priori intervallo Christus non venit, nempe VII. prioribus septimanis, E. de eodem non possunt intelligi. Negamus majorem propositionem simpliciter. Licet enim eo ipso, seorsim & secundum se considerato, haud venerit: quia tamen pars est totius illius majoris intervalli sive temporis, quod inde ab edicto de reducendo populo & aedificanda urbe ad Messiam usque lapsurum, angelus praedixit, nihil causae est, quamobrem hunc locum de Messia nostro intelligendum esse negemus. Neque est, ut Abarbanel dicat, Gabrielem sic dicturum fuisse 69, absque divisione ulla. Ratio enim, cur ita in tres partes illas partitus fuerit, est haec, quod unicuique intervallo sive tribus partibus LXX. hebdomadum suum peculiare & distinctum complementum eventus esset, id quod ne ipsi quidem Judaei infitias ire possunt.

§. 9. Etsi enim Rabbi Asarias pag. 135. nobis repugnare videtur, sic scribens: אין שום אופן לחטט ולשאול מה טעם מספר השבועים שבעים והתחלקתם בשלשה שיעורים שזכר כן גזרה חכמתו יתברך *Non est scrupulose quaerendum, quae ratio sit numeri LXX. Hebdomadum & earum divisionis in tres partes, quarum meminit. Sic enim divinae sapientiae est visum:* minime tamen his verbis aliud quid vult, quam curiose non esse quaerendum, cur Deus in tot spatia totum LXX. Hebdomadum numerum partitus ad res ibini includere voluerit. Neque negat, ipsis intervallis tribus suum certum πλήρωμα assignandum esse. Patet id ex ejusdem verbis, quae ita p. 134. habent. הנה מבנין הבית המשוכלל על יד זרובבל בשנת שתים לדריוש כאמור עד משיח נגיד אשר יוסיף בטובה לבנות חומות ירושלם ימשכו שבועים שבעה שהם מ"ט שנים וששים ושנים שבועים ימשכו עוד אשר בהם תהיה העיר עם רחובה וחריצי חומותיה פעם חרבה פעם בנויה לפי העתים המשונים שיעברו עליה במלחמות כמה מלכים מן היונים וגם מן הרומים בימי פו"מפיו שר צבאם אף קודם מלחמת טיטוס כפי הידוע: *Ecce ab aedificatione templi per Zerubabelem peracta anno secundo Darii, sicut dictum est: usque ad unctum principem, qui beneficia additurus erat muros extruendo Hierosolymae, septem septimanae durabunt, quae 49. annos conficiunt. Porro vero LXII. Septimanarum intervallo urbs cum platea & fossionibus murorum ejus erit. Interdum vastabitur, interdum aedificabitur pro diversorum temporum ratione, & plurimorum regum, cum Graecorum tum Romanorum, Pompeji aetate, qui dux exercitus illorum fuit, antequam Titi bellum ingrueret, veluti notum est.*

§. 10. Quibus verbis licet irrito conatu, errorem supra à nobis profligatum propugnare satagat, nempe verba: *ad unctum principem*, Artachsastam designare, cujus beneficio muri Hierosolymae fuerint extructi, & ita assensum mereat nullum: nihilominus illud exinde discimus, Judaeum hanc prophetiam aliter haud intellexisse, quam ut unicuique parti Hebdomadum sua quasi propria compleantur, debeant competere & assignari, contra quam hodie Christianorum nonnulli doctores solent, qui de prima divisione dubitant. Josephus enim Scaliger, *quo*, inquit, *pertineant septem septimanae, neque Daniel definivit, neque ego scio*, & Dionys. Petavius, quo primum intervallum pertineat, satis exploratum esse negat. De docto etiam viro, sive Lyrano, sive Paulo Burgensi ipse R. Abarbanel ait: ככר כתב ההגמון שלא מצא טעם נכון בשבעה שבועות האלה: *Dudum scripsit Episcopus, non se invenire sensum commodum in septimanis illis.*

§. 11. Sane etsi cum Beza quidam doctores τὸ ἐπέχειν eligerunt, & in neutram partem aliquid decernere sustinent: quidam tamen persuasum habent, hanc divisionem esse plane arbitrariam, neque plus mysterii involvere, quam illam partitionem, cum Ezechiel. 45: vs. 12. viginti sicli, viginti quinque sicli, & quindecim sicli, mina esse dicuntur. Uti cum Scaligero Joh. Vossius Chr. Sac. praef. ad Lect. & alii docent. Hugo quoque Grotius, annot. in h. l. Ebraeorum idiotismo hoc tribuit, quippe quibus receptum sit, perfectum in particulas scindere, deinde numerum minorem praemittere majori, ut Gen. 5. saepissime Gen. 8: 3. Sed locus ex Ezech. allatus id minime probat, cujus causa à Scaligero adducitur. Neque enim dicis causa illa divisio est ibi instituta, sed de industria & certo consilio, velut ipse R. Abarbenel largitur. com. ad l. cit.

ובזה

ובזרה שחלק אותו לאלה החלקיי הוא לפי שכל אחד היה משקל בפני עצמו: *Quod eam* (minam) *divisit in eas partes XX, XXV, & XV, ideo factum est, quod unaquæque pars ponderis moneta erat per se.* Quantopere etiam contextus Scaligero adversetur, B. D. Franzius, disp. X. schol. sacrif. Patriarch. θ. 18. ostendit. Quod vero Grotius ad Ebr. linguæ idiotismum provocat, vel ipsa exempla ab eodem adducta eum falli, ostendunt.

§. 12. Manet igitur hoc firmum & fixum, quod ceu *ultima* hebdomas, & *media* suum complementum eventus habent expressum, ita omnino VII. prioribus septimanis, itidem suum peculiare & quod maxime populi Judaici intererat, complementum competere. B. Franzius l. cit. omni asseveratione affirmat, *reædificationem platearum & murorum pertinere ad priores hebdomadas, quæ 49. annos efficiunt.* Sed cum murorum fossarumque reparatio haud obscure medio intervallo angelus assignet, aliud quidpiam sit oportet, quod primo intervallo tribuatur. Sive vero hoc numero VII, Hebdomadum anni XLVI. Joh. 2: 20. quibus templum restauratum est, significentur, sive hoc spatio Hierosolymam, (quæ hactenus vastitas erat mera,) urbis nomen recuperasse, innuatur, (quæ Magnif. Dn. D. Geieri, interpretis dexterrimi, sententia est,) ut LXII. sequentibus Septimanis eandem urbem, variis licet mutationibus obnoxiam ædificatam, & muris fossisque munitam, usque ad *unctum ducem* mansuram esse dixerit Angelus, veritas huic vaticinio satis abunde constabit.

§. 13. Sic igitur duo priora intervalla, quæ VII. & LXII. Hebdomadum esse perhibentur, expresse *ad unctum ducem* se porrigere, videmus. Ex quibus nominibus, quid Ludovicus Cappellus, pag. 25. Chronolog. sacr. colligat, seqq. ipsius verba testantur: עד משיח *non de nativitate, sed baptismo intelligi debet. Vox unctus non tam personam, quam munus respicit. In baptismo enim factus est Christus, cum antea esset* θεάνθρωπος. Nec abludit multum ab eodem Petavius, Rationar. Tempor. part. 2. lib. 3. *Septuagesima*, inquiens, *hebdomas iniit anno ipso, quo Christus à Johanne baptismo tingitur Period. Julianæ 4742. & lib. XII. cap. 35. de D. T. LXIX. hebdomades desinunt in Christum ducem non nascentem quidem, sed in lucem apertumque prodeuntem, seque ad* οἰκονομίαν *atque* κήρυξιν *accingentem, h. e. in baptismum ipsius, qui anno primo septuagesimæ hebdomadis incurrit.* Longe aliter vero Fr. Junius, qui cum initium septimanarum in Darii Nothi anno secundo posuisset, illud tempus in verbis עד משיח notari dicit, quo Christus se Dominum esse demonstravit judicio severissimo in urbem & populum Judaicum, & beneficio Evangelii caput & principem Ecclesiæ.

§. 14. Ita interpretes variant, & pro suarum interpretationum, & LXX. septimanarum initii, quod statuunt, varietate, verba עד משיח ad certa & definita tempora restringunt, sed rationibus haud ita firmis nixi. Quod enim Capellum attinet, vocem *Unctum* urgentem, quæ non tam personam quam officium denotet, & ita Christum *baptizatum* præcise respiciat, & tempus, quo baptismus illius accidit, nullius ea est momenti. Τὸ unctus enim dupliciter potest accipi (1.) *materialiter* prout nude pro ipso subjecto supponit, sive id quod denominationem sustinet, denotat, præcisa unctione, sive futura sive præterita. (2.) *formaliter*, quatenus illius vocis principale significatum est forma, nempe unctio. At sic causæ nihil est, quamobrem hoc potius, quam priori modo, vocem, hoc loco, accipiendam esse asserat. Neque ut Capellus sentit, demum in baptismo, Christus est unctus. Neque unctio illa est donum gratuitum gratiæ sanctificantis, sed est ipsa unio divinæ substantiæ cum humana, in unitate personæ, adeoque in primo unionis momento Dux ille Christus est factus, ut sic parum recte sit locutus Capellus. Similiter nec Junius suæ sententiæ ex hac locutione subsidium invenerit, cum ea distincte haud exprimat, an ad nativitatem collineet, ut Syrus accepit, qui ܠܡܐܬܝܬܗ ܕܡܫܝܚܐ *& ad adventum Messiæ* vertit; an ad primam ejus collocutionem cum Doctoribus in templo, ut Hervatus, Gravius & alii volunt, an ad prædicationem in populo, vel ascensionem in cœlos, qua Rex demonstratus est, loquatur. Ita nempe hæc in incerto relinquere voluisse Scriptura videtur, ut plane verisimile sit, Deum non voluisse præcise & examussim indicare ipsum annum mortis Christi, sed piorum scrutationi aliquid relinquere, ut eventum cum oraculo conferendi habeant commodiorem occasionem.

§. 15. Quid intervallo dicto futurum sit, seqq. verbis exprimitur: ותשוב ונבנתה ובצוק העתים *& reædificabitur, & in angustia temporum.* Notandam nonnulli censent correspondentiam vocum membri 2. & 1. prout sc. ibi est להשיב, ita hic תשוב prout ibi לבנות, ita hic נבנתה. Quibus ut haud absentimus, ita tamen illud quoque ex iis, quæ supra diximus, manifestum esse arbitramur verbi להשיב aliam significationem esse, nempe transitivam, & populum respicere reducendum, cum contra תשוב alias intransitivam habeat significationem, & h. l. adverbii loco per Ebraismum sit posita. Quem sane, utut Ebræus, R. Abarbenel, minime assecutus est, cum scripsit: אשר תשוב לרמוז אל רשות דריוש שהיה השני ובו נשלם ה"ע מהפקידה: תשוב *ait, ad indicandum facultatem, quam Darius dedit, qui secundus erat, & per eum 70. visitationis anni sunt finiti.* Cum Ebraismus ille minime ad primo impeditam illam, deinde permissam exstructionem destructæ urbis respiciat, neque ut Abarbenel sibi persuadet, à Dario datam licentiam nobis suggerat.

§. 16. Quum vero hoc ובצוק העתים futurum dicitur, sciendum est, dupliciter ea verba explicari. 1. de *angustia* vel *brevitate temporis*, quod spatio haud ita magno illa structura ad umbilicum sit deducenda. Quomodo ordinaria glossa vocem accipit. Similiter Petavius lib. XII. cap. 35. de D. T. temporis angustiam dici contendit, *quod minus sit è duobus intervallis.* (2.) Ut *coarctationem* significat libertati oppositam, sic de afflictionibus accipitur, quæ הצרות R. Saadias vocat. Cui consentit autor libri Michlal Jophi, qui, cum vocem explicaturus dixisset, שם ענין צרה *nomen est & significat adversitatem*, porro in h. l. scribit: להגיד שבזמן בנין הבית יהיה להם מצוקות וצרות משכניהם עד שהיו חצים מחזיקים ברמחים וחצים עושים במלאכה כמו שספר בעזרא: *ad indicandum, tempore structuræ, ipsis fore angustias, & anxietates à vicinis suis, ita ut dimidia sui parte lanceis instructi, dimidia vero structura occupati essent, ut in libro Esdræ narratur,* (Nehem. 4: 15.) Atque hæc posterior explicatio applausum meretur, ipsi quoque B. Luthero probata, dum reddit, in kümmerlicher Zeit. Nempe sic innuitur, non unius modi fore tempora, sed quædam ærumnosa & adversitatum plurimum esse habitura. Atque ita ה præfixum in העתים idem denotat ac *aliqua*, veluti alibi quoque Genes. 8: 7. 9: 24. 14: 13. Exod. 4: 12. usurpatur. His angustiis non plateas modo sed חרוץ restauratum iri affirmat. Quam vocem Abarb. his verbis explicat: היא החומה והחפירה כביבה לחוק את העיר: *muros & fossionem notat, quæ eos circumdat, ad muniendam urbem.*

CAPUT III.

SUMMARIA.

Quo sensu Isaaci Vossii effatum assensum mereatur, vaticinium hoc haud parum male à Judæis in Ebraicis & Græcis exemplaribus habitum esse. *Judæos accentum Athnachum voci* שבעה *apposuisse suæ detorsionis causa Gordonus Huntlæus contendit. Interpretamenta Judæorum quæ? R. Asarias laudatus. Responsio ad Jesuitæ objectionem. B. D. Glassius & Magn. Dn. D. Geierus laudati. Rationes Viri cujusdam doctissimi, cur versio verborum:* ab exitu verbi ad redire faciendum & ædificandum ad Messiam ducem, *stare nequeat. Nova ejusdem explicatio allata. Cur ea minus probabilis. Alia alius Doctissimi Viri explicandi ratio. An* להשיב & לבנות *h. l. sine verbo regente occurrant. Negativa sententia probata. Cur accentus Rviæ hoc loco ratio habenda non sit. B. D. Franzius & Dn. D. Calov. laudati. R. Asariæ de accentuum antiquitate judicium. Eorundem in modulatione apud Ebræos usus, ex Talmude & Scholiaste ejusdem ostensus. Cretensium mos leges cantillando discendi, Æliano teste. Item Christiani consuetudo discipulos modulando docentis artem mensurandi, ex R. Asaria allata. Ejusdem Ebræi de Cabbalistarum ex accentibus arcana elicientium consuetudine judicium, vaticinii præstantia & difficultas.*

§. 1. QUem sensum verborum vaticinii hujus Judæorum Magistri eliciant, quantisque tenebris eum involvere conentur, & quem Christiani Doctores eruant, sic satis abunde perspeximus. Id adhuc superest, ut quæ occasione effati

fati Cl. Viri Iſaaci Voſſii, diſputari queant, videamus, qui Chronol. Sacr. pag. 184. *totum Danielis locum haud parum male à Judæis tam in Ebræis, quam Græcis exemplaribus exceptum fuiſſe aſſeverat.* Qua accuſatione ſi recutitos ejuſmodi inſimulat criminis, quo odio Chriſtianæ fidei, demtis vel mutatis vocibus violentas manus textui intulerint, uti ipſum ſentire, ea, quæ libro illo fuſe diſputat, arguere videntur, injuriam ipſis fieri in aprico eſt. Dudum enim à Theologis eſt demonſtratum, hoc juris ipſos ſibi nunquam ſumpſiſſe. Ut vel unam literam de induſtria immutarent. Quod ſi vero dicam eis ideo ſcribit, quod gloſſis ſuis verba alioſum detorſerint, haud inviti hoc ipſi largiemur. Longe alium enim, quam veri nominis Meſſiam verbis, עד משיח נגיד eos intelligere, ſupra vidimus, adeoque vaticinium, quo ſe premi à Chriſtianis vident, nobis eripere, & argumenta inde deducta eludere ſatagunt.

§. 2. Adhuc alterius fraudis Judæos accuſavit Gordonus Huntlæus, *præclaram*, inquiens, *illam prophetiam de tempore adventus Chriſti conantur Judæi detorquere ad Zorobabel, qui venit poſt captivitatem Babylonicam, & ut hoc præſtent, ſeparant ſeptem hebdomadas à ſexaginta duabus per accentum Atnach, qui unam ſententiam diſtinguat ab alia.* Nempe in ſubſidium ſuæ explicationis, qua de Zerubabele vaticinium explicant, eumque verbis עד משיח נגיד intelligendum eſſe contendunt, accentum Athnachum ad ſeparandas 62. hebdomadas à ſeptem ſeptimanis voci שבעה de induſtria appoſitum eſſe Jeſuita contendit. Sane diffiteri nolumus, Judæorum interpretamenta, quæ ſupra recenſuimus, ſupponere accentus illius officium, qui fere ſedem ſuam ibi figere ſolet, ubi prioris hemiſtichii ſenſus eſt abſolutior, & à ſubſequentibus quodammodo divellitur. Idem videre eſt ex Aſariæ verbis, quæ in Meor Enajim, part. 3. cap. 41. ita habent: היינו מ"ט מהם משנת שתים לדריוש בונה הבית עד בוא נחמיה לירושלם או עד שנת כ"א לארתחשסתא הבונים שניהם חרבות למו: *Quadraginta novem anni ſunt illi, qui à ſecundo anno Darii templum ædificantis elapſi ſunt, uſque ad Nehemiam Hieroſolymam venientem, aut Artaxerxen, quorum uterque ſibi ſolitudines ædificavit.* (Job. 3: 14.)

§. 3. Ex quibus verbis apparet, Judæos VII. hebdomadas à ſubſequentibus LXII. ita diſtinguere, ut hæ plane ad unctum Ducem (quem hic iterum vel Nehemiam vel Artachſaſtam eſſe fuerunt,) haud pertineant: Quæ explicatio Chriſtianorum ſententiæ è diametro eſt contraria, utpote qui accentus illius vim haud ita attendunt, ſed perinde acſi ille abeſſet, utrumque intervallum ad unctum Ducem extendunt, quo præterito, uncti illius ſecutura ſit exciſio. Atque hinc Jeſuitæ ſcripturam à Judæis depravatam eſſe contendenti orthodoxi reſpondent, non eam virtutem accentus Athnach perpetuam eſſe, ut prius hemiſtichium terminet, ſed illum tam aperte officio diſtinguendi interdum haud fungi, veluti vel ex initio Gen. 1: 1. eluceſcit. Conf. B.D. Glaſſium, Philol. Sacr. lib. I. tr. 1. pag. 164. de Textus Ebræi puritate. Magnif. Dn. D. Geierum com. in Daniel. cap. 9. pag. 739.

§. 4. Diximus, Chriſtianos oraculum ita hactenus explicaſſe, ut ab edicto ad Unctum ducem ſeptem & ſexaginta duæ hebdomades futuræ dicantur. Quæ ſententia, licet communis, & B. Lutheri Verſioni, & plurium interpretum explicationi conſentanea ſit, non deſunt tamen, qui eam per accentuationem, cujus incredibile arcanum in lucem protractum dicitur, ſtare poſſe, negent. Illuſtris enim Academiæ Profeſſor celeberrimus ſuper h. l. verſione prolixe diſputat. *reclamat*, inquiens, *multipliciter accentuatio. 1. non permittit Rvia membri 2. terminari membr. 1. ſeu pleniorem, quam in voce Athnachata ſenſum, ita ut conjungere liceat 7. hebdomades membr. cum 62. membr. Debuiſſet hac ratione Athnach deſcendere ad* שנים. *ſed & 2. vel magna accentuum in memb. 1. danda tranſpoſitio, vel negandum illud,* עד משיח נגיד, *reſpondere illi,* מן מצא דבר, *ſub notione termini, ut reddere liceat:* Von der Zeit an/ ſo ausgehet der Befehl biß auff Meſſiam den Fürſten ſeyn 7. Wochen und 62. Wochen. *Obſtat quippe 3. in* ותשכל *poſitum non Rvia, ſed Gereſch, & ipſe Rvia poſitus in* דבר. *Obſtat 4. (licet ex Veneta detur rectius Kadma in* להשיב,) *paſta in* ירושלם *qui ſemper diſtinctivus minor eſt priore, & adeo minor quoque Rvia remotiore, ut impoſſibile ſit, in tali accentuatione ita reſolvere: ab egreſſu verbi (ſcil. de reædificandis Hieroſolymis) ad uſque Meſſiam ducem. Tollendus eſſet Rvia* דבר, *ut jam inde à* מן מוצא דבר *ſeu accentu vocis* ותשכל *nullus inveniretur Rex major illo paſta, quam in* ירושלים.

§. 5. Quandoquidem vero ita communi explicatione valere juſſa, aliam in medium affert eamque plane novam, ecquomodo textum ille explicandum cenſeat, audiemus. *Convenit*, inquit, *accentuatio cum complemento. Nec enim ab edicto illo ad Meſſiam dare licet ſive ſolas 7. hebdomadas, ſive 69. hebdomadas, niſi cum Junio violenta ampliatione ſubvenias. Unde & Grotius, licet ſuperiori modo expreſſerit, monuit tamen* עד *hic non ultimum terminum notare, ſed aliquid intra illos terminos contentum. Jubet Gabriel in LXX. illis hebdomadibus, & adeo jam inde ab edicto illo promulgando de reſtitutione Hieroſolymorum ædificandorum & duraturorum uſque ad Meſſiam Ducem, probe æſtimare vel obſervare 7. hebdomades, non ac ſi illæ 7. ſint neceſſario primæ, & illæ ſive reductioni populi ſive etiam reædificationi Hieroſolymorum impendendæ, & adeo priores ante illas 62. numerandæ, vel quod ab edicto ad uſque Meſſiam ſint 7. hebdomades, quæ Gabriel dixiſſet, falſum dixiſſet. Sufficit 7. hebdomadum rationarium ſingulariter præſcribi, quod ſi ordinandum, rectius ex conſilio fontium 62. illæ hebdomades anteirent, ſequerentur 7. hebdomades & tandem una, ita ut 62. hebdomadum, ſeu 434. annorum ſtatus deſcribatur v. 25. membr. 2. ſeptem illorum v. 26. m. 1. unius noviſſimæ c. 26. m. 2. & v. 27. atque ita hebdomadum ordinatio cum præcipuis agendis detur ex ipſo Daniele, vel à Gabriele Danieli.*

§. 6. Dum vero conceditur, *unam* ſeptimanam, eamque ultimo loco recenſitam ab angelo, rem noviſſimam continere, omnino æquum eſſe videtur, ut in reliquis quoque intervallis angelum rerum ordinem ſecutum eſſe credamus. Saltem ut rem priorem primo intervallo incluſiſſe, eamus infitias, aut *conſilium fontium*, ut vocatur, ſecuti 62. hebdomades prioribus præmittamus, nihil cauſæ eſſe videtur. Si vero *ex Chronologia hoc* πραγματικῶς liquidum eſſe, dicatur iterum in propatulo eſt, quam ſiniſtre ea, quæ hoc modo conjecturæ inſtar docentur, ipſi ſcripturæ literæ præferantur. Ut nunc taceam, alium Virum clariſſimum, accentuum miniſterio in explicando hoc vaticinio cæteroquin itidem uſum, inverſionem ejuſmodi intervallorum *prophane fieri*, aſſerere, & ſic & illi viſam eſſe violentiorem, quam quæ acceptari debeat.

§. 7. Urget quidem & hic ob accentum diſtinctivum Rvia in דבר, terminum à quo in מן מוצא דבר & עד משיח נגיד in terminum ad quem, figi haud poſſe; ſervato igitur recepto intervallorum ordine, primo; eventus complementum tantum indicari contendit. Quod ut obtineat, duos infinitivos השיב & לבנות præfixam literam ל ſine præcedente verbo regente, habere docet, quali præfixione ſine verbo regente uſitatiſſime Ebræis ſignificetur, quod aliquid fieri debeat, ſeu omnino faciendum ſit, adductis locis Eccleſ. 3: 18. & 14. Eſther 9: 1.

§. 8. Sed niſi me omnia fallunt, exempla allata id minime probant, ad quod probandum afferuntur. Ut hæc regula nulli adhuc interpretum nota, nedum probata, aſſenſum haud mereatur. Ubique enim aliqua vox præcedit, qua infinitivus regitur. Eccleſ. 3: 18. *Dixi ego*, לברם. verſ. 14. *novi* אין להוסיף Eſther 9: 1. *pervenit verbum Regis & lex ejus* לעשות. Neque hoc Danielis loco vox deeſt, quæ utrumque infinitivum regat. Etſi vero verbum immediate non antecedat, nomen tamen ad verbi ſui ſimilitudinem uſurpatum occurrit. Ut enim alias verbum יצא conſtruitur cum infinitivo, præfixa litera Lamed, ex gr. Gen. 24: 13. יצאה לשאוב *exivit ad hauriendum.* יצא להלחם *egreſſus eſt ad oppugnandum*, Eſai. 37: 9. & Dan. 9: 22. יצאתי להשכילך *egreſſus ſum ad te informandum*, ita hic voces מן מוצא ſimiliter verba ſequentia להשיב ולבנות regunt, & dictioni דבר juncta edictum regium determinant, & qualitatem ejus ita deſcribunt, ut abſque iis ſcire lector nequeat, cujuſmodi decretum promulgandum intelligat angelus, quod tamen noviſſe, lectoris omnino intereſt. Atque hoc adeo manifeſtæ veritatis eſt, ut ii etiam, qui lectionem, qua inde à vocibus מן מוצא דבר velut à termino à quo, ſenſus continuatur, uſque *ad Meſſiam unctum* tanquam terminum ad quem, improbant, fateantur, *omnino reſpectum illius* מצא דבר *formalem & objectivum eſſe illud* להשיב ולבנות.

§. 9. Cum igitur τὸ מצא דבר reſpectum ad ſequentia verba להשיב ולבנות habere concedatur, & præpoſitio מן, ut terminus à quo, particulæ עד, ut termino ad quem, alias reſpondere ſoleat, merito quæritur, utrum ſolus accentus Rvia in voce דבר hoc evincat, & comprobet, verba להשיב ולבנות magis cohærere cum proxime ſequentibus עד משיח נגיד quam cum præcedentibus מן מצא דבר; adeoque non poſſe uniri cum termino iſto à quo, neque ſic contradiſtingui quaſi termino ad quem (Meſſiæ Duci). Sane de hoc tanto magis dubitandum eſt, quanto frequentius accentus ejuſmodi ſolito

ſuo

ſuo officio haud fungi deprehenduntur. Exemplum hujus rei in hoc ipſo vaticinio noſtro occurrit. In verbis enim ובצוק העתים accentus Tiphcha ipſo Rvia alias ſuperior, inſtar ſervi conjungentis ſe ſiſtit, ut *irregulari poſitu* in vocibus cohærentibus cum ſubſequente illum non tam plene & perfecte diſtinguere, quam potius emphatice paulum eas alias jure conjungendas ante magnum Dominum ſuſpendere, Vir doctiſſimus perhibeat. Uti vero hic deficiente ratione hujus accentuationis, ad emphaſin fruſtra provocatur, ita an ex accentus Rviæ locatione, ubi tamen itidem irregularis poſitus eſſe poſſit, recepta explicatio recte impugnetur, lectori docto & æquo expendendum relinquo.

§. 10. Dicitur quidem, perevidentem accentum Rvia in דבר & ſakephkaton in נגיד illud להשיב & cætera non licere reſtringere ad 7. ſeptimanas, niſi in דבר ponatur Sakephkaton, ſed neque hoc interpretem moverit, qui univerſalia potius interpretandi principia obſervanda, quam illum ordinem accentuum tam inconſtantem, neque ſatis probatum ſequendum, perſuaſum habuerit. Maxime cum tot ſeculis Judæi illorum notitiam exactiorem ſe amiſiſſe, fuerint teſtati, ita ut ne tantillum quidem de iis ſe ſcire dicant, Chriſtiani vero necdum in iiſdem explicandis conveniant, ſed *inextricabilem adhuc illam doctrinam manere*, aſſeverent. Confer Cl. Sennertum de accentibus.

§. 11. Quid Amando Polano, ad ſtatuminandam ſuam explicationem accentum Sakephkaton urgenti, reſponderit B. Franzius, ex Schola ſacrif. Patriarchal. diſp. X. θ. 63. liquet, ubi hunc in modum interpres inſignis ſcribit: *Major ratio contextuum in rebus ſacris inveſtigandis ſemper & regulariter habenda. Utrum initio Biblia cum punctis & accentibus ſint exhibita, à multis diſputatur, & Judæi doctiores negant hodie, ut nihil dicam, accentuum variationem in tanta annorum mundi multitudine contingere multiplicem potuiſſe. E contra contextus ſolidis ſtat pedibus de 70. Hebdomadibus in tria membra diviſis. Abſurdum igitur eſſet, à contextu ad accentus confugere, & ex ſolo accentu explicationem torquere velle.* Ita Reformato doctori reſpondit interpres ſcripturæ ipſis reformatis laudatus, B. D. Franzius, cui ex eadem illuſtri Wittenbergenſi Academia jungemus alium, eumque itidem celeberrimum Theologum, Dn. D. Calovium, qui diſcuſſione infallibilis Chronologiæ Ravianæ itidem *contextus rationem potius habendam eſſe* docet, *miſſis accentuum legibus, iiſque fortaſſis plane novellis,* χθὲς ἢ πρώην *enatis, nec ſub examen accuratius adhuc revocatis, nedum à ſenatu Philologorum approbatis.* Digna etiam notatu ſunt reliqua verba Viri clariſſimi, *in accentibus*, inquientis, *certe primus autor B. Bohlius nullam ſe adhuc invenire* ἀπόδειξιν, *cum ſuam vulgaret, ingenue mihi profeſſus ſancteque teſtatus eſt; diſcipulus vero illius M. Caſpar Ledebuhr, convictor quondam meus, cui pleræque illæ regulæ poſt B. Bohlium debentur, iis difficultatibus implicitus hærebat, ut in præcipuis oraculis adverſus Chriſtiani orbis fidem, imo quandoque etiam adverſus autoritatem N. T. ex ſua accentuationis doctrina & adinventione pervicaciſſime diſputaret, cauſamque Judæorum contra noſtrum in Academia Regiomontana collegium Theologicum literis ſcripturiſque publice ageret, quas proinde Grammaticorum filiis excutiendas relinquimus.*

§. 12. Quod accentuum leges heri demum & nudius tertius natas, haud ita attendendas monet, utpote necdum ſatis probatas, in eo plures iique doctiſſimi ei adſtipulantur. Tanto potiorem cauſam habent de illis dubitandi, quanto accentuum ætas eſt obſcurior, & ipſis doctoribus Ebræis novitatis ſuſpecta. R. Aſarias ſane parte 3. Meor Enajim, cap. 59. cum de punctorum antiquitate egiſſet, tandem quid de accentuum ætate ſibi viſum ſit, pag. 180. his verbis teſtatur: אפס הטעמים שאינם אלא פרפראות להבנת הענינים ובלאר"ור נגד השכחה אינני מחליט שהיו קדמוני' כהנה אבל אפשר שנתחדשו בדור מן הדורים מתי שהיו מלפנינו' ואתה תחזה דבר בעלי התוספות בסוף מגלה שהקדמונים היו נוהגין הנגינות גם למשניות לעזר אל הזכירה: ואני כשכבר הימים אשר עבר זקוק קצת הספרים על ידי ראיתי שני עפרים מהקדמונים מת"ק שנה עם הנקודות והטעמים מפסיקים: *De accentibus, qui non niſi minutiæ ſunt ad res intelligendas, & ab oblivione vindicandas, id aſſerere haud ſuſtineo, ipſis eſſe eos coævos. Sed fieri poteſt, ut aliquo ſeculorum ante nos elapſorum orti ſint. Deprehendes quoque autores additionum ad Maſſecheth Megilla ſub finem teſtari, quod priſcis receptum fuerit etiam ad Miſchnaios cantum adhibere, vel eas modulari memoriæ juvandæ cauſa. Et ego ſuperioribus annis, cum libris mihi opus eſſet, in manibus meis duos codices habui quinque ſeculis antiquiores, qui punctis erant inſtructi & accentibus diſtinguentibus.*

§. 13. Negat diſerte Aſarias, ſe abſolute pronunciare poſſe, accentus ejuſdem antiquitatis eſſe ac puncta, neque veritati ipſius judicio repugnat, originem eorum arceſſere à temporibus haud ita remotioribus, quibus accentus ipſi etiam Miſchnæ adjecerunt, nempe memoriæ juvandæ cauſa. Verba Gemaræ in Maſſecheth מגלה ſub finem habent ita: הקורא בלא נעימה ושונה בלא זמירה עליו הכתוב אומר וגם אני נתתי להם חוקים לא טובים: *Quicunque legit Scripturam ſine ſuavi modulatione, & Miſchnam ſine cantu, de eo ſcriptura ait: Ecce dedi eis ſtatuta non bona* (Ezech. 20: 25.) Autores additionum, quos R. Aſarias laudat, ad verba השונה בלא זמירה ſcribunt hunc in modum שהיו רגילין לשנות המשניו' בזמירה לפי שהיו שונין אותן עם פה ועל ידי כן היו נזכרין יותר: *Conſueverunt enim Miſchnaios legere cum cantu. Quippe oretenus recitabant eos, & hoc modo memoriæ magis imprimebantur.* Quod memoriæ juvandæ cauſa factum eſſe perhibet in ſcriptura & Talmud cantillandis, id in legibus ſuis diſcendis Cretenſes olim itidem factitaſſe, Ælianus autor eſt. Lib. II. enim cap. 39. Variar. Hiſtoriar. hunc in modum ſcribit: Κρῆτες τοὺς παῖδας τοὺς ἐλευθέρους, μανθάνειν τοὺς νόμους ἐκέλευον μετά τινος μελῳδίας, ἵνα ἐκ τῆς μουσικῆς ψυχαγωγῶνται καὶ εὐκολώτερον αὐτοὺς τῇ μνήμῃ παραλαμβάνωσι. *Cretenſes juſſerunt liberorum filios cum quodam concentu & melodia leges perdiſcere, ut ex Muſica voluptatem capientes facilius eas memoria complecterentur.* Nec reticendum illud eſt, quod occaſione accentuum R. Aſarias laudatus refert l. cit. In Academia Bolonia ſe Chriſtianum vidiſſe, qui cum diſcipulis alta voce *canendo*, artem menſurandi docuerit eos, & ita הוריות ההנה קבע במוח *iſtas demonſtrationes cerebro infixerit.*

§. 14. Uti Judæorum doctiſſimus de accentuum officio diſputat, illud haud poſtremum fuit, quo modulationi inſervierant apud Ebræos. Ex quibus apparet, id, quod tot inſignes doctores cum Ebræorum teſtimoniis, tum ipſa hodienum durante modulandi ratione apud Judæos adducti ſtatuunt, à veritate alienum haud eſſe, nempe quod accentus cantillationis etiam notulæ ſint, & hunc uſum Judæis jam olim præbuerint. Eos vero à Viris θεοπνεύστοις textui additos eſſe, ne Rabbi Aſariam quidem ſtatuiſſe comperimus, qui de Cabaliſtis myſteria in accentuatione venantibus ſic loquitur: ואמרת כי בראותנו המקובלים מיחסים גם להם סודות כאמור יתכן שנתקבלו מסיני כי אם היו אחרי כן המצאת מי משלנו השם יודע מחשבות אדם אם המה הבל: *Certe cum Cabaliſtas videamus ſibi arcana tribuere, ut dictum eſt, debent ex monte Sinai hæc accepiſſe. Si enim poſt demum noſtrum quidam eos invenit, novit Deus hominum cogitationes, an vanitates ſint.* (Pſal. 94: 10.) Videtur eos pungere, quod arcana crepent accentuum, necdum certi, cujus illi ſint originis, perinde ac præpoſteri inſtituti Pontificem Romanum poſtulavit Henriquez, quem idcirco dicterio ſalſe perſtrinxit: *Ego*, inquiens, *ſi Romanus Pontifex eſſem, prius definiſſem, an B. Virgo ſine peccato concepta ſit, quam feſtum immaculatæ conceptionis inſtituiſſem.*

§. 15. Ut vero eo, unde digreſſi ſumus, revertamur, quod in דבר accentus Rvia & non Sakephkaton apparet, minime evinci arbitramur, receptam Verſionem B. Lutheri ſtare haud poſſe. Licet etiam vaticinium hoc tam controverſum ſit, ut haud facile inter interpretum plures ſententias aliquam eligas, quæ in omnibus ſatis faciat, maxime quod initium & finem Hebdomadum attinet, de Chriſto tamen Salvatore, ejus incarnatione & paſſione id agere, nobis dubitare haud licet, neque ſine fructu contra Judæos id urgeri, ipſa experientia ſatis comprobavit.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De Judæorum amentia, cæcitate, & stupore circa tempus adventus Messiæ ad Dan. IX: 26, 27.

בשם השם נתחיל:



QUod Deus Opt. Max. jam olim populo Judaico maximopere exprobravit, Jerem. 2:12. *Duo*, inquiens, *mala fecit populus meus, me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas rimosas, quæ aquam continere non valent*, id hodieque in illorum posteros non dissimilem ob causam quadrat. Ut enim incredibilis stuporis documentum id temporis ediderunt haud obscurum, cum Deo, omnis boni auctore, turpissime neglecto & posthabito, ad gentilium idola & cœlestia astra se converterunt, eisque cultum Divinum exhibuerunt, quibus omnem suam salutem ferrent acceptam: ita etiamnum non simplex, sed geminum designant crimen, dum insuper habita Scriptura sacra, unde omnium credendorum, & cumprimis illorum, quæ de Messiæ adventu beneficiisque scire nostra refert, certitudo haurienda est, ex constellatione Siderum, & Planetarum præcipuorum in iis conjunctione, sortem meliorem, suumque tot seculis optatum sospitatorem sibi pollicentur. Atque ita revera *fontem aquæ vivæ*, Dei puta verbum, derelinquunt, & cisternas, veluti fractas inutilesque fabricantur. Suo id exemplo satis superque comprobat Rabbi Abarbenel, qui licet ingenio alias præ aliis acuto præditus fuerit, & Scripturæ interpres haud ita contemnendus ab ipsis Christianis habeatur; eo tamen vesaniæ progredi nullus dubitavit, ut de tempore adventus Messiæ, quod Scriptura indice quasi digito, Genes. 49: 10. Dan. 9: 25. designavit, ex conjunctione Saturni & Jovis in Sidere Piscium postliminio judicium ferre, & hoc modo suos contribules solari, totque votis in singulos dies expetiti liberatoris spem facere ausus sit. Ita enim pag. 91. col. 4. comment. in Daniel. loquitur: תכלית כתבי וסוף דברי וכל מאויי בספר הזה אשר עשיתי לחזק ידים רפות וברכים כשלות יאמצו: *Scopus scriptionis meæ & finis verborum meorum omniumque adeo desideriorum meorum in hoc libro, quem composui, fuit, ut manus remissas confortarem, & genua labantia corroborarem*, (Esai. 35: 3.) Nempe nisi Abarbenel novo aliquo argumento diuturni exilii quasi pertæsis, & desiderio Messiæ tantum non contabescentibus animum addidisset, nihil propius factum erat, quam ut animum tandem despondérent miseri. Atqui recutitum suo quamlibet prolixo commento id minime præstitisse, quod animo suo decreverat, eventus tandem docuit. Etsi enim anno, ad quem collineat, M CCCC LXIV. Conjunctionis, factæ sive virtute & operatione, sive indicio, Messiam venturum esse, dixerit, mantice tamen hæc in hunc usque diem suum desiderat complementum, adeoque divinatio illa recutitos fefellit. Unde & Picus Mirandula Rabbi Abrahamum Avenarem, qui, nisi fallimur, Aben-Esræ doctor fuit, & primus prædictionem istam in mundum ex judiciariæ Astrologiæ regulis fallacibus, protulit, pro deridiculo habuit, *Ego*, inquiens, *cum proximo ante eum anno natus jam trigesimum agam, experimento didici illius falsitatem.* Quandoquidem vero assertum suum, ex quo Judæos, tanquam ex ungue Leonem, cognoscere, & quam conclamata causa sit illorum, perspicere licet, Rabbi Abarbenel præ aliis Judæis acerrime propugnare, & ex scripturis quoque ejus veritatem prolixe statuminare sustinuit, ejusdem sententiam ita expendere decrevimus, Ut (1.) eam persuasionem Judaicam adducamus. (2.) rationes, quibus nititur, recensitas explodamus, & (3.) quam verbo Dei ejusmodi astrologica divinatio sit contraria, ex Scripturis ostendamus uberius.

CAPUT I.

SUMMARIA.

De Jovis & Saturni in hæc inferiora influxu Rabbi Abarbenel præfatus, ductu Astrologorum fundamentum conjunctionis utriusque Planetæ in divisione signorum cœlestium & triplicitatibus constituit. Octo Conjunctiones maximæ à Ricciolo ligata oratione comprehensæ. Cur Jovis & Saturni Conjunctio momentosior habeatur. Rabbi Abarbenel Conjunctionis quartæ effectum extollit, & in alia similis virtutis Judæorum liberationem quæritat. Comparatio utriusque instituta ab eodem Abarbenele, qui Messiam natum esse largitur. Loca Scripturæ Mich. 7: 15. Exod. 6: 7. Ecclesiast. 7: 10. Esai. 11: 11. ad probandam liberationem Judaicam à recutito detorta.

§. I.

SIc vero præfatur, dum lectorem in tam momentosa controversia, qualis est de Messiæ adventu, tam præpostere à limpidis Scripturæ fontibus ad impuras, & jam olim proscriptæ & creberrimis mendaciis collutulatæ Astrologiæ judiciariæ lacunas deducere nullus dubitat, comment. in Danielem fol. 83. col. 1. החוים בככבים ראו שכל הדברים המחודשים בזה העולם השפל הם מסובבים ומסודרים בפרטיות מהתכונות השמימיות ותנועותיהם לפי שהשנוי השמיים ותנועות לא יושג כ"א מפאת הככבים שתנועתם ושנויים מושג אלינו וחדוש ערכי מצביהם נראה לנו ולפי שראו בנסיונם שנ' ככבי לכת הם היותר פועלים בזה העולם המשתנה מהככבים הקיימים וזה לרוב שנוייהם התחלפות מצביתם ולקורבתם יותר מזה העולם השפל לכן ייחסו עליהם שנוי העולם הזה ובעבור שיותר עליוני׳ הם שבתאי וצדק והיותר גדולים זולת השמש והיותר מאוחרי התנועה ומעטי השנוי יותסו אליהם השנוים גדולים הקורים בעולם כפי מחברותם למה שמחברת הוא המצב והיחס היותר הסכמי ומתחדש בככבים לכן גזרו (אומר) בעלי המלאכה הזאת שכל מאורעות שבעולם יבואו לסבת מחברת שבתאי וצדק ולהיות השנויים הגדולים מחולפי המדרגה זו גדולה מזו שערו החכמים יודעי העתים באותם מחברות מדרגת זו למעלה מזו כפי המקומות: *Qui Stellas intuentur*, (Astrologi) *observarunt, omnia quæ in hoc mundo inferiori fiunt, in particulari produci & dirigi ex dispositione cœli & ejus motibus, quia mutatio, quæ à cœlo & motu illius sit, non pertingit nisi ratione Stellarum. Harum enim motu etiam mutatio illarum fit. Quomodo suas stationes renovent, observavimus. Et quia experimentis suis edocti sunt, Septem Stellas in hoc mundo mutabili efficaciores esse Stellis fixis, & quidem propter multas mutationes & suarum stationum variationes, & quia huic mundo sunt viciniores, idcirco eis tribuitur mutatio hujus mundi. Quandoquidem etiam Saturnus & Jupiter superiores sunt & majores, excepto Sole, quin & tardiores &*

& motum minuunt, magnæ mutationes eis tribuuntur, quæ pro ratione illarum Conjunctionum fiunt in hoc mundo. Quia etiam Conjunctio illa statio est & appropriatio magis consentiens in Stellis, idcirco auctores hujus Operis deciderunt, omnia, quæ in mundo fiunt, oriri ex Conjunctione Saturni & Jovis. Et cum mutationes aliæ sint majores, arbitrati sunt sapientes Chronologi, in ejusmodi Conjunctionibus etiam gradus diversos locum obtinere.

§. 2. Quandoquidem vero Abarbanel ex Astrologorum libris percepit, doctrinæ de Oppositionibus & Conjunctionibus fundamentum esse divisionem signorum orbis Planetarii, seu Zodiaci in triplicitates suas, & decantatissimos Trigonos, visum est ei ostendere, quomodo האפורה sive *cingulum* mundi dividere soleant Astrologi, ut dominia Planetarum in signis Zodiaci patescerent. Nempe, ut l. cit. loquitur: י"ב מזלות מתיחסים על אבות הד׳ יסודות: *Duodecim Signa cœlestia recensentur secundum 4. elementa*, & tria illorum perhibentur esse *ignea* ♈♌♐, tria *terrea* ♉♍♑, totidem *aërea* ♊♎♒, & tandem tria *aquea* ♋♏♓. Quæ Signa omnia cum bini Planetæ Saturnus & Jupiter ita ingrediantur, ut ob diversum suum & anomalum motum (nam Saturnus XXX. propemodum annis, Jupiter vero 12. annis cursum suum per Zodiacum absolvit) rarius in uno eodemque Sidere conjungantur; fieri solet, ut vigesimo quoque anno in unius classis signis concurrant, post ducentesimum annum in alia signa transeant, & annis fere 800. omnes triplicitates absolvant, quo ipso הלילה *revolutio*, quam Græci ἀποκατάστασιν vocant, emergit, dum transitu per totum Zodiacum finito ad locum priorem iterum revertuntur, & sic nova inchoatur triplicitas ignea.

§. 3. Consentientibus igitur plerisque Astronomis, *prima* eaque antiquissima Conjunctio sub exortum mundi fuit, anno ante Christum 3980. *Secunda* anno 3185. *Tertio* anno 2390. *Quarta* anno 1595. *Quinta* anno 802. *Sexta* anno Sexto ante ortum Salvatoris. *Septima* anno post Christi nativitatem 789. *Octava* anno 1583. ut ita nona conjunctio maxima, si mundus hic tantisper duraverit, ad annum 2378. sit expectanda. Id quod Johannes Baptista Ricciolus, Almagesti novi, lib. VII. cap. metrice ita effatur:

Ignea triplicitas, Conjunctio maxima dicta
Saturnique Jovisque, annis redit Octingentis.
Prima *habet Adami lapsum ac primordia Mundi.*
Sæva latrocinia, hinc Urbesque Artesque Secunda.
Tertia *Diluvium, renovata ac semina gentis.*
Quarta *vocat Mosen, scribitque in marmore Legem.*
Quintaque *Olympiadas Romam Babylonis & Æram.*
Sexta *Deum Christum stupet, Augustumque Monarcham.*
Sexta *Deo Christo, plus quam Te, Auguste, triumphat.*
Translato Imperio Carolum dat Septima *Magnum.*
Sacra Calendarii cyclosque Octava *reformat,*
Gregorio subdens Japonas regna ultima terræ
Terque novis portenta astris instaurat Olympo.
Quid si Nona *minax ter triplex ardeat Orbi,*
Accensam extinguens supremam lampada vitæ,
Post septem Decadas Seclorum & Sabbata magnæ
Hebdomadis, revocetque novi primordia Regni
Ut pia perpetuum mereantur secula Solem,
Impiaque æternæ damnentur secula nocti?

§. 4. Ex quibus patescit, Astronomos maximas συνόδυς in signo igneo locare, proque efficacia συζυγίας ut rationem potissimam & peculiarem urgere connexionem insignium in orbe vicissitudinum & mutationum cum his conjunctionibus. Nempe quod Saturnus & Jupiter ponderosissimi sunt Planetæ & tardissimi, inque conjunctione multo diutius durant, quam reliqui Planetæ. cum Jupiter totum annum, Saturnus vero totum triennium in Conjunctione & Oppositione consumat, inde arbitrantur ipsis in operando plurimum tribuendum esse. De quibus quid sentiendum sit infra Cap. II. patescit. In præsenti videbimus, quid Abarbanel tradat de Conjunctione, illo tempore observata, quo populus Israëliticus ex Ægypto est eductus. Ea, quæ initio triplicitatis igneæ, vel in transitu à fine triplicitatis aqueæ, ut R. Abarbanel vult, contigit, ab eodem recutito maximi fit, ut de illa hunc in modum scripserit pag. 84. הנה כשחפשנו בפעולות כל המחברות הגדולות אשר היו מימות עולם מצינו ראינו שלא היתה מחברת שעשתה באומות פועלים גדול כ"כ שנוי עצום בענין הגופיי ונפשיי כאשר עשתה המחברת הגדולה משבתאי וצדק בדגים שהיתה בשנת ב׳ אלפים ושס"ה לבריאת עולם בהיות ישראל במצרים ג׳ שנים קודם לידת מר"עה: *Ecce cum omnium Conjunctionum magnarum operationes scrutati fuerimus, quæ inde usque à mundi conditu fuerunt, non invenimus neque vidimus* (Threnor. 2: 16.) *aliquam in corporalibus & spiritualibus tam efficacem, quam illa magna Conjunctio in Piscibus fuit anno bis millesimo, trecentesimo & sexagesimo quinto creationis mundi, cum Israël esset in Ægypto, tribus annis ante, quam Moses Doctor noster l. m. nasceretur.*

§. 5. Tribuit igitur non modo Planetarum Conjunctioni tam admirabilem eductionem populi Israëlitici ex Ægypto, & spiritualem effectum, sed etiam consimilis Conjunctionis virtute liberationem ex diuturno exilio futuram esse contendit, veluti ex seqq. verbis patescit. כללו של דבר שהמחברת העצומה שנעשה בדגים העתיק אותם מן הקצה אל הקצה אשר בתכלית המרחק א"כ איפה מן המחויב שנורה שהמחברת הגדולה שהיתה בדגים היא באמת המחברת העצומה וראוי היה לחיות בדגים המחברת העצומה להיות לבי ככבים הטובים המאשרים ממשלת גדולה בזה המזל כי היא בית צדק ובית כבוד נוגה גם כי סוף מדרגת המחברת העצומה ראוי שתהיה במזל שהיא סוף הי"ב מזלות אשר הוא בדגים ובכלל אומר המחברת דגים היא מחברת הישראלים המורה על בני ישראל להקים אותם מאשפות להרימם למעלה מכבבי אל ובעבורה חל עליהם האור האלהי ובה עם ה׳ מבית האסורים יצא למלוך: *Summa rei est; Conjunctio magna, quæ in Piscibus contigit, transtulit eos ex uno extremo in alterum, idque summum. Unde jam necessario fatendum est, Conjunctionem in Piscibus revera magnam esse & merito, quia binæ Stellæ bonæ sunt, & dominium magnum exerunt in hoc Sidere: Est enim domus justitiæ & gloriæ splendentis. Præterea quia finis gradus Conjunctionis magnæ est, convenit, ut in ejusmodi Sidere contingat, quod XII. Siderum ultimum est nempe Piscibus. In summa, Conjunctionem in Piscibus dico esse Israëlitarum, quæ de filiis Israëlis testatur, eos ex fimo elevatum iri* (2 Sam. cap. 2: 5.) *in dignitatem præ Stellis Dei. Et propterea lux divina super eis degit, & in ea populus Dei egredietur domo vinctorum ad regnandum.* Cum ita Conjunctionem Saturni & Jovis in Piscibus Israëlitis ut propriam vindicet, quasi illa altera vice futura Judæorum conditio melior præsignificetur, utramque satis exaggerare, & quam una alteri similis sit, verbis dicere nequit. Sic vero col. 3. pag. 86. pergit: להיותם ב׳ מחברות שוות בהיותם שתיהם במזל דגים עצומות לכן יתחייב שתסכים זאת השנית לאותה שהיתה ביציאת מצרים מכל צד ואחר כן יתחייב שכמו שהמחברת הראשונה חייבה הוראתה על ישראל ויציאתי מגלות לחרות ומשעבוד לגאולה ומשפלות לרוממות ומלכות ובאותות ובמופתים ובלידת מ"רעה ונקמת האויבים כן זאת המחברת הישראלית השנית הוראתה על ערת ישראל נבוארה וגאולה ותשועה ופדיון ואין ספק שהגיע זמן לידת איש האלהים משיח צדקנו ירום מאברהם ונשא ממשה. ובכלל כפי דרך התוכנים יתחייב המחברת לחדש פעולותיה הראשונות אשר פעל ביציאת מצרים בשנוים גדולים נפלאים באומה להעתיקם מן ההפך אל ההפך ומן שפלות למעלה העליונה בשלמות הנפש והגוף יחד. ולכן אמר הנביא כימי צאתך מארץ מצרים אראנו נפלאות. ואמר הן גאלתי אתכם אחרית מראשית. ואומר יוסיף ה׳ שנית ידו וכו׳ כי אמר שנית שהגאולה העתידה תהיה כראשונה ולכן א"זל בניסן נגאלו ישראל ובניסן עתידין ליגאל: *Cum duæ Conjunctiones plane similes sint, & insignes in Sidere Piscium, ideo necessario sequitur, hanc secundam Conjunctionem ex omni parte convenire cum illa prima, quæ extitit, cum ex Ægypto egrederentur. Deinde & hoc necessario sequitur, quemadmodum prima Conjunctio Israëlem designabat, & ejus egressum ex captivitate in libertatem, ex servitute in redemtionem, ex humilitate in exaltationem, & regnum, per signa & prodigia, per nativitatem Mosis Doctoris nostri l. m. & vindictam hostium: ita hanc secundam Israëliticam Conjunctionem designare cœtui Israëlis Prophetiam & liberationem, salutem & redemtionem. Neque dubitare licet, quin tempus nativitatis viri Dei, Messiæ, Justitiæ nostræ, præ Abrahamo extollendi & præ Mose exaltandi pertigerit. Et omnino secundum Astronomorum rationem consequitur, operationem suam priorem illam* (Conjunctionem) *esse renovaturam, quam in Ægypto magnis admirandisque mutationibus exeruit in Israëlitico populo, qui ex uno statu in alium est translatus è sorte humili in excellentem corporis & animæ perfectionem. Ideo ait Propheta,* (Mich. 7: 15.) *sicut diebus illis, quibus ex Ægypto es egressus, mirabilia ei ostendam. Et ait:* (Exod. cap. 6: 7.) *ecce redemi vos. Posterius præstat priore.* (Eccl. 7: vers. 10.) *Et ait:* (Esai. 11: 11.) *& addet Dominus iterum manum suam &c. Ideo ait:* שנית *secunda vice, quia liberatio futura similis erit priori. Et ideo dixerunt Dd. nostri l. m. Mense Nisan Israël est redemtus, Mense Nisan redimentur.*

§. 6. Sic fuse differentem, seu nugantem verius audivimus Abarbanelem, qui sane suo exemplo satis abunde docet, in quæ avia, & cujusmodi labyrinthos ducantur illi, qui Scripturam sacram suis speculationibus postponunt, vel his accommo-

commodare satagunt. Promissio Mich. 7: 15. dudum adimpleta est, cum ex Chaldæa & Babylone populum suum in Palæstinam Deus reduxit. Tunc enim mira Deus designavit, qualia in Ægypto olim operatus est, ut absurdum sit ad tempora adhuc futura velle referre. Quam præpostere quoque reliqua loca Scripturæ Exod. 6: 7. Eccles. 7: 10. & Esai. 11: 11. adducantur, ipse contextus satis abunde docet, & lector facillime perspiciet, aliud literam præ se ferre.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Cur Piscium Sidus sibi velut proprium Judæi vindicare queant, Abarbanel quinque rationibus probare satagit. Ad primam, quæ ex natura aquæ petita, refellendam, in originem divisionis Zodiaci in XII. Signa inquiritur. Morini, Josephi, Maimonidis, Riccioli, Joan. de sacro Bosco, & Clavii diversæ sententiæ recensitæ. Keplero, neganti illam divisionem ex natura rei factam esse, nequicquam dicam Morinus scribit. Gassendi & Treu consensus. Verbum וידגו *Genes. 49: 16. pro suo commento R. Abarbanel frustra urget. Secunda ratio ex* ματαιοτεχνία *gentilium hausta & denominatione domiciliorum cœlestium, ipsis Astrologis Keplero & Eichstadio suspecta, nititur. Abrahamum in horoscopo Jovem, Saram Venerem habuisse neque certum, neque Judæis in hac controversia proficuum. Planetæ utriusque epitheta apud Arabes. Abarbanelis ex Cabbala ridicula ratio. Tertia ratio in nuda similitudine consistens, & quarta ratio Ethnicismum redolens explosæ. Quinta ratio, continens petitionem ejus, quod est in principio, excussa. Ranzovii, Origani, Brahei de Siderum efficacia in mutanda rep. & religione erronea opinio. Abarbanelis sententiæ gemella. Abarbanel suo se conficit telo. Temeritas Astrologiæ judiciariæ deditorum à Gassendo notata exemplo Stofleri demonstratur. Ut signa rerum futurarum astra quidam Augustini ætate habuerunt. Treui & Altsingeri sententiæ. Riccioli judicium oppositum Bellantii & Treui de Conjunctionum* ἐπισημασίαις *singulares sententiæ notatæ. Locus Genes. 1: 14. expenditur, & vocis* אותות *sensus ostenditur, ut Genethliaci aliique nihil in ea præsidii nanciscantur. Abarbanelis de libertate hominis nullo Sidere determinanda erudita observatio. Ejusdem recutiti de Sideris Virginis Judæis maligno aspectu persuasio explosa. Astra nec causæ neque signi rationem habere in fortuitis & voluntariis. Laus* τῦ μακαρίτε *Bosii. R. Abarbanel Providentiam divinam in Israëlitico populo agnoscit. Sideris influxui male liberationem eum assignasse, ostensum.*

§. 1. Postquam Judæorum sententiam de effectu & operatione Conjunctionis, vel Planetarum, in Sidere Piscium ita vidimus, consentaneum est, ut jam ulterius progressuri audiamus, ecquibus rationibus nitantur, ad probandam illam virtutem & efficaciam, quæ competat isti Conjunctioni, ut ea ipsa & Populum Judaicum eductum ex Ægypto esse, & de integro ex diuturna captivitate liberatum adhuc iri, persuasum habeant. Earum vero quinque Abarbanel adducit in medium, quas expendere decretum nobis est. Etsi vero illæ febriles sint & jejunæ, ut ingenium Judaicum redoleant, adeoque explodi mereantur; facere tamen haud possumus, quin eas Lectori Christiano vel eo nomine sistamus, ut quam conclamata res sit Judæorum, & quanta eorum pertinacia, vel inde judicare queat. Et cum interdum etiam *volupe sit, nugantes de eruditione audire*, veluti ad amicos suos dicere olim solitus est, ὁ μακαρίτης, Reinesius, quidni huic Judaismi hyperaspistæ vacivas aures præbeamus, ubi suam fidem & religionem, quamvis irrito conatu, stabilire, suisque complicibus animum addere ex Astrologia satagit? Ita vero libro מעיני הישועה, sive comm. in Danielem pag. 84. col. 2. loquitur: חמשה סבות בהמחברת הגדולה מדגים מורה על אומת ישראליה. ראשונה שדגים הוא א׳ ממזלות המים. ועניני ישראל היו יותר דומים לטבע המים משאר היסודות לפי שהמים הם יורדים מלמעלה למטה לארץ לרוות פני תבל ובהם יצמחו תוצאות הארץ וכל אשר עליה גם המים התנועעו מהאויר אם בגשמים היורדים כפי תנועת האויר ורוח צפון תחולל גשם. ואם בימים בהרים קצת גליהם והשפיל קצתם לפעמים יתנועעו בנחת והשקט ולפעמים בשערה ישופם. וככה ישראל מושפעים מלמעלה להמשי׳ ולהשלי׳ הנמצאים שפלים בדבקות האלהי והישרה קדושה. עד שמפני זה תכלית המין בעבורה נבראו כל בני אדם. כלל הדברים השפלים ימונהגים ומושפעים מהרוח האלהי ורצונו יתברך פעמים ירומם מעלה מעלה ופעמים ישפילם עד עפר ופעמים ישקיטם ופעמים יסעירם עד שמפני זה התעשקו האבות כלם במים והוכיח אברהם על אודות המים ואלעזר בנסיונו פועל ההשגחה בענין המים. ויצחק יחפור בארות המים וברכת יעקב בשקתות המים נדונו במים ע״י פרעה ובמשה נאמר מן המים משיתיהו. ובברחו מפני פרעה וישב על הבאר ולכן רודפים רם השליך בים. ובקע הים. ונסיותיו היו במים אשר נסיתו במסה וגו׳ ודוד צוה להמליך שלמה בנו אל גיחון על המים וכן אמר בלעם עליהם יזל מים מדליו. כל זה יורה היות דגים ממזלות המים יש לו ייחס על אומה ישראלית: *Quinque causæ in Conjunctione magna Israëlem designant. Prima est, quia pisces sunt è syderibus aqueis, & Israëlis res aquis magis similes sunt, quam reliquis elementis. Aquæ enim descendunt superne ad inferiora, ut irrigent orbem, & iis germinent, quæ è terra nascuntur, & super ea sunt. Præterea aquæ ex aëre moventur, sive pluviæ descendant ad motum aëris, & ventus aquilonaris gignat pluviam,* (Prov. 25: 23.) *cum partem fluctuum earum in altum extollit, partem deprimit, interdum commovet remissius, quandoque turbine eas conterit. Hunc in modum & Israel habet. Influxum superne recipit ad trahendas & perficiendas creaturas inferiores adhæsione divina & recta sanctitate. Quin propterea est finis speciei, & propter eam omnes homines sunt creati. In summa: Res inferiores reguntur & influxum recipiunt à spiritu divino Dei benedicti voluntate. Quandoque altissime extollit eas; interdum eas humiliat, ad pulverem usque. Nonnunquam tranquillat eas, & interdum turbine involvit, propterea Majores omnes aqua fuerunt occupati. Abraham propter aquas reprehendit* (Genes. 13: 8.) *Elieser experimento suo providentiæ ad fontem aquarum operatus est* (Genes. 24: vers. 13.) *Isaacus fodit fontes aquarum.* (Genes. 26: 18.) *Et benedictio Jacobi fuit in aquariis.* (Gen. c. 30: 38.) *Israelis causa aquis acta est per Pharaonem.* (Exod. cap. 2: 17.) *Et de Mose dictum est:* (Exod. 2: 10.) *Ex aquis eum extraxi. Et fugiendo à Pharaone sedit ad puteum.* (Exod. cap. 2: 15.) *Idcirco persequentes eos jecit in mare, & illud divisit.* (Exod. 14: 21. & 26.) *Et tentationes ejus aqua fuerunt, cum in Massa tentarunt.* (Exod. 17: 7. & seqq.) *David quoque præcepit, ut Salomo filius ejus ad aquas Gihonis Rex constitueretur.* (1. Reg. 1: 33.) *& sic Bileam ait ad eos:* (Num. 24: 7.) *fluet aqua è situlis ejus. Hæc omnia comprobant cum Pisces sint de Sidere aquarum, proprium illud esse populi Israëlitici.*

§. 2. Antequam vero ab Abarbanelis דרש & *allegoricam* rationem respondeamus, paulo altius originem divisionis Zodiaci in XII. Signa repetamus oportet. Sunt qui eam Adamo acceptam ferendam esse dicant, qui, ubi animalibus indidit nomina, etiam secundum virtutem, quam Sidera exerunt, eadem appellarit. Quo inclinare videtur Peucerus pag. 369. Astrolog. Atque ita mundi initio Zodiacum in partes divisum esse, Morinus, cap. 2. lib. xv. Astrologiæ Judiciariæ Gallicæ affirmat. Josephus vero, Ebræorum Livius, A. J. cap. 3. Sethum & nepotes ejus excogitasse ait *σοφίαν τὴν περὶ τὰ οὐράνια καὶ τούτων διακόσμησιν*. R. Moses Maimonides Hilkot יסודי תורה cap. III. adhuc recentiorem eam divisionem facit, dum ita loquitur: אלו הצורות עשרה ושתי׳ לא היו מכוונות כדרך אותן החלקים אלא בזמן המבול שאז הע לולהן שמות אלו: *Illæ figuræ XII. non sunt in istarum partium modum dispositæ nisi tempore Diluvii; tunc enim ejusmodi nomina sunt nactæ.* Sed hæ conjecturæ sunt incertæ, ut doctiores Christiani dubitent aliquid determinare. Unde Joannes Baptista Ricciolus Tom. I. Almagesti novi, lib. VI. cap. 1. §. 5. ait: *Quinam fuerint, qui Astrorum imagines primi ad certas sive animatarum, sive inanimatarum rerum formas redegerint, Ægyptii, an Chaldæi, an Græci, & utrum fabularum tantummodo melle illas illeverint, quo libentius à junioribus mandarentur memoriæ, an vero sub illarum formarum tegumentis, tanquam hieroglyphi-*

roglyphicis vim influendi in hæc inferiora indicare voluerint, non est hujus loci disserere.

§. 3. Etsi etiam *Johannes de Sacro Bosco* cap. 2. Sphæræ, propter proprietatem aliquam convenientem nomen animalis ea accepisse contendit, commentator tamen ejus *Johannes Clavius*, cum à Judiciariis duplicem causam denominationis dari dixisset; (1.) quod constellationes illæ habeant virtutes proprietatesve communes illis animalibus, à quibus denominationem suscipiunt. (2.) quia Stellæ existentes in ea parte Zodiaci, quæ v. c. Scorpius dicitur, referunt imaginem seu signum scorpii: tandem largitur; si hæc non placeant, dici posse, Astronomos eadem nomina dedisse ob memoriam fabulæ vel historiæ, quicquid etiam dicant Astrologi Judiciarii. Nec Maimonidæ Glossator ad Hilkot יסודי תורה cap. 3. abludit. Postquam enim Græcorum doctoribus eam divisionem acceptam tulisset, subjicit: קראו לכל חלק שם לקוח מקבוץ הככבים שבאותו חלק שפעמים יהיה קבוצם בדמות טלה או שור וכל כיוצא בזה: *Vocarunt unamquamque partem nomine, à collectione stellarum deprompto, quæ in illa erant. Quandoquidem illæ nunc arietis, nunc tauri formam referrent, & sic similiter in aliis.* Cumprimis notari merentur seqq. verba: עשאום זה מפני הלימוד כדי שיבין הלומד אלו העניני׳ במהרה כיצד כשנרצה לידע שהשמש סבבה שלשים מעלה נאמר שכבר סבבה כל מזל טלה וכן הכל על פי זה הדרך: *Fecerunt hoc docendi causa, ut discens illa celeriter intelligeret. Quemadmodum si scire velimus, Solem absolvisse XXX. gradus, dicere solemus, illum totum sidus Arietis circuisse. Et ita omnia secundum hunc modum se habent.* Neque immerito Ricciolus, Almagesti lib. 7. cap. X. num. VIII. quærit, *Cancer, Scorpius, Pisces, signa sunt aquea. Sed quare non potius aquarius aqueus, & Taurus & Scorpius igneus?*

§. 4. Atque hinc etiam factum est, ut ardentissimi & sagacissimi ingenii Vir, Johannes Keplerus, lib. de Trigono igneo cap. 6. negarit, denominationem Signorum Zodiaci ab elementis recte fieri, ut unus Trigonus igneus, alius aqueus dicatur, cum divisio illa non tam ex rerum natura, quam hominum arbitrio sit facta, id quod & P. Gassendus asserit, Physic. sect. II. lib. 6. Licet vero Joh. Baptista Morinus, Astrologiæ Judiciariæ Gallicæ lib. XIV. cap. 3. excipiat, Keplerum hoc probare non posse, sufficit tamen, neque à Morino neque aliis ostensum esse, à qualitatibus elementaribus sidera duodena esse denominata. Putidum figmentum esse, *Sidera qualitates elementares habere*, Altorphinæ Academiæ olim Mathematicus, Abdias Treu, pag. 88. de Conjunctionibus fatetur.

§. 5. Quæ cum ita se habeant, liquido patescit, causam illam primam ab Abarbenele allatam, quamobrem in Conjunctione magna Israël sidere piscium designetur, fallere. Et laterem sic lavare eum, dum ejusmodi exempla accumulat, ubi majores illorum ad aquas quidpiam agitasse memorantur, & inde Piscium Sidus fausti aliquid sibi quisque promittere persuasum habet. Numquid exinde, quod Abrahamus in pastores super aqua rixantes invectus est, & Isaacus ob rem pecuariam fontes novos fodit, Abrahami vero servus ad fontem sortem quoque suam, vel itineris suscepti eventum expectare decreverat &c. licebit colligere tale quid, quale inde sequi recutitus tradit? Quasi vero hoc ita Judæorum majoribus vindicari queat, ut non aliis etiam competere possit. Quam frivolum sit Abarbenelis fundamentum, satis abunde patet, & recutitum quantumvis operose disputantem somnia duntaxat attulisse liquet. Somnio sane simile est, quod pro sua sententia porro urget pag. 86. col. 3. hunc in modum: הנה שמול דגי היא המיוחס בהוראתה על אומת ישראל בגדולה ובטובתה ואליו רמז הזקן יעקב בברכותיו המלאך הגואל אותי וכו׳ כי זכר בהם מלת וידגו לרמוז מה שאמרתי כי מדגים תהיה הוראת הרבוי וירושת הארץ והמלכות ברוב שנים: *Ecce Piscium Sidus proprie significat populum Israëlis, tam magnitudinem ejus quam bonitatem. Et Jacobus grandævus in suis benedictionibus eo collineavit, dicendo* (Gen. 49: 16.) *angelus, qui me redemit &c. In iis enim meminit verbi* וידגו *instar Piscium multiplicabuntur. Ut significet id, quod dixi. Piscibus enim significatur multiplicatio, & hereditas terræ, & regnum multis annis duraturum.* Nihil τῷ וידגו cum Sidere Piscium habere commercii, quivis prudens animadvertit, & Judæum scenæ servire vel delirare verius, deprehendit. Neque extra controversiam positum esse arbitramur, quod Morinus etiam affirmat: ♃ *in* ♓ *bonum rerum statum, sanitatem & piscium copiam largitur.*

§. 6. Progrediemur vero, & quid porro Judæus pro suæ liberationis futuræ fundamento afferat, videbimus. Ita vero ille l. cit. scribit: הסבה הב׳ ויותר פרטית להיות מזל דגים בין כל מזלות המים בית צדק ואברהם אבינו תחת צדק היה כמו שנראה ממזגו הישר וידו הרחבה ואמונתו וצדקתו והצלחתו ועשרו לכן חכמי הקבלה ששמו הספירות הקדושות התחלות לטבעי ככבי לכת ומשפיעות אליהם ושמו שמספירת החסד יבוא טבע הטוב והישר ומגבורה יבוא מאדים ומתפארת טבע השמש. וכן כלם אמרו שספירת אברהם היתה חסד דכתיב חסד לאברהם ויתחיב שצדק יהיה ככבו׳ ולכן אמר הנביא מי העיר ממזרח צדק יקראהו לרגלו׳ ובסוף מסכת שבת דרשו חז״ל שאמר הקב״ה לאברהם מאי דעתיך שהיה צדק במערב וקריר אנא מוקימנא ליה במזרח ונהיר שני מי העיר ממזרח ר״ל שאם היה צדק השולט עליו חלוש להיותו מערבי לשמש במולדתו תחת ניצוציו הנה יתי יתן לו חזק כאלו היה מזרחי ומאיר בעצמו יהיה א״כ שיהיה מזל אברהם דגים שהוא בית צדק כי קשת עם היותו ג״כ ביתו לא יאות לאברהם להרמותו לענין המים כמו שזכרתי גם דגים היא בית כבוד נוגה ונוגה היתה ככבה של שרה אמנו כמן שיורה יושר מזגה ונדיבותה ויפיה׳ וכבר נודע אצל הקדמונים שנגה במדרגת אשת צדק כמו שהלבנה נקבת השמש עד שמפני זה היו קורין עובדי ע״ז לשמש בעל וללבנה אשה ובהיות אברהם תחת צדק שהוא הזכר מהטובים היתה שרה תחת נוגה נקבת הטובים לכן בבוא המחברת הגדולה לדגים שהוא בית צדק ובית כבוד נוגה הוראתה על בני אברהם ושרה עדת ישראל בפרט וביחוד: *Causa secunda eaque magis particularis est hæc: quia Piscium Sidus inter omnia aquea sidera est domus Jovis, & Abraham pater noster sub Jove, quod apparet ex temperamento recto & regione ampla, fide, justitia, prospero successu & opulentia ejus. Idcirco Cabbalæ periti, qui sanctas Sephiroth principia constituerunt naturarum stellarum errantium & influentes in eas, statuerunt ex Sephira* חסד *sive beneficentiæ oriri naturam boni & recti. Et de* גבורה *sive fortitudine emanare Martem, ex* תפארת *Solis naturam. Atque ita omnes dixerunt, numerationem Abrahami esse* חסד. *Scriptum enim est* (Mich. 7: 20.) *beneficentia Abrahamo. Unde necessario consequitur Jovem esse ipsius stellam. Atque ideo ait Propheta:* (Esai. 41: 2.) *ecquis ab Oriente suscitat* צדק, *vocabit eum ad pedem suum. In fine Massecheth Schabbat Doctores nostri l. m. concionati sunt dicendo: dixit Deus ad Abrahamum, putasne, Jovem in Occidente esse & frigidum? Locabo eum in Oriente & lucido, quia dictum est, quis excitavit ex Oriente? q. d. Si fuerit Jupiter, qui ipsi dominatur, debilior, eo quod Soli occidentalis fuerit hora nativitatis ejus, sub radiis ejus, dabit ei Deus robur, quasi Orientalis fuerit, & per seipsum illuminet. Quod si itaque sidus Abrahami sunt pisces, domus nempe Jovis; licet Sagittarius quoque sit ejus domus, minime tamen commode Abrahamus comparatur cum illo ob aquas, veluti commemoravi. Præterea Pisces sunt domus gloriæ Veneris, & Venus fuit Stella Saræ, matris nostræ, veluti arguit temperamenti ejus rectitudo, liberalitas ejus & pulchritudo. Et jam olim priscis constabat, Venerem Jovis esse conjugem, veluti Luna uxor Solis est, adeo ut idololatræ vocarint Solem Baal maritum, & Lunam, fœmellam. Quandoquidem vero Abrahamus fuit sub Jove, qui est masculus ex melioribus, Sara vero sub Venere, fœmina ex melioribus, ideo cum magna conjunctio in Piscibus contingit, qui sunt domus Jovis & domus gloriæ Veneris, designat Abrahami posteros, & Saræ, cœtum Israëlitarum in particulari & proprie.*

§. 7. Quam rationem specialem Abarbenel vocat, ea ex communissima ματαιοτεχνίᾳ & superstitiosa vanitate gentilium petita non alio fundamento, quam ruinosorum ac lubricorum domiciliorum cœlestium denominatione nititur, quam Keplero aliisque sanioribus Astrologis suspectam esse, Eichstadius, Proleg. Ephemerid. 3. part. affirmavit. Tam abjecte autem se hic Judæus gerit, ut etiam ad stabiliendum suum commentum ipsorum idololatrarum nænias amplecti nullus dubitet. Abrahamum in horoscopo habuisse beneficum Planetam, Jovem nempe ascendentem regnantem & geniture dominum, à posteriori colligit, divitiis nempe ejus, & prosperitate. Fac ita rem se habuisse, ecquid hoc ad posteros eos & totum cœtum Judaicum post tot seculorum decursum? num idem thema natalicium omnes habuerunt Judæi? Sit ὕψωμα Veneris (quæ Atergatis אדיר דג, *magnificus & potens piscis* dicta est) Piscium dodecatemorion, quod Chaldæi signiferum circulum distribuentes ei tribuisse putantur, ecquid hoc ad recutitos? Num si Sara, Abrahami conjunx, Venerem habuit in horoscopo, hoc post tot generationes posteris quicquam proderit? Hausit sua commenta ex gentilium Arabum somniis, qui Jovem vocant السعد الاكبر *bonam fortunam majorem*, Venerem vero السعد الاصغر *bonam fortunam minorem.* Nugæ hæ sunt Judaicæ æque ac illa, quæ de חסד ex Cabbala affert. Quanto rectius fecisset Abarbenel, si hic meminisset verborum suorum fol. 335. comment. in Pentateuchum: אמרתי אני אל לבי אין לי עסק בנסתרות ובדברי קבלה לא הלכתי והיא רחוקה ממני כפי הסברא ופשוטי

ופשוטי הכתובים אבחר דרכי: *Dixi ad cor meum, mihi nihil eſt negotii cum occultis, in viis Cabbalæ non ambulavi, utpote mihi minus probatæ ſecundum opinionem; eligam viam meam in ſenſu literali Scripturarum.* Ex illo ſolo de Judæorum conditione ejuſque cauſis judicandum erat, non ex Aſtrologorum traditionibus vanis. Ut enim quidam apud Abarbenelem comment. in Deuter. 4: 10. ſcribit: כל עניני האומה הישראלית על פי התורה והמצוה: *Omnes res populi Iſraëlis ſunt juxta legem & præcepta exigenda.* Eccur igitur aſtris eum ita ſubjicit, ut ex illis etiam liberationem ejus accerſant? Quam lepidum & illud eſt, quod in loco Eſ. 41: 2. ludit recutitus, dum vocem צדק, quæ *juſtitiam* omnium interpretum conſenſu ſignificat, Jovem ibi notare fabulatur cum ſuis majoribus? Sed ita Judæi ad ſua commenta ſæpius ea detorquent, quæ longe aliud ſignificant.

§. 8. Tertiam rationem vel cauſam R. Abarbenel hunc in modum recenſet: הסבה הג' להיות המחברת הגדולה והעצומה והכולל להם היה ראוי שפעולתיה מורות על כללות העולם בעצם והאומה הישראלית כללות המציאות כלו לכן היו בשרשיה דמות שרשי העולם וסבותיו במדרגת ארבעה יסודות היו ארבעה אמהות וגם היו בזאת האומה שבעה רועים אברהם יצחק יעקב משה אהרון דוד ושלמה במדרגת שבעה כככי לכת גם בזאת האומה שנים עשר שבטים בדמות שנים עשר מזלות המקיפים העולם וגם באומה הזאת אלש מדרגות כהנים לויים ישראלים· ונחלקו ספרי הקדש לתורה נביאים וכתובי' והמקדש לחצר ואולם ודביר נחלק כנגד שלשה עולמות הרוחני והשמימיי והשפל הזה ורמזים הרבה מלבד אלו תמצא· לכן הוראת המחברת תיוחס על האומה הישראלית: *Cum magna & fortis ſit Conjunctio, & univerſalis, conveniens erat, ut operationes illius mundum ſignificarent ipſum. Eſt vero Iſraël univerſalitas totius ſubſtantiæ, ideoque in radicibus ejus ſimilitudo radicum mundi & cauſarum ejus. Quatuor elementis reſpondent quatuor ancillæ.* (videtur ad 4. fœmellas Jacobi reſpicere, Gen. 31: 33.) *Præterea in hoc populo ſeptem erant Paſtores, Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, Moſes, Aaron, David, Salomo, ſecundum numerum Planetarum ſeptem. Similiter in hoc populo XII. ſunt tribus, reſpondentes XII. Sideribus, totum mundum ambientibus. Præterea tres gradus erant in hoc populo: Sacerdotes, Levitæ, Iſraëlitæ. Libri ſacri in tres partes dividuntur; Legem, Prophetas & Hagiographa. Sanctuarium quoque diviſum erat in atrium, porticum & interius ſacrarium in ordine ad tres mundos ſpiritualem, cœleſtem & hunc ſublunarem. Præter hæc indicia alia adhuc invenies. Propterea Conjunctionis ſignificatio populo Iſraëlitico tribuitur.*

§. 9. Sed hic ſui ſimilis eſſe minime ceſſat Abarbenel. Ea enim iterum profert, quæ vagam illam Judæiſque receptam concionandi conſuetudinem redolent, & vi probandi penitus deſtituuntur. Num enim, quia quatuor ſunt elementa & totidem Jacobi conjuges, ex quibus originem ſuam populus Iſraëliticus traxit, ideo conjunctio magna Iſraëlem reſpicit? Num, ut VII. ſunt Planetæ & XII. Sidera, ita VII. Paſtores in populo Iſraëlitico & XII. tribus; Atqui non magis Salomo paſtoris nomine venire poteſt, quam Hiskias, Joſias, vel alius Iſraëliticorum regum, ut numerus paſtorum ita facile æque memorabilium perſonarum numero adaugeri poſſet. Quod inſuper numerum ternarium in libris ſacris denominandis, & populo Iſraëlitico tergeminum mundum præfigurare ait, id totum commentum eſt Judaicum, & nihil minus probat quam Conjunctionem magnam Iſraëli tribuendam eſſe, veluti propriam. Diviſio Codicis ſacri in Legem, Prophetas & Hagiographa non eſt divinæ originis, ſed uti Diſput. de Diviſione Scripturæ oſtendimus, redolet Rabbinorum ἀδολεσχίαν, ut ex divino inſtituto mundum tergeminum eo ſignificari, Judaica ſit traditio.

§. 10. Audiamus vero & quartam cauſam ab Abarbenele his verbis allatam: שלהיות המחברת הזאת מורה על הענינים האלהיים מושפעים על בני אדם לכן היה מן הראוי שתתראה פעולתה באומה יותר מוכנת לחול עליה זה השפע האלהי כי הכנת המקבל תיחד בפרטייתו ההשפעה האלהית כוללת ולהיות ישראל לבד מכל האומות מוכנת לחול בה הדבקות האלהי ושפע הנבואיי מלידה ומבטן ומהריון לכן היתה המחברת מורה ביחוד על האומה: *Quia hæc Conjunctio res divinas ſignificat, quæ per influxum communicantur cum hominibus, ideo conveniebat, ut operatio ejus appareret in populo, ad recipiendum hunc divinum influxum magis diſpoſito. Aptitudo enim ſubjecti recipientis influxum divinum univerſalem in ſua ſingularitate appropriat. Cum vero Iſraël præ omnibus gentibus aptus ſit, ut Deo adhæreat, & ab utero habeat influxum Prophetiæ, ideo in ſpecie Conjunctio hæc Iſraëlem deſignat.*

§. 11. Quartam rationem, qua Conjunctionem hanc in Piſcibus res divinas ſignificare, perhibet, Aſtrologis judiciariis itidem fert acceptam. Ptolomæus enim, Ethnicus, qui 140. annis poſt Chriſtum natum floruiſſe dicitur, l. XV. c. II. Quadrip. nationum mores & religiones diverſas ab aſtris & ſignis Zodiaci deduxit, quem alii deinceps ſunt ſecuti. Sic Cardanus quoque religionum cauſas ad Planetas retulit, qui Judaicam Religionem à Saturno, Chriſtianorum à Sole & Jove, Turcarum à Marte & Venere cum Luna regi contendit. Quæ quam aliena ſint à veritate, cum aliunde liquet, tum inde quod Aſtrologia non alios effectus prædicere debeat, quam qui ab Aſtris, ut corporibus naturalibus, producuntur, quales ſane non ſunt articuli fidei. Quod vero Abarbenel ſolum populum Iſraëliticum idoneum eſſe ait, qui influxum ejusmodi ſuſcipiat, id ex φιλαυτίᾳ Judaica profectum eſt, quæ eum meminiſſe haud ſivit oraculorum, quæ gentibus lucem pollicentur, Eſai. 49: 6. Sed pergat Abarbenel ex configuratione cœleſti ſibi ſuiſque liberationem polliceri ex quinta ratione, quam audiamus: הסבה ה' היא שלהיות המחברת העצומה ענינה להעתיק האומה והנושא המקבל אותה מן הקצה אל הקצה ר"ל מן ההפך האחד בתכלית המרחק אל ההפך השני לכן לא תחדל פעולתה על אומה ממוצעת מן הגדולה והישוב להוסיף גדולתה· אבל פעולתה תחול בהכרח על אומה שפלה בתכלית ופחותה בתכלית משועבדת בארץ לא להם כדי שתוכל המחברת להעתיקה לתכלית המעלה העליונה ולהיות האומה הישראלית בזה הקצה והשפלות והגרעון בהיותם עבדים למצרים מה שלא היה אומה מהאומות· לכן חל שפע אותה המחברת העצומה בזו האומה להעלותה גם העלה על במתי ההצלחה האנושי ממה שיסבול טבע אדם באופן ששנויו נורא ועצום עד מאד בעיני אדם יפלא הגדלת האומה הזאת ונביאיה ככתוב ונפלאנו אני ועמך· הלא תראה שלא חל על ישראל שפע המחברת העצומה בהיותם שקטים על אדמתם כאשר האומות לפי שלא היתה פעולת המחברת להעתיקה מההפך אל ההפך אבל בהיותם משועבדי' ומעונים בגלות מצרים ונוסף ענים ולחצם כפלי כפלים דע שהעתיקם המחברת מהפך אל הפך מתכלית העני והשפלות לתכלית המעלה והגדולה· וכבר אמרו חז"ל כפ"ר שנה קודם הגאולה נשתעבדו ישראל במצרים בענוי גדול ואז בלא ספק היה בקרוב זמן המחברת פ"ר שנה קודם הגאולה התבאר א"כ מהסבות האלה שמחברת דגים העצומה מורה על רוממות וגדולת ישראל: *Quia conjunctio magna ſignificat, tranſlatum iri gentem, & ſubjectum ſuſcipiens eam, ab extremo ad extremum, hoc eſt ab oppoſito uno extremo ad alterum oppoſitum, ideo operatio ejus non cadit in populum florentem & ſtabilitum ad augendam ejus magnitudinem; ſed operatio ejus neceſſario manet ſuper humili populo & attenuato, in peregrina terra ſubacto, ut conjunctio eum poſſit transferre ad ſupremam dignitatem. Quandoquidem vero populus Iſraëliticus in hac extrema humilitate verſabatur & diminuto ſtatu, cum in Ægypto eſſet ſervus, cujuſmodi non erat alius populus, ideo reſedit influxus illius Conjunctionis in hoc populo, ut eum elevaret. Etiam extremitatem felicitatis humanæ exceſſit, quæ in hominem alias cadit, ita ut mutatio ejus tremenda maximaque fuerit, quæ maximopere mirabilis accideret hominibus, & magni fieret populi dignitas, ſicut ſcriptum eſt,* (Exod. 33: 16.) *& admirabilis ero & populus tuus. Videſne, non manſiſſe influxum hujus conjunctionis magnæ in populo Iſraëlitico, cum in ſua terra inſtar reliquarum gentium tranquille ageret? Quia non fuit operatio conjunctionis, qua ex uno oppoſito in alterum transferretur; ſed cum eſſent in ſervitutem redacti, & in captivitate Ægyptiaca afflicti, & afflictio oppreſſioque eorum duplicata, ibi ſcias, quod tranſtulerit eos conjunctio è contrario in contrarium, ab extrema nempe afflictione & humilitate ad ſummam magnitudinem & dignitatem. Et dudum dixerunt Dd. noſtri l. m. 84. annis ante redemtionem Iſraëlitæ in Ægypto magna afflictione ſuppreſſi ſunt, & tunc haud dubie inſtabat tempus conjunctionis LXXXIV. annis ante liberationem. Quæ cum ita ſe habeant, ex iſtis cauſis pateſcit, Conjunctionem magnam in Piſcibus notare exaltationem atque magnitudinem Iſraëlis.*

§. 12. Ut ex allatis verbis pateſcit, ita de Conjunctione in Sidere Piſcium loquitur, ut ei vim ſingularem & influxum tribuere videatur, qua Judæi in libertatem reducantur. *Si* enim פעולת המחברת העתיקם מהפך אל ההפך *operatio Conjunctionis eos tranſtulit ab uno extremo oppoſito ad alterum,* fieri non poteſt, quin ipſorum Planetarum Syzygiæ tanquam cauſæ eductionem attribuat, ut influendo opus hoc producat. Quidditas enim influxus conſiſtit in hoc, quod ſignat dare eſſe cum dependentia ab eo, quod dat eſſe, nimirum à principio cauſante. Atque hoc ſentire Abarbenelem ex verbis ſupra θ. 6. cap. 1. adductis liquet, ubi Conjunctionem, quæ in Piſcium Sidere ſit futura, operationem priorem reno-

renovaturam eſſe, auguratur. Ecquis vero non demiretur, hominem qui ſacras literas non perfunctorie ſed cum cura toties perlegit, totumque fere codicem ſacrum commentariis illuſtravit, eo veſaniæ delabi, ut illud opus, quod ut extraordinarium, & ſingulari Dei providentia, *elata Dei manu brachioque* factum in Scriptura, Exod. 14: 8. dicitur, influxui Planetarum adſcribat? Ecquomodo Saturnus frigidus ſiccuſque, & Jupiter calidus & humidus Planetæ ſuo in Piſces, ſignum, ceu fertur à Peucero aliiſque Aſtrologis, & ipſum humidum & flatuoſum, ingreſſu, tam admirabilem & non niſi divinæ virtutis liberationem efficere queant? Ipſe Abarbanel pag. 83. col. 4. comm. in Danielem ſcribit: מהו המזל בעל המחברת העצומה אין לנו דרך לדעתו אלא בנסיון ובחיפוש מפאי הפועל שתעשה כל אחד מהמחברים המחברות הגדולות: *Ecquod Sidus fortem gignat Conjunctionem, ſcire nequimus, niſi experientia & indagatione ex parte effectus, quem edit unuſquiſque illorum, quibus magnæ Conjunctiones conſtituuntur.* Sed unde tandem comprobabit Judæus Sidus illud Piſcium, in quo convenerint Planetæ, tam efficax fuiſſe, vel ipſos Planetas in iſto Signo Cœleſti Judaico populo tam fuiſſe benignos, ut ille inde in libertatem ſit aſſertus? Nonniſi ex vana perſuaſione, qua ſibi ſuiſque impoſuit. Decretum ejuſmodi ex habitis pluribus conſimilibus experimentis conſtitui debet, quæ hic, ut patet, deſiderantur.

§. 13. Videtur ab Aſtrologis Judiciariis ſeductus eſſe, qui jam olim Conjunctionibus Planetarum plurimum tribuiſſe leguntur in Religionis & Reipubl. mutatione, quos etiam Chriſtianorum quidam ſunt ſecuti. Ita Produx Cimbricus, Henricus Ranzovius, pag. 357. Opuſculi Aſtronomici: *In his ♄ & ♃ Conjunctionibus Martis & Mercurii conſiderentur radii & præſentia. Habent enim proprietatem quandam occultam in mutatione Religionis & Politiæ.* Et paulo poſt: *Quando igitur ♂ & ☿ cum ♄ & ♃ ſimul conjunguntur, aut eos conjunctos □ ☍ aſpiciunt, exſpectanda ſunt bella, tumultus, deſtructiones Imperiorum, nova dominia, in religione hæreſes &c.* David quoque Origanus, Euphemerides part. 3. pag. 449. Maximarum Conjunctionum effectus oſtendere conatur, *quod in trigono igneo fieri incipiant inprimis arietis ſigno. Cum vero ex aqueo in igneum ſidus tranſitus fiat, ubi qualitatibus primis ſibi maxime adverſantur, hinc in toto mundo maximas oriri mutationes*, perſuaſum habet. Neque longe abludere viſus eſt Tycho de Brahe, Aſtronomorum Coryphæus, Tomo I. Progymnaſmatum pag. 802. *qui aliam rerum mundanarum inverſionem tam quoad religionis, quam rerum publicarum adminiſtrationem ex nova ſtella, quæ Anno 1572. apparuit, & ejus cum Trigono novo familiaritate ſe augurari affirmavit.*

§. 14. Tanto minus dubitare de eo licet, Judæum Scripturæ alias aſſuetum hic Aſtrologorum priſcorum placitis inhærere, quo apertius mentem ſuam de effectu conjunctionum maximarum edidit pag. 83. commentar. in Danielem col. 3. ſequentibus verbis: ופועל המחברת הרבה הוא הנחת הנמוסים החדשים והתחלת האמונה וחרבן המזוזות וישוב האמונות ודומיהם ופועל המחברת העצומה הוא השנוים גדולים ועצומים אמר והענינים היוצאים מדרך טבעי מבהילי האנשים ולידת הנביאים הגדולים עושי הפלאות והנסים מניחי תורת האלהית ומצות קדושות ומגלי סודות: *Operatio maximæ Conjunctionis in eo conſiſtit, ut novæ leges ferantur, novæ religionis fiat initium, Provinciæ exſcindantur, fides ſtabiliatur & id genus alia. Fortis Conjunctionis effectus ſunt mutationes magnæ & validiſſimæ & res ſupernaturales, quæ homines obſtupefaciunt, Nativitas magnorum Prophetarum, mirabilia & ſigna facientium, legem Divinam promulgantium & ſancta præcepta, & arcana revelantium.*

§. 15. Etſi vero R. Abarbanel comment. ſuo in Danielem, ubi ex profeſſo de operatione Conjunctionis diſſerit, cœleſti conſtellationi eam eductionem tribuit, alibi tamen ſui oblitus longe aliter ſentire deprehenditur, fol. enim 334. comment. in Deuteronom. cap. IV. hunc in modum ſcribit: עינינו ראות עניני האומה והצלחותיה שהם כלם כפי ההשגחה ולא כפי הוראת המערכה כמו שיעיד עליו ענין יציאת מצרים והנסים שנעשו שמה ובפרט מהדבר אשר היה במקנה מצרים וממקוה בני ישראל לא מת אחד ומהחשך שהיה למצרים ולכל בני ישראה היה אור במושבותם ובמכת בכורות שלבני ישראל לא יחרץ כלב לשונו האם אפשר שיהיה זה כפי כח המזל ושעת המולד מכל אחד מהפרטים ההם וכן מעמד הר סיני וקריעת ים סוף וירידת המן ושאר הדברים שנעשו האומה בהשגחה נפלאה: *Oculi noſtri vident populi res & proſperitates ejus, quod illæ contigerint ſecundum providentiam divinam, non vero juxta ſignificationem diſpoſitionis* (cœleſtis), *veluti teſtatur de eo exitus ex Ægypto, & ibi patrata miracula, in ſpecie vero lues, quæ in pecude Ægyptiorum fuit, cum tamen Iſraëliticorum pecorum ne unum quidem moreretur. Et tenebræ, quæ Ægyptiis erant, ab Iſraëlitarum habitationibus aberant. Et ſic ex percuſſione primogenitorum conſtat, cum tamen apud Iſraëlitas ne canis quidem moveret linguam ſuam* (Exod. 11:7.) *Num fieri potuiſſet horum particularium ullum juxta Aſtrorum influxum & horam nativitatis? Conſimilis eſt ratio ſtationis in monte Sinai, maris diviſionis, Mannæ deſcenſionis & reliquorum, quæ providentia mirabili ſunt populo facta.*

§. 16. Memorabilis ſane hæc eſt ingenua recutiti confeſſio, qua ipſemet ea, quæ hactenus fuſe pro futura liberatione ex conſtellatione præcognoſcenda attulit, haud obſcure condemnat falſitatis, dum omnia ea, quæ olim populo ex Ægypto educendo contigerunt, ſingulari Dei providentiæ adſcribit, Aſtris non item. Neque id ſine ratione factum eſt ab eo. Etſi enim corporum cœleſtium magna efficacia eſt, & operatio eorum, quæ *luce*, *motu* & *influentiis* fieri dicitur, in hæc inferiora facile animadvertitur: omnes tamen cœlorum vires longe ſuperat eductio ex Ægypto tot ſtupendis miraculis ſtipata, & nequit Aſtrologia effectuum aut eventuum naturalium limites excedere, quæ ſæpenumero ad naturales effectus certo præcognoſcendos non pertingit. Id enim Petrus Gaſſendus, Phyſic. lib. VI. ſect. II. pag. 730. fatetur, *teſtari*, inquiens, *poſſumus, idem ſæpius nobis contigiſſe, quod Johanni Pico, qui obſervatis hieme tota aëris mutationibus, vix ex 130. diebus ſex aut ſeptem reperit, qui cum ipſis Aſtrologorum prædictionibus conſentirent.* Neque præteriri debet illud ſilentio, quod Origanus de Stoflero, inſigni Aſtrologo refert, quod ex Conjunctione magna in dodecatemorio Piſcium, tanquam humido, diluvium prædixerit, cum tamen æſtu pene præternaturali terra eo anno exuſta fuerit. Quam abſurdum itaque erit ex ea de opere miraculoſo judicare, & illud, quod libertatem Dei ſupponit, inque illius unius arbitrio ſitum eſt, ex השפעת המזל ſive *influxu Sideris* derivare velle?

§. 17. Ipſe Abarbanel tandem ad influxum Planetarum liberationem populi Judaici referendam eſſe negat. fol. enim 90. commentar. in Danielem col. 1. ait: המחברת אינו ענין התשועה אבל מורה עליה ומבשר אותה: *Conjunctio ſalutem haud efficit, ſed oſtendit eam atque annunciat.* Atque ita jam olim etiam, tempore Auguſtini, veluti ipſe lib. V. cap. 1. de Civitate Dei teſtatur, quidam extiterunt, qui negarent quidem vim aliquam talia, quæ prædicuntur, efficiendi in aſtris poſitam eſſe, ſtatuerent tamen, ſtellas illas potius ſignificare quam facere, ut ſit quaſi locutio quædam prædicens futura, non agens, ita ut velut in libro quodam deſcripta ſint, quæ in terra contingunt. Quam ſententiam Euſebius, libr. 6. de Præparat. Euangel. adſcribit Origeni, ad quem Johann. Baptiſta Morinus Præfatione Apologetica in Aſtrologiam Judiciariam provocat, *notandum*, inquiens, *quod Origenes fateatur, cœlum univerſum eſſe quaſi librum apertum omnia futura in ſe ſcripta continentem. Sic explicat, quod à Jacobo dictum fuit, in Oratione Joſephi; Legi enim in tabulis cœli, quæcunque contingent vobis & filiis veſtris.* Sed ut hæc ex libro Apocrypho fabuloſo & nullius auctoritatis hauſit Planetarius, Origenes & Morinus, ita eadem facilitate rejicitur hoc teſtimonium qua affertur. Quid, quod tam ſubtiliter librum dictum ſcriptum eſſe, Voſſius teſtatur libr. 11. cap. 48. de O. & P. idololatriæ, ut nemo plane pleneque eum apprehendat.

§. 18. Sunt ſane viri non obſcuri nominis, qui omnino Conjunctiones ejuſmodi pro ſignis inſignium in ſublunaribus mutationum habendas eſſe contendant, quas illæ deſignent ſaltim & notificent. Hinc & ὁ μακαρίτης, Abdias Trew, olim P. P. Altorphinus pag. 25. de Conjunctionibus ad locum Geneſ. 1: verſ. 14. provocat, ubi aſtra, in expanſo poſita, fore dicuntur לאותות *in ſigna.* Es haben / inquit, die groſſe Conjunctiones in ihrem Lauff wunderbarliche Eigenſchafften / über welche man ſich billich verwundern muß / und nicht unzeitlich auff die Gedancken gerathen / ſey anders etwas Bedeutung hinter dem Geſtirn / wie ſie dann nicht vergebens von Gott dem Schöpffer ſelbſten zu Zeichen geſetzet ſeyn / Geneſ. 1: 14.) ſo werde es fürnemlich hinter den Conjunctionibus ſeyn. Atque ita eum Conjunctionibus ſignificationem tribuere patet ex pag. 87. Cum enim Trigonum igneum præcipuum eſſe, non tam ex nomine, quam hiſtoria conſtare dixiſſet, ſubdit: Der Trigonus iſt der nächſte bey der Erſchaffung der

der Welt gewesen / unter diesem ist die Sündflut kommen / das Volck Israel aus Egypten gezogen / Samaria von Assyrern erobert. Jerusalem von selbigen bedrenget / aber doch erlöset / die Kirch Neues Testaments gepflantzet / andere Tempel zerstöret worden. Quin pag. 62. & Regnum Judæorum & Romanum Imperium revolutione facta ruinam passa esse ait.

§. 19. Etsi etiam Picus Mirandulanus Conjunctionibus parum tribuendum esse docuit: Aitsingerus tamen Pentaplo Regnorum mundi, pag. 90. *tabulas suas prodesse ait, ut historias de temporibus, quibus tales Conjunctiones magnæ inciderint, legentes judicemus, quid in his inferioribus quoad regnorum, regum, religionum aliarumque rerum mutationes atque vicissitudines attinet, contigerit, & ostendere possimus magnas ♃ & ♄ Conjunctiones, si non ut causas, ut signa saltem plus in hæc inferiora posse, quam Comes eruditissimus forte putaverat.* Sed quomodo Astra etiam, ut signa, aliquid in inferiora possint, quod Religionem attinet & Rerum publicarum mutationes, non apparet. Vel enim essent signa supernaturalia vel naturalia. Si supernaturalia; ecquomodo ex observationibus naturalibus & citra divinam revelationem Astrologis innotescerent? Si naturalia; vel effectus essent illorum, quæ signant, vel ab eadem cum rebus significatis causa procederent. Quale quid dici non posse, Thomas 22. q. XCV. artic. 5. observavit: *Omne*, inquiens, *corporale signum vel est effectus ejus, cujus est signum, sicut fumus significat ignem, à quo causatur, vel est ejus causa; vel procedit ab eadem causa, & sic dum designat causam, per consequens significat effectum, sicut iris quandoque significat serenitatem, in quantum causa ejus est causa serenitatis. Non potest autem dici, quod dispositiones cœlestium corporum & motus sint effectus futurorum eventuum, nec iterum possunt reduci in aliquam superiorem causam communem, quæ sit corporalis (possunt autem reduci in unam causam communem, quæ est providentia divina. Sed alia ratione disponuntur à divina providentia motus & situs cœlestium corporum, & alia ratione eventus futurorum contingentium, quia illa disponuntur secundum rationem necessitatis, ut semper & eodem modo proveniant: hæc autem secundum rationem contingentiæ ut variabiliter contingant). Unde non potest esse, quod ex inspectione siderum accipiatur præcognitio futurorum, nisi sicut ex causis præcognoscuntur effectus.*

§. 20. Doctissimus Vir, Joh. Baptista Ricciolus, Almagesti novi lib. 7. sect. 5. significationem Conjunctionum novem argumentis impugnat, inter quæ ordine octavum hunc in modum se habet: *aut maxima vel magna Conjunctio gignit vel significat eventus statim secuturos, & hoc nec audent dicere Astrologi, nec possunt reclamante undecunque historia, vel nonnisi post aliquod notabile tempus, adeo ut Albumasar tr. 1. diff. 1. concedat, inter Conjunctionem, quæ significavit diluvium, & diluvium ipsum, intercessisse annos 279. Si sic est, ergo ut vel ipse Bellantius contra Picum lib. 5. docet, non magis tribui possunt effectus illi magnis conjunctionibus, quam aliis Syzygiis Stellarum, quæ propiore tempore factæ fuerint, puta eclipsibus illius anni, ac sexcentis aliis errantium & inerrantium Siderum configurationibus, licet Bellantius addat, nec probari nec reprobari in hoc posse Alliacensis &* aliorum opinionem, in tali casu effectus eos magnos conjunctionibus tribuentium. Nempe Bellantius existimat effectum, quem magna Conjunctio inchoaverit, paulatim successu temporis per alias Planetarum Syzygias adolescere, ac tandem maturescere, ideo ne reprobari quidem posse hanc opinionem.

§. 21. Ex Bellantio, ut videtur, id hausit Domin. Trew, quod pag. 80. loc. cit. de Conjunctionibus tradit: Scheinet nicht unrecht geredet / was Gott bey ietzigen Trigono fürgehabt / das seye zwischen den grossen Conjunctionibus A. C. 1583 und 1603. geseet / zwischen 1603. und 1623. habe es gegrünet / zwischen 1623. und 1643. habe es geblüet mit dem Friedenschluß / vielleicht zum theil meiner einfältigen Vermuthung nach noch nicht gantz gezeitiget. Sed cum Vir Cl. ea anno 1653. pace penitus recuperata, scripserit, facile eo Conjunctiones magnas antecedentes referre potuit, revera tamen illas hoc ipsum significasse, nondum ab illo vidimus comprobatum. Neque locus Gen. 1: 14. ab eo allatus, & quem Astrologi Judiciarii sæpius urgent, id præcise significat, quod ei tribuitur. Rabbi Abarbenel quidem fol. 16. col. 4. com. in Gen. verba etiam ad חבוריהם ומביטיהם *Conjunctiones earum* (stellarum) *& aspectus* refert, & id significare luminaria affirmat, מה שעתיד בגזרת השם *quod Dei decreto futurum est*; & Bechai cum Nachmanide sensum esse vult כי בתנועת המאורות ובמהלכם נעשים אותות ומופתים *quia motu luminarium & illorum cursibus signa & prodigia fiunt*, & Casp. Peucerus, pag. 402. de Astrologia, ait, *signa dum nominat, portendi his aliquid affirmat, neque contemni vult, aut Epicureo risu illudi.* Sed ut τὸ אותות de quibusvis signis h. l. accipiamus, nulla nos cogit ratio. Quin prima creatoris intentio nos inducit, ut sensum esse hunc cumprimis censeamus, astra fore significativa eorum quæ motu suo, ortu & occasu ordinarie efficiant, ut homines præcognoscant diversas aëris tempestates ad opportunitatem agriculturæ, navigationis & aliarum operationum, ut explicat Theodoretus q. 15. in Genesin. Unde & ipse R. Abarbenel l. cit. seipsum quasi corrigens scribit: קרא סבות אותות שהם אותות למה שיהיה בעולם מן החום או קור ושאר האכיות ובזה יוכלו בני אדם להשמר מהם: *Vocat causas signa, quia significant illud, quod in mundo ex calore, frigore & reliquis qualitatibus oritur. Atque ita homines sibi ab eis cavere possunt.* Nempe ut à Sideribus & lationibus cœlestibus, *Solis* maxime & *Lunæ* accessu recessuque alternas dierum noctiumque vices, quadripartitam anni distinctionem, caloris, frigoris, serenitatis pluviarum etiam atque tempestatum vicissitudines, & alia id genus pendere, negari non potest, ita illorum SIGNA esse corpora cœlestia, ultro largimur, dum pro suo vario motu & positu diversos ejusmodi effectus edere solent. At vocem אותות ulterius extendere, & dicere, corporibus illis cœlestibus, eorumque motu, oppositione, conjunctione & aspectu ea etiam significari, quæ ab arbitrio sive Dei sive hominum pendent, id, ceu diximus, intentioni creatoris loco citato consentaneum minime esse, adeoque locum illum ἀπροσδιονύσως adduci ab Astrologis Judiciariis, arbitramur. Sequeretur enim inde & plus quam adamantinum fatum, & inevitabilis omnium causarum secundarum & eventuum quorumvis necessitas, quæ quantopere Sacris literis repugnet, ipse Rabbi Abarbenel, folio 334. comment. in Legem his verbis non inepte ostendit: אם היה האדם מוכרח במעשיו כפי מזלו ומן השמים יוכיחו אותו לרדוף אחר המצות או אחר העבירות לא היה מקום לא לשכר ולא לעונש ולא היה מקום לתורה האלהית ולמצותיה ולא לאזהרותיה אחר שאין דבר ביד האדם ובחירתו כי אם כפי הגזור עליו מהמערכה השמימית וכפי שעת מולדתו והנה הבורא יתברך יעד בתורה בשמירת המצות על יעור רבוי הבנים והעושר והכבוד וטוב הפרנסה ותוספת העם ושאר ההצלחות׃ ואם היו הדברים ההם מפאת המערכת והמזל לא בזכותא תליא מילתא הנה תפול התורה בכללה ואמר האומר שוא עבוד אלהים ומה בצע כי שמרנו משמרתו: *Si homo in suis actionibus necessario agit, secundum sidus suum & à cœlo cogitur, præparabit eum, ut feratur vel in præceptum vel ejus transgressionem, adeoque neque mercedi neque pœnæ locus erit. Quin neque Legi, neque Præceptis, neque admonitionibus locus relinquetur, quia homo non erit liber, sed ex dispositione cœlesti pendebit & hora nativitatis suæ. Ecce autem Creator benedictus in lege pollicitus est eis qui Legem observaverint, prolem copiosam, divitias, gloriam, alimenti abundantiam, populi incrementum, & reliquas prosperitates. Quod si vero illa à Constellatione pendeant, non à pietate vel justitia, ecce Lex penitus collabetur, & dicetur,* (Malach. 3: 14.) *frustra Deus colitur, & quid emolumenti percipimus ex observatione ejus?* Laudat etiam Augustinum lib. 5. cap. 7. de C. D. & Aristotelem libro 3. Ethic.

§. 22. Si, ut Abarbenel ingenue fassus est, populi prosperitas & fortuna non à Siderum influxu & virtute, sed observatione divinorum præceptorum pendet, eccur in Planetarum Conjunctione suam suorumque sortem meliorem quæritat? Eccur Israelitarum exilia & adversitates, quas inde à Regum tempore sua culpa, & ut omnes Prophetæ uno ore testantur, ob idololatriam aliaque plurima peccata perpessi sunt, ita *Oppositioni* assignat, ut Virginis Sidus Judæis subinde adversum & inimicum, Christianis contra proficuum benignumque fuisse contendat, & inde πανωλεθρίαν sui populi accersat, folio 86. col. 3. libro citato אמנם בתולה היא מזל המנגד לישראל ולכן סבב גלות ישראל ומעלת אדום המנגד לישראל מלידה ומבטן ומהריון תכלית הנגוד כמו שדרשו חז"ל על שני גוים בבטנך וכי לאומים ממעיך יפרדו וכו׳: *Sane Sidus Virginis Israeli contrarium est, & idcirco exilium accersivit Israeli, & Edomo dignitatem, qui Israeli est contrarius ab ortu, utero & conceptionis momento contrarietate consummatissima, veluti Dd. l. m. concionati sunt super locum* (Gen. 25: 23.) *duæ gentes in utero, & duo populi ex visceribus tuis separabuntur, &c.* Sed reliqua

quo-

quoque, quæ subdit, audiemus, והיתה אמונת ישוע אשר לקחו בני אדום מתחדשת בעולם בתחלת זאת המחברת ולהיות מזל בתולה בעל המחברת היתה שורש דתו היות מרים אמו בתולה בלדתו אותו והיא אשה בבתוליה ראש קדושתם הלא כתבתי לך ענין המחברת האלה והוראתם על האומה במועצות ודעת: *Religio Christiana, quam susceperunt Edomitæ, in mundo initio hujus Conjunctionis exorta est. Et cum Sidus Virginis hanc Conjunctionem receperit, primarium fundamentum Religionis fuit, quod Maria, mater ejus* (Christi) *virgo fuerit, cum pareret eum. Et illa fœmella in virginitate sua sanctitas eorum caput est. Annon tibi Conjunctionum naturam, earumque significationem quam in gentibus habet, scripsi in consiliis & scientia?* (Proverb. cap. 22: 20.)

§. 23. Ita Rabbi Abarbenel, quasi re bene gesta, tripudiat & gloriatur, cum tamen nullibi se turpius dederit, quam hic, ubi à via recta longissime aberravit. Hoc vel exinde patescet, quod astris ejusmodi influxum tribuit, qui cum fatali necessitate est conjunctus. Sic fol. 86. col. 1: scribit: לפי שגם שור מביט מבט אהבה למזל המתנגד בתולה לכן היו גם כן מהרעות מחלוק מלכיות ועבודת ע"ז אלא להיות שור יותר קרוב לדגים היו הטובות יותר גדולים מהרעית: *Quia Taurus aspectu amoris* (Astrologi benignum vocant) *Virginem sidus oppositum respicit, idcirco mala etiam fuere, ut Regni divisio & idololatria, sed quia Taurus propinquior fuit Piscibus, bona malis erant majora.* Quasi vero Regni divisio, quam Deus se ob peccata Salomonis facturum dixerat, 1 Reg. 11: 32. Stellarum influentiis & Conjunctionum virtute contigerit, & ideo Israelitæ ad idololatriam sint prolapsi. Sane loco citato expresse testatur Deus, causam divisionis esse turpem illam divini cultus neglectum. Sed hæc Abarbenelis placita ejusdem sunt veritatis ac illa, quibus *Gemellorum* operationi abductionem tribus Ruben, Gad & dimidiæ Manasseh adscribit. Et quid dicemus de illo asserto, ubi Hierosolymorum à Senacheribo tentatam desolationem, quam precibus suis pientissimus Rex Hiskias avertit, inde sufflaminatam ait? כי המבט לא היה שנאה גמורה לכן יצא מלאך ה' ויך במחנה אשור: *quia aspectus non plane malignus fuit, ideo egressus est angelus Domini & castra Assyriorum percussit.* Quam perfrictæ frontis est, dum scribit? בשנת ג' אלפי' תש"צד לבריאה באה המחברת ז' לבתולה הנכחיי והמנגד לדגים מתנגדד לישראל ומבט אליה מבט שנאה גמורה והיתה המחברת הזאת אשר כלנו ותממנו: *Anno ter millesimo septingentesimo nonagesimo quarto à creatione mundi, septima Conjunctio in Virgine, Piscibus opposito Sidere, quod Israeli & contrarium & aspectu penitus maligno facta est, atque hac Conjunctione consumti sumus & devastati.*

§. 24. Sed ut Abarbenel, dum *influxui* Conjunctionis illius eductionem ex Ægypto tribuit, fumum vendidit, ita quoque toto, quod dicitur, cœlo aberrat, dum הוראה sive *significationem* tam admirabilis operis, constellationi assignat, & hoc pro certo affirmat, fol. 89. col. 4. hunc in modum scribens: אין ספק שמחברת העצומה שנעשתה בדגים שנת חמשת אלפי' רכ"ד ליצירה עשתה הוראה אמתית על גאולתנו ועל פדות נפשנו ומלכותנו וממשלתנו בארץ כנזכר והפעולה ההיא פועל אלדי ועליה נאמר גאלנו השם: *Dubitandum non est, quin fortis Conjunctio in Piscibus anno 5224. creationis mundi sit vera significatio nostræ liberationis & redemtionis animæ nostræ, regni nostri, & dominatus nostri in terra possessionis nostræ, ut diximus. Atque illud opus est divinum, & de eo dictum est, Deus redemtor noster* (Esai. cap. 33.) &c. Cum ne ulla quidem connexio sit constellationis illius & eventus prædicti, quid mirum, hunc non respondisse prædictioni. Sed neque ejusmodi quid Stellarum positu suo modo significari saltem dicere potest Abarbenel. Nisi enim plures sint observationes, quæ perspectam faciant, ejusmodi signum esse crebrius cum hac vel illa re, aut ejusmodi effectum consequi crebrius ex hoc signo vel alio, divinatio potius erit quam prænotio. Atque inde factum est, ut summis Astrologis nulla sagacitate penetrabilis vis astrorum sit suspecta, & rerum publicarum mutationes Conjunctionibus præsignificari, nolint asserere, uti cap. 13. introduct. in notitiam Rerumpubl. monet ὁ μακαρίτης J. A. Bosius, Collega & Compater, dum viveret, amicissimus, cujus ut grata olim amicitia, ita sancta nunc est memoria.

§. 25. Quam parum etiam ejusmodi astrologicæ prædictioni sit tribuendum à Judæis, ipsemet sui veluti oblitus Abarbanel pag. 89. col. 4. comment. in Dan. docet his verbis: אמנם השפע בהיותה בערך אל האומה הישראלית כבר לא תצדק מפאת ההשגחה האלהית שהוא השם יתברך הפועל בם באמת והוא למעלה מהמערכה ולכן אותות בדים לפי שהקוסמים וחכמים יגידו עתידות כפי המערכה ויכזבו בהגדתי לפי שהשגחה האלדית תסדר הדברים כפי הרצון לא כפי ההוראה השמימיית ואז כוכבים ידעו כי אין אלוה מבלעדי השם והוא עושה שלום ובורא רע בעולם כרצונו: *Sane influxus, quod populum Israeliticum attinet, non obtinet locum propter divinam providentiam Dei benedicti, qui revera in illis operatur & dispositione* (cœlesti) *superior est. Atque ita signa mendacium irrita facit, quia hariolі & sapientes futura indicant secundum constellationem, & mentiuntur in suis prædictionibus, quia divina providentia pro suo arbitrio res disponit non juxta significationem configurationis* (cœlestis), *& tunc suis mendaciis cognoscunt, non esse Deum, præter Deum, qui facit pacem & creat malum in mundo* (Esai. 45: 7.) *secundum suam voluntatem.*

§. 26. Si de populi Judaici conditione ex astrorum constellatione judicari nequit, sed Dei providentia hic locum habet, quæ cumprimis in Scriptura nobis revelatur, ecquid aliud superest, quam ut missis Astrologicis conjecturis fallacibus, solum Dei verbum Judæi consulant, & inibi scrutentur, ecquid Spiritus Dei de fato & sorte Judaici populi consignaverit, sicque expendant, annon, dum spreto Messia veri nominis, alium præstolantur, ejusque adventum in astris quæritant, interminationis divinæ complementum habeant: *Dominus te percutiet amentia, cæcitate & stupore cordis & eris palpans in meridie.* Deuteron. 28: vers. 28.

CAPUT III.

SUMMARIA.

Rabbi Abarbeneli malam Judæorum causam ex astrologia judiciaria subsidium quærenti locus Num. 23: 22. opponitur. Duplex ejus explicatio. Aben Ezra laudatus. Chaldæorum sequax Judæus Jovi operationem indebitam tribuit. Leges divinæ Levit. 19: 26, 31. 20: 27. insuper habitæ ab Abarbenele. Lex Deut. 18: 10. à Rabbi Gerundensi & Aben-Ezra bene explicata. Vocis תמים *emphasis illustrata. Quid* קוסם *&* מעונן *denotent, ex Aben-Ezra, Kimchio, Elia Levita & Maimonide ostensum. Planetarius J. B. Morinus notatus. Cornelii à Lapide super Genethliacis querela. J. C. Dietericus laudatus. P. Melanchtoni à Luthero judiciariæ astrologiæ studium exprobratum. Cur Aquila Ponticus ex Ecclesia ejectus? Epiphanius laudatus. Divinatorum temeritas ab Imperatoribus vetita. Maimonidis de hariolorum vanitate judicium. Quæ futura & quomodo prænosci queant à Thoma ostensum. Rabbi Abarbenel sobrium judicium de astrorum influentiis. Cum Sidera in cœlo expansa dicuntur* למשל *ad dominandum, quid designet? Dei providentia astrorum influxus obnoxius.* ἀξιομνημόνευτον *dictum priscorum Judæorum de judiciariæ astrologiæ studio non sectando. Abarbenelis de nativitate & adventu Messiæ sententia expenditur. Locus Esaiæ 66: 7. ab eodem recutito detortus vindicatur. Ex Gematria pro Messiæ adventu ratio explosa. Cantio Sabbatina, nequicquam à Judæis ingeminata. Alter adventus Messiæ formidabilis Judæis.*

§. I.

NOn potuisse Abarbenelem magis luculento documento comprobare, quam mala causa sit Judæorum & res illarum conclamata, quam dum, valere quasi jussa sacra Scriptura, ad astrorum συζυγίας confugit & suæ liberationis argumentum ex illorum constellatione petendum duxit, ex hactenus dictis ita manifestum est. Nunc quam divinatio ejusmodi vana & homine pio indigna sit, & quantopere Deo displiceat, utpote ab eo serio vetita,

 vide-

videbimus. Solet in hanc rem alligari locus Num. 23: 22. ubi Bileam ait: לא נחש ביעקב ולא קסם בישראל *non est augurium in Jacob, neque divinatio in Israele.* Quæ verba dupliciter accipi solent: (1.) ut sensus sit: Israelitarum non esse, auguria captare, vel deditum esse divinationibus, quippe qui ad Legem & testimonium ablegantur Esai. 8: 20. & serio monentur, ne eant בחוקות הגוים *in statutis gentium*, Levit. 18: 3, 4. (2.) augurium ullum Israeli fraudi esse non posse. Posteriori modo Rabbi Abarbenel interpretatur, dum ita commentatur: לא נפעל ולא יחייב בישראל הניחוש והקסם ומשפטי הככבים לפי שהם מונהגים כפי ההנהגה העליונה עד שמפני זה כל דבר לא יכחד מהם בנבואה' ו"ש כעת יאמר ליעקב ולישראל מה פעל ר"ל בעת אחד שהוא החלק הקצר מהזמן יאמר בנבואה לישראל מה פעל בעולמו ולכן לא תבקש כנגדם סבה השמימית: *Auguratio, divinatio & Stellarum dispositio nihil adversus Israelem valent, eo quod ille regitur divinitus, ita ut propterea in illorum Prophetia, nihil eis clam sit. Atque hoc est, quod dicit, secundum tempus* (Num. 23: 23.) *dicet Jacobo & Israeli, quid faciat. q. d. uno tempore eoque brevissimo Israeli dicet quid in mundo suo operetur. Non est igitur, ut causam cœlestem contra illos quæras.* Aliter vero & secundum prius interpretamentum Rabbi Aben-Esra verba intelligit, quæ hunc in modum accipit: אין להם צורך למנחש וקוסם: *illi non opus habent divinatore & hariolo*, quia, ut idem Aben-Esra ad cap. 4. Deuteron. scribit: להיות השם יועצם ולא ככב: *Deus illorum consiliarius est, Stella non item.*

§. 2. Ut vero Gentiles, cumprimis Chaldæi, docuerunt, Planetas quod non eadem via cum stellis fixis incederent, interpretes esse voluntatis Deorum, & varias operationes illis tribuerunt, ita factum est, ut deinceps Judæi quidam placita illorum suscepisse viderentur. Auctor libelli שבילי אמונה pag. 22. cum asseruisset, Jovem absolvere XII. annis minus VIII. diebus suum cursum per zodiacum, in hæc verba desinit: על ידו פועל הבורא ית' בעולם צדקה וחיים ויושר ואהבה וחבורה ומשבית האיבה ומריבה ומעורר הלבבות למעשה הטוב ולחזור בתשובה לא להיותו יתברך מכריח למעשה הטוב ולחזור בתשובה ולא להיותו יתברך מכריח למעשה הטוב או להפכו כי אם לעיר לבד: *Per eum* (Jovem) *Deus benedictus in mundo operatur justitiam & vitam, rectitudinem, amorem & societatem, & tollit inimicitias & jurgia, excitatque corda ad bonum opus & reditum per pœnitentiam. Non quidem quod Deus cogat ad bonum opus & resipiscere faciat, neque quod Deus ad bonum vel ejus oppositum impellat, sed saltim ut excitet.*

§. 3. Cum vero Judæi tandem Ἀστρομαντείων amplexi perinde ut Gnosticorum propago, homines Stellis alligare cœperint, quid mirum, eos tandem ex astrologia, quæ nec in principia per se nota, nec experimento cognita, nec à prima veritate revelata, resolvitur, in suis angustiis liberationem quoque suam petere tentaverint, licet omnes augurandi & ominandi modos, gentibus receptos fugere, & soli DEO adhærescere apertissime jussi sint, non modo Levit. cap. 19: 26, 31. & cap. 20: 27. sed etiam cumprimis Deut. cap. 18: 10. Quam legem, cum non male explicet Rabbi Gerundensis, comment. in h. l. eum audire haud gravabimur: טעם תמים תהיה עם השם אלהיך שניחד לבבנו אליו לבדו ונאמין שהוא לבדו עושה כל והוא יודע אמתת כל עתיד וממנו לבדו נדרוש העתידים מנביאיו או מאנשי חסידיו ר"ל אורים ותומים ולא נדרוש מהוברי שמים ולא מזולתם ולא יבטח שיבואו דבריהם על כל פנים אבל אם נשמע דבר מהם נאמר הכל בידי שמים הוא אלהי האלהים עליון על הכל היכול בכל משנה מערכות הככבים והמזלות כרצונו מפר אותות בדים וקוסמים יהולל ונאמין שכל הבאות תהיינה כפי התקרב האדם בעבדתו ולפיכך אחר ההזהרות האלו אמר שתהיה תמים עם השם לא תירא ממגיד עתיד: *Sensus verborum*, integer esto cum Domino Deo tuo, *est talis: cor nostrum cum eo solo uniamus & credamus, illum solum omnia facere & illum omnia nosse, futura ab eo solo quærenda, Prophetis ejus aut sanctis ejus, hoc est, Urim & Thummim. Nequaquam vero ab Astrologis vel aliis petamus, neque ullo modo confidamus, fore, ut omnino illorum verba impleantur. Sed si quicquam ab eis audiverimus, dicamus: omnia in Dei manu sita sunt. Ille enim est superior omnibus Diis, qui omnia potest, & mutat dispositiones Stellarum & Siderum pro sua voluntate, irrita reddens signa mendacium* (Esai. 44: 25.) *& augures insanire faciens. Credamus etiam, ea, quæ ventura sunt, evenire, prout homo se gesserit, atque idcirco post illas admonitiones jubet illum integrum esse cum Deo, vetat, ne ab illo nobis metuamus, qui aliquid futurum significat.*

§. 4. Rabbi Aben-Esra, licet Seldeno, Syntag. 1. cap. 3. de DIs Syris, astrologiam suis commentariis haud satis pie miscere perhibeatur, hic tamen haud male itidem textum explicat, & plane orthodoxe, sic scribens: כל אלה תועבת השם כי האמת להיות לב האדם תמיד תמים עם בוראו וכאשר נשען על חכמתו לבקש האמת ומה שיהיה חוץ מהשם הנה לבו חסר כי הוא משבש והרוצה לדרוש ידרוש מהשם: *Omnia ista* (quibus futura cognoscendi modi continentur) *Deus abominatur, quia cor hominis subinde creatori suo adhærere debet. Qui vero sua sapientia fretus veritatem quærit, & id quod extra Deum est, ecce cor ipsius recedit, quia ille confunditur, & qui aliquid quærit, à Domino expetere debet.* Ita bini Rabbini optime sensum verborum declarant, & neuter illorum ex Stellarum positu quicquam pro populo vel regendo, vel in libertatem asserendo protulit. Quin Aben-Esra id quoque monuit, si vel maxime Sidera homini aliquid mali prænunciare & thema genethliacum adversum quid significare videantur, tamen ne tunc quidem animum abjiciendum, sed solum Deum respiciendum esse, ut ipse Abarbenel fol. 335. comment. in Legem, col. 4. refert: כבר כתב הרב ראב"ע ז"ל בספר המולדות כאשר זכר הדברים הכוללים המבטלים ההוראות הפרטיות אמר שם בדרך הח' וככה הבוטח בה' בכל לבו השם סבב לו סבות ולו נתכנו עלילות להציל מכל נזק שיש במולדו אם כן אין ספק כי הצדיק יותר שמור מהמשכיל בדיני המזלות כי פעמים יתבשו עליו והנה אשרי מי שלבו תמים עם השם אלהיו: *Scripsit Rabbi Aben-Esra jam pridem in libro de nativitatibus, postquam mentionem fecit generalium, quæ significationem particularium cessare faciant, Semita octava: Et sic eum, qui confidit Domino toto corde suo, Deus regit, & causæ ita parantur, ut eum ab omni malo immunem præstent, quod in nativitate ejus portendebatur. Qua cum ita se habeant, dubium non est, quin pius magis custodiatur, quam prudens Sideribus. Quandoque enim confunduntur. Ecce autem, ille beatus est, cujus cor integrum est cum Domino Deo suo.*

§. 5. Bene observat Aben-Esra emphasin vocis תמים, quam notante Rabbi Gerundensi Onkelos reddidit: שלים ההא בדחלתא דיי *perfectus sis in timore Domini.* Exigit enim fiduciam hominis in solum Deum, ut omne aliud objectum, in quod feratur, aut unde futurorum notitiam petat, excludat, & contra in unius Dei providentia eum recumbere jubeat. Atque inde auctor libri באר משה ad תמים idem h. l. significare ait ac gantz q. d. hominis esse, se totum Deo tradere & nusquam, quam apud ipsum, futurorum eventum quærere. Quod etiam haud obscure patescit inde, quod Deus in populo suo non tolerandos ait, קֹסֵם קְסָמִים מְעוֹנֵן וּמְנַחֵשׁ. Deuteron. capitis 18. ubi notandum ad קוסם, quod B. Lutherus Weissager reddidit, significare omnem artem, quæ exercetur ad sciendum futura (contingentia), & nimis eam vocem restringi ab auctore באר משה, dum reddidit, zaubern. Longe rectius Aben-Ezra explicat hunc in modum: יתכן היותו שם כלל ופירושו חותכי המשפט האומרים כי כן יהיה בלי ספק וכן גוזרין: *Pro generali nomine habendum est, & de illis explicandum, qui modos demonstrant, dicendo, sic se res sine dubio habebit, & ita decernunt.* Subdit: גם יתכן היותו שם פרט להוברי שמים וטעם קסמים שיש במשפטי הככבי הנקראים ראשונים ושניים: *Etiam pro speciali nomine venit. Denotat enim astrologos, ut* ad קסמים *de stellis, quæ prima & secundæ appellantur, accipiatur.* Et Kimchi comment. in cap. 14: vers. 14. Jerem. adstipulatur: חוזה הככבים יקראו קוסם: *Stellarum contemplatorem vocant* קוסם. Ex quibus apparet, judiciariam illam astrologiam, quam hic Abarbenel amplexus est, à Deo, ipsius Aben-Ezræ & Kimchii judicio, esse prohibitam.

§. 6. Rabbi Elias Levita animadversionibus suis in librum Radicum Kimchii annotavit: הקסם הוא לדעת העתידות וכן אמרו על בלעם שידע לכוין השעה: קסם ad *notat eum, qui futurorum scientiam profitetur. Ita de Bileamo referunt, quod horam observare sciverit.* Rabbi David Kimchi vocem מעונן, quam B. Lutherus Tagewehler vertit, explicaturus sic vocari ait: המחשב עתים ושעות ואומר היום יפה לצאת למחר יפה ליקח: *temporum horarumque æstimatorem, qui dicat, hodie exire commodum est, crastina luce accipere.* A quo non abludit Maimonides Hilk. ע"ז cap. 11: §. 9. אלו נותנים עתים שאומרים מאצטגנינות יום פלוני טוב וגם פלוני רע ראוי לעשות בו מלאכה פלונית שנה פלונית או חדש פלוני רע לדבר פלוני: *notat illos, qui temporum rationem ex astrologia docere volunt, dicentes: hic dies bonus est, hic vero malus. Hoc die hoc opus agendum est,* hic

hic vel ille annus huic operi est nocivus. Atque ita verbum תעוננו Levitic. 19: 26. Judæi itidem in באר משה reddunt שמינלן Stindlen / quod idem ipsis significat atque horas observare, vel illarum habere rationem in negotiis expediendis.

§. 7. Atque hic non possumus silentio præterire Planetarii recentioris, ejusque Medicinæ Doctoris, & Mathematum Regii per plurimos annos Professoris insignitam vanitatem, dum & ipse ejusmodi horarum electionibus ita indulsit, ut fausto Sidere, ideo se cum secundo Galliæ Ministro, Leone de Buthilier, Comite de Chavigny iter longum confecisse glorietur. Is est Joh. Baptista Morinus, qui Astrologiæ Judiciariæ Gallicæ, lib. XXVI. cap. 7. testatur, se primarium illum Ministrum rogasse, *ut ipsi placeret diei & horæ ad proficiscendum fortunatæ electio.* Cui consilio cum obtemperasset, horaque septima omnia essent parata, *ad momentum electum domini temporis* illum eo successu currum conscendisse, ut, longo quamvis itinere, utpote 200. milliarium Gallicorum, & calore intenso, nec equi neque homines aliquid damni senserint. Et cum postmodum Cardinalem, compellare animum Comes de Chavigny induxisset redux, ne qualibet hora, sed electa id effectum daret, credulum illum & ad superstitionem pronum Ministrum Astrologus Judiciarius & augur monuit, quod aliæ horæ tutæ essent & faustæ, aliæ periculosæ vel infaustæ, vel ipso Christo teste, Joh. 12. *nonne*, inquiente, *duodecim horæ sunt diei?* Ita nempe sibi fumum vendi patiuntur Viri magnates, non Parisiis modo sed & Romæ, ubi *vitam longam*, *Cardinalatum* & *Papatum* sibi sæpenumero prædici curant, sed eo eventu, qui eos vana spe & mendacio delusos esse, aperte testetur. Unde haud obscuri nominis Jesuita, Cornel. à Lapide à se impetrare non potuit, quin eos serio dehortaretur à tanta temeritate, *expergiscimini*, inquiens, *Prælati, filii hominum! ut quid diligetis vanitatem, & quæritis mendacium? imo sæpe interitum non tantum corporis sed & animæ.* comm. in Act. 19.

§. 8. Ipsum Philippum Melanchthonem, ejusmodi prædictionibus astrologicis addictiorem, à B. Luthero exagitatum atque interrogatum referunt, an eis, qui navi submerguntur, aut in periculo interficiuntur, hoc ex propria genesi contingat, an vero horæ ingressu in navim. Confer Johann. Conradum Dietericum, Antiq. Bibl. ad Esai. cap. 47: 7. Quam rigidam etiam censuram primitiva Ecclesia Christiana exercuerit adversus eos, qui dierum horarumque electionem amplexi sunt, vel ipsius Aquilæ Pontici, docti illius quidem utpote Græcæ Versionis auctoris, at creduli nimis & judiciariæ Astrologiæ plus justo addicti, viri exemplum docet. Gremio quippe suo Ecclesia illum ejecit, quod nimium ejusmodi prædictionibus indulgeret, & deditus esset τῇ ματαίᾳ ἀστρονομίᾳ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὸ θέμα τῆς αὐτοῦ γενέσεως σκεπτόμενος, ut Epiphanius, libro περὶ μέτρων, καὶ σταθμῶν testatur. Nempe hariolationes ejusmodi, quibus homines futuras actiones contingentes, & liberas ex siderum positu cognoscere, vel eas prædeterminate, quamlibet per conjecturam, prænunciare audent, in Dei providentiam, cultum divinum & liberum hominis arbitrium peccant, maximumque omnino crimen admittunt illi, qui in imperitis persuasionem de omnium eventuum ex astris præscientia confirmantes abducunt à verbo divino, in quo se Deus patefecit, & ad quærenda in astris consilia & auxilia homines perducunt. Atque hinc factum est, ut ejusmodi harioli ab Imperatoribus quoque fuerint damnati, & facessere jussi sint. Confer tit. XVIII. lib. IX. Codicis, ubi Mathematicorum hoc est, impostorum, (qui liberali nomine Mathematicorum ineptias suas adumbrant) divinationes inhibentur. Et quis dubitet, quin longe vehementiori studio eas prohibituri fuissent, si jam illis temporibus eo vesaniæ Astrologorum prorupisset impudentia, ut non modo, quæ à voluntate humana proficiscuntur, verum etiam illa, quæ solius Dei subjacent imperio, prædicere voluissent.

§. 9. Ab ejusmodi divinationum speciebus, quam alienissimus esse debuit Judaicus populus, & eas plane aversari. Unde R. Moses Maimonides Hilkot ע"כום cap. 1. bene scripsit: כל המאמין בדברים האלו וכיוצא בהן ומחשב בלבו שהם אמת ודברי החכמה אבל התורה אסרתן אינו אלא מן הסכלים ומחסרי הדעת ובכלל הנשים והקטנים שאין דעתן שלימה אבל בעלי החכמה ותמימי הדעת ידעו בראיות ברורות שכל אלו הדברים שאסרה תורה אינם דברי חכמה אלא תהו והבל שנמשכו בהן חסרי הדעת ונטשו כל דרכי האמת בגללן ומפני זה אמרה תורה כשהזהירה על כל אלו הדברים תמים תהיה עם השם אלהיך *Quicunque fidem habet rebus ejusmodi* (quæ Deut. 18. vetantur,) *& his similibus, sibique persuadet, eas veras esse & sapientiæ plenas, quas tamen Lex prohibuit, ille stultus est & scientiæ expers inter fœmellas & parvulos referendus, qui imperfectam habent scientiam. Sapientes vero & perfectæ scientiæ homines, rationibus manifestis edocti sunt, nihil eorum, quæ lex prohibuit, sapientiæ quicquam habere, sed vanitatis plurimum, sectarique ea imperitos omnesque vias veritatis deseruisse propter illa. Idcirco lex ab ipsis vanitatibus illa hortans ait: integer esto cum Domino, DEO tuo.*

§. 10. Quomodo vero, & quæ futura cognosci possint, Thomas 22. q. 95. artic. 1. hunc in modum declarat: *Futura prænosci possunt dupliciter; uno quidem modo in suis causis, alio modo in se ipsis. Causæ autem futurorum tripliciter se habent: quædam ex necessitate & semper suos effectus producunt, & hujus modi effectus futuri per certitudinem prænosci & prænunciari possunt ex consideratione suarum causarum, sicut Astrologi prænunciant futuras eclipses. Quædam vero causæ producunt suos effectus non ex necessitate & semper, sed in pluribus, raro tamen, deficiunt. Et per hujusmodi causas possunt prænosci effectus futuri non quidem per certitudinem, sed per quandam conjecturam, sicut astrologi per considerationem stellarum quædam prænoscere & prænunciare possunt de pluviis & siccitatibus, & medici de sanitate & morte. Quædam vero causæ sunt, quæ si secundum se considerentur, se habent ad utrumlibet: quod præcipue videtur de potentiis rationalibus, quæ se habent ad opposita secundum Philosophum lib. 9. Metaphys. text. 3. & 28. Et tales effectus, vel etiam si qui effectus, ut in paucioribus, casu accidunt ex naturalibus causis, per considerationem causarum prænosci non possunt, nisi in se ipsis considerentur. Homines autem in seipsis hujusmodi effectus considerare possunt solum, dum præsentes; sicut cum homo videt Socratem currere, vel ambulare. Sed considerare hujusmodi in se ipsis, antequam fiant, est Dei proprium, qui solus in sua æternitate videt, quæ futura sunt, quasi præsentia. Unde dicitur, Esai. 41. annunciate, quæ futura sunt in futurum, & sciemus, quod Dei estis. Si quis ergo hujusmodi futura prænunciare aut prænoscere quocunque modo præsumpserit, nisi Deo revelante, manifeste usurpat sibi, quod Dei est.*

§. 11. Ut vero ad Abarbanelem redeamus, qui liberationem populi ad siderum influxum, saltim illorum προσημασίαν retulit, atque ita inter hariolos vel judiciarios invitis contribulibus, nomen suum professus est, scire licet, alibi eum & extra illum æstum disputationis cum Christianis, & desiderium contribules extorres solandi constitutum, multo sobrius rectiusque de influxu siderum disseruisse. Cum enim quidam priscorum Ebræorum illud in ore sæpius habuissent אין מזל לישראל, *Israël non habet sidus*, & sic Judæos, ut alios populos astrorum impressionibus obnoxios esse, negarint; adducti locis Deut. 4: 19. & Deuter. 24: 26. alii vero contra oggererent, לא בזכותא תליא מילתא אלא במזלא, *non ex probitate res dependet, sed sidere*, adeoque cuncta à siderum operatione suspenderent, mediam viam Abarbanel ingressus est, ut quousque se astrorum porrigat virtus, non male docuerit. In decisione enim quæstionis illius fol. 335. col. 4. comm. in LEGEM, ita se gessit, ut nihil admiserit, quod Scripturæ vel rei ipsi repugnaret. Nempe hoc primum fundamentum esse jussit: שהמערכה לא תורה על מעשה המצות והעברות כלל: *quod dispositio cœlestis vel constellatio non designet ullo modo præceptorum observationem, eorumve transgressionem.* Rationem dat hanc, כי הם מבחירת האדם ופעולת נפשו ואינם מפועל המזל: *quia illa ex hominis electione oriuntur & animæ operatione, quæ non sunt obnoxiæ sideris operationi.* Si vero illa, quæ ex libero arbitrio hominis dependent, siderum operationi non sunt obnoxia, quanto minus illa, quæ Deus sibi reservavit, ex siderum positu prænoscere Judæus poterit. In eo etiam laudem meretur, quod orthodoxis assentitur, statuentibus astra in animam directe non agere, sed indirecte, remote & ut causas inclinantes, quatenus nempe certi stellarum positus in humano corpore humores, partes & sensus vel vegetant vel hebetant. Sic enim porro ibidem monet: באותם הדברים שתורה המערכה אינה פועלת ולא מחייבת אותם בהכרח כי אם שתתן הכנה לנולד לקבל אותם הדברים אם ישתדל עליהם: *Res, quas constellatio significat, non eas necessario producit aut causatur, sed disponit duntaxat natum, ut ejusmodi rem recipiat, si eidem operam navet.* Nempe temperamentum hominis & spiritus animales non primis tantum & manifestis, sed etiam occultis qualitatibus quibusdam quasi infici & fermentari, docent Astrologi ut tamen inde nullam necessitatem inferre liceat. Sic etsi Peucerus pag. 396. scribat: *tam certum est, Martis cum Venere congressum gignere naturas salaces & in libidinem proclives, quam certum est, ciere Venerem* φάρμακα ἀφροδισιακὰ καὶ θελκτικὰ σπέρματα: negare tamen nequit, quin aliarum causarum vis horum impetum frangat, aut ceu freno injecto compescat, ardorem restinguat vel etiam domesti-

domestica disciplina & assuefactio δυνάμεις naturales retundat & moderetur.

§. 12. Id siderum efficaciam efficaciter probat, quod in cœlo posita dicuntur Gen. 1: 17. למשול *ad dominandum* noctu & interdiu, ubi Gerundensis monet, שדבר הממשלה הוא ענין אחר מזולת הארה שהזכיר: *dominium aliud quid significare quam illuminationem, cujus mentionem fecerat.* Nempe, ut Abarb. docet, significat שנוי אשר יולידו בארץ *mutationem, quam in terris pariunt*, & ut fol. 333. col. 4. loquitur: ידוע שהגרמים השמימיים פועלים בעולם השפל בתנועתיהם המתחלפות בהכנעם את היסודות והרכבתם והתמזגותם ויכינו אותם בהכנות מתחלפות לקבל הצורות הטבעיות עד שישיבו קצת בני אדם מוכנים לקבל החכמה וקצתם לא: *corpora cœlestia in hoc mundo inferiori mutationibus suis diversis operantur, dum elementa alterant, miscent, temperant, variisque mutationibus disponunt ad suscipiendas formas naturales, adeo ut quosdam homines disponant ad accipiendam sapientiam, quosdam non item.* Neque tamen innata ejusmodi propensio utramque facit paginam, sed virtus formatrix à parentibus simul cum humido primigenio derivata, aliaque suum quoque locum obtinent.

§. 13. Tandem R. Abarbanel Dei providentiam quoque ita agnoscit, ut ea sidera gubernari doceat. Sic enim loc. cit. ille concludit: מלבד מה שתתבטל הוראת המזל הפרטית מפארת ההשגחה האלהית על האומה בדרך כוללי ומסודר כפי היעודים התוריים הנה כבר תתבטל גם כן על ידי תפלה וזכות אין דבר עומד בפני תפלה והזכות: *Præterquam quod specialis astri significatio cessat propter divinam providentiam, quæ populo secundum promissiones in Lege contentas competit, ecce precibus & probitate tollitur. His enim nihil quicquam resistere potest.* Quæ Judaica confessio ejusmodi est, ut ea adversus ipsos Judæos nobis usui esse queat. Si enim promissionibus divinis suum constat complementum & divina providentia cessare facit astri significationem, & ea precum vitæque innocentis vis est, ut iis voti compotes fieri queamus, eccur preces solennes, jejunium, & pœnitentia singularis, quas anno secundo proximi superioris seculi quaquaversum pro maturando Messiæ adventu indixerunt, irritæ fuerunt? ecquænam alia causa sit, quam quod veri nominis Messiam aspernati verbum divinum torquent, & ad sua commenta accommodant, ut tandem astrologiam quoque vetitam recipientes ex astris sospitatoris adventum hariolari conentur.

§. 14. De Abrahamo prisci Judæi in Talmud, Massechet Schabbat, & Jalkut ad Esai. 41. referunt, eum, cum ex Astrologia & Stellarum situ sterilitatem sibi ominatus esset, divinitus his verbis compellatum esse, צא מאצטגנינות שלך מידיעת הכוכבים כי המשפט לאלהים הואא: *Egredere ex tua Astrologia & Stellarum scientia! Dei enim judicium est.* Quo ipso haud obscure docuerunt, non esse, cur homo sollicitus sit

—— quid Sidus triste minetur
Saturni, quo læta Venus se proferat astro,

sed Deo eventum committendum esse, cujus verbum ut signa cœlestia instar gentilium metuere, prohibet Jer. 10: 2. ita inde auxilium expectare, vel ex illorum cursu de iis, quæ DEI libertatem supponunt, judicare, supervacaneum & temeritatis plenum esse pronunciat, Esai. 48: 12. ubi irridentur Chaldæi. Quæ si expenderent Judæi, non ad lucernalam fumosarum Conjunctionem *errantium astrorum*, confugerent, quæ tempus Messiæ indicent. Cum enim jam ab eo tempore, quo Judæi extorres vagantur, duæ maximæ, & fere octoginta magnæ conjunctiones Planetarum contigerint, nihil quicquam Judæorum rebus in melius proficientibus, omnino in aprico est, quam inde parum subsidii expectandum sit. Longe itaque tutior certiorque conjunctio datur in Scriptura Veteris sc. Testamenti & Novi, quorum illud promissiones divinas certissimas complectitur; hoc vero illarum exactissimum exhibe complementum.

§. 15. Animadvertit tandem Abarbanel, quam astrologica prædictio fallax sit, unde fluctuat & divinat, sed ita tandem sibi ipsi haud satisfaciat. Pag. 88. com. in Danielem scribit hunc in modum: אמנם לידת משיח צדקנו אין כפק אצלי שכבר נולד קודם שנתחדש הגרוש הגדול הרג ואבדון גלות ספרד שכפי האמת מאז נתחדשו הצרות התכופית מחבלי משיח והית' התחלה לכל צרותיהם כי כן נאמר בטרם תחיל ילדה וכו' ר"ל שטרם בא חבלי המשיח כמו שנולד מר"עה בתחלת עני גדול מצרים והסתכל אמרו בפסוק הזה ב' פעמים בטרם כי הוא עולה בגמט' ק"קנא ואתה ידעת שבשנת ק"קנב מהאלף הששי הזה וסימנו מזרה ישראל יקבצנו נעשה גרוש ספרד ואולי שהשנה קודם נולד אביר הרועים משיח אלהי יעקב ולא אוכל לבאר עוד בזה כי חתום הוא ותי' יראנו נפלאות וקץ הפלאות אמן *Mea sententia dubitandum non est, Messiam, justitiam nostram, natum esse, antequam invaluit magna illa expulsio, occisio, perditio & exilium Hispanicum. Revera enim tunc calamitates ortæ sunt, quæ illico ante Messiæ dolores fieri debeant, & tunc initium fuit omnium illarum afflictionum. Sic enim dictum est.* (Esai. 66: 7.) *antequam parturiret, peperit &c. q. d. antequam veniant dolores redemtionis, peperit Sion vel populus Regem Messiam, veluti natus est Moses doctor noster l. m. initio magnæ afflictionis Ægypti. Et attende bis legi in hoc versu* τὸ בטרם, ANTEQUAM, *quod per Gematriam 251. conficit. Atque scire tibi licet, anno 252. millenarii sexti (cujus signum est.* (Jer. cap. 31: 19.) מזרה *spargens Israëlem congregabit eum,) Hispanicam expulsionem fuisse. Et forsan anno ante natus est fortis inter pastores, unctus Dei Jacobi. Non possum vero ulterius explicare, eo quod obsignatum est, & Dominus videbit mirabilia & finem mirabilium Amen.* (Daniel. 12: 7.)

§. 14. Plura hic notari merentur. (1) haud invitus largitur recutitus, videri sibi Messiam, quem glorioso titulo *justitia nostra* dignatur ex Jerem. 23: 6. natum esse ante famosam illam ejectionem Judæorum ex Hispania, anno nostræ Æræ Christianæ 1492. factam quando ultra CC M. familiarum Judaicarum emigrare jussit Ferdinandus, Rex Castellæ. Dum vero non Scripturæ oraculis, (ex quibus solis de Messiæ adventu & officio edoceri possumus) sed conjectura vana inque cerebro suo nata, nititur, hunc in modum ratiocinatur: Moses natus est, cum afflictiones in Ægypto increbrescerent; ergo & Messias, alter populi Judaici sospitator ante natus est, quam decumana persecutio Hispanica invaluit. Medio probandi utitur petito ex Esai. 66: 7. Sed (2) quam nulla sit consequentia, in aprico est. Quod locum Esaiæ attinet, quem Chaldæus de Messia accepit, non tam de Messia nascituro, quam Ecclesiæ N. Test. fertilitate ille agit, adeoque complementum suum dudum nactum est illud oraculum. (3) ut supra ex Planetarum situ & conjunctione Messiæ adventum colligere præpostere conatus est, ita nunc æque inepte annum, quo venturus sit, ex repetita voce בטרם exsculpere satagit, cum tamen Arithmetica illa Judaica, per quam ex illa dictione בטרם 251. & ex מזרה, 252. conficiatur, & Scripturæ sit ignota, & ob literam finalem ם numerum dictum non designet. Neque apparet, quomodo Jerem. 31: 10. vocula מזרה innuat, anno 252. sive ut nos Christiani numeramus, anno 1492. dispersorum Judæorum collectionem. Eventus sane secutus non est, cum jam 168. anni effluxerint, ex quo vanus aruspex Abarbanel ad plures abiit, & nec dum spes Judæis affulgeat ullius liberationis. (4) חבלי המשיח sive *dolores Messiæ*, quibus antiqua Ecclesia Judaica passiones & mortem Messiæ denotari, ex Esai. 53. non ignoravit, & sæpe in ore ideo eas habuit, præpostere recutitus de calamitatibus ante Messiæ adventum exantlandis accipit. Tandem ignarus ubi pedem figat, obscuritatem & obsignationem quandam causatur, cui se tollendæ imparem agnoscit, & contribules suos, quos erigere & solari decreverat, anxios adhuc & æque incertos ac antea relinquit, haud incerto testimonio, quod eis fumum vendiderit, adeoque inani spe tractaverit.

Coronidis loco monemus, illas accentuum notulas, quibus hodie Codex Ebr. insignitus conspicitur, à S. Scriptoribus non fuisse initio additas, veluti & Luthero, Huttero, aliisque Theologis visum est. Hoc vel sola illa notabilis accentuum variatio in uno eodemque commate occurrens satis arguit, quæ in conferendis Codicibus, cumprimis MSS. observatur. In Cod. Basil. MSS. Bibl. Jenens. Athiæ & Constantinopolitano aliisque excusis, Jos. 24: 14. ejusmodi accentuatio occurrit: וְעַתָּה יְרְאוּ אֶת־יְהוָה וְעִבְדוּ אֹתוֹ בְּתָמִים וּבֶאֱמֶת׃ At in MSS. Codic. quam venerabile Ministerium Erfurtense benevole utendum dedit, illorum ordo talis est: וְעַתָּה יְרְאוּ אֶת־יְהוָה וְעִבְדוּ אֹתוֹ בְּתָמִים וּבֶאֱמֶת׃ Uti hic in tonico accentu mire Judæi variant, omnibus fere vocibus, aliter atque aliter accentuatis ita quoque in euphonico moliuntur aliquid sine ratione. In excusis enim Codicibus Esai. 61: 1. legitur פְּקַח־קוֹחַ cum lin. macceph, & Masora annotat, מלין תרין ut *duas voces* dictionem scribendam esse. Cæterum in utroque MSS. Jenens. & Erfurtensi ut unica vox absque lineola legitur, idque rectissime. Est enim nomen formæ פְּתַלְתֹּל Deuter. 29: 5. Sed de his alio die uberius, Deo volente, agemus.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De Messiæ excisione & inde secuta Hierosolymorum devastatione ad Dan. IX: 26, 27.



Quam ægre ferant Judæi, si Christiani eos, in arenam provocatos, ex Danielis prophetia impugnent, argumentoque inde deprompto, dudum tempus Messiæ exhibendi elapsum esse, probare conentur; exemplo memoratu digno ostendit illustris Wittebergensis Academiæ Doctor, B. Franzius, Schol. sacrif. disp. X. th. 82. & 83. Postquam enim recensuisset, quomodo Judæus quidam, non Ebraice modo, sed etiam, quod mireris, Latine & Græce doctus, ex Italiæ finibus Wittebergæ appulisset, & à Martino Trostio, Lingg. Orientalium id temporis cultore, postmodum clarissimo laudatæ Universitatis Professore, ad se adductus esset, quam turpiter recutitus se dederit, & quam parum animose in primo statim congressu se gesserit, exponit: *proposui*, inquiens, *ipsi humanissime, benevolentissime, citra omnem affectum, ullamque vel minimam commotionem, aut ironiam, aut sarcasmum, vel simile quiddam, tantummodo ex Daniele argumentum. Id vero, quod aliis accidisse inaudio, mihi quoque contigit. Ad mentionem enim Danielis totus cohorruit, significans, ex Daniele non esse disputandum, alioquin aliquem phreneticum vel hæreticum futurum.* Ita scilicet conscientia convicti Judæi, Danielem (quem è Prophetarum choro segregatum haud dubie idcirco in ultimum fere τῶν כתובים locum detruserunt,) à sua parte haud stare, omnem conflictum declinare student, & de Messiæ adventui destinato tempore disputare ex libro illo reformidant. Quin illud quoque in præcipuis Judæorum doctoribus observare est, quod in Scripturæ obscuritate & difficultate exaggeranda tunc demum operosi plane sint, cum oracula divina suis commentis parum convenire, & potius Christianorum sententiæ consentanea esse deprehendunt. Suomet exemplo id docet celebris & qui haud ita pridem ad plures abiit, Amstelodamensium Archi-Synagogus, Rabbi Menasseh Ben Israël, Conciliat. in Genesin, quæst. XLI. *captivitatis*, inquiens, *hujus, in qua hodie, sumus, tempora Danieli revelata sunt adeo obscuris verbis, ut quocunque ducantur, inclinent.* Nempe, præoccupato animo Scripturæ explicationem aggredientes, fieri non potest, quin in *Scripturæ accusationem se convertant*, quod dudum malæ causæ indicium esse, prisci Doctores Christiani monuerunt. Quam manifeste vero & perspicue angelus ob Messiæ rejectionem urbis & templi excidium denunciet populo, & exilium quoque illius hodiernum, quod luit incredula natio Judæorum, ἀποτόμως & sine spe ullius in Palæstinam restitutionis interminatus sit, id jam nunc uberius, Deo volente, ostensum ibimus, sensum verum & genuinum ita stabilituri, ut *verba, quocunque ducantur, haud quaquam inclinare*; sed præcise ad πανολεθρίαν, & urbis templique irreparabilium desolationem respicere, nemo, nisi præoccupatus, non videat, & fateatur, necessum habeat.

Verba Textus authentici.

Dan. IX: 26, 27.

וְאַחֲרֵי הַשָּׁבֻעִים שִׁשִּׁים וּשְׁנַיִם יִכָּרֵת מָשִׁיחַ וְאֵין לוֹ וְהָעִיר וְהַקֹּדֶשׁ יַשְׁחִית
עַם נָגִיד הַבָּא וְקִצּוֹ בַשֶּׁטֶף וְעַד קֵץ מִלְחָמָה נֶחֱרֶצֶת שֹׁמֵמוֹת׃ וְהִגְבִּיר
בְּרִית לָרַבִּים שָׁבוּעַ אֶחָד וַחֲצִי הַשָּׁבוּעַ יַשְׁבִּית זֶבַח וּמִנְחָה וְעַל כְּנַף שִׁקּוּצִים
מְשֹׁמֵם וְעַד־כָּלָה וְנֶחֱרָצָה תִּתַּךְ עַל־שֹׁמֵם׃

Vulgatæ Versionis autor, Græcum, ut solet, secutus interpretem, hunc in modum vertit: *Et post hebdomadas Sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

CAPUT I.

SUMMARIA.

Munsteri & Isaaci Vossii παρερμηνεία vocis משיח *notata. R. Abarbenelis commento de Rege Agrippa & Pontifice exploso, veri nominis Messiam intelligendum esse, probatur. Eum esse παθητὸν, priscos agnovisse, probatur. Quid ex voce* יכרת *colligi possit ostensum à Dn. D. Geiero. Variæ expositiones verborum* אין לו *adductæ, Dn. D. Varenii, Hieronymi, Melanchthonis, Grotii, Hulsii, Coccei, τοῦ δεῖνα, qui* משפט *item alterius qui* עין *subaudiunt. Item Nicolai Abrami, Tigurinorum, Junii & Tremell. Vatabl. & B. Hackspanii. Quid in hisce expositionibus desideretur, recensetur, & alia Capelli, B. Calixti & Dn. D. Calovii refertur. Adhuc alia, eaque plausibilis interpretatio Dn. D. Geieri & Martini Raimundi. Particula* את *quando usurpari solita sit Græci, Latini, Arabis & interp. perversa acceptio vocis* עם *notata. Vossius super eadem vocula scrupulum sibi nequicquam movet, &* נגיד הבא *de Messia perperam explicat. Alia Capelli super voce* עם *conjectura. R. Abarbenelis plausibilis expositio. Quomodo Theodoretus Græcum secutus hallucinetur, & quam emphasin verbum* הבא *h. l. habeat, ostenditur: Ravii interpretamentum rejectum. Suffixum Vau in* קצו *Vatablus & Rabbi Asarias ad Titum, Rabbi Saadias ad Adrianum nequicquam referunt. Vocis* בשטף *significatio emphatica Jachiadæ suffragio probata. Theodoretus laudatus. Cur* קצו *LXX. per ἐκκοπήσονται reddiderint, conjectura. Vulgati in voce* עד *reddenda hallucinatio. R. Abendana laudatus.*

§. 1. Ut vero in rem, quod dicitur, præsentem veniamus, & reliqua verba, quibus nisi ad veritatis sensum prorsus occalluissent Judæi, illorum pertinacia labefactari & Politiæ Judaicæ restaurandæ spes prorsus infringi posset, penitius consideremus, sexaginta & duabus septimanis elapsis, Messiam excisum iri, angelus annunciat, cum ait: יכרת המשיח *exscindetur Messias.* Quem sensum in dubium vocare Munsterum demiror: *sunt*, inquientem, *multi ex priscis, qui hunc locum de Christo occiso intelligunt, sed cui opinioni obstare videtur id, quod additur*, nihil supererit de eo, *vel ut Ebraismus habet*: & nihil ei. *Christus autem multum habuit post mortem suam, sicut dixit, omnis potestas est mihi data.*

Ratio sane, quam interpretamento opponit, nulla est, ut ex paulo post dicendis constabit.

§. 2. Quem sensum verborum Isaacus Vossius esse velit, ex præfatione ad dissertationem de Tralatione LXX. interpretum patet, ubi eum hunc in modum enarrat; *Hoc est, quando elapsæ erunt LXII. hebdomades cum dimidia, cessabunt reges, qui vere fuere è stirpe Judaica, neque amplius erit unctio.* Ut sic exponeret oraculum, Versio eum Græca induxit, quæ ita habet; καὶ ἐξολοθρευθήσεται χρῖσμα *& extirpabitur unctio.* Sed vulgaris unctio (regibus deficientibus,) dudum tunc desierat, non demum LXII. septimanis post solutam captivitatem Babylonicam cessavit. Ipsi Judæi voce משיח hoc loco non tam actum ungendi, sive *unctionem*, quam subjectum aliquod ungendum intelligunt, licet illi aliorsum, quam decet, oraculum detorqueant. Sic enim R. Abarbenel scribit, comment. in Daniel. cap. IX. pag. 64. col. 3. אמרו ואחרי השבועים ששים ושנים יכרת משיח ואין לו והעיר והקדש ישחית עם נגיד הבא וגו' וזהו פי' החתוך שזכר שאחריהם יכרת המשיח והעיר וזה גוכל לפרשו על הכהן הגדול ששבת עבודתו ועל אגריפס המלך האחרון שנפסק מלכותו כי המלך יקרא משיח השם ולא היה להם מלך עד היום הזה ולפי שלא מת אגריפס עד סוף השבועים שבעים כמו ד' שנים קודם החרבן שהרג אותו ואת בנו מונבז החסיד אספסיאנוס ברומי אחרי שנעשה שם קיסר כדברי יוסף בן גוריון וכן פירשו חז"ל יכרת משיח על אגריפס המלך וגם הכהן לא נכרת מהעולם והכריתה שלא היה עוד למלך מלכות והכהן הכהונה לפי שהעיר ירושלים והקודש בית המקדש ישחית עם נגיד הבא: *Cum dicit: & post LXII. septimanas exscindetur Messias, & non ipsi. Et urbem cum sanctuario perdet populus principis venturi &c. illis verbis explicatio continetur verbi* נחתך, *quod post alias* (septimanas) *Messias sit exscindendus & urbs. Atque hoc possumus de pontifice explicare, cujus functio cessarit, & de Agrippa Rege ultimo, cujus regnum exspiravit. Rex enim vocatur unctus Domini. Neque habuerunt regem usque in hunc diem. Quia Agrippas non est defunctus nisi circa finem LXX, hebdomadum, quatuor fere annis ante excidium, quia eum & filium ejus Monbasum, pium illum, occidit Vespasianus Romæ, postquam ibi Cæsar factus erat. attestante Gorionide. Et sic etiam Dd. nostri p. m. verba* יכרת המשיח *de Rege Agrippa accipiunt. Etiam sacerdos non exscinditur ex mundo. Verbo autem* כרת *significatur: neque Regi amplius fore regnum, neque sacerdoti sacerdotium, quia Hierosolymam & sanctum, domum sanctuarii, perditurus sit populus ducis venturi.*

§. 3. Cæterum verbi נחתך (vs. 24.) explicationem hic contineri, merum Judaicum somnium & detorsio duntaxat est verborum. Illius enim verbi prædicati subjectum ibi non est unctus, sed LXX. Septimanæ, post quarum certas periodos tempus Messiæ adventui destinatum sit dispunctum. Sed neque Regis vel Pontificis alicujus vulgaris hic mentio fit, sed illius qui ἀντονομαστικῶς unctus appellatur & qui *sanctum sanctorum*, hoc est, sanctissimus vs. 24. dictus est. Quo nomine Messiam intelligendum esse, ne Abarbenel quidem infitias ire supra potuit. Eccur igitur majorum suorum traditione nixus Agrippam hic intelligit? Ecquid causæ sit, quamobrem illius hic fiat mentio, cujus nulla plane in populum extiterunt merita, & quem vitam cum morte commutasse, populi nihil interer at? Quid? quod attestante Josepho & Gorionide, Agrippas, Romanorum amicus, excidio supervixit. Unde necessario de alio sermo erit, cujus mors & excisio templi desolationem antecessit. Et cum Agrippas ille ne rex quidem *unctus* fuerit, à cujus incolumitate Salus Israëlis pependerit, num tanti fuerit, ut ejus obitus indicaretur ab angelo & per vaticinationem prædiceretur?

§. 4. Josephus sane cum sileat, nec vel verbo tale quid commemoret, satis clare indicat, Agrippæ hic nullam haberi rationem, ut intelligendus potius alius hoc nomine veniat, unctus nempe κατ᾽ ἐξοχὴν, qui præ consortibus unctus Psalm. 45: 8. *Messias* nempe Justitia nostra Jer. 23: 6. cui ut prisci Judæi, ceu vel ex Jalkut patet, mortem competere fassi sunt, ita frequenter de חבלי המשיח *doloribus Messiæ* loquuti sunt, quos hodie ineptis suis fabulis involvunt, & alio detorquere satagunt, tanquam calamitosum duntaxat tempus venturo Messia significetur. At ipsam passionem & mortem potius Messiæ eos intellexisse, multo credibilius est. Sane voce כרת mortem violentam denotari & extirpationem sive excisionem, ex usu Scripturæ tam manifestum est, ut ne dubitare quidem liceat. Confer Magnif. Dn. D. Geierum in h. l. ubi & *mortem* Messiæ, & *violentiam*, & *ignominiam* ejus colligi inde, erudite ostendit.

§. 5. Dum vero non modo Messias sic exscindendus dicitur, sed præterea additur ab angelo, ואין לו *& non ipsi*, multi interpretes de tam conciso loquendi genere disceptant & variis modis aliquid subaudiendum contendunt. Cl. Varenius, interpres Scripturæ haud è multis, ad hæc verba ita commentatur: *illud* אין *negat absolute &* ὑπαρκτικῶς, *non* συνθετικῶς, *ac si dicas,* אין לו *id est, nihil supererit ei. Ita sane videbatur, mortuo Jesu. Ipse è terra viventium excisus, vere mortuus, transverberatus in cruce pependit, Joh. 2: 19, 21. ubi &* אין לו *plane prout templo destructo, dicere licet. Designatur sic profunditas illius* כריתה *sive excidii è terra mortalium, ut si naturam spectes humanam propter veritatem mortis tam vere de Christo dicere licuerit* אין לו, *quam de alio mortuo homine. accesserunt gradus passionum Christi: non corpori, manibus, pedibus, lateri, ne vestibus quidem militaris licentia pepercit: passus atroces à summis, infimis, blasphemias, collocatum in tumulo corpus, veluti de quo jam conclamatum &c.*

§. 5. Plurimi tamen non tam de ipsa illius Messiæ ὑπάρξει, utpote verbo יכרת abunde significata, quam de aliquo extrinseco prædicato intelligenda verba volunt. Hinc Hieronymus, Melanchton, Grotius & alii sensum esse ajunt: *& non ei populus obediens.* Constantinus L'Empereur, ad Jachiadæ paraphrasin reddit, pag. 191. *& non ei adhærens.* Joannes Coccejus: *& non erit ipsi quicquam, sparsis discipulis,* Zach. 3: 7. Et iterum: *adeo generali consensu populi futura erit excisio, ut cum exscinderetur, non esset ullus ipsius, sed cingeret eum cœtus maleficorum,* Psal. 22: 13, 17. 39: 19. Hulsius, Theol. Judaic. pag. 547. *pro nihilo habebitur apud Judæos, ipsum ignominiosæ mortis traditum in æternum excisum putabunt.*

§. 7. Fuerunt, qui ex eo, quod in quibusdam codicibus Græcis legeretur, κρῖμα οὐκ ἔσται ἐν αὐτῷ colligerent, in Ebræo deesse משפט, ut sensus sit: *adeo non fuit judicium illud,* quo supplicio affectus fuit, ut eo tempore judex declaraverit innocentem. Nonnulli vero τὸ עון supplendum esse sibi persuaserunt, quod conforme hoc esset loco Esai. 53: 9. ubi negatur in Messia fuisse hujus quicquam. Quidam ita interpretati sunt, אין לו *nihil in urbe Christo reliquum erit*, sed inde suos educet. Quo referunt celebre illud, idque ἄγραφον oraculum Patrum, quo Christus discipulis & Apostolis mandarit, ut cum obsideri Hierosolymam & imminere cladem viderint, Pellam sive Scythopolin migrent. Confer Eusebium, lib. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 5.

§. 8. Nicolaus Abramus, è societate Jesu Theologus, & in Academia Mussipontana Professor, peculiarem expositionem exhibet, Phari V. T. sive Sacr. Quæst. de LXX. Hebdom. Dan. fol. 390. *Posset*, inquiens, *salva majestate ita supplere, occidetur Christus, sed non occidetur ei populo. quamvis enim, si spectetur Dei voluntas antecedens atque absoluta, Christus omnibus mortuus est; iis tamen solis quoad fructum mortuus est, ad quos utilitas ex ejus morte redundavit.* Tigurini vero, Tremellius, Junius, B. Hackspanius secutus Vatablum, vocem עוזר subaudiendam statuit, ut negetur, ipsi fuisse, qui *auxiliaretur.* Ad probandam etiam hanc explicationem afferri solet locus Esai. 63: 5. ubi eadem vox expresse habetur in sermone de Messia.

§. 9. Quod primam sententiam attinet, quæ Dn. D. Varenii est, illud adhuc ei obstare videtur, quod non in textu dicitur, ואיננו, sed ואין לו, ad quam locutionem Exod. 22: 3. occurrentem nec ὑπαρκτικῶς intelligendam, uti aliquid subintelligitur, quod Proverb. 22: 29. exprimitur; ita omnino videtur aliud quid & hic significari, quam *nihil supererit de eo.* Sed ut eum *populum non obedientem*, vel *non adhærentem* quempiam subaudiamus, aut τὸ משפט excidisse dicamus, vel etiam vocem עון, rationem videmus nullam. Unde Coccejus comment. in Dan. *Satis*, inquit, *intelligitur, eum sine sua culpa exscindi, qui est unctus, & quidem ut sit princeps, & cum eo ungatur Sanctum sanctorum.*

§. 10. Consimiliter & illa minus probabilis est explicatio, qua in urbe nihil Christo reliquum fuisse indicetur, quod jussi sint discipuli ea exire. Nec minus de illo interpretamento dubitare licet, quod Tigurinis, Junio & Tremellio, & post Vatablum B. Hackspanio arrisit, quasi עוזר *auxiliator* debeat hic subintelligi. Cum enim alias Daniel totam locutionem אין לו עוזר cap. 11: 45. exhibuerit, minime fit verisimile, eum ellipsin hoc loco vocis ejusdem intendisse, ut omnino aliud quid subintelligendum esse nobis videatur. Longe adhuc remotior à veritate esse videtur Jesuitæ Nicolai Abrami glossa, quasi illa occisio non in bonum Judaici populi evenerit, cum plurimi ex illo resipuerint, & fructus illius passionis facti sint participes, ut jam nihil dicam de eo, quod τὸ לו ad Messiam, utpote vocem proxime antecedentem potius referendum esse, quam

quam remotiorem, populum puta, ipse contextus satis doceat.

§. 11. Duæ adhuc supersunt explicationes, quæ probabiliores reliquis videntur. Prior est Capelli, B. D. Calixti, Dn. D. Calovii, & aliorum, qui sensum verborum ואין לו hunc esse perhibent: *non sibi, vel pro se, sed nostri causa exscindetur.* Altera est Dn. D. Geieri, comment. in h. l. qui subintellecto nomine verbali כרת ex verbo antecedente יִכָּרֵת verborum sensum esse tradit; *exscindetur Messias*, sed ut de eo actum haud sit, neque ei omnimoda sit excisio, perinde ac Raimundus; Pug. Fid. part. II. cap. 3. textum explicat: ואין לו *non erit illi, quod Judæi autumabant*, videlicet, ut crucifixus sine vitæ ulterioris spe occumbat.

§. 12. Atque hæc ultima ἐξήγησις non modo ejusmodi est, ut vocem משיח de *Christo Salvatore nostro*, non *unctione ipsa* intelligendam esse, arguat, contra quam supra §. 1. cap. 1. Munsterus docuit; sed etiam cum subsequentibus verbis exactissime conveniat. Nempe cum sic occisio ejus non ita contigerit, ut, ceu Judæi sibi persuaserunt, penitus sit sublatus, sed ut is quamlibet occisus, adhuc superstes fœdus Evangelicum corroborarit, ut paulo post audiemus, haud inconcinna videtur explicatio.

§. 13. Excisionis illius populo indignæ consequens inevitabile recenset angelus his verbis: והעיר והקדש ישחית עם נגיד הבא וקצו בשטף: *Urbem & sanctuarium perdet populus principis venturi, & finis ejus in inundatione.* Quæ verba licet accusativi nota את destituantur, ipsa tamen materia subjecta satis perspicue docet sensum. Ut enim ex Kimchio notat autor Michlal Jophi ad Gen. 49: 6. כשמבואר מי הוא פועל והפעול לא נצטרכנו מלת את: *Cum constat, quodnam sit agens, quod patiens, non opus habemus particula* את. Etsi etiam ordine inverso subjectum non antecedat, sed subsequatur, res ipsa tamen satis docet, qui verborum sensus sit.

§. 14. Non parum vero sensus inde turbatur, quod Græca Versio, quam Theodotionis esse tradunt, pro עם habet σὺν, & Latinus *cum.* Similiter Arabs مع. Rectius Aquila: καὶ τὴν πόλιν καὶ τὸ ἅγιον διαφθερεῖ λαὸς ἡγεμόνος ἐρχομένου. Is. Vossius præf. ad lect. Diss. de LXX. Tralatione, *Diversitas*, inquit, *inde est, quod* עם *significet* σὺν *ac præterea* λαόν. *Hieronymus utrumque posuit, tanquam si hæc vocula bis occurreret.* Quin tanquam res altioris sit indaginis, *quænam*, inquit, *ex his interpretatio rectior sit, alibi inquiremus, hoc unum nunc dicimus* ἡγέμενον ἐρχόμενον, *non hic accipi debere de Nerone aut alio Romanorum duce, sed de ipso Christo.* Quasi vero tantus vir ibi judicium suspendere necesse habeat, ubi res ipso meridie clarior est, & *populum* potius quam præpositionem σὺν notari, ex contextu liquet. Sed neque id applausum meretur, quod Christum hic voce ἡγέμενος intelligit, qui jam ante è medio sublatus esse dicitur. Scribit quidem & Capellus ad cap. 24: 15. Matth. *LXX. reddunt* σὺν τῷ ἡγεμένῳ τῷ ἐρχομένῳ. *legerunt* עִם *pro* עַם, *& forte non male, ut per illum* ἡγέμενον *intelligatur Imperator Romanus Titus Vespasianus, cujus veluti manu Deus urbem & sanctuarium suum evertit.* Sed si instrumentum voluisset angelus indicare particula, potius ב præfixum adhibiturus fuisset, quam עם, quæ fere comitatum potius significat, quam instrumentum Ebræis. Confer B. Glass. Philol. Sacr. lib. III. tract. 6. can. 16. Hinc longe aliter R. Abarbenel in h. l. scribit: הוא חיל הרומיים הבאים עם טיטוס ויחס ההשחתה לעמו לפי שהוא לש ה'ה מסכים להחריב הבית וכמו שזכר יוספון: Τὸ עם *notat copias Romanorum cum Tito venientium. Devastatio vero illa tribuitur populo ejus, quia is* (Titus) *non consensit, ut templum devastaretur, teste Josepho.* Ita recutitus rem aperte eloquitur, nulla circuitione usus, neque tempore ad amplius meditandum opus esse, arbitratus, quod adhuc Vossius sibi tanquam in re crepera sumpsit.

§. 15. Dum vero non modo נגיד *princeps* vocatur, sed etiam הבא *veniens*, eo ipso ostendit non indigenam eum fore, sed advenam. Minime vero ibi Herodes denotatur, ut Theodoretus docet ad h. l. cit. his verbis: Καὶ γὰρ ἡ πόλις, φησὶν, ἀνάστατος γενήσεται, καὶ ὁ νεὼς ὁ ἅγιος παντελῆ κατάλυσιν δέξεται. Ταῦτα δὲ πείσεται ἡ πόλις σὺν τῷ ἐρχομένῳ, τουτέστι τοῖς ἐρχομένοις παρανόμοις ἄρχουσιν· Ἡγέμενον γὰρ ἐρχόμενον τὴν ἀλλόφυλον βασιλείαν, καὶ τὴν παράνομον ἀρχιερωσύνην ὠνόμασε. *Etenim urbs*, inquit, *evertetur, & templum sanctum penitus dissolvetur. Atque hæc patietur civitas cum duce veniente, hoc est ducibus venientibus non legitimis. Ducem enim venientem, externum alienigenarum regnum & non legitimum pontificatum maximum nominat.* Ita Versio Græca Theodoretum seduxit, ut crediderit, τὸ עם præpositionis vim habere, & ducis nomine Herodem intelligendum, cum tamen vox illa populum notet, נגיד vero Titum, qui cum הבא appellatur, *advena* non *indigena* intelligitur, nempe talis, qui non sit ממנו ומשלו מקרבו Esai. 30: 21. De Pontifice sermonem haud esse, ex contextu patet. Quod vero Christianus Ravius *ducem occidentalem* vertit, id Ebræo Sermoni haud ita congruit. Etsi enim verbum בא cum שמש *Sol* constructum ejusmodi quid, nempe *occumbere*, significat, minime tamen ubi idem verbum aliis vocibus jungitur, tantundem significare, putandum est, cum illa ῥῆσις ex solis proprietate orta sit, de quo, ubi occumbere & nostrum hemisphærium deserere incipit, dici solet, בא, quod ad nos quodammodo venire videatur, vid. dissert. ad cap. 9. Dan. 24.

§. 16. Cum vero dicitur וקצו בשטף *& finis ejus in inundatione*, quo suffixum Vau respiciat, in quæstione est. Vatablus ad Titum refert hoc sensu, *postremo certamine summa vi, summo impetu expugnabit.* Atque ita R. Asarias quoque part. 3. Meor Enajim cap. 41. de Artachsasta locutus ait: תאר אותו נגיד כפי מה שכנה טיטוס נגיד וקצו בשטף: *Appellat eum ducem, veluti Titum vocat, & finis ejus in inundatione.* R. Saadias vero comm. in h. l. ad verba עם נגיד הבא hunc in modum scribit: זה אדריאנוס קיסר שהחריב בית המקדש והשבית זבח ומנחה: *Hic est Adrianus Cæsar, qui devastavit templum & cessare fecit sacrificium & oblationem.* Sed de Adriano Imperatore sermonem haud esse, inde liquet, quod angelus de ejusmodi desolatione agit; quæ uncti vel Messiæ excisionem est secuta, & templi Hierosolymitani excidium involvit, quæ illa ipsa est, quam Titus Vespasianus induxit. Neque tamen sic sequitur, affixum ad illum Imperatorem referendum esse, sed potius ad Hierosolymam, uti alias secundæ personæ suffixum in simili sermone & eadem voce ad eandem urbem referri solet, Jer. 51: 23. Thren. 4: 18. Cujus enim finis innuitur, illud suffixo Vau significatur. Atqui finis urbis, quam populus ducis perditurus dicitur, eo innuitur. E. urbs significatur. Nolimus tamen diffiteri, in Græca Versione, qua ἐκκοπήσονται ἐν κατακλυσμῷ legitur, non tam pro nomine cum suffixo, quam verbo tertiæ personæ τὸ קצו habuisse interpretem, videri posse.

§. 17. R. Abarbenel, com. in Dan. fol. 64. de eadem voce ait: בעבור שזכר מלחמת הרומיים זכר אחריתה והיא אמרו וקצו בשטף: *Quia belli Romani meminit, etiam finem ejusdem commemorat, dicendo: & finis ejus in inundatione.* At belli mentio non præmittitur, sed subsequitur, unde non illius sed urbis finem & populi prædici, patet. Cum enim sub initium dictum esset LXX. hebdomadas esse decisas super populum & urbem sanctam, porro qui vastaturus sit, recenset, nempe dux extraneus. Tandem & modum desolationis describit voce בשטף. Quæ, uti nonnemo docet, quinquies & trigesies in sacris libris reperta semper in significatione *inundationis*, vel simpliciter, vel per translationem usurpatur, ut ita significet, h. l. velut aquis agri obrui solent, ita Hierosolymam obrutum iri. Confer Esai. 8: 7. Unde & R. Jachiades Paraphras. in Dan. in h. l. יהיה השחתה גדולה כשטף מים רמים: *Erit ingens perditio, qualis plurimarum aquarum inundatione fit.* Graphice eam describit Theodoretus: Τουτέστι πανωλεθρίαν ὑπομένουσιν, οἵαν ὑπέμειναν οἱ πάλαι ἄνθρωποι, τοῦ κατακλυσμοῦ τὴν γῆν πᾶσαν συγκαλύψαντος· καὶ διδάσκων ὡς οὐδεμίας ἀνακλήσεως ἢ ἀνέσεως τεύξονται: *perniciem funditus sustinebunt, qualem olim sustinuerunt homines, cum omnem terram diluvium contexit. Et docens item futurum, ut nunquam revocentur, aut instaurationem ullam consequantur.*

§. 18. Horrendam illam desolationem exaggeraturus angelus pergit: ועד קץ מלחמה נחרצת שממות: Quæ Latinus interpres minus recte vertit: *& post finem belli statuta desolatio.* עד enim usque denotat, ut Græcus etiam per ἕως τέλους reddidit. Et sic indicatur, usque *ad finem belli decisionem vastitatum* fore, sive hostilitatem duraturam ad desolationem usque urbis. R. Abendana ad Michlal Jophi: עד שתהיה שוממות נחרצת ונחרבת ירושלים: *Donec decisa vastitas contingat & Hierosolyma destruatur.* Si τὸ נחרצת nominis substantivi naturam induisse dicamus sensus sic satis sibi constat, & quo angelus collineat, in aprico est.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Verbum הגביר *impersonaliter h. l. accipi posse, Coccejum inconvenienter statuere ostenditur. Cur Messias intelligendus sit. Priscorum Judæorum insulsa glossa verborum vs. 26. ex En Israël & Jalkut allata. Alia item R. Abarbenelis expositio de* Tito

Tito explosa. Cur fœderis confirmatio Tito tribui nequeat, & contra Evangelicum fœdus sit hic intelligendum. Theodoretus laudatus. Posterius hemistichium Evangelicum fœdus haud obscure insinuare, ostenditur. Rabbi Abarbenelis detorsio rejecta. Vocis ישבית *significatione evoluta, quomodo sacrificiorum usus abrogatus sit, declaratur. Versiones, Græca, Latina, Germanica, Syriaca & Arabica, ab Ebraica & veritate aliena verborum* על כנף השקוצי׳ *recensitæ. Nicolai Abrami, Jesuitæ pro Græca Versione disputatio & ex profanis autoribus ad illustrandam eam allata testimonia expenduntur. Cappelli conjectura, cur Græcus* τὸ כנף *per* ἱερὸν *transtulerit, rejecta. alia probabilior conjectura allata. Cur* כנף *de templo nequeat intelligi. Usu vocis in sacris ex Kimchio demonstrato h. l.* exercitum *notare adversus Grotium probatur. Vox* שקוצים *quid Kimchio denotet, &* βδέλυγμα *Græcis. R. Salomonis & R. Lipmanni glossa rejicula. Theodoretus & Theophylactus laudati. Cur zelotæ, quos voce* כנף *notari quidam ex Josepho arguunt, non intelligendi sint. Decumana ambiguitas voculæ* על. *Dn. D. Varenii, Abarbenelis, Tremellii expositiones adductæ. Verus & genuinus sensus & strictim expositus. Nicolai Abrami in Ebraismo ostendendo lapsus & versionum multiplex aberratio. Tergemina Cocceji de* ala abominationum *sententia examinatur. Dionysii Petavii & Maldonati de abominatione desolationis sententia expenditur. Verbum* שמם *cui* stupescendi *significationem Kimchi tribuit & Coccejus, desolationis notionem habere rectius asseritur à Grotio. Usus vocis illius in sacris. Ad Cocceji rationem pro priori significatione respondetur.* כלה ונחרצה *quid? Goronides & R. Saadias laudati. Theodoretum verba* תתך על שומם *de ultima devastatione recte accipere, ex verborum emphasi, promissionum defectu & prodigiorum ab ipso Gorionide recensitorum multitudine colligitur. de prioris & posterioris templi diei fatalis identitate. R. Samuelis de exilio Judaico diuturno memorabilis confessio. Verborum de excisione urbis loquentium ad Gentium excidium detorsio prodigiosa. R. Abarbenelis & inde læti nuncii de futura liberatione temeraria collectio. Vana spes Judæorum de Messiæ adventu. Veri nominis Messias quomodo exspectetur. Theodoreti voto concluditur.*

§. 1. MOmentosa verba angeli sequuntur quibus quid mortem vel excisionem Messiæ sit secuturum, exponit: והגביר בדית לרבים שבוע אחד: *& confirmabit fœdus multis hebdomade una.* Ad quæ verba Coccejus: *in h. l. poterat hoc quidem impersonaliter accipi, sed id minus conveniens aut significans est.* Omnino id inconveniens est, ut vero de certo quodam subjecto intelligatur, res ipsa exigit. Ecquod vero aliud sit illud, quam Messias, quem excisum iri antea angelus ita prædixit, ut tamen אין לו hoc est, *excidium* ipsi inferre penitus, uti cogitabant, Judæi haud potuerint. Ecquis potius intelligatur hic, *fœdus* corroboraturus quam Messias, de quo in textu angelo sermonem esse, ne Judæi quidem infitias ire potuerunt, & qui alias in *fœdus populi datus* esse dicitur Es. 49: 8. qui *angelus fœderis* appellatur, Malach. 3: 1.

§. 2. Quantopere hic Judæi cœcutiant, & quam parum de sensu verborum adductorum percipiant, illorum insulsa arguunt commenta. In libro En Israel, fol. 53. ex Talmud Hierosolymitano, Massechet ברכות; & libro Jalkut, ex Massechet Joma, in h. l. hæc verba leguntur, תני בשם רבי יהודה ז׳ שנים עשתה א״י נשרפת ההד״ והגביר ברית לרבים שבע אחת *Traditio nomine R. Judæ habetur, 7. annis Terra Israelis comburetur, id ipsum innuunt verba & confirmabit fœdus multis una septimana.* οὐθὲν ὑγιὲς hic esse, haud dubie vidit R. Abarbenel, nulla plane mentione dignatus priscorum ἀποφθέγματα. Aliam vero expositionem adducit, quæ & ipsa rejicula est, & explodenda. Ita enim com. in h. l. scribit fol. 64. col. 3. אמר הגביר ברית לרבים שבוע אחד ר״ל שהנגיד הרומיי אשר זכר והוא אספסיאנוס וטיטוס בן אשתו שבא עמו בארץ יהודה לכובשה ז׳ שנים קודם החרבן תמיד היו קוראים להם לשלום כי כן צוה הקיסר נירון לאספסיאנוס כששלחו לכבוש את ארץ יהודה כשמרדה בו לקרא את היהודים לשלום פעמים רבות ואם ישלימו ירחם עליהם וייטיב להם׳ וכן היה עושה תמיד אספסיאנוס ואחר שהלך להתקסר ברומי ונשאר טיטוס בן אשתו לכבוש את הארץ הזה היה דרכו תמיד כל הימים לקרא את העם לשלום ושלא ישחיתו את העיר ואת המקדש אך יתנו צוארם תחת עול הרומיים מפני הכבוד וגם מבלי מס ושעבוד אחר׳ ועליו אמר הגביר ברית לרבים שבוע אחד לא אמר שעשה עמהם ברית אבל היה קורא אותם לברית שלום ועם כל הרעה שהיו עושים היהודים בחילו הוא היה כובש יצרו וגוכר כעסו ונותן להם ברית אם רצו לקחתו והיה זה שבוע אחד שנשלמו שבועים שבעים: *Dum ait: & prævalere faciet fœdus, vult hoc innuere, Ducem Romanum cujus meminerat, nempe Vespasianum & Titum uxoris ipsius filium, qui ad oppugnandam Judæam septem annis ante excidium venerat, subinde eos ad pacem invitasse. Hoc enim in mandatis Vespasiano dederat Cæsar Nero, cum eum mitteret in illorum regionem subjugandam, cum rebellassent, ut Judæos sæpius ad pacem invitaret. Quam si essent recepturi, misericordiæ locum fore, & ipsis bene futurum, spopondit. Atque hoc non modo sæpius agitavit Vespasianus, sed etiam postea, quam ad Cæsaream dignitatem est evectus, Titus relictus ad regionem subjugandam, in singulos dies consuevit ad pacem omnes sollicitare, & monere, ne urbem suam perderent & sanctuarium, sed potius collum suum Romanorum jugo subjicerent honoris causa, sine tributo aut ulla servitute. Atque de eo intelligendum est* והגביר ברית לרבים שבוע אחד *non dicitur, quod fœdus cum iis inierit, sed quod illos ad fœdus amicum invitarit. Quin quantumcunque etiam exercitu suo malum fecerint Judæi, nihilominus suæ concupiscentiæ frenum injecit & excandescentiam suam sedavit, & fœdus illis obtulit, si recipere vellent. Atque hoc una septimana contigit, qua LXX. septimanæ sunt adimpletæ.*

§. 3. Sed ut de Tito hæc accipiantur, quæ de fœdere roborando angelus dixit, res ipsa haud admittit. Ecquando enim is cum Judæis fœdus inivisse, vel initum confirmasse legitur? Numquid de conatu verba intelligi possunt, quo Titus pacem Judæis obtulerit, & in gratiam eos recipere voluerit, ut R. Abarbenelem delirare vidimus? Longe aliud contextus præ se fert, qui de eventu & fœdere realiter confirmato agit, quo invalescente *sacrificia & oblationes*, quæ ad prius, & antiquum fœdus pertinebant, cessarunt. Ecquod vero aliud fœdus illud sit, quam novum Evangelicum, quod Jeremias 31. prædixit, & quod longe alio modo, quam olim fœdus vetus, se percussurum esse Dominus ibi pollicitus est? Sane cum *hebdomade una* fœdus efficacissima doctrina & prædicatione, quin ne fando quidem auditis miraculis, & interiore Sp. S. vi, ceu ex historia N. T. & actis Apostolicis liquet, ita invaluerit, ut licet antea nutare visum sit, tamen tunc maximopere fuerit confirmatum, ecquis dubitet de verborum horum sensu, nisi verpi pertinacissimi? Bene Theodoretus in h. l. ἐν ταύτῃ ἡ καινὴ διαθήκη δοθήσεται τοῖς πιστεύουσι καὶ δυνάμεως ἁπάσης αὐτοὺς πληρώσει. *In hac* (Septimana) *novum testamentum dabitur credentibus atque omni vi eos imbuet.* Dum vero dicitur: לרבים, sive præfixum ל idem notare dixeris ac *pro*, sive *ad*, commodum sensum vox gignit, & ad plurimos fructum ejus redundaturum esse significatur.

§. 4. Ut ita de novo Evangelico fœdere à Messia confirmando verba accipiamus, non modo inde adducti sumus, quod, Messiæ, *angeli* nempe *fœderis*, est facta mentio, sed etiam, quod sequentia angeli verba haud obscure id confirmant, cum dicitur: וחצי שבועה ישבית זבח ומנחה *& in dimidia septimana cessare faciet sacrificium & oblationem.* Scribit quidem Rabbi Abarbenel commentario in h. l. שבעה שנים קודם החרם תמיד היו קוראים להם לשלום ובחצי השבועה בא המצור של ירושלים ונשברת הזבח מבית המקדש: *VII. annis ante excidium subinde pacem eis obtulerunt, dimidia vero septimana obsidione cincta est Hierosolyma, & sacrificia in templo cessarunt.* Sed verbis hemistichii posterioris non de qualicunque remora ab hostibus, urbem obsidione cingentibus objecta, agitur, adeoque non de nudo facto, sed de abrogatione legitima, quæ jure ad vaticiniorum complementum peracta est. Nempe novi fœderis, dudum quidem inchoati & verbis initi, nondum tamen tunc ita manifestati, confirmatio jam secuta excludit vetus fœdus cujus haud postrema pars erant sacrificia. Cessare vero fecit Messias sacrificia, cum in cruce seipsum obtulit θυσίαν & προσφορὰν Eph. 5: 2. & *consummatum est*, pronuntiavit, ubi

ubi velum templi est conscissum. Jamdum enim vis illorum & virtus exspiravit, cum fidelium cœtus ad illa amplius offerenda non astringeretur, licet in templo adhuc usitata erant. Et sic τὸ ישבית idem ac *abolere incipiet* significat, quod ad h. l. Magnif. Dn D. Geierus bene monet. Abrogatio vero totalis secuta est, templi, cui soli alligata erant, destructione. Ibi demum illa cum omni choragio & omnibus appendicibus umbrarum & figurarum, cum tota servitute & sacerdotio Aaronico sublata sunt, omnia nempe θύματα & mactata, sive sint *holocausta* sive *confessiones* & *votiva*, sive *pro peccato*, sive *pro reatu*, sive *pacifica*, sive etiam *juge* intelligatur. Sane nisi horum sacrificiorum tanquam in posterum inutilium usum tunc plane cessaturum, neque amplius frequentandum, respexisset angelus, æque illorum cessationem ad tempus futuram præteriisset silentio, ac destructo primo templo Prophetæ, qui eo sacrificiorum usum cessaturum, non annunciarunt, quod exusto templo sacrificiorum nullum esse usum, quilibet intelligere poterat.

§. 5. Levitico cultu ita exolescente & abrogato; fœdere novo contra stabilito & confirmato, Politiæ Judaicæ eversio & urbis excidium secuturum dicitur, cum angelus ait: וְעַל כְּנַף שִׁקּוּצִים מְשֹׁמֵם. Quæ verba ut oppido controversa sunt, ita explicationem cum ambiguitas eorum, tum Versionum diversitas difficiliorem reddit. Græcum interpretem, qui vertit καὶ ἐπὶ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων, Latinus interpres est secutus, dum reddidit: *& erit in templo abominatio desolationis.* B. quoque Lutherus non abludit: Bey den Flügeln wird stehen der Greuel der Verwüstung. Syrus: ܘܥܠ ܟܢܦ̈ܐ ܕܛܢ̈ܦܘܬܐ ܚܪܒܐ quæ in Anglicano opere transferuntur, *& super extremitates abominationis* (incumbet) *vastitas.* Arabs وعلى القدس يكون رجز الخراب *& super sanctuarium erit abominatio ruinæ.*

§. 6. Nicolaus Abramus, è Societate Jesu Theologus, præmissa cum Græca, tum Latina Versione verborum Angeli, num. 24. de LXX. hebdomadibus hunc in modum loquitur: *Hæc è LXX. Seniorum magis rivulo, quam ex Ebraico fonte deducta cuipiam videri possent. Legitur enim* ועל כנף שקוצים משמם, *quod Ebraizantes vulgo sic interpretantur: & super alam abominationum obstupescere, id est, interprete Kimchio: tanta civitatis & sanctuarii vastitas erit longe lateque super gentem universam propagata, ut super extensionem cladis istius abominandæ quivis miretur & obstupescat. Vatablus ita maluit transferre: eritque vastitas super alam abominationum destruetur, & interpretationem suam in hæc verba attexit: hoc est, inquit propter Judæorum magnas abominationes, quas erant admissuri crucifigendo Christum. Alam sive extensionem abominationum vocat longam seriem abominationum sive multiplices abominationes.*

§. 7. Ita recensitis Vatabli & Kimchii explicationibus, quomodo Jesuita nihilominus & LXX. quam vocat, interpretum, & vulgatæ versionis patrocinium in se suscipiat, ex seqq. verbis ejusdem Abrami manifestum est, *sed absit*, inquientis, *ut vel minimum de recepta translatione, vel LXX. seniorum autoritate libemus. Nam elegantissimi quique scriptores non solum templorum alas, sed etiam, quod audacius videri poterat, aquilas agnoscunt. Dionysius Halicarnassæus templum Capitolii describens lib. 4. in ipso, inquit, tres sunt ædes sibi mutuo respondentes, communia habentes latera, media vero Jovis est, hinc inde Junonis & Minervæ* ὑφ᾽ ἑνὸς ἀετοῦ καὶ μιᾶς στέγης καλυπτόμενοι, *quæ eadem aquila & eodem tecto conteguntur. Ubi per aquilam tectum ipsum instar alarum aquilæ tegulis coopertum & velut opere plumari contextum intelligo, quod Matthæus Syriace, qua lingua probabile est Evangelium editum ab eo fuisse, quod ita notis Ebraicis vulgo notioribus exarari potest* כנפא, *Græcus interpres* πτερύγιον, *Latinus* pinnaculum appellat. Certe Aristophanes in avibus:

> Εἶτα θεοῖς τοῖσιν ὥσπερ ἐν ἱεροῖς οἰκήσετε
> Τὰς γὰρ ὑμῖν οἰκίας ἐγείρομεν πρὸς ἀετόν.

Ad quem locum apposite Scholiastes Διὰ τὰ ἐν τοῖς ναοῖς ἀετώματα, *alludit ad templorum tecta aquilina.* Τὰς γὰρ τῶν ἱερῶν στέγας πτερὰ καὶ ἀετοὺς καλοῦσιν, ὥς φησιν Ἴων ἐν Ἀγαμέμνονι, *Templorum enim tecta alas & aquilas appellant, ut autor est Ion in Agamemnone. Quid si pindarus Olymp. XV. ad id alluserit?* Θεῶν ναοῖσιν οἰωνῶν βασιλῆα δίδυμον ἔθηκεν, *Deorum templis avium regem geminum apposuit. Atque hæc præter meam consuetudinem dicta sunto, ut tam Græcus, quam Latinus interpres à quorundam calumnia vindicentur.*

§. 8. Sic Scripturam ex profanis autoribus illustratam esse, Jesuita sibi persuadet. Sed eo successu id factum est, ut, nisi præter suam consuetudinem se id fecisse diceret, eum subinde tam infeliciter sacris locis lucem fœnerari, suspicari liceret. Quam parum vero præstiterit, &, quod, ut Græci dicunt, vere πτερυγίζει, in aprico est. Jactat, se LXX. Interpretes & vulgatam versionem vindicasse ab Ebraizantium calumnia. Ecquæ vero calumnia est, si dicas, Ebraicam veritatem, cujus sensum & Græcus & Latinus interpres exprimere studuerunt, neque tamen ubique sunt assecuti, aliter sonare hoc loco, adeoque præ omnibus versionibus esse consulendam? Quam frivolum illud est, dum de LXX. Seniorum autoritate se tantillum delibaturum, negat? cum Versio Græca Danielis non sit Interpp. LXX., ut Hieronymus docet, veluti ipse, & R. Abarbenel rationem non translatæ ab illis Prophetiæ dederunt, quam θ. 12. disp. de Vers. Græca LXX. Interpp. ante annos sedecim hic habitæ exhibuimus. Quin ne ipse quidem Vossius, qui alias Græcæ versionis acerrimus vindex audit, Hieronymo contradicere audet. Præfatione enim ad lectorem Dissertationi de LXX. Interpp. Tralatione præmissa hunc in modum loquitur: *Monet Hieronymus, Danielem legi in Ecclesia secundum editionem Theodotionis, sed hoc ex parte verum esse potest.* Et post pauca: *quis hæc ænigmata legens statim non agnoscat Aquilam? Ex hujus profecto Versione hæc insulta esse nemo, ut opinor, oculatior diffitebitur, dummodo norint, qualis Interpres fuerit Aquila, utpote qui sensus prorsus nullam habuerit rationem, dummodo verbum verbo redderet ipsa etiam etyma inserens, ut cum pro sole CALOREM, pro luna substituit ALBAM.* Sic minime negat Vossius recentiorem Danielis Versionem esse, neque reliquorum librorum Versioni coævam esse, affirmare sustinet, cum nonnisi Theodotionis & Aquilæ mentionem faciat, quorum translatio ab ipso expenditur.

§. 9. Quod vero Abramus de significatione vocis Ebrææ כנף disputaturus, eam ideo templum significare contendit, quod Græcis πτερὸν, item ἀετὸς, templorum tecto denotent, neque id alicujus momenti est. Scribit quidem Autor Etymologici magni, per ἀετὸν notari στέγασμά τι τῶν οἴκων, *tectum quoddam ædium.* Et Suidas id confirmat ita: ἀετὸς οἰκοδομημάτων. Τὸ κατὰ τὸ ὄρυφον, ὅπερ τινὲς ἀέτωμα καλοῦσιν, *aquila ædificiorum, sic vocatur tectum, à quibusdam* ἀίτωμα *dictum.* Sed num ideo quod Græci domus fastigia ac summas, sive in acumen desinentes partes, quæ aquilam referunt, hoc nomine insignierunt, sequitur, Ebræorum כנף itidem sic usurpari in scriptura, & templum denotare? Id sane μέγα λίαν αἴτημα est, & nemo Ebraicæ literaturæ peritus facile asseruerit, non sane ullo scripturæ testimonio comprobaverit. Atque inde factum est, ut quidam cum Capello hariolati sint. Græcum interpretem vel היכל in suo exemplari Ebræo, unde versionem dedit, vel litera פ in vau mutata, כנו legisse, quæ vox Dan. 11: 36. de Hierosolymitano templo accipitur. Quæ tamen utraque conjectura oppido improbabilis est. Adeoque sic adhuc incertum manet, quamobrem τὸ על כנף Græcus reddiderit ἐπὶ τὸ ἱερὸν, nisi quod suspicamur, de Ebrææ vocis significatione judicasse eum ex Græca. Sane si כנף de *Cherubim*, qui alati erant, per *Cherubim* vero συνεκδοχικῶς ipsum templum intellexerunt, ut Grotius censet, id perviolentum est, ut taceam ob regimen, in quo, ut puncta substrata testantur, vox כנף posita est, non posse aliter fieri, quin Cherubim abominabiles dicantur, quod quam durum iterum sit, nemo non videt. Nec desunt, qui in templo secundo כרובים fuisse, plane negent.

§. 10. Ut vero propius accedamus, & sensum verum indagemus, scire licet, τὸ כנף alias proprie *alam* significare, unde בעל כנף *alatum* denotat animal sive צפור *avem*, sed ut R. D. Kimchi in libro radicum bene monet, על דרך ההשאלה sive *metaphorice & figurate* diversimode usurpatur. Notat enim nunc קצת ארץ *extremitatem terræ*, nunc vero קצת הבגד מלמעלה *oram vestimenti vel inferiorem extremitatem* significat. Porro ibidem Kimchi exempli causa hunc Danielis locum adducit, & eum explicaturus ait: על פרישת שקוצים יהיה אדם משמם ותמה: *super expansione abominationum homo obstupescet & admirabitur.*

§. 11. Sed ut hæc expansio nimis generalis est; ita haud tam concinne exprimitur significatio vocis in contextu ad specialiorem significationem restrictæ. Et mirum est, ibi eum, ubi ex instituto de vocis כנף significatione agit, silentio prætermisisse acceptionem, qua *latera ac dispositi exercitus integros ordines* significat, ut Esai. 8: 8. quo loco vocem כנפיו idem notare perhibet Kimchi in commentario ac מחנהו *castra* vel *exercitum ejus.* Hanc sane significationem, quam *sine exemplo* nonnullos recipere H. Grotius comment. in cap. 24. Matth. frustra asseverat, conformem esse textui & huc quadrare,

 ex

ex eo patet, quod ipse Dominus Luc. 21: 20. illam statuminat, ut paulo post videbimus.

§. 12. Quandoquidem vero τὸ כנף שקוצים cum שקוצים etiam construitur, quid hac voce significetur, dicendum quoque est. In libro radicum R. D. Kimchi ענין תועבה vel *abominationis* significationem eam habere testatur. Græcus habet βδέλυξμα, quod uti Etymologico magno autore, sonat proprie δυσοσμίαν *fœtorem*, quem aversamur, ita ad alia quoque transferri solet, ad quæ exhorrescimus, nec sine horrore intueri possumus. Et quum Ebræis nihil æque exosum fuerit, quam idola, inde fere de illis vocem accipiunt. R. Salomo in h. l. scribit: ועל כנף שקוצים משומם הוא הצלם שצוה אדריאנוס לשום במקום שהיה הארון׳ ויותר נכון לפרש על האומות שמלכו בעולם אחר החרבן השם משקצים את העיר הקדש ויהיה העולם מכל כנפיו מלא שקוצים והאומות כזבות: *Verbis* ועל כנף &c. *significatur imago, quam poni jussit Adrianus in loco, ubi erat arca. Rectius exponitur de gentibus, quæ post excidium in mundo sunt dominatæ, & urbem sanctam aversantur, ut mundus ab omnibus extremitatibus abundet abominationibus, & gentes mendaces sint.* Neque hinc in diversum abit R. Lipmannus, qui num. 332. pag. 184. verba Ebraica על כנף de הנכחת צ"ז *idololatriæ erectione intelligit.* Sed hæc commenta Judaica sponte sua cadunt, quippe tam frivola & inepta, ut vel tyro Ebr. linguæ odorari possit, eos falli, cum quod τὸ כנף sic nullam rationem habeant, tum quod hoc loco de re agatur, quæ ipso tempore templi secundi contigit, ut plane ἀπροσδιονύσως τὸ שקוצים ad idololatriam h. l. referant, quæ à gentibus propagetur hodierno die.

§. 13. Etsi vero Hieronymus in cap. 24. Matth. Chrysostomus, Theodoretus & Theophylactus de statuis & simulacris vocem שקוצים explicant, quæ ex usu scripturæ sæpius pro idolo venit, ut patet ex 1 Reg. 11: 4. 7. 2 Reg. 23: 24. Ezech. cap. 7: 2. ubi & Græci per βδέλυγμα vertunt, ut Chrysostomus orat. II. adversus Judæos scripserit: ἅπαν εἴδωλον ἢ πᾶν τύπωμα ἀνθρώπε παρὰ τοῖς ἰεδαίοις βδέλυγμα, de ejusmodi tamen idolo, quod vel ante Christum Antiochus ibi locaverit, vel statua quam diu post eversum templum Adrianus curaverit, sermonem hic haud esse, ex N. T. historia novimus Christiani. Nec dum enim, cum Christus prænunciaret cladem, eventum suum hoc vaticinium erat sortitum, sed jam ille sensim appetebat.

§. 14. Quidam igitur signa militaria vel vexilla Romanorum castris usitata intelligunt, alii vero ipsum exercitum ob idololatriam abominabilem innui censent. Quibus tamen iterum alii ita repugnant, ut potius detestandam illam turmam seditiosorum zelotarum intelligendam velint, à quibus templum profanatum fuit, ita ut teste Gorionide pag. 101. col. 3. נהפך מעון הקדש למשחט דמים *Sanctum habitaculum conversum sit in laniarium.* Atque hi inducuntur illo, quod Josephus perscriptum reliquit, lib. V. τῆς ἁλώσεως cap. 22. Postquam enim zelotarum immanitatem recensuisset, subdit: ἦν γὰρ δέ τις παλαιὸς λόγ☉ ἀνδρῶν, ἔνθα τότε τὴν πόλιν ἁλώσεσθαι καταφλεγώσεσθαι τὰ ἅγια νόμῳ πολέμε, στάσις ἐὰν κατασκήψῃ, ἢ χεῖρες οἰκεῖαι προμιάνωσι τὸ τῦ Θεῦ. *Vetus fama hominum fuit, tunc urbem expugnatum iri, ac bellica vastatione sancta conflagratura, postquam incubuisset seditio, & civium manibus ipsum templum pollueretur.*

§. 15. Sed ut factiosorum hominum στάσις intelligatur, potius, quam ipse Romanorum exercitus ob paganam religionem abominabilis, causæ nihil videmus. Neque, ut infra apparebit, Cocceji ratio tanti momenti est, ut aliud nobis persuadere possit. Quin ipse Lucas reliquorum Euangelistarum Marci & Matthæi interpres omni exceptione major, cap. 20: vs. 21. manifeste ad exercitum collineat, & non aliud signum proximum excidii Hierosolymitani adducit, quam Marcus & Matthæus. ὅταν, inquit, ἴδητε κυκλεμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν ἱερεσαλὴμ, τότε γνῶτε, ὅτι ἤγγικε ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς.

§. 16. Ut vero ad genuinam expositionem adhuc propius accedamus, etiam voculæ על significationem hic indagabimus, cujus decumana alias etiam est ambiguitas. Notat enim illa idem ac *super, supra, contra, coram, propter, eo quod, ad, apud & juxta.* Græcus interpres per ἐπὶ reddidit, perinde ac Latinus, *in.* quanquam alias τὸ ἐπὶ itidem *super* vel *supra* denotare soleat; ex. gr. 1. Macchab. 1: 54. ædificatum dicitur βδέλυγμα ἐρημώσεως ἐπὶ θυσιαστήριον. Dn. D. Varenius hanc significationem præfert, dum sensum verborum hunc esse tradit: *Super alas abominationum erit desolator,* vel: *alis & signis Romanorum militaribus* (in conspectu Hierosolymorum obsessorum explicandis) *præerit cum summo Imperio Titus Vespasianus.* Cui interpretamento favere videtur quod Ebræi frequenter utuntur particula על, cum præfectura aliqua significanda est, etiam cum verbum שום vel השים non addunt. Judæi tamen neutram significationem recipiunt, Abarbanel enim comm. in h. l. scribit: ביאר שהיה זה הרע כלו על כנף שקוצים משומם שעל השקוצים שהם היו עושים בני יהודה בזמן בית ראשון ובית שני היה משומם וחרב ירושלים והמקדש: *Explicat hoc ita, quod hoc omne malum oriundum sit, nempe propter abominationes, quas perpetrarunt filii Judæ, tempore templi primi & secundi, urbem & templum destruxit.* Quod commentum, licet plane abludat à vero sensu verborum, & sic Scenæ duntaxat serviens ita scripserit Judæus, apparet tamen ex eo, quam significationem ex usu Ebræorum particulæ על tribuat R. Abarbanel, & quod illi, qui, Tremellium secuti, idem ac *per* vel *propter* denotare eam persuasum habent, non novo modo & insolito explicent. Conf. B. Glass. Philol. Sacr. lib. III. tr. 6. can. 12. ubi particulæ hujus significationes ordine recenset.

§. 17. Supposita itaque significatione כנף, quam ex loco Esai. 8: 8. supra stabilivimus, nostra sententia sensus sic satis commodus fluit, *propter* vel *per exercitum abominabilem desolator.* Qui enim Ebraismum extremis, quod dicitur, labris degustarunt, haud ignorant τὸ שקוצים sic reddendum esse. Minime igitur audiendus est Nicolaus Abramus Jesuita, dum l. cit. Ebraismum omnibus Judæis inauditum comminiscitur, & docet eum ita *occurrere, ut numerus unitatis numero multitudinis copuletur, ut abominationes desolans, sit idem ac erit in templo abominatio.* Nempe ut Græcum interpretem defendat, tam horridum ac monstrosum fingit Ebraismum ac ne fando quidem ad hunc locum auditum. Quasi vero vox שקוצים majorem nexum habeat cum voce משומם, quam antecedente voce כנף, quæ in regimine posita immediate cum שקוצים conjungitur! Seduxerunt bonum virum Versiones, in quibus non unum erratum docti viri observarunt. *Erratum*, inquit Dn. D. Varenius, *in versione & peccatum in vocales & accentus.* 1. *pro* כְּנַף *lectum ac si esset* כָּנָף. 2. *Mahpach in* כנף *habitum pro distinctivo.* 3. שקוצים *habitum pro* שקוצי. 4. *Ibidem Paschta pro ministro, atque sic componenda divisa & dividenda composita.*

§. 18. Sed non modo Ebraismi imperitiores & versionum sectatores, ita textum torquent, sed & doctioribus nonnunquam aliter verba interpretari in mentem venit, quam fieri debebat. Joannes enim Coccejus, Theol. Batavus, comm. in Obad. 1: 7. *vocatur*, ait, *hoc Imperium* (Romanum) *ala abominationum desolans.* Et de ultimis verbis Mosis ad c. 29. Deut. pag. 68. ait: *ala abominationum, h. e. imperium protectionis causa adoptatum sive admissum, sed deditum abominationibus, neque protegens, sed desolans.* Sed Considerat. Quæstionum Judaicarum cap. 52. aliter sentire cœpit, *si*, inquiens, *liceret* כנף *masculine accipere, dicere liceret, alam desolatricem intelligi. Quod sane idem esset cum eo, quod principis populus advena sanctum dicitur deleturus. Princeps est ala. Et qui advenit, sanctus non est. Et cujus populus sanctum destruit, est ala desolatrix. Sed quia* כנף *genere fœminino venire solet, potius alam abominabilem intelligemus. Qualis ala sunt Idumæi, Simon, Johannes, Eleazar, Zelotæ, impurissimi homines, qui templum occuparunt, tanquam id defensuri.* Et observat. in cap. 9. Danielis, pag. 129. scribit, *Equidem fui olim in ea sententia alam abominationum dici Cæsarem, qui in hac prophetia dicitur princeps advena. Cogitavi etiam, eandem alam posse esse desolatricem, quia cum protectionem ejus sprevissent Judæi, evenit, ut per eam desolarentur. Præterea construebam* ועל *cum verbo* והגביר *& verba media: & cessare faciet sacrificium & munus, parenthesi includebam. Postea autem consideravi, non posse à me sumi,* τὸ כנף *in genere masculino venire. Et quod Christus dicit, staturam in loco sancto alam abominabilem, non tam bene de Cæsare aut exercitu Romano dici (quia jam tum Romani templum & Antoniam obtinebant diu ante excidium Hierosolymæ, Christus autem jubet animadverti rem futuram) quam Idumæis & sceleratis illis defensoribus. Igitur in hisce δευτέραις φροντίσιν acquiesco, ut in liquidissimo sensu.*

§. 19. Etsi vero Gorionides Titum ita zelotas illos alloquentem inducit: fol. 129: cap. 94. lib. 6. הייתם טמאים ואכזרים ומשוקצים: *fuistis immundi, crudeles & abominabiles*, necdum tamen zelotas potius intelligendos arbitramur, quam Romanos, cum h. l. vocem שקוצים angelus non absolute usurpet, sed relate & cum antecedente voce כנף constructam. Quod vero Coccejus causatur, Romanos ante templum & Antoniam occupasse, adeoque non de illis, sed futuro adhuc βδελύγμαλι ἐρημώσεως, quod Christus respicere jubeat, intelligenda verba contendit, id minime obstat. Quia id temporis

nondum

nondum instabat ἐρήμωσις, neque tunc Romani erant משממים *devastantes.* Et sic non de qualicunque præsidio vel militum in Antonia locatorum manipulo sermo est, sed de fatali hostium obsidione, in quam oculos convertere jubet Dominus. Neque de templo præcise *locus sanctus* sumendus est, licet ita & Capellus contendat. Cum enim & *urbs sancta* ab angelo appelletur, quidni & circuitus proximus urbis? de quo Tacitus: *castris ante mœnia Hierosolymorum positis instructas legiones ostentavit.* Atque ita ὁμόψηφον habemus Dn. D. Geierum, qui fatetur, *locum sanctum* tantundem hic esse ac *circa urbem vel templum Hierosolymitanum.* nulla ratio itaque est, quamobrem de zelotis sive פריצים potius, quam Romanorum copiis τὸ כנף שקוצים intelligendum sit.

§.20. Sed videamus, quid amplius Coccejus de ala abominationum meditatus l. c. sit: *verbis,* inquiens, *ala abominationum, potest sane intelligi extrema ora abominationum. Ita dicitur, Esai. 24: 16. ab ala terræ. Ita significabitur, omnem abominationem Judaicam ab extremo ad extremum extirpatum iri, adeo, ut quodcunque habebant Judæi, & in quo exultabant, possit appellari βδέλυγμα ἐρημώσεως, hoc est, βδέλυγμα ἐρημωθησόμενον, sive ἐρημωτέον, abominabile, vastandum. Sed ala etiam est pro defensione & protectione. Res & historia huic etiam explicationi succinit. Nam venerunt Idumæi & templum occuparunt, & bellum cum Romanis inchoarunt & gesserunt, una cum zelotis, nefariis hominibus eorumque ducibus, qui omnes se gesserunt pro templi protectoribus, ejus quasi ala & clypeus. Sed illa ala erat abominabilis & in desolationem venit desolator super eam.*

§.21. Judæorum *abominationem extirpatum iri,* adeo non convenit textui, ut nihil minus indicarit angelus, quam hoc. Sit etiam ala pro *defensione* usurpari solita, quemadmodum etiam Ruth. 2: 12. להסות תחת כנפיו à Kimchio, per להסתופף על צלו *sub umbra alicujus degere* exponitur, num & hoc loco sic accipienda fuerit? num ideo, quod omne id, quod Judæi habuerunt, vocari potest βδέλυγμα, etiam illud hoc loco debet intelligi? Id minime dixerimus per leges bonæ interpretationis, quæ contextum cumprimis consulendum esse volunt. Ita vero in illo ad certam significationem vox כנף restricta est & determinata, ut nobis integrum haud sit, quamcunque significationem vocis absolute consideratæ & sine χέσει ad antecedentia & consequentia, acceptare, & textui applicare. tanto minus sane id fieri debet, quanto ab Evangelista id, quod ambiguum videri poterat, clarius expositum est & declaratum. Conf. Luc. 21: 20. ubi στρατοπέδων mentionem facit, à quo circum circa urbs cingenda sit.

§.22. Dionysius quoque Petavius Tom. II. de D. T. lib. 22. cap. 36. de phrasi Ebræa disputat, & quid ea significari sibi videatur, hunc in modum ostendit: *Mihi,* inquit, *abominatio desolationis nihil aliud esse videtur, præter ruinas ipsas stragemque templi, ac cum Judaicorum omnium sacrorum & ceremoniarum interitum, tum loci istius sacri, quæ arx religionis fuit, proculcationem ac sempiternam vastitatem & horrorem, quæ qui viderit, is vehementer obstupescat. Hanc urbis ac templi vastitatem consecuta est multiplex loci sacri contaminatio, maxime cum ibi Adriani equestris statua ac alia Deorum simulacra collocata sunt. Quicquid igitur est, quo templi locus inquinatus ac fœdatus est, tum ruina ipsa ac perpetua solitudo abominatio desolationis à Daniele nominatur.* Et loco citato idem eruditissimus Jesuita pergit: *De Matthæi verbis recte Maldonatus existimat, nequaquam abominationem desolationis à Christo velut signum excidii venturi discipulis esse traditum, ita ut antegressa sit, sed cladem ipsam urbis intelligo & contaminationem, quam paulo ante declaravimus. Itaque comma istud 15. cum ergo videritis &c. non respondet sequenti & particulæ tunc, sed sententiam absolvit, hoc sensu: cum videritis abominationem desolationis id est, vastitatem ac ruinam & locorum sacrorum inquinationem, quam Daniel prædixit, qui hæc inquam viderit & cum Danielis prophetia contulerit, intelligat vere esse completum, quod ille vaticinatus fuerat. Porro sequentia: Tunc qui in Judæa sunt, ad priora illa pertinent; Audituri enim estis prælia &c. com. 6. Hæc interpretatio ambiguitate nos omni & inextricabili liberabit. Est enim alioqui difficile statuere, quid illud sit, abominationis nomine censendum, quod velut signum Christus discipulis dederit, ut eo conspecto fuga cladem urbis antevertant.*

§.23. Cæterum ut abominationem desolationis ipsi ruinæ & stragi tribui posse infitias ire nolumus: ita tamen illud certum esse censemus, quod illa à Christo minime præcise innuatur, sed ipse exercitus urbem cingens, & ei excidium inferens, id quod signi loco discipulis Christus esse voluit, ut eo viso urbis excidium instare, conjiciant. Quod vero Maldonatum secutus Petavius particulæ *tunc* comma 15. respondere apud Matthæum negat, & aliorsum illam referendam censet, id plane violentum est, & Lucæ adeo manifeste repugnat, ut nisi χέσιν illam admittas, sensum penitus evertas. Argumentum etiam haud infirmum ex contextu potest peti. Id enim per abominationem desolationis debet intelligi, quo viso fugæ adhuc locus erat, & ex urbe migrationi. Atqui urbe desolata non erat locus fugæ aut migrationi ex urbe. Ergo ruina ipsa & desolatio non intelligitur. Monuit videlicet suos Dominus, ne in urbe velut in nassa concludi se finerent, sed quam ocyssime futuro exitio eximerent. Glossam igitur Maldonati applausum haud mereri, sic satis patet.

§.24. Non subsistit in his angelus, sed magnitudinem quoque illius desolationis describit sequentibus verbis: ועד כלה ונחרצה תתך על שומם: Quæ verba Joannes Coccejus Kimchium, ut videtur, secutus ita reddidit: *& quidem usque ad consummationem & decisionem, quæ stillabit in stupentem.* Unde idem Coccejus, com. in cap. 1. Habac. pag. 362. *etiamnum,* inquit, *est stupor in Judæis, quo percussi sunt. Unde* שומם *stupens de illis dicitur Dan. 9: 27.* Et præfat. in observ. ad Danielem τὸ שומם opponit voci משכילים Dan. 12: vers. 3. Pag. 130. vero observ. in Dan. rationem reddit versionis, *quia commode dici nequeat consummatio & ἀποτομία destillabit in desolatum, cum per eam efficiatur desolatio.*

§.25. Equidem τὸ שמם ambiguæ esse significationis infitias haud imus. Ut enim R. David Kimchi in libro radicum adductis exemplis hujus radicis loquitur: יש מהם שממה בענין חרבה ויש מהם שממה בענין תמיהה: *Quandoque significant idem ac devastationem, interdum admirationem.* Sed uti contextus ubique docet, utra significatio habeat locum, ita neque id dissimulare possumus, priorem significationem magis huic loco quadrare, quam posteriorem. Unde & H. Grotius com. in cap. 24. Matth. non male de verbi hujus significatione disserit, *Ebræi,* inquiens, *nonnulli, & quidam alii eos secuti, ad stupefaciendi significationem trahunt, sed alii rectius causam esse negant, cur à maxime propria nec minus frequenti notione ἐρημώσεως hic discedatur. Nam* שמם *in Kal, ut vocant, est ἐρημοῦσθαι, In Pihel ἐρημοῦν, quod & ἀφανίζειν redditur.*

§.26. Quod Coccejum attinet, ne quidem ei prorsus convenit cum Kimchio. Hic enim stuporem ejusmodi innuit, qui sit oriundus ex rei vel insperatæ novitate, vel alia quadam circumstantia. veluti alias in sacris accipi solet crebrius de admirantibus & attonitis, Esai. 52: 14. שממו עליך רבים *stupuerunt super te multi.* Job. 17: 9. שממו ישרים על זאת *obstupescent recti super hoc,* carentiam vero cognitionis & sapientiæ denotare, id vero necdum ita est evidens, saltim oppositionem illam משכילים non poscit noster textus.

§.27. Quin ne *stupescendi* vel *admirandi* quidem significatio, ut recte Grotius docet, huc facit, sed *desolationis.* ut igitur שמם alias in Kal passivam significationem habet, ita quoque & h. l. est idem ac ἐρημοῦσθαι. Participium, quod vocant Benoni Thren. 1: 4. ita occurrit, ubi dicitur: *omnes portæ ejus* שממין *desolatæ* cap. 3: 11. *posuit me* שומם *devastatum.* Ecquis ergo dubitet eandem significationem hic locum obtinere, ubi ex instituto de Hierosolymorum excidio agitur, veluti R. Saadias fatetur dum scribit: זה ירושלים *Hic de Hierosolyma agitur.*

§.28. Quod vero Coccejus causatur, haud satis commode dici, *desolationem stillare in desolatum, cum per eam efficiatur desolatio,* neque id ut aliter sentiamus, efficit. Quidni enim de urbe, quæ jam excidio proxima est, dici possit, & vel certitudinis causæ asseratur, שומם, velut alias in prophetia fieri solet, ut præteritum ponatur pro futuro. Conf. B. Glass. in Phil. Sac. lib. 3. 42. 3. can. 46. Quin si ut R. Abarbenel paulo post docet, τὸ שומם תאר vel *nomen verbale est,* sive subintelligatur hic execratio & indignatio, ut quidam volunt, sive nomen ejusdem cum verbo significationis שממה *desolatio* ponatur, (ut Joh. 8: 49. vocem ψεύστου subaudiendam ad pronomen αὐτοῦ monuit Isaacus Casaub. & post illum L'Empereur ad Jachiadis paraphrasin pag. 197.) perinde fuerit, & nihil causæ esse videmus, quamobrem non reddi debeat *desolatum.* Et sic plane exspirat ratio à Coccejo adducta. Græcus, Syrus & Arabs per abstractum reddiderunt. Illi enim ἐρήμωσιν, *desolatio,* iste ܚܘܒܠܐ *vastitas,* hic حرابي *ruina* transtulit.

§.29. Quis ergo sensus verborum sit sic patet, nempe *usque ad consummationem decisam stillabit (desolatio) in desolatum,* id est, donec illa consummatio, vel consumptio divinitus

nitus decreta absoluta fuerit, non cessabit in locum effundi illa indignatio. Voces כלה & ונחרצה, quæ per hendiadyn scripturæ receptam ita explicandæ sunt, duo nobis suggerunt. (1.) Supposita illa malitia Judæorum & occisione Messiæ desolationem decretam, adeoque inevitabilem esse. Hinc Gorionides fol. 99. col. 4. ידע יוסף אשר מהשם היתה זאת ולא יכול להשיב את דבר ה' אחור: *Noverat Josephus à Deo id esse, neque poterat verbum Domini irritum facere.* Unde ad vocem נחרצה R. Saadias scribit: מכאן שאין הקב"ה עושה דבר עד שנמלך בפמיליא של מעלה ואז חותם בחותמו של אמת: *Inde patet, Deum benedictum nihil facere, donec cum superiore familia consultarit, & tunc obsignare solet sigillo suo veritatis.* Nempe ad Dan. 4: 14. respicit, ubi mentio fit vigilum. Qui locus quomodo intelligendus sit, & quod non autoritatem angeli habeant una cum Deo aliquid decernendi, ostendit Dn. D. Geierus, com. ad l. cit. Daniel. pag. 336. (2.) vox כלה omnimodam consummationem urbis & politiæ Judaicæ notat. Ut enim ita accipiamus vocem, & antecedentia & parallelus locus suadet, Esai. 10: vers. 22, 23. ubi cum dixisset propheta כִּלָּיוֹן חָרוּץ, statim subdit כלה נחרצה quæ à R. Davide Kimchio ipso hunc in modum explicantur: כמו שאמר כליון חרוץ וכפל ונחרצה׃ כלומר תהיה הכלה גמורה: *uti dixit* כליון חרוץ, *ita duplicat significationem voce* נחרצה *ad eam intendendam, q. d. consummatio erit absoluta & perfecta.* Neque frustra etiam collegerunt ex hoc loco Christiani, non esse, quod Judæi hanc desolationem tam emphatice conscriptam desituram, vel remp. Ebræorum restauratum iri crederent. Theodoretus sane super h. l. ἕως γὰρ, inquit, τῆς τοῦ αἰῶνος συντελείας ἡ τῆς ἐρημώσεως συντέλεια μενεῖ, μεταβολὴν οὐ δεχομένη. *usque ad finem seculi consummatio desolationis manet, nulla facta mutatione.*

§. 30. Sane præterquam, quod hic longe aliter de excidio Hierosolymitano loquitur angelus, & multo ἐμφατικωτέροις verbis utitur, quam de primo illo per Nebucadnezarem facto prophetæ sunt sermocinati, quippe ubi confestim promissiones divinæ de reducendis aliquando exulibus & reædificandis Hierosolymis certo tempore elapso, audiebantur; qua de re hic ne minimum quidem auditur; ipsi etiam Judæi fatentur, ejusmodi signa πανωλεθρίαν antegressa esse qualia antea nemo vel fando audiverat, & quæ merito vel fortissimo metum incuterent, & ex quibus fata ultima urbis instare conjecturam quis facere possit. Hinc Gorionides quoque Histor. lib. 6. cap. 94. fol. 128. col. 3. לא שמו לב על דברי האותות הנקרות בירושלים אשר היו האותות נוראות מאד כי לפני בא אספסיאנוס שנה אחת נראה על ההיכל כוכב אחד נוצץ כמו איש בידו חרבות שלופות: *prorsus non attenderunt animum ad signa, quæ Hierosolymis acciderunt & oppido terribilia erant. Antequam enim Vespasianus venerat, per totum annum visa est supra templum stella quædam scintillans, instar viri manu sua strictos tenentis enses.*

§. 31. Plura ejusmodi prodigia recenset Gorionides libro citato, cap. 94. qui cum stilo Ebraico eleganti illa recenseat, ob quem etiam à Drusio adolescentibus φιλεβραίοις liber ille commendatur, haud gravabimur eum hic quamvis prolixum audire. בימים ההם האות הזה בימי חג הפסח היה וכל הלילה אשר ליום ההוא היה ההיכל מאיר ומגיה כאור יום׃ ויהי כן כל שבעה ימי הפסח וידעו כל חכמי ישראל כי אות רעה הוא ויתר העם אמרו כי אות טובה הוא גם בעת ההוא וגם בימים ההם הביאו עגלת בקר לעולה ויהי בהפילם אותה לארץ לשחטה והנה היא ילדה כבש ויאמרו כי גם זה אות הוא ויראו עוד שם אז אות אחד בשער הקדים כי שער קדים היה שער גדול וכבד מאד ולא יפתח עד בא עשרים אנשים לפתחו וכן לא יסגר עד בא עשרים אנשים לסגדו וקול ציר השער נשמע עד למרחוק ובימים מצאוהו כי נפתח מאליו בלא יד ולא יכלו לסגור אותו עד אשר נקהלו הרבה אנשים וסגרוהו וגם על האות הזה היו אומרים חכמי ישראל והכהנים כי אות רעה היא ויתר עם הארץ היו אומרים כי אות טובה הוא ויהי אחרי כן נראה על בית קדש הקדושים מלעלה כל הלילה כתבנית פני אדם אשר לא נראה ביופיו בכל הארץ ומראהו נורא מאד ועוד בימים ההם נראו רכבי אש ופרשים עליהם וחיל גדול מאד מעופפי׳ על פני הרקיע קרוב ריס באים אל ירושלים ועל כל ארץ יהודה וכולם סוסי אש ורוכבי אש׃ ויהי בימים ההם אור ביום חג השבועות שמעו הכהנים בתוך ההיכל כקול לכת בני אדם וקול מצעדות רגלי בני אדם הולכים בקרב ההיכל לרוב וישמעו קול גדול ונורא מאד מדבר וקורא ואומר לכו ונלכה מן הבית ונסעה לנו וחכמי ירושלים כלם אמרו אשר זה אות רעה הוא היתר העם אומרים כי אות טובה היא ולפני האותות האלה שנים ארבע היה בירושלים איש מעם הארץ ושמו יהושי׳ בן חנניהו ויחל לקרא בקול גדול הים חג הסוכות לאמור קול ממזרח קול ממערב קול מדי רוחות השמים קול על ירושלים וקול ההיכל קול על חתן קול על כלה וקול על כל העם וישנאוהו כל אנשי העיר ויאמרו לו למה תציוק לקרא הדבר הזה ויצו השר העיר אשר לעיר לבל יאמרו׳ לו דבר כי נחשב בעיניו כמשוגע וילך עוד האיש הלוך וקרוא אוי על ירושלים׃ אוי על מקדשה אוי על היכלו עד יום המלחמה׃ ויהי בהיות המלחמה הראשונה החל לקרוא ותבואהו אבן יד גדול ותכהו על ראשו ותמתהו: *Illo tempore hoc portentum festo paschatis fuit, ut tota nocte illum diem secuta templum tam lucidum esset, ac ipso die, atque ita septem Paschatis diebus. & omnes Dd. Israëlis pro malo signo habuerunt, sed plebs bonum signum esse contendit. Isto tempore etiam vaccam adduxerunt in holocaustum offerendam, quam cum in terram dejecissent, ut mactaretur, ecce ovem peperit. Atque hoc itidem pro portento habitum est. Præterea ibi aliud viderunt signum in porta orientali. Hæc enim porta erat magna & gravitatis insignis, neque poterat aperiri, nisi à XX. viris, neque etiam claudi, nisi à totidem viris. E longinquo etiam audiebatur cardinis sonus. Sed illo tempore sponte sua illa aperta deprehendebatur sine ullius opera. Neque jam poterant claudere, donec plurimi congregarentur, qui illam clauderent. Atque hoc signum aliquid sinistri significaret, Doctores Israëlis & sacerdotes itidem asseverabant. Cum vero & Terra tremeret, pro bono omine id interpretabantur. Posthac vero super sancto sanctorum tota nocte facies hominis observabatur, & tantæ pulchritudinis videbatur, quantæ homines alias nunquam visi sunt, & illa oppido terribilis erat. Insuper ignei currus tum apparebant, quibus aderant equites, & maximus exercitus in expanso volitabant, qui Hierosolymis stadium aberant & Judæa. Omnes equi erant ignei & sessores. Consimiliter id temporis septimanarum festo sacerdotes in templo audiverunt vocem humanam, & gressus hominum, in medio templo quasi ambulantium. Audiverunt etiam sonoram vocem & oppido terribilem, clamantem: ITE, UT MIGREMUS E TEMPLO! Omnes vero sapientes Israëlis, hoc nihil boni portendere dicebant, sed reliqua plebs aliquid boni denotare contendebat. Quatuor vero annis, antequam illa signa acciderant, vir plebejus, cui nomen erat Josua, filius Chananiah, Hierosolymis erat, qui alta voce clamare cœpit festo Tabernaculorum, dicendo: vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis cœli. Vox super Hierosolyma. Vox templi, vox super sponso, vox super sponsa. Vox super omni populo. Omnes vero cives urbis eum oderunt, & percontati sunt, eccur ita clamitas? urbis etiam præfectus interdixit eis, ne verbum ad illum loquerentur, habebat enim eum pro insaniente. Ille vero amplius progressus ingeminavit, væ Hierosolymis, væ sanctuario ejus & templo usque ad diem belli. Cum vero prius bellum esset, clamitare incepit, & magnus lapis in caput ejus incidit & interfecit eum.* Longum vero foret omnia omina, quæ excidium antegressa sunt & calamitates omnes, quas longa ista obsidione exantlarunt, referre. Videri ea possunt apud Josephum de Bello Judaico, & Gorionidem. Id memorabile est, quod eodem ejusdem mensis die, quo prius templum in cineres est redactum, & hoc secundum templum devastatum est, ut lib. VII. cap. 9. de B. J. Josephus habet, τοῦ δ' ἄρα, inquiens, κατεψήφιστο μὲν τὸ πῦρ ὁ θεὸς πάλαι, παρῆν δ' ἡ εἱμαρμένη χρόνων περίοδος, ἡμέρα δεκάτη Λώου μηνός, καθ' ἣν καὶ τὸ πρότερον ὑπὸ τοῦ Βαβυλωνίων βασιλέως ἐνεπρήσθη. *Id (templum) Dei sententia dudum igne damnaverat, evolutisque temporibus aderat fatalis dies, qui erat decimus mensis Augusti, quo etiam prius à rege Babyloniorum fuerat concrematum.*

§. 32. Etsi vero sic, quod anni tempus attinet, in quod utraque excisio incidit, prior, à Nebucadnezare facta desolatio, alteri, à Romanis illato excidio, simillima sit: hæc tamen illa tanto major notabiliorque est, quanto & majoribus ærumnis, & Judaici populi cladibus est insignita, & longius, per plurima secula se porrigit. Ærumnarum magnitudo ex eo satis elucescit, quod Salvator noster Luc. 19: vs. 45. cum flebilem illam urbis templique devastationem prævidisset, ubertim, profusis lachrymis, illam deploravit, *Circumdabunt*, inquiens, *te inimici tui vallo, & circumdabunt te & angustiabunt te.* Quam historiam licet postmodum nullus Evangelistarum literis consignaverit (quod de industria ab aliis tantam stragem memorari Deus vellet): Josephus tamen Judæorum fide dignissimus scriptor singula tam accurate perscripta reliquit, ut incredibiles illas angustias, in quas hostium arctissima obsidione redacti sunt, prolixe recenseat, conf. lib. 6. cap. 13. seqq. de B. J. Illud vero memoratu cumprimis dignum est, quod cum de occupanda urbe cum suis consilium iniret Titus, & nonnullis consultum visum esset, ut omnis miles muris admoveretur ad obruendos Judæos sagittis, aliis vero placeret, ut aggeribus eorum observatis, ne commeatus inveheretur, caveretur: illorum tamen consilium prævaluit, qui aggeres fieri jusserant, quibus ita effectum est, ut Christi comminationi, qua eos ita circumdatum iri, prædixerat,

dixerat, eventus exactiſſime reſponderet. Atque hinc illi partim fame, partim internis diſſidiis & Zelotarum crudelitate perierunt, partim vero qui ſuperſtites erant, in ſervitutem abducti ejuſmodi, unde necdum poſteri illorum in libertatem ſe vindicare potuerunt.

§. 33. Hoc alterum vero excidium templi nihil ſolatii reliquit Judæis vel ſpei, quod jam aliquot retro ſeculis ex Judæis ingenue eſt confeſſus R. Samuel, qui ad R. Iſaacum tanquam deſperabundus in hunc ſenſum ſcripſit, ut Carthuſianus refert: *Amplius videtur etiam, Domine mi, Danielis Prophetia, Dan. 9. completa eſſe, ubi ſic dicit: poſtquam conſummatæ fuerint 62. hebdomades, occidetur Chriſtus & veniet populus cum principe futuro, deſtruet civitatem & domum & conſummabit eam & conſumetur ſacrificium & erit conſummata deſtructio deſolationis perpetuæ. Et non eſt, Domine mi, dubium, quin deſtructio perpetuæ deſolationis ſit iſta captivitas, in qua jam ſumus. Nam jam ſunt mille anni & aperte dicit Dominus per prophetam, quod erit deſolatio perpetua propter occiſionem Chriſti, ſicut eſt deſolatio noſtra poſt occiſionem Chriſti. Non comminatus eſt deſolationem perpetuam, niſi poſt occiſionem Chriſti. Et ſi voluerimus dicere, quod ante occiſionem Chriſti fuerimus deſolati, reſpondent nobis Chriſtiani, quod ante illam mortem non fuit deſolatio niſi 70. annis, & poſt hoc fuimus reducti in terram promiſſionis, & fuimus apud Deum in gratia & honore. Certe, Domine mi, non video, evaſionem contra populum, quia de facto probatur nobis, quod poſtquam à reædificatione templi fuerunt completæ 70. hebdomades ſupple annorum, quæ ſunt anni abbreviati, tunc fuit Jeſus occiſus à patribus noſtris & poſtea venit Dux ſc. Titus & populus ſc. Romanus & fecerunt nobis ſecundum prophetiam iſtam. Hodie ſunt mille anni, & ſic in ira Dei ſumus & tamen in ipſo ſperamus. Et ſi dicimus, quod Chriſtus nondum venit, ſed cito ſit venturus & habebimus terram promiſſionis & reædificabimus civitatem & habebimus gratiam Dei & honorem in terra noſtra, & iſta deſolatio ſit temporalis & non perpetua, reſpondent nobis Chriſtiani, quod adhuc manebit occiſio Chriſti & adventus Titi & populi Romani & deſolatio pejor, quam iſta, in qua modo ſumus, quia jam ſunt mille anni. Heu mi Domine, non eſt excuſatio ſeu evaſio conſona!*

§. 34. Ecquid Samuel ille hodie, cum adhuc ſex ſecula prioribus decem acceſſerunt, dicturus eſſet, facile conjecturam licet facere. Nempe non modo, pluribus adhuc ſeculis interea elapſis, rem plane conclamatam eſſe, ſuo ſuffragio comprobaret, ſed etiam prodigioſam illam ſuorum contribulium Scripturam detorquendi audaciam haud dubie deteſtaretur, cum nunc exilium ſuum obſcuris verbis prædictum eſſe, clamitat Menaſſeh, nunc magno conatu ea angelum prædixiſſe hoc vaticinio, contendit R. Abarbanel, quæ nemo alius præjudicio non occupatus ex verbis illis colligere poſſet. Commentum R. Abarbanelis habet ita: וזכר עוד כאן שיבוא עוד שממה בקרב האומות וגם הוא עדי אובד וכלה ונחרצה תרד על הגוי אשר שמם את ישראל וארצו ובזה הלשון בעצמו אמר הנביא ועתה אל תתלוצצו פן יחזקו מוסריכם כי כלה ונחרצה ר״ל שהגלות הזה ימשך ויתמיד עד שהקדוש ברוך הוא יביא כליון חרוץ על כל העמים ויהיה שומם כמו משומם או יהיה שומם תאר השם כמו שמני שומם על שם סופו וזהו הרמז אשר בנבואה הזאת על הגאולה עתידה אבל לא פי׳ המלאך תכליתה מפני חקץ הנפלאות לא נגלה לדניאל עד המראה האחרונה כמו שיתבאר: *Præterea deſolationis meminit adhuc venturæ inter ipſas gentes, quæ & ipſa erit uſque ad perditionem* (Num. 24: 24.) *Et conſummatio deciſa deſcendet ſuper gentem, quæ Iſraëlem & terram ejus vaſtavit. Hunc ipſum loquendi modum uſurpat propheta* (Eſai. 28: vſ. 22.) *& nunc ne illudatis vobis, ne forte confortetis vincula veſtra, quia conſummatio deciſa. &c. Et hoc eſt, quod hic dicitur* כלה ונחרצה *hoc eſt, exilium durabit & perſeverabit, donec Deus adduxerit conſummationem & excidium ſuper omnes populos, ut ita τὸ* שומם *æquipolleat τῷ* משמם, *aut erit τὸ* שומם *nomen formæ vel adjectivum, veluti* (Thren. 3: vſ. 11.) *poſuit me deſolatam, propter finem ejus. Atque hoc ipſum in hac prophetia ſignificat futuram redemtionem. Sed angelus haud explicat finem ejus. Propter mirabilia enim Danieli non ille eſt manifeſtatus uſque ad viſionem poſtremam, ut liquido patet.*

§. 35. Evidentiſſimum hic exemplum exhibetur prodigioſæ Judæorum detorſionis, qua ea, quæ ſibi haud grata ſunt, & fauſta, omnibus modis declinare ſatagunt, & aliter, quam res ipſa fert, exponere allaborant. Sed num, ſi Eſai. 28: 22. eadem verba de gentibus occurrunt uſurpata, nempe כלה ונחרצה ideo & h. l. de iiſdem ſermo eſt? Si antecedentia & ſcopum angeli reſpicias, qui eſt, Danielem edocere, quæ ſors urbis Hieroſolymæ ædificandæ ſit futura; clare patet, de Hieroſolyma hic agi, ejuſque πανολεθρίᾳ altera, gentium vero excidium hoc capite intelligi non poſſe, maxime cum ne una quidem vox in textu eo inclinet, neque ejuſmodi interpretamentum ferat, ut, ceu Abarbanel, libello משמיע ישועה fol. 83. col. 1. non dubitavit aſſerere, המבשר טוב, vel *bonus & lætus nuncius* de ſperanda Judæis liberatione inde hauriatur.

§. 36. Nulla itaque hic mentio fit gentium, nulla adhuc expectandæ Judæis liberationis & in avitas ſedes reſtitutionis, ſed potius excidii urbis & cultus Levitici ceſſationis templique deſolationis, unde neque ſuam in avitas ſedes reſtitutionem, neque ſoſpitatoris adventum præſtolari amplius debent, ad recuperandam Palæſtinam: longe enim nobiliorem ob finem nempe *juſtitiam æternam, peccatorum expiationem*, pridem ſe ſtitit Meſſias, & quæ de ipſo prædicta fuerunt, præſtitit. Atque hunc iterum rediturum expectamus, ſed aliter, quam recutiti de illo perſuaſi ſunt. Nempe ut Theodoretus cap. 9. Daniel. explicationem memorabili clauſula obſignat, *καὶ ὁ χρόνος καὶ αἱ προσηγορίαι τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν προεσήμαναν παρουσίαν, εἰς ὃν πεπιστευκότες καὶ τὴν δευτέραν αὐτοῦ παρουσίαν προσμένοντες, τῆς παρ' αὐτοῦ φιλανθρωπίας ἐν ἡμέρᾳ διαγνώσεως τυχεῖν ἱκετεύσωμεν, ἧς γένοιτο πάντας ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ τῷ πατρὶ δόξα σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. Et tempus & nomina nobis adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti aperte præſignificarunt, in quem cum crediderimus, alterum ipſius adventum expectantes, ſupplicabimus, ut in die judicii ipſius clementiam conſequamur, cujus utinam nos omnes compotes fiamus gratia & benignitate ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum quo Patri gloria cum ſancto Spiritu in ſecula ſeculorum, Amen.*

F I N I S.

JOH.

JOH. STEUBERI
DISSERTATIO
De conjugio Hoseæ Prophetæ cum meretrice ex jussu Dei ad Hos. I.

THESIS I.



CAPUT primum Hoseæ *tribus* absolvitur *partibus*. 1. Prophetæ vocatione. 2. ejusdem cum scorto connubiali copulatione, & 3. gratiæ promissione.

2. In *prima parte* continetur, 1. Divina revelatio. 2. Prophetæ familia, & 3. Prophetiæ tempus, *versu* 1.

3. *Divina revelatio* exprimitur hisce verbis: *Verbum Domini* hoc est, *quod factum est ad Hoseam.*] Phrasis hæc (τὸ Verbum Domini factum est ad aliquem) in Scripturis quandoque importat divini officii impositionem, *Joh.* 10: 35. Si eos dicit Deos, ad quos verbum Dei factum est, &c. quandoque consolationem, *Zach.* 4: 6. Hoc est verbum Domini ad Zorobabelem sc. erigendum, quandoque pœnæ annuntiationem, *Malach.* 1: 1. Prophetia verbi Jehovæ ad Israëlem, id est, contra Israëlem, ut plurimum vero divinam vocationem, instructionem, missionem & inspirationem, 1. *Reg. cap.* 13: 17. *Jonæ* 1: 2. *Luc.* 3: 2. & sic hoc loco usurpatur. Divinarum revelationum septem modi recensentur. 1. Per familiare colloquium de facie ad faciem, quod soli Mosi obtigit, *Exod.* 33: 11. *Numer.* 12: 6. *Deuter.* 5: 4. *cap.* 3: 4. 10. 2. Per Verbum, quod vel forinsecus auditur vel intus suggeritur, vide *Genes. cap.* 17: 1. 4. 9. 15. 19. *cap.* 18: 17. *& seqq. cap.* 22: 1, 2. 3. Per Urim & Thumim, *Exod.* 28: 30. *Deut. cap.* 33: 8. 1. *Sam.* 28: 6. quæ qualia fuerint, nescimus, scribit *AbenEzra*, apud Thalmudistas legitur, quod Urim dicuntur, quia illustrant & explicant interrogata, *Joma* 7. *in fine*, vide *AbenEzram*, *Exod.* 28: 5. *Rabbi Salom. Exod. cap.* 28: 30. & *Thargum Jonathanis* ibidem. Urim & Thumim in secundo templo cum quatuor aliis defuisse docent *R. Elias*, *R. Salomon*, *R. David*, *Galatin. lib.* 4. *c.* 9. & alii, & ducentis annis ante natum Christum desiisse scribit *Josephus l.* 3. ἀρχαιολ. *c.* 9. Vide apud *Joh. Bodinum*, quid Dd. Judæorum, defectum Urim & Thumim supplevisse, prætendant, *de M. d.* 4. *lib.* 1. *c.* 4. Per visionem; quæ oculis corporeis percipitur, vel menti repræsentatur, vide *Num.* 12: 6. *Jer.* 1: 11. *Ezech.* 37: 1. *Dan.* 7: 4. *Zach.* 4: 1, 2. *c.* 5: 1, 2, 3. 1. *Sam.* 9: 9. 5. Per somnum, vide *Genes.* 36: 5. 29. *c.* 40: 12. *cap.* 41: 25. *Dan.* 1. *&* 4. *Matth.* 1: 20. *cap.* 2: 13. *Job.* 33: *vs.* 15. 6. Per ænigma, vide *Esai.* 13. *cap.* 19. *cap.* 20. *Jer. cap.* 27. *cap.* 51. *Ezech.* 4. *cap.* 5. 7. Per sortem, 1 *Sam.* 10: *vers.* 20. *Actor.* 1: 26. Ex his patet, quid *Epistola ad Hebr. cap.* 1: 1. velit, dum ait: Multis vicibus, multisque modis olim Deus loquutus patribus, ultimis diebus hisce locutus est nobis in filio.

4. *Familia Prophetæ* describitur, dum vocatur *filius Beeri. Rabbi David* scribit, Hoseam & cæteros Prophetas, qui nomen patriæ non assignant, fuisse Hierosolymitanos. *Lyra* putat Beeri hunc esse Beera, principem tribus Ruben, quem Tiglatpilneser captivum abduxit in Assyriam, 1. *Paral.* 5: 6. *Cornelius Cornelii* putat illud esse fabulosum, cum *Dorotheus, Epiphanius & Isidorus in vita Hoseæ* asserunt, Hoseam ortum ducere ex tribu Isaschar, non ex tribu Ruben, hoc vero supputationi temporis repugnare, utpote cum Hoseas vaticinari inceperit initio regni Oziæ, Tiglatpilneser vero Beera, principem tribus Ruben, captivum abduxerit in Assyriam anno Oziæ quinquagesimo secundo, 2. *Reg.* 15: 27. 29. Quæ ratio non videtur sufficiens esse: Ponatur enim, quod Beeri, Hoseæ pater, initio regni Oziæ fuerit 46. annorum, quibus addantur anni quinquaginta duo usque ad captivitatem Assyriacam, unde emerget, quod Beeri, Hoseæ pater, tempore captivitatis Assyriacæ fuerit annorum 98.

5. *Principium Prophetiæ* indicatur hisce: *In diebus Oziæ, Jotham, Achaz, Ezechiæ, regum Judæ, & in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel:*] Notetur 1. quod nominentur tam reges Judæ, quam rex Israël, quia tam contra Judam, quam contra decem tribus, Israëlis nomine insignitas, Propheta vaticinatur, magis tamen contra Israëlem, ut ex progressu clarius patebit. 2. Cur unius duntaxat regis Israel, plurium vero regum Juda mentio fiat, ratio vero vicinior nulla est, quam quod nominatis regibus Juda, quibus regnantibus Hoseas prophetarit, facile colligatur, ipsum etiam prophetasse post Jeroboam sub Zacharia, Sellum, Menahem, Pekaia, Peka, Hosea, regibus Israel, quippe qui eodem tempore in Israël regnarunt, quo reges ab Hosea nominati Ozias, Jotham, Achaz & Ezechias in Juda regnum administrarunt. Unum autem Jeroboamum nominat, ut suæ prophetiæ initium monstret, quod fuit eo tempore, quo Ozias & Jeroboam simul, ille in Juda, hic in Israel, regnarunt. Dum igitur Propheta Jeroboamum præter reges Juda nominat, indicare vult, quod non extremo tempore regni Oziæ, sed ejus initio prophetare inceperit: Nam anno Jeroboam regis Israel 27. cœpit in Juda regnare Ozias, 2. *Reg.* 15: 1. Jeroboam autem regnavit annis 41. 2. *Reg.* 14: 23. unde sequitur ultimos tantum 14. annos Jeroboami concurrere cum primis 14. annis Oziæ, quibus simul regnarunt, Jeroboam in Israel, Ozias in Juda, quibus Hoseas prophetavit, initium enim ejus prophetiæ fuit, cum hi duo simul regnarunt. 3. Jeroboam hic non fuit filius ille Nebath, qui tempore Rehabeami vixit, 1. *Reg.* 12: 20. sed filius Joas, pronepos Jehu, cui Deus ob extirpationem domus Achabicæ regnum promisit ad quartam usque generationem, 2. *Reg.* 10: 30. quod & Deus ipsi præstitit, quod infra recensebimus. 4. Si Propheta Hoseas à tempore Oziæ usque ad tempus Ezechiæ prophetavit, 90. annos prophetavit, & captivitatem decem tribuum à se prædictam, quæ sexto anno Ezechiæ regis Juda, & nono anno Hoseæ regis Israel contigit 2. *Reg.* 18: 10. ipsemet vidit: Utrum vero prophetiam hanc successive protulerit, an vero simul & intra 90. illos annos sæpius reiteravit, ignoratur. 5. Vaticinium hoc Hoseæ 90. annis cœpit ante excidium Samariæ (tot enim anni sunt ab initio regni Oziæ usque ad 6. annum Ezechiæ, quo decem tribus in Assyriam abductæ fuerunt) & 229. ante excidium Jerusalem (tot enim anni sunt à primo anno Oziæ usque ad ultimum annum Sedeciæ, quo regnum Juda à Chaldæis eversum est) anno mundi 3138. ante natum Christum 810.

6. Hactenus prima capitis hujus pars de Prophetæ vocatione, jam sequitur *secunda* de typico Prophetæ conjugio à *versu* 2. *ad* 10. exclusive descripto, eaque *tribus* constat *partibus*. 1. Dei mandato de scorto in matrimonium ducendo. 2. Prophetæ in ducenda meretrice obsequio, & 3. trium liberorum ex matrimonio cum meretrice inito procreatione.

7. *Mandatum Dei* habetur *vers.* 2. his verbis: *Principium loquendi in Hosea: Et dixit Dominus ad Hoseam: Vade & sume tibi uxorem fornicationum, & filios fornicationum, quia fornicando fornicabitur terra à Domino.*

8. *Hieronymus*, cum tempore Oziæ, Jotham, Achaz & Ezechiæ multi fuerint Prophetæ, Jonas, Joel, Amos, Zacharias, Esaias, Micha, Obed, &, ut videtur, Habacuc, his verbis (Principium loquendi in Osea) significari vult, inter illos Hoseam primum prophetasse, cui adstipulantur *Rupertus*, *Haymo*, *& Basilius & Ruffinus in cap.* 1. *Esaiæ*, & pro hac expositione confirmanda adduci potest Hebræus textus, qui ita habet: principio locutus est (דִּבֶּר in præterito piel) Dominus: LXX. vero, Chaldaica paraphrasis, Theodoretus & alii

& alii his verbis initium sermonis divini ad Hoseam facti innui volunt, iique pro præterito דִּבֶּר legunt דַּבֵּר in infinitivo piel, hos sequitur *Lutherus* in Germanica sua versione: **Und da der HERR anfieng zu reden durch Hoseam/ sprach er zu ihm.** Pro his facit, quod Jonas Propheta, antequam Ozias vel Asarias regnaret, prophetarit, confer 2 *Reg.* 14: *vs*25. *& c.*15:1. Hoseas vero tempore eo, quo Ozias & Jeroboam simul regnarunt, prophetare cœpit, ut ex *thesi* 5. constat. Cum ergo nec necessario ex phrasi nec aliunde obtineri possit, quod Hoseas primus omnium Prophetarum fuerit, quis illud affirmare ausit?

9. *In Hosea* per internam suggestionem & inspirationem: Deus enim loqui in aliquo dicitur, cum ea, quæ agi vult, ejus cordi, ut agantur, inspirat, *Euch. de quæst. V. & N. T.* Confer *Num.* 12:2. 2 *Sam.* 23:2. vel ad Hoseam, ita LXX. πρὸς ὡσηὲ, vel per Hoseam ad populum, vel cum Hosea. Præfixum Hebræum ב ita varie reddi potest, sed tamen semper res eodem recidit.

10. *Vade, sume tibi uxorem fornicationum*, id est, uxorem scortatricem: Familiare enim est Hebræis, adjectiva circumscribere per substantiva regimine constructa, ut: שֵׁבֶט בַּרְזֶל virga ferri, id est, ferrea. Pluralis autem numerus, qui hic substantivo subjungitur, αὔξησιν importat & notat scortum, prorsus infame, libidinibus deditissimum & obsoletum, sicut valde sanguinolentus dicitur vir sanguinum, *Psalm.* 5:7. 25:9. 54:24. 58:3. *&* 138:19. Vir dolorum valde dolens *Esai.* 53:3. *&c.*

11. *Et filios fornicationum*] *Lutherus* vertit **Hurenkinder/** qui ita vocantur, non quod ante matrimonium cum Propheta initum ex matre fornicaria nati, vel quod à Propheta in scortatione cum hoc scorto commissa suscepti, vel quod à matre in fornicatione cum adulteris post matrimonium cum Propheta initum commissa progeniti fuerint, sed 1. ob matrem, quæ antea scortata fuerat, quæ infamia in ipsos etiam filios in conjugio cum Propheta postea contracto prognatos redundat, tum etiam 2. quia ipsi liberi, adulti jam facti, matris mores secuti, fornicationibus sese polluerunt: Repræsentabant hi liberi Judæos mystice libidinosos, id est, in idololatriam propendentes, unde iis æque ac matri pœna annunciatur, *c.* 2:4. *Filiorum ejus non miserebor, quia filii fornicationum sunt.* Adstipulatur versio Syri: Sume tibi mulierem, quæ fornicatur & filios, qui fornicantur, quia fornicando fornicabitur terra à Domino. Dicuntur igitur filii fornicationum ea phrasi, qua filii diffidentiæ, *Eph.* 2:2. *c.* 5:6. filii superbiæ, 1 *Macc.* 2:47. dicuntur valde propensi in diffidentiam, superbiam, adeo ut ex ipsa diffidentia, superbia nati esse videantur.

12. Verbum Hebræum לָקַח ob diversitatem objecti hic significat tum accepit in uxorem sc. scortum istud, tum etiam suscepit scil. filios ex scorto, jussu Dei in matrimonium ducto: Usurpatur enim hic & de uxore ducenda & de liberis suscipiendis, non aliud verbum hic, aliud illic, sicut in Latina versione: *Sume* tibi uxorem fornicationum & *fac* filios fornicationum.

13. Obiter etiam hic ad verbum Hebræum לָקַח, quod hic occurrit, observandum est, quod vir uxorem accipiat, cum eam sibi desponsat ante copulam carnalem, ut colligere est ex *Deut.* 24:1. Quum acceperit vir uxorem & maritaverit eam. Quæ de Judæorum desponsationibus inveniuntur, huc adscribere lubet: *Chrysostomus hom.* 4. *in Matthæum* olim moris fuisse scribit, ut sponsæ in sponsorum ædibus virginitatis custodiendæ ergo haberentur. Alii negant, id quod etiam in altercatione Synagogæ & Ecclesiæ recensetur his verbis: Tradunt quidam, hanc Hebræorum legem fuisse, quod virgini desponsatæ domum sponsi intrare ante diem nuptiarum nullo modo licuerit, tollendæ suspicionis ergo, Sponsus vero quoties vellet, limina parentum ipsius sponsæ ad eam visitandam adire sine suspicione potuerit: sed alii secus. Dicunt enim in ipsa desponsationis hora sponsum sponsam suam in domum suam vocare, & custodem virginitatis & testem fieri ad tempus usque nuptiale. Quid ea de re Chemnitio videatur, legatur *in harmon. c.* 7. Videatur de desponsationis ritu *Moses Kotsi in libro præceptorum magno*, cui adde *librum precum*, in quo sic legimus: Qui despondet mulierem, adducit testes, coram quibus desponsatio fit pecunia aut re aliqua æquivalente, etiam obolo, quem dat ei coram illo & dicit: *Esto mihi desponsata hac re secundum legem Mosis & Israël.* Quod si non affuerint testes, desponsatio ejus nulla est, etiamsi ambo confessi fuerint. Quod si eam desponsaverit socio suo vel alteri, dicit: *Esto desponsata N. annulo hoc secundum legem Mosis & Israël.* בִּיאָה non fiebat, nisi facta benedictione, cum jam Sponsa, prævia benedictione, in thalamum introducta esset, ut habetur *in lib. Musar. c.* 6. Adscribam etiam illa *ex tractatu de Sponsa*: Sponsa sine benedictione vetita est marito suo, perinde ut immunda illota ex profluvio menstruo: Siquidem, ut immunda talis, nisi lota fuerit, vetita est marito suo, ita sponsa absque benedictione sponso suo. Idem etiamnum hodie usu receptum esse in Moscovia reperio *in commentariis rerum Moscowiticarum Sigismundi Liberi Baronis in Herberstain*, qui de ratione contrahendi matrimonium *pag.* 7. sic habet: Inhonestum & turpe est adolescenti, ambire puellam, ut sibi in matrimonium locetur. Patris est, juvenem alloqui, ut ducat filiam suam. In hæc autem verba plerunque proloqui solet: Cum mihi sit filia, vellem equidem te mihi generum: Ad quæ juvenis: si me, inquit, expetis generum & tibi ita videtur, conveniam parentes meos & de hac re ad eos referam. Dein si parentes & proximi assensi fuerint, conveniunt, & de his, quæ pater filiæ dotis nomine dare velit, tractant. Mox dote constituta nuptiis dies præscribitur. Interea temporis sponsus ab ædibus sponsæ usque adeo arcetur, ut, si forte petierit, eam tantum ut videret, tum parentes respondere solent. Cognosce ex aliis, qualis sit, qui eam norunt.

14. *Ratio* divini præcepti de scorto ducendo, vel *finis* matrimonii istius à Deo præcepti explicatur ab ipso Deo, dum subjicit: *Quia fornicando fornicabitur terra à Domino. Lutherus* ita vertit: **Denn das Land läufft vom HERREN der Hurerey nach.** Fornicatio hic metaphorice notat idololatriam, qua homo, relicto Deo, sponso suo, idolis quasi amasii, adhæret. Assimilatur igitur idololatria fornicationi. 1. *Ob perfidiam*, quæ in utroque peccato occurrit. 2. *Ob* utriusque peccati *turpitudinem*. 3. *Ob indignationem*, quam incurrit tum conjux, quando, marito deserto, aliis procis adhæret, tum idololatra, quando, Deo derelicto, alienis Diis inservit: Nihil enim minus ferre potest tum maritus, quam suæ uxoris perfidiam, tum Deus, quam hominis apostasiam. *Tremellius* Lutherum incilat, quod verbum Hebræum ad literam per **Hurerey** reddiderit, quasi vero non spiritualem fornicationem intellexerit.

15. *Geminatio verbi* (*fornicando fornicabitur*) per Hebraismum *notat actus fornicarii.* 1. *certitudinem.* 2. *magnitudinem.* 3. *consuetudinem* sive continuationem. Obiter hic ex Grammaticis notare licet de infinitivo absoluto, si conjungatur cum radicis suæ futuro: *Si infinitivus absolutus præcedat verbum suum, vehementiam rei designat, si vero sequatur significat continuationem*, ut: רָאֹה רָאִיתִי videndo vidi, id est, accuratissime vidi, שִׁמְעוּ שָׁמוֹעַ audite audiendo, id est, indesinenter audite, *Esai.* 6:9.

16. *Terra* ponitur pro habitatoribus terræ Israël.

17. *A Domino*, id est, relicto Domino, vide eandem locutionem 2 *Sam.* 20:2. *Ruth.* 1:16.

18. *Propheta* hic *Deum*, *uxor fornicaria decem tribus, fornicatio idololatriam repræsentat*: Quasi Deus dicere velit: *Ego te, Hosea, jussi in uxorem ducere scortum, omnium libidinibus expositum, & ex eo procreare filios matrescentes, ut Israëlitis, quos ex cunctis nationibus selegi, hoc actu designem, quod ipsi me, sponso suo, relicto ad idola Deorum gentilium colendum prono & prompto animo proruant.*

19. Varia est interpretum de hoc mandato sententia: I. Sunt, qui putant, Deum hic Prophetæ mandare, ut scortetur accedendo ad meretricem manentem talem, & non ducendo eam in uxorem, hinc nonnulli simplicem fornicationem licitam, esse concludunt, quæ erronea opinio asscribitur Græcis *ab Alphonso à Castro l.* 7. *contra hæres. V. fornicatio*, deterior hæc opinatio est, ac ea, quam tenet *Rabbi Moses Ægyptius l.* 3. *More c.* 50. ubi congressum cum Thamar, *Gen.* 36:16. excusat hoc nomine, quod ante legem Mosis fornicatio licita fuerit, lege tamen Mosis eam prohibitam fuisse concedit, sicut & alii Rabbini ad 6. præceptum *Exod.* 20. docent, non tantum adulterium, sed & incestum, Sodomiam, fornicationem, omnemque libidinem esse prohibitam, vide *Tob.* 4:13. *Num.* 25:9. *Deut.* 22:21. *Sir.* 19:3. Parum etiam Propheta sua concione profecisset, si peccata populi taxasset, ipse vero in fornicatione vixisset. Insuper ex comparatione fornicationis cum idololatria liquet, fornicationem non esse licitam, secus Deus idololatriam illicitam cum fornicatione conferre non potuisset, tali modo, quali diximus *thes.* 14. *supra. Thomas* 1. 2. *q.* 100. *a.* 8. *ad* 3. *&* 2. 2. *q.* 154. *a.* 2. *ad* 2. *cum nonnullis asseclis* asserit, Hoseam scortatum fuisse, & tamen peccati expertem mansisse, quia Deus cum eo dispensarit, eique in corpus meretricis jus dederit, hypothesis *Zuinglii l. de provid. c.* 5. *tom.* 1. eo etiam tendit. Quæ assertio sive cum *Occam. in* 2. *q.* 19. *ad* 3. *&* 4. *& Gersone in tr. de vit. spirit. l.* 1. *corol.* 10. *in Alph.* 61. *lit. E.* (qui Deum in omnibus præceptis Decalogi dispensare posse ajunt, eo quod peccatum *ob externam* tantum *prohibitionem* fiat peccatum, qua cessante non amplius sit peccatum,) sive cum *Bonavent. in* 1. *d.* 47. *q.* 4. *Scoto in* 3. *d.* 37. *q.* 1. §. *Hic dicitur & Gabriele in* 3. *d.* 37. *q.* 1. *a.* 1. *concl.* 1. (qui opinantur, Deum

Deum dispensare *in præceptis secundæ, non vero primæ tabulæ*) sive cum *Durando in* 1. *d.* 47. *q.* 4. *n.* 16. (qui ait Deum dispensare *in præceptis affirmativis secundæ tabulæ, non vero in negativis*,) defendatur, à nobis non acceptatur, quia *Decalogus est immota justitiæ regula in Deo, & Deus seipsum negare nequit*, 2 *Timoth.* 2: 13. *ipsumque jus naturæ in Decalogo contentum ex Dei justitia & bonitate fluit*, dictans, quid rationi & naturæ integræ intrinsecus bonum malumve sit.

20. II. Explicatio de mandato Dei jubentis Prophetam, ut scortum ducat, est *Haymonis, qui per uxorem fornicationum intelligit uxorem, quæ post conjugium cum Propheta contractum adulterio se polluerit, & ex eo filios genuerit*, qui ideo appellentur filii fornicationum, quia ex fornicatione in conjugio cum aliis procis commissa nati sint, quos Propheta æque ac matrem alere & educare jussus fuerit, & hujus explicationis duæ videntur esse rationes. 1. Hæc uxor Synagogam idololatriæ deditam, & à desponsatione cum Deo inita ad idola sua reversam repræsentare debebat. Ast ratio hæc sufficiens non est: Notus enim est Canon Logicus: *Simile non est idem: omne simile claudicat.* Proinde etiam typus suo antitypo non in omnibus circumstantiis temporis, modi, actionis, &c. respondet, sed in iis necessario, in quibus fit comparatio repræsentantis cum repræsentato. 2. Capitis 3. versu 1. Propheta jubetur, suam uxorem post adulterium commissum recipere, ut explicant *Ruffinus, Ribera*, & alii. Resp. Quum Propheta sine infamia & scandalo, ac si adulterio uxoris suæ conniveret, ipsam in adulterio viventem retinere, & liberos in adulterio natos educare non potuerit (vide *Prov.* 18: 22. item *Suetonium de Claudio Imperatore ob Messalinam fornicariam male audiente, & I. Capitolinum de Antonino Faustinæ conjugis adulteriis connivente*,) nos capitis tertii versum primum, cum *Hieron. Cyrillo, Theod. Hugone, Isidoro*, & aliis, non de Gomer post adulterium recipienda, sed *de alia intelligimus.* Talis vero ibi intelligitur, quæ à marito suo discessit, & adultera facta fuit, quam Propheta à pessimo genere vitæ avocare, in ancillam, (non in uxorem,) eam sibi emere, & domi suæ detinere jubetur, ut nec cum adultero, nec cum marito copuletur, donec à marito suo revocetur, & cum eo reconcilietur, quo spectare videtur, *cap.* 3: 3. 4: 5. *Theoph.* & *Rupertus* aliter exponunt, putantes, adulteram illam aliam fuisse à Gomer, quæ ab Hosea *post mortem prioris mariti, vel post prius conjugium, per libellum repudii ex causa adulterii dissolutum*, in uxorem ducta fuerit, id quod significari existimant τῷ diligere uxorem, à qua post desponsationem ad tempus abstinuerit, sed eo elapso cum ea matrimonium consummarit, ut repræsentaret pari modo Synagogam multo tempore fore sine Rege, sine Lege, sine Deo, eoque præterlapso ad Dei cultum reversuram.

21. III. *Hugo* præceptum hoc Dei de uxore fornicationum, & liberis fornicationum assumendis eo intelligit, quod *Deus Prophetam jusserit ducere meretricem una cum liberis, ex scortatione jamdum prognatis, eosque educare & alere ad indicandum*, quod Synagoga pepererit filios idololatras, quos tamen Deus cum ignominia & dolore Hierosolymis aluerit, & hæc explicatio probari videtur ex textu, in quo τὸ assume pariter uxorem fornicationum, & liberos fornicationum respicit, de liberis vero adoptivis τὸ קח etiam usurpatur, *Esth.* 2: 7. *nec in Hebræo, nec in Syriaco, nec in Arabico, nec apud LXX.* est imperativus *fac*, qui in Latina versione reperitur. Resp. Si versum tertium hujus capitis inspicimus, deprehendimus, filios ex Gomer in conjugio Prophetæ natos intelligi, non adoptivos. Vide etiam *thes.* 12. *supra.*

22. IV. *Lira* & *Burgensis fornicationem metaphorice pro idololatria sumunt*, asserentes, quod Propheta jussus fuerit, ducere uxorem fornicationum, id est, *gentilem*, quæ idola coluerit, & suscipere liberos fornicationum, id est, *ex matre idololatriæ addicta procreatos.* Quandoquidem autem *idem per idem non repræsentatur, sed per simile*, Deus vero statim mandati sui causam & symbolum subnectit, dicens: Quia fornicando fornicabitur terra à Domino, in mandato fornicationem proprie, in mandati subjuncta causa metaphorice *idololatriam*, per uxoris Prophetæ fornicationem repræsentatam, intelligimus.

23. V. *Moses Ægyptius l.* 2. *Direct. dubiorum*, cum nonnullis *Rabbinis, Hieron. hic in proœmio*, & super 4. *Ezech.* &, *teste Ruffino, Palæstina, Ægyptus omnesque Origenis sectatores* statuunt, conjugium hoc *per visionem imaginariam* Prophetæ à Deo repræsentatum fuisse, ita ut videretur uxorem fornicariam ducere, & ex ea liberos suscipere, quo modo somniantes videntur sibi facere ea, quæ somniant.

24. VI. *Osiander in glossis Biblicis* cum aliis typice mandatum hoc Dei de ducenda uxore fornicaria intelligit, *ita ut Propheta uxori suæ*, quam habuerit, *nomen meretricis*; & *liberis legitimis nomen spuriorum imposuerit*, ad commonefaciendum Israelitas de spirituali sua fornicatione.

25. VII. *Pareus* & *Zanchius* meram esse *parabolam & figuratum genus loquendi* ajunt, cujus summa sit: *Vade, & dic Israelitis: Vos, qui spirituale cum Deo conjugium iniistis, cum Diis alienis inservitis, deficitis à Deo, haud secus ac si mea uxor abiret, & fornicaretur cum alio.* Quem sensum etiam *Chaldaica Paraphrasis* intendit, ita verba divini mandati, & Propheticæ executionis reddendo: *Vade, prophetiza contra habitatores civitatis idololatræ, qui addunt peccare, quia errando errabunt habitatores terræ à cultu Domini. Et abiit & prophetavit super eos: Quod si conversi fuerint, remittetur eis, sed si non fuerint conversi, sicut defluunt folia ficulneæ, defluent; at addiderunt & fecerunt opera mala. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen populi dispersos, &c.*

26. Rationes quatuor ultimarum expositionum sunt hæ: I. Res turpis & indigna, ipsique honestati juris naturalis & bonis moribus adversa fuisset, si vir sanctus & Propheta duxisset scortum, & quidem obsoletum. II. Tale conjugium religionem reddit infamem, & præconem verbi contemptibilem. III. Deus vetuit, *Lev.* 21: 14. & *Ezech.* 44: 22. profanatam meretricem ducere. IV. Si hæc jussio divina de ducendo scorto literaliter intelligenda, utique etiam illa *cap.* 3: 1. de ducenda adultera: De similibus enim idem judicium: Atqui jussio divina de ducenda adultera literaliter intelligi nequit, cum Deus adulterium improbet, & adulteram extremo supplicio destinet. V. Alia ejusmodi in Scripturis propheticis exempla habemus, ubi aliquid præcipitur, quod tamen imaginarie tantum & in spiritu gestum est, ut: nuditas *Esaiæ cap.* 20. *volumen Ezechielis cap.* 3. *ejusdem obsidio cap.* 4: 1. *jugum & lumbare Jeremiæ cap.* 13. & 27: 2, 3. VI. Non potuit per conjugium meretricis repræsentari Synagogæ Israeliticæ fornicatio spiritualis, quia meretrix hæc per conjugium cum Propheta contractum pudica effecta est. VII. Si est historia, ergo Propheta post acceptum à Domino præceptum concionandi, mansit saltem annos duos vel amplius, antequam officio suo fungi cœpisset, nempe donec nascerentur tres isti liberi ex Gomer uxore. Hoc autem absurdum est.

27. VIII. *Communis Dd.* expositio, ut fatetur *Burgensis*, est, *quod Propheta vere & realiter scortum ex divino mandato in uxorem duxerit, & cum eo liberos procrearit*, ita sentiunt *Theod. Cyrill. Hugo, August. l.* 3. *de doctr. Christ. c.* 21. & *l.* 22. *contra Faustum c.* 80. *Basil. in Esaiæ, c.* 8. *Iren. l.* 4. *contra hæret. cap.* 37.

28. Ratio pro ultima hac expositione hæc datur, quia *simplex narratio divinæ jussionis, & subsecutæ executionis literalem sensum requirit.* Alias enim Scriptura *visiones solet exprimere, vel signo aliquo* declarare, *Apoc.* 1: 4. *Ezech.* 40: 1. &c. id quod notat *Basilius in c.* 8. *Esaiæ*, ubi dicit: Esaiam vere accepisse prophetissam, quia Prophetæ, cum aliquid facere jubentur, & non faciunt, statim id ostendunt, & si in spiritu res agitur, ejus mentionem, si non explicitam, tamen implicitam faciunt. Cum ergo nihil additur, nec visio explicatur, literaliter intelligi debet. Quamvis etiam *Luc.* 16: 20. in parabola mendicus nominetenus dicatur Lazarus, hic tamen non unus, sed *omnes nominatim recensentur*, maritus (*Hoseas*) uxor (*Diblaim*) tres liberi, *Izrehel, Loruchamach, & Loammi*, id quod in parabolis haud usu venit.

29. *Nullam ex quinque ultimis expositionibus rigorose damnamus, sed in tanta interpretum variatione lubentius aliorum judiciis stamus*, salva tamen dissentientium authoritate, *ultimam*, thesi 28. prolatam, *probabiliorem esse autumamus.*

30. Ad rationum, th. 27. annotatarum, solutionem seqq. observa. I. *Divinum mandatum ab hoc Prophetæ conjugio omnem infamiæ, & turpitudinis maculam absterfit.* Quin & Propheta non explendæ libidinis ergo scortum hoc duxit, sed 1. *ut divinæ jussioni obsequium præstaret*, quo spectat illud *Cyrilli: Dicendum ergo, non recusasse Prophetam, quoniam in verbo Domini mandatum illi esset: Didicerat autem grave esse, mandatum Domini, qualecunque esset, contemnere.* 2. *Ut populum in peccatis dormientem reali ista & portentosa prophetia à somno peccatorum excitaret*, & ad pœnitentiam commoveret. Ob eandem causam *Esaias*, qui vir nobilis & in magna authoritate fuit, nudus per plateas Jerusalem medio die discurrit, ut insolito hoc facto omnium oculos in se converteret, reipsa ipsis repræsentaret imminentem spoliationem, ac ad pœnitentiam permoveret, *cap.* 20. adde *Es. c.* 13. *c.* 19. *Jer. c.* 27. *c.* 51. *Ezech. c.* 4. *c.* 5. 3. *Ut idololatriæ Israeliticæ turpitudinem*, & continuationem *exprobraret.* 4. *Ut longanimitatem Dei*, tamdiu Israelitas idololatras tolerantis, *monstraret.* 5. *Ut scortum à fornicationibus retraheret.* Scortari malum & peccatum est, secus vero scortum ducere, exem-

exemplo Salomonis Israëlitarum principis, qui duxit Rachab meretricem, 1 *Par.* 2: 11. *Matth.* 1: 5. Idem *Hieronymus* respondet: *Nec culpandus est*, inquit, *Propheta, interim, ut sequamur historiam, si meretricem convertit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit. Non enim, qui bonus permanet, polluitur, si societur malo, sed, qui malus in bonum convertitur, si boni exemplum sectetur. Ex quo intelligimus, non Prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam, quam antea non habebat, præsertim cum beatus Hoseas non ob causam luxuriæ, non libidinis, non propria fecerit voluntate, sed Dei paruerit imperio, ut, quod in isto carnaliter legimus, in Deo factum spiritualiter probaremus, qui suscepit Synagogam, hoc est, populum Judæorum fornicationi & libidini servientem.* II. Distinguendum est inter scandalum datum & acceptum, inter illud, quod est per se, & quod est per accidens. *Theodoretus* super hunc locum ita commentatur: *Si universorum Deus libidine perdita adulteram suscepit Synagogam, & non contaminatus est sanctitatis fons ex impura hac & execrabili, neque Propheta ex illa, stupri plena, uxore maculam suscepit.* III. Distinguendum est inter mandatum ordinatium & extraordinarium: Extraordinarium derogat ordinario. IV. Simile non est idem. V. Propheta statim, postquam scortum duxit, idololatriam Israëlitarum taxavit, & in matrimonii progressu progressus etiam ipse est in legali concione peccatumque idololatriæ exaggeravit. De aliis alibi.

31. *Manichæi* hunc locum Hoseæ adduxerunt, ex eoque probare contenderunt, fornicationem esse à Deo Prophetæ mandatam, ad rejiciendum Vetus Testamentum, teste *Augustino l.* 22. *contra Faust. cap.* 80.

32. *Gentiles* etiam hoc Prophetæ factum sugillarunt, ut ex *Hieronymi* verbis perspicitur, quibus ita ipsis respondet: *Qua ratione virum eruditissimum Xenocratem, qui Polemonem luxuriosissimum juvenem, & inter Psaltrias atque tibicines, & impudicas mulieres ebrium, & hedera coronatum fecit obedire sapientiæ, & adolescentem turpissimum mutavit in sapientissimum Philosophum? Cur Socratem ad cœlum levent, qui Phædonem, ex cujus nomine Platonis liber est, de lupanari, ob crudelitatem & avaritiam Domini, multorum libidini servientem, in Academiam transtulerit? Et quicquid illi de Philosophiæ magistris responderint, nos ad Prophetæ defensionem referemus.*

33. *Bellarminus lib.* 2. *de verbo Dei, cap.* 15. hoc factum Prophetæ etiam allegat, & ex eo probare vult, quod ad scandali evitationem laici à sacri Codicis lectione arcendi sint, sed scandalum acceptum, non datum erit, si de hoc Prophetæ facto sinistre judicent.

34. *Prophetæ Hoseæ obsequium* in mandati divini executione describitur *versu* 3. *Et abiit & accepit Gomer, filiam Diblaim.*] *Hugo* legit de Belaim, ita ut Belaim sit nomen loci, ex quo oriunda sit Gomer, Debelaim vero vel Diblaim unam vocem esse patet, quia vox Hebræa est, potius describitur hic Prophetæ uxor ex nomine, Gomer, & stirpe, quod mater ejus nominata fuerit Diblaim, ut volunt *Hieron. & Rupertus.* Ex interpretatione vocum Gomer Diblaim, pulcra oritur gnome: *Gomer* enim significat *interitum. Diblaim* vero *calathos ficuum siccarum in unum corpus compressarum R. David*, quibus ob earum dulcedinem duæ voluptates corporis & animi, sive ambitionis & ventris, interitum procreantes, tacite innuuntur, unde perpulcra sententia effluit: *Corruptio est filia voluptatis, pœna est filia culpæ. B. Arias Mont.* per Diblaim (geminas ficus) intelligit geminum regnum, Juda & Israël, quod, quia idolis & voluptatibus inserviat, interitui à Deo sit destinatum. *Alii Gomer* interpretantur *consummationem & perfectionem*, & hinc scorti illius formositatem vel exquisitas lenocinii artes deducunt, & *filia Diblaim* ipsis idem est, quod *incola locorum desertorum*, quia, sicut meretrices loca deserta amant, ita Israëlitæ cultus idololatricos in locis plerunque desertis exercebant.

35. Matrimonii inter Prophetam & Gomer contracti *fructus primus* eodem *versu tertio* annectitur, isque est filius ex mandato Dei *Izrehel* nominatus. Verba textus Prophetici sunt hæc: *Et concepit & peperit ei filium.* Vers. 4. *Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Izrehel*: Rationem hujus nominis ipse Deus dat, porro inquiens eodem *versu quarto*: *Quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Izrehelis super domum Juda.*

36. Interpretibus יִזְרְעֶאל dicitur vel quasi זֶרַע אֵל *semen Dei*, vel quasi זְרוֹעַ אֵל *brachium Dei*, vel quasi יִזְרַע אֵל *disperget Deus*, vel quasi זָרָה רַע אֵל, id est, *asperget malum Deus.*

37. Duæ civitates fuerunt Izrehel nominatæ, quarum *prior* in tribu Juda, *Jos.* 15: 56. *Posterior* vero post Samariam præcipua urbs decem tribuum fuit, in finibus Manasse, & Isaschar, sita in pede montis *Gilboë* ad occidentem & speculam, qua per totam Galilæam usque ad Carmelum, Thabor, Libanum, ac ultra Jordanem prospici poterat, campos fertilissimos, & vallem duobus milliaribus latam habuit, *Adrichomius in descript. terræ sanctæ*, patria Nabothi fuit, quem Achab & Jesabel ob vineæ recusationem occidi curavere, *ubi & Jehu Jesabelem præcipitari jussit, totamque familiam Achabi delevit*, vide *Jos.* 19: 18. 1. *Reg.* 18: 45. 2. *Reg.* 9: 10. *Ab hac urbe & valle, ut Hoseas primogenitum suum filium nominaret, & Israëlem per eum præfiguraret, voluit Deus*, eo ipso indicando: 1. *Israëlitarum apostasiam*, quod nomine quidem Israëlitæ, re vero ipsa Izrehelitæ, id est, idololatræ & sanguinarii sint, quales incolæ Izrehelis. 2. *Pœnam*, quod dispergendi sint. 3. Præcipuum *pœnæ locum*, qui urbs & vallis Izrehel erit. Et 4. *modum pœnæ*, quod regnum Israël extirpandum, nec unquam restaurandum sit, sicut familia Achabi. Videatur infra.

38. *Duplex pœna* prædicitur *vs.* 4. & 5. Primo *excidium familiæ Jehu*, his verbis: *Quoniam adhuc modicum est, & visitabo sanguinem Izrehel super domum Jehu.* Secundo, *regni Israël destructio*, his verbis: *Et faciam cessare regnum domus Israël.* Vers. 5. *Eritque die illo, ut frangam arcum Israëlis in valle Izrahelis.*

39. *Adhuc modicum & visitabo.*] Id est, brevi visitabo, eundem Hebraismum vide *Exod.* 17: 4. *Jonæ* 3: 4. *Hagg.* 2: 7. LXX. legunt: ἐκδικήσω τὸ αἷμα τοῦ Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰούδα, quæ lectio describentium incuria & imperitia inolevit, ut *Hieronymus* censet, cujus rei Hebræus & Chaldæus textus nobis etiam fidem faciunt. Nota, quod hic legatur τὸ αἷμα τοῦ Ἰεζραὴλ *in masculino genere*, ex quo colligitur, quod per Izrehelem non intelligatur civitas, sed populus Israël isto nomine præfiguratus. ἐκδικεῖν αἷμα legitur etiam *Apoc.* 6: 10.

40. *Sanguis* in Scriptura sacra notat: 1. *Partem corporis fluidam*, qua ipsum nutritur, *passim.* 2. Per Synecdochen partis pro toto *totum hominem*, *Matth.* 27: 4. 3. *Homicidium*, *Apoc.* 17: 6. 4. *Mortem*, non tantum temporalem violentam, prout *Piscator* arbitratur super *c.* 33. *Ezech.* sed & *pœnam æternam*, *Matth.* 23: 35. *c.* 27: 25. *Act.* 5: 28. *c.* 18: 6. *Ps.* 51: 16. 5. *Spiritualem animarum occisionem*, *Ezech.* 33: 8. *Jer.* 2: 33. *juxta Hieronymum.* 6. *Meritum Christi*, *Apoc.* 7: 14. 7. *Cœnam Dominicam*, 1. *Joh.* 5: 6. 8. *Naturam humanam corruptam, & affectus vitiosos exinde fluentes*, 1. *Cor.* 15: 50.

41. Varia expositio verborum istorum: (*Visitabo sanguinem Izrehel super domum Jehu*:) occurrit: I. *Arias* sic explicat: Voca filium tuum Izrehel, id est, *brachium Dei*, quia sicut ego brachio meo in Izrehel effudi sanguinem Jesabel, & filiorum ejus, ita effundam sanguinem Jehu, & posterorum ejus, qui Achabo & Isabeli similes sunt in scelere. Verum hoc loco Izrehel in Genitivo ponitur, quod sanguis Izrehelis, non quod sanguis Izrehele, (in ablativo,) id est, brachio Dei, effundendus sit.

42. II. *Theodoretus* per Izrehel intelligit *semen Dei*, id est, *Israëlem*, *qui erat populus Dei, per sanguinem vero homicidium*, & καταχρηστικῶς quodvis enorme facinus, quale hic est idololatria, præsertim, quia idololatræ fundebant sanguinem tum *brutorum* in victimis, tum *piorum* in persecutionibus, tum *liberorum*, quos immolabant Moloch, imo *semper spiritualiter occidebant animas tum suas, tum suorum* asseclarum. Hic sensus à litera nimis longe recedit.

43. III. *Rupertus* ita exponit: Puniam sanguinem Izrehelis, & filiorum ejus à Jehu effusum in Izrehel, quia, licet me jubente fecerit, *alia* tamen *mea intentio fuit*, qui deletione Achabi & Jesabelis volebam idololatriam deleri, & cultum verum renovari, & *alia intentio Jehu, qui deletione ista regnum ambitiose intendebat, & crudeli & hypocritico animo mandatum meum executus est*, id quod eventus comprobavit, quia ipse postea eandem idololatriam exercuit, quam Achab & Jesabel, 2. *Reg.* 10: 29. Confer *Esa.* 10: 5, 6, 7. Huic expositioni obstat, *quod* Deus *factum Jehu* in deletione familiæ Achabicæ patratum *laudarit*, *nec ob diversam intentionem ullum irati animi indicium dederit*, 2. *Reg.* 10: 3. sed potius Jehu ob factum hoc regnum promittit usque ad quartam generationem, cui etiam eventus respondit, siquidem *post Jehu* regnavit *Joahas*, filius Jehu, 2 *Reg.* 10. postea *Joas*, filius *Joahas*, *c.* 13. *Jeroboam*, filius Joas, *cap.* 14. *Zacharias*, filius Jeroboam, *c.* 15. quo interfecto regnum ab aliis occupatum est.

44. IV. *Christophorus à Castro*, Izrehel, inquit, est Israël, ejus primus Rex Jeroboam, & ejus successores, hoc sensu: *Ulciscar sanguinem Israëlitarum effusum per Jeroboam & successores ejus, ex familia Jehu oriundos*, quia pios Israëlitas, nolentes ire in Dan & Bethel, ibique aureos vitulos adorare, occiderunt. *Ob incertitudinem facinoris hujus* ab Jeroboamo & suc-

& successoribus ejus patrati *hanc etiam interpretationem dimittimus.*

45. V. *Leo Castrius* interpretatur *de devastatione Judææ per Titum Vespasianum peracta, & per Izrehelem intelligit Christum*, hoc sensu: Sanguinem Izrehelis, id est, Christi, qui est semen Dei, à Judæis occisi, ulciscar super domum Juda. Verum ex toto textu constat, agi hic de idololatria ejusque pœna per Assyrios executioni danda.

46. VI. Cum ex ipsis verbis Prophetæ eluceat, quod Deus hic alludat ad deletionem domus Achabicæ per Jehu peractam, 2. *Reg.* 9. & 10. *capp.* verissima hujus loci interpretatio hæc erit: *Ego Jehu elegi in regem, ut idololatriam à Jeroboamo invectam, & ab Achabo & Jesabele propagatam everteret, totamque familiam Achabicam ob idololatriam deleret, & in valle Izrehel sepeliret, quia ipse in eadem valle fidem mei cultorem per falsam accusationem damnatum interfecit, id quod & Jehu executus est, sed ipse eo supplicii genere non deterritus idololatriam eandem nihilominus fovit,* 2 *Reg.* 10: 29. *Quapropter ipsius domui similem pœnam immittam, ita ut, sicut ipse omnium filiorum Achabi sanguinem effudit, regnumque ipsis ademit, ita etiam sanguis filiorum ejus effundi, regnumque ipsis adimi debeat. Eum in finem, tu Hosea, filium tuum vocare debes Izrehelem, ad revocandum Israëlitis in memoriam stragem, in domo Achabi ob idololatriam editam, ut, quoties nomen hoc filii tui audiant, cogitent, se eandem pœnam ob idem delictum experturos.* Breviter sic: *Visitabo*, id est, *imputabo sanguinem domus Achab, à Jehu effusum in Izrehel, ipsi Jehu & domui ejus, eo quod ipse eandem idololatriam exercuit, ob quam jussu divino familiam Achabi extirpavit.* Sic *Haymo, Hugo,* & alii. Visitare non tantum significat ulcisci, punire, vindicare, sed & *requirere, recensere, imponere, inducere.* Notetur & hoc ad vocabulum visitationis, quod hic extat: Visitatio divina vel est *gratiæ*, *Luc.* 1: 68. 78. *cap.* 7: 16. *cap.* 19: 44. *Psalm.* 80: 15. *Ps.* 106: *vs.* 4. vel *iræ*, *Jerem.* 9: 9. *Psal.* 89: 33. *Exod.* 20: 5.

47. Videtur huic explicationi obstare, quod Achabo effusio sanguinis indicta non ob idololatriam, sed ob sanguinem Nabothi in Izrehele effusum. Resp. Quod *strages isthæc* domui Achab obtigerit *ob idololatriam*, ut videre est 2 *Reg.* 21: *vs.* 21. & 26. *determinatio* vero *loci*, quo illa fieri debeat, facta est *ob Nabothum in Izrehele occisum.*

48. Sequitur *pœna regno Israël prædicta*: *Et quiescere faciam regnum Israël.*] id est, evertam regnum decem tribuum, prout à regno Juda divisum est, id quod Deus paulatim etiam præstitit. Zacharias enim fuit ultimus Rex è familia Jehu, qui, postquam sex menses tantum regno præfuit, occisus est à Sellum, hunc interfecit Menahem, cui successit Jechonias, huic Pekaja, hunc occidit Peka, qui interfectus ab Hosea ultimo Israëlitarum rege. Nota ergo, quod 1. à Zacharia occiso reges maxima ex parte regnum Israëliticum *invaserint prædecessore occiso*, & fuit quædam quasi ἀναρχία. 2. Sane sub ultimis quinque regibus regnum Israëliticum ultra 40. annos adhuc duraverit, verum *misere afflictum, & tribus vicibus ab Assyriis infestatum*: 1. *Phul* rex Assyriorum ei tributum indixit, 2. *Reg.* 15: 19. 2. *Tiglath Pilneser* contra illud belligeratur, & multos abducit, 2. *Reg.* 15: 29. 3. *Salmanasser* Samariam expugnavit, totumque regnum cessare fecit, & omnes tribus regni Israëlitici in captivitatem transtulit, 2. *Reg.* 17: *vers.* 18. Quamvis enim quidam de 10. tribubus, tribui Juda admixti, in terram Chanaam ex captivitate reversi sint, eorum tamen regnum *nunquam* restauratum fuit.

49. *Vs.* 5. *In illo die conteram arcum Israël in valle Izrehel*:] In illo die, id est, tempore confringam arcum, id est, robur, vires, arma, vide 1. *Sam.* 2: 4. Israël hic intelligitur à Juda distinctus. *Cyrillus, Haymo, & alii* censent: *In valle Izrehel Israëlitas conflixisse cum Assyriis*, quæ ob ejus latitudinem conflictui aptissima fuit, & antehac in ea multi habiti sunt conflictus, *Jud.* 6. & 7. 1 *Sam.* 19. & 31. 1 *Reg.* 16. Quin imo ibi *Tartari contra Saracenos* pugnarunt, *Adrich. in descript. terræ sanctæ*: In quo conflictu, cum inferiores facti fuerunt *Israëlitæ, fuga se salvarunt Samariam*, hinc secuta est Samariæ obsessio & occupatio, totiusque regni Israëlitici eversio. *Tremellius* vertit: Propter vallem Izrehel, id est, propter idololatriam & cædes in ista valle patratas.

50. *Secundus matrimonii prophetici fructus in versu* 6. habetur, hisce verbis: *Et concepit adhuc, & peperit filiam, & dicit: Voca nomen ejus Lo-ruchamam*, id est, absque misericordia, indignam misericordia, cui nulla misericordia obtinget, ob Israëlitarum σκληροκαρδίαν tristius & minacius oraculum priori additur, ut vel oculos & aures nolentium incurrat pœna divinitus denunciata, ut loquitur *Cyrillus l.* 6. *Glaphyrorum.* Quoties itaque Israëlitæ hos liberos Hoseæ inspiciebant, toties se quasi in speculo intuebantur, quoties eorum nomina audiebant, toties pœnam sibi decretam auribus percipiebant, quoties, liberos hosce vocando, dicebant: Veni huc Izrehel, adestum Lo-ruchamali, præstolare Loammi, tacite sibi ipsis dicebant: De te fabula narratur, tu es, quem liberi suis nominibus præfigurant. LXX. verterunt: ἀνελεημοσύνη, alii ἀνελεημένη, vel οὐκ ἠλεημένη, *non indepta misericordiam, misericordiæ incapax*, seu, ut Apostolus *Rom.* 9: 25. explicat, *non dilecta ex misericordia.*

51. Ratio hujus ὀνομαθεσίας subjungitur: *Quia non pergam amplius misereri domus Israëlis, sed oblivione obliviscar eorum.* LXX. διότι οὐ μὴ προσθῶ ἔτι ἀγαπῆσαι τὸν οἶκον Ἰσραήλ, id est: Non addam ultra, ut diligam eos, ac si diceret: Sæpe numero antehac Israëlitarum, ob peccata afflictorum, misertus sum, iisque misi judices & reges, qui eos ex manu hostium eruerunt, sed ob eorum pertinaciam non amplius eorum miserebor, sed sine misericordia tradam eos gladio & igni Assyriorum. Arias Lo-Ruchamah divellit, & dicit τὸ Lo referri ad decem tribus Israël, Ruchamah vero ad regnum Juda, quia ratio hujus nominis, quæ habetur *vs.* 6. & 7. partim ad regnum Israël, quod ejus nolit amplius misereri, partim ad regnum Juda, quod domus Juda velit misereri, illamque salvare in Domino suo, subnectitur. At sciendum est, quod *versu* 7. non *partialis* ratio hujus nominis habeatur, verum illa *totaliter versu* 6. sit data, *versu* 7. additur, quod domus Juda velit misereri, *ad augendam pœnam Israëlitarum*, quod ipsi soli sint puniendi, illis de regno Juda vicinis & fratribus, impune abeuntibus.

52. *Pagninus* Hebræum textum: כִּי־נָשֹׂא אֶשָּׂא לָהֶם vertit: sed *obliviscendo obliviscar eorum. Quamvis enim* נָשָׁה significet oblivisci, hic vero נָשָׂא, putat tamen ita vertendum, quia literæ ה & א sint communicabiles, & sæpe una pro altera ponitur. *Alii*, illam ה & א permutationem hic non concedentes, aliter, &, quoniam נָשָׂא significat, *portavit, tulit, elevavit, pepercit, abstulit, perdidit*, varie vertunt: 1. *Chaldæus* vertit: si resipuerint, *parcendo parcam eis*, vel *dimittendo dimittam eis.* Hæc versio videtur nomini Loruchamah, & contextui pœnam, non veniam indicantibus, repugnare. 2. Aliqui: *Decipiendo decipiam eos*, vel *seducendo seducam eos*: quia Hebræum נָשָׂא, si schin habet, significat, *decepit, seduxit.* Cum vero in exemplaribus correctissimis legatur per sin, & alias etiam נָשָׂא vix, nisi in hiphil, & *Esai.* 19: 13. in niphal, reperiatur, nos lectioni communi per sin immoramur. 3. Arias vertit: *Tollendo tollam eos.* 4. *R. David* & ex eo *Zanchius*: *Elevando elevabo super vel contra eos*, scilicet Assyrios. 5. *Tremellius*: *Non pergam amplius misereri domus Israëlis, ut condonando* (ullo pacto) *condonem istis*, scilicet Israëlitis, ac proinde istos semel deportatos gratiose restituam. 6. *Drusius*: *Importando importabo eis*, scilicet Assyrios. 7. *Calvinus*: *Tollendo tollam eos*, vel *exportando exportabo eos*, scil. in captivitatem, ita ut לָהֶם per Enallagen Hebræis usitatam pro אוֹתָם positum sit. 8. *Lutherus*: Ich wil sie wegwerffen. 9. LXX. non verbotenus, sed sensum reddentes verterunt: Ἀντιτασσόμενος ἀντιτάξομαι αὐτοῖς, *adversans adversabor eis*, vel, ut alii legunt, *aversans aversabor eos.* 10. Alii putant futurum positum esse pro præterito hoc sensu: *Hactenus parcendo peperci eis, tolerando toleravi eos, nunc vero non addam, ut miserear ulterius.*

53. Abjectio *Damasceno l.* 2. *de orthod. fid. c.* 29. est duplex παιδευτικὴ καὶ οἰκονομικὴ, *correctiva & dispensativa*, & hæc est temporalis, vide 2. *Sam.* 7: 14. vel τελεία καὶ ἀπογνωστικὴ, *perfecta & desperativa*, eaque est finalis & perpetua, hanc Deus decem tribubus minatur.

54. Propheta pœnam Israëlitis imminentem amplificat *à contrario*, dum iis indicat, fore, ut regnum Juda misericordiam sit consecuturum, & in pristinum statum restituendum, quo eo magis terreat, & fortius urgeat, ad quærendam gratiam Dei, dum ait *versu* 7. *Et domus Juda miserebor. Lutherus*: Doch wil ich mich erbarmen über das Hauß Juda. Et LXX. τοὺς δὲ υἱοὺς Ἰούδα ἐλεήσω. Ubi præfixum ו non *copulative*, sed *adversative* accipitur. Cur vero Deus præ decem tribubus misereri vult domus Juda? Resp. Duplex est causa: 1. Quia licet in regno Juda quidam reges impii fuerint, *multi tamen etiam fuerunt pii*, ut: Josophat, Ozias, Ezechias, Josias, &c. In regno vero decem tribuum à primo Jeroboamo scilicet usque ad ultimum Hoseam *per* 256. *annos idololatria viguit*, & aurei vituli in Dan & Bethel adorati fuerunt. 2. *Ob Messiam* ex Juda nasciturum, Davidi stabile regnum erat promissum, *Psalm.* 89.

55. Misericordia in hominibus est virtus simul, & passio

ciens sensum alienæ miseriæ in animo nostro, lacrumas, planctum, &c. sed in Deo, qui est ἀπαθὴς, & immutabilis, non est passio, sed affectus benevolentiæ, quo nostræ miseriæ subvenire, eam tollere vel mitigare cupit.

56. *Et salvabo eos in Domino Deo suo.*] Plerique interpretes hic intelligunt salutem tantum temporalem, quæ regno Juda præ regno Israël obtinget, & quidem eam, qua Deo illud 1. defendit *contra Rezin & Peka*, *Esai.* 7: 1. 2. *contra Sennacherib*, 2 *Reg.* 19. *Esai.* 36. & 37. & 3. *sub Cyro*, captivitatem Babylonicam relaxante, restauravit 1 *Esdræ* 1. Sic *Cyrillus*, *Haymo*, *Theod. Lyra*, *&c. Hilarius l.* 4. *de Trinit.* & *Hieronymus* addunt *salutem spiritualem*, per Christi meritum tum temporis adhuc acquirendam.

57. Sunt aliqui adeo emunctæ naris, ut pro verbo *salvare*, ubi in Bibliis occurrit, semper substituant verbum *servare*, quia illud non sit Ciceronianum: Ipse etenim *Cicero Orat.* 4. *in Verrem* negat, vocem Græcam σωτὴρ Latine exprimi posse, ita scribens: *Itaque eum non solum patronum istius Insulæ, sed etiam sotera conscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? Ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possis. Is nimirum est soter, qui salutem dedit. Augustinus l.* 3. *de Trinit. cap.* 10. fatetur, istud verbum *salvare*, antea in Latina lingua *non fuisse usurpatum.* Verum ut maxime non sit Ciceronianum, modo sit Christianum. Qui omnia orationis vocabula ad *Nizolium* suum examinant, culicem excolant, & camelum sæpius deglutiunt ad instar Pharisæorum, *Matth.* 23: 24. *Cicero in Pisonem* τὸ *salvare* habet, dum ait: *Me posse iterum Rempublicam salvare* (Latiniores illi substituunt τὸ *servare*) *si cessissem: Infinitam cædem fore, si restitissem.* Ipse *Cicero l.* 3. *de finibus* ait, licere ὀνοματοποιεῖσθαι *in his, quæ ad artes spectant.* De qua ὀνοματοποιΐα ita Fabius: Ὀνοματοποιΐα *quidem fictio nominis, Græcis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur. Et sunt plurima ita posita ab his, qui sermonem primi fecerunt, aptantes affectibus vocem: Nam mugitus & sibilus & murmur inde venerunt. Deinde tanquam consummata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum multa quotidie, ab antiquis ficta, moriantur. Vix illa,* πεποιημένα *vocant, quæ ex vocibus in usum receptis quocunque modo declinantur, nobis permittimus. Aristot. l.* 6. *Top. cap.* 2. *& l. de interpret. cap.* 4. §. 6. distinguit inter Philosophicam & Dialecticam, & inter Rhetoricam & Poëticam orationem: Eodem modo *Augustinus l.* 3. *de doctr. Christ. cap.* 31. *& l.* 4. *cap.* 8. 9. 11. *Evidentiæ diligens appetitus* (inquit *cap.* 10.) *aliquando negligit verba cultiora, nec curat, quid bene sonet, sed quid bene indicet & intimet, quid ostendere intendat, ita ut sit ibi quædam negligens diligentia, quæ tamen sic negligit ornatum, unde sordes non contrahat.* Idem *cap.* 11. *Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba: Quid enim prodest clavis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere, quod clausum est?* Vide etiam *Plut. in lib. de prof. virt. Senecam Ep.* 59. *Muretum in notis ad istam Senecæ Epist. Rod. Agricolam l.* 2. *de invent. rerum, cap.* 7. *& in Epist. ad Alex. Hegium, Scalig. exerc.* 307. *s.* 2. *exerc.* 359. *s.* 2. *Zabar. in præf. operum Logic.* Insuper τὸ salvare magis exprimit Græcum verbum σώζειν, & reperitur apud doctissimos Patres: *Augustinus libro supra citato* ita scribit: *Qui est Hebraice Jesus, Græce* σωτὴρ, *nostra autem locutione salvator. Quod verbum Latina lingua antea non habebat, sed habere potuit, quando voluit. Gregorius præfat. in lib. moral. cap.* 5. ita ait: *Indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati.* Similia habet *Arnobius lib.* 1. *contra gentes. Adde Hieronymum in cap.* 40. *Ezech. vide etiam Joh. Lorinum in cap.* 5. *vers.* 35. *Actorum Apostol. Joh. Molanum annotat. in martyr. usuar. ad* 5. *Calend. Martii, & Baron. in Martyr. ad* 9. *Novembr.*

59. *Modus salvationis*, quod *non humanus, sed divinus* sit, innuitur hisce: *In Domino Deo suo, ac non servabo eos arcu gladiove, aut bello, equis aut equitibus.*] Id est, non per bellum & externam vim, sed per Christum, hic descriptum tum ab officio, quod sit salvator ex *Matth.* 1: 21. tum à persona, quod non sit nudus homo, sed insimul etiam Jehova, *Jerem.* 23: 6. Deus benedictus in secula, *Rom.* 9: 5. Deus magnus, *Tit.* 2: 13. Deus verus, 1 *Joh.* 5: 20. *Rabbini excipiunt*, Deum loqui de seipso, quibus suffragantur *Vatablus* ita explicans: In Domino vel per Jehovam, id est, me authore, ope mea, non humana. *Drusius* hoc loco *pag.* 16. putans genus hoc loquendi esse peculiare Hebræis. *Cornelius Cornelii probat ex Genes.* 19: *vers.* 24. *Dominus pluit super Sodomam sulphur & ignem à Domino*, id est, à seipso, & *Num.* 12: 6, 8. *Quibus dixit* (Dominus:) *At non talis servus meus Moses, &c. In os alloquor eum, adeo ut speciem & similitudinem Jehovæ*, id est, meam, *intueatur.* Alii addunt *Genes.* 4: 23. *Tum dixit Lamech uxoribus suis: Audite vocem meam, uxores Lamech*, id est, meæ. 1 *Reg.* 1: *vers.* 33. *Dixit Rex: Sumite vobiscum servos Domini vestri*, id est, meos. *Esther* 8: 8. *Dixit Rex: Vos scribite pro Judæis, prout bonum videtur in oculis vestris nomine regis*, id est, meo, *& obsignate annulo regis*, id est, meo, &c. *Hieronymus* verba hæc Hoseæ prædictis conformiter explicat: *In Domino Deo suo*, hoc est, *in seipso, qui loquitur.* Respond. 1. Alius est Jehova loquens, & alius Jehova, in quo ille salutem præstare vult, atqui in nullo alio salus, nisi in Christo, per quem unicum salvamur, *Actor.* 4: 12. 2. Salvator κατ' ἐξοχὴν populus Israëlitico promissus est Messias. De tali autem hoc loco sermo est. 3. *Targum Jonathanis* ita vertit: *Salvabo eos per verbum Domini Dei sui*: Quam versionem falsò interpretatur *Cornelius Cornelii* per promissionem Dei fidelem & firmam, qua salutem à se promissam reipsa præstabit; sed explicari debet ex *Psal.* 33: 6. *& Joh.* 1: 1. prout inibi Spiritus sanctus verbum, quod est Jehova, explicat, vide *Targum Jonathanis, Esai.* 45: 17. *Israël salvatur in verbo Domini* (in Hebræo est, per Jehovam) *salute æterna*, quod dictum Esaiæ *Raschi in Dan.* 8: 14. exponit *de Messia*, vide etiam *Deut.* 33: *vers.* 29. 4. Ubi negatur modus auxiliandi per arcum, gladium, equos & equites, ibi plane tollitur modus mundanus, humanus & communis: Atqui hoc loco iste modus per arcum, gladium, equos & equites negatur, &c. *Excipiunt*, prædici hoc loco salutem, quæ per angelum Domini in occidione Sennacheribi obtenta est, *Esaiæ* 37: 36. 2 *Reg.* 19: 35. Ast annon etiam Christus alibi dicitur angelus Domini, *Gen.* 48: 16. angelus faciei, *Esai.* 63: 19. angelus fœderis, *Malach.* 3: 1. 5. Ipsa *Paraphrasis Hierosolymitana* locum, *Gen.* 19: 24. etiam explicat de verbo Domini, dum dicit: *Verbum Domini, cum vidisset Sodomitas non acturos pœnitentiam, à Jehova demisisse pluviam*, alius hic est pluens, & alius, à quo pluit, non tamen aliud atque aliud. Quum itaque *veteres Hebræi* in locutionibus hisce mysterium Trinitatis subinnui statuant, omnino Christianos decebit, vestigia Trinitatis in Scriptura V. Testamenti pro conditione temporis monstrata reverenter agnoscere. Nam *quod in V. T. latet, in N. patet.*

59. *Tertius matrimonii Prophetici fructus versu* 8. *&* 9. *proponitur: Et ablactavit eam, quæ erat sine misericordia. Et concepit & peperit filium. Et dixit: Voca nomen ejus: Loammi*, (id est, non populus meus,) *quia vos non populus meus, & ego non ero vester.*

60. *Et ablactavit eam.*] Sunt, qui hanc ablactationem non nisi *proprie*, sunt, qui non nisi *metaphorice* pro privatione verbi, tanquam lactis cœlestis, 1 *Petr.* 2: 2. accipiendam esse volunt, alii, *præter ablactationem proprie acceptam, typice significari ajunt, Israëlitas privandos verbo Dei ejusque gratia*, ut *Hieronymus* & *Lira* loquuntur, *& in captivitate gentilium cibis, moribus & ritibus assuefaciendos & sustentandos esse*, ita *Rupertus.*

61. *Et concepit & peperit filium: Et dixit ei*, (scilicet Deus Hoseæ,) *Voca nomen ejus Loammi.*] *Ruffinus* hisce verbis: *Duas tribus regni Judaici in captivitatem abducendas notari* putat, sed cum *versu* 7. dicatur, quod Deus domus Juda misereri velit, hæc verba non de excidio duarum, sed decem tribuum intelligenda sunt. Alii *Cuthæos*, qui, abductis Israëlitis in captivitatem, à Salmanassere in Samariam translati sunt, intelligi volunt, sed perperam, quia *illi nunquam fuerunt populus Dei*, verum cum Deo Israëlis coluerunt idola Assyriorum, 2 *Reg.* 17: 41. Rectius sentiunt, *quod Israëlitæ*, tertia hac prole etiam repræsentati, postquam in Assyriam abducti fuerint, *gentilium idola veneraturi, matrimonia cum ipsis contracturi, & in populum gentilem degeneraturi sint, adeo etiam ut nomen populi Dei amissuri, illudque duæ tribus tantum retenturæ sint*: Ita Israëlitæ, quasi puer masculus, in gentilismo in virum fortem & robustum evadent, *Cyrillus, Hieronymus, Theod.* & alii.

62. *Quia vos non populus meus; Et ego non ero vester.*] In Hebræo: Et ego non ero vobis, scilicet *in Deum*, vel adjutorium, ut *Thargum Jonathanis* exponit: *Verbum meum*, inquit, *non erit in adjutorium vestrum.* Vel: *Non ero vobis*, id est, *pro vobis*, confer *Psalm.* 118: 6. *& Hebr.* 13: 6. LXX. οὐκ εἰμὶ ὑμῶν, quod Lutherus vertit: So wil ich auch der ewre nicht seyn. Notetur in Hebræo ἀποσιώπησις cum dolore & ira conjuncta. Quanta miseria sit non esse populum Dei, Deumque non habere propitium, videatur *Lev.* 20. *& Deut.* 28.

63. *Tres partus* Gomeræ repræsentant *tres extremas regni Israëlitici ætates*, partus *primus* ἀναρχίαν illam ab Ozia ad Me-

Menahem usque, 20. *ferme annorum*, vide 2 *Reg.* 15: 2. de qua supra: *Secundus* devastationem à Tiglathpilneser regno Israelitico intentatam, 2 *Reg.* 15: 29. 1 *Paral.* 5: 26. & hæc ætas fuit *annorum decem*: *Tertius annos* 20. *reliquos* usque ad totalem regni Israelitici destructionem per Salmanassarem effectam. Vel: *Tres partus præfigurant tres Reges Assyriorum, Phul, Tiglathpilneser & Salmanasar*, qui regnum Israeliticum bellis infestarunt, & tandem plane subverterunt.

64. Cur vero Gomer primo filium, secundo filiam, & tertio rursus filium genuit? *Causa Physica* hic eadem, quæ apud alios in sexus alternationibus, *locum obtinet.* Causa vero symbolica à variis varia datur. *Tremellius* illam sexus alternationem repræsentare putat omnis sexus & conditionis homines, (tam viros, quam fœminas,) ob idololatriam hac clade involvendas esse, vide *cap.* 4: 9. *Gesnerus* per Izrehelem putat, subinnui abductionem à Salmanassare factam, per Loruchaman exilii perpetuitatem, per Loammi finalem abjectionem, tituli & nominis Ecclesiæ ablationem. *Zanchius* 1. per filium notari dicit Tiglathpilnesaris spoliationem, 2. per filiam regni Israelitici sine misericordia executioni dandam destructionem, ubi regnum Juda contra Sennacherib adhuc defensum est, 3. per filium, populi in ipsa captivitate in populum gentilem degenerantis malitiam, & totalem rejectionem. *Cornelius Cornelii in Hoseæ, cap.* 1. *pag.* 65. Filia (*ait*) repræsentat infirmitatem Israelitarum, qua ob peccata non tam viri, quam fœminæ facti, Assyriis non potuerunt resistere, ex 2 *Reg.* 17. ita *Hieron. Chaldæus, Cyrillus, Haymo, Hugo & Rabbini.* *Idem*: Tres hi liberi repræsentant idem, scilicet Israelitarum cladem & excidium, sed hujus excidii tres quasi gradus, *Izrehel* repræsentat deletionem stirpis Achabicæ ex *vers.* 4. hac siquidem adhuc florente Israelitæ masculi & robusti fuerunt. *Loruchamah* repræsentat statum Israelitici regni infirmum sub *Sellum, Menahem & Pekaja*, quando vires regni à Salmanassare accisæ fuerunt. *Loammi* notat Israelitici regni excidium sub Pekah & Hosea ultimis regibus, ita *Isidorus & R. David.* *Drusius* filium per populum, & filiam per Synagogam explicat. *Junius* per filiam transportationem duarum tribuum Ruben & Gad cum dimidia Manassis, quæ reliquis tribubus non comparandæ erant, denotari asserit. Alii sic: 1. Israelitæ sub Jeroboamo, quando à Rehabeamo defecerunt, strenui viri fuerunt. 2. Effœminati vero & voluptatibus dediti sub Ela temulento. Et 3. iterum strenui viri, quando Assyriis restiterunt, & impositum tributum reddere noluerunt. Sufficit nobis, quod sciamus, diversas pœnas, à tempore hujus Prophetiæ Israelitis infligendas, tribus istis Gomeræ partibus subinnui.

65. *In tertia parte*, quæ est *de promissione gratiæ*, & *versu* 10. *ad finem* continetur, Propheta *per tacitam occupationem* occurrit Judæorum *objectioni*: Sic enim, prout consueverant, confer *Matth.* 3: 9. *Joh.* 8: 33, 39. *Rom.* 9: 4, 5. objicere poterant: *Si Deus in æternum non miserebitur, ubi manebit promissio: Ero Deus tuus, & seminis tui post te, Gen.* 17: 7. *Faciam te patrem multarum gentium, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & arenam, quæ est in littore maris, Genes.* 22: 17. Respondet Propheta, *promissiones istas ratas fore, sed in Israele spirituali, non carnali*, ac si diceret: Etiamsi vos repudiatos non amplius populi mei nomine censeam, non tamen promissioni Abrahamo factæ fides derogabitur, quia vestri loco in familiam Abrahæ adoptabuntur, & succedent alii, qui Israelitæ erunt, quos (ut olim tempore Eliæ, 1 *Reg.* 19: *vers.* 10. *Rom.* 11: 4, 5.) mihi servabo, quamvis nulli appareant: Nec mihi difficile erit, ex lapidibus filios Abrahæ excitare, *Matth.* 3: 9. ut promissiones meæ de Ecclesia dilatanda & augenda firmæ perstent.

66. *Hugo* vaticinium hoc impletum fuisse ait, *per Ezechiam Regem Juda*, qui 2 *Paral.* 30: 1. & *seqq.* Israelitas pariter ac Judæos ad Deum Hierosolymis colendum invitavit, item *per Josiam*, qui solenne Pascha, ad quod undequaque filii Juda & Israel confluxerunt, 2 *Paral.* 35: 17, 18. Illos ergo tunc sibi unum caput Ezechiam vel Josiam constituisse. Ast *caput*, de quo hic sermo, nec Ezechias, nec Josias est. *Non Ezechias*, quippe cum Hoseas hoc loco loquatur de Israelitis *post Samariæ expugnationem* abductis & dispersis, Ezechias autem Israelitas *initio regni sui* convocavit, *ubi Samaria adhucdum floruit*, & Israelitæ eam incoluerunt. *Non Josias*: Quamvis enim Israelitæ post Samariæ devastationem ad Pascha ab ipso institutum convenerint, *pauci tamen fuerunt*: Hoseas vero eos *in tanta multitudine* affore prædicit, *quanta multitudinis sit arena maris.*

67. *Theodor. & Chaldæus Paraphrastes* verba hæc *de multiplicatione & liberatione corporali & terrena intelligunt, eaque de solutione captivitatis Babylonicæ à Cyro indulta*, ubi Israelitæ Judæis mixti duce Zerobabele è Babylone Hierosolymas repedarunt, exponunt.

68. Ad expositionis hujus confutationem quæstio hic decidenda est: *An decem tribus*, quæ, ante tribum Juda & Benjamin, *in Assyriam* abductæ sunt, *unquam redierint in Samariam?* Affirmant *Cyrillus in cap.* 11. *Hoseæ*, *Theodor. & Theoph. in cap.* 3. *Hoseæ.* Negant communiter *Interpretes super hoc cap.* 1. *Hoseæ*, & *cap.* 2. *Malachiæ.*

69. Pro affirmativa adducuntur 1 *Jer.* 50: 4. *Diebus illis & tempore illo dictum Jehovæ, veniant filii Israëlis, ipsi cum filiis Juda una: indesinenter flendo eant, & Jehovam Deum suum quærant.* 2. *Ezech.* 37: 16. *Tu fili hominis, accipe tibi lignum unum, & inscribe ei, Judæ & filiis Israëlis sociis ejus: deinde accipe lignum alterum, & inscribe ei, Iosepho lignum Ephraimi, cum tota domo Israelis sociis ejus Versu* 22. *Et efficiam eos gentem unam in illa terra in montibus Israelis, & rex unus erit ipsis omnibus rex, neque erunt amplius duæ gentes, neque dividentur in duo regna deinceps.* 3. *Hoseæ cap.* 1: 11. *Et congregabuntur filii Iuda & filii Israel pariter, & ponent sibi caput unum, & ascendent de terra.* 4. *Hos. cap.* 11: 8. & *seqq.* 5. *Hos. cap.* 12: 9. *Ac dicit Ephraim, &c. vers.* 10. *Et ego Iehova Deus tuus inde à terra Ægypti, adhuc facerem, ut sedeas in istis tentoriis, ut diebus solennitatis.* 6. *Hos.* 14: 6. *Ero velut ros Israeli, florebit ut lilium, & propagabit radices suas ut Libanicæ arbores. Diffundent se teneri rami ejus, eritque quasi oliva decus ejus, & odor ejus quasi Libani.* 7. *Tobiæ* 14: 6. *Prope erit interitus Ninive & fratres nostri, dispersi à terra Israel, revertentur ad eam.* 8. *Christus hominibus de tribu Zabulon & Naphthalim Evangelium prædicavit, Matth.* 4: 13. *Et ex his quosdam Apostolos elegit, Psal.* 68: 28. *Esai.* 9: 1.

70. Pro negativa allegantur 1. 2 *Reg.* 17: 23. *Donec amoveret Jehova Israelem à facie sua, quemadmodum locutus fuerat per omnes Prophetas, ita demigravit Israel à terra sua in Assyriam usque in hunc diem.* 2. *Hoseæ cap.* 1: 6. *Voca nomen ejus absque misericordia, quia non addam ultra misereri domus Israel, sed tollendo tollam eos.* 3. *Ioseph. lib.* 11. *antiquit. cap.* 5. *Apud Babylonem degentium Iudæorum primarius sacerdos erat vir justus, & de quo optimus rumor fuit apud populum. Is cum esset legum Mosaicarum peritissimus, in regis* (Xerxis) *notitiam pervenit, & cum decrevisset proficisci Hierosolyma secumque aliquos è Babyloniis Iudæis ducere, petiit à rege commendatitias ad Syriæ Satrapas literas, quas & impetravit hoc modo scriptas: Rex Regum Xerxes, &c. His literis acceptis Esdras, gavisus adoravit Deum, & gratias egit, illi benignitatem regiam acceptam referendam, & illum maxime dignum, cui gratiæ agantur, existimans. Advocata deinde Iudæorum concione, qui apud Babylonem degebant, & perlectam epistolam retinuit, exemplar vero ejus in Mediam ad omnes suæ gentis homines transmisit, qui cognita regis erga Deum pietate, & erga Esdram benevolentia omnes vehementer sunt lætati, multi vero ex iis, assumptis suis facultatibus, Babylonem venerunt, cupientes reverti Hierosolyma. Reliqua Israelitarum multitudo assuetum jam domicilium noluit relinquere, quapropter duæ tantum tribus per Asiam & Europam sub Romano degunt imperio, decem autem tribus nunc quoque ultra Euphratem sunt, infinita hominum millia, quæ vix est numero comprehendere. Cæterum ad Esdram magna multitudo convenit tam Sacerdotum & Levitarum, quam janitorum sacrorumque vel cantorum, vel ministrorum. Ille vero omnes, qui ex captivitate in patriam reverti volebant, ad Euphratem congregavit: ubi peracto triduano jejunio votisque pro incolumitate & felici itinere conceptis (recusaverat enim deductores equites, dicens Deo salutem suorum curæ futuram,) iter ingressi die duodecimo primi mensis, anno regni Xerxis septimo, pervenerunt Hierosolyma ejusdem anni mense quinto.* Hæc ex Josepho adscribere placuit, quia dictis & dicendis lucem afferent. 4. Communis sententia est Hebræorum æque ac Latinorum: unum addam testimonium ex *Hieronymo in Hoseam, pag.* 28. *Usque hodie Persarum regibus serviunt, & nunquam est soluta eorum captivitas. Idem in Ezechielis cap.* 23. *usque adeo decem tribus captivæ tenentur in montibus & in urbibus Medorum, ad quos translatæ sunt.*

71. Solvendis argumentis affirmativæ inservient sequentia: I. *Ieremias, Ezechiel & Hoseas locis allegatis agunt de reditu & liberatione spirituali*, Israelitis æque ac Judæis per con-

conversionem ad Christum communi. II. Liber Tobiæ est *Apocryphus.* III. *Tobias* in suo ad filium & sex nepotes sermone *intendit reditum in Jerusalem*, non Samariam, ut ex verbis ejus clare patet, quæ juxta Græcum textum Latine redditum sic sonant: *Plurimum autem quum senuisset* (Tobias) *vocavit filium suum cum sex nepotibus, & dixit ei: Fili, accipe filios tuos, (ecce consenui, & jam prope est, ut excurram ex hac vita,) abi in Mediam, fili, quia persuasus sum de iis omnibus, quæ dixit Jona Propheta de Ninive, ipsam eversum iri: (In Media vero erit plus pacis ad tempus,) & fratres nostros, qui in ipsa terra sunt, dispersum iri ex optima illa terra, & Hierosolyma fore deserta, domumque Dei illuc exustum iri, desertamque fore ad tempus usque. Vers.* 7. *Sed iterum miserturum ipsorum* (qui Hierosolymis abducti fuerunt, de iis enim versu antecedente Tobiæ sermo erat,) *Deum, & reducturum ipsos in terram illam, ubi ædificaturi sunt domum cum priore minime comparandam, donec completæ sint tempestates seculi: postea vero reversuros ex variis captivitatis suæ locis, & ædificaturos Hierosolyma domumque ipsam Dei illic ædificatum iri, & in omnes generationes seculi ædificium gloriosum, quemadmodum locuti sunt de eo Prophetæ.* IV. Israëlitæ, qui Judæis permixti, & non cum decem tribubus, sed cum tribu Juda & Benjamin in Assyriam deportati erant, Hierosolyma redierunt. Quomodo autem factum est, quod tot Israëlitæ Judæis permixti fuerunt? 1. *Tempore Jeroboami* fuerunt Israëlitæ, qui idololatriam ab Jeroboamo introductam aversati, & pœnam ob illam idololatriam terræ divinitus imminentem ominati, terram decem tribuum reliquerunt, atque e Samaria in Judæam se contulerunt, 2. *Par. cap.* 11: 56. *cap.* 15: 9. *cap.* 30: 1. *Joseph. lib.* 8. *antiq. cap.* 3. 2. Fuerunt & Israëlitæ, qui *devastatione Samariæ durante* fuga se in Judæam adjacentem salvarunt: Hi cum tribu Juda & Benjamin in Assyriam transportati, & cum eadem reversi & multiplicati sunt. 3. Assyrii multos etiam *pauperiores* in Samaria ad agrorum & vinearum culturam reliquerunt, prout etiam in abductione tribus Judæ & Benjamin factum est, 2. *Reg.* 25. V. Ut maxime etiam alii ex decem tribubus, ante Judæorum abductionem in Assyriam deportatis, reversi sunt, is tamen reditus fuit. 1. *paucorum.* 2. *aufugientium.* 3. *privato*, non communi, suffragio Israëlitarum. 4. *non publica authoritate & jussu Assyriorum*, susceptus, *nec* 5. *regnum ipsorum unquam restitutum fuit*, sed plurimi eorum in terrâ captivitatis manserunt, alii vel in Judæam, vel alio, prout cuilibet visum fuit, secesserunt.

72. Quod si quis per filios Israël velit intelligere illos, *qui ex decem tribubus adhæserunt domui David*, ille attendat, quod 1. *pauciores sint*, quam ut cum *arena maris* conferri queant. 2. *semper cum duabus tribubus numerentur & nominentur.*

73. *Hieronymus* & alii autumant, *quod verba hujus prophetiæ cœperint impleri tempore Christi*, qui tam Israëlitis, quam Judæis Euangelium prædicaverit: (Prædicavit enim in terra Zabulon & Nephthalim, *Matth.* 4: *vs.* 13. in Samaria, *Johann.* 4: 5. quæ & Euangelium per Philippi prædicationem suscepit, *Actor.* 8: 12. 14.) *Plene vero impletum iri circa finem mundi*, ubi magna Israëlitarum pars convertetur, *Luc. cap.* 21: 24. *Rom.* 11: 26. *Apocal.* 11: 2. Quum vero Israëlitæ tempore Christi conversi *pauci* fuerint, verba hujus prophetiæ in ipsos quadrare nequeunt.

74. *Johannes Lorinus in comment. super Act. Apost. c.* 1. *vs.* 6. ait: *Tullium Crispoldum in manuscriptis suis annotationibus*, ex locis Prophetarum, de instauratione Jerusalem, de summa pace, de affluenti rerum omnium copia, de honoribus & potestate, de redigendis in ditionem gentilibus, (ut *Esai.* 11. & 13. & 35. & 46. & 49. & 66. *Jerem.* 23. *Ezechiel.* 36. *Hos.* 1. *Joel.* 3. *Amos.* 9. *Agg.* 2. &c.) asseruisse, quod adhuc futurum sit, quando fuerit impletum tempus nationum, *ut restituatur civitas Jerusalem, ut ibi regnent de domo David, Judæi atque de tribu Levi Sacerdotes, sacrificaturi Christiana sacrificia*, simul etiam legalia, quamvis in illorum duntaxat quandam ceu effigiem & repræsentationem, præterea, *ut sit Elias, existentibus quoque Christi Apostolis, & Christo saltem aliquando comparente*, & inter illos versante. Sed hæc partim *contraveniunt*, *Dan. c.* 9: *vers.* 27. partim *dicta allegorice intelligenda ad corporalem sensum abripiunt*, partim *Chiliastarum errori affinia*, partim *anilia & fabulosa ex Judæorum libris hausta sunt.*

75. *Genuina vero expositio* est, quod per Israëlitas intelligendi etiam sint *gentiles ad Christum conversi, qui sunt innumerabiles, & veri Israëlitæ secundum spiritum*, non secundum carnem, confer *Rom.* 2: 29. quia per fidem sunt filii Abrahæ & Israëlis, & consequenter benedictionis & bonorum à Deo utrique promissorum hæredes. Per fidem enim cooptantur in familiam Abrahæ & Israëlis, sicut filii adoptati civiliter vocantur & sunt filii & hæredes adoptantis, & hæc expositio probatur I. ex allegatione hujus loci *in Epist. ad Rom. cap.* 9: *vs.* 24, 25, 26. ubi Apostolus hunc locum de tota Ecclesia ex Judæis insimul & gentibus per Euangelii prædicationem colligenda exponit, & tempore Apostolorum atque dehinc implendum docet, ex *Esaiæ cap.* 10: 22. subjungens, *versu* 27. *Israëlitas* etiam esse salvandos, sed *paucos*, non innumerabiles, ubi *Israëlitas secundum carnem* ex Israële prognatos intelligit. II. *Eodem modo Paulus* ejusmodi promissiones à Judæis objectas *de spiritualibus Israëlitis, vestigiis Abrahæ insistentibus*, explicat *Rom.* 9: 6, 7, 8. Confer *cap.* 4: 11. *Gal.* 3: *vs.* 6. 7. 9. 14. 1. *Pet.* 2. 9. III. Eandem expositionem invenies apud Patres, *Hieronymum*, *Cyrillum*, *Haymonem*, *Ruffinum*, *Hugonem*, & alios super hunc locum, *Augustinum lib.* 18. *de civit. Dei, cap.* 28. *lib.* 22. *contr. Faustum cap.* 89. *Tertull. l.* 4. *contra Marc. cap.* 16. *Iren. l.* 1. *c.* 4. *Prosperum l.* 2. *de voc. gent. c.* 18. *Primasium & Anshelmum in Epist. ad Rom. cap.* 9.

76. Nec obstat, quod *Chrysostomus & Theophylactus* arbitrantur, Hoseam *ad literam* intelligendum esse *de Israëlitis*, *per analogiam* vero & similitudinem à Paulo *ad gentes* extendi. Qui alias Apostolus contra Judæos ex hoc loco firmiter probare & concludere potuisset id, quod intenderat.

77. Hisce prælibatis ipsum textum tertiæ partis assumemus, ubi *tria beneficia* promittuntur: 1. *fidelium multiplicatio.* 2. *in filios Dei adoptio*, & 3. *Ecclesiæ sub unum caput collectio.*

78. *Primum beneficium* his verbis continetur *versu* 10. *Et erit numerus filiorum Israël quasi arena maris, quæ neque mensurari, neque numerari potest.* Quibus verbis *Israëlitæ spirituales*, per comparationem *cum arena maris*, describuntur tum *à quantitate continua*, tum *discreta*, illa indicando, quod nullis terminis loci vel temporis circumscribendi sint, hac, quod tot futuri sint, ut ne numerari quidem queant. Jehova in verbis *versus hujus* 10. alludit ad promissionem Abrahæ factam, *Genes.* 13: 16. *cap.* 15: 5. quam promissionem Paulus ait factam esse, *Rom.* 4: 16, 17, 18. semini non ei solum, quod ex carne est, sed & ei, quod ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium credentium, &c. Notetur *duplex* Israël apud Paulum, *per Israël secundum carnem*, 1 *Corinth.* 10: 18. uti etiam sunt increduli Judæi, 2. *Israël Dei*, *Gal.* 6: 16. uti sunt credentes sive ex Judæis, sive ex gentibus.

79. *Cyrillus*, *Theodorus Antiochenus*, & *Theodoretus* tanquam particulam *discretivam* præfixum vau reddunt hoc sensu: Quamvis in immensum populus Israël excreverit, nihilominus eum profligabo, qui non multitudine, sed pietate capior. *Tremellius*: Quanquam futurus est numerus, &c. Rectius tamen *Lutherus*: Es wird aber die Zahl der Kinder Israel seyn/ 2c. *Vatablus*: Erit tamen, &c. *Arias*: Et erit numerus, &c. LXX. καὶ ἔσται, &c. Promittitur hisce verbis beneficium adhuc Israëlitis obveniendum: *Siquidem, quos hic vocat filios Israël, de iis statim ait: Et erit pro eo, quod dictum est eis*: Non populus meus estis, *ut dicatur iis*: Filii Dei viventis estis.

80. *Augustinus* fingit hic *hyperbolen*, ajens, totum numerum hominum, qui vixerunt, non sufficere comparationi cum arena maris. Quid si *comparationem non parium, sed similium* hic esse, dicamus, ubi manebit hyperbole? Sicut arena maris nec ab hominibus mensurari, nec numerari potest, ita & spirituales Israëlitæ ab iisdem loco & tempore circumscribi, ut & numerari nequeunt. *Erit accedentibus gentibus tanta multitudo virorum Israëlitarum, ut non magis numerari possit, quam arena maris*: Nam illud, quod additur: *Et non numerabitur, ad arenam* referendum est, quo etiam LXX retulerunt: Καὶ ἔσται ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, ἣ οὐκ ἐκμετρηθήσεται οὐδὲ ἐξαριθμηθήσεται.

81. Non sibi contradicunt *Esaias cap.* 10: 22. & *Hoseas hoc loco*, quando ille paucos, hic vero multos tempore Christi & Apostolorum conversum iri Israëlitas vaticinatur: *Illi enim de Israëlitis secundum carnem, hic vero de Israëlitis spiritualibus loquitur.*

82. *Secundum beneficium eodem versu* 10. continetur: *Et erit in loco, quo dictum este is, non populus meus estis, dicetur illis, filii Dei viventis estis.*

Tremellius sic vertit: *Et erit pro eo* (loco illius) *quod dicitur illis, non populus meus estis, ut dicatur illis, filii* Dei *fortis viventis* estis. Ita ut τὸ מְקוֹם *vicem, non locum* certum notet, secus oporteret ipsi præfigi ה *demonstrativum*, & dici בַּמָּקוֹם non בִּמְקוֹם.

83. *Thar-*

83. *Thargum Jonathanis* intelligit de *Chaldæa*, ex qua Iſraëlitæ reducendi ſint, dum ſic commentatur: *Et erit in loco, quo exules acti fuerunt inter populos, &c.* Hujus paraphraſeωs refutatio dependet ex ſupra dictis.

84. *Hugo & Haymo* intelligunt *de Jeruſalem*, ubi abjectionis comminatio eſt propoſita, & poſtmodum Eccleſia à Chriſto & Apoſtolis collecta, quo ſpectat vaticinium, *Eſai. cap.* 2: 3. cujus complementum videtur *Actor.* 2: 9. confer *Act.* 13: 46.

85. *Hieronymus & Auguſtinus l.* 1. *ad ſimplic. q.* 2. explicant *de quocunque loco totius orbis, ubi fuerunt fideles*, & probatur per expoſitionem, 1. *Petr. c.* 2: 9. qui fidelibus per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam & Bithyniam diſperſis ſcribit, iiſque etiam verba hæc Hoſeæ adaptat, dicens: *Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti*, confer *Rom.* 9: 24, 25, 26.

86. Quamvis ratio *Tremellii* ἔνςασιν pati queat ex *Jerem. cap.* 19: 13. *cap.* 22: 12. *Ezechiel.* 21: 30. optime tamen cum *Hieronymi & Auguſtini* explicatione conjungi poteſt, ſiquidem & locus Eccleſiæ in N. Teſtam. colligendæ, & ſtatus iræ in ſtatum gratiæ connotatur. Recte igitur *Pareus in Epiſt. ad Rom. cap.* 9: 26. Particula במקום, *inquit*, non tantum ſignificat vicem, ut redditur *pro eo quod, &c.* Sed ut recte reddiderunt LXX. etiam locum, ἐν τῷ τόπῳ, *eo loci*, ubi prius non erat populus, erit populus, nempe extra Judæam in toto terrarum orbe, ubi prius vigebat cultus idolorum, invocabitur nomen Chriſti, & erit vera Eccleſia, legatur etiam *Junius in parallel. l.* 2. *p.* 232, 233.

87. *Quo dicetur* (tum à me, tum ab aliis poſt me) *illis*: *Non populus meus.*] Quædam tamen exemplaria habent נֶאֱמַר dictum eſt. LXX. ἐν τῷ τόπῳ, οὗ ἐῤῥέθη αὐτοῖς, quorum verſio à Paulo retenta eſt *Rom.* 9: 26.

88. *Dicetur*: *Filii Dei viventis.*] Magna hæc dignitas credentium, vide 1. *Johann.* 3: 1. *Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet patrem, Leo ſermon.* 6. *de nativitat.* Quamvis enim non ſimus filii Dei naturales, quippe quum *ſolus Chriſtus* ſit *naturalis Dei filius* ex ſubſtantia patris ab æterno genitus, *Pſal.* 2: 7. *Mich.* 5: 2. unigenitus à patre, *Johann.* 1: 14. proprius, *Rom.* 8: 32. *Joh.* 5: 18. ſumus tamen adoptivi, & quidem longe nobilius, quam filii hominum. *Apud Romanos* uſitatum fuit, ut, qui adoptantur, cætera nomina adoptantis aſſumant, uno ex gentilitiis retento, *Zonaras*, nihil autem interni recipiunt ab adoptante, ſed tantum denominationem moralem, per quam jus ad ejus hæreditatem conſequuntur: Filii vero Dei participes fiunt ipſius Spiritus ſancti, *non tantum quoad dona, ſed etiam quoad ſubſtantiam, ex Rom.* 5: 5. 1. *Cor.* 3: 17. *c.* 6: 19. 2. *Cor.* 6: 16. *Joh.* 14: 16, 17. ita ut Spiritus S. novo modo quoad ſubſtantiam incipiat, eſſe præſens in anima credentium, quo antea ei non inerat, novoque unionis modo ei uniatur, quo infidelibus & impiis unitus non eſt ex 1 *Cor.* 6: 17. *Joh.* 17: 21. vide *Lombardum l.* 1. *diſt.* 14. & 15. *Scotum, Bonaventuram, Gabrielem, Marſilium, Aureum Roſarium Theologiæ ibidem, Thomam* 1. *pag. q.* 43. *art.* 3. & 6. & *q.* 38. *art.* 8. & *ibidem Gregorium de Valentia, Suarez lib.* 12. *de miſſione perſonarum, cap.* 5. *num.* 8. 11, 12, 13. Inſuper & jus hæreditatis per iſtam adoptionem indipiſcimur: Si enim ſumus filii, ſumus una hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, *Rom.* 8: 16.

89. *Deus* אֵל, (quod *Polanus & Tremellius* verterunt, fortis,) dicitur vivens. 1. *abſolute* ob immortalitatem, 1 *Tim. cap.* 6: 16. 2. *comparate* reſpectu Deorum gentilium, qui vitalibus operationibus deſtituuntur, *Pſal.* 106: 28. 3. *effective*, quia omnium vita ab ipſo dependet, *Act.* 17: 28.

90. *Tertium beneficium*, quod eſt *Eccleſiæ ex gentibus & Judæis ſub unum caput collectio*, delineatur *verſ.* 11. *Et congregabuntur filii Juda, & filii Iſrael*, ſcilicet in unam Eccleſiam, ita ut fiat unum ovile, & unus paſtor, *Joh.* 10: 16.

91. *Auguſtinus & Lira* per filios Iſraël intelligunt gentes, quia illi erant gentili idololatria polluti, per filios vero Juda Judæos, apud quos cultus divinus adhuc aliquantum vigebat. Contra vero *Hieron. & Rupertus* per filios Juda intelligunt gentes, per filios Iſraëlis Judæos ad Chriſtum converſos: Verum opus non eſt, ut hic filii Juda, & filii Iſraël contra diſtinguantur, cum utrobique reipſa intelligantur ad Chriſtum convertendi, ſive ex Judæis, ſive ex gentilibus fuerint.

92. *Et ponent ſibi caput unum.*] Non Zerobabelem, ut *Thargum Jonathanis* vult, ita hunc locum reddens: *Conſtituent ſibi principem unum de domo David*, ut ſupra probatum eſt, ſed *Chriſtum*, ut ipſe *Hoſeas c.* 3: 5. explicat, ajens: *Poſthac revertentur filii Iſraël, & quærent Jehovam Deum ſuum, qui eſt caput* myſticum, *Eph.* 1: 22. *Col.* 2: 8. *Paſtor, Ezech.* 34: *vſ.* 23. *iſque unicus, Joh.* 10: 11. *Rex Sion, Pſ.* 2: 6. *Sponſus, Joh.* 3: 29. *Matth.* 9: 15. & quidem *unicus*, 2. *Cor.* 11: 2. & *fundamentum unicum*, 1. *Cor.* 3: 11. Si unum caput, utique non erit duplex, aliud inviſibile & primarium, alterum viſibile & ſecundarium, nec ullibi ſupra Apoſtolicam dignitatem aliquod caput, vicariatus rationem habens, Deus promiſit, vide *Eph.* 4: 11. 1 *Cor.* 10: 12. 28. Eandem etiam poteſtatem Chriſtus omnibus Apoſtolis, ex æquo contribuit, vide *Matth.* 10: 1. *c.* 18: 18. *Joh.* 20: 23. Et quando Apoſtoli fundamenti nomine inſigniuntur, *Eph.* 2: 20. *Apoc.* 21: 19. præ reliquis Petrus in eo prærogativam nullam habet, ut ex locis allegatis ad oculum patet.

93. Non eſt contradictio, quando *Eph.* 1: 22. Deus dicitur dediſſe caput Eccleſiæ, hic, quod Eccleſia ſibi Chriſtum caput conſtituerit, utrumque verum eſt, illud *ratione ordinationis & inaugurationis*, hoc *ratione acceptationis*.

94. *Et aſcendent de terra hac.*] Quantumvis per terram hanc non poſſimus cum *Thargum* intelligere terram Babylonicam, per ea, quæ ſupra allegavimus, haud tamen diffitemur, Prophetam alludere ad reditum è captivitate Babylonica, ut *Theodor. & Hugo* advertunt, hoc ſenſu: Sicut olim Judæi in captivitate Babylonica demiſſo capite & triſtes incedebant, poſtquam vero per Cyrum ipſis in Judæam redeundi poteſtas data eſſet, erecto capite & læti Hieroſolymas aſcenderunt è terra captivitatis: ita è captivitate ſpirituali ſpirituales Iſraelitæ per Chriſtum liberati læti in Eccleſiam militantem, & ex hac vita in triumphantem lætiores aſcendent, ita fere *Gloſſa ordinaria.* Hic aſcenſus eſt tranſitus ex infidelitate, gentiliſmo & Judaiſmo ad fidem, ita *Hieronymus* à terrenis affectibus ad cœleſtes affectus, *Cornelius Cornelii ex Phil.* 4: *verſ.* 20. è tenebris ad admirabile Dei lumen, 1. *Petr.* 2: 9. è regno Satanæ in regnum Chriſti, in Eccleſiam militantem, qui fit ſpiritu per fidem, & triumphantem, qui fit corpore per futuram reſurrectionem, ita *Zanchius*: *Lira & Ribera* per τὸ aſcendere incrementum & propagationem Eccleſiæ notari volunt, prout aſcendere pro creſcere etiam ſumitur, *Jer. cap.* 4: 66. *c.* 47: 2. *Ezech.* 19: 3. *Pſ.* 96: 9. *Dn. D. Meiſnerus* aſcendere Hieroſolymam, idem eſſe ait, quod τὸ colere Deum, quoniam iſte aſcenſus plerunque cultus cauſa fiebat, ſicuti ſumitur *Eſai.* 2: 3. *Mich.* 4: 2. eumque ſignificatum hujus loci eſſe probat ex *Hoſ.* 3: 5. Eodem advertente *alii* per aſcenſum hunc partim congregationem, qua aſcenſus fit è regno Satanæ & peccatorum colluvie, partim conatum & deſiderium cœleſtem Hieroſolymam ingrediendi, ex *Hebr.* 12: *vſ.* 22. *Gal.* 4: 2. notari exiſtimant.

95. *Quia magnus dies Izrehel.*] Τὸ כִּי Hebræum, in verſione per τὸ QUIA redditum, aliis eſt *particula rationalis*, uti *Zanchio*, quia ita commentatur: Aſcendent, vel, opus erit aſcenſu, quia magna futura eſt clades in Izrehel, ubi confringentur arcus, erit ergo opus reductione & reſtauratione: 2. Eidem *Zanchio* eſt *particula cauſalis*, quæ cauſam congregationis innuat: Per magnam cladem commovebuntur, ut ſe conſocient & congregent. 3. *Cornelio Corn.* eſt *particula aſſertiva & admirativa* æquipollens τῷ *ſane, equidem, profecto.* 4. *Tremellio* eſt *particula adverſativa* τὸ QUAMVIS ſignificans, prout etiam uſurpatum invenitur *Exod.* 13. 17. *c.* 34: 9. juxta *R. Moſeh. R. Abrah. Abenezr. R. D. in lib. rad. Joſ. cap.* 17: 18. juxta *R. Moſeh, R. Abrah. R. Marinos, &c.* hoc ſenſu: Licet magna futura ſit clades in Izrehel, erunt tamen haud pauci, qui evadent, ſcilicet Chriſto aggregati. 5. *Eidem & Junio in notis ad hunc locum* eſt *particula ordinativa*, ſignificans *poſtquam* vel *quum*, hoc ſenſu: Poſtquam illæ graves, acerbæ & amplæ vindictæ meæ, quas adhibiturus ſum contra Iſraëlitas, inde à primo impetu, quo Izrehelis nomine deſignatur, effectæ fuerint, vide *Eſai.* 9: 1. & *ſeqq.*

96. *Magnus.*] Magnus dies eſt *Tacito* feliciſſimæ victoriæ dies, *Turneb. l.* 2. *adverſ. c.* 20. hoc ſenſu: Magnus dies, id eſt, dies fauſtus, illuſtris & auguſtus. *Romani* magnos dies vocabant, qui magnis moleſtiis & longis miſeriis finem dabant, ſic magnus dies erit dies exoptatus & lætus. *Mathematici* magnum annum vocant eum, quo ſeptem Planetæ, expletis propriis curſibus, ſibi concordant, quod fit poſt 12554. annos, poſt quos Platonici dicebant, omnium rerum reditum affore, vide *Cic. l.* 2. *de natura Deor.* Annon magnus annus fuit, quo Chriſtus omnia reſtauravit, & ad primævum ordinem reduxit? Dies vero parvi dicuntur dies paupertatis & anguſtiæ, *Zach.* 4: 10. *Quis deſpexit dies parvos?*

97. Si hiſce verbis reſpicitur ad viſitationem ſanguinis Izrehel ſuper domum Jehu, *vſ.* 4. prædictam, magnus dies ſignificabit

ficabit idem, quod dies terribilis, ferme ficut *Joel.* 2: 11, 31. fic dicitur bellum magnum, *Virg.* 2. *Æneid.* exitium magnum, *ibid.* ira magna, 5. *Æneid.* lues magna, 4. *Georg.* iræ magnæ, *Terent. Andr. Act.* 3. *fcen.* 3. lites magnæ, *Horat.* 1. *Ep.* 17. naufragia magna, *Lucret. l.* 2. *&c.*

98. *Dies Izrehel.*] Dies Synecdochice notat tempus.

99. *Haymo, Hugo, & Lyra per Izrehelem intelligunt populum Dei*, five Ecclefiam ex Judæis & gentibus collectam: Izrehel enim notat femen Dei, & ficut *verf.* 4. fupra per modum exprobrationis pro femine difpergendo, ita hic pro femine collecto & grato accipiatur, ficut etiam ex *Loruchamah* facta eft *Ruchamah*, & ex *Loammi* factus eft *Ammi*, *in cap.* 2: 1.

100. *Hieronymus*, *Rupertus*, & alii, per Izrehelem intelligunt *Chriftum*, qui eft femen, id eft, filius Dei, qui multos filios Dei per verbi Evangelici prædicationem peperit: unde dies magnus Izrehelis erit tempus à nativitate Chrifti, ufque ad finem mundi, quo toto tempore generatur Izrehel, id eft, populus Dei. Magnus itaque dies nativitatis Chrifti, ex *Jer.* 31: 22. de quo hunc locum exponit *Cyrill. in Glaphyr. l.* 5. Magnus dies paffionis, quo filius Dei mortuus eft pro gente, & non tantum pro gente, fed ut filios Dei, qui erant difperfi, congregaret in unum, *Ioh.* 11: 52. Magnus denique erit dies refurrectionis, de quo *Rupertus* explicat. Magnus dies extremi judicii ex *Ioel.* 2: 11, 31.

101. *Tremellius & Zanchius* per diem magnum Izrehelis intelligunt tempus, quo Deus fanguinem Izrehelis fuper domum Jehu vifitaturus eft ex *verfu* 4. & *fupra*.

102. Nos, qui non lubenter longiufcule à litera abimus, nec præter neceffitatem, fignificationum pluralitatem in una voce, aliquoties in uno capite pofita, introducimus, fed fimplicitati ftudemus, diem magnum Izrehelis etiam de tempore Chrifti, per refpectum tamen, oppofitionem & comparationem ad tempus illud, quo Deus fanguinem Izrehelis fuper domum Jehu vifitavit, hoc fenfu: *Quoniam magnus*, id eft, *gloriofus erit dies Izrehelis præ illo, quo Deus fanguinem Izrehelis vifitavit fuper domum Iehu, quo illi, qui olim difperfi erant, colligentur in Ecclefiam fub unum caput, atque in ea tanquam femen Dei plantabuntur, ut copiofum fructum ferant ad gloriam Dei viventis.*

M. ABR. A. F. CALOVII

DISSERTATIO

De crudeliffima Arbelæ deftructione ad Hofeam X: 14.

PARS PRIMA.

הפתיחה:
אנא יהוה הושיעה נא:
אנא יהוה הצליח נא:

A divinioris Scripturæ dignitas eft, ea præftantia, eaque rerum inibi contentarum ubertas & fublimitas, ut fi vel millies plura tot fapientiffimorum hominum extarent monumenta, quam quot vel adhuc in manibus omnium verfantur, vel jam oblivione deleta & fepulta funt, ea ne minimam particulam tum gravitatis tum fublimitatis, & hiftoriarum ubertatis, tum regularum, ad vitam, tam erga Deum, quam proximum rite conformandam pertinentium, abundantiæ contineant. Imo: כל העולם כלו אינו שוה לדבר אחד מן התורה: ut eft in Talm. Hier. (α) Totus mundus non æquivaleret unico verbo legis. Eleganter proinde non minus, quam notanter de his Sacris Scripturis loquitur Gregorius M. (β) *Scriptura*, inquiens, *eft fluvius, in quo Elephas natat, & agnus ambulat.* Nam agnus utique ambulat in fluvio, cum traduntur ea in Scripturis, quæ faciunt ad fidem vitamque ac mores, ibique verum eft, quod dicit Hieropfaltes: (γ) *Lex Domini erudit fimplices.* Contra vero Elephantes natant, ubi dicta Scripturæ cruces figunt interpretibus, ficque ufu iis venit id, quod cum *Lernææ Hydra* concertantibus evenire narrant Mythici. Sicut enim ea tam ferax capitum fuiffe à Poetis fingitur, ut uno amputato, & fuccifo, alia ftatim plura repullulaverint, ita quoque talia loca difficilia vere funt Elephantum natationes, gignuntque in Interpretum cerebellis opiniones plurimas, ut fi una deleatur, fuccrefcat altera ftatim.

(α) *eod. Peah.* (β) *Epift. ad Leandrum.* (γ) *Pfalm.* 19 *verf.* 9.

Merito fane fuo videtur huc referendus locus ex Hof. 10: verf. 14. ubi enarratur ac recenfetur exemplum crudeliffimæ defolationis à Salman in Beth Arbel perpetratæ. Quibus duabus vocibus quid indicetur,

Philologi certant, & adhuc fub judice lis eft.

Natant fane ibi Elephantes, id eft, viri oppido magni, & alias immortaliter de Philologia meriti, interque tantos conjecturarum ac fententiarum turbines atque tempeftates, ita agitantur ac moventur hinc inde, ut pauci reperiantur, qui ex his undis ac fluentibus ad portum falvi veniant, utque tantum non undis abrepti videantur plerique. Commentatores fane plurimi tam prifci quam recentiores, qui magnam in hiftoria facra & profana operam pofuerunt, quique alias ex profana literatura & facra phrafes divinioris fcripturæ præclare illuftrarunt, abunde fatis oftendunt, profundiorem effe hic fluvium, quam ut bolide fua (conjecturis puta) ad fundum ejus pertingere queant, evenireque ipfis, quod alias dicitur in proverbio: Incidit in Scyllam, qui vult vitare charybdim. Hæc itaque animo mecum penfitans, non inutilem navaturum me effe operam confido, fi pro ingenii modulo publicæ Eruditorum cenfuræ hæc exponam, measque vires quantulascunque pericliter. Dabis autem B. L. veniam, fi à Juvene in tanta opinionum confufione, non omnia ad palatum tuum facientia apponantur, memor illius dicti Hebræorum:

מורז למצוה כעושה מצוה:

Quod. & intentio faltem & conatus boni operis, pro opere ipfo haberi debeat. Tu vero, optime JESU,

יהיו לרצון אמרי פי והגיון לבי
לפניך יהוה צורי וגאלי:

Verba Textus Authentici hæc ſunt
ad HOSEAM X: 14.

וְכָל־מִבְצָרַיִךְ יוּשַּׁד כְּשֹׁד שַׁלְמַן בֵּית אַרְבֵאל בְּיוֹם מִלְחָמָה אֵם עַל־בָּנִים רֻטָּשָׁה׃

CAPUT I.

Varias Autorum Sententias ſiſtens.

§. I. ANtequam igitur ad accuratiorem, tam inſignis, & ſingulari conſideratione digniſſimi loci, conſiderationem progrediamur, utpote in quo explicando maximopere variant cum Ebræorum tum Chriſtianorum interpretes, lubet præmittere Tres Rabbinorum Doctores, qui fere totam ſententiarum farraginem in compendio exhibent, ut uno intuitu cerni cuncta queant. Inter quos primo loco ſiſtimus R. Iſaacum Abarbanelem, qui in Commentario ſuper Proph. (a) ita ſcribit: וכל מבצריך יושד כשד שלמן בית ארבאל והמפרשים פירשו שלמן על שלמנאסר ואמרו שבית ארבאל הוא מקום ידוע והרב רבי דוד קמחי אמר בשם אביו שבית ארבאל הוא שומרון וזה בלתי מתישב לפי שהנביא עתה היה מיער על חרבן שמרון ואיך יעיד ממנו על דבר אחר באומרו כשוד שלמן בית ארבאל ויותר נכון הוא מה שפירשם כבוזזים הבאים על עם היושב בשלום פתאום ע"י המארב שלא נזהרו לברוח מפניהם ושודדים את הכל וכן ת"י ארבאל מלשון מארב ויהיו הא"לף והלמ"ד יתרים כמו יזרעאל: ואולי שהיה המשל הקדמון ביניהם מאויב ידוע באותם הימים שהיה נקרא שלמן שבא על בית ארבאל פתאום ושדדו והפיל האם על בנים ולא השאיר פלטה כדברי הרדק או שהאם בראותה הריגת בניה רטשה ומתה עליהם: id eſt: Et omnes munitiones tuas vaſtabit, ſicut vaſtavit Salman Beth Arbel, *Interpretes exponunt Salman de Salmanaſſare, & Arbel nomen loci noti eſſe dicunt. Rabbi vero David Kimchi explicat id ex mente Patris ſui, quod Betharbel ſit Samaria, ſed nihil ſolidi vel firmi eſt, quoniam Propheta jam minatur Samariæ vaſtationem, & quomodo eam minabitur verbis alienis* (i. e. decurtatis & tranſmutatis) *cum dicit: Sicut vaſtavit Salman Domum Arbel. De cætero recte ſe habet ſententia eorum, qui exponunt hoc ita: Sicut vaſtatores venientes repente ſuper populum ſedentem in pace per inſidias, à quibus ut fugerent non ſunt admoniti, & omnia deprædantur. Sicque illud junxit Targum Jonathanis, nempe* ארבאל *ex ſenſu vocis* מארב*, ut abundet Aleph & Lamed, ut in voce* יזרעאל*. Forte fuit hæc jam vetus hiſtoria inter eos, de hoſte quodam noto iſtis temporibus, qui vocabatur Salman, & veniebat adverſus domum Arbeli ſubito, & vaſtavit eam, & projecit matrem ſuper filios, nec quenquam reliquum fecit, ſicut exponit Radak: aut quod mater, cum videret occiſionem filiorum ſuorum, colliſa ſit, & mortua ſuper eis.*

§. II. Secundum locum ſibi vendicat R. Abraham bar Jehuda in ספר חבורי לקט (b) [quem librum ita vocat, quia, ut in initio ejus eſt דברי החבור הזה הם דברים עתיקים נלקטים מדברי גדולי המפרשים הראשונים ר"שי ואבן עזרא ורל"בג והקמחי ז"ל: i. e. *ejus res ſunt collectanea ex antiquis Rabbinorum commentatoribus, Raſchi, Aben Eſra, Ralbag & Radak*] inquiens: יושד (ווערט פער וואסט) כשוד שלמן וגו׳ פרשים כבוזזים הבאים על עם יושב בשלום פתאום ע"י מארב שלא נזהרו לברוח מפניהם ובוזזים הכול׳ שלמן (פון דער שטאט דיא דא זיצט מיט פרידא) בית ארבאל (אין דער שטאט דא מן זיא בלאגרט): ור"דק פי׳ שלמן היה אויב ידוע בימיהם ששמו שלמן ויבא על בית ארבאל שדדו והפיל האם על הבנים והשאיר פליטה׳ וארבאל היה שם אדם גדול בימיהם׳ וי"א שלמן הוא שלמנאסר מלך אשורי בית ארבאל הוא שומרון בית שארב ה"שי עליה ותפשה בעונה: וי"א שלמן זה בנימין שכשנולד בנימין נשלמו השבטים לשנים עשר (פון בנימין דער דע פולאנבראגט דיא צאל פון צוועלף שבטים) בית ארבאל (אין דער שטאט גבעה דא מן זיא הוט בילאגט) פי׳ בעיר גבעה ששמו לו אנשי ישראל אורב מאחרי העיר ומזה לא נשמר בנימן והניחו העיר פתוחה לרדוף אחרי ישראל והאורב יצא ממקומו וילכוד את העיר: i. e. יושד (ward verwüſtet) כשור שלמן *Exponunt* (*quidam ita*) *ſicut vaſtatores, qui veniunt ad populum ſedentem in pace, repente per inſidias, ut non animadvertantur, ne fugiant præ eis, & deprædantur omnia.* שלמן (von der Stadt / die da ſitzt mit Friede) בית ארבאל (in der Stadt / da man ſie belägert.) *Radak autem exponit vocem Salman: Erat hoſtis notus tum temporis, qui vocabatur Salman, ille venit ad domum Arbel, devaſtavit eam, & interfecit matrem cum liberis, & neminem reſiduum reliquit. Arbel autem erat nomen viri magni tum temporis. Quidam vero dicunt, quod Salman ſit Salmanaſſer Rex Aſſyriæ, & Betharbel Samaria, domus cui inſidias paravit Deus benedictus, & cepit eam in iniquitate ſua. Dicunt quidam etiam, Salman eſſe Benjamin, ideo quia cum natus eſſet Benjamin, completus redditus ſit numerus duodenarius tribuum* (von Benjamin / der da vollbracht die Zahl der zwölff Stämme /) בית ארבל (in der Stadt Gibea, da man ſie belägert hat /) i. e. *in urbe Gibea, quia poſuerant Iſraëlitæ inſidias à tergo urbis, inde factum, ut non caverent ſibi Benjamitæ, ſed relinquerent urbem apertam, & perſequerentur* (fugientes) *Iſraëlitas, ubi poſtea egreſſæ ſunt inſidiæ ex loco ſuo, & ceperunt urbem,* (& ſic reſpiciunt hi ultimi ad hiſtoriam, de qua Judic. 20.)

§. III. Tertius denique eſt Rabbi Naphtali Altſchuler, qui in אילה שלוחה (c) (qui titulus deſumtus eſt ex Gen. 49: 21.) ita ſcribit: כשור שלמן בית ארבאל׳ כבוזזים הבא על עם יושב בשלום פתאום ע"י מארב שלא נזהרו בהם לברוח מפניהם ושודדים את הכל׳ בית ארבאל י"ת בית מארב ואלף ולמד יתירים בו וי"א כשור שלמן בית ארבאל ביום מלחמה שלמן אויב ידוע היה באותן הימים ששמו שלמון ובא על בית ארבאל פתאום ושדדו והפיל אם על בנים ולא השאיר פליטה וארבאל הוא שם בית גדול בימיהם היה׳ וי"א שלמן הוא שלמנסר מלך אשור בית ארבאל הוא שומרון בית שארב האל יתי׳ עליה ותפשה בעונה: i. e. Sicut vaſtavit Salman Beth Arbel, *Sicut direptores veniunt ad populum ſedentem in pace repente per inſidias, cujus incolæ non ſunt admoniti, ut fugiant præ eis, vaſtantque omnia. Beth Arbel exponit Jonathan per domum inſidiarum, ut Aleph & Lamed hic redundent. Quidam hæc verba:* כשור שלמן בית ארבאל ביום מלחמה *exponunt, quod Salman fuerit hoſtis notus illis temporibus hujus nominis, qui venit ſuper Beth Arbel repente, deprædatuſque eam, interfecit matrem cum filiis, nihilque reliquit, & Arbel ſit nomen familiæ celebris in diebus illis. Quidam vero dicunt, Salman eſſe Salmanaſſar Regem Aſſyriæ, Beth Arbel vero Samariam, domum, cui inſidiatus eſt Deus benedictus, & inſectatus eam propter iniquitatem commiſſam.*

§. IV. Licet autem hi tres Rabbini varias recenſeant opiniones, tamen ne videamur alienis cernere oculis, cumque optimam harum omiſerint, nonnullas quoque alias neglexerint, ea, qua poteſt fieri, brevitate ipſos ſententiarum patronos, eorumque verba in medium proferemus. Quod ut eo commodius fiat, omnem ſententiarum cumulum in duos digeremus acervos, quarum alterum tenebunt ii, qui מדרש ſ. expoſitionem allegoricam aſſumunt, qua *Salman* & *Arbel* nomina propria appellative exponunt, & per *Salman* quidem *populum ſedentem in pace*, per *Beth Arbel* vero *domum inſidiarum ſ. inſidias* intelligi contendunt. Itaque exponit hunc locum Jonathan in ſuo Targum ad h. l. verba ejus hæc ſunt: וכל כרכך יתבזזון בביזת שלמא בכמנא ביומא דקרבא: *Omnes munitiones tuæ deprædabuntur deprædatione pacis*, populi ſedentis pacifice, nec quicquam metuentis, atque ſic inexpectata *per inſidias tempore belli.* Quem ſequitur Raſchi, (d) cum ita ſcribit: כשור שלמן בית ארבאל׳ כבוזזים הבאים על עם יושב בשלום פתאם על ידי מארב שלא נזהרו בהם לברות מפניהם ושודדים את הכל: i. e. Sicut vaſtavit Salman Beth Arbel. *Sicut vaſtatores, qui veniunt ſuper populum ſedentem in pace repente per inſidias, ut non animadvertantur ab incolis, ne fugerent præ eis, & deprædantur omnia.* Et in Gloſſa Talmudica ita ſe declarat, (e) atque ad captivitatem Judaicam applicat idem Iſacides, (f), Jarchi vulgo dictus, כשור שלמי בית ארבאל ביום מלחמה׳ כשודדין הבאין למלחמה ע"י מארב על עם היושב בשלום שלא נזהרו בהם לברוח מפניהם ושודדים את הכל וכמוהו הגלות יהודה כלה הגלות שלומים מתוך ישיבת שלום באין מחריד הגלם נבוכדנצר: i. e. Sicut vaſtavit Salman Beth Arbel tempore belli. *Sicut vaſtatores venientes ad bellum per inſidias contra populum ſedentem in pace, ut non animadvertantur ab incolis, ne fugiant præ eis, & deprædantur omnia. Similiterque comparatum fuit cum captivitate Judæ, quæ tota fuit captivitas pacificorum, medio pacificæ habitationis, cum nihil metuerent, Nebucadnezar eos abduxit.* Idem tuetur Lyranus, (g) cum ſcribit, in Hebræo non eſſe nomen proprium, ſed appellativum, & ſignificari pacificam ſeu quietam: item in Hebræo haberi domo inſidiatoris, ut hæc ſit litera: ſicut vaſtata eſt pacifica à domo inſidiatoris, & ſenſus, ſicut gens pacifica & quieta, non timens ſibi de periculo, vaſtatur ab inſidiatore & ejus familia, irruente ſubito ſuper gentem improviſam, quæ credebat eſſe in pace & quiete.

§. V. Alte-

(a) *Fol. 136. col. 4.* (c) *Fol. 98. c. 2, 3. edit. Lublin.*

(c) *P. III. f. 9. c. 1. edit. Cracov.* (d) *Bibl. Ven. T. I. ad h. l.* (e) *Cod. Bava Metzia f. 39. c. 1.* (f) *R. Elias Orientalis ejus interpres in ipſa operis præfatione.* (g) *Not. in h. l.*

§. V. Alteram vero constituent ii, qui per Salman & Arbel intelligunt nomina propria, qui tamen rursus in duas scinduntur partes, quarum una has duas voces nomina Virorum fuisse arbitratur, altera priorem pro nomine viri, posteriorem pro nomine urbis habet.

§. VI. Et quod ad priorem, ejus patroni iterum in duplici sunt differentia, vel enim indigitata volunt nomina virorum tum temporis in celebritate quadam nominis ac famæ constitutorum, non determinantes, qui illi sint, vel intelligendum statuunt per Salman Zalmuna Midianitarum Ducem, per Arbel vero, cum quadam literarum metamorphosi, Jerubaal seu Gideonem, qui vindicias sumsit ab idolo Baal. Pro parte priori hujus sententiæ adducimus Rabbi David Kimchi (h) qui ita scribit: כשוד שלמן בית ארבאל ביום מלחמה: שלמן אויב ידוע היה באותן הימים ששמו שלמן ובא על בית ארבאל פתאום ושדדו והפיל האם על הבנים ולא השאיר פליטה וארבאל הוא שם אדם גדול היה בימיהם: Sicut vastavit Salman Beth Arbel tempore belli. *Salman hostis notus fuit temporibus illis nomine Salman, & venit contra Beth Arbel subito, & vastavit eam; & projecit matrem super filios, nec quenquam reliquit. Arbel autem est nomen viri, qui magnus fuit illis temporibus.* Et Rabbi Salomonem Ben Melech (i) cum scribit: שלמן וארבאל שמות אנשים ידועים בימים ההם *Salman & Arbel sunt nomina virorum tum temporis celebrium.*

§. VII. Nunc accedimus ad communissimam & receptissimam sententiam, quam plerique veterum Patrum Græcorum & Latinorum, omnesque ferme Pontificii calculo suo approbant, qui postremi ne deserant Vulgatam, in cujus verba adacti Concilio Tridentino (k) jurarunt, mirum in modum se torquent. Neque tamen hujus sententiæ Patroni prorsus concordes sunt inter se, sed in duas discedunt partes, quarum altera subjectum vastationis statuit esse Zalmuna Ducem Midianitarum, quem debellaverit Gideon Dux Israëlitarum, respicique ad historiam Judic. 8. descriptam, altera subjectum vastationis facit Israëlitas, quasi domum Gideonis sive Jerubaalis, qui sint crudelissime interfecti à Zalmuna. Quod ut eo rectius constet, ipsam præmittimus versionem vulgatam (de autore enim ejus hic nolumus prolixe disputare, sive is fuerit Hieronymus sive alius, de αὐθεντείᾳ vero ejus νοθευούσῃ infra pluribus agemus) quæ hæc est: *Sicut vastatus est Salmana à domo ejus, qui vindicavit* (pro vindicavit Hieronymus legit judicavit) *Baal*, Theodoretus (l) consentit cum Vulgata, nisi quod reliqua verba *matre super filios allisa* pro causa adducat, cur perierit Salmana, cum scribit: *Plerique dicunt, hæc dixisse de quodam principe eo tempore hæc committente & perpetrante: Ego vero existimo de Madian principe dicta fuisse hæc, quem ut cepisset, interfecit Gideon. Illius crudelitatem damnat hic Sacra Scriptura, cujus mentionem fecit David* (m) *dum ait: Pone Principes eorum sicut Oreb & Zeb, & Zebee & Salmana. Itaque ait: Non secus quam Salmana funditus periit, quoniam in diebus belli matrem super filios allisisset, sic faciam vobis domus Israel à facie malitiarum vestrarum.* Inprimis vero Franciscus Ribera (n) omnibus modis magnoque nisu pro ea militat, hincque varia κρησφύγετα quærit, & verba vulgatæ modo ita modo aliter interpretatur, textum corrigit, & non solum צ in ש transmutat, sed & ע in fine vocis Zalmuna prorsus elidit, quæ quanti sint roboris Cap. III. visuri sumus. Præcipua autem ratio ejus hæc est, quod non vult cogere Ecclesiam suam, ut dediscat post tot annorum centurias, cum alioquin agnoscat, ægre posse defendi suam interpretationem, sicque mavult authenticum corrumpere textum, quam vulgatam deserere, cum tamen hæc ab hominibus sit concinnata, illa vero à Viris φερομένοις ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου, conscripta. Verum id nemini mirum debet videri, est enim hoc ipsi in more positum, ut magno conatu, quando contra textum Hebræum vulgatam versionem defendit, magnas agat nugas. Idem asserit Christophorus de Castro, & vocem Arbeel (o) non deducit ab ארב sed à ריב litigavit, ut ita eandem radicem habeat cum ירובעל, statuitque pro י poni א, & pro בעל esse אל. Hacque ratione recte putat tueri se posse vulgatam lectionem. Hugo Grotius consentit (p) cum his, idemque prorsus propugnat, sed ratione in diversum tendente. Nimirum arbitratur Græcam versionem Hebræum defectum literæ ב supplere particula ἐκ, deinde scribit sibi videri Græcos sumere οἶκον pro exercitu, quæ incommoda vitari posse ait, si pro בית scribatur ביד, & sic corrumpatur Textus. Bonfrerius Jesuita (q) scribit probabile satis ex versione Hieronymi effici, eum non legisse in Hebræo ארבאל sed ארבעל. Cum quibus consentit Corn. à Lapide, (r) & qui eum per omnia sequitur Jacobus Tirinus, (s) Franciscus de Carriere (t) Emanuel Saa, (u) Joh. Stephanus Menochius, (x) Cristoph. de Vega, (y) & ut breviter dicam, tota turba Pontificiorum, è nostris vero unicus Phil. Jac. Friedlibius (z) manibus pedibusque eandem propugnat, de cujus ut & reliquorum rationibus, quid in recessu habeant, infra dispiciemus. Imo nonnulli hic mihi ludere videntur, etiamsi serio rem agant.

§. VIII. Cyrillus vero Alexandrinus (aa) non tantum dissentit ab his, sed etiam eos refutat, dum subjectum vastationis h. l. descriptæ statuit esse Israëlitas, qui crudelissime habiti sint à Madianitis, innuitque historiam Judic. 2: 6. descriptam, verba ejus hæc sunt: συμβέβηκεν ὠμῶς ἀναιρεῖσθαι τοὺς ἐμπίπτοντας τοῖς Μαδιηναίοις, ὥστε καὶ ἀθλίαις μητράσι συνδιόλλυσθαι τέκνα, φειδοῦς ἁπάσης ἐξῃρημένης· ἦρχον δὲ αὐτῶν Ὠρήβ τε, καὶ Ζήβ, καὶ Ζεβεὲ, καὶ Σαλμανά. *Contingebat, concurrentes* (Israëlitas, qui in speluncis præ crudelitate Madianitarum habitabant) *cum Madianitis, crudeliter interfici, ut cum miseris matribus infantes quoque omni sublata misericordia perirent. Eorum principes erant Oreb, & Zeb, & Zebee & Salmana,* & pag. seq. ὥσπερ οὖν, φησὶν, ὁ Σαλμανὰ τοῦ Μαδιηναίων πλήθους ὁ καθηγούμενος, ἐκ τοῦ οἴκου Γεδεὼν, ἤτοι τοῦ Ἱεροβάαλ μητέρα ἐπὶ τέκνοις ἠδάφισε, τὸν αὐτὸν τουτονὶ τρόπον τῶν Ἀσσυρίων ὁ στρατηγὸς ὠμῶς, καὶ ἀπανθρώπως καὶ οἰκτιρμοῦ παντὸς δίχα χρήσεται πολέμῳ τῷ καθ᾽ ἡμῶν, καὶ μητέρα σὺν τέκνοις ἐδαφιεῖ. *Sicut igitur Salmana*, inquit, *Madianitarum dux, è domo Gedeonis s. Hierobaal matrem cum filiis allisit; eodem modo Assyriorum dux atrociter & immaniter citraque ullam misericordiam bello vos tractabit, matremque cum liberis allidet.* Et post pauca: *Sciendum autem* (Græca verba ob prolixitatem omittimus) *antegressorum explanatorum quosdam scribere non principem Madianitarum Salmana matrem cum filiis allisisse è domo Hierobaal sive Israel (à ducibus enim interdum universitas significatur) sed contra potius in domo Salmana Gedeonem allisisse matrem cum liberis. Sed melius & convenientius fuerit, uti reor, illud quam istuc. Sicut enim tempore illo, quo Israel ad Baalim declinavit, apud eos filii cum matribus per manus alienigenarum allisi sunt; sic & nunc, postquam ad idololatriam deflexit Ephraim, denuo per manus barbarorum h. e. Assyriorum, nati cum matribus allidentur. Puto itaque, si secundum sensum verba recitata intelligamus, quod dicitur probabilius fore, & similitudinem rerum veterum, ut ex imagine, in recentioribus magis apparituram.* Errat proinde Franciscus de Carriere l. c. dum putat, Cyrillum plane idem sensisse cum Theodoreto, cum tamen hi plane contrarii invicem sint.

§. IX. Jam quod ad Hieronymum attinet, is notis ad h. l. (bb) incertus est, mox enim explicat de Salmana, quod is interfectus sit à Gedeone; mox de Israelitis, quod tam crudeliter sint habiti à Salmana, rationemque assertionis subjungit; mox redit ad priorem, & quæ sunt alia. Verba autem ejus hæc sunt, ne videamur cuiquam dicam impingere, ipsique Hieronymo alienam affingere mentem. *Quomodo vastatus est atque contritus Salmana princeps Madianitarum, qui interfectus est à domo Hierobaal: Haud dubium, quin Gedeonem significet, qui ex eo, quod destruxit fanum Baal, lucumque succidit, & ille se vindicare non potuit, cognomentum Hierobaal sortitus est, i. e. ulciscatur se Baal: ut quomodo Salmana interfecit filios coram matribus, ipsis matribus quoque deinceps interfectis: sic & filii tui ô Ephraim te præsente interficiantur, qui & ipse trucidandus es. Quærimus, ubi scriptum sit, quod Salmana matrem super filiis occiderit. Legimus in Judicum libro, loquente Gedeone ad principem Madian. Quomodo absque liberis fecit gladius tuus multas matres: ita sine filiis erit inter mulieres mater tua. Sicut igitur vastatus est Salmana, ab Hierobaal, quem male quidam arbitrantur Hieroboam filium Nabath, qui decem tribubus præfuit, & vastatus est, ut in Hebræo continetur ab* ארבאל *id ipsum significante, quod & Hierobaal, sed breviori disertiorique sermone.* Si tamen consequentia aspicimus, videtur prætulisse priorem sententiam posteriori, præprimis cum in versione eandem retinuerit. Ita enim post pauca, *Sicut vastatus est quondam Salmana à Gedeone, matre super filiis interfecta.*

Dddddd 2 Quod

(h) *Bibl. Ven. l. c.* (i) *In Michlal Jophi fol.* 145. *col.* 4. (k) *Session.* 4. *decret.* 2. (l) *In Os. p.* 445. *T. I.* (m) *Psal.* 82. (n) *Comm. in h. l. p.* 150. *seqq.* (o) *Comment. in h. l. p.* 162. (p) *Not. ad h. l. p.* 504. (q) *Comment. in Jud. p.* 282.

(r) *Comment. in h. l. p.* 164. (s) *In h. l. p.* 804. (t) *Interpret. totius Script. p.* 495. (u) *Notat. in Script. pag.* 292. (x) *Comment. in h. l. pag.* 350. (y) *In libr. Jud. pag.* 540. (z) *Theol. Exeg. p.* 918, 919. (aa) *T. III. Op. p.* 154. *edit. Par.* (bb) *T. VI. Oper. p.* 49. *Edit. Basil.*

Quod vero ad locum illum ex libro Judicum citatum, commisit hic Sanctissimus Pater ἁμάρτημα μνημονικόν, cum hic locus non extet in libro Judicum, sed 1 Sam. 15: 33. & non dicatur de Salmana, sed de Agag, quem occidit jussu divino Samuel, quod hic breviter annotare voluimus.

§. X. Et hæc dicta sufficiant de iis, qui hic nomina virorum per ambas voces intelligunt. Nunc videbimus illos, qui nomen Viri per priorem, per posteriorem nomen urbis indicari autumant, & hi iterum in quintuplici sunt differentia. Quidam enim per Salman intelligunt Benjamin, qui compleverit numerum duodenarium tribuum Israelis, & deducunt à שלם complevit, ut ן sit epentheticum, & Arbel exponunt de Gibea, quæ per insidias capta sit ab Israelitis, ut patet ex Jud. 20. hanc sententiam refert R. Abraham bar Jehuda l. c.

§. XI. Contra Ludovicus Capellus (cc) Salman exponit de Salmanassare, qui ex urbe Persidis Arbela fuerit oriundus, & loco כשור vult corrumpere textum & reponere בשור. ut sensus hic sit, Omnes munitiones tuas diripiet Salmanasser ex Arbela oriundus in vastatione, matremque super filios allidet, de qua corruptione textus quid sit habendum, infra videbimus. Tum etiam non nemo conjicit, Salman fuisse nomen viri, ex Salma urbe Arabiæ desertæ oriundi, à qua & Salmani populi apud Plinium (dd). Sunt quoque nonnulli, qui per Salman intelligunt Salmanassarem, & per Arbel Samariam, urbem, cui insidiatus est Deus. Ita namque statuit R. Joseph Kimchi referente R. Davide Kimchi filio l. c. וארני אבי ז"ל פירש שלמן הוא שלמנאצר מלך אשור בית ארבאל היא שומרון בית שארב האל יתברך עליה ותפשה בעונה: *Et Dominus Parens meus exponit Salman de Salmanassare rege Assur, & Beth Arbel de Samaria domo cui insidiatus est Deus benedictus, & cepit eam in iniquitate sua.* Et R. Abraham Zacuth (ee) ארבאל שם מקום כשור שלמן בית ארבאל (הושע י) והיא שומרון: *Arbel est nomen loci, sicut vastavit Salman Betharbel (Hos. 10.) & hæc est Samaria.*

§. XII. Postremo plerique & ii insigniores atque accuratiores Scripturæ Interpretes, qui non in Vulgatam jurarunt, sed in veritatem ipsam inquirunt, neque cujusquam autoritate se moveri patiuntur h. l. intelligunt per Salman Salmanasser, per quandam apocopen, & per Arbeel urbem vel regionem hujus nominis eamque vel indeterminate vel determinate. Indeterminate namque accipit R. Aben-Esra (ff) cum scribit: שלמן אולי הוא שלמנאצר ארבאל שם מקום: *Salman est Salmanasser & Arbel nomen urbis.* Et Vinarienses (gg) cum scribunt: Gleich wie Salman (Salmanasser der Köning zu Assyrien/) das Haus (die Bestung und Stadt) Arbeel &c. Qui autem determinate hanc vocem explicant, iterum duas constituunt partes, quarum altera Arbel statuit esse nomen regionis (& in ea urbis) cujusdam Assyriacæ ad Arpadum trans Jordanem sitæ, in qua urbe (Curtius vicum vocat) Macedones Alexandrum vicisse Darium divulgarunt, cum tamen id apud Gaugamelam factum sit, de quo vide Strabonem (hh), Arrianum (ii), Plutarchum (kk), Curtium (ll) & Freinshemium (mm). Situm vero ita describit Benjamin Tudelensis (nn) ומנינוה מהלך פרסה עד עיר ארבאל והעיר נינוה על שפת הדקל: *A Ninive Arbellam usque una parasanga est, Ninive autem Tigridis ripæ imminet.* Stephanus Byzantius (oo) eam vocat urbem Persidis, non quia Persidis urbs sed quia Persis subdita erat, ut notat Thomas de Pinedo (pp). Hanc sententiam tuetur B. Glassius (qq) & urbem Assyriæ non Regionem intellectam vult, eandemque refert Ahraham Zacuth l. c. cum scribit de loco nostro. וי"א כי הוא מקום אחד סמוך לנינוה שנקרא כן: *Dicunt quidam esse locum quendam situm prope Niniven hujus nominis.* Stephanus vero Fabricius (rr), Lambertus Danæus (ss), Piscator (tt), Henricus Bunting (uu), Jacobus Usserius (xx), Junius & Tremellius (yy), imo omnes fere Calviniani regionem Assyriæ infra vel ad Arpadum intelligunt.

§. XIII. Altera autem per Arbel intelligit urbem Galilææ superioris in tribu Nephtalim sitam, cujus mentio fit in Libris Apocryphis (zz) statuitque in eam adeo crudeliter fuisse sævitum à Salmanassare, cum odium, quod à Patre Tiglathpalassare in ipsum erat propagatum, continuaret, ac terram Israelitarum hostili manu invaderet. Erat enim hæc urbs proxima terminis Assyriæ, quod infra clarius deducitur. Hanc sententiam propugnant Venerandus Dn. Parens (α), B. Gesnerus (β), B. Meisnerus (γ), Vatablus (δ), Thomas de Pinedo, l. c. Wichmannus (ε). Vatablus tamen in eo aliquid peculiare habet, quod explicet de Arbel urbe trans Jordanem sita, dicatque eam eandem esse cum Arbel, cujus mentio fit in Apocryphis loc. cit. quod tamen quam falsum sit, videt quilibet, male enim confundit, Arbel trans Jordanem (si tamen aliqua fuit ibi sita, de quo infra pluribus,) cum Arbel in Nephtalim sita, nam de ultima loquitur autor τῶ Maccabaicῶν, non de priori. Et hanc ultimam sententiam nostram quoque facimus, utpote multis argumentorum ponderibus roboratam, quæ in medium hic produxissemus, nisi chartæ angustia exclusi essemus, reservamus proinde ad CAPUT II. peculiari DISSERTATIONE expediendum. DOMINO dominantium immortales pro concessis viribus agimus habemusque gratias.

(cc) *Critic. S. pag.* 363. (dd) *L.* 6. *H. N. cap.* 26. (ee) *In Libr. Juchasin. f.* 65. *cap.* 1. (ff) *Bibl. Basil. in h. l.* (gg) *Pag.* 797. 1. (hh) *L.* 16. *pag.* 853. (ii) *L.* 6. *de exped. Alex. p.* 399. *ex ed. Blancard.* (kk) *In Alex. pag.* 653. (ll) *L.* 4. *c.* 9. §. 8. (mm) *Not. ad l. c. Curtii.* (nn) *Itin. pag.* 62. (oo) *De urbibus pag.* 9. (pp) *Not. ad eundem.* (qq) *Phil. S. L. IV. tr.* 3. *Obs.* 3. (rr) *Sacr. Conc. in Proph. Min. pag.* 246. (ss) *In Proph. Min. p.* 436. (tt) *Not. Germ. Bibl. T. IV. p.* 538. (uu) *p.* 508. *Itin.* (xx) *Annal. Vet. Testam. pag.* 94. (yy) *Not. ad h. l.* (zz) 1 *Macc.* 9: 2.

(α) *Bibl. Illustr. Tom.* 2. *pag.* 739. & *Critico S.* 617. (β) *In Hos. pag.* 390, 391. (γ) *In Hos. p.* 908. (δ) *Not. Bibl. p.* 1232. (ε) *In Prophet. Min. pag.* 125.

PARS II.

CAPUT II.

Veræ sententiæ declarationem & propugnationem exhibens.

§. I. Expositis superiori Dissertatione ac recensitis variis variorum Autorum sententiis, jam ad decisionem hujus controversiæ nos accingimus, quam ope divina hoc & sequenti expediemus capite, ubi initio in eo toti erimus occupati, ut inveniamus, qua ratione in hoc tam profundo fluvio possimus cum agnis ambulare, dein quoque Elephantum peditationes paulo accuratius contemplabimur, quantosque hic in luce veritatis dent fucos dispiciemus.

§. II. Et quod ad primum, nos optime cum agnis posse ambulare putamus, si ex his sententiarum acervis eligamus ultimam, & statuamus, quod per *Salman* nullus alius intelligatur quam *Salmanasser*, qui cum primum terram Israelitarum hostiliter invaderet, (a) in ea irruptione inprimis *Arbelam* urbem Galilææ superioris in tribu Nephtalim sitam, in confinio terræ Assyriacæ crudelissime vastavit, cum multæ non spernendæ rationes id ipsum suadeant, ac nobis penitus persuadeant, uti ex progressu constabit.

§. III. Cum autem Methodus animæ uti omnium studiorum ac elaborationum, ita quoque dissertationum sit, hinc ne videamur ἀμεθόδως procedere, primo probatum dabimus, Salman esse Salmanassarem. Deinde בית h. l. abundare evincemus. Tum urbem in Judæa hujus nominis fuisse ostendemus. Porro variis ejusdem appellationis urbibus expositis, quænam hoc loco intelligatur eruemus. Cui & alia argumenta hermeneutica pro nostra sententia ex variis locis petita subjungemus, simulque objectiones varias diluemus.

§. IV. Et quidem per *Salman* intelligi *Salmanassarem*, evictum damus initio quidem ex eo, quia nomen Salmanassaris iisdem plane literis notatur, tum quoad consonantes, tum, quod maximum, quoad vocales, cum *Salman*, nisi quod in libris Regum (b) epitheton addatur *Asser*, aliis quoque Regibus Assyriis usitatum, (quo & similibus distinguebantur à Regibus Chaldæorum) ut patet in Tiglathpalasser. Hanc rationem inculcat B. Gesnerus l. cit. & Ven. Dn. Parens loc. cit. Talia epitheta XVI. Regum Assyriorum, Chaldæorum XXIV. recenset Scaliger. (c) Nomina enim Chaldaica, ut verba ejus mea faciam, & Assyriaca fere omnia composita sunt. Raro simplex occurrit. Cum autem nomina componunt, componunt ea ex simplicibus vel duobus (ut in Sancherib, quod est ex שן & חריב) vel tribus (ut Tiglathpalasser ex תגלת & פול & אסר) vel quatuor ad summum (ut Merodakempad quod est ex מרו & דך & כן & בר.)

§. V. Sed urgere quis posset, & dicere, concedimus nos quidem, quod Salman easdem habeat literas cum Salmanassare, sed

(a) 2 *Reg.* 17: 3. (b) 2 *Reg.* 17. & 18. (c) *In de Emend. temp. pag.* 577.

ſed unde probabitur, quia dicitis ipſi, raro ſimplex occurrere, abjici in fine epitheta, ut tamen eadem maneat ſignificatio. Huic regerimus (1.) etiam fieri, quod raro fit, licet raro accidat. (2.) eo ipſo nos non negare nomen Salmanaſſaris eſſe compoſitum, ſi integre ſcribatur, ſed aſſerere eadem ratione qua componitur poſſe divelli iterum, ut tamen eandem vim ac ſignificationem obtineat. Quod ut eo melius conſtet, aſſociamus aliam rationem. Cum enim plurima nomina in ſcripturis tum urbium tum virorum, non tantum Aſſyriorum & Chaldæorum, ſed etiam Judæorum aliorumque propria compoſita ſint ex ſimplicibus vocibus absque vel cum lineola makkaph, fit in his atque ſimilibus, ut quandoque poſterior quandoque prior pars omittatur. Hinc B. Glaſſius (d) talem tradit Canonem. *In compoſito nomine quandoque prior quandoque poſterior pars ſolum extat, altera parte omiſſa.* Conf. Excellent. Dn. Sennertum. (e) Exempla prioris habemus, cum (f) Chamath urbs nude appellatur, quæ alibi (g) Chamath Dor nominatur. Sic (h) Cuſchan Riſchataim Rex Syriæ, alibi (i) nude ſalutatur Cuſchan. Et urbs Kades Barnea (k) appellatur quoque Kades. (l.) Sic proinde & in Salmanaſſer, quod eſt nomen compoſitum ex duobus ſimplicibus vocibus ſine lineola makkaph, poſterior pars abjicitur præcipue cum nihil accedat vel decedat ſenſui, ſive illa adſit, ſive non, eſt enim Aſſer pluribus Regibus commune, uti dictum.

§. VI. Neque tantum Hebræi abjecere Syllabas in fine dictionum, ſed etiam Græci & Latini extremas partes vocum præciderunt, quodque Hebræi in nominibus propriis fecere, id Græci Latinique in nominibus inprimis appellativis imitati ſunt. Sic Strabo (m) notat, quod ab Heſiodo βρῖ (quæ alias particula epitatica eſt, ſignificans ἄγαν) pro βριθὺ vel βριαρὸν dicatur. Idem obſervat Epicharmum λὶ pro λιὰν dicere, apud alios autem Autores inveniri δῶ & ῥὰ pro δῶμα & ῥᾴδιον. Similiter Suida teſte (n) τὸ κρὶ, quod apud Homerum legitur, (o) ex κρίμνον per apocopen factum eſt. Quod autem ad Latinos Ennius non tantum Po, Do, Debil, Famul, pro Populus, Donum, Debilis, Famulus, ſed etiam, ut Lipſius (p) autor eſt, medix pro medixtuticus (quo nomine ſummus Oſcorum Magiſtratus indigitabatur) lætificum gau, & altiſonum cœl, pro gaudium & cœlum apud eundem invenitur. Conf. Popmam, (q) & Taubmannum (r) ubi plura. Ut nihil dicam de particulis extrema parte decurtatis, quarum exempla magno numero collegit Auſonius Popma l. c. non tantum ex Poëtis, ſed etiam ex hiſtoricis & oratoribus, imo ex ipſo Cicerone, quæ proinde in medium hic afferre ſuperſedebimus.

§. VII. Denique ut ovum ovo ſimile eſt, ita noſtro loco prorſus ſimile exemplum habemus cum (s) Merodak dicitur, prima parte nominis ille, qui alias ſemper à profanis appellatur Merodakempadus & contracte Mardokempadus, ut apud Ptolomeum (t) videre eſt. Similiter & Phul vocatur in divinioribus Scripturis is, (u) qui à profanis Scriptoribus communiter nominatur Phul Belochus. Eadem igitur ratione, qua dicitur, Merodak & Phul pro Merodakempad & Phul-Belocho uſurpatur quoque hic Salman pro Salmanaſſare. Et vice verſa ſæpe apud profanos Scriptores Tiglath vocatur is, ultima parte vocis decurtata, quem diviniores Scripturæ appellant Tiglathpalaſſer.

§. VIII. Jam, quod ad vocem בית, ut eo commodius eandem contemplari, quidque h. l. ſibi velit, eruere liceat, omnes ambiguitatum valvas removebimus, variasque hujus vocabuli emphaſes exponemus, præcipue cum eadem h. l. varie explicetur ab Interpretibus. Sumitur autem vox בית vel proprie, idque vel pro ſtructura repleta loco, ædificio ſeu habitaculo, (x) vel pro loco vacuo, (y) vel improprie, iterumque variat. Mox enim per Synecdochen generaliter partim pro populo ſive toto (z) ſive parte ejus (aa) partim pro Regione (bb) mox per idem Schema ſpecialiter pro Familia ſive tota (cc) ſive parte ſola, eaque vel primaria, quæ eſt Maritus, utpote qui eſt præcipua Perſona domus (dd) vel ſecundaria, quæ eſt uxor (ee) quia omnia negotia domus per eam expediuntur, & eſt עיקר הבית fundamentum, quo fulcitur domus, ut loquuntur Judæorum Magiſtri. (ff) Denique per Metaphoram hæc vox quandoque uſurpatur pro animalium foveis (gg) quandoque pro vaſe, inſtrumento vel quovis receptaculo, & hoc ſenſu frequentiſſimum eſt apud Rabbinos, qui בית עולם (hh) domum Seculi, vocant ſpeluncam deſtinatam ad ſepulchra mortuorum. Item Calceum בית הרגלים, domum pedum, chirotecam, בית אונקלי vel בית אצבעים, domum digitorum & בית יד domum manus appellant, vid. pl. ap. Buxtorf. (ii) Cum autem in Scripturis nominibus propriis urbium hæc vox jungitur, fere ſemper abundat, id quod ex continua proxibiblica eluceſcit.

§. IX. Quando proinde h. l. legitur בית ארבאל omnino hanc particulam בית abundare ſtatuimus. Vanum igitur κρησφύγετον eſt, quod quærit Joh. Druſius, dum (kk) ſcribit, *ut El & Bethel diverſa ſunt, ſic meo judicio differunt Arbel & Beth Arbel.* At idem ſupra (ll) Aven ſcribit, pro Beth Aven. Quidni igitur & Arbel pro Beth Arbel & vice verſa. Sicut enim Aven & Beth Aven unum idemque ſunt ex conceſſis, ita quoque Arbel & Beth Arbel. Similium ſiquidem ſimilis eſt ratio, præcipue cum ejusmodi exempla plurima ſint in Scripturis. Sic (mm) בית נמרה, alibi vocatur nude נמרה, (nn) eodem modo (oo) בעל מען, in alio loco (pp) ſalutatur בית־בעל־מען, & Beth Aven (qq) appellatur quoque (rr) nude Aven, uti dictum. Manet proinde certum, quod Beth Arbel & Arbel ſint Nomina ἰσοδυναμοῦντα, præcipue quia agitur de nomine urbis vel loci, & nudum Arbel eſt nomen urbis. Aliter autem res ſe habet (quæ ratio obtinet inter El & Bethel, non vero inter Arbel & Beth Arbel, quod ſcire debuit Druſius) ſi dictio ſimplex locum non ſignificet, tum enim fatendum omnino eſt, nomen ſimplex non poſſe accipi pro compoſito, cujus בית eſt prima pars, neque eſſe Synonyma ſimplex & compoſitum.

§. X. Sed hæc mittimus, atque nos ad vocem Arbel, in qua quaſi cardo totius controverſiæ vertitur, accingimus. Et initio quidem dubium nullum eſt, quin urbs hujus nominis fuerit in Judæa. Clarum enim id eſt ex Talmude Hieroſolymitano (ss) ubi בקעת ארבל, vallis Arbel, & in alio loco (tt) mentio fit duorum Rabbinorum, qui quodam tempore ambulaverint per vallem Arbel, ſimiliter in eodem (uu) memoratur סאה ארבל ית, modius Arbelitanus, ad quæ verba conf. Rabbi Samuelem Japhe Germanum (xx) & alterum Gloſſatorem Talmudicum (yy) qui in ipſo margine Talm. Hieroſol. eſt. Cum his conſentit Rabba Bar Nachmoni (zz) & Talmud Babylonicum, (a) in variis locis, ubi in ultimo mentio fit Rabbi Nittai, qui fuerit ex Arbela, & præfecturam geſſerit, cum Joſua Filio Perachiæ, verba hæc ſunt: יהושע בן פרחיה ונתי הארבלי קבלו מהם: & (b) נתי הארבלי אומר Neque vero hinc quis debet putare, loqui Talmud Babylonicum de urbe ſua prope Niniven ſita, licet enim Talmud in urbe Babylon ſit inchoatum à Raf Aſche Anno Chr. 367. conf. Buxtorff. (c) Tamen non res in eo contentæ acciderunt in terra Babyloniorum ſed Iſraelitarum. Sed dicas, hæc omnia fruſtra atque gratis afferri, ſiquidem Arbel in locis illis ſcribatur ſine א, in noſtro vero loco eſſe א. Illi regerimus apud Rabbinos modo omitti א, modo opponi, ſic in loco cap. 1. ex Rabbi Naphtali Altſchuler allegato nomen Salmanaſſer ſcribitur absque א h. m. שלמנסר, quod alias ſemper ſcribi ſolet cum א, & nomen נבוכדנאצר, Rabbini ſæpiſſime ſcribunt absque א. Imo in Nominibus appellativis ſæpiſſime iidem Judæorum Magiſtri א elidunt. Sic Rabbi Levi

(d) *Lib. 4. Philol. Sacræ Tr. III. Obſerv. 3.* (e) *Centur. Can. Philol. Append. Can. III. Obſ. 1. pag. 77.* (f) *Num. cap. 13: 21. Joſ. 19: 35.* (g) *Joſ. 21: 32.* (h) *Jud. 3: 8.* (i) *Hab. 3: 7.* (k) *Deuteron. 1: 19.* (l) *Deuteron. 1: 46.* (m) *Lib. 8. Geogr. pag. 419.* (n) *Tom. 1. pag. 1525.* (o) *Il. ε, verſ. 27. & Odyſſ. δ. verſ. 604.* (p) *citante Matt. Polo, Tom. II. Synop. Crit. ad hunc locum* (q) *Lib. 1. de uſu antiqu. locut. cap. 7. pag. 28.* (r) *in Plaut. pag. 31.* (s) *2 Reg. 20: 12. Eſai. 39: 1.* (t) *Lib. 4. μεγάλ. Syntax. cap. 7. pag. 94. Edit. Baſil.* (u) *2 Reg. 15: 19. & 20.* (x) *Gen. 33: 17.* (y) *2 Reg. 15: 17.* (z) *Pſalm. 114: verſ. 1.* (aa) *Exod. 2: 1.* (bb) *Ezech. 27: 14.*

(cc) *Deuteron. 15: 9.* (dd) *Sothæ Miſchna cap. 1. hal. 2.* (ee) *Maſſechet Schabbath folio 118: 2.* (ff) *Gloſſ. cod. Gittin. folio 52: 1.* (gg) *Proverb. 30: 26.* (hh) *in Vajikra Rabba Sect. 12.* (ii) *Lexic. Talm. pag. 302.* (kk) *Not. in h. l. pag. 140.* (ll) *verſ. 8. pag. 133.* (mm) *Num. 32: 36. Ioſ. 13: 27.* (nn) *Num. 32: 3.* (oo) *Num. 32: 3.* (pp) *Ioſ. 13: 17.* (qq) *Hoſ. 10: 5.* (rr) *Hoſ. 10: 8.* (ss) *Cod. Taanioth fol. 69: 1. Edit. Cracov.* (tt) *Cod. Berach. cap. 1. f. 2.* (uu) *Cod. Peah. fol. 20: 2.* (xx) *in* יפה מראה *pagina 66. fol. 2. cap. 2. Edit. Ven.* (yy) *Fol. 20: 2.* (zz) *Bereſchit Rabba Sect. 19. fol. 18: 2.* (a) *Bava metzia fol. 26: 2. Cholin fol. 49: 1. Cod. Avoth. cap. 1. hal. 6. fol. 25: 2.* (b) *Hal. 7.* (c) *Bibl. Rab. pag. 332.*

Ben Gerſon vocem היולאני modo ita ſcribit, modo ſine א conf. Buxtorf. (d)

§. XI. His jam expeditis novam difficultatem parit ſitus hujus urbis, nam Chriſtianus Adrichomius (e) quinque in Palæſtina hujus nominis ponit loca, tres urbes & duos vicos, Primam urbem (f) dicit fuiſſe in tribu Nephtalim ſitam in ſuperiori Galilæa, ſecunda juxta eum (g) erat civitas valida in tribu Iſaſchar, juxta quam in firmiſſimis montibus præruptæ erant ſpeluncæ, de hac Joſephus agit (h). Situm vero ita deſcribit Rabbi Abraham Zacuth l. c. ארבל בין ציפורי לטבריה, *Arbel erat ſita inter Zipporim*, [de qua vid. Adrichomium (i) Lightfoot, (k) Rabbi Abraham Zacuth, (l) & Joh. Henricum Ottonem (m)] *&* *Tiberiada* [de qua vide Lightfoot (n) Buxtorf. (o) Ottonem (p) aliosque.] Erat proinde & hæc ſita in Galilæa, ſed in eo differebant, quod prior eſſet urbs Galilææ ſuperioris, hæc inferioris. Tertia urbs ſita erat in tribu Juda (q) & ſicut Arath, (r) & Jardan (s) eſt terminus Judæ ad meridiem, ita quoque Aorabi, (t) & Arbela, ſunt terminus Judæ ortum Solis aſpiciens. (u) Sed quod ad vicos unum collocat idem (x) in parte tribus Manaſſe ultra Jordanem in finibus Pellæ civitatis Palæſtinæ. Hujus vici mentionem facit Hieronymus, (y) & ſcribit eum ad ſuam ætatem usque fuiſſe vicum. Alterum denique Adrichomius (z) dicit eſſe in tribu Zabulon, vicum in campo prægrandi, diſtantem ab oppido Legionis milliaribus novem. Hujus quoque vici mentionem facit Hieronymus. (aa) In eo autem vehementer errat Chriſtianus Adrichomius, & cum eo Paulus Crellius, (bb) ac Leuſdenius, (cc) dum ſcribunt, mentionem fieri hujus vici apud Strabonem, (dd) cum in eo loco non loquatur Strabo de vico terræ ſanctæ, ſed de Perſidos ſeu Aſſyriæ urbe, ubi ſtragem Darii eſſe factam, putant nonnulli, ut ſupra cap. I. dictum.

§. XII. Contra Jacobus Bonfrerius (ee) putat tres Arbelas, quas diſtinguit Adrichomius, nempe primam & ſecundam urbem ac alterum vicum ſaltem unam fuiſſe urbem, ſitam in confinio trium harum tribuum ad eundem modum, ut Legio urbs: Tertiæ vero urbis ſcribit nullum in Scripturis eſſe veſtigium, etiam ubi termini tribus Judæ deſcribuntur. (ff) Similiter & priorem vicum in Scripturis nuſpiam commemorari aſſerit. Hoc certum eſt Geographos de hac urbe tanquam de Eridos pomo litigare, & vix certi aliquid in tanta confuſione poſſe ſtatui, ideoque nos eo facilius veniam conſecuturos eſſe ſperamus, ubi non omnia fuerint acu tacta.

§. XIII. Initio autem nolumus de eo diſquirere, quænam nominum diſtributio ſe recte habeat Bonfreriine an Adrichomii, ſed quinam ex iis locis, quæ Adrichomius recenſet, huc pertineat, inquiremus. Et quidem quod ad tertiam urbem, ut ab ea initium faciamus ea plane huc non pertinet, eſt enim ſita in tribu Judæ, alias Bala & Segor dicta, ut vult Bonfrerius, (gg) & Hieronymus l. c. Salmanaſſer autem non bello non invaſit Judæos, ſed Iſraelitas, neque repugnavit urbem Judæ, ſed Iſraelitarum, adhæc potuit urbs iſta hoc nomine appellata eſſe tempore Hieronymi, antea vero aliud nomen habuiſſe. Neque etiam ſecunda urbs huc ſpectat, ea enim nimis diſtabat à terra Aſſyriorum, non autem veriſimile, eum eo usque progreſſum eſſe in terra Iſraelitarum, & à Ninive egreſſum totam Galilæam ſuperiorem & inferiorem devaſtaſſe. Si enim id factum eſſet, non unius urbis, ſed totius regionis mentionem feciſſet Scriptura. Eadem & duorum vicorum ratio eſt.

§. XIV. His κατ' ἄρσις expoſitis, κατὰ θέσιν quoque procedemus. Statuimus proinde h. l. intelligi debere urbem ſitam in Galilæa ſuperiori, & quidem in Tribu Nephtalim, à qua & circumjacens regio Arbelis dicta ſit, cujus mentio fit, uti dictum, in Apocryphis. Joſephus ita ſcribit, (hh) Ἀρβήλα πόλις τῆς γαλιλαίας, ſive Arbela urbs Galilææ; Quod ſitum attinet, ſitus hujus urbis erat inter Cedes Nephtalim & Maſaloth juxta delineationem Adrichomii & Heidemanni. (ii) Hanc urbem 24. milliaribus diſtare ab urbe Hieroſolyma, ſcribit Paulus Crellius loc. cit. ſed videtur eſſe ἁμάρτημα μνημονικὸν, eumque in mente habuiſſe Samariam, ſiquidem ſi Adrichomii delineationi fides habenda, cum qua conſentit Nicolai Viſcheri delineatio terræ ſanctæ Anno 1659. edita, circiter 23. vel 24. milliaribus diſtabat verſus ortum à Samaria. In regione Arbelis ſita erat Maſaloth non procul ab urbe Arbela, quam Macchabæorum tempore expugnavit Bacchides, ejusque cives trucidavit, ſicut & idem Demetrii Syriæ Regis Dux ad urbem Arbelam caſtra poſuit, & ſpeluncam, quæ circa eam erat, & Arbelorum ſpelunca vocabatur, expugnavit, ad quam magnus Judæorum numerus confugerat, ut autor eſt Joſephus, (kk) hanc quoque ſpeluncam Joſephus Hiſtoricus, dum Galilææ præeſſet, contra Romanos munivit, ut ipſe teſtatur in vita ſua.

§. XV. Sed pugnant inter ſe, inquies, Joſephus & Autor librorum Macchabaicorum, dum ille Arbelam ponit in Galilæa, hic vero eandem in Galgala collocat. Ad hoc regerimus (1) ſupponendo, quod Galgala & Gilgal unum idemque ſint, perque has duas voces una eademque regio innuatur. (2) Galilæam in genere & Gilgal [non tamen illud, cui Joſua (ll) nomen illud indidit, ſed iſtud, cujus mentionem facit Moſes, (mm) tunc enim nomen Gilgal iſtius prope Jerichonta nondum erat in rerum natura] eſſe unam regionem, id quod evincimus (1) ex ipſa ſcriptione & cognatione Etymi, nam & גליל & גלגל idem habent Etymon, nempe גלל. (2) Ex loco Moſis citato, ubi dicitur, *nonne Gerizim & Ebal ſunt ex adverſo Gilgal*, jam conſtat ex Geographia, quod hi montes fuerint è regione, & ex adverſo Galilææ in genere ſumptæ, conſequitur ergo, quod Gilgal & Galilæa in genere ſint unum idemque. (3) Ex verſione LXX. Interpretum, qui locum Joſuæ (nn) גוים לגלגל reddiderunt γεὶ τῆς γαλιλαίας. (3) Proinde reſpondemus, Galilæam Joſephum intelligere in genere non determinando, an ſuperior an inferior ſit, Maccabaiκῶν vero Autorem eam etiam in genere deſcribere, quod ſit urbs Galgalæ ſeu Galilææ in genere, determinare tamen ſimul ſitum, dum addit, urbem Maſaloth [quam ſicut & Arbelam expugnavit Bacchides, id quod & Joſephus & Autor Maccabaiκῶν deſcribit] utpote ſitam in ſuperiori Galilæa in tribu Neptalim, inque regione Arbelis dicta.

§. XVI. Expedito hoc, en nova difficultas! Urgere enim quis poſſet, Galilæam jam vaſtatam fuiſſe à Tiglathpalaſſare tum ſuperiorem, tum inferiorem, incolasque abductos fuiſſe, quomodo ergo potuit hic Arbela utpote urbs Galilææ ſuperioris tam crudeliter vaſtari à Salmanaſſare. Fatemur equidem, hanc objectionem non plane nullius eſſe momenti, reponimus tamen ei (1) & nos omnino concedere, quod incolas Galilææ ſuperioris & inferioris abduxerit, id enim clarum eſt ex Scripturis, (oo) & putant nonnulli, eum ob abductionem Galilæorum nomen Tiglath ſortitum eſſe, ut refert Chriſt. Matthiæ, (pp) inde tamen non ſequitur, quod eandem & in ſpecie quandam ejus urbem non potuerit vaſtare Salmanaſſer, neque enim Tiglathpalaſſer terram abduxit, ſed incolas, & veriſimile quam maxime eſt, non eſſe vacuas relictas urbes per hos novem annos, qui inter Tiglathpalaſſarem & Salmanaſſaris expeditionem primam interceſſerunt, ſed novis colonis adimpletas, præcipue vero urbem Arbelam, cum fuerit contermina terræ Aſſyriacæ, præ omnibus ab iis munitam fuiſſe. (2) Diſtinguendum inter abductionem incolarum & devaſtationem regionis, Incolas abduxit Tiglathpalaſſer, regionem vero vaſtavit Salmanaſſer. (3) Inter vaſtationem totius regionis & deſtructionem unius alteriusve, Tiglathpalaſſer vaſtare quidem potuit regionem, Salmanaſſer vero urbem Arbelam, quoniam munitiſſima erat, & in confinio Aſſyriorum ſita, penitus deſtruxit, ne impoſterum poſſit ejus conatus impedire. Quæ tamen rurſus poſt multa tempora eſt extructa, à Bacchide vero demum penitus deſtructa.

§. XVII. Ne autem videamur ſola vocis ſimilitudine niti, alia quoque in medium proferemus argumenta, partim ex συναφείᾳ textus, partim ex locis parallelis, partim ex Chronologia aliisque locis hermeneuticis petita.

§. XVIII.

(d) *Lex. Talm. pag.* 606. (e) *Theatro terræ ſanctæ.* (f) *pag.* 102. (g) *pag.* 35. (h) *Lib.* 14. *Antiqu. cap.* 24. *pag.* 389. *Lib.* 1. *Belli Jud. cap.* 12. *pag.* 570. (i) *pag.* 142. (k) *Cent. Chorog. Matth. præmiſſ. pag.* 113. *&* 114. (l) *l. c. fol.* 21: 2. (m) *Lex. Rab. pag.* 681. (n) *l. c. pag.* 130. (o) *comment. Maſ. pag.* 15. *ſequ.* (p) *l. c. pag.* 655. (q) *pag.* 38. (r) *Hier. loc. Hebr.* (s) *Joſephus lib.* 3. *Belli Jud. cap.* 2. (t) *Hieron. loc. Hebr.* (u) *Idem.* (x) *pag.* 78. (y) *l. cit.* (z) *pag.* 136. (aa) *l. cit.* (bb) *prompt. bibl. pag.* 38. (cc) *Onomaſt. Sac. pag.* 30. (dd) *lib.* 16. *pag.* 853. (ee) *Addit. ad Euſeb. Onom. pag.* 31. (ff) *Joſ.* 15. (gg) *l. cit. pag.* 31. (hh) *Lib.* 12. *Antiqu. cap.* 18. *pag.* 332.

(ii) *Deſcript. Pal. pagina* 177. (kk) *lib.* 12. *cap.* 18. (ll) *Joſ.* 5: 9. (mm) *Deuteron.* 27. (nn) *cap.* 12. (oo) 2 *Reg.* 15: 29. (pp) *Theatro Hiſt. Theor. punct. pag.* 57.

§. XVIII. Et quod ad συναφειαν textus per integrum hoc caput Propheta in eo totus est occupatus, ut exaggeret peccata Israelitarum, & per exempla punitæ idololatriæ ad pœnitentiam eos adducat. Adducit autem tale ob idololatriam commissam exemplum pœnæ, quod in omnium oculis ac memoria adhuc erat, ut hoc recentissimo facto admoniti resipiscant, ne penitus per eundem Salmanassarem, qui jam tam crudeliter sæviit, propter Idololatriam pereant. Quoniam enim Hoseas nihil curans fata sui antecessoris, quippe quo regnante incolæ Galilææ ad Nephtalim à Tiglathpalassare in miseram servitutem erant abducti (de eo enim nolumus hic solliciti esse, an Tiglathpalasser tres tribus, Salmanasser septem abduxerit, ut vult Marinus Sanutus Torsellus (qq), qui continetur in Tom. 2. orientalis Hist. an vero quinque tribus à Tiglathpalassare & reliquæ quinque à Salmanassare abductæ sint, ut contendit Cornelius à Lapide (rr), an denique duæ à Tiglathpalassare, & octo à Salmanassare, ut Joh. Baptista de Gramaye (ss) statuit) insistebat viis malis, faciebatque displicentia Deo, adorabat idola & vitulos auratos, excitabat Deus contra eum Salmanassarem Regem Assyriorum, qui in terram veniens vastabat regionem Galilææ & in reliquos à Tiglathpalassare relictos novosque colonos crudelissime sæviebat, imprimis vero atrociter infestabat incolas Arbelæ, utpote quæ in finibus terræ Assyriorum sita erat, adeo, ut ne quidem liberorum in utero materno pepercerit. Hæc animadvertens Hoseas cogebatur, utpote minus validus ad tam potenti & inopinato hosti resistendum, pacem cum eo inire, his quidem conditionibus, ut ei quotannis tributum penderet. Hoc itaque exemplum crudelitatis hic ad commovendos reliquos adhibet Propheta, utpote quod adhuc in omnium recenti memoria erat, & dicit, quemadmodum Salmanasser in irruptione nuper facta crudelissime sæviit in Arbela urbe nostræ terræ, adeo ut quoque matres super filiis alliserit, & sic nulli ætati, nulli sexui pepercerit; ita quoque omnes munitiones tuas, omnia loca munitissima tua, ô terra Israel, vastabit idem Salmanasser, eandem quoque crudelitatem erga Te exercebit, nisi resipiscas. Hæc autem atque talia feci tibi, ô Bethel, propter Idololatriam tuam, siquidem ibi sedes ejus erat. Loquitur enim propheta, cum dicit, feci, more prophetico, quo tanquam præterita narrantur, quæ futura prophetabantur, quoniam quæ ventura erant in prædestinatione & prævisione Dei velut facta erant, quia certa erant, ut loquitur B. Augustinus (tt).

§. XIX. Verum, locus hic, objicias, non potest de Salmanassare intelligi, quoniam per totum hoc & antecedentia integra capita de eo loquitur Propheta, nusquam vero ejus nominis mentionem facit, cur igitur hoc loco illum nominasset, & quidem decurtato nomine. Si enim de eo locutus hoc loco esset, adhibuisset הוא aut aliud pronomen, non vero nomen ejus decurtasset; verum nos regerimus, magis emphatice loqui voluisse Prophetam, cum dicit, omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastavit Salman Beth Arbel tempore Belli, quasi dicat, omnia munita loca tua destruentur, sicut ille, qui quidem à pace, non tamen ut Assertor, sed ut destructor nomen habet, omine & facto implevit nuper, quod nomen indicabat, cum armata manu terram nostram invaderet, & crudelissime destrueret Arbelam, nulliusque ætatis, nullius sexus, nullius partus in utero materno rationem haberet, sed omnia citra misericordiam destrueret.

§. XX. Aliud insuper argumentum ex eadem συναφείᾳ textus & quidem ex voce שאון petimus, cum dicitur, *& surget* שאון ubi per שאון intelligitur tumultus excitatus ab exercitu Israelis in bello cadentis, dum alii occiduntur, alii capiuntur, dum ut canit Poëta Mantuanus:

—— —— Domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur, penitusque cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant. ferit aurea sidera clamor.

Hoc vero optime dici posse de Salmanassaris expeditione prima 2 Reg. 17: 3. descripta, clarum est ex voce עלה, cum dicitur עלה עליו, quæ vox עלה quando conjungitur cum particula על semper hostilem incursionem & belli illationem indicat, cum quis armata manu contra aliquem insurgit, omnia vastat, crudelissimeque urbes diripit, & incolas interficit, conf. Judic. 1: 1. 1 Sam. 7: 7. 2 Sam. 5: 15. Es. 7: 6. quam crudelitatem à Salmanassare in prima irruptione perpetratam esse vel inde patet, quod coactus fuit Hoseas, ut eam ab ulteriori vastatione & desolatione arceret, tributum pendere annuum. Non enim eum ad hoc tributum fuisse adactum, par est credere, nisi notabili aliquo exemplo hac ipsa expeditione patrato, ne nempe, si hoc renueret, totum regnum desolaretur.

§. XXI. Tertium argumentum desumimus ex eadem συναφείᾳ textus, ex vocibus ביום מלחמה, inde argumentamur; si desolatio crudelissima urbis Arbelæ h. l. adducta, à Salmanassare perpetrata, accidit tempore belli, & tamen nunquam terram Israelitarum invasit Salmanasser, nisi tempore Hoseæ, ejusque regni initio, ut patet ex 2 Reg. 17: 3. consequitur eandem Historiam h. l. adductam sub initio Hoseæ regni accidisse. Antecedens autem ita omnino se habet, erit proinde & certum, quod ex eo tanquam consectarium fluit.

§. XXII. Quartam probationem ex remedio alio hermeneutico, nempe ex κελτικείῳ sive charactere Assyriorum eruimus. In omni enim ferme loco considerandum probe est, quæ unicuique populo κελτίκεια, ut verba Excell. Dn. Stolbergii, Præceptoris mei ob summam dexteritatem æternum devoto pietatis cultu suspiciendi, in collegio manuscripto de arte interpretandi (uu), mea faciam, ac characteres, tum à Scriptoribus S. tum à profanis tribuantur, ut inde facta collatione cognoscatur, quæ sint eædem gentes &c. Cum itaque sacras evolvimus literas, apparet, Assyriis semper tributam esse crudelitatem, sic 2 Reg. 15: 29. Tiglathpalassari luctuosissima clades, qua affecerit Israelitas, dum cædibus ac ruinis grassatus est, & Israelitarum partem in miserrimam captivitatem abduxit. Idem Tiglathpalassar Syriam vastavit, Damascum cepit, Regemque Rezin oppressit, ac denique contra Regem Judæ bellum gessit, ex Metropoli sua Ninive Hierosolymam profectus, urbem obsedit, sed cum eam expugnare non posset, muneribus ab Achazo placatus Niniven rediit. Similiter quoque Salmanasser, antequam penitus expugnaret Israelitas ac Samariam, magna vi ac crudelitate eam invasit; & tandem in ipsa expugnatione urbis & abductione decem tribuum crudelissime sæviit. Denique Sennacherib Patris exemplum imitari, & reliquas tribus duas delere voluit, sed infelici successu. Adeo fere perpetui Israëlitarum & Judæorum hostes fuere Assyrii, quamdiu regnum fuit apud ipsos. Concludimus proinde, & hoc crudelissimum factum à Salmanassare fuisse perpetratum.

§. XXIII. Sed objicere quis posset, & urgere pro Reformatorum sententia, eadem ratione hocce argumentum pro eorum de expugnatione urbis Assyriacæ, quam pro nostra sententia pugnare. Ast regerimus, hoc in se quidem verum esse, sed si indolem divinioris Scripturæ aspiciamus, tum esse hanc rationem pro nobis. Non enim solet Scriptura exempla adducere factorum in terris peregrinis patratorum, sed manet in exemplis, quæ in terra sancta occurrerunt.

§. XXIV. Similiter quoque quintum argumentum depromimus ex charactere Galilæorum, nempe, ut citat Johan. Baptista de Gramaye (xx) ex Josepho, Galilæi ab infantia bellicosi erant, quam primum igitur Salmanasser ex terra Assyriorum egressus, Galilæam superiorem infestabat, utpote conterminam, verisimile est, eam ejus conatibus restitisse, inprimis vero defensionem suam pro viribus suscepisse urbem Arbelam, utpote valde munitam, hincque commotum esse Salmanassarem ad iram, eaque expugnata totam devastasse, & in ea crudelissime sæviisse.

§. XXV. Cum autem Chronologia, quæ res gestas aliaque notatu digna ad certum tempus accommodat, h. l. difficilis sit & obscura, valde interim utilis & necessaria, hinc ne videamur cum ea pugnare, pauca adhuc loco sexti argumenti ex ea in medium afferemus, præcipue cum nobis id objiciat B. Friedlibius, cum scribit, *penitus non verisimilem esse illorum sententiam*, qui nomen urbis Arbel & Salman Salmanassarem esse statuunt, *utpote cum Hoseas ad illa Salmanassaris tempora non usque vixerit vel scripserit, nam quod docet libri inscriptio, & ad eam collati Synchronismi, Tiglathpalassarem Assyriæ Regem cognitum habuit, Salmanassarem vero minime, utpote qui Israëlis populum delevit penitus*, quod etiam inculcat Hugo Grotius, cum inquit: hæc scripta esse ante Salmanassaris tempora, si modo notatio temporis initio scripti libri ad totum librum pertineat. Verum hæc prorsus sunt ἀνακόλουθα, & nos respondemus (1) in genere, verbis B. Gesneri (yy), *convenit cum tempore & Chronologia, nam Hoseas con-*

(qq) *Secret. Fid. Crucis lib. 3. part. I. cap. 5. p.* 104. (rr) *In Lib. Reg. p.* 275. & 281. (ss) *Hist. Asiat. p.* 136. (tt) *Lib.* 17. *de Civit. Dei cap.* 18. *p.* 477.

(uu) *Sect.* 2. *Can.* 10. (xx) *l. c. pag.* 104. (yy) *loc. c. pag.* 391.

concionatus est tempore Achazi & Ezechiæ Regum Judæ, anno autem duodecimo Achazi Oseas filius Ellæ factus est Rex Israëlis, contra quem ascendit Salmanasser, eumque primo tributarium fecit anno ipsius decimo, & Ezechiæ quinto, deinde carceri inclusit, & tandem anno nono ac ultimo ejus regni decem tribus abduxit, quod in annum Ezechiæ septimum incidit. 2 *Reg.* 18: 9. Quod vero (2) in specie ad Friedlibium, is confundit irruptionem primam & secundam, nam possumus & nos concedere de posteriori, quod non totalem abductionem Israëlitarum viderit, interim tamen vixit tempore irruptionis primæ, & sic expugnationis Arbelæ. Ad Grotii vero effugium (3) respondemus, & notationem temporis initio libri ad totum librum pertinere, & tamen esse hæc scripta tempore Salmanassaris paulo post irruptionem primam, in qua hæc clades accidit, si modo rite perpendisset Grotius textum originalem, & ex rei veritate magis, quam ex præconceptis opinionibus judicasset.

§. XXVI. Sed cum nobis chartæ angustia exclusis prolixioribus esse haud liceat, ea quæ supersunt in hoc cap. una cum Tertio in Tertia Disp. proxime, Deo propitio, ventilanda τοῖς ἱερολογοφίλοις daturi sumus. De allatis autem ut benivole judicet B. Lector, est quod contendo, & pro concessis viribus devoto animo dico atque ago omnium rerum autori

DEO GRATIAS.

PARS III.

CONTINUATIO CAP. II.

§. XXVII.

VErum objicias, Destructionem Arbelæ nusquam commemorari, eamque ignorare omnes Historicos Sacros & profanos, non posse ergo hunc locum de ea exponi. Hanc objectionem resolvimus, & quoniam duo membra in se continet, ad singula seorsim respondemus. Quod silentium Sacrorum scriptorum attinet, notanda ibi (1) probe est distinctio inter id quod fit explicite & implicite, jam limitamus ita. Ignorant eam omnes Historici Sacri & nusquam commemoratur explicite, sic concedimus prius, sed tunc falsum est, quod ex eo sequitur. Etiamsi enim aliqua historia non extet explicite in Scripturis amplius, sufficit si implicite contineatur, jam implicite nostra habetur in Scripturis. 2 Reg. 17: 3. (2) plura talia exempla habemus in Scripturis, ubi in uno saltem loco mentio fit historiæ, quæ nullibi alias narrata invenitur, & hæc vocant exempla Philologi ἅπαξ λεγόμενα. Sic in Epist. Judæ vs. 9. mentio fit disceptationis Archangeli Michaëlis cum Dracone de corpore Moysis, de qua in V. & N. T. nec vola nec vestigium apparet. Inde tamen non fluit, nos non posse certos esse de vera explicatione & sensu ejus. Quod enim affirmat Scriptura, affirmet & Philologus, quod negat, neget, etiamsi quandoque rationi nostræ videatur incongruum, quod non ita aperte indicat, in id inquirat accuratius, & videat an & qua ratione verum & certum possit eruere sensum. Quod autem ad profanos. Fatemur equidem nullum profanum scriptorem distincte describere hanc historiam, verum id neminem movere debet, solet enim id accidere omnibus barbaris s. peregrinis historiis apud Græcos, quæ cum in Linguam Græcam transferuntur, ita mutilantur ac corrumpuntur nomina, ita historiæ inter se confunduntur, ut per eam corruptionem ac confusionem omnis fere antiquitas historica obscura ac difficilis reddita sit. Id quod etiam dedit ansam Eruditis passim gravissime conquerendi, immo jam suo tempore de hoc vehementer conquestus est Josephus (a). Sic ut unum alterumve attingamus exemplum, Diodorus Siculus ea omnia, quæ fecit Salmanassar, tribuit Sesocho Regi Ægypti. Menander Ephesius antiquissimus scriptor, qui in fragmentis apud Scaligerum (b) invenitur, perstringit quidem eam expeditionem, quæ 2 Reg. 17: 3. describitur, sed ita confundit cum gestis Tyriorum ac aliorum, ita detrahit ac addit, ut certiores simus, si ejus mentem non percipiamus, quam si eundem legamus. Hæcque causa est, cur in talibus conjecturis standum. Si vero Græci retinuissent historias, uti acceperunt, tum nulla esset obscuritas. Ex his tamen non sequitur, nos non posse verum locorum assequi sensum. A Silentio enim profanorum scriptorum ad negationem facti non valet consequentia. Adhæc non opus est assensu profanorum scriptorum. Scriptura non eget teste alio, ipsa in se est ἀξιόπιστος, sufficit, si è proprietate sermonis aliisque locis hermeneuticis demonstretur, id quod à nobis jam præstitum esse omnino speramus. Multa facti leguntur apud Veteres profanos scriptores semel tantum & ab uno solum Historico descripta, & tamen nemo adeo durus est erga eos, ut semper requirat alium propter id factum ab uno hoc solum Historico relatum.

(a) *Lib. I. A. I. C.* 10. (b) *Pag.* 46.

§. XXVIII. Cæterum cum Masora sit סיג לתורה. Ita ut illa omnis corruptio arceatur, observante Excellentissimo Frischmuthio (c) & S. Scripturæ lectio sic hac Masoretharum industria circumvallata sit ac teneatur, ut haud facile vel vox intrudi vel excidere queat, quin facile ope hujus sepimenti animadvertatur vel arceatur, hinc quoque eandem h. l. considerabimus. Verba autem ejus in Bibl. Venetis hæc sunt de voce Arbel, ל׳ ומלא *Non amplius occurrit, plene tamen scribitur.* Ex quo concludimus eam non esse contra nos, imo magis pro nostra, quam pro reliquorum sententia. Siquidem & nos statuimus אין חבר לו במקרא eam non habere locum parallelum explicite in Scriptura, & tamen nihil ei deesse, sed plene esse scriptam. Contra vero reliqui non plenam eam esse contendunt h. l. vel ex hoc indicio, quia corrumpunt textum, vel detrahendo, vel addendo, vel permutando, & quæ hujus μεταμορφώσεως genera alia sunt. Eam autem in scripturis amplius occurrere, ποικίλαις τέχναις, sed frustra, demonstrare conantur.

(c) *Disp. de Sepimento Legis.*

CAPUT III.

§. I. POstquam igitur per hunc fluvium cum agnis ambulavimus, salvique ad portum pervenimus, restat ut etiam Elephantum peditationes contemplemur, & quam misere se torqueant, quantosque in luce veritatis dent fucos, dispiciemus. In quo quidem non ita geremus, ut singulas eo ordine, quo Disput. I. enarratæ sunt, sententias assumamus, in earum veritatem inquiramus ac succincte refutemus.

§. II. Quod antequam molimur, lubet brevibus causas, cur in diversas tamque discordes abeant interpretes sententias, narrare, quæ penes ipsos latent Commentatores. Multi enim præsertim antiqui Patres, sine omni peritia Linguæ Hebrææ & Rabbinicorum scriptorum ausi tamen sunt Scripturas interpretari. Multi quoque periti hujus linguæ, nimium indulgent suis ingeniis, & id tantum asserunt ac eruunt, quod ipsis placet. Nec aliter comparatum est cum iis, qui etiamsi meliora edocti, receptas tamen deserunt opiniones novitatis studio, & novas fingunt ex lusu ingenii, non ut eas foveant, sed ut aliquid singulare præ reliquis habeant. Sunt etiam, qui non debitam adhibent diligentiam & industriam. Nonnulli præterea sibi ipsis fingunt falsas regulas Grammaticas & Hermeneuticas. Ut nihil dicam de Pontificiis, qui non tam errant, quam errare volunt, aut debent. Verum hi omnes à recto tramite abeunt, & quo magis se conantur expedire, eo magis in fluctus incidunt. Debitæ adhibendæ regulæ, debitaque usurpanda remedia sunt.

§. III. Jam ordinis ratio nobis sistit מדרש s. expositionem allegoricam Targumistæ & Isacidis. Ubi monemus in genere *eum, qui in scriptis Hebræorum Veterum versatus* est, ut verba Buxtorfii (a) mea faciam, *hoc non mirari, Passim enim allegorias venati & sectati sunt, & perinde habuerunt sive mysticum, sive literalem sensum sequi: non quod literalem sensum rejecerint, sed quod illo, ceu claro & plano, relicto ac præsupposito, has expositiones Lectori simul suggerere voluerint.* In specie ad Chaldæum Paraphrastem Aben-Esra dicit (b) ומתרגם התורה ארמית תרגם אמת ובאר לנו כל נעלמת ואם דלק במקומות אחרי מדרשים ידענו כי יותר ממנו ידע השרשים רק חפץ להוסיף טעמים Et post pauca אחרים כי פשוטו יבינוהו אפילו הבוערים ובעבור הדרש דרך הפשט איננה סרה: i.e. *Qui transtulit Scripturas in Linguam Chaldaicam, veritatem transtulit & omnia occultata nobis manifestavit. Et si in quibusdam locis assumit Medraschim, sciendum est, quod melius quam nos intellexerit sensum radicum* (id est, simplicem ex radicibus fluentem) *verum voluit alios addere sensus, quoniam Literalem etiam bardi intelligunt. It. Sed propter*

(a) *Vid. Ver. Hebr. P. 2. C. 10. pag.* 711. (b) *Præf. Rythm. in fine.*

propter Medrasch non cessat sensus literalis: Idem quoque quoad Jonathanem testatur Isacides (c) דרכו של יונתן לתרגם התיבה פעם משמעה פעם מדרשה: *Solet Jonathan quandoque vocem aliquam literaliter, quandoque allegorice exponere.* Quod autem ipsum attinet Isacidem, is semper Medrasch præfert sensui literali, inque eo quædam quasi colluvies Judaicarum fabularum & sentina expositionum Mysticarum deprehenditur, ideoque plerumque reprehenditur ab Aben-Ezra. Non autem opus est, ut multis ostendamus, hic esse expositionem allegoricam; hoc enim mero meridie clarius est, & forte infra plenior differendi dabitur campus. Has proinde conjecturas utpote ingeniosas, prorsus rejicere non possumus, easdem tamen vel ideo non hic locum habere statuimus, quia sensum literalem attendimus, non mysticum. Verum enim omnino est Judicium, quod de horum Appellarum Mysticis explicationibus tradidit eorum doctor sapientissimus Aben-Ezra loc. cit. ואשר מעט השכל בלבו ואף כי אשר חכמת אלהים בקרבו יוכל להוצא מדרשים וכלם כנגד הגוף הפשוט הם כמלבושים וקדמונינו זכרונם לברכל אמרו על כבה אין מקרא יוצא מידי פשוטו: *Quicunque parum pollet intellectu, quanto magis qui divino præditus est ingenio, potest Medraschim excogitare, omnes a. ea,* (quantæ & quales etiam sint) *respectu sensus literalis sunt sicut vestimenta respectu corporis. Propterea n. tale effatum nobis reliquerunt Majores nostri, Scriptura non recedit à sensu literali.* Si vero quis vellet obvertere, eos ne literas attendisse, adeoque ignorantiæ cujusdam arguere, quasi non fuerint periti hujus Linguæ. Unde enim in voce שלמן si appellativum sit nomen, ן erit, quomodo comparata deberent esse puncta? in promtu esset, quod ipsi responsi loco daremus. Probe enim attendendum est effatum R. Eliæ Levitæ (d) והנה המתרגמים לא שמרו לפעמים דרך הדקדוק: *Ecce Paraphrastæ Chaldæi quandoque non observarunt rationem Grammaticæ*, רודפין ענין לא המלות. *sensum observarunt non voces & literas* ut loquitur Ramban in legem (e) Sicque cum textu Hebræo non ut Paraphrastæ, sed ut Commentatores conferendi sunt. Ex hac autem versione Rabbinorum variam lectionem Codicis Hebræi posse argui, quod putat Capellus, est falsissimum. Abunde ad id responsum à Buxtorfio. Nolumus proinde actum agere. Restat Lyranus, qui deceptus est à Judæis, & quod illi על דרך דרש intellexerunt, is κατὰ πόδα & על דרך הפשט explicavit.

§. IV. Et hæc de prima classe. In altera illi, qui has voces de nominibus Virorum, non determinando eos, intelligunt, לא אמרו כלום, sed verba eorum דברי רוח, ut loquuntur Judæorum Doctores. Eadem enim facilitate qua id asserunt, nos id rejicimus. Ad hæc ostendendum ab eis est, ubinam locorum vox שור de Viro accipiatur in Scriptura S.

§. V. Sed pergimus ad sententiam Patrum antiquorum & Pontificiorum, ubi quis obvertat, istam, quia tantorum virorum nititur autoritate, merito esse præferendam. Verum ante omnia reponimus, nos non pugnare autoritatibus sed rationibus. Deinde doctores illi ob ignorantiam Linguæ Sanctæ in talibus difficilibus locis neque natare potuerunt, nec vado transire hoc æquor. Scriptorum enim intelligentia pendet ab intelligentia Linguæ, qua sunt exarata. Ad hæc LXX. Interpretum Versio, qua usi sunt Græci Patres, jam horum Patrum ævo valde fuit depravata, adeo, ut tempore Hieronymi jam varie circumferrentur editiones multum discrepantes, nec constaret quænam ex his alteri præferenda. Ex hac porro depravata Græca versione adornata est Latina Vulgata. Si itaque mater tantis vitiis scatet, quid mirum si & filia iisdem sit referta, quid mirum, si patres, qui his versionibus niti debuerunt, errarunt. Sed inquias, Hieronymus fuit Linguæ S. peritissimus & tamen huic sententiæ favet. Quid autem inde? A temporibus Patrum istorum ad nostram usque ætatem res literaria nimium quantam accepit lucem, ut etiam nunc pueri plura intelligere possint, quam olim Centenarii senes de hac Lingua; Hieronymus, ut parum disceret de illa maximos sumtus impendere debebat in Judæos, si vel unius horæ informationem desideraret, quæ hodie gratis fere & docetur & discitur. Denique non recedimus ab hac sententia sine ratione, sine causa, habemus graves causas, & argumenta valde probabilia, imo plane necessaria & stringentia. Siquidem hæc Patrum interpretatio vim facit manifestam Scripturæ S. textui Authentico, qui omnino integer ac illibatus debet conservari ac defendi, quod infra clarius ostendetur. Patet ex his proinde penes Patres, cum errarunt, in culpa fuisse ignorantiam Linguæ S. quoque non fontem sed rivulos scrutari potuerint.

§. VI. Causa autem, cur Pontificii hanc sententiam tueantur, est coactio illa, in Concilio Tridentino peracta, vi cujus ne ad latum quidem unguem recedere debent à vulgata, etiamsi absurdissima & ab omni ratione alienissima contineat. Non enim putamus, omnes Pontificios tam stultos esse, ut crederent vera esse, quæ scripserunt, aut quæ legantur in Vulgato. Cur enim ageret hic Propheta de tam Veteri facto, cum alia multa adsint crudelitatis exempla recens perpetrata. Interim pudet, quod Ecclesia Pontificia, quæ se tantopere jactat & extollit cum suis Pontificibus, Clero & Episcopis, tam stulta fuit, ac tantopere erravit per tam multa secula à vero Scripturæ sensu! Pudet & piget, quod ea debeat rectius informari & castigari ab his, quos ipsa vocat Hæreticos, quos damnat & crudeliter persequitur. Intelligunt etiam periculum, quod inde imminet Ecclesiæ pontificiæ. Si enim erravit in uno, potuit in pluribus errare. Si decepit illa Ecclesia suos auditores in uno, potuit in pluribus, & qui semel malus semper malus, moxque omnem fidem decoxit & perdidit. Hæc sunt rationes, cur ad eo defendant Vulgatam contra scientiam propriam & conscientiam meliorem malo fine ac animo.

§. VII. Causæ autem, cur eam improbemus sententiam ut eo melius intelligi queant, repetendum est ex disputatione prima autores non convenire sed in duas abire partes, erunt proinde quædam cum de utrisque, tum sigillatim de priori ejusque patronis dicenda. Et quidem si salva veritate daretur optio, omnino Cyrilli sententia esset præferenda, utpote quæ magis videtur veritati consentanea, quam altera. Neutram tamen possumus assumere, quia utraque conjuncta est cum corruptione textus. Pugnat utraque cum indole Linguæ S. est enim contra indolem Linguæ S. verbum שֹׁר adhibere de Viro, nusquam hoc sensu reperitur, sed semper de destructione urbium usurpatum. Confundit præterea utraque historias diversissimas. Non enim posse has historias esse parallelas sufficienter indicat differentia nominum. Siquidem nomen Arbel & Jerubaal plane sunt diversa non tantum quoad consonantes sed etiam quoad vocales, & nulla plane ratione conveniunt. Deinde etiam Salman & Zalmuna multum differunt. Unde porro in nomine Salman litera ץ quæ est in voce Zalmuna. Ad hæc prior sententia confundit terminum à quo cum termino ad quem, ut loquuntur in Scholis, sive eos, à quibus perpetrata est illa crudelitas, cum iis, qui tam crudeliter sint habiti. Non enim tribuitur hoc facinus in Scripturis τῷ ארבאל sed τῷ שלמן. Cæterum quod Disput. I. promisimus de αὐθεντείᾳ νοθείᾳ Vulgatæ Versionis, id quo minus præstemus prohibet chartarum angustia, metuendumque nobis est, ne forsan facientes hoc falcem in alienam messem mittamus, remittimus proinde B. Lectorem ad nostrates Theologos pariter ac Philologos, qui hac de re fuse passim egerunt & scripserunt.

§. VIII. Restant jam in hac sententia Pontificiorum nonnulli speciali examini subjiciendi, qui mordicitus pro Vulgata pugnant, præ metu anathematis à Sanctissimo Patre, si eam deserant, exantlandi. Et quidem quod eorum antesignanum h. in l. Riberam concernit, si quis eum sequi velit ex quolibet poterit facere quidlibet, ex homine lapidem, ex ligno aurum, è Mose Mahometem, & ex Scriptura divina Alcoranum, verumque de ejus telis, quod alias dicere solent Rabbini לא הקיץ הישן הזה משנת האולת בעשותו קל וחומר של שטות: Sed paulo penitius inspiciamus ejus argumenta, quantique sint roboris contemplemur. Primum ait, difficile esse tot seculorum consensum damnare: quod argumentum in gentilium Philosophis olim damnatum est ab Ecclesiæ doctoribus. *Non tam bene agitur cum rebus humanis, ut meliora pluribus placeant, argumentum pessimi, turba est.* Seneca ethnicus Philosophus agnoscit. Et gentiles gentium Idololatricarum consensum opponebant Apostolorum paucorum dissensui. II. Ecclesiam putat non debere dediscere, quæ didicit. Imo laudari debet Ecclesia, quæ abjectis erroribus pristinis, veritatem antehac spretam amplectitur. Cum enim cujusvis hominis sit errare, ille tamen maxime insipiens judicatur, qui monstrata veritate mavult in errore persistere. Cum vero III. LXX. Interpretes è Vulgato Latino corrigere vult plane ineptit. Sic enim sordes sordibus purgare conatur, quod est stultum. Utraque versio est & rivus, non ipse fons, ex quo pura aqua petenda, ex quo cognoscitur utra interpretatio aberret, an etiam utraque, ut h. l. IV. כשר passive exponit. Resp. Concedo etiam passive posse exponi si spectetur præcise & absolute, nego

(c) *Ezech. 27: vers. 18.* (d) *In sui Methurgeman Præfat.* (e) *f.* 142.

nego in tali contextu orationis, qualis hic occurrit. Nam cum שור etiam nominaliter usurpetur pro vastatione, quæ & de vastantibus dicitur & de vastatis, potest locum habere passiva interpretatio. Hic autem obstat constructio, quæ est activa non passiva, habet enim nomen agens Salman, & objectum patiens Arbel. V. Quod ait, ex librariorum vitio esse, quod hic scribatur שלמן & Judic. 8. צלמנע, est mera conjectura, omni ratione destituta, atque eadem facilitate rejicitur, qua fuit allata. Hoc enim non valere האפילו תיניקות של בית רבן יודעין אותו: ut loquuntur Doctores Germanici (f). Affert tamen suæ conjecturæ rationes (α) LXX. utroque loco idem nomen habent. Resp. Ergo vitiosa est Græca lectio è fonte & originali textu emendanda. (2) In Editione Londinensi juxta Exemplar Vaticanum impressa habetur σαλαμάν. Ita quoque legit Eusebius (g) alia sed male σαλαμά. Ast Judic. 8. constanter legitur σαλμανὰ, quæ utique sunt diversa (β) Hieronymus de scriptionis diversitate in Græco Codice nihil annotavit. Resp. Num vero vel voluit Hieronymus omnes hujusmodi discrepantias, vel debuit etiam annotare? Et num nihil restat hodie observandum de differentiis inter LXX. & Hebræum textum? quia omnia sunt annotata ab Hieronymo. Excipit Ribera. Fuit diligentissimus. Resp: Etiam diligentissimorum oculos multa fugiunt, quæ non observantur. Non unius hominis est omnia observare. (γ) Ipse jam videtur his suis conjecturis frivolis sane & futilibus diffidere, itaque affert novam rationem. Fuit ergo Schalman binominis. Resp. Si asinus volat, habet pennas. Probandum prius est, Hoseam & Judicum librum de eadem re & historia agere, deinde dispiciendum, quomodo possit diversitas in nomine proprio conciliari. Negato autem priori, posterius est vanum & labor omnis frustraneus. VI. Cum evincere vult Jerubaal & Arbel esse idem, affert Hieronymum, qui dicit, utrumque vocabulum idem significare. Resp. (1) ipse Ribera non videt, quomodo defendi possit assertio Hieronymi. Quando tamen propositum sibi habet falsa in vera convertere, & ex quolibet facere quodlibet, Arbel, derivat ex ריב & א prius facit servile, atque Baalem nominari ait אל Deum fortem per Ironiam. Idem quoque vult Christophorus de Castro. Quæ recitare est refutare, quod si enim omnia velimus examinare, ac suis momentis ponderare, quæ hic disputantur à Ribera, non sufficerent nugis illis describendis paucæ illæ paginæ Exercitationibus nostris permissæ, sed ipsius tractatus inde conficeretur. Hoc addo: Si maxime idem significarent Jerubaal & Arbel, non tamen inde firmum nasceretur argumentum, eandem per utrumque designari personam Nicolaus & Nicodemus idem significant, sed ideo non sequitur, Nicodemum, qui noctu ad Christum accessit Johan. 3. fuisse Proselytum Antiochenum Act. 6:5. VII. ut probet בית valere à Domo, dicit A præpositionem aliquando omitti. Hic subest ὕπουλον. Laudat Pagnini Institutiones, & passim exempla annotata esse dicit, ipse vero ne unicum affert, ex quo potuissemus intelligere, an vera nunc dicat Jesuita. Nec enim nominat præpositionem Hebræam. Dicit A vel De omitti. At quodnam præfixum respondeat apud Hebræos illis Latinis, non exprimit. Novimus passiva aliquando construi sine præpositione cum solo Dativo, ut apud Latinos, Nec cernitur ulli i. e. ab ullo. Verum hic verbum est activum שור Infinitivus Kal, non passivum. Porro in his ל nota dativi præfigitur, ut non possit dici מ vel מן omissum esse. Quæ particula aliquando deficit, cum significatur motus è loco ut Paral. 6:27. VIII. Quod vero præcipuum est in hac controversia, ostendere voluit Ribera, cladem Zalmunæ à Propheta Hosea esse indigitatam. Verum omnino nihil ostendit, nihil probat. Format autem regulam de Scripturæ more & consuetudine in repetitione earundem Historiarum, cum mentio fit historiæ alibi narratæ, sæpe quædam addi solere, quæ in quo fusius narrata est, scripta non sunt. Nimirum in libro Judicum clades Zalmunæ prolixe & copiose descripta est, sed quod matres cum liberis sint occisæ, ibi non narratum, ab Hosea additur & exprimitur, quasi sic omnia transacta confectaque essent, & nullum amplius superesset dubium, sed jam credendum sit omnibus, Historiam utroque loco eandem explanari. Verum multa & tantum non singula ab Hosea commemorata differunt ac discrepant à rebus gestis Gideonis contra Zalmunam. Primo enim uti dictum, Salman Prophetæ est vastator & victor, Zalmuna Judicum idem Ribera interprete cum Salmane, est victus & interfectus. Deinde Betharbel Prophetæ & objectum vastationis à Propheta descriptæ, locus ille, quem cum suis incolis evertit Salman: At Jerubaal sive Gedeon idem cum Arbel est causa efficiens in actis Judicum. Videmus ex his, quam mirabilis sit artifex Ribera, qui ex victo facere potest victorem, ex occiso occisorem, ex urbe vastata principem vastantem, atque hoc contra meliorem & scientiam & conscientiam, tantummodo ut scenæ suæ ac hypothesi inserviat & rivulos turbidos & limosos contra clarum fontem defendat ac huic præferat. *Primus sapientiæ gradus est*, docente Lactantio (h), *falsa intelligere*, *secundus*, *vera cognoscere.* Nos addimus tertium, falsa intellecta abjicere & damnare.

§. IX. Neque prætereunda est temeritas Grotii, qui licet non juraverat in verba Vulgatæ, tamen textum authenticum corrumpere studet, & pro בית vult legi ביר. Sed quis hanc potestatem concessit ei unquam. Tantæ certe autoritatis non est Grotius, ut textum authenticum corrumpere possit. Nec refutatione digni sunt reliqui cum suis frivolis corruptionibus, ac effugiis, quæ omnia moliuntur eo fine ac animo, ut suam Vulgatam defendant ac tueantur.

§. X. Sed progredimur ad S. Cyrillum, qui excusandus merito est, deceptus enim est à LXX. interpretum versione; Siquidem hujus Linguæ ignarus, non potuit alio niti fulcro quam Græcæ Versionis. Jam corrupto fonte omnis inde hausta aqua impura depravataque est & manet. Hieronymus autem Hebræa quidem intellexit, interim tamen voluit ἀσυγκλώστα κλώθειν connectere ea quæ connecti nequeunt. Scilicet voluit conciliare Hebræa cum Græcis & Latinis, quod hic impossibile est.

§. XI. Hos in ordine excipiunt ii, de quibus §. X. disp. 1. egimus, quorum sententia propius accedit ad ingeniosas allusiones quam veras explicationes, cum tamen non de illis, sed de his simus solliciti. Nimirum placet illis Allegorica explicatio, & in specie quidem illa quam Rabbini גמטריא vocant. Sicut enim iidem in Talmude Babylonico (i) statuunt Nimrodum appellari Amraphelem (k) quia: הפיל לאברהם אבינו בתוך כבשן האש. Sicut etiam iidem (l) putant tres illos Angelos, qui venerunt ad Abrahamum (m) fuisse Michaëlem (qui nempe annunciaverit Saræ admirandam nativitatem Isaaci) Gabrielem (qui subvertit Sodomam & Gomorram) ac Raphaëlem (qui sanavit Abrahamum à morbo circumcisionis) & quidem hæc על דרך דרש inque specie על דרך גמטריא Ita quoque Benjamin est Salman על דרך גמטריא שכשנולד בנימין נשלמו השבטים לשני עשר Ita & Gibea est Arbel: מפני ששמו לו אנשי ישראל אורב מאחרי העיר. Verum nos sumimus verba כמשמעם secundum sensum literalem, & ineptias horum λιπαδερμῶν mittimus.

§. XII. His expeditis devenimus ad Capellum, ubi nemini videri mirum debet quod corruptionem textus arguat. In toto enim & vasto suo volumine, quod inscripsit, Criticam S. nihil aliud agit, nihil aliud molitur, quam ut textum Authenticum corrumpat, corrigat, omnibusque modis pervertat, atque hac ex parte succenturiantes habet novellos quosdam sciolos, R. Mosen Levi, vel larva detracta, Richardum Simonium, Marcum Meibomium, aliosque, quorum symbolum est illud Cartesii: Dubito, ergo sum. Quod vero ipsam ejus expositionem attinet, est mera conjectura, ne gry quidem digna, Salmanassarem Arbela oriundum fuisse. Ad hæc quid opus esset hac commemoratione, aut quid fecisset ad scopum Prophetæ, significatio ortus Salmanassaris. Quicquid denique sit cum res adeo incerta sit, & Hebræi codices constanter legant כשד, ista etiam lectio nullum absurdum vel inconvenientem sensum gignat, quid opus est, illam vexare? quid opus est admittere incertam conjecturam & variam lectionem.

§. XIII. Nonneminis quoque conjectura ut & reliquorum, qui de urbe Assyriæ intelligunt, sententia ideo locum habere nequit, quia Judæi parum fuerunt curiosi rerum exterarum, utpote qui nulla cum aliis gentibus habuerunt commercia, sicut vicissim alii populi parum didicerunt, & cognoverunt de rebus Judæorum, ut pleraque fabulæ sint, quæ apud Græcos & Romanos de iis narrantur. Proinde debuit Propheta his exemplum proponere non ex Arabia aut aliis remotis populis & gentibus, quarum nullam habuere rationem ac curam Judæi, sed tale, quod ipsis esset proximum, & notissimum, nempe in ipsa regione Judæorum patratum. Neque etiam commode potest intelligi ideo Urbs Assyriæ, quæ pertinebat ad Salmanassaris imperium. Cur enim ille proprios Cives destruxisset, ut matrem cum liberis occideret? Sed oportet fuisse urbem gentis alterius, quam bello persecutus est Rex Assyriæ. Sed

(f) *Cod. Beracoth. f.* 5. 1. (g) Ἀποδείξ. *L.* 9. *p.* 426.

(h) *Lib.* 1. *de fals. relig. cap.* 23. (i) *Cod. Eruvin. fol.* 53. 1. (k) *Gen.* 14. (l) *Gen.* 18. (m) *Bava Metzia f.* 86. *c.* 2.

Sed dicant, fuisse urbem rebellem. Resp. Etiam hæc gratis dicuntur, cum nihil sit in contextu definitum. Præterea Assyriacum & Babylonicum Imperium ab omnibus commendatur, quod semper caruerit bellis intestinis, & civilibus. Ea quoque causa allegari solet, cur tam diu duraverit, licet fuerit vastissimum, & plurima continuerit in se regna. Neque probabile est, unam aliquam urbem voluisse resistere tanto Regi, qui Rex regum.

§. XIV. Hæc sunt, quæ pro ingenii viribus adhuc exiguis in tam obscuro ac difficili loco notare institui. Jam finio, atque æquum lectorem rogo, ut sicubi erravero, veniam mihi det, quam etiam me impetraturum esse plane confido.

והתהלה לאל לבדו אשר עזרנו ברחמיו וב
וברוב חסדיו יתברך ויתרומם על כל ברכה ותהלה:
סליק:

JOH. HELV. WILLEMERI

HOSEAS ΔΥΣΝΟΗΤΟΣ
ad Hos. XI: 7.

עַמִּי עָשׁוּ:

I.

Nihil in Libris, peculiari Spiritus divini afflatu perscriptis, vile habendum, nihil diligentiori cura indignum judicandum. Singula, verborum pariter ac rerum, momenta à sapientissimo profecta, fidelissimis Amanuensibus tradita, de ipsomet Numine, rebusque divinis sublimioribus. Conscripta vero ad fidem animis hominum ingenerandam, ad sempiternam humani generis salutem procurandam. Horum censu nemo pius eximet ea, quæ subnectam, verba Numinis gloriosi, per Hoseam, fide muneris Prophetici insignem, in Scripturam relata: nemo cordatus ea auctore DEO, Hosea Scriptore, diligentique fidelium meditatione indigna judicabit. Sunt autem ea, quæ cum ex authentico Codice, tum Translationibus ejusdem, ad orientem & occidentem solem celebrioribus, sequuntur:

Apud Hoseam cap. XI. Comma VII. in Authentico Codice sic habet:

וְעַמִּי תְלוּאִים לִמְשׁוּבָתִי וְאֶל־עַל יִקְרָאֻהוּ יַחַד לֹא יְרוֹמֵם׃

Jonathan in Chaldaica Paraphrasi ita reddidit:

וְעַמִּי פְּלִיגִין לְמֵתַב לְאוֹרָיְתִי וּבְמְרוּעָא קַשְׁיָא יִתְעַרְעוּן כַּחֲדָא לָא יְהָכוּן בְּקוֹמָא זְקוּפָה׃

Populus autem meus hæsitat se convertere ad legem meam, sed in infirmitatem gravem incurrent simul, non ambulabunt erecta statura.

Syrus ita habet:

* ܘܥܡܝ ܡܬܚܒܠ ܠܡܬܦܢܝܘ ܠܘܬܝ: ܘܠܐܠܗܐ
ܢܩܪܘܢܝܗܝ: ܘܡܚܕܐ ܢܐܨܦ ܘܠܐ ܢܬܬܪܝܡ ܀

Et Populus meus hæsitat in redeundo ad me: DEUM vero vocent, statimque curam habebit, nec extolletur.

Translatio Arabica:

* وشعبي متعلق من غربته *
والله يغضب على كرامته ولا
يرفعه *

Et Populus meus pendet ab incolatu suo, & DEUS irascetur honoribus ejus, & non exaltabit eum.

LXX. Interpp. Græci:

Καὶ ὁ λαὸς αὐτοῦ ἐπικρεμάμενος ἐκ τῆς κατοικίας αὐτοῦ· καὶ ὁ Θεὸς (al. ὁ δὲ Θεὸς) ἐπὶ τὰ τίμια αὐτοῦ θυμωθήσεται, καὶ οὐ μὴ ὑψώσῃ αὐτόν.

Et populus ejus suspensus ex incolatu suo. Et DEUS super pretiosa ejus irascetur, & non exaltabit eum.

Latina Vulgata:

Et populus meus pendebit ad reditum meum: jugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur.

Santes Pagninus & Arias Montanus:

Populus autem meus suspensus erit animo, *propter rebellionem* suam, *in me: &* quamvis *ad excelsum invitarint eum* Prophetæ, *nemo tamen exaltavit* Deum.

Franciscus Vatablus:

Et populus meus pendent (animi) ad conversionem meam; & ad Altissimum vocaverunt eum, sed in universum nullus est, qui elevet.

Immanuel Tremellius & Franciscus Junius:

Populus meus suspensi hærent aversioni à me: quamvis ad excelsum revocent eum, pariter non exaltat.

Sebastianus Castalio:

Meus vero populus ad me redire cunctatur, & ad supremum vocatus, protinus non movetur.

B. Lutherus in editione priori Ann. C. 1524.

Mein Volck hat kein Lust sich zu mir zu keren/ und wie man in predigt/ so richtet sich keiner auff zu hören.

B. Lutherus Paraphrasi Vinariensium illustratus:

Mein Volck ist müd sich zu mir zu kehren (es verwirfft alle Mittel der Buß/ und weil sie einmahl von mir sich gekehret/ so beharren sie fort und fort in solchem Abfall) und wie man ihnen prediget/ (wenn man sie schon ermahnet auffzustehen/ und sich zu mir zu bekehren) so richtet sich keiner auf/ (daß er auff mein Wort mercke/ und sich durch wahre Busse zu mir bekehre.)

Editio Norimberg. Ann. Chr. 1483. apud Antonium Koburger:

Und meyn Volck wird hangen zu meinem Widergang. Wann in wurt aufgeleget das Joch/ das do nit wirt abgenumen.

II. D. Petrus de quibusdam in S. Pauli epistolis sententiam memoratu dignam tulit, quod sint δυσνόητα. Idem fere judicium subit Hoseæ Prophetia, & sigillatim adductus ex ea locus, qui vel eo nomine dignissimus, ut divinam opem implorantes, aliisque interpretandi adminiculis usi, genuinum ejus sensum investigemus, juxta monitum Christi Joh. 5: 39. & Pauli 1. Timoth. 4: 13. saluberrimum. Precamur igitur supplices Tuam, Clementissime DEUS, bonitatem, ut trepidi hujus cœpti exordia incites, & profectu accrescente confirmes, atque ad consortium Prophetalis Apostolicique spiritus deducas, ut eorum dicta, non alio quam ipsi locuti sunt sensu, apprehendamus, verborumque proprietates iisdem rerum significationibus exequamur!

Asserentes: Quædam in Hoseæ vaticiniis difficulter intelligi, aliorum exemplo ac judicio potius, quam nostro, eorundemque rationibus magis cogentibus, quam sententiis nitemur. In hanc igitur sententiam pronunciat *S. Augustinus*, in Scripturarum explanatione ultra, quam dici queat, incomparabili subtilitate sublimis, *Libr.* 18. *de C. D. Cap.* 27. Oseæ Propheta quanto profundius loquitur, tanto operosius penetratur. *D. Hieronymus præf. in* 12. *Prophet.* Oseæ est commaticus, i. e. concisus, & hinc quodammodo obscurus. Huic gemino insigni veteris Ecclesiæ decori, succedant totidem ex recentiori ætate Interpretes Hoseæ, haud postremi: *Janus Drusius præf. in Proph. Hos.* inquit: Præceptor meus pag. m. Antonius Rodolphus Cevallerius Hoseam dicebat omnium Prophetarum difficillimum esse. Quod ipsius judicium non omnino vanum aut absurdum esse, nos testari possumus; nos, inquam, qui nunc eum notis illustratum vulgamus. Dictio certe obscurissima est, licet Zacharias propter crebras visiones plus habere videatur obscuritatis, ideoque Hieronymus eum appellet, ut longissimum, ita obscurissimum. Sic dico: Dictio hunc obscurat maxime, ut visiones Zachariam. Ita fere *Joh. Coccejus Comm. in Hos.* 1: 1. stylus, si quis alius, concisus & succinctus est. Quo majore ponderatione singulorum opus est. Sigillatim qua Capitis XI. Comma VII. difficultatem haud exiguam produnt verba, quæ sequuntur, & Germanicæ S. Bibliorum translationi, à Theandro Luthero adornatæ, in communi apponuntur: **Diesen Verß soll niemand verstehen / auch im Ebreischen nicht.** *De Auctore* hujus judicii non sine ratione quis dubitare poterat: num ipse Megalander Lutherus, an alius quispiam Scripturæ S. peritus ea verba margini primum adjecerit? Satis enim manifestum, certisque rationibus evictum est, omnes & singulas hujusmodi glossas ac interpretationes, Germanicæ Bibliorum versioni, nomine B. Lutheri in lucem publicam diversis in locis sexcenties emissæ, in uno alterove loco additas, nequaquam à D. Luthero esse profectas. Videatur eam in rem Theologus acutissimus *B. Hulsemannus serm. funebr. in Eph.* 3: 19. Et quidem quod ista ad Hos. 11: vers. 7. verba concernit, ea in omnium prima Translatione Lutheri, quæ A. C. 1524. Wittenbergæ prodiit, non habentur: neque ullum eorum vestigium in aliis *B. Lutheri* scriptis relictum apparet; quamvis singula Hoseæ vaticinia commentatione admodum luculenta ac cedro dignissima illustrarit Theander *Tom. IV. Latin. Jenens. fol.* 598. *Tom. VIII. Witteb. f.* 233. *Tom. VIII. Altenb. fol.* 593. *seqq.* Cum tamen hodie plerique Codd. ea verba contineant, Paraphrastæ Vinarienses, *B. Balth. Meisnerus Comm. in Hoseam p.* 951. *B. Glassius Phil. S. Lib. III. Tr. IV. can. IX. p.* 422. (681.) aliique fidissimi Scripturæ interpretes, Scriptorumque Lutheri æqui Judices, verba ista B. Luthero tribuant: cum illis Lutherum, notæ hujus marginalis auctorem dicere nulli veremur. *Sensum* vero ejus omnes, linguam Germanicam callentes, facile assequuntur: istud tamen observatione haud indignum videtur, quod non tam B. Lutheri, quam aliorum, illius atque superioris ætatis doctorum, mentem exprimant, hac elliptica loquendi ratione: **Man sagt ins gemein / daß diesen Verß niemand verstehen soll.** Idipsum clare indicat vox **soll /** quæ locutionem non absolutam, sed conditione quadam restringendam efficit, quod nimirum facile non possit intelligi. *Lutherus* certe juxta fontes optime hoc comma intellexit, ut ex ejus *Tom. VIII. Altenb. fol.* 694. *a.* infra demonstrabitur. Ab ætate autem superiori hæc aliena non sunt, qua, etiam qui sacris præerant, non dicam Biblia sacra, obscura nocte diu sepulta, non intelligebant, sed ne quidem Davidis hymnos, etsi creberrime voces in templis ac scholis sonarent; cui ruditati publicum testimonium dudum tulerunt fide dignissimi. Quanquam diffiteri nemo queat, nostra etiam ætate, in majori Scripturæ divinioris luce multos, opinionem erroneam semel receptam defensuros, caligare non solum, sed cæcutire etiam, penitusque insanire. Potior tamen hujus commatis difficulter intelligendi ratio apud Interpp. quærenda, qui voces cæteroquin diversos significatus admittentes, hic per textus seriem satis luculenter positas, in diversas trahunt sententias, & inconcinne aut eum, qui est, orationis defectum supplent, aut abundare quædam statuunt. Ita qui facile certi esse poterant de genuino verborum sensu, alios dimittunt incertos, ipsi incertissimi. Demonstrant id singularum vocum expositiones: cum ne una quidem in isto textu sit, in qua non hic aut ille Interpretum præter necessitatem sibi aliisque crucem fixerit. Constat ita primum, quandam hic difficultatem dari; tum etiam genuina ejus causa patet; nunc igitur potiora difficultatis hujus superandæ adminicula, textus authentici expositione ac vindicatione, σὺν Θεῷ παλάμᾳ, adducemus.

III. Singulorum textus verborum cura sedulo habenda, & quem sensum gignant, erit in aprico. Juvat eum uno velut intuitu primum sistere, deinde suis rationibus firmare: *Populus* Israëliticus animo prorsus dubio atque anxio *hæret*, eo *quod à DEO* penitus *se averterit*. Et quanquam *ad* colendum DEUM gloriosum & *excelsum* Prophetæ concionibus suis *vocent* ac invitent *eum*; ea tamen *simul* animi obstinati malitia est, ut *non exaltet* glorificetque DEUM, indeque nec ipse exaltari possit.

(Breviter Germanus ita singulorum verborum ductum sequi posset: **Mein Volck ist wanckelmüthig / (oder zweifelhafftig) weil es sich von mir gekehret. Ruffet man ihm gleich zum Allerhöchsten / so will es ingesambt ihn nicht erhöhen.** Summa dicendorum est *Israelis contumacia*: Subjectum est populus Dei עמי: cui attribuitur dubitatio תלואים: dubitationis ratio significatur voce למשובתי propter rebellionem contra me. Hactenus populi animus *impœnitens*: nunc ad omnes exhortationes *obsurdescens*, nec os in laudem DEI resolvens, sed penitus *obmutescens*. Causa exhortationis administra sunt Prophetæ ac Sacerdotes, qui prædicando vocant יקראו: objectum est על Deus excelsissimus: de eo omnis prædicatio, ad eum omnis exhortatio. Finis est populi salus, ut suffixum הו.. docet: Prophetæ prædicant propter Israëlem. Is ipse vero ad laudem Dei obmutescit יחד לא ירומם ubi notanda universalitas subjecti יחד omnes simul, & turpitudo vitii לא ירומם non extollunt, sed contemnunt, ac, ut nomen DEI per & propter eos blasphemetur, efficiunt. Negatio contrarii vehementer affirmat.

IV. Sistitur hic Israël induratus, isque partim animo, qui perpetuis dubitationibus anxie fluctuat; partim voluntate, quæ renuit debitum laudis sacrificium, cor pœnitens ac contritum, Deo offerre. Subjectum exprimitur voce וְעַמִּי quam commode reddas: *Verum populus meus*, nimirum Israeliticus, instar arenæ maris auctus. Notat autem עַם hic sigillatim populum Israëliticum, fertilissimo Palæstinæ loco munere divino constitutum: alias in communi populum numerosum, ex promiscuo hominum cætu, diversis nationibus, linguis ac locis collectum, regionem multitudine tegentem.

Particula ו præter primarium copulandi sensum, inter alia, quæ nonnunquam admittit, significata sæpe etiam æquipollet Latinorum conjunctioni quam vocant, adversativæ, ut confirmavit, *B. Glassius Philolog. Sacr. Lib. IV. Tract. I. Observ. VII. pag.* 688. (876.) prætereaque patet ex Exod. cap. 14: 8. Psalm. 7: 6. Psal. 44: 18. Proverb. 2: 22. cap. 3: 5. 24. 35. cap. 5: 4. cap. 21: 1. cap. 24: 25. Cumque commatis nostri verba præcedentibus non tam annectantur quam opponantur, adversativa significatio hic merito τῷ ו tribuitur, atque Latine per sed, verum, autem, exprimitur à Pagnino, Aria Montano & Castalione. Idem ܘ و Chaldæus, Syrus atque Arabs retinuerunt: Græci per καὶ reddiderunt; quod tamen sæpe etiam pro ἀλλὰ ἢ δὲ ponitur, & adversative exponendum, ut monuit *B. Glassius Lib. III. Philolog. Sacr. Tract. VII. Can. XI. pag.* 605. (815.) ac insuper videre licet Matth. 21: 19. 30. 32. 45. 46. cap. 22: 3. 35. Versio Latina Vulgata, Vatabli atque Germanica Norimbergensis, à primaria ȣ ו significatione patrocinium habet. A. B. Luthero in utraque translatione & Junio-Tremellio particula ו penitus omissa videtur, ob eam linguæ S. proprietatem, qua ab initio librorum, capitum ac sententiarum ea Hebraice quidem eleganter ponitur, in aliis autem linguis abundare deprehenditur, quo conf. *B. Glassius* Phil. S. Lib. IV. p. 694. (880.) *Polus* Vol. I. Syn. Crit. c. 291. l. 33. *Buxtorf.* Thes. Gramm. Lib. II. Cap. XXI. p. m. 592. Vox ipsa עַם *descendit* ab עמם quod texit, operuit, obscuravit, apud Orientales, inprimis Chaldæos, notat. Significat autem עם universe *collectionem*

nem plurium sub unum caput aut in unam summam. Hinc *R. Nathan*: עניני קבוץ מיוחד לראש מיוחד Adhibetur enim de quovis *agmine*, cœtu aut *multitudine*, sive sit ex hominibus, sive locustis Joël. 2: 2. formicis Prov. 30: 25. aut etiam muribus montanis Prov. 30: 26. collecta. Ut recte hic *Rabbi Sal. Aben Melech in* מכלל יופי *ad Joël.* 2: 2. ex *Kimchi* ספר שורשים *fol.* 95. *col.* 2: *edit. Venet.* כמו שנאמר עם על קבוץ וקהלת האנשים כן יאמר על הארבה עם וכן אמר על הנמלים עם לא עז ועל השפנים עם לא עצום: Sigillatim tamen frequentissime de cœtu hominum sive belligerantium sive pacem colentium in Scriptura S. adhibetur, atque *numerosum populum*, ex diversis nationibus congregatum, denotat Gen. 42: 6. cap. 50: 20. Quo sensu valet illud *R. Dav. Kimchi l. c.* אפיפת האנשים וחבורם זה עם זה יקרא עם Eo ipso facile *distinguitur* ab אום & לְאֹם quæ unam tantum nationem denotant, ab eodem communi stipite sive eadem matre אם ortam, ut Moabitas & Ammonitas Gen. 19: 37, 38. Edomitas ac Israelitas c. 25: 23. Interdum in Scriptura S. & apud Chaldæos Interpp. Gen. 12: 2. 1 Reg. 18: 10. Psal. 106: 5. עם *paria facit* cum גוי quod à جوى collegit deductum, significat itidem קבוץ gentem, multitudinem collectam, tam ex Israelitis Gen. 12: 2. cap. 48: 19. Exod. 19: 6. Deut. 4: 6, 34. Jos. 3: 7. cap. 5: 6, 8. cap. 10: 13. Jes. 9: 3. Ezech. 2: 3. Amos 6: 1. quam aliis hominibus; utut concedamus, sæpissime גוי velut speciem differre ab עם tanquam genere; conf. Psal. 6: 3. Inepte igitur, contra Scripturam S. & vocis indolem, vulgus Judæorum nomen multitudinis גוי refert tantum ad homines, à Synagoga Judaica alienos, quin ad unum etiam Christianum. Instituto haud dissimili עם הארץ non tantum incolas regionis, populum terræ, cum Scriptura S. sed etiam plebem imperitam, imo *unicum hominem* imperitum, sive idiotam Judæis designat. Hinc רמב"ם in פרקי אבות cap. 5. scribit: עם הארץ הוא איש מעלות המדות אבל אין לו מעלות שכליות: *Per* עם הארץ *intelligitur vir, in quo sunt gradus quidam morum, sed qui non habet gradus intellectus.* In nostro commate Hoseas omnes Israelitas nomine עם intelligit, quorum majores Deus quondam ex Ægyptiaca servitute in libertatem vere regiam asseruerat Hos. 11: 1. Eandem vocem Chaldæus atque Syrus retinuerunt: Arabs vero, cum ab eodem themate possideat عم, maluit adhibere شعب quod turbam tam dispersam, quam collectam notat, à شعب collegit, reparavit, & contra divisit ab invicem, destruxit. LXX. Græci vocem עם reddunt per λαὸς uti alias גוי per ἔθνος ἢ ἔθνη: unde quidam contendunt, λαὸν de Judaico tantum populo, ἔθνη de alia quavis multitudine usurpari, adeoque voces λαὸς & ἔθνος opponi sibi, velut עם & גוי. Nos promti lubentesque concedimus, λαὸν sæpe ab ἔθνος distingui, ut Actor. 26: 17, 23. adeoque interdum de Judæis dici Actor. 4: 27. simul tamen ex Actor. 15: 14. aliisque locis certum est, λαὸν etiam de gentilibus adhiberi. Vocem ἔθνος autem de Judaica gente legimus Luc. 7: 5. cap. 23: 2. Johan. 11: 50, 51, 52. cap. 18: 35. Actor. 10: 22. cap. 24: 3, 10. imo & ἔθνη dicuntur Judæi Ps. 2: 1. collat. cum Act. 4: 25, 26, 27. Jer. 4: 16. cap. 25: 11. Luc. 21: 25. Quod si igitur discrimen aliquod hic constituendum, dicendum potius, ἔθνη nationem, generis instar, distinctos continere λαοὺς populos: in uno autem populo diversas denuo φυλὰς tribus dari. Ita ἔθνος est natio Germanica, includens λαοὺς Francos, Saxones, Misnios, Silesios aliosque populos; concessis multis in Franconia, φυλαῖς Comitum, Nobilium & sic deinceps. Optime igitur λαὸς de populo Israelitico in nostri textus translatione adhibetur. Postremo in voce עַמִּי Israelitæ non tantum populus, sed etiam *DEI*, per Prophetam loquentis, *populus* dicuntur, intuitu fœderis ac juris, quo eos sibi in peculium acquisiverat; licet perfida rebellione sua populus DEI esse tunc desiissent. Repetit nihilominus ea locutione Deus cum beneficii ipsis exhibiti, tum officii DEO debiti dignitatem: invitat eos ad jus civitatis postliminio repetendum. DEO servire regium est: nihil quicquam bonorum deest illis, qui imperium DEI in se justissimum religiosa mente venerantur. De modis hanc divinam civitatem acquirendi, remediis conservandi, delitiis perfruendi plenæ sunt S. Literæ, ac vere θεολογούντων scripta. Ex Interpretibus soli hic cespitant Græci, pronomen primæ personæ in tertiæ commutantes, non sine obscuritate, textui illata.

V. Israeliticus autem populus erat תְּלוּאִים *suspensi*. Quivis ex populo est dubius animo,

Et mentem celerem nunc huc, nunc dividit illuc,

nec ubi quieta sede perfruatur invenit, ideo sibi suisque metuit, in incerto relictus, in avia, in præcipitia conjectus. Est is fructus corruptæ de Deo doctrinæ, fiduciali πληροφορίᾳ orthodoxæ oppositus. Plura de dubitatione Papistica, desperatione Calvinistica, disceptatione Arminianorum Pyrrhonica dabunt Theologi. Hebræis תלה proprie est in ligno suspendere, pertinetque ad corpora. Transfertur inde ad animum hominis dubitantem, incertum, fluctuantem & veluti inter utramque contradictionis partem pendentem. Quem animo pendendi sensum, nec Græcæ linguæ felicitas, nec Latinæ elegantia à se alienum ducit.

Vox תְּלוּאִים est *forma* Paul Participium verbi תלה unde pro ordinaria inflexione תְּלוּיִים ex magna verborum ל"ה & ל"א affinitate ac literarum אהוי frequentissima permutatione est תְּלוּאִים: pro quo ex vocalium homogenearum alternatione Moses habet תְּלֻאִים Deut. 28: 66. & levissima immutatione per fulcrum vocalis abjectum תְּלֻיִם Josua cap. 10: 26. eodem sensu ubivis manente. Plura hujus exempla suppeditat Venerandus Academiæ Wittenbergensis Senior *Dn. Andreas Sennertus*; Dn. Præceptor ac Patronus meus summa animi pietate ac obsequio ætatem colendus, *Grammat. Hebr. Gener. Lib. I. Cap. VIII. Reg. V. Annot. I. p. m.* 101. *Cl. Dn. D. Wasmuth. Hebraism. restit. Reg. XXXI. & XXXIV. pag.* 117. 154. *atque Cl. Buxtorff. Thes. Grammat. Lib. I. Cap. XLIX. pag.* 265. *In coordinatione* vocis תלואים cum עמי datur numeri discrepantia, quæ nominibus collectivis עדה קהל עם atque similibus est frequentissima, atque per distributionem convenienti sensu explicanda venit, quo conf. *B. Glassius Phil. S. Lib. III. Tr. III. Can. LIII. & Tr. IV. can. IX. pag.* 398. 422. (663. 681.) *Buxtorff. Thes. Gram. L. II. cap. II. pag.* 342. Sed potior cura genuinæ *Significationis* habenda, quæ in verbo תלה qua singula Scripturæ S. loca, non est alia nisi *suspendendi*. Ita notat suspendere ad clavum aliquid Ezech. 15: 3. ornamenta omnis generis de paxillo Jes. 22: 24. instrumenta musica ad silices Psalm. 137: 2. clypeos ad turrim Cantic. 4: 4. Ezech. 27: 10. aut mœnia Ezech. 27: 11. ipsamque terram in medio Universi divina virtute pendulam Job. 26: 7. De hominibus usurpatum verbum תלה, certum genus supplicii, divinitus institutum, indeque tam apud Israeliticum populum, quam penes exteras gentes usu frequentatum designat. Occurrit enim *de ignominiosa suspensione* hominis *malefici* in ligno Deut. 21, 22, 23. utpote pistoris Ægyptii Gen. 40: 19, 22. cap. 41: 13. interfectorum Isboseth 2 Sam. 4: 12. impientissimi Absolomi in quercu 2 Sam. 18: 10. insidiatorum regis Esther. 2: 23. Hamanis cum decem filiis Esther. 7: 9, 10. c. 8: 7. c. 9: 13, 14, 25. Similiter de rege Ai Jos. 8: 29. ac vicinarum gentium quinque Regibus à Josua suspensis Jos. 10: vs. 26. eoque supplicio affectis ossibus Saulis ac filiorum 2 Sam. 21: 12. hoc verbum legimus. Idem suspendii supplicium Principibus Juda illatum Thren. 5: vers. 12. ac *innocenti* Mardochai intentatum Esth. 5: 14. c. 6: 4. ea voce significatur. Hinc à corporis mole *transfertur ad vitam* hominis, quæ, homine in angustiis constituto, aut præsentissimo vitæ discrimini exposito, de tenui filo pendere dicitur veluti mox ruitura, ut quocunque respiciat infidelis, mortem præsentissimam videat Deut. 28: 66. Tandem in nostro ex Hosea loco refertur penitus ad *animum*, eumque valde dubium, meticulosum, neque unquam securum designat. Conscientia enim scelerum variis curis metuque promeriti supplicii fatigat animum, ut per incerta omnia feratur. Certam animi sententiam firmamque in DEO fiduciam tenebit nunquam, qui ad infallibilem cœlestis veritatis, in verbo patefactæ, normam non attendit. Solum Numen benignissimum est, quod nos confirmare, animo fiduciam ingenerare, solidissimumque cordi robur conferre vult & potest. Ea dum negligunt remedia Israelitæ, in precibus, sacrificiis singulisque operibus dubia mente vagantur, periculis urgentur, lætæ tranquillæque conscientiæ bono destituti. Confer illustrissimum suspensi animi exemplum, per Zelotem Eliam in Israelitis & Baalitis reprehensum 1 Reg. 18: 21, 26. Horum posteri hic dicuntur תלואים non quod forte aliquando dubii fuerint, sed quod perpetuis dubitationum fluctibus jactentur. Ea enim participii forma hic designat passionem rei adhuc durantis; utut nonnunquam actum proprie præteritum: quo casu adjectivi significationem habet, ut docet *Magnif. Dn. D. Gejer. Comm. in Psal. Tom. II. pag.* 371. Et hactenus de usu verbi תלה sacro: Chaldæi atque Syri idem frequenter adhibent sensu pendendi, appendendi, tendendi, Num. 21: 10. Esth. 5: 14. Ps. 137: 2. Jes. 42: 5. 44: 24. 45: 12. Jer. 10: 12. c. 51: 12. Zach. 12: 1. raro maleficum suspendio puniendi 2 Sam. 18: 9, 10. Esth. 2: 23. Gal. 3: 13. Erat enim id verbum, de suspendii supplicio adhibitum, usu Hebræorum & Chal-

& Chaldæorum communi ignominiosum: hinc Judæi etiam תָּלוּי proprie eum dicunt, qui ob enormia flagitia ignominiosa suspensus est. Insignem animi amarulentiam iidem produnt, quando κατ' ἐξοχὴν Jesum Nazarenum vocant תלוי tanquam ob blasphemiam DEI & seductionem populi in crucis ligno suspensum. Nec ea acquiescunt blasphemia, sed Christi fidem amplexos etiam incessunt, quando consentiunt in illud *R. Bechai* כד הקמח *tit.* גאולה *cap.* 1. הז"ר מיער' הע"ן התלויה כי כן הם עובדי התלוי *Litera* ע *vocis* מיער *Psal.* 89: 14. *suspensa est*, in MSS. & magnis Venetis antiquioribus, *propter Christianos*, qui, tanquam porcus sylvestris, politiam Judaicam devastarunt, ipsi velut *suspensi illius Jesu cultores*, suspendio dignissimi. Verum de Judæis potius impœnitentibus, ferocientibus, Scripturæ ac Ecclesiæ vim ac vastationem ea, qua licet, parte inferentibus, adeoque porro sylvestri simillimis, eum locum interpretabimur, conf. Cl. *Bocharti Hierozolim. Tom. I. fol.* 977. *seqq.* Hebrææ vocis תלה significationem variam *Græca* etiam *lingua* vocibus κρεμάω, κρεμάννυμι & quæ hinc descendunt, feliciter exprimit. Usurpatur enim κρεμάω de suspensione malefici aut innocentis in ligno Matth. 18: 6. Luc. 23: 39. Actor. 5: 30. cap. 10: 39. Galat. 3: 13. (& apud LXX. Interpp. Genes. 40: 19. Deut. 21: 22.) viperæ in Pauli manu Actor. 28: 4. legis in conspectu omnium positæ Matth. cap. 22: 40. Hinc ad affectum hominum, & attentum audiendi desiderium transfertur Luc. 19: 48. de animo autem dubio adhibetur apud Aristot. lib. 3. Rhet. μὴ κρέμηται ἡ διάνοια ne cogitatio suspendatur, & ἀττικώτατον Aristophan. in nub. κρεμάσας τὸ νόημα suspensum tenens animum. Similiter Latini Auctores probatissimi voce pendendi non tantum de corpore usi sunt,

Membra pependerunt curvato exsanguia ramo, &
A trabe sublimi triste pependit onus;

Sed etiam de vita, salute aliisque rebus hominum, ut Cicero: vita omnium ex unius pendet salute: respublica pendet è Bruto; ex arbitrio alterius pendere, quo etiam illud:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

Præterea sæpissime ad dubitationem animi referunt pendendi vocem, ut animus pendet, pendeo animi vel animo. Quapropter ea interpretatio vocum תלה κρεμάω, pendeo, nec linguis hisce, neque seriei textus nostri repugnat; ut subjiciendum celebriorum Interpretum examen monstrabit. Chaldæus vocem תלואים reddidit פְּלִיגִין divisi, sententiis discrepantes, diversis opinionibus contendentes, uti frequens Rabbinis פליגי אהדדי disceptant de eo inter se, הפלגו בתשובה dissentiunt in responsione. Et peculiariter Syris ܦܠܓ est dubitare, hæsitare, ut פליגין ancipites, in utramque partem inclinantes notet, optimeque exprimat vocem תלואים quam Syrus retinuit; Arabs vero per متفلق transtulit, quod est particip. V. Pass. à rad. فلق diffidit, divisit: adeoque servato eodem themate ac sensu, cum Chaldæo proxime ad fontem accedit Arabs. De LXX. Interpp. mente ex modo dictis constare potest; Latinæ translationes adductæ hic etiam assensum merentur, nisi quod nimio latinitatis studio à veritate Hebraica more suo recesserit Castalio, voce cunctandi: cum tamen multi sine cunctatione dubitent, aliique sine dubitatione cunctentur. Neque dilatio tantum conversionis, sed diffidentia ac securitas Israelitarum voce תלואים redarguitur. Cunctatio sæpe spem alit certam; dubitatio ambiguam aut nullam. B. Lutherus dubitationis vim ac fructum expressit in utraque translatione per kein Lust haben / müd seyn. Qui enim judicium suspendunt ac dubitant perpetuo, tandem rei tædium animo concipiunt ac delassantur, nullaque voluptate eam expetunt. Egregie autem hanc vocem explicat & universum textum insigniter illustrat Theander *Lutherus Comm. in Hoseam Tom. VIII. Alteburg. fol.* 694. a. inquiens: Das Wörtlein Theluim bedeut diejenigen / die da / was sie thun wollen / ungewiß und zweiffelhafftig sind. Und hat der Prophet damit die grosse Verachtung des Worts wollen anzeigen / als solt er sagen: Sie werden durch die Propheten / die ihnen mein Wort fürlegen / und ihnen den rechten Gottesdienst zeigen / der Abgötterey überwiesen / und verachten dennoch mein Gebott / und wenn man ihnen etwas befihlet / zweiffeln sie noch dran / ob sie es auch außrichten wollen / gleich wie die ungehorsamen Knechte zu thun pflegen. Denn also legt sich der Prophet selbst aus / da er sagt: Daß sie zu dem Höhesten beruffen werden / sie aber bleiben fein still sitzen / als höreten sie es nicht. Cum isto rectissime Vinarienses Theologi observant; voce תלואים & dubitationem & mediorum salutis rejectionem, eamque constantem innui. Illa autem postrema translatio ante B. Lutherum Germanica, Latinæ tantum Vulgatæ inhæret, ac Germanorum auribus sordet, majorique obscuritate laborat, quam ulla alia Translatio; ut vel inde æstimari queat, qualia ac quanta DEI dona sint, sola S. Bibliorum translatione per Lutherum Germanis concessa. Nunc, quid Rabbinorum vulgus hic præstet, dispiciamus: *R. Salomonis Jarchi* sunt sequentia: ועמי וגו' כשהנביאים מלמדים אותם לשוב אלי תלואים הם אם לשוב אם לא לשוב בקושי ישובון אלי, *Quum Prophetæ docent eos conversionem ad me, ipsi suspensi sunt, num convertere an non convertere sese debeant: admodum difficulter convertentur ad me.* Optime תלואים de dubitatione atque יקראו de doctrina interpretatur; male autem למשובתי de conversione in bonam partem intelligit, ut mox demonstrabimus. *R. David Kimchi*, ita pro explicatione vocis תלואים disserit: החיר"ק תחת הא"לף והיא במקום ה"א למ"ד הפעל כי שרשו תלה וכן והיו חייך תלואים לך אשר תלום שם. אמר עמי תלואי בין הצרה והרוחה פעם תבואם צרה פעם יהיו בהרוחה *Hhireck est sub* א *quod stat loco* ה *tertia radicalis: radix enim ejus est* תלה, *ut Deut. cap.* 28: 66. 2. *Samuel.* 21: 12. *Dicit autem populus meus est* תלואים *suspensus inter afflictionem & relaxationem: mox incidit in calamitatem, iterumque habebit refocillationem.* Quæ formam vocis concernunt, facile patent; at תלואים de malo tantum pœnæ, ejusque temporalis, exponere velle, Judaicum ingenium, caducam solum felicitatem expetens, declarat. De veri Numinis ignorantia, diffidentia, contemtu, securitate, adeoque culpa gravissima, quam rebellione sua contraxerunt Israelitæ, Hoseas testatur, atque supplicium animis jam inflictum monstrans, pœnam longe graviorem ac sempiternam minatur. Ad animum pertinet ista suspensio, nequaquam est solius corporis afflictio. Nulla refocillationis cujusdam ratio in suspensione, corpus animumque gravissime premente, continetur. Præsentissimo periculo expositus est, cui velut suspensa ante oculos versatur vita Deut. 28: 66. Id quod propter rebellionem contra DEUM Israelitis confertur, calamitatis quidem rationem, sed refocillationis ne nomen quidem habere potest. Rebellionem enim, tanquam malum, DEUS abominatur & punit, non remuneratur, nec amat. Hinc de sola calamitate suspensionem hanc exponit idem *Kimchi* in ס"ש *fol.* 129. *col.* 1. בעבור המשובה שעשים עמי הם תלואים בצרתם לא ידעו אן יפנו לעזרה: *propter rebellionem, quam instituit, populus meus est suspensus ac dubius in afflictione sua: nescit quo se vertat, ut auxilium obtineat.* Hanc ipsam animi dubitationem & de auxiliandi remediis desperationem hic defendendam æstimamus. Dicamus, quod res est, paucis: *Israëlitæ* sunt תלואים *suspensi, ob malum* culpæ & pœnæ: Tribuendum *culpæ*, quod licet mille malis premerentur, conversionem tamen differentes, *dubii* essent & manerent, num ad DEUM redirent: ita Rivetus atque Mercerus in h. l. & circa conversionem ad DEUM hæsitantes, penes se constituere non possent, ad Deum esse redeundum, uti Grotius in h. l. habet. Quin *rebelles* in contrariam potius partem inclinabant, erantque in malitia penitus *obstinati*, non in eodem impietatis gradu constituti, sed pedem ad graviora flagitia promoventes, scientes volentes in idololatria, DEI divinæque legis contemtu pergebant; tantum aberat, ut ulla Prophetarum doctrina commoti ad DEUM reverterentur, aut aliquod, vel levissimum, resipiscentiæ signum darent. Quapropter *malum pœnæ* eos premebat, ut *anxii* torquerentur animo, cogitationibus se invicem accusantibus. Ob periculum præsentissimum, quod oculis animisque obversabatur, juxta divinam comminationem Deuteron. 28: 66. *metu exanimati*, quin *rerum adversarum* jam prementium *mole* graviter afflicti, & vere *miserrimi* erant. Frustra igitur Jesuita *Menochius*, in patrocinium Vulgatæ Versionis, illud pendere in mitiorem partem de exspectatione auxilii interpretatur, hoc modo: *Israel animo pendulus expectabit præsentiam & auxilium meum, hostibus cuncta vastantibus.* Verum apud Israelitas DEO rebelles luculenta dubitationis & desperationis, exigua spei ac fiduciæ argumenta deprehendimus.

VI. Causa dubiæ, anxiæ & afflictæ conscientiæ est aversio à DEO. Hinc Hoseas לִמְשׁוּבָתִי propter declinationem mei, sive *ob rebellionem contra me.* Ubi duo inprimis observationem merentur, primum מְשׁוּבָה notare aversionem, rebellionem, nec unquam in Scriptura sumi in bonam partem, ut idem quod oppositum ei תְּשׁוּבָה significet. Prout eodem sensu apud Chaldæos illi תְּיוּבָא huic תְּשׁוּבָא respondet. Deinde suffixum non est subjective & active, sed objective & passive sumendum, addita interpretatione commoda, qualem alioquin

requirunt

requirunt suffixa verbalia, inprimis penes neutra. Quare משובתי *non* est *aversio mei*, DEI hic loquentis; *sed aversio* Israëlitarum *à me*, DEO nimirum, Israëlitas per Hoseam redarguente.

Particula ל inter plura quæ obtinet significata, sæpe notat propter, referturque ad causam finalem, ut Numer. 16: 34. Judic. 6: 11. cap. 9: 24. Esth. 4: 14. Jes. 36: 9. cap. 58: 4. Hos. cap. 10: 5. Joel. 2: 18. Et ita etiam hic loci sumenda est, ad causam hæsitationis exprimendam; ut *D. Tarnovius* in h. l. consentit, & *Cl. Buxtorfius*, inquiens: ad aversionem meam i. e. propter aversionem à me. Verbale autem מְשׁוּבָה ut forma evincit, est non à ישב vel שכה, sed à שׁוּב in quantum istud notat avertere sese, recedere, rebellem esse vel facere Jes. 47: vs. 10. Jer. 8: 8. Inde משובה perpetuo Scripturæ S. usu notat aversionem, à DEO ad malum: quod evincunt omnia, in quibus habetur, Scripturæ loca Prov. 1: 32. Jer. 2: 19. cap. 3: vers. 6. 8. 11. 12. 22. cap. 5: 6. cap. 8: 5. cap. 14: 7. Hos. 14: 5. De primo quidem loco nonnulli controvertunt, sed rationes pro ista sententia potiores videri possunt apud *Magnif. Dn. D. Gejerum Comm. in Prov. pag.* 128. Consentit *R. Nathan in Concord.* כל לשון משובה שפירושו מרד Omne משובה *notat rebellionem.* Idem vult *R. David Kimchi*, tam in ס"ש f. 129. c. 1. quam in Commentario h. l. ut mox videbimus. Hinc *R. Abrah. Aben Esra* in Hos. 11: 7. scribit משובה לעולם לגנאי *semper ignominiose*, in partem sequiorem, pro aversione à DEO, משובה sumitur. Unde simul evincitur, vocem משובה non posse DEO subjective & active tribui, quia ipsi summe glorioso summeque bono talis ignominiosa aversio active non convenit. Pro longanimitate sua autem permittit Numen benignissimum, ut homines ab ipso se avertant. Israëlitæ igitur hic habent se per modum agentium, seu potius deficientium à DEO & insurgentium adversus eum. Sumi autem suffixa interdum objective, patet ex Jes. 56: 7. lætificabo eos in domo תְּפִלָּתִי *orationis* non meæ, sed *ad me* dirigendæ, Jer. 32: vs. 40. יִרְאָתִי *timorem* non meum, sed *erga me* dabo in cor vestrum. Similiter in secunda persona Ps. 5: 8. adorabo בְּיִרְאָתֶךָ in timore, qui circa te versatur: sic Psalm. 90: 11. וכיראתך Jes. cap. 63: 17. מיראתך Nec non in persona tertia Jesa. 53: 11. justus servus meus בְּדַעְתּוֹ *in cognitione* non sua subjective, sed objective *sui*, vel qua ipse cognoscitur, justificabit multos. Perinde ut Genes. 50: 4. dicuntur *dies* בְּכִיתוֹ *fletus* ipsius, non quibus ipse flebat, sed quibus deflebatur, Psal. 105: 38. פַּחְדָּם timor eorum, non eis, sed ab eis incussus, & tandem Cohel. 9: 6. אַהֲבָתָם amor qui circa eos versatur. Nec alia ratione nostrum משובתי exponendum, aversio à me vel rebellio contra me, ita ut suffixum per quartum vel sextum casum cum præpositione explicetur, sitque משובתי idem quod משובה בי aut משובה לי. Quæ interpretandi ratio fere communis est verbis, maxime neutris, suffixa per concisam ejusmodi locutionem gerentibus, ut Ps. 53: 6. חֹנָךְ pro חֹנֶה עָלֶיךָ castra ponens adversus te, Ps. 139: 20. יֹמְרוּךָ pro יֹמְרוּ בְךָ vel עָלֶיךָ loquuntur de vel contra te. Quæ similiaque plura diligentem observationem merentur, & magnam partem habentur *in Kimchii Michlol. fol.* 34. Paraphrastes Jonathan vocem למשובתי reddidit לְמִתַּב לְאוֹרָיְתִי convertere sese ad legem sive potius doctrinam meam. Nam אוֹרָיְתָא אוֹרָאָה idem valet Chaldæis atque Talmudistis, quibus proprium, quod Scriptoribus Sacris תּוֹרָה: hoc autem in genere doctrinam divinitus patefactam notare, monstrat Triga Theologorum excellentiss. *B. Chemnitius* P. II. LL. CC. de Lege Dei cap. 1. p. 5. *B. Gerhardus* Tom. III. LL. p. 1. a. 156. b. atque *Dn. D. Calovius* Comm. in Genes. p. 2. & inpr. Tom. IX. Syst. artic. 1. cap. 2. quæst. 2. p. 83. & seq. Verum ita Jonathan significationem ל genuinam non reddit, contra universum Scripturæ divinioris usum משובה in bonam partem accipit, & in locum ipsius Dei, male divinam tantum doctrinam substituit, in præ- & suf-fixo, ipso etiam nomine, adeoque in singulis aberrans. Quærenti enim cur Israëliticus, Dei quondam, populus sit dubius? apte respondetur, propter rebellionem contra Deum: hæc causa omnis mali atque crassæ in divinis rebus ignorantiæ. Syrus interpres suffixum quidem recte ad ipsummet DEUM retulit per ܠܘܬܝ; illud tamen משובה male de conversione vera & in bonam partem per ܬܝܒܘܬܝ reddidit, eoque nomine idem cum Chaldæo judicium subit. Arabs à radice عمر cultus, habitatus fuit, adhibet vocem عمارة cultura, habitatio, vertitque *pendet ab incolatu suo.* Verum eo ipso prodit, se aliena vitula, LXX. Interpp. Græcorum, arasse, istosque Duces cœcos male secutum esse: cum verbum verbo respondeat. Nequaquam igitur hic contemnendum doctissimi *Arnoldi Bootii* judicium; *Arabicam versionem non textum Hebræum, sed Græcum, eumque corruptum, exprimere*, Πρῶτον ψεῦδος utrobique est, משובה à radice ישב descendere, ac proinde sessionem, commorationem, habitationem aut incolatum notare. Pro vero enim sumunt, Israëlitas in Ægypto sub durissimæ servitutis jugo altera vice victuros esse, & tum infelicem Dei populum antiquam in Palæstina patriam suspiraturum, reditumque in eam desideraturum esse. Verum in universa lingua S. nulla nominis, ex Hiphil verborum פ"י deducti, forma talis datur, aut dari etiam potest; cum abjecta prima radicis litera י per ו, aut ¨ compensanda sit. A verbis autem ע"ו in Hiphil ordinaria deducendi via hujusmodi nomina hæmantica, ab initio מ vel ת schevato & in fine ה. aucta, descendunt: quibus nostrum משובה sub significatu aversionis, cum Kimchio in Michlol, rectissime accenset *Cl. Buxtorf. Thes. Gr. Lib. I. cap. LVI. p. m.* 319. Nec nominis tantum genuinam tam originem, quam significationem neglexit cum LXX. Arabs; sed etiam pronomen suffixum pessime mutavit, id, quod in prima persona de Deo asserit textus authenticus, in tertia persona de Israëlitis pronuntians. Præterea genuinam significationem literæ ל non assequuntur voce ἐκ & -ω quæ causæ materialis nota est, cum ל sit causæ finalis, ut supra demonstratum. *Vulgatus* interpres Latinus vocem למשובתי reddens *ad reditum meum*, per errorem משובה in bonam partem accipit, ל male in significatione primaria per *ad* transfert, & pessime suffixum active de DEI reditu interpretatur, cum objective & passive de Israëlitarum aversione à DEO sonet. Neque melius *Hugo Grotius* in h. l. *Tamen populus hæsitabat circa conversionem meam. i. e. non poterat penes se constituere, ad me esse redeundum.* Dubitandi argumentum facit משובה cum sit ejusdem fundamentum: ל ad materialem causam refert, cum ad finalem debeat: משובה seriam ad Deum conversionem atque reditum transfert, cum gravissimam in DEUM rebellionem oppositamque conversioni aversionem à Deo turpissimam designet: suffixum recte sumit objective; sed male reddit ad me, cum sit aversio à me, aut rebellio contra me. Idem de *Castalione* habendum; & *Tigurina* Translatio à Leone Judæ inchoata, à Theodoro Bibliandro & Conrado Pelicano continuata, à Petro Cholino & Rodolpho Gualthero absoluta, sub *Francisci Vatabli* nomine Lutetiæ Parisiorum, Lugduni, Salmanticæ, Hanoviæ alibique sæpius edita, eadem cum Grotio verba habet, eandemque meretur sententiam, nisi quod ל per *ad* cum Vulgato reddat. Longe rectius hic *Notæ*, à Versione ut sæpe alias dissentientes, à Bertino ex ore Francisci *Vatabli* calamo exceptæ & à Roberto Stephano primum Tigurinæ Translationi adjectæ: suspensus animo *propter rebellionem* meam i. e. semper sibi timebit, nunquam erit securo animo, quod rebellarit *contra me.* Eandem laudem prorsus insignem hic merito obtinet Versio Santis *Pagnini*, quæ cum vocum Hebræarum translatione, tum defectivæ locutionis restitutione, omnium optime Spiritus S. mentem hic expressit. Proximum à Pagnino locum hic tenent *Junius & Tremellius*, nisi quod ל pro nota Dativi, non causæ finalis acceperint. Ad elegantiam sermonis Latini propius accessissent, si suspensos aversione dixissent, ut *Q. Curtio Lib. III. Cap. I. n.* 17. Phrygum turba exspectatione suspensa memoratur, i. e. propter exspectationem *B. Lutherus* Israëlitas conversionem tædiose aversari docet: cui optime *Vinarienses* Paraphrastæ adjiciunt, quod aversi à Deo, in ea rebellione perseverent. Versio Germanica *Norimbergensis* bene quidem Vulgatæ Latinæ, nequaquam vero textui authentico aut puritati Germanicæ linguæ respondet. Ex Rabbinis juvat hic audire *R. David Kimchi* למשובתי כלומר בעבור המשובה והמרד שעושים לי' וי"ור משובתי כיו"ד ושמחתי' בבית תפילתי ואם לא היו מורדים היו לעולם בהרוחה' ואא"ז"ל פי' מסופקים הם במצותי מלשון ר"זל אשם תלוי אמר כי ספקה להם במצותי אף על פי שהם ידעו הבירור אך למשובתי ולמרוד בי יעשו דבר זה' ור"שי ז"ל פי' למשובתי ענין תשובה וכלי ולא מצאנו משובה כי אם לגנאי *Vox* למשובתי *idem est ac propter aversionem & rebellionem, quam instituerunt contra me. Litera* י *habet sese, ut in voce* תפלתי *Jes. 56:7. Et nisi Israëlitæ facti essent rebelles; perpetuam habuissent felicitatem. Præterea B. Parens meus exposuit ea ratione: Dubii sunt in præceptis meis; quo sensu Rabbini voce* תלוי *utuntur in proverbiali locutione* אשם תלוי *oblatio dubia, seu potius dubitantis. Loquitur autem ita Hoseas, quia dubitabant de præceptis quamvis intelligerent declarationem; tamen propter aversionem à me & rebellionem contra me, faciunt istud. Raschi autem p. m. exposuit vocem* למשובתי *tanquam Synonymum* תשובה *in verbis supra p. 18. adductis. Verum non invenimus vocem* משובה *nisi in partem sequiorem*, conf. eundem *in* ס"ש *fol. 129. c. 1.* & *R. Salomon* Aben

Aben Melech. in h. l. fol. 146. *c.* 1. Quæ ſingula ita comparata ſunt, ut facile aſſenſum mereantur. Majori verborum apparatu vocis משובה ſenſum reddere conatur *R. Don Iſaac Abarbenel Comm. in h. l. fol.* 137. *c.* 1. inquiens: ועמי תלואים הנה המשובה עשו אותה המפרשים הפך התשובה כי הבלתי רוצים לשוב בתשובה יקראו שובבים ואמרו שיוחסה כאן לאל יתי באומרו למשובתי לא שתפול עליו כי גנאי ליא בכל מקום שנאמר אלא לפי שהם היו עושים המשבה והמרי כנגדו יתי ואינה אם כן כאן סימן הפועל כ״א סימן המקבל ר״ל מי שעושים המשובה נגדו ושהוא ע״ד שומחתים בבית התפלה שעושין לי האמנם ר״שי פירש למשובתי ענין תשובה שהם היו תלואים כשהיו מוביתים אותם הנביאים על התשובה והיו מסופקים אם ישובו אם לא ישובו והנראה לי בזה הוא שתשובה ומשובה שניהם אפשר שיוהסה לש״י גם לישראל אבל בישראל מצאנו התשובה ושבת עד ה׳ אלהיך שובה ישראל עד השם אלהיך שישובו מדרכו הרעה אשר הוא הולך בה ויכון מעשיו לנגד השם יאמר תשובה ב״שי לפי שישוב מחרון אפו כ״מש ושב השם אלהיך את שבותך ישוב ירחמנו וכן המשובה יוהסה לישראל כשהוא ממאן לשוב על דרך כי משובת פתאים תהרגם ואינו מהבטל שנייחס ג״כ המשובה אליו יתי כשלא ירצה לשוב מחרון אפו כי יאמר משובה בערכו על התמדת העונש וקיום חרון אף מבלי שנוי ומבלי שישוב ממנו והתבדל ביניהם שמשובת האנשים היא בסכלות וברשע ומשובת האל יתי היא כפי הדין והמשפט הישר והנה בהיות ישראל רעים וחטאים לאלהיהם היה הש״י מענישם ברעב ובדבר ומלחמת האויבים ולפי שהנביא היה מוכיח את ישראל שישובו בתשובה ושיכורו עצמם ממשובותם הם היו אומרים שישוב הקב״ה ראשונה מחרון אפו ויעזוב משובתו שהיה מחזיק בה להשחיתם ושאז ישובו גם הם ממשובותיה׳ ויעבדוהו וכאילו היו תולין תשובתם בתשובת האל יתי ומשובתם במשובתו וע״ז אמר כאן הנביא ועמי תלואים למשובתי כלו׳ הנה בני עמי אלה תלויים מלשוב ממשובתם נהטאם עד שאשוב אני ממשובתי בענשם וכו׳: *Obſerva, vocem* משובה *Interpretes contrariam ſtatuunt nomini* תשובה: *quia qui detrectant redire per* תשובה *pœnitentiam, appellantur Jerem.* 3: *verſ.* 14. שובבים *averſi: Contendunt vero, quod hic etiam Deo glorioſo* משובה *tribuatur, quando Propheta dicit* למשובתי. *Non ſane eo ſenſu, quod ipſi Deo competat averſio: ſignificat enim ignominioſam & malam rem, in omni Scripturæ S. loco, ubi adhibetur; ſed quod Iſraëlitæ inſtituerint averſionem & rebellionem, adverſus DEUM glorioſum. Proinde etiam non eſſe hic ullum agentis, ſed potius recipientis DEI indicium. Velle enim Prophetam dicere, illi qui tentant rebellionem contra me: ut ſit eo ferme modo, quo Jeſ.* 56: 7. *dicitur, & lætificabo eos in domo* תפלתי *precum, quas ad me dirigunt. Verum enim vero Raſchi exponit vocem* למשובתי *in ſignificatione* תשובה *pœnitentiæ, quod Iſraëlitæ fuerint ſuſpenſi, quum redarguerent illos Prophetæ, propter converſionem dilatam, atque dubitaverint an reverterentur, vel minus? Mea autem de hoc ſententia eſt, quod* תשובה *&* משובה *ambæ voces illæ commodiſſime attribuantur, cum DEO glorioſo, tum Iſraëlitis. De Iſraëlitis certe* התשובה *adhibitum deprehendimus Deut.* 4: 30. *cap.* 30: 2. *Hoſ.* 14: 2. *ut reverterentur à via ſua peſſima, in qua ambulabant: Attendit enim eo ipſo opera Iſraëlitarum, ad DEUM dirigenda. Vox* תשובה *etiam de DEO glorioſo adhibetur, ut revertatur vel avertat ſeſe ab excandeſcentia iræ ſuæ; quemadmodum videre licet Deut.* 30: 3. *Mich.* 7: 19. *Similiter vox* משובה *appropriatur Iſraëlitis, quando renuunt ſeſe convertere, ut videre eſt Prov.* 1: 32. *Neque eſt abſurdum aut contradictorium, ſi ſimili ratione tribuamus DEO glorioſo vocem* משובה*, quando non vult avertere ſeſe ab excandeſcentia iræ ſuæ. Dicitur enim tum* משובה *reſpectu DEI de perpetua continuatione pœnæ & conſtanti duratione iræ, etiam abſque ulla DEI mutatione; tantum quod plane non avertatur ab illa ira ſua. Eſt tamen omnino diſcrimen inter iſta: quia* משובה *hominum eſt cum ſtoliditate & malitia conjuncta: ſed* משובה *DEI glorioſi eſt ſecundum juſtitiam judiciumque rectiſſimum inſtituta. Nunc igitur, cum Iſraëlitæ mali forent, & adverſus DEUM ſuum peccarent, DEUS glorioſus punivit eos fame, peſte & gladio hoſtium. Poſtquam vero Propheta quiſpiam corripuit Iſraëlitas, ut reverterentur per* תשובה *pœnitentiam, & averterent ſeſe à* משובה *rebellione ſua multiplici; Iſraëlitæ repoſuerunt: Revertatur primum DEUS glorioſus ab excandeſcentia iræ ſuæ, & intermittat* משובה *averſionem ſuam, in qua firmiter ſibi propoſuit Iſraëlitarum exitium. Tum etiam Iſraëlitæ revertentur à* משובה *rebellione ſua multiplici, atque colent DEUM. Ita igitur ſuſpenderunt* תשובה *pœnitentiam & converſionem ſuam, in* תשובה *reverſione DEI glorioſi; & viciſſim* משובה *rebellionem ſuam, in* משובה *averſione DEI. De hoc igitur hic inquit Propheta* ועמי תלואים למשובתי *quaſi diceret: ecce filii populi mei ſunt ſuſpenſi, ut non convertantur ab averſione* משובה *ſua, qua peccant, donec ego revertar ab averſione* משובה *mea, qua punio illos.* Hæc ſpecioſius, quam verius Abarbenel. Recte quidem adducit primum R. Abraham Aben Eſræ, R. David Kimchi, R. Sal. Aben Melech aliorumque, deinde R. Sal. Jarchi ſententiam; ſuam autem, ab utraque priori diverſam, dum promit, non una ratione peccat. Nihil eſt, quod in prima ſententia jure deſideret, confutare auſit, aut falſum docere poſſit: cur ergo ab ea diſcedit, & verum, quod etiam in genuino Scripturæ S. ſenſu eruendo non niſi unum eſt, ſine ratione relinquit? Unius loci plures ſenſus literales non fert Scriptura S., neque vera Theologia. Judæorum autem ψευδερμηνεία cum corticem vix tangat, nucleum exhibere ſatagit, confictis vago ac fruſtraneo auſu ſeptuaginta Scripturam interpretandi modis, juxta *R. Abr. Aben Eſræ*, inter eos ſapientiſſimi, effatum *præf. in Pentateuchum.* שבעים פפים לתורה. Vere de his pronuntiat, rerum Judaicarum callentiſſimus JCtus, *Petrus Cunæus* Lib. 3. de Rep. Hebr. Cap. 8. p. m. 349. *Nimium ineptiunt plerique, qui inter eos interpretati legem ſunt, ſupercilioſi Magiſtri, qui errores erroribus tegunt, ne perpluant, & diſcipulos ſuos magna mercede unum hoc docent: Nihil ſapere. Qui plurimos ſui ſimiles h. e. putidos & nugatores effecerint, ii primas tenent.* Optime iſta in Abarbenelem conveniunt, cujus auctoritate in reddendis Scripturæ ſenſibus tot Verpæ nituntur, parati cum eo ſtare atque cadere. Noſtrum משובה exponens חסר לב deprehenditur; ea quippe prolixe confirmans, quæ nulla probatione egent; dimiſſis ſine ratione iis, quæ vel maxime luculentis argumentis erant confirmanda: neceſſaria negligit, dum non-neceſſaria propugnat. Quis enim Scripturæ S. peritus negat, aut tantum dubitat, apud Iſraelitas aliquando dari ac requiri תשובה pœnitentiam? dari, ſed prohiberi משובה rebellionem? quis Hebraice peritus neſcit, תשובה averſionem à malo & converſionem ad Deum in præſenti argumento notare? Fruſtra igitur loca Deut. 4: 30. c. 30: 2. Hoſ. 14: 2. afferuntur; male de Iſraëlitarum משובה averſione locus Prov. 1: 32. adducitur, cum de quorumvis ſtultorum rebellione agat. Num ſoli Judæi erunt פתאים ſimplices ac ſtolidi? quid quod משובה Prov. 1: 32. non tam neget converſionem ad DEUM, quam aſſerat שלוה tranquillam proſperitatem, juxta textus ſeriem, הנחה והשקט quietem & tranquillitatem, ſecundum רא״בע & רל״בג, Munſterum, Junium, atque deſiderium, juxta Lutherum? Adeoque ſuam vocis משובה explicationem ex Prov. 1: 32. difficulter, ſubjecti vero ad Judæos determinationem, nunquam obtinebit Abarbenel. Longe rectius, facilius & felicius ſine contradictione eam משובה ſignificationem ex Jer. 8: 5. aliiſque locis, ſupra p. 961. allatis, confirmare licet. Satis de Iſraëlitis: diſpiciamus de DEO glorioſo, an & quomodo eidem primum תשובה, deinde etiam משובה competat? Pro voce תשובה Abarbenel adducit loca Deut. 30: 3. Mich. 7: 19. Reſpondemus, quod pœnitentia תשובה DEO ἀνθρωποπαθῶς καὶ ἐνεργητικῶς in Scriptura tribuatur, confirmarunt dudum Theologi atque Philologi, ex quibus videatur B. Gerhardus *Comm. in Geneſ. pag.* 184. Dn. D. Calovius *Socini ſm. profl ig. p.* 162. B. Glaſſius *Phil. S. Lib.* 5. *Tr.* 1. *Cap.* 7. *p.* 119. (1130.) Neque averſionem ab ira graviſſima Deo denegamus: ſed quod ea averſio voce תשובה ſignificetur, & DEO in adductis locis tribuatur, vix concedimus. Primum enim vox תשובה ibi plane non habetur: igitur inde de vocis תשובה ſenſu judicari nequit. Quanquam enim שָׁב atque שׁוּב, verba nomini huic cognata, ibi habeantur; ea tamen neque ſemper alias, neque hic eandem cum nomine inde deducto ſignificationem neceſſario retinent: cum illud formale radicis, in omnia inde derivata ſe diffundens, rectiſſime confutatum ſit. Deinde Deut. 30: 3. שָׁב de DEO adhibitum non eſt ἄνευ, ſed μετὰ συμπλοκῆς: Jehova non dicitur reverti, ſive ab ira ſua averti, ſed שב שבות reſtituere, reducere captivitatem, quod formaliter non infert averſionem ab ira. Poſtremo locus Mich. 7: 19. præſenti inſtituto plane inconveniens, non averſionem ab ira, ſed iterandam miſericordiam dicit. Hic enim obtinet illud loquendi genus, Hebræis familiare, quo duorum verborum, cum vel abſque copula poſitorum, prius adverbii vices eleganter gerit, ſi Hebræa Latino, Germanico aut alio idiomate reddere velimus. Quo conferri meretur Magnif. Dn. D. Geierus *Tom. I. in Pſal. pag.* 206. 550. 1030. *ſeqq. Tom. II. p.* 326. 439. 591. *ſeqq.* atque B. Glaſſius *Phil. S. Lib.* 3. *Tr.* 3. *Can.* 34. *ſeqq. p.* 344. (624.) *ſeqq.* Sigillatim verbum שוב cum vel ſine ו ante aliud verbum poſitum, ſignificat iterationem actionis, quæ verbo poſteriori notatur, & apud Latinos convenientiſſime per iterum, rurſus, denuo aut ſimilia adverbia exprimitur. Id quod non tantum Mich. 7: 19. ſed etiam Deut. 30: 3. Pſal. 6: 11. Pſal. 71: 20. Pſal. 85: 7. Cohel. 5: 12. Daniel. 9: 25. Hoſ. 11: 9. Zachar. 5: 1. cap. 6. 1. atque alias obtinet. Manifeſtum igitur eſt, DEO תשובה

iſtis

istis locis eo, quo Abarbanel voluit, sensu non tribui: multo minus eidem concedendum est, quod משובה Deo tribuere possimus commodissime. Istud assertum, quod caput causæ concernit, ne unico quidem Scripturæ loco confirmare voluit Abarbanel; imo neque potuit: est enim præter & contra omnem S. Literarum usum. Omnes vocis משובה in sacris adhibitæ loci supra pag. 961. sunt adducti: nullus illorum ulla veri specie de DEO active exponi potest. Dicas, etsi Scriptura non ita usurpet, nos tamen ampliare vocis usum, atque DEO sano sensu attribuere posse, ut משובה, quod apud Israëlitas continuationem mali culpæ significat, apud DEUM continuationem mali pœnæ designet. Respondemus, Judæi periculo pariter ac more suo id faciant: solummodo impuras mentes simul ac manus à codice sacro abstineant; nec conficta ejusmodi significata Scripturæ inferant. Absurditate tamen non caret, id de pœna intelligere velle, quod de culpa continua, in Sacris Literis perpetuo sonat: id laudi, & quidem divinæ, ducere, quod turpissimam semper ignominiam infert: uno relatorum nominato, alterum ei oppositum intelligere: creaturæ defectum enormem nominare, & intelligere creatoris perfectionem eminentissimam. Dicas, משובה notat tantum aversionem: DEUS autem utique sese gratia à creatura rationali peccante avertere, beatificæ visionis vultum subtrahere, eoque gravissime punire potest. Respondemus, aversionem omnem DEO non denegamus, sed talem solum, quæ per משובה in Scriptura Sacra significatur, ubi aversionem à summo bono ad maximum malum perpetuo designat. Quæ ipsa cum à Deo longissime absit, etiam signum, exprimendæ eidem inserviens, removendum à DEO censemus. Confirmet igitur primum Abarbanel, quod משובה DEO active in Scriptura approprietur, tum demum ostendat, quo modo, ad iram gravissimam & justitiam vindicativam denotandam eidem approprietur. Nos enim, non sine fundamento, genus inficiantes, nullam generis speciem, nullum speciei modum admittimus. Neque historia sacra uspiam testatur, Israëlitas eo pacto cum DEO egisse, & conversionem suam ad div. pœnæ intermissionem distulisse atque suspendisse. Inverso potius ordine, DEUS differt pœnam Coh. 8: 11. ut peccatores longanimi bonitate sua ad pœnitentiam invitet Rom. 2: vs. 4. Male igitur Abarbanel משובה de supplicio DEI, תלואים de judicio Israëlitarum exponit; bene tamen vocis עמי sensum per בני עמי reddidit. Longe rectius vocem למשובתי exposuit *R. Abraham Aben Esra*, qui ita ad verba nostra: ועמי תלואים וגו׳ בא״לף כמו אשר תלאום וו״ו למשובתי אינו סימן הפועל כמו ושמחתים בבית תפלתי אשתחוה אל היכל קדשך ביראתך כי משובה לעולם לגנאי והנה הטעם שהם עושים דרך משובה עמי כארם תלוי באויר אינו עולה למעלה ואינו יורד למטה: *Vox* תלואים *habet* *uti* תְּלֻאִים א 2. *Samuel.* 21: 12. *Litera jod autem vocis* למשובתי *non sumitur active, sed uti in* תפלתי *Jesai.* 56: 7. *& ut suffixum in* ביראתך *Psalm.* 5: 8. *quia* משובה *semper ignominiose accipitur. Hic igitur sensus est, quod ipsi Israëlitæ aversionem instituerint, indeque populus meus sit velut homo in aëre suspensus, qui neque sursum ascendit, neque deorsum descendit.* Facile se commendant ea, quæ de voce משובה, atque formatione grammatica תלואים attulit AbenEsra: significationem tamen vocis תלואים ea similitudine non sufficienter exprimere videtur. Non enim Israëlitæ tantum in peccatis immoti perstare, sed in rebellione contra Deum progredi, perpetuoque impietatis motu agitari dicuntur: à dubitatione in errores subinde novos, inde in graviora scelera, ingenti ruina prolabuntur.

VII. Ista pandunt viam facile assequendi genuinum hemistichii posterioris sensum: quod pro gemino accentu distinctivo membra vicissim duo habet. Prioris membri verba sunt sequentia: וְאֶל־עַל יִקְרָאֻהוּ & ad excelsum vocabunt illum, sive, *quamvis ad* DEUM *excelsissimum* invitent *vocentque eum* Prophetæ, Sacerdotes, alii quicunque pii. Continetur enim his sedula piorum ad DEUM rite agnoscendum, colendum atque imitandum exhortatio, ad voluntatis divinæ normam publice privatimque facta.

Monitores in impersonali locutione continentur, atque sunt publice, & quidem extra ordinem, Prophetæ; servato ordine Sacerdotes & Levitæ. Privatim quivis in familia constitutus, patris aut matris, filii aut filiæ, servi aut ancillæ nomine distinctus Deut. 6: 7. Hagg. 2: 12. Malach. 2: 7. Rom. cap. 15: 14. 1. Corinth. 14: 31. Coloss. 3: 16. 1. Thessal. 5: 14. Hebræor. 3: 13. cap. 10: 24, 25. Opus ipsum dicitur vocatio, verbo קרא expressa, secundum & per Scripturam במקרא facta ἐν δυνατοῖς λόγοις, εὐκαίρως, ἀκαίρως, ἔργῳ καὶ λόγῳ, ὀρατῷ καὶ ἀκυστῷ. Versatur eorum cura circa על excelsissimum: vocant à deviis ad supernæ mansionis cœlestis architectum & inhabitatorem, gloriosum in cœlis DEUM, à tenebris ad lucem, à terrenis ad cœlestia. Propter Israëliticum populum ista cura suscipitur, qui tot tantisque beneficiis, præ omnibus universi orbis gentibus, à DEO cumulatissime affectus, toties tamen tam gravi tamque nefaria rebellione à summo bono ac benefactore suo turpissime aversus fuit. Particula ו significationem adversativæ conjunctionis hic obtinet, optimeque redditur per quamvis, etsi, etiamsi, ut Genes. 18: 27. c. 48: vs. 14. 2. Sam. 9: 11. 2. Paral. 30: 19. Psal. 99: 8. Psal. 109: 4. Prov. 26: 24. Cohel. 9: 16. Zachar. 12: 8. Postulat eum sensum irritus exhortationis effectus, posteriori membro ostensus. Chaldæi, Syri, atque Arabis ו ܘ و eodem sensu convenienter reddi potest: quem neque Græcorum καὶ respuit, quod interdum pro κἂν ponitur, ut Luc. 18: 7. Act. 7: 5. Hebr. 3: 9. Latina Vulgata bene quidem adversativam, sed inconvenienter vocem *autem* elegit; Vatablus, Castalio & Lutherus primariam significationem retinuerunt. Melius Pagninus, Arias Montanus, Junius & Tremellius per *quamvis* reddiderunt, uti & Vinarienses Paraphrastæ: Wenn man sie schon. Germanicus ante Lutherum interpres ו tanquam conditionalem particulam male transtulit: Wann. Conjuncta huic vox אֶל alias apud Hebræos nominis secundarii vel primarii, substantivi vel adjectivi, hic præpositionis vices gerit, valetque idem atque *ad* in significatione primaria, quam hic tuto retinemus. Varia ejus significata alia, quibus interdum אֵת בְּ עַל עִם aliisque æquipollet, præter R. D. Kimchi *in Libro Radicum f.* 8. *c.* 1. accurate demonstrat B. D. Glassius *Phil. S. Lib. III. Tr. VI. Can. IV. & V. p.* 524. (755--761.) atque Magnif. Dn. D. Gejerus *Tom. I. in Psalm. pag.* 34. 762. 1131. *Tom. II. p.* 7. 16. In nostro textu אל sægol habet ob makkeph; quanquam & alias sine makkeph: ut vere scripserit רד״ק in מכלול *fol.* 67. *c.* 2. בסגול בין במקף בין בלא מקף. Chaldæus transtulit nostrum אל per ב, Syrus per ܠ tanquam את æquipollens, Arabs per علي Græci per ἐπὶ velut cum על paria faciens: atque ita singuli, primaria significatione neglecta, à scopo aberrarunt. Particulam אל plane omisit Interpres Vulgatus, eumque secutus Germanicus, ipseque Lutherus in utraque Translatione; non tamen in Commentario, ubi optime hæc expressit, uti supra pag. 660. vidimus. Rectissime Pagninus, Vatablus, J. Tremellius, Castalio atque Vinarienses אל per *ad* reddiderunt. Quæ hanc sequitur vox עַל hic adjectivi sensum habet, valetque idem quod excelsus, altissimus, seu Hebræorum נשא עליון atque similia. Est enim ab עלה ascendit, Deumque ab excelsa gloria, quæ ipsi cum in majestate essentiæ competit, tum à creaturis singulis debetur, denominat. In Scriptura Sacra eodem sensu adhuc bis occurrit; semel de Deo excelsissimo Hos. 7: 16. atque iterum de Davide glorioso Rege 2 Sam. 23: 1. Ubi minime diffitendum, utrumque hunc locum alia ratione à quibusdam exponi, iis potissimum, qui Interpretes potius, quam fontes sequuntur. Verba enim Hos. cap. 7: 16. יָשׁוּבוּ לֹא עָל *Vulgata* reddit: reversi sunt, *ut essent absque jugo*; Osiander, *sed non sub jugum*. Quicquid hic Pontificii Scriptores pro jugo afferunt, proficiscitur ex permutatione לא & בְּלֹא atque inprimis ex discrimine inter עֹל & עַל non observato. Prius ab עלל deductum designat jugum, nec in fontibus habetur; posterius ab עלה descendit, atque in textu authentico obvium, notat excelsum. Neque *Chaldæus* defectum recte supplet, aut genuinum sensum exprimit, vertens: תָּבוּ לְמִרוֹד מִן אוֹרַיְתָא לָא עַל דְּאַבְאֵישִׁית לְהוֹן *aversi sunt, ut deficerent à doctrina, non quod mala eis intulerim.* Defectionem à doctrina DEI שׁוּב non infert: suppliciorum à DEO illatorum hic nulla fit mentio: על non ut particula causam finalem, sed ut adjectivum excelsum notat. Unica litera aut syllaba id, quod orationi deest, rectius ita supplere licet: יָשׁוּבוּ לֹא לְעָל aut אֶל־עָל. Rectissime itaque Theander *Lutherus Comm. in h. l. Tom. VIII. Altenb. f.* 672. *b.* Sie wenden sich nicht zu mir / bekehren sich nicht zu GOtt. Inconvenienter autem in מכלול יופי *R. Salomon Aben Melech ad h. l.* על שנים בקמץ וזה אחד מהם והוא חסר ופירושו ישובו לא על צורך ולא על דבר ויש מפרשים שהוא תאר לפי שהוא קמוץ כלומר עליון וכן חוקם. על ופירושו כשתבא להם הצרה ישובו לזעוק אל אלהיהם לא אלי שאני עליון. על הכל: *Vox* על *bis habet Kamez*, 2 *Sam. c.* 23: 1. *atque hic: Defectiva igitur hæc locutio, & ita supplenda est: redibunt neque propter necessitatem infame, neque propter aliud quid tempore pestis. Alii exponunt* על *velut adjectivum & Synonymum* עליון, *quia Kamez habet, uti* 2 *Sam. cap.* 23: 1. *Tunc ejus sensus talis est: cum evenerit eis calamitas, revertentur, ut invocent, ad Deastros suos, non ad me,* qui

qui tamen excelsissimus & super omnia constitutus sum. Prior sententia, ex Kimchi מכלול desumta, cum falso hic על particulam pronuntiet, improbanda; posterior interpretatio totidem verbis petita ex *Kimchi* פירוש in h. l. consensum habet *R. Sal. Jarchi*, qui ita ad h. l. על לשון עילוי ואינו דבוק לתיבי שר אחריו *Vox* על *significat excelsum ut 2 Sam.* 23: 1. *neque ut particula cohæret voci sequenti.* Omnium optime *Rabbi Isaac Abarbenel in h. l. f.* 124. *cap.* 1. ישובו לא על כלומר לא ישובו אל אל עליון כי אם למצרים ולאשור וכו׳: *revertentur non ad excelsum, vult dicere: non revertentur ad DEUM excelsum, sed in Ægyptum & Assyriam.* Posterior locus 2 Sam. 23: 1. altioris est indaginis: satis tamen illustratus à Venerando in Christo Patre nostro *D. Luthero Tom. VIII. Altenb. fol.* 306. a. eique exacte ὁμοψήφῳ *Dn. D. Quenstedt pecul. Tract. de ultimis verbis Davidis,* qui publico egregio nunc altera vice typis exscribitur. Inde tanquam satis certum & evictum sumimus, עַל denotare ibi exelsum: quod & Doctores Hebræorum celebriores promti lubentesque concedunt. Neque diversa ratio est nostri loci Hos. 11: vers. 7. quamvis enim על hic patach habeat, inde tamen non statim significationem nominis amittit & præpositionis induit. Sed quemadmodum רַע & רָע malus, צַר & צָר angustus, חַח & חָח hamus צַו & צָו præceptum, קַו & קָו regula dicitur; ita etiam עַל & עָל excelsus recte redditur. Istud significatum non tantum origo, ab עלה *ascendit* arcessenda, sed etiam usurpatio biblica, 2 Sam. 23: 1. Hos. 7: 16. admittit, & series textus Hos. 11: 7. exigit. Neque enim præpositio אל hic aliam præpositionem, sed nomen commodissime regit: neque על, si præpositio foret, nomine, quod regeret, careret. Ipsa etiam res, de qua sermo est, docet, id per על significari; à quo Israelitæ se averterunt, ad quod Prophetæ invitarunt, quod Israelitæ non glorificarunt. Hæc autem ita comparata sunt, ut optime gloriosissimo Numini conveniant: quod proinde nomine על cum celebrioribus interpretibus hic intelligimus. *Chaldæus* equidem duas voces מְרוּעָא קְשְׁיָא ad exprimendum על adhibuit; verum על eum infirmitatis graviter prementis sensum nunquam habet, quem tamen עול admittit: quæ duo juxta pag. 963. distinctissima, pro iisdem habuisse videtur. Jugum עול durum est, & מרועא קשיא gravissimam ægritudinem ac dolorem afferre potest; ad istum autem non invitant Prophetæ, sed ad DEUM excelsum. Id quod *Syrus* optime intellexit, convertens על per ܐܠܗܐ ܥܠܝܐ DEUS: quo ipso rem magis, quam nomen expressit, adeoque, ut Philosophi loqui amant, materialiter potius, quam formaliter satisfecit. *Arabs* cœcos Duces *LXX. Interpp. Græcos* infeliciter secutus, eundem designavit errorem, eumque tergeminum in isto nomine unico. Primum enim vocem ὁ θεὸς ألله de suo addiderunt: deinde על tanquam substantivum & quidem collectivum, numero multitudinis, per τὰ τίμια & كرائم pretiosa & honores ejus reddiderunt; denuo de suo adjicientes pronomen possessivum αὐτοῦ. Vox על notat quidem excelsum, sed DEUM, non excelsum sacellum idololatricum, quod במה vocant Hebræi; aversantur Prophetæ, non ad id adhortantur. Felicior in eligendo Duce non fuit *Vulgatus* Interpres *Latinus*, & qui hujus vestigiis insistit ante Lutherum *Germanicus*: per vocem enim jugum manifeste prodit, se על cum עול supina negligentia confundere, pessimeque Chaldæum potius Interpretem, quam veritatem Hebraicam secutum esse. Quod diligentissimum Scripturæ Sacræ Interpretem, *B. Osiandrum* non animadvertisse mireris, quando ita reddidit comma nostrum: *Etenim populus meus ad me converti dubitat: & quamvis ad jugum vocentur: tamen simul attollere sese nolunt.* Reliqui Interpretes Latini, supra p. 957. adducti, uti & B. Lutherus in Comment. h. l. pag. 18. allegatus, vocem על per excelsum, altissimum, supremum, den Höhesten optime transtulerunt. Pro explicatione vocis על sequentia affert fidus quidam Scripturæ interpres: *Difficultas hujus loci præcipua expirabit, si vertas: Et* אל־על ad supra i. e. למעלה (*ut Joh.* 2: 7. ἕως ἄνω) sursum *vocant eum* ruffen auff/ *quomodo bene respondebit sequens* ירומם *nemo est, qui se elevat,* es begehret sich keiner auffzurichten. *Nec mirum videatur, sive quod* על *adverbialiter capiamus, sive quod construi cum* אל *admittamus. Cum enim particula* תחת *adverbiascat, Genes.* 49: *vs.* 25. *oppositæ* על *eadem est ratio: sed &* מעל *ibidem adverbialiter usurpatur. Porro cum reperiamus* אל־תחת *Levitic.* 14: *vers.* 32. *Judic.* 6. *vs.* 19. *quid hæsitamus de* אל־על? *Sic dantur aliæ particularum etiam separatarum consociationes* על־מעל *Ezech.* 41: *vs.* 17. עד־מעל *vers.* 20. על־בין *Ezech.* 19: *vers.* 11. *&c. Proinde* על *hoc loco non potest esse nisi præpositio, quod è dictis constare putamus.* Quod pace tanti viri fiat, Versio ista *ad supra* Latinis auribus horridior, & à textu ac Hebrææ linguæ genio alienior videtur. Certe apud Latinos corda sursum vocare non respondet illi ad supra vocare, quando ad superna meditanda sive DEUM supremum cogitandum aliquem excitant. Hoc Hoseas de Prophetis asserit, per אל־על prædicationis objectum, non modum determinans. Hebræus ejusmodi excitationem aliter effert, Psalm. 68: 2. & 132: 8. cum Numer. 10: vs. 35. & קרא על potius fine, quam cum אל adhibuisset. Pro concesso sumitur, quod tale nunquam fuit, vocem על nominis vicem nuspiam sustinere. Sed contrarium supra pag. 963. satis demonstratum dedimus: ideoque אל־על paria facere cum למעלה inficiamur, ejus confirmationem ex Scriptura desiderantes. A præsenti negotio omnino alienus est locus Joh. 2: vs. 7. quia ἕως ἄνω per orationis defectum dicitur pro ἕως τῆ μέρης ἄνω ὄντος, usque ad summam hydriæ partem sive orificium. Uti ἱερουσαλὴμ dicitur ἡ ἄνω scil. ἔσα Galat. 4: vers. 26. atque Coloss. 3: vers. 2. jubemur φρονεῖν τὰ ἄνω scil. ὄντα: ita ἕως ἄνω Joh. 2: vers. 7. non debet reddi ad supra, sed, usque ad supremam partem. Quod vero ex textus serie urgetur, Hoseæ ירומם esse idem, quod *elevat sese*, id vix concedi potest. Significatio enim reciproca proprie in Hithpaël datur Dan. 5: vs. 23. nostrum vero ex Piel desumtum ירומם commodissime ad DEUM refertur; non est qui elevet sive extollat DEUM, ut infra pag. 965. confirmabimus. Duo obstacula observata quidem, at non satis remota sunt; neque enim consequitur: particula תחת aliquando significationem adverbii habet, igitur & על eidem opposita. Oppositorum quippe diversa potius ratio est; neque quod uni alterive particulæ competit, omnibus in communi tribuendum. Confirmandum primum erat, על hic esse particulam: deinde ex aliis Scripturæ locis demonstrandum, על sensum adverbii habere; neutrum vero præstitum est. Firma ea argumentatio haberi nequit: quicquid cum מ, id etiam cum אל constructum, habet adverbii significationem. De particula על enim prius confirmari ex scriptura potest: at non eadem facilitate posterius. Recte consociatio particularum separatarum asseritur; sed inter אל־על & adducta exempla est כנונה הרים ביניהו. In locis enim citatis utraque particula significationem certam habet, aut suam retinens, aut nominis vel adverbii induens: vox אל autem ante aliam præpositionem insignes facit pleonasmos, ut demonstrat egregie *Cl. Buxtorfius Thes. Gram. Lib. II. Cap. XX. p. m.* 578. Et quanquam consociatio אל־על è Scriptura monstrata esset, quod non præstitum, evictum tamen nondum esset, על non nisi præpositionem esse: quod vel maxime erat confirmandum. Quæ in hoc membro superest vox יִקְרָאֻהוּ significat *vocent, invitent illum, prædicent illi*: deducta enim est à קָרָא, quod proprie est verbis animo rite conceptis, ac voce articulata significanter expressis vocare, invitare, acclamare, atque de Ministris DEI prædicare, voce publice elata proclamare. Hinc LXX. Interpp. קרא reddunt per κηρύσσω, Genes. 4: 23. Exod. 32: 5: 2 Reg. 10: 20. quod sæpe est publica auctoritate ea, quæ in mandatis dedit Princeps, in concione clara voce annuntiare. Optime ista fidis DEI Ministris, Patriarchis, Prophetis & Sacerdotibus conveniunt, qui ceu κήρυκες δικαιοσύνης, 2 Petr. 2: 5. voluntatem DEI quacunque ætate in solenni hominum cætu ἐν παῤῥησίᾳ significarunt. Neque publice tantum, sed etiam privatim annunciare, invitare, prædicare קרא notat sæpius: atque ita in nostro textu sine certa monitoris mentione יקראו adhibetur, tam de privata, quam publica ad pœnitentiam adhortatione, tam de ea, quæ à Prophetis extra ordinem, quam quæ à Sacerdotibus ordinarie est suscepta. Invitant autem *illum*, populum puta Israeliticum, tot beneficiis à DEO affectum, tot peccatis ab eodem aversum, penitusque perversum, conf. supra p. 960. *Chaldæus* Interpres vocem יקראהו reddidit יְתְעַרְעוּן incurrent, incident, à radice Chaldæis & Rabbinis propria עֲרַע accidit, contigit, evenit, incidit: cui apud Syros respondet ܓܕܫ 1 Petr. 5: vs. 9. apud Arabes عرض. Verum ita Jonathan non tantum negligit suffixum, sed etiam קרא cum קרה confundit: cum illud vocavit, legit, hoc evenit, occurrit significet: cum illud, non hoc sit isthic adhibitum. Equidem קרא etiam notat incurrere, evenire, Genes. 42: vers. 4, 38. cap. 49: 1. Exod. 1: 10. cap. 5: 3. Levit. 10: 19. Deut. 22: 6. c. 31: 29. 2 Sam. 1: 6. c. 20: 1. Job. 4: 14. Jes. 60: 18. Jer. 4: 20. & alibi. Sed istud est ex permutatione literarum ejusdem instrumenti atque אהוי, neque in nostro loco obtinere potest, ob primariam significationem vocandi retinendam,

& ra-

& rationem suffixi habendam. Hanc etiam *Syrus* neglexit, & קרא de invocatione DEI ab Israelitis facienda intellexit, cum tamen de invitatione Israelitarum ad DEUM à Prophetis aliisque facta sonet. *Arabs* verbum غضب iratus est, adhibuit, promte secutus Interpp. *LXX. Græcos*, qui יקראהו per θυμωθήσεται reddiderunt, à θυμόομαι succenseo, irascor, ut & ad iram concitor. Verum multiplici ratione ab authentico textu aberrat utraque Translatio. Primum enim in singulari de DEO effert, quod Hoseas in plurali de Prophetis protulit: deinde suffixum penitus omittit, & postremo, quod minime tolerandum, pro קרא legit קנא: quæ duo tamen multis modis à se invicem distincta sunt, & in Scriptura semper manent distinctissima. Latina *Vulgata* ob vocem jugi male assumtam, conveniens jugo verbum imponendi eis elegit, & eo ipso errorem cumulavit. Chaldæum enim secuta קרא significatione קרה reddidit, quod jugum eis eventurum, sive, magis Latine, imponendum sit. Præterea numerum suffixi & præcedentis vocis עמי negligens Vulgatus, id de supplicio interpretatur, quod de beneficio per Prophetas exhibito, seria ad DEUM vocatione & voluntatis divinæ annuntiatione, Hoseas adduxit. Longe rectius reliqui Interpretes Latini p. 5. adducti, uti & B. Lutherus, istud יקראהו expresserunt; quorum unanimi suffragio, textui authentico consentiente, merito acquiescimus. Ex Rabbinis recte hic *R. Don Isaac Abarbanel*: ואעפ"י שאל על יקראוהו כלומר שהנביאים כלם יקראו לעם הזה שישוב אל אל עליון שהוא רם ונשא חנה הם כלם אין בהם מי שירומם אותו העליון ויכבדהו בלבו ובפיו לפי שלא היו חפצים לרוממו ולכבדו עד אשר ישוב הוא ית' ממשובתו שישיב חרון אפו מהם: *Quamvis Prophetæ omnes vocarint populum istum ut reverteretur ad DEUM gloriosum, qui est excelsus & elatus: tamen inter omnes eos non fuit qui extolleret eum excelsum atque honoraret corde & ore suo. Noluerunt enim extollere & honorare eum, donec ipse DEUS benedictus reverteretur ab aversione sua, revocando ab Israëlitis excandescentiam iræ suæ. Vox* על *est sicut 2 Sam.* 23: 1. Similia affert sapientissimus *R. Abrahamus Aben-Esra*, ואל עלי כמו נאם הגבר הוקם על שהוא תואר כמו עליון והנה פירושו ואל עליון יקראוהו הקוראים והם נביאי השם וכולם על דרך אחי לא ירימו ראש: *Vox* על *sumitur, uti 2 Sam.* 23: 1. *ut sit adjectivum atque paria faciat cum* עליון. *Talis igitur erit ejus expositio: & ad excelsum eos vocant qui prædicant; & hi quidem sunt Prophetæ DEI gloriosi. Omnes autem illi Israëlitæ eidem viæ insistunt, neque caput erigunt.* i.e. ולא יצליחו *neque prospere agunt*, ut addit Abarbanel. Consentit cum isto, & præter objectum & subjectum, prædicationis etiam finem docet *Rabbi Dav. Kimchi*, inquiens: יקראוהו הנביאים תמיד לשוב אל אל עליון ית' *Prophetæ eos semper vocant, ut convertantur ad DEUM excelsum atque benedictum.* Neque diversum ab his statuit *R. Sal. Jarchi*, ואל-על יקראוהו ואל הדבר אשר עליו יקראוהו נהביאים יחד לא ירוממוהו עמי ולא יאות לעשותו ויש מפרי ואל על יקראוהו קשים פגעים יפגעום ואל כמו יש לאל ידי ואין זאת שהרי נקוד בפתח ואם היה ואל שם דבר היה נקוד בצירי וי"ת במרעא קשיא יתערעוי עשי על לשון קש' ולי נראה שפירשתיו כהוגן: *Ad rem supra Israëlitas positam vocant Prophetæ eos, qui simul omnes non extollunt eum. Populus meus est, neque tamen consentit in id, ut faciat istud. Alii interpretantur verba ista* ואל-על יקראהו *duri difficilesve casus evenient eis, ut vox* אל *sumatur uti Gen.* 31: 29. *Hoc autem minime ita se habet: quia* אל *habet segol, si vero* אל *esset nomen substantivum, retineret tzere. Jonathan Chaldaice transtulit, in infirmitatem gravem incurrent, voci* על *significationem difficultatis tribuens. Videtur autem mihi, quod illud, sicut decet, exposuerim.* Res in sublimi & supra Israëlitas constituta est cultus DEI religiosus ipseque DEUS, ad quem Prophetæ Israëlitas invitabant. Recte altera interpretatio confutatur, non tantum ob punctum vocale, sed etiam eo nomine, quod אֵל tum demum fortitudinem, potestatem aut facultatem denotet, quando ל præmittit, & vocem יָד sequentem habet, ut Gen. 31: 29. est in facultate sive potestate manus meæ, secundum fortitudinem manus meæ, confer Deut. 28: 32. Nehem. 5: 4. Prov. 3: 27. Mich. 2: 1. In nostro vero textu neque ל præcedit, neque יד sequitur. Accedit, quod על pessime de jugo aut infirmitate, קרא per קרה de eventu male exponant, atque ita singularum vocum sensum pervertant. Præterea per על Deum intelligi, ex textus serie monstrari potest cum *Abarbenele* זכר השם שהוא לא היה חפץ בהשחתת הרשעים ההם כי איך יתן אפרים וגו': *Meminit Hoseas voce* על *Dei: quia is non delectatur exitio istorum improborum. Hinc statim subjungit; Quomodo dabo te, & quæ sequuntur.*

VIII. Ad extremum commemoranda & explananda paucis sunt ultima hemistichii posterioris verba יַחַד לֹא יְרוֹמֵם. Quæ præ reliquis sua se perspicuitate commendant, atque hunc gignunt sensum: Populus meus *universus non extollit*, nimirum DEUM. Quo ipso facinore gravissimum DEI supplicium incurrit, ut simul sese erigere ac emendare in melius vitam nequeat, sed sub jugo servitutis durissimæ diu multumque ingemiscat.

Ut vocum primum separatim curam geramus, observamus יַחַד esse particulam à יחד adunatus, conjunctus fuit, deductam. Ex lege literarum אהוי affine eidem est אחד ut recte à *Kimch. in* שש *fol.* 50. *cap.* 3. dictum sit: יחד מענין אחד כי כשיתחברו רבים נראים כאחד: *Vox* יחד *habet significationem uniendi ex* אחד: *quia, cum multi consociant se, apparent velut unus quispiam*, sive unum quoddam constituunt. Quod significationem יַחַד concernit, nunquam idem est quod solitarius, desertus, sterilis aut solus, ut confirmavit *Cl. Hacksp. Part.* 11. *Not. Phil. pag.* 152. sed sive gerat pleonastice suffixum יחדו ut Gen. 13: 6. Jer. 31: 13. cap. 46: 12. sive minus, semper æquipollet Latinorum adverbio congregationis, commodissimeque redditur pariter, una, simul, æque, conjunctim. Adhibetur enim יחד de simultate naturæ & rerum, diversis etiam temporibus existentium Ps. 33: 15. conf. Sir. 18: 1. Luc. 13: 3. de simultate temporis, loci, dignitatis, cognitionis, adeoque de conjunctione & exæquatione conditionis Gen. 13: 5, 6. c. 36: 6, 7. 1 Sam. 11: 11. Psal. 2: 2. 31: 4. 40: 15. 41: 8. 49: 3, 11. 62: 10. 88: 18. 133: 1. 141: 10. In nostro loco יחד quamcunque simultatem, temporis ac naturæ, notare potest, adeoque idem studium ac ingenium Israelitarum, diverso ac eo ipso Hoseæ tempore viventium, divina beneficia pari impietate ac oblivione dimittentium. Nam inde à Jeroboami I. prævaricatione usque ad excidium regni Israelitici dignis DEUM laudibus non extulerunt Israelitæ. Admodum convenienter autem adverbium יחד pariter, non adjectivum totus, omnis aut universus, adhibetur. Ita enim non tantum universalitas subjectorum, sed & omnium fere Israelitarum idem semper animus, ac similis ubique conditio significanter exprimitur. *Chaldæus* יחד per כחדא recte quidem reddidit de exæquatione; verum inconvenientissimo loco istud posuit. Nam accentum dominum sakefkaton insuper habens, illud ad prioris membri modificationem retulit, quod posterius membrum determinat. Eodem vitio laborat *Syrus*, voce ܐܟܚܕܐ inconvenienter posita temporis simultatem exprimens, & de suo contra textus seriem adjiciens ܘܢܒܛܠ & curam geret, solicitus erit. Neque enim de divina precum exauditione DEIQUE solicita pro Israelitis cura promissa, ullum in textu authentico vestigium. *Arabs* cum Ducibus, male electis *Græcis LXX. Interpp.* vocem יחד plane omisit; *Vulgata Latina* eandem cum Chaldæo & Syro male ad prius membrum retulit. Inter reliquos interpretes Latinos Pagninus, Arias Montanus, Vatablus, ut & *B. Lutherus* de universalitate subjecti, Junius & *Tremellius* de exæquatione, *Castalio* de simultate temporis, vocem יחד optime exposuerunt. Vocis לא sensus satis perspicuus, nec à quoquam interpretum neglectus: ideo ad postremam vocem יְרוֹמֵם properamus. Hujus etiam origo neque posita in obscuro, neque dubiæ liti exposita est: de formatione grammatica levis tantum controversia Rabbi Joseph Kimchi est; Hanc filius ejus *Rabbi David Kimchi* una cum sua de hoc loco sententia sequentibus verbis proponit יחד לא ירומם· וכלם כאחד אין בהם שישוב לאל ית' וירומם אותו ויגדלהו בלבו ובפיו· וחכם רבי אברהם א"ע פיו וכולם על דרך אחד לא ירימו ראש וכן בדרך המתרגם· ואאז"ל פי' ירומם בצרי כמו בפתח אמר לא יעלה אחד מהם למדרגה שחושב לעלות אליה: *Uno omnes ingenio sunt, non est inter eos, qui conversus ad DEUM gloriosum, extollat eum atque magnifaciat, animo pariter ac ore suo. Sapiens Rabbi Abr. Aben Esra reddidit: omnes alia (una) ratione incedunt, non elevant caput. Simili fere modo Chaldæus transtulit. Ast Dn. Parens meus p. m. exposuit* יְרוֹמֵם *cum Zere, acsi esset cum Patach, non ex piel active, sed ex pyal passive, inquiens: non ascendit ullus illorum per eum gradum, scientiæ ac pœnitentiæ, ut cogitaret ad DEUM pervenire.* Quanquam Zere & Patach in conjugationum gravium atque verborum intransitivorum levium ultima syllaba sæpe alternent: illud tamen hic apud verbum transitivum locum non habet; ubi & activa significatio ex piel stricte retinenda. Male igitur non tantum Syrus passivum Ithpeal ܢܬܬܪܝܡ extolletur, sed & Vulgatus Latinus auferetur, tanquam esset passivum pyal יְרוֹמַם, adhibuit. Neque melius Rabbi Joseph Kimchi significationem neutram ascen-

dendi

dendi verbo ירומם tribuit: melius, quam pater, Rabbi David Kimchi filius significationem activam celebrandi elegit. Ea præsenti loco omnium convenientissima videtur: istud enim negat de Israëlitis Hoseas, ad quod Prophetæ eos invitarant. Jam vero ad amplificandam nominis divini gloriam omnia Prophetarum monita, singula fidelium opera tendunt. DEUS est על & omnium excelsissimus; rebelles tamen Israëlitæ detrectant eum pro על grata mente agnoscere, puplice privatimque ut excelsissimum deprædicare, adeoque animo apud se, voce sonora coram aliis altum habere, æstimare, facere, declarare. Esse autem in רומם significationem exaltandi, efferendi, laudibus nimirum seu glorificandi, vel ex Dan. 4: 34. (37.) luculentum evadit, ubi משבח ומרומם ומהדר elegantissima gradatione sibi junguntur ad incrementum celebrationis divinæ, animo, voce ac opere factum, rite exprimendum. *Chaldæus* tamen ירומם reddidit, יהכון בקומא זקופת ambulabunt erecta statura, i. e. rebus Israëlitarum ita constitutis non exaltabunt sese, sed tristi semper animo ac vultu sub alieno jugo ingemiscent, ne vultum quidem hostis sustinentes. Similiter *Syrus* verbo ܢܬܪܘܡܘܢ prosperam Israëlitis fortunam denegavit. Eademque *Arabis*, *Græcorum LXX. Interpp.* atque *vulgati Latini* sententia fuit, de malo pœnæ, seu negata Israëlitis exaltatione, hic sermonem esse. Rectius reliqui Interpretes Latini de malo culpæ, sive neglecto ab Israëlitis divinæ celebrationis officio, exposuerunt. Is sensus facile patebit, si eum, qui est, orationis defectum rite suppleamus, genuina subjecti atque objecti determinatione ad vocem ירומם. Ubi quidem Interpretes in diversas abeunt sententias, ac quadruplici fere ratione variant. Quidam primum Israëlitas tantum subjectum faciunt, hoc sensu: *Israëlitæ non extollentur*, non ambulabunt erecta statura, non moventur, ab iis jugum non auferetur. Deinde alii Israëlitas faciunt exaltationis subjectum simul & objectum, in hunc fere sensum: *Israëlitæ non erigunt sese*, non est unus, qui se emendet, non est, qui aures suas arrigat, nemo vel caput elevat, ut Prophetis auscultet, Deoque vocanti obsequiosum sese præstet. Tum nonnulli Israëlitas quidem subjectum, DEUM vero objectum constituunt, hoc modo: *Israëlitæ non exaltabunt DEUM*, nemo Israëlitarum laudes DEO debitas grato pectore atque ore tribuit. Aliis denique placet ordinem hunc invertere, atque DEUM pro subjecto, Israëlitas loco objecti habere, hac ratione: *DEUS non exaltabit Israëlitas*, sed contemtores sui ignominia etiam sempiterna afficiet. Prima sententia est Syri, Chaldæi, Castalionis atque Vulgati Latini, ut & R. Sal. Jarchi: secunda placuit R. Abr. Aben Esræ, Luthero, Vinariensibus & aliis: tertia probatur R. David Kimchio, Abarbaneli, Pagnino, Ariæ Montano, B. Glassio aliisque, accedentibus eo Junio, Tremellio &, maxime in notis, Vatablo; quarta demum videbatur vera LXX. Græcis atque Arabi. Prima supplicium, secunda & tertia supplicii rationem, quarta ejusdem autorem exhibet: adeoque prima & postrema malum pœnæ, utraque media malum culpæ continet. Omnes eventum ad annunciationem Propheticam intelligunt: nos sine alio mediante neglectum cultus ac celebrationis divinæ apud Israëlitas insecutum statuimus, adeoque per לא ירומם malum culpæ sensu literali intelligimus. Negatur de Israëlitis tam emendatio sui, quam celebratio DEI: utrumque tamen facinus istud non potest non sequi gravissima Israëlitarum afflictio, dignissimaque eorundem apud Sanctos, homines pariter ac angelos, ipsumque DEUM contemtio. Breviter: Israëlitæ neque se erigunt, neque DEUM extollunt: manent igitur prostrati, neque à DEO extolluntur. Hæc ad suscepti hujus argumenti dignitatem nunc sufficiant: de pluribus similis argumenti alio loco separatim & cum cura differendi occasio in posterum dabitur אם גומר עלי השם.

DEUS vero ac Pater Domini nostri Jesu Christi quæcunque salubriter scienda nescimus, per Spiritum Sanctum doceat nos: in his, quæ vera novimus, custodiat nos: in quibus ut homines fallimur, corrigat nos: in quibus veris titubamus, confirmet nos: & à falsis ac noxiis eripiat nos, ut in cogitationibus ac sermonibus nostris, quod salubriter donat, inveniat, & ea faciat de ore nostro procedere, quæ sint coram ipso principaliter grata, & sic fiant fidelibus cunctis accepta!

Τ᾽ ἀνάπεχ καλλίω!



COM-

COMMENTARIUS GRAMMATICO-CRITICUS IN JONAM, EDITUS A M. ANDREA MYLIO,

Ebrææ Linguæ Prof. Publ.



Xplicaturus sum Prophetam Jonam, quoad imprimis Ebræa professio mihi demandata permittit. Faxit Deus, ut hic labor in divini nominis honorem, & multorum emolumentum vergat! *Complectitur autem Jonæ historia de Ninivitarum conversione, primo antecedentia, geminam nimirum Prophetæ vocationem, quarum primam declinabat cap. 1. vs. 1, 2, 3, 4.*

CAPUT I.

VERS. I.

ויהי Et fuit. *Variè ipsum Vau in sacris usurpatur*, Vid. tract. Drusii de משה וכלב, & Glassii Gramm. sacram p. 640. *Hoc loco, præter id quod conversivum est, ex indole Ebrææ linguæ, ut in initiis aliorum librorum adhibetur, quod Ebraice dicitur* ו תחלת הדברים *Vau principii verborum*, vid. Buxt. Thes. l. 2. c. 21. mihi pag. 592. Confer Tarnov. in h. l. *Sunt qui censent hoc vau copulativum esse, & notare hanc prophetiam, ex grandiori aliquo volumine desumptam esse*, sicut Munst. in suis bibliis scribit: *Exodum initiali suo vau connecti cum Genesi, quod in ea historia Israëlitarum continuetur, cujus Genesis initium fecerat. Sed quid hæc ratio in reliquis libris, utpote Ruth, Esdræ, Esther &c. obtinebit? ubi nil præcedit, cum quo illud vau copulare possit. Adhæc grandius illud volumen, unde Jonæ, aliorumque librorum historia desumpta sit, periisse quis facile credet?* Theophylactus *docet hoc vau copulativum respicere vel ad occasionem missionis Jonæ, ad famam sc. quæ de Ninive percrebuerat, atque ideo consequenter dictum: Et factum est, &c. vel ad inobedientiam Israëlitarum, q. d. Quia Israelitæ non obtemperant, ideo factum est verbum Domini &c.* Auguft. super Ps. 4. *putat, hoc vau copulativum insinuare, prolationem veritatis in voce, cum ea visione, quæ fuit in corde, esse conjunctam. Sed hæc omnia gratis citra urgentem necessitatem dicuntur.* Confer Tarnov. in h. l. *qui ultimum hoc ex mente etiam Ugonis Card. tangit.* Tremell. *hoc vau reddit per quum, h. m. Quum fuisset verbum &c. vs. 1, 2.* ויקם *surrexit &c. Et certum est, quod vau per cum vel quum reddi possit*, vid. synt. meam (*quæ etiam in sequentibus citabitur, id quod semel monuisse satis est*) c. 10. m. 3. *Neque adeo improbabilis sententia Tremellii mihi videtur, nisi quod supra data sententia ex hoc probabilior esse possit, quod communem consuetudinem Ebræorum sequatur, qui Vau initiale librorum observant.*

ויהי דבר אל) Fuit verbum ad Jonam: *Ita verbum regit quandoque Germana natura nomen mediante hac vel illa præpositione* cap. 3. synt. meæ m. 5. *Notandum autem Jonam hic de se loqui in tertia persona, ut multi alii scriptores sacri V. & N. Test. juxta observationem quam* Flacius habet part. 2. suæ clavis tract. 3. §. 57. *in colloquiis persona loquens multum utitur tertia persona, ut, Filius hominis vadit, sicut de eo scriptum est: sic de secunda quoque persona in tertia aliquando agitur, prout id ex Abrahami exemplo patet, qui Deum Gen. cap. 18. h. m. alloquitur: Ne quæso irascatur Dominus meus. Et hodie, qui civiles videri volunt, dicunt: Servus tuus, pro Ego. Dominus meus pro Tu. Deinde phrasis hæc, verbum Domini fieri ad aliquem, juxta* Tarnov. in Hos. *cap. 1. vers. 1. usurpatur* 1. De statu Ecclesiastico *& verbi ministris, ubi immediatam inspirationem vel colloquium notat.* 2. De Magistratu *& in statu politico constitutis, ubi autoritatem & mandatum, vel etiam instructionem, aut quandam consolationem designat lege eundem l. c. Aut si placet, ita potius de hac phrasi judicabis, quod nimirum ita usurpetur, ut partic.* אל *in hac ipsa phrasi vel personam, ad quam factum fuerit verbum Dei, denotet, & tunc immediatum alloquium vel inspirationem connotet* Jerem. 1: 2. cap. 7: 1. cap. 33: 1. Ezech. 1: vers. 3. *&c. aut personam vel objectum, de quo verbum Dei fit, sive comminatio, sive promissio tali personæ facta fuerit. Comminationis exemplum est* Mal. 1: 1. *Promissionis* Zach. 4: vs. 6. *ubi Angelus* אל *de Zerubabel loquitur. Et* Joh. 10: 35. *phrasis hæc mandatum & instructionem infert accepta similiter præpositione* πρὸς *in significatione de: ubi Christus dicit: Nonne scriptum est in lege vestra, Ego dixi; Dii estis. Quod si illos (lex) dixit Deos* πρὸς οὓς *de quibus (quam significationem hujus particulæ* πρὸς. Vid. apud Glass. in Gramm. sacra pag. 479.) *de quibus verbum Dei factum est, h. e. quibus per verbum Dei mandatum est, ut justitiam administrarent, & sic in terra Dei vicem subirent.*

Ad Jonam) *Notandum hic quod ratio nominum ab Ebræis in codice hominibus impositorum desumi soleat vel ab eventu, s. re gesta & præterita: Vel à præsenti rerum statu, vel ab eventu futuro sperato.* Vid. Glass. Gramm. sac. pag. 733. & seqq. *Sed probe monet* Mercerus in Genes. p. 106. *Veteres, ut ut nominum indendorum semper certas habuerint causas, eas etiam quandoque in scripturis expresserint: Sæpe easdem tamen esse omissas, unde neminem se hic immodice torquere debere, aut certi quid temere pronunciare, cum multis conjecturis sæpe locus sit: Et inde, cum neque hujus nominis ratio addita sit, nemo se hic quoque multis torquere opus habet. Solent tamen in communi Jonæ nomen, ratione Etymologiæ, per columbam interpretari, quod instar columbæ fuerit simplex, pius, tristis in ventre ceti: vel veluti columba avolare coactus fuerit, ductus metu periculi. Id si ita est, esset ipsi nomen impositum divino quodam instinctu, à statu futuro. Sed* ut

ut dixi, de hac re non solicite laborandum. At vero non impedit, quo minus ex hoc nomine utilem quandam commonefactionem quis desumat, quod observat. 21. de nomine proprio fusius deducit Glassius. Et Sixt. in Antib. bibl. pag. 272. *recte concedit, ut breviter ex illis nominibus documenta depromantur, quorum Etymo: vel Sp. S. prodidit vel etiam ut h. l. ex originali lingua sua sponte se offerunt: reliqua dubia rejicit.*

Filium Amittai) *Nomen Patris Jonæ. Hic itidem cum Etymologia nominis in codice non proponatur, non esset solicite laborandum. Si tamen curiosius quis investigare velit, & ex originali lingua deducere, videtur habere formam vel adjectivi Veracis. Jod enim solet quandoque formare adjectiva masculina in fine ut* עברי *Ebræus, etiam præcedente patach* שדי *omnipotens: vel etiam substantivi veritatis cum affixo. Ita ab* אמת *veritas dicitur* Psalm. 91: 4. אמתו *veritas ejus: quomodo etiam dici posset* אמתי *veritates meæ. Vid. Chytræum in Onomastico theologico. Dubia tamen hæc sunt. Quidam Rabbini, nec non* Epiphanius in loco de vita prophetarum. Et Isidorus Grammaticus lib. 7. Etymolog. cap. de prophetis *putant hunc Jonam fuisse filium viduæ Sareptanæ (in Zarphat prope Tsidonem)* 1. Reg. 17: 22. *hac ducti ratione, quod hic se filium* אמתי *Veracis appellet, ex mulieris viduæ verbis ad Eliam: nunc cognovi, quod vir Dei es, & verbum Domini in ore tuo* אמת *veritas. Sed* (1) habuit *propheta patriam, non Sareptam Tsidoneorum, ubi vidua fuit, sed Gath Chepher* 2 Reg. c. 14: 25. *quæ erat civitas in tribu Sebulon* Jos. 19: 13. Confer Kimchi in h. l. *Dicitur autem Gath Chepher in differentiam aliarum Geth de quibus* vid. Jonam Justum Ebræum in Indice suo super tabulam suam Ebræam terræ sanctæ (2) Deinde *vidua illa fuit gentilis.* Luc. 4: 26. *Jonas se Ebræum esse dicit* cap. 1: 9. *qui verum Deum colat & timeat: Et Jonæ patrem Judæum fuisse ex traditione Ebræorum, cui* cap. 1: 1. Amos & cap. 7: 14. *lucem quandam addit, deduci potest, si vera omnino est. Habet eam* David Kimchi in præfat. in XII. Prophet. eamque *his verbis proponit:* כל־ששמו ושם אביו בנבואות בידוע שהיה נביא בן נביא *Cujuscunque nomen & nomen patris, in prophetiis adscribitur, ille est propheta, prophetæ filius.* 3. Filius Viduæ *Sareptanæ revocatus est in vitam ab Elia, sub initio imperii Achabi* 1. Reg. 17. *Jonas autem sub Joa, patre Jeroboami natus putatur, intra quæ tempora fere nonaginta anni intercesserunt. Cæterum, quia Patria Jonæ extra controversiam fuit Geth Chepher, quæ tamen h. l. non exprimitur, sed alibi; minus firma est notatio Ebræorum, quam habet* Kimchi in proœmio XII. Prophetarum his verbis: *Propheta, qui memorat* שמו *nomen suum* ולא שם עירו שהיה נביא מירושלים *i. e. Et non nomen urbis suæ, ille est propheta ex Jerusalem. Addi hic etiam constructio potest, quæ appositionis est, Jonam filium Amittai* Syn. cap. 1. m. 2.

לאמר) *dicendo vel potius edicendo. Ponitur enim quandoque dicere pro edicere, vel, præcipere, vid. Flac. Clav. part. I. Et quia Ebræis simplex tantum verbum est, habent simplicia compositorum significationem: ut cadere pro excidere:* Synt. c. 3. m. 1. *Quod a.* ל *etiam Gerund. in do faciat,* vid. Synt. c. 9. m. 3. *Addi hic quoque differentia potest inter* אמר *&* דבר *Nam* 1. אמר respectum ad objectum, *ad quod sermo vel loquela fit, semper habet, sed* דבר *absque conjunctione & respectu ad alterum esse potest (ut ut quandoque eum non excludat ut* Genes. 12: 4. cap. 24: 7.) *quia locutio* דבור *significat loquendi facultatem, quæ est in homine, dicis enim homo vivens* מדבר *non dicis homo vivus* אומר *nisi jungas cui dicat, nimirum talis tali. Et quanquam interdum non scribatur id, cui jungitur, tamen facile subintelligitur,* ut Genes. 12: 13. אמרי־נא, *quod soror mea (es) tu. Subintelligitur enim* שאלים אותך *quærentibus te. Ita h. l. dicendo scil. Jonæ, vel* לו *ipsi, quem nimirum textus præcedentibus vocibus expresserat.* (2) דבר non dicitur de iis, *quæ non loquuntur, vel sermonis expertibus (propterea puto, quia* דבר *facultatem in homine notat, ut paulo ante dictum est) quemadmodum dicitur* אמר, *dixit,* כפר *narravit.* נגיד, *indicavit, ut* Job. 38: 35. c. 12: 7. & 8. Ps. 19: 1, 2, (3) Differunt constructione, *quia* אמר *construitur cum* אל *&* ל *deserviente duntaxat: at* דבר *construitur etiam cum* ב *&* את *deservientibus. Non item* אמר *secundum propriam significationem, nisi cum significat cogitare in corde,* ב *etiam secum habet* Eccl. 2: 1. *De his lege* David Kimchi in l. rad. ad vocem דבר col. 102.

VERS. II.

קום) *Sicut alias apud Ebræos inter duo verba ejusdem temporis, vel intercedente copula, vel sine illa conjuncta, prius nonnunquam per adverbium Latinè exprimitur* c. 8. synt. m. 2. Ita h. l. nil impedit, *quo minus* קום *adverbialiter reddatur, & quidem ut adhortandi & accelerandi particula, age, sicut* Gen. 28: 2. *surge, vade i. e. age vade, vel etiam cito vade.* Vid. Flac. Cla. par. 1. *Notandum autem hic insuper est, quod script. nonnunquam ex situ, habituque corporis occupationes hominum & rerum statum designet. Sic ambulare significat etiam quandoque vitam certo modo instituere, ut quis ad præfixam metam perveniat.* Genes. 17: 1. *Ambula in conspectu meo, & esto perfectus. Stare sæpe pro manere in suo statu accipitur* Psal. 102: 27. *Ista peritura sunt, tu autem stas* Ps. 19: 10. *Sedere quandoque in script. dicitur, quod semper eodem modo se habet, nec facile mutatur* Psal. 125: 1. *Mons Sion sedet in perpetuum.* Conf. Ps. 1: 1. *ubi horum verborum omnium usum videbis. Sic surgere quandoque significat parare se ad aliquam actionem, vel opus* Jos. 18: 4. *Tradite ex vobis tres viros, quos mittam, surgentque (i. e. accingent se itineri) & ambulabunt per terram* vid. Flac. Clav. *Hanc ipsam præparationem ad opus* קום *h. l. notat, quamvis commode ut dixi, per age reddatur.*

לך־אל) abi ad Niniven, vel adi Niniven. *Notandum hic est, quod verbum motum ad locum significans regat nomen mediante* אל *&c.* Synt. c. 3. m. 5. subd. 5. *Idem, quod in constructione vocativi & Imperat. frequens Ellypsis sit vocativi.* synt. c. 3. m. 4.

נינוה) Nineven. *Nomen Ebræorum videtur compositum ex* נין *&* נוה *habitaculum, quæ Etym. favere videtur illis, qui à Nino eam conditam esse dicunt. Verum* Genes. 10: 11. *scribitur, quod Assur eam extruxerit. Scribit quidem* Ribera, *quod Ninus ille l. c. Genes. vocetur Assur, sed non probat. Urget idem nomen Nineve, quo hæc urbs in Bibliis, & Ninus, quo hæc urbs in prophanis scriptis denominatur, unde à Nino eam exstructam esse probari putat. Verum nomina locorum quandoque in scriptura ab eventu denominantur, & per prolepsin s. anticipationem memorantur. ut* Genes. 12: 8. *Profectus est versus orientalem tractum Bethelis. Hic Bethelis mentio fit tempore Abrahami, cum tamen nomen ei inditum sit tempore Jacobi* Genes. 28: 19. *Simili ratione & Nineve à Nino Beli filio denominata esse potest, quod forte eam repararit, aut alia quadam ratione vel favore affecerit, idque per prolepsin. Urget quidem etiam* Eusebii *autoritatem quod eam in initio Chronicorum suorum urbem hanc à Nino conditam esse scribat. Verum, quicquid sit de Eusebii mente, major scripturæ autoritas est, qui eam ipsi Assur tribuit, neque expressus scripturæ locus datus est, in quo Assur Nini nomine veniat.*

העיר) civitatem illam ה *significationem primariam habet,* ὁ, ἡ, τὸ. *Et quidem vel cum Emphasi, unde vocatur* ה *notificationis & demonstrativum, quomodo h. l. etiam sumitur, vel sine Emphasi.* Vid. Glass. Gramm. sacr. p. 603.

הגדלה) magnam. *Magna dici videtur in differentiam parvæ illius Nineves in angulo Arabiæ, quam nunc corrupte vocant Neneven,* teste Eusebio l. de locis Ebraicis: *Et habuit secundum* Diodorum Siculum l. 3. c. 1. *Stadia in se* 480. *Observabitur hic etiam* ex synt. c. 2. m. 2. *quod* ה *Emphaticum & substantivo & adjectivo adponatur.*

קרא עליה) Clama contra eam. Tremell. *Alii reddunt, prædica.* Vid. Mercer. in h. l. Et Drusium: *Et perinde est, nam hac voce non inanes vociferationes; sed verbi prædicationem commendat, & clamorem præconis intelligit. ut* Gen. c. 41: 43. Exod. 32: 5. Esai. 40: 3. *Ita differt hæc vox à verbis nudam vociferationem absque rei nominatione, aut ad aliud directione significantibus unde cum* ל, אל, *&* על *construitur.* Vid. Tarnov. Psal. 3: 5. Lex. pag. Coll. 2521. Ex synt. c. 3. m. 5. subd. 2. *Observandum hic venit, quod verbum hoc nomen mediante* על *regat, quia etiam adversandi verbum est.*

כי) quia. Oecolampadius, *quem apud* Mercer. in h. l. lege, *putat non esse rationis, sed quod ostendat quid prædicare Jonas debeat, h. s. Vade & dic ipsis eorum scelera: Unde ex ipsius mente per quod reddi deberet: sed perinde est, sive quod, sive quia hæc particula reddatur, nulla eo ipso vis infertur textui.*

עלתה רעתם לפני) ascendit malitia eorum in conspectum meum. *Hæc & similis phrasis de atrocissimis peccatis usurpatur, quæ hominibus etiam tacentibus, Deo intolerabilia fiunt, & hinc cœlum ascendunt, & vindictam exposcunt, quam significationem & ascendere habet etiam* Flacius in Clave, *ubi idem Latina formula illustrat, it clamor cœlo. Ita in cœlum clamare dicitur* (1) Homicidium destinato consilio factum. Genes. 4: 10. (2) Sodomia Genes. 18: 20: 21. (3) Oppressio *innocentum* Exod. 3: 7. 9. *pauperum.* Deut. 15: 7, 8, 9. *Viduarum, pupillorum* Exod. 22: 22, 23, 24. Jacob. 5: 4. (4) merces *operario detracta* Deuter. 24: 14, 15. *Præcedit autem*

nomen

nomen singulare urbis, cui respondet suffixum plurale ם eorum, ut ut vulgatus interpres habeat ejus, posito per meton. continente pro contento. Et solet ita Ebræus singulari collectivo plurale suffixum addere. Vid. synt. c. 2. m. 7. sub. 6.

VERS. III.

(ויקם לברח) surrexit autem ut fugeret. Hæc vox קם diligentiam in non obsequendo Domino notat. Dominus jusserat, ut surgeret & pararet se ad exsequendum divinum mandatum: ille è contra surgit, & in contrariam partem se omni contentione parat. Surgere itaque h. l. convenienter etiam significat, se ad actionem parare, prout idem supra notabatur circa voces קם לך surge abi. Drusius & Tarn. putant surgere h. l. posse explicari per progredi ex loco, juxta acceptionem Mar. 10: 1. Et cum illinc surrexissent venit in fines Judææ. Verum salva ipsorum autoritate (1) Mallem citassent ex V. T. exemplum hujus acceptionis, Flacius in clave nil de ea habet. (2) Locus Marc. 10: 1. Κἀκεῖθεν ἀναστὰς commodius & magis perspicue explicatur juxta cap. 3. synt. m. 5. sub. 5. §. 3. (nam regula illa communis etiam est Græcis. Vid. Glass. Gramm. sacr.) h. s. cum inde surgens progressus esset: ita ut duas qs. significationes vox surgere accipiat, & intermedia voce opus sit ad sensum plenarium. Similes constructiones vide apud Glass. l. c. p. 218. At nec hoc modo locum hunc Jonæ explicare ulla est necessitas: & sensus insuper ex indole linguæ supra explicata planus fluit & simplex.

(תרשישה) Tarsum. Hæc vox, prout Tarn. ex Piscatore habet significat (1) Nomen proprium Viri. Gen. 10: vs. 2, 4. (2) metropolin Ciliciæ Ez. 27: 12. (3) Mare magnum s. oceanum Ps. 48: 8. per metonym. adjuncti, quia urbs Tarsus sita fuit in littore commodissimo loco. (4) Gemmam vulgo Türkis Exod. 28: 20. Multi hic Tarsum pro mari accipiunt. Vid. Riber. qui de hac re fuse scribit. Conf. Tarn. in h. l. qui ad potiores illorum rationes respondet. Nos cum Tarn. eam pro urbe & quidem primaria Ciliciæ capimus: id quod etiam ה locale hujus vocis indicat, quo viæ meta designatur, non via ipsa, qualis & mare est, per quod ad terminum suum tendunt nautæ. Conf. Joseph. l. 9. antiquit. c. 11. Sed neque res fidei est. Constructio ex synt. c. 3. m. 5. s. 5. §. 3. notanda h. l. quod verba motum ad locum significantia regant nomen mediante etiam ה locali: ut ut quandoque præpositionis & hujus ה Ellipsis sit: quomodo infra dicitur באה תרשיש, euntem Tarsum וירד יפו & descendit Japhuntem.

(מלפני יהוה) à conspectu Domini. Hic particula inseparabilis eleganter præfigitur separabili. Vid. Trost. Gramm. Scribit Kimchi in h. l. & cum eo Tarn. quod differant מלפני & מפני. Illud Jonam se non posse facere probe novisse, quod jam à Domino audivisset, malitiam Ninevitarum ascendisse in conspectum illius, sed cogitavisse hoc præstare, nimirum de ad facies Dei fugere, ne sc. obiret prophetandi munus à Deo ipsi impositum (confer Chaldæum) quemadmodum stare quis coram Domino in codice dicitur ratione ministerii: ut Elias, qui dicit: Vivit Dominus, in cujus conspectu Ego sto. Et in Esther Eunuchus ille, quem Rex stare fecerat coram Regina i. e. quem ei ministrum adhibuerat. Item cum facies Dei ibi esse dicatur, ubi Deus se suamque præsentiam sermone, factis & miraculis declarat, in specie ubi sibi peculiarem populum elegerat; in templo, ubi omnes gratiarum suarum thesauros effundebat, etiam hæc loca Jonam effugere tentasse, quo extra Judæam sua opinione, à spiritu Prophetico tutior esset, confer Mercer. in h. l. Neque improbabilis hæc sententia videtur, partim quod c. 4. vs. 2. fundetur, & phrasis stare coram DEO sensu supra dato in codice sumatur: partim, quod phrasis aliquem ire vel fugere מלפני de ad facies Dei non tantum h. l. de Jona, sed etiam de Caino Gen. 4: 16. usurpata designet locum specialis præsentiæ Dei, ubi post habitum cum Deo colloquium Cainus dicitur exire מלפני de ad facies Dei. Hoc tamen addi potest, quod phrasis hæc exire מלפני יהוה Ezech. 30: 9. de nunciis Gentilibus usurpata alium sensum habere videatur, nimirum interprete Tremellio, me autore exibunt: quæ acceptio Vocis מלפני convenit fere cum acceptione hujus vocis, quam habet Flac. par. 1. Clav. sub voce Facies ex 1 Par. 29: 12. Domini divitiæ מלפניך à te. Addi & hoc debet quod מפני, & מלפני in hac materia Codex quandoque permutet, & unum pro altero ponat. Sic de Caino dicitur Gen. 4: 14. En expellis me hodie à superficie istius terræ, ut à facie tua מפניך (pro מלפניך) abscondam me. Sensus est: Expellis me à facie istius terræ, in qua hactenus egi, ex solo paterno, ubi est Ecclesiæ conventus, unde abscondere me à facie Dei cogor, quod ex eo loco depellar. Eodem fere modo sentit Esra, cujus hæc verba sunt: ומפניך וטעם אסתר שיש מקום יקבל כח תראה בו גבורת השם ואם הכל מלא כבודו i. e. sensus est: à facie tua abscondar &c. Eo quod est locus, qui recipit virtutem (cœlitus) in quo sese singulariter exerit potentia DEI, tametsi omnia plena sunt gloria ejus. Mercerus tamen vocem מפניך prout jacet accipit, & de favore & gratia Dei exponit, quod neque absone dicitur. Constructionem quod attinet hujus loci, habetur illa in synt. c. 3. m. 5. sub. 5. §. 3. Verba motum de loco significantia, regunt nomen mediante mem.

(וירד יפו) Descendit itaque Japho vel Japhuntem. Quomodo Vau varietate significationis per omnes fere orationis partes vagetur, ut à nonnullis Proteus appelletur, vid. Glass. Gramm. sacr. p. 641. Et synt. meam c. 10. m. 3. Hic rationalis est, quæ significatio etiam alibi habetur. Descendere autem h. l. dicitur ratione loci altioris, quod mare vulgi opinione declivius terra sit: Vel quod Japho vel Joppe in decliviori loco sit respectu terræ Israël regionis montanæ. Cæterum Japho maritima urbs est Palestinæ, clarissima celeberrimo Judææ portu, de qua lege in Plin. l. 5. c. 13. Strabo lib. 16. Geographiæ p. 514. Volateran. l. 11. Geographiæ in descriptione Palestinæ p. 122. Vadian. in Geographia p. 261. Pompon. Mel. l. 1. de orbis situ in descriptione Syriæ p. 22. Potest derivari à יפה pulchrum esse, posito vau pro ה ut solet fieri.

(וימצא אניה) Et inventa navi. Tremell. ita per duos ablat. consequentiæ effert: Et certo nil quidem impedit, quo minus duo ablativi tali vel simili constructione efferantur. Confer c. 3. Amos vs. 8. ubi præteritum in textu est & commode per duos ablativos constructio effertur, nimirum, ארנה שאג מי לא יירא ארני יהוה דבר מי לא ינבא i. e. Leone rugiente quis non timeat? Domino Deo edicente, quis non prophetet? à quo non est alienus Mercer. in h. l. Verum bene hæc verba reddi possunt, & reperit navem, hoc ordine: descendit itaque Japho, & reperit navem, & dedit mercedem ejus, descenditque in eam: ita ut Jonæ actiones ordine recenseantur per πολυσύνδετον copul. Vau, sicut Gen. 25: 34. Taceo, quod melius ita verba exponantur, quam per duos ablativos, cum ea ratione מצא activam suam significationem retineat, quam in constructione ablativorum consequentiæ in passivam temere transmutet, necesse est h. s. inventa navi.

(באה) Tremell. reddit, quæ ibat. sic juxta hujus sententiam erit h. l. ellipsis & אשר prout solet esse, Vid. Synt. c. 2. m. 5. it. præteritum reddetur per Imperfectum, cum juxta Ebræos, unum præteritum omnes præteritorum species includat. Vera quidem sententia hæc, simplicior tamen interpretatio est, si cum Mercero reddas euntem, ubi nulla Ellipsi opus est: nisi dicas enallage tamen ibi opus esse, posito participio præsenti pro participio futuro, vel mox futuro, euntem pro mox iturum. Vid. Glass. Gramm. sacr. p. 396. Attamen proprie loquendo, apud Ebræos talis Enallage non est; sed particip. præsens significationem futuri ob defectum participii futuri induit. Glass. ibidem. Cæterum בוא significare, Venit, advenit, ivit & abiit, Vid. in Lexicis.

(ויתן שכרה) Et dedit mercedem ejus. Dedit statim, vel dare promisit. Nam nonnunquam apud Ebræos, verba, quæ fieri, esse vel agere quid significant, non tam Essentiam vel actum, quam ejusdem notificationem, qualiscunque illa sit, & pronunciationem denotant ut Gen. 35: 12. Terram dedi Abrahamo i. e. daturum promisi vid. synt. c. 7. reg. 14. Mercedem ejus dicit, subintelligendo navem, cum suffixum fœmininum sit. Sive autem totam Mercedem dederit, sive suam quotam, cum nonnullis interpretibus non disputabo. Drusius tamen, qui alias certam quotam à Jona solutam esse sentit, putat verba Ebræa non penitus aspernari sententiam, quæ statuit, totius navis vecturam ab eo solutam esse.

(וירד בה) Et descendit in eam. Ebræus dicit descendere in navem: Latinus ascendere navem, sed diverso respectu pro ut Drusius notat. Nam qui ascendit vel conscendit navem, idem in eam descendit si in alvum se recipit, aut quia altior terra videtur ipsa aqua.

(עמהם) cum eis. Relativum h. l. ponitur pro antecedente, quod commode ex textu eruendum est, cum illis s. nautis Vide synt. c. 2. m. 7.

Post vocationis hujus declinationem, sequitur pœna hinc Jonæ inflicta, ejusdem occasio, Duplex autem in textu exponitur occasio una remotior, tempestas nimirum, quæ describitur à causa efficiente sc. Deo: Forma, vehementi aëris motione horrendis fluctibus vs. 4. ab adjunctis & effectis consequentibus, ut sunt, periclitatio navis vs. 4. nautarum terror vs. 5.

VERS IV.

ויהוה Dominus autem. Connexio hic bene per conjunctionem autem fit, ubi, postquam textus Jonæ conatum descripsit, sub-

subjicit per conjunctionem adversativam, quomodo se Dominus eidem opponat. Punctatio vocis יהוה quod aliena sit, nimirum vocis ואדני alibi dictum est, vide Disputationes meas de Tetragrammato.

הטיל) projecit, injecit. Hac vox non levem quandam projectionem in codice notat, & Spiritus S. eam ubique non sine Emphasi adhibet ut Jer. 16:13. ubi minatur Deus, se projecturum Israelitas è terra sua in peregrinam. cap. 22. 26. ubi idem argumentum: Ezech. 32: 4. Pharaoni interitum minatur Deus his verbis, in superficiem agri projiciam te, & ex te saturabo bestias agri. 1 Sam. 18: 11. Saul dicitur jaculari hastam suam in Davidem, ut percutiat eum usque ad parietem; Conf. c. 20: 33. Sic Jonas c. 1: 12. ad nautas dicit, projicite me in mare & vs. 15. & projecerunt eum in mare. quod non sine insigni conatu fieri potuit, & nautæ etiam præstiterunt in tantis angustiis constituti. Similiter nautæ sæviente illa tempestate, vasa ex nave projecerunt, quanto conatu & studio, quivis intelligit: idem autem ubique hoc verbum est vid. Concord. Ebræas, unde etiam conjugationum Hiphil. & Piël Emphasis patebit, nisi quod forte ea deficere videatur Prov. 16: 33.

רוח הגדלה) ventum magnum: רוח interdum significat Spiritum natura Deum ut Psal. 33: 6. Psal. 51: 12. interdum Spiritualem naturam, uti angelos Ps. 104: 4. interdum animam seu spiritum hominis Ps. 31: 6. &c. interdum spiritum Elementarem: ventum ut h. l. Nonnulli etiam plagam mundi designare putant Ezech. 5: 10. Tremellius tamen per ventum ibidem vocem hanc reddit.

בים) in mare. Nonnulli Ebræi ים improprie accipiunt, posito toto pro parte, & putant Jonæ tantum navem vento ita impulsam esse, reliquas autem incolumes, tranquillo mari trasiisse, unde nautæ tanto facilius colligere potuerint, inter sese aliquem esse, eumque sorte inquirendum, ob cujus peccata tanta sit tempestas. Citat hanc sententiam R. Kimchi, ex R. Eliezer: Idem habent R. Esra & R. Jar. Sed dubium hoc & incertum &c. Ponitur cum ה emphatico ad significandum, in eo ipso mari fuisse tempestatem, in quo fuit Jonas, vid. Merc. Adde constructionem ex cap. 3. synt. m. 5. quod verbum ad locum significans &c.

והאניה חשבה להשבר) ut navem ipsam cogitarent fractum iri. Possunt hæc verba per Metonymiam explicari. Navis cogitabat i. e. homines in navi, posito continente pro contento prout Kimchi scribit in hunc locum. Alii exponunt, ut crederetur navis frangenda. Neque inconvenienter ita explicari posset hæc phrasis: cogitavit vel reputavit frangi, i. e. reputabatur, credebatur frangenda: nisi id forte obstaret, quod verba tertiæ personæ impersonaliter sumantur non expresso nominativo vid. synt. c. 3. m. 4. Conf. Buxtorf. Thesaurum lib. 2. c. 10. p. 438. Hic autem expresse Nomin. אניה ponitur, & fœmininum hoc nomen verbo fœminino השבה adjungitur. Ribera dicit hic navem per Prosop. introduci, quo etiam hoc exemplum refert Glas. in Rh. sacra p. 201. prout Germanus dicit das Schiff wil untergehen ac si navis haberet voluntatem; nec male.

VERS V.

ויראו) timuerunt igitur. Cum hic versiculus consequens quoddam præcedentis versiculi proponat, bene poterit cum versu præcedente copulari per Vau in significatione igitur. Verbum metus ירא regit alias nomen mediante מ aut cum aliis particulis vid. synt. c. 3. m. 5. subs. 3. hic autem absolute ponitur, uti aliis in locis. Dici tamen etiam potest, quod Ellipsis h. l. esse possit nominis, ex præcedenti membro repetendi h. m. Et timuerunt מסער vel מרוח cujus præcedente versiculo mentio facta erat vid. Ap. s. de Ellipsi.

המלאחיק) Nautæ. Nominantur nautæ hoc nomine à מלח sale atque sic nautæ q. salsarii vel marini. Japhet Ebræus quem Kimchi citat in com. putat hic denominari nautas à מלח sale quod vexerint, prior tamen sententia certior est. Esra in com. suo Exod. 30: 35. citat hunc ipsum locum Jonæ, & scribit, nautas hoc nomine notari, quod commisceant aquas: idque deducit ex participio illius loci Pyal ממלח quod per mistum ibi reddi vult. Kimchi autem in l. radicum huic asserto respondet, qui locum illum Exod. ita reddi posse statuit: Et parabis ex eo suffitum pigmentum opus pigmentarii ממלח salitum. Explicationem nimirum hujus ממלח debere sumi statuit à significatione מלח salis כי מלח סרנית היה בה quod sal sodonicus in suffito illo.

Ille Nautarum terror per ἀντίθεσιν Jonæ securitate illustratur vs. 6. Ad hæc tempestatis adjuncta, vel effecta consequentia pertinent invocatio Deorum, jactura mercium vs. 5.

ויזעקו איש) Et clamaverunt quisque. Vox איש distincte accipienda est. Nam (1) ut ut sexus nomen sit, nonnunquam tamen cum agitur de eo, quod utrumque sexum concernit, ad utrumque sexum pertinet; אשרי האיש beatus ille Psal. 1: 1. Sumitur insuper collective, aut etiam per Enallagen numeri Jud. 14: 19. percussit ex eis triginta איש virum i. e. viros. Denique distributive sumitur pro unusquisque ut h. l. hinc 70. reddiderunt ἕκαςος atque in hac significatione quandoque ei כל additur, redditurque per omnis: quandoque additur negat: particula, redditurque per nullus. Male autem redditur hic viri, quo etiam vulgatus tangitur, qui habet viri. Huic singulari autem cum pluralis addatur, denotatur distributio Synt. c. 3. m. 3. §. 1. Conf. Buxt. Thes. p. 424. qui איש ad collectiva reducit.

Quisque (אלא להיו) ad Deum suum. Hinc nautas gentiles fuisse ab aliis probatur vid. Drus. & Tarn. Construitur verbum זעק mediante אל atque hinc exemplum hoc itidem ad synt. c. 3. m. 5. sub. 2. §. 11. referri poterit.

כלים) Vasa, vel instrumenta. Vox hæc omnis generis vasa, instrumenta, vestes, arma, & omnia utensilia, quæ hominis usui parantur, & quamvis supellectilem denotat. Hinc in Scriptura dicitur Vasa belli, vasa musica, vasa pastoris, vasa peregrinationis, venationis. Pro tali sc. instrumento seu supellectile vid. Flac. Clav. Sic Gen. 45: 20. Pro omni supellectile & sarcinis accipitur. Nil parcat oculus vester vasis vestris i. e. supellectili, & rebus, si quas non potestis vobiscum accipere ob pondus; Ita h. l. pro omnis generis supellectile accipitur.

אשר באניה) quæ in navi sc. erant. Est enim hic ellipsis verbi substantivi juxta synt. c. 3. m. 4.

להקל מעליכם) ut allevarent ab eis. Disceptant Interpretes num vertendum sit, ut levarent sc. navem ab illis sc. vasis, an vero ut levarent à se sc. vasa. Notandum hic itaque est, quod verbum הקל levius fecit, si concordantias consulas, mediante מ regat vel casum rei, hoc modo הקל מן העל אשר נתן אביך עלינו sublevа nos ab illo onere vel illo onere, quod imposuit pater tuus nobis, 1 Reg. 12: 9. Vel casum personæ h. m. הקל מעלינו subleva à nobis, vel nos onus illud, vel onere illo 1 Reg. 12: 10. Verum si spectemus omnia loca, in quibus verbum hoc casum personæ mediante מ regit, ubique persona illa sub onere illo est, quod ab ea levari debet, & quæ onere illo sublevari potest. Sic constructio hæc præter 1 Reg. 12: 10. occurrit etiam 2 Par. 10: 10. הקל מעלינו subleva à nobis (vel nos potius) scil. personis onere illo pressis Exod. 18: 22. subleva à te (vel te) onus hoc, (vel onere hoc) Item 1 Sam. 6: 5. Forte יקל ידו מעליכם allevabit manum suam à vobis. Cum itaque non nautæ, sed navis onusta fuerit, quæ hinc facile naufragium pati potuisset; meo judicio rectius vertetur, ut allevarent scil. navem (quæ Ellipsis accusativi Ebræis usitata est, vid. Ap. synt. de ellipsi) ab illis sc. vasis quam si dicas, ut allevarent à se. Constructio autem verbi removendi mediante מ est juxta synt. c. 3. m. 5.

ויונה) Jonas autem. Cum enim sequentibus verbis opponatur nautarum timori, Jonæ securitas, bene ea cum præcedentibus connectuntur per autem.

ירד) descenderat. Melius quam descendit, quia probabile est Jonam ante tempestatem descendisse: sic dicitur Gen. 2: 1. ויכל & perfecerat Deus die ultimo. Solet autem apud Ebræos unum præteritum reliquorum species complecti, Trost. Gramm. p. 22.

אל־ירכתי) ad latera, vel potius ad unum è lateribus, cum non possit ad utrumque latus descendere simul. In regimine enim quandoque ellipsis est prioris vocis אחד unus vid. synt. c. 1. m. 13. vel solet talis canon dari: Aliquando nomen plurale pro singulari, vel uno aliquo certo ponitur, ut Ps. 1: 3. ad rivos aquarum i. e. unum è rivis vid. synt. c. 1. Ita hoc loco, ad latera navis i. e. unum ex lateribus, quod etiam Kimchi in h. l. habet. LXX. reddunt εἰς τὴν κοίλην τοῦ πλοίου in concavum navis, ita Græci infimam illam navis partem, quam Latini vocant carinam, appellant κοίλην. Hinc vocabulum ירכתי videtur Merc. in h. l. per interiorem navis partem exponere. Prout etiam illud Psal. 128: 2. in lateribus domus i. e. in interiore domus parte, nonnulli exponunt, vid. Merc. in h. l. Jonæ, & Bart. Copp. in Psalmum hunc. Flacius in clave dicit in lateribus i. e. passim in lateribus & angulis ædium.

הספינה) Navis. Proprie magna navis significatur, quæ supra tecta est, à radice ספן texit. Sunt tamen qui putant hac voce imam navis partem superne tectam, Latine carinam dictam, designari, vide Lex. Pag.

וישכב) Et jacebat. Imperfectum redditur præterito, more Ebræorum Trost. Gra. p. 22. שכב proprie hominum. רבץ quadrupedum dicitur. Vide Lex. Pag. Col. 2951. & 2613. Redditur ab aliis dormiebat, prout vulgo in multis locis redditur. Verum proprie non est dormire, quod est ישן id quod in Lex. Pag.

Pag. *recte notatur: & Buxt. in concordantiis suis eam ubique Jacere, cubare, accumbere reddit.*

וירדם) Et sopore oppressus erat. *Hic itidem perfecto imperfectum exprimitur, ut ad præcedentem vocem dictum est. Verbum hoc profundiorem videtur significare somnum & soporem, id quod etiam concordantiæ dabunt.* Esra *causam soporis Jonæ dat hanc, & ita loquitur: dormivit præ angustia maris, & præ fervore ejus: forsan non erat ante ingressus navim. Sed sive ex tristitia, sive ex defatigatione dormierit, securitatis tamen id nobis argumentum est.*

VERS VI.

ויקרב אליו) Accessit autem. *Ita* Tremel. Merc. *hoc Vau per adversativam bene reddunt. Verbum autem hoc germana natura regit nomen mediante* אל *appropinquare, accedere ad aliquem,* Synt. c. 3. v. 5. *alias cum* על *constructum, adversandi verbum est & militare,* Psal. 27: 2. בקרב עלי *belligerantibus contra me malignis, ad exedendam carnem meam.*

רב החבל) magnus gubernator, *Nauclerus. Potest vocabulum* רב *substantive accipi, ut magistrum notet, atque ita vel h. m. explicabitur, magister nauta per appositionem: vel h. m. magister nautæ i. e. nautarum, posito singulari pro plurali, juxta regulam: Singulari quandoque collecta multitudo, vel tota species exprimitur* synt. c. 1. m. 27. *Quomodo & Chaldæus hoc singulare nomen per plurale reddit* רב ספניא *magister nautarum. Vel etiam h. m. magister qui gubernabat navem: Nam solent Ebræi* ה *pro* אשר *præfigere* Trost. Gram. p. 85. *& participium pro præterito vel imperf. ponere, quandoque cum verbo substantivo, quandoque sine eo* ut Exod. 14: 8. vide synt. c. 6. m. 1. *unde* חבל *navem gubernans poni dicendum est, pro* חבל היה *navem gubernans erat, i. e. gubernabat. Potest vocabulum* רב *etiam adjective sumi. h. s. magnus gubernator. Omnia satis dextre dicuntur, nisi quod magis placeat* חבל *accipere pro nomine, ut solet communiter. Dicuntur autem Nautæ* חבלים *juxta* Kimch. in Comm. לפי שמושכין ומתירין חבלי התורן בפי חכמתם *quod pro solertia sua mali funes trahant & solvant.*

מה לך נרדם) Quid tibi somnolente. *Est hic Ellipsis verbi substantivi, quæ frequentissima,* synt. c. 3. m. 4. *Quid tibi sc. est. Licet vertas, quid est tibi somnolento, nil refert: cui sententiæ favet, quod* Drus. *habet, in nonnullis nimirum exemplaribus legi* לנרדם *verum ut ut* ל *additum non legatur, nihilominus versio in Dativo esse posset, quia Ebræi particulas nominibus omnibus, quæ à verbo dependent, non semper præponunt, ut ut id usitatissime fiat* vid. Trost. Gram. p. 114. Merc. מה נרדם *exponit per* להיות נרדם *vel* שאתה נרדם *quid habes quod sopitus sis? bene quidem: Verum si hic quicquam addi debet, non minus commode, aut forte commodius subintelligitur* לשכב *h. m. Quid est tibi somnolente, quod ita prostratus jaceas. Sic Germ. dicit.* Wie ist es mit dir du Schlaffsüchtiger / daß du dich so hingestreckt hast. *Et potest hæc vox quæ supra de Jona usurpatur, ex seq. contraria* קום *surge, erui, prout solent Ebræi facere* vid. Ap. synt.

קום קרא) Surge inclama. *Melius hic* קום *redditur surge, in propria significatione, quam si id ut adverbium adhortantis accipiatur, de quo supra dictum vs. 2. Nam jacebat Jonas somno oppressus.*

אולי) forte. *Est quidem alias particula bene sperantis* Th. 3. 39. juxta reg. synt. c. 8. m. 16. *id quod contra Pontificios statuentes dubitationem de divina gratia ex ejusmodi exemplis, observandum est.* Conf. Glass. Gram. sacram p. 469. *Hoc tamen loco potius dubitandi particulam, quam bene sperantis, ob defectum fidei, puto esse.*

יתעשת) *Hæc vox reddi potest: Suscipiet cogitationem, ita ut significationem habeat communem cum radice Chaldæa* עשת Dan. 6: 3. *vel ita reddi potest utinam, amicum, nitidum se nobis exhibeat, amicoque nos aspicere velit vultu: quomodo* Kimchi *eam reddit & per* יתרצה *acceptum se nobis faciet, exponit.* Chaldæus *habet* ירחים *misereatur,* Conf. Tarn. in h. l. *Utramque hanc significationem huic voci convenire* vid. in Con. Buxt.

האלהים) Deus ille. *Chaldæus habet* יהוה, *quod tamen illis nautis puto fuisse ignotum: ideoque hoc per prolepsin dici videtur: quomodo plurima in sacris per prolepsin dicta leguntur,* vid. Glass. Gram. Sacram p. 739.

לנו) de nobis. *Potest etiam esse nota Dativi casus h. m. forte nitidum vel amicum se exhibebit nobis.*

Exposita occasione remotiori: sequitur propinquior, nimirum sortitio, & quod hanc consequebatur examen: ubi nautarum occurrit quæst. & Jonæ resp. v. 7, 8, 9.

VERS VII.

אל רעהו) ad proximum suum, *vel ut* Tremellius *habet, alter alteri, ita enim Ebræi hanc formulam efferunt. Cæterum verbum* אמר *hic regit nomen mediante* אל *& germana q. natura, de qua constructione lege* in synt. c. 3. m. 5.

לכו ונפילה) agite projiciamus (*sortes.*) *Constructionem hanc lege* synt. c. 8. m. 3. *ubi dicitur, quod duorum verborum cum Vau & sine eo conjunctorum prius adverbii naturam nonnunquam induat. Quid autem de sortibus referat* Drus. vid. in ejusdem com. *Item varias species sortium, ut sunt divinæ, politicæ, divinatoriæ* vid. apud. Peucerum de divinatione p. mihi 214. *Non enim hæc ad nostrum scopum.*

ונדעה) ut cognoscamus. *Vau hic per* ut *commode redditur, ut solet alias,* vid. synt. c. 10. m. 3. *Adde, quod hic etiam in voce* נפילה *sit Ellipsis nominis: dissimulato pronomine,* synt. c. 3. m. 4.

בשלמי) propter quem. ב *significat etiam propter,* vid. synt. præp. Esra *exponit hanc vocem per* על השל *propter quem meo judicio recte convenit cum sequenti* באשר למי. *Pag. in Lex.* בשל *exponit propter, & hinc* בשלמי *propter quem.*

ויפל על יונה) *Et accidit, vel cecidit super Jonam. Constructio hæc legitur* in synt. c. 3. m. 5. *ubi dicitur. quod nonnunquam verbum germana natura nomen, per hanc vel illam præpositionem regat.*

VERS VIII.

ויאמרו) *Vau per* itaque *vel* ergo, *bene redditur; Nam cum vers. præced. dicatur, quod sors acciderit Jonæ, hinc vers. 8. causa existit, ut ulterius nautæ inquirant: unde versus hic cum præcedente recte connectitur per, dixerunt itaque. Est hic autem Ellipsis Nominativi ex præcedente vers. repetendi, nimirum, nautæ dixerunt,* vid. Ap. synt.

הגידה) Kimchi in l. radicum *ponit differentiam* ꝫ ספר *narravit & vocis* הגיד *his verbis:* ענין הגדה יבוא גם על החדשות ולא כן ענין סיפור אלה על הדבר שנעשה אי נאמר *i. e. significatio vocis* הגדה *cadit etiam in nova vel futura: non ita significatio vocis* סיפור, *sed cadit illa super rem factam vel dictam. Hic usurpatur hæc vox de re præterita, vel adhuc præsenti. Usurpatur alias etiam non tantum de sermone, sed etiam* 2 Sam. 19: 6. *de gestibus & talibus quidem, qui tam certo rem coram indicant, ac si quis ore vel sermone significaret: Quia indicasti hodie, quod tibi non sint curæ principes & servi. Et hic insuper notandum, quod sit Ellipsis vocativi* synt. c. 3. m. 4.

נא) *Chald. reddit per* כען *nunc, sic etiam Drusius, Tremell. aliique.*

באשר למי) propter quem. *Drus. in h. l. putat poni interrogativum personæ, pro interrogativo rei, quomodo vocem hanc sumi scribit,* Judic. 13: 17. מי שמך *quod est nomen tuum.* Merc. מי *pro interrogativo personæ accipit: ita ut licet Jonas forte jam fuerit designatus; nautæ nihilominus propriam ipsius confessionem requisiverint, majoris certitudinis gratia. Et potest Merceri mens inde illustrari, si statuamus, posterius membrum orationis deesse (prout solet fieri* vid. Ap. synt. Glass. Gram. sacram p. 659.) *h. s. indica nunc, propter quem obvenerit nobis illud malum? annon tu ipse sis?* Conf. Buxt. Thesaur. l. 2. c. 6. reg. 3. *Ubi ex* Esra & Kimch. *probat,* מי *nunquam poni pro interrogativo rei, & ad contraria loca respondet. Cæterum non absonum erit statuere* (1) ל *in* מי *pronomini* מי *pleonastice esse præfixum, sicuti aliis etiam vocibus præfigi solet,* vid. synt. præp. *ut quandoque* ל *ante* מי *Gen. casus nota sit,* synt. cap. 2. m. 14. (2) pleonast. *quoque antecedentis* מי (*in priori membro hoc quidem loco subintelligendi*) *repetitionem* ut Gen. 13: 16. synt. c. 2. m. 6. (3) Ellipsin *antecedentis, in membro priori, ad quod pronomen relativum* אשר *respicit* vid. synt. c. 2. m. 5. (4) litera ב *à primaria significatione* in *recedit, & significat propter* synt. c. 9. m. 3. *Atque hic sensus erit integer: nunc indica (quis sit) propter quem hoc malum (obvenerit) nobis (annon tu ipse?)*

הרעה הזאת) malum hoc. *Fœmininum hic usurpatur pro neutro* juxta reg. synt. c. 1. m. 24. *Ebræi pro genere neutro utuntur tum Masc. tum Fœm. De* ה *emphatico vid. infra vs. 14. Est insuper hic ellipsis verbi subst. Est. vel verbi Accidit,* vid. synt. c. 3. m. 4.

מה מלאכתך) quodnam opus tuum. *Est hic itidem Ellipsis verbi subst. Est.*

תבוא) venias vel venis. *Utrumque enim apud Ebræos recte effertur per Fut. neque in generalibus sententiis tantum* vid. Trost. Gr. p. 22. *sed alias etiam pro præsenti ponitur futurum* vid. Glass. Gram. sacram p. 365.

ואי מ.ה) *Et de quonam. Quando* אי *assumit* זה *solet per ubinam*

nam &c. reddi, *& si* זה *præfixum* מן *habet, tunc est interrogativum de loco*, vid. synt. cap. 8. m. 7. *Rabbi Kimchi in Comment. de hac constructione ita scribit, quod per* מ *inversum explicari possit hoc modo.* ומאיזה *ex quonam populo es: aut etiam sine* מ *inverso h. m. hic populus ex quo es, quisnam est. Posterius si amplecti velimus, satis commode statuitur* (1) Ellipsis *antecedentis nimirum* עם (2) Pleonasmus *antecedentis in posteriori membro repetiti, ut sensus integer sit: Et ubi (populus) ex quo (populo) es, neque male hoc dicitur. Conf. quæ ad* באשר למי *dicta sunt.*

עם אתה) אתה *pro est* synt. cap. 3. m. 4. *aut ejusdem verbi ellips. erit.*

Expedita Examinis quæstione, sequitur Jonæ responsio vs. seq. 9.

VERS. IX.

ויאמר) dixit, sc. Jonas. *Ellipsis Nom. ex præced. repetendi*, vide synt. Apend.

עברי) Ebræus. *LXX. Interpp. habent*, δοῦλος κυρίου εἰμί. Drus. l. 3. quæst. Ebr. q. 6. *putat (nisi vitium in versione Græca sit) eos legisse* ד *pro* ר *& arbitratos esse*, τὸ *Jod nude positum esse, ad designandum tetragrammatum, per modum abbreviaturæ Ebræis consuetæ. Verum cum illam & similes abbreviaturas Codex Ebræus non habeat, facile potuerunt conjicere* τὸ *Jod ad præcedentem vocem pertinere. Probabilius etiam est dicere* τὸ *Jod incuria* βιβλιογράφων *in vau protractum à LXX. lectum esse, nimirum* עבדו *servus ejus*, ita ut ex c. 2. synt. m. 7. *pron. pro antecedente positum sit. At quacunque etiam ratione LXX. in errorem inducti fuerint, nil refert, eos tamen ab originali textu aberrasse, merito statuimus, licet eorum versio probetur à* Theodoreto Episcopo Cyrenensi in Comm. super Jonam, Clem. Alexandrino circa finem 5. stromatis, Symmacho; Aquila, Theodotione &c. *Sic LXX. sæpe errarunt, quod probant alii. Nec sacer Codex ex versione judicari debet. Ad hæc &* Chaldæus *vertit Judæus. Verisimile insuper est, Jonam infidelitatis suæ conscium noluisse se (imprimis ab initio statim) servum Domini nominare; sed exteris hominibus; (prout fieri solet) de patria respondisse antiquiori, communiori, ipsis Gentibus notiori nomine, se Ebræum appellando. Ebræum dico: illi enim homines, qui primum & communiter Ebræi vocabantur (nam Abram jam* Genes. 14: 13. *Ebræus appellatus est, quo tempore Juda, à quo tribus, & deinde totus populus dictus est Judaicus, nondum erat in lucem editus. Sic* Genes. 39: 14. 17. *uxor Potiphari, homo gentilis Josephum nominat servum Ebræum.* Genes. 40: 15. *Josephus indicaturus suam nationem homini Ægyptio, nominat se Ebræum, non Judæum.* Conf. Gen. 43: 32. Exod. 1. *Mulieres Ebrææ vocantur: unde patet, quod nomen Ebræum Gentilibus notius fuerit) & postea Israelitæ (nam* Gen. 32. *Jacob vocatur Israel, à quo posteri dicti sunt Israelitæ, usque ad tempora Roboam) illis tandem tempore Roboami divulsis in duas partes* 1. Reg. 12. 2. Par. 11. *Tribus duæ nimirum Juda & Benjamin nomen Judæorum (sic quos* Esras *alias nominat Judæos* c. 4: 12. *illi* c. 1: 5. *dicuntur: ex tribu Juda & Benjamin: Hæ enim duæ tribus abductæ sunt per Nebuchodonosarem in captivitatem Babylonicam) retinuerunt*, vide Hieron. super Jon. Isidorum l. 9. Orig. c. 2. Flacium in Clave script. part. 1. f. 475. *& reliquæ 10. tribus nomen universale Israelis habebant. Hodie autem nomen Judæorum ad omnes extensum est. Ex his patet, quare se Jonas Ebræum vocet: aliam etiam causam* vide in Tarnov. super h. l. *Non immerito autem hic insuper de origine nominis Ebræorum quæritur: ubi notandum, quod nonnulli id deducant à nomine Abrahæ*, vide Clement. l. 1. recognitorum, & August. l. 16. de Civit. Dei c. 3. *ubi scribit: quod nonnullis Ebræi dicantur q. Abrahæi. Verum hæc sententia vel inde facile corruit, quod nomen Abrahæ per* א *scribatur, Ebræus per* ע *nimirum* עברי. *Nonnulli hoc nomen, deducunt ab* עבר *transiit*, עבר *trans, accipiuntque hoc nomen non ut* שם חעצם *nomen substantiæ, vel proprium; sed ut* שם הדבר *nomen rei vel appellativum. Rationem autem denominationis desumunt à facto Abrahæ, fluvium Euphratem trajicientis & transeuntis in terram Canaan, ubi tandem ab ipsis Cananæis, ut alienigena vocatus sit* עברי *Ibræus vel ut recepta consuetudine scribitur, Ebræus, trajector*, Genes. 14: 13. *uti alias dicitur transmarinus, ex quo posteri deinde dicti sint Ebræi. Hujus sententiæ Autores* vide apud Riberam in h. l. *Verum ut ut hæc sententia probabilis videatur: probabilior tamen est sententia, quæ hoc nomen à pronepte Semi* Genes. 10: 20. *deducit, ubi extat, quod Sem fuerit pater omnium filiorum Eber. Atque ibi rectius statuitur Eber nomen proprium, quod locum habeat in Catalogo familiæ, & in seqq. Eber expresse dicatur filius Sala (qui fuit filius Arphacsad, ille autem filius Sem) quam si dicam vocem* עבר *l. c. non esse nomen proprium, sed conditionem tantum familiæ designare: quamvis simpliciter non negem, Eber à transitu dictum, quod forte eo nato fluvium trajecerit. Hinc & Abraham Ebræus dicitur, quod ab Eber originem traxerit; non simpliciter & tantum, quod fluvium ipse trajecerit. Ante Abraham autem etiam nonnullos Ebræos dictos esse, non dubito, quamvis de eo nullum expressum testimonium sit: in testimoniis enim divinis, extra salutis negotium, non argumentamur negative: non extat, ergo non est*, vide Danhauerum in suis Canonibus p. 136. *Nec obstat, quod l. c. tantum dicatur, Sem pater filiorum Eber, cum tamen etiam fuerit pater filiorum Elam, Assur, Lud & Aram: ita ut si Eber proprium hic nomen esset, Scriptura minus diceret, quam par esset. Respondeo cum* Mercero *eo ipso, quod simpliciter Sem dicitur pater filiorum Eber, ipsum Semum nobilitari, prout ad infamandum Cham supra Spiritus S. eum vocarat patrem Canaan maledicti à Noa*, Genes. 9: 18. 25. *Ideo pater aliorum non dicitur, & si revera fuerit, quod à vero cultu divino defecerint. Quamvis non omnes descendentes ex Eber verum DEI cultum retinuerint, quomodo Ismael, Esau & alii tandem defecerunt. Hinc Abraham specialiter Ebræus, & ab eo descendentes, maxime qui DEI cultum retinuerunt, Ebræi dicti sunt; non Ismaelitæ & aliis, licet ex sanctorum patrum progenie orti*, vide Merc. in Genes. c. 10: 20. *Hanc sententiam magni viri amplectuntur*, Josephus lib. 1. antiq. Jud. cap. 14. Eusebius l. 7. de præpar. Euang. c. 2. Gal. l. 4. de myst. veritatis c. 20. Isid. l. 9. c. 2. Orig. c. 2. Esra in h. l. &c. *Cum ita Ebræus ab* עבר *descendat, unde vox* עברי *scribitur, sicut à* ספר *scribitur* ספרי *patet, quod rectius Ebræus scribatur, quam Hebræus: nil enim quod ab* ע *incipit, aspirari debet, unde quoque vitiose scribitur, Himmanuel, Hamos &c.* Conf. Drusii Alphab. vetus &c.

אלהי השמים) DEUM Cœlorum. *Sicut Genit. regimin. alias efficientem & subjectum notat*, vide Synt. c. 1. m. 5. *ita h. l. etiam Gen. ille de utroque accipi potest, adeoque DEUM Cœlorum dici* (1) respectu creationis, Confer Esai. 40: 22. Psalm. 96: 5. (2) respectu *inhabitationis, quod in sede sua habitet, indeque potenter dominetur*, Confer Deuteron. 26: 15. Psalm. 14: 2. &c. *De origine hujus vocis nulla fere certitudo, vide inter alios* Pagn. in Lexic. Col. 3011. *& seqq. Hoc tamen ad hanc vocem notari velim: quod quando alii scribunt, vocem hanc in duali semper usurpari, ad designandas inferiores & superiores aquas, dubium adhuc superiorum aquarum expositionem esse, de quo alio tempore agetur. At non plane absona quibusdam videtur sententia de hac re* Sixt. in Antibar. biblico p. 284. *qui superiores aquas interpretatur de aquis nubium. Cæterum LXX. addiderunt voces* καὶ τὴν γῆν, *quæ in Ebræo non habentur, prout nonnunquam addere solent, quæ in fonte non extant.*

אני ירא) timeo. *Est* ירא *nomen participiale, quod pro partic. præs. poni solet. Hinc notabis Constructionem* ex synt. cap. 3. m. 7. *quod nomini h. l. tribuatur casus verbi.* Item ex cap. 6. m. 1. *quod præs. circumscribi soleat pro part. anteced. pronomine. Timor autem juxta Script. duplex est, filialis & servilis, & de utroque vox hæc usurpatur*, vide Psal. 34: 10. Ezechiel. 11: 8. *Hic autem cum Luthero etiam teste* Tom. 3. Jen. Germ. fol. 228. *vera fides & initium salutis sese exerat, prior intelligi præcipue potest, & is quidem per synecd. pro toto cultu acceptus, ita ut timoris appellatione agnitio, dilectio, fides, spes & quicquid divini cultus comprehendatur, qualis acceptio occurrit* Deut. 6: 2. *ubi voce timoris obedientia erga omnia præcepta præcipitur &c.*

עשה) Fecit. Kimchi *exponit per concinnavit in usum hominis, qualis ab initio statim non erat creata. Neque hic inconveniens præparandi & concinnandi significatio est, quam etiam* Tarn. *retinet. Ratio addi potest, quod Jonas respiciat mare & terram (vel aridam potius) quæ jam distincta sunt, nimirum mare, in quo fugit, & aridam à qua fugit.*

את את) *Hæc part. utrique nomini additur ab eodem verbo* עשה *dependenti*, vide Trost. Gramm. p. 114.

הים) Hoc ipsum mare, *sc. in quo navigamus: quam emphasin præfixum* ה *inferre videtur: sicut etiam dicitur* היבשה.

היבשה) Aridam. ארץ *communius est, & significat terram sive aridam, sive aquis repletam*, ut Genes. 1: 10. *Et vocavit DEUS* יבשה *aridam* ארץ *terram.* Genes. 1: 31. *Posuit DEUS stellas in firmamento ut præberent lucem* על הארץ *super terram. Non solum autem lucem præbent terræ continenti, & iis qui in ea habitant; sed & mari & fluviis, & qui in iis navigant.* יבשה *autem solummodo terram ab aquis vacuam signifi-*

significat. Hinc juxta ann. Merceri in cap. 1. Gen. *raro reperies* יבשה *nisi ubi maris simul fiat mentio: sc. ut, meo judicio, terra illa mari contradistinguatur, ut h.l. Si quis etiam de nominatis arido & mari, synecdochice intelligere velit creationem Cœli, terræ, maris & omnium, quæ in iis sunt, non repugno: sic* Psal. 146:6. *integre hæc occurrunt, qui fecit Cœlum, terram & omnia, quæ in iis sunt.*

Hactenus de pœnæ denominatæ occasione; sequitur pœna infligenda, quam antecedebat Nautarum cum Jona suscepta consultatio vs. 10, 11, 12. & eorundem studium servandi Jonam. vs. 13. Preces ibidem præmissæ deturbationi Jonæ in mare vs. 14.

VERS X.

ויראו יראה) Timuerunt itaque timore. *Hic vers. continet quæ confessionem Jonæ consequebantur, nimirum timorem nautarum, & Jonæ à nautis factam increpationem. Cum autem timoris & increpationis causa esse non possit, quando Jonas fatebatur, se verum Deum colere; apparet textum hunc esse decurtatum: imprimis cum ex seqq. pateat, Jonam etiam fugam suam nautis exposuisse, ut hinc vere timere potuerint, prout seqq. hujus vers. verba id satis probant.* Conf. Mercerum in h. l. *qui ibidem hanc addit observationem: historias sæpe summas tantum rerum persequi. Idem* Flacius docet part. 2. Clavis Col. 436. de brevitate Script. *Addi insuper hoc debet, quod* Flacius ibidem habet Col. 381. *in Scriptura sæpe integram sententiam omitti, nonnunquam etiam plures sententias quæ tamen ex contextu facile colligi possint,* Conf. Synt. ap. *Sic itaque hoc loco etiam ex seqq. verbis hujus vers. sensus integer dari potest, h.m. & dixit ad eos: Ebræus sum, ego Dominum Deum Cœlorum timeo, qui fecit mare & aridam, à cujus conspectu fugio &c. Timuerunt itaque &c. Ex dictis colligitur τὸ Vau per itaque hic bene reddi, prout alias etiam solet,* vide synt. Conj. *Rectius autem dicitur timere timore, quam timorem, juxta observationem* Glass. in Gram. sacra p. 318. *Verba frequenter regunt nomen conjugatum, vel cognatum, quo significatu vel emphasis intenditur (ut h. l.) & tunc ablativo effertur: vel effectus s. objectum actionis innuitur, & tunc accusativo effertur,* conf. synt. nostram c. 3. m. 6. Drusio *quidem accusativus magis placet, hinc* cap. 4. Jonæ vs. 6. *dicit talem ablativum reddendum esse per* ב, *quod &* Zach. 1: 14. *habet. Verum* ב *notans ablat. causæ, instrumenti, modi, omitti etiam, notissimum est,* vide synt. c. 3. m. 5. subd. 1. §. 19. Buxt. Thes. p. mihi 481.

מה זאת עשית) *Plerique interpp. hæc verba interrogative reddunt,* quid hoc fecisti, cur hoc fecisti: ecquid fecisti? Drusius *cum admiratione hæc potius vult accipi, non cum interrogatione, imprimis cum nulla subsequatur responsio: & eandem vim hujus partic.* מה *agnoscit in verbis* Psal. 8. *Quid homo, ut ejus memor! non repugno.*

כי ידעו) Quum cognovissent: *unum enim præt. reliquas præteritorum species pro textus ratione includit,* vide Trost. p. 21. *sic etiam sequitur* הגיד *indicavissent,* כי *autem per quum commode redditur* à Tremellio, *ut sensus sit: Timuerunt itaque, postquam cognoverant &c.*

האנשים) Homines. *Et* אנש *&* אדם *hominem notat. Illud, qt. morbis est subjectus, vel quat. in conditionem ærumnosam est prolapsus, venit enim à rad.* אנש *ægrotavit: hoc hominis ex humo formationem respicit, nam terra Ebræis* אדמה *dicitur Eusebius l. 11. de præparat. Evang. c. 4. deducit* אנש *à* נשה *oblitus est, eamque originationem illustrat Psal. 8. quid est homo, quod recorderis ejus, i. e. quid est obliviosum illud quod te tuaque beneficia continuo obliviscitur &c. Verum cum hæc vox in priori derivatione, cum radice quoad literas, quas integras servat (id quod in posteriori derivatione non fit) & significationem conveniat, nil nos urgebit, eam relinquere. Ad hæc, relicto eo, quod nondum probatum est* Psal. 8. *ad oblivionem respectum fieri; alibi hac denominatione ad ærumnosam hominis conditionem respectus fit,* Psal. 9: 21. *Sciant Gentes se* אנש *homines esse, miseros sc. & calamitosos,* vide Drus. l. 3. quæst. Ebr. q. 77, 78. Lex. Pagn. Col. 139.

כי הוא ברח) Eum fugere. *Ita Ebræi efferunt accus. Infinit.* synt. cap. 10. m. 12. *Potest etiam esse periphrasis* Imperf. per particip. juxta synt. part.

הגיד להם) Indicaverat illis. *Est hic Ellipsis accus. rei, sc. fugæ,* vide synt. ap.

VERS XI.

לך) Tibi. *Minus commode dici videtur, quod hic suff. fœm. pro mascul. usurpetur, in Jonæ vituperium. Nam licet talis Enallage generis quorundam sententia, occurrere in sacris dicatur,* vide synt. nostr. c. 1. m. 26. *hic tamen probabilius dicitur,* לך *pro* לך lach *pro* lecha *positum esse, propter Sakephkaton, qui ita puncta hæc commutare solet,* Trost. Gram. p. 74.

וישתק) Ut silent. *Vau prout passim ponitur,* vide synt. *Mare quietum dicitur silens, quia procellis agitatum auditur vehementem sonum edere. Ita enim in Codice nonnunquam clamor labori, silentium quieti conjunctum est, adeoque ut silere pro quiescere sumatur: clamor autem magnum laborem, & magnorum conatuum molitionem significet: quo* Flacius in Clave part. 1. hoc *exemplum reducit. Sic* 2 Sam. 19: 10. *ut quid tacetis in reducendo, i. e. cur quiescitis in tam bona occasione, in reducendo rege; Et peccata Sodomæ dicuntur clamor.*

מעלינו) De super nos, à contra nos. *Solet* מ *particula præfixum quandoque negationem aut privationem notare, ut h. l. à contra nos, i. e. ut desinat sævire contra nos,* Synt. c. 9. m. 7. §. 4. *sic* Hos. 1: 12. *scortando scortatur terra* מאחרי *à post Dominum, i. e. ne sequatur Dominum, vel relicto Domino: sicut qui rite colunt Dominum, dicuntur ire* אחר *post Dominum. Constructio ex* synt. c. 3. m. 5. *notanda est, quod verbum prohibendi, abstinendi &c. regat nomen mediante* מ.

הלך וסער) Ibat & intumescebat; *vel magis magisque procellosum erat. Sic* Kimchi in Comm. *hanc phrasin voce* יותר *magis illustrat, & adducit hæc verba ut continuativa sermonis nautarum. Locutio hæc mere Ebræa est,* Conf. Drusium. *Et notari potest* ex cap. 8. synt. m. 3. *quod duorum verborum eodem tempore conjunctorum prius sæpe adverbiascat. Addatur etiam* ex Flacii Clave part. 1. *verbum eundi alteri additum, plerumque augmentum ejus actionis significare, & idipsum aliquando duplicari. Sic mare ibat & intumescebat, i. e. magis magisque intumescebat.* Gen. 8: 5. *Aquæ ibant & decurrebant, i. e. magis magisque decurrebant.* 2 Sam. 15: 1. *Ibat David eundo & crescendo: Domus Saul ibat & attenuabatur. Cæterum in constructione verbi substantivi cum part. quæ varias dat temporum (h. l. Imperf.) periphrases, ellipsis quandoque est verbi substant. &c.* synt. c. 6. m. 1.

VERS XII.

והטילני אל־הים) Præcipitate, projicite me in mare. *Olim teste Suida in Historicis Col. 751. quotannis lustralis hostia destinabatur, quam vocabant περίψημα, purgamentum, & dicebant: περίψημα (vide hanc vocem 1 Cor. 4: 13.) purgamentum nostrum esto aut salus & redemtio, & sic eum in mare conjiciebant q. Neptuno hostiam immolantes. Non hoc sensu in mare vult projici Jonas, & gentilem superstitionem suo exemplo stabiliri. Neque desperaverat Jonas, desperatum enim & incredulum hominem DEUS tam excellenti miraculo non eripit ex periculo. Deum verum se colere dicit, & merito se contempti Dei pœnas dare fatetur: id quod nulli sapientes omnino & Philosophi possent; sed recta præcipitarent se in desperationis barathrum.* Conf. Luth. Tom. 4. Jen. lat. fol. 551. fac. 2. *Reliqua de voce* הטילו *vide supra. Cæterum Constructio habetur* c. 3. synt. m. 5. subd. 5. §. 3. *Verba motum ad locum significantia regunt nomen etiam mediante* אל.

וישתק) Ut conticescat. *Vau pro ut, vide vers. præced.*

יודע אני) Agnosco. *Est hic periphrasis præsentis per partic. & pronom. omisso verbo subst.* synt. c. 6. m. 1.

הסער עליכם) Tempestas hæc super nos, *subintell. venit, vel simile quid: solet enim esse Ellipsis verbi quandoque, quandoque nominis in constructione verbi cum nom.* vide synt. ap. *Huc pertinet etiam ex c. 3. m. 5. subd. 2. §. 18. quod verba adversandi regant nomina etiam mediante* על, *id quod & seq. vers. fit.*

VERS XIII.

ויחתרו) Remigarant autem. חתר *proprie significat fodere: deinde translate pro remigare sumitur, quomodo & Latini dicunt sulcare æquor, arare æquor: id quod satis notum est. Et hic etiam translata significatio locum obtinet, quomodo &* Chaldæus *habet, &* Kimchi in h. l. dicit החזיקו במשטות כי תפש המשט ומולכו כחתר בים *i. e. corripuerunt remos &c. quia remum tenens & in mare eum impellens videtur mare fodere. Atque hoc etiam* in l. rad. *habet: ubi tamen addit, quod exponi quoque possit, anchoris investigare aquæ fundum, vel etiam accipi posse, pro investigare, cogitare, quomodo sc. navis in aridam reduci possit.* Drusio in h. l. *placet,* חתר *fodere pro magno conatu esse positum, h. s. magno conatu moliebantur reducere navim; pro qua sententia LXX. citat. Verum hanc vocem si per remigare exponas, simplicius id, & hinc probabilius est. Nonnulli per remigarant exponunt in plusquam p.* vide Mercerum. *Non enim probabile est, cum extrema tentaverant, post latam Jonæ sententiam, denuo remigare conatos esse: ideoque per hysteron proteron hæc dicta videbuntur, pro ut multa ita poni solent. Vel versus hic q. in parenthesi legendus erit, & immediate seq. vs. 14. cum præced. 12. connectendus.* Conf. Merc. in h. l. *Neque tamen plane absurda est versio,*

quæ

quæ habet remigabant, ita ut nautarum studium servandi Jonam describatur, quod & Tremellius vult.

להשיב אל היבשה) Ut reducerent in aridam. *Vulgatus habet redirent, verum contra Ebræum textum. Notandum hic insuper est,* ל *ante Infinit. facere Gerundium in dum & explicari per ut*, Synt. c. 9. m. 7. de ל Trost. Gr. p. 125. *Item subintelligendum esse accusat. sc. navem, prout solet fieri*, synt. ap.

יכלו) Potuerunt. *Potest hic Ellipsis statui Infinit. reducere*, Trost. Gramm. p. 120. *qui ex præced. membro repeti potest.*

סער עליהם) Intumescebat super eos, *vel* infestabat eos. *Verba adversandi regunt nomen mediante* על, c. 3. synt. m. 5. de ל §. 18.

VERS. XIV.

ויקראו אל יהוה) Invocarunt itaque Dominum. *Antea quisque nautarum Deum suum invocavit: nunc melius à Jona instructi* יהוה *verum Deum dicuntur invocare, cum nomen hoc nulli nisi soli Deo competat, quod alibi docetur. Constructionem, qua hoc verbum nomen regit mediante* אל *vide in* Synt. cap. 3. m. 5. subd. 2. §. 11. *Est hic itidem Ellipsis nominativi, clamaverunt, pro, nautæ clamaverunt.*

Invocarunt & dixerunt) *At Latinus frequenter & eleganter duo & plura commata in unum contrahit, verbis in participia mutatis*, vide synt. Latinam: *unde* Tremellius *habet in sua versione, invocarunt dicentes: id quod etiam frequentissime in versione illa observatur.*

אנא נא) Quæsumus, obsecro. אנה *obsecrantis particula, hic cum* ה *in fine scribitur, atque ita sexies scribi Masorethæ notant ad Ps. 116: 4. Tremellius posterius* נא *per jam reddit, quam significationem etiam alibi occurrere probat* Glass. Gram. sacr. pag. 595. *Verum cum nil usitatius sit, quam* נא *particulæ* אל *additum ut particulam obsecrantis reddi, & aliud etiam h. l. urgens necessitas non suadeat, obsecrantis significatio hic retineri & cum* Mercero *statui potest, particulam obsecrantis ob affectum, ut fieri solet, repetitam esse. Neque tamen prior sententia in totum rejici debet. Constructio autem* אנה יהוה *est Interjectionis, Latinis etiam usitata.*

אל נאבדה) Ne pereamus. *Particula* אל *cum futuro tantum construitur*, Gramm. Trost.

בנפש) Propter animam, ב *hic propter significat, ut alibi etiam*, vide synt. præpos. *Interpretum nonnulli reddunt, propter animam, i. e. ob cædem, vel ademptam vitam, quomodo & Jarchi in Commentar. habet.* Chald. בחובת *ob debitum animæ viri istius: id quod hic facile locum obtinet: sicut etiam Drusii mens, quæ hæc est: ne pereamus cum vita hominis hujus una; sed, cum ei pereundum sit, nobis sis propitius; atque ita* ב *per cum reddi posse*, vide in synt. præpos.

האיש הזה) Viri hujus. *Aliquando, in constructione substantivi & adjectivi, nunc alterutri nunc utrique* ה *emphaticum præfigitur: pronomina autem loco adjectivorum sunt, vide* Buxtorf. Thes. lib. 2. cap. 5. reg. 1. Conf. synt. nostram cap. 2. m. 2. *Vir præstans voce* איש *notari solet; sicut plebejus voce* אדם *unde formulæ illæ* בני איש *filii viri i. e. præstantes & magnates.* בני אדם *filii hominis, i. e. plebeji & vilioris conditionis: quarum formularum emphasis ex* Psalm. 39: 3. *dilucide patet: Audite* בני איש גם בני אדם *tum nati plebejo homine, tum nati præstante viro, simul dives & egens, &* Tremellius, & Lutherus ita: Beyde gemein Mann und Herren / beyde Reich und Arm mit einander. *Solet autem in Codice frequenter idem quoad sensum repeti per synonyma exegetica, exegeseos gratia, quando h. l.* אדם *&* איש *per seqq. dives & egens explicantur.* Conf. Glass. Grammat. sacr. pag. 677. & 135. Drus. quæst. Ebræor. lib. 1. quæst. 21. & *Simon. de Muis in Psalm.* 4. *Sic Jonas h. l. cum vulgaris homo non sit,* איש *vocatur, cui* ה *emphaticum additur, ut tanto major emphasis designetur, sicuti Psalm. 1. ubi beatus* האיש *vir dicitur, qui in viis Dei ambulat.*

תתן עלינו) Ponas super nos, vel imponas nobis. *Dare & ponere sæpe inter se permutantur*, vide Flacii Clavem *sub voce dare & ponere. Ponere autem peccatum super aliquem, est peccatum ei imputare, ejusque pœnis eum castigare, ut loquitur* Flacius part. 1. Col. 911. l. 51. *Ita* Num. 12: 11. *Ne* אשית *super nos peccatum. Luth. habet:* Laß diese Sünde auff uns nicht bleiben / *juxta notationem illam: Verba inchoativa quandoque completive accipienda*, Glass. Gram. sacr. p. 121. *Atque illud contra scopum nostrum non dicitur, mihique placet. Quamvis autem Tremell. vocem* חטאת *ibidem de pœna peccati exponat; probabilitatem tamen priori sententiæ addere videntur immediate seqq. verba: quo stulte egimus & peccavimus. Sic & hirco emissario peccata imponi dicuntur* Lev. c. 16: 22. *ubi ponere voce* נתן *redditur, sicuti h. l. quod* Num. c. 12: 12. *voce* שית *exprimitur. Constructio autem hic fit Germana natura, mediante* על, vide synt. c. 3. m. 5.

דם) Sanguinem. *Potest hæc vox h. l. cædem designare, quomodo etiam accipitur* Genes. 37: 26. *quod &* Fagius in Comm. super paraphr. Chald. *loco illo habet. Sic aliis quoque in locis Scripturæ acceptio hæc vocis hujus occurrit*, vide Flacium in Clave part. 1. *Et in plurali vox hæc sæpe cædem notat, quia, cum quis occiditur, tunc sanguis ejus qs. multiplicatur, quat. è vulnere erumpens in multas guttas resolvitur*, sic Genes. 4: 10. *Vox sanguinum inclamantium me: quamvis Onkelos hic paulo aliter habeat, nimirum vox sanguinum familiarum, quæ futuræ erant. Intelligit posteros, qui ex illa nasci debebant*, Conf. Fagium in paraphr. Chald. h. l. *Plura etiam loca hujus acceptionis* vide in Flacii Clave.

חפצת) Voluisti. חפץ *non tantum volo; sed etiam* δοκέω *notat, vide Concord. Ebr. quæ significatio hic locum obtinet ob finem utilissimum, in quem omnia illa Deus dirigere noverat.*

עשית) Fecisti. *Est hic (quod etiam ad proxime præced. vocem nota) Ellipsis nominativi dissimulato pronomine* Sixtin. cap. 3. m. 4. item *particulæ similitudinis, pro* כן עשית vide synt. Adverb.

Et tantum de iis, quæ pœnam Jonæ inflictam antecedebant: Pœnam autem prophetæ inflictam describit vers. 15. ejusdemque consequentia; ut ex parte maris, cujus fluctus divinitus cohibentur vs. 15. ex parte Nautarum, qui ad pietatem instigantur vs. 16.

VERS. XV.

וישאו) Et tollentes, vel accipientes, *quas significationes* נשא *habet: ut & Chaldæorum* נסב *quod in Paraphrasi est. Male autem Jonas dicitur correptus, prout recte* Mercerus in h. l. *scribit quia se ultro obtulit. Quod insuper participio reddi possit non inconvenienter, patet.* Confer quæ dicta sunt vers. 14. *ad vocem dicentes.*

ויעמד) Et stetit, vel destitit, cessavit. עמד *significat etiam silere, desinere: sic* Genes. 30: 9. *Stetit à pariendo, i. e. cessavit parere. Convenienter autem h. l. vox hæc adhibetur, quia præcesserat contrarium ibat, & intumescebat.*

מזעפו) A furore suo, vel æstu suo. זעף *figurata locutio est, quod &* Esra in h. l. *agnoscit. Tribuitur autem mari hic furor vel indignatio propterea, quod & ei infestum fuit, qui iram DEI provocaverat: estque metaphora ab homine, ira æstuante desumpta. Cæterum verba removendi, abstinendi, desistendi &c. nomen mediante* מ *regere*, vide in synt. c. 3. m. 5.

VERS. XVI.

וייראו יראה את יהוה) Quapropter timuerunt timore Dominum. *Cum accus. rectus à verbo timendi nota accus. designetur, tanto rectius hinc statuitur versio, timuerunt timore.* Confer vs. 10. *Vau redditur per quapropter, & bene, quia verba hæc continent consequens tranquillitatis maris.*

ויזבחו זבח) Et sacrificarunt sacrificium. *Vel potius sacrificaturos se promiserunt, vel dixerunt, prout Chaldæus habet.* ואמרו לדבחא דבחין *quem* Rabbi Kimchi in h. l. *citat, & cum eo facit: in navi enim tunc à Gentilibus conversis commode sacrificium fieri non potuisse, facile constat. Et sic solent verba actus vel actionis, ejusdem quandoque prænunciationem tantum denotare, quam regulam* vide vs. 3. *ad voces, dedit mercedem.* Drusius *quidem putat posse etiam hunc locum explicari de sacrificiis laudis, i. e. de gratiarum actione: verum dubito de hoc, propterea, quod sacrificare sacrificium, absolute positum, rectius de sacrificio proprie intellecto, secundum primariam significationem, capiatur, prout id* ex Concord. Ebræis *videre est, unde patebit, quod phrasis hæc absolute ita posita, nunquam formaliter laudis sacrificium seu gratiarum actionem significet.* Confer Mercerum.

Voverunt vota) sc. DEO, *cujus Majestatem animadvertebant: qualis Ellipsis nominis ex præcedente membro repetendi usitata Ebræis est:* vide synt. App. Mercerus *hoc de cæteris votis extra sacrificia intelligit, quod & Kimchi in Comm. suo habet: atque hoc, si verba, prout jacent, in quibus ipsa vota à sacrificiis distinguuntur spectemus, probabile etiam videtur.*

CAPUT II.

Ex parte DEI, pœnam Jonæ inflictam consequebatur præparatio vel adductio piscis, qui Jonam futuri Messiæ typum exciperet, servaret, vivisque restitueret: Ex parte Jonæ, preces notandæ veniunt quas in pisce Jonas ad Deum fudit. Hic initio in genere suam miseriam & DEI gratiam exponit, vs. 1, 2, 3.

VERS.

VERS. I.

(וימן) præparaverat autem. Continuatio relationis historiæ, quæ est de pœna Jonæ, non inconvenienter fit per part. autem, quam significationem hoc Vau etiam alibi habet. Vide Synt. Conj. Quomodo Jonas in mare à nautis præcipitatus fuerit præced. vers. dictum est: quid autem Deus cum Jona inter fluctus egerit porro, sequitur. Bene hæc vox redditur præterito plusquam perfecto, Præparaverat, quod nimirum à Deo jam tum piscis ille paratus fuerit, qui Jonam projectum reciperet. Non quidem adeo probabile est, quando citra conjecturæ causam & fundamentum statuitur, piscem illum prima creatione jam conditum fuisse, ut Jonam absorberet, quam sententiam R. Kimchi in h. l. tribuit R. Eliezer & R. Tarphon. Probabilitatem autem præ se fert sententia illorum (quæ & Kimchi est in h. l.) qui dicunt eo temporis articulo, quo Jonas in mare projectus est, piscem illum à Deo præparatum esse, & quidem ex cap. 4. ubi vox מנה ter usurpari videtur de iis rebus, quæ subito in certum usum, à Deo parabantur: nimirum de vento vs. 8. de verme, vs. 7. inprimis de cucurbita (prout nonnulli loquuntur) vs. 6. in qua Jonas non laboraverat vs. 10. ubi Tarnov. ipse scribit (qui tamen Cap. 1. negat vocem מנה de creatione in codice accipi) fecisse Deum extraordinariè, ut sine semine cucurbita oriretur valde celeriter, insigni magnitudine: id quod non nisi ad minimum creatio secunda est, eaque hac voce מנה notata. Neque ex Genes. 22. quem Tarnov. l. c. allegat, concluditur, quod Deus absoluto opere creationis, ab omni creatione quieverit, sed aliis respectibus id dicitur, quos in Theologorum scriptis vide. Omnium autem simplicissimum & tutissimum, si vocem מנה accipiamus in significatione constitutionis, deputationis, ordinationis (quæ significatio etiam occurrit Daniel. 1: 10. Job. 7: 3. &c.) h. l. destinaverat autem Deus piscem. Non enim temere talia miracula statuenda sunt, de quibus dubitandi ratio datur qualis est, si dicamus, piscem illum tum temporis à Deo creatum, & præparatum esse: cum significatio constituendi, deputandi vocis מנה usui biblico satis (nisi quod Jon. 4: 6. inprimis, meo Judicio vox hæc creandi significationem obtinere videri possit) accommodata sit, unde & Forster. in Lexic. non nisi hanc significationem huic voci in conjugat. hac Piel tribuit. Accedit quod miraculi satis sit, etiamsi tantum dicamus, piscem ex divina ordinatione adfuisse navi. Addo quod præcedentes sententiæ adhuc conjectura opus habeant, quare Deus piscem crearit, cum miraculose piscem jam creatum actui huic destinare, eumque advocare potuerit: non hoc incommodum nostra sententia habet.

(דג גדול) Piscem magnum. Cetum hunc piscem vocat Matth. cap. 12: 40. ubi extat ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους. Non autem sine causa Ribera in h. l. dubitat qualis ille cetus fuerit, cum ceti vocabulum generale esse pluribus competens, ex Autoribus nonnullis constet. Nonius Marcellus l. de proprietate sermonum cap. 1. §. 244. scribit: Cetarios esse, qui majores pisces capiunt, inde dictos, quod cete in mari majora sunt piscium genera. Similiter fere loquitur Isidorus lib. 12. de Originibus cap. 6. Cete dicta τὸ κῆτος & τακήτη ob immanitatem. Sunt enim ingentia genera beluarum, æqualia montium corpora, qualis cetus excepit Jonam: hæc ille. Uterque hic voce cete, non certæ speciei piscem, sed communiter ingentia beluarum genera notat: Unde vocabulum hoc multis commune & generale esse patet. Accedit quod Plinius, qui l. 32. c. 11. omnium, ut vult, animalium maris specifica nomina recenset; ceti autem nullam mentionem facit: sine dubio quod cetos, quorum l. 32. c. 1. mentionem facit, ipsos beluas maris esse velit, de quibus l. 32. c. 11. ita Arist. l. 6. hist. anim. c. 12. Delphinum & Batænam, quas pro beluis marinis loc. cit. Plinius habet, ad cete refert, dum scribit: Delphis, balæna & reliqua cete, quæ non branchias, sed fistulam habent, animal generant. Confer Martinii Lex. Col. 2885. Ita Atheneus l. 7. c. 20. scribit: Thunnum cum egregie crescit cete fieri. Et Suidas in historicis Col. 484. Cetum per marinam beluam multiformem describit, arietem etiam beluam (juxta Plin. l. 32. c. 11.) illam marinam cete vocat, ut cætera taceam. Vide Suidam l. c. Addit Mart. in Lex. quod vocem Ebr. תנין significantem in genere omne grande & vastum animal anguinea & serpentina specie LXX. verterint κῆτος Gen. 1: 21. & alia quæ habet, ibidem vide. Atque ex his, vocabulum ceti generale esse & commune, satis patere puto. Quod autem balæna non fuerit cetus ille ex Scalig. Drusius in h. l. probat; Lamiam autem fuisse ex Rondoleto adducit, utpote in cujus ventriculo, loricatus homo inventus quandoque fuerit. Verum cetum fuisse certum est ex Matth. qualis autem, incertum & dubium.

(במעי הדג) In visceribus piscis מעים absolutum est effertur que duali, prout Merc. in Lex. Pag. Col. 1425. habet, quod viscera minutiora sint intorta & duplicata, & pulmo etiam bifidus sit &c. Complectitur autem hæc vox omnia viscera interiora, ut sunt cor, hepar, pulmo &c. unde & pro corde nonnunquam capitur. Vid. Pagn. Lexic. l. c. Potest hic locum habere reg. synt. cap. 1. m. 29. Nomen multitudinis pro singulari, vel uno certo è multis poni: Jonas enim in uno viscerum fuit non in omnibus. Fabulam Jarchi habet in Comment. suo quod Jonas initio fuerit in pisce mare unde in textu sit דג: Cum vero in eo ad preces non fuerit adactus, hinc ejectum esse, in os fœminæ, quæ plena fœtibus fuit, ubi magis coarctatum orasse; & propterea in textu commutari דג cum fœm. דגה Huic fabulæ respondet Tarn. ex alleg. Matth. c. 12: 40. Adde quod Kimchi in Comm. scribat, הדגה בטו הדג i. e. הדגה idem est quod הדג, Idem enim sub utraque terminatione masc. & fœm. reperitur. Et sententiam priorem de fœmina citat quidem, nude tamen, non approbando. Conferantur loca Genes. 1: 26. Exod. 7: 18. unde quoque de hujus vocis genere judicium fiet.

Tribus diebus & tribus noctibus) Interpretes hic per synecd. partem diei, pro integra die ponunt. Vide Theol. Scriptores. Constructio autem est notanda ex Cap. 3. m. 5. de ב §. 18. quod verba regant nomina temporis mediante ב, etiam nude.

VERS. II.

(ויתפלל אל־יהוה) Oravit autem ad Dominum, vel adoravit Dominum. פלל verbum forense: hinc in Hitpael significat Oravit, supplicavit, & Tarn. h. l. reddit Deo judici omnium rerum justissimo supplex factus est. Constructionem hanc refer ad particularum Syntaxin, juxta admonitionem Cap. 3. m. 6. subd. 6. n. 4. circa finem: Aut dici potest, quod verbum regat hic nomen Germana natura mediante אל cap. 3. synt. m. 5.

(הדגה) piscis, quid hic notandum, vide vers. præced.

VERS. III.

(ויאמר) & dixit. Habet Tremell. deinde dixit, scil. postquam liberatus esset. Verum cum vers. 2. in genere de Jona dicatur, eum in pisce vel ex visceribus piscis orasse, quæ & Tremellii mens est: & vers. 3. immediate per ויאמר connectatur, precationem Jonæ seqq. etiam versiculis continuatam, speciatim comprehendens, quid impedit, quo minus vers. 2. & 3. cum seqq. de eadem temporis circumstantia accipiamus. Est quidem Eucharisticum carmen, prout Tremell. in notis ad h. l. loquitur: Verum eodem etiam suas miserias Deo exponit, & Deum laudat ob liberationem ex periculis, quæ ipsi obtigerant inter fluctus maris, ut ex miseriis quas in pisce senserat, & adhuc sentiebat, loquens prophetarum more de futuro, per præteritum, quia certus erat fore, ut ex pisce salvaretur. Ita & David בברחו in fugere, i. e. cum fugeret Absalomum, dicit (ut ut alii de hac voce, exaudivit, aliter judicent) exaudivit, Psalm. 3. Hoc & Esra in Comment. suo urget contra sententiam priorem, ubi eodem modo intelligendum esse vult illud, quod Jonas in hac ipsa sua precatione dicit: eduxisti è corruptione vitam meam. Confer Kimchi in h. l. ad vocem exaudivit, qui scribit Jonam postquam steterat in vita sua, cognovisse se salvum exiturum ex visceribus piscis. Addit Esra ibidem huic sententiæ statuenti, Jonam has preces fudisse post liberationem, opponi posse, quod post descriptas Jonæ preces, demum Deus dicatur jussisse piscem, ut evomeret Jonam. Neque absone hoc dicitur: nam licet quandoque in codice ὕστερον πρότερον sit, non tamen temere illud sine omni necessitate, (ut h. l.) admitti debet.

(קראתי) Inclamavi. Est incrementum Orationis hic: antea dixerat oravi, nunc addit clamavi. Ribera in h. l. accipit hanc vocem de clamore oris, h. m. Cum è navi demitterer in mare, clamavi ad Dominum ut mihi in tanto periculo adesset, & exaudivit me, cetum mittendo, cujus uterus mihi esset pro navi. Itaque gratias Deo agit propheta quod per cetum à fluctibus sit liberatus, & in ipso securus ac quietus sit, perinde acsi esset in navi. Acceperat enim per Dei revelationem, se fore in littus salvum deferendum, ut paulo post indicat his verbis: sublevabis de corruptione vitam meam. Hæc ille. Verum ut ut clamorem Jonæ cum præcipitaretur in mare non excludamus: cum tamen præced. vs. Jonas dicatur orasse ex visceribus piscis, & vers. 3. immediate subjiciatur, Jonam clamasse de ventre inferni, i. e. piscis; neque clamor affectus, fidei & cordis excludi potest: qualis clamor Mosi tribuitur Exod. 14: 15. Quid clamas ad me & sic clamoris vocabulo gemitus & precum ardorem notari vide in Flac. clav. part. 1. Col. 128. ubi ita loquitur: significat vox clamoris in talibus

 locis

locis ardentissimos gemitus, ac suspiria cordis. Plerumque enim vox clamandi magnum innuit fervorem, sicut Epistola ad Ebræos dicit, Christum preces suas valido cum clamore obtulisse, i.e. ferventissimo animi affectu & ardore. Sic spiritu clamamus Abba Pater Rom. 8. Gal. 4. *Solet insuper in codice Pleonasmus exegeseos talis esse, ubi praeced. verba seqq. exegetice declarantur.*

מצרה לי) ex angustia mihi, i. e. mea; *commodissime enim hic statuitur ellipsis pron.* אשר synt. c. 2. m. 5. *Alia autem ratio est hujus Dativi* Amos. 2: 13. *Plaustrum plenum sibi, ubi Pleonasmus est*, Synt. c. 2. m. 10. *Est vocabulum* צרה *ad exprimendas angustias Jonæ, inprimis in ventre piscis obsidione qs. cincti, & in magnas angustias redacti accommodatissimum. Venit enim à* צור *obsedit, arctavit, hostiliter pressit. Et apparet hujus vocis emphasis* Ps. 4: 2. *dilatasti mihi* בצרה *in angustia, ubi David angustias suas voce* צרה *exprimit, eique vocem dilatandi addit, sumta sc. similitudine ab iis, qui aliquandiu vel carcere conclusi, vel obsidione cincti tandem dimittuntur: aut si* לך *vel* נבש *subintelligas, coarctati spiritus, vel cor ex tristitia se contrahens hoc loquendi modo notabuntur: cujus respectu Germani dicere solent:* Daß einem die Welt zu eng wird / Vide Tarnov. in Psalm. 4. *ut alta loca taceam hujus vocis, quæ in* concordantiis *vide. Vulgatus habet h. l. in tribulatione mea, Vocabulum non inconveniens, dictum à tribulæ instrumento, quo frumenta proterere solebant, vide Varronem l. 1. de re rustica cap. 52. Hinc* triebulier-Soldaten. *Quod autem Vatablus vertit* מצרה לי *ex quo fuit angustia mihi, non est absonum: sic* מ *solet etiam temporis circumstantiam notare* synt. c. 9. m. 7. Glass. Gramm. Sacra p. 614.

ויענני) & exaudivit me: vel respondit mihi *i. e. certum me exauditionis fecit. Gravius hoc sonat quam exaudivit: sæpe enim Deus hominem exaudit non tamen statim respondet, i. e. reipsa ostendit, ipsum exauditum esse.* Kimchi *quid de hac voce scribat*, vide supra *ad vocem* ויאמר *notatum.*

מבטן שאול) *Alii* de ventre inferni, alii de ventre sepulchri, vel sepulchrali reddunt. *Nam* שאול *&* שאל *petere, expetere ductum, notat & locum mortuorum sub terra, quem homines omnes petunt vel qui omnes petit: & locum damnatorum qui subinde plus petit.* Conf. Prov. 30: 16. & Lexica. Tremellius *habet de ventre sepulchrali, sc. de ventre piscis, qui mihi instar sepulchri esse potuit. Bene satis, neque à textu mihi alienum videtur: & solet ita gen. regiminis quandoque adjunctum notare*, synt. cap. 1. m. 5. *Neque tamen hinc plane rejicio aliorum sententiam, qui volunt vocem* שאול *de inferno, & juxta usum codicis, ut* Psalm. 68: 13. *de doloribus gravioribus hic accipi h. s. in ventre inferni, in quo tanquam in inferno ingentes calamitates & dolores expertus sum:* Confer Tarnov. Drus. &c. *Addit autem Drusius* בטן *reddi posse è mediis inferis, vel calamitatibus: Ventrem enim medium hominis esse.* Confer Tarnovium *qui hoc ex seq. versu illustrat, ubi cor maris medium, vel intimum maris notat.* Flac. in clave part. 1. *itidem vocem* בטן *vocabulo medio reddit, & utramque sententiam complectitur h. m. de ventre i. e. de medio ceti quod ei fuit instar sepulchri & inferni.*

שמעת) Audivisti, *i. e. exaudivisti, simplici significationem compositi obtinente* synt. c. 3. m. 1. *Audivisti, pro, audivit, per enallagen personæ, præcedit enim, respondit in tertia persona, in qua oratio deberet continuari. Est enallage talis usitata Ebræis, quibus quandoque personæ mutantur, non mutata sententia, ut* Genes. 49: 4. *Ascendisti, ascendit* Ps. 22: 9. *volve i. e. volvat* vide synt. append.

Porro quod de miseria sua, & DEI gratia in genere dixerat, id in specie fusius exponit, ut miseriam suam vs. 4, 5, 6, 7. DEI misericordiam vs. 7, 8.

VERS. IV.

ותשליכני) Projecisti. *Placet mihi* Drusii *mens, qui copulat. Vau hic abundare putat.* Confer Glass. Gramm. sacram p. 649. *Aut si mavis per nam redde: ita ut Jonas hic id specialiter deducere incipiat quod* vs. priori *generaliter dixerat, vide Contextum. Vox* השליך *non specialiter tantum (prout nonnulli volunt) dejicere significat, sed latius sumitur pro projicere, dejicere, abjicere, jacere, sicut* Mercerus scribit in Lex. Pagn. Col. 2993. *Loca ibidem plurima vide. Deus dicitur projicere, quod tamen à nautis patratum esse constat, adeoque observanda hic regula est ex* Synt. c. 7. m. 21. *quod actio quandoque tribuatur actionem procuranti*, Confer Glass. Gramm. sacram p. 276.

מצולה) In profundum. *Est hic ellipsis part.* ב / אל *aut similis*, vide synt. cap. 3. m. 5. subd. 5. n. 3. *Additur autem illa præpositio seq. voci* בלבב *in Cor, unde etiam repeti potest.* Vide synt. ap. Glass. Gramm. sacr. p. 670.

בלבב ימים) In cor marium, *i. e. in intimam partem marium. Nam sicut cor ferme in medio animalis est: ita Ebræi crebro cor pro medio cujusvis rei per Metaphoram accipiunt*, ut Deut. 4: 11. *ubi recte Luth.* Der Berg brante biß mitten an den Himmel. *Ita etiam* Psal. 46: 3. &c. Vide Flacii Clavem, Tarn. Drusium &c. *Marium autem in plurali dicitur, vel exaggerandi causa, quomodo quandoque pluralis adhibetur*, vide synt. cap. 1. m. 28. *vel etiam (ut nonnulli volunt) quia belua illa diversa maria transiit. Neque absonum plane est, si dicam sensum esse, in cor marium, i. e. unius è maribus: quomodo Jonas dicitur descendisse ad latera navis, i. e. unum è lateribus navis: Solet enim ita quandoque Plural. pro uno ex pluribus poni* synt. c. 1. m. 29.

ונהר יסבבני) Flumen circumdedit me. *Magis mihi placet si dicatur, flumen hic poni per enallagen numeri pro fluminibus ingredientibus mare: quam si dicas per extenuationem mare hic flumen dici. Nam Jonas magis hic rei magnitudinem exprimere conatur, quam ut studeat extenuationi: quo pertinet, quod dicitur, Cor marium, item quod immediate sequitur, omnes fluctus & undæ super me transeunt. Hinc LXX. plurali reddiderunt* ποταμοὶ. *Et ita solet singulari collecta multitudo exprimi*, synt. cap. 1. m. 27. Glass. Gramm. sacra p. 80. *Adeoque sensus esse potest: Jonam & mari oppressum & fluminibus in mare ingredientibus circumvallatum fuisse, ut minime elabi licuerit.* Vide Merc. & confer Tarnov. *ubi plura leges. Bene hic notat* Mercerus *quod* ויסבבני *cum Vau conversivo, Futurum pro præterito sit positum, cum præcedat & sequatur præteritum, de qua enallage lege* Glass. Gramm. sacram pag. 364.

כל) Omnes, *Drusius per multos exponit. Et Tarnovius scribit, omnes, sc. quos Deus mea causa in mari hoc excitavit; i. e. multi, prout nimirum juxta subjectam materiam necessario seipsum restringit. Ita ex contextu & scripturæ analogia colligendum, quomodo hæc particula accipi debeat, an cum limitatione an sine ea.*

משבריך וגליך) fluctus tui & undæ tuæ משברים *dicuntur* גלי הים בערת ה׳ עף *sicut* Kimchi loquitur in h. l. *& denominantur à* שבר *fregit, quod collidantur æstus tempore. Addit* Mercerus in Lex. pag. *fluctus etiam ita denominari quod confringant naves, adeoque rationem vocis activam & passivam esse, Pronomen, tui, tuæ, tribuit hos fluctus & undas has Deo, hoc quidem loco, non tam sensu* Psalm. 24: 1. *Domini est terra & quicquid in ea continetur: quam quod contra Jonam fluctus illos excitarit, sentit enim Jonæ conscientia DEUM vindicem. Ita etiam solet pronomen tale sæpe causam efficientem notare*, ut Psal. 37: 22. *Benedicti ejus, i. e. ab eo benedicti.* Ezech. 21: 38. *Opprobrium eorum sc. quo alios afficiunt*, Synt. c. 1. m. 5. Glass. Gramm. sacr. p. 98.

עלי) super me. *Possent hæc verba, fluctus super me transeunt*, juxta Ps. 42: 8. *metaphorice explicari de magnis periculis, quæ Ebræi alias nomine fluctuum exprimunt*, vide Flac. clav. part. 1. Col. 337. *Verum cum Jonas inter proprie dictos fluctus fuerit, de iis sermonem inceperit, de iisdem etiam sermonem continuari, omnium optimum est, si dicamus. Super me transeunt, sensus est* juxta Kimchi in Comm. *super caput piscis in quo inclusus sum: qui similiter illud* vs. 6. *alga alligata est capiti meo, exponit h. m. capiti piscis, qui me deglutiit. Si tamen dicamus hac voce potius respectum fieri ad Jonam cum inter fluctus adhuc hæreret, non male dixerimus.*

VERS. V.

ואני אמרתי) ut dicerem. *Potest optime hic Vau per ut exprimi, quam significationem in aliis etiam locis obtinet*, vide synt. conj. *Exaggerat enim illam fluctuum tumultuationem: eam nimirum tantam fuisse, ut etiam cogeretur in talia verba erumpere &c. Perspicuum hoc satis est. Notari hic potest* ex Buxt. Thes. l. 2. c. 9. reg. 1. *quod pronomen* אני *verbo addatur majoris emphasis causa (prout fieri quandoque solet) sensu Germanis consueto:* Daß eben ich selber dachte. *Cæterum sicut unum præteritum omnes species præteritorum comprehendit.* Trost. Gramm. p. 22. *ita illud h. l. per dicerem, vel cogitarem potius reddi potest.*

נגרשתי מנגד עיניך) Ejectus, repulsus sum è conspectu oculorum tuorum. מ *ante part.* נגד *h. l. privationem & negationem notat*, synt. c. 9. m. 7. *h. s. expulsus sum à coram oculis tuis, i. e. ne amplius sim coram oculis tuis* גרש *verbum removendi regit seq. nomen mediante* מ, synt. c. 3. m. 5. sub. 5. §. 6. *Oculus h. l. providam DEI curam notat, adeoque exscindi ab oculis ejus est privari ejus cura: sic &* Psalm. 30: 23. *Excisus sum ab oculis tuis. E contra ponit oculos Dominus super aliquid, quando ejus providam curam habet*, ut Psalm. 33: 18.

Oculi

Oculi Domini super timentes eum: & eodem sensu dicitur vulgo Oculus Domini saginat equum, vide Flac. Clav. part. I. Col. 771. Confer Tarnov. in h. l. Poterit insuper hic locus de abjectione spirituali, & corporali explicari, juxta Lutherum tom. 3. Jen. Germ. p. 213. ut Brentius & alii eam de corporali tantum accipiant.

אך) Veruntamen. Part. hæc initio sententiæ vel adversativa est, ut h. l. ubi Jonas ἐπανόρθωσιν Contrariam sententiæ superiori de abjectione subjicit; vel affirmativa particula, & interdum male ominantis, quale est illud Psalm. 73: 13. אך forsan (Mercerus in hoc & simili loco potius explicandum per sane putat, & ita Tremell. habet, utique) frustra mundavi cor meum. In media sententia fere exclusiva est, solum, duntaxat, & id genus alia, it. pro etiam, quidem ponitur. Hanc notationem habet Merc. in Lexic. Pagnini, & Forsterus in Lexico suo.

אוסיף להביט) Pergam intueri, vel, amplius intuebor. In Constructione enim, qua verbum regit Infinit. prius quandoque adverbiascit, Vid. synt. c. 5. m. 1. & c. 8. m. 3. & m. 18. ubi de adverbiali illa locutione per verbum addere expressa. Infinitivus quandoque nude, quandoque mediante ל vel מ exprimitur, synt. c. 5. m. 1. Verbum הביט fere significat rem curiosius & intentius contemplari oculis fixis, quomodo de Loti uxore solicite ad bona respiciente Genes. 19: 17. 26. Item de Mose non auso Deum in rubo curiosius contemplari Exod. 3: 6. &c. usurpatur. Hinc differt à ראה rem videre & considerare simul mente, vid. Tarn. sup. Psal. 10: 13. p. 255. quamvis discrimen illud non perpetuum esse ibidem addatur p. 256. Minus autem recte hæc verba interrogative redduntur, h. s. Expulsus sum ab oculis tuis, an itaque videbo &c. minime vero: Cum interrogationis nota in textu nulla conspiciatur, אך enim non interrogat; sed איך Conf. quæ supra dicta sunt ad part. אך Cæterum construitur hoc verbum cum nomine mediante ל / אל / ב etiam nude, Conf. Lex. Pagn. & Forsteri imprimis, qui has constructiones, prout id in Lexico suo bene observare solet, ordine recenset.

היכל קדשך) templum sanctitatis tuæ. Similis phrasis est Ps. 2: 6. mons sanctitatis meæ. Sensus est, templum tuum sanctissimum. Posterius enim substantivum regiminis hic pro adjectivo ponitur, sicut quandoque fieri solet, synt. cap. 1. m. 16. Imo cum abstractum pro concreto positum sæpe per superlativum commode explicari possit, synt. c. 1. m. 22. idem h. l. bene observatur, quia sermo est de sanctissimo (sive Cœlum, sive templum Jerosolymitanum intelligatur, vide Tarn. in h. l.) Dei habitaculo. Porro cum nomini constructo non soleat apponi affixum, sed tum vel illud nomen iteretur, ut ei apponi possit, sicut loquitur Trost. in synt. sua, vel posteriori apponatur, ut ut ad prius pertineat, de quo Glass. Gramm. sac. pag. 34. hic quoque posterius nomen affixum hoc habet.

VERS. VI.

אפפוני מים) Circumiverunt, circumdederunt me aquæ. Propheta per pleonasmum Synonymicum affirmativum, de quo in synt. app. & Glass. Gramm. sacr. pag. 676. miserias suas describit, exaggerat, amplificat, cum id ad gratiarum actionem præstandam plurimum invitet, & ad commendationem bonitatis ac potentiæ DEI plurimum faciat. אפף semper in malam partem sumitur, usurpaturque de funibus mortis circumdantibus vel cingentibus, Ps. 118: 3. Ps. 18: 5. de fluctibus mortis 2. Sam. 22: 5. de malis circumdantibus Psalm. 40: 13. extra quæ loca, & hunc Jonæ non occurrit, vide Concordantias: ut & hinc de sensu hujus loci facile judicari possit. Aquæ vocabulum quin h. l. proprie intelligatur, nulli dubitamus, utut alias metaphorice magna pericula indigitet.

עד נפש) usque ad animam, i. e. parum aberat, quin suffocatus in fundo maris emisissem animam: quomodo & Germanus dicit, biß auffs Leben. Et Chaldæus habet עד מותא usque ad mortem. Sic alibi etiam anima pro vita ponitur 1. Samuel. cap. 26: 21. anima mea, i. e. vita mea pretiosa fuit in oculis tuis. Proverbialiter etiam de summis periculis dicitur: aquas venire usque ad animam Psalm. 69: 2.

תהום) abyssus. R. Salomo in Comment. aquas simpliciter hac voce designat: R. Kimchi in lib. radicum, & aquas, & aquarum locum, רבוי המים & מקום המים locum aquarum & multitudinem aquarum. R. Nachamanni autem, quem citat Fagius in cap. 1. Genes. per aquas pulvere mixtas exponit, sentit enim tempore creationis Genes. 1: 2. aquas adhuc turbidas fuisse, pulvere seu luto terræ permixtas, cum adhuc fuerit quædam Elementorum confusio.

סוף) Alga. Kimchi in h. l. scribit, quod sit genus quoddam algæ גדל על שפת היאר או הים crescens ad ripam fluminis vel maris, & hinc mare suph. i. e. algosum vel caricosum dici: Addit etiam אלגא בלעז קרין וההרים בעקרי הים בקרקע שגדל ממנו ויש והוא דק וארוך ונכרך בראשי הדגים וזה שאמר סוף חשוף לראשי: i. e. Est & quæ in fundo maris crescit ad montium radices, estque quam vernacule appellant algam, quæ est minuta & longa, piscium capitibus involuta, atque id est, quod inquit, סוף חשוף Probabilis mihi hæc sententia R. Kimchi videtur: minus autem probabilis est illorum sententia, qui cum Chaldæo hæc verba de mari Caricoso, h. e. de mari rubro, prout & Jarchi in Comm. suo habet, exponunt: cum mare rubrum & Syriacum, in quod conjectus fuerat Jonas, se mutuo non attingant, interjectis ingentibus montibus, & maxima parte Ægypti, id quod tabulæ Geographicæ ostendunt, Confer Riberam.

חשוף לראשי) alligata capiti meo. Latini regulam habent, quod multa verba cum Præpositionibus Ad, ante &c. Composita Dativum adsciscant, ut, arridet mihi, vid. in synt. Rhen. reg. 63. Ita quidem h. l. dici posset, verbum חשף Compositi significationem Ebræorum more obtinere, adeoque ligare pro alligare esse positum, quod dativum mediante ל regat; verum cum notatio illa de Ebræorum verbis simplicibus compositorum significationem obtinentibus extra necessitatem admittenda non sit, part. autem ל expresse posita illam verbi compositionem impediat, non est ut annotationem illam Ebræorum, multo minus citatam Latinorum regulam huc accommodemus. Participium hic insuper imitatur Constructionem sui verbi חשף quod nomen mediante ל regit, ut Exod. 29: 9. & alligabis להם illis mitras. Quando autem dicit capiti meo, id R. Kimchi exponit de Capite piscis: utut impossibile non fuerit, quod aqua quam piscis ille hausit, alga fuerit admixta, quæ capiti deinde adhæserit: aut quacunque ratione Jonæ crinibus, antequam à pisce exciperetur, adjuncta dicatur.

VERS. VII.

לקצבי הרים) ad præcisiones montium descendi. Abstractum etiam (ut h. l. præcisio pro præcisa) pro concreto positum, superlativum loquendi modum infert, synt. c. 1. m. 16. h. s. ad montes maxime præcisos, vel radices montium maxime præcisas.

הארץ בריחיה בעדי) Terræ vectes super me. Jarchi in com. suo exponit hæc verba, repetito verbo ויאמר ex praced. sicut fieri solet in codice, synt. app. h. m. Et dixi, projectus sum &c. & dixi, terræ vectes clausi sunt &c. Quæ sententia mihi placet: & addi potest, vel quod verba hæc per ellipsin lit. ב præfigendæ voci בריח ellipsin itidem verbi substantivi explicari possint, h. m. Et dixi, vel, ut dicerem, aut cogitarem juxta reg. 18. cap. 17. (Vide quod supra dictum est ad vocem אמר, & confer Kimchi in h. l. qui habet חשבתי) terram vectibus suis fore super me in seculum. Vel etiam circa hæc verba statui potest, nomen ponendum in obliquo casu, positum esse in nominativo, & relativum loco ejus in obliquo, h. s. terræ vectes ejus super me, i. e. ut cogitarem terræ vectes super me fore. Sic Psalm. 11: 4. Dominus in cœlo sedes ejus, i. e. Domini sedes est in cœlo, vid. synt. cap. 2. m. 7. §. 8. Posset tamen hic etiam ἀσύνδετον statui, ita ut Copulativa ו in pluribus membris (ut, circumdederunt aquæ, circumdedit vorago alga alligata est, descendi, & terra vectibus suis &c.) hujus textus omissum fuerit, cum vel semel poni debuerit ad vocem scil. הארץ id quoque Chaldæus observat, qui habet וארעא & terra.

ותעל משחת) attamen eruisti ex corruptione. Verba motum de loco significantia regunt nomen mediante מ synt. cap. 3. m. 5.

Ea, quæ in specie de misericordia dicere inceperat, Vers. seq. 8. continuat.

VERS. VIII.

בהתעטף עלי נפשי) Cum obrueretur in me anima mea. ב ante infin. in naturam adverbii hic transit significans, cum, quum, Trost. p. 124. עטף significat obtegi, obrui, & semel serotinare Genes. 30: 42. significat etiam angustiis & afflictionibus affici, obrui, quando de anima, Spiritu, & vita hominis usurpatur, vide Concord. Ultima acceptio hujus loci est, confer Tarn. in h. l.

את יהוה זכרתי) Domini recordatus sum. Verbum recordandi זכר regit nomen etiam mediante את Synt. c. 3. m. 5. quem casum nominis Latini communius efferunt Genitivo. Conf. Buxtorf. Thes. p. m. 459.

אליך אל היכל קדשך) Et pervenit oratio mea ad templum sanctitatis tuæ. Solent Ebræi particulas, quibus mediantibus verba regunt nomina, usitatissime præponere omnibus nominibus

bus quæ ab eodem verbo dependent, ut h. l. Trostius pag. 114. Hic Cœlum his vocibus, vel etiam templum Jerosolymitanum intelligi posse, vide in Interpretum Commentariis.

Concludit tandem Jonas suas preces, & post expositam improborum ingratitudinem & impietatem, suam pollicetur gratitudinem & pietatem vs. 9, 10.

VERS. IX.

משמרים) Observantes, i. e. qui observant juxta Tremell. atque sic Particip. pro Præsenti h. l. positum esse dicendum erit, uti alibi: ita ut ellipsis (quæ in constructione nominativ. cum verbo usitata est) nominativi, pronominis sc. אשר statuatur, h. s. qui custodiunt. Cum autem Jonas agat de cura vanissimarum vanitatum (cui homines dediti esse solent, relicta juxta textum vera gratia,) & insigne earundem studium exprimat, part. Piel adhibet, cujus Conj. verba (paucis exceptis, de quibus Glass. Gramm. Sacr. p. 298.) intensivam significationem habent, si eadem activam in Kal. obtinent, ut h. l. שמר observavit, שמר diligenter observavit Dinkelius, quem Glass. in Gramm. Sacr. p. 297. citat. hanc vocem h. l. exponit, quod custodierint nimium vanitates, & ad eas etiam alios excitarint: cui tamen Glassius ibidem respondet quod translatio illa δυνάμεως & ἐξουσίας agendi τῷ Hiphil propria sit. Et sic etiam Kimchi in Comm. suo habet, quod hoc verbum non sit פעל יוצא transitivum in tertium (ita enim verbum § Hiphil, dici solet יוצא לשלישי transiens in tertium, vid. Glass. Gramm. Sacr. p. 303.) sed sit כמו שמרין idem quod שמרין.

הבלי שוא) vanitates vanitatis, i. e. vanissimas. Posterius substant. regiminis hic bene per adject. reddi potest, juxta notationem Synt. cap. 1. m. 16. subd. 4. Deinde substantivum seipsum, aut ejusdem notionis regens, superlativam locutionem denotat (utut quandoque duo synonyma se solius elegantiæ causa regant, sic Psalmus cantici, Psalm. 67: 1. &c. quod tamen hic locum non obtinet, ubi hominum peccata exaggerantur, & primo intuitu lectori vocum emphasis patet) unde sensus erit, vanitates vanissimas. Corn. à Lapide, quem citat Tarn. mutat ה in ח & legit חבלי redditque funes vanitatis. Verum cum exemplaria Ebræi codicis ה habeant, neque potiores Interpp. cum Cornelio ita legant, non erit, ut hic Cornelium sequamur. Addit idem, & cum eo alii, verba hæc bene ex Ebræo verti posse, qui custodiunt vanitates frustra: Verum cum nulla hic prætendi possit urgens necessitas, propter quam verum Nomen שוא in regimine hic subsistens, in Adverbium transmutari debeat, opus non est, ut anomalam rationem analogæ præferamus, quamvis alias quidem & adverbia constructionem regiminis ingredi non negemus. Vid. synt. cap. 1. & Buxt. Thes. l. 2. c. 3. p. mihi 366.

חסדם יעזבו) Gratiam suam relinquunt. Affixum hoc ם passive sumi potest, h. s. bonitatem sibi à Deo, si resipiscerent, paratam relinquunt, sicut etiam affixum sumitur in illo loco Jer. ubi Deus templum appellat domum orationis suæ, non quod ipse in templo preces fundat, sed quod ad ipsum fundantur. Adeoque hinc dicendum erit, quod Propheta hoc versu suæ, qua ex angustiis liberatus est, fiduciæ in Deum, per ἀντίθεσιν, fallacem impœnitentium fiduciam opponat, addito, simul incommodo, quod ad illos inde redundat, h. s. Exaudivisti me Deus, vs. 8. Verum non exaudis qui custodiunt vanitates, illi enim gratiam suam, quam illis offers sub conditione resipiscentiæ, impie relinquunt, vers. 9. Potest tamen hujus textus etiam hæc dispositio esse, ut dicamus: Jonam, ubi vs. 8. de futura sua liberatione certus, se à Deo exauditum esse dixit, seqq. versiculis 9. & 10. gratitudinem suam Deo polliceri: & ita quidem, ut primo vers. 9. impœnitentium ingratitudinem exprobret, deinde vs. 10. suam gratitudinem demonstret, vel promittat, h. s. Exaudivisti me Deus, vs. 8. Propterea ut ut custodientes vanitatem, i. e. impœnitentes gratiam & pietatem relinquant, & hinc vere in te ingrati sint; ego tamen qui non sum משמר diligenter observans vanitates; sed ex animo resipui, tibi adhæreo, non relinquam pietatem, non ero ingratus; sed prædicabo tuam gratiam, & reddam vota. Hæc dispositio, si admittatur, prout optime etiam admitti potest, vox חסדם active etiam explicari potest, per pietatem Deo exhibendam, quæ acceptio quoque est Hos. 6: 6. & 4. Eadem & Jarchi mens est, quem lege in Comment. Et cum in hoc textu nullum indicium sit, quod eo respectus fiat ad nautas, tutius dicitur, hunc versum generatim de impœnitentibus & superstitiosis agere, quam ejusdem, juxta nonnullorum mentem, (Confer Tarnov. in hoc loco) hunc dare sensum, qs. nautæ colentes prius idola, propter miranda facta DEI, postea ea abjecerint.

VERS. X.

ואני) Ego autem. Adversative τῷ ו bene redditur, si proxime præcedentem dispositionem textus spectes.

בקול תודה אזבחה־לך) Cum voce laudis sacrificabo tibi. Præfixum ב notat modum actionis, de quo synt. c. 3. m. 5. subd. 1. §. 19. Additur verbo pronom. 1. pers. emphaseos causa, id quod ex c. 3. m. 4. deduci potest, conf. Buxt. Thes. p. m. 422. ita ut sensus esse possit: Ego ipse tuam gratiam prædicabo. Additur insuper Dativus personæ לך cui aliquid tribuitur, synt. cap. 3. m. 5. subd. 2. §. 1. Verum non addi videtur verbo activo accusativus; sed potius nomen conjugatum זבח verbo includi, juxta Ann. Trostii in Gramm. pag. 117. ut sensus sit, cum voce laudis sacrificabo tibi sacrificium; & hunc accusat. voce קרבנא explet Chaldæus. Laudis autem sacrificium hic intelligitur, & forte illud Lev. 7. quod ex periculis liberati in V. T. offerebant Deo, ejus bonitatem celebrantes & gratiam. Ita & Drusius in h. l. Si autem placet Sacrificium laudis pro gratiarum actione accipere (quam acceptionem vide in Clav. Flac. part. 1. Col. 1062. & designatur illa alias vitulis labiorum, Hos. 14: 2. in quem locum vide Tarn.) magis id mihi quoque placebit: quomodo & David Psal. 50: 14. dicit: Sacrifica Deo laudem, & redde excelso vota. Conf. Luth. qui idem vult laudis sacrificium tom. 4. Lat. Jen. & alios.

אשר נדרתי) quæ vovi. Hic & ego cum Luthero l. c. statuerim, nil quicquam facile Jonam vovisse, cum neque voti inter reliquas cogitationes, quas habuit secum meminerit; sed voto, hoc versu, laudem & gratiarum actionem notari, juxta observationem, quam Lutherus ibidem habet: Prophetas, quando in generali, de solvendis votis, non addita specie peculiaris voti, loquuntur, id de laude intelligere &c. Et observationem Flacii part. 1. Clav. Col. 1300. l. 67. Votum etiam gratiarum actionem denotare, & sic crebro cum voce laudis conjungi, ut Ps. 50. supra cit. & Psal. 56: 12. super me vota tua Deus, reddam laudes tibi, Ps. 61: 9. Canam nomini tuo, ut reddam vota mea: Sic Chaldæus habet: reddam vota pro salute animæ meæ, in oratione &c.

ישועתה ליהוה) omnimoda salus est Domini. Epiphonema his verbis contineri, Drusius dicit, neque male: ita & Tremellius & cum eo Tarnov. qui habent: Omnimoda salus (est) Domini, vel Jehovæ. Atque sic Drus. l. 3. q. Ebræor. q. 17. explicat ל ut notam Genit. Casus h. m. salus Domini, i. e. à Domino: similiter reddit phrasin illam Ruth. 2: 19. Benedictus Domini, i. e. à Domino. Solet enim, quod ex synt. c. 1. notandum, hoc modo Genitiv. regiminis inter alia etiam efficientem notare, sicuti Job. 14: 1. dicitur, natus mulieris, i. e. à muliere: Addi & illud h. l. debet ex Trostio pag. 20. quod geminatum ה affirmativum Generis, majorem voci emphasin addat, ut significet omnimodam salutem, de quo loquendi genere lege etiam Tarn. Hos. 2: 2. p. 54. Et hanc Emphasin videtur Kimchi in comm. innuere, quando horum verborum hunc dat sensum ישועה לה לבדו שהושיע בפלא גדול שעשה לי: i. e. Salus Domini est Solius qui servavit me magno miraculo, quod fecit mihi. Cæterum Jarchi quidem putat, ישועתה positum esse pro לישועהה ob, vel propter salutem: at prior sententia non opus habet ellipsi, quæ & Mercero magis placet, quam ipsius Jarchi sententia; vide eum in h. l.

Precum Jonæ effectum nimirum Jonæ ex pisce liberationem describit, vers. 11.

VERS. XI.

ויאמר לדג) Tunc præcepit. Quis precum suarum suarumque angustiarum exitus fuerit, Jonas hoc versu ostendit. Tunc nimirum, post ardentes gemitus, præcepisse Dominum pisci &c. adeoque h. l. per tunc, ut Mercerus habet, bene redditur. Potest autem dicere secundum subjectam materiam (ut h. l.) pro mandare & præcipere sumi, de quo vid. vs. 1. c. 1. & quandoque imperare omnipotenter significat, vid. Flac. Clav. part. 1. quod & hic locum obtinere videtur. Reliqua quæ habet hic versus, faciliora sunt, & supra partim enodata. De littore quidam Interpp. disputant, quodnam illud fuerit, in quod piscis h. l. Jonam evomuisse dicitur: sed cum hæc res non sit mei scopi, ad alios Interpretes lectorem remitto.

CAPUT III.

Post priorem vocationem, quam declinabat Jonas, denuo oblatam suscipit, v. 1. 2, 3, 4.

VERS. I.

שׁנית) secundo, iterum: *vel etiam secunda sc.* פעם *vice, cum in constructione substantivi & adjectivi quandoque substantivum desit* synt. c. 1. m. 19. *de quo* Merc. in Lexic. Pagn. *ita loquitur: Adverbiascit* שׁנית *cum verbo, subaudiendo* פעם *vice secunda, i. e. secundo, iterum.*

VERS. II.

Surge & adi Niniven civitatem magnam & prædica) *vide hæc supra explicata* cap. 1: 2.

אליה) in eam, Tremell. *vel ut alii habent, contra eam: Videtur enim hic esse* אל *pro* על *contra, quod refer ad enall.* synt. c. 9. m. 22. *Eandem enallagen Chaldæus agnoscit, qui habet* עלה *contra eam, & eadem loquendi ratio reperitur* Cap. 1: 2. *LXX. habeat* ἐν αὐτῇ *in ea, quos sequitur vulgatus Interp. Verum cum in ea communiter reddatur per* בה *& rectius amplectamur enallagen in ipso Propheta s. vers. hoc & vers. 2. cap. 1. fundatam, eam ipsam etiam servabimus.*

את־הקריאה) prædicationem vel proclamationem illam, aut mandatum. *Verbum hic nomen conjugatum regit, & effertur locutio hæc accusativo, id quod fieri solet, quando in hac constructione effectus vel objectum actionis innuitur, vide* Glass. Gramm. Sacr. pag. 321. *alias etiam ablativo effertur*, vid. Gl. ibid. pag. 318.

אשׁר אנכי דבר אליך) quam dico, *vel* injungo tibi. *Constructio est ex cap. 6. m. 1. Præsens nimirum efferri etiam Partic. Præsenti, quod præcedat nomen vel pronomen. Item Participia imitari constructionem suorum verborum, tam immediate, quam mediante particula.*

VERS. III.

עיר גדלה לאלהים) Civitas perquam maxima. *Solet enim hoc nomen Dei (sicut etiam* יהוה אל*) rebus in codice addi ad indigitandam earum magnitudinem & excellentiam &c. Sic* Kimchi in Comm. 1. Sam. 26. quem Glass. in Gramm. sacra pag. 58. citat, *scribit* הדבר שרוצה להגדילו סמך אותו לאל *i. e. Rem, quam vult (scriptura) magnificare, eam jungit Deo, quod etiam illis ipsis verbis in h. l. asserit. Idem* Buxt. in Thes. l. 2. c. 3. p. mihi 361, 362. habet, *ad quam structuram & adjectiva refert quibus Emphatice similiter, ut substantivis nomen Dei addi vult, etiam in hoc exemplo Jonæ, quod cum aliis* (sic & Tremell.) *exponit h. m. perquam maxima. Horum autoritas opponi potest* Riberæ *in h. l. qui adjectivis hanc emphasin non vult tribui, sed sentit Dativum nominis Dei in constructione hac adhiberi ad designandam potius rei certitudinem, quod nimirum res vere talis vel talis sit Deo, aut coram Deo, sive homo taliter judicet, sive non.* Sed de hoc in ipso disputat. actu. *Conf.* Tarn. in h. l. *qui insuper refutat sententiam statuentem quod Ninive magna dicatur h. l. non tam ratione quantitatis, quam quod chara Deo fuerit.* Conf. itidem Dilheri disp. Phil. de usu lectionis scriptorum secularium, *qui de hujus urbis magnitudine ex antiquitatis scriptis disserit.*

מהלך שׁלשׁת ימים) itinere trium dierum vel tridui. *Puto hic omnium convenientissime statui posse ellipsin vocis* עיר *ex præcedente membro repetendæ h. m.* עיר מהלך *Urbs itineris trium dierum vel tridui: Sicut alias in regiminis constructione prius substantivum usitatissime repeti & expresse poni solet, quando vox altera ab eodem dependet* vid. Trost. Grammatic. pag. 94. & Synt. append. *Insignem hujus urbis magnitudinem his verbis designari nemo negabit, ita ut tanto minus immediate præcedentia verba* גדלה לאלהים *explicari possint, Chara Deo, juxta nonnullorum mentem, quanto expressius amplitudo urbis his immediate seqq. verbis designatur.* Conf. Tarn. & Mercer. in h. l. *Sive itaque hæc verba de ambitu & circuitu cum* Hieron. *interpretemur; sive cum* Luthero, *de lustratione quæ vicatim fit intra muros explicemus, aut etiam de diametrali itinere, quod lento gradu fit accipiamus, parum refert, cum incerta omnia sint, & satis hinc notabilis hujus urbis amplitudo pateat. Confer* Dilherum *l. c. aliosque interpretes. Consuli autem imprimis possunt* Vadianus in descriptione Chaldææ. Marcellinus l. 14. & 18. Strabo in principio l. 16. Geogr. Diodorus Siculus l. 2. c. 1.

Continuatur descriptio denuo oblatæ & susceptæ vocationis *Vers.* 4.

VERS. IV.

ויחל לבוא בעיר) Et incepit Jonas progredi per urbem; *hinc absonum est, quod* Hieronymus *scribit, Jonam memorem naufragii, & mandati divini, triduum iter maxima festinatione, itinere unius diei complevisse. Sed dicat quis, verbum inchoativum hoc loco completive explicandum esse, juxta notationem* Synt. cap. 7. m. 2. *sicuti* Genes. 9: 20. *dicitur, incepit plantare, i. e. plantavit; unde sensus erit: incepit progredi, i. e. progressus est per urbem, itinere unius diei. Verum posito, quod explicatio hæc locum habeat,* Genes. 9: 20. *inde tamen ad hunc textum Jonæ argumentari inconsequens est, ubi illius festinationis nullum apparet indicium, & aliunde eadem evidenter concludi nequit:* Confer Tarnov. *qui eandem impugnat.* ל *hoc loco Infinitivo præfixum nudum Infinitivum notat, uti nonnunquam fieri solet, vide* Synt. c. 9. m. 3. *Verba insuper motum ad vel per locum significantia regunt nomen mediante etiam* ב vide Synt. cap. 3. m. 5. subd. 5. בוא *autem h. l. à* Drusio, *meo etiam judicio, per progredi commode redditur, juxta Ebræorum morem, qui verbis simplicibus compositorum significationem tribuunt, prout textus & scopus requirit*, vide Synt. cap. 3. m. 1. *quamvis* τὸ *ire etiam huc satis quadret.*

מהלך יום אחד) Itinere unius diei; *Videtur* מהלך *positum esse pro* במהלך *qualis constructio solet esse verbi regentis ablat. causam, instrumentum & modum actionis significantem, ita tamen, ut nonnunquam ellipsin part.* ב *admittat*, vid. Synt. c. 3. m. 5.

ויקרא ויאמר) & proclamavit dicens: *confer quæ dicta sunt* cap. 1: 15. *ad verba, tollentes projecerunt.*

עוד ארבעים יום) Adhuc 40 dies. *Est hic anomalia convenientiæ inter adjectivum & substantivum: nam numeralibus pluralibus junguntur substantiva etiam singularia*, Synt. c. 1. m. 18. *Est insuper ellipsis verbi substantivi sunt: vel si statui debet* עוד *significare post, quam significationem, quando de tempore sermo est, quandoque habet*, vide Tarn. in h. l. *concedendus erit pleonasmus literæ Vau vocis* ונינוה *& Nineve: sic & Chaldæus reddit, post finem 40. dierum, eritque sensus, elapsis 40. diebus, subvertetur Ninive. LXX. habent adhuc tres dies &c. quamvis* Aquila, Symmachus, Theodotion *quadraginta habeant. Non autem excusari potest LXX. error contra expressum textum Ebræum, ut ut multi id tentarint*, vide Riberam, *qui de hoc argumento fuse disserit, & ipse ingenue fatetur, insignem hinc LXX. interpretibus oriri difficultatem, & fere indissolubilem.*

ונינוה נהפכת) Et Ninive subvertetur. *Subvertetur, ac si jam subverteretur habet Tarnovius. Et ita solet Partic. pro Paulo post futuro poni, cum celeritas, vel propinquitas rei futuræ innuitur, ut* Genes. 19: 13. *perdentes nos, i. e. jam jam perdituri sumus;* Genes. 20: 3. *Ecce* מת *mortuus s. es, i. e. illico morieris, propter hanc mulierem*, 2. Reg. 20: 1. Vid. Glass. Gramm. sacram p. 395. *Sententia autem illorum, qui exponunt hæc verba, ac si eversio urbis intra 40. dies eventura esset, non videtur probabilis*, 1. Quia *ea ex textu firmiter non potest deduci*, 2. Cum *numerus 40. dierum pænitentiæ, & jejuniis quodammodo sacer sit, ut videre licet in Mose* Exod. 34: 28. Deut. 9: 9. *Elia* 1. Reg. 19: 8. *Christo* Matth. cap. 4: 20. Confer Aug. l. 2. de doctrina Christ. c. 16. quem Tarn. citat. *procul dubio hunc ipsum numerum, & hic compleri Deus voluit. Observetur hic insuper, Jonam procul dubio conditionem comminationis divinæ, nisi resipiscant, tum addidisse, ut ut expresse in textu non conspiciatur: id quod* Tarnovius *probat, quem lege.*

Descripta vocatione denuo oblata & suscepta, conversio ipsa Ninevitarum sequitur. Hanc initio describit in genere & brevissime, quæ & qualis Ninivitarum fuerit *vers.* 5.

VERS. V.

ויאמינו באלהים) Crediderunt itaque in Deum. *Dicitur alias quis credere Deum ratione notitiæ: Deo ratione assensus: in Deum, ratione fiduciæ; prout notum est. Verum observandum est, quod in codice sacro etiam dicatur quis credere Deo, quando agitur de justificatione, & fiducia significatur; Sic* Genes. 15: 6. *dicitur Abraham credere* ביהוה *in Dominum, ipsique id imputatum esse ad justitiam*, Rom. 4: 3. *quod Dativo exprimitur*, ἐπίστευσε Θεῷ. Gal. 3: 6. &c. *Et quod sine differentia Ebræi dicant, credere in Deum, & credere in Prophetas vel verba*, Exod. 14: 31. *Crediderunt* ביהוה *in Dominum & in Mosen servum ejus. Ideoque juxta subjectam materiam hæ phrases sunt discernendæ, taliaque hic judicanda erunt prædicata, qualia ipsa subjecta permittent*, vide Tarn. in h. l. *qui de hac Phrasi fuse habet, qui ibidem, quod hic vera fides intelligatur, contra* Danæum *probat.*

אנשׁי נינוה) Homines Ninives, *i. e. Ninivitæ. Gen. regiminis varia significat, inter alia etiam subjectum seu locum;* Synt. cap. 1. m. 5.

(ויקראו צום) Et indixerunt jejunium. *Verbo simplic.* קרא *compositi significatio tribuitur, indicendi nimirum, more Ebræis usitato,* Synt. cap. 3. m. 1. *LXX. habent* ἐκήρυξαν *per præconem jusserunt,* κηρύσσω, *vel* κηρύσσω *significat per præconem jubeo.* Chaldæus *habet vocem* גזר *quod significat decernere, ordinare, definire. Nonnulli putant hoc factum esse post regis mandatum: & solet Scriptura sacra nonnulla per anticipationem narrare, antequam facta fuerunt, & quodammodo perfunctorie, ut postea suo ordine res latius describatur, id quod si vers. 7. conferamus, huc bene quadrat; imprimis cum notum sit, quod publicum & commune jejunium ex magnatum decreto indici soleat,* vide Synt. ap. & Gl. Gramm. sacram p. 698. *Alii tamen censent, Ninivitas indixisse jejunium, deinde accessisse regis sententiam, quod &* Kimchi *habet.*

(וילבשו שקים) Et vestiti sunt saccis. *Dicitur saccis pro* בשקים *juxta construct.* Synt. c. 3. m. 5. subd. 1. *Verbum regit nomen, Causam, instrumentum & modum actionis significans mediante* ב, *abjecto etiam* ב, *sic etiam dicitur infra* vs. 6. ויכס שק *& operuit se sacco, item* vs. 8. יתכסו שקים *operuerunt se saccis; vel etiam simplicior & melior sensus esse potest, induerunt saccos, juxta observ. quam* Schindl. *habet in Lex. suo ad radicem* לבש. *Certo nimirum ritu & signo Prisci luctum, & animi mærorem indicabant; frequens etiam & vetus ritus fuit publici luctus fere omnibus priscis populis communis, quo scindebant vestes. De Judæis res certa est ex codice, sic & Davidis exemplum habemus,* 2 Sam. 1: 11. &c. *& alia. De Ethnicis idem legimus, ut de Assyriorum Principibus* Judith. 14: 15. &c. *alias de Persis* vide apud Diodorum, Q. Curtium, &c. *de Ægyptiis* apud Herodotum: *de Romanis & Græcis passim apud multos. Confer, quæ* Schindl. habet ad radicem קרע *&* Schickardus in suo משפט המלך. *Luctum insuper testabantur prisci cilicio, sacco, & cinere corpus macerabant, prout hoc loco id legimus de Ninivitis: sic* Matth. 11: 21. *loquitur Christus de Tyriis & Sydoniis: in sacco & cinere sedentes resipiscerent;* confer locum Esth. 4: 4. *Exemplum itidem Benhadat Syri lege* 1 Reg. 20. *Idem apud* Kirchmannum de Romanis lege lib. 2. de funeribus Rom. c. 11. p. 208. *de Syris apud* Seldenum p. 270. *Et quæ hoc loco Jonæ de jumentis legimus, eadem etiam in aliis Historicis observamus.* Herodotus l. 9. p. mihi 347. *scribit, quod Persæ ob* Masistii *cædem & equos totonderint; Idem* Plutarchus in Aristide *notat, qui scribit, Persas in luctu non seipsos modo, sed etiam equos & mulos tondere. Hunc quoque ritum hodie observamus, quando nostrates equos & palatia nigro panno tegunt; Hæc & alia vide in* Disput. Philolog. quam sub præsidio Clariss. & Excellent. Dn. M. Michaëlis Dilheri habuit Jenæ, Dn. M. Johan. Conradus Dietrich/ nunc Prof. Marpurg.

(מגדלם ועד קטנם) à maximo ipsorum usque ad minimum ipsorum, *i. e. omnes omnino, nullo excepto. Superlativum Ebræi varie efferunt,* vide Synt. cap. 1. *fieri etiam solet, per adjectivum regens nomen cum* ב, *item per adjectivum cum affixo,* vide Glass. Gram. sacram, p. 54. *ut h. l.* מ *distributionem notat, quando construitur cum seq.* עד Synt. cap. 9. m. 7. sic Gen. 31. 24. *Ne loquaris cum Jacob* מטב עד רע *à bono ad malum, i. e. neque bonum, neque malum: solet etiam in hac constructione reddi per cum, tum.*

Postquam in genere & breviter Ninivitarum pœnitentiam descripsit, in specie & fusius notat, quid Rex cum Magnatibus post auditam Jonæ concionem & ipse fecerit, & subditos facere jusserit. *Vers.* 6. 7, 8, 9.

VERS VI.

(ויגע הדבר) Et pervenit hæc res; *sive exponas* דבר *per Verbum à Jona prædicatum, sive de re & rumore, parum refert; nam* דבר *etiam rem alias significat in codice: sic* Amos 3: 17. *Non faciet Dominus* דבר *verbum, i. e. quicquam nisi revelaverit decretum suum servis suis: sic in N. T. non est impossibile Deo omne verbum, i. e. negotium.*

(אל מלך) ad Regem. *Verba motum ad vel per locum significantia regunt nomen mediante* אל ב ל/ vide Synt. c. 3. m. 5.

(ויקם מכסאו) qui surrexit de solio suo. *Vau quandoque per qui redditur,* vide Synt. Conj. *& h. l. commode hanc significationem obtinere potest. Verba autem significantia motum à loco, nomen mediante* מ vide Synt. c. 3. m. 5.

(אדרתו) pallium suum. *De hoc ritu luctus vide supra vers. præced. significat* אדרת *magnifica, & substantive magnificentiam, pallium, regiam vestem:* vide Lex. Pagn. col. 33.

(מעליו) à super se מ *etiam ante particulam significare potest negationem, privationem,* Synt. c. de Præposit. *tali quidem sensu h. l. ne amplius nimirum esset super eo.*

Sedit super pulverem) *De hoc ritu vide vs.* 5.

VERS VII.

(ויזעק) *Potest hæc vox reddi, convocavit, quam significationem etiam aliis in locis habet,* vide Lex. *& sensus erit, convocari curavit, juxta Observat. Synt.* c. 7. m. 21. *quod actio nonnunquam tribuatur actionem mandanti & procuranti: quomodo explicari quoque potest seq.* ויאמר *& dixit, i. e. edicendum curavit. Atque ita statuenda erit ellipsis Accusativi populum, quam explet* Tremellius: *simul etiam sq. nomen* מלך *repeti dicetur loco pronominis, (confer* Trostii Gram. p. 105.) *h. m. convocari itaque jussit (populum) & edicendum curavit ex regis (suo) & Magnatum decreto.*

(מטעם) ex decreto. טעם *Gustum notat, hinc translate ita dicitur acti negotii judicium, censura ac sententia lata, quæ acceptio etiam apud Chaldæos passim occurrit. Confer loca,* Dan. 6: 3. c. 3: 12.

(וגדליו) & procerum. *Hac voce designantur, qui magni sunt, vel ratione quantitatis, vel ratione qualitatis, & alterius cujusdam adjuncti, quomodo h. l. proceres & magnates dicuntur magni ob munus & honorem, quo funguntur, & fruuntur: sic & ratione temporis & ætatis,* 2 Reg. 10: 11. *dicitur, Omnes* גדליו *magni ejus, i. e. majores ejus.*

(לאמר) dicendo, *i. e. quæ sequuntur, jussit proclamari: solet enim subsequens oratio hac voce plerumque designari in codice.*

(האדם) Homo; *Singulari tota collecta multitudo designatur, sicut etiam voce* בקר *id fit,* Synt. c. 1. m. 17. *Confer etiam, quæ dicta sunt* c. 1. vs. 10. *de voce* ארם.

(בהמה) Jumentum. *Est vocabulum generale comprehendens omnia animalia, sive cicurata & domestica, sive fera, exceptis iis, quæ reptant & volant, quando sc. sine restrictione ponitur, hinc etiam volatilibus & reptantibus contradistinguitur,* ut Gen. 8: 17. *Omnis bestia (*היה *quod generalius est, quam* בהמה, *si absolute ponitur, ut h. l. ubi in certas species simul distinguitur) quæ tecum ex volatili,* ובבהמה *& jumento, & reptili. At quando ipsi additur vox* חיה *feram peculiariter significans, tunc strictius accipitur pro animalibus domesticis, exceptis volatilibus & reptilibus, atque tunc per jumentum explicari solet: sic* Gen. 1: 25. *Et fecit Deus* חית הארץ *feram terræ secundum speciem suam,* בהמה *jumentum,* ורמש *& reptile: Solent etiam alia adjuncta, & circumstantiæ hanc vocem restringere ad jumentorum significationem ut h. l. ubi certum est, quod textus de domesticis tantum animalibus loquatur.* Conf. Lex. p. col. 220. Forst. Lex. p. 74. 75.

(הבקר) armenta; *Collectivam significationem hoc singulari designari, supra dictum est. Complectitur autem majora animantia, & armenta, boves, vaccas, vitulos; ut* צאן *minora, oves, capras, gregem lanigerum.*

(אל יטעמו) ne gustanto. אל *futuro tantum jungitur, & est vel deprecantis, vel dehortantis, ut h. l. raro & negantis eam vult esse* Kimch. in l. radicum, vide Trostii Gram. p. 134.

VERS VIII.

Operiunto se ciliciis homines cum jumentis, & inclamanto Deum.) *Quæ de his verbis notatu digna, videantur supra, ubi de illo lugendi ritu leges. Hoc tamen addi potest de Vau vocis* והבהמה, *quod per cum reddi possit, de qua significatione* vide Synt. c. 10. m. 3.

בחזקה *Fortiter. Solet ita nomen adverbiascere mediante* ב Trost. Gram. p. 123.

(וישבו איש) *Et revertantur quisque. Collectivo singulari verbum plurale addi solet.* Synt. c. 3. m. 4. *aut potius distributiva vis hic notatur, juxta observationem supra datam ad* v. 5. cap. 1.

(מדרכו הרעה) à via sua mala. *Verbum abstinendi, desistendi regit nomen mediante* מ Synt. c. 3. m. 5. sub. 3. *Via autem uti alias* Ps. 1: 1. Gen. 6: 12. &c. *ita h. l. vita institutum, & vivendi rationem denotat,* vide de hoc Tarn. Ps. 1: 1. pag. 13. *Potest etiam* ה *emphaticum adjectivo additum hic superlativum denotare, quomodo &* Tremellius *vertit pessima.* Conf. Buxt. Thes. l. 2. c. 5. reg. 1. p. 383.

(ומן החמס) Et ab ipsa violentia, quæ inest manibus ipsorum. *Solent Ebræi usitatissime nominibus omnibus, quæ à verbo dependent, particulas, easdem addere, ut h. l.* מן *vel* מ. חמס *autem à* חמס *abripere, rapere deductum, grandius peccatum, rapinam, violentiam, & simile significat, propter quod & diluvium mundo immissum dicitur,* Gen. 6: 11, 13. *Illud itaque, quod grandius peccatum est, generi (*דרך הרעה*) subjicit, juxta* Drusium; *& quidem more Ebræorum, qui mediante Vau non tantum copulant, sed etiam in eo, cui id addunt, aliquid*

præ-

præ reliquis singulare designant, ita ut illud ipsis idem sit, ac potissimum, ut Jos. 2:1. Inspicite terram & Jericho, i.e. potissimum Jericho; Confer synt. c. 10. m. 2. Hoc illustratur etiam regula, quam habet Sixt. de recta lectione p. 96. Toti seu speciei solent Ebræi subjicere partem aliquando, seu individuum; sed nobilius. Unde sensus emergit ille: Revertatur quisque à via sua pessima, & potissimum à publica illa violentia, rapacitate, & tyrannide, quæ sc. in magnis emporiis dominari solent. Hoc mihi magis placet, quam si sine solida ratione dicam דרך הרעה primam tabulam respicere, & חמס secundam.

(אשר בכפיהם) quæ inest manibus ipsorum. Plus videtur dicere, quam si positum fuisset בידיהם nam כף curvaturam manus à כפף incurvavit significat: unde sensus erit, constanter fovere malum, quemadmodum firmiter apprehensurus & retenturus, manum curvat, & claudit: quamvis Chaldæus non habeat כפא sed יד manus. Alii per manus intelligunt metonymice opera manu peracta, quo & Ribera inclinat: alii synecdochice totum hominem intelligunt: Confer Tar. Ps. 7:4. p. 151.

VERS. IX.

(מי יודע ישוב) Quis novit revertetur. Ex hoc & similibus locis Pontificii suum errorem deducunt, quod nimirum dubitandum sit de divina gratia, & peccatorum remissione. Verum 1. Facit huc notatio synt. c. 8. m. 26. de qua etiam Glass. in Gram. sacra fuse, p. 465. Dubitandi nimirum adverbia non semper incertitudinem directe importare, sed nonnunquam vel rei difficultatem exprimere, vel etiam ob aliam rationem emphatice adhiberi. Confer Tar. in cap. 2. Joel. 14. qui de hoc fuse agit. Confer itidem Riberam in h. l. qui certas observationes habet, de his dubitandi particulis, non inutiles. 2. Cum statim subjiciatur, ne pereamus; Patet regem non de peccatorum; sed annunciati temporalis supplicii remissione potius dubitasse, de qua pœnitentes dubitare possunt. Chaldæus ita habet, quisque penes se peccata existere agnoscit, avertatur, &c. Verum ut ut ellipsis verborum quorundam in hoc vel illo orationis membro quandoque occurrat, de qua Glass. Gram. sacra p. 656. ea tamen hic opus esse, nullæ textus circumstantiæ docent. Aut si ellipsis concedi debet, statui poterit ellipsis part. אם h. m. מי יודע אם ישוב pro ut illa formula integre occurrit. Esth. 4:14. Cur etiam Chaldæi ellipsin potius amplecti oporteat, quam hanc, non video. Idem responderi potest illi sententiæ, quam Kimchi in comi suo, inter alias proponit his verbis: Aut expositio est, is qui vias pœnitentiæ novit, redeat. Et addi potest, quod, viam pœnitentiæ Ninivitis ignotam esse, Rex facile cogitare non potuerit, quia eam præcedentibus verbis Ninivitis jam delineaverat, ut alia taceam.

(ישוב) reversurus sit. Humano more loquitur textus, qui θεοπρεπῶς explicandus est. Deus non dicitur reverti, q. à nobis aliquando absit, est enim ubique, & nusquam deest: sed à peccantibus recedere dicitur, subtrahendo suam gratiam, & auxilium, sicut nos peccando ab ipso recedimus. Et sicut nos pœnitentia ad Deum accedimus; sic & ipse nobiscum pœnitentibus vicissim conjungitur.

(ונחם האלהים) Et pœnitentia ducatur Deus. Hoc ipsum etiam, uti præcedens vox θεοπρεπῶς explicandum, non enim proprie Deum ullius rei pœnitet. Ideoque id potius de effectu, quam affectu accipi debet, quando Deus facit illud, quod solent homines, cum ipsos cœpti pœnitet consilii, unde etiam exegetice sequitur, & revertatur ab ira sua, Confer Tarnov. in h. l. Vulgatus habet, & ignoscat, neque sensu inconvenienti, ita enim frequenter Deus dicitur pœnitentia duci, quando ignoscit. Solet autem hoc verbum pœnitendi alias (quod & seq. vs. fit) præter nomen personæ etiam nomen rei regere, mediante præpositione, vide Synt. cap. 3. m. 5. subd. 6. Buxt. Thes. l. 2. c. 12. p. 470.

(ושב מחרון) Et revertatur ab æstu; Verbum abstinendi, desistendi: &c. regit nomen mediante מ / Synt. cap. 3. m. 5. subd. 3.

(מחרון אפו) ab æstu iræ suæ, i. e. ab excandescentia maxima: ita rectio duorum synonymorum emphatice frequentissime fit. Glass. Gramm. sacr. p. 109.

(ולא) ne Vau pro ut, quemadmodum sæpius alias accipitur.

Conversionis Niniviticæ consequens, ex parte Ninivitarum est obtenta Dei gratia Vers. 10.

VERS. X.

(וירא) Vidit ergo. Nexus hujus versiculi continentis fructum & effectum conversionis Ninivitarum satis probat, quod ipsum Vau per ergo reddi possit, quam significationem etiam aliis in locis habet, Synt. c. 10. Notandum autem est, quod verbum notitiæ & sensus, apud Ebræos, quandoque consequentes simul motus complectatur, ut h. l. ubi ראה simul & approbationem connotat, quomodo & Ps. 1. dicitur Deus nosse viam piorum, Confer Synt. c. 7. m. 17. unde sensus est, probavit, vel videndo probavit: sicut & Gen. 4:4. Deus dicitur respexisse ad oblationem Abelis; etsi non minus Cainum viderit, quam Abelem, nimirum hoc sensu, quod ipsi Abel placuerit, non Cain.

(וינחם האלהים על הרעה) Et pœnituit Deum mali. Integra constructio Verbi pœnitendi cum nomine rei & personæ, mediante præpositione על, Confer vers. præced. 9. Reliqua hujus versiculi partim satis perspicua, partim satis explicata sunt.

CAPUT IV.

Conversionis Ninivitarum consequens ex parte Jonæ est indignatio, quam tamen Deus juste & debite reprimit: lege cap. totum.

VERS. I.

(וירע רעה גדלה) Malum fuit malo magno, i. e. displicuit, vel male habuit Jonam, imo pessime. Quod Ninivitarum Conversionem Dei gratia secuta fuerit, præced. cap. vs. ultimo dicitur: alteram autem consequens priori plane contrarium, ex parte Jonæ hic versus proponit, ita ut ipsum Vau per autem commode reddatur, & sic mediante eo nexus optime fieri possit. Regit hoc verbum nomen רעה ejusdem notionis emphatice, vide Synt. c. 3. m. 6. Confer Tro. Gram. p. 117. ut sensus sit, Jonæ valde displicuit, sicut infra dicitur, gavisus est gaudio magno, i. e. valde. Addi etiam debet, quod iterum Jonas de se in persona tertia loquatur, more codicis sacri, uti cap. 1. vs. 1. ubi quæ de hac re notata sunt, lege.

(אל יונה) apud Jonam, sensu supra dato, malum fuit apud Jonam malo magno, i. e. valde displicuit Jonæ, sc. gratia divina Ninivitis resipiscentibus concessa, Confer Forst. Lex. qui hoc אל per apud reddit, neque inconvenienter. Proponitur etiam hoc ipsum, forma dicendi parum alia in codice, ut Genes. 21:11. Et malum fuit verbum hoc valde in oculis Abrahami.

(ויחר לו) Et exarsit ipsi, sc. חרון ira, ita enim nomen conjugatum verbo quandoque includitur, Synt. cap. 3. m. 7. Et poterit impersonaliter reddi incanduit, quomodo tertiæ personæ Verba sæpissime usurpantur, nullo Nominativo expresso, de quo vide synt. c. 3. m. 4. Buxt. Thes. l. 2. c. 10. p. 430. Confer Mercerum in h. l. qui hanc vocem impersonaliter reddit, & idem in cap. 4. Genes. vs. 5. notat.

Quomodo Jonas DEO fuerit indignatus, ob impetratam à Ninevitis divinam gratiam, seqq. etiam versiculi, ut dictum est, omnes describunt.

VERS. II.

(ויתפלל אל יהוה) Et oravit ad Dominum, dicens: Confer c. 2:2. & c. 1:14. ubi de voce dixit leges. Quia autem sequentia verba Jonæ sunt querelæ, animi impatientis index, & turpior peccati excusatio, non proprie precationis nomine venire possunt: ideoque verbum oravit æquipollet τῷ visus est sibi orare, & κτ̓ δόξαν accipiendum, prout plurima in sacro codice ita accipiuntur juxta Reg. cap. 7. synt. Verba quæ esse & facere significant, quandoque pro rei opinione ponuntur, & intelligenda sunt φαινομένως & reputative. Conf. Glass. Gram. Sacram. p. 267. ita & Tarn. utut Drusius precationem hic putet dici, quia præter querelam, DEUM etiam Jonas precatur, ut se tollat ex hac vita.

(אנה יהוה) quæso Domine. Conf. vs. 14. c. 1. Usum a. in loquendo Communem Ebræi sequuntur, de quo vide Buxt. Thes. l. 2. cap. 22.

(הלא זה דברי) an non hoc verbum meum, sc. erat, cum ellipsi verbi substantivi, vide synt. c. 1. m. 4. nimirum quod cogitabam mecum, prout Merc. & Kimchi in comm. suis habent.

(עד היות) dum essem adhuc. Adverbium hoc temp. עד regit Futurum, Participium & Infinit. ut h. l. Synt. cap. 8. m. 10. Particip. autem & Infinit. quando regit, locutio per Ablativos duos efferri potest, prout hoc ipsum exemplum ex Jona Buxt. in Thes. l. 2. c. 19. p. 549. habet, & exponit, existente me.

(על אדמתי) in terra mea, i. e. in patria mea. Hoc nomen אדמה utut generale sit, hic tamen eam tantum regionem, de qua sermo est, nimirum Judæam notat, juxta antiquam Flac. part. 1. Clav. Col. 1202. l. 5. habet: In scriptura nomen universæ terræ, quandoque eam tantum regionem denotat, de qua sermo est, ut Genes. 13:6. Terra eos ferre non potest, i. e. ille locus terræ Canaan. Quod autem על præter alia significata, etiam significet in, vide in Synt. c. 9. & Glass. Gramm. Sacr.

(על־כן) Ideo. Solent quandoque præpositiones jungi cum voce indeclinabili, & varias efficere significationes vide Synt. c. 9. m. 21.

m. 21. ut h. l. שׁ quod ad denominatum membrum capitis 9. *referri potest.* Confer Buxt. Thes. l. 2. c. 20.

קדמתי לברח) anteverteram fugiendo. *Ita præteritum, quod apud Ebræos omnes species præteritorum complectitur* Trost. Gr. pag. 21. *hic commode per plusquamperfectum, pro textus ratione, reddi potest, anteverteram. Explicari etiam hæc phrasis bene potest, per ellipsin Accusativi, qui subintelligendus erit h. m. anteverteram sc. Consilium tuum fugiendo, qualis ellipsis Accusat. frequens est, ut* 2. *Sam.* 6: 6. *& extendit Usa sc. manum,* vide Synt. Ap. & Glass. Gram. Sacr. p. 652. *Addatur & hoc, quod verbum antevertere hic per Conor antevertere non incommode reddatur, cum Jonas Consilium suum vere in effectum non deduxerit, juxta ann.* Synt. cap. 7. m. 7. *Verbum actionis s. effectus de conatu agendi quandoque intelligendum, & per conor cum proprio Infinitivo explicandum: unde sensus erit, conabar antevertere.* ל *insuper Infinitivo præfixum Gerundium etiam in Do facere, patet ex* synt. Præp. Confer Glass. Gramm. Sacr. p. 637.

כי אתה) quod tu, *i. e. te esse. Sic Ebræi Acc. Infinitivi (qui non adeo frequens est, ut* Genes. 2: 18. *Non est bonum* היות האדם *hominem esse solum) exprimunt per Nominativum cum verbo finito, addita Conjunctione* אשר / ש *vel* כי *quæ hoc loco legitur. Est a. hic ellipsis verbi substantivi, quod fieri solet.* Vide cap. 3. m. 4. synt.

חנון) gratiosus, *q. gratificum dicas, seu propensum ad benefaciendum gratis, à radice* חנן *beneficum esse, gratiosum esse. Non-nisi de DEO usurpatur in Codice, vide concordantias Ebræas.*

ורחום) & misericors, *intime sc. à* רחם *intime dilexit, hinc* רחם *uterus, qui tenerrimo affectu fœtum complectitur,* vide Buxt. Lex. *Hinc etiam de Patre dicitur* Psal. 103: 13. *Sicut Pater miseretur filiorum. Alias maximam partem de DEO usurpatur, vide concordantias Ebræas.*

ארך אפים) Longus ira, *i. e. longanimis. Observandum, quod adjectiva etiam uti participialia, sic nominalia regimen ingrediantur, ita ut Genitivus rei Ablativo exponatur, & Genit. personæ Accusativo, cum præpositione inter* Synt. c. 1. Glass. Gramm. Sacr. p. 112. *Hic Adjectivum nominale regens Genitivum rei hunc dat sensum: longus irarum, i. e. ira s. iracundus, vel præceps ad iram* Prov. 14: 17. *significat autem* אף *nasum, vultum, & deinde furorem, iram, quod ex vultu conspiciatur, vide Lexica.*

ורב חסד) Amplus benignitate. *Eadem constructio cum proxime præcedenti.*

ונחם על־הרעה) Et pœnitens mali. *Vide supra, cap. 3. vs. 9.*

VERS. III.

ועתה) Nunc ergo. *Miseretur DEUS Ninivitarum resipiscentium, hinc ergo Jonas, ex impatientia, sibi ipsi mortem precatur: ut ita hoc vau per ergo ob nexum hujus versiculi reddi possit.* Vide Synt. Conjunct. ubi de Conj. Vau significationibus.

קח־נא את־נפשי ממני) Accipe, quæso, animam meam à me. *Verba auferendi &c. regunt nomen mediante* מ synt. cap. 3. m. 5. *Et solet hac formula loquendi scriptura mortem notare,* vide Tarnov. in h. l.

כי טוב מותי מחיי) præstat mori me quam vivere: *vel potius, bonum est mori me & non vivere. Est hic ellipsis verbi substantivi, ut notum est.* מ *in* חיי *non tam est comparativum, de quo* vide Synt. cap. 1. m. 21. *quam particula negativa, de qua* Synt. c. 2. m. 28. מ *enim non tantum duo inter se comparat, sed etiam priori asserto, posterius plane negat, ut Ps.* 118: 8. *Melius est se recipere ad Dominum, quam fiduciam habere in ullo homine, i. e. bonum est se recipere ad DEUM, & non ad hominem. Psalm. autem* 45. *quod attinet, qui habet: Unxit te DEUS, ô DEUS oleo lætitiæ* מחבריך *præ consortibus tuis: unde Calviniani quidam colligunt, eadem quidem finita dona, verum gradu longe sublimiori Christo, secundum Carnem, collata esse, quam Sanctis hominibus; observandum est, nonnullos quidem huic Calviniano asserto, ex hac data notatione, de part.* מ *negative accipienda, respondere, verum Comparativam vim rectius & convenientius hic manere probat* Glass. in Gram. Sacr. p. 458. *quem lege. In hoc tamen loco, uti dictum est, illud* מ *negative accipi potest, h. s. bonum est mori & non vivere: Jonas enim nolebat vivere. Si tamen comparativam vim etiam retinere velis, h. s. mori quidem malum est; sed minus malum, quam ita vivere, per me licet.*

VERS. IV.

ויאמר) dixit autem. *Adversativa hac bene hic versus, continens responsum, oppositum iniquo postulato Jonæ, cum præcedente connectitur.*

ההיטב חרה לך) an bene exardet tibi: *vel ut Tremellius habet, an factum bene, quod accensa est ira tibi, qui verbum tertiæ personæ impersonaliter accipit, uti & alibi fieri solet,* vide synt. cap. 3. m. 4. *Verum neque male hic observatur quod verbum* היטב *adverbiascat, juxta ann.* synt. cap. 8. m. 3. *inter duo verba ejusdem temporis, prius nonnunquam adverbii naturam induit: Sic* Jer. 13: 18. *abjicite sedete, i. e. abjectissime sedete: & h. l. an benefecit exarsit tibi, i. e. an bene iratus es. Notandum insuper est, quod infinitivus verbi* היטב *si adverbiascat, intendendi significationem habeat,* vide Glass. Gramm. Sacr. pag. 448. *quo Kimchi refert in Comm. suo hoc Jonæ exemplum, & dicit:* והיטב ענינו חזק הענין *significat roborationem (intensam significationem) significationis. Quomodo & Jonathan, quem ibidem Kimchi citat, habet, qui hanc vocem reddit, ut idem ipsi valeat, quam* מאד *valde, admodum, legitur enim in eo* הלחדא *an valde?*

VERS. V.

ויצא יונה מן העיר) Exierat autem Jonas è Civitate. *Ita Mercerus hoc & immediate seqq. verba plusquamperfecto reddit, ita ut hic sit* ὕστερον πρότερον *seu* ὑστερολογία *eo quod quæ hoc versu commemorantur, prius facta præsumantur, quam Jonas deprehenderit, DEUM pepercisse Ninevitis. Et verisimile est, Jonam statim peracta concione, ex urbe egressum esse, ibique sub tuguriolo, ad quadragesimum usque diem latitasse, & demum tempore præfinito exacto, cum DEO expostulasse, ubi certus redditus erat de Nineve non evertenda. Cæterum notetur hic constructio, quod verbum motum de loco significans, regat nomen mediante* מ synt. cap. 3. m. 5.

מקדם לעיר) ab oriente Civitatis. *Obtinet hic locum circumstantia loci, quæ est in* synt. c. 9. m. 7. מ *nimirum primario significare à vel ab, & sub hac significatione, quandoque etiam loci circumstantiam notare, ut* Job. 39: 29. למרחוק *à longinquo oculi ejus (sc. aquilæ) contemplantur. Sensus a. hic est: ab oriente, i. e. ad partem urbis, quæ orientem respicit. Posteriori insuper nomini regiminis* ל *quandoque eleganter præfigitur.* Vide Trostii Gramm. pag. 95. ita dicitur מזמור לדוד Psalmus Davidis.

ויעש סכה) Et fecerat tugurium, *tabernaculum. Est satis accommodata vox tabernaculi, quod juxta Isidorum* lib. 14. 12. *Casula est, quam faciunt sibi custodes vinearum, ad tegimen sui, q. tegarium, tam propter ardorem solis & radios declinandos, quam ut inde bestias, quæ insidiari solent natis frugibus abigant:* Conf. Lex. Martinii.

וישב) ut resideret. *Quia hac voce finem constructi tugurii indicat, bene vau per ut redditur. Sedere autem quandoque pro manere & commorari accipitur, quæ acceptio hujus versiculi est:* vide Drus. in h. l. Flac. part. 1. clav.

עד אשר) usque dum. *Solent certæ particulæ junctæ, certas habere significationes, uti hæ, quæ significant usque dum* synt. cap. 10. Buxt. Thes. p. 595.

יראה) videret, *vel visurus sit. Adverbium temporis* עד *præter part. & Infinit. etiam futurum regit,* vide Buxt. Thes. pag. 549.

VERS. VI.

וימן) paraverat enim, *ita ut rationem reddat præcedentium verborum, ut resideret in umbra: & vau hanc significationem causalem etiam in aliis locis agnoscere,* vide in synt. conj. cap. 10. m. 3. Glass. Gramm. Sacr. p. 644. *De voce autem* וימן *vide quæ dicta sunt cap.* 2: 1.

קיקיון) *Quid fuerit non convenit inter interpretes; lege* Tarn. & Merc. in h. l.

ויעל מעל ליונה) quem ascendere fecit super Jonam. *Vau pro qui etiam poni,* vide in synt. conj. *Item* מ *particulæ separabili quandoque pleonastice præfigi,* vide in Trost. p. 125, 126. *Quomodo etiam quædam particulæ vel præposit. (qualis & hoc* מעל *est) sequens nomen mediante* ל *regat,* vide in Trost. Gramm. p. 129, 130.

להציל לו מרעתו) ut eriperet eum à malo ipsius. *De* ל *ante Infinitiv. explicando per ut,* vide in Trostio. *Ad hæc notanda est regula, quod verba amovendi, removendi, & similium significationum regant nomen mediante* מ Synt. cap. 3. m. 5. *Addi insuper debet, quod hoc verbum nomen personæ, etiam mediante* ל *regat, id quod hoc ex loco patet. Cæterum* παρονομασίαν *ponit Tarnov. in vocibus* צל *&* להציל *quem vide. Sensus a. est, à malo ipsius, i. e. à molestia vel ab æstu solis, ita tamen, ut geminus interim finis statuatur productæ plantæ, partim ut obumbret Jonam, partim & primario, ut hoc medio Jonas, quam inique de Ninevitis sentiat, cognoscat. Posset quidem hanc sententiam illustrare, quod Merc. in h. l. habet, nimirum:*

nomen misericordiæ יהוה *adhiberi; quod ad levandam Jonæ molestiam, ricinum comparasset Deus: nomen autem Judicii* אלהים *quod per hunc ricinum Jonas DEI judicia cognoscere debuerit: verum cum nominum horum differentia multis dubia sit, malo amplecti contextum, qui datam sententiam non excludit.*

וישמח שמחה גדלה) Et lætatus est lætitia magna. *Vide quid de simili constructione dictum sit cap.* 1: 10.

ישמח על הקיקיון) lætabatur de ricino. *Verbum gaudendi* שמח *regit Ablat. causæ cum præp.* ב *vel* על Synt. cap. 3. m. 5. subd. 6. Buxt. Thes. p. 484.

VERS. VII.

האלהים) *cum* ה *emphatico ponitur, quod seq. vers. sine* ה *emphatico legitur, ubi Deus dicitur ventum parasse, vel huic casui destinasse. Ita nimirum quandoque* ה *sine emphasi adhibetur, & pleonastice,* vide Buxt. Thes. p. 383. *Neque apparet, cur majori emphasi* τὸ אלהים *adhiberi hoc versu debeat, mediante* ה *emphatico, quam seq. versu.*

תולעת) vermem. *Nonnulli hanc vocem derivant à* תלע *quod semel tantum occurrit* Nah. 2: 4. *& significat rubro vel coccineo colore infecit: unde* תולע *vel* תולעת *significans vermiculum purpureum, qui ex grano coccus dictus, præbet materiam purpurei coloris. Proditum enim literis est à* Strabone lib. 10. Plin. lib. 21. c. 8. *fruticem quendam in Hispania nasci cui adhæreant grana, hoc vermiculo prægnantia, qui vermiculus purpureum colorem in se habet, unde tincturæ vestium regiarum conficiuntur. Et frequenter hic color in V. T. potissimum, Exodo & Levitico, quando de cultu Levitico, seu tabernaculi ornatu, & Sacerdotali vestitu agitur, voce* תולעת *designatur. Confer Lex. Pagnini, quod fusius de hac voce habet. Item quæ in Martinii Lexic. occurrunt. Alii derivant à* ילע *(quam radicem explosit Lex. Pagnini vultque pro ea positam* לוע *deglutire) quod* תולעת *sit animalculum abjectissimum, quod facile conculcetur, (& hinc q. absorbeatur, ut amplius non appareat) vel active, quod arrodendo deglutiat: ex quorum sententia initiale* ת *erit Haæmanticum.*

בעלות השחר) Ascendente aurora. ב *ante Infinit. constituit Gerundium in Do, & explicatur per quando, dum, & Infinit. per verbum finitum: aut etiam expositio fit per duos Ablativos. Confer Buxt. Thes. p.* 561. *quomodo & Tremellius, per duos Abl. scilicet, reddit. Drusius in h. l. taxat illos, qui reddunt, cum ascendisset, eo quod sic poni debuisset* כעלות *sicuti infra dicitur* כזרח *orto sole. Verum etiam* ב *ante Infinit. de Præterito tempore usurpatur, vide exemplum in* Glass. Gram. Sacr. pag. 629. *&* ב *ipsum ante Infinit. de tempore præsenti: quomodo & Drus. ipse in tractatu de* משה וקלב *pag.* 26. *unum ac alterum exemplum cum respectu ad tempus præsens non ad præteritum reddit: & Tremell.* τὸ כזרח שמש *infra non orto sole, sed oriente sole exponit.*

למחרת) postero die. *Ita* ל *quandoque nominibus temporis pro* ב *additur* vide synt. cap. 3. m. 5. subd. 1. & Buxt. Thes. p. 478.

ותך) qui percussit, *i. e. læsit, quomodo vox hac pro textus hujus circumstantia bene reddi potest: Confer Drusium, & vau pro qui poni notum satis est, vide supra.*

VERS. VIII.

ויהי) Accidit itaque. *Hoc ipso* ויהי *narrationes historicæ frequentissime inchoantur, & continuantur, prout ex usu codicis videre est.*

כזרח השמש) oriente sole. כ *ante Infinit. circumstantiam temporis hic significat,* vide Trost. Gr. p. 124. *soletque explicari per quum, quando, etiam per duos Ablat. ut Tremellius facit, qui reddit oriente sole:* Confer Buxt. Thes. pag. 561. *qui fere tempus præteritum hoc ipso notari scribit.*

וימן) cum parasset, *ut Tremellius habet. De significatione hac particulæ vau,* vide in Synt. Conj. *Et Præteritum unum omnes præteritorum species, pro textus commoditate atque hic plusquamperfectum, designare posse, satis constat.*

קדים) *Hanc vocem à* קדם *oriens deduci, orientalem plagam, item orientalem ventum designare vide in Lex. LXX. habent* πνεύματι καύσωνι συγκαίοντι, *in quo urendi significatio est.*

חרישית) silentem. *Hic diversum sentiunt Interpretes. Nonnulli hunc ventum surdum vel silentem dicunt quod homines sua vehementia, stridore suo surdos reddat, vide R. Kimchi in h. l. prout dicitur mors pallida, quod pallere homines faciat: vel etiam quod tam vehemens fuerit, ut etiam reliquos ventos silere faceret, vide Rabbi Jarchi in h. l. Confer alios etiam Interpretes. Hoc si sentiendum, dicendum erit, quod vehemens ille ventus orientalis, sua vi omnes nebulas disperserit, ita ut sol sine omni impedimento, radiis suis Jonæ caput fortius ferire potuerit. Atque ita hic ventus per accidens æstum solis, de quo in textu sermo est, auxisse dicendus erit, utut alias vento vehementius flante, fervor solis mitigari soleat. Omnium tamen tutissimum mihi videtur, vocem* חרישית *explicare per silentem, placidum, minus sonorum, qui aërem à sole inflammatum, non potest ita perspirare & ardorem corrigere; sed potius æstum adjuvat, prout Tarn. in h. l. loquitur. Adeoque dici silentem ut ab altero orientali vento sonoro & violento distinguatur,* Exod. 10: 13. & 14: 21. *aliisque in locis, quæ vide in Tarnov. Imo cum orientales venti calidiores occidentalibus sint, utpote cum supra illos diutius sol feratur teste* Arist. l. 2. Meteor. c. 6. *unde & subsolani dicuntur: & scriptura eos valde exsiccare & calefacere dictitet* Genes. c. 41: 6. 23. & 27. Ezech. 17: 10. Hos. 13: 15. *Silens hic & remissior omnium maximum admittet calorem à sole communicatum, & omnium maximam molestiam creabit, inde ut eandem Jonæ creet, à DEO productum esse, non erit improbabile.*

ותך על ראשו) ut percuteret, *juxta Tremell. percutere autem, notante id h. l. Drusio, præter notam significationem, etiam urere notat, ut Psalm.* 121: 6. *Per diem sol non percutiet i. e. uret te. Et regit hic nomen verbum h. l. mediante* על *præcedente vero vers. mediante* את.

ויתעלף) ut deficeret animo. *Significat hæc vox proprie obduci, tegi, &c. sed ad animum translatum significat mœstitia obtegi, perturbari, deficere, ut h. l. habetque cognationem cum* עטף *de quo vide cap.* 2: 8. *Græci habent* ὀλιγοψυχεῖ *pusillo atque abjecto animo erat, pusillanimis erat. Cum autem hæc vox designet, quam vehementer sol Jonam percusserit, habebit circa vocem* ותך *locum notatio illa, quæ est* in Synt. cap. 7. m. 13. *verba quædam præter usitatam significationem, etiam quandam qualitatem adjunctam aut conditionem indicant. Atque hic sensus erit: Factum itaque oriente sole, cum parasset DEUS Eurum, ut tam vehementer percuteret sol caput Jonæ, ut etiam animo deficeret.*

וישאל את נפשו למות) Et expeteret, *vel* peteret ab anima sua mori, *i. e. mortem optaret: Ita Mercerus in h. l. Verum cum Ebræus* τὸ *postulare ab aliquo soleat efferre per* שאל *mediante* מ / מעם / מאת *vide Synt. cap.* 3. *m.* 5. *malo amplecti sententiam Tremellii, qui ita vertit: expeteretque se ipsum mori. Nam constat* נפש *pro supposito & persona sumi multis ex locis scripturæ, ut Deut.* 24: 7. *Si inventus fuerit aliquis, qui furatur animam ex fratribus suis &c. & quandoque explicari posse per ipsemet, ut Jerem.* 51: 14. *Juravit Dominus* בנפשו *per animam suam, i. e. per seipsum.* ל *insuper hic, si ita placet, nudum Infinit. designare potest, prout alias solet juxta Synt. præp. Potest tamen etiam Gerundium in Dum facere,* vide Trost. Gr. p. 124. *ut sensus sit: expetiit ut ipse moreretur. Reliqua hujus versiculi in præcedentibus jam sunt proposita.*

VERS. IX.

Nec versus 9. *quicquam difficultatis in se habet.*

VERS. X.

ויאמר) cui dixit. *Tremell. ita vertit accipiendo* ו *pro Pron. relativo, ut solet quandoque accipi in codice,* vide Synt. c. 10. m. 3. *Potest etiam per itaque verti, ut fiat mediante illa particula nexus argumenti, quod DEUS ex Jonæ effato hoc versu deducit.*

אתה חסת) Tu parcis. *Et apud Ebræos pronomina certæ discretionis & majoris emphasis causa, verbis addi constat,* Buxt. Thes. l. 2. cap. 9. *id quod h. l. observandum venit, ut sensus sit: Tu Jona, qui homo mortalis es, tui nec juris, nec arbitrii, parcis cucurbitæ, vel ricino &c. multo magis Ego DEUS æternus (nam quod & hic pronom.* אני *verbo* אחוס *emphatice addatur, dici potest) qui libere facio, quæcunque volo &c. Præteritum insuper pro præsenti frequenter poni, notissimum est.* Trost. Gramm. p. 22.

חסת על הקיקיון) parcis cucurbitæ, *vel ricino. Verbum miserendi* חוס *regit nomen mediante* על *& sæpe adjunctum habet nomen* עין *oculus,* ut Ezechiel. 16: 5. vide Synt. cap. 3. m. 5.

אשר בו) Pro quo. *Solet ita* ב *etiam significare pro, cum connotatione commodi.* Vide Synt. c. 9. m. 3. *Et hic insuper pleonasmus duplicis pronominis relativi est, qui pleonasmus fere perpetuus est, quando* אשר *casu obliquo efferendum est.* Vide Synt. cap. 2. m. 6. Buxt. Thes. p. 410.

בן לילה) Filius noctis. *Ita solet nomen* בן *vel* בת *in regimine cum nomine rei non animatæ constructum varios Ebraismos facere, & pro ratione additi Genitivi diversimode explicandum:* vide de hoc Glass. Gramm. Sacr. p. 124. & seqq.

Si nomen ætatis vel temporis additur, tunc per natum esse, vel alia convenienti voce explicationem fieri debere, ibidem in Glas. lege: adeoque sensus erit, filius noctis, i. e. qui una nocte crevit. Ita Gen. 17: 1. Fuit Abraham filius 99. annorum, i. e. natus erat 99. annos. Item 1 Sam. 13: 1. Saul erat filius anni in regno, i. e. agebat primum annum &c.

לא אחוס) non parcam. *Solet interrogatio negativa, qualis hæc est, sæpe vehementissimam efficere affirmationem,* vide Tarn. in h. l. & Joël. 1: 16. *ideoque sensus erit: Non parcam: Omnino parcam.*

הרבה משתים עשרה plus quam duodecim. *Comparativum loquendi modum per* מ *apud Ebræos efferri, notissimum est. Constructionem etiam vocum* שתים עשרה vide in Trost. Gr. p. 91.

אדם) hominum. *Collectivum est pro pluribus positum:* vide Synt. c. 1. m. 27. *Contra Severum, hunc locum ex errore LXX. qui habent ἀνδρῶν eo detorquentem, ut in Nineve tantum* 120000. *virorum statuat, agit Drusius in h. l. quem lege.*

אשר לא ידע בין ימינו לשמאלו) qui non norunt discrimen inter dextram suam & sinistram suam. *Est contractum dicendi genus* בין ימינו לשמאל *de quo* vide Trost. in Gr. p. 130. *Continent hæc verba descriptionem parvulorum. Contra illos autem, qui dextram & sinistram per bonum & malum interpretantur, agit Tarn. quem lege.*

בהמה רבה) Jumenta multa. *Ita simplicissime, & omnium optime. Neque ulla ratio est, sicut bene dicit Tarn. ut per jumenta homines voluptati deditos intelligamus, cum iis non delectetur Deus, & delectationem tamen hanc hic in textu designari primo intuitu patet.* רבה *insuper per multa rectius, quam magna explicari, vel inde probabile est, quod, sicut Deus in hoc versu de Ninevitarum multitudine loquitur; sic etiam sermonem de bestiarum ad Ninevitas pertinentium multitudine continuat.*

Tantum.

LAUS DEO!

M. MART. LIPENII
JONÆ DIAPLUS THALASSIUS
ad Jon. I: 17.

CAPUT I.

De Instituto & Titulo Dissertationis.

SUMMARIA.

1. *Pericula & angustiæ Prophetæ in ceto superandæ.* 2 *Fabulæ occasio de Hercule* Τριεσπέρῳ. 3. *De Andromede.* 4. *Fabularum vera, historica & moralis expositio.* 5. *Gentilium risus super Periplo Jonæ correctus ex Theophylacto.* 6. Διάπλοος *&* διάπλυς. 7. *Jonæ etymon Ebræum.* 8. *Etymon Teutonicum ex* Wihoen. 9. *Jonæ stirps non Sidonia ex Sarepta.* 10. *Sed Ebræa ex Chathchepher.* 11. אֲמִתַּי & אֱמֶת.

Th. I.



HIstoria *Jonæ* à pisce absorpti, & vivi redditi stupenda prorsus est, & si extra fidem historiæ sacræ esset, pro fabula potius quam vera historia haberetur. Ecquis enim non stupescit, quando audit, *JONAM PROPHETAM DEI* tres dies & tres noctes *in ceto sine lumine, sine cibo, sine somno, in medio pelago in ventre piscis, & coctione ventriculi ferventissima jacuisse, hæsisse, sudasse, respirasse aut respirare, inter conglomeratos aquarum fluctus vix ac ne vix quidem potuisse?* Quem non subit mirari, quod sancto DEI viro datum non sit, *solem aut lumen contueri*, sed *in densissimis tenebris in squalidissimo balænæ vaporario delitescere?* Ipse certe quo in loco subsisteret, ignorabat; *an imum aquæ occuparet, an medium teneret, an in superficie nataret*, nesciebat, istud saltem persentiscebat, se in mari circumferri, & instar miseri erronis hinc inde agitari ab inquieta, & stare nescia bellua. *Intus erat gurges aquarum, ideoque* ex colluvie squaloris & sordium plenissima exire cupiebat; *sed extus immensus erat Oceanus*, ex quo eluctandi nulla spes erat super. Terribilis erat ingressus, anxia alvi occupatio. Inter *medios dentes acuminatos, qui instar clavatæ machinæ, instar columnarum circumcirca acutarum prominebant, in vastissimum guttur descendebat*, ad cujus vel solius memoriam tremor omnes artus occupare posset. *In hiatu faucium abyssus, in stomacho sepulchrum profundissimum* apparebant. *Inter commota intestina ex memphiti lipothymian patiebatur; dimotis costis, contractis & dilatatis pulmonibus atterebatur, collidebaturque undiquaque versus:* perpetuum naufragium inter integra maria immenso rictu hausta & vicissim eructata, faciebat. Ita, ut *Attilii Reguli tormenta in machina Punica, Perilli in aneo Tauro, Armenianorum in Frigidariis, Onomarchi in καταπυπεμῷ sustinuisse* videatur afflictissimus JONAS, quando inter *acuminatos dentes conterebatur, ex æstu ventriculi, tanquam in culeo perillino coquebatur, in fluxu & refluxu fluxuum marinorum frigore perimebatur, & dejectione in pontum ad fundum usque demergebatur.* Vivus tamen, & illæsus prodiit.

Th. 2. *Tantum istud miraculum est, ut simile quid nec in sacris nec prophanis inveniri possit scriptoribus.* Nisi quis huc pertrahere velit figmentum istud Poëticum gentilium de *Hercule in balænæ ventre commorante* & ex eo vicissim erumpente, adustis paululum &, ut sic loquar, depilatis capillis. *Quo de Lycophron in initio Cassandræ sic ait:*

Τριεσπέρου λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις
Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων.
Εμπνοῦς δὲ δαιτρὸς ἡπάτων, φλοιδούμενος
Τινθῷ λέβητος ἀφλόγοις ἐπ' ἐσχάραις
Σμαρῖγγας ἐστάλαξε κωδείας πέδῳ.

Quod

Quod ex Isaacii Tzetzes commentario sic vertere placet:

Trivesperi (trinoctii) leonis, quem aliquando maxillis
Tritonis deglutivit, aspere dentatus canis
Vivus autem dissector intestinorum ambustus
Cavo lebetis in focis ignis expertibus
Capillos destillavit capitis solo.

Cujus quoque *Cyrillus* in Jonam meminit, quando *Herculem* inquit *Alcmenæ & Jovis filium ajunt deglutitum quidem à ceto, redditum tamen ab insito ceti calore, capite solum depilato.* Quod ut à Poëtis profectum est, quibus æque ac pictoribus

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas,

ita nullus adduci possum, ut credam vere Herculem quempiam perrupisse intestina balænæ & vivum redisse in lucem, ut potius persuadear, istam Historiam S. Jonæ fama aut traditione ad cœtum gentilium divulgatam ansam suppeditasse, simile quid de suo Hercule commentiendi; Id quod etiam observavit *Joh. Gerh. de Origine & Progr. Idolol. l. 2. p. m.* 382. imprimis quia per Josephum creditur in Ponto Euxino redditus, ubi etiam Argonautæ navigarunt apud Salmeronem T. 8. tr. 17.

Th. 3. Hinc *Sanchez* quoque scripto reliquit, Poëtis ansam de *Andromede*, *Cephes & Cassiopes filia* fabulandi datam esse, quam ob superbiam matris, alligatam scopulis & cete ad devorandum propositam, postmodum vero à Perseo liberatam penes *Javan vel Joppen* fingunt, ut est apud *Ovid. l. 4. Metam. fab.* 18. *Fabula*, inquam: quia pro *fabula potius cum Strabone l.* 16. Cosmogr. quam pro *vera re gesta* habeo cum *Plinio l. 5. c. 13. Pomp. Mela l. 2. de Sit. Orb. & Solino c.* 39. Originem tamen habere ab Historia Jonæ arbitratur *Georg. Hornius in Sever.* Quis enim dubitet, inquit, *Joppensibus innotuisse, Jonam è mari, & ut narrabat, ex ceti ventre in lucem reversum, ac quia ipsorum navi vectus, placandis numinibus suis virginem ibi alligatam & balænis objectam?*

Th. 4. Ea enim vel omnium, vel saltem plerarumque μεταμορφώσεων & fabularum gentilium indoles est, ut *arrepta mentiendi occasione veritatem rerum ac historiarum variis involucris & commentis obscurarint*, uti bonam partem expedivit *Palæphatus* Scriptor Græcus in lib. περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν, quem post *Aldum Manutium* & *Philipp. Phasianum* etiam *Corn. Tollius* Profess. Histor. & Græcæ Ling. Harvici, excuderunt. Cujus generis quoque est *Georg. Sabinus*, Annot. in Metam. Ovid. *Natalis Comes* in Mytholog. & proxime *Franc. Baro de Verulamio de Sapientia Veterum*, eruditissimo & nervosissimo libello, tanto & tam nobili viro dignissimo. Quod quidem ante eos ex veteribus etiam conati & opinati sunt *Ponticus Heraclites*, *Silenus Chius*, *Euphorion*, *Damascinus*, *Melissus*, *Lamiscus*, *Dorotheus*, & *Evanthes*, si citationibus Tollianis fides adhibenda est, quæ sunt in Palaph. dedicat.

Th. 5. Quemadmodum ista de *Hercule & Andromede* somnia vana sunt, ita istam quoque de Jona historiam vix quisquam acceptaret pro vera, nisi nos Scripturæ authoritas ad credendum moveret. Ea *certe major est, quam omnium hominum infidelitas.* Uti ergo apud *Judæos* sancta semper fuit hujus Prophetæ αὐτοπιστία, ita apud *Christianos* nulla de eo amplius dubitatio esse potest, nulla esse debet. *Græcorum* autem ea fuit impietas, ut istam de *Jonæ Diaplo narrationem risu potius*, *quam* fide exciperent. Contra quos jamtum suo tempore *Theophylactus* egregie disputavit. *Omnium*, inquiens, *qui talia audiunt, fidem excedit, maxime eorum, qui ex Græcorum scholis sapiente doctrina ad hanc historiam accedunt. Quos equidem non satis demirari possum, qui fiat, quod hæc non intelligant, cum suis ipsorum aliis capiantur. Apud ipsos enim non nihil de Hercule narratur, quod & ipse à balæna devoratus incolumis remanserit, nisi quod tantummodo depilatus redierit, idque ob ingenitum & internum belluæ calorem. Aut igitur nostra suscipiant, aut sua rejiciant.* Similiter B. Augustinus fortiter contra Porphyrium disputat, Ep. 49. qu. 6.

Th. 6. Nobis impræsentiarum propositum non est, omnia mirabilia circa hujus *Prophetæ vocationem, ablegationem & prædicationem occurrentia* annotare; Cum ea de re Plur. Rever. Dn. D. *Kunadi*, *Præceptoris nostri optime merentis*: & *B. Dn. D. Joh. Benedict. Carpzovii*, aliorumque nostratium Theologorum eruditissimæ & piissimæ meditationes prostent; sed saltem CURSUM ejus MARINUM, quem in ceto absolvit, expendere. Hunc nos DIAPLUM vocamus, ad similitudinem *Peripli Arriani.* Sicut enim ille littora Ponti Euxini & Maris Rubri pervestigando suum *Periplum* ad audaliss. Imperatorem Roman. perscripsit: Ita *Diaplum* seu *Trajectum & Transitum* suum, quem in mari medi-terraneo in ceto rectore & portatore fecit, Jonas ad omnem posteritatem fidelium transmisit. Ὁ Διάπλοος & Διάπλους dicitur ex διαπλώω seu διαπλέω, quod significat *trajicere, transmittere.* diciturque proprie de iis, qui *navigando cursum suum absolvunt*, ut ex isto Apollonii fit manifestum, ἁλὸς χρυόεντα κέλευθα νηὶ διαπλώσειν *rudentibus trajicere frigidas maris vias.* Addimus autem ἐπεξηγήσεως ergo θαλάσσιος seu *Marinus*, ut pateat, non iter *Jonæ pedestre, sed nauticum, aut rectius ponticum* insinuari, quod emensus est in ventre balænæ portatus.

Th. 7. *Jonas* Ebaice יוֹנָה significat columbam, eo quod instar *columbæ Noachicæ Gen.* 8: 7. olivam salutaris pœnitentiæ Ninevitis attulit, aut quod *instar oppressæ columbæ varios* turbines & tempestates adversas expertus est, atque à mansuetudine & facilitate morum maxime commendatus fuit. Descendit enim ea vox ex R. ינה oppressit, eo quod *columba accipitris oppressioni & vulturis prædæ sit exposita*, ac quia ab aucupe facile illaqueetur & opprimatur, quo alludit Oseas 7: 11.

ויהי אפרים כיונה פותה׃

Et fuit Ephraim velut columba stolida.

Th. 8. Non possum me continere, quin hic *Nomenclatorem Teutonicum Joh. Goropium Becanum l.* 2. Hispan. p. m. 35. adducam qui Jonæ, seu ut ipse loquitur, *Jon nomen* ex composito isto verbulo Wi hoen i. e. consecrare weihen/ einweihen/ deducit, ideo scil. quia Sp. S. qui Johanni in forma columbæ apparuit, omnia initiavit, & consecravit. Verba ejus ipsa adscribam, quoniam in paucorum manibus est. *Jon pro Columba, inquit, duplex digamma non è medio, sed & principio perdidit, dum è* wi-hoen *factum est Jon, qua compositione avis consecratrix denotatur, ratione vocis olim è symbolo petita. Plenum mysterii cognomen hoc esse nemo eorum dubitabit, qui scient Sp. D. in columbæ effigie D. Joanni Bapt. apparuisse. Nam si solus Sp. S. omnia consecret, divina reddat, & amore devinciat, qua ratione aptius avem, cujus speciem is gessit, cum in Christum descendit, indigitare queas, quam vi voces consecratricem?* Et mox: *Dignum etiam est accurato examine, quod de columba & olivæ ramo scriptum habemus non tam ob historiam, & celebrem ad longinqua columbæ volatum, quam ob symbolorum in his duabus naturis cognationem: Quam qui diligenter expendet, ac cum nomine* Wi-hoen *confert, magna mecum perfruetur voluptate.* Imo vero voluptate? Quæ hæc voluptas, Ebrææ linguæ peritis esse potest, genium suæ linguæ ex *Cimbrica dialecto* addiscere? Nunquid & Moses suarum vocum radices à Teutonibus tunc nondum existentibus mutatus est, aut in sacram suam dialectum contorsisse dicendus est? Si liceret, rem seriam jocose tractare, possem ex dialecto Germanica parili pactu *Jonas* derivari, qs. Jo-nas/ quia maxime madefactus est in ponto, & ceto. Sed quid risum ciemus? Rectius *Joh. Tzetzes Histor. Chil.* 7.

Ἑβραϊκῶς τὸ Ἰωὼ ἀόρατον σημαίνει
Ὁ Ἰωνᾶς περιστερὰν, ὁ δ' Ἰωάννης χάριν.

Th. 9. *JONA noster*, quis fuerit, aut unde oriundus, manifestum fit ex 2 Reg. 14: 25.

יונה בן־אמתי הנביא אשר מגר ה פר׃

Pater non fuit Abdia Propheta, maritus viduæ Sareptanæ, ut aliqui sentiunt, sed *Amithai vir Sabulonita*, & natione Ebræus *an mater fuerit ex tribu Aser*, ut R. Jochanam & R. Levi pulcher voluerunt, patremque ex Zabulon habuerit, in dubio relinquimus, quamquam id nobis plane non videatur probabile. Proinde error est quorundam Rabbinorum, & virorum è Synagoga, opinantium, *Jonam fuisse filium viduæ Sareptanæ; quem Propheta Elias ex mortuis exsuscitavit, uti est* 1 *Reg.* 17: 24. eo quod mater ad Prophetam dixerit דְּבַר־יְהוָה בְּפִיךָ אֱמֶת. Quos secuti sunt *Hieronymus*, *Prolog. in* Jonam, & *Brito*, *Exposit.* in Prol. *Epiphanius in Jon. Autor libri* (Augustino falso asscripti) *de Mirabil. Scripturæ S.* Dorotheus & Isidorus in Jon. *Sixtus Senensis* Bibl. sanct. lib. 1. p. m. 14. *Sim. Majolus Dier.* Canicul. Coll. 4. p. m. 117. Zuinger. Theatr. l. 1. p. m. 143. aliique. Adeoque fuisset natione *gentilis*, *Phœnix*, & *Sidonius*, *patria Sareptanus.* Est enim *Sarepta Sidoniorum* civitas, Ebr. צָרְפַתָה אֲשֶׁר לְצִידוֹן 1 Reg. 17: 9.

Sita est quasi media inter *Tyrum & Sidonem* in via publica non procul à littore maris. Ab *Eleuthero fluvio* versus

Aquilonem duobus, à *Sidone versus* Austrum totidem milliarib. distat. Hæc *Sarepta à* generoso vino celebratur, quod in confinio Sareptano & Anti-Libano copiose nascitur, unde Sidonius: *Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna*

Quæque Sareptano palmite missa bibas.

Plura videri possunt in *Tyri l.* 14. *de B. Sacr. & Chr. Adrichom.* Theatr. T. S. p. 7.

Th. 10. E contra *Jonas* de se fatetur, historiæ suæ cap. 1. com. 9.

עברי אנכי ואת־יהוה אלהי השמים אני ירא
אשר עשה את־הים ואת־היבשה:

Quæ aperte ostendunt, eum *Israëlitam esse*, ortum scil. ex *Ghath-Cheper*, qui *est viculus ad viam è Syria in Ægyptum ducentem, non procul à monte Thabor, in quo Hieronymi tempore adhuc sepulchrum Jonæ monstratum est*, ut ipse *Proœm. in* Jon. testatur. Dicitur alias etiam *Gethepher*, *Getacopher item Gath in opher. apud Adrichom. Th. T. S.* p. m. 140. Sita est non in *tribu Dan*, ut itidem *Epiphanius* opinatur, nec in *tribu Aser*, ut R. *Abarbenel*; sed in *tribu Sabulon*, ut est Jos. 19: 13. Jacet inter *Dio Cæsaream seu Sephorim seu Sephoron seu Saphorinen, & Tiberiadem*, distatque à Sephorim duobus milliaribus. De Jona hoc nostro Hebræi quoque tradunt in Seder olam & ex iis Jo. Mariana in Scholiis Bibl. & D. Joh. Tarnov. Comm. in Jon. p. 2. quod fuerit iste Juvenis, quem Elisæus misit, ut ungeret Jehu in Regem 2 Reg. 9: 1. Quod nos quidem in medio relinquimus.

Th. 11. Ista igitur distinctio adhibenda est inter ista duo nomina אֱמֶת & אֲמִתַּי, quod hoc sit *nomen viri proprium*, ex R. אָמַן nutrivit, & in Hiphil הֶאֱמִין seu הֶאֱמִן credidit, fisus est, ut sonet qs. *vir nutritor*, ein guter Ernehrer / *& vir fidem servans*, ein treuer / ehrlicher Biderman. Istud vero sit *nomen appellativum*, significans fidem & veritatem, contractum scil. ex אֱמֶנֶת aut ex אֱמוּנָה quod utrumque significat veritatem in gen. fœminino ex eadem R. אמן nutrivit, quia *Veritas est optimus animi cibus & nutrimentum.*

CAPUT II.

De Pisce Jonæ Portatore.

SUMMARIA.

1. *Piscis Jonæ* πορθμεὺς. 2. *Fuit magnus* דג. 3. *Non fuit duplex piscis, mas & fœmina.* 4. *Sed unus tantum* דג *&* דגה *promiscue de utriusque sexus pisce usurpantur, ex locis parall. aliud in commodum figmenti Rabbinici.* 5. *Piscis præparatus est, non creatus. Longævitas ceti. Ceti ductor.* 6. *Piscis Jonæ non fuit Carcharias seu* λάμνη, *integros homines deglutiens sepimentum dentium lamnæ acuminatum.* 7. *Sed* κῆτος. 8. *Cetorum species. Balænarum magnitudo. domus ex balænis factæ.* 9. *Cetus ad terram appropinquans difficulter remeare potest.*

Th. 1. PIscis πορθμεὺς seu portator Jonæ hic omnino considerandus est, tanquam instrumentum & *vehiculum Diapli Marini*. Quod enim iter alii nautæ navibus expediunt, istud sanctus Propheta pisce emensus est.

Th. 2. Non habet aliud nomen in Jonæ Prophetia, quam דָּג גָּדוֹל *piscis magni*, eadem vox porro cum ה *Emphatico* legitur, הַדָּג, *& in fœminino* הַדָּגָה. Est autem דָּג nom. masc. gen. à Rad. דיג *piscari*. Quanquam aliqui aliam Radicem assignare velint, nimirum דָּגָה *augeri, fœcundari more* piscium. Ac certe mirabilis & fere incredibilis est piscium in mari generatio & fœcundatio juxta tenorem divinæ benedictionis Gen. 1: 22. ומלאו את־המים בימים פרו ורבו Quo etiam alludit *S. Jacobus* Manasse & Ephraim benedicturus *Gen.* 48: 6. וידגו לרב *instar piscium multiplicentur in multitudine in medio terræ.*

Th. 3. Circa *formationem & usurpationem fœminini* דגה glossema seu commentum *R. Salom. Jarchi* audiemus. Iste ex mente aliorum quoque delirantium Judæorum ita arbitratur, *Jonam in mare projectum statim exceptum esse pisce mare* דָּג, *& cum in eo satis ample degeret, ad Deum non clamasse; Ideo Deum jussisse, ut piscis mas Prophetam nondum pœnitentem aut invocantem evomeret in piscem fœminam* דָּגָה *fœtu plenum, ut ex impragnatione & alvi tumore in angustias virum Dei redigeret, ibique demum incepisse clamare & egregium istud canticum, quod cap.* 2. *est, cecinisse atque ex eo pisce fœminino etiam esse vicissim exsputum. Rationem* conjecturæ desumserunt ex textu Ebræo, in quo *masc.* דג adhibetur, quando de pisce devorante agitur, & *fœmininum*, vs. 2. quando de invocatione in visceribus דגה.

Th. 4. *Nugæ sunt, & Rabbinicæ fabulæ*, quarum citatus רשי plenus est. Is piscis qui Prophetam devoravit, is eum etiam per vastum oceanum deportavit, & qui deportavit, is etiam vicissim exspuit eundem. Nam in *cujus visceribus tres dies noctesque totidem fuit in ejus visceribus quoque precatus est, deportatus & ex iisdem etiam vicissim exsputus est. Atque in visceribus piscis maris* (secundum Jarchi,) *istius* דָּג *quem Deus præparavit ad deglutiendum eum, in istius, inquam, piscis* (uti emphaticum ה statim vs. 1. ostendit) *visceribus tres dies, totidemque noctes fuit. E. ex* הַדָּג *istius piscis visceribus etiam fuit exsputus.* Hinc etiam דָּג in masculino repetitur vs. 11.

ויאמר יהוה לדג

Et dixit Dominus ad piscem, istum scilicet דָּג גָּדוֹל *magnum piscem*, cujus meminerat commate primo. Quod indicio est, *promiscue & masculinum & fœmininum genus de eodem pisce h. l. adhiberi.* Quod vero conjectura ista obtendit istam generis μεταλλαγὴν, nihil est. Nam *diversitas terminationis non semper parit diversitatem generis*, ut ait doctissimus *Johan. Leusden. L. sanctæ in Ultraject. Academ. Prof. Ordin.* in Jona *suo illustrato* p. m. 110. Ecquid enim, quando *Ex.* 7: 18. in plaga Ægyptiaca pisces fluminis mortui dicuntur, adhiberturque *fœmininum* הדגה nunquid, Jarchi, credideris *solos pisces fœminas mortuos esse, mares vero supervixisse?* Prudentior hac in parte est *D. Kimchi*, qui fatetur דג communiter in mascul. & fœmin. reperiri, hancque explicationem vocat allegoricam ad c. 2. *Jonæ vs.* 2. *apud Joh. Leusden. c.* 1. Neque novum est in nominibus animalium, ferarum, piscium, vermium *uno nomine sive masculini sive fœminini generis utrumque sexum* indigitari. Vid. Excellent. Dn. Sennertus in Gramm. Trost. p. 67. ann. 2. & Joh. Tarn. Comm. in Jon. p. 38. Sic תַּנִּינִם *Dracones masc. Deut.* 32: 33. de draconibus utriusque sexus, & vicissim fœmininum תַּנּוֹת *Mal.* 13. de draconibus etiam masculis usurpatur. Similiter qui *vituli* עֲגָלֵי in masc. vocantur 2 *Par.* 13: 8. isti etiam in fœmin. עֶגְלוֹת citra sexus differentiam dicuntur. *Os.* 10: 5. Sic *Job.* 40: 26. צִלְצַל דָּגִים nascella piscium pro cassibus *omnium piscium* adhibetur. Similiter Fœmin. דגה *Deut.* 4: 18. *pro pisce utriusque sexus usurpatur*, dum Deus prohibet, ne Israëlitæ sculptile facerent *ad similitudinem* כל־דגה omnis *piscis, qui in aquis est.* Eadem ratio generis est Ezech. 47: 9. & 10. Quapropter quorsum tandem istud tuum commentum, Jarchi, respicit? Nunquid *arbitraberis in uterum quoque inpregnatæ balænæ immissum esse* Prophetam, ut ex fœtus piscini multitudine coangustaretur? In *stomachum ceti* credo *descendisse Jonam, non in matricem ejusdem.* Quomodo itaque Jonæ in ventriculo latenti plus angustiarum ex uteri intumescentia poterat surgere? Sed desino ineptiarum istarum.

Th. 5. Aliud Rabb. commentum hic quoque attingere placet, quod *de præparatione & creatione* hujus piscis afferunt. *Rabbi*, scil. *Tarphon* dicit in capp. *R. Eliesér* allegante R. D. Kimchi in Paraphr. Jonæ) *istum piscem esse à DEO diebus sex Creationis paratum, eum in finem, ut Jonam sorberet.* Commentum istud est. Forte fuit *Leviathan, qui ab initio fuit, cujus fœmettam salitam Deus Judæis in futurum seculum reservavit* apud *Buxtorff.* in Synag. Jud. cap. 36. Urgetur potissimum verbum וַיְמַן quod significet *præparationem, quæ intra* ἑξαήμερον *creationis* facta sit. Est ea vox 3. fut. Piël pro וַיְמַנֵּה abjecto הֵ vid. Excellent. *Sennertum* in Gramm. Trostiana pag. 49. ann. 1. & 2. R. est מָנָה in Kal numeravit, in Piël מִנָּה *paravit, præparavit.* Quæ vox *Job.* 7: 4. de ærumnosarum noctium *ordinatione & constitutione. Psal.* 61: 1. de veritatis & misericordiæ divinæ erga Reges & Magistratus *præparatione*, *Dan.* 1: 10. *de ordinatione escæ* pro Daniele, sociisque ejus à Rege facta usurpatur. Adeoque *non præparationem aliquam creativam; sed saltem ordinativam & constitutivam significat.* Unde luculentus sensus talis emergit, *Deus constituit & ordinavit belluam istam marinam, non à primordio mundi; sed tunc cum ejiceretur Jonas, ut eum absorberet.* Sunt enim ut omnes aliæ creaturæ, ita & pisces in exercitu DEI, ut ejus nutui obediant, & mandata erga reos & facinorosos exequantur. Alioquin oportuisset admodum *longævum fuisse istum piscem.* Nam

Nam à conditu mundi ad Jonam usque præter lapsi sunt anni præter propter 3066. utpote qui vixit sub Joa, & Jeroboamo II. Regibus Israel, apud D. *Walther. Offic. Bibl. Reposit. Poster. Art. X.* §. 1016. aut ut *Josephus* computat, Anni 2130. Et vel sic *decrepitum* & occæcatum fuisse istum cetum oportuisset. Nam quod rerum naturalium scriptores tradunt, ob pinguedinem, cum adoleverint, incipiunt cæcutire imma cete, ideoque ductore pisce opus habent. Quemadmodum *Ælianus* l. 2. c. 13. Hist. An. *omne, fere*, inquit, *cetarium genus duce ad se moderandum eget, illisque ducibus ad videndum utitur. Is autem dux est, longus piscis, colore albo, capite prælongo, angusta cauda. Nam hic separatim ab illo nunquam navigat, sed ante hujus caput antecedens ipsius dux ac quasi temo existit. Et enim cuncta illi & providet & præsentit, caudaque extrema præmonstrat, singula tum horribilia formidolosaque exhibet, tum cibaria conciliat, insidiasque à piscatoribus positas signo quodam ostendit, atque quem locum propter magnitudinem illum adire non oporteat, præsignificat: ob nimiam enim pinguedinem ceti oculus efficitur ad videndum ineptus. Quod si iste pisciculus, quo ad necessaria utitur, perit, illi quoque pereundum est.* Quorsum etiam *Claudianus in Eutrop. respicit, quando inquit:*

Sic ruit in præceps amisso pisce sodali
Immensumque pecus parvæ moderamine caudæ,
Bellua sulcandas qui prævius edocet undas
Temperat, & tanto conjungit fœdera monstro.

Hunc ceti ducem pluribus describunt *Oppianus l. 3. Halic.* Ulyss. *Altrovand.* l. 5. de Pisc. c. 23. p. m. 341. & *Joh. Cornel. Uterverius* Aldrovandi collector, aliique.

Th. 6. Magnum itaque Jonæ piscem fuisse constat: Attamen *qualis iste fuerit, nondum est in confesso. Ulysses Altrovand. Philos. & Medicus Bononiensis* lib. III. de Pisc. cap. 32. *Rondeletius* l. 13. de Piscib. c. 12. & *Joh. Pineda* de Reb. Salom. l. IV. c. 12. *Drusius, & Georg. Horn. Com. in Sever.* p. m. 331. arbitrantur, piscem istum fuisse *Carchariam* seu *Canem marinum*, qui ab Italis, aliisque *Lamia*, item λάμνης vocatur, Plinio *Canicula*, Norwegis Perckfisch/ vel Porckfisch/ quasi porcus marinus, Anglis Doggefisch/ quasi canarius, aut caninus piscis, Germ. Hundfisch/ est ingens & voracissimus piscis, anthropophagus, rictumque oris & gutturis immanem habet. *Rondeletius testatur, se in Santonico littore Carchariam vidisse, cujus os & gula tantæ vastitatis erant, ut hominem commode potuerit capere.* *Gillius* quoque refert, *Nicenses* sibi testatos esse, se in canis ventre solidum hominem reperisse, & *Massilienses* in pisce loricatum hominem invenisse. Hinc *Marcus Antonius Bernia* restitutor Aldrovandi in ejusdem opere f. m. 381. ex suo Musæo rictum dentibus acuminatis instar circularis septi communitum expressit, talemque *Clariss. & admodum Rever. Dn. M. Gotfr. Christianus Bosius*, Fautor & Amicus meus honoratissimus, Lipsiæ in suo *Myriothecio Mirabilium Naturæ Operum* monstrare potest. Hinc conjectura convaluit, pro *Carcharia*, quia ingens piscis est, vastitate Thynnos superans, hominemque etiam illæsum recipiens.

Th. 7. Ast B. Dn. D. Wolfg. Franzius Hist. Anim. Tr. III. c. 2. de Cetis p. m. 616. aliique nostrates Theologi ac Philosophi existimant, fuisse *Cetum seu balænam aliquam magnam*, ideo scilicet, quia expresse à S. Matthæo nominatur κῆτος. Ita quoque LXX. reddiderunt, καὶ προσέταξεν ὁ κύριος κήτει μεγάλῳ. Et vicissim καὶ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους. Chald. & Syrus nomen piscis commune retinent. At κῆτος *Dan.* 3:29. *proprie pro balæna* accipitur. Et ne quis putet, dicatque cum prioribus autoribus, nomen κήτους *esse generalius, quemcunque grandem piscem significare, adeoque etiam carchariam sub se complecti*, notandus est locus ex *Homero, ubi* κῆτος *Caniculæ* contradistinguitur. Est is Odyss. μ.

Δελφῖνάς τε κύνας τε καὶ εἴποτε μεῖζον ἕλῃσι
Κῆτος, ἃ μυρία βόσκει ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη.
Delphinosque canesque & sicubi majorem capere posset
Cetum, quæ infinita alit gemebunda Amphitrite.

Et quia talium cete magna copia in mari magno fuit, facile etiam nos credimus huic Sp. S. literæ, quod κῆτος non λαμία, aut Canicula fuerit, qui Jonam deglutivit Prophetam.

Th. 8. Cæterum cum vicissim sex Cetorum species connumerentur ab Ichthiologis, *Balæna, Pristis* vel orca, Wallschwein/ *Physeter* Wallsprütze/ *Delphinus*, Meerschwein/ *Phocena* brevior delphinus, *Phoca* Meerkalb/ ut est apud Franz. H. A. tr. c. 3. p. 621. nos hic certi quid determinare non possumus. Tutius tamen esse putamus, manere apud Balænas, utpote quæ magnitudine alia superant. Testatur *Olaus M. de Piscib. Monstros. l. XXI. cap. 15. & 16.* Monstra marina aquilonaris cœli adeo ingentis molis esse, ut in littus abjecta exesis prorsus eorum carnibus, nudatisque ossibus quasi *quædam naves optime lignis compactæ videri possint.* Quin etiam si pronum jaceat piscis cadaver, *ampla domus vicem teneat fenestris superne confectis hinc atque hinc cubiculis dispositis, portis etiam fabrefactis, & occlusis ex ipsius piscis maxillis.* Tanto totius familiæ inhabitantis commodo separatis habitaculis, ut supersit, & *gallinis suibusque & equo alendo locus.* Simile quid *Strabo lib. XV. & Plin. l. IX. c. 3. narrant.*

Th. 9. Istud adhuc hic annotandum esse videmus, quod cum προσθμὸς Jonæ jussu DEI Prophetam in Aridam removeret, non sine singulari DEI directione factum sit, ut ad littus appelleret, Jonamque in siccam tellurem reponere posset, ceto nec hærente nec manente in ripa aut arida, sed gradum in abyssum resumente. Cum alias compertum sit, quod si propius grandia cete accesserint, via iis potissimum occludatur propter magnam molem & gravitatem. *Zonaras Græcus* autor narrat, quod imperante *Justiniano Byzantii* cetus sit captus, qui incolis ultra quinquaginta annos molestus fuerit, quem *Torphirium* appellarunt. *Is quoties apparebat, multas naves submergebat, hominibusque exitium afferebat, qui, cum multis machinis peteretur, eæque omnes essent irritæ, tandem in prosequendis Delphinis captus est, qui, cum prope terram confugissent, impetum ille non inhibuit, donec proxime terram provectus in uliginem & profundum lutum incidisset, unde emergere non potuit, & sic confectus funibus qua crassior erat, alligatis boum jugis in terram pertractus est.*

CAPUT III.

De terra continente & ripa, in quam Propheta deportatus & ejectus est.

SUMMARIA.

1. *Arida &* ξηρά. 2. יבשה. 3. *Notat tam mediterraneam quam ripaticam terram.* 4. *Non est littus Ninives.* 5. *Nec ponti Euxini; cujus nomen, accolæ, descriptio, refutatio.* 6. *Non sinus Issici. Issus postea Nicopolis.* 7. *Non Seleuciæ.* 8. *Non maris rubri.* 9. *Sed vel Syriæ.* 10. *Vel palestinæ littora.* 11. *Nominatim ad ripam Joppensium.*

§. 1. T*Erminus ad quem* Propheta Amithaides deportatus, & in quam evomitus est, vocatur ab ipso communi nomine יַבָּשָׁה *Arida.* Hæc enim ejus sunt verba:

ויקא את־יונה אל־היבשה

Et *evomuit (piscis) Jonam ad Aridam.* Et quoque *Chaldæus Paraphrastes* reddidit יַבֶּשְׁתָּה. *LXX. viralis quoque* versio habet: καὶ ἐξέβαλεν τὸν Ἰωνᾶν ἐπὶ τὴν ξηράν.

§. 2. Est autem הַיַּבָּשָׁה *sing. fœm.* cum ה Emphat. quod habet regulariter (-) seq. dagesch à R. יָבֵשׁ *aruit, exsiccatus* fuit. Dicitur autem *terra seu continens* יבשה ab exarendo seu exsiccando; *quia*, dicente Domino; ותראה היבשה, *terra ab inundantibus aquis liberata est, & in usum hominum & animalium* terrestrium *primum sicca apparuit.*

§. 3. Eo autem nomine in sacris venit *non tantum continens*, etiam mediterraneus terræ tractus, ut Genes. 1: 9. Dan. 2: 9. Gen. 8. pass. Psal. 95: 5. sed etiam *terra ripatica*, ad quam maria & stagna alluunt, affluuntque Jon. 1: 13. Psal. 66: 7. & potissimum Jon. 2: ult.

§. 4. Quod autem littus, aut quis terræ tractus fuerit, in quem cetus JONAM exspuit non convenit satis inter Authores. Namque (1) *Sulpitius Severus l. 1. Hist. Eccles.* p. m. 232. ex *S. Gregorio l. VI. Moral. c. XII.* arbitratur Jonam esse expositum in *littoribus Ninivitarum.* Sed istud arguit ignorantiam Typographicam. Ninive enim non est ad littora maris magni seu Mediterranei, sed ad Tigrim, in quem ex mari mediterraneo nullus est transitus, nisi terrestris, quem conficere cetus non potuit. *His igitur non minus ridiculum se Geographis præbet Sulpitius, atque Diotymus Strombychi filius, qui è Cilicia per Cydmum in Choaspen fluvium, qui Susas præterfluit, se navigasse scripsit* uti ex Strabonis l. 1. Geogr. Hornius inquit p. 232.

§. 5. Flav. Josephus lib. IX. Antiquit. Jud. c. XI. statuit, ex Joppes portu in pontum Euxinum portatum, in ejusque littora eructatum esse. Verba ejus hæc sunt: Τὸν δὲ λόγον, ὑπὸ τοῦ κήτους καταποθέντα τρεῖς ἡμέρας καὶ τοσαύτας νύκτας εἰς τὸν Εὔξεινον ἐκβρασθῆναι πόντον, ζῶντα καὶ μηδὲν τοῦ σώματος λελωβημένον. Hunc sequuntur plures ex veteribus, neque pauciores ex recentioribus *Isidorus Clarus Brixianus Comment. super Jon. Joan. Cathardus, Carolus Sigonius Comment.* in Sulp. Sev. Hist. Sacr. p. m. 818. *Henr. Bunting.* p. 1. f. 190. aliique. Secundum istos itaque talis JONÆ fuisset

Diaplus Balænæ, cum Prophetam non procul à Japhan deglutisset, fuisset per integrum mare *Syriacum*, *Phœnicium*, *Cilicium aut Cyprium*, *Pamphilium*, *Rhodium*, *Carium*, *Lycium*, *Jonium*, *Lydium*, *Mysium*, *integrum Ægeum* (*Archipelagum*) *per Hellespontum in Propontidem*, *& ex Propontide in Pontum Euxinum* eundum, via marina admodum vagabunda, anfractuosa, & ultra CCC. millaria longa. Est enim pontus Euxinus, qui hodie *Mare Majorce*, seu mare Euxinum vocatur. Olim dictus fuit πόντος ἄξενος i. e. mare inhospitale propter primos habitatores inhospites, *qui peregrinantes lædere & trucidare, imo ex craniis eorum pocula in usum potationum facere solebant*, apud Strab. lib. VII. Sed postmodum à Græcis & Jonibus victi mitiores facti sunt, hospitiaque præbuerunt transeuntibus, inde nomen πόντου εὐξείνου i. e. hospitalis maris accepit. Quo de etiam *Ovidius l. IV. Trist. Eleg. IV.*

Frigida me cohibent Euxini littora ponti,
Dictus ab antiquis axenus ille fuit.
Nam neque jactantur moderatis æquora ventis
Nec placidos portus hospita navis habet.
Sunt circa gentes, quæ prædam sanguine quærunt,
Nec minus infida terra timetur aqua.

Accurate descriptus est apud *Plinium* l. IV. c. 12. ap. 191. seq. & l. VI. c. 1. p. 242. & ab *Arriano in Periplo* suo. Quæ opinio *præter autoritatem Josephi* nihil certe probabilitatis habet. (Quanquam etiam *Josephus* non ex sua sed *aliorum traditione, idque satis dubitanter* dicat.) Nam præterquam quod *admodum distans sit* locus, & triduano itinere à pisce prælertim magnæ molis, & ejusmodi, qui tarde in maris littoribus natare solet, vix adiri potuerit, istud quoque incommodum habet, quod *longius distet à Ninive, quam ullum aliud littus*, interque quod longe patentissimæ regiones interjacent *Colchis, Iberia, Taurus, Albania, Armenia*, quæ omnes prius pererrandæ & superandæ erant, jam antea satis afflicto & mœstitiæ plenissimo Dei viro. Jam autem verosimile non est, Deum voluisse longissimo itinere prophetam delassare, sed brevissimo anticipare Ninevitarum malitiam & securitatem. Imo ista loca *omnia perambulanda fuissent, ut rediret Jonas Hierosolymam*, & illinc demum vicinior quærenda ad Niniven via, ut paulo post demonstrabimus.

§. 6. Hinc alii propius accedunt ad sinum scilicet Issicum, seu Issæum, i. e. ad littora Ciliciæ, quod facit Drusius, quem sequuntur *Christoph. à Castro in Colleg. Complutens. Soc. J. Lit. Prof. Comment.* in Jon. fol. 279. *D. Gabriel à Costa in Conimbr. Acad. S. S. Liter. Interpres, in Jon. cap. 2. tr. 12. §. VIII. p. m.* 513. *Martinus Opitz* in Jona p. m. 59. & ante eos *S. Eustathius Dionys. Alexandr.* Interpres. Iste sinus *Issicus* apud *Ptolom. T. IV. Asiæ* ita dicitur ab *Isso*, incluta Ciliciæ urbe non procul à monte Amano, ad quam Alexander Darium vicit, unde etiam ab ipso postmodum *Nicopolis* dicta est. Sed hæc sententia hoc incommodi habet, quod remotior sit Issus à sancta Solymorum urbe, ad quam ante secundam ablegationem Prophetæ erat remeandum.

§. 7. Quidam ad *Seleuciam* Jonæ ejectionem collocant, unde per Syriam & Mesopotamiam per CXXXV Leucas ad Niniven discurrebatur. Hæc *Seleucia* est urbs in confinio Syriæ & Ciliciæ, ad prima maris Syriaci littora, cujus meminit Strabo lib. XI. & XV. quam Stephanus *Seleucobelum*, Ptolomæus *Pieriam*, Niger *Soldino*, Olivarius *Soldi*, alii aliter nominant. Sed hæc sententia eodem incommodo, quo prior, laborat.

§. 8. *Joh. de Pineda l. IV. de Reb. Salom.* cap. XII. & *longissimum & plane impossibilem facit Jonaiticum Diaplum*, dum putat, Prophetam post eructationem piscis attigisse *loca & littora maris rubri*, quod tali pacto factum fuisse oporteret, ut piscis celeriter natando & plus quam volando mare *Syriacum, Ægyptiacum, Carthaginense, Atlanticum, totum Æthiopicum, & vicissim Melindanum, Ægyptiacum & Erythræum super promontorium B. S. emensus sit*, & ad ripam seu continentem Idumææ Prophetam exoneraverit. Idque ex fide fabulosorum Rabbinorum. Ita enim *R. Salom. ostensum est Prophetæ mare caricosum, & quomodo transiissent Israëlitæ per medium ejus. Erant enim illi pisci septem oculi, qui Jonæ totidem fenestrarum usum præbuerunt, & per illos contemplabatur & videbat quicquid in mari erat.* Rationes hujus sententiæ in compendium relatæ hæ sunt (α) quia Jonas ipse cap. 2: 6. ait. סוף aperuit caput meum, quod est mare rubrum seu algosum (β) quia Carcharias est piscis velocissimus, adeoque potuit intra triduum in sinum Arabicum penetrare (γ) si fuisset in littoribus Palæstinæ efferendus, triduo & trinoctio opus non fuisset, ad remanendum in ceto (δ) quia Ninive proxima est portui Arabico. Sed ad (1) in promptu est responsio, quod סוף hic non præcise mare rubrum; sed *juncum seu juncetum, seu algam marinam* significet, quæ ejus capiti velut fascia fuerat, dum eum cetus secum calamis, qui in imo maris nascuntur, implicuit, quales non tantum in rubro, sed etiam in mediterraneo mari plures nascuntur. *Ad 2. de Carcharia pisce* dubium magnum est an fuerit Jonæ vector: Quod si fuisset, nulla tamen velocitas tanta esset, quæ tanrum iter triduo absolvere potuisset. *Ad 3. Triduo opus fuit non ad cursum è mari mediterr. in Euxinum aut Erythræum mare, sed ad figurandum Christi triduanam* in medio terræ durationem. *Ad 4. Quæ ista brevitas*, primum redire ex Idumæa Hierosolymas, & illinc demum descendere in Niniven?

§. 9. *Georg. Horn. in Sulp. Sev.* p. m. 232. *Quid obstet*, inquit, *quo minus eum ad eadem, unde digressus, Syriæ littora ejectum statuamus?* Quanquam in eo à constanti sua opinione recedat, quod cum prioribus ad Ciliciæ quoque ripas regrediatur. Eo tamen propius locum Aridæ attingit, quo propius ad Joppensium portum appropinquat.

§. 10. Hinc ultimi Jonæ DIAPLUM circulariter irregularem, & irregulariter circularem facientes ad littora *PALÆSTINÆ* ejus recursum alligant. Ita enim *Johan. Coccejus in* Δωδεκαπροφήτῳ suo p. m. 272. *Verosimile est*, inquit, *in eam terram ejectum esse Prophetam, ubi miraculum manifestaretur, unde venerat, in quam nautæ navem appellere gestiverant.* Jon. 1: 13. Cum quibus faciunt etiam *Joan. Mariana, Corn. à Lap. f.* 407. *& Christoph. à Castro* fol. 298. &c. Et fateor non absona mihi videtur hæc opinio propter sequentia scil. argumenta 1. *quia brevissimum & notissimum iter ex Palæstina & Judæa* in regnum Nini erat, in quod ejecto Dei viro erat remeandum, quod & tutius, & celerius, & maturius absolvere poterat, ex Palæstinorum, quam ex ullo alio littore. 2. *quia commodissimum erat Prophetæ Hierosolymas reversuro, ibique vota sua, quæ in balanæ utero conclusus voverat, exsoluturo. Nullus enim adducor, ut credam, Jonam vota dedisse, data non solvisse*, eoque impietatis relapsum esse, ut post tam mirabilem sui conservationem gratus erga Deum non extiterit, atque suis desideriis cetaceis non satisfecerit, cum id præstiterint nautici viri alioquin remissioris pietatis & religionis fere nullius homines, ut ad calcem capitis primi Propheta ipse ait. *Multo minus persuadere* mihi possum, *Jonam prius ivisse ad Ninevitas, iisque pœnitentiam prædicasse & tum demum reversum Hierosolymas, vota in ceto facta Deo persolvisse.* Cum maluerit ad vota & hostias festinare, quam eadem ultra XL. dies differre. Ultra XL. inquam dies. Nam aliquot dies Niniven proficiscens, totidemque illa domum rediens, & aliquot ibi extra pomœria & territorium urbis manens exspectansque interitum Niniveticum impendebat. *Omnium denique minimum credo, quod vota sua alio, quam in sancto DEI templo persolverit*, utpote qui erat ordinarius sacrificiorum, votorum & hostiarum offerendarum locus. Hinc quoque absentes ad istud oculos convertebant precantes, & ipse Propheta avidissime templum Domini respicere gestiverat, utpote quod היכל קדשך templum sanctitatis tuæ (Domine) vocat cap. 2: vers. 5.

§. 11. Utut igitur *specialiter determinare non possimus, in quam Aridam sit dejectus Propheta noster, convenientissimum tamen est, si dicatur ad ripam, ex qua navigarat, non quidem præcise in portum Joppes, sed tamen ad littora Joppensium*, ubi balænæ non una opportunitas stagnandi data fuit. Est enim, ut id coronidis loco adjiciam, *Joppe ad arduum & saxosum littus sita, prope promontorium Bala*, in solo campestri & fertilissimo. Dicitur in Jona nostro יָפוֹ item 2 *Paral.* 2: 16. *sect. Esd.* 3: 7. scribitur יָפוֹא ex Rad. יָפָה *pulchrum esse*, quia ex ea in campum *Saron & amœnissimum* excurrebatur. Fuit *portus oportunissimus*, quod ex 2 Paral. 2: 11. libris Macchabæorum, & historiis belli Sacri manifestum fit. Quo de plura alia notatu digna in Etymologico *magno, Plinio Pomp. Mela, Hornio ad Sever. Hieron. de Locis Ebraic. Adrichom. Theatr. T. Sanct. in Dan.* p. 23. legi possunt. Nos hic subsistimus & dicimus.

SOLI DEO GLORIAM!

M. CHRIST.

M. CHRIST. WEIDLINGT
DISSERTATIO
De קיקיון ad Jon. IV: 6.

הקדמה:



A quæ R. Abarbenel in Comm. ſuo ad Prophetæ Jeſaiæ cap. נה p. m. פג notavit verba: בחקירה פלוסופית אינה לשבע כל הנפש לא תמלא ולא תסתפק בה אבל תמיד ישארו מימנה ספיקות ולכן הפילוסופים האחרונים סתרו דברי הראשונים ובטלו דעותיהם לפי שאין בעיון המחקרי שבעה *In contemplatione Philoſophica nulla ſaturatio, nulla anima in ea ſufficientiam invenit, ſed perpetuo remanet dubia in ea. Et ideo moderni Philoſophi rejecerunt verba veterum & refutarunt conceptus eorum quoniam in ſpeculatione hac nulla ſaturatio*; nos tanquam mutuo accepta ad hodiernam etiam optimo jure applicare poſſumus Philologiam. Quæris cur? Faciem aſpice Diſputationis noſtræ, & conſenties. Vocabulum enim exhibet cujus ſonus facilis, certus Res; difficillima, dubia. Tentarunt Philologi explicare, implicarunt tamen novis ſemper involucris, adeo ut tot deprehendas ſenſus; quod capita. Sic Lux Sacra nubeculaſſet fovet; abſit in iis ad fidem ſpectantibus. Quid אכרך? Multi dicere optant; pauci edicere valent determinate; Imo fere nullus. Volvamus ſcripta æque Rabbinorum cæterorumque Philologorum; revolvamuſque ea, quid lucri inde? Unus donat quod omnes poſſident, conjecturas, incerta, dubia. Sic & de Kikajon Jonæ; Ubique de umbraculo ſcribitur Jonæ, id vero dum comprehendere putas, umbram apprehendis. Attamen ſi ſæpiſſime impoſſibilia movent appetitum, quidni & difficilia & dubia? Allicit enim nos ſtudii Philologici amor è dubiis probabilia elicere, atque ᵹ קיקיון naturam in quantum fieri poteſt hiſce paucis exponere pagellis. Oportet autem nos ante omnia certos ponere limites, memores illius Rabbinici, quo נפש הדברים ויפה פיה מערכת h. e. *Rerum quaſi anima & pulcherrimum quid ordo*, ſapientiſſime pronunciatur. Siſtimus igitur B. L. duo Capita, quibus rem totam comprehenſuri ſumus, quorum prius Ὀνοματολογίαν offeret ſc. Definitionem nominalem quæ exprimunt; poſterius vero πραγματολογίαν hoc eſt, Rem ipſam, ubi in diverſas primum inquiſituri ſententias de improbabilibus rejectis, probabilem eligemus ejuſque Definitionem qualemcunque ſubnectere promittimus, Numen annuat cœptis noſtris!

בשם השם:

CAPUT I.

Exhibens

Ὀνοματολογίαν.

§. I. CUm nullas Ebrææ literaturæ ferme deprehendatur vox, cui non debitum inhæreat pondus, vel ut Rabbini loqui amant: שאין הרים גדולים תלויים בה *à qua non maxime montes pendeant*; ab ipſo nomine primordia ut capiamus non inconſultum fore putamus.

§. II. Sicuti vero de re ipſa maximæ inter Philologos lites atque digladiationes; ita etiam nomen hoc natales ſuos unde repetat quotidie novas in Philologorum caſtris audimus diſceptationes.

§. III. Sunt enim nonnulli, qui קיקיון volunt derivare à verbo dupliciter imperfecto נקה purus fuit, ita ut ultima primaque radicali abjecta, media לקוק העינין ad corroborandam ſignificationem ut R. Ben Melech in Michlal Jophi loqui ſolet, duplicata, augmentum in fine aſſumatur. Patrocinari vero præter poſitum Conſonantium ipſis videtur ſignificatio radicis modo allata, cum fructum hujus arboris tam egregiæ fuiſſe pulchritudinis comminiſcuntur, adeo, ut nulla prorſus macula in illo deprehenſa fuerit.

§. IV. Verum enim vero, ut jam nihil moneamus de neglecta prorſus Analogia Grammatica, quæ נ in ק per Dageſch forte compenſare jubet, vid. Schickard. Horol. Reg. XXXVII. p. m. 39. urgemus tamen tantum quoad ſignificationem, magis alluſionem, quam derivationem genuinam eſſe appellandam. Sane nulla enim radix inveniri poterit, à qua non tertium aliquod elici queat, quod cum alia lingua remotiſſima etiam habeat commune. Sicuti egregie inter linguam Grœnlandicam & Latinam convenientiam oſtendit Oleanus in Hodœp. Ruth. Perſ. pag. 171. Ebraicam & Latinam David Cohen de Lara in עיר דוד, Arabicam & Latinam, Perſicam & Latinam, Æthiopicam, Ægyptiacam & Latinam & Armenicam, Latinam &c. & ex his Autoribus prolatis omnibus Magnific. Dn. D. Pfeifferus Patronus atque Præceptor noſter ætatem colendus in Critica S. Cap. III. Sect. II. q. I. §. 5. pag. 54. ubi libris deſtitutis exemplis ad oculum demonſtravit.

§. V. Alii proximius ad veritatis callem accedere ſperantes, aliam ſuppeditant, priori ut ſpuria neglecta, derivationem, deducendo illud ab inuſitata radice נקק à qua poſtmodum deſcendit נקיק Foramen vid. Lex. Buxtorff. Min. pag. 486. Rationem ſtatim ſubminiſtrantes, quoniam caule cavo foraminibuſque prædito procreſcere ſoleat. Provocant autem potiſſimum ad Mathiolum, qui teſte B. Tarnovio in Comment. ad h. l. pag. 128. *ſeqq.* ex Dioſcorid. Lib. IV. cap. 164. eorum ſententiæ robur addere videtur, quando inquit: *Arbor provenit (intelligit קיקיון) ramis caudicibuſque cavis in arundinis morem, ſemine in ovis aſperis, quod corticibus erutum ricinum animal repræſentat.* vid. l. c. Hodie vero ad Dieterici Antiquit. Bibl. recurrere poſſent, qui ad Jonæ IV. cap. v. 6. pag. 734. ſeq. memorat; ſe vidiſſe in *horto Leidenſi Americanum Ricinum (ſeu kikajon) conſtantem caule cavo.* &c. vid. ibid. plura.

§. VI. Verum enim vero, quibus ſuperior radix laborabat difficultatibus, eas & in hac præſenti notare valemus; adeoque ea ferme quæ ſuperioris ſententiæ Patronis objecimus repetere haud timemus. Negligitur enim non modo Analogia Grammatica, verum etiam ab accidenti multis aliis arboribus communi (puta cavitate) ad hoc in ſpecie argumentari cupiunt Individuum, quod ſana prohibet Philoſophia.

§. VII. Nec video, quomodo ſatis commode locum invenire queat ea derivatio, cui etiam ſubſcribere videtur Megalotheander noſter Lutherus in Explicat. & Verſ. Jonæ, primum Wittebergæ edita, quæ קיקיון pro diminutivo habendum eſſe aſſerit. Ita enim verba ipſius fluunt: Uber der Wilden Rüben / die auff Ebreiſch Kik und hier Kikajon heiſt ein Kicklein oder kleine Kicken / haben ſich vorzeiten die Lehrer wohl verſuchet rc. vid. plur. ibid. cum jam in confeſſo קיקיון ad voculam קיק Talmudicam non ut diminutivum, ſed ut terminum omnino æqui pollentem atque ſynonymicum eſſe referendum.

§. VIII. Probabilem vero tueri ſententiam exiſtimant illi, qui natales ſuos debere aſſerere haud verentur radici קוא Vomere, à qua poſtmodum ſecundum illorum aſſertum קיא originem trahat ſuum annuente Buxtorff. in Lexic. Ebr. Min. p. m. 668. & 678. & voce compoſita literiſque geminatis קיקלין, ex qua קיקיון emergat. Ducuntur vero hac potiſſimum ratione, quoniam grana ricini certo numero deglutita vomitum certiſſime cauſent. vid. Dieter. Antiq. Bibl. l. c. Huic ſententiæ

ad-

adstipulatur Marcus Mar. in Arca Noæ Tom. II. fol. 135. quando infit: *Seminis hujus est illud proprium, quod accepto certo granorum numero vomitum provocare soleat, præter alias ejus vires, quod si verum est fortasse Ebrais dicitur Kikajon quasi Vomitorius vim vomendi præbens à radice* קיא *ex qua derivatur &* קיא *vomitus. In hoc vero prima radicalis ad augendam significationem duplicatur, quod etiam atque etiam notis velim.* Hæc ille. Cæterum videatur B. Dn. D. Olearius **In der Biblischen Erklährung** ad h. l. Jonæ p. m. 1012. Maxime Reverendus Dn. D. Pfeifferus in Prælect. in Jon. 4: 6. Buxtorff. l. c.

§. IX. Attamen nec hæc originatio, salva virorum illorum quibus arridet autoritate, nobis ad palatum esse potest: Ultima enim Radicalis verborum ל"א in deductis nominibus in singulari abjici haud solet ut verbis utamur *Max. Reverend. Dn. D. Pfeifferi in Disput. de Teraphim, nunc Exercitationibus Biblicis inserta, ubi simile exemplum legere poteris.* Præprimis cum non constet ex quo fundamento ל rejici ex voce קיקלון queat, nisi ad Syncopen recurrere velimus. Imo קיקלון hoc modo vi compositionis non nude Vomitorium exprimeret, sed talem qui conjunctam semper haberet ignominiam, quod absurdum esse duco. Præterea Vomitum causare, quis mortalium pro propria virtute ל קיקין habebit? cum omnes ferme Botanici illam aliis etiam herbis atque arbusculis tribuant.

§. X. Si vero calculum nostrum certæ addere jubemur sententiæ, potius à partibus eorum stamus, qui ad filias excurrunt radicemque mutuo quasi ipsis datam repetunt: Nam hoc licitum esse Magnif. Dn. D. Carpzov. Patronus æque ac Præceptor noster submisse colendus in aurea ostendit Disputatione de Simia Aurea: *Etymon, dicens, ex usu radicis in lingua Ebræa inusitatæ Arabico derivare* (licet) *&c. non quasi ex Arabica radice nomen hoc Arabica lingua antiquius descendat, sed quia radix apud hos solos superest, vid. omnino l. c. in quo exemplo* ארץ *probatum invenies, & Magnif. Dn. D. Pfeiff. in Disputatione supra laudata, quando sic loquitur: Lingua Ebræa à filiabus suis id, quod antea habuit & temporis progressu amisit optimo jure pro renata repetere potest.* In subsidium autem vocant linguam Ægyptiacam, quæ umbraculum Jonæ per Kiki exponit, ita postmodum addita terminatione Ebraica ין קיקין emergat. Satis perspicue hoc etiam ostendit *Grotius in Comment. ad h. l.* Jonæ ין *dicens, in* קיקין *est additium.* Quod & asserere רדק putat *Polus* in Comment. ad h. l. Huc pertinet etiam judicium Edwardi à Leigh quod in Critic. S. nobis aperuit.

§. XI. Quamvis etiam vocabulum hoc teste סינ לתורה h. e. Masora, quæ suum annotavit ל & B. Strigenio in Concionibus supr. h. l. Jonæ habitis p. m. 897. hac in flexione nullibi amplius in Sacris pandectis reperiatur, nisi hoc in loco Jonæ; interim tamen quoniam קיק ratione significationis & ferme etiam soni conveniens ab hodiernis Philologiæ deditis diversimode accipitur; Sciendum, nobis hoc in loco sermonem esse, non quatenus Pelicanum avem exprimit, idemque est ac Ebræorum קאת de quo in Talmud. Hierosolym. in Targum Jonæ קקף & in Talmud. Babylonic. קיק: multo minus curæ nobis est quatenus virile membrum significat de quo בעל קיק mentulatus, qui dicitur in Mischna נגד vid. Buxtorf. Lex. Talmud. in Rad. קיק sed tantummodo quatenus Umbraculum Jonæ nobis sistit à Deo Prophetæ ad conciliandam umbram erectum.

§. XII. Hoc autem vocabulum קיקין variis in linguis atque Versionibus varie etiam explicatur. Ægyptiis judice Dn. D. Pfeiffero dicitur kiki quod in Lexico Arabic. Ibnscheichi κυκι & in Lex. Copt. κικι perperam scribi asserit Polus in Comm. ad h. l. Vid. Herodot. Euterp. Theomp. l. 16. Edwardus à Leigh. in Crit. S. Castell. Lexic. Heptaglott. pag. 3338. Arabes adhibent חרוע & præfixo Articulo אל (qui æquipollet Ebræorum ה"א הידיע Græcorumque Pronomini demonstrativo vid. Sennert. in Gram. Arab. Cap. V. ad Reg. II. annot. §. 2. p. m. 36. & Grammat. Harmonic. Nicolai Cap. XXVI. de præfix. ad Reg. I. annot. §. 2. p. m. 52.) dicitur אלחרוע. Merentur & verba ר"דק in Comment. suo sup. h. l. & in ספר שרשים quæ habet huc trahi: ופי' רבינו שמואל בן חפני סמוך עסב אנקיקא בלשון ערבי אל"כ רופ h. e. *Et explicat Magister noster Schemuel filius Hophni, quod hac herba vocetur in lingua Arabica Alcerva.* Hoc eodem in loco confirmat adducendo ex Talmude alium locum, ubi præposita definitione dicit: ושמו בלשון ערבי אל"כ"רוע & *nomen ejus* (scil. ל קיקין) *(dicitur) in Lingua Arabica Alcerva* vid. l. c. & supra Laudatos Autores fere omnes. Displicet tamen Edmundo Castello in Lexic. Heptagl. l. c. hæc appellatio, cum Arabes potius per קרע vocabulum קיקין interpretentur, quod ipsi contra assertiones Magnorum Philologorum relinquimus defendendum. Videtur tamen & Drusius favere huic assertioni in Comment. de Jon. 4: 6. Talmudici efferunt modo per קיק, sicuti scribitur in Traditionibus Juris ipsorum. *Cum quo accendunt Lucernas Sabbathicas? Non cum oleo &c.* ולא בשמן קיק & *non cum oleo* קיק. Pergunt, מאי שמן קיק *quid est oleum Kikinum? Reschlakisch respondet:* קיקיון דיונה *Kikajon Jonæ*, vid. Rabbi Kimchi l. c. modo per קלולבא Confer. ר"דק in Comment. ad h. l. & ס"ש. LXX. dicitur κρότων. Vulgata transtulit Cucurbitam quam fortasse ex Hieronymi Versione assumpsit. B. Lutherus retinere & cucurbitam **einen Kürbes** / voluit ad consulendum intellectui Auditorum.

CAPUT II.

Exhibens

Πραγματολογίαν.

§. I. Absoluta nunc qualicunque vocis explanatione ad rem ipsam pedem moveamus necesse erit, & quoniam de re dubia diversimodeque explicita non licet exstruere definitionem, prius diversas pensitare sententias animus est, ex quibus deinceps sequestratis incongruis aliqualem etiam subnectere promittimus definitionem.

§. II. Non vero inhærebimus eorum assertionibus, qui modo per Ficum, modo per Vitem albam, modo per aliud quid interpretari conati sunt, quos videre licet apud Excellentissimum Dn. D. Pfeifferum loc. cit. & B. Strigenium l. c. cum sane Spiritus S. longe aliis usus sit vocabulis, nec præterea ullum m. validum probationis fundamentum, cui innitantur proferre possunt, adeoque recensere eorum sententiam est refutare. Urgent quidem in crescendo celeritatem foliorumque magnitudinem docente Philologo Magno jam citato Dn. D. Pfeiffero in Dub. Vex. pag. 952. attamen, quæ conclusio, à convenientia aliquali ad omnimodam concludens? Debilis certe & cujus altera præmissarum multis instantiis subjecta, quod ad nauseam demonstrare nolumus.

§. III. Nec adeo solliciti erimus de novo illo nomine, quod Marcus Mar. Tom. II. fol. 135. excogitasse videtur, tribuens קיקין nomen Coloquinthæ, verba ejus hæc sunt: *De Kikajon dubitatur quid significet, quamvis certum sit esse arbusti speciem. Alii hederam, alii cucurbitam, alii Coloquintham interpretantur.* Quam ultimam appellationem novam putat nominis notationem; vid. Dieteric. in Antiq. Bibl. l. c. Ast si rem accurata ingenii lance perpendimus, deprehendimus Marcum Mar. aliquid humani passum esse, cum Coloquintha non videatur esse nomen distinctum à Cucurbita, ne quidem novum. Nam singulæ ferme literæ cum κολοκύνθη à LXX. adhibito, (quam vocem cucurbitam significare post alios notissimus Schrevel. in Lexic. Græc. p. m. 462. palam facit,) conveniunt. Si vero hac voce respicit ad 2 Reg. 4: 39. ubi mentio fit **Eines wildenRanckens von welchem Sie Coloquinthen gelesen.** tanquam assertum Textui repugnans infra cum Cucurbita refutabimus.

§. IV. Verum eas saltem delibare libet sententias classesque adire Autorum, quæ non leve, tam autoritate magnorum Virorum quam rationibus haud contemnendis sibi acquisivere robur.

§. V. Liceat autem primam assignare classem illis, qui posthabitis omnium aliorum rationibus probabilibus ἐπέχειν arripiendum censent, lubentiusque vocabulum ipsum ignotum Textui insertum retinere, quam quicquam probabile affirmare percupiunt. Sic B. Strigenius in Conc. Laudat. l. c. refert dari Rabbinos quibus non constaret qualis herba fuerit Kikajon adeoque ἐπέχειν amare. Cui asserto facile fidem dare possumus, si scripta perlustramus Talmudica, ubi illud ipsum ex locutionibus denticis propriisque verbis haurire licet. Quærentes enim קיק מיי *quid Kik?* responsionis loco reponunt verba ejusdem tenoris, nempe קיקיון דיונה *Kikajon Jonæ.* vid. ר"דק in Comment. alleg. & ס"ש. Post hunc Maxime Reverend. D. D. Pfeifferus mentionem injicit nonnullorum quibus ἐποχὴ arrideat in Præl. l. c. Huc trahendas esse haud dubito omnes istas Sacri Codicis Versiones, quæ vocabulum hoc קיקין sua lingua donare timuerunt illudque potius immutatum repetierunt. Occurrunt hic Genevenses & Helvetii, qui teste Dieterico loc. alleg. in versionibus suis verbum Kikajon retinuerunt. Horum vestigia & legere D. Resenium in interpretatione Bibl. Danicor. asserere non erubescit idem Autor. Observare hoc m. Targum inspectio Bibl. Buxtorff. evin-

evincere potest. Imitari & cupit Versio Gallica, in qua Kikajon literis immutatis præfixo saltem articulo Gallico *un* deprehendere licet. Constat hoc non tantum ex inspectione Bibl. Gallic. sed præterea suggerit nobis hoc Edward. à Leigh. in Critic. superius citata.

§. VI. Verum quanti æstimanda hæc ex odio quasi veritatis orta ἐποχὴ modo laudatus Autor in subsequentibus exponit verbis: *Miror, inquit, Gallicos (& alios omnes) Interpretes, qui vocem Ebraicam retinuere. Hoc non est interpretari, ponere quod nemo intelligit.* Postmodum tamen excusare eos videtur his verbis: *Sed forte Gallicus sermo hanc speciem arboris non habet. Nam palma Christi, quod in historia Christi plantarum est Latinum non Gallicum. Hoc si est, excusandi sunt, &c.* vid. plur. l. c. Verum hanc excusationem non adeo locum invenire posse, ex eo liquet, quod licet Gallicus sermo vocabulo, quo ex asse exprimatur, destituatur, notius tamen substituere aliqualemve analogiam involvens præstaret, quam repetendo obscura animos Auditorum suspendere. In hos simili modo invehitur S. Pater πολυμαθέστατος Hieronymus: *Si Ebræum*, dicens, *nomen Kikajon* (ut alii fecere) *posuissemus Lector bestias Indiæ & montes Bœoticos aut nescio quid monstri aut portenti sibi imaginaretur &c.* vid. Comment. supr. h. l.

§. VII. Secunda Classis nobis eos exhibet, qui קִיקָיוֹן pro Cucumere venditare haud dubitant. Quam improbabilis autem hæc sententia, adeo ut mediocriter etiam doctus illi fidem minime tribuat; non tamen destituitur Rabbinorum æque ac Doctorum Christianorum patrocinio. Ex his Mercerus in Notis ad Chald. Transl. Jonæ nobis hoc persuadere studet, eorum faciens copiam, qui acriter satis pro Cucumere dimicarunt. Illos autem nempe Judæos huic sententiæ esse addictos, ipsimet soricis in modum produnt, dum קִיק per פוג׳לול, quod Cucumerem juxta eos notare debet, exponere volunt. vid. sæpe cit. R. David. Kimchi in Comment. l. c. & ש״ס. l. c. Quid? quod deprehenduntur hodienum Rabbinizantes, qui per vocabulum Chaldaicum מקשא explicari posse garriunt.

§. VIII. Verum sive ad ἔτυμον vocabuli sive ad circumstantias in loco Jonæ à Spiritu S. per sacros Amanuenses consignatas flectamus oculos, nullibi quicquam invenimus, quod nos in assensum trahere valeat. De Etymo loquitur res ipsa, cum & significatio & literæ singulæ reclament, nec aliter de circumstantiis requisitis quoniam nullibi locorum inveniuntur, quæ ad altitudinem viri assurgerent umbraculique vicem subeuntes, nos contra æstum solis foliis suis defendere possent.

§. IX. Tertia in classe rigidos cucurbitæ invenimus defensores, qui Megalotheandri nostri Lutheri versionem (qui ut notum **einen Kürbiß** transtulit) propugnare, adversariosque secus sentientes refellere allaborant. Sine dubio autem B. Vir secutus est LXX. versionem, quæ κολοκύνθην posuit h. e. cucurbitam exponente Schrevel. l. c. cui etiam multæ aliæ assensum præbent Versiones. Sic teste Pol. in Comment. ad h. l. non Syriaca modo ipsi favet, sed Anglica etiam cucurbitam intendit, uti vocabulum quod in ea legitur nempe *Gourd* explicat Stephanus Skinner in Lex. Angl. Anno 1671. edito. Imo Pagninum & Forsterum hanc tueri explicationem fatetur Cornel. à Lapide in Comment. ad h. l. Et cui non nota est pugna illa cucurbitaria ab Augustino & Hieronymo suscepta, quorum ille sententiam hanc deserere non voluit, sed verbis & verberibus per asseclas vindicare annisus est, de quo certamine plura dare possemus, nisi otia nobis fecissent Summe Reverend. Dn. D. Calovius in Bibl. Anti-Grot. ad h. l. & Maxime Reverend. Pfeifferus in sæpe auditis Prælect. l. c. qui te ad Franciscum Rieberam ablegabit, ubi singulas circumstantias perlustrare licebit. Verba etiam pro retinenda cucurbita Giggium & Golium facere testis est jam allegatus Autor, l. c. p. 57.

§. X. Causam vero quæ veteres & modernos nonnullos moverit קִיקָיוֹן interpretari per cucurbitam edocet nos B. Strigenius l. c. in hæc erumpens verba: *Veteres transtulere cucurbitam, quoniam altissime surgit & umbram facit vimque habet frigefaciendi.* vid. pag. 431. Plura si delibare lubet vid. Clarisf. Edward. à Leigh. l. c. Non etiam desunt qui ad 2 Reg. 4: 39. excurrunt exindeque probari posse autumant, Kikajon Cucurbitæ Silvestri annumerandum esse.

§. XI. Monstrare vero cupientes, hanc explicationem non adeo commodam esse & magni faciendam, non quidem in subsidium vocare volumus Mercerum qui ex Hieronymo & Livelejo ad h. l. hac de causa cucurbitam non quadrare ait, quoniam cucurbita non esset vermibus obnoxia. Liceat nobis majoris lucis ergo huc illius verba exscribere: *Kikajon*, dicit, *non est cucurbita, quia hæc vermibus non est obnoxia, unde proverbium* ὑγιέστερον κολοκύνθης *Vivacior cucurbita*, vide sis plur. ibid. Nam ut jam silentio transiliamus miraculosam illam productionem, quam Biblia Vinariensia prætendunt (**wunderbahrer und geschwinder weise.** p. 895.) & Dn. D. Pfeifferus in Prælect. cit. loc. alleg. ad verbum וימן annotavit; ita ut qui potens rem miraculoso modo producere, ipsi & minime impossibile rem productam splendore suo privare suspenso influxu necessario, vid. Comment. R. Abarbenelis ad Jesaiam in quo ex vocabulo שרי deducit hanc potentiam; urgemus tantum discrepantiam, tum ratione Etymologiæ, tum ratione contextus, quæ satis notum facit, cujus monetæ sit hæc interpretatio. Quamvis etiam non inficias eundum ratione foliorum aliquo quadrare modo; non tamen exinde probari potest umbram præbuisse Jonæ, cum absque fulcro altum petere non possit. Quod B. Lutherum attinet, patescit ex ejusdem scriptis, illum magis ad vulgi intellectum quam ad omnimodam convenientiam cum re ipsa respexisse. Quæ etiam causa fuit cur LXX. vocabulum hoc κολοκύνθην transtulerint: Quia enim קִיקָיוֹן Græcis ignota igitur denominationem ex simili quærentes & proximo hanc amplexi sint vocem, uti eos excusat Polus in Comment. S. ad h. l.

§. XII. Ad quartam porro classem examinandam pedem si proferimus, quæ Hederam herbam notissimam assumit, Aquilam Symmachum & Theodotionem primos illius fautores offendimus. Horum vero vestigia pressisse Hieronymum videre est ex Comment. ejus ad h. l. dicit enim: *Nos Symmachum, Aquilam, Theodotionem secuti novo nomine Hederam vertimus &c.* vid. ibid. plura. Quam sententiam clarioris explicationis ergo ita propagavit atque propugnavit, ut rigorem atque calumnias adversariorum ne latum unguem quidem se dimovere ab ipsa passus fuerit. Quid? Quod tandem eo deventum, ut Concilium Tridentinum quamvis contra apertam veritatem Autorisque propriam intentionem hanc canonizare intenderit explicationem, judice Polo modo citato loc. cit. vid. Dn. D. Calovius Theolog. Consummatissimus in Bibl. Anti-Grot. l. c. Dn. D. Pfeiff. in Prælect. in Jon. l. c. Exerc. Bibl. p. 143. & Dub. Vex. Loc. LXXXIIX. p. 952.

§. XIII. Defensores autem hujus sententiæ duplicis esse generis ex fundamentis eorum non obscure elucescit. Alii saltem Hederam ut Analogicum quid defendunt, qui tunc temporis ob ignorantiam vocabuli aptioris Hederam substituerunt & per notam rem, ignotam ob oculos ponere sibi proposuerunt: In horum catalogo reperiebatur etiam jam laudatus Pater Hieronymus, qui ut & superiori §. monitum ad erudiendum Lectorem cupidum hanc Hederam ut herbam proxime accedentem ad Kikajon assumsit. Sicuti præter Polum §. præcedente citatum Cornel. à Lapide l. c. putat, Hieronymum קִיקָיוֹן ita appellasse, *non quod fuerit Hedera sed arbuscula vel herba vel frutex illi similis* in Comment. cit. loc. cit. Facit etiam verba pro Hieronymo Excell. Dn. D. Pfeiff. in Prælect. l. c. *Decantata*, inquit, *est D. Hieronymi & Augustini pugna, quorum hic inveteratam de Cucurbita defendebat sententiam, ille eandem impugnabat & hederam substituebat; non quod Kikajon serio putaret esse hederam, sed aliquid ipsi analogum.* Hunc excipit Dieter. in Antiq. Bibl. l. c. dicens: *Theander noster Lutherus accommodans se ad popularem intelligentiam, quod sæpissime factitatum meminimus, cucurbitam interpretatus est, sicut ipse Hieronymus Hederam, ut quia proxime putavit ad Kikajon accedere, posuit, cum tamen fateatur, hederam non esse.* B. Tarnovii si evolvimus Comm. l. c. prolixam etiam defensionem invenimus & quidem hujus tenoris: *Aquila, Symmachus & Theodotio, Hieronymus & Vulgatus Interpres Latinus hederam transtulit, non quod fuerit vel hedera vel Cucurbita sed arbuscula, frutex vel herba ipsi similis* vid. Comment. pag. 128. Nec dissimilia videntur verba Edwardi à Leigh in Crit. S. l. c. hunc in modum sonantia: *Hieronymus ostendit à se Hederam esse translatam, non quod idem esset, sed quod nomen Latinis notum & ad hanc naturam aliquo modo accedens, quoniam aliud non reperiret.* Non possum non repetere verba supra jamjam allegata, quibus Hieronymus translationem suam ipsemet excusat: *Nos novo nomine hederam interpretati sumus, ne si Ebræum nomen Kikajon posuissemus Lector bestias Indiæ & montes Bœoticos aut nescio quid monstri aut portenti sibi imaginaretur.* vid. Comment. sup. h. l.

§. XIV. Alii omnimodam urgere non verentur convenientiam. Hi quo colorem allinere possent asserto, tres ex Dioscoride corradunt Hederæ species, unam candidam fructu candido, alteram nigram, nigro & croci æmulo, tertiam Græcis

Græcis ἕλιξ dictam nullo fructu, ſed albis viticulis, foliis parvis anguloſis & concinnioribus. vid. Diet. l. c. Inter has tres ſpecies vero unam eſſe fingunt magnis ſuperbientem foliis, quæ non ſerpat ſed per ſe ſubſiſtens, creſcat in arborem, uti faciat Kikajon; & hac ratione convenientiam cum Textu S. omnimodam nobis exhibuiſſe exclamant. Conſulatur Pol. Comment. ad h. l. Huic argumento aliud ſubjungunt depromtum à qualitatibus Hederæ. Dicunt Hederam per naturam frigidam eſſe, quam igitur herbam magis commodam Divina providentia erigere potuiſſet ad arcendum Jonam à nimio ſolis æſtu? Ne vero probatio deſit, ſubnectunt eam ex Euripid. Cycl. v. 389. quod Cyclopes aliive uſi fuiſſent ſcyphis Hederaceis & præterea etiam Baccho cornua Hederacea fuiſſent aſſignata, ex nulla alia cauſa, quam ad innuendum Hederæ ineſſe vim refrigerandi. Porro etiam putant, ex hac cauſa Bacchi mulieres in comitatu ſertis hederaceis comparuiſſe, vid. Lucianum & Valerium Flaccum l. 2.

§. XV. Egregia ratiocinia! quæ uti lubrica, ita lubrico etiam nituntur fundamento. Nam quod prius attinet, non ſufficit dicere; hæc herba in tres ſpecies diſtinguitur & ex his tribus una arbuſculi in modum exſurgit, ſed probatio ſemper eſt ſubnectenda. Nam ſicuti veritas non à ſubjecto ſed objecto dependet. ita probatio perpetuo magis in pretio eſt quam aſſertio nuda; præprimis in illa re, ubi de ejus contrario certiores jamjam facti, adeo ut fidem largiri vix ac ne vix ipſi queamus. Jam dudum enim eluſit hanc aſſertionem Mercerus in Comment. ad h.l. ſequentibus verbis: Kikajon *non hedera eſt, illud enim ſuo ſe trunco ſuſtinet, cum adminiculis paliſque egeat hæc, ut altius conſcendat.* His ferme verbis contradicit etiam ipſis Diet. l. c. inquiens: Conſtituit *Hieronymus hederam, quæ fractior & imbecillior eſt, ut ſuis ſe viribus erigere & ſuſtentare poſſit &c.* His addo B. Tarnovium in Comment. l. c. *Cucurbita & Hedera repunt humi, quod huic loco non quadrat, nec ſine adminiculis altiora petunt, ſiquidem ignorante propheta una conſurgens nocte umbraculum præbuit Jonæ.* Quod concernit poſterius, putant quidem non inveniſſe quod pueri in faba, aſt revera invenerunt. Nam uti ſuperius ratiocinium rationis merum figmentum; ita hoc fabuloſum appellare audebo, quia fabuloſo nititur fundamento. Et quæſo, licet etiam aliquam ipſis tribuamus fidem, major tamen numerus eſt contradicentium fide dignorum, quam eorum, quos pro munienda ſententia adducunt. Sic Plutarchus faraginem Autorum collegit rem in utramque partem ventilantium, num frigefaciant num calefaciant incertorum 3. ſym. 2. pag. 674. Galeno mixtæ eſt naturæ 7. ſimpl. 29. Imo ſunt etiam nonnulli contrarium qui aperte aſſerunt magnam vim calefaciendi ipſi largientes. Ita refert Diet. l. c. aſſerere nonnullos, quod capiti nervisque adverſetur. Et quæ ſequela probationis egregiæ. Efformarunt è ligno Hederaceo Scyphos, E. frigefaciunt ligni hujus folia. Nonne de aliis rebus ſubſumere poſſem, quod materiam præbeant ſcyphis, quæ natura ſua calidæ ſunt.

§. XVI. Ultimæ tandem claſſi, quæ Kikajon per Ricinum haud improbabiliter interpretata eſt, non poſſumus non & noſtrum præbere aſſenſum. Igitur poſtquam fundamentis genuinis ſtabilierimus eam, exceptiones Adverſariorum ad emaſculandas nos conferemus.

§. XVII. Primum autem fundamentum deſumimus ab Etymologia & convenientia cum verſionibus, quæ quoniam ſupra abunde in cap. I. oſtendimus, crambem bis coctam apponere nolumus, vid. §. 9. Et quanquam ſine dubio ſint, qui cum Cl. Druſ. excipiant ad hoc fundamentum in Tractat. de Deliciis Rachaëlis affixo Comment. in Ruth. pag. 125. Etymologiæ non adeo fidem eſſe habendam, ut potius teſtem dicendam fallacem. Tamen ad hoc reponimus; Quidni Etymon argumentum poſſet præbere ſecundarium, præprimis ſi genuinum amplectimur? quæ Druſius ſibi de primario imaginatus eſt, nemo quæſivit. Ideoque etiam recte monet Clar. Liebentanz in Diſp. erudite conſcripta de Dudaim: *Cum vox alias obſcura eſt non nihil lucis juxta alia argumenta ad ſignificationem ejus expiſcandam afferre poteſt Etymologia; & ideo magis quoniam in ſancto hoc Idiomate ut plurimum ſignificantiora rebus impoſita ſunt vocabula.* vid. l. c. §. 8.

§. XVIII. Secundum fundamentum à Contextu deſumimus, qui quoad omnes circumſtantias hinc & inde per Diſputationem recenſitas favet Ricino noſtro. Sive enim attendamus (α) ad ortum; ex Plinii cap. XV. certi reddimur, Ricinum hodienum in Hiſpania repente provenire; Sive (β) ad altitudinem, Matthias Lobelius in Stirpium obſervationibus ex Carolo Cluſio pag. 392. refert, quod in Hiſpania ad fretum Herculeum viderit Ricinum humanæ craſſitudinis & trium hominum proceritate. Uti etiam Bellonius Ricinum ejuſdem magnitudinis contemplatus oſtendente Dieter. in Antiquit. Bibl. l. c. Sive (γ) ad foliorum latitudinem indeque provenientem umbram; Jam nominatus Dieteric. in eod. loc. teſtis eſt αὐτόπτης in horto Leydenſi plantarum Exoticarum locupletiſſimo Ricinum Americanum foliis ferme ſequipedalibus reperiri. Quæ cauſa etiam eſt cur à Vinarienſibus loc. cit. appelletur: **Ein breit blätterichtes Bäumlein.** Quod & Hieronymus cujus autoritas in hoc paſſu magni exiſtimanda, approbat, quando dicit: *Eſſe genus virgulti latis foliis ſuo ſe trunco ſuſtinens.* vid. Comment. l. c.

§. XIX. Tertium fundamentum exhibet nobis conſenſus multorum Theologorum, Philologorum, Rabbinorumque, qui & autoritate & rationibus confirmant atque approbant. Druſius in Comment. ſuo ad h. l. p. c. Ineptum eſſe putat nunc dubitare de arbore quam Dioſcorides Kiki vocat, Talmudici ק'ק. Nam (pergit) *Hieronymus prorſus omnem dubitationem tollit qui eam in Syria dicit vocari Elkeroa. Eſt certe Elkeroa nihil aliud quam Ricinus. Teſtantur officinæ & nos &c.* vid. l. c. Pertinent etiam huc B. Tarnovii verba in Comm. p. c. quibus nobis aſſenſum explicat ſuum, quæ hæc: *De voce* קיקיון *valde controvertuntur Interpretes, potius Ricinum quam Cucurbitam vertamus & hederam, quæ alias nomina ob ſimilitudinem ab aliis adhibita.* Conſentiunt & Dn. D. Calovius in Bibl. Anti-Grot. l. c. Dn. D. Pfeifferus in Exercit. Bibl. l. c. Dub. Vexat. l. c. Prælect. in Jon. l. c. B. D. Olearius **in der Bibl. Erklärung** l. c. Dietericus in Antiqu. Bibl. pag. 734. Caſtelli Lex. Heptaglott. l. c. Mercerus in Comm. ad Targ. Edward. à Leigh. in Crit. S. quæ quoniam non in omnium manibus digna videntur verba hæc exſcribi, ſunt autem ſequentia: *Nomen Kikajon quin ſignificet Ricinum nemo paulo doctior jam dubitat.* Hunc excipit Marc. Mar. in Arca Noæ Tom. II. fol. 135. D. Caſ. Bauhinus Medicus Baſileenſis qui in Pinace Theatri Bocanici Lib. II. Sect. V. pag. 432. Adolphus Vorſtius in demonſtratione publica & affirmavit Ricinum Jonæ fuiſſe in umbraculum, teſte Diet. l. c. Idem fecit Remb. Dodonæus in hiſt. Stirpium lib. 2. pag. 367. Martinius in Lex. Phil. B. Strig. in Conc. hab. ſup. h. l. p. c. M. Liebentanz in Diſp. citata. Conſentiunt & Talmudici quos collegit Rabbi Dav. Kimchi in Comment. cit. & in ש"ס. R. Aben-Eſra in Comm. ad h. l. & nonnullæ Verſiones.

§. XX. Sicuti vero Echo ſemper reclamando non defatigatur: ita etiam contrarium ſentientes, ne prorſus ſiluiſſe videantur, ad tria probationis fundamenta tria reponere allaborant. Et primum quidem vellicat eos Autoritas noſtri B. Lutheri, qui certe eſſet renovator noſtræ religionis, quem ſine injuria deſerere haud poſſemus, præprimis cum fuerit linguarum gnarus & in Ebræa præprimis literatura magnos fecerit profectus. Deinde contextum etiam invadunt, dicendo: Ricinum ad circumſtantias recenſitas non quadrare, cur? dici enim Vermibus fuiſſe obnoxium Ricinum, jam vero ex proverbio conſtare κρότωνα ὑγιέστερον Ricinum quam diutiſſime durare nec unica nocte perire. Tandem Cornelius à Lapide nugari etiam incipit, novam fingens hujus arboris qualitatem, ſcilicet eſſe herbam venenatam, conſequenter & umbram ejus. Repugnare igitur divinæ providentiæ ſervo ſuo umbram herbæ venenatæ conciliare. *Quis credat*, dicit, *Deum præparaſſe Prophetæ ſuo ad umbram faciendam herbam venenatam, cum ei ad manus eſſent tot aliæ ſalutiferæ?* vid. Comm. ad h. l.

§. XXI. Videntur quidem adverſariis hæc nodi Gordiani, nobis tamen reſolubilia, quoniam pro virili etiam ſingula extricare ſuſcepturi ſumus. Et in prima quidem objectione ſive exceptione potius, quod diſſenſum B. noſtri Lutheri attinet, verba ſuperius allata huc trahere libet, quæ ipſis de facili ſatisfacere poſſunt. Nempe diſtinguimus inter interpretari per id quod rei *omnino conveniens & quod Analogum, conveniens tamen Auditorio.* B. enim Pater poſterius tantum quæſivit ſeque ad popularem intelligentiam accommodavit, quod ſæpiſſime ab ipſo factitatum docente Dieter. l. c. Et quid? quod licet etiam in nonnullis deſeramus Interpretationem ejuſdem, non tamen propterea injurios in ipſum fore concedimus. Diſcernenda enim probe veniunt ea quæ ad fidem ſpectant, ab iis, quæ minime fidem concernunt. Kikajon ad fidem ſpectare ſive eſſe articulum fidei, nullus, niſi qui cerebrum in calcaneo geſtat affirmabit. Ideoque in his Lutheri ſemper arcte tenere veſtigia nulla nos urget neceſſitas abſoluta, præprimis cum linguæ magis magiſque expolitæ condidiorem ſæpe nobis concedant explicationem. Cavendum modo eſt, ne cum ſcandalo fiat infirmorum quod ſuadet Dn. D. Pfeifferus in Crit. S. cap. XIII. q. 2. pag. 478.

§. XXII. For-

§. XXII. Fortius quid ipſis ſtringere videtur primo intuitu ſecunda exceptio contra convenientiam cum circumſtantiis excogitata, quando ſcilicet ex proverbio: κρότωνα ὑγιέστερον Ricino ſanior inferunt: Ergo per קיקיון ricinus intelligi nullo poteſt modo. Verum quo difficilior ipſis apparet argumentatio, eo facilior nobis reſponſio. Poſſemus enim ſi Suidæ opinio ad palatum reſpondere, exponendo hoc proverbium non tam de Ricino Planta quam de Animali ſanguiſugo intelligendum. Vel ſi cum aliis facere luberet de Crotone urbe accipiendum eſſe diceremus, quæ ſaluberrimam fuiſſe conſtat ex Strab. Lib. VII. tum ex eo quod tot Athletas & inter eos Milonem protulerit. vid. Pol. Comment. ad h. l. Nec etiam præter neceſſitatem ad ſupernaturalem cauſam recurrere volumus. Idem enim facit qui in rebus ejuſmodi ad ſpecialem & extraordinarium influxum nulla urgente neceſſitate quaſi appellat, quam qui in Phyſicis occultas ſemper aſſerit novas qualitates; ſed uno verbo mentem noſtram ad enervandam hancce objectionem aperiemus, ſcilicet proverbium hoc intendere durationem, quæ ab intrinſecis oritur principiis bene diſpoſitis, qua tamen ab extrinſeco poſtmodum ſine magno labore poteſt privari, quod etiam hic Ricino per vermem obtigit.

§. XXIII. Silentio quidem prorſus præterire potuiſſemus tertiam Cornelii à Lapidis exceptionem. Interim tamen ne robur illius nos deterruiſſe putet quis; Dicimus, non ſufficere ſcribere hæc herba eſt venenata, ſed probatio ſubnectenda, præprimis cum nullum adhuc invenire licuerit, Cornelius à Lapide qui aſſenſum præbeat vid. Jonſt. Deinde poſito & non conceſſo Kikajon eſſe herbam venenatam, tamen connexio illa non ſatis firma nobis videtur Eg. & ejus umbra venenata; multo minus hæc: Si ejus umbra venenata Eg. non conceſſa Servo inobedienti & refractario in umbraculum ut pœnam in obedientiæ luat. Et ſi tandem hæc omnia permittamus exemplum Eliſæi de Colocynthi de Cornelio à Lapide opponeremus, quod omnes illius concluſiones emaſculare valeret. Vide ſis Plura in Quæſt. Druſii, qui ex profeſſo de hac controverſia ibi egit.

§. XXIV. Probato nunc Kikajon Jonæ per Ricinum eſſe interpretandum, argumentiſque aliter ſentientium diſcuſſis, nunc aliqualem etiam Definitionem ſubjungere neceſſum erit.

§. XXV. Non autem animus eſt novam hic ſuſcipere diſquiſitionem de genere, an Herba ſ. עשב ut Dieteric. l. c. & R. Aben-Eſra putat; An frutex ut Tarnov. in Comment. an aliud quid loco generis aſſumendum; ſed eligimus ſtatim cum B. Hieronymo Arborem omnium maxime ad circumſtantias T. quadrantem.

§. XXVI. Certi nunc de genere, de tota Definitione ſollicitos nos eſſe oportet. Ut vero varia circumportantur genera, ita etiam hunc in modum Definitiones multiplicari facili negotio demonſtrare poſſemus, ſi modo chartæ anguſtia permittere vellet.

§. XXVII. Quo vero & in hoc L. B. aliquantiſper deſiderio ſatisfacere ſtudeamus potiores adducemus tum ex Rabbinis tum ex aliis etiam Chriſtianis Autoribus, juſtiſſimam autem ſecundumque præcepta Logica informatam aſſumemus.

§. XXVIII. Primum ſe offert R. Schelomo Jarchi, qui in Comment. Rabb. ad h. l. Jonæ Kikajon definit h. m. קיקיון עשב גדול למעלה בענפים רבים ומיצל / וכך שמו h. e. *Kikajon eſt herba ſuperne habens multos ramos, quibus obumbrat, & hoc eſt nomen ejus.* Hunc ſequitur R. David Kimchi, qui definitionem à Jarchi exſtructam mutatis pauliſper verbis repetit & quaſi approbare cupit, quando hæc nobis propinat verba: קיקיון הוא עשב שתארכנה פארותיו ותגבהנה ועושה צל i. e. *Kikajon eſt herba ramos ſuos in longum extendens, in altum creſcens & umbram faciens.*

§. XXIX. Talmudica ſi adire volumus ſcripta, certe non denegabunt & ea ipſa nobis Definitiones arboris memoratæ.

§. XXX. Non autem operæ pretium eſſe duco ridiculam illam cujus ſupra cap. I. §. ult. mentionem fecimus adducere, quando in Gemara quærunt מאי קיק *quid eſt Kik? & Reſchlakiſch reſpondet*, קיקיון דיונה Kikajon Jonæ; Sed B. L. ad ר"דק Comment. l. c. & ש"ס remittere volumus, ubi varias ex ſcriptis eorundem collectas videre poterit.

§. XXXI. Longe tamen exactiores & majori cum diligentia exaſciatas evolvere licet apud Doctores Chriſtianos. Riebera & Sanchez in h. l. deſcribit, *quod ſit nomen commune arbuſtis, quæ brevi creſcant & frondes producant ad umbram faciendam.* Mathiolus ex Dioſcoride hanc depromit: *Ricinus eſt arbor parva, ficus ſimilitudine folio plantam &c.* vid. plur. ibid. Verum optima nobis videtur, quæ apud Hieronymum patrem rerum Exoticarum gnariſſimum legitur l. c. ſcilicet *Ricinus eſt arbuſcula latis foliis in modum pampini, umbra denſiſſima ſuo ſe trunco ſuſtinens in Palæſtina maxime locis arenoſis & ſata citiſſime in arborem propriis viribus conſurgens*, (*cujus ſemen maxime proficuum ad oleum*).

§. XXXII. Hanc definitionem à B. Tarnovio l. c. & Dn. D. Pfeiffero l. c. approbatam ſecundum præcepta Logica reſolvere ſi vellemus, offenderemus non tantum generis loco Arborem, ut terminum eſſentialiter ſuperiorem atque latiorem, ſed variæ etiam differentiæ, partim à forma partium & effectu earum, partim à loco tam generali quam ſpeciali p. à tempore ſ. modo creſcendi &c. elici poſſent.

§. XXXIII. Quod vero ultima attinet verba parentheſi incluſa, nos ex collatione Auth. aliorum adjecimus, quoniam etiam ſi conjunctim cum reliquis conſiderantur nobis differentiæ loco eſſe poſſunt. Equidem multi ſunt quos de hoc oleo verba facere haud piget. Dioſcorides l. 4. cap. 164. dicit *Kikajon eſt arboſus frutex ferens grana, unde* oleum expreſſum vocatur Κικίνον ἔλαιον: Hinc etiam Plinius l. 15. cap. 7. in recenſendis oleis hujus & meminit, inquiens: *Proximum* (*oleum*) *fit ex Cici arbore in Ægypto copioſa, Noſtri eam vocant Ricinum. Hoc oleum cibis fœdum lucernis emplaſtriſque utile eſſe* confirmat ſupra laudatus Dioſcorides l. c. Hujus etiam mentionem injiciunt Hiſtoriæ Hebræorum quod detur שמן קיק Oleum Kikinum; ſiquidem in Traditionibus Juris eorum hæc haurire licet verba: *Cum quo accendunt lucernas ſabbathicas?* לא בשמן קיק *non cum oleo Kikino*, quærendo pergunt: מאי שמן קיק *quid eſt oleum Kikinum?* Reſchlakiſch reſpondet קיקיון דיונה *Kikajon Jonæ* Schabb. cap. 2. vid. R. David Kimchi loc. cit. Herodot. l. 1. 792. Strabo Lib. XV. 7. Alii nominare malunt oleum de Kerva, quod apud Pharmacopolas celebratum, ſine dubio denominationem ab Arabico deſumentes, vid. Merc. l. c. ſed pervenimus ad littus, ideoque ב"ל"א.

JOH.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De gloria Templi ſecundi ad Hagg. II: 7--10.



Um incredula quondam & curioſa Judæorum natio (quam Sadducæis & Phariſæis tum temporis conſtantem, Dominus γενεὰν πονηρὰν καὶ μοιχαλίδα appellavit), miraculum auſu prorſus temerario poſtularet, præpoſterum illorum factum Salvatorem noſtrum acriter perſtrinxiſſe, & hoc eis cumprimis vitio vertiſſe, Matth. 16. legimus, quod faciem cœli diſcernere & ex ſignis quibuſdam ſerenitatem ejus colligere præſumerent, temporum rationem non item. Nempe cum non tantum ex miraculis, quæ plurima, & ne fando quidem audita, Dominus ediderat, & ſuiſmet oculis attoniti illi conſpexerant, ſed & ex vaticiniis Prophetarum in tempora illa quadrantibus percipere, atque adeo colligere debuiſſent, gratiæ tempus id ipſum eſſe, quo ſe præſentem Meſſias ſtitiſſet: tam prodigioſe illa nihilominus erant ſocordiæ & negligentiæ, ut quæ ſummam ſalutis ſuæ concernerent, inſuper haberent & ſuam induſtriam in longe minoris momenti, quin maximæ incertitudinis rebus, occupari mallent, quam iis, quæ ipſis cumprimis digna, & demum operæ pretium eſſe videbantur. Hanc peſſimam majorum ſuorum conſuetudinem recentiores Judæos adhuc dum ſectari, inde eluceſcit, quod in ſuis diſputationibus, quas frequentiſſimas in בתי מדרשות habere ſolent, illorum תלמידים & בחורים tantopere ineptiunt, ut non tam de vero & genuino ſenſu oraculorum divinorum, de Meſſia, ipſius officio & beneficiis diſſerant, quam de rerum quantumvis exiguarum uſu licito & illicito, adeoque Magiſtrorum ſuorum incertis & frivolis dictatibus fere diſceptent. Quin eouſque illorum ſtultitia eſt progreſſa, ut in iis proram puppimque conſtituant, uti ex libro כוזרי R. Azarias, in Meor Enajim cap. 27. refert: כל מה שאינו במותר ואיסור לא נרגיש עליו ולא יפחית מעלתם מאומה: *Quicquid non pertinet ad licitum & vetitum, id nos haud curamus, neque ideo ullo modo minuitur dignitas eorum.* Quid mirum igitur, ſi in futilibus occupati, in præcipuis vaticiniis de Meſſia maximopere cœcutiant, & Chriſtianorum explicatione tam clara & Scripturis conſentanea viſa, quaſi indignabundi δίκης χάελν σοφὰ φάρμακα, ſive potius varias & violentas detorſiones comminiſcantur. Cujuſmodi φλυαριῶν cum ad inſigne vaticinium Hagg. 2. uberem meſſem metere liceat, tria cumprimis hoc ſpecimine Academico mihi facienda cenſui, primum varias eaſque non parum variantes Judæorum gloſſas adducere, deinde verum & genuinum ſenſum oraculi expendere & adſtruere, tandem frivolas Judæorum contra Chriſtianos objectiones retundere. Verba textus Authentici ita ſe habent: כֹּה אָמַר יי צְבָאוֹת עוֹד אַחַת מְעַט הִיא וַאֲנִי מַרְעִישׁ אֶת־הַשָּׁמַיִם וְאֶת־הָאָרֶץ וְאֶת־הַיָּם וְאֶת הֶחָרָבָה׃ וְהִרְעַשְׁתִּי אֶת־כָּל־הַגּוֹיִם וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל הַגּוֹיִם וּמִלֵּאתִי אֶת הַבַּיִת הַזֶּה כָּבוֹד אָמַר יי צְבָאוֹת׃ לִי הַכֶּסֶף וְלִי הַזָּהָב נְאֻם יי צְבָאוֹת׃ גָּדוֹל יִהְיֶה כְּבוֹד הַבַּיִת הַזֶּה הָאַחֲרוֹן מִן הָרִאשׁוֹן אָמַר יי צְבָאוֹת וּבַמָּקוֹם הַזֶּה אֶתֵּן שָׁלוֹם נְאֻם יי צבאות׃ Quæ verba Vulgatus interpres vertit hunc in modum: *Sic loquitur Dominus exercituum: Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum: Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

CAPUT I.

§. I. Judæorum primum ſuper vaticinio illuſtri hoc diſcrepantes interpretationes breviter exhibituri, illud S. Hilarii dictum merito iis inculcandum ducimus: *Optimus ille lector eſt, qui dictorum intelligentiam exſpectet ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit, neque cogat, hoc videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumſerit intelligendum.* Quod cum illi inſuper habeant, utpote quibus decretum eſt, τὴν θέσιν διαφυλάττειν, & ſuam præconceptam opinionem quomodocunque ſtabilire, tam variis, tamque diverſis modis textum hunc in alienum ſenſum detorquere conantur, ut vulpium inſtar Samſonis, caudis quidem invicem alligatarum, ſed hac & illac in agros tendentium, eos graſſari dicas, veluti ex dicendis uberius pateſcet.

§. II. Poſſunt vero recutiti illi ad duas maxime claſſes reduci. Quidam enim eorum vaticinium de templo ſecundo agere, &, eo ſtante, adimpletum eſſe perhibent, ſed gloriam illam qua ſecundum templum illud prius ſit anteceſſurum, nonnulli in *annis & ætate*, quidam in *ſtructuræ elegantia*, alii denique in *muneribus*, quibus à Regibus ornatum fuerit conſiſtere affirmant. Alii vero cum ſe Chriſtianorum argumentis magis magiſque premi, & emphaſi verborum commentorum Judaicorum futilitatem excludi ſentiant, de *tertio*, quod expectant, *templo*, Prophetam loqui, contendunt. Inter illos priores primum locum damus R. Davidi Kimchio, qui comm. ad Hagg. cap. 2. hunc in modum ſcribit: פירוש עוד אחת עוד טובה אחד אעשה לכם מלבד זאת שאני עושה לכם מעט היא מעט ונקל היא בעיני לעשותם וטובה מואת תהיה כי עתה יש לכם צוררים בבנין הבית אבל באותו זמן יכברו כל הגוים הבית הזה במנחות וכסף וזהב שיביאו שם: *Verborum* עוד אחת *ſenſus eſt; Adhuc unum bonum vobis exhibebo præter illud, quod in vos jam confero. Vox autem* מעט *idem denotat ac parum illud eſt, ac leve in oculis meis, ut illa faciam, adhuc majus beneficium quam hoc, ſentietis. Jam enim adverſarios experimini in ædificando templo, ſed illo tempore omnes gentes hoc templum honore afficient, muneribus, argento & auro, quæ eo ſunt laturæ.* R. Salomo ſic commentatur: עוד אחת מעט היא משתכלה מלכות פרס זו המושלים עליכם עוד אחרת תקום למשול עליכם להצר לכם מן מלכות יון ומעט יהא ממשלתה: *Adhuc parum erit, antequam regnum Perſarum finiatur, qui vobis dominantur, adhuc unum ſurget, quod in vos imperium habeat & affligat, ex regno Græcorum, ſed illius dominium haud ita diu durabit.*

§. III. Cæterum R. Kimchi rem acu haud tetigit, neque vim vocis מעט, in qua explicanda & Chriſtiani nonnulli impegerunt eſt aſſequutus. Conſimiliter R. Salomo quoque, licet de tempore vocem מעט recte acceperit, nihilominus ad alienum quid, & de quo in textu nullus ſermo eſt, illam male reſtringit, adeoque totum ſenſum vaticinii depravat. Neque enim de regno, cui Judæi ſint ſubjecti, hic quicquam habetur, neque de ejuſdem ceſſatione, ſed de cœli & terræ, maris, & aridæ commotione agitur, quæ adhuc ſemel & quidem brevi ſit futura, templo illo ſtante, quod gloria majori ſit implendum.

§. IV. Qui vero de tertio templo verba accipiunt, illi longe violentiores manus textui inferunt. Atque ita R. Abarbanel omnibus aliis videtur palmam præripere. Commentum ejus tanto magis expendi meretur; quanto illud modernis Judæis magis eſt acceptum. Ita vero ille pag. 67. libelli Maſchmiah Jeſchuah, quo vaticiniorum ſenſum à Chriſtianorum gloſſis ſe vindicaturum profitetur. עוד אחת מעט היא פרשו אצלי באמת שלפי שאמר למעלה שיהיה הבית הזה כאין בעיניהם לכן אמר עתה כי כה אמר ה׳ צבאות עוד אחת מעט היא ר״ל שבית השני הזה אמת הוא שמעט יהיה בערך הבית הראשון שבנה שלמה כאשר אפרתם וזהו עוד אחת מעט היא כלומר מלבד הבית הראשון עוד תבנה ותכונן על ידיכם בית א׳ שתהיה מעט בערך אל הראשון ואמר

ואמר אחת בלשון נקבה כי כן דרך הנביאים לתאר פעמים הזכר בלשון נקבה כפי הבחינה מהבחינות וכמ"ש על כן תטעי נטעי נעמנים וזמורת זר תזרענו כי תטעי הוא לשון נקבה ותזרענו הוא לשון זכר: *Mihi videtur hic esse sensus. Quia supra* (vers. 2.) *dixerat, hoc templum instar nihili esse in oculis illorum, idcirco jam ait: sic dicit Dominus Zebaoth,* עוד אחת מעט היא, *quasi dicat, hoc secundum templum vere exiguum est respectu prioris à Salomone ædificati, uti dixistis, atque hoc verbis his innuitur:* עוד אחת מעט היא *quasi dicat: præter templum primum adhuc per vestras manus ædificabitur templum aliquod, quod respectu primi parvum videbitur. Adhibet autem vocem* אחת *in fœminino genere more Prophetarum, qui solent quandoque masculinum fœmino efferre pro diversa consideratione. Quemadmodum etiam idcirco ait* (Esai. 17: vs. 10.) *Propterea plantabis plantationes jucundas, & putamen alieni seminabis illud.* Τὸ תטעי *fœminini generis est, verbum vero* תזרענו *est masculini generis.*

§. V. Hanc novam & maxime violentam glossam, quam R. Abarbenel primus excogitavit, contribulibus suis, tertium adhuc templum cum suo Messia expectantibus facile persuaserit: at ii qui nullo præjudicio occupati textum expendunt, fraudem facile deprehendunt. Etsi enim enallagen generis usitatissimam esse in sacris, palam est; hoc tamen loco adeo illa textui repugnat, ut אחת templum minime respicere, vel obiter textum intuens animadvertat. Quam absonus & ab omni verisimilitudine alienus sensus foret: *Hoc templum vere exiguum est respectu prioris à Salomone ædificati, & ego commovebo cœlum & terram &c.* Ecquid designabit vox עוד, quæ huic commento Judaico tantopere repugnat? Nempe ne stante templo illo secundo, vaticinio suum complementum constitisse, adeoque Messiam venisse, agnoscere cogantur, tam frivolas interpretationes comminiscuntur. Ejusmodi etiam est illa, quam R. Arama fol. 165. col. 1. comment. in Pentateuch. quem עקדת יצחק vocat, in medium affert, his verbis: איך יעלה על הדעת שיאמר כן על שפלות הבית ההוא וחזוק ברקיו הנעשה אז בחרפת רעב ולא ביד חזקה בעידם תחת ממשלת מלכי הגוים שהיו עושים על פיהם ומהם היו לועגים להם לאמור מה היהודים האמללים עושים אם יעלה שועל יפרץ את חומת אבניהם והיותר קשה שחסרי בבנין ההוא החמשה דברים העקריים שבבית הארון והאורים ואש עליונה שכינה ורוח הקודש ואיה כבודו אלא שהכוונה לו בהפך והוא להמעיט המעשה ההוא והבנין אשר הם מתעסקים בו ולומר כי הכל הוא מעט ואין בעיניו כי הוא עתיד להרעיש את השמים ואת הארץ וכ"ו והוא יהא סוף המלחמות כבוא יום השם הגדול במלחמת גוג ומגוג שני כו בפרשת ביום בוא גוג וג"ו ובקנאתי באש עברתי דברתי אם לא ביום ההוא יהיה רעש גדול על אדמת ישראל ורעשו מפני דגיהם ועוף השמים וחית השדה וכל הרמש הרומש על האדמה וכל האדם אשר על פני האדמה ונהרסו ההרים ונפלו המדרגות וכל חומה לארץ תפול וקנאתי עליו לכל הריו חרב וג"ו: *Quomodo sibi aliquis persuadeat: quod sermo sit de depresso statu illius templi & restauratione labis ejus, quæ tunc facta est in famis probro* (Ezech. 36: 30.) *& non forti manu, cum adhuc essent illi sub potestate Regum Gentium, qui suo lubitu agebant, atque non deessent, qui illuderent eis, dicendo* (Neh. 4: 2.) *Ecquid faciunt Judæi imbecilles? Si vulpes ascenderit, rumpet murum lapideum eorum. Quanto difficilius dictu est, quia quinque res in illo templo defecerunt præcipuæ, quæ fuerint in templo Arca, Urim, Ignis cœlestis, gratiosa Dei præsentia & Spiritus S. ubi vero est gloria ejus? Quin potius contrarius ejus scopus est, nempe ut extenuet opus & ædificium illud, in quo tum erant occupati, & hoc docet, quod totum illud modicum & instar nihili sit in oculis ejus, quia ille commoturus sit cœlum & terram, & atque tunc finis erit bellorum, cum venerit dies Domini in bello Gog & Magog, de quo agitur in sectione: in die illa* (Ezech. 38: 18.) *cum venerit Gog & Magog in zelo meo in igne iræ meæ loquutus sum, si non illo die fuerit commotio magna super terram Israël & contremiscent à facie mea pisces maris & aves cœlorum & bestiæ agri & omne reptile, super terram, & omnis homo, qui est super facie terræ & diruentur montes & cadent gradus, & omnis murus super terram cadet, & vocabo super eum in cunctis montibus gladium meum.*

§. VI. Prophetam ædificium extenuare, ad quod continuandum Deus populo calcar addere tam insigni promissione voluit, id vere est Judaicum somnium. Quam densis in tenebris versentur Judæi, & quam procul à veritate absint, cum ex allatis eorum explicationibus patet, tum multo clarius elucescet, ubi verum & genuinum sensum verborum, quem Cap. II. stabilituri sumus, cum his Judæorum glossis contenderis. Ut vero illorum incredibilem pertinaciam & scripturas torquendi audaciam magis ostendamus, facere non possumus, quin reliquorum quoque vaticinii verborum depravationem ante exhibeamus Judaicam, quam totius oraculi explicationem adducamus. Verba: *& ego commovebo cœlum & terram, mare & aridam: & commovebo omnes gentes, & veniet desiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloria dixit Dominus exercituum,* iterum non uno modo vexant potius, quam explicent. R. Salomo de commotione illa scribit, בניסים הנעשים לבני חשמונאי *eam factam esse in illis miraculis, quæ contigerunt filiis Chasmonæi* sive Maccabæis. Alii, ut R. Abarbenel ipse testatur, statuunt שהוה הרעש בפעל בימי הורודוס *quod illa commotio reipsa fuerit tempore Herodis.* Atque ita Goronides, ad quem Kimchi provocat in Comment. hoc ipsum ita habere & רעש גדול בימי הורודוס *magnam terræ commotionem fuisse*, testatur, qua tunc ita concussam & conquassatam Judæam refert, ut partim pavore, partim ruina montium & domorum in sola urbe Hierosolyma interierint ad hominum millia decem.

§. VIII. Longe aliter vero iterum R. Abarbanel hic sentit de hac phrasi, qui, uti de excidio gentium plura loca alias interpretari solet, ita hic quoque idem inculcari sibi persuasit. Unde l. cit. pergit: ועוד אודיע אתכם גרעון שני שיהיה בו והוא שלא יתמיד ולא יעמוד זמן רב גם כי הוא הנה יבוא אחריו חורבן וגלות ארוך ומופלג ועל זה אמר ואני מרעיש את השמים ואת הארץ שהרעש הוא משל לחורבן בית שני וגלות בני יהודה אבל דעו נא וראו שאחרי אותו חורבן תהיה נקמת ה' במחריבים ועל עבדיו יתנחם ויבנה בית שלישי אחרון לכלם וע"ל חורבן האומות הנה אמר והרעשתי את כל הגוים שהוא רמז על מלחמת האומות וחורבנם בזמן קבוץ הגלות ועליו אמר ובאו חמדת כל גוים שיבואו על אדמת הקדש ושם ינקם מהם ואז בזמן ההוא אמלא הבית הזה כבוד: *Præterea manifestabo vobis alteram diminutionem, ejus templi, nempe, quod non diu sit duraturum, quin vastatio & exilium longum & insigne sequetur. Atque de hoc agunt verba: ego commovebo cœlum & terram. Illa commotio enim metaphorice notat templi secundi excidium, & filiorum Judæi exilium. Sed cognoscite & videte, quod post excidium illud Deus ab illis vastatoribus sit pœnas sumturus & servos suos solaturus, ubi tertium templum ædificabitur, idque ultimum. Et de hoc excidio ait: Et commovebo omnes gentes. Denotatur enim hic bellum gentium & earum excidium futurum eo tempore cum congregabuntur deportatæ multitudines. Et de hac etiam loquuntur verba: Et venient* חמדת כל־הגוים *in terram sanctam & ibi ultionem sumet de illis, & tunc hanc domum implebo gloria.*

§. IX. Nolumus jam plura perversæ illius & prodigiose depravatæ interpretationis Judaicæ dare specimina, cum ex allatis judicare liceat de illorum hominum contumacia, incredulitate, cordis obfirmatione, & severissimo Dei in gentem istam judicio, dum hodie Ebraicæ linguæ quamvis gnara in explicandis tamen vaticiniis de Messia adeo laborat & cæcutit, ut eam in tenebris plusquam Cimmeriis versari dicas. Atqui hic cumprimis illud impleri in illis videas, quod Deus Deut. 32: vers. 20. est minatus, *Abscondam*, inquiens, *faciem meam ab ipsis, abscondam & videbo, quis finis illorum sit futurus, nam generatio distorta est, in qua non est fides.* Quibus verbis excæcatio illa, in qua hærent, significatur, dum Scripturas etiam legentes, neque Deum neque voluntatem ejus & promissiones cognoscunt. Sane uti nullum eis veritatis studium, sed duntaxat illud curæ est, ut veteris & umbratilis illius cultus restaurationem, gentiumque excisionem Prophetam prædixisse evincant, ita eo sermonem etiam Haggai eos torquere, & illud ei affingere patebit, cujus contrarium ex accuratiori textus scrutinio luculenter consequitur. Quo documento manifestum fit, ipsos intellectum verbi Dei perdidisse, & velum præjudicatarum opinionum ac ratiocinationum illorum cordibus impositum esse, ut Apostoli verba 2 Cor. 3: 14. huc accommodemus. Sane neque excidium templi hic notari, neque bellum gentium, & earum stragem, ex sequentibus fiet manifestum.

CAPUT II.

§. I. Quod vero attinet verba oraculi, cujus sensum genuinum accuratius indagandum, & à Judæorum depravationibus vindicandum censuimus, ad pleniorem eorum intellectum multum contulerit, si occasionem illam, qua Propheta ad populum hic loquutus est, consideraverimus. Nempe cum Judæi moras necterent in ædificando templo secundo, quod illud, jactis utcunque fundamentis, longe inferius esset futurum illo priori, à Rege Salomone exstructo, ita ut illi, qui utrumque invicem contenderent, graviter illachrymarent, Esr. 3: vers. 2. visum est DEO illos solari & hortari, ut in structura alacriter pergerent, addita tam insigni promissio-

missione, se cœlum & terram commoturum, adeoque hoc juxta cum aliis effecturum esse, ut gloria templi hujus, cujus aspectu in mœrorem conjecti fuerant, major esset futura quam prioris. Atque ut eo magis fidem Prophetæ haberent, animos illorum his verbis erigere ei visum est: עוד אחת מעט היא: Quæ ut Judæi diversimode detorquere audivimus, ita Christianorum quoque nonnulli non satis recte accipiunt. Junius enim & Tremellius non de tempore, sed de fœdere, quod DEUS pangere velit, intelligunt. Scire vero licet, עוד אחת à sequentibus verbis מעט היא per accentum nonnihil distingui, & subintelligendum requirere aliquod substantivum, quod LXX. Interpp. (quos pro אחת מעט, Grotius infeliciter auguratur legisse, אחת מעת) non videntur ignorasse, dum reddiderunt ἔτι ἅπαξ *adhuc semel* vel *una vice*. Nempe interdum expresso substantivo dicitur פעם אחר *una vice* 2 Sam. 23:11. quandoque vero omisso quidem eo, sed subintellecto, quod generis communis est, & sæpius in fœminino usurpatur, simpliciter dicitur אחת ut Job. 30: 35. אחת דברתי *semel loquutus sum*, Exod. 30: 10. וכפר אחת בשנה *expiabit semel in anno.* Atque hoc Syrus Interpres: In Opere Anglicano animadvertit, dum transtulit, ܥܘܕ ܚܕܐ ܙܒܢ ܩܠܝܠ; & Arabs ايضا مرة *adhuc semel*: quanquam uterque neglexisse videtur τὸ מעט, perinde ac B. Lutherus τὸ אחת, qui, cum versione vernacula transtulit. Es ist noch ein kleines dahin/ vim vocis מעט expressit, antecedentibus vero vocum עוד אחת sensum minime exhausit, quem LXX. & eos sequutus Apostolus, Ebr. 12: vers. 26. recte per ἔτι ἅπαξ reddiderunt.

§. II. Patet inde, quid de Francisci Riberæ verbis sentiendum sit comm. ad cap. 2. Hagg. *Pro eo, quod nos juxta Ebræum habemus: adhuc unum modicum, Apostolus LXX. imitatus dixit: Adhuc semel, nam* אחת *utrumque significat.* Ecquis vero præter Riberam, Corn. à Lapide, & qui horum vestigiis incedunt, dixerit, τὸ אחת utrumque significare, quod, ut audivimus, in Ebræo textu distinctam & ab illa altera voce מעט diversam significationem habet? Potius dicendum est. LXX. τὸ מעט sua Versione minime expressisse; Apostolum vero, Græca versione tunc partim recepta usum, quod, ipso jam vaticinii complemento apparente, τὸ מעט ipsius instituto & scopo haud æque inserviret, ac vox אחת; minime necessarium duxisse, ut ex Ebræo textu suppleret, cum ex iis verbis, quæ pro sua sententia adduxit, solidum argumentum eliciat. LXX. tamen Interpp. in eo sui nominis mensuram haud impleverunt, dum vocem, quæ ad nondum impletæ Prophetiæ intelligentiam multum faciebat, tam temere neglexerunt. Unde illud, Isaaci Vossii, pag. 168. Epistol. ad Christianum Schotanum, locum vix hic obtinebit: *quod dicis, LXX. illos liberrime versatos fuisse in transferendo codice Ebræo, illud tantum abest, ut verum sit, ut potius nullæ sint translationes, quæ tam exacte & litteræ & sensui satisfaciant, atque illa LXX. Interpretum.* Hic enim neque litteræ neque sensui prorsus esse satisfactum, quilibet idiomatis Ebræi gnarus facili negotio animadvertit.

§. III. Quem sensum τοῦ מעט Judæi esse contendant, supra vidimus, dum ad illius complementum Rabbi Aben-Esra subintelligenda verba ait, מעט בעיני לעשות *parum est in oculis meis, ut hoc præstem.* Ipsemet tamen ibidem ingenue confessus est, sensum etiam hujusmodi esse posse, למעט ימים תהיה *brevi hoc fiet.* Sane usum vocis Ebrææ talem esse in sacris, neminem dubitare sinit locus Hos. 1: 4. ubi τὸ מעט ἔτι μικρὸν LXX. verterunt, & de tempore propinquo intelligendum esse, agnoverunt, ipso contextu ejusmodi explicationem poscente. Quam cum Christiani ut veram & genuinam recipiant, frustra Judæi indignantur, nec sine insigni textus depravatione enallagen generis in voce אחת nobis obtrudunt.

§. IV. Sensus enim citra ullam difficultatem hunc in modum fluit, *Adhuc semel, idque brevi futurum est, nempe cum commoturus sum cœlum & terram, mare & aridam.* In Ebræo textu est ומרעיש *& commovebo.* Quæ vox ut Kimchi in Lib. Rad. tradit, significationem habet התנועה והחרדה *motionis & concussionis.* Cujusmodi vero motio intelligatur, non omni dubio caret. Ambrosius enim Catharinus in h. l. scribit: *quis fuerit hic motus terræ, non satis declaratur ab his, quos ego quidem viderim.* Variant sane maximopere interpretes doctissimi. Alii enim, ut Aben-Ezra loquitur, על משמעו *proprie* τὸ מרעיש accipiunt. Quo etiam Drusius in h. l. conjectura pertinet, *forte*, inquiens, *innuit terræ motum, qui accidit sub Herodis regno, paulo ante adventum Christi.*

§. V. Cæterum cum tam emphatica oratione, qua etiam toti partes subjicit, & cœlum & terram, mare & aridam, commotum iri ait, ecquis unius duntaxat regionis terræ motum proprie sic dictum significari crediderit? Uti enim R. Abarbenel recte scribit, מה רעש יותר גדול מזה בשמים והארץ: *ecquæ commotio major est illa, quæ in cœlo & terra fit?* opus sane longe aliud & quod ipse mundus cum stupore sit excepturus, significatur. Atque hæc causa est, quamobrem (2) commotionem istam על דרך משל *parabolice* sive *metaphorice* accipiendam esse, Interpretes cum Judæi, tum Christiani perhibeant. Rabbi David Kimchi comment. in h. l. מה שאמר את השמים ואת הארץ ואת הים ואת החרבה דרך הפלגה כי שמים לא ירעשו: *quum cœlum & terram nominat, mare & aridam, hyperbolice est intelligendum, neque enim cœli commoventur.* Neque diffitetur etiam Aben-Ezra comment. in h. l. על דרך משל, sive *parabolice* verba accipi posse. Quod ut recte ab eodem assertum esse ostendamus, sciendum est, Prophetam verbis *adhuc semel cœlum & terram commovebo*, duarum commotionum mentionem facere: Unius minoris, quæ in latione legis contigit; alterius majoris, qua non solam terram sed & cœlum, quin mare & aridam commotum iri ait. De illa R. Aben-Ezra comm. ad Psal. 68: 7. diserte scribit: אין כתוב בתורה שהארץ רעשה גם שמים במתן תורה רק הר סיני חרד בלבד: *In lege non est scriptum, quod terra tremuerit vel cœlum eo die, quo Lex ferebatur, sed mons Sinai solum tremuit.* Sane Exod. 19: 16. voces, fulgura, nubem gravem super montem & buccinam in lege ferenda fuisse animadversa legimus, terræ motum non item. Unde etiam W. Estius comm. ad Ebr. 12: 26. *loquitur*, inquit, *de terræ concussione, quæ facta est, quando lex dabatur, non quod proprie tum terra concussionem passa fuerit, qualem patitur terræ motibus, quos vocamus. Nam historia Exodi, repetita in Deuteronomio, cum accurate singula tradat, quæ terrorem populo legem accipienti faciebant, terræ motus tamen non meminit: Sed quia Scripturæ consuetudo est, ut moveri seu commoveri dicat ea, in quibus res novæ magnæ & admirabiles, sive lætæ, sive tristes accidunt, eo quod talium rerum subitus eventus atque aspectus vehementer animos hominum soleat commovere.*

§. VI. Hinc judicare quoque licet, de commotione altera, eaque majori, quam Deus hic populo significat, qua præter *terram & cœlum, mare & arida* commotum iri dicuntur. Nempe hic quoque minus recte litteræ arcte insistere videntur proprietati, qui concussionem illam cœli de Angelis cœlo delapsis & *Laus Deo* canentibus, stella, quæ in cœlis apparuit, Matth. 2. aut commotionem terræ, de petræ scissione Matth. 27. accipiunt. His illud recolendum erat, in parabolicis loquutionibus singulas partis minutatim non semper esse excutiendas, neque in iis quærendum quid cui respondeat, cum satis sit in re tota comparationem vel vim vocum intelligi. Atque huc referri illud meretur, quod de Prophetiarum indole R. Moses Maimonides, præfat. in More Nebochim fol. 5. edit. Salonicens. inculcat his verbis: דע כי משלי הנבואה יש בהם שתי דרכים מהם משלים שכל שבמשל ההוא יש בה ענין ומהם מה שיהיה כל המשל מגיד על כל הענין ההוא הנמשל ויבואו במשל ההיא הברים רבים מאד אין כל מלה מהם מוספת ענין בענין ההוא הנמשל אבל הם ליפול: vel (ut in Comm. Schem Tob legitur) ליפות המשל וסדר הדברים בו: *Parabolæ Propheticæ duplicis sunt generis. In quibusdam enim singulæ voces rem aliquam peculiarem denotant, aliæ vero sunt, ubi tota parabola rem significatam totam exhibet. In quibus quidem multa habentur verba, sed non singula rei significatæ* (seorsim) *aliquid addunt. Verum inserviunt tantum ad elegantiam* vel (ut alia habet lectio) *ut fluat parabola, atque in ipsa ordo rerum servetur.*

§. VII. Quæ si observentur, & tot rerum, *cœli & terræ, maris & aridæ* commotio expendatur accuratius proprie hoc minime accipiendum, sed nihil aliud significari videtur, quam res novas & maxime admirabiles, qua hominum animi sint commovendi. conf. Joël. 3: 21. Hoc tunc maxime evenisse patet, cum Apostolorum ministerio Evangelium in terrarum orbe prædicatum, gentium ad regnum Dei facta est insignis accessio, & Judaicarum ceremoniarum diu usitatarum subsequuta est abrogatio, quam Apostolus Ebr. 12: vers. 27. pro sua, qua instructus divinitus erat sapientia, subtiliter ex vaticinio interpretatur, dum per τὸ ἅπαξ Prophetam τῶν σαλευομένων μετάθεσιν indicari docet. Hanc potius commotione illa denotari, quam templi secundi excidium, quod Rabbi Abarbenel supra asseruit, vel magni populi interitum, vel Regni Persarum aut Medorum destructionem, quod Rabbi Moses Maimonides l. 2. c. 29. More Nebochim, contendit, cum ipsa Prophetiæ emphasis tum Apostolica authoritas nobis comprobat, Ebr. 12: vers. 26. Atque ista commotio non uno eodemque tempore vel in instanti, sed successive est peracta.

acta. Unde Iacobus Capellus not. in l. c. motum hunc totum illud ſpatium complecti ait, quod fluxit ab adventu Chriſti in carnem, h. e. ab incarnatione ad adventum in regnum de quo Matth. 16. 21. Quod ſpatium ſit 80. circiter annorum, intra quos ſe cœlum & terram commovit. Adeoque pluribus & admirandis Dei operibus commotio illa conſtitit. Quo collineat etiam Iohannes Camero ad Ebr. 3: 4. ubi ad verba πάντα ὁ κατασκευάσας θεὸς ſcribit: *Etſi ἀποτέλεσμα unicum fuit, tamen quia eo perventum eſt, multis & maximis rebus patratis, & commoto veluti cœlo terraque, uti eſt apud* Hagg. 2: 7. *τὰ πάντα multa ita & magna dicuntur.*

§. VIII. Quemadmodum Chriſto in terris agente, complementi hujus vaticinii initium fuit, ita quoque rerum eo ſpectantium præſagium quodam modo æſtimari potuit illa ὀνομασία, qua Hugone Grotio non male monente, digitum quoque huc intendiſſe videtur Chriſtus, dum Marc. 3: 17. trigam Apoſtolorum, & in opere admirando prædicationis Evangelicæ ſocios novo nomine donavit, eoſque βοανεργὲς ſive υἱὲς βροντῆς *filios tonitrui* appellavit. Quam nomenclaturam cum Judæi alias ſollicitent, & ut ineptam ac originali linguæ minus convenientem perhibeant, eos in nodo ſcirpum quærere dicimus. Ut vero quid de loquutione illa habendum ſit, pateſcat, ſcire licet. in verſione Syriaca, quam linguam Domino in terris agenti vernaculam fuiſſe conſtat, lectum eſſe ܒܢܝ ܪܓܫܝ in qua ultima voce τὸ Jud ex errore atque litteræ Jud protenſione natum eſſe, poſt Ludovicum de Dieu Cl. Oſtermannus quoque recte conjecit. Etſi etiam Vir Doctiſſimus ז"ל Ægidius Gutbirius, in ſua editione Jud retinendum duxerit, in Opere tamen Anglicano illud recte, ut ſpurium omiſerunt. Syriacæ autem voces à Judæis eo minus recte in dubium vocantur, quod Græca ab Evangeliſta non nihil aliter recenſentur, quam Syriaca alias lingua ſonant. Ecquem enim latet, primam litteram quæ per Scheva pronunciatur, etiam per o efferri poſſe? Id enim tralatitium eſt, ut ille vocalium miniſter diverſimode pronuncietur, à Græcis & aliis interpretibus. Etſi igitur non uſquequaque ſono ſuo ad modernam pronunciandi rationem quadret, à Judæis tamen idcirco explodi haud meretur, quod exemplis oſtendere in proclivi eſt. Ecquid enim Judæorum ſermoni magis tritum, quam in peregrinis vocibus & in aliam linguam tranſcriptis quaſdam litteras, nunc tranſponi, nunc demi, nunc pro re nata inſeri. Et cum id nominis Trigæ Apoſtolorum, Jacobo, Johanni & Petro Dominus peculiariter tribuerit, & ita quaſi proprium eſſe juſſerit, quod vetat, quo minus illud quoque hic locum obtinere dicamus, quid alias in propriorum nominum originatione obſervandum inculcavit, R. Levi Ben Gerſon, Com. in 1 Sam. 1: 20. לא ידקדקו קוראי השמות כל כך *ad minutias nominum impoſitores haud tantopere attendunt.* Ubi ipſa Judæus negat, in nominibus propriis omnia ad vivum reſecanda eſſe.

§. IX. Sed nunc è diverticulo quaſi in viam redituri, ſequentium verborum ſenſum indagabimus. ומרעיש את כל הגוים ובאו חמדת כל הגוים ומלאתי את הבית הזה כבוד אמר יהוה צבאות: *Et commovebo omnes gentes, & veniet deſiderium omnium gentium & implebo domum hanc gloria, dicit Dominus Zebaoth.* Alius generis hanc commotionem eſſe. quam illa, de qua vſ. 6. eſt actum, ex contextu liquet, qui gentes à Deo commovendas eſſe, affirmat. Quomodo vera illa ſeſe habeat, & facta ſit, jam viſuri ſumus. R. D. Kimchi his verbis eam deſcribit. אתן בלבם שיחרדו ממקומם לבוא לראות כבוד זה ולהביא בידם כסף וזהב: *Inclinabo corda eorum, ut loco ſuo ſe moveant ad veniendum & videndum gloriam hanc, & ſuiſmet manibus afferant argentum & aurum.* Subdit etiam, quid de reliquis verbis ſentiat, his verbis: פי' כל הגוים שארעיש ממקומם יבואו בחמדת כל הגוים כל"ו יביאו בידם כל דברי חמודות שימצאו בארצם מכלי כסף וזהב ובגדים ואבנות יקרות חמדת כל־הגוים: *Verborum ſenſus eſt: omnes gentes, quas ſuo loco moturus ſum, venient cum deſiderio omnium gentium, buaſi dicat: Venient per eas omnes res deſiderabiles, quæ in terra illorum inveniuntur, vaſa argentea, aurea, veſtes & lapides pretioſi.* Et ne ſine exemplo ellipſin τῆς ב ſtatuere videatur, ad loca quædam ſimilia provocat, חמדת חסר ב" השמוש כמו ומראה ולא בחידות הנמצא בית השם והדומים לו: verborum ſenſus eſt, τὸ חמדת *caret litera* ב *ſervili, ut vox* מראה (Numer. 12: 8.) & בית (2 Reg. 18: 15.) & *ſimiles.* Syrus quoque Interpres in Opere Biblico Anglicano non longe hinc abire videtur: *Et excitaturus ſum omnes gentes, ut afferant* ܪܓܬܐ *optatiſſimam quamque rem cunctarum gentium.* Et Arabs وتاتي مختارات جميع الامم *Et venient ſelectiſſima quoque cunctarum gentium.* Qui interpres uti alias ſæpenumero, ita & hic Græcos eſt ſequutus. Hi enim reddiderunt: καὶ ἥξει τὰ ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν. Quos pro חמדת in ſuo codice חמדות legiſſe, Grotius hariolatur.

§. X. Cæterum uti Ellipſin eam hic neceſſario locum habere, Iudæus necdum evicit: ita contra Latinus Interpres, qui abſtractum pro concreto reddidit, non incommode loqutionem hanc vertit: *Et veniet deſideratus gentibus.* Et Hieronymus, licet verba LXX. bis recenſeat, melius tamen in Ebræo textu haberi teſtatus, ſenſum hunc eſſe ait: *& veniet deſideratus gentibus.* Druſio quidem vulgatus יָבֹא legiſſe videtur. Et Franciſcus Ribera textum plane corruptum eſſe, inde ſuſpicatur, *magna*, inquiens, *mihi ſuſpicio eſt, locum hunc corruptum eſſe à recentioribus Judæis, cujus pondere & vi vehementer urgebantur.* Cæterum nullam hic corruptionem ſubeſſe, exinde liquido patet, quod nulli de varia lectione ante Riberam aliquid ſuboluit; & codices Ebræi conſtantiſſime unam duntaxat lectionem agnoſcunt. Quin ſi ad ſcripturæ conſuetudinem loquendi, & Ebraicæ linguæ morem reſpexerimus, omnem hic difficultatem ſublatum iri, & verborum ſenſum emerſurum clariſſimum confidimus, quem vulgatus juxta & Germanus interpres ſatis feliciter expreſſerunt. Neque etiam opus erit, ut cum Raimundo eo confugiamus, ut dicamus, plurali illo ויבאו Meſſiæ duas naturas innui. Scire enim licet, enallagen numeri hic obtinere, quæ alias in Scripturis eſt frequentiſſima. Secundum canonem enim LIV. lib. III. tr. 3. D. Glaſſii, *quando duo ſubſtantiva, quorum unum regit alterum, conjunguntur, tunc verbum numero reſpondet quandoque poſteriori, cum deberet priori.* Exempla, ſi requiras, præſto ſunt, Job. 15: 20. מספר שנים נצפנו. ubi *numerus annorum* cum verbo *abſconditi ſunt* conſtruitur, Conf. 2 Sam. 10: verſ. 9. Neque Iudæi uſitatam Enallagen inficiari audent. Ad verba enim Eſai. 28: verſ. 3. תרמסנה עטרת *conculcabuntur corona*, in Michlal Iophi ipſimet ſcribunt: בא לשון רבים על לשון יחיד *Pluralis ponitur loco ſingularis*, & ſubjiciunt וכן תקראנה מלחמה *Et ſic etiam res habet in verbis* (Exod. 1: vſ. 21.) *cum evenerit bellum.*

§. XI. Cum itaque ſimiles loquutiones alias in Scriptura occurrant, illud jam nobis negotii datur, ut oſtendamus, neque contextui repugnare iſtam enallagen, ſed plane eidem eſſe conſentaneam. Poſtquam enim Deus promiſerat, ſe gentes eſſe commoturum, ſtatim Propheta ſubjicit: ובאו חמדת כל הגוים nempe Meſſias, ad cujus ætatem hunc textum reſpicere, è priſcis Ebræis R. Akiba agnovit, uti in gloſſa Talmudica, Maſſechet Sanhedrin, cap. XI. legitur ר׳ עקיבא דריש ליה לימות המשיח ועל מלך המשיח: *R. Akiba de diebus Meſſiæ, & Rege Meſſiæ explicat.* Rabbi Salomo quidem l. c. ait איך דרש זו כלום *Hæc explicatio nullius eſt momenti.* Sed uti nullam rationem affert, quamobrem ea rejicienda ſit, ſic ſatis cauſæ erat, quamobrem ita textum explicaret Iudæus, qui ex ſcriptura obſervaverat, *gentes Meſſiæ hæreditatem fore* Pſal. 2: verſ. 11. & earum converſionem cum adventu Meſſiæ conjungi. Eſai. 52: 15. cap. 65: 1. Geneſ. 49: 10. Et ne Iudæus objiciat, Meſſiam, utpote gentibus ignotum non poſſe חמדת כל הגוים *deſiderium omnium gentium* appellari, recolendum eſt, ex uſu loquendi id etiam dici amari vel deſiderari, quo quis opus habet. Ut deſiderium pro neceſſitate vel exigentia etiam accipiatur, quemadmodum & Ariſtoteles lib. IIX. Ethic. cap. 1. ex Euripide ait: ἐρᾶν ὄμβρον γαῖαν ξηρανθεῖσαν *amare imbrem terram arefactam.* vel dicitur Meſſias deſiderium gentium, quod hæ omnes, cum advenerit ille, quaſi deſiderio regni ejus cœleſtis concitatæ, ad eum confluxuræ, & ſe ei dedituræ eſſent, juxta vaticinia. Eſai. 11: 10. cap. 49: 6. cap. 42: 4. cap. 65: 1. Zach. 2: verſ. 10.

§. XII. Sed recutitus inſtare & porro excipere poſſit, τὸ *deſiderium Gentium* omnino de gentium muneribus pretioſis accipiendum eſſe, eo quod immediate in textu ſubjiciantur verba: *meum eſt argentum, meum eſt aurum*, quod nempe facili negotio Deus, omnium theſaurorum Dominus, à gentibus repetere & illorum copia templum ſecundum ditare queat. Cæterum, ut hunc ſenſum præferamus, necdum is evicit idoneo argumento. Contra longe commodius & textui convenientius ita verba interpretari licet. Si templum pretioſa vellem ſupellectili ornare, facile eam vobis ſuppeditare poſſem, cum omne argentum & aurum meum ſit, eodem ſenſu, quo Pſal. 50: 7. ſeqq. Deus dixiſſe legitur: *non accipiam è domo tua juvencum, nec de ſeptis tuis hircos, quoniam mea eſt omnis beſtia ſylvæ &c. Si eſuriero, non dicam tibi: quia meus eſt orbis & omnis plenitudo ejus, &c.* Ita hic: Iſta non eſt gloria templi

iſtius,

istius, quod fabricare jussi, sed majore splendore hoc templum ibo exornatum, quippe quod majoris gloriæ particeps erit, quam ipsum illud pristinum, licet auro & argento undique obductum; gemmisque ac margaritis pretiosissimis ornatum fuerit, ut videre est, 2 Paral. 3: 5, 6, 7. &c.

§. XIII. Silentio hic præterire haud possumus, Joannem Coccejum, illius commotionis hunc effectum esse asserere, ut gentes veniunt Hierosolymam. Quod si spiritualiter intelligit, & idem esse largitur, ac veræ Ecclesiæ se associare, id quidem haud negabimus. Cum vero desiderium gentium Christum dici ait, & nihilominus addit, *non est excludenda illa explicatio, qua desiderium gentium intelligantur desiderati, electi, amati ex omnibus populis*, quomodo id simul stare queat, haut videmus. Si enim Messiam ea voce designari credimus, ecquomodo electos simul una eademque voce significari, dicamus? Quin phrasi quoque scripturæ parum convenit, quippe quæ, de gentibus agens, & earum vocatione, generatim loqui solet, minime vero electorum ex omnibus populis, ut ex Hos. 1: 23. constat. Manet igitur fixum ac firmum, per *desiderium gentium* Messiam, eumque solum intelligendum esse, non electos, uti Reformatorum nonnulli somniant.

§. XIV. Sed nunc Judæorum interpretamenta discrepantia, quibus ostendere satagunt, in quonam illa gloria consistat, excutiemus. R. D. Kimchii verba sunt in h. l. נחלקו רבותינו ז"ל בזה יש אומרים בבנין וזה וזה היה כי בית ראשון עמד ת"י שנה ובית שני ת"ך שנה וכן היה גדול בבנין כמו שכתוב בדברי רבז"ל ובספר בן גריון כי הבנין שבנה הורודוס בב"ה לא נראה מעולם בנין טוב ונאה כמוהו: *Dissentiunt Dd. nostri l. m. etiam in hoc. Sunt qui dicant, præstantius hoc templum fore ratione annorum, & sunt qui ratione structuræ secundum priori præferendum docent. Utrumque verum est. Prius enim templum stetit 410. annis. Secundum vero 420. Atque ita majus etiam fuit structura, quemadmodum in Dd. nostrorum sermonibus perscriptum est, & libro Gorionidis. Structura enim, quam perfecit Herodes in fissura templi divini, inde à condito mundo non habuit similem pulchritudine & amœnitate.* Hæc R. David Kimchi ex Talmud, Massechet Bava Bathra hausit, ubi hæc legimus: חד אמר בבנין וחד אמר בשנים ואית להא ואית להא *Unus eorum ait gloriam in structura consistere, alter in annis, utrique veritas favet.* Quam parum vero huic sententiæ tribuendum sit, patescet, si scholiasten ipsum Talmudicum audiverimus: בבנין שהית גובהו מאת אמוה ודתנן במסכת מדות בשנים בית ראשון ת"י שנים ובית שני ת"כ שנה: *Ratione structuræ, quia altitudo erat centum cubitorum, ut in Massechet Middoth legimus; annis, quia secundum templum 420. annis stetit.*

§. XV. Quod vero attinet sententiam, qua templo secundo prærogativam vendicare Judæi ex annis satagunt, cum decennium tantum conficiant, tam frivola illa est, ut merito eam nobis obtrudentes risu digni videantur. Ecquis enim tantam gloriam, cujus promissione Judæis ædificare tergiversantibus, Deus calcar addendum ratus est, tantillo spatio contineri dixerit? quasi vero temporis ejusmodi qualiscunque accessio aliquid splendoris rei conciliare posset. Num vero speluncarum excavatarum & olim Eremitarum, hodie ferarum cubilium major gloria sit, quam domus regiæ haud perinde vetustæ? Num, ut B. Lutheri habet simile, *Regis Davidis mulus, cui Salomo coronatus insedit, ut annis, ita dignitate vel gloria major est?* Num hoc Prophetiis consentaneum est, ut in tam levis & cito transituræ rei exaggeratione tantus verborum apparatus adhibeatur?

§. XVI. Sed forsan בנין vel *structura* posterius illud templum priori præferendum esse arguit. Sane ne hoc dicamus, prohibet templi secundi conditio, quippe quod impolitis lapidibus structum erat, ut ceu c. 2. Hagg. legimus כאין *nihil instar* respectu Salomonis apparuerit: Progressu quidem temporis, auspiciis maxime Herodis, magis magisque illud fuisse ornatum, cum Josephus tum Gorionides narrant, quæ veritati consentanea esse, nulli inficiabimur; cum Matth. 24: 1. ipsi Apostoli magnitudinem & firmitatem templi mirarentur. Quin Tacitus quoque immensæ opulentiæ illud appellat, Josephus vero ἔργον πάντων, ὧν ὄψει ἢ ἀκοῇ παρειλήφαμεν, θαυμασιώτατον. Unde non obscuri nominis viri docent, Diabolum, eo templi secundi ornatu & splendore ad Judæorum animos occæcandos abusum esse, ne Messiæ vel desiderio tenerentur, vel eum missum proni reciperent. Cæterum ut teste ipso R. Asaria, templum Zerubabelis fuit מך מאר *oppido humile*, ita postmodum, quantumvis nitidius ab Herode exornatum, Salomoneo præferri haud potuit. Uti enim cap. 53. idem R. Asarias loquitur: בערך לבנין שלמה אין ספק אמרי בינה שגרע ממנו כגרעון עושר הורודוס מעושר שלמה אשר העיד עליו הכתיב כי לעושר ולחכמה גדל מכל מלכי הארץ: *Ædificio Salomonis haud dubie tanto minus respondit, quanto divitiis Salomo Herodem superavit. De eo enim scriptura testatur,* (1 Reg. 10: 23.) *quod opulentia & sapientia omnes Reges orbis anteiverit.* Quid, quod ipsi Judæi prioris templi præ secundo prærogativam in eo etiam agnoscunt, quod quinque res, quæ templi primi dignitatem insigniter adauxerunt, nempe Urim & Tummim, Sp. S. Ignis cœlestis, gratiosa Dei præsentia, & Arca fœderis cum Propitiatorio & Cherubin, in secundo defecerunt, ut ipsimet Judæi fatentur. cap. I. Massechet l. cit. Joma. Hinc R. Asarias השכינה וחמשהל הדברים היקרים אשר כדבר חכמינו ז"ל פ"ק דיומא היו בו ולא בבית שני בלי ספק נשאוהו וינטלוהו לאין ערך: *Gratiosa Dei præsentia, & quinque res, quæ secundum Dd. nostros l. m. cap. 1. Massechet Joma, in templo primo fuerunt, in secundo non item, haud dubie hoc in dignitatem inæstimabilem extulerunt.*

§. XVIII. Sic itaque priscorum Iudæorum sententiam ipsum Rabbi Asariam, explodere vidimus, qui sive *durationem* sive *structuram* respicias, à priori illo templo posterius longe superari ingenue fatetur. Aliam igitur is pro Iudáicæ sententiæ stabilimento commentus est rationem, quamobrem gloria secundi templi major fuerit, quam primi: הכבוד המיועד פה מחיגי באמור לפי דעתנו רומז לא אל הכבוד אשר לבית מצד עצמו רק מצד לנעשה אליו מאת המלכים והגוים אשר מחוץ בזבחיהם ותרומת נדבותם פעם אל פעם: *Gloria quæ hic à Propheta Hagai promittitur, meo judicio non est intelligenda de illa, quæ templo secundum se competit, sed de ea, qua Reges & Gentes extrinsecus illud affecerunt in sacrificiis suis & oblatione spontanea diversis vicibus.* Atque hanc sententiam fol. 160. a. de integro fuse prosequitur, & ex textu probare satagit. Postquam enim Regum Persarum & Medorum munificentiam & gratiam mirifice commendasset, tandem & Alexandri Magni in Sacerdotes & templum singularis exempli affectum exaggerat, & Prophetam hoc vaticinio eo collineasse contendit. Ita enim ibi loquitur: לדעתי כוונתו הראשונה שחגי בנבואת עוד אחת מעט וכן בנואתו השנית אני מרעיש את השמים היא להמון אל מעשה אלכ"סנדר כי בתוך ימים אחרים לבנין הבית היו מלחמותיו אשר הרעישו כל הגיים ויהפך כסא הממלכות והוא עם גדולי השרים והמלכים הנלוים אליו השיו באמרת לפי הדור ההוא חמדת כל הגוים והמעולים שבהם באו ירושלימה: ובעת ההיא אשר כל העולם היה שרוי בצער המלחמות נתן במקום ההוא שלום ושקט וכמו כן כל המלכים הבאים אחריו אשר גם עליהם יצדק תאר חמדת כל הגוים לא סרו מלכבד את הבית הזה כמו שיתבאר עתה לפנינו גם אין לעבור מלדקדק מלות והרעשתי ואני מרעיש שלא אמר ירעשו מאליהן להעיר כי עם הראות סבה ראשיית למלחמה ההיא המנע מלך מוקדן מלפרוע המס הנהוג לדריוש הלא הנסבה בעצם וראשינה היתה מאת הבורא אשר לו נתננו עלילות וכן יאות לדון על כל כיוצא בה: *Mea sententia Hagai prima intentio est in vaticinii verbis: adhuc semel & brevi: item altero vaticinio* (cap. 2: 23.) *commovebo cœlum & terram, indicare factum Alexandri. Eo tempore enim, quo templum ædificabatur, bella ejus gerebantur, quibus omnes gentes commovit, & thronus regnorum inversus est* (Hagg. 2: 23.) *Et ille cum magnatibus principum & Regum, qui ipsi erant addicti, & revera illo seculo desiderium omnium Gentium erant, venit Hierosolymam. Atque isto tempore, quo totus mundus erat calamitatibus & bellis obrutus, dedit illi loco pacem & quietem. Consimiliter omnes Reges eum subsequuti, in quos itidem illud cognomentum, desiderium omnium Gentium, quadrat, non cessarunt hoc templum honorare, quemadmodum hactenus ostendimus. Accurate etiam consideranda sunt hæ dictiones,* והרעשתי, *item* ואני מרעיש. *Quia non dixit* ירעשו, *sua sponte se movebunt. ut nempe innuat, licet causa moti belli principalis sit manifesta, videlicet, quod Rex Macedoniæ tributum solvere renuerit Dario, id totum tamen à Deo creatore esse, qui ipsi caussam præbuit. Atque de similibus idem esto judicium.*

§. XIX. Cæterum hæc quoque explicatio, quam R. Iacobus Abendana, vir doctissimus, & ex iterata, specilegioque adaucta libri Michlal Iophi editione celeberrimus, meus annis superioribus præceptor, suam fecit, ejusmodi est, ut de Iudæorum mala causa apertе testetur. Etsi enim Asarias τὸ מעט de *tempore propinquo*, contra quam solent alii, accipiendum esse largitur, male tamen Alexandri temporibus applicat, & præterea verba עוד אחת plane interpretamento illi refragantur. Ecquomodo vero Alexandrum *desiderium Gentium* appellaverit, qui ob aliis imperandi libidinem omnibus odio fuit? Num vero illam gloriam, quam ita exaggerat & extollit Propheta, in Regum extraneorum munusculis consistere dicemus? Sane cum illa ærario templi illata alii, velut Harpyjæ, mox sublegerint, & inde variæ calamitates quoque à Regibus Græciæ, Ægypti,

Ægypti, & aliarum regionum, illatæ ſint Judæis, oppido patet, parum inde gloriæ templo conciliaſſe, & longe ſatius fuiſſe, his nunquam illud fuiſſe ornatum. Et num hoc Prophetiæ conſuetudini conſonum eſſe dixerimus, ornatum templi qualemcunque, eumque haud ita diu duraturum, nomine כבוד, ſive *gloriæ* dignari?

§. XX. Hoc ſane, ut crederet, R. Abarbenel à ſe impetrare non potuit, probe gnarus, phraſin propheticam ex uſu ſcripturæ longe præſtantius quippiam ſignificare, quam vel tantillum *durationis* ſpatium, quale eſt *decennium*; vel *ſtructuræ ſplendorem*, vel *Regum donativa*. Unde quæſt. 4. quam textus explicationi præmiſit, diſerte ſcribit: הכבוד אינו העושר ולא היופי ולא רום הבנין כמו שאמרו בדרשתם: *gloria neque in divitiis, neque ornatu, neque ædificii præſtantia conſiſtit, quemadmodum in ſua allegorica expoſitione loquuntur.* Cum vero Chriſtianorum argumento preſſus, & vaticinii emphaſi convictus, ſic contribulium explicationibus valedixerit, in eas anguſtias tandem conjicitur, ut novam explicationem verborum cudere coactus, de tertio templo, quod hodieque præſtolantur Judæi, Prophetam loqui doceat, in quo, perinde ut olim in primo, glorioſa Dei Majeſtas, quam voce כבוד ſignificari ait, ſe conſpiciendam datura ſit. Ita enim ille: אמרת שבבית השני אשר אתם תבנו אין כבוד ואין עושר ואי שלום אבל בזמן ההוא אמלא את הבית הזה כבוד מפני שתשב שמה השכינה העליונה ומה שראיתם בבנין שלמה מהעושר הכסף והזהב דעו שיותר ויותר ימצא בבית העתיד עושר רב כסף וזהב באופן שגדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון והוא הבית השלישי העתיד להיות מן הבית הראשון אשר עשה שלמה וגם כי במקום הזה שהוא ירושלים באותו זמן יהיה שלום ולא ישמע עוד המס שוד ושבר בגבולו מה שלא היה בבית שני כי רבו שמה המלחמות ביום לבין עצמם ועם אויביהם מסביב הנה אם כן באומר ומלאתי את הבית הזה האחרון כוון על בית ה״ג לא על הבית השני כי הוא לא נתמלא כבוד וא״עפ שהיה בנין הורודוס בנין יפה לא נאמר מפני זה שנתמלא הבית כבוד לפי שהכבוד המתמלא הוא כבוד ה׳ וכמ״ש על מעשה המשכן וכבוד השם מלא את המשכן ובבנין שלמה נאמר כי מלא כבוד ה׳ את בית השם הנה א״כ הכבוד שזכר הנביא על השכינה נאמר ואין אפשר לפרשו על בית שני: *Verum eſt, in templo ſecundo, quod ædificaturi eſtis, neque gloriam, neque divitias, neque pacem reperiri. ſed illo tempore implebo domum hanc gloria, eo quod ibi habitabit Dei majeſtas. Quod vero vidiſtis in templo Salomonis argenti & auri abundantiam, ſciendum vobis eſt, longe majorem copiam in futuro templo repertum iri, ita ut gloria hujus poſtremi templi, quod eſt tertium, major ſit futura, quam primi à Salomone ædificati. Præterea hoc loco, qui eſt Hieroſolyma, hoc tempore erit pax, neque amplius audietur rapina & vaſtatio in finibus ejus, contra quam fuit in templo ſecundo. Ibi enim bella invaluerunt inter eos ipſos invicem, & cum hoſtibus illorum circumquaque. Ecce cum res ita habeat, dum ait: & implebo templum hoc gloria, item major erit gloria templi hujus poſtremi, collineavit ad templum tertium, non ſecundum, quia ibi gloria Domini non reſedit. Licet etiam templum Herodis elegantiſſimum fuerit ædificium, ideo tamen non dicitur illud gloria impleri. Gloria enim illud implens eſt gloria Domini, quemadmodum de opere tabernaculi dicitur* (Exod. 40: 34.) *& gloria Domini implebat tabernaculum. & de ædificio Salomonis dictum eſt* (1 Reg. 8: 11.) *quia implevit gloria Domini domum Domini. Ecce cum ita res habeat, gloria, cujus Propheta hic meminit de præſentia divinæ majeſtatis dicitur. Ecquomodo vero illa de templo ſecundo explicabitur?*

§. XXI. In Abarbenelis interpretamento plura notanda occurrant. (1) quod in templo ſecundo nec gloriam, neque pacem reperiri ſcribit, id Judaicum figmentum eſſe, & inde ortum, quod ſenſum vocis מעט non recte eſt aſſequutus, ceu ſupra vidimus. Hinc fit, ut totum verum ſenſum vaticinii obſcuret & pervertat. (2) tum tertium templum Prophetam reſpicere docet, quod Judæi præſtolantur, id tam alienum eſt ab omni veritate, ut hoc aſſerentem ipſe textus fortiſſime redarguat, qui manifeſto agit de templo ſecundo, quod gloriam templi primi ſit longe anteceſſurum. Ecquid enim aliud ſibi volunt verba, הבית הזה *domus hæc*, quibus indice quaſi digito Haggai templum tum temporis ædificari cœptum deſignat? Quot vocabula enim hic, tot fere pronomina demonſtrativa, eandem prorſus ædem ſignificantia, occurrunt. Excipit quidem R. Abarbenel l. cit. ad hoc ſcribens: אין להקשות ממה שאמר הבית הזה כי הנה לא היתה הרמיזה כי אם לבית העתיד שהיה מדבר בו ומעיד עליו גם כי מקום הבית היה ויהיה אחד בכל הזמנים ולכן יאות לומר עליו בכל הזמנים הבית הזה: *Non eſt, quod objicias, dictum eſſe templum hoc. Ecce enim illa demonſtratio nonniſi futurum templum reſpicit, de quo loquebatur & teſtabatur. Præterea locus innuitur per verba* הבית הזה, *qui unus eſt idemque omni tempore. Et idcirco ſubinde de eo dicendum eſt: domus hæc.* Sed laterem lavat R. Abarbenel, quod ita oſtenditur. Quodcunque priori Salomonis templo non opponitur in textu, id h. l. minime intelligitur. Sed locus templi priori templo non opponitur. Ergo locus h. l. minime intelligitur. Sed ipſum templum Zerubabelis, cujus aſpectu illi deterriti ſegniter extructionem proſequebantur. Et quis fidem habeat Judæo comm. ad Hagg. 2. ſcribenti: הראה חשי׳ לנ״ביאו אגב גררא דבית שני ענין הבית העתיד שיהיה בית ה׳ לכבוד ולתפארת: *Oſtendit DEUS benedictus ſuo Prophetæ obiter, templum ſecundum ſignificare templum futurum, quod erit templum in gloriam & decus.* Ubi vero hoc factum? quibus verbis? Hoc ſane nemo Judæorum aliorum perſpicere potuit. Solus Abarbenel tam lynceus fuit, ut reliquis omnibus recutitis viderit acutius, & ſibi id perſuaſerit, & pro ſua in ſcriptis propheticis impudenter graſſandi licentia, docere alios non dubitarit. Quin ea etiam pro veris obtrudere Chriſtianis ſatagit, quæ ipſius contribules haud admiſerint. Præfatione enim in Prophetas, quæſt. 1. rationem allaturus, quamobrem templum ſecundum hic nequeat intelligi, ex vocis Ebraicæ proprietate ita contra nos argumentatur: אף איך יאמר גדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון מן הראשון כי ראשון ואחרון לא יאמר בשום צד על שנים בלבד אבל יאמר עליהם אחד ושני כי ראשון ואחרון לא יפול כי אם במנין שלשה או משם ולמעלה ולכן בימי בראשית נאמר יום אחד ולא יום ראשון: *Ecquomodo dixerit: major erit gloria domus hujus poſterioris, quam primi? Tò* ראשון *enim &* אחרון *nullo modo dici poſſunt de rebus binis, ſed de illis dici ſolet* אחר *&* שני. *Voces enim* ראשון *&* אחרון *non uſurpantur niſi de rebus tribus aut pluribus. Atque ita in diebus creationis dicitur dies* אחר, *non autem* ראשון.

§. XXII. Sed Judæum æſtus diſputationis contra Chriſtianos ita abripuit, ut videre ipſi non licuerit, quid ex uſu ſcripturæ eſſet. Fugit ſane eum ratio. Tam apertæ veritatis id eſt, poſſe etiam de rebus duabus dici ראשון ואחרון, ut ex ipſis Judæis R. Aſarias cap. 51. אמרי בינה, exemplis convictus ipſemet ad Concordantias Ebraicas lectorem amandet, & locum afferat ex Jer. 50: 17. *pecus diſperſum leones expulerunt,* ראשון *primus devoravit eum Rex Aſſur, & iſte* האחרון *noviſſimus exoſſavit eum Nebucadnezar, Rex Babel.* Cum tamen, ut ipſe Rabbi Aſarias ibi docet, כבר נודע כי גלות בבל לא היה אחרון בבואו אחריו גלות טיטוס *notum ſit, exilium Babylonicum non eſſe ultimum, quia illud ſecutum eſt exilium, à Tito illatum.* Tò אחרון itaque dici ſolet ut, idem R. Aſarias l. c. loquitur בערך הראשו *ratione primi.* Id quod adhuc alio exemplo illuſtrat petito è Gen. 32: 2. Poſtquam enim dixiſſet אין בכל מקרא אחרון שלא יובן בערך *In tota ſcriptura non occurrit vox* אחרון, *quæ non ex analogia vel proportione intelligatur.* Subjicit ראה אמרו לאה וילדיה אחרונים וסמיך ליה ורחל ויוסף אחרונים מהמה: *Ecce cum ait, Lea & filii ejus primi, addit & Rahel & Joſeph poſteriores,* nempe illis. Atque ita pro Chriſtianis Abarbeneli reſpondet R. Aſarias: הנה תאר אחרון הנזכר אינו ממה שיקשה כי האמנה דרך פשט יתורץ בשתים: *non eſt, quod nomen* אחרון *cujus mentio fit, objiciatur. Senſu enim literali ſuo uſurpatur, ubi non niſi duo ſunt.*

§. XXIII. Et ſi vero Abarbenel longe à Prophetæ ſcopo abludit, videri tamen queat, in eo propius à veritate abeſſe, dum τὸ כבוד rectius accipit, quam Judæi reliqui. Sane magis ſobrie eum de כבוד ſenſiſſe, quam alios, apparet, ſatis tamen eluceſcit, eum etiamnum nonniſi in umbra hærere, & ultra eam nihil admittentem, majorem gloriam templi futuram nullum agnoſcere, cujus tamen Propheta verbis emphaticis ſemel atque iterum meminit. Sane ſi voce כבוד glorioſa illa Dei Majeſtas, quæ in tabernaculo primum Moſaico, deinde in templo primo apparuit, intelligatur, ſecundi vero templi gloria ſit major futura quam illius primi, liquido apparet, præſentiæ illius externæ ſymbolum, nubem puta 1 Reg. 8: 10. quæ ibi כבוד appellatur, præſtantiam hanc conficere haud poſſe. Relinquitur igitur, complementum vaticinii non in priſtina umbra, ſed alio aliquo, eoque potiori quærendum eſſe. Cl. Vir Ludovicus de Dieu impletum eſſe ait, quod hic prædicitur, feſto Pentecoſtes, cum לוח הקודש Sp. S. templum vento implevit, & Apoſtolos donis, quæ omnes in admirationem rapuerunt Act. 2: 3. Cæterum hæc ſententia dubia & incerta nititur hypotheſi, nempe οἶκον ſignificare ibi *templum.* Licet enim alias Ebræi templum בית vel *domum* appellare ſoleant, nihilominus hoc loco id fieri, eo minus veriſimile videtur, quo uſitatius alias N. S. Scripturæ eſt, vocem ἱερὸν adhibere. Conf. B. D. Major: annot. ad Act. 11.

§. XXIV. Longe rectius dicitur, gloriam illam majorem templi ſecundi in eo conſiſtere, quod ipſe Dominus gloriæ,

(2 Cor. 2: 8.) Meſſias, inibi ſe manifeſtans, illuſtravit illud præſentia ſua, qui infans in illud allatus eſt, & vir in eodem cum ſtupore omnium docuit, & miracula patravit. Quæ ſententia, ut eventu ipſo comprobata eſt, ita cum vaticiniis V. T. exacte convenit, quæ Meſſiam ſtante adhuc templo ſecundo venturum eſſe haud obſcure præ ſe ferunt: Hoc ſane non modo ex Danielis vaticinio cap. 9: 26. ſed cum primis illo Mal. 3: 1. huic noſtro addito clare eluceſcit. Quemadmodum enim Haggai, quo vaticinante, templi ſtructura inchoata erat, brevi *deſideratum gentibus* venturum, & gloria majori templum illud ſic impletum iri prædixit; ita Malachias, Prophetarum ultimus, quo vaticinante templum jamdum exſtructum erat, diſerte ait, Dominum, hoc eſt, ut ipſi Judæi interpretantur, *Meſſiam*, אל היכלו *ad templum ſuum*, nempe illud ipſum jam tum exſtructum, *mox venturum* eſſe. adeoque uterque non de re longe demum poſt eventura, ut Bileamus, Num. 24: 17. ſed jam quaſi propinqua, & ſtante illo templo implenda, manifeſtiſſime egit. Ex quibus id conſequitur, illud templum non deſtruendum fuiſſe prius, quam Meſſias veniſſet, adeoque jam præteriti adventus Meſſiæ ſignum certiſſimum eſſe, quod pridem, ante XVI. ſecula, illud exuſtum & ſolo æquatum fuit. Quæ ſi diligentius expendiſſet R. Moſes Maimonides, qui Meſſiam primum in Palæſtinam venturum, exinde collegit, quod אל היכלו *ad templum ſuum* dicatur venire, Mal. 3: 1. minime tertium, ſed ſecundum, Zerubabelis nempe, ſignificari animadvertiſſet, quod verbis הבית הזה tanquam indice digito Propheta alter deſignavit, præter quod aliud, nempe tertium, diu eſt, quod fruſtra Judæi expectant.

CAPUT III.

§. I. NUnc qualem R. Abarbenel ſententiam Chriſtianis tribuat, & quas rationes eisdem opponat, videamus. פרשו אותם המפרשים על בית שני ותפשו אותם מפרשי הנוצרים באמרם מה הכבוד והרעש אשר היה בבית שני ומתי רעשו העמים ונקבצו ואספת חמדתם ואיך נתקיים בבית שני לי הכסף ולי הזהב ואיך אפשר שיפרש גדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון על בית שני ולכן פירשוה הם על בית אמונתם ממשיחם המדומה ושעל סוף בית שני אמר עוד אחת מעט היא ורעשו שמים והארץ כי נשתנו סדרי האמונה הראשונה ועל קבוץ העמים לקבלת אמונתם אמר והרעשתי את כל הגוים ושלהיות בית משה ושלמה בכמותם העמים ובגשמות העבודה דבר קטן בערך דתם ואמונתם אמר על בית תורתם גדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון מן הראשון אבל כבר יתחייבו אליהם בדתם ספקות ובטולים: *Interpretes de templo ſecundo hæc explicant, & Chriſtianorum interpretes id amplectuntur, dicendo, ecquænam illa gloria eſt & commotio, quæ fuit in templo ſecundo? Ecquando commoverunt ſe populi, & congregati ſunt, & illorum deſiderii collectio? Ecquomodo impleta ſunt verba, in templo ſecundo, meum eſt argentum, meum eſt aurum? Et quomodo verba: Gloria templi hujus major erit, quam primi, de templo ſecundo poſſunt explicari? Idcirco explicant de domo fidei ſuæ de Meſſia ſuo fictitio, & quod de fine templi ſecundi dictum ſit, adhuc unum modicum, & movebuntur cœlum & terra, quia ordines fidei primæ ſunt immutati, & quia populi nomen ſuum fidei illorum dederunt, ait, & commovebo omnes gentes. Et quia templum Moſaicum & Salomonis populorum quantitate & cultus corporeitate, parva res erat reſpectu illorum fidei & religionis, ideo de eorum Eccleſia Propheta dixit, major erit gloria templi hujus, quam primi. Cæterum in promptu ſunt rationes, quæ illis opponantur.*

§. II. Negare ſane non poſſumus, priſcos Chriſtianos Dd. voces הבית הזה *de Eccleſia* eſſe interpretatos, cujus major gloria ſit futura, quam primi templi. Poſt Ambroſium enim S. Auguſtinus lib. 18. c. 45. & 48. de C. D. *Hæc domus*, inquit, *Chriſti Eccleſia, majoris eſt gloriæ quam fuerat illa prima, lignis & lapidibus, cæteriſque rebus metallicis conſtructa.* Et Cyrillus in Geneſ. lib. 5. *Quod Eccleſia Chriſti clarior & pulchrior ſit priſco Judæorum templo, terreſtribus conſtructo lapidibus, Haggæi prophetæ verbis latiſſime patet.* Et in hunc ipſum Prophetam: ἥκεν ἀτρεκὴς ὁ λόγος, ὡς ἔσται μείζων ἡ δόξα τοῦ τελευταίου ναοῦ τουτέστι τῆς ἐκκλησίας, *verum eſt igitur, gloriam noviſſimi templi, Eccleſiæ puta, majorem fore.* Sed ut hæc allegorico ſenſu dicta eſſe ultra largimur, ita ſenſu litterali non niſi de ſecundo templo agere, ex ipſius textus συναφείᾳ edocti, dudum vaticinium impletum eſſe dicimus, neque ſolidi quicquam contra Chriſtianorum interpretationem afferre Judæos, videmus.

§. III. Etſi enim R. Abarbenel quatuor rationes in medium adducit, ejuſmodi tamen illæ ſunt, ut iis nihil aliud efficiat, quam ut ſtuporem ſuum prodat. Prima ita habet: באו׳ עוד אחת מעט היא שפירשוהם כי כמעט זמן יבוא זה הרעש וידוע שמעת שנאמרה הנבואה זו על לדת ישוע משיחם שהנה בסוף בית שני עברו קרוב לד׳ מאות שנה ואין נאמר מעט היא: *Dum ait* (Propheta:) *adhuc modicum eſt, explicant illud ita, commotionem hanc brevi eventuram eſſe: jam vero notum eſt, quod inde usque à tempore Prophetiæ prolatæ, ad nativitatem Jeſu, Meſſiæ illorum, quæ in finem templi ſecundi cadit, fere elapſi ſint anni quadringenti.* Sed ad hæc reſpondemus. Si ipſi Judæi τὸ מעט de in illo intervallo, quod inter Magogicum bellum, ſecundum ipſos, in fine mundi gerendum, & vaticinium intercedit, interpretantur: & præterea hoc longum ſedecim ſeculorum exilium רגע קטן ex Eſai. 54: 7. vocare ſolent, quidni de longe minori temporis ſpatio, nobis illam accipere licebit? (2) cum illum, cui mille anni ſunt ſicut dies unus, (ut ex Pſ. 90: 4. Petrus 2 Epiſt. 3: 2. loquitur,) Propheta ſermocinantem hic introducat, quid mirum, ſi quatuor ſeculorum intervallum modicum temporis appelletur. (3) Recolendum Judæo erat, inde usque ab exitu ex Ægypto, & Moſaicæ legis œconomia, ad tempora unius Prophetæ decem circiter ſecula affluxiſſe, quorum reſpectu reliquum tempus, quatuor videlicet ſeculorum duntaxat, quidni vocari potuerit *modicum*?

§. IV. Altera ratio, quam movet ex textu, ita habet: הנה הרעש שזכר חגי הנביא כאן הוא עצמו מה שזכר אחרי כן בפרשת ויהי דבר ה׳ שנית אל חגי בעשרים וארבע החודש אמור אל זרובבל פחת יהודה לאמור אני מרעיש את השמים ואת הארץ וגו׳ ביום ההוא אקח זרובבל בן שאלתיאל עבדי וגו׳ מורה שאותו הרעש הנזכר בדברי הנביא הזה פעמים בימי זרובבל היה לא אחרי כן כארבע מאות שנה: *Ecce concuſſio illa, cujus Haggai hic meminit, illa ipſa eſt, cujus poſtea facit mentionem in ſectione illa* (cap. 2: 21.) *& factum eſt verbum Domini ſecundo ad Haggai vigeſimo quarto menſis: Loquere ad Zerubabelem, ducem Juda, dicendo: Ego commoveo cœlum & terram, & die illo, ait Dominus Zebaoth, ſumam te Zerubabelem ſervum meum, &c. quo ipſo docet, eam ipſam commotionem, cujus in Prophetæ verbis fit mentio, bis diebus Zerubabelis contigiſſe, non demum quadringentis annis fere poſt.* Cæterum illam concuſſionem cujus vſ. 21. meminit, aliam & diverſam eſſe à priori illa, quæ vſ. 8. memoratur, ſatis eluceſcit ex phraſi ipſa & rei diverſitate. Ibi enim cœli & terræ, maris & aridæ, mentio fit, vſ. 21. non item. Præterea priorem illam commotio gentium earumque converſio ad Meſſiam ſequutura dicitur, hanc vero ejuſmodi eſſe cognoſcimus, quæ regnorum mutationem deſignet.

§. V. Tertia ratio R. Abarbenelis ita habet: מאמרו ובמקום הזה אתן שלום אמר ה׳ צבאות ורמזת במקום הזה אין ספק שהוא ירושלים והנה מיום שנולד משיחם לא היה שלום בירושלים אבל היה חרב איש באחיו קטטות ומלחמות עד נחרצת שוממות: *Dum ait: & in hoc loco dabo pacem, dicit Dominus Zebaoth, demonſtrativo hoc hauddubie Hieroſolymam deſignat. Ecce autem ab illo tempore, quo Meſſias illorum natus eſt, non fuit pax Hieroſolymis, ſed quisque gladium in proximum ſuum ſtrinxit* (Hagg. 2: 23.) *contentiones fuerunt & bella usque ad deſolationem deciſam* (Dan. 9: 26.) Sane aut nunquam in mundo pax fuit, aut tum illa quoque locum obtinuit, cum Meſſias noſter natus fuit. Imperante enim Auguſto, qui ter Janum clauſit, in hanc lucem editus eſt. Sed licet contra Judæos jucundam contemplationem hoc habere queat, ipſis tamen in præſenti opponendum haud arbitramur, utpote ex contextu edocti, pacem illam quam Deus h. l. hominibus pollicetur, longe majoris dignitatis eſſe, quam terrenam illam & facile evaneſcentem. Eſt nempe pax altera, eaque ſpiritalis, quam h. l LXX. τῆς ψυχῆς appellant, *conſtantiſſima nempe mentis recreatio, qua fit, ut de benevolentia Dei ſecurus homo, ſuperatis conſcientiæ terroribus cum Davide exclamet: Dominus illuminatio mea, à quo timebo?* Atque hanc pacem שר שלום *Princeps pacis*, Meſſias, acquiſivit, Eſai. 9: 5. cujus doctrina appellatur ἐυαγγέλιον εἰρήνης, Eph. 6: 15. 4: 11. 15, 16, 17. & cujus beneficio id obtinuimus, ut ἐν ἀνθρώποις ſit εὐδοκία, Luc. 2: 14. hoc eſt *affectus Dei benevolus*, vel, ut Chryſoſtomus Græcam vocem explicat, καταλλαγή, ſive, ut Theophylactus interpretatur, ἐπανάπαυσις. Quod vero Hieroſolymis poſt natum Chriſtum bella quoque & contentiones fuerint exorta, id æque inepte Meſſiæ noſtro adſcribent Judæi, ac ipſam πανωλεθρίαν urbis divinitus deciſam (ut ex Daniel. 9. Abarbenel loquitur) R. Moſes Maimonides eidem acceptam ferendam docuit, Hilk. Melachim. c. 11.

§. VI. Quar-

§. VI. Quarto R. Abarbanel & hoc objicit: השלום אשר יעד עליו חגי הוא השלום אשר יעדו הנביאים לימות המשיח ואין ענינו אלא שלא יהיה אחריו מלחמה בכל הארץ לפי שישתתפו האומות כלם באמונת השם וכאשר לא יהיו ביניהם אמונות שונות שהיא סבה עצמית במחלקת לא ישאו גוי אל גוי חרב ולא ילמדו עוד מלחמה ואיך יפורש זה על משיחם שאחרי בואו נתחלפו האמנות והדתות ונתרבו המלחמות בכל הגוי׳: *Quarto pax illa, quam Haggai h. l. pollicetur, est illa ipsa, quam Prophetæ diebus Messiæ futuram promiserunt. Sed hæc nihil aliud significat, quam post illam non futurum bellum in toto mundo, eo quod gentes in fide Dei sunt conjungendæ. Et cum inter eas diversæ religiones non sint futuræ, quæ ipsissima dissensus causa sunt, non tollet gens contra gentem gladium,* (Esai. 11: 4.) *neque amplius bellum discent. Ecquomodo vero hoc de illorum Messia explicabitur? Ipso veniente enim, fides est immutata, & religio, quin etiam inter omnes gentes bella multiplicata fuerunt.*

§. VII. Quod R. Abarbanel largitur, pacem, quam h. l. Propheta pollicetur, illam esse, quæ diebus Messiæ sit futura, utraque manu acceptamus. At eam hujusmodi fore, quæ in nuda illa cessatione à bellis gerendis consistat, id vero præconceptam Judaicam opinionem & Propheticorum verborum (Esai. 2: 4. Mich. 4.) crassam interpretationem redolet. Fuerunt quidem ex Christianis quoque, qui de pace quæ Augusto imperante viguit, Esaiæ verba explicarent. Conf. Hieronymus in h. l. Bellarm. lib. 3. cap. 14. de Laicis. Drusius Observat. libr. XVI. cap. 6. Sed si penitius textum expendimus, eam pacem notari deprehendimus, *quæ ex Messiæ judicio & doctrina erat dimanatura*, ut B. Meisner. Philol. Sobr. part. 3. Sect. 2. pag. 907. monet. Atque hinc B. Glass. Philol. Sacr. lib. 3. tr. V. can. 3. ait: *Satius esse, allegoriam istam de spirituali pace & unitate, quæ est & semper erit, inter vera Ecclesiæ membra, quam de externa & politica tranquillitate exponere.* Ea enim futurum doctrina erat, ut homines, deposito litigandi & contendendi studio, ex præscripto Messiæ viverent magis pacate. Nempe hic Messiæ doctrinæ genius inest, ut odia ac lites dirimat ac facessere faciat, etsi fieri queat, ut per contumaciam ac malitiam hominum eventus non ubique & semper subsequatur. Sæpenumero tamen, tot seculis, ex quo videlicet prædicatione verbi & Euangelii totum mundum Deus concussit & reformavit, factum esse negari nequit. Frustra vero Judæus causatur, post Messiæ nostri adventum bellum magis & dissensiones increbuisse, cum id plane per accidens fiat, & hominum potius culpa, quam illius doctrinæ sanctissimæ, secundum se nullam omnino vel dissensus vel dimicationis causam præbituræ. Atque ita loca Matth. 10: 34. Luc. 12: 51. non de fine prædicationis Euangelicæ, sed eventu tantum per accidens loqui palam est.

§. VIII. Quæ cum ita se habeant, manifestum est quam frivolis rationibus usus Abarbanel nostram doctrinam Christianam oppugnet, & quam temere is triumphum jactet de Christianis convictis. מכח הטענות אשר עשיתי על פירוש הנוצרים מבואר נגלה שאין אפשר שתפרש הפרשה לפי דרכם מלבד היות עקרי דתם בעצמם נמנעי המציאות ומסוג הנמנע אשר לו טבע קיים ש"אא שישתנה ולא יתואר השם יתברך ביכולת עליו ויצא לנו מזה כלו הפרשה הזאת נאמרה לעתיד לבוא ושלא נתקיימה עד כה והיא עתידה להתקיים לימות המשיח: *Ex rationum, quas contra Christianos movi, pondere manifestum est, fieri non posse, ut hæc sectio secundum illorum morem explicetur: ut jam nihil dicam, fundamenta illorum religionis secundum se non posse subsistere. Impossibile enim est, ipsa natura id attestante, ut Deus mutetur, & à potentia sua non denominetur. Ex quo sequitur, totam sectionem hanc de futuro loqui, adeoque necdum esse impletam, sed diebus Messiæ demum implendam.* Quam parum vero roboris insit rationibus allatis, ex dictis manifestum est. Quod porro Abarbanel causatur, Christianorum religionis fundamenta ejusmodi esse, ut seipsa invicem evertant, id nondum ab eo est ostensum. Fieri non posse, ut Deus mutetur, neque tamen à sua potentia denominetur, id itidem nequicquam objicitur. Neque etiam exinde, quod legis ceremonialis abrogatio est facta, sequitur, DEUM mutationi esse obnoxium, cum longe aliud sit Deum voluntatem suam mutare, aliud Deum rerum velle mutationem. Non prius sed posterius hic locum obtinet. Cum enim ritus illi cerimoniales initio ad id sanciti & ordinati fuerint, ut eorum tantisper usus esset, donec Messias, quem adumbrabant, venisset, liquido patet, Deo, qui se mutari negat, nihil inde decedere vel potentiæ ipsius, si vel maxime ceremoniæ cessarint, misso eo, cujus illæ figuræ erant, nempe Messia nostro, & gloria illa templi secundi. Quem pridem stante illo templo, se stitisse infitias ire nequeunt. Sane Rabbi Moses Maimonides cap. XI. Hilk. Melachim, editionis majoris, cum de eo scribit: אותו שדמה המשיח ונהרג מבית דין גרם לאבד ישראל בחרב: *ille (Nazarenus,) qui videbatur esse Messias, à Synedrio est occisus & in causa fuit, quamobrem Israel gladio perierit*, geminum, idque magni Christianis faciendum, testimonium reliquit. 1. enim haud diffitetur, templo secundo eum venisse, quod Messiæ veri κριτήριον est. (2) eum è terra viventium esse ereptum, quod Esaias de eodem cap. 53: 8. prædixit. Licet ei falso Israelis excidium assignet, quod suo sibi jumento Judæi potius accersiverunt, ut vel ex Gorionidis historia ipsi discere possunt.

F I N I S.



M. MICH.

M. MICH. BOCCII

RABBINORUM TEMPLUM TERTIUM FICTUM ad Hag. II: 7. seqq.

PRÆFATIO.

Quanti à Prudentibus, Judæorum monumenta & antiquitates scrutandi studium fieri soleat, vel ex illo satis patere potest, quod eruditorum sua ætate facile Princeps Isaacus Casaubonus in Epistola ad Lingelsheimium scriptum reliquit: Olim, *dicit*, venerandus Parens meus, cum ego illi notas in Diogenem offerrem, & de meis inceptis ad rem literariam promovendam multa juvenili modo narrarem; respondit mihi, laudare se quidem propositum meum, καὶ τὴν πρὸς τὰ μαθήματα ὁρμὴν; Cæterum se pluris vel unicam observationem facturum, ad libros sacros pertinentem, quam omnia illa, quorum illi spem feceram. Hæsit animo meo penitus infixa viri optimi vox illa, semperque ex illo tempore θεῖα μελετᾶν sum conatus. *Scilicet hoc docti Parentis effatum, filio, solidæ eruditionis desiderio flagrantissimo, incitamento fuit, ut tandem sacris opera ejusmodi, qualem profanis impenderat, destinata, illud per totam Europam deprædicatissimum opus, exercitationes in Baronii Annales produxerit, in quarum exornatione, cum tam ex variis gentilium quam Judæorum scriptis varia attulisset, operam ejus laudare hunc in modum magno literatori visum est:*

Cedat Athenæus, juvenilis gloria cedat,
Scipiada sapiens in fera bella comes!
Cedat & ipse etiam mundi descriptor & omne
Quicquid Roma tui, Græcia quicquid habet.

Sic quoque non omnem nostram frustraneam esse operam putamus, quam loco alicui difficiliori explanando impendimus. Si non omnia, ut debent, pertractantur, non tamen sine nostro peraguntur commodo, solius enim exercitii gratia hæc à nobis suscipiuntur. Esto igitur

§. I.



O accuratius, ut indagari possit sensus verborum præsentium, quæ hisce horis ventilanda, ac à Rabbinorum corruptionibus vindicanda suscepimus, consultum omnino est, ut in ipsam hujus Vaticinii occasionem anxie prius inquiramus. Scilicet cum populus Israëliticus ex Captivitate Babylonica reversus, in Templo altero erigendo multum occupatus esset, positisque saltem fundamentis statim subodoraret, pulchritudine ac præstantia hancce domum priori, à Salomone ædificatæ, vix adcedere, multumque abesse, priorem splendore ut antecellat; quapropter ingente inter Judæos exorto dolore, fusissime fundunt invicem lacrymas, ac ad animum revocant, ineffabilem Templi Salomonei rationem, ut adeo Deus intermittere nullatenus potuerit, quin firmo ac pertranseunte solatio mœstos erigeret animos. Et hoc statim in primis verbis est advertere, quæ sic inveniuntur עוד אחת מעט היא. Ubi ex consideratione accentuationis ad oculum statim patet, duo illa vocabula אחת מעט, non cohærere, sed distingui, ob accentum *Tipcha*, distinctivum. Sicque requiritur subintelligendum aliquod *Substantivum*, scil. פעם, ac ita adhibetur Exod. 30: 10. אחת בשנה וכפר *Expiabit semel in anno.* Alias quoque cum ipso substantivo legitur, ut 2 Sam. 23: 11. אחת מעט *una vice.* Sic omnino commode cum LUDOVICO DE DIEU τὸ אחת etiam vertere possumus per *Semel*; uti hoc ipsum confirmat Apostolus Ebr. 12: 26. Quod etiam observavit SYRUS PARAPHRASTES in Bibliis Anglicanis, quando vertit: ܥܘܕ ܚܕܐ ܙܒܢ. Et LXX. quoque transtulerunt ἔτι ἅπαξ, *adhuc semel*, vel *una vice.* Quanquam neuter particulam מעט sua versione expresserit. Quæ particula significat *parvum*, *breve*, & h. l. *tempus propinquum*, quod videre quoque est ex Hos. 1: 4. ubi τὸ מעט LXX. verterunt ἔτι μικρὸν; quam explicationem contextus ipse requirit. Ut adeo sensus nostri loci sit: *Adhuc semel, idque brevi futurum est*, nempe cum commoturus sum Cœlum & terram.

§. II. Ast non solum Judæi statim hæc verba pervertere student, quo feliciorem deinde habeant, suam falsam hypothesin defendendi occasionem. Sed etiam quidam Christianorum, contorte admodum non de *tempore*, sed *fœdere*, quod Deus inire velit, explicant, uti JUNIUS & TREMELLIUS R. SALOMON licet de *tempore* intelligat, nihilominus ad aliud inauditum applicat, de quo tamen in textu non est sermo. Ejus verba hæc sunt: עוד אחת מעט היא משתכלה מלכות פרס זו המושלים עליכם עוד אחת תקום למשול עליכם להצר לכם מן מלכות יון ומעט יהא ממשלתה: *Adhuc parum erit, antequam Regnum Persarum finiatur, qui vobis dominantur, adhuc unum surget, quod in vos imperium habeat, & affligat ex regno Græcorum, sed illius dominium haud ita diu durabit.* Sed nil hic de Regno, cui subjecti sunt Judæi, nec de ejusdem cessatione. R. D. Kimchi ne quidem tempus intelligi vult, ut contra indolem vocis מעט etiam agat, quando sic loquitur, in h. l. פרוש עוד אחת עוד טובה אחת אעשה לכם מלבד זאת שאני עושה לכם מעט היא מעט ונקל היא בעיני לעשותם וטובה מזאת תהיה כי עתה יש לכם צוררים בבנין הבית אבל באותו זמן יכבדו כל הגוים הבית הזה במנחות וכסף וזהב שיביאו שם: Vocabulorum עוד אחת sensus est; *Adhuc unum bonum vobis exhibebo præter illud, quod in vos jam confero. Vox autem* מעט *idem significat, ac parum illud est, ac leve in oculis meis, ut illa faciam; adhuc majus beneficium, quam hoc, sentietis. Jam enim adversarios experimini in ædificando templo, sed illo tempore omnes gentes hoc templum honore afficient, muneribus, argento & auro, quæ eo sunt laturæ.*

§. III. Longe impudentius ABARBANEL vocem אחת ad ipsum templum refert, ac aliquam generis enallagen h. l. fingit, quando hæc producit libro משמיע ישוע p. 67. עוד אחת מעט היא פרשו אצלי באמרת שלפי שאמר למעלה שיהיה הבית הזה כאין בעיניהם לכן אמר עתהכי כה אמר ה" צבאות עוד אחת מעט היא ר"ל שבית השנה הזה אמר הוא שמעט יהוה בערך הבית הראשון שבנה שלמה כאשר אמרתם וזהו עוד אחת מעט היא כלומר מלבד הבית הראשון עוד תבנה ותכונן ידיכם בית א" שתהיה מעט בערך אל הראשון ואמר אחת בלשון נקבה כי כן דרך הנביאים לתאר פעמים הזכר בלשון נקבה כפי הבחינה מהבחינות וכ"מש על כן תטעי נטעי נעמנים וזמורת זר תזרענו כי תטעי הוא לשון נקבה ותזרענו הוא לשון זכר *Puto hunc esse sensum. Quia supra dixerat, hoc templum*

ficut

ſicut nihil eſſe in oculis eorum, idcirco jam dicit: Sic dicit Dominus Zebaoth עוד אחת מעט היא, *quaſi dicat, hoc ſecundum templum fere leve eſt, reſpectu prioris à Salomone ædificati, uti dixiſtis, atque hoc verbis his innuitur:* עוד אחת מעט היא *quaſi dicat, præter templum primum adhuc per veſtras manus ædificabitur templum aliquod, quod reſpectu primi parvum videbitur: Adhibet autem vocem* אחת *in fœminino genere, more Prophetarum, qui ſolent quandoque maſculinum fœminino efferre pro diverſa conſideratione. Sicut enim ait:* (Eſa. 17. verſ. 10.) Propterea plantabis plantationes jucundas, & putamen alieni ſeminabis illud. Tò תִּטָּעִי *fœminini generis eſt*, verbum תזרענו *eſt maſculini generis.*

§. IV. Porro, quidnam jam brevi futurum eſt? ſcil. quod commovebit cœlum & terram. Vocabulum מרעיש motionem aliquam inferens, de varia explicatur commotione ab ipſis Judæis, uti videre eſt ex Abarbanele p. קעה. colum. 2. ואמרם אמרו עוד אחת מעט היא ואני מרעיש את השמים ואת הארץ וכל שאר הנבואה כבר ראית שהמפרשים כולם פירשוה על עניני בית שני ואמרו כי אמר עוד אחת מעט היא על ממשלת יון על ישראל שתבוא אחרי ממשלת פרש ומדי לפי סגם היא מעט מהזמן תכלה ופירוש הרעם על מלחמת החשמונים שהוא רעש בדרך משל ואחרים פירשוהו על הרעש שהיה בפעל בימי הורודוש: *Quod autem dicit, parum adhuc eſt, & ego commoturus ſum cœlum & terram, & reliquum Prophetiæ vidi, quod interpretes omnes exponant illud de argumentis Templi ſecundi; hoc ſenſu: quod dicat adhuc parum eſt de Imperio Græco ſuper Iſraëlem venturo poſt Monarchiam Perſicam & Medicam, propterea, quod etiam illa parvo poſt tempore ceſſaverit. Commotionem vero exponunt de bello Haſmoneorum, quod vocetur commotio metaphorice. Et alii exponunt de commotione, quæ revera contigit temporibus Herodis.* Ex quibus patet, quoſdam propriam, quoſdam vero parabolicam intelligere commotionem. Plurimi tamen inter accuratiores Rabbinos impropriam, perpendentes emphaticam hancce orationem, intelligunt. Ut non attendamus illam, quam Rabbi Maimonides in More Nebuchim pag. 11. cap. XXIX. tradit, quod Haggæus loquatur de interitu Regni Perſici. Cui omnino totus reclamat textus, utpote qui conſolatorius eſt, non vero epanorthoticus, ut de aliis abſurdis non dicamus. Hinc ab ipſo etiam *Rabbi David Kimchi* in h. l. merito pro inſulſa habetur, quando dicit: מה שאמר את השמים ואת הארץ ותא הים ואת החרבה דרך הפלגה כי שמים לא ירעשו: *Cum cœlum & terram nominat, mare & aridam, hyperbolice eſt intelligendum, neque enim cœli commoventur.*

§. V. Licet itaque parabolicam commotionem ipſis concedamus, non tamen ſtare in partibus Abarbenelis poſſumus, qui per hanc commotionem Regni per gentes everſionem, vult intellectam, libello Maſchmiah Jeſchuah: ועוד אודיע אתכם גרענן שני שיהיה בו והוא שלא יתמיד ולא יעמור זמן רב גם כי הוא הנה יבוא אחריו חורבן וגלות ארוך ומופלג ועל זה אמר ואני מרעיש את השמים והארץ שהרעש הוא משל לחורבן ביה שני וגלות בני יהודה אבל דעו נה וראו שאחרי אותו הירבן תהיה נקמת ה׳ במחויבים ועל עבדיו יתנח ויבנה בית שלישי אחרון לכלם ועל חורבן האומות הנה אמר וארעשתי את כל הגוים שהוא רמז על מלחמת האומות וחורבנם בזמן קבוץ הגליות ועליו אמר ובאו חמדת כל גוים שיבוא על אדמת הקדש ושם ינקם מהם ואז בזמן ההוא אמלא הבית הזה כבוד: *Inſuper aperiam vobis alteram diminutionem ejus templi, nempe, quod non diu ſit duraturum, quin vaſtatio & exilium longum & inſigne ſequetur. Atque de hoc agunt verba:* Ego commovebo cœlum & terram. *Illa commotio enim* metaphorice *notat* templi ſecundi excidium, & filiorum Judæ exilium. *Sed cognoſcite & videte, quod poſt excidium illud* DEUS *ab illis vaſtatoribus ſit pœnas ſumpturus, & ſervos ſuos ſolaturus, ubi* tertium templum *ædificabitur*, *idque* ultimum. *Et de hoc excidio ait:* Et commovebo omnes gentes. *Denotatur enim hic bellum gentium, & earum excidium futurum eo tempore, cum congregabuntur deportatæ multitudines.* Et de hac etiam loquuntur verba: *Et venient* כל הגוים *in terram ſanctam, & ibi ultionem ſumet de illis, & tunc hanc domum implebo gloria.*

§. VI. Nos potius talem hic intelligimus commotionem, qua hominum animi convertendi ſunt. Quod tunc temporis vere peragebatur, cum Chriſti Apoſtolorumque opera fere totus terrarum orbis prædicatione perſonabat Evangelii; Cum agminatim ad Eccleſiam accurrebant Ethnici; Cum hucuſque durantes Ebræorum ritus è medio tollebantur penitus. Repugnat autem tum Prophetiæ emphaſis, tum Apoſtoli confirmatio, quo minus de templi ſecundi devaſtatione ac Regni Perſarum ac Medorum deſtructione, exponi poſſit vaticinium.

§. VII. Præterea adhuc unius mentio fit commotionis, quam & breviter perpendemus, ut demum ad ſcopum noſtrum perveniamus: De qua ſequentia: ומרעיש את כל הגוים ויבאו חמדת כל הגוים ומלאתי את הבית הזה כבוד אמר יהוה צבאות: *Et commovebo omnes gentes, & veniet deſiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloria, dicit Dominus Zebaoth.* Hic difficultas oritur, cur ſcilicet verbum plurale ויבואו conſtructum ſit cum nomine ſingulari. Non hic neceſſe eſt, ut cum RAIMUNDO dicamus, plurali illo ויבואו duas in Chriſto naturas innui. Nec cum RIBERA textum corruptum eſſe, aſſerimus. Multo minus cum Rabbi David KIMCHI ellipſin בְּ צֵרֵי, ut per חמדת non Meſſiam ſed annum intelligat, defendimus. Sic enim ille: פי׳ כל הגוים שאריש ממקומם יבואו בחמדת כלהגוים כ״לו יביאו בידם כל דברי חמודות שימצאו בארצם מכלי כסף וזהב ובגדים ואבנות יקרות: *Senſus eſt verborum* חמדת כל הגוים *Omnes gentes, quas ſuo loco moturus ſum, venient cum deſiderio omnium gentium*, quaſi dicat: *Venient per eas omnes res deſiderabiles, quæ in terra illarum inveniuntur, vaſa argentea, aurea, veſtes & lapides pretioſi.* Nec huic ſententiæ diſconveniens eſt verſio LXX. qui reddiderunt καὶ ἥξει ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν. Ad quam Syrus quoque ſuam direxit in opere Anglicano; *Et excitaturus ſum omnes gentes, ut afferant* [illegible] *optatiſſimam quamque rem cunctarum gentium*; & Arabs وياتي مشتهاوات جميع الامم *Et venient ſelectiſſima quoque cunctarum gentium.* Aſt non video, qua ratione ad hanc fictam ellipſin nobis confugiendum ſit, cum ad oculum pateat enallagen numeri h. l. ſeſe offerre, quæ non in paucis alias reperitur Sacræ Scripturæ locis. Vid. Canon. LIV. lib. 3. tr. 3. Phil. S. Glaſſ. Simile exemplum habemus 2 Sam. 10: verſ. 9. Nec tamen Willii ſententia abſona eſt, qui præpoſitionem אֶל ſubintelligit, *Venient ad deſiderium gentium.* Ut ſic nil aliud per hocce deſiderium quam Meſſiam intelligamus. Et hoc ex antiquiſſimis Ebræis agnovit *Rabbi Akiba, ut in gloſſa Talmudica, Maſchel Sanhedrin cap. XI. legitur* ר׳ עקיבא דרש ליה לימות המשיח ועל מלך המשיח: *R. Akiba de diebus & Rege Meſſia explicat.* Ut pudeat hic CALVINIANUM, qui non veretur aſſerere aurum & argentum hic reſpici. Cum tamen ſcopus Prophetiæ, promiſſum antecedens & commotio Cœli & Terræ contrarium teſtetur.

§. VIII. Reſtant ultima verba: ומלתי את הבית הזה כבוד אמר יהוה צבאות &c. Et verſ. 9. גדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון מן הראשון: Jam non multum prolixi eſſe volumus in oſtendenda gloriæ templi poſterioris excellentia, in quonam conſtiterit. An ideo ejus gloria major, quod decennium diutius ſteterit. An vero ſtructura Templum Salomoneum antecelluerit. Quod plurimi Rabbinorum ſentiunt. An vero in eo, quod gentes & Reges, imprimis Alexander Magnus, illud variis mactaverit donis, ut R. Aſarias perſuaſum habet. Quos tamen omnes uno rejicit ore ipſe *Abarbenel*, dum in proœm. Proph. ita loquitur: הכבוד אינו העושר ולא היופי ולא רום הבנין כמו שאמרו בדרשתם: *Gloria vero non eſt opulentia aut pulchritudo, neque etiam longa duratio ædificii. Sicuti dixerunt in myſticis expoſitionibus ſuis.* Sed ſaltem inquiremus in Templum, quale illud ſit, & cui tanta promittitur excellentia ac dignitas. Sane non ſatis nos mirari poſſumus, gentis Judaicæ ſtupiditatem, quod etiam in luciſſimis V. T. locis miſere cœcutiat. Scilicet, cum non inveniri queat, quod illuſtriorem fecerit domum noviſſimam, præter glorioſam præſentiam Meſſiæ, neceſſarium eſſet, ut agnoſcerent Judæi, Meſſiam veniſſe, cum adhuc ſtaret templum ſecundum. Ne vero tam manifeſte convictos ſe nobis tradant, ubicunque rimas quærunt anxie, quibus elabi conantur. Sic novum Templum in cerebro ſuo fingunt, quod tertium vocant, præter omnem ſanam rationem, & quod quotidie exſpectant.

§. IX. Audiamus primarium hujus ſententiæ Patronum Abarbanelem, qui ſic loquitur: אמרת שבבית השני אשר אתם תבנו אין כבוד ואין עושר ואין שלם אבל בזמן ההוא אמלא את הבית הזה כבוד מפני שתשב שמח השכינה העליונה ומה שראיתם בבנין שתשב שמח השכינה העליונה ומה שראיתם בבנין שלמה מהעושר הכסף והזהב דעו שיותר ויותר ימצא בבית העתיד עושר רב כסף וזהב באופן שגדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון והוא הבית השלישי העתיד לה יות מן הבית הראשון אשר עשה שלמה וגם כי במקום הזה שהוא ירושלים באותו זמן יהיה שלום ולא ישמע עוד חמס שוד ושבר בגבולו מה שלא היה בבית שני כי רבו שמה המלחמות ביום לבין עצמם ועם אויביהם מסביב הנה אם כן באומר ומלאתי את הבית הזה כבוד וגדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון כרון על בית ה׳ לא על הבית השני כי הוא לא נתמלא

נתמלא כבות וא"עפ שהיה בנין הורודוס בנין יפה לא נאמר מפני וזה שנתמלא הבית כבוד לפי שהכבוד המתמלא הוא כבוד ה' וכמש על מעשה המשכן וכבוד השם מלא את המשכן ובבני שלמה נאמר כי מלא כבוהו ה' את בית השם הנה אב הכבוד שזכר הנביא על ושכינה נאמר ואין אפשר לפרשו על בית שני: *Verum est in templo secundo, quod ædificaturi estis, neque gloriam, neque divitias, neque pacem reperiri. Sed illo tempore implebo domum hanc gloria, eo quod ibi habitabit DEI majestas. Quod vero vidistis in templo Salomonis argenti & auri abundantiam, sciendum vobis est, longe majorem copiam in futuro templo repertum iri, ita ut gloria hujus postremi templi, quod est tertium, major sit futura, quam primi à Salomone ædificati. Præterea hoc templo, qui est Hierosolyma, hoc tempore erit pax, neque amplius audietur rapina & vastatio in finibus ejus, contra quam fuit in templo secundo. Ibi enim bella invaluerunt inter eos ipsos invicem, & cum hostibus illorum circumquaque. Ecce cum res ita habeat, dum ait: implebo templum hoc gloria. Item major erit gloria templi hujus postremi, intellexit templum tertium, non secundum, quia ibi gloria Domini non resedit. Licet enim templum Herodis elegantissimum fuerit ædificium, ideo tamen non dicitur illud gloria impleri. Gloria enim illud implens, est gloria Domini, quemadmodum de opere Tabernaculi dicitur (Exod. 40:34.) & gloria Domini implebat Tabernaculum. Et de ædificio Salomonis dictum est, quia implevit gloria Domini domum Domini. Ecce cùm ita res se habeat, gloria, cujus Propheta hic meminit, de præsentia divinæ majestatis dicitur. Ecquomodo vero illa de templo secundo explicabitur.*

§. 10. Verborum quasi maria percepimus, sed ne quidem veritatis guttulam. Falsissimum est, Templum Zorobabelis destitutum fuisse gloria, contrarium supra in particula מעט probatum fuit, utpote quod Messias Dominus gloriæ sese satis in eo manifestaverit 2 Cor. 2: 8. Merum præterea figmentum est Abarbenelis templum tertium. Nam satis Propheta per ה Hajediah & pronomen זה demonstrat præsens templum: Hanc ipsam domum, quæ tunc erigebatur, ob quam Judæi subtristes erant, quod non videretur assequi gloriam prioris templi; eamque dicebat אחרון novissimam vel ultimam, uti vox ea accipitur Genes. 32: 3. Daniel. 4: vers. 5. cap. 10: 11. neque enim aliud templum Judæis unquam promissum est.

§. 11. Ast non acquiescit Abarbanel, sed robur suæ sententiæ quærit in vocibus ואשון & אחרון ut quæ non de duobus, sed pluribus adhibeantur. Inde quæstione 4. præf. in Proph. hæc profert: ואיך יאמר אם כן גדול יהיה כבור הבית הזה האחרין מן הראשון אף כי ראשון ואחרון לא יאמר בשום צד על שנים בלבד אבל יאמר עליהם אחד ושני כי ראשון ואחרון לא יפול כי אם במנין שלשה או משם ולמעלה ולכן בימי בראשית נאמר יום אחד ולא יום ראשון: *Quomodo igitur dicitur, si ita est, major erit gloria domus hujus præprioris. Porro quod* נאשון & אחרון *non dicitur ullo modo de duobus, sed dicitur de iis* אחד ושני. *Nam* אחרון & ואשון *non quadrant ad numerum ternarium, aut sequentes. Propterea enim in diebus creationis dicitur* יום אחד, *non vero* יום ראשון. Ast falsissimum ראשון ואחרון non posse etiam de duabus rebus dici. Contrarium patet ex Concordantiis, ubi in loco Jer. 50: 16. Genes. 32: 2. uti quoque R. Asarias expresse dicit, saltem de duobus adhiberi אחרון, verba ejus hæc sunt cap. 51. lib. אמרי בינה, uti eum vocat: הנה תאר אחרון אינו ממהש יקשה כי האלונה דרך פשט יתורץ בשה"ם: Non est quod nomen אחרון, cujus mentio fit, objiciatur. Sensu enim literali suo usurpatur, ubi non nisi duo.

§. 12. Duobus in specie nititur Abarbanel argumentis, quibus interpretum Christianorum veritatem incidere sibi constituit, dum dicit pag. 178. col. 3. האחד באומרו עוד אחת מעט היא שפירשו הם במעט זמן יבא זה הרעש וחדוש הדת השאת וידוע שמעת שנאמרה נבראת זו עד לידת משיחם שהיה לדבריהם בשוף בית שני עברו קרוב לארבע מאות שנה ואיך יאמר עליו מעט היא: Id est: *Una est, dum dicitur Modicum adhuc exponunt: in exiguo tempore veniet hæc commotio & innovatio religionis hujus; cum tamen notum sit, quod ex eo tempore, quo dicta est prophetia hæc, neque ad nativitatem Messiæ eorum, (qui fuit ex sententia eorum in fine templi secundi) effluxerint propemodum quadringenti anni. Sed quomodo dici potest de hoc (tempore) modicum esse.* Sed sciendum, quod respective loquatur Propheta, scilicet in respectu ad illud tempus, quod intercessit inter eductionem ex Ægypto & tempus Prophetarum, ubi decem fere secula effluxerunt; cur non hoc tempus, quod est 4. solum seculorum, vocari possit *modicum.*

§. 13. Secunda ratio Abarbanelis est: והבטול השלישי מאומרו ובמקום הזה אתן שלום אמר ה' צבאות ורמיזת במקום הזה אין ספק שנאמר על ירושלם והנה מיום שנולד משיחם לא היא שלום בירושלים כי אם חרב באחיר קטטות ומלחמות עד נחרצת שוממות: *Refutatio autem Tertia ex eo (sumitur) quod dicitur: & in loco hoc dabo pacem, inquit Dominus Zebaoth* (cap. 2: 9.) *Sensus vero vocum in loco hoc sine dubio* (est) *dici hoc de Jerusalem. Ecce vero à die, quo natus est Messias eorum, non fuit pax in Jerusalem, sed gladius in fratres ejus, litigia & bella usque ad consummationem desolationis.* Sed respondemus, falsum esse, tunc temporis nullam pacem fuisse, cum Messias nasceretur sub Augusto. Deinde in textu non sermo est de pace temporali, sed eminentioris dignitatis spirituali sc. inde vocatur Es. 9. Princeps Pacis, cujus doctrina etiam Euangelium Pacis Eph. 6: 15. Et licet quidam Christianorum etiam hunc locum de pace, quæ Augusto imperante viguit, intelligant, uti Drusius & alii. Ast penitius textus si expendatur, omnino animadvertemus, de pace, quæ ex Messiæ judicio & doctrina erat dimanatura, ut B. Meisnerus Phil. Sobr. loquitur, agi. Reliqua quoque argumenta Abarbanelis facile dilui possunt, eaque alii reservabimus occasioni.

אנ"כו



JOH.

JOH. HULSEMANNI
VIR ZEMAH ad Zach. VI: 9. &c.

ביהוה:



Minoris quidem Prophetæ, non tamen pretii est vaticinium illud Zachariæ de *Viro Zemah*, cap. 6: vers. 9. ad fin. descriptum. Commendat illud (1) *Objecti dignitas.* Est enim de eo, cui omnes Prophetæ dant testimonium, Act. 10: 43. nimirum de promisso MESSIA, qui Judæos pariter ac gentes sibi sit in unum ovile, Joh. 10: 16. in unam Ecclesiam coacturus & congregaturus: qui futurus sit Rex regum, Apoc. 17: 14. 19: 16. & Sacerdos in æternum, Psal. 110: 5. (2) *Tractationis singularitas.* Quippe jubetur Propheta sumere à transmigratione aurum & argentum, conficere coronas, & imponere Jehosuæ: quo ipso indicare voluit JEHOVAH, quanto nimio decore sit exornandus ille Josua magnus, hoc est CHRISTUS, qui hujus futurus antitypus, Sacerdos N. T. unicus. (3) *Summa utilitas.* Siquidem ex hoc ipso loco tum variæ adversariorum pravæ ac depravatæ opiniones refelluntur, tum nos ipsi quoque in doctrinæ orthodoxæ quibusdam capitibus firmiores reddimur atque informamur. Erit ergo precium operæ non exiguum, vaticinium istud non obiter ac perfunctorie legendo percurrere, verum aliquantisper eidem inhærere, verumque ejus sensum scrutari, & ingentem usum percipere. Quod ut fiat hac vice, præsta, ô DEUS! ut, quod credimus, etiam loquamur; tribue verborum significationem, intelligentiæ lumen, dictorum honorem, veritatis finem. Amen!

Quod in votis habuit ac dedit in mandatis Apostolorum Coryphæus atque Doctor gentium, Paulus, 1 Cor. 14: 40. Omnia videlicet κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως ut peragantur; id à nobis quoque ut in hoc negotio observetur, ad *duo membra* mentis nostræ dirigemus oculos, dicturi (1) *de vero Dicti sensu*; (2) *de sano illius usu.*

MEMBRUM I.

SENSUM GENUINUM commonstrant nobis quatuor, quorum est,

I. *Summaria scopi adinventio.*

Scopus est Prophetæ: Messiæ venturi tum Personam, tum Officium velle describere. Quando enim postulare jussus est aurum & argentum à Judæis ante captivis, exindeque coronas compositas capiti Jehosuæ Sacerdotis summi superimponere, indicare juxta voluit JEHOVAH summus, sibi h. l. non simpliciter esse negotium cum Josua terrestri, sed aliquando fore, ut prosapia Judæorum afficiatur gloria ingenti pro hac ignominia, quam captivi tulerint in Babylone: Scilicet CHRISTUM, verum mundi universi Messiam, progerminaturum esse ex Ebræorum familia, verumque sanguinem & carnem assumturum ex Maria virgine, filia Davidis: coronandum item gloria vere pontificali & regali, qua dominaturus sit in æternum super omnia, sibique per sceptrum verbi, & per sacrificium corporis proprie collecturus Ecclesiam, non è Judæis modo, verum etiam Ethnicis. Ac ne dubitaret quis de eventu, munit DEUS certitudinem signo externo sive typo visibili, coronis aureis & argenteis, quasi dicat Prophetæ: tam vere hoc eventurum, quam vere sumis hasce coronas, & imponis Sacerdoti. Ne & prophetia tradatur à populo amnestiæ, suspendebantur hæ coronæ in templo, in perpetuam qua rei gestæ, qua gerendæ recordationem.

II. *Analytica textus partitio.*

Promissionem hanc esse audivimus de futuro MESSIA; Hæc duabus partibus absolvitur, quarum I. est; Χρείας ejusdem interpretatio. CHRIAM IPSAM quod concernit, continet 1. auri & argenti à quatuor viris postulationem, *vers.* 10. 2. In domum Josiæ, filii Sophoniæ intrationem, *ibid.* 3. Coronarum duarum ex auro & argento isto confectionem, *vers.* 11. 4. Confectarum capiti Jehosuæ impositionem, *ibid.* 5. Earundem in templo Domini asservationem, *vs.* 14. EXPOSITIONEM quod attinet, duo complectitur; 1. Singularem MESSIÆ descriptionem; 2. Salutarem ejus beneficiorum participationem. DESCRIBITUR MESSIAS (1) à nomine & persona: est enim Vir, hoc est, non tantum verus Deus, sed & verus HOMO, qui vocatur Zemah: quippe qui est germen justum Davidis, Jer. 23: 5. 33: 15. (2) à beneficiis; (α) sub eo germinabit, hoc est, incrementa sumet Ecclesia, *vers.* 11, 12. (β) templum DOMINO ædificabit, *vers.* 13. (γ) pacem procurabit, *ibid.* (3) Ab officio in specie, *partim* Sacerdotali: gestabit decorem, hoc est, in augusto summi Pontificis ornatu incedet, eritque Sacerdos, *vers.* 13. *partim* Regio: sedebit ac dominabitur (in cœlo & in terra,) *ibid.* IN PARTICIPATIONE beneficiorum MESSIÆ considerandæ veniunt personæ participantes, nimirum quod sint à bonis concessis CHRISTO inservientes; qualiter faciebant Holdai, Tobias, Idaias, & Josias, qui ad conficiendas coronas aurum & argentum sponte erogabant, *vers.* 10. 2. Ad Ecclesiam accedentes; quod etiam de gentilibus atque ethnicis prædicitur futurum, *vers.* 15. 3. Promissionum divinarum veritatem agnoscentes, *vers. eod.* 4. Vocem DOMINI attente audientes, *ibid.* 5. Evangelio de CHRISTO firmiter credentes, *ibid.* Quando enim verbis ultimis Judæi à Zacharia injungitur, ut JEHOVÆ vocem audiant, tunc non de obedientia operum modo sive legali, sed & fidei sermo est, ut quæ unum solumque medium seu organon est applicationis beneficiorum CHRISTI, ac non nisi ex auditu verbi divini oritur ac provenit, ceu Rom. 10: 17. & alibi satis atque sufficienter ostenditur.

III. *Paraphrastica verborum expositio.*

Vers. 9, 10, 11. *Et factum est verbum DOMINI ad me, dicens: Sume à transmigratione, ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia: & venies tu in die illa, & intrabis domum Josiæ, filii Sophoniæ, qui venerunt de Babylone. Et sumes aurum & argentum, & facies coronas; & pones in capite Jesu, filii Josedec, Sacerdotis magni, & loqueris ad eum, dicens.*

§. 1. E*T factum est*) Respicit Propheta his verbis ad antecedentia, quæ cum hisce per copulativum ET conjungit. Viderat enim in spiritu quatuor quadrigas, egredientes de medio duorum montium in quatuor mundi plagas, cum Angelica expositione, fore, ut Evangelium de CHRISTO prædicetur in orbe terrarum universo, & initium fiat Hierosolymis, ubi erat mons Moria & Sion. *De Sion namque exibit lex, & de Jerusalem verbum DOMINI*, dicit Esaias cap. 2: 3. Quod completum quoque fuit, quando CHRISTUS ipse Luc. 24: 47. discipulos alloquitur: prædicate in nomine meo pœnitentiam & remissionem peccatorum omnibus gentibus, Hierosolymis incipientes. Hanc itaque visionem quatuor quadrigarum, h. e. spiritualis Regni CHRISTI, per Apostolos in quatuor mundi plagas evulgandi, confirmat denuo JEHOVAH per Prophetam non

tan-

tantum signo duarum coronarum capiti Jehosuæ, CHRISTI Regis ac Sacerdotis figuræ, imponendarum, sed promissione quoque divina CHRISTI Regnum tum Sacerdotio graphice depingente; hasque coronas monumenti loco in templo asservari; usque dum promissio compleatur, jubet. Unde liquet, hic non esse novam visionem, sed rei veræ gestæ narrationem cum coronæ sint suspensæ revera in templo, uti recte notatur à Gyalth. in h. l. Homil. XII. p. 545.

§. 2. *Factum verbum DOMINI ad me*) Quod Prophetæ, Apostoli ac Evangelistæ omnes in more habent, literas scil. vocationis suæ ut subinde ingeminent, ne quis de authoritate ipsorummet doctrinæ dubitet; id h. l. Zacharias observat, provocans ad divinam instructionem, seu ad expressum DEI mandatum, quod videlicet proprio ausu, propriaque inventione ingenii sui ne quicquam agat vel dicat, sed expediat divina jussa. Namque non humana somnia, sed divina eloquia & consilia nobis hi θεόπνευστοι proponunt. Hinc recte Paulus Rom. 15: 18. *non audeo*, inquit, *aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit CHRISTUS*, &c.

§. 3. *Verbum* DOMINI) יְהוָה est in fonte, ut significetur, non hoc verbum esse Domini creati, sed increati, DOMINI dominantium, DOMINI cœli atque terræ, unius ac solius DEI veri. De qua voce breviter notamus (1) *Significationem*. Descendit à Rad. הָיָה fuit, extitit, quod ipse DEUS commonstrat Exod. 3: 14. ubi rogatus à Mose de suo nomine respondit אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה, *Ero qui ero*. Item אֶהְיֶה (*Ero* vel Sum) *misit me ad vos*, populum alloqui debebat: ab הָיָה, quæ affinis est & הָוָה. LXX. vertunt: Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, Ego sum, qui est. Confer Apoc. 1: 4. Ex quo intelligitur, significare hanc vocem Divinam Essentiam puram & nudam, ut in se existit, nec est ab alio, nec in alio subsistentiam habet: cum reliqua omnia sint ab Ipso DEO, in Ipso, & per Ipsum, Rom. 11: 36. & in eo sint, moveantur ac vivant, Actor. 17: 28. (2) *Diversam acceptionem*. Sumitur enim vel οὐσιωδῶς, & Divinam Essentiam tribus personis definitam denotat, Gen. 2: vers. 4. Exod. 20: vers. 2, 5, 7. Deut. 6: 4. & alibi: vel ὑποστατικῶς, pro certa inter has tres Divinitatis persona; sicuti pro DEO PATRE accipitur Psalm. 2: 2. 110: 1. Proverb. 8: 22. pro DEO FILIO Jerem. 23: 6. 33: 16. pro SPIRITU SANCTO h. l. & Deut. 33: 12. Esai. 62: 11, 12. (3) *Propriam Rationem*. Nimirum non est nomen appellativum, quod multis indifferenter sit commune, sed proprium, uni ac soli vero DEO in tribus personis, ac nulli creaturæ competens, quod infra ibimus demonstratum ad *Porism*. VIII. Vide interim, si placet, B. Gerhard. Exeges. Loc. II. de Nat. & Attrib. Div. §. 7. seqq.

§. 4. *Sume à transmigratione*) Postquam Propheta se legatum DEI esse dixit, ipsam mandati summam nunc exponit, videlicet, quod sit jussus petere aurum & argentum מֵאֵת הַגּוֹלָה à deportatione. הַגּוֹלָה migratio, deportatio, exilium, descendit à Rad. גָּלָה migravit, deportatus & abductus fuit in captivitatem vel exilium: & ponitur per Meton. adj. pro subjecto, pro transportatis & exulibus, h. l. Judæis, qui fuerunt in transmigratione & exilio, deportati vel in se, vel in suis parentibus extra patriam in Babylonem à Nebucadnezare, jam vero jure postliminii patriæ restituti atque in Judæam reversi, quemadmodum paulo post dicitur, quod venerint de Babylone. Quare autem Zacharias aurum & argentum à Judæis ante captivis petere jubetur? Recte monet B. Luth. Tom. V. Witteb. Latin. Enarr. in h. l. pag. 542: col. 2. hoc ideo fuisse factum, ut testetur DEUS; Messiam, cui insignia isthæc apparabantur, fore ex prosapia captivi hujus populi, & ex sanguine Ebræo, in quo & Reges, & Sacerdotes, typos suos haberet: quemadmodum igitur Filius DEI per Zachariam ex ærario Judæorum sit postulaturus aurum & argentum ad conficiendas coronas: ita futurum esse, ut ex ipsorum familia suo tempore assumat carnem & sanguinem ad gloriam plebis Israel, Luc. 2: 32. ne captivitas Iudæorum sit eis amplius ignominiosa. Et hoc magno solatio poterat esse perturbatis eorum conscientiis, cum audirent toties, promissum mundo Messiam non tantum fore ministrum circumcisionis, i. e. mittendum circumcisis Iudæis à Patre cælesti, ut iis primum Evangelium offerat, Rom. 15: 8. sed affinitate sanguinis quoque eosdem attingere.

§. 5. *Ab Holdai, Tobia, Idaia, & Josia*) Ut eo certius constat, à quibus sit aurum & argentum postulandum, nominatim porro hic exprimuntur quatuor viri: de quibus, quinam fuerint in specie, præter nomina nihil extat, cum & hoc sine fidei jactura ignorari queat. Sufficit h. l. scire, exules fuisse, & viros quidem in populo non postremos, sed honorati omnes ac præcipui ordinis. Nam qui ex captivitate reversi tantum habuerunt auri & argenti, ut inde possint diademata confici, eos certe alicujus conditionis spectatæ fuisse necesse est, utut etiam in fide & constantia forsan fuerint languidiores, ita ut inter alias causas eorum quoque gratia coronas istas Deus voluerit suspendi, quo perpetua ipsis essent memoria promissionis de CHRISTO certo certius implendæ. Quod autem illi quatuor Viri fuerit Daniel, Ananias, Azarias, & Misaël, ut opinantur Hieron. Remig. Albert. Hugo, Dionysius, cum non possit è textu probari, valde dubitamus, & in medio propterea relinquimus. Vide Corn. à Lap. Comm. super h. l. pag. 696. Christoph. Castrum pag. 492. §. 17. & Gloss. Ordinis. pag. 2119.

§. 6. *Et facies coronas*) Hic cogitandum est, ait Dn. D. Cramerus Schol. Proph. Class. III. expl. in h. l. pag. 117. in fin. quid jubebatur Propheta facere? Nimirum tractare opus aurifabrile, quod si secundum singulas circumstantias consideretur, fuit valde inusitatum & notabile in oculis populi. Quid enim mirabilius esse potest, ac si Propheta fiat aurifaber, & ut faber tractet fabrilia? Non dubium enim est, quin Propheta sibi focum construxerit, ignem excitarit, & folliculis adhibitis aurum & argentum liquefecerit, in laminas duxerit, malleo subinde tractarit, & in formam diadematis non sine arte aliqua redegerit. *Hæc ille*. Quotnam vero fuerint coronæ, duæ, an plures? & num ex auro aurea, ex argento argentea, num vero ex una massa mixta coronæ sint factæ? haud è textu liquet; ac Lutherus ipse d. l. se id ignorare ait. In Ebræo עֲטָרוֹת coronæ, diademata, numerus pluralis. Unde mox refutantur, qui vel unicam tantum fuisse sentiunt, eamque magnam, tripartitam tamen, cum Cornel. à Lap. d. l. ex Chaldæo & LXX. Interpp. qui licet more Scripturarum, sæpe numero plurali rem ingentem atque magnam significari ajunt, id hoc loco tamen fieri, non statim obtinent, nec probant, cum distinctum aliquid ac peculiare DEUS per has ipsas indicare voluerit. Francisc. Lambertus in Comment. super h. l. pag. 102. col. 2. plures duabus fuisse nihil dubitat, ideo ut significetur, quod regnis omnibus CHRISTUS imperaret. Verum quia duo indicantur his coronis, Regnum & Sacerdotium CHRISTI, ab eo recedimus: fuissent item alias ex asse tot coronæ, quot sunt regna CHRISTI Regno subjecta, quod incongruum. Cum B. igitur Luthero d. l. duas fuisse distinctas coronas, duplicis distincti officii indicia, Regiæ puta & Sacerdotalis dignitatis insignia, probabiliter existimamus: quæ distinctio certe non fuisset tam evidens, si vel numerus coronarum auctus, vel materia confusa fuisset. Etenim Reges olim V. T. coronas gestabant; Sacerdotes itidem summi circa frontem gerebant laminam, quæ supra *cap*. 3: 5. vocabatur cidaris munda, de auro purissimo, quæ loco erat coronæ, veluti Exod. 28: 36. in Aarone videre est. Consule Drusium super h. l. pag. 1005. qui coronam esse ait, quicquid aliquem ornat.

§. 7. *Pones in capite JESU*) Jehosuæ, summo tunc temporis Sacerdoti ambæ istæ coronæ jubentur imponi, non in sua persona, aut quasi regia potestas ad Sacerdotes sit transferenda, sed quia typus erat summi ac veri Pontificis Nov. Test. CHRISTI JESU, cui seu uni personæ Regia simul & Sacerdotalis dignitas debebatur. Habebat iste Josua σύγχρονον Zorobabelem, ducem populi è captivitate. Unde quidam colligunt, inter quos est Christoph. Castrus l. c. unam tantum coronam esse Josuæ impositam, alteram Zorobabeli reservatam; cum præsertim haud dicatur: *pones eas*; sed absolute: *pones in capite Jesu*. Verum ne apex quidem de hoc est in textu. Non jubetur Zacharias adire Zorobabelem ducem; sed Jesum Pontificem, coronasque non illius, sed hujus capiti superimponere. Subdistinctionem illam quod spectat, absolute dici: *& pones*; exiguum est, cum verba *sumere*, *facere*, *ponere*, sint ejusdem constructionis, & retineant eundem casum, quod vel ex Grammaticis notum est. Ne dicam, quod ex absoluta positione voculæ *pones* haud probetur impositio unius, cum determinatio hæc necessario fuisset addenda, nisi æque duas, aut plures, si fuissent, impositas exinde statuminare velim, ut possem. Nec obstat ridicula & plusquam superciliosa quæstio: *cur non una numero suffecerit corona? & cur duas Josua gestarit?* Etenim hoc ipso res gravis innuitur, cum & Propheta & Josua sint Viri graves, & quod magis est, cum ipse JEHOVA summus, quicquid fit, fieri sic jubeat, quem reformari à nobis haud integrum, ni de nobis verificari velimus querelam Matth. 11: 19. ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς.

Vers.

Verſ. 12: 13. *Hæc ait DOMINUS exercituum: Ecce Vir germen nomen ejus: ſub eo germinabit & ædificabit templum DOMINO: & ipſe exſtruet templum DOMINO: & ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper throno ſuo: & erit Sacerdos ſuper throno ſuo, & conſilium pacis erit inter ambos.*

§. 8. *Hæc ait DOMINUS)* Vaticinatus eſt Propheta noſtra de voluntate DEI realiter, h. e. per ſignum externum in oculos incurrens: hinc verbaliter concionatur, h. e. verbis exprimit, & oſtendit ſcopum coronationis, quidnam per eandem præfiguretur? præclarum videlicet Meſſiæ Officium, Sacerdotale ac Regium. Quapropter etiam ſermonem ſuum dirigit ad Joſuam, Meſſiæ, quem hæc proprie cuncta concernebant, typum, eumque non eſſe ſuum, ait, ſed DOMINI, DOMINI exercituum, cui dicere ſit facere, qui & ſuo tempore ſit præſtiturus, quod polliceatur: qui propterea יְהֹוָה dicatur, h. e. talis, qui per ſe & independenter habeat eſſentiam, & rebus omnibus eam largiatur, quo indigitetur, eundem facere poſſe, ut ſit exiſtatque promiſſionis hujus eventus. Unde & ſummam petit attentionem, quando vocabulum *dicendi* quarta vice repetit, quando item particulam *ecce*, ſolitum SPIRITUS S. aſteriſcum præponit.

§. 9. *DOMINUS exercituum)* צְבָאוֹת & ratione formæ, & ratione ſignificationis eſt plurale, ſignificans proprie exercitus militares, & deſcendit à Rad. צָבָא militare, in bello miniſtrare, turmatim concurrere. Non eſt nomen proprium, ceu quidem volunt, quaſi *Dominus Zebaoth* dicatur per appoſitionem, *Dominus qui eſt Zebaoth*: Nam eſt nomen plurale, cujus ſingulare צָבָא quoque eſt in uſu, propria vero ſunt plerumque ſingularia. Neque unquam ſolitarie de DEO ponitur, ſed vel DOMINUS, vel DEUS Zebaoth: propria etiam ſolitarie uſurpantur. In N. quoque Teſt. invenitur Σαβαώθ, Rom. 9: 29. Jac. 5: 4. non proinde tamen fit proprium, quia ſic & voculæ *Hoſianna, Hallejujah, Paſcha, Sela, Sabbathum* fierent nomina propria. Innuitur hac voce, DEUM eſſe virum vere bellicoſum, ac ducem militarem ſummum, qui ſuos habeat exercitus, & cui omnia ſtent in miniſterium. Sunt ejus *exercitus cæleſtis*, h. e. ſancti Angeli, qui dicuntur adminiſtratorii Spiritus, Ebr. 1: 14. multitudo militiæ cæleſtis, Luc. 2: 13. Mahanaim & caſtra DEI, quæ vidit Jacob in itinere, Gen. 32: 1, 2. qui expreſſe milites vocantur, Job. 25: 3. *Exercitus aſtralis*, Sol, Luna, Stellæ, quæ militiæ cælorum viſibilium dicuntur, Jer. 19: 12. *Exercitus elementaris*, h. e. omnia quæ ſub cœlo ſunt æthereo, in aëre, in mari, in terra, & in aqua; uti veſpæ & crabrones appellantur, Sap. 12: 8. *Exercitus ſpiritualis*, in quo piæ ac fideles animæ pugnant contra peccatum, mortem, mundum, diabolum, infernum, & idcirco ſunt DOMINI exercitus, Exod. 12: 41. & exercitus DEI viventis. 1 Sam. 17: 36. Denique *exercitus infernalis*, diaboli nempe, quorum multæ ſunt legiones, ut fatentur ipſi Marc. 5: 9. Hi omnes ſunt miniſtri DEI, Ducis ducum, cui ſemper inſerviunt, celereſque ac faciles ſunt in puniendo impios, cuſtodiendo pios iiſque ſerviendo. Hoc itaque nominis populum divinæ majeſtatis ac potentiæ univerſalis commonefacere debebat, per quam facillime promiſſionem iſthanc valeat implere; unde LXX. per vocabulum παντοκράτωρ, hoc eſt, *omnipotens* expoſuerunt.

§. 10. *Ecce vir germen)* Quid ergo ait DOMINUS exercituum: הִנֵּה־אִישׁ צֶמַח, Ecce Vir Zemah, &c. Dulciſſimum hoc atque præclariſſimum eſt de Meſſia oraculum: cui præmittitur admirationis & attentionis particula הִנֵּה *ecce*, qua Propheta innuit, ſe de re eximia, ſingulari, & omnium maxima dicturum, ad quam probe percipiendam omnium aures merito apertæ eſſe debeant, verbaque prophetiæ fide perpetua teneri: quippe jam non coronari Joſuam ut Joſuam, ſed reſpectu alterius, & geſtare illum inſigne tantum ad tempus hocce, & in typo, ut alius coronetur, alius coronari ſignificetur. Pergit ideo, & in oraculo Meſſiam (non vere Zorobabelem, de quo *infra ad Theor.* 4. deſcribit tum à nomine, tum ab officio; ex quo patet quoad perſonam & officium Meſſiam cognitum fuiſſe in V. T. Nominis ratione indigitatur Meſſias Vir Zemah ſeu germen: Vir dicitur ratione Humanitatis, ut eum hominem verum naſciturum tunc, & jam natum eſſe credamus, nec audiamus eorum ſomnia, qui carnem CHRISTI vel imaginariam, vel cœlitus demiſſam nugantur. Germen ſive Zemah dicitur, tum propter veteres promiſſiones, ut ſe de nullo alio loqui teſtetur Zacharias, quam de quo ante captivitatem Babylonicam veteres Prophetæ ſint vaticinati, Eſa. 4: 2. Jer. 23: 5. 33: 4. tum vero ob illius, qua exſurgebat, ut germen terræ, ac incedebat in ſtatu exinanitionis, humilem contemtamque ſpeciem, ne quis in illo regni externi ſplendorem faſtumque ſibi polliceatur, ut Judæi: tum denique ratione Divinitatis, & ratione quoque ſtatus exaltationis, quod futurus ſit θεάνθρωπος, qui non tantum moriturus, ut Sacerdos N. T. ſed potenter iterum vi propria reſurrecturus ſit. ut Pſal. 110. & Act. 2. teſtimonia colliguntur: qui & templum ſpirituale ut Rex ſpiritualis ſit ædificaturus, h. e. Eccleſiam ſibi collecturus atque defenſurus.

§. 11. *Germen)* In Ebræo eſt צֶמַח de qua voce aliquid dicendum, Deſcendit à Rad. צָמַח germinare, frondere, efflorefcere, ſumiturque proprie de rebus è terra naſcentibus. LXX. reddunt: ἀνατολὴν ἀπὸ τοῦ ἀνατέλλειν. Verum nimis late, quia verbum ἀνατέλλειν ſumitur tum in genere de rebus quibuscunque, quæ de novo proveniunt ac oriuntur, ut de Sole atque Luna, Eſa. 60: 19. Matth. 13: 6. tum in ſpecie de rebus è terra naſcentibus, tanquam germen & herba, ut fit Gen. 2: 15. Ezech. 17: 9, 10. Sciendum itaque, non in priori vocem ἀνατολὴν ſignificatu eſſe ſumendam, ſed poſteriori. Nam hic error erat Græcorum Patrum, qui exiſtimabant, in prima ſignificatione hanc vocem hic poſitam: & Latinorum, qui propterea vocem *orientis* in vulgata verſione retinuerunt. Solus *Hieronymus* obſervavit nativum Ebr. vocis ſenſum, & verbum ἀνατολὴν h. l. per ἀναφύην καὶ βλάστημα, *plantationem & germen* expoſuit, quia, inquit, ex ſe repente ſuccreſcet, atque ex radice ſua in ſimilitudinem germinis pullulabit. Ut ita, qualis ortus ejus ſit futurus, juxta indicetur.

§. 12. *Sub eo germinabit)* In Ebr. eſt מִתַּחְתָּיו יִצְמָח de ſub ſe, vel de loco ſuo germinabit; & eſt ratio, cur Meſſias appelletur Zemah, ſcilicet cauſaliter, quia ſub eo germinabit; quaſi dicat Propheta: ſub CHRISTO, & ex CHRISTO quaſi radice ſenſim multitudo ramorum, i. e. fidelium orietur, quando is progerminaverit è loco ſuo proprio, & in Bethlehem incarnatus fuerit. Poteſt enim hoc tam de incarnationis ipſius myſterio, quam de illius Regno intelligi: quoad illud, ſcimus, ipſum propria virtute abſque humanis præſidiis exortum, & abſque viri opere (unde Dan. 2: 34. lapis abſque manibus reſectus aut avulſus dicitur,) ex SPIRITU S. conceptum, & ex virgine illibata natum fuiſſe, ſcilicet in civitate Bethlehem, quæ locus erat proprius nativitatis. Quoad Regnum vero illius res quoque eſt in propatulo, nam id quia non eſt de hoc mundo, ideoque nullis etiam humanis præſidiis nititur, imo invitis atque reluctantibus hujus ſeculi principibus divina virtute exſurgit, & præter omnium expectationem ſeſe per totum orbem diffundit, Eccleſiam ſibi ipſo colligente, & ſubditis Regni ſui ſpiritualem germinandi vim ſucceſſumque tribuente. Hinc etiam dicitur, quod in eo omnes plantæ cœleſtes germinent aut vireant, Joh. 15: 2. Eph. 3: 16, 17, 18.

§. 13. *Ædificabit Templum)* Hactenus delineatio nominis. Progreditur Propheta ad deſcriptionem Officii Meſſiæ, cujus partes tres conſtituit. *Prima eſt*: Templi exſtructio; ædificabit & exædificabit templum DOMINO. Alludit ad templum Hieroſolymitanum, quod tunc temporis à Jehoſua & Zorobabele exſtruebatur, hoc ſenſu; ſicuti hi reædificant templum materiale, & abſolvunt etiam: ita Vir Zemah, i. e. Meſſias (uti recte vertit Chaldæus) ædificabit templum ſpirituale. Quo ipſo innuit, ſupereſſe templum longe aliud & præſtantius, quam à Jehoſua & Zorobabele jam erigebatur, nimirum Eccleſiam N. T. ædificandam ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari Lapide JESU CHRISTO, in quo omnis ædificatio creſcit in templum ſanctum in DOMINO, Eph. 2: 21. CHRISTUM ergo ut architectum templi ſpiritualis, h. e. Eccleſiæ introducit Propheta, quippe qui beneficio meriti ſui & poteſtate divina, (qua templum ſui corporis deſtructum reædificavit in reſurrectione, ut promiſerat, Joh. 2: 19.) & per miniſterium Evangelii exſtruxit DOMINO ſpirituale templum, Eccleſiam ſanctam, in qua DOMINUS DEUS ſua gratia & clementia habitat, electos regit, & ad vitam æternam conſervat. Atque hoc vult in geminatione verborum, ædificabit & exædificabit, ut amplificet tam perſonam, quam rem ipſam, de qua ſermo.

§. 14. *Portabit gloriam, & ſedebit ac dominabitur) Pars ſecunda* Officii CHRISTI in ſpecie eſt: Sacerdotalis & Regii muneris executio. Geſtabit decorem ſive gloriam, i. e. incedet in auguſto habitu, atque ornatu ſummi Pontificis. Eſt hæc periphraſis & notatio Sacerdotii, qua alluditur ad veſtimenta ſummi Pontificis in Vet. Teſt. quæ Exod. 28: 2. deſcribun-

scribuntur, quod facta fuerint in gloriam & decorem. Dicere vult Propheta: Sicuti te, mi Josua, ego quidem ex mandato DEI coronavi, quod te non spectat: ita coronandus eo antitypus tuus, CHRISTUS JESUS, quem proprie hic decor atque gloria tangit. Decor autem gloriaque nostri Sacerdotis sunt *partim* summa SPIRITUS SANCTI dona, quibus ratione Humanitatis suæ ornatus est præ cæteris suis sociis, Psal. 45: 8. Joh. 3: 34. *partim* etiam laus & honor, qui ratione adorationis religiosæ debetur ei summus, ut fatentur cœlestes & beati spiritus, qui Apoc. 5: 9. 10. unanimi consensu eum acclamant: *Dignus es accipere Librum, & aperire signaculum ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos per sanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos DEO nostro Reges atque Sacerdotes.* Idem vs. 12. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* De Regali dignitate sic ait Propheta: *Sedebit ac dominabitur super solio*, scil. tanquam Rex & Successor ille æternus Davidi promissus, 2 Sam. 7: 13. Psal. 132: 11. tanquam *Rex regum*, Apoc. 17: 14. 19: 16. tanquam Rex in monte sancto Sion, Psal. 2: 6. tanquam Rex, qui & Sacerdos erit in æternum, juxta ordinem Melchisedec, qui & ipse Rex & Sacerdos fuit, Psal. 110: 4. Ebr. 5: 6. 6: 20. 7: 17. 8: 1. Atque hæc de CHRISTO nostro non ad tempus, sed in æternum sunt vera. Nam utroque officio quam diligentissime adhuc fungitur? Sacerdotem agit, dum merito mortis suæ, quam semel sustinuit, & semel peracto sui corporis & sanguinis sacrificio, in se credentium vere peccata expiat, eosdemque ab æterna dominatione liberat: dum item pro nobis apud PATREM intercedit, illi preces nostras acceptas facit, nobisque benedicit omni benedictione spirituali. Eph. 1: 3. nec non Doctores dat verbi sui, quorum doctrina vivifica accedente SPIRITUS SANCTI operatione salutariter instruimur, & ad vitam sempiternam ædificamur. Regem vero agit, dum omni potestate in cœlo & in terra accepta, Matth. 28: 18. potenter dominatur in medio inimicorum suorum, Ps. 110: 2. miseros mortales ex tyrannide diaboli asserit, assertos tuetur legibusque æquissimis gubernat, & in eosdem liberalitate plusquam regia omnes Divinæ Gratiæ thesauros atque divitias effundit, ubi habet Gualth. d. l. p. 547. lit. B.

§. 15. *Consilium pacis erit inter ambos*) Sequitur tertia pars Officii CHRISTI: harmonica pacis constitutio. Quidam (ut Lucas & Andreas Osiander in Bibliis) interpretantur hæc verba: *inter ambos*; vel ut habet Latina Vetus: *inter illos duos*; de pacificatione DEI & hominum, ut si sensus: CHRISTUS omnia sua consilia in Officio Sacerdotali ac Regio eo intendet, ut pacem inter DEUM & humanum genus constituat, juxta illud Pauli Rom. 5: 1. *Justificati fide, pacem habemus ad DEUM per DOMINUM nostrum JESUM CHRISTUM.* Quæ opinio quamvis haud sit contra fidem, merito tamen relinquitur, quod nulla h. l. fiat mentio dissensus DEI atque hominum. Alii (quos sequitur Dn. D. Tarnovius Comm. super h. l. p. 157.) indicari autumant: duos populos, Judaicum & gentilem, hactenus inimicos, uniendos esse Angulari isto Lapide, CHRISTO. Verum ut orthodoxa sit & ista sententia, textui tamen non adeo conveniens, cum nulla adhuc facta fuerit mentio gentilium, ad quos & Judæos verba hæc: *inter illos duos*; immediate referantur. Igitur haud male Piscator in notis ad h. l. & Lambert. d. l. pag. 101. col. 2. ut & Dn. D. Himmel. Com. in Zach. p. 183. & B. Balduin. ibid. p. 408. quos in hac parte sectamur, duorum istorum Officiorum conformitatem intelligunt; quod è textus serie pendet, quia verbis immediate præcedentibus eorum fit mentio, quando dominium super throno suo, & Sacerdotium super throno suo adducitur. Ut ita sit sensus: Hactenus DEUS non permisit, ut Regalis & Sacerdotalis dignitas in una persona concurrerent: hinc & Rex Ozias graviter punitus fuit lepra, cum sibi arrogaret sacerdotium & thymiama, 2 Paral. 26: 19. Verum jam in CHRISTO debet utrumque Officium concurrere, in quo etiam & per quem facti sumus Reges ac Sacerdotes spirituales, Apoc. 1: 6. Olim inter Reges & Sacerdotes raro conveniebat, illis idololatriam foventibus, hisce plerumque dissentientibus; illis hoc, istis aliud suadentibus: jam vero in CHRISTO Regalis ac Sacerdotalis dignitas optime convenient, arctissimeque conjungentur, & ad unum eundemque scopum tam Regnum ipsius, quam Sacerdotium dirigentur, qui est humani generis redemtio & salus æterna. Et hanc explicationem B. Lutherus d. l. quin & fontes ipsi exhibent. Licet enim *solium* (quod habet Versio Vulgata) sit Neutrius Generis, quocirca etiam male dicitur: *inter illos duos*; cum dici debebat: *inter illa duo*; tamen Ebraicum כִּסֵּא est Masculinum, quod ut in Latina quoque Versione retineatur, substituimus cum LXX. vocem *throni*, ut ita duos thronos pax hæc attingat, & throni Metonymice ipsam dignitatem Regiam & Sacerdotalem denotent. Vid. Cor. à Lap. & Christoph. Castrum c. 1. Interim largimur: quando Regni & Sacerdotii CHRISTI consilium dicitur consilium pacis, innui non tantum unionem utriusque in CHRISTO, sed ostendi etiam simul, quod ideo factum sit, ut hæc duo in CHRISTO convenirent, quo pacem & reconciliationem habeamus; uti Franc. Lambert. disserit d. l. p. 102. col. 1.

Vers. 14: 15. *Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem filio Sophoniæ, memoriale in templo DOMINI. Et qui procul sunt, venient & ædificabunt in templo DOMINI, & scietis, quia DOMINUS exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem DOMINI DEI.*

§. 16. *Coronæ erunt memoriale*) Finito coronationis actu & explicatione illius, succedit appendix & epilogus sermonis prophetici, proponens *tria*; quorum *primum* est Oraculi eventus: quidnam cum coronis jam dictis occeptandum sit? nimirum erunt Helem, Tobiæ, Idaiæ & Hem memoriale in templo DOMINI. Vult itaque hoc indigitare JEHOVAH: postquam imposueris capiti Jehosuæ coronas istas in figuram & signum concursus Regii & Sacerdotalis Officii in CHRISTO, depones eas iterum (cum is non sit verus & perpetuus Sacerdos, sed typus saltem futuri, nempe CHRISTI) & asservabis in illustri aliquo templi Hierosolymitani loco tanquam anathemata, in perpetuam non modo memoriam quatuor illorum virorum, qui aurum & argentum conferentes ad comparandas coronas, Regnum atque Sacerdotium in MESSIA agnoverunt: sed & testimonium veritatis promissionum, de Regno olim MESSIÆ factarum, quod hæ sint impletæ, ubi CHRISTUS exstructor novi templi, stante adhuc secundo templo Hierosolymitano, venerit.

§. 17. *Qui procul sint, venient & ædificabunt*) *Alterum*, quod in appendice Oraculi nostri traditur, & illustre vaticinium de vocatione gentium ad Ecclesiam N. T. Non enim manet Propheta in templo Hierosolymitano, in quo non gentes, sed manus Zorobabelis ædificabant; neque loquitur de Cyro, qui multum erogarat pecuniæ ad hoc templum; nec de Alexandri libertate aliorumque Regum Ægyptiorum; neque etiam de Seleuci magnificentia laudata, 2. Maccab. 3: 3. nec tandem de Herodis profusione ingenti, uti prolixe Dn. D. Cramerus in Schol. Proph. d. l. p. 130. docet: sed de universali gentium vocatione ad Templum MESSIÆ, & convertitur à terrena Hierosolyma ad cœlestem seu spiritualem, i. e. Ecclesiam, dicitque illos, qui procul sunt, h. e. gentiles, interprete Apostolo Eph. 2: 13, 14. in N. T. ad Ecclesiam accessuros, & ædificaturos, h. e. se ipsos oblaturos esse pro vivis lapidibus, Eph. 2: 19, 20. Ex quo ipsi intelligere debebant, hoc Prophetam qua Prophetam, i. e. non hominem, sed DEUM per Prophetam prædixisse. Completum fuit hoc prædictum, ceu ex Actis Apostolorum & Paulinis Epistolis est liquidum, ut proinde jure merito proclamet Apostolus Eph. 2: 13. *Vos, qui eratis longe, facti prope estis in sanguine CHRISTI.* Unde infert vs. 19. *Ergo non jam estis hospites & advenæ, sed cives sanctorum & domestici DEI.* Hanc conversionem ethnicorum, eosque à longe appropinquantes in spiritu prævidens Esaias, exultat & exclamat cap. 60: 1. seqq. *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria DOMINI super te orta est: leva in circuitu oculos tuos, & vide, isti omnes congregati veniunt ad te, filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent.*

§. 18. *Erit autem hoc*) *Ultimo* in appendice ista sequitur Conclusio generalis præcedentium omnium visionum, & hujus præcipue solennitatis. Erit vel fiet hoc, i. e. certissime implebitur, quod divino mandato prædixi, scilicet ut sciatis & intelligatis, me fuisse missum à DEO Prophetam ac veracem, & ut probe hoc vaticinium habeatis perspectum. Fiet autem, si audiendo, i. e. attente & ardenter audieritis vocem DOMINI, eidemque pie obedieritis. Vestrum igitur est, iis, quæ à me sunt hactenus dicta, perpendere, templum interim erigere, urbem munire, Rempublicam constituere, in quibus aliquando vivat, tandemque moriatur promissus MESSIAS. Sic DOMINUS eum mittet in vestrum commodum: quin & interea multorum hominum animos ad vos amandos inclinabit, ut & in hujus externi templi structura vos liberaliter adjuvent. Vestrum item est, Evangelio credere de CHRISTO, quod vobis jam sub involucris figurarum & typorum prædicatur, quodque suo tempore ipse nobis manifestabit: sic reipsa experiemini, meas omnes promissiones suos habituras eventus. Sin autem credere nolueritis, sane, quicquid vobis de MESSIA

ejusque Regno & Sacerdotio dixi, opertum erit, nec quicquam vobis afferet emolumenti; sed ipse potius MESSIAS, si eum repuleritis, bona sua cœlestia summe salutaria revocans à vobis transferet in gentes solas: quod etiam factum loquitur Actor. 13:46.

IV. Contradictionum apparentium conciliatio.

I. Occurrit ea partim in vs. 10. & 14. hujus Cap. simul sumtis. Diximus supra, *quatuor* fuisse viros, nec plures, nec pauciores, qui contulerint aurum & argentum ad conficiendas coronas. Huic numero contraveniunt quidam in excessu, quidam in defectu. Priores putant, *sex fuisse viros*, idque colligi posse *ex vs. 10. & 14.* simul sumtis. Nam *vs. 10.* fit mentio *Holdai, Tobiæ, Idaiæ, & Josiæ*: *vers. 14.* autem duo alia nomina recensentur, *Helem & Hem*, ut ita senarius virum numerus colligatur. Enimvero Resp. lubricam prorsus & infirmam esse collectionem, & ratio afferri nequit, cur nec istæ coronæ in memoriam Holdai & Josiæ, sed in Helem & Hem fuerint suspensæ. Sciendum itaque, Holdai & Josiam (more Judæorum & Scripturæ solito) fuisse δυώνυμος sive binomines, & qui *vs. 10.* indigitatur *Holdai*, *vers. 14. dici Helem*; qui *vs. 10.* appellatur *Josias*, *vs. 14.* vocari *Hem*. Et sicut de *Josia vs. 10.* dicitur, quod fuerit *filius Sophoniæ*, ita *vs. 14.* de Hem idem prædicatur; unde syllogizor: Josias & Hem vel fuere fratres, vel utrumque nomen eidem individuo tribuitur; tertium non datur. At vero prius probari nequit. Manet igitur posterius. Assumtum liquet: quia, ut dixi, ratio non adest, quare nec istæ coronæ in memoriam Josiæ fuerint suspensæ, qui tamen & ipse (ut etiam Holdai) circa confectionem earum fuit occupatus, quod de Helem & Hem non legitur. Hinc & B. Luth. d. l. ait: *Consuetudo Scripturæ est, uni & eidem personæ duo vel tria nomina imponere, sicut apud nos D. Petrus & Simon, & Bariona, & Cephas dicitur.* In defectu peccat cum aliis Cornel. à Lap. d. l. pag. *696.* col. 2. lit. B. qui expresse *tres* tantum modo fuisse, qui obtulerint hæc dona liberali manu in templum DEI, asserit. Quæ sententia quo videatur ipsis militare, quærunt fulcimentum in *vs. 10.* verbaque illius per ὑστερολογίαν exponunt, inferentes, post illa verba: *ab Holdai, Tobia, & Idaia*, legendum esse: *qui venerunt de Babylone*, quæ ordine præpostero post *Josiam* sint collocata. Hinc si objiciatur à nonnullis: *quatuor horum nomina fuisse incisa in coronis* in eorum munerum monumentum; (quod à nobis tamen haud acceptatur, cum in textu ejus incisionis nulla fiat mentio, & sit saltem conjectura.) Respondent: istud ideo factum, quod confectæ fuerint in domo *Josiæ*, qui vel fuerit templi æditus seu custos, ut cum Ebræis Hieron. & Hugo volunt: vel thesaurarius, qui pecunias coëgerit pro templi fabrica & sumtibus, uti Cyrillus, Remig. & Haymo sentiunt: vel denique aurifaber, qui ipse fabricaverit coronas. Sed Resp. Literam potius retineamus, nec ipsius verba textus invertamus, secuti Theodoretum & alios, qui etiam Josiam unum fuisse ex quatuor, qui redierint de Babylone, atque munera contulerint, existimant, haud dissentientibus Hieron. Remig. Albert. Hugone Dionysio: quæ litera etiam, Prophetam ipsum tractare debuisse opus aurifabri, commonstrat, ceu in *Paraphr.* §. 6. ostendimus.

II. *Intercedit hæc vers. 11. cum 1 Corinth. 14:22.* Ibi enim audivimus, promissionem de MESSIA signo certo binarum coronarum fuisse confirmatam, cui etiam fidem habere debuerint Judæi; *sed hic dicitur*, infidelium esse signa, non autem fidelium. Unde quis colligere posset, injuste fuisse signum hoc Judæis datum, nec hodie licere signis credere. Ast Resp. *per distinct. 1. inter statum V. & N. T.* In V. quidem T. edere ac petere signa & miracula licebat, sed in N. T. desierunt, cum novissime DEUS sit locutus ad nos per Filium, Ebr. 1:2. At ne quis objiciat, etiam in V. T. non tantum edere, non tantum petere signa, sed credere quoque illis fuisse prohibitum, Deut. 13:1. seqq. 18:22. *Dist. 2. Inter ea, quæ DEI sine particulari instinctu*, jussu, & certa promissione; *& ea, quæ DEI mandato*, quin & ipso DEO offerente fiebant ac edebantur: hisce credere, illa fugere competebat. Nec proinde illa concessa quovis modo petere licebat; sed *Dist. 3. inter finem legitimum & illegitimum petitionis*, quos recensent Dn. D. Himmel. Comm. p. 185. & B. Bald. pag. 388. seqq. Illegitime petebantur signa (1). Ad præscribendum DEO modum & tempus, quod arguit diffidentiam, Judith. 8:10. (2) Ad explorandam Divinam potestatem, promissionumque veritatem, quod incredulitatem infert, Exod. 17:2. Luc. 11: vs. 16. Joh. 4:48. (3) Ad explendam vitiosam voluntatis pravæ libidinem & contumaciam, Matth. 12:38, 39. Luc. 23:8. Sed legitime petebantur ea. (1) Ad confirmandam fidem rei per se non credibilis & eventus extraordinarii, Genes. 15:8. (2) Ad faciendam fidem posteris, Judic. 6:36. Esai. 38:22. (3) Ad corrigendam rationis infirmitatem in rebus præcipue humanis, Genes. 24:12. (4) Denique ad confirmandam aliis vocationem legitimam, veritatemque doctrinæ cœlestis, Exod. cap. 3:12. Marc. 16:20. Actor. 4:29. In N. autem Test. ais: etiam fuisse licitum talia postulare, quod vel ex adductis locis patet; quin à CHRISTO ipso esse promissa, Marc. 16:17. quibus & ipse doctrinam suam confirmaverit, Johann. 2:11. cap. 20:31. Verum *Disting. 4. inter N. T. initia, ubi Ecclesia plantanda erat*, & doctrina Euangelii adhuc confirmanda: & *inter nostra tempora*, ubi jamdudum *Ecclesia plantata*, & doctrina satis confirmata est. Nostris temporibus, ubi & DEUS non adeo familiariter nobiscum conversatur & loquitur, neminemque immediate vel ad docendi munus, vel ad alias res novas gerendas, quæ in ejus verbo non sunt revelatæ, vocat neque novum doctrinæ genus promulgat, novasve promissiones edit; sed ad verbum scriptum nos ablegat: contenti esse debemus signis olim editis, & in verbo consignatis; signis itidem prædictis antecessuris diem extremum, Luc. 21: vs. 7. seqq. verbo denique ipso, ceu monemur Esai. 8:20. *ad legem & ad testimonium.* Hinc & Augustin. de vera Relig. cap. XXV. *Cum*, inquit, *Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa & fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt.* Ergo merito damnamus Jesuitas, qui à Luthero & nobis inique talia postulant; qui & jactitant superbe suorum prodigia, edita in Japonia & locis transmarinis aliis, quorum nemo tamen ad inquirendam veritatem facile excurret; qui & miraculorum suorum gloriam certam esse veræ Ecclesiæ notam falso autumant. Sunt ea revera non alia, quam ipsa pseudo-Prophetarum & pseudo-Apostolorum, quin ipsius Antichristi signa, de quibus Matth. 24:14. 2 Thessalon. 2:9. sermo est. Habemus duo signa & symbola, non nude repræsentativa, sed exhibitiva una, Novi Testamenti, Sacramentum Baptismi & Cœnæ Dominicæ, quibus DEUS infirmitati nostræ consuluit; hæc sunt magnificanda; & non minus peccat damnabiliter, qui contemnit, quam Rex Achaz oblatum à DEO miraculum respuens. Esai. 7:11. seqq.

III. *Habetur ista inter vers. 12. & Luc. 1:78.* Supra fuit dictum, vocem Zemah h. l. non debere explicari absolute per *Orientem*, quod videtur esse contra locum allegatum Lucæ, ubi Zacharias, Pater Johannis Baptistæ, CHRISTUM Orientem vocat. Resp. Non dicitur ibi *Oriens è terra velut germen*, ut in nostro textu volumus; *neque Oriens absolute*, quod prohibemus; sed cum additione: *Oriens ex alto.* Respicit igitur pater Johannis non ad hoc Zachariæ vaticinium, de progerminatione, quam supra explicuimus, loquens: sed ad alia potius, ut quando CHRISTUS appellatur Stella è Jacob Num. 24:17. Lux gentium, Luc. 2:32. Gloria DOMINI, Esai. 60:1. Sol Justitiæ, Malach. 4:2. ratione puto illuminationis, de qua & ibidem loci Lucas agit. Proinde nihil curamus Riberam Jesuitam, qui abruptionem Metaphoræ ait esse in verbis Lucæ, quod scilicet Lucas per *Orientem* intelligat *germen*, & hinc transgrediatur ad illuminationem. Falsum hoc est, quia scimus, illuminationis individuam hic causam poni verba *ex alto*, sicuti Sol causa luminis.

IV. *Est hæc inter vers. eund. 12. & Matth. 9:1.* Explicuimus vocem מִתַּחְתָּיו de sub se, vel de loco suo, &, quia progerminationem isthanc etiam de nativitate illius posse intelligi attulimus, de *Bethlehem.* Legimus autem cit. loc. *Capernaum* locum seu civitatem CHRISTI appellari. Sed Resp. (1) Quando verba, *de loco suo*, intelliguntur de Regno CHRISTI, ut itidem confessi sumus, tunc de nullo peculiari loco corporis humani possunt exponi, & hinc etiam in textu nullius loci nominetenus fit mentio, quia ubique locorum florem suum Regnum CHRISTI habuit & habet, ubicunque modo sint, qui ad illud accedant. Recte namque B. Luther. l. c. pag. 543. col. 1. *Ubicunque*, ait, *ipse erit, ubicunque ipsius verbum erit, ibi crescet ac germinabit: Non enim in uno tantum est loco, sed in toto mundo per Euangelium.* (2) Si autem de nativitate CHRISTI simul intelligatur, rite de Bethlehem duntaxat exponitur. Alias scimus, tria præcipue loca & civitates CHRISTUM appropriasse sibi pro suis: Bethlehem, ubi natus; Nazareth, ubi educatus; & Capernaum, ubi potissimum prædicavit ac potiora miracula edidit. Male itaque Junius & Piscator in h. l. per locum suum intelligunt Nazareth: Etenim ratione nativitatis id fieri nequit, quia natus in Bethlehem; neque ratione regni, quia sic in Nazareth solum illud floruisse statuendum, quod falsum.

V. Ista

V. *Iſta circa vſ.* 13. *& Pſal.* 132: 11. *Eſai.* 9: 7. *Luc.* 1: *vſ.* 32. *occurrit.* Dicitur ibi CHRISTUS dominari & ſedere ſuper ſolio *ſuo*, cum tamen hic locorum dicatur, ſedere ſuper ſolio *Davidis.* Reſp. Conciliat hæc inter ſe Dn. D. Waltherus in Harm. Bibl. ſuper h. l. p. 350. & B. Bald. Com. pag. 400. ſeqq. quorum verba pauliſper immutata huc adſcribemus. Quando Zacharias ait, CHRISTUM dominari ac ſedere ſuper ſolio ſuo, feciſſe illum inquiunt viri laudati de induſtria, ob ſequentes rationes: 1. Quia CHRISTUS formam aliam regiminis adhibeat, quam David adhibuerit, cum is Spiritus virtute ac per verbi miniſterium regno ſuo præſit, hic autem viribus externis & gladio carnali. 2. Quia natus fuerit quidem CHRISTUS ex ſemine non alio, ac Davidis Regis, eo tamen tempore, quando regia dignitas mutata ſit in ducalem, Hagg. 2: 3. 22. 3. Quia ſeſſio illa ſuper ſedem Davidis non ad certam tantum lineam illius erat reſtricta, ſed & ultra eam extenſa, nimirum ad eos omnes, qui non carne, ſed vita & doctrina futuri erant filii Davidis, quemadmodum tantum, qui fidei ſunt Abrahamitica, filii ejuſdem vocitantur, teſte Paulo Gal. 3: 7. Unde ſeſſio ſuper ſolium illud jam penes ſtirpem Salomonis, jam penes familiam Nathanis fuit, ſemper tamen in domo Davidis permanſit. Atque ſic CHRISTUS ſedet in ſolio Davidis, reſpectu totius domus Davidicæ, ex qua erat oriundus: Sedet autem in ſolio ſuo, reſpectu iſtarum duarum familiarum, Salomonis & Nathanis, ex quorum utraque in hæreditate ſolii Davidici anteceſſores habuit, illos in regia, hos in ducali poteſtate.

VI. *Intercedit ea vſ.* 13. *cum verſ.* 15. Verſu enim 13. dicitur, quod *Meſſias* ſit ædificaturus templum DOMINO; verſu autem 15. etiam *longinquis & gentilibus* adſcribitur. At Reſp. Phraſes textus ſunt diſcernendæ. Nam de Viro Zemah dicitur, quod ædificaturus ſit tanquam cœleſtis architectus templum DOMINO: Sed de ethnicis hoc non dicitur, verum verba ſic habent: longinqui, h. e. qui non ſunt de familia & gente Judaica, qui ſunt exteri & alieni, nempe gentiles venient ex remotis locis, tunc nimirum, quando Vir Zemah exhibuerit ſe præſentem, & ædificabunt in templo JEHOVÆ. Recte ait Propheta: Ædificabunt בְּהֵיכַל *in templo*: non autem, ædificabunt הֵיכַל *templum*: Nam hoc ſoli Viro Zemah ſupra competere dixerat: is ſolus ædificabit templum ſpirituale: interim & gentes per converſionem & prædicationem verbi ad hoc templum confluentes ædificabunt in templo, modo ædificationis, qui correſpondet templi formæ, nempe ſpiritualiter, per ſtudia doctrinæ, fidei & bonorum operum. Quanquam, tametſi diceretur: Gentes ædificare templum ipſum, Analogice exponendum eſſet, de ſubordinatione membrorum ad influentiam à capite Chriſto. Fideles enim per gratiam acceptam & ſe & alios ædificant in templum, 1. Petr. 2: 5. Jud. vſ. 20.

VII. *Ultima denique contradictio apparens videtur eſſe inter vſ.* 15. *& plurima Scripturæ dicta*, quæ non modo certiſſime venturum fuiſſe, ſed & jamdudum veniſſe MESSIAM, vere atteſtantur; Hic autem adventus MESSIÆ videtur ſuſpendi à conditione: *Erit hoc aut fiet, ſi audieritis vocem DOMINI.*

JOH. ANDR. QUENSTEDT
DISSERTATIO
De Germine Jehovæ ad Zach. VI: 9. &c.

I. N. J.

§. I.

Cum totius Scripturæ θεοπνεύϛε τέλ☉ σκοπιμώτατον, ultimus ſcopus, primarium objectum, principale argumentum, præcipuus finis & quaſi centrum ſit CHRISTUS JESUS, Pſ. 40: 8. Hebr. 10: 7. Luc. 24: 27. 44. Joh. 5: 39. hinc, ut notitiam illius hominum cordibus penitiſſime infigerent & accurate inſcriberent ſancti DEI homines, variis Ipſum & quidem ſignificantiſſimis ac maxime Emphaticis appellationibus inſignire voluerunt. Inter Nomina vero, οἷς κατ' ὀφθαλμὸς Ιησοῦς χριϛὸς πϖεγεάφη, ut Paulus loquitur Galat. 3: 1. haud poſtremum locum obtinet nomen, צֶמַח *Germen*, quo trias Prophetarum, (Eſaias, Jeremias & Zacharias) Mundi Meſſiam, ejuſque perſonam, naturas & beneficia graphice depingit; *Ecce vir*, inquit horum poſtremus cap. 6: 12. צֶמַח *nomen ejus.*

§. II. Deſcendit autem nomen צֶמַח à radice צָמַח, quæ *germinare, pullulare, efflorеſcere* ſignificat, ſumiturque proprie de rebus è terra naſcentibus, itaque de ſurculis & ſtolonibus dicitur, qui ex præcedaneo ſemine aut radice exſurgunt. Significatio illi ineſt; Ein zartes/ annuthiges) Zweiglein/ Sproß/ Reißlein/ oder Gewächs. Pro Synonymis vocis צֶמַח habentur חֹטֶר, נֵצֶר, Eſai. 11: 1. יוֹנֵק, Eſai. 53: 2. quanquam non eadem omnino harum vocum ſit ratio. Cæterum vox צֶמַח duodecies in Scriptura V. T. reperitur, quater cum pronomine eoque ſolo fœminino tertiæ perſonæ conjuncta & octies ſine affixo pronomine. Septem locis proprie accipitur, ut Geneſ. 19: 25. *Et ſubvertit civitates iſtas, & omnem planitiem illam, & omnes habitatores urbium illarum*, צֶמַח & germen *terræ*. Pſalm. 65: 11. *Irrigas liras ejus* (terræ) *& quieſcere facis ſulcos ejus. Facis eam guttis colliqueſcere*, צִמְחָהּ germini ejus *benedicis.* Eſai. 61: 11. *Sicut enim terra profert* צִמְחָהּ germen ſuum, *& ſicut hortis ſemen ſuum germinat, ſic Dominus Deus germinare faciet juſtitiam, & laudem coram univerſis gentibus.* Ezechiel. 16: 7. *Auxi te in multa millia* כְּצֶמַח velut germen *agri.* Et 17: 9. *Annon radices ejus evellet, & fructum ejus excidet, & areſcet, omnes frondes* צִמְחָהּ germinis ejus *emarceſcent*, & 10. *Et in areis* צִמְחָהּ germinis ſui *areſcet*, & Hoſeæ 7: 7. *Quia ventum ſeminabunt & turbinem metent, culmus ſtans non erit ei*, צֶמַח germen *non faciet farinam.* In reliquis quinque locis figurate & metaphorice vox צֶמַח ſumitur ac certo individuo & quidem ſoli promiſſo mundi Meſſiæ appropriatur, ita ut צֶמַח appellatio Meſſiæ propria ſit & peculiaris, hinc *J. Druſius* in Lectionibus ad Zach. 6: 12. inquit, *Sane antiqui Ebræi inter nomina Meſſiæ &* צֶמַח *recenſent*, i. e. *oriens vel germen.*

§. III. Sunt itaque quinque inſignia loca in Scriptura V. T. (*Sixtinus Amama* in Anti-barbaro Biblic. Lib. IV. ad Ꝟſ. 5. c. 23. Jerem. pag. 722. quatuor ſaltem recenſet, maxime illuſtrem illum locum Eſai. 4: 1. de Germine Jehovæ omittens) ubi Meſſias צֶמַח appellatur, videl. Eſai. 4: 1. Jer. 23: 5. c. 33: vſ. 15. Zach. 3: 8. & Zach. 6: 12. In ſingulis vero locis Chaldæus Paraphraſtes, (Jonathan) *qui paſſim accurate expoſuit & ſignanter, quicquid fere de Meſſia debet accipi*, teſte *Theod. Hackſpanio* parte ſecunda notarum Philologico Theologic. ad varia & diffic. loca S. S. ad cap. 23: 5. Jerem. p. 764. vocem Hebræam צֶמַח non αὐτολεξεὶ interpretatus eſt, ſed ut liberiorem interpretem & paraphraſtem decebat, rem ipſam ſpecta-

spectavit & per suum משחא expressit. Sic Esaiæ 4: 1. *In die illa erit* צמח יהוה germen Domini *in decore & gloria*, Targum, *In die illa erit* Messias Domini. Jerem. 23: vers. 5. *Ecce dies venient, dixit Dominus, & suscitabo David,* צמח צדיק germen justum, Targum, *Messiam justorum*, ut est in Bibliis Basiliensibus. Jer. 33: 15. *In diebus illis & in tempore illo germinare faciam David* צמח צדקה germen justitiæ. Chald. *Messiam justitiæ, & faciet judicium.* Zach. 3: vs. 8. *Ecce ego adducam servum meum* צמח germen, Chald. *Ecce ego adducturus sum servum meum Messiam, qui manifestabitur*, Zach. 6: 12. *Ecce Vir* צמח שמו, germen, *nomen ejus.* Chald. *Ecce Vir, Christus nomen ejus.* Recte *D. Varenius* in Comment. ad Esai. cap. 4: 1. pag. 132. *Laudamus omnino*, inquit, *& magnificamus tam antiqui, quo post Mosen & Prophetas nihil antiquius & venerabilius habent nostri Judæi, Paraphrastæ constantiam, & expositionem Christianam, quæ ipsa satis arguit hodiernæ Judaicæ Synagogæ ab illa, quæ Jonathanis tempore fuit, apostasiam. Pleraque enim, quæ de Messia explicari debent, de illo ipso explicat Prophetarum vaticinia & præterea Ipsius veræ divinitati, incarnationi, officio luculenta satis testimonia præbet.* Consentit *Rabbi David Kimchi*, qui sub finem seculi XII. vixit, in Comment. ad locum Esai. 4: vers. 1. *Expositio*, inquit, *vocum* צמח יהוה *est Messias, Filius Davidis, sicut dictum est* (Jer. 33: vers. 15.) *Excitabo David germen justum.*

§. IV. *Cornelius à Lapide* Comment. ad cap. 3. Zachar. vers. 8. ait, צמח per metathesin esse idem quod מָשִׁיחַ, id est, *Messias.* Licet enim in voce מָשִׁיחַ sit Litera ש, in צמח vero צ, tamen hanc illi esse affinem, cum utraque valeat Latinum S. sed hoc parum ad rem facit. Qui Cabbala delectantur, conferunt vocem צמח *germen, surculus*, quæ in numeris valet CXXXVIII. cum dictione מְנַחֵם *consolator*, παράκλητος, quæ per Gematriam, quam *arithmantiam* vocat *Cornelius Agrippa* teste *Hottingero* in Thesauro Philol. Lib. I. cap. 3. Sect. V. de Cabbala pag. 452. eundem numerum efficit. Hinc Christianorum Rabbi *Buxtorfius*, in tractat. Abbreviatur. Hebr. pag. 62. ait; *Tzemach valet per Gematriam, eam Cabbalisticæ partem, qua diversæ dictiones eundem numerum literis suis exprimunt, sic ut una per alteram secreto modo explicetur*, CXXXVIII. *Totidem autem etiam valet* מְנַחֵם, *Consolator. Hoc autem nomen Menachem numeratur à Cabbalistis & Talmudicis inter nomina Messiæ. Unde Cabbalistice per Tzemach intelligitur illic Messias. Hinc Paraphrastes Chaldæus transtulit etiam* מְשִׁיחָא *Messias.* Vide *Aben-Esram in h. loc.* Hæc Buxtorfius. *Raymundus Martini*, Ordinis Prædicator. Monachus adversus Mauros & Judæos, (cujus scripta pro suis edidit *Petrus Galatinus*, commutato rerum ordine & argumento nonnihil variato, ut plagii possit accusari Galatinus, ut inquit *Matthæus Beroaldus* Lib. II. Chronic. cap. 3.) in suo Pugione fidei, (hæc libri frons est,) quem ex hostium (Judæorum) ferro confecit, parte III. Distinct. III. cap. XIX. §. 4. pag. 685. è Rabbinis ita loquitur. *Ad hoc etiam facit, quod legitur in Echa Rabbethi* (id est, in Glossa super lamentationes Jeremiæ) *super illud Thren. 1: vers. 16.* Quia elongatus à me consolator, reducens animam meam; *ubi dicitur; Quod est nomen Regis Messiæ? Dixit Rabbi Abba* יהוה *Dominus est nomen ejus, sicut dictum est Jerem. 23: vers. 6.* Et hoc nomen ejus, quo vocabunt ipsum, Dominus justitia nostra, vel justus noster. *Rabbi Josua ben Levi dixit, Germen est nomen ejus, sicut dictum est Zach. 6: vers. 12.* Ecce Vir, germen nomen ejus &c. *Sunt, qui dicunt; Consolator, filius fortitudinis DEI, nomen ejus, sicut dictum est Thren. 1: vers. 16.* Quia elongatus est à me consolator &c. *Ex domo Rabbi Siloh dixerunt, Silo est nomen ejus, sicut dictum est Gen. 49: vers. 10.* Donec veniat Siloh. *Ex domo Rabbi Chanina dixerunt; Gratiosus est nomen ejus, sicut dictum est Jerem. 16: vers. 13.* Non dabo vobis gratiosum. *De domo Rabbi Jannai dixerunt,* ינון *iinnon est nomen ejus, Psalm. 72: vers. 17.* Ante Solem filiabit nomen ejus; *Rabbi Biba dixit; Lucidus est nomen ejus, sicut dictum est Dan. 2: vers. 22.* Et lux cum illo habitat: *Lucidus, fuit scriptum. Dixit Rabbi Juda. Iste Rex Messias, si de vivis est, David est nomen ejus, & si de mortuis est, David est nomen ejus. Dixit Rabbi Tanchuma, Ego dicam probationem Psal. 18: 51.* Magnificans salvationes regi suo & faciens pietatem Messiæ suo David, & semini ejus in seculum. *Messiæ & David non est scriptum* sed Messiæ suo David. Hæc licet pluscula, adducere placuit ex Pugione Fidei, quia liber hic vix alioquin in manus Studiosorum hodie incidit. Confer eundem cap. IV. §. 14. pag. 554. & cap. XVI. §. 21. pag. 664. Ex quibus jam allegatis Raymundi Martini locis integrum suum caput XVI. Libri III. de Arcanis Cathol. Verit. descripsit Galatinus.

§. V. Nomen ergo צמח in vetusta Judæorum Schola de solo Messia in locis adductis expositum est, Posteriores vero recutiti majorum suorum μεθερμηνείαν, & genuinum Verbi divini sensum relinquunt, & putida cerebri sui commenta & somnia reponunt, ac vim inferre textui malunt, quam agnoscere, de Messia hic sermonem esse. Rabbi Salomon Jarchi, abbreviate רש"י dictus, quem sui κατ' ἐξοχὴν פַּרְשַׁנְדָתָה id est, *Interpretem Legis* appellant, cujusque Commentarii in Scripturam, Bibliis adjungi assolent, fatetur quidem ad Zachar. cap. 6: vers. 12. scribens, quod sint, qui explicent, quod hic legitur de Germine, de rege Messia, ipse vero missa hac expositione de Zorobabele accipit, sed hunc Rabbinorum antesignanum in terminis confutat Rabbi Isaac Abarbenel, teste *Hackspanio* loco supra citat. pag. 1045. *Ebræi recentiores Zorobabelem innui putant* (Zachar. cap. 6. vers. 12.) *quem Germen vocari dicunt, quod ejus dignitas germinis instar succrescens paulatim ad summum gradum pervenerit*, ait *J. Drusius* in Lectionibus ad prædictum locum pag. 1006.

§. VI. *Calvinus* Comment. in Esai. cap. 4: 1. Germen Jehovæ & fructum terræ interpretatur *de copioso & insolito gratiæ proventu, quem promittat DEUS reliquiis post diuturnam vastitatem regni & terræ.* Et sic more suo eludit egregium argumentum Deitatis Christi cum Judæis. Adducit ibi quasdam ratiunculas, cur non de Christo hoc germen intelligi possit, sed de donis DEI, quæ etiam infra cap. 45. & Psalm. 85. germina appellentur, sed ab ipso *Davide Pareo*, Calvæ sectæ alias πρόμαχῳ & clypeo, in adversariis ad h. l. pag. 144. hæc Calvini interpretatio vel potius prodigiosa depravatio excutitur & refellitur quinque rationibus. *Sed* 1. inquit, *illa ipsa gratia copiosa, de qua germen intelligit, non est extra Christum, Ergo ad Christum veniendum est, & ipse fatetur, de regno Christi hic agi.* 2. *Dona seu gratiæ regni Messiæ satis diserte commemorantur & distinguuntur hoc capite à germine, tanquam effectus à causa.* 3. *Chaldæus Paraphrastes & Kimchi de Messia expresse interpretantur*, 4. *Græca versio de Deo*, 5. *Consensus Christianorum interpretum.* Hæc Paræus. Turpiter hac in parte reliquit Calvinus vestigia Præceptoris sui, *Joh. Oecolampadii*; qui in Hypomnemat. in Esai. Lib. I. fol. 36. ita inquit; *Igitur hoc paragrapho docet* (Propheta) *felicitatem Ecclesiæ ex gaudio & gloriatione in Christo, ex sanctitate & securitate. Dicitur autem hic Christus Germen Domini & Fructus terræ. Nam & Patrem habet in cœlis DEUM, ut verus Deus, propter quod Germen Domini dicitur & matrem in terris, ut verus homo, propter quod fructus terræ vocatur. Ecce habes Incarnationis mysterium.* Explodit quoque jejunam Calvini glossam ejus discipulus *Franciscus Junius* in Scholiis ad h. l. cujus verba adjiciam; Tempore illo erit Germen Jehovæ gloriæ & honori, id est, inquit, *Christus Jehovah infra vers. 4. qui intermortuo regno DEI propemodum excitatus est, à DEO Patre & submissus, velut germen è radice repullulans; alii vero pro Ecclesia repullulante accipiunt ex reliquiis Israëlis, hoc sensu; Ecclesia è reliquiis Israëlis collecta erit ornatissima, alii pro donis spiritualibus, quæ Jehovah in Ecclesiam profundit: Sed cum proprium apud Prophetam nomen Ecclesiæ sit Israël, aut reliquiæ Israëlis, hoc versu & seqq. Præterea gratia sive dona DEI evidentissimis verbis exprimantur; deinde hoc proprium sit attributum Christi, quod deinceps procedente tempore copiosius exposuit idem Propheta infra cap. XI. cujus summam hoc caput continet, interpretationem hanc aliis prætulimus, denique ipsa quoque verborum consequutio simplicius ita construitur, quam si dixeris: Erit germen Jehovæ reliquiis Israëlis,* id est, *germinabunt à Jehovah, dona vero nusquam sic appellantur, sed Christus ipse hanc appellationem & cognatas obtinet, infra XI. Jerem. 23. & 33. Zachar. 3. & 6.* Hæc Junius. Ex quibus apparet, quid de glossemate Judaizantis Hugonis Grotii sentiendum sit, qui his verbis textum conspurcat; *Germen Jehovah sunt primo sensu reliquiæ exulum, quæ Esdræ & Nehemiæ temporibus domum reversæ laudabilem vitam duxerunt; μυστικῶς autem Christus & Christiani.* In his verbis multa sunt ἄτοπα & absurda, nam 1. confundit Grotius tempora cladis Babylonicæ cum serenioribus illis temporibus liberationis populi, quæ 70. annis separata sunt. 2. Germen Domini & Fructum terræ esse reliquias populi reduces, nullo idoneo argumento probabit.

3. Magnificentiam & gloriam, nec non decorem & sublimitatem de vita laudabili exponit, quæ maxime distincta sunt, 4. Duplicem imo triplicem his verbis affingit sensum; si enim de reliquiis Israëlis sermo est, quomodo germen de Christo explicabitur, & si de Christo intelligendum, quomodo Christianis aptabitur? Si de die reditus è captivitate Babylonica Propheta loquitur, quomodo dies illa de die vel tempore N. T. intelligi potest? quomodo tam disparati sensus uni & eidem loco congruunt? Sed accuratius & fusius hæc excutit Maxime Reverendus Dn. D. *Calovius*, Collega, Compater & in Christo Frater meus ætatem devenerandus in annotatis suis Anti-Grotianis ad hunc Esaianum locum. *Glossa Thomæ Sanchez.* in h. l. & *Hieronymo Prado* Commentar. in Ezechiel. cap. 13. 9. qui itidem cum Judæis recentioribus Germen Domini de reliquiis Judæorum à strage Babylonica superstitum exponunt, respondemus verbis *Nicolai Lyrani*, qui ad verba illa Esaiæ; *In die illa erit Germen Jehovæ &c.* ita commentatur; *In translatione Chaldaica, quæ dicitur Thargum & apud Hebræos est authentica, dicitur*; In tempore illo erit Messias Domini &c. *Ideo expositores Latini hoc exponentes de prosperitate redeuntium de captivitate Babylonica,* MAGIS JUDAIZANT, *quantum ad hoc*, QUAM HEBRÆI. Hæc ille.

§. VII. Jer. 23: 5. & 33: 15. per צֶמַח *justum* Davidi excitandum *Messiam* seu *Christum* intelligendum esse, non tantum communi Christianorum Interpp. suffragio constat, sed etiam à priscis Judæis admittitur, ut supra vidimus. Et tamen *Hugo Grotius* non veretur ad hæc quoque loca in hunc modum scribere; ad primum; Germen justum i. e. *Zorobabelem qui* צֶמַח *ut hic appellatur, ita ex Zachar. 6:12. nimirum, quod velut surculus renatus esset ex arbore Davidis quasi præcisa*, ad secundum; Germen justitiæ, id est *Zorobabelem, germen Davidis, virum æqui amantem &c.* Sed prædicata illa, quæ de *Germine Davidico* loc. cit. efferuntur, nullatenus in Zorobabelem aut alium quendam Judaicum principem congruunt, sed uni Christo propria sunt. De solo ergo Christo hic est sermo, quod probamus 1. ex *Germinis seu surculi titulo*, qui in promissionibus Propheticis uni Christo appropriatur, quod loca parallela supra adducta & infra adducenda evidenter confirmant. 2. Ex *Germinis illius Epitheto.* Dicitur enim in priori loco *Germen justum*, in posteriori *germen justitiæ*, quod scil. Messias non solum justus futurus sit, sed & omnis justitiæ autor. 3. Ex *Germinis officio*, quod scil. *prospere acturum sit & erecturum justitiam & judicium in terra*, quibus verbis Christi Regnum Catholicum, & officii Mediatorii prospera expeditio designatur. 4. Ex *germinis ejus fructu*; Promittitur enim sub hoc Germine seu Rege Davidico *Judæ salus & Israeli secura habitatio.* 5. Ex *Germinis elogio*; *Et hoc est nomen ejus, quod vocabit* (Israeliticus populus, vel etiam ipse Dominus, aut impersonaliter unusquisque) *eum*, *JEHOVA justitia nostra.* Quæ omnia nec Zorobabeli, nec ulli alii ψιλῷ ἀνθρώπῳ, sed soli mundi Messiæ conveniunt. Mere itaque ἰδίαν ἐπίλυσιν sapiunt & plane contortæ sunt Grotianæ Glossæ, quod pluribus ostendit supra laudatus venerandus D. *Calovius* in annotatis anti-Grotianis ad Jer. cap. 23. & 33.

§. VIII. Illustrissima oracula Zach. 3: 8. & 6: 12. de *Zemach* non solum *Grotius*, sed etiam Jesuita *Estius* in notis ad Zorobabelem trahit, contra Spiritus S. mentem & genuinum textus sensum. Neque enim 1. Zorobabel erat servus ille Domini, qui voluntatem ejus faciebat, hominibusque inserviebat, docendo, benefaciendo, moriendo, sed Christus Ps. 40: 9. Ebr. 10: 7. Esa. 42: 1. 43: 24. & 53: 13. Phil. 2: 7. Nec 2. Zorobabel erat vir ille inde ab exordio mundi toties promissus, tot fidelium votis & suspiriis expetitus & tandem aliquando in mundum deducendus & exhibendus, sed Christus. Nec 3. Zorobabel erat illud Germen, quod Ecclesiæ DEI erat futurum fundamentum, placamentum, ornamentum, lapis angularis & victima piacularis, Ecclesiam suam virtute sua protegens, morte sua redimens, à peccatis sanguine suo abluens, sed Christus Zach. 3: 9. Neque 4. Zorobabel erat illud Germen, sub quo & ex quo germinatura erat multitudo ramorum i. e. fidelium, sed Christus, Zach. 6: 12. Neque 5. Zorobabel ædificaturus erat templum Jehovæ spirituale seu Ecclesiam, sed Christus ibid. vs. 12. & 13. Hic enim prædicatione Evangelii templum Jehovæ ex hominibus ædificavit, quod multo gratius erat Deo, quam quod tunc ædificabatur ex lapidibus. Inque *eo* (Christo) *solo totum ædificium Ecclesiæ coagmentatum crescit, in templum sanctum Domini*, Ephes. 2: 21, 22. Neque 6. Zorobabel portaturus erat coronam gloriæ, gloriosi scil. sacerdotii & regni æterni, sed Christus, ibid. &c.

§. IX. Ex hactenus dictis constat, Nomen צֶמַח Es. 4: 1. Jer. 23: 5. cap. 33: 15. Zach. 3: 8. & cap. 6: 12. non nisi Christo Salvatori competere ejusque nomen esse peculiare, transeamus jam ad varias hujus vocis interpretum versiones. A Chaldæo Paraphraste Jonathane Hebræam vocem צמח in his locis per משיחא constanter reddi, supra vidimus. LXX. Interpret. Es. 4: 1. verbum pro nomine usurpant, & צמח, per ἐπιλάμπειν exponunt; In die illa ἐπιλάμψει ὁ θεὸς ἐν βουλῇ, Jerem. 33: 15. vertunt βλαστὸν; (Sic & Symmachus βλάστημα δίκαιον, *germen justum*, Jerem. 23: 5. & βλαστὸν δικαιοσύνης, *germen justitiæ.* C. 33: 15. exponit.) In reliquis vero locis, vid. Jer. 23: 5. Zach. 3: 8. & 6: 12. interpretantur LXX. Interpr. vocem צמח per ἀνατολὼ. Luc. 1: 78. Messias dicitur ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *oriens ex alto.* Habet autem vox ἀνατολὴ varia significata. Nam 1. significat proprie *exortum Solis & Lunæ*, sive ipsum orientem Solem aut Lunam, ut Jud. 5: 31. *Sicut* ἀνατολὴ *Solis in fortitudine sua splendet*, & Es. 40: 19. ἀνατολὴ *Lunæ non illuminabit te.* Unde & ἀνατολὴ absolute pro ἀνατολὴ ἡλίου quandoque dicitur, ut apud Plut. in Probl. Rom. 2. *locum seu regionem* vel eam cœli partem, ubi Sol oritur. Sic Matth. 2: 2. vidimus stellam ejus ἐν ἀνατολῇ *in oriente*, in singulari, uti & Apoc. 7: 2. alias enim plerumque pluralis adhibetur, ἀπ' ἀνατολῶν. III. *Germen*, ita dictum, quod ex terra oritur, ut Ezech. 16: 7. ἀνατολὴ τοῦ ἀγροῦ, ipsumque verbum ἀνατέλλειν de terræ nascentibus usurpatur Genes. 2: 5. & 19: 25. Quando itaque Christus Luc. 1: 78. dicitur ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, volunt quidam, ut *Piscator* in Scholiis ad h. l. & *Sixtinus Amama* in Antibarbaro Biblico pag. 724. non respexisse Zachariam Sacerdotem ad prædicta Jeremiæ & Zachariæ loca, sed ad illum potius Malachiæ 4: 2. ubi Christus Sol justitiæ vocatur; *Orietur vobis, ô timentes Nominis mei, Sol justitiæ*, vel ad Prophetiam Bileami Numer. 24: 17. ubi idem stellæ nomine insignitur: *Procedet stella ex Jacob.* Et hujus explicationis præsidium desumunt ex versu sequente, utpote qui hujus elogii exegesis sit; ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, τοῦ κατευθῦναι τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης, i. e. *ut illucescat illis, qui in tenebris & umbra mortis positi sunt, ad dirigendum pedes nostros in viam pacis. Ecce*, inquit *Amama*, duo effecta, non germinis, sed lucidissimi sideris, *quale est Sol.* Aliis vero, utpote ex Calvinianis *Drusio* & *Sculteto*, ex nostris B. *Chemnitio* Harm. Evangel. cap. 6. p. 81. B. D. *Dorscheo* Theol. Zachar. part. 2. pag. 263. D. *Glassio* in Onomatologia Messiæ Prophetica Classe 2. n. 5. pag. 80. non est dubium respexisse Zachariam ad Zachariæ cognominis Prophetæ oraculum c. 3. & 6. cum, uti ex *Apollonio* & *Suida* constat, ἀνατολὴ etiam de germine, herbis & surculis dicatur. Nec movet illos illud ἐπίθεμα, sive additamentum, ἐξ ὕψους. Ajunt enim hoc ipso indicari discrimen hujus singularissimi Germinis & aliorum. Cum enim cætera è terra, inferne germinent, hoc è cœlo fit. Imo ut constet, Christum esse surculum cœlestem simul & terrestrem, germen divinum & humanum, dici hoc loco ἀνατολὼ ἐξ ὕψους. Hebr. vero 7: 14. ἀνατέταλκέναι ἐξ ἰούδα, i. e. Jesum *germinasse ex tribu Juda* (*hic certe unicus novi fœderis locus est*, inquit Sixtinus Amama loc. alleg. *ubi* ἀνατέλλειν *aliter accipitur, quam de ortu luminarium.*) Quo pertinet illud Chrysostomi, citante Photio; *Hic igitur oriens ex alto ortus est, & è terra, ex alto, quod ad divinitatem, è terra, quod ad humanam naturam.* Hinc ipse *Beza* in prioribus editionibus vocem ἀνατολὼ Luc. 1: 78. per *germen* interpretatus est, ut ipse fatetur. Et *Joh. Coccejus* Comment. in Zachariam c. 3: 8. inquit, *Eum* (Messiam) *vocat* צֶמַח Germen. *Nomen hoc sumit ex Prophetis anterioribus, Esa. 4: 2. Jer. 23: 5. 33: 15. Rationem appellationis reddit Zach. 6: 12. Huc refert Luc. 1: 78. ubi emphatice* Germen ex alto. Joh. 3: 31. dicitur ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος, *superne veniens*, 1 Cor. 15: 47. ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ, *Dominus de cœlo.*

§. X. Quod porro usum vocis צֶמַח, quatenus ea Messiæ tribuitur, concernit, ponitur hoc nomen 1. *absolute*, 2. *cum adjuncto.* Absolute ponitur Zach. 6: 12. *Ecce Vir* צֶמַח *Germen* seu surculus, *nomen ejus.* Et cap. 3: 8. *Ecce ego adducam servum meum Zemach.* Cum adjuncto ponitur, & quidem 1. cum *adjuncto nominis Jehovæ* seu Domini, Esa. 4: 1. ubi dicitur Messias צֶמַח יְהוָה, *Germen Domini*, 2. cum adjuncto nominis Davidis, Jer. 23: 5. & 33: 15. ubi dicitur *Zemach justum vel justitiæ Davidi excitandum.*

§. XI. Observandum denique nomen צֶמַח esse nomen *originis & filiationis*, & quidem 1. Originis & filiationis *in genere.* Nam omne germen sive proprie sive metaphorice acceptum

acceptum fœcunditatis & originis est indicativum, semperque respectum dicit ad id, cujus est Germen. *Germen est nomen filiationis*, inquit B. Heinricus Hopfnerus ad Jerem. cap. 23: 5. *sicut enim in hortis & agris germina plantarum oriuntur, ita in familiis & domibus liberi.* Hinc quia Messias Germen est appellatus, non carebit omni origine & præsupponit γονιμητικὴν καὶ καρπογόνον οὐσίαν, sive fœcunditatem aliquam, à qua est germen. Fœcunditas autem illa abstrahenda est ab omni imperfectione, ne quid, quod ad fœcunditatem, ut talis vel talis est, pertinet, ad fœcunditatem simpliciter referatur. Sunt, qui existimant voce צֶמַח formaliter notari Christi humanitatem & ortum infernatem seu nativitatem ejus terrenam & temporalem. Sive Messiam vocari צֶמַח à Prophetis propter solam ἐνσάρκωσιν καὶ ταπείνωσιν, *incarnationem & exinanitionem*, cum germen id sit proprie, quod ex terra nascitur, & initiis plane exiguis & obscuris crescendo progreditur, ita ut vertendum sit, ein schlechtes/ schwaches/ verachtetes Reißlein oder Zweiglein. Volunt itaque hoc nomine in Prophetarum oraculis designari, præfigurari, & insinuari non ortum aut filiationem in genere, ita ut, pro diversitate adjunctorum de nativitate Messiæ æterna & temporali, de filiatione divina & humana explicari possit, sed *præcise & in specie* (1.) nativitatem Christi terrenam & temporalem, quod instar surculi proditurus esset è terra & è trunco velut succiso & fere emortuo, omnique ramorum, frondium ac viroris gloria destituto, (2.) teneram & abjectam Christi conditionem, & μορφὴν δούλου, sive formam illam servi, quam ad tempus induit Phil. 2: 7. (3.) succum vitalem, virorem, florem, odorem, fructumque suavem cum doctrinæ tum vitæ Incarnati & inter homines versantis Filii DEI, (4.) insitionem & inoculationem fidelium in hoc surculo vel germine. In hunc enim surculum insitæ sunt fideles animæ, tanquam DEI plantæ, quæ ut manibus Dei, i. e. omnipotente Spiritus S. vi sunt plantatæ in Christo, inoculatæ insitæque per fidem, ita in eodem excoluntur, & ex eo velut germina è surculo efflorescunt. Hinc *D. Joh. Tarnovius* Comment. in cap. 3: 8. Zach. pag. 92. *GERMEN*, inquit, *est Messiæ cognomen Esai. 4: 1. & 11: 1. Jerem. 23: 5. & 33: 15. & infr. 6: 12.* tum respectu ipsius, *quod ipse velut germen ex Maria Virgine esset proditurus*, tum respectu hominum piorum, *qui ex & in illo velut germine & genimine spirituali renascuntur ac plantæ cœlestes vi verbi redduntur Johan. 15: 1. Jacob. 1: 18. 1. Petr. 1: 33. Propter officium igitur Christum vocat servum, propter naturam humanam in personæ unitate potissimum Germen.* Et in L. C. ex hoc vers. pag. 99. *Cum appellatur germen*, ait, *natura ejus humana indicatur, ejusque in statu exinanitionis contempta species innuitur.* Idem ad cap. 6: 12. p. 162. inquit; *quando appellatur* (Christus) *germen, & vilis ac contempta ejus coram mundo origo indicatur.* B. D. Glassius Philol. Sacr. Lib. V. tract. I. cap. 8. inquit; Messias vocatur *Germen & surculus* Esai. 4: 2. c. 11: 1. Jerem. cap. 23: 5. cap. 33: 15. Zach. 3: 8. cap. 6: 12. quæ loca à Chaldæo interprete de Messia diserte explicantur. Notatur autem principaliter ortus ipsius secundum carnem seu nativitas temporalis, sicut germen & surculus terream habet originem & terram quasi matrem agnoscit, consequenter vero regni ejus viriditas, felicitas & perpetuitas, uti & alias verbum צמח, germinavit, crevit, de Christi regno & beneficiis usurpatur Esai. 43: 19. cap. 61: 11, 12. Psalm. 85: 12. Zachar. 6: 12. &c. Hæc ille. Menochius Comm. ad Zach. cap. 3: 8. ait, *Germen dicitur Christus, quia ex emortua Patriarcharum radice, tanquam novus surculus prodiit, & defossus in terra germinavit, & in magnam arborem crevit, cujus rami sunt filii Ecclesiæ.*

§. XII. Sed quanquam hæc omnia analogiæ fidei sint consentanea, & negari non possit, in plerisque Scripturæ locis ad ortum infernatem, sive ad mysterium ἐνσαρκώσεως & statum ταπεινώσεως Messiæ ἐξεφενηθέντος voce צֶמַח respici, existimamus tamen, nomen צֶמַח Christo tributum *formaliter dicere non ortum infernatem, sive ταπεινώσεως statum*, sed ortum, sive ille sit supernas, sive infernas: *unde, quando Christus dicitur absolute ZEMACH, licebit interpretari de* nativitate Messiæ æterna, *qua est naturalis DEI filius naturaliter, & de* nativitate temporali, *quæ est ex Maria Virgine*, Vid. Zachar. 6: 12. ut recte observat *D. August. Varenius* in Comm. ad Esai. 11: 1. pag. 566. Dicimus itaque nomen צֶמַח esse indicativum 1. *originis & filiationis* tum *divinæ* tum *humanæ*. Divinam & æternam infert filiationem, quando apud Prophetarum antesignanum Esaiam legitur cum adjuncto nominis יְהוָה cap. 4: 1. Hic enim omnino additum nomen יהוה titulum *Zemach* elevat, Messiamque in divinitatis arcanum collocat. Verba ita habent; *In die illa erit* צֶמַח יְהוָה *in decorem & gloriam & Fructus terræ in sublimitatem & gloriam evasori Israel.* Verba צֶמַח יְהוָה bifariam exponi possunt 1. per appositionem, quam vocant, ut יהוה sit casus primi seu Nominativi, hoc modo GERMEN JEHOVAH vel Dominus, 2. in regimine, ita ut צמח regat casum Genitivum hoc pacto, GERMEN JEHOVÆ seu Domini. Prior expositio respicit Messiæ Deitatem, quod scil. natura Deus sit, Jehovah & Dominus, posterior æternam ejus à Patre originem & generationem. Est JEHOVA ratione communis essentiæ, est GERMEN JEHOVÆ ratione ineffabilis generationis à DEO Patre. Vocatur ergo Christus צֶמַח יְהוָה à natura & generatione divina; Bene *D. Varenius* Comm. in h. l. p. 131. *Quo respectu naturæ alibi* (Christus) *dicitur Zemach David, eo non dicitur Zemach Jehovah: Uti ergo illud ad humanam JESU CHRISTI naturam, ut sic, ita hoc vel ad eandem ut in personam* τοῦ λόγου *assumpta vel ad ipsam divinam JESU CHRISTI naturam non sine ratione refertur, ut adeo Zemach Jehovah sit idem quod Filius Dei, Deus de Deo, seu Christus secundum naturam divinam.* Probamus hoc insuper ex ipso contextu; in adducto enim vers. 1. cap. 4. Esai. Messias duplici titulo insignitur, primum appellatur צֶמַח יְהוָה *Germen* seu *surculus Domini*, deinde פְּרִי הָאָרֶץ, *Fructus terræ.* Prior titulus infert Christi divinam filiationem, seu æternam ex substantia Patris generationem, posterior titulus (qui reipsa idem dicit, quod *Zemach Davidis* Jerem. cap. 23: 5. & 33: 15.) infert ejusdem nativitatem humanam & temporalem. Primo Christi divinitas, altero ejus humanitas, utroque conjunctio hypostatica duarum naturarum unio solide probatur. Recte *D. Osiander* in h. l. *Vocat Propheta*, inquit, *Christum* Germen Domini, *ut significet eum esse Filium Dei, ab æterno genitum, Patri consubstantialem. Paulo post appellat* Fructum terræ, *ad asserendam ejus veram humanitatem.* Eadem est explicatio *Brentii, Gesneri, Heshusii & Molleri* Comment. in h. l. Quorum hic ita scribit; *Nominat eum* (Christum) *Germen Jehovæ, non tantum ratione missionis, quod à Jehovah missus sit ad Ecclesiam, ut sit redemptor, justificator & Salvator, sed etiam quia est de substantia ejus surculus, i. e. filius Jehovæ de substantia Patris genitus. Est enim* γέννημα τοῦ πατρός. *Ita igitur dicitur ab ortu, quem habet ab æterno à Patre. Atque hunc principaliter respexisse Prophetam in hac descriptione personæ ostendit sequens membrum, in quo nominat eundem etiam fructum terræ, quia quod ad humanam naturam attinet, ortum habet à terra, quando homo factus in utero Mariæ assumpsit humanam naturam.* Hæc ille. *Theodor. Schnepffius* in Scholis Theol. in hunc Esai. loc. pag. 63. fatetur quidem *plerosque interpretes illud*, (Germen Jehovæ) *ad divinam Christi naturam, illud vero alterum, quod statim sequitur*, Et fructus terræ, *ad humanam Christi naturam referre*, & esse *sane doctam istam interpretationem* agnoscit, ipsa tn. mavult *Germen Domini* de nativitate Christi, qua secundum carnem filius est Davidis, quod autem additur, *Et fructus terræ*, de humilitate nativitatis Dominicæ accipere. Vinarienses quoque utrumque nomen ad ortum humanitatis Christi referunt. Quod suo loco relinquimus. Nobis interim jam allegatorum Theologorum sententia placet, qui ideo Messiam GERMEN JEHOVÆ apud Esaiam appellari existimant, quia ex divina Patris essentia ab æterno fuit genitus & sicut surculus ex sua stirpe quasi propullulavit.

§. XIII. Ad hanc ineffabilem & incomprehensibilem Filii à Patre æterno generationem respexit quoque Paulus Apostolus, quando Christum Hebr. 1: 3. vocat ἀπαύγασμα τῆς δόξης (τοῦ θεοῦ vers. 1.) Syrus vocabulum ἀπαύγασμα, (quod refulgentiam, effulgentiam, relucentiam & resplendescentiam significat, & in N. T. non nisi hoc loco usurpatur) exponit per צֶמְחָא, quam vocem *Guido Fabricius Boderianus* in Lex. Oper. Regii exposuit per *Germen*, ut prorsus conveniat cum qua literas, tum qua sensum cum Hebraico. *Cornelius à Lapide* in Comment. hujus loci negat, Syrum vim vocis Græcæ fuisse assecutum, cum ἀπαύγασμα proprie idem sit, quod Hebraicum זהר i. e. *splendor, fulgor, refulgentia.* Sed fallitur Cornelius, Syriacum enim צמחא, non modo significat germen, sed etiam jubar, lucem, seu splendorem, qualis ab astris emicat, præsertim vero Sole. Hinc *Tremellius* in notis ad h. l. inquit; צמחא *Syris declarat proprie splendorem exorientis Solis. Videtur autem à Paraphraste exquisitum, ut innuat hunc Filium, qui splendor dicitur, simul cum Deo fuisse, & coæternum esse cum Patre. In summa, æternam æterni Filii generationem hac metaphora voluit illustrare.* Inde quoque sanctissimi Patres ex hoc loco ineffabilem & omni admiratione

 superio-

superiorem filii DEI à Patre instar purissimi luminis de lumine promanationem seu generationem partim, partim etiam ὁμοουσίαν ejusdem cum Patre deduxerunt. *Chrysostomus* in Epist. ad Hebræos ad h. l. dicit, *Filium DEI esse splendorem de lucido Patre prodeuntem ac sine mutatione procedentem, sicut radius procedit à Sole. Et esse Patri coæternum, sicut radius æquævus est Soli.* *Damascenus* lib. I. de O.F. cap. 9. ait; *Filium Dei esse inseparabilem à Patre, ut lux inseparabilis est à Sole, nec posse deficere, sicut neque lux Solis deficit.*

§. XIV. Quemadmodum vero in adductis locis sub figura & metaphora *Germinis* & *splendoris* sive *effulgentiæ*, divinam filiationem & antesecularem seu æternam generationem Salvatoris nostri delineare voluit Spiritus S.; ita eandem alibi apertissime sine figurarum involucro indicavit nomine *Filii DEI*; Sic Psalm. 2:7. dicitur Messias *DEI Patris Filius*, in immutabili illo æternitatis *hodie* ex substantia Patris genitus, Joh. 1: 18. υἱὸς μονογενὴς παρὰ πατρὸς, Matth. 3. ult. υἱὸς πατρὸς ὁ ἀγαπητὸς, Col. 1: 13. υἱὸς τῆς ἀγάπης τοῦ πατρὸς, Rom. 8: 32. υἱὸς ἴδιος, &c.

§. XV. Examinanda jam est Socinianorum opinio, qui contendunt propriam & immediatam causam, ob quam Christus sit & dicatur *Filius DEI* & *Germen Jehovæ*, non esse generationem æternam, sed *mirabilem* Ejus *conceptionem è Spiritu S.* in utero Mariæ Virginis. Vide *Socinum* disputat. de natura Christi pag. 9. seqq. Libro suasorio, quod Evangelici se adjungere debeant Socinian. p. 36. *Smalcium* ad 2. partem Refutat. Smiglerii Jesuitæ ad c. XVI. p. 149. ubi ait; *Fatemur una cum Sacris Literis, Christum esse DEI Filium ob modum conceptionis & nativitatis miraculosum, edocti scil. illud ab ipso angelo DEI*, Luc. 1:35. conf. pag. seq. *Crellium* l. I. de Uno Deo Patre Sect. II. c. 31. pag. 389. & *Ostodorum* Instit. Theol. pag. 48. Pollicem illis premunt ex patre *Arminiani*, dum varias causas τῆς υἱότητος Filii Dei comminiscuntur, quod nempe non solum propter æternam generationem Christus dicatur Filius Dei sed etiam propter alias causas, quarum primam faciunt illam divinam fœcundationem seu de Spiritu S. conceptionem, vide *Apolog.* eorum pag. 48. *Episcopium* lib. IV. Institut. Theol. cap. XXXIII. pag. 335. a. Eandem quoque inter causas filiationis Christi numerant ex Reformatis, *Rudolphus Gualtherus* in cap. I. Luc. *Hieron. Zanchius* part. 2. de Trib. Eloh. lib. 2. cap. 6. & lib. 4. cap. 1. & *Piscator* in notis ad amab. Collat. Vorstii Sect. CXI. n. 7. pag. 191. Verum enim vero non est aut dicitur Christus *Germen* seu *Filius Jehovæ* propter divinam illam fœcundationem, qua in utero Virginis conceptus est, sive propter supernaturalem ἐπισκιασμὸν τῆς δυνάμεως ὑψίστου καὶ ἐπέλευσιν πνεύματος ἁγίου, Luc. 1: vers. 35. qua Spiritus S. conceptionis Christi fuit causa δημιουργικὴ seu architectonica, quantum ad datam ἄμεσον ἐνέργειαν, sive *immediatam operationem.* Uti enim initio terra nullo proscissa vomere, nullo fœcundata semine, solo Dei verbo germinavit herbam virentem Gen. 1: 11. Sic integerrima Virgo, magna pars miraculi, absque virilis interventu seminis, ἀμέσως operante Spiritu S. in illa concipiendi δύναμιν, sive ut *Damascenus* loquitur O. F. Lib. III. cap. 2. δύναμιν δεκτικὴν τῆς τοῦ λόγου θεότητος, ἅμα καὶ γεννητικὴν, *virtutem divinitatis Verbi susceptivam simul & generativam*, concepit, peperit & germinavit illum, qui est germen gratiæ, frons lætitiæ, flos pudicitiæ, fructus justitiæ. 2. ἁγιαστικὴ, quoad θαυμάσιον ἁγιασμὸν, quo massam illam, ex qua corpus filii Dei formatum, sanctificavit & à peccatis purgavit: & 3. τελειωτικὴ, quoad ἄρρητον ἕνωσιν, qua divinam & humanam naturam in unam Christi naturam univit. Ex verbis sane Angeli ad Mariam Virginem; *Spiritus S. superveniet in te, &c.* colligi nequit, quod ἐπέλευσις Spiritus S. causa sit, ob quam Christus sit filius Dei. Particula enim διὸ (διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς θεοῦ) non est hoc sensu causalis, quasi indicet causam υἱότητος Christi esse ἄμεσον illam ἐνέργειαν à Spiritu S. profectam, sed est rationalis, hoc est, continet illationem & collectionem non tantum ex verbis proxime antecedentibus, sed ex tota instructione angelica vers. 31, 32, & 33. deductam, qua exponitur tota personæ Christi majestas. Neque angelus nude posuit particulam διὸ, sed ei apposuit voculam καὶ, ut indicet, *ipsum DEI Filium* & non ψιλὸν ἄνθρωπον ex Maria Virgine esse nasciturum; hinc *Epiphanius* hæres. 54. inquit; *Angelus Gabriel non dixit solum, propterea quod gignetur, sed propterea etiam quod gignetur, ut ostenderet, Deum Verbum, qui est ex alto, etiam in utero genitum, quum homo fieret.* Non explicat angelus, cur Filius DEI sit Filius DEI, sed conciliat conceptionem in B. Virgine, & Filiationem illam summam & divinam; quomodo scil. υἱότης ex B. Virgine, & υἱότης ἐξ ὑψίστου in uno eodemque subjecto, in uno γεννωμένῳ ἁγίῳ conveniant. Terminus admirandæ illius ἐπελεύσεως & ἐπισκιασμοῦ fuit ἄρρητος ἕνωσις. Et per hanc τὸ γεννώμενον ἐκ Μαρίας ἅγιον, in societatem & κοινωνίαν υἱότητος divinæ est deductum. Hæc est proxima & adæquata causa, cur Filius Mariæ est Filius altissimi, scilicet quia ὁ λόγος isto adumbrationis arcano B. Virginem ingressus ex ea humanam naturam assumpsit, illamque sibi ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀδιασπάστως univit.

§. XVI. Nec obstat, quod dicitur Matth. 1: 18, 20. Maria ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου, & *quod in ea natum, de Spiritu S. esse.* Christus enim *non de substantia Spiritus Sancti, sed de potentia, nec de generatione sed benedictione conceptus est*, ut ait *Augustinus* Serm. VI. de tempore. Et *Alcuinus* hæc egregie explicat lib. III. de Trinit. cap. 3. p. 46. *Non*, inquit, *concedendum est, quicquid de aliqua re nascitur, continuo ejusdem rei esse Filium nuncupandum; ut de multis exemplis hoc proferam: certe qui nascuntur ex aqua & Spiritu S. neque filios eos recte quisquam dixerit aquæ, vel Spiritus S. sed plane dicuntur Filii DEI Patris & matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu S. natus est Filius Dei Patris & non Spiritus S. Si enim Filius Spiritus S. diceretur Christus secundum humanitatem, duo Patres essent in S. Trinitate, & Deus homo factus, duos habuisset Patres, unum divinitatis, alterum humanitatis, sed quis hoc dicere audebit?* Hæc ille. *Damascenus* loc. cit. duobus verbis rem accommodate explicat: à Spiritu S. Christum esse conceptum non σπερματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς. Divina fœcundatio, qua Christus in utero virgineo conceptus, est totius sanctissimæ Triados actio indivisa ad extra in Mariam semper virginem. Tota S. S. Trinitas operata est illam germinationem, non producendo ex se aliquod Zemach, sed illud ex Virginis Mariæ, filiæ Davidis (hæc enim fuit truncus ille succisus ac fere emortuus Esai, de quo Esai. 11: 1.) substantia productum (quo respectu Christus ut homo *Zemach David* dicitur) uniendo illi hypostasi, quæ ab omni æternitate fuit צמח יהוה *Germen Domini*, sive æterni DEI Patris æternus filius. Si igitur ἄμεσος ἐνέργεια, hæc miraculosa σύλληψις est causa, ut Christus dicatur germen aut filius Dei, erit filius totius S. S. Trinit. erit filius sui ipsius, erit filius Spiritus Sanctus. Ex quo conspicitur, non quamvis extrinsecam operationem circa filium constituere patrem, sed operationem sub relatione paternitatis, & communicationem filiationis à se originem habentis. Unde respectu solius primæ personæ S. S. Triados Christus etiam secundum ipsam naturam, juxta quam est *Zemach Davidis*, est Zemach Jehovæ naturale, idque non solum specificative, sed & reduplicative personaliter. Naturaliter vero est *Zemach Jehovæ* secundum solam divinam naturam, ut alibi fusius docetur. Adde, quod Christus ita sit *Germen Jehovæ*, uti est *Jehova*, (quod nomen soli Deo proprium illi passim in Scriptura tribuitur;) jam vero Christus non est Jehova respectu miraculosæ conceptionis è Spiritu S. Ergo nec Germen Jehovæ respectu Ejusdem. Manet igitur inconcussum, propter solam ac unicam ex substantia Dei Patris ab æterno generationem Christum dici *Germen Jehovæ.* Hæc enim generatio divina & æterna est unica ratio filiationis divinæ, quanquam modus eam habendi pro diversitate naturarum sit diversus. Nam uti dictum, Christus secundum utramque naturam est verum & naturale *Germen Jehovæ*, quanquam secundum divinam naturam naturaliter, secundum humanam naturam personaliter. Fundamentum utrobique est & manet æterna ex essentia æterni Dei Patris nobisque incomprehensibilis & ineffabilis generatio.

§. XVII. 2. infert nomen צמח *filiationem humanam*, quia est & dicitur Christus *Zemach Davidis*, sive Davidi excitandum Jer. 23: 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo* David germen justum, *& regnabit Rex & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra*, &c. Cap. 33: vers. 15. *Ecce dies veniunt, dixit Dominus, & confirmabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israël & super domum Juda. In diebus illis & in tempore illo germinare faciam* David germen justitiæ, *& faciet judicium & justitiam in terra &c.* D. Dan. *Cramerus* Scholæ Propheticæ classe IV. in Explicatione hor. locor. pag. 202. *Pollicetur*, inquit, *Deus se Davidis habiturum esse rationem, sed ille jampridem exspiraverat, & humanis excesserat, ergo de stemmate seu familia Davidis hic agitur. De qua sic loquitur Deus, ut intueatur eam, quasi truncum arboreum, in quo delitescat adhuc aliquid sepultum, quod suscitandum sit, aut quasi insit in illa stirpe familiæ aliquid succi & vigoris, qui in germen propullulare & succrescere deberet. Quod tamen exerere se non posset, nisi Deus ipse id efficeret & causaret.*

Quod

Quod ut certo fiat, Deus ipse se tandem opere suo effecturum esse dicit. Quapropter promittit hic simul conservationem familiæ Davidicæ, quæ non debebat extingui ante hujus germinis & ortum & adventum, q. d. Esto ut hæc familia Davidica senescat & exarescat. Ego tamen potis ero illam excitare, tunc quando nihil minus sperabitur, imo tunc, quando omnes putaverint, actum esse cum familia regia hac, faciam, ut succum recipiat, & ex se novum Germen producat. Hæc ille.

§. XVIII. Respicit quoque ad hanc Messiæ ex stirpe Davidis germinationem Esaias Propheta cap. 11:1. quando inquit; *Et egredietur virga* (Vatabl. Tum prodibit surculus, Tremell. Piscator. Nam prodibit virgula) *de radice Isai* (Vatabl. Arias Mont. de *stirpe*, Pagninus de *semine*, Tremell. Piscat. *è trunco succiso*, Castalio, *ex caudice* Isai) *& flos de radice ejus* (Vatabl. *flos* de radicibus ejus, Pagn. Arias Mont. Tremell. Piscat. *surculus* è radicibus ejus, Castalio, *stolo* ab ejus radicibus,) *ascendet* (Vatabl. *nascetur*, Pagn. Arias Montan. *crescet*, Tremell. Piscat. *efflorescet*, Castal. *pullulabit*.) Fatemur quidem, non defuisse ex Judæis, qui Vaticinium hoc (quod *B. Lutherus* Comm. in h.l. Tom. III. Jenens. una cum sequentibus verbis vocat *breve compendium universæ Theologiæ & operum divinorum*,) de *Ezechia*, *Josia* aut *Zorobabele* acceperint, sed *hoc profanum vulgus Rabbinorum* ipse refutat *Abarbanel* oppositis, quas vocat *rationibus validis*. *Grotium* Judaizantem & per חטר vel נצר *Isaianum Ezechiam* intelligentem, solide refellit venerandus Collega noster, Dn. D. *Calovius* in suis annotatis Anti-Grotianis ad h. l. De Christo vero intelligendum esse hoc Esaianum oraculum patet 1. *ex ipso contextu*; Sequens enim personæ descriptio ac regni ejus, beneficiorumque præstantia in Ezechiam, aut Josiam minime, ac multo etiam minus in Zorobabelem competit: Super nullum enim istorum requievit *Spiritus sapientiæ & discretionis, Spiritus consilii & roboris, Spiritus cognitionis & timoris Domini*, eminentiori scilicet ratione (nihil enim hic vulgare prædicitur) vers. 2. Nullus istorum fuit *inspector cordium* vs. 3. *percussit terram* (terræ filios) *virga oris sui* (sceptro potentis verbi, cujus δυώαμις prædicatur Rom. 1:6. Hebr. 4: vs. 12.) *& interfecit impium spiritu labiorum suorum*, vs. 4. Nullus istorum fecit *commorari lupos cum agnis*, i. e. ferocissimos & crudelissimos Ecclesiæ persecutores cum mansuetis Christi Nazareni discipulis vs. 6, 7, 8. Nullus istorum in signum populorum est elevatus, à gentibus requisitus vs. 10. omnes hostes Judæ excidit, hostibusque omnibus est dominatus, vs. 13. Ecclesiam denique perfecte liberavit vs. 14. seq. Sed hæc omnia solius Messiæ propria & de *pace spirituali* in regno ejus intelligenda sunt. 2. Patet idem, tum ex *Chaldaica Paraphrasi*, quæ apud Judæos est autoritatis plane æqualis ipsi Scripturæ Hebrææ, teste *D. Helvico* tractatu de Chaldaicis Bibl. Par. c. 4. p. 16. Illa autem ita hunc locum exponit; *Et egredietur Rex de Filiis Isai & CHRISTUS de filiis filiorum ejus ungetur*, tum ex *antiquorum Judæorum commentariis*. Hieronymi sane tempore omnes Judæos de Messia vaticinium hoc accepisse, *Hieronymus* ipse autor est; *Totum*, inquit, *hoc caput & sequens de Messia tam Christiani, quam tota circumcisio loqui fatentur, hoc tantum discrimine, quod Judæi de venturo & regno ejus temporali omnia simpliciter ad literam accipiant; Christiani pleraque metaphorice de spirituali regno ejus, qui jam venit, Christi Dei intelligunt.* Apud *Theodoretum* Dialog. 1. Eranistes; *Existimo*, inquit, *hanc Prophetiam factam esse de Zorobabele.* Orthodoxus *contra dicit ne Judæos quidem sic intellexisse, quia sequitur, & requiescet super eum spiritus Domini, Spiritus sapientiæ &c. quæ omnia nemo unquam nudo homini tribuerit.* Adeoque חֹטֶר & נֵצֶר Isaianus non nisi noster est *Jesus Nazarenus*, cujus ex trunco & radicibus Isai h. e. è prosapia Davidis per conceptionem & nativitatem florida egressio hic describitur. Gemina autem hic, sed parallela habetur propositio: *Virga egredietur ex trunco succiso Isai; surculus efflorescet è radicibus Isai.* Subjecta παράλληλα sunt חֹטֶר & נֵצֶר idemque CHRISTUS. Vox חֹטֶר non nisi bis reperitur in Scriptura V. T. h. l. & Prov. 14:3. notatque *virgam seu surculum grandiusculum, ex trunco vetustiori enatum, ex quo paratur baculus, quo feriuntur servi aut animalia* (eine Spießruthe.) Vide Eminentissimi Theologi, Dn. D. GEIERI, Patroni & in Christo Patris mei ætatem devenerandi eruditum Comm. in Proverb. Salom. in h. l. p. 711. Raschi non male explicat per שבט מלוכה s. *virgam regni*, ein Königlicher Stab / Batavi exprimunt; Een Rijsken / een Spruyte / een Roede / uti & vocem צֶמַח Esa. 4: 1. נצר *surculus tenellus excrescens ex trunco*, vulgatus Interpres *florem* reddit, sed quomodo נצר florem significare possit, nullus fere Pontificiorum explicat. Unus Arias Montanus id per Hypallagen excusat, ita ut *flos* sumatur pro *virgulto*. Prædicata hic quoque parallela sunt, *egredietur ex trunco succiso Isai; efflorescet è radicibus Isai. Egressio hoc loco personalis est, & talis, quæ fit per propriissimam generationem, ita ut persona dum egreditur, hoc ipso genita vel concepta ex substantia gignentis concipiatur*; inquit *D. Varenius* Comment. in h. l. pag. 572. גזע juxta R. David Kimchium notat *arborem truncatam, cujus inferior pars radicibus salvis paulùlum super terram eminet*, sive *truncum, amputatis frondibus & ramis supermanentem* & sensim arescentem. Idem per radices intelligitur, scil. *truncus ille, succisis undique frondibus nihil habens*, nisi radices sub terra latentes, per truncum succisum & sensim arescentem, ac radices Isai, intelligitur familia Regia Davidis, uti dictum, atque in ea una excellentissima *Davidis filia*, Virgo κεχαριτωμένη ἡ εὐλογημένη ἐν γυναιξὶν, Luc. 1:28. unde hic Nezer immediate effloruit. Ut sensus verborum sit; *Ubi jam stemma Isai ex humilioribus initiis in Davide ad decus Regiæ majestatis evectum, non saltem axiomate regio & omni externo splendore, quem in Davide accepit, erit orbatum, sed etiam ad privatam conditionem, in qua erat ante Davidem regem, denuo redactum, ita ut trunci omni ramorum ac frondium apparatu denudati & spoliati instar se habeat, nec quicquam supersit, præter radices, nihilominus tamen ex illo trunco adeo acciso, & uti videbatur, penitus arido, procedat virga regia & ex illis radicibus efflorescet surculus, super quem requiescet Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ &c.* Elegantissime Poëtarum Christianorum Princeps, *Prudentius* in hymno de Epiphania, *jam flos subit Davidicus Radice Jesse editus, sceptrique per virgam virens rerum cacumen occupat.* Obscurus erat *Isai*, Davidis pater, & quasi unus è populari turba, unde Davidem contemptim appellabant *filium Isai*, 1 Sam. 20:27. & 1 Reg. 12:16. Isai itaque hic facit mentionem divinus vates, ut significet, Christum tunc nasciturum, quando regia illa familia propemodum defecisset, & ad pristinam ignobilitatem relapsa esset.

§. XIX. Ad vilem ortum & nativitatem infernatem Messiæ referunt quoque plerique Christiani Interpretes tam veteres quam recentiores (quamquam aliqui non tam ad nativitatem & infantiam Christi, quam ad totum humilitatis statum pertinere arbitrentur, verba Esa. 53:2. *Et descendit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitiente.* Nec dubium est, quin idem hic sensus sit, qui est loci jam explicati. Quod enim hic dicitur יֹנֵק, id cap. 11:1. dicitur נצר, quod hoc loco est שרש, id cap. 11:1. est חטר, quod hic vocatur terra siccitatis vel sitiens, id Esa. 11:1. vocatur lignum succisum & arescens. Est autem יונק proprie *lactens*, unde Aquila transfert ὡς τιθηζόμενον, *ut is qui lactatur*, per metaphoram vero sumitur pro surculo, aut tenero ramo, qui sugit arboris succum. Hinc Caldæus Paraphrastes apposite vocem expressit per לַבְלְבִין *Germina, surculi, propagines.* Radix est לַבְלֵב *ex corde seu medulla arboris pullulare, germinare*, videatur Buxtorfii Jun. Lexic. Chaldaic. & Syriac. p. 274. & *D. Wellerus* ὁ μακαρίτης Comment. in h. l. p. 28. & 29. Verbum vero עלה ascendit, de terra nascentibus usurpatur Deut. 29: 22. Prov. 24: 31. Esa. 32. Hos. 10: 8. unde & à Chaldæo redditur per *succrescet*. Plenum verborum sensum malo verbis jam dicti *B. D. Welleri*, quam meis proponere, qui hic est; *Etenim non instar cedri Augustus erit servus meus, sed instar virgulti tenuissimi, quod ex arbore succrescens omnibus eradicandum mature videtur, ne succum arboris attrahens totam arborem pessundet, surget, & sicut radix è terra deserta & siticulosa oriri nequit, vel si quæ orta est, ad maturitatem justam pervenire nequit, alimentum enim necessarium deficit; sic & servus meus ex ejusmodi orietur terra, unde naturaliter fructus sperandus nullus, quin adeo tabernaculum Davidis erit collapsum, ut nemo ipsum ad aliquam maturitatem perventurum æstimaturus sit.*

§. XX. Huc pertinent omnes *Germinis Davidis*, sive Messiæ ex Maria Virgine Davidis filia prognati descriptiones, quæ rem eandem pulchra quadam varietate dilucidant, ut quando vocatur *Semen mulieris* Genes. 3:15. *Semen Abrahæ* cap. 22: vers. 18. Gal. 3:16. Hebr. 2:16. *Isaaci* Genes. 26:4. *Jacobi* cap. 28:14. *Davidis* 2. Sam. 7:12. *Filius hominis* locis præter propter octoginta quinque N. T. *Filius Abrahæ & Davidis* Matth. 1:1. *Filius Virginis* Esai. 7:14. *Fructus ventris Mariæ*, Luc. 1:42. *Fructus terræ* Esai. 4:1. *Genus & radix David* Apocal. 5:5. 22:16. *Filius carnis Adæ, non tamen filius prævaricationis Adæ*, à Bernhardo. Serm. 2. Pentecost.

§. XXI. Ex hactenus explicato ſuaviſſimo Meſſiæ titulo ac nomine ſequentia colligimus πορίσματα ſive conſectaria: I. Si Meſſias eſt צֶמַח ſeu *Germen*, Ergo aliunde originem habet. Nam quodcunque Germen propullulat & efflorcſcit, id è ſua ſtirpe, radice aut ſemine præcedaneo propullulet & effloreſcat neceſſe eſt. II. Si Meſſias eſt Germen Jehovæ, ſcilicet Patris, Ergo non eſt ipſe Jehova Pater, ſed ab eo perſonaliter diſtinctus, ſive alius à Patre, ob τρόπον ὑπάρξεως. III. Si eſt Germen Jehovæ, Ergo eſſentiam à Patre communicatam habet, eſtque verus & naturalis Dei filius, Patri ὁμοούσιος, ſive unius ejusdemque cum Patre eſſentiæ ac naturæ, φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸς ἀληθινὸς ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ. *Lumen de Lumine, Deus verus de Deo vero*, ut habet Concil. Nicæn. apud Athanaſ. t.2. p.46. IV. Si Meſſias eſt Germen Johovæ, Ergo potius incarnari vel germen Davidis fieri eum decebat, quam Deum Patrem, aut Spiritum ſanctum. Quanquam enim ſanctiſſimum hoc & ipſis Angelis venerabile myſterium ratio humana ſtupeſcere, fides Chriſtiana humiliter adorare, non ſcrutari debet, non tamen improbabiles plane rationes à Veteribus explicari ſolent; cur Filius Dei, ſecunda SS. Trinitatis perſona potius, quam aliarum hypoſtaſeon una, Pater vel Spiritus S. humanam ſibi naturam univerit. Ita ſcil. conveniens fuiſſe arbitrantur, ut qui Filius Dei erat, à Patre ante ſecula genitus, etiam filius hominis eſſet, ex ſubſtantia matris in tempore natus, ne per ἐνανθρώπησιν vel ἐνσάρκωσιν, perſonarum divinarum mutaretur denominatio, vel induceretur confuſio, quod accidiſſet, ſi aut Pater, aut Spiritus S. per diſpenſationem carnis Filii nomen ſibi vendicaſſet. *DEI incarnatio & humanæ naturæ aſſumptio* (inquit *Raymundus Martini* in Pugione Fidei part. 3. Diſtinct. 3. cap. 4. §. 24. pag. 554.) *conveniens fuit perſonæ Filii DEI, non Patris, nec Spiritus S. ut non eſſet Filius Adæ, Abrahæ atque Davidis in humanitate, niſi illa perſona, quæ erat Filius in Deitate.* Et *Auguſtinus* ait Eccleſ. dogm. c. 2. *Non Pater aſſumpſit carnem, nec Spiritus ſanctus, ſed Filius tantum, ut qui erat in Divinitate DEI filius, ipſe fieret in humanitate hominis filius, ne filii nomen ad alterum tranſiret, qui non eſſet æterna nativitate Filius.* V. Si Meſſias eſt Germen Davidis, Ergo eſt verus homo, verus & naturalis hominis filius, homo de homine, virgula de trunco ſucciſo Iſai & ſurculus de radicibus ejus, Eſai. 11: 1. Ergo humana natura, quam in plenitudine temporis ex caſtiſſimis viſceribus illibatæ Matris virtute Spiritus S. aſſumpſit, nobis eſt ὁμοούσιος. Germen enim ex ſeminis aut radicis, fructus ex arboris ſubſtantia enaſcitur. VI. Si eſt Germen Jehovæ & Davidis ſimul, Ergo eſt Deus & homo in unitate perſonæ. *Vir Jehova* Gen. 4: 1. *Homo Dominus Deus* 2 Sam. 7: 29. & ἐμφατικωτέρως הָאָדָם הַמַּעֲלָה יְהוָֹה אֱלֹהִים *Homo ille excellentiæ* (i. e. excellens, excelſus) *Dominus Deus* 1 Par. 17: 17. Deus de Patre, homo de matre. Unum idemque Germen, unus idemque Filius, duabus ſubſiſtens naturis, in unitate ὑποστάσεως. Utraque itaque JESU CHRISTI natura, utraque ejus filiatio voce *Germinis* indicatur, divina & humana, *quarum illa fuit ſine initio, hæc ſine exemplo; Illa ſine matre, hæc ſine Patre; illa incogitabilis, hæc ineffabilis*, ita ex Maximi Taurinenſis Epiſt. 57. libuit concludere.

JESU CHRISTO cum PATRE & SPIRITU S. Sempiterna Gloria!

JOH. FRISCHMUTHI

DISSERTATIO

De Meſſia Rege Sionis ad Zach. IX: 9, 10.

§. 1.



Uam jucunda animo voluptate affici contingit, ubi illius temporis in mentem venit, quo ante ipſos quatuor & triginta annos in alma Altorphina, Studiorum meorum matre dulciſſima, diu quidem illius ſuppreſſi, ſed tamen ſingulari fato Judæorum manibus tandem excuſſi MSSti libri *Nizzachon* editionem ὁ μακαρίτης Hackſpanius, nobis domeſticis & auditoribus ſuis qualecunque adjumentum præbentibus, procuravit; tam juſta indignatione oculos in maledici illius Lipmanni calumnias & blaſphemias conjicio, quibus ille, argumentis deſtitutus, proterve religionem Chriſtianam ſuggillare & malitioſe traducere ſæpenumero amat. Exempli loco in præſenti eſto id, quod ad illuſtre, & ab Euangeliſtis quatuor allegatum, noſtroque Salvatori applicatum vaticinium Zach. 9: 9, 10. ſcriptum reliquit: הנוצרים מפרשי את זאת על הנוצרי וסמכו על דבריהם שעל כתפות החמור נראית כשתי וערב. והנה ראייתם דומה לדברי המין שאמר אם ה"קבה שונא את ע"ז למה אינו מבטלה והשיבו לו ר"זל אם היו עובדין רק לדבר שאין בו ממש וצורך לעולם יפה אתה אומר אבל גוים גם מקצתם גם עובדים לחמה וללבנה ולצבא השמים וכי בשביל השוטים חטועים יחריב עולמו גם אין לשאל שיבטל אותו ע"ז לכד שאין בהם צורך לעולם כי אז יוסיפו לטעות העובדים לצבא דשמים בראותם ששאר ע"ז לוקים ושלהם אינם. וכן יש להשיב על זו ראייה וכי בשביל השוטים הטועים ישנה טבעי בריותיו. גם גנאי גדול להם שיביאו ראיית מן יצירת הבריות שהרי כל אדם המונח על פניו ופושט ידיו ורגליו נראה שתי וערב לפני אחורו: *Chriſtiani hæc* (inſidens aſino) *explicant de Nazareno, ſuamque ſententiam inde probant, quod in aſini ſcapulis crux appareat. Ecce vero illorum probatio ſimilis eſt verbis hæretici, dicentis: Si Deus benedictus odio proſequitur idololatriam, eccur illam non tollit è medio? Cui Doctores noſtri reſponderunt: Si colerent tantum illa, quibus nihil ſolidi ineſt & utilitatis, rem acu tetigiſſes. Atqui gentes quædam colunt Solem, Lunam & exercitum cælorum, num ergo propter ſtolide errantes Deus mundum ſuum deſtruet? Præterea non eſt petendum, ut tantum ceſſare faciat idola, ex quibus nihil mundus utilitatis percipit, tunc enim exercitum cælorum culturi eſſent, ubi animadverterint, reliqua idola eſſe percuſſa, quæ vero illi colunt, non item. Atque ita ad hanc probationem reſponderi debet; an propter ſtolidos idololatras DEUS naturam ſuarum creaturarum mutabit? Et quanto dedecori hoc eſt illis, quod ex creaturarum figura probationem arceſſunt. Ecce enim omnis homo ſuper faciem cubans, manusque & pedes extendens crucis formam à parte poſteriore refert.*

§. 2. Impudentius calumniandi & obtrectandi genus quam hoc Lipmanni, ne diabolum quidem excogitare potuiſſe, Antonius Hulſius Theol. Judaicæ lib. 1. cap. 1. aſſeverat. Arbitratur vero ille, recutitum ſuopte ingenio id finxiſſe, & ex mero odio & malitia tam pudendi erroris inſimulaſſe Chriſtianos, probaturos vaticinium Zach. 9: 9. agere de Chriſto. Niſi vero me omnia fallunt, Lipmanno occaſionem præbuit כומר מלנדה *ſacrificulus Lindavienſis*, quicum ſæpe verba commutavit, & cum hic rudis eſſet, & ſenſum Scripturæ eruere nequiret, more tamen Pontificiis recepto, CRUCIS Dominicæ cultor ad ſuperſtitionem usque eſſet religioſus, veſtigia ejus in aſino quæſiviſſe videtur. Conjecturam hanc confirmare videntur ea, quæ eodem libro Lipmannus refert, nempe Chriſtianos perhibere, lignum ad dulciores reddendas aquas injectum *crucem* fuiſſe, Exod. 15: 25. & Num. 20: 11. Moſen פעמים *bis* petram percuſſiſſe, ut *crucis* figuram effingeret, uti ita non uno loco ſignum crucis repræſentari, & ſibi perſuaſerit.

§. 3. Quic-

§. 3. Quicquid autem ejus sit, nihil caussæ erat, quamobrem Judæus Christianos promiscue eo nomine perstringeret, eosque, ut stolide errantes, exagitaret, quasi omnes ita desiperent & ejusmodi argumento uterentur, ut comprobarent, Zachariæ vaticinium in Salvatore nostro suum complementum esse nactum. Valeant cum allegoriis & commentis suis & monachi & sacrificuli, Scripturæ non optimi interpretes, qui antehac, seculis fere barbaris, sine judicio cum Judæis disputantes, ea objecerunt, quæ defendi nequeunt. Dei benignitate ea nobis affulsit lux, ut figura crucis disputaturis opus non sit, qui clarissimum oraculum cum eventu hodie contendere, & à qua parte stet veritas, perspicere possimus, longe melius quam recutiti, opinione de Messiæ regno mundano præoccupati, quorum quidam vaticinii complementum adhuc stolide expectant, quidam vero illud impletum esse, sed modo dispari, & ne sociis quidem probato contendunt. Verba Prophetæ penitius intueri & illorum sensum accuratius indagare operæ pretium fore arbitrati, ipsum Zachariam loquentem audiemus, & primum spurias Judæorum explicationes, postmodum veram & genuinam expositionem in medium adducemus cap. 9: vers. 9. seq. ita populum solatur Zacharias: גִּילִי מְאֹד בַּת־צִיּוֹן הָרִיעִי בַּת־יְרוּשָׁלִַם הִנֵּה מַלְכֵּךְ יָבוֹא לָךְ צַדִּיק וְנוֹשָׁע הוּא עָנִי וְרֹכֵב עַל־חֲמוֹר וְעַל־עַיִר בֶּן־אֲתֹנוֹת׃ וְהִכְרַתִּי־רֶכֶב מֵאֶפְרַיִם וְסוּס מִירוּשָׁלִַם וְנִכְרְתָה קֶשֶׁת מִלְחָמָה וְדִבֶּר שָׁלוֹם לַגּוֹיִם וּמָשְׁלוֹ מִיָּם עַד־יָם וּמִנָּהָר עַד־אַפְסֵי־אָרֶץ׃ Vetus Interpres Latinus hunc in modum reddidit: *exulta satis, filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator: ipse pauper & ascendit super asinum & super pullum, filium Asinæ. Et dispergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Jerusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem Gentibus, & potestas ejus à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad fines terræ.*

CAPUT I.

SUMMARIA.

Triplex Oraculi παρερμηνεία *odio Christianorum à Judæis tentata. (1.) R. Moses Haccohen sententia, qui objectum ejus Nehemiam facit, ab ipso Aben-Esra ratione confutata. (2) Aben-Esræ opinio, qua de Juda Maccabæo intelligendum illud contendit, rejecta, & perinde atque prior, ipsi Abarbeneli improbata. (3.) Judæorum nonnullorum priscorum, & Judaizantis H. Grotii* εὕρημα, *loqui Zachariam de Zorobabele, à Theodoreto pridem explosum. Ratio, cur is nequeat h. l. intelligi, adducta. Locus Jer. 23: 5. ad Zorobabelem à Grotio itidem* ἀπροσδιονύσως *relatus.*

§. 1. JUdæorum super hoc vaticinio sententias varias & diversas consideraturi, à R. Mosis Haccohen παρερμηνείᾳ auspicabimur, qui locum hunc Christianorum manibus excussurus, ausu plane novo aliorsum, quam conveniebat, verba Zachariæ referre satagit. Teste enim Aben-Esra docuit ille, כי הוא נחמיה התרשתה בתוב וכ עזרא עליו מלך יהודה על בן אמר עני ורוכב על חמור כי אם הבהמה לא הזכיר הסוס מבלי יכולת כי עני הוא׃ *intelligendum esse Nehemiam Tharsatem. De illo enim scriptum est:* (Neh. 6: 6, 7.) *Rex Juda: & ideo dictum esse: pauper & vectus asino. Equi vero nullam mentionem fecit, quod minus valeret & pauper esset.* Sed ut alias rationes quamobrem de Nehemia intelligi nequeat, hic reticeamus, illud saltim monemus, Nehemiam non ex rei veritate Regem appellari, veluti inde patet, quod ipsemet ibi per calumniam à malevolis affectati regni accusatus, crimen illud à se amolitur. Unde R. Aben-Esra ibi dicam scribit socio suo his verbis: לא דבר נכונה כי פחה היה ולא בקש לחם הפחה מישראל ובכל יום יאכלו רבים על שלחנו ואיך לא היה לו סוס׃ *Minus recte loquitur* (R. Moses) *Fuit enim Dux, neque victum ab Israële petivit. In singulos dies enim multi super ipsius mensa vescebantur. Ecquomodo igitur is equo fuerit destitutus?*

§. 2. Ita quidem Aben-Esra R. Mosis Haccohen detorsionem perstringit, an vero meliorem explicationem afferat, videamus licet, לפי דעתי זה מלך יהודה בן חשמונאי שהיה גבור ככתוב ושמרתיך כחרב גבור וידו גברה על היונים ובתחלתו לא היה לו לא סוסים ולא עושר׃ *Mea sententia Juda, filius Chasmonæi, Regis nomine intelligitur, qui fortis fuit, ut scriptum est* (Zach. 9: 13.) *& posui te instar gladii fortis, & manus ejus invaluit adversus Græcos. Atque initio neque dives erat, neque equo instructus.* Atqui si Josephum consulamus, Mathathias Judæ parens, fuit ἄρχων καὶ ἔνδοξος καὶ μέγας ἐν τῇ πόλει; si Gorionidem, איש נכבד בעמו *vir, quem populus magni fecit.* Ecquomodo igitur filius adeo fuerit inops, ut ne equum quidem habuerit, cui insideret? cum tamen teste Gorionide שללם יקחו את כל *omnia Spolia illorum* (hostium) *ceperint*, & ut Josephus auctor est, lib. XII. cap. 10. ἔλαβεν χρυσίον πολὺ καὶ ἀργύρεον καὶ ὑάκινθον καὶ πορφύραν θαλασσίαν καὶ πλοῦτον μέγαν *diripuerint aurum multum & argentum & byssum hyacinthinam & purpuram marinam & multas divitias.* Ejus etiam imperium diversum & minus amplum fuit illo, quod hic Regi tribuitur.

§. 3. Aben-Esræ hoc commentum ipse Abarbenel improbat, qui in h. l. ita commentatur: תמהתי מהכוונה הרעה שעורה את שכלו כי הנה לא נקרא יהודה בן חשמונאי מלך כל ימיו כל שכן מלך מכונה לציון שהוא דוד שלכד את ציון ואם על חשמונאי נבא מה לו לאפרים כי מלכות אפראים לא היה בבית שני גם שיהודה חשמונאי לא דבר שלום לכל הגוים ולא משל מים עד ים׃ *demiror; tam malam intentionem oculos intellectus ejus excæcasse. Ecce Judas Chasmonæus nunquam vocatus est Rex, quoad vixit. Quanto minus vero à Sione est cognominatus, quam David cepit. Præterea si de Chasmonæo vaticinatus est, ecquid attinet Ephraimum, cum stante templo secundo regnum illud non extiterit. Quid quod Judas Chasmonæus ad gentes omnes pacem non est locutus, neque à mari ad mare dominatus.*

§. 4. Fuisse inter recutitos antiquiores, qui vaticinium de Zorobabele explicarent, Theodoretus testatur, & Abarbenel. Illorum sententiam interpolavit H. Grotius, qui ob plurium vaticiniorum detorsiones censuram doctorum virorum meritus est, *pertinet*, inquiens, *locus primo & maxime obvio sensu ad Zorobabelem, qui Rex appellatur etiam* Jer. 23: 5. Ezech. 37: 22, 24. *Nimirum quia, quanquam nomen sibi regium non assumpsit; ne id Persarum Regem offenderet, à suis tamen ob ortum, quem trahebat à Davide, ita cultus observatusque, quasi rex esset. Item Salvator populi fuit suo modo & ad tempus, justo scilicet regimine. Item, ascendens super asinum &c. id significabat non tantum modestiam ipsius, sed & pacis studium. Nam bello animantur equi, asinus pacis animal.* Quod Græcorum pater doctissimus, Theodoretus regessit sui temporis recutitis, id illorum vestigia legenti Grotio, si revivisceret hodie pater, haud dubie reponeret, ταῦτα, inquit ille οἱ ἐμβρόντητοι Ἰουδαῖοι εἰς τὸν Ζοροβάβελ ἕλκειν ἀναιδῶς ἐπιχειροῦσιν. ἔδει δὲ αὐτοὺς συνιδεῖν, ὅτι οὐ βασιλεὺς ἦν ἐκεῖνος, ἀλλὰ δημαγωγός. *Hæc fulguriti Judæi*, (i. e. tam stupidi & attoniti, quam qui fulmine icti sunt) *ad Zorobabelem trahere conantur impudenter. Sed illi debebant considerare, illum non fuisse Regem, sed Ducem.* Sane Zorobabel פחה dux expresse appellatur, non מלך sed, ut Josephus loquitur, Regis σωματοφύλαξ & τῶν αἰχμαλώτων Ἰουδαίων ἡγεμών. conf. Neh. 6: 8. Ecquomodo igitur jubeatur gaudere Sion & Hierosolyma jubilare ob venturum Regem, cum Zorobabel jamtum venerit, non venturus erat demum ad eos, neque justitiæ neque salutis allatæ nomine celebris? Quod locum Jerem. 23: 5. de Zorobabele, interpretatur, & illud præpostere factum est à Grotio, & invito textu, cum de solo Messia Jeremias ibi agat, veluti dissertatione ad l. d. peculiari ante hac ostendimus ex textus visceribus & Judæorum testimoniis.

CAPUT II.

SUMMARIA.

R. Abarbenelis, R. Salomonis, R. Gaonis, R. Bechai, R. Kimchii, & priscorum Ebræorum de Objecto vaticinii, nempe Messia, communis consensus. Nostrum Salvatorem repudiantium Judæorum prodigiosa commenta à Lichtfooto recensita. Opus Messiæ maximum quale futurum statuant Judæi. Interpretamentum prolixum Zachariam lætum nuncium vocantis R. Abarbenelis recensitum & in Judæos retortum. R. Salomoni & Abarbeneli, negantibus tempore secundi templi impletum esse vaticinium, Chrysostomi dictum oppositum. Evangeli-

gelistarum, Græcorum, Romanorum & Mohammedanorum de Christo asino vecto testimonium. Rabbi Juda Bizleel laudatur. Messias Rex antonomastice appellatus. Advenientis beneficium, & Judæorum infelicitas. Quem adventum verbum צדיק יבוא *designet. B. Gerhard. laudatus. Vocis emphasis Grotio ignorata. Abarbenel laudatus. Pontificii vocem* נושע *nequicquam corruptionis arguunt. Integritas ejus probata & ex Masora confirmata. B. Glassius, Coccejus, Dieu, Gerhardus passive explicant. B. Lutheri. LXX. Chald. Syri. Arabis translatio probata. R. Elias Germanus laudatus. Exempla similium vocum. Emphasis vocis* הוא *Abarbenel locum Zach. 9. loco Esai. 53: 4. ne quicquam opponit. R. Salomonis de Messiæ salvatione dictum* ἀξιομνημόνευτον, *cur ea æterna dicatur. Messiam luere peccata aliquando à Judæo concessum. cur* חיורא *in Talmud appelletur. Rabbi Judæ notabilis sententia qua Messiæ negotium divinum appellat. Locus Luc. 2: 25. illustratus phrasi Ebræis recepta. Lightfootus laudatus.*

§. 1. ABsurdas Judæorum & Judaizantis Grotii interpretationes sic vidimus, ubi Rabbi Mosen Aben-Esræ gladio, Aben-Esram & R. Mosen Abarbenelis armis confossos deprehendimus. Digna sane notatu in socios suos animadversio Abarbenelis est, quæ legitur comm. in h. l. אי אפשר לפרשו זה על נחמיה ולא על בני השמונאי כיון שאחד המהם לא נקרא בימיו מלך כ"א פחה או נגיד או משוח מלחמה וכמו שתראה בדברי יוסיפרין: *de Nehemia & Chasmonæis explicari nequit, quandoquidem nemo illorum Regis nomine insignitus est, sed ducis, principis, vel uncti belli nomen ipsis tribuitur.* Consimiliter R. Salomonis ingenua adeoque notabilis est confessio אי אפשר לפותרו אלא על מלך המשיח *de alio quam Rege Messia explicari nequit.* Atque ita non modo alii recentiores Ebræi, ut R. Saadias Gaon ad Dan. 9. Bechai ad Gen. 49. Kimchi & Abarbenel com. in h. l. Sed prisci etiam Ebræi magno consensu de Messia explicarunt, ceu videre est in Bereschith. Rabba ad Gen. 49: 10. Medrasch Koheleth ad Eccles. 1: 9. ipso Talmud, Massecheth, Sanhedrin, cap. XI.

§. 2. Utrinque igitur ita conceditur, vaticinium hoc Zacharianum in sensu literali & proxime, contra quam Grotio est visum, agere de Messia, quem cum tot retro seculis apparuisse, Christiani ex scripturis edocti statuamus, Judæi vero etiamnum præstolentur, in aprico est, quantopere hi à veritate aberrent, & in quas difficultates se induant. Factum enim est, ut, ceu Lightfootus Horis Ebr. & Talm. ad cap. 1. Matthæi loquitur, *cum verum Messiam tempore à Prophetis præfinito advenientem spreverint, crucifixerintque, Chimæricum, nescio quem, adhuc expectent, de quo non certum quid habent, quod opinentur, utrum è vivis oriturus, an è mortuis; utrum in nubibus cœli venturus, an insidens asino. Filium Davidis expectent sed nesciunt qualem, nesciunt quando.* Addimus etiam, quem in finem sit venturus, eos ignorare. Quod enim maximum Messiæ opus fore ajunt השבת או אסיפת הגליות *reductionem vel collectionem captivitatum*; & in libro Precum Ebr. הושיענא לנו השם ישענו קבצנו והצילנו מיר הגוים: *Salva nos Deus nostræ Salutis, congrega nos & ex gentibus libera nos.* Quam vile hoc sit, apparet, si beneficia illa expendas, quæ in Judæos & Gentes Messiæ opera redundatura esse, Scriptura passim affirmat.

§. 3. Quandoquidem vero Rabbi Abarbenel libello suo משמיע ישועה, quem de industria in solatium suæ religionis hominum conscripsit, & Christianorum interpretationibus opposuit, id evincere conatur, etiam Zachariam post alios Prophetas, esse מבשר טוב *nuncium bonum,* שנבא ישועת ישראל להגאולה *qui de Salute Israëlis liberandi è diuturno exilio sit vaticinatus*; facere non possumus, quin videamus, quomodo verba vaticinii explicet, & quam spem inde Salvationis polliceatur. Ita vero pag. 72. infit: היעור הרביעי הוא כפרשה גילי מאד בת ציון כי לפי שהנשארים בבבל היו מגמגמים על פקידת בית שני לפי שלא היה בהם מלך מבית דוד יעד הש"י שבבוא תשועת' ימלוך עליהם המלך האמתי שהיה מולך עליהם בסור אלוה על אהלם והוא מזרע דוד ומפני שבציון היה עיר דוד וירושלים ראש ממלכתו לכן אמר גילו מאד בת ציון הריעי בת ירושלים ר"ל כי לא תהיה עוד שומרון צרתה וראש ממשלת ישראל כי ירושלים בלבד תהיה ראש ממלכה ולכן ראוי שתריע תרועת שמחה וגילה ואמר הנה מלכך יבוא לך ר"ל מלכך האמתי שהוא דוד והכר מתאריו שיהיה צדיק ונושע ר"ל צדיק במעשיו ונושע במלחמותיו אבל לא תהיה תשועתו מכח מלחמתה כי הוא יבוא עני ורוכב על חמור ועני הוא כמו עניו ורוכב על חמור אינו לחסרונו אלא להורות ששלום ואמת יהיה בימיו ולזה אמר מיד והכרתי רוכב מאפרים וסים מירושלים כלוי שכל כך יהיה השלום והשקט בעולם עד שבאפרים שהוא רמז לי השבטים ובירושלים שהוא רמז למלכות יהודה לא יבטח עוד בסוס ורכב כי אם בשם ה'. ולפי שדרך השרים והסגנם לקחת דוגמא ממנהגי מלכיהם ולעשות כמעשהם לכן אמר שבהיות המלך משיח רוכב על חמור לא בגבורת הסוס יחפוץ לא יהיה עוד אדם בירושלים וארצות השבטים שירצה לרכוב על סוס וע"ז אמר והכרתי רכב אירפם וסוס מירושלים ונתן הסבה בזה באמרו ונכרתה תשק מלחמה ודברשלום בגוים ר"ל שלא תהיה מלחמה בעולם לפי שהוא ידבר שלום לגוים ובדבר שפתיו ישפות שלום להם ובספרת זוהר פי' עני ורוכב על חמור בערפן אחר שעני מלשון וענית ואמרת ר"ל קורא לאלוה וצועק אליו ורוכב על חמור שימשול על האומות שהם עם הדומה לחמור זכדי שלא יחשוב חושב שיהיה אמרו עני ורוכב על חמור דרך גרעון ושוהכרתי רכב מאפרי' וסו"ס מירושלים היה דרך קל"רה לכ"א ומשלו מים עד ים ומנהר עד אפסי ארץ ופי' הרא"בע מהים הדרומי הנקרא הים האדום עד הים הצפוני שהוא ים אוקיאנו ומנהר עד אפסי הארץ שהוא ראש המערב לפי שהוא ימשול בכל העולם: *Quarta promissio habetur in sectione* (Zach. 9: 9.) *exulta valde, filia Sion. Quia illi, qui Babylone remanserant, si per visitationem templi secundi hæsitabant, quod non esset Rex de domo Davidis, ideo promittit Deus benedictus, fore ut, cum venerit illorum salvatio, Rex verus eis imperet, qui Dei arcano consilio super eorum tentorio regnet, sitque ex Davidis posteris. Et quia in Sione erat urbs Davidis & Jerusalem regni caput, idcirco ait: exulta valde, filia Sion, jubila, filia Jerusalem, quia non amplius erit Samaria eorum afflictio, & caput dominii Israëlis, sed Hierosolyma sola erit caput regni, atque idcirco: conveniens esse, ut exultent & jubilent. Et ait ecce rex tuus tibi venit, quasi dicat; rex tuus verus, nempe David, & ejus proprietates recenset, nempe quod justus sit futurus & Salvator. Vult dicere justus in operibus suis, & salvator in bellis suis. At ejus salvationem non fore bellorum virtute, fore enim eum* עני *& asino insidentem. Sed* עני *est idem ac* ענו *mansuetus. & cum dicitur insessurus asino, non illud ex indigentia ejus fiet, sed ad ostendendum, fore ipsius diebus pacem & veritatem. Atque ideo confestim addit: & exscindam currum ex Ephraim & equum ex Hierosolymis, q.d. tantam pacem & tranquillitatem fore in mundo, ut etiam in Ephraim, hoc est, decem tribubus, & Hierosolymis, hoc est regno Judæ, non amplius in equo & sessore, sed nomine Dei sint fiduciam locaturi. Et quia principes & duces exemplum captare solent de Regum suorum consuetudinibus, & eos æmulari in operibus suis, ideo ait, quod Messias asino insidens, non sit ex robore equi voluptatem capturus, nemo Hierosolymis vel aliis regionibus equo insessurus sit. Propterea ait: & exscindam currum Ephraim & equum Hierosolymis. Et in hoc dat causam dicendo, & dissipabitur arcus belli, & loquetur verba pacis ad gentes. q. d. non erit bellum in mundo, quia pacem gentibus loquetur, & verbis labiorum suorum disponet eis pacem* (Esai. 26: 12.) *In libro vero Zohar verba* עני ורוכב על חמור *aliter explicantur, ut τὸ* עני *ex illa significatione sit* (Deut. 26: 5.) *& respondebis & dices. h.e. Deum invocans & clamans ad eum, asinoque insidens, quod gentibus imperaturus sit, quæ populus sunt, similis asino. Ne vero quispiam cogitet verba* עני ורוכב על חמור *diminutionem aliquam inferre, & verba: & exscindam arcum ex Ephraim, & equum ex Hierosolymis; contemptum notare, ideo ait: & dominium ejus à mari ad mare & à fluvio usque ad extremitates terræ. R. Aben-Esra explicat: à mari meridionali, quod vocatur mare rubrum, usque ad aquilonare, quod est Oceanus, & à fluvio usque ad terræ extremitates, qui est caput occidentis. Dominabitur enim in toto mundo.*

§. 4. Acceptamus hoc, quod Abarbenel ingenue confitetur, Deum populum Judaicum, de Rege ex Davidis posteris oriundo sollicitum, voluisse his verbis solari. Quo promisso, cum jam ante bis mille annos populum, ut re aliqua proxime futura, erigere voluerit, ecquis sibi persuaserit, tanto intervallo illum Regem necdum venisse, sed adhuc expectandum esse, cum tamen *brevi cœlum & terram se moturum* Deus esset pollicitus, Hagg. 2: 8. & *Bethlehemi dux nasci* Mich. 5: 2. & *Dominus, cujus desiderio tenebantur, ad templum suum venire debuerit*, veluti Malachias, Zachariæ σύγχρονος, cap. 3: 2. testatur, ubi פתאם *derepente* eum appariturum ait. Atqui inquit R. Salomo לא מצינו מושל לישר כזה בבית שני: *non invenimus dominatorem tempore templi secundi, in quem hæc conveniant.* Et R. Abarbenel. p. 72. col. 2. lib. משמיע ישועה ait:

ait: אי אפשר לפרשה לא על זרובבל ולא דל בית שני *non poteſt* (vaticinium) *de Zorobabele explicari, neque de tempore templi ſecundi.*

§. 5. Sed, quæ obſtent, quamobrem vaticinium non impletum ſit dicendum ſtante tempore ſecundo, infra cap. 3. audiemus. Hic illud ſaltim reponimus, quod incredulis Judæis jam dudum S. Chryſoſtomus reſpondit Hom. 67. in Matthæum, ἐρώτησον, inquiens, τοίνυν τὸν ἰουδαῖον, ποῖος ὀχούμενος ἐπὶ ὄνου ἦλθεν ἱερουσαλὴμ; ἀλλ' οὐκ ἂν ἔχοιεν, εἰπεῖν, ἀλλ' ἢ τοῦτον μόνον· *Judæum interroga, quisnam aſino vectus Hieroſolymam venerit? Neminem profecto dicere poterunt, præter hunc ſolum,* nempe Chriſtum, in quem & omnia reliqua γνωρίσματα veri nominis Meſſiæ, quæ ſcriptura annotavit, exactiſſime conveniunt, ut alibi oſtenditur.

§. 6. Si recutitus vero infitias ire velit, tale quid Chriſtum peregiſſe non modo quatuor Euangeliſtarum conſenſus hoc comprobat, iiſque geſtum circumſtantiis commemorat, ut nihil falſi ſubeſſe appareat; ſed etiam tot ſeculorum conſenſus id fortiter ſtatuminat, dum & gentiles cum Græci, tum Romani, id quaſi inglorium Chriſtianis, & Rege Meſſia indignum objecerunt. De Græcis jam ſua ætate Athanaſius retulit, ubi gentiles ita loquentes introducit: ὁ θεὸς τῶν χριστιανῶν, καλούμενος χριστὸς εἰς ὀνάριον ἐκάθισε. *Deus Chriſtianorum, qui Chriſtus vocatur, aſino vectus eſt.* Quin, teſte Tertulliano, Chriſtiani à Romanis aſinarii ſunt vocati. Neque Arabes & Perſæ id eunt infitias. Legis enim Mohammedanæ cultor quidam in Epiſtola Arabica; ante annos XL. Romam miſſa & prodromo ad Lipmanni Nizzachon à τῷ μακαρίτῃ Hackſpanio inſerta, diſſerte ſcribit: لا يخفي عليكم يا معاشر النصاري ان راكب الحمار اشارة الي المسيح *Non latet vos, ô cœtus Chriſtianorum, quod aſcenſor aſini ſignificet Chriſtum.* Et cum Pſeudoprophetæ ſuo Mohammedi itidem aliquam autoritatem conciliare ex Scriptura ſatagat, eum veluti Dei legatum camelo vehi, tanquam digniorem, fabulatur, idque ex Eſai. 21: verſ. 7. probaturus, ridicule ſcribit: وراكب الجمل اشارة الي محمد *Et Cameli aſcenſor Mohammedem ſignificat.* Quale quid ex illo dicto nemo ſanus elicuerit.

§. 7. Ut vero apertius conſtet, quam omnia ea, quæ de Meſſia Zacharias eſt vaticinatus, in Chriſtum quadrent, nomina illa, quibus Meſſiam inſigniri Abarbanel fatetur, ordine expendemus. Ut enim R. Juda c. 36. p. 47. libri נצח ישראל ſcribit: כל שם מורה על אמתת דבר *omne nomen rei, veritatem oſtendit.* Scire itaque licet, Zachariam, cap. 9: 9. ordinem dicendi per Apoſtrophen mutantem, derepente Populum Judaicum ad gaudium ſerium ſolidumque excitare. Id enim patet ex verbis: LÆTARE מאד *valde, clange filia Jeruſalem.* Ratio tanti gaudii confeſtim ſubjicitur, *ecce Rex tuus tibi venit*, non vulgaris aliquis, cujuſmodi antehac habuiſti, ſed ſingularis, & ut Abarbanel ipſe commentatur: האמתי שהוא חטר מגזע ישי *rex verus, qui ſit ſurculus ex trunco Jeſſe.* (Eſa. cap. 11: 1.) Nempe ejuſmodi Rex, qui ſic antonomaſtice vocatur, Pſalm. 2: 6. 45: 1. 72: 1. 98: 6. Eſai. 32: 1. qui populi inſigni commodo ſit venturus. Id ſignificatur vocula לך *tibi*, perinde ut emphaſis innuitur Eſai. 9: 6. *filius natus eſt nobis.* Eſai. 53: 4, 5. *morbos noſtros tulit.* Ebr. 6: 20. *pro nobis cœlum intravit.* Verbo autem יבוא ſuggerit Vates, Populo adhuc in Palæſtina commorante & ſtante templo ſecundo, eum venturum eſſe. Quandoquidem vero illi jam tot ſeculis extorres, & templo ſecundo exuſto, in mundo diſperſi ſoſpitatorem fruſtra expectant, quam miſeri ſint, apparet, cum ipſo Abarbanele q. I. p. 286. comm. in Zachariam fatente הדר בחוצה לארץ דומה שאין לו אלוה: *qui extra terram ſanctam degit, ſimilis eſt illi, qui Deo deſtituitur.* Tales ſane ſunt Judæi, de quibus Hoſ. 1: 9. Deus aſſerit, quod ſint vocandi לא עמי *non meus populus.*

§. 8. Dum verbum יבוא conſideramus, in memoriam nobis illud revocat, Meſſiam noſtrum ideo, quod in illo impletum eſt vaticinium, vocari ἐρχόμενον, Matth. 11: 2. Luc. 7: vſ. 19. Joh. 1: 15. & 27. etſi vero ſic ad adventum ejus in carnem verbum quidam reſpicere putant, de quo loquitur Meſſias Pſal. 40: 8. *ecce venio, in capite libri, de me ſcriptum eſt;* contextus tamen haud obſcure ſignificat, adventum ejus, h. l. ingreſſum in urbem Hieroſolymam, qui illum priorem ſupponit, innui, qui diebus carnis quaſi colophonem & τελείωσιν impoſuit, de quo ingreſſu B. Gerhardus, Harmon. p. 144. *Ideo Chriſtus ſolenni pompa Hieroſolymam ingrediebatur, illo ipſo die, quo agnus Paſchalis è grege ſeparari conſueverat, ut oſtenderet, ſe pro mundi peccatis mactandum ſe ſiſtere.*

§. 9. Regis hujus in populum redundatura beneficia breviter complexurus duabus utitur vocibus, & geminum ei imponit epitheton. Primum eſt צדיק *Juſtus*, quod Chaldæus זַכַּי *innocens* reddidit. Hugo Grotius illud idem eſſe ait *ac æquus*, φιλόπατρις, *non tyrannus, Salvabit populum ad tempus, juſti ſcilicet regiminis.* Qua gloſſa vim vocis non exhauſit. Etſi enim Regis alias virtus non poſtrema ſit, ſuum cuique tribuere ſine προσωποληψία, de ea tamen Juſtitia hic proprie & principaliter non videtur agi, ſed plus aliquid ſignificari, maxime cum alibi, ubi *juſtus Dei ſervus* vocatur, בדעתו *ſcientia* ſui multos juſtificaturus dicatur, Eſai. 53: 11. unde quaſi ſubſtantive ἅγιος καὶ δίκαιος dicitur Actor. 3: 14. qui nomine Dei glorioſo יהוה צדקנו *Jehova juſtitia noſtra* inſignitur Jerem. cap. 23: 6. & *nobis eſt factus Juſtitia* 1. Cor. 1: 30. 2 Corinth. cap. 5: 21. ut adeo ad δικαίωμα πάντων ἁμαρτιῶν referenda vox videatur. Nec de nihilo eſt, quod Abarbanel fatetur, hæc prædicata Meſſiæ tribui, להודיע מעלת המשיח בן דוד שימשול עליהם: *ut prærogativa Meſſiæ filii Davidis, ipſis dominaturi, oſtendatur.*

§. 10. Appellatur vero non modo צדיק, ſed etiam נושע Quæ vox cum participii paſſivi formam præ ſe ferat, & tantundem ſignificare videatur ac *Salvatus* vel σωζόμενος, Pontificii ſe hic inveniſſe cenſent, quo Scripturas corruptas eſſe à Judæis, comprobare queant. Provocat ſane ad h. l. Gordonus Huntlæus, Jeſuita Epit. Theol. cap. X. §. 9. & cum Vulgatus reddiderit *Salvator*, ſibi perſuadet, ſic manifeſtum eſſe, fontem Ebræum violentas manus eſſe paſſum. Neque deſunt alii, iique extra Pontificiorum Eccleſiam, qui mutationem quandam literarum factam eſſe ſuſpicentur, & olim ante codices Maſorethicos ישע lectum eſſe, pro hodierno נושע, perhibeant. Sic H. Grotius auguratur ſine ſuffragio, cum antiquiſſimorum codicum collatio ſatis abunde comprobet, ſubinde conſtanter in Ebræo fonte lectum eſſe נושע, adeoque nullo plane fulcimento nititur ſuſpicio illa & conjectura. Quid, quod ipſi Maſorethæ, antiquiſſimis codicibus uſi, de ונושע obſervarunt ad Eſ. 45: 17. ונישע ג׳ ונושעני ב׳ בפתח וא׳ קמץ: *ter occurrit, bis cum patach*, (ut Eſai. loc. cit. & Deut. 33: 29.) *& ſemel cum Kamez* (ut Zach. 9: 9.) Quæ annotatio falſa eſſet, ſi legendum eſſet ישע vel מושע hoc ipſo aperte conſtat codicum conſenſus, in quibus ut aliquid mutarent Judæi, nulla ratio erat, & ſi tantum facinus auſi fuiſſent, qui factum eſt, ut tot tamque illuſtria de Chriſto teſtimonia etiamnum hodie in textu Ebræo V. T. intacta & intemerata compareant?

§. 11. Vera itaque & genuina, non corrupta, vox eſt, ונושע, de qua ὁ μακαρίτης, Salomo Glaſſius, lib. I. tr. I. P. S. hunc in modum diſſerit; *Neque dubium eſt, quin Propheta ſingulari conſilio paſſivam vocem adhibere voluerit. Vaticinatur enim de Chriſto ſuper aſina Hieroſolymam ingrediente, propter cujus adventum Eccleſiam vult triumphare & repudiare. Cæterum gaudio huic obſtare poterat miſeria illa & humilitas, in quo tunc temporis Salvator noſter conſtitutus erat. Hoc igitur ſcandalum averſurus Propheta verbo paſſivo utitur* נושע, *q. d. Rex tibi venit Juſtus, humilis, pauper: noli autem ob id animo concidere, noli offendi exteriore ſchemate. Ecce enim ſalvatus eſt, h. e. ex hac pauperie & miſera conditione ad ſupremam gloriam cæleſtem tam certo tandem evehetur poſt ſuam paſſionem & mortem, ac ſi jam tum dicto modo ſalvatus & glorificatus eſſet.* Conſimiliter Joannes Coccejus comm. in h. l. paſſive explicat, ut ſenſus ſit: *Servatus ſcilicet ex paſſione & morte.* Et Conſid. ult. verb. Moſis §. 1052. *Zacharias inter nomina ejus ponit* נושע *Salvatus. Hoc autem ſignificat ex malis ereptum, neceſſe igitur fuit, prius* ἔκδοτον *fieri.* Ludovicus quoque de Dieu, Animadverſ. poſthumis in h. l. *ad verbum verto* צדיק ונושע הוא *Juſtus & ſervatus ipſemet.* Adde etiam B. Gerhardum Harm. Evang. cap. CXLIV. pag. 88.

§. 12. Quandoquidem vero activo ſenſu ſtabilito, non modo Rabbi Luſitani cavillo, quo Chriſtum noſtrum, liberationis indigum, Deum eſſe negat, p. 598. Mulleri Judaiſmi refutati, facile obviam ire, ſed & LXX. Interpp. aliaſque Verſiones vindicare poſſumus; diſpiciendum nobis ulterius eſt, an non activa ſignificatio potius locum habere queat. Equidem videtur recte B. Lutherus Helffer reddidiſſe, ſecutus vulgatum, qui *Salvator* tranſtulit, ceu reliqui interpretes, ut Græci, σώζων; Chaldæus פָּרִיק; Syr. ܦܳܪܽܘܩܳܐ; Arabs مخلص. Quæ ultima vox 2 Petr. 1: 1. ab Arabe uſurpatur, ubi in Græco eſt σωτήρ. Ut ita active explicandum ſentiamus, adducti ſumus Prophetæ verbis: *lætare valde & clange*

filia Sion. Ratio nempe gaudii solidi & sublimis sic subjicitur, *quia veniet, Rex tuus justus* ונושע. Ubi sane aperte liquet, longe majorem lætitiam, quam etiam Propheta exigit, oriri, si Rex ille *Salvator* appelletur, quam si ipsummet *Salvatum* esse, significetur. Neque quia litera characteristica Conjugationis passivæ est præfixa, ideo necessario significationis est passivæ. Ut enim א"א *Elias Germanus* ad Kimchium annotat: כל פעל לא נמצא כי אם באחד מהבנינים זולת הקל כאלו הוא מהקל כמו נלחם התפלל השליך: *omne verbum, quod non reperitur, nisi in una conjugatione præter Kal, perinde se habet, ac si esset ex Kal*, ut התפלל נלחם השליך. Etsi vero verbum ישע. in Niphal & Hiphil occurrit, & ita alia ejus ratio sit, hoc tamen inde patet, non præcise formam passivam, passivæ significationis esse. Neque sine causa tot interpretes Ebraicæ linguæ peritissimi active reddiderunt. Cum enim ipsos haud lateret, participia formæ passivæ quandoque nominascere, & induere significationem activam, ut sequentia docent יקוש *auceps*, Proverb. 6: 5. (alias laqueo captus) עשוק *oppressor*, Jer. 9: 8. אגור *collector*, Proverb. 30: 1. שדודה *vastatrix*, Psal. 137: 8. חץ שחוט *sagitta mactatrix* Jer. 9: 7. & contextum activam potius significationem poscere, merito etiam active reddiderunt, hoc maxime loco, ubi gaudii maximi rationem reddere Propheta intendebat, & illud graphice describere, quod alibi emphatice ita Scriptura deprædicat, nempe quod Messias sit σωτὴρ, Luc. 2: 10. σωτήειον Luc. 1: 30. ἀρχηγὸς, αἴτι☉ σωτηείας αἰωνίε, κέρας σωτηείας. confer. Luc. 1: 69. Ebr. 2: 10. 5: 9. cumprimis Act. 4: 18. ubi σωτηεία ex nullo alio percipienda dicitur, quod solus illa datus εἰς σωτηείαν ἕως ἐϛάτε τ̃ γῆς, Act. 13: 47. Ejusmodi salus, quam moribundus Jacobus se expectare dixit, sc. non temporariam, sed פורקן *liberationem æternam*, uti Chald. Interpres Gen. 49: 18. reddidit. Neque displicet quod ex pronomine הוא emphasin quidam colligunt, quod nempe ejusmodi Salvator sit Messias vel Rex Sioni promissus, de quo Gen. 3. 15. ille הוא, qui Serpentis caput contriturus erat. Et de quo Esai. 35: 4. Esa. 53: 4, 5, 7. agitur.

§. 15. Hic vero silentio præterire non possumus, quod R. Abarbenel exinde, quia Messias צדיק & נושע appellatur, colligit, eum non posse esse obnoxium passionibus. Ad cap. 53. Esai. scribit hunc in modum: איך יאמר עליו אכן חלינו הוא נשא ומכאובינו סבלם ואנחנו חשבנוהו נגוע מכה אלהים ומעונה כי הוא יהיה מלך צדיק ולא יהיה נגוע ומכה כיאם צדיק ונושע ואיך אם כן יאמר עליו ובחבורתו נרפא לנו: *Ecquomodo dixerit de eo*, (Messia filio Davidis) *certe morbos nostros tulit, & dolores nostros bajulavit, & nos eum reputavimus percussum & afflictum Dei? Ille enim erit rex justus & non percussus & afflictus, sed rex justus &* נושע. *Ecquomodo igitur de illo dixerit & vibicibus ejus sumus sanati?* Ita Judæos etiamnum cœcutire patet, ut quod Scriptura toties affirmat, adeo nequeant comprehendere, ut pro incompassibilibus habeant, Salvatorem esse & pati, perinde ac Joh. 12: 34. populus objecit: *nos audivimus ex lege, Christum in æternum manere, ecquomodo itaque dicis, filium hominis esse exaltandum?* Sed ipsi Judæi, quantumvis cœcutiant, ea tamen quandoque de Messiæ Salute proferunt, quæ illius salvationem singularem plane ac minime vulgarem esse, testentur. R. Salomo ad Dan. 9: 24. hanc notabilem glossam reliquit: וכפר ויגאלו ויושעו תשועה עולמים במלך המשיח שני ישראל נושע ביהוה תשועת עולמים: *& expiabit peccatum Israëlis & redimentur & salvabuntur salvatione æterna per Regem Messiam, quia dictum est: & Israël salvabitur per Dominum salvatione æterna*, (Esai. 45: 17.) Eccur illud salvatio appellatur æterna, nisi quod præ aliis liberationibus aliquid peculiare habet? Quod vis ejus in æternum durat, quod omnes, qui unquam sunt salvati, aut in posterum salvabuntur, inde salutem obtinent. Est enim Messias plenus gratia, & ex ejus plenitudine omnes accipimus, Joh. 1: 14, 16. Sed illum, quem justitiam seculorum adducturum esse Daniel loco citato prædixit, etiam moriturum esse haud obscure significavit, cum ait vs. 16. ויכרת המשיח *& exscindetur Messias.* Messiam igitur Salvatorem etiam peccata luere, tam paradoxum Judæis videri haud debet, maxime cum quidam eorum id etiam largiantur. In libro enim חסידים num. 528. expresse fatentur: משיח סובל עונות ישראל *Messias bajulat peccata Israëlis.* Ita subinde fidei Catholicæ apud eos rudera quasi reperiuntur. Cujusmodi quid est, quod crebro in ore habent, חבלי המשיח *dolores Messiæ*, quos haud dubie prisci de Messiæ passionibus intellexerunt, recentiores vero de afflictionibus, quæ proxime ante adventum Messiæ sint venturæ, accipiendos contendunt, uti videre est apud Abarbenelem pag. 87. col. 2. comment. in Dan. ubi expresse scribit: להיות חבלי משיח כבה גדולים היו מתכמים מתאוים שלא תהיה הגאולה בימיהם ליראתם מחבליה: *Quandoquidem Messiæ dolores tam grandes sunt futuri, Sapientes quidam, ne suo tempore liberatio contingeret, optarunt, eo quod dolores ejus nimios extimescerent.*

§. 16. Non minus memorabile est, quod in Talmud Massecheth Sanhedrin, cap. 11. legitur, inter alia nomina, quibus Messias insigniatur,* fore חוורא *leprosus*, eo quod Esai. 53: 4. נגוע *percussus* dicatur. Quod cum legisset Rabbi Juda Bizleel in נצח ישראל l. cit. tanquam admirabundus scribit: דבר זה עמוק: *hac res profunda est*, quam ille ob velamentum Mosaicum, quod Judæorum oculis impendet, penetrare nullus potuit, adeoque cum sua fide conciliare nequit, licet reliquis Judæis à veritate propius abesse videatur, dum ait: כל ענין המשיח הוא אלקי לא גשמי: *totum Messiæ negotium divinum est, non corporale.*

§. 17. Nempe Judæi vulgo Messiæ notione tot retro seculis nihil aliud conceperunt, quam ducem aliquem, qui eos in Palæstinam reducat, quale quid Ecclesia Judaica olim credidisse non potuit. Patet id ex Luc. 2: 25. ubi in Palæstina degentibus adventus Messiæ הנחת ישראל *solatium Israëlis* appellatur, cum Simeon dicitur προσδεχόμεν☉ παράκλησιν τ̃ ἰσραήλ. Qua locutione σωτῆρα potius intellexerunt singularem illum, qui spiritualem salutem, in justificatione à peccatis consistentem sit daturus, veluti Zachariæ Luc. 1: 77. ἐξήγησις declarat; ad *dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum.* ut σωτηεία vel salus sit ipsissima peccatorum remissio. Neque soli Evangelistæ Lucæ, aut Simeoni phrasis illa recepta fuit, sed toti populo in fortioribus asseverationibus adhiberi solita. ut enim ex Talmud, Massecheth Chagiga, fol. 16. & Maccoth fol. 5. patet, אראה בנחמה *ita videam consolationem!* jusjurandum illorum fuit, quo per desiderium suum videndi *consolationem* vel Messiam aliquid confirmarunt. confer Lichtfooti Horas Ebr. & Talm. ad Luc. 2: 35. Quod vero Simeoni dicitur *solatium Israëlis*, id Apostolo *Spes Israëlis* appellatur Act. 26: 6. ubi *Spes Israëlis* metonymice pro re sperata accipitur, sive pro justitia & salute per Messiam parta, qui nomen ἰησοῦς inde accepit, quod populum suum σώζει à peccatis, Matth. 1: 21.

CAPUT III.

SUMMARIA.

Vox עני *quid designet interpretibus. R. Lipmanni cavillum elisum. Kimchii sententia super vocis illius significatione, cur* עני *&* ענו *affinis significationis vocabula. Kimchi & Elias Germanus laudatus; locus parallelus à Kimchio allatus D. Varenio probatus. Kimchio Hulsius nequicquam dicam scripsit. Gemina ratio pro Kimchii interpretamento. LXX. interpp. Matthæi, Chaldæi, Syri & Arabis consensus. Bochartus & Castellus laudati. Vox* ענות *enucleata Psal. 22: 25.* ענו *Num. 12: 3. significatio genuina asserta. Forsteri lapsus circa vocem* ענו *&* לילה. *Judæorum explicatio probata. Recutitorum super asino Messiæ effata prodigiose absurda. Cur secundum quosdam solius pulli Evangelistæ meminerint. Toleti & Riberæ sententia discussa. Vocum* חמור *&* עיר *illustratio. Pullis vehi, Ebræis usitatum & non inhonorum. Geminus idiotismus Ebræorum expositus. Prophetæ & Evangelistarum ὁμοψηφία. Syrus interp. laudatus. Vis præfixi vau in Voce* והעיר. *Tarnovius & Tertullianus laudati. Complementum vaticinii in Christo miraculosum deprehenditur. R. Lipmanni ratio, cur in Christum non quadret, confutata. R. Salomo & Chrysostomus laudati. Cocceji glossa nova rejecta. Pacem gentibus loqui quid. Abarbenelis de gentibus ad Deum convertendis confessio. Ejusdem rationes contra Christianos explosæ. Abarbenel*

benel & Aben Esra inter se commissi. Ad Lipmanni ἔνστασιν responsio. Quid à mari ad mare dominari. Psal. 72: 8. Aben Esra ad Salomonem refert dubitabundus, tandem ad Messiam. Mare pro Occidenti Ebræis propositum. Kimchi laudatus. Vocis אפס significatio illustrata. Extremitas terræ quid. Complementum verborum in solo Christo quærendum. Abarbenelis irritus conatus, & recutitorum frustraneum canticum pro maturando Messiæ adventu.

§. 1. NUnc ad reliqua verba declaranda progressuris vox עני primum occurrit, quam idem significare h. l. volunt, atque *inopem*, *pauperem*, ut hic notet spontaneam illam ταπείνωσιν, sive exinanitionem, de qua Phil. 2: 8. agitur. unde iterum Lipmannus cavillatur: גנאי להם שקוראים אלהיהם עני: *dedecori illis est, quod Deum suum pauperem vocant.* Qui, si Messiæ naturam agnosceret geminam, hoc dicterio Christianos nullus pungeret, etsi vero Joannes quoque Coccejus *inopem* & ἀσθενῆ significare docet, R. David Kimchi tamen in libro radicum, postquam exempla quædam recensuisset vocis ענו, ab eadem radice ענה oriundæ, ubi notet שפלות רוח *animum humilem*, subdit: ומזה הענין עני ורוכב על חמור וכן תי ענותן: *Hujus significationis est* τὸ עני Zach. (9.) & *sic Jonathan reddidit* per ענותן, *mansuetus.* Sane *pauperes* fere *mansueti* esse solent, & τὸ עני & ענו ejusdem sunt originis, sive rami ex eodem trunco paronymi. Quid igitur mirum, si una vox loco alterius ponatur, & ita illæ vicissitudinaria æquivalentia polleant? Kimchi ad vocem ענוים Ps. 9: 13. scribit כתיב בויו וקרי עניים ביוד וקרוב הוא כי העניים ענוים ברוב: *scribitur cum vau, & legitur* עניים *cum Jod. quod est affine; pauperes enim plerumque sunt mites.* præter locum adductum Masora numerat adhuc quatuor alia, nempe Psal. 10: 12. Prov. 3: 12. 14: 21. 13: 19. ubi jod pro vau legi debeat, & contra duo affert, ubi scribitur vau, & legendum sit jod, Ps. 9: 19. Esa. 32: 7. De quarum vocum permutatione legendus Elias, præfatione lib. Masoreth Hammasoreth.

§. 2. Quum ita עני Messias appellatur, non tam *inopem*, quam *mansuetum* significari, cum R. Salomone Abarbanel & Kimchi docent, adeoque מדת ענותנות *mansuetudinis notam esse* volunt. Hinc Kimchi, vim vocis illustraturus ad locum Esaiæ Esai. 42: 2. provocat, *non vociferabitur, neque audietur vox ejus foras, calamum quassatum non conteret &c.* quo parallelo accuratius à Kimchio dari potuisse, negat Dn. D. Varenius, interpres Scripturæ haud è multis. Antonius tamen Hulsius, Theolog. Judaic. libr. I. part. I. pag. 164. dissentit: *utitur*, inquiens, *Zacharias non nomine* ענו, *sed* עני, *ut doceat, non humilitatis duntaxat & mansuetudinis virtutem, sed & paupertatis humilem conditionem in Messia fore conspicuam. Quod LXX. reddiderunt* עני *per* πρᾶον, *illud factum non tantum, quia* עני *&* ענו *erant voces vicinæ, sed etiam quia à paupertate ad humilitatem argumentari proclive erat; Vir enim pauper solet esse humilis, contra autem virum humilem esse pauperem, non tam facile sequitur. Contrarium liquet in exemplis Abrahami, Davidis, Jobi &c. Unde sequitur, quia* עני *&* ענו *diversas qualitates denotant, non debuisse Kimchium illas confundere, neque vocis* עני *propriam significationem dissimulare, uti nec fecerunt Rabbi Moses Haccohen & AbenEsra, quia ea de causa ad Messiam venire noluerunt, quod scilicet paupertatis conditionem in eo admittere nollent.*

§. 3. Cæterum nihil causæ est, quamobrem Hulsius Kimchio dicam scribat, & eum diversas qualitates confudisse, perhibeat, dum. h. l. עני idem notare dixit ac *mansuetum*; cum ex usu scripturæ τὸ עני id ipsum significare soleat. Patet id ex Sophon. 3: 12. ubi ita legimus: *relinquam in medio tui populum* עני ודל *humilem & tenuem.* Ita enim τὸ עני vertendum esse, oppositio in textu poscit, quia versu anteced. dicitur: *removebo exultantes in excellentia, neque amplius eris elatus in monte meo sancto.* Ubi elatio auferenda, & humilitas relinquenda dicitur. Hinc Kimchi sensum esse ait: תהיה עני ושפל *eris mitis & humilis.* Atque ita Chaldaic. per ענותן reddidit & LXX. λαὸν πρᾳὸν καὶ ταπεινὸν verterunt. Quæ duo epitheta Christus Matth. 11: 29. sibi attribuit, ad locum Zachariæ 9. ut videtur, alludens, cum ait: πρᾷός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. Adde Psalm. 18: 28. ubi τὸ עני LXX. ταπεινὸν, Symmachus πρᾶον reddiderunt, exigente id itidem oppositione in textu.

§. 4. Militat autem pro Kimchio non modo usus Scripturæ, sed etiam ipse contextus. Id enim per עני h. l. intelligendum est, ob quod in Rege Sionis existens maximopere lætandum sit Judaico populo, qui per *filiam Sionis & Hierosolymorum* denotatur. At non paupertas, sed mansuetudo id est. Tanto minus id h. l. paupertatem notat, quanto magis Regis dominium & majestas mox à Propheta exaggeratur, dum à *mari ad mare*, ad *terræ extremitates* usque imperaturus dicitur. Haud immerito igitur LXX. per πρᾳὺς, reddiderunt, quos & Euangelista Matthæus est secutus, & alii interpretes, Chaldæus, Syrus & Arabs, quarum ille ענותן, iste ܡܟܝܟ hic متواضع quæ *humilem* significant. Recte itaque Cl. Bochartus, lib. II. cap. 17. Hierozoici scripsit: τὸ עני *& pauperem & mansuetum significat*, id quod Forsterum, Schindlerum, Buxtorfium aliosque Lexicographos latuit; quos itidem fugit, ענות ex eadem radice pullulans nomen Psalm. 22: 25. *clamorem*, *invocationem*, sonare, quod LXX. Chaldæus, Syrus, Arabes tres, Æthiops, Vulgatus, Kimchi & AbenEsra suo confirmant suffragio. Unde Castellus, Lexico Heptaglotto p. 2812. *Nostri Cricici, hic parum Critici, nec modernorum ulli.* Quæ etiam Joannem Coccejum feriunt, cujus glossa loc. cit. est: *inopia sive passio*, ענות ei *attribuitur*, Psalm. 22: 25. cum hemistichium prius doceat, ענות tale quid significare, quod æquipolleat τῷ בשועו, sive *clamorem* significet.

§. 5. Atque ita עני hoc loco ejusdem significationis esse, cujus vox ענו est Numer. 12: 3. qua Mosis mansuetudinem significaturus Spiritus S. utitur, manifestum esse existimamus. Quod vero B. Lutherus eam ibi reddidit: **sehr geplagter Mensch**/ in eo secutus est Joannem Forsterum, Lexicographum, qui alibi etiam ob Rabbinorum quorumvis insignem contemtum aberravit, ut Cl. Schickardus observavit pag. 110. Bechinath Happeruschim, dum ה in לילה notam fœminini generis esse sibi persuasit, cum ex comm. AbenEsræ ad Gen. 1. discere potuisset, eam literam esse paragogicam, & vocem illam לעולם לשון זכר *semper generis masculini esse*, Rabbini sane, quos sine discrimine ita exosos reddere conatus est, & immerito penitus proscripsit, eum hic edocere potuissent, quæ vocis ענו Num. 12: 3. vera sit & genuina significatio, nempe idem ibi notare, ac שפל וסבלן *humilem patientemque*, ut R. Salomo recte monet. Judæi vernaculæ nostræ linguæ minus periti דעמהפטיג **demhafftig** / pro **demütig** transtulerunt, in באר שמה Abarbanel ita explicat: משה בטבעו ענו *Moses natura sua erat mitis.* AbenEsra: לא בקש גדולה על אחיו: *non se fratribus suis præferri desideravit.* Atque ita aliquid Num. cap. 12: 3. Mosi tribuitur, quod ei natura competebat, cujusmodi est mitem & mansuetum esse, (dum ad illatas injurias minime excanduit; nec retinens sui juris se vindicavit;) non quod extrinsece ei accidebat, ut afflictio & calamitas. Sed hoc obiter, & ὡς ἐν παραδρομῇ.

§. 6. Characterem, quo Regem Messiam Deus notificare voluit, Propheta his verbis complectitur ורוכב על חמור ועל עיר בן אתונות *& insidens asino & pullo, filio asinarum.* Nempe Messias mirificum liberationis opus perfecturus, mansuetudinisque suæ qualecunque specimen editurus, Hierosolymam asino vectus ingreditur, longe alio apparatu, quam vulgo Reges solent, singulari pompa coruscantes, qualem Judaica Gens hodieque somniat. Verbis vero dici nequit, quantopere recutiti cerebellum suum sessione Messiæ super asino fregerint, dum eam, velut inhonoram & Rege indignam cum aliis augustis prædicatis Messiæ conciliare nequeunt. Factum sane inde est, ceu AbenEsra testatur, ut quidam de Messia filio Josephi, quidam vero de Messia filio Davidis verba explicanda esse contenderint, quod eorum commentum de gemino Messia excussimus disputatione de Messia confixo, ad Locum Zachar. 12: 10.

§. 7. In Talmud, Massechet Sanhedrin cap. XI. distinctione scrupulum eximere conantur. כתיב וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתא וכתיב ורוכב על חמור זכו עם ענני שמיא לא זכו עני על חמור: *scriptum est* (Daniel. 7: 13.) *ecce in nubibus cœli velut filius hominis venit. Et scriptum est: pauper & vectus asino* (Zachar. 9: 9.). *Si mereantur, veniet in nubibus cœli, si non mereantur, pauper & vectus asino.* Ita inepte à pietate Judæorum Messiæ adventus, & ejus qualitas suspenditur, cum tamen ille à Daniele prædictus & gloriosus ad judicium; hic humilis & à Zacharia annunciatus in carnem, & hunc mundum, nullam conditionem admittat. Quantæ ἀκρισίας argumentum illi suppeditant, dum l. cit. Regi, * exprobranti Judæo tam vilem & abjectum ingressum Messiæ super asino, locoque ejus generosum equum se missurum promittenti, Judæus respondisse fertur: *at tibi non est equus centimacu-*

maculus, (vel, ut Bochartus Persicam vocem reddit, *mille colorum*) *ut asinus Messiæ*, ubi in summa humilitate etiam fastum somniant, ut ad Matth. 21. Hor. Ebraic. Lichtfootus monet. Quam ridicule R. Salomo comm. ad Exod. 4. scribit, ubi asino uxorem & filios suos imposuisse Mosen legimus: חמור המיוחד הוא חחמור שחבש אברהם לעקדת יצחק והוא שעתיד מלך המשיח להגלות עליו שני עני ורוכב על־חמור: *asinus ille est peculiaris & proprius, asinus quem Abraham Isaacum ligans stravit, & ille ipse est, in quo Rex Messias revelabitur, quia dictum est: mitis & insidens asino* (Zach. 9: 9.) Nempe asinus ille grandævus cum Judæis Regem Messiam expectat, adeoque etiamnum alicubi in hunc usum asservatur, ut ei Messias insideat.

§. 7. Valere jussis hisce Judæorum nugamentis, potius verborum sensum genuinum scrutabimur, ut quam bene Prophetæ cum Euangelistis conveniat, appareat. Id quidem diffiteri haud possumus, cum non uno modo Euangelistarum quadriga recensere historiam ingressus videatur, factum esse, ut ab interpretibus verba Zachariæ aliter atque aliter explicentur. Nempe tres posteriores Euangelistæ, Marcus cap. 21: 2. Lucas, cap. 19: 29. Johannes cap. 12: 14. tantum pulli mentionem faciunt, cui Dominus insederit. Contra autem Matthæus cap. 21. ita Domini ingressum in urbem Hierosolymam commemorat, ut asinæ & pullo, jussu ejus adductis vestimenta sua & ipsum Dominum ἐπάνω αὐτῶν imposuisse discipulos, perhibere videatur. Quin rationes quoque adduci solent à non infimi subsellii interpretibus, cur solius pulli mentionem tres Euangelistæ faciant. Quarum (1) est, quia in ipso urbis ingressu non asinæ sed pullo insedit: (2) quia pulli inequitatio ad mysterium vocationis gentium pertineat, quibus tres posteriores Euangelistæ scripserunt, cum Matthæus Ebraice scripserit Judæis. (3) quia brevi tempore asinæ insedit, ad præfigurandum Judæos mox ab ipso esse defecturos. Franciscus quoque Toletus comm. in Joh. 12. pag. 993. velut indignabundus contra eos disputat, qui solo pullo Dominum vectum esse censent, *cum*, inquiens, *Verba Prophetæ & Matthæi indicent, super utrumque sedisse, hoc enim nec Hieronymus negare potest, nempe verba Prophetæ & Matthæi multo magis ostendere, super utrumque sedisse, quam super unum tantum, oportebat causam urgentissimam esse, propter quam interpretari deberemus & explicare eo sensu, ut super unum tantum sederet. Et sic nihil est, quod removeat à plano & proprio sensu verborum Scripturæ.* Consimiliter Franciscus Ribera, comm. in Zachar. 9: 9. postquam Theophylactum, Lyranum & Cajetanum pro hac sententia adduxisset, subdit: *Atque hæc posterior non solum verior, sed sola vera sententia est, atque adeo pro vera habenda, ut dubitare fas non esse videatur.*

§. 8. Atqui non dubitare modo de illius sententiæ veritate nostro judicio licet, sed etiam oppositam sententiam, nempe *soli pullo Dominum insedisse*, pro vera amplecti, cui sane Zacharias minime repugnat. Urgentem rationem, quamobrem ita sentiamus, neque tamen à plano & proprio verborum sensu recedamus, Cardinali Toleto, & Riberæ, Societatis Iesu Theologo, damus sequentem, quod plerique omnes Euangelistæ nonnisi unius pulli fecerunt mentionem & quidem talis, ἐφ᾽ ὃν οὐδεὶς πώποτε ἐκάθισε, *super quem nemo unquam sederit*, Marc. 11: 2. & Luc. 19: 30. Ex quibus verbis apparet, Dominum voluisse sibi de industria ejusmodi animal eligere ad suum ingressum in urbem Hierosolymam, quod necdum humanis commodis inservierat. Neque si & asinæ insedisset, & ita tam brevi via ab hac in pullum se contulisset, (quod S. Hieronymo minime fit verisimile) ratio fuisset singularis, quamobrem tam notanter pullum describeret, & id seorsim tam signanter & accurate Euangelista inculcaret, ex pullo illo nihil adhuc ullam commoditatem humanam delibasse. Nempe uti David arcam Dei novo plaustro imposuit 2 Sam. cap. 6: 3. & Christi corpus pura, nova & recens emta sindone involutum, & in sepulchrum, à nullo cadavere attactum, est repositum, ita etiam non annosa asina, sed juvenculo pullo, nullisdum humanis usibus mancipato, uti placuit. Etsi vero id pro certo traditur, Dominum asinæ itidem, quantumvis brevi tempore, insedisse, ad significandum, Judæos, quos asina designatos fuisse, antiquitas credidit, brevi esse defecturos, id tamen an ullo nitatur fundamento, haud scimus. Locum nos Theodoreti regulæ relinquendum hic censemus, *non*, inquientis, *dogmatum norma censenda, quæ in Ecclesia Panegyrice & declamatorie dicuntur*, subinnuentis, aliud esse, si de eo loquaris, cui cathedra commissa est. Utut igitur sit, sic pie Patres asina Judæos, pullo gentes, præfiguratos esse crediderunt, nondum tamen certum esse arbitramur, vel utrique Dominum insedisse, vel eum sic designare voluisse Judæos & Gentes, cum apud Euangelistas altum de hoc sit silentium.

§. 9. Ut vero neque Prophetam, neque Matthæum huic sententiæ ullatenus contravenire patescat, verba רוכב על חמור expendemus, quæ sonant: *sedens super asino*. Est quidem vox חמור generis communis, sive, ut Kimchi loquitur ad Jer. 2: vs. 24. לשון כלל לזכר ולנקבה *vox generalis, masculini & fæminini generis*, veluti & שור & פרא, ut ex forma nominis de genere illius judicare non debuerit Jansenius, concord. Euan. cap. CX. Masc. tamen generis hoc loco eam esse, ex posteriore hemistichio patet, quod prioris est ἐξηγητικόν. Ut vero חמור asini naturam significat, sic τὸ עיר ætatem notat ejus, nempe עור היותו קטון טרם שיגדל *qui adhuc parvus est, & nondum adolevit*, si R. Nathani in Concordantiis fidem habemus. R. Salomo eam explicaturus ad Genes. 32: 16. provocat, his verbis: כמו ועירים עשרה: ubi decem pulli totidem asinabus additi sunt à Jacobo. Pullis vero ejusmodi vehi, admodum honorificum fuit apud Ebræos antiquiores, unde Abdon XL. filios habuisse & XXX. nepotes LXX. pullis vectos Judic. 12: 14. dicitur, ubi Abarbanel scribit: הולכים ורוכבים על עירים כאנשים נכבדים *insidebant pullis, instar honoratiorum virorum.* Atque ita Messias dicitur insessurus esse asino, hoc est *pullo, filio asinarum.* unde Kimchi, idiotismi Ebræi haud ignarus, scribit: כפל הענין במש *significatio duplicatur duabus dictionibus.* Ad voces בן אתונות in Michlal Jophi ex Kimchio hæc observatio de ellipsi Scripturæ recepta legitur בלשון רבים על יחיד כי פירושו בן אחת מאתונות וכן ויקבר בערי גלעד: *pluralis de singulari usurpatur. hic enim sensus est, filio unius asinarum. Atque ita se habent verba* (Judic. 12:7.) *& sepultus est in urbibus Gilead.* conf. B. Glassium, Phil. Sacr. l. 3. tr. I. can. 27. Sed hunc idiotismum Ebraicæ linguæ non attendisse illi videntur, qui apud R. Bechai, fol. 153. col. 3. comm. Leg. ex locutione elicere hoc voluerunt, נתפזרו אבריו במותו *cum moreretur, membra ejus fuere dispersa.* ἀπαιδεύτως.

§. 10. Dum sensum verborum esse hujusmodi dicimus, *insidens asino, hoc est, pullo unius asinæ*, Propheta nihil aliud significat, quam quod Euangelistæ tres posteriores vel etiam ipse Matthæus asseruerunt. Etsi enim hic & asinam cum pullo adductum fuisse commemorat, & utrique vestimentis discipulorum impositis, Dominum insedisse asserere videtur: videtur tamen tantum, & reapse minime reliquis Euangelistis repugnat, aut eis contrarium quid recenset. Matthæus enim, quem ipsi adversæ sententiæ patroni Ebraice, & Judæis, scripsisse asserunt, haud dubie h. l. enallagen numeri, Ebræis usitatissimam, adhibet, qua pluribus indefinite tribuitur, quod illorum uni competit. Ut Genes. 8: 4. *super montes*, idem est ac unum montium. *Discipuli* Matth. 26: 8. pro *unus discipulorum. Filii Israel*, h. e. *unus illorum*, Achan. Jos. 7: 1. Hunc Ebræum Idiotismum non ignoravit Syrus interpres, unde αὐτῶν etiam in singulari numero expressit, dum ait, ܘܪܟܒ ܥܠܘܗܝ *& insedit illi*, Matth. 21: 7. Neque est, ut præfixum Vau h. l. urgeatur, tanquam copulativam. Litera enim illa perinde atque Conjunctio Græcorum καὶ sæpenumero non tam copulat, quam declarat prius, adeoque exegetica est. Loca ejusmodi, quibus declarationem quandam præstat, collegit Cl. Tarnovius comm. in Sophon 1: 4. ubi sequentia recenset. Genes. 14: 23. Num. 23: 19. Deut. 5: 16. 2. Sam. 17: vs. 12. Zach. 1: 4. Matth. 13: 41. Johann. 10: 33. Rom. 1: 5. Coloss. 2: 8. Quam significationem & h. l. τὸ vau habere, inde colligere est, quod plures Euangelistæ nonnisi pulli meminerunt, & secundum Tertullianum *in Bibliis pauciora secundum plura intelligenda sunt.*

§. 11. Hoc vaticinium vero non modo adimpletum est tunc, cum Sospitator noster, comitantibus & turba & discipulis, asino vectus Hierosolymam ingrederetur, sed ejusmodi quoque circumstantiæ simul recensentur, quæ aperte demonstrant, Christi vim θαυματουργικὴν multis modis in isto opere se exeruisse. Non modo enim absens prævidit, ubi pullus cum asina esset alligatus, sed etiam sua providentia ita rem disposuit, ut asina cum pullo absque conditione & pactis dimitteretur. Huic cum postmodum Dominus insedit, seipsum talem esse demonstravit, cui etiam indomita pareant. Neque illud sine divino motu contigit, quod populus, qui tum ad festum Paschatis frequentissimus confluxerat, obviam ei ivit, & miraculis, resuscitatione cumprimis Lazari ex mortuis, adductus, eum omni animi lætitia atque affectu, ut Messiam recepit, subinde ingeminando, ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, Matth. 21: 9. Quæ verba deprompta ex Psal. 118. populus Christo applicuit. Hymnum vero

vero laudatum de Messia intelligendum esse, fatente Kimchio, comm. in Psalmum eundem, etiam prisci Ebræi docuerunt.

§. 12. Quemadmodum vero hæc justo tempore facta sunt, ut eventus vaticinio plane responderit: ita Christianorum fides, promissionis de Messia & magno Rege civitatem Hierosolymam ingressuro, pulloque asini insessuro, complemento egregie confirmatur, neque Judæis suppetit, quod cum specie veritatis in contrarium possint objicere. Rabbi quidem Lipmannus ad verba: & *disperdam currus ex Ephraim & equum de Jerusalem, & dissipabitur arcus belli*, scribit: גם הפסוק אין לפרש על הנוצרי כי הפרשה מסיימת ונכרתה קשת מלחמה ומשלו מים עד ים מנהר עד אפסי ארץ והלא אחר ביאת הנוצר נשאר קשת מלחמה כבראשונה: *Præterea versus hic de Nazareno nequit exponi. Sectio enim finit sic: & succidetur arcus belli, & dominium ejus erit à mari ad mare, à fluvio usque ad fines terræ. Nonne vero arcus belli post adventum Nazareni perinde extitit, atque antea?* Sed fugit hic Judæum ratio, cum scire debuisset, non de usu armorum, tempore Messiæ penitus cessaturo, sermonem esse Prophetæ, id quod in Talmud, Massechet Schabbat cap. 6. prisci Judæi fatentur: לימות המשיח אין בטלין: *diebus Messiæ non cessabunt arma*; sed ab eo significari duntaxat, Sionis filiæ iis non opus fore, quod etiam R. Salomo sensit, cum ita explicat, לא יהיו צריכין לה: *non erunt necessaria ei.* & Scriptura alibi etiam, ubi de regno Messiæ sermo ei est, hoc inculcare solet. Confer Esai. 2: 4. Mich. 5: 10, 11. 2. Corinth. 10: 4, 5, 6. Nempe Messias ταῦτα κατώρθωσεν, οὐχ ὅπλοις χρώμενος, οὐ χρήματα δαπανῶν, οὐ στρατόπεδα κινῶν, οὐ πολέμους ἀναῤῥιπίζων, ἀλλὰ δι' ἕνδεκα ἀνθρώπων τὴν ἀρχὴν ἀσήμων, εὐτελῶν ἀμαθῶν, ἰδιωτῶν, πενήτων, γυμνῶν ἀόπλων felici successu *perfecit* hæc, *nullis armis usus, nullos sumptus faciens, nullos movens exercitus, nulla prælia committens, sed per undecim Viros principio ignobiles, viles, rudes, idiotas, pauperes, nudos, inermes* ut Chrysost. Homil. *quod Christus sit Deus*, bene loquitur. In eo itaque Abarbaneli facile adstipulamur, c. 2. §. 4. scribenti, לא היה דרך קללה, verba, *& succidam* &c. in pejorem partem non esse explicanda, quasi illa sint Dei irati, uti Aben Esra accipere videtur dum ait: שלא היה להם סוס בהיות תחת מלכות יונים *quod non ipsis equus fuerit sub Græcorum regno existentib.* cum de regno Messiæ sermo sit, nulla vi armorum propagando.

§. 13. Quæ cum ita se habeant manifestum esse arbitramur, quid de Joannis Coccei interpretamento sentiendum sit, dum ad verba Zachariæ hanc glossam reliquit: *indigitatur antecedanea ante Christi adventum plena populi totius liberatio à jugo gentium, & duodecim tribuum sub uno Senatu gubernatio, atque etiam decus belli cum magnis triumphis assertum. Sed Christo adveniente exscindet Deus currum & equos à Juda & Ephraim, id est adimet illis potestatem belligerandi. Hoc factum per Pompejum, Augustum, constituto fœdere inter gentes, deinde per Vespasianum & Adrianum, rupto illo fœdere.* Respici à Zacharia ad gubernaculum populi sub uno Senatu ante adventum Messiæ, ideo minus probabile videtur, quod contextus de illo tempore loquitur, quo Messias asino vectus Hierosolymam ingrediebatur, adeoque commemorat, quid post ingressum ejus solennem sit futurum. Neque hic Romanorum fit mentio, nec rei per illos perficiendæ: sed potius agitur de tempore Regni Messiæ, in quo armis non sit futurus locus, cum Messias gentes quoque quibus pacem sit locuturus, morigeras & obsequentes experietur, id quod Jacob Gen. 49: 10. verbis, *& ipsi obedientia populorum*, prædixit, & haud obscure David Psal. 2: 8. significavit. Nempe Messias *princeps pacis* Esa. 9: 6. verbum suum, quod *sceptrum fortitudinis ejus* est, Ps. 110: 3. & εὐαγγέλιον εἰρήνης appellatur, Eph. 6: 15. Hierosolymis egredi fecit, Esa. 2: 3. Et gratiam suam gentibus obtulit, qua factum est, ut ad illas Messiæ pax pertineat, Eph. 2: 14. qui est εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, Coloss. 1: 20. Hinc de Messia Zacharias porro ait: ידבר לגוים שלום *loquetur ad gentes pacem*, qua locutione quid designet, obscurum esse nequit. Pacem enim loqui, ut ex Psal. 27: 3, & 85: 9. patet, est *loqui pacifice*, sive, ut Esa. 40: 3. reddi solet, *loqui ad cor*, h. e. *blande*, *amice*, non ut Moses, Deut. 27: 15. inclamans, *maledictus!* Et cum de gentibus sermo sit, quæ olim extra Ecclesiam erant, jungemus locum parallelum, Esa. 52: 7. qui oppido emphaticus est: *quam decori sunt pedes super montes* מְבַשֵּׂר מַשְׁמִיעַ שָׁלוֹם מְבַשֵּׂר טוֹב מַשְׁמִיעַ יְשׁוּעָה אֹמֵר לְצִיּוֹן מָלַךְ אֱלֹהָיִךְ: *evangelisantis bonum, pacem, salutem,* dicens *Sioni, Rex tuus regnat.* Ad quæ verba Abarbenel non male commentatur, nisi quod de terrena pace Messiæ tempore futura verba intelligit כנגד אומות אמר משמיע שלום מבשר טוב ר"ל שיהי' שלום בארץ לא ישא גוי לגוי חרב ולא ילמדו עוד מלחמה ויבשר אותם שיתקבצו אל השם יתברך שהוא דטוב המחלט: *ad gentes ait; audire faciens pacem, annuncians bonum. q. d. fore in terris pacem; ne gens adversus gentem elevet gladium* (Es. 2: 4.) *neque amplius bellum discat. His annunciat, eas ad Deum conversum iri. Hic enim simpliciter bonus est.* Complementum horum verborum videre est Eph. 2: 14. seqq. ubi Christus dicitur *venisse & annunciasse pacem longinquis, & propinquis* & ostenditur ab Apostolo, quomodo, sublato pariete intergerino inter Gentes & Judæos, illæ pacis participes factæ sint, & earum vocatio contigerit. Patet hinc quam malitiose supra cap. 2. th. 4. Judæi sessionem Messiæ super Pullum, quo gentes, ut stupidos homines notari, volunt, ad dominium, quod in Christianos habituri sint, trahere non erubescant.

§. 14. Sed hic Abarbenel se invenisse gloriatur, quo probari queat, nec dum vaticinio huic nostro suum constare complementum, adeoque adhuc illud exspectandum esse. Libello enim supra citato משמיע ישועה pag. 72. col. 2. sic scribit: כבר הוכחתי אני במאמר ישוע ות משיחו כפי מאמר ר' הלל אומר אין להם משיח לישראל שהפרשה הזאת אי אפשר לא על זרובבל ולא על בית שני אם מפאת הנבואות הקודמות לזו אשר יבואו עמים רבים וגוים עצומים לבקש את השם צבאות וגו' אשר יחזיקו עשרה אנשים וגו' משא דבר השם בארץ חדרך וגו' שהיעודים ההמה לא נתקיימו בבית שני ואם מהפרשה הזאת עצמה מאמרו והכרתי רכב מאפרים וסוסים מירושלים ונכרת הקשת מלחמה ודבר שלום לגוים וידוע שבבית שני לא היה אפרים ולא היה שלום בארץ כי אם מלחמה וגם זרובבל ולא אחר ממלכי בית שני משל מים עד ים ומנהר עד אפסי ארץ: ישועות משיחו in *Jam pridem* (peculiari libello, quo dicta Gemaræ & Deraschoth de Messia explicantur,) *capite, quo de Hillelis dicto agitur: Israël non habet Messiam, evici, hanc sectionem neque de Zerubabele, neque templo secundo explicari posse, non modo propter antecedentia vaticinia, ubi dicitur* (Zach. 8: 22.) *venient populi multi & fortes ad quærendum Dominum &c. Quibus apprehendent decem Viri* (cap. 8: 23.) *Et onus verbi Domini in terra Hadrach.* (cap. 9: 1.) *&c. quæ promissiones in templo secundo adimpletæ non sunt: sed etiam propter sectionem: & exscindam currus Ephraim & equos de Jerusalem, exscindetur arcus belli & pacem loquetur gentibus. Jam vero constat, Ephraim tempore secundi templi non fuisse pacem, sed bella magna. Præterea neque Zerobabel, neque quisquam Regum secundi templi dominatus est à mari ad mare, & fluvio usque ad extrema terræ.*

§. 15. Ex illorum numero, qui Judæorum adhuc hodie pertinaciam augent, & illos etiamnum Messiam præstolari jubent, R. Abarbenelem cumprimis esse, ex dictis constat, qui tamen hic frivolis & ne Sociis quidem probatis argumentis utitur. Quod enim illa quæ ex cap. 9. petivit, dudum complementum suum sint nacta, R. Aben Esra diserte affirmavit, comm. ad cap. 9. Zach. זאת הנבואה דביקה בבית שני; *hæc Prophetia pertinet ad templum secundum*; magno Judaicæ sententiæ præjudicio. Illa vero, quæ ex cap. 8. in medium attulit de populis itidem multis & fortibus Dominum quæsituris, esse impleta, adeo manifestæ veritatis est, ut nemo, qui historiam N. T. & tot ad Christum conversarum gentium non ignorat, diffiteri possit. Quod vero negat Abarbenel, Ephraim tempore templi secundi extitisse, id itidem invito Aben Esra fit, utpote qui ad cap. 9. Zach. expresse scribit, הם באים מאשור *reversi illi sunt ex Assyria*, quod adeo ægre tulit Abarbenel, ut כוונה המושחתת *corruptam intentionem* Aben Esræ objecerit, quod vaticinii complementum ad templi secundi tempus restringat. At non omnes Israëlitas abduxit Salmanasser, ut constat ex 1 Par. 34: 6, 9, 33. & 35. & reversos omnino esse deinde ex omnibus tribubus plurimos, exinde patet, quod Cyri longe lateque imperitantis indultu omnibus Judæis revertendi in patriam data fuerit licentia. Hinc reduces Judæi ex Babylone 12. hircos pro numero 12. tribuum leguntur obtulisse, Esd. 6: 17. & Apostoli tempore δωδεκαφύλω nihil defuit, confer Act. 25: 7. Luc. 2: 36. Philipp. 3: 5. Atque ita frustra Abarbenel 10. tribuum reditum in Palæstinam expectavit. Licet enim tempore templi secundi defecerit regnum Ephraim, ipsæ tamen tribus non defuerunt penitus, veluti ex supra dictis apparet.

§. 16. Nondum desinit Lipmannus cavillari. Sic enim pergit, probaturus verba Zachariæ non quadrare in nostrum Messiam, עוד שגם אמונת הנוצרים וממשלתם אינה בכל העולם: *Quid quod Christianorum religio & eorum dominium non per totum mundum extenditur.* Quasi vero de dominio, quod Christiani habituri sint, Zacharias, hic agat & non potius de Messia, cujus dominium non politicum est & terrenum

 sed

ſed ſpirituale & cœleſte, veluti & R. Juda lib. נצח ישראל laudato, præclare de Meſſia loquitur & longe rectius quam vulgus Judæorum, dum p. 47. cap. 36. ait: המשיח מנהיג בדברים אלקיים לגמרי: *Meſſias rerum divinarum eſt moderator abſolutiſſimus.* Neque ad hoc, ut Meſſias ubique dominetur, requiritur, ut Chriſtiana Religio in toto terrarum orbe ſit recepta, aliis omnibus deletis penitus, ſed ſufficit, quod ille in medio inimicorum ſuorum imperium exerat, ſuosque tueatur & defendat Pſal. 110: 2. Regnum Meſſiæ eſt majus humano, quod in animam & voluntatem per verbum & ſpiritum adminiſtratur, in quo populus, eum recipit fide, & veneratur animo.

§. 17. Ex hiſce manifeſtum eſt, quid de eo judicandum ſit, quod R. Lipmannus libro citato porro objicit. Ut enim πολυμαθέστατος & amiciſſimus noſter *Wagenſeilius*, ex alio Mſto ſupplet, quæ in Hackſpaniano deerant, ille cavillatur: וחלא על קברו אינם מושלים שהוא בארץ תוגר בארץ ישראל: *An non carent imperio in ejus ſepulchrum, quod in Turcia ſitum eſt, terra Iſraëlis?* Quod ſepulchrum Chriſti hodie ab hoſtibus Chriſtianorum poſſidetur, Salvatoris noſtri imperio nihil decedit. Num enim propterea illius potentia reſtricta eſt & limitata? Nobis ſatis eſt illud, quod ſpiritu & verbo ſuo in homines dominetur, & paſſionibus ſuis expiatos à peccatorum pœnis per viam juſtitiæ, doctrinæ & ſanctitatis ſuos regat & conſoletur; Ex poſſeſſione ſepulchri ecquid in nos redundare fructus queat?

§. 18. Imperium Meſſiæ, quod Num. 22: 19. etiam prædictum eſt verbis ירד מיעקב *dominabitur ex Jacobo oriundus*, dicit Propheta fore à *mari ad mare.* Quæ verba Pſal. 72: 8. etiam occurrunt, ad quæ R. Aben Eſra ita ſcribit: אם על שלמה מים סוף עד ים פלישתים ומנהר זה פרת ואפסי ארץ זה מדבר והנחהיכיר אורך ולחבה ארץ ישראל: *Si de Salomone intelligatur, ſenſus erit, à mari rubro usque ad mare Philiſtæorum, & à fluvio Euphrates, per fines terræ vero deſertum intelligitur. Ecce vero ſic terræ Iſraëlis longitudo & latitudo commemoratur.* Judæorum gloſſam ſuam quodammodo fecit H. Grotius, qui Regis hic promiſſi dominatum terræ Iſraëlis finibus limitat, quaſi ultra hos imperii extendendi nulla fiat mentio. At cum Zachariæ verba, ut R. Salomo ſupra largitus eſt, de nullo alio quam Meſſia intelligi poſſint, cujus dominium ut Kimchi etiam docet יהיה בכל העולם *erit in toto mundo*, inde ſatis eluceſcit, ad terram Canaan Imperium reſtringendum non eſſe. Hinc Rabbi Aben-Eſra l. cit. ſtatim ſubdit: ואם על המשיח מים הדרומי הנקרא הים הארום אל ים הצפון שהואם אוקיאנוס ומנהר נהר יוצא מעדן שהוא בתחלת המזרח ואפסי ארץ שהוא בסוף מערב: *Si de Meſſia explicetur; ſenſus erit: à mari meridionali, quod dicitur Edomi ad mare ſeptentrionale, quod eſt Oceanus. voce* מנהר *autem intelligitur fluvius ex Edene egrediens, qui ab initio Orientis profluit. Extremitates vero terræ finem Occidentis denotant.*

§. 19. Ex hiſce manifeſtum, Judæum id fateri, Meſſiæ dominium ampliſſimum fore, & eum, quaquaverſum imperitaturum eſſe. Neque obſtat, quod dicitur dominium fore *à mari ad mare*, notantur enim his verbis duæ eæque oppoſitæ terræ plagæ. ut enim Kimchi in lib. radicum ſcribit: לפי שהים הגדול לפאת מערב ארץ ישראל קראו לפאת מערב ים *quia magnum mare terra Iſraëli verſus occidentem ſitum erat, vocarunt occidentem mare.* Adeoque ſic innuitur, ab una plaga uſque ad alteram Meſſiam regnaturum, hoc eſt, ab uno loco terræ uſque ad fines ejus τὸ אפס enim notat קצות *extremitates*, ſecundum Kimchium, in lib. Rad. & in com. at Pſal. 2: verſ. 8. קץ & אפס τὸ אפס וקץ קרובים בענין *ſunt cognatæ ſignificationis.* Sic cum Dominus Matth. 12: 42. ait, Reginam Auſtri veniſſe ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς, nonnulli id ita explicant, ut ſecundum vulgi opinionem eum locutum cenſeant, quaſi ultra illam terram nulla alia tunc fuerit perſpecta & cognita, vel auxeſi aliqua & figurate locum longe remotiſſimum intellexerit.

§. 20. Complementum horum verborum Judæi etiamnum expectant, quod in noſtro Meſſia unice invenias, qui Apoſtolos Evangelium prædicare in toto mundo juſſit, *in Judæa & Samaria uſque ad ultimum terræ.* Actor. 1: 8. Atque ita ille Spiritualiter dominatur, & quaquaverſum ſubditos agnoſcit ſuos. Ut enim Tertullianus, libro adverſus Judæos loquitur: *In quem alii crediderunt, niſi in Chriſtum; qui jam venit. Cui enim alii Gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitabant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, immorantes Ægyptum & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenen Romani & incolæ, tunc & in Jeruſalem Judæi & gentes cæteræ, ut jam Getulorum varietates & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa loca Romanis, Chriſto vere ſubdita & Sarmatarum & Dacorum & Germanorum & Scytharum abditarum multarum gentium & provinciarum & inſularum multarum vobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus, in quibus omnibus locis nomen Chriſti, qui jam venit, regnat.*

§. 21. Quæ cum ita ſe habeant, patet, quantopere erret Abarbenel, qui fumum vendit Judæis dum המבשר טוב *lætum nuncium* Zachariam ita appellat, quaſi Meſſiam adhuc venturum, quem recutiti præſtolantur, polliceatur, & recipit, ſe probaturum, שלא נוכל לפרשו לא על בית שני ולא בהדך רוחני אלא על הגאולה העתידה: *nos non poſſe illud vaticinium explicare, neque de templo ſecundo, neque modo Spirituali, ſed de futura liberatione illud eſſe intelligendum.* Ut enim ſupra evicimus tempus, de quo Prophetam loqui, etiam Aben-Eſra admittit, & reliqua omnia prædicata in Salvatorem noſtrum exactiſſime quadrant, ut hodie alium expectare, ſumma inſania ſit, qua illos laborare inde etiam liquet, quod hodieque ſingulis Sabbathis Meſſiæ adventum accelerare cantico ſuo ſatagunt, identidem ingeminantes.

Surge erecta gens mea pulvere,	התעוררי מעבר קומי
Veſtes ſume ſacras munere filii,	לבשי בגדי תפארתך עמי
Iſai Bethlehemitæ;	על יד בן ישי ביתהלחמי
Præſens eſt animæ ſalus.	קרבה גאולה אל נפשי:



M. GOT-

M. GOTTLIEB ECKSTEIN
DISSERTATIO
De Lacu, in quo non est aqua ad Zach. IX: 11.
PARS PRIMA.

בשש:

Ne pagina spatium concessum transeat, statim ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίε rem ipsam بعون الله *cum auxilio DEI incipiam.*

SECTIO autem PRIMA
erit
Παρασκευαστικὴ,

Proponens cœlestis hujus κειμηλίε (α) textum originalem, (β) Versiones palmarias, nec non (γ) Analysin Grammatico-Philologicam.

§. I.



Linguam Ebræam, in familia Eberi post γλωττοσύγχυσιν conservatam, esse h. l. textum Authenticum extra controversiam est. Nam uti illa à condito mundo πρωτοκλισίαν habuit, (confer Dn. D. Waltheri præf. Gr. Ebr. Dn. D. Calovii Crit. S. pag. 310. Dn. Sennerti diss. de Ling. Ebr. &c. pag. 14. Bochartum in Phaleg. s. Geogr. S. p. 1. l. 1. cap. 15. pag. 57. Br. Waltonum proleg. in Biblia Anglica Polyglotta prol. 3. n. 3. ad 13. Dn. D. Pfeifferi Introductio: in Oriental. disquis. 1. Quæst. 111. ejusdemque Criticam S. cap. 111. sect. 2. Qu. 1. &c.) sic certo certius jamjam persuasi sumus Prophetas ad populum Israëliticum nulla alia lingua quam hac usos fuisse, quando illis דבר יהוה verbum Domini annunciarunt. Quod autem de omnibus Prophetis certum ac verum, quis illud nostro Prophetæ denegabit? præprimis cum in Bibliis S. verba, quantum ad nostrum Thema (de reliquis idem judicium) hoc modo fluant: גַּם־אַתְּ בְּדַם־בְּרִיתֵךְ שִׁלַּחְתִּי אֲסִירַיִךְ מִבּוֹר אֵין מַיִם בּוֹ׃ Quæ verba κατὰ λέξιν ita sonant: Etiam tu in sanguine fœderis tui: emisi vinctos tuos è lacu, (in quo) non (est) aqua in eo.

§. II. Allato Textu originali jam תרגומים s. Versiones accedo, loquuntur autem ordine, ut mox sequitur.

Versio V.

Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

LXX. Interpp.

Καὶ σὺ ἐν αἵματι διαθήκης σου ἐξαπέστειλας δεσμίους σου ἐκ λάκκου οὐκ ἔχοντος ὕδωρ.

Targ. Jonath. s. Paraphr. Chald.

אַף אַתּוּן דִּי עַל דְּמָא אִתְגְּזַר לְכוֹן קְיָם פְּרַקִית יָתְכוֹן מִשִּׁעְבּוּד מִצְרָאֵי סַפֵּקִית צָרְכֵיכוֹן בְּמַדְבְּרָא צְדֵי הָא כְּגוֹב רֵיקָן דְּלֵית מַיִן בֵּיהּ׃

Versio Syr.

ܘܐܦ ܐܢܬ ܒܕܡܐ ܕܕܝܬܩܝܟ ܫܪܝܬ ܐܣܝܪܝܟ ܡܢ ܓܘܒܐ ܕܠܝܬ ܒܗ ܡܝܐ܀

Versio Arab.

وانت بدم عهدك سرحت اسراك من جب لا ما فيه*

Et hoc etiam de Versionibus in præsenti. Plures facile darem, si scirem, esse emolumento nec non commodo. Hinc quod tandem tertio loco attinet את פרוש לפי הפשט expositionem Grammatico-Philologicam dat se primo loco explicandum vocabulum גם & אתּ de quibus

§. III. Est autem vox prima גם particula separata, quia per se subsistere potest, nec alia voce opus habet ad suam σύστασιν, & quidem communiter copulativa, raro discretiva, confer Psal. 129: 2. Hanc enim significationem ibi structura textus docet, nisi dicas, utrumque deprædicandum esse à fidelibus pari industria, tam Ecclesiæ concussionem, quam concussionis superationem, quam ultimam tamen David sub Ecclesiæ nomine non approbat, dicit enim לא־יכלו לי non prævaluerunt mihi, h. e. utut subinde suos innovarunt insultus, meque penitus extirpare annituntur, viribus tamen inferiores se tandem cum damno experti sunt, ut optime de hac particula locutus est B. D. Geierus in Comment. super hunc locum. Quantum ad significationem Germanicam & Latinam idem notat ac etiam, quoque, hinc recte R. David Jehos. 7. 11. גם כל לרובת omne גם venit ad augendum, Buxtorf. sub hac voce, repetita vero significat in sententiæ continuatione tum, tam, quam, & sic porro. Altera vox est nota, nec opus de ea multa dicere. Est enim pronomen separatum personale personæ secundæ, & idem ac אתה vide Grammaticas. Jam ad tertiam & quartam pervenio vocem, nempe ad בדם בריתך quæ voces quidem in uno §. essent explicandæ ob vinculum makkeph, verum ne §. excrescat, §. 4. & 5. de illis acturus sum, hinc

§. IV. Dico בדם in sanguine, esse nomen nudum formæ simplicis cum præfixo ב. Radix non adeo est nota. Buxtorfius in Lex. dicit quosdam deducere ab אדם rufus per Aphæresin, ut sic à rubedine dicatur, אדם enim est rubere, rubrum, rufum esse, hinc etiam non pauci colligunt, hominem ideo dici אדם, quia creatus fuit עפר מן הארמה pulvis de terra rubri sive argillacei coloris. De significatione & ב multa essent dicenda, sed ne vocis דם significatio varia negligenter tractetur, pauca tantum de præfixo ב in medium afferam.

feram. Significat autem illud modo *cum s. comitatum*, ut videre est ex Genes. 32: 10. 1 Sam. 1: 24. Psal. 99: 6. Jer. 9: vers. 25. &c. modo *postquam*, sic usurpatur Psal. 51: 1. quando David dicitur meditationes suas pœnitentiales consignasse בבוא in veniendo, h. e. postquam Nathan suum adventum objurgatorium indicaverat, confer Prov. 5: 3. Ezech. 3: 18. modo *per & propter*, Genes. 6: 3. 18: 28. Psalm. 5: 11. 6: 8. 7: 7. 9: 15. 31: 10. Jer. 17: 3. Jon. 1: 7, 14. &c. modo *contra* מרוכך inquit David Psal. 5: 11. h. e. rebellant contra te, vel ut Luth. reddit: **Sie sind dir wiederspenstig /** confer Gen. 16: 12. Exod. 14: 25. Psalm. 17: 7, 9. Mich. 1: 2. &c. modo *præter*, Psal. 78: 32. modo *de*, alloquar Patrem meum בך de te, 1 Sam. 19: 3. & Psal. 71. dicit David בך תהלתי de te laus mea, hinc Lutherus: **Mein Ruhm ist immer von dir /** & Campensis: quare in laudando te merito sum occupatus assidue, confer Deut. 6: 7. Psalm. 69: 12, 13. modo *pro*, designatque commodum, ut Psalm. 68: 19. modo *inter*, vide Psal. 68: 18. Coh. 2: 24. 3: 12. Mich. 7: 2. modo *juxta*, absconde te בנחל 1 Reg. 17: 3. Psal. 119: 1. dicit David, felices sunt, qui ambulant בתורה in lege, i. e. secundum doctrinam Domini. Conf. 83: 20. modo *usque ad*, Gen. 11: 4. ædificarunt turrim בשמים usque ad cœlos, confer Psalm. 36: 6. in quo loco Luth. בהשמים reddit: **So weit der Himmel ist.** Cur autem articulus in loco ultimo juxta Grammat. non extrusus, vide B. D. Welleri Spicileg. in Disp. III. Qu. 4. modo *Ex*, non relictus est בהם עד אחד ex iis ad unum (Ægyptiorum nullus) Exod. 15: 28. confer Levit. 26: 36. Psal. 139: vers. 16. modo *præ & ante*, Genes. 20: 18. Psal. 139: 11. &c. Et hæ sunt significationes potiores § ב, confer B. D. Geierum in Comment. super Ps. Hacksp. in Notis Philologico-Theologicis & alios qui eandem pertractarunt materiam. Et hinc redeo ad vocem דם, ac dico significare proprie sanguinem corporis, hinc Zipora ad Mosen: חתן־דמים אתה לי sponsus sanguinum tu mihi sc. es. Exod. 4: 25. non acsi hoc cum indignatione fecisset, Mosenque Tyrannum vocasset, uti Andr. Rivet. h. l. putat, sed indicat his verbis, Mosen summo jure ejus sponsum vocari, quia nempe eum sibi tam summo pretio de novo, liberos circumcidendo, conjunxisset. De propria autem significatione, quia inventu facilis, pervenio ad impropriam, quæ ut recte intelligatur, observentur sequentia. Scilicet notat vox דם in sacris (א) mortem, eamque vel *naturalem*, uti videre in Psal. 30: 10. quando David quærit: quæ utilitas בדמי in sanguine meo, id est: quod putas tibi commodum ac emolumentum ex discessu meo futurum? vel *violentam*, לא תעמד על־דם רעך non stabis super sanguine proximi tui, inquit Dominus Levit. 19: 16. hoc est, non promovebis cædem ejus; sanguis alias (mors ista) polluet terram, uti loquitur Num. 35: 33. tuque דמים audies i. e. reus fies cædis Esai. 33: 15. Et eandem vocis significationem intendunt Nautæ, Jonæ 1: 14. quando precantur: ne ponas Domine super nos דם נקיא sanguinem innocentem, hoc est, ne mortem ac cædem Jonæ nobis adscribas, neve damnum propter illum immittas, inviti ac nolentes in mare eum præcipitamus. Conf. 2 Sam. 16: 7. Psalm. 5: 7. 55: 24. Prov. 29: 10. ubi Vir sanguinum idem ac homicida, aut vir fundendi sanguinis cupidus, & Genes. 9: 6. est sanguinem effundere idem quod occidere, quia homines plerumque effuso sanguine in ejusmodi cæde pereunt. De morte Christi nil dico, eam enim in N. T. per sanguinem indicari notum quam optime, confer. Matth. 23: 30. 27: 6, & 24. confero me ad *mortem spiritualem æternumque exitium ac perditionem*, quæ etiam voce דם in sacris exprimitur, ודמו מידך אבקש & sanguinem impii inquiram de manibus tuis, inquit Dominus ad Ezech. cap. 3: vs. 18. conf. Actor. 19: 6. 20: 26. (ב) notat vox דם hominem ipsum, quando David Psalm. 94: vers. 21. dicit: ודם נקי ירשיעו & sanguinem innocentem condemnant, hoc est, nonne כסא הוות thronus iniquitatis associabitur tibi, quando inter alia scelera hominem innocentem morti addicit ac necat? Et hanc significationem non tantum Græcus imitatur, uti videre est ex Matth. quando Judæ Proditoris verba refert, dicentis: Ἥμαρτον παραδοὺς αἷμα ἀθῶον peccavi, prodens sanguinem innoxium, h. e. hominem innocentem, verum etiam Germanus sic loqui amat, quando hominem juvenem nominat **das junge Blut.** Conf. B. D. Geierum super Psal. modo cit. (ג) notat vox דם etiam omnivaria scelera & flagitia, nec non pœnam reatumque ex effusione sanguinis vel alia re contractum. De prioribus nempe flagitiis loquitur Esai. cap. 1: vers. 15. 59: 23. quando dicit: manus vestræ דמים מלאו sanguine h. e. flagitiis ac sceleribus plenæ sunt. Oseas quando cap. 4: 2. dicit: ודמים בדמים נגעו & sanguines in sanguinibus tetigerunt h. e. ut Chald. reddit: peccata peccatis aggregantur, & B. Lutherus: **es kompt eine Blutschuld nach der andern.** Et licet nonnulli per דמים intelligant cædem sive sanguinis effusionem violentam, ut sensus sit: cædes aliæ aliis contiguæ, s. cædes cædem sequitur; multos enim non solum ex Regibus post Jeroboami & filii mortem sublatos, verum etiam alia vulgaria homicidia ac inhumanitatis summæ documenta plura valde frequentia tunc temporis in populo Israelitico fuisse notum est tam ex libris Regum quam ex Jes. 1. Amos 2: 6. Mich. 1: 2. 2: 1. 7: 2. Verum quia Propheta jam ante homicidium redarguit, melius fortassis erit hoc in loco cum Ribera, Hieronymo & aliis, qui hæc verba ita explicant, augent peccata peccatis, & vetera novis accumulant, per דמים synecdochice intelligere omnia graviora peccata, quorum species una est effusio sanguinis, quia sanguis in genere scelus notare solet. Vide Magnif. D. D. Calov. nec non Tarn. in h. l. Posterius autem, nempe pœnam ac reatum notare vocem דם confirmat David, quando Psal. 51: vers. 16. à Deo petit liberationem מדמים à sanguinibus, h. e. à reatu ac pœna, quam כאשר־בא אל בת־שבע cum venerat ad Batsabæam, sibi attraxerat, confer 2 Sam. 11. Deus idem confirmat Levit. 17: vers. 4. quando in fonte sic loquitur: Sanguis (sanguinis reatus) imputabitur viro illo, h. e. non à terra sanguis ille abscondetur ut verbis Jobi cap. 16: vers. 18. utar, sed ultionis postulabitur. דמים insuper notare prædam ab hostibus nactam ex Psalm. 58: vers. 11. notum quam optime. Quid enim aliud vult Psaltes innuere, quando dicit: פעמיו ירחץ בדם הרשע **er wird seine Füsse baden in dem Blut des Gottlosen /** uti vertit Luth. quam quod vers. 12. promittit dicens: אך־פרי לצדיק utique fructus justo, vel ut Bileam loquitur Numer. 23: 24. ודם־חללים ישתה sanguinem occisorum bibet.

§. V. Quod nunc bono ordine attinet vocem ברית, ex Grammaticis notum est, esse nomen ipsum ac idem significare quod Latinorum fœdus aut pactum. Radicem autem quod concernit, dicit Buxtorf. eandem posse deduci vel à ברה elegit, quia eligendæ personæ inter quas & res, propter quas fœdus initur, vel à ברא quod verbum in Pih. notat præcidit, exscidit, quia nempe victimæ in fœderibus pangendis cædi solebant, vide Gen. 15: 10. & confer Philippi Caroli Neoburgo-Palatini Antiquitates Roman. in illis enim expresse dicit, libr. III. cap. 12. pag. 94. quod feciales ad pangenda fœdera adhibiti, porcum firmato fœdere mactassent saxo silice, exitium imprecantes illi, qui prior fœdus violasset. Qui plura cupit evolvat B. Geieri Comment. in Psal. inprimis L. v. 5. fol. 889. Confero me ad significationes § ברא in sacris, excepta propria, usitatas. Jer. 33: 20. sumitur per metaph. pro ordinatione divina, statutoque Dei, quando verba in fonte sic fluunt: אם־תפרו את־בריתי היום ואת־בריתי הלילה Si irritum facietis, vel poteritis fœdus meum (ordinationem meam) diei & fœdus meum noctis, etiam fœdus meum irritum fiet cum David &c. Deinde notat etiam legem Dei, hinc ספר הברית liber fœderis idem ac liber & volumen legis Exod. 24: vers. 7. & דברי הברית verba fœderis idem quod decem verba s. decalogus, vide cap. 34: vs. 28. lib. cit. & conf. Deut. 9: 9. c. 29: 9. Jer. 11: vers. 2, & 4. Dotis tabulæ vel Germanice **die Ehestifftung** in sacris quoque per vocem hanc exprimitur, ut videre est Prov. 2: 17. & Malach. 2: 14. vocatur mulier אשת בריח uxor fœderis. Quare tandem ab Ebræis fœdus dicatur ברית מלח fœdus salis non omnes idem statuunt. Paulus Fagius dicit ad dict. 2 Paral. 13: 5. firma pacta appellata fuisse pacta salis, quamvis ad cap. 18. Numer. vers. 19. dicat, pactum salis idem esse ac firmum & perpetuum, addit tamen & incorruptum. Verum enim vero quid opus multas in medium proferre sententias, cum hæc locutio optime à B. Luth. in notis ad Numer. 18: vers. 19. explicata sit. Allusit enim Spiritus S. sine dubio ad vim & naturam salis omnia à corruptione & putrefactione conservantis juxta illud vulgatum dictum: Sole & sale conservantur omnia, ut adeo pactum salis nihil aliud sit, quam pactum incorruptum, **ein unverwesentlich Bund /** uti vertit Lutherus. Plura non addam, conferatur Flacius in Clave Scripturæ sub voce Testamenti, Botsac. in moralibus Gedan. sub voce fœderis, nec non Raupius in Bibl. portatili, ubi quamplurima de voce fœderis & Testamenti collegit.

§. VI. In hoc §. mihi nonnulla dicenda de verbo שלחתי & voce אסירך. Illud est prima pers. sing. præt. Pih. à radice שלח, & notat in Kal misit, in Pih. autem dimisit, ejecit, expulit &c. præter has autem significationes notiores admittit quoque sequentes. (α) Significat alicui functionem aliquam demandare לא שלחתי את־הנבאים non misi Prophetas (falsos) & ipsi (tamen) cucurrerunt, h. e. non dedi verba his ad populum meum, & tamen נבאו prophetarunt, inquit DOMINUS Jerem. 23: 21. Exod. 4: 13. ead. habetur significatio, quando Moses

Moses ad Filium DEI dicit: בי ארני שלח־נא ביד־תשלח in me Domine mitte quæso per manum mittes, s. quem missurus es, illum mitte, h. e. ablega alium. Per quem mittendum autem nullo modo Moses intelligit Messiam, ut quidam volunt, asserentes Mosen his verbis testari suum desiderium, quo erga Messiam ejusque adventum flagrasset, & indicare quid de Messia crederet, nempe eum rectius fore mandatum expediturum, quam ipse fortassis facturus, sed sciendum est, verba hæc esse deprecantis & indignantis, non precantis aut optantis: esse impatientis, non votum facientis, uti liquido ex contextu patet. δέομαι reddiderunt LXX. κύριε προχείρισαι δυνάμενον ἄλλον, ὃν ἀποστελῆς, sende welchen du wilt/ nur mich nicht/ h. e. elige ad officium hoc expediendum quem vis, modo non me, succenseam nec tibi nec illi. (β) notat extendere manum שלח ידך extende manum, dicebat DOMINUS ad Mosen l. cit. v. 4. confer c. 22: 8: 11. (γ) quando secum habet vocem manus notat etiam aliquem interimere, vid. Genes. 22: 12. 37: 22. Psal. 55: 21. Germani dicunt, Sie haben die Hände an ihn gelegt/ (δ) declaratur verbum hoc per יצא vel הוציא exire vel progredi facere, vide Psalm. 110: vers. 2. & confer Textus parallelos inprimis Jes. 2: 2. Mich. 4: 2. in his enim dicitur, quod lex & verbum Domini exeat è Jerusalem. (ε) Usurpatur pro indicare ac denunciare, non audivit Rex filiorum Ammon verba Jephtæ, אשר שלח אליו quæ misit illi, h. e. quæ illi annuncianda curavit, inquit Spiritus S. Judic. 11: 28. (ζ) legitur verbum hoc Malach. 2: 16. pro repudiare uxorem. Qualis autem in loc. cit. sensus sit, potest videri Magnif. D. Calovius in Bibl. illustr. Hackspan. in Notis Philolog. Theolog. super Malach. cap. 2. pag. 1076. seq. Pfeif. in D. V. p. 977-980. Raupii Comment. Synopt. in Proph. Malach. pag. 468. seq. de Judæorum divortio & libello repudii Buxtorfius in Synag. Judaica cap. XI. Edit. tertiæ pag. 642. seq. Casaub. ad Nov. Test. pag. 98. Theoph. Spizelius de Israelitis Amer. p. 107. Sequitur altera vox nempe אסיריך. Quæ nomen subst. cum suff. ךָ Nominat. est אסיר rad. אסר, quæ non tantum de vinculis sensibilibus usurpatur, sed transfertur etiam ad vincula moralia, confer Num. 30: 4. seq. & B. Geier. in Comment. super Psal. 105: 32. & 119: 27. Nomen autem significat vinctum, captivum ac incarceratum, vide Esai. 14: 17. ubi de Rege Babyloniæ dicitur, eum non aperuisse אסיריו ביתה vinctis domum, h. e. carcerem. Domum enim captivorum sumi pro loco illo videre est ex Judic. cap. 16: vers. 21. in quo carcer Simsonis vocatur בית האסירים domus vinctorum, conf. קהלת s. Eccles. cap. 4: 14. Captivi autem (אסירי התקוה) spei dicuntur illi, quibus omnis liberationis spes nondum uti captivis mortis, est præclusa, vide Magnif. D. Calov. in Bibliis illustr. super Zachar. cap. 9. vers. 12.

§. VII. Venio nunc ad vocem מבור. Ne autem in re nota prolixus sim, statim me confero ad indicandas vocis hujus significationes. Designat nomen hoc generaliter voraginem vel capacitatem aliquam inferiorem, vide Exod. 21: vers. 33. in specie vero accipitur (1.) pro cisterna vel ruri vel domi effossa ad colligendas eo aquas pluviales, vel etiam, quantum ad prius membrum, ad capiendas inibi feras, vide Genes. 37: vers. 20. seq. Jerem. 2: 13. 2 Sam. 23: 15. Jerem. 41: vers. 7. 2 Sam. 23: vers. 20. Ezech. 19: vs. 4, 8. (2.) Notat carcerem præprimis subterraneum, vide Jes. 24: vers. 22. Jerem. 38: vers. 6. Et Exod. 12: vers. 29. dicitur, quod omnis בכור primogenitus à filio Pharaonis sedente (sive sessuro. Intelligitur enim jus ad rem, non jus in re,) super throno usque ad primogenitum השבי אשר בבית הבור turbæ captivæ, quæ in domo lacus, vel ut Exod. 11: vs. 5. interpretatur à Mose, quæ אחר הרחים post molas, hoc est, in carcere, ut notum, à Deo fuerit occisus, h. e. non tantum summus & nobilissimus, verum etiam imus ac abjectissimus ab Angelo percussore neci fuit datus. Hinc non raro fit, ut vox בור metaphorice æternos damnatorum designet carceres, aut etiam mortuorum mansiones vel sepulchra, vide Prov. 1: 12. Psal. 30: 4. 88: 7. Jes. 14: vers. 15: 19. Es. 24: 22. Ezech. 26: 20. 31: 14, 16. (3) Significat in sacris multam miseriam inprimis calamitates spirituales, vide Psalm. 40: 3. 88: 7. &c. (4.) notat fraudes & insidias, quas homo homini struit ac ponit, hinc David Psal. 7: 16. inquit בור כרה lacum aut puteum aperuit (non aliter ac venatores solent feris, effodiendo fossas, easque materia fragili & ramentis operiendo, nec non escam ex. gr. anatem vel agnum balantem suspendendo, quo facilius cibum inhiantes in venatoris veniant potestatem) sed incidit in foveam, quam fecit, h. e. ut ipsa Davidis verba vers. seq. sonant: insidiæ & calamitates, quas aliis excogitavit ac molitus est, in ejus caput reciderunt, vel ut Hesiod. habet: ἡ ἢ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Qui plura de voce בור desiderat, evolvat Dorsch. p. 1. Theol. Zach. pag. 94. & de יורדי בור pag. 131.

§. VIII. Nunc sequitur vox מים, quæ est nomen duale, minime singulare, ut quidam affirmant ac docent, licet illos satis bene servilis terminatio ים & mutatio confundat. Quando autem nos nomen duale esse putamus, præeunte Clar. Schindl. in pentagl. & Buxtorf. in Lexico, facimus illud non tam ob aquas gemellas inferiores puta ac superiores, (de quibus ex Genes. 1: 6. seq. facile aliquid dicendum. Verum quia non est nostri instituti ex professo de illis agere, remittimus ad utriusque opinionis Authores benevolum lectorem) quam ob formationem Grammaticam, vide D. D. Pfeiff. introd. in Orient. dissert. V. Qu. XX. & illic Authores, inprimis Patronum nostrum venerandum, Excellent. Dn. Sennertum ad Psalm. 1. qu. VIII. cit. Redeo ad nostrum institutum ac scopum, sumitur autem vox מים dupliciter proprie & metaphorice. Proprie sumta notat aquam physicam ac naturalem, eamque vel suavem ac sanam, vel insalubrem ac mortiferam, vide præter alia loca quam plurima Historiam Elisæ, quando המים רעים aquæ pessimæ in regione Jerichuntina בציון כפלגי־מים ut rivi aquarum in deserto (Esai. 32: 2.) h. e. gratæ & salubres consilio & mandato divino è fonte promanarunt, 2 Reg. 2: vs. 19. conf. Exod. 15: 24, 25. 17: 6. Numer. 20: 2. figurate autem sumta significat (a) εὐπορίαν copiam ac abundantiam, partim *bonorum corporalium*, vide Esai. 12: vs. 3. quando Deus dicit: ושאבתם־מים בששון ממעיני הישועה haurietis aquas cum gaudio ex fonte salutis, h. e. habebitis copiam pacis & felicitatis à Deo bonorum datore, partim *spiritualium*, uti videre est ex Esai. 16: vers. 17. quando Propheta ait: pauperes & egenos, quærentes מים aquas, h. e. consolationem ac pacem conscientiæ nec non omnis generis bona spiritualia, exaudiet Dominus dabitque illis petita, quæ promissa etiam sunt consecuti, uti ex consequ. patet, conf. cap. 44: 3. c. 55: 1. Jer. 2: 13. &c. (b) notat vox מים adversitates, calamitates nec non magna multaque pericula, באנו באש ובמים transivimus per ignem & aquam, h. e. in extremis eramus periculis, ubi vel concremandi, vel suffocandi videbamur, inquit Ecclesia Psal. 66: 12. מים aquæ, inquit Messias Psal. 69. venerunt ad animam vel vitam, h. e. periculum vitæ mihi imminet gravissimum, quale est prolapsorum in aquas, qui frustra reluctando merguntur aut ab aquis misere jactantur, nullibi vel pedibus vel manibus occurrente aliquo corpore solido, cui innitantur, uti quam optime super Psal. cit. locutus est B. Geier. in Comment. super Psalmos. Confer Psal. 32: 6. Jes. 28: 2. 43: 2. (c) designat magnum populum copiosumque exercitum הנה־מים עלים מצפון Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, hoc est, multi militum veniunt è Babylonia, inquit Jer. cap. 47: 2. confer Esai. 8: 7. 12: 11. 15: 12, 17. Hinc etiam aliam aquam bibere, idem ac vanum auxilium extra Deum in calamitatibus quærere, Jerem. 2: 18. (d) metonymice sumta notat vel principium & originem alicujus rei, vide Esai. 48: 1. vel principiatum aut id, quod ex aliquo procedit. Ex gr. quando Numer. 24: 7. à Bileamo de Israelitis dicitur: יזל מים מדליו promanabit aqua ex situlis, nihil aliud indicat, quam magnam liberorum procreationem, perinde ut aquæ è fonte provolutæ in plurima sæpe ac magna erumpunt flumina. Tandem (e) notat hæc vox Synechdoch. lacrymas, מי יתן ראשי מים quis dabit capiti meo aquam, quærit ac dicit Jerem. 9: 1. hoc est, ô utinam caput meum fit aqua vel plena lacrymis, conf. vs. 2. De aqua quando notat animum fractum ac tristem Jos. 7: 5. Ezech. 7: 17. item de aqua levitica & lustrali, quæ vel Sacerdotes lavabat, Exod. 30: vs. 18. vel innocentiam mulieris explorabat, (hinc dicta aqua amara vel ob amaram Viri suspicionem, vel amarissimum mulieris fontis cruciatum ac periculum) item de aliis vocis מים significationibus nil dicam, cum omnia ex sacris nota quam optime. Et ad hanc classem refero etiam אין & בו, quorum primum non, alterum in eo significat.

PARS POSTERIOR.

בּגּה

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

Hactenus in disputatione prima, quæ præter spem & opinionem excrevit, considerandam dedimus dicti nostri

SECTIONEM

παρασκευαςικὴν,

Quæ Textum authenticum, Versiones celebriores, nec non Analysin Grammatico-Philologicam pro virili tradidit, exhibuitque. Ordinis nunc instituti ratio poscit, efflagitatque, ut post primam ad secundam tertiamque nos conferamus sectionem. Illa autem sensum orthodoxum ac genuinum, hæc heterodoxum, minusque accuratum exponet. Quid enim conduceret Textum Originalem cum Versionibus, nec non Analysin, variasque evolvisse vocum verborumque significationes, si nunc Lectori, qui alias dubius nostræ sententiæ maneret, non dicatur, quid hic in Textu nostro sit assumendum, rejiciendumque. Inprimis, quia Adversarii, Textu originali posthabito, ex Versionibus tot ac tantas contrarias eruunt sententias, ut haut facile dictu, hæc aut illa verum nobis adfert sensum. Nec mirum. Nota est Versionum conditio, variis exposita sunt erroribus. Sæpius à Textu recedunt, & licet à Viris doctis sint profectæ, hincque utiles & laude dignæ, nunquam tamen perfectæ sunt, sed semper aliquid ex humana imbecillitate trahunt; cum nihil tam accurate ab hominibus ut hominibus elaborari possit, in quo non aliquis nævus appareat. Ut rectissime de hac re disserit Hackspan. in Proleg. ad Part. secundam Notar. Philol. Longe aliter autem se res habet cum Viris, θεοπνεύςοις, hi locuti sunt ὑπὸ πνεύματος ἁγίȣ φερόμενοι, ut Petrus loquitur. Sane qui Versionibus plus justo tribuit, Textumque originalem negligit, facere haut potest, quin graviter erret, aliosque secum errare faciat. Id quod facile probandum. Authores Vers. 5. Syriacæ & Arabicæ aliarumque, it. Patres secuti sunt, ut in aliis ita quoque in nostro dicto, haut dubie LXX. Interpp. translationem, ut antiquiorem, verum infelici gressu. Quia enim hi in sua versione infinita παροράματα, orta, ut Pfeif. in Crit. S. loquitur cap. 11. de Vers. gr. §. 12. tum è confusione & neglectu elementorum, tum integrarum vocum & phrasium distractione, diversarumque conjunctione, locorumque XIII. vel ut alii XIV. mutatione (cui culpa an eorum Codici an Autoribus, quod probabilius, adscribenda, vide Hott. Thes. lib. 1. cap. 3. sect. 3. quæst. 5.) habent, evenit, ut turpiter non raro lapsi alios etiam in errorem adduxerint. Conf. D. Pfeif. libr. & in eo Authores cit. §. 15. & sect. 2. quæst. 1. & seq. huj. cap. Et cum itaque res quoque cum Versionibus in nostro dicto sic se habeat, nemo nobis vitio dabit, si in præsenti disputatione secunda non tantum de genuino sensu, verum etiam de falso nonnulla dicemus, quo illud luce meliori radiat. Dabimus operam, in quantum fieri poterit, ne adeo nimis falcem in alienam messem mittamus. Deus, qui nos è lacu infernali, mittendo filium suum emisit, mittat & nunc cœlitus Spiritus Sancti παράςασιν, ut omnia nostra cœpta vergant in sui gloriam, proximi commodum, nec non nostri ipsius emolumentum. Fiat!

SECTIO ALTERA

Κατασκευαςικὴ,

Proponens ac ostendens hujus oraculi genuinum sensum.

§. I.



Quæ hactenus de origine ac vocum significatione in medium protulimus, non parum lucis conciliabunt sententiæ orthodoxæ, quam in hac Sectione secunda σὺν Θεῷ pertractabimus. Antequam autem verba ipsa aspicimus, non immerito quæritur, quis hic loquatur, Deus Pater, an vero Deus filius? quando verba sic sonant: Tu quoque in sanguine fœderis tui &c. B. Dn. D. Dorscheus refert verba hæc Syn. Theol. Zach. cap. 3. vers. 11. ad Filium Dei, ac si ille per Prophetam ad populum locutus fuisset, verum quando Magnif. Dn. D. Calovius verum sensum hujus oraculi exprimit, dicit ad hunc loc. *Etsi non multum interesse videatur ad verborum sensum indagandum, loquaturne verba illa Deus Pater, an vero Deus Filius, non tamen hæc esse Dei Filii, sed Dei Patris, ex eo luculentum est, quod loquatur ille vs. 10. de Filio tanquam de alia persona: Ecce Rex tuus veniet Tibi. Interim verba hæc DEI Patris introducere Filium DEI, ante observavimus.* Hæc ille. Confer pag. 978. b. cit. loc. num. 3. Ex quibus Verbis satis luculenter patet, quis ille loquens nempe Deus Pater. Nunc redeo ad verba ipsa. Per את tu, quod Chaldæus per אתון vos, Syrus per ܐܦ Arabs per وانت reddidere, intelligitur ἀμέσως Filia Sionis & Filia Jerusalem, quarum paulo ante mentio facta, suntque fœminina, ad quæ uti suffixum pronomen ita fœmininum pronomen optime potest referri. Ἐμμέσως autem intelligitur per vocem *tu* tota Ecclesia Catholica, uti ex Theologia notum. Porro innuitur per בדם בריתך non illud fœdus, quod Deus partim immediate per ipsum Dei Filium ἄσαρκον, partim interveniente Mosis ministerio solenniter cum antiquis patribus sancivit, obsignatumque fuit sanguine pecuino typico, sed intelligitur illud fœdus novum, quod Deus per Messiæ ministerium sancivit, ejusdemque sanguine obsignavit, ideo enim additur vox דם, ut ostenderetur, sine sanguine nullam fieri posse redemtionem. Quod autem fœdus adscribitur filiæ Sion, fit illud propter relationem. Nam fœdus potest referri & ad Deum, & ad Ecclesiam. Ad illum ratione termini à quo & αἰτιολογικῶς, ad hanc ratione termini ad quem & ἐκβατικῶς seu ratione finis ac emolumenti. Est itaque sensus verborum priorum hic: (posteriora ad hæc non esse referenda, ut Versiones pleræque & Adversarii non pauci suadent, quando sic verterunt verba Prophetæ: Etiam tu ô MESSIA in sanguine fœderis tui emisisti vinctos tuos &c. ex sectione tertia erit perspicuum.) Etiam tu eris (verbum substantivum in fonte omissum tollit ἔλλειψιν) in sanguine fœderis tui, q. d. Filia Sion amplum quidem habes cam-

campum lætandi ob adventum Messiæ, verum quando considero, quod in sanguine ejus, qui est sanguis fœderis tecum initi, etiam futura es beneficiorum sanguine ipsius partorum concors & particeps, non minorem nanciscor occasionem te his verbis alloqui: *O filia Sion, quia etiam es in fœdere Messiæ, exulta non minus quam maxime.* Conf. Magnif. Dn. Calovii Comm. cit. p. 977. b.

§. II. Sensu verborum priorum pro virili eruto, notandum porro, quantum ad ultima DEI Patris verba, per verbum שלחתי emisi nihil aliud quam promissionem divinam de liberando genere humano indicari, vi cujus in Veteri Testamento promisit se velle, cum venisset τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, emittere vinctos è lacu, puta non quoad λύτρου persolutionem & meritum, hoc enim peregit Filius à Patre missus, quando scilicet soluto λύτρῳ nos redemit, confer Psalm. 68. vers. 7. Esai. 17. vers. 6. 19: 8. 61: 2. sed quoad λύτρου soluti acceptionem & beneplacitum. Stat ergo præteritum pro futuro ex more Prophetarum, qui ob certitudinem res futuras in præterito efferunt. Conf. Esai. 7: 14. 9: 6. 53: 4. Et his observatis quilibet videt, quid per emittendos, quidve per lacum intelligendum. Per illos, quos Syrus vocat ܐܣܝܪ̈ܐ (sing. est ܐܣܝܪܐ rad. ܐܣܪ ligavit) & Arabs اسري & h. l. اسرا (à sing. اسير & rad. اسر quæ idem ac ligavit,) non corporaliter, sed spiritualiter ligati ac vincti intelliguntur, hoc est, homines peccatis tanquam catenis plusquam ferreis, Psal. 18: vers. 6. Proverb. 5: vs. 22. constricti. Per hunc, scilicet lacum, qui à Syro voce ܓܘܒܐ ab Arabe voce جب (à rad. جب resecuit, castravit) interpretatur, uti videre est sub initium disputationis nostræ, ubi hæ versiones cum reliquis adscriptæ, nihil aliud indigitat Deus, quam statum damnationis & miserias ad illum pertinentes. Nam hic est ille locus, in quo non aqua consolationis & refrigerii, nulla spes salutis, sed sulphur atque ignis, nec non tenebræ, conf. Esa. 60: vers. 2. Luc. 1: vers. 79. Roman. 11: vers. 21. Ephes. 4: vers. 18. Et hanc interpretationem confirmant non tantum Patres, verum etiam recentiores Ecclesiæ Doctores. E Patribus possunt conferri, Hieronym. Theophylact. in Comment. in XII. minor. Prophet. ad h. l. Cyrill. Alex. in XII. Prophet. fol. 1616. Augustinus, qui ultimus L. 18. C. D. cap. 35. ait: Mihi videtur non eo significari melius, nisi humanæ miseriæ siccam profunditatem, ubi non sunt fluenta justitiæ, sed iniquitatis lutum. Quod etiam confirmat Agibardus Lugdunensis Episcopus, & Regni Aquitanici s. Arelatensis Primas sec. oct. in Tr. de Trinit. & Christo, quando pag. 338. de lacu ἀνύδρῳ sequentia tradit: Hic locus suppliciorum (gehenna) dicitur, & lacus, in quo non est aqua, sicut per Zachariam dicitur: Tu quoque &c. Et per Ezech. Regem justum Esai. 38. Et Remigius Sec. 9. Tom. 9. part. 1. Biblioth. S. Patrum Colon. pag. 602. sic habet: Eduxisti vinctos tuos, id est, sanctos, qui vincti tenebantur, de lacu, in quo non est aqua: id est, liberasti eos de inferno, in quo nulla est misericordia. Confer Magni Scherzeri Theologi & Doctoris apud Lipsienses hodie Primarii, Disputat. de Purgat. exusto §. 28. seq. & in eo B. Dorsch. Theolog. Zach. P. 1. fol. 119. seq. cit. Nunc quod attinet recentiorum Doctorum Testimonia, dicit Magnif. Dn. D. Calov. l. cit. plerosque omnes Nostratium, si B. Johannem Tarnovium forte excipias, hanc emissionem intelligere de liberatione ex inferno per sanguinem Messiæ tunc temporis præstanda. Confer B. Dorsch. l. cit. E Reformatis in censum venit Johannes Piscator in h. loc. Officium sacerdotale, dicens, declaratur vers. 11. ex tribus argumentis vid. ex modo agendi, ex fine & ex effectu. Modus agendi positus fuit in oblatione proprii sanguinis: finis fuit confirmatio fœderis inter DEUM & Electos: effectus fuit & est liberatio à vinculis peccati & potestatis diaboli. E Pontificiis unicum tantum afferam. Redit Propheta ad CHRISTUM, inquit Georgius Ederus in œconom. Biblior. l. 2. Tab. 238. ac ejus adventum describit quatuor modis: *Non fore eum bellatorem, neque super equum, sed super asinum ingressurum,* vers. 9. *non habiturum arcum aut quadrigam, sed pace acquisiturum dominium* vers. 10. *Non denique liberaturum populum per sagittam & arcum, ut falso expectant Judæi, sed per sanguinem proprium redemturum* vers. 11. Et hæc ille. De Judæis non paucis res etiam est certa, dicunt enim in Prologo Echa Rabbathi: DEUS sanctus & benedictus promisit nobis se erepturum nos de gehenna per meritum circumcisionis. Et ubi hoc dixit apud Zachariam dicentem: etiam tu &c. Qui plura lectu dignissima de hac materia desiderat evolvere, conferat Auth. cit. & Ursini pass. quadrup. part. 31. typum sec. pag. 174. seq.

SECTIO TERTIA

ἀνασκευαστική,

Exhibens ac rejiciens

Versiones & Auctores contrariam hujus dicti proferentes sententiam.

§. I.

Ne plane illa opinio de Textus hujus corruptione intermittatur, paucis eandem in hac §. reliqua autem dubia §§. subsequentibus, quantum fieri potest, tangam. Textum hunc corruptum à Judæis clamat Sanctius. Alii Pontificiorum de librariis id intellectum volunt, quando dicunt fœminina in fonte pro masculinis, & verbum emisi primæ personæ pro secunda esse positum, siquidem ex Hieronymo, aliisque veteribus, it. ex LXX. Syri & Arabis interpretationem illud colligendum. Verum respondeo (1.) quantum ad Judæos, illis nullo modo posse adscribi ne unius Textus corruptionem (alia res de explicatione) ne dicam hujus nostri Textus. Nam notum est, Gentem Judaicam tantum laboris, tantum diligentiæ in evitanda bibliorum corruptione impendisse, ut centies mortem oppeterent potius, quam sua culpa tantilla periret literula. Nonne ea de causa omnium sacrorum codicum commata, voces, ipsasque adeo literas numeravere? (uti rudera Masoræ, quam non injuria sepem & munimentum legis dicunt, satis superque ostendunt ac confirmant, vide Dn. D. Pfeiffer. Criticam S. cap. 6. de Masora pag. 247. seq. & in ea ingentem Judæorum laborem.) ut non inique contra Faust. Manich. lib. 12. cap. 13. in Psal. 40. & 56. ab August. dictum sit: Judæos fuisse Christianorum scrinia, capsarios illis studentibus codices portantes, librarios, ut illi legendo proficiant, hi portando deficiant. Quid quod si neque CHRISTUS neque Apostoli hanc dicam unquam scripserunt Judæis, cur nos faciemus? nullus in hunc usque diem criminis illos potuit convincere, uti non paucis illud ostenderunt Glass. Philos. S. L. 1. Tr. 1. pag. 11. seq. Theod. Hackspan. Tr. de usu Rabbin. ad Lipmann. Nizzachon cap. 2. section. 1. pag. 293. seq. Johann. Henr. Hotting. Thes. Phil. lib. 1. cap. 2. q. 4. &c. His observatis quilibet videt, quales hi censores, qui Judæos accusatione gravant, qs. facta conspiratione V. T. hinc & hinc depravarint, cum potius divinæ providentiæ adscribendum, quod Genti huic in nostrum commodum τὰ λόγια τοῦ θεοῦ portanda commiserit. Quantum secundo attinet Librarios dico, non esse negandum illos sua negligentia atque imperitia Autores optimos mirum quantum (ut Excellentissimus Dominus noster STOLBERGIUS in Collegio Herm. MSC. sect. 3. de Criticæ parte alt. Emendatione scil. quam plurimis ostendit) depravasse, ut etiam adjuraverint illos, ut diligentius conferrent, & emendarent, quæ transcriberent, uti videre est ex Irenæo, qui ejusmodi scriptis suis adjecit formulam: (conservavit illam Eusebius lib. 5. H. E. cap. 20.) adjuro vos per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM & gloriosum ejus adventum, quo judicaturus est vivos & mortuos, ut conferat, postquam transcripserit & emendet ad Exemplar unde scripsit. Conf. Johann. à Wower. Polym. cap. 18. pag. 196, 197. num. 7. Hoc, inquam, non potest negari. Verum quale hoc argumentum: Hieronymus, Vers. LXX. Syrus & Arabs habent secundam personam, ergo Textus orig. qui primam habet, est corruptus à librariis. Nonne idem est, ac si dicerem: Sc. Sol ordinem suum neglexit, quia tot horologia aberrant. Et si hic argumentandi modus procedit in contrarium afferimus Chaldæum, R. Salomo: Galat. lib. 8. cap. 20. Pagn. & recentiores omnes, quis Victoriam deportabit? De Accentuat. in præsenti nil dico. Rebia Regius, vim incisum majus faciendi habens, additur voci ultimæ prioris sententiæ. Conf. Calov. l. cit. p. 974. b. 975. a. 977. b.

§. II. Ad sensum verborum nunc venio. Non pauci sunt qui per sanguinem intelligunt partim sanguinem circumcisionis, ut Judæi, partim victimarum, ut præter Judæos Grotius, Calvinus, Paræus & alii. Verum hoc negandum quam

maxime. Inivit quidem Deus cum Judæis fœdus, confirmavitque illud sanguine taurorum & hircorum, sed in quem finem? ut perfectam observationem in omnibus exhiberent legi, seque ipsos è lacu liberarent, nec opus dimissione divina, quæ deinde secuta, quia nemo illud fœdus servare potuit, quando scilicet novum fœdus promissum fuit sanciendum per sanguinem MESSIÆ per taurorum & hircorum in antiquo præfiguratum. Et hoc fœdus, hic sanguis hoc loco intelligitur. Hic solus est λύτρον, mediante quo homines è lacu potuerunt educi, nec sanguis circumcisorum, nec victimarum hoc præstare valuit. Uti ex Theologicis notum, nec mihi concessum plura adducere, vide CALOV. cit. nec non MULLERI Judaism. pag. 782. & 847.

§. III. ET ULTIMA.

Fuere qui negarunt per sanguinem hoc loco intelligi sanguinem MESSIÆ in tempore fundendum, certe nec pauci sunt, qui per lacum partim Ægyptum, partim Babylonem, partim limbum, partim purgatorium, & nescio quid intellectum volunt. Pro Ægypto pugnat non tantum versio Chaldaica, פרקית יתבון משיעבור מצראי *redemi vos de subjectione Ægypti*, fluunt ejusdem verba, verum etiam Grotius, nec non Balthas. Willius. Ille quando verba Prophetæ sic exponit: *Tu ergo, (ô posteritas Abrahami) cujus vinctos propter sanguinem fœderis tui (promissum sancitum Paschali victima) emisi (nempe ex Ægypto,) & emisi de cisterna, in qua non erat aqua (i. e. ex siticulosissimis Arabiæ locis) redite ad me.* Hic quando in Commentario Francisci Junii (cujus Assecla in Explicatione ante fuerat, asserens verba Prophetæ optime de liberatione Babylonica posse sumi) sententiam damnans, in contrariam abiit sententiam, intellexitque verba hæc de liberatione ex Ægyptiaca captivitate per Philadelphum facta, in quam Judæi juxta ejus mentem per Ptolomæum Lagum deducti erant. Sensus est, inquit pag. 310. Vos qui in Ægypto vincti, liberationem & redemtionem unice expetitis, eamque à DEO vestro speratis, gressum retro legite, & Hierosolymam locum & per se munitum, & vobis munitioni futurum repetite. Hæc ille. Quis hic non videt, verbis recte consideratis, utrumque errare & labi? Unicum hoc quæro ex illis, nil dicens de differentia temporis, illa erat præterita, hæc tunc temporis instabat atque futura erat, quis probabit Israëlitas in Ægypto omni fuisse destitutos aqua, (sive proprie aquam intelligas, sive aquam refrigerii) de Interpretatione WILLII inaudita, item de pretio aut sanguine nihil verborum facio, sed contentus probatione priori, si quædam potest produci, vestigia Versionis Chaldaicæ legam, alias non credo, quia scio illos neque aqua destitutos neque sanguine fuisse liberatos. Pontificii loquuntur pro limbo & purgatorio. Sed iterum quæro, (posito, nequaquam concesso, dari limbum atque purgatorium ex mente Pontificiorum,) quis probabit mihi in hoc loco esse sermonem de limbo & purgatorio? Zacharias agit de lacu, in quo non est aqua, at & in limbo & in purgatorio est aqua, juxta Bellarmini, Cottoni, Riberæ, Cornelii à Lapide, & aliorum assertum. Quando enim pro purgatorio contra limbum Bellarminus disputat, dicit l. 1. de purgat. cap. III. Etsi hunc locum adducant passim pro liberatione Patrum ex limbo, melius tamen convenit liberationi animarum ex purgatorio (1.) quia isti rectius dicuntur vincti. (2.) Quia in purgatorio non est aqua consolationis, quæ NB. est in limbo Luc. 17. hic consolatur. Sed qualis hæc Assertio ultima, mi Bellarmine? negas hoc loco in purgatorio non esse aquam, & dicis Lib. II. de Purgatorio cap. VIII. animas in purgatorio habere admixtam cum summis cruciatibus incredibilem consolationem, quomodo hæc cohærent? plura dico: Lib. IV. de CHRISTO cap. XI. ex hoc loco limbum & non purgatorium probare nitebaris. De Assertione sive ratione prima nil dico, cum certum sit animas juxta illorum assertum ex purgatorio posse non tantum ad nos in has terras proficisci, verum etiam aditum illis exinde in cœlum patere. Tandem ergo concludo: Zacharias agit de lacu, in quo non est aqua (consolationis,) in limbo, in purgatorio est aqua (consolationis.) Ergo non agit de limbo, nec purgatorio hic locus. Minor est Bellarmini, vide antecedentia, & confer præter Magnif. Dn. Doct. CALOVII Commentar. sæpius cit. B. Chemnit. Part. III. Exam. Concil. Tridentin. pag. 117. Balduin. h. l. Gerhard. Loco de morte pag. 3. 159. Dorsch. loc. cit. cap. VII. §. 85. 102. &c. Hackspanium Notis Philologico-Theologicis h. l. pag. 1051. sequ. Chamierum contract. Libr. XII. cap. XII. pag. 188. b. Et nunc ex his ad oculum patet, nec limbum nec purgatorium ex hoc loco posse probari. Manet limbus destructus, purgatorium est exustum ut in aliis sic etiam hoc loco, gaudeant in papatu Laici, sicque esse credant, erit & eis & Clericis commodo. Crumena & anima non parum lucri sentient. His finio, sit

الحمد لله رب العالمين

LAUS DEO, DOMINO ZEBAOTH.



JOH.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De XXX. Argenteis ad Zach. XI: 12, 13. Coll. Matth. XXVII: 9.

בהנ״וא:

DISSERTATIO
DE VILI ET ABJECTO
XXX. ARGENTEORUM PRETIO, QUO SALVATOR NOSTER, MESSIAS A JUDÆIS ÆSTIMATUS FUIT.

ex Zachar. XI: 12, 13.



Rophetarum minime postremus, sed vel ob illud solum vaticinium, quod in primo Hierosolymitano Concilio Apostoli, magni momenti assertum stabilituri Actor. cap. 15:16. petivisse leguntur ex cap. 9: 11. in primis habendus, Amosus, Cap. 3:7. de Dei singulari olim cum hominibus agendi consuetudine admodum significanter loquitur, dum negat, Dominum quicquam facere, quin ante סודו *arcanum suum* Prophetis manifestet. Quibus verbis, etsi ad pœnas cumprimis respicere Propheta R. Abarbaneli videatur, quibus populum prævaricatum se affecturum Deus minatur, & illas antea annunciare solitus sit: omnino tamen aliis, quæ Deus in more habuit, itidem accommodare, nulli dubitamus. In admirando enim redemtionis generis humani opere, & divina illa, ceu vocant, Oeconomia, ecquid memorabile ἐν τῷ πληρώματι χρόνου accidit, quod non multo ante Deus Prophetis suis revelaverit? Sane Messiam opera diaboli destructurum Gen. 3:15. & omnes familias per illum benedictum iri, Gen. cap. 12:3. Ex virgine Bethlehemi nasciturum, Esai. 7: vers. 14. Mich. 5:2. hominesque sui cognitione justificaturum, Es. 53: vers. 11. longe ante Prophetarum opera manifestavit, quam complementum essent nacta. Et ne forte de illius persona quispiam subdubitaret, indice quasi digito eum designavit, & tam notabilem fecit, ut nullo præjudicio occupatus lector Scripturarum eundem facile à Pseudo-Messia distinguere queat. Inter κριτήρια vero illa, quibus Messiam per Prophetas insignire & agnoscendum exhibere divinæ Sapientiæ visum est, merito & illa referenda ducimus, quæ Zacharias de eo literis consignavit. Præterquam enim, quod cap. 9:9. illum Regem asino insidentem, Hierosolymam ingressurum; & cap. 12:10. ferro transfixum iri prædixit, etiam instar Servi Judæos vili pretio eum æstimaturos, XXX. nempe argenteis, cap. 11:13. vaticinatus est. Ad quem locum Propheticum cum Euangelista Matthæus, cap. 27:9. provocet, ejusque complementum in Messia quærendum esse, ostendat, visum est Oraculum hoc accuratius perpendere. Etsi enim Theodoretus de eo scripserit, in Comment. ad cap. 11. Zach. Ταῦτα ὡς οἶμαι, οὐδεμίας ἑρμηνείας προσδεῖται, τῶν τῶν ἱερῶν εὐαγγελίων ἱστορίας ἐχούσης τούτων τὴν ἑρμηνείαν: est tamen omnino in hoc capite Prophetico, quod diligentiorem considerationem meretur, cum, ut R. Jacobus Abendana, ad Michlal Jophi, in dictum locum commentatur: הנבואה הזאת קשה הבנתה ודבריה עמוקים מאד: *vaticinium hoc intellectu perdifficile sit, & verba ejus longe profundissima.* Sane non Judæi modo, sed Christiani quoque maximopere in eo explicando desudant, & diversimode verba Prophetica, antecedentia maxime, interpretantur. Et cum N. Test. Scriptor eum locum Jeremiæ adscribat, qui tamen apud Zachariam extat, & in eo solo reperiri videtur, nonnulli eo temeritatis progrediuntur, ut etiam memoriæ lapsum haud dubitent assignare Scriptori sacro. Quod uti Christianis indignum est, ita merito nos textum recte explicaturos, de commoda utrumque Scriptorem conciliandi ratione oportet esse solicitos, ut evidenter appareat, N. T. ex V. firmissime adstrui, & V. T. per Novum aperiri, interpretatione, neque vaga, neque lubrica, vel titubante, sed certa, firma & solida. Cum vero sensus verborum cap. 11:12, 13. Zachariæ, quæ nobis consideranda sumsimus, vix percipi recte possit, nisi proxime antecedentia itidem evolvamus, uti etiam *R. Abarbanel*, ipsa veritate convictus, scribit: הנבואה הזאת כולה מקושרת בעניניה h. e. *Prophetia hæc tota argumento suo cohæret.* Et paulo post: לכן שערתיה כולה כנבואה אחת אם היות דברים רבים שבאו כל אחר באמירה בפני עצמה: *Idcirco æstimavi omnia hæc instar unius vaticinii, licet verbis multis constet, quorum unumquodque seorsim venit considerandum;* ideo omnino autumamus faciundum, ut diligentius oraculum ut & antecedentia ejus perpendamus. Verba autem Zach. 11: vers. 12. & 13. habent ita: וָאֹמַר אֲלֵיהֶם אִם־טוֹב בְּעֵינֵיכֶם הָבוּ שְׂכָרִי וְאִם־לֹא ׀ חֲדָלוּ וַיִּשְׁקְלוּ אֶת־שְׂכָרִי שְׁלֹשִׁים כָּסֶף׃ וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלַי הַשְׁלִיכֵהוּ אֶל־הַיּוֹצֵר אֶדֶר הַיְקָר אֲשֶׁר יָקַרְתִּי מֵעֲלֵיהֶם וָאֶקְחָה שְׁלֹשִׁים הַכֶּסֶף וָאַשְׁלִיךְ אֹתוֹ בֵּית יְהוָה אֶל־הַיּוֹצֵר׃ *Et dixi ad eos: Si bonum fuerit in oculis vestris, afferte mercedem meam. Sin autem, cessate: & appenderunt mercedem meam, triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illos ad figulum; magnificum pretium, quo appretiatus sum ab eis: Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad figulum.* Matthæus vero cap. 27:3. de hac re ita loquitur: Τότε ἰδὼν Ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, ὅτι κατεκρίθη, μεταμεληθεὶς, ἀπέστρεψε τὰ τριάκοντα ἀργύρια τοῖς ἀρχιερεῦσι, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, λέγων, ἥμαρτον παραδοὺς αἷμα ἀθῶον· οἱ δὲ εἶπον, τί πρὸς ἡμᾶς; σὺ ὄψει. Καὶ ῥίψας τὰ ἀργύρια ἐν τῷ ναῷ, ἀνεχώρησε. Καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο. οἱ δὲ ἀρχιερεῖς λαβόντες τὰ ἀργύρια, εἶπον, οὐκ ἔξεστι βαλεῖν αὐτὰ εἰς τὸν κορβανᾶν, ἐπεὶ τιμὴ αἵματός ἐστι. συμβούλιον δὲ λαβόντες, ἠγόρασαν ἐξ αὐτῶν τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις, διὸ ἐκλήθη ὁ ἀγρὸς ἐκεῖνος ἀγρὸς αἵματος, ἕως τῆς σήμερον. Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου, λέγοντος, καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια, τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ; καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι κύριος. *Tunc*

videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens: peccavi, tradens sanguinem innoxium. Illi vero dixerunt; quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit; & abiens laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: non licet mittere eos in Corbanam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam, dicentem: & acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israel. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

CAPUT I.

SUMMARIA.

Quomodo Vaticinii difficultas declinari, atque verus & genuinus sensus indagari queat, ostenditur. Prima explicatio Judæorum priscorum de tempore Templi primi explicantium recensita, & cum Grotii Judaizantis commento collata. Gemina R. Abarbanelis ratio Judæorum & Grotii ἐξηγήσει opposita. Altera Gorionidis & recentiorum Judæorum, AbenEsræ, Josephi Kimchi, R. Abrahami Levitæ prolixior explicatio ab Abarbanele ipsomet impugnata, & aliquot rationibus falsitatis convicta. R. Abarbanelis de Scopo Vaticinii & contextu judicium. Cap. 11. de Judæorum calamitatibus agi fatentis probatur. R. David Kimchii & Autoris libri Michlal Jophi explicatio. R. Abarbanel Christianorum explicationem nequicquam improbat. Tertia Ebræorum, eaque R. Abarbanelis, explicatio, quam explosis reliquorum Judæorum sententiis substituit, paulò post excutienda in medium affertur.

§. 1. UT vero explicationem hujus loci tam vexati, qui optimis ingeniis multum negotii facessere videtur, & Judæorum quoque cerebellum ita fregit, ut illorum Doctores præcipui à se invicem immane quantum diffideant, & in alia omnia abeant, aggrediamur; minime putandum est, tantam hic difficultatem esse, quin receptis interpretandi mediis usi, eam declinare & ex involuto quamlibet Prophetæ dicendi genere sensum verum & genuinum eruere nequeamus. Nec parum nos juvabit, si, quam se in hoc oraculo Judæi torqueant, animadvertentes, ipsum eventum vaticinii cum Oraculo hoc comparaverimus, & quam è contrario illorum interpretamenta contorta sint, neque verborum proprietati & emphasi consentanea, cogitaverimus.

§. 2. Sistunt autem se nobis omnium primo illi ex Ebræis, qui de tempore Templi primi textum explicandum esse contenderunt. Eorum mentem cum *R. Abarbanel* ipse prolixe recenseat, & quid sibi de illa videatur, deinde doceat, operæ pretium facturi videmur, si eundem audiverimus. Ita vero ille fol. 291. מהקדמוני׳ יש מי שפיר׳ הפרשה הזאת על זמן בית ראשון ומהם היו קצת חכמים ז״ל ויונתן בתרגומו ור״שי נמשך אחריה וה״רדק הליץ בעד דעתם וענינם שאמר השם לנביא שינבא על ישראל מה שהיה בהם עד גלותם על ידי נבוכדנאצר ושענין רעה הוא מקור כמו למען היה לה ברק מורטה כלו׳ שאמר השם לרעות אותם כי לא צוה לנביא שירעה אותם אלא שהאל ית׳ אמר לרעותם וכן וארעה את צאן ההרגה הוא כנוי לשם וקראם צאן ההרגה לפי שהיו כתונים להרג בחרבן וכן ואומר לא ארעה אתכם וגו׳ ואומר אליהם הבו שכרי וגו׳ כולם הם דברים בשם האל ית׳ וענין שני המקלות לאחד קראתי נועם ולאחד קראתי חובלים תרגם יונתן על חלוק המלכות שמלכות יהודה קרא נועם לפי שהיו מבית דוד זרע ברך ה׳ ומלכות ישראל קרא חובלים לפי שהיו מלכיהם בנים משחיתים מחבלים כרמים ור״שי פירשו בהפך נועם על ירבעם בן נבט שאמר לנהלם לאט וחובלים על רחבעם בן שלמה שאמר ליסרם בעקרבי׳ וה״רדק פירש שני המקלות על הנהגת ה״שי והשגחתו בעמו פעם בנועם ושכר כשהיו טובים ופעם בעונש ורעות והשחתה כשהיו חטאים ומצאנו לרב המורה בפ׳ מג ח״ב ששם פירש המראה הזאת לענין המקלות בלבד באמרו שהיה הנמשל בהם שהאומה היתה בתחילת ענינם בנועם השם והוא אשר הנהיגה והישירה והיתה שמחה בעבודתו מיושרת לזה והשם רוצה בה ואוהבה כמו שאמר את השם האמרת היום וה׳ האמירך ומנהיגה אז משה ואהרון ומי שאחריו מן הנביאים ואחר כך נעתק ענינה עד שמאסה עבודת השם והשם מאס אותה ושם לה מנהיגים מחובלים כירבעם ומנשה ודומיהם: *Ex priscis quidam sunt, qui hanc sectionem de tempore Templi primi explicarunt. Ex illis nonnulli Doctorum nostrorum extiterunt, Jonatan in paraphrasi sua, & R. Salomo eos sequitur. Quin R. David Kimchi quoque pro illorum sententia illud urget, quod Deus Prophetam jusserit vaticinari de Israële, illud, quod per Nebucadnezarem usque ad exilium eorum eis acciderat. Contendit etiam* τὸ רעה *esse infinitivi modi, veluti quum dicitur* (Ezech. 21:10.) למען היה לה ברק מורטה *q. d. Deum jussisse eos pascere. Neque enim Deus eos jussit pasci per Prophetam, sed quod Deus dixerit, nos pascendos esse, veluti dicitur* (Zachar. 11:7.) *& pavi pecus occisionis, quia scripti erant ad hoc, ut in excidio & devastatione occiderentur. Et ita ait* (vs. 9.) *non pascam vos &c. Et dixi ad eos* (vs. 12.) *date mercedem meam; quæ omnia verba sunt Dei benedicti nomine prolata. Duos baculos vero quod attinet, dum* (vs. 10.) *ait, unum vocavi* נעם, *alterum* חובלים, *Jonathan de divisione regnorum accipit, quod regnum Juda vocarint Noam, quod erat è domo Davidis, semine Domini benedicti; regnum vero Israëlis Chobelim, quia reges illorum erant corruptores* (Esa. 1:4.) *filii corruptores, corrumpentes vineas.* (Cant. 2:15.) *Sed Raschi explicat aliter, Noam de Jeroboamo, filio Nebat, ut illos paululum pasceret; Chobelim vero de Rehabeamo filio Salomonis, qui, se eos scorpionibus correpturum esse, minatus est.* (1. Reg. cap. 12:14.) *R. David Kimchi vero duos baculos explicat de regimine Dei benedicti & providentia ejusdem, quam in populum exerit, quandoque amœne & cum mercede, si pii essent; interdum vero cum pœna & malis, item excidio, cum peccatores existerent. Invenimus etiam Doctorem perplexorum cap. 43. part. 2. explicationem suam tantum figere in baculis, dum ait, iis hoc duntaxat figurate indicatum esse, populum initio in Dei gratia fuisse, & ita gubernatum, ut ipsi servire, in deliciis habuerit, ad hoc etiam rectificatum erat. Hinc Deo placuit, qui eum etiam dilexit, quemadmodum dixit Dominus,* (Deuter. 26:17, 18.) *Deum conduxisti hodie, & Deus te conduxit, & ductor ejus Moses & Aaron, & qui eos subsecuti sunt Prophetæ. Sed postea prorsus hoc inversum est, ita ut spreverint Dei cultum, & ille eos reprobaverit. Quo facto, ipsi sibi Duces posuerunt, corruptores, quales erant Jeroboam, Manasse & eorum similes.*

§. 3. Tam prolixum interpretamentum & detorsionem textus plane violentam minime in medium adducendam duxissemus, nisi ex Christianis quoque nonnemo se sisteret, & his nugatoribus priscis pollicem premere, & de integro, tanquam genuinam glossam & reliquis præferendam, commentum de tempore Templi primi nobis obtrudere conaretur. Is H. Grotius est, qui Comment. ad Zach. 11:8. Et succidi tres pastores in mense uno: sic scribit: *Cum populus ingratissimum se in Deum & Davidem ostendisset in scelerata factione Absolomi, uno in mense abstuli illos tres Principes egregios, Davidem ipsum, Adoniam Regis filium, & Joabum, fortissimum Ducem.*

§. 4. Sane hanc Grotianam τρεφλότητα, qua non futura de Messia, sed præterita figurari perhibet, longe pejorem esse Rabbinorum Glossa, ex eo patet, quod & ipsorum Rabbinorum plurimi de tempore Templi secundi totum hoc caput intelligunt, &, ut infra videbimus, per tres pastores non dudum defunctos, sed tunc adhuc superstites tres posteriores Prophetas intelligunt. Præterea R. Abarbanel octo rationibus illorum interpretamentum, qui de Templi primi tempore explicant, sibi impugnandum sumit: Quæ licet non omnes stringant, quædam tamen ejusmodi sunt, ut omnino Grotium in ruborem dare queant.

§. 5. Unam earum haud gravabimur adducere: למה הראה עתה הקדוש ברוך הוא לנביא מה שכבר היה ושהוא ראה בעיניו ובעיני אביו ומה צורך בהודיעו אותו גלות השבטים וחרבן בית ראשון אשר היה זה ימים מעטים ולעשות עליו משלים כי זה לא יעשה כי אם על העתיד להודיעו קודם היותו אבל ממה שכבר עשוהו לא תבוא ההודעה במשלים ומי לא ידע בכל אלה: *Eccur Sanctus Benedictus ille Prophetæ nunc ostenderit id, quod dudum erat præteritum, & quod suismet oculis & majorum suorum percipere poterat? Ecquid attinebat, ei revelasse exilium tribuum, & excidium Templi primi, quod tantillo tempore contigerat, & parabolice id tractare? Hoc enim non solet fieri, nisi de re adhuc futura, ut, antequam fiat, significetur. Ad rem pridem gestam vero non solet manifestatio illa parabolice adhiberi. Ecquis est, qui hæc omnia ignoret?*

§. 6. Nec illa objectio de nihilo est, quam Rabbi Salomoni opponit; Cum enim hic de tempore primi Templi hæc expo-

exposuisset, vers. 15. vero de secundi Templi tempore loqui contenderet, *Rabbi Abarbanel* eum his verbis impugnat:
אם היה שפירוש הנבואה הזאת כולה על בית ראשון איך יפרש הפרשה
שאחריה עוד קח לך כלי רועה אוילי על חרבן בית שני על ידי בני
עשו ומה ענין סמיכות זה לזה מבלי זכרון ימי בית שני ביניהם׃ סוף
דבר שהדרך הזה מהפירוש הוא דרך זר מאד בלתי מתישב׃
Si tota hæc Prophetia de tempore primi Templi loquitur, ecquomodo sectionem sequentem: accipe tibi adhuc arma Pastoris stulti (vs. 15.) *de Templi secundi excidio explicare possit, quod Edomi posteri* (Romani) *intulerunt. Ecquid significat horum conjunctio, cum nulla fiat mentio temporis Templi secundi. Ut summam rei dicam, modus hic explicandi oppido est improbabilis & minus solidus.*

§. 7. Atque ita his aliisque rationibus illam explicationem Judaicam, qua de Templo primo cap. 11. Zachariæ explicant interpretes, R. Abarbanel impugnat & evertit. Idem vero Autor ad veritatem propius accessurus, de Templo secundo Prophetam loqui evicturus, suorum complicum interpretamenta sibi impugnanda sumit, & cornicum, quod dicitur, oculos confixurus, eadem opera & Christianorum explicationem erroneam esse, demonstrare, aliamque pro illa substituere, satagit, quæ veritati magis sit consentanea. Quo ipso, cum is arma nobis suppeditet, quibus priscorum Judæorum & recentiorum sententias refellamus, tandem autem in novo adducendo commento latus suum ita nudet & imprudenter agat, ut tela nullo negotio in id vibrare queant, facere non possumus, quin eundem præ reliquis Judæis libere disputantem, quantumvis prolixiorem, audiamus.

§. 8. Sic igitur fol. 292. pergit: ואחרים פירשו הפרשה הזאת
על זמן בית שני ובראשם יוסף בן גוריון בסוף ספרו והר"אבע והרב
רבי יוסף קמחי והרבי אברהם הלוי מטוליטו"לה כמו שהגיד ממנו
הר"דק וגם אלה כולם פירשו שהרועה שראה הנביא שהיה לוקח
המקלות ומגדעם היה האל יתברך רועה ישראל עד שכתב הרא"בע
שרועיהם לא יחמול עליהם הוא ה"שי ושבא רועיהם בלשון רבים
כמו ישמח ישראל בעושיו ופירשו בן גוריון והר"אבע והרבי אברהם
הלוי הנזכר ב׳ המקלות הא׳ נועם על זרובבל ונחמיה התרשתא עמו
שעל ידם שב הבית לאיתנו והשני קרא חובלי׳ על הכהנים כי הם
בתחילה בנו בית על הר גריזים ויקראוהו מקדש בימי סנבלט החורני
ונתחתנו לכותיים ומהם יצאה מינות לעולם ולבסוף מלך הורקנוס כהן
גדול שמש בכהונה גדולה פ׳ שנה ולבסוף נעשה צדוקי ופגע בהכמי
ישראל וימיתם הוא ואלכסנדרוס בנו וארסתובלוס בן בנו והר׳ יוסף
קמחי פירשם בהפך שלקח מקל הנועם כנגד הכהן הגדול לפי ששפתי
כהן ישמרו דעת ותורה יבקשו מפיהו ונאמר ודעת לנפשך ינעם
ושלקה מקל החובלים כנגד המלך שהוא רב החובלים׳ ואמנם ואכחיד
את שלשת הרועים בירח אחד פירש בן גוריון על שררת זרובבל ובני
דוד ועל שררת החשמונים ועל שררת בית הורודוס שכולם ספו תמו מן
בלהות בזמן ת"כ שנה שהתמיד בית שני שלקוצרו בעיני הנביא קראם
ירח אחד ואמר שגדע מקל הנועם על מות זרובבל ונחמיה כי אז
נכרתה אהבה והופר הברית אשר היה ביניהם ובין מלכי פרס כשגדע
מקל חובלים על מות החשמונים והפסק ממשלתם ופי׳ עוד קח לך
כלי רועה אוילי על הורודוס ובניו ופי׳ הוי רועה האליל על אגריפס
שהביא אספסיאנוס וטיטוס על ירושלם ועל פריצי אותו הדור והנה
בכ"ז הר׳ אברהם הלוי נמשך אחר דעת בן גוריון מאין הפרש כלל
אמנם הר"אבע פי׳ שלשת הרועים על יהושע כ"ג וכהן משוח מלחמה
וכהן משנה או על חגי זכריה ומלאכי אם היה שמתו בירח אחד
ולזה נמשך הר׳ יוסף קמחי ולפי שאחרי מותם נסתלקה הנבואה
מישראל לכן נאמר אחריו ותקצר נפשי בהם וגם נפשם בחלה
בי׳ ופירש הרב רבי אברהם בן עזרא שלשים הכסף על שלשים צדיקים
שעלו עם נחמיה או ששמשו בימי נחמיה שלשים כהנים גדולים
ופי׳ גדיעת הנועם על מות זרובבל וגדיעת חובלים על מות נחמיה׃
האמנם הרב רבי יוסף קמחי פי׳ גדיעת נועם על מות החשמונים
ואבידת הכהונה ושאז אמר השם הבו שכרי כלומר שובו בתשובה
ושהיתה תשובתם שלשים יום מהאבלות שהתאבלו על הכהן הגדול
האחרון שמת ושאלה הם שלשים כסף שצוה להשליך אל אוצר בית
ה׳ כלומר שנחשב להם אותה תשובה מועטת לצדקה וגדיעת מקל
החובלים היה רמז למות אגריפס המלך האחרון ממלכי הורודוס והנה
הר׳ אברהם הלוי פירש ואומר אליהם הבו שכרי שאמר אחרי גדיעת
זרע בית דוד אל הכהנים שהיו מושלים הבו שכרי ועשו עבודתי
כראוי ושהם שקלו שלשים כסף רמז לשלשים שנה שמלכו בני חשמונאי
והם מתתיה אביהם שנה אחד ויהודה שש שנים ושמעון שמנה
עשרה שנה ויונתן ששה שנים הרי לך אחד ושלשים חסר שנה אחת
לחדשים חסרים וישארו שלשים הרי לך מבואר גם כן הדרך השני
מהמפרשים שפירשו הפרשה הזאת על בית שני׃
Alii igitur hanc sectionem de tempore Templi secundi explicant. Præcipuos inter illorum est Josephus Gorionides in fine sui libri. R. Abraham AbenEsra, R. Joseph Kimchi, & R. Abraham Levita ex Toledola, velut ex illo docet R. David Kimchi. Atque hi omnes ita explicant textum, ut Pastor, quem vidit Propheta baculos capientem & succidentem eos, fuerit Deus benedictus, Pastor Israëlis, ita ut R. AbenEsra scripserit, etiam verbis (vs. 5.) שרועיהם לא יחמל עליהם, *Pastores eorum ipsis haud parcent, Deum benedictum notari. Sic* רועיהם *in plurali numero occurrere, ut* (Ps. 149: 2.) *Israel lætatur* בעושיו. *Explicant autem Gorionides, AbenEsra & Abraham Levita, cujus meminimus, duos baculos, primum* נועם *de Zerubabele & Nehemia Tarsita, quod per ipsos Templum iterum fuerit exstructum. Alterum vero vocatum* חובלים *de Sacerdotibus intelligit. Illi enim initio Templum in monte Garisim exstruxerunt, quod Sanctuarium vocarunt, tempore Sanneballet Horonitæ, & cum Cuthæis coaluerunt, & ex illis hæresis in mundum venit. Et tandem Hyrcanus Pontifex* 80. *annis Pontificatu functus, Sadducæus est factus, & irruit in Doctores Israëlis, eosque occidit ipse & filius ejus Alexander & Nepos Aristobulus. R. Joseph Kimchi vero plane contrario modo explicat, qui baculum* נועם *de Pontifice accipit, quia labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem ex ore ejus requirent* (Malach. 2:7.) *Dictum etiam est* (Prov. 2: 10.) *Scientia animæ tuæ* ינעם *dulcuerit. Etiam baculum* חובלים *accipit de Rege, qui rectorum primus est. Sane verba* (vs. 8.) *& succidere faciam tres Pastores uno mense, explicat Gorionides de Zerubabelis dominio & Davidis posterorum, item Maccabæorum & Herodis familiæ, qui omnes defecerunt consumti à terroribus* (Ps. 73: 19.) 420. *annis, quibus Templum secundum stetit, qui ob brevitatem ejus in oculis Prophetæ mensis nomine appellantur. Ait vero verba* (vs. 10.) *& abscidi baculum amœnum, de morte Zerubabelis & Nehemiæ intelligenda, tunc enim excisum esse amorem, & irritum factum esse fœdus, quod inter ipsos fuit, & Reges Persarum. Quum vero succidit baculum* חובלים *de morte Maccabæorum & dominii illorum cessatione. Verba vero* (vs. 15.) *cape tibi adhuc vasa Pastoris stulti, de Herode & posteris ejus intelligit. Verba vero* (vs. 17.) *Væ Pastor nihili, de Agrippa, quem Vespasianus & Titus Hierosolymam duxerunt, & de latronibus illius temporis. Ecce vero in omnibus hisce R. Abraham Levita sequitur Gorionidis sententiam sine ullo discrimine. Sed R. AbenEsra tres Pastores explicat de Josua Pontifice, uncto belli, & Pontifice secundario; aut de Hagai, Zacharia & Malachia, si modo illi uno eodemque mense sini mortui. Atque hunc sequitur R. Joseph Kimchi. Et quia post obitum illorum Prophetia cessavit ab Israele, ideo dictum est,* (vers. 8.) *& anima mea irata est illis, & etiam anima illorum variavit in me. Sed triginta argenteos R. AbenEsra de XXX. justis accipit, qui cum Nehemia ascenderunt, aut de totidem Pontificibus, qui Nehemia vivo ministrarunt. Excisionem vero baculi amœnitatis de morte Zerubabelis, succisionem vero* חובלים *de obitu Nehemiæ accipit. Sed R. Joseph Kimchi excisionem amœni baculi de Maccabæis & Pontificum excidio explicat; & quod tunc Deus dixerit: date mercedem meam* (vs. 12.) *q. d. convertimini. Et quod pœnitentia illorum triginta dies durarit ab illo luctu, quo Pontificem luxerunt ultimum, qui mortuus est. Triginta enim argenteos, quos projicere ad figulum in domum Domini jussus est, denominari illos contendit, q. d. parvam illam pœnitentiam, quam fecerunt, in justitiam ipsis imputatum iri. Sed baculum* חובלים *assimilavit morti Agrippæ Regum ultimi & Herodiadum. Ecce vero R. Abraham Levita verba: & dixi ad eos, date mercedem meam; explicat ita, quasi post Davidis posteros exstinctos ad Sacerdotes illa locutus sit, qui dominabantur, date mercedem meam, & colite me, prout decet. Quod vero illi appenderunt triginta argenteos, indicat triginta annos, quibus regnarunt Maccabæi, nempe Matthathias Pater illorum annum unum, Juda sexennium, Simon octodecim, & Jonathan sexennium. Ecce vero tibi* 31. *annos. Unus annus deest deficientibus mensibus, & relinquuntur triginta. Ecce sic alter tibi modus itidem explicatus est, quo interpretes Sectionem hanc de Templo secundo explicant.*

§. 9. Licet vero R. Abarbanel hunc modum explicandi, quo de tempore Templi secundi Zachariam locutum esse, interpretes laudati fatentur, haud improbet penitus, cum, quod tempus attinet, eis assensum præbeat, in omnibus tamen adhuc habet, quod taxet & suggillet. Quinque nempe objectionibus varia, quæ audivimus, interpretamenta Judaica adhuc premi, sibi Judæus persuadeat, quas ut afferamus, omnino operæ pretium esse videtur, usui enim & illæ nobis infra sunt futuræ ad evertendam Abarbenelis novam expositionem & stabiliendam Christianorum explicationem, nulla Judæorum glossa obfuscandam. Sic itaque ille loco citato pergit: הנה יתחייבו להם גם כן ספיקו׳ מהם הראשון שזכרתי
על הדרך האחד והוא כי אם היתה זאת מראה נבואיית שראה
המקלות והרועה ושלשים הכסף ובית היוצר למה לא זכר בה לשון
מראה

מראה או ראיתי או לשון אחר מן לשונות המראה ומהם הספק השני שזכרתי על הדרך הראשון והוא כי אם פשט הפרשה והספור הוא על הש"י שהוא היה הרועה ולוקח המקלות וגודע אותם ושואל השכר ולו נתנו השלשים כסף למה אמר הנביא ויאמר ה' אלי השליכהו אל היוצר וגו' ואומר ואקח את שלשים הכסף ואשליך וגו' וחזר ואמר ואגדע את מקל השני שפירושו על הש"י שהוא גדעו לא הנביא והספק השלישי שאון ראוי לפרש נועם על זרובבל כי הוא לא מלך בירושלים ולא משל בתוכה אם לא שבנה את הבית ונחמיה בנה חומת העיר אבל לא היה להם ממשלה ולא מלכות ובן גוריון מעיד על זה עצמו· גם אין ראוי לפרש חובלים על הכהנים כי הכהנים בני חשמונאי היו צדיקים וטובים ואיך יוכללו כולם בשם חובלים האיש אחד מהם יחטא ועל כל הכהנים יקצוף גם אין ראוי לפרש הטעם על הכהנים כי רבום מהם היו מחבלים ובנים משחיתים ומחבלים אם יפורש על המלכים בבחינת היותם מנהיגים מלשון רב החובל הנה גם מלכו רבים מבני חשמונאי והנהיגו את ישראל וראוי היה גם כן יותר מזארת הבחינה לקוראם חובלים והספק הרביעי באומרו ואכחיד את שלשת הרועי' בירח אחד והוא שבכל אותם מהאופנים אשר פירשום לא נכחדו ולא מתו בירח אחד כי הנה חגי זכריה ומלאכי לא נזכר בכתו שמתיו כולם בירח אחד· וכתב הר"דק מכאן נלמדהו והוא עושה מערכה על הדרוש ויהושע כ"ג וכהן משוח מלחמה וכהן משנה גם כן מי הגיד להרא"בע שמתו בירח אחד· האם ראה אותו בעיניו או מפאו בכתוב והספק החמשי הוא גם כן בשלשים הכסף שהנה בן גוריון לא פירש בו דבר ומה שפירש הר"אבע על שלשים צדיקים שעלו עם נחמיה או על שלשים כ"ג ששמשו בימיו כל זה דרך נבואה או רעיון רוח הוא כי לא כן נזכר כן בכתוב ולמה יקראם שכר ויצוה את הנביא להשליכם אוצר בית ה' גם פירש הרב רבי יוסף קמחי שעשו תשובה שלשים יום באבלות כהן גדול דברי רוח הם והוא בדרה זה מלבו גם אין לפרש לו כסף על שלשים שנה שנהגו מתתיה ובניו כי מה נהיה השכר הזה ולמה יצוה עליו השליכהו אל היוצר; *Verum & illis rationes obstant: Prima est, cujus jam tum memini in prima explicatione. si hæc visio fuit Prophetica, qua baculos vidit & Pastorem, triginta argenteos & domum figuli, eccur non meminit vocum visionem denotantium, aut, vidi, aut alterius cujusdam locutionis visionem significantis? Secunda, cujus & antea memini primo modo explicandi est. Si sensus literalis, & quod hic enarratur, de Deo benedicto agit, quod ille fuerit Pastor, & qui baculos sumserit, & eos exciderit, mercedem postulaverit, & ei dederint triginta argenteos, Eccur Propheta ait, & dixit Dominus ad me, projice illum ad figulum &c. Et ait: Et sumsi triginta argenteos, & projeci &c. Et iterum ait: Et succidi baculum alterum, quæ Deo competunt. Ille enim excidit eum, non Propheta. Tertium dubium est hoc, quod* נועם *de Zerubabele non conveniat explicare; ille enim non regnavit Hierosolymis, neque in ea Urbe ad gubernacula sedit, nisi quod templum exstruxit, & Nehemia muros urbis. At illis nullum fuit dominium vel regnum. Atque hoc ipse Gorionides attestatur. Præterea* חובלים *non licet explicare de Sacerdotibus. Sacerdotes enim filii Maccabæorum erant justi & pii, ecquomodo itaque omnes illi venerint nomine* חובלים. *Num enim uno illorum peccante, Deus omnibus succensuerit? Porro etiam non convenit, ut de Sacerdotibus accipiamus; multi enim eorum corrupti & perdentes. Si vero τὸ* מחבלים *velis de Regibus explicare, eo quod illi rectores sint, ex illa significatione, qua dicitur* רב חובלים *(Jon. 1:6.) ecce multi Maccabæorum regnarunt & Israëlem rexerunt, adhuc magis æquum erat, ut vocarentur* מחובלים. *Quartum dubium est in verbis: & succidam tres Pastores uno mense; Atque nullus eorum modorum, quos explicarunt, quadrat, cum illi non excisi sint aut mortui uno mense. Ecce enim de Haggai, Zacharia & Malachia non refertur in Scripturis, quod omnes uno mense sint mortui. Et scripsit Rabbi David Kimchi, nos inde discere illud. Fecit etiam super allegorica expositione hunc ordinem, Josua Pontifex, Sacerdos ad bellum unctus & secundarius Pontifex. Præterea ecquis Aben-Esræ indicavit, eos mense uno mortuos esse. Numquid vero id conspexit suis oculis? aut num in Scriptura id invenit perscriptum? Quintum dubium de XXX. argenteis movetur. Ecce enim Gorionides ne verbo quidem eorum meminit. Quod Aben-Esra explicat de triginta justis, qui cum Nehemia ascenderint, aut de triginta Pontificibus, qui ministrarint illo vivo, hoc pacto vel Prophetia sit oportet, vel vana cogitatio, neque enim in Scriptura est expressum. Ecquomodo vero argenteos eos vocarit mercedem, & præceperit Prophetæ, ut illos abjiceret ad thesaurum domus Domini. Ad hæc R. Joseph Kimchii explicatio, quod triginta dies in plangendo Pontifice exegerint, nihil nisi inane quid sapit, & id commentus est in corde suo. Similiter triginta argenteos de triginta annis haud licet accipere, quibus Mattathias & filii ejus imperitarint. Ecquid enim hæc merces sit, & cur ei præceperit, ut illos projiciat ad figulum?*

§. 10. Postquam ille sic cum priscorum, tum recentiorum explicationes, tanquam à veritate alienissimas explosisse visus est, longe alium modum, quo explicari debeat vaticinium se reperisse censuit, jam nunc, quid sibi de illo videatur, ea fiducia exponit, ut sibi plurimum tribuat, & præ aliis στοχασμὸν suum extollat. Sic vero infit: מפני זה חשבתי דרכי ואשיבה רגלי ודעתי להאמן שלא נאמרה הנבואה הזאת כי אם על זמן בית שני שהיה עתיד לבוא וכדאי הוא יוסף בן גוריון שהיה באותו זמן להסמך עליו בכוונת הנביא כפי מה שקבלו בכללות הנבואה הזאת עם היות שלא נקבל פירושו בחלקי הפרשה מפאת הספקות אשר העירותי וענין הנבואה וסמיכותה עם מה שלמעלה ממנה הוא כי אחרי שהודיע השם לנביא הטובות שהיו מעותדות לבוא על אנשי בית שני אם ייטיבו דרכיהם באותם הנבואות שפירשתי למעלה בא הדבור לנביא להודיעו העתיד להיות והוא שהמה לא יישיבו מעשיהם ולא יזכו אל הטובות ההם אבל בהפך שמלכיהם וכהניהם ושאר העם ירשיעו יותר מאבותיהם באופן שלא די שלא יחזירו בהטבת מעלליהם השכינה והגליות אבל גם יחיבו חורבן וגלות אחר להם וכפי דעת חכמים ז"ל כפי פתח לבנון דלתך אשר זכרתי באה ענין יותר מבואר כפי הנמשל בשתי הפרשיות יחד: *Propterea cogitavi vias meas, & converti pedes meos* (Psalm. 119: vers. 59.) *ut credam, hanc Prophetiam non esse prolatam, nisi de tempore Templi secundi, quod tunc adhuc futurum erat. Et sufficit Josephum Gorionidem, qui tunc vixit, intentioni Prophetæ se jungere, juxta id, quod generaliter de hac Prophetia tradiderunt. Licet ejus explicationem haud acceptemus in partibus Sectionis, ob rationes illas, quas produxi. Significatio vero & connexio Prophetiæ cum antecedentibus consistit in hoc. Postquam Deus Prophetæ in vaticiniis supra explicatis ostendit, bona Templi secundi tempore viventibus conferenda, si vitam suam emendaverint, nunc Propheta illud manifestat, non futurum, ut meliores evadant, vel illis beneficiis se dignos præbeant, sed certum esse, Reges juxta & Sacerdotes illorum cum populo superaturos esse impietate Majores suos, ita, ut non satis sit futurum, ut operum suorum emendatione gloriosam Dei præsentiam & extorres Judæos non reducant, sed sibi etiam excidium & exilium aliud inducant. Et secundum Doctorum nostrorum l. m. sententiam, in verbis: aperi Libanon portas tuas,* (Zach. 11: vers. 1.) *quorum mentionem feci, clarior adhuc res est, secundum id, quod in utraque Sectione parabolice explicatur.*

§. 11. Ita Rabbi Abarbenel ingenue fatetur, cap. 11. Zachariæ agere de tempore Templi secundi, & priscos quoque Doctores idipsum tum docuisse ad verba vers. 1. id quod post Kimchium Autor libri Michlal Jophi monet ad hunc locum. Verba illius hæc sunt: רז"ל פרשו פרשת פתח לבנון דלתיך על חרבן בית שני ואמרו כי מי שנה קודם חורבן הבית היו דלתות ההיכל נפתחות מאליהם גער בהן רבן יוחנן בן זכאי אמר לו היכל היכל עד מתי אתה מבעית עצמך יודע אני שסופך לחרב וככר נתנבא עליך זכריה פתח לבנון: *Doctores nostri l. m. exposuerunt hanc Prophetiam de Templi secundi desolatione, & dixerunt, quod XL. annis ante desolationem portæ Templi à seipsis fuerint apertæ. R. Jochanan filius Saccai eas hunc in modum increpavit: ô Templum, Templum, quam diu te ipsum terrebis! Constat mihi, quod finis tuus per desolationem sit futurus. Jam dudum enim Zacharias de te vaticinatus est, dicendo: aperi Libanon portas tuas!*

§. 12. Etsi vero de Templo præcise & seorsim verba Zachariæ intelligenda haud sint, sed sub Hieroglyphico *Libani* & *Cedri* destructio Politiæ Judaicæ ostendatur: recte tamen jam olim Doctores Judæorum viderunt, de tempore Templi secundi ibi agi. Et cumprimis R. Abarbenel, quam apte antecedentia cum sequentibus cohæreant, ostendit, atque adeo observat, Zachariam, ubi de felicitate populi egisset, quæ eo progressura sit, ut nihil fingi fortunatius potuisset, jam de calamitatibus, & ærumnoso statu populi agere incepisse. Quod ut pro sua sagacitate bene vidit, ita dubium nullum est, plura eum animadversurum fuisse, nisi animo præoccupato & Christianis minus æquo accessisset ad explicandum hunc locum, quibus ægre facturus longe aliter textum se interpretaturum profitetur, quam ab ipsis fieri soleat. Expresse enim scribit: באו הנוצרים לומר שהיו אלה השלשים כסף רומזים לשלשים כסף שלקח יודה איסקריאוטה תלמיד יש"ו כדי למוסרו למיתה בידי הפרושים ושעלנה נאמר השליכהו אל היוצר ורבים מן התעתועים האלה על כן אמרתי שגם הדרך הזה לא יתכן בעיני: *Christiani asserunt, argenteos illos XXX. notare illos XXX. Siclos, quos acceperit Judas Iscariotes, discipulus Jesu, ut eum in mortem traderet per Pharisæos, atque de illo dictum esse: projice illam (mercedem) ad figulum. Et multos hujus generis errores alios hic docent: Idcirco dixi, neque hunc modum explicandi mihi probari.*

§. 13. Sed

§. 13. Sed non satis erat dixisse, *mihi non probatur*, sed rationes etiam sui dissensus adducere eum oportuisset, antequam novam expositionem lectori obtruderet. Quod cum ab ipso prorsus non sit factum, neque ulla ratione Christianorum interpretamentum impugnarit, quemadmodum suorum complicum expositiones, inde merito collegeris, Judæum non justa de causa, sed δι' ἀμετρίαν τῆς ἀντολκῆς nostram explicationem rejecisse. Quem non meliorem adduxisse ἐξήγησιν si convicerimus, quam Majores illius, res in aprico erit, nostram esse veram & genuinam, ipsius vero æque atque priscorum pro rejicula habendam esse.

§. 14. Quandoquidem vero Judæus multa præfatur, antequam se ad explicationem accingat, visum est, verborum ejus, quoad ejus fieri potest, compendium facere, & συλλήβδην recensere ipsius mentem. Scire igitur licet, Abarbenelem in ea sententia esse, Deum, cum Zachariæ non aperte sortem manifestare vellet, parabolice id præstitisse, & sic eidem aliquid præcepisse: שיעשה בפעל ובהקיץ שיהיה הורעה וסימן למה שיהיה בהנהגת ישראל בזמן בית שני: *Quod revera & vigilans faceret, ut esset manifestatio & signum illius, quod tempore Templi secundi in Politia Judaica futurum esset.* Veluti & supra Zach. 3:3. & 5:9. inceperat. Nempe interdum Prophetæ aliquid agere solent παράδοξον, & simul Deus rationem facti exponit, ut Esai. 22:2. seq. Es. 8:3. Jerem. 13: vers. 53. quandoque haud simul ratio recensetur, ut Es. 8: 1. Ezech. 4: 1. cap. 5: vs. 1. quia opus eo ipso patet. Posteriori modo vult Zachariam se gessisse ipsummet, quæ causa etiam sit, quamobrem nullam expositionem postularit Propheta. Atque hinc clarum esse censet, cur non visionis vel simili nomine usus sit Zacharias, quod ipse vigilans Propheta jussus sit reapse pecus pascere, qui & baculos acceperit, & eisdem nomina indiderit, & Pastores succiderit. Sed de his infra cap. 2. dicetur.

§. 15. Quantopere verba, unde sensus vaticinii maxime æstimandus, torqueat Abarbenel, infra, ubi de vero sensu acturi sumus, fusius demonstrabitur. In præsenti duntaxat interpretationem illam, quam super vers. 12. & 13. reliquit, exhibituri, an verborum sensum rectius suis prædecessoribus eruerit, dispiciemus. Ita vero fol. 292. col. 4. infit: אמנם ואומר אליהם אם טוב בעיניכם הבו שכרי ענינו שאמר הנביא אל בעלי הצאן אם טוב בעיניכם שאשובה ארעה צאנכם אשמור הבו שכרי שכר הרועה ואם לא רוצה לומר ואם אין טוב בעיניכם שארעה עוד חדלו מתת לי שום שכר על מה שעבר והיה בזה רמז למלכי חשמונאי שקמו אחרי בני מתתיה שהיה אומר להם השם אל תמנעו עבודתי שמרו מצותי וארעה אתכם ואם לא אסתירה פני מכם וזכר הנביא שבמעשה ובפעל אותם בעלי הצאן שקלו בשכרו שלשים כסף והשם צוהו השליכהו אל היוצר להודיע שהיה בזה סימן שהחשמונים אשר קמו אחרי בני מתתיה במקום שהיה להם לתת שכר לשם לעבוד עבודתו במצותו הרשיעו לעשות עצמם מלכים מה שלא עשי אבותיהם וכבר זכרו חכמים ז"ל שהמלכות נקנית בשלשים מעלות והכהונה בעשרים וארבעה מעלות ולכן השלשים כסף אשר שקלו בעלי הצאן היה רמז לשלשים מעלות המלכות שבכוסף והמרה בלתי ראויה לקחו לעצמם ולכן צוה השם לנביא השליכהו אל היוצר כאלו אמר השלך על השם שהוא היוצר והבורא האמתי הענין הזה והוא אדר היקר שהוא רמז למלכות אשר יקרתי מעליהם ר"ל אשר יקרתי ומנעתי מהיות עליהם השליכהו אל היוצר כי הוא אלהי המשפט וזכר הנביא שלעשות רמז וסימן בדבר לקח שלשי' הכסף והשליך אותם בית ה' אל היוצר ר"ל לפני יוצר העולם ואולם השליך ל' הכסף הרומזים אל כתר המלכות בית ה' אל היוצר לרמוז שתוסר המלכות מהחשמנים ותבוא לידי הורודוס שיהיה יוצר בית המקדש ובונה אותו וזה ענין השליכהו אל היוצר ר"ל השלך המלכות אל היוצר שהוא רומז אל הורודוס שיזכה הוא לאדר היקר שהוא המלכות אשר יקרתי מעל הכהנים זהו הנראה לי בענין השלשים בכסף והיוצר׃ וכבר נוכל לומר עוד שזכר הנביא שבעלי הצאן כאשר שאל מאתם הבו שכרי לקחו הדבר כפי פשוטו וישקלו לו השלשים כסף כי כן היה שכר הרועה הגדול והשם צוהו שלא יקח הכסף ההוא לעצמו אבל ישליכהו אל היוצר כאלו מודיע שהיוצר והבורא הוא הרועה האמתי ומעשה הנביא היה לסימן לא לקחת שכר הרועה ולכן צוהו השם כדי שיתפרסם שמעשהו זה היה כולו משל וסימן להנהגת השם יתברך בהם ולאותם המושלים שימשלו בהם בבית שני מתחת ידו שישליך את הכסף ההוא אל היוצר יתברך והענין שיהיה מיוחס הכסף אליו ויהיה למלאכת בית השם כי חלילה לנביא לאכול ממנו דבר והוא אומרו אדר היקר אשר יקרתי מעליהם ר"ל השליכהו ויחסוהו אל היוצר שהוא האל יתברך ולא שהוא יצטרך אליו כי אם שיהיה לאדר היקר שהוא בית המקדש שהיו בונים כי להיותו יפה נוף משוש כל הארץ קראו אדר ובעבור שהיתה שם בבית ראשון השכינה שנסתלקה אמר היקר אשר יקרתי מעליהם כי השכינה היא היקר והוא שם התאר ומלת אל תשרת בעבור אחרת כאלו אמר השליכהו אל היוצר אל אדר הבית היקר הנכבד ששכן כבודי שם ויקרתי אותו מעליהם בבית שני ובזה הודיעו שלא יזכו כפי מעשיהם לחול השכינה בקרבם וזכר הנביא שעשה ענין הכסף כאשר צוהו השם׃ *Sane verborum* (vers. 12.) Et dixi ad eos, si in oculis vestris bonum est, date mercedem meam, *sensus est, Prophetam hoc dixisse ad pecudis heros, si vobis placet, ut iterum pascam pecus vestrum, date mihi mercedem meam pro pastione. Sin vero, q.d. si non vultis, ut amplius pascam, quicquam mihi mercedis dare nolite, pro eo, quod præteritum est. Atque hic Chasmonæorum respicit Reges, qui post Mattathiæ filios orti sunt, quibus Deus dixerat: nolite cultum mei prohibere, & custodite præcepta mea, sic enim vos pascam. Si vero hoc haud feceritis, vultum meum celabo vobis* (Deuter. 32: 20.) *Meminit etiam Propheta in illo opere, illos heros pecoris appendisse XXX. argenteos, & Deum præcepisse, ut eos projiceret* אל היוצר, *ut scilicet ostenderet, signum in hoc esse, Chasmonæos, qui filios Mattathiæ secuti sunt, cum debuissent Deo mercedem dare, ipsum colendo juxta ejus mandatum, prævaricatos esse, dum seipsos Reges constituerunt, contra quam majores illorum fecerant. Et jam dudum Doctores l.m. commemorarunt, Regnum triginta acquiri dignitatibus, & Sacerdotium viginti & quatuor. Ideo triginta argentei, quos pecudis heri appenderunt, designarunt triginta prærogativas Regni, quod appetitu prorsus illicito sibi sumserunt. Propterea etiam Prophetæ Deus præcepit, projice illam* אל היוצר, *quasi dicat, projice ad Deum, qui* יוצר *est, creator verus hujus rei. Ille enim est magnificentia decoris, quæ regnum significat, quo ab ipsis æstimatus sum, q. d. quo æstimatus sum, &, ne ipsis præessem, sum prohibitus; projice eam ad figulum, ille enim est Deus judicii. Meminit etiam Propheta, quod indicium hujus rei facturus, triginta argenteos sumserit & eos projecerit in Templum Domini ad figulum, q. d. ante figulum Mundi. Et forsan projecit triginta argenteos, regni coronam denotantes, in Templum Domini, ad significandum, Regnum Chasmonæorum cessaturum, & Herodi tradendum esse, qui domum Sanctuarii fingebat & ædificabat illam. Atque hoc significatur per illam projectionem ad* יוצר, *q. d. projice Regnum ad* יוצר. *Id quod Herodem denotat, magnificentia decoris, nempe regno ornandum, quo ego à Sacerdotibus sum æstimatus. Hæc mea de argenteis &* היוצר *sententia est. Possumus etiam amplius dicere, Prophetam dicere pecudis heros, postquam ab ipsis postulavit, date mercedem meam, secundum sensum literalem accepisse, & triginta argenteos appendisse, ita enim erat merces magni Pastoris, cui Deus præcepit, ne sibi eam mercedem sumeret, sed ad figulum projiceret. quasi significare velit, figulum & creatorem verum Pastorem esse, & opus Prophetæ signi loco erat, mercedem pastionis acceptandam haud esse. Atque idcirco Deus præcepit illud, ut manifestum fieret, hoc totum opus parabolicum esse, & regiminis divini signum illos ipsos, qui tempore Templi secundi imperarunt per ipsum, ut projiceret illud argentum ad figulum benedictum. Notat vero argentum eum ipsi tributurum esse, & ad ædificationem Templi destinatum iri. Absit enim, ut Propheta quicquam de illo comederit. Atque hoc est, quod ait: magnificentia pretii, quo ab ipsis sum æstimatus, q. d. projice illam & ad* היוצר *refer, qui Deus benedictus est, non quod illo egeat, sed ut sit decori & magnificentiæ, nempe Sanctuario, quod ædificarunt. Quia enim pulcher tractus erat, gaudium totius terræ,* (Psalm. 48: vers. 3.) *ideo* אדר *vocavit, ibi enim stante Templo primo fuerat gratiosa Dei præsentia, & cessarat, ideo ait, pretio, quo æstimatus sum ab ipsis* (vers. 13.) *Illa gratiosa Dei præsentia enim venit voce* יקר *quod nomen formæ est, & dictio* אל *loco alterius ministrat. q. d. projice eam ad* היוצר, *ad decus domus magnificentiæ, & gloriosæ, in qua gloria mea habitat, & æstimatus sum ab eis in Templo secundo. Et in hoc significat eis, propter opera sua, non eos dignos fore, ut gratiosa Dei sit præsentia inter ipsos.*

CAPUT II.

SUMMARIA.

Tergeminæ Judaicæ explicationis allatæ usus & finis. Zachariæ parabolicum dicendi genus omnibus suis partibus, R. Abarbenele teste, Israelem designat. Ad rationem Sanctii cur v. 4. Messias nequeat intelligi respondetur. Digna notatu explicatio Abarbenelis. Cl. Varenius laudatus. Pecus occisionis quid? LXX. παρερμηνεία vocum לכן עניי *rejecta. Aben-Esræ, Abarbenelis, Dieu & Cocceji diversa in-*

interpretamenta allata. Super baculorum, maxime חובלים *nomenclatura Flacii opinio. LXX. Interpp. Hier. Capelli, Buxtorfii, Abarbanelis, Coccei & Dieu variantes sententiæ allatæ. Quid fractio secundi baculi secundum Abarbanelem & Abendanam significet. Verbi* תקצור *item* בחלה *assertæ significationes. Æthiops laudatus. Ecquis nomine* populi *intelligatur.* שקל *&* כסף, *quid? & quæ illius partes? R. Salomonis, Abarbanelis & Mosis Maimonidis de argentei valore consensus. Josephus & LXX. conciliantur.* כסף *an plus valuerit tempore Templi secundi quam tempore Mosis. Waltoni, R. Eliæ & Drusii super eo asserto sententia rejecta. Ratio ejusdem reprobationis. Judæorum multiplex in applicatione* שלשים כסף *hallucinatio. R. Salomo aquam sibi hærere fatetur. R. Abarbanel suo ipsius gladio jugulatur. Vocis* יוצר *explicationes rejiculæ, Kimchii, Vatabli, Syri, Arabis, LXX. & Hieronymi adductæ. Abarbanel novo & alio, quam Judæi reliqui, modo explicans notatur, veraque confirmatur significatio. Detorsio violenta particulæ* אל *retusa. R. Abarbanelis commento vocum* ארר היקר *rejecto, explicatio genuina utriusque vocis stabilita exhibetur. Ironice dictum Prophetæ à Judæis assertive nequicquam exponitur. Summa vilitas precii XXX. argenteorum & plane servilis, ex Maimonide ostensa. Detorsio Judaica prodigiosa verborum Propheticorum ex Kimchio & Michlal Jophi producta & rejecta. Abarbanelis vana gloriatio de sui interpretamenti præstantia. Zachariæ de Messia crebrior mentio. B. Hottingerus laudatus.*

§. 1. TErgeminam ita expositionem verborum Judaicam præmittendam duximus, quarum licet quælibet ejusmodi sit, ut ipsa verum sensum minime in apricum producat, sed potius obfuscet, & ita nænias frivolas recutitorum redoleat, quæ tam prolixa recensione prorsus indigna videatur: attamen lectori haud ingratum fore existimavimus, si, quo tandem modo Judæorum Doctores illud vaticinium, quod Christianorum quoque religionis veritatem suo complemento insigniter statuminat, explicent, & quam varias detorsiones itidem afferant, ostenderemus. Præterquam enim, quod non modo Cadmæos illos fratres seipsos sic perimentes invicem committimus, rationes quoque, quas ipsis veritas vel invitis expressit, adversus eosmet urgendas deprehendimus, ut verum & genuinum sensum verborum eo minus inficias ire queant. Quin hunc quoque usum nobis illæ præstant, ut, quam irrito conatu, Vir cæteroquin celeberrimus, H. Grotius, hoc oraculum de tempore Davidis explicat, ipsorum Judæorum sententia, manifestum fiat. Quippe qui & ipsi docent, hieroglyphica illa magis rerum futurarum, quam præteritarum symbola esse.

§. 2. Antequam vero in rem præsentem, quod dicitur, veniamus, & verborum sensum genuinum sub cortice latentem indagemus, scire licet, Zachariam parabolico, adeoque, ut in Prophetis fieri amat, obscuriore sermone uti. Quem ut eo facilius assequamur, recolendum est ex Scripturis, artem pastoritiam, regiminis, cum Politici, tum Ecclesiastici, vivam quandam imaginem esse. Confer Psalm. 77: 21. 80: 2. In Novi quoque Testamenti libris adeo frequens illud loquendi genus est, ut Christianorum vulgus Pastorum nomine vix alios intelligat, quam eos, qui Ecclesiæ præsunt, ac si metaphorica locutio propriam pene aboleverit. Atque ita hoc loco, dum *Pastoris*, *muneris pastionis*, & pro opera illa *mercedis*, & *pedi pastoralis* fit mentio, Deus aliquid Israëlitico populo על דרך משל *parabolice* significare intendit. Ut enim Rabbi Abarbanel h. l. scribit: בכל פרט ופרט בזה המעשה הפעליי היה סימן ורמז לישראל בענינם: *In unoquoque particulari hujus operis actualis aliquid erat, quod designaret Israelem.* Atque adeo sic Symbolis & hieroglyphicis singulis suam explicationem adhibendam esse Judæus ipse ultro largitur, & recte licet in eo aberrare visus sit, quod Prophetam reapse ea omnia fecisse asserit, non per visionem.

§. 3. Postquam vers. 1. & seqq. sub allegoria à monte Libano desumta, Urbis & Orbis Judaici excidium summatim proposuerat, & cum summis in illo viris, tum plebeis exitium per Romanos inferendum interminatus esset, vs. 4. his verbis utitur: כֹּה אָמַר יְהוָה אֱלֹהָי רְעֵה אֶת־צֹאן הַהֲרֵגָה׃ *Sic dixit Dominus Deus meus, pasce pecus occisionis.* Quibus verbis an Prophetam Deus allocutus sit, an vero Messiam, in quæstione est. Prius affirmant Judæi, & ex Christianis Caspar Sanctius, qui etiam pro hac sententia ex textu rationem sibi invenisse videtur. Eundem enim hic intelligendum censet, qui infra (vs. 15.) stulti Pastoris personam induere jubetur. Sicuti autem hic omnium concessu de Propheta agitur, ita ibi (vs. 4.) non tam Messiam, quam Zachariam intelligendum persuasum habet.

§. 4. Cæterum licet infra Prophetam intelligendum esse, negare nolimus, versu tamen 4. ad Messiam verba fieri, omnino Interpretes dexterrimos secuti arbitramur. Ejusmodi personarum permutationem haud esse insolitam, patet ex Scriptura. Confer sis Zachar. 9: 7. & Psalm. 2: 7. Non equidem cum Tarnovio usuri sumus argumento, quod res diu post Zachariæ tempora futura narretur, sed hoc maxime, quod ille Pastor pœnas infert (vers. 6. 8.) & fœdus irritum facit. Et quod, qui operæ suæ mercedem hic poposcit, is ipse sit, quem Judæi triginta argenteis æstimarunt. Ex mente priscorum Judæorum Rabbi Abarbanel ipse scripsit: אומר לא ארעה אתכם וגו׳ ואומר אליהם הבו שכרי וגו כלם הם דברים בשם האל יתברך: Dum ait (vers. 9.) *Non pascam vos &c. Et dixi ad eos: date mercedem meam &c. Hæc omnia verba sunt nomine Dei benedicti prolata.* Ut propterea recte scripserit Clarissimus Varenius in hoc loco *tres in hoc capite Oratores haberi, Deum Patrem, Messiam & Zachariam Prophetam.*

§. 5. Messias igitur ille est, qui pecus occisionis, h. e. צאן המעותדים להרגה *ad occidendum paratum*, pascere jubetur, quod alii Pastores impune occiderunt, ut nemo illius cædem vindicaret. Sic enim verba ולא יאשמו intelligenda sunt de occisoribus, non occisis, qui culpæ expertes sint, ut Abarbanel sibi persuadet. His malis Pastoribus & sibi tantum vigilantibus una cum ovibus exitium denuntiat (vers. 6.) & morem gesturus Deo jubenti (vers. 7.) promtitudinem suam his verbis indicat: וָאֶרְעֶה אֶת־צֹאן הַהֲרֵגָה לָכֵן עֲנִיֵּי הַצֹּאן׃ Quæ Vulgatus sic vertit: *Et pascam pecus occisionis propter hoc, ô pauperes greges!* In quibus verbis quid τὸ לכן denotet, quid item עניי הצאן significetur, Interpretes multis disquirunt. LXX. duas dictiones alias distinctas hic pro una acceperunt, dum לכן עניי εἰς τὴν χαναανῖτιν reddiderunt, quod ne facerent, vel sola litera finalis in לכן eos monere potuisset, si eodem Codice nobiscum usi fuissent. Quicquid ejus sit, id ex contextu satis aperte liquet, versionem illorum incongruam, & omnino voces seorsim legendas esse, si commodum gignere sensum debeant.

§. 6. Vocem לָכֵן Rabbi AbenEsra idem ac בעבור *propter* significare docet. Atque hunc sequitur Rabbi Abarbanel: שה״קבה בעבור אותן עניי הצאן היה רועה את עמו: *Quod Sanctus benedictus ille propter illos afflictos populum suum pavit.* Ludovicus tamen Dieu animadvers. in h. l. pro asseverandi particula habet, veluti Jerem. 2: 33. 5: 2. usurpatur. Johannes vero Coccejus τὸ לָכֵן pro להכין positum esse contendit, eliso ה, vel, ut כֵּן in regimine positum sit, quomodo Proverbior. 11: 19. occurrit. Unde geminam explicationem exhibet (1.) ut significet *ad præparandum*; (2.) *propter rectos*, ut tamen τὸ עניי vel ἀσθενεῖς, qui τοῖς בריאים opponuntur sine virtutis connotatione, *oppressos*, *viles miserosque* notari persuasum habeat, contra quam Abarbanel sentit, qui עניי הצאן significare ait חסידיו וצדקי ישראל, *pios Domini vel justos in Israele.* Sed licet לכן dictis modis alias accipi queat, hic tamen quo minus causaliter explicemus, nihil dum causæ esse videmus. Id haud diffitemur, pronominis loco haud positum esse, & vel solam punctationem id docere, minus recte verti: **Eurenthalben / o ihr elende Schaff.** Cum in pronomine Sægol sit, non Zere, neque tam *vos* quam *vobis* significet.

§. 7. Ad pastionem illam recte obeundam duos se baculos sumsisse ait, quorum unum נעם, alterum חובלים appellavit. Prior plurium suffragio ab *amœnitate* nomen habet. Unde vero posterior sit appellatus, haud perinde notum est, veluti Flacius in Clave ad vocem Virga fatetur, *Locum*, inquiens, *Zachar. 11. accepi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, & unam vocavi corruptores, & pavi gregem &c.*

valde

valde varie tractant Interpretes. Noſtri enim pro virga corruptorum legentes virgam funiculi, per virgam decoris intelligunt Legem naturæ, & per virgam funiculi Legem Judæorum. Ubi autem venit Euangelium, utraque Lex ceſſavit, ne poſſet damnare, vel, ſicut Legem naturæ emendavit Lex Moſæ, ita Legem Moſis Euangelium &c. Mihi veriſimilior hæc expoſitio videtur, quia ſemel ſe Paſtorem dixit, qui paſceret ovem occiſionis, adhuc perſeverat in habitu Paſtoris, & dicit, ſe ſumſiſſe duas virgas paſtorales, quibus gregem dirigat. Intellige autem per virgas bonos & malos paſtores, quibus Deus tanquam Organis utitur. Ita Eſai. 10: 5. Aſſur virga furoris mei. Boni E. Paſtores dicuntur virga decora, mali vero corruptores vel depopulatores. Et illi, qui feliciter ac manſuete gubernant, decor appellantur; Hi vero, qui infeliciter & cum Tyrannide, corruptores & virga ferrea, & ita per hos pavit gregem, id eſt, populum Judæorum gubernavit.

§. 8. Sed ita nec dum originatio vocis חובלים oſtenſa eſt, in qua aſſerenda interpretes etiam, ipſo Caſtello teſte, variant. LXX. verterunt *σχοίνισμα funiculum.* Unde eos חבלים, non חובלים legiſſe cenſent, Ribera, Gualterus & Grotius, qui annot. in h. l. diſerte affirmat, *hanc vocem cum aliis vocalibus Græce lectam, quam quos Maſorethæ adſcripſerunt, cum eadem vox aut diſſipantes ſignificet, aut funes.* Sanctus quoque Hieronymus LXX. Interpretes eſt ſecutus, & Ludov. Capellus in Critica Sacra hanc poſteriorem explicationem, ut commodiorem priori præfert, cui antagoniſta ejus Buxtorfius, Anticriticæ part. 2. cap. 8. ita reſpondet, ut utramque punctationem quidem commodam eſſe ſecundum Grammaticam, largiatur, neget autem, ideo ſignificationem *funiculi* potius quam *perditorum* præferendam eſſe.

§. 9. Sane חבל ܛܘ geminam ſignificationem habet (1.) *perdendi*, (2) *devinciendi & colligandi.* Quæ poſtrema notio Talmudiſtis cumprimis eſt recepta. Utra vero illarum hic locum habeat, nonnulli ex expoſitione in textu inſtituta judicium ferre volunt cum Buxtorfio l. c. Quin & R. Abarbanel eo collineare videtur, cum ita commentatur: זכר שלקח לו שני מקלות לרמוז על שתי הנהגות שהיו בבירת שני ממה שאמר שני מקלות מורה שהיו מעץ אחד ולא היו מתחלפות כי אם בהיות אחד מהם נועם ר"ל יפה וטובה וחוקה והשני חובלים מושחתת ומגונה: *Refert, eum duos baculos accepiſſe, ad indicandum, geminam gubernationem ſtante Templo ſecundo. Dum vero duorum baculorum meminit, docet, ex uno ligno eos fuiſſe, niſi quod unus dictus ſit bonus ac fortis, alter corruptus ac turpis.* Ubi præterea paſſive vocem accipit, contra quam Buxtorfius, qui *perdentium* vel *dolore afficientium* ſignificare perhibet. Similiter active accepit Joannes Coccejus, Comment. in h. l. Sed perinde ac Abarbanel ac Caſtellus *gubernatoris* notionem ei tribuit, nixus loco Jon. 1: 6. ubi רב חובלים *nautarum Princeps* dicitur.

§. 10. Sunt tamen, qui nullam nominum oppoſitionem agnoſcentes, potius ad rem in textu figuratam reſpiciendum arbitrantur. Nempe quia ad baculi חובלים fractionem (vſ. 13.) fraternitas inter Judam & Iſraëlem eſt ſublata, inde id nominis *fœdus* aliquod ſignificari volunt. Quam ſignificationem Ludovicus de Dieu annotat. poſtumis ſtatuminare ex Arabiſmo conatur. Arabica enim vox حبل apud Arabes non modo *funem* ſed & in Alcorano ſæpe *fœdus* ſignificat. Atque hinc ritus ille ſolennis Orientalium lucis aliquid accipit, qui in fœdere ineundo funem nectere ſolebant. Hinc etiam factum videtur, ut חבל ſocietatem hominum una proficiſcentium ſignificet 1. Sam. 10: 5. 10. Pſal. 119: 61.

§. 11. Etſi vero in ejuſmodi divortio interpretum ſubdifficile eſſe videatur determinare, utra harum explicationum præ altera aſſenſum mereatur, minime tamen illa, quam Dieu recenſuit, explicatio à veritate aliena eſſe videtur. Id in præſens ſatis eſt nobis ad noſtrum inſtitutum, quod R. Abarbanel ingenue fatetur, hujus ultimi baculi exciſionem notaſſe domeſtica illa odia & ſeditiones ipſorum Judæorum, in propria quaſi viſcera ſævientium ſub excidium Templi ſecundi. Sic enim R. Abarbanel ſcribit: בסוף זכר שגדע את מקלו השני את החובלים שהוא רמז לחרבן בירת הורודוס ומלכותו שפסקה מזרעו ולפי שבזמן החרבן רבו הפריצים והופכה האהבה ואחוה בין בני יהודה אלו עם אלו וגם כן בינם ובין בני ישראל אנשי שאר השבטים כהנים וליום שהיו עמהם לכן אמר להפר את האחוה בין יהודה ובין ישראל: *Sub finem meminit exciſionis ſecundi baculi, Chobelim dicti, quæ excidium Herodis proſapiæ & Regni ejus notat, quod poſteri ejus amiſerunt. Et quia tempore excidii latrones aucti ſunt, & cum amore etiam fraternitas eſt immutata in tribu Juda, & inſuper inter hos & filios Iſraelis, Sacerdotes & Levitas, quæ apud ipſos erat, idcirco hic ait, ad irritum faciendam fraternitatem inter Juda & Iſrael.* Atque ita ipſius Abarbanelis judicio, quæ hic prædicta ſunt & præfigurata, tempora Templi ſecundi eaque ultima, neque ad futura demum tempora, ut Kimchi ſibi perſuaſit, reſpiciunt. Ut R. Abendana quoque annotat, in Michlal Jophi, per paſtorem nihili (verſ. 15.) intelliguntur שרי הפריצים יוחנן שמעון ואלאזר *principes latronum Jochanan, Simeon & Eliezer*, famoſi illi populi Judaici latrones, quorum diſſidio Hieroſolyma miſere periit, ut ex Joſepho patet.

§. 12. Haud ita diu paverat populum, cum uno menſe tres paſtores occidit *Paſtor magnus*, ut Abarbanel loquitur, quorum nomine Primores, Sacerdotes & Scripturæ periti intelliguntur. Vide Dn. D. Varenium in h. l. Cauſam hujus rei redditurus ait: וַתִּקְצַר נַפְשִׁי בָּהֶם וְגַם נַפְשָׁם בָּחֲלָה בִי׃ Quibus verbis id innuit, ſe in eos ingratos ira exarſiſſe. Ut enim אֶרֶךְ אַפַּיִם longus ira tardum ad iram denotat. Prov. 14: 29. ita קְצַר אַפַּיִם celerem ad iram ſignificat. Dum vero illorum anima dicitur בחלה vim vocis illi non exhauriunt, qui *faſtidiunt* cum Chaldæo reddunt, cum alias de lupis & leonibus, canibus uſurpatum *ululavit* ſonet. Unde LXX. *ἐπωρύοντο* reddiderunt. Æthiopibus ሰሐበ፡ eſt *murmuravit.* Bene autem Sanctius monet, *hyſteron proteron* hic eſſe, aut *prolepſin.* Quandoquidem is ordo rerum ſit, ut prius iratus fuerit & virga abſciſſa, quam Paſtores occiderentur. Atque hæc trajectio itidem R. Abarbaneli eſt obſervata, cum ait הכתוב מסורס *Scriptura tranſpoſita vel inverſa eſt.*

§. 13. Ad indignationem ita Meſſias motus, negat ſe amplius curam ovium habiturum, & baculo נעם exciſo, fœdus cum populis initum, irritum fore minatur. Etſi vero B. Tarnovius *populorum* nomine Iſraelitarum tribus intelligit, adductus loco Judic. 5: 14. videntur tamen aliæ gentes voce notari, cumprimis Romani, quibus poſt haud ita amicis uſi Judæi ſunt. Quum vero ſic obpervicax gregis ingenium Paſtor cum laboris etiam ſui diſpendio munere iſto ſe abdicavit & in exitium ruere eos ſivit, mercedem ſuam ita ab eis poſcit, quam ſi denegaturi ſint, haut magnopere ſe curaturum affirmet.

§. 14. Quid Paſtori mercedem ſuam petenti ſolverint, Propheta his verbis edocet: וַיִּשְׁקְלוּ אֶת־שְׂכָרִי שְׁלֹשִׁים כָּסֶף׃ & *appenderunt mercedem meam, triginta argenteos.* Ubi verbum שקל *libravit* id nobis ſuggerit, non tam numero quam pondere olim pecuniam Hebræos æſtimaſſe, id quod ex Gen. 23: vſ. 16. Exod. 22: 17. Eſr. 8: 25, 26. Eſther 3: 9. manifeſtum eſt. Τὸ כסף vero quod alias *argentum* notat, Metonymice *pecuniam* vel *Siclos* ſignificat. Unde etiam quandoque conjunguntur, ut Joſ. 7: 21. מָאתַיִם שְׁקָלִים כֶּסֶף *ducenti Sicli argentei*; perinde ac ad ἀργύρια Matth. 27: 5. *νομίσματα* & ad *τριάκοντα ἀργυρᾶς* vſ. 3. 9. *σίκλους* ſubaudiri debent. Unus alias ille Hebræorum nummus fuit & in certas partes diviſus. Nempe מחצית ſive בקע *dimidius Siclus* Exod. 30: 13. שלישית *triens Sicli* Nehem. 10: 32. & רבע *quadrans Sicli.* 1. Samuel. 9: 8. Sed & hæ partes appenſæ potius quam numeratæ fuerunt; unde etiam per ſtateram doloſam Siclo lucrantes, Amoſ. 8: 5. taxat. Evidens etiam teſtimonium hujus moris appendendi Geneſ. 43: verſ. 20. occurrit, ubi filii Jacobi pecuniam ſuam במשקלו *in pondere ſuo* inveniſſe dicuntur. Confer Jerem. 32: verſ. 9.

§. 15. Cujus vero valoris argenteus ſive Siclus Ebræorum fuerit, id Rabbi Salomo Commentar. in Exod. 21: 32. his verbis oſtendit: השקל משקלו ארבעה זהובים שהם חצי אונקיא למשקל הישר של קלונייא: *Siclus valet quatuor drachmas, quæ dimidiam unciam efficiunt ponderis genuini in colonia recepti.* Atque hujus explicationem ut veritati conſentaneam laudat & defendit Rabbi Abarbanel Commentar. in Legem, fol. 205. col. 2. his verbis: השקל כבר כתב ר"שי אמתתו שהיה חצי אוקיה ולא תשית לבך למה שכתב הרב רבי משה בר נחמן בזה נגדו כי כבר הודה באגרותיו ששלח מארץ ישראל אל בנו שראה בעיניו את שקל הקדש ושצדקו דברי ר"שי במשקלו וגם אני אודהו כי הגה הקרה ייי לפני שקל הקדש אחד והוא היום בידי ומשקלו באמת חצי אוקיה אם לא שבארך הזמן נתדלדל ממנו דבר מועט כי כן יעשה בכל מטבע: *Dudum Rabbi Salomo de Siclo vere ſcripſit, quod ſemiunciam valeat. Noli igitur aſſentiri illi, quod Nachmanides contra ipſum ſcripſit. Ille enim ipſe in ſuis literis ex Palæſtina ad filium ſuum ſcriptis, teſtatur, ſe vidiſſe oculis ſuis Siclum ſacrum, & Rabbi Salomonem recte ſentire in oſtendendo ejus pondere. Cui ego quoque aſſurgo. Ecce enim Dei beneficio accepi Siclum, quem hodieque poſſideo, & revera pondus ejus eſt ſemiuncia, niſi quod temporis tractu nonnihil eſt attritus, id quod omni monetæ accidere ſolet.*

§. 16. Neque operam lusuri videbimur, si, quid R. Maimonides de Siclo docet, in medium attulerimus. Sic vero ille Hilkot שקלים c. I. §. 2. מנין כסף האמור בתורה באונס במפתח ובמוציא שם רע והורג עבד הוא שקל הנאמר בכל מקום בתורה ומשקלו שלש מאות ועשרין שעורה וכבר הוסיפו חכמים עליו ועשו משקלו המטבע הנקרא סלע בזמן בית שני וכמה הוא משקל הסלע שלש מאות וארבע ושמונים שעורה בינונית הסלע ארבעה דינרין והדינר שש מעין ומעה היא הנקראת בימי משה רבינו גרה: Supputatio argenti, cujus in Lege fit mentio, nempe, ubi de illo agitur, qui virginem subegit (Deuter. 22: verſ. 28.) qui aperit fontem (Exod. 21: 34.) malam famam excitavit (Deut. 22: verſ. 14. & 19.) & servum occidit (Exod. 21: 20.) fit Siclo, qui ubique in Lege memoratur. Jam dudum Doctores superaddiderunt, & pondus ejus jusserunt referre monetam, quæ Sela vocabatur tempore Templi secundi. Atque hujus Sela valor constat 384. mediocribus hordeaceis granis. Sela continet 4. denarios, denarius sex obulos, & obulus appellabatur tempore Mosis, Doctoris nostri, Gerah. Id tamen adhuc scrupulum alicui parere possit, quod cum Josephus cap. 9. lib. 3. Antiqu. Judaic. dicat: σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὤν, ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας, id parum conveniat cum Versione LXX. Interpp. qui vocem שקל δίδραχμον transferre amant, Exod. l. cit. & alibi. Sed scire licet, Græcos illos respexisse ad pondus Alexandrinum, adeoque duplaribus usos esse drachmis, cum Atticum pondus τετράδραχμον fuerit. Qua ponderum differentia observata ἐναντιοφανὲς illud nullo negotio solvitur, & consentiunt sic Josephus, Hieronymus & Hesychius.

§. 17. Ex iis vero, quæ supra ex Maimonide recensuimus, id discimus, quod ubi כסף hoc est argenteorum vel Siclorum in Mosaicis scriptis fit mentio, semper unus idemque illorum fuerit valor. An vero & subsequentibus temporibus idem manserit, an vero aliqua immutatio fuerit instituta, id etiamnum in quæstionem vocatur, & videtur de hoc dubitare Waltonus, apparat. Oper. Angl. fol. 36. Sane Rabbi Elias Germanus in libro Thisbi etiam ad vocem סלע scribit: רז"ל אמרו כסף האמור בתורה סתם סלעין והנביאים לטרין והכתובים קנטרין חוץ מכסף עפרון: Doctores nostri l. m. dixerunt, argenteos in Lege occurrentes simpliciter Siclos notare, in Prophetis libras, in Hagiographis talenta, exceptis Ephronis argenteis Geneſ. 23: vſ. 16. Hæc traditio, ad quam provocat Rabbi Abarbenel fol. 133. Comment. in Jerem. 32. col. 2. adeo probatur Joanni Drusio, annot. in Zach. 11: 12. ut ob eam optimo Rabbi Eliæ Deum propitium precatus & benignum, in hanc sententiam iverit, & כסף ים libras potius quam argenteos notare hoc loco dixerit, hac ratione adductus, quod 30. Siclorum pretium minus sit, quam ut ad emendum agrum sufficiat. Sed cum fieri possit, ut, quod Grotius hariolatur, illius agri uber omne ad figlina opera exhaustum fuerit, vel alias solo haud ita fertili præditum, omnino laudato pretio acquiri potuit. Judæorum itaque traditio tanti nobis haud est, ut argenteos aliter in Prophetis & Hagiographis se habuisse dicamus, quam in Lege, nisi rationem suæ assertionis attulerint. Sed dictum illud ne ex Mischna quidem, sed Gemara Bechoroth cap. 8. depromtum est, adeoque vel ipsa sui novitate falsitatis suspecta, cum illud Ebræorum hic locum habeat, נראה שקבל הרב מאבותיו videtur Rabbi hoc ex majoribus suis didicisse, hoc est, sublestæ fidei traditione. Sane si שלשים כסף ים hoc loco libras totidem designaret, pretium haud dubie non ita fuisset elevatum. Sed neque de libris neque talentis hic cogitandum esse, inde elucescere videtur, quod Judæ animus ita avaritiæ mancipatus notatur, ut quovis pretio etiam ad scelus impelli potuerit.

§. 18. Quid שלשים כסף sive triginta argentei hoc loco significent, sic liquido patet, nempe σίκλους ἀργυρίου, ut, nisi Judæi tam alieno à complemento animo essent, tam facile omnium suarum explicationum futilitatem deprehendere possent. Sane ut supra dissensus sui à Christianis nullam causam attulit Abarbenel, ita neque ab usitata vocum significatione solo partium studio, rationibus firmis destitutus abire debuisset. Sed hoc pacto incredibilem suam pertinaciam & θέλησιν illum stuporem produnt, quem in Judæis ultima verba Mosis satis exaggerare nequeunt.

§. 19. Per mercedem, quam Deum postulasse fatentur, bona opera & pœnitentiam, ipso R. Abarbenele teste, ridicule Judæi intelligunt. Triginta vero argenteos plurimi adeo vexant & cudunt, tamque varia iis denotata fuisse perhibent, ut tandem ipsi, quid dicant, nesciant. Quomodo R. Salomo, doctor alias Ebræorum haud ignobilis, in iis explicandis hæreat, ipsius Rabbi Abarbenelis verbis recensebimus: רש"י עשה כסף מלשון חמדה וכוסף כמו דרשוהו באגדת חולין ומספר השלשים אמרו חכמי' ז"ל שהבטיח הקב"ה את אברהם שלא יחיו בכל דורן משלשים צדיקים שני כה יהיה זרעך שיהיה בגמ' מטריה לשלשי' ולזה נמשך גם כן יונתן' וחכמים ז"ל דרשו בפרק גיד הנשה אל שלשים צדיקים שיש בכל אומה ולשון או על ש' שים מצות שקבלו בני נח ולא קיימו אלא שלש: R. Salomo כסף ים appetendi significationem habere docet, sicut & in expositione allegorica Cholin explicant. Numerum vero XXX. quod attinet, dicunt Doctores nostri l. m. Deum benedictum Abrahamo promisisse, nulla ætate minus XXX. justis fore, quia dictum est (Genes. 15: 5.) ita erit semen tuum, quia יהיה per Gematriam XXX. conficit. Atque hos Jonathan sequitur. Et Doctores l. m. cap. גיד הנשה explicant de XXX. justis, qui in quolibet populo vel lingua sunt, aut de XXX. præceptis, quæ filii Noachi acceperunt, neque tamen nisi tria observarunt.

§. 20. Hæc Judæorum somnia sunt, quibus triginta Sicli nunc totidem annos, jam totidem justos, modo luctus dies, vel totidem præcepta Noachi significant. Quin de Rabbi Salomone Abarbenel diserte scribit: רש"י אמר עם שלשים כסף שלא ידע לפרש ולבון זה: R. Salomo Jarchi ait de triginta argenteis, se eos neque explicare, neque intelligere posse. Quæ ingenua confessio longe melior est, quam Abarbenelis explicatio nullo fundamento nixa. Quam ineptum enim illud est, quod suæ religionis Doctorum sententiis quamlibet rejectis, novam & ne fando quidem auditam explicationem affert, nempe 30. argenteis totidem Regni prærogativas fuisse designatas, quas tradiderint Doctores. Tale quid significari, nemo ex contextu comprobarit, neque vel ipsius majores, qui totidem prærogativas regni tradidisse perhibentur, unquam illas ad hunc locum explicandum adhibuerunt, quod vel ex ipsius verbis patescit: זה הנראה לי בענין השלשים כסף והיוצר: Hoc ita mihi videtur in triginta argenteorum & vocis יוצר significatione. Haud obscure sic testatur, se hujusmodi futilis commenti primum esse autorem. Sed textu probe considerato ita eum scripsisse nemo dixerit. Quin aliud ea nobis persuadent, quæ adversus complices ipsius 30. argenteos tantopere torquentes ursit: שלשים כסף הוא דבר שאין לו ענין כלל: Triginta argentei ejusmodi quid sint, quod non habet generalem aliquam significationem, sive quæ pluribus rebus aptari queat. Nempe cum ex usu Scripturæ nummorum Ebræorum nomen sit; in vaticinio vero, quo occurrit, mercedis fiat mentio, eaque longe vilior esse perhibeatur, quam opera & labor merebatur, adeo ut indigna projici jubeatur pro figulo; nisi omnem rationem exuere Abarbenel velit, significationem propriam argenteorum retinere debet, quippe ex contextu ita restrictam atque determinatam, ut nullo modo ad fictitias prærogativas vel simile quid referre possit, nisi stuporem Judaicum prodere velit.

§. 21. Maxime vero se stupor ille Judæorum etiam exerit, dum explicare conantur verba השליכהו אל היוצר projice illos ad יוצר. Quod enim illam vocem attinet, Kimchi in Comment. suo ita scribit: פי' המפרשים כמו שאוצר כי אותיות אה"י מתחלפות ופי' האוצר שומר האוצר וכ"ת' אמרכלא: Interpretes explicant ita, ut sit quasi אוצר, literæ enim אהוי sunt permutabiles. Tò אוצר vero explicatur per custodiens thesaurum, & ita Jonathan ἀμαρκελ, pecuniæ fisci sacri præpositus. Quæ glossa Vatablum quoque, virum alias Ebraice doctissimum, decepit, mutavit, inquientem, Propheta א in י in dictione יוצר, quæ per Jod significat figulum, per א thesaurarium. Quin Syrus quoque Ebraicæ veritati cæteroquin fere insistens ܠܒܝܬ ܓܙܐ ærarium transtulit. Adhuc aliter Arabs إلى الكور in furnum. Secutus nempe est LXX. qui χωνευτήριον conflatorium sive fornacem reddiderunt. Atque ita Symmachus. Vulgatus statuarium, ut & Aquila. Hieronymus quoque πλάστην & statuarium vertit.

§. 22. De Judæorum explicatione & vocis applicatione R. Abarbenel hunc in modum scribit: פי' כולם היוצר כמו האוצר ועניינו כפי' רש"י שצוה לנביא כתוב והנחאת אלו וצדקתם להיות שמור לסוף שבעים שנה של גלות בבל' ויבנה הבית בזכותם ומה האוצר האוצר אדר היקר שהוא בית המקדש: Omnes τὸ היוצר explicant per האוצר, significat autem vox illa secundum R. Salomonem mandatum esse Prophetæ: scribe & repone illos & justitiam illorum, ad finem usque captivitatis Babylonicæ LXX. annorum, ut Templum eorum justitia ædificetur. Ecquid thesaurus? magnificentia gloriæ, nempe domus sanctuarii. Sed hujus commenti vanitatem Abarbenel ipse vidit, unde is admirabundus quærit: למה קראה האוצר יוצר שהוא שם מיוחד ליוצר האדם: Eccur vocarit thesaurum יוצר, quod nomen alias homini tribuitur, qui figulus est.

§. 23. Li-

§. 23. Licet vero sic à veritate propius absit emunctarum narium Doctor Ebræorum, Abarbenel, nec dum tamen eam amplecti sustinet; sed quam potest, longissime inde odio Christianorum abire decrevit. Sic enim iterum ille: צוה השם לנביא השליכהו אל היוצר והבורא האמתי הענין הזה והוא אדר היקר שהוא רמז למלכות אשר יקרתי מאליהם ר"ל אשר יקרתי ומנעתי מהיות עליהם השליכהו על היוצר כי הוא אלהי המשפט וזכר הנביא שלעשות רמז וסימן בדבר לקח שלשים הכסף והשליך אותם בית ה' אל היוצר ר"ל לפני יוצר העולם: *Deus Prophetæ mandavit, ut projiciat eam mercedem ad* יוצר, *quasi dicat: projice ad Deum, qui fictor & creator verus est hujus rei; & illa est magnificentia pretii. Indicat enim regnum. Verbis autem* אשר יקרתי מעליהם, *qui æstimatus sum & ne ipsis imperarem, prohibitus; projice eos ad Deum, qui judicii est, & ait Propheta: Signum in argenteis 30. haberi, & projecit eos in Templum* אל היוצר *quasi dicat, coram Mundi formatore.*

§. 24. Sed R. Abarbenel sibi nimium indulget, dum vocem יוצר ita torquet. Etsi enim Deus יוצר העין *formator oculi*, Psal. 44: 9. יוצר ההרים *formator montium*, Amos. 4: 13. appellatur, nondum tamen sic probaverit Abarbenel, h. l. הַ יוצר, ubi absolute occurrit, Deum denotare. Aliud enim usus Scripturæ docet, nempe ubi absolute occurrit, & simpliciter hominem *figulum* significat, veluti ipse Abarbenel supra ingenue est fassus, eum scilicet, qui ex *argilla & luto* aliquid fingit, Es. 41: 25. Thren. 4: 2. ubi LXX. rectissime per κεραμεὺς transtulerunt. Quo ipso à *statuario* distinguitur, qui ex quavis materia aliquid fingit & conflat. Hinc ille quandoque יוצר חרש *figulus testæ* appellatur, Jer. 19: 1. Ecquis vero crediderit, Deum ipsum hoc nomine se appellasse, ubi in textu appellationis nulla apparet ratio? Potius is dicturus fuisset, projice לפני *coram me*, vel יהוה aut שדי, aut simili usitatiore voce ex decem, quæ Judæi Deo tribuunt, nominibus.

§. 25. Quam violentum & illud est, quod cum Abarbenele autor Michlal Jophi docet, אל הַ אל עימד במקום שנים *loco duorum stat*, sive particula אל ad vocem אדר quoque debet ex antecedentibus ἀπὸ κοινοῦ repeti. Hoc sane alias in Scripturis insolens non esse ultro fatemur, multis exemplis edocti, at hoc loco citra necessitatem urgentem fieri, & non nisi ad sequentium verborum detorsionem, ex ipsorum Judæorum glossa patebit. Verborum enim אדר היקר אשר יקרתי quis sensus sit, R. Abarbenel iterum prolixo interpretamento ostensum ire satagit, quod supra §. ult. cap. 1. recensuimus. In quo acceptamus id, quod R. Abarbenel ibi fatetur, XXX. argenteos, qui Deo mercedem suam poscenti appensi sunt, esse שכר הרועה הגדול *mercedem magni Pastoris*. Sed quam vellem, ut illum & nosset & admitteret, nempe τὸ ποιμένα μέγαν τῶν προβάτων, quem Apostolus Ebr. 13: 20. ex mortuis excitatum esse ait ἐν αἵματι διαθήκης αἰωνίου! Nec minus illud placet, quod hunc sermonem parabolicum & hieroglyphicum esse agnoscit, licet rem acu nullus tetigerit, dum Templi secundi tempore Dominorum vel regiminis illorum signum argenteos fuisse contendit, qui potius Pastoris illius merces fuerunt, ut clarissime ex textu patet. Quum vero Abarbenel omnia, quæ narrantur, Prophetam reapse præstitisse docet, eo quod non meminerit visionis alicujus, id exinde minime sequitur, neque quicquam obesse putamus, quo minus hæc omnia ἐν ὀπτασίᾳ Prophetæ innotuerint, utpote qui nullorum spectatorum meminit, neque tam propter suæ ætatis homines, quam posteritatem literis hæc consignavit, ut futuro tempore, eventu cum vaticinio collato, Dei sapientiam & vaticiniorum veritatem perspicerent, ut frustra Abarbenel quærat: מה ענין המראה הזאת ומה ההורעתה: *Ecquid significat hæc visio, & quid ea ostendit?*

§. 26. Illud etiam merito explodendum est, quod הַ אדר היקר *gloriosam Dei præsentiam* denotare hic docet, quam tamen ut intelligamus, contextus nullam plane occasionem præbet. Τὸ אדר neque *Templum* respicit, neque *Schechina*, sive gratiosam Dei in illo præsentiam, sed, ut Kimchi in libro radicum explicat, est שם *nomen* & quidem לשון גדול *magnitudinem significans*. Unde & LXX. vocem אדר interdum per μέγαν, interdum per μεγαλύνεσθαι reddere solent. Dum vero cum יקר construitur, *magnitudinem honoris* vel *pretii* denotant, quod mercedis loco postulanti pro labore solutum sit. Etsi LXX. dum verterunt, σκέψομαι, εἰ δόκιμόν ἐστιν, ὃν τρόπον ἐδοκιμάσθην ὑπὲρ αὐτῶν, ostendisse εἰρωνίαν videntur, Aquila tamen eam apertius, & magis ad verbum significat, dum transtulit, ὑπερμεγέθης ἡ τιμή, ἣν ἐτιμήθην ὑπὲρ αὐτῶν. Nempe pro tanto labore tantillam mercedem solutam fuisse, sic exprobratur eis, adeoque per Ironiam pretium ita elevatur, ut apud Tacitum Histor. V. *egregium pretium laboris cepi!* Quo & Virgilii illud pertinet IV. Æneidos:

Egregiam vero laudem & spolia ampla refertis!

Ita prodigiosa illa avaritia Judæorum & contemtus extremus, quo Salvatorem nostrum affecerunt, significatur. Cum enim Judas proditor Sacerdotum arbitrio permisisset, quanti Jesum nostrum æstimarent, non æstimarunt, quam quanti minimi homo æstimari poterat, & ut caput servi Exod. 21: 32. Ut enim cap. 11. Hilkot נזקי ממון R. Moses Maimonides scripsit: כופר העבדים בין קטני בין גדולים בין זכרים בין נקבות הוא הקנס הקצב בתורה שלשים סלע כסף יפה בין שהיה העבד שוה מאה בין שאיננו שוה, אלא דינר: *Pretium servorum sive majorum sive minorum sive masculorum sive fœmellarum in lege definitum est XXX. Siclorum puri argenti, sive ille servus valeat centum minas, sive unum tantum denarium.* Sic itaque servili prorsus pretio, omnium rerum Dominus, Messias est venditus, nempe ut Abarbenel tringinta argenteorum valorem ipse determinat, Comment. ad Exod. 21: 32. שלשים שקלים הם חמש עשרה אונקיות כסף: *Triginta Sicli sunt quindecim unciæ argenti*; adeoque fidelissimæ pastionis Messiæ merces non ultra servo redimendo summam destinatam se porrexit, tanquam is vilissimum esset mancipium. *Ut plurimum enim reperies hominem liberum æstimari saxaginta Siclis, servum vero triginta*, ait R. Moses Maimonides, cap. 40. Part. 3. More Nebochim. Quem Messiam dum Judæi hodierni repudiant, & hoc vaticinio de ipso agi negant, in ejusmodi difficultates se induunt, ut ad absurdissima commenta proni ruant & provehantur, unde se expedire nequeunt. Hinc etiam illud Abarbenelis quæsitum ortum, איך יפול על השם שכר המיוחד על העובד: *Ecquomodo in Deum merces cadat, quæ alias servo tribuitur?* quasi Messias non sit Deus, & simul Dei Servus, quem Prophetæ hoc nomine insigniunt, & eidem prædicta divina tribuunt.

§. 27. Sane dum ita complementum vaticinii, quod Christiani læti dudum observavimus, recutiti aversantur, facere non possunt, quin textum, ne fando quidem, audita violentia torqueant, pro suo lubitu eidem voces intrudendo, quas contextus plane respuit, ceu vidimus. Quam etiam insulsum & omni rationi interpretandi repugnans est interpretamentum, quod R. D. Kimchi in libro radicum ad vocem יקר, & ex eo autor Michlal Jophi ad verba אדר יקר אשר יקרתי מאליהם exhibet: כלומר יקרתי בעצמי וסרתי מאליהם כי לא הייתי יקר בעיניהם: *q. d. in me ipso sum magni æstimatus, ab ipsis vero recessi, quia in illorum oculis tam vilis fui habitus.* Num hoc est Scripturam interpretari, an vero irridere? Ne in profanis quidem libris explicandis tanta temeritas tolerabitur, ut sensu alias sibi constante, voces substituamus, ubi tamen MSS. nihil ejus suppeditant, nedum in sacris, & de salutis nostræ negotio agentibus monumentis. Quod in simili casu ingenue confessus est Aben Esra, dum audaculum interpretem Ebræum his verbis Comment. in Ps. 77: 3. perstringens scribit: לא יתכן לדבר איש דעת כדבר הזה אפילו בשיחת חולין אף כי בספר הקדש: *Virum cordatum & sanæ mentis non decet ita loqui in verbis communibus & profanis, quanto minus in libris sacris.* Sed hæc Dei justa pœna est, ut in meridie ipso Tiresia sint Judæi cæciores.

§. 28. Sic factum illud Judaicum, quo Dominum nostrum Sacerdotes ad supplicium emerunt 30. argenteis, hic præfiguratum esse, totus contextus docet, & omnia aptissime in illud quadrare, res ipsa luculenter comprobat; quin & suo silentio R. Abarbenel satis testatur, quod nihil ipsi fuerit, quod ad Christianorum sententiam regereret, suam enim duntaxat, novam quidem illam, sed horridam explicationem, subjecit. Quam licet Abarbenel commendet, & ea lectori gratam se operam præstitisse glorietur, non minus tamen ac reliquos Judæos eum cœcutire & Scripturam ignorare, illa ipsa docet. Neque erat, cur ita ἐξήγησιν concluderet; כבר הנחיתיך במעגלי צדק בפי' הפרשה הזאת באופן שלא יתחייבו אליה על דרכי עחת מן הספקות אשר יעלו על דרכי שאר המפרשי' כמו שזכרתי בענינם: *Jam tum duxi te in orbitis justitiæ* (Psal. 23: 3.) *in explicanda hac sectione, ita ut ne una illarum objectionum, quæ reliquos interpretes premunt, tangat eam, veluti in illorum argumentis mentionem feci.* Quam feliciter ille Ἰουδαίων τυφλῶν ὁδηγὸς τυφλὸς peregerit, ipso meridie clarius sic esse opinamur, ut ne verbum adversus illum addendum esse censeamus, plane persuasi, de uno nostro Christo sermonem esse Zachariæ, qui Propheta nomen hoc haud frustra gessit *memorator Domini*, quandoquidem

vix apud ullum Prophetam V. T. plures circumstantiæ deprehenduntur vitæ & conversationis Christi, quam apud Zachariam, uti præmatura & tristi morte extinctus amicissimus olim Hottingerus noster ז"ל observavit, Thes. Phil. lib. 2. cap. 1. sect. 2.

CAPUT III.

SUMMARIA.

Quam concinna prophetici vaticinii & Evangelicæ narrationis harmonia sit, ostenditur. Τὸ Jeremias *neque* γραφικῷ ἁμαρτήματι, *ut cum Erasmo Ludovicus Capellus censet, neque* μνημονικῷ *lapsu Evangelistæ, ut Nortonus Knatchbul contendit, est insertum, sed ipsa vera, genuina & ab ipso Matthæo adhibita vox est. R. Abarbenelis præclarum monitum de tenaciter tenendo sensu literali. Cur sacros Scriptores conciliandi prima ratio, qua Zachariam binominem fuisse perhibent Junius & B. Tarnovius, applausum haud mereatur. Alter modus Grotii, Zegeri aliorumque allatus, asseverantium, Jeremiæ vaticinium memoria conservatum Zachariam literis mandasse. Lichtfooti nova sententia ex Talmudico corpore depromta, Jeremiæ, Prophetarum primi, nomine totum Prophetarum volumen venire. R. Abarbenelis ratio, cur ordo ille probari nequeat. Kimchii de Judæorum consuetudine & traditione contraria testimonium. Vera ratio, cur eidem parum tribuendum sit. Alia conciliatio, qua ex duobus vaticiniis unum conflatum dicitur, Sacræ Scripturæ consuetudine, statuminata, & B. Glassio probata. Junii objectio retusa. Ephodæi ab Abarbenele allatum monitum insigne & Christianis imitandum, de textu falsitatis minime arguendo. Epiphanii* ὁμοψήφου *effato concluditur.*

§. 1. QUam rem Propheta aliquando divino afflatu & instinctu figuratam literis consignavit, eam suo tempore gestam ita Evangelistam Matthæum cap. 27: 10. narrare vidimus, ut, licet neque Ebræum neque Græcum textum strictim sequatur, sensum tamen verborum ejusmodi reddat, qui Zachariæ vaticinio perfectissime respondeat, & summus Typi & Antitypi sit consensus. Etsi enim Propheta populo id attribuit, quod Sacerdotes & Primores fecisse, Evangelista fatetur, quia tamen horum scelus ille postmodum suo suffragio comprobavit Matth. 27: 20. haud immerito illi Zacharias facti atrocitatem assignat, & sic in ejusdem consortium populum trahit. Atque ita utriusque loci instituta collatione manifestum evadit, *Christum* eum demum Pastorem à Deo datum fuisse, qui minimi æstimatus à Judæis fuerit, nempe XXX. argenteis, quos postmodum in perpetuum rei signum & documentum in agellum figuli οὐκ ἀθεεὶ, sed singulari Dei directione, quamvis imprudentes, illi collocarint. Quod Matthæus indicaturus ex superioribus Prophetæ verbis addit καθὰ συνέταξέ μοι κύριος, & simul tacite ostendit, eas pœnas Judæis imminere, quas olim Prophetæ prædixerant. Quarum præcipuæ erant, ut populus ille deinceps fastiditus & extra ejus tutelam positus, intestinis odiis agitaretur, atque uno tempore amitteret tria Pastorum genera, *Imperium civile, quantum adhuc restabat, Sacerdotium & Prophetiam*, uti Grotius loquitur.

§. 2. Etsi vero sic allegatio N. T. Scriptoris satis recte se habeat, qui vaticinium non tam aperire, quam ejus impletionem enarrare voluit, & qui eodem Spiritu, quo os Prophetarum est apertum, historiam hanc literis mandavit, adhuc tamen haud exiguus superest nodus, in quo solvendo inde usque ab Origenis ætate laboratum fuit: ecquomodo Jer. hoc vaticinium tribuat Matthæus, in cujus tamen Prophetæ libro Hieronymi judicio penitus non invenitur, cum solus Zacharias id exhibeat. Qui scrupulus adeo vexavit doctissimos viros, ut variis & diversis modis difficultati occurrere conati sint, ne inde autoritas sacrarum literarum labasceret, & ne errorem quempiam agnoscere cogerentur, quem Christianos amoliri, integritatis & perfectionis Scripturæ quamplurimum interest.

§. 3. Illi, qui nodum hunc non tam solvere, quam secare solent, duplici via ingrediuntur. Quidam enim γραφικὸν ἁμάρτημα hic agnoscunt, & persuasum habent, Scribæ vitio contigisse, ut id nominis in textum irreperet; Atque ita docet Ludovicus Capellus, Critic. Sacr. lib. 6. cap. 6. pag. 417. *Ista verba*, inquiens, *non extant apud Jeremiam, sed apud Zachariam, cap. 11: 13. Verum quia Jerem. 18: 2. Deus jubet Jeremiam descendere in figulinam, videtur Scriba, qui Evangelium Matthæi descripsit, lapsu* μνημονικῷ *ob similitudinem duorum istorum locorum, Jeremiam pro Zacharia scripsisse.* Ante ipsum Erasmus docuit, apud Græcos errore scriptorum nomen mutatum esse, atque inde deceptum Latinum, qui, quod legerat, tradiderit. Cæterum si vel maxime sive audacis sive imprudentis librarii lapsu & ἀβλεψίᾳ nomen Jeremiæ in textum irrepsisset; minime tamen unius ex Scriptoris vitio in omnia exemplaria manasset, neque tam operose laboratum fuisset ab ipso Origene, si quæ exemplaria nomine Jeremiæ caruissent.

§. 4. Alii ipsi Evangelistæ μνημονικὸν ἁμάρτημα tribuere haud verentur. Nortonus enim Knatchbul, Anglus, animadvers. in N. T. Paradoxis Orthodoxis, haud ita pridem editis, super h. l. ita disserit: *Non equidem dubito, quin fuerit* ἁμάρτημα μνημονικὸν, *neque temere explodendam esse reor sententiam Augustini vel Calvini, qui errore positum esse nomen Jeremiæ pro Zachariæ ait. Forte voluit Apographi, sed & Evangelistæ satis erat pronum & obvium, dum forte intentius cogitaret de loco Jerem. cap. 18. ubi verba facit de figulo, & cap. 32. ubi agit de emtione agri, ut ejus nomen pro Zacharia h. l. incautus apponeret. Quale etiam* ἁμάρτημα *effugisse Evangelistam, par ratio est cap. 23: 35. ubi vocet Zachariam filium Barachiæ, cum Zacharias iste fuerit filius Jojadæ, qui tempore Joashi vixit, alter vero Propheta fuerit tempore Darii. Et si ita dicamus vel sentiamus, quid inde periculi vel incommodi? Neque vero possumus pro captu humano aliter statuere. Dictavit Spiritus sensum & materiam Evangelii, non singula verba, vel verborum formam. Uno enim tunc ore loquerentur singuli. Nihil ergo equidem video piaculi, si dicamus, sacros Scriptores effugisse aliquando* παροράματα, *quæ non timuerunt etiam eruditi viri Hagiographis alibi impingere, licet ea, si quomodo fieri potest, prævenienda esse judico.*

§. 5. Nobis vero multum omnino & incommodi & periculi hic subesse videtur, si hunc in modum respondere velimus. Sane cum παροράματα prævenienda judicet ipse Eques & Baronettus Anglus, ecquomodo hanc responsionem acceptabimus, quam ut violentiorem in suis libris adhibere vel Judæus dubitaret? Ut enim R. Abarbenel Comment. in Hos. fol. 225. col. 4. sub finem scribit: עון פלילי להכחיש פשוטי כתובים: *est iniquitas digna, quæ à judicibus puniatur* (Job. 31: 28.) *sensum literalem falsi arguere.* Et paulo post: אין לנו לזוז מפשוטו: *nobis non est integrum à sensu literali recedere.* Etsi etiam Erasmus censet, si vel maxime in nomine lapsus memoriæ fuisset, non tamen ideo quenquam tam morosum fore, ut eam ob causam Scripturæ autoritatem vacillare dicturus sit; minime tamen ita caute egerit ille, qui tam facile textum corruptionis arguerit, ubi eam declinare potest. Sæpe Photiniani & alii hæretici facile simili modo, ubi convincuntur, textum sollicitare & autoritatem ejus convellere possent.

§. 6. Propterea merito valere jussa ejusmodi duriuscula sententia, de alio modo, quo Scripturæ integritati consulatur, sumus soliciti. Sistunt vero se primo nobis illi, qui Zachariam binominem fuisse contendunt, ut hoc loco non illius Jeremiæ, qui inter Majores habetur Prophetas, nomen referatur, sed ipsius Zachariæ, qui & Jeremias appellatus fuerit. Sed licet hoc tutissimum fore censeat Junius & B. Tarnovius, & in Scripturis sæpenumero ejusmodi binomines recenseantur, ut Abhimelech & Abiathar; Jochanan & Jochaaz, Penuel & Chateph: Jochanan & Joiada; quia tamen hujus conjecturæ nulla ratio apparet, & alias in Scripturis audito nomine Jeremiæ, nullus alius intelligitur & concipitur, quam ille Propheta, qui ante excidium primi Templi vixit, ideo aliis interpretibus hæc responsio haud omni dubio carere videtur.

§. 7. Alii igitur sunt, qui itidem vocem Jeremias ut genuinam retinendam ducunt, quod fieri possit, ut, licet Jeremias in sua Prophetia hoc oraculum non exhibeat, nihilominus

minus id aliquando fuerit elocutus, & ita non ſcripto, ſed memoria tantiſper conſervatum ſit, donec Zacharias illud literis conſignaret. Quæ ſententia ne minus probetur, illud etiam recolendum cenſent Doctores illi, quod non omnia ſint ſcripto exhibita, ſed quædam etiam per traditionem innotuerint. Quod Jannes & Mambres fuerint Magi in Ægypto, id Moſes nuſpiam revelavit, ſed ex traditione aut veterum ſcriptis habuerunt Ebræi priſci & Chaldæus & cum ipſis Apoſtolus 2 Tim. 3: 8. Hac ratione ad ſua uſque tempora Enochi vaticinium ſola memoria delatum conſervatumque citaſſe volunt Apoſtolum, Judam verſ. 14, 15. *ἰδοὺ ὁ κύριος ἦλθε ἐν ἁγίαις μυριάσιν αὐτοῦ.* Conf. 1 Cor. 2: 8. ubi Apoſtolum ex Scriptis Rabbinorum quædam depromſiſſe Grotius autor eſt. Nec parum huic ſententiæ tribuit H. Grotius in h. l. quod Hieronymus refert, ſibi à Nazarænæ ſectæ homine librum oſtenſum eſſe, in quo id exſtaret ſub Jeremiæ nomine, qui liber privatim continuerit annotationem famæ antiquitus traditæ: Præterea cum Zachariam Jeremiæ locutiones alias imitatum eſſe pateat ex collatione Zach. 1: 4. & Jerem. 18: 11. Zach. 1: vſ. 6. Thren. 2: 17. Zach. 3: 8. cum Jerem. 23: 5. improbabile haud eſſe & hoc Oraculum Zachariam attuliſſe, quod à Jeremia aliquando fuerit prolatum.

§. 8. Noviſſime Johannes Lichtfootus, Anglus, ex Ebræorum monumentis modum ſibi inveniſſe viſus eſt, quomodo nodum hunc ſolveret, Horis Ebraicis, ad cap. 27: 9. Matth. & Jerem. h. l. non tam prophetiam hujus nominis Prophetæ, quam totum omnium Prophetarum volumen intelligi cenſet, à primo Propheta Ieremia denominatum, quemadmodum Hagiographa à Pſalmis denominantur, Luc. 24. 48. Occaſionem ſic ſentiendi ipſi præbuit priſcorum Ebræorum conſuetudo, qua illi Ieremiæ principem locum aſſignarunt, & Eſaiæ præpoſuerunt. Ut enim cap. I. Maſſecheth Bava Bathra fol. 14. legimus: כיון דמלכים סופיה חורבנא וירמיה כוליה חורבנא ויחזקאל רישיה חורבנה וסיפיה נחמתא וישעיה כוליה נחמתא סמיכינן חורבנא לחורבנא ונחמתא לנחמתא: *Quia libri Regum in excidium exeunt & totus Jeremias excidium ſonat, Ezechielis quoque initium excidium, finis vero ſolatium continet, Eſaias vero totus ſolatium ſonat, hinc excidium excidio junxerunt, & ſolatium ſolatio.* Hunc ordinem R. Lipmannus in Nizzachon & alii recutiti alibi ſequuntur.

§. 9. Sic libris Regum, quorum autorem Ieremiam Iudæi faciunt, immediate ſubjunxerunt Ieremiam, quod cum illi tum hujus prophetia in triſtibus, excidio nempe Urbis & Templi, occuparentur. Quando vero hoc factum ſit, & à quibus, id in quæſtione eſt. Abarbenel Comment. in cap. 35. Ierem. fol. 136. hunc in modum ſcribit: הנבואות האלה מירמיהו היו מפוזרות ואנשי כנסת הגדולה קבצו אותם ושמום בספר וכאשר מצאו כל נבואה ונבואה מהם כתבו אותם ולא חששו אל הזמנים: *Illæ Jeremiæ prophetiæ diſperſæ erant, & viri Synagogæ magnæ congregarunt eas libroque incluſerunt; poſtquam vero omnes prophetias invenerunt, ſcripſerunt eas, nulla temporis habita ratione.* Videri igitur queat, R. Abarbenelem, ut prophetiarum collectionem Synagogæ magnæ Viris adſcribit, ita etiam ordinis librorum illos autorem facere. Quod ſi comprobatum dare poſſet Lichtfootus, haud graveremur ipſius ſententiæ adſcribere noſtram.

§. 10. Sed hoc vix præſtiterit Vir doctus, cum contrarium ex ipſo Abarbenele facile demonſtraturi ſimus. Præfatione enim in Eſaiam ex profeſſo contra hunc ordinem diſputat, dum ita infit: הטענה שעשו חז"ל לסמוך חרבנא לחרבנא ונחמא לנחמא אינה מיוחכרת כי מה ההכרח שיסמך חרבן לחרבן ונחמא לנחמא והנה בנבואות עצמן ראינו שתבוא הנחמא סמוכה לייעוד החרבן להיות שמאל דוחה וימין מקרבת כ"ש שישעיהו עצמו נבא גם כן על החורבן בית ראשון ביד נבוכדנצר מלך בבל ונבא גם כן על חרבן בית שני ולא היה אם כן כולה נחמתא גם ירמיהו נבא על הנחמא והגאולה נבואות הרבה ואינו כולו חרבנא ובכלל שכל אחד מהם נבא על החורבן ועל הנחמא ולמה אם כן יבטל מהם סדר הקדימה הזמנית: *Rationis, quam Doctores noſtri afferunt, ut excidium excidio, ſolatium ſolatio jungatur, nulla eſt conſequentia. Ecquid enim opus erat, ut excidium excidio, ſolatium ſolatio cohæreret? Ecce autem in ipſis prophetiis vidimus conſolationem additam eſſe comminationi excidii, ſiniſtramque dextram excludere. Quanto minus vero illa valet, quod ipſe Eſaias de excidio Templi primi eſt vaticinatus, quod Rex Babylonis Nebucadnezar induxit. Quid quod de vaſtatione Templi ſecundi eſt vaticinatus, ut ideo dici nequeat, cum duntaxat ſolatio exhibere. Jeremias quoque plurima vaticinia de ſolatio & liberatione protulit, ut non totus ſit occupatus in deſolatione annuncianda. In ſumma, quiſque illorum de excidio vaticinatus eſt & de ſolatio. Eccur igitur ratio temporis antecedentis non ſit habenda?*

§. 11. Ita ordinem illum, quo Lichtfootus nititur, Rabbi Abarbenel impugnat, & eum ſine ratione aliqua urgente à priſcis introductum eſſe aſſerit. Unde etiam ſcribit: קדמונינו בני הגולה לא נהגו כן כי אם להקדים ישעיהו ואחריו יחזקאל ואחרי תרישר: *Majores noſtri, qui in exilio verſantur, non ita conſueverunt, ſed Eſaiam præmiſerunt, Ezechielem vero & duodecim minores ſubjunxerunt.* Et ſane inter ipſos Iudæos paucos invenias, qui eundem etiamnum obſervent ordinem. Teſte Kimchio enim, Comment. in Eſaiam בכל הספרים הטובים אשר ראינו ש נכתבו בספר דנכמה שנים סדרם לפני זמנם ישעיהו קודם לירמיהו כמו קדם זמנו לזמנו: *In omnibus melioribus libris, quos multis retro annis in Hiſpania ſcriptos vidimus, ordo illorum ſecundum tempus illorum habetur, ut Eſaias Jeremiam antecedat, ſicut ille hoc antiquior eſt.* Quæ cum ita ſe habeant, quam parvi hanc traditionem ipſi Iudæi faciant, patet, ut inde omnino colligere liceat, ordinem illum tam antiquum haud eſſe, nec Synagogæ magnæ Viris, quos inter Eſdras fuit, acceptum ferendum, neque etiam ante Chriſtum natum cognitum eſſe, ſed ſequioribus demum ſeculis ortum, id quod inde maxime eluceſcit, quod hæc non Miſchnæ ſed Gemaræ ejuſdem forte ætatis traditio eſt, cujus illa, qua Daniel præpoſtere numero Prophetarum exemtus inter Hagiographa, quæ vocant, ultimum fere locum occupare juſſus eſt.

§. 12. Etſi vero ita laterem lavat Lichtfootus, dum loco huic vexato lucem ex Talmud fœnerari conatur, minime tamen idcirco de commoda explicatione deſperandum eſt. Ea enim conciliatio, quam ex Sanctio B. Glaſſius in medium attulit & celeberrimis Theologis probatur, ejuſmodi eſt, ut ea omnino mereatur aſſenſum. Geminam vero reſponſionem adducit B. D. Glaſſius, Phil. Sacr. lib. I. tract. II. quarum una B. Auguſtini eſt, quæ ibi videri poteſt; altera Caſp. Sanctii, qui difficultatem hanc tollendam cenſet, ut dicatur, Matthæum verba ex Ieremiæ & Zachariæ vaticiniis conflata nomine ſolius Ieremiæ citare, id quod inſolens haud eſſe N. T. ſcriptoribus, inde patet, quia Actor. 1: 20. ex gemino Pſalmo, nempe 69: 27. & Pſal. 109: 8. tanquam ex uno loco affertur. Conf. 1 Petr. 2: 7. cum Pſal. 118: 22. & Eſai. 8: 1. Matth. 21: 5. cum Zach. 9: 9. & Eſai. 62: 11. Matth. 21: 14. Ier. 7: 1. & 56: 7. adde Marc. 1: vſ. 23. licet igitur Ieremias pretii argenteorum haud meminerit, quod Zacharias commemorat, quia tamen agri facit mentionem emti, à peregrinis nempe poſſidendi, & literæ contractus in vaſe fictili reponendæ dicuntur, fieri omnino potuiſſe, ut etiam Jeremiæ nomine hoc vaticinium allegaretur, maxime, cum unus idemque utriuſque Prophetæ director fuerit Spiritus Sanctus. Excepit quidem Franciſcus Junius, non ideo quod figuli fiat mentio Jerem. 32. ſequi, ad hunc locum illud pertinere, cum & argumenti utriuſque diverſitas appareat. At hoc ita ipſi videtur, & vel ex hoc ipſo exemplo pateſcit, nobis ne quidem opinantibus, teſtimonium de Chriſto perhibere Scripturam, ut B. Glaſſius loquitur loco citato. Et ita regula Sanctii hic locum obtinet: *interdum à duobus autoribus teſtimonium componitur, & tamen interdum unus tantum citatur auctor.* Quin ſi vel maxime haud ita promtu eſſet commoda conciliatio, nec tum tamen cauſa apparet juſta textum corruptionis arguendi. Notatu dignum eſt, quod R. Abarbenel monet ex Ephodæo, Comm. in Eſai. fol. 7. col. 1. כמו שכתב האפור בספר הדקדוק ראוי שנשתדל תמיד לישר הזריות האלה אם אפשר ומה שלא נוכל לישבו ולתתן וטעם מספק שהוא מפארת חסרוננו לא שיהיה הזרות הזה בכתבי הקורש מבלי סבה חלילה: *Quemadmodum Ephodæus ſcripſit in libro Grammaticæ ſuæ, omnibus modis ſubinde eo laborandum eſt, ut irregularitatis demus rationem. Ubi vero eam dare nequimus, ſatis eſt, nos noviſſe, hoc fieri propter defectum noſtrum, minime vero quod in libris divinis anomalia quædam ſit & ſine cauſa. Id vero ut dicamus, abſit.* Quam modeſtiam ſi & nos Chriſtiani imitari velimus, difficultatem declinare facile fuerit, dicendo, ſi vel maxime haud ita conſtet, quomodo Jeremias legatur, ideo tamen nec dum ſequi, Scripturam corruptam eſſe, vel Evangeliſtam eſſe lapſum. Sic ſatius fuerit aliquam ignorantiam profiteri noſtram, quam temere aliquam falſationem admittere. Epiphanius ſane Scripturæ maculam citra cauſam aſpergentibus aurem vellicat, *ὁ τολμῶν*, inquiens, *περιπλάσσειν τῶν γεγραμμένων ἀπ' ἀρχῆς, οὐκ ἐν ὁδῷ ἀληθείας ἵσταται.* lib. I. contra Hæret. pag. 148.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De Messia confixo ad Zach. XII: 10. &c.



On minus eleganter, quam vere de Judæorum, Talmudistarum præsertim, perplexis illis quidem, at Christianis minime insuper habendis scriptis, Collegii S. Catharinæ in Academia Cantabrigiensi Præfectus, Johannes Lightfootus, præfat. super Notas in Matthæum, quas Horas Ebraicas indigitat, loquitur: *Non*, inquiens, *sunt Autores, qui lectorem magis terrent & torquent, & non sunt tamen, qui magis alliciunt & delectant. Apud nullos major est aut æqua nugacitas, & vix tamen apud ullos major, aut æqua utilitas. Acriores hostes, quam istos non habet doctrina Evangelica; & tamen planiores interpretes, quam istos, non habet textus Evangelii. Verbo omnia.* Judæis *suis nil nisi nugas propinant & perniciem & venenum*: at Christiani, *arte & industria sua eos sibi reddere possunt studiis suis utilissime famulantes, atque inservientes commodissime interpretationi Novi Testamenti.* Nempe sive historias veteris Ecclesiæ Judaicæ, quarum tam in V. quam N. Testamento crebro occurrit mentio, intueamur; sive modum loquendi, quem cum Prophetæ, in suis libris idiomate Ebræo scriptis, tum ipsi Evangelistæ & Apostoli in Græco illo quidem, at variis Ebraismis consperso sermone usurparunt, respiciamus: utrobique ex Ebræorum monumentis multa præclara ad pleniorem sensus intellectum & certitudinem in lucem producuntur. Quin ipsius quoque Palæstinæ Chorographiam, adhuc è Talmudicis pandectis illustrari, & aliorum autorum, qui de ea imperite scripserunt, errores emendari posse, fidem faciunt ea, quæ in scriptis Ebræorum versatissimus Lightfootus observavit. Neque his solis usus ille, qui ex Judæorum monumentis in Christianos redundat, clauditur, sed se adhuc longius porrigit. Cum enim de locis Scripturæ, quæ concernunt fidei articulos, diversimode ipsi sentiant, & idcirco in explicandis iis sæpenumero δὶς διὰ πασῶν discrepent; omnino conducibile esse patet, illorum libros legisse & antilogias studiose congerere. Tunc enim demum deprehendere licet, quam verum illud sit, quod epistola ad Christianum Schotanum Vir doctiss. Isaacus Vossius asseverat: *nunquam Judæorum inscitia in Ebraicis magis palam fit, quam cum Judæi cum Judæis committuntur.* Quos, si ob stuporem illum, quo percussi divinitus sunt, necdum ad sui cognitionem perducere, & ut vanitatem suorum dogmatum sentiant, efficere possumus, quod θεῶ ἐν γένασι κεῖ), ne sic quidem nos spes nostra frustrabitur. Clarius enim hoc pacto Christiani percipimus, quam nostra doctrina σύμμετρος sit & ἁρμονική, & cum Augustino cap. 6. de Vera Religione, dicere possumus: *Ecclesiam Christianam Judæis uti ad comparationem pulchritudinis suæ*, ubi Judaismum ob suam deformitatem ab omni parte horrendum & deformem deprehendimus. Atque ut impleta pridem prophetia, sive malitia sive cœcitate verum oraculorum sensum adhucdum quantum possunt, obscurent, & alio, quam res ipsa fert, torqueant Judæi, documento insigni nobis ostensuris momentosum illum, & ad confundendos Judæos commodissimum locum, Zach. 12: 10. accuratius considerare, & Ebræorum Doctorum commenta excutere decretum est. Omnino enim Franciscus Toletus, Vir acutus rem acu tetigit, comment. in Joh. 19. *Est*, inquiens, *locus hic Judæos convincens; nam apud Prophetam Deus est, qui loquitur, ut ex antecedentibus & consequentibus constat, & tamen dicit: videbunt me, quem transfixerunt. Christus igitur Deus est.* Sane hic cumprimis locum habere videtur, quod de nonnullis Scripturæ locis Justinus Martyr, dialogo cum Tryphone p. 294. scriptum reliquit: ὡς δ᾽ ἂν λέγωμεν αὐτοῖς γραφὰς, αἳ διαῤῥήδην τὸν Χριστὸν καὶ παθητὸν καὶ προσκυνητὸν καὶ θεὸν ἀποδεικνύουσι. *Quas eis proferimus Scripturas, disertis verbis, Christum & perpessionibus obnoxium, & adorandum, & Deum esse ostendunt.* Quam diversimode vero Judæi verba pervertere & detorquere satagant, quam longe item Christiani nonnulli ab Ebraici textus vera interpretatione abludant, uberius ex sequentibus patescet.

CAPUT I.

De Objecto vaticinii R. D. Kimchii, R. Salomonis Jarchi & Aben Melech sententia. Ratio, quamobrem illa R. Abarbeneli improbetur, adducta. Odium hujus Rabbini in Christianos & in sequiorem sensum vaticinii detorquendi pervicax studium notatum. Diversa R. Abarbenelis & Aben Esræ de objecto oraculi sententia. Vocem נכשל *Zach. 12: 8. qua Abarbenel interpretamentum suum probat; Arama, Gregorius & Ribera moraliter explicant. Physice Kimchi, LXX. Chaldæus, Menasse Ben Israël, hunc sensum, utpote genuinum Abarbenelem nil juvare ostenditur. neque Ezech. 37: 16, 19. Esa. 11: 13. Quam ridicule prisci Ebræi Messiam Filium Josephi probent, ostensum. Kimchii super eodem scrupulus. Veterum Judæorum commentum de Messia, F. Josephi ex Talmud & Jalkut adductum. An eundem Messiam Maimonides agnoverit. R. Abarbenel Christianorum fidem de Messia ut solidam laudat. quæ illius sint fundamenta, ostensum. R. Bechai & Abarbenelis de Messiæ ἀθανασίᾳ erronea opinio. Judæi in eodem articulo invicem commissi. R. Abarbanelis & Aben Esræ de Messia ejusque posteris vana persuasio. Explicatio Abarbenelis ut inepta explosa. Ejusdem Rabbini dubitatione æstuantis & varias in partes abrepti inconstantia notata. Christianæ fidei in doctrina de Messia soliditas.*

§. 1. VErba vaticinii habent ita: וְשָׁפַכְתִּי עַל־בֵּית דָּוִד וְעַל יוֹשֵׁב יְרוּשָׁלַיִם רוּחַ חֵן וְתַחֲנוּנִים וְהִבִּיטוּ אֵלַי אֵת אֲשֶׁר־דָּקָרוּ וְסָפְדוּ עָלָיו בְּמִסְפֵּד עַל הַיָּחִיד וְהָמֵר עָלָיו כְּהָמֵר עַל הַבְּכוֹר׃ בַּיּוֹם הַהוּא יִגְדַּל הַמִּסְפֵּד בִּירוּשָׁלַיִם כְּמִסְפַּד הֲדַדְרִמּוֹן בְּבִקְעַת מְגִדּוֹן וְסָפְדָה הָאָרֶץ מִשְׁפָּחוֹת מִשְׁפָּחוֹת לְבָד מִשְׁפַּחַת בֵּית דָּוִד לְבָד וּנְשֵׁיהֶם לְבָד מִשְׁפַּחַת בֵּית־לֵוִי לְבָד וּנְשֵׁיהֶם לְבָד מִשְׁפַּחַת הַשִּׁמְעִי לְבָד וּנְשֵׁיהֶם לְבָד׃ כֹּל־הַמִּשְׁפָּחוֹת הַנִּשְׁאָרוֹת מִשְׁפָּחֹת מִשְׁפָּחֹת לְבָד וּנְשֵׁיהֶם לְבָד׃ Vulgatus hunc in modum transtulit: *Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ & precum, & adspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut dolere solent in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Hadadremmon in campo Mageddon. Et planget terra, familiæ & familiæ seorsim. Familiæ domus David seorsim, & mulieres eorum seorsim; familiæ domus Nathan seorsim, & mulieres eorum seorsim; familiæ domus Levi seorsim, & mulieres eorum seorsim; familiæ Simei seorsim & mulieres eorum seorsim. Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ seorsim, & mulieres eorum seorsim.*

§. 2. Quid

§. 2. Quid R. Salomo Jarchi, & R. D. Kimchi ad hæc verba ſive commententur, ſive comminiſcantur, R. Don. Iſaac Abarbenel fol. 294. comment. in Prophetas poſteriores hunc in modum edocet: פירשו רבי שלמה ירחי ורבי דוד קמחי שאם יזדמן שידקרו האומות אחד מבני ישראל במלחמה אף שיהיה הקטון שבהם ישאו עליו ישראל עיניהם למרום ויספדו עליו: *R. Salomo Jarchi & R. David Kimchi explicant ita, quod ſi contingat, ut gentes quendam Iſraëlitarum in bello occidant, tametſi is minor aut vilior fuerit, nihilominus futurum erit, ut Iſraëlitæ plangant eum.* Nempe, ut in Michlal Iophi habetur, אם יראו שידקרו אפילו הדיוט אחד שבהם יתמהו איך היה דבר זה כמו שתמה יהושע במלחמת העי כאשר נפלו מישראל שלשים וששה איש: *Si viderint, vel plebejum aliquem illorum transfoſſum eſſe, demirabuntur, ecquomodo hoc contingat, perinde ac Joſua demiratus eſt in bello Hai, quum ceciderunt ex Iſraële triginta & ſex viri* (Joſ. 7: 5.)

§. 3. Sed R. Abarbenel recte animadvertit, frigidiorem eſſe hanc explicationem, quam ut applauſum mereatur, cum non cujusvis è vulgo, qui mortem ſit oppetiturus, ſed ſingularis cujusdam, & in pretio omnino habendi, fiat mentio, utpote ob cujus obitum tot familiæ maximum & incredibilem mœrorem præ ſe ſint laturæ. Unde Iudæus, nulla circuitione uſus, ſuorum contribulium ſententiam reprobaſſe videtur, fol. ènim 293. ait: על מי נאמר והביטו אלי את אשר דקרו כי רחוק אצלי שאמר על כל אחד מהיהודים והנקלה שבהם שימותו באותו מלחמה כמו שפרשוהו המפרשים כי למה יעשו עליו מספד מר כזה משפחת בית דוד לבד ונשיהם לבד והשאר שזכר: *De quonam dicitur illud & reſpicient ad me* את אשר דקרו? *Mihi non ſit veriſimile, intelligendum eſſe Judæorum quemcunque, aut illos, qui bello iſto occidione occiduntur, ut interpretes explicant. Eccur enim lugeant familiæ domus David ſeorſim, & mulieres eorum ſeorſim: & ſic reliquæ, quæ ibi memorantur?* Quæ verba tanto diligentius notanda ſunt, quanto majori uſui nobis ſunt futura contra Lipmannum & complices ejus infra diſputaturis.

§. 4. Quo propius Abarbenel à veritate abeſſe videtur, eo longius jam eum inde abſtrahi deprehendimus odio, quo plus quam civili Chriſtianos proſequitur. His enim ægre facturus minitatur, שיבואו הנוצרים לפרש כל זה על ישו משיחם שנהרג וראוי להרים מכשול מדרך עמי בפירוש הכתובים על דרך ההוא: *Quia Chriſtiani hoc omne de Jeſu, Meſſia ſuo, explicare conantur, qui occiſus eſt, ideo æquum eſt, ut* (Eſai. 57: 14.) *tollam offendiculum de via populi mei in explicatione iſta ſcripturarum.* Ex quibus patet, Iudæum præjudicio occupatum parum ſani allaturum eſſe, cum id ſe omnibus modis conaturum profiteatur, ut ejusmodi interpretamentum nobis obtrudat, quod Chriſtianorum ſit oppoſitum ſententiæ, quam falſam & erroneam eſſe, ut ſibi primum perſuaſit, ſic aliis deinde idem perſuadere annititur. Sed ubi oſtenſum fuerit Abarbenelem, id nequaquam præſtitiſſe, quod recepit, & fruſtra eum fuiſſe in incruſtando, nonnullorum Ebræorum, neque ita antiquorum, neque apud ſuos αὐτοπίςων commento nihil cauſæ amplius erit, quamobrem Chriſtianorum expoſitionem offendiculum appellet, & de ea è medio tollenda ſollicitus eſſe velit. Verba ejus ſic habent: יותר נכון לפרשו על משיח בן יוסף כמו שפרשו רבותינו ז"ל במסכת סוכה לפי שהוא יהיה איש גבור חיל משבט יוסף ויהיה שר צבא השם באותה מלחמה והוא ימות באותה מלחמה וביאר הנביא שלא תהיה מיתתו על חטא ולא גם כן מפני חלשתו כי לא קראו נכשל כי אם בעבור שיפול וימות שם ע"ד וכשל עוזר כי אותו המשי' שיהיה נכשל ונהרג בהם ביום ההוא וישאו עיניהם למרום ויביטו אליו ית' על אותו שלם שידקרוהו האויבים ויאמרו לפניו יתברך רוח אפינו משיח השם נלכד בשחתותם של האויבים אשר אמרנו בצלו נחיה בגויי' וספדו עליו כמספד על בן היחיד לאביו: *Multo rectior explicatio illa eſt, quæ de Meſſia, filio Joſephi vaticinium accipitur, uti Dd. noſtri b. m. in Maſſecheth Succa interpretati ſunt. Is enim ex tribu Joſephi oriundus, vir ſummis viribus & bello eximius, erit dux exercitus Dei in bello iſto, quo vitam cum morte commutabit. Aſſerit quoque Propheta eum neque ob peccatum vel debilitatem periturum, quia non vocavit eum,* נכשל *niſi quia ibi moritur, juxta id quod dicitur* (Eſai. 31. 3.) *& corruet auxiliator. Quia ille Meſſias occidetur inter eos die iſto. Et ſublatis oculis triſtes Deum aſpicient benedictum propter illum pium ab hoſtibus interfectum, & dicent coram benedicto Deo: Spiritus narium noſtrarum,* (Thren. 4: 20.) *unctus Domini captus eſt in foveis illorum, ſub cujus umbra inter gentes nos victuros ſperabamus. Hinc eum flebiliter lugebunt, non aliter, quam ſi unigenitum deplorarent.* Similiter R. Abraham Aben Eſra ſcribit: אשפוך רוח חן ותחנונים על יושבי ירושלים טרם זה תעבור עליהם בתחלה צרה כי משיח בן יוסף יהרג אז יבעו השם וישמיד כל הגוים הבאים על ירושלים חרה והביטו עליו אז יביטו כל הגוים אלי לראות מה אעשה לאלה אשר דקרו משיח בן יוסף: *Effundam Spiritum gratiæ & precum ſuper habitatores Hieroſolymitanos: Ante vero, quam hoc fiat, horribili plaga afficientur, dum Meſſias, filius Joſephi occidetur. Et tunc Deus iratus omnes gentes perdet, quæ Hieroſolymam venerunt. Et hoc eſt, quod dicitur: & reſpicient ad eum. Tunc reſpicient omnes gentes ad me, viſuræ, quid illis facturus ſim, qui Meſſiam filium Joſephi occiderunt.*

§. 5. Habemus, ſi Dîs placet, ejusmodi explicationem, quæ & aliorum Iudæorum interpretatione eſt ſolidior, & Chriſtianorum ſententiam longo poſt ſe intervallo relinquit. Nempe non modo ſe priſcorum Iudæorum conſenſu niti, ſed & ex ipſa ſcriptura ſuæ interpretationis probationem contra nos arceſſere ſibi viſus eſt R. Abarbenel. Cæterum Iudæus, cornicum oculos confixurus, utrobique fallitur, cum neque ſcriptura ipſi patrocinetur, neque Dd. Iudæorum conſentiant in eo, quod tam præfracte R. Abarbenel pro vero venditat. Quod enim attinet verba Scripturæ Zach. 12: 8. prorſus inepte pro fictitio ſuo Meſſia, filio Ioſephi ea allegantur, quæ ita habent: והיה הנכשל בהם ביום ההוא כדוד ובית דוד כאלהים כמלאך יהוה לפניהם: *& erit offendens inter eos die illo ſicut David, & domus Davidis ſicut Dei, ſicut Angelus Domini.* Ubi ſciendum τὸ נִכְשָׁל ab ipſis Iudæis dupliciter explicari. (1) moraliter, prout eum denotat, qui peccavit. Quo ſenſu R. Iſaacus Arama (cui tamen de Meſſia filio Ioſephi nihil hic ſuboluit) comment. in Pentateuch. fol. 164. col. 2. videtur accepiſſe, cum ita ſcribit: החטאים והעונות אשר ימצאו בימים ההם יהיו נתנים למחילה על ידי המוסר והתוכחה לא כעונות הראשנים החמורים אשר היו נחתמים לפניו ולא יכול לשאת זכמו שאמר והיה הנכשל בהם ביום ההוא כדוד ובית דוד כאלהים: *peccata & iniquitates quæ invenientur diebus illis* (Meſſiæ) *per caſtigationes & reprehenſiones remittentur, non ſicut priores iniquitates graviores, quæ erant ante ipſum obſignatæ, neque poterant condonari, quemadmodum* Zach. 12: 8. *ait: Et erit offendens ſicut David, & domus David ſicut Dei.* Atque hunc in modum ex Chriſtianis quidam acceperunt. Fr. Ribera enim poſt Gregorium, ſenſum eſſe ait: *qui præ humana infirmitate ceciderit, multis lachrymis pro ſuis peccatis ſatisfaciet.* (2) phyſice, ut eum, qui ſuccumbit, vel infirmus eſt, denotat. Quo ſenſu, teſte Abarbenele, ipſe Kimchi interpretatur, hunc in modum: החליש שבהם יהיה כדוד שהיה גבור חיל איש מלחמה: *infirmus inter eos erit inſtar Davidis, qui fortis & bellicoſus fuit.* Quæ explicatio ipſi R. Menaſſeh Ben Iſraël, lib. 3. cap. 5. de R. M. probata, priori eſt præferenda, cum de felicitate futura populi Iudaici agatur, & ii, qui alias infirmi erant & imbelles, ſtrenui & in hoſtibus propulſandis fortes, proxime ad Davidis fortitudinem acceſſuri dicantur, id quod reapſe quoque tempore Maccabæorum evenit. In libro Michlal Iophi τὸ נכשל dicitur ſignificare: נפילת התגברות ורפוי הכח *roboris defectum & virium remiſſionem.* Et LXX. non incommode ἀσθενὴς reddiderunt. Chaldæus, חלש. Quam parum autem hoc R. Abarbenelem juvet, in aprico eſt, cum non de uno aliquo & ſingulari ſubjecto hic Prophetæ ſermo ſit, eoque ut Iudæus delirat, interituro; ſed de pluribus, qui, cum alias imbelles & infirmi erant, fortiter jam & ſtrenue rem ſint geſturi. Quod vero R. Abarb. etiam contendit, eum Davidi ſimilem fore pietate, id iterum textui affingitur, ut eum perpendenti pateſcet.

§. 6. Ejusdem igitur R. Abarbenelis probatio Meſſiæ filii Ioſephi monetæ eſt, ac illa, qua libello Maſchmia Ieſchua, p. 47. col. 4. ex Ezech. 37: 16, 19. ſatagit evincere, Meſſiæ filii Ioſephi adventum. Promittit ibi Deus, ſe lignum Ioſephi, quod erat in manu Ephraim, ſumturum, & ligno Iudæ adjuncturum eſſe. Num vero id inde ſequitur, quod Abarb. l. cit. colligit: כלם יתאחדו וידבקו תחת ממשלת משיח בן יוסף: *omnes ſub dominio Meſſiæ filii Joſephi conjungentur & invicem ſibi cohærebunt.* Verba illa Dei nihil aliud præ ſe ferunt, quam fore, ut lignum Ioſephi, h. e. X. tribus, vel regnum Iſraëlis, & tribus Iudæ, quæ antea diviſæ erant, in unum populum iterum coaleſcant, quod etiam revera ſub templo ſecundo contigiſſe, licet Iudæi eant infitias, ex ſcripturis omnino colligere licet. Peculiarem vero Meſſiam è tribu Ephraim oriundum æque frivole R. Abarbenel inde probat, atque R. Salomo ex Eſai. 11: 13. ubi ſenſum verborum eſſe ait: משיח בן דוד ומשיח בן יוסף לא יקנאו זה בזה: *Inter Meſſiam filium Davidis & Meſſiam filium Joſephi nulla erit æmulatio.* Cum textus de duabus tribubus ibi agat, quæ ſe invicem tantum non peſſundare ſolebant, id quod Eſai. 9: 22. Deus erat minatus.

§. 7. Ex Scripturis itaque pro suo Messia, filio Josephi nihil suppetit Judæis. Unde R. Menasseh Ben Israel lib. 3. c. 5. de resurrectione mortuorum diserte scribit: *Antiquos sibi imaginatos esse Messiam filium Josephi ante filium Davidis, ducem ac principem populi fore.* Ubi diffiteri nequit, non tam ex Scripturis, quam Judæorum cerebello id dogma ortum esse. Cujus etiam vanæ imaginationis exemplum lib. IV. c. II. de A. C. V. P. Galatinus ex antiquissimo libro רבות allegat, verba ejus hæc sunt: In Bereschith Rabba, inquit, super c. 49. Gen. יששכר חמור גרם *Issachar asinus fortis vel osseus, hoc modo legitur: Scriptum est Esai.* 32. *beati vos seminantes super omnes aquas. Non est istud seminare, nisi eleemosynam & opera misericordiæ facere, sicut dictum est:* Esai. 55. *Eia omnes sitientes venite ad aquas. Si quis autem ita fecerit, merebitur Eliam & duos Messias. Hoc est autem, quod scriptum est,* Esai. 32. *mittentes pedem bovis & asini. Mittentes. Iste est Elias, de quo scriptum est Malach. ult. Ecce ego vobis mitto Eliam prophetam. Pedem bovis. Hic est Messias filius Josephi, sicut dictum est:* Deuter. 33. *primogenitus bos ejus, decor ejus. Et asini. hic est Messias filius Davidis, de quo scriptum est* Zachar. 9. *Pauper & equitans super asinum.* Hæc verba quæ ex רבות Galatinus se allegare profitetur, in Veneta editione inquirenti non occurrunt. Unde suspicari licet, ipsos Judæos tam stolidæ probationis puduisse, adeoque prorsus duxisse omittenda.

§. 8. Quid de Messia illo, de quo in textu sermonem esse R. Abarbenel contendit, R. David Kimchi senserit, ex ipsius verbis est colligere, quæ ita habent: רבותינו זכרונם לברכה פירשו על משיח בן יוסף שיהרג במלחמה ותמה אני לפי פירושם איך כתמו ולא זכרו כלל: *Dd. nostri b. m. explicarunt hunc textum de Messia filio Josephi in bello interficiendo. Sed hoc interpretamentum miror, cur ita occultarint, neque ejus generaliter meminerint.* Aperte testatur Kimchi, non omnium Ebræorum doctorum, & ubivis receptam esse sententiam, sed privatam tantum quorundam opinionem, nempe qui ad l. cit. idem tradiderunt, at alibi & ubi de Messia agitur, nihil hujus meminerunt. Verba illa ex Massechet Succa in Jalkut citata hæc sunt: האי הספדה מאי עיבידתיה פליגי בה רבי יוסי ורבנן חד אמר על משיח בן יוסף שנהרג וחד אמר על יצר הרע שנהרג בשלמה למאן דאמר על משיח בן יוסף שנהרג היינו דכתיב והביטו אל את אשר דקרו וספדו עליו וגו׳: *Qui planctus ille est, & quæ ipsius est ratio? Dissentiunt ea in re Rabbi Josi atque Dd. nostri. Unus ait, de Messia filio Josephi sermonem esse, qui occiditur. alter vero ait de figmento malo, quod occidatur. Pax illi, qui de Messia filio Josephi occidendo accipit. Hoc enim est, quod scriptum extat* (Zachar. 12: 18.) *respicient ad me quem transfixerunt, & plangent super eo &c.* Merito exinde, quod verba Scripturæ tam impertinenter adducuntur, & alias ipsimet Dd. Judæorum ex professo de hoc imaginario Salvatore nusspiam egerunt, ipsi Kimchio suspecta fuit hæc interpretatio. Si enim ex antiquioribus Tanchuma, & Chaldæum, Josephum Cœcum, ad Cantic. 4: 5. excipias, vix alio libro mentionem ejus fieri deprehendas. In Jalkut part. 2. fol. 32. col. 3. hæc legimus אותו התינוק משיח בן יוסף היה *Ille infans Messias filius Josephi fuit.* Recentiores vero Judæi qui cœco impetu in traditionem priscorum feruntur, ea de eodem Salvatore fabulantur, quæ causam Judæorum desperatam esse testantur. Cujusmodi illud est, quod autor אבקת רוכל nomen hujus Messiæ Nehemiam filium Husielis esse asseverat.

§. 9. Pro fabula haud dubie hanc priscorum παράδοσιν ipse Rabbi Maimonides habuit, qui eo loco, ubi de Messia κατ᾽ ἐξοχὴν sic dicto agit, hunc filium Josephi minime agnovit, licet duorum unctorum, Davidis, unius, alterius, filii ipsius Messiæ κατ᾽ ἐξοχὴν dicti, meminerit. Hilkot מלכים c. XI. de utroque ita loquitur: שם נבא בשני המשיחים במשיח הראשון שהוא דוד שהושיע את ישראל מיד צריהם ובמשיח האחרון שעומד מבניו שמושיע את ישראל מיד בני עשו: *ibi* (Num. 24.) *vaticinatur de Messia gemino; primo, Davide nempe, qui Israëlem è manu hostium suorum liberavit, & Messia postremo oriundo è posteris ipsius, qui filios Israelis è manu filiorum Esavi vindicabit.* Ita Maimonides, totius Talmudici corporis Epitomator, Messiam filium Josephi susque deque habuisse videtur, solum filium Davidis pro Messia agnoscens. Quem tamen cum eo nomine præstoletur, ut is Judæos è manu Christianorum eripiat, in aprico est, quantopere à vero Messiæ officio aberret, & quam difficile sit, ob præconceptam opinionem, ut is contribulibus suis verum & genuinum sensum de Messia ejusque officio ex sacris eruat atque amplectatur.

§. 10. Cum vero illam priscorum Ebræorum sententiam ab ipsis sanioribus Rabbinis nauci fieri appareat, mirum est, Rabbi Abarbenelem eam Christianis ausum fuisse opponere. Quasi sic satis esse sibi persuaserit, ad redarguendos Christianos, dummodo aliquid sententiæ opponeret, cujuscunque demum id esset momenti. Bene autem factum est, quod interpretum opinionem, qua plurium obitus deplorari dicitur, ut rejectaneam ipse exploserit. Quandoquidem vero ipsius explicatio ne hilo quidem melior est, utpote nec scripturæ consentanea, neque à cordatioribus Ebræis approbata, ecquidnam aliud superest, quam ut Christianorum interpretamenti veritatem agnoscat, quo veri nominis Messiæ, nempe filii Davidis, transfixio hic significari perhibetur? Digna sunt verba ejus, quæ libro מעיני הישועה sive comment. in Dan. pag. 45. col. 3. scripta reliquit: טבע האמת נמצא בפיהם ויסדו אמונתם על יסודות אמתיות ואמרו כן זה כדי שיאמינו דבריהם: *ipsa veritas in ore ipsorum* (Christianorum) *invenitur, & fidem suam fundamentis solidis superstruxerunt. Atque ita loquuntur, ut verbis illorum fides habeatur.* Ecquænam vero sunt illa, quæ nobis ingenue tribuit, solida fundamenta? Iterum audiemus hunc in modum ibidem loquentem: ידוע תדע שתלמידי ישו קבלו מחכמי ישראל ענין המשיח המיועד בנבואות ושיבוא ראשונה משיח בן יוסף וילחם באומות ויהרג במלחמ׳ כמו שנבא עליו זכריהו והביטו אלי את אשר דקרו וספדו עליו וגו׳: *Sciendum omnino tibi est, discipulos Jesu à doctoribus Israelis accepisse, quicquid de Messia in vaticiniis promissum est. Quod nempe primum sit venturus Messias filius Josephi, & contra gentes pugnaturus, in bello occidendus, sicut Zacharias de eo vaticinatus est, & respicient ad me &c.*

§. 11. Cæterum hæc Judæi vana est persuasio. Solida fundamenta, quibus nostra doctrina nititur, non Judæorum sunt commenta, sed ipsius Scripturæ vaticinia, ex quibus Messiam (quem non nisi unum esse novimus) παθητὸν esse, fortissime probatur. Conf. Esai. 53: 8. Psal. 22: 12, 17. Dan. 9: 22. & hoc loco Zachar. 12: 10. Unde etiam Iustinus Martyr Tryphoni Iudæo idem jam olim dialogo cum eo respondit; ὁ Χριστὸς, inquiens, προεφητεύθη μέλλειν εἶναι, καὶ λίθος κέκληται, καὶ ἔνδοξος μετὰ τὴν πρώτην αὐτοῦ παρουσίαν, ἐν ᾗ παθητὸς φαίνεσθαι κεκήρυκτο. Christiani igitur ex ipsa Scriptura edocti, & eventu, optimo magistro, confirmati, norunt Messiam, verum nempe & Davidis filium, (quo nomine ut maxime proprio eum appellatum fuisse Evangelica historia passim docet, Matth. 12: 23. 21: 9. 22: 42. Luc. 18: 38. non invito Talmudico codice Massechet Sanhed. c. XI. ubi qualia tempora sint futura, cum *filius Davidis* venerit, fuse discutitur) mori debuisse. Quod nisi tam obstinate negarent Iudæi, multo facilior eorundem foret conversio.

§. 12. Quam vero diversam Iudæi de illo foveant hypothesin, ex verbis Rabbi Bechai, comment. in Leg. fol. 21. col. 1. patet: משיח בן דוד לא יהיה בו מיתה: *Messias, filius Davidis, non morietur.* Similiter R. Abarbenel idcirco negat, cap. 53. Esai. de Messia esse intelligendum. fol. 78. col. 4. quod, quæ inibi habentur, in Messiam haud quadrent. Ita enim ille scribit: איך יאמר עליו אכן חלינו הוא נשא ומכאובינו סבלם ואנחנו חשבנהו נגוע מוכה אלהים ומעונה כי הוא יהיה מלך צדיק ולא יהיה נגוע ומוכה כי אם צדיק ונושע ואיך אם כן יאמר עליו ובחברתו נרפא לנו וה׳ הפגיע בו את עון כלנו ושאר הפסוקים שמורים שהוא יקבל יסורין ומיתה בעבור ישראל וגם יקשה לפרש עליו מעוצר וממשפט לוקח ואת דורו מי ישוחח כי נגזר מארץ חיים כי משיח בן דוד יהיה בידו העוצר ומשפט אבל לא ילקח ממנו וגם לא יהיה נגזר מארץ היים כי שם ימלוך: *Ecquomodo dicetur, de eo* (Messia) *intelligenda esse verba* (Esai. 53: 4.) *& languores nostros ille tulit, & dolores nostros bajulavit, & nos eum reputavimus plagatum & percussum à Deo & humiliatum. Ille enim rex erit justus, non plagis & vulneribus excipietur, sed justus erit & Salvator, ecquomodo itaque de eo dicetur: & in livore ejus sanatio nobis,* (vs. 5.) *& dominus occurrere fecit in eum omnia peccata nostra. Et reliqua verba, quæ docent, ipsum castigationes & mortem pro Israele susceptarum esse. Præterea durum erit de eo explicare verba* (vs. 8.) *de clausura & judicio sublatus est, generationes ejus quis eloquetur, quia abscissus est è terra viventium. Quia Messias filius Davidis clausuram & judicium in manu sua habebit & potestate, minime vero ab eo auferetur. Præterea è terra viventium non abscindetur, ibi enim regnabit.*

§. 13. Hanc de Messia, filio Davidis persuasionem non heri demum aut nudius tertius apud Iudæos ortam esse, sed jam tum Christo in terris agente in illorum animis altas egisse radices, discere licet ex Ioh. 12: vers. 34. ubi Salvatori nostro hoc ipsum Iudæi objecerunt, *nos*, inquientes,

ex

ex lege audivimus, Christum manere in æternum, & tu dicis, oportet exaltari filium hominis! Ubi perinde ac hodie paradoxum ipsis visum est, Messiam pati & mortem contumeliosam, qualis illa crucis erat, oppetere. Atque hæc ipsa causa esse videtur, quamobrem tandem nonnulli eo sint delapsi, ut cum humilem & morti denique ipsi obnoxium esse, consistere posse negarent cum glorioso Messiæ imperio & regno, geminum commenti sint Messiam, in quorum unum, filium nempe Josephi, ea, quæ abjecta essent & minus honorifica, competerent, in alterum vero, quæ gloriam summam saperent, caderent, cujusmodi est, quod à mari ad mare & ad fines usque terræ dominaturus dicitur. Psal. 2: 8. 72: 8.

§. 14. Cæterum nihil causæ est, quamobrem duobus assignetur, quod citra omnem absurditatem de uno dici potest & debet. Cum multo sit facilius, ipsorumque Prophetarum scriptis congruentius unum agnoscere, qui per adversa ad regnum sit perventurus. Quod Salvatorem nostrum pridem suis discipulis inculcasse legimus, Luc. 24: 25. *O stulti*, inquientem, *& tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam?* Hoc vero cum admittere Judæi renuant, & sibi pro suo libitu Messiam fabricare malint, quam in scripturis designatum admittere, fit, ut tandem ipsimet ignorent, quid de Messia credendum sit, & quousque illius se beneficia extendant. Negavit supra Bechai, Messiam moriturum esse. Contra idem affirmavit R. Moses, teste Menasseh Ben Israel, lib. 3. de R.M. cap. XI. Ille enim non modo morti eum obnoxium esse, sed etiam filium & posteros ordine successores fore ait, perinde ac R. Aben-Esra, comm. ad Psal. 122. Neque aliter sensisse videtur R. Abarbenel, lib. משמיע ישועה pag. 47. col. 4. כמו שכל מלכי מצרים נקראו זמן רב בשם פרעה ואחרי כן נקראו כל אחד מהם תלמי כן יקרא מלך המשיח וכל זרעו בשם דוד לעדות שיהיה מזרעו יושב על כסאו: *quemadmodum omnes Reges Ægypti vocati sunt longo tempore nomine Pharaonis, postmodum vero singuli eorum Ptolomæi appellabantur: Sic Messias vocabitur David, & omnes posteri ejus, in testimonium, quod de Semine ejus quispiam sedeat super throno ejus.* Adeo terrenas & ab officio sanctissimo Messiæ multum abludentes hypotheses fovent! Quæ sane eo tandem Judæos adigunt, ut desultoria quadam levitate in præcipuis vaticiniis huc illuc eos agi deprehendas.

§. 15. Exemplo nobis jam esto R. Abarbenel, qui nuspiam invenit, ubi pedem figat. libro sæpius citato ita loquitur: מיתת משיח בן יוסף אין ראוי שיחשוב אדם שתהיה מקרית אלא בהשגת השם כדי שתחזור המלכות לזרע דוד ימות המשיח בן יוסף כמלחמה באופן שיאמרו ישראל הלא על כי לקח כתר המלוכה בהיותו משבט אפרים נהרג ולען ישובו ויבקשו את ה' אלהיהם ואת דוד המלך: *Noli putare, Messiam filium Josephi fortuito occisum iri, qui certo Dei consilio & providentia occumbet. Ut enim regnum ad posteros Davidis redeat, oportet Messiam filium Josephi mori, Israelitis hunc in modum locuturis: nonne quia hic, ex tribu Ephraim prognatus, coronam regni sumpsit, ideo interfectus est? Et propterea revertentur filii Israelis* (Hos. 3: 5.) *& quærent Dominum Deum suum & Davidem Regem.* Cæterum si is, de quo transfigendo Zacharias loquitur, Israelitis ita in amoribus est futurus, ut ejus obitum tam acerbe sint laturi viri juxta & fœmellæ, Messias vero, filius Davidis, ut lib. cit. p. 74. R. Abarbenel loquitur: יהיה יותר ויותר ממשיח בן יוסף: *longe præstantior erit futurus Messia filio Joseph*, nullo modo verisimile est, Judæos se squalore confecturos esse ob ejusmodi virum, qui בראשונה *in ipso exordio belli* sit interiturus, cui non rite ad gubernacula sedenti successurus sit longe præstantior, & cujus merita ipsi nesciunt Iudæi. Atque hoc ipsum R. Abarbenelem videtur movisse, ut comm. in Zach. 12. prius interpretamentum tantum non rejecerit, ut ex seqq. apparet verbis: אפשר עוד לפרש שלא יהיה המספד הזה על אותו הנכשל ונהרג כי אם שיספדו על צרתם בראותם שאויביה' באים לכבוש את הארץ ולהחריבו ושעל זה אמר ביום ההוא יגדל המספד בירושלים וגו' שהוא בראותם שהאויבים שות שתו שערה והוא היותר נכון בעיני: *dicere etiam possumus luctum non ob illum, qui occisus est, futurum, sed propter angustias, quum videbunt hostes suos venientes ad subjugandam & devastandam regionem. Et propterea dicitur* (vers. 11.) *illo die crescet planctus Hierosolymis &c. quia videlicet ad portas* (Esai. 22: 7.) *castra metantes, atque hæc interpretatio mihi magis probatur.*

§. 16. Ita quæ Judæorum mala causa est, efficit, ut, incerti, quid statuere debeant, desultoria quadam levitate nunc huc nunc illuc agantur. Cujus inconstantiæ, diversis commentis allatis, R. Abarb. luculentum præbet exemplum. Is enim, quantumvis reliquis Judæis & doctior & sagacior habeatur, in eas angustias hic redigitur, ut sibi aquam hærere haud obscure testetur. De Israelitis quibusvis in bello occisis, ut post Kimchium & R. Salomonem R. Menasseh Ben Israel lib. 3. de R.M. cap. 5. persuasum habet, sermonem Prophetæ non esse, sed de singulari, eoque maximi æstumato subjecto, cujus obitum perinde ac unigeniti & primogeniti filii deploraturæ sint integræ familiæ, Rabbi Abarbenel textus evidentia convictus, pro sua Christianis quoque commendata sagacitate recte vidit. Et cum luctum summum in Martis pullum, cujus nulla in Israelitas merita extant, cadere non posse, viderit, & ex verborum emphasi collegerit, neque tamen sic illum, in quem vere, quæ in textu dicuntur, competunt, nominare potuerit, tandem luctum ob adventum hostium, obsidionem minitantium, futurum comminiscitur. Cujus cum in toto contextu nulla omnino fiat mentio, quam prodigiosa Judæi sit temeritas, apparet. Quæ tandem tamen illum adduxit eo, ut libello citato pag. 74. col. 2. de integro sibi pridem improbatam expositionem sit amplexus, & Israelitas intelligens, sensum esse dixerit יבכו וספדו על מתיהם *plorabunt & plangent mortuos suos.* Hæc videlicet sors est Judæorum, ut vero Messia rejecto scripturam ea dicere fingant, quæ nemo prudens inde collegerit. Ipso meridie vero clarius appareret, Judæos hic Messiæ transfixionem admittentes, Christianorum sententiam imprudentes confirmare, adeoque Dominum Iesum per ea, per quæ Messiam veri nominis eum haud esse majoribus illorum persuasum erat, nunc necessario Messiam esse, neque quicquam causæ esse, quamobrem apud Iustinum Martyrem Trypho Iudæus sciscitetur: εἰ οὗτος δ' ἐστί, περὶ οὗ ταῦτα προεφητεύθη, ἀπόδειξον! Tam apte enim quæ in loco prophetico prædicta sunt, in Iesum quadrant, ut præter eum Iudæi nullum alium nominare queant, adeoque ipsum Messiam esse exinde quoque evidenter comprobari possit.

CAPUT II.

Irritus conatus in textu pro Juædorum sententia pervertendo Rabbi Abarbeneli exprobratur. Cur ejusdem querela de Zachariæ obscuritate hic locum nullum habeat. Justinus Martyr laudatus. Vox רוח *πολύσημος. Significationes dictionum* חן *&* תחנונים *ostensæ. Rabbi Davidis & Rabbi Josephi Kimchi, item Abarbenelis commenta allata. Cornelii à Lapide, Ariæ & Castri interpretatio laudata. Corruptela vocem* בית דוד *apud Abarbenelem notata. LXX. interpretum translatio vocis Hadadrimmon à Theodoreto explicata. Chaldæi paraphrasis & super ea Aben-Esræ judicium. Ejusdem & Kimchii de planctu in valle Megiddon opinio. Originatio vocis* הדדרמון. *Cornelii Bonaventuræ, Bertrami conjectura. Hieronymus laudatus. Hariolationes Abarb. & Rabbi Salomonis, cur planctus per familias sit futurus, & earundem examen. Cur seorsim mulieribus planctus tribuatur. Mos Judæorum. Quamobrem ita planctus exaggeretur. Sanctii opinio improbata. Rationes probabiles geminæ, cur familiarum sit istarum mentio facta.*

§. 1. Recensitis ita diversis Judæorum de vaticinii objecto sententiis, quo successu R. Abarbenel id quod recepit, præstiterit, & offendiculum è via populi sui removerit, in aprico est. Nempe tantum abest, ut id effectum dederit, ut potius reapse testatus fuerit, sibi non minus ac aliis Judæis Messiam ejusque mortem offendiculo esse. Quam cum in Messia, filio Davidis admittere itidem renuit, fieri nequit, quin à scopo Prophetæ longissime abludat, & sensum verum minime assequatur, quem Christiani ex contextu, proprietate verborum & eventu pridem deprehenderunt. Etsi enim R. Abarbenel, comment. in Dan. cap. 11. conqueritur: נבואות זכריה כל כך נעלמות שלא מצאו כל אנשי חיל המפרשים ידיהם בפירושם: *vaticinia Zachariæ usque adeo sunt abscondita, ut omnes interpretes, quantumvis periti, manus suas in explicationibus suis non invenerint* (Psalm. 76: vers. 6.); hoc tamen loco, ubi omnes προρρήσεις in comparatione implementorum satis possunt intelligi, & Messiam nostrum significari, cum verborum Propheticorum evidentia, tum S. Evangelistæ alle-

allegatione clarissime patet, de obscuritate conquerendi nullam omnino causam videmus, præsertim cum & alia vaticinia ad eundem scopum, quem nostrum respicit oraculum, colli-neare deprehendamus. Cujusmodi sunt ψ. XXII: 17. Numer. cap. 21: 9. Johan. 3: 14. ut merito nos R. Abarbaneli, quod jam olim Tryphoni Judæo Justinus, respondeamus, πῶς οὐχί, inquientes, καὶ ἡμεῖς θαῤῥοῦντες πεπιστεύκαμεν εἰς αὐτόν; καὶ ὅσοι νενοήκασι τὰ τῶν προφητῶν, τοῦτον φήσουσιν, οὐκ ἄλλον, εἰ μόνον ἀκούσειαν, ὅτι οὗτος ἐσταυρωμένος.

§. 2. Sed ipsum textum penitius considerabimus, visuri postmodum, quam frivola illa sint, quibus Christianorum interpretationem labefactare satagunt Judæi. Ipse Deus loquens introducitur in textu. *Ergo* inquiens, *effundam super domum David & habitatores Jerusalem* רוּחַ חֵן וְתַחֲנוּנִים *Spiritum gratiæ & precum.* Quæ voces nunc seorsim explicari merentur. Dictio רוח, fatente Flacio, in Clave, in sacris literis plurimas ac diversissimas locutiones, non parum obscuritatis habentes, gignit. Græci per πνεῦμα reddiderunt. Quæ vox licet non ejusdem alias latitudinis sit apud profanos autores, cujus vox רוּחַ esse solet apud Ebræos, sacri tamen scriptores, cum nihil magis occurrerit idoneum, eam aliis quoque notionibus exprimendis adhibuerunt. Atque ita factum est, ut τὸ πνεῦμα æque ac Ebræorum רוח plura significare jussum sit: *Deum ipsum*, & peculiariter *tertiam*, ut vocant, *hypostasin.* Consimiliter *angelos*, cum *bonos* tum *malos*, *animam humanam*, *mentem*, *sanctificationis donum*, peculiares *dotes*, & animæ quamlibet *dispositionem.* Vocis רוח non ultimam significationem Rabbi David Kimchi in libr. radicum esse ait, qua notat in sacris הרצון והחפץ *voluntatem & voluptatem.*

§. 3. Vox חֵן, ut Rabbi Nathan in Concordant. Ebraicis testatur, tria fere designare in codice sacro solet. חמלה *indulgentiam*, *sive misericordiam*, נתינה *largitionem*, תפלה *precationem.* Τὸ תחנונים Chaldæus per רחמים *miserationem*, & LXX. οἰκτιρμοῦ reddiderunt. Significat autem illa *deprecationes*, ut vel ex illo Job. 41: 20. colligi potest: *Nunquid multiplicabit ad te* תחנונים *preces*; an loquetur ad te רַכּוֹת *mollia.* Unde & Drusius in h. l. *potest accipi de Spiritu, quo delicti veniam petimus, ejusque pœnam deprecamur à D.o.* Nunc, quem sensum verborum esse velint Judæi, videamus. Rabbi David Kimchi eum hunc esse ait: שימצאו חן בעיני ואושיעם מן הגוים הבאים עליהם: *ut in oculis meis gratiam inveniant, & eos à gentibus contra ipsos venientibus liberem.* Parens ipsius, Rabbi Joseph Kimchi adhuc aliter שיהיה חן בעיני כל אדם ושיהיו תחנונים מקובלים לפני: *ut apud omnes homines in gratia sint, & eorum preces apud me acceptæ.* Rabbi Abarbanel vero scenæ serviturus, & suum Messiam, filium Josephi probaturus, sensum non tam eruit, quam infert: יעד הנביא שישפוך השם על בית דוד שהוא המלך המשיח בן דוד ועל יושבי ירושלי׳ רוח חן ותחנונים כלו׳ שיתן בלבם להתפלל ולהתחנן לפניו וישאו עיניהם למרום בצרה רבה על אותו משיח שידקרו האויבים: *Pollicetur Propheta, effusurum Deum super domum Davidis, qua Messias filius Davidis notatur, & super cives Hierosolymitanos spiritum gratiæ & precum, quasi dicat, cordi illorum inspirabit, ut preces ante ipsum fundant. Et oculos suos in magna calamitate subtristes elevabunt ob illum Messiam, quem hostes transfixerunt.*

§. 4. Dum erga Messiam indigno modo transfigendum Hierosolymitanorum civium commiserationem Judæus hic agnoscit, videri queat, eum Christianorum sententiæ gemella docere, saltim prope à veritate abesse. Cornelii à Lapide in h. l. verba sunt: *Pressius magisque apposite & connexe ad sequentia Arias & Castro censent, spiritum gratiæ & precum hic vocari eum, quem Deus injecit Israëlitis, cum viderent Christum in cruce crucifixum, ut scilicet eum adspicerent oculis, non torvis & crudelibus, sed benignis & gratiosis & commiserantibus, indeque erumperent in lachrymas & preces, optantes, ut Deus Christi innocentis & tam dura patientis misereatur. Spiritus enim in scriptura significat vehementiam ad commiserandum, si sit spiritus miserationis, ut hic est. Hunc esse sensum patet ex verbis: & plangent &c. Hæc enim commiseratio fuit initium fidei & conversionis ad Christum.* Cæterum Rabbi Abarbanel ut fictitium suum Messiam hic nobis obtrudit, ita talia quoque comminiscitur, quæ eum longissime adhuc à veritate abesse comprobant. Quod enim per בית דוד *domum Davidis* ipsum Messiam, filium Davidis, & hujus planctum super Messia filio Josephi intelligendum esse contendit, להוריע שלא היתה ביניהם קנאה כי אם אהבה עצומה: *ad indicandum, nullum inter eos*, (Messiam filium Davidis, & Messiam filium Josephi) *æmulationem, sed magnum amorem fore*, id neque textui conforme est, neque Ebræi idiomatis proprietas admittit. Ut ipse Rabbi David Kimchi in libro Radicum testatur, τὸ בית non tam unum aliquod individuum, quam בני בית vel plures posteros è quodam oriundos denotat. Provocat quidem Abarbanel ad Esai. 7: 13. ubi eadem voce בית unum aliquem, nempe Regem Ahasum intelligi persuasum habet. Sed contextus, & ipsum verbum pluralis numeri שמעו satis docent, totam Davidicam prosapiam compellari. Quæ & h. l. una cum civibus Hierosolymitanis incredibilem luctum ob transfixionem illam præ se latura dicitur, quam in Messia Judæi perpetrarunt. Spiritus quippe illius effundendi effectum Propheta talem fore ait, ut Deum intueantur, *quem transfixerunt*, (hunc sensum verum esse & genuinum, non illum, quem Judæi obtrudere nobis contendunt, cap. 3. ostendemus) & illum lugeant, adeoque ita pœnitentiam agant. Sane si, quod Rabbi Abarbanel, pagin. 74. libelli citati scribit: ההפסד גם כן יהיה מכלל התחנונים: *luctus ille erit itidem ex censu precum*, hic locum habeat, non incommode etiam ad pœnitentiam referri hoc ipsum possit.

§. 5. Luctum illum Scriptura exaggeratura, non tantum instar luctus unigeniti vel primogeniti fore asserit, quo tenerrimum amorem alias indicare Scriptura amat, Jerem. 6. 26. Amos. 8: 10. sed subdit etiam: *in die illa magnus erit planctus Hierosolymis*, כמספד הדדרמון בבקעת מגדון: *sicut planctus Hadadrimmon, in campo Megiddon.* Quæ verba Græci Interpretes haud acceperunt ut nomina propria, sed appellative ea verterunt, *sensu*, ut Ioh. Tarnovius judicat, *fere nullo.* Versio illorum hæc est: ὡς κοπετὸς ῥοῶνος ἐν πεδίῳ ἐκκοπτομένου, *sicut planctus malogranati, quod in campo succiditur.* Solent tamen Græci Patres rationem hujus versionis dare aliquam. Theodoretus comment. in h. l. scribit: καθάπερ ὑλοτόμοι ῥόας ὅτι πλείστας ἐκτέμνοντες κτύπον ἀποτελοῦσι πολύν· οὕτως ὁ τούτων κομμὸς κατακτυπήσει πάντων τὰς ἀκοάς. *Quemadmodum lignatores maximum numerum malogranatorum secantes magnum strepitum edunt, sic horum planctibus omnium mortalium aures circumsonabunt.* Sed cur malogranati meminit? Hujus quoque rei causam reddere vult sanctissimus pater, οὐχ, inquiens, ἁπλῶς γὰρ τὰ ἄλλα δένδρα καταλιπὼν τῆς ῥόας τέθεικε τὴν εἰκόνα. ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ ἀγαπητοῦ καὶ πρωτοτόκου πένθει τὸ ἐκείνων ἀπείκασε πένθος. ἀγάπης γὰρ τύπος ἡ ῥόα συνημμένους ἔχουσα λίαν καὶ ἡνωμένους τοὺς κόκκους, εἰκότως τῇ τούτων τῶν δένδρων τομῇ τὸν ἐκείνων ἔφησεν ἐοικέναι κομμόν. *Non temere autem aliis arboribus omissis, ex malogranato duxit similitudinem, sed quia carissimi & primogeniti luctui illorum luctum comparavit, caritatis autem typus est malogranatum, grana habens valde conjuncta & unita, recte harum arborum sectioni illorum planctum similem esse dixit.* Annon hoc interpretamentum coactius sit, quam esse decebat, aliorum judicio relinquimus.

§. 6. Chaldæus quoque Paraphrastes, Jonathan, verba Ebræa liberius hunc in modum reddit: *Multiplicabitur planctus in Jerusalem sicut planctus Achab, filii Amri, quem occidit Hader Remon, filius Tabremon, in Ramad Gilead, & sicut planctus Josuæ filii Amon, quem occidit Pharao claudus in campo Megedo.* Etsi & Rabbi Salomo in glossa sua de gemino luctu sermonem esse contendit, veritati tamen id minime consentaneum esse videtur, ob absentiam copulæ. Rabbi AbenEsra de hac paraphrasi ait: דרך דרש הוא *allegorica hæc est explicatio*, subinnuens, sensum literalem sic minus esse expressum. Unde idem Rabbi subjicit: מספד אדם גדול היה בימים קדמונים בבקעת מגדון ואנחנו לא ידענו כל הקורות: *Planctus hominis magnæ existimationis fuit olim in Valle Megiddon. Nos vero non novimus omnia, quæ contigerunt.* Quibus verbis Judæus non diffitetur, se dubitare de eo, ecquisnam præcise hic intelligendus sit. In libro quoque Michlal Jophi ex Kimchio notatur: לא ראינו זכר במקרא *in scripturis nullam hujus reperimus mentionem.* Complures tamen Interpretes persuasum habent, respicere Prophetam ad illum planctum, quem totus populus concepit ex præmatura morte Josiæ, de quo 2. Paralipomen. 35: 25. memoratur, quantopere eum & cantores & cantatrices luxerint. Id equidem negari nequit, τὸ Hadadrimmon, quod ex הדד, *celeusma* & רמון *malum punicum* significare, & sic locus à celeusmate torculario denominatus fuisse videtur. Hariolatur vero Bonaventura Cornelius Bertramus, Lucub. Francktallensib. capit. X. Hadadrimmon assumptum fuisse & usurpatum pro Gathrimmon, quæ urbs, ad urbem Megiddunem sita, cesserit Kahathitis, ubi Levitæ Kahatitæ celeusma torcularium illius urbis converterint in acerbissimum

mum luctum, susceptum propter Josiam, trucidatum ad eum planitiei Megiddduntis locum, qui proxime subjicitur monti illi, ad cujus pedes sita fuit urbs Megiddo. Quam urbem, cum sua ætate Hieronymus Maximinianopolin vocatam prope Jezraëlem sitam fuisse testetur, Christianorum plerique omnes ei astipulantur Interpretes, quem etiam se desere re negat Drusius, nisi ubi manifesta illi adversatur veritas.

§. 7. Quicquid tamen ejus sit, hoc præterea memoratu dignum est, quod per familias plangere eum dicuntur. Cum vero inter eas quatuor seorsim memorantur, ratio non una ab interpretibus tradi solet. R. Abarbenel lib. Maschmiah Jeschuah pag. 74. suam de iis sententiam his verbis reddit: זכר משפחת נתן ומשפחת השמעי כי ראה הנביא בנבואתו זכרון המשפחות הגדולה שהיו בזמן ההוא וגם זה משלמות נבואתו שראה הפרטיות הזה ואפשר שכוון לאשר שני בו והוא יתן מעדני ושמעי הוא השמעוני אולי ראה אז הנביא שאנשי אותם שלשת השבטים ר״ל יהודה ושמעון ולוי הם יהיו בערי יהודה ולכן זכר אותם בפרט ועל שאר השבטים בכלל אמר כל משפחות הנשארות: *Meminit familiæ Nathan & familiæ Simei, quia Propheta in sua prophetia vidit magnam familiarum præstantiam, quam illo tempore habituræ sint. Atque hoc arguit quoque prophetiæ perfectionem, quod in specie hoc vidit. Fieri potest ut tribum Aser respexerit, quia dictum est* (Gen. 49: 20.) *& ille dabit delicias. Simei autem idem est ac Simonæus. Forsan tunc Propheta vidit, quod viri ex tribubus illis tribus oriundi, puta, Juda, Simeonis, Levi in urbibus Judæ sint futuri, & idcirco earum meminit in specie, reliquarum autem in genere, omnes, inquiens, reliquæ familiæ.* R. Salomo in specie mentionem fieri ait, משפחות הכהונה והמלוכה *sacerdotalis ac regiæ familiarum, eo* כדי להחזיר להם כתריהם: *ut coronæ illorum ipsis, restituantur*, quas innui tradit cap. 4: 14. Zach. ubi duo filii olei super fundamento omnis terræ stare dicuntur.

§. 8. Quod R. Abarbenel Prophetiæ Zacharianæ perfectionem colligit inde, quod ipse de familiis hisce ita edoctus fuit, nos consentientes habet, quanquam nondum satis dixerit Judæus. In eo etiam illum haud assequimur, dum ad tribum Aser respexisse Zachariam contendit. Similiter R. Salomo frustra inde sibi suisque pollicetur regni & sacerdotii amissi restitutionem. Complementum enim hujus oraculi eo adhuc tempore fieri oportuit, quo ex sancte asservatis genealogiis constare potuit de singularum familiarum certitudine, & Hierosolyma stetit. Quæ cum tot retro seculis ablata sint & exusta, jam pridem quoque hoc non minus, ac alia de Messia agentia oracula, impletum esse oportet.

§. 9. Necdum vero Propheta in hoc subsistit, sed ulterius progreditur. Postquam enim & locus planctus Hierosolymam & magnitudinem ejus graphice descripsit, personarum quoque plangentium, & modi plangendi facit mentionem, & non *tribus* modo, sed etiam mulieres *seorsim* planctum illum præ se laturas esse asseverat, quod R. Abarbenel fieri ait: אם משום צניעות ואם מפני שאין הספד הנשים כמספד האנשים: *sive ob verecundiam, sive quod fœminarum planctus diversus esset à planctu virorum.* Sane apud Ebræos in publicis conventibus mares locum à mulieribus separatum habuisse ob modestiam, vel ex hodierna Judæorum praxi & exemplis in scriptura memoratis judicare licet. Sic Esther cap. 1. pro sequiore sexu diversum apparatum dicitur convivium. Herodiadem quoque seorsim accubuisse, puellæ ab Herode ad matrem egressus arguit Matth. 14. Quid, quod longe ante Exod. 15. Moses seorsim cum viris, Mirjam cum fœmellis cecinisse memoratur. Quem morem apud Græcos juxta & Romanos obtinuisse, colligi queat ex iis, quæ Macrobius, lib. 3. Saturnalium, Cicero, actione 3. in Verrem testantur.

§. 10. Quærenti, eccur Propheta planctum illum tam accurate & tot circumstantiis describat. R. Abarbenel hunc in modum respondet: אמר כל כך בביאור ובארך ענין ההספד הזה להגיד שכבוד יעשו לו והוי ארון יספדו לו ולא יהיה ענינו כמתים במלחמה שלא יספדו כראוי: *Ideo tam prolixus est in illo planctu explicando, ut indicet, honorem illi exhibitum iri, ut eum, Væ Domine!* (Jerem. 34.) *sint plancturi, neque illis similem fore, qui in bello defuncti, non prout par erat, plangi solent.* Cum, ipso Judæo fatente, omnia hæc ad dignitatem illius transfixi, quem singulariter deplorandum Propheta hic annunciat, collineent, in aprico est, quam à veritate alienam explicationem reliquerit, scripturæ cæteroquin haud contemnendus Interpres, Casp. Sanctius, qui non ad Christum, sed ad tempora Maccabæorum planctum pertinere asseverat, quo etiam Spiritum gratiæ & precum refert, quas statim planctus & dolor ille, ut ex 1 Maccab. 1. colligit, sit secutus. Tanta sane est perspicuitas textus, ut seriem prophetiæ penitius perpendenti, tota illa in Messia complementum nancisci videatur, contra quam Sanctio visum, qui sibi persuasum habet, Zachariam, postquam de Christi morte ἐκστατικῶς breve vaticinium attexuisset, ad interruptam historiam statim redeuntem, Maccabæorum tempora respexisse.

§. 11. Neque est, ut quis causetur, nuspiam in Scripturis legi, tot familias Christum luxisse. Scire enim licet, id in Scripturis receptum esse, ut sæpe aliqua dicantur talia, non qualia sunt, sed qualia esse debent, aut rei ipsius natura & status exigit. Atque ita, si vel maxime expresse in Scripturis non legamus, à tot familiis Messiam nostrum deploratum fuisse, veritas tamen hujus vaticinii ne sic quidem periclitabitur, cum id etiam indicari possit, gravissimam causam lugendi memoratas habuisse familias, sive quod transfixum sanguinis propinquitate attingerent, (ut Jarchi duas familias ex Davide oriundas 2 Sam. 5: 15. voce שמעי & נתן intelligit.) sive quod in mortem Messiæ præcipue consenserint incubuerintque, ut Cyrillus & Hieronymus arbitrantur. Unde idem Hieronymus ad h. l. scribit: *in David regia tribus accipitur, hoc est Juda. In Nathan prophetalis ordo describitur, Levi refertur ad Sacerdotes, ex quo ortum est sacerdotium. In Simei Doctores accipiuntur: ex hac enim tribu magistrorum agmina pullularunt. Reliquas tribus tacuit, quæ non habent aliquod privilegium dignitatis.*

CAPUT III.

Primum R. Lipmanni argumentum contra Christianorum explicationem. Maldonati & Jansenii de duplici vaticinii complemento opinio examinata. Vera sententia asserta. Tarnovius laudatus. Intempestiva Pontificii cujusdam & Socini de corruptione textus suspicio. Cocceji ex Mercero de Judæo, locum hunc Tikkun Sopherim accensente, memorabilis relatio. Quid per eam Judæi intelligant. Judæorum in verbis Propheticis citandis callida dissimulatio notata. Vaticinii integritas asserta. Personarum in Scripturis enallage à Kimchio & Abarbenele admissa, exemplis illustratur. Textum nequicquam corruptionis postulari, ostensum. Cur Johannes Evangelista non κατὰ πόδα textum allegarit. De textus Ebræi & Græcæ Versionis in h. l. discrepantiæ origine, Capelli, Cocceji, Buxtorfii, Riberæ, Vossii sententiæ expensæ. Tryphonis apologia pro suorum innocentia. R. Asariæ conjectura improbabilis quamobrem Patres aliter citent Græca, quam in versione habentur. Hieronymus vindicatus. Conjectura, cur Fonti Ebræo Græca versio non respondeat. Hottingerus & Buxtorfius laudati. Secundi argumenti à Lipmanno adducti imbecillitas. Mos Prophetarum ab Hieronymo, Salmerone, Ribera, Sanctio, Menochio, Luthero, & Abarbenele observatus. Marci Marini, Socini & Cocceji error circa vocem את. *Hujus officium à Kimchio & autore libri Michlal Jophi ostensum. Vis dictionis* אשר *à Kimchio asserta. Dictiones causales Ebræorum quæ. Locus Ezech. 36: 17. à glossa Judaica vindicatus. Ratio, cur* את שאר *nequeat causaliter reddi. Judæorum* παρερμηνεία *explosa. Radicis* דקר *significatio & emphasis. Sanctius notatus. Semijudaizantis cujusdam, Calvini, Grotii & Smalcii, metaphoricam fossionem & nudam accommodationem statuentium, glossa notata. Argumentum pro propria significatione verbi* דקר. *R. Lipmanni hallucinatio circa vocem* עליו. *B. Glassius laudatus. Locus Zach. 14: 10. invito*

Lipmanno, Abarbenele & Kimchio, suffragio Aben Esræ pridem impletus. vers. 8. cap. cit. Cornel. à Lap. expositio rejecta. B. Lutherus laudatus. Sensus loci Zach. 13:1. à Chaldæo & R. Abarbenele illustratus. Medium conversionis Judaicæ, & remora quædam ejusdem. l'Empereur & Maimonides laudati. Quid festum Tabernaculorum denotet. Judæorum ἔνςασις *expensa. B. Glassius laudatus.*

§. 1. POstquam verum & genuinum sensum verborum Propheticorum ita indagavimus, reliquum est, ut videamus, ecquid Judæi objiciant, & quamobrem in Salvatore nostro vaticinium complementum suum sortiri, negent. R. Lipmannus in lib. Nizzachon. num. 263. ad h. l. ita loquitur: אמרו הנוצרים עתידים היהודים יושבי ירושלים לראות את הנוצרי אשר דקרו והרגו אותו ולהתחרט ולהספיד עליו והנה טעותם בצדו דלפי דבריהם היה לו לומר וספדו עלי כמו שהתחיל והביטו אלי: *Dicunt Christiani, Judæos Hierosolymitanos visuros esse Nazarenum, quem transfixum occiderunt, & tunc fore, ut pœnitudine plangant eum. Sed ecce error illorum in latere ostenditur, quia juxta sententiam illorum dicendum Prophetæ fuisset: & plangent super me, quemadmodum incepit: & respicient ad me.* Quod Christianos asserere ait, Judæos visuros esse Nazarenum, sive Messiam, quem transfixerunt, id verum est, & ipso jamdum in cruce pendente, ad transfixionem aqua & sanguine è latere aperto profluente, hoc & aliis miraculis perculsi justissimum planctus & doloris sui argumentum se habere agnoverunt, cum, ut Luc. 23:48. legimus, *omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, videbant, quæ fiebant, & percutientes pectora sua revertebantur.* Arbitratur quidem Maldonatus, non omnino tunc impletam, sed impleri cœptam esse hanc Prophetiam, *tunc*, inquiens, *Christum, transfixerunt, quæ una Prophetiæ pars est: in die autem judicii videbunt, in quem transfixerunt, ut idem Apoc. 1:7. interpretatur.* Consimiliter Cornelius Jansenius: *Quanquam*, inquit, *possit intelligi de visione fidei, ut jam impletum sit in multis Judæis, tamen idem Johannes in Apocalypsi significat, illud implendum in Judæis infidelibus, quando in novissimo die omnibus veniet Dominus Jesus conspicuus.* Nempe ut Poëta eleganter canit:

Tunc trepidi adspicient clavo transfixa trabali
Brachia & invidiæ tot documenta suæ.
Transfixumque latus, quod militis hauserat hasta,
Ultoremque tremet gens scelerata Deum.

§. 2. Cæterum si textum propheticum accuratius inspicimus, videtur ille omnino agere de Judæorum conversione, quam & transfixionis indignæ intuitus & memoria, quin Apostolorum prædicatio Act. 2:37. effecit. Et cum novum in Scripturis non sit, ut eadem verba ex eodem loco petita diversis rebus aptentur, quid mirum, si Johannes illa ad severissimum judicium à Christo instituendum, & ex intuitu vulnerum tam innocentis terrorem incutiendum impiis, Apoc. 1:7. applicarit? id quod Cl. Tarnovius quoque comment. in h. l. fatetur, qui, non tam allegasse, quam accommodasse Zachariæ verba Johannem, docet.

§. 3. Num vero, ut R. Lipmannus censet, personarum in textu permutatio Christianorum interpretamento repugnat? Ita quidem recutitis videtur. Quin adeo illud, quod prima persona in tertiam permutatur, durum etiam Christianis nonnullis visum est, ut Scripturam aliquid corruptionis hic passam esse, apud Danielem Chamierum, Tom. 1. Panstr. Cath. pag. 222. asserere nulli dubitarint. Quibus calculum quoque suum addidit infaustus ille Socinus, contra Bellarm. & Wickium disputans, ad cap. 7. class. 11. arg. 9. *Apparet*, inquiens, *redundare illud AD ME, quod ibi legitur. Erat nimirum hic locus insignis de Jesu Nazareno clavis confixo & lancea perfosso prædictio, & propterea Judæos illum ab ipso Evangelii initio corrupisse, admodum verisimile est. Sicuti similem locum corruperunt*, Psal. 22:17. *ita ut quamvis veræ lectionis etiam in quibusdam Ebraicis codicibus testimonia appareant, tamen vulgo apud eos pro foderunt manus meas & pedes meos, legatur, sicut leo manus meas & pedes meos, cujus lectionis ineptitudo similiter ut hic ejusdem falsitatem prodit.*

§. 4. Una, quod dicitur, fidelia duos parietes dealbaturi, Judæo, ῥήσεως sacræ, ut apparet, plane oblito, & Christianis, corruptionem frustra causantibus, errorem, quem ipsimet errant, monstrabimus. Socinum quod attinet, quid insigne is hic agnoscat, qui cum Judæis divinam Messiæ naturam explodit, & satisfactionem quoque, quam nostro loco præstitit Messias, pro figmento habet; haud apparet. Et cum תי אלי *ad me* redundare & ab ipsis adjectum contendit, id Judæis tribuit, quod fecisse, nullo modo verisimile est. Num enim ejusmodi vocem illos infulcire credamus, ex qua Messiam Deum esse colligi queat? Quidni totum comma abstulissent, quod illorum hypothesi, Messiam purum putum hominem fore, tantopere refragaretur? Sane ut Psal. 22:17. data opera à Judæis corruptum non esse, solide probavit celeberrimus Dn. D. Glass. Phil. sac. lib. 1. tr. 1. pag. 125. ita hunc propheticum textum nullas violentas manus passum esse, jam nunc ibimus ostensum.

§. 5. Feruntur vulgo duo de viginti loca per תקון סופרים *correctionem Scribarum* mutata, de quibus ex professo agit lib. cit. B. D. Glass. & B. Hackspanius ad Lipmannum p. 325. Quorum neuter hunc locum nostrum illorum numero comprehendi asseruit. Joannes tamen Coccejus, comm. in Job. 7:20. hunc in modum scripsit: *Octodecim loci, in quibus ea est correctio, sunt notati in magnis Bibliis Venetis & Buxtorfii, in frontispicio libri Numerorum in ambitu interiori primæ vocis, & in Masora Psal. 106:20. Sedecim tamen ibi tantum reperiuntur. Mercerus testatur, se monitum à Judæo de addendo Zach. 12:10. ubi legitur: Et plangent super eo, juxta* תקון *legeretur super me.*

§. 6. Quæ verba cum, ut sonant, realem aliquam mutationem factam præ se ferre videantur, operæ me pretium facturum reor, ut, quid per תקון סופרי sive *Scribarum correctionem* Judæi intelligant, paucis aperiam, & illam fontium corruptorum suspicionem amoliar. Scire igitur licet, תי תקון minus recte verti *correctionem*, si Ebræorum mentem attendas, quippe quod saltem alium, eumque commodiorem dicendi modum, qui, illorum sententia, obtinuisse locum debebat, non vero mutationem aliquam vocum innuit. Unde neque omnes promiscue doctos ita loqui ajunt, sed, ut pag. 217. assert. 3. Ebr. Veritat. De Muis ex R. Elia citat: חכמי הארץ קוראין אותם תקון סופרים: *vulgares duntaxat Doctores correctionem scribarum appellant.* Est vero illud hic cumprimis attendendum, eos תי כתיב vel γεγραμμένον minime tollere, quasi aliud sit כתיב, aliud קרי. Elias enim Germanus id à suis amoliturus notanter loquitur: לא הם שנו דבר מהתורה חס ושלום: *nihil quicquam illi mutarunt in scripturis, absit id longissime!* Quin & Judæi in præfat. Bibl. Ebr. priscos hunc in modum excusant: אם היה דעתם לשנות לא היו מגלים מה ששינו ולוי י"ח מלין תקון סופרים כדגרסינן במכילתא לא שנו חס ושלום הסופרים ולא תקנו אלא שכך היה לו לומר אלא מפני שכנה הכתוב מפני השכינה דוק ותשכח: *Si Scribæ quicquam mutare voluissent, id non revelaturi fuissent, dicendo: Octodecim voces Scribæ correxerunt, uti legimus in Mechiltha. Nec mutarunt Scribæ, absit hoc, neque correxerunt, sed saltim indicarunt, sic loquendum fuisse, cognominationis autem vel honoris ergo sic esse loquutum. quare & hoc verum esse deprehendes.* Clarius hoc ipsum per literas sciscitanti Glassio, exposuit Buxtorfius, pater, *Sapientes*, inquiens, *Ebræorum nasutiores animadvertentes inconvenientiam quandam in istis locis, scripserunt, aliter autores istos loqui debuisse, & secundum cohærentiam propositi textus sic vel sic scribere, sed pro eo maluisse sic scribere & sic efferre, ut illud hodie in textu est.* Quæ cum ita se habeant, nihil admodum corruperunt Judæi, neque moderni Judæi consentiunt, ut ea lectio, quam correctionis autores præferunt, ipsi textui inseratur.

§. 7. Id diffiteri tamen haud possumus, Judæos, quandoque hæc verba citantes, aliter ea referre, quam in codice sacro extant, ut ex Aben Esræ commento supra cap. 1. §. 4. & verbis Talmudicis è Ialkut. §. 8. allatis patescit. ibi enim pro אלי legitur עליו; hic pro אלי simplex particula אל occurrit. Quod ipsis imprudentibus fieri aliquando sum arbitratus, consuetudine nempe illa, qua loca adducere perhibentur Gemaristæ. ut enim in part. 2. c. 2. docetur: הליכות עולם דרך הגמרה לקצר המקראות ואינו מביא אותם כהויתן: *Gemaræ mos est, contrahere scripturas, neque eas afferre, ut extant.* Quod idem veteribus Christianis Dd. Irenæo aliisque usu venisse H. Grotius, annot. in Evang. p. 737. refert, qui ita sacris testimoniis usi sunt, ut satis appareat, codicem ab iis non esse aspectum. At ex quo Iudæorum ingenium penitius cognovi, facile viro Cl. Constantimo L'Empereur adstipulor, affirmanti, ideo hæc in allegando vaticinio mutari, ne scilicet Deus (quem in textu loqui nemo negare potest) transfixus putetur, & inde Messiæ probetur divinitas. Confer dissert. ad Lectorem Libr. Halicoth Olam præmissam.

§. 8. Quic-

§. 8. Quicquid ejus sit, nulla tamen in codice sacro unquam de industria facta est corruptio. Neque Judæo, à Mercero forsan consulto, illius venit in mentem, qui potius ad locutionem Ebræorum vulgatam respexit, כנה הכתוב vel, ut alius loquitur, ἠνίξατο ἡ γραφὴ, Scriptura λοξῶς loquitur, adeoque ob sensum & ἀκολουθίαν voluit, pro אלי legendum esse עלי. Quod Iudæum sponte sua contra suæ religionis Dd. fere universos fassum esse uti demiror, ita testimonium hoc unicum frangendæ R. Lipmanni incredibili pertinaciæ vereor, ut sufficiat.

§. 9. Alia igitur via obviam eundum censeo acerrimo Iudaismi hyperaspistæ, qui nisi ad N. T. lucem oculos de industria claudere & scripturæ loquendi consuetudinem dissimulare voluisset, scrupulum hunc sibi facili negotio eximere potuisset. Nempe uti sermo sacer alias miris modis variat, peculiarisque ipsius est indoles ac natura, quam ad alias linguas frustra exegeris; ita Rabbi Lipmannum latere haud potuit, personas in idiomate Ebræo sæpiuscule mutari, quod Kimchi inculcat his verbis: דרך המקרא לדבר בפסוק אחד לנכח שלא לנכח: *Mos scripturæ est, ut aliquando loquatur ad præsentem, hoc est, persona secunda, & mox non in persona secunda.* conf. eum ad Obad. 1:7. Ezechiel. 31:10. Psal. 4:5. B. Glass. Philol. Sacr. lib. 4. tr. 2. observ. 16. Rabbi Abarbanel, p. 35. col. 1. libelli Maschmiah Ieschuah, sic effert: דבר בכתובים האלה כנגד ישראל פעם לנכח פעם לנסתר כדרך הנבואות: *alloquitur istis verbis Israëlem quandoque in secunda, interdum in tertia persona, ut in vaticiniis fieri amat.* Sic ipsis Iudæis testibus, scripturæ receptum est, ut inibi una eademque periodo de se aliquis alia persona loquatur, quam sermonem est auspicatus. Ex. gr. Psalm. 81. ויאכילהו *& cibavit eum ex adipe frumenti, & de petra melle* אשביעך *saturabo te.* Esai. 42: vers. 24. *quis dedit in direptionem Jacob, & Israël prædantibus? Nonne Dominus, cui* חטאנו *peccavimus,* ולא אבו בדרכיו *& non voluerunt legem ejus.* Ad quæ verba Kimchi sic commentatur: כן דרך המקרא כמו שכתוב כמה פעמים שיאמר בפסוק אחד בכנוים משונים זה מזה והענין אחד ודומה לזה היה זרועם לבקרים אף ישועתנו בעת צרה: *Ita fert mos scripturæ, ut sæpe numero in uno commate variatis suffixis vel pronominibus loquatur eadem significatione, & huic simile illud est:* (Esa. 33: vs. 2.) *Esto brachium eorum mane, & etiam salus nostra in tempore angustiæ.*

§. 10. Quod si de ipso Deo talem postules locutionem, eam itidem Esaias suppeditat, cap. 22: 19. והדפתיך *& expellam te statione tua & de ministerio tuo* יהרסך *diruet te.* Quorum verborum iterum sisto Kimchium interpretem, quo uno nemo rectius exposuerit: אמר והדפתיך כאלו האל מדבר ואמר יהרסך דבר הנביא על האל וכן מנהג לשון הקדש במקומות רבים: *Dixit: & expellam te, quasi Deus loqueretur, & iterum ait: diruet te, ubi Propheta Dei vice sermocinatur, & hic mos sanctæ linguæ in multis locis occurrit.* Scire jam pervelim, cum, ipsomet Kimchio teste, personarum vicissitudo tantum non passim occurrat, ecquidnam prohibeat in præsenti, quo minus itidem dicamus, verbis, *& respicient ad me, quem transfixerunt*, Deum loqui: Subsequentibus vero: *& plangent eum*, Prophetam, ut Kimchi paulo ante loquutus est, *Dei vice sermocinari.* Nempe ne Deum Jehova de se transfigendo loqui fateri necessum haberet Judæus, quod in assumto corpore (quali olim ad tempus eum indutum cum hominibus locutum esse, prisci Judæi agnoverunt) utique fieri potest, etiam Scripturæ modum loquendi receptissimum infitiari R. Lipmanno visum est. Sed forsan ea quoque de causa ab ipso id factum est, quod tunc in mentem venisset articuli tertii Judaicæ fidei, qui, ut Maimonides in cap. X. Sanhedrin, testatur, consistit in: שלילת הגשמות ממנו *corporeitatis negatione.* cujus articuli sensum hunc esse, R. Maimonides in commentario esse ait: שנאמין בו האחד הזה שזכרנו אינו גוף ולא כח גוף ולא ישיגוהו מאירעות הגופים כמו התנועה והמנוחה והמשכן לא מצד עצמות ולא במקרה: *ut credamus in eam unum. Hoc vero cujus meminimus est, quod ille non sit corpus, aut corporis virtus, neque eum indicio aliquo corporeo apprehendimus, puta motu, quiete aut tabernaculo, neque ex parte substantiæ neque accidentis.* Etsi hæc, ut sonant, vera esse fatemur, videntur tamen Judæi eo collineare, ut Deum ne corpore quidem indutum transfigi posse censeant. Ex perpetuo sane eorum paralogismo, quo naturas Messiæ confundunt, & id quod ratione alterutrius naturæ Messiæ competit, plane eidem tribui posse negant, eos ita sentire, & quod Iohannes cap. 1: vers. 14. asseruit, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, infitiari, apparet.

§. 11. Ut vero eo, unde huc delapsi sumus, redeamus, clarum ex supra dictis esse censemus, Lipmannum sua objectione operam ludere, Socinum vero nodum in scirpo quærere, dum Iudæos criminis nunquam probandi postulat, qui sane satis comprobat, quam insigni Ebraismi laboret ignorantia. Nempe idem illius fatum hic est, quod aliorum esse deprehendimus, qui cum Ebraice ne intra modum quidem sint docti, de phrasi tamen Scripturæ judicare nulli dubitant. Quibus cum *Ebraicæ veritatis autoritas in os jacitur, mox apparet, somnium esse, quod velut oraculum adducebatur*, ut vir summus, Desiderius Erasmus, loquitur. Cujus etiam effatum quovis Pythio est verius: *non est ulla disciplinarum, quæ magis pendeat è linguis, quam Theologia.* Tomo ult. Operum pag. 73.

§. 12. At auget Photiniano suspicionem corrupti fontis, quod Iohannes cap. 19: 37. omissa particula אלי *ad me*, tantum ait, ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, *videbunt, in quem fixerunt.* Sed ad hoc R. 1. apud LXX. tamen πρός με legitur, qui ex Ebræo verterunt. 2. Necessum non erat, ut Euangelista, qui non tam in enarranda Prophetia, quam in complemento ejus versabatur, omnia omnino verba adduceret. *Imo veritatem Ebraicam* (verba sunt Cornelii Iansenii, Concord. Euang. c. 143.) *ad verbum non curavit citare, sed sensum satis habuit appendere, uti alias fere semper Apostoli.*

§. 13. Dicis, ex difformitate tamen illa, quæ inter Ebræum textum & LXX. Interpp. versionem hodie animadvertitur, videri, saltem Græcos illos non eodem modo in suo codice olim legisse, quo jam in nostris codicibus legimus. Sane id diffiteri nolumus, pro Græcis verbis, quæ Euangelista Iohannes habet cap. 19. εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, in LXX. versione legi, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, quibus verbis non tam transfossio, quam illa illusio, à Iudæis facta, nonnullorum judicio significetur. Qua ratione vero factum sit, ut Ebraica verba את אשר דקרו ita translata ibi habeantur, non omnium autorum eadem est sententia. Sunt qui cum Ludovico Capello conjiciant, ipsos in suo codice aliter legisse, nempe רקדו pro דקרו. Alii vero non tam codici, quo usi sunt, quam ipsis Græcis Interpp. errorem tribuunt. Unde Iohannes Coccejus comm. in Zachar. cap. 12: 10. scribit: *cum nescirent LXX. quid ibi faceret confossio, putare potuerunt, in scriptione sphalma esse, & ex conjectura substituerunt* רקדו. *Hoc multo probabilius est, quam eos in quoquam codice reperisse has literas.* Quam Coccejii conjecturam tanti fecit Ioh. Buxtorfius, ut eam Antagonistæ suo, Ludovico Capello, part. 2. cap. 8. Vindic. Verit. Ebraic. opponere nullus dubitarit.

§. 14. Francisci Riberæ comm. in h. l. verba sunt: *Hic locus est unus ex iis, quibus Hieronymus de defensoribus* LXX. *Interpp. triumphat, quoniam ipsi verterunt,* καὶ βλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, *aspicient ad me pro eo, quod insultaverunt. At Johannes Euangelista* cap. 19. *inquit: & iterum alia scriptura dicit, videbunt, quem transfixerunt. Deceptos autem esse* LXX. *dicit Hieronymus, similitudine literarum Ebraicarum* ד & ר. *nam si legimus* דקרו *significat confixerunt, si autem inverso ordine literarum legatur* רקדו, *significat saltaverunt. Prophetam priori modo scripsisse, confirmat irrefragabilis autoritas Euangelistæ. Quare cum utrumque scripsisse non potuerit, sed alterum, manifestum est, aut errasse* LXX. *Interpretes, aut certe depravatos fuisse postea eorum codices.* Non displicet posterius hoc consectarium Cl. Viro, Isaaco Vossio, qui cap. 8. libri de Translatione LXX. pag. 20. & 77. pro certo affirmat, Iudæorum fraude, post Apostolorum demum tempora hunc locum ita in LXX. versione corruptum esse, ipsosque Interpp. primum in suo codice & recte legisse & verbum bene transtulisse. Atque hoc inde se colligere ait, quod plerique Patres, Hieronymo antiquiores, quando hunc locum producunt, cum Iohanne conveniunt, ut Iustinus Martyr, Tertullianus, Cyprianus & alii. Si dixeris fieri posse, ut illi non tam ex V. T. versione, quam ipso N. T. citarint, negat, id probari posse.

§. 15. Quid in ejusmodi sententiarum divortio statuendum nobis videatur, paucis recensituri, id quidem fatemur, Iustinum Martyrem loco non uno Iudæis improperare, eos Versionem Græcam obscurare & corrumpere conatos esse. vid. fol. 298. Dialogo cum Tryphone Iudæo, ubi ex Ieremia & Psalmis allatis locis, evincere satagit, eos quædam truncasse, πρὸς ὀλίγα, inquiens, χρόνα ταῦτα ἐξέκοψαν. Cæterum neque hunc locum nostrum inter vitiata retulit antiquissimus Pater, neque Trypho Iudæus criminis hujus suos reos esse admisit. Quin ad accusationem hanc adeo obstupuit, ut id sceleris in quenquam cadere posse negarit, ἄπιστο, inquiens, ἔοικε καὶ ποῖστον, ναὶ ἔφην, ἄπιστῳ ἔοικε. φοβερώτερον γάρ ἐστι τῆς μοσχοποιΐας, ἣν ἐποίησαν ἐπὶ γῆς, μάννα πεπλησμένοι, καὶ τοῦ τὰ τέκνα θύειν τοῖς δαιμονίοις, ἢ τοῦ αὐτοὺς τοὺς προφήτας ἀνῃρηκέναι.

Sane

Sane cum Judæorum in aſſervando codice ſacro ad ſuperſtitionem uſque ſumma illa diligentia nota ſit, necdum à nobis impetrare poſſumus, ut credamus, hos in codice Græco depravando ejus criminis reos eſſe, cujus in Ebraico Codice nunquam convinci potuerunt. Meræ conjecturæ, ejuſque haud ita probabilis loco habemus, quod R. Aſarias, in Meor Enaim p. 49. a. ſcribit: נוח לשפוט כי מפני השנאה והקנאה לא שקטו ולא נחו עד אשר זייפו והפסידו את ההעתקה ההיא אשר יצא שם בגוים כי כליל יפיה: *Veriſimile valde eſt, quod propter odium & invidiam, qua flagrabant, non ceſſarint, nec quieverint, donec falſaſſent & corrupiſſent Verſionem illam, quæ magnam paſſim famam inter gentes de perfecta pulchritudine obtinuerat.* Igitur longe probabilius eſſe videtur Juſtinum & reliquos Patres verba Græca non tam ex Verſione Græca Vet. Teſt. quam ipſo N. T. quod illa ſuo ſcopo eſſent aptiora, allegaſſe. Unde fol. 232. ubi hæc legimus: ὅτε ἐν δόξῃ καὶ ἐπάνω τῶν νεφελῶν παρέσται καὶ ὄψεται ὁ λαὸς ὑμῶν καὶ γνωριεῖ εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, haud dubie ad Apoc. 1:1. idem Juſtinus reſpexit. Quod vero Cl. Voſſius Reſponſ. ad Antonium Hulſium p. 212. aſſeverat, *Hieronymum pravam lectionem LXX. Interpp. affingere, ut ex illorum vituperio ſuam tranſlationem ſtabiliret*, id quomodo ille probare poſſit, nulli videmus. Quidni & hic contingere potuerit, quod alias ſæpenumero eveniſſe deprehendimus, ut aliter illi legerint, quam hodie codex noſter legendum exhibet, maxime cum verſioni Græcæ, quod Cl. Hottingerus, Theſaur. Philol. lib. 1. cap. 3. obſervavit, cum Codice Samaritano magis, quam noſtro Ebræo in pluribus conveniat. Sane ipſe Buxtorf. licet alio codice uſos LXX. neget, quam nos habemus, diffiteri tamen nequit, præcipuam cauſam diſcrepantiæ, eſſe ſimilitudinem literarum & elementorum quæ in MSS. facillime confunduntur, adeoque LXX. deceptos aliter quandoque interpretari, *Anticritica* part. 2. cap. 8. Neque μετάθεσιν illam apud LXX. rarius occurrere, putandum eſt, cum exempla ejus bene multa notarit laudatus Hottingerus, loco citato, pag. 359. Exinde vero, quod Juſtinus Judæis tale quid aliquando objecit, revera à Judæis Verſionem Græcam immutatam eſſe, minime licet colligere.

§. 16. Sed hæc, quæ primi R. Lipmanni argumenti occaſione hactenus uberius diſſeruimus, ſufficiant. Nunc ad alterum argumentum, quo idem Judæus Christianorum ſententiam impugnat, progrediemur. ועוד הלא אדרבא מפולת כל האומות כפורש בראש הפרשה שנאמר בו ביום ההוא נאם השם אכה כל סוס בתמהון ורכבו בשגעון ועל בית יהודה אפקח את עיני וגו׳ עד והיה ביום ההוא אבקש להשמיד את כל הגוי׳ הבאים על ירושלים אלא על אותם שהרגו האומות קאי שיגביהו יושבי ירושלים עיניהם להשם יתברך את אשר דקרו כלומר בשביל אותם וספדו עליו וגו׳ ומזכירם בלשון יחיד כי כן התחיל בראש הפרשה וקרא את ישראל צאן ההריגה ועל הצאן נופל לשון יחיד והכל על הגאולה לעתיד וכן הפרשה שלאחרי כן על הגאולה אמורה שנאמר ממצרים ומאשור אקבצם אל ארץ הגלעד והלבנון אביאם ולא ימצא להם ועבר בים צרה׳ פירוש לצור וחרבו בים גלינו והובישו כל מצולות יאור וזה לא נתקיים עדיין ומכאן ראיה שלא בא משיח עדיין: *Et porro annon è contrario ſtrages omnium populorum intimatur initio hujus capitis, cum dicitur,* (vſ. 4.) *die illa dicit Dominus, percutiam omnem equum in ſtupore & aſcenſorem ejus in amentia: ſuper domum autem Jacob aperiam oculos meos. uſque ad verba,* (vſ. 9.) *& erit in die illa, quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Hieruſalem. Ad illos igitur referenda ſunt verba, quos gentes occiderunt, quum cives Hieroſolymitani elevabunt oculos ſuos ad Dominum,* את אשר דקרו *quaſi dicat: propter illos. Et plangent eum &c. mentionem facit occiſorum in numero ſingulari. Sic enim initium ſectionis fecerat,* (cap. 11: 4. 7.) *Judæos pecus occiſionis vocando. Pecus autem numerum ſingularem reſpicit. Omnia vero de futura redemtione loquuntur. Sic quoque ſectio antecedens* (non ſubſequens, ut ille ait) (cap. 10: 10.) *de redemtione agit, cum dicitur: Ex Ægypto & Aſſyria colligam eos in terram Gilead, & in montem Libanon adducam eos, & non ſufficiet eis, & tranſibit in mare anguſtiæ, hoc eſt afflictionis & devaſtationis, qua in captivitatis noſtræ quaſi mari ſumus, & ſiccabuntur omnia profunda flumina. Iſtuc quia hucuſque nondum eſt impletum, probat, etiam Meſſiam nondum veniſſe.*

§. 17. Sic R. Lipmannus pro ſtabilienda communi Judæorum ſententia, qua, invito R. Abarbanele, textum de Judæis occiſis interpretantur, diſputat. At enim quam veritati illa parum congrua ſit, ratione ex textu allata R. Abarbanel jam ſupra oſtendit. Audiemus tamen, cujus momenti reliqua ſint, quæ pro ſuo commento Lipmannus urget. vſ. 4. ad 9. uſque, inquit, de ſtrage ſermocinari incepit. Ergo ne inde ſequitur neceſſario, verſ. 10. itidem de eadem agi? Id vero eſt, quod negamus. Ecquid enim in Prophetarum ſcriptis eſt frequentius, quam ut de uno ad aliud derepente tranſeant, ut jam olim ad caput 2. Nahum notavit Hieronymus. Unde multis exemplis confirmata regula interpretum huc pertinet: *Prophetæ, quando hiſtoriam texere videntur, quaſi ex interrupto ad ſpiritum, id eſt, Chriſtum ſeu Euangelii tempora vaticinium convertunt, & inde ſe rurſus eodem pene impetu ad hiſtoriam referunt.* Confer Caſpar. Sanctium in h. l. Alfonſum Salmeronem, Proleg. X. can. X. Franciſc. Riberam, comm. ad Hoſ. 2. num. 34. Menochium lib. 3. de Rep. Ebr. p. 309. Digna cumprimis ſunt verba B. Lutheri, nulli priorum interpretum ſecundi, Tom. 3. Jenenſ. Germ. fol. 224. B. præfat. in explicat. Prophetæ Habacuc. Ehe/ inquit, wir den Text anfahen/ muß ich vor den Weg bauen/ und einen gemeinen Eingang machen/ der nicht allein dieſen/ ſondern faſt alle Propheten deſto bas zu verſtehen nöthig und nützlich iſt. Denn das hat bishero viel irr gemacht in den Propheten/ daß wann ſie vom Jüdiſchen Reich reden/ kurtz abbrechen/ und von Chriſto mit unterreden/ und duncket iederman der ihre weiſe nicht weiß/ ſie haben ein ſeltzame weiſe zu reden/ als die kein Ordnung halten/ ſondern das Hundert ins Tauſend werffen/ daß man ſie nicht faſſen/ noch drein ſchicken möge. Nun iſts gar ein unluſtig Ding ein Buch leſen/ das kein Ordnung hält/ da man nicht kan eines zum andern bringen/ und an einander hengen/ daß ſichs fein nach einander ſpünne/ wie ſichs dann gebürt/ wo man recht und wol reden will. Alſo hat der H. Geiſt müſſen die Schuld haben/ daß er nicht wol reden könte/ ſo menge ers in einander/ und führe wohin er wilde/ ſeltzame Wort und Sprüch. Es iſt aber unſer Schuld die wir die Sprach nicht verſtanden/ noch der Propheten Weiſe gewuſt haben. Denn das kan ja nicht anders ſeyn/ der H. Geiſt iſt weiſe/ und macht die Propheten auch weiſe/ wer aber nicht wol höret/ oder die Sprach nicht genugſam weiß/ den mag wol duncken/ er rede übel/ weil er kaum der Wort die Helfft höret oder vernimbt. Sed ne Judæus regerat, hæc teſtimonia apud ſe nullam vim probandi habere, age, ex illorum cœtu doctiſſimum Abarbanelem audiemus, qui comment. in Ezechiel. fol. 195. his gemina ſcripta reliquit: דרך הנבואות כן הוא שפעמים תבוא הנבואה לנביא על ענין אחר קרוב ומיד יודיעהו ענין אחר ממנו שהוא לזמן לזמן רחוק או לאחרית הימים: *In Prophetiis id uſitatum eſt, ut quandoque Prophetæ ea obveniat de re brevi eventura, & extemplo eum edoceat rem aliam ejuſmodi, quæ longo tempore poſt, aut diebus extremis impleatur.*

§. 18. Poſtquam ita connexionem vaticinii noſtri cum verſu 4. & 9. irrito conatu pro ſua erronea opinione Lipmannum urſiſſe oſtendimus, conſequens id eſt, ut ipſam detorſionem verborum propheticorum, quam molitur, itidem expendamus. Id in quæſtione cumprimis eſt, ecquid hic ſignificet τὸ את אשר? Marcus Marinus in Arca Noë, & qui ad hunc Lexicographum provocat, F. Socinus, Reſp. ad 7. cap. Wiek. claſſ. 2. arg. 9. τὸ את אשר *cum eo* notare contendunt. Joannes Coccejus p. 54. Conſid. Reſp. Jud. in cap. 31. &c. 32. Deut. tranſtulit *cum eo, quem.* Quos tamen ſi nil aliud, vel ſola Iohannis Euangeliſtæ autoritas abſterrere debuiſſet, qui per ὃν reddidit. cap. 19: 37. Cauſaliter vero omnes, quotquot vidi, Rabbini accipiunt, quorum ſententiam in verſ. Græca quoque expreſſam videmus, ubi ἀνθ᾽ ὧν legimus. Ut vero veram & genuinam ſignificationem particularum illarum, quam hoc loco obtinent, ſtabiliamus, ſcire licet, τοῦ את officium, quo plerumque fungitur, ſecundum ipſum R. Davidem Kimchium, part. 1. דקדוק, vel Gramm. Ebr. p. m. 67. ubi מלין משמשות בשמות ובפעלים *particulas nominibus & verbis inſervientes* recenſet, eſſe שמורה על עצם הפעול *ut oſtendat ipſum patiens.* quod fol. anteced. col. 4. hunc in modum illuſtrat: כמו שתאמר ראובן הרג שמעון לא נודע מי ההורג ומי ההרוג וכשתאמר ראובן הרג את שמעון הנה מלת את נופל על הפעול ונודע כי שמעון הוא ההרוג: *ſicut ſi dicas,* ראובן הרג שמעון, *non conſtat, uter occidens vel occiſus ſit. Ita cum dictio* את *inſeritur, tunc reſpicit illa ſubjectum patiens, & innoteſcit, quod Simeon occiſus ſit.* Id igitur uſitatiſſimum in Ebræa lingua eſt, ut τὸ את ad accuſativum denotandum adhibeatur, & ubi res poſtulat, ad præcavendam ambiguitatem. Notanter dixi, ubi res poſtulat. Uti enim in Michlal Iophi ad cap. 49: 6. Geneſ. monetur, dicunt Ebræi הרגו איש, *occiderunt virum,* nempe, כשמבואר מי הוא הפועל והפעול לא הוצרכנו מלת את *cum conſtat, quodnam agens ſit, vel patiens, non opus habemus particula* את.

§. 19. Quod

§. 19. Quod alteram particulam אשר attinet, Kimchi in libro Radicum primo loco recenset exempla, ubi pronominis relativi significationem obtinet. v. c. Num. 13: 17. Lev. 25: 30. & iis subjicit hæc verba: כלם ענינם ידוע *omnium eorum significatio nota est.* Ex quibus id apparet, eum, dictionis hujus communiorem & nullius explicationis indigam significationem esse, largiri, qua pronominis relativi vim obtinet: cum contra ubi τῷ אשר alio significatu occurrit, id operose & vocibus ἰσοδυναμοῦσι demum demonstrare allaboret. Ecquid igitur nunc obstat, quo minus τὸ את אשר *quem* potius significare Judæi agnoscant, ut Proverb. 3: 12. quam aliud quippiam? Nihil aliud, quam velum illud, quod adhuc faciei & oculis illorum tam arcte obtenditur, ut lucem à Deo in N. T. accensam necdum pervidere possint. Sed illis hic recolendum erat, si causam solam intuitus, vel simile quid, reddere voluisset Sp. S. affatim illi vocum fuisse, quibus eam efferret. Nempe בַּעֲבוּר Genes. 8: 21. יַעַן Esai. 62. כִּי Genes. 31: 42. יַעַן אֲשֶׁר Genes. 22: 16. יַעַן כִּי Num. 11: 20. לְמַעַן אֲשֶׁר Gen. 22: 19. עֵקֶב Deut. 8: 20. עֵקֶב אֲשֶׁר Gen. 2: 18. עֵקֶב כִּי Amos. 4: 2. מִפְּנֵי אֲשֶׁר Exod. 19: 18. בַּאֲשֶׁר Gen. 39: 9. אַחֲרֵי אֲשֶׁר Jos. 8: 8. עַל אֲשֶׁר Exod. 32. ult. תַּחַת אֲשֶׁר Deut. 8: 20.

§. 20. Minime itaque satis erat, asserere, את אשר significare hoc loco, *ideo quod*, sed adductis quoque exemplis opus erat, è quibus constaret, & alibi in scripturis illas particulas ita accipi, & textum talem significationem poscere; quorum neutrum præstabunt recutiti. Sane locus Ezech. 36: vers. 27. quem nonneminem Judæorum ad fidem asserto Judaico faciendam afferre, ex Hamburgensium Theologi clarissimi, Dn. D. Mulleri, fautoris & amici mei honoratissimi, Judaismo pag. 817. didici, frustra adducitur. Is sic habet: *Et meum Spiritum dabo in medium vestri*, ועשיתי את אשר בחקי תלכו: Quæ verba Ebraica, sive reddas, *faciam ut in præceptis meis ambuletis*: sive; *faciam vos*, (*ejusmodi*) *qui in scriptis meis ambuletis*, in aprico est, Judæis nihil præsidii accedere, neque ita evinci, causaliter accipiendas particulas esse, ut Judæi volunt.

§. 21. Etsi etiam Ebraica vocabula, utpote pauca, diversis conceptibus inservire solent in sacris, ex circumstantia tamen textus lector facile colligere potest, quæ significatio locum obtinere possit, nisi sit, ut Judæus, præjudicio occupatus. Sane hic non modo textus illam significationem, quam Judæi volunt, non poscit, sed si illam admittas, ipsum Deum imperfectæ & minus receptæ locutionis arguas. Atque hæc causa est, quamobrem in explicando vaticinio Judæi tantopere discrepent. Etsi enim in eo ὁμοθυμαδὸν conveniunt, את אשר non significare *quem*, neque subjectum notare, quod transfixum sit, in eo tamen δὶς διὰ πασῶν discrepant, quomodo, si plenum sensum reddere velis, verti oporteat. Nempe an significent idem ac בשביל אותם, ut R. Lipmannus loquitur, vel ut Kimchi explicat, בעבור אותם *propter illos*; vel, ut R. Abarbenel supra cap. 1. §. 4. voluit, על אותו *super illo* (Messia, filio Josephi), ut causa sic indicetur, ob quam Israëlitæ Deum intuituri sint lamentantes, vel Gentes (ita enim R. Aben Esram supra cap. 1. §. 4. delirare vidimus) sciendi cupidæ, quid illis occisoribus sit futurum. Ita nequeunt convenire Judæi, dum textui vim inferre satagunt.

§. 22. Sane si, ut Judæi contendunt, particulæ את אשר causaliter vertendæ essent, per *eo quod*, neque illæ ad proxime præcedentem vocem אלי respectum haberent, haud dubie verbum דקרו affixum aliquod haberet, & secundum Kimchii & Lipmanni interpretamentum dictum esset, דְּקָרוּם *transfixerunt illos*; vel secundum Aben Esram & Abarbenelem, דְּקָרֻהוּ *transfixerunt illum.* Jam vero cum utrumque suffixum deficiat, & verbum דָּקָרוּ simpliciter occurrat, argumento id est, antecedentia את אשר non *causaliter* esse exponenda, sed *relative*, & respectum omnino habere ad vocem אלי, adeoque & intuitum illum & transfossionem, ut causam illius, ad Deum referri debere, id quod tantopere aversantur Judæi, & ut credant, à se nullo modo impetrare possunt.

§. 23. Huc illud quoque accedit, quod τὸ דקר in sacris, ubi de tota strage sermo est, haud facile, saltim non solum, usurpatum invenias, sed longe alia verba השחיתו Jud. 20: vers. 21, 26. הִכּוּ Genes. 15: 14. נגעו, רצחו, הרגו, המיתו. De industria hic Propheta usus est ejusmodi verbo, quod, Judæis attestantibus, נעיצת החרב *transfossionem, quæ ferro fit*, significat, ad indicandum videlicet illud facinus, quod Deo è cruce pendente designaturi essent Judæi. Neque significatio vocis admittit, ut hic locus cum Malach. 3: 8. conferatur, quod Casp. Sanctius arbitratur. Etsi enim Vulgatus habet: *si affiget homo Deum, quia vos configitis me*, longe tamen alium sensum hujus loci esse inde patet, quia τὸ קבע Malach. 3: 8. habet ענין גזל ולקיחה בחזקה *significationem raptus & ablationis violentæ*, at τὸ דקר ut Kimchi itidem confirmat, טעינת החרב *perfossionem, quæ ferro fit.*

§. 24. Quæ cum ita se habeant, de aliorum etiam expositione dicamus oportet, qui de hujus vaticinii complemento non satis orthodoxe sentiunt. Semijudaizantis cujusdam B. D. Jacobus Martini meminit, lib. 3. de T. E. cap. 112. qui neget, Prophetam de tali punctione agere, quæ lancea fit, Deumque saltim metaphorice loqui, asserat. A quo minime abludit Johannes Calvinus, Comment. in Joh. 19. qui sane more suo textum ipse potius torquet, quam ut jure nostrates hujus criminis postulare possit. *Locum hunc*, inquiens, *qui secundum literam de Christo exponere conantur, nimis violenter torquent. Nec vero in hunc finem ab Evangelista citatur, sed potius ut ostendat, Christum esse Deum illum, qui olim conquestus fuit per Zachariam, sibi pectus à Judæis transfodi. Illic autem Deus hominum more loquitur, significans, perinde se vulnerari populi sui sceleribus, ac præsertim obstinato verbi sui contemtu, ut lethale est in homine mortali vulnus, cui cor est transfixum. sicut alibi dicit, Spiritum suum mœrore esse affectum. Jam quia Christus in carne est manifestatus, dicit Johannes, in visibili ejus carne palam fuisse impletum, quod divina ejus majestas, secundum rationem, qua pati poterat, passa fuerat à Judæis, non quod injuriis hominum obnoxius sit Deus, vel ad eum usque perveniant, quæ illi ex terra probra ingeruntur; sed quia hac locutione exprimere voluit, quanti sacrilegii rea sit hominum impietas, dum se contumaciter in cœlum attollit.*

§. 25. Neque H. Grotius hic in diversum abire videtur, comment. in cap. 12. Zach. & 19. Johannis, dum *tralatitie dictum à Deo de se contemto, in Jesu* κατὰ πόδας, *ut alia vaticinia, evenisse* affirmat. Quæ sane tanto accuratius expendi merentur, quanto nonnullos hic periculosius sentire deprehendimus. Photinianos sollicite cavere, ne cui dicto, unde Christi divinitas probetur, sua illibata maneat integritas, satis abunde notum est. Idem sane & in hoc illustri loco eos factitare, vel solus Smalcius testatur, qui contra Grawerum de incarnatione Christi scripsit, *Verba hæc, de Deo patre dicta, ad Christum lancea in cruce transfixum* ACCOMMODANTUR. Atque ita contendit, præter intentionem illius, qui in V. T. loquutus est, aliquam duntaxat accommodationem verborum ad Christum ab Evangelista institui. Quod ubi obtinuerit Smalcius, de argumento, quod ex textu pro Deitate Christi formant, actum erit.

§. 26. Cæterum non Deo à Judæis contemto (dum sacris pollutis, nova idolorum monstra inveherent, sive alio modo eum offenderent) verbum illud metaphorice tribui, sed immediate ac proxime Messiæ, in crucem acto, & clavis lanceaque confixo, adeoque non minus ac alia vaticinia, Esai. 7: 14. Mich. 5: 1. Zach. 9: 9. sine ulla χρήσει ad alium accipienda esse, in sensu maxime proprio, ex contextu liquet. Argumentamur ita: Ob quod cives Hierosolymitani Deum intuituri eúmque instar unigeniti & primogeniti plancturi sunt, illud hoc loco intelligitur. Atqui ob punctionem proprie acceptam, & quæ ferro fit, Deum Hierosolymitani intuituri & plancturi sunt. Ergo punctio propria & quæ ferro fit, hoc loco intelligitur. Major patet ex vaticinio. Minorem licet Judæi non totam admittant, ob sinistram explicationem vocum את אשר, & negatum mysterium incarnationis, absque quo illa confessio in Deo verificari nequit; in eo tamen nobis sunt ὁμόψηφοι, quod τὸ דקר proprie intelligendum esse unanimiter docent. Atque ut ita illi sentiant, vaticinii tenore inducuntur, ubi de planctu gravissimo tanquam unigeniti sermo est, quo non alius datur major, & qui jacturam vel mortem carissimi subsequi solet. Atque ipse R. Abarbenel supra cap. 2. §. 9. illum planctum ad aliquem è medio sublatum, adeoque & honestissime lugendum, referendum docuit. Neque memini ulli Judæorum in mentem venisse, verbum דקר *confodit*, de contemptu metaphorice hic interpretari, ut mirum sit, eos qui à Messia sive Christo nomen sortiuntur, in aliam sententiam, quæ tam illustre argumentum non parum enervat, ultro concedere. Sane ut de Christo omnes Prophetæ testantur, Act. 10: 43. & πνεῦμα in Prophetis, teste Petro 1. Epist. 1: 11. est προμαρτυρόμενον τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, ita nulli dubitamus, quin & Zachariæ prima, eaque sola intentio hic fuerit

fuerit passionem Messiæ prædicere. Cujus complementum cum Euangelista descripturus ad locum, quo id fuerit prædictum, provocet, ecquis aliter queat colligere, quam Zachariæ primam intentionem fuisse id literis consignare, quod suo tempore esset futurum in Messia, adeoque non in sensu *accommodativo* vel *transsumptivo* duntaxat Christo Johannem tribuere illa verba, sed proprio & literali. A quo uti absque urgente causa recedere vetat interpretum regula, ita merito & Smalcium cum sua *accommodatione*, & alios heterodoxos cum *metaphorica significatione*, valere jubemus, securi illius solidi argumenti, quod inde pro divinitate Christi formant Christiani Doctores.

§. 27. Ut vero ad Lipmannum redeamus, vidit ille, suo interpretamento, quod ipsi cum Kimchio & Rabbi Salomone commune est, repugnare dictionem עליו, quæ unum aliquem respicit, non plures, quos transfixos esse ex Israëlitarum cœtu statuit, & secundum illorum interpretationem עליהם potius in plurali, quam in singulari עליו dicendum fuisse animadvertens, mederi & huic difficultati conatur, dicendo, cap. 11: vs. 4. 7. appellari Israëlem צאן ההריגה *pecus occisionis*. Quæ, utpote collectivum nomen, notet Israëlitas, & hic c. 12: 10. voci עליו respondeat. Sed effugium hoc esse nullum, & desperatæ causæ indicium, monstratu minime est difficile. Non ignoramus, quod B. D. Glassius, can. X. lib. 3. tr. 1. Philol. Sacr. inculcat: *Relativa quandoque referre ea, quæ remotius distant, licet adsint propinquiora, ad quæ referri possunt.* Sed nec illud latet, quod idem monet, cauto opus esse, ne hoc modo à textu & vero scopo fiat aberratio. Quod ipsum fieri amat, quum citra ullam necessitatem inde usque à longinquo arcessitur aliquid, neglecto propinquiore. Hoc autem à Rabbi Lipmanno fieri, jam clarissime ibimus ostensum. Pecudis nomine cap. 11: 4. venit totus populus Judaicus, qui quamlibet misere vexatus à principibus, (qui vs. 3. pastores dicti, pecus occiderunt & vendiderunt, vs. 5.) tamen ad frugem se non recepit. Jam vero cap. 12. exulat illa relativa oppositio *Pastoris & pecudis*, & contra יושבי ירושלי' *civium Hierosolymitanorum & domus Davidis* fit mentio, adeoque nihil causæ est, quamobrem uno correlatorum ablato, retineatur alterum, idque, quod toti populo competit, paucis duntaxat occisis, ut Judæi fingunt, tribuatur. Et num dicet Lipmannus, sensum esse: *Respicient ad me pecus occisionis* propter *pecus occisionis?* Quam futilis hæc sit explicatio, nemo credo erit, qui non perspiciat.

§. 27. Sic itaque Lipmannum frustra laborasse patet, in congerendis argumentis ex textu, contra Christianorum explicationem. Neque melioris notæ sunt reliqua, quæ ex Propheta Zacharia pro Messiæ futuro adventu urget, licet quoque alii Rabbini ipsi adstipulentur. Quod attinet verba cap. 10:10. *Et reducam eos de terra Ægypti, & de Assyriis congregabo eos, ad terram Galaad & Libani adducam eos*, &c. Rabbi Abarbanel ita commentatur: הייעוד הזה הוא מבואר נגלה שלא נתקיים בבית שני ושהוא עתיד להתקיים בהכרח וכן רש"י לעתיד פירש אותו אבל הר"אע בעקשותו כתב יהודה ויוסף הבאים מאשור אל בית שני: *Perspicuum evadit, hanc promissionem durante adhuc templo secundo non fuisse impletam, idcirco necessario posthac implendam eam esse. Et sic R. Salomo Jarchi de futuro explicat. R. Aben Esra vero in sua perversitate scripsit: Juda & Jerusalem ex Assyria venerunt ad templum secundum.* Sed non est, quod AbenEsræ succenseat, aut veritatem tam aperte ab eodem prolatam esse, ægre ferat, cum & alii interpretes Ebræorum, veritate adducti, idem docuerint, teste Kimchio in hunc locum: הנה פרשנו פרשה זו על דעת המפרשים על בית שני: *Ecce explicavi hanc sectionem secundum mentem Interpretum de templo secundo.* Subjicit quidem: הנכון בעיני כי היא כלה עתידה: *Mihi vero videtur, quanta quanta est, de futuro accipienda.* Sed ipse se non minus vana spe lactat, quam alii, cum pridem sit hoc adimpletum, quod Deus per Prophetam est pollicitus, cum Cyrus omnibus Judæis patriæ suæ repetendæ dederit facultatem. Neque opus habemus, ut de spirituali reductione intelligamus, uti B. Luthero visum est, Tom. IV. Germ. Jenens. fol. 295. B.

§. 28. R. Lipmannus, qui omnia cum pulvisculo corrasisse videtur, ea quoque producit pro futuro adhuc Messiæ adventu, quibus forsan alii Judæorum parum tribuerint roboris. Sic vero ille porro pergit: עוד דכתיב ויצאו מים חיים מירושלי' חצים אל הים הקדמוני וחצים אל הים האחרון בקיץ ובחורף יהיה וידוע למולים ולערלים שהיו בירושלים שאין שם עדיין שום נהר המתחלק: *Præterea dictum est* (Zach. 14: 8.) *egredientur aquæ vivæ ex Hierusalem: dimidium earum in mare orientale, & dimidium in ultimum, æstate & hieme. Jam vero cum circumcisi, tum præputiati, qui Hierosolymis degunt, omnes norunt, ibi non fuisse fluvium in duo maria divisum.*

§. 29. Quod attinet, מים חיים *aquas vivas*, quæ Hierosolymis orituræ dicuntur, non desunt ex Christianis, qui proprie illas accipiant. Cornelius enim à Lapide, comment. in hunc locum, hunc in modum scribit: *Alludit Zacharias ad hosce Hierosolymæ fontes, innuitque eos in captivitate Babylonica vel ab Antiocho confractos aut collapsos fore restaurandos, augendos & exornandos. Hoc enim fecisse Judæos è captivitate reduces docet Nehemias cap.* 3: 15, 16. *Et Eccl. cap.* 50: 3. *de Simone Pontifice, qui vixit tempore Ptolomæi Philadelphi (avum enim habuit Jaddo Pontificem, quem adoravit Alexander Magnus), dicitur: in diebus ipsius emanaverunt putei aquarum & quasi mare impleti sunt supra modum.* Et paulo post: *Summa hac aquarum copia non aliud significat Propheta, quam magnam fore Hierosolymæ felicitatem & amœnitatem, ita, ut tota aquis sit irrigua, quæ ex ea utrinque in campos effluant, eosque fœcundent & delectent: quod tempore Maccabæorum & posterorum reipsa completum esse constat.*

§. 30. Cæterum, etsi Jesuita pridem hoc impletum esse statuit, nec scopum tamen Prophetæ is attingit, neque morem ipsi receptum penetravit, quippe qui voce *aquæ* aliquid majus & excellentius indicat, quemadmodum ex cap. 13: 1. per fontem *domui David & habitatoribus Jerusalem patentem itidem aliquid insigne prædicit.* Judæi quidem complures miraculum somniant, & ut R. Abarbanel testatur, בדרך נס *miraculose* impletum iri contendunt. Ita enim is eorum mentem exprimit: פירשוהו המפרשים כמשמעו וכן הוא דעת חכמים זכרונם לברכה שלעתיד לבוא יצאו מים חיים מירושלים ויהיה מקורו בבית המלך המשיח ואז לא יצטרכו לצאת חוץ מן העיר להטבל למי חטאת או לנדה זבח ששניהם צריכים מים חיים כמו שהיה בימים הראשונים שלא היו מים חיים בתוך ירושלים: *Interpretes literaliter hæc accipiunt. Arbitrati enim sunt Sapientes b.m. aquas vivas egressuras esse Hierosolymis, futurumque fontem illarum in ædibus Regis Messiæ, & tum non opus fore, ut egrediantur, si cui sacrificia pro peccatis & immunditia quæ aqua viva ablui oportebat, fuerint offerenda, quemadmodum annis superioribus, quibus urbs aqua caruit.*

§. 31. Sed diu est, quod Christiani hujus commenti vanitatem adverterunt. Hinc ipse B. Lutherus, Tom. IV. Germ. Jenens. fol. 310. ait: Jerusalem ligt zwischen zweien Meeren / das tode / und das grosse Meer gegen Abend / und man muste Wasser in Jerusalem leiten. Wie will denn das zugehen / daß frische Quellen solten aus Jerusalem lauffen / über so viel Berge auf beiden Enden / und so fern als in die zwey Meer: Nichts anders als wie gesagt / der Geist fleust aus gegen Morgen und Abend: Neque Judæis hæc explicatio aliena vel peregrina videri debet, cum illorum Dd. alias sæpe fieri largiantur, ut *aquæ* nomenclatura Spirituale quippiam designetur. Chaldæus enim interpres cap. 13: 1. Zach. ita accepit, teste R. Abarbanel, qui ad h. l. cit. scribit: יונתן פירשו בדרך רוחני ואמר בעידנא ההיא יהא אולפן אוריתא גלי כמבועין דמיין לבית דוד: *Jonathan spiritualiter explicavit illud, & dixit: In diebus illis* (Messiæ) *erit doctrina legis patens, sicut scaturigo aquarum, domui David.* Neque quisquam Jonathanis verba ipso Abarbanele rectius explicarit, dum על דרך משל *parabolice loquentis* hanc mentem esse ait: שיהיה ענין המים האלה רמז לתורה ולאמונות האמתיות שיצאו מירושלים וממלך המשיח וכמו שאמר כי מציון תצא תורה ודבר השם מירושלים: *aquam significare DOCTRINAM ET FIDEM VERAM, quæ Hierosolymis & ex Rege Messia orietur, quemadmodum dictum est,* (Esai. 2: 3.) *de Sion exibit lex & verbum Domini de Jerusalem.* Quin addit, hanc sententiam Scripturis esse analogam, כי תמיד הנביאים יכנו הדעות האמתיות במים חיים כמו שאמר הוי כל צמי לכו למים *Quandoquidem Prophetæ subinde aqua viva describunt veram & solidam doctrinam, quemadmodum dictum est:* (Es. 55: 1.) *O omnes sitientes venite ad aquas!* Et ad aquas non tantum Judæos admissum iri ait, sed כל באי עולם *omnes omnino homines.*

§. 32. Hæc bene & Christianæ fidei conformiter à Judæo sunt dicta. Et optandum esset, ut quoties radii veritatis Judæorum oculos feriunt, illi Spiritui S. eos illustraturo locum relinquerent, & arrepto N. T. codice, exemplo Beroënsium Act. 17: 11. scrutari pergerent, utrum ea, quæ inibi legunt, cum V. T. oraculis conveniant. Quam illa lectio & utriusque codicis collatio sit fructuosa, suo exemplo docuit Christianus Gerson, Judæus, cujus conversionem hoc pacto Deus est operatus, ceu ipsemet in tr. de Autoritate Scripturæ B. D. Ca-

lixti,

lixti, θ. 40. teſtatur, *me*, inquiens, *in vineam Chriſtianæ Eccleſiæ Deus anno ætatis meæ trigeſimo primo vocavit per ſuum verbum, non quidem prædicatum vel auditum, quod templum propter præſentes in iis imagines intrare non auderem: ſed paupercula quadam Chriſtiana fœmina, vicina mea tradebat pignori codicem N. T. Germanici à Luthero converſi: cui ego mutuos dabam octo ſolidos, ut uſuram meo more lucrarer, & librum interim evolverem, non quidem quod de veritate Judaicæ fidei dubitarem, aut ullum Chriſtianæ fidei articulum rectum crederem, ſed ut cognoſcerem, quisnam ille tantopere efficax error, qui tot animarum myriades ſeduceret & in exitium præcipites daret. Præſentibus igitur duobus affinibus meis, Lazaro & Simeone, totum perlegi, non ſine blaſphemiis. "Interim vero cor meum percellebatur, & "quum animadvertiſſem, Evangeliſtas, Apoſtolos & Chri"ſtum ipſum toties ad V. T. provocare & ſubinde loca ex eo "alia poſt alia adducere, illectus fui, ut denuo legerem, clanculum quidem, nemine conſcio, & ne quidem uxore mea, & ut loca adducta cum ipſo V. T. contenderem. Quod ubi feci, tanta lux mihi illuxit, ut eo nomine æternas Deo debeam gratias &c.*

§. 33. Cæterum, ut Judæi ad hoc faciendum ægerrime adduci poſſunt, ita pertinacia illorum non parum ſubinde incrementi ſumit, quod ſibi perſuaſum plerique omnes habent, omnia ſcripturæ loca κτ̀ τὸ ῥητὸν accipienda eſſe, moti illo veterum Ebræorum dicto: אין המקרא יוצא מידי פשוטו *Nullus textus à ſenſu ſimplici abducitur*, ut L'Empereur, Halichot Olam pag. 47. vertit. Cum tamen, ut Cl. Hottingerus, Theſ. Philol. lib. 1. cap. 2. Sect. 7. recte monet, illud ſaltim eo ſignificetur, ſenſus literalis ſemper primam & potiſſimam habendam eſſe rationem, ſive is verbis propriis ſive figuratis conſtet. Quod Maimonides præ aliis Judæis animadvertiſſe videtur, cum Eſai. 11. ubi lupum cum agno, pardum cum hædo, leonem cum pecore ſtabulaturum, luſurum cum anguibus infantem, montem Dei ſurrecturum ſupra alios montes &c. Eſaias ſignificat, משל וחידה *parabolam & ænigma* eſſe agnoſcit, cap. ult. libri ſui laudati Jad. Confer eundem lib. 2. More Nebochim cap. 29. ubi multa parabolice explicanda eſſe docet. Atque ita omnino nomenclatura *aquæ, fontis & fluminis* promiſſiones Evangelicas innui, apud B. D. Glaſſ. Rhet. Sacr. pag. 258. videre eſt.

§. 35. Coronidis loco & illud audiemus, quod ex Zach. 14: 16. pro futura Judæorum liberatione & alterius Meſſiæ adventu R. Lipmannus objicit: גם סוף הענין כתוב ועלו מידי שנה בשנה להשתחוות למלך השם צבאות ולחוג חג הסכות והיה מכול הארץ אשר לא יעלו לירושלים עליהם לא היה הגשם: *Totius rei finis ſcriptus eſt in verbis*: (Zach. 14.) *Aſcendent ſingulis annis, ut adorent Regem Dominum exercituum, & celebrent feſtum tabernaculorum, & erit, quæcunque familia de terris non aſcendet, ſuper eam pluvia non cadet.* Hinc ſpem concipit, fore, ut more priſtino feſtum tabernaculorum celebrent, & in integrum reſtituatur cultus Leviticus, adeoque alius Meſſias, quam nos recepimus, adhuc neceſſario ſit expectandus. Sed præter neceſſitatem ſe verborum proprietati tam arcte inhærere, inde Judæus potuiſſet colligere, quod tot retro annis, & tam inſolito temporis ſpatio, ejusmodi beneficium fruſtra exſpectarunt. Jam tum ſua ætate aureos montes, quos ſibi pollicentur Judæi, riſit Chryſoſtomus. Quid Patrem facturum cenſebimus, ſi hodieque ſe fruſtra falſo gaudio oblectantes audiſſet? Ita is orat. 3. contra Judæos loquitur: *Jam lubens eos rogaverim, qua de cauſa, cum tantum temporis in Ægypto verſati, receperint ſtatum ſuæ Civitatis, ac rurſum abducti in Babylonem, redierint Hieroſolymam, tertio ſub Antiocho tam multa paſſi mala, ad priſtinum reverſi ſint ſtatum, ac denuo ſacrificia, altare, ſancta ſanctorum, breviter, omnia cum priſtina receperint dignitate, nunc nihil ſimile factum fuerit? Verum quum centum anni, imo bis tantum, imo quater tantum, multoque amplius annorum præterierit, nam hic quingenteſimus ex eo tempore agitur annus* (jam ultra milleſimum ſexcenteſimus), *ne ſignificationem quidem ullam ejus mutationis videmus alicunde apparere, ſed res illis funditus collapſas, ac ne per ſomnium quidem ullam ſpem eis oſtendi, quemadmodum prius.*

§. 36. Quæ cum ita ſe habeant, meminiſſe Lipmannum par erat, annon aliquid excellentius & μυστικώτερον ſub hoc ritu & promiſſione hac contineri queat, qua ſingulis annis tabernaculorum feſtum celebraturi dicuntur. Sane ſi Meſſiæ temporibus in omni loco Deo oblatio munda & incenſum offerri debet, Malach. 1: 11. quod alias extra Hieroſolymitanum templum vetitum erat: Si tunc de gentibus Sacerdotes eligendi ſunt, Eſai. 66: 20. quos alias è tribu Levi oriundos eſſe oportebat; Et ſi tunc non certis Neomeniæ & ſabbati diebus, ſed quibusvis, ſacris operari licebit, Eſai. 66: 23. nulla ratio apparet, quamobrem Judæi ſibi perſuadeant, hujus feſti majorem rationem habitum iri, quam aliorum. Reliquum igitur eſt, ut hic quoque canonem, quem B. D. Glaſſius Phil. Sacr. lib. 1. tr. 4. p. 321. exhibet, locum obtinere dicamus: *Prophetis in more poſitum eſt, de rebus & cultu N. T. uti phraſibus ſui temporis, ſeu, quæ ex V. T. cultu, conditione & ritu deſumuntur.* adeoque per ſynecdochen, ſcripturæ uſitatiſſimam, tabernaculorum feſtum pro toto cultu N. T. ſpirituali poſitum eſt. adde B. Glaſſ. Rhetor. Sacr. tr. 1. cap. 13. p. 433.



M. GEBH. SALEMANNI
JEHOVAH TRANSFOSSUS
ad Zach. XII: 10.

בְּעָהוּ:

§. 1.



Acharias divino προφητείας lumine circumfusus id cumprimis ministerio suo scriptisque agebat, ut Populo reduci in languorem paulatim segnitiemque & alia vitia prolapso ad Urbis Templique structura seria opera perficiendam & Rempublicam ac Religionem rite ordinandam calcar adderet atque hinc etiam futuræ brevi Redemtionis memoria animos nutantium erigeret. Quod ipsum partim Visionum variarum divinitus sibi exhibitarum enarratione ac expositione, partim apertis & evidentibus verbis promissisque, conservationem ac incolumitatem Ecclesiæ respicientibus, effectum dedit. Unde postremis Libri capitibus *Concionem mere Evangelicam* contineri asserit Magnif. Dn. D. Calov. Tom. II. Bibl. Illustr. pag. 1000. b. Atque hoc imprimis etiam ex diligenti consideratione Capitis XII. quo Concionem ultimam orditur Propheta, apparet. Cum enim per totum illud caput ejusmodi proponantur, quæ nunquam in Domo Jehudæ & Israelis ad literam evenerunt: quippe tantum abest, ut hostes omnes circumquaque deleverit Gens ista, ut maximas etiam ab eo tempore calamitates atque totius postmodum Urbis ac Politiæ eversionem, quam non minus Zacharias præced. & aliis capitibus prænunciavit, ab iisdem fuerit experta ac hodieque in peregrinis terris contemtissima habeatur, nec unquam sedibus antiquis ac pristinæ gloriæ restituenda sit; non alia sane, quam spirituali ratione ad Ecclesiam post Messiæ adventum ex omnibus populis colligendam atque τυπικῶς Rebus Judaicis, uti prophetarum consuetudo ferebat (vid. B. Glass. Phil. S. L. I. Tr. IV. Sect. I. Can. V. pag. 321.) delineatam referenda esse omnia, ex hisce & aliis indiciis, quæ apud B. Muller. in Judaism. pag. 766. sequ. & Commentatores passim reperies, invicte colligitur. Quare admodum opportune nostrum etiam Comma illustri huic vaticinio inseritur, quod cum insigne Novi Fœderis temporibus manifestandum beneficium, visibilem nim. Spiritus Sancti effusionem denuntiet, omnino etiam causa ejusdem meritoria, ut Theologi loqui amant, cruenta Messiæ Passio memoranda erat, planctum universalem conciliatura.

§. 2. Cum autem Propheta in hoc capite & nostro quoque commate Deum loquentem introducat, Messiam, quem Christiani veneramur, innui vel exinde cognoscitur, quod & ille sæpissime in hac prophetia, visionibus præsertim cum Propheta colloquatur & tanquam unicum Ecclesiæ caput illam adversus hostium numerosissimorum insultus nunquam non potentissime defendat roburque perpetuum conferat, quin & salvet homines vs. 7. atque assumta carne corporeis oculis cerni & transfigi morique potuerit, prout eventus indubius atque alia Scripturæ testimonia, quæ nunc afferre non attinet, firmiter comprobant. Nec sine causa Interpres Chaldæus, cujus apud Judæos autoritas pene authentica, uti sæpius in hoc Libro (Conf. cap. 2: vs. 5. 7: 12. 10: 5. &c.) ita & vers. 5. hujus Capitis Nomen יהוה h. l. personaliter capiendum per מֵימְרָא דַיְיָ *Verbum Domini* sc. hypostaticum expressit.

§. 3. Quibus ita de cohæsione & Subjecto loquente in limine præmissis, verba ipsa penitius evolvenda erunt, quæ in Lingua Authentica h. m. sonant:

וְהִבִּיטוּ אֵלַי אֵת אֲשֶׁר־דָּקָרוּ

Vulgat. | | *confixerunt quem* | *ad me & adspicient*,

§. 4. Singularum nunc vocum rationes in hoc commate & Versionibus præcipuis Orientalibus exposituri, integram sententiam in duo quasi membra totidem Accentibus distinctivis resolvi deprehendimus. Priores voces והביטו אלי Conjunctionem ו primo omnium considerandam sistunt. Illa vero, quamvis alias varie verti possit, quod Grammatici & Lexicographi observant, hic tamen *copulative* plerique interpretantur: B. Lutherus autem in versione Germ. αἰτιολογικῶς per denn reddidit, quod & in aliis Locis, ubi connexio ista requiri videbatur v. gr. 1 Reg. 18: 4. Psal. 5: 12. Esai. 53: 11. &c. fecit. Quidam hac particula simul *ordinem* ostendi ac effusionem post Passionem futuram significari, adeoque particulam per *postquam* uti Jos. 7: 25. Psal. 8: 6. &c. efferendam esse autumant. Sunt etiam, qui *effective* accipiunt, ut sensus emergat: Effundam spiritum, qui efficiet, *ut* respiciant &c. Quæcunque demum harum expositionum eligatur, duo illa summa beneficia arctissime connecti certum est. Ultra hoc officium præfixum ו etiam h. l. *convertendi* munus sustinet, dum verbum præteriti temporis ad eandem personam & numerum Futuri designandum commutat, punctumque (:) præformat. servilibus ordinarium servat, ut ex Grammaticis constat. Verbum enim הִבִּיטוּ esse 3. Pers. pl. præt. in Conj. III. Act. litera ב Dagesch forti ob primam Rad. נ exclusam notata, itidem liquet. Descendit vero à Radice, quæ non quidem in Kal, sed hac forma: נִבַּט Esai. 5: 30. occurrit, quam alii Passivam Niphal, alii Activam II. Conj. esse censent. In *Hiphil* hoc verbum frequentissime adhibetur atque *de Deo* tum *solitarie*, tum *sequente* ראה prædicatum non nudam exactissimamque notitiam tantum, sed & gratiosum affectum benevolamque curam ac defensionem involvit vid. Psal. 10: 14. & 80: 15. &c. De *hominibus* vero usurpatum non tantum per visionis organon institutum aspectum corporalem, sed præprimis mentis intuitum summa cum intentione & studiosa speculatione conjunctum ac fiducialem sæpe objecti apprehensionem infert, translatione à corpore ad animam facta, ut quemadmodum, qui intentis fixisque oculis rem visui gratam intuetur, accurate eandem diutiusque collustrat & sensu ejus capitur, ita & qui jugi memoria colat atque studiose contempletur immotaque propensione rem visui non subjectam prosequatur, eam aspicere (הביט) dicatur, quod Loca passim obvia testantur. Sed & hostilis hoc verbo aspectus describitur Psalm. 22. in quo, tanquam Loco nostro commati maxime parallelo, cum passionem suam graphicis admodum verbis enarret Messias, etiam vers. 18. ita conqueritur הֵמָּה יַבִּיטוּ יִרְאוּ־בִי ubi Inimicorum crudelissimorum trucibus oculis crucifixum Messiam intuentium singularis animi oblectatio gaudiumque super hoc spectaculo indigitatur, conf. quæ B. Geier. in h. l. annotavit. Construitur quidem alias varie hoc verbum, ut videre est apud Forster. in Dict. p. 466. In nostro vero Commate per particulam אֶל quæ hic habet annexum affix. ־ִי more nominum pl. num. (quod quomodo fiat consul. celeb. Dn. D. Wasmuth. Gramm. p. 257. quo ipso etiam à nomine divino אל affix. primæ personæ assumente v. gr. Psal. 22. vers. 2. &c. distinguitur) respiciens personam de se loquentem, in præced. à propheta יהוה & אלהים nominatam. Reperitur & hæc constructio in aliis Scripturæ Locis & imprimis ille Num. 21: 9. hujus nostri sensum valde illustrat, cum idem ibi verbum simili prorsus constructione occurrat de Israelitis morsu serpentum ignitorum laborantibus, sanatis vero intuitu erecti jussu Dei serpentis (quem rubicundi coloris cupreumque fuisse docuit *Excell. Dn. Prof. Dassovius* in Prælect. suis de Vot. Hebr.) aut potius adumbrati eodem in cruenta olim passione ligno affigendi Messiæ Ioh. 3: 14.

§. 5. Sed

§. 5. Sed hic ſtatim ea, quæ adverſus integritatem prioris hujus membri proferuntur, paucis diluere placet. Sunt enim, qui cum H. Grotio Comment. in h. l. contendunt, in quibusdam Codicibus ex Judæorum, forte hoc evidens ſcripturæ teſtimonium pro Chriſtianis militare advertentium corruptione pro אלי vocem אליו, ut non Deum ſed alium transfoſſum quis cogitet, ſcriptum eſſe. Verum cum Judæi, infenſiſſimi alias Chriſtiani nominis hoſtes, in hunc usque diem nullius depravationis, præſertim quæ omnes codices pervaſerit, convinci à quoquam potuerint, quin ad ſuperſtitionem usque Textus Authentici literam omni tempore cuſtodiverint, quod celeberrimi Philologi pariter ac Theologi B. Glaſſius in Phil. S. Lib. 1. & Magnif. Dn. D. Calov. in Critica S. aliique pluribus evicerunt; neque hunc locum aliquam ſubiiſſe mutationem, quin integram ejus Lectionem in Judæorum juxta ac Chriſtianorum Bibliis haberi certiſſimum eſt: præſertim, cum nullus hactenus vel impreſſus vel Manuſcriptus codex nominatus fuerit, in quo אליו pro אלי extet, ſed in omnibus exemplaribus, quæ Judæorum non minus quam Chriſtianorum manibus teruntur, Lectio אלי conſtanter reperiatur. Quamvis in aliis Libris nempe Talmude Loco inferius producendo & En Iſraël pag. 117. אליו, in Jalkut m. אל ſimplex, teſtante B. Hakſpan. in Dial. de Paſſ. Domini pag. 558. ſubſtitutum fuiſſe & ſenſum illuſtris hujus vaticinii varie ab iisdem depravari facile largiamur & in ſeq. m. oſtenſuri ſimus. Deinde Jeſuita Salmeron Magnif. Dn. D. Calovio in Critic. S. p. 192. notatur, quod Judæos in ſuis exemplaribus hanc vocem אלי plane omittere aſſerat, ne Meſſias noſter Deus videatur; cum tamen contrarium non pauci Chriſtianorum oculis uſurpati codices, Talmud etiam (licet adjecto ו) & commentatorum in hunc Locum Expoſitiones poſtea citandæ teſtentur, Textusque continua Accentuum ſerie ita cohæreat, ut ſine apertiſſima fraude & mutilatione hæc vox nec expungi nec adjici potuerit. Quapropter multo minus toleranda eſt Socini de hac voce ſententia, quam in Reſponſ. adverſ. Wiek. p. 188. his inter alia verbis proponit: *Quamvis ap. Zachar. vulgo legantur voculæ iſtæ* ad me, *tamen ex verbis Johannis ſatis conſtat, ipſius tempore voculas iſtas in eo loco non fuiſſe lectas, aut certe à Johanne locum iſtum ad Chriſtum accommodatum fuiſſe ſecundum eam Lectionem, quæ illas non haberet &c.* & interjectis quibusdam: *Erat nim. hic locus inſignis de Jeſu Nazareno clavis confixo & lancea perfoſſo prædictio & propterea Judæos illum ab ipſo Evangelii initio corrupiſſe eſt admodum veriſimile, ſicut ſimilem Locum corruperunt* Pſ. 22:17. *&c.* additque *cujus Lectionis ineptitudo ſimiliter, ut hic ejus falſitatem prodit.* Verum præter ſuperius dicta, quod Judæi nunquam eo audaciæ progreſſi fuerint, ut de induſtria atque malitioſo propoſito Textui S. quicquam vel detrahere vel aſſuere, quod ſibi faveret, ſuſtinuerint, idque nec ante nec poſt Chriſti tempora contingere potuiſſe multis deducit Magnif. Dn. D. Calovius Crit. S. pag. 161. ſeqq. unde & minime ab ipſis depravatam eſſe Lectionem vocis כארי, Pſ. 22. oſtenderunt jampridem Noſtrates Philologi ac Theologi celeberrimi: etiam illud adverſæ opinioni obſtat, quod hac ratione peſſime ſuæ cauſæ conſuluiſſent Recutiti, quoniam ita Meſſiam Chriſtianorum Deum confiterentur atque ipſi Deo manus violentas ſeſe intuliſſe largirentur, quod tamen ab amarulentia Judaica fruſtra quis impetraverit. Quamvis igitur Johannes hanc vocem non expreſſerit, more ſcriptoribus N. T. ſolenni, qui non eadem ubique verba, ſed omiſſis nonnunquam quibusdam vocibus, additis etiam alibi explicationis gratia nonnullis, ſententias V. T. allegant; non parum tamen, omni tempore vocem אלי adfuiſſe, LXX. interpretes cæteræque OO. Verſiones ordine nunc in medium proferendæ confirmant.

§. 6. Authentico itaque Textui omnium, quæ ſuperant, antiquiſſimam & celeberrimam τῶν ό *Tranſlationem* ſubjungimus, quæ hæc verba optime vertit? ἐπιβλέψονται πρὸς μὲ, cum verbum illud compoſitum pariter *intentionem animi, oculos in rem aliquam conjicientis denotet*; præpoſitione addita, ſine qua alias etiam per nudum Accuſativum verbum conſtrui ſolet, procul dubio Hebr. אל eo melius exprimere ſategit. *Johannes* verbum ſimplex ὄψονται in allegatione noſtri commatis cap. 19:37. adhibuit, ut ita nec in hoc nec in ſeqq. LXX. attendiſſe manifeſtum ſit. *Paraphraſis Jonathanis*, quæ circa tempora Chriſti ſcripta creditur, ita reddidit: וְיִבְעוֹן מִן קֳדָמַי *& rogabunt à facie mea*: quod quidem exacte cum Hebræo non convenit, cum verbum Chald. בְּעָא vel בְּעָה alias *quærere*, *poſtulare*, idemque ſæpe quod Hebr. בִּקֵּשׁ Targumiſtis (conf. immediate præced. verſ. 9. noſtri Capitis) ſignificet: in ſimili vero conſtructione ab illis 1 Reg. 8: 33. cap. 9: 3. uſurpatum *deprecari coram facie Dei* reddendum ſit, unde forſan per phraſin Hebræam fidelium Orationes, quibus Deum animo ſuo ſiſtunt reſpiciuntque innui Jonathan cenſuit. *Syrus* ita tranſtulit; ܘܢܚܘܪܘܢ ܠܘܬܝ Verbo ܚܪ quod eſt *vidit*, *aſpexit*, *contemplatus fuit &c.* in Fut. Peal per Anom. Med. Rad. O. ad prim. Rad. aſſumente ܘ juxta *Excell. Dn. Opitii Syriaſm. Reg. 36. M. II.* & regente affixum mediante præpos. ܠܘܬ. *Verſio Syriaca N. T.* verbum idem eodem poſitu retinuit, ſed omittit alteram voculam imitata Evangeliſtam. *Arabs* denique Hebr. Textum hunc in modum expreſſit: وينظرون الي Verbum نظر (h. l. in 3. perſ. M. pl. Fut. conj. 1. Act. cum و per ordin. Fatha poſitum) Arabibus denotat *vidit, conſpicatus fuit*, item: *conſideravit, attendit, expendit rem, ſpeculatus fuit &c.* Communiterque hoc ſenſu conſtruitur cum Partic. الي quæ aſſumit h. l. aff. primæ perſonæ ي ceſra ſuum ordinarie præmiſſum mutans in Fatha ſuperne poſitum, ubi ſimul duo ي per Teſdid. coaleſcunt vid. *Celeberrimi Noſtri Sennerti Arabiſm. pag.* 82. In *Arabica Johannis Verſione* idem retinetur verbum præfixa ſaltem Futuro per Apocopen Gjezmato litera س vid. *Dn. Sennert.* l. c. p. 19. & 58. demtoque itidem à Partic. الي affixo primæ perſonæ.

§. 7. Sequuntur jam reliqua commatis noſtri verba: את אשר־דקרו Hic pronomen אשר indeterminatæ alias ſignificationis, ut quemvis etiam caſum repræſentare poſſit, reſpicit immediate præcedens ſubjectum Deum Meſſiam, reſtringiturque adhuc fortius ad illum præmiſſa partic. אֵת, *quæ*, ſecundum obſervationem Philologorum *abſolute cum verbis activis conſtructum Accuſativum, cum Paſſivis & Intranſitivis Nominativum & cum Neutris præpoſitionem exprimendi vim habet*, & in hoc adeo loco quarti caſus index eſt, cum & à verbo activo regatur & cum pronomine אשר combinatum frequentiſſime hoc ſenſu reperiatur conf. 1 Sam. 31: 11. 2 Reg. 7: 12. Eccleſ. 2: 12. &c. Verbum דָּקָרוּ eſſe tertiæ perſonæ pl. Præt. Kal. facile perſpicitur, propter retractum Euphoniæ cauſa Imperat. Vocali Scheva in (ְ) ex quo ortum eſt, mutato, quod (ַ) inde propter ſedem nativam Accentus Athnachi producitur in (ָ). Occurrit vero hic inſignis *Enallage temporum*, quandoquidem Res poſt aliquot adhuc ſecula futura verbo præteriti Temporis ob certitudinem ſummam Deique intuitum infallibilem & præſentiſſimum effertur. Quod in Prophet. ſcriptis ſæpe fieri docet ר"שי in Eſ. 42: 16. כן לשון נבואה לדבר על העתיד כאילו עשוי *Ita Lingua eſt prophetiæ, loqui de futuro, tanquam de facto.* & El. Levita in בחור Orat. I. ידע כי דרך המקרא לדבר עבר במקום עתיד וזה לרוב בדברי נבואה כי הדבר ברור לפני המקום כאלו נעשה: *Scias, quod mos ſcripturæ ſit loqui in Præterito loco futuri, idque frequentius in verbis prophetiæ, quia Verbum eſt clarum coram Deo, ac ſi jam factum eſſet.* Vid. m. B. Glaſſ. Phil. S. L. I. Tr. IV. S. I. Can. IV. pag. 319. Sed & id adhuc notamus, Verbum Activ. tertiæ perſonæ דקרו ſine expreſſa mentione principii agentis in Nominativo (ut B. Lutherus & Arabs expreſſerunt) ponendi, reperiri, quod tamen ſubaudiendum & vel ex prioribus repetendum, ubi Judæi non obſcure innuuntur, qui & conſilio & mandato hujus transfoſſionis autores extitere imo ſub ipſorum perſona m. alii homines: vel participio ejusdem verbi explendum, vel verbum imperſonaliter aut paſſive explicandum eſt, ut in aliis Linguis. Conſul. B. Glaſſ. Phil. S. L. III Tr. III. Can. 23. pag. 301. *Significatum* verbi דקר inveſtigaturi deprehendimus ex Inductione Locorum (vix enim undecies in Codice Bibl. recenſente Cl. Buxt. in Concord. Hebr. occurrit) exprimi eodem non levem & quæ ſummam cutim ſtringat vulnerationem, ſed vehementem violentamque transfoſſionem gladio vel alio quocunque inſtrumento, infligendo vulneri idoneo, corpori intentatam, quæ ad interiora usque penetret, cum dolore & anxietate plurima, imo ignominia conjuncta ſit, ſanguinem copioſum eliciat, mortemque adeo præſentiſſimam acceleret &c. quæ verbi emphaſis Loca Lev. 24: 8. Jud. 9: 54. 1 Sam. 31: 4. &c. conferenti manifeſta fiet: niſi quod Zach. 13: 3. vulnus non lethale deſignari quibusdam videatur. R. D. Kimchi utrumque proponit quando in h. l. ſcribit: יכוהו ויפצעוהו ליסרו או פ"י ודקרוהו יהרגוהו כמו שא"מ לא תחיה: ubi vero ultimis verbis priorem expoſitionem corrigit, poſterioremque præfert ac ex præced. confirmat, quæ in noſtro etiam Commate maxime obtinet. Cæterum quamvis hoc verbo actus transfigendi præciſe intelligatur, nihil tamen impedit, quo minus eodem *univerſam Domini Paſſionem*, quæ morte & transfoſſione

lateris finiebatur, per *Synecdochen* S. Scripturæ præsertim in vaticiniis paucis verbis multa comprehendentibus non infrequentem, significatam fuisse credamus; Nam, ut eventus docuit, omnem conatum studiumque intenderunt hostes crudelissimi, ut exquisitissimos dolores ignominiamque maximam &, si per ipsos liceret, vel mille mortes innocentissimo Salvatori inferrent. Unde non blasphemiis tantum illum impetiverunt sed & faciem sputo colaphisque deformarunt & caput spinarum aculeis compunxerunt, & omnia membra corporis flagellis fustibusque indignissime lancinarunt, & denique cruci admoto quatuor vulnera in palmis & pedibus, quibus confectus interiret, immani sævitia inflixerunt, nec exanime corpus inviolatum reliquerunt, ut non immerito innumeris ictibus & vulneribus totus qs. confossus dici & hoc adeo à Propheta significantissimo verbo insinuatum asseri queat.

§. 8. LXX. hic, ut in quamplurimis aliis Scripturæ Locis, quod Philologi passim notarunt, à fontibus Hebr. longissime recedunt, ita scribentes: ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, *pro eo, quod insultarunt.* Quam quidem translationem Hieronymus, H. Grotius aliique ex eo ortam esse autumant, quod LXX. in suis codicibus legerint רקדו transpositis contrario ordine literis perquam sibi similibus ר & ד atque adeo per *saltare*, (quem alias significatum רקד obtinet Psalm. 29: vers. 6. Eccles. 3: 5. &c.) reddidisse: Alii tamen de industria ita LXX. vertisse putant, secundum vulgarem tum temporis sensum Gentis Judaicæ, cum, quid hic verbo transfodiendi innuatur, penetrare non potuerint. Sunt etiam, qui LXX. primo ἐξεκέντησαν habuisse volunt, hanc vero Lectionem tanquam suæ sententiæ adversam Judæos immutasse: quod tamen probabilitate omni caret & primitus omnino vel ex errore vel serio κατωρχήσαντο scriptum fuisse Hieronymus & Cyrillus testantur & cum Hebræo LXX. Lectionem non convenire expresse scribunt: unde & in Margine vetustissimi Manuscripti Codicis Cardinalis Barberini hæc verba citante Waltono Tom. VI. Bibl. Polygl. scripta extant: Ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο· οὕτω μὲν οἱ ο. ὁ δὲ Θεοδοτίων ἐποίησεν· καὶ ἐπιβλέψονται πρὸς μὲ, ὃν ἐξεκέντησαν. Ἐσημειωσάμεθα δὲ, ὅτι ἐπί τινων οἱ Ἀπόστολοι τὸ Ἐβραϊκὸν, καὶ οὐ τὸ ἐν τῇ κοινῇ τεθείκασιν. Ut adeo sequioribus temporibus quidam forte in Margine exemplarium ex Evangelista Verbum ἐξεκέντησαν annotarint, quod imperito accedente Descriptore in ipsum Textum irrepsit, indeque etiam in nonnullis Codicibus utrumque Verbum junctim lectum, in Veneta vero editione procurante A. Manutio An. 1518. omnium primo typis excusa, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο plane expunctum & εἰς ὃν ἐξεκέντησαν substitutum fuit. Theodoretus equidem eandem pariter Lectionem habet, sed facile apparet illam ideo à LXX. non profectam statim, quin interpolatam esse ad Textum Johannis, qui uti in præcedentis Dicti ex Exod. 12: 46. ita & nostri Commatis citatione LXX. deserit fontesque ipsos expressit verbo Græco ἐκκεντεῖν, quod itidem non molli brachio pungere ac leviter sauciare, sed cuspide acuto aut pugione confodere ac perterebrare, ita ut cuspis exeat, summamque adeo læsionem corpori inferre denotat, quo sensu hac voce usi sunt LXX. 1 Sam. 31: vs. 4. Judic. 9: 54. &c. & reperitur etiam 2 Macc. 12: 6. Cæterum cum hoc verbum Apoc. 1: vs. 7. & alibi tum & apud profanos Autores cum Accusativo sine præpositione construatur, sunt, qui præpositionem εἰς Verbum ὄψονται respicere asserant, quamvis Alii Magni Nominis Viri contrarium tueantur vid. Coccej. in Joh. 19. pag. 692. *Jonathan* Verba nostra itidem inconvenienter plane παραφραστικῶς: עַל דִּי אִטַּלְטַלוּ *eo quod translati fuerint.* Quo ipso sententiam eum expressisse, quæ tunc maxime obtinuit apud Gentem Jud. super hanc prophetiam non immerito suspicatur celeb. Lightfoot. Hor. Hebr. & Talm. in Joh. 19. pag. 1140. nempe non in Messia, sub quo aureos sibi montes pollicebantur, implendam sed in Populo Israelitico captivitatis tempore vehementer presso impletam censuerunt, ut adeo Partic. עַל דִּי indicent causam, cur faciem Dei quærere opus habeant, scil. eo quod translati fuerint. Quam ipsius mentem latius deduxit Rabbi S. Jarchi Comment. in h. l. scribens: והביטו להתאונן על אשר דקרו בהם האומות והרגו מהם בגלותם: *Et respicient ad lugendum, quoniam Gentiles transfixerunt quosdam ex iis & interfecerunt in captivitate sua.* Quæ omnia ex male intellecta significatione particulæ את provenerunt, quam & cæteri Rabb. causaliter pro *propterea*, ut mox videbimus, acceperunt. Idem & in *Syriaca Versione*, quæ alias quidem Verbum Hebr. eod. tempore, numero & persona, ut & in Nov. Test. versione factum, retinuit, videre est, dum voculam ܒܡܳܢ ex ܒ præf. servili & pronomine interrogativa alias, sed sequente ܕ relativo, Pronominis Demonstrativi naturam induente conflatam, adjecit. Quæ sane additio sensum nostri commatis non parum immutarat atque Socinianis Deitatem Filii ex hoc Loco probari posse inficiantibus aliisque hanc interpretationem suppeditavit, ut particulam את præpositionis significatum habere ac τῷ עִם vel alii præpositioni respondere per ellypsin nominis aut pronominis, sensumque adeo hunc exsculpere velint: Adspicient ad me (Deum Patrem) cum (eo, Messia) quem transfixerunt. Atque hanc expositionem etiam Coccejus l. c. laudat & approbat confirmatque ex Græco quodam codice, qui cit. Walt. in var. Lect. Tom. cit. exhibitis legerit: σὺν ᾧ ἐξεκέντησαν, q. d. σὺν ἐκείνῳ ὃν ἐξεκέντησαν. Verum hisce statim illud reponimus, quod inusitata plane sit Ellypsis S. Literis particulam את absolute sine affixo vel nomine expresso, subaudiendo tamen illud, ponere, adeoque nec Syriaca Versio nec reliqui Commentarii hic quidem loci mentem Prophetæ assequantur, præsertim cum Accentus Conj. hanc particulam arctissime cum sequenti אשר copulet & Spiritus Sanctus in N. T. Locis has voces conjunctim per quartum Casum exponat, quod indicio est, nec in Hebræo אִתּוֹ (ut alias) nec aliam structuram extitisse. Græci istius Codicis tanta non est autoritas, ut authentico Textui quicquam præjudicet. *Arabs* denique uti non semel alias, ita luculentissime hic τῶν ὁ vestigia legisse cernitur, quando vertit: من اجل انهم رقصوا *eo quod illi saltaverint:* nam من اجل sequente part. لان *propterea quod* denotare constat ex *Gol. Lex. Arab. pag.* 30. Adjectum est hic aff. pl. tertiæ pers. هم quod quidem in Hebræo non apparet, additum tamen sensum non mutat quin quodammodo exprimit, Verbum autem رقص nihil aliud, quam *huc illuc commoveri, tripudiare &c.* notat Gol. l. c. pag. 1025. Melius vero Authenticum T. illa, quæ in Joh. exarata fuit, translatio reddidit; adhibendo Verbum طعن cujus significatum in I. Conj. esse *confodit, hasta insectatus fuit &c.* testatur Gol. l. c. pag. 1463.

§. 9. Atque ita singulis Oraculi nostri vocibus quoad suas proprietates & Versiones præcipuas incomplexe pensitatis, non potest non integri hujus commatis genuinus *sensus* cuivis esse obvius, quod nimirum homines (& quidem potissimum habitatores Jerusalem Spiritu donandi) partim corporeis (tempore visibilis apparitionis & Passionis in terris, uti & judicii extremi, interprete Joh. 19: 37. & Apoc. 1: 7.) partim mentis fideique oculis sint aspecturi Messiam verum Deum, & hominem visus & sensibilis transfixionis capacem, quem Judæi tempore statuto indignis modis tractaturi, multis plagis ac vulneribus, imprimis in latere maximo omnium, affecturi & trucidaturi, crudelitatemque adeo in ipsum Deum exserturi essent. Sed hæc in Jesu Nazareno omnia concurrisse ex ipso eventu, & aliis momentis fusius diducere Theologorum requiritur ἀκρίβεια. Nobis verborum curam habuisse sufficiat. Quapropter m. quæ circa *Transfossionem* hanc, *Lateris* præsertim, à propheta prævisam prædictamque tum de Milite ejusque adhibito instrumento, tum de vulnere ipso, ejus amplitudine, parteque lateris recipiente, tum de sanguine & aqua profluente aliisque eo spectantibus dici ulterius possent, merito prætermittimus, cum à vaticinio alieniora nonnihil atque ex eventu ejusdem potius addiscenda atque dilucidanda sint, peculiari etiam opera à Viris jam tum Eruditioribus maximam partem exantlata, digna videantur. Nos adhuc quantum chartæ spatium permittet, de nonnullis nostræ Expositioni oppositis interpretamentis paucis dispiciemus.

§. 10. Sed nec hic cum *Calvino* ejusque asseclis, *H. Grotio* & aliis Christianis, ut videri volunt, ast turpissime Judaizantibus Interpretibus congredi animus est, qui non literaliter hunc Locum Messiam respicere, quin Deum contumeliis & irrisionibus Populi Israelitici graviter læsum atque, quod humano more dicatur, peccatis quasi vulneratum contra contextus Scopum Verborumque nativam indolem comminiscuntur. Quos equidem Scripturæ Depravatores pessimos Nostrates passim & imprimis *Admirandus ille Bibliorum Illustrator ac Vindex, Magnif. Dn. D. Calovius in Consummatissimo Bibl. Illustr. Opere* dignis modis retundere ac impietatis convincere sategit. Prodeant in arenam Rabbinici quidam Commentatores commentis non paucis redundantes. Primas occupet *R. Lipmannus*, qui in Libro, Titulo satis superbiente & triumphum ante victoriam canente, נצחון Num. CCLXIII. ex immediate sequenti permutatione personarum incongruæ Expositionis Christianos convincere conatur, quando

quando ait: אמרו הנוצרים עתידים היהודים יושבי ירושלים לראות את־הנוצרי אשר דקרו והרגו אותו ולהתחרט ולהספיד עליו: והנה טעותם מפורש בצדו· דלפי דבריהם היה לו לומר וספדו עלי כמו שהתחיל והביטו אלי: *Dicunt Chriſtiani, futurum eſt, ut Judæi Hieroſolymis habitantes videant Nazarenum, quem confixerunt atque occiderunt, pœnitentiam agant illumque plangant. Sed error eorum ſtatim in latere oſtenditur. Nam juxta hanc ſententiam debuiſſet propheta dicere: & plangent* עלי *ſuper me, ſicut incepit: aſpicient* אלי *ad me.* Verum hunc morem non raro in S. Literis obtinere Lipmannum docere Victoremque intempeſtivum vincere poteſt Rabbi David Kimchi, qui in Eſai. cap. 22: 19. ubi ſimilis occurrit permutatio, ita ſcribit, אמר והדפתיך כאלו האל מדבר ואמר יהרסך דבר הנביא על האל וכן מנהג לשון הקדש במקומות רבים: *Dicitur*: Et expellam te, *tanquam illa Deus diceret: & dicitur*, diruet te *quaſi locutus eſſet Propheta de Deo & ſic eſt mos Linguæ S. in multis Locis.* De hac Enallage perſonarum in Prophetiis maxime occurrente vid. Glaſſ. Phil. S. L. I. Tr. IV. Sect. I. Can. VI. pag. 322. & Lib. IV. Tr. II. obſ. 17. Quo circa cum Spiritui S. hanc Enallagen hoc etiam commate adhibere lubuerit, eo ipſo non rem vel perſonam ſed ſermonem & loquendi modum mutatum cernimus. Deinde ut *Lipmannus* ipſe ſenſum hujus loci ſuppeditet, initio hujus capitis *de ſtrage omnium populorum agi* dicit allegatque verſ. 4. & 9. hæc Verba ſubjungens: אלא על אותם שהרגו האומות קאי· שיגביהו יושבי ירושלים עיניהם לה' יתי' את אשר דקרו כלומר בשביל אותם וספדו עליו וגומ׳: id eſt, *Ad illos igitur pertinet Textus, quos Gentes occident, cum habitatores Jeruſalem elevabunt oculos ſuos ad Dominum* את אשר דקרו q. d. *propter illos & plangent eum &c.* Quibus verbis videtur idem ſubinnuere, quod de *Rabbi Iſaac ben Abraham* teſtatur B. Mull. in Judaiſm. p. 816. ſeq. contendente particulam את h. l. idem valere quod *propter* ſubaudiendo *illum* ſc. Judæum à Gentibus occiſum vel in bello, quod fingunt Gog & Magog occubiturum. Pari ratione partic. את LXX. Targum, Syrum & Arabem reddidiſſe ſupra notavimus, quo ſenſu etiam eandem accipiunt Rabbi David Kimchi quaſi ſcriptum בעבור שדקרו & Jarchi pro על אשר דקרו Comment. in h. l. Verum ſuperius jam tum in evolutione hujus particulæ oſtendimus, ea h. l. non præpoſitionem quandam, ſed, uti in aliis m. Locis Accuſativum indicare, quam expoſitionem alii Judæi calculo ſuo adprobant oſtendente B. Mull. l. c. Adducit equidem Rabbi Iſaac ben Abraham ibidem Ezech. cap. 36: 27. cum autem plane diſſimilis ibi occurrat conſtructio, Verbum enim Neutrum & tranſitivum ſequitur, neque eandem expoſitionem locum habere mirum non eſt. His ita evictis ſua ſponte concidit perverſa Judæorum interpretatio. Non enim tunc de Iſraelitis occidendis & plangendis, ut Lipmannus detorquet, ſed de eadem perſona occidenda & plangenda, ad quam reſpicere debeant homines, ſermo eſſe debet. Accedit quod ex toto contextu appareat, non de pluribus Iſraelitis ſed uno tantum transfigendo & luctu acerbo plangendo hic agi. Quod cum ipſe etiam Lipmannus adverteret, ſuæ ſententiæ præſidium quærit ex cap. 11: 7. quando pergit: ומזכירם בלשון יחיד כי כן התחיל בראש הפרשה וקרא את ישראל צאן ההריגה ועל הצאן נופל לשון יחיד id eſt, *Meminit Occiſorum in ſingulari; ſic enim initium Sectionis fecit & Judæos pecus occiſionis appellavit, pecus autem effertur nomine ſingulari.* Sed neque ſic quicquam deſperatæ Lipmanni cauſæ accedit. Eo enim, quod neglectis proxime præcedentibus ex diverſa plane prophetia accerſere quædam aggreditur, boni interpretis munus haud videtur attendiſſe, cui immediate textum tangentia omnium maxime curæ eſſe debent, quæ ſane pro nobis facere quilibet videt. Præterea vero nomen צאן eſt collectivum, per multitudinem evidenter in capite laudato expoſitum & reſpicit Judæos non ab hoſtibus vel Gentibus occiſos, ſed Paſtoribus ſuis, Prophetis perfidis in errores, animæ mortem, præcipitatos, cujus ne veſtigium quidem in toto noſtro capite apparet. Quæ in ultimis verbis Lipmannus de adhuc implenda prophetia & ſperando adventu Meſſiæ, cum nondum ea quæ c. 10: 10. & c. 14: 8: 16. Zach. promittantur, literaliter evenerint, addit, craſſam hominis ſtupiditatem cœcitatemque impoſſibilitatem manifeſtam rei, ſi literam ſecteris, non conſiderantis, imo in deſperationem ferme adacti inſaniam produnt: unde nec verba ipſa adſcribere operæ pretium fuerit.

§. 11. Reſtat adhuc altera Commentatorum ipſiuſque *Talmudis* Expoſitio paucis expendenda, qui cum de una perſona maximæ dignitatis Prophetam loqui perſpexerint, non quidem de Jeſu Nazareno, ſed, quem fingunt, *Meſſia Filio Joſeph* interpretantur. Verba igitur Talmudis, quæ habentur in *Codice Succa* ante omnia in conſpectum ſiſtenda, cum eorum autoritate Commentatores reliqui nitantur. ita vero cap. V. quod החליל inſcriptum eſt, fol. נב legitur: הא הספידא מא עבידתיה׳ פליגי בה רבי דוסא ורבנן / חד אמר על משיח בן יוסף שנהרג / וחד אמר על יצר הרע שנהרג בשלמי׳ למאן דאמ׳ על משיח משיח בן יוסף שנהרג היינו דכתיב הביטו אליו את אשר דקרו וספדו וגומ׳: *ecquæ tandem planctus illius eſt ratio? diſſentiunt ea in re R. Doſa atque Magiſtri. Unus dicit, ſermonem eſſe de Meſſia Filio Joſeph, qui occiſus eſt, alius de figmento malo* (Gen. 6. & 8.) *quod aboleri debuit. Facit tamen pro eo, qui interpretatur de Meſſia Joſephi Filio, quod ſcriptum eſt* (Zach. 12: 10.) Et reſpicient *ad illum* (hic in citatione ו additum) quem transfixerunt & plangent &c. Hæc verba Talmudis reſpiciunt Commentatores Rabbinici non incelebres. Ita enim רש״י in h. l. ורבותנו דרשוהו על משיח בן יוסף שנהרג במסכת סוכה (Sic enim legendum eſt in Bibliis Buxtorf. pro סוטה) Paria ſcribit R. D. Kimchi: ורז״ל פ״י על משיח בן יוסף שיהרג במלחמה׳ ותמה אני לפי פרושם איך כתמו ולא זכרו כלל: R. Aben-Eſra denique, (qui in toto hoc capite de Meſſia ben Joſeph prophetiam inſtitui aſſerit his inter alia verbis: זה יהיה בשוב ישראל עם משיח בן יוסף אל ירושלם:) in noſtra verba ita commentatur: אז יביטו כל הגוים אלי לראות מה אעשה לאלה אשר דקרו משיח בן יוסף: *Tunc intuebuntur omnes Gentes ad me ut videant, quid faciam illis qui transfoderunt Meſſiam Filium Joſeph.* Hæc omnia cum pro fundamento habeant figmentum illud vetuſtioribus plane incognitum de duobus Meſſiis eodem ſubverſo cætera ſponte corruent. Quamvis vero in Talmude ſæpius duo nomina Meſſiæ, diverſa etiam prædicata occurrant, non tamen de duabus diſtinctis perſonis diverſa fortuna gaudentibus, aut aliis atque aliis Parentibus prognatis, ſed una perſona propter duplicem ſtatum & adventum allegorica ratione duobus nominibus inſignita, intellecta priſcis fuiſſe obſervant Flac. Clav. Scr. p. II. Tract. IV. p. m. 233. & Raim. Mart. in Pug. Fid. Part. II. c. XI. §. 13, 14. Recentiores autem Rabbini exinde duplicem confingendi Meſſiam anſam ſumſere, alterum miſeræ futurum conditionis, alterum vero maximo ſplendore appariturum Regnumque Iſraelis reſtauraturum. Qua de re legatur B. Mulleri Judaiſmus L. 1. cap. 23. aliique paſſim. Verum perperam hæc atque ſimilia ſibi imaginantur miſerrimi mortalium Judæi, cum nuſpiam in Scripturis duo promittantur Meſſiæ uniuſque illius Adventui præfinita tempora dudum præterierint, quod ipſi etiam Saniores rei evidentia convicti fateri neceſſe habuerunt; unde in Cod. Sanhedrin extat כלו כל הקצין *Completi ſunt omnes termini*; Quid igitur proderit ad inania confugere figmenta, ac abſurditatum monſtra, ubi apertiſſima Veritas in omnium oculos incurrit? quid ſuavia ſibi ſomnia formare de nunquam eventuris rebus, ubi & S. Literarum documenta & Veterum ſuffragia & ipſa rerum Magiſtra experientia reclamant? Non niſi unum divinæ paginæ noverunt Meſſiam, omnes Judæorum commentationes ac commenta efficaciſſime proſternentes. De illo in noſtro etiam ſic pro ingenii modulo pertractato Commate ſermonem eſſe immote tuemur.

SOLI DEO GLORIA!

JOH. FRISCHMUTHI

DISSERTATIO

De Angelo fœderis ad Mal. III: 1.

בס״ד:



ETſi populus Judaicus ſibi admodum Suffenus de Chriſtianis, quos nunc גוים nunc אומות appellitant, oppido abjecte ſentit, ſeipſum vero maximi facit, & nimium quantum extollit: quandoque tamen nonnulli, ubi illis prærogativæ, qua miſere exciderunt, in mentem venit, criſtam, quam alias erigere ſolent, iterum demittentes, ſuam ſortem deplorandam ingenue fatentur. Comprobant hoc verba, quæ ex libro תורת כהנים recenſet *R. Bechai*, fol. 151. col. 3. comm. in Pentateuchum, & ſic ſe habent: מה נשתיירא להם שלא נמאסו ושלא נגעלו והלא כל מתנות הטובות שנתנו לישראל נטלו מהם ולולי התורה שנשתיירה להם לא הניחו להם אומות כלום: *Ecquid illis* (Iſraelitis) *reliquum eſt, ut ne pro abjectis & pollutis habeantur? Annon omnia dona eis data ſunt ablata? Sane abſque LEGE eſſet, quæ remanſit, nihil omnino gentes reliquiſſent.* Solius adhuc ſacri codicis poſſeſſione ſe etiamnum beatos, nobiſque Chriſtianis ſuperiores deprædicant. Sed quam verendum ipſis & hic eſt, ne fruſtra hodie glorientur! Equidem hoc primarium Judæorum ἀξίωμα, quod ab ipſo Apoſtolo ipſis quondam tributum novimus, πρῶτον, inquiente, ὅτι ἐπιστεύθησαν αὐτοῖς τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, Rom. 3:2. 3. minime eis invidemus: quin utraque etiam manu id largimur, in quo alias laureolam quærit *R. Joſeph Albo, Hiſpanus*, libro Ikkarim, parte III. cap. 22. his verbis: היהודים מדקדקים בתורה ובאותיותיה במלא וחסר ומתפארים בידיעת מנין האותיות ופסוקי הטעמים עד שהם כותבין בגליוני ספריהם וקורין אותו מסורה מה שלא עשו כן שאר האומות: *Judæi in Lege ejuſque literis accurati ſunt, item literas plenas & deficientes notant. Gloriantur etiam, quod ſciant literarum numerum, verſus & accentus, ita, ut librorum ſuorum marginalibus inſcribere ſoleant. Et hoc opus vocant Maſoram, cujuſmodi quid reliquis gentibus receptum haud eſt.* Hæc, inquam, non inviti eis largimur, ipſorumque ſtupendam & incredibilem in ſartis tectis conſervandis ſcripturis diligentiam pleno ore deprædicamus, ex animo tamen dolemus, eos ſolo cortice contentos, ipſum nucleum ne tangere quidem. Uſque adeo enim in explicandis vaticiniis cœcutiunt, ut inter pœnas, quas ob ſpretum Meſſiam hodie luunt, nulla ferme ſit conſpectior, quam iſta excœcatio, qua juxta divinam interminationem Deuter. 28: 28. ſunt percuſſi. Equidem in pleriſque omnibus illa etiam ſcientia, quæ humanis præſidiis comparari poteſt, prorſus deſideratur. Quin illi, à quibus ob ingenium & judicium non vulgare quid exſpectes, reliquis audacia & pervicacia ſunt ſuperiores. Et poſtquam his omnino decretum eſt, nullam admittere interpretationem, quæ vanæ iſti opinioni de Meſſiæ adhuc ſperando adventu, & per eum omnibus in univerſum in libertatem aſſerendis Judæis repugnet, omnem pudorem decoxiſſe videntur, dum ipſis etiam Prophetis in os quaſi contradicere nulli dubitant, modo Meſſiam nondum veniſſe, ſed adhuc venturum eſſe obtineant. Hinc lib. prec. edit. Venet. p. 33. col. 2. ajunt: אני מאמין באמונה שלמה בביאת משיח ואף עלפי שיתמהמה אפילו הכי אחכה לו בכל יום שיבוא: *Ego perfecta fide credo, Meſſiam adventurum eſſe. Licet etiam cunctetur hucuſque, nihilominus in ſingulos dies eum præſtolabor.* Et idcirco illuſtri exemplo hoc ipſum oſtenſurus, vaticinium illud inſigne Malach. 3: 1. & ſeqq. ſe legi, in quo detorquendo omnes nervos intendentes Judæi aperte demonſtrant, quam parum ipſos juvet codicem poſſidere ſacrum, ab ejus tamen ſenſu genuino aberrare. Hunc ut eruamus, jam dabimus operam, & quam longe à vero Judæi recedant, inſimul demonſtrabimus. Vaticinium textu authentico ſic habet: הִנְנִי שֹׁלֵחַ מַלְאָכִי וּפִנָּה־דֶרֶךְ לְפָנָי וּפִתְאֹם יָבוֹא אֶל־הֵיכָלוֹ הָאָדוֹן אֲשֶׁר־אַתֶּם מְבַקְשִׁים וּמַלְאַךְ הַבְּרִית אֲשֶׁר אַתֶּם חֲפֵצִים הִנֵּה־בָא אָמַר יְהוָה צְבָאוֹת׃ וּמִי מְכַלְכֵּל אֶת־יוֹם בּוֹאוֹ וּמִי הָעֹמֵד בְּהֵרָאוֹתוֹ כִּי־הוּא כְּאֵשׁ מְצָרֵף וּכְבֹרִית מְכַבְּסִים׃ וְיָשַׁב מְצָרֵף וּמְטַהֵר כֶּסֶף וְטִהַר אֶת־בְּנֵי־לֵוִי וְזִקַּק אֹתָם כַּזָּהָב וְכַכָּסֶף וְהָיוּ לַיהוָה מַגִּישֵׁי מִנְחָה בִּצְדָקָה׃ וְעָרְבָה לַיהוָה מִנְחַת יְהוּדָה וִירוּשָׁלִָם כִּימֵי עוֹלָם וּכְשָׁנִים קַדְמֹנִיּוֹת׃ Vulg. Vertit: *Ecce ego mitto angelum meum & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis ſtabit ad videndum eum? ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans & emundans argentum, purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia. Et placebit Domino ſacrificium Juda & Jeruſalem, ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui.*

CAP. I.

R. Lipmanno παρερμηνείας *Chriſtianos accuſante*, R. Abarbanelis *de connexione hujus vaticinii cum antecedentibus ſententia paulo poſt acrius perpendenda affertur. Uſus particulæ* הנה *in ſacris.* B. D. Glaſſius *laudatus. De voce* מלאכי AbenEſræ, Kimchii, Salomonis *interpretamenta diverſa in medium adducta.* R. Abarbanelis *nova, at violenta, & abſurda explicatio exploditur, Verbi* פנה *ſignificatio vera & genuina, quam* Græcus, & Arabs *non penetrarunt, ſtatuminatur. Judæorum de illo error perſtringitur. Modus iſte loquendi, munitoris officium deſignans, ex* Joſepho & Plutarcho *illuſtratur. Vaticinium Eſai. cap.* 40: 4. *allatum.* Kimchius & AbenEſra *laudati.* Abarbanel *reprehenſus ob detorſionem verborum.* H. Grotii *monitum de allegoriis non minutatim excutiendis, quid* R. Abarbaneli *notet viam præparare ad l. cit.* R. Moſis Maimonidis *de Meſſiæ anteambulone ſententia. Judæorum inconſtantia.* Abarbanel *relicta priori explicatione denuo molitur aliam & quamlibet cœcutiens connexionem videt hujus vaticinii cum antecedentibus verbis. In* Johanne Baptiſta *vaticinium adimpletum eſſe, probatur. Vox* מלאך *explicata.* Golius, Hottingerus, Kimchi *laudati. Textus Ebraicus & Græcus à* Socini *depravatione vindicatus.* P. Galatini & C. Janſenii *de* לפני *ſententia ſingularis, item* C. Sanctii *reprobatur. à Vorſtio diſſenſus. Cur Salvator noſter vaticinium aliter recenſeat.* Socini *ratio rejecta.* Sanctii & Cornel. à Lapide *ſententia.* Grotii *ratio probatur. Cur Marcus Eſaiæ adſcribat, quod Malachias ſcriptum reliquit. Scripturæ conſuetudo allatis exemplis oſtenſa.*

§. 1. Solent

§. 1.

SOlent Judæi Christianis sæpenumero exprobrare, eos in ostendendo vaticiniorum complemento scenæ duntaxat inservire, in id maxime intentos, ut Prophetias Jesu Nazareno quomodocunque applicent, & accommodent, nulla habita ratione antecedentium & consequentium, quibus invitis & reluctantibus nostra fiat explicatio. Hinc *R. Lipmannus* ad Esai. 53: 8. ait: סתור הדבר מתוכו מלפניו ולאחוריו *totus contextus repugnat.* & ad Esai. 9: 6. idem *Lipmannus* scribit: זה מנהגם לתפוס אות אחד בלי ראות מה שלפנים ומה שלאחור: *fit hoc more illis recepto, quo unam literam arripiunt, non animadvertentes quid antecedat, quid subsequatur.* Consimili modo ad præsentem locum Malach. 3: 1. conqueritur: גם זאת פירשו הנוצרים על הנוצרי כפי כנהגם אשר אינם רואים במה דבר הענין: *Etiam hoc explicant Christiani de Nazareno pro more suo, dum non vident, de quonam textus loquatur.* Ne igitur simile quid jure nobis objiciant recutiti, ab ovo, quod dicitur, rem ordiemur, visuri, qua occasione Malachias hoc vaticinium protulerit, & num nostro interpretamento contextus refragetur, uti *Rabbi Lipmannus* contendit.

§. 2. *R. Abarbenel* cum præ reliquis videatur prolixe de scopo Prophetæ commentari, visum est ipsius verba adscribere ex libello, quem משמיע ישועה vocat. Ita vero ibi pag. 76. col. 3. ubi hujus vaticinii complementum à templi secundi tempore removere, & ad templum, quod hodie exspectant, tertium rejicere contendit, loquitur: ענין הנבואה הזאת שאחרי שהוכיח הנביא הזה את בני דורו על מעשיהם הרעים אם בעבודת בית המקדש שהיו מגישים על מזבחו ית' לחם מגואל ובעלי מומין ואם בענין הנשים הנכריות שהיו לוקחים להם כמ"ש כי חלל יהודה את קדש ה' אשר אהב ובעל בת אל נכר בא צחריו זה להוכיחם על דבריהם ואמונותיהם שהיו יותר רעים ממעשיהם ועל זה אמר הוגעתם ה' בדבריכם ר"ל שהיו מיחסים לו היגיע והלאות והעדר היכולת וזכר מפשעם שלא היו מתירים עונותם כי מודה ועוזב ירוחם אבל היו מכחידין ואומרים במה הוגענו וזהו על דרך הנני נשפט אותך על אמרך לא חטאתי ולכן פי' הנביא דבריהם שהיו אומרים כל עושה רע טוב בעיני ה' ובהם הוא חפץ או איה אלהי המשפט כלוי שהיו עושים חלוקה אחת ואומרים לא ימלט הדבר ברוע הסדור הנמצא על דברת בני האדם שהרשע מכתיר את הצדיק אלא שיהיה הקב"ה יודע ומשגיח בו אז בלתו יודע ומשגיח בו ואם הוא יודע ומשגיח בסדור הזה יתחייב אבל עושה רע טוב בעיני ה' ובהם הוא חפץ ולכן הצליחו הרשעים במעשיהם ואם אין זה כן יתחייב שאינו יודע ולא משגיח ושעזב ה' את הארץ והוא אמרו או איה אלהי המשפט ור"ל אלוה וסבה ראשונה יש בעולם אבל אינו משגיח ואינו עושה חסד משפט וצדקה בארץ ולכן לא אמרו איה האלוה אלא איה אלהי המשפט לפי שענין המשפט וההשגחה היו מכחישים לא מציאות סבה ואשונה ולכן היו אומרים איה אלהי המשפט כי מלת איה נאמר על מה שאינו כמו ויגוע אדם ואיו: *Prophetia sic habet: postquam Malachias invectus est in suæ ætatis homines, ob peccata, partim in cultu sacro, offerendo nempe panem pollutum altari, & vitio aliquo laborantia animalia, partim ducendo alienigenas, commissa, sicut conqueritur* (cap. 2: 11.) contaminavit Juda sanctitatem quam dilexit & duxit filiam Dei alieni: *pergit nunc sermones illorum & fidem arguere, quibus plus impietatis inerat, quam illorum operibus. Idcirco ait* (vers. ult. cap. II.) laborare fecistis Dominum in verbis vestris. *q. d. attribuerunt ei defatigationem, laborem, & impotentiam. Refert etiam illorum peccatum, quod noluerint peccata sua agnoscere. Confitens enim & relinquens misericordiam consequetur* (Prov. 28: 23.) *sed celarint dicendo, in quonam defatigavimus eum? Et hoc eum fere in modum, quo dicitur* (Jer. 2: 35.) Ecce ego judicium subeo tecum, dicens, non peccavi. *Ideo Propheta verba illorum explicat, dum ait, eos dicere:* (cap. 2. Mal. vers. ult.) qui male facit, bonus est in oculis Domini, eisque delectatur; aut ubi est Dominus judicii? *mens ipsius est, quod contenderint, fieri non posse, quin, prout res humanæ apparent, ubi impius circumdat justum* (Hab. 1: 4.) *ordo sit perversus, sive Deus rerum gnarus provideat, sive secus. Si enim ipso conscio hæc fiant, ipsum causam esse. Qui malum facit, in oculis ipsius bonus est, & eo delectatur. Idcirco impii prospere agunt. Quod si vero aliter res se habet, consequi, eo ignaro hæc contingere, & non curante, & quod in his terris non sit præsens, quod innuunt verba: ubi est Deus judicii? vult dicere: est quidem Deus causa suprema in mundo. Ideo non ait: ubi est Deus; sed ubi est Deus judicii? in dubium enim vocabant vel negabant judicium & providentiam, non primæ causæ existentiam. Atque ideo dicebant, ubi est Deus judicii?* Vox איה *de illo usurpatur, quod non existit, veluti* (Job. 14: 10.) *& exspiravit homo, ubi ille?*

§. 3. Audivimus hic satis prolixe de occasione, qua ad vaticinium Malachias sit delapsus, differentem *R. Abarbenelem*, qui l. c. aptam connexionem hujus vaticinii cum præcedentibus quærens perhibet, verba, quæ consideranda nobis sumpsimus, continere תשובת הש"י על דבריהם *responsum Dei S. B. ad verba illorum*, qui Deo adeo proterve obloqui, ipsiusque providentiam è mundo tollere nulli dubitarunt. Quod an sic se habeat, paulo post dispiciemus, ubi Judæorum diversa glossemàta adduxerimus in medium, quæ ad vers. 1. nobis reliquerunt. Verba vaticinii sunt hæc: הנני שלח מלאכי ופנה דרך לפני: *Ecce ego mitto Angelum meum, & parabit viam ante faciem meam.* Emphaticus ille & in frontispicio oraculi collocatus asteriscus הנה *Ecce*, uti alias vim suam exserit, ceu notant interpretes, singularem, ita nec hic frustra eum positum esse, putandum est. Uti *B. D. Glassius*, Phil. Sacr. lib. III. tr. 5. cap. 15. monet, apponi is solet 1. *in rei mirandæ & novæ narratione.* 2. *in rei præsentis exhibitione & demonstratione.* 3. *in certitudinis rei asseveratione.* 4. *in promtitudinis obsequendi declaratione.* Sane, ut ipse contextus docet, illam, quam tertio loco recensuimus, potestatem hic exserere videtur, præsertim cum succenturiatis q. viribus eam roboret ipsum sequens participium, quod alias ad certitudinem & celeritatem propinquæ exsecutionis indigitandam adhiberi solet. Conf. Gen. 19: 13. 2 Reg. 20: 1.

§. 4. Illud utrinque tam apud Judæos, quam Christianos extra omnem dubitationis aleam est positum, Deum Ter opt. Maximum (quippe qui tam ea, quæ præcessere, quam quæ proxime sequuntur, est locutus,) in textu loqui, & missionem Angeli polliceri. Verbis autem dici haud potest, quantopere Judæi dissideant divinando, quis tandem sit ille Angelus ante faciem Domini iturus. *R. Abraham Aben Ezra* com. ad d. l. ait: מלאכי יתכן להיות משיח בן יוסף *Convenit id, ut de Messia filio Josephi intelligamus.* Sed uti scriptura sacra non nisi unius Messiæ, illiusque non è tribu Josephi, sed Juda oriundi mentionem facit, ita hæc interpretatio, quæ ne reliquis quidem Ebræis interpretibus probatur, merito rejicitur. Vid. Amplissimi atque Excellentiss. Dn. PRÆSIDIS disp. de Zach. 12: 10. §. 14. & seqq. ubi de gemino, quem Judæi comminiscuntur Messia fuse actum est. *R. D. Kimchi* sic scribit הוא מלאך ה' מן השמים כמו הנני שולח מלאכי לפני לשמורך בדרך וגו' *denotat angelum de cœlo, quemadmodum ait* (Exod. 23: 20.) *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam ad custodiendum te in via &c.* Intelligit *Kimchi* Spiritum aliquem λειτȣργικὸν, qui eo tempore, quo libertate donandi sunt Judæi, eos sit defensurus, perinde ac olim ex Ægypto egressi, angeli tutela ab hostium insultu immunes erant. At neque huic explicationi textus suffragatur, quod enim *Kimchi* ait: פנה דרך לפני זה יהיה בקבוץ גליות שלא ימצאו שטן ופגע רע: τὸ parabit viam ante me, *implebitur tempore colligendorum captivorum, ne adversarium experiantur, vel aliquid eis mali accidat*, id frustra dicitur, cum Phrasis longe aliud designet, ut paulo post videbimus. Quid quod discrimen utriusque locutionis inde etiam apparet, quod hic angelus ante venturum Dominum iturus sit, & quidem *ad viam præparandam*, ibi vero ante Israëlitas, *ad custodiendum eos.* Unde patescit, quam parum ex Exodo locus allatus faciat ad nostri illustrationem.

§. 5. *R. Salomo* itidem peculiarem fovet sententiam, quam *R. Abarbenel* his verbis recenset: אם תבקשו משפט הרשעי בא יבא ולא יאחר וגם לא תחפצו בו כי הנה אנכי שולח מלאכי והוא רמז למלאך המות ופנה דרך הרשעים לפני לתת לאיש כדרכיו: *Si petitis impiorum judicium, certo illud veniet, nec retardabitur, nec gratum vobis erit. Nam ecce ego missurus sum angelum meum, nempe angelum mortis, ut viam impiorum purget ante faciem meam, ut homini retribuam secundum opera sua.* Suam fecit hanc sententiam Author libri אבקת רוכל quem *Cl. Hulsius* Latinitate donavit, ibi enim hunc in modum ille: כי במדבר יתמו ושם ימותו כל הרשעים כדי שיהיו האשר צרופים מזוקקים ככסף שכן כתיב בסוף דניאל יתבררו ויתלבנו ויצרפו רבים והרשיעה רשעים ולא יבינו כל הרשעים והמשכילים יבינו וכתוב בסוף מלאכי ופנה דרך לפני ופר"שי לבער הרשעים: *Nam in deserto* (in quod Israëlitas ab infelici Messiæ filii Joseph cum Armillo pugna reliquos confugituros esse, Judæi somniant,) *consumentur & morientur omnes improbi, ut reliqui sint defæcati sicut argentum. Sicut scriptum est in fine Danielis* (Dan. 12. 20.) *Purgabuntur, dealbabuntur, conflabuntur multi, cum improbe agent improbi, nec animadvertent ulli improbi, sed prudentes observaturi sunt. Sicut item in fine Malachiæ: Ecce ego missurus sum angelum meum, qui expediet viam ante me, sc. ad extirpandum impios, ut R. Salomo Jarchi explicat.*

§. 6. Sed uti hæc ipſa ex contextu facile refellitur explicatio, ita nulla harum probatur *R. Abarbeneli*, unde factum eſt, ut novam, eamque ne fando quidem auditam is interpretationem afferret. Sic enim ille ſuæ ſingularis εὐστοχίας ſecurus ſcribere nullus dubitat. נראה לי לפרוש כזה שאנשי בית שני בראותם עצמם משועבדים למלכי פרס ובראותם שאף גם כן שבנו את הבית לא ירדה בו שכינ' חשבו שנסתלק' מהם השגחת השם מרוע הסדור הנראה בהצלחות הרשעים וע"ז השיבם הש"י הנני שולח מלאכי כאומר הנה לרוע הסדור אשר הקשיתם ואמרתם איה אלקי המשפט הנני שולח מלאכי הוא הנביא הזה אשר נקרא שמו כן מלאכי או שהוא היה מלאך השם ונביאו שהיה הש"י שולחו להודיע להם מה שיהיה בעונש הרשעים וצדקת הצדיקים באחרית הימים הוא הנביא הוה להודיע להם איה אלקי המשפט ומתי ישפוט משפט מוחלט וגודל אותו המשפט לכל נוצר והוא יפנה דרך לפני ר"ל שיתיר לכם התלונה הזאת ולכן אמר בלשון הווה הנני שולח והנה לא זכר כן מיד הענין ההוא לפי שראה לזוכרו בסוף נבואותיו להיותו אחרית הדברים כלם כדי לחתום בו חזון: *Mihi videtur, illud omnino intelligendum eſſe de viris templi ſecundi, qui, cum viderent, ſe imperio Regum Perſiæ ſubjectos eſſe, & licet templum reſtauraſſent, divinam tamen Majeſtatem ibi non regnare, uti quondam exiſtimabant, providentiam divinam ab eis receſſiſſe, idque propter ordinis inverſionem, quæ in improborum felicitate conſpiciebatur. Ad hæc reſpondet ipſis Deus: Ecce ego mitto angelum meum, ac ſi diceret: Ecce propter ordinis inverſionem, quam prætenditis, dicendo: Ubi eſt Deus Judicii? Ecce ego mitto vobis angelum meum, qui eſt hic Propheta Malachias, qui ita dictus eſt, vel quia nuncius & Propheta Dei fuit, quem ipſe miſit, ut notum faceret quid de pœna improborum, & juſtitia juſtorum in fine dierum futurum ſit. Hic Propheta ille eſt; qui dicturus eſt, ubi ſit Deus Judicii? & quando judicaturus ſit judicium abſolutum, & quam grave illud futurum eſſet omni creaturæ* (cur Cl. *Hulſius* vertendum putet *omni homini Chriſtiano*, cauſam video nullam) *& hic parabit viam coram me, vult dicere: ſolvet ille querelam hanc veſtram, & ideo loquitur in tempore præſenti: Ecce ego mitto vobis. Neque hic ſtatim illud proponit, nam ad finem Prophetiæ ſuæ illud ſibi reſervavit, ut eſſet finis omnium verborum, eoque viſionem ſuam obſignaret.*

§. 7. Complura hic occurrunt, quæ cenſuram merentur. Primo enim ſi non falſum, ſaltim incertum eſt, ob gratioſæ præſentiæ divinæ in templo ſecundo defectum Judæos id temporis fuiſſe conqueſtos. Ipſe Abarbenel ſupra non tam illi, quam impiorum in hoc mundo felicitati adſcripſit. Deinde quam ab omni veritatis ſpecie alienum eſt, per angelum intelligi Malachiam? ſignificat quidem id nominis idem ac *angelum meum*; at quis ſibi perſuaſerit, Deum his verbis Prophetam reſpicere, qui Dei verbis ad populum locutus, ſeipſum indice quaſi digito oſtenderit? præterquam quod talis loquendi modus non eſt receptus Prophetis, illud etiam *R. Abarbenelis* interpretationem falſitatis arguit, quod per prolepſin & duram & inſolitam, inter verba, *Ecce mitto angelum meum*, & illa, quæ ſequuntur, *& derepente veniet Dominus*, non dubitat locare ea, quæ habentur à verſ. 13. c. 3. uſque ad finem, cujus tamen explicationis nemini, ne per ſomnium quidem, in mentem venit.

§. 8. Tandem omnes numeros futilitatis implet, dum verba ופנה דרך *& parabit viam ante me* explicanda contendit per יתיר התלונה הזאת *ſolvet vobis hanc querelam.* Nemo natus unquam hujus phraſeos ſenſum hunc eſſe dixerit præter Abarbenelem. Longe aliter *R. D. Kimchi* aliique accurati vocum cenſores ſentiunt, ubi in verbi פִּנָּה ſignificationem veram & genuinam inquirunt. R. Nathan, Autor Ebraicarum Concordantiarum haud dubie ad Eſai. 62: verſ. 10. reſpiciens, docet: פירושו סקול וכבוד המקום *denotare elapidationem, & loci emundationem.* In Conjug. Levi, vel Kal. ſignificat idem ac reſpicere, & dum Græci nunc per ἐπισκέψαι, nunc per ἐπιβλέψεται reddiderunt, (quos *Arabs* in opere Anglicano ſecutus eſt, dum vertit وينظر *& videbit*) codice non punctato uſi videntur: aliter interpretaturi, ſi in conjugatione Pihel legiſſent, dageſſata, ut loquuntur Grammatici, ſecunda radicali. Quemadmodum enim iterum *Kimchi* ait, ענין אחר בפעל הכבד *aliam habet ſignificationem in conjugatione gravi.* & poſtquam Zeph. 3: 15. Geneſ. 24: 31. Eſai. 40: 6. recenſuiſſet, ſubjungit, ענינם ידועה *ſignificatio illorum eſt nota*, nempe uti apud Zeph. ubi de hoſtibus ſermo eſt, idem ſonat ac הסיר *removit*, nempe מארצך *ex terra tua*, ut Kimchi bene explicat, & Gen. 24: 31. Lev. 14: 36. ubi cum בית *domo* conſtruitur, eſt *evacuare*, vel *parare*, ἑτοιμάζειν, ut Græci verterunt: ita ubi τὸ דרך *via* conſtruitur cum verbo פנה, dubitari nequit, quin idem ſignificet, ac illa, quæ ingreſſum alicujus remorari poſſent, è medio tollere, & quæ eundem juvent & exornent, procurare, Autor libri Michlal Jophi, ſecutus *Kimchium*, hanc ſignificationem agnovit, dum ait: שלא ימצאו בדרכם שטן או פגע רע *ne hoſtes in viis experiantur, aut aquid mali eis accidat.* At maximopere hallucinantur Judæi, dum Iſraelitis viam præparatum iri ſibi perſuadent.

§. 9. Sane omnes illi à ſcopo Prophetæ abludunt, qui phraſi illa ביעור הרשעים *exſtirpationem impiorum intelligunt*, cum in textu eorum delendorum nulla prorſus extet mentio, ſed viæ parandæ ante, quam Dominus advenerit. Nempe cum Reges aut Magnates præſertim cum exercitu iter faciunt, præmitti ſolent, qui loca hiantia ſolident, extantia complanent, per devia compendium faciant, ne quid itineri obſtet, vel moram injiciat eunti. Hujuſmodi ὁδοποιοὺς lib. III. ἁλώσεως cap. 5. Veſpaſianum Galilæam invaſurum præmiſiſſe *Fl. Joſephus* teſtatur. Μετ᾽ αὐτοὺς, inquiens, ὁδοποιοὶ τά τε σκολιὰ καὶ λεωφόρους κατευθύνειν, καὶ χθαμαλοῦν τὰ δύσβατα, καὶ τὰς ἐμποδίους ὕλας προανακόπτειν, ὡς μὴ ταλαιπωροῖτο δυσποροῦν τὸ στράτευμα. Alibi idem *Joſephus*, Titi adventum ad Hieroſolyma deſcribens ſic loquitur: ἀνεπλήσθη τὰ κοῖλα καὶ χαραδρῶδες τοῦ τόπου, τὰς δὲ πετρώδεις ἐξοχὰς σιδήρῳ κατεργαζόμενοι χθαμαλὸν ἐποίουν πάντα τὸν χῶρον. Et *Plutarchus* C. Grachi ſolertiam in viarum refectione commendaturus, πιμπλαμένων, ait, τῶν κοίλων καὶ ζευγνυμένων γεφύραις, ὅσα χείμαρροι διέκοπτον ἢ φάραγγες, ὕψος δὲ ἑκατέρωθεν ἴσον καὶ παράλληλον λαμβανόντων ὁμαλὴν καὶ καλὴν ὄψιν εἶχε δι᾽ ὅλου τὸ ἔργον.

§. 10. Similem fere loquendi modum uſurpat Eſaias, & perinde ac Malachias verbo פנה uſus, præcurſoris Meſſiæ officium deſcribit, cap. 40: 4. ait: *Vox clamantis in deſerto, complanate vias Domini; rectam facite ſemitam in ſolitudine Deo noſtro.* Ad quæ verba bene *Kimchi* monet, כל זה דרך משל *omnia hæc metaphorice dicta eſſe*, nempe ut populus alias jubetur præconis voce, Regi vel Principi, urbem vel regionem ingreſſuro vias præparare, ſemitas complanare, aſpera, ſordida, indecora removere, ſic ſolenni præconio monendi homines erant, ut quæ Meſſiæ adventui quoquo modo obſtare poſſent, è medio tollerentur. Neque *Aben-Eſræ* ad l. c. nauci eſt facienda obſervatio, qua monet כפול הענין *ſenſum duplicari, vel idem ſignificari diverſis verbis.* Sic enim haud obſcure docet, quæ vera ſit ac genuina τοῦ פנה ſignificatio, ac inſimul falſitatis arguit gloſſam R. Abarbenelis ſupra allatam. Cum Eſaias porro ſubjicit: *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erit pravum rectum, & præruptum planities*, Judæi id itidem ad liberationem ſuam male detorquent. Sic enim R. Abarbenel העם השפל בגלות כגיא ינשא בתשועתו והאומות אשר הם כהרים וכגבעות הנשאות יושפלו במפלתם והצרות שסבלו ישראל בגלות יהיו זכות אליהם וישובו לתועלתם ועל זה אמר והיה העקרב למישור והרכסים לבקעה שהוא תאר לדברים המזיקי' שישובו מועלים אליהם: *Populus in captivitate humiliatus inſtar vallis, cum donabitur libertate, elevabitur: contra gentes, quæ, ut altiſſimi montes & colles, eminebant, humiliabuntur caſu ſuo. Calamitates vero quas Iſraelitæ pertulerunt in captivitate, ipſis pro merito reputabuntur, & ipſis bono cedent, ideo enim ait: & erit curvum in rectum & prærupta in planiciem. Habent enim illa ſpeciem rei damnoſæ, ſed quæ tandem eſſe uſui ſolet.* At nulla apparet ratio hujus interpretamenti, neque fert ſcopus Prophetæ, ut omnes dictiones ſeorſim explicentur, nedum ut ad imaginariam illam applicentur libertatem. Eſt omnino id hic obſervandum, quod *H. Grotius* annot. ad Luc. 13: verſ. 4. monet, *Nimium*, inquiens, *anxia eſt eorum περιεργία, qui in dictis ἀλληγορουμένοις ſingulas partes minutatim excutiunt, & quærunt, quid cui reſpondeat, cum ſatis ſit in re tota comparationem intelligi. Ita multa Origenes atque alii argutantur, ut explicent, qui ſint montes, qui valles: cum illud ſufficere debeat, quod alibi dixi, munitoris officium deſcribi*, qui homines edoceat, qua ratione digne Meſſiam excipere debeant: dicat nempe, ut Abarbenelis verbis ad loc. cit. id reddamus: לא תשימו לו מונעים בדרך ולא עכבו עונותיכם תשועתו: *Nolite ei obſtacula ponere in via, & cavete, ne peccata veſtra ſaluti ejus remoram injiciant.*

§. 11. Utroque loco, cum Eſaiæ, tum Malachiæ, quem in præſenti conſiderandum nobis ſumpſimus, de ejuſmodi munitore & præcurſore Meſſiæ agi, vidit *R. Moſes Maimonides*, הלכות מלכים cap. 11: verſ. 2. יראה מפשוטו של דברי נביאי שבתחלת ימות המשיח תהיה מלחמת גוג ומגוג ושקודם מלחמת גוג ומגוג יעמוד נשיא ישראל להכין לבן שנאמר הנני שולח לכם אליהו הנביא: *Apparet ex ſenſu literali verborum Propheticorum, initio dierum Meſſiæ futurum*

bellum

bellum Gog & Magog, antequam vero hoc fiat, exoriturum Principem Israelis, ad præparandum cor illorum, quia dictum est: Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam. Et paulo post sic scribit: אינו אלא לישור דרך למלך חמשיח להתכן העולם כולו לעבור את ה׳ ביחד שני כי אז אהפוך כל עמים שפה ברורה לקרא כלם בשם השם ולעבור שכם אחד: *Non nisi ut Regi Messiæ viam præparet*, (hæc fiunt) *& ut totum mundum disponat, ut Deo simul serviat, sicut dictum est:* (Zeph. 3:9.) *quia tunc convertam omnes populos labio puro, ut omnes invocent nomen Domini, & ei serviant humero uno.* Ipsa evidentia verborum Propheticorum haud dubie etiam convictus *R. Abarbenel* idem fere sensit cum Maimonide, & idcirco priori, quam audivimus, verborum Propheticorum explicationi diffisus, aliam in medium affert, quæ fol. 300. col. 2. sic se habet: אפשר לפרש הנני שולח מלאכי ופתאם יבוא וגו׳ שאינה תשובה להלונתם וטענתם אבל שהקדים להודיעם מה שיהיה באחרית הימים כדי להוכיחם על פשעיהם ואחר כך בפרשה חזקו עלי דבריכם זכר אותן ספק ואותה טענה עצמה שעשו כדי להשיב עליה ושיהיה ענין הכתובים האלה שבאחרית הימים יעשה ה״קבה שתי פליאות עצומות האחת והיא היותר גרולה תחיית המתים והשנית קבוץ הגליות ועל התחויה אמר הנני שולח מלאכי רומז אליהו הנביא שיבוא בתחלת תחייה כמו שיזכור אח״ז שהוא המלאך והשליח המיוחד לפניו יתברך: hoc est, *Verba hæc, Ecce ego mitto angelum meum, & confestim veniet &c. possunt etiam ita explicari, ut non complectantur responsionem ad murmurationes & objectiones illorum, sed certiores illos faciat, quid postremis diebus sit futurum, ut illos propter prævaricationes reprehendat, & postea* (cap. 3:13.) *mentionem faciat ipsius dubii, & rationis, quam attulerunt; ut nempe ad eam respondeat. Atque ita verborum sensus erit hic: in fine dierum Deus S. B. duo insignia faciet miracula: Unum nempe, idque longe maximum, resurrectionem mortuorum, & alterum, captivitatum collectionem. De vivificatione mortuorum loquens ait: Ecce ego mitto angelum meum, Eliam puta Prophetam, qui statim initio illius operis est venturus. Ceu paulo post asseverat, eum esse angelum Dei Benedicti proprium.*

§. 12. Quamvis vero *Abarbenel* prioris explicationis absurditate perspecta, aliam interpretationem, eamque itidem novam & inconvenientem moliatur, qua nomine angeli Eliam Prophetam V.T. intelligit, mittendum ad resurrectionis, & omnium, quotquot toto terrarum orbe degunt, Judæorum congregationis negotium, cujus in toto textu nihil omnino habetur: in eo tamen rem acu tangit, dum ait, Deum responsurum ad impiorum querelas & murmura, eis indicare voluisse, quid futurum sit באחרית הימים *diebus extremis*, hoc est, ut Ebræi communiter accipiunt, tempore Messiæ. Sane ignominiosam calumniam, quod Deus nullam rerum curam gerens, sceleratos & impuros divitiis cumulet; contra pedibus conculcari patiatur justos, infra demum vers. 5. retundit Malachias, ubi docet, tantum abesse, ut peccata ferant impune, ut potius severum judicium sint experturi. Prædicit etiam futurum, ut sacerdotes & Levitæ non amplius sint tam profligatæ vitæ, quippe purgandi à Domino, qui ipse sit in templum venturus suum, quam primum anteambulo ipsius apparuerit.

§. 13. Hunc vero non esse Eliam, sed Johannem Baptistam, uti firmissime credunt Christiani, ita illorum sententiæ non parum roboris inde accedit, quod Judæi *δὶς διὰ πασῶν* non modo discrepent, & neminem, cui id muneris vere convenerit, nominare queant; sed etiam quod nomenclatura & prædicata in Johannem aptissime quadrent. Quod attinet vocem מלאך, *Rabbi David Kimchi* in libro Rad. ait: מם מהאותיות הנוספות *Mem est ex literis servilibus.* Radix igitur est לאך, quæ apud Ebræos hodie non occurrit, unde *Cl. Golius* Lex. Arab. fol. 143. *Ebræi*, inquit, מלאך *à* לאך *derivant, quod vicinæ Æthiopiæ genti mittere denotat, & idem forte ea vox Ebræis quondam significavit. Nam verisimilius est, Arabes ab Ebræis, quam hosce ab illis vocem cum ipsius cognitione accepisse.* & *Cl. Hottingerus*, Smegmat. Orient. c. 7. postquam rad. Arabicam retulisset, subjungit: *Æthiopum tamen radix certior est, ob infrequentem verbi hujus in linguæ Arabicæ usum. R. David Kimchi*, l. c. recensitis nonnullis, quæ ab inusitata hodie radice derivantur, sic loquitur: ענינם ידוע שהוא ענין השליחות בין מבני אדם בין מאת הבורא יתברך וכן הנביא נקרא מלאך לפי שהוא שליח השם וישלח מלאך ויוציאנו ממצרים והוא משה רבינו ע״ה וכן ויאמר חגי מלאך ה׳: *Notum est, quod missionem significet, sive humanam, sive divinam. Sic Propheta vocatur,* מלאך, *quia est legatus Dei, ut cum dicitur:* (Num. 21:16.) *misit angelum & eduxit nos ex Ægypto, Mosem nempe p. m. Atque ita intelligendum illud, & dixit Aggai Angelus Domini* (cap. 1:13.)

§. 14. Negari ergo nequit, Johanni competere nomenclaturam hanc, quippe qui Joh. 1:16. dicitur ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ, ad rem nempe magni momenti, & cui Luc. 7:27. à nostro Salvatore testimonium perhibetur, eum ipsum esse, de quo Malachias hic sit vaticinatus. Judæi sane, quod objiciant, non habent, cum tam ex Josepho & Gorionide, quam Evangelistis constet, eum præcursoris partes implevisse, prædicando baptismum pœnitentiæ, hominum animos præmio virtutis alliciendo, & Gehennæ metu, judiciique divini severitate, uti ex allegoria frugum Matth. 3. apparet, concutiendo. Ut ita ei, cujus gratia missus erat, quemque digito monstravit, plebem perfectam paraverit, ut Luc. 1:17. Angelus Domini de eo prædixit.

§. 15. Solent Theologi argumentum hinc formare pro divinitate Christi, hunc in modum: Cui Iohannes viam præparavit, & eum anteivit, ille est verus Deus. At Christo Johannes viam præparavit, & eum anteivit. E. Ad nervum hujus argumenti incidendum cum *Socinus* inter alia textum Græcum Luc. 1. & Ebraicum Malachiæ 3. torqueat, paucis ipsius ineptias perstringere visum est. fol. 412. resp. ad 8. cap. Wieckii sic loquitur: *Animadvertendum est, in Græco, pro ea voce, quæ in Latino est ante, esse vocem* ἐνώπιον, *quæ coram significat, sive in conspectu: verbum autem præcedet esse* προελεύσεται, *quod admodum usitate progredietur significare potest. Et certe dictio coram non bene jungitur cum verbo præcedenti, itaque videtur h. l. non agi de præeundo ante Dominum Deum Israelis, sed de progrediendo, id est ambulando in conspectu ejus. Quid autem sit ambulare in conspectu Dei sive coram Deo, declarant hæc loca,* Gen. 17:1. cap. 24:40. & 48:15. *quæ lector inspiciat.* Et paulo post *aperte*, inquit, *monemus, verba, ante faciem meam, idem significare posse, quod in conspectu meo, quemadmodum ipsa sonant, & apud omnes Evangelistas* Matth. 11: vs. 10. Marc. 1:2. Luc. 7:27. *ubi istius vaticinii fit mentio, est in Græco vox* ἔμπροσθεν. *quæ rectissime coram, sive in conspectu verti potest: imo in N. T. hæc ejus vocis usitatior est significatio. Et quidem vox Ebræa* לפני *vix unquam, nisi fallor, aliud significat, quam coram me.*

§. 16. Quod attinet locutionem *ambulare in conspectu Dei*, ea in libro Michlal Jophi sic explicatur: מורה זה הלשון על התעסקות בעבודת הו יתברך: *denotat hæc locutio studium in cultu divino.* Atque hujus asserti veritas constat ex illis à *Socino* allatis exemplis. At enim nostri loci longe alia est ratio, ubi angelus ille dicitur mittendus, qui, (sic enim præfixum Vau in verbo ופנה per pronomen relativum exponendum esse probat *B. D. Glassius* Philol. sac. pag. 201.) *viam paret* לפניו *ante eum.* Non itaque pietas, quæ ipsi cum Abrahamo aliisque communis, & in colendo Deo sedulitas describitur, sed peculiare munus & servitium Messiæ præstandum Luc. 1: vs. 76. Quod vero *Socinus* ait de voce לפני, eam vix unquam significare aliud, quam *coram me*, id falsum esse, exempla docent. Confer Genes. 23:7. cap. 32:3. Ipse *Kimchi* diserte ait, occurrere eam vocem בענין הקרמה *significatione prioritatis*, allegat in hanc rem Genes. 46:21. Nehem. 13: vers. 4. ut adeo nihil obstet, quo minus τὸ לפני explicemus per *ante me.*

§. 17. Neque in phrasi Græca explicanda audimus *Socinum.* Largimur τὸ ἐνώπιον esse idem ac ἐν ὀφθαλμοῖς, ἐν τῇ προσόψει, ut *Hesychius* explicat; & τὸ ἔμπροσθεν esse ἐπίρρημα τοπικὸν, ut author Etymologici magni loquitur, ac significare *coram.* At non licet inde concludere: E. τὸ προπορεύεσθαι ἐνώπιον αὐτοῦ est necessario, *progredi in conspectu ejus.* Præterquam enim quod usus authorum id admittit, ut τὸ προπορεύεσθαι *antecedere* transferatur, contextus quoque id poscit; dicitur enim de Johanne προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ ἑτοιμάσαι κυρίῳ λαὸν κατεσκευασμένον. Quod sane non tam progrediendo fit, quam præeundo, & quidem addita voce ἐνώπιον, aliquo *cominus insequente*, & suismet quasi inspiciente oculis.

§. 18. Atque ita constare arbitramur, quid τὸ לפני significet, nempe nil aliud, quam *ante me.* Sunt tamen, qui aliam significationem eidem tribuant *P. Galatinus* lib. III. de A. C. V. cap. 12. & *C. Jansenius* Lib. I. Concord. c. 13. illa notione intelligunt Christum, qui Dei Patris sit facies, etiam qua homo est. *Casp. Sanctius* quoque, etsi fatetur, significare *ante me*, & per faciem personam circumscribi, non omnino tamen alienus esse videtur ab explicatione priore, *nisi*, inquiens, *mavis hoc dicendi modo explicari à Patre eximium illum, & inexplicabilem amorem, quo Christum prosequitur, de quo aliquando dixit; filium sibi esse dilectum, & illo vere sibi complacuisse. Est enim modus ille amatorius, quo aliquis personam sibi dilectam suos appellat oculos, suum spiritum, animam & cor,*

ſicut præced. cap. uxor dicitur ſpiritus viri, id eſt, alter ipſe: Sic Pater Chriſtum ſuam appellat faciem. Id enim familiare eſt amantibus, q. d. ante faciem dilectiſſimi filii mei, qui mihi perinde eſt, acſi (ut humano more loquar) facies eſſet mea. At enim cum alibi Pater ſuum erga Meſſiam amorem teſtificaturus, hac voce, quod ſciamus, non ſit uſus, & in voce לפני alias faciei ſignificatio exſpiret, nolim cum *Sanctio* ejusmodi amplecti ſententiam, quam in contradicentem incidens non niſi precario obtineam, maxime cum Chaldæus habeat קרמי, Syrus ܩܕܡ & Salvator noſter uberioris explicationis gratia adjecerit, ἔμπροσθεν.

§. 19. LXX. Interpretes κατὰ πόδα Ebræum textum ſecuti tranſtulerunt vocabulum לפני πρὸ προσώπου μου. in Novo autem Teſtamento Matth. 11: 10. Marc. 1: 2. Luc. 7: 27. Chriſtus hoc vaticinium in Johanne adimpleri oſtenſurus, Ebraiſmo expreſſo aliter nonnihil illud recenſet, nempe ſic: ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου. Ad quæ verba Cl. *Vorſtius*, Phil. ſacr. de Ebraiſ. N. T. cap. XIV. *cui*, inquit, *verba* πρὸ προσώπου *reſpondeant, in textu Ebræo nihil apparet, quod quidem expreſſe ſit poſitum.* Apparet utique τὸ לפני enim in poſteriore parte hemiſtichii poſitum, alteram etiam reſpicit, atque adeo ad eam referri debet, perinde ac Malach. 1: 10. ex poſteriore hemiſtichio ad prius particulam חנם retrahendam eſſe, contextus monet. Cur vero Chriſtus vocem nonnihil immutarit, ſubſtituto pronomine ſecundæ perſonæ, pro prima, diſquirunt interpretes. *Socinus*, dubitans, an in Chriſto vaticinium ſit impletum, eo id factum exiſtimat, quod in vulgatis codicibus tum ſic ſcriptum invenerit. Cæterum cum & Euangeliſtæ & Apoſtoli ſæpius aliter verba citare ſoleant, quam in Ebræo textu leguntur, num propterea eos ſic ſubinde legiſſe dicemus? *Sanctius* poſtquam aſſeruiſſet, *ſibi videri Patrem ita eſſe locutum: Ego mitto ante me, qui mihi in hominum animis hoſpitium paret, quique filio meo, per quem hoc potiſſimum conſequar, viam expediat*, ſubjicit: *Hoc meo judicio Chriſtus non obſcure docuit, dum verba paululum immutavit, quæ tamen non alium habent ſenſum, quam qui à Propheta propoſitus, ubi duas ſine dubio perſonas diſtinguit, & illam, quæ mittit, & aliam, cujus cauſa mitti dicitur angelus. Ecce ego mitto, q. d. Pater, ecce ô fili, ego mitto angelum ante me, qui viam tibi præparet, per quam tu ad gloriam meam ingreſſurus es.* Sed hanc rationem haud probant ii, qui contra *Socinum* diſputantes negant, Johannem Patri viam præparaſſe, cum ille non venerit, ut de Patris adventu teſtaretur, neque ut telam prædicationis ab ipſo continuandæ inchoaret, miſſus ſit, qua tamen in re tota ejus functio poſita erat. *C. à Lapide* docet, Chriſtum ne arrogantiæ inſimularetur à Judæis, ideo Patri aſſignaſſe.

§. 20. Reſponſio omnium optima videtur, eum in modum à Chriſto hoc factum eſſe, quo & Euangeliſtæ & Apoſtoli, dum teſtimonium aliquod deſumunt è V. T. non tam ſpectant verba, quam verborum pondus & ſententiam, interdum mutantes verba aut invertentes, interdum addentes, explicationis gratia. Atque huc *Grotius* reſpicit, *Apparet*, inquiens, *hinc etiam, verba Prophetarum non citari à Chriſto* κατὰ λέξιν, *ſed ita, ut voces interdum mutentur, manente ſententia: quomodo & apud Græcos ſæpiſſime citantur Homeri verſus, mutata perſona aut modo verbi: Nam apud Prophetam dictio ad populum dirigitur: hic ad ipſum Meſſiam, & quod hic eſt* ἔμπροσθέν σου, *apud Prophetam* ἔμπροσθέν μου. annot. ad cap. 11. Matth.

§. 21. Antequam huic capiti finem imponamus, ſilentio præteriri haud debet, cur Marcus cap. 1. verba hæc Malachiæ adſcribat Eſaiæ? ſunt, qui difficultati occurrendum cenſent, pro ἠσαΐᾳ τῷ προφήτῃ legendo ἐν τοῖς προφήταις. Quæ quidem reſponſio duriuſcula eſſe videtur, eo, quod *Irenæus*, antiquiſſimus Doctor, eodem modo ac nos hodie legerit cum aliis, qui, *Porphyrio* hoc ipſum objiciente, nodum ita ſolvere nunquam tentarunt. Quin, cum Latinus, Syrus & Arabs quoque conſtanter ſic legerint, Eſaiæ ſc. facta mentione, in aprico eſt, lectionem non eſſe temere ſollicitandam. Alia igitur via obviam eundum, nempe dicendo, in N. Teſt. ex duobus locis maxime disjunctis, imo diverſorum autorum, unum conflari teſtimonium, idque ita citari, ac ſi unus illius eſſet author, cum tamen totum teſtimonium ab illo non ſit. Confer Eſai. 62: 11. & Zachar. 9: 9. cum Matth. 21: 5. adde *Sanctium* ad Malach. 3. ubi locum vexatiſſimum Matth. 27: 9. ex duobus dictis, nempe Jerem. 32: 9. & Zach. 11: 12. ſic coaluiſſe oſtendit.

CAPUT II.

R. Salomonis, R. Aben Eſræ, *&* Abarbanelis *gloſſema vocis* הארון *propoſitum & diſcuſſum.* Abarbanelis *ἀμφισβήτησις notata. R. D.* Kimchi *gemina* τοῦ מלאך הברית *explicatio, una vera & genuina, altera ſpuria. Hujus origo detecta. Cur* Judæi *Eliam* Angelum fœderis *appellantes ſellam eidem in circumciſione ponant. Locus 1. Reg. cap. 19: 12. à Judæorum commento vindicatus.* R. Abarbanel Kimchii *& priſcorum Ebræorum ſententiam rejicit, alia prodigioſe abſurda ſubſtituta.* ארון *Meſſiæ cognomentum. De Angelo fœderis ſententia* R. Gerundenſis. *laus* B. Hackſpanii. R. Bechai *de angelo opinio memorabilis. Vis vocis* ברית Chaldæus *&* Syrus *propius ad veritatem Ebraicam accedunt, quam Arabs. Vis vocis* διαθήκη. *Latitudo vocabuli* ברית *in Sacris.* B. Calixtus *laudatus.* Abarbanelis *ſuper angelo fœderis ſententia rejicitur. Locus Jerem. 31: 31. explicatus & à Judæorum cavillis vindicatus. Vocis* חדש *ſignificatio ſtabilita. Veterum Ebræorum de novo fœdere ſententia allata.* Cl. Voſſii *votum. Explicatio* ῥήσεως *Angeli fœderis.* L. de Dieu *explicatio notata. Vocis* פתאם *ſignificatio Græci, Syri, Arabis & Ebræorum interpp. tranſlatione illuſtrata.* Rabbi Moſis Maimonidis *de Meſſiæ adventu ſententia. Quale templum intelligendum. Zorobabelis & Herodianum unum idemque notant templum.* Syrus *&* Arabs *aliter* היכלו *tranſtulerunt ac Latinus. Significatio ſuffixi vau. Mens* B. Hackſpanii *à Cl.* Vorſtio *non ſatis percepta, nonnihil declarata.* Sanctii *de ingreſſu Meſſiæ ſententia. Locus Luc. 2: 49. explicatus.* Syrus *laudatus.* Socini *depravatio vocis* היכלו *rejecta, & genuina h. l. ſignificatio aſſerta.* Kimchii *de nuncio Meſſiæ adventus ſpes fruſtranea.*

§. 1. HUcuſque in declarandis illis verbis, quibus de prodromi Meſſiæ munere Malachias agit, fuimus occupati: nunc, cujuſmodi Dominus & qualis ejus adventus deſcribatur, ex ſequentibus oraculi verbis audiemus, ab interprete vetere ſic tranſlatis: *& ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Dicitur venturus הארון Dominus. *R. Salomo* אלהי המשפט *Deum judicii* intelligit. *R. Aben Eſra* ait: הארון הוא הכבוד הוא מלאך הברית כי הטעם כפול: *per Dominum intelligitur majeſtas Divina, quæ & angelus fœderis dicitur: ſenſus enim duplicatur. R. Abarbanel* itidem eo inclinat, ſic ſcribens הארון ירמז לשם הנכבד שיבוא אז אל היכלו אשר בית מקדשו וישכון שם כבודו ושכינתו ואותו היו מבקשים בתלונתם: *Dominus ſignificat Deum benedictum, qui tunc ad templum ſuum, domum videlicet ſanctuarii eſt venturus, ut ibi majeſtas Dei habitet, hoc ipſum enim murmurationibus ſuis poſtularunt.* Judæos quiritatos eſſe ob gratioſæ Dei in templo præſentiæ defectum, ejuſque reſtitutionem Deum promittere, ſupra cap. 1. negavimus ex textu liquidum eſſe, & dum nullam ſuæ ſententiæ rationem *Abarbanelem* producere videmus, etiamnum id imus inficias. Explicationem ejus inſuper impugnamus hunc in modum. Si שכינה vel Majeſtas divina in templo ſe quondam oſtendere ſolita intelligitur, quomodo illa *angelus fœderis* dicitur? ecquem per מלאכי vel *angelum meum* intelligent? quem prodromum angeli fœderis appellabunt, vel legatum? De *Abarbanele* ſane haud immerito dicitur:

Οἶδα ἢ καὶ τινα μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι.

fol. enim 76. *Maſchmiah Jeſchua* diſerte ait: אפשר לפרש הארון על מלך המשיח *Vox* הארון *etiam de Rege Meſſia exponi poteſt*, quod comment. ad l. c. itidem tandem poſt multas ambages fatetur, inde haud dubie adductus, quod contextus, verſ. maxime ſecundus, explicationem hanc requirat.

§. 2. Quod

§. 2. Quod *R. Abarbenel* quaſi invitus tandem faſſus eſt, id aperte, & nulla circuitione uſus docet R. David Kimchi, האדון הוא מלך המשיח והוא מלאך הברית: *Dominus deſignat Regem Meſſiam, qui & ipſe angelus fœderis eſt.* Cæterum uti *R. Salomo* ad Pſal. 21. ait: רבותינו פתרוהו על המשיח ונכון הדבר לפותרו על עוד דוד בעצמו לתשובתי המינים שפקרו בו: *Dd. noſtri explicarunt de Meſſia, at convenit, ut exponatur de ipſo Davide, quo reſponderi queat hæreticis in expoſitione ejus errantibus*; ita Kimchi hic aliam adhuc interpretationem ſubjicit, ne Chriſtianis conſentire videatur: אמר מלאך inquiens, או הברית על אליהו וכן אמר בהגדה שאליהו קנא על ברית מילה שמנעם מהם מלכות אפרים שנאמר קנא קנאתי להי אלקי צבאות כי עזבו בריתך בני ישראל אמר לו קנאת בשיטין וכן אתה מקנא על המילה חייך שאין ישראל עושים ברית מילה עד שאתה רואה בעיניך מכן התקינו לעשות כסא הכבוד לאליהו שנקרא מלאך הברית: *Aut vocat angelum fœderis Eliam. Et ſic dicitur in Haggada*, (ſive diſcurſu Theologico,) *Eliam zelo affectum propter fœdus circumciſionis, cum à regno Ephraim violatum eſſet quando dixit: Zelo affectus ſum propter Dominum Deum Exercituum, eo quod dereliquerunt fœdus tuum Iſraëlitæ* (1 Reg. 19: 12.) *Dixit ei: Zelo affectus es in Sittim, & jam zelo afficeris propter fœdus circumciſionis. Per vitam tuam! Iſraëlitæ circumciſionem ſunt adminiſtraturi, quam tu non tuiſmet oculis videas. Hinc decreverunt Eliæ ſolium gloriæ ponere, quia vocatur angelus fœderis.* Atque hinc factum, ut, cum autor libri Michlal Jophi alias fere Kimchium ſequatur, itidem Eliam intellexerit, nulla Meſſiæ mentione facta: ait enim: מלאך ברית זה אליהו וכן אמרו ה"ל *Angelus fœderis ſignificat Eliam, veluti docent doctores noſtri l. m.*

§. 3. Hæc putidam olent fabulam Judaicam. Finxerunt enim veteres Judæi, Phineem, qui, ut in Jalkut lib. 2. fol. 33. legimus, קנא על גלוי העריות *Zelo commotus eſt propter ſcortationem*, nempe Num. 25: 12. ſive per μετεμψύχωσιν, ſive alia quadam ratione eſſe ipſum Eliam. Unde ad librum Juchaſin *Samuel Schullam* p. 11. ſcribit: כל ישראל נהגו לומר הוא פנחס והדבר נשאר בתיקו והוא יבוא במהרה ויגיד לנו: *Omnis Iſraël dicere conſuevit, illum eſſe Phineem; & hoc ipſum explicandum reſtat, qui, ut cito veniat, & nobis indicet, optamus.* Quemadmodum igitur id temporis totus Dei amore ardens iracundo animo tuliſſe perhibetur ſcortationem: ita & hic ob circumciſionem omiſſam regno Iſraëlis eum ſuccenſuiſſe ferunt, eoque nomine hoc zeli præmium reportaſſe, ut inpoſterum circumciſionem quamlibet ſuiſmet oculis conſpiceret. Huic ſane commento natales ſuos debet ritus Judæis hodieque receptus, quo circumciſionem adminiſtraturi, Eliæ, tanquam divinitus conſtituto inſpectori, ſellam ſeorſim ponunt, uti ex ritualibus libris diſcimus. Sic enim in *Schulchan Aruch, Jore Deah, Hilkot* מילה §. 265. pag. 82. legimus: נוהגין לעשות כסא לאליהו שנרקא מלאך ברית וכשמניהו יאמר בפיו שהוא כסא אליהו: *Solent ponere ſellam Eliæ, qui angelus fœderis dicitur, & cum illam ponunt, ore diſerte pronunciant, ſellam illam eſſe Eliæ*, nempe ne alius illam occupet. In libro מנהגים pag. 59. hæc extant verba: יש שמשימין עליו הילד כדי שיברכהו *Sunt, qui infantem circumcidendum ideo ſellæ imponunt, ut* (Elias) *ei benedicat.* Atque hunc morem à Chriſtianis irrideri, *R. Lipmannus* indignatur lib. Nizzachon num. 22. ubi ſic ſcribit: לגלגו על כסא שמומנין לכבוד אליהו שהוא מלאך הברית באמרים ביום אחד כמה מילות בעולם ואיך יגיע לכולם: *Rident* (Chriſtiani) *quod ſellam in honorem Eliæ ponamus, qui eſt angelus fœderis. Objiciunt enim, uno eodemque die tot fiunt in mundo circumciſiones, ecquomodo igitur omnibus poteſt intereſſe?* Confer reliqua, quæ ibi diſputat, exemplo *Solis & Angeli mortis* oſtenſurus, ἐκ τῶν ἀδυνάτων haut eſſe Eliæ in circumciſione multipræſentiam.

§. 4. Equidem circumciſio κατ' ἐξοχὴν appellatur in Scriptis Prophetarum *fœdus*, quemadmodum & Act. 7: 8. At loco 1 Reg. 19: 12. notione fœderis tota lex Moſaica innuitur, veluti ex contextu liquido apparet, quo, deſtructo altari Domini, & occiſis Prophetis, fœdus violaſſe dicuntur, nempe ut *R. Abarb.* ad Judic. 11: 3. loquitur, ברית אשר כרת בסיני עם אבותם: *fœdus, quod Deus in monte Sinai cum majoribus ipſorum pepigit.* Prorſus igitur ridiculum eſt, & Spiritum, quo afflati ſunt, vertiginis arguit, Eliam inde vocare angelum fœderis tanquam circumciſionis, eumque hac nomenclatione ex fictitio illo colloquio Dei inſignitum, h. l. Malachiæ intelligere. *R. Abarbenel* hoc veterum delirium dubitavit huic loco illinere, ſic enim ſcribit: וזה דרכם בפי׳ זה הענין אבל הוקשה לי איך תהיה התשובה ההיא מספקת לקושית רשע וטוב לו שהיו מספקים בה רשעי הדור ר"ל שיבוא מלך המשיח ויעניש את הרשעים כי כאשר יהיה זה לא יהיה כי אם אחרי אלפים מהשנים ואז הרשעים האלה כבר יהיו חלקין מן העולם הזה: *Hunc in modum explicare ſolent, ſed me difficultas premit, quomodo reſponſio hæc ſatisfaciat objectioni, impio bene eſſe, ut impii illius ævi acquieſcant reſponſo; nempe venturum Meſſiam & ſupplicium ſumturum de impiis. Hoc enim eſt futurum plus mille annis exactis, poſtquam illi impii pridem mundo valedixerunt.* At videtur non hæc ſola difficultas, quam cauſatur, *Abarbenelem* premere, ſed & illa, quod altera explicatione, quam ſupra cap. 1. adduximus, jamdum de Elia verba fecerit, niſi itaque dicere velit, præcurſoris geminam, ipſius Domini unicam fieri mentionem, huic explicationi valedicendum erit. De difficultate ſane fruſtra queritur, quia Meſſiæ adventus primo non deſtinatus eſt ſuppliciis de impiis ſumendis, neque, ut ſic verba intelligamus, contextus poſcit.

§. 5. Juvat autem videre, quomodo rejecto Veterum interpretamento, quo de Elia explicatur iſta locutio, *R. Abarbenel* aliter explicare verba velit: נותן להם ראיה קיום זה הייעור מענין מלך פרס שהיה מלאך ה׳ ומשיחו להחריב את בבל ולהשיב נדחי יהודה לירושלם כמו שנבא עליו ישעיהו אשר כרת להם ברית שלום על זה אמר ומלאך הברית אשר אתם חפצים ר"ל בכבודו ואהבתו הלא ראיתם שהנה בא כמו שערתם כן יבוא האדון אשר אתם מבקשים פתאם ובהסח הדעת בזמן הגאולה וקבוץ הגליות יבוא: *Dat eis probationem promiſſionis de adventu ſuo ab exemplo Regis Perſarum, qui Legatus & unctus Dei fuit ad reducendum expulſos Judæos Hieroſolymam, ſicut de eo vaticinatus eſt Eſaias: Atque hic eſt, qui cum illis percuſſit fœdus pacis. Ideo ait: Et angelus fœderis, quem vos vultis, q. d. quem honore & amore proſequimini. Annon vidiſtis eum veniſſe, prout promiſſum erat? Simili modo veniet Dominus, quem petitis, derepente & inopinato, tempore redemtionis & congregationis captivitatum.*

§. 6. Quod *R. Abarbenel*, qui præjudicio præoccupatus nihil niſi corporalem liberationem à Meſſia præſtandam ſomniat, ejusmodi nobis explicationem cudit, quam nec verba ſuppeditant, neque ex contextu ullis fidiculis exprimere poteſt, id inſignem arguit audaciam, qualem in alio interprete ſe deprehendiſſe nemo facile meminerit, & deſperatæ cauſæ manifeſtum eſt argumentum. Eccui enim unquam mortalium *angelum fœderis* de Cyro interpretari, & vau, quod ſecundum ipſum *R. Aben Eſram* duo diverſa nomina unum idemque ſubjectum denotantia jungit, pro ſimilitudinis nota venditare in mentem venit? Num paganus, vel quicunque alius Ebræi idiomatis gnarus, aliter tam clara litera judicare poterit, quam utraque voce cum verbo futuri temporis conſtructa, tam *Domini*, quam *angeli fœderis* adventum, tum adhuc expectandum intimari? Qua impudentia igitur *angelo fœderis* Cyrum pridem miſſum intelligendum docet? Ejusmodi ſane frivolis explicationibus ſatis abunde teſtatur, in quas anguſtias ſint conjecti Judæi, & quod eis, ex quo fingendi licentia animos occupavit, nihil arduum nimis, vel nimis abſurdum videatur. Id lubentes acceptamus, & in rem noſtram vertimus, quod fatetur, *Angelum fœderis* de *Elia* explicari haud poſſe, cum divini promiſſi complementum in tam ſeram ætatem rejici, res ipſa haud patiatur. Intelligendum igitur verbis hiſce ejusmodi quid, quod בבית שני *ſtante Templo ſecundo*, ad quod Dominus venturus dicitur, adimpleri oportuit.

§. 7. Quandoquidem vero & hoc Judæi negant, textu accuratius conſiderato, videbimus, an Chriſtianorum explicatio veritati ſit conſentanea, cum præſertim eidem adſtipuletur inter Judæos *R. D. Kimchi*, qui per utrumque, *Dominum & angelum fœderis*, Meſſiam intelligendum largitur. Quam gloſſam etſi non probat *Aben Eſra*, in eo tamen σύμψηφος eſt *Kimchio*, quod ad unum idemque ſubjectum duo illa referenda docet, non divellenda, ut *R. Salomo* & *Abarbenel* contendunt. Quod attinet vocem האדון ſignificat illa שררה ומשלה *principatum & dominium*, veluti autor Concordantiarum Ebraicarum docet. Atque hoc nomen in Meſſiam quadrare, non inde modo conſtat, quod is alibi quoque, ipſis Judæis fatentibus, nuncupatur מלך *Rex* Jer. 23: 5. Zach. 9: 9. משיח נגיד *Unctus, Dux* Dan. 9: 25, 26. מושל *Dominator.* Mich. 5: 1. רועה *Paſtor* & נשיא *Princeps* Pſal. 40: 11. Ezech. 34: 23, 24. Sed & h. l. ubi *Legatum* vel *metatorem* ſuum ſequuturus dicitur. Eſt vero Μιτάτωρ ὁ προαποστελλόμενος ἄγγελος παρὰ τοῦ ἄρχοντος, uti definit *Suidas.*

§. 8. In explicanda *angeli fœderis* appellatione uti in alia omnia abeunt Judæi, ita peculiarem adhuc ſententiam deprehendimus apud *R. Moſen Gerundenſem*, qui comment. ad Exod. 3: 2. de angelo aliquo accipit, eoque non vulgari, ſed

qui ipſius Dei nomen gerat. Sic enim loquitur : על דרך האמת המלאך הזה הוא המלאך הגואל שנאמר כי שמי בקרבו הוא שאמר ליעקב אנוכי האל ביתאל ובו נאמר ויקרא אליו אלהים אבל יקרא במדה ההיא מלאך בהנהגת העולם וכן כתיב ויוציאנו השם ממצרים וכתוב וישלח מלאך ויוציאנו השם ממצרים ונאמר ומלאך פניו הושיעם כלומר מלאך שהוא פניו כדכתיב פני ילכו והניחותי לך והוא שנאמר בו ופתאום יבוא אל היכלו האדון אשר אתם מבקשים ומלאך הברית אשר חופצים: *Ut id, quod res eſt, dicamus, ſcire licet, angelum hunc eſſe redemtorem,* (Gen. 48: 16.) *de quo dictum eſt:* (Exod. 23:22.) *quia nomen meum in eo. Et idem ille eſt, qui ad Jacobum dixit:* (Gen. 31:13.) *Ego ſum Deus Bethel. Atque de eo dicitur:* (Exod. 3:4.) *Et vocavit eum Deus Elohim. Verum angelus appellatur ob mundi gubernationem. Et ſic ſcriptum eſt:* (Deut. 6:21.) *& miſit angelum, qui eduxit nos ex Ægypto. Præterea dicitur:* (Eſ. 63:9.) *Et angelus faciei ejus ſalvavit eos. Vult dicere, angelus, qui eſt facies ejus, quemadmodum dicitur:* (Exod. 33:14.) *facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi. De eodem intelligendum etiam eſt illud,* (Mal. 3:1.) *& ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Quem locum cum ante bina fere luſtra Cl. Dn. PRÆSES ϑ. 24. *diſſ. de nomine Meſſiæ glorioſo* Jer. 23:6. attuliſſet, Univ. Altorphinæ haud ita pridem decus, *Theod. Hackſpanius* his ad eum verbis uſus eſt: *De angelo quæ ex Rabbinis memoras, altioris ſunt indaginis, dabo operam, ut ex occaſione ſingula expendam.* Optandum ſane, ut vir longiore vita digniſſimus huic rei accuratius perpendendæ per valetudinem adverſam operam ſuam navare potuiſſet,

At Zephyri mea vota ferunt, quid poſco ſepultum?

§. 9. Non abſimilem ſententiam de Angelo, qui & *Dominus* ſit & *legatus*, deprehendimus in medium afferri à *R. Bechai*, fol. 98, col. 4. comment. in Leg. qui ſane digniſſimus qui hic audiatur. Verba ejus hæc ſunt: ואל משה אמר השם המיוחד עלה אל ה׳ זהו מטטרון ששמו כמו שם רבו וכן דרשו רבותינו ז״ל ונקרא בשם הזה לפי שבשם הזה נכללים שתי לשונות המורים על ענינו והוא ארון ושליח ארון מלשון חכמים שקורין אל שנבררת בעלת ממשלה מטרונה שליח מלשון יון שקורים לשליח מנטטור ועוד יכלול ענין שלישי שלשון שמירה כי תרגום משמרת מטרת ועל שהוא שומר העולם נקרא שומר ישראל והנה מתוך הוראת שמו השגנו שהוא ארון לכל מה שתחת ידו והוא השליח למי שעליו למעלה ממנו שהשליטהו על הכל ושמו ארון לביתו ומושל בכל קנינו: *Et ad Moſen dixit Dominus Deus, aſcende ad Dominum, Metatron, cui nomen Domini ſui competit, & ſic explicarunt Dd. noſtri b. m. Appellatur vero hoc nomine, quia eo continentur duo, quæ naturam ejus explicant, nempe Dominus & Legatus. Dominus ex modo loquendi Dd., qui vocare ſolent heram vel dominam Matronam. Legatum vero idiomate Græco, qui Legatum vocant* מנטטור. *Quin & tertiam habet ſignificationem cuſtodiendi. Chaldaice enim dicitur cuſtodiens* מטרת. *& quia totum mundum cuſtodit, ideo vocatur cuſtos Iſraëlis* (Pſal. 121:4.) *Ecce vero ex nomine id apprehendimus, quod ſit Dominus omnium eorum, quæ ſub ipſo ſunt. Exercitus ſuperiores & inferiores, annon hæc omnia ſub ipſius manu ſunt? Eſt vero legatus ejus, qui eo eſt ſuperior, qui ipſum omnibus præfecit, toti domui ſuæ, & omnibus, quæcunque habet.* Subjicit paulo poſt : כבר ידעת כי המלאך הזה הוא שטעה אחר בענינו ונכשל בו להסתפק בשתי רשויות ויצא לתרבות רעה וכן כל מי שלא נזהר בענינו הנה הוא חוטא בנפשו ומסובב לו טוקש ואשמה רבה לא יוכל כפרה: *Scias licet ſuper hoc angelo erraſſe nonneminem, & impegiſſe credendo duos Deos, & ſic in hæreſin incidiſſe: & ſic ille qui ſibi in cognoſcendo illo non cavet, peccat in animam ſuam, ſeque laqueo induit, & peccatum nunquam expiandum committit.* Exinde pateſcit, Ebræos recentiores etiam ita de hoc angelo loqui, ut à Chriſtianorum ſententia parum abeſſe videantur, dum eidem ejuſmodi attribuunt prædicata, qualia Meſſiæ competere oſtendunt ex N. T. Chriſtiani. Id ſane memoratu dignum, *Bechai* hunc Angelum ſimul appellare ארון *Dominum*, & שליח *Legatum*, & ſubjungere, ei omnia eſſe ſubjecta, totique domui ſuæ Deum eundem præfeciſſe. Quibus gemella legimus Ebr. 2:8. 3:6. de Salvatore noſtro. Cæterum de angeli ſignificatione, quæ hic locum obtinet, agemus infra, ubi genuinam ſignificationem vocis ברית explicaverimus.

§. 10. Nonnulli Ebræi, teſte *Kimchio in libr. rad.* vocem ברית à ברא, quæ ut ex Ezech. 23:47. apparet, *ſuccidere* ſignificat, derivant; adducti, uti videtur, eo, quod antiquitus pecude cæſa ſanciebantur fœdera. Atque ita Kimchii ſententia, ultimæ radicalis א in ת mutatur, perinde ac ה, cum à rad. שבה dicitur שבית. Quicquid ſit de originatione, pro fœdere & pacto reciproco, vel conventione mutua in ſacris uſurpari, indubium eſt. Confer Gen. 21:27. 31:44. 1 Reg. 5:12. Ipſemet *Kimchi* per קיום explicat. *Chaldæus* h. l. adhibet קְיָם. *Arabs* longius abit, dum vertit ملك العدل *Angelus juſtitiæ.* Propius ad vocem Ebræam accedit cum Chaldæo *Syrus* voce ܒܩܝܡܐ uſus, pro qua Jer. 31:31. idem uſurpat ܕܝܐܬܝܩܐ, ortam ex Græca διαθήκη, quæ dictio LXX. tam idonea viſa eſt, ad exprimendum ſignificatum τȣ̃ ברית, ut eam ubique pro hac uſurparint; eſt enim generalioris ſignificationis, quam vox συνθήκη, *Aquilæ* recepta, quippe *Platoni* de Legibus, *Ariſtophani* de Sponſione, *Iſocrati* de teſtamento uſurpata, uti obſervat *H. Grotius.* Eſt vero & Ebraicæ vocis ברית latus in ſacris uſus, ut monet *B. D. Calixtus* ϑ. 44. Tract. de Pactis. *Quæcunque*, inquiens, *ſtatuta, promiſſa, mandata Dei, dicuntur pacta Dei, etiamſi nulla apponatur conditio, nec ab altera parte acceſſerit acceptatio.*

§. 11. Hæc cum ita ſe habeant, & Meſſias fatente *Kimchio* מלאך הברית *Angelus fœderis* appelletur, ratio aliqua aſſignetur oportet, quamobrem ei id nominis competat. Hanc tantum abeſt, ut Judæi recentiores dare poſſint aut velint, ut ad mentionem fœderis eos exhorreſcere dicas, nullum aliud præter Moſaicum Exod. 24. admiſſuros. Atque hæc cauſa eſt, cur *Abarbenel* ſupra §. 1. & 5. vocem הארון de Meſſia accipi poſſe largitus מלאך הברית ad Cyrum detorquere maluerit, quam Meſſiam ibi intelligere, certiſſimo peſſimæ cauſæ relicto argumento. Ipſa evidentia vero verborum recutito tandem extorſit hanc confeſſionem : Meſſiam dici *Angelum fœderis* שישים ברית שלום בארץ *qui fœdus pacis in terra percutiat*, intelligit autem ejuſmodi fœdus, quod conſiſtit in pace externa, quæ ſequatur bellum confectum, & Judæos in libertatem aſſerat priſtinam, quæ vana perſuaſio ipſis etiam quondam Apoſtolorum animis inſederat, uti ex Luc. 24.21. Act. 1:1. apparet.

§. 12. Longe aliud fœdus vel pactum ſignificari, ex Ier. 31:31. patet, ubi facit Ieremias mentionem pacti, quod ob ampliorem cognitionem Dei & peccatorum remiſſionem futurum ſit præſtantius priore, ſic enim loquitur: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſraël & domui Judæ fœdus novum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego ſprevi eos, dicit Dominus: Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cor eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum ſuum & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: Omnes enim cognoſcent me, à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Sed hic omnes machinas admovent Iudæi, ut hujus vaticinii ſenſum pervertant. *R. Abarbenel* ait: לא תהיה הברית חרשה תורה אחרת שיתן אליהם: *Novo fœdere non alia lex ſignificatur, quam tunc ſit daturus.* Reſpicit haud dubie ad *Evangelium*, de quo *R. Elias* Germanus in Thisbi: הנוצרי׳ קורין לתורה החרשה שלהם אוונגיליון ברפי על הגימל והוא בלשון יון בשורה טובה ורבותינו ז״ל הסכו השמו און גיליון והוא לא נכון: *Chriſtiani legem novam, quam habent, vocant Evangelium, litera gimel raphata, & ſignificat Lingua Græca nuncium bonum, ſed Dd. noſtri l. m. nomen inverterunt,* און גליון *iniquitas revelationis, quod non eſt rectum.* Sed ſi hoc ita intelligit *R. Abarbenel*, legem moralem non eſſe abrogandam, & ferendam aliam ejus loco, haud adſentimus. Faciles enim adſtipulamur *R. Joſeph Albo*, part. III. Ikkarim cap. 19. אם התאמת שליחות השליח כמו שנתאמת שליחות משה לא נאבה לו ולא נשמע אליו לבטל דבר מעשרה הדברות ששמענו מפי הש״י: *Si vel maxime legatus ſuæ legationi fidem fecerit uti Moſes, nihilominus eum rejicimus, neque ei obtemperamus aliquid de decalogo mutaturo, quem ex ore Dei benedicti accepimus.* Sunt enim illa præcepta φύσει καὶ αἰώνια καλὰ ut *Juſtinus* contra Tryphonem monet, ac ut bene *Kimchi* loquitur ad Pſal. 19: 7. האל הפקידם ונתנם בלב והשכל מורה עליהם: *Deus cordi humano inſevit, & ipſe intellectus ea obſervanda docet.* Hanc legem adeo Salvator noſter non abrogavit, ut eam ſuæ puritati & plenitudini reſtituerit, Matth. 5:17:22:37. Sin vero hoc intendit, legem totam ceremonialem, quantumvis exhibito Meſſia, ejuſdem cum morali perpetuitatis & univerſalis obſervantiæ fore, & nihil aliud à Meſſia doctum iri, fallitur. Ipſa ſane ratio plurium præceptorum poſcit, ut poſt Meſſiæ adventum ceſſent, quippe quæ ad rerum futurarum ſignificationem tantum lata erant. Opere vero

ipſo

ipso impleto, quid mirum, umbras & figuras operis destinati abrogari?

§. 13. Sane falsitatem hujus asserti legem hanc nulla in parte mutatum iri, vel inde potuissent colligere, quod Psalmo 110. Sacerdotis fiat mentio, qui non sit Aaronides. Atqui tale quid stante lege Mosaica, (qua illa dignitas Aaronis posteris erat assignata) fieri nequaquam potuisse, uti per se patet, ita Apostolus Ebræor. 7: 12. inde argumentum ducit μετατιθεμένης, inquiens, ἱερωσύνης, ἐξ ἀνάγκης καὶ νόμου μετάθεσις γίνεται. Neque id paradoxon Judæis videri debet, Messiam תורה vel aliam doctrinam à Mosaica lege daturum: Veteres enim Ebræi ex verbis Jerem. *dabo legem meam in cor eorum*, collegerunt, teste *Joseph Albo*, loc. cit. שכבר ימצא לכל ישראל בעתיד למוד שני כראשון מפי הקדוש ברוך הוא בלי אמצעות כלל: *Totum Israëlem tempore Messiæ immediate ex ore divino altera vice doctum iri.* Licet vero ipse subjiciat: לפי דעתי אין זה מוכח בפי הפסוקים *mea sententia hoc non sequitur ex verborum sensu*; negare tamen nequit, nihil repugnare ex parte Dei, sed hoc תלוי ברצון האל *divini esse arbitrii*, & לא נמנע שימצא לפי העיון התוריי *non impedire rationem legis, quo minus tale quid fiat.* Nos Christiani novimus hoc pridem factum, ut, cum per Prophetas esset locutus, tandem etiam ἐν υἱῷ sit sermocinatus. Ebræor. 1: 1. Ipsi Judæi olim persuasum habuerunt, Messiæ opera divinorum mysteriorum revelationem futuram. Vide R. Salomonem ad Esai. cap. 12: 2. Hinc in Medrasch Coheleth cap. 11: 2. legimus: תורה שלמד האדם בעולם הזה הבל הוא לפני תורתו משיח: *Lex quam homo discit in hoc seculo, vanitas est præ lege Messiæ.* Quid, quod & Chaldæus interpres Esai. 11: 2. ubi de Messia sermonem esse Judæi concedunt, אולפן חדת *doctrinam novam* intelligit. Ubi *R. D. Kimchi* mentem Jonathanis explicaturus ait: אמר חדת שאותו הלמוד יהיה חדש וכן ילמדו אז דעת ה׳ מה שלא למד אדם עד אותו היום כמו אמר כמים לים מכסים: *Vocat novam, quia illa institutio erit nova. Et sic tunc Dominum cognoscent, quomodo nemo hominum in hunc usque diem didicit, quemadmodum ait* (Esai. 11: 9.) *sicut aquæ terram operient.* Et *R. Abarbanel* ad Esai. 42: 4. ubi insulæ expectare dicuntur להורתו, agnoscit למוד והוראתו, *doctrinam & institutionem Messiæ.* Atqui non tantum, ut Judæi accipere videntur, novum docendi modum τὸ תורה significat, sed doctrinam, quam Mosaicum fœdus q. tale ignorabat. Confer Deut. 18: 18. ubi Prophetam alium, Mosi similem audire jubentur, & Joann. 4: 25. ubi fœmina ex communi fama ait, annunciaturum omnia Messiam.

§. 14. Contra Judæos hic urgemus ברית חדשה *fœdus novum*, tale nempe, quod Mosaico opponitur. Quid enim aliud sibi vult vox חדשה? *Abarbanel* respondet ענין הברית שיתן להם רצון ונטיה לקיום התורה האלהית ושלא לעבור על מצוה: *Ratio fœderis in eo consistit, quod sit daturus voluntatem & insignem inclinationem ad implendam legem, ne præceptum transgrediantur.* *R. Menasse Ben Israël*, Concil. Lev. q. 7. ait: *novum fœdus denotat religiosam legis observationem. R. David Kimchi* itidem manibus Christianorum hunc locum excutere satagit. Sic enim ille in Comm. quem in Bibliis Buxtorfianis mutilum & castratum, ex M. S. restituit Vir Cl. *Eduardus Pocockius* Not. Miscell. c. 8. p. 338. חדושה היא שתהיה קיימת לא תופר כמו שהופרה ברית שכרת ה׳ עם בני ישראל בהר סיני והערלים שטועים בזה ואומרים כי הנביא נבא על תורה חדשה שעתידה להיות לא כתורה שנתנה בהר סני כמו שאמר לא כברית אשר כרתי את אבתם והיא התורה חדשה שחדש להם ישו הנצרי תשובתם הרי אמר ופירוש מה היא לא כברית אשר כרתי את אבתם והם הפרו את בריתי וזאת הברית לא יפרוה כי אתן תורתי בלבם ועל לבם אכתבנה שלא תשכח מהם לעולם וכל הענין כמו שמפרש והולך כי לא חדושה תהיה הברית אלא קיומה הרי אומר מלאכי חותם הנביאים בחתימת דבריו זכרו תורת משה עבדי אשר צויתי אותו בחורב על כל ישראל חקים ומשפטים וכל אותה רואה כי לא יהיה לעולם תורה חדשה אלא אותה שנתנה בהר סיני כמו שכתוב אשר צותי בחורב: *Novum dicitur fœdus, quod sit futurum firmum, nec irritum reddendum, uti fœdus cum Israëlitis in monte Sinai initum. Præputiati in hoc errant, dicendo Prophetam de Lege nova vaticinatum esse, quæ non sit futura, ut lex in monte Sinai: sicut dicit: Non sicut fœdus quod pepigi cum patribus illorum, & hanc esse novam legem, quam de novo dedit Jesus Nazarenus. Responsio ipsis est: Ecce dicit & explicat quodnam illud sit. Non sicut fœdus, quod pepigi cum patribus ipsorum, & ipsi irritum reddiderunt fœdus meum. Hoc vero fœdus illi non reddituri sunt irritum, dabo enim meam legem in cor illorum, & super eorum cor scribam illam, ne unquam ejus sint immemores & sic sensus est omnium, quæ porro explicat. Neque enim erit fœdus novum, sed stabilimentum* (Mosaici). *Ecce dicit Malachias Prophetarum ultimus in obsignatione verborum suorum* (cap. 4: 4.) *recordamini legis Mosis servi mei, quam præcepi ipsi in Horeb, super omnem Israël, statutorum & judiciorum; quæ tota sectio continet adhuc futura, sicut obsignat: Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam. Ecce vides in æternum non fore legem novam, nisi eam, quæ data est in monte Sinai. Sicut scriptum est: quæ præcepi in monte Horeb.* Consimilem in modum *R. Lipmannus* Nizzach. n. 264. verba Malachiæ prolata esse dicit לאפוקי מהם שיהיה תורה חדשה *ad excludendam legem novam.*

§. 15. Cæterum num ex eo, quod Malachias populum Judaicum legis Mosaicæ jubet meminisse, inferre licet, nunquam illam esse abrogandam? annon rectius dicitur, eo nomine legis observationem Prophetam inculcasse, ut decimas & primitias diligentius solvendo, & animalia nullo vitio laborantia offerendo, debitam legibus præstarent obedientiam, quoad Deus leges illas in usu esse vellet, de quibus ipse *Rabbi Nachmanides:* עקר עשיית המצות בארץ היה *fundamentum observationis præceptorum in eo consistit, ut fiat in terra sancta.* Quod *pacto novo* nihil aliud significari docent, quam *inclinationem & promptitudinem ad legem implendam, religiosam observationem & stabilimentum legis Mosaicæ*, id ex textu minime probaverint. Præconcepta sane opinio obicem Judæis ponit quo minus vocis חדשה propriam significationem, diligenti locorum facta collatione investigent. Quod igitur Judæi facere detrectant, id nos Christiani Salvatoris nostri monitum Joh. 5: 36. secuti præstabimus. Dicimus τὸ ברית חדשה notare *aliud fœdus* vel *pactum*, idque à Mosaico distinctum. Præterquam quod ipsa oppositio *in textu* hoc satis docet, dum dicitur: *non secundum fœdus quod percussi cum patribus illorum*, etiam vis vocis חדש ex usu Scripturæ id poscit. Sic מלך חדש *Rex novus*, Exod. 1: 8. significat Regem *alium*, ab illo, cui Josephus in amoribus erat, distinctum. Unde LXX. transtulerunt per ἕτερος. Et ne ulla dubitandi supersit ratio, confer Esai. 62: 2. cum cap. 64: 15. ubi שם חדש *nomen novum* est שם אחר *nomen aliud.* Hoc ברית חדשה se percussurum Deus pollicetur, non quod ei ante Jeremiam non fuerit locus, sed quod sub umbris Typici fœderis hactenus quasi latuerit, diebus Messiæ, quibus Mosaicum aboleri debuit, confirmandum. Dicitur enim in Scripturis tunc aliquid fieri, cum incipit innotescere, incrementum capit, vel perficitur.

§. 16. Notatur igitur Jerem. l. c. fœdus, fœderi solenni, quod in exitu Ægypti inchoatum, & in monte Sinai Exod. cap. 24. peractum, adhibitoque pecudum sanguine sancitum est, ἀντιδιῃρημένως oppositum, & ipsius Messiæ sanguine confirmatum. Confer Matth. 26: 28. Marc. 14: 24. Luc. 22: vs. 20. De hoc fœdere ex Jerem. 31. Apostolus præclare disserit Ebr. 8: 8. seqq. ibi enim vers. 13. emphasin vocis חדשה maxime urget, & pro novo argumento assumit, ἐν τῷ λέγειν, inquiens, καινὴν, πεπαλαίωκε τὴν πρώτην· τὸ δὲ παλαιούμενον καὶ γηράσκον ἐγγὺς ἀφανισμοῦ. ab hac vero sententia veteres Ebræi, uti in *Jalkut* videre est ad Psalm. 2. fol. 90. col. 2. non fuerunt prorsus alieni. Sic enim legimus ibi: אומר ה״קבה למשיח עלי לכרות לו ברית חדשה: *Ait Deus Benedictus ad Messiam, ascende ad percutiendum fœdus novum cum ipso.* Ecquid ergo Judæi recentiores fœdus novum illud tam turpiter rejiciunt & proculcant? Tanta est caligo mentis, qua mortalium pertinacissimi, laborant, ut merito *Cl. Vossii* votum præfat. ad libr. de Genealog. Christi nostrum faciamus, *Utinam*, inquiens, *sicut nos ex instrumento Novo de Veteri sumus certi, sic Judæi ex veteri perspicerent veritatem novi. Mutuo enim allucent facem: atque ita allucent, ut novum Soli, Vetus Lunæ, quæ à Sole lumen accipit, conferri mereatur. Sed enim Judæis quoque horribilis ea mentis cæcitas justo Dei judicio obvenit ex temporum ignorantia.* Absque hac esset, perspicerent nobiscum nominis hujus rationem, nempe vocari Messiam *angelum fœderis*, quod is, datus לברית עם *in fœdus populi* Esai. 42: 6. sit καινῆς διαθήκης μεσίτης Ebr. 9: vs. 15. & per eum, suo ipsius sanguine pactum cum populo initum, confirmantem & consummantem, fiat reconciliatio inter Deum & hominem. 2. Cor. 5: 20. Quod sit missus εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων, Rom. 15: 8. nempe Genes. 3: 15. ubi fundus pacti novi vel Euangelici habetur. Adde cap. Genes. 17: 18. 22: 2. 2. Sam. 7: 13.

§. 17. His ita explicatis, quid de Cl. Viri *L. de Dieu* sententia sentiendum sit, dicemus, qua vocem מלאך explicat. Nempe ille *Animadvers. ad Malach.* 3: 1. dictam vocem in Lingua Æthiopica *Principem* notare ait, & arbitratur, ut Act. 3: 15. ἄρχοντα τῆς ζωῆς Æthiops reddidit מלאך חיות: ita & מלאך הברית h. l. reddi posse, *Princeps fœderis.* Cæterum

quia

quia hæc significatio voci Ebraicæ alias minime in Scripturis competit, ideo eam h. l. ut certam recipere dubitamus. Quid? quod nec rationem urgentem videmus, cur alteram significationem, qua simpliciter *nuncium* vel *legatum* denotat, hic repudiemus, cum alibi quoque Christus cum Mose comparatus vocetur *Apostolus*, Ebræor. 3:1. *Minister circumcisionis* (gentis Israelitidis) *propter veritatem Dei*, hoc est, ut Deus se verum & fidelem esse ostenderet. Rom. 15:8.

§. 18. Quemadmodum vero אדון & מלאך הברית in Messiam nostrum aptissime quadrat, ita æque convenienter ei tribuitur, cum is dicitur venturus פתאם, Græcis ἐξαίφνης, quam vocem *Hesychius* per ἐξαπίνης explicat. *Syrus vertit:* ܡܢ ܫܠܝܐ *subito. Arabs* بغتة *inopinato* à rad. بغت *de improviso accidit, vel supervenit.* unde بغتة *res inopinata & derepente accidens.* Ebræam vocem *R. Salomo*, *Aben Melech* in Michlal Jophi sic explicat: שרשו פתה וה"אלף תמורת הה"א למד הפועל והוא בשקל שלשום והוא ענין מהירות ופתע ודבר שלא ירגיש אדם בו עד שיהיה: *Radix ejus est* פתה, *& Aleph loco He finalis est positum, habetque dictio hæc formam* τȣ̃ שלשום, *& significat celeriter & derepente, nemine sentiente, donec sit res facta. R. D. Kimchi* ait idem significare ac בלא כוונה *præter intentionem*, & comm. ad l. c. לפי שלא נגלה הקץ ולא נתבאר בספר דניאל אמר פתאם יבוא שלא ידע אדם יום בואו טרם בואו שיבוא כמו שאמר כי סתומים וחתומים הדברים עד עת קץ: *Quia non est revelatus finis* (Messiæ) *neque clare expositus in libro Danielis, idcirco dicit:* פתאם *veniet, quod nemo diem adventus sciat antequam apparuit, quemadmodum dictum est Daniel.* 12:4. *Quia clausa & obsignata verba ista usque ad tempus finis.* Sed hæc verba minus recte huc referuntur, quasi nulla prorsus adventus Messiæ possit haberi notitia: Cum ex Daniel. 9:24. colligi queat, quando Messias apparuerit. *R. Abarbanel* libello sæpius citato: מפני שתהיה ביאת המשיח ועת הגואלה מגיעי' בהסב הדעת לפי שלא ידע אדם זמנו לכ"א פתאם יבוא: *Quia Messiæ adventus & tempus redemtionis venient per motam mentem, cum nemo sit cogniturus tempus, ideo dicitur* פתאם. Videtur respexisse ad locum Talmudicum, *Massechet Sanhedr.* fol. 97. שלשה באין בהסח הדעת ואלו הן המשיח ומציאות ועקרב: *Tria veniunt per motam mentem, Messias, res inventa, & scorpio.* Sane qui hæc cum historia Euangelica contulerit, iterum animadvertet, quam in Messiam nostrum conveniant, qui statim præcursorem suum insecutus, mense videlicet sexto, Luc. 1:26.36. & toto populo obstupescente natus, Matth. 2:3. hoc vaticinium adimplevit.

§. 19. Qui derepente apparituras dicitur, eidem locus quoque assignatur, ad quem sit venturus, nempe אל היכלו *Syrus* reddidit: ܠܗܝܟܠܗ ܕܡܪܝܐ *ad templum Domini.* Sic *Arabs* الى هيكل الرب *ad templum Domini.* Quæ versiones nobis ansam præbent disputandi de significatione suffixi Vau. Significat alias idem ac *ejus*, quomodo uterque & Syrus & Arabs, subintellecta voce Domini, accepisse videntur. Sed annon pro reciproco etiam sumi solet pronomine? Hoc ne ille quidem negaverit, qui extremis, quod dicitur, labris Ebraicam linguam delibavit. Minime igitur putandum, id inficias ivisse Virum de literis Orientalibus præclare meritum, *Theodoricum Hackspanium*, τ̃ νῦν ἐν ἁγίοις disput. IV. de loc. Sacr. θ. 24. *Scire licet*, inquientem, *Ebræos cum Chaldæo, Syro & Arabe reciproco destitui pronomine, cujus defectum nonnunquam conjugatio Niphal & Hithpaël supplent, sc. in Ebraica literatura, interdum partes & membra hominis substituuntur. qualia sunt* נפש *&c. Cl. Vorstius* cap. IV. de Ebraism. N. Test. pag. 121. dicam ea propter scribit B. *Hackspanio*, inquiens: *Quod addit, Ebræos, Chaldæos, Syros atque Arabes destitui pronomine reciproco, ac propterea partes & membra hominis substituere, id nobis non placet.* Sed mentem Viri summi non satis videtur esse assecutus, quippe quæ fuit: reciproca, ab aliis distincta, & omni ambiguitate carentia pronomina linguas memoratas non agnoscere. Tantum enim abest, ut tantum Virum latuerit, Vau Ebræis, aliisque Orientalibus He reciproce usurpari, ut θ. 26. disputat. laudatæ longum recenseat catalogum exemplorum, ubi suffixum illud reciproce usurpatum occurrat. Sed jam quæritur, quam hic in היכלו vim habeat? uti contextus docet, *reciproce* explicandum est. Dicturus enim alias Deus fuisset אל היכלי *ad templum meum*, ut initio etiam sermocinatus est, מלאכי. Patescit itaque hinc haud obscure, ipsi Messiæ templum attribui, in quo is sit se manifestaturus.

§. 20. *Rabbi Moses Maimonides*, cui Ebræi nonnulli ideo infensi fuere, quod Christianorum in locis Propheticis interpretationes statuminare videretur, in Epistola quadam ex h. l. probat, Messiam primum apparituram in terra Israëlis, quia nempe dicatur venturus אל היכלו, & cum contribulibus suis præstolatur tertium adhuc ædificandum. Cæterum si alia quoque loca cum hoc contulisset, deprehensurus fuisset, sermonem esse Malachiæ de templo Zorobabelis, quod omnes Judæi ante excidium ejus viventes ita intellexerunt. Sane Aggæi, quem hujus nostri Prophetæ interpretem esse haud immerito dixeris. cap. 1:9. vocibus עוד אחד מעט hyperbolice exiguum intervallum inter id tempus innuit, & adventum Messiæ, quem *desiderium gentium* appellat, & Malachias à Judæis posci, asseverat. Quin vers. 8. seqq. indice quasi digito templum ostendit, nempe secundum, quod ob Messiæ adventum & præsentiam sit primo illo à Salomone exstructo, futurum præstantius, licet alias nec mole operis, neque arte, nec ornatu cum Salomoneo esset comparandum. Atque hoc ipsum, quo minus nostri Salvatoris tempore impletum dicamus, non obstat, quod apud *Josephum* lib. XV. A. J. c. 14. legimus: ἀνελὼν ἢ τὰς ἀρχαίας θεμελίας καὶ καταβαλόμενος ἑτέρας ἐπ' αὐτῶν τὸν ναὸν ἤγειρε. *Sublatis veteribus fundamentis & novis repositis templum exstruxit.* Etsi enim id templum, quod Christus est ingressus, à fundamentis novavit Herodes, nomen tamen suum idcirco haud amisit pristinum, eo quod materia usus veteri, omnia non simul diruit, sed per partes, quantum quoque tempore erat innovandum. Hinc & Judæi duo tantum templa agnoscunt, Regis Salomonis & Zerubabelis, quod postremum & Herodianum Vespasiani armis destructum pro uno eodemque habent, qui vocare illud amant בית שני *templum secundum.*

§. 21. Quandoquidem vero Messias noster templum illud Hierosolymitanum sæpius est ingressus, in quæstione illud est, qui ingressus sit intelligendus? *Casp. Sanctius* ad hunc locum sic scribit: *Agit Dominus, ut apparet, non de ingressu illo, quo templum iniit quadragesimo ab ortu die, quando illum mater in die purificationis induxit, aut dum esset 12. annorum, quando inter Doctores Legis, quasi unus ex illorum numero consedit. Quia neque tunc ingressus est templum, quasi Divinam haberet potestatem, & vitam male constitutam majori quadam authoritate, & Doctoris libertate corrigeret, quod fecit sæpe postea. Neque Johannis antecesserant præconia de Christo, neque illius prædicatio viam expedierat, post quam præparationem Christus dicitur ingressurus esse templum.* Sane etsi negare nolimus, illum ingressum cumprimis respici, quo cum authoritate quadam se in templo ostendit, Matth. cap. 21:12.14. negandum tamen haud videtur, posse hoc etiam referri ad illum ingressum, cum duodecim esset annos natus. Ex verbis enim Christi Luc. 2:49. *Nesciebatis, quod me in his, quæ Patris mei sunt, oportet esse*, haud obscure patet, Christum ad hoc vaticinium digitum intendisse, quæ tamen à Parentibus non percepta, tunc demum recte intelligebantur, cum Christus publice docuit, & Templum à sordibus nundinantium repurgavit, quibus factis jam tum puer præludebat. *Syrus* quoque interpres animadvertit de templo dominum loqui, dum reddidit: nesciebatis ܕܒܒܝܬ ܐܒܝ ܘܠܐ ܠܝ ܠܡܗܘܐ *quod in domo Patris mei oportet me esse.*

§. 22. Ex his liquido apparet, τ̃ היכלו notare templum vel locum, ubi sacris operari solent, fatentibus ipsis Judæis. Inventus tamen est, qui veritati bellum indicere haud erubuit, *Faustus* nempe *Socinus*, postquam enim *Bellarminus* Libr. I. cap. 7. de Christo ex Ebræor. 1. & Psalm. 99. probaverat, Christo competere adorandam majestatem, subjungit: *Præterea Christus habet templum, quod est proprium latriæ signum. Malach.* 3:1. *Socinus* ad hæc l. cit. fol. 870. sic excipit: *Respondeo vocem Ebræam Hechal, quæ apud Malachiam in loco isto reddita est* templum, *proprie significare Regiam, & per translationem ad templum quoque significandum, quippe quod Divini nominis Regia esse censeatur, usurpatum fuisse; quemadmodum factum in Græca voce Basilica Latina facta, quæ proprie idem quod Regia significat, & tamen ad templum quoque significandum translata fuit. Habes de voce Hechal non pauca exempla in sacris literis: nos tibi duo tantum notabimus:* 3. *Reg.* 21:1. *Daniel.* 1:4. *ubi ipsa vulgata editio habet* Palatium: *& quemadmodum* Basilica *peculiari significatione significat locum, ubi Rex, seu is, qui dominatur ac præest, jus dicit: Sic ajunt quidam* (Joh. Forsterus) *in lingua Ebraica versatissimi, Hechal tale quiddam significare. & sane locus ipse apud Malachiam in hunc sensum indicat, accipiendam ibi hanc vocem esse, ubi videlicet fit mentio Dominato-*

minatoris, qui exspectatur: nempe ut veniat ad jus dicendum, & in populo, cui dominaturus est, omnia componenda: quod certe Christus veniens fecit in Ecclesia sua & populo, super quem à Deo patre Dominus constitutus fuit. Templi nomen certe non ita huic loco convenit.

§. 23. Fatemur, τῷ היכל competere ענין ארמון *significationem palatii*, uti *R. David Kimchi* aliquot exemplis adductis ostendit lib. radicum. Significat quoque בית המקדש *Domum sanctuarii*, vel templum; & teste eodem *Kimchi* נקראו כל שלשה בתים היכל אולם היכל ודביר: *Veniunt hoc nomine tria loca*, *porticus* vel propylæum: *atrium* vel palatium: *adytum*, vel oraculum. Sed id jam quæritur, 1. Utrum proprie significet Regiam, & per translationem domum, templum? 2. Utra significatio in hoc vaticinio locum obtineat? Quod attinet prius, nomen היכל hodie in Scripturis nullam, quæ in usu sit, agnoscit radicem verbalem. Quod enim *Forsterus* & cum ipso *Socinus* à יכל deducit, sine eruditorum suffragio id facit. Arabes, apud quos radices obsoletas derivatorum Ebraicorum eruditi quærere amant, thema agnoscunt هيكل, *magnus, procerus fuit*. Hinc هيكل *res omnis magnæ molis*, Ebr. היכל *palatium, ædificium sublime, templum, item procerus equus & procera planta*, uti *Cl. Golius* loquitur in Lex. Arab. Unde patescit, nullam causam esse, quamobrem proprie *basilicam* vel *Regiam*, per translationem vero *templum* denotare dicamus: cum basilica & templum à magnitudine & proceritate nomen accepisse videantur. Neque vox הארון, ut *Socinus* censet, probat, basilicam potius hic, quam templum significari. Quidni & Dominus in templum veniat? Num Regiam ostendet *Socinus*, in quam noster Salvator sit ingressus, qui Matth. 8: 20. se habere negavit, ubi caput reclinaret suum? Longe aliud ex textu constat, nempe ejusmodi locum intelligi, in quo sint Sacerdotes & Levitæ. Cum vero hi non in palatiis quærantur, quæri saltim non debeant, sed in templo, firmum illud manet, היכל h.l. notare templum, vel ædem sacram; & Messiam, cui tribuitur, esse הקדוש ברוך הוא *Deum, sanctum benedictum*, ut Ebræi loquuntur: sive ut Apostolus, qui locutionem Ebraicam expressit, Θεὸν εὐλογητὸν εἰς τοὺς αἰῶνας. Rom. 9: 5.

§. 24. Ad certitudinem hujus adventus significandam Propheta subjungit: *Ecce venit, inquit Dominus Zebaoth.* Quæ verba explicaturus *R. D. Kimchi* sic scribit: יבוא בזמנו וכן ראשון לציון הנה הנם: *Veniet tempore suo, atque ita intelligendum illud Esaiæ* 41: 27. *primus ad Sion: Ecce illi.* Quid sibi hic velit Kimchi, ex interpretamento, quod ibi scriptum reliquit, apparet: ראשון שיבוא לציון מגולה יבשר ציון ויאמר לציון הנה הנם בנין וכפל למהירות הענין: *Primus qui Sionem veniet ex captivitate, annunciabit, & dicet Sioni; Ecce ecce illi, quod intendendæ celeritatis causa duplicatur.* Sic itaque non tam Dei verba fuerint, quam illius, qui faustum, totque votis expetitum Messiæ adventum, tot annis vastatis Hierosolymis annunciabit, cui eo nomine εὐαγγέλια persolvent Judæi. At reclamat contextus, qui aperte docet, Deum istis verbis adventum Messiæ, utpote certum, jamque appetentem, quasi præsentem oculis hominum subjicere. Quem adventum tempore suo contigisse, omnemque ulteriorem venturi Messiæ expectationem frustraneam esse, ex Scripturæ dictis colligere possent recutiti, nisi Mosaicum, quod etiamnum oculis illorum impendet, velamentum id impediret.

CAPUT III.

Comma II, & præsertim in eo vox מכלכל *expenditur.* Rabbi Nathanis *observatio de verbo* כול. Sanctii *opinione rejecta*, Kimchiana *interpretatio ex contextu, versionibus item* Græca, Chaldaica, Syriaca *&* Arabica *confirmatur. Interrogatio quid Ebræis denotet.* Rabbi Abarbenel, *prius hemistichium de Messia agere largitus, posterius insulse ad Eliam venturum detorquet.* R. D. Kimchii *explicatio commatis III. Judicium de ea, ut &* Lyrani, Vatabli, Grotii, Theodoreti *expositionibus. Varia vocis* ברית *interpretamenta.* Kimchii, *antiquorum* Ebræorum *in Mischna*, R. Obadiæ de Bartenora, R. Mosis Maimonidis, Martini Raimundi, Hieronymi, *LXX. Interpp. &* Arabis *cum Ebræis consensus.* B. Lutheri *Versio & Ebræorum in Gemara.* Syri *sententia singularis. Excell. Dn.* Dilherrus *laudatus. Emphasis Ebr. vocis* זקק *& Latinæ* colare. Turnebus *laudatus.* Sanctii *de filiis Levi opinio. Messiæ munere in Bereschit Rabba eidem assignato Salvatorem nostrum functum esse ostenditur.* Fl. Josephi, Pauli, *Pharisaismo etiamnum imbuti, &* Kimchii *error.* Bellarmini *in probando Purgator ioἀβλεψία. Vox* מנחה *explicata.* R. Lipmanni, R. Abarbenelis *& anonymi cujusdam recutiti de restaurando cultu Levitico sententia.* R. Abarbenelis *ad amplectenda majorum placita cæcus, citra Scripturæ assensum, impetus. Veterum de Sacrificiorum abrogatione sententia in recentiores torquetur. Voto pro conversione Judæorum concluditur.*

§. 1. UBerem, nostraque opinione ampliorem disserendi materiam suggessit comma Primum. Unde strictius de reliquis agendi necessitatem quodammodo nobis imponunt chartarum angustiæ. Vetus interpres Latinus comma secundum hunc in modum transtulit: *Et quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis stabit ad videndum eum?* Qui, dum Ebræam vocem מכלכל reddidit *cogitare*, in memoriam nobis revocat observationem *Rabbi Nathanis*, authoris Concordantiarum Ebraic. qua significationem verbi כול ad duas maxime classes refert: אחיזה או מדידה *apprehensionem vel mensurationem*; deinde סבל או ספוק מזון או סדר ההנהגה: *Onus, sustentationem, aut ordinem regiminis.* Priori modo *Sanctius* videtur accipere de primo Christi adventu, quem nemo cogitatione comprehendere vel assequi possit, ob inenarrabile incarnationis mysterium, & miraculorum à Messia perpetratorum magnitudinem. Cæterum *Rabbi David Kimchi* talem verborum explicationem reliquit: מי יוכל להחזיק ולסבול *quis poterit comprehendere & sustinere?* Sane ad posteriorem hanc significationem interpretes complures respexerunt. *LXX.* enim reddiderunt τίς ὑπομενεῖ ἡμέραν εἰσόδου αὐτοῦ. *Chaldæus* מַן מְסוֹבַר. *Syrus* ܡܢ ܢܣܝܒܪ. *Arabs* فمن يصطبر. Hi omnes enim *præferendi* potius, quam *cogitandi* significationem agnoverunt. Atque horum explicationem non parum corroborat alterum hemistichium, quod fere prioris solet esse ἐξηγητικόν. Subjungitur enim: *& quis stabit* בהראותו, quod *Syrus* recte accipit, quum vertit *quis poterit consistere*, ܡܢ ܢܩܘܡ ܟܕ ܢܬܓܠܐ *Cum apparebit.* Utrobique igitur Messiæ singularis virtus ad commovendos hominum animos notari videtur, quæ tanta sit futura, ut vel præfractos ferreosque mutare & frangere queat. Cæterum cum interrogatio Ebræis nunc simpliciter aliquid neget, 1 Sam. 6: 20. nunc difficultatem aliquam denotet, Jon. 3: 9. in proclivi est colligere, quid locutione illa interrogatoria Propheta velit, nempe vix unquam esse futurum, qui sermonis ipsius efficaciam non sit sensurus, quam Luc. 24: 19. Joh. 7: 46. &c. plures sunt admirati.

§. 2. *Rabbi Abarbenel*, qui supra comma I. de Malachia intelligendum esse omni asseveratione affirmavit, hoc secundum de Messia, quod merito mireris, accipi posse largitur. Sic enim commentatur: על מלך המשיח בפרט אמר ומי מכלכל את יום בואו שהוא היום המלחמה העצומה וחבלי המשיח: *De Rege Messia in specie loquitur, cum ait & quis sustinebit diem adventus ejus? Est enim ille dies, quo bellum insigne & dolores Messiæ apparebunt.* Sed hic iterum textum ad commentum suum præconceptamque opinionem detorquet, divulsis, quæ arcte cohærent, & de uno eodemque subjecto intelligenda veniunt. Sane, uti supra invito *Kimchio* & *Aben-Esra*, & reclamante ipsa veritate, verba הארון & מלאך הברית de diversis est interpretatus; ita hic indignis modis textum Ebræum torquendo, ad Eliam venturum hemistichium posterius refert, ועל, *inquiens*, הנביא אשר יבוא בתחלת תחיית המתים אמר ומי העומד בהראותו לפי שכאשר יקומו התחייה יבהלו בני ארץ מהם מי ומי העומד באותו הראות המבהיל: *De Propheta (Elia) vero, qui initio resurrectionis mortuorum venturus est, ait, quis subsistet cum apparuerit? quia homines terrebuntur, cum visuri sunt eos, qui resurrexerunt. Et quotusquisque est, cui ille terribilis non incutiat terrorem?* En suaviludia Judaica! Qua veritatis specie, qua item ratione contextus adductus, ad Eliam hemi-

hemistichium referre conetur, ne contribules quidem ejus viderint.

§. 3. Poscit omnino textus *συνάφεια* ut non de Elia, sed de Messia verba explicentur. Ratio enim, quam Propheta subjicit, in hunc quadrat, in illum non item *R. D. Kimchi* de illa sic disserit: טעם הוא על היום שזכר כאומר אותו היום יהיה כמו האש שצרף הסיגים מן הכסף כן יבדלו הרשעים מן הטובים ויסופו הרשעים וישארו הצדיקים וכן אמר בנבואת זכריה והבאתי השלישי באש וכבורית מכבסים כמו בורית של מכבסי הבגדים המעבירים בו הכתם מן הבגד והרשעים הם כתם כמו שאמר נכתם עונך לפני: *Ratio illius diei, cujus meminit, subjicitur, q. d. ille dies erit instar ignis, qui defecat scoriam ab argento. Sic impii à bonis separabuntur, & peribunt impii remanentibus justis. Atque sic ait Propheta* (Zachar. 13: 9.) *& tertiam partem per ignem traducam. Et sicut Borith lavantium, quemadmodum qui vestes lavant, maculas de vestibus tollunt. Impii maculæ nomenclatura appellantur, quemadmodum dicit* (Jer. 2: 22.) *obducta est iniquitas tua coram me.* Intelligit Kimchi ejusmodi defecationem, qua impii à piis sint separandi, & quam secundo Messiæ adventu futuram, etiam Christiani, habent persuasum. At de illa minime agit Malachias, sed tali potius, ubi non tam personæ separantur invicem, (neque enim hoc similitudo de igne defecante sumta admittit,) quam ab uno eodemque subjecto id aufertur, quod maculæ rationem habet, illudque deformat. *Lyranus* & *Vatablus* de tribulationibus & calamitatibus intelligunt, quibus tanquam igne exploratorio sint homines purgandi. Hos sequitur *H. Grotius*, locis allatis, Luc. 12: 49. Zach. 13: 9. At longe probabilior videtur *Theodoreti* sententia, de efficacia sermonis Messiæ loqui Prophetam, quo fit futurum ut veritas illucescat, atque in hominum animis resplendeat, procul amotis iis, quæ fidem & vitam collutulent.

§. 4. Admittit hunc sensum etiam vox Ebraica בורית, in qua explicanda variant interpretes. *R. Davidis Kimchii* libr. radicum verba sunt: דר"יש ראויה להדגש לולי כי תקבל רגש ומשפטו ברירית כפלט גפרית ולפי שהוא מברר הבגד נקרא בורית ופירוש ר' יונה כי הוא עשב שמכבסין בו ויש מפרשים אותו כי הוא הנקרא בלעז ס"כון: *Resch debebat Dagesch recipere, nisi illud respueret. Secundum formam* גפרית *dicendum fuisset* ברירית. *Appellatur vero* בורית, *quia vestes mundat. R. Jonas de herba interpretatur, qua lavantes uti solent. Sunt, qui interpretentur de illo, quod barbare dicitur Sebun.* In *Mischna*, Massecheth Nidda cap. 9. דה בורית inter illas res refertur, quæ maculis è vestibus tollendis adhibentur. Sic enim ibi legimus: שבעה סמנין מעבירין על הכתם רוק תפל ומי גריסין ומי רגלין ונתר ובורית קמוניא ואשלג: *Septem sunt, quæ ad maculam tollendam adhibent: sputum jejunum, succus fabarum contusarum, urina, nitrum, Borith, Kamonja & aschleg. R. Obadias Bartenorius*, comm. in Mischnam p. 189. vocem בורית explicaturus ait: בורית מין צמח הוא שמנקה ומחסרת: *Borith est species germinis purificantis & abluentis. Rabbi Moses Maimonides* comm. ad l. c. sic scribit: הוא צמח והוא מפורסם באלגא"סול *est herba, nota in Algasol.* Ubi videri queat, notari *R. Mosi Ægyptio* regionem, in qua nascatur illa planta, nisi *Martinus Raimundus* p. II. cap. 19. Pugionis fidei, voce בורית herbam significari diceret, quæ lingua Arabica Gazul dicatur, & probatissimi Orientis Lexicographi testarentur, غسول significare rem, qua eluuntur sordes, & in specie, qua lavantur manus, ut *Alkalj*.

§. 5. Tergemina igitur datur hujus vocis explicatio. Nonnulli enim de herba accipiunt, quorum sententiam *S. Hieronymus* suo suffragio confirmat, ad Jer. 2. Ubi docet, *Saponariam nasci in Palæstina, humectis ac virentibus locis, ad abluendas sordes eandem vim habere, quam nitrum.* Nec alieni ab hac explicatione fuere LXX. & *Arabs* in opere Anglicano. Illi enim *ποιὰ πλυνόντων*, *herba lavantium*; iste حشيشة الغشا لين *herba fullonum*, reddiderunt. Quidam de smegmate explicant, uti B. *Lutherus*, & *Ebræi* in *Gemara* ad Mischnam citatam, ubi per אהל *smegma* exponitur. Atque huc haud dubie referendi sunt illi, quos *Kimchi* ultimo loco recensuit. Ab omnibus hisce longius discedit Syrus, in opere laudatissimo Anglicano, dum vertit: ܐܝܟ ܟܒܪܝܬܐ ܕܡܚܘܪܐ *tanquam sulphur dealbans.* Sane fullones sulphure, (quod Chaldaice כִּבְרִיתָא dicitur,) cum creta ad eluendas sordes esse usos apud Romanos, indubium est. Videsis Salanæ nostræ quondam, nunc patriæ meæ ornamenti singularis, *Maxime Rev.* Dn. J. M. DILHERRI, Patroni mei haud è multis, Tom. I. Dispp. Acad. pag. 205. Neque mirum videri debet, דה בורית tam diversimode explicari. Est enim, si originem ejus ad radicem ברר, quæ purgavit significat, respicias, vox generalis, &, ut *autor Michlal Jophi* loquitur, denotat id, quod מעביר מבגד כל הכתם *de vestimentis omnem aufert maculam.*

§. 6. Ut vero illam à Messia instituendam purgationem eo accuratius describat Propheta, in his nondum subsistit, sed pergit, *sedebit*, inquiens, *conflans & emundans argentum, purgabit filios Levi, & colabit eos, quasi aurum & argentum.* Magna sane emphasis in verbis hisce reperitur, quæ eo tendit, ne perfunctorie, vel levi brachio, mundationem peractum iri putemus. Dicitur enim id sedens facere. *R. David Kimchi* ait: כמו שיושב השופט לשפוט את העם ולהבדיל החייב מן הזכאי: *quemadmodum judex sedet ad judicandum populum, reumque ab innocente distinguendum.* Deinde perhibetur eos mundare sicut argentum. Ebr. vox זקק habet ענין ההתכה *significationem fusionis*, qua aliquid fit liquidum ut metalla, quæ sic prioribus figuris exutis novas assumere solent. Vulgatus transtulit: *Et colabit.* Quod verbum tunc fere Latinis usurpatur, cum per linteum densisque maculis reticulatum colum aliquid transmittitur, ne quid in liquore hæreat sordidum. Sic apud *Manilium*,

& colare vagos inductis retibus amnes,

venuste dici de iis, qui in amnibus piscantur, quod per raras retium maculas & plagas, tanquam colatus fluvius transmittatur, observat *A. Turnebus* adverf. lib. XXIII. cap. 17. Ut sic exacta omnibusque numeris absoluta indicetur purgatio.

§. 7. Quinam vero per filios Levi intelligantur, inquiramus oportet. Sunt qui eos intelligunt, qui è tribu Levi sunt conversi. *Vatablus* de Apostolis & discipulis Christi accipit. Late hanc vocem esse accipiendam, *Casp.* quoque *Sanctius* docet, *contra Sacerdotes*, inquiens, *exarserat hoc illustre vaticinium, in quorum moribus supra multa reprehendit. Nunc illis alios opponit sacerdotes, quos filios appellat Levi, licet ex alio genere esse possent, imo & fuerint longe plures. Quia id, quod in aliquo loco aut ordine proprium & frequens est, illi plerumque à suo quasi jam commune nomen attribuit. Quomodo Phrygii & Cares dicuntur servi, undecunque sint, quasi ex his regionibus advehantur servi. Chaldæi dicuntur Mathematici, Astronomi, Genethliaci, quia istæ artes aut in Chaldæa natæ, aut certe ibi diligenter cultæ. Sic ergo cum è tribu Levi fuerint Israëlitidarum Sacerdotes, fit, ut quicunque Sacerdotes, ex lege etiam nova, in qua Sacerdotium cessavit Aaronicum, dicantur filii Levi, seu quod idem est, Levitæ.* Ecquid vetat, quo minus de Sacerdotibus & Scribis interpretemur? qui, cum veri nominis Messias in terris ageret, mundatione maxime egebant, homines quippe singularis sanctitatis opinione tumidi, at revera vitæ profligatissimæ fœtore Deo exosi? Judæi quidem hodierni tale quid à Messia suo haud exspectant, plane similes iis, qui in *Bereschit Rabba* sectione 98. pag. 62. col. 1. ajunt: אין ישראל צריכין לתלמודו של מלך המשיח לעתיד לבוא שנאמר אליו גוים ידרשו לא ישראל אם כן למה מלך המשיח בא ומה הוא בא לעשות לכנס גלויותיהן של ישראל וליתן להם שלשים מצות הה"ד ואמר אליהם אם טוב בעיניכם וגו': *Israël non opus habet Regis Messiæ venturi institutione. Dictum enim est:* (Esai. 11: 11.) *eum gentes requirent, non Israëlitæ. Si res sic se habet, eccur Messias veniet, & ob quem finem? ut captivos colligat Judæos, & eis tradat triginta præcepta. Illud ipsum est, quod dicitur:* (Zach. 11: 11.) *Si bonum in oculis vestris &c.* Non defuerunt tamen nonnulli, qui l. cit. diserte faterentur, Messiam venturum: שהוא מחבר להן דברי תורה *ut verba legis explicet.* Item: שהוא מחזיר טעיותיהן *ut errores illorum redarguat.* Hoc vero nostrum Messiam tum abunde præstitisse novimus, cum in eos, qui è tribu Levi oriundi, inter Judæos sapientissimi religiosissimique haberi volebant, invectus, quam longe à religione & sapientia aberrent, ostendit. Videsis Matth. 15: 7. cap. 23: 3. seqq. Luc. 10: 31. maxime vero Matth. 5: 20. ubi acriter religionem illorum & instituta Dominum perstrinxisse legimus.

§. 8. Inter errores, qui in isto hominum genere altas radices egerant, & quorum vestigia in scriptis Judæorum etiamnum supersunt, non ultimum locum obtinet, pravas cupiditates lege haud interdictas, adeoque neque in censu peccatorum esse. Hinc *Josephus* Lib. XII. cap. 13. A. J. ubi *Polybium* taxat, qui Antiochum ideo punitum asseruit, quod Dianæ templi thesauros diripere sit conatus, Pharisaismo itidem imbutus negat, id factum *τιμωρίας ἄξιον εἶναι*. Quid quod & *Apostolus*, ut ipsemet de se affirmat, *πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου* Actor. cap. 22: vers. 3. post conversionem demum suam accurata legis consideratione animadvertit, concupiscentiam peccati nomen mereri.

Rom.

Rom. 7:16. *R. David Kimchi* verba Psal. 66:18. *Iniquitatem si vidi in corde meo, non exaudiet Dominus*, hunc in modum, sed quod *H. Grotius* recte monet, contra scriptoris sententiam interpretatur: אפילו אם ראיתי און בלבי לעשות אף על פי שמחשבה הוא נגד האל כאלו הוצאתי בשפתי לא שמעו כלוי לא חשבו לי עון שהמחשבה רעה אין מצרפה למעשה באמונת האל: *Etiamsi iniquitatem designare corde meo decreverim, & coram Deo hoc perinde sit, ac si labiis eam pronunciassem, tamen non attendit eam ille: q. d. non imputat mihi in peccatum, quia mala cogitatio à Deo pro facto non habetur.* Hos similesque errores cum Messias noster magna παῤῥησίᾳ reprehendit, filios Levi, aliorum purgatores, purgavit, Legisque Mosaicæ sensum verum & genuinum à Jurisperitorum vindicavit glossis, quanquam eo nomine Judæi maledici eum hodieque pro contentioso habeant, & data opera eruditis Majoribus illum se opposuisse clamitent, uti ex *Abarbanelis* aliorumque scriptis docemur.

§. 9. Cujusmodi purgatio intelligatur, satis, ut speramus patescit, nempe ejusmodi, quæ virtute & efficacia doctrinæ Messiæ peracta est. Quantus igitur fuit illorum Pontificiorum stupor, qui ad probandum purgatorium his verbis abusi sunt? Ne ipse quidem *Bellarminus* hic culpa vacat, qui Lib. I. de Purg. cap. 3. fatetur quidem, de purgatione viventium agi, adeoque de purgatoria pœna verba non esse directe intelligenda, purgatorium tamen recte inde inferri, contendit. Nulli dubitamus, quin Romanæ sedis hyperaspistes eo solum nomine hæc verba protulerit, ne aliquid ex illis perire videretur, quo ignis ille in Papatu fovetur. Sane uti illationem ostendit nullam, ita ex textu probare in proclivi est, illationem ne ostendi quidem posse. Nempe talis intelligitur ibi purgatio, quam sit consecutura oblatio Deo grata, à purgatis offerenda. Atqui purgationem, quæ fit in purgatorio, nulla sequitur oblatio, fatentibus ipsis Pontificiis. E. de purgatorio non intelligitur.

§. 10. Diximus purgationem, quam Deo grata oblatio sequatur, intelligi: hoc enim consequens innuit Malachias, cum ait: *& offerent Domino munus in justitia.* Dictionis מנחה radicem, teste *Kimchio*, nonnulli esse perhibent נחה; auguratur tamen ille non male, cum litera מ in plurali numero, qui in Sacris non occurrit, ab authore Mischnæ per Scheva punctetur, illam radicalem esse. Thema sane, quod hodie juxta cum aliis in Ebræa Lingua desideratur, & apud Arabes etiamnum invenitur, est منح *munere affecit.* Quid vero מנחה significet, id *R. Abarbanel* fol. 227. col. 2. Comm. in Pentateuchum his verbis indicat: כל המנחות היו סלת קמח חטים הוץ ממנחת הסוטה ומנחת העומר שהיו משעורים: *Omnis oblatio, quæ Mincha appellatur, constitit farina triticea, excepta illa, quæ erat declinantis fœminæ* (Numer. 5:15.) *& oblatio Omer, quæ constitit hordeacea.* Atque ita in lege Mosaica non denotat sacrificium cruentum, sed fere illi ornatus causa addebatur, quanquam alias in genere usurpatum, quodvis munus denotare, non desunt, qui contendant.

§. 11. Mundationis vero illius non hunc solum effectum futurum ait Propheta, sed adhuc alium, quem commate 4. recenset: *& dulcescet Domino munus Juda & Jerusalem, secundum dies seculi, & secundum annos antiquos.* Hic vero triumphabundus exclamat *R. Lipmannus*: נמצא מבואר שהכל על גאולה יודא וישראל נאמר: *Clarum inde evadit, omnia hæc dicta de redemtione Judæ & Israëlis.* Et *R. Abarbanel* p. 76. col. 4. libelli cit. בשרם שתושע יהודה וירושלם מחבלי המשיח ושלא תהיה קדושת המקדש העתידה כמו שהיתה בבית שני חסרו ה' דברים המקודשים כי הנה בגאולה העתידה תהיה קדושת בית השם כימי עולם ושנים קדמוניות: *Annunciavit illis, Judam & Hierosolymam redemtum iri à doloribus Messiæ, & sanctuarii extruendi sanctitatem non talem futuram esse, qualis fuit templi secundi, quod quinque rebus sanctis caruit: sed fore tempore redemtionis templi Domini sanctitatem sicut diebus seculi, & annis antiquis.* vide & anonymi recutiti objectionem in Excell. Dn. D. *Mulleri* Judaismo, p. 397.

§. 12. Ita Judæi externis capti, verba Prophetæ etiamnum intelligunt, ac si iis cultus Levitici restauratio promitteretur. In libro antiquissimo, *Vajikra Rabba* fol. 110. col. 2. edition. Venet. hæc verba legimus: כימי עולם כימי משה וכשנים קדמוניות כשני שלמה רבי אומר כימי עולם כימי נוח ושנים קדמוניות כימי הבל שלא תהיה עבודה זרה בימיו: *Dies seculi notant dies Mosis, antiqui dies vero tempus Salomonis. Rabbi ait, dies seculi significare dies Noachi, & annos antiquos tempus Abelis, quo nulladum idololatria viguit.* Ex hoc interpretamento veterum recentiores quid colligant, *R. Abarbanel* comm. ad loc. citat. aperit, הנה העירו שבבית ה' העתיד תרד inquit, אש מן השמים שלא ירדה בבית שני *Ecce docent, templo reædificando ignem cœlitus delapsurum,* (ad incendenda sacrificia,) *id quod tempore templi secundi factum non est.* Atqui in textu non dicitur: cultum Leviticum restitutum iri, uti viguit diebus Salomonis: sed oblationem Judæ & Hierosolymæ (quibus verbis; ceu alibi docetur, Ecclesia Christiana intelligitur,) æque gratam futuram, ac multis retro annis, Abelis, Noe &c. Minime vero necesse est, ut voce מנחה sacrificium intelligatur Mosaicum, quandoquidem Scriptura de cultu N. Test. loquens, utitur fere verbis cultum Leviticum denotantibus. Quin ipsi Judæi, ceu apparet ex Jalkut parte 2. f. 150. col. 2. Sacrificiorum illorum abrogationem fatentur, כל הקרבנות בטלות לעתיד לבוא התודא אינה בטלה שני אשלם תודות לך: *Omnia sacrificia in seculo futuro cessabunt; sed confessio laudis non cessabit, quia dictum est:* (Psalm. 56:13.) *rependam celebrationes tibi.* Et paulo post: הזובח את יצרו והתודה עליו מעלה עליו הכתוב כאלו כבדו להק"בה בשני עולמות דכתיב זובח תודה יכבדנני: *Quicunque sacrificat suam concupiscentiam, & de ea confessionem edit, illum Scriptura effert, perinde ac si Deum in gemino seculo honorasset, quia scriptum est:* (Psal. 51:23.) *qui sacrificat confessionem, honorabit me.* Nihil igitur impedit, quo minus de sacrificiis spiritualibus verba illa intelligamus, de quibus agit Petrus 1. Epist. 2:5. & cultu illo N. T. Rom. 12:1. Ebr. 13:16. Quin imo tot seculis frustra expetita illa restauratio, ut sic nobiscum intelligant, merito Judæos debet adducere. Sed hoc tunc futurum est, cum Deus Ter. Opt. Max. κάλυμμα omne ex illorum oculis, omnemque πώρωσιν, verum Judaismi characterem, à cordibus illorum ablaturus est. Faxit ille, ut gens Judaica, olim felix & beata, nunc misera & cœca, *retecta facie gloriam Domini, secundæ domus* decus unicum, tandem aliquando contueatur, & in illo solo quiescat, qui solus est via, veritas & vita.

FINIS.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De Eliæ adventu ad Malach. IV: 5, 6.



Quod Irenæus lib. 4. de Hæresibus cap. 43. de Prophetiis asseruit, *eas, priusquam effectum habeant, ænigmata esse & ambiguitates hominibus, cum autem venerit tempus & evenerit, quod prophetatum est, tunc certam & liquidam habere expositionem*, id de omnibus promiscue vaticiniis simpliciter & uno eodemque modo intelligendum haud videtur. Quæ enim verbis non apertis & propriis constant, sed ex parte figurato perscripta sunt sermone, illa licet *certam habeant expositionem*, æque tamen liquidam ac aliorum eam minime vocaveris, cum, præsente quamlibet complemento, vix intelligi queant, nisi sit, qui doceat, propriene verba sint accipienda an figurate. Patescit hoc ex Malachiæ vaticinio cap. 4: 5, 6. Illud quippe, cum diu *ænigma* & *ambiguitas* fuisset populo Judaico, ut vel ex Eccles. 48: 10. & historia Christi videre est, ne post complementum quidem fuit intellectum. Sane, nisi indice quasi digito Salvator noster subjectum illud ostendisset, de quo Malachias sit vaticinatus, Apostoli eundem errorem errassent cum Scribis & Pharisæis, qui Christo in terris agenti autoritatem detracturi verba Prophetæ urgebant, quasi is veri nominis Messiam antea nequaquam venturum diceret, quam præcursor illius Elias, Propheta ille θαυματεργὸς, apparuisset. In hujus vaticinii sensum paulo diligentius inquirere nobis est decretum, cum quod Judæi voce Eliæ proprie accepta adducti adhuc illius apparitionem instantis adventus, Messiæ sui indicium fore pertinacissime contendunt: tum quod bona pars Christianorum persuasissimum sibi habeat, ultimum illum ac decretorium diem ab Eliæ Thesbitis adventu Malachiam hic suspendere. Quod utrumque partim ex Ebraici, partim Græci textus sinistra interpretatione oriri, ex iis, quæ dicturi sumus, constabit clarissime.

CAPUT I.

Oraculum divinum ex textu authentico in medium adducitur. Ex eo vulgo Judæi solatium petunt. Desiderium Eliæ, quo anguntur, ex R. Josephi Karo, R. Aben Esræ, *&* R. Eliæ Levitæ *verbis ostenditur. Vaticinii complementum novimus Christiani ex Salvatoris nostri responso Matth. 17: vers. 11. Maldonatus sinistre illud interpretatur de adventu Eliæ Thesbitis. Refellitur. Locus Matth. 11: vers. 14. explicatur.* B. Majerus *&* Joh. Pricæus *laudati. Syriacæ Versionis cum Græco textu conformitas. An sententia Christianorum de reditu Eliæ natales suos debeat Judæorum traditioni, uti* H. Grotio *visum est, an vero Græcæ LXX. versioni & sinistræ verborum Christi interpretationi? Posterius verisimilius esse censetur.* Cornelii à Lapide *commentum.* Maldonati *geminæ rationes, cur de Joh. Baptista verba Malachiæ intelligi nequeant, producuntur.*

§. 1. Ipsum oraculum in textu authentico sic habet: הִנֵּה אָנֹכִי שֹׁלֵחַ לָכֶם אֵת אֵלִיָּה הַנָּבִיא לִפְנֵי בּוֹא יוֹם יְהוָה הַגָּדוֹל וְהַנּוֹרָא וְהֵשִׁיב לֵב־אָבוֹת עַל בָּנִים וְלֵב בָּנִים עַל אֲבוֹתָם פֶּן־אָבוֹא וְהִכֵּיתִי אֶת־הָאָרֶץ חֵרֶם׃ Quæ verba ita verti solent: *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini, magnus & terribilis, & convertet cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam & percutiam terram anathemate.* Vix ullum reperias dictum in sacris, quod sæpius in ore habeant recutiti, cujusque memoria se suosque lubentius solaris animosque ad quasvis calamitates patienter ferendas magis excitare soleant, quam hoc Malachianum. Inde sane factum ut, ceu libro *Schulchan Aruch, parte 1. Orach Chajim, num. 295. pag. 51. col. 4.* ipsimet testantur, singulis Sabbatis consueverint להזכיר אליהו הנביא להתפלל שיבוא ויבשר הגאולה: *meminisse Eliæ Prophetæ & precari, ut tandem veniat & redemtionem annunciet. R. Aben Esra* Scholia sua in Malachiam his verbis claudit השם ברחמיו יחיש את נבואתו וימהר קץ ביאתו: *Deus propter misericordiam suam vaticinium suum impleat, finemque adventus illius acceleret!* Et *R. Elias Levita, Germanus,* librum suum *Thisbi* itidem hoc voto obsignat, יהי רצון שכן יהיה עמנו בזמן הזה ויקוים בנו הפסוק הנה אנכי שולח לכם את אליהו כה תפלה המחבר אליהו: *Sit voluntas ejus, ut hoc tempore sit nobiscum, & confirmetur nobis Scriptura: Ecce ego mitto vobis Eliam! Ita precatur libri autor, R. Elias.*

§. 2. Idem infinitorum Judæorum hodieque ardentissimum votum est, qui oraculo huic veritatem suam aliter constare haud posse arbitrantur, nisi idem numero & substantia *Elias* in has terras redeat. Quo ipso tamen immane quantum eos falli novimus Christiani, quod prædicata sint ejusmodi, ut omnino de alia persona, quam *Elia Thesbite* verificari queant, imo quod quicquid de Elia hic prædicitur, id omne à Johanne Baptista sit impletum, ceu ex cap. 17. Matthæi probant Theologi. Ibi enim, ut interpretes nonnulli existimant, *Eliæ*, tam cito è conspectu iterum abeuntis, apparitione; sive, quod verisimilius, illo cœlitus de Christi persona lato testimonio admoniti Apostoli quærunt ex Domino, *Quid igitur Scribæ dicunt, oportere, ut Elias primum,* (puta ante Messiæ manifestationem) *veniat?* Respondet ille: *Elias quidem veniet primum & restituet omnia, sed dico vobis, Eliam jam venisse, quem non agnoverunt, sed fecerunt ei, quæcunque voluerunt.* Ex quo responso Christum ad Johannem respicere collegerunt discipuli, referente Evangelista, vs. 13. & Eliæ adhuc mittendi obtentu frustra negari, Magistrum suum esse verum Messiam, hauddubie deinceps crediderunt.

§. 3. Etsi vero hæc Judæis haud faciant satis, quibus infra aliter obviam ibimus, Doctoribus tamen Christianis omnem spem Eliæ adhuc venturi merito præcidere deberent. Sed quid non fieri solet, ubi animi præjudicio occupati sunt, & omni studio τὴν θέσιν διαφυλάττειν est decretum? Audiamus ex compluribus erroneam illam opinionem propugnantibus *Johannem Maldonatum*, Jesuitam, & uti *Isaacus Casaubonus* alicubi de illo judicat, *acris & magni ingenii virum, si affectibus, si linguæ, si odio veritatis potuisset moderari. Christus*, inquit ille, *Apostolis non dicit, Eliam jam venisse, sed venturum esse, & quod verbo sequenti jam venisse dicit, non de eo Elia, quem hic venturum dicit, sed de Johanne Baptista loquitur, qui in Spiritu & virtute Eliæ jam venerat, & eoipso, quod de Johanne per præteritum, de Elia per futurum aut per præsens loco futuri positum tempus loquitur, colligere debuerunt, voluisse Christum docere, præter Johannem, qui in spiritu Eliæ jam venerat, ipsum verum Eliam jam venturum esse.* Imo vero id neutiquam colligere debuerunt Apostoli, quod *Maldonatus* censet. Series enim orationis Christi satis aperte testatur, eum non ad rem gestam respicere, sed Prophetiam, quæ tanquam adhuc futura & implenda à Scri-

bis

bis adducebatur, probaturis, Messiam antea minime venturum, quam illius præcursor *Elias Thesbites* apparuisset. Accommodat nempe Dominus responsionem suam ad quæstionem, quæ de re, ut futura erat prolata, sive, ut bene *Hugo Grotius* loquitur ad Marc. 9: vers. 12. *μιμητικῶς recitat dictum frequens in ore legis peritorum, quod certo sensu verum esse concedit.* Christi verba hæc sunt: Ἠλίας μὲν ἔρχεται καὶ ἀποκαταστήσει πάντα. *Elias quidem veniet* (verbo enim præs. temporis per enallagen Scripturæ receptam futurum intelligitur, cujus plura exempla recenset B. D. Glassius Philol. Sacr. lib. 3. tr. 3. can. 48.) *& restituet omnia.* Subjungit jam ἐπανόρθωσιν, qua discipulorum opinionem corrigit. *Dico vero vobis, Elias jam venit, & non agnoverunt.* Clare testatur, Eliam à Deo promissum jamtum venisse, neque per eum stetisse, quo minus ea, ad quæ missus erat, perfecerit, obstitisse enim Judæorum pervicaciam, ne ministerium illius ita efficax ac fructuosum esset. Et Matth. 11: vers. 14. Dominus de eodem Johanne, εἰ θέλετε δέξασθαι, αὐτός ἐστιν Ἠλίας, ὁ μέλλων ἔρχεσθαι, *Si vultis mihi credere, is est Elias, qui venturus erat.* Ita enim verbum δέχομαι, quod pro Chald. קבל & Ebr. שמע ponitur, accipimus cum *B. Majero*, Phil. Sac. lib. 2. pag. 173. Et participium ὁ μέλλων pro ἔμελλε interpretamur, exigente id contextu. Quin tota locutio, quæ *hypothetice* prolata, *absolute* est intelligenda, quandoquidem, si vel maxime noluissent credere, is nihilominus fuisset Elias. Conf. *Joh. Pricæum*, qui hunc loquendi modum alias quoque Scripturæ receptum esse, cum exemplis aliquot probat 1 Cor. 9: vers. 17. & 11: 16. Actor. 26: 5. Luc. 9: vers. 13. 2 Timoth. 2: 13. Ebr. 3: 14. tum ex Latinis quoque illustrat autoribus. Syrus quoque interpres locutionem Græcam his expressit verbis: *Si vultis vos,* ܩܒܠܘ ܕܗܘܝܘ ܐܠܝܐ ܕܥܬܝܕ ܠܡܐܬܐ *recipite, quod is venturus est Elias, qui venturus est.*

§. 4. Facere hic non possumus, quin, quid de H. Grotii sententia judicandum, dicamus, *Ego*, inquientis, *arbitror, persuasionem istam* (de reditu Eliæ) *ab Ebræis ortam, in quorum libris reperimus, Eliam post tempora Messiæ occultatum iri, iterumque se patefacturum diebus Gog & Magog.* Sane in libro *Juchasin* pag. 12. Rabbi Abraham Zacutus ita ait: אליהו יהיה נתגלה כשיבוא משיח ומיד יסתר פעם שנית ואחר כך יתגלה כשיבוא גוג ומגוג: *Elias manifestabitur, quum venerit Messias & extemplo abscondetur denuo, sed postea manifestabitur, ubi venerit Gog & Magog.* Sed hinc παράδοσιν illam Christianorum de Elia ante mundi exitum redituro originem suam traxisse, credat Judæus Apella! Non est *Abrahamus Zacutus* illius ætatis scriptor, ut ex illo sententiam de redituro Elia haurire potuerint Christianorum Doctores vetustissimi. Neque alibi in Judæorum libris antiquioribus facile quicquam invenias de Eliæ apparitione, quam ejus occultatio & iterata manifestatio sit secutura. Cum igitur hæc opinio, ceu videtur, nec fuerit Ebræorum communis, nec antiqua, sed heri demum aut nudius tertius apud Judæos nata, longe verisimilius statuitur, fontem illius παραδόσεως esse quærendum in Versione Græca LXX. Interpp. cujus verba infra considerabimus. Progressu vero temporis sententiæ, quam plurimi iique doctissimi Viri ex Christianis amplexi erant, colorem quoque quæri cœptum esse ex verbis Salvatoris nostri male intellectis, dubitari neutiquam debet. *Cornelius* quoque *à Lapide* haud ita pridem iis ita est abusus, *distinguit*, inquiens, *Christus duos Elias, unum ad literam, de quo ait, Elias quidem venturus est, & restituet omnia, alterum typicum, puta Johannem, de quo ait, Elias jam venit.* Ubi cum Maldonato aliisque docet, geminum Eliam, duplicemque adeo adventum à Christo concedi, cum tamen, ceu vidimus, sermo Domini ex parte μιμητικῶς nonnisi unius faciat mentionem, & solum Johannem Baptistam respiciat. Visus nihilominus sibi est Maldonatus in ipso textu quædam invenisse, quibus probari queat de Baptista solo eum intelligi haud posse. 1. Quia Elias ille omnia restituturus dicatur. 2. Quia de die judicii magni loquatur Propheta, ante quem Elias ille sit venturus, quorum neutrum Johanni competat, cum nulla veritatis specie dici queat, eum omnia restituisse; neque proxime ante diem extremum sit nasciturus, quippe qui Christum ætate etiam anteeat. Cæterum ut quid ad hæc respondendum sit; perspicuum fiat, & de mente Prophetæ nobis constet apertius, textum Ebræum & Græcum diligentius considerabimus.

CAPUT II.

In sensum phraseos, convertet cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres suos, *inquiritur. Explicatio antiquissimorum Judæorum ex* Mischna. *Massechet* עדיות *cap.* 8. *adducitur.* Rabbi Abrahami Ben David, *Commentatoris Talmudici sententia affertur & reprobatur.* Rabbi Abarbenelis, *Veterum quorundam anonymorum, &* Aben-Esræ *de complemento verborum Propheticorum diversæ sententiæ recensentur, ac rejiciuntur.* R. Moses Maimonides *laudatur. Ejusdem inconstantia, & πατροπαραδότου διδαχῆς studium taxatur.* Rabbi David Kimchii *de Elia Judæos ad genera sua relaturo sententia. Eandem ex verbis Malachiæ male probat* R. Obadias Bartenorius. R. D. Kimchium, R. Aben Esram, R. Salomonem, Castrum, Dieu, *interpretationibus suis sensum Phraseos assecutos non esse, demonstratur. Sensus genuinus ex modo Scripturæ loquendi. Vers. Græca, Arabica & Syriaca deducitur, & ex N. T. confirmatur. Verbum Ebr.* השיב *& Græcum ἀποκαταστῆναι ponderatur. Ad* Bellarmini *&* Maldonati *geminas rationes cap. 1. adductas, cur de* Johanne Baptista *solo intelligi vaticinium nequeat, respondetur.* Cornelii à Lap. *originatio vocab.* הנורא *rejicula esse ostenditur. De Extremo die agere Prophetam, vox laudata haud evincit. Nec suppetit ex textu, quo* Maldonatus *de primo Christi adventu vel de excidio Hierosolymitano verba interpretantes refellat. Neque* Chaldæum *de ultimo judicio intellexisse, evidens est.* Rabbi Abarbenel *frustra est in illo probando ex verbis Prophetæ.* Rabbi Abrahami Ben David *interpretamentum versuum 4. & 6. perstringitur.* Johannem Baptistam, *eumque solum intelligere etiam possumus per ea, quæ de mittendo Elia tradunt saniores Ebræi.* Flavii Josephi *testimonium insigne de* Johanne Baptista. *Quid* Gorionides *de eodem senserit. Nomen* Eliæ *non obstare, quo minus* Johannes *intelligatur, ex modo scripturæ loquendi probatur, &* Rabbi Abarbenel *proprio jugulatur gladio. An ex hoc loco Eliæ Thesbitis adventum Veteres clare probaverint, ut* Castrus *docet? Adventum illius negantibus hæreseos impingit notam* Bellarminus. *An sine impudentia & temeritate negari nequeat, Veteres adventum credidisse, nemine dissentiente, ut* Viegas *contendit? Versio Græca, ad quam* Gretserus *provocat, pluribus imposuit. Arabica Versio Prophetarum ex Græca translata, Syriaca contra ex Ebræo textu. Beatus* D. Calixtus *laudatus.*

ELIÆ mittendi munus hunc in modum describit Malachias והשיב לב אבות על בנים ולב בנים על אבותם *& convertet cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres illorum.* Cujusmodi locutio uti alibi in V. T. occurrit nusquam, ita dici haud potest, quantopere in explicatione illius varient Ebræi interpretes. Licet enim illi omnes vaticinium ad futuram, quam sibi fingunt, liberationem referre soleant, aliter tamen atque aliter de ejus complemento sentiunt, & diversimode phrasin ad suum institutum torquent. Antiquissimorum Judæorum in *Mischna* עדיות, cap. 8. (confer *Beth Israel* fol. 148. col. 4.) ubi de fine, ob quem Elias sit venturus, disputatur, hæc quoque verba leguntur: ר"ש אומר להשוות את מחלוקת וחכמים ומרים לעשות שלום בעולם שני הנני שולח לכם את אליהו הנביא לפני בוא יום ה' וגו': *Rabbi Simeon ait,* (veniet Elias) *ut controversias tollat. Doctores vero ajunt,*

ut pacem in mundo faciat, quia dictum est, Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini, &c. Videntur intelligere pacem externam, qualem sperant tum futuram, cum lupus cum agno, pardus cum hœdo, leo cum pecore est stabulaturus, & lusurus cum anguibus infans, & gladii in ligones convertendi sunt. Ita enim tempore Messiæ orbem pacatum sibi spondent, nullo bello amplius inquietandum, dissidio nullo.

§. 5. *R. Abraham* enim *Ben David* ad dictam Massechet, uti Tom. V. Pandectarum Talmudicarum, quæ in Bibliotheca nostræ Salanæ extant, est videre, tale interpretamentum reliquit: חכמים אומרים לעשות שלום כלולם כלומר לעשות שלום לישראל מן האומות ולבשר אותם על ביאת הגואל וזה יום אחד לפני ביאת המשיח והיונו דכתיב הנה אנכי שולח לכם את אליה הנביא לפני בא יום ה׳ הגדול והנורא והשיב לב אבות על בנים ולב בנים על אבותם כלומר לב האבות והבנים אשר נפל בם מורך מפחד וברחו אלה פה ואלה פה מפני צרותם ישובו אותו היום לגבורתם וישובו אלה את אלה ויתנחמו זה בזה אמן וכן יהא בימינו: *Sapientes dicunt venturum Eliam, ut pacem faciat, q. d. ut Israeli pacem conciliet, liberando eum à gentibus, & ut adventum Redemtoris ei annunciet. Atque hoc pridie fiet, quam Messias advenerit. Hoc enim est scriptum: Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, & convertet cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres illorum, q.d. cor patrum & filiorum, (qui metu debilitati propter adversitates huc & illuc aufugerunt,) eopse die robur suum pristinum accipiet, & tunc illi reduces invicem se solabuntur. Amen, fiat hoc diebus nostris!* Errat maximopere Rabbi, arbitratus, *reducere cor patrum ad filios* &c. (quam locutionem infra latius explicabimus) esse *animum metu debilitatum vel jacentem colligere*, aut *consolari.* Hoc phrasi scripturæ est דבר אל לבו *loqui ad cor ejus*, Ruth. 2: vers. 13. Illud החיות לב *vivificare cor*, Esai. 57: 19. vel si intransitive intelligendum, ותחי רוח *revixit spiritus ejus*, Gen. 45: 27.

§. 6. Aliter tamen textum explicandum censet *R. Abarbenel*, cujus scripta hodierni Judæi faciunt maximi. Ita vero ille: הודיעם השם שהראשון אשר יקום בתחירה יהיה אליהו הנביא אם שיחיה כמותם אם חיה שכלה גופו בהלקחו כדעת קצת מן האחרונים ואם שהוא עומד על דרך הפלא בגוף ונפש קיים בגן עדן אשר בארץ כדעת ז״ל וישלחו השם קודם בוא יומו הגדול והנורא שהוא יום חדין לכל החי והנביא האלהי ההוא ישיב לב אבות על בנים׳ ולב בנים על אבותם ופירשו המפרשים שישים אהבה ורצוי שלום והסכמה רבה בין בני אדם כולם ומדברי חכמים ו״ל הוא בסוף מסכת עדיות ויותר נראה לפרש שאם היה אדם בחיים שמתו בניו יקומו במצות הנביא הזה וכאשר יראו האבוא את בניהם חיים ויפרסמו להם אמתת הגמול הנפשיי שהוא כפי אמונות התוריות ויאמינו האבות וישיבו לבבם אל השם וכן ישיב לב בנים על אבותם אם היו אבות מתים והבנים חיים באופן שעל ידי הקמים בתחיירה יתישר המין האנושי בהכרת האל יתברך ואמתת אמונתו כי זהוא תכלית התחייה באמת כמו שזכרתי פעמים ועל בן אמר כאן פן אבוא והכיתי את כל הארף חרם כלומר שאם המין האנושי לא יכיר את בוראו ותחייב כלייה ותחיה לל הארץ חלם ולכן תהיה תחיירת המתים באלף הששי אשר בסופו יחרב העולם כדי שמין האנושי יגיע אל התכלית ההוא שבעבורו נברא קודם הפסדו באופן שלא תהיה בליאתו לבטלה: Sensus verborum hic est: *Ostendit eis Deus, quod primus in resurrectione sit futurus Propheta Elias, sive is vivat, uti illi, sive corpus ejus sit consumptum cum tolleretur* (2 Reg. 2.) *uti quidam recentiores Dd. sentiunt, sive is modo quodam miraculoso, corpore & anima degat in horto Eden, qui, uti sapientes l. m. opinantur, in terra existit. Hunc igitur Deus mittet, antequam veniet Dies magnus & terribilis, nempe judicii omnis viventis. Tunc Propheta ille divinus convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres suos. Explicant interpretes hoc ita, ut dicant, Pacis cupiditatem & exoptatam concordiam ejus opera inter omnes homines futuram: Atque ita Dd. l. m. docent in fine Massechet* עדיות. *Videtur autem potius ita explicandus Malachias: Si quis adhuc in vivis fuerit, & filii ipsius obierint, resurgent hi jussu hujus Prophetæ, cumque viderint Parentes filios suos vivos, qui illis retributionis spiritualis veritatem annunciaturi sunt juxta fidem, quam lex exigit, tunc credent patres, & cor suum ad Deum convertent. Et sic conversurus erit cor filiorum ad patres illorum, si parentes fuerint mortui, & filii vixerint, ut per resurgentes in mortuorum exsuscitatione species humana in cognitione Dei benedicti & vera fide dirigatur. Hic enim verus finis est exsuscitationis ad vitam, uti sæpius dixi. Et idcirco hic ait: ne forte veniam & percutiam omnem terram anathemate, q. d. nisi species humana cognoscat creatorem suum, obnoxia erit perditioni, & omnis terra anathema erit. Propterea mortuorum resurrectio erit anno millesimo sexto, in cujus fine mundus destruetur, ut species humana ad finem suum, ob quem est creata, pertingat, ante excidium ejus, ne creatio sit frustranea.*

§. 7. Hæc de venturi Eliæ munere & operibus sententia, quam *Rabbi Abarbenel* ad contribulium suorum spem de futura felicitate roborandam in medium adduxit, ejusmodi est, ut ea lecta merito quis miserrimæ genti indolescat. Ne apex quidem in textu habetur de resurrectione mortuorum, nedum ut Eliæ jussu sit futura. Et sane, ut metuant, ne resurrectio mortuorum, quam ad finem properantis millenarii sexti rejicit Abarbenel, Eliæ adventum prævertat. Quam insulse eo torquetur phrasis, *convertet cor patrum ad filios* &c. quasi post resurrectionem demum mortuorum sit implenda, ut reliqua, quæ ab eodem Abarbenele frustra dicuntur, jam mittamus. Nihilominus tamen *R. Menasseh, Ben Israël* harum nugarum interpolator lib. 2. de Resurrect. cap. 3. hanc verborum Malachiæ expositionem commendat, & veluti genuinum sensum præ reliquis exhibentem orbi Christiano de integro obtrudit.

§. 8. De resurrectione mortuorum nihil in textu contineri, haud dubie sensit sapiens *Rabbi Aben-Esra*, longe aliam enim provinciam is Eliæ illi mittendo attribuit, fatente ipsomet *R. Abarbenele*, חשב הרא״בע שאליהו יבוא בקבוץ הגליורת כשר צבא חשם וכדרך שבא משה רבינו עליו השלום בגאולת מצרים לא לענין התחירה: *arbitratur R. Aben-Esra, Eliam venturum tempore collectionis captivorum instar principis exercitus Domini, & quemadmodum venit Moses Doctor noster in captivitate Ægyptiaca, non ad resurrectionis negotium.* Atque ita veterum nonnulli exilii diuturni pertæsi Eliam expectarunt, quorum sententia, licet à modo recensita explicatione longe recedat, & ipsi textui sit minime consentanea, non audet tamen ei dicam scribere *R. Abarbenel*, quin ambabus, quod dicitur, manibus accipit, sic enim loquitur: גם זה מדברי חכמים ז״ל הוא ואם לא זכרו בשמם כי כל יקר ראתה עינם אמרו במדרש שוחר טוב אמרו ישראל בגאולי הראשונה כתוב שלח תשה עברו אהרון אשר בחר בו שלח אף לי שנים כנגדם שלח אולך ואמתך המה ינחוני אמר הק״בה אני משלח שני הנה אנכי שולח לכם ארת אליהו הנביא הרי אחד והשני הן עבדי אתמך בו בחירי רצתה נפשי: *Est & hæc expositio ad mentem Dd. & licet nomine suo, non memorentur,* (Hos. 2: 17.) *vidit tamen oculus eorum omne pretiosum* (Job. 28: 10.) *In Medrasch enim Schochad tobb ita loquuntur: Israel de captivitate prima dixit* (Psal. 105: vers. 26.) *misit Mosen servum suum, Aaronem, quem elegit, mitte & mihi duos, qui iisdem respondeant! mitte* (Ps. 43: 3.) *lucem tuam & veritatem tuam, ipsæ ducent me. Dixit sanctus Benedictus ille, ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam! ecce hic unus est, alter* (Esai. 42: 2.) *ecce servus meus, innitar in eo, electus meus, complacuit ei anima mea.*

§. 9. Quam proclivis sit ad hanc quoque explicationem recipiendam *Abarbenel*, nimia Doctorum suorum veneratione fascinatus, ex seqq. verbis apparet: נראה לחכמינו ויעד הנביא שיבוא בזמן קבוץ הגליות גם מצאתי בפרקי רבי אליעזר מאמר מסייע לדערת הזה רבי יהודה אומר אם אין ישראל עושין תשובה אינן נגאלין ואינם עושים תשובה אלה מתוך צער ומתוך טלטול ומטון שאין להם מחיה ואין ישראל עושים תשובה גדולה עד שיבוא אליהו הנביא זכור לטוב שנ׳ הנה אנכי שולח לכם ארת אליהו הנביא מה כתיב אחרין והשיב לב אבות על בנים מה כתיב אחריו ולב בנים על אבותם הנה יראה מהמאמרים האלה שאליהו יבוא בקבוץ הגליות אבל אין מזה סתירה למה שזכרתי כי הנה הגאולה העתידה והתחיית המתים שניהם היו כאחד ובזמן קרוב ולכן תמצא פעמים בכתוב יום השם על קבוץ הגליות ופעמים יאמר יום ה׳ על זמן התחייה ואלו ואלו דברי אלקים חיים: *Sapientibus nostris visum ita est, & Propheta promisit, venturum* (Eliam) *tempore collectionis captivorum. Præterea inveni in capitibus R. Elieseris, quod sententiam hanc confirmat. Rabbi Juda ait, nisi Israelitæ agant pœnitentiam, non liberarentur. Non hanc agunt Israelitæ, nisi in afflictione, & expulsione atque exitio, & cum non habent, qui eos vivificet. Non sunt facturi Israelitæ magnam resipiscentiam, donec venerit Elias, cujus in bonum fit mentio, quia dicitur: Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam. Ecquid porro scriptum est? & convertet cor patrum ad filios. Quid posthæc sequitur? & cor filiorum ad patres suos. Ecce ex his apparet, quod Elias venturus sit tempore redemtionis, quod illis, quæ modo dixi, non repugnat. Ecce enim futura liberatio & mortuorum vivificatio pro uno eodemque habentur, & tempore haud ita diverso fient. Idcirco reperies in scripturis, diem Domini dici de captivorum collectione, interdum vero de vivificatione mortuorum & utraque verba sunt Dei viventis.*

§. 10. Do-

§. 10. Doctoribus Judæorum visum esse, Malachiam l. cit. asserere, Eliæ tanquam Ducis alicujus militaris auspiciis extorres Judæos congregatum & in terram Canaan reductum iri, faciles credimus, qui non ignoramus, eos pro lubitu fingere nunquam facta, nunquam futura. At enim reapse Prophetam hujus liberationis heic meminisse, tam verum est, quam veritati est consentaneum de mortuorum resurrectione, Eliæ jussu futura Malachiam agere. Neutrius nec vola nec vestigium in textu nostro apparet, nihilominus *R. Abarbenel*, tantus Ebræorum Doctor, qui, uti inscriptio commentariorum ejus in libb. Regum testatur, in videndo elogio hoc insignitur, איש הגבר חי רב פעלים בישראל גדול שמו utramque explicationem allatam pro vera & genuina, ipsiusque adeo *Dei viventis verbis* venditare nullus dubitavit. Expende quæso lector Philalethes commentum adductum, & stuporem illum θεήλατον juxta mecum mirare, quo ille perculsus sensum verborum non eruit sed infert pro lubitu. Num ideo, quia *R. Juda* ait, Judæos pœnitentiam non acturos esse, donec veniat Elias, ideo ex textu constat, eum venturum, ut eos in libertatem asserat? Erat hic recutiti, ex quibus verbis tale quid colligi debeat, perspicue ostendere, maxime vero aliis scripturæ locis illustrare verba, *& convertet cor patrum ad filios*, quibus aliquid à duce militari & post resurrectionem quidem mortuorum implendum contineri, nemo ante Abarbenelem eo vesaniæ est progressus, ut diceret; ne dum ut Prophetæ hujus menti duas tam diversas explicationes simul consentaneas esse asseveraret. Quam ridicula & scripturæ interprete indigna est assertio: liberatio futura, (quam fere ex dictis de captivitate Babylonica solvenda agentibus perperam colligunt) & resurrectio mortuorum sunt כאחד *instar unius*, utraque vocari solet *dies Domini*, E. de utraque agit Propheta? quasi vero identitas nominis, quod duobus vel pluribus est commune, arguat, Prophetam de illis simul agere, quibus nomen alias competit. Unde vero constat *R. Abarbeneli*, & qui hunc sequitur, *R. Menasseh Ben Israël, lib. 3. de Resurrect. cap.* 3. utrumque tempus conjunctum fore? Nonnisi ex Dd. quorundam opinione. *R. Lipmannus* ad Mal. l. c. ait: רמ"בם לא קבע זמן לתחיית המתים אך שהוא לימות המשיח אפשר בתחלתו או באמצעיתו או בסופו: *Rambam non determinavit tempus resurrectionis mortuorum, nisi quod diebus Messiæ futurum dixerit. Fieri potest, ut vel initio vel medio vel fine illorum contingat.* Ita miseri divinant, & tempus Messiæ, quod ex scripturæ dictis χρόνους προσημασίαν habentibus, nempe Gen. 49: 10. & Dan. 9: 24. scire potuissent, hodie juxta cum resurrectione mortuorum ignorant, & nihilominus æque invita scriptura conjungunt utramque, ac ad duo diversa munia resurrectionem mortuorum & extorrium Judæorum reductionem in terram Canaan Eliam missum iri probat ex verbis Malachiæ *R. Abarbenel.* Compescat ipsius effrenem fingendi licentiam *Rabbi Moses Maimonides*, qui plusquam ducentis annis ante, quam *R. Abarbenel* natus est, Hilkot Melachim, cap. 12. §. 2. hunc in modum scripsit: יש מן החכמים שאומרים שקודם ביאת המשיח יבוא אליהו וכל אלו הדברים ויוצא בהם לא ידע אדם איך יהיו עד שיהיו הדברים סתומים הן אצל הנביאים גם החכמים אין להם קבלה בדברים אלו אלא לפי הכרע הפסוקים: *Sunt ex Sapientibus, qui dicant, ante adventum Messiæ venturum Eliam. Sed hæc omnia hisque similia nemo hominum novit quomodo se sint habitura, ita ut ipsos etiam Prophetas lateant. Præterea sapientibus hic nihil ex traditione constat, sed quicquid sciunt, scripturæ præponderatio eis suggessit.*

§. 11. Ingenua hæc confessio merito opponenda Judæis est, tot ἄτοπα sibi fingentibus de Eliæ reditu. Utinam vero quod *Maimonides* in illo, eruditis tantopere deprædicato, Opere *Jad* fassus est, illius alibi non dememinisset, & suorum commenta itidem pro vera & genuina sententia habuisse, haud esset visus! Comment. in Mischnam עדיות, l. c. ea de Elia mittendo refert, quæ sane ex sensu textus literali nunquam deduxeris. Verba enim *Mischnæ* sic habent: אמר רבי יהושע מקובל אני מרבן יוחנן בן זכאי ששמע מרבו ורבו מרבו הלכה למשה מסיני שאין אליהו בא לטמא ולטהרר לרחק ולקרב אלא להרחק המקורבים בזרוע ולקרב המרוחקים בזרוע: *Dixit R. Josua: Edoctus ego ita sum à Rabban Jochanam, filio Saccaj, quod ille auditione acceperit à magistro suo, qui & ipse à suo Doctore audierat, esse sententiam Mosi in monte Sinai traditam, non venire Eliam ut mundum faciat vel immundum, ut appropinquare faciat & removeat, sed ut vi admotos removeat, & qui violenter remoti sunt, adducat.* *Maimonides* comment. in prædictam Mischnam ita verba hæc explicat: לא נשמע ממשה רבינו ע"ה זה הלשון אבל שמע ממנו זה הענין לפי שמשה ספר בביאת משיחנו ולשון התורה אף יהיה נדחך בקצה השמים וגו' ושב ה' אלהיך את שבותך וגו' ומל ה' אלהיך וזולת זה והגיד להם גם כן מפי הגבורה בהקדמותיו וסבותיו ושיקדים אותו האיש לישר לו הארץ והוא אליהו והודע להם שהאיש ההוא לא יוסיף ולא יגרע בתורה אבל יסלק ויסיר החמסים בלבד ואין בזה לא מחלוקת ולא הכחשה אבל נפלה המחלוקת ברעות שיסיר מהם אמר רבן יוחנן בן זכאי שהרעות שיסיר הם להרחיק אדם פסול ביחסו ששב כשר בזרוע ולקרב המדם כשר שהורחק מקהל כהונה או מקהל ישראל: *Non totidem verbis hæc ex ipso Mose Doctore nostro l. m. audita sunt, sed secundum sensum vel διάνοιαν percepit, quia Moses de Eliæ adventu est locutus, & scriptura ait* (Deut. 30: 4.) *si fuerit expulsus tuus in extremo cælorum, inde congregabit te Dominus Deus tuus &c. & circumcidet cor tuum &c. Præterea divinitus edoctus ostendit eis suis sermonibus, Deum præmissurum esse virum illum, qui terram rectificet, Eliam, puta, non ut quicquam de lege demat aut addat ei, sed ut violentiam amoliatur. Qua quidem in re nullum superest dubium. Illud vero est, de quo disputant, ecquanam mala sint removenda. Rabban Jochanan, Ben Saccaj ait, ad mala illa auferenda spectare, ut eum, cujus prosapia cum sit illegitima, tamen pro legitima habetur, amoveat; & contra, ut illum cujus prosapia recte se habet, & per vim vel à sacerdotio vel cœtu Israëlis est remotus, adducat.* Ita Maimonides sententiam Veterum recenset, ut tamen eam falsitatis accusare non audeat, sed ipsum etiam Mosen legislatorem adventum Eliæ, qualem illi exspectant, annunciasse & prædixisse, aperte profiteatur, quæ quomodo supra adductis verbis respondeant, nondum apparet. Demiror & *Kimchium* comment. ad Ezech. 47. de Eliæ munere similiter fabulari, לעתיד בצאת ישראל מהגלות יודעו השבטים אף עם פי שהם מעורבים עתה ולא ידעו איש את שבטו יבוא אליהו וייחס כל איש אל שבטו: *Quando Israël ex captivitate est egressurus, tribus cognoscentur, licet illæ hodie permixtæ sint, & nemo suam ipsius, qua oriundus sit, tribum sciat. Veniet enim Elias, & unumquemque ad suam tribum referet.* Scire antehac desideravimus, hæcne ex traditione Judæi se habere asserant, (cui tamen, quod Eliam attinet, nullum locum relinquere *Maimonidem*, supra vidimus) an vero ex textu quopiam scripturæ asserto fidem facere confidant. Verba Malachiæ eos huic commento adstruendo prætexere, jam demum discimus ex *Rabbi Obadiæ Bartenorii* comment. in Mischnam עדיות cap. 8. fol. 59. col. 3. ubi verba Prophetæ, *& convertet cor Patrum* על בנים, ita explicat, dicam, an pervertit? עתיד לומר ברוח הקדש זה מכני בניו של זה: *Spiritus sancti afflatu* (Elias) *est ostensurus, quo quisque genere sit prognatus.*

§. 12. Sed forsitan hæc more suo על דרך דרש *allegorice* vel *mystice* intellecta volunt Judæi? Ita sane videtur. Neque enim sensum literalem verborum Propheticorum tale quid præ se ferre, eos dicturos arbitror. Cæterum cum, uti Maimonides bene monet, הכרע הפסוקים *Scripturæ præponderatio*, hoc est, uti eum intelligo, sensus verborum literalis hic utramque faciat paginam, & ex illo solo colligendum sit, quodnam munus illius Eliæ sit futurum, operam minime lusuri videmur, si textui arctius insistentes penitius locutionem laudatam perpendamus. *R. David Kimchi*, qui sæpius textum dexterrime explanat, comment. ad l. cit. hunc sensum esse ait: הוא יזהיר האבות ובנים יחדיו לשוב בכל לב אל השם והשבים ינצלו מיום המשפט וזהו שאמר והשיב לב אבות על בנים כמו עם בנים וכן לב בנים על אבות כמו עם אבות כלו' האבות והבנים יחדיו: *Ille patres & filios simul adhortabitur, ut toto corde ad Deum se convertant, & qui resipiscent, liberabuntur à die judicii. Atque hoc innuunt verba*: & convertet cor patrum על בנים, *quod idem est, ac si dicat, cum filiis*, & cor filiorum על אבותם *idem est ac cum patribus, q. d. patres ac filios simul convertet. R. Aben Esra* itidem huc collimare videtur, cujus interpretamentum hoc est. כלם יהיו לב אחד לטוב אל השם אבות ובנים בטרם בא יום הגדול: *Omnes uno corde bonum intendent ad Deum se conversuri, patres & filii, antequam dies magnus veniat. R. Salomo Jarchi* ab alio se verborum explicationem hausisse profitetur talem: השיב לב אבות להקב"ה על ידי בנים דרך אהבה ורצון לו ודברו לאבותיכם לאחוז בדרכי המקום וכן לב בנים על אבות כך שמעתי משמו של רבי מנחם: *Convertet cor patrum ad Deum benedictum* על בנים *per filios, amore videlicet & benevolentia, dum hi sunt adhortaturi parentes, ut Dei via incedant. Idem intelligendum est de sequentibus, cor filiorum ad patres illorum. Hanc explicationem audivi ab eo, cui nomen est R. Menachem.*

§. 13. Hactenus præcipuorum interpretum Ebræorum vidimus explicationes, quarum quædam à vero absunt longius, aliæ

aliæ propius. Quod *Kimchium* attinet, qui verbum השיב de pœnitentia intelligens, sensum esse ait, *Eliam illum conversurum patres cum filiis*, neque ille vim phraseos Ebrææ est assecutus. Fatemur quidem, particulam על, quandoque idem esse ac *cum*, quod exempla à *Lud. de Dieu* allata, (qui & ipse animadvers. ad Luc. 1: 17. *Kimchium* sequitur) abunde probant, Exod. 12: 8. cap. 35: 22. Deut. 22: 6. 1 Sam. 14: 33. Cæterum cum Propheta non dicat: *& convertet patres cum filiis* ליהוה vel אל יהוה *ad Dominum*, uti *Rabbi Salomo* explicat: Sed *corda Patrum* על בנים, aliam verborum versionem dandam censemus, nempe talem: *& redire faciet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres suos*; ut על non idem sit, ac עם *cum*; ceu supra *Kimchi*, *Ludovicus de Dieu*, *Castrus* aliique volunt: neque significet על ידי *per*, uti *Jarchi* docet, sed ut pro אל *ad* accipiatur, cujus significationis multa exempla ipsemet *Kimchi* part. 2. *Michlol*, radice עלה adducit. Confer. 1 Sam. l. 10. 2. Reg. 22: 9. Esai. 29: 22. Jer. 11: 2. Job. 22: 2. Ut vero tota locutio recte intelligatur, sciendum est, inter significata, quibus לב *cor* in sacris gaudet, maxime eminere illud, quo pro circumstantia textus de *intellectus vel voluntatis actibus, cogitatione, judicio, electione, consultatione* accipitur. Prov. 19: 8. pro ipsa scientia usurpatur, ad quem locum in libro *Michlal Jophi* hæc verba reperiuntur: קונה לב לפי שהלב הוא משכן השכל אמל בן כאלו אמר קונה דעת: *acquirens cor ideo dicitur, quia cor est sedes intellectus, & tantundem sonat, ac acquirens scientiam.* Conf. Job. 11: 12. & Esai. 44: 19. De *voluntate* intelligitur Jer. 3: vers. 15. ubi Kimchi לבי per חפצי *voluptas* explicat & 1 Sam. 2: 35. ubi *Chaldæus* habet מימרי ורעותי. *R. David Kimchi*, רצוני *voluntas mea*.

§. 14. His observatis, difficile haud fuerit, quid sibi Propheta velit, perspicere, maxime, si temporis rationem habeas, quo Malachias respexit. Fatentur Judæi, in *Seder Olam Sota*, vel Chronico mundi minore, libro *Juchasin* annexo pag. 167. edit. Cracov. cum Malachia, quem ideo חותם הנביאים *sigillum Prophetarum* nuncupant, prophetiam in Israële exspirasse, & ajunt ibidem, מכאן ואילך הט אזנך ושמע דברי חכמים: *ab illo tempore & deinceps aurem tuam inclina, & sancitis Doctorum obtempera.* Ita creditum pluribus Judæorum fuit, eos Dd. qui successerunt, æque esse ἀξιοπίστους ac fuerant Prophetæ, cum tamen illi scientiæ opinione turgidi scripturæ mentem non tam exprimerent, quam perverterent. De duorum celebrium, qui paulo ante Christum vixerunt, Doctorum, *Hillel & Schammai* sectatoribus scribit ipse *R. Abarbenel*, comment. in Pentateuchum fol. 363. col. 1. postquam illi aucti sunt, רבו מחלוקות בישראל ונעשתה תורת ה"ש כשתי תורות: *usque adeo incrementa sumpsisse controversias in Israël, ut lex Dei benedicti non aliter apparuerit, quam si gemina esset.* Nempe, ut dissidia civilia Judæorum jam taceamus, non Sadducæorum tantum errores pestilentissimi jam radices inter eos egerant, sed inter ipsos Scribas & Pharisæos sententiarum ejusmodi erat dissimilitudo, ac lex divina tam diversimode exponebatur, ut pene totus populus, quem Christus in terris agens ovibus disjectis & pastore destitutis comparabat, contrariis vitæ studiis & diversis doctrinæ placitis animorum pateretur abalienationes, & acribus inter se agitaretur odiis. Ad tollendum istum dissensum, & quæ hinc sequuntur animorum distractiones, Eliam se missurum Deus pollicetur, qui à tot magistris ad unum, à diversis Doctorum dictatibus ad unicam fidei regulam populum reducat, adeoque faciat, ut in eo sit לב אחד *cor unum.* Hoc enim esse *reducere cor patrum ad filios*, & quod majoris amplificationis causa additur, *corda filiorum ad patres*, paulo post ostendemus uberius.

§. 15. Hoc posterius membrum cur Lucas cap. 1. vers. 17. omiserit, Cl. Ludovicum de Dieu differentem jam audiemus animadvers. ad. l. cit. *Jam*, inquit ille, *causa reddi potest, cur ex Prophetia Malachiæ Lucas omiserit* ולב בנים על אבותם καὶ καρδίας τέκνων ἐπὶ πατέρας αὐτῶν. *Si enim præcedentis membri sensus est, convertet corda patrum in filios, addendum fuisset & alterum; & corda filiorum in patres suos, alioqui patres tantum, non filios convertisset, sed quando* על *&* ἐπὶ *sumuntur pro cum, prius membrum sufficiebat, conversis enim patribus cum filiis, & hi & illi conversi sunt, alterumque membrum amplificationis tantum gratia additum. Deinde quid quæso est, convertere corda patrum in filios & filiorum in patres? Siccine alibi scriptura loquitur, & si loqueretur, aliudne est, quam quinti præcepti observatio? qua universam conversionem describere, cui Johanni incumbendum erat, non satis aptum videtur. Quod si tamen doctis sententia nostra non probatur, laudo doctissimum Camerarium, qui vulgatam sententiam secutus ait, disciplinæ diligentiam hic indicari, quæ respectu potissimum paterno ad liberos continetur, non verto autem, & convertet, sed & reducet, corda patrum ad, vel super filios*, id est *corda patrum à recta filiorum disciplina & institutione aversa reducet, ut filiorum piæ educationi incumbant. Sic & in altero Prophetæ membro: Et corda filiorum ad, vel super patres eorum*, id est *aversa filiorum corda à patrum reverentia & obedientia eo redire faciet.*

§. 16. Quod pace magni viri dixerim, ex omissione posterioris membri nequit probari, verba illa Lucæ potius ita vertenda esse: & *convertet cor patrum cum filiis*, quam *& convertet cor patrum ad filios.* Rationem, quam affert, alioquin secuturum, solos patres conversum iri, filios non item, nullam esse apparet; quia non tam ipsam conversionem, quam ejus consequens & fructum, consensum nempe in vera salutis doctrina designare ista phrasi voluit. Ad hunc vero denotandum sufficiebat prius, patres & filios ex æquo respiciens membrum; cui nihilominus loco omissi posterioris membri ejusmodi subdit explicationem Evangelista, quæ sensum totius loci magis declarat. Quod *Dieu* porro quærit, *quid quæso est convertere corda patrum, siccine scriptura loquitur? & si loqueretur, aliud ne est, quam quinti præcepti observatio?* ad id Resp. locutionem quidem totidem verbis alibi in sacris inveniri nullam, & τὸ *cor* omnes animæ facultates ita designare aptum esse, ut, si seorsim ista nomenclatura consideretur, in proclivi haud sit, sensum deprehendere: Interim tamen, quia populi status, ad quem Malachias collineat, apertus est, nobisque Christianis N. T. sine quo, ut *Rivetus* Isag. pag. 43. ait, Vetus vix intelligi potest, præit, ratio phraseos obscura esse nequit. Quantum ex tota phrasi *Reducere cor patrum ad filios* est colligere, connotat aversionem aliquam antecedentem vel *judicii* vel *voluntatis.* Sic 1 Reg. 12: 17. *cor populi* dicitur שוב לאדניהם *redire ad Dominum suum*, nempe à quo ante defecerat. Ubi ejusmodi aversio vel defectio non antecessit, vel ab ea præsciinditur, scriptura loco τȣ̃ שוב aliud verbum adhibet, quo illos, de quibus textus loquitur. ὁμοιοπαθεῖν significetur 1 Par. 12: 17. (quem locum ad illustrandum hunc nostrum non afferre interpretes, demiror) hæc verba leguntur: *& dixit David, si venistis, ut mihi auxiliemini*, יהיה עליכם לבב ליחד *erit ad vos cor pariter. R. Salomo* illa sic explicat: לבבכם ולבבי יהיה כלבאחד *cor vestrum & cormeum erunt instar unius.* Hoc Malachiæ loco aversionem judicii connotari, dubitandum non est, & ex verbo transitivo השיב apparet, futurum, ut Eliæ opera iterum consentiant. *R. Abrahamo Ben David*, cujus insipidum interpretamentum supra §. 5. rejecimus, hic aliquid, quamvis in tenebris hærenti, suboluit. Is enim Prophetam ad vs. 4. respicere arbitratus sensum esse ait: על החקים והמשפטים ישוה לב האבות עם לב הבנים שלא תהיה עוד דמחלוקת ביניהם: *Faciet, ut patres cum filiis de judiciis & statutis* (de lege ceremoniali & judiciali interpretatur recutitus) *idem sentiant, ne amplius inter eos sit dissidium*, & *R. Obad. Bartenorius* l. cit. ait: לדברי רבי שמעון אבות אלו החכמים ובנים אלו התלמידים שיהיה לב כלן שוה ולא יפול ביניהן מחלוקת: *R. Simeonis sententia vox patres designat Doctores; filii, discipulos, quorum omnium cor unum sit futurum, nec inter eos ullum dissidium.*

§. 17. Quemadmodum hic cum Judæis haud facimus, qui voces *patres & filios* ad Dd. & discipulos restringunt: Ita nec *Ludovico de Dieu* adstipulari possumus, qui saltem observationem quarti præcepti significari autumat, quo ipso, contra quam fieri debebat, vocabula nimium coarctat. Græci interpretes paulo latius extendunt, ceu ex hac versione illorum liquet: ὃς ἀποκαταστήσει καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ. *Arabs* interpres, qui Anglicano, auro contra caro Operi Biblico insertus est, κατὰ πόδα vertit: *& cor hominis ad* صاحبه *socium suum.* Sane voces *patres & filii* illustrioris exempli loco duntaxat esse positas, neminem dubitare finit sermo Archangeli, Luc. 1: 17. ubi missum iri Eliam ait, ἐπιστρέψαι τὰς καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων. Hic non solum particula ἐπὶ ostendit, Ebraicam vocem על idem significare ac אל *ad*, motum videlicet ad locum, (quomodo & Syr. ܠܘܬ sumi ex Luc. 10: 9. constat, ut secundum explicationem dictam scribendum haud fuerit ܥܡ, ceu Dieu docet) sed vel maxime explicationem allatam stabiliunt verba ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων, quæ *Syrus* & *Arabs*, haud ignari, ἐν pro εἰς positum esse, recte transtulerunt. Illius enim versio hæc

hæc est ܘܠܐ ܡܬܛܦܝܣܝܢ ܠܝܕܥܬܐ ܕܟܐܢܐ qui non obediunt, ad scientiam justorum. Hujus vero verba, quæ qua sensum cum Syriacis coincidunt, sic habent: والعصين لا يطيعون الى علم الابرار. utramque interpretem dictionem על pro אל accepisse, inde patet, quandoquidem Syrus per ܠ, Arabs per particulam الى reddidit. Vocem præterea φρονήσει cum Græcis interpretibus, quibus alias pro חכמה *sapientia*, בינה *intelligentia*, ערמה *solertia*, usurpatur, hic pro דעת *scientia*, acceperunt, ut hic minime opus sit, *prudentiam*, vertere.

§. 18. Matthæus cap. 17: 11. & Marcus cap. 9: 12. nulla prorsus facta mentione vel *patrum* vel *filiorum*, solum verbum LXX. usurpatum ἀποκαταστήσει retinuerunt, eique pro uberiori explicatione vocem πάντα adjecerunt. Quod verbum ἀποκαταστήσει in Græcis τῶν ἑβδομήκοντα Bibliis non solum pro השיב *restituit*, usurpatur, sed etiam pro הציג *collocavit*, הושיב *permanere fecit*, הקים *constituit*, סמך *fulcivit*. Inde *Ludovicus de Dieu* arbitratur, illud hic vertendum *constituet omnia*: & sensum esse, *Johannis munus erit, ut omnia Dei promissa in suo jam loco & statu esse posita doceat*. Enimvero cum in Ebræo textu τὸ השיב reperiatur, quod LXX. Interpp. quorum tum Versione Euangelistæ usi sunt, per ἀποκαθιστάναι reddiderunt, causæ nihil videmus, quamobrem aliter transferatur, quam per *restituere*: maxime cum alias in Novo Testamento idem significet, ac *in verum & naturæ congruentem statum reponere*. confer Matth. 12: 13. Marc. 8: 25. Act. cap. 1: 6. Quid, quod ipse *Dieu* tandem Arabica approbata versione (qua verbum اصلح *rectificavit*, adhibetur) largitur, τὸ ἀποκαταστᾷ recte verti posse, *restituet*, nempe inter cætera etiam hoc, πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πολλὰ πάθῃ καὶ ἐξουδενωθῇ, ut Marcus loc. cit. loquitur, hoc est, quomodo de passionibus Christi sit scriptum, de quibus cum Judæi non recte judicarent, eos instruxit, digito etiam commonstrando eum, qui illas sit subiturus Joh. 1: 29.

§. 19. Lucas cap. 1: 17. ad cap. 3. Malachiæ respiciens, missum iri Johannem ait ἑτοιμάσαι Κυρίῳ λαὸν κατεσκευασμένον, quæ verba *Theophylactus* explicaturus ait, ἐμπαρεσκευασμένον πρὸς τὸ ὑποδέξασθαι τὸ κήρυγμα, Item προητοιμασμένον εἰς ὑποδοχὴν τοῦ Χριστοῦ. Hæc dum Johannes præstitit, & ut Luc. cap. 1: 79. Zacharias loquitur, conatus est κατευθῦναι τοὺς πόδας αὐτῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης, omnia restituisse dicitur. Negant quidem hoc *Maldonatus* & *Bellarminus*, contendentes, τὸ *restituere omnia*, esse *Judæos & hæreticos, & forte multos Catholicos ab Antichristo deceptos revocare ad veram fidem*, eoque nomine Eliam Thesbiten expectandum; sed fugit eos ratio. Ad id enim, ut omnia restituisse dicatur Johannes, satis est, eum, quantum in se est, operam dedisse, ut omnia in locum suum restituerentur, si vel maxime hominum culpa non omnia actu sint restituta. Scriptura enim ejusmodi locutionibus universalibus non tam spectat, quid facto ipso existat, quam, quid secundum rei naturam esse aut fieri debebat: sive non tam de fructu operæ, quam opera ipsa intelligit, quod vel solus locus Joh. 1: 9. abunde probat, ubi Christus omnem hominem illuminare dicitur, quamvis maxima hominum pars illuminationi obicem ponat.

§. 20. Numquid vero exinde sequitur, Johannem non posse solum intelligi, quia mittendus dicitur Elias ante diem Domini הנורא, quæ vox extremum diem *terribilem* significet? Ita *Maldonatus* l. cit. & *Bellarminus* lib. 3. de R. P. c. 6. persuasum habent, & Eliam de quo Malachias agit, non ante primum sed secundum Christi adventum appariturum docent, quod ille primus non sit terribilis, sed *acceptabile tempus, & dies salutis*. ℞. vocatur dies ille à Propheta 1. גדול *magnus*, quod epitheton secundum se indifferens, tam de bono, quam de malo accipitur. Notatur enim tempus, quo quid insigne & admiratione dignum accidit. 2. dicitur הנורא de qua voce *Cornelius à Lap.* Comm. ad Joël. 2: 31. sic scribit: נורא *deduci potest à* ראה *id est vidit, ut mutuetur tempora à Jare. Sæpe enim ordines verborum Imperfectorum apud Ebræos inter se commutantur, ut unus ab alio suam inflexionem desumat, & tunc nora significat illustrem & manifestum.* Nequicquam hæc à Jesuita dicuntur. Etsi enim verborum imperfectorum ordines apud Ebræos quandoque inter se commutantur, nondum tamen probatum est, in verbis quiescentibus Pe Jod & Lamed He id fieri; adeoque non videmus, quomodo à ראה deducatur. Rectius dicitur, originem suam debere voci יָרֵא *timuit*, unde נורא *timendus*; quam vocem pro נִרְאָה LXX. accepisse, & per ἐπιφανὴς reddidisse, *Schindlerus* autor est, Lexic. Pentaglotto pag. 802. Quicquid ejus sit, id ex locis nonnullis apparet, in ipso textu Ebraico non tam *timendum* aliquid, quam *venerabile* significare, perinde ac Latinis *horrorem*, religionem vel venerationem denotare, ex illo lib. 3. *Lucani* probant

Arboribus suus horror inest.

Exod. 15: 12. hæc verba leguntur: נאדר בקדש נורא תהלות *magnificus in sanctitate, reverendus in laudibus*. Ita enim potius vertendum videtur, quam *timendus*. Malach. 1: 14. ait Dominus *nomen meum* נורא *in gentibus*, ubi *Kimchi* per גדול *magnus* explicat, Chaldæus חסין *potens* LXX. ἐπιφανές. Atque ita hunc locum Malachiæ cum Græcis, (quibus alias etiam est μέγας, θαυμαστὸς) vertit Arabs ظاهر *illustris*.

§. 21. Quocunque nunc modo τὸ הנורא accipiatur, necessarium haud est, ut de יום הדין *die judicii* intelligamus: Si enim, ut Græci reddiderunt, idem est ac ἐπιφανὴς, causæ nihil est, quamobrem de horroris causa sollicitus, decretorium illum diem innui contendas. Si vero vel maxime *terribilem* sonare largiamur, necdum *Maldonatus* cum asseclis obtinet, quod vult. Qua enim ratione evincent, extremum diem potius intelligendum, quam adventum primum Messiæ, quem κατὰ τι, vel respectu impiorum & diabolorum sic vocari posse, ostendunt *B. Glassius Philol. Sacr. libr. 5. pag. 85. B. D. Calixtus de Extr. Jud. pag. 36.* Ecquomodo illorum infringet explicationem, qui de neutro Messiæ adventu sermonem esse perhibent, sed potius de particulari quodam judicio terræ Israëlis, quo ab Impiis Judæis Numen pœnas exegit per Titum Vespasianum, veluti docent *Arias Montanus* & *H. Grotius*, qui huc Actor. 2: 20. refert. Horum explicationi non refragatur vox חרם, quippe quæ ad denotandam πανωλεθρίαν illam Judaicam quadrat; annotante enim *R. Nathan* in Concord. Ebraicis significat הריגה הכריתה ואיבוד *occisionem, excisionem & perditionem*. *Syrus* transtulit: ܠܚܪܒܐ *ad excidium*. *Arabs* بقوّة *atrociter*. *Chaldæi* Paraphrasis hæc est: דלמא אתגלי ואשכח כל ארעא בחובהא ואמחנה גמירא *ne me manifestans inveniam omnem terram in peccato suo & eam penitus deleam.*

§. 22. Quæ igitur se ex textu didicisse *R. Abarbanel* profitetur, ea ex præconcepta opinione potius hausit, quam scripturæ verbis. sic enim ille: למדנו באומרו פן אבוא והכיתי את כל הארץ חרם שהפסד העולם שזכר פה לא תהיה כי אם בדברים ההוים ונפסדים אשר על הארץ לא בשמים וכל צבאם כמו שהיה ענין המבול שמחה השם את כל היקום ובכלל כל מה שבעולם השפל לבד: *Discimus ex verbis, ne veniam, & percutiam terram anathemate, quod excidium, cujus meminit, non sit futurum, nisi rerum, quæ generantur & corrumpuntur in terra, non in cœlo & omni ejus exercitu: perinde ac se res habuit in diluvio, quo Deus omnem substantiam delevit, & quicquid in mundo hoc inferiori tantum fuit.* Nihil de omnium corporum sublunarium destructione in textu legitur. Vox ארץ *terra*, quæ simpliciter posita terram Israëlis alias denotat, & ad quam *R. David Kimchi* judicium illud extremum Comm. ad hunc locum ipsemet restringit, commodissime de terræ incolis accipitur, quos, se funditus deleturum Deus minatur, nisi ubi venerit, se ad frugem receperint.

§. 23. Neque interpretamentum verborum, vers. 4. & 6. quod *R. Abraham Ben David* l. supra cit. reliquit, sine censura abire debet. Ita vero ille: הא דכתיב בסיפה דקרא פן אבוא והכיתי את כל הארץ חרם לדעת כלם על המקרא הראשון הוא חוזר וכך הוא פירושו זכרו תורת משה עבדי אשר צויתי אותו בחורב וכו' ואם תזכרו הנה אנכי שולח לכם את אליהו הנביא וכו' פן אבוא והכיתי את הארץ חרם ואם תזכרו לא אכה ואשלח לכם מושיע ורב והושיע לכם מאויביהם אמן במהרה בימינו: *Ecce quod in fine textus scriptum est, ne forte veniam & omnem terram anathemate feriam, illud omnium judicio respicit antecedentia, & talis instituenda est explicatio: recordamini legis Mosis, servi mei, quam præcepi in Horeb &c. Et ubi memineritis illius: ecce mittam vobis Eliam Prophetam &c. ne forte veniam & percutiam terram &c. q. d. mementote legis meæ, ne percutiam &c. Si autem memineritis, non percutiam, sed mittam vobis Salvatorem & Magistrum, qui vos ab hostibus vestris liberet. Amen cito hoc fiat diebus nostris!* Nulla prorsus vers. 4. & 6. est cohæsio, quam fingit sibi recutitus, nedum, ut, sic se rem habere, omnium sit sententia. Postquam Prophetarum ultimus legis Mosaicæ observationem populo inculcavit (unde *R. Menasseh Ben Israel* Concil. Quæst. 7. Levit. pag. 195. frustra Legem Mosaicam æternam esse probat) more Prophetis, ceu alibi ostendimus, recepto, ex ab-

ex abrupto ad promissionem de Elia mittendo delabitur, quem sane non ea conditione eis pollicetur, si legem observaverint, (perinde ac Messias non cum conditione, ut Judæi itidem nonnulli delirant, in V. T. erat promissus.) sed prævisa illorum discordia & impietate eum in finem se missurum ait, ut eos ad eandem veram religionem distractos reducat, ne eos funditus delere necesse habeat. Hic enim finis diserte exprimitur, non fictitia illa, quam præstolantur ex tam diuturna captivitate, liberatio. Hoc ipsum vero dudum à *Johanne Baptista* præstitum esse, novimus Christiani ex historia N. T. quod docet, eum charitatis præcepta instillantem Luc. 3: 2. ad unum magistrum omnes remisisse Matth. 3: 11. Marc. 1: 7. Joh. 1: 15. & tandem ipsius opera factum esse, ut multi pœnitentiam agentes, illumque, quem Johannes monstravit, agnoscentes, communi gentis erepti sint exitio, de quo Paulus loquitur Rom. 9: 26.

§. 24. Ex quibus liquido patescere arbitramur, laterem lavare *Maldonatum* cum *Bellarmino*, dum ex textu, quem sane ea industria, quæ decet interpretem Scripturæ, neutiquam perpendit, argumenta conquirere allaborat, probaturus de Johanne Baptista solo eum intelligi haud posse, adeoque necessario expectandum alium esse Eliam, nempe Thesbiten. Sed neque Judæi habent, quod excipiant. Quin quæ saniores inter ipsos de Præcursoris Messiæ officio tradunt, ea ab ipso Johanne sunt adimpleta. Sic *Rabbi Saadias, Gaon* dictus, lib. האמונות tr. 8. loquitur: קודם לו למשיח בן דוד יהיה כשליח לו ומתקן האומה וכמסתכל הדרך כמו שאמר הנני שולח מלאכי ופנה דרך לפני: *Præcursor Messiæ, filii Davidis, erit quasi Legatus ejus, qui populum disponat, & viam expurget, quemadmodum ait* (Mal. 3: 1.) *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Quemadmodum hæc eadem Evangelistæ de Johanne testantur, qui vitam & opera ejus accurate descripserunt: ita Judæorum quoque Scriptores ea de ejusdem factis literis mandarunt, ut nihil affectibus dedisse, sed veritati ubique litasse Evangelistas, aperte constet. Sic enim *Fl. Josephus* lib. 18. A. J. cap. 7. Τισὶ τῶν Ἰουδαίων ἐδόκει ὀλωλέναι τὸν Ἡρώδου στρατὸν ὑπὸ τοῦ θεοῦ καὶ μάλα δικαίως τιννυμένου κατὰ ποινὴν Ἰωάννου τοῦ ἐπικαλουμένου βαπτιστοῦ. Κτείνει γὰρ τοῦτον Ἡρώδης ἀγαθὸν ἄνδρα, καὶ τοῖς Ἰουδαίοις κελεύοντα ἀρετὴν ἐπασκοῦσιν, καὶ τὰ πρὸς ἀλλήλους δικαιοσύνῃ καὶ πρὸς τὸν θεὸν εὐσεβείᾳ χρωμένοις βαπτισμῷ συνιέναι. οὕτω γὰρ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ φανεῖσθαι, μὴ ἐπί τινων ἁμαρτάδων παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ' ἐφ' ἀγνοίᾳ τοῦ σώματος, ἅτε δὴ καὶ τῆς ψυχῆς δικαιοσύνῃ προεκκεκαθαρμένης. *Judæis quibusdam videbatur justa Dei ultione deletum Herodis exercitum propter Johannem, qui Baptista cognominatus est. Hunc enim Herodes necavit, virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum studia & imprimis pietatis & justitiæ, simulque ad baptismi lavacrum, quod ita demum Deo gratum fore ajebat, si non ab uno tantum alteroque peccato abstineant, sed animis per justitiam prius mandatis addant & puritatem corporis.* *Gorionides*, parcius quidem Johannis laudes tangit, & falso Pontificis nomine eum indigitat, interim tamen, quia narratio ejus cum historia Evangelica ex parte convenit, (quo nomine penitus eum rejicere non audet *Drusius*, *de Tribus Sectis Ebr. lib.* 1. *cap.* 8.) omnino eum audiendum arbitramur. Sic vero ille: ויהרוג רבים מחכמי ישראל וגם הרג את יוחנן כהן גדול על אשר דבר ואמר לו אסור לך לקחת אשת אחיך פוליפוס לאשה ויהרגהו הוא יוחנן אשר נטבל & *occidit* (Herodes) *multos Sapientes Israëlis, præterea è medio sustulit Johannem Pontificem, eo quod dixerat, non est licitum, ut fratris tui Philippi conjugem habeas uxoris loco. Occidit igitur illum Johannem, qui baptizare solebat.*

§. 25. Hunc Johannem, de cujus singulari sanctitate, & non minus Regi Herodi, quam populo formidabili zelo ipsi Judæi tam illustre ferunt testimonium, & quem eopse tempore, quo nos asserimus, vixisse diffiteri non possunt, Eliam à Deo promissum esse, immota fide credimus Christiani. Uti enim hactenus vidimus, illud, quod Malachias de eo prædixit, tam ipsi congruit, ut ne ipsis quidem Judæis amplius causa sit, cur refragentur. Confer ea, quæ *Josephus* de Johanne paulo ante retulit, cum interpretatione *Kimchiana* §. 12. adducta. Solum illud ELIÆ famosum nomen recutitorum oculos juxta animosque ita defixos tenet, & ab assensu retrahere videtur, ut illum Thesbiten ideo necessario intelligendum contendant. Cæterum hanc quoque persuasionem vanam esse, tum satis liquidum fore putamus, si ostenderimus, communi loquendi usu & profanis & sacris Scriptoribus receptum esse, aliquem illius nomine insignire, quem vel vita vel moribus refert. *R. Levi Ben Gerson*, probaturus, Eliam ad plures non abiisse, sed etiamnum vivere, mittendum à Deo, ubi huic placitum fuerit, Comment. in 1 Reg. 17. sic scribit: לא מת ולא נעשה בקשתו ובמה שאמר קח נא את נפשי ולזה תמצא שאמר מלאכי הנה אנכי שולח אליהו הנביא עם ה"ה היד"יעה: *Non est mortuus* (Elias) *nec voti sui compos factus, dum* (1 Reg. 19: 4.) *ait, tolle quæso animam meam! Idcirco invenies, quod Malachias dicat; Ecce ego mitto vobis Eliam* הַנָּבִ"א *Prophetam, cum He notificativo*, q. d. αὐτότατον illum Prophetam, cui nomen Thesbiti est. Sane uti *R. David Kimchi* in Michlol pag. 14. col. 4. docet ה"הא תשמש לידיעת הדבר *He servit ad rem demonstrandam.* Subjicit ibidem idem Rabbi, ויש שלא תודיע דבר מיוחד אלא יהיה מי שיהיה כמו ואם יתקפו האחד האחד בא לגור: *Interdum rem non proprie determinat, sed indefinite usurpatur, exempli causa* (Eccles. 4: 12.) *prævaluerit ei* האחד unus. האחד unus *venit ad peregrinandum* (Gen. 19: 9.)

§. 26. Cæterum, etsi utraque manu largimur, non sine emphasi literam *He* hic occurrere, inde tamen necessario non sequitur; Eliam Thesbiten, adhuc superstitem in sua ipsius persona, mittendum esse. Sufficit, talem significari, qui illum vita factisque ad amussim repræsentet. Hanc ὁμοιότητα exprimit & adauget illa, quam Grammatici vocant, servilis litera, voci נביא præfixa, & ipsum nomen Eliæ per ἀντονομασίαν ubivis occurrentem, usurpatum. Veluti enim illum, qui summa eloquentia pollet, haud inconcinne dixeris *Ciceronem*; & eum, qui probitate & prudentia maxime antecellit, *Catonem* appellaveris: Sic *Elias* dici meretur, qui idem, vel simile quid, ei præstat, qui primum hoc nomine est vocatus. Ejusmodi locutio apud Poëtarum Regem, *Virgilium* legitur, quam, quia & ipsa in se habere putatur prædictionem, ad illustrandum hunc nostrum locum omnino afferendam judicamus. Ita vero ille, Eclog. 4.

Alter erit tum Tiphys, & altera, quæ vehat Argo
Delectos Heroas, erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Ubi *Servius*, postquam per *Tiphyn*, gubernatorem, *Tiphy* similem; & per *Argo*, navem, isti navi, in qua Argonautæ vecti fuerant, similem intelligi docuit, hæc quoque notatu digna verba subjungit. *Qui volet innuere virum magnitudine animi excellentem, & de quo non minus sit patriæ expectandum, quam Græciæ olim ab Achille, non ineleganter citaverit illud: iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.* Consimiliter Deus virum nominaturus, de quo populo Israëlitico non minus expectandum erat, quam ab Elia Thesbite, emphatice ait: *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam!*

§. 27. Sed ex sacris quoque exemplum adducendum est. 2 Reg. 9: 31. hæc verba leguntur: *Cum Jehu ingrederetur portam, dixit illa* (Jezebel:) *prosperene ô Simri, occisor Domini sui! R. David Kimchi* ibi sic commentatur: לפי שהרג זמרי את אלה בן בעשא ארניו ויהוא גם כן הרג ארניו לפיכך קראו כן: *Quia Simri occidit Ellam, filium Basa, Dominum suum, & Jehu quoque Dominum suum è medio sustulerat, idcirco sic eum appellat.* Agnovit igitur ipse *Kimchi*, ob facti similitudinem unum alterius nomine esse appellatum. Confer *B. D. Glassium*, Phil. sacr. lib. 4. pag. 877. ubi alia plura adducit exempla, quæ quia forsan ex parte in dubium vocabit *R. Abarbenel*, age, suo ipsius gladio Judæum jugulabimus. In libro virulentissimo, Maschmiah Jeschua, quem ex professo Christianis opponendum duxit, fol. 19. col. 3. ubi demonstrare conatur Christianos esse Edomitas, & pœnas, quas his comminatus est Propheta, illos manere, ait diserte: מפארת הדת והאמונה אומר אני שראוי היה להקרא הנצרים בני ארום וזרע עישו לפי שהאומות יכנו אותם הנביאים כפי מעשיהם: *Ratione religionis & fidei, dico, Christianos mereri, ut vocentur filii Edom & posteri Esavi: quia Prophetæ solent gentes denominare ab operibus suis.* Pergit ibidem: הלא תראה שהנביא ישעיה קרא לבני דורו קציני סדום עם עמורה ויחזקאל אמר כנגד ישראל זאת חטאת סדום אחותך ולא היה ישראל את סדום במשפחתם כי אם במעשיהם: *Annon vides, Esaiam Prophetam vocare suæ ætatis homines gubernatores Sodomæ, populum Gomorræ* (Esai. 1: 19.)? *Et quod Ezech.* (cap. 16: 49.) *ad Israëlem dicat: hoc fuit peccatum Sodomæ sororis tuæ? neque tamen Israël frater Sodomæ prosapia erat, sed tantum operibus suis.*

§. 28. Si Prophetis in more positum est, ob *fidei, morum operumque* similitudinem aliquem alterius nomine appellare, quid mirum est, si Johannes, qui aliquando vitæ austeritate, gravitate, vel, ut Græci melius dicunt, σκληραγωγίᾳ, & factis heroicis μεγαλωνύμον V. T. Prophetam, Eliam, repræ-

repræsentaturus erat, ejusdem nomine appelletur? Hoc enim à Propheta vaticinante eidem necdum nato datum est, veluti symbolum & pignus auxilii divini, quod in rerum maximarum administratione, causam nempe religionis violatæ, & pietatis proditæ, adversum populum & Regem constantissime agendo, futurus esset, instar Eliæ. Sane, quod Gabriel Luc. 1: 12. prædixit, eum Dominum antegressurum ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου, hoc est, ut verba illa per figuram ἓν διὰ δυοῖν (de qua vide *B. D. Glassium*, Phil. Sacr. lib. 4. can. 6. pag. 23.) explicemus, *spirituali virtute*, qua Elias erat instructus; id eventus tandem comprobavit, cum populus ὁμοθυμαδὸν eum, non nisi zelum Dei præ se ferentem, pro Propheta habuit, ejus Baptismum divinitus ordinatum agnovit, Matth. 21: 26. & teste ipso Josepho, tantus ad eum præ aviditate audiendæ doctrinæ ejus est factus concursus, ut Herodes, quanquam frustra, metueret, ne tanta hominis autoritas defectionem aliquam pareret. lib. XVII. cap. 7. Antiq. Jud. Conf. Matth. 3: 5. Marc. 1: 5.

§. 29. Dum ipsimet Ebræi confitentur, ex usu scripturæ id esse, ut ob similitudinem uni alterius nomen imponatur, nihil causæ est, quamobrem tam pertinaciter contendant, omnino adhuc Eliam Thesbiten, Messiæ πρόδρομον, mittendum esse. Debebant illi potius ad animum referre, vix ovum ovo similius esse, quam Eliæ Thesbiti fuit Johannes Baptista, non vestitu modo, & loco habitationis, videlicet deserto, sed cumprimis sermonis efficacitate: quin etiam tempus ipsum Christianorum explicationem haud obscure confirmare. Prophetarum ultimus Malachias, (qui sub Dario Notho, vel Dario Mnemone vaticinatus videtur ideo, quod templo jam ædificato, de Sacerdotum profanitate, populique sceleribus conqueritur) suam Prophetiam, quam nec aliud vaticinium, neque ullum antiqui pacti scriptum canonicum est secutum, promissione de Elia Propheta mittendo obsignat. Ubi Deus non ait וְאֶשְׁלַח *& mittam*, sed אָנֹכִי שֹׁלֵחַ *ego mitto*; ad indicandam haud dubie celeritatem & propinquitatem rei futuræ. Conf. *B. D. Glassium*, Phil. Sac. lib. 4. tr. 4. can. 6. ubi participium pro *paulo post futuro* accipi docet. Ab hujus promissionis complemento, & Eliæ illius missione, libri N. Test. exordientes cum V. T. libro, manibus veluti porrectis, se copulant & conjungunt. Conf. Matth. 3: 1. Marc. 1: 1. Luc. 3: 1. Contra vero Judæi, qui se jam bis mille annis venturi Eliæ spe frustra lactant extorres, solo nomine *Eliæ* nituntur, illudque proprie accipiendum esse docent, cujus tamen proprietatis retinendæ nullam plane possunt afferre causam. *R. Abarbenel* ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ hoc fatetur. Sic enim l. cit. ille: כפי דרכם זה אולי יהיה ייעוד אליהו כייעוד ודוד עבדי נשיא להם כפי פשוט: *Forsan* (en dubitabundum Judæum!) *prout illi* (quorum sententiam supra sub finem §. 8. exhibuit) *explicant, juxta sensum literalem eadem est ratio hujus promissionis* (de Elia), *ac illius* (Esai. 42: 2.) *& David servus meus princeps illorum.* Ecquænam vero hujus est ratio? Comment. ad l. cit. intelligit Messiam voce דוד, & dum hoc nomine appellatur Ezech. 34. rationem ejus dat sequentem: מלך המשיח יקרא דוד להיותו מזרעו והולך בדרכיו ונוהג במנהגו: *Rex Messias vocatur David, eo quod ex semine illius oriundus, ei ratione vitæ, & modi regnandi similis est.* Cum *R. Abarbenel* largitur, Messiam Davidem vocari ob regni quoque similitudinem, & vaticinii Malachiani eandem rationem esse hariolatur, ecquid aliud facit, quam ut contra Christianos disputans interpretationem illorum imprudens approbet: saltim eo ipso ostendat, nihil in textu esse, quod interpretationi illorum repugnet? Et quid jam superest, nisi ut dent manus Judæi, & Johannem, cujus apud majores illorum tanta fuit autoritas, ut ipsius Messiæ honorem ac dignitatem sponte sua illi detulerint, Eliam promissum esse, juxta nobiscum concedant? Sed enim quo minus hoc faciant, obstabit haud dubie, quod iste tam honorifice de Salvatore nostro sensit, & ad eum suos auditores, tanquam ad veri nominis Messiam, amandavit, quem Judæi odio plus quam vatiniano prosequuntur, & cui blasphemo ore contumelias dicere necdum cessant. hujus rei specimen dedit lib. cit. *R. Abarbenel*, dum ait: חכמי דאמרת קבלו שנפש עשיו נתגלגלה בישוע הנצרי ולכן היה במדברות איש שדה והיה איש ריב ומדון לחכמי הפירושים אולי שעל זה נקרא ישוע שאותיותיו הם אותיות עשיו: *Theologi tradiderunt, animam Esavi in Jesum Nazarenum per gilgul esse circumvolutam. Idcirco etiam hic in desertis versabatur, vir agri*, Genes. cap. 25: vers. 27.) *&* (Jerem. cap. 15: vers. 10.) *contentiosus Pharisæorum doctissimis litem intendebat. Forsan etiam idcirco vocatur nomine* ישוע, *quod iisdem literis constet nomen* עשו *Esau.* Ignoscat Deus tam insignitam referenti blasphemiam!

§. 30. Sed Judæos tam obstinatos, quibus haud facile quicquam persuaseris, quod traditioni majorum repugnat, & qui suomet exemplo comprobant, τὸ μεταδιδάσκειν esse χαλεπώτατον, tandem mittamus, postquam satis luculente, ut speramus, ostendimus, verba Prophetæ pro spei suæ fulcimento eos habere non posse. Eadem quoque opera demonstrasse videmur, qua veritate *Christophorus Castrus* scripserit, *aliunde Veteres clarius haud deduxisse, Eliam venturum ante diem judicii, quam ex hoc loco Malachiæ.* Sane, ceu hactenus vidimus, ex Ebraica veritate adeo nihil pro illa sententia solide probanda afferri potest, ut, nisi aliunde ipsis suppetat, quo dictis fidem faciant, nihil propius sit factum, quam ut pro figmento habeatur & explodatur penitus. Qua fronte igitur *Bellarminus*, ἐπανόρθωσιν verborum Apostolicorum; quam Christum responso suo dedisse supra diximus, agnoscere detrectans, *contrariam sententiam vel hæresin, vel hæresi proximum errorem esse* ait? Quam temere *Viegas*, Comm. in c. 11. Apoc. sect. 6. affirmat, *Non sine temeritate nec sine impudentia negari posse, quod omnium Veterum autorum opinio fuerit de Elia constantissima, nemine dissentiente?* At dissentit *Procopius*, dissentit *Primasius*, dubitat *Nazianzenus*; *quod satis est, ut liqueat, nunquam hoc ita creditum, quasi dissentire nefas esset*, uti *Hugo Grotius* loquitur, annotat. ad Matth. 17.

§. 31. Nolumus diffiteri, nec paucos nec vulgares quondam extitisse Ecclesiæ Doctores, qui initio sibi, deinde aliis iverunt persuasum, ante extremum diem venturum Eliam; idque ex loco Malachiæ constare. Inter eos referendus *Tertullianus*, qui iterum ac sæpius Eliæ venturi facit mentionem lib. IV. de R. C. adversus Marcionem. de Anima cap. XXXV. & cap. L. maxime vero lib. 3. Carm. adversus Marcionem, dum ait:

Nobilis Elias, qui nondum debita mortis
Gustavit, quoniam rursus venturus in orbem est.

Eandem sententiam amplexi dicuntur *Origenes*, tom. 7. in Johannem, *Chrysostom.* hom. XXXVIII. in Matt. *Cyrillus & Theod.* in h. l. *Augustinus* lib. XX. de Civ. Dei cap. 29. ut alios jam taceamus. Sed plerique omnes, ut sic sentirent, Versione Græca adducti videntur. *Jacobus Greiserus*, lib. I. cap. 14. Defens. Controv. Bellarm. eo respicit, *Tota*, inquiens, *quæstio est de loco posteriori jam recitato, quem ad Eliam illum veterem Thesbiten spectare, expresse senserunt LXX. Interpp. Verterunt enim: Ecce ego mitto vobis Eliam Thesbiten &c. Idem plerique sanctorum patrum, sacræ Scripturæ interpretum tradunt, ut videre licet apud Riberam ad Malach. IV.* Provocat ad Versionem Græcam, in qua pro Ἠλίαν τὸν προφήτην, *Eliam Prophetam*, multis retro seculis legebatur, Ἠλίαν τὸν Θεσβίτην, *Eliam Thesbiten.* Unde Cyrillus Alexandrinus: ad l. cit. ἀπόδειξις ἡμερότητος, καὶ ἀνεξικακίας θεοῦ, τὸ καὶ Ἠλίαν ἡμῖν τὸν Θεσβίτην προαναλάμψαι κατὰ καιρούς, ὅτε παρέσαι λοιπὸν ὁ κριτὴς τοῖς ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην προαγγέλλοντα. *Argumentum mansuetudinis & tolerantiæ Dei, quod Elias Thesbites quoque nobis prius olim affulsurus est, qui omnibus mortalibus affuturum judicem prænunciet.* Licet vero non tam ipsorum Interpretum, quam τῶν μεταγραφόντων culpa vox Θεσβίτης Versioni illata esse videatur, quippe quæ, teste ipso *Cornelio à Lapide*, in codicibus Vaticanis reperitur, in Regia editione non item; factum nihilominus est, ut ille error ad Græcos primum Patres, deinde ad Latinos, & tandem totam Romanam Ecclesiam manarit. Ipse *Hieronymus* in eandem sententiam à Pontificiis allegari solet, qui Comment. in Matth. 11: vers. 14. ita scribit: *Sunt, qui propterea Johannem Eliam vocari putant: quod quomodo in secundo Salvatoris adventu juxta Malachiam præcessurus est Elias, & venturum judicem annunciaturus: sic Johannes in primo fecerit, & uterque sit nuncius vel primi adventus Domini, vel secundi.* Et Comment. in Matth. 17: vers. 11. *Ipse*, inquit, *Elias, qui venturus est in secundo Salvatoris adventu juxta corporis fidem, nunc per Johannem venit in virtute & spiritu.* Cæterum etsi illum communi opinioni addictum fuisse, ex allatis verbis colligant; haud immerito tamen quæritur, cur Pater sanctitate venerabilis, Comment. ad Mal. 4. propria nempe sede dogmatis de Eliæ adventu idem non asseruerit? Ibi enim hæc verba leguntur: *mittet Dominus in Elia omnium Prophetarum chorum, qui convertat cor patrum ad filios &c.* ubi locum Propheticum de Elia Hieronymum accepisse, ipse *Bellarminus* negat. & *Cornelius à Lapide* Comment. ad loc. citat. verba allata *non literaliter, sed mystice Eliam explicare*, affirmat. Unde locis supra dictis

non

non tam ex propria, quam aliorum ſententia locutus videtur. Sane, quod proximo ſuperiore ſeculo duo Reformationis autores, *Lutherus* & *Melanchton*, linguæ Ebrææ acceptum tulerunt, hoc pridem quoque *Hieronymus* eidem adſcripſit. Luth. Comment. in Pſal. 45. *Novi*, ait, *quantopere mihi contra hoſtes meos profuerit linguæ Ebrææ notitia. Certe quamvis exigua illa ſit, cum omnibus tamen totius mundi gazis eam non commutarem.* Et fidus hujus Achates, Tom. 4. Or. pag. 471. *Scio vix me primis labris deguſtaſſe Ebræas literas, ſed tamen hoc ipſum, quod didici, quantulumcunque eſt, propter judicium de Religione, omnibus mundi regnis, omniumque opibus longe antepono.* Conſimiliter Hier. epiſt. ad Virginem Euſtochiam affirmat, *Ebræam linguam ſe non deſerere, ne deſeratur ab illa.* Inde hauddubie factum, ut illorum ſuſurris, qui in LXX. ſugillationem eum *nova pro veteribus cudere*, dicebant, ſuſque deque habitis, & fonte Ebræo inſpecto, pro *Eliam Thesbiten*, (quem ſe eſſe negavit Baptiſta Joh. 1:21.) tranſtulerit, *Eliam Prophetam*, omiſſo cognomento. Quod cum *Arabs* in nova Bibliorum editione Londinenſi, eaque δεκαγλώττῳ, itidem exhibet, eo ipſo teſtatur, ſe uſum Verſ. Græca. Sic enim ille: إيليا التشبيتي *Eliam Thesbiten.* Syrus contra ibidem verbis ܠܐܠܝܐ ܢܒܝܐ *Eliam Prophetam*, Ebraicam veritatem expreſſit. Quantum vero diſcriminis ſit inter utramque verſionem, *B. D. Calixtus* pag. 36. de Ex. Jud. hunc in modum explicat: *Elias quatenus Propheta & vir Dei erat, Joannem figuravit, & viciſſim Johannes Eliam, ut Prophetam, repræſentavit. Quatenus vero Elias Thesbites erat, eatenus nec imago Johannis fuit, nec à Johanne expreſſus, imo ne exprimi quidem potuit, quippe circumſtantia Thesbitæ perſonam ita videtur determinare, ut alia, quam ipſa illa, intelligi nequeat.*






FINIS.






colorchecker CLASSIC























calibrite

mm